Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]

Ad Librum

HUGONIS GROTII,

Quem

de SATISFACTIONE CHRISTI

adverſus

FAUSTUM SOCINUM SENENSEM

ſcripſit,

RESPONSIO

JOHANNIS CRELLII FRANCI

Eccleſiæ Racovienſis Miniſtri.

Acceſſerunt duæ Epiſtolæ Grotii ad Crellium, quarum priore Crellio pro hac reſponſione gratias agit: nec non Grotii ipſius Tractatus de Satiſfactione Chriſti.

IRENOPOLI

Poſt annum Domini 1656.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

DEFENSIO FIDEI CATHOLICÆ
DE
SATISFACTIONE CHRISTI
Adverſus FAUSTUM SOCINUM *Senenſem*:
Scripta ab HUGONE GROTIO.

VERITATIS EUANGELICÆ
STUDIOSIS.

Gratiam & pacem à Domino.

CUm in plurimis doctrinam Catholicam Socinus ſibi deſerendam putarit, tum majori cum periculo nuſquam ab ea receſſit, quam in illis, quæ ad gloriam Chriſti pertinent, ſive naturam alteram, eamque nobiliorem, ſive beneficia ſumma abnegando. Eſt enim Chriſtus natura Deus, ante omnia ſecula: ſed in ſeculo anima rationalis & caro acceſſit in unitatem perſonæ. Beneficia ejus partim in iis conſiſtunt, quæ vita & morte ſemel acquiſivit nobis: partim quæ quotidie confert. Acquiſivit jus duplex: ad effugiendam pœnam, & ad præmium conſequendum. Confert vero non hæc ipſa duntaxat, quæ juſtificationis & glorificationis nomine deſignantur, ſed fidem inſuper, abſque qua Deo placere non poſſumus: & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Neque hæc operatur exteriori ſolum doctrinæ cœleſtis revelatione, & perfectiſſimo vitæ exemplo: ſed vel imprimis internæ gratiæ ſuæ donis, quibus in ſolidum, quicquid nobis ſalutaris boni ineſt, debetur. Ex his dogma æternæ Chriſti Deitati adverſans, in Paulo Samoſateno damnavit Sancta & ab Apoſtolicis uberibus ſatis recens Eccleſia: ejuſdem mali reliquias in Ario & Neſtorio poſterior ætas vidit & debellavit. Ad fidem ſanctitatemque inchoandam, promovendam, conſummandam neceſſaria eſſe interna ac gratuita Chriſti dona, humanarum virium prædicator Pelagius negavit: multiſque Scripturarum teſtimoniis per Synodorum judicia & Epiſcopalia ſcripta convictus fuit. Superſunt errores, quibus acquiſiti juris beneficia evertuntur. Hi ſincera quidem veritatis confeſſione ab omnibus retro ſeculis damnati fuere, non tamen ad eos refutandos diligentiam parem contulit quiſquam, quia nec qui propugnando hanc ſibi propriam cauſam faceret, ullus erat. Quamquam nec modica in iſtis tum Samoſateniani, tum Pelagiani erroris fibra apparet. Nam actiones & perpeſſiones Chriſti minoris æſtimet neceſſe eſt, quiſquis illum, non quantus eſt, agnoſcit: & viciſſim, qui factis humanis nimium ponit pretium, facile adducetur, ut ſibi Mediatore haud opus putet. Iſtos igitur errores vetuſtati minus notos, cum Socinus fecerit ſuos, pro parte minus tractata par eſt majore ſtudio laborari. Quod fieri quotidie videmus à Theologis pro Eccleſiæ doctrina, undique in aciem dimicationemque venientibus. Cum vero duo nobis peperiſſe Chriſtum dixerimus, impunitatem & præmium, illud ſatiſfactioni, hoc merito Chriſti diſtincte tribuit Vetus Eccleſia. Satiſfactio conſiſtit in peccatorum tralatione: meritum in perfectiſſima obedientiæ pro nobis præſtitæ imputatione. Utrumque horum vehementi cum ſtudio impugnavit Socinus: ſed in priori fundamenta cauſæ ſuæ in quibuſdam juris quaſi principiis collocavit. Vidit hoc V. Cl. HUGO GROTIUS, Civi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Civitatis Roterodamenſis Syndicus, & in Collegio delegatorum ab Illuſtribus Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordinibus Senator. Quocirca pro ſuo erga Eccleſiam Dei amore, non acquieſcendum ſibi putavit, quin, relicta aliis Meriti quæſtione, ipſe eam quæ de Satisfactione eſt, tractandam ſuſciperet. Nimirum, certiſſimum ei erat, quam Socinus oppugnat ſententiam, clariſſimis Scripturarum verbis contineri: neque minus certum, Dei dona, verum ſcilicet juris naturalis lumen, & auguſtius lumen fidei, minime inter ſe pugnare. Itaque exiſtimavit, facturum ſe rem Chriſtiano Juriſconſulto non indignam, ſi ea, quæ à jure petuntur arma, Catholicæ fidei adverſario extorqueret: quod facili negotio fieri poſſe, deprehendit. Mox alia etiam Socini ruſpanti obtulere ſe plurima, quæ partim ad vocum interpretationem, partim ad hiſtoriam pertinerent. In quibus cum non minus aberrare Socinum vidiſſet, nec ſilentio tranſeunda hæc putavit. Poſt iſta, non ita multa ejus argumenti reſidua jam erant. Ne igitur hiaret opus, illa etiam perpetua ſerie connectere animus fuit. Cæterum in his commentandis, profitentem ſæpe audivimus, non tam Theologi, quam Chriſtiani hominis officio fungi voluiſſe: ſolere in bello haſtas adminiſtrare etiam illos, qui ad pugnam minus ſunt idonei: talem velle æſtimari laborem ſuum: quem interim non inutilem alii fore ſperat, qui, animi plenus, juſtum prœlium molietur. Eſt vero jam biennium & amplius, quod opera hæc inſumpta eſt. Interea liber iſte vel delituit domi, vel verſatus eſt inter manus clariſſimorum aliquot S. Theologiæ Profeſſorum, doctiſſimorum Eccleſiæ Paſtorum, aliorumque qui non eruditione minus, quam dignitate præſtarent: premente fœtum hunc ſuum auctore, ſpe bona, ut uſui hic labor alteri eſſe poſſit, qui ſingula diligentius elaboraret, & huic de Satiſfactione, alteram adjiceret de Merito tractationem. Nos vero, cum præſtantium virorum limato & acri judicio non mediocriter probaretur hæc opera, è re & publica & Eccleſiæ eſſe judicavimus, oſtendere eum, qui vel Princeps, vel inter primos eo conſilia componit ſua & compoſuit ſemper, ut ne unquam noxiæ dogmatum herbæ in Bataviæ ſolo pullulent & ſuccreſcant, paratiſſimum eſſe, ad eam rem ſymbolam quoque ſuam conferre. De ſumma rei, quam defendit, plane ſe perſuaſum eſſe ſemel retulit nobis: particulatim autem, ſi quid minus rectum à ſe dictum ſit, hoc indictum ſe velle: piorum ac eruditorum judicia gratiſſimo ſe animo acceptuꝛum: ſcire non ſuam agi cauſam, ſed Chriſti: cui grata fore ſe confidere, & quæ alii ex uberiori gaza contulerint, & ſuum ex tenui (ſic ex animo loquitur) peculio quadrantem. Vale quiſque Catholicæ doctrinæ faves, & nobiſcum virum Ampliſſimum, Reip. & Eccleſiæ cauſa, Deo precibus tuis etiam & etiam commenda. Lugdun. Batav. in Collegio Theolog. Illuſt. D. D. Ordin. Holland. & Weſt-Friſ. VIII. Kalend. Septemb. Anno Chriſti CIↃ IↃC XVII.

GER. JOANNIDES VOSSIUS,

Coll. Regens.

DEFEN-

DEFENSIO FIDEI CATHOLICÆ DE SATISFACTIONE CHRISTI,

ADVERSUS F. S. SENENSEM.

Scripta ab HUGONE GROTIO.

CAPUT I.

Oſtenditur controverſiæ ſtatus & vera ſententia Scripturæ verbis explicatur.

ANtequam ad hanc diſputationem veniamus, ponemus primum eam ſententiam quam ex Sacris Literis depromptam imperturbata fide hactenus Chriſti Eccleſia defendit, ut deinde quid inter hanc & Socini placitum interſit, clare appareat: deinde eandem ſententiam explicabimus allatis quibuſdam Scripturæ teſtimoniis, quæ quia alio detorſit Socinus, obiter vera eorum interpretatio vindicabitur.

Catholica ergo ſententia ſic habet: Deus motus ſua bonitate ut nobis inſigniter benefaceret, ſed obſtantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, conſtituit, ut Chriſtus volens ex ſua erga homines charitate, cruciatus graviſſimos & mortem cruentam atque ignominioſam ferendo pœnas penderet pro peccatis noſtris, ut ſalva divinæ juſtitiæ demonſtratione, nos, intercedente vera fide, à pœna mortis æternæ liberaremur.

Cauſa efficiens rei, de qua agimus, prima eſt Deus. *Deus Filium ſuum unigenitum dedit, ut qui credit in eum non pereat.* Johan. 3. 16. *Deus proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* Rom. 8. 32. *Deus impegit in Chriſtum peccata noſtra omnium.* Eſaias 53. 6. *Deus Chriſtum fecit peccatum.* 2 Corinth. 5. 21.

Cauſa quæ Deum movit, prior eſt miſericordia ſive φιλανθρωπία. *Ita Deus dilexit Mundum ut Filium daret.* Joh. 3. 16. *Commendat Deus ſuam in nos charitatem, quod, cum peccatores adhuc eſſemus, Chriſtus pro nobis eſt mortuus.* Rom. 5. 10.

Cauſa altera, quæ Deum movit, ſunt peccata noſtra pœnam commerentia. *Traditus eſt* Chriſtus *propter peccata noſtra.* Rom. 4. 25. Ubi eſt διὰ cum accuſativo: quæ apud Græcæ linguæ authores ſacros & profanos uſitatiſſima eſt nota cauſæ impulſivæ. Ut cum dicitur διὰ ταῦτα *propter hæc venit ira Dei in filios contumaciæ.* Epheſ. v. 6. Quoties vero phraſis iſta *propter peccata* perpeſſionibus jungitur, diverſum à cauſa impulſiva ſenſum non recipit. *Corripiam vos ſepties propter peccata veſtra.* Levit. 26. 28. *Propter iſta abominanda Dominus Deus ejicit eas à conſpectu ſuo.* Deuter. 18. 12. Et paſſim alibi in Sacris Literis: neque uſquam aliter. Idemque plane valet phraſis altera *pro peccatis*, quoties & ipſa perpeſſionibus adhæret. Huc illa pertinent, *Chriſtus mortuus eſt* ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν. 1 Corinth. 15. 3. *Chriſtus ſemel paſſus eſt* περὶ ἁμαρτιῶν. 1 Petr. 3. 18. Chriſtus *dedit ſe* περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Galat. 1. 4. *Chriſtus obtulit ſacrificium* ὑπὲρ ἁμαρτιῶν. Hebr. 10. v. 12. His tamen in locis Socinus lib. 2. cap. 7. finalem cauſam, non impulſivam vult denotari: imo quod amplius eſt addit lib. 3. cap. 7. & lib. 2. cap. 25. *Pro* dictione & Græca ὑπὲρ nunquam impulſivam, ſemper autem finalem cauſam declarari. Poſterius hoc, quo Socinus nititur, verum non eſſe multi loci evincunt. Nam ὑπὲρ & περὶ ſignificare ſolent non minus cauſam impulſivam, quam cauſam finalem. Dicuntur Gentes laudare Deum ὑπὲρ ἐλέους Rom. 15. 9. *Gratiæ agantur pro nobis* ὑπὲρ ἡμῶν inquit Paulus 2 Corinth. 1. 11. ὑπὲρ ὑμῶν ad Eph. 1. 6. 10. & ὑπὲρ πάντων Eph. 5. 20. *Oramus* ὑπὲρ Χριστοῦ. 2 Corinth. v. 21. *Magna eſt mea gloriatio* ὑπὲρ ὑμῶν 2 Cor. 7. 4. & 9. 2. & 12. 5. *Anguſtiæ* ὑπὲρ Χριστοῦ. 2 Cor. 12. 10. *Gratias ago Deo* περὶ ὑμῶν 1 Cor. 1. 4. *Deus arguet impios* περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας. Judæ 15. Sic & Latini dicunt, pro beneficiis gratias agere aut reddere, ut ſæpiſſime Cicero. Idem dixit, ulciſci pro injuriis, pro magnitudine ſceleris pœnas perſolvere, ſupplicia pro maleficiis metuere: ut Plautus, caſtigare pro commerita noxia: & Terentius, pro dictis & factis ulciſci. His omnibus locis *Pro* cauſam non finalem, ſed impulſivam ſignificat. Sic & cum pro peccatis paſſus aut mortuus dicitur Chriſtus, cauſam finalem (ut vult Socinus) intelligi res ipſa non patitur. Nam cum fini ſit duplex, τέλος ᾧ καὶ τέλος οὗ, ut finis cui ſit Medicina eſt æger, finis cujus gratia eſt ſanitas, peccato neutrum convenit. Sive enim cum Socino dicas finem eſſe mortis Chriſti ut à peccatis retrahamur, ſive etiam ut conſequamur remiſſionem peccatorum (ut omittamus hunc finem ex ipſius ſententia morti non potuiſſe tribui niſi remotiſſime) neutrum indicari poteſt iſtis vocibus, propter peccata, vel, pro peccatis. Nam finis cui erit homo, finis autem cujus gratia, non peccata, ſed id quod peccatis maxime pugnat, deſtructio peccatorum vel remiſſio. Quis unquam dixit pharmacum ſumi propter mortem, id eſt mortis avertendæ cauſa? ſed propter morbum ſumi ideo dicitur, quod morbus nos eo adigat. Sequitur ergo ut impulſiva cauſa hic accipienda ſit. Quare cum & particula מן apud Hebræos cauſam antecedentem ſive impulſivam denotet, ut Pſal. 38. v. 9. & alibi ſæpe, locus Eſaiæ 53. 5. melius & Scripturis aliis congruentius transferri non poteſt quam: *Dolore afficitur ob defectiones noſtras: atteritur ob iniquitates noſtras.* Et ille Rom. 6. 10. Chriſtus τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν, quid aliud denotare poteſt, quam, mortuus eſt ob peccatum?

Cauſa autem impulſiva cum poſſit eſſe multiplex, hoc loco meritoria accipienda eſt. Agitur enim de pœna, ut mox oſtendemus. Peccata autem pœnæ cauſa ſunt non aliter quam per modum meriti. Neque vero oſtendi poterit voces iſtas, *ob peccata*, vel, *propter peccata*, præſertim ubi perpeſſionibus junguntur, aliter ſumi uſquam in Sacris Literis quam in hoc meriti ſignificatu. Non evincit contrarium locus ille 1 Reg 14. 16. *Tradet Deus Iſraëlem propter peccata Jeroboami.* Nam peccata Jeroboami illo loco ſignificant genus ipſum peccati; idololatriam ſcilicet, cujus populo author fuerat Jeroboamus: idque manifeſte explicant ſequentia, *quibus peccavit & quibus peccare fecit Iſraëlem.* Hæc enim verior eſt interpretatio, quam illa à Socino allata, *qui peccavit & peccare fecit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Iſraëlem. Peccata ergo illa, quorum author erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis iſtam pœnam merebantur: Ut jam taceam, teſtari Sacras Literas, merito imitatores alieni peccati pœnas dare, non tantum ob ſua, verum etiam ob aliena peccata; quod tam manifeſtum eſt, ut Socinus ipſe fateri cogatur cap. 7. lib. 2. & lib. 3. cap. 10. Puniri aliquem poſſe, dum culpæ affinem, ob peccata aliena. Locus autem Pſalmi 39. 12. quem Socinus citat, manifeſte contra ipſum facit: Ait enim: *In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti aliquem, & liquefieri feciſti ut tineam deſiderium ejus*, hoc eſt: Si quem velis punire quantum meretur peccatum, profecto ei homini ipſa vita vitalis non erit Hac enim ratione Deum vult permovere ad miſerationem: ut alibi, *Si iniquitates obſervaveris* (hoc eſt rigide earum pœnas exegeris) *quis ſtabit, aut ſuſtinebit?* Pſal. 130. 3. Manet ergo illud inconcuſſum, phraſin, *ob peccata,* cauſam denotare impulſivam, & quidem meritoriam. Nam quod Socinus alicubi hoc quærit effugium, ut dicat ſatis eſſe ad hujus phraſeos veritatem, ut qualiſcunque occaſio indicetur, id primum ipſius poſitioni repugnat, qua dictionem *pro* dixerat nunquam ad impulſivam, ſemper vero ad finalem cauſam referri, cum occaſio cauſa finalis ſit nullo modo: ſi autem cauſa dici meretur, ad impulſivam referri debeat. Deinde vero talem expoſitionem vocum *pro peccatis*, & *propter peccata*, tum Scripturæ, tum ſermonis communis uſus plane repudiat. Intelligi hinc poteſt, quam non recte Socinus neget lib. 3. cap. 10. præter Dei & Chriſti voluntatem, cauſam antecedentem mortis Chriſti poſſe reperiri: quod plane adverſatur Pauli dicto, *Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus δωρεὰν eſt mortuus.* Galat. 11. 21. Ubi vox δωρεὰν, Socino agnoſcente lib. 2. cap. 24. ſignificat ſine cauſa: ſed addi debuit, ſine cauſa antecedente: quæ originaria & maxime frequens hujus vocis eſt ſignificatio. Origo eſt à voce δωρεὰ, quæ donum ſignificat, hoc eſt, dationem talem, quæ cauſam juris antecedentem non habeat: unde cœpit ad alia quoque transferri, in quibus antecedens cauſa non reperitur. Sic David Pſalm. 25. 19. de inimicis ſuis loquens, ait, *oderunt me* חנם, hoc eſt, cum odii cauſas ipſis nullas præbuerim: quod ſibi applicans Chriſtus apud Johan. 15. 25. ait, oderunt me δωρεὰν, eodem plane ſignificatu. Locus ipſe Pauli de quo agimus aliam quam antecedentem cauſam intelligi non patitur. Nam quam cauſam Socinus comminiſcitur, nimirum ut fides fieret vitam emendantibus remiſſionis peccatorum, hæc cauſa finalis ad prædicationem & ad reſurrectionem, non autem mortem pertinet. Quod cum videret Socinus, mortis nomine hic Chriſtum intelligi voluit lib. 2. cap. 24. & prædicationem quoque ac reſurrectionem includi: tum diſtorte, tum contra Pauli mentem. Negans enim Paulus Chriſtum ſine cauſa mortuum, indicat cauſam aliquam eſſe propriam, quæ ad mortem Chriſti pertineret. Nam alioqui potuit ob certam cauſam prædicaſſe, & ob certam cauſam præmio eſſe affectus (nam juxta Socinum huc duntaxat refertur reſurrectio) & non tamen eſſe mortuus. Præterea mortem Chriſti à Paulo peculiar iterre ſpici, ſatis oſtendit id quod præcedit, *qui tradidit ſemetipſum pro me.* Iſta enim traditio mortem ubique in Scripturis deſignat. Et hoc ipſum Dei gratiam vocans Paulus, negat id à ſe ſperni aut rejici, cauſamque continuo reddit. Nam ſi per legem eſt juſtitia, Chriſtus jam ſine cauſa erit mortuus: ex contrario deſignans cauſam propriam, cur ſe tradiderit Chriſtus mortuuſque ſit, hanc eſſe, quod nos per legem juſti non eſſemus, ſed rei pœnæ. Noſtra ergo ἀνομία cauſa eſt antecedens mortis Chriſti.

Cauſa efficiens altera eſt ipſe Chriſtus & quidem volens. *Pono*, inquit, *Chriſtus, animam meam. Nemo eam tollit à me: ſed ego pono eam à memetipſo.* Johan. 10. 18. *Chriſtus tradidit ſe pro nobis, pro Eccleſia.* Gal. 11. 20. Epheſ. 5. 2. & 5. 25.

Cauſa quæ Chriſtum movit fuit ipſius φιλανθρωπία. *Hoc eſt,* inquit, *præceptum meum, ut diligatis alter alterum, ſicut ego dilexi vos. Majorem hac charitatem homo non habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis.* Johan. 15. 13. *In fide filii Dei, qui amavit me & tradidit ſeipſum pro me.* Galat. 11. 20. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Apoc. 1. 5. *Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem.* Epheſ. 5. 2. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea.* Epheſ. 5. 25.

Materia eſt tum cruciatus mortem antecedentes, tum præcipue mors ipſa. Cruciatus Eſaias efficaci vocabulo חבורה 53. 5. & Petrus μώλωπα appellavit 1 Petr. 11. 24. Ideoque & crucis mentionem videmus fieri, ubi hoc argumentum tractatur: *Reconciliavit utroſque Deo per crucem.* Epheſ. 11. 16 *Pace facta per ſanguinem crucis.* Coloſſ. 1, 20. Neque vero cruciatuum nomine intelligendi ſunt ſoli dolores corporales, ſed vel imprimis illæ perpeſſiones animi longe graviſſimæ, quas Euangeliſtæ vocibus λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονεῖν, ſignificant, & quas præcipue reſpiciens Chriſtus à Deo ſe derelictum exclamat. Altera materiæ pars mors ipſà paſſim urgetur. *Pono animam meam.* Johan. 10 18. *Reconciliavit nos per mortem.* Coloſſ. 1. 22. *Morte intercedente ad redemptionem tranſgreſſionum.* Hebr. 9. 15. Hæc mors conſideratur in Sacris Literis cum duabus præcipue qualitatibus, ut cruenta & ut ignominioſa. Qualitas illa mortis cruentæ voce *ſanguinis* denotatur. *Hic eſt ſanguis Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. *Deus acquiſivit Eccleſiam ſuo ſanguine.* Actor. 20. 28. *Deus Chriſtum conſtituit propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Rom. 3. 25. *Juſtificati in ſanguine ipſius.* Rom. 5. 9. *Habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, peccatorum remiſſionem.* Epheſ. 1. 7. *Qui longe eratis prope facti eſtis in ſanguine Chriſti: ipſe enim eſt pax noſtra.* Epheſ. 11. 13. *Habemus redemptionem per ſanguinem ipſius.* Coloſſ. 1, 14. *Pace facta per ſanguinem crucis.* Coloſſ. 1. 20. *Non per ſanguinem taurorum aut vitulorum, ſed per ſanguinem proprium ſemel intravit in ſancta, reperta æterna redemptione.* Hebr. 10. 12. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Hebr. 10. v. 22. *Acceſſiſtis ad ſanguinem purificationis melius loquentem quam ſanguis Abel.* Hebr. 12. 24. *Secundum purificationem ſanguinis Jeſu Chriſti.* 1 Petr. 1. 2. *Sanguis Jeſu Chriſti mundat nos ab omni peccato.* 1 Johan. 1. 7. *Chriſtus lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Apoc. 1. 5. Qualitas autem altera mortis ignominioſæ notatur tum ipſa *crucis* voce (ipſi enim iſti ſupplicio ineſt maxima ignominia, unde dictum eſt: *Pertulit crucem, ſpreta ignominia.* Hebr. 12. 2.) tum voce *contemtus*, quam uſurpat Eſai. 53. 3. Notetur hic obiter non tantum locis nunc allegatis, aliiſque ſimilibus, qui de remiſſione peccatorum aut ſolum aut potiſſimum agunt, mentionem fieri mortis, crucis, ſanguinis; ſed paſſim profiteri Apoſtolos, ſe nihil noſſe, nihil docere niſi Chriſtum, & quidem crucifixum. 1 Corinth. 1. 23. & 11. 2. Ideoque ipſum Euangelium ab ipſis vocari ſermonem crucis. 1 Corinth. 1. 12. Adde jam quod Chriſtus ſanctiſſimum Cœnæ ſuæ ritum inſtituit non proprie ad vitæ aut reſurrectionis, ſed ad mortis fuſique ſanguinis memoriam. 1 Corinth. 11. 26. Quæ toties repetita manifeſte oſtendunt proprium aliquem ac peculiarem effectum huic morti & ſanguini tribuendum. Quod Socinus facere non poteſt. Nam exemplum ſanctimoniæ tota vita Chriſti præbuit, magis quam mors ipſa, quæ brevi momento peracta eſt. Confirmatio autem promiſſionis de vita cœleſti proprie in ipſâ Chriſti reſurrectione conſiſtit: ad quam mors ſolam viæ habet rationem: ita ut huc reſpiciens Scriptura reſurrectionis mentionem facere debuerit: non mortis: certe non toties & adjunctis notis ἐμφάσεως. Socinus ipſe lib. 1. cap. 3. laborans ut oſtendat viam ſalutis ſanguinis effuſione confirmatam, cum veram ſuſtuliſſet, quam nos defendimus, nullam aliam probabilem ejus confirmationis cauſam ſubſtituere potuit: neque ullum verum adferre diſcrimen, cur id Chriſti ſolius, non etiam martyrum aliorum morti tribui debeat. Neque vero unquam explicare Socinus poterit, quomodo Chriſtus ſanguine ſuo fuſo Deum nobis devinxerit (quod aliquo modo verum ipſe concedit cap. 3. lib. 1.) ſi Deus ob fuſionem ſanguinis nihil promiſit.

Forma eſt pœnarum pro peccatis noſtris perſolutio: quod deſtricte negat Socinus lib. 3. cap. 9. & lib. 2. cap. 4. Quare hoc ipſum breviter probabimus. Hebræi ut ſignificent id quod Latini dicunt pœnas pendere, nullam habent phraſin magis receptam quam hanc, *ferre peccatum:* cui ſimilis eſt Latinorum locutio, *luere delicta*, hoc eſt delictorum ſupplicia. *Siquis blaſphemum non indicaverit, feret peccatum ipſius.* Levit. 5. 1. *Qui nuditatem ſororis ſuæ retexit, peccatum ſuum ferto.* Levit. 20. 17. Sic expiatoriæ victimæ dicuntur portare iniquitates offerentium. Levit. 10. 17. quia ſanguis ipſarum eſt pro anima humana. Levit. 17. 1. Neque tantum conjunctim ſed & ſeparatim iſtæ voces inveniuntur ſenſu eodem. Sic βαστάζειν τὸ κρῖμα dicitur Galat. 5. 10. *Ferre ob peccata.* Ezech. 18. 20. Et ſupervenire alicui peccatum, id eſt, pœna peccati. 2 Reg. 7. 9. Eadem plane phraſi dixit Petrus Chriſtum peccata noſtra ſurſum tuliſſe in corpore ſuo in lignum. 1 Petr. 11. 24. Poterat dixiſſe ἤνεγκε, ſed quia ſimul ſignificare voluit adſcenſum in crucem, dixit ἀνήνεγκε, hoc eſt tulit ſurſum eundo: quod de dicta phraſi nihil imminuit, ſed ei addit aliquid. Itaque Syrus tranſtulit: *portavit & aſcendere fecit.* Socinus ut vim hujus loci enervet, primo ait ἀνήνεγκε ſignificare *abſtulit:* ſed contra naturam uſumque vocis.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Nam nec particula *ἀνὰ* eam patitur interpretationem, nec quiſquam Græcus ſcriptor ita uſus eſt ea voce. In Novo quoque Teſtamento nuſquam occurrit eo ſignificatu: ſed aut ſurſum ferre ſignificat, Luc. 24. 51. aut ſurſum ducere, Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Et quia victimæ in locum ſuperiorem, hoc eſt, in aram adferebantur, ideo illæ quoque dicuntur *ἀναφέρεσθαι*. Hebr. 7. 27. Jacob. 11. 21. unde & Chriſtus ipſe dicitur ſe *ἀνενέγκαι*. Hebr. 7. 27. & nos laudis ſive ſpiritualia ſacrificia *ἀναφέρειν* dicimur. Hebr. 13. 15. & 1 Petri 11. 24. Unum duntaxat locum citat Socinus lib. 2. cap. 6. Hebr. 9 28. ubi vult *ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας* nihil aliud eſſe quam auferre: ſed immerito, & citra exemplum, & non id exigente loci ſententia. Nam opponuntur inter ſe duo Chriſti adventus: prior quo peccata noſtra tulerit, alter quo venturus ſit *χωρὶς ἁμαρτίας*, hoc eſt, non gravatus, non oneratus ullis peccatis, ſed ab iis ſolutus & immunis. Non ſunt autem iſta *ἀντίστοιχα*, eſſe *χωρὶς ἁμαρτίας*, & peccata auferre, ſed eſſe *χωρὶς ἁμαρτίας* & peccatis oneratum eſſe. Unde apparet illo quoque ad Hebræos loco *ἀνενεγκεῖν* eſſe aut ſurſum ferre, in crucem ſcilicet, ut in loco Petri (idque appoſite, quia hic quoque ad ſacrificia alluditur: crux autem fuit velut ara) aut ſimpliciter perpeti, ut apud Thucydidem *κινδύνους ἀναφέρειν*. Eſt ergo *ἀναφέρειν* ferre, non auferre. Quod ipſe Petri contextus evincit. Agitur enim non de quovis Chriſti beneficio, ſed de ſumma ejus patientia, quæ non auferendo ſed ferendo oſtenditur. Quod addit Socinus, cum hoc ſenſu, quo Chriſtus dicatur tuliſſe peccata noſtra, non ſatis recte cohærere quod ſequitur, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus, ſine ulla cauſa dicitur. Manifeſte enim indicat Petrus, Chriſtum ita tuliſſe peccata noſtra, ut nos ſimul à pœna liberaret: unde addit ſtatim: *Ipſius vibice ſanati eſtis.* Optime autem hæc cohærent: ſi Chriſtus tam dura ſubiit, ut peccatorum veniam conſequeremini, ſane eam adepti per fidem, à peccatis cavere debetis in poſterum. *Dedit nobis Deus ut liberati ex manu inimicorum noſtrorum ipſi ſerviamus in omni ſanctitate & juſtitia.* Luc. 1. 74. *Ecce ſanus factus es: ne pecces poſthac.* Joh. 5. 14. *Pretio empti eſtis. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro.* 1 Corinth. 7. 20. Nec aliud agit Paulus cap. 7. & ſequentibus ad Romanos, quam ut oſtendat, ſummis Dei & Chriſti beneficiis excitari nos debere ut ſancte vivamus. Affinis Petri loco (imo quo proculdubio Petrus reſpexit, ut ex verbis quoque ſequentibus, *vibice ejus ſanati ſumus*, apparet) eſt apud Eſai. 53. 11. *Juſtificabit ſervus meus, juſtus multos, & iniquitates ipſorum bajulabit.* In Hebræo eſt ועונתם הוא יסבל. vox autem עון iniquitatem ſignificat: atque etiam iniquitatis pœnam, ut 2 Reg. 7. Vox autem סבל eſt ſuſtinere, bajulare, quoties autem bajulare ponitur cum nomine peccati, aut iniquitatis, id in omni lingua & maxime in Hebraiſmo ſignificat pœnas ferre. Nam נשא quidem interdum ſignificat auferre: סבל autem nunquam. Diſerte ergo hic dicitur Chriſtus laturus pœnas eorum qui juſtificantur. Hæc phraſis nullam aliam interpretationem recipit. Neque obſtat, quod hæc portatio iniquitatis apud Prophetam videtur poſt mortem poni: eſt enim revera morte poſterior, non tempore, ſed ordine, ut effectus cauſa ſimul exiſtente. Quod vero ait Socinus; hanc quoque vocem סבל peccato adjunctam non ſemper includere imputationem aliquam, ſed ſatis eſſe ſi deſignet affligi quempiam occaſione qualicunque facti alieni, id nullo exemplo probat: neque unquam Sacra Scriptura ita loquitur. Imo Græci etiam Latinique authores, cum ea phraſi utuntur, ſemper imputationem includunt. Citat firmandæ huic exceptioni Socinus Jeremiæ locum, qui ſic habet: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſuperſunt: nos vero pœnas eorum ferimus:* neque hæc patitur ullam imputationem intelligi. At quo argumento probat aliud hic ſignificare eam phraſin, quam aliis omnibus in locis, ubi extat? Fateri cogitur ipſe Socinus, quoties filii patrum ſequuntur veſtigia, non propria tantum, ſed & paterna peccata ipſis imputari. Eſt enim manifeſta Dei vox Exod. 20. 5. Eos autem de quibus agit Jeremias, parentibus ſuis fuiſſe ſimiles, oſtendit id, quod apud Prophetam ſequitur, *Væ nobis quia peccavimus*, verſ. 16. Neque vero hoc alienum eſt ab Jeremiæ inſtituto. Ut enim eorum qui tum vivebant miſeriam exaggeret, ait in ipſos redundare & propriorum & avitorum ſcelerum pœnas: eoque multo meliorem ipſorum forte fuiſſe parentum ſortem, qui pariter rei ante tamen exempti eſſent vitæ, quam iſta acerbiſſima ſupplicia velut in iræ divinæ theſauro coacervata tandem ſimul effunderentur. Etiamſi vero ambigua eſſet harum vocum, *ferre peccata*, in Sacris Literis ſignificatio, tamen tum hoc Eſaiæ, tum iſto Petri loco certam faceret interpretationem adjuncta mentio perpeſſionum Chriſti & liberationis noſtræ. Peccata enim ferre patiendo, atque ita ut inde liberentur alii, aliud indicare non poteſt, quam pœnæ alienæ ſuſceptionem. Apud eundem Eſaiam verſ. 6. & 7. eſt, *Deus conjecit ſive impegit in eum pœnam omnium noſtrum. Exigitur, & ipſe affligitur.* Hic nullum non lapidem movet Socinus lib. 2. cap. 5. ut ſenſum genuinum verbis extorqueat: novamque interpretationem comminiſcitur: *Deus occurrit per ipſum* (vel cum ipſo) *iniquitati omnium noſtrum.* Sed reclamat aperte vox Hebræa הפגיע ejus conjugationis quæ non unicam, ſed duplicem actionem ſignificat. Quare cum פגע proprie ſignificet occurrere, ſequitur ut הפגיע ſit fecit occurrere, & per metaphoram deprecatus eſt: quia deprecator preces ſuas quaſi interponit. Deprecari hic locum non habet. Nam tum diceretur Deus pro Chriſto eſſe deprecatus: ea enim eſt hujus vocis ſequente ב particula ſignificatio. Jerem. 15. 11. Neque fecit deprecari hic convenit, tum quia ſequitur בו, quod eſt, *in illum*, cum alioqui dici debuiſſet, *fecit illum deprecari*, tum quia omnia, quæ proxime antecedunt & ſequuntur, ad afflictionem, non ad deprecationem pertinent. Non ferunt ergo verba hæc ſenſum alium quam hunc: fecit Deus illi occurrere, hoc eſt, impegit, incuſſit in illum peccatum omnium noſtrum. *Exigitur peccatum* (hoc eſt, ſecundum phraſin Scripturæ pœna peccati) *& ipſe affligitur.* Objicit hic nobis Socinus locum Levit. 16. 21. & 22. ubi dicuntur peccata imponi hirco expiatorio, & ipſe hircus ferre peccata populi in vaſtam ſolitudinem. Arbitratur autem nihil eſſe manifeſtius, quam non poſſe ullo modo dici hunc hircum pœnas pro populi peccatis pertuliſſe: quod quo jure ſibi ſumat non video. Nam pœna ſane generaliter ſumpta etiam in beſtias cadit. *Sanguinem omnium animarum veſtrarum repoſcam: ab omni beſtia repoſcam illum.* Geneſ. 9. 5. *Cum cornu ferierit bos aliquis virum aut mulierem ita ut moriatur, omnino lapidator bos ille*, Exod. 21. 28. *Si quis cubuerit cum jumento, omnino morte afficitor. Jumentum quoque ipſum occiditote*, Levit. 20. 15. *Maledicta fuit diluvio terra propter hominem*, Geneſ. 8. 21. *Creatura ſubjecta eſt vanitati*, Rom. 8. 20. Nec eſt quod objiciat Socinus, *ἀποπομπαῖον* hunc hircum interimi non ſolitum: ad peccatorum autem remiſſionem fuſionem ſanguinis ſive mortem requiri. Nam hunc ipſum hircum de loco ſublimi præcipitatum in deſerto atque ita neci datum, etſi Scriptura diſerte non prodit, Hebræi interpretes conſentiunt: quod ut non eſſet, quid tamen aliud illa in vaſtam ſolitudinem abactio, quam mortem minime naturalem aut ex fame aut ex ferarum laniatibus minabatur? Notanda quoque eſt apud Eſaiam vox נגש. Certiſſimum enim eſt נגש (Schin punctum habente in cornu ſiniſtro) proprie ſignificare, exigere, ut apparet 2 Reg. 23. 35. Zachar. 9. 8. Metaphorice autem ſumi pro opprimere. Paſſivum ergo נגש eſt aut opprimitur aut exigitur. Opprimitur hic locum non habet, quia ſequitur eodem commate והוא, & ipſe affligitur: unde apparet hoc verbum referri ad aliud nomen, quam ad illud cui aptatur vox affligitur. Nullus enim erit ſenſus, ſi quis de eodem dicat: opprimitur & ipſe affligitur. Reſtat ergo ut vox illa proprie ſumatur, ut ſignificet exigitur, & referatur ad nomen proxime antecedens, quod eſt peccatum. Exigere autem peccatum nihil aliud eſt, aut eſſe poteſt, quam exigere pœnam peccati. Cohærent ergo exactio pœnæ & Chriſti afflictio.

Præceſſerat apud eundem Prophetam, *Caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & livore ejus fit curatio nobis.* In Hebræo caſtigatio dicitur מוסר, quæ vox afflictionem non qualemcunque ſignificat, ſed eam quæ pœnæ habeat rationem, ſive ſit *παραδειγματικὴ*, ſive *νουθετικὴ* tantum, quibus vocabulis commode pœnarum genera olim diſtinxit Taurus Philoſophus. Atque inde factum, ut quælibet *νουθεσία* voce מוסר per *κατάχρησιν* ſignificaretur. Cum vero *νουθεσίας* ſignificatio in Chriſto locum non habeat, præſertim cum de afflictionibus agatur mortem includentibus, reſtat afflictionem intelligamus, quæ conjunctum habeat *παράδειγμα*. Nam ab omni culpæ reſpectu ſepoſitum vocis iſtius Hebrææ uſum non eſt reperire. Verum eſt pacis nomine apud Hebræos bonum qualecunque ſignificari: ſed hic ſi ex ſubjecta materia intelligamus bonum immunitatis, apparebit inter ſe optime opponi punitionem Chriſti & impunitatem noſtram: quanquam nihil vetat pacis nomine reconciliationem intelligi, etiam nulla facta inimicitiæ mentione, quam præceſſiſſe res ipſa & ſequentia Prophetæ verba ſatis indicant. Nam nec inimicitiæ mentionem fecerunt Angeli, cum pacem ſuper terram promulgarunt venturam, Luc. 11. 14. Nec Apoſtolus,

cum pacem nos dixit habere apud Deum. Rom. 5. 1. Sicut autem peccatum pro pœna uſurpant Hebræi, ut præter cætera loca nunc allegata apparet Zachar. 14. 19. & Geneſ. 4. 13. ita & eum qui pœnam luit, peccatum iidem vocant, ut & Latini piaculum tum pro crimine ſumunt, tum pro eo qui criminis pœnas pendit. Unde eſt quod hoſtiam piacularem pro peccato peccatum vocet Scriptura Levit. 4. 29. & 5, 6. Hanc ergo loquendi formulam ſequens Eſaias de Chriſto dixit, תשים אשם נפשו *poſuit peccatum animam ſuam:* hoc eſt, animam ſuam fecit peccatorum pœnæ obnoxiam. Nec aliter Paulus: *Eum, qui peccatum non noverat, Deus peccatum fecit, ut nos ſimus Dei juſtitia in ipſo*, 2 Corinth. 5. 21. Apparet apud Paulum in utroque membro adjunctum ſumi pro ſubjecto. Socinus lib. 1. cap. 8. ut Paulini loci authoritatem eludat, per vocem *peccatum* vult intelligi hominem pro peccatore ab hominibus habitum: primum ſine exemplo. Nuſquam enim vox Hebræa aut Græca ſic accipitur: deinde Paulus Deo hanc actionem tribuit, quod Chriſtum peccatum fecerit. At vero quod Chriſtum Judæi & alii pro facinoroſo & malefico habuerunt, ejus rei nullo modo author eſt Deus: Imo contra voce cœleſti, editiſque miraculis hoc egit, ut omnibus teſtatam faceret Chriſti innocentiam. Deinde iſta nova Socini interpretatio verbis Eſaiæ, quæ ſimilem phraſin continent, aptari nullo modo poteſt. Quod enim Paulo dicitur feciſſe Deus, hoc Eſaias Chriſto tribuit, quod nimirum animam ſuam poſuerit peccatum: ſive quod ſe peccatum fecerit. Præterea opponit Paulus peccatum & juſtitiam. Nos facti ſumus juſtitia Dei, hoc eſt, nos ſumus juſtificati, ſive à pœna divina liberati. Chriſtus vero ut id fieret factus eſt peccatum, id eſt, pœnam divinam tulit. Notanda in iiſdem Pauli verbis altera quoque ἀντίθεσις: *Eum qui peccatum non noverat*, hoc eſt, qui pœnam non merebatur, *Deus peccatum fecit*, hoc eſt, pœnas ferre voluit. Chriſtus innocens fuit non humanæ tantum, ſed & divinæ legi. Requirit ergo vis oppoſitionis, ut pœnas tulerit legi etiam divinæ. Præterea innocentes à malis male haberi quotidianum eſt: At hic eximium aliquid notat Apoſtolus. Hoc autem quid eſſe poteſt aliud quam quod Deus incommerito pœnam inflixerit?

Non multum diſſimilis eſt prioribus ille Pauli ad Galatas locus 3. 13. *Chriſtus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim, Maledictus qui pendet in ligno: ut ad Gentes perveniret benedictio Abrahami in Chriſto Jeſu.* Hic eo minus laborare nos neceſſe eſt quid voluerit Paulus, cum Chriſtum dicit eſſe factum κατάραν, hoc eſt, maledictum ſive exſecrationem, quando ipſe ſemet interpretatur, & Moſen dicti ſui authorem allegans oſtendit per κατάραν ſe intelligere ἐπικατάρατον: Ἐπικατάρατος autem, ipſo Paulo interprete, eſt is qui eſt ὑπὸ κατάραν. Exſecratio, inquit Socinus, hoc loco ipſam exſecrationis pœnam ſignificat. Quod verum eſt. Nam κατάρα paſſim pœnam ex legis ſanctione proficiſcentem ſignificat. 2 Petr. 11. 14. Matth. 25. 41. Et hic addita legis mentio vetat maledictum aliter accipi. Hanc autem κατάραν, in Chriſto fuiſſe ipſam crucem fatetur idem Socinus lib. 2. cap. 1. Crux ergo Chriſti pœnæ rationem habuit: & hoc eſt quod nos dicimus. Concedet forte Socinus crucem pœnam fuiſſe, quia Chriſto à Pilato judice per modum pœnæ irrogata eſt. Sed hoc ſententiæ Pauli non ſatisfaciet. Ut enim probet Chriſtum factum fuiſſe pœnæ obnoxium, Moſen citat aperte dicentem, eos qui ſuſpenduntur (ſecundum legem divinam ſcilicet) eſſe ἐπικαταράτους τῷ Θεῷ: quare & in Paulo, Moſen citante & ad Chriſtum referente hæc verba, vox eadem ſupplenda eſt: quaſi dixerit Chriſtum factum τῷ Θεῷ ἐπικατάρατον: hoc eſt, pœnæ à Deo irrogatæ & quidem ignominioſiſſimæ obnoxium. Nam Apoſtoli cum paſſionem Chriſti ad uſus noſtros referunt, non in ea reſpiciunt hominum facta, ſed factum ipſius Dei: ut ex multis locis ante allegatis liquet.

Contra Socin. lib. 3. cap. 7, 8, 9. His omnibus addi & illud poteſt mortem ipſam, hoc eſt, deſtructionem ejus perſonæ quam corpus & animus conſtituunt, quatenus à Deo infligitur, ſemper aliquam habere pœnæ rationem: non quod Deo jus non ſit eam aliter homini infligere (eſt enim Dominus creaturæ) ſed quod ipſius bonitati aliter viſum fuerit. Ut recte intelligatur hujus peculiaris controverſiæ ſtatus; non negamus hominem, cum conditus eſt, fuiſſe χοϊκὸν, cui adfuerit vis quædam vitalis, non autem vis vivifica, ut nos Paulus docet 1 Corinth. 15. 45, 46. ac proinde eam fuiſſe corporis conditionem, ut Deo non ſuſtentante interitura fuerit: attamen ex divino decreto non fuiſſe eum moriturum, ſi in innocentia perſtitiſſet, contendimus. Evincit hoc ipſa creaturæ iſtius nobilitas atque eminentia, ut quæ ſola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc eſt, mente liberoque arbitrio prædita, quod fundamentum eſt dominationis ipſius in cæteras creaturas. Non poteſt enim rerum aliarum eſſe dominus, qui ſuarum actionum dominus non ſit. Hæc igitur excellentia ſupra res cæteras argumento eſt, plus aliquid quam temporarium uſum in hominis creatione ſpectatum. Jam vero illa divina voce quid clarius? *Si comederis, morieris.* De actu mortis hic agitur, ſive illa violenta eſſet futura, ſive citra violentiam. Ipſum ergo mori non erat eventurum homini, niſi peccati conditio exſtitiſſet. Non minus clarum & generale Pauli illud, *Stipendium*, id eſt pœna, *peccati mors*. Rom. 6. 23. Ante dixerat, *Per peccatum mors & ita in omnes homines mors pervaſit. Omnes*, inquit, *homines*: Agit ergo de communi totius humanitatis exitu. *Per hominem* ergo id eſt ex facto humano *mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur*, quotquot moriuntur, *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur* (quotquot vivificabuntur) 1 Cor. 15. 21, 22. Quis vel ipſa verba legens non videat hanc ſententiam ad Corinthios iſti ad Romanos reſpondere ad amuſſim? Agitur ergo de morte, quæ communis eſt Adami poſteris, & ex qua reſurgunt qui reſurgunt. Quare & collato hoc loco cum illo ad Romanos, agi hic de Adamo peccatore dicimus. Quod enim hic dixit *Per hominem*, ibi dixit *per peccatum*. Animalis Adami conditio viginti & ultra poſt verſibus ab Apoſtolo attingitur, alia plane occaſione. Hic enim mors reſurrectioni opponitur: ibi vero qualitates primitus creati ac deinde reſuſcitati corporis inter ſe conferuntur: quorum illud habuit cum naturali moriendi poſſibilitate conjunctam ex divino beneficio vivendi quoque poſſibilitatem: hoc vero vitam in ſe habebit, ut nulla ei adſit naturalis moriendi poſſibilitas. Omittere non poſſum, quin hic addam locum inſignem præſtantiſſimi ſcriptoris libri Sapientiæ, qui etſi in Hebræo Canone non eſt, venerandam tamen habet antiquitatem, & apud Chriſtianos ſemper in pretio eſt habitus. Ita ergo ille: ὁ Θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ τέρπεται ἐπ' ἀπωλείᾳ ζώντων. ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου, οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς. δικαιοσύνη δὲ ἀθάνατός ἐστιν. ἀσεβεῖς δὲ ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς λόγοις προσεκαλέσαντο αὐτὸν, φίλον ἡγησάμενοι αὐτὸν ἐτάκησαν, καὶ συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτὸν, ὅτι ἄξιοί εἰσι τῆς ἐκείνου μερίδος εἶναι. 1. 13. Et mox: ὁ Θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν· φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες 11. 23. Mortem hic quam Deus dicitur non condidiſſe, nec velle, voluntate ſcilicet peccatum antecedente, qualemcunque intelligi oſtendit oppoſitum ἀφθαρσίας, in cujus ſpem homo dicitur conditus, eaque ſpes pars fuiſſe divinæ imaginis, aut certe ejus conſequens non obſcure indicatur. Ἀφθαρσία autem mortem omnem ſive violentam, ſive non violentam excludit. Et quod Apoſtolus dixit, per hominem & per peccatum intraſſe mortem, auctor hic non minus vere dixerat, per diaboli invidiam mortem introiiſſe. Omnes enim iſtæ locutiones idem factum notant, primum ſcilicet hominis peccatum diabolo ſuggerente commiſſum. Nec obſtat quod auctor hic ſpecialem quendam mortis effectum circa impios notat. Mors enim ex primo peccato ingreſſa, & in omnes homines jus adepta, per ſingulorum peccata gravia & continua vim quandam peculiarem accipit, quo ſenſu peccatum dicitur mortis ſtimulus 1 Corinth. 15. 56. Itaque hi, quibus morte obita omnis ad vitam meliorem aditus præcluditur, merito fœderati mortis, ſive dedititii, & peculium mortis appellantur. Facillimum eſſet demonſtratu, ſi id ageretur, & Judæorum veterum & Chriſtianorum perpetuam hanc fuiſſe ſententiam, mortem qualemcunque hominis, peccati eſſe pœnam: ut non immerito Chriſtiani Imperatores hoc in Pelagio & Cœleſtio dogma præter cætera improbaverint, quod dicerent, mortem non ex inſidiis fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe eam penitus legem immutabilis conſtituti.

Ut ergo quæ hactenus dicta ſunt in unum colligamus, cum dicat Scriptura Chriſtum à Deo caſtigatum, hoc eſt, punitum eſſe, tuliſſe Chriſtum peccata noſtra, (id eſt pœnas peccatorum) factum eſſe peccatum (hoc eſt peccatorum pœnæ ſubditum,) factum eſſe exſecrationem apud Deum, ſive exſecrationi, hoc eſt pœnæ legis obnoxium: ipſa autem Chriſti paſſio plena cruciatibus, cruenta, ignominioſa, aptiſſima ſit pœnæ materia: cum præterea dicat Scriptura hæc ipſi à Deo inflicta ob peccata noſtra, (id eſt peccatis noſtris ita merentibus) cum ipſa mors ſtipendium, hoc eſt, pœ-

na pec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

na peccati dicatur: ſane quin quoad Deum pœnæ rationem habuerit Chriſti paſſio & mors, minime eſt dubitandum: neque audiendæ ſunt Socini interpretationes à perpetuo vocum uſu citra exemplum recedentes: præſertim cum nulla obſtet ratio, quo minus recepta verborum ſignificatio retineatur, quod infra planius fiet. Eſt ergo punitio in Deo active, in Chriſto paſſive: cujus tamen paſſioni actio quædam accedit voluntaria, ſcilicet pœnalis paſſionis ſuſceptio.

Finis rei de qua agitur ſecundum Dei & Chriſti intentionem, qui in actu poſitus, effectus etiam dici poteſt, duplex eſt: juſtitiæ nimirum divinæ demonſtratio: & peccatorum remiſſio quoad nos, hoc eſt, impunitas noſtra. Nam ſi ſumas pœnæ exactionem imperſonaliter, finis ejus eſt divinæ juſtitiæ demonſtratio: ſi vero perſonaliter, h. e. cur Chriſtus ſit punitus, finis eſt, ut nos impunitatem conſequeremur. Finis prior indicatur à Paulo cum dicit de Chriſto; *Quem Deus conſtituit placamen in ſanguine ipſius ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ: propter diſſimulationem peccatorum præcedentium in tolerantia Dei.* Deinde addit verbis prope iiſdem repetitis: *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ hoc tempore, ut ſit ipſe juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu*, Rom. 3. 25, 26. Hic proxime ſanguini, id eſt cruentæ morti connectitur finis εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Juſtitiæ Dei vocabulo non ea intelligenda eſt juſtitia quam in nobis Deus operatur, aut quam nobis imputat, ſed ea quæ in Deo eſt: ſequitur enim: *ut ſit ipſe juſtus*, id eſt, ut juſtus eſſe appareat. Juſtitia hæc Dei, id eſt rectitudo, pro diverſis objectis diverſos habet effectus.

Contra Socini cap. 1. lib. 1. §. Dico igitur. Circa bene aut male facta creaturæ effectus ejus inter cæteros eſt ἀνταπόδοσις. Quo reſpiciens Paulus dixit δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσι θλῖψιν, hoc eſt, *affligentibus afflictionem retribuere.* Et alibi: *Omnis tranſgreſſio & inobedientia accipit* ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Et illud, ὧν τὸ κρίμα ἔνδικόν ἐστι. Rom. 3. 8. Syrus tranſtulit, *quorum condemnatio juſtitiæ reſervatur.* Itaque idem eſt ἡμέρα ὀργῆς & ἡμέρα δικαιοκρισίας, Rom. 11. 5. Et extremum judicium dicitur futurum ἐν δικαιοσύνῃ. Actor. 17. 32. Et alibi ἐν δικαιοσύνῃ κρίνειν, eſt ſevere vindicare, quod oſtenditur addita voce *pugnare*, multoque magis iis, quæ paullo poſt ſequuntur: *Ex ore ejus prodibit gladius acutus ut percutiat Gentes: ipſe enim reget eas in virga ferrea: & ipſe eſt qui calcabit lacum vini excandeſcentiæ & iræ Dei omnipotentis.* Apoc. 19. 11. & 15. Sic & Deus juſtus & judicia ejus juſta dicuntur ideo quod in peccata ſevere animadverterit. Apoc. 16. 5. 2. Unde & Δίκη vocatur tum illa ipſa juſtitia Dei puniens, Act. 28. 4. tum pœna per eam illata. 2 Theſſ. 1. 9. Judas 7. Et δικαίωμα τοῦ Θεοῦ explicatur à Paulo hoc eſſe, quod qui mala committunt aut approbant digni ſunt morte. Rom. 1. 32. His παρώνυμα ſunt ἔκδικος punitor. Rom. 13. 4. 1 Theſſ. 4. 6. Et ἐκδίκησις pœnæ exactio Luc. 21. 22. 2 Theſſal. 1. 8. 1 Petr. 11. 14. cujus vis explicatur verbo ἀνταποδοῦναι. Romanor. 12. 19. Hebr. 10, 30. Scimus juſtitiæ nomine, ſæpe veracitatem, ſæpe etiam ἐπιείκειαν ſignificari: ſed cum ea voce, ut multis jam teſtimoniis oſtenſum eſt, etiam illa Dei proprietas indicetur, quæ Deum movet ad peccata punienda, & quæ in ipſa peccatorum punitione demonſtratur, dicimus hanc ſignificationem hujus eſſe loci propriam. Opponuntur enim diverſa tempora, nempe ante Chriſtum, & Chriſti tempus: priori tempori tribuitur πάρεσις peccatorum, quæ etiam explicatur voce ἀνοχῆς. Πάρεσις non remiſſionem, ſed tranſmiſſionem ſignificat, cui recte additur ἀνοχὴ, ſuſtentatio, qua voce inducias etiam Græci appellant, quod per eas ad tempus inhibeatur bellum. Huic tranſmiſſioni atque inhibitioni opponitur demonſtratio talis juſtitiæ, qua Deus ſit juſtus, id eſt juſtus appareat. Olim cum Deus pleraque peccata impunita tranſmitteret, non ſatis apparebat ipſius τὸ ἀνταποδοτικόν. Tandem ergo oſtendit quam juſtus eſſet ἀνταποδότης, cum filium ſuum voluit hoc nomine ſanguinem fundere, ut placamen fieret humani generis, redimeretque omnes eos, qui unquam crediſſent aut eſſent in Deum credituri. Ita ſimul conjunxit Apoſtolus gratiæ, id eſt bonitatis divinæ quæ in creaturas fertur, & juſtitiæ illius, quæ recti ordinis atque etiam ἀνταποδόσεως cuſtos eſt, apertam demonſtrationem. Sane ipſa vox ſanguinis, vox placaminis, atque etiam redemptionis oſtendunt non de ſola bonitatis teſtatione hic agi. Conjunxit etiam impetrationem cum applicatione: impetratio eſt per ſanguinem, applicatio per fidem: recteque dicitur illa ipſa, de qua agimus, Dei juſtitia manifeſta fieri per fidem: illam nimirum, qua Chriſti ſanguis ad Deum placandum fuſus creditur: quæ fides omnem operum gloriationem, omnem in lege fiduciam penitus excludit. Finis hic, nempe divinæ juſtitiæ demonſtratio ex forma quoque rei de qua agimus recte colligitur. Pœnæ enim finis eſt demonſtratio juſtitiæ ἀνταποδοτικῆς circa peccata: item ex cauſa antecedente, quam ſupra oſtendimus eſſe meritoriam. Non poteſt autem alicujus actionis cauſa impellens eſſe meritoria, niſi & finis ſit, τὸ ἀνταποδοῦναι.

Finis alter, ut diximus, eſt noſtra impunitas. Hoc ſignificanter dixit Paulus, δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα ἀπὸ τῆς ὀργῆς, Rom. 5. 10. Nam ὀργὴ, ira Dei, ut & Socinus lib. 1. cap. 1. agnoſcit, ſignificat interdum affectum (ſi ita loquendum eſt) puniendi. Johan. 3. 36. Rom. 1. 18. Sæpe vero pœnam ipſam. Mich. 7. 9. unde & ἀπωλείας, id eſt, exitii voce explicatur. Rom. 9. 22. Hinc lex dicitur ὀργὴν operari, hoc eſt, pœnam parere. Rom. 4. 15. Hinc ἐπιφέρειν ὀργὴν eſt punire, Rom. 3. 5. & Magiſtratus dicitur vindex in maleficos conſtitutus εἰς ὀργὴν, id eſt, ad pœnam infligendam Rom. 13. 4. eique parendum non ſolum διὰ τὴν ὀργὴν, hoc eſt pœnæ formidine, ſed & propter conſcientiam. Impunitas autem pœnæ opponitur. Pœna eſt mors æterna, ſive detentio ſub morte, cujus ſatelles diabolus: qui propterea mortis habens poteſtatem per mortem (Chriſti) deſtructus dicitur. Hebr. 11. 14. Nam de veniæ potius impetratione hic agi, quam de peccati mortificatione, oſtendit quæ ſequitur mentio liberationis à mortis metu. Et Chriſtus dicitur ὁ ῥυόμενος ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ὀργῆς ἐρχομένης *ab ira futura.* 1 Theſſ. 1. 10. Hæc ipſa impunitas receptiſſima phraſi Sacræ Scripturæ vocatur peccatorum remiſſio, quæ proprie mortem Chriſti conſequitur, ut multi loci oſtendunt: quales ſunt hi: *Hic eſt ſanguis meus Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum:* Matthæi 26. 28. *Habemus in ipſo redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.* Epheſ. 1. 7. & Coloſſ. 1. 14. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Hebr. 9. 22. Qui loci explicant illum Pauli ſupra citatum: *Juſtificati gratis ipſius gratia per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: quem propoſuit Deus placamen per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ propter diſſimulationem peccatorum antecedentium in tolerantia Dei, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu:* ubi multis verbis idem ſignificantibus res eaſdem expoſuit. Rom. 3. 23, 24, 25, 26. Nam ſicut demonſtrationem juſtitiæ ſuæ bis expreſſit & tertio addidit, *ut ſit Deus juſtus* (id eſt ut juſtus appareat) quæ pertinent ad finem priorem: ita alterum quoque finem tum repetita voce juſtificationis, tum redemptionis indicavit. Juſtificatio, ut notum eſt, paſſim in Sacris Literis, ſed maxime in Epiſtolis Paulinis abſolutionem ſignificat, quæ præſuppoſito peccato conſiſtit in peccatorum remiſſione, ipſo Paulo ſemet clare explicante, præſertim Rom. 4. 2. & 6. Quare his locis remiſſionem peccatorum ſanguini Jeſu adſcribentibus adjungendus ille, quem modo citabamus, *Juſtificati in ſanguine ipſius*, Rom. 5. 9. Item hi, qui ablutionem peccatorum ſanguini aut morti tribuunt. *Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato*, 1 Johan. 1. 7. *In purgationem ſanguinis Jeſu Chriſti*, 1 Petr. 1. 2. *Chriſtus lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, Apoc. 1. 5. Quamquam enim abluere, mundare, & voces ſimiles ſignificare poſſint aut efficere ne peccata committantur in poſterum, aut commiſſa ne appareant, poſterior tamen interpretatio Scripturæ phraſi eſt convenientior. Sic delere iniquitates exponitur peccatorum non recordari, Eſai. 43. 25. & mundare ab iniquitate idem eſſe oſtenditur quod condonare. Jer. 33. 8. Et ἐξαλειφθῆναι τὰς ἁμαρτίας manifeſte eundem habet ſenſum, Act. 3. 19. Planeque pro eodem ſumuntur ἀφεῖναι τὰς ἁμαρτίας peccata remittere, & καθαρίζειν ἀπὸ πάσης ἀδικίας, mundare ab omni iniquitate, 1 Johan. 1. 9. Et alibi ponuntur ut συνώνυμα, τὸ καθαρίζεσθαι, id eſt mundari, & γίνεσθαι ἄφεσιν remiſſionem contingere. Hebr. 9. 22. Quare & Socinus fateri cogitur lib. 2. cap. 17. apud Johannem Apocalypſeos cap. 1. 5. ubi τὸ καθαρίζειν tribuitur ſanguini, rectius liberationem à pœna quam animi emundationem intelligi. His adjungatur illud Eſaiæ modo citatum: *Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum*, id eſt, pœna ejus nobis pacem apud Deum parit. De qua pace agunt Angeli. Luc. 11. 14. Et illud ejuſdem Eſaiæ: *Livore ejus ſanitas nobis:* id eſt, per pœnam ejus impunitas nobis. Ex his ergo teſtimoniis manifeſtum eſt impunitatem peccatorum noſtrorum finem eſſe mortis Chriſti, atque etiam ejuſdem mortis effectum.

Socinus qui hanc connexionem mortis cum remiſſione peccatorum nobis facta non vult agnoſcere, alias adfert, mirum quam alienas à vocibus & ſcopo Scripturæ. Videntur autem omnes iſtæ, quas paſſim libro ſuo inſperſit Socin. lib. 1. cap. 2. & 3. reduci poſſe ad quatuor hæc capita. Primum

eſt quod Chriſtus, cum prædicaſſet pœnitentibus patere peccatorum remiſſionem, ad ei prædicationi teſtimonium perhibendum, mortem non recuſaverit. Sed hic ſenſus mortem Chriſti magis effectum facit remiſſionis, quam remiſſionem mortis. Nam rei exiſtentia cauſa eſt teſtimonii, non contra. At Scriptura dicit nos remiſſionem conſequi per ſanguinem Eph. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. & ſanguinem delere peccata noſtra 1 Johan. 1. 7. Item ſanguinis effuſionem eſſe aliquid antecedens, ſine quo non fiat remiſſio. Hebr. 9. 22. Deinde ſi vera eſſet hæc interpretatio, poſſent & Martyres dici ſanguinem fudiſſe in remiſſionem peccatorum, & nos per ipſorum ſanguinem conſequi remiſſionem: cum tamen Scriptura hoc privilegium ſoli Chriſto tribuat. Accedit quod cauſa interfectionis Chriſti quoad homines non proprie fuerit prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, ſed quod Deum dixiſſet Patrem ſuum, parem ſe faciens Deo, Johan. 5. 18. ac proinde Deum ſe profiteretur. Joh. 10. 33. Quamobrem mors ejus proprie huic profeſſioni, non prædicationi veniæ teſtimonium præbuit. Teſtatio denique de doctrina non minus, imo magis etiam per miracula Chriſti facta eſt, quam per mortem. At miraculis nuſquam tribuitur effectus hic, quod per ipſa habeamus peccatorum remiſſionem. Secundum quod adfert Socinus lib. 1. cap. 6. eſt quod Chriſtus ſua morte conſecutus ſit jus donandæ remiſſionis. Sed evertit hanc poſitionem Socinus ipſe lib. 2. cap. 4. qui oſtendit Chriſtum in terris viventem hoc jus habuiſſe atque exercuiſſe. Quod autem meum eſt, id amplius meum fieri non poteſt. Ac ne quis exiſtimet (quod Socinus innuit magis quam affirmat) hanc Chriſti poteſtatem ad pœnas duntaxat ſpectaſſe temporales & vitæ præſentis, notandum eſt, cum Chriſtus dicitur jus habuiſſe remittendi in terra peccata, non illo additamento *in terra* effectum reſtringi, ſed actionis locum ἐμφατικῶς denotari: nam & Apoſtolis dicitur, *quæcunque ſolveritis in terra:* Ubi quanquam ſolvere eſt ſolutum declarare, illud tamen *in terra* locum tantum actionis deſignat: ſequitur enim *ſoluta erunt in cælo*. Illud ergo voluit Chriſtus, ſibi, quantumvis in terris agenti, jus tamen illud adeo eximium ac cœleſte competere: neque aliud miratur populus, quam jus tantum hominibus (hoc eſt, κατ' ἐναλλαγὴν, uni ex hominum numero) datum. Ipſe etiam Chriſtus prius peccata remittit paralytico, quam paralyſim, pœnam ſcilicet temporalem, tollit; aperteque jus utrumque diſtinguens, alterum per alterum probat, inviſibile per viſibile. Non eſt ergo Chriſtus morte demum ſua jus remittendi peccata conſecutus, ac proinde huc trahi non poſſunt ſententiæ, quæ morti aſcribunt effectum remiſſionis peccatorum. Præterea Scriptura modum connexionis inter mortem & remiſſionem explicat voce placaminis, aliiſque ſimilibus, quæ ad jus donandæ veniæ aptari nequeunt. Tertium Socin. lib. 1. cap. 4. eſt, quod in Chriſti morte exemplum nobis patientiæ & obedientiæ proponitur. Sed exemplum hoc ad ſanctificationem, & quæ eam ſequitur gloriam æternam aliquo modo, ad remiſſionem vero peccatorum plane non pertinet. Chriſtus enim ſua obedientia & patientia nullam ſibi veniam eſt conſecutus, ut qui peccatum non haberet. Quare ubi Chriſtus imitandus nobis proponitur, ut viam, quam ille ingreſſus eſt, inſiſtentes, ad eandem metam perveniamus, nihil eſſet magis alienum quam remiſſionis peccatorum ullam mentionem facere. Et phraſes Scripturæ, Sanguis nos mundat, Per ſanguinem ipſius habemus remiſſionem, plane hunc ſenſum reſpuunt. Reſtat quartum quod maxime placuit Socino lib. 1. cap. 5. & paſſim. Ita ut hoc ipſum plurimis locis velut cauſæ ſuæ ſtatumen inculcet: Eſt autem hoc, quod mors Chriſti nobis id ipſum perſuadeat, quod ad remiſſionem peccatorum obtinendam requiritur, fidem ſcilicet, ſive, ut Socinus ipſe explicat, ſpem conſequendæ vitæ æternæ. Sed profecto quid magis eſt à vero alienum, quam mortem innocentiſſimi hominis tam cruentam per ſe ad hoc valere, ut nobis perſuadeat, ſancte viventibus ſumma gaudia à Deo eſſe præparata? Quare hujus commenti abſurditatem videns Socinus, ait mortem quidem hoc non efficere, ſed reſurrectionem Chriſti, & quæ porro reſurrectionem ejus ſunt conſecuta. Mortem autem debuiſſe præcedere. Sed hoc ſi vellet Scriptura, reſurrectionis aut potius evectionis in cœlos & ſeſſionis ad dextram Dei perpetuo meminiſſet, ubi de remiſſione agitur peccatorum; non mortis & ſanguinis, certe non tam ſæpe, & verbis tam ſignificantibus. Illa enim tam frequens, tam uſitata conjunctio ſanguinis cum remiſſione, effectum aliquem non communem, ſed proprium, non longe remotum, ſed propinquum indicat. Quæ enim iſtæ ſunt ambages? Remiſſio peccatorum non contingit niſi ſancte viventibus (ita enim loquitur Socinus lib. 3. cap. 11.) ad ſanctimoniam vitæ facit fides & ſpes certa præmii: hanc fidem ingenerat exemplum Chriſti ob vitæ ſanctimoniam (ut vult Socinus lib. 2. cap. 2.) à mortuis excitati & glorificati: iſtam excitationem mors anteceſſit: recte ergo apteque dicitur remiſſio per Chriſti mortem obtineri. Nonne hoc vere eſt, quod ipſe in aliis reprehendit lib. 3. cap. 8. *Utinam ne in nemore Pelio?* Pro cauſa enim non propinquum aliquid aut ſaltem modico intervallo remotum, ſed quod longiſſime ab effecto diſſitum eſt, adfertur: quod ſi uno in loco Scripturæ fieret, eſſet forte minus mirum. Sed toties, tam obſcure, imo tam frigide loqui Scripturam, quis ſanus crediderit? Multum diſſimile eſt Pauli illud, Chriſtum à mortuis excitatum ad noſtri juſtificationem Rom. 4. 25. quod ut explicetur nihil opus eſt tam longo Socini ambitu. Reſurrectio enim Chriſti, fidem & fiduciam in Deum & Chriſtum nobis ingenerat: cui fidei promiſſa eſt peccatorum remiſſio. Et hæc ſeries manifeſte oſtenditur, Actor. 13. 33. 38. Rom. 1. 4. & x, 9. Mors autem tantum abeſt ut apta ſit fidem ingenerare, ut contra maxime homines ab ea fide abſterreat. Ideoque in prædicando Euangelio Apoſtoli ignominiæ crucis & mortis miſeriæ reſurrectionem ſemper opponunt. Per mortem vero, &, quam plerumque Scriptura in hoc argumento exprimit, ſanguinis effuſionem, quæ cauſa proprie non eſt reſurrectionis ſed antecedens duntaxat, ipſam reſurrectionem velle indicatam, quid eſt aliud quam noctem nominare ut per eam intelligatur dies? Præterea ſi ad remiſſionem peccatorum mors non pertineret niſi propter reſurrectionem ſecutam, quomodo accidere potuiſſet, ut remiſſio hæc ad reſurrectionem raro admodum, ad mortem autem innumeris locis referretur? Adde jam quod morti etiam ſeorſim, hoc eſt qua à reſurrectione & gloria Chriſti abſtrahitur, effectum impetratæ redemptionis Paulus tribuit. Ait enim: *Si cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius.* Rom. 5. 10. Opponitur mors vitæ glorioſæ, & ut illi reconciliatio, ita huic conſervatio diſtincte aſcribitur. Reconciliatio impetratur inimicis per mortem ut actum Sacerdotalem: reconciliati cuſtodiuntur regia virtute, ad quam aditum fecit reſurrectio. Sic & alibi reconciliationem ipſa prædicatione, quæ fidem ingenerat, idem Apoſtolus priorem ſtatuit. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ipſorum: & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis: itaque nomine Chriſti legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos oramus Chriſti nomine, reconciliamini Deo.* 2 Corinth. 5. 19, 20. Duplex hic reconciliatio ponitur, prior quæ ſermone annuntiatur: altera quæ fit per ſermonem: illa eſt impetrationis: hæc applicationis: illa ſermone prior: hæc ſermone poſterior. Nos de priore illa agimus, meritoque negamus eam referri poſſe ad fidei ingenerationem quæ fit per ſermonem. Accedat illud Johan. 3. 16. ubi *Chriſtus* dicitur *datus* (in mortem ſcilicet) *ut credentes non pereant.* Ad aliud ergo prodeſt, quam ut credant. Et ſane ſi libeat attendere, idem non obſcure monſtrat is ipſe Pauli locus, qui à Socino citatur firmandæ ſuæ ſententiæ: is nempe de quo jam egimus: *Qui traditus fuit* (in mortem ſcilicet) *propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Cum peccata ſint malum, juſtificatio bonum, apparet vocem *propter* in utroque membro non ſimiliter ſumi: & in poſteriore quidem membro finalem cauſam notari convenit; in priore ſignificari impulſivam, ſatis, ni fallor, ſupra oſtendimus: plane ut ſi dicam pharmacum ſumi propter morbum & propter ſanitatem. Juſtificatio ergo finis eſt reſurrectioni propoſitus, nempe per ingenerationem fidei, fatente Socino. Quanquam equidem neſcio, an reſurrectio hoc loco ſpectetur ut argumentum ad perſuadendam fidem, an potius totum Chriſti ſtatum glorioſum deſignet, qui hunc ſibi finem propoſitum habet, inter cæteros, ut Euangelii præcones mittantur, & uberrima vi ſpiritus ipſorum opera promoveatur, eumque in modum effecta fide homines peccatorum veniam adipiſcantur. Ita enim Chriſtus ipſe: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Profecti ergo docete omnes gentes. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Matt. 28. 18, 19, 20. Antea vero, ut Johannes ait, *nondum erat Spiritus* (ea nimirum vi ac copia) *effuſus.* Cauſa additur: *quia Jeſus nondum erat ad gloriam evectus.* Johan. 7. 39. Paulus quoque de Chriſto: *Cum in ſublime aſcendiſſet, captivam duxit captivitatem & dedit dona hominibus: dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad compaginationem ſanctorum.* Ephes. 4. 8. 12. Utro autem

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tem modo ſumas, apparet reſurrectioni, quæ à morte diſtinguitur, finem aliquem aſſcribi peculiarem. Viciſſim morti ſive traditioni in mortem ſeparatim aſſcribitur quod ob peccata contigerit. Id autem ipſum & reſurrectioni nuſquam aſſcribitur, & hoc loco eidem non obſcure adimitur. Mors ergo Chriſti in hoc negotio & à reſurrectione & à fidei ingeneratione ſequeſtranda eſt: & in iis locis, quæ ex morte Chriſti remiſſionem deducunt peccatorum, diſtinctus quidam effectus intelligendus eſt, quem præ ſe fert ipſa verborum ſimplicitas, conſentiens cum aliis Scripturæ vocibus, quæ Chriſtum ob peccata noſtra mortuum cruenta morte, pœnaſque noſtrorum criminum ab ipſo exactas fuiſſe pronunciant: de quibus jam egimus: cumque illis quæ Deum nobis per Chriſti ſanguinem placatum ac reconciliatum, ſanguinem ejus pretium fuiſſe pro nobis datum, Chriſtum vice noſtra mortuum, & piamen fuiſſe noſtrum non obſcure teſtantur, de quibus infra agendi erit locus.

CAPUT II.

Quòmodo in hoc negotio Deus conſiderandus ſit: & oſtenditur conſiderandum ut rectorem.

INtellecto controverſiæ ſtatu, & firmata Scripturis ea ſententia, qua fides Eccleſiæ nititur, ad disjiciendas objectiones, quas Socino ſua ratio, aut, ut verius loquar, abuſus rationis dictavit, imprimis opus eſt intelligi, quæ partes ſive quod officium ſit Dei in hac re, de qua agitur. Fatetur Socinus, agi de liberatione à pœnis; nos addimus inſuper agi etiam de pœnarum inflictione. Unde ſequitur, omnino hic Deum conſiderandum, ut rectorem. Nam pœnas infligere, aut à pœnis aliquem liberare quem punire poſſis, quod juſtificare vocat Scriptura, non eſt niſi rectoris qua talis primo & per ſe: ut puta in familia patris; in republica Regis, in univerſo Dei. Hoc etſi manifeſtum eſt omnibus, probari tamen facile poteſt ex eo quod pœna ſit ultimum in coactione: coactio autem non competat niſi ſuperiori, τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ. Unde Seneca clementiam definivit lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis. Nec obſtat quod vindicatio interdum privatis & nulla ſuperiori poteſtate inſtructis tribui videtur. Nam iſta vindicatio, aut facti eſt, non juris, quæ pugnat cum ipſa naturali æquitate, aut jus aliquod ſignificat non primo aut per ſe alicui competens, ſed aliena conceſſione; quomodo raptorem raptæ pater, proſcriptum quivis interficit: aut denique non ſignificat ipſum puniendi actum, ſed poſtulationem duntaxat pœnæ infligendæ aut à Deo aut ab alio rectore: quibus vindicandi modis totidem modi reſpondent peccatorum remiſſionis ſive condonationis, quam privatis ſæpe & Scriptura & communis ſermo tribuit. Sed hæc aſſertio eo minus probationis indiget, quia ipſe Socinus lib. I. cap. I. alicubi fatetur Deum in puniendis, abſolvendiſque hominibus ſtatuendum eſſe tanquam Principem: quo nihil verius dici potuit. Nec aliud ſignificavit Jacobus, cum dixit, unum eſſe legiſlatorem qui poſſit ſervare & perdere, Jacobi 4. 12.

Habemus ergo veram Dei in hoc negotio σχέσιν, qua reperta facile eſt alias omnes removere. Primum ergo damus hoc poſtulanti Socino, Deum non eſſe ſpectandum ut judicem ſub lege conſtitutum. Nam talis qui ſit judex is nocentem non poſſet à pœna liberare etiam pœnam in alterum transferendo: non quia id per ſe injuſtum ſit, ſed quia legi non congruat, cujus ipſe Miniſter electus eſt. Quod his verbis expreſſit Lactantius de ira Dei cap. 19. *Judex peccatis veniam dare non poteſt, quia voluntati ſervit alienæ: Deus autem poteſt, quia eſt legis ſuæ ipſe diſceptator & judex, quam cum poneret, non utique ademit ſibi omnem poteſtatem, ſed habet ignoſcendi licentiam.* Recte Seneca, *Clementia*, inquit, *liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat.* Æquitas enim eſt etiam adſtricti formulæ judicis: at clementia proprie ita dicta non eſt niſi ſummi in quaque communitate rectoris. Idem Seneca Principem hoc jubet cogitare: *Occidere contra legem nemo non poteſt, ſervare nemo præter me.* Agnovit hoc diſcrimen Auguſtinus: *Judicibus ſtatutum eſt, ne liceat in reum datam ſententiam revocare. Nunquid & ipſe Imperator ſub hac erit lege? nam ipſi ſoli licet revocare ſententiam & reum mortis abſolvere & ipſi ignoſcere.* Et Symmachus: *Alia eſt conditio Magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia Divorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeveri juris inflectere.* Quo & Cicero reſpexit, cum pro Ligario ad Cæſarem dixit: *Non feci, non cogitavi. Ad judicem ſic agi ſolet, ſed ego ad parentem loquor, Erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: ut ignoſcas, oro.*

At Socinus, quamquam loco ſupra citato Deum ut ſummum Principem ſtatuit, paſſim tamen in omni hoc actu longe aliam ipſi σχέσιν tribuit, nimirum partis offenſæ. Vult autem partem omnem offenſam eſſe pœnæ creditorem: atque in ea tale habere jus, quale alii creditores in rebus ſibi debitis, quod jus ſæpe etiam dominii voce appellat: ideoque ſæpiſſime repetit Deum hic ſpectandum, ut partem offenſam, ut creditorem, ut dominum, tria hæc ponens tanquam tantundem valentia. Hic error Socini cum per totam ipſius tractationem latiſſime diffuſus ſit, & dici ferme poſſit in hac materia eſſe ipſius τὸ πρῶτον ψεῦδος, accurate refelli debet.

Id ut fiat prima hæc ponatur aſſertio: Punire non eſt actus competens parti offenſæ qua tali. Probatur hoc quia alioqui oporteret omni parti offenſæ competere per ſe jus puniendi: quod falſum eſſe ex eo apparet, quod punire probavimus actum eſſe τῆς ὑπεροχῆς: ipſo etiam Socino fatente, cum Deum hic ſpectandum dicit ut Principem, unde aliud argumentum naſcitur firmiſſimum. Si punit Deus & pœnam tollit ut Princeps, non ergo ut pars offenſa. Non poteſt enim idem duobus diverſis tribui qua talibus. Interim non negamus Deum, qui peccata punit vel impunita dimittit, recte dici partem offenſam: ſed punire, aut impunitum dimittere, ei tribui qua pars offenſa eſt, negamus. Notiſſimum enim eſt, poſſe aliquid de aliquo dici quod ei non conveniat qua tali: ſicut Juriſconſultus canit, non qua Juriſconſultus: ſed qua Muſicus. Notavit hoc recte Lactantius: *Surgimus ad vindictam* NON QUIA LÆSI SUMUS, SED UT DISCIPLINA *ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc eſt ira juſta, quæ ſicut in homine neceſſaria eſt, ſic utique in Deo à quo ad hominem pervenit exemplum.* Eſt quidem recepta regula, neminem eſſe idoneum in ſua cauſa judicem: ſed hæc regula non eſt juris naturalis, ſed poſitivi, ideoque nec univerſalis. Plane enim locum non habet in ſummis rectoribus, ſub quo nomine & parentes quo ad familiæ curam comprehendo. Imperatores in ſua cauſa judicare, notant Juriſconſulti ad l. Et hoc Tiberius D. de hæred. inſtit. Hoc accidere etiam in criminibus poteſt, ut in judicio Læſæ Majeſtatis, & in bellis quæ ob injuriam illatam Regi à Rege indicuntur: cujus rei inſigne eſt exemplum 2 Reg. cap. 10. Puniunt ergo aut impunita dimittunt crimina Principes etiam læſi, non tamen qua læſi. Nam ſi id facerent ut læſi, jam & aliis læſis idem eſſet juris, qui tamen lædentem nec punire poſſunt, nec impunitum præſtare. Rurſum ſi punire aut impunitum dimittere Principibus qua læſis competeret, jam jus illis non eſſet puniendi crimina, in quibus læſi non ſunt, cujus contrarium ratio monſtrat & experientia. Ac nequis exiſtimet ideo à Principe maleficos puniri, quod Reipublicæ noceant, cujus ipſe præſes eſt; videmus ſubditos etiam qui extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquerunt, recte & cum laude puniri. Unde apparet manifeſte jus puniendi non competere læſo qua læſo, cum nec poſita læſione ſtatim ponatur, nec remota removeatur: contra vero ſuperiori ut ſuperiori idem jus competere. Nam ſimulatque ὑπεροχὴν ponis, & jus puniendi ponis: eaque remota removes. Quicquid autem de jure pœnæ irrogandæ dicitur, id ſimul de jure dandæ impunitatis neceſſe eſt intelligi. Hæc enim naturali nexu inter ſe cohærent. Fefellit forte Socinum, quod interdum in Sacris Literis, atque inter cætera in Dominica precatione nobis exemplum Dei peccata remittentis proponitur, ut nos quoque læſi aliis peccata condonemus. Sed cogitare debuit exempla ſumi non tantum à rebus quæ genere proximo ſint eædem, ſed & ab iis quæ aliquid habeant ſimilitudinis, præſertim cum rebus ſimilibus, etſi genere proximo diverſis, idem aliquod nomen ob ſimilitudinem imponitur. Sic vetat nos Chriſtus judicare, immiſericorditer nimirum, ne & ipſi judicemur: additque, qua menſura alios menſi fuerimus, eadem nobis remenſum iri. Matth. 7. 1, 2. ubi judicare illud prius ab altero diſtat toto genere. Nam prius eſt judicium libertatis: alterum judicium poteſtatis. Eodem modo longe aliud eſt in Deo & in aliis rectoribus remittere peccata: aliud vero in privatis ab altero læſis. Illi enim oppoſitum eſt punire: huic vero pœnam poſtulare aut optare aut etiam conqueri. Coloſſ. 3. 13. Diſtant ergo intrinſecus, ſed extrinſecus quodammodo conveniunt. Nam cauſa impellens ad utrum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

utrumque eſt benignitas ſive φιλανθρωπία: effectus vero eſt, quod is qui peccavit ab incommodo aliquo liberetur: aut reipſa, aut certe quantum eſt in remittente. Quæ convenientia ſufficit ut exemplo ſua vis conſtet.

Altera hæc ſit aſſertio: Naturaliter pars offenſa qua talis nullum jus habet in pœna. Hoc plus aliquanto eſt quam quod prima aſſertio collegerat. Ibi enim negavimus actum ipſum puniendi competere parti offenſæ: hic negamus jus aliquod ipſi competere, non modo ad actum per ſe exercendum, ſed etiam ad obligandum alterum ut exerceat: hoc eſt, partem offenſam non eſſe in pœna vere creditorem: quod tamen putat Socinus, & tanquam certiſſimum ſæpe repetit. Creditorem hic intelligo non ſtricta ſignificatione juxta vocis originem, eum qui fidem alterius ſecutus eſt, ſed generalius juxta juris definitionem: Creditores ſunt quibus ex qualibet cauſa debetur. Verum autem eſſe quod dicimus, ſic probatur. Notiſſimum eſt duplex eſſe jus, naturale aut poſitivum. Quare debitum quoque omne aut hinc aut illinc oriri neceſſe eſt. Jus naturale conſiſtit in ipſa rerum inter ſe adæquatione. Tale ergo eſt & naturale debitum. At jus poſitivum eſt, quod ex libero actu voluntatis naſcitur: qui eſt duplex, contractus & lex. Contractus eſt effectus ejus poteſtatis, quam quis habet in ſe & ſua: lex vero effectus ejus poteſtatis, quam quis habet in alium & aliena. De poſitivo debito hic non agimus: ideo addidimus vocem naturaliter. Cujus rei cauſam infra explicabimus. Natura vero ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem poteſt quam æqualitas ſecundum rem, hoc eſt, ut quantum mihi per te abeſt, tantundem reddatur. Hoc uno verbo vocare licet indemnitatem aut reſtitutionem. Hinc creditorem τὸν ἔλαττον ἔχοντα recte vocavit Ariſtoteles. Habet autem hoc locum tum in acceptionibus ἑκουσίοις, tum in ἀκουσίοις, ut idem Ariſtoteles notat. Sicut enim reddere teneris mutuum aut depoſitum, ita & rem furto ſublatam. Et hactenus naturaliter etiam ex delicto creditores fieri poſſumus. Neque id locum habet in his duntaxat delictis, in quibus rei corporalis acceptio intercedit: ſed in aliis etiam factis alicui noxiis. Ita qui alterum vulneravit debet & mercedes medicis præſtitas & impendia ob curationem facta, & operarum intertrimentum. L. ult. D. de his qui effud. Mirati ſunt quidam quod Ariſtoteles homicidium quoque poſuerit inter συναλλάγματα, in quibus verſatur τὸ διορθωτικὸν δίκαιον. Sed recte notavit Euſtathius, non alia id ratione fieri, quam quia uxori, liberis aut cognatis occiſi aliqua ſoleat fieri damni compenſatio: de qua videre eſt in l. 4. Paragr. 1. ad L. Corn. Sic & is qui mendacio famam læſit alterius, veri profeſſione reſarcire debet id quod de dignitate ipſius delibavit. Ex quibus omnibus apparet id quod ex delictis naturaliter debetur diverſum eſſe à pœna. Cauſa enim naturalis iſtius debiti eſt primo & per ſe non vitioſitas actus, ſed quia mihi aliquid abeſt: nam etiamſi citra vitium abſit, ut in depoſito, non eo minus mihi reſtitutio debetur. Cauſa autem pœnæ eſt ipſa actus vitioſitas, non autem quod aliquid mihi abſit. Nam etiamſi nihil abſit cuiquam, recte actus punietur, ut in gravibus delictis, quæ inchoata tantum & non conſummata ſunt. Eſt & aliud diſcrimen non minus inſigne, quod reſtitutionis modum & quantitatem ipſa rei natura determinat: pœna etſi in genere ſuo cauſam habet naturalem aliquomodo (ut infra dicemus) determinari tamen non poteſt, niſi per actum liberum voluntatis. Adde quod ante condemnationem, pœna, quatenus in dando aut in faciendo conſiſtit, non debetur ordinarie: at reſtitutio omnino debetur. Reſtitutionis debitum in hæredem tranſit, pœna non tranſit. Quæ ideo duntaxat referre libuit, ne quis id quod læſo proprie debetur, cum pœna temere confundat. Interea verum eſſe lege poſitiva, ut & contractu, introduci poſſe ut creditori jus aliquod quæratur in pœnam, quam tunc quoque à rei ſeu damni perſecutione jura manifeſte diſtinguunt. L. Si pignore parag. cum furti. D. de furtis. Inſtit. de lege Aquilia parag. his autem verbis. Sed hoc plerunque conſtitui ſolet in pœnis pecuniariis, quæ ſcilicet non modo damnum adferunt ei qui læſit, ſed & læſo lucrum. In pœnis autem corporalibus, in quibus nullum eſt verum lucrum læſi, hoc ipſum vix uſurpatur. Ideoque videmus Reges aliosque ſummos rectores pœnam remittere ſontibus etiam invita parte læſa, injuncta ipſis ſola damni reſtitutione. Quod injuſtum nemo judicat. Eſſet autem hoc injuſtum, ſi pœna læſo deberetur, præſertim ubi nulla Reipublicæ neceſſitas remiſſionem poſtularet. L. 2. C. de in jus vocando. Quare quod minores Magiſtratus pœnas corporales nequeunt remittere, non id evenit ob jus aliquod læſi in pœna (nam læſo conſentiente nihilo magis poſſent) ſed quia lex ſuperioris illam poteſtatem ipſis non conceſſit, imo expreſſe negavit: quod ſimiliter intelligendum eſt de Regibus cum Deo comparatis, in iis delictis quæ omnino puniri ab ipſis lex divina imperat. Hæc eo ſpectant, ut appareat Deum quoque à nobis læſum in pœna proprie non eſſe creditorem. Nam id qui affirmat, aut eo jure nititur quod ex rebus ipſis naſcitur, aut jure conſtituto. Eo jure quod ex rebus ipſis oritur læſum non eſſe in pœna creditorem, ſatis ut arbitror oſtendimus. Jus autem conſtitutum, non quo pœna, ſed quo creditum tale pœnæ ſit introductum nec allegatur, nec, ſi allegetur, probari poterit: neque ulla cur ita conſtituendum fuerit dari poteſt ratio. Objiciet forte aliquis, quod Deus pœnam peccatorum remittens alicubi cum creditore de jure ſuo cedente comparatur. Ut Matth. 18. 35. Sed ut ſupra oſtendimus, comparatio non exigit ut res genere proximo conveniant, ſed quavis ſimilitudine contenta eſt. Sic Chriſtus pedes diſcipulorum lavans exemplum dedit diſcipulis, ut quemadmodum ipſe fecerat, ſic & illi facerent: hoc eſt inſervirent alter alteri. Similitudo autem Dei peccata remittentis, & creditoris de jure ſuo cedentis major eſt quam Dei ejuſdem peccata remittentis, & læſi condonantis offenſas, qua de ſimilitudine modo egimus. Conveniunt enim Dei & creditoris actus non tantum cauſa movente, quæ eſt benignitas, & effecto, quod eſt liberatio à miſeria aut moleſtia; ſed eo inſuper, quod in utroque præcedit jus aliquod, in Deo ad puniendum, in creditore ad exigendum creditum: & utrimque contingit diſſolutio quædam obligationis antea exſiſtentis. Quanquam in ipſa obligatione, ut & in diſſolutione aliquid ſit diſſimile, quod cum ad eam rem ad quam adfertur id exemplum proprie non pertineat, ſimilitudinem ſive παραβολὴν vitiare non poteſt.

Tertia aſſertio hic eſto: Jus puniendi in rectore non eſt aut jus abſoluti dominii aut jus crediti. Probatur hoc primo ex fine, qui optime ſolet diſtinguere facultates. Nam jus abſoluti dominii, ut & jus crediti comparatum eſt ejus gratia, qui id jus habet. At jus puniendi, non punientis cauſa exiſtit, ſed cauſa communitatis alicujus. Pœna enim omnis propoſitum habet bonum commune; ordinis nimirum conſervationem & exemplum: ita quidem ut rationem expetibilis, non habeat niſi ab hoc fine, cum jus dominii & crediti per ſe ſint expetibilia. Hoc ſenſu Deus ipſe dicit ſe pœna eorum qui puniuntur non delectari. Rurſus nunquam cum juſtitia pugnat de jure dominii aut crediti cedere. Quia natura hæc eſt proprietatis, ut ea tam uti quam non uti liceat. At quædam peccata impunita dimittere (puta non reſipiſcentium) eſſet injuſtum in rectore, etiam in Deo, ut fatetur Socinus lib. 1. cap. 1. Non eſt ergo jus puniendi idem cum jure dominii aut crediti. Præterea nemo ob id juſtus dicitur ac juſtitiæ nomine laudatur, quod dominio ſuo utatur, aut quod creditum exigat. At quivis rector, atque ipſe Deus, juſtus ob id dicitur, & juſtitiæ nomine laudatur, quod pœnas non remittat, ſed ſevere exigat. *Juſtus es Domine quod ſic judicaſti*, Apoc. 16. 5. quod pluribus locis ſupra probatum eſt. Iterum, virtutum diverſitas oritur diverſitate objectorum. At virtus qua de dominio aut de credito noſtro cedimus, liberalitas vocatur: non clementia: illa vero qua impunitas conceditur, non liberalitas, ſed clementia.

Quærat forte aliquis cum deberi pœna dicatur, quis hic ſit creditor? Vix enim videtur poſſe intelligi debitor, ubi creditor ſit nullus. Sed notandum eſt, vocem *debere* non ſemper notare relationem inter duas perſonas. Sæpe enim, debeo hoc facere, nihil aliud eſt, quam convenit hoc à me fieri, ſine reſpectu ad perſonam alteram. Ita debeo pœnam, id eſt dignus ſum pœna, & pati eam teneor abſolute: non autem relate ad hunc aut illum. Ideo perinde eſt in qua republica, ſub quo rectore aliquis pœnas delicti luat. Æque enim apud omnes liberabitur. Quod non ita procederet, ſi, ut aliarum rerum, ita pœnæ certus exſtaret creditor. Uni enim illi, non etiam aliis niſi juſſu ipſius facta ſolutio debitorem liberaret. Contrarium ferme in præmio apparet. Recte enim dicitur, debetur illi præmium. At certa perſona quæ debeat (ſepoſita lege poſitiva) non apparet. Nam ſi quis dicat Rempublicam eſſe certam quæ debeat præmium, quia beneficium acceperit, is gratiam à præmio non diſtinguet. Quin ipſa experientia docet, à rectoribus eos etiam præmiis ornari, qui non ſuæ reipublicæ ſpeciatim, ſed qui humano generi profuerunt, ut rerum in commune utilium repertores: imo etiam conſiliis præclare ſuſceptis etſi ſucceſſus defuerit, ac proinde utilitas ad neminem redundarit, reddi præmia videmus. Ergo ne hic quidem ulla eſt inter definitas perſonas relatio,

quaitz

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

qualis in illo debendi genere, quod eſt ἐκ συναλλαγμάτων. Si quis tamen cupiat in pœna aliquid ſibi dari, quod ſit creditori ἀνάλογον, non inepte forte dicetur, ordinem rerum, bonumque publicum fungi vice creditoris, cujus ordinis bonique diſpenſatio rectori permiſſa eſt. Hoc enim indicare videtur trita ſententia, *Delicta puniri publice intereſt*. Atque hinc evenit, quod cum in cauſis aliis judex inter duas partes cognoſcat, in cauſis criminum ſæpe reus appareat, actor non appareat. Quia ordo ipſe ſeu bonum publicum quaſi actoris loco eſt: quod & Scriptura videtur innuere, cum dicit peccatum clamare contra peccatorem. Et ubi quis agit ad pœnam, agit aut ut quilibet (quemadmodum iis in locis ubi accuſationes promiſcue omnibus patent) aut ut à lege ad hoc ordinatus: quod iis locis contingit, qui publice conſtitutos accuſatores habent: quorum utrumque certum eſt indicium natura, & reipſa nullum hic eſſe definitum adverſarium & pœnæ quaſi flagitatorem.

Sequitur alia dubitatio, quæ vis ſit ejus vocis cum rector aliquis dicitur peccata aut quod idem eſt pœnam ἀφιέναι aut χαρίσασθαι. Hac enim voce decepti multi exiſtimarunt dominium hic aliquod aut creditum antecedere. In quo multum falluntur. Nam vox Græca ἀφιέναι proprie ſignificat à ſe amovere: atque ita ſumitur Matth. 4. 20. & alibi ſæpe. Unde ſumpta metaphora ſignificat & deſerere & dimittere & permittere, frequentiſſime autem rationem alicujus rei non habere: quod Latini ſimili locutione dicunt, miſſum aliquid facere. Itaque Scholiaſtæ Græci paſſim τὸ ἀφιέναι exponunt pro τὸ ἀμελεῖν. Ita ſumi hanc vocem apparet Matth. 15. 14. XVIII. 12. XXIII. 23. Marc. 7. 8. Itaque & ἁμαρτήματα ἀφιέναι eſt peccata miſſa facere: quod alibi longius hanc tranſlationem perſequens Scriptura vocat peccata in mare projicere Mich. 7. 19. Sicut & Latini Poëtæ ea quæ extra curam poni ſignificant dicunt, ventis tradi in mare raptanda. Quare ſicut oppoſita ſunt miſſum aliquid facere & retinere, ita opponuntur inter ſe ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας & κρατεῖν Joh. 20. 23. Miſſa ergo facere peccata, ut & delere peccata & tegere, idem eſt quod alibi planius effertur, non recordari. Jerem. 31. 34. Non recordari autem, ut Latinum ignoſcere, ſignificat punire nolle. Quare ſicut in illis vocibus non recordari, tegere, delere, retinere nolle, non eſt dominici juris aut crediti ſignificatio, ita nec in voce ἀφιέναι. Sed quia vox iſta quæ miſſum facere ſignificat, generalis eſt, ideo & ad ea quæ in dominio habemus, & ad nomina, & ad res alias pari jure aptatur. Sic & vox χαρίζεσθαι ad omne gratificandi genus pertinet Chriſtus cæcis τὸ βλέπειν ἐχαρίσατο, Luc. 7. 21. ἐχαρίσθη *vobis pro Chriſto pati*, Philip. 1. 29. Ita & judex qui in gratiam alicujus hominem condemnat, aut abſolvit, dicitur eum alteri χαρίσασθαι. Actor. 3. 14. XXV. 2. & 16. Quæ omnia declarant nullum ea voce aut dominium aut creditum neceſſario ſignificari. De Latinis vocibus, quæ in hoc argumento uſurpari ſolent donandi, condonandi, remittendi, minus nos neceſſe eſt eſſe ſolicitos, cum in Sacris Literis non exſtent. Et tamen earum quoque facile eſt rationem reddere. Accidit enim iſtis vocibus quod aliis pluribus, imo ferme omnibus, ut à ſimilibus ad ſimilia producantur. Donare proprie eſt quod ſuum dominio ſit, id gratis alienum facere. Pœna ergo proprie non donatur. Nam quod donatum eſt antea exiſtit & poſtea manet. Pœna nec fuit antequam donaretur, & donando efficitur ne exſiſtat. Sed in eo eſt ſimilitudo, quod ſicut donator jus habet in re, ita rector in pœna: non tamen idem jus aut æque liberum. Nam jus dominii, ut ante diximus, eſt domini cauſa: jus puniendi boni communis gratia: cujus ut aliarum rerum communium diſpenſatio ad rectorem pertinet. Secunda convenientia in eo eſt, quod tum in donatione jus donantis, tum in impunitatis conceſſione jus quod fuerat rectoris ad puniendum tollitur. Tertia quod & donatio & impunitatis conceſſio naſcitur ex eodem fonte benignitatis: & alteri prodeſt. Neque hic tantum, ſed & alibi ſæpe donandi vox ad ea transfertur, in quibus jus dominicum locum non habet. Ita donari dicitur aliquis à Magiſtratu civitate, vacatione, honore, præmio: ita Seneca moram donare dixit pro auferre moram in alicujus gratiam: ita tempus noſtrum dicimur donare aliis. Remittere autem primigenio ſignificatu eſt, ut Græcum ἀφιέναι, à ſe amovere. Sic librum remittit arbor: eques frena. Sic aures remittuntur, & per tranſlationem cuſtodia, diſciplina, animus: paſſimque oppoſita ſunt remitti & intendi. Hinc creditum remitti dicitur, cum ejus nulla habetur ratio: nec aliter pœna. Neque ea vox pœnæ aptatur propter creditum, neque credito propter pœnam: ſed utrique propter aliud, in quo illa inter ſe conveniunt. Addi poteſt aliquo modo dici etiam poſſe pœnam deberi alicui. Non proprie: quia nemo hic eſt vere creditor: ſed ob ſimilitudinem quandam. Quia enim ut creditor jus habet ſibi debitum exigendi, ita rector jus habet puniendi, & accuſator pœnam flagitandi, propterea καταχρηστικῶς interdum dicimur pœnam debere aut rectori ut Deo, aut accuſatori ut diabolo. Quamquam nec diabolo fiat injuria, ſi pœna non infligatur homini, neque cum Dei juſtitia conſiſtat, ut de pœna quavis in infinitum remittat: quorum neutrum in veris creditoribus locum poteſt habere.

CAPUT III.

Qualis ſit Dei actus in hoc negotio, & oſtenditur eſſe legis relaxationem, ſive diſpenſationem.

EXaminatis partibus, quibus in hoc negotio Deus fungitur, facile erit nomen aliquod ipſi actui dare. Ac primum, cum Deus hic, quemadmodum probavimus, ſit ſpectandus ut rector, ſequitur actum hunc eſſe actum juriſdictionis generaliter dictæ. Unde ſequitur, non agi hic de acceptilatione, ut putat Socinus. Illa enim actus non eſt juriſdictionis. Propius ut deſignetur ſuum huic actui genus, poteſt is ipſe actus conſiderari, aut cum relatione ad divinam ſanctionem, ſive, ut recentiores Juriſconſulti loquuntur, legem pœnalem, aut citra eam relationem: quod ideo adjicimus, quia etiamſi lex nulla pœnam expreſſiſſet, naturaliter tamen ipſe actus humanus, ſive intrinſecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, ſive etiam extrinſecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipſo pœnam aliquam, & quidem gravem, merebatur: hoc eſt par erat hominem peccatorem puniri. Hic ſi ſubſiſtamus, erit actus Dei de quo agimus, punitio unius ad impunitatem alteri conſequendam: de cujus actus juſtitia mox agemus. Si vero præterea reſpiciamus ſanctionem ſive legem pœnalem, erit actus ipſe via ad indulgentiam ſeu temperamentum ejuſdem legis, quam indulgentiam hodie diſpenſationem vocamus: quæ definiri poteſt, actus ſuperioris, quo legis manentis obligatio circa quaſdam perſonas aut res tollitur. Sanctio hæc eſt: Homo comedens de vetita arbore omnino morietur. Geneſ. 2. 17. ubi per unam ſpeciem peccati omne peccati genus indicatur, ut exprimit Lex eadem clarius explicata, *Maledictus qui non manſerit in omnibus præceptis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. Mortis autem & maledicti voce his locis intelligimus præcipue mortem æternam. Perinde ergo ſe res habet, quaſi in hunc modum Lex eſſet concepta, Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ.

Non eſt ergo hic legis iſtius exſecutio. Nam ſi legem Deus omnino exſequeretur, non poſſet quiſquam peccator ſervari à pœna mortis æternæ. At nunc ſcimus fidelibus non eſſe κατάκριμα, quia liberati ſunt à morte Rom. 8. 2. & redempti ab exſecratione Galat. 3. 13.

Non eſt etiam hic actus legis abrogatio. Nam Lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii ſunt eidem legi. Ideo ſcriptum eſt, quod ira Dei manet ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας. Johan. 3. 36. & quod illos occupat ira Dei ad finem uſque 1 Theſſ. 2. 16.

Non eſt etiam interpretatio Legis κατ' ἐπιείκειαν. Nam ea interpretatio oſtendit aliquod factum aut perſonam ſub legis obligatione nunquam fuiſſe comprehenſam: ſicut opera religionis & miſericordiæ ſub interdictione operandi in Sabbatho nunquam fuerunt comprehenſa, Matth. 12. 5. & 6. At vero omnes homines (quippe concluſi ſub peccatum Rom. 2. 32. Galat. 3. 22.) etiam hi qui liberantur, natura ſive per ſe filii ſunt iræ, Epheſ. 2. 3. hoc eſt obligati legis ſanctione. Non ergo declaratur nulla eſſe obligatio: ſed hoc agitur, ut ea, quæ fuit, tollatur: id eſt, ut relaxatio ſeu diſpenſatio legis contingat.

Quæri hic poſſit, an lex iſta pœnalis ſit relaxabilis. Sunt enim leges quædam irrelaxabiles, aut abſolute, aut ἐξ ὑποθέσεως. Abſolute irrelaxabiles ſunt, quarum oppoſitum immutabilem in ſe pravitatem continet ex rei ipſius natura, ut puta lex quæ vetat pejerare, aut falſum teſtimonium contra proximum ferre. Sicut enim dicimus Deum non poſſe mentiri, Hebr. 6. 18. aut ſemet abnegare, 2 Timoth. 2. 13. ita non minus recte dicemus, Deum non poſſe actiones per ſe

pravas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Pravas facere, aut approbare, aut jus ad eas concedere. Ἐξ ὑποθέσεως vero irrelaxabiles ſunt leges, quæ feruntur ex definito decreto, quod Scriptura vocat τῆς βουλῆς ἀμετάθετον, ſive ἀμεταμέλητον, qualis eſt Lex de damnandis his, qui nolunt in Chriſtum credere. Hebr. 3. 18. Leges autem poſitivæ omnes abſolute ſunt relaxabiles: neque ad neceſſitatem hypotheticam ex definito decreto confugiendum eſt, ubi nota talis decreti nulla exſtat. Quod quidam verentur, ne ſi id concedamus, injuriam faciamus Deo quaſi eum ſtatuamus mutabilem, in eo multum falluntur. Nam Lex non eſt aliquid internum in Deo, aut ipſa Dei voluntas, ſed voluntatis quidam effectus. At voluntatis divinæ effectus mutabiles eſſe certiſſimum eſt. Neque vero Deus legem poſitivam promulgando, quam aliquando velit relaxare, aliud ſe velle ſignificat, quam reipſa velit. Serio enim Deus oſtendit velle ſe, ut Lex rata ſit atque obliget, ſalvo tamen jure relaxandi, quod legi poſitivæ ſuapte natura cohæret, neque ullo ſigno à Deo abdicatum poteſt intelligi. Imo quod eſt amplius, ne abrogandi quidem jus Deus à ſe removet, ut exemplo legis cæremonialis apparet. Aliud ſane eſt, ſi legi poſitivæ adhæreat aut juramentum aut promiſſio, quorum utrumque notatur Hebr. 6. 18. Nam juramentum ſignum eſt immutabilitatis rei cui adjicitur. Pſalm. 95. 11. CX 4. Hebr. 3. 11. 18. VI. 17. VII. 21. Promiſſio autem jus dat parti quod ab ea auferri ſine injuria non poteſt. Quanquam ergo promittere eſt liberum, tamen liberum non eſt promiſſa frangere: ideoque id ad ea referri debet, quæ immutabilem in ſe pravitatem continent. Hoc ergo Deus non poteſt, qui fidelis propterea dicitur, quod promiſſa ſervet, 1 Theſſ. 5. 24. Videamus ergo, an in dicta lege pœnali inſit aliquid, quod relaxationem plane repudiet.

Ac primo objici poteſt, juſtum eſſe naturaliter ipſos ſontes puniri pœna tali, quæ delicto reſpondeat: ac proinde id non ſubjacere libero arbitrio, neque eſſe relaxabile. Ut huic objectioni reſpondeatur, ſciendum eſt non ſequi injuſtum ex quavis negatione juſti, etiam poſitis iiſdem circumſtantiis. Quemadmodum enim non ſequitur, ſi liberalis Rex dicendus eſt, qui alicui mille talenta dederit, ideo ſi non dederit, illiberalem fore: ita non eſt perpetuum ut id quod juſte fiat, non niſi injuſte omittatur. Naturale autem aliquid, ut in phyſicis, ita in moralibus aut proprie aut minus proprie dicitur. Naturale in phyſicis proprie eſt, quod rei cujuſque eſſentiæ neceſſario cohæret, ut animanti ſentire: minus proprie vero, quod alicui naturæ conveniens & quaſi accommodatum eſt, ut homini dextra uti. Sic ergo in moralibus ſunt quædam proprie naturalia, quæ neceſſario ſequuntur ex rerum ipſarum relatione ad naturas rationales, ut perjurium eſſe illicitum: quædam vero improprie, ut filium patri ſuccedere. Quod ergo is qui deliquit pœnam meretur, eoque punibilis eſt, hoc ex ipſa peccati & peccatoris ad ſuperiorem relatione neceſſario ſequitur, & proprie naturale eſt. Ut vero puniatur quivis peccator pœna tali quæ culpæ reſpondeat, non eſt neceſſarium ſimpliciter & univerſaliter: neque proprie naturale: ſed naturæ ſatis conveniens. Unde ſequitur, nihil obſtare quo minus Lex hoc ipſum imperans ſit relaxabilis. Nota definiti decreti ſive irrevocabilitatis in ea, de qua agimus, lege non apparet: neque eſt Lex promittens. Ergo ne horum quidem quicquam relaxationem impedit. Neque enim admittendum eſt, ut comminatio promiſſioni adæquetur. Nam ex promiſſione jus aliquod acquiritur ei cui facta eſt promiſſio: at comminatione apertius duntaxat declaratur meritum pœnæ in peccante, & jus puniendi in comminante. Neque metuendum eſt, ne Dei veracitati aliquid decedat, ſi minas non omnes impleat. Omnes enim minæ, quibus non adeſt irrevocabilitatis ſignum, intelligendæ ſunt ex ſuapte natura de jure comminantis ad relaxandum nihil imminuere, ut antea expoſitum eſt: & divinæ adverſus Ninevitas clementiæ exemplo manifeſte apparet. Non eſt hic omittendum, Philoſophos veteres ex lumine rationis judicaſſe, nullam eſſe materiam magis relaxabilem lege pœnali. Itaque Ariſtoteles τὸν ἐπιεικῆ ait eſſe συγγνωμονικόν: & Sopater in Epiſtola ad Demetrium ſic ait: τὸ λεγόμενον ἐπιεικὲς δίκαιον τὴν αὐστηρὰν τῶν νόμων φωνὴν παραμυθούμενον, ἀνεπαχθὴς ἐμοὶ δοκεῖ χαρίτων ἀληθινῶν καὶ ἐλευθερίων πρόφασις. Τὸ μὲν γὰρ ἐπὶ τῷ συναλλάγματι τῆς δίκης ἐπανορθωτικὸν ἐκφεύγει παντελῶς τὸ τῶν χαρίτων γένος. τὸ δὲ ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον οὐκ ἀναίνεται τὸ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων πρόσωπον. Ex his, quæ huc uſque dicta ſunt, legem iſtam Dei poſitivam & pœnalem diſpenſabilem fuiſſe apparet. Sed hoc non obſtat quo minus rationes quædam fuerint, quæ hanc relaxationem poſſent (ut more humano balbutiam) diſſuadere. Hæ autem peti poſſunt aut à natura legum univerſarum, aut ex propria legis materia. Legibus omnibus commune eſt, quod relaxando aliquid videtur de authoritate legis deteri. Proprium hujus legis, quod etſi ea Lex, ut diximus, inflexibilem rectitudinem non habet, eſt tamen ipſi rerum naturæ atque ordini perquam conveniens. Ex quibus ſequitur, non quidem omnino non relaxandam fuiſſe legem, ſed non facile, neque levi de cauſa. Atque id ſecutus eſt ſolus ille πάνσοφος νομοθέτης. Cauſam enim habuit graviſſimam, lapſo in peccatum genere humano, legem relaxandi. Quia ſi omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuiſſent, periiſſent funditus ex rerum natura duæ res pulcherrimæ, ex parte hominum religio in Deum, & ex parte Dei præcipuæ in homines benificentiæ teſtatio. Neque vero Deus in relaxanda lege cauſas duntaxat, & quidem graviſſimas, ſecutus eſt, ſed & relaxationi modum adhibuit ſingularem, de quo infra agendi aptior erit locus.

CAPUT IV.

An injuſtum ſit Chriſtum puniri ob peccata noſtra, & oſtenditur non eſſe.

Argumenta, quibus Socinus hoc dogma it labefactatum, non ſatis recto ordine ab ipſo poſita, hoc modo nobis digerenda videntur, ut prima ſit claſſis earum ratiocinationum, quæ id quod factum defendimus injuſtum fuiſſe colligunt: ſecunda earum, quæ cauſam negant fuiſſe ita faciendi: tertia, quæ id quod aſſerimus, à Deo factum negant. Nam ſi res ipſa injuſtitiam continet, fruſtra ejus cauſa quæritur, cum injuſti nulla poſſit eſſe rationabilis cauſa: fruſtra etiam an factum ſit diſputatur, cum nihil injuſti à Deo poſſit fieri. Cauſæ quoque examinatio, cum natura facti antecedat quæſtionem, prius quoque tractanda eſt. Ut ergo ad juſti atque injuſti veniamus quæſtionem, primum ſeparanda ſunt iſta, An juſtum fuerit Chriſtum puniri ob peccata noſtra, &, An id aliquid facere potuerit ad veniam nobis impetrandam. Nam poſterius hoc ad ſecundam claſſem referendum eſt, quæ de cauſa facti diſputat: ad primam vero hanc proprie non pertinet. Nam etiamſi talis cauſa pœnæ non fuiſſet, non inde ſequeretur in ipſa pœna injuriam aliquam contineri. Injuria autem videtur quæri poſſe aut in ipſa materia, hoc eſt, in graviſſimis afflictionibus & morte, comparatis ad ejus qui iſta patiebatur innocentiam, aut in forma, hoc eſt, in pœna comparata ad peccata aliena tanquam cauſam meritoriam. Oſtendemus ergo in neutro eſſe injuriam.

Primum ergo non fuiſſe injuſtum, ut Chriſtus innocentiſſimus à Deo graviſſimis cruciatibus ipſaque morte afficeretur, fatetur Socinus lib. 3. cap 9. & cap. 10. ut hinc nullum ſubſidium ipſius cauſæ poſſit accedere. Idemque res ipſa maniſeſtiſſime demonſtrat. Nam graviſſima paſſum eſſe Chriſtum, mortuum quoque, Sacra hiſtoria oſtendit. Hoc ipſum à Deo factum, non minus clare Scriptura loquitur. Nihil à Deo injuſte fieri, ſine contumelia divini numinis negari non poteſt.

Ad alteram ergo partem tranſgrediens affirmo, contra Socin. lib. 5. cap. 3. non eſſe ſimpliciter injuſtum aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob peccata aliena. Injuſtum cum dico, manifeſtum eſt me loqui de injuſtitia, quæ ex rebus oriatur, non quæ ex jure poſitivo, ut quo nequeat imminui divina libertas. Dictum probo: Exod. 20. 5. & 34. 7. *Deus viſitat parentum iniquitates in filios, nepotes & abnepotes. Patres noſtri peccaverunt, & nos pœnas eorum ferimus.* Thren. 5. 7. Ob factum Chami exſecrationi ſubjicitur Canaan Geneſ. 9. 25. Ob factum Saulis ſuſpenſi ſunt filii ejus & nepotes, Deo approbante, 2 Sam. 21. 8. 14. Ob factum Davidis pereunt LXX millia, & exclamat David, *Ego peccavi & inique feci: hæ oves quid fecerunt?* 2 Sam. 24. 15. & 17. Sic ob factum Achanis filii puniuntur, Joſ. 7. 24. & ob factum Jeroboami poſteritas ipſius, 1 Reg. 14. 10. Hi loci manifeſte oſtendunt, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata. Videat, ſi cui otium eſt, Chryſoſtomum Homil. 29 in Gen. cap. 4. Tertullianum adverſus Marcionem.

Objicit Socinus illud apud Ezechielem: *Anima quæ peccavit ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater portabit iniquitatem filii:* Sed his verbis Deus non quid neceſſario ſibi faciendum ſit docet, ſed quid facere libere decreverit. Non magis ergo hinc ſequitur iniquum omnino

eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſſe, ut filius ullam paterni delicti pœnam ferat, quam iniquum eſſe, ut non moriatur peccator. Locus ipſe evincit, non agere hic Deum de jure perpetuo & immutabili, ſed de ordinario providentiæ ſuæ curſu, quo ſe poſthac adverſus Judæos uſurum profitetur ut omnes calumniæ anſas abrumpat.

Neque magis ad rem facit, quod ſcriptum eſt Deut. 24. 16. *Ne morte afficiuntor Patres pro filiis: neque filii pro patribus: ſed quiſque ob peccatum ſuum morte afficitor.* Cujus etiam fit mentio 2 Reg. 14. 6. Lex enim hæc eſt ex parte poſitiva, lata hominibus à Deo, qua Deus non adſtringitur, ut qui eam ſibi nuſquam tulerit, neque vero ulla lege poſſit adſtringi. Manifeſta quoque eſt rationis diverſitas. Quia poteſtas hominum arctior eſt quam Dei. Quod infra clarius explicabitur, ut jam taceam in hominibus metui abuſum poteſtatis, in Deo non metui.

Excipit Socinus, nuſquam in Scriptura reperiri innocentes ob nocentum peccato punitos. Sed hæc exceptio ad rem non facit. Nam cum legamus punitos aliquos non ob ſua tantum peccata (quorum ratione nocentes erat) ſed inſuper ob aliena, ſequitur punitos etiam qua non erant nocentes. Si autem ex parte aliquis poteſt puniri qua non eſt nocens, quo minus & in totum poſſit, natura non obſtat. Partium enim & totius jus eſt idem. Adde jam quod poſteri Saulis omnino erant innocentes quo ad peccatum illud ob quod puniebantur. Si autem poteſt quis puniri qua innocens eſt, poterit & innocens. Ac ſi quis recte advertat, innocentia non magis obſtat punitioni quam afflictioni: imo illi neutiquam, niſi propter hanc. Quare diſtinctio nocentis & innocentis ad quæſtionem illam pertinet, An affligi quiſpiam jure poſſit: non autem ad hanc, An afflictio ejus vim poſſit habere pœnæ. Conceſſo enim non eſſe de eſſentia pœnæ relationem ad peccatum proprium, conceſſo etiam innocentem poſſe affligi (ut à Deo ad tempus poſſe fieri fatetur Socinus) nihil plane afferri poteſt, cur ex ipſa rerum natura (nam de lege poſitiva hic non agimus) injuſtum ſit, innocentem ob noxam alterius tali afflictione puniri, præſertim ſi ipſe ad pœnam talem ſponte ſe obligaverit, ejuſque ſuſcipiendæ in ſe poteſtatem habuerit. Quod infra tractabitur.

Urget Socinus, ſaltem inter nocentem & eum qui puniatur, conjunctionem aliquam debere eſſe, quam agnoſcit inter patrem & filium, inter Chriſtum autem & nos non agnoſcit. Dici hic poſſet, non eſſe hominem homini alienum, naturalem eſſe inter homines cognationem & conſanguinitatem; carnem noſtram à Chriſto ſuſceptam: ſed longe major alia inter Chriſtum & nos conjunctio à Deo deſtinabatur. Ipſe enim deſignatus erat à Deo ut caput eſſet corporis cujus nos ſumus membra. Atque hic obſervandum eſt, perperam à Socino eam conjunctionem, quæ ad pœnas alteri ob alterius peccata irroganda ſufficiat, ad carnem ſolam reſtringi: cum myſtica conjunctio vim non minorem hic habeat. Quod in exemplo Regis & populi maxime apparet. Supra citata eſt hiſtoria populi Iſraëlitici ob culpam Davidis puniti. Qua de re ſapienter differens author vetus quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos, quæ Juſtini nomine circumferuntur, ſic ait, ὡς σύγκειται ὁ ἄνθρωπος ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, οὕτως καὶ ἡ βασιλεία σύγκειται ἐκ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν βασιλευομένων. καὶ ὥσπερ ἁμαρτήσας ὁ ἄνθρωπος ἁμάρτημα διὰ χειρὸς, κἂν τυπτηθῇ εἰς τὸν νῶτον οὐκ ἀδικεῖ ὁ τυπτήσας αὐτὸν, οὕτως οὐκ ἀδικεῖ Θεὸς ἐπὶ τοῖς τῶν βασιλέων πταίσμασι τὸν λαὸν τιμωρούμενος.

Tandem huc Socinus devenit, ut dicat hoc ſaltem non inveniri in Scripturis, punitum innocentem ob eas culpas, quarum ipſe nocens impunitatem tulerit. Sed hoc quoque ad rem non facit. Nam cum per ſe & univerſaliter injuſtum non ſit nocenti impunitatem dare (quod fatetur Socinus) neque ſit injuſtum punire aliquem ob peccata aliena, ne in his quidem conjunctis injuſtitia eſſe poterit. Imo id ipſum injuſtum non eſſe, manifeſtum facit Scriptura Achabi exemplo, qui ipſe ſuorum peccatorum accepit impunitatem, quorum pœna de filio ac poſteritate ejus exacta eſt. 1 Reg. 21. 29. 2 Regum 8 & 9. & 10. Sed hoc accuratius examinabitur, ubi ad illam veniemus quæſtionem, Ecqua cauſa Deum moverit, ut Chriſtum ob peccata noſtra pœnis afficeret.

Neutiquam ergo ſtant à Socino Sacræ Literæ, quæ id à Deo factum oſtendunt, quod ipſe injuſtitiæ immerito accuſat. Sed neque majus illi à recta ratione præſidium, quam mirum eſt toties ab illo jactari, monſtrari nuſquam. Sed ut omnis hic error dematur, notandum eſt, eſſe quidem eſſentiale pœnæ, ut infligatur ob peccatum, ſed non item eſſentiale ei eſſe ut infligatur ipſi qui peccavit: idque ſimilitudine præmii, gratiæ, & ultionis manifeſtum eſt. Nam præmium ſæpe in bene meriti liberos aut cognatos, & gratia in propinquos ejus qui beneficium contulit, & ultio in ejus qui offendit amicos conferri ſolet: neque eo deſinunt eſſe quod ſunt, præmium, gratia, ultio. Huic illud accedit, quod ſi contra naturam eſſet pœnæ, infligi ei qui non peccavit, jam hoc ipſum non injuſtum eſſet dicendum, ſed impoſſibile. Atqui vetat Deus ob patris delictum puniri ab hominibus filium, non vetantur autem impoſſibilia. Præterea injuſtitia proprie non accidit relationi, (qualis eſt punitio) ſed ipſi actioni, qualis eſt materia punitionis. Et hic verum diſcrimen quæri neceſſe eſt, cur non æque ſit omnibus liberum punire aliquem ob alienum peccatum atque eſt præmio afficere, aut gratia ob alterius meritum aut beneficium. Actus enim cui ineſt præmium aut gratia, eſt actus beneficus, qui ſui natura omnibus permittitur. At actus cui pœna ineſt, eſt actus nocivus: qui nec omnibus, nec in omnes conceſſus eſt. Quare ut pœna juſta ſit, requiritur ut actus ipſe pœnalis ſit in poteſtate punientis: quod tripliciter contingit, aut antecedenti jure ipſius punientis, aut juſto ac valido conſenſu ejus de cujus pœna agitur, aut ejuſdem delicto. Cum per hos modos actus factus eſt licitus, quominus deinde ordinetur ad pœnam peccati alieni, nihil intercedit, modo inter eum qui peccavit & puniendum aliqua ſit conjunctio. Conjunctio autem hæc eſt aut naturalis, ut inter patrem & filium, aut myſtica, ut inter regem & populum, aut voluntaria, ut inter reum & fidejuſſorem.

Provocat Socinus ad omnium Gentium judicia. Sed primum ad Deum quod attinet, non dubitarunt Philoſophi puniri ab ipſo in liberis parentum peccata: quod Plutarchus facunde explicans libro περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων ſic ait, ἔστι δήπου καὶ γένος ἐξηρτημένον ἀρχῆς μιᾶς καὶ δύναμίν τινα καὶ κοινωνίαν διαπεφυκυῖαν ἀναφερούσης· καὶ τὸ γεννηθὲν οὐχ ὥς τι δημιούργημα πεποιημένον ἀπήλλακται τοῦ γεννήσαντος. ἐξ αὐτοῦ γὰρ, οὐχ ὑπ' αὐτοῦ γέγονεν, ὥστ' ἔχει τι καὶ φέρεται τῶν ἐκείνου μέρος ἐν ἑαυτῷ καὶ κολαζόμενον προσηκόντως καὶ τιμωρούμενον. Et mox: οὐδὲν δεινὸν οὐδ' ἄτοπον ἂν ἐκείνων ὄντες ἔχωσι τὰ ἐκείνων. Addit deinde non diſſimile quid ab eo, quod ex ſcriptore Chriſtiano modo citavimus: γελοῖος ὁ φάσκων ἄδικον εἶναι τῶν ἰσχίων πονούντων καίειν τὸν ἀντίχειρα. Valerius autem Maximus de Dionyſio Siculo agens: *Tametſi debita tot ſacrilegiis ſupplicia non exſolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit quas vivus effugerat.* Similes ſunt loci ſexcenti apud hiſtoricos & poëtas. Sic & populum à Deo puniri ob peccatum regis non minus recepta fuit ſententia ab Heſiodi uſque temporibus, qui dixerat Δίκην Jovis eſſe filiam, quæ Jovem interpellaret ὄφρ' ἀποτίσῃ

Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων.

Puniri alios ob aliorum delicta non audet negare Socinus. Eſt enim in pœnis pecuniariis res manifeſta. Satiſdatorem pro reo pœna pecuniaria plecti ait Ulpianus l. ſiquis reum D. de cuſt. & exhib. reorum. In pœnam furti recte accipi fidejuſſorem ait Cajus, quia pœnam ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadeat. l. Si à reo D. de fidejuſſ. Atque hoc ipſum ſufficit, ut appareat non eſſe de natura pœnæ, ut is & ſolvat, & neceſſario plectatur qui deliquit. Cur autem in corporalibus pœnis idem jus non ſit, hanc adfert rationem Socinus lib. 3. cap. 3. quia pecunia alterius effici poſſit: atque ideo pro alio ſoluta brevis manus fictione videatur donata delinquenti, ac deinde ab ipſo numerata. Corporalis autem vexatio alterius effici nequeat. Sed hoc ſubtiliter magis quam vere dicitur. Nam iſta ratio nonnihil facit ad pariendam ipſi reo liberationem. Verum ut alteri infligatur pœna quam alter ſit commeritus iſta ratio non efficit. Nam ea ſi valeret ſæpe ne præmium quidem benemeriti ſolvi poſſet conjunctæ perſonæ: quia ſcilicet res in qua præmium conſiſteret, non poſſet fieri ejus qui bene eſſet meritus: ſive quia is eſſet mortuus, ſive quia res ipſa eſſet incorporalis. Athenienſes bene meritorum filios publice educabant. Romani veteranorum filiis privilegia indulſerunt decurionum: Perfectiſſimorum (quos vocabant) & nepotes & pronepotes quæſtionibus noluerunt ſubjici. Memoriam parentum liberis ad impunitatem profuiſſe, in Græcis Romaniſque hiſtoriis legimus. At educatio, privilegium, impunitas liberorum, non poteſt effici educatio, privilegium aut impunitas parentum mortuorum. Imo ſi verum eſſet quod dicit Socinus, jam à fidejuſſore nolente reum forte abſentem ab obligatione pœnæ pecuniariæ liberari, pœna non poſſet exigi. Hæc ergo quod ad hanc quæſtionem attinet, non eſt vera differentia inter pecuniarias pœnas & corporales. Veriorem mox indicabimus. Illud vero maxime miror,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quod Socinus dicat, omnium Gentium ac ſæculorum legibus & conſuetudinibus probatum, non poſſe corporalem pœnam, quam unus debeat, ab altero perſolvi. Nam apud Perſas ſane antiquitus ob unius noxam peribat propinquitas, teſte Marcellino. Apud Macedonas devota erant capita eorum, qui ſanguine perduelles contingerent, Curtio narrante. In Græciæ civitatibus mos fuit cum tyrannis tyrannorum liberos occidi, ut Halicarnaſſæus & Cicero notant. Non ſunt quidem hæc probanda, ſed evincunt tamen illud de omnium Gentium conſenſu non eſſe uſquequaque verum. Et in his quidem exemplis ad pœnam ſufficere videbatur citra conſenſum ullum ſola perſonarum conjunctio. Quod merito à Romanis repudiatum notat Halicarnaſſæus. Cæterum ubi conſenſus aliquis antecederet, ferme auſim dicere omnium eorum, quos Paganos dicimus, neminem fuiſſe, qui alium ob alterius delictum puniri injuſtum duceret. Oſtendit hoc jus occidendorum obſidum humaniſſimis etiam populis uſitatum. Theſſali olim ducentos quinquaginta obſides interfecerunt, ut narrat Plutarchus. Romani Volſcos trecentos ſecuri percuſſere: Tarentinos dejecerunt de ſaxo Tarpejo, ut eſt apud Livium. Gothorum, Dacorum, Anglorum ſimilia exſtant exempla. Et ut recte notarunt viri doctiſſimi, ita jus eſſe creditum eſt. Sic & in capitalibus judiciis vades capite plecti ſolitos, ſi rei ſe non ſiſterent, unde Græcis ἀντίψυχοι appellantur, tum aliunde, tum ex nobili illa Damonis & Pythiæ hiſtoria ſatis apparet. Neque ſane mirum eſt ita ab illis judicatum. Nam quia credebant unicuique homini non minorem eſſe poteſtatem in vitam ſuam quam in res alias, ut docet frequens atque adeo decantata apud Græcos, Romanos, aliaſque gentes αὐτοχειρία, plane conſequens erat, ut crederent vitam quoque non minus quam cætera valide poſſe obligari. Priore enim poſito poſterius concedi erat neceſſe. Ac ſane ſi quis omne hoc negotium qua oportet diligentia excuſſerit, inveniet verum diſcrimen, cur ex conſenſu minus aliquis ad pœnam corporalem quam ad pecuniariam teneatur, hoc eſſe, quod conſentiens parem in corpus ac pecuniam poteſtatem non habeat. Neque tamen recentioribus Juriſconſultis aſſentior, ex Ulpiani quodam reſponſo hoc probantibus qui dixerit, dominum membrorum ſuorum neminem videri, L. liber homo. D. ad legem Aquil. Domini enim vocem ſtricte ſumit ex uſu juris civilis, quatenus ſervo opponitur. Nam quia Lex Aquilia deſtricte de ſervo loquitur, directam actionem quæ verbis legis reſpondeat negat libero homini vulnerato poſſe accommodari: ita tamen ut ex paritate rationis dandam putet utilem. Et ut vere dicam quod ſentio, quanquam Romanorum æquitatem, in moderanda hac pœnarum extenſione, maxime mirer, induci tamen non poſſum ut credam, ab illis exiſtimatam eſſe rem plane & per ſe injuſtam, unum ob alterius noxam corporaliter plecti. Neque eo moveor, quod fidejuſſiones ſub pœna capitali ab ipſis interdictæ fuerunt. Vetari enim ſolent multa, non quod omnino injuſta putentur, ſed quod periculoſa, ut fidejuſſiones mulierum omnes, aliorum etiam pro dote. Hoc ergo juris fuit civilis: quod cum ceſſet inter populos exteros, ideo in obſidibus aliter ab ipſis Romanis obſervatum eſt. Quid quod tanto poſt Chriſtiani Imperatores ſtatuerunt, ut commentarienſis, reo per familiæ ſuæ culpam carcere elapſo, pœnam ipſius ferret? L. ad commentarienſem. C. de cuſtod. reor. Quid quod hodie quoque, aut non ita pridem, nobiles juris magiſtri tradiderunt regulam hanc, Ne quis obligare ſe poſſet ad pœnam capitalem, ceſſare ſi Lex aut conſuetudo eum morem firmaverit?

Ad eas vero pœnas quod attinet, quæ non conſenſum aliquem, ſed ſolam perſonarum conjunctionem reſpiciunt, quanquam vetant leges Romanæ filium paternæ pœnæ ſucceſſorem conſtitui, aut ulla ob patris crimen macula notari, hoc ipſum tamen, non ab initio, ſed ab eo tempore, quo Sp. Caſſius tyrannidis damnatus eſt, obtinuiſſe notat Halicarnaſſæus. Quare nec ipſi quidem Romani hoc jus putarunt ex perpetua quadam & immutabili juſtitiæ regula deſcendere: quippe cum Arcadius & Honorius imperatores eorum qui Majeſtatem læſiſſent filiis vitam videri voluerint non ex juris neceſſitate ſed Imperatoria lenitate concedere, cum alioqui, ut ipſi loquuntur, paterno debuiſſent perire ſupplicio. L. quiſque C. ad L. Jul. Majeſt. Omitto jam quod mortem perduellium liberis irrogatam non à Tiberio tantum & Severo, ſed & à Theodoſio, ex hiſtoriis probari poteſt. Notandum præterea in eadem Arcadii & Honorii lege filiis perduellium auferri jus omne ab inteſtato, aut ex Teſtamento cuiquam ſuccedendi, infamiam ipſis inuri, vetari ne ad honores aut Sacramenta perveniant: deinde addi; *ſint poſtremo tales, ut his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium.* Excluſio ab honoribus circa liberos eorum, qui in Rempublicam peccaſſent, jampridem Romanis à Syllanis temporibus erat uſitata. Ut autem ſcelera parentum filii ſua egeſtate luant, Cicero ait & antiquum eſſe, & OMNIUM civitatum. Ac nominatim addit Themiſtoclis liberos eguiſſe. Quæ eo duntaxat adferuntur, ut appareat, non eum fuiſſe conſenſum gentium, quem pro ſe adducit Socinus: neque vero Romanos, quorum inter omnes populos conſpicua maxime æquitas fuit, id diſcrimen reſpexiſſe in pœnis quod pecunia poſſit fieri alterius, corporalis pœna non poſſit. Nam nec egeſtas filiorum, nec infamia, nec ab honoribus excluſio potuit fieri parentum egeſtas, infamia aut excluſio ab honoribus, niſi forte per fictionem quandam, quæ patrem, & liberos pro uno eodemque homine habet.

Illud quoque mirari libet, quod de Zaleuci facto, cujus hiſtoria eſt apud Diodorum Siculum & Ælianum, ita pronunciat Socinus, ut dicat eum peſſime audire, ejuſque nomen inter impotentes & temerarios principes ac populorum judices cenſeri. Antiquitas ſane omnis Zaleucum, tum ob leges ſapientiſſimas, tum & iſtius facti nomine maxime laudavit, ut & ex his quos dixi ſcriptoribus, & Plutarcho aliiſque apparet. Neque puto ullum ſcriptorem veterem de eo facto aliter judicaſſe. In oculis eſt omnium Valerii Maximi ſententia: *Nihil illis etiam juſtitiæ exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrenſium à ſe ſaluberrimis atque utiliſſimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, ſecundum jus ab ipſo conſtitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnæ neceſſitatem adoleſcentulo remitteret, aliquamdiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, ſuo prius, deinde filii oculo eruto, uſum videndi utrique reliquit. Ita debitum ſupplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, ſe inter miſericordem patrem & juſtum legiſlatorem partitus.* Ac profecto ſi quemadmodum exulandi, ita oculum ſibi eruendi libera eſſet homini poteſtas, nihil poſſet iſto Zaleuci facto præclarius reperiri. Præſertim cum legis præciſa obligatio aut propter ipſius principatum, aut propter populi conſenſum ceſſaverit. Erravit ergo Zaleucus, ut Pagani ferme omnes, quod jus ſibi in corpus ſuum majus vero aſſeruit. Cæterum factum iſtud tantopere celebratum teſtimonium præbet contra notitiam illam, quam hominum mentibus impreſſam Socinus putat, non poſſe quenquam alieni delicti in ſe pœnam ſuſcipere.

Ut quæſtionem hanc concludamus, non hoc quæritur, an cuilibet judici liceat cuivis pœnas quaſcunque alieni criminis infligere. Nam judicibus inferioribus Lex ſuperiorum hanc poteſtatem adimit. Neque hoc quæritur, an ſummæ inter homines poteſtati in quavis pœna, & in quemvis hoc ipſum liceat. Obſtat enim interdum aut Lex divina, aut naturalis ratio: ſed hoc proprie quæritur, an actus qui ſit in poteſtate ſuperioris, etiam citra conſiderationem delicti alieni, poſſit ab ipſo ſuperiore ordinari in pœnam alieni delicti. Hoc injuſtum eſſe negat Scriptura, quæ Deum hoc ſæpius feciſſe oſtendit, negat natura, quia vetare non probatur, negat apertè conſenſus Gentium. Et ut res nudior ponatur ob oculos, quis injuſtam putet decimationem uſitatam in Romanis legionibus, ubi is qui deliquit & cui poſſet ignoſci non minus quam alteri, punitur non pro ſuo tantum, ſed pro omnium delicto? quis injuſtum putet, ſi ſumma poteſtate legem relaxante vir aliquis reipublicæ utilis, ſed ob culpam exſilium meritus, retineatur in Republica, alio tamen ſponte ſua ſe ad exſilium obligante, ut exemplo ſatisfiat? quis injuſtum putet, ſi Reipublicæ ſummus rector honores, quibus ſuſtinendis alii æque pares reperiuntur, perduellium liberis, alioqui non indignis, neget? Nihil profecto hic iniqui eſt. Nam in prima facti ſpecie delictum puniti proprium, in ſecunda conſenſus validus ejus cujus res agitur, in tertia rectoris libertas permittebant id fieri, quo rector in pœnam utitur. In facto noſtro habuit Deus poteſtatem affligendi Chriſtum innocentem ad mortem uſque temporariam, fatente Socino, jure ſcilicet dominico. Habuit & Chriſtus conceſſione divina, imo ut Deus ipſe, poteſtatem, quam nos non habemus, in vitam & corpus ſuum. *Ego*, inquit Chriſtus, ἐξουσίαν, hoc eſt jus & poteſtatem, *habeo ponendi animam meam*, Johan. 10. 18. Nihil ergo iniquitatis in eo eſt quod Deus, cujus eſt ſumma poteſtas ad omnia per ſe non injuſta nulli ipſe legi obnoxius, cruciatibus & morte Chriſti uti voluit ad ſtatuendum exemplum grave adverſus culpas immenſas noſtrum omnium, quibus Chriſtus erat

conjun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conjunctiſſimus, natura, regno, vadimonio. Quod quam non modo juſte ſed & ſapienter à Deo ſapientiſſimo ac juſtiſſimo fuerit inſtitutum, ſequenti capite magis apparebit, ubi divini hujus conſilii cauſam indagabimus.

CAPUT V.

An ſufficiens cauſa fuerit quæ Deum moveret ad Chriſtum pro nobis puniendum, & oſtenditur fuiſſe.

SOcinus lib. 3. cap. 1. noluiſſe Deum, ut Chriſtus pœnas pro nobis penderet, ſæpe hoc argumento probare nititur, quod cur Deus ita vellet nulla cauſa appareat. Non utemur hic Juriſconſultorum perfugio, qui negant omnium, quæ à majoribus ſunt conſtituta, rationem reddi poſſe: quanquam nobis hoc multo juſtius quam ipſis patere debebat, cum humanæ voluntatis cauſas hominibus indagare ob communitatem naturæ non ſit adeo difficile: divinæ autem voluntatis cauſæ ipſa ſui ſublimitate ſæpe nos lateant. Quis mentem Domini novit, à conſiliis ipſi quis fuit? Rom. 11. 34. Itaque ſæpe ſunt ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, Rom. 11. 33. Addi poterat, ſæpe voluntatem Dei ipſam ſibi pro cauſa ſufficere. Nam his exemptis quæ certam & ad unum determinatam rectitudinem in ſe continent, quæ Deus vult quia juſta ſunt, hoc eſt quia naturæ ſuæ congruunt; in cæteris omnibus quæ vult, juſta efficit volendo. Sic, *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, Rom. 9. 18. Sed ad iſta nos confugere nihil neceſſe eſt, cum cauſas nobis ſui conſilii Deus ipſe ſatis aperte patefecerit. Illud duntaxat præfari nos convenit, non recte Socinum poſtulare, ut talis cauſa reddatur, quæ evincat Deum aliter agere non potuiſſe. Talis enim cauſa in his, quæ libere Deus facit, non requiritur. Liberam autem eſſe hanc actionem qui dixerit, habiturus eſt adſtipulatorem Auguſtinum: qui non alium modum poſſibilem nos liberandi Deo defuiſſe, ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientiorem modum alium non fuiſſe, nec eſſe potuiſſe profitetur. Sed & ante Auguſtinum Athanaſius dixerat, ἠδύνατο καὶ μηδ' ὅλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ μόνον εἰπεῖν ὁ Θεὸς καὶ λῦσαι τὴν κατάραν. ἀλλὰ σκοπεῖν δεῖ τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ λογίζεσθαι. Eo autem iniquior eſt iſta Socini poſtulatio, quod ne ipſe quidem cruciatuum & mortis Chriſti cauſas reddit, quæ aliquam ſecum neceſſitatem trahant. Nam ad ſanctitatis viam nobis monſtrandam poterant ſufficere oracula & miracula: poterat & Chriſtus ſine morte, & mors ſine Chriſto. Nam Prophetarum quoque & Apoſtolorum afflictiones & mortes: Chriſti quoque vita hunc uſum abunde nobis præſtare poterant. Potuit & Chriſtus poſt vitam, hic innocenter actam, ut Enoch aut Elias, in cœlum ſine morte transferri, & inde majeſtatem ſuam terris oſtendere. Hæ enim ſunt cauſæ, quibus Chriſti mortem Socinus aſſcribit, ut cuivis apparet, cum iſto effecto nulla neceſſitate connexæ. Quod ſi ipſi ſufficit cauſas allegare non cogentes, ut ita dicam, ſed invitantes & ſuadentes, ut aliis ſecum diſputantibus duriorem legem ferat, æquitas non patitur.

Sufficientem autem cauſam & quidem graviſſimam ex Scripturis aſſignare nobis non erit difficile, ſive id quæramus, cur Deus nobis remittere voluerit pœnas æternas, ſive cur aliter quam Chriſto punito remittere eaſdem noluerit. Prius illud cauſam habet in bonitate, quæ proprietatum Dei maxime Deo propria eſt. Ubique enim Deus ſemetipſum hoc maxime attributo deſcribit, quod benignus ſit & clemens. Exod. 34. 7. Johan. 4. 2. 2 Chron. 30. 9. Pſal. 86. 4. & 14. Pſal. 103. 8. CXI. 4, 5. CXLV. 8. Eſai. 55. 7. Jerem. 31. 20. Joël. 2. 13. Luc. 6. 36. Rom. 11. 4. Propenſus ergo eſt Deus ad juvandum beandumque hominem, at hoc non poteſt facere manente illa horribili æternaque pœna. Accedit quod ſi mors æterna cunctis incumberet, felicitatis deſperatione religio tota perierat. Magnæ ergo parcendi cauſæ. Altera ex parte cauſam Deo, cur Chriſto pœnam imponeret, illa Scripturæ teſtimonia jam ante nobis adducta evincunt, quæ Chriſtum ob peccata noſtra traditum, paſſum, mortuum loquuntur. Hæc enim loquendi genera, ut ibi oſtendimus, cauſam impulſivam notant. Ex his vero, quæ de fine diximus, intelligi poteſt, non modo cauſam fuiſſe aliquam, ſed & quæ illa fuerit: nimirum quod tot & tanta peccata ſine inſigni exemplo tranſmittere Deus noluerit. Hoc autem ideo quia omne peccatum vehementer Deo diſplicet, eoque vehementius quo ipſum eſt gravius. Proverb. 11. 20. Pſalm. 5. 5. Eſai. 66. 4. Rom. 1. 18. Zachar. 8. 17. Pſalm. 45. 8. Hebr. 11. 2. Cum vero Deus ſit activus, & ratione utentes creaturas in id condiderit, ut ſuas proprietates magis teſtatas faceret, conveniens eſt illi, etiam quantopere ſibi peccata diſpliceant, actu aliquo teſtari: actus autem ei rei convenientiſſimus eſt pœna. Hinc eſt illud in Deo, quod quia aliud vocabulum ſignificantius non ſuppetit, iram vocant Sacræ Literæ. Exod. 32. 10, 11. Numer. 11. 1. 16. 22. XXV. 3. & ſeqq. Pſalm. 11, 5. VI. 1. Johan. 3. 36. Rom. 1. 18. XI. 8. Epheſ. 5. 6. Coloſſ. 3. 6. Apoc. 5. 16. Hac ira Deus ſe impediri teſtatur, quo minus bene hominibus faciat. Gen. 6. 7. Jerem. 5. 25. Eſai. 59. 2. Deuter. 32. 29. 30. Præterea omnis peccati impunitas per ſe hoc habet, quod efficit ut peccata minoris æſtimentur, dum contra ratio expeditiſſima arcendi à peccato eſt formido pœnæ. Hinc illud, *Veterem ferendo injuriam invitas novam.* Ergo prudentia quoque hoc nomine rectorem ad pœnam incitat. Augetur præterea cauſa puniendi, ubi Lex aliqua publicata eſt, quæ pœnam minatur. Nam tunc omiſſio pœnæ ferme aliquid detrahit de Legis authoritate apud ſubditos. Hinc illud Politicorum præceptum τοὺς κειμένους νόμους ἰσχυρῶς διαφυλάττειν. Graviſſimæ ergo Deo cauſæ puniendi, præſertim ſi & magnitudinem & multitudinem peccatorum expendere libeat. Quia vero inter omnes Dei proprietates anteſtat amor humani generis, ideo Deus cum juſte poſſet & moveretur ad punienda peccata omnium hominum digna & legitima pœna; hoc eſt morte æterna, his qui in Chriſtum credunt parcere voluit: parcendum autem cum eſſet, aut aliquod exemplum aut nullum adverſus tot & tanta peccata ſtatuendo, ſapientiſſime eam viam elegit, qua plures ſimul ipſius proprietates manifeſtarentur, nimirum & clementia & ſeveritas, ſive peccati odium, legiſque ſervandæ cura. Sic Zaleuci factum laudans Ælianus cauſas ejus refert duas, ἵνα μὴ ὁ νεανίσκος τυφλωθῇ τελέως, &, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τὸ ἅπαξ κεκυρωμένον: quarum cauſarum illa eo ſpectat, ut aliquid de lege mutetur per clementiam; hæc vero ne nimium mutetur. Notant qui de legum relaxatione ſcripſerunt, eas eſſe optimas relaxationes, quibus annexa eſt commutatio, ſive compenſatio: quia ſcilicet eo modo & legis auctoritati minimum perit, & rationi ejus quæ cauſa eſt legis aliquatenus mos geritur: ut ſi qui rem teneatur tradere pretium perſolvendo liberetur. Proxima enim ſunt idem & tantundem. Talis commutatio non modo inter res, ſed interdum quoque inter perſonas admittitur, modo id fieri poſſit ſine alterius injuria. Sic in carcerem filii patribus ſuccedere permiſſi, ut Miltiadi Cimon. Et ne extra pœnalia judicia, & quidem divina abeamus, exſtant ſimilis facti expreſſa in Sacris Literis veſtigia. Davidi homicidæ & adultero pronunciatur Dei mandato à Nathane: *Tralatum eſt à te peccatum* (hoc eſt peccati pœna) *non es enim tu moriturus* (quod alioqui Lex poſtulabat) *ſed quia Dei inimicis occaſionem omnino dediſti Deo contentim obtrectandi, filius iſte qui tibi natus eſt* (tibi ſcilicet conjunctiſſimus, tuæque pœnæ vicarius) *omnino moriturus eſt.* 2 Sam. 12. 13, 14. Achabus & homicidio ſe & rapina inquinaverat: denuntiat ei per Eliam Deus futurum, ut canes lingant ejus ſanguinem. Verumtamen mox conſpecto ipſius pavore, & quadam divini numinis reverentia, dixit idem Deus: *Non inducam malum illud* (quod ſcilicet & ipſe meruerat, & ego eram comminatus) *diebus ejus. Diebus filii ejus* (qui ſcilicet præter ſuas, paternas quoque pœnas feret) *inducam malum illud ſuper domum ejus.* Utrobique Deus relaxat legem ſeu pœnæ comminationem, ſed non ſine compenſatione aliqua, ipſam pœnam in alterum transferendo: atque ita ſimul & clementiam ſuam & ſeveritatem ſive peccati odium teſtatum facit. Sic ergo Deus credituris in Chriſtum volens parcere, cauſas habuit ſufficientes juſtas magnaſque, cur à Chriſto volente, pœnas peccatorum noſtrorum exegerit, nempe, ut verbis Æliani utar, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τὸ ἅπαξ κεκυρωμένον, & ne minoris penderentur peccata, ſi tot & tanta ſine exemplo tranſmitterentur. Adde quod hoc ipſo Deus non tantum ſuum adverſus peccata odium teſtatum fecit, ac proinde nos hoc facto à peccatis deterruit, (facilis enim eſt collectio, ſi Deus ne reſipiſcentibus quidem peccata remittere voluit, niſi Chriſto in pœnas ſuccedente, multo minus inultos ſinet contumaces) verum inſigni modo inſuper patefecit ſummum erga nos amorem ac benevolentiam: quod ille ſcilicet nobis pepercit, cui non erat ἀδιάφορον punire peccata, ſed qui tanti id faciebat, ut potius quam impunita omnino dimitteret, filium ſuum unigenitum ob illa peccata, pœnis

tradiderit. Plane ut περὶ συγγνώμης dictum eſt à veteribus, eſſe eam οὔτε κατὰ νόμον; οὐδὲ κατὰ νόμου, ἀλλὰ ὑπὲρ νόμον καὶ ὑπὲρ νόμου, id de hac divina gratia ſit veriſſimum. Supra legem eſt, quia nos non punimur. Pro lege, quia non omittitur pœna: & ideo fit remiſſio ut in poſterum legi divinæ vivamus.

His recte intellectis, concidunt omnia illa, quæ de cauſæ defectu objicit Socinus: ita ut per ſingula ire minime ſit neceſſe. In quibus tamen non pauci notari poſſunt errores, ut cum capite primo libri primi, item libri tertii capite primo tradit juſtitiam punientem non reſidere in Deo, ſed eſſe effectum voluntatis ipſius. Punire ſane effectus eſt voluntatis: ſed juſtitia illa ſive rectitudo ex qua naſcuntur tum alia, tum pœnarum retributio, proprietas eſt in Deo reſidens. Scriptura enim concludit Deum eſſe juſtum, quia pœnas reddat delictis, ex effecto cauſam colligens. Sed in hunc errorem inductus videtur Socinus, quod Dei proprietatum effectus quoſvis eſſe credidit neceſſarios omnino, cum multi ſint liberi, intercedente ſcilicet inter proprietatem & effectum actu libero voluntatis. Sic bonitatis Dei eſt effectus bona ſua communicare. At hoc ante creationem non fecit. Ejuſdem bonitatis eſt, parcere ſontibus: at parcere Deum iis quos pœnis æternis punit, vix quiſquam dixerit. Sunt ergo quædam Dei proprietates quarum exercitium, tum quoad actum, tum quoad tempus & modum actus, imo etiam quoad objecti determinationem, pendet à libera ipſius voluntate, cui tamen ſemper præſidet ſapientia. Neque ideo quia liber eſt Deo proprietatum iſtarum uſus, dici poteſt cum iis utitur ſine cauſa facere quod facit. Neque enim quia licuit Deo mundum non condere, ideo fruſtra mundum condidit: neque quia licuit Deo quoſdam non punire (quod in iis præſertim, quorum Deus pœnitentiam non exſpectat, verum eſſe fatetur Socinus) ideo cum eos punit, ſine cauſa punit. Multa quippe libere fiunt, attamen ex gravi cauſa.

Alter error eſt ſupra quoque indicatus, quod Deum peccata remittentem plane idem vult facere quod homines, qui de jure ſuo decedunt. Oſtenſum eſt à nobis pœnam non eſſe in dominio aut credito, aut illis per omnia poſſe comparari. Suum donare, creditum remittere, nunquam non per ſe honeſtum eſt. Per ſe cum dicimus, ea quæ adſunt κατὰ συμβεβηκὸς excludimus, qualis eſt ipſius donantis indigentia: quæ præterea in Deo locum non poteſt habere. At pœnam remittere interdum non fuerit honeſtum: ne Deo quidem, ut Socinus agnoſcit. Latum ergo hic diſcrimen eſt. Origo autem diſcriminis inde, quod juris dominici & crediti proximum fundamentum eſt relatio quædam rei ad perſonam; pœnæ autem, relatio rei ad rem, nimirum æqualitas delicti cum nocumento aliquo, conveniens ordini & bono communi. Quare ne illud quidem verum eſt, quod ut certiſſimum poſuit Socinus lib. 3. cap. 1. Rempublicam nihil commiſſuram injuſti, ſi nocentem abſolvat, niſi jus proprium privati alicujus ſimul lædat, aut Dei legem infringat. Nam aut reipublicæ voce multitudinem intelligit eam quæ regit, aut eam quæ regitur. Multitudo quæ regitur, ut jus legum ferendarum, ita & temperandarum non habet. Multitudo autem quæ regit, ut ſenatus in ſtatu optimatium, aut major pars comitiorum in ſtatu populari, non plus poteſt quam alii ſummi rectores, puta in regno reges liberi & reſpectu familiæ patres. At juſtitiæ rectoris pars eſt ſervare leges etiam poſitivas & à ſe latas, quod verum eſſe tam in univerſitate libera quam in rege ſummo probant Juriſconſulti: cui illud eſt conſequens, ut rectori relaxare legem talem non liceat, niſi cauſa aliqua accedat, ſi non neceſſaria, certe ſufficiens: quæ itidem recepta eſt à Juriſconſultis ſententia. Ratio utriuſque eſt, quod actus ferendi aut relaxandi legem non ſit actus abſoluti dominii, ſed actus imperii, qui tendere debeat ad boni ordinis conſervationem.

Illud quoque reprehenſione indiget quod dicit Socinus lib. 3. cap. 10. præter Dei & ipſius Chriſti voluntatem non poſſe ullam legitimam cauſam reddi mortis Chriſti, niſi dicamus Chriſtum meritum fuiſſe ut moreretur. Nam ineſt quidem in antecedente cauſa meritum, ut ſupra cap. 2. diximus, ſed imperſonaliter. Merebantur enim peccata noſtra ut pœna exigeretur. Quod vero pœna in Chriſtum collata fuerit, hoc ita ad Dei & Chriſti voluntatem referimus, ut ea quoque voluntas cauſas ſuas habeat, non in merito Chriſti (qui peccatum cum non noſſet à Deo peccatum factus eſt) ſed in ſumma Chriſti aptitudine ad ſtatuendum inſigne exemplum: quæ tum in maxima ipſius nobiſcum conjunctione, tum in incomparabili perſonæ dignitate conſiſtit. Socini autem illa collectio manifeſtis Scripturæ teſtimoniis refellitur. Cur mortuus ſit infans Davidis cauſa antecedens aperta redditur: quia David graviſſime peccando occaſionem impiis dederat contumelioſe inſultandi divino nomini. Eſt ergo hic meritum, ſed non infantis. Et in Achabi poſteritate punienda præter meritum proprium, reſpexit Deus ad merita peccatorum Achabi: unde apparet cauſam antecedentem pœnæ eſſe quidem meritum, ſed non ſemper meritum perſonæ quæ punitur.

CAPUT VI.

An Deus voluerit Chriſtum punire: & oſtenditur voluiſſe: ſimulque ſatisfactionis natura explicatur.

ABſolutis duabus quæſtionibus, An juſte potuerit Deus Chriſtum volentem ob peccata noſtra punire, &, An cauſa aliqua ſufficiens fuerit cur id Deus faceret, reſtat tertia, An revera etiam hoc fecerit, aut quod eodem recidit, facere voluerit Deus. Id enim negat Socinus, tum alibi paſſim, tum ex profeſſo lib. 3. cap. 2. Nos cum Scriptura defendimus, voluiſſe hoc & feciſſe Deum. Traditus enim, paſſus, mortuus dicitur Chriſtus ob peccata noſtra, Roman. 4. 25. 1 Cor. 15. 3. 1 Petr. 3. 18. Eſai. 53. 5. Impoſita eſt Chriſto caſtigatio pacis noſtræ. Deus conjecit in Chriſtum peccata noſtra, id eſt pœnas peccatorum, quæ ita exactæ ſunt, ut ipſe eo nomine affligeretur. Tulit Chriſtus peccata noſtra, hoc eſt iterum, pœnas peccatorum, Eſai. 53. 5. 6. 7. 1 Petri 2. 24. Chriſtus ſe peccatum fecit, & Deus Chriſtum fecit peccatum & maledictum, hoc eſt, pœnæ peccatorum obnoxium, Eſai. 53. 10. 2 Cor. 5. 21. Galat. 2. 13. Chriſti ſanguis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, ita ut ea remiſſio non obtigerit ſine ſanguinis effuſione, ſed per eam, Matth. 26. 28. Hebr. 10. 22. & alibi paſſim.

Opponit hic multa Socinus: exempla quædam & promiſſiones ante Chriſtum: dicta quædam de his, quæ per Chriſtum ſe dare dixit Deus: vocem remittere & condonare, & ipſam liberalitatis naturam, ex quibus conſequi arbitratur, velle Deum impunitatem nobis reſipiſcentibus concedere, nulla à quoquam pœna eo nomine exacta.

Ad exempla indulgentiæ quod attinet (præterquam quod ex iis nihil univerſale recte concluditur) notandum eſt ea aut pertinere ad pœnas temporarias, aut ad æternas. Si ad temporarias tantum, ut in Achabo, manifeſtum eſt diſcrimen. Nam, ut vulgo dici ſolet, quod differtur non aufertur. Adde jam quod in ipſo Achabi facto, ut & in facto Davidis, contrarium ejus apparet quod inferre vult Socinus, illa ipſa pro ſe allegans. Pœna enim temporaria ita ablata eſt à Davide & Achabo, ut in alios ſit tranſlata. Et in ipſa lege non remittuntur peccata, niſi fuſo victimarum ſanguine, ut infra explicabitur. Si vero de pœnæ æternæ remiſſione agitur, nullo argumento probat Socinus, eam eſſe factam cuiquam citra reſpectum Dei ad Chriſtum.

De promiſſionibus idem ſtatuendum quod de exemplis: obiterque notandum, cum Deus reſipiſcentibus promittit gratiam ſe facturum pœnarum temporalium, non id ſemper intelligendum de totis pœnis, ſed de tantis. Sæpe enim Deus etiam reſipiſcentes ſolet punire, ſed paterne & leniter. Sic à Babylonica captivitate populum pœnitentia ductum in patriam reſtituit Deus, ſed priſtinam libertatem & regni gloriam non reddidit. Ad pœnas vero æternas quod attinet, nulla eſt remiſſionis promiſſio, quæ Chriſti reſpectum excludat. Huc pertinent illa Sacræ Scripturæ effata, quæ ſine ullo temporis diſcrimine Chriſtum oſtendunt pro omnibus guſtaſſe mortem, dediſſe ſe λύτρον pro omnibus. Hebr. 2. 9. 1 Timoth. 2. 4. multoque magis illa, quæ per comparationem additam omnem temporis reſtrictionem repudiant, ut cum omnes dicuntur peccaſſe, & juſtificari per redemptionem in Chriſto Rom. 3. 23. & cum per unum Chriſtum ita dicitur in omnes (quotquot ſcilicet juſtificantur) veniſſe juſtitia, quemadmodum per unum Adamum in omnes venit condemnatio. Rom. 3. 12. 15. 17, 18. 1 Corinth. 15. 22. Hinc eſt quod Chriſtus dicitur agnus mactatus a jacto mundi fundamento, Apoc. 13. 8. quem locum à Socini interpretatione lib. 2. cap. 26. ſatis vindicant tum ipſa verborum ſeries, tum ſimilis Petri locus, ubi redemptio dicitur facta per ſanguinem

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſti agni inculpati & immaculati, præcogniti ante jacta mundi fundamenta, manifeſti autem facti ultimis temporibus, 1 Petr. 1. 19, 20. Quare alibi Chriſti mors dicitur interceſſiſſe ad redemptionem etiam earum tranſgreſſionum, quæ ſub priore pacto fuerant Hebr. 9. 15. & per ſanguinem ipſius juſtitia Dei demonſtrata dicitur ob diſſimulationem peccatorum præcedentium, quæ Deus toleraſſe interim & ſuſtentaſſe oſtenditur, ipſa juſtitiæ demonſtratione in Chriſti tempus dilata, Rom. 3. 25. Accedit illuſtris ille ad Hebræos locus 9. 25. & ſeqq. *Non ut ſæpius offerret ſeipſum ſicut princeps Sacerdos in ſacrarium intrat quotannis cum alieno ſanguino (alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à jacto mundi fundamento) ſed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum ad peccatum per immolationem ſui ipſius è medio tollendum factus eſt manifeſtus. Et ſicut ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, deinde judicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus, ut ſurſum ferret multorum peccata*, &c. Cujus loci tota ſeries ſi recte attendatur, & præſertim conferatur Petri ille locus 1 Petr. 1. 19. ubi de re eadem iiſdem prope vocibus agitur, apparebit hoc differre Chriſti ſacrificium à Levitico, quod hujus vis eſſet limitata annuo tempore, illius vero vis ſe per omnia ſæcula extendat: quippe cujus paſſio apud Deum ante omne ævum pro peracta ſit habita, etſi reipſa certo tempore peracta, & ſic decretum Dei nobis apertiſſime ſit revelatum. Ni vero ita eſſet, oportuiſſe Chriſtum ſæpius ſubire paſſiones, non poſtquam cœpit prædicare, ſed ab ipſa mundi origine. Quæ voces nullam plane habent ſignificationem, niſi vis mortis Chriſti ad omnia peccata ſe extendat, quæ ab ipſa mundi origine hominibus unquam remiſſa fuerunt: plane ſicut judicium poſt mortem ad omnia ea peccata ſe extendit, quæ vita durante homo commiſit. Contraria vero Socini interpretatio lib. 2. cap. 26. non modo voces reddit inanes, ſed argumentum quoque Scriptoris enervat. Non enim ſequitur, poſito Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe, debuiſſe eum pati non tantum ſæpius, ſed etiam ſæpius à jacto mundi fundamento, niſi ſimul ponas Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe à jacto mundi fundamento. Hæc enim inter ſe connexa ſunt. Quia non latius porrigitur effectus oblationis, quam immolationis dignitas. At offerri debuiſſe Chriſtum ſæpius à jacto mundi fundamento, poſita, quam ſcriptor Epiſtolæ ad Hebræos oppugnat, paritate ſacrificii Chriſti & Levitici, non aliunde ſequeretur, quam quia effectus oblationis Chriſti ad ea peccata porrigitur, quæ à jacto mundi fundamento unquam ſunt commiſſa & remiſſa. Nam ſi Levitico par eſſet (hoc eſt virtutis certo tempore limitatæ (certe à tempore, quo mortuus eſt Chriſtus, efficacia ejus ad antiquiſſima peccata non poſſet pertingere, ſed opus plane fuiſſet inter utrumque tempus multos ejus generis actus interponi.

Ad ea nunc teſtimonia ut veniamus, quæ ad Chriſti & Novi Fœderis tempus Socino videntur proprie pertinere, dicit quidem Hieremias Deum propitium fore peccatis: ſed non negat id, quod dicit Paulus, hanc propitiationem fieri in Chriſti ſanguine: ſive Chriſtum à Deo reſpici, imo, omnes Prophetæ (in quibus & Hieremias) teſtimonium præbent, remiſſionem peccatorum per nomen, hoc eſt vim atque virtutem Chriſti accipi Actor. 10. 43. Et liberatio per Chriſtum obtigiſſe nobis dicitur juxta fœdus illud quod cum Patribus Deus fecerat, & juxta ea quæ per Prophetas prænuntiaverat, Luc. 1. 68. 70, 71, 72, 73, 34. Baptiſta quoque divino mandato pœnitentia ductis remiſſionem pollicetur, eamque propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri: ſed idem Chriſtum eſſe dixit agnum qui tollat peccata mundi, per mactationem ſcilicet, quod exprimit Apocalypſis, aut per ſanguinem, ut Petrus loquitur. Quibus locis Agni itidem facta mentio clare monſtrat quo Baptiſta reſpexerit.

Vox remittendi, quam urget Socinus, in Græco eſt ἀφιέναι, quod vetus interpres κατὰ πόδας tranſtulit dimittere. Supra autem oſtendimus neque Græcæ, neque Latinæ vocis eam eſſe vim, quæ juris proprii ceſſionem omnimodam neceſſario includat, cum origo & primitiva vocis ſignificatio oppoſita ſit τοῦ κρατεῖν, quod eſt retinere, aut adducere: unde porro ſimilitudine quadam tum ad pœnas, tum ad credita transferri cœpit. Nec ad illa tantum, ſed & alia. Nam ἄφεσιν Græci vocant etiam rei inſontis in judicio factam abſolutionem. Oſtendimus etiam ſupra quantum interſit inter remiſſionem crediti & remiſſionem pœnæ: & in pœnæ remiſſione, quæ à rectore fiat, nullam eſſe juris talis proprii ac privati, quale Socinus indicat, dominii ſcilicet abſoluti aut crediti, abdicationem. Hæc igitur illinc peti poſſunt. Nunc illud duntaxat addendum eſt, non eſſe verum quod vult Socinus, remiſſionem pugnare cum quavis ſolutione antecedente. Quod ut intelligatur, deſcriptionem quandam ponemus remiſſionis debiti, quæ ſpecies illas duas, nempe crediti & pœnæ, ſub ſe contineat: idque juxta ejus vocis uſum tum in jure civili, tum in ſermone communi. Remittere ergo debitum eſt actus aut creditoris aut rectoris, pœnæ ſeu crediti obligatione reum liberantis. In gratiam eorum, quibus minus ſunt cognita juris vocabula, explicationem fuſiorem adhibebimus. Obligationis deſtructio in jure liberatio dicitur. Hanc præcedere poteſt ſolutio, ſequi non poteſt. Quia actus nullus verſari poteſt circa id quod non exiſtit amplius. Contingit ergo liberatio, interdum antecedente ſolutione aliqua, interdum citra omnem ſolutionem. Sed alia ſolutio ipſo facto liberat, alia non ipſo facto. Ipſo facto liberat ſolutio rei plane ejuſdem quæ erat in obligatione. Perinde autem eſt ipſe reus ſolvat, an alius pro eo hoc animo ut ipſe liberetur. Quod ideo notandum eſt, quia ſi alio animo alius idem ſolvat, liberatio non contingit. L. ſi pœnæ. L. in ſumma. D. de cond. indeb. L. Caſſius. D. de ſolut. Ubi ergo idem ſolvitur aut à debitore, aut ab alio nomine debitoris, nulla contingit remiſſio. Nihil enim circa debitum agit creditor, aut rector. Quare ſiquis pœnam pertulerit quam debet, liberatio hic erit, remiſſio non erit. Ac talis liberationis profeſſionem in jure crediti proprie ac ſtricte ἀποχὴν vocant Juriſconſ. L. Si accepto parag. 1. D. de Acceptil. Alia vero quævis ſolutio ipſo facto non liberat, puta ſi aliud quam quod in obligatione eſt, ſolvatur. L. 1. parag. 2. D. de reb. cred. Sed neceſſe eſt actum aliquem accedere creditoris aut rectoris, qui actus recte & uſitate remiſſio appellatur. Talis autem ſolutio quæ aut admitti aut recuſari poteſt, admiſſa in jure, ſpeciale habet nomen ſatisfactionis, quæ interdum ſolutioni ſtrictius ſumptæ opponitur. L. Satisfactio. D. de ſolut. Atque hinc vera cauſa petenda eſt, cur pœnæ corporalis vicarius ipſo facto reum, ſolvendo pœnam, nequeat liberare: hoc enim accidit primo & per ſe, non quia alius ſolvit, (id quippe liberationem non impedit, dum ea ſit ſolventis voluntas) ſed quia ſolvit aliud quam quod eſt in obligatione. Eſt enim in obligatione afflictio ipſius qui deliquit: unde dici ſolet, noxam caput ſequi. Quod in aliis quoque obligationibus ad factum mere perſonalibus videre eſt, ut in ſponſalium contractu, & in obligatione operarum officialium. L. operæ. D. de operis libert. In his enim omnibus, ſi alius ſolvat, ipſo facto liberatio non ſequetur, quia ſimul aliud ſolvitur. Quare ut ex pœna unius alteri liberatio contingat, actus quidam rectoris debet intercedere. Lex enim ipſum qui deliquit puniri imperat. Hic actus reſpectu legis eſt relaxatio ſive diſpenſatio, reſpectu debitoris remiſſio. Liberatio vero citra ſolutionem, aut fit ſubſtitutione novæ obligationis, aut omnimoda ejus peremtione. Subſtitutione novæ obligationis quæ fit liberatio, novatio dicitur, & ſi perſona debentis mutetur, delegatio. Illa autem liberatio, quæ citra ullam ſolutionem debitum plane perimit, ſi circa creditum verbis quibuſdam ſolennibus peragatur, in jure civili acceptilatio dicitur. Circa pœnam autem nomen proprium (quod ſolutionem qualemcunque & quantamcunque neceſſario excludat) non habet, ſed communi nomine vocatur, gratia, venia, indulgentia, abolitio. Bis ergo fallitur Socinus, cum ad eam remiſſionem quam nobis Deus concedit, deſumptam ex jure vocem acceptilationis applicat. Primum enim illa vox, etiam cum ſolutio nulla anteceſſit, ad jus crediti aptari poteſt, ad pœnas nec poteſt, nec ſolet. Nemo enim unquam legit ab ullo veteri ſcriptore indulgentiam criminum acceptilationem vocari. Nam accepto fertur ea res quæ accipi poteſt. At pœnam corporalem rector revera exigit, ſed non accipit, quia nihil ex pœna ad ipſum proprie pervenit. Deinde vero acceptilatio opponitur qualicunque ſolutioni: unde figurate definitur, ſolutio imaginaria. At Chriſtus λύτρον dedit vitam ſuam pro nobis, Matth. 20. 28. Et pretio empti, hoc eſt, ſolutione aliqua liberati ſumus, 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. de quo infra latius. Non eſt ergo hic acceptilatio. Non eſt etiam ſolutio rei ipſius debitæ, quæ ipſo facto liberet: noſtra enim mors & quidem æterna erat in obligatione. Non eſt etiam novatio aut delegatio. Neque enim poſt nos liberatos aliud ſimile debitum aut debitor alius ſuccedit: ſed eſt remiſſio antecedente ſatisfactione: quæ inter ſe pugnare male arbitratur Socinus, cum contra omnis ſatisfactio (hoc eſt ſolutio recuſabilis) ideo admittatur, ut remiſſioni ſit locus. Cum vero dicimus ſatisfactionem antecedere, id intelligendum eſt aut actu ipſo, ut in peccatis Chriſtianorum contingit, aut in decreto certo & irrevocabili, ut in peccatis ſub lege commiſſis & remiſſis. Quod enim Deus facere decrevit, pro jam facto habetur, & dum debitum vere ſolvatur, nihil refert quo tempore id fiat, præſertim apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eum, qui omnia quæ certo futura ſunt compertiſſima habet, & ea tanquam præſentia perpetuo videt atque intuetur, quæ eſt ipſius Socini confeſſio lib. 2. cap. 26. Quæ ergo adfert Socinus, ut probet non poſſe ſatisfactionem ſequi poſt remiſſionem, aut omnino ſimul contingere, neque vero hic ullam eſſe novationem aut delegationem, item liberationem eſſe aliquam poſſe, ubi non ſit remiſſio, fruſtra dicuntur, neque ad noſtram quæſtionem pertinent. Illud vero quod dicit, ſatisfactione omnino & ſtatim tolli debitum, ad rem quidem pertinet, ſed verum non eſt, niſi ſatisfactio contra juris uſum ſumatur pro ipſius rei quæ debetur, ab ipſo qui debet, facta ſolutione: de qua nos non agimus. At ubi alius ſolvit pro debitore, & ubi aliud ſolvitur quam quod debebatur, hic ad liberationem duplex actus voluntatis requiritur. Nam & qui ſolvit hoc velle debet ut debitor liberetur, alioqui non contingit liberatio, ut ſupra oſtendimus, & alterius rei pro altera ſolutionem debet creditor aut rector velle admittere. Quare cum unuſquiſque actui ex ſua voluntate pendenti legem poſſit imponere, ſicut id quod pure debetur, novari poteſt ſub conditione. L. quoties. D. de Novat. ita etiam poſſunt, is qui ſolvit pro alio, & is qui rei alterius pro altera ſolutionem admittit, paciſci, ut aut ſtatim ſequatur remiſſio, aut in diem, item aut pure aut ſub conditione. Fuit autem & Chriſti ſatisfacientis, & Dei ſatisfactionem admittentis hic animus ac voluntas, hoc denique pactum & fœdus, non ut Deus ſtatim ipſo perpeſſionis Chriſti tempore pœnas remitteret, ſed ut tum demum id fieret, cum homo vera in Chriſtum fide ad Deum converſus, ſupplex veniam precaretur, accedente etiam Chriſti apud Patrem advocatione ſive interceſſione. Non obſtat hic ergo ſatisfactio, quo minus ſequi poſſit remiſſio. Satisfactio enim non jam ſuſtulerat debitum, ſed hoc egerat ut propter ipſam debitum aliquando tolleretur.

Voci remiſſionis, per ſe inefficaci, fulcrum addit Socinus ex parabola Matth. 18. idque duplici argumento, primum quod Deus comparetur Regi pecuniam debitam ſervulo remittenti, nulla addita cujuſquam ſatisfactionis mentione: deinde quod nos tacite jubeamur idem facere quod Deus: minime vero nos oporteat ita in nos delinquentibus ignoſcere, ut pœnas ab amicis ipſorum expetamus. Sed facilis eſt reſponſio, comparationem ultra id tendi quo reſpicit: quod in omni argumento à ſimilitudine ducto vitioſum eſt. Confert ſe Chriſtus furi, nos vero quæſtori de alieno largienti: non quod aut ipſe rem alienam ſubtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat: ſed ſe quidem furi, quod ſuperveniat improviſus: nos vero quæſtori iſti, quod nos de noſtro facere oporteat id quod ille fecit de non ſuo. Sic in iſta parabola Matth. 18. commendatur nobis benignitas in proximum, quia Deus in nos benignus ſit. In hoc conveniunt rex ille in parabola & Deus, quod benigni ſint in eos qui longe infra ſe ſunt poſiti. Hanc benignitatem Deus teſtatur pœnas remittendo: rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Diſconveniunt quidem in eo Rex & Deus, quod Rex citra ſatisfactionem, Deus non citra ſatisfactionem remittit: ſed in eo ſita non eſt comparatio. Ratio quoque eſt alia. Nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum eſt, ſtatuendi quiſque habet liberrimam poteſtatem: & quo minus exigit, eo eſt liberalior. Exigendo autem nullum actum virtutis exercet. At de pœna, quæ ad bonum commune & ad ordinem pertinet, habet quidem rector poteſtatem, ſed quæ in infinitum non exeat. Et cum pœnam exigit, virtute quadam utitur, quæ dicitur juſtitia ἀνταποδοτικὴ, ut ſupra oſtendimus. Ad alteram vero comparationem quod attinet, quæ inter Deum & nos in parabolæ ἐπιμυθίῳ inſtituitur, nihil aliud inde inferri poteſt, quam æquum non eſſe ut duriores ſimus in parem, quam Deus tanto ſuperior eſt in nos miſeros homunciones. Hinc ſequitur, non debere nos magis vindictam expetere quam pœnam Deus expetat. Deus autem nos à pœna liberavit. Debet ergo & nobis abeſſe vindictæ cupiditas. Quomodo autem Deus iſtam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad inſtitutum pertinet. In eo enim non ſimilitudo eſt, ſed diſſimilitudo. Deus enim judex eſt: nos privati. Judici convenit ſollicitum eſſe de exemplo: privatos ea cura non ſpectat. Judicis officio continetur puniendi poteſtas: eadem privatis adempta eſt. Quod ſi nimium prematur iſta comparatio (ut fit à Socino) ſequeretur homines quoque judices non debere à ſontibus ullis pœnas expoſcere.

Remiſſionis vocem non ſatis eſſe validam ad omne genus ſolutionis ſive ſatisfactionis excludendum, Socinus aliquatenus agnoſcens, aliquanto plus ſubſidii ſperat ab altera voce χαρίζεσθαι, quam in hoc argumento Paulus ter uſurpat Coloſſ. 2. 13. & 3. 13. & Epheſ. 4. 31. cujus vocis non aliam eſſe vim ſupra indicavimus, quam ut aliquod beneficium præſertim vero indebitum ea indicetur. Quod vero Socinus ut certiſſimum ponit, ad ejus vocis ſignificationem hoc quoque requiri, ut quiſquam ſibi aliquid adimat, ſuoque ſe commodo privet, id plane verum non eſt. Ut enim omittam omnia illa, quæ περὶ τῶν χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ paſſim in Scripturis occurrunt, ſicut inter alia, exempli cauſa, cum nobis dicitur χαρισθῆναι in Chriſtum credere & pro Chriſto pati: Jeſus cæco ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν: Numquid id cum faceret ullo ſe privavit commodo: Hominem inſontem in gratiam cujuſquam qui condemnat, is illum ipſum hominem dicitur alteri χαρίζεσθαι, Actor. 25. 11. & 16. qui tamen proprius damnantis non erat. Paulus Apoſtolicæ animadverſionis ſeveritatem in reum inceſti diſtrinxerat, non ipſe læſus, neque ullo ſuo commodo. Hanc remittens χαρίζεσθαι ſe dicit 2 Corinth. 2. 10. Corinthios quoque admonens, ut eundem hominem in priſtinæ amicitiæ jus admittant, hoc quoque χαρίζεσθαι appellat. ibid. 7. & 10. Ex his aliiſque plurimis tum Novi Teſtamenti, tum aliorum quoque ſcriptorum locis liquido apparet, ad vocis χαρίζεσθαι ſignificationem ſufficere, ut ad patientem aliquid commodi non debiti perveniat, etiamſi agenti nihil decedat. Accedit quod ſupra oſtendimus, rectorem in pœna nihil proprium atque privatum à ſe abdicare: idque in hoc argumento eo eſt manifeſtius, quia non Deo tantum tribuitur τὸ χαρίζεσθαι, ſed & Chriſto, Epheſ. 4. 32. At peccati injuria proprie in Deum fertur, ita ut ſi eo nomine Deus remittens peccata dicendus ſit ſuum ſibi adimere, idem tamen de Chriſto qua mediatore dici nequeat. Neque magis verum eſt quod ex illo ante poſito deducit Socinus, nempe τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum ſatisfactione quavis. Neque enim pugnat cum ea quæ & libere admittitur cum poſſet repudiari, & ad quam is qui beneficio afficitur, nihil ipſe contribuit: quorum utrumque accidit in Chriſti pro nobis ſatisfactione. De Latina voce condonare, cum eo ſermone nihil ſcribi curaverit Spiritus Sanctus, fruſtra ſolliciti ſimus. Quod ſi tamen hæc quoque in Sacris Literis appareret, tamen cum in pœna donatio proprie dicta locum non habeat, neque inuſitata ſit ejus vocis tranſlatio; nihil hinc quoque inferri poſſet contra ſatisfactionem, quando condonari, quemadmodum & remitti aliquid recte dicitur, etiam ubi ſolutio accedit, ſed talis quæ ſine actu voluntatis vim non habeat pariendæ liberationis. Nam & principes cum capitalium criminum reis veniam concedunt, ſolent & mulctæ aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicere. Neque tamen eo minus condonare dicuntur crimina. Quanto ergo juſtius ea vox hic uſurpari poterit, ubi requiſita ſatisfactio à nobis non procedit, ſed liberatio contingit plane gratis quoad nos, etſi non gratis abſolute: quod Scriptura indicat, cum juſtificatos nos dicit gratis, & confeſtim addit διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, & quæ ſequuntur. Rom. 3. 24. Certe cum Scriptura non uno loco redemptos nos dicat, & quidem pretio, & Chriſtum ſe, aut carnem ſuam dediſſe ad nos liberandos, harum vocum vim omnem evertere, condonationis τὸ ῥητὸν, ſupra quam uſus vocis deſiderat, urgendo, æquitas nulla patitur.

Ad aliud vero Socini argumentum, quod ab imperata nobis Dei & Chriſti ἐν τῷ χαρίζεσθαι imitatione depromitur, nihil aliud opus eſt reſponderi, quam quod ad parabolam Matthæi 18. jam diximus: imitandam nobis proponi rem, non omnem modum rei. Res eſt ipſa benignitas, etiam poſt peccatum: & ex hac ſequens remiſſio, ſive (ſi ita loqui libet) condonatio: modus diverſus: in Deo antecedente ſatisfactione: in nobis ſine illa. Neque mirum, cum judex ſit Deus, nos privati. Quodſi quis rem ſubtilius intueatur, reperiet forte, ne ab ea quidem quæ nobis præcipitur, condonatione, omnem omnino ſatisfactionem removeri, ſed eam duntaxat, quæ pro ratione perſonæ, paris ſcilicet, non ſuperioris, modum ſuperet. Nam ipſa culpæ confeſſio & deprecatio (quam expeti non vetat Chriſtus. Luc. 17. 4, 5.) adeo à ſatisfactione non abhorret, ut hoc ipſum Latini elegantiores proprio quaſi vocabulo, ſatisfacere appellent. Sic & Paulus vocem χαρίζεσθαι de Corinthio uſurpat, cum tamen præceſſiſſet ἐπιτιμία ὑπὸ τῶν πλειόνων, 2 Corinth. 2. 7. Et proximis poſt Apoſtolos ſæculis ſcimus lapſis publice pacem (quam vocabant) Eccleſiæ non datam, niſi poſt quoſdam demiſſionis actus publicos, quos propterea ſatisfactiones vocabant.

Ducta à liberalitate ratio fragili fundamento innititur. Nam ut ante oſtendimus, ea virtus, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non eſt liberalitas, ſed clementia, quam

Seneca recte definit lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis: Cicero nomen generis pro ſpecie ponens, hanc ipſam clementiam lenitatem vocavit, eamque definiit, juſtitiam poſitam in moderatione animadvertendi; juſtitiæ nempe voce tam late ſumpta ut & pietatem & fidem & amicitiam complectatur. Hæc ergo clementia ad eam virtutem pertinet, quam Ariſtoteles in Ethicis vocat πρᾳότητα. Eſt enim clementia τοῦ ἄρχοντος πρᾳότης. Multum autem disjuncta ſunt πρᾳότης & ἐλευθεριότης. Scriptura hanc Dei clementiam nomine aliquanto generaliori vocat χρηστότητα, Rom. 2. 4. & XI. 22. Tit. 3. 4. ἐλευθεριότητα autem nunquam. Imo quod amplius eſt, vox ἐλευθεριότητος ſive liberalitatis ne in aliis quidem rebus quæ dari & accipi ſolent, de Deo uſurpatur; ſed hæc quoque virtus charitas potius Dei dicitur. Quia liberalitatis proprie eſt ita dare aliquid, ut danti pereat. Quod autem Socinus magna ſermonis intemperantia perpetuam Eccleſiæ ſententiam impietatis damnat & ſacrilegii, ideo quod ipſe, ut dicit, duplicem agnoſcat Dei liberalitatem, nos autem ſimplicem duntaxat, in ea re magnam veritati injuriam facit. Nam duplicem Dei non liberalitatem (ea enim vox ab hoc argumento aliena & Scripturæ inuſitata eſt) ſed beneficentiam, noſtra quoque ſententia agnoſcit, & quidem majorem multo quam iſta nuper nata Socini opinio. Prior eſt beneficentia, quod cum Deus magno odio contra peccatum incitaretur, poſſetque tam nobis parcere omnino nolle, quam peccatoribus Angelis parcere omnino noluit, tamen ut nobis parceret, non modo ſolutionem talem, quam admittere non tenebatur, admiſerit, ſed ipſe quoque ultro eam repererit. Hoc certe beneficium multo eſt majus atque illuſtrius, quam ſi Deus plane judicans nihil referre exemplum ſtatueretur aliquod nec ne, peccata noſtra reliquiſſet impunita, quod vult Socinus. Non ergo clementia Dei pœnæ ſolutione evertitur, cum talem ſolutionem admittere multoque magis invenire ex ſola clementia proceſſerit. Altera beneficentia eſt, quod Filium ſuum ſibi chariſſimum, imaginem ſui, & (ſi ita loqui licet) alterum ſe, morti dederit, non tantum ut doctrinæ veritati teſtimonium redderet, & ſic ad reſurrectionem perveniret (intra quæ ſiſtit ſe Socinus) verum vel imprimis ut eam ſolutionem ſive ſatisfactionem perageret, pœnas peccatorum noſtrorum ferendo: in qua profecto parte fateri debet Socinus, multo ſe Chriſto minus debere velle quam nos debeamus: imo & Dei charitatem à nobis majorem prædicari, vel hoc evincat, quod beneficia non ex ſolo impendio, ſed præcipue ex utilitate, quæ ex impendio ad beneficio affectum manat, par eſt æſtimari. Nos autem præter utilitates quas nobiſcum Socinus confitetur, unam eximiam, quam ille abnegat, grato animo agnoſcimus. Neque dicimus à Deo impenſum eſſe Filium, ut ipſe Deus ſuum reciperet, ac ſic Deum ſordidum facimus, quod nobis exprobrat Socinus, ſed ideo id factum à Deo dicimus, ut peccati meritum ſuumque adverſus peccata odium palam teſtata faceret, & ſimul, quantum ejus nobis parcendo fieri poterat, rerum ordini, legiſque ſuæ authoritati conſuleret. Neque illud minus iniquum, &, ut ipſius voce utar, immane eſt, quod à nobis immanem Deum dicit ſtatui. Nam finis iſte ſatisfactionis ſuperadditus nihilo graviores Chriſti perpeſſiones facit: quas ſine ulla crudelitate ipſi à Deo inflictas Socinus cogitur fateri. Imo quo fines ſunt plures, eo à crudelitatis ſpecie longius abſceditur. Nam crudelis eſt qui fruſtra aut levi de cauſa aliquem torquet. Adde jam quod finis hic ſatisfactionis ſive pœnæ ferendæ, multo apertius, imo multo etiam certiore nexu cum morte Chriſti cohæret, quàm iſti fines quos agnoſcit Socinus. Nam teſtimonium doctrinæ ſatis atque abunde præbere poterant miracula: gloria quoque cœleſtis conferri Chriſto non interveniente morte facile potuit. At pœnæ luendæ mors, talis præſertim, proprie accommodata eſt, & pœna ipſa pariendæ liberationi.

Quanquam vero hactenus oſtendimus Chriſti pœna Deo ſatisfactum, negare tamen nolumus vim ſatisfactionis eſſe etiam in ipſa Chriſti actione. Solet enim ſæpe etiam actio grata admitti velut in pœnæ compenſationem. *Beneficium ſuperveniens*, inquit Seneca, *injuriam apparere non patitur*: De benef. lib. 6. cap. 5. quo loco oſtendit reddere eſſe rem pro re dare, & ſolutione non idem ſolvi, ſed tantundem. Quamvis autem beneficium accipere Deus ἀνενδεὴς non poteſt, ipſius tamen ſumma bonitas qualecunque obſequium quaſi pro beneficio accipit: Sic Achabus pœnam temporalem lucrifecit Deum ſuppliciter venerando. Neque tantum ſua actio alicui ad impunitatem ſolet prodeſſe, ſed & alterius, quicum ipſe conjunctus eſt. Sic poſteris Davidis propter ipſum Davidem pœna remiſſa eſt, 2 Reg. 8. 19. Non tantum ob promiſſiones Davidi factas, verum etiam quia Davidis actiones Deo benigne eas æſtimanti placuerant, 1 Reg. 11. 13. 2 Reg. 8. 19. & XX. 6. Sic Æſchylum narrat Ælianus à pœna liberatum, quia frater ipſius Amyntas pro patria fortiter feciſſet. Sic apud Romanos Tito Quinctio accuſato profuit patris Cincinnati memoria. Livius de Appio, *majorum merita in rempublicam commemorabat, quo pœnam deprecaretur*. *Plautio Laterano* (inquit Tacitus) *mors remittitur ob patrui egregium meritum*. Et in univerſum Salluſtius: *Si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia præſidio adſunt*. Cicero: *Oportebit eum, qui ſibi ut ignoſcatur poſtulabit, majorum ſuorum beneficia, ſi qua extabunt, proferre*. Quintilianus: *Periclitantem commendant merita majorum*. Sicut autem opera temporaliter bona valent ad temporalem impunitatem, ita Chriſti opus perfecte & ſpiritualiter bonum ad liberationem à pœna æterna valuit. Quo illud ſpectat: *Per obedientiam unius, juſti conſtituuntur multi*, id eſt juſtificantur, contra Socin. lib. 2. cap. 25. habentur quaſi inſontes, Rom. 5. 19. Et alterum: *Propter nomen ejus* (Chriſti ſcilicet, ſolius enim Chriſti, non autem Dei mentio præceſſerat, fatente Socino, ac præterea hoc ipſum evincit ſimilis ſententia Actor. 10. 43.) *remittuntur nobis peccata*. 1 Johan. 2. 12. Certum enim eſt hac phraſi *propter nomen alicujus*, denotari cauſam impulſivam: neque ullo Scripturæ loco diverſum Socinus evicerit. Quod vero de ſatisfactione jam diximus, eam primo quidem pœnæ, deinde vero ipſi etiam actioni obſequioſæ tribui, idem de placatione Dei, de redemptione noſtra, & de expiatione intelligi debet, ad quæ explicanda jam accingimur.

CAPUT VII.

De placatione & reconciliatione per Chriſti mortem facta.

NEquis arbitretur de ſola voce diſputationem inſtitutam, ſatis cavit ipſe Socinus, cum paſſim profitetur, à ſe non vocem nudam ſatisfactionis, ſed rem ipſam ea voce expreſſam oppugnari lib. 2. cap. 26. Itaque hæc omnia, Chriſtus morte ſua nobis Deum reconciliavit, Chriſtus nos è manibus juſtitiæ divinæ ſanguinem ſuum redemptionis noſtræ pretium illi dans liberavit, Chriſtus ſcelera noſtra ſua obedientia compenſavit, Chriſtus ut remiſſionem peccatorum nobis Deus largiretur digne commeritus eſt, Chriſtus vitæ jactura Dei iram nobis placavit, non minus quam ipſam ſatisfactionis vocem repudiat. Neque tamen ſi de voce inſtituta eſſet diſputatio, æquum foret Eccleſiam Scripturas interpretandi libertate fraudari, in qua hoc quoque eſt comprehenſum, ea quæ aut Prophetæ Hebraicis, aut Apoſtoli Græci, vocibus, Hebraiſmum plerumque aut Syriaſmum redolentibus, elocuti ſunt, in alios ſermones quam commodiſſime transferre, aut quæ ad idem argumentum pertinentia diverſis locis tradidit Scriptura perſpicuo verborum compendio in ſummam redigere. Sic quod Scriptura dixit ob peccata morti traditum Chriſtum, & peccata, id eſt peccatorum pœnas tuliſſe, fuſumque ſanguinem ad remiſſionem peccatorum, Latine & ſignificanter exprimitur ſatisfaciendi vocabulo. Nam ea dictio in Jure & uſu communi ſignificat facti alicujus aut rei exhibitionem, ex qua non quidem ipſo facto, ſed accedente voluntatis actu liberatio ſequatur: ſoletque non tantum in pecuniariis debitis, ſed & in delictis hoc ſenſu uſurpari: quod linguæ ex Romana depravatæ appellant, aliquem contentare. Ut autem appareat idem valentes locutiones, imo illas ipſas, quas rejicit Socinus, in Sacris Literis reperiri, ad ea quæ ſupra in prima ſententiæ hujus explicatione ex ſacro codice deprompta ſunt, addemus alia quædam teſtimonia, eaque referemus ad claſſes quatuor. Prima claſſis erit earum locutionum, quæ iræ averſionem deſignant. Altera eorum, quæ liberationem per redemptionem ſeu pretio dato factam indicant. Tertia earum, quæ ſubrogationem innuunt. Quarta earum, quæ morti Chriſti vim adſcribunt ſacri expiatorii.

Ad primam claſſem ut accingamur, notiſſimum eſt, iram alicujus avertere, id dici Græce ἱλάσκεσθαι, εἰρηνοποιεῖν, καταλλάσσειν, ἀποκαταλλάσσειν, Latine placare, pacare, conciliare aut reconciliare, item propitiare. Tum actus ipſe, tum id quo proprie actus peragitur, Græcis ἱλασμὸς, Latinis placamen dicitur. In Deo ira, ut ſupra diximus, appellatur ἀνθρω-

ποπυθῶς puniendi quaſi affectus: quam Apoſtolus ait retegi ſive revelari cœlitus in omnem impietatem atque injuſtitiam hominum, ut qui veritatem in injuſtitia detineant, hoc eſt cognitis Dei mandatis reluctentur. Nemo autem excipitur, cum omnes ſimus natura filii iræ, hoc eſt iræ divinæ obnoxii. Hæc ira ſuper quoſdam manet, Johan. 3. 36. Super quos non manet, ab iis avertitur. Hanc averſionem Chriſtus ſua morte impetrat, ideoque placamen rectiſſime dicitur. Sic eum bis appellat Johannes Apoſtolus, cum dicit: *Si quis peccarit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum illum innocentem: Et ipſe eſt ἱλασμὸς pro peccatis noſtris: neque vero pro noſtris tantum, ſed & pro peccatis totius mundi*, Epiſt. 1. cap. 2. verſ. 2. Item: *In eo ſita eſt dilectio, non quod nos Deum dilexerimus, ſed quod ipſe dilexerit nos, & Filium ſuum miſerit ἱλασμὸν pro peccatis noſtris*, cap. 4. verſ. 10. Cum quo loco conferendus eſt iſte Paulinus: *Commendat Deus ſuam charitatem, quod cum peccatores adhuc eſſemus Chriſtus pro nobis eſt mortuus*, Rom. 5. 10. Uterque enim tam Paulus quam Johannes eodem argumento probant, non priores nos dilexiſſe, ſed dilectos à Deo: & quod Paulus dicit mortuum eſſe, hoc Johannes vocat placamen eſſe factum. Addendus præterea locus ille Pauli: *Juſtificamur gratis per redemptionem in Chriſto Jeſu, quem Deus propoſuit ἱλαστήριον per fidem in ſanguine ipſius.* Factus eſt ergo Chriſtus ἱλασμὸς ſive ἱλαστήριον in ſanguine ſuo. Quod quid eſt aliud quam id ipſum quod negat Socinus lib. 2. cap. 20. placatum à Chriſto Deum? Nam quod ἱλασμὸν apud Johannem expiationem interpretatur, expiationis autem voce peccati deſtructionem intelligit, id facit nulla de cauſa, nullo munitus exemplo. Ἱλάσκειν apud Græcos ſcriptores omnes, poëtas, hiſtoricos, alios, eſt placare, ſoletque conſtrui cum accuſativo deſignante perſonam, cujus ira avertitur. Nec aliter apud LXX interpretes, & Luc. 18. 13. uſurpatur. Uno duntaxat loco, qui eſt Hebr. 11. 17. dicitur Chriſtus ſummus ſacerdos conſtitutus εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ: ubi eſt enallage ex Hebraiſmo veniens ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, cum uſitate dici debuerit ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν. Significat ergo ibi expiationem, ſed eam quæ fit placando. Alioqui hic vocis uſus nihil haberet commune cum natura vocis ac perpetua ejuſdem ſignificatione. Quare talem expiationem, qualem Socinus comminiſcitur lib. 2. cap. 6. id eſt peccati deſtructionem, quæ fit ſine placamento, iſta quidem vox ἱλάσκεσθαι & inde derivata ἱλασμὸς, denotare non poteſt. ἱλαστήριον autem apud Paulum interpretatur Socinus id, in quo ſe Deus placatum oſtendit. Non negamus poſſe hanc ſignificationem voci congruere, ac tali aliqua ratione tegmen Arcæ apud ſcriptorem ad Hebræos vocari ἱλαστήριον. Contra Socin. lib. 2. cap. 2. Sed cum ejus terminationis vocabula proprie vim quandam effectivam, improprie vero declarativam indicent, à proprietate nos hic diſcedere nulla ratio patitur. Apparet enim Chriſtum ita apud Paulum dici ἱλαστήριον, ut apud Johannem ἱλασμόν. At ἱλασμὸς omnino ſignificat placamen, non placationis teſtimonium. Quare Scriptura Scripturam interpretante, vox quoque ἱλαστήριον de Chriſto active, non declarative exponenda eſt. Accedit quod hoc ipſum oſtendit vox adjuncta *ſanguinis*, cui placandi vis tribuitur: quia χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Trita ſunt,

Sanguine PLACASTIS *ventos & virgine cæſa.*

Et ſimilia apud Poëtas, de quibus infra accuratius agendi erit locus.

Contra Socin. lib. 1. cap. 8. Similis placandi voci eſt vox καταλλάσσειν & ἀποκαταλλάσσειν, conciliare ſive reconciliare, quam in hoc ipſo argumento uſurpat Paulus Rom. 5. 10. & 11. & 2 Corinth. 5. 18. & Epheſ. 11. 16. & Coloſſ. 1. 20. Opponit Socinus ſcriptum eſſe, non Deum nobis conciliatum, ſed nos Deo, idque idcirco quia non Deus nobis iratus, ideoque placandus, ſed nos à Deo averſi fuerimus. Verum quod ſibi ſumit, eum reconciliari qui infeſto ſit animo, non autem ipſi alterum, id minime verum eſt. Nam reconciliandi vox, ut & pacandi vox, promiſcue utrivis parti, tum quæ infenſa eſt, tum quæ neutiquam aut minus infenſa eſt, modo dativum, modo accuſativum aſſignat. Idem ergo valet nos Deo conciliari & Deum nobis. Sophocles Ajace:

Ἀλλ' οἴχεται τοι πρὸς τὸ κέρδιστον τραπεὶς
Γνώμης, θεοῖσιν ὡς καταλλαχθῇ χόλου.

Ubi Chorus id exprimit, quod ante Ajax dixerat,

Ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους
Λειμῶνας, ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ,
Μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύξωμαι θεοῦ.

Videmus hic manifeſte καταλλάσσεσθαι Θεοῖς, Diis conciliari, idem eſſe quod iram ipſorum effugere. Et ſane de hac reconciliatione, hoc eſt, divinæ iræ averſione, aut certe etiam de hac agi, nemo negabit, qui locos ipſos modo citatos diligentius inſpexerit.

Nam Rom. 5. Paulus ſuo more bis idem exprimens, quod ante dixerat, *pro impiis & pro peccatoribus mortuum eſſe Chriſtum*, verſ. 6. & 8. mox his verbis enuntiat, *cum hoſtes eſſemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipſius*, verſ. 10. Eſſe autem hoc beneficium prius ipſa converſione, ex oppoſito membro apparet, ſi hæc inquit, ita ſe habent, *multo magis nunc juſtificati per ipſum ab ira ſervabimur*, verſ. 9. item, *multo magis reconciliati ſervabimur in vita ipſius*. A majori procedit Apoſtolica argumentatio. Si tam bonus erga nos necdum converſos Deus fuit, quis futurus erga converſos? Non poteſt hic vox conciliationis in membro priore converſionem denotare. Singulare enim aliquid in Chriſto Apoſtolus notat. Tale autem non eſt, peccatores convertere. Neque enim convertuntur unquam niſi peccatores: ſed rarum planeque ſingulare eſt pro peccatoribus mori, & conciliare per mortem peccatores, cum pauciſſimi ſemper fuerint, qui pro amicis viris bonis mortem oppeterent verſ. 7. Deinde converſio rectius vitæ Chriſti glorioſæ, quam morti fertur accepta. At reconciliatio iſta morti tribuitur diſtinctæ atque diſcriminatæ à vita glorioſa, ut oſtendit dictionis τὸ ἀντίστοιχον. Præterea ex poſteriore beneficio quale ſit prius datur intelligi. Poſterius quod converſis contingit, eſt pacem habere apud Deum. verſ. 1. *ſervari ab ira Dei*, verſ. 9. & 10. Hoc ipſum appellat Apoſtolus, accipere reconciliationem, verſ. 11. Quid hic eſt aliud accipere reconciliationem quam accipere remiſſionem peccatorum, ut Scriptura loquitur Actor. 10. 43. & 26. 18. At converſionem accipere ignotum eſt loquendi genus. Si ergo in poſteriore membro accipere reconciliationem eſt accipere peccatorum reconciliationem, ipſoque effectu ab ira ſive à pœna liberari, in priore quoque membro reconciliari ſignificationem habere debet ἀνάλογον: ut prius beneficium ſit jus ad rem, poſterius ejuſdem rei exhibitio. Adde his omnibus, quod non poſſit, niſi incommode aut inepte etiam dici charitas Dei ex eo colligi, quia nos ab odio Dei diſceſſerimus. Nam etiamſi de converſionis noſtræ beneficio agere voluiſſet Apoſtolus, erat id alia plane voce exprimendum, quæ non noſtram, ſed Dei actionem ſignificaret. Noſtra vero interpretatione nihil planius, nihil Apoſtoli propoſito convenientius. Quod autem Socinus objicit, ſatisfactionis mentionem non eſſe hic appoſitam, imo charitatis laudem per eam imminui, vanum eſt. Non enim ſatisfactionis fit mentio quatenus pœna eſt, ſed quatenus modus nos liberandi. Neque poteſt, ut ſupra probavimus, ulla ratione manifeſtius oſtendi Dei charitas adverſum homines, quam quod iratus, id eſt, pœnas expetens, noſtræ tamen impunitati viam, Chriſto in id impenſo, invenerit.

In loco 2 Corinth. 5. circa finem, ut in illo ad Romanos, duplicis invenitur reconciliationis mentio. Prior reconciliatio eſt qua Deus omnia, ſive mundum ſibi reconciliavit per Chriſtum, ſive in Chriſto. verſ. 18. & 19. Poſterior eſt ad quam Apoſtoli, ut miniſtri reconciliationis, quibus impoſitus eſt reconciliationis ſermo, homines adhortantur Dei ac Chriſti nomine, verſ. 18, 19, 20. Prior ergo illo non poteſt eſſe ipſa converſio. Eſt enim antecedens & materia præcipua ejus ſermonis per quem fit converſio Deinde Paulus ipſe oſtendit eam conſiſtere in non imputatione peccatorum, id eſt in decreto non imputandi. Non imputare autem peccata & remittere idem valent. Rom. 4. 6, 7, 8. Quomodo autem hoc non imputandi decretum in Chriſto fundatum eſt? Dicet Paulus: *Eum enim qui peccatum non noverat pro nobis Deus peccatum fecit.* Quod objicit Socinus, non imputationem peccatorum pugnare cum iſto reconciliandi modo per ſatisfactionem, caret ratione. Nam, ut ſupra explicatum eſt, præcedit ſatisfactio; ſequitur deinde remiſſio ſive non imputatio: ut jam taceam non abſolute dici, Deum non imputare peccata, ſed non imputare ipſis, hoc eſt peccatoribus. Poſſe autem & huic peccatum remitti ſive non imputari peccatum & alteri ob exemplum imputari, ſive alterum eo nomine affligi atque puniri, tum ex multis, quæ ſupra allegavimus, tum imprimis ex eo quod Davidi contigit, ſatis apparet. Neque vero quia non verbis ἀμέσως cohærent, *Non imputans peccata*, Et: *Eum qui non noverat peccatum, peccatum fecit*, ideo non ad eandem rem iſta pertinent. Conjunguntur enim iſta inter ſe per voculas συνδετικὰς, καὶ & γὰρ Neque ullus novus, & ab hoc argumento alienus ſermo intercedit: ſed hoc dicitur, Deum beneficii à ſe præſtiti legatos & miniſtros

feciſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

feciſſe Apoſtolos: in hoc ſcilicet miſſos per orbem terrarum, ut ejus beneficii fidem hominibus prædicatione ſua infererent. Ei autem fidei faciendæ argumentum validiſſimum eſt, à traditione Chriſti in mortem. Minime enim credibile eſt, voluiſſe Deum filium chariſſimum & innocentiſſimum tam graviter affligi, niſi egregio aliquo fine ſibi propoſito. Hic autem finis, proprius inquam & cum iſto facto proxime cohærens, Scriptura ubique & ipſa ratione aliquatenus κατ' ἐπαγωγὴν teſtante, alius eſſe vix poteſt, quam impetrandum jus veniæ per antecedentem ſatisfactionem. Illud vero, *Rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo*, quanquam ex vocis natura poteſt ſignificare, aut odium in Deum abjicite, aut accipite remiſſionem peccatorum, (per pœnitentiam ſcilicet, ut oſtenditur Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Actor. 3. 19. & 5. 31.) ex rei tamen natura de qua agitur, poſteriorem ſenſum rectius admittit. Neque enim ſolet infirmior rogari, ut potentiorem in gratiam recipiat: & illa Pauli verba exprimunt ipſum reconciliationis miniſterium, quam reconciliationem jamjam non-imputatione peccatorum deſcripſerat. Sic Chriſtus ipſe miſſum ſe dixit κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, Luc. 4. 19. & Apoſtolis præcipit κηρύσσειν ἐν ὀνόματι αὐτοῦ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Luc. 24. 47. Sic ipſe Paulus dicit ſe καταγγέλλειν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Actor. 13. 38.

Eph. 2. 16. ſcribitur de Chriſto, ἵνα ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους (Judæos & Gentes) ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ. Hic dativus Θεῷ non poteſt regi niſi à verbo ἀποκαταλλάξῃ. Socini autem interpretatio, ut *Deo* hic per ſe ſubſiſtat, aut reconciliare Deo ſit reconciliare ipſos inter ſe ut Deo ſerviant, diſtorta eſt, dura & ſine exemplo. Neque valet argumentum inde ductum, quod eo loco Paulus proprie agat de pace facta inter Judæos & Gentes: neque enim ſequitur ab hoc argumento alienam eſſe mentionem pacis quæ utriſque cum Deo comparata eſt. Duo enim diverſa quæ junguntur, ita junguntur inter ſe, ut prius ac potius jungantur ipſi vinculo: neque enim junguntur inter ſe niſi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter ſe Gentes & Judæi per amicitiam cum Deo. Ac mirum eſt hoc non agnoſcere Socinum, cum dicat ipſe Coloſſ. 1. 20, 21, 22. Apoſtolum inſtituto ſermone de parta inter creaturas concordia, ſtatim καὶ ἀμέσως ſubjicere mentionem reconciliationis ejus qua homines amici Deo ſunt facti, & quidem interjecta voce καὶ, quæ non ſolet res nullo modo cohærentes connectere. Unde manifeſtum eſt eſſe hæc inter ſe conjuncta, ita ut recte Paulus, iſto quo de agimus ad Epheſios loco, reconciliationem hominum cum hominibus ad reconciliationem hominum cum Deo, tanquam effectum ad cauſam ſuam, retulerit. Illud addendum eſt, nominari eo ipſo in loco ſanguinem Chriſti, tanquam per quem effecta ſit reconciliatio. At ſanguini Chriſti paſſim Scriptura ſubjungit, tanquam effectum maxime proprium, peccatorum remiſſionem Matth. 26. 28. Eph. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. Hebr 10. 22. Rom. 3. 23. Rom. 5. 10. 1 Johan. 1. 7. 1 Petr. 1. 2. Apocal. 1. 5. per vim ſcilicet placatricem, 1 Johan. 2. 2. & 4. 10.

Iſti ad Epheſios loco perſimilis mihi videtur is cujus jam injecta eſt mentio, ad Coloſſ. 1. 20. plane ut ad explicationem iſtius hunc potius adferendum exiſtimem quam illum Epheſ. 1. 9, 10. Plurima enim congruunt. Quod illic ſeparatim dicitur *per ſanguinem & per crucem*, hic dicitur conjunctim *per ſanguinem crucis*, Ibi eſt ποιῶν εἰρήνην: hic εἰρηνοποιήσας Ibi, *ut reconciliaret ambos Deo*: hic, *reconciliare omnia in ſeipſum*, hoc eſt, in Deum. Hoc intereſt, quod ibi duntaxat mentio fiat de hominibus inter ſe conciliatis, quia conciliati erant Deo, hic vero de hominibus conciliatis & inter ſe & cum Angelis, ideo quia homines conciliati erant Deo. Εἰς αὐτὸν, omnino eſt in ſeſe, Deum ſcilicet, ut & Syrus interpretatur לה, hoc eſt ſibi. Nam ſi hoc vellent iſtæ voces quod Socinus vult, in unum, ſcribendum fuerat εἰς τὸ αὐτὸ, aut ſaltem εἰς αὐτὸ, non εἰς αὐτὸν, aut εἰς αὑτὸν, quod ad perſonam certam neceſſario refertur. Neque novum eſt præpoſitionem IN cum accuſativo poni vice dativi, cum apud Hebræos frequentiſſima ſit particularum ב & ל permutatio. Quid quod ipſo Socino fatente, uſitata eſt apud Græcos phraſis καταλλάττεσθαί τινα πρὸς ἕτερον? At εἰς in Apoſtolico ſermone poni vice τοῦ πρὸς negare nemo poterit, qui vel paucos locos diligenter inſpexerit, quales ſunt Matth. 15. 24. Actor. 16. 40. Epheſ. 3. 19. Earundemque vocum commutatio in profanis quoque ſcriptoribus non raro occurrit. Quare veriſimile non eſt, quod vult Socinus, hoc commate de ſola agi creaturarum inter ſe conciliatione: ſequenti autem commate de conciliatione hominum cum Deo. Contra enim quod univerſim dicitur verſ. 20. id 21. ad Coloſſenſes ſpeciatim applicatur: quod notat vox καὶ ὑμᾶς, hoc eſt, *quin vos etiam*, ſive *vos quoque ipſos*. In hoc vero commate non id dicitur quod ait Socinus, reconciliationem factam nos inculpatos reddendo: ſed reconciliatos nos ut redderemur inculpati. Socinus ex fine modum fecit, ſane prælicenter. Paſſim indicat Scriptura remitti nobis peccata, ut in poſterum ſancte vivamus tanto beneficio obligati, Luc 1. 74. Et notandum in hoc quoque commate corporis Chriſti fieri mentionem, quod quidem pro nobis fractum eſt, in remiſſionem peccatorum, 1 Corinth. 11. 24. Matth. 26. 28. & mortis, cui ſimiliter remiſſionem tanquam effectum paſſim tribui jam ante oſtendimus. Quod autem addit Apoſtolus, reconciliatos nos eſſe cum alienati & inimici mente eſſemus, ſimile eſt ei quod alibi dixit, Chriſtum pro nobis, cum peccatores & impii eſſemus, mortuum eſſe, Rom. 5. 6, 8. & Deum eſſe qui juſtificet impium, Rom. 4. 5. Quare hic quoque de eodem agi beneficio eo juſtius creditur, quia initium, quo in hunc ſermonem Apoſtolus devenerat, hoc fuit, habere nos in Chriſto redemptionem, peccatorum ſcilicet remiſſionem. Et profecto non poteſt rectius intelligi, quantum nos Deus amaverit & Chriſtus, quantumque nos Deo & Chriſto debeamus, quam ſi conſideremus nobis ſub ira adhuc Dei conſtitutis, & peccatorum reis, remiſſionem peccatorum primo impetratam, deinde & applicatam; quæ duo plerumque conjungit Scriptura. Quod autem alio loco dicit Socinus lib. 1. cap. 7. oportuiſſe Deum nobis eſſe placatiſſimum minimeque iratum, antequam Chriſtus mitteretur ad fœdus pangendum: id quam ſit à vero alienum alibi ipſe videtur agnoviſſe lib. 1. cap. 8. cum Deum ſtatuit eo ipſo momento, cum ad amicitiam redintegrandam nobis conditiones offerret, fuiſſe animo non placato, ſed placabili. Et profecto hoc ipſa dictat ratio. In omnibus enim conditionatis conditionalia priora ſunt abſolutis. Neque vero conditio offerri, ſed & impleri debet, antequam ſequatur actus abſolutus. Quare pacem apud Deum habere nos dicit Scriptura, poſtquam per fidem ſumus juſtificati, Rom. 5. 1. Antea ſumus iræ filii, Eph. 11. 3. peccata enim noſtra cauſa ſunt ſeparationis, hoc eſt, Deum à nobis averſum faciunt, Eſai. 59. 2. Hæc ira excludit pacem ſive amicitiam: non autem qualemcunque dilectionem generaliter dictam: ut apparet Johan. 3. 16. & 1 Johan. 4. 10. Et ſane peccata remitti hominibus ante pœnitentiam, ne Socinus quidem ſentit. Placatus autem actu, aut qua voce Socinus utitur, placatiſſimus, dici non poteſt qui adhuc imputat peccata. Quæ res ut clarius intelligatur, diſtinguenda ſunt omnino tria, ut ita dicam, momenta divinæ voluntatis. Primum eſt ante Chriſti mortem, poſitam aut reipſa aut in Dei decreto & præſcientia. In hoc momento iratus peccatori eſt Deus, ſed ita ut non averſetur omnes iræ deponendæ vias ac rationes. Secundum momentum eſt poſita jam Chriſti morte: in quo Deus jam non conſtituit tantum, ſed promittit iram ſe depoſiturum. Tertium eſt, cum homo vera fide in Chriſtum credit, & Chriſtus ex fœderis formula credentem Deo commendat. Hic jam Deus deponit iram, hominemque in gratiam recipit. Cum vero verba activa & paſſiva iiſdem reſpondentia duplicem ſoleant habere ſignificatum, aut ut intra vim atque efficaciam conſiſtant, aut ut effectum ſimul includant, ſequitur in primo momento neutrum horum locum habere. Itaque ejus reſpectu Deum dici poſſe tantum placabilem: in ſecundo & tertio recte dici eum placari, diſtinctis duobus quos jam indicavi ſenſibus. In priore ſenſu dicitur, *Deus mundum ſibi in Chriſto conciliaſſe*: &, *nos Deo reconciliati cum hoſtes eſſemus*: id poſteriore illud, *conciliamini Deo*: &, *reconciliationem accepimus*. Eademque vocum redemptionis & expiationis, & ejus locutionis, qua Chriſtus interdum pro omnibus, interdum pro aliquibus mortuus dicitur, eſt ratio. Illud poſtremo notandum eſt, vocem reconciliationis non excludere ſatisfactionem ſive præſtationem omnem & impendium. Nam apud Livium eſt: *Ut eo munere reconciliaret ſibi civium animos*: & alibi paſſim ſimilia occurrunt: ut eo quidem nomine nihilo minus reconciliator noſter Chriſtus dici debeat: quod ipſum quoque monſtrat Scriptura, cum reconciliationi addit mentionem ſanguinis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

CAPUT VIII.

De redemptione noſtra per Chriſti mortem facta.

Contra Socin. lib. 2. cap. 1, 2, 3. Ad ſecundam teſtimoniorum claſſem, quæ de redemptione eſt, ut veniamus, ante omnia ponendum eſt extra controverſiam, redemptionem ſimileſque voces in Sacris Literis aptari ad liberationem noſtram à pœna commerita, quod ita eſſe apparet Galat. 3. 13. Rom. 3. 24. & præcipue Epheſ. 1. 7. & Coloſſ. 1. 14. neque diffitetur Socinus. Quin & illi loci, qui nos ab iniquitate & vana converſatione dicunt redemptos, ut Tit. 2. 14. & 1 Petr. 1. 18, eodem pertinent, cum peccatum pro peccati pœna poni ſit receptiſſimum: idque in loco ad Titum addita vox καθαρίζειν, id eſt expiare, quam infra cap. 10. explicabimus, & in Petri loco *agni*, hoc eſt victimæ mentio apertum faciunt. Hanc redemptionem morti Chriſti tanquam cauſæ adſcribi, cum paſſim teſtetur Scriptura, ut Epheſ. 1. 7. Rom. 3. 24. Hebr. 10, 12. ne id quidem inficiari potuit Socinus. Sed quomodo cauſa redemptionis ſit mors Chriſti, id eſt de quo quæritur. Nos enim ideo cauſam redemptionis eſſe mortem Chriſti dicimus, quod ea Deum moverit, ut nos à pœna liberaret. Idipſum vero negat Socinus. Quanquam vero ſi quid eſſet ambigui in his teſtimoniis, in quibus redemptionis ſit mentio, ſatis eſſet iis interpretandis alia ejuſdem argumenti loca afferre, qualia multa citavimus, quæ Chriſtum ob peccata noſtra mortuum, pœnas pro nobis tuliſſe, & ſic impetraſſe nobis peccatorum remiſſionem, Deo ſcilicet per ipſius mortem placato, non obſcure ſignificant, confidimus tamen eandem ſententiam ſatis aperte ex iis etiam locis, quæ redemptionis vocem ſimileſque alias uſurpant, poſſe comprobari. Duplex autem in Scriptura φράσις occurrit, altera, quæ delictorum redemptionem nominat, altera quæ noſtram, diverſo loquendi genere, at ſignificatu eodem.

Prior illa φράσις Hebr. 9. 15. ubi Chriſti mors dicitur peracta εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων. Hoc autem loquendi genere ἀπολυτροῦν τὰς παραβάσεις, aut Latinè, culpas, delicta, crimina redimere, non tantum ſignificari cauſam moventem ad liberandum, ſed talem etiam, quæ compenſationem aut ſatisfactionem includat, tam manifeſtum eſt, ut fateri id quoque debuerit Socinus. Cum hæc ergo iſtius locutionis uſitatiſſima ſit ſignificatio, non licet inde nobis recedere, niſi duo probentur, interdum, etſi minus frequenter, aliud ea locutione ſignificari, & cauſam hic eſſe juſtam, cur infrequentior ſignificatio frequentiori præferri debeat. Horum neutrum à Socino probatur. Nullum enim adfert locum aut Sacri aut profani ſcriptoris, ubi ἀπολυτροῦν τὰς παραβάσεις, redimere peccata, culpas, offenſas, aliud quippiam ab eo quod diximus, deſignet. In gnoma Salomonis Prov. 16. 6. eſt vox Hebræa כפר, quæ voci Græcæ ἀπολυτροῦν proprie non reſpondet: quod ipſum quoque Socinus agnoſcit, cum ait expiationem potius quam redemptionem ea voce deſignari. Addi poteſt nativam maxime ſignificationem ejus vocis eſſe, obtegere, atque inde ad alia ſimilitudine quadam produci. Neque vero ſequitur, ſi vox כפר, quæ apud Hebræos, ut multæ aliæ, ob primitivarum vocum in ea lingua penuriam, eſt πολύσημος, ita ut cum alia, tum ἀπολυτροῦν quoque poſſit ſignificare, ideo & viciſſim Græcum ἀπολυτροῦν omnes habere ſignificationes quas habet כפר, cum vocis ἀπολυτροῦν ſimplex ſit uſus apud Græcos origini ſuæ reſpondens, alias autem ſignificationes vocis כפר aliæ Græcorum voces exprimant. Apud Danielem 4. 24. eſt vox Hebræa פרק, quæ voci Græcæ ἀπολυτροῦν minime ἰσοδυναμεῖ: ſed & proprie & frequenter ſignificat conterere, frangere, avellere: & propter hoc poſtremum, etiam liberare. Quanquam etiamſi redimere hoc loco cum veteribus interpretemur, nihil nos coget hanc vocem ſumere extra eam quam defendimus ſignificationem. Movetur enim Deus pœnitentiæ fructibus ut inhibeat pœnas temporales, ut antea quoque notatum eſt.

Altera vero locutio, quæ perſonam redemptam indicat, ſæpiſſime in Sacris Literis noſtro argumento accommodata invenitur, ut Rom. 3. 24. Epheſ. 1. 7. & alibi. In Græco eſt verbum λυτροῦν & ἀπολυτροῦν, & hinc verbale λύτρωσις & ἀπολύτρωσις. Quæritur, hic actus Chriſto proprie, an improprie tribuatur. Redemptionem, hoc eſt, ἀπολύτρωσιν (nam alioqui vox redimendi Latinis eſt πολύσημος) propriam, definit Socinus, liberationem captivi è manibus detinentis pretio detinenti dato. nimis anguſte. Nam vocis & natura & uſus non ad captivitatem ſolam reſtringitur, ſed ad omne genus incommodi, ut & liberationis vocabulum. Rectius ergo definias: Ἀπολύτρωσις, ſive redemptio, eſt liberatio alicujus ab incommodo, λύτρου intercedente. Sic Maro redemptionis vocem proprie uſurpavit cum dixit,

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Liberatur Caſtor à morte perpetua λύτρου intercedente morte fratris alterna. Improprie vero ἀπολύτρωσις & redemptio qualemcunque liberationem ſignificat, etiam cui λύτρον non intercedit. Sed ut Socinus fatetur, & jura nos docent, non eſt niſi gravibus de cauſis recedendum à verborum proprietate. In dubio ergo ἀπολύτρωσις intelligenda eſt fieri λύτρου intercedente. Sed nunc ne dubitandi quidem eſt locus, cum Scriptura ipſum λύτρον aperte nominet. *Venit enim filius hominis dare animam ſuam λύτρον pro multis*, Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. cum quibus locis illi conjungendi ſunt, qui per mortem, aut in ſanguine factam teſtantur redemptionem, ut Hebr. 9. 12. Hi loci cum valide Socino refragarentur, nihil aliud cominiſci potuit lib. 2. cap. 2. quam ut diceret λύτρον ſive pretium hic dici improprie. Proprie autem dictum λύτρον ſeu pretium definit, id quod à detinente accipitur. Hic primum id quod modo diximus repetendum eſt, non debere deſeri proprietatem, niſi res urgeat. At cauſas comminiſcendæ improprietatis Socinus ſi quas attulit, eas à nobis c. 4, 5. & 6. ſolutas confidimus. Nam Moſis cum Chriſto inſtituta collatio, reſponſione vix indiget, cum omnis ſimilitudo certos habeat terminos, quos extra protendi nequeat. Comparantur illi, qua liberatores, non ob liberandi modum. Neque magis ex eo ſequitur, Chriſtum ſatisfaciendo nos non liberaſſe, quia Moſes id non fecerit, quam Chriſtum nos liberaſſe per hoſtium mortem, quia id fecerit Moſes. Quod ſi ad modum quoque liberandi comparatio pertineret, ea ut rectius procederet, dicendum eſſet, Chriſtum nos liberaſſe miraculis, (ut Moſes) non autem ſua morte ſuoque ſanguine, quod Moſi nec adſcribitur, nec adſcribi poteſt. Sed præcipuum eſt, quod vox λύτρου, de cujus vi hic agimus, liberationi per Chriſtum partæ additur à Scriptura, liberationi per Moſen partæ nuſquam additur. Quid quod ne ex Socini quidem ſententia modus liberandi idem eſt? Nam Moſes, Joſue & alii liberarunt, non aliquid faciendo circa liberandos, (quod Chriſto Socinus tribuit) ſed amovendo eos qui libertati obſtabant, hoſtes ſcilicet. Retinenda eſt ergo ἡ κυριολογία: definitione tamen Socini nonnihil correcta: ut proprie λύτρον ſit res aut factum, quo movetur quiſpiam, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur. Quod λύτρον definimus factum aut rem, in eo nobis cum Socino non diſconvenit, qui fatetur proprie dici λύτρον ſive pretium, non pecuniam modo, ſed omne id quo alteri ſatisfit. Sed immerito ille λύτρον ad ſolam captivitatem reſtringit, cum & ſervituti, & exſilio, & morti, & omni incommodo, à quo liberari poſſumus, ea vox conveniat. Nam & origo, λύω ſcilicet, ad ea quoque pertinet, & communis uſus non refragatur. Illud quoque non probamus, quod λύτρον proprie dictum omnino velit ab aliquo accipi. Nam ſi vox accipiendi rigide ſumatur, ut in definitionibus fieri ſolet, aptari factis non poteſt, ſed rebus ſolis. At factis quoque poteſt ſatisfieri & liberatio impetrari. Atque hoc præcipue apparet in ea liberatione, quæ fit per pœnæ tranſlationem. Pœnam enim proprie non accipi à quopiam, ex iis apparet quæ ſupra dicta ſunt, ubi oſtendimus in pœna neminem eſſe proprie & naturaliter creditorem. Præterea acceptionis vox proprie ſumpta, ſi non dominii tranſlationem, certe utilitatem aliquam accipientis indicat. At in pœna non ſpectatur propria utilitas punientis, ſed bonum commune & ordo rerum. Acceptor ergo hic nullus eſt, niſi libeat admodum improprie acceptorem dicere judicem, tanquam juris & æqui ac boni communis curatorem. λύτρον nihilominus proprie locum habet & in pœna. Ita Zaleuci oculus λύτρον fuit oculi filii. Et in decimatione qui puniuntur λύτρον ſunt totius legionis. Latini veteres, quorum lingua tota Græcæ erat depravatio, litera una interpoſita, λύτρον luſtrum dixere, & λυτροῦν luſtrare. Luſtrare ergo urbem eſt eam à pœna liberare per luſtrum, hoc eſt, per pœnam ſuccedaneam, quod & piaculum dicitur. Sic ex fatua Gentium opinione, Decii luſtrarunt Romanum exercitum: Thebas olim Menœceus, de quo mater apud Papinium,

LUSTRALEMNE *feris ego te, puer inclyte, Thebis,*
Devotumque caput, vilis ceu mater alebam?

Ad quem locum Luctatius, aut quiſquis ille eſt Scholiaſtes

vetu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vetus: *Luſtrare civitatem humana hoſtia Gallicus mos eſt.* Luſtrare dixit, quod Cæſar dixerat placare Deorum immortalium numen. Eſt ergo idem in pœnis placamen & luſtrum, Græce ἱλασμὸς & λύτρον: quæ ut Pagani in re falſo credita, ita in revere credita Apoſtoli ſenſu eodem uſurpant. Itaque in Epiſtola ad Hebræos pro eodem ponuntur λύτρωσις & καθαρισμὸς, ut apparet cap. 9. verſ. 12. 14, 15. 22, 23. Neque vero ex eo tantum infertur, λύτρον in hoc argumento ſumendum proprie, quia nulla efficax ratio nos cogit ad improprietatem deſcendere, ſed hinc etiam multo magis, quod neque ex profano, neque ex Sacro Scriptore locus ullus profertur, in quo λύτρου ſignificatio extra deſcriptionem à nobis poſitam porrigatur. E Græco locum nullum profert Socinus, ex Hebræo unum duntaxat Prov. 13. 8. in quo eſt כפר. Sed præterquam quod latius poteſt patere כפר quam λύτρον, quia λύτρον eſt à λύειν, quod liberare ſignificat, cum כפר, ut ſupra diximus, verbum ſit πολύσημον, non poteſt ullo argumento probari iſto in loco voce כפר aliud deſignari quam id quod nociturum movere poteſt ne noceat, ſive ille potentiam & affectum nocendi tantum habeat, ſive inſuper jus etiam & poteſtatem. Simile enim eſt Salomonis iſtud: כפר, aut ſi ita placet, *λύτρον viri ſunt divitiæ ejus*: iſti ſententiæ apud Jobum 2. 4. *quicquid habet aliquis, id pro vita ſua daturus eſt.* Eſt enim hic inter cætera divitiarum uſus, quod multorum iram aut juſtam aut injuſtam poſſunt placare, atque ita noxam imminentem avertere: juxta illud,

Munera crede mihi Placant *hominesque Deosque.*

Ac plane eſt in iſta gnoma commodorum, quæ ſecum fert utraque fortuna, elegans comparatio: Dives habet quo placet iratum: Pauper iræ alienæ minus eſt obnoxius. Quod ſi maxime verum eſſet, λύτρον accipi poſſe pro qualicunque impendio, etiam quo ad liberandum nemo moveatur, (quod nullo exemplo probatum eſt) tamen vox ἀντίλυτρου qua Paulus utitur 1 Timoth. 2. 6. ſignificantior eſt, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim ἀντὶ, in compoſitione, aut contrarietatem, aut commutationem ſignificat. Hic contrarietas locum non habet: ſignificatur ergo compenſatio. Neque alia forma Græce dicuntur ἀντίψυχοι, qui pro altero morti ſe devovent, ut ipſum liberent. Sic ἀντίλυτρον eſt tale λύτρον, in quo liberator ſimile quiddam ſubit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur: eſtque egregia ejus vocis quaſi παράφρασις Galat. 3. 13. *Chriſtus ἐξηγόρασεν redemit nos ab exſecratione factus pro nobis exſecratio:* de cujus loci ſenſu ſupra egimus. Ad hæc accedit, quod ſanguinem Chriſti Petrus auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo ipſo qua pretium eſt, 1 Petr. 1. 18. Solent autem aurum & argentum eſſe vere pretium, non figurate, Quare & ſanguis æque aut multo etiam magis vere ſit pretium, neceſſe eſt. Eſt autem pretium id cujus impendio res aut jus aliquod acquiritur: eaque eſt pretii natura, ut ſui valore aut æſtimatione alterum moveat ad concedendam rem, aut jus aliquod, puta impunitatem. Addi his poſſunt illi loci, qui oſtendunt à Chriſto datam carnem ſuam, aut ſeipſum, pro vita mundi, & ut nos liberaret, Johan. 6. 51. Tit. 2. 14. Eſt enim hæc phraſis, dare aliquid propter aliquid, vero pretio accommodatiſſima.

Socinus hæc, aliaque loca plura, in quibus mors aut ſanguis Chriſti pretium liberationis noſtræ vocantur, aliter eludere non poteſt, quam ut dicat, eſſe quidem effectum mortis Chriſti liberationem noſtram à pœnis, (de liberatione enim à ſervitute peccati hic agendi non eſt locus) ſed quo ad nos, non quo ad Deum: id eſt non Deum per eam adduci ut nos liberet, ſed nos ut ad liberationem perveniamus. Sed hoc effugium tum ea quæ diximus, tum alia multa ei præcludunt. Primum enim vox λύτρου, multoque magis ἀντιλύτρου, ejus ſunt naturæ, ut rem denotent, cujus prior ſit effectus circa liberatorem, quam circa liberatum. Deinde quanquam emere interdum ſumitur pro acquirere ſimpliciter, ut vendere pro mancipare, tamen addita voci emptionis vox pretii (ut 1 Corinth 6. 20. & 7. 23.) propiorem ſimilitudinem requirit. Eſt enim pretii maxime proprium, ut ab aliquo tanti æſtimetur, quanti res. Præterea Apoſtolus ἀπολύτρωσιν exponit per ἱλαστήριον, Rom. 3. 24. Eſt autem ἱλάσκειν actus, qui verſatur circa liberatorem prius, quam circa liberandum. Et alibi Hebr. nempe 9. 12. λύτρωσις exponitur per καθαρισμὸν, id eſt expiationem. De cujus vocis vi poſtea agemus. His adde, quod cum effectus alicui rei tribuitur admodum frequenter, atque ita ut nuſquam inveniatur tributus rebus aliis (quemadmodum effectus redemptionis ad mortem & ſanguinem Chriſti refertur, Gal. 3. 13. Matth 20. 28. Marc. 10. 45. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 15. Apoc. 5. 9. & 20. 28. Rom. 3. 24. Epheſ. 1. 7. tum neceſſe eſt finem proprium magis & propinquum, quam communem & remotum intelligi. At circa nos effectus liberationis & multis gradibus eſt remotus à morte Chriſti, & adeo non proprius, ut aliis rebus, quibus aſſcribi non ſolet, multo magis conveniat. Quidquid enim Socinus de nexu liberationis noſtræ cum morte Chriſti loquitur, ita ſummatim explicari poteſt. Liberatio (ut ipſe ſentit) ex ſanctimonia vitæ ſequitur: ſanctimonia ex ſpe præmii: ſpes primo ac potiſſimum ex reſurrectione naſcitur: morti autem tribuitur, aut qua via eſt ad reſurrectionem, aut qua reſurrectioni conjuncta ac comparata ſpem eandem confirmat Unde ſequitur, fatente etiam Socino lib. 2. cap. 3. multo magis liberari nos reſurrectione Chriſti quam morte. Imo, ſi verum agnoſcimus, mors iſti effectui non niſi per accidens cohæret: quia reſurrectio fidem non facit, niſi qua eſt pars gloriæ Chriſti: at gloria ſumma Chriſto etiam non mortuo potuit contingere. Quod autem Chriſtus patiendo exemplum nobis quod ſequeremur præbuit, id ad remiſſionem peccatorum, quæ Chriſto non contigit, aptari omnino non poteſt. Quo ergo illa toties repetita mortis mentio in hoc redemptionis negotio? Duo adfert Socinus: primum quia in morte eſt impendium aliquod, quod non eſt in reſurrectione, ideoque mortis mentio redemptioni eſt aptior: deinde quia charitas Dei & Chriſti in morte magis indicatur. Ad primum quod attinet, eodem relabimur. Nam ſi ex morte Chriſti per ſe liberationis noſtræ effectus non eſt conſecutus (quæ eſt ipſius Socini lib. 3. c. 3. claris verbis edita profeſſio) nihil opus erat Chriſtum & Apoſtolos aut redemptionis aut pretii meminiſſe, præſertim toties: cum liberatio aliis verbis commodius poſſet explicari. Altera vero illa conſideratio, ut ad illas pertineat ſententias, quæ charitatem Dei commemorant, ad alias certe quæ non hoc agunt, & ad ipſam redemptionis vocem explicandam parum commode adfertur. Omitto jam, quod ne oſtenditur quidem charitas ea re, quod boni noſtri non tam cauſa fuerit, quam nuda occaſio. Putat ſe Socinus noſtram ſententiam premere, cum dicit, ita de redemptione per Chriſti mortem facta agere Scripturam, ut quiddam apertum ante oculos ponat, non autem ut occultam quandam indicet virtutem, qualem eſſe eam putat, quam nos ex Scriptura deducimus: ſed hoc cum dicit nos non vulnerat, & in ſe potius telum ſubminiſtrat. Ea enim quæ ſunt Dei, quis novit, niſi Spiritus Dei, & cui ille voluerit revelare? 1 Corinth. 2. 10, 11. At mortem Chriſti in hoc à Deo procurari, ut de ipſo pœnæ peccatorum noſtrorum exigerentur, & ipſe λύτρον noſtrum fieret, dixerat multo ante Eſaias, dixerat Chriſtus ipſe, nec aliud adumbrarant ſancti ritus in priſco fœdere: ita ut qui ad iſta attenderet, non poſſet Dei circa hoc negotium voluntatem ac decretum ignorare; ut jam taceam, ipſam quodammodo naturam loqui, mortem eſſe peccati ſtipendium. Hac Dei voluntate ex oraculis cognita, colligitur deinde ingens Dei erga nos charitas, ut Johan. indicat 1 Epiſt. 4 10. & Paulus Rom 5. 10. Nec aliud eſt quod voce μαρτυρίου indicatur 1 Timoth. 2. 6. ut ex his quæ antecedunt verſ. 4. promptum eſt cognoſcere. Et hæc quidem ſine ullo quærendi labore ipſa verba Sacræ Scripturæ ſimpliciter intellecta ſecum ferunt: cum iſtam liberationis ex morte conſequentiam, quam per tot gradus, ac tam varie deducit Socinus, adeo ex ipſis Scripturæ verbis nemo poſſit colligere, ut ne ex Socino quidem facile poſſit intelligi, quem eſſe in iſtis locutionibus proprium Scripturæ ſenſum velit.

Probata ergo eſt à nobis vera redemptio, ſicuti modo probata eſt vera placatio. Utrovis autem horum probato, probatum eſt id quod intenditur, nos ſcilicet liberatos pœna Chriſti, quam ob peccata noſtra pependerit: non quod omnis redemptio, aut reconciliatio talis ſit, ſed quod ſubjecta materia aliam non admittat. Inane ergo eſt, & abs re alienum, quod aliquoties dicit Socinus, tum placari aliquem poſſe, etſi nihil præſtetur, tum redimi aliquem vere poſſe, qui nihil debeat, ac proinde citra ſolutionem. Nos enim de ea agimus placatione & redemptione, quam rei alicujus præſtatione, morte ſcilicet fieri Scriptura indicat, & de redemtione, qua nos à pœna commerita liberari eadem Scriptura teſtatur. Talis autem præſtatio, quæ debitorem pœnæ à pœna liberet, & recte & proprie ſatisfactio appellatur. Quod videns Socinus, ut ſatisfactionem tolleret, placationem quoque & veram redemptionem ſuſtulit.

Libet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Libet hic obiter in alia quædam animadvertere, quæ non quidem dum argumentum tractat redemptionis, ad hoc tamen argumentum pertinentia, alibi diſſeruit lib. 1. cap. 7. Μεσίτου vocem in Sacris Literis nihil aliud vult ſignificare quam Dei interpretem. Mihi aliud plane perſuadent loci duo: alter 1 ad Timoth. 11. 5. ubi unus dicitur Μεσίτης Dei & hominum Jeſus Chriſtus, qui ſe dederit ἀντίλυτρον pro omnibus. Alter vero Hebr. 9 15. ubi Novi Fœderis μεσίτης dicitur Chriſtus, ut morte intercedente ad redemptionem tranſgreſſionum, vocati vitam æternam adipiſcerentur. Quibus merito addatur tertius Hebr. 12. 24. de quo infra agetur. Apparet hic τὸ μεσίτευμα ſtatui in ipſa redemptione, aut etiam in iſta. Neque vox repugnat. Nam ad μεσίτου officium non minus pertinet hominum vice apud Deum fungi, quam Dei vice apud homines. Neque apud ineruditos tantum, ſed & apud eos, qui elegantius loquuntur, μεσίτης dicitur is, qui placat aliquem. Unde Suidas eam vocem voce εἰρηνοποιοῦ interpretatus eſt.

Alibi dicit Socinus lib. 3. cap 4. perſonæ dignitatem nihil facere ad pœnæ æſtimationem, atque adeo divinam Chriſti naturam & ſummam ipſius perfectionem ad pœnæ valorem nihil afferre ponderis. Nos vero aliter credimus: nempe pœnam hanc inde fuiſſe æſtimandam, quod is qui pœnam ferebat, erat Deus, etſi eam non ferebat qua Deus. Huc enim ſpectat illa locutio, qua Deus dicitur acquiſiviſſe Eccleſiam PROPRIO ſanguine Actor. 20. 28. Quomodo & alibi Dominus gloriæ crucifixus dicitur. 1 Corinth. 2. 8. Perſonæ quoque totius, hoc eſt Chriſti dignitas, non parum ad hanc æſtimationem contribuit. Ideo ἐμφατικῶς in Scriptura dicitur ſanguis Domini 1 Corinth. 2. 27. ſanguis Chriſti Hebr. 9. 14. ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei 1 Johan. 1. 7. Venit in eandem æſtimationem & perfectiſſima Chriſti innocentia ac ſanctitas. Hinc pretioſus dicitur ſanguis, utpote agni inculpati, 1 Petr. 1. 9. alluſione facta ad morem, non Hebræis tantum, ſed & gentibus receptum, ut Sacris adhiberentur pecudes candore omnique corporis forma præſtantes, quæ quod à toto grege eximerentur, inde vocabulo nato in ſacris, ſed mox ad profana tranſlato, eximiæ dicebantur. Eodem & iſta pertinent: *Juſtificabit ſervus meus juſtus multos*. Eſa. 53. 11. *Eum qui peccatum non novit, fecit peccatum*, 2 Corinth. 5. 21 Quod autem Socinus argumentatur, quia divinitas ipſa non patiatur, ideo hanc in pœnæ conſiderationem non venire, perinde eſt ac ſi dicas, nihil referre privatum an Regem, item ignotum, an patrem verberes, quia verbera in corpus dirigantur, non in dignitatem aut cognationem; cui craſſo errori jamdudum occurrit Ariſtoteles. Commune etiam judicium à Socino diſſentit. Nam populi, quorum inſtituta maxime laudantur, pœnas æſtimarunt ex perſonarum dignitate, & attributis aliis. Quare ex Romanorum legibus, quas conſtat æquitatis eſſe pleniſſimas, pœnæ variantur pro conditione perſonarum, atque ea vera æqualitas creditur, ſi inæquales inæqualia patiantur. L. Moris parag. iſtæ. L. in ſervorum. & L. Aut facta. parag. perſona. L. Capitalium, parag. ult. D. de pœnis. L. 1. parag. ult. & L. Qui cædem. D. Ad L. Corneliam de ſicariis. L. ult. parag. 1. D. de incendio. L. 3. D. de Privil. vet. L ult. D. de ſepul. viol. L. 1. & ult. D. de furib. balneariis. Neque aliter ſtatuiſſe gentes alias ſapientiæ nomine celebratas, ab his qui de Republica ſcripſerunt, abunde demonſtratum eſt. Probantque id ipſum juris Romani interpretes.

CAPUT IX.

Quid ſit Chriſtum pro nobis eſſe mortuum.

CONtra Socin. lib. 2. cap. 8. In tertia claſſe poſuimus ea teſtimonia, quæ ſubrogationem indicant, ut cum Chriſtus dicitur pro omnibus mortem guſtaſſe, Hebr. 2. 9. mortuus pro populo, Johan. 11. 50. paſſus pro nobis, 1 Petr. 2. 21. pro nobis impiis & peccatoribus mortuus, Rom. 5. 7, 8. unus pro omnibus mortuus, 2 Corinth. 5. 14. Receptum eſt in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut paſſus eſt vice ac loco alterius, id pro illo paſſus aut feciſſe dicatur. Sic apud Terentium eſt: *Pro illo te ducam: Ego pro te moliam.* Neque hæc phraſis perſonis tantum accommodatur, ſed & rebus. Dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur, ponitur, aut, habetur. Declinat hanc interpretationem Socinus ambiguitate voculæ *pro*, quæ ſæpe utilitatem duntaxat alterius ſignificat: quod de Latina voce verum eſt, ut & de Græca ὑπὲρ. Sed vocula ἀντὶ, quæ reperitur apud Matt. 20. 28. & Marc. 10. 45. hanc ſignificationem plane repudiat: & commutationem requirit. Sic dicitur reddi κακὸν ἀντὶ κακοῦ 1 Petr. 3. 9. Rom. 12. 17. ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδοὺς ἀντὶ ὀδόντος, Matt. 5. 38. Sic dari ὄφις ἀντὶ ἰχθύος Luc. 11. 11. τὰ πρωτοτόκια ἀντὶ βρώσεως μιᾶς Hebr. 12. 16. κόμη ἀντὶ περιβολαίου 1 Corinth. 11. 15. Quoties vero perſonis applicatur ea particula, ſignificat alterum ſucceſſiſſe in alterius locum. Sic Archelaus in Judæa regnaſſe dicitur ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, hoc eſt ipſi in regnum ſucceſſiſſe, Matth. 2. 22. Sic Petrus jubetur dare ſtaterem pro ſe & Chriſto, Matth. 17. 27. quia ipſe unus in ea actione duorum vicem ſuſtinebat. Neque aliter apud profanos ſcriptores εἷς ἀντὶ πολλῶν, & ſimilia. Conſtrictus hic Socinus, negare non audet illo ἀντὶ πολλῶν commutationem quandam indicari: ſed miſere effugium quærit. Cum de redemptione agitur, inquit locus eſt iſti præpoſitioni ἀντὶ, etiamſi captivus nihil pro redemptione debeat. Verum hoc eſt, ſed præter rem. Non enim ex voce ἀντὶ directe inferimus ſolutionem: ſed inde colligimus vice noſtra Chriſtum mortuum, hoc eſt niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos fuiſſe morituros, & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non morituros morte æterna. Omnino enim vox ἀντὶ juncta perſonæ, & verbo δοῦναι, requirit ut perſona in genitivo indicata idem in genere aut ſpecie datura fuerit, quod nunc alius dedit. Neque refert, jurene, ut in nexu ob debitum, an injuria, ut in capto à prædonibus. Hoc vero poſito, futurum ſcilicet ut nos morte afficeremur, ni mortuus eſſet Chriſtus, ſolutio deinde recte colligitur ex ipſa rei natura. Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure. Non injuria. Mortem enim commeriti eramus. Jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipſum alter à debito liberetur, eſt ſolvere aut ſatisfacere. Commutationem ergo illa locutio δοῦναι ἀντὶ πολλῶν veram indicat, ut ſemper: non metaphoricam, quam Socinus ſine exemplo comminiſcitur.

Ad alteram vero præpoſitionem ὑπὲρ quod attinet, primum notandum eſt illam quoque non quidem ſemper, at ſæpe idem valere quod ἀντὶ. Optat Paulus ἀνάθεμα eſſe ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, hoc eſt vice Judæorum, quos alioqui perſeverantes in incredulitate ſciebat futuros ἀνάθεμα, Rom. 9. 3. Apoſtoli ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύουσι, hoc eſt legati ſunt ipſius Chriſti vice, 2 Corinth. 5. 20. Quare cum ἀντὶ neceſſario commutationem deſignet, ὑπὲρ autem pro eodem poni nonnunquam ſoleat, quid vetat vocem notationis dubiæ ex certa interpretari, præſertim cum eodem de argumento agitur? Imprimis vero eam interpretationem videtur requirere locus ille 2 Corinth. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus, omnes ergo mortui,* Deinde vero etiamſi non vox per ſe ambigua ὑπὲρ iis in locis eſſet uſurpata, ſed aperte eſſet dictum, Chriſtum bono noſtro mortuum, hoc ipſo tamen commutatio illa non excluderetur, imo collatis aliis locis includeretur potius. Nam & qui in hoc moritur, ut eo ipſo alterum à morte liberet, ejus bono moritur. Neque poteſt hic ſenſus rejici, quia alicubi Chriſti factum nobis in exemplum proponitur. Nam ad exemplum ſufficit generalem quandam eſſe ſimilitudinem, etſi differentia ſit in modo ſpeciali, cujus tamen mentio fit interdum rei certius denotandæ gratiâ. Quod manifeſto liquet ex Petri adhortatione. 1 Petr. 2. 19. Vult nos patientes eſſe in tolerandis afflictionibus, quas inſontes patimur. Adfert Chriſti exemplum: qui inquit & ipſe paſſus eſt. Satis hoc erat ad comparationem. Sed addidit, ὑπὲρ ἡμῶν, quod ad comparationem non pertinet, ſed rem ipſam, hoc eſt Chriſti paſſionem clare deſignat. Commune ergo eſt patientia: modus ille differt Alioqui fruſtra Paulus quæreret, an Paulus pro fidelibus eſſet crucifixus, 1 Corinth. 1. 13. Poterat enim & ipſe pro Eccleſia, hoc eſt, in uſum Eccleſiæ crucifigi, ſicut pati ſe dixit pro Eccleſia Coloſſ. 1. 24. & poſtea magno Eccleſiæ bono ipſe gladio percuſſus eſt, Petrus, aliique Apoſtoli crucifixi. Sed eo modo, quo Chriſtus crucifigi, pœnas vice noſtra ferendo, nec Paulus poterat, nec alius quiſquam. Vox ergo illa *pro* peculiare hic aliquid denotat, quod Apoſtolis communicari non poteſt. Poſſet autem, ſi mortis Chriſti utilitas gradu tantum à morte Apoſtolorum, non etiam fine proprio ſegregaretur. Sic in epiſtola ad Hebr. 2. 10. exemplum in eo eſt, quod Chriſtus per paſſiones ad gloriam pervenit: modus ſpecialis in eo, quod

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſtus paſſus eſt ὑπὲρ παντός verſ 9. Ut autem illis in locis patientia, ita aliis in locis charitas nobis commendatur eodem Chriſti exemplo: modus autem ſpecialis factum Chriſti apertius deſignat. Quanquam ſi eos locos penitius expendere libeat, videbimus, non tam actum mortis, quam periculum mortis illic reſpici. Nam θεῖναι ψυχὴν, quo ſolus Johannes utitur 10. 11. 15. & 1 Johan. 3. 16. ut & Johan. 13. 38. & 39. item Johan. 15. 13. non eſt ibi proprie amittere vitam, ſed eam quaſi oppignerare, hoc eſt mortis periculum ſubire. Atque ideo illis locis, etiam id quod nobis præſcribitur, non ſolam utilitatem alienam, ſed & commutationem quandam continet, eo nimirum ſenſu, quem Horatius illis verſibus expreſſit,

Paratus omne Cæſaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.

In Cajaphæ autem dicto, non tantum qua ignaro vaticinium excidit, ſed & ex ipſius ſententia vera quædam ſubſtitutio indicabatur. Fingebat enim ille inevitabile excidium Judæorum, ſi Chriſtus vivere permitteretur: & contra, ſi Chriſtus occideretur, incolumitatem certam ob hoc ipſum obtinendam. Vere ergo mortem Chriſti excidio alioquin imminenti ſubſtituere voluit. Atque ita idem in genere Chriſto voluit accidere, cum eo quod alioqui populo erat eventurum; & mortem Chriſti liberationis populi cauſam propinquam & per ſe idoneam credidit. Quod perinde eſt ac ſi dicas: loco populi alioqui (hoc eſt, ſub contraria conditione) perituri, perire Chriſtum voluit. Notandum hic obiter, Cajapham mortis Chriſti effectum primum non circa Judæos poſuiſſe, quorum liberationi conſulebat, ſed circa rectores Romanos, quorum iram volebat effugere: ita ut, ſi verum eſt quod urget Socinus, eam ſumendam verborum Cajaphæ interpretationem, quæ ſimul & Spiritus Sancti & ipſius menti reſpondeat, omnino illud mori pro populo, incolumitatem ab altero impetrandam ſignificet: ille autem alter ex mente Spiritus Sancti nemo eſſe poteſt, niſi Deus: unde ſequitur actum hunc Chriſti prius circa Deum, quam circa homines verſari, quod præfracte abnuit Socinus. Ea autem quæ de commutationis ſignificatione in particula *pro* à nobis hactenus dicta ſunt, ex ſacrificii expiatorii natura multum illuſtrantur. Nam in iis dari ſanguinem pro anima Scriptura & communis Gentium opinio teſtatur. Quod jam nunc apertum fiet.

CAPUT X.

De expiatione facta per mortem Chriſti.

RESTAT quippe claſſis ultima teſtimoniorum, quæ Chriſti mortem ſacrum expiatorium eſſe ſignificant: quæ, quia Socini artificio lib. 2. à cap. 9. ad cap. 23 plurimis nebulis involuta ſunt, poſtremo loco reſervavimus, ut ex his quæ ante dicta ſunt, aliquid lucis acciperent. Conſtat nobis & Socino de voce: Chriſti mortem fuiſſe ſacrificium expiatorium ſive victimam pro peccato, id ipſum clare teſtante divina ad Hebræos Epiſtola, imprimis cap. 9. Sed de ejus vocis vi propria aliter Socinus, aliter ſentit Chriſti Eccleſia. Diſſenſus breviter ac perſpicue ſic explicabitur, ſi dicamus, juxta Socinum expiationis effectum primo ac proprie verſari circa peccata futura; quia fidem ingenerando mors Chriſti nos à peccatis abſtrahat: quo ad peccata vero præterita non niſi ſecundario, & eatenus quoque omnem hanc actionem circa nos verſari, non circa Deum, hoc eſt, non Deum moveri ad remittendum, ſed nos parari ad accipiendam remiſſionem, per vitæ ſcilicet emendationem: juxta ſenſum vero Eccleſiæ, qui Scripturis congruit expiationis effectum proprie verſari circa peccata præterita, & actionem primam eſſe circa Deum, qui ad remittendum moveatur. Actionem primam eſſe circa Deum, non circa homines, probatur ex natura ſacerdotii. Sacerdos enim ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, Hebr. 5. 1. non autem ὑπὲρ Θεοῦ τὰ πρὸς τὸν ἄνθρωπον, quod eſt Prophetæ. Cum autem ſacrificium, præſertim expiatorium, ſit actus Sacerdotis qua talis, ſtatuitur enim in id Pontifex, ut offerat θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, Hebr. 5. 1. VIII. 3.) ſequitur ſacrificium eſſe eorum, quæ fiunt pro homine apud Deum.

Sed tota res manifeſtior fiet collatione ſacrificiorum legis veteris cum hoc ſacrificio, cujus collationis author eſt nobis ſcriptor Epiſtolæ ad Hebræos, & alibi Prophetæ atque Apoſtoli. Lex vetus dupliciter ſpectatur: aut carnaliter, aut ſpiritualiter. Carnaliter, qua inſtrumentum fuit πολιτείας Judaicæ. Spiritualiter, qua σκιὰν ἔχει τῶν μελλόντων. Hebr. 10. 1.

Contra Socin. lib. 2. cap. 9. Quod ad priorem conſiderationem attinet, ſacrificia Legis expiatoria ſanctificabant ad carnis puritatem, Hebr. 10. 13. quod quale ſit explicabimus: Lex Dei hanc habuit ſanctionem: *Exſecrabilis eſt quiſquis non manſerit in omnibus verbis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. Reus ergo pœnæ erat quiſquis vel minimum à lege deflexiſſet, ut oſtendit Jacob. 2. 10. Pœna hæc juxta carnalem ſenſum erat mors violenta: quod ex contrario liquet, quia Legem implenti vita promittitur. Levit. 18. 5. Galat. 3. 12. Sicut autem in omni republica recte inſtituta Rex pœnas exigit per judices ſuos, & hi ſi ceſſent, per ſe ipſum: ita & in Hebraica republica, quam θεοκρατίαν recte dixit Joſephus, (quia Deus erat Rex ejus, Judic. 8. 23. 1 Sam. 8. 7.) Deus ordinarie pœnas legis per judices exigebat: ita tamen ut ipſemet exigeret pœnas eaſdem, ſi judices in officio ceſſarent. Populus, inquit, obruunto eum lapidibus, aut ego opponens iratam faciem viro illi exſcindam illum, Levit. 20. 3. Neque hoc tantum comminatus eſt, ſed & præſtitit ſæpe, ut multis exemplis Veteris Teſtamenti apparet. Sed quia legiſlatori licet ſuam legem, præſertim pœnalem, nonnihil relaxare, Deus Rex Hebræorum in quibuſdam delictis victimas expiatorias admiſit vice ipſius peccatoris, & per illas ac non aliter peccatorem à mortis pœna liberare voluit. Temere jurans mortem merebatur ex lege Exod. 20. 7. ſed per victimam expiari poterat. Levit. 5. 5. *Expiabit eum ſacerdos*, inquit lex, *& remittetur ei*, Levit. 5. 13. Sic qui fidem depoſiti aut ſocietatis fefelliſſet, aut alium dolo decepiſſet, aut furatus eſſet quippiam, reus erat inquit lex Levit. 5. 23. Ex edicto nimirum, quod exſtat Exod. 20. 15. XVI. 17. Sed idem reus præter damni reſtitutionem, ad quam tenebatur læſo, victima data expiabatur, & remittebatur ei quod fecerat. Levit. 5. 26. Et paſſim conjunguntur iſta, expiatio & remiſſio. Num. 15. 28. Levit. 4. 20. Levit. 5. 13. 18. 26. In quibuſdam ergo delictis quod ad pœnam carnalem attinebat, admittebatur placamen, redemptio, ſatisfactio, compenſatio denique mortis beſtiæ cum morte hominis alioqui debita. In univerſum autem pro delictis omnibus lex talem relaxationem pœnæ carnalis non admittebat. Quo reſpiciens Paulus, dixit per Jeſum remiſſionem peccatorum (ſpiritualem ſcilicet) annunciari: & credentem juſtificari in ipſo ab omnibus à quibus Judæi in Lege Moſis juſtificari (etiam carnaliter) non potuerant. Actor. 13. 38. quod ita explicat ſcriptor ſane vetuſtus reſponſionum ad Orthodoxos, quæ Juſtino ſolent adſcribi: τῶν δὲ ἄλλων πλασμάτων γεγενημένων εἰς βλάβην πολιτείας (gravem ſcilicet & minus tolerabilem) ἢ ζωῆς ἀνθρώπων, τῶν τοιούτων πλασμάτων οὐ δίδωσι (ὁ νόμος ſcilicet) συγχώρησιν, οὔτε διὰ τοῦ βαπτίσματος, οὔτε διὰ τῆς τῶν ἀλόγων θυσίας, ἀλλὰ δικαίαν τε καὶ ἀξίαν ἀμοιβὴν δίδωσι τοῖς πλαίσασι διὰ τοῦ ἴσου τῆς ἀντιπλήξεως. ψυχὴν, φησὶν, ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. ὅπου δὲ τὸ ἴσον τῆς ἀντιδόσεώς ἐστιν ἀπρεπὲς, ἐκεῖ τὸν διὰ πυρὸς, ἢ λίθου, ἢ ξίφους θάνατον ἀνταποδίδωσι τοῖς πλαίσασι. τὴν μὲν γὰρ θυγατέρα τοῦ ἱερέως πορνεύσασαν διὰ πυρὸς ἀναλίσκει. τὴν δὲ τοῦ λαϊκοῦ ἀνδρὸς, διὰ λίθου. τὴν δὲ ὕπανδρον, διὰ ξίφους. καὶ οὐδαμοῦ ἰσχὺς τῷ νόμῳ ἐκ φιλανθρωπίας διὰ βαπτισμῶν τε καὶ θυσιῶν σῶσαι τῶν τοιούτων τινά. Neque male obſervarunt Hebræorum magiſtri ad Pſalm. 51. 18. Davidem pro homicidio atque adulterio victimam non polliceri, quia lex nullam pro iſtis delictis expiationem prodiderat. Quod autem ſupra diximus, in expiatione mortem pecudis morti hominis ſubrogari, id ipſum manifeſtum quoque eſt ex eo, quod Deuter. 21. conſtituitur, ut homicida non reperto populus expietur pecude cæſa: ubi & expiandi vox explicatur: *Expia populum tuum Deus, & ne imputes ſanguinem innocentem.* Alioqui vero non poterat terra expiari à ſanguine effuſo, niſi per ſanguinem effuſoris, ut ait lex Numer. 35. 34. Huic loco addatur alter Levit. 17. 11. *Anima cujuſque carnis in ſanguine; ego vero deſtinavi vobis eum in altari, ad expiationem faciendam pro animis veſtris: Nam ſanguis eſt qui pro anima expiationem facit.* Item tertius Levit. 10. 17. ubi victima dicitur reorum iniquitates portare, cujus phraſeos vim alibi explicavimus. Hanc ſubrogationem Socinus lib. 2. cap. 10. non vult agnoſcere, neque fateri per victimas ullo modo Deum motum, ne peccata puniret. Idque ut probet, duo hæc adfert: non potuiſſe errata hominum in beſtiis puniri, quia nulla inter homines & beſtias ſit ſpeciei communio. Neque Deo dari quicquam poſſe, qui eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

omnium Dominus: quorum prius falſum eſt. Nam quemadmodum differentia individualis (ut loquuntur) non impedit, quo minus alter poſſit luere pœnas peccati alieni, modo ipſa mali inflictio per ſe injuſta non ſit (ut ſupra oſtenſum eſt) ita nec ſpeciei diverſitas impediet, quo minus beſtia, quæ alioqui etiam juſte poterat occidi, impendatur exemplo, ut in ipſius morte appareat, quid homo ſit commeritus. Neque conjunguntur homo & beſtia ſolo genere animantis; verum ea quoque relatione, quæ eſt inter poſſeſſorem & rem poſſeſſam. Eſt enim beſtia in univerſum ſub humano dominio: & ſpecialiter expiandus de ſuo dare victimam jubebatur, Levit. 5. 6, 7. Alterum vero nihil ad rem pertinet. Neque enim ſequitur, Si Deo nihil accedit per ſacrificium, ideo Deum ſacrificio non moveri. Hoc ipſo enim διαρεστεῖται Θεός, quod homo re ſibi conceſſa in honorem divini numinis ſemet ipſe defraudat. Solere autem ſatisfieri ut per pœnam, ita per aliquam actionem gratam ac placentem, alibi commonſtratum eſt. In victimis ſane non rem ſolam ſpectari, ſed & offerentis animum, cum Sacra Scriptura indicat, tum Gentes ipſæ crediderunt. *Ne in victimis quidem*, inquit Seneca, *licet optimæ ſint auroque præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed pia ac recta voluntate venerantium.* Unde & de Chriſti morte agens Scriptura, modo charitatis, modo obedientiæ facit mentionem. Ex his quæ diximus, perſpicuum jam eſt, quomodo victimæ pro peccato in Veteri Fœdere peccata expiarint, nimirum Deum movendo, ut pœnam carnalem remitteret, idque per ſatisfactionem quandam. Quod autem typi præſtiterunt carnaliter, hoc ὁ ἀντίτυπος Chriſtus præſtat ſpiritualiter, & quod typi in quibuſdam duntaxat delictis, id Chriſtus in omnibus, Deum ſcilicet movendo, ut ſpiritualem pœnam remittat, idque per ſatisfactionem perfectiſſimam. Plus enim non minus ſemper eſt in re typo deſignata, quam in typo; ut ratio monſtrat. Commune eſt ſacrificio expiatorio legali & ſacrificio Chriſti illud, quod ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, Hebr. 9. 22. Hanc impetrationem remiſſionis per ſanguinem ibidem divinus ſcriptor appellat modo ἁγιασμὸν 13. modo καθαρισμὸν verſ. 14. & 22. & 23. Sed in veteri lege victimæ erant pecudes, verſ. 12. in hoc noſtro Chriſtus ipſe non Sacerdos tantum, ſed & victima. verſ. 14. & 24. Legalis illa expiatio hujus cœleſtis ſive ſpiritualis ὑποδείγματα 23 & ἀντίτυπον 24. quomodo? quia illa præſtabat carni munditiem, 14. id eſt reatus ablationem: non autem Spiritui ſive conſcientiæ 9. hæc autem ipſi conſcientiæ 14. Quia quod in veteri lege erat mors temporalis, hoc in Novo Fœdere eſt mors æterna. Hebr. 10. 29. ac proinde illic liberatio erat temporalis, hic vero αἰώνιος λύτρωσις, Hebr 9. 12. Quare ſicut eodem loco ab effectu legalis victimæ ad effectum hujus per Spiritum oblatæ argumentum producitur, *Quanto magis*, &c. verſ. 14. ſic & nobis licet hunc in modum certiſſime argumentari: Victima legalis reatum carnalem ſuſtulit, Deum movendo ad remiſſionem, ergo multo magis reatum ſpiritualem, Deum itidem ad remiſſionem movendo, tollit oblata per Spiritum victima.

Eodem reſpiciunt loci, in quibus Chriſtus agnus dicitur. Neque multum ad rem faceret etiamſi non ſoliti eſſent in lege agni pro peccato immolari. Nam etiam ſic licuiſſet viris Sanctis pro pecude pecudem alteram nominare, ut ſimul & in generali pecudis ſignificatione comparatio conſiſteret, & tamen agno potius, quam ariete aut capra nominato innocentia victimæ exprimeretur. Ideo enim & Petrus addidit ἀμώμου καὶ ἀσπίλου, 1 Petr. 1. 19. potuitque ſimul & quodam verborum compendio reſpici ad vaticinium Eſaiæ 53. 7. in cujus interpretatione Græca erat vox ἀμνὸς, ut apparet Actor. 8. 32. contra Socin. l. 2. cap. 9. Verum inſuper liquet agnum in contaminationibus expiandis fuiſſe uſurpatum, Levit. 14. v. 12. Numer. 6. 12. quæ quidem contaminationes in Lege Veteri peccato eouſque æquabantur, ut & peccati nomen acciperent. Unde & agnus ille in reatum ſive delictum offerri utrobique dicitur: & altero loco diſerte additur, *quia peccavit circa cadaver.* Effectus quoque idem aliquatenus. Nam contaminati non admittebantur ad Societatem πολιτείας Judaicæ, niſi per talem expiationem. Quin & Paſchalis victima (quam plerumque agnum fuiſſe conſtat, Exod. 12. 5) in prima inſtitutione aliquid habuit expiatorii. Ait enim Deus ſe reſpicientem ad ejus ſanguinem averſurum ab Hebræis id exitium quod alioqui cum Ægyptiis (quorum imitatione ſe contaminaverant) habituri erant commune, Exod. 12. 13. Hebr. 11. 28. Sed & pro peccato, puta, temerarii juramenti, agnam offerri ſolitam oſtendit lex, Levit. 5. 4, 6. Agnus autem cum dicitur Chriſtus, ſacrificium notari non tantum Petrus oſtendit, redemptos nos dicens agni ſanguine, 1 Petr. 1. 18. ſed & Johannes in Apocalypſi multis locis, atque inter cæteros ubi mactatum eum dicit Apoc. 5. 6. 5. 12. XIII. 8. Sacrificium autem aliud quam pro peccato intelligi non poteſt, quia Petro teſte, fuit redemptorium.

Contra Socin. lib. 2. cap. 17. Tale eſt ſolum ſacrificium pro peccato. Unde plus quam manifeſtum eſt, cum dixit Baptiſta Chriſtum eſſe Agnum, qui auferret Mundi peccata Johan. 1. 29. de peccatis ibi præteritis agi, non de futuris; & de auferendo reatu per remiſſionis impetrationem apud Deum, non autem per fidei ingenerationem. Neque verum eſt, quod dicit Socinus & cap. 9. lib. 2. ſolum Sacerdotem ſummum Chriſti, ſolamque anniverſariam expiationem ſacrificii ipſius figuram geſſiſſe. Quanquam enim in ſummo Sacerdote, & illo ſolenni ſacro figura quædam fuit excellentior, quam propterea ſingulari cura Spiritus Sanctus in epiſtola ad Hebræos perſequitur, negari tamen non poteſt, quin & Sacerdotes alii, & ſacra alia expiatoria obſcurius eodem reſpexerint. Monſtrat hoc eadem illa epiſtola cap. 9. verſ. 13. ubi omnis carnalis per victimas purificatio cum Spirituali per Chriſtum purgatione confertur, multoque magis verſ. 21. & ſequentibus, ubi cum dictum eſſet univerſaliter, omnia ferme in lege ſanguine purgari, neque aliter quam fuſo ſanguine contingere peccatorum remiſſionem, ſubjungitur deinde, ἀνάγκη οὖν τὰ μὲν ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τούτοις καθαρίζεσθαι. Sic & cap. 10. verſ. 11. quotidiana ſacrificia cum Chriſti ſacrificio comparantur: cujus loci ſententiam evertit Socinus lib. 2. cap. 16. *quotidie* exponens *quotannis*, nullo exemplo. Nam quod locum Hebr. 7. 27. adfert huic interpretationi firmandæ, fruſtra eſt, cum falſo ſumat Sacerdotem in ſolo anniverſario ſacrificio pro ſe offerre debuiſſe. Contra enim offerre pro ſe debuit, quoties peccati ſibi erat conſcius, Levit. 4. 3. Paſchale quoque ſacrificium ſacrificii à Chriſto peracti figuram fuiſſe, oſtendit. Johan. 15. 36. & Paulus 1 Corinth. 5. 7.

Quanquam autem hæc ſufficere poterant, libet tamen ex communi Gentium notitia, aut potius ex vetuſtiſſima traditione per omnes terras diffuſa, ſacri expiatorii naturam paulo uberius explicare. Quin ante Legem Moſis ſub ſtatu legis naturalis qui dicitur, ſacrificia fuerint, dubitari non poteſt, quorum ritus à Deo traditos hi, qui diluvio ſuperfuere, per terras omnes diſperſi ad poſteros tranſmiſerunt: manſitque aliquamdiu non tantum apud Semi, ſed & apud Japheti, (forte & Chami) poſteros incorrupta religio, donec plurium ideoque falſorum Deorum cultus in ejus locum ſuccreſceret. Sed tunc quoque Deo mutato manſere ritus & ceremoniæ à pio uſu ad impium tranſlatæ, magnum adverſus ipſos teſtimonium acceptæ veritatis, ſed per injuſtitiam detentæ; ut inquit Apoſtolus Rom. 1. 18. Perſuaſiſſimum ergo habebant Gentes iſtæ, delictis hominum offendi & iraſci Deos. Ex hac ira ſequi ſolere magnas calamitates, qua privatas, qua publicas. Videatur egregius Plutarchi libellus περὶ τῶν ὑπὸ θεοῦ βραδέως τιμωρουμένων, in quo ſi pro Diis Deum reſcribas, plurima invenies digna, quæ à Chriſtiano dicantur. Ira iſta colligebatur ex cauſis aut effectis. Ex cauſis, ſi qua facinora ad notitiam perveniſſent. Ex effectis, portentis, prodigiis, ſignis cœleſtibus. Videatur Cicero de Haruſpicum reſponſis. Lucanus 1. Pharſaliæ. hiſtorici Græci, Romanique paſſim. Iram tamen hanc ſperabant averti poſſe quibuſdam victimis. His dicebatur placari numen, reus ipſe, aut homo, aut populus purgari, ſive antiquo verbo februari, peccatum ipſum piari atque luſtrari.

Quare eadem ſacrificia dicebantur ἱλαστικὰ, ἁγνιστικὰ, καθαρτικὰ; Latine placamina, februa, piamina. Vox ἱλάσκεσθαι ad victimas ab Homero, aliiſque ſæpiſſime aptatur. Ἁγνίζειν τὴν πόλιν καθαρμοῖς eſt apud Plutarchum in Romulo. Hoc ἁγνίζειν ἁγίζειν quoque & ἀγιάζειν dicitur. Apud Herodotum lib 1. Phryx Adraſtus homicidio pollutus καθαρσίου ἐδέετο, opus habuit ſacro expiatorio: Crœſus ipſum ἐκάθηρε, expiavit. Similem autem dicit eſſe κάθαρσιν, expiandi rationem, apud Lydos & Græcos. Apud Hermogenem eſt, μηδὲ καθηράμενος ἀπὸ τῶν ἀσεβημάτων. Plato 2. de Rep. pro eodem ponit λύσεις & καθαρμοὺς ἀδικημάτων. Plutarchus in Romanis καθάρσια interpretatur ἀποτρόπαια, hoc eſt averrunca, iram divinam avertentia. Placandi voce apud Virgilium alioſque in ſacris nihil frequentius: cujus vim Horatius ita expreſſit,

Mactata veniet mitior hoſtia.

Livius ſæpe: *Pacem Deos expoſcere.* Plinius pecori gratiam eſſe ait in Deorum placamentis. Ovidius Faſtorum primo

per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

per victimas ait homini Deos CONCILIARI: quam vocem cum placandi voce idem valere ſupra oſtendimus. Purgare & purificare ex Græco ἁγνίζειν tranſlatum inde ſumitur, quod reatus immunditia quædam videtur. Purificandi vox eſt apud Suetonium & Plinium. Purgare mœnia luſtro, dixit Lucanus: ſed receptius eſt luſtrare. De cujus origine ſupra diximus. Sic exercitum ſuovetaurilibus luſtrare eſt apud Livium. Ovidius per expurgare expoſuit XIII. Met.

—— Ego luſtror ab illis,
Expurgante nefas novies mihi carmine dicto.

Servius apud Virgilium, *Luſtramurque Jovi*, 3. Æn. exponit, purgamur, piamur. Seneca in Troadibus, luſtrale ſacrum, explicat ipſe, quo piantur rates. Et Papinius Menœcea dixit, caput luſtrale, quod ſic exponit,

Terrigenam cuncto patria PRO SANGUINE *poſcunt:*

Item:

—— Date gaudia Thebis
Quæ pepigi, & toto quæ SANGUINE *prodigus* EMI.

Luſtrale ergo ſacrum, eſt quod ſanguinem emit, hoc eſt, redimit ſanguine. Quod pertinet ad ea comprobanda, quæ de redemptione ſuperius à nobis ſunt diſputata. Notandumque imprimis, ſæpiſſime, cum de ſacris expiatoriis agitur ſanguinis fieri mentionem, quia ex vetuſtiſſima Dei lege Noacho data, Geneſ. 9. 4. Atque inde ad populos omnes propagata, ſanguis eſt vice animæ, ac propterea animæ nomine appellatur: Hinc illud Virgilii:

Sanguine quærendi reditus, animaque litandum:

Quæ verba explicans ex Trebatio Macrobius eas hoſtias ait animales fuiſſe appellatas. Piari proprie dicuntur ipſa peccata, hoc eſt, lui: ſive ſolvendo pœnam debitam, ſive aliud quod pœnæ debitæ in locum ſuccedit. Ut ecce apud Virgilium:

—— Et culpam miſerorum morte piabunt:

Hoc eſt, efficient ut luantur. Plinius: *Luxum populi expiare ſolent bella.* Cicero: *Tua ſcelera Dii immortales in noſtros milites expiaverunt.* Apud eundem ſæpe eſt ſcelera ſupplicio expiare: & apud Salluſtium, cædem cæde, ſanguinem ſanguine expiare. Imo & ſupplicii vox primum in ſacris fuit, unde ad pœnas tranſlata eſt. Contra Socin. lib. 2. cap. 13. Sed in ſacrificiis piare, eſt luere per ſucceſſionem rei alterius in locum pœnæ debitæ. Hinc Plautus:

Men' piaculum oportet fieri propter ſtultitiam tuam,
Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccedaneum.

Hinc author diſtichorum, quæ Catonis nomen præferunt, ait:

Cum ſis ipſe nocens, moritur cur victima PRO TE?

Ubi, pro te, eſt tuo loco. Atque ibidem eos, qui victimas offerunt, ait morte alterius ſuam ſalutem ſperare. Hinc piacula proprie ipſa ſacrificia: *Ea prima piacula ſunto.* Virg. 6. *Teque piacula nulla reſolvent.* Horatius: quæ & piamina Ovidio:

Februa Romani dixere piamina Patres:

Cujus vocis vim ipſe mox exprimit, *quo crimina noſtra piantur:* Et piamenta Plinio. Improprie piacula crimina, propter quæ piacula debentur, ut recte Servius ad illud Virgilii,

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Quanquam autem, ut diximus, piare proprie eſt luere, ideoque de ipſa pœna aut peccato, id eſt reatu & debito, proprie dicatur, cœpit tamen ſumi pro ſignificationis propinquæ vocibus placare & luſtrare. Sic Cereris numen expiandum, dixit Cicero. Sic Livius: *Ut cædes manifeſta aliquo piaculo lueretur, imperatum eſt patri, ut filium expiaret*, id eſt, luſtraret. Sic Seneca in Troadibus dixit, piare rates, id eſt, claſſem luſtrare. Prodigia, quoque piare, dixit Tacitus, pro facinoribus ob quæ orta ira prodigiis indicabatur. Locus eſt ubi de Judæis agit: *Evenerant prodigia, quæ neque hoſtiis, neque votis piare, fas habet gens ſuperſtitioni obnoxia, religionibus adverſa.* Ubi obiter notari poteſt, quod ſupra diximus, non eſſe ad quamvis iram divinam placandam in lege Judæorum piamenta prodita. Ex his manifeſto apparet, ſacra luſtralia, ſive piamenta, pertinuiſſe ad placandum numen, & ſic impetrandam impunitatem ante commiſſorum. Quod Plinius ita exprimit, *Vetus priſcis temporibus opinio obtinuit, februa eſſe omnia, quibus malefactorum* CONSCIENTIÆ PURGARENTUR, DELERENTURQUE PECCATA. Neque vero omittendus eſt inſignis de expiatoriis ſacrificiis Porphyrii locus: *Πάντες γὰρ ἐν τούτῳ ὡμολογήκασιν οἱ θεόλογοι, ὡς ὅτι ἀπλέον ἐν ταῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων καθαρσίοις πεχρηστέον. μὴ γὰρ ἴοι τις εἰς ἄστυ, μηδ' εἰς οἶκον ἴδιον, μὴ πρότερον ἐσθῆτα καὶ σῶμα ποταμοῖς ἢ πηγῇ ἀποκαθήρας, φασίν.* Quod ait convenire Theologis, iis qui attigerint victimas expiatorias lavanda eſſe veſtimenta, plane cum Lege per Moſen Hebræis tradita congruit, ut apparet Levit. 16. 26. & 28. Quia vero Gentes iſtæ non ignorabant naturæ ductu, quo majus eſſet quod daretur Deo eo facilius poſſe veniam impetrari, præſertim ſi ἀντιλύτρου cum eo quod redimeretur, aliqua eſſet æqualitas, ideo à pecudum mactatione in piaculis faciendis ventum eſt ad mactationem hominum. Cauſam explicat Cæſar de Gallis agens: *Pro vita hominum niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen* PLACARI *arbitrantur.* Primi omnium hoc factitaſſe reperiuntur Cananæi, hoc eſt, Phœnices. Nam de his in Sacris Literis legimus, ſolitos eos Molochum placare liberorum ſuorum mactatione. Is Molochus fuit Saturnus, ut Hebræorum magiſtri recte explicant. Phœnicum hiſtoriam à Sanchuniathone conſcriptam plenam fuiſſe ejuſmodi ſacrificiorum narrationibus, narrat is, qui apud interpretem Philonem Byblium legit, Porphyrius. Pars horum fuerunt Tyrii, apud quos antiquitus uſitatum, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: Narrat Curtius lib. 3. Idem recte notat, Carthaginienſes, colonos Tyriorum, id ſacrum à conditoribus accepiſſe: de quibus eſt illud Ennii,

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos,

Narrat idem de Pœnis Diodorus, & Juſtinus his verbis: *Homines ut victimas immolabant, & impuberes aris admovebant* PACEM *Deorum* SANGUINE *eorum expoſcentes.* lib. XVIII. Silius Italicus ſolitos eos dicit, *Poſcere cæde Deos* VENIAM. Lactantius ex Peſcennio Feſto narrat, Carthaginienſes, IRATUM ſibi DEUM putantes, ut PIACULUM SOLVERENT, immolaſſe ducentos nobilium filios. Meminit & Minutius Felix: & Tertullianus Apologetico, qui Saturnum propterea appellatum ait tumulum filiorum, & Plutarchus libello de ſuperſtitione. In Ægypto quoque homines, & quidem formæ exquiſitæ ſacrificatos fuiſſe antiquitus, ſcripſit Manethos, addiditque, ſervatum morem ad Amoſis tempora, qui pro hominibus cæreas imagines ſubſtituerit. Et de Heliopoli traditum, diligenter ibi inquiſitum, an mundi eſſent, qui mactandi deſtinabantur. In Cypro ſimiliter homo mactatus ad Diphili Regis tempora, qui bovis immolationem ſubrogavit. Idem factum olim in Rhodo, Chio, Tenedo, Salamine: item Laodiceæ: & apud Arabas Dumathios. Perſæ vivos defodiebant. De Albanis hoc ſpecialiter proditum, ſolere ab ipſis immolari eum, quem crederent ſanctimonia maxime pollere. Iones, teſte Pauſania, virginem & puerum immolabant, ut iratam Dianam placarent. De Blemyis, Maſſagetis, Tauris, Neuris & in univerſum de Scythis, ſimilia legimus: quæ pro Aſia Africaque poſſunt ſufficere. Quibus addi poteſt, eundem ritum repertum tum in veteri India, (de qua idem jam olim Mela tradiderat) tum in Americano orbe ab his, qui illas oras notitiæ hominum reddiderunt. In Canariis quoque inſulis non diu eſſe, cum id fieri eſt deſitum. Ad Europam ut veniamus, olim in Cræta Saturno pueros, Lacedæmone hominem Marti immolatum, Iſter & Apollodorus tradiderunt. Quin Græcis communiter omnibus morem fuiſſe eundem Phylarchus tradidit, Plinio aſſentiente, exſtantque exempla etiam belli Perſici temporibus. Romæ etiam quotannis mactati Græcus & Græca, Gallus & Galla: Latiaris quoque Juppiter humana victima colebatur: nec minus Diana Aricina. Olimque uſitatiſſima fuiſſe per Italiam & Siciliam id genus ſacrificia, narrat Plinius: neque Romæ abrogata ante annum urbis Sexcenteſimum quinquageſimum Septimum. Nec aliam habent originem Deciorum devotiones, quibus antiqui, ut Cicero ait de Natura Deorum tertio, PLACATOS Deos cenſebant: Livius vocat Decios piacula omnis Deorum IRÆ: item piacula LUENDIS periculis publicis. Nec omittendus inſignis Juvenalis locus:

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: PRO *totis legionibus hi tamen, &* PRO
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
SUFFICIUNT DIS *infernis, Terræque parenti:*
PLURIS *enim Decii, quam qui ſervantur ab illis.*

Quo in loco primum is conſpicitur uſus particulæ, *pro*, quem nos ſupra frequentem admodum eſſe indicavimus, & hujus argumenti quaſi proprium, ut idem ſit quod, loco alterius. Apparet deinde, creditum à Romanis, ſacrificii æſtimationem ab ejus, qui mactatur, dignitate augeri. Poſtremo ex

collatione authorum manifeſtum fit, iſta ἰσοδυναμεῖν: Deum placari aliqua victima: Deorum iram expiari: aut animam cujuſpiam Diis ſufficere pro aliorum animis. Gallorum mos ex Cæſare notiſſimus, de quo ſupra attigimus: quem manſiſſe ait Plinius ad Tiberii principatum. De iiſdem Cicero: *Galli humanis hoſtiis Deos* PLACANT. Placare Deos, dixit Cicero, ut & Cæſar: Luctatius, luſtrare civitatem. Idem Cæſar interpretatur, pro vita vitam reddere. Sic Thraces Zamolxin, ſic Germani Mercurium, Deoſque alios colebant: de quibus ita Lucanus:

Et quibus immitis PLACATUR *ſanguine diro*
Teutates.

In Britannia quoque celebrata hujus generis ſacra, Tacitus & Plinius prodiderunt. Procopius ad ſua, hoc eſt, ad Juſtiniani uſque tempora idem factitatum ſcribit in Thule inſula. Alias vero per gentes non exoleviſſe eum morem ante Adriani imperium, Porphyrius ſcriptum reliquit. De Maſſilienſibus ſpecialiter memoriæ eſt proditum, quoties peſtilentia laborarent, ſolere pauperem ali publicis ſumptibus, qui verbenis ornatus & ſacris indutus veſtibus, per urbem duceretur cum exſecrationibus, ut in ipſum omnia civitatis mala reciderent: & ſic Diis immortalibus immolaretur. Queis omnibus in unum collectis, videbimus haud immerito de his ſacris Plinium exclamaſſe: *Adeo iſta* TOTI *Mundo conſenſere quanquam diſcordi & ſibi ignoto.* Et hæc quidem de humanis victimis obiter dicta ſunto: in quibus non ideo tantum peccarunt Gentes, quod Diis falſis ſacra fecerunt, verum etiam, quod divinum numen iſta ratione colendi mandatum nullum habebant, quale Abrahamus habuit. Cæterum mos ille Gentium in expiandis peccatis hominum aut pecudum mactatione, non parum affert lucis ad intelligendam ipſam ſacrificii expiatorii naturam, & vocabula propria ejus argumenti. Eoque minus ſperni poteſt hic labor, quod dicat Socinus lib. 2. cap. 9, Baptiſtam, cum Chriſtum agnum Dei appellavit, ad ſacrificia in univerſum reſpexiſſe, quibus non ſolum apud Hebræos, ſed & apud Gentes peccata expiari credebantur. Neque vero dubitandum eſt, cum in hoc ipſo ſacrificii expiatorii argumento voces Græcas καθαρίζειν & ἁγιάζειν ſæpiſſime uſurpat divinus ſcriptor ad Hebræos, quin eo ſenſu uſurpaverit, quem Græca lingua receperat.

Unde jam promptum eſt intelligere, quid illud ſignificet, quod Chriſtus ſacrificium pro peccato ſive expiatorium dicitur. Nam cum tres interpretationes afferat Socinus lib. 2. cap. 16. 17; primam, quod Chriſti mors fidem nobis ingenerando nos à peccatis in poſterum retrahat: alteram, quod mors ipſa antecedens ſit quiddam ad peccatorum remiſſionem conſequendam lib. 2. cap. 20: tertiam, quod ipſi remiſſioni aut decreto de ea facto teſtimonium quaſi præbeat; ex his tribus ſola ſecunda huc pertinet: non quod non alia quoque illa Chriſtus fecerit, & quidem multo quam Socinus opinatur efficacius, ſed quia iſta ad ſacrificium pro peccato non pertinent. Similitudinem enim legalium ſacrificiorum pro peccatis (quibus conjungi poſſunt ſimilia ſacrificia Gentium, non ſecundum rem, ſed ſecundum Gentium opinionem conſiderata) & ſacrificii à Chriſto peracti, fatetur Socinus lib. 2. cap. 10, conſiſtere in ipſa expiatione. At ſacrificia illa non abſtrahebant à peccato, præſertim fidem alicujus rei faciendo: neque etiam remiſſioni peractæ, aut certo decretæ teſtimonium præbebant, ſed, ut ipſe Socinus agnoſcit, erant aliquod antecedens requiſitum ad remiſſionem. Quod oſtendunt illa legis verba: *Expiabit & remittetur.* In hoc ergo verſatur comparatio, planeque neceſſe eſt idem ſignificare expiationem, cum ſacrificiis legalibus, & cum Chriſto applicatur, quia utranque deducit ſcriptor ad Hebræos ex eodem decreto, nempe ut ſine ſanguinis effuſione remiſſio non fiat, ſed expiatio fiat in ſanguine, Hebr. 10. v. 21. Non obſtat, quod dicitur ad Hebr. 10. 4, fieri non poſſe ut ſanguis taurorum & hircorum tollat peccata. Repetendum enim eſt ex ſuperiori κατὰ τὴν συνείδησιν, ut manifeſto apparet, ſi cum hoc loco ſimiles conferas cap. 9. 9. & 14. Sanguis pecudum tollebat peccata, id eſt reatum temporalem, non autem tollebat reatum ſpiritualem. Ut ſupra oſtenſum eſt. Neque in Apocalypſi illud λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν 1. 5. contra Socin. lib. 2. cap. 17. ſine inſigni detorſione interpreteris, qui lotos nos declaravit, aut 1 Johan. 1. 7, ubi eſt, Sanguis Chriſti καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, exponere licet, mundos nos eſſe declarat. Repugnat enim manifeſte & verborum proprietas, & perpetuus Scripturæ uſus in hoc argumento. Immunditiæ nomine ſignificari paſſim reatum, fatetur Socinus. Hinc καθαρίζειν & ἁγιάζειν, eſt eum reatum tollere, ſive efficere remiſſionem, ut ipſe ſcriptor ad Hebræos exponit vocem καθαρίζειν, 10. 22. Chriſtus per ſe ipſum fecit hunc καθαρισμὸν Hebr. 1. v. 3. Chriſtus καθαρίζει conſcientiam ab operibus mortuis Hebr. 9. 14. hoc eſt, ipſo Socino interprete, à reatu & pœna, pœnæque timore conſcientiam liberat. In veteri quoque Teſtamento חִטֵּא eundem habet ſenſum. Pſalm. 51. 9. Quod autem his in locis eſt καθαρίζειν, hoc ipſum ſimili ratione dicitur ῥαντίζειν 10. 22. & λούειν, hoc eſt lavare, verſ. eodem: quo reſpicit etiam vaticinium Zach. 13. 1. Cur ab hoc ſenſu diſcedatur duobus illis locis Apoſtoli Johannis, ratio plane nulla eſt. Non enim, ſi Jeſus teſtis fidelis dicitur Apoc. 1. 5. ideo *lavare* illud ad teſtimonium referri debet. Non enim cohærent ἀμέσως, illud, μάρτυς ὁ πιστὸς, & ἔλουσεν, ſed intercedit mentio primogenituræ mortuorum, regni, deinde charitatis: ut vel cæco appareat, multa officia ac beneficia Chriſti ad illuſtrandam ipſius dignitatem una conjungi, contra Socin. lib. 2. cap. 13. In Epiſtola autem Johannis omnino abſurdum eſt καθαρίζειν de declaratione mundationis, non de ipſa mundatione interpretari, cum paulo poſt jungantur ἀφιέναι & καθαρίζειν. Argumentatur Apoſtolus à conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundationem hoc eſt, remiſſionem per ſanguinem Chriſti: quia nemini in luce ambulanti imputantur peccata. Baptiſtæ vero prædicatio, Chriſtum agnum nominantis qui mundi peccata tollat, cum ſacrificia expiatoria reſpiciat tum Hebræorum, tum Gentium, agnoſcente Socino lib. 2. cap. 9. plane non permittit nos, Tollere peccata, aliter interpretari, quam reatum tollere. Hoc enim faciebant expiatoria ſacrificia, non autem abſtrahebant à peccando. Neque aliud eſt εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας Hebr. 9. 26. quam πρὸς τὸ καθαρίζεσθαι ἡμᾶς, πρὸς τὸ γίνεσθαι ἡμῖν ἄφεσιν, ut ex verſ. 22, apparet. Illa autem ἀθέτησις ἁμαρτίας facta eſt διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ. d. verſ. 26.

Quanquam vero Socinus quoſdam locos vero ſenſui conatur eripere, tamen, multis aliis convictus, agnoſcit indicari in Chriſti ſacrificio expiationem factam, quæ antecedat remiſſionem peccatorum, tanquam requiſitum aliquod. Attamen negat, Deum iſto ſacrificio moveri ut remittat, ſed nobis fidem quandam ait ingenerari, qua, perducti ad emendationem vitæ, porro remiſſionem peccatorum conſequamur lib. 2. cap. 10. in quo primum parum meminit ejus quod dixerat, figuram cum figurato congruere debere in eo in quo fit collatio. Neque ejus quod oſtendit Scriptura, illud πάντα καθαρίζεται ἐν αἵματι, eodem modo ad legalia ſacrificia, & ad Chriſtum pertinere, Hebr. 10. 22. Sacrificia autem legalia plane talem fidem non ingenerabant. Neque tolerabilis eſt illa vocis expoſitio, expiare, eſſe aliquid facere, quod ad remiſſionem requiratur. Contra enim voces iſtæ omnes, καθαρίζειν, ἁγιάζειν & ſimiles quibus utuntur Apoſtoli, ſuapte natura & uſu perpetuo non ſolum ordinis anteceſſum, ſed & efficaciam quandam deſignant. Alia quoque evertendæ huic à Socino repertæ interpretationi certiſſima argumenta nobis Scriptura ſuppeditat. Dicit enim opus fuiſſe novo Sacerdote ex ordine Melchiſedech, Hebr. 7. 11. At fidem in Deum prædicare, imo & prædicationem hanc morte confirmare potuerant etiam Levitici ſacerdotes. Quare ſi nihil præterea efficit Chriſti Sacerdotium (quod vult Socinus) ſequitur eo opus non fuiſſe. Præterea hoc ipſum, Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris, ad ſalutem creditur, 1 Corinth. 15 2, 3. Contra Socin. lib. 4. cap. 10. Non ergo Chriſti expiatio ad hoc primo comparata eſt, ut ad credendum adducat aliquem, cum ipſa ſit inter credenda, quod enim ad fidem duntaxat alicujus rei faciendam inſervit, id à re credenda diverſum ſit, neceſſe eſt. Præterea poſt inſitam demum fidem expiatio Chriſti in nobis effectum habet. Chriſtus enim Pontifex eſt conſtitutus ad expianda peccata populi ſui, id eſt credentium, Hebr. 2. 17. Non poteſt ergo, expiare, eſſe ad fidem perducere.

Jam vero, ut non tantum demoliamur Socini falſam interpretationem, ſed veram ſimul adſtruamus, quæ hæc eſt, Chriſti morte ad remittenda peccata Deum moveri, notetur illud ad Hebræos 12. 24. ubi ſanguis Chriſti purgatorius dicitur melius loqui, quam ſanguis Abel. Sanguis Abel clamabat ad Deum pro vindicta. Sanguis Chriſti clamat ad Deum pro remiſſione. Negat Socinus placari Deum ſacris expiatoriis. At contrarium teſtantur ſcriptores ſupra à nobis allegati, qui placandi vocem ad exprimenda ea ſacra uſurpant: unde & illa nata eſt phraſis in epiſtola ad Hebræos poſita, ἱλάσκεσθαι ἁμαρτίας, placare peccata, id eſt, placando

Deum

Deum peccata expiare. Satisfactionem nullam Socinus in ſacris expiatoriis agnoſcit. Atqui vox ipſa piandi ſive expiandi nihil aliud proprie ſignificat quam luere; paſſimque authores à nobis citati, cum expiare volunt περιφράζειν dicunt dare ſanguinem pro ſanguine, vitam pro vita, animam pro anima: ſanguine aliquid emere, morte alterius ſalutem conſequi. Neque voces Hebrææ hinc diſſident. Contra Socin. lib. 2. cap. 11. Nam כפר non modo eſt tegere, ſed & redimere, Exod. 21, 30. Pſalm. 40. 7. & placare Geneſ. 32. 19, atque inde porro expiare. חטא eſt luere Geneſ. 31. 39. unde & hoc cœpit ad expiationem ſignificandam uſurpari. Tribuitur autem expiatio primo victimis, ut apparet Hebr. 9. 13. & 23. deinde Sacerdoti propter victimas quas exhibet, ut ſæpe in Levitico: poſtremo etiam Deo iſtam luitionem admittenti. Sicut autem redimendi vox improprie pro quavis liberatione cœpit uſurpari, ita & expiatio dici cœpit ob ſimilem effectum, etiam ubi luitio nulla intercedit, Pſalm. 51. 8. Chriſto autem expiatio tribuitur ut victimæ, ideoque additur vox ſanguinis: ſanguis autem in victimus, ut ſupra probatum, datur vice animæ peccatoris. Unde non poteſt hic non proprie ſumi vox expiationis. His adde quod ſi verum eſſet, quod vult Socinus, expiationem multo magis fieri per reſurrectionem ac aſcenſionem in cœlos, quam per mortem & fuſionem ſanguinis, (quia illa aptiora ſint perſuadendæ nobis fidei quam mors ipſa) ſaltem aliquo Scripturæ loco iſtis actibus expiatio tribueretur: quod nuſquam fit.

Falſum eſt quod ait Socinus lib. 2. cap. 20. patefactioni divinæ voluntatis expiationem aut καθαρισμὸν tribui: neque hoc evincunt loca allegata. Nam Hebr. 1. 3, Chriſtus omnia verbo ſuo portare dicitur, quia illius imperio omnia parent; ſicut vox ῥῆμα eodem ſenſu invenitur cap. 11. verſ. 3. & Lucæ 5. 5. capite vero 10. verſ. 26, & 29, non pro eodem ponuntur cognitio veritatis & ſanctificatio per ſanguinem, ſed plura beneficia conjunguntur, ut eo ſpectabilius ſit crimen hominis ingrati. Adjicitur quidem aliquando ſanguinis fœderis mentio lib. 2. cap. 13. & paſſim, ſed ſæpius multo τῆς θυσίας. Quare ea ſumenda eſt interpretatio, quæ iſta conjungat. Hoc autem fiet, ſi fœderis illam ſpectemus partem, qua Chriſtus ſtipulatus eſt, ſi mortem ſubiret, fore ut remitterentur peccata in ſe credentibus, Deus autem id ipſum promiſit, ut apparet Eſaiæ 53. 10.

Quod vero Chriſtus dicitur in cœlo offerre ſanguinem, hoc eſt, Patri mortem ſuam oſtendere, & quaſi ejus Deum ἀναμιμνήσκειν, quod inſuper interpellare pro nobis legitur, hæc expiationem in cruce peractam non tollunt. Expiatio enim in Cruce peracta, Deum movet ad remittendum & jus nobis acquirit, ſed ſub certa conditione & modo: in quibus comprehenditur ex parte Chriſti interpellatio, ex parte noſtra fides vera, ut explicatum eſt, cum de ſatisfactione ageretur lib. 2. cap. 13 & cap. 15. Pugnat autem cum Scriptura Socinus manifeſte, cum expiationem negat eſſe factam antequam Chriſtus cœlum ingrederetur. Contra Soc. lib. 2. cap. 21. Paſſim enim Scriptura τὴν ἀπολύτρωσιν, τὸν καθαρισμὸν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας tribuit morti, eaque ipſa jam peracta indicat: Oblatio vero in cœlo quidem facta eſt, ſed ita ut nec morti in terris peractæ eum titulum denegare debuerit Socinus contra clara verba Pauli Eph. 5. 2. ubi Chriſtus ſe dicitur tradidiſſe pro nobis προσφορὰν. Solam verborum ſeriem inſpexiſſe, ipſius interpretationem abunde refutaſſe eſt. Ibidem merito conjunguntur προσφορὰ & θυσία. Peragi autem θυσίαν tunc cum morti datur hoſtia omnes Græcorum, omnes Latinorum libri indicant. Unde evenit, ut mactare tum ſacrificare ſignificet, tum etiam à ſacrificiis ad alia porrecta ſignificatione quovis modo interficere. Hinc Ammonius θύειν καὶ σφάττειν diſtinguit, ut appellationes generis & ſpeciei. θύεσθαι μὲν γάρ ἐστιν ἐπὶ τιμῇ θεοῦ, σφάττεσθαι δὲ τὸ δι' ἡντιναοῦν αἰτίαν φονεύσασθαι. Et Plutarchus Gallis & Scythis ait creditum, θεοὺς εἶναι χαίροντας ἀνθρώπων ΣΦΑΤΤΟΜΕΝΩΝ αἵματι, καὶ ταύτην τελεωτάτην ΘΥΣΙΑΝ. Eſt ergo θυσία ἐν τῷ σφάττεσθαι, in mactatione ſacrificium. Neque aliter in hoc argumento loquitur Scriptura. Juſſus Abraham offerre filium, Geneſ. 22. 2. parat eum occidere, verſ. 10. atque adeo, quia mactationem etſi non manu, animo jam peregerat, obtuliſſe filium dicitur Hebr. 11. 27. Eſt & ubi θύειν ſimpliciter & extra ſacrificium mactare ſignificat, ut Johan. 10. 10. Et Johanni Chriſtus dicitur ἀρνίον ἐσφαγμένον, agnus ille mactatus ſive occiſus Apoc. 5. 6. 12. XIII. 8. quod Paulus ſic enuntiat, πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. 1 Corinth. 5. 7. non ſolebat autem Paſcha in adytum inferri. Eſt ergo ἐτύθη idem quod ἐσφαγίσθη, ut πάσχα idem quod ἀρνίον. Et apparuit Chriſtus in cœlo apud Patrem διὰ τῆς θυσίας Hebr. 9. v. 26. præceſſit ergo ſacrificium, ſecuta eſt apparitio. Sic alibi in eadem epiſtola dicitur Chriſtus in ſanctuarium cœleſte intraſſe per ſanguinem ſuum αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, id eſt, *reperta æterna redemptione* Hebr. 9. 2. & ſediſſe ad dextram divini ſolii καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *facta peccatorum noſtrorum expiatione*: quibus in locis voces anteacti temporis oſtendunt, contra Socin. lib. 2. cap. 23, factam redemptionem aut expiationem, priuſquam Chriſtus cœleſtem regiam intraret. Quanquam ergo Chriſtus ejuſmodi eſt Pontifex, qui non in terra manere, ut ſacerdotes Levitici Hebr. 8. 4, ſed cœlum penetrans ipſo cœlo celſior debuit evadere, Hebr. 4. 14. VII. 20. quippe cujus Sacerdotium debuit eſſe æternum & ἀπαράβατον 7. 24. verus tamen Sacerdos fuit & vera victima, jam tum cum in terris morti ſe traderet. Ideoque dicitur veniſſe in mundum, Hebr. 10. 5. (hoc eſt in orbem terrarum, ipſa Scriptura interprete, Johan. 18. 37. 1 Timoth. 1. 15.) ut voluntatem Dei faceret, verſ. 7. & 9. hoc eſt, ut corpus ſuum à Deo aptatum, id eſt ſanctificatum verſ. 6, offerret Deo verſ. 10, pro peccatis. verſ. 8. & 12. Quo loco obſervandum ſimul eſt, ſanctificatos nos dici oblatione ἐφάπαξ: cum interpellet Chriſtus toties, quoties opus eſt nobis: ita ut hic non interpellatio, ſed mactatio ſit intelligenda. Eſt ergo duplex, ut legalium quarundam victimarum, ita Chriſti oblatio: prior mactationis, altera oſtenſionis. Legalium victimarum prior peracta in templo, altera in ipſo penetrali: Chriſti prior in terris, poſterior in cœlo: prior tamen illa non ſacrificii præparatio, ſed ſacrificium: poſterior non tam ſacrificium, quam ſacrificii facti commemoratio. Quare cum apparitio & interpellatio non ſint actus proprie Sacerdotales, niſi quatenus peracti ſacrificii virtute nituntur, ſacrificium illud qui tollit, ne Sacerdotium quidem Chriſto verum relinquit, contra manifeſtam Scripturæ authoritatem, quæ diſtinctam à Prophetica & Regia Pontificiam dignitatem Chriſto aſſignat: non figurate dictam, ſed maxime veram, quippe cum Sacerdotium ipſius Levitico ſacerdotio, quod verum fuit Sacerdotium, opponatur, ut ejuſdem generis ſpecies perfectior alteri ſpeciei minus perfectæ. Neque recte inferri potuerit, neceſſe fuiſſe ut haberet quod offerret Chriſtus, Hebr. 8. 3. niſi ex veritate ejus in quod conſtitutus erat Sacerdotii. d. verſ. 3. Sed profecto minime mirum eſt, ſi qui Chriſto gloriam naturalem, hoc eſt veri nominis Deitatem, ſuſtulerunt, iidem & officia ipſius imminuunt, & beneficia ipſius præcipua recuſant agnoſcere. Tibi Domine Jeſu ut vero Deo, ut vero redemptori, ut vero Sacerdoti, ut vero pro peccatis victimæ, cum Patre & Spiritu, uno tecum Deo, ſit honos & gloria.

SEQUUNTUR
TESTIMONIA
VETERUM.

IReneus lib. 5. cap. 1. Neque enim carnem ac ſanguinem, quibus nos redemit, vere habuiſſet, niſi veterem Adami fictionem in ſeſe inſtauraſſet.

Quem locum ex Ireneo Græce citat Theodoretus Dialog. 2. cap. 26. Οὐδὲ γὰρ ἦν ἀληθῶς σάρκα καὶ αἷμα ἐσχηκώς, δι' ὧν ἡμᾶς ἐξηγορασάμενος.

Tertullianus adverſus Judæos cap. 13. Chriſtum oportebat pro omnibus gentibus fieri ſacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.

Origenes in Leviticum homil. 3. pene initio. Siquis bene meminerit eorum quæ dicta ſunt, poteſt nobis dicere, quia ſacrificium quod Pontificem pro peccato diximus obtuliſſe, figuram Chriſti tenere poſuimus, & conveniens non videbitur vero Chriſto, qui peccatum neſcit, ut pro peccato dicatur obtuliſſe ſacrificium, licet per myſterium res agatur. Et idem ipſe Pontifex, idem ponatur & hoſtia. Vide ergo ſi & ad hoc poſſumus hoc modo occurrere, quia Chriſtus peccatum quidem non fecit, peccatum tamen pro nobis factus eſt, dum qui erat in forma Dei, in forma ſervi eſſe dignatur, dum qui immortalis eſt, moritur, & impaſſibilis patitur, & inviſibilis videtur, & quia nobis hominibus vel mors vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione ſuperducta eſt: ipſe etiam qui in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu repertus ut homo, ſine dubio pro peccato quod ex nobis ſuſceperat, quia peccata noſtra portavit, vitulum immaculatum, hoc eſt, carnem incontaminatam obtulit hoſtiam Deo.

Origines homil. 4. in Numeros. Si non fuiſſet peccatum, non neceſſe fuerat filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne poſitum jugulari, ſed manſiſſet hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Verum, quoniam introiit peccatum in hunc mundum, peccati autem neceſſitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit niſi per hoſtiam, neceſſarium fuit provideri hoſtiam pro peccato.

In Matth. cap. 16. Tractat. 2. Homo quidem non poteſt dare aliquam commutationem pro anima ſua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretioſum ſanguinem filii ſui. Nec enim empti ſumus corruptibili argento vel auro, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati.

In epiſt. ad Rom. lib. 2. cap. 2. Fatemini ſine dubio verum eſſe quod ſcriptum eſt in epiſt. Petri: Quia redempti ſumus non corruptibili precio argenti & auri, ſed pretioſo ſanguine unigeniti. Si ergo pretio empti ſumus, ut etiam Paulus adſtipulatur, ab aliquo ſine dubio empti ſumus, cujus eramus ſervi, qui & precium popoſcit quod voluit, ut de poteſtate dimittat quos tenebat. Tenebat autem nos diabolus, cui diſtracti fueramus peccatis noſtris. Popoſcit ergo precium noſtrum ſanguinem Chriſti. Verum donec Jeſu ſanguis daretur, qui tam pretioſus fuit, ut ſolus pro omnium redemptione ſufficeret, neceſſarium fuit eos, qui inſtruebantur in lege, unumquemque pro ſe velut ad imitationem quandam futuræ redemptionis ſanguinem ſuum dare: & propterea nos pro quibus completum eſt pretium ſanguinis Chriſti, non neceſſe habemus pro nobis ipſis pretium, id eſt, ſanguinem circumciſionis offerre.

Cyprian. epiſt. 8. ad Clement. & plebem. Orabat ille pro nobis cum peccator ipſe non eſſet, ſed noſtra peccata portaret.

Idem epiſt. 53. ad Cæcilium parag. 9. Nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat.

Idem lib. ad Demetrianum parag. 22. Hanc gratiam Chriſtus impertit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit, ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio ſanguinis ſui, reconciliando hominem Deo, Patri, vivificando mortalem regeneratione cœleſti.

Idem, ſive alius potius ſcriptor libri de cardinalibus Chriſti operibus ad Cornelium Papam, ſerm. 7. qui eſt de ratione Circumciſionis. Tantæ dignitatis illa una redemptoris noſtri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata ſufficeret, qui tanta authoritate in ſancta introivit in ſanguine proprio, ut deinceps nulla ſupplicantium poſtulatio ſanguine indigeret alieno.

Idem ſerm. 16. qui eſt de aſcenſione Chriſti: Qui pro nobis triginta argenteis appretiatus, intelligi voluit, quanta fuerit in pretio quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit, pro mundo diſſimilitudo, cum ipſe exiguo argento emptus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret: ut dubium eſſe non poſſit, quin pretii magnitudo ſuperaret negotium: nec æquari poſſet damnum, quod omnino damnatio juſta meruerat, obedientiæ Chriſti, quæ gratis uſque ad mortem progreſſa eſt, & ultro ſolvit quod non debebat.

Lactantius de beneficiis Chriſti.

Quiſquis ædes mediique ſubis in limina templi,
Siſte parum, inſontemque tuo pro crimine paſſum
Reſpice me, &c. & mox:
Te propter vitamque tuam ſum virginis alvum
Ingreſſus: ſum factus homo atque horrentia paſſus
Funera, &c.

Euſebius Cæſarienſis lib. 10. de demonſt. Euangel. in præfat. Ἔδει γὰρ τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν ὑπὸ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως ἀναληφθέντα, ὑπὲρ τῶν λοιπῶν συγγενῶν ἀμνῶν καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης ἀγέλης, θυσίαν τῷ Θεῷ προσαχθῆναι. Ἐπειδὰν γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἡ ἀνάστασις, ἡ ἐκ νεκρῶν.

Idem lib. 10. cap. 1. Καὶ καθ' ὃ πάσχοντος ἑνὸς μέλους συμπάσχει πάντα τὰ μέλη, οὕτω τῶν πολλῶν πασχόντων καὶ ἁμαρτανόντων, καὶ αὐτὸς κατὰ τοὺς τῆς συμπαθείας λόγους. ἐπειδήπερ εὐδόκησε Θεοῦ λόγος ὤν, μορφὴν δούλου λαβεῖν, καὶ τῷ κοινῷ πάντων ἡμῶν σκηνώματι συναφθῆναι· τοὺς τῶν πασχόντων μελῶν πόνους εἰς ἑαυτὸν ἀναλαμβάνει, καὶ τὰς ἡμετέρας νόσους ἰδιοποιεῖται, καὶ πάντων ἡμῶν ὑπεραλγεῖ καὶ ὑπερπονεῖ, κατὰ τοὺς τῆς φιλανθρωπίας νόμους. οὐ μόνον δὲ ταῦτα πράξας ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ ἡμῶν κολασθεὶς καὶ τιμωρίαν ὑποσχών, ἣν αὐτὸς μὲν οὐκ ὤφειλεν, ἀλλ' ἡμεῖς τοῦ πλήθους ἕνεκεν τῶν πεπλημμελημένων, ἡμῖν αἴτιος τῆς τῶν ἁμαρτημάτων ἀφέσεως κατέστη, ἅτε τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδεξάμενος θάνατον, μάστιγάς τε καὶ ὕβρεις καὶ ἀτιμίας ἡμῖν ἐποφειλομένας εἰς ἑαυτὸν μεταθείς, καὶ τὴν ἡμῖν προστετιμημένην κατάραν ἐφ' ἑαυτὸν ἑλκύσας, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. Καὶ τί γὰρ ἄλλο, ἢ ἀντίψυχος; διό φησιν ἐξ ἡμετέρου προσώπου τὸ λόγιον, τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν, καὶ κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν.

Euſebius de demonſtratione Euangelica lib. 1. cap. 10. Καὶ ἐπεῖδεν ὁ θεὸς ἐπὶ Ἄβελ καὶ ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ· ἐπὶ δὲ Κάϊν καὶ ταῖς θυσίαις αὐτοῦ οὐ προσέσχεν. ἔνθα δὴ ἐπιστήσεις, ὡς μᾶλλον ὁ ζωοθυτήσας ἀποδεκτὸς εἴρηται παρὰ τὸν ἀπὸ γῆς προσαγαγόντα τῷ θεῷ τὴν θυσίαν· καὶ Νῶε δὲ εὐθὺς ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν τῶν καθαρῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν καθαρῶν ἀνήνεγκεν ὁλοκαρπώσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ ὠσφράνθη κύριος ὀσμὴν εὐωδίας. ἀλλὰ καὶ Ἀβραὰμ θύσας ἀναγέγραπται. ὥστε, κατὰ τὴν τῆς θείας γραφῆς μαρτυρίαν, πρώτην ἁπάντων τὴν διὰ ζώων θυσίαν ἐπινενοῆσθαι τοῖς πάλαι θεοφιλέσι. Τοῦτο δὲ τὸν λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι οὐ τὸν τυχόντα, οὐδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θείαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον. ἐπειδὴ γὰρ ἑώρων, ἅτε τὸν τρόπον εὐσεβεῖς καὶ θεῷ προσῳκειωμένοι, θείῳ τε πνεύματι τὰς ψυχὰς πεφωτισμένοι, μεγάλης αὐτοῖς θεραπείας δεῖν εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν θνητῶν πλημμελημάτων λύτρον τε αὐτῶν σωτηρίας τῷ καὶ ζωῆς καὶ ψυχῆς χορηγῷ προσοφείλεσθαι ἡγοῦντο. ἔπειτα μηδὲν κρεῖττον καὶ τιμιώτερον τῆς οἰκείας ψυχῆς καθιεροῦν ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης τέως τὴν διὰ τῶν ἀλόγων ζώων

προσῆγον

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

προσῆγον θυσίαν, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες. οὐδὲν μὲν τοῦτο πλημμελεῖν οὐδ' ἀδικεῖν ἡγούμενοι, ὅτι μηδὲ τῇ τοῦ ἀνθρώπου λογικῇ καὶ νοερᾷ δυνάμει παραπλησίαν εἶναι τὴν ψυχὴν τῶν ἀλόγων ὑπελάμβανον, οὐδ' ἄλλο τι εἶναι αὐτὴν ἢ τὸ αἷμα αὐτῶν μεμαθηκότες, καὶ τὴν ἐν τῷ αἵματι ζωτικὴν δύναμιν. ὃ καὶ παρεῖχον αὐτοῖς, ὥσπερ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς ἀναφέροντες τῷ Θεῷ. τοῦτο δὲ αὐτὸ Μωσῆς λόγιόν ποθι διασαφεῖ, λέγων, ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστιν· καὶ ἐγὼ δέδωκα ἡμῖν τὸ αἷμα ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν. τὸ γὰρ αἷμα αὐτοῦ ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. διὰ τοῦτο εἴρηκα τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, πᾶσα ψυχὴ ἐξ ὑμῶν οὐ φάγεται αἷμα. πρόσεχε γοῦν ἐπιμελῶς ἐν τούτοις, ὅπως εἴρηται τό, ἐγὼ δέδωκα ὑμῖν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου ἐξιλάσκεσθαι περὶ τῶν ψυχῶν ὑμῶν. τὸ γὰρ αἷμα ἀντὶ τῆς ψυχῆς ἐξιλάσεται. σαφῶς γὰρ ἀντὶ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς τὸ τῶν σφαγιαζομένων ζώων αἷμά φησιν ἐξιλάσκεσθαι. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ περὶ τῶν θυσιῶν νόμος ὑποβάλλει νοεῖν τῷ τετηρημένως σκοποῦντι. πάντα γοῦν τὸν θύοντα τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν προστάττει τῇ κεφαλῇ τοῦ θυομένου, προσκομίζειν δὲ τὸ ζῶον τῷ ἱερεῖ τῆς κεφαλῆς ἐχόμενον, ὡσανεὶ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσφέροντα. λέγει δ' οὖν ἐφ' ἑκάστῳ, προσάξει αὐτὸ ἔναντι κυρίου, καὶ ἐπιθήσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δώρου. καὶ οὕτως ἐφ' ἑκάστου τετήρηται θύματος, οὐδεμιᾶς θυσίας ἄλλως ἀναφερομένης· δι' ὧν ὁ λόγος ὅτι δὴ ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοθυτούμενα.

Antonius Eremita epiſt. II. In quo & creaturarum Genitor viſceribus motus pro plaga noſtra, quæ ſanari non poterat, niſi per ſolam ipſius bonitatem, miſit Unigenitum nobis, ut per ſervitutem noſtram, ſervitutis aſſumeret formam, traderetque ſe pro peccatis noſtris. Et peccata quidem noſtra humiliaverunt eum, ſed livore ejus nos omnes ſanati ſumus.

Macarius epiſcopus Hieroſolymitanus lib. 2. act. concil. Niceni. Sed venit ipſe Salvator omnium, & à nobis debita ſupplicia in ſua carne nomine noſtro ſuſcepit.

Athanaſius de incarnatione Verbi Dei. Ἐπειδὴ δὲ καὶ τὸ ὀφειλόμενον παρὰ πάντων ἔδει λοιπὸν ἀποδοθῆναι. ὠφείλετο γὰρ πάντας ὡς προεῖπον ἀποθανεῖν, δι' ὃ μάλιστα καὶ ἐπεδήμησεν, τούτου ἕνεκεν μετὰ τὰς περὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ, ἐκ τῶν ἔργων ἀποδείξεις, ἤδη λοιπὸν καὶ ὑπὲρ πάντων τὴν θυσίαν ἀνέφερεν, ἀντὶ πάντων τὸν ἑαυτοῦ ναὸν εἰς θάνατον παραδιδούς· ἵνα τοὺς μὲν πάντας, ἀνυπευθύνους καὶ ἐλευθέρους τῆς ἀρχαίας παραβάσεως ποιήσῃ, δείξῃ δὲ ἑαυτὸν καὶ θανάτου κρείττονα, ἀπαρχὴν τῆς τῶν ὅλων ἀναστάσεως τὸ ἴδιον σῶμα ἄφθαρτον ἐπιδεικνύμενος.

Et mox: Θανάτου γὰρ ἦν χρεία, καὶ θάνατον ὑπὲρ πάντων ἔδει γενέσθαι ἵνα τὸ παρὰ πάντων ὀφειλόμενον γένηται. ὅθεν ὡς προεῖπον, ὁ λόγος ἐπεὶ οὐχ οἷόν τε ἦν αὐτὸν ἀποθανεῖν (ἀθάνατος γὰρ ἦν) ἔλαβεν ἑαυτῷ σῶμα τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν, ἵνα ὡς ἴδιον ἀντὶ πάντων αὐτὸ προσενέγκῃ. καὶ ὡς αὐτὸς ὑπὲρ πάντων πάσχων διὰ τὴν πρὸς αὐτὸ ἐπίβασιν, καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον. καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους ὅσοι φόβῳ θανάτου ἔνοχοι ἦσαν δουλείας. Ἀμέλει τοῦ κοινοῦ πάντων σωτῆρος ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν, οὐκέτι νῦν ὥσπερ πάλαι κατὰ τὴν τοῦ νόμου ἀπειλὴν θανάτῳ ἀποθνήσκομεν οἱ ἐν Χριστῷ πιστοί.

Idem ibidem. Καὶ τῷ τοιούτῳ τοῦ θανάτου τρόπῳ ἡ σωτηρία πᾶσι γέγονε, καὶ ἡ κτίσις πᾶσα λελύτρωται. οὗτός ἐστιν ἡ πάντων ζωὴ καὶ ὡς πρόβατον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἀντίψυχον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδούς.

Idem in paſſ. & cruc. Domini. Ἀλλ' ὁρῶν καὶ μὲν τῆς κακίας ἀφόρητον, καὶ τὸ θνητὸν γένος οὐχ ἱκανὸν ἀντιστῆναι πρὸς τὸν θάνατον, οὐδὲ τὴν τιμωρίαν τῆς κακίας δυνατὸν ἀποδοῦναι. ὑπερῆρε γὰρ πᾶσαν τιμωρίαν ἡ τῆς κακίας ὑπερβολή. ἑώρα δὲ καὶ τὴν τοῦ πατρὸς ἀγαθότητα, ὁρῶν καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἱκανότητα καὶ δύναμιν. Χριστὸς γὰρ Θεοῦ δύναμις καὶ Θεοῦ σοφία. κινηθεὶς τῇ φιλανθρωπίᾳ καὶ οἰκτείρας τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν, ἐνεδύσατο ταύτην. Αὐτὸς γάρ, ὡς ὁ προφήτης φησί, τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἦρε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασε, καὶ λύσας τὸ θνητὸν ἡμῶν, περιεβάλετο τοῦτο. Λέγει γὰρ ὁ Παῦλος, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. ἰδὼν δὲ καὶ τὸ πρὸς τὴν ἀπόδοσιν ἡμῶν τῆς τιμωρίας ἀδύνατον, ἀνεδέξατο ταύτην αὐτός. Χριστὸς γὰρ γέγονεν ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα, καὶ ὥσπερ δὴ ὁ ἄνθρωπος, [illegible] καὶ ἀνθρωπινευόμενος, δι' ἑαυτοῦ τὸ ἴδιον προσήγαγε τῷ πατρί, ἵνα ὡς αὐτὸς πάσχων ἀπαλλάξῃ τὸν ἄνθρωπον, πᾶσαν [illegible], καὶ μικροῖς [illegible].

Hilarius Pictavienſis in can. XIV. Matth. cap. XIV. Dominus ſolus paſſurus pro omnibus omnium peccata ſolvebat.

Hymno de Epiphania.

Jeſus refulſit omnium
Pius redemptor gentium, &c.
Felix Joannes mergere
Illum tremiſcit flumine,
Poteſt ſuo qui ſanguine
Peccata mundi tergere.

Optatus Milevitanus de ſchiſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum lib. III. Cum dicitis, redimite animas veſtras: unde illas emiſtis, ut vendatis? quis eſt neſcio qui angelus, qui nundinas facit animarum, quas ante ejus adventum diabolus poſſidebat? Has ſanguine ſuo Chriſtus Salvator noſter redemit, Apoſtolo dicente: Empti eſtis pretio magno. Conſtat enim ſanguine Chriſti omnes redemptos.

Victor Antiochenus ad cap. XV. *Marci.* Et cur, inquis, univerſorum Dominus & opifex, noſtri cauſſa homo effectus, tantam ignominiam, tantaque ſupplicia pertulit? Nobis ille aſſimilatus eſt, noſtraſque in ſe miſerias, & cruces ſuſcepit, quo naturam noſtram per peccatum collapſam erigeret, & in priſtinum dignitatis gradum denuo revocaret. Commoda itaque, quæ per illius cruciatus in nos defluxerunt, ſunt permulta: Ipſe enim noſtra pro nobis debita luit, ipſe peccata noſtra tulit, ipſe noſtri cauſſa & doluit, & gemuit.

Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 13. Ἔλυσε δὲ πάντας τοὺς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας κατεχομένους, καὶ κόσμον ὅλον ἀνθρώπων ἐλυτρώσατο. καὶ μὴ θαυμάσῃς εἰ κόσμος ὅλος ἐλυτρώθη. οὐ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ψιλός, ἀλλ' υἱὸς Θεοῦ μονογενής, ὁ ὑπεραποθνήσκων. καίτοιγε ἴσχυσεν ἑνὸς ἀνδρὸς τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἁμαρτία θάνατον ἐνεγκεῖν τῷ κόσμῳ. εἰ δὲ τῷ παραπτώματι τοῦ ἑνὸς ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν εἰς τὸν κόσμον, πῶς οὐχὶ μᾶλλον τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ ἑνὸς ἡ ζωὴ βασιλεύσει; καὶ εἰ τότε διὰ τὸ ξύλον τῆς βρώσεως ἐξεβλήθησαν ἐκ παραδείσου. ἆρα, διὰ τὸ ξύλον Ἰησοῦ νῦν οἰκειότερον οἱ πιστεύοντες, εἰς παράδεισον οὐκ εἰσελεύσονται; εἰ ὁ πρωτόπλαστος ἀπὸ γῆς ἤνεγκεν οἰκουμενικὸν θάνατον, ὁ πλάσας αὐτὸν ἀπὸ γῆς, ἆρα οὐ φέρει ζωὴν αἰώνιον αὐτὸς ὢν ἡ ζωή; εἰ Φινεὲς ζηλώσας τὸν αἰσχροποιόν, κατέπαυσε τοῦ Θεοῦ τὴν ὀργήν. Ἰησοῦς οὐκ ἄλλον ἀνελών, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀντίλυτρον παραδούς, ἆρα τὴν ὀργὴν οὐ λύει τὴν κατ' ἀνθρώπων;

Baſilius homilia in Pſal. 48. Εὑρέθη ἕν, ὁμοῦ πάντων ἀντάξιον, ὃ ἐδόθη εἰς τιμὴν λυτρώσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τὸ ἅγιον καὶ πολύτιμον αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Greg. Nazianz. Oratione 42. *quæ ſecunda eſt in Paſcha.* Τὸ μέγα καὶ ἄθυτον (ἵν' οὕτως εἴπω) ἱερεῖον ὅτι τῇ πρώτῃ φύσει ταῖς νομικαῖς θυσίαις ἐγκαταμέμικται, καὶ οὐ μικροῦ μέρους τῆς οἰκουμένης, οὐδὲ πρὸς ὀλίγον, ἀλλὰ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ διαιωνίζον καθάρσιον.

Idem ibidem. Ῥανίδες αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλάττουσαι, καὶ γίνονται καθάπερ ὀπὸς γάλακτι πᾶσιν ἀνθρώποις εἰς ἓν ἡμᾶς συνδέουσαι καὶ συνάγουσαι.

Et eadem. Ἔστι τοίνυν ἐξετάσαι πρᾶγμα καὶ δόγμα, τοῖς μὲν πολλοῖς παρεωραμένον, ἐμοὶ δὲ καὶ λίαν ἐξεταζόμενον. τίνι γὰρ τὸ ὑπὲρ ἡμῶν αἷμα, καὶ περὶ τίνος ἐχέθη, τὸ μέγα καὶ περιβόητον τοῦ Θεοῦ καὶ ἀρχιερέως, καὶ θύματος. κατειχόμεθα μὲν γὰρ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ, πεπραμένοι ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἀντιλαβόντες τῆς κακίας τὴν ἡδονήν. εἰ δὲ τὸ λύτρον οὐκ ἄλλου τινός, ἢ τοῦ κατέχοντος γίνεται. ζητῶ τίνι τοῦτο εἰσηνέχθη, καὶ δι' ἥν τινα τὴν αἰτίαν. εἰ μὲν τῷ πονηρῷ, φεῦ τῆς ὕβρεως, εἰ μὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ, μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν Θεὸν αὐτὸν λύτρον ὁ λῃστὴς λαμβάνει, καὶ μισθὸν οὕτως ὑπερφυῆ τῆς ἑαυτοῦ τυραννίδος, δι' ὃν καὶ ἡμῶν φείδεσθαι δίκαιον ἦν. εἰ δὲ τῷ πατρί, πρῶτον μὲν πῶς; οὐχ ὑπ' ἐκείνου γὰρ ἐκρατούμεθα. δεύτερον δέ, τίς ὁ λόγος μονογενοῦς αἵματι τέρπεσθαι πατέρα, ὃς οὐδὲ τὸν Ἰσαὰκ ἐδέξατο παρὰ τοῦ πατρὸς προσφερόμενον, ἀλλ' ἀντηλλάξατο τὴν θυσίαν, κριὸν ἀντιδοὺς τοῦ λογικοῦ θύματος. ἢ δῆλον, ὅτι λαμβάνει μὲν ὁ πατήρ, οὐκ αἰτήσας, οὐδὲ δεηθείς. Ἀλλὰ διὰ τὴν οἰκονομίαν, καὶ τὸ χρῆναι ἁγιασθῆναι τῷ ἀνθρωπίνῳ τοῦ Θεοῦ τὸν ἄνθρωπον. ἵν' αὐτὸς ἡμᾶς ἐξέληται, τοῦ τυράννου βίᾳ κρατήσας, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐπαναγάγῃ, διὰ τοῦ υἱοῦ μεσιτεύσαντος, καὶ εἰς τιμὴν τοῦ πατρὸς τοῦτο οἰκονομήσαντος, ᾧ τὰ πάντα παραχωρῶν φαίνεται.

Gregorius Nyſſenus ad Olympium Monachum de perfecti nominis formâ. Ἀπολύτρωσιν δὲ εἶναι τὸν Χριστὸν μαθόντες, τὸν ἑαυτὸν δόντα λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν. τοῦτο διὰ τῆς τοιαύτης φωνῆς παιδευόμεθα, τὸ μαθεῖν ὅτι καθάπερ τιμήν τινα τῆς ἑκάστου ψυχῆς παρασχόμενος ἡμῖν, τὴν ἀθανασίαν κτῆμα ἴδιον ἑαυτοῦ ἐκ τοῦ θανάτου παρ' αὐτοῦ διὰ τῆς ζωῆς ἐξαγορασθέντας ἐποίησεν.

Ambroſius lib. de Tobia cap. X. Ecce venit hujus mundi princeps & in me ſuum nihil invenit. Nihil debebat, ſed ſolvebat pro omnibus, ſicut ipſe teſtatur dicens, Quæ non rapui, tunc exſolvebam.

Idem lib. de Joſeph Patriarcha cap. IV. Venditus eſt Joſeph in Ægypto, quia Chriſtus venturus erat ad eos quibus dictum eſt, Peccatis veſtris venditi eſtis. Et ideo ſuo ſanguine redemit, quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Chriſtus conditionis ſuſceptione, non culpæ, peccatique pretio non tenetur, quia peccatum ipſe non fecit. Pretio igitur noſtro debitum, non ſuo ære contraxit: chirographum ſuſtulit, fœneratorem removit, exuit debitorem, unus exſolvit, quod ab omnibus debebatur.

Ambroſius de Eſau ſive de Fuga ſeculi cap VII. Deus ideo ſuſcepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret: & factus eſt pro nobis maledictum, ut benedictio abſorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia ſententiam, vita mortem. Suſcepit enim mortem, ut impleretur ſententia, ſatisfieret judicato per maledictum carnis peccatricis uſque ad mortem. Nihil ergo factum eſt contra ſententiam Dei, cum ſit divinæ conditio impleta ſententiæ. Maledictum enim uſque ad mortem, poſt mortem autem gratia.

Idem lib. IX. *epiſt.* LXXI. Veniens Dominus Jeſus, peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, & chirographum noſtrum ſui ſanguinis effuſione delevit. Hoc eſt quod ait: Superabundavit peccatum per legem: ſuperabun-

davit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

davit autem gratia per Jeſum. Quia poſtquam totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit.

Lib. I. *epiſt.* II. Vide ne iſta ſit hoſtia ſalutaris, quam verbum Deus in ſe ipſo obtulit, atque in ſuo immolavit corpore. *Et paullo poſt:* Quod vero ad altare effundit ſanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remiſſionem omnium peccatorum. Etenim ſanguinem illum ad altare quaſi hoſtiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hoſtia eſt, ſed agnus non irrationabilis naturæ, ſed divinæ potentiæ: de quo dictum eſt: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Non ſolum enim mundavit ſanguine delicta univerſorum, ſed etiam divina poteſtate donavit.

Idem ſuper Lucam lib. VII. *cap.* XII. Adverſarius tanquam captiva mancipia viliori precio æſtimationis addicit. At vero Dominus tanquam ſpecioſa ſervitia, quæ ad imaginem & ſimilitudinem ſui fecit, idoneus operis æſtimator, magno pretio nos redemit: ſicut Apoſtolus dixit; Emti enim eſtis pretio magno. Et bene magno, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine. Quia pro nobis mortuus eſt Chriſtus, qui pretioſo nos ſanguine liberavit, &c. Et bene pretioſo, quia immaculati corporis ſanguis eſt, quia ſanguis eſt filii Dei, qui non ſolum de maledicto legis, ſed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.

Idem lib. X. *ſuper Lucam in illud cap.* XXII. *Peccavi quod tradiderim ſanguinem innoxium:* Pretium ſanguinis eſt pretium dominicæ paſſionis. Ergo pretio ſanguinis emitur mundus à Chriſto.

Lib. III. *de virginitate ſub finem:* Eramus oppignerati malo creditori peccatis: contraximus chirographum culpæ, pœnam ſanguinis debebamus. Venit Dominus Jeſus, ſuum pro nobis ſanguinem obtulit. *Et mox:* Ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne veniat Chriſtus, qui te mundavit, qui te redemit, & ſi te in peccato invenerit, dicat tibi, Quæ utilitas in ſanguine meo? Quid profeci tibi dum deſcendo in corruptionem?

Lib. I. *de apologia David cap.* XIII. Præclare Apoſtolus ait, Quia donavit nobis peccata Dominus Jeſus, delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum, inquit, de medio tulit affigens illud cruci. Delevit ſanguine ſuo atramentum Hevæ, delevit hæreditatis obnoxiæ obligationem.

In Epiſt. ad Hebr. cap. ix. Sed illius fuit tota veteris teſtamenti corporalis mundatio: nunc autem ſpiritualis eſt mundatio ſanguinis Chriſti. Ideo dicit: Hic eſt ſanguis novi teſtamenti in remiſſionem peccatorum. In illis quidem in ſuperficie adſpergebatur, & iterum diluebatur aſperſus: neque enim cruentatus ſemper deambulabat populus. In anima vero non ita eſt, ſed ipſius eſſentiæ commiſcetur ſanguis fontem illum faciens mundum & inenarrabilem pulchritudinem producens. Propter hoc agni occiſio fuit & ſanguis ejus ſuper liminaribus liberandorum illitus eſt. Propter hoc etiam omnia ſacrificia veteris teſtamenti leguntur, ut hoc unum ſacrificium deſignarent; per quod vera eſt remiſſio peccatorum & mundatio animæ in æternum.

Idem, ſeu potius Scriptor comment. in Epiſt. Pauli Ambroſio tributorum in I. *ad Cor. cap.* VI. Quia caro pretio emti ſumus, propenſius Domino noſtro ſervire debemus, ne offenſus à qua nos redemit, morti nos reddat. Quam enim cariſſimo pretio nos emit, ut ſanguinem ſuum daret pro nobis.

Idem in ejuſdem epiſt. cap. XI. Nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus, quia ſanguis Domini ſanguinem noſtrum redemit, id eſt totum hominem ſalvum fecit. Caro enim Salvatoris pro ſalute corporis, ſanguis vero pro anima noſtra effuſus.

Idem in epiſt. ad Cor. II. *cap.* V. Quoniam oblatus eſt pro peccatis, non immerito peccatum factus dicitur, quia & hoſtia in lege, quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur, ut nos eſſemus juſtitia Dei in ipſo, qui peccatum neſciebat, dicente Jeſaia, Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, quaſi peccator occiſus eſt, ut peccatores juſtificarentur apud Deum in Chriſto.

Epiphanius Hæreſi LV. Πρῶτον μὲν ἑαυτὸν προσενέγκας, ἵνα λύσῃ θυσίαν παλαιᾶς διαθήκης, τὴν συντελεστέραν ζῶσαν ὑπὲρ παντὸς κόσμου ἱερουργήσας, αὐτὸς ἱερεῖον, αὐτὸς θῦμα, αὐτὸς ἱερεὺς, αὐτὸς θυσιαστήριον, αὐτὸς θεὸς, αὐτὸς ἄνθρωπος, αὐτὸς βασιλεὺς, αὐτὸς ἀρχιερεὺς. αὐτὸς πρόβατον, αὐτὸς ἀρνίον, τὰ πάντα ἐν πᾶσιν ὑπὲρ ἡμῶν γενόμενος, ἵνα ἡμῖν ζωὴ κατὰ πάντα τρόπον γένηται, καὶ τῆς ἱερωσύνης αὐτοῦ τὸ ἀμετάστατον ἑδραίωμα εἰς τοὺς αἰῶνας ἀπεργάσηται.

Andreas Cæſareenſis ad cap. I, *Apoc.* Illum, inquit, decet honor, gloria, & imperium, qui ardente charitate incenſus, ſua morte genus noſtrum à mortis vinculis liberavit, ſanguiniſque vivifici, & aquæ effuſione à peccatorum ſordibus nos abluit, ac in regium ſacerdotium cooptavit.

Prudentius in Rom. Mart. -- Hæc illa crux eſt omnium noſtrum ſalus.

Romanus inquit, hominis hæc redemtio eſt.

Chryſoſtomus proœmio Comment. in Eſaiam. Quam multæ eſt Deus erga nos clementiæ? Filio non pepercit, ut parceret ſervo: unigenitum tradidit, ut redimeret ſervos plane ingratos, ſanguinem filii ſui luit in pretium.

Hieronymus lib. I. *adverſus Pelagianos.* Cumque ait, voluerit intrare, offerat vitulum pro peccato & arietem in holocauſtum, duoſque hircos accipiat ab univerſo populo: unum ex eis offerat pro peccato ſuo, & unum pro peccato populi, & arietem in holocauſtum. Alter hircorum cuncta peccata ſuſcipit populi, in typum Domini Salvatoris, & effert in ſolitudinem: & ſic placatur Deus omni multitudini.

Idem in Eſai. cap. LIII. Deſpectus erat & ignobilis, quando pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata noſtra portabat, & loquebatur patri, Deus meus, quare me dereliquiſti?

Auguſtinus de Trinitate lib. XIII. *cap.* XIV. Quæ eſt juſtitia quà victus eſt Diabolus? Quæ, niſi juſtitia Jeſu Chriſti? Et quomodo victus eſt? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique juſtum eſt, ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes, quem ſine ullo debito occidit. Hoc eſt quod juſtificari dicimur in Chriſti ſanguine. Sic quippe in remiſſionem peccatorum noſtrorum, innocens ſanguis ille effuſus eſt.

Et mox: Pergit inde ad paſſionem, ut pro debitoribus nobis, quod ipſe non debebat, exſolveret. *Et cap. proximo:* Tunc ſanguis ille, quoniam ejus erat qui nullum habuit omnino peccatum, ad remiſſionem noſtrorum fuſus eſt peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obſtrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Hac juſtitia victus & hoc vinculo vinctus eſt fortis, ut vaſa ejus eriperentur, quæ apud eum, cum ipſo & angelis ejus fuerant vaſa iræ, & in vaſa miſericordiæ verterentur.

Idem in Joannem tract. XLI. Non reconciliamur, niſi ablato peccato, quod eſt medium ſeparans: ſed mediator eſt reconcilians. Ut ergo tollatur maceria ſeparans, venit ille mediator, & factus eſt ſacrificium ſacerdos ipſe.

Lib. VII. *de Civ. Dei cap.* XXXI. Deus miſit nobis verbum ſuum, qui eſt ejus unicus filius, quo pro nobis in aſſumta carne nato atque paſſo, quanti Deus hominem penderet noſceremus, atque illo ſacrificio ſingulari à peccatis omnibus mundaremur, ejuſque ſpiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa, omnibus difficultatibus ſuperatis in æternam requiem veniremus.

Enarratione in Pſal. XCV. Tenebantur homines captivi ſub diabolo, & dæmonibus ſerviebant; ſed redemti ſunt à captivitate. Vendere enim ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemtor, & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? Quid, niſi totus orbis? Quid, niſi omnes gentes? Valde ingrati ſunt pretio ſuo, aut multum ſuperbi ſunt qui dicunt, aut illud tam parvum eſſe, ut ſolos Afros emerit: aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum. Non ergo exultent, non ſuperbiant, pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit.

In Pſal. CXXIX. Sacerdos noſter à nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim à nobis carnem. In ipſa carne victima factus eſt, holocauſtum factus eſt, ſacrificium factus eſt.

Lib. IV. *contra duas Pelagianorum epiſt. cap.* IV. Sed Pelagiani quomodo dicunt ſolam mortem ad nos tranſiſſe per Adam? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus eſt, ille autem mortuus eſt, quia peccavit, pœnam dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto judicio puniri trahendo mortem ſine meritis mortis. Quod de uno ſolo mediatore Dei & hominum homine Chriſto Jeſu Catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc eſt peccati pœnam ſine peccato ſubire dignatus eſt. Sicut enim ſolus ideo factus eſt hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: ita ſolus pro nobis ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per illum ſine bonis meritis conſequeremur gratiam. Quia ſicut nobis non

debe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali.

Lib. XIV. contra Fauſtum Manich. cap. IV. Suſcepit Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum, ut inde ſolveret reatum noſtrum, & finiret etiam ſupplicium noſtrum.

Idem Sermone octavo de Tempore: Duplex principaliter cauſſa eſt, ob quam Dei filius factus eſt filius hominis. Una eſt, ut ſecundum hominem, omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Eſaias Propheta prædixerat: Hic peccata noſtra portavit, &c. Altera vero cauſſa eſt dominicæ paſſionis, ut nos, quos ſanguine ſuo redemit, à vitiis atque criminibus, non ſolum doctrinæ auxilio & gratiæ; ſed etiam exemplo ſuo ad ſtudium ſanctitatis accenderet.

De Temp. ſerm. CI. Mors niſi à morte ſuperari non poterat: ideo mortem Chriſtus ſuſtinuit, ut injuſta mors juſtam vinceret mortem, & liberaret reos juſtè, dum pro eis occidebatur injuſte.

Et ſerm. CXLI. Dominus noſter Jeſus Chriſtus communicando nobiſcum ſine culpa pœnam, & culpam ſolvit & pœnam.

De ſerm. Domini in Luc. ſerm. XXXVII. Culpa eſt quod injuſtus es: pœna eſt, quia mortalis es. Ille ut eſſet proximus, ſuſcepit pœnam tuam: non ſuſcepit culpam tuam: & ſi ſuſcepit, delendam ſuſcepit, non faciendam. *Et mox:* Suſcipiendo pœnam & non ſuſcipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam.

Cyrillus in Leviticum lib. X. Tunc clamavit omnis populus, ut Barrabam dimitteret, Jeſum vero morti traderet. Ecce habes hircum qui dimiſſus eſt in eremum vivus peccata populi ſecum ferens, clamantis & dicentis, crucifige, crucifige. Iſte eſt ergo hircus vivus dimiſſus in eremum, & ille eſt hircus qui Domino oblatus eſt hoſtia ad repropitianda peccata, & veram propitiationem in ſe credentibus populis fecit.

Idem contra Julianum lib. IX. Vide igitur ſacramentum & quomodo in duobus hircis bene delinietur. Caper enim hoc eſt hircus pro peccatis ſacerdotis & populorum occidebatur, ſecundum quod in lege jubebatur. Quoniam autem pro peccatis noſtris immolatus eſt Chriſtus, hirco aſſimilatur. Nam ſic dicit Propheta Jeſaias, omnes ſicut oves erravimus, homo via ſua erravit, & Dominus tradidit ipſum pro peccatis noſtris. Nam duo hirci aſſumuntur, non quod duo Chriſti, hoc eſt duo filii ſecundum aliquos, ſed magis quod oportebat videri etiam occidendum pro nobis & morientem quidem ſecundum carnem, viventem autem ſecundum ſpiritum.

Idem in Johann. lib. 2. cap. I. Unus pro omnibus agnus occiditur, ut omne genus hominum Deo patri offerat. Unus pro omnibus, ut omnes lucrifaciat, ut omnes non ulterius ſibi ipſis, ſed Chriſto, qui pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus reſurrexit, vivant. Nam quoniam in peccato eramus, atque iccirco morti atque interitui debebamur, filium ſuum pater in redemtionem pro nobis dedit. Unum pro omnibus, quoniam & omnes ſunt in ipſo, & omnibus ipſe melior eſt.

Idem Homil. Epheſi in Neſtorium dicta. Revera (impii hi hæretici) perditionis ſunt filii, & ſemen iniquum qui Dominum, à quo ſunt emti, negent: Empti enim ſumus pretio, non quidem corruptibili, puta auro & argento, ſed pretioſo ſanguine, tanquam agni immaculati & incontaminati, Chriſti. Quomodo fuiſſet autem ſanguis vulgaris hominis ſimilis nobis orbis redemtio?

Exegeſi ad Valerianum de Verbi incarnatione: quæ extat concil. Eph. T. VI. cap. 17. Qui corporis expers erat ut Deus, corpus ſibi aptatum fatetur, quo eo pro nobis oblato, ſuo nos omnes livore, juxta Prophetæ vocem, ſanaret. Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus juſtum pro omnibus pretium exſolvere potuit, ſi perpeſſionem illam puri cujuſpiam hominis fuiſſe dicamus? Quod ſi vero Verbum ſecundùm humanam naturam paſſum propriæ carnis perpeſſiones, quaſi proprias in ſe tranſtulit, ſibique vindicavit, tunc demum unius mortem ſecundum carnem omnium hominum vitæ præponderaſſe rectiſſime aſſerimus.

Theodoretus Quæſt. 9. in Num. Μόνος γὰρ ὁ δεσπότης Χριστὸς καὶ ὡς ἄνθρωπος τὸ ἄμωμον ἔχει, καὶ τοῦτο προορῶν ὁ Προφήτης Ἡσαΐας βοᾷ. ὃς ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. τούτου χάριν καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἁμαρτίας ἀνέλαβεν, οἰκείας οὐκ ἔχων. οὗτος γάρ φησι τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ὑμῶν ὀδυνᾶται. καὶ ὁ μέγας Ἰωάννης. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου. διὰ τοῦτο καὶ ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος, ὡς ἀδίκως ὑπομείνας τὸν θάνατον.

Idem Serm. X. de providentia ſic Dominum inducit loquentem. Ἀποδέδωκα γὰρ ὑπὲρ τῆς σῆς τὸ χρέος. οὐκ ὀφείλων γὰρ θάνατον ὑπέμεινα, καὶ μὴ ὑποκείμενος θανάτῳ ὑπεδεξάμην τὸν θάνατον. καὶ ἀνεύθυνος ὤν, ἐνεγράφην τοῖς ὑπευθύνοις. καὶ ὀφλημάτων ὑπάρχων ἐλεύθερος, μετὰ τῶν ὀφειλόντων ἐτάχθην. ἀπέδωκα τοίνυν τὸ τῆς φύσεως ὄφλημα. καὶ θάνατον ἄδικον ὑπομείνας, καταλύω τὸν δίκαιον. καὶ τοὺς ἐνδίκως κατεχομένους, ἀδίκως κατασχεθείς, τῆς εἱρκτῆς ἀπολύω. βλέπε τὸ γραμματεῖον τῆς φύσεως ἀπειλημμένον ὦ πικρὲ θάνατε. βλέπε αὐτὸ τῷ σταυρῷ προσηλωμένον, καὶ τῶν γραμμάτων τῆς ἁμαρτίας ἀπηλειμμένον. βλέπε αὐτὸ πονηρίας ὑπογραφὴν οὐ δεδεγμένον. ἀπέδωσαν τοίνυν οἱ τοῦδε τοῦ σώματος ὀφθαλμοί, ὑπὲρ τῶν κακῶς τεθεαμένων, ὀμμάτων. αἱ τοῦδε ἀκοαί, ὑπὲρ τῶν ἀκοῶν τῶν μεμολυσμένων δεξαμένων. ἡ γλῶττα, ὡσαύτως, αἱ χεῖρες, καὶ τὰ λοιπὰ μέρη, ὑπὲρ τῶν κοινωνὸν ἁμαρτίαν διαπραξαμένων μελῶν. τοῦ δὲ χρέους ἐκλυθέντος, προσήκει τοὺς τούτου χάριν καθειργμένους, τῆς εἱρκτῆς ἀπαλλαγῆναι, καὶ τὴν προτέραν ἀπολαβεῖν ἐλευθερίαν, καὶ εἰς τὸ πατρῷον χωρίον ἐπανελθεῖν.

Proclus Conſtantinopolitanus homil. de Chriſti nativitate. Πολλὰ ὤφειλεν ἐξ ἁμαρτιῶν ἡ τῶν ἀνθρώπων φύσις, καὶ ἠπόρει πρὸς τὸ χρέος. Διὰ γὰρ τοῦ Ἀδὰμ πάντες τὴν ἁμαρτίαν ἐχειρογράφησαν. δούλους ἡμᾶς κατεῖχεν ὁ διάβολος. τὰς ὠνὰς ἡμῶν προέφερε γραφῇ κεχρημένος τῷ πολυπαθεῖ ἡμῶν σώματι. εἱστήκει ὁ κακὸς τῶν παρόντων πλαστογράφος, ἐπισείων ἡμῖν τὸ χρέος, καὶ ἀπαιτῶν ἡμᾶς τὴν δίκην. ἔδει τοίνυν δυοῖν θάτερον, ἢ πᾶσιν ἐπαχθῆναι τὸν ἐκ τῆς καταδίκης θάνατον, ἐπειδὴ καὶ πάντες ἥμαρτον, ἢ τοιοῦτον δοθῆναι πρὸς ἀντίδοσιν τίμημα, ᾧ πᾶν ὑπῆρχε δικαίωμα πρὸς παραίτησιν. ἄνθρωπος μὲν σῶσαι οὐκ ἠδύνατο. ὑπέκειτο γὰρ τῷ χρέει τῆς ἁμαρτίας. Ἄγγελος ἐξαγοράσαι τὴν ἀνθρωπότητα οὐκ ἴσχυεν. ἠπόρει γὰρ τοιούτου λύτρου. λοιπὸν οὖν ὁ ἀναμάρτητος Θεὸς ὑπὲρ τῶν ἡμαρτηκότων ἀποθανεῖν ὤφειλεν. Αὕτη γὰρ ἐλείπετο μόνη τοῦ κακοῦ ἡ λύσις. Τί οὖν; αὐτὸς ὁ πᾶσαν φύσιν ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγών, ᾧ μηδὲν πρὸς παροχὴν ἄπορον, ἐξεῦρε τοῖς κατακρίτοις ζωὴν ἀσφαλεστάτην, καὶ τῷ θανάτῳ λύσιν εὐπρεπεστάτην, καὶ γίνεται ἄνθρωπος ἐκ παρθένου, ὡς οἶδεν αὐτός. λόγος γὰρ ἑρμηνεῦσαι τὸ θαῦμα οὐ δύναται. καὶ ἀποθνήσκει ὃ ἐγένετο. καὶ λυτροῦται ὃ ὑπῆρχε, κατὰ τὸ λεγόμενον Παύλου, ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων. ὢ τῶν μεγάλων πραγμάτων! ἄλλοις ἐπραγματεύσατο τὴν ἀθανασίαν. Αὐτὸς γὰρ ὑπῆρχεν ἀθάνατος.

Leo de paſſ. ſerm. XII. Quam ſibi in hujus ſacramenti præſidio ſpem relinquunt, qui in Salvatoris noſtri corpore negant humanæ ſubſtantiæ veritatem? Dicant quo ſacrificio reconciliati, quo ſanguine ſint redemti? Quis eſt qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis? Aut quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quam quod pontifex verus altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit? Quamvis enim in conſpectu Domini multorum ſanctorum precioſa fuerit mors, nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſolvit, cum inter filios hominum ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati.

Claudianus Mamertus de ſtatu animæ lib. 2. Pictavus Hilarius inter complura præcelſarum diſputationum ſuarum, quiddam ſecius ſentiens, duo hæc veris adverſa diſſeruit. Unum quod nihil incorporeum creatum dixit. Aliud, nihil doloris Chriſtum in paſſione ſenſiſſe. Cujus ſi vera paſſio non fuit, redemtio quoque noſtra vera eſſe non potuit.

Anaſtaſius Sinaita, Epiſc. Antiochenus de rectis fidei Catholicæ dogmatibus lib. IV. *de paſſione & impaſſibili Deitate Chriſti.* Effuſus eſt ſanguis ejus, qui multis redimendis ſufficeret: forſan melius fuerit dicere omnibus; ſunt ſiquidem & omnes multi.

Procopius Gazæus in Exodi cap. XXIV. Cum Chriſtus natura ſit conjunctus Patri, ſi ejus participes facti fuerimus per Spiritum, connectemur per ipſum quoque Patri, in divinæ naturæ ſocietatem venientes. Nec aliter illi contenderunt in montem, quam prius exercitati ſanguine Chriſti, qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro nobis, offerens carnem ſuam, ut irreprehenſibile ſacrificium Deo & Patri.

Gregorius M. lib. III. *Moral. cap.* XIII. Alius ad paradiſum conditus divinæ potentiæ ſimilitudinem ſuperbe rapere voluit, ſed tamen culpas hujus ſuperbiæ ſine culpa mediator exſolvit. Hinc eſt quod patri quidam ſapiens dicit: Cum ſis juſtus, juſte omnia diſponis: eum quoque qui non debet puniri, condemnas. Sed penſandum eſt, quomodo juſtus ſit, & omnia juſte diſponat, ſi eum qui non debet puniri, condemnat, Mediator enim noſter puniri pro ſe ipſo non debuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed ſi ipſe indebitam mortem non ſuſciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum juſtus ſit, juſtum puniens omnia juſte diſponit: quia per hoc cuncta juſtificat, quod eum qui ſine peccato eſt pro peccatoribus damnat.

Iſychius in Levitici cap. XVI. Lex filios Iſraël reos maledicto & morti conſtituit, ut propterea neceſſariam haberent expiationem, & pro eis quidem principaliter unigeniti immolatur ſacrificium. Immolatur autem & pro omnibus hominibus, ita ut Caiphas diceret: Oportet ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quodque dictum erat confirmans, ſimulque & corrigens Euangeliſta Johannes, addidit: Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit, quia moriturus eſſet Jeſus pro gente, & non ſolum pro gente, ſed ut filios Dei qui diſperſi erant in unum colligeret: gentes videlicet. *Et paullo poſt:* Pro ſenſibili Iſraël Jeſus immolatus, & pro omni humano genere ad expiationem immunditiarum noſtrarum obtulit.

Antiochus in Exomologeſi. Verbum tuum nulla prorſus aſpergine peccati decoloratum, quem per tuæ viſcera miſericordiæ miſiſti, ſuum ut plaſma revocaret in viam, caro factus, noſtri cauſſa paſſus eſt crucifigi, & abolevit quod adverſum nos erat chirographum, peccatorum noſtrorum factus propitiatio.

Sophronius Hieroſolymitanus epiſt. ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham. Pro hominibus Chriſtus mori dignatus eſt, & pro eorum redemptione ſuum divinum ſanguinem fudit, & munus præ omni dignitate divinius ſuam animam poſuit.

Elias Cretenſis ad orat. I. *Nazianzeni.* Chriſtus dictus eſt redemptio, ut nos, peccato venditos, in libertatem aſſerens, & quia pro totius orbis expiatione tanquam redemptionis pretium ſeipſum dedit.

Nicephorus Conſtantinopolitanus epiſt. ad Leonem III: *quæ extat apud Baronium tom.* IX. *annal. pag.* 587. *edit. Mor.* II. Credo eum crucifixum eſſe, non in quâ ſplendet cum patre ſubſtantia, etſi Dominum gloriæ crucifixum fuiſſe dicitur, in ſermone retributionis, ſed in terrena noſtra natura, in qua terreſtrem noſtram maſſam ſuſcepit, & maledictum pro nobis factus eſt, ut benedictionis, quæ ab eo eſt, ſocios nos efficeret, & malefactorum ſecundum carnem ſuſtinuit mortem pati, ut mortis aculeum mortem ſuſtinendo condemnaret in carne ſua, & deſtrueret hunc, qui habebat mortis imperium, hoc eſt, diabolum.

Marcus Eremita lib. de his qui putant ſe operibus juſtificari cap. XX. Χριστὸς δεσπότης κατ' οὐσίαν καὶ δεσπότης κατ' οἰκονομίαν, ἐπεὶ καὶ μὴ ὄντας ἐποίησε, καὶ τῇ ἁμαρτίᾳ θανόντας, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος ἐξηγόρασε, καὶ τοῖς οὕτω πιστεύουσι τὴν χάριν ἐδωρήσατο.

Theodorus Abucara Epiſcopus Carum diſp. XV. *cap.* V. Deus juſto judicio ſuo à nobis omnia exigebat, quæ in lege ſcripta ſunt: quæ, cum ſolvendo non eſſemus, iccirco pro nobis Dominus noſter illa perſolvit: & maledictionem condemnationemque, cui obnoxii eramus aſſumſit, ultroque in ſe recepit: quæ pati debueramus, illa ipſe pertulit.

Idem ibidem. Jam mihi quinam ſint hoſtes illi quinque ediſſere, à quibus nos Chriſtus liberavit. A. Mors, diabolus, legis maledictio, atque condemnatio, peccatum, & infernus. B. Quod ad mortem quidem attinet, eam Chriſti obedientia deſtructam eſſe dixiſti: ſic etiam quonam modo nos à diaboli ſervitute liberarit: eloquere jam quî nos à legis maledictione redemerit, factus pro nobis maledictio? *Et poſt pauca.* A. Juſto ſuo judicio Deus à nobis omnia illa exigebat, quæ in lege ſcripta ſunt, quæ cùm ſolvendo non eſſemus, idcirco pro nobis Chriſtus Dominus noſter illa perſolvit, & maledictionem, condemnationemque, cui obnoxii eramus, aſſumpſit, ultroque in ſe recepit, & quæ pati debueramus, illa ipſe pertulit, flagellatus, ſputis conſperſus, percuſſus, colaphis cæſus, crucifixus, & pro nobis mortuus eſt.

Theophylactus in cap. I. *ad Hebr. verba illa: Per ſeipſum faciens purgationem peccatorum noſtrorum.* Cum locutus eſſet de majeſtate divinitatis Verbi, deinceps de cura ipſius, quam in homines per carnem gerit, diſſerit, quod multo majus eſt, quam quod omnia ferat. Duo autem hic ponit, tum quod mundarit nos à peccatis, tum quod per ſeipſum hoc fecerit. Nam per crucem & mortem, quam ipſe ſuſtinuit purgavit nos, non ſolum, quod mortuus ſit pro peccato noſtro, cum ipſe omni peccato vacaret, quodque pœnas luerit, quas ipſe tamen nobis non debebat, ac ſolverit naturam quæ ſimpliciter ob Adami peccatum ac tranſgreſſionem condemnata erat, &c.

Ad cap. 9. Eam ob rem mortuus eſt Chriſtus, ut nos mundaret, ac in teſtamento reliquit nobis condonationem noxæ, ac uſum paternorum bonorum, Mediator factus Patris noſtri. Pater enim noluit nobis dimittere hæreditatem, ſed iraſcebatur ut filiis rejicientibus ipſum & abalienatis. Chriſtus itaque Mediator factus reconciliavit nobis ipſum. Quomodo? Quod nos oportebat pati, (mori enim debuiſſemus) hoc ipſe pro nobis ſuſtinuit, noſque dignos teſtamento reddidit.

Anſelmus de concept. Virginis & pecc. Orig. cap. XXI. Dicit aliquis, Si non habent ſinguli peccatum Adæ, quomodo aſſeris nullum ſalvari ſine ſatiſfactione peccati Adæ? Nam qualiter juſtus Deus exigit ab illis ſatiſfactionem quod non habent? Ad quod dico, Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet: ſed quoniam nullus poteſt reddere quantum debet, ſolus Chriſtus reddidit pro omnibus qui ſalvantur, pluſquam debetur.

Bernardus epiſt. CXC. *ad Innocentium.* Homo qui debuit, homo qui ſolvit. Nam ſi unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: ut videlicet ſatiſfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter jam inveniatur, qui forefecit, alter qui ſatiſfecit: quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Satiſfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis.

Arnoldus Carnotenſis opuſc. de ſeptem verbis noviſſimis à Chriſto in cruce prolatis, Tract. I. Deſeritur cum derelictis, & pro natura quam aſſumſerat tributum ſolvit, & evecturus ſecum genus ſuum ultra hujus ſeculi pelagus, piratis rapacibus naulum carnis ſuæ protulit, inviſcatiſque dentibus eorum illuſit voracibus, & tam ſe quam prædam ſuam abtraxit & evexit. Pro debitoribus debitorem ſe objecit, & quod ex ſe non debebat, ultro debere non abnuit, ideoque totius debiti ſummam ab eo qui pro omnibus ſe tradebat, exactor exegit.

Nicetas Choniates in annalibus, in Joanne Commeno. Τὸ τῆς ἡμετέρας φύσεως πλάσμα πεσὸν ἀνήγειρεν ὁ Χριστὸς ἐπὶ σταυροῦ τὰς χεῖρας διεὶς, καὶ μικροῖς ῥανίσι κόσμον ὅλον εἰς ἕνωσιν ἀγαγών.

Nicolaus de Cuſa Cardinalis Excitationum lib. X. Propter noſtram juſtificationem ſic actum eſt per Chriſtum. Nam nos peccatores in ipſo infernales pœnas, quas juſte meremur, exſolvimus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

RESPONSIO
AD LIBRUM
HUGONIS GROTII,
Quem de
SATISFACTIONE CHRISTI,
Adverſus
FAUSTUM SOCINUM SENENSEM SCRIPSIT.

Quandoquidem Grotius, dum ſuam de ſatisfactione Chriſti ſententiam adſtruit, eam, quam Eccleſiæ noſtræ una cum Socino de vi mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio defendunt, oppugnat; operæ pretium viſum eſt, eam in ipſo initio tibi, lector erudite, proponere, ut ea cognita, facilius de ea judicare, & an ſit à Grotio uſpiam labefactata nec ne, commodius diſpicere queas.

De vi Mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio.

Talis ergo eſt ea de re ſententia noſtra: Chritum Servatorem, *qui* Heb. 8. 6. IX. 15. XII. 24, *Novi fœderis mediater, &* cap. 7. 22 *ſponſor eſt, ideo mortuum eſſe, ut Novum iſtud fœdus, promiſſaque divina in eo comprehenſa, quorum potiſſimum eſt remiſſio peccatorum & vita æterna, confirmaret ac ſanciret, & ſic jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret: deinde ut omnes homines ad conditiones huic fœderi inſertas amplectendas & exſequendas adduceret: denique ut hoc pacto miſericors Pontifex effectus, ſupremamque in omnia poteſtatem adeptus, peccata noſtra expiaret, ac promiſſa fœderis, conditiones ejus ſervantibus, reipſa præſtaret*, quibus rebus tota ſalutis noſtræ ratio abſolvitur.

Quod igitur ad primum caput attinet; eum in finem Chriſtum eſſe mortuum, ut Novum fœdus, promiſſaque divina in eo comprehenſa confirmaret ac ſanciret, atque adeo, quæ ſanctionis vis eſt, jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret, illa S. Literarum teſtimonia docent, in quibus ſanguis Chriſti, ſanguis fœderis Hebr. 10. 29, fœderis, inquam, novi Matth. 26. 28. Marc. 14. 24, & æterni dicitur Hebr. 13. 20, & ea in re, cum illo ſanguine, quo fœdus antiquum ſancitum fuit, confertur cap. 9. 15 uſque ad 20. XII. 24. Eandem ob cauſſam ſanguis, cum quo Chriſtus venit, teſtis appellatur 1 Joh. 5. 6. 8, & ipſe Jeſus Chriſtus Apoc. 1. 5. III. 14 teſtis fidelis & verax; & dediſſe ſemetipſum redemptionis pretium pro omnibus, teſtimonium (intellige divinæ erga omnes benevolentiæ) temporibus propriis 1 Tim. 2. 6, & teſtatus ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem ſcribitur ibid. cap. 6. 13.

Præſtitit autem id mors Chriſti multis modis, idque partim per ſeipſam tantum; partim una cum iis, aut per ea, quæ illius fuerunt, vi divini decreti, effecta, quæ priorem etiam mortis Chriſti vim veluti animarunt, & robur ei indiderunt.

Primum enim, cum mors Chriſti apertiſſime teſtetur, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium 1 Johan. 5. 5, 6, 8, 9, ſeu Regem Iſraëlis olim à Deo promiſſum Matth. 26. 63 & ſeqq. XXVII. 37, 40, 42, 43. Luc. 22. 67 & ſeqq. XXIII. 2. Joh. 18. 33 & ſeqq. XIX. 12. 19. Quod quia de ſe conſtanter aſſeverabat, à ſuis hoſtibus damnatus, & in crucem Matth. 27. 36. Joh. 19. 19 & ſeqq. teſtante inſcriptione ei affixa, eſt actus, nec potuit præſentiſſimo tam atrocis & ignominioſæ

mortis periculo ac metu quicquam ab hac aſſeveratione dimoveri; an non ſimul de veritate tum univerſæ Chriſti doctrinæ, tum promiſſorum in ea propoſitorum clare teſtatur? ſiquidem nemo credere poteſt, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium, quin ſimul totam ipſius doctrinam divinam eſſe credat. Unde hæc Chriſtianæ fidei ac profeſſionis ſumma, & diſcipulorum Chriſti nota in Sacris literis conſtituitur Joh. 20. 31. Actor. 8. 37. 1 Joh. 2. 22. IV. 2, 3, 15. V. 1, 5. adde Matt. 16. 16. Johan. 1. 50. VI. 69. 9. 22, 35, 36, 37. 11. 27. Actor. 2. 36. Rom. 10. 9. 1 Cor. 12. 3. Nominatim autem teſtimonium hoc, quo aſſeritur, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium, eo pertinet, ut certo conſtet, Deum nobis dediſſe vitam æternam, 1 Joh. 5. 11. Confer cum verſ. 5, 6, 8, 9, 10, & hanc vitam in filio ejus eſſe: quia hoc totius doctrinæ Chriſti, quæ teſtimonio iſto aſſeritur, caput eſt. Vita vero illa nobis, qui graviſſime peccaveramus, data, perfectam peccatorum remiſſionem, quæ N. fœderis maxime propria eſt, neceſſario in ſe includit cap. 4. 9, 10. 1 Cor. 15. 54, 55, 56.

Deinde, per mortem Chriſti, conſequuta reſurrectione & in cœlos aſcenſione, via nobis in ipſa cœli adyta initiata eſt ac munita, Hebr. 10. 20. vid. etiam cap. 6. 19, 20. & ipſius, fidei Hebr. 12. 2 ac ſalutis cap. 2. 10. Actor. 3. 15. noſtræ, ducis exemplo eſt oſtenſum, viam illam adeo duram, afflictionibus variis obſitam, cap. 14. 22. Rom. 8. 17. 2 Tim. 2. 11, 12. 2 Cor. 4. 17, 18. quam ille nos ingredi juſſit, licet ad interitum extremamque infelicitatem ducere videatur, certum tamen ad vitam ac felicitatem ſempiternam iter eſſe: cum dux ac magiſter noſter eam ingreſſus ad reſurrectionem ac ſupremam gloriam hoc pacto pervenerit Philip. 2. 9, 10, 11. d. l. Hebr. 2. 9, 10: 12. 2. Apoc. 2. 26, 27. 3. 21.

Adde quod hac ratione Servatori huic ac Pontifici noſtro ſenſus miſeriarum, quæ nobis ad cœlum contendentibus ob ipſius nomen incumbunt, fuerit ingeneratus: unde mali noſtri non ignarus tentatis novit ſuccurrere, Hebr. 2. 17, 18. 4. 15, 16. Confer 5. 2, 7, 8. & ad peccata noſtra expianda tanto vehementius incitatur, ut * inferius dicemus, id autem ſpem promiſſorum divinorum, quæ ex ipſius manibus nobis ſunt expectanda, mirum in modum confirmat.

Ex his alia iterum mortis Chriſti vis naſcitur ad Novi Fœderis promiſſa, atque inprimis ad remiſſionem peccatorum confirmandam pertinens. Nam cum Deus filium unigenitum & proprium in mortem adeo truculentam & ignominioſam tradiderit, ut tum univerſam ipſius doctrinam comprobatam, tum ſalutis viam dedicatam exemplo ducis noſtri cernentes, & ejus, in cujus manu ſalus noſtra eſſet poſita, adeo propenſum erga nos affectum perſpicientes, doctrinam illam amplexi ſalutis æternæ viam ingrederemur, atque hoc pacto ad ipſum Deum adduceremur; maximam ipſius erga nos adhuc impios & inimicos charitatem extitiſſe neceſſe eſt Joh. 3. 16. Rom. 5. 8. 8. 31, 32. 1 Joh. 4. 10. At ſi inimicos ſuos tantopere dilexit Deus, ut nos filii ſui chariſſimi morte ſibi conciliaret Rom. 5. 9, 10. & ex inimicis amicos redderet: qui fieri poteſt, ut nos ſibi jam conciliatos & ex hoſtibus amicos redditos, per eundem filium viventem à pœna liberare atque in æternum ſervare nolit? ſiquidem illud duriſſimum fuit, hoc ab omni moleſtiæ ſpecie ſejunctum, & cum ſumma Dei gloria conjunctum eſt. Si, inquam, proprio filio non pepercit Deus, ſed eum pro nobis omnibus tradidit; quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit? Rom. 8. 32. Similis de ipſo Chriſto, ut paulo poſt apparebit, argumentatio eſt. Siquidem non minor ipſius, quam Patris, erga nos apparuit charitas, cum ſeipſum morti tam diræ noſtra cauſa objecit Joh. 15. 13. 2 Cor. 5. 14, 15. Gal. 2. 20. Eph. 5. 2, 25.

Quod ad ea ſeparatim attinet, quæ mortem ita fuerunt conſequuta, ut ejus, vi divini decreti, eſſent effecta, quæ quidem ſunt reſuſcitatio, qua immortalitatem etiam ipſius complectimur, & divina potentia; primum utraque apertiſſime demonſtrat veritatem eorum omnium, quæ Chriſtus Dei nomine nobis annunciarat. Nec enim Deus, qui mendacii hoſtis eſt infenſiſſimus, ſeductorem, qui ſacratiſſimo ipſius nomine in re tanti momenti fuiſſet abuſus, in vitam revocaſſet, & multo minus immortalitate donaſſet, atque ad dextram ſuam in cœlis collocaſſet. Deinde reſuſcitatio ſpeciatim oſtendit, poſſe homines mortales reſurgere, & immortales evadere; imo omnes, qui Chriſti ſunt, propter arctiſſimam cum ipſo tanquam capite ſuo conjunctionem, certo reſurrecturos & beata immortalitate potituros 1 Cor. 15. 13. 16: 20. & ſeqq. 2 Cor. 4. 14. 1 Theſſ. 4. 14. 1 Petr. 1. 3, 4. Divina etiam ipſius potentia, qua ob præſtitam Deo ad mortem uſque crucis obedientiam ab ipſo donatus eſt, Philip. 2. 9, 10, 11. Hebr. 2. 9, 10. XII. 2. certitudinem promiſſæ nobis ſalutis evidentiſſime demonſtrat. Cum enim potentia illa tanta ſit, ut ea poſſit ſibi omnia ſubjicere, Philip. 3. 21. 1 Cor. 15. 25 & ſeqq. Apoc. 1. 18, nos è mortis clauſtris eripere, corporaque noſtra humilia conformia reddere corpori ſuo glorioſo, ſitque ipſi eum in finem data, ut omnibus, quos ejus curæ commiſit pater, vitam æternam largiatur, Johan. 6. 39, 40. 44. 54. 57. cap. 17. 2. quemadmodum in explicando poſtremo mortis Chriſti fine dicemus; qui fieri poteſt, ut vitam illam, quam ipſemet ſe daturum ſuis promiſit, locis dd. Joh. 6. & cap. 10. 28, ſibi confidentibus atque obtemperantibus reipſa non præſtet, pro quibus adhuc impiis mortem tam acerbam & infamem ſuſtinuit, & quos fratres ſuos vocare non erubeſcit? Hebr. 2. 11. Matt. 12. 49, 50. Nec enim ſeipſum negare, 2 Tim. 2. 13 fidem ſuam deſerere, & Dei Patris, ſuamque ipſius ſummam gloriam, quæ in nobis immortalitate donandis effulgebit, 2 Theſſ. 1. 10 aſpernari poteſt. Vim hanc reſurrectionis ac gloriæ Chriſti, qua ipſum Deus coronavit, in promiſſis divinis confirmandis, eleganter expreſſit Petrus, dum ait: 1 Petr. 1. 12. *per ipſum* (Chriſtum) *creditis in Deum, qui excitavit illum à mortuis, & gloriam illi dedit, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deum.*

Ex his conſequitur, mortem Chriſti Deum, cujus voluntate ad confirmandum, atque adeo ad ſanciendum fœdus novum ea fuit adhibita, ad fœderis iſtius promiſſa nobis præſtanda quodammodo obligare, & nobis jus quoddam ad ea, præſtitis fœderis conditionibus, obtinenda dare. Quare ſanguis Chriſti ea

in parte

* Vid. inf. in tertio mortis Chriſti fine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

in parte non tantum ſpem iſtorum promiſſorum nobis ingenerat, ſed etiam cauſſa quædam eſt, cur ea nobis à promiſſore ſint reipſa præſtanda. Qua de re in progreſſu * diſputationis dicetur explicatius.

Ex eodem mortis Chriſti effectu magna ex parte conſequutum eſt, ut Judæi à Legis jugo & exſecratione liberarentur Galat. 3. 13, & deleretur id, quod adverſus ipſos erat chirographum Col. 2. 14, quo placitis ſeu decretis, h.e. Legi, inprimis ceremoniali, obſtringebantur, quo veluti pariete intergerino ſublato Galat. 3. 13, 14, aditus gentibus ad Remp. Iſraëlis, fœdus, promiſſioneſque divinas fuit apertus. Novo enim fœdere, in quo omnibus hominibus æquè ſalus æterna per fidem obtinenda offertur, ſancito, antiquatum eſt Vetus, ſublata Legis ſeveritas & exſecratio, abolitum gentium diſcrimen, abrogatæ ceremoniæ, quarum inter conditiones Novi Fœderis nulla mentio. Indidem etiam magna ex parte pendet conciliatio omnium, quæ in terra, & quæ in cœlis Coloſſ. 1. 20, h. e. hominum & angelorum inter ſe. Hactenus de primo mortis Chriſti fine.

Alterum finem eſſe diximus, ut omnes homines ad conditiones Novo Fœderi inſertas amplectendas & exſequendas adducerentur. Conditiones autem iſtæ comprehenduntur fidei nomine Johan. 3. 15, 16, 18, 36 & alibi ſæpiſſ. quæ tum ſpem divinorum promiſſorum Hebr. XI. 1, 6, tum obedientiam mandatorum complectitur, quæ poſterior, quia ſpiritus & perfectio quædam eſt fidei Jacob. 2. 22, 26, nonnunquam ſola pro ea ponitur. Confer inter ſe 1 Cor. 7. 19. Galat. 5. 5. VI. 15, & conditio Novi fœderis conſtituitur d. l. 1 Cor. 7. 19. Jerem. 31. 33. Hebr. 8. 10: v. 9. Matt. 5. toto VII. 21, 24, & ſeqq. 1 Petr. 1. 2. 1 Johan. 1. 7. Eum vero in finem Chriſtum eſſe mortuum, non pauca Sacrarum Literarum loca docent; ut Johan. 12. 32. 2 Cor. 5. 15. Galat. 1. 4. Eph. 5. 25, 26, 27. Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18. II. 24, 25: III. 18. Heb. 9. 14. Et ſpem quidem promiſſorum divinorum quomodo in nobis excitet mors Chriſti, in primo ejus fine dictum eſt. Ad obedientiam autem mandatorum Dei nos excitat, primum eo ipſo, quod religionem Chriſtianam & ſalutis æternæ viam confirmat, & certam ſalutis ſpem nobis ingenerat, quam qui habet, is purificat ſeipſum, ſicut Deus purus eſt 1 Johan. 3. 3. 2 Cor. 7: 1. Deinde quia admiranda illa Dei ac Chriſti erga nos adhuc impios charitas, morte Chriſti demonſtrata, nos ad ipſum viciſſim diligendum impellit. At noſtra in Deum Chriſtumque charitas in obſervatione mandatorum ejus conſiſtit 1 Johan. 5. 3. Johan. 14. 15, 21, 23, 24. Præterea nos movet exemplo pulcherrimarum ac difficilimarum virtutum, quas in duce ac magiſtro noſtro nobis ſpectandas exhibuit: & primo quidem maximæ in Deum fiduciæ Matt. 27. 43, 46. Luc. 23. 46, quæ in ſummis cruciatibus mediaque morte eluxit; deinde ingentis charitatis tum in Deum Johan. 14. 31, tum in nos adhuc impios ac Dei hoſtes Johan. 15. 13. 1 Johan. 3. 16, ipſoſque adeo parricidas ſuos Luc. 23. 34. Eſai. 53 ult. præterea admirandæ manſuetudinis ibid. verſ. 7. Actor. 8. 32, patientiæ 1 Petr. 2. 21, 22, 29, humilitatis Matth. 20. 28. Philip. 2. 5 & ſeqq. ad quarum imitationem tanto magis incendimur, quod earum fructum in ipſo manifeſte conſpicimus, quemadmodum ſupra vidimus. Denique à peccatis nos abſterret mors Chriſti, dum Dei adverſus ea odium, & in contumaces ſeveritatem oſtendit, ut ſuo loco explicabitur. *

Hactenus de duobus prioribus mortis Chriſti finibus actum eſt: ſuccedit poſtremus, qui eſt, ut Chriſtus hoc pacto miſericors Pontifex effectus, ſupremamque in omnia poteſtatem adeptus, peccata noſtra expiaret, tentatis opem prompte ferret; & promiſſa fœderis, conditiones ejus ſervantibus, reipſa exhiberet. Nam ut de poſteriori prius dicamus, eum in finem Chriſtus eſt mortuus Rom. 14. 9, ut imperium in vivos & mortuos adipiſceretur. At hæc poteſtas ideo ipſi à Patre data eſt, ut credentibus remiſſionem peccatorum vitamque æternam largiatur Johan. 17. 2. Actor. 5. 31, & ea omnia nobis ſuppeditet, quæ ad tantum bonum conſequendum ſunt neceſſaria Eph. 1. 22, 28. IV. 10 & ſeqq. Fuit nempe mors Chriſti conditio quædam, ipſi à Deo impoſita, qua interveniente, ut illi gloria, ita nobis remiſſio peccatorum & ſalus æterna parta eſt. Sic enim Eſaias de Chriſto ſcribit Eſai. 53. 10, 11: *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longævum* (h. e. per fidem ex ſe generabit filios, qui in æternum ſunt victuri) *& voluntas Domini* (quæ eſt, ut nihil ex eo, quod ipſi Pater dedit, perdat Joh. 6. 39, 40; ſed reſuſcitatum ultimo die vita æterna donet) *proſpere perficietur in manu ejus: propter laborem animæ ejus videbit & ſatiabitur, & cognitione ſui multos juſtificabit ſervus meus juſtus, & eorum peccata auferet.* quæ verba poſteriora ſunt priorum repetitio & explicatio quædam. Hinc ipſe Servator Luc. 24. 46, 47 vid. etiam verſ. 26. & 1 Petr. 1. 11: *Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & à mortuis reſurgere, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Quod de Chriſti Pontificatu, quo in cœlis æternum fungitur Heb. 6. ult. VII. 24 & ſeqq. VIII. 1 & ſeqq. IX. 12, 24 & ſeqq. diximus, clare docet Divinus Auctor ad Hebr. dum ait: *Debuit per omnia* (h. e. etiam in afflictionibus & morte) *fratribus ſimilis fieri, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expiandum peccata populi. In quo enim paſſus eſt ipſe cum tentaretur, poteſt* (h. e. prompte ſolet) *tentatis auxiliari.* Unde inferius monet: cap. 4. 15: 16. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia ſecundum ſimilitudinem abſque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam accipiamus, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Itaque jure exclames cum Paulo Rom. 8. 34. 35: *Quis eſt qui condemnet* (electos Dei?) *Chriſtus [eſt] qui mortuus eſt: magis vero qui etiam reſuſcitatus eſt, qui etiam eſt in dextra Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Quis nos ſeparabit à dilectione Chriſti?* & quæ ſequuntur. Sed hæc ex ipſa diſputatione melius intelligentur.

* Vid. cap. 1, partic. 26, 31. 85, 88.

* Vid. cap. 1. diſput. partic. 57.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

RESPONSIO
Ad Caput I. quod ita inſcripſit Grotius:

Oſtenditur controverſiæ ſtatus, & vera ſententia Scriprura verbis explicatur.

AD hunc modum explicata noſtra de Chriſti morte ſententia, ad Grotii ſententiam Partic. I. examinandam accedamus, quam his verbis concipit: *Deus motus ſua bonitate, ut nobis inſigniter benefaceret, ſed obſtantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, conſtituit, ut Chriſtus volens, ex ſua erga homines charitate, cruciatus graviſſimos & mortem cruentam atque ignominioſam ferendo, pœnas penderet pro peccatis noſtris, ut ſalva juſtitiæ Divinæ demonſtratione, nos, intercedente vera fide, à pœna mortis æterna liberaremur.*

Hæc verba, ſi dextre accipiantur, admitti à nobis poſſunt univerſa. Nam primum vox pœnarum non incommode, quamquam improprie, ad paſſionem ac mortem Chriſti, ſalva ſententia noſtra, poteſt transferri, ut mox docebimus. Deinde ſi juſtitia divina, cujus in Grotii verbis fit mentio, accipiatur vel pro fide ac conſtantia Dei in ſervandis promiſſis, vel pro juſtificatione noſtra, à Deo profecta, quæ utraque hujus vocis ſignificatio in Sacris Literis non eſt inuſitata; fatemur Chriſtum mortuum ad juſtitiæ divinæ demonſtrationem. Hæc autem duo ſunt in Grotii verbis, quæ ſententiæ noſtræ videntur repugnare. Verum Grotius, ut apparet, pœnarum vocem accepit proprie. Pœna vero proprie dicta deſcribitur à Juriſconſulto,* Vindicta noxæ; conſentientibus Græcis, qui ἐκδίκησιν ἁμαρτήματος definiunt. Hanc nos Chriſtum (quem Deus infinito præmio ad mortem noſtra cauſa ſuſtinendam hortatus eſt, eoque reipſa poſtmodum exhibito, omnes ejus cruciatus abunde compenſavit, Eſai. 53. 10, 11. Hebr. 2. 9, 10, 11. & XII. 2. Phil. 2. 9, 10, 11) ſuſtinuiſſe negamus: improprie dictam, fatemur. Id enim, quod Chriſtus perpeſſus eſt, cum vera pœna tantam habet cognationem, ut ea vox, & phraſes in ſuppliciis proprie dictis uſitatæ, eleganter ad paſſionem ipſius traduci poſſint. Convenientia primum eſt in materia pœnæ, quæ eſt afflictio aut nocumentum; deinde in cauſſa impulſiva procatarctica, hoc eſt, peccatis; tandem in effectu & fine, qui eſt, ut reatus peccatorum admiſſorum tollatur, & à peccatis homines abſtrahantur; quanquam in modo aliqua eſt differentia. Deeſt autem potiſſimum forma, quæ eſt vindictæ ratio. Quod ſi tamen Grotius ad formam pœnæ ſufficere putat, relationem nocumenti ad peccatum, & ad bonum commune, atque adeo pœnam definit, Nocumentum peccati cauſſa cuipiam inflictum, inſerviens bono communi, & reatui tollendo; in forma rei, de qua agitur, adeoque in principali quæſtione nobis cum ipſo conveniet, nec, niſi forte de voce, controverſia nobis ab eo hac in parte movebitur. Rem enim fatemur: vocem pœnæ proprie huc pertinere non concedimus; & in eum ſenſum ſemper verba noſtra volumus accipi, cum Chriſtum pœnas pependiſſe ſimpliciter negamus.

Quod ad juſtitiam divinam attinet, quia eam intelligit Grotius, ut infra docebit manifeſtius, cujus inter alia officium ſit, pœnas exigere, quem illius effectum in morte Chriſti vult reipſa oſtenſum; hoc ſenſu acceptam eam definitionis Grotianæ particulam, qua divinæ juſtitiæ demonſtratio mortis Chriſti finis eſſe innuitur, negamus. Alias juſtitiam illam, quæ ſuum cuique tribuit, morte Chriſti demonſtratam, nos quoque ſtatuimus: cum fides in ſervandis promiſſis, juſticiæ hujus pars ſit magna; hanc vero morte Chriſti demonſtratam aſſerimus. Quod ſi hoc etiam ad juſtitiam Dei ἀνταποδοτικὴν *retributivam* pertinet, ut quidem Grotius contendit, curare bonum commune, & rectum ordinem cuſtodire, quod fit, cum homines à ſceleribus ad pietatem, ipſamque ſalutem perducuntur; hac quoque ratione iſtam Dei juſtitiam Chriſti morte inſigniter eſſe demonſtratam, noſtra ſententia manifeſte probat. Plura hac de re ſuo loco dicentur.

Illud autem hic inprimis obſervandum videtur, quod Grotius in hac ſatiſfactionis Chriſti deſcriptione illud non attigerit, quod Socinus potiſſimum ſibi oppugnandum ſumſerat, nempe Chriſtum morte ſua juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris pleniſſime ſatis feciſſe, hoc eſt, pœnas ejuſmodi ſuſtinuiſſe, quæ vi ſua delictis omnibus omnium hominum eſſent æquales. Vide inter alia Socini loca, quibus id potiſſimum ſibi propoſitum eſſe teſtatur, lib. 3. cap. 4 & 6. Hæc enim communis eſt de ſatiſfactione Chriſti ſententia, quam Covetus, cum quo Socino res fuit, defendendam ſibi ſumſit, ut ex ipſius verbis, quibus ſententiam ſuam complexus eſt, apparet. Grotius autem hoc tantum aſſerit, Chriſtum pœnas pro peccatis noſtris pependiſſe. At pœnæ poſſunt delictis eſſe longe minores, ac ſalva juſtitia admitti, etiam à rectore, cum ordo communis & diſciplinæ conſervatio majores non poſtulat, & cæteri, quorum intereſt nocentem puniri, conſentiunt: Quare ſententia Grotii id non exprimit, quod ſibi Socinus vere ſumſerat refutandum, nec eodem plane modo ſatiſfactionis vocem, quo Socinus, accipit. Quamquam haud imus inficias, Socinum in diſputatione ſua hinc inde non pauca afferre, quæ ad eam ſententiam, quæ his Grotii verbis videtur expreſſa, refutandam pertinent: tum quia hac ſubverſa, illa etiam, quæ communior eſt, corruit; tum quia hæc quoque ſententia veram mortis Chriſti vim obſcurat.

Præterea illud in explicatione ſententiæ Grotianæ merito deſideramus, quod inter cauſſas efficientes rei de qua agit, non poſuerit iram divinam, quam infra cap. 5 urget, nec ullum Scripturæ locum, in quo ea mortis Chriſti cauſſa commemoretur, attulerit. At hæc potiſſimum fuerat afferenda, & ſacris teſtimoniis munienda: quia hæc eſt cauſſa propria pœnæ: (eſt enim, ut aſſerit ipſe Grotius, ira puniendi affectus) pœna vero eſt forma, adeoque rei de qua agitur præcipua pars, in qua cardo controverſiæ, quam hoc loco Grotius conſtituit, verſatur.

* Ulpian. Dig. de verb. ſignif. L. 131.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſatur. Altum nempe ſacrarum literarum hac de re ſilentium eam hoc loco coegit ſupprimere. At qui fit, quod ſacræ literæ iram Dei in hoc negotio ne ſemel quidem commemorarint, ingentem autem Dei erga nos amorem, qui mortis Chriſti cauſſa fuerit, non ſemel clariſſimis verbis expreſſerint? Charitas autem Dei tanta iram iſtam, quæ mortis Chriſti cauſſa fuerit, & Deum ad repetendas peccatorum noſtrorum pœnas impulerit, prorſus evertit. Cui enim, quæſo, Deus fuit iratus? an Chriſto filio ſuo unigenito, innocentiſſimo & ſanctiſſimo, idque etiam tum, cum aggrederetur id opus, quod fuit hoſtia & oblatio Deo in odorem ſuavitatis Eph. 5. 2. Joh. 10. 17. Hebr. 2. 9, & ob quod ab ipſo potiſſimum dilectus, ac gloria coronatus eſt? An hominibus? at eos ingenti amore complectebatur, &, ut ii non tantum impunitatem, ſed etiam æternam felicitatem conſequerentur, unicum ac chariſſimum filium ſuum morti acerbiſſimæ tradebat Johan. 3. 16. Non fuit ergo ira divina mortis Chriſti cauſſa, adeoque nec mors Chriſti pœna proprie dicta. Sed videamus, quomodo Grotius ſententiam ſuam per cauſſarum genera deducat, & Sacræ Scripturæ teſtimoniis comprobet.

Primo igitur efficientem cauſſam rei, de qua agit, ſtatuit Deum Grotius Partic. 2. Porro cum res hæc ex ſententia ipſius ſit ſatiſfactio pro peccatis noſtris, morte Chriſti præſtita, negamus ejus rei cauſſam efficientem eſſe Deum: nec loci, quos Grotius affert, id ullo modo evincunt. Nam quod ad primum attinet Joh. 3. 16: *Deus filium ſuum unigenitum dedit, ut omnis qui credit in eum non pereat*; nulla ibi ſatiſfactionis mentio, ſed tantum traditionis Chriſti in mortem, noſtræ impunitatis ac ſalutis æternæ cauſſa. Vocem enim *dedit* nil aliud ſignificare quam *dedit in mortem*, infra hoc ipſo capite oſtendit Grotius. Verba etiam quæ adduntur: *ut omnis qui credit in eum non pereat* &c. ſententiæ Grotii nequaquam ſuffragari, inferius cum de mortis Chriſti fine agetur, docebimus. Præter hæc autem duo nihil eſt in hoc teſtimonio, quod ad ſuam ſententiam defendendam, pertrahere poſſit Grotius.

Nec vero etiam ſecundus locus, qui extat Rom. 8. 32: *Deus Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum*, ullo modo Deum cauſſam eſſe efficientem iſtius ſatiſfactionis probat. Nam quod primum dicitur, Deum *non pepercisse proprio filio*, id, ut quivis animadvertit, ita rectiſſime accipitur, ac ſi dictum eſſet, Deum, licet magna eſſet cauſa, cur Filium proprium afflictionibus tantis & morti adeo diræ haudquaquam objiceret, afflixiſſe tamen, & morti acerbiſſimæ ſubjeciſſe: qua ratione olim filio ſuo unico non pepercit Abrahamus Gen. 22. 12, 16, quem non punire, ſed ſimplicitur affligere atque occidere voluit. Deinde quod dicitur, Deum *pro nobis tradidiſſe* Filium ſuum, id, ut cap. 9 patebit, nil aliud eſt, quam quod Deus eum propter nos, ſeu ſalutis noſtræ cauſſa in mortem tradiderit. Neutrum autem ſatiſfactionem ullam evincit. Imo cum Paulus hoc Dei factum, quod proprio filio non pepercerit, ſed pro nobis omnibus eum tradiderit, afferat ut argumentum divinæ erga nos charitatis ac beneficentiæ; fieri non poteſt, ut in iiſdem verbis de ſatiſfactione Deo præſtita loquatur; quod ipſum etiam de priori loco Joh. 3. 16 dictum volumus.

Tertium & quartum teſtimonium Eſai. 53. 6. 2 Cor. 5. 21, itidem non favere Grotio, infra cum de forma dicemus, demonſtrabitur.

Quod ad cauſſam priorem attinet Partic. 3, quæ Deum moverit, nempe ipſius charitatem ſeu φιλανθρωπίαν, ea quidem fatemur Deum impulſum, ad Chriſtum noſtræ ſalutis cauſſa in mortem tradendum, quod ſolum loci à Grotio adducti Joh. 3. 16. Rom. 5. 8 evincunt, non autem ad ſatiſfactionem pro peccatis noſtris à Chriſto exigendam. Imo charitas illa Dei, quæ ſummam ipſius erga nos beneficentiam complectitur, ſatiſfactionem iſtam prorſus evertit, ut jam indicavimus, & ſuo loco ſuſius oſtendemus.

Quod ad poſteriorem cauſſam attinet Partic. 4, quæ Deum moverit, nempe peccata noſtra pœnam commerentia, ea itidem non ad ſatiſfactionem à Chriſto exigendam, ſed ad Chriſtum morti tradendum impulit Deum. Verba Rom. 4. 25 à Grotio citata contrarium non evincunt.

Quod vero Grotius Partic. 5 hoc loco aſſerit, phraſin *propter peccata* perpeſſionibus junctam, ſemper cauſſam impulſivam notare, nec unquam aliter ſumi, contra quam Socinus opinetur, qui & impulſivam & finalem ea phraſi deſignari ſtatuit; id locus ab ipſomet Grotio hic allatus dubium reddit. Nam cum in eo loco Chriſtus propter peccata noſtra dicatur traditus; hac phraſi cauſſam finalem indicari, ſequentia verba, *reſuſcitatus propter juſtificationem noſtram*, innuere videntur, in quibus cauſſam finalem ſignificari nemo non agnoſcit. Nam quod Grotius infra ad finem hujus capitis ait: vocem *propter* in utroque loci hujus membro non ſimiliter ſumi, & in poſteriore finem, in priore impulſivam cauſſam notare; rationem afferens, quod finis bonum ſit, peccata vero malum: non videtur id, quod aſſerit, ſatis probaſſe. Nec enim, ſi phraſis hæc *propter peccata* finem notet, neceſſe erit, ipſa peccata eſſe finem, atque adeo bonum. Nam ſatis eſt, ſi id ſit finis ac bonum, quod ad peccata reſpectum habeat, nempe abolitio peccatorum, quæ his verbis tacite comprehendatur: quemadmodum 1 Cor. 7. 2, cum dicitur, *propter ſtupra unuſquiſque habeat ſuam uxorem*; nemo non videt, verbis *propter ſtupra* cauſſam finalem conjugii denotari, licet ſtupra mala ſint, & conjugii finis eſſe nequeant. Apertum enim eſt, ita ea verba eſſe capienda, ac ſi ſcriptum extaret, *propter ſtupra vitanda*. Nihil igitur obſtat hæc Grotii ratio, quominus illa verba *propter peccata* Rom. 4 ſic accipiantur, *propter peccata abolenda*, atque ad eum modum finem notent. Nec vero officit, quod hic voces *propter peccata* perpeſſionibus jungantur; niſi velis perpeſſiones abolendorum peccatorum cauſſa ſuſcipi non poſſe, quod nec Grotius dicere poteſt, qui finem pœnarum ſtatuit morum correctionem, & nos falſum in hoc ipſo mortis Chriſti negotio, ſupra, cum de ejus fine actum eſt, docuimus. Hoc vero conceſſo, nulla eſt cauſſa, cur perpeſſiones, phraſi *propter peccata* junctæ, vim notandi finem adimant, quam ſimiles

phraſes recipiunt, ut præter locum 1 Cor. 7 jam adductum, docet etiam ille Gal. 3. 19.

Idem ex parte dicimus de altera phraſi *pro peccatis* Partic. 6, quæ Græcis eſt ὑπὲρ aut περὶ ἁμαρτιῶν, quam finem notare, docere poteſt locus Hebr. 10. 26. *Sponte peccantibus nobis poſt acceptam cognitionem veritatis, non amplius pro peccatis relinquitur hoſtia.* Perinde enim accipienda eſſe verba hæc poſteriora, ac ſi ſcriptum eſſet, non reſtare amplius hoſtiam expiandis peccatis, eorumve reatui ac pœnæ auferendæ, indicat oppoſitio. Nam ſtatim ſequitur: *ſed* (ſcil: *relinquitur) terribilis quædam expectatio judicii & ignis æmulatio, qui devoraturus eſt adverſarios.* Idem agnoverunt Beza & Caſtellio in illis verbis Rom. 8. 3, *& pro peccato condemnavit peccatum* &c. Caſtellio enim in margine verſionis ſuæ ita notavit ad verba *pro peccato: ad delendum peccatum.* Beza vero: *ut ipſum peccatum aboleret.* Quin etiam hic, refutans eos, qui vocem *peccati* in iiſdem verbis de hoſtia pro peccato intelligunt, ait: *aut ego prorſus fallor, aut præpoſitio περὶ nulla ratione poteſt hanc interpretationem admittere.* Poſtulat enim iſtorum ſententia, ut præpoſitio περὶ *pro* de cauſſa efficiente accipiatur, quam Beza hic pro ὑπὲρ poſitam ſcribit, & finem vult notare. Eandem vim cauſſam finalem denotandi in verbis *pro peccatis* agnovit Muſculus in loco, quem Grotius citavit, 1 Cor. 15. 3 ubi inter alia notat: *Expreſſiſſe hac particula Apoſtolum rationem mortis Chriſti & redemtionis utilitatem* &c, & rationem dicti reddens, mox ſubjungit: *Cum enim dicit, Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ſignificat mortem illius ad hoc fuiſſe divinitus deſtinatam, ut à condemnatione mortis æternæ, cui propter peccata noſtra eramus obnoxii, veluti redemtionis pretio liberaremur* Edit: Lovanii Anno 1556 apud Antonium Mariam Birgag, &c. Idem agnovit Adamus Saſbout, homo quidem Pontificius, ſed, ut ex ejus Commentariolo in Epiſtolas Apoſtolicas apparet, vir doctus, qui ad verba illa ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *pro peneplacito* Phil. 2. 13 notat: ſenſum Latinorum interpretum, qui ea verba de cauſſa impulſiva capiant, valde quidem convenire rei de qua agatur, ſed ei admodum repugnare præpoſitionem ὑπὲρ, quæ fere ſoleat ſervire fini ac intentioni; atque ad id illuſtrandum adducit verba Pauli Gal. 1. 4 à Grotio etiam hic citata: *tradidit ſemetipſum pro peccatis noſtris*, quæ ita explicat: *id eſt ad abolenda peccata.* additque quod Latini dicant, vocavit me pro ſua humanitate, Græcos efferre per aliam præpoſitionem quam ὑπὲρ: & interpretes Græcos Chryſoſtomum, Theophylactum, & Oecumenium à communi ſenſu, quem Latini ſequantur in loco Phil. 2. 13 retentos ſive abductos fuiſſe præpoſitione ὑπὲρ. ac tandem concludit, ſi quis ſequi velit Latinos, eum dicere poſſe, Apoſtolum abuſum præpoſitione, quod ipſi non ſit infrequens. Quæ ideo fuſius recenſuimus, ut non tantum hujus phraſeos *pro peccatis* ſignificatio pateret, ſed illud quoque conſtaret, quid in genere de vi particulæ ὑπὲρ ſit ſentiendum. Quo ſpectat etiam Victorini Strigelii teſtimonium, qui cum eadem illa Pauli ad Phil. 2 verba ita reddidiſſet: *ut aliqua fiant Deo grata*, rationem dicti addit: *Significatur enim præpoſitione ὑπὲρ cauſſa finalis, non, ut alii enarrarunt, efficiens.* Itaque horum virorum ſententia verba iſta ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας ſimilia ſunt illis Col. 1. 10. εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, ut per omnia placeatis, nempe Domino. Quanquam ita etiam queunt accipi: ut beneplacitum ſuum ad effectum perducat, quod itidem finem ſignificat, licet ipſum beneplacitum ſit cauſſa efficiens impulſiva. Sed ut ad phraſin *pro peccatis* redeamus, ea finem notari poſſe docet etiam Vatabli de ſimili phraſi teſtimonium. Ita enim ad verſ. 1. cap. 3. Habac. notat: *Oratio Habacuc pro ignorantiis*, id eſt, *quam habuit, ne Deus inputaret ſuis popularibus ignorantias.* Quod ſi dixerit Grotius, in quibuſdam ex his locis, verba *pro peccatis* non jungi perpeſſionibus: ſe autem id tantum negare, ea verba perpeſſionibus juncta finem deſignare; reſpondemus primum id, quod ſupra diximus, de phraſi *propter peccata* agentes: ſi alibi eam vim habere deprehendantur, nullam eſſe cauſam, cur etiam tum habere non poſſint, cum perpeſſionibus junguntur iis, de quibus inter omnes conſtat, quod peccatorum tollendorum cauſſa fuerint ſuſceptæ, quales ſunt perpeſſiones Chriſti, quarum occaſione de vi verborum iſtorum diſputatur. Deinde ſi ratio Grotii, quam infra ad ſententiam ſuam comprobandam affert, firma eſt, nempe quod peccata neque finis cui, neque finis cujus eſſe poſſint; ſequitur, nec in ullo locorum à nobis adductorum, nec in ſimilibus uſpiam, verba *pro peccatis* cauſſam finalem denotare, ſive perpeſſionibus jungantur, ſive minus. In nullo enim iſtorum locorum ipſa peccata finis rationem habere poſſunt, ſed id tantum, quod ad peccata reſpicit, & circa ea vertitur, quemadmodum una cum aliis viris doctis Socinus voluit: quam ſententiam ſuam indicavit de Serva: lib. 2. cap. 7. pag. 110. ſed apertius in prælectionibus Thelog. cap. 20. pag. 121, 122. ubi cum aſſeruiſſet, verba *pro peccatis* de cauſſa finali debere intelligi, ait: *Cum igitur ſcriptum legimus, Chriſtum pro peccatis noſtris paſſum & mortuum fuiſſe, intelligendum quidem eſt, id propterea factum eſſe, ut inde effectus aliquis noſtra peccata reſpiciens conſequeretur* &c. *nempe ut nos à peccatis retraheremur; utque nobis fides fieret, peccata noſtra, ſi ipſi Chriſto obediremus, nobis divina benignitate remiſſum iri; ac denique ut remiſſionem peccatorum iſtam reipſa, ejuſque fructum ſentire & conſequi poſſemus.* Simile quippiam accidit in aliis phraſibus, in quibus locus eſt particulæ ὑπὲρ, ut in illis Apoſtoli verbis Rom. 15. 8, ubi dicitur, Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, *pro veritate Dei*, nempe patefacienda, & reipſa comprobanda; quod ſtatim explicatur, dum additur: *ad confirmandas promiſſiones patrum.* Quam ſententiam omnes, ni fallor, interpretes agnoverunt, adeoque finalem cauſſam verbis *pro veritate Dei* deſignari crediderunt, licet ipſa Dei veritas cauſſa efficiens fuerit, ob quam Chriſtus miniſter circumciſionis extitit, hoc eſt, circumciſis ſeu Judæis Euangelium miniſtravit, cauſſa vero finalis fuerit comprobatio divinæ veritatis, quæ ſatis videbatur expreſſa, nominata Dei veritate, ad quam comprobatio illa tota reſpexit.

Quod vero Grotius Partic. 7 contra Socinum aſſerit, ὑπὲρ & περὶ non minus cauſſam impulſivam quam finalem ſignificare, itemque particulam pro

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

apud Latinos: id poſſemus ſalva ſententia noſtra de morte Chriſti tranſmittere; præſertim cum nos una cum Socino fateamur, peccata noſtra cauſſam mortis Chriſti impulſivam fuiſſe, cujus rei obtinendæ gratia Grotius hæc diſputat; neque conceſſo eo, quod de hac particula in genere ſcribit Grotius, omnino conſequatur, verba *pro peccatis* in noſtro negotio cauſſam impulſivam denotare. Veruntamen ſi recte attendatur Socini hac de re ſententia, quam cum aliis viris doctis ei communem eſſe oſtendimus, non videmus, eam repudiandam eſſe. Id enim voluit Socinus, particulam ὑπὲρ, aut Latinam *pro*, atque adeo etiam περὶ, quando pro ὑπὲρ collocatur, non ſignificare revera *unde* aliquid proficiſcatur, id quod eſt cauſſæ efficientis, ſed *quonam* reſpiciat, & in quem veluti ſcopum mens agentis intendat ac collimet; quod dum fit, finis actionis vi hujus particulæ ſemper ſignificatur, quamquam nunc apertius, nunc minus aperte. Apertius, cum finis ſive *cujus*, ſive *cui* particulæ ὑπὲρ expreſſe ſubjicitur, quod in multis fit ſacrarum literarum locis; Johan. 6. 51. cap. 11. 4. 2 Cor. 1. 6. XII. 19. XIII. 8. 2 Theſſ. 1. 5. Rom. 8. 31. Heb. 6. ult. 9. 24. XIII. 17, nec id diffitetur Grotius. Minus aperte, cum non quidem ipſe finis particulæ huic ſubjungitur, ſed illud, ad quod finis iſte reſpicit, & circa quod vertitur, ita ut mens in finem intenta, ad illud quoque reſpicere ac veluti collimare cogatur; licet id per ſe ad aliud aliquod cauſſarum genus atque adeo ad cauſſam impulſivam nonnunquam referendum ſit. Verum id reſpectu ſignificationis particulæ ὑπὲρ ex accidenti eſt. Hanc fuiſſe Socini mentem, ex ipſius verbis facile intelligitur, quæ paulo ſuperius adduximus, de phraſi *pro peccatis* differentes. Ex iis autem, quæ nunc diximus, patet cauſſa, cur ὑπὲρ cum vocula περὶ, quæ materiam circa quam, ſeu objectum proprie notat, tam crebro commutetur: nempe quia mens agentis etiam objectum reſpicit, & in id intendit, ac finis actionis ad illud aliquo modo refertur. Itaque particula ὑπὲρ, quando pro περὶ uſurpatur, deflectit quidem à propria ſignificatione, ſed non longe: quia tamen deflectit, ideo à doctis Latine non *pro*, ſed, ut περὶ, *de* verti ſolet; poteſtque ſtatui, Socinum de iis locis, ubi ſic uſurpatur, non eſſe loquutum, ſed de iis tantum, ubi ὑπὲρ Latine reddenda eſt *pro* aut *propter*, quemadmodum colligi poteſt ex loco, quem Grotius notavit, lib. 2. cap. 7. Huc vero poſſunt referri nonnulli ex iis locis, quos Grotius adduxit, ut probaret, ὑπὲρ cauſſam impulſivam ſignificare, qui quidem extant 2 Cor. 7. 4. IX. 2. XII. 5. quibus alia non pauca in eadem Epiſtola ſunt ſimilia, ubi de gloriatione ὑπὲρ τινὸς aut τινῶν agitur. Notavit id Beza non ſemel, ideoque una cum aliis recentioribus interpretibus ὑπὲρ in ejuſmodi locis non vertit *pro*, ſed *de*: quod etiam vetus interpres fecit cap. 7. 14. IX. 3, 4. licet alibi *pro* habeat. Hæc ſignificatio frequentius reperitur in hac Epiſtola, quam alibi. Vide cap. 1. 6 ſpes noſtra firma ὑπὲρ ὑμῶν *de vobis*. & verſ. 8. ὑπὲρ τῆς θλίψεως *de afflictione* cap. 8. 2. εἴτε ὑπὲρ Τίτου *ſive de Tito* ſcil. quæritur. Exemplum quoque apertum habes Rom. 9. 27. Huc etiam referendus eſt locus Judic. v. 15. à Grotio citatus, qui eo minus ad rem facit, quia ibi eſt περὶ, quod propriam ſuam vim ibi retinet, & objectum notat. Itaque vetus interpres, adſtipulante partim verbis, partim ſententia, Beza & Caſtellione, ita reddidit verba: *arguere omnes impios eorum, de omnibus factis impietatis eorum*. Ea certe uſitata eſt ac propria ſignificatio phraſeos ἐλέγχειν aut ἐξελέγχειν περὶ τινος; ut inter alia videre eſt Joh. 8. 46: XVI. 8, 9, 10.

Neque vero ſententiæ Socini à nobis explicatæ repugnant, aut Grotium quicquam juvant ea loca, in quibus ὑπὲρ commutationem quandam ſignificat, quo pertinet inprimis ille 2 Corinth. 5. 20. ὑπὲρ Χριστοῦ, quod Grotius infra tum hoc tum 7. cap. vertit *nomine Chriſti*. Nam ubi commutatio fit, finis ſive per ſe, ſive per accidens, eſt compenſatio quædam, quæ nunc vera eſt, nunc veræ loco, ac velut imaginaria. Compenſatio autem ad illud reſpicit, cujus loco alterum reponitur. Atque huc pertinent iſta: gratias agere aut reddere pro beneficiis, aut pro iis, in quos beneficia ſunt collata; laudare pro miſericordia; ulciſci pro injuriis, & his ſimilia 1 Cor. 1. 4. 2 Cor. 1. 11. Rom. 15. 9. Neque enim ideo particula *pro* hic adhibetur, quia alterum ſit cauſſa impulſiva alterius, ſed quia quædam inter ea fiat commutatio, ut in aliis multis, ubi res pro re dari aut poni dicitur.

Verba 2 Cor. 12. 10. anguſtiæ ὑπὲρ Χριστοῦ, quæ pro ſua ſententia Grotius inter alia citavit, rectiſſime de fine intelliguntur; ut ſenſus ſit: anguſtiæ, quas ob Chriſti gloriam, ſeu regni ipſius promovendi gratia perfero. Ubi Chriſtus eſt *finis cui*, ut loquuntur.

Rationem Grotii, qua probare conatur, voces *pro peccatis* perpeſſionibus Chriſti junctas finem notare non poſſe, quia peccata nec ſint finis cui, nec cujus, ſupra refutavimus.

Inſtat adhuc Grotius: Partic. 8. *Quis unquam dixit pharmacum ſumi propter mortem, id eſt mortis à vertendæ cauſſa? ſed propter morbum ſumi ideo dicitur, quod morbus nos eo adigat.*

Sed nulla ratio vetat, quominus dicas, pharmacum ſumi propter mortem, id eſt mortis avertendæ cauſſa: quemadmodum & propter morbum, id eſt morbi depellendi cauſſa. Medicis ſane vulgo uſitatum eſt, hoc ſenſu efferre particulam *pro*: ut cum dicunt, remedia parari aut ſumi pro podagra, pro calculo, pro peſte, pro febri, aliiſque morbis, hoc eſt, illorum depellendorum gratia.

De loco Eſai. 53. 5 quem hic producit Grotius Partic. 9 ad oſtendendum peccata noſtra impulſivam eſſe mortis Chriſti cauſſam, nihil opus eſt dicere: cum Socinus lib. 2. cap. 7 eodem argumento, quo hic utitur Grotius, ex particula Hebræa Min ducto, probarit, verba *propter peccata* iſto in loco non finalem, ſed efficientem ſeu antecedentem mortis Chriſti cauſſam denotare, quæ hic nulla eſt alia quam impulſiva procatarctica.

Locus Rom. 6. 10. *Chriſtus mortuus eſt peccato*, huc proprie non ſpectat, nec ita reddendus eſt, ut vult Grotius, Partic. 10. *mortuus eſt ob peccatum*. Mortuus enim hic dicitur Chriſtus peccato ſemel, quod afflictionibus & morte, quæ hoc loco peccati nomine figurate intelliguntur, ſemel ſit defunctus, & ex iis hoc pacto plane exemptus ac liberatus, ita ut in eum nihil amplius juris habeant. Nam comparatio hic inſtituitur inter nos & Chriſtum, ut, quemadmodum ille ſemel peccato eſt mortuus, & ex ejus impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rio penitus exemptus: ita & nos cenſeamus, peccato, nempe proprie ſic dicto, nos eſſe mortuos, hoc eſt, ex ejus imperio penitus exemptos; & quemadmodum nunc Chriſtus vivit Deo, hoc eſt, vitam degit Deo dignam ac glorioſam, ſeu vitam immortalem: ita & nos vivamus Deo, hoc eſt, vitam agamus Deo dignam ac glorioſam, ſeu ſancte ac pie vivamus. Conſiderentur ea, quæ apud Apoſtolum antecedunt ac conſequuntur. Similis eſt locus 1 Petr. 4. 1, 2, qua de re jam monuerat Socinus lib. 2. cap. 22.

Pergit Grotius Partic. 11: *Cum cauſſa impulſiva multiplex eſſe poſſit, hoc loco meritoria accipienda eſt. Agitur enim de pœna, ut mox oſtendemus. Peccata autem pœnæ cauſſa non ſunt aliter quam per modum meriti.*

Quia hanc aſſertionem ſuam eo fulcit Grotius, quod mors Chriſti ſit pœna; quomodo id probet, ſuo loco videbimus. Interim fatemur, peccata noſtra, poſito Dei de ſalute nobis danda, & ejus ſpe firma in hoc ſeculo nobis inſerenda decreto, eatenus etiam fuiſſe impulſivam mortis Chriſti cauſſam, quatenus pœnam merebantur, pœnam, inquam, nobis ipſis infligendam, eamque æternam. Eatenus enim decreti iſtius divini effectum impediebant. Ne vero impedirent, morte Chriſti poterat effici, atque adeo effectum eſt. Verum ut melius pateat, quo pacto peccata noſtra fuerint impulſiva mortis Chriſti cauſſa, paulo altius repetenda eſt eorum vis, quam habent ad decretam nobis à Deo ſalutem ſalutiſque ſpem eripiendam. Ea eſt, quod peccata noſtra tum Deo, tum Chriſto, per quem ſalutis noſtræ negotium adminiſtrare atque ad finem perducere Deus gravibus de cauſis decrevit, vehementer diſplicent, ideoque ipſius iram, &, quæ hanc conſequi ſolet, pœnam provocant, non temporariam ſolum, ſed & æternam, quæ ſalutem noſtram prorſus evertit. Id porro cum à nobis conſideratur, æſtimantibus peccatorum noſtrorum magnitudinem ac multitudinem, graviſſimas ſupremi ſanctiſſimique Numinis offenſas, jus ac poteſtatem, quam ad nos puniendos habet; ſpem ſalutis firmam concipere, & inter tot mala, quæ vel impendent, vel incumbunt, ipſamque adeo mortem, quæ divinæ iræ ac interitus æterni metum nobis incutiunt, conſtanter retinere non poſſumus. Hæc vis peccati nobis adeo noxia ut tollatur, partim quidem ipſa peccata ſunt è nobis tollenda; ſiquidem qui in iis perſeverant Deo placere ac ſalutem adipiſci nullo queunt pacto; partim etiam evidentibus argumentis demonſtrandum, nec præterita noſtra ſcelera, graviſſima licet atque innumera, ſi ab illis deſiſtamus, nec lapſus noſtros, qui pietatis noſtræ curſui forſan interveniant, nobis imputatum iri, & jus quoddam nobis dandum, quo nos adverſus Dei judicia tueamur; efficiendum denique ut fructus decretæ nobis remiſſionis ac ſalutis ad nos redeat. Hoc vero totum morte Chriſti interveniente effectum eſſe, tum ex iis colligi poteſt, quæ ab initio de vi mortis Chriſti diſſeruimus, tum ex iis intelligetur, quæ dicemus inferius, de remiſſione peccatorum, quam alterum mortis Chriſti finem conſtituit Grotius, agentes. Hæc ratio, qua peccata noſtra fuerint mortis Chriſti cauſſa impulſiva, charitati divinæ erga nos, quam in hoc negotio paſſim inculcant Sacræ Literæ, eſt convenientiſſima; ea vero, quam hic intelligit Grotius, iram ac ſeveritatem Dei adverſum eos ipſos, quorum felicitati mortem Chriſti deſtinarat, argueret, quam Sacræ Literæ in hoc negotio nuſpiam commemorant. Quare etiamſi tandem concederetur id, quod hoc loco urget Grotius: non poſſe oſtendi, voces iſtas, *ob peccata*, vel *propter peccata*, præſertim ubi perpeſſionibus junguntur, aliter ſumi uſquam in Sacris literis, quam in hoc, quo ipſe vult, meriti ſignificatu: non tamen ſequetur, idem hoc loco fieri; cum materia ſubjecta id non patiatur: iſta vero ſignificatio, quam Grotius in Sacris Literis vult eſſe perpetuam, ex ſubjecta materia, non vero ſimpliciter ex vi verborum *propter peccata*, etiam perpeſſionibus junctorum, pendeat: cum ea vel finem, vel cauſſam antecedentem ſimpliciter ſignificent: quæ vero ſit illius cauſſæ ſpecies, ex reipſa ſit colligendum. Sic cum Moſes ait Deut. 9. 18: *Proſtratus coram Domino, ut antea, quadraginta dies, & quadraginta noctes, nec panem comedi, nec aquam bibi, propter omne peccatum veſtrum, quod perpetraveratis* &c. Non eſt intelligendum, peccata populi iſtud meruiſſe, aut Moſen, ut pœnam aliquam pro iis ſuſtineret, ſeſe proſtraviſſe, ac per tantum temporis ſpatium jejunaſſe: ſed tantum, Moſe peccatis populi impulſum fuiſſe, ut iſta faceret; cum videret, Deum ob eorum peccata tantopere iratum, ut eos etiam perdere vellet, quemadmodum ibidem additur verſ. 19 & 25, quam Dei iram Moſes, coram ipſo proſtratus, à populo avertit.

Subjungit Grotius Partic. 12: *Non evincit contrarium locus ille* 1 Reg. 14. 16: *Tradet Deus Iſraëlem propter peccata Jeroboami. Nam peccata Jeroboami illo loco ſignificant genus ipſum peccati; idololatriam ſcilicet, cujus populo autor fuerat Jeroboamus: idque manifeſte explicant ſequentia: quibus peccavit & quibus peccare fecit Iſraëlem. Hæc enim verior eſt interpretatio, quam illa à Socino allata; qui peccavit & peccare fecit Iſraëlem. Peccata ergo illa, quorum autor erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis iſtam pœnam merebantur.*

At nuſpiam Socinus negavit, peccata illa, quorum auctor erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis iſtam pœnam meruiſſe. Socinus enim ideo verba hæc adduxerat, ut oſtenderet, voces *propter peccata* perpeſſionibus junctas, non ſignificare ſatiſfactionem pro peccatis divinæ juſtitiæ præſtitam, ſed tantum, *peccatorum cauſſa*: quemadmodum cuivis locum inſpicienti patet, qui extat lib. 2. cap. 7. Hoc autem, quod aſſerit Socinus, verum eſſe poteſt, etiamſi peccata ſint cauſſæ meritoriæ afflictionis ejus, de qua ſermo eſt; præſertim ſi conſideres, quid ſatiſfactionis nomine Socinus intelligat, qua de re ſupra. Poteſt enim quiſpiam merito puniri, nec tamen interea plene ſatiſfacere. Quod etiam hoc ipſo loco factum eſt. Nam populus Iſraëliticus pro peccatis alienis afflictione ſua nequaquam potuit ſatiſfacere, cum nec pro ſuis vere ſatiſfecerit. Nec vero multum referret, etiamſi verior eſſet Grotii interpretatio. Satis enim eſt, eam quoque verſionem, quam affert Socinus, ſuſtineri poſſe; quod ne Grotius quidem negaverit; nam & verbis ipſis, & loci circumſtantiis eſt conſentanea, nec quicquam à veritate alienum continet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tinet: unde factum, ut non modo vetus interpres, ſed etiam alii quidam viri Hebrææ linguæ peritiſſimi eam ſint ſequuti. Sed nulla ratione probat Grotius, ſuam illam interpretationem eſſe veriorem, & peccata Jeroboami ſignificare genus ipſum peccati. Imo ex cap. ſeq. verſ. 30. Ubi decreti hujus divini, quod attinet ad domum Jeroboami, narratur exſequutio, & manifeſta eſt ad verba cap. 14 relatio, diverſum videtur apparere. Cum enim ibi eadem verba habeantur, *propter peccata Jeroboami*, *qui*, vel ut Grotius vult, *quibus peccavit* &c. Et res ipſa ſatis indicet, de peccatis ab ipſo Jeroboami perpetratis, quorum imitatores fuerant ipſius poſteri, atque una populus, eſſe ſermonem, cenſendum eſt idem cap. 14 fieri.

Merito imitatores alieni peccati pœnas dare, non tantum ob ſua, verum etiam ob aliena peccata, non coactus, ut Grotius loquitur Partic. 13, fatetur Socinus, ſed libens agnoſcit, idque nihil contra ipſum facere cap. 4 docebimus.

Pergit Grotius Partic. 14: *Locus* Pſal. 39. 12, *quem Socinus citat, manifeſte contra ipſum facit: Ait enim: In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti aliquem, & liquefieri feciſti ut tineam deſiderium ejus, hoc eſt, ſi quem velis punire quantum meretur peccatum, profecto ei homini ipſa vita vitalis non erit. Hac enim ratione Deum vult permovere ad miſerationem: ut alibi, Si iniquitates obſervaveris (hoc eſt, rigide earum pœnas exegeris) quis ſtabit, aut ſuſtinebit?* Pſal. 130. 3.

Sed quomodo hic locus adverſus Socinum manifeſte facit? an forte oſtendit, *propter iniquitatem increpare*, ſignificare ſatiſfactionem divinæ juſtitiæ præſtitam? haudquaquam. At iſtud tantum eſt, quod Socinus eo loco fieri negat. Quod vero Grotius ita Davidis verba capit, ac ſi dictum eſſet: *ſi quem punire velis quantum meretur peccatum*, id nulla ratione nititur. Eſt enim hic dictum generale, quo non tantum pœnæ delictis pares comprehenduntur, ſed & alia caſtigationum genera, quibus homines erudit Deus, ut ab iniquitate diſcant recedere; atque adeo hæc ipſa Davidis caſtigatio, quam ut Deus à ſe velit tranſferre, hic rogat, rationem afferens ab illius gravitate ductam, ut ita ad miſerationem permoveat Deum. *A conflictu*, inquit, *manus tuæ ego defeci*, verſ. 11, idque aliquo pacto comprobaturus, dictum iſtud generale ſubjicit: *In increpationibus propter iniquitatem* &c. Quaſi dicat: non mirum eſt me ob gravitatem hujus mali, quod mihi inflixiſti, deficere. Nam cum tu hominem corripis ob iniquitatem, ut diſcat ab ea recedere, quicquid in ipſo eſt deſiderabile (vel ipſum ejus deſiderium atque cupiditas) liqueſcit ut tinea. At cum David roget Deum, ut hanc caſtigationem à ſe auferat, eo ipſo docet, ſe nondum punitum eſſe, quantum peccatis ſuis erat meritus. Alias ipſa Dei juſtitia id omnino requiſiviſſet, ut punire deſineret. Ratio, quam pro ſe adducit Grotius, non magis ipſius quam noſtram ſententiam confirmat. Oſtenſum enim eſt, quomodo David, noſtra etiam explicatione retenta, Deum ad miſerationem impellere potuerit.

Cum concluſiſſet Grotius Partic. 15, phraſin *ob peccata* cauſſam denotare impulſivam, & quidem meritoriam, addit: *Nam quod Socinus alicubi hoc quærit effugium, ut dicat ſatis eſſe ad hujus phraſeos veritatem, ut qualiſcunque occaſio indicetur, id primum ipſius poſitioni repugnat, qua dictionem pro dixerat nunquam ad impulſivam, ſemper vero ad finalem cauſſam referri, cum occaſio cauſſa finalis ſit nullo modo: ſi autem cauſſa dici meretur, ad impulſivam referri debeat. Deinde vero talem expoſitionem vocum pro peccatis & propter peccata, tum Scripturæ, tum ſermonis communis uſus plane repudiat.*

At nuſpiam ita loquutus eſt Socinus, ad veritatem harum phraſium ſatis eſſe, ut *qualiſcunque occaſio* indicetur: ſed tantum, non oportere ſtatuere, Chriſtum divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatiſfeciſſe, cum voces iſtæ apud ſcriptores ſacros nihil aliud ſignificent, quam peccatorum cauſſa vel occaſione, lib. 2. cap. 7. Deinde vox *occaſione* non eſt ex Socini mente referenda ad phraſin *pro peccatis*, ſed tantum ad illam, *propter peccata*. Nec enim inuſitatum eſt eruditis, ut, cum de duabus aut pluribus rebus conjunctim agunt, plura de utriſque, aut omnibus ſimul pronunciare videantur, quæ tamen omnia ſimul ad ſingulas res, de quibus loquuntur, nolint pertrahi. Socinus certe, cum de verbis *pro peccatis* ſeparatim agit, nuſpiam, quod ſciam, occaſionis voce utitur. Quare nulla eſt pugna inter Socini dicta. De uſu phraſium iſtarum jam ſupra diximus.

Addit Partic. 16: *Intelligi hinc poteſt, quam non recte Socinus neget, præter Dei & Chriſti voluntatem, cauſſam antecedentem mortis Chriſti poſſe reperiri.*

At Socinus non ſimpliciter cauſſam antecedentem mortis Chriſti præter Dei & Chriſti voluntatem negat, ſed *legitimam* tantum, quam vocem Grotius apud Socinum legit, & infra ipſe addidit cap. 5. pag. 87, eundem Socini locum lib. 3. cap. 10 citans, quem hic in margine notavit. Intellexit nempe Socinus cauſſam antecedentem ejuſmodi, ob quam Chriſtus mori jure teneretur: unde eam cap. præced. cauſſam *juridicam* nominaverat. Idem ſibi voluit Socinus in illis verbis, quæ fortaſſe maxime in hanc ſententiam induxerunt Grotium, cum ait: *quamvis nulla præterea* (hoc eſt, præter Dei voluntatem, qui ſalutis noſtræ cauſſa Chriſtum mori voluit, quam ipſius etiam Chriſti voluntas eſt ſequuta) *antecedens cauſſa eſſet, cur ille mortem perferre deberet.* Nam verbis his poſtremis: *cur ille mortem perferre deberet*, expreſſit vim vocis *legitimæ*, qua antea fuerat uſus, cum hic epilogus quidam ſuperiorum contineatur. Unde liquet, nihil fuiſſe, quod laboraret Grotius, ut probaret, fuiſſe cauſſam aliquam antecedentem mortis Chriſti præter Dei ac Chriſti voluntatem, & Socino locum Pauli Galat. 2. 21 opponeret, cum id ipſum Socinus etiam agnoſcat. Verum quia occaſione loci Paulini Socinum caſtigat, videamus quæ ſcribat.

Verba Apoſtoli ſunt: *Si per legem juſtitia; ergo Chriſtus δωρεὰν eſt mortuus.* Subjicit Grotius Partic. 17. *Ubi vox δωρεὰν, Socino agnoſcente ſignificat ſine cauſſa: ſed addi debuit, ſine cauſſa antecedente: quæ originaria & maxime frequens hujus vocis eſt ſignificatio*, quod ex ipſius vocis derivatione, & locorum

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quorundam Scripturæ collatione probat. At primum nihil opus erat, ut Socinus adderet vocem *antecedentis*, cum id ad diſſolvendam Acontii rationem, quam eo loco examinat, nihil faceret, nec de eo eſſet quæſtio. Controverſia inter Acontium & Socinum, quod ad hanc vocem attinet, in eo conſiſtit, quod Acontius vocem δωρεὰν reddit *ſine neceſſitate*, Socinus ſimpliciter *ſine cauſſa*. Deinde ſi quis recte attendat, animadverteret, Socinum ea voce antecedentem cauſſam revera intelligere, licet ea ad finem reſpiciat. Neque enim vocem δωρεὰν ita accipit, ac ſi dictum eſſet, nullum futurum fuiſſe finem, cujus gratia Chriſtus moreretur: ſed, nullam ſufficientem futuram fuiſſe cauſſam, quæ requireret, ut Chriſtus in eum finem moreretur, in quem revera mortuus eſt, ſi ex Lege petenda eſſet juſtitia. Statuit namque Socinus, Paulum pro conceſſo hic ſumere, Chriſtum, ut novam juſtitiæ conſequendæ rationem aſſereret, fuiſſe mortuum. Cauſſa vero illa, quam Socinus intelligit, eſt abſentia hujus finis, hoc eſt, defectus viæ illius, qua juſtitiam conſequi poſſemus. Quæ cauſſa niſi anteceſſiſſet, temere Deus Chriſtum morti tradidiſſet. At ea cauſſa tollitur, ſi per Legem poſſumus ac debemus juſtitiam conſequi: ſiquidem Lex ante Chriſtum jam exſtitit. Quapropter jure potuit dicere Apoſtolus: *ſi per legem juſtitia, Chriſtus ſine cauſſa mortuus eſt*, hoc eſt, ſine cauſſa factum eſt, ut Chriſtus novam conſequendæ juſtitiæ rationem non modo traderet, ſed etiam ejus aſſerendæ gratia tam diram mortem perferret. Addo tamen, vocem δωρεὰν, & Latinam *gratis*, cum in ſtrictiori & magis propria ſignificatione uſurpantur, non tantum antecedenti cauſſæ, ſed etiam fini, atque adeo eventui certi generis opponi. Nam cum ait Paulus 2 Corinth. XI. 7 ſe δωρεὰν Dei Euangelium prædicaſſe Corinthiis; non tantum ſignificat, ſe nulla mercede ante accepta illis Euangelium miniſtraſſe, ſed nec eum finem prædicaſſe, ut mercedem ab illis acciperet, nec poſtea unquam ſtipendium laboris compenſandi cauſſa vel requiſiviſſe, vel accepiſſe. Eadem ſignificatione uſurpatur in illis Chriſti verbis Matth. 10. 8, ubi ait diſcipulis: *gratis accepiſtis, gratis date.* De eventu etiam accipitur vox Hebræa *Chinnam*, quæ, ut vel ex Grotii dictis conſtat, voci δωρεὰν exacte reſpondet, in loco à Socino allato Ezech. 10. 6, qua ratione etiam Latine dicimus, aliquem ſerviiſſe cuipiam gratis, quia mercedem pro ſervitio non acceperit, licet tandem mercedis gratia ſervierit. Hac ſignificatione uſurpatur ea vox Jerem. 22. 13, ubi ita ſcribitur: *Væ ædificanti domum ſuam non cum juſtitia, & cœnacula ſua non cum judicio, qui utitur ſervitio proximi ſui gratis* (in Hebræo eſt Chinnam) *& opus ſuum* (hoc eſt mercedem laboris ſui) *ei non reddit.* Ubi quid aliud eſt *gratus*, ſeu *Chinnam*, quam *abſque mercede*, quemadmodum præter rem ipſam Vatablus ibidem monet, & ſequentia Prophetæ verba ſatis aperte indicant? Quare ratio ab etymologia ducta firma non eſt, multo minus Socino adverſatur, qui cauſſam antecedentem loco ad Gal. ſignificari, nequaquam it inficias.

Pergit Grotius Partic. 18: *Locus Pauli, de quo agimus, aliam quam antecedentem cauſſam intelligi non patitur. Nam quam cauſſam Socinus comminiſcitur, nimirum ut fides fieret vitam emendantibus remiſſionis peccatorum, hæc cauſſa finalis ad prædicationem, & ad reſurrectionem, non autem ad mortem pertinet.*

Antecedentem cauſſam hic agnoſcere Socinum, dictum eſt. Non comminiſci autem Socinum cauſſam ullam, cum aſſerit, Chriſtum ideo mortuum, ut vitam emendantibus remiſſionis peccatorum fides fierit, patet ex iis, quæ ſupra de fine mortis Chriſti diximus, ex quibus intelligitur, eam cauſſam non tantum ad prædicationem & reſurrectionem, ſed etiam ad mortem Chriſti diſtincte ſumptam, quemadmodum eam hoc loco accipit Grotius, pertinere, qua de re infra denuo erit agendum.

Pergit Grotius Partic. 19: *Quod cum videret Socinus, mortis nomine hic Chriſtum intelligi voluit, & prædicationem quoque ac reſurrectionem includi: tum diſtorte, tum contra Pauli mentem.*

Hic rectius feciſſet Grotius, ſi addidiſſet vocem *totum*, quæ eſt apud Socinum, ait enim: *totum Chriſtum* hic intelligi. Ex ea namque voce manifeſtius apparuiſſet, non Chriſti perſonam, ſed ea omnia à Socino intelligi, quæcunque ſalutis noſtræ cauſſa vel is fecit, vel in eo facta conſpeximus, quemadmodum ipſe ſe explicuit. Sed quomodo hoc fit diſtorte? an diſtorte fit, cum per opus Chriſti, quod inter omnia, quæ ſalutis noſtræ cauſa fecit, eſt maxime arduum, & potiſſimum ipſius erga nos charitatis argumentum, cætera quoque intelliguntur, quæ ad eundem finem referuntur, & cum opere iſto ſingulari ratione ſunt connexa? At ejuſmodi opus eſt mors Chriſti, quæ cum prædicatione ipſius connexa eſt, ut ſigillum cum ſuo diplomate, cum ſit ejus teſtimonum ac comprobatio; cum reſurrectione vero, ut cauſſa cum ſuo effectu. Ideo iis in locis, ubi morti Chriſti, nulla re alia adjecta, tribuitur vis ingenerandi nobis fidem, aut nos à peccatis abducendi, prædicatio, in qua ſpe promiſſorum divinorum ad emendationem vitæ vocamur, tacite includi ſolet; imò & reſurrectio, quæ morti in fide nobis ingeneranda, nobiſque ab impietate abducendis, robur maximum largitur. Unde Paulus 2 Corinth. 5. 14, 15 de cauſſa agens, quæ nos ad Chriſtianam religionem ac pietatem amplectendam permovere debeat, cum primo ſolius mortis feciſſet mentionem, poſtea ſeipſum veluti explicans, reſurrectionis mentionem adjicit; cum quo loco conferendus eſt alter ei ſimilis Rom. 7. 4. Quin etiam in iis locis nominata morte reſurrectio tacite eſt comprehendenda, in quibus remiſſio peccatorum ſeu juſtificatio morti ſimpliciter adſcribitur. Siquidem, niſi Chriſtus reſurrexiſſet, & dextra Dei fuiſſet exaltatus dux & Servator, tanto bono non fuiſſemus potituri, ut conſtat ex 1 Corinth. 15. 14, 15, & Rom. 4. ult. Actor. 31. Simili ratione, nominata reſurrectione prædicatio Chriſti ſæpe tacite involvitur. Quomodo enim per eam fides & ſpes nobis ingeneraretur, quod Sacræ Literæ non uno loco docent, & Grotius agnoſcit, ſecluſa Chriſti prædicatione, in qua nobis quoque reſurrectio vitæ promittitur? Quod ſi hoc recte fit in reſurrectione, qui diſtorte fiat in morte? Melius res intelligetur, ubi cauſſæ fuerint expli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

explicatæ, ob quas mortis Chriſti tam crebra fiat mentio tum, cum de remiſſione peccatorum eſt ſermo. Sed probat Grotius id diſtorte, vel ſaltem contra Pauli mentem fieri.

Ratio Grotii eſt: Partic. 20. *Negans enim Paulus Chriſtum ſine cauſſa mortuum, indicat cauſſam aliquam eſſe propriam, quæ ad mortem Chriſti pertineret.*

Sed id, quod in principio, petit Grotius. Hoc enim ipſum nunc revera quæritur, utrum intelligatur à Paulo cauſſa morti Chriſti propria, an vero prædicationi etiam & reſurrectioni communis.

Probat dictum Grotius: Partic. 21. *Nam alioqui potuit ob certam cauſſam prædicaſſe, & ob certam cauſſam præmio eſſe affectus (nam juxta Socinum huc duntaxat refertur reſurrectio) & non tamen eſſe mortuus.*

Sed quæ ratio conſequentiæ? potuit Chriſtus ob certam cauſſam prædicaſſe, itemque præmio eſſe affectus, nec tamen eſſe mortuus: ergo apud Paulum cauſſa intelligitur morti propria. An enim id, quod fieri poterat, nempe ipſa rei natura inſpecta, protinus etiam factum eſt: aut ad id ſolum Paulus neceſſe habuit reſpicere? An non poterat iſtorum omnium una communis eſſe cauſſa, ad quam Paulus reſpiceret? Finis de quo ſolo Socinum hic loqui putat Grotius, prædicationi, morti, & reſurrectioni communis fuit juſtificatio noſtra. Unde neceſſe eſt, cauſſam etiam antecedentem, quam ſupra explicuimus, iſtorum omnium eandem fuiſſe, hoc eſt, ea re fuiſſe motum Deum, ut per Chriſtum nobis viam promulgaret, qua juſti evaderemus, eumque truci morti traderet, ac tandem reſuſcitaret, quod non extaret ratio, qua juſtitiam conſequi poſſemus ac deberemus. Quod autem interjicit Grotius, ex Socini mente huc tantum referri reſurrectionem Chriſti, ut is præmio afficeretur, in eo fallitur. Nam ipſa etiam per ſe conſiderata, tum confirmatio eſt doctrinæ Chriſti univerſæ, tum exemplum, quo manifeſte nobis oſtenditur, hominem mortalem, licet crudeliſſime trucidetur, poſſe tamen reviviſcere, eaque via ad ſupremam gloriam penetrare; adeo ut non tantum ad præmium ipſum pietatis, ſed etiam ad viam, per quam generatim omnes ad hoc præmium deducimur, oſtendendam ſpectet. Quod ſi Chriſtus immortalem vitam ac ſupremam poteſtatem ſine morte ac reſurrectione fuiſſet adeptus, (hoc enim eſt illud præmium, de quo loquitur Grotius, quod ſua natura non poſtulat, ut mors antecedat) non eſſet ita firma reſurrectionis noſtræ ſpes, nec eſſemus metu mortis penitus liberati, quem in finem Chriſtus eſt mortuus Hebr. 2. 15. Unde jam liquet, Grotium aliquo modo quæſtionis terminos mutaſſe, dum loco reſurrectionis, quam Socinus mortis nomine apud Paulum vult comprehendi, reponit præmium, quod mortem neceſſario non præſupponit, ſecus quam in reſurrectione accidit. Vidit nempe Grotius, de reſurrectione id dici non poſſe, quod de præmio hic aſſerit, potuiſſe ſcilicet Chriſtum certam ob cauſſam reſurgere, & tamen non mori. Id enim contradictionem involvit.

Altera Grotii ratio eſt: Partic. 22. *Præterea mortem Chriſti à Paulo peculiariter reſpici, ſatis oſtendit id quod præcedit: qui tradidit ſeipſum pro me. Iſta enim traditio mortem ubique deſignat in ſcripturis.*

Si per vocem *peculiariter* intelligitur *ſolum*, nego id ex verbis Apoſtoli conſequi. Id tantum ſequitur, ad mortem aperte, &, ob cauſſam ſuperius explicatam, potiſſimum reſpici, cætera tacite comprehendi: quo ſenſu etiam dici poteſt, eam *peculiariter* reſpici. Verum id nihil adverſus Socinum. Cætera quæ ſubjungit Grotius, non egent reſponſione: cum ex iis, quæ dicta ſunt, ſatis intelligi poſſint.

Quod ad cauſſam efficientem alteram attinet, Partic. 23. Quæ eſt Chriſtus, & quidem volens, itemque ad cauſſam impulſivam, quæ eſt ipſius φιλανθρωπία: de iis idem dicimus, quod de cæteris, quas hactenus vidimus, nempe eas mortis Chriſti, ſalutis noſtræ gratia ſuſceptæ, non ſatiſſactionis cauſſas eſſe. Si quid eſt in locis à Grotio citatis, quod ipſius ſententiæ favere videatur, id alibi in hac diſputatione noſtra examinabitur.

Quæ dicit Partic. 24 fuiſſe materiam ſatiſſactionis, ea nos pro ipſa re, cujus cauſſæ partim jam ſunt allatæ partim inferius afferentur, habemus.

Iſtud autem non eſt admittendum, quod hic aſſerit Grotius, Partic. 25 de materia loquens, Chriſtum, cum à Deo ſe derelictum exclamavit, præcipue reſpexiſſe perpeſſiones illas animi longe graviſſimas, quas Euangeliſtæ vocibus *triſtari* λυπεῖσθαι, *expaveſcere* ἐκθαμβεῖσθαι, *graviſſime angi*, *vel animo concidere* ἀδημονεῖν, ſignificant. Chriſtus enim, cum à Deo ſe derelictum exclamavit, reſpexit procul dubio ad illos dolores & cruciatus, quos tum perpetiebatur, cum ea verba proferret, dolores, inquam, crucis, qui per ſe corporis erant, à corpore vero ad animum, ut fit, redundabant: quibus addi poſſunt contumelioſæ voces & inſultationes hoſtium, calamitatem ipſi acerbiſſime exprobrantium. Sed de tanta triſticia, anxietate, & conſternatione animi, quæ verbis iſtis Græcis ab Euangeliſtis exprimitur, nihil legimus ab eo tempore, quo ex horto Gethſemane fuit abductus. Imo poſtquam ei apparuit angelus, Luc. 22. 48, qui ipſum confirmaret, ſtatuendum eſt, iſtam animi perturbationem ceſſaſſe. Hic enim fuit ille calix, qui ut à ſe tranſiret, Patrem tam ſollicite rogarat Chriſtus, non vero mors, ut plærique crediderunt: quarum precum effectus ſtatim eſt ſequutus, cum angelus ipſum confirmaturus apparuit; unde factum, ut Chriſtus animo jam confirmato ac imperterrito ea, quæ ſequuta ſunt, mala exceperit, nec quicquam poſt id tempus vel dixerit vel fecerit, quod pavorem & conſternationem iſtam animi argueret, licet dolores & cruciatus acerrimos ſuſtineret. Iſta vero conſternatio & animi anxietas in Dominum Jeſum cecidit, non ut pœnas tanto majores pro ſceleribus noſtris lueret, ſed ne nos, ſi forte itidem in periculis trepidemus, ac mortis metu percellamur, ideo nos Deo minus gratos arbitremur, & de ipſius auxilio, quo tum indigemus maxime, aut de conſtantiæ ac patientiæ præmio dubitemus. Pertinuit hæc res etiam eo, ut Chriſtus terrorem mortis expertus, tanto promtius nobis in eodem periculo conſtitutis, & metu perculſis opem ferret. Qua de re citavimus ſupra locos

Epiſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Epiſt. Hebr. 2. 17, 18. cap. 4. 15, 16. confer cum cap. 5. 4, 8.

Poſt allegatos non paucos Scripturæ locos, quos de ſatiſfactionis materia loqui putat Grotius, ita ſubjicit: Partic. 26: *Notetur hic obiter, non tantum locis nunc allegatis, aliisque ſimilibus, qui de remiſſione peccatorum, aut ſolum aut potiſſimum agunt, mentionem fieri mortis, crucis, ſanguinis, ſed paſſim profiteri Apoſtolos, ſe nihil noſſe, nihil docere niſi Chriſtum, & quidem crucifixum* 1 Cor. 1. 23, *&* cap. 2. 2. *Ideoque ipſum Euangelium ab ipſis vocari ſermonem crucis* 1 Cor. 1. 18. *Adde quod Chriſtus ſanctiſſimum Cœnæ ſuæ ritum inſtituit, non proprie ad vitæ aut reſurrectionis, ſed ad mortis fuſique ſanguinis memoriam* 1 Cor. XI. 26. *Quæ toties repetita manifeſte oſtendunt proprium aliquem & peculiarem effectum huic morti & ſanguini tribuendum. Quod Socinus facere non poteſt.*

Hic primo notandum eſt, non paucos ex locis allegatis, qui de remiſſione peccatorum vel ſolum vel potiſſimum agere videntur Grotio, de ea non loqui, aut non niſi conſequenter, aut denique de morte Chriſti non agere. Quidam enim loci de converſione noſtri ad Deum agunt, cujus, ex Dei decreto, conſequens demum eſt peccatorum remiſſio. Quo referendus eſt locus Col. 1. 21, 22, ubi per mortem dicimur reconciliati, ſeu ex inimicis in operibus malis, Dei amici effecti; & iſte Actor. 20. 28: *Deus acquiſivit Eccleſiam ſanguine proprio*, imo & ille Rom. 5. 9, poni enim ibi videtur, juſtificatio pro reconciliatione ſeu converſione, effectus nempe pro cauſſa; ſeu, quod eodem recidit, pro ſtatu hominis ejuſmodi, in quo qui ſit, is à Deo tanquam juſtus, ex decreto ipſius, tractetur. Verba Eph. 2. 13 agunt de pace inter Judæos & gentes conſtituta. Col. 1. 20 agitur de pace facta inter omnia, quæ in cœlo & quæ in terra, hoc eſt, inter angelos & homines. Hebr. 9. 12 non ſanguini Chriſti, ſed ingreſſui ipſius in ſancta per ſanguinem facto, æterna redemtio proxime adſcribitur. Verſ. 22 de ſanguine, non Chriſti, ſed victimarum legalium agitur. In locis Hebr. 12. 24 & 1 Petr. 1. 2, non ſatis recte Grotius loco Aſperſionis, quod eſt in textu, repoſuit Purificationem. Perit enim alluſio, quæ in iſtis verbis fit, ad aſperſionem ſanguinis, quo antiquum fœdus fuit ſancitum, de quo Exod. 24. 8. Hebr. 9. 18. Sed de his locis prope omnibus alibi agetur fuſius.

Præterea quod dicit Grotius, paſſim profeſſos eſſe Apoſtolos, ſe nihil noſſe, nihil docere, niſi Chriſtum, & quidem crucifixum, id inter Corinthios ſe feciſſe, ſemel ſcripſit Apoſtolus 1 Cor. 2. 2. Sed demus Grotio, paſſim id profeſſos Apoſtolos: quid inde? Non enim id vult Apoſtolus, ut Grotio fortaſſe viſum eſt, nihil ſe ſcire, niſi Chriſtum, & quidem eatenus conſideratum, quatenus fuit crucifixus, adeoque ſolam Chriſti mortem ſe prædicare. Quomodo enim alias Euangelium ſuum, quod iiſdem Corinthiis ſe tradidiſſe ait, in quo illi ſtarent, & per quod ſervandi eſſent, repetens, non tantum mortem, ſed etiam reſurrectionem commemoraret, imo doctrinam de reſurrectione Chriſti, Euangelii, quod ipſis notum facit, nomine potiſſimum intelligeret, ut conſtat ex initio cap. 15 hujus Epiſt.? Quomodo reſurrectione Chriſti fidem & ſalutem noſtram niti ibidem oſtenderet ℣ſ. 11 & ſeqq.? Quomodo alibi verbum fidei, quod ipſe cum aliis prædicet, explicans dicere potuiſſet: *ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum* (eſſe) *Jeſum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipſum excitarit è mortuis, ſervaberis?* Rom. 10. 9. Quomodo dici potuiſſet, Apoſtolos reſurrectionis teſtes eſſe conſtitutos Act. 1. 22? Non eſt ergo is verborum Pauli ſenſus, quem arbitratus eſt Grotius; ſed hoc dicere voluit Apoſtolus: ſe Corinthiis prædicaſſe ſolum Chriſtum, eumque non alium, quam qui ignominioſiſſimam crucis mortem ſuſtinuerit; adde etiam, hoc inter prima atque potiſſima fuiſſe, quæ ipſis propoſuerit, ut apparet ex cap. 15. 3, id quod oſtendit, eum non jactaſſe magnifica verba, nec carnalem oſtentaſſe ſapientiam; quod iſtic ſibi probandum ſumſerat. Nam mors tam ignominioſa ducis atque auctoris religionis ejus, quam prædicabat, iſti verborum magnificentiæ & carnali ſapientiæ maxime adverſabatur; cum ea Judæis eſſet ſcandalum, Græcis ſtulticia. Sic cap. 1. 23 hoc tantum vult Apoſtolus, ſe de Chriſto prædicare, idque cum primis, quod ſit crucifixus, licet id aliis ſit ſcandalum, aliis ſtultitia. Et hæc pars prædicationis Apoſtolicæ dicitur ſermo crucis ibid. 18, quamvis per tropum quendam uſitatum poſſit totius Novi Fœderis, cujus proprietatem maxime attingit crux Chriſti, prædicatio intelligi, quod ex ſequentibus fiet clarius. Alias vidimus Rom. 10 verbum fidei, quod prædicarunt Apoſtoli, potiſſimum inculcare reſurrectionem & dominium Chriſti. Unde alibi ſcriptura prædicationis Apoſtolicæ ſummam paucis complectens ait: Apoſtolos magna virtute dediſſe teſtimonium reſurrectionis Domini Jeſu Actor. 4. 33.

Sed ut ad argumentum Grotii, ex tam crebra mentione mortis Chriſti, cum de remiſſione peccatorum agitur, petitum reſpondeamus: ſi per *proprium & peculiarem effectum* intilligit effectum ejuſmodi, ad quem nihil prorſus conferant cætera, quæ Chriſtus ſalutis noſtræ cauſſa vel fecit, vel adeptus eſt; etſi nos cum Socino talem effectum morti Chriſti poſſumus tribuere, atque adeo tribuimus: tamen id omnino faciendum eſſe, ex tam crebra mentione mortis in hoc negotio non ſequitur. Satis enim eſt mortem Chriſti inter cætera, quæ ad remiſſionem peccatorum nobis parandam pertinent, aliqua ratione eminere, & majorem quendam ex rei natura cum ea nexum habere; quo pacto ſi effectum hunc proprium ac peculiarem velis dicere, libenter aſſentiemur. Diximus autem jam ſuperius, eatenus eminere mortem Chriſti, quatenus opus hoc fuit inter ea, quæ ſalutis noſtræ cauſſa vel fecit vel conſequutus eſt, moleſtiæ pleniſſimum, adeoque maxime arduum, & ex quo ſumma Dei ac Chriſti erga genus humanum, adhuc impium & ipſi inimicum, charitas apparuit. Jam vero primum quis neſcit, in commni loquendi conſuetudine, inter alia, quæ eundem in finem vel fiunt vel facta ſunt, illud potiſſimum ſolere commemorari, & communem effectum ei ſimpliciter, nulla cæterorum facta mentione, adſcribi, quod eſt maxime arduum, laboris ac moleſtiæ pleniſſimum, &, ſi forte alieni commodi cauſſa fuerit ſuſceptum, amorem illius, qui

id ſuſ-

id ſuſcepit, adverſus alterum, cujus commodum agebatur, inprimis arguit; etiamſi per accidens tantum ad bonum iſtud, quod ei tribuitur, parandum pertinuerit, & ſua vi non modo nihil ad id contulerit, ſed etiam impediendi vim habuerit; contra quam in morte Chriſti accidit, quæ magnam habuit ad remiſſionem peccatorum nobis parandam robur. Sic dicimus, quempiam ſanguini ſuo ſibi vel alteri cuipiam paraſſe libertatem, & ſervitutis jugum à cervicibus depuliſſe, pro Reipub. ſalute oculos verbi gratia ſanguinem, vitam denique impendiſſe, aut animam profudiſſe: licet non ideo revera id fuerit conſequutus, quia iſta perdiderit, ſed quod hoſtes forte profligarit, cujus rei occaſione rerum tam pretioſarum jacturam fuerit paſſus, plus etiam profecturus, ſi abſque iſtiuſmodi detrimento eoſdem viciſſet; tantum abeſt, ut ſive ad libertatem acquirendam, ſive ad ſalutem Reipub: parandam quicquam ea res attulerit momenti. Quod ſi nihilominus & uſitati ſunt & elegantes iſti loquendi modi: quanto magis illi, in quibus id, cui effectus tribuitur, ad eum contulit plurimum? Deinde cum mors Chriſti ſit argumentum omnium evidentiſſimum maximæ & plane ineffabilis Dei ac Chriſti erga nos adhuc impios charitatis; nihil ea eſt aptius ad remiſſionem peccatorum in Fœdere Novo promiſſam, demonſtrandam ac ſanciendam, adeoque ad jus quoddam nobis concedendum, quo eam repetere à Deo ac Chriſto, ſi ad eum converſi fuerimus, queamus. Eſt enim remiſſio peccatorum proprius charitatis effectus, quemadmodum pœnæ conſilium iræ eſt atque odii cujuſdam; &, ſi charitas ſit tanta, quantam in Deo ac Chriſto fuiſſe mors ejus arguit, non poteſt non effectum hunc, poſita ea conditione, quam à nobis requiſivit Deus, ex ſe parere. Conditio autem ea eſt, ut iræ atque odii divini adverſum nos cauſſas, quæ peccata noſtra ſunt, in poſterum amoveamus. Itaque cum de remiſſione peccatorum agitur, admodum opportuna eſt mortis Chriſti mentio: quemadmodum cum de reſurrectione noſtra aut gloria futura, opportunior eſt (niſi forte ſermonis elegantia diverſum ſuadeat,) mentio reſurrectionis & glorioſæ exaltationis Chriſti, qua divina ipſius potentia continetur. Nam quemadmodum remiſſio peccatorum ſtricte ac proprie ſumta voluntatis beneficæ revera effectus eſt, potentiæ non niſi per accidens, aut conſequenter: ita reſurrectio ac gloria non voluntatis tantum ac benignitatis, ſed & potentiæ eſt, & hujus quidem proxime. Potentiæ vero illius exemplum in reſurrectione & exaltatione Chriſti conſpicimus, eamque ipſi quoque datam intelligimus Epheſ. 1. 19 & ſeqq. cap. 2. 5, 6. Phil. 3. 21, quem locum confer cum 1 Cor. 15. 25 & ſeqq. Ea de cauſſa cum remiſſio peccatorum ſumitur pro liberatione à pœnis, quæ actu ipſo compleatur, & in nobis è morte potiſſimum eruendis, atque ita immortalitate donandis cernatur 1 Cor. 15. 52, (mortui enim reſurgent incorruptibiles;) reſurrectioni potius & exaltatione Chriſti adſcribitur, quam morti, ut videbimus infra hoc capite: quia hæc vitæ ac potentiæ Chriſti eſt.

Sed ut res tota fiat clarior, & diſputationi huic prope univerſæ aliquid inde accedat lucis; animadvertendum eſt, id quod vi fœderis alicujus contingit cuipiam, poſſe etiam recte adſcribi ei, quo fœdus id ſancitur. Nam id quo fœdus ſancitur, eum, cujus juſſu ac nomine id fit, obligat ad id præſtandum, quod ab eo promiſſum eſt, & fœdere comprehenſum; & ſic non tantum ratum eſſe jam apud ipſum fœdus demonſtrat, ſed etiam ut ratum in poſterum ſit, efficit. Quapropter cum id cauſſa quædam ſit, ob quam is præſtare promiſſa ſua debeat, ei promiſſionum effectus recte adſcribitur; præſertim ſi alias quoque vim ſingularem ad promiſſa illa paranda habeat. Jam vero vi fœderis novi nos habemus remiſſionem peccatorum, quæ in eo apertiſſime promittitur, & fœderis hujus eſt maxime propria: ſanctio autem hujus fœderis in morte Chriſti expreſſe collocari à Sacris Scriptoribus, & id quidem aptiſſime, ſolet. Quare eidem etiam recte atque apte remiſſio peccatorum, tanquam cauſſæ efficienti mediæ tribuitur; præſertim cum per ſe vim inſignem ad eam nobis parandam, & ad effectum perducendam habeat. Cauſſa vero, cur ſanctio hujus fœderis omnium aptiſſime morti Chriſti tribuatur, inter alias hæc eſt, quod cætera etiam fœdera cæſo animali aliquo, unde ipſa quoque feriri ac percuti dicebantur, ſanciri & ſanguine ejus confirmari ſolerent, & ipſum Fœdus Antiquum, Novi umbra, ſanguine fuerit initiatum ac ſtabilitum; ad quem ritum non ſemel, ubi remiſſio peccatorum ſanguini Chriſti adſcribitur, reſpicitur, ut patet vel ex locis à Grotio citatis Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. Hebr. 12. 24. 1 Petr. 1. 2, adde Hebr. 9. 15, 17 & ſeqq. Quare cum ſanguis Chriſti, Novi Fœderis doctrinam confirmet, potuit vel propter hanc ipſam alluſionem morti Chriſti potius, quam alii cuipiam rei, quæ ad ejuſdem quidem Fœderis confirmationem pertineat, tamen cum morte ac ſanguine illo animalium non ſatis apte conferri poſſit, adſcribi fœderis ſanctio: præſertim cum mors inter alia omnia, quæ iſtum in finem facta ſunt, opus fuerit duriſſimum ac moleſtiæ pleniſſimum, qualia libenter præ aliis eundem in finem ſpectantibus commemorari ſolere docuimus.

Sed præter hanc aliæ adhuc ſunt cauſſæ, eæque magni momenti, ob quas ſanctio Novi Fœderis morti Chriſti tam crebro tribuitur, & ſimul peccatorum remiſſio in eo comprehenſa. Prima eſt, quam paulo ante vidimus, quod mors Chriſti eximiam quandam præ cæteris vim habet ad id demonſtrandum, in quo propria conſiſtit Novi Fœderis vis, qua potiſſimum diſtinguitur à Veteri, eique antecellit. Id vero eſt, remiſſio eorum peccatorum, quæ vi Legis expiari non poterant, ſed morte omnino erant luenda, id nempe ipſum, de quo quærimus cur tam crebro morti Chriſti tribuatur. Diximus autem hanc promiſſionem Novi Fœderis eſſe maxime propriam, in qua præcipuum ejus à Veteri diſcrimen, & præ illo excellentia conſiſtat; quia etiamſi in eo quoque magnum ſit inter Legem & Euangelium, inter Antiquum & Novum Fœdus diſcrimen, quod in Lege ipſa, in qua futurorum bonorum umbra tantum erat, non imago Hebr. 10. 1, nulla vitæ immortalis aut reſurrectionis aperta extitit promiſſio; Chriſtus autem vitam & incorruptibilitatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

in lucem produxit per Euangelium, morte abolita 2 Tim. 1. 10; tamen, quia in verbis Legis, myſtico ſenſu acceptis, extitit quædam futuræ vitæ pollicitatio, ad eos ſpectans, qui Legem perfecte ſervaſſent; nulla vero remiſſionis peccatorum graviorum, quæ quidem in præſens tempus valeret, & eos ipſos, qui ſub Veteri Fœdere vivebant, à pœna mortis, quæ iſtis peccatis fuerat conſtituta, liberare poſſet: ideo in hac potius quam in illa, propria novi fœderis promiſſio, & ſic diſcrimen à Veteri conſtituitur, præſertim cum non literalis ſeu hiſtoricus, ſed reconditus verborum Legis ſpectatur ſenſus. Legis vox illa cenſetur: *qui fecerit ea homo, vivet in eis*, quam citat Paulus Rom. 10. 5 ex Levit. 18. 5, licet Apoſtolus vitam ibi intelligat æternam atque immortalem, ſenſu myſtico, ut & cap. 7 ejuſdem Epiſt. ℣ſ. 10. Sic juſticiam ſeu juſtificationem Legis, diſtincte ac, ut Scholaſtici loquuntur, præciſe ſumtam, prò ipſo tantum conſequenti atque effectu obſervationis legalis, cum juſtificatione Euangelica confundit, tum alibi, tum vero apertiſſime Rom. 8. 4, imo etiam dicto loco cap. 10, ubi eam à juſticia fidei, non ratione naturæ & eſſentiæ, ſed ratione modi, quo eam liceat adipiſci, diſtinguit, quod etiam facit alibi. Contra etiam per exſecrationem Legis, tranſgreſſoribus ejus propoſitam, mortem æternam intelligit Gal. 3, quæ hiſtorico Legis ſenſu erat mors violenta, vitæ felici & longævæ oppoſita, ut docet Grotius infra cap. 10. Vitæ igitur æternæ erat quædam in Lege, quamquam recondita promiſſio, Legem univerſam ſervantibus propoſita, ſed non remiſſionis peccatorum, quibus mortis pœna erat conſtituta. Id enim Legis naturam, quæ eſt, perfectam obedientiam omnino exigere, & ea poſita demum vitam largiri, prorſus evertiſſet. Sacrificia quidem Legalia adumbrabant ſacrificia Euangelica, & ſic quoque expiatio expiationem, remiſſio remiſſionem: ſed corpus ipſum hujus umbræ, aut imago, ad Novi Fœderis tempus proprie pertinet: quod ſi antea cupiam contigit, id extra fœdus à Deo propoſitum. Hinc videmus, in Fœderis Novi deſcriptione, quæ extat Jerem. 31. Hebr. 8 & 10, in qua oſtenditur præſtantia illius præ Veteri, tum in explicatione ſummæ totius Euangelii, ſive per ipſum Chriſtum, ſive per Apoſtolos prædicandi Eſai. 61. 1. Luc. 4. 18 & XXIV. 47, & beneficiorum à Chriſto Novi Fœderis ſponſore atque exſecutore ſperandorum Actor. 5. 31. X. 43. XIII. 38, 39, in quo poſtremo loco Euangelium apertiſſime præfertur Legi; his, inquam, in locis, ubi maxime videbatur convenire, nullam videmus fieri expreſſam mentionem vitæ æternæ, quæ tamen alias præſtantiſſima eſt omnium Dei promiſſionum, & ſic quoque earum, quæ Novo Fœdere continentur; ſed tantum remiſſionis peccatorum: quanquam hæc illam tacite in ſe comprehendit; indicaturque hac ratione, Deum in Novo Fœdere, non tantum vitam æternam promiſiſſe, quod ſub Veteri quoque fecerat myſtice; ſed illis etiam, quod iſtic non promiſerat, dare velle, qui graviſſime peccaſſent, quique non modo jus nullum, ſed ne prætextum quidem ad regnum cœlorum ſibi vindicandum haberent: quem habituri eſſent ii, qui Legem integram ſervaſſent. Quod eleganter expreſſit Chriſtus Matth. XI. 12 cum ait: *à diebus Johannis Baptiſtæ huc uſque regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: hoc eſt, etiam illi, qui nullum juris prætextum habent, illud invadunt, quemadmodum raptores ſolent, qui aliena violenter occupant, nempe quia Johannes, Novi Fœderis initium, tanquam legati fœderis præcurſor, faciens, remiſſionem omnibus pœnitentiam agentibus Dei nomine promittebat, & ad regnum cœlorum, quod inſtabat, aditum patefaciebat Malach. 3. 1. Marc. 1. 4, 5. Luc. 3. Matth. 3. 2, &c. Idem fecit Chriſtus, qui aperte profeſſus eſt, ſe non veniſſe vocatum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam; ſe veniſſe quæſitum & ſervatum id quod perierat, ſeu peccatores Matth. 9. 13. XVIII. 11 & ſeqq. Luc. 19. 10, confer cum ℣ſ. 7 & ſeqq. Ut Paulus quoque affirmat 1 Tim. 1. 15, medici nempe inſtar, quo non indigent ſani ſed ægri. Itaque prima ejus vox ad peccatores revera pertinuit: *impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum cœlorum: pœnitentiam agite, & credite Euangelio*, dicto loco Matth. 9. 12. Marc. 1. 14. Idem ſtatim, muneris ſui rationem Nazarethæ explicans, teſtatus eſt Luc. 4. 18 & ſeqq. ut alia hujus rei teſtimonia nunc prætercam. Vid Matth. XI. 5, 28. Hæc ergo muneris Jeſu Chriſti, & ſic Novi quoque Fœderis, cujus mediator eſt, præcipua eſt proprietas, quam Paulus urget, dum toties inculcat, nos non per Legem aut Legis opera, quæ perfectam & per totam vitam continuatam mandatorum divinorum obedientiam, & ea ratione parem in omnibus pietatem poſtulant, juſtificari, ſed per fidem, quæ in eum quoque poteſt cadere, qui vel millies mortem ex Legis decreto eſſet meritus, quæque non in omnibus parem prorſus mandatorum divinorum requirit obedientiam: ſed tantam, quantam in quovis firma promiſſorum divinorum ſpes producere, habita ratione imbecillitatis humanæ, poteſt. Poteſt autem in omnibus efficere, atque adeo reipſa ſemper efficit tantam, ut quis à conſuetudine peccandi atque habitu quovis vitioſo, quin etiam ab ejuſmodi actibus, qui in hominem Dei vere timentem non cadunt, ſit immunis, contra verò, ſi non ſemper, poſtquam Chriſtum recte cognovit, ſaltem plerumque præceptis ipſius pareat; breviter, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulet Rom. 8. 1 & ſeqq. Gal. 5. 16 uſque ad finem cap. Quæ obedientia cur fidei nomine comprehendatur, à Socino lib. 4. cap. 9 fuſe eſt explicatum. Quare, ut ad rem noſtram redeamus, cum in remiſſione peccatorum propria Novi Fœderis vis conſiſtat, cum fœdus id eſſet ſanciendum, & Veteri, quod exſecrationem tranſgreſſoribus omnibus minabatur, abrogato ſtabiliendum, ea promiſſio inprimis erat confirmanda & ſancienda, quod morte Chriſti potiſſimum effectum eſſe vidimus. Indicavit id Divinus Auctor Hebr. 9. 15, ubi ait: *propterea Teſtamenti* (ſeu Fœderis) *novi mediator eſt* (Chriſtus) *ut morte interveniente ad redemtionem earum, quæ ſub priori Teſtamento* [fuerant,] *tranſgreſſionem, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis.* De quo loco alibi nobis in hac diſputatione agendum erit. Ex his intelligi jam poteſt id, de quo ſupra egimus, cur Paulus dixerit Gal. 2. ult: *Si per legem juſticia, Chriſtus δωρεὰν*, ſeu ſine cauſſa *mortuus*

eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſt, quia nec Novo Fœdere, nec hac ejus confirmatione, quæ tanto Dei ac Chriſti conſtitit impendio, fuiſſet opus.

Cum hac, quam modo explicuimus, cauſſa, conjungenda eſt illa mortis Chriſti vis, quam ſupra de tertio ejus fine agentes, verbis divini ſcriptoris ad Hebr. ad finem cap. 2 & 4 extantibus explicuimus, quibus indicatur, hanc eam habuiſſe efficaciam, ut in Chriſto Pontifice noſtro illum excitaret affectum, qui in ſacerdotibus requiratur, ut tanto promtius, infirmitatis ſuæ memores, aliorum infirmitates expient. Qua de re vide ejuſdem Epiſt. cap. 5. 2, 3, & cum his confer ℣ſ. 7 & 8, in quibus id, quod ſuperius de ſacerdotibus generatim, atque inprimis de Aaronicis dictum fuerat, ad Chriſtum per ſimilitudinem quandam accommodatur. Ordine enim retrogrado D. ſcriptor, quod ℣ſ. 4 de ſacerdotibus illis dictum, Chriſto competere oſtendit ℣ſ. 5, 6; quod ℣ſ. 2, & 3, idem ℣ſ. 7, 8: quod denique 1 verſic. id inprimis ℣ſ. 9. & 10 ad Chriſtum refert aut accommodat. Jam vero quemadmodum charitas Chriſti ad N. Fœderis ſanctionem, & remiſſionem peccatorum nobis parandam vim habet magnam, ita non minorem, imo etiam aliqua ratione majorem, hic effectus, qui charitatis illius quoddam veluti complementum eſt, & quem D. Auctor Chriſto tanquam ſacerdoti tribuit, quo ad expianda noſtra peccata excitetur.

Sed alia adhuc cauſſa eſt, ob quam morti Chriſti potius, quam alii cuipiam rei, ſanctio Fœderis Novi adſcribatur, quam itidem in tertio mortis Chriſti fine explicando attigimus, nempe quod mors Chriſti conditio fuit, ad eam poteſtatem atque imperium, ex quo peccatorum noſtrorum pendet remiſſio, adipiſcendum neceſſaria; qua præſtita imperium iſtud vi decreti divini omnino debuit conſequi. Nulla enim præterea reſtabat conditio ipſi implenda, qua præſtita demum poteſtatem eam deberet adipiſci, & ſic promiſſa fœderis nobis reipſa exhibere. Quapropter cum mortuus fuit Chriſtus, vim ſuam, quoad Deum, fœdus iſtud habuit, & ratum fimumque fuit, ac nihil reſtitit aliud, quam ut ad effectum in nobis per Chriſtum perduceretur. Atqui ſanctionem ei potiſſimum rei tribuere convenit, quæ fœderi vim tribuit eam, ut effectum jam ſuum habere omnino debeat, & revocari amplius nequeat. Siquidem ſanctionis vis eſt, ratam firmamque rem efficere. Ante mortem id dici nondum potuit; quia adhuc reſtabat hæc conditio Chriſto implenda, ſine qua fœdus non erat habiturum vim ſuam atque effectum. Decreverat enim Deus partim ad gloriam ſuam amplificandam Joh. 13. 31, 32. XIV. 13. XVII. 2. Epheſ. 1. 5, 6. Phil. 2. 11, ob quam facit omnia Prov. 16. 4, partim ad ſpem noſtram fulciendam 1 Petr. 1. 21, Chriſtum ad ſummam poteſtatem evehere, & non niſi hoc pacto ſalutem noſtram perficere. Ad hanc vero ob ejuſdem decretum, ut diximus, ſine morte pervenire Chriſtus non poterat, poſt mortem omnino debebat. Itaque quicquid adhuc reliquum fuit ad Fœdus Novum vel confirmandum vel exſecutioni mandandum pertinens, id totum morti Chriſti tanquam cauſſæ mediæ, & effectum neceſſario habituræ, imputari debet. Atque hæc præcipua videtur eſſe cauſſa, cur Divinus Auctor Hebr. 9. ℣ſ. 15 & ſeqq. de ſanctione Novi Fœderis, per Chriſti mortem facta loquens, ſimilitudine fuerit uſus à morte teſtatoris ducta, quo vivente teſtamentum nondum eſt ratum, poſt mortem robur habet ℣ſ. 16, 17, confer cum anteced. & ſeqq.

Reſtat adhuc una cauſſa, ob quam ſanctio Novi Fœderis morti tam libenter adſcribatur, quam quidem ſupra etiam de vi mortis Chriſti agentes attigimus, ſed nunc paululum arbitramur enucleandam. Ea eſt, quod per mortem Chriſti ſalutis æternæ via in Nove Fœdere primum præſcripta, exemplo ejus inſigniter fuerit comprobata, & ſic nobis, ut Spiritus Sanctus loquitur Hebr. 10. 20, initiata & dedicata. Dico autem, non in ipſa tantum morte, nulla conſecutæ gloriæ ratione habita, ſed *per mortem:* quia ad ſalutis viam vere demonſtrandam, tum ipſiuſmet viæ ſtricte ſumtæ, tum termini, ad quem ducat, requiritur oſtenſio, quamquam illius primum. Via vero ſalutis, in Novo Fœdere nobis oſtenſa, eſt, quod per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum cœlorum Act. 14. 22, quod alibi paſſim docent Sacræ Literæ. Quapropter decuit Deum, ex quo univerſa ſalutis noſtræ pendet ratio, ut, cum multos filios ad gloriam vellet adducere Heb. 2. 10 adducere, inquam, per afflictiones, ducem quoque ſalutis eorum per afflictiones conſummaret, ſeu ad gloriam deduceret: ut ita primogenitus inter multos fratres, qui communem cum illis Patrem habet Rom. 8. 29. Joh. 20. 17. dicti loco Hebr. 2. 11 & ſeqq. ex quo totius, non ſecus atque illi, pendet, cæteris exemplo eſſet, ex quo diſcere poſſent, qua ſibi via eſſet ad cœleſtem hæreditatem contendendum, aut quonam via tam dura tamque aſpera, per quam ſibi eundum eſſet, duceret, conſpectoque in duce ac præcurſore ſuo, tam læto itineris aſperrimi fine, animarentur, & ad eum alacriter ac ſine mortis horrore ſequendum excitarentur Hebr. 6, ultimo, confer cum præcedentibus. Quod ſi dux fidei ac ſalutis noſtræ per inferni, ut ita dicam, clauſtra non perrupiſſet ad cœlum, per mortem ad vitam, per ignominiam ad ſupremam gloriam, per diros cruciatos ac tormenta ad maxima ſempiternaque gaudia; non facile credidiſſemus, iſtac ad ſummam æternamque felicitatem iter eſſe, qua ad extremam infelicitatem & interitum ſempiternum, rei natura inſpecta, itur. Nunc vero nulla cauſſa eſt, cur non eadem via, per veſtigia ſanguine ipſius notata incedentes, eodem perveniendi capiamus fiduciam, quo ducem noſtrum videmus penetraſſe. Atque huc etiam inter alia reſpexiſſe videtur D. Auctor Hebr. 10, ad quem locum ſupra intendimus digitum, de initiatione ac ſanctione viæ ad cœlum ducentis loquens. Nam cum ℣ſ. 19 dixiſſet, nos habere fiduciam, ſeu mavis, libertatem ingrediendi in ſancta (hoc eſt in cœlum, quod Pontificis noſtri eſt ſacrarium) per ſanguinem Chriſti, ſubjicit: *ea via quam nobis dedicavit recentem & vivam per velum, h. e. carnem ſuam.* Recentem appellat d. l. Hebr. 6. ult. quia diverſa erat à veteri ſeu legali, ac nuper admodum trita, & veluti recentibus adhuc præcurſoris ac Pontificis noſtri veſtigiis preſſa ſignataque, ita ut notabilis eſſet ſequentibus & obſervatu facilis: vivam autem ſeu vivificam, quia non, ut ſub Lege contingebat Levit. 18. 17, confer cum ℣ſ. 2. Num. 18. 7, mortem afferret iter hoc tentantibus & Pontificem ſequentibus, ſed vitam, quam ipſe quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Pontifex noſter hac via conſequutus eſt; licet ea alias ad mortem afferendam eſſet comparata, nec, quod ad vitam duceret, ſub Lege conſtaret. Quia vero via hæc, quæ nobis Chriſti morte munita eſt, diverſa eſt à veteri ſeu legali, ideo Chriſtus dum hanc ſanxit, legalem ſuſtulit, & eos, qui ſub Lege erant, ab ejus jugo & exſecratione in poſterum redimit. Qua de re paulo poſt nonnihil dicemus. Atque hæc, quam hactenus explicuimus, præcipua inter alias cauſſa fuiſſe videtur, ob quam Deus Chriſto, ſi ſupremam nos ſervandi poteſtatem adipiſci vellet, mortis violentæ conditionem impoſuerit: nempe quia ſalutis noſtræ plurimum intererat id fieri: indeque Dei erga peccatores ſumma enituit charitas, quibus ut tam durum ſalutis iter aliquatenus emolliret, & ejus aſperitatem detereret, eorumque fidem hoc pacto erigeret, ne proprio quidem filio parcere voluit: nec minor Chriſti charitas, qui cum Legis, quam exactiſſime ſervaverat, beneficio, & quodam veluti jure, poſſet ab hujuſmodi morte eſſe immunis, (erat enim mors crucis, ut Paulus demonſtrat Gal.3. 13, legalis quædam exſecratio,*ei vitæ,quam Lex ſui obſervantibus promittebat, prorſus adverſa,) eo tamen uti noluit, ut nobis novam & à legali diverſam juſticiæ ac vitæ conſequendæ viam exemplo ſuo muniret ac confirmaret,contra vero vimLegis in ratione juſticiam conſequendi, aut pœna tranſgreſſoribus infligenda, nullam eſſe amplius oſtenderet. Nam ſi ne is quidem, qui Legem perfectiſſime ſervaverat, ac proinde digniſſimus erat, qui ejus beneficio frueretur, à morte truculenta, quam Lex tranſgreſſoribus minabatur, immunis fuit, & præmio in ea propoſito potitus: multo minor ejus vis in pœna & exſecratione inferenda futura erat. Cum Lex non majorem ad pœnam infligendam, quam ad tribuendum præmium vim habeat, imo majorem ad hoc, quam illam habere par ſit. At cum iſta via, quæ à legis natura abhorret, Chriſtus vitam beatiſſimam fuerit conſequutus, hanc apparet certam ac in poſterum ratam eſſe: præſertim cum id Chriſtus jam antea fuerit clariſſime teſtatus. Ea vero via ut patientiæ eſt, ita & fidei in Deum, quam ſacræ literæ Novi Fœdere præcipue inculcant Hebr.10. 34,35,36,38, 39. XI. 1, 24, 25, 26, 35. XII. 2, quæ tunc inprimis cernitur, cum futurorum atque inviſibilium bonorum ſpe mors truculentiſſima ſubeunda eſt. Ideoque fidei dux & conſummator Jeſus, pro gaudio ſibi propoſito ſuſtinuit crucem, ignominia contemta, atque in dextra throni Dei conſedit; ut nos ipſum reſpicientes, curriculum nobis propoſitum per patientiam decurreremus ibid. 1. Atque hæc iis addi volumus, quæ ab initio de vi mortis Chriſti in ſanciendo Fœdere Novo diximus, licet in iis jam aliquo modo contineantur. Quam præterea vim mors Chriſti ad remiſſionem peccatorum nobis parandam habeat, ex iis, quæ ibi diximus, ſatis conſtare poteſt, ut ea hoc loco repetere non ſit opus, præſertim cum fere omnia aut in iis, quæ huc uſque diximus, comprehendantur, aut ex his pendeant.

Ex his omnibus ſatis jam apparet, cur Sacræ Literæ toties peccatorum remiſſionem morti Chriſti adſcribant, & (ut hoc quoque addamus, quod ad finem hujus cap. urget Grotius Partic. 27) Chriſtum propter peccata noſtra vulneratum, attritum, mortuum, aut pro peccatis mortuum aſſerant. Patet etiam, peculiares quoſdam eſſe mortis Chriſti effectus, ad remiſſionem peccatorum nobis parandam pertinentes, quos Socinum oſtendere non poſſe Grotius affirmat. Patet denique, cur Chriſtus ſanctiſſimum Euchariſtiæ ritum non proprie ad vitæ aut reſurrectionis, ſed ad mortis fuſique ſanguinis memoriam, vel commemorationem potius & annunciationem inſtituerit. Quas enim cauſſas attulimus, ob quas morti Chriſti ſanctio Fœderis Novi, & remiſſio peccatorum in eo comprehenſa tribuatur, eædem etiam iſtius rei cauſſæ ſunt. Siquidem eatenus mortis Chriſti in Cœna Domini ſit commemoratio, quatenus ea Fœdus Novum eſt ſancitum, in quo remiſſio peccatorum nobis promittitur. Itaque ritus hic tum ejus rei, qua Fœdus hoc confirmatum eſt, commemoratio eſt ac celebratio, tum ipſius quoque fœderis profeſſio ac ſymbolum, omnibus Chriſtianis commune, idque perpetuo ſervandum: illius quidem primo, hujus veluti conſequenter; ultimo etiam nota eſt communionis, quam habeamus cum iis, qui ad idem fœdus pertinent. Cauſſam vero præcipuam, ob quam ſanctio Fœderis Novi morti Chriſti tribuatur, eſſe diximus, teſtationem maximæ erga nos Dei ac Chriſti charitatis, quæ nos ad gratiarum actionem, ad quam hic ritus ſpectat, cum inde Euchariſtia dici ſoleat, inprimis excitare poteſt. Id autem, quod de ritu hoc diximus, ſatis clare docuit Chriſtus in altera hujus ſacræ cerimoniæ parte, in qua elegantius ad ritum ſanciendorum fœderum, ob ſanguinus mentionem, quem in antiquo etiam adhibitum fuiſſe ſupra oſtendimus, poterat alludere. Ita enim ait Matth. 26. 28: *Hic*, vel, ſi mavis, *hoc eſt ſanguis meus, ille Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, ut Matthæus habet, & ex parte Marcus Marc. 14. 24, vel, ut Lucas: *hoc poculum* [*eſt*] *Novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur*. Quæ eadem, ultimis tantum verbis omiſſis, habet Paulus 1 Cor. XI. 29. Conſentiunt autem in eo, ni vehementer fallor, omnes, cum ſanguis Chriſti dicitur eſſe Novi Teſtamenti, aut Novum Teſtamentum in eo ſanguine, id velle Chriſtum, ſanguine hoc Novum Teſtamentum fuiſſe confirmatum ac ſancitum: quo pacto Moſes olim, ſanguine Fœdus Antiquum ſanciens, dixerat: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepegit vobiſcum Dominus* &c. Exod.24. 8. Hebr. 9. 20. Teſtamentum autem ſeu fœdus novum appellat poculum, ſeu id, quod poculo peragitur, quia ſolennis ac perpetua, omnibuſque Chriſtianis communis ſit Fœderis Novi profeſſio ac ſymbolum, quo ii palam teſtari debeant, ſe ad Novum Fœdus pertinere: ſiquidem id prædicent & annuncient, ejuſque ſe participes eſſe profiteantur, quod ei ſanciendo fuit adhibitum, corporis nempe ac ſanguinis Chriſti. Quo loquendi modo circumciſio dicta fuit fœdus inter Deum & Abrahamum ejuſque poſteros percuſſum Geneſ. 17. 9, 10, 13, quia ejus fœderis ſignum fuit, ut explicatur ỳſ. 11. Sabbatum etiam fœdus perpetuum, intellige inter Deum & Iſraëlitas ſub Lege exiſtentes, Exod. 31. 16, licet alii aliter verba hæc interpretentur:

quia

* Vide Grot. inf. cap. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quia nimirum ſignum erat fœderis, ut dicitur ibid. ℣ſ.13, 17, & Ezech.20. 20. Etiamſi autem hæc teſtamenti appellatio non minus ad priorem, quam ad poſteriorem hujus cerimoniæ partem, quod ad rem ipſam attinet, pertineat, quemadmodum omnes videntur agnoſcere, qui totam Euchariſtiam teſtamentum nominant: cur tamen ſoli poſteriori expreſſe tribuatur, cauſſa jam indicata eſt.

Cauſſæ autem hactenus commemoratæ, ob quam Chriſtus Euchariſtiam ad mortis ſuæ potius, quam alterius alicujus rei celebrationem inſtituerit, ea quoque addenda eſt, quod cum ritum hunc primo ac præcipue ad ſui commemorationem vellet pertinere Luc.22. 19. 1 Cor.xi. 24, (id enim ipſius verba ſatis clare docent:) opus id fuerit commemorandum, quod ipſius eſſet proprium, quemadmodum Socinus jam dixerat; quale non eſt reſurrectio ipſius & exaltatio, quæ Dei ſunt maxime propria. Quod ad vitæ totius ſanctitatem attinet, ea licet itidem proprium ſit Chriſti opus, commemorari tamen ideo non debuit, quia etiamſi inde non exigua ad nos redeat utilitas, & confirmatio aliqua doctrinæ ipſius inde queat peti: tamen non in hunc præcipue finem fuit ſuſcepta à Chriſto, aut noſtri cauſſa vel ſolum, vel ſaltem primo ac potiſſimum præſtita. Nam etiamſi nulla inde ad nos rediiſſet utilitas, tamen ad eam præſtandam Chriſtus, quia homo erat, fuiſſet obſtrictus. Legi enim Dei omnes natura ſunt obnoxii, inprimis ii, qui ſub ea ſunt nati: nec poterat Chriſtus vi illius vitam in ea promiſſam conſequi, niſi eam univerſam opere complevi ſſet. Unde illud quoque patet, ea in parte nondum id vere apparuiſſe Chriſto, quod Novi Fœderis, habita ratione viæ ſalutis in ea præſcriptæ, eſt maxime proprium, id quod eſſe diximus, per multas afflictiones, per mortem truculentam & infamem, perque eas virtutes, quæ in hujuſmodi malis præcipue cernuntur, in regnum Dei ingredi. At vero ut Chriſtus mortem ſubiret adeo diram & ignominioſam, à Lege non tantum non adigebatur, ſed etiam ordinaria ejus vi inſpecta, omnino ab ea debebat eſſe immunis: quam cum ſubiit, id clariſſime oſtendit, quæ eſſet via ad vitam, Novi Fœderis maxime propria, eaque certa & ſtabilis. Quare ſi Chriſti ſolius, tum ab ipſomet, tum à Deo fuiſſet habita ratio, & non potius ſalutis noſtræ, potuiſſet, imo etiam debuiſſet is à morte hujuſmodi eſſe immunis. Nam præter cauſſam dictam, vel ideo convenire videbatur, ut non tantum mortem adeo truculentam effugeret, ſed mortem etiam prorſus non guſtaret, quod proprius eſſet & unigenitus Dei filius. Nam ſi Enocho & Eliæ contigit, ut mortem non guſtarent; ſi ii, qui vivi in adventu Domini reperientur, abſque morte ex mortalibus evadent immortales, & in beatiſſimas cœlorum ſedes transferentur 1 Cor. 15.21, 52. 1 Theſ. 4. 17; cur non magis id unigenito ac chariſſimo Dei filio contigere debebat, cujus etiam cibus fuerat Patris ſui voluntatem facere Joh.4. 34. Quod ſi nihilominus Deus chariſſimo huic filio ſuo non pepercit; ſi Chriſtus jure quodam ſuo, ex Legis promiſſionibus pendente, uti noluit, ſed noſtri cauſſa voluntati Patris, qui præmio propoſito ei præceptum dedit, ut animam pro nobis poneret cap.10. 17, 18, ſponte ſe ſubjecit: an non utriuſque adverſum nos charitas ea in re maxime conſpecta fuit, digna quæ per petua gratiarum actione celebretur? Quod ſi quædam in reliqua ejus vita intercurrerunt incommoda aut contumeliæ, in quibus iis virtutibus fuit locus, quæ ſunt Novi Fœderis magis propriæ; ea mortis tantum fuerunt præludia: ut taceam, quædam ex iis, quæ mors Chriſti præſtitit, in ſalutis noſtræ negotio maximi momenti, iis nullo pacto convenire.

Antequam hinc abeamus, nonnihil addere libet de variis alluſionibus, quarum nonnullas vel in locis à Grotio adductis cernere licet, ob quas ſacri ſcriptores libentius mortem, quam vel vitam vel reſurrectionem in ſalutis noſtræ negotio commemorant: quia earum elegantia omnis, quam eos ſectari nonnunquam videmus, & argutia, non inanis illa, ſed cum emphaſi conjuncta, & gravibus cauſſis nixa, periret, ſi mortis aut vocum idem ſignificantium loco, vel vita vel reſurrectio Chriſti ſubſtitueretur. Vidimus jam antea, Sacros Scriptores libenter alludere ad ſanguinem Fœderis Antiqui, & ejus aſperſionem, qua Iſraëlitæ fœderi illi quodammodo adſcripti fuerunt: idque fit in aliquot locis à Grotio notatis Matth.26.28. Luc.22.20. Hebr.12.24. 1 Petr.1.2, in quibus vel ſanguis fœderis, vel ejus aſperſio commemoratur. Quin etiam in omnibus iis locis ad ritum ſanciendorum fœderum reſpicitur, in quibus vel de reconciliatione noſtri cum Deo, vel de reconcilatione aut pacificatione inter cœleſtia & terreſtria Eph.2. 13, 16. Col. 1. 20, inter Judæos item & Gentes per Chriſti mortem facta ſermo eſt. Cum enim id factum eſt, fœdus quodammodo inter partes diverſas, quarum vel utraque, vel altera ſaltem alteri antea fuerat inimica, fuit initum ac conſtitutum, qua de re agetur, Deo volente, infra cap.7. Alludunt etiam crebro ad ſanguinem cædemque victimarum Legalium, quod itidem in duobus locis à Grotio citatis accidit Hebr.9. 12 & 22. d. l. ℣ſ.22: quamquam alter ad eam rem non alludit, ſed ipſammet exprimit. Præterea cum nos è ſpirituali ſervitute liberatos, & Deo Chriſtoque mancipatos dicere volunt, libenter Redemtionis, Emtionis, Acquiſitionis utuntur vocibus, ad quos actus pretium intervenire ac impendium fieri ſolet, cui Chriſtus ipſe in mortem traditus, aut anima ipſius, aut ſanguis eleganter reſpondet. Huc quoque reſpiciunt teſtimonia quædam à Grotio allegata Act.20.28. Epheſ.1.7. Col.1. 14. Alludunt interdum ad ablutiones & purgationes varias, ſive in Lege olim præſcriptas, ſive vulgares ac profanas, purgationem noſtram à ſordibus ſpiritualibus, ſeu peccatis, denotare volentes: ubi ſanguinis, per quem fiat ablutio, quia liquor tamen eſt, & aquæ aliquo pacto reſpondet, aptius quam vel vitæ vel reſurrectionis fit mentio. Atque hoc fit in duobus locis à Grotio notatis 1 Joh.1. 7. Apoc.1. 5, quibus adde Apoc. 7. 14, ubi argute admodum dealbata dicuntur veſtimenta in ſanguine agni. Quamquam in iſtis locis à Grotio adductis, ſanguis Chriſti tacite ſimul cum ſanguine Fœderis Antiqui, & ſacrificiorum expiatoriorum confertur. Interdum enim ad plura ſimul alluditur, ut 1 Petr.1.18, ubi & ad pretium redemtionis, & ad ſanguinem victimarum reſpicitur. Vidimus etiam ſupra, in eodem loco Hebr. 9. 16 & ſeqq. mortem Chriſti, & cum teſtatoris morte,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& cum ſanguine fœderis antiqui conferri. Sunt & aliæ comparationes alluſioneſque, oppoſitiones item, quarum elegantia periret, ſubſtituta in mortis locum vita aut reſurrectione, ut videbimus in locis Eſai. 53. 5. cum quo jungendus ille 1 Petr. 2. 24. Joh. 3. 14, 16. 1 Cor. 5. 7. 2 Cor. 5. ult. Gal. 3. 13. Comparationes autem, ut viri docti notant, quin etiam oppoſitiones, multas pariunt figuras & catachreſes.

Verum adverſus quædam Socini dicta, in quibus peculiares mortis Chriſti effectus explicat, excipit Grotius Partic. 28. Primo inquit: *Exemplum ſanctimoniæ tota vita Chriſti præbuit, magis quam mors ipſa, quæ brevi momento peracta eſt.*

Socinus cum mortem Chriſti à vita ipſius antegreſſa diſtinguit, & peculiares illius explicat effectus, non ſanctimoniæ generatim dictæ, ſed vel patientiæ, vel viæ ſalutis tam aſperæ, & afflictionum ac cruciatuum plenæ, quæ nobis in Novo Fœdere præſcripta eſt, exemplum commemorat. Quare id nihil adverſus Socinum. Vidimus autem ſupra, opera virtutum præcipuarum difficilima, quæ exemplo maxime indigebant, in morte magis, quam in reliqua vita fuiſſe conſpecta.

Deinde ſic ſcribit Partic. 29: *Confirmatio autem promiſſionis de vita cœleſti, proprie in ipſa Chriſti reſurrectione conſiſtit: ad quam mors ſolam viæ habet rationem: ita ut huc reſpiciens Scriptura, reſurrectionis mentionem facere debuerit, non mortis: certe non toties, & adjunctis notis ἐμφάσεως.*

Primum, etiamſi confirmatio promiſſionis de vita cœleſti proprie, hoc eſt, peculiariter & præcipue, (ita enim Grotii verba capimus, quæ alias, ſi mors prorſus ab hoc effectu excluderetur, non concedenda eſſe, ex dictis noſtris conſtat) in ipſa Chriſti reſurrectione conſiſtat: tamen confirmatio remiſſionis peccatorum, quatenus à vita cœleſti diſtinguitur, proprie in morte conſiſtit. At de hac nobis potiſſimum hoc loco eſt ſermo. Ne de eo nunc quicquam dicamus, ad certitudinem promiſſæ nobis vitæ plurimum quoque conferre mortem Chriſti. Nam *velle* nobis Deum ac Chriſtum beatam illam vitam largiri, ex morte clarius, quam ex reſurrectione aut exaltatione ipſa perſpicitur. At voluntas Dei ac Chriſti non minus neceſſaria ejus rei cauſſa eſt, quam potentia, licet hæc ſit effectui proprior. Itaque ſi mors Chriſti cruenta non anteceſſiſſet, multum ſpei noſtræ deeſſet, etiamſi Chriſtum reſurrexiſſe & exaltatum eſſe nobis conſtaret. Denique niſi Grotius *viæ* nomine cauſſam quoque ſeu conditionem reſurrectionis adipiſcendæ complectatur, effectum ſuum vi decreti divini neceſſario habituram, non eſt ipſi concedendum, quod mors *ſolam viæ rationem* habuerit ad reſurrectionem. Contrarium enim ſuperius oſtenſum eſt.

Subnectit Grotius Partic. 30: *Socinus ipſe lib. 1. cap. 3, laborans ut oſtendat viam ſalutis ſanguinis effuſione confirmatam, cum veram ſuſtuliſſet, quam nos defendimus, nullam aliam probabilem ejus confirmationis cauſſam ſubſtituere potuit; neque ullum verum adferre diſcrimen, cur id Chriſti ſolius, non etiam martyrum aliorum morti tribui debeat.*

At nec Socino eo loco propoſitum fuit, explicare cauſſam, ut Grotius loquitur, ejus confirmationis, quæ ſanguine Chriſti facta fuerit, ſeu rationem ac modum, quo id ſanguis Chriſti effecerit: ſed id tantum egit, ut doceret, Chriſtum viam ſalutis confirmaſſe, tum aliis modis, tum ſanguinis etiam fuſione. Quo vero pacto id præſtiterit Chriſti ſanguis, explicuit inter alia lib. 2. cap. 2. Quomodo vero Socinus veram confirmationis iſtius cauſſam ſuſtulit, & ne probabilem quidem afferre potuit? An vera cauſſa non eſt, & ne probabilis quidem, quam loco à nobis citato attulit, quod Dei ac Chriſti effuſa erga homines adhuc impios charitas inde fuit conſpecta? An vera cauſſa non eſt, & ne probabilis quidem, quod is qui primus tam aſperam ſalutis viam, quæ ad interitum ducere videbatur, nobis præſcripſit, ipſemet eam ingreſſus, inde ad vitam ſempiternam pervenit? An illa quoque vera cauſſa non eſt, & ne probabilis quidem, quod is, qui viam ſalutis nobis præſcripſit, morte tam dira tamque infami, ſe Chriſtum Dei filium eſſe aſſeruit? An hoc pacto viam ſalutis à ſe hominum generi Dei nomine præſcriptam non confirmavit? Taceo, quod quicquid ea virium habent ad viam ſalutis confirmandam, quæ mortem ſunt conſequuta, id jure morti tanquam cauſſæ imputari, & emphatice adſcribi queat. Quod enim, ut in Scholis loquuntur, eſt cauſſa cauſſæ, eſt etiam cauſſa cauſſati. Emphaſis autem quænam hic ſit, ex ſuperioribus colligi poteſt, & inſerius denuo explicandum erit. An vero hinc nullum verum apparet diſcrimen, cur confirmatio hæc Chriſti ſolius morti, nempe primo, ac ratione omnium perfectiſſima, non etiam martyrum aliorum morti ſit attribuenda? An enim charitas illa Dei erga genus humanum adhuc impium ita ex martyrum elucet morte, quemadmodum ex morte Chriſti unigeniti ejus filii eluxit? An ipſi quoque martyres ſuum erga genus humanum, Deo inimicum, morte ſua teſtantur amorem, quemadmodum Chriſtus eſt teſtatus, qui jure quodam ſingulari poterat ab ea eſſe immunis, & noſtri præcipue cauſſa eam ſubiit? aut licet ii amorem ſuum tantum erga genus humanum teſtarentur? an id protinus tantum haberet virium ad ſalutis noſtræ viam confirmandam, quantum habet charitas Chriſti, in cujus manu ſalus noſtra univerſa eſt poſita, & cujus miſericordiam ad vitam æternam expectare cogimur Jud. verſ. 21; cum illi ad eam nobis præſtandam nullas vires habeant, ſed eandem una nobiſcum in illo die ex Chriſti manibus expectent 2 Tim. 4. 8. Hebr. XI. 39, 40. Martyres quidem aſperam viam, qua ſe ad ſalutem perventuros crediderunt, ingreſſos videmus, ſed eos inde nondum videmus ad vitam immortalem emerſiſſe; adeoque hanc viam ad ſalutem reipſa ducere, illorum exemplo nondum poſſumus diſcere: imo niſi ii ex mortis clauſtris aliquando eriperentur, periiſſent, & ad interitum hac via iviſſent. Viam, inquam, in illis cernimus, terminum viæ nondum. Præterea, an perinde eſt, ſive is, qui primus ſalutis viam humano generi promulgavit, & ad eam publicandam ab ipſomet Deo ſeſe miſſum aſſeveravit, mortem diram ac truculentam adeat, ut ſe Chriſtum Dei filium eſſe confirmet, & ſic doctrinam ſuam divinam eſſe probet; ſive is doctrinæ illius cauſſa moriatur, qui nec tantum tamque Deo conjunctum ſe dicat eſſe, nec ſe ab ipſo Deo hanc doctrinam accepiſſe affirmet, ſed tantum ab altero iſto Dei Legato, ac primo ſalutis præcone

cone de ejus veritate ſe profiteatur edoctum? An non patet, veritatem teſtimonii hujuſmodi totum pendere à veritate teſtimonii illius, qui primus doctrinam hanc à Deo acceptam tradidit, & à quo eam alter iſte accepit; & poſteriorem teſtem priori, teſtimonio hoc ſuo tantum ſubſervire? Atque hoc diſcrimen non obſcure indicant Sacræ Literæ Apoc. 1. 5. III. 14. 1 Johan. 5. 8, dum Chriſtum quidem ſimpliciter appellant teſtem fidelem ac veracem, quin & ſanguini ejus teſtis appellationem abſolute tribuunt; ſed cæteros, qui Euangelii cauſa mortem pertulerunt, eam ob rem non Martyres ſeu teſtes ſimpliciter, ſed Jeſu Chriſti Martyres ſive teſtes vocant, ut de Stephano & Antipa legimus Actor. 22. 20. Apoc. 7. 13. Quemadmodum etiam in Euangelio prædicando Apoſtoli Chriſto teſtimonio ſuo tantum ſubſervierunt, ut docent ipſius verba, à Socino eodem loco adducta, Actor. 1. 8. Quemadmodum igitur, licet de Apoſtolis, aliiſque Euangelii præconibus aut Chriſti ſervis ſcriptum legamus Rom. XI. 14. 1 Cor. 9. 22. 1 Tim. 4. ult. Jac. 5. ult. quod alios ſervent; tamen eos hac in parte non putamus cum Chriſto comparandos, quia nec primo, nec perfectiſſima ratione id præſtent, ſed Chriſto hac in re aliquo uſque tantum ſubſerviant: ita nec, quod ad confirmationem viæ ſalutis attinet, martyres Chriſto ſunt comparandi, cum idem hic ſit diſcrimen, quod in ſervandi ratione deprehendi diximus; ſed cum Chriſto, cui ſubſerviunt, utraque in re ſunt computandi. Non repeto nunc diſcrimen illud inter martyres & Chriſtum, quod in mortis Chriſti conſequentibus & effectis, hoc eſt in reſurrectione & exaltatione ejus, præcipue cernitur, quatenus ea peculiariter ad doctrinam Chriſti confirmandam ſpectant; quod ſane eſt longe maximum.

Denique addit Grotius Partic. 31: *Neque vero unquam explicare Socinus poterit, quomodo Chriſtus ſanguine ſuo fuſo Deum nobis devinxerit (quod aliquo modo verum ipſe concedit) ſi Deus ob fuſionem ſanguinis nihil promiſit.*

At cum Socinus docuerit, Chriſtum ſanguine ſuo Fœdus Novum, quod Dei nomine nobiſcum pepigerat, confirmaſſe, & ejuſdem nomine ſanxiſſe: an non eadem opera docuit, Chriſtum nobis Deum ad fœderis promiſſa præſtanda quodammodo devinxiſſe, ita quidem, ut (quæ ipſius Socini hæc explicantis ſunt verba lib. 1. cap. 3.) ſanguis ejus aſſidue ad „ patrem clamet, ut promiſſorum ſuorum, quæ ipſe „ Chriſtus nobis illius nomine annunciavit, pro quibus confirmandis ſuum ipſius ſanguinem fundere „ non recuſavit, meminiſſe velit. Loquitur enim „ ſanguis ejus meliora quam Abel, inquit Auctor „ Epiſt. ad Hebr. 12. 24. Ubi manifeſte apparet, hoc „ ſenſu, quo nos explicavimus, dictum id fuiſſe ab „ Apoſtolo. Ait enim, *Et* (acceſſiſtis) *Fœderis Novi* „ *mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſum meliora* „ *loquentem quam Abel.* Namque alludit aperte ad „ ſanguinis aſperſionem, quæ in Vetere Fœdere fanciendo à Moſe facta fuerat Exod. 24. 8. Ubi Fr. „ Vatablus doctiſſime & elegantiſſime, ut fere ſolet, „ ita annotat: *Hic ſanguis typus erat ſanguinis Chriſti,* „ *cujus ſanguinis effuſio confirmatura erat omnes Dei* „ *promiſſiones.* Quod fuſius poſtea docuit Socinus.

Neque vero ad id, ut recte dici queat, Chriſtum ſanguine ſuo fuſo Deum ad promiſſa ſua nobis præſtanda quodammodo devjnxiſſe, requiritur, ut Deus ob fuſionem ſanguinis aliquid promiſerit, quemadmodum Grotius indicat; ſed ſatis eſt Chriſtum, Dei voluntate ac juſſu ſanguinem ſuum ad promiſſa, quæ ipſius nomine nobis annunciarat, confirmanda fudiſſe, & ſic ipſummet Deum teſtatum eſſe, ſe id ratum habere, quod ejus nomine Chriſtus nobis promiſiſſet. Obligant enim nos ac devinciunt ad promiſſa præſtanda, tum promiſſiones ipſæ, tum earum ſigna & confirmationes, voluntate noſtra adhibitæ; quæ ideo promiſſoribus ſæpe in memoriam revocari ſolent, cum monentur, ut promiſſa ſervent, imo etiam cum coram judice urgentur, ut ea præſtent: v. g. quod dextra data promiſerint, quod chirographum dederint, quod manu ſua ſubſcripſerint, quod ſigno ſuo id obſignarint, & ſi quæ ſunt hujus generis; etiamſi nec ob dextræ porrectionem, nec ob chirographum quicquam promiſerint; ſed tantum promiſſionem ſuam iis rebus confirmarint. Nihil autem refert, ſive quis per ſeipſum, ſive per alium id fecerit. Quod enim quis per alium fecit, id ipſemet feciſſe cenſendus eſt. Atque id hoc loco factum eſt. Nam ſanguinis Chriſti teſtimonium, ipſius Dei teſtimonium eſt, quo aſſerit, ſe nobis dediſſe vitam æternam, & hanc vitam in filio ſuo eſſe; ut clare teſtatur Johannes, loco ſupra allegato 1 Epiſt. 5. 8, 9, 10, 11. Sed præterea cum Grotius ex Socini mente ponit, Deum ob fuſionem ſanguinis Chriſti nihil promiſiſſe, vel id intelligit de cauſa impulſiva promiſſionis ipſius faciendæ; vel de cauſa ejuſdem exſequendæ ac præſtandæ, ſeu, ut clarius loquamur, de conditione, ſub qua Deus quippiam promiſerit. Si prius, verum quidem id eſt; ſed inde non ſequitur, Deum ſanguinis Chriſti fuſione non fuiſſe ad præſtanda nobis promiſſa ſua devinctum. Satis enim eſt, Deum ſub hac conditione promiſiſſe id, unde ſalus noſtra proficiſcitur, qua præſtita Deus ad promiſſum illud præſtandum fuit devinctus. Si poſteriori modo verba ſua intelligit Grotius, falſum id eſt, tum ex veritatis, tum ex Socini mente. Docuit enim is lib. 2. cap. 25, ex verbis Eſaiæ cap. 53. 10, 11. Deum promiſiſſe, Chriſtum, ſi mortem ſubiret, non tantum ipſummet felicem evaſurum, verum etiam eam adepturum poteſtatem, qua ipſius voluntatem de ſalute noſtra feliciter ad exitum perduceret; hoc eſt, ſcientia ſui juſtificaret multos, eorumque peccata tolleret, quæ promiſſio primo quidem ad ipſum Chriſtum ſpectat, ſed conſequenter, & admodum manifeſte, ad nos noſtramque ſalutem, tanquam ad ſuum finem. Qua de cauſa Socinus affirmat, Chriſtum morte ſua non tantum ſibi, verum etiam ſuis omnibus immortalitatem peperiſſe; & peccata nobis remitti propter Chriſtum, & propter obedientiam ejus: quæ aliis, à ſe de appellatione Servatoris Chriſto tributa diſputatis, expreſſe addi vult, licet in iis tacite comprehendantur. Adde huic loco alterum eodem lib. 2. cap. 5. Atque hic alter modus eſt, quo Deus ſanguine Chriſti ad promiſſam nobis ſalutem reipſa præſtandam devinctus eſt.

Accedit ad formam ſatiſfactionis Grotius Partic. 32, quam facit *pœnarum pro peccatis noſtris perſolutionem,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nem, quod deſtricte neget Socinus. Quomodo eam probet Grotius, videamus.

Hebræi, inquit, *ut ſignificent, quod Latini dicunt, pœnas pendere, nullam habent receptam magis phraſin, quam hanc Ferre peccatum, cui ſimilis eſt Latinorum locutio, luere delicta, hoc eſt, delictorum ſupplicia*; id quod dictis Scripturæ comprobat, & addit: *hac eadem phraſi dixit Petrus, Chriſtum peccata noſtra ſurſum tuliſſe in corpore ſuper lignum* 1 Petr. 2. 24.

Sed in hac ratiocinatione latet conſequentis fallacia: Pœnas quidem pendere uſitate dicitur apud Hebræos *ferre peccatum*: ſed non contra, *ferre peccatum* ſemper ſignificat, pœnas proprie dictas (de his enim controverſia eſt) perſolvere; qua enunciatione Grotio eſt opus, ſi ratio ipſius ex hujus phraſeos ſignificatione ducta, firma eſſe debeat; niſi forte non tam ex vi phraſeos ipſius quam ex locorum, in quibus ea de Chriſto uſurpatur, circumſtantiis velit concludere, hoc ſenſu eam de Chriſto efferri, qua de re poſtea. Atqui, ne illud nunc urgeam, quod eſt manifeſtum, & à Grotio conceditur inferius, *ferre peccatum* apud Hebræos nonnunquam eſſe Auferre peccata; iſtud etiam negari non poteſt, recte & eleganter dici poſſe, eum ferre peccatum, qui peccatorum cauſſa grande malorum, cruciatuum, ac mortis denique ſuſtinet onus, etiamſi nulla vera ea in re ſit pœna ſive vindicta, ut Socinus jam monuerat. Eſt enim hæc loquutio, *ferre* aut *portare peccatum*, ut quivis animadvertit, quod ad *peccati* vocem attinet, metonymica, in qua cauſſa pro effectu ponitur, peccatum nempe pro onere aut nocumento, quod alicui peccati cauſſa incumbit. Ad onus vero illud an non ſufficiunt ipſæ afflictiones ac cruciatus, ipſa denique mors, quæ peccatorum cauſſa cuipiam imponitur, etiamſi vindictæ ratio, quæ pœnam proprie dictam conſtituit, non accedat? An ergo is, qui hæc omnia ſuſtinet, peccatum ferre, portare, bajulare, recte non dicetur? Similes certe locutiones, (quod itidem monuerat Socinus) quotidie in ore habemus. Nam cum quis alieni delicti occaſione mali quippiam perpetitur, quod ipſi delinquenti potius ferendum fuerat, dicere ſolet, ſe alienum delictum ſuſtinere, imo etiam ejus pœnas dare, licet id tandem ex eventu fuerit factum; contra quam in morte Chriſti accidit, quæ Dei conſilio, peccatorum noſtrorum cauſſa Chriſto fuit impoſita. Simili quapiam ratione uſurpatur illa Hebræorum phraſis Num. 14. 33: ubi dicitur: *filii veſtri paſcent in deſerto quadraginta annos, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur corpora veſtra in deſerto.* Neque enim hoc vult Deus, ſe filios Iſraëlitarum vere puniturum (nihil enim tale ex toto loco colligi poteſt, nec ullo pacto eſt veriſimile) ſed eos occaſione delicti parentum ſuorum damnum non leve ſenſuros; quia illis totos quadraginta annos in deſerto una cum patribus ſuis ſit commorandum, & per tam longum tempus terra illa bona carendum, quam alias brevi fuiſſent ingreſſuri. Eandem ſignificationem alibi etiam reperiri videbimus infra. Neque vero phraſis Latinorum *luere delicta* ea in re, de qua quæritur, Hebrææ prorſus eſt ſimilis. Nam *luere*, quod eſt ſolvere, compenſationem & vindictam magis ſignificat: *ferendi* aut *portandi* verbum ad onus, quod pœnæ materia eſt, & in afflictionibus etiam iis reperitur, quæ pœnæ non ſunt, magis reſpicit. Quanquam Cicero* phraſin *pœnam luere*, quæ apertius adhuc pœnam proprie dictam ſignificare videtur, ad perpeſſiones, quæ veræ pœnæ non ſunt, transfert, dum ait: *Silent leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda*: ubi *pœnam injuſtam luere*, eſt injuriam perpeti.

Iſtud etiam hic monendum eſt, non recte Grotium Partic. 33 probare, *victimas expiatorias dici portare iniquitatem* offerentium, ex loco Levit. 10. 17. Nam non de victimis, ſed de ſacerdotibus ibi dicitur, quod ferre debeant iniquitatem congregationis, ut præter rem ipſam ſatis monet tum vetus interpres, tum alii recentiores; eſtque ibi *portare iniquitatem*, eandem aſportare, auferre, quemadmodum reddiderunt Tigurini, ſeu remiſſam declarare, ut ibidem notavit Vatablus; adeo ut hic locus argumentationem Grotii, ex hac phraſi ductam, enervet. Idem hujus phraſeos ſenſus eſſe poſſet, etiamſi de victimis ibi uſurparetur; & licet tandem ferendi aut portandi verbum perpeſſionem ibi ſignificaret, non tamen protinus concludendum eſſet, victimas proprie puniri ſolitas. Satis enim eſſet ad phraſeos illius vim, quod victimæ mortem occaſione peccatorum tulerint. Quam enim pœnam aut vindictam de humanis delictis ſumſit Deus, cum hircus, aut aliquod animal peccatore ſalvo mactaretur? Non recte etiam Grotius ad id, quod de victimis dixerat, illuſtrandum aut comprobandum addidit: *quia ſanguis*, nempe victimarum expiatoriarum, *eſt pro anima humana.* Ubi verba *pro anima* Grotio ſignificant *vice animæ.* At Hebræus textus nil habet aliud quam: *ego dedi eum* (ſanguinem) *ad expiandum ſuper animabus veſtris: quia ſanguis ipſe in anima expiabit*, hoc eſt, animam expiabit, ut reddiderunt Tigurini, & à reatu liberabit. Sed de hoc loco cap. 10 iterum dicendum erit.

Verbis Petri recitatis addit Grotius Partic. 34: *Poterat dixiſſe* ἤνεγκε, *ſed quia ſimul ſignificare voluit aſcenſum in crucem, dixit* ἀνήνεγκε, hoc eſt, *tulit ſurſum eundo: quod de dicta phraſi nihil imminuit, ſed ei addit aliquid. Itaque Syrus tranſtulit: portavit & aſcendere fecit.*

Imo vero, ſi Petrus illis verbis voluiſſet exprimere pœnarum pro peccatis noſtris perpeſſionem, dixiſſet potius τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἤνεγκεν ἐπὶ τῷ ξύλῳ, *peccata noſtra tulit in ligno*, quam ἀνήνεγκεν ἐπὶ τὸ ξύλον *ſuſtulit*, ſeu mavis, *ſurſum tulit in lignum.* Quamquam enim nec priora illa verba protinus ſignificarent pœnæ proprie dictæ perpeſſionem, ut ex hactenus dictis conſtare poteſt, & poſtea melius intelligetur: haud paulo tamen forent aptiora ad id deſignandum, in quo pœna inprimis foret conſtituenda, & quod Sacrę Literę peccati nomine in hoc negotio potiſſimum ſolent denotare. Id vero eſt mors illa acerba & ignominioſa, quam Chriſtus non ſurſum in lignum tulit, ſed in ipſo ligno pertulit ac ſuſtinuit. Verba ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, quibus uſus eſt Petrus, tantum abeſt, ut pœnam veram ſignificent, ut per ſeipſa ne cruciatuum quidem perpeſſionum neceſſario denotent. Nam & hircus ille ἀποπομπαῖος-

* pro Milone.

Levit. 16. 21, 22, ſeu emiſſarius in anniverſario Legis ſacrificio, quem Chriſti ea in re, de qua agimus, typum fuiſſe nemo ignorat, dicebatur ſuper ſe omnia populi peccata, capiti ſuo à Sacerdote antea impoſita, in deſertum ferre ſeu portare, nec tamen ullas pœnas aut cruciatus, præſertim eundo in deſertum, & ſic totius populi peccata eo ſuper ſe portando, perferebat: ſed tantum ſignificabatur, non minus ablata fuiſſe omnia populi peccata, quam ſi ea hircus ſibi impoſita in deſertum aſportaſſet. Simili ratione à Petro dicitur, Chriſtum peccata noſtra in corpore ſuo ſuſtuliſſe in lignum, quia, cum crucis mortem adiit, & corpus ſuum ligno ſuffigendum tradidit, non quidem, ut hircus ille, ablationem peccatorum tantummodo adumbravit, ſed ea efficaciter abſtulit, hoc eſt, id fecit, unde perfecta peccatorum noſtrorum ablatio conſequitur, non ſecus ac ſi ea corpori ſuo impoſita in crucem aſportaſſet, & una ſecum crucifixiſſet, ac penitus extinxiſſet. Quapropter nihil intereſt, ſive verbum ἀνήνεγκε proprie reddas *ſurſum tulit*, ſive, ſenſum ipſum ac mentem Petri ſequutus, cum Socino vertas *abſtulit* ſeu *aſportavit*. Res enim eodem recidit. Syri auctoritas nos non ſtringit, nec nobis revera adverſatur. Verbum enim iſtud, quod redditum eſt *portavit*, poteſt etiam, Tremellio teſte, transferri *ſuſtulit*, quemadmodum in ſimilibus vocibus apud Hebræos contingit. Alterum etiam verbum, quod ſignificat *aſcendere fecit*, nobis non adverſari, ex ſequentibus intelligetur.

Pergit Grotius Partic. 35: *Socinus ut vim hujus loci enervet, primo ait*, ἀνήνεγκε *ſignificare* abſtulit: *ſed contra naturam uſumque vocis. Nam nec particula* ἀνὰ *eam patitur interpretationem, nec quiſquam Græcus ſcriptor ita uſus eſt ea voce. In Novo quoque Teſtamento nuſquam occurrit eo ſignificatu.* Id quod exemplis allatis conatur oſtendere. Significare enim hoc verbum in Novo Teſtamento aut *ſurſum ferre*, aut *ſurſum ducere*, atque inde etiam *offerre*.

De uſu vocis mox videbimus, qui ſi eam ſignificationem admittit, quam vult Socinus, fruſtra natura vocis urgetur. Damus autem libenter, ut & paulo ante diximus, ἀναφέρειν, ſi naturam vocis ſpectes, inter alia ſignificare *ſurſum ferre*. Verum eadem *auferendi* quoque ſignificationem admittit, vel metaphoræ illius, quam Petri verbis ſubeſſe diximus, vel per metonymiam, qui tropus etiam in ſimplici voce *ferendi* apud Hebræos occurrit, cum pro *auferre* ponitur. Quia enim id, quod ſurſum tollitur, de loco, in quo antea poſitum fuerat, amovetur atque aufertur; ideo ἀναφέρειν pro auferre poteſt uſurpari. Quid vero mirum, cum vox Hebræa, quæ *ferre* ſignificat, uſurpetur pro *auferre*, idem quoque apud Sacros Scriptores Novi Teſtamenti, qui innumeros loquendi modos ex Veteri Teſtamento, & Græca ejus tranſlatione traxerunt, fieri in voce ἀναφέρειν, quam Græca ejus tranſlatio pro ſimplici *ferendi* verbo ponit, & quidem iis in locis, ubi id *auferendi* ſignificationem habet, & ad quos Grotius arbitratur Petrum hic reſpexiſſe? Ait infra Grotius, Petrum in his verbis procul dubio reſpexiſſe ad locum Eſaiæ cap. 53. 11, ubi de Chriſto dicitur, eum iniquitates illorum, quos ſcientia ſui juſtificaſſet, bajulaturum. Ubi Græca tranſlatio pro *bajulavit* habet ἀνοίσει, quod eſt ab ἀναφέρειν; & ſequenti etiam verſu, ἁμαρτίας πολλῶν ἀνήνεγκεν. At ex loco ipſo quivis facile videre poteſt, *bajulabit* ibi poſitum eſſe pro *aſportabit*, ſeu *auferet*, ut poſtmodum apparebit. Ex quo conſequitur, ne veriſimile quidem eſſe, aliter Petrum hac voce uſum, ſi modo ſtatui debet, quod vult Grotius, Apoſtolum ad iſta Prophetæ verba reſpexiſſe. Sed præterea vox Græca ἀναφέρειν reſpondet etiam Hebrææ Hæælah, hoc eſt, *aſcendere fecit*, quam Tremellius in margine editionis Syraicæ annotavit ad explicandum poſterius verbum, quod interpres Syriacus in hoc Petri loco adhibuit, vim vocis ἀναφέρειν expreſſurus, quodque ipſe etiam Grotius reddidit *aſcendere fecit*, quæ eadem illius Hebræi ſignificatio eſt. Unde LXX Interpretes verbum iſtud Hebræum non raro vertunt ἀναφέρειν, atque inter alia cum de ſacrificiorum oblatione agitur, ubi utriuſque verbi frequens eſt uſus. De Hebræo conſtat iis, qui linguam illam vel primis labris guſtarunt. De Græco patet vel ex locis Novi Teſtamenti à Grotio adductis Hebr. 7. 27. Jacob. 2. 21. 1 Petr. 2. 5. (Grotius habet hunc ipſum locum verſ. 24 de quo agimus,) Hebr. 13. 15. Redditur tamen nonnunquam iſtud idem verbum Hebræum per ἀνάγειν, quod ex eadem præpoſitione ἀνὰ, quam Grotius negat auferendi ſignificatione in voce ἀναφέρειν admittere, componitur, & cum hac ipſa voce ἀναφέρειν non ſemel permutatur, ſic ἀνάγειν θυσίαν pro ἀναφέρειν Act. 7. 41, & contra ἀναφέρειν* pro ἀνάγειν in locis à Grotio citatis Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Quemadmodum etiam φέρειν pro ἄγειν, & ἀπενέγκαι pro ἀπάγειν, poni ſolet Marc. 15. 1, 22. Atqui, ut ad rem veniamus, verbum iſtud Hebræum, quod proprie ſignificat *aſcendere fecit*, non ſemel accipitur pro *aſportare* vel *auferre*, idque iis in locis, ubi à Græcis interpretibus redditur vel ἀναφέρειν vel ἀνάγειν, ita ut neceſſe ſit, voces has Græcas iis in locis vim verbi Hebræi ſequi. Sic 2 Sam. 21. 13 in Hebræo eſt: *& aſcendere fecit inde* (David) *oſſa Saulis* &c. h.e. aſportavit, abſtulit, ut doctiſſimi Viri reddiderunt. Græce eſt: ἀνήνεγκεν ἐκεῖθεν τὰ ὀστᾶ, hoc ipſum nempe verbum, quo Petrus utitur. Similis locus eſt de oſſibus Joſephi ex Ægypto aſportatis Joſ. 24. 32. Sic Pſal. 102. 25 in Hebræo eſt: *ne aſcendere me facias in dimidio dierum meorum*, h.e. ne tollas me, ut Tigurini & Caſtellio, ſenſu loci exigente reddiderunt. Ubi LXX μὴ ἀναγάγῃς με. Eſdr. 1. 11 in Hebr. eſt: *omnia hæc* (vaſa) *aſcendere fecit Seſbazar*, h. e. aſportavit, avexit, ut Tigurini converterunt. Græce iterum eſt ἀνήγαγε: quod verbum apud bonos auctores pro ἀπάγειν poni, viri docti obſervarunt, & Beza notavit ad verſ. 1. cap. 4. Matthæi, ubi cum verbum ἀνήχθη vertiſſet *ſubductus fuit*, ſcripſiſſetque, ἀνὰ ex Budæi ſententia hic idem valere quod ἄνω, addit: *Nihil tamen impedit quo minus* ἀνὰ *pro* χωρὶς *vel* ἀπὸ *accipiatur, ut vertas, abductus fuit, id eſt,* ἀπήχθη; plane contra Grotium, qui negat talem ſignificationem admittere particulam ἀνὰ. Idem Beza Matth. 2. 14 ſcribit ad verbum ἀναχωρεῖν, quod ibi ſecedere ſignificat, *præpoſitionem* ἀνὰ *ibi idem valere quod* χωρὶς. Cui loco adde Matth. 12. 15. XIV. 13. XV. 21. Ut fruſtra Grotius vim particulæ ἀνὰ, & naturam verbi ἀναφέρειν urgeat. Quod ſi Grotius dicat, in quibuſdam locis à nobis adductis, ubi

* Vid. Bez. Matth. 17. 1.

ἀνα-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ἀναφέρειν, vel ἀνάγειν auferendi ſignificationem habeat, ſimul aſcenſum in locum ſuperiorem ſignificari: id nos in Petri quoque loco libenter fateri, jam ſupra diximus.

Subjungit Grotius Partic. 36: *Unum duntaxat locum citat Socinus* Hebr. 9. 28, *ubi vult* ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας *nihil aliud eſſe quam auferre: ſed immerito, & citra exemplum, & non id exigente loci ſententia.*

Cum in Novo Teſtamento hic ſolus extet locus, in quo vox ἀνενεγκεῖν cum voce ἁμαρτίας juncta reperitur, præter eum de quo agimus, & in utroque de Chriſto ſit ſermo, non mirum eſt, Socinum hoc uno loco fuiſſe contentum. Præſertim cum excipienti ad rationem adverſariorum ſatis eſſet, unum locum, ei, de quo agebatur, ſimillimum adducere, quo probaretur, ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας non neceſſario ferre peccata eorumve pœnas, ſignificare, ſed etiam ablationem eorum denotare poſſe. Quamquam nos aliunde jam oſtendimus, id ſine exemplo non fieri. Sed videamus, quomodo probet Grotius, eam ſignificationem non exigere loci ſententiam.

Nam opponitur, inquit Partic. 37, *inter ſe duo Chriſti adventus: prior quo peccata noſtra tulerit, alter quo venturus ſit* χωρὶς ἁμαρτίας, hoc eſt, *non gravatus, non oneratus ullis peccatis, ſed ab iis ſolutus & immunis. Non ſunt autem iſta* ἀντίστοιχα, *eſſe* χωρὶς ἁμαρτίας *& peccata auferre, ſed eſſe* χωρὶς ἁμαρτίας *& peccatis oneratum eſſe. Unde apparet illo quoque ad Hebræos loco* ἀνενεγκεῖν *eſſe aut ſurſum ferre, in crucem ſcilicet, ut in loco Petri (idque appoſite, quia hic quoque ad ſacrificia alluditur: crux autem fuit velut ara) aut ſimpliciter perpeti, ut apud Thucyd.* κινδύνους ἀναφέρειν.

Atqui omnes, quod ſciam, interpretes locum hunc ita reddiderunt, ut ablationem voce ἀνενεγκεῖν denotari indicarent. Ratio idem exigit: Nam verbis his: εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, denotatur finis unicæ illius Chriſti oblationis. At finis oblationis illius non fuit ferre pœnas peccatorum (hanc enim formam oblationis Chriſti ſtatuit Grotius) ſed eas auferre ac tollere. Maxime cum de ea Chriſti oblatione hic agatur, quam in cœlis factam idem auctor ℣ſ. 24, 25 hujus cap. ſatis aperte docet, dum ait: *non enim in manufacta ſancta ingreſſus eſt Chriſtus, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis, neque* ſc. ingreſſus eſt in cœlum) *ut ſæpius offerat ſeipſum, quemadmodum Pontifex ingreditur in ſancta quotannis in ſanguine alieno*, &c. At in cœlo nullas peccatorum pœnas fert Chriſtus, ſed aufert. Præterea quis non videt, verba hæc, de quibus agimus, plane reſpondere verbis illis verſ. 26 εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, id eſt, ad abrogationem vel deſtructionem peccati? Nam verba ℣ſ. 27 & 28, afferuntur ad illa verſ. 26, *nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad abrogationem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*, per comparationem illuſtranda; cujus comparationis pars prior ſeu πρότασις continetur verſ. 27: poſterior ſeu ἀπόδοσις, quæ rem ipſam illuſtrandam exprimere debet, extat ℣ſ. 28. Quemadmodum igitur illis: *nunc ſemel in conſummatione ſeculorum per hoſtiam ſuam apparuit*, (nempe in cœlo apud Patrem, ut Grotius pag. 173 ipſe explicat inf. cap. 10) reſpondent iſta. *Chriſtus ſemel oblatus*: ita illis εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, *ad abrogationem* ſeu *deſtructionem peccati*; reſpondent hæc: εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, id eſt, ad tollenda ſeu auferenda multorum peccata, non ferenda. Neque enim εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας id ſignificat. Ex his etiam patet, non recte Grotium aſſerere, duos hic adventus Chriſti inter ſe opponi, niſi forte *adventus* nomine altera ex parte abutatur: ſed opponitur ejus in cœlum ingreſſus & coram Patre apparitio, morte interveniente facta, ejus ex cœlis egreſſui, quo fiet, ut nobis ſeſe iterum præbeat conſpiciendum qui ipſum expectamus ad ſalutem. Alludit enim Auctor ad anniverſarium Legis ſacrificium, cum quod Chriſti oblationem tum hoc, tum multis aliis Epiſtolæ ſuæ locis confert. Poſtquam enim ſummus ſacerdos in illo ſacrificio, ſancta cum ſanguine ingreſſus, expiationem ibidem coram Deo peregiſſet, ad populum extra tabernaculum ſeſe expectantem redibat, eoque ipſo peractam jam peccatorum iſtius populi expiationem teſtabatur. Sic Chriſtus Pontifex noſter, poſtquam ſemel per proprium ſanguinem in Sancta, hoc eſt, in ipſum cœlum, eſt ingreſſus, ut vultui Dei pro nobis appareat, expiatione peracta, & peccatorum vi, quam ad nos damnandos habent, ſublata, ex cœleſti tabernaculo egredietur, & ſeſe iis, qui ipſum tanquam Pontificem ſuum expectant ad ſalutem, præbebit conſpiciendum, & ſic re atque opere ipſo, peccata noſtra coram Deo expurgata eſſe demonſtrabit. Neque vero explicatione noſtra admiſſa, perit oppoſitio inter verba προσενεχθεὶς εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, & χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται. Nam verba *abſque peccato*, vel ſignificant id, quod pluribus placuiſſe video, *abſque victima pro peccato*, ut inter alios Beza notat, & Auctor Annotat: ad N. Teſt. in Bibl. Vatabli, qui ita explicat ea verba: *non ut iterum ſe offerat pro peccato*; vel, ut Beza ſecundo loco exponit, *abolito jam & abrogato peccato.* Uterque ſenſus loco admodum eſt conſentaneus, & utrovis modo accipias, conſtabit oppoſitio. In prioribus enim verbis dicitur, Chriſtum oblatum eſſe ad multorum tollenda peccata: in poſterioribus, eum, cum venturus eſt, non amplius pro peccatis oblatum iri. Vel, ſi alterum ſenſum ſequaris, in prioribus ſignificatur, nondum abolita & abrogata fuiſſe peccata cum ſe offerret: contra in adventu ejus futurum, poſteriora docent. Quamquam & illud admittere poſſumus, quod vult Grotius, χωρὶς ἁμαρτίας ſignificare, non oneratum eſſe peccatis, nec tamen peribit oppoſitio, etiamſi ἀνενεγκεῖν accipias pro auferre vel aſportare, alluſione quadam facta ad propriam verbi ſignificationem. Nam qui aliquid aufert, atque in eo aſportando eſt occupatus, is tantiſper donec id abjiciat, fert ac portat. Quare etiam ablationi peccatorum opponi poteſt, non oneratum eſſe peccatis. Alia, quæ in his Grotii verbis notari poſſent, ſtudio prætermittimus.

Pergit Grotius *Partic.* 38, & ait: *ipſum Petri contextum evincere*, ἀναφέρειν *eſſe ferre, non auferre. Agitur enim*, inquit, *non de quovis Chriſti beneficio, ſed de ſumma ejus patientia, qua non auferendo, ſed ferendo oſtenditur.*

Ad hoc Socinus jam reſponderat. Nam cum non ſimpliciter dicatur à Petro, Chriſtum abſtuliſſe peccata noſtra, ſed additis verbis: *in corpore ſuo ſuper lignum*, nempe crucis; hoc ipſo patientia

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſti ſatis exprimitur. Quanquam nihil prohibet, quominus Petrus in his verbis, non tam de ipſo patientiæ Chriſti exemplo, de quo jam ſatis dixerat, quam de paſſionis fine, qui ad Apoſtoli admonitionem inprimis pertinet, loquatur. Is vero eſt, ut abjectis peccatis ſanctitatem in universa vita ſectemur, atque ita non ob delicta noſtra, ſed potius ob recte facta, & conſcientiam Dei, ut ſupra locutus eſt Apoſtolus, verſ. 19, 20, mala perferentes, toleremus. Hujus enim rei gratia Chriſtus, qui patientiæ exemplum nobis propoſuit, mortem tam diram adiit. Indicavit hoc ipſum Socinus non obſcure eo loco, quem Grotius citavit lib. 2. cap. 6.

Subjicit Partic. 39: *Quod addit Socinus, cum hoc ſenſu non ſatis recte cohærere quod ſequitur, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus, ſine ulla cauſa dicitur. Manifeſte enim indicat Petrus, Chriſtum ita tuliſſe peccata noſtra, ut nos ſimul à pœna liberaret: unde addit ſtatim: ipſius vibice ſanati eſtis. Optime autem hæc cohærent: ſi Chriſtus tam dura ſubiit, ut peccatorum veniam conſequeremini, ſane eam adepti per fidem, à peccatis cavere debetis in poſterum.*

Sed cur Grotius rationem Socini, qua dictum ſuum confirmat, non refutavit? Ait namque Socinus: Sunt enim hæc duo (nempe Chriſtum pœnas peccatorum noſtrorum perſolviſſe, & nos peccato mortuos juſtitiæ debere vivere) natura admodum ſeparata, & non niſi ex accidente hoc illius conſequens eſt. Sicuti etiam ex eo, quod quis alicujus debita ſolverit, non ſequitur, eum velle nullum æs alienum jam ab ipſo contrahi, &c. Quod vero Grotius ait, Petrum manifeſte indicare, Chriſtum ita tuliſſe peccata noſtra, ut nos ſimul à pœna liberaret; id nec rationem Socini tollit; nec concedi debet, ſi, ut quidem apparet, non de vi & efficacia mortis Chriſti, quam habeat ad nos à pœna liberandos, ſed de ipſo effectu loquitur. Imo nihil prohibet, quominus verba, *peccata noſtra ſuſtulit in corpore ſuo in lignum*, de liberatione ab ipſis tantum peccatis intelligantur, non vero ab eorum pœnis, niſi, ut ita dicam, acceſſorie & conſequenter. Hoc modo rectiſſime cohærebunt cum ſequentibus, quæ Grotius pro ſe adducit, & de liberatione à pœna loqui arbitratur, *ipſius vibice ſanati eſtis.* Hanc enim ſanationem Petrus ipſe ſtatim explicat, dum ſubjicit: *eratis enim ſicut oves errantes: ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Eo igitur pacto ſanati ſumus Chriſti vibice, quod afflictionibus ipſius ab erronea & impia vivendi ratione ad Chriſtum, fidelem animarum noſtrarum paſtorem converſi, atque in ſalutis viam traducti ſumus. Quod ipſum tamen potiſſimum de vi mortis Chriſti, cujus effectus aliqua ex parte in iis ad quos ſcribitur apparebat, intelligendum. Unde conſequitur, Grotium iſtud de ſuo Apoſtolicæ argumentationi adjeciſſe, quod ii, quos ad pietatem hortatur Petrus, remiſſionem peccatorum eſſent adepti per fidem. Nihil enim hujuſmodi eſt in verbis Apoſtoli, nec ſubaudiendum eſſe vel inde patet, quod ii, qui per fidem adepti ſunt remiſſionem peccatorum, jam peccatis ſunt mortui, & juſtitiæ vivunt, idque non conſequens remiſſionis, ſed antecedens ac requiſitum eſt neceſſarium. Quoties enim legimus pœnitentiam eſſe agendam? quod nil eſt aliud, quam animum, atque inde vitam, mutandam in melius, ut peccata noſtra deleantur Hinc Johannes 1 Johan. 1. 7: *Si in luce ambulaverimus, ut ipſe* (Deus) *eſt in luce, communionem habemus inter nos invicem* (hoc eſt, nos cum Deo & filio ejus verſ. 3 & 6) *& ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Quid? an non fidei illius, per quam remiſſionem peccatorum adipiſcimur, anima & Spiritus eſt pietas, ut Jacobus docet cap. 2. 17, 20, 22, 26. Sed demus, ita eſſe apud Petrum ſubaudienda: nondum tamen, niſi quid addatur aliud, inde conſequitur, nobis omnino peccatis eſſe moriendum & juſtitiæ vivendum, ut ex Socini ratione apparet.

Sed Scripturæ locos adducit Grotius Partic. 40, in quibus ſimilem argumentandi rationem putat contineri. Primum ita citat: *dedit nobis Deus ut liberati ex manu inimicorum noſtrorum ipſi ſerviamus in omni ſanctitate & juſtitia* Luc. 1. 74.

Sed primum omiſit Grotius ἀφόβως, *ſine timore*, in qua tanta hic vis eſt, ut Zacharias ex eo, quod ipſi ſint liberati ex manu inimicorum ſuorum, non tam hoc videatur probare velle, Deo ſerviendum eſſe in omni ſanctitate, quam, eo pro conceſſo ſumpto, (erat enim aliunde ſatis manifeſtum) oſtendere, id ſe liberatione iſta conſequutos, ut jam animo tranquillo, nullo metu anxii, Deo in ſanctitate ac juſtitia per omnem vitam ſervire poſſint. Sed præterea, ſi hoc tantum vult Grotius, argumentationem hanc Zachariæ, illi, quæ ſit apud Petrum, in eo eſſe ſimilem, quod, quemadmodum Zacharias beneficiis divinis nos ad ſanctitatem excitet, ita & Petrus beneficio Chriſti; Socinum non ferit. Is enim de nexu ejuſmodi inter Petri verba loquitur, qui ex ſpeciali ac propria hujus beneficii, quod verbis inter nos controverſis exprimitur, natura pendeat, quæ à Petro maxime reſpicitur, non vero ex natura generis univerſi, ſub quo id contineatur. Jam vero, ſi propria hujus beneficii natura conſideretur, non ita cohærent, cum eo ſequentia verba, ſi Grotii ſententiam admittas, quemadmodum cohærent, ſi noſtra recipiatur, ut ex ſupra dictis perſpici poteſt.

Secundus locus à Grotio Partic. 41 adductus eſt: *Ecce ſanus factus es: ne pecces poſthac* Johan. 5. 14. Sed iterum omiſit Grotius ea, quæ proxime adhærent: *ne quid tibi deterius contingat:* in quibus eſt vis pene omnis adigendi eum, qui ſanatus fuerat, ad peccata in poſterum vitanda. Tale aliquid etiam fuiſſet addendum in Petri verbis, ex quo pateret, remiſſionem peccatorum non ſequuturam, aut, ſi ita placet, ceſſaturam, niſi peccato valedicamus, & juſtitiæ nos penitus addicamus. Niſi enim hoc addas, infirma erit argumentatio Apoſtolica, ſecundum Grotii mentem explicata, etiamſi ea ſubaudias, quæ is ſubaudienda non recte ſtatuit, & quibus ſublatis majus adhuc apparet diſcrimen inter argumentationem iſtam, quam Petro tribuit Grotius, & eam, quæ eſt in Chriſti verbis ex Johanne allatis.

Tertius locus eſt 1 Corinth. 6. 20: *Pretio empti eſtis. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro*, adde quæ in Græco habentur, & à Grotio Partic. 42 prætermittuntur, *& in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.*

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

At nec hic Paulus ex eo, quod Peccatorum remiſſionem per Chriſti mortem fuerimus adepti, concludit, nobis ſanɛte vivendum eſſe: ſed ex eo, quod Dei ſervi ac mancipia ſimus, magno impendio ab ipſo emti, & ex ſervitute peccati, Satanæ, & mundi ideo vindicati, ut ipſi in poſterum ſerviremus. Hinc enim validiſſime concluditur, omnino nos debere noſmetipſos, quanti quanti ſumus, hoc eſt, tum corpus tum ſpiritum noſtrum Dei gloriæ conſecrare, & in illius unius, ut ita loquar, uſus convertere, non vero pro noſtro libitu ad voluptates turpes iis abuti; ſiquidem ea non noſtra ſint, ſed Dei, quæ argumentatio non parum diſcrepat ab ea, quam Grotius in Petri verbis contineri ſtatuit.

Quod addit Partic. 43, *nec aliud agere Paulum cap. 7 & ſequentibus ad Romanos, quam ut oſtendat, ſummis Dei & Chriſti beneficiis excitari nos debere ut ſancte vivamus*, id contra Socinum non facit, qui ad ſpecialem beneficii divini à Petro expreſſi naturam reſpicit, ut in loco Lucæ 1.74 examinando diximus. Ut taceam, Paulum cap. 7 & 8 ad Rom. quæ duo capita huc potiſſimum videntur pertinere, ea ratione nos ad pietatem revera excitare, quia partim vires, quibus homines ſub Lege deſtituebantur, nobis per Chriſtum ſint datæ, ut peccati jugum, atque adeo etiam mortis excutere poſſimus: partim quia morituri ſimus niſi ſecundum ſpiritum vivamus, & ejus vi carnis opera enecemus. Non vero eo ſimpliciter, quod ſummis à Deo & Chriſto beneficiis fuerimus affecti.

Pergit Grotius Partic. 44: *Affinis Petri loco (imo quo procul dubio Petrus reſpexit, ut ex verbis quoque ſequentibus, vibice ejus ſanati ſumus, apparet) eſt apud Eſaiam cap. 53. 11: Juſtificabit ſervus meus juſtus multos, & iniquitates ipſorum bajulabit*, & addit: *vox Avon iniquitatem ſignificat: atque etiam iniquitatis pœnam, ut* Reg. 7. 9. *Vox autem Sabal eſt ſuſtinere, bajulare, quoties autem bajulare ponitur cum nomine peccati, aut iniquitatis, id in omni lingua, & maxime in Hebraiſmo ſignificat pœnas ferre: Nam Naſa quidem interdum ſignificat auferre: Sabal autem nunquam. Diſerte ergo hic dicitur Chriſtus laturus pœnas eorum qui juſtificantur. Hæc phraſis nullam aliam interpretationem recipit.*

Etiamſi ſalva ſententiæ noſtræ veritate concedi poſſit, Petrum ad hæc Eſaiæ verba reſpexiſſe; tamen id haud eſt neceſſe. Verba illa: *vibice ejus ſanati ſumus*, quæ à Petro Paulo poſt ea, de quibus hactenus diſputavimus, verba citantur, id non evincunt: cum ea nec apud Eſaiam cum verbis *iniquitates eorum bajulabit*, nec apud Petrum cum illis, *peccata noſtra ipſe ſuſtulit in corpore ſuo in lignum* ita cohæreant, ut eorum allegatio, cætera quoque ex eodem loco deprompta eſſe arguat. Accedit diſſimilitudo non exigua inter Prophetæ & Apoſtoli verba: Propheta ſimpliciter ait: *iniquitates ipſorum bajulabit*, atque ut mox conſtabit, de tempore loquitur, quod mortem Chriſti fuit conſequutum. Petrus vero ait, Chriſtum *peccata noſtra ſuſtuliſſe in corpore ſuo in lignum:* ad tempus illud reſpiciens, quo Chriſtus crucis mortem adiit: licet factum hoc Chriſti ex iis, quæ illud ſunt conſequuta, vim ad peccata tollenda maximam habeat. Præterea Propheta *iniquitatum* nomine, ut Grotius ipſe contendit, pœnam peccatorum noſtrorum tantum intelligit: Petrus vero ipſa potius peccata quam eorum pœnas. Sic enim firmior erit argumentatio Apoſtolica, & ſequentia cum his melius cohærebunt, ut antea docuimus. Nec eſt quod dicas, non poſſe his verbis ipſorum peccatorum ac ſcelerum noſtrorum ablationem intelligi, cum ea in ſequentibus demum, *ut peccatis mortui* &c, exprimatur, & quidem ut finis ejus, quod in præcedentibus fuerat dictum. Nam verba iſta: *peccata noſtra ſuſtulit*, intra vim & efficaciam, ut Grotius alicubi loquitur, conſiſtunt, non vero ipſum effectum, qui in nobis jam exiſtat, includunt: hoc eſt, non ſignificant, Chriſtum jam effectu & opere ipſo nos à peccatis ac tranſgreſſionibus liberaſſe, ſed tantum, eum id feciſſe, unde peccatorum oblatio conſequitur, ſeu quod ad auferenda ſcelera noſtra pleniſſimam vim habet. Simili ratione dixit Paulus Rom. 6. 6, 7, veterem noſtrum hominem (hoc eſt, veterem noſtram vivendi rationem) una cum Chriſto crucifixum eſſe, hoc eſt, Chriſto crucifixo una fuiſſe extinctum: & tamen addit: *ut aboleatur corpus peccati*, hoc eſt, ipſum peccatum, per Hebr.) *ut non amplius ſerviatis peccato*. Quod vero Grotius ait, quoties bajulare ponitur cum nomine *peccati*, aut *inquitatis*, id in omni lingua, & maxime in Hebraiſmo, ſignificare pœnas ferre, & hanc phraſin nullam aliam interpretationem recipere; id non recte dictum eſt. Nam, ut illud mittam, quod cæteræ linguæ, præter Hebræam, & eas, quæ dialecto fere tantum ab illa diſtinguuntur, phraſi *bajulare* aut *portare peccatum* non videantur uti, niſi cum Hebraizant: (Quis enim alias Græcorum aut Latinorum auctorum, quorum Grotius infra de hac eadem phraſi agens facit mentionem, dicit, *βαστάζειν ἁμαρτίαν*, *bajulare* aut *portare peccatum*? adeo ut tantum de vi hujus phraſeos apud Hebræos videatur inquirendum.) Ut, inquam, iſtud mittam; an non phraſis hæc ſatis eleganter ſumi poteſt pro perpeſſione nocumenti alicujus, quod quis occaſione delicti cujuſpiam ſuſtineat, licet id veræ pœnæ rationem non habeat, ut antea eſt explicatum? Sed præterea, utut frequentior ſit ea phraſeos illius ſignificatio, quam Grotius urget, aliam tamen hic locus omnino poſtulat. Nam, ut Socinus jam docuit, Chriſtum iniquitates multorum bajulaturum, commemoratur tanquam aliquid, quod extiturum ſit poſt mortem Jeſu Chriſti, & tanquam præmium laboris, quem is mortem ſubeundo pertulerit. Quod profecto eſſe non potuit, puniri in ipſo peccata noſtra. Id enim neque mortem conſequutum eſſet, ſed una cum ipſa morte peractum fuiſſet; neque præmium laboris dici poſſet, ſed potius labor ipſe. Quod autem Chriſtus abſtulerit peccata noſtra, id vero & mortem conſequutum eſt, & præmium ejus laboris fuit. Nec magis repugnat huic ſenſui verbum Sabal, quam Naſa, quod licet proprie *ferre* ſignificet ac *portare*, ſæpe tamen pro *auferre* ponitur, ut Socinus lib. 2. cap. 4 prolatis exemplis oſtendit, & Grotius hoc loco fatetur, notavitque Vatablus hoc ipſo Eſaiæ cap. 5. ultimo. Habet enim Sabal quoque auferendi ſignificationem hoc eodem cap. 5. 4, ubi Chriſtus dolores noſtros dicitur bajulaſſe ſeu portaſſe. Accommodantur enim

hæc

hæc Prophetæ verba à Matthæo cap. 8. 17 ad morbos corporis, quos Chriſtus non ſuſtinuit ac pertulit, ſed ab hominibus abſtulit, ac verbo ſanavit, ut ibid. verſu præced. legimus. Unde apparet, verbum βαστάζειν, quo Matthæus vocem Sabal exacte exprimit, ibi ſignificare *auferre*, quam eandem vim habet Joh. 20. 15, qua de re Socinus jam monuerat, adſcripto etiam in margine Tertulliani teſtimonio, qui lib. 4, adverſus Marcionem ſic ſcribit: *Ipſe igitur eſt Chriſtus Eſaiæ remediator valetudinum. Hic, inquit, imbecillitates noſtras aufert, & languores portat. Portare autem Græci etiam pro eo ſolent ponere, quod eſt tollere.*

Sed adverſus Socini rationem excipit Grotius Partic. 45: *Neque obſtat, quod hæc portatio iniquitatis apud Prophetam videtur poſt mortem poni: eſt enim revera morte poſterior, non tempore, ſed ordine, ut effectus cauſſa ſimul exiſtente.**

At cur Grotius illud etiam non attigit, quod Socinus addidit, & quivis, qui ſine præjudicio Eſaiæ verba legerit, per ſe animadvertit, in his verbis, quemadmodum etiam in proxime præcedentibus, exprimi laboris ſeu mortis Chriſti præmium? An enim pœnas peccatorum luere, præmium eſt laboris, & non ipſe potius labor? An portare ac bajulare pœnas peccatorum, non eſt ipſum nocumentum ob peccata inflictum ſuſtinere? Sed cur portatio iſta, de qua Propheta, non tempore, ſed ordine tantum poſterior eſt morte Chriſti? Verba Prophetæ ſunt: *Propter laborem animæ ſuæ videbit, ſaturabitur; in ſcientia ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* An non ea, quæ portationem illam proxime antecedunt, & laboris Chriſti effecta conſtituuntur, mortem Chriſti tempore ſunt conſequuta, & per tot ſecula adhuc fiunt? At quid abſurdius eſt, quam his enumeratis, tum demum eum mortis Chriſti, ut Grotius vult, effectum ſubjicere, quod luiturus ſit pœnas multorum, qui cæteros, quos Propheta jam expreſſerat, tempore anteceſſiſſet, &, nedum ut hodie adhuc duret, quemadmodum iſti, una cum morte Chriſti ceſſaſſet? Quid? an non quivis perſpicit, hunc verſiculum eſſe tantum uberiorem ſuperioris explanationem, & utriuſque membra ſibi mutuo reſpondere? Quod enim antea dixerat: *ſi poſuerit animam ſuam hoſtiam pro delicto, videbit ſemen, prolongabit dies, & voluntas Domini in manu ejus proſpere cedet*; id nunc dicit: *propter laborem animæ ſuæ videbit*, &c. Quemadmodum ergo verbis, *ſi poſuerit animam ſuam hoſtiam pro delicto*, reſpondent iſta: *propter laborem animæ ſuæ*; & illis, *videbit ſemen, prolongabit dies*, iſta *videbit, ſaturabitur*; ita illis, *& voluntas Domini in manu ejus proſpere cedet*, reſpondent hæc, *in ſcientia ſui juſtificabit ſervus meus juſtus multos, & iniquitates eorum bajulabit.* His enim duabus rebus voluntas Domini de ſalute noſtra perficitur, cum nos Chriſtus cognitione ſui ipſius in eum ſtatum deducit, ut juſti coram Deo habeamur, ac deinde peccatorum noſtrorum pœnam, quæ eſt mors æterna, reipſa à nobis aufert, quod fiet, cum nos ex mortuis reſuſcitatos æterna vita donabit; quam Dei voluntatem Joh. 6. 39, 40 expreſſam eſſe ſupra monuimus. Adde quod verba *Propter laborem animæ ſuæ*, cauſſam antecedentem ſive efficientem, & quidem impulſivam ſignificant. Eſt enim vox Propter in Hebræo *Min*, quam Grotius ſupra pag. 4, cum ageret de verbis verſ. 4 hujus ejuſd. capitis Eſaiæ, cauſſam antecedentem impulſivam ſignificare ſtatuit. At quomodo quæſo mors ſeu labor Chriſti eſt cauſſa antecedens idque impulſiva ejus, quod is pœnas luerit pro peccatis multorum, ſiquidem mors illa ipſa pœna fuit? Neque enim hic rationis diſcrimen ſufficit, ſed rem eſſe diverſam neceſſe eſt. Quod ſi Grotius per portationem iniquitatis intelligit tantum relationem quandam morti adhærentem, quæ pœnæ ſit forma; nihil proficit inutili, hoc quidem loco, ſubtilitate. Nam portare pœnas iniquitatis non ſignificat quandam tantum relationem afflictioni adhærentem, ſed eſt, ipſam afflictionem ſeu nocumentum ſuſtinere, cui relatio iſta adhæret. Adde quod mors vix dici poſſit efficiens iſtius relationis cauſſa, impulſiva nullo modo: ſed ejus eſt ſubjectum ac fundamentum quoddam, quod ad materiam reduci ſolet. Præterea Propheta relationem mortis Chriſti ad peccata noſtra, quam Grotius fortaſſe formam pœnæ conſtituit, non ſejunxit à verbis *propter laborem animæ ſuæ*, nec inter ea, quæ laborem iſtum ſunt conſequuta, (quacunque tandem ratione hoc accipias, ſive de tempore, ſive de ordine) repoſuit. Hæc enim verba, ut antea dictum, reſpondent illis verſiculi præcedentis: *ſi poſuerit animam ſuam delictum*; ubi relatio illa, quæ pœnam ex Grotii mente veram conſtituit, cum paſſione, cujus cauſſa Chriſtus præmio eſſet afficiendus, conjungitur, non vero inter ejus conſequentia reponitur.

Sed alii adhuc reſponſioni Socini ad Eſaiæ, imo etiam ad Petri locum, occurrit Grotius Partic. 46, dum ſubjicit: *Quod vero ait Socinus, hanc quoque vocem Sabal, peccato adjunctam, non ſemper includere imputationem aliquam, ſed ſatis eſſe, ſi deſignet affligi quempiam occaſione qualicunque facti alieni, id nullo exemplo probat: neque unquam Sacra Scriptura ita loquitur. Imo Græci etiam Latinique autores, cum ea phraſi utuntur, ſemper imputationem includunt.*

Socinus, ſi quis recte attendat, in ipſa exceptione ſua nullam imputationis facit mentionem, quam poſtea demum occaſione loci, quem ad exceptionem ſuam confirmandam adduxerat, commemorat: ideo nec vocem *qualiſcunque* addit *occaſionis* nomini, ut facit Grotius ad imputationem tanto apertius removendam. Rectius quoque feciſſet Grotius, ſi in ſententia Socini exponenda dixiſſet, vocem *Sabal* adjunctam peccato *alieno* (nam de hoc eſt ſermo) interdum ſignificare occaſione facti alieni affligi. Dictum autem ſuum Socinus exemplis è quotidiano uſu petitis comprobavit, de quibus nos nonnihil ſuperius. Hoc pacto phraſin *pro alicujus peccatis ſupplicium ſufferendi*, quæ adhuc eſt ſignificantior, uſurpaſſe videtur Pater apud Comicum, dum ait: *Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero? cur meam ſenectutem hujus ſollicito amentia? an ut pro*

* Ita habetur in duabus quas primo vidimus editionibus libri Grotiani. In ea, quæ indice quodam locupleta eſt, alia hic proponitur objectio, & ad eam reſpondetur: illud Socini argumentum, quod hic aliquo modo commemoratur, ibi non attingitur. Quare ad ea, quæ iſtic dicuntur, reſpondere nihil attinet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hujus peccatis ego ſupplicium ſufferam? quaſi ſupplicium pro filii ſui peccatis fuiſſet laturus, ſi ſe ob ejus amentiam macerare perrexiſſet. De Sacræ Scripturæ uſu & antea diximus, & in ſequentibus iterum acturi ſumus. De Græcis & Latinis auctoribus, qui phraſi *bajulare* aut *portare peccatum* utantur, itidem antea diximus.

Subjicit Grotius Partic. 47: *Citat firmandæ huic exceptioni Socinus Jeremiæ locum* Thren. 5. 7, *qui ſic habet: Patres noſtri peccaverunt, & non ſuperſunt: nos vero pœnas eorum ferimus.*

Sed non debuit Grotius ex ſua ſententia pro voce *iniquitatis*, quæ eſt apud Prophetam, reponere *pœnas*, & lectori Hebrææ linguæ imperito judicium de phraſi *portare iniquitatem*, hac ſua verſione quodammodo eripere; præſertim cum hunc locum tanquam à Socino pro ſe adductum citet.

Pergit Grotius Partic. 48: *Neque hic patitur* (Socinus) *ullam imputationem intelligi. At quo argumento probat, aliud hic ſignificare eam phraſin, quam aliis omnibus in locis?*

Non omnibus in locis, ubi extat hæc phraſis, id ſignificare, quod vult Grotius, oſtenſum eſt. Argumentum Socini, quo probat, hoc Jeremiæ loco imputationem non intelligi, ab eo his verbis explicatum eſt: quia Deus nunquam ſoleat liberis imputare peccata parentum, niſi illi patrum veſtigia ſequantur Ezech. 18. 20, quod hoc loco tacite commemorare, quamvis paulo inferius populum peccaſſe fateatur, ei, quod animo intendebat Jeremias, vehementer adverſatum fuiſſet. Deum enim illis verbis ad miſericordiam flectere curabat. Sumit autem pro conceſſo Socinus, Deo in his Prophetæ verbis injuſtitiæ crimen non objici. Negat quidem Grotius, à Prophetæ inſtituto alienum eſſe id, quod Socinus alienum eſſe dixerat, ſed ad ejus probationem non reſpondet, quæ eſt, quod Jeremias hoc pacto tacite faſſurus fuiſſet, populum ſcelera parentum imitando pœnas tam graves eſſe commeritum, & proinde juſtiſſime tanta mala pati: cum tamen Propheta his verbis, culpam quidem in parentes transferendo, populo vero mala ex delictis paternis orta tribuendo, Deum ad miſericordiam flectere, & ad auferendum tantorum malorum onus impellere curet. Quare, niſi quis dicere velit, injuſtitiam hic Deo à Propheta objici, neceſſe eſt, ut ſtatuat, Jeremiam hoc tantum voluiſſe, Iſraëlitas occaſione iniquitatum à parentibus admiſſarum non leve damnum perpeſſos, vel, ea pertuliſſe, quæ juſtius patribus perferenda potuiſſent imponi, nulla interim imputationis alienorum delictorum habita ratione, licet alias, ſi rem ipſam, non mentem iſtorum verborum reſpicias, populo delicta paterna imputata fuiſſe dici queant. Quæ Grotius de iſtorum verborum ſententia ſubjungit, quia nulla ratione comprobantur, reſponſione non egent.

Pergit Grotius Partic. 49: *Etiamſi vero ambigua eſſet harum vocum* ferre peccata, *in Sacris Literis ſignificatio, tamen tum hoc Eſaiæ, tum iſto Petri loco certam faceret interpretationem adjuncta mentio perpeſſionum Chriſti & liberationis noſtræ. Peccata enim ferre patiendo, atque ita ut liberentur alii, aliud indicare non poteſt, quam pœnæ alienæ ſuſceptionem.*

At ſi concedatur, *ferre peccata* eſſe ambiguum, & nonnunquam ablationem peccatorum ſignificare; ſi item conſtet, eum, de quo verba iſta efferuntur, peccata abſtuliſſe perpeſſione interveniente, ut in noſtro hoc negotio accidit; cur adjuncta perpeſſionis & liberationis mentio, verbis illis vim ablationem peccatorum ſignificandi adimat, & pœnæ alienæ ſuſceptionem iis omnino indicari evincat? Quamquam in verbis Eſaiæ ac Petri, ſi liberationis noſtri ſit mentio, ut hic ipſemet Grotius indicat, ea non adjungitur phraſi *ferre peccatum*, ſed ea ipſa exprimitur. Quod ſi concedatur, confirmabitur noſtra eorum verborum interpretatio. Si dixerit Grotius, ideo adjunctam perpeſſionum Chriſti & liberationis noſtræ mentionem arguere, phraſin iſtam alienæ pœnæ ſuſceptionem ſignificare, quia nullus alius ſit modus, quo quis patiendo poſſit alterum à pœna liberare; quantum in eo fallatur, ex iis conſtare poteſt, quæ de vi mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio diſſeruimus. Quid? an imperator, exercitus, magiſtratus multa pati non poſſunt, ne populus, pro quo bellum gerunt, aut quem regunt, delicti alicujus, quod admiſerit, det pœnas, etiamſi populi illius pœnam in ſe revera non ſuſcipiant? Adde, quod in loco Eſaiæ non ipſi paſſioni, ſed ei, quod paſſionem eſt conſequutum, portatio ſeu ablatio peccatorum proxime adſcribi intelligitur. At pœna in ipſa paſſione eſt. In loco Petri vox *peccati* de ipſis vitiis intelligi poteſt, nec opus eſt eam de pœnis omnino accipere: nec ſimpliciter ibi ſcriptum eſt ἤνεγκε *tulit*, ſed ἀνήνεγκεν, additis verbis *in lignum*, quod ablationem peccatorum indicare, ſupra docuimus.

Accedit ad alium Eſaiæ locum Grotius Partic. 50, qui extat eod. cap. 53. v. 6, & 7, quem ita citat: *Deus conjecit ſive impegit in eum pœnam omnium noſtrum. Exigitur & ipſe affligitur.*

Sed hic Grotius iterum pro voce *iniquitatis*, quæ eſt apud Prophetam, ſeu *peccati*, quam ipſe Grotius infra in verbis Prophetæ interpretandis adhibet, repoſuit *pœnam*, atque ita viam ſenſui, quem genuinum eſſe mox videbimus, quantum in ſe fuit, præcluſit. In eo etiam cauſæ ſuæ ſerviit, dum verbum, quod, ipſo teſte, proprie ſignificat *occurrere fecit*, convertit *conjecit* ſive *impegit*, ut Propheta de pœnarum inflictione tanto magis videretur loqui. Præterea in eo à Theologorum ac interpretum prope omnium ſententia diſceſſit, dum verbum Hebræum *Niggas* ad peccatum ſeu iniquitatem retulit, & vertit *exigitur*, quod illi ad Chriſtum retulerunt, & alia aliqua ratione ſunt interpretati. Quod ideo minus eſt in Grotio ferendum, quod non tantum ſine juſta cauſa, ſed etiam, ut poſtea docebimus, contrarium ſuadente rei veritate, à recepta aliorum interpretatione, qui ſatiſfactionem non minus quam ipſe urſerunt, receſſit, idque ad urgendum eum, qui ſatiſfactionem iſtam non agnoſcit; & Socino, ut ſtatim audiemus, objicit, quod novam priorum hujus loci verborum interpretationem comminiſcatur, qui tamen ad excipiendum tantum, & quidem non levem ſequutus rationem, quam Grotius non attigit, eam verſionem attulit.

Subjicit Grotius Partic. 51: *Hic nullum non lapidem movet Socinus, ut genuinum ſenſum verbis extorqueat: novam-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

novamque interpretationem comminiſcitur: Deus occurru per ipſum (vel cum ipſo) iniquitati omnium noſtrum.

Non Socinum, ſed Grotium potius genuinum verbis ſenſum ire extortum, eorum collatio cum loco Petri 1 Ep. 2. 24, 25, quam Socinus etiam inſtituit, docebit. Cum enim Petrus præcedentia Prophetæ verba, eorumve ſenſum hoc modo expreſſiſſet: *cujus vibice ſanati eſtis. Eratis enim ut oves errantes:* (quibus poſterioribus verbis totum id complectitur, quod paulo fuſius dixerat Propheta: *Nos omnes tanquam ovis erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit;*) loco ejus, quod Propheta ſubjicit in verbis controverſis, ipſe, dictum Prophetæ nobis aliqua ratione explicaturus, ſubjungit: *ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum*, q. d. vos antea inſtar ovium, quæ paſtore ac grege ſorte deſerto, palantes errant, ac diverſas, quæ cuique occurrit, vias ſequuntur, ad paſtorem non rediture, niſi quis reducat, ipſi quoque variis peccatorum erroribus circumagebamini, quiſque eam, quæ ſibi allubeſceret, viam ſequebatur. At nunc Deus Chriſto in mortem tradito, erroribus ac peccatis veſtris occurrit, voſque à priſtina vivendi ratione abſtractos ad fidelem animarum veſtrarum paſtorem adduxit, ſub cujus tutela à luporum laniatibus, quibus antea eratis expoſiti, ab ipſoque interitu tuti ſitis. Hic vero ſenſus verbis Prophetæ, ſi Grotii interpretationem & ſententiam ſequaris, accommodari non poterit: at ſi Socini verſionem ac ſententiam ſequaris, omnia optime quadrabunt. Et hæc fuit cauſſa, cur Socinus, licet eam quoque interpretationem afferat & explicet, quam ipſe Grotius inferius adſcripſit, *Dominus occurrere fecit ei iniquitates omnium noſtrum*, priorem tamen illam prætulerit.

Sed reclamat aperte, inquit Grotius Partic. 52, *vox Hebræa Hiphgiah, ejus conjugationis quæ non unicam, ſed duplicem actionem ſignificat. Quare cum Pagah proprie ſignificet occurrere, ſequitur, ut Hiphgiah ſit fecit occurrere, & per metaphoram deprecatus eſt: quia deprecator preces ſuas quaſi interponit.*

Sed ex his ipſis poterat Grotius reſponſionem ad argumentum ſuum petere. Nam ſi hoc verbum interdum ſignificat *deprecatus eſt*, ut ſit ult. hujus capitis verſu, idque cum unicam revera tantum notet actionem, ita tamen explicari poteſt, ut duplex videatur involvi: cur non idem in ea ſignificatione, quæ Socino probatur, fieri queat? Cum enim dicitur, Deum *occurriſſe* in Chriſto noſtris iniquitatibus, id perinde poteſt accipi, ac ſi dictum eſſet, Deum obſtacula & impedimenta peccatis noſtris per eundem objeciſſe. Ea vero ſunt inprimis paſſiones ipſius, & quæ eas ſequutæ ſunt, gloriæ. Neque vero inuſitatum eſt, verba hujus conjugationis, cujus eſt Hiphgiah, intranſitive, ut loquuntur, uſurpari, & unam revera tantum actionem denotare, licet tranſitive quoque uſurpata reperiantur. Sic *Hebhin* non raro ſignificat intellexit: *Hikribh* appropinquavit: *Hickſchibh* attendit: *Hithliach* proſperatus eſt ſeu proſpere egit: *Higdil* magnus evaſit, magnifice egit, aut ſeſe extulit. Loca Sacræ Scripturæ, quia obvia ſunt, non adſcribimus, eaque vel è Lexicis peti poſſunt. Si cui libet, inſpiciat ea, quæ Joh. Buxtorfius in Lexico ſuo de vocibus à nobis notatis ſcripſit. Non eſt autem quod quemquam in verbis Prophetæ turbet particula Hebr. *Et*, nomini *Avon* præfixa, quæ accuſativi nota eſſe ſolet, cum eam pro Dativi nota in Socini verſione neceſſe ſit accipere. Fit enim idem alibi quoque in Sacris literis, quemadmodum idem notavit Buxtorfius. Vid. Levit. 13. 49. & XVI. 15. 1 Reg. 6. 31. Job. 26. 4, quod ipſemet Grotius videtur animadvertiſſe, qui vim iſtius particulæ adverſus Socinum non urſit. Quod *Hiphgiah* in loco inter nos controverſo non ſignificet *deprecatus eſt*, Socinus quoque docuit. Quare quæ hac de re ſcribit Grotius, nihil adverſus ipſum.

Concludit Grotius Partic. 53: *Non ferunt ergo verba hæc alium ſenſum quam hunc: fecit Deus illi occurrere, hoc eſt impegit; incuſſit in illum peccatum omnium noſtrum.*

Largiamur id nunc Grotio, quod nondum evicit. Quid tum? an protinus Chriſtus noſtrarum iniquitatum pœnas vere perſolvit? An non dici poteſt, Chriſto impactum & incuſſum fuiſſe peccatum noſtrum, quia illius cauſa tam acerbam & ignominioſam mortem ſuſtinuit, nulla interim habita ratione ejus, quod pœnas proprie dictas pertulerit?

Pergit Grotius Partic. 54, ad ſequentia Prophetæ verba: *Exigitur peccatum (hoc eſt, ſecundum phraſin ſcripturæ pœna peccati) & ipſe affligitur.*

At apud Prophetam poſt verbum *Niggas*, quod Grotius reddidit *exigitur*, non extat vox *peccatum*, nec quicquam cogit eam ſubaudire vel repetere, poteſtque verbum iſtud Hebræum commodiſſime ad Chriſtum, ut quidem à pleriſque fit interpretibus, referri, & verti *opprimitur*, quam ſignificationem ei alias convenire, ipſe Grotius infra fatetur. Sed præterea res ipſa ſententiam hanc, quam interpretatio Grotii poſtulare videtur, non admittit. Cum enim Deus peccata nobis remittere tunc vellet, & hunc in finem Chriſtum in mortem traderet, quomodo potuit eodem tempore peccatorum eorundem pœnas exigere? Exigere enim aliquid, ſive ab ipſo debitore, ſive ab alio, ejus nomine, & idem remittere, ſe invicem evertunt. Quod ſi id velis accipere tanquam per ſimilitudinem dictum, quia perinde fuerit actum, ac ſi peccati pœna, ipſo oppreſſo, fuiſſet exacta; nihil id adverſus Socinum, qui ſimilitudinem hanc agnoſcit.

Sed negat infra Grotius Partic. 55, opprimendi ſignificationem hic habere locum: *Quia ſequitur*, inquit, *in eodem commate* vehu, *& ipſe affligitur: unde apparet hoc verbum referri ad aliud nomen, quam ad illud cui aptatur vox affligitur. Nullus enim erit ſenſus, ſi quis de eodem dicat: opprimitur & ipſe affligitur.*

At ne longius abeamus, infra hoc ipſo capite v. ult. de eodem Chriſto dicitur: effudit in mortem animam ſuam, & cum prævaricatoribus numeratus eſt, *& ipſe* (vehu) *peccatum multorum tulit.* An ideo, quia intercedit *vehu*, *& ipſe*, nullus hic erit ſenſus, aut verba priora ad aliud nomen erunt referenda, quam ad illud, cui aptantur voces *peccatum multorum tulit*? Similem loquendi rationem deprehendes Luc. 1. 17. & XVII. 13. XIX. 2. Quare etiamſi res ipſa Grotii interpretationem admitteret; nulla tamen erat cauſa, cur à cæterorum prope omnium ſententia hic diſcederet: præſertim cum verbum Hebræum in ea conjugatione,

in qua hic ponitur, *opprimèndi* ſignificationem ſæpe habeat, & ad perſonam non ad rem referri ſoleat: eo vero modo uſurpatum, quo vult Grotius, deprehendere nondum licuit. Atque ex his jam apparet, verba hæc Prophetæ Grotii cauſſam nihil juvare. Opprimi enim potuit Chriſtus, etiamſi nullam pœnam lueret.

Sed redeamus ad ſuperiora Grotii verba Partic. 56: *Objicit hic nobis Socinus locum* Levit. 16. 21, 22, *ubi dicuntur peccata imponi hirco expiatorio, & ipſe hircus ferre peccata populi in vaſtam ſolitudinem. Arbitratur autem nihil eſſe manifeſtius, quam non poſſe ullo modo dici hunc hircum pœnas pro populi peccatis pertuliſſe: quod quo jure ſibi ſumat non video. Nam pœna ſane generaliter ſumta etiam in beſtias cadit.* Quod probat locis Gen. 9. 5. Exod. 21. 28. Levit. 20. 15. Gen. 8. 21. Rom. 8. 20, quibus ſubjicit: *Nec eſt quod objiciat Socinus,* ἀποπομπαῖον *hunc hircum interimi non ſolitum: ad peccatorum autem remiſſionem fuſionem ſanguinis ſive mortem requiri. Nam hunc ipſum hircum de loco ſublimi præcipitatum in deſerto atque ita neci datum, etſi ſcriptura diſerte non prodit, Hebræi interpretes conſentiunt: quod ut non eſſet, quid tamen aliud illa in vaſtam ſolitudinem abactio, quam mortem minime naturalem aut ex fame, aut ex ferarum laniatibus minabatur?*

Pœnam generaliter ſumtam in beſtias etiam cadere, non negamus; verum tum demum id ex Dei inſtituto aut voluntate fieri aſſerimus, cum etiam ipſæ aliqua ratione exorbitant, & à via ſibi naturaliter à Deo præſcripta deflectunt, ſeu, ut Scriptura loquitur, viam ſuam corrumpunt. Quo pertinent tres priores loci à Grotio adducti Gen. 9. 5. Exod. 21. 28. Levit. 20. 2. Quod ſi dicas, hominis peccata poſſe beſtiis imputari, etiamſi ipſæ nil deliquerint, cum Geneſ. 8. 21, dicatur: *maledictam fuiſſe diluvio terram propter hominem*, ubi hominis ſolius peccatis adſcribi videtur, quod terra, atque adeo animantes in ea degentes fuerint maledictioni ſubjectæ: ſciendum eſt, etiam tum beſtias humanæ culpæ fuiſſe participes, & viam ſuam corrupiſſe. Vide Geneſ. 6. 12, 13, & eum locum confer cum verſ. 7, & 17, ejuſdem cap. Culpa quidem potiſſimum fuit penes hominem, qui ſi eo improbitatis ac contumaciæ non fuiſſet progreſſus, diluvium terris non fuiſſet inductum: ſed tamen penes hominem ſolum culpa non fuit. Quod ſi quis nihilominus contendat, beſtias, ſaltem aliquas, tum plane fuiſſe inſontes, ei non erit concedendum, illas revera punitas, ſed tantum occaſione peccatorum ab hominibus admiſſorum afflictas ac peremtas: quemadmodum etiam v. g. Ninivæ accidiſſet, ſi Deus pœnam, quam fuerat comminatus, reipſa inflixiſſet, ut præter rem ipſam docet locus Jonæ 4. v. ult. At ex eodem etiam loco conſtat, Deum ipſas beſtias, ſicut & infantes, punire, & in illis aliena delicta vindicare noluiſſe. Itaque calamitas iſta non tam ex Dei conſilio, quam reipſa ita ferente illis accidiſſet. Si quis plura de hoc argumento deſiderat, videat Diſput. Socini cum Franc. Puccio cap. 6. pag. 157 & ſeqq. Locus Rom. 8. 20, ubi de Creatura ſermo eſt, ad beſtias nullo modo pertinet, ut ex iis, quæ de creatura iſta dicit Apoſtolus, manifeſtum eſt. Quid, quæſo, abſurdius foret, quam dicere: Anxiam expectationem beſtiarum, hircorum v. g. aut boum, revelationem filiorum Dei expectare, & eas liberatum iri à ſervitute corruptionis in libertatem filiorum Dei &c. An non res ipſa loquitur, de nova creatura, hoc eſt, de Chriſtianis, qui variis calamitatibus preſſi ſuſpirant ad libertatem illam, quæ filios Dei manet, hoc eſt, ad incorruptionem & immortalitatem, ſermonem eſſe? Conſideretur occaſio, & initium hujus ſermonis Apoſtolici, quod eſt verſ. 17, 18, cum quibus cætera per particulam *enim*, quæ iſtorum rationem afferri docet, connectuntur. Hoc pacto omnia erunt planiſſima, modo animadvertas, ℣ſ. 23, per eos, *qui primitias ſpiritus habent*, non omnes in univerſum Chriſtianos eſſe intelligendos, ſed eos tantum, qui ſpiritus divini priores ac potiores, ut ita loquar, partes acceperunt, & eo præ cæteris donati fuerunt: quales erant Apoſtoli, & iis donorum Spiritus Sancti copia proximi, Prophetæ, aliiqui inſignes in Eccleſia viri. Vult enim dicere Paulus: non vulgares tantum Chriſtianos, malorum pondere preſſos, ad futuram felicitatem, & liberationem à tot calamitatibus ſuſpirare, ſed etiam Chriſtianorum præſtantiſſimos. Qua de re Socinus copioſe egit in ead. Diſp. adverſus Puccium dicti loco.

Ex his jam patere poteſt, etiamſi tandem hircus ille emiſſarius fuiſſet occiſus, cum tamen pœnas proprie dictas non fuiſſe laturum, cum non fuerit ad eam rem adhibitus, aut à Deo requiſitus hircus ejuſmodi, qui viam ſuam aliquo modo corrupiſſet: imo is in hunc uſum haudquaquam debuiſſet adhiberi. Quamquam alias etiam res ipſa ſatis eſt clara. Nam quæ hæc fuiſſet pœna, quæ vindicta, ſi unicus hircus, cui adde alterum, cujus ſanguis in ſancta inferebatur, alias quoque tandem mactandus, pro omnibus univerſi populi peccatis morte debuiſſet ſupplicium perſolvere? Omnes enim iniquitates filiorum Iſraël, omniaque peccata capite ſuo impoſita dicebatur in deſertum ferre. An non iſtiuſmodi pœna prorſus fuiſſet ridicula, & Deo indigna? Adde quod, ut ſupra monuimus, hircus ille non dicatur *in deſerto tuliſſe peccata* populi, quod tamen dicendum fuiſſet, ſi in deſerto ſupplicium aliquod luiſſet, idque ſacræ literæ verbis inter nos controverſis exprimere voluiſſent: ſed dicitur, *eum tuliſſe peccata in deſertum.* At eundo in deſertum ſupplicium non ſuſtinuit, iſtud præſertim, de quo Grotius loquitur. Præterea ſi hircus ille ſupplicium pro peccatis populi morte debuiſſet luere, eaque res ad expiationem peccatorum ita pertinuiſſet, ut ſanguinis fuſio, de qua Hebr. 9. 22, qui potuiſſet fieri, ut Moſes, qui totam hanc ſacrificii anniverſarii cerimoniam Dei juſſu tam copioſe & accurate præſcripſit, id reticeret, in quo maxima ejus cerimoniæ, quæ circa hircum ἀποπομπαῖον peragebatur, vis fuiſſet ſita? An non inde manifeſtiſſime patet, hircum iſtum haudquaquam fuiſſe occiſum, vel ſaltem id ex divino inſtituto non eſſe factum, nec ad expiationem peccatorum ullo modo pertinuiſſe, ac proinde Deum nullam ab eo hirco pro populi peccatis pœnam exegiſſe? Quid Hebræorum interpretum auctoritati hac in re ſit tribuendum, facile docebunt aliæ eorundem fabulæ, quas de eadem hirci emiſſarii cerimonia confinxerunt,

runt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

runt, quas videre licet apud Petrum Cunæum lib. 2, de Repub. Hebr. cap. 6. Diſſentire ab illis videtur Joſephus, qui aliam quandam de iſto hirco ſententiam tradit. Vid. l. 3. Antiq. Jud. cap. 10, ſecundum diſtinct. Gelenii. Quicquid ſit, alia potuit hujus rei, ſi admitti debet, apud gentem præſertim ſuperſtitioſam, eſſe cauſſa. Nonne vel ideo id fieri poterat, ne, ſi forte ſuperſtes maneret, & aliquando rediret, id ominoſum eſſet? ablationem enim & aſportationem peccatorum populi figurabat, quæ rediens referre videretur. Vix jam opus eſt reſpondere ad id, quod Grotius ait: etiamſi neci non fuiſſet datus, abactionem tamen in vaſtam ſolitudinem mortem minime naturalem minari. Aliud enim eſt minari mortem minime naturalem, aliud reipſa perimere, & pœnas pro univerſis populi peccatis infligere. Potuiſſet enim nihilominus eam mortem effugere, quæ domi multo magis ipſi fuiſſet metuenda. De fame quod ait, frivolum videtur. Quaſi enim in vaſta illa ſolitudine, ut cæteræ beſtiæ, pabulum non fuiſſet reperturus, aut aliqua ratione conſtet, cum in talem ſolitudinem ablegari ſolitum, quæ pabulo careret. Ac præterea, etiamſi fame periiſſet, non tamen ſanguinis facta fuiſſet profuſio, quæ ad expiationem peccatorum requirebatur d. l. Heb. 9. 22, & Levit. 17. 11.

Pergit Grotius Partic. 57: *Præceſſerat apud eundem Prophetam, Caſtigatio pacis noſtræ imponitur ei, & livore ejus ſit curatio nobis. In Hebræo, caſtigatio dicitur Muſar, quæ vox afflictionem non qualemcunque ſignificat, ſed eam quæ pœna habeat rationem, ſive ſit παραδειγματικὴ, ſive νουθετικὴ &c. Cum vero νουθεσίας ſignificatio in Chriſto locum non habeat, præſertim cum de afflictionibus agatur mortem includentibus, reſtat afflictionem intelligamus, quæ conjunctum habeat παράδειγμα. Nam ab omni culpæ reſpectu ſepoſitum vocis uſum non eſt reperire.*

Si hoc tantum vult Grotius, ut ultima hæc ipſius verba videntur indicare, afflictionem hic eam intelligi, quæ aliquem ad culpam, nempe noſtram, reſpectum habeat, idque ad pœnæ rationem putat ſufficere; nihil contra ſententiam noſtram hæc ipſius facit argumentatio. Iſtiuſmodi enim mortis Chriſti ad peccata noſtra reſpectum nos ultro agnoſcimus. Quod ſi vero ejuſmodi reſpectum ad culpam intelligit Grotius, qui imputationem illius culpæ includat; videat, ne quis eadem ratione, qua ipſe urget, non reperiri uſum hujus vocis ſine tali ad culpam reſpectu, urgeat etiam, non reperiri uſum hujus vocis ſine reſpectu ad propriam culpam ejus, qui caſtigari dicitur. Nec facilius erit Grotio diſſimile exemplum afferre, ſi id verum eſt quod aſſerit, quam nobis. Vis certe ac proprietas vocis non magis id poſtulat, quod vult Grotius, quam iſtud. Is enim proprie dicitur caſtigari, qui ideo affligitur, ut à peccando deſiſtat, & in poſterum ſeſe emendet. Quod ſi ergo hoc, in noſtro negotio non agnoſcit Grotius, ne illud etiam urgeat. Verum enim vero nil videtur prohibere, quominus vox *Caſtigationis* per metonymiam, quam Socinus explicuit, vel, ſi mavis, metaphoram, ſimpliciter accipiatur pro Afflictione. Quia enim, qui caſtigantur, ii cæduntur & affliguntur; ideo qui cæduntur & affliguntur, caſtigari dici poſſunt; quia ſcilicet eodem modo tractentur, quo illi, qui proprie caſtigantur. Sic Paulus afflictiones ſuas, quas Chriſti cauſſa perferebat, caſtigationi comparat, vel potius caſtigationis nomine effert, ſine ullo ad culpam ſive propriam ſive alienam reſpectu, dum ait: *ut qui caſtigamur, & morti non tradimur* 2 Cor. 6. 9, quamquam ut ipſius verba indicant, eo inprimis reſpexit, quod afflictiones iſtæ ad mortem uſque nondum eſſent progreſſæ, ut in caſtigationibus contingit. Socinus iſti rei illuſtrandæ adduxit locum Pſal. 73. 14, ubi viri docti *increpationem* ſeu *caſtigationem*, ſuadentibus loci circumſtantiis, pro afflictione ſimpliciter poſitam ſcripſerunt. Quo loco in Hebræo vox eſt ejuſmodi, quæ nomini *Muſar* plane reſpondet, præſertim cum de increpatione, quæ non verbis ſed reipſa fiat, accipitur, ut hic contingit. Hac ratione ſi accipias Caſtigationis vocem apud Eſaiam, ſenſus erit: Flagella & afflictiones Chriſti (pro quibus poſtea livorem inde ortum Propheta reponit) cauſſam fuiſſe, ut nos veram felicitatem & quietem conſequeremur. Quo ſenſu admiſſo aptior eſt oppoſitio inter Caſtigationem Chriſti & Pacem noſtram, quæ in his Prophetæ verbis commemoratur. Pax enim noſtra, bonum, quietem, felicitatemque noſtram ſimpliciter ac generatim ſignificat, nec certam aliquam boni ſpeciem vi ſua menti ſubjicit. Sic pax quarundam gentium, & earundem bonum pro eodem ponuntur Eſdr. 9. 12. At bono, quieti ac felicitati ſimpliciter ſumtæ rectius opponitur afflictio aut malum generatim, quam ſpeciatim punitio, quemadmodum etiam videmus fieri Hier. 29. 11, ubi inter ſe opponuntur *pax & afflictio* ſeu *malum*; quem locum Socinus in margine libri ſui notarat. Sed demus Grotio, Caſtigationis nomen omnino eſſe accipiendum ſpecialius, nec quicquam obſtare voces *pacis noſtræ:* an protinus vox Caſtigationis proprie fuerit accipienda? Non id vult Grotius, qui pœnam νουθετικὴν, ſeu ad emendationem ejus, qui affligitur, comparatam, hic intelligendam eſſe, ipſa re cogente, negat. At Caſtigatio proprie dicta nil eſt aliud quam pœna νουθετική. Quid ergo? Paradigma ſeu exemplum vult ſignificari Grotius. Quo pacto id concedi poſſit, mox videbimus. Interim dicimus, ſiquidem à proprietate vocis hic omnino eſt diſcedendum, & ea intelligenda afflictio, quæ Caſtigationi ſit ſimilis, nil prohibere, quominus ea ſumatur afflictio, quæ ad alienam, hoc eſt, noſtram emendationem fuerit comparata. Ea enim & Caſtigatio eleganter dici poteſt, cum Caſtigationi ſit ſimilima, &, ſi vox Pacis non obſtat, loco eſt valde conſentanea, ac præterea ad eundem finem ſpectat, ad quem paradigma, quod hic intelligi vult Grotius. Hoc enim ad licentiam comprimendam, & mores aliorum corrigendos revera pertinet. Hac ſignificatione admiſſa, elegans quædam Prophetæ verbis ſuberit argutia, quam tum hic tum alibi libenter ſectatur. Nam cum alias ii ipſi, qui ad frugem ſunt revocandi, cædi & affligi ob peccata ſua ſoleant, ut ab iis deſiſtant, Deus (ut iſta fert interpretatio) hic aliam nos à peccatis revocandi, & ſic felices efficiendi rationem iniit. Non enim nos ipſos, qui peccaveramus, ſed Chriſtum innocentiſſimum ob peccata noſtra flagellis ſubjecit, ut nos ejus plagis emendati, ſupremam felicitatem conſequeremur, ejuſque livore, hoc pacto, ſaneremur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Verba enim iſta, quæ ſtatim ſubjicit Propheta; & eandem cum præcedentibus ſententiam continent, *ipſius livore ſanati ſumus*, de converſione noſtra ad Chriſtum emendationeque vitæ noſtræ, ex qua felicitas vera conſequitur, intelligenda eſſe, ſuperius docuimus. Ex quibus illud quoque patet, pœnam παραδειγματικὴν hic revera locum non habere, cum in ea non bonum illorum, qui deliquerunt, præſertim primo ac potiſſimum quæratur, ſed bonum aliorum; & ipſi ſontes nocumentum atque acerbitatem ſupplicii tunc ſentire debeant. Nam in pœna παραδειγματικῇ id ſpectatur, ut cæteri, animadvertentes, quam male tractentur illi, qui deliquerunt, à delictis ſibi caveant, veriti ne eandem pœnam incurrant. At in caſtigatione Chriſto impoſita longe aliter accidit. Nam nec nos ipſi qui peccaveramus, eam ſenſimus, & per eam pax ac felicitas noſtra, animarumque noſtrarum ſanitas à Deo quæſita fuit. Sed demus, ad παράδειγμα potius reſpexiſſe Prophetam, quam ad νουθεσίαν: an proinde pœna proprie dicta fuit mors Chriſti? haudquaquam. Nam vel propterea mors Chriſti παράδειγμα dici poteſt, quia ex ea perſpicitur, quam ſevere Deus ſit ulturus homines impios & contumaces; idque duplici ratione. Primum ſi conſideres tum acerbitatem afflictionis, quam Chriſtus ſuſtinuit, tum ejuſdem innocentiam ac ſanctitatem, ſummamque cum Deo, cujus filius erat, conjunctionem. Nam ſi Deus Chriſto, licet innocentiſſimo atque ſanctiſſimo, unigenitoque ſuo filio, quo nihil illi erat neque in cœlo neque in terra charius, non pepercit, ſed tam diræ tamque ignominioſæ morti eum ſubjecit: quanta cenſemus, quamque acerba ſupplicia Deum ſumturum de hominibus impiis, & nefarium cum ipſo bellum per ſummam contumaciam gerentibus? Huc reſpexit ipſe Chriſtus apud Lucam cap. 23. 31: ubi, cum pœnas Hieroſolymitanis reſipiſcere neſciis non obſcure denunciaſſet ac prædixiſſet, ejuſmodi ſubjungit argumentum: *quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* q. d. Si Deus mihi, licet innocentiſſimo, tam gravia imponit mala: quanta quamque acerba imponet nocentiſſimis, & in impietate contumaciter perſeverantibus? Ubi ſatis liquet, mortem Chriſti in exemplum ſeveritatis, qua Deus adverſus peccatores reſipiſcere nolentes ſit uſurus, trahi, nulla habita ratione ejus, quod ea veram pœnæ rationem habuerit, aut quod Chriſto peccata aliena fuerint imputata. Nam præterquam quod mulieres, quas alloquebatur Chriſtus, id haud fuiſſent percepturæ; non recte etiam argumentatus fuiſſet Chriſtus, ſi aliena, hoc eſt, omnia totius mundi peccata ſibi à Deo fuiſſe imputata, & eorum pœnam à ſe exactam, intelligi voluiſſet. Neque enim ſequitur: ſi is tam gravia patitur, cui uni omnia totius mundi peccata ſunt imputata, eorumque pœnæ impoſitæ; multo acerbiora paſſuros illos, qui ob ſua ſcelera puniuntur, nec majora, quam ipſimet ſunt commeriti, ſupplicia luunt: imo illum, cui univerſa totius humani generis peccata ſunt imputata, infinitis partibus graviores pœnas laturum, eſt veriſimile. Imitatus eſt hanc Chriſti argumentationem Petrus, qui afflictiones Chriſtianorum, quas ideo perferunt, quia Chriſtiani ſint, & ob quas non erubeſcere, ſed laudare Deum debeant, ſeque beatos judicare, itidem in exemplum ſeveriſſimi Dei adverſus impios judicii trahit, &, ut comparationem inter illas & ſupplicia de impiis ſumenda tanto elegantius inſtituat, eas *judicii* nomine complectitur, quod, cum de afflictionibus in Sacris Literis uſurpatur, non niſi de veris pœnis ac ſuppliciis accipi ſolet. Nam poſtquam dixiſſet 1 Petr. 4. 16, 17, 18: *Si autem ut Chriſtianus [quiſpiam veſtrum patitur,] ne erubeſcat, ſed glorificet Deum in parte hac*; ſubjicit: *quia tempus [eſt] ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primum à vobis, quis finis [erit] eorum, qui non parent Dei Euangelio? Et ſi juſtus vix ſervatur, impius & peccator ubi comparebit?* Quo loco itidem ratio tantummodo habetur innocentiæ ſeu juſtitiæ Chriſtianorum, & acerbitatis afflictionum, quibus à Deo ſubjiciuntur. Reſtat alter modus, quo ex morte Chriſti perſpici poteſt, quam graviter Deus ſit puniturus homĩnes impios atque in peccatis perſeverantes. Is vero eſt, ut conſideres cauſam, ob quam Deus Chriſtum chariſſimum atque innocentiſſimum ſuum filium in mortem tradidit, nempe peccata noſtra. Hinc enim manifeſtiſſime apparet ſummum Dei adverſus peccata odium; ſiquidem Deus, ut ab illis nos penitus abſtraheret, unigenito ſuo filio non pepercit. Ex quo facile eſt intelligere, graviſſimas pœnas manere eos, qui in peccatis perſeverant, & nec tantis pietatis propoſitis præmiis, nec tanta erga ſe Dei charitate ab iis ſe abduci patiuntur. Et hæc, quæ hactenus diſſeruimus de ratione, qua ex morte Chriſti exemplum ſeveritatis divinæ adverſum peccatores duci queat, iis adjici volumus, quæ ab initio hujus diſputationis de vi mortis Chriſti in nobis ab impietate avocandis diximus, quæ, ſimul præſertim juncta, totum id abunde præſtant quod pœna παραδειγματικὴ ex Grotii ſententia fuiſſet præſtitura, imo longe melius atque efficacius, quam pœna proprie dicta præſtare potuiſſet. Quod ſi ea Grotius ad pœnam παραδειγματικὴν proprie ſic dictam ſufficere arbitratur, habet in ſententia noſtra id, quod quærit. Sin ſecus cenſet, videre jam poteſt, ejuſmodi pœna non fuiſſe opus, nec locum hic ei ullum fuiſſe, tum propter cauſas dictas, tum propterea, quod afflictiones Chriſti abunde fuerint à Deo compenſatæ, ita ut earum acerbitas magnitudine præmii obruta cenſeri debeat, id quod in paradigmatica pœna neutiquam contingit.

Verum quia Socinus inter alia, quæ de hoc loco ſcripſit, dixerat, Pacis nomine in Prophetæ verbis non intelligi reconciliationem amicitiæ cum aliquo, hoc uſus argumento: *quia nulla ibi fiat mentio alicujus inimici, ſed tantummodo Pacis noſtræ*; ita excipit Grotius Partic. 58: *Nihil vetat pacis nomine reconciliationem intelligi, etiam nulla facta inimicitiæ mentione, quam præceſſiſſe res ipſa & ſequentia Prophetæ verba ſatis indicant.* Sed primum Socini mentem, & vim argumenti, quo is fuerat uſus, non expreſſit Grotius. Nam præterquam, quod poſteriora Socini verba: *tantummodo pacis noſtræ mentionem ibi fieri*, in quibus aliqua vis eſt ad argumentum pertinens, omiſit; vocem etiam *inimicitiæ* pro *inimici* male repoſuit. Hæc enim verborum Socini mens eſt: nullam in Prophetæ verbis factam eſſe mentionem perſonæ alicujus, quæ nobis antea fuerit inimica, & cum qua pax

& con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& concordia fuerit conſtituta, ſed tantummodo *Noſtram* pacem commemorari; cum tamen non tantum Noſtri, quibus pax obtigerit, ſed etiam illius, cum quo pax coaluerit, facienda fuiſſet mentio, ſi ibi Pacis nomine reconciliatio amicitiæ cum aliquo facta intelligi deberet. Deinde ſi Grotius, ut quidem videtur, per inimicitiam intelligit odium alicujus adverſus nos, odium, inquam, Dei, quem ſceleribus noſtris offenderamus; negamus rem ipſam & ſequentia Prophetæ verba indicare, talem inimicitiam ita præceſſiſſe, ut morte Chriſti demum fuerit ſublata. Imo ex reipſa, & Prophetæ verbis ſatis apparet, Deum ante paſſionem Chriſti, odium, quod in ipſo fuerit adverſus nos, ſponte depoſuiſſe, & nos inſigniter amaſſe, cum, ut noſtræ emendationi ac ſupremæ felicitati conſuleret, chariſſimum ſuum filium tantis malis ultro ſubjecerit.

Ex dictis patet, nihil adverſus Socinum facere, quæ Grotius Partic. 59, reſponſionem ſuam confirmaturus, ſubjungit: *nam nec inimicitiæ mentionem fecerunt Angeli, cum pacem ſuper terram promulgarunt venturam* Luc. 2. 14, *nec Apoſtolus, cum pacem nos dixit habere apud Deum* Rom. 5. 1. Socinus enim, ut oſtendimus, non de inimicitia, ſed inimico eſt loquutus. Quod ſi dicat Grotius, ne inimici quidem apud Lucam factam eſſe mentionem, cum tamen ibi pacis nomine reconciliatio ſit intelligenda; dicimus primum, nil prohibere, quominus ibi pacis vox felicitatem notet, imo id admodum eſſe veriſimile. Deinde cum ibi nulla ſit expreſſa mentio ullius perſonæ, cui pax obtigerit, non eſt mirum, non eſſe etiam factam mentionem inimici alicujus, quocum amicitia fuerit inita. At in loco Eſaiæ ſecus accidit. Nam ibi facta eſt expreſſe mentio Noſtri, quibus pax obtigerit. Si dicas, apud Lucam quoque notari homines, quibus iſta reconciliatio obvenerit, vocibus *in terra*; reſpondemus, nihil etiam vetare, quominus de pace inter ipſos homines per Chriſtum conſtituenda ibi ſit ſermo, ſi modo admitti debet, per pacem ibi concordiam intelligi: quod ſi admittatur, jam nihil opus fuiſſe patet, cur inimici alicujus mentio adjiceretur, cum utrique inter quos pax conciliari debuerit, iiſdem vocibus *in terra* comprehenderentur. Ut taceam non eſſe mirum, in iſtis tam brevibus ac conciſis angelorum verbis nullam inimici factam mentionem: at in loco Eſaiæ, ubi eadem res commutatis verbis ſæpius effertur, omiſſam fuiſſe mentionem rei ad ſententiam recte explicandam neceſſariæ, haudquaquam vero eſſe ſimile. Locus Rom. 5. 1 argumentationem Socini confirmat potius quam labefactat. Ibi enim expreſſa eſt perſona illa, cujus odium metuere cogebamur, antequam doctrina de juſtificatione per fidem obtinenda per Chriſtum eſſet revelata & confirmata. Deus enim commemoratur, apud quem pacem habeamus. Quamquam etiam id, quod paci huic adverſabatur, ſatis in ſuperioribus capp. ad quæ verba hæc Apoſtoli reſpiciunt, fuerat expreſſum. Pax vero illa in ſenſu quodam favoris divini, & ſecuritate judiciorum ac pœnarum divinarum, quam animis noſtris concipimus, conſiſtit.

Pergit Grotius Partic. 60: *Sicut autem peccatum pro pœna uſurpant Hebræi, ut præter cætera loca nunc allegata apparet* Zach. 14. 19. & Gen. 4. 13, *ita & eum qui pœnam luit, peccatum iidem vocant, ut & Latini piaculum tum pro crimine ſumunt, tum pro eo qui criminis pœnas pendit. Unde eſt quod hoſtiam piacularem pro peccato peccatum vocet Scriptura* Levit. 4. 29. & 5. 6. *Hanc ergo loquendi formulam ſequens Eſaias de Chriſto dixit: poſuit peccatum animam ſuam: h. e. animam ſuam fecit peccatorum pœnæ obnoxiam. Nec aliter Paulus: Eum, qui peccatum non noverat, Deus peccatum fecit, ut nos ſimus Dei juſtitia in ipſo* 2 Cor. 5. 21. *Apparet apud Paulum in utroque membro adjunctum ſumi pro ſubjecto.*

Quemadmodum vox Peccati, cum ea denotatur afflictio aliqua, non ſemper pœnam proprie dictam ſignificat, ſed interdum afflictionem tantum ejuſmodi, quæ delicti quidem alicujus occaſione cuipiam infligatur, interim tamen pœnæ proprie dictæ rationem non habeat: ita nec tum, cum de eo effertur, qui afflictionem ſuſtinet, & pro voce concreta peccatoris uſurpatur, eum neceſſario ſignificat, qui pœnam proprie dictam luit, ſed etiam eum, qui occaſione tantum peccati alicujus affligitur, ſignificare poteſt. Quamquam ad id, ut quis peccatum, aut quod hic perinde eſt, peccator dici queat, ne hoc quidem omnino requiritur, ut afflictio, quam ſubit, delicti alicujus occaſione ipſi infligatur. Satis enim eſt, eum ita tractari, quemadmodum peccatores tractari ſolent & merentur, atque adeo id perferre, quod alias pœnæ materia eſſe ſolet. Pœnæ autem materia eſt ipſa afflictio & nocumentum. Idem contingit in voce contraria *juſtitiæ*, quæ in loco Pauli 1 Tim. 4. 8, à Grotio citato, itidem pro voce concreta *juſti* 2 Petr. 3. 13 uſurpata, nomini *peccati* aperte opponitur. Ea enim, cum alias pro effectu ſeu præmio juſtitiæ uſurpetur, iis quoque hic tribuitur, qui id, quod alias juſtitiæ effectus ac præmium eſſe ſolet, accipiunt, ſeu qui ſimiliter tractantur, ut juſti tractari ſolent, nulla habita ratione ejus, quod id fiat occaſione juſtitiæ ab aliquo præſtitæ, vel pietatis alicujus compenſandæ cauſa, quæ ſignificatio hujus nominis, abſtracte tamen ſumti, ubique locum habet, ubi de juſtificatione noſtra, quæ per fidem nobis contingit, ſermo eſt, ut fit in non paucis Sacrarum Literarum locis Rom. 1. 17. III. 21, 22. IV. 3, 5, 6, 9, 11, 13, 22. V. 17, 19. IX. 30, 31. X. 4, 5, 6, 10. 1 Cor. 1. 30. 2 Cor. 3. 9. Gal. 2. 21. III. 6, 21. V. 5. Unde colligendum eſt, idem in voce *peccati* apud Paulum loco allegato fieri, ut nimirum eum ſignificet, qui non ſecus ac peccator tractetur. Eadem ſignificatio in voce *peccatoris*, pro qua nomen *peccati* hic reponitur, reperitur 1 Reg. 1. 21, ubi ita Bathſcbah ad Davidem: *& erit cum dormierit dominus meus rex cum patribus ſuis, & ero ego & filius meus Salomon peccatores*, id eſt tanquam peccatores tractabimur, ſeu perdemur, ut viri docti * notarunt. Licet autem eadem hæc ſignificatio accommodari poſſit ad victimas piaculares, cum *peccati nomen* illis tribuitur: veriſimilius tamen eſt, eas ideo tantum hoc nomen ſortiri, quia peccati cauſa offerentur, quodque ad eas præſtandas homo peccato quodam obſtringeretur, vel, ſi mavis, quia ad peccatum tollendum & reatum ejus extinguendum adhiberentur; unde vox *Chtte*, ab eo ducta

* Rob. Steph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ducta verbo, quod peccare ſignificat, expiandi ac purgandi ſignificationem eſt adepta. Quod ſi Sacri Scriptores in hoc negotio *peccati* nomine veram aliquam pœnam voluiſſent intelligi, potius nocens ipſe, qui victimam de ſuo præſtabat, quam victima, quæ pœnæ aut mulctæ cujuſdam rationem habuiſſet, punita ſtatui deberet, quod ne Grotius quidem facile dixerit. Intelligi jam poteſt, quid ſit apud Eſaiam, Chriſtum poſuiſſe animam ſuam *peccatum*. Significat enim, eum eſſe factum hoſtiam expiatoriam; vel, objeciſſe animam ſuam ejuſmodi afflictionibus, quales peccatoribus jure imponuntur. Quo poſteriori modo verba quoque 2 Cor. 5. 21 accipienda eſſe docuimus.

Sed reſponſionem Socini ad hunc Pauli locum refellere conatur Grotius, *Socinus*, inquit, *ut Paulini loci autoritatem eludat, per vocem* peccatum *intelligi vult hominem pro peccatore ab hominibus habitum.*

Sed non recte Grotius Socini verbis addidit iſta *ab hominibus*, & vocem *habitus*, quæ eſt apud Socinum, ita accepit, ac ſi dictum eſſet, *æſtimatus ac reputatus*; cum Socini mens ſit, Chriſtum ideo dici factum à Deo peccatum, quia Deo volente ac curante non ſecus ac peccator fuerit tractatus, h. e. atroci ac infami morte, tanquam peſſimus homo, occiſus: quemadmodum ſeipſum Socinus explicat. Quare Socinum non ferit Grotius, dum ait, id ſine exemplo fieri; &, Deo hanc actionem adſcribi, qui tamen multis modis teſtatam voluerit Chriſti innocentiam. Nam primum id, quod Socinus aſſerit, exemplo non carere jam oſtendimus, &, ut exemplo careret, ratione certa nititur. Deinde licet Deus multis modis teſtatum voluerit Chriſti innocentiam, voluit tamen etiam ac curavit, ut is ejuſmodi mortem, qualem peſſimi homines merentur, ſuſtineret. Eandem ſignificationem etiam Eſaiæ loco, de quo modo egimus, accommodari poſſe jam docuimus. Quanquam non eſt neceſſe, ut eodem plane modo vox *peccati* utrobique ſumatur; cum nihil conſtet Paulum ad iſtum Prophetæ locum reſpicere, aut eandem vocis ſignificationem ſervare. Recte etiam, admiſſa hac Socini explicatione, opponitur apud Paulum *peccatum* & *juſtitia*. Nam tractari ut peccatorem, & tractari ut juſtum, quorum illud voce *peccati*, hoc *juſtitiæ* verbo exprimitur, rectiſſime inter ſe opponuntur. Oppoſitio quoque inter verba: *Eum qui peccatum non noverat*, & illa, *Deus peccatum fecit*, optime conſtat, eſtque hujuſmodi: eum, qui non fuerat meritus, ut tanquam peccator ac divinæ Legis tranſgreſſor tractaretur, nihilominus tamen ita fuiſſe tractatum. Iſtiuſmodi enim mortis genus, Deo ita volente, ſuſtinuit, quod ſub Lege erat exſecrabile, & non niſi illis ex Dei mandato infligebatur, qui in ipſius Legem graviter deliquiſſent, quemadmodum in ſequentis loci examinatione videbimus. Itaque etiam ex Socini mente, plena eſt oppoſitio inter innocentiam Chriſti, reſpectu divinæ Legis, & id, quod peccati nomine deſignatur. Simili modo, Paulum quodammodo ſecutus, recte inter ſe opponeres, nos, qui eramus injuſti, juſtitiam Dei fieri, h. e. nos, qui in divinam Legem graviſſime peccaveramus, nihilominus ita à Deo tractari, ac ſi nihil unquam in ejus Legem deliquiſſemus. Eximium autem quiddam hic notat Apoſtolus. Eum enim Deus, qui erat innocentiſſimus ac ſanctiſſimus, tanquam nocentiſſimum diræ atque infami morti ſubjecit, pro nobis, qui ſceleribus noſtris extrema ſupplicia eramus meriti, idque in eum finem, ut ipſi Chriſto inſerti, & ſic novæ creaturæ effecti, tanquam juſti à Deo tractaremur, & ab ipſius ſuppliciis liberati immortalitatis præmio aliquando donaremur: quæ res non modo eximia eſt, ſed prorſus inaudita.

Subjicit Grotius Partic. 62: *Non multum diſſimilis eſt prioribus ille Pauli locus* Gal. 3. 13, *Chriſtus nos redemit à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum: Scriptum eſt enim: Maledictus qui pendet in ligno*, &c. tum oſtendit, Paulum per exſecrationem κατάραν intelligere ἐπικατάρατον: ἐπικατάρατον exſecrabilem autem eum, qui eſt ὑπὸ κατάραν ſub exſecrationem. Addit, Execrationem, fatente Socino, hoc loco ipſam exſecrationis pœnam ſignificare; hanc autem in Chriſto fuiſſe ipſam crucem. Unde concludit, crucem Chriſti pœnæ rationem habuiſſe.

Sed animadvertere debuit Grotius, Socinum, cum per Exſecrationem intelligi ait ipſam exſecrationis pœnam, de prioribus Pauli verbis loquutum eſſe, in quibus dicitur: *Chriſtus nos* (h. e. Judæos) *redemit ab exſecratione Legis.* Inde vero non ſequitur, idem prorſus intelligi debere in ſequentibus, ubi vox Exſecrationis ſimpliciter elata Chriſto quoque accommodatur, cum res ipſa unumquemque moneat, non eandem utrobique hujus vocis ſignificationem ſervari. Exſecratio enim Legis, à qua Judæos liberavit Chriſtus, ex mente Pauli, eſt mors æterna, quam peccatis ſuis promeruerant, cum ea ibidem opponatur juſtificationi, quæ eſt per fidem. At exſecratio, quam Chriſtus Dei voluntate ſubiit, fuit mors crucis, ut Paulus ipſe explicat, & Grotius agnoſcit, quæ ideo Exſecrationis nomine eleganter potuit appellari, quia genus hoc mortis ſub Lege Deo fuit exſecrabile, ſeu, quia ii demum, qui Deo eſſent exſecrabiles atque inviſi, hoc ſupplicii genere, Deo jubente, fuerunt affecti, etiamſi id in Chriſto exſecrationis divinæ rationem vere ac proprie non haberet, quemadmodum nec in Apoſtolis aliiſve martyribus, qui è ligno fuerunt ſuſpenſi, & ſic capitis ſupplicio affecti. Ideo autem hoc pacto loqui maluit Apoſtolus, ut comparatio inter id, à quo Chriſtus Judæos redemit, & id, quod ipſe pro iis hunc in finem ſuſtinuit, eſſet elegantior, & concinnior fieret oratio. Quemadmodum ſupra vidimus, vocem *judicii* apud Petrum 1 Ep. 4. 17 ſemel tantum poſitam, ad diverſa tamen ſubjecta relatam, diverſas ſignificationes, quamquam inter ſe aliquo modo ſimiles, ſortiri, & partim improprie, partim proprie uſurpari. Simile quippiam licet deprehendere in hac ipſa voce Exſecrationis, de qua diſputamus Hebr. 6. 8, ob comparationis, quæ ibi inſtituitur, concinnitatem. Minus enim proprie ibi dicitur, terram illam, quæ pluviis ſæpius irrigata, proferat ſpinas ac tribulos, exſecrationi eſſe vicinam, ejuſque finem eſſe ad combuſtionem. Ubi exſecratio, divinæ benedictioni, ut ex verſ. 7 patet, opponitur. At Deus terræ proprie loquendo haudquaquam maledicit

ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ideo, quia jam ſterilis ſit, & ſpem cultoris ſœpius fallat. Verum quia divinus Auctor alterum comparationis membrum omiſit, idque voluit ex eo, quod expreſſit, colligi, ideo verbis ejuſmodi eſt uſus, quæ improprie quidem ad terram, proprie vero ad homines ejuſmodi terræ ſimiles, quos ℣ſ. 4, 5, 6 deſcripſerat, referrentur, licet ea expreſſe ad illos non accommodentur. Comparationes nempe, ut ſuperius alicubi diximus, quibus addi poſſunt etiam oppoſitiones, multas pariunt figuras & tropos, atque inprimis metaphoras; & eas quidem interdum ejuſmodi, quales alibi in iiſdem dictionibus aut phraſibus haud temere inveneris: quia nonnunquam ex certa occaſione ſubnaſcitur ſcriptoribus nova aliqua loquendi ratio, quam alibi in iiſdem vocibus ne ipſi quidem facile uſurparent. Vide nonnulla huc pertinentia apud Piſcatorem in notis ad Hebr. 9. 23. Nos quoque ſupra vidimus exemplum hujus rei illuſtre apud Paulum Rom. 6. 10, 11, quibus addi poſſunt ℣ſ. 6, 7, 8 cui loco ſimilem eſſe diximus illum 1 Petr. 4. 1. His enim locis eadem verba, *crucifigi, mori, mori peccato, pati in carne, juſtificari à peccato, quieſcere à peccato, vivere Deo*, quorum nonnulla ſemel tantum ponuntur; nonnulla bis, diverſa ſignificatione ad Chriſtum, diverſa ad nos referuntur. Atque ut alia nunc omittam, exemplum habes perſpicuum apud eundem Paulum Rom. 14. 13, in voce *judicandi*. Sed dicet Grotius, etiamſi exſecratio ea, quam Chriſtus ſuſtinuit, ſpecie diſcrepet ab ea, à qua Judæos liberavit, genere tamen proximo convenire, nec minus proprie vocem hanc accipi in poſterioribus Pauli verbis, quam in prioribus, atque adeo utrobique veram pœnam intelligi. Verum præterquam quod id nulla ratione nititur, ut vel ex modo dictis conſtare poteſt, iſtud quoque obſtat, quod, ſi vox Exſecrationis, cum ad Chriſtum refertur, proprie foret accipienda, ſequeretur, Chriſtum chariſſimum atque innocentiſſimum Dei filium, Deo patri ſuo proprie loquendo fuiſſe exſecrabilem atque inviſum, idque tum, cum ei ſingulariſſima ratione obediret, & id præſtaret opus, quod erat in ſuavem odorem Deo, ob quod ab ipſo dilectus, & ad ſupremam gloriam evectus eſt Phil. 2. 8. Epheſ. 5. 2. Joh. 10. 17. Phil. 2. 9. Hebr. 2. 9. Nam, ut ipſemet Grotius docet, exſecrationem fieri, hoc loco eſt fieri exſecrabilem Deo. At iſtud de Chriſto proprie affirmare, non tantum abſurdum, verum etiam blaſphemum cenſendum eſt.

Nihil jam opus eſt reſpondere ad refutationem exceptionis cujuſdam, qua Grotius Partic. 63: Socinum uſurum ſuſpicatur, cum ea Socino nihil ſit opus. Concedimus autem, ut jam patuit, de Exſecratione divina hic ſermonem eſſe: ſed eam proprie ad Chriſti mortem accommodari negamus. Verba Moſis non ideo citantur à Paulo, quod ea ad Chriſtum proprie pertineant: (loquuntur enim proprie de iis tantum, qui ob ſua ſcelera Deo ſunt facti inviſi) ſed ut oſtendat, recte ſe dixiſſe, Chriſtum factum eſſe exſecrationem, ſeu, recte atque eleganter ſe ad id, quod Chriſtus pro Judæis perpeſſus eſt, exſecrationis vocem accommodaſſe, cum ii, qui ſecundum legem hoc ſupplicii genere afficerentur, Deo eſſent exſecrabiles.

Addit dictis ſuis Grotius Partic. 64: *Mortem ipſam, hoc eſt deſtructionem ejus perſonæ, quam corpus & animus conſtituunt, quatenus à Deo infligitur, ſemper aliquam habere pœnæ rationem, non quod Deo jus non ſit eam aliter homini infligere (eſt enim Dominus creaturæ) ſed quod ipſius bonitati aliter viſum fuerit.*

Siquidem Grotius, ut ex ejus verbis apparet, & argumentandi ratio poſtulat, verbum infligendi ita laxe ſumit, ut poſſit ad afflictiones etiam eas, quæ pœnæ aut vindictæ rationem non habent, referri, dictum ipſius merito negamus. Refellitur enim abunde exemplis Apoſtolorum, & aliorum Chriſti martyrum, quorum infinitus eſt numerus, qui, licet Deo certas ob cauſſas ita volente mortem fuerint perpeſſi, nihilominus tamen tantum abeſt, ut à Deo fuerint puniti, ut iis hoc à Deo donatum fuerit, ut pro Chriſto paterentur Phil. 1. 29, & digni haberentur, quorum afflictione ac morte ipſius nomen illuſtraretur, quemadmodum de hoc afflictionem genere loquuntur Apoſtoli Act. 5. 41.

Dictum ſuum declarans Grotius Partic. 65: *non negamus*, inquit, *hominem, cum conditus eſt, fuiſſe terrenum, cui adfuerit vis quædam vitalis, non autem vis vivifica, ut nos Paulus docet* 1 Cor. 15. 45, 46, *ac proinde eam fuiſſe corporis conditionem, ut Deo non ſuſtentante interitura fuerit: attamen ex divino decreto non fuiſſe eum moriturum, ſi in innocentia perſtitiſſet, contendimus.*

Si ad rem loquutus eſt Grotius, neceſſe eſt, ut in ejus verbis hominis nomine non tantum unus aliquis homo, nempe Adamus, qui primum à Deo fuit conditus, intelligatur, ſed homo in univerſum: cum hic non de morte primi hominis, ſed de quavis morte cujusvis hominis, quatenus à Deo infligitur, tum deinde ſpeciatim de morte Chriſti ſit ſermo. Jam vero ſi totum hominum genus intelligit Grotius, vel id vult, (quemadmodum ipſius verba præ ſe ferunt) nullum prorſus hominem fuiſſe moriturum, niſi is ipſe, qui moriturus eſt, peccaſſet; vel, neminem fuiſſe moriturum, niſi homines generatim, aut ſaltem primus eorum parens peccaſſet, licet interim fieri queat, ut innocentes etiam aliqui moriantur: Prius conſiſtere non poſſe, tum Chriſti, de quo inſtituta eſt diſputatio, tum infantium, tum denique omnium verorum Chriſtianorum exemplum docet. Neque enim veri Chriſtiani, hoc eſt ii, qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem ambulant ſed ſecundum ſpiritum Rom. 8. 1, 4, ideo moriuntur, quia peccaverint, & ſic pœnam fuerint meriti, quam moriendo perſolvant: quandoquidem ii à Deo juſtificantur, & eo loco habentur, quo homines juſti ac prorſus innocentes, eorumque peccata oblivioni tradi, & in profundum maris abjici dicuntur Jerem. 31. 34. Hebr. 8 & 10. Mich. 7. 19, adeo ut perinde ſit, ac ſi nunquam deliquiſſent. Moriuntur itaque vel naturaliter, vel violentâ quadam ratione, Deo id vel permittente, vel etiam nonnunquam curante ac volente, idque partim ob ſuam & Chriſti gloriam, cum hac ratione illuſtrem ſit habiturus materiam, potentiam ſuam in iis ex morte eripiendis oſtendendi; partim ad eorum in ſe fiduciam tanto magis exercendam atque explorandam; partim denique ad veritatem ſuam illuſtrandam, aliorumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hominum ſalutem promovendam, ut in martyriis inprimis contingit: quæ ipſa quoque res ad gloriam ipſius ſpectat. Quod ſi nonnulli ex Chriſtianis morte temporaria vere puniuntur, quos tamen juſtificatione penitus excidere veriſimile non eſt, ut videre licet 1 Corinth. 11.30, 31, 32. id ideo fit, quia ii Chriſtianorum hominum officium, quod eſt, ſecundum ſpiritum ambulare, non ea ratione, qua oportebat, præſtant, ſed veluti in confinio verſantur eorum, qui ſecundum carnem vivunt. Quo enim exactius præſtatur conditio nobis impoſita, eo etiam perfectius nobis præſtatur promiſſio, h. e. juſtificatio; & contra. Quod ad poſteriorem verborum Grotii ſententiam attinet, etiamſi id, quod in ea aſſeritur, concedatur, non tamen inde ſequitur, mortem cujuſvis hominis pœnæ rationem habere, niſi addatur, quemvis hominem ideo mori, quia peccatum ſive ſuum, ſive alienum ipſi fuerit à Deo imputatum, h. e. ipſe propter peccatum qualecunque dignus fuerit habitus, qui affligeretur, atque adeo moreretur. Atqui id ſuſtineri non poſſe, eadem, quæ nunc attulimus, docent exempla: cum nec Deus innocenti, qualis eſt Chriſtus & infantes, alienum peccatum umquam imputet, ut ſuo loco docebitur; nec minus repugnet juſtificationi noſtræ aliena nobis à Deo imputari peccata, quam noſtra ipſorum; nulloque pacto concedendum ſit, martyres, quorum morti æternum eſt propoſitum præmium, ob peccatum aliquod ſibi imputatum morte plecti. Poteſt autem alia ratione fieri, ut peccatum ſit cauſa mortis hominis alicujus, cui tamen interea peccatum iſtud non imputetur, iſque propterea morte haud quaquam puniatur. Primo enim fieri poteſt, ut ex eo, quia alii peccarunt, & pœnam incurrerunt, ad alios, qui innocentes ſunt, & quos punire nemo cogitat, etiam mors redundet, rei ipſius natura, quam Deus certas ob cauſas mutare nolit, ita ferente. Sic in pœnis, quæ à Deo toti alicui urbi, regioni aut populo, ab peccata infliguntur, qualia ſunt bella, fames, peſtis, incendia late graſſantia, aquarum eluviones, urbium everſiones, infantes etiam una ſæpe pereunt, aut etiam alii, quos punire velle Deum, haudquaquam ſtatuendum eſt, qua de re vid. inter alia Jon. 4. v. ult. Hinc angeli olim monuerunt Lothum Gen. 19. 15. ſurgeret cum ſuis, atque egrederetur, ne periret in civitatis iniquitate; non quod Deus illi peccatum civitatis eſſet imputaturus, eumque propter illud puniturus; ſed quia cum ſtatuiſſet urbem extemplo propter ipſius iniquitatem delere, Lothus quoque hac occaſione, ni mature exiret, periturus eſſet. Eodem modo Iſraëlitæ monentur Jerem. 51. 6. fugiant de Babylone, & ſervent quiſque animam ſuam, ne in ejus iniquitate pereant. Cui loco ſimilis eſt ille Apoc. 18. 4. de Babylone ſpirituali. Quod autem in ſuppliciis divinis contingit, id etiam in humanis non raro accidit. Qui enim ſunt paulo humaniores, ii cum urbem v. g. aliquam, ob injuriam ſibi ab ejus incolis aut magiſtratu illatam, oppugnant, & pœnam vindictamve repetunt, multa faciunt, quæ innocentibus quoque necem afferant, quibus tamen injuriam illam haud quaquam imputant, nec ullam pœnam cupiunt infligere, imo etiam libenter, ſi fieri poſſet, incolumitatem præſtarent. Atque ut propius ad id, de quo agendum nobis eſt, accedamus, idem perſpicere licet in morte, quæ ab Adamo ad poſteritatem ipſius, ex ejus peccato dimanavit. Nam cum is ob peccatum ſuum paradiſo excluſus, & uſu arboris vitæ, cujus beneficio vitam in ſeculum potuiſſet producere, privatus fuiſſet, terra præterea ipſius cauſa à Deo maledicta, ipſi labores corporis multiplicati, unde tandem mortem, ad quam fatente Grotio, natura pronus erat, conſequi erat neceſſe; idem malum conſequenter ad poſteros ſuos, utpote non ſecus, atque ipſe erat, mortales, arboris vitalis uſu jam deſtitutos, & terræ magno labore colendæ deſtinatos, propagavit, rei ipſius natura ita ferente. Neque enim neceſſe erat, ut ipſius quoque Adami poſteris peccatum parentis imputaretur: ſed ſatis erat ad id, ut moriendum illis eſſet, naturalem eorum conditionem non mutare, & eos ex iſto ſtatu, in quem parens inciderat, non eximere, quod ſine paterni delicti imputatione fieri poterat. Quemadmodum cum parentes ob ſuum aliquod delictum in ſervitutem incidunt, etiam liberi, qui ex ipſis naſcuntur, eam conditionem ſubeunt; aut cum opes, honores, privilegia, quæ ad poſteros ſuos propagare poterant, ſua culpa perdunt, poſteri quoque iis hoc pacto privantur: non quod illis alienum delictum imputetur, ſed quod res ipſa ita ferat. Raro ſane accidit, ut ex pœna, præſertim graviore, ad perſonas ſonti conjunctas, licet punienti alioqui chariſſimas, & pœna, ipſius judicio, indigniſſimas, non redundet aliquid mali, quód non pro pœna, ſed pro ejus conſequente ſeu effectu habendum eſt. Etiamſi autem ea, quam diximus, prima fuerit mortis in genus humanum introductæ origo, quæ poſtea propriis ipſorum delictis plenum in eos jus ac poteſtatem eſt adepta: Deus tamen in iis, in quibus omnem peccati vim extinxit, alias ob cauſas mortem temporariam, eamque non raro violentam reſtare voluit, quemadmodum de Chriſtianis hominibus docuimus. Præterea ea quoque ratione, citra imputationem alieni delicti, poteſt quis mortem alieni delicti cauſa ſubire, ſi Deus ipſum nocentem morte perſonæ conjunctæ punire velit, cujus rei exempla cap. 4. diſputationis noſtræ videbimus. Eſt enim ut Grotius hoc loco fatetur, Deo jus, etiam citra pœnæ rationem homini mortem infligere, cum ſit Dominus creaturæ abſolutus, ideoque licet ei morte hominis ad alterum puniendum uti: quo tamen jure non in quibuſvis perſonis unitur, ut ſuo loco docebitur: Denique ut alios quoſdam modos omittamus, poteſt quis peccati alieni cauſa, citra illius imputationem, adeoque citra pœnæ rationem, mortem violentiam Deo ita volente pati, quia homines à peccatis avocare, & ab iis malis, quæ ſceleribus ſuis ſibi accerſiverant, liberare conetur, eaque occaſione non tantum mortis diſcrimen, ſed ipſam etiam mortem incurrat, quemadmodum Prophetis, Apoſtolis, aliiſque Dei ſervis contingit: ſed perfectiſſima ratione Chriſto, qui non tantum ea occaſione, dum homines à peccatis retrahere, & ab eorum pœnis, pœnarumque metu liberare ſatagit, ſed in hunc plane finem, ut id fieret, mortuus eſt; quod quo pacto citra pœnæ rationem fieri potuerit, nos ſupra ex Sacris Literis abunde docuimus, & infra Deo dante, denuo docebimus.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sed prætereà non eſt id, quod Grotius hoc loco affirmat, ſimpliciter & abſque diſtinctione concedendum, ex decreto divino non moriturum fuiſſe hominem, ſi in innocentia perſtitiſſet, niſi decretum ejuſmodi, aut aperta ejus argumenta ex Sacris Literis proferat, quod an fecerit, in ſequentibus videbimus. Nos diſtinguendum hic arbitramur inter mortem æternam neceſſariamque & temporariam; ac temporariam rurſus eam, quæ prorſus eſt naturalis, & eam, quæ aliqua ratione violenta eſt aut præmatura; cum qua conjungere licet vitam miſeram, variaſque ærumnas atque afflictiones, quæ illius ſolent eſſe cauſæ, & nonnunquam mortis nomine in Sacris Literis inſigniuntur Exod. 10. 17. 1 Cor. 15. 31. 2 Cor. 1. 10. IV. 10, 11, 12. XI. 23. Et de morte quidem æterna ac neceſſaria ſimpliciter affirmari poteſt, eam non ſubiturum fuiſſe hominem, ſi in innocentia perſtitiſſet, ac Dei mandata ſemper cuſtodiviſſet: quin etiam de morte violenta aut præmatura, vitaque miſera idem, ſaltem generatim, aſſerere licet. Dico autem, *ſaltem generatim*; quia, de omnibus in univerſum non eſt id facile aſſerendum, niſi oſtendatur, peccato hominis non exiſtente, Deum nulla ratione permiſſurum fuiſſe, ut ejuſmodi aliquo caſu, cujuſmodi multi in vita, naturalibus prorſus de cauſſis, aut hominum ipſorum imprudentia exiſtunt, ut incendio, aquis, ruina, lapſu, ferarum laniatu, & ſimilibus aliis, quiſquam hominum vitam amitteret, nullamque extituram occaſionem, ut quis morti vitam ſuam objiciendo, vel aliorum commodis, vel divinæ gloriæ inſervire, & eo pacto virtutis edere ſpecimen, inſignemque ſibi apud Deum parare poſſet præmium, poſt mortem demum adipiſcendum. Quod ad mortem naturalem attinet, quæ tum demum advenit, cum eo uſque vita producta eſt, quouſque naturæ vi, omnibus illis, quæ Deus ad eam ſuſtentandam dedit, adminiculis adhibitis propagari poterat, quæque non externarum cauſſarum, non morborum, non ærumnarum laborumque violentia adfertur, ſed ipſa natura, ob mortalitatem ingenitam, & terreni corporis concretionem, paulatim deficiente exiſtit; hanc, inquam, ex Dei decreto nulli hominum, ſi in innocentia perſtitiſſent, eventuram fuiſſe, probandum eſt, præſertim multiplicatis jam per generationem hominibus, & in varias regiones extra paradiſum diſperſis, ubi non eadem aëris temperies, nec eadem vitæ producendæ adjumenta, quæ primo homini fuerunt à Deo conceſſa. Nam etiam ante ipſius lapſum dictum fuerat Geneſ. 1. 29: *creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam:* quæ ipſa quoque multiplicatio hominum per generationem argumento eſt, niſi decretum Dei contrarium oſtendatur, individua humana paulatim interitura, aliaque in aliorum locum ad conſervationem totius ſpeciei fuiſſe ſucceſſura :· cum generationis hic ſit finis naturalis, ut conſervetur ſpecies pereuntibus individuis. Unde in immortalibus non eſt generatio, quemadmodum docet ratio, & colligitur ex argumentatione Chriſti contra Sadducæos Luc. 20. 35, 36. Potuiſſet quidem Deus, vim naturæ ad interitum ſua ſponte inclinantis cohibere, eaque ratione efficere, ne homines unquam morerentur, aut etiam abſque morte eorum naturam tranſmutare, & ex mortalibus ſtatim immortales facere, quemadmodum iis continget Chriſtianis, qui in adventu Domini futuri ſunt ſuperſtites 1 Cor. 15. 51, 52: ſed id Deum omnino facturum fuiſſe, tum demum admittendum eſt, ubi id ex Sacris Literis probatum fuerit.

Ex his facile eſt reſpondere ad loca à Grotio allata, in quibus affirmatur, mortem peccati pœnam eſſe, aut per peccatum in mundum ingreſſam. Sermo enim in iis eſt, vel de morte æterna ac neceſſaria, vel de morte violenta, aut aliqua ratione præmatura, vel denique de vita miſera atque infelici: ac præterea non oſtendunt, mortem violentam, de qua nobis potiſſimum hoc loco agendum eſt, ideo, quia per peccatum in mundum fuit ingreſſa, nunquam à Deo citra pœnæ rationem cuiquam imponi. Sed tamen, ut res fiat clarior, & verus nonnullorum Scripturæ locorum ſenſus pateat, videamus quæ ſcribat Grotius Partic. 66.

Evincit hoc, inquit *ipſa creaturæ iſtius nobilitas atque eminentia, ut, quæ ſola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc eſt, mente, liberoque arbitrio prædita, quod fundamentum eſt dominationis ipſius in cæteras creaturas. Non poteſt enim rerum aliarum eſſe Dominus, qui ſuarum actionem dominus non ſit. Hæc igitur excellentia ſupra res cæteras argumento eſt, plus aliquid quam temporarium uſum in hominis creatione ſpectatum.*

At hoc, quod concludit Grotius, concedi poteſt, nec tamen inde ſequetur, hominem ne ad tempus quidem moriturum fuiſſe. Nam ad id, ut vere dici queat, Deum in hominis creatione plus aliquid quam temporarium uſum ſpectaſſe, ſatis eſt, eum conſtituiſſe, hominem, poſtquam mortuus fuerit, ad immortalem vitam aliquando reſuſcitare. Si dicat Grotius, ex hominis nobilitate conſequi, eum ne ad tempus quidem fuiſſe moriturum; id ratione aliqua ipſi comprobandum eſt. Nos enim, qui id conſequatur, nondum videmus. Imo ne illud quidem, ipſa rei natura inſpecta, ex iſta hominis nobilitate conſequi videmus, decretum Dei tale extare debuiſſe, quod prohiberet, ne homo in perpetua morte maneret, atque in eum ſtatum relaberetur, in quo fuit, antequam produceretur. Quid enim prohibet, eum, qui mente liberoque arbitrio eſt præditus, quique cæteris rebus terreſtribus dominatur, aliis infinitis ejuſdem ſpeciei individuis perpetua ſerie ſuccedentibus, & dominatum illum excipientibus, cum natura mortalis ſit, mori, in eaque morte manere? Quod ſi nihilominus tale Dei decretum de hominibus ab æterna morte atque interitu vindicandis; &, quod hujus conſequens eſt, immortalitate donandis, ſi in innocentia perſtitiſſent, extitit, id ſingulari ipſius benignitati adſcribendum eſt; cum ad eam rem nec vi eorum, quæ in ipſos in creatione contulerat, nec innocentiæ merito adigeretur.

Antequam ulterius progrediamur, duo monenda videntur: primum imaginem iſtam Dei, licet aliquo modo etiam in mente liberoque arbitrio conſiſtat, potiſſimum tamen conſiſtere in dominatione ſuper res terreſtres univerſas, quam Grotius illius imaginis conſequens videtur ſtatuere. Indicat id non tantum locus Gen. 1. 26, ubi primum imaginis iſtius Dei in homine fit mentio; ſed etiam verba Pauli

1 Cor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

1 Corinth. XI. 7, ubi viro tribuitur, quod ſit imago ac gloria Dei, & fœminæ ideo, quia ſub poteſtate viri eſt, tacite adimitur. Quod tamen reſpective, ut loquuntur, accipiendum eſſe, præter rem ipſam, dictus locus Gen. 1. 26, 27, 28 docet. Etiamſi enim mulier viri ſubſit imperio, & ſic non tam excellenti ratione imago Dei ſit, imperat tamen una cum viro cæteris rebus in terra univerſis. Nec mirum, imaginem ac ſimilitudinem Dei in homine in eo conſiſtere, quod, quemadmodum Deus eſt Rex ac Dominus rerum univerſarum ſimpliciter; ita homo rerum in terra univerſarum: cum Deus propter hoc ipſum imperium Deus dicatur, & ii, qui imperium aliquod ab ipſo in alios habent, Dii, aut filii Dei, tanquam ipſi ſimillimi Exod. 21. 6. XXII. 8, 28. Pſal. 82. 1, 6. Joh. 10. 34. Alterum, quod hic monendum putavimus, eſt, quod Grotius ait, hominem *ſolum* ad imaginem Dei conditum, cæteraſque res antecellere, id reſpectu rerum inferiorum tantum eſſe intelligendum: cum nemo neſciat, Angelos imaginem Dei præſtantiori modo, quam homines, referre, utpote qui non modo mente liberoque arbitrio ſunt præditi, ſed & immortalitate, potentia roboreque præcellenti, ſanctitate, ſapientia Deo ſunt ſimiles: unde etiam Dii ac Dei filii dicuntur Pſal. 8. 6. XCVII. 7, Job. 1. 6. Quod ideo monemus, quia ſi homo cæteris omnibus creaturis, nulla prorſus excepta, foret excellentior, id ſententiæ Grotii magis faveret, imo plus etiam, quam ipſe vult, evinceret. Inde enim concludere liceret, hominem natura quoque fuiſſe immortalem. Sed Deus hominem Paulo minorem angelis fecit, inprimis ratione mortalitatis, &, quæ cum illa conjuncta eſt, patibilitatis (ut ita loquar,) quemadmodum docet collatio Pſal. 8. 6 cum verbis Hebr. 2. 8. Et decuit ſane, cum jam extaret tale creaturæ rationalis genus, quod æternitatem non in tota ſolum ſpecie, verum etiam in ſingulis individuis ſervaret, alterius generis aliam eſſe hac in parte rationem.

Altera Grotii ratio eſt Partic. 67: *Jam vero illa divina voce quid clarius? Si comederis, morieris. De actu mortis hic agitur, ſive illa violenta eſſet futura, ſive citra violentiam. Ipſum ergo mori non erat eventurum homini, niſi peccati conditio extitiſſet.*

At verba iſta Dei, ſecundum myſticam interpretationem, ad quam Paulus Rom. 5 reſpicit, de morte æterna ſunt accipienda, de qua Grotius quoque inf. cap. 3 ea præcipue intelligit: at ſecundum ſenſum literalem ſeu hiſtoricum, mortis nomine intelligenda videntur omnis generis mala, quæ homini nem uſque ad mortem ſecutura eſſent, ſeu vita miſera atque infelix, quæ ipſam quoque mortem celerius, quam naturæ conditio poſtulat, accerſere ſolet. Nam poſtquam homo peccavit, Deus explicans quodammodo ſeipſum, &, quid per mortem in comminatione ſua intellexiſſet, declarans, ait: *Quia paruiſti voci uxoris tuæ, & comediſti de arbore illa,* &c. *Maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinaſque & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram: quia ex ea ſumtus es. Nam pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ubi mortis non tanquam pœnæ ſit mentio, ſed tanquam termini, ad quem uſque pœna ſit duratura, eique hominem ſubjectum declaratur, tanquam rei, quæ ipſius naturæ ac materiæ, ex qua conſtabat, propria ſit, & valde conſentanea. Quapropter hinc non ſequitur, hominem ne temporariam quidem naturalemque mortem fuiſſe ſubiturum, niſi peccaſſet. Deinde oſtenſum eſt à nobis ſuperius, etiamſi homo primus peccato ſuo pœnam mortis, quocunque tandem modo eam velis accipere, incurrerit, non tamen inde conſequi, omnem mortem pœnæ habere rationem. Adde, quod ne illud quidem ſequatur ex vi iſtorum verborum, *ſi comederis, morieris*, alia ratione fieri non potuiſſe, ut is ipſe, cui hæc comminatio fuit propoſita, moreretur, niſi comediſſet; etiamſi comeſtionis nomine omne peccati genus complectaris. Nam ſi verbi gratia dominus dicat ſervo, ſi quid gravius deliqueris, pugnare jubeberis cum beſtiis: non protinus inde ſequetur, eum, ſi nihil deliquerit, vel ſponte ſua idem facere non poſſe, virtutis oſtendendæ, & præmii alicujus, vel ſaltem gloriæ conſequendæ cauſſa, vel à domino id illi jure imperari non poſſe. Quid ſi enim aut herus ipſe, aut herilis filius, aut amicus, aut denique aliquis ex ſervis domino charus in beſtias incidat, & de vita periclitetur, non poterit ſervus iſte jure adigi, ut cum beſtiis pugnet, & ita illum periculo liberet? Hoc tantum ex hujuſcemodi comminatione conſequitur, cum, cui illa proponitur, poſſe iſtud malum, ſi nihil deliquerit, effugere, aut, ſi id nihilominus perpetiatur, pœnæ rationem id non habiturum. At quod pœnæ loco alias infligitur, poteſt etiam aliam ob cauſſam cuipiam ab eo, in cujus eſt poteſtate, mandari, aut etiam ſponte à quopiam ſuſcipi, ac in ipſius laudem aut ſingulare commodum vertere.

Tertia Grotii ratio eſt Partic. 68: *Non minus clarum & generale Pauli illud,* ſtipendium, *id eſt, pœna,* peccati mors Rom. 6. 23.

At Mortis nomine ibi non quævis mors intelligitur, ſed æterna, quæ ibidem vitæ æternæ, qua per Chriſtum à Deo donabimur, opponitur, & ſatis aperte indicatur, eos, qui peccati jugum excuſſerunt, ab ea morte immunes eſſe. At à morte temporaria, ſive ea ſit naturalis, ſive violenta, non ſunt immunes ii, qui peccati imperium excuſſerunt. Præterea cum Grotio concludendum ſit, quamvis mortem eſſe peccati ſtipendium, conſequentis fallacia in ejus argumentatione latet. *Stipendium peccati eſt mors: Ergo omnis mors eſt ſtipendium peccati.* Neque enim enunciatio affirmativa, eaque indefinite elata, univerſaliter convertitur. Nec eſt, quod quis ſuſpicetur, ſubjectum enunciationis Apoſtolicæ eſſe Mortem, prædicatum vero Stipendium peccati. Contra enim fieri, non modo verborum ordo, ſed etiam articulus voci ὀψωνίων ſeu ſtipendiorum præfixus indicat, quo vox θανάτυ *mortis* deſtituitur, cum articulus ſubjecti ſoleat eſſe nota, non prædicati: ac præterea res ipſa id poſtulet, cum hic non quid mors ſit, ſed quodnam peccati ſtipendium Apoſtolo fuerit explicandum. Nam cum inter ſe commiſiſſet ſervitutem Peccati, de quo eo capite multa per proſopopœiam differit, & ſervitium Juſtitiæ, ſeu ipſius Dei; fructum ac mercedem utriuſ-

que

que inter ſe confert, ac Peccatum quidem, ait, ſervis ſuis perſolvere ſtipendium, quod ſit mors: at Dei præmium, quod is ſuis ſervis, hoc eſt, juſtitiæ cultoribus ex mera benignitate perſolvat, eſſe vitam æternam, quam per Dominum Jeſum Chriſtum tum promiſerit, tum reipſa ſit præſtiturus.

Quarta Grotii ratio eſt Partic. 69: *Ante dixerat* (Paulus:) *Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervaſit. Omnes, inquit, homines. Agit ergo de communi humanitatis exitu. Per hominem ergo, id eſt ex facto humano, mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur (quotquot moriuntur) ita & in Chriſto omnes vivificabuntur (quotquot vivificabuntur)* 1 Cor. 15. 21, 22. *Quis vel ipſa verba legens non videat hanc ſententiam ad Corinthios iſti ad Romanos reſpondere ad amuſſim? Agitur ergo de morte, quæ communis eſt Adami poſteris, & ex qua reſurgunt qui reſurgunt.*

Locum Rom. 5. 12 de morte æterna accipiendum eſſe, jam antea monuimus. Patet id ex eo, quod Paulus eo loco promiſcue ponit, nunc mortem, nunc condemnationem, quæ noſtræ per Chriſtum juſtificationi opponitur. At juſtificatio noſtra per Chriſtum morti temporariæ non modo non opponitur, ſed etiam eam, & quidem violentam, non raro ſecum trahit. Probabile idem facit oppoſitio inter mortem hanc & vitam æternam per Chriſtum obtinendam, quæ extat v. ult. ubi Apoſtolus comparationem in poſteriori hujus capitis parte inſtitutam concludit. Præterea mors illa non ſimpliciter per unius hominis peccatum in omnes homines pertranſiiſſe dicitur, ſed *quatenus omnes peccaverunt*, quæ verba non debuit ommittere Grotius. Ex iis enim patet, Apoſtolum non agere de morte quorumvis hominum ſimpliciter, ſed eorum, qui Adamum peccando ſequuti, participes etiam facti ſunt pœnæ, in quam ipſe per peccatum ſuum incurrerat, quam cum ipſe Grotius præcipue velit eſſe mortem æternam, quæ dono per Chriſtum allato directe opponitur, cur non de hac potius, quam de temporaria loqui cenſeatur Apoſtolus?

Ex dictis illud quoque liquet, etiamſi concedatur, eundem prorſus eſſe ſenſum loci 1 Cor. 15. 21, 22, & iſtius ad Rom. nihil tamen id Grotii cauſſam adjuturum. Verum cum ipſe Grotius contendat, in loco ad Corint. de morte temporaria eſſe ſermonem, ex qua reſurgant, qui reſurgunt, de qua locum ad Rom. non loqui oſtenſum eſt, eos inter ſe diſſimiles eſſe, fateatur oportet: præſertim cum in loco ad Corinth. nulla fiat mentio peccati ſive ab Adamo, ſive ab iis, qui in ipſo moriuntur, admiſſi, cujus tamen utriuſque, tanquam propriæ mortis cauſſæ, fit mentio ad Romanos. Quare nihil eſt neceſſe, locum ad Corinth. de ejuſmodi morte accipere, quæ Adamo pœnæ loco fuerit impoſita, tantum abeſt, ut ea in omnibus hominibus, qui eam experiuntur, pœnæ rationem habeat. Hinc ſponte ſua jam concidit id, quod infert Grotius: *Quare & collato hoc loco cum illo ad Rom. agi hic de Adamo peccatore dicimus. Quod enim hic dixit Per hominem, ibi dixit Per peccatum.* Sumit enim pro conceſſo, eundem utriuſque loci eſſe ſenſum. Quamquam, etiamſi concederetur, de Adamo hoc loco ut peccatore agi, &, quod ibi dicitur, *per peccatum*, hic dici *per hominem*, non tamen inde ſequeretur, omnes qui per ipſum, ſive in ipſo moriuntur, ea morte puniri: cum oſtenſum jam ſit ſuperius, quomodo ex delicto Adami mors in cæteros homines potuerit manare, etiamſi ea non in omnibus hominibus pœnæ rationem habeat. Quod ſi pœnæ rationem ſemper habere debeat, neceſſe eſt illud addere, quod ad Rom. addidit Paulus, omnes in Adamo mori, *quatenus omnes peccaverint.*

Quæ ſubjicit Grotius Partic. 70: *Animalis Adami conditio viginti & ultra poſt verſibus ab Apoſtolo attingitur, alia plane occaſione* &c. Ea excipiendi potius quam argumentandi vim habent. Neque enim ſequitur: Apoſtolus de animali Adami conditione multis poſt verſibus alia plane occaſione agit: Ergo hoc loco, dum in Adamo omnes mori dicuntur, naturalis Adami conditionis non habetur ratio. Atqui argumentandum hic erat Grotio, & oſtendendum, de Adamo ut peccatore in verbis inter nos controverſis ſermonem eſſe. Quod ſi dicat, ſe ad argumentationem noſtram reſpondere, fruſtra eſt. Neque enim nos ita ratiocinamur: infra fit mentio naturalis Adami conditionis: Ergo & hoc loco: ſed ad rationem adverſariorum ex ℣. 21, 22 ductam excipientes, dicimus, non eſſe neceſſe, ut Paulus Adamum ut peccatorem ibi conſideret, cum poſſit ad naturalem tantum illius conſtitutionem reſpicere, quæ ipſum vi ſua morti reddebat obnoxium, atque adeo etiam eos omnes, qui ex ipſo fuerunt propagati: ſiquidem ex mortali non niſi mortalis naſcitur. Et, ne quis forte talem fuiſſe Adami conſtitionem ante lapſum neget, quemadmodum ſane ſunt plurimi, locum illum ejuſd. cap. 5. 45 & ſeqq. ad id comprobandum adducimus. Cætera, quæ de diſcrimine utriuſque loci ſubjungit Grotius, quia ea, quæ diximus, nullo pacto labefactant, prætermittimus.

Pergit Grotius Partic. 71, & ex libro Sapientiæ duos citat locos, quos Græce ab ipſo adductos, nos Latine adſcribemus. Prior extat cap. 1. 13 & ſeqq. *Deus mortem non fecit, nec delectatur perditione viventium. Creavit enim ut eſſent omnia, & ſalutares [ſunt] generationes mundi, & non eſt illis venenum perditionis, nec inferorum regnum in terra. Juſticia autem immortalis eſt. Impii vero manibus & verbis accerſiverunt eam: amicam exiſtimantes eam tabuerunt, & pactum poſuerunt cum ipſa, quia digni ſunt, ut illius ſint partis.* Poſterior vero extat cap. 2. 23, 24. *Deus creavit hominem ad incorruptionem* vel *in incorruptione* aut *integritate) & imaginem propriæ ſimilitudinis* (Græce *proprietatis*) *fecit eum. Invidia autem diaboli mors introivit in mundum. Tentant autem eam, qui illius partis ſunt.* Quibus ſubjicit Grotius: *Mortem hic quam Deus dicitur non condidiſſe, nec velle, voluntate ſcilicet peccatum antecedente, qualemcunque intelligi, oſtendit oppoſitum ἀφθαρσία, in cujus ſpem homo dicitur conditus, eaque ſpes pars fuiſſe divinæ imaginis, aut certe ejus conſequens, non obſcure indicatur. Ἀφθαρσία autem mortem omnem, ſive violentam, ſive non violentam excludit. Et quod Apoſtolus dixit, per hominem & per peccatum intraſſe mortem, auctor hic non minus vere dixerat, per diaboli invidiam mortem introiiſſe. Omnes enim iſtæ loquutiones idem factum notant, primum ſcilicet hominis peccatum diabolo ſuggerente commiſſum.*

Primum cum liber hic inter Apocryphos ſit, quem-

admodum ipſe Grotius indicavit, niſi ex aliis Sacrarum Literarum teſtimoniis veritatem ſententiæ ſuæ comprobet, quod eum non præſtitiſſe hactenus docuimus, ex eo libro indubitatum ejus rei argumentum petere non poteſt. Sed præterea non confirmant ipſius ſententiam verba ex eo libro adducta; cum Auctor iſte mortis nomine non mortem temporariam ac prorſus naturalem, imo ne violentam quidem omnem complectatur; ſed interitum miſerum atque infelicem, iis, qui eum ſubeunt, prorſus exitialem, qui tam triſte mortis ac perditionis nomen vere mereatur. Quandoquidem Auctor hic non obſcure, juſtorum è vita exitum, licet per tormenta fiat, mortem non eſſe appellandum docet, cum de illis ita loquitur cap. 3. 2, 3: *Viſi ſunt* (juſti) *in oculis inſipientium mori, & æſtimatus eſt exitus eorum calamitoſus, & diſceſſus à nobis exitialis: at illi ſunt in pace. Inſipientibus*, ait, eam *videri* mortem, non ſapientibus & recte rem æſtimantibus. Patet autem etiam ex initio ejus ſermonis, quem Auctor iſte de morte inſtituit, vid. cap. 3. v. 5 & ſeqq. eo nomine non eſſe intelligendam mortem naturalem ac temporariam, imo ne violentam quidem, in qua ii, qui eam ſuſtinent, pietatis ſuæ erga Deum edunt ſpecimen, quæque illis in virtutis cedit præmium. Eo enim loco, qui extat verſ. 12. cap. 1, ad cujus comprobationem verba à Grotio adducta ſtatim ſubjiciuntur, monet Auctor iſte homines, ut vitent mortem, caveantque ne ſceleribus ſuis eam accerſant. Atqui mors ea, quæ omnibus hominibus communis eſt, vitari non poteſt, nec minus eam incurrunt pii quam impii. Idem indicant illa, in quibus per quandam oppoſitionem juſtitia immortalis dicitur, nempe quia in cauſa ſit, ut homines eam mortem, de qua ſermo eſt, effugiant. Arguunt etiam illa: *Impii autem manibus & verbis accerſiverunt illam*, ſeu mavis *illum*, ut ad infernum, qui ibidem pro morte ac perditione reponitur, referatur: cum ſit in Græco αὐτὸν, quod tam ad ᾅδην quam ad θάνατον poteſt referri. At quomodo impii illi, qui cap. 2 ab eodem auctore deſcribuntur, mortem naturalem ac temporariam, quæ jam ab ipſo initio omnibus hominibus incubuerat, & porro omnibus neceſſario imminebat, acerſiverunt? Quod ad rationem Grotii attinet, ex voce ἀφθαρσίας *incorruptibilitatis* ductam, quæ quidem priori loco non extat, ſed vox ἀθάνατος, in verbis, *juſtitia autem immortalis eſt* Gal. 6. 8. 2 Petr. 2. 12, dicimus, cum vox φθορᾶς ſeu corruptionis, quemadmodum etiam θανάτου ſeu mortis, non ſemper mortem naturalem ac temporariam ſignificet, ſed nonnunquam æternam, ac vere miſerum infelicemque interitum; ἀφθαρσίαν illi oppoſitam ita ſumi poſſe, ut immunitatem non à morte & corruptione quavis, ſed ab ejuſmodi interitu, qualem jam diximus, ſignificet, præſertim iis in locis, ubi circumſtantiæ id non modo patiuntur, verum etiam ſuadent, quemadmodum hoc loco contingere docuimus. Quare Grotio, qui eam vocem latius putat extendendam, ratio ſolida eſt afferenda, qua probetur, id hoc loco omnino fieri oportere. Quod ſi vim vocabulorum iſtorum Græcorum nimium urgere velit, & nihilominus eam ἀφθαρσίαν *incorruptibilitatem* ſeu ἀθανασίαν *immortalitatem* homini, quam diu in innocentia perſtitit, tribuere, inde colligetur, in Adamo, quamdiu in innocentia perſtitit, ne naturalem quidem moriendi fuiſſe poſſibilitatem, contra quam ſupra faſſus eſt Grotius. Hæc enim genuina iſtarum vocum vis eſſe ſolet, ut vel ex locis Novi Teſtam. ubi extant, patet. Vide Rom. 2. 7. 1 Cor. 15. 42, 50, 52, 53. 1 Tim. 6. 16. 2 Tim. 1. 10. Adde quod tum Grotii, tum ipſius Auctoris verba, dum ait, hominem conditum ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, *ad incorruptibilitatem*, vel *incorruptibilis*, ita comparata ſint, ut etiamſi ἀφθαρσίαν in perfecta, quam modo explicuimus, ſignificatione accipias, quæ naturalem moriendi poſſibilitatem excludit, inde tamen non ſequatur, hominem, niſi peccaſſet, temporariam mortem non ſubiturum. Potuit enim homo ad incorruptionem, ſeu, ut Grotius loquitur, in ſpem illius, eſſe conditus, & tamen interea, dum eam reipſa conſequeretur, vel naturaliter vel violenta ratione mori, quemadmodum Chriſtianis hominibus accidit, qui in eam ſpem ſunt regeniti 1 Petr. 1. 3, 4. Non eſt autem neceſſe, verba Auctoris, qui ait, Deum *non delectari perditione viventium*, reſtringere ad voluntatem peccatum antecedentem: ſiquidem Deus apud Ezechielem cap. 18. & 33 teſtatur, etiam impii mortem ſe non velle, vel potius non deſiderare, eave delectari. Unde Grotius inf. cap. 2. ait, Deum ipſum dicere, ſe pœna eorum, qui puniuntur, non delectari. Nec debuit Grotius pro verbo *delectari*, quod eſt apud hunc Auctorem, reponere *velle*, quod ſua vi iſto lenius eſt; licet alioquin interpretes in illo Ezechielis loco eodem ſenſu verbum iſtud uſurpent, quo hic Auctor verbum *delectari*. Neque etiam certum eſt, id, quod Auctor dicit, diaboli invidia mortem introiviſſe in mundum, ad primi hominis delictum, diabolo ſuggerente commiſſum, ex Auctoris hujus mente, reſtringi debere: cum id rectius ad impiorum iſtorum, quos cap. 2 deſcribit, ſcelera, diabolo impellente deſignata, referatur. His enim cap. 1, in verbis à Grotio citatis tribuitur, quod mortem, quam Deus non condiderit, manibus ac verbis accerſiverint ſeu advocarint. At Adamum in iſtorum impiorum numero reponere nemo audebit, qui ea, quæ de illis cap. 2 ſcribuntur, conſideraverit; præſertim cum nec alias Sacræ Literæ impii nomen ei tribuant, nec propter unum iſtud factum tribuere conveniat: ſiquidem ea vox denotat hominem, qui apertum quendam divinæ majeſtatis contemtum ſpiret, atque in ſcelere aliquo contumaciter perſeveret. Adde quod Auctor iſte ſatis aperte indicet principio cap. 10, quod conferendum eſt cum fine cap. præcedentis, Adamum ſapientia divina ſervatum, atque à delicto ſuo, ejuſve pœna, liberatum eſſe; adeo ut Auctor hic non videatur ſtatuere, mortem veram, quam hoc loco intelligendam docuimus, actu ipſo in mundum per Adamum ingreſſam. Non repetimus id, quod jam non ſemel diximus, ex eo non ſequi, quamvis mortem pœnam eſſe, quia mors per peccatum in mundum introiverit, etiamſi tandem mortem temporalem quamcunque hoc nomine intelligas.

Sed ad rationem quandam noſtram, qua probamus, non de quavis morte hic eſſe ſermonem, reſpondere conatur Grotius Partic. 72, verum eam non recte proponit, dum ita ſcribit: *Nec obſtat, quod auctor hic ſpecialem quendam mortis effectum circa impios*

pios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pios notat. Neque enim de ſpeciali mortis effectu circa impios loquitur Auctor, ſed de ſpeciali quadam morte, quam impii demum acceſſiverint, atque in ſe experiantur, quam nec naturalem mortem, nec violentam omnem eſſe oſtendimus. Id quod Grotius effectum mortis vocat, id Auctor iſte mortis nomine comprehendit. Quare nihil eſt opus, Grotii reſponſionem ad objectionem illam, quæ noſtra non eſt, examinare, præſertim cum in ea nihil ſit, quod ſententiam noſtram labefactet; ſed ſimpliciter pro conconceſſo ſumatur, mortem, intellige quamvis, per peccatum in mundum ingreſſam.

Quod ait Grotius Partic. 73: *Et Judæorum veterum & Chriſtianorum perpetuam hanc fuiſſe ſententiam, mortem qualemcunque hominis peccati pœnam eſſe*; id etiamſi ita ſe haberet, nos movere tamen non deberet, ad eam ſententiam, quæ manifeſtiſſimis rationibus refellitur, amplectendam. Multitudo errantium, ut vulgo recte dicitur, non parit errori patrocinium. Sed de perpetua illa Chriſtianorum ſententia, eorum nempe, qui poſt Apoſtolorum tempora extiterunt, (nam de ipſis Apoſtolis, & iis, qui veritatem hac in parte ab iis acceptam retinuerunt, id prorſus negamus) dubitandi cauſſam ipſe nobis præbet Grotius, dum Pelagium & Cœleſtium, quorum ſententiæ non pauci alii ſunt adſtipulati, contrarium ſenſiſſe ſcribit. Quod ſi eos Grotius Chriſtianorum nomine non dignatur, neceſſe eſt ut oſtendat, eos fidem in Chriſtum vivam ejuſque fundamentum ſuis ſententiis evertiſſe, & ejuſmodi dogma propugnaſſe, quod cum ea nullo modo poſſet conſiſtere, qua de re nobis nondum conſtat. Graviter quidem eos erraſſe oportuit, ſi eæ fuerunt illorum de rebus quibuſdam ad religionem pertinentibus ſententiæ, quæ illis ab adverſariis tribuuntur; atque in hac ipſa re, de qua nunc agimus, eos fuiſſe lapſos, ſtatuendum eſt, ſi, ut Grotius ſcribit, aſſeruerunt, *mortem non ex inſidiis fluxiſſe peccati, ſed exegiſſe eam penitus legem immutabilis conſtituti.* Nam præterquam, quod verba iſta nimis generaliter ſint prolata, poſſintque etiam de morte æterna, & quacunque alia, quam Deus pœnæ loco hominibus ſoleat infligere, accipi; nullo modo admittendum eſt, mortem naturalem ac temporariam penitus exegiſſe Legem immutabilis conſtituti. Potuit enim homo, ut ſuperius jam docuimus, divina benignitate ab ea conſervari. Quia Grotius Judæorum quoque veterum fecit mentionem, libet hic adſcribere verba Joſephi, ex quibus ſatis apparet, eum id minime crediſſe, quod illos ſtatuiſſe ait Grotius. Ea vero extant lib. 1. Antiq. cap. 3, vel ſecundum Gelenium cap. 2, ubi inter alia Deum introducit primos parentes poſt lapſum ſic alloquentem: *Equidem proſpexeram vobis, quomodo vitam felicem, omniſque mali expertem viveretis, nulla nova cura in animo ſolicitati, omnibus, quæcunque ad uſum ac voluptatem conferunt, ſua ſponte vobis provenientibus, mea unius providentia, citra omnem veſtrum laborem: quibus fruentes vos neque ſenectus celeriter opprimeret, & vita diuturna quam longiſſime proferretur,* &c. Ita ergo Joſephus credidit primos parentes, niſi peccaſſent, æternum victuros, quod ſenectus ac mors quam longiſſime differri debuiſſet, non autem quod nunquam fuiſſent morituri.

Ad ἀνακεφαλαίωσιν argumentorum Grotii, cum ſingula ſeparatim examinaverimus, nihil attinet reſpondere. An Socini interpretationes à perpetuo vocum uſu citra exemplum recedant, ut ipſi Grotius objicit, an ſignificationi, quam Grotius urget, nulla obſtet ratio, partim ex dictis æſtimare Lector poterit, partim ex iis, quæ in ſeqq. capp. opem ferente Domino diſputabuntur, conſtabit.

Accedit ad finem ſatiſfactionis Grotius Partic. 74, quem duplicem conſtituit, *Juſtitiæ divinæ demonſtrationem, & Peccatorum remiſſionem quoad nos, hoc eſt, impunitatem noſtram.* Utrumque, non quidem ſatiſfactionis, quæ non eſt oſtenſa, ſed mortis Chriſti finem nos admittimus, quamquam priorem alio ſenſu quam vult Grotius. Is enim, licet Juſtitiæ Dei nomine intelligat ejus Rectitudinem, quam noſtra quoque ſententia, ut mox apparebit, complectitur: eam tamen poſtea explicans, & aliquo modo reſtringens, illam Dei proprietatem ait intelligendam, quæ ipſum moveat ad puniendum, & quæ in ipſa punitione demonſtretur, quam etiam appellat τὸ ἀνταποδοτικὸν Dei. Itaque cum mors Chriſti ex ipſius ſententia pœna fuerit, ei divinitus impoſita, hoc pacto divinam juſtitiam demonſtratam eſſe arbitratur. Nos juſtitiæ divinæ nomine, ad cujus demonſtrationem mors Chriſti pertinuiſſe in Sacris Literis dicitur, intelligimus primum fidem & conſtantiam Dei in ſervandis promiſſis, quæ juſtitiæ ſuum cuique tribuentis, ac Rectitudinis, quæ itidem Juſtitiæ nomine in Sacris Literis appellatur, pars magna eſt; deinde juſtificationem, ab hac ipſius fidelitate in nos proficiſcentem; qua de re agetur inferius. Interim id memoria repetendum eſt, quod initio hujus diſputationis monuimus, ſi ad juſtitiam Dei ἀνταποδοτικὴν, ut quidem Grotius ſentit, pertineat recti ordinis conſervatio, & cura boni communis; eam morte Chriſti, ex noſtra ſententia, inſigniter demonſtratam. Addimus nunc, etiamſi juſtitiæ divinæ nomine, quæ morte Chriſti ſit demonſtrata, proprietas Dei ejuſmodi foret intelligenda, quæ ipſum ad puniendum moveat, non tamen inde conſequuturum, nos ideo, quia Chriſti mortem pœnam divinitus ipſi inflictam fuiſſe negamus, oſtendere non poſſe, quomodo iſtiuſmodi juſtitia morte Chriſti fuerit demonſtrata, aut quo pacto ejus demonſtratio, mortis Chriſti finis queat appellari. Docuimus enim ſuperius mortem Chriſti ſeveritatis divinæ, qua ſit uſurus adverſum impios & in peccatis contumaciter perſeverantes, magnum præbere argumentum. Neque enim, ut mors Chriſti juſtitiam iſtam demonſtrare poſſit, neceſſe eſt, eam ipſam eſſe punitionem, & proprium illius juſtitiæ effectum: cum poſſit res aliqua, aliis quoque rationibus, quam per proprium effectum, demonſtrari, quod in hoc negotio à nobis eſt oſtenſum. Paulus ad Philippenſes ſcribens cap. 1. 28, cum de ipſorum in afflictionibus conſtantia loquutus eſſet, addit: *quod illis (adverſariis) quidem eſt demonſtratio perditionis, vobis autem ſalutis*, & 2 Theſſ. 1. 5 de eadem re agens, ait: [*quæ res*] *demonſtratio eſt juſti judicii Dei, ad hoc ut vos digni habeamini regno Dei, pro quo etiam patimini* &c. At neutro in loco id, quod demonſtratio dicitur, effectus eſt ejus rei, cujus dicitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dicitur eſſe demonſtratio. Quid? quod ne hoc quidem ad id, ut demonſtratio juſtitiæ divinæ mortis Chriſti finis eſſe queat, requiratur, ut ipſa Chriſti mors ſit iſta demonſtratio, aut in ipſa demonſtratio hæc fuerit peracta, cùm media à fine ſint diſtincta, non tantum ratione, ſed ſæpe etiam re ac ſubjecto; ſed ſatis ſit, mortem Chriſti eo facere, ut juſtitia illa manifeſte pateſiat, eamque ad rem aliquid adferat adjumenti, licet ea demonſtratio in re alia, alioque tempore fiat. Satis eſt verbi gratia ut mors Chriſti pariat inſignem materiam & occaſionem juſtitiam iſtam demonſtrandi: quemadmodum ſane præbet etiam juſtitiæ illi punienti. Nam qui tam illuſtri divinæ charitatis erga genus humanum peccatis onuſtum, & Fœderis Novi, in quo gratuita juſtificatio fide obtinenda omnibus offertur, demonſtratione, non movetur ad Deum viciſſim amandum, & Fœdus iſtud amplectendum, is plane eſt inexcuſabilis, eumque Deus juſtiſſime punire poteſt, & in ipſo ſeveritatis ſuæ documenta omnibus ſpectanda proponere. Quare poſſemus ea, quæ Grotius hoc loco ſcribit, præterire, & concedere, locum Rom. 3. 25, 26, quem is pro ſententia ſua adducit, de juſtitia Dei puniente accipiendum, ejuſque demonſtrationem mortis Chriſti finem ibidem dici. Verum ut tum hujus, tum aliorum quorundam Scripturæ locorum, quos Grotius de Dei juſtitia adverſus Socinum differens allegat, verus ſenſus pateat, & ſimul oſtendatur, nihil hic eſſe, quod ſententiæ de ſatiſfactione faveat, imo potius eam cum divinæ juſtitiæ demonſtratione pugnare, videamus quæ ſcribat.

Si ſumas, inquit Partic. 75, *pœnæ exactionem imperſonaliter, finis ejus eſt divinæ juſtitiæ demonſtratio, ſi vero perſonaliter, hoc eſt cur Chriſtus ſit punitus, finis eſt ut nos impunitatem conſequeremur.*

Primo, nullam hic punitionem, intellige proprie dictam, oſtendere potuit Grotius, ut hactenus viſum eſt. Rei autem non exiſtentis nullus eſt finis. Deinde ſi extitiſſet, non protinus demonſtraſſet juſtitiam divinam. Non enim id ſimpliciter juſtitiam alicujus demonſtrat, quod puniat, & quidem ob peccata vera, ſed quod eum puniat, qui meritus eſt, & modum in puniendo ſervet eum, qui delictum non ſuperet, ſeu non ultra meritum puniat. At neutrum horum, ſi Grotii ſententia vera eſt, hoc loco factum eſt. Nam primum nocentibus ſponte dimiſſis, innocentiſſimus eorum loco punitus dicitur. Deinde cum Chriſtus omnium prorſus hominum loco punitus aſſeratur, ac pro univerſis eorum delictis ſatiſfeciſſe, interim tamen maximæ hominum parti peccata non remittantur, ſed pœnæ commeritæ ab illis ipſis, qui deliquerunt, exigantur; an non quicquid illorum nomine Chriſto inflictum eſt pœnarum, æqualitatem, quæ inter pœnam & delictum eſſe debet, ſuperat, atque adeo injuſte fuit exactum? Niſi forte dicere velis, jam non poſſe Deum jure, adeoque nec velle, ab ipſis peccatoribus, licet non reſipiſcant, tantum exigere pœnarum, quantum alias mererentur, quia Chriſtus pœnas pro illis perſolverit: quod ſi ſtatuas, jam fatendum tibi erit, mortem Chriſti etiam abſque fide ac reſipiſcentia hominibus prodeſſe ad immunitatem à pœnis, & quidem non ab aliquibus tantum, ſed ab omnibus, ſi, ut creditur, Chriſtus pro omnibus prorſus peccatis vere ſatiſfecit, ac pœnas pependit. Nihil de eo nunc dico, quod ii ipſi, quibus ſatiſfactio Chriſti fide interveniente dicitur applicari, nihilominus interdum pœnis temporariis afficiantur, &, ſi Grotii ſententia, quam paulo ante vidimus, vera eſt omnes morte temporaria puniantur. Quomodo ergo pro omnibus eorum delictis juſte fuit à Chriſto exacta ſatiſfactio? niſi forte dicas, pœnam Chriſti ſolam ad perfectam eorum impunitatem non ſuffeciſſe, qua ratione nec ſatiſfactio erit. Quare tantum abeſt, ut ejuſmodi punitio ſit demonſtratio divinæ juſtitiæ, aut hæc illius finis, ut una potius alteram evertat. Præterea, etiamſi punitio illa Chriſti divinæ juſtitiæ revera non repugnaret, non tamen hujus demonſtratio finis iſtius eſſe poſſet, ea præſertim ratione, qua vult Grotius, nempe ut ea demonſtratio in Chriſti morte, tanquam in proprio juſtitiæ illius effectu, cenſeatur peracta. Nam ſi Deus rem tam arduam fecit juſtitiæ ſuæ demonſtrandæ cauſſa, neceſſe eſt, ut ea non tantum ab injuſtitiæ crimine poſſit defendi, ſed etiam ut ex ea unicuique facile ſingularis Dei juſtitia appareat, non vero ita res ſit comparata, ut dubitari merito poſſit, juſtane ſit nec ne. At ejuſmodi non eſt punitio innocentiſſimi pro nocentibus, & quidem iis, quos punire foret promtiſſimum, quod ſpeciem ſaltem injuſtitiæ habere, ne ipſi quidem diffitebuntur adverſarii: præſertim cum alias à viris doctis diſputari ſoleat, liceatne alterum alterius loco corporali pœna afficere; eaque re Deus olim in Lege ſua magiſtratibus interdixerit Ezech. 18: de ea tanquam iniqua conqueſti fuerint Iſraëlitæ apud Prophetam, nec Deus eam æquam eſſe reſponderit, ſed potius ea ſe non uſurum, neque adeo uti, aſſeruerit. Quare cum hæc res ſpeciem ſaltem tantam injuſtitiæ habeat, eamque ab hoc crimine defendere ſit neceſſe, quomodo ea juſtitiæ divinæ demonſtrandæ cauſſa facta dici poteſt? Verum injuſtum id prorſus eſſe, cap. 4 oſtendetur. Nunc porro videamus, quomodo ſententiam ſuam probet Grotius.

Finis prior, inquit Partic. 76, *indicatur à Paulo cum dicit de Chriſto: quem Deus conſtituit placamen* (*per fidem* omiſit Grotius) *in ſanguine ipſius ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, propter diſſimulationem peccatorum præcedentium in tolerantia Dei. Deinde addit verbis prope iiſdem repetitis: ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ hoc tempore, ut ſit ipſe* (omiſit Grotius voces *juſtus, &*) *juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu* Rom. 3. 25, 26. *Hic proxime ſanguini, id eſt, cruentæ morti connectitur finis* εἰς ἔνδειξιν δικαιοσύνης αὐτοῦ.

At hic nec ſatiſfactionis, nec punitionis Chriſti, cujus finis explicetur, fit mentio, ſed primo placaminis, ut vertit Grotius, ſeu propitiatorii, de qua voce inf. cap. 7 agetur, & nullum ad ſatiſfactionem iſtam demonſtrandam robur habere oſtendetur; tum ſanguinis, hoc eſt, mortis cruentæ Chriſti, cui finem iſtum vult adſcribi Grotius. Deinde nulla hic fit mentio juſtitiæ divinæ punientis, ſeu iſtiuſmodi proprietatis, quæ eum ad puniendum moveat. Præterea ex verbis Pauli non ſequitur, ſanguinem Chriſti eſſe illam ipſam divinæ juſtitiæ demonſtrationem, aut eam in ipſo fuiſſe peractam, multo minus ſangui-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nem iſtum, ſeu mortem cruentam, proprium fuiſſe illius juſtitiæ effectum. Quod etſi ex iis, quæ paulo ſuperius diximus, manifeſtum eſt, tamen ex eo quoque cernere poteſt Grotius, quod eadem illa verba, *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ*, proxime etiam ſubjiciantur illis: *propter diſſimulationem præcedentium peccatorum in tolerantia Dei.* Atqui tantum abeſt ut Grotius concedat, vel tolerantiam Dei, vel diſſimulationem peccatorum ante factorum in iſta Dei tolerantia, eſſe effectum ejus juſtitiæ proprium, & hanc in illa demonſtratam, ut alteram potius alteri opponat, quemadmodum ex ſequentibus erit manifeſtum. Adde quod, etiamſi verba *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ* proxime connectantur ſanguini, non tamen neceſſe eſt, ut ad ſanguinem vel ſolum vel præcipue referantur, licet id alias concedi poſſit, nec quicquam ſententiæ noſtræ obſit. Poſſunt enim rectiſſime ad totum id referri, quod præceſſit, atque inprimis ad id, quod Deus Chriſtum *per fidem*, non vero per opera Legis, conſtituerit propitiatorium, quemadmodum in lege ac Prophetis promiſerat ℣ſ. 21, 22: unde fides ac juſtitia ejus poſtulabat, ut promiſſum exſolveret.

Sed, aliis miſſis, probare conatur Grotius Partic. 77, hic juſtitiam illam Dei, quæ eum ad puniendum moveat, intelligendam. Cui rei probandæ fundamenta quædam ſubſternit. Primum ait: *Juſtitiæ Dei vocabulo non ea intelligenda eſt juſtitia, quam Deus in nobis operatur, aut quam nobis imputat, ſed ea quæ in Deo eſt: ſequitur enim: ut ſit ipſe juſtus, id eſt, ut juſtus eſſe apparet.*

At Apoſtolus verbis, *Ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ hoc tempore*, non tantum ſubjunxit illa, *ut ſit ipſe juſtus*, ſed etiam iſta: *& juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu*, quæ verba non debuit omittere Grotius, & ſic tacite pro conceſſo ſumere, ea nihil ad explicationem iſtius juſtitiæ Dei pertinere. Nam licet verum ſit, juſtitiæ Dei vocabulo illam potiſſimum hoc loco intelligendam, quæ in ipſo Deo reſidet; nil tamen prohibet, quominus Apoſtolus etiam juſtificationem noſtram per fidem, eodem nomine comprehendere voluerit, & ſic tum cauſſam tum effectum eadem voce exprimere, quamquam illam primo, hunc vero ſecundario, & veluti conſequenter, quod ipſo verborum ordine videtur ſignificaſſe, dum juſtitiam illam Dei explicans primum ait, *ut ſit ipſe juſtus*, juſtitiam nempe in Deo reſidentem deſignans, deinde vero, *& juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu.* Neque vero abſurdum cenſeri debet, ſed potius elegans, & ſacris ſcriptoribus, quos multa paucis comprehendere convenit, dignum, ut eadem verba duplicem habeant ſenſum, quorum unus ex altero, rei natura inſpecta, ſit aptus, aut ei analogus, alterque altero ſit potior; maxime ſi ex verborum contextu de utroque conſtare poſſit, ut hoc loco accidit, ubi Apoſtolus ipſe verba ſua explicat. Et ne nunc Propheticos ſermones allegem, in quibus, ut vulgo etiam notum eſt, ſæpe duplex eſt ſenſus, alter hiſtoricus, alter myſticus; alter literalis, figuratus alter; etiamſi interdum uterque ad eandem perſonam pertineat, quemadmodum accidit in illo Eſaiæ loco cap. 53. 4, qui tum de morbis corporis, tum de morbis animi, ſeu peccatis loquitur, ut partim ex Matth. 8. 17 conſtat, partim ex 1 Petr. 2. 24 & ſeqq. colligi poteſt, quemadmodum omnes agnoſcunt: Ut, inquam, iſtos mittam, habemus hujus rei exemplum in hac ipſa ad Rom. Epiſtola cap. 6. 8, ubi verba *ſimul vivemus cum eo*, nempe Chriſto, partim ſignificant, quemadmodum Chriſtus nunc vivit vitam novam, ita nos vitam novam, hoc eſt, piam ac ſanctam acturos, vel potius (nam hæc futurorum apud Hebræos vis non raro eſſe ſolet) agere debere, ut ex ſcopo & cæteris Apoſtoli verbis tum antecedentibus tum ſubſequentibus eſt manifeſtum: partim etiam ſignificant, nos una cum Chriſto immortalis vitæ olim fore participes, ut indicat vox *credimus* iis præfixa, quæ de re ad officium noſtrum pertinente, qualis eſt vita pia, ad quam ibi nos hotatur Apoſtolus, non ſatis commode adhibetur, nec alibi temere eo modo uſurpata reperitur. Hic ideo uſurpata cenſeri debet, ut, cum ad priorem ſenſum non ſatis recte poſſet accommodari, indicio eſſet, aliam adhuc iiſdem verbis ſubeſſe ſententiam. Idem fieri videtur in voce *reſurrectionis*, verſu quinto ejuſdem capitis, quæ & de ſpirituali reſurrectione, ad vitam Deo dignam, quæ in hoc ſeculo perfici debet, & de reſurrectione ad vitam immortalem, olim demum futura, ſimul rectiſſime accipitur. Aliud exemplum habes 1 Corinth. 10. 16, in nomine *corporis Chriſti*, quod partim pro corpore ipſius proprie dicto, partim pro myſtico, ſimul accipitur. Iſtud requirit oppoſitio inter corpus & ſanguinem Chriſti: hoc poſtulant verba ſequentia: *quia unus panis, unum corpus multi ſumus.* Ut igitur ad locum noſtrum redeamus, non eſt mirandum, vocabulum juſtitiæ divinæ duplici modo ſimul accipi: & per illam Dei juſtitiam, qua ipſemet juſtus eſt, intelligi, ut Beza quoque voluit, fidelitatem ac conſtantiam in ſervandis promiſſis, ſeu veracitatem, quam Grotius ipſe inferius fatetur hoc nomine ſæpe denotari, cujus rei exemplum reperitur ſupra hoc eodem cap. verſ. 5, ubi juſtitia Dei dicitur id, quod verſ. 3 fides Dei, ℣ſ. 7 veritas Dei. Quin etiam in loco 1 Joh. 1. 9, qui ad hunc noſtrum illuſtrandum non parum facit: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt (Deus) & juſtus, ut remittat nobis peccata, & repurget nos ab omni iniquitate.* Ubi particula *Et* in utraque loci parte, non diverſa connectit, ſed, ut alibi ſæpiſſime in Sacris Lit. accidit, eadem explicat. Idem nempe hoc loco Johanni eſt, fidelem eſſe, & juſtum; idem, remittere peccata, & repurgare ab omni iniquitate, ut ipſe Grotius alibi docet. Unde illud etiam perſpicitur, remiſſionem peccatorum, quæ cum juſtificatione noſtra eadem eſt, juſtitiæ divinæ adſcribi, tanquam effectum cauſſæ, quod iſto quoque loco ad Rom. non obſcure indicatur. Ea autem cum juſtitia puniente, quam Grotius urget, nihil habet commune. Quod ad juſtificationem noſtram attinet, quam Auctor annotat. in Bibl. Vatabli hoc loco voce *juſtitiæ Dei* ſignificari ſcripſit, quamque nos, monente ipſo Apoſtolo, cum priore ſignificatione conjungimus, eam iſto nomine deſignari ſolere, patet ex illis hujus cap. verbis, ex quibus ea, de quibus nunc agimus, pendent. Ea vero extant ℣ſ. 20, 21, *nunc autem ſine lege juſtitia Dei revelata eſt, teſtimonium habens à Lege & Prophetis, juſtitia autem Dei per fidem, in omnes & ſuper omnes credentes.* Eandem ſignificationem de-

prehendes ſup. cap. 1 hujus Epiſt. v.17. & 10. 3. Sed concedamus nunc Grotio, vocabulo juſtitiæ Dei eam tantum eſſe intelligendam, quæ in ipſo Deo eſt: videamus quid porro dicat.

Ait igitur Partic. 78: *Juſtitia hæc Dei, id eſt, rectitudo, pro diverſis objectis diverſos habet effectus. Circa bene aut malefacta creaturæ effectus ejus inter cæteros eſt* ἀνταπόδοσις: (in margine ſcribit: *contra Socinus* c.1. lib. 1.*paragr. Dico igitur.*) Ad quod probandum non pauca Sacrarum Literarum teſtimonia affert. Quibus ſubjungit: *Scimus juſtitiæ nomine ſæpe veracitatem, ſæpe etiam* ἐπιείκειαν *ſignificari: ſed cum ea voce, ut multis jam teſtimoniis oſtenſum eſt, etiam illa Dei proprietas indicetur, quæ Deum movet ad peccata punienda, & quæ in ipſa peccatorum punitione demonſtratur, dicimus hanc ſignificationem eſſe hujus loci propriam.*

Si poſteriora Grotii verba cum prioribus recte conſentiunt, neceſſe eſt utrobique Juſtitiæ nomine Rectitudo quidem intelligatur, verum ad certum effectum, hoc eſt ad punitionem reſtricta; unde veluti nova ac ſpecialior ejus vocis oritur ſignificatio, quam in poſterioribus verbis expreſſit Grotius. Nos in verbis Pauli, de quibus agitur, nec Rectitudinem abſolute ſumtam, nec ad punitionem reſtrictam, arbitramur intelligendam, licet, ut antea vidimus, utrumque concedi à nobis poſſit. Sed præterea nullam ejuſmodi in Deo proprietatem, h. e. qualitatem in ipſo perpetuo reſidentem, eſſe cenſemus, quæ Deum ad peccata punienda ſimpliciter atque in univerſum moveat, adeoque nec Rectitudinis, quæ Dei eſt proprietas, in ipſo perpetuo reſidens, id munus eſſe arbitramur: ſed id, quod in ipſo exiſtens, eum ad peccata punienda ſimpliciter movet, iram ac ſeveritatem, miſericordiæ oppoſitam, eſſe ſtatuimus, quæ non proprietas eſt in Deo perpetuo reſidens, ſed veluti affectus quidam ipſius, & liberæ voluntatis effectus. Unde, teſtantibus Sacris Literis, nunc iraſcitur Deus, nunc iraſci deſinit. Interim haudquaquam negamus, Dei juſtitiam ac Rectitudinem, ut in cæteris omnibus ipſius operibus, ita etiam in pœnis cerni, earumque modum gubernare, ut poſtea melius intelligetur. Nullum enim Dei opus à juſtitia diſcedere poteſt. Itaque ſive puniat Deus, ſive pœnas condonet, juſte id ſemper facit. Deinde nec illud negamus, Rectitudinem ac juſtitiam Dei nonnunquam eum ad peccata punienda movere, eorum nempe, quibus veniam non concedere non modo æquitati per ſe eſt admodum conſentaneum, verum etiam decretis divinis, ut ita loquar, debitum, quales ſunt homines non reſipiſcentes atque in peccatis contumaciter perſeverantes, quemadmodum Socinus eo loco, quem Grotius notavit, docuerat; maxime, ſi ipſum peccati genus, in quo perſiſtunt, inſignem animi malitiam, aut apertum divinæ majeſtatis contemtum ſpiret. Si enim hujuſmodi hominibus venia concederetur, facile ſupremi rectoris majeſtas, ex qua ordo univerſitatis pendet, & Legum ab ipſo latarum auctoritas evileſceret, & gloria ipſius, quæ præcipuus operum ejus omnium finis eſt, minueretur. Eſſe autem aliquam in Deo juſtitiam, quæ Deum etiam ad reſipiſcentium peccata, ſi non in iis ipſis, ſaltem in alio aliquo punienda moveat, id nulla nec ratione, nec Sacrarum Literarum auctoritate probari poteſt.

Quare ut ad rationes Grotii contra Socinum allatas reſpondeamus, dicimus, ἀνταπόδοσιν ſeu retributionem circa bene aut malefacta creaturæ tum demum eſſe effectum rectitudinis ac juſtitiæ divinæ, ita ut hæc ad ipſum retribuendi actum Deum moveat, cum vel decretum, vel id quod decreti vim habet, interceſſit. Quo referri poteſt primus locus à Grotio citatus 2 Theſſ. 1. 6, ubi non tantum dicitur, juſtum eſſe apud Deum, reddere iis, qui affligebant fideles iſtos, afflictionem: ſed in eadem verborum complexione additur, juſtum quoque eſſe apud Deum, reddere illis, qui tum affligebantur, requiem una cum Apoſtolo aliiſque piis, in revelatione Domini Jeſu. Requies vero illa in Dei regno conſiſtit, pro quo illi patiebantur, verſ. præced. At ideo juſtum eſt, ut Deus iis, qui pietatis cauſa affliguntur, reddat regnum ſuum, quia id decrevit ac promiſit: non quia id juſtitia Dei per ſeipſam exigat. Siquidem afflictiones hujus temporis, ut idem Apoſtolus ait Rom. 8. 18, non ſunt dignæ gloria illa futura, nullaque eſt proportio inter momentaneam afflictionis noſtræ levitatem, & æternum illud ac ſupra modum excellens gloriæ pondus 2 Cor. 4. 17, quod ea ratione paratur; adeoque cum nullum hic noſtrum ſit meritum, ſi proprie loquamur, non juſtitia Dei, ſemoto ipſius decreto ac promiſſo, ſed ſola Dei miſericordia eum ad id faciendum impellit: at poſtquam decretum intervenit etiam juſtitia. Quare nil prohibet, quominus in oppoſito etiam membro recte dici poſſit, non ſimpliciter Dei juſtitiam pœnam iſtorum, qui Chriſtianos perſequuntur, poſtulare, ſed poſtquam Dei decretum ea de re interceſſit. Intelligendum autem eſt, ſermonem hic eſſe de hominibus iſtis, quatenus non reſipiſcunt, aut ex mera malitia, non vero ignorantes id faciunt: nam alias etiam eos, qui pios perſequuntur, ſed ignorantes, & poſtea reſipiſcunt, veniam ſuorum peccatorum conſequi, documento eſt Paulus 1 Tim. 1. 13, 16, qui ſe in exemplum longanimitatis Chriſti hac in parte propoſitum aſſerit. Nec eſt, quod quis dicat, diverſam hic eſſe præmiorum ac pœnarum rationem: cum præmium, præſertim tam divinum, apud Deum proprie loquendo mereri nullo pacto poſſimus, pœnam vero mereamur. Quare juſtitiam ad præmium quidem perſolvendum per ſe non impellere Deum, ad pœnam autem per ſe impellere. Nam etſi quis pœnam proprie loquendo mereatur, poteſt tamen ea ſalva juſtitia, idque ſæpe ſumma cum clementiæ laude, remitti ab eo, de cujus jure agitur, qualis in noſtro negotio eſt Deus. Diſſimilis nempe ratio eſt eorum, qui præmium merentur, & eorum qui pœnam: iſti ſibi jus acquirunt, hi non ſibi, ſed parti offenſæ. Itaque, cum ad jus ſuum perſequendum nemo juſtitiæ vi per ſe adigatur, quemadmodum juſtitia non movet eum, qui præmium meretur, ad iſtud repetendum; ita nec partem offenſam, ad pœnam de altero ſumendam. Quod ſi eam nihilominus juſtitia ad pœnam ſumendam impellat, id per accidens (v. g. ob decretum aliquod) fieri cenſendum eſt, quemadmodum etiam fit, cum movet ad præmium ei, qui vere non meretur, perſolvendum. Idem, quod de loco ad Theſ. diximus, reſponderi poteſt ad locum Rom. 2. 5, qui apud Grotium quartus eſt, ubi ſermo eſt de *juſto judicio*

Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius, illis quidem qui ſecundum perſeverantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ex contentione, & qui non obediunt veritati, obediunt autem injuſtitiæ, indignatio & ira, afflictio & anguſtia ſuper omnem animam hominis operantis malum, &c. Nam juſtitia Dei æque ad præmia & pœnas hoc loco extenditur. Atqui ut de afflictionibus Chriſtianorum modo dicebamus, eas tantum præmium haudquaquam mereri, adeoque Deum, ſemoto ipſius decreto, juſtitiæ vi non impelli ad id nobis perſolvendum: idem de cæteris noſtris recte factis ſtatuendum eſt. Unde Chriſtus ait Luc. 17, nos, poſtquam omnia fecerimus, quæ nobis ſunt præcepta, dicere debere, ſervi ſumus inutiles, quia id fecimus, quod debebamus, ſeu ad quod faciendum omnino eramus obſtricti; cum quanti quanti ſumus, Dei ſimus, & ipſius creationis vi, ejus ſervi ac mancipia, adeo ut nulla nobis pro obedientia debeatur merces, nedum infinita pro labore & parvi temporis, & per ſe imperfecto ac manco. Quare non niſi decreto Dei poſito ad tantum præmium nobis perſolvendum juſtitia eum impellit: quod etiam de pœna intelligi poteſt. Quod vero hoc loco eadem dies dicatur iræ, & juſti judicii Dei, in quo Grotius aliquod ſententiæ ſuæ firmamentum ponit, id nihil aliud, quod ad noſtrum negotium attinet, evincit, quam Deum etiam in ira, hoc eſt, in pœna juſtitiam obſervaturum, quod nec Grotii cauſam juvat, nec noſtræ obeſt. Quod ſi id voluit concludere, iram Dei, & juſtum Dei judicium, aut, quod amplius eſt, ipſam Dei juſtitiam, pro iiſdem ibi ſumi, vehementer falſus eſt; cum ibi juſtum Dei judicium etiam ad præmii, quo per nos ipſos indigni ſumus, perſolutionem extendatur. Eſt autem, quod ad pœnam attinet, ibi ſermo de hominibus non reſipiſcentibus & veritati reluctantibus, ut tum hæc ipſa, quæ attulimus, tum præcedentia Apoſtoli verba ſatis oſtendunt. Eodem referri poſſunt alia quædam loca à Grotio citata, ut ille Actor. 17. 31, ubi extremum judicium dicitur futurum in juſtitia: & Apocal. 19. 11, ubi Chriſtus dicitur in juſtitia judicare ac pugnare; & cap. 16. 5, ubi Dominus dicitur juſtus, quod iſta judicarit, de quibus ibi ſermo; & verſ. 7, ubi judicia ejus juſta pronunciantur. Quin etiam iſte Rom. 3. 8: *quorum judicium juſtum eſt*. In omnibus enim iſtis agitur de hominibus non reſipiſcentibus, quos punire Deo decretum eſt.

Hactenus ita reſpondimus, ac ſi pleraque loca à Grotio allata evincerent, ipſam punitionem certorum hominum eſſe juſtitiæ divinæ effectum. At, ſi primum locum excipias, cætera id haudquaquam probant; ſed tantum oſtendunt, juſtitiam Dei in pœnis etiam cerni, & modum in iis legitimum obſervare. Quod perinde eſt ac ſi diceres, punitionem per ſe conſideratam, non quidem effectum eſſe juſtitiæ ac rectitudinis divinæ, ſed objectum ac materiam, in qua occupetur: modum vero pœnæ, juſtitiæ effectum eſſe, quatenus nempe cavet, ne quis vel abſque merito ſuo, vel ultra meritum puniatur, nec ulla ſit hac in re προσωποληψία, cui in loco Rom. 2, paulo ante examinato, juſtitia, quæ in divino judicio ſit apparitura, potiſſimum opponitur, ut apparet præter alia ex verſ. 11. Nam quod attinet ad locum Apoc. 16. 5, licet is perinde poſſit accipi, ac ſi dictum eſſet, juſtus es Domine, quia hæc ſcelera puniviſti, unde concludi poteſt, iſtam ipſam punitionem juſtitiæ divinæ effectum conſtitui: non tamen neceſſe eſt, eo modo verba iſta ſumere. Neque enim particula *hæc*, in verbis, *quia hæc judicaſti*, omnino referenda eſt ad peccata, quæ puniantur; cum poſſit etiam de certo iſto pœnarum genere, cujus mentio proxime præceſſerat, & quod tunc ante oculos verſabatur, atque adeo de modo ſupplicii iſtius divini, qui delicto ſit convenientiſſimus, intelligi; vox vero *judicandi*, accipi queat pro *decernere*, aut *facienda ſtatuere*. Quam ſententiam in ſua interpretatione perſpicue expreſſit Caſtellio, dum ita locum convertit: *Juſtus es Domine* &c. *qui hæc ita facienda judicaveris, ut qui ſanctorum vatumque ſanguinem effundebant, eis ſanguinem potandum dederis, ut digni ſunt.* Vel, eodem manente ſenſu, poteſt verbum *judicare* ſumi pro *punire*, & in voce ταῦτα, *hæc*, ſubaudiri κατὰ, *ſecundum*; quæ ellipſis & & uſitata eſt, & elegans, ut vulgo notum eſt, ejuſque exempla etiam in Nov. Teſt. occurrunt, atque inter alia Philip. 2. 18, ubi Beza, conſentientibus etiam aliis viris doctis, voculas τὸ αὐτὸ interpretatur *itidem*, atque ad hunc modum ibidem ſcribit, ſubaudiendum eſſe κατὰ, *ſecundum*, ut τὸ αὐτὸ idem declaret quod ὡσαύτως *itidem*. Quare ſimiliter ταῦτα *hæc* in loco noſtro ſumi poteſt pro κατὰ ταῦτα *ſecundum hæc*, ſeu οὕτως *ſic*, ut de modo ſupplicii divini intelligatur. Quo pacto hæc verba Fr. Riberam, virum cumprimis doctum & linguarum peritum, accepiſſe apparet ex brevi eorum paraphraſi, quam ponit, quæ quidem eſt hujuſmodi. *O Domine, qui ſemper fuiſti* &c. *juſtus es, quoniam ita judicaſti.* Sed quid aliorum conquirimus teſtimonia, cum ipſe Grotius infra cap. 2 hæc verba hoc pacto citet: *Iuſtus eſt Domine quod ſic judicaſti*? Requirunt hunc ſenſum ſequentia, in quibus ratio quædam iſtorum continetur; *Quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, ſanguinem dediſti illis bibere, digni enim ſunt.* Ubi non ſimpliciter, cur homines iſtos punierit Deus, ſed cur hoc pacto punierit, ratio redditur. Quo accedit, quod hujuſmodi divinæ juſtitiæ celebratio nec plagæ primæ, nec cæteris, quæ hoc capite recenſentur, fuerit ſubjecta, aut ad finem omnium rejecta, ſed tantum huic tertiæ, & ſimul etiam ſecundæ, in quibus Deus ſanguine impios puniviſſe dicitur, ſubjuncta; ut facile appareat, in hac juſtitiæ divinæ prædicatione ad certum ſupplicii divini modum reſpici. q. d. Juſtum te eſſe apparet Domine, ſiquidem hoc pacto in homines iſtos impios animadvertiſti, nam qua re peccarunt, eadem illos puniviſti: ſanguinem ſanctorum ac Prophetarum effuderunt: ſanguine illos viciſſim potaſti; adeoque plane dignum illorum ſcelere ſupplicium de illis ſumſiſti. Itaque nec illud concedendum eſt Grotio, quod ait, ideo Deum juſtum, illiuſque judicia juſta hoc loco dici, quod in peccata ſevere animadverterit. Non enim, ut vidimus, ob ſeveritatem animadverſionis revera, ſed ob convenientem ejus modum, qui eorum ſceleri egregie reſpondebat Deus juſtus, ejuſque judicia juſta pronunciantur.

Quod ad cætera loca attinet, in iis nihil aliud dicitur, quam Dei judicium aut pœnam juſtam eſſe, aut Deum ac Chriſtum in juſtitia, h. e. cum juſtitia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſive juſte judicare ac pugnare: quod non ſignificat, Deum juſtitiæ vi ad pœnas exigendas impelli; ſed tantum pœnas divinas cum juſtitiæ norma uſquequaque congruere: adeo ut non punitio ipſa per ſe ſumta; ſed legitimus illius modus ac ratio, juſtitiæ effectus cenſeri debeat, &, ſalva iſtorum verborum veritate, punitio quidem penitus poſſit prætermitti, ſed, ſi tamen ea Deus uti velit, modus is omnino ſit obſervandus. Quod quo fiat clarius, & ſenſus locorum à Grotio allatorum melius percipiatur, animadvertenda eſt ambiguitas vocis *juſti.* Juſtum enim duobus modis ſumitur, nunc pro eo, quod ut fiat æquum eſt, ſeu quod jure fieri debet, nunc pro eo, quod licet, ſeu quod jure fieri poteſt. Ad illud faciendum juſtitia prorſus impellit: hoc tantum permittit; aut ſi etiam impellit, id facit per accidens. Iſto modo juſtum eſt, debitum reddere, eos de quibus puniendis decretum immutabile factum eſt, punire: & hoc pacto ſumi videtur ea vox in iſto loco 2 Theſſ. 1. 6. Hoc vero altero modo juſtum eſt, debitum, aut pœnam, in qua tuum tantum jus agatur, vel repetere, vel condonare, de tuo alteri vel largiri, vel non largiri. Hoc pacto inter alia dicitur Hebr. 2. 2, qui ſecundus eſt locus à Grotio citatus, *omnis tranſgreſſio & inobedientia* nempe adverſus legem) *accepit* (Grotius habet *accipit) juſtam mercedis retributionem.* Non enim ideo juſta dicitur retributio, quod juſtitia eam requireret ac poſtularet, (poterat enim ſalva juſtitia non raro prætermitti, ut in Davide factum videmus) ſed quod ea cum juſtitia congrueret, & ii, qui pœnam ſuſtinebant, eam jure meritoque perferrent.

Quod vero Grotius inter alia ait Apoc. 19. 11, *in juſtitia judicare*, eſſe *ſevere* vindicare, id neque probatur voce pugnandi, quæ additur, nec magis iis, quæ paulo poſt ſequuntur verſ. 15, ut Grotius arbitratur. Nihil enim ex iis aliud ſequitur, quam fidelem iſtum ac veracem, etiam tum, cum ſevere punit ac pugnat, juſtitia uti: non vero ipſam ſeveritatem juſtitiæ voce exprimi.

Sed habet adhuc alia Grotius Partic. 79, quibus probet, juſtitiæ divinæ effectum eſſe peccatorum punitionem, intellige abſolute ſumtam, ita enim porro ſcribit: *Unde & Δίκη vocatur tum illa ipſa juſtitia Dei puniens* Act. 28. 4, *tum pœna per eam illata* 2 Theſſ. 1. 9. *Jud. verſ. 7. Et δικαίωμα τοῦ θεοῦ explicatur à Paulo hoc eſſe, quod qui mala committunt aut approbant digni ſunt morte Rom.* 1. 22. *His παρώνυμα ſunt ἔκδικος punitor* Rom. 13. 4. 1 Theſ. 4. 6, *& ἐκδίκησις pœnæ exactio* Luc. 21. 22. 2 Theſſal. 1. 8. 1 Petr. 2. 14, *cujus vis explicatur verbo ἀνταποδοῦναι* Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30.

Mirum eſt Grotium verba Act. 28. 4, ad id, quod inter nos controverſum eſt, probandum attuliſſe. Nam primum verba ibi recenſentur non divini alicujus viri, aut hominum eorum, qui rerum divinarum gnari, de iis recte loqui didiciſſent, ſed barbarorum paganorumque, qui cum Paulum homicidam ex viperæ morſu collegiſſent, mox mutati Deum eſſe crediderunt. Deinde ibi vox Δίκη rectiſſime reddi poteſt Ultio, quemadmodum à pluribus interpretibus factum videmus. Per Ultionem autem divinam juſtitiam ſeu Rectitudinem intelligendam, unde conſtat? imo hoc ipſum revera eſt, de quo inter nos controvertitur. Non injuria autem Beza, licet ea voce etiam jus & fas ſignificari poſſe arbitretur, Nemeſin hoc loco ab Ethnicis iſtis putat intelligi, quam ipſi pro Dea quadam habuerunt; cui illud quoque conſentit, quod Grotius inf. cap. 4 ait Δίκην filiam quandam Jovis fuiſſe à Poëtis conſtitutam. Δίκην pœnam ſignificare novimus: verum eadem quoque ſignificat jus fas, quæ ſignificatio cum juſtitiæ univerſæ naturam attingat, & totum ejus ambitum complectitur; dubium non eſt, quin ab hac potius quam ab illa, ſignificatio vocis juſtitiæ ſit deducenda. Ne de eo nunc quicquam dicamus, quod ſacri ſcriptores N. Teſt. potius ad vim vocum Hebraicarum, quibus Græcæ aliquo modo reſpondent, quam ad etymologiam nominum Græcorum reſpexerint. Unde factum ut δικαιοσύνη etiam ſumatur pro beneficentia, ut 2 Cor. 9. 9, &, quod ab aliarum quoque linguarum conſuetudine non videtur abhorrere, pro ſingulari quadam æquitate, quæ ſeveritati ac rigori opponitur, ut tum ex contrario apparet Hebr. 6. 10, tum ex eo, quod à Matthæo cap. 1. 19 hæc cauſſa non obſcure indicatur, cur Joſeph noluerit in Maria exemplum aliquod ſtatuere, licet eam manifeſti flagitii putaret teneri, & gravi ſupplicio dignam, quia vir eſſet δίκαιος ſeu juſtus: niſi quis malit hoc loco juſtum pro viro bono accipere, cujus proprium ſit, facilem eſſe ad condonandum, & ad aliena delicta tegendum. Mitto & illud, quod nos fateamur, punitionem interdum juſtitiæ effectum eſſe, non modo in judicibus omnibus, qui de alieno jure agunt, ſed etiam in ipſo Deo. Ex quibus patet etiam reſponſio ad illa, quæ de paronymis vocis δίκης ſubjicit Grotius.

Quod ad locum Rom. 1. 32, attinet, is itidem Grotium nil juvat. Nam nec δικαίωμα τοῦ θεοῦ ipſam Dei juſtitiam ſignificat, quemadmodum præter rem ipſam docet Beza, ſed jus ab ipſo, non ſibi, ſed aliis poſitum, quo ipſe non obſtringitur: nec de ipſo puniendi actu, ſed de dignitate pœnæ, ac merito eorum, qui peccant, eſt ſermo. Unde non conſequitur, Deum juſtitiæ vi ad homines iſtos, de quibus ſermo eſt, puniendos impelli, ſed eos jure mortis ſupplicio afficere poſſe; id quod Grotium nil juvat.

Cum ergo Grotius nullo Scripturæ loco eam juſtitiæ divinæ ſignificationem aut vim, quam urget, oſtendere potuerit: illa autem, quam nos volumus, ſupra fuerit à nobis comprobata, & à Grotio agnita, facile eſt judicare, utra alteri ſit præferenda, & in loco Rom. 3 accipienda. Sed videamus tamen, an forte ex loci circumſtantiis illam ſignificationem evincat Grotius.

Poſtquam ergo dixiſſet Partic. 80, *etiam illam Dei proprietatem, quæ Deum movet ad peccata punienda, & quæ in ipſa peccatorum punitione demonſtratur, juſtitiæ nomine indicari, & hanc ſignificationem hujus eſſe loci propriam;* ita ſubjicit: *Opponuntur enim diverſa tempora, nempe ante Chriſtum, & Chriſti tempus: priori tempori tribuitur πάρεσις peccatorum, quæ explicatur voce ἀνοχῆς. Πάρεσις non remiſſionem ſed tranſmiſſionem ſignificat, cui recte additur ἀνοχὴ ſuſtentatio, qua voce inducias etiam Græci appellant, quod per eas ad tempus*

inhibeatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

inhibeatur bellum. Huic tranſmiſſioni atque inhibitioni opponitur demonſtratio talis juſtitiæ, qua Deus ſit juſtus, id eſt juſtus appareat. Olim cum Deus pleraque peccata impunita tranſmitteret, non ſatis apparebat ipſius τὸ ἀνταποδοτικὸν. *Tandem ergo oſtendit, quam juſtus eſſet* ἀνταποδότης, *cum filium ſuum voluit hoc nomine ſanguinem fundere, ut placamen fieret generis humani, redimeretque omnes eos, qui unquam crediſſent, aut eſſent in Deum credituri.*

Opponuntur quidem hic duo tempora, ante Chriſtum, & Chriſti tempus; ſed tempori ante Chriſtum tribui πάρεσιν peccatorum, licet concedi poſſit, nihil tamen eſt quod evincat. Satis enim eſt ad veritatem verborum Apoſtolicorum, ut eo tempore, quod Chriſtum anteceſſit, peccata dicantur facta in Dei tolerantia: iſtorum autem peccatorum πάρεσις ipſius Chriſti tempore fieri potuit. Nam nec Apoſtolus affirmat, eodem tempore commiſſa, & tranſmiſſa peccata, nec res ipſa id poſtulat: cum poſſint peccata etiam longe ante admiſſa, & per tempus aliquod, ut Sacræ Literæ loquuntur, retenta, poſtmodum demum impunita tranſmitti, quam vim vocis παρέσεως eſſe vult Grotius. Verum quidem eſt, πάρεσιν tranſmiſſionem ſignificare: ſed quid prohibet, quominus utraque vox, tum Græca tum Latina, pro remiſſione accipiatur? Nam cum delictum aliquod impunitum dimittimus, & ejus rationem habere nolumus, quæ remiſſionis natura eſt, an non recte illud παριέναι ſeu tranſmittere dici poſſumus? non minus vox παριέναι quam ἀφιέναι adverſatur τῷ κρατεῖν, hoc eſt, *retinere*, quod de peccatis uſurpatum, eorum remiſſioni ſeu condonationi opponitur Johan. 20. 23: qua de re videatur ipſe Grotius inf. cap. 2. Unde Beza ad hunc locum Rom 3 ita ſcribit: πάρεσιν *accipio pro* ἄφεσιν. *Quia verbum* παριέναι *interdum etiam declarat condonare, & de ſuo jure aliquid remittere.* Sed largiamur nunc Grotio utrumque, h. e. πάρεσιν non ſignificare remiſſionem, & eam tribui tempori, quod Chriſtum anteceſſit, nil tamen id Grotii cauſam juvat. Poterit enim ea voce denotari illa Dei, ut ita dicam, conniventia, ſeu, quo nomine ſupra uſus eſt Grotius in noſtro ad Rom. loco ad vim παρέσεως exprimendam, diſſimulatio, qualis intelligitur Actor. 17. 30, quem locum Beza quoque cum hoc noſtro confert, licet eum paulo aliter videatur accipere; ubi dicitur, quod *Deus ignorantiæ tempora diſſimularit* (ita namque verbum ὑπεριδὼν tranſtulerunt interpretes) *nunc autem denunciet omnibus ubique hominibus ut reſipiſcant.* Quod cap. 14. 16 ita extulerat idem Apoſtolus: *Qui* (Deus) *præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ſuis ipſorum viis ambulare.* Quo admiſſo, ſenſus verborum Pauli erit: Deum, cum Chriſtum conſtituit propitiatorium per fidem, in ipſius ſanguine, fidem ſuam in ſervandis promiſſis, & rationem, qua nos juſtificare velit, inſigniter demonſtraſſe, quia proximis ante temporibus, magna uſus patientia, permiſerit, ut homines graviſſima deſignarent ſcelera, & in omne nefas impune ruerent, eum in finem, ut poſtea ampliſſimam haberet occaſionem ac materiam, juſtitiam ſuam, h. e. fidem ſuam, & juſtificationem, qua hoc tempore uſurus eſſet, apertiſſime demonſtrandi; qua re tunc inprimis erat opus, cum Fœdus Novum, in quo gratuitam juſtificationem per fidem obtinendam omnibus offert, promulgaret ac ſanciret, ut ita ab ipſo ſtatim initio, illuſtri documento comprobata Dei fides ac benignitas in remittendis peccatis, ad reliqua omnia novi Fœderis tempora manaret, & omnes homines in eam ſpem erigeret, fore, ut ſibi quoque peccata, ſi in Chriſtum credant, condonentur. Itaque Deus tale huic rei tempus aliquo pacto quæſivit, quo homines graviſſimorum ſcelerum eſſent rei, ut ex quibuſdam Sacrarum Literarum locis colligi poteſt Rom. 5. 6, 8. 2 Tim. 1. 15, 16. Matth. 9. 13. XVIII. 11. Luc. 15. 4 & ſeqq. XIX. 10. Solet namque Deus ad exſerendas proprietates aliaque attributa ſua inſignia, ea nonnunquam permittere, & patienter tolerare, quæ ipſi alias vehementer diſplicent, maxime autem ad benignitatis ſuæ, cui vicina eſt ipſius fides in ſervandis promiſſis, demonſtrationem, ex qua maxima ad ipſum redit gloria, cujus cauſa facit omnia, quæ facit. At nulla eſt major Dei benignitas ea, quæ Novo Fœdere eſt comprehenſa, & morte Chriſti conteſtata. Quare illius commendandæ, & ſimul fidei ſuæ, quæ in ea re cernitur, comprobandæ cauſa multa toleravit Deus. Huc aliquo modo ſpectant illa Apoſtoli inf. cap. 5. 20. *Lex ſubintroiit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia* &c. & iſta cap. 11. 32: *Concluſit Deus omnes ſub inobedientiam, ut omnium miſereatur.* Quamquam prior locus de reatu peccati, & vi, quam ad homines damnandos haberet, potiſſimum loquitur, & neuter locus vult, Deum homines innocentes, aut nihil tale cogitantes, in peccata ſponte ſua impuliſſe, quod ab ipſius bonitate eſt alieniſſimum. Qua de re nunc non eſt differendi locus. Idem revera loci noſtri erit ſenſus, ſi Bezæ interpretationem ſequutus, voces διὰ τὴν πάρεσιν vertas *per remiſſionem.* Nam verba ſequentia, *peccatorum antea factorum in Dei tolerantia*, iſtam, quam diximus Dei conniventiam & diſſimulationem nihilominus comprehendent.

Quod vero Grotius ait, huic παρέσει peccatorum opponi demonſtrationem juſtitiæ divinæ, unde conſtat? Apoſtoli verba alteram alterius cauſam conſtituunt: alteram opponi alteri, ne obſcure quidem indicant.

Iſtud etiam manifeſtum errorem continet, quod ait Grotius, ante Chriſtum, intellige ab ipſa uſque mundi origine, (nam ad omnia tempora, quæ Chriſtum anteceſſerunt, reſpicere Grotium, ex ſequentibus ejus verbis eſt manifeſtum) Deum pleraque peccata impunita tranſmiſiſſe, nec ſatis tum apparuiſſe ipſius τὸ ἀνταποδοτικὸν, *retributivum* tandem vero oſtendiſſe, quam juſtus ſit ἀνταποδότης *retributor* Chriſto pro nobis punito. Quid enim? an non graviſſima pœnarum divinitus peccatoribus inflictarum ante Chriſtum extabant exempla? An Sacri Scriptores Novi Teſtam. cum docere volunt, Deum in peccata ſevere ſolere animadvertere, Chriſto pro nobis puniri exemplum potiſſimum urgent atque inculcant? Id quidem faciendum fuiſſet, ſi vera eſſet Grotii ſententia. At, licet aliquod ſeveritatis divinæ ex morte Chriſti poſſit duci argumentum, id ab illis factum nuſpiam legimus, ſed potius ea, quæ ante Chriſtum extiterunt, divinorum ſuppliciorum exempla ab iis videmus produci. Paulus 1. ad Corinthios 10, metu pœnarum eos à peccatis dehortaturus,

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

prolixe recenſet pœnas populo Iſraëlitico in deſerto à Deo inflictas, quod facit etiam ex parte Auctor divinus Epiſt. ad Hebr. cap. 3 & 4. & Judas vſ. 5. Petrus 2. Ep. 2 exemplum commemorat angelorum punitorum, quod facit etiam Judas, tum mundi antiqui diluvio extincti, Sodomæ item ac Gomorrhæ in cineres redactæ, quod exemplum eorum, qui impie victuri eſſent, poſitum ait. Quid? an non expreſſe ait divinus ſcriptor Hebr. 2. 2, *Illum per angelos dictum ſermonem* (h. e. Legem) *factum eſſe firmum, & omnem tranſgreſſionem & inobedientiam accepiſſe juſtam mercedis retributionem?* Quæ verba Grotius paulo ſuperius citavit. Atque hæc inprimis cauſa eſt cur Lex opponatur Gratiæ Joh. 1. 17. Rom. 6. 14, 15, & ii qui ſub Lege vixerunt, dicantur accepiſſe Spiritum ſervitutis in timorem Rom. 8. 11. Præterea quam pauci fuerunt ab initio mundi, qui æternam mortem effugerent? Ait enim Paulus inf. cap. 5, *In omnes homines mortem pertranſiiſſe, quatenus omnes peccaverint. Nam uſque ad Legem peccatum fuiſſe in mundo*, v. 12, 13, & mox: *regnaſſe mortem ab Adamo uſque ad Moſen etiam ſuper eos, qui non peccaverant in ſimilitudine tranſgreſſionis Adami.* De morte autem æterna hic ſermonem eſſe, ſupra docuimus. Quid ſub Lege, ubi Deus, repudiatis gentibus, unde eas generatim omnes perire fuit neceſſe, ſolis Iſraëlitis judicia ſua revelavit, an minus regnavit mors in homines? Imo vero magis, auctis peccati viribus, ut docet Paulus eodem cap. 5. Rom. v. 20, 21, quo pertinent prope omnia, quæ ſcribuntur cap. 7. à v. 5 uſque ad finem capitis. Nam v. 5, unde initium quoddam ducitur eorum, quæ ſequuntur, ait Apoſtolus: *Cum eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per Legem, operabantur in membris noſtris, ad hoc ut fructum ferremus morti*, &c. Cui conditioni adeo miſeræ opponitur cap. 8 libertas à Lege peccati & mortis, quæ per Chriſtum contingit. Sub Lege vigebat vox iſta: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.* Ubi per Maledictionem Grotius ipſe præcipue mortem æternam intelligit. Quis autem ſub hoc edicto Legis non continebatur? Adde quod Grotius vult, * cum ſub Lege nonnunquam graviorum delictorum impunitatem conſecutus eſſet ipſe nocens, pœnam nihilominus in alios fuiſſe tranſlatam: quin etiam ea peccata, quæ vi Fœderis expiari ſolebant, non fuiſſe condonata, niſi victima pœnas luiſſet, atque eo pacto ſatiſfeciſſet Deo. Ne id nunc repetam, quod § ſupra vidimus, Grotium velle, mortem temporariam omnium hominum eſſe peccati pœnam. Qua ratione igitur τὸ ἀνταποδοτικὸν Dei in peccatis vindicandis ante Chriſtum non ſatis fuit conſpectum, ut neceſſe fuerit, in Chriſto exemplum pœnæ ſtatuere, quo juſtitia illa puniens innoteſceret ac demonſtraretur? An non contrarium potius apparet, nempe iſtiuſmodi exemplo minime fuiſſe opus, ſed poſt tot ſeveritatis divinæ teſtimonia & exempla, opus fuiſſe argumento illuſtri amoris Dei adverſum peccatores, quos antea tam ſevere puniviſſet, & quibus in Lege maledictionem æternamque mortem fuiſſet comminatus, ut ita omnes homines perpetuo ſpem remiſſionis ac ſalutis æternæ firmam concipere poſſent, quod ſane factum eſt Chriſto in mortem tradito.

Unde vero Grotius probat, *Chriſtum mori debuiſſe, ut redimeret etiam eos, qui unquam crediſſent in Deum?* licet enim aliqua ratione concedi poſſit, ut cap. 6 videbimus, Chriſtum morte ſua redemiſſe etiam eos, qui ab initio mundi in Deum crediderunt: non tamen hic revera mortis Chriſti finis fuit, nec de eo hic loquitur Apoſtolus. Nam, ut ex ejus verbis conſtat, de redemtione loquitur eorum, ad quos juſtificatio, qua de agit, ſpectat. Hæc vero ad eos pertinere dicitur, qui habent fidem Jeſu Chriſti verſ. 22, 26. At nihil conſtat, eos qui ab initio mundi crediderunt in Deum, fidem Jeſu Chriſti habuiſſe. Fidem illam paulo poſt, quamquam perperam, deſcribens Grotius, ait, eam eſſe, qua credatur ſanguinem Chriſti ad Deum placandum eſſe fuſum. Hanc habuiſſe veteres, quis Sacrarum Literarum locus docet? Evolvatur univerſus ſacer codex, nihil tale reperietur, etiam fidei, ob quam priſci Deo placuerint, non ſemel fiat mentio. Auctor ep. Hebr. cap. XI prolixe de ea differens, non modo non commemorat, eos Chriſti ſanguinem ad Deum placandum fuſum credidiſſe; ſed ne mortis quidem, aut Chriſti, in fide illa deſcribenda ullam facit mentionem: ſed hanc fuiſſe ait, quod crediderint, Deum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt, hoc eſt, qui ipſi obtemperant, & hac ratione ipſius gratiam ambiunt verſ. 6. Abrahamus pater fuit credentium, nec ſemel ejus commemoratur fides. Sed quænam ea fuiſſe ſcribitur? Primo quod Deo è patria ipſum exire jubenti, in locum, quem ipſi oſtenſurus eſſet, paruerit, neſciens quo iret Geneſ. 12. 1, 4. Hebr. XI. 8, 9, 10. Deinde quod Deo copioſiſſimam prolem promittenti crediderit, licet alias magnæ eſſent dubitandi cauſæ Geneſ. 15, 5, 6. Rom. 4. 18 & ſeqq. Heb. XI. 11, 12. Denique quod non renuerit filium ſuum unigenitum, ex quo tam copioſa proles illi debebat naſci, Deo jubente, jugulare & offerre, credens, quod Deus poſſit etiam mortuos excitare Rom. 4. 17. Hebr. XI. 17 & ſeqq. Jac. 2. 21, 22, 23. Fides etiam Rahab commemoratur, quæ certe non fuit fides Jeſu Chriſti Hebr. XI. 30. Jac. 2. 25. Nihil ergo locus Pauli ad eos pertinet, qui ab initio mundi in Deum crediderunt.

Pergit Grotius Partic. 81: *Sane vox ſanguinis, placaminis, atque etiam redemtionis oſtendunt, non de ſola bonitatis teſtatione hic agi.*

Primum non de ſola bonitatis divinæ teſtatione, ſed de fidelitatis ac veracitatis Dei, ac ſimul etiam de juſtificationis noſtræ demonſtratione Pauli verba accipimus. Deinde, cur voces iſtæ, quas urget Grotius, etiam ad ſolius bonitatis teſtationem referri non queant? Sanguinis enim ideo fieri potuit mentio, atque adeo noſtra ſententia, facta eſt, quia eo benigniſſima Dei voluntas de ſalute ac juſtificatione per fidem obtinenda fuit obſignata. Placamen ſeu propitiatorium ideo Chriſtus dicitur, quia in eo Deus propitium ſe omnibus oſtendit, & rationem, qua ipſum propitium reipſa experiri poſſemus, demonſtravit. Redemtio denique laborem, curam atque impendium ab ipſo Deo per Chriſtum in nos liberandos factum deſignat: quæ omnia an non ſum-

* Cap. 5. pag. 36. cap. 6. pag. 38. § Supra pag. 8 & 9. cap. 6. pag. 38. cap. 10. pag. 62. & ſeqq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſummam Dei bonitatem demonſtrant? ſed de his plenius agetur infra cap. 7 & 8.

Subjicit Grotius Partic. 82: *Conjunxit* (Apoſtolus) *impetrationem cum applicatione: impetratio eſt per ſanguinem, applicatio per fidem: recteque dicitur illa ipſa, de qua agimus, Dei juſtitia manifeſta fieri per fidem: illam nimirum, qua Chriſti ſanguis ad Deum placandum fuſus creditur; quæ fides omnium operum gloriationem, omnem in Lege fiduciam penitus excludit.*

At nulla eſt apud Apoſtolum impetrationis, quam Grotius intelligit, mentio, nec aperta nec tacita; imo Apoſtoli verba cum ea pugnant. Id enim per impetrationem intelligit Grotius*, quod Chriſtus ſanguine ſuo Deum iratum placarit, &, ut remiſſionem peccatorum nobis decerneret ac promitteret, impulerit. At Apoſtolus nos ait juſtificatos gratis, ipſius, hoc eſt, Dei gratia, per redemtionem, quæ in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine. Unde apparet, Deum gratia ſua impulſum ad juſtificationem nobis concedendam, Chriſti opera eam ad rem uſum, ita ut, quicquid is hac in parte fecit, id Deo auctore ac impulſore fecerit, non vero contra Deus Chriſto auctore ac impulſore. Non dicit autem Apoſtolus, juſtitiam iſtam Dei manifeſtam fieri per fidem, quanquam id alias noſtræ ſententiæ maximè conſentaneum eſt, cum fides noſtra Dei fidelitate nitatur, & ad eam tota reſpiciat. Neque enim voces *Per fidem* ita cum ſequentibus cohærent, ut perinde ſit, ac ſi dictum eſſet: ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ per fidem: ſed adhærent præcedentibus hoc pacto: *quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem.* Neque etiam fidei ſeparatim finis ille annectitur, *ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ*, ſed vel ſanguini, ut ſupra voluit urſitque Grotius, vel ut nos malumus, toti orationi præcedenti, nempe quod Deus propoſuerit Chriſtum propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine, hoc eſt, per Chriſtum declararit ſe hominibus eſſe ac fore proprium, non operum, ſed fidei tantum conditione addita, idque ſanguine filii ſui fuſo fuerit conteſtatus. *Per fidem* autem ſignificare poſſe *cum fide*, ſeu *conditione fidei addita*, indicat ejuſdem Pauli locus inf. cap. 4. 13, ubi *per Legem* eſt *conditione Legis implendæ addita*, ut Beza & Piſcator animadverterunt. Fides autem illa non eſt, credere Chriſti ſanguinem ad Deum placandum eſſe fuſum, ſed, ut antea ex Epiſt. Hebr. cap. 11 docuimus, credere Deum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt, & id quidem hodie per Chriſtum, per quem Deus nos remunerare, & ſalutem nobis largiri conſtituit Johan. 5. 21, 22, 26, 27. VI. 39, 40, 44, 54. X. 18. XVII. 2. Act. 5. 31, & cujus præceptis obtemperando Deum quærere debemus, & favorem ejus ambire, Johan. 14. 21, quod dum facimus, per Chriſtum in Deum credimus, ut Petrus loquitur 1 Ep. 1. 21. Eaque differentia eſt inter Chriſtianorum fidem, & eorum qui ante Chriſtum in Deum ab initio mundi crediderunt. Cum vero obtemperationem divinis legibus nominamus, & eam fidei nomine non obſcure comprehendimus, non eam intelligimus præceptorum divinorum obſervationem, quam Paulus nomine *operum Legis*, interdum etiam *operum* ſimpliciter, κατ' ἐξοχὴν ſumta voce, exprimit. Operum enim nomine Paulus ejuſmodi ſignificare ſolet obedientiam, quæ omnibus numeris ſit abſoluta, perque univerſam vitam continuata; adde etiam noſtro revera ac labore præſtita, non vero magnitudine divinorum promiſſorum, ex mera benignitate nobis oblatorum, excitata, auxilioque divino perfecta; breviter, ejuſmodi, quæ ſua vi juſtificationem mereatur. Sed ejuſmodi nos intelligimus pietatem, ut quis ingentium præmiorum à Deo propoſitorum ſpe excitatus, ſaltem plerumque poſtquam Deum vere cognovit, præceptis ejus pareat, & ab omnibus peccatorum habitibus immunis, contrariis virtutibus ſit præditus. Hæc obedientia, partim quia Deo ejuſque gratiæ potiſſimum imputanda eſt; partim quia imperfecta, & plerumque ejuſmodi, ut eam varia, graviſſimaque peccata antecesſerint, quæ ſæpe etiam majorem vitæ partem occupant, nullam nobis gloriandi materiam, præſertim ſi infinita præmii magnitudo conſideretur, ſuppeditat: imo Lex ex fidei, ut loquitur Paulus Rom. 3. 27, hoc eſt doctrina, quæ hujuſmodi tantum fidem, & in ea comprehenſam obedientiam, ad juſtificationem ac ſalutem conſequendam à nobis poſtulat, omnem operum gloriationem, omnem in Lege fiduciam excludit.

Addit Grotius Partic. 83: *Finem hunc* (nempe *juſtitiæ punientis demonſtrationem*) *etiam ex forma rei de qua agitur, quæ pœna ſit, colligi.* Sed formam hanc Grotius docere non potuit, eamque juſtitiæ divinæ ratio, ut oſtendimus, prorſus evertit.

Subjicit Partic. 84: *Item ex cauſa antecedente, quam oſtenderit eſſe meritoriam. Non poſſe autem alicujus actionis cauſam impellentem eſſe meritoriam, niſi & finis ſit* τὸ ἀνταποδοῦναι retribuere.

Eſt quidem una ex cauſis mortis Chriſti antecedentibus meritoria, ſed non talis, quæ mortem Chriſti ſit merita, ſed quæ noſtram. At inde non ſequitur, finem mortis Chriſti eſſe τὸ ἀνταποδοῦναι, eamque retributionem in ipſa morte fuiſſe peractam; niſi forte dicere velis, noſmetipſos morte Chriſti punitos, quemadmodum interdum quiſpiam conjunctæ perſonæ morte plectitur, ut parentes liberorum: id quod ſuſtineri non poteſt. Ideo enim mortuus fuit Chriſtus, ut nos impunitatem ac ſupremam felicitatem conſequeremur. Cui ergo Deus in ea morte aut per eam quicquam retribuit? an nobis, ad quos nihil ex ea redundavit mali, ſed ſuprema felicitas? an Chriſto, qui nihil fuerat commeritus, nec quicquam fecerat, ut Deus illi poſſet aliquid mali ἀνταποδοῦναι? Fieri autem poſſe, ut actionis alicujus cauſa antecedens ſit meritoria, nec tamen finis ejus ſit τὸ ἀνταποδοῦναι, ſi cauſa illa non ſit meritoria iſtius ipſius actionis, multis exemplis demonſtrari poteſt, atque inter alia patet ex verbis illis Moſis Deuter. 9. 18: *Panem non comedi, & aquam non bibi propter omne peccatum veſtrum, quod peccaveratis,* &c. Neque enim finis actionis hujus fuit τὸ ἀνταποδοῦναι, imo ideo hæc fecit Moſes, ne populus peccati ſui pœnas lueret. Hæc de priori fine rei, de qua agitur, à Grotio conſtituto.

Finem alterum Partic. 87, non ſatiſfactionis, ſed mortis Chriſti, qui eſt noſtra impunitas, libenter agnoſcimus, ut & illa, quæ de ſignificatione vocis Iræ diſputat; itemque iſta, impunitatem hanc receptiſ-

* Vide cap. 7. pag. 122.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ceptiſſima phraſi Sacræ Scripturæ vocari peccatorum remiſſionem, in eaque conſiſtere juſtificationem noſtram, & nonnulla his ſimilia; quanquam aliqua iis interjiciuntur animadverſione digna. Nam primum in loco Hebr. 2. 14, quem Grotius hic citat, nihil dicitur de *impetratione* veniæ, ſed ſimpliciter ſermo eſt de deſtructione ejus, qui mortis ſeu mortiferum habet imperium, per mortem Chriſti, h. e. ea interveniente, facta, per quam generatim intelligi poteſt imminutio atque abolitio poteſtatis ac virium, quas Satanas ad homines perdendos, & ſub imperio mortis tenendos habuit, quod tum perfecte cœpit fieri, cum Chriſtus ſupremam per mortem adeptus eſt poteſtatem, qua poteſt ſibi ſubjicere omnia, hoſteſque ſuos ac ſuorum abolere Pſal. 100. 2. 1 Cor. 15. 24. & ſeqq. Phil. 3. 21. Nam licet ipſa quoque mors Chriſti per ſe non parum ad eam rem habeat momenti, tamen eatenus potiſſimum per eam id factum dicitur, quatenus hac demum via & conditione interveniente Chriſto ſuprema poteſtas à Deo fuit conceſſa, qua totum id penitus abſolvitur.

Deinde quod ait, *remiſſionem peccatorum*, quam eandem cum impunitate noſtra eſſe dixerat, *proprie mortem Chriſti conſequi*, quia id vult, eam non eſſe effectum morti Chriſti, ſive cum ipſius prædicatione, ſive cum reſurrectione atque exaltatione communem, (nam alio quodam ſenſu id ferri poſſe, tum ſupra diximus, tum paulo poſt dicemus) dictum negamus; præſertim ſi de remiſſione ſeu liberatione à pœnis, quæ actu ipſo fiat, ſit ſermo, de qua loquuntur loca iſta duo à Grotio de impunitate noſtra paulo ante allata Rom. 5. 9, (verſ. 10. habet Grotius) quod attinet ad poſteriora ejus verſ. verba, *ſervabimur (per ipſum* omiſit Grotius) *ab ira*. Nam quod ad priorem ejus verſ. particulam attinet, in qua juſtificationis fit mentio, ea inferius, cum de *juſtificationis* voce agit, iterum adducit, ut appareat, eum ſuperius ad poſteriora verba, in quibus liberationis ab ira, de qua eorum occaſione diſſerit, fit mentio, reſpexiſſe, & impunitatem, quæ cum remiſſione peccatorum eadam eſt, in iis exprimi, dicere voluiſſe. Alter locus eſt 1 Theſſ. 1. 10. At in iis non morti Chriſti, præſertim proxime, ſed potius vitæ, & poteſtati illi, quam vivens exercet, atque in adventu ſuo pleniſſime exſeret, liberatio ab ira, adeoque impunitas noſtra, ſeu peccatorum remiſſio, adſcribitur. Nam in priori aperte de re futura, non de præterita, ſermo eſt; & eandem ſententiam in ſequentibus repetens Apoſtolus ita ait: multo magis reconciliati *ſervabimur in vita ejus*, hoc eſt Chriſti; vitam conſequutam morti aperte opponens. Alterius loci eadem revera eſt ſententia. Ita enim habet: *& expectare filium ejus* (Dei) *ex cœlis, quem excitavit è mortuis, Jeſum eruentem nos ab ira futura*. Ubi itidem de re non jam olim in morte Chriſti peracta, ſed de ea, quam Chriſtus adhuc præſtet, atque adeo perfecte tum demum præſtiturus ſit, cum è cœlis veniet, qua de cauſa ejus reditum tantopere expectare debemus, ſermonem eſſe, quivis facile ex ipſis verbis perſpicit.

Ut autem noſtra de tota hac re ſententia fiat manifeſtior, quædam nobis dicenda ſunt explicatius. Remiſſio peccatorum, ſeu juſtificatio noſtra atque impunitas, nihil eſt aliud quam liberatio noſtri à reatu ac pœna, quam peccatis noſtris fueramus commeriti. Sed ea duplici ſit ratione: primo, cum Deus jure ſuo, quod ad pœnam repetendam habet, vel ſimpliciter, vel ſub certa conditione cedit, & ſic nobis, qui deliqueramus, jus veniæ reipſa obtinendæ, ſeu immunitatem ac ſecuritatem à pœna concedit; deinde cum actu ipſo à pœna nos liberat, præſertim tunc, cum puniendi eſt tempus ab ipſo præſtitutum; & quidem ideo, quia jus ſuum perſequi plane nolit. Atque hoc poſterius ex priori, vi juſtitiæ divinæ neceſſario conſequitur, idque vel ſtatim, cum nulla adjungitur conditio, quod tamen in noſtro negotio minime contigit, vel tunc, cum conditio addita impletur, in eoque tota remiſſionis vis & utilitas, quæ ad nos redire debet, revera conſiſtit. Itaque diſtinctionis cauſa dicere poſſemus, priorem illam remiſſionem in jure conſiſtere, poſteriorem in actu; quam diſtinctionem Grotius quoque infra c. 7 indicat, de loco Rom. 5. 9, 10 agens, ubi illam jus ad rem, hanc ejuſdem rei exhibitionem vocat. Quod ad priorem attinet, ea iterum duplici ratione conſiderari poteſt; unde duplex ejus oritur in Sacris Literis ſignificatio. Vel enim ad Deum refertur active, ut loquuntur, vel ad nos paſſive. Illo modo ſumitur pro ipſius Dei peccata remittentis actione, ſeu pro abdicatione ac renunciatione juris, quod ad pœnam perſequendam habebat: hoc vero modo accipitur pro immunitate noſtra à pœna, ſeu pro jure, quod habeamus, ad pœnam reipſa effugiendam, id quod ex iſta abdicatione juris divini ſtatim ac neceſſario, ipſa rei natura ita ferente, proficiſcitur. Jam quod ad Dei ipſius peccata remittentis actionem ſeu abdicationem juris attinet, ea tunc revera cenſetur fieri, cum is aperte voluntatem hanc ſuam declarat, ac certis argumentis comprobat. Nam licet quis tacito etiam animi decreto poſſit quodammodo jure ſuo cedere, & ſic peccata remittere, præſertim cum ſine ipſius voluntate nemo alius pœnam eſt exacturus: tamen ſive communem loquendi conſuetudinem, ſive Sacrarum Literarum uſum ſpectes, tunc quiſpiam vere dicitur jure ſuo cedere, eo ſe abdicare, ei renunciare, & impunitatem alteri dare, vel peccatum ei remittere ac condonare, abſolvere denique ac juſtificare, cum vel per ſeipſum, vel per alium quempiam teſtatur, ſe jus ſuum perſequi nolle, præſertim ſi id fiat adhibitis teſtibus, aut ſolennibus verborum formulis, aut aliis quibuſdam ſignis, quæ promiſſum revocare amplius non patiantur, quemadmodum revocari res poterat, cum adhuc in animo hæreret, maxime ſi decretum nondum ſit abſolutum aut bene firmum. At ubi talis intervenit renunciatio, tunc alter quidem jure ſuo vere ſe privat, quanquam nunc abſolute, nunc cum conditione; alteri vero jus ac poteſtas pœnam, ſi quæ forte ei poſtmodum ob culpam ſemel condonatam intentetur, depellendi datur, qua caruiſſet, niſi aperta alterius partis acceſſiſſiſſet declaratio, etiamſi tandem decretum aliquando anteceſſiſſet. Tutum quidem præſtare ipſum potuiſſet à pœna decretum immutabile in animo alterius latens, ſed ſecurum nunquam. Hinc Paulus 2 Cor. 5. 19 ait: Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, *non imputans illi delicta ipſorum*, hoc eſt, juri ſuo quod ad peccata eorum vindicanda habebat, aperte

renun-

renuncians. & Eph. 4. ult: *Deus in Chriſto condonavit vobis*, h. e. delicta veſtra punire ſe nolle per Chriſtum teſtatus eſt. Qua de cauſa iis etiam, per quos declaratio illa ſit, ſeu qui alieno nomine remiſſionem hanc denunciant ac promittunt, actio hæc tribuitur. Quemadmodum fit in loco, qui huic plane reſpondet Coloſſ. 3. 13, ubi loco ejus, quod ad Epheſ. dixerat Apoſtolus: *Sicut Deus in Chriſto condonavit vobis*, hic ait: *Sicut Chriſtus condonavit vobis*. Chriſto nempe, Dei internuncio, id tribuitur, quod ibi Deo: ſicut alibi Apoſtolis quoque Johan. 20. 23. Matth. 16. 19. & Eccleſiæ Matth. 18. 18. In quorum teſtimoniorum primo Grotius infra hoc cap. ait, *ſolvere* eſſe ſolutum declarare. Ex quibus Joh. & Matth. locis illud quoque conſtat, ex ejuſmodi declaratione effectum quoque ipſum remiſſionis ſeu liberationis à pœna conſequi, quanquam ad eum novam aliquam Dei ac Chriſti actionem intervenire oportere, duo apud Matth. loci ſatis aperte indicant, dum aſſerunt, *in cœlis* id ratum fore. Quapropter patet, iis rebus, quæ declarant, præſertim evidenter ac manifeſte, Deum velle nobis peccata condonare, quæque ab ipſomet eum in finem adhibentur, ut ſuam ea de re voluntatem nobis teſtetur, ſeque nobis ad eam præſtandam obliget, peccatorum remiſſionem, quocunque tandem ex iis, quos explicuimus, modis accipiatur, recte adſcribi. At ejuſmodi eſt mors Chriſti quæ tum univerſi Fœderis Novi, tum inprimis remiſſionis peccatorum, in eo apertiſſime promiſſæ, Jerem. 31. 34. Hebr. 8. 12. x. 16, 17, ſanctio eſt ac confirmatio, & peculiarem quandam, ex ipſa ei natura, cum ea conjunctionem habet, ut ſupra jam expoſuimus. Adde, quod ea conditio fuerit, Chriſto à Deo impoſita, qua præſtita demum tantam adeptus eſt poteſtatem, qua poſſet nobis peccata reipſa condonare, & ex omnibus ſcelerum pœnis, atque inprimis ex morte æterna, quæ proprium quoddam eſt peccati ſtipendium, ereptos, extra omne ſupplicii periculum ponere: quod ut tanto promtius faceret, ipſa mors fuit adjumento: ac denique, quod ea nos quoque ad conditiones, quas nobis Deus impoſuit, ſi peccatorum veniam reipſa conſequi velimus, amplectendas & implendas permoveat: quæ omnia ſuo loco docuimus. Itaque ſi remiſſionis nomine vel declarationem divinæ voluntatis de peccatis noſtris condonandis, vel impunitatem noſtram, ſecuritatemque à divinis ſuppliciis accipias, ea proxime, & quidem peculiari ac propria quadam ratione, ex Chriſti morte conſequitur; & ex pacto Grotii dictum, cujus occaſione hæc diſſeruimus, admittimus. Quod ſi remiſſionis nomine ipſum actum liberationis à pœna intelligas, ea partim ideo ex Chriſti morte proficiſcitur, quia tale jus, quale jam explicuimus, ad pœnam effugiendam nobis largitur, & Deum ad remiſſionem actu ipſo nobis præſtandam obſtringit; partim quia conditio ac cauſa fuit in Chriſto eorum, ex quibus ea liberatio proxime proficiſcitur; partim denique quia in nobis cauſa eſt conditionum ad remiſſionem actu obtinendam neceſſariarum. Quod autem eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ut alibi jam monuimus. Ex quibus omnibus, præſertim priori loco commemoratis, ſatis patere poteſt, cur Sacrarum Literarum, quando conciſius, & ſimul etiam, cum quadam elegantia & emphaſi loquuntur, morte Chriſti ſimpliciter adſcribant remiſſionem peccatorum tanquam cauſæ mediæ, & hanc illius finem conſtituant, quod ſolum evincunt loci à Grotio citati; licet eam, præſertim pro liberatione à pœna, quæ actu ipſo fiat, acceptam, alibi mortis Chriſti conſequentibus & effectis, nempe reſurrectioni, exaltationi, & æterno ejus ſacerdotio, quod coram Dei vultu in cœlis apparens adminiſtrat, & cui finem in adventu ſuo eſt impoſiturus, tanquam propinquæ cauſæ adſcribant, & iis plus etiam hac in parte quam morti per ſe conſideratæ tribuant. Vide, præter duo Pauli loca ſuperius examinata Rom. 5. 1 Theſſalon. 1, etiam illa Rom. 4. ult. 1 Corinth. 15. 18. Eſai. 53. 11. Actor. 5. 31. Rom. 8. 34, ubi aperte in nobis à condemnatione liberandis plus tribuitur reſurrectioni Chriſti, ſeſſioni ad dextram Dei, & interceſſioni pro nobis, quæ ad ſacerdotium ſpectat, quam morti. Adde his 1 Johan. 2. 1, 2. Hebr. 2. 17, 18. v. 9, 10. VII. 24, 25.

Cætera, quæ hoc loco diſſerit Grotius, vel nihil habent controverſiæ, vel, ſi quid habent, id partim in ſuperioribus fuit excuſſum, partim alibi in hac diſputione noſtra excutietur.

Sententia ſua de hoc mortis Chriſti fine explicata, accedit Grotius Partic. 86 ad refutationem Socini, quem ait, *hanc connexionem*, quam ipſe defendit, *mortis Chriſti cum remiſſione peccatorum nobis facta nolle agnoſcere, & alias adferre mirum quam alienas à vocibus & ſcopo Scripturæ. Videri autem omnes iſtas, quas paſſim libro ſuo inſperſerit, reduci poſſe ad quatuor capita*, quæ ſingula ſubjicit, & examinat.

An rationes, quas Socinus attulit, remiſſionem peccatorum cum morte Chriſti connectendi, alienæ ſint à vocibus & ſcopo Scripturæ, partim ex iis, quæ hactenus diximus, partim ex iis, quæ dicturi ſumus, æſtimare poterit lector. Capita autem illa quatuor non eſſe ſatis recte ex noſtra aut Socini ſententia à Grotio conſtituta, quivis facile animadvertet, qui ea cum illis, quæ paulo ante ad ſententiam hac de re noſtram explicandam propoſuimus, & & cum ipſius Socini dictis, quæ Grotius citabit, contulerit, quemadmodum paulo poſt apparebit. Nonnulla recte dicta eſſe, licet non ſatis explicate, haud diffitemur.

Ita ergo ſcribit Grotius Partic. 87: *Primum eſt quod Chriſtus, cum prædicaſſet pœnitentibus patere peccatorum remiſſionem, ad ei prædicationi teſtimonium perhibendum mortem non recuſarit.* In margine notat Socin. lib. 1. cap. 2 & 3.

Quo pacto id, quod Socino hic tribuitur, ad connexionem remiſſionis peccatorum noſtrorum cum Chriſti morte faciat, quod ex Grotii dictis vix poteſt intelligi, nos paulo ante oſtendimus. Non eſt autem is modus à Socino explicatus locis à Grotio citatis. Nam cap. 3. lib. 1 oſtendit quidem Socinus, ſalutis viam morte Chriſti confirmatam: ſed illud revera non docet, hunc eſſe modum remiſſionem peccatorum cum morte Chriſti connectendi, licet id ex dictis ejus deduci aliquo modo poſſit: multo autem minus id docetur cap. 2 ejuſd. libri. Adduci potius debuit lib. 2. cap. 2, ubi de redemtione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

agens, quædam habet huc pertinentia. Verum quo pacto Grotius hæc refellit?

Sed hic ſenſus, inquit Partic. 88: *Mortem Chriſti magis effectum facit remiſſionis, quam remiſſionem mortis. Nam rei exiſtentia cauſa eſt teſtimonii, non contra. At Scriptura dicit nos remiſſionem conſequi per ſanguinem* Eph. 1. 7. Col. 1. 14, *& ſanguinem delere peccata noſtra* 1 Joh. 1. 7, *item ſanguinis effuſionem eſſe aliquid antecedens, ſine quo non fiat remiſſio* Hebr. 9. 22.

Atqui res illa, cui mors Chriſti teſtimonium præbuerit, ut Grotii verba, quibus Socini mentem explicat, habent, non eſt ipſa peccatorum remiſſio, ſed prædicatio ejus, quod pœnitentibus remiſſio peccatorum pateat. Quapropter ex ratione Grotii non ſequitur, mortem Chriſti magis conſtitui effectum ipſius remiſſionis, quam remiſſionem mortis: ſed tantum, mortem Chriſti magis conſtitui effectum prædicationis iſtius, quam contra hanc illius. At aliud eſt prædicatio remiſſionis, præſertim ſequuturæ demum, aliud ipſa remiſſio: quemadmodum aliud vita æterna, aliud illius prædicatio. Sed ita capiamus verba Grotii, ac ſi dictum à Socino fuiſſet, mortem Chriſti perhibuiſſe teſtimonium ipſi remiſſioni, quod aliquo modo dici poſſe arbitramur, ſi vel teſtimonium ſumatur pro annunciatione tantum ac confirmatione rei, etiam futuræ; vel remiſſio peccatorum accipiatur eatenus, quatenus adhuc in Dei decreto, eoque non abſoluto, ſed conditionato hæret, non vero quatenus jam reipſa exiſtit: inde tamen non ſequetur, mortem Chriſti conſtitui effectum potius quam cauſam remiſſionis peccatorum, in eum ſenſum, qui Sacris Literis uſitatus eſt, acceptæ. Nam ſive eo nomine accipias ſolennem ac pleniorem quandam abdicationem juris, quod Deus ad nos puniendos habet; ſive noſtram impunitatem in jure conſiſtentem, ac ſecuritatem à ſupplitiis divinis, de qua loci à Grotio adducti inprimis loquuntur; ſive denique ipſum liberationis à pœnis actum, qui præſtitis demum conditionibus conſequitur; remiſſio peccatorum teſtimonii hujuſmodi, quale mortem Chriſti eſſe volumus, effectus eſt, non cauſa, ut ſupra fuit explicatum. Simili quapiam ratione dicimus, nos vi Fœderis Novi remiſſionem peccatorum ac ſalutem adipiſci, aut eandem ex Novo Fœdere pendere, cum tamen fœdus nihil præſtet aliud, quam quod eam nobis teſtetur ſeu promittat, & ſic Deum quidem ad eam reipſa præſtandam obliget, nobis vero jus ad eam obtinendam largiatur, & certam ejus ſpem ac fiduciam ingeneret, atque ad conditiones, ſine quibus obtineri non poteſt, ſervandas nos adducat: quamquam aliquid hic eſt inter mortem Chriſti & Fœdus Novum diſcriminis, ut paulo inferius dicemus. Neque vero eſt, quod quis dicat, nullam eſſe vim juris illius, quod confirmatio remiſſionis nobis largiatur, ad eam reipſa obtinendam: ſiquidem jus iſtud Deum ad eam nobis præſtandam haud quaquam impellat, cum is decreto ſuo, ſuæque voluntatis conſtantia ſatis ad eam rem moveatur. Nam primum cur non liceat dicere, Deum ſimul & decreto ſuo, & promiſſis eorumque confirmationibus, quibus ſemetipſum nobis obſtrinxit, ad rem exhibendam moveri? Videmus certe viros divinos promiſſa ipſius aut juramenta commemorare, ut ipſum ad ea, quæ illis ſunt conſentanea, facienda impellant. Nec aliam ob cauſam fidelitatis ac juſtitiæ Dei, tum in hoc remiſſionis negotio, tum alibi fit mentio, quam quia Deus promiſſis ſuis obligetur, & ſic fidelitas ac juſtitia ipſius requirat, ut illa præſtet. Deinde conſiderandum eſt, cum Deus hujuſmodi rebus, quales ſunt ſolennes ſtipulationes, juramenta, & alia confirmationum genera Hebr. 6. 17, 18, in quibus jam ponitur, Deum eſſe qui loquatur, aut quippiam promittat, noſtræ imbecillitati ſuccurrere voluerit, & fidei noſtræ infirmitatem ſublevare; Sacras Literas huic Dei conſilio, noſtroque captui ſeſe accommodantes, atque interim ad humanos quoſdam ritus ac mores alludentes, ſæpe non tam eas rerum aut promiſſionum exhibendarum cauſas, quæ in Deo latent abditæ, licet forte potiores, quam manifeſta earum ſigna atque indicia, quibus nobis à Deo cautum eſt, & quibus nos, ut in humanis fit, munire, ac veluti jure cum Deo agere poſſumus, exprimere; vel cauſas utraſque conjungere; vel denique, ut modo commemoravimus, eas afferre, quæ promiſſionem aliquam ac ſtipulationem, ut loquuntur, præſupponant. Unde Socinus in non paucis Sacrarum Literarum locis, ex quorum numero ſunt etiam illa à Grotio citata Eph. 1. 7. Col. 1. 14. 1 Joh. 1. 7, in quibus de jure obtinendæ remiſſionis ſermo eſt, ait remiſſionem peccatorum, aut redemtionem, aliaſve ſimiles voces pro ea poſitas, accipi pro remiſſione, quatenus eam ſpe adipiſcamur, vel etiam pro ejus declaratione, quia jus illud noſtrum, ſeu impunitas, catenus potiſſimum ibi conſideratur, quatenus certa ejus rei notitia ad homines pervenit, qua animi noſtri à divinis ſuppliciis ſecuri queunt reddi, & ſeſe adverſus divina judicia munire; non vero eatenus præcipue, quatenus Deus ad remiſſionem nobis concedendam impellitur. Eadem de cauſa remiſſio peccatorum non tam aperte aut tam crebro ipſi Fœderi Novo, aut Dei promiſſionibus in eo comprehenſis, tanquam cauſæ cuidam adſcribitur, quam morti Chriſti. Quia cum mors Chriſti fœderis illius, atque inprimis remiſſionis peccatorum inibi promiſſæ inſignis ſit confirmatio, clarius res patet, morte Chriſti commemorata, quam Novi Fœderis ſigillum eſſe, tanquam jam notum in ejuſmodi locis ponitur, quam nuda fœderis mentione facta. Adde quod Fœdus Novum tum demum ex Dei voluntate ratum fuit, & vim effectumque ſuum habere cœpit, poſtquam mors Chriſti interceſſit; quemadmodum D. Auctor Hebr. 9. 15, 16, 17, à teſtamentis ducta ſimilitudine oſtendit; nempe quia hac conditione interveniente Chriſtus eam poteſtatem adipiſci debebat, atque adeo adeptus eſt, qua promiſſa hujus Fœderis Dei nomine nobis reipſa præſtaret. At ex Dei decreto nemo alius ejus Teſtamenti eſſe debebat exſequutor. Quare morte Chriſti nominata, indicatur, nihil jam eſſe cur de remiſſione peccatorum ex vi Novi Fœderis aut Teſtamenti adipiſcenda dubitemus, ſiquidem mors teſtatoris intervenerit, adeoque Teſtamentum ratum fecerit. Id vero non ſignificaretur, ſola fœderis mentione facta. Fœdera enim antequam ſanciantur, vim in præſens nondum habent, ſed poſt ſanctionem demum habitura ſunt: ac

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

præterea revocari nonnunquam eas ob cauſas poſſunt, ob quas jam ſancita irrita fieri nequeunt.

Quod porro addit Grotius Partic. 89: *ſi vera eſſet hæc interpretatio, poſſent & Martyres dici ſanguinem fudiſſe in remiſſionem peccatorum, & nos per ipſorum ſanguinem conſequi remiſſionem: cum tamen Scriptura hoc privilegium ſoli Chriſto tribuat:* Ad id ſupra * reſponſum eſt, cum de materia diſputaremus. Quare ea inde petantur.

Tertia Grotii ratio eſt Partic. 90: *Accedit quod cauſa interfectionis Chriſti quoad homines non proprie fuerit prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, ſed quod Deum dixiſſet Patrem ſuum, parem ſe faciens Deo* Johan. 5. 18: *Ac proinde Deum ſe profiteretur* Johan. 10. 33. *Quamobrem mors ejus proprie huic profeſſioni, non prædicationi veniæ teſtimonium præbuit.*

At primum, etiamſi quoad homines hæc cauſa proprie non fuerit; inde tamen minime ſequitur, Chriſtum ex Dei, ſuoque ipſius conſilio, eum in finem non eſſe mortuum, ut prædicationi remiſſionis peccatorum teſtimonium præberet, aut hunc effectum ex Chriſti morte non fuiſſe conſequutum. An fieri non potuit, ut aliud homines ad Chriſtum interficiendum proprie impelleret, aliud vero Deus ac Chriſtus ea ratione teſtari vellet? quemadmodum ſane uterque ſummam ſuam erga nos charitatem commendare ac teſtari voluit; unde ſtatim remiſſionis peccatorum ab eo promiſſæ ac ſperandæ patet certitudo: qua tamen de re interfectores Chriſti ne cogitarunt quidem. Quid? an non ſatis aperte docent Sacræ Literæ, & unanimi conſenſu fatentur omnes, mortem Chriſti confirmationem eſſe Novi Fœderis, de quo interfectores Chriſti proprie cogitaſſe quis dixerit? non magis certe de eo cogitarunt, quam de remiſſione peccatorum pœnitentibus propoſita, qua in re totius Novi Fœderis vis conſiſtit. Deinde hoc ipſum, cujus cauſa Chriſtum proprie mortuum eſſe Grotius docet, totam Chriſti doctrinam, & ſic remiſſionem peccatorum pœnitentibus propoſitam, ad quam ipſius doctrina proprie ſpectat, mirifice confirmat; ut ab initio diſputationis hujus docuimus. Qua de cauſa, ut ibidem monuimus, Johannes 1 Epiſt. cap. 5, cum teſtes divinos produxiſſet, qui maximo conſenſu teſtentur, Jeſum eſſe Dei filium aut Chriſtum, inter quos eſt etiam ſanguis, cum quo Chriſtus venit; poſtea ſummam teſtimonii divini, quod teſtes dicti edant, his verbis exprimit v. 11: *& hoc eſt teſtimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus eſt.* Vita vero æterna remiſſionem peccatorum in ſeſe includit, aut, ut loquuntur, neceſſario præſupponit.

Quarta Grotii ratio eſt Partic. 91: *Teſtatio denique de doctrina non minus, imo magis etiam per miracula Chriſti facta eſt, quam per mortem. At miraculis nuſquam tribuitur effectus hic, quod per ipſa habeamus peccatorum remiſſionem.*

Miracula quidem doctrinam Chriſti generatim conſideratam, nulla habita ratione rerum ipſarum, quæ in ea proponuntur, magis videntur confirmaſſe, quam mors, imo etiam quam reſurrectio Chriſti, quæ ipſa quoque miraculis potiſſimum Apoſtolorum fuit demonſtrata, aliiſque effectis miraculorum ſimilibus: at ſi natura & proprietas doctrinæ Chriſti, & promiſſorum in ea comprehenſorum ſpeciatim conſideretur, magis ea morte ac reſurrectione fuit confirmata quam miraculis, quæ cum promiſſis in ea comprehenſis nullam peculiarem ex rei natura habent conjunctionem, qualem, ut ſup. partic. 26 oſtendimus, habet mors cum remiſſione peccatorum, de qua hic agitur, reſurrectio cum reſurrectione noſtra. Quo reſpicientes Sacræ Literæ, cum remiſſionem demonſtrare volunt, mortis, cum reſurrectionem, reſurrectionis Chriſti potiſſimum faciunt mentionem, miraculorum in neutra. Potuiſſet enim Chriſtus, rei natura inſpecta, nil niſi minas Dei nomine, ut ei parere vellemus, proponere, & tamen doctrinæ ſuæ confirmandæ cauſa ſtupenda edere miracula. Miracula magna edidit olim Deus per Moſen, quia tamen remiſſionem peccatorum reſurrectionemque pœnitentibus non promiſit, ſed maledictionem omnibus, qui legem integram non ſervaſſent, eſt minatus. At non potuit fieri, ut Chriſtus unigenitus Dei filius, doctrinam ſuam, & ſalutis viam in ea propoſitam à Legali diverſam, confirmandi, & nos ad eam adducendi cauſa Dei voluntate moreretur, quin ſimul ingens Dei ac Chriſti erga peccatores charitas appareret, & ſic certa remiſſionis ſpes in animis noſtris oriretur. Adde, quod Sacræ Literæ morte Chriſti nominata ſæpe ea etiam comprehendere ſoleant, quæ illam ſunt conſequuta, unde mira vis ad remiſſionem peccatorum confirmandam morti accedit, quæ in miraculis non apparet. Non repeto illud, quod itidem ſupra monuimus, Sacras Literas libenter in hoc negotio alludere ad ritus varios, atque inprimis ad ſanguinem fœderis, aut victimarum expiatoriarum, aut ad pretium redemtionis: quæ alluſiones perirent, miraculorum mentione facta.

Secundum caput conſtituit Grotius Partic. 92: *quod Chriſtus morte ſua conſequutus ſit jus donandæ remiſſionis.*

Si Grotius Juris nomine pleniſſimam poteſtatem ac virtutem pœnas peccatorum, præſertim æternas, reipſa tollendi comprehendit, recte, atque ex Socini ſententia loquitur: ſin Jus à potentia & virtute hac ſejungit, (poteſt enim fieri, ut quis jus ad rem aliquam habeat, interea tamen viribus ad eam præſtandam deſtituatur;) aut poteſtatem intelligit temporarias tantum pœnas ab hominibus auferendi, non recte Socini mentem explicat, qui de æternæ pœnæ ablatione potiſſimum loquitur, & non Juris, ſed Poteſtatis voce hac in re utitur, ut vel locus à Grotio citatus lib. 2. cap. 4 docet, & ille lib. 1 cap. 6. In quo tamen Socinus non oſtendit, qua ratione remiſſio cum morte Chriſti cohæreat, nec demonſtrat, Chriſtum morte ſua poteſtatem donandæ remiſſionis conſequutum, ut locum intuenti patebit.

Objicit Grotius Partic. 93: *Sed evertit hanc poſitionem Socinus ipſe: qui oſtendit Chriſtum in terris viventem hoc jus habuiſſe atque exercuiſſe. Quod autem meum eſt, id amplius meum fieri non poteſt.*

At nuſquam ait Socinus, Chriſtum in terris viventem, pleniſſimam habuiſſe poteſtatem pœnas etiam æternas à nobis auferendi; ſed tantum peccatorum veniam in hac vita pleniſſimam concedendi, hoc eſt temporarias pœnas auferendi. Ita enim expreſſe dictum

* Vid. Partic. 19.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ctum ſuum limitat eo loco, quem Grotius citavit. Quod ad æternas pœnas attinet, eas non reipſa tollendi, ſed de futura earum ablatione teſtandi, jus & auctoritatem plenam Chriſti in terris adhuc viventi tribuit. Poteſtatem enim, ultimum noſtrum hoſtem, qui mors eſt, in nobis extinguendi, & in eum nos ſtatum transferendi, unde nullus ſit amplius in eam lapſus, quo facto peccatorum noſtrorum remiſſio penitus abſolvetur, tunc demum adeptus eſt Chriſtus, cum ad dextram Dei collocatus eſt, & omnia pedibus ejus ſunt ſubjecta Phil. 3. 20, 21. 1 Cor. 15. 24 & ſeqq. & v. 54, 55, 56. Hebr. 10. 13, quo pertinent etiam loca ſuperius à nobis allegata, in quibus reſurrectioni atque exaltationi Chriſti remiſſio peccatorum adſcribitur.

Sed occurrit huic reſponſioni Grotius Partic. 94: *Ac ne quis exiſtimet (quod Socinus innuit magis quam affirmat) hanc Chriſti poteſtatem ad pœnas duntaxat ſpectaſſe temporales & vitæ præſentis, notandum eſt, cum Chriſtus dicitur* Matth. 9. 6 *jus habuiſſe remittendi in terra peccata, non illo aditamento in terra effectum reſtringi, ſed actionis locum* ἐμφατικῶς *denotari. Nam & Apoſtolis dicitur* Matt. 18. 18, *quæcunque ſolveritis in terra: ubi quanquam ſolvere eſt ſolutum declarare, illud tamen in terra locum tantum actionis deſignat: ſequitur enim, ſoluta erunt in cœlo. Illud ergo voluit Chriſtus, ſibi, quantumvis in terris agenti, jus tamen illud adeo eximium ac cœleſte competere: neque aliud miratur populus quam jus tantum hominibus (hoc eſt* κατ' ἐναλλαγὴν *uni ex hominum numero) datum.*

Imo vero Socinus ſententiam iſtam ſatis manifeſte expreſſerat, cum dixiſſet lib. 2. cap. 4, Chriſtum, quacunque ratione illi placuit, & cuicunque voluit, *veniam delictorum dum in terris fuit, pleniſſimam in hac vità dediſſe*. Quod ad rem ipſam attinet; vel hic excipit tantum Grotius; vel ex loco Matth. 9. 6, Marc. 2. 10, ubi dicitur, Chriſtum habuiſſe *poteſtatem in terris dimittendi peccata*, contra Socinum argumentatur. Si prius, fruſtra eſt, cum Socinus ex eo loco non probet, Chriſtum in terris degentem non habuiſſe poteſtatem auferendi pœnas æternas, ſed temporarias tantum. Admittit enim eam quoque verborum *in terra* ſententiam, quam urget Grotius, ut non ſint limitatio remiſſionis peccatorum, cujus poteſtatem jam tum Chriſtus habuit, ſed determinatio loci, ubi hanc poteſtatem exercuit; licet ſuſpicetur, illam potius quam hanc eorum eſſe ſententiam; cum & veritati, & ſcopo Chriſti ſit valde conſentanea. Si poſterius facit Grotius, ut quidem debebat, probandum illi eſt, eo loco intelligi poteſtatem plenam æternas etiam peccatorum pœnas reipſa auferendi. Nos vero vel ex Grotii verborum *in terra* explicatione facile probare poſſumus, de ea hic non agi. Ait enim Grotius, additamento illo *in terra*, locum actionis ἐμφατικῶς denotari. Actio autem hoc loco eſt *remittere peccata*. In terris igitur exiſtens Chriſtus id faciebat, quod verbis illis *remittere peccata* hic deſignatur. At à quonam homine Chriſtus in terris degens æternas pœnas re ipſa abſtulit, aut auferre debuit? Populus autem nil eſt miratus aliud, quam poteſtatem tam ſtupenda patrandi opera, atque adeo tam graves peccatorum pœnas, quæ in hac vita divinitus infligi ſolerent, ab hominibus auferendi.

Dum vero addit Grotius Partic. 95: *Chriſtum prius peccata remittere paralytico, quam paralyſin, pœnam ſcilicet temporalem, tollat*, non animadvertit, verba iſta *remittuntur*, aut *remiſſa ſunt tibi peccata tua*, per enallagen, quam figuram in verbis Matth. ad finem hujus hiſtoriæ ſcriptis agnoſcit Grotius, de re mox ac certo futura accipi poſſe; quaſi dixiſſet Chriſtus, bono ſis animo, mi fili: mox enim tibi peccata tua remittentur, & pœna, à qua liberari tantopere deſideras, auferetur. Quod ſi nolis uſitatam alioquin Sacris Literis in rebus hujuſmodi temporum enallagen admittere; remiſſio intelligi poterit ea, quæ in jure potius quam in actu ipſo conſiſtat, & nihil ſit aliud quam liberatio à reatu pœnæ temporariæ. Verba enim iſta de condonatione pœnæ æternæ intelligenda non eſſe, id ſatis docet, quod nec veriſimile ſit, in paralytico illo eam jam fuiſſe fidem, ob quam in æternum ſervari deberet; & Chriſtus ea verba pronuncians, reſpexerit fidem non tantum ipſius paralytici, ſed etiam eorum, qui tanto cum labore, ut ex Marco conſtat, eum ante Chriſtum demiſerant, certo ſperantes, eum à Chriſto ſanatum iri. Nam fides aliena, ea præſertim, quam homines iſti tum habuerunt, ad temporariæ pœnæ condonationem vim habet magnam, ad liberationem ab æterna non item. Quod ſi etiam de remiſſione pœnæ æternæ hic eſſet ſermo, non ſequeretur tamen, eam tum re ipſa fuiſſe à Chriſto homini illi præſtitam, ſed tantum declaratam ac promiſſam.

Illud etiam non tam valido nititur fundamento, quam valide à Grotio aſſeritur Partic. 96: *Chriſtum aperte jus utrumque* (nempe remittendi peccata, & pœnam temporalem auferendi) *diſtinxiſſe, & alterum per alterum probaſſe, inviſibile per viſibile.* Nam, quod eſt tam apertum hujus rei argumentum? aut ubi duplicis iſtius juris ſit mentio? Poſſunt autem ita ſumi Chriſti verba, ut non jus unum per alterum, ſed poteſtatem pœnas auferendi, quæ per ſe ipſam erat inviſibilis, nec niſi per effecta in oculos incurrebat, per effectum ejus proprium ac manifeſtum demonſtraſſe cenſeatur. Quanquam nos illud quoque, quod ait Grotius, eo, quo paulo ante diximus, ſenſu admittere poſſumus.

Objicit tandem Grotius Partic. 97: *Scripturam modum connexionis inter mortem & remiſſionem peccatorum explicare voce placaminis, aliiſque ſimilibus, quæ ad jus donandæ veniæ aptari nequeant.*

At nihil conſtat, voce ἱλαστηρίου, *propitiatorii*, aut ἱλασμοῦ *propitiationis*, quam Grotius placamen vertit, omnes iſtos modos, quibus remiſſio peccatorum cum morte Chriſti connectitur, exprimi. Deinde vox ἱλασμοῦ, & ἱλάσκεσθαι *propitiare* vel *expiare*, etiam eatenus de Chriſto uſurpatur, quatenus poteſtate à Deo per mortem accepta, nobis peccata condonat; qua de re agetur cap. 7. & 10.

Tertium caput conſtituit Grotius Partic. 98: *quod in Chriſti morte exemplum nobis patientiæ & obedientiæ proponitur*. In margine citat Socini locum lib. 1. c. 4.

At Socinus cum de remiſſione peccatorum ex morte Chriſti proficiſcente nominatim agit, nuſpiam exemplum patientiæ commemorat, quod remiſſionem peccatorum cum morte Chriſti connectat, imo nec exemplum obedientiæ in eodem præſtitæ, niſi forte eatenus, quatenus id ſimul, reſurrectione conſequuta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quuta, viam ſalutis confirmavit & ſanxit. Quanquam etiam, ut mox docebimus, etiam per ſe ad remiſſionem conſequendam nobis prodeſt. Socinus loco à Grotio notato, nec mortis Chriſti, nec patientiæ, nec remiſſionis peccatorum expreſſam facit mentionem, ſed tantum demonſtrat, nos Chriſtum imitari poſſe, & hanc ſalutis æternæ viam eſſe, & præter alia, ob id etiam Chriſtum jure Servatorem noſtrum appellari. Erravit nempe Grotius, partim dum ea, quæ Socinus lib. 1 de ratione univerſa, qua Chriſtus noſter ſit Servator, diſputavit, peculiariter ad Chriſti mortem retulit; quod etiam ex cæteris tribus capitib. à Grotio conſtitutis apparet; partim dum ea, quæ conjungenda erant, diſjunxit. Rectius enim feciſſet, ſi, quemadmodum nos ab initio diſputationis noſtræ fecimus, de vi mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio agentes, dixiſſet, eatenus quoque, ex Socini mente, mortem Chriſti remiſſionis peccatorum eſſe cauſſam, quatenus nos movet ad conditionem illam implendam, ſine qua remiſſionem adipiſci nullo pacto poſſumus: inter eos autem modos, quibus mors Chriſti iſtud efficiat, hunc etiam ex Socini ſententia eſſe, quod obedientiæ illius, ſine qua peccata nobis à Deo non remittuntur, exemplum nobis præbet. Atque hoc pacto id, quod Socino tribuit Grotius, agnoſcimus: quanquam validior foret inter mortem Chriſti, & remiſſionem peccatorum nexus, ſi plures illi modi, quibus nos mors Chriſti ad conditiones remiſſionis adipiſcendæ impellit, fuiſſent conjuncti, & ad unum caput revocati. Sed videamus quomodo Grotius id, quod Socino tribuit, refellat.

Exemplum hoc, inquit Partic. 99, *ad ſanctificationem, & quæ eam ſequitur gloriam æternam aliquo modo, ad remiſſionem vero peccatorum plane non pertinet.*

Sed cur ad remiſſionem peccatorum plane non pertinet, quod ad ſanctificationem aliquo modo, ut fatetur Grotius, revera autem plurimum facit? cum ſanctificatio hæc conditio ſit remiſſionis peccatorum, ſine qua eam adipiſci nequaquam poſſumus? An non paſſim inculcant Sacræ Literæ, ad remiſſionem conſequendam opus eſſe converſione ſeu reſipiſcentia? Quid vero ea eſt aliud, quam mutatio animi & vitæ in melius? Quoties inculcatur, fide nos juſtificari, & remiſſionem peccatorum conſequi? At fidei ſpiritus ac complementum ſunt bona opera, ut docet Jacobus cap. 2. 14, qui ait, Abrahamum etiam ex operibus fuiſſe juſtificatum, & fidem, quæ ei ad juſtitiam fuit imputata, operibus fuiſſe conſummatam. Nonne Paulus Rom. 8. 1,4 aperte pronunciat, in iis demum, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum, nullam eſſe condemnationem, & Legis juſtificationem perfici? Quid vero illis Johannis verbis clarius 1 Joh. 1. 7? *Si in luce ambulaverimus, ut ipſe* (Deus) *eſt in luce, communionem habemus inter nos invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus purificat nos ab omni peccato*? Quod ergo hujus pietatis in nobis eſt cauſſa, (ut ſane eſt tam illuſtre in fidei noſtræ duce illius exemplum,) cur non etiam remiſſionis peccatorum cenſeatur eſſe cauſſa? Tanto vero magis id ſtatuendum eſſe patebit, ſi conſideretur id, quod Socinus non uno loco indicavit, juſtificationem noſtram, licet à gloria æterna diſtingui aliqua ratione queat, tamen tum demum vere completum iri, cum ab ira futura, ſeu morte æterna, quæ proprium peccati ſtipendium eſt, reipſa liberati, reſurgemus incorruptibiles ac glorioſi Rom. 5. 9. 1 Theſ. 1. 10. Rom. 6. 23. 1 Cor. 15. 52, quam ad rem iſtam Socini rationem aliquo modo pertinere fatetur Grotius. Nam tum perfecte tanquam juſti tractabimur, aut, ut Apoſtolus loquitur Rom. 5. 19, juſti conſtituemur, ubi præmium, quod juſtis ſolis conveniebat, quodque ea de cauſſa Juſtitia nominatur, nos qui graviſſime peccaveramus, adeoque injuſti fueramus, accipiemus. Unde ait Apoſtolus Gal. 5. 5: nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectare, hoc eſt, rem ſperatam, quæ juſtitia aut juſtificatio eſt: & ſibi in illa die à Domino, juſto illo judice, datum iri coronam juſtitiæ 2 Tim. 4. 8, hoc eſt, coronam illam, quæ ſit juſtitia, quæ eodem pacto corona vitæ aut gloriæ nominatur Jac. 1. 12, & juſtitia in novis illis cœlis & nova terra Apoc. 2. 10, quæ expectamus, habitare à Petro 1 Petr. 5. 4. 2 Petr. 3. 13 dicitur. Ideo ut ſupra vidimus, in non paucis S. Script. locis Jerem. 31. 34. Hebr. 8. 12. x. 17. Luc. 24. 47, confer Marc. 16. 15, 16. Act. 5. 31. x. 43. XIII. 38, 39. Rom. 4. 6 & ſeqq. ex Pſal. 31, ubi promiſſorum divinorum & bonorum à Chriſto ſperandorum ſumma exprimitur, nulla vitæ æternæ, quæ tamen inter promiſſiones divinas eſt potiſſima, & maximum bonorum, quæ à Chriſto in nos proficiſcuntur, expreſſa fit mentio, ſed tantum remiſſionis peccatorum; quia hæc illam in ſe comprehendat, & felicitas noſtra in ea collocata ſit. Cur autem remiſſionis potius quam vitæ æternæ iis in locis aperta fiat mentio, cauſſa ſuperius eſt explicata. Quare ſi Socini ratio ad æternam gloriam aliquo ſaltem modo, ut Grotius fatetur, vel potius plurimum pertinet, qui ad remiſſionem peccatorum, quæ illam in ſe continet, plane non pertineat?

Sed rationem dicti ſui affert Grotius Partic. 100: *Chriſtus enim*, inquit, *ſua obedientia & patientia nullam ſibi veniam conſequutus eſt, ut qui peccatum non haberet. Quare ubi Chriſtus imitandus nobis proponitur, ut viam, quam ille ingreſſus eſt, inſiſtentes, ad eandem metam perveniamus, nihil eſſet magis alienum, quam remiſſionis peccatorum ullam mentionem facere.*

Etiamſi Chriſtus obedientia & patientia ſua nullam ſibi veniam fuerit conſequutus; inde tamen non ſequitur, exemplum iſtud nobis ad remiſſionem peccatorum conſequendam non prodeſſe. Satis enim eſt, quod ad obedientiam Deo præſtandam exemplum iſtud nos moveat; id quod Grotius negare non poteſt. Ea vero obedientia, ut oſtendimus, conditio eſt ad remiſſionem obtinendam neceſſaria, & per Dei benignitatem ex parte noſtri ſufficiens. Deinde etiamſi gloria illa, quam Chriſtus obedientia patientiaque ſua conſequutus eſt, ipſius reſpectu non includat remiſſionem peccatorum: reſpectu tamen noſtri, qui peccavimus, includit: cum non poſſimus juſtitiæ præmium adipiſci, ac tanquam perfecte juſti tractari, quin ſimul peccata nobis re atque effectu ipſo condonentur. Quare dum exemplo patientiæ ac obedientiæ Chriſti movemur, ut viam, quam ille ingreſſus eſt, inſiſtentes, ad eandem me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tam perveniamus; ſimul etiam incitamur ad eam viam ſequendam, quæ ad remiſſionem peccatorum nos ducit. Nam & via eſt eadem, & meta reſpectu noſtri eadem. Quanquam præterea exemplum patientiæ & obedientiæ Chriſti nobis proponi poteſt, nulla facta mentione metæ, ad quam ipſe pervenerit: quemadmodum ſane tum patientiam Chriſti, tum alias quaſdam virtutes, in morte ipſius ſpectandas Sacræ Literæ nonnunquam exhibent, nulla mentione adjecta præmii, quod ea ratione fuerit conſequutus; ut nonnulla ex iis docent teſtimoniis, quæ ab initio, de Chriſti exemplo in morte nobis propoſito diſſerentes, adſcripſimus. Alias fatemur, cum exemplum Chriſti nobis ita proponitur imitandum, ut ſimul meta, ad quam nobis una cum ipſo ſit perveniendum, exprimatur, non remiſſionis, ſed alio aliquo nomine eam efferri ſolere: nec ab hac conſuetudine receſſit Socinus, ut ſupra monuimus.

Altera Grotii ratio eſt Partic.101: *Et phraſes Scripturæ: Sanguis nos mundat. Per ſanguinem ipſius habemus remiſſionem, plane hunc ſenſum reſpuunt.*

Cur vero? an non eatenus etiam nos ſanguis Chriſti mundat, aut per ipſius ſanguinem habemus remiſſionem, quatenus nos à peccatis revocat, & ad conditionem remiſſionis obtinendæ adducit? id quod etiam obedientiæ ſuæ præſtat exemplo. An non eatenus etiam, quatenus, conſequuta reſurrectione, ſalutis viam nobis hoc pacto ſanxit? Adde, quod prior phraſis de abſtractione à peccatis recte queat accipi, quanquam non in omnibus Scripturæ locis.

Reſtare, ait Partic. 102, *quartum, quod maxime placuerit Socino, ita ut hoc ipſum plurimis locis velut cauſſæ ſuæ ſtatumen inculcet: Eſſe autem hoc, quod mors Chriſti nobis idipſum perſuadeat, quod ad remiſſionem peccatorum obtinendam requiritur, fidem ſcilicet, ſive ut Socinus ipſe explicat, ſpem conſequendæ vitæ æternæ.*

Hoc caput à primo vel non debuit divelli, vel indicari, illud quoque huc facere. An enim teſtimonium prædicationis de remiſſione peccatorum pœnitentibus propoſita, quod primo loco commemoravit Grotius, fidem in nobis non excitat, & idipſum nobis non perſuadet, quod ad remiſſionem peccatorum requiritur? Quin ne tertium quidem caput omnino ab hoc ſeparandum erat; cum ad præſtandam remiſſionis impetrandæ conditionem, exemplum quoque illud nos impellat; ac præterea conſequuta reſurrectione, ut non ſemel monuimus, viam ſalutis ſanxerit, & eam ad vitam iter eſſe demonſtrarit. Quod attinet ad cap.5 lib. 1, qui primus eſt Socini locus, à Gr. citatus, ne verbum quidem ibi habet Socinus de morte Chriſti, ſed de reſurrectionis tantum vi agit. Cauſſa erroris Grotii in explicatione capitis præcedentis dicta eſt. Præterea non minoris, ſed majoris etiam momenti apud Socinum eſt ſecunda ratio à Grotio conſtituta, remiſſionem cum Chriſti morte connectendi, unde hæc etiam ultima magna ex parte pendet. Maxima enim mortis Chriſti vis ad pariendam nobis remiſſionem in eo ſita eſt, quod ea interveniente, ex decreto Dei, tantam conſequutus eſt poteſtatem, ut peccata noſtra reipſa nobis condonare, & eorum pœnas tollere poſſet, voluntatemque Dei de ſalute noſtra ad finem perducere.

Sed refutare Socini ſententiam conatur Grotius Partic. 103: *Quid*, inquit, *magis à vero alienum eſt, quam mortem innocentiſſimi hominis tam cruentam per ſe ad hoc valere, ut nobis perſuadeat, ſancte viventibus ſumma gaudia à Deo eſſe præparata.*

Sed quid Grotius ſibi vult verbis iſtis, *per ſe*, quæ in Socini ſententia, quam ſibi oppugnandam ſumſit, non poſuerat? An ut excludat reſpectum mortis Chriſti ad doctrinam ipſius, in qua ſancte viventibus æterna gaudia promittuntur, cujus confirmandæ cauſſa mors fuit ſuſcepta? aut reſpectum ad alias, quas non uno loco explicuimus, utilitates, ad ſalutem noſtram ex ea redundantes, quarum cauſſa Deus filium ſuum, Chriſtus vero ſeipſum lubens in mortem tradidit: ſiquidem iis alias, ita ferente rei natura, nobis fuiſſet carendum? Iis autem mortis Chriſti fructibus poſitis, ſumma Dei, qui, ut illis potiremur, rem omnium duriſſimam filio unigenito impoſuit, & Chriſti, qui eam lubens in ſe ſuſcepit, erga nos apparet charitas, qua quid poteſt eſſe aptius ad ſpem ſalutis in nobis excitandam aut confirmandam? quemadmodum inter alia ex Pauli verbis Rom. 5. 5 & ſeqq. uſque ad finem verſ. 10 & cap. 8. 31 & ſeqq. uſque ad finem, patet, & tum à Socino, tum à nobis oſtenſum eſt. Quod ſi Grotius vocibus *per ſe*, reſpectum ad eas, quas diximus, utilitates à morte Chriſti ſejungit; nec ex uſu Sacrarum Literarum id facit, nec Socinum ferit, qui eo pacto mortem Chriſti non conſiderat. Si vero Grotius particulam iſtam ideo appoſuit, ut à morte ſejungeret ea tantum, quæ illam ſunt conſecuta, ut ſequentia videntur oſtendere; primum Socinus, quod ipſe Grotius mox docebit, iſta mortis nomine hic ſolet comprehendere. Deinde ne ſic quidem Grotius recte loquutus eſt; cum modo adducta Sacrarum Literarum loca à Socino etiam citata, morti Chriſti vim, remiſſionem & felicitatem futuram confirmandi, inſignem tribuant, ut mirum ſit Grotium id auſum eſſe negare. Sed præterea non eſt Chriſtus hic tantummodo conſiderandus ut homo innocentiſſimus, ut Grotius velut ex noſtra ſententia facit: ſed conſiderandus eſt etiam ut Chriſtus Dei filius, ſeu Rex Iſraëlis, quod morte hac aſſeruit, & quod in tabella ſupra caput ipſius cruci affixa omnibus legendum fuit propoſitum, ita ut ſanguis ipſius in cruce effuſus id unicuique clariſſime teſtaretur. Confirmavit id ultima Chriſti vox, Deum, cui ſpiritum ſuum commendabat, Patrem ſuum vocantis Luc.23. 46, quam, niſi veriſſima fuiſſet, ut ſuperbam nimis & jam aperte vanam, excutere potuiſſent crucis infamia & tormenta. Itaque poſtea, miraculo conſequuto, ita alte ea res in multorum animos deſcendit, ut ab impiis etiam militibus rei veritas agnoſceretur Matth. 27. 54. Luc.23. 47,48.

Pergit Grotius Partic. 104: *Quare hujus commenti abſurditatem videns Socinus, ait mortem quidem hoc non efficere, ſed reſurrectionem Chriſti, & quæ porro reſurrectionem ejus ſunt conſequuta. Mortem autem debuiſſe præcedere.*

Nimis inconſiderate, ut leni utar verbo, Grotius id commentum vocat, & abſurdum eſſe ait, quod apertiſ-

apertiſſimis Sacrarum Literarum verbis, quæ omnibus ſunt obvia, eſt expreſſum. Deinde in verbis, vel ſententia Socini referenda, apparet Grotii, ne quid dicam gravius, negligentia. Ubi enim apud Socinum uſpiam legit, mortem Chriſti ſpem felicitatis noſtræ non efficere? An non claris verbis contrarium Socinus ſcripſit part. 2. cap. 2, quem locum paulo poſt citat Grotius. Ita enim ibi ait: *Fidem autem, quam ejus* (Chriſti) *verbis habeamus, ut ſupra vidimus; potiſſimum* (*potiſſimum* ait, non ſolum) *gignit ipſius reſurrectio, ad quam non niſi per mortem pervenire poterat; & ipſius in cœlis æterna ac beata vita atque majeſtas: ad quam, ita Deo ſtatuente, per ignominiam & mortem acerbiſſimam perduci neceſſe erat* Luc. 24. 26. Hebr. 2. 10, *præterquam* (attendat Grotius) *quod ipſa mors, ut ante demonſtratum fuit, promiſſiones nobis ab eo Dei nomine factas, mirifice confirmavit. Quis enim de Dei benevolentia, quæ in Chriſti promiſſiis continetur, deque ipſorum promiſſorum veritate dubitare poteſt, cum Deus Chriſtum ipſum, ſuum chariſſimum filium, ut nobis, dum ipſi Deo, ut par eſt obedire ſtudemus, innumeris calamitatibus undique circundatis, atque in ipſa morte perpetuo verſantibus, æternæ felicitatis ac vitæ ſpem faceret, tanquam facinoroſum quempiam ab hujus mundi pricipibus cædi & mactari voluerit?* & in hanc ſententiam citat verba Pauli Rom. 8. 32, 35, quæ ipſa ſatis monere poterant Grotium, ne vel commentum id diceret, vel à Socino ejus abſurditatem viſam aſſereret, &, ipſam mortem Chriſti ſpem ſalutis nobis non ingenerare, eum dicentem faceret. Præterea mors Chriſti non ſimpliciter tantum reſurrectionem anteceſſit, ut Grotius tum hic tum infra ponit, ſed etiam illius cauſſa ex Dei creto fuit.

Cur Scriptura tam frequenter, ubi de remiſſione peccatorum agitur, mortis Chriſti faciat mentionem, non vero perpetuo reſurrectionis & conſecutæ gloriæ, quod Grotius Partic. 105 objicit in ſequentibus; ſupra partic. 26 & 29 docuimus. Itaque eo lectorem remittimus. Mirum autem eſt, cum Socinus ad hoc lib. 2. cap. 4 ſatis fuſe reſponderit, Grotium, id vel non animadvertiſſe, vel refutare neglexiſſe.

Sed urget Grotius, propinquum aliquem effectum, non longe remotum mortis Chriſti indicari tam frequenti, in hoc negotio, mortis mentione: *Quæ enim*, inquit, *iſtæ ſunt ambages? Remiſſio peccatorum non contingit niſi ſancte viventibus* (*ita enim loquitur Socinus:*) *ad ſanctimoniam vitæ facit fides & ſpes certa præmii: hanc fidem ingenerat exemplum Chriſti ob vitæ ſanctimoniam* (*ut vult Socinus*) *à mortuis excitati & glorificati: iſtam excitationem mors anteceſſit: recte ergo apteque dicitur remiſſio per Chriſti mortem obtineri. Nonne hoc vere eſt, quod ipſe in aliis reprehendit: Utinam ne in nemore Pelio? Pro cauſſa enim non propinquum aliquid, aut ſaltem modico intervallo remotum, ſed quod longiſſime ab effecto diſſitum eſt, adſertur: quod ſi uno in loco Scripturæ fieret, eſſet forte minus mirum, ſed toties tam obſcure, imo tam frigide loqui Scripturam, quis ſanus crediderit?*

Verum ad hoc quoque jam patet reſponſio. Nam cum ipſa etiam Chriſti mors magnum ad eam fidem, per quam remiſſionem peccatorum adipiſcimur, nobis ingenerandam robur habeat, & præterea ob id ipſum, quia Novi Fœderis ſanctio eſt, propinqua remiſſionis peccatorum ſit cauſſa: etiamſi ratione hujuſmodi, de quo nunc agimus, pluribus ab ea diſtet: non eſt ſimpliciter aſſerendum, cauſſam hanc non modico intervallo, ſed longiſſime ab effectu diſſitam eſſe; vel ut ſupra Gr. auſus eſt aſſeverare, de phraſi *Pro peccatis* agens pag. 4, *ex Socini ſententia hunc finem non potuiſſe morti tribui niſi remotiſſime.* Neque vero ambages hæ ſunt Sacris Scriptoribus indignæ, nec illud? *Utinam ne in nemore Pelio*, hic recte objicitur; cum partim neceſſarius ex divino decreto, partim admodum arctus ex rei natura ſit inter cauſſas illas nexus; & magna huic loquendi modo ſubſit emphaſis, quam Sacri Scriptores libenter ſectantur; atque ut jam oſtendimus, mors Chriſti etiam per ſe ad hunc effectum concurrat, eaque ratione non remota, ſed propinqua ſit illius cauſſa; quorum nihil ibi contingit, ubi illud recte poteſt objici: *Utinam ne in nemore Pelio.* Neque etiam obſcura aut frigida, multo minus, ut Grotius loquitur, *tam obſcura & tam frigida* ejuſmodi loquendi ratio eſt cenſenda, ſed, ut * diximus, emphatica, & communi loquendi uſui admodum conſentanea. Qua de re quia ſatis dictum eſt alibi, ideo illis repetendis hic ſuperſedemus. Veruntamen antequam hinc abeamus, quærere libet ex Grotio ſi illud ad Rom. 4. ℣ſ. ultimo, *Chriſtus reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, ita explicetur, quemadmodum ipſi magis placet, nempe ſtatum Chriſti glorioſum, quem Paulus reſurrectionis nomine appellet, hunc habere inter cæteros finem ſibi propoſitum, ut Euangelii præcones mittantur, & uberrima vi ſpiritus ipſorum opera promoveatur; hoc illorum præconium atque operam eo ſpectare, ut hominibus ingeneretur fides; hanc eo, ut homines peccatorum veniam adipiſcantur: nonne hic erit ambitus, uno tantum gradu minor eo, quem in Socino tantopere exagitat, & quidem longe minori phraſeos ἐμφάσει, quam in illa eſt, qua morti Chriſti peccatorum remiſſio adſcribitur? At ambitus iſte ex Grotii verbis, quæ paulo poſt ſequuntur, apertiſſime colligitur. Quod ſi id obſcure aut frigide dictum noluerit, ne id Socino objiciat. Quid? ſi quis ad explicandum Pauli dictum 2 Cor. 4. 17, momentaneam levitatem afflictionum nobis parere abundantiſſimum atque æternum gloriæ pondus, uteretur illa ejuſdem Pauli deductione Rom. 5. 3, 4, 5: quia afflictio operetur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundat, adeoque ad æternam illam gloriam nos deducat; an dicturus eſſet Grotius, eum loquendi modum eſſe frigidum, & objecturus illud: *Utinam ne in nemore Pelio?*

Quæ de loco Rom. 4. 25 hoc loco ait Partic. 107, illa nihil adverſus nos, quanquam jam vidimus, ipſum quoque Grotium, ambitum iſti Socini ſimilem in iis verbis explicandis facere.

Quod ait Partic. 108, *iſtam ſeriem*, quam in priori hujus loci explicatione conſtituit, nempe, *quod Chriſti reſurrectio in nobis generet fidem, fides remiſſionem peccatorum, manifeſte oſtendi* Actor. 13. 33, 38, Rom. 1. 4, & x. 9, id in iſtis locis minime apparet.

* Sup. Partic, 26 & 85.

Nam Act. 13 oſtenditur quidem nexus inter remiſſionem peccatorum & fidem; ſed nexus inter reſuſcitationem & fidem, quæ ex illa generetur, non oſtenditur, nedum manifeſte Rom. 1. 4, nulla fidei, nulla remiſſionis peccatorum fit mentio. Locus Rom. 10. 9, reſurrectionem Chriſti non tanquam efficientem fidei cauſſam, ſed tanquam objectum conſiderat; quod autem ea fidem, hoc eſt, fiduciam in Deo & Chriſto collocatam, & in ea comprehenſam obedientiam efficiat, id aliunde cognoſcendum eſt. Quanquam non videmus, qua ratione Grotius aſſerere poſſit, reſurrectionem Chriſti nobis ingenerare fidem eam, per quam ex ipſius ſententia juſtificamur. Hanc enim ſupra dixerat eſſe eam, qua Chriſti ſanguis ad Deum placandum fuſus credatur. Hoc autem qua ratione ex reſurrectione Chriſti patet; præſertim, ut hic vult Grotius, manifeſte & ſine ambitu? cum id ne obſcure quidem inde poſſit colligi. Chriſtum quidem eſſe mortuum exinde recte colligitur: ſed ejus ſanguinem ad Deum placandum eſſe fuſum, minime.

Ait Partic. 109: *Mors, tantum abeſt, ut apta ſit fidem ingenerare, ut contra maxime homines ab ea fide abſterreat. Ideoque in prædicando Euangelio Apoſtoli ignominæ crucis, & mortis miſeriæ, reſurrectionem ſemper opponunt.*

Homines quidem malitia ſua excæcatos ac perire dignos, ideoque leviter rem æſtimantes, atque ad carnis ſenſum ac judicium omnia revocantes, vehementer abſterret à fide mors Chriſti; ſed non homines probi animi, & recte rem æſtimantes: quæ eadem totius Euangelicæ doctrinæ Luc. 2. 34, Rom. 9. 32, 33. 2 Cor. 2. 15. IV. 3, 4. 1 Petr. 2. 7, 8, & aliquo modo etiam confirmationum ejus interiorum, ut ita dicam, ac paulo reconditiorum, quæ proprietatem ejus propius attingunt, omnium natura eſt. Iis enim tale quippiam ſolet eſſe adjunctum, ob quod apud improbos fidem aut non inveniant ipſæ, aut non excitent. Diſcrimen illud, quod diximus, Paulus ſatis aperte indicavit 1 Cor. 1. 18, cum inquit: *ſermo crucis iis quidem qui pereunt* (hoc eſt, perire ob ſuam malitiam jure debent) *ſtultitia eſt; iis autem qui ſervantur*, (ſeu ſervandis) *vobis potentia Dei.* Et iterum ℣ſ. 23 & 24: *Chriſtum crucifixum* ait eſſe *Judæis quidem ſcandalum, Græcis ſtultitiam, ſed* ipſis *vocatis* eſſe *Dei virtutem ac ſapientiam.* Nempe quia hi, reſurrectione conſequuta, quod hic Paulus, ut nos quoque facimus, præſupponit, ſummam Dei virtutem ac ſapientiam inde cernunt; unde illi ad fidem in Chriſto collocandam, & ad extremum uſque retinendam, maxime incitantur, iiſque caro & ſanguis Chriſti, aſſidua meditatione uſurpatus, vere cibus ac potus eſt animi, quo ad ſpiritualem, atque inde ad æternam vitam alantur Joh. 6. 51 & ſeqq. cum cæteris, ipſorum culpa fiat venenum. Quod ſi aliter ſeſe res haberet, qua ratione dici poſſet, ſanguinem Chriſti Novum Fœdus, ut Grotius ſupra faſſus eſt, & fatentur omnes, confirmaſſe? qua ratione idem ſanguis inter teſtes divinos 1 Joh. 5. 7, qui pronunciant, Deum nobis dediſſe vitam æternam, & hanc vitam in filio ipſius eſſe, collocaretur? quo pacto argumentum eſſet ſummæ Dei ac Chriſti erga nos charitatis? An enim confirmatio Novi Fœderis, teſtis promiſſæ nobis in Chriſto vitæ, argumentum Dei ac Chriſti erga nos charitatis, à fide maxime abſterret homines, homines, inquam, probos ac recte rem expendentes? (Nam cæterorum culpam, quos Deus hoc pacto merito irretit, & eorum conſilia atque aſtutiam juſto ſuo judicio implicat 1 Cor. 1. 19, 20, 21. iij. 19, quis præſtet?) Quod ſi mors Chriſti à fide maxime abſterret, maxime etiam abducit à Deo ac Chriſto; cum non niſi per fidem ad Deum accedamus Hebr. XI. 6, nec aliter ad Chriſtum, confer Joh. 6. 35, 36, 37, 40, 44, 45. Atqui Chriſtus mortuus eſt, ut nos ad Deum adduceret 1 Petr. 3. 18, ipſeque pronunciavit Joh. 12. 32, ſe, ubi exaltatus fuerit de terra, (hoc eſt, in crucem ſublimis fuerit actus) omnes ad ſe tracturum. Hoc quidem verum eſt, mortis Chriſti vim, quam habet ad fidem in nobis excitandam, vix fuiſſe apparituram, imo prorſus diſparituram, ſi reſurrectio atque exaltatio Chriſti non fuiſſet conſequuta: ſed poſtquam ea conſequuta eſt, vis mortis apparet maxima Actor. 2. 34 & ſeqq. conf. 1 Cor. 15. 25. Phil. 2 & alibi. Nam niſi Jeſus reſurrexiſſet, & Chriſtus ſeu Rex populi divini reipſa evaſiſſet, nullam vim habiturum fuiſſet teſtimonium, quod morte ſua ea de re præbuit Hebr. 2. 8, 9, 10; nec via ſalutis exemplo ipſius fuiſſet confirmata, ſi in morte manſiſſet, & ad vitam gloriamque ſempiternam hac via non perveniſſet: nil profuiſſet nobis Chriſti erga nos charitas morte ipſius demonſtrata, ſi potentiam nos juvandi nullam poſtea habuiſſet. Quamquam vix etiam demonſtrari potuiſſet, niſi reſurrectio fuiſſet conſequuta; quod idem multo magis de Dei erga nos charitate dicimus. Quid item profuiſſet, omnia illum, quæ nos patimur mala expertum, ſi Pontifex ac Servator noſter non evaſiſſet Ib. 17, 18. IV. 15, 16. V. 9, 10. Act. 5. 31? quem effectum etiam habuiſſet Dei promiſſio, qui poteſtatem nos ſervandi, ſi mortem ſubiret, ei fuerat pollicitus? At reſurrectio & exaltatio conſequuta animam, ut ita dicam, & ſpiritum illis mortis effectis dedit, aut redidit; quemadmodum ex dictis intelligi poteſt: & ipſa viciſſim à morte magnum ad nos in ſpe ac fiducia noſtra confirmandos robur accepit. Quapropter jure ſtatui poteſt, non ideo tantum Apoſtolos in prædicando Euangelio reſurrectionis mentionem morti ſolitos adjicere, ut hujus ſcandalum tolleretur: ſed etiam ut tum hujus tum illius vis ad ſalutem noſtram ſpectans tanto magis eluceſceret.

Subjicit Grotius Partic. 110: *Per mortem, quæ cauſſa proprie non ſit reſurrectionis, ſed antecedens duntaxat, ipſam reſurrectionem velle indicatam, nihil eſſe aliud, quam noctem nominare, ut intelligatur dies.*

At nos Grotio non concedimus, mortem Chriſti antecedens tantum fuiſſe reſurrectionis, &, quam hoc nomine comprehendimus gloriæ, ſummæque poteſtatis ipſi conceſſæ, ac non etiam cauſſam. Imo cauſſa hæc fuit, ex decreto divino neceſſaria; cum hac conditione ipſi fuerit à Deo promiſſa, ut ſupra non ſemel docuimus. Unde *propter* obedientiam ad mortem uſque crucis in ſummam ſublimitatem evectus dicitur. At quis talis eſt inter diem & noctem nexus? neutrum alterius cauſſa eſt. Non repeto ea, quæ de emphaſi ſingulari, quæ eſt in hoc loquendi

genere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

genere, jam non ſemel diximus. Quæ vero emphaſis ſi per noctem intelligere velles diem? Mortis autem, aut crucis nomine, reſurrectionem quoque interdum ſolere à Sac. Scriptoribus comprehendi, vel ea docere poſſunt loca, ubi ſermo crucis, aut Chriſtus crucifixus Dei virtus ſeu potentia dicitur. Tolle reſurrectionem à cruce, & virtutem ac potentiam divinam ab ea removeris.

Præterea inquit: *Si ad remiſſionem peccatorum mors non pertineret, niſi propter reſurrectionem ſecutam, quomodo accidere potuiſſet, ut remiſſio hæc ad reſurrectionem raro admodum, ad mortem autem innumeris locis referretur.*

Hic iterum pro conceſſo ſumitur, mortem Chriſti ex Socini ſententia non pertinere ad remiſſionem peccatorum, niſi propter reſurrectionem ſequutam, quod nos falſum eſſe ſatis ſuperque docuimus. Quod vero fatetur Grotius, *remiſſionem peccatorum ad reſurrectionem referri*, licet id raro admodum dicat fieri, ex eo cernere poteſt, non recte à ſe præcedenti pagina affirmatum fuiſſe, remiſſionem peccatorum eſſe proprium mortis Chriſti effectum, non communem, nempe cum reſurrectione ac gloria.

Addit: *quod morti etiam ſeorſim, hoc eſt, quæ à reſurrectione & gloria Chriſti abſtrahitur, effectum impetratæ redemtionis Paulus tribuit. Ait enim: Si cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius* Rom. 5. 10. *Opponitur mors vitæ glorioſæ, & ut illi reconciliatio, ita huic conſervatio diſtincte aſſcribitur.*

At primum Reconciliationis nomine, quæ per mortem Chriſti facta hoc loco dicitur, intelligendam eſſe peccatorum remiſſionem, quam redemtionem vocat Grotius, (niſi forte ipſam remiſſionis aut reconciliationis vocem exprimere voluit, quæ poſtea in redemtionis nomen fuit mutata) non docuit. Nos vero infra cap. 7, ubi Grotius hac de re ex profeſſo aget, Domino dante oſtendemus, hac voce noſtram ad Deum converſionem, atque, ut ita dicamus, initam cum ipſo amicitiam ac concordiam denotari, cujus conſequens eſt perfecta peccatorum remiſſio. Deinde, non dicit Apoſtolus, mortem Chriſti ſolam, non adjutam iis, quæ eam ſunt conſequuta, reconciliationen hanc effeciſſe: ſed tantum, morte Chriſti interveniente, eam eſſe factam; ad id vero, ut per Chriſtum ab ira ſeu pœna commerita reipſa liberemur, non interventuram Chriſti mortem, nec, ut ea interveniat, amplius opus eſſe; cum id per viventum filium ſuum Deus facere poſſit, & porro ſit facturus. Unde conſequitur, ſi Deus id fecit, ad quod faciendum filii ipſius chariſſimi mortem intervenire erat opus; multo magis id facturum, ad quod eam intervenire amplius non eſt opus. Hoc enim Apoſtolo demonſtrare eſt propoſitum. Quare non agitur hic de vi propria mortis Chriſti, diſtinctæ ab ipſius vita, ſed tantum inter ſe opponuntur duo, ad quorum alterum efficiendum mors Chriſti intervenerit, ac intervenire debuerit, ad alterum minime ſit interventura, nec intervenire amplius debeat. Quam ſententiam non obſcure indicarat Socinus lib. 1. cap. 8, & ratione atque autoritate comprobarat. Impetratam autem nobis eſſe reconcilationem, quatenus nobis parta eſt, admittimus; ſed alio verbum iſtud ſenſu accipitur à Grotio, de quo agetur inprimis cap. 7.

Illud etiam Partic. 113: *Reconciliationem impetrari inimicis per mortem, ut actum ſacerdotalem*, quia non probatur à Grotio, tranſmittimus.* *Reconciliatos cuſtodiri regia virtute, ad quam aditum fecit reſurrectio*, verum eſt. Quanquam etiam ad ipſam reconciliationem, hoc eſt converſionem noſtri ad Deum, plurimum confert virtus regia, quod ex parte docet Grotius ipſe in ſequentibus, explicans verba Rom. 4. ultimo. Ex hoſtium enim manibus nos vindicare & eripere, regii eſt muneris 1 Cor. 15. 25, 26, 27. Inter hoſtes autem illos eſt peccatum, Satanas, mundus, caro, ex quorum ſervitute cum reipſa eximimur, Deo reconciliamur.

Pergit Grotius Partic. 114: *Sic & alibi reconciliationem ipſa prædicatione, quæ fidem ingenerat, idem Apoſtolus priorem ſtatuit: Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ipſorum: & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis: Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos, oramus Chriſti nomine reconciliemini Deo* 2 Cor. 5. 19, 20. *Duplex hic reconciliatio ponitur, prior, quæ ſermone annunciatur: altera quæ fit per ſermonem: illa eſt impetrationis, hæc applicationis, illa ſermone prior, hic ſermone poſterior. Nos de priore illa agimus, meritoque negamus eam referri poſſe ad fidei ingenerationem, quæ fit per ſermonem.*

Sed unde conſtat, unam reconciliationem eſſe ſermone priorem? ſermone, inquam, ſeu prædicatione ſimpliciter, non vero Apoſtolica tantum? An forte, quia antequam ſermo reconciliationis in Apoſtolis poneretur, jam præceſſerat reconciliatio mundi cum Deo per Chriſtum facta? At hinc non ſequitur, reconciliationem illam ſimpliciter fuiſſe ſermone priorem, ſed tantum ſermone Apoſtolico, non autem ipſius etiam Chriſti. An forte inde id concluditur, quod ſermo Apoſtolis demandatus dicatur ſermo reconciliationis, quaſi antegreſſam reconciliationem denuncians? Sed præterquam quod jam diximus, de Apoſtolica tantum prædicatione ſermonem hic eſſe; materiam quidem ſeu objectum ſermonis Apoſtolici fuiſſe reconciliationem, verba iſta docent, ſed non quippiam antecedens. Sic verbum fidei dicitur Rom. 10. 8, cujus objectum eſſet fides, & quod fidem inculcaret, atque ad eam hominibus ingenerandam prædicaretur, non quod fides verbum vel ſermonem iſtum antecederet. Eodem modo accipiuntur *verba vitæ hujus* Act. 5. 20, *ſermo ſalutis hujus* Act. 13. 26, non quod vita aut ſalus iſta ſermonem antecederet; ſed quod ſermo iſte de vita & ſalute ageret, ad eamque totus ſpectaret. Eſt quidem hic mentio duplicis reconciliationis, ſed cujus natura eſt eadem, tempore tantum & cauſſis mediis diſtinguitur. Altera enim per Chriſtum in terris verſantem, & Dei nomine legationem obeuntem facta eſt; altera per Apoſtolos, Chriſti nomine poſtea legatione fungentes. Utraque in converſione hominum ad Deum conſiſtit, & prædicatione peragitur. Unde rogare ſe dicit Apoſtolus, ut homines reconciliari velint Deo, hoc eſt, ad Deum

* Hæc in editione ſuperius alicubi citata omiſſa ſunt.

penitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

penitus ſe convertere, & cum eo ſtabilem concordiam inire, atque ex ſua quoque parte fœdus ſancire. Quod altera reconciliatio ſit impetrationis, altera applicationis, nullo fundamento nititur. Sed hac de re denuo copioſe aget Grotius capite 7, in quem locum cætera, quæ hic dici poſſent, rejicimus.

Addit Partic. 116: *Accedat illud* Johan. 3. 16, *ubi Chriſtus dicitur datus (in mortem ſcilicet) ut credentes non pereant. Ad aliud ergo prodeſt, quam ut credant.*

Recte: ſed nihilominus etiam ad hoc prodeſſe poteſt, ut credant. Finis ultimus non excludit intermedios, nec ei, cui ulterior finis tribuitur, negatur citerior ac propior. Sic reſurrectioni tribuitur juſtificatio Rom. 4. ult. qui eſt finis illius quoad nos ultimus, nec interea tamen negatur intermedius, qui eſt fides; imo ponitur, ut ipſe Grotius docet. Sed Grotius, ut apparet, arbitratus eſt, quia hoc loco finis mortis Chriſti non conſtituatur fides, ſed fidei ex Dei decreto conſequens, nempe immunitas ab interitu, & vita æterna credentibus danda, tacite negari, mortem Chriſti, fidei hominibus ingenerandæ cauſa ſuſceptam fuiſſe. Quæ ratio ſi firma eſt ſequetur, Euangelium quoque non eo pertinere, ut homines credant, ſed tantum, ut qui crediderint ſerventur, quia Paulus dicat Rom. 1. 16, *Euangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti:* ubi Euangelii finis non conſtituitur fides, ſed ſalus ei, qui fidem habuerit, danda. At quis neſcit, proprium ac proximum Euangelii finem eſſe, fidem animis hominum inſerere? Sic cum Chriſtus infra apud eundem Johannem ait Johan. 12. 46: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*; ſi Grotii ratio firma eſt, ſequetur, Chriſtum doctrinæ ſuæ lucem mundo ideo non intuliſſe, ut homines in eum crederent, ſed tantum, ut, qui credidiſſent, in tenebris non manerent; quod nemo non falſum eſſe animadvertit: cum id unice Chriſtus in terris vivens egerit, ideo docuerit, miracula ediderit, & doctrinam ſuam variis modis confirmarit, divinamque ſuam autoritatem aſſeruerit, ut omnes in ſe crederent, & ſic in tenebris non manerent. Imo hoc ipſum dicere hic videtur Chriſtus, quanquam conciſius loquatur, ſe lucem in mundum veniſſe, ſeu veritatis cœleſtis lumen hominibus attuliſſe, ut omnes in ipſum crederent, & ſic in tenebris non manerent. Nec abſurde hæc ipſa Johannis, de quibus controvertimus, verba, eodem pacto acceperis, ac ſi dictum fuiſſet: Deum in mortem tradidiſſe filium ſuum, ut omnes in ipſum crederent, atque ita credentes non perirent, ſed haberent vitam æternam. Satis id convenit ſcopo loci, & ſimilitudini ſuperiori, ad quam illuſtrandam, & aliqua ratione comprobandam hæc verba ſubjiciuntur. Quemadmodum enim ſerpens æneus à Moſe ideo fuit in altum erectus, ut omnes in univerſis caſtris eum contueri poſſent, & hoc pacto per Dei benignitatem ac virtutem à lethifera ſerpentum vi ſervarentur: ita etiam Deus Chriſtum, dum illum in crucem tolli, eaque via in ipſum cœlum ſoliumque ſuum elevari voluit, velut in ſublimi & illuſtri loco conſpiciendum omnibus propoſuit, & cauſam pleniſſimam dedit, ut in ipſum crederent, atque ita per Dei benignitatem interitum effugerent, æternamque vitam adipiſcerentur, quo pertinent verba Domini Jeſu apud eundem Johan. cap. 12, 32, quæ ab aliis quoque ad iſtorum illuſtrationem afferri ſolent, & à nobis ſupra fuerunt adducta, ubi ait: *Et ego ubi exaltatus fuero de terra, omnes traham ad meipſum.* Quin & illa, quæ eodem cap. v. 23, 24 habentur, huc referri queunt, ubi Chriſtus de glorificatione ſua per mortem adipiſcenda loquens ait: *Amen amen dico vobis, niſi granum tritici cadens in terram moriatur, ipſum ſolum manet, ſi vero moriatur, multum fructum fert.* Quanquam vero nulla eſt cauſa, cur ea, quam attulimus, verborum capitis 3 ſententia rejiciatur: tamen ſi quis eam nolit admittere, ſequetur quidem, fidem ipſam morti Chriſti tanquam effectum hic non abſcribi, nec tamen etiam negari; contra vero ſalutem, credentibus ac fidem habentibus dandam, ei aperte attribui. Id quod duplici fit ratione: partim, quia Deus morte filii ſui unigeniti, tanquam amoris ac promiſſorum ſuorum pignore, ſeſe nobis obſtrinxit ad nos ab interitu vindicandos, & æterna vita donandos, ac nobis jus quoddam ad tanta bona repetenda dedit; partim quia Chriſtum ea ratione ad ſupremum in omnia imperium evexit, & fidelem ac miſericordem Pontificem effecit, eum ipſum in finem, ut nos ab æterna morte liberatos, vita æterna bearet.

Ait Partic. 117: *Idem non obſcure monſtrare eum ipſum locum Pauli, quem Socinus ſententiæ ſuæ firmandæ cauſa adducat: Qui traditus eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* At primum non apparet, ubinam ex his verbis probet Socinus, mortem Chriſti nobis ingenerare fidem. Notare locum debuit Grotius. Deinde non vidimus, quomodo contrarium inde probetur, etiamſi Grotio concedatur, vocem *propter* in priori loci membro cauſam impulſivam, in poſteriori finalem ſignificare; quod quominus fiat nos non pugnamus, licet rationem, qua id Grotius probat, infirmam eſſe ſupra docuerimus. Imo vero ſi reſurrectio eatenus ad juſtificationem noſtram refertur, quatenus nobis fidem ingenerat, ut vult Grotius: certe cum mors Chriſti reſurrectionis & gloriæ illius cauſa fuerit ſuſcepta, etiam fidei ingeneratio mortis finis erit, licet, hoc quidem pacto, non proximus & immediatus.

Quod Grotius Partic. 118, videtur malle reſurrectionem eo loco accipere pro toto ſtatu glorioſo Chriſti, nec tanquam argumentum ad perſuadendam fidem ſpectare, in eo Socinum habet ſibi conſentientem. Is enim lib. 2. cap. 21 hæc verba aliqua ratione explicans, ait, * ſe putare, Reſurgendi verbo Paulum ſupremam quoque poteſtatem Chriſti complecti; & ſatis oſtendit, ideo potiſſimum reſurrectioni Chriſti eo loco juſtificationem adſcribi, quod Chriſtus ejus vi nobis peccatorum remiſſionem vitamque æternam, in qua juſtificatio noſtra continetur, ſit largiturus.

Pergit Grotius Partic. 119, & ex Pauli Rom. 4 verbis id, quod dixerat, probat: *Utro modo ſumas, apparet reſurrectioni, quæ à morte diſtinguitur, finem aliquem adſcribi peculiarem. Viciſſim morti, ſive traditioni in mortem ſeparatim adſcribitur, quod ob peccata*

* Pag. 182, 183.

conti-

contigerit. Id autem ipſum & reſurrectioni nuſquam aſcribitur, & hoc loco eidem non obſcure adimitur. Mors ergo Chriſti in hoc negotio & à reſurrectione & à fidei ingeneratione ſequeſtranda eſt, & in iis locis, quæ ex morte Chriſti remiſſionem deducunt peccatorum, diſtinctus quidam effectus intelligendus eſt, quem præ ſe fert ipſa verborum ſimplicitas, conſentiens cum aliis Scripturæ vocibus, quæ Chriſtum ob peccata noſtra mortuum cruenta morte, pœnaſque noſtrorum criminum ab ipſo exactas fuiſſe pronunciant: cumque illis, quæ Deum nobis per Chriſti ſanguinem placatum ac reconciliatum, ſanguinem ejus pretium fuiſſe pro nobis datum, Chriſtum vice noſtra mortuum, & piamen noſtrum non obſcure teſtantur, de quibus infra agendi erit locus.

Finem aliquem peculiarem reſurrectioni, qua à morte diſtinguitur, hoc loco adſcribi non apparet, præſertim cum ex Grotii ſententia reſurrectionis tantum finis ſit expreſſus, mortis non niſi cauſa impulſiva. Quid vero prohibet, quominus finis iſte, qui reſurrectioni adſcribitur, idem etiam ſit mortis? imo aliqua ex parte eundem eſſe neceſſe eſt, quatenus finis reſurrectionis, non poteſt non eſſe etiam finis mortis, quæ ob reſurrectionem fuit ſuſcepta. Quod enim ad finem intermedium refertur, refertur etiam ad ulteriorem, cui medius eſt deſtinatus. Diſcrimen tantum eſt, quod finis ulterior huic quidem eſt propior, ab illo remotior, idque à Paulo indicari cum juſtificationem reſurrectioni peculiariter adſcribit, concedere poſſumus; præſertim ſi de juſtificatione, quæ actu ipſo fiat, ſermonem eſſe ſtatuas, ut nos cum Socino arbitramur. Quod ſi verbis illis, *propter peccata noſtra* velit quiſpiam finem intelligere, quod nos credimus fieri poſſe; non ſequetur tamen, finem reſurrectionis non eſſe etiam finem mortis, & hanc ab illa, ea in re eſſe ſequeſtrandam. Simili enim ratione liceret argumentari infra cap. 10. 10, ubi dicitur: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*, quia ſalus ſeparatim adſcribatur confeſſioni, hunc finem aut effectum non eſſe tribuendum fidei. Id enim tum cum aliis Sacris Literis locis, tum cum hoc ipſo pugnaret. Paulus enim & in verſ. præced. cujus hic affertur probatio quædam, fidei & confeſſioni ſimul ſalutem adſcripſerat, & verſ. 11, ubi hæc iterum probantur, fidei ſoli aperte adſcribit, (nam *non pudefieri* nil eſt ibi aliud quam *ſalvum fieri*, ut explicatur verſ. 13) quod etiam alibi fit ſæpiſſime: cujus rei hæc eſt cauſa, quia fides, ſi ſit firma, omnino ex ſe pariat confeſſionem. Itaque Sacræ Literæ cum conciſe loquuntur, fide ſimpliciter adſcribunt ſalutem 2 Cor. 2. 12, confeſſioni raro, imo expreſſe, ſi hunc locum excipias, fortaſſe nuſpiam, (aliis interdum vocibus id fieri fatemur Matth. 10. 32. Luc. 12. 8,) licet ſalus ei hic proxime annectatur: nempe quia alibi Sacræ Literæ fidei nomine etiam ejus effecta, inter quæ confeſſio, comprehendunt. Idem in noſtro fit negotio, quia enim mors Chriſti reſurrectionis fuit cauſa, effectum ex Dei decreto neceſſario habitura; ideo Sacræ Literæ conciſe & emphatice loquentes, morti ſimpliciter adſcribunt juſtificationem, reſurrectioni raro, &, ſi hunc locum excipias, expreſſe vix uſpiam: (aliis verbis id fieri ſupra * vidimus:) nempe quia alibi mortis nomine etiam ejus effecta, inter quæ reſurrectio, comprehendant. Verbis autem *propter peccata*, ſi ea de fine ſumus, intelligi poterit peccatorum abolitio, ut alibi dictum, quæ ſeparatim potuit ſubjungi morti, ut & juſtificatio reſurrectioni; quemadmodum ſupra vidimus cap. 5 hujus epiſt. v. 10, reconciliationem, quæ cum abolitione peccatorum eadem eſt reipſa, proxime adſcribi morti, liberationem ab ira, quæ eadem cum juſtificatione, vitæ Chriſti. Quod ſi malis ea verba de cauſa impulſiva capere, non ſignificabitur tamen morti, ut vult Grotius, diſtinctum à reſurrectione finem adſcribendum; ſed potius, quia nullus morti ſubjungitur finis, ſed tantum reſurrectioni; contra cauſa impulſiva hujus expreſſe non commemoratur, ſed tantum illius; indicabitur, cauſam quidem utramque morti & reſurrectioni eſſe communem, & mortem finem ſuum, qui juſtificatio eſt, non fuiſſe aſſequuturam, niſi conſequuta eſſet reſurrectio, quod Apoſtolus clariſſime docuit 1 Cor. 15. 17, 18: contra etiam reſurrectionem aliquo modo contigiſſe propter peccata, (quod enim fit propter eorum remiſſionem, quæ juſtificatio eſt, fit etiam propter ea ipſa; quemadmodum quod fit propter ſanitatem recuperandam, fit etiam propter morbum:) ſed tamen alteram cauſam alteri rei arctius cohærere, quam alteri: h. e. mortem quidem magis ſuſceptam ob peccata, quam reſurrectionem; hanc contra arctius cum juſtificatione cohærere, quam mortem, præſertim ſi ſumatur de ea liberatione ab ira, quæ actu fiat, utrumque patuit alibi. Nam, quod ad prius attinet, quod hic urget Grotius, ſi peccata generis humani non extitiſſent, atque ita homines vi Legis juſtificari potuiſſent, Chriſtum violentam mortem ſubire, & ſic novam atque à Legali diverſam juſtitiæ conſequendæ rationem ſancire non fuiſſet opus: at reſurrectio, præſertim ſi hoc nomine totum Chriſti ſtatum glorioſum intelligas, ut hic una cum Socino facit Grotius, nihilominus Chriſto contingere potuiſſet. Quid igitur mirum, ſi mors quidem propter peccata expreſſe dicatur ſuſcepta, reſurrectio non dicatur? ſiquidem illa ex peccatis noſtris ita pependit, ut abſque illis non fuerit extitura: hæc non item. Taceo ſermonis elegantiam & emphaſin, quæ major eſt, cum oſtenditur, quam indignis modis Chriſtus alienam ob culpam fuerit tractatus, quam ſi propter eandem culpam ad vitam ſupremamque gloriam dicatur traductus atque evectus. Unde ubi ſermonis elegantia permittit, aut etiam aliqua ratione exigit, verba ejuſmodi, quæ de reſurrectione & exaltatione expreſſe nominata nunquam uſurpantur, de morte autem crebro, adjiciuntur iis rebus aut actionibus, quæ ad glorioſum Chriſti ſtatum præcipue pertinent, ut cum Chriſtus dicitur *pro peccatis noſtris* obtuliſſe aut offerre, quod de ipſius in cœlum per ſanguinis fuſionem ingreſſu, & coram vultu Dei apparitione atque interceſſione intelligendum eſſe, docebitur cap. 10, quamquam id ſupra jam alicubi attigimus. Eodem pertinet, quod Chriſtus apud Patrem degens dicitur eſſe propitiatio pro peccatis tum noſtris tum totius mundi. Ex quo etiam concludere licet, id *propter*

* Vid. partic. 85.

peccata

peccata fieri. Quicquid enim fit *pro peccatis*, id fit etiam *propter peccata*, præſertim apud Grotium, qui eandem utriuſque phraſeos vim eſſe ſupra urſit.

Cætera quæ Grotius hic ſubjicit, partim ſuperius jam ſunt diſcuſſa, partim ſuis locis, Deo dante, excutientur.

RESPONSIO

Ad Caput II. quod inſcripſit Grotius:

Quomodo in hoc negotio Deo conſiderandus ſit: oſtenditur conſiderandum ut Rectorem.

HOc capite Grotius ad diſjiciendas, ut ait, Socini objectiones, quas illi ſua ratio, vel potius abuſus rationis dictarit, gradum ſibi ſtruit, & Deum hic ut Rectorem ſtatuit conſiderandum.

Partic. 1: Quod ad noſtram ſententiam attinet; ſiquidem triplex Dei actio in hoc negotio venit ſpectanda, quarum prima eſt, peccatorum noſtrorum remiſſio; altera ſanctionis divinæ, quæ pœnas æternas peccatoribus, nulla reſipiſcentiæ habita ratione, comminabatur, relaxatio, imo & abrogatio quædam; tertia denique, traditio Chriſti in mortem: quarum actionum prima finis rationem habet, cæteræ duæ mediorum; quamquam ſecunda à prima ratione tantum hic differre videtur: in omnibus quidem his actibus Deus præcipue ſpectandus eſt ut dominus abſolutus, iſque liberrimus, ac nullius alterius poteſtati ſubjectus: ſed aliquo modo etiam ut Rector, præſertim in duobus actibus poſterioribus. De primo actu, de quo nobis hoc capite potiſſimum erit agendum, paulo poſt dicetur explicatius. Quod ad ſecundum attinet, licet Rectoris, qua talis eſt, ſit Legem vel relaxare, vel abrogare, quemadmodum & ferre; qua de cauſa diximus, Deum hic etiam ſpectandum eſſe ut Rectorem: tamen quia Deus ideo primo Rector noſter eſt, & quæ vult officia nobis præſcribit, ac pœnas tranſgreſſoribus ſancit (præſcribit autem ac ſancit ea tantum, quæ rectitudini & æquitati ſunt conſentanea,) & eadem quoque, ſi rectitudo permittat, relaxat atque abrogat Luc. 2. 29. Actor. 4. 24. Apoc. 6. 10. Eſai. 45. 6 & ſeqq. Jerem. 18. 6 & ſeqq. Conf. cum antec. Rom. 9. 20 & ſeqq. Quia dominus eſt noſter abſolutus ac herus, ipſo creationis jure; cum quanti quanti ſumus, ipſius ſimus, ab ipſo toti producti: ideo etiam quicquid Deus juris habet, qua Rector eſt, in Legibus ac pœnis ſive faciendis, ac conſtituendis ſive relaxandis aut etiam tollendis, id ex dominio ipſius abſoluto primo pendet, & inde fere æſtimandum eſt, quantum ei hac in parte liceat. Videtur enim regimen ac poteſtas gubernandi, quam Deus in nos habet, aut herus quivis in ſuos ſervos ac mancipia, ab abſoluto dominio, quod in eoſdem habet & exercet, eatenus præſertim, quatenus ſervorum voluntatem accedere oportet, ratione tantum diſtingui, & medii cujuſdam inſtar eſſe, quo finem atque uſum dominii, quod in eos habet, conſequitur. Quia enim, ut eum uſum à ſervis ac mancipiis capiamus, quem jure noſtro ab iis requirimus, eorum voluntatem ſæpiſſime accedere oportet; cum ii naturalem habeant arbitrii facultatem, & eatenus actionum ſuarum, quas ab illis exigimus, ſint domini; ideo illos præcepto, & pœnæ comminatione præcepto addita, ad id, quod volumus, faciendum adigimus: quod dum facimus Rectorum partes, quatenus illæ in herum cadunt, obimus. Quatenus enim ſervi arbitrium habent, eatenus ſui quodammodo ſunt, & dominorum non penitus proprii. Itaque eatenus etiam præcepta illis dari ac Leges ferri, & pœnæ, ni pareant, conſtitui poſſunt; id quod regiminis eſt proprium, & ad eam poteſtatem ſpectat, quam habemus in alios & aliena, ut docet Grotius. Eatenus etiam injuria poſſunt afficere dominum, & vindicta in eos cadit: ſiquidem jus * ſecundum analogiam dictum hac in parte eſt inter dominum & ſervos, quemadmodum & ſocietas atque amicitia, quæ pari quodammodo paſſu cum jure ambulant, qua de re nunc non eſt fuſius differendi locus. Hac igitur de cauſa diximus, Deum in ſanctione, qua pœnam peccatoribus fixerat æternam, nulla reſipiſcentiæ habita ratione, relaxanda abrogandaque, *præcipue* eſſe ſpectandum ut dominum abſolutum, non *proprie* aut *proxime*. Siquidem propior ac magis propria eſt hic Rectoris σχέσις, *reſpectus*, ſeu *conſideratio*, quæ ex illa pendet. Quod idem fere de tertia quoque Dei in hoc negotio actione: h. e. de traditione Chriſti in mortem, diximus. Nam quia Deus omnium hominum, ut aliarum quoque rerum univerſarum, dominus eſt abſolutus; ideo etiam in Chriſtum, qui natura homo erat, inque ejus vitam ac corpus jus dominii abſoluti habebat. Itaque pro eo jure ipſum noſtræ ſalutis cauſa poterat in mortem tradere, & corpus ipſius cruci affigendum dare. Et licet ordinaria vi Legis Moſaicæ inſpecta, quam exacte ſervaverat Chriſtus, jus quoddam habuiſſe cenſeri queat, ad mortem tam truculentam & exſecrabilem evitandam: tamen quia Deus omnes iſtos cruciatus præmio infinitis partibus majori compenſaturus erat; jure tanquam Dominus abſolutus, de eo ſtatuendi habuit arbitrium. Quo fere pacto Prophetæ aliique viri Sancti, qui ſub Lege vixerunt, præmio in ea manifeſte propoſitio, quod ad hanc vitam ſpectabat, non ſunt potiti Matth. 5. 12. 23, 30, 31, 37. Actor. 7. 52. 2 Theſſ. 2. 15. Hebr. XI. 35 uſque ad fin. cap. cum, ſi quiſquam alius, eo eſſent digniſſimi, ſed atroci atque infami nonnunquam morte fuerunt ſublati, Deo majus illorum pietati præmium reſervante. Verum quia graviſſimis de cauſſis, quas ex cap. 1 hujus diſput. colligere licet, opus erat, ut voluntas Chriſti libera & non coacta accederet, non vi, ut domino abſoluto alias liceret, Chriſtum morti objecit, ſed præceptum ei hac de re dedit, & præmium diviniſſimum, ſi pareret, propoſuit. Qua in parte rectoris æquiſſimi, & benigniſſimi amantiſſimique Patris, ad dura quidem, ſed præclara tamen filium hortantis, fecit officium.

Quod ad primum Dei in hoc negotio actum atti-

* Ariſt. lib. 5. Eth. c. 6. lib. 1. Polit. cap. 6. Pacio. lib. 8. Eth. cap. 10, ibid. c. 8.

net,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

net, qui eſt peccatorum noſtrorum remiſſio, ſeu à pœnis peccatorum omnibus, præſertim æternis, liberatio: in eo, ut ſpecialem etiam Dei σχέσιν exprimamus, Deus conſiderandus eſt primo ac præcipue ut pars offenſa, ſed (ut in generali quoque σχέσει explicanda addidimus) libertima, & nullius alterius poteſtati ſubjecta. Deus enim quia dominus noſter eſt abſolutus, ac herus, hunc uſum, hocque officium ac miniſterium à nobis ſervis ac mancipiis ſuis jure ſuo exigit, ut mandata ipſius ac leges, ſive naturaliter, ſive alia quapiam manifeſta ratione nobis præſcriptas, ſervemus, & gloriæ ipſius unice ſerviamus: ideo cum mandata ipſius tranſgredimur, & officium ei debitum negamus, eum offendimus, & quantum in nobis eſt, lædimus, atque injuria afficimus. Intelligendum enim eſt, herilis imperii, quale Deum in nos habere diximus, (quamquam id, ſi ejus adminiſtrandi modum, ac fructum ex eo ad nos redundantem ſpectes, ipſius benignitate, præſertim ſub Novi Fœdere, vere paternum evaſit) hanc eſſe naturam, ut ipſius imperantis cauſſa primo ac per ſe comparatum ſit, (*a*) & ad ipſius utilitatem, quæ variorum dominorum reſpectu poteſt eſſe varia, jure referri: quemadmodum & abſolutum dominium, (*b*) ex quo herile imperium naſci diximus, cum eo interveniente dominii uſus ac fructus exigatur & percipiatur. Quare Deus jure optimo ſui ipſius cauſſa omnibus imperat, & ſeipſum primo in nobis regendis reſpicit, licet interim útilitati noſtræ ſummopere conſulat. Hinc de Deo pronunciat Salomon Prov. 16. 4, *cum omnia propter ſemetipſum feciſſe*, aut *facere*, *etiam impium ad diem malum.* Hoc eſt, etiam hoc, quod impium pœnæ deſtinarit, aut deſtinet, & ad ſupplicii tempus reſervet. Idem docent illa Scripturæ loca, in quibus dicitur, *in ipſum*, aut *propter ipſum eſſe omnia* Rom. XI. ult. 1 Cor. 8. 6. Hebr. 2. 10, quia in ipſum tanquam ultimum finem ſpectent: quemadmodum etiam *ex ipſo*, aut *per ipſum ſint omnia*, tanquam cauſſam efficientem ac conſervantem. Merito enim is, qui prima eſt omnium rerum cauſſa efficiens, eſt etiam ultimus omnium finis. Conditionem iſtam divini imperii, quod Deus in nos, tanquam herus in ſervos ſuos habeat, indicavit Paulus, dum de nobis, quatenus redemtionis jure Dei ſervi ac mancipia ſumus, loquens ait 1 Cor. 6. 19, 20: *non eſtis veſtri. Emti enim eſtis pretio. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* De quo loco cap. 1 nonnihil diximus. Gloriæ nimirum divinæ nos totos ut conſecremus præcipit, quia etiam toti ſimus Dei, qui hunc uſum à nobis ſervis ac mancipiis ſuis jure ſuo poſtulet. Iſta autem glorificatione Dei, quæ tum corpore tum ſpiritu noſtro perficiatur, univerſam noſtram pietatem & obedientiam comprehendit. Neque enim Deus eas, quas alii domini quærunt, à nobis exigit utilitates, cum iis nec indigeat, ſed omnibus ipſe ſuppeditet Act. 17. 25. 1 Sam. 15. 22, 28. Pſal. 50. 7, uſque ad 15 & vſ. ult. Joh. 4. 23, 24. Eccleſ. 15. 14 & ſeqq. verum obedientiam, & gloriam ei conjunctam, ac ſpiritum, unde illa proficiſci debent, ſeu cor noſtrum, quod in noſtra poteſtate poſuerat; cum arbitrium voluntatis nobis dediſſet. Debetur ergo pietas & obedientia noſtra univerſa Deo, jure dominii, ut Chriſtus quoque apud Lucam ſatis aperte oſtendit cap. 17. 7, 8, 9, 10, eaque non præſtita offenditur. Etiamſi autem interdum alia etiam aliqua perſona delictis noſtris lædatur, nihilominus tamen ſolus Deus tum cenſeri poteſt offenſus atque injuria à nobis affectus: cum injuria illa perſonæ cujuſcunque in ipſum, tanquam abſolutum omnium dominum, redundet. Servis enim ipſis nulla fieri (*a*) injuria intelligitur; ſed domino per eos fieri videtur. Unde etiam nobis vindicta jure ſuo interdixit, & pronunciavit, ſuam eſſe vindictam, ſe redditurum Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30. ex Deut. 32. 30. Quia vero Deus delictis noſtris offenditur, jure etiam iraſcitur, ac pœnam expetit, quam ob miſericordiam, quæ iræ contraria eſt, & non ſecus atque illa, liberæ ipſius voluntatis eſt effectus, remittit; nec minus tum, cum alios quoque ſimul, ſi naturaliter rem ſpectes, læſus eſt, quam cum ipſe ſolus. Hinc triplex nobis naſcitur argumentum, quo probatur, Deum, qua pars offenſa eſt, jus habere ad pœnam repetendam, ſeu, quod eodem hic recidit, ei jure abſoluti dominii pœnam deberi; ac proinde in hoc negotio ut partem offenſam, & ut creditorem ac dominum pœnæ eſſe conſiderandum. Oſtendimus enim primum, Deo à nobis deberi obedientiam legi ipſius præſtandam jure dominii abſoluti. At cum ea non eſt præſtita, in ejus locum ſuccedit pœna. Quare hæc eodem jure debetur Deo, quo obedientia, hoc eſt, jure abſoluti dominii. Deinde parti læſæ naturaliter debetur compenſatio injuriæ, ut infra docet Grotius. Ergo & Deo, quem in noſtro negotio partem offenſam eſſe docuimus, & fatetur Grotius. At ſi ulla hic eſt compenſatio, ea per pœnam fit, qua delictum luitur, quod etiam in civili judicio ſæpe contingit. Nam alias nihil vel dari Deo à nobis poteſt ad compenſandam injuriam; cum omnia ſint Dei jure dominii abſoluti: nihil etiam ipſius cauſſa à nobis poſt delictum poteſt fieri ad eandem injuriam ſarciendam, quod ei ante delictum non debuiſſemus eo jure, quo naturaliter ipſi eramus obſtricti. Quod autem meum eſt, id amplius meum fieri non poteſt, ut ſupra dixit Grotius. Reſtat ergo, ut, ſi Deus jus ſuum perſequi velit, per pœnam fiat compenſatio, ut qui non ſatiſfecerat parendo, ſatiſfaciat patiendo. Et etiamſi tandem alius quiſpiam reſtaret compenſandi modus, tamen Deus hunc pro arbitrio ſuo, ſiquidem natura ſua injuſtus non eſt, eligere ac ſtatuere poſſet. Præterea ira, ut ſupra loquutus eſt Grotius, de ira ipſius Dei in hoc negotio differens, puniendi eſt affectus, ſeu mavis puniendi voluntas ac deſiderium. Quod ſi ergo Deus jure iraſcitur, ut certe non niſi jure iraſci poteſt, jure etiam pœnam vult atque expetit. At iraſcitur ut pars offenſa. Quapropter etiam ut pars offenſa jure pœnam vult atque expetit; &, cum nullius poteſtati ſit ſubjectus, qui pœnæ inflictione ipſi poſſit interdicere, eam qua vult ratione, vel per ſeipſum, vel per quemcunque alium infligit. Iraſci autem Deum ut partem offenſam, licet per ſe ſatis videatur liquere, ex iræ natura probatur, quæ ſecundum Cic. (*b*) eſt cupiditas (quamquam ipſe ex

(*a*) Ariſt. l. 8. Ethic. cap. 10 & 11. (*b*) Grotius inf. hoc cap.

(*a*) lib. 4. Inſtit. tit. 4. (*b*) l. 4. Tuſcul. qu.

Stoicorum ſententia libidinem habet) puniendi ejus, qui læſiſſe videtur injuria. Cum quo conſentit Ariſtoteles, (*a*) qui ait, iram eſſe appetitionem apparentis pœnæ cum moleſtia conjunctam, ortam ex opinione contemtus ſive ſui, ſive alicujus ex ſuis, non convenienter, hoc eſt, qui contemtus non convenire videatur ei, qui eo afficitur, ſeu quo is, qui contemnitur, appareat indignus. (*b*) Ita ergo ſeu pœnæ appetitio læſorum eſt, atque injuria affectorum, qua tales ſunt, ſive illi in ſe ipſis ſint læſi atque contemti, ſive in aliis, ob quamcunque conjunctionem, quam cum illis habere videantur: &, ſi quidem vere ſunt offenſi ſeu injuria affecti, juſta eſt ipſo genere tum ira, tum pœna, ad quam illa fertur; quod ſi modus etiam in utraque legitimus obſervetur, utraque prorſus juſta eſt: ſi vero ii offenſi atque injuria affecti videantur tantum, non autem revera ſint; ira, ac pœna inde orta, injuſta eſt per ſe; & ſi modum alterutra ſuperet, eatenus etiam injuſta eſt. Nec eſt quod quis dicat, Deo impropríe tribui iram, ut & alios affectus. Nam tribuuntur nihilominus Deo per analogiam; idque abſtractis tantum iis, quæ imbecillitatis humanæ ſunt propria: cætera Deo relinquenda ſunt. Quod idem de aliis quibuſdam vocibus, quibus aut ipſa Scriptura, aut nos, conſentiente Grotio, in hoc negotio utimur, dictum volumus. Vix enim quicquam eſt, quod de offenſa parte, injuriam ſuam juſte ulciſcente, generatim dici poteſt, quod Deo vel à Scriptura ipſa non tribuatur, vel Scripturæ convenienter tribui nequeat. Tolle igitur ab ira perturbationem, quæ in hominibus ſolet contingere, tolle veram moleſtiam ac dolorem, quem irati ſentiunt, cui in Deo diſplicentia peccati, & ſi quid huic diſplicentiæ ſtatim ex rei natura annectitur, reſpondet; cætera Deo conveniunt. At eſſe partem offenſam, pœnam velle atque expetere, etiam in Deum cadunt. Quare quæ illis, qua talia ſunt, competunt, ea Deo quoque recte tribuuntur. Quod ſi pars offenſa, qua talis eſt, pœnam vult atque expetit, &, ſi vere eſt offenſa, jure id facit; idem de Deo eſt ſtatuendum. Conſtat ergo, Deum ut partim offenſam jus habere ad pœnam repetendam, eamque ipſi deberi. Quod multo magis verum eſſe apparebit, ſi conſideres id, quod & Grotius aſſerit, & ratio dictat, pœnam omnem utilitatis cauſſa comparatam eſſe. Quicquid autem utile eſt, alicui eſt utile. At utilitas iſta ad quemnam redire debet jure, niſi ad illum, qui damnum ex delicto, cujus pœna exigitur, ſenſit? is vero eſt læſus, qui in noſtro negotio præter Deum eſt nemo. Adde quod, ſi tota illa communitas, cui Deus præeſt, peccet, quod per naturam non eſt impoſſibile, & in hoc negotio aliqua ratione contigit; cujuſnam bono pœna tunc jure quodam exigetur? Non ipſius communitatis, quæ pœnam ſolvere debet, non vero illam ſuo jure poſtulare, qua carere longe etiam mallet; præſertim ſi extremum ſupplicium ſinguli debeant luere, quod ipſorum utilitati ſervire nequaquam poteſt. At hic utrumque contingit. Nam & univerſum genus humanum peccarat, & pœna, quam ferre debebant omnes, erat interitus ſempiternus, extremaque infelicitas, nunquam prorſus in melius mutanda. Quare pœna hæc nec poterat, nec, ſi potuiſſet, jure aliquo debebat in hominum utilitatem cedere. Quod ſi nihilominus utilitatem aliquam ea pœna habere debebat, ut certe debebat, cum alias ne exigi quidem potuiſſet, præſertim à Deo, qui nec fruſtra quicquam facit, nec facere ob ſapientiam ſuam poteſt; eam utilitatem ad Deum ſpectaſſe oportet. Nam quod alia quædam extiterit communitas, ad quam fructus aliquis redundare potuiſſet: id reſpectu ejus pœnæ per accidens eſt; cum nullum ei communitati ad pœnam illam, aut ejus fructum repetendum jus eſſet, niſi ea ſimul ſtatuatur eſſe læſa & injuria affecta: ac præterea potuiſſet nos Deus in æternum ob ſcelera noſtra jure punire, etiamſi præter homines creatura rationalis extitiſſet nulla; aut etiamſi nemo quicquam de ea pœna ſcripturus fuiſſet. Cui enim ulla facta fuiſſet ea in re injuria, cum nos pœnam illam prorſus mereremur? Patet ergo Deo pœnam deberi, & eum jure ſuo proprio eam repetere poſſe, eodemque modo de ea, quantum velit, remittere: id quod juris eſt dominii abſoluti. Ideo ſupra de generali Dei in hoc negotio χύδην agentes diximus, Deum in tribus iſtis, quos conſtituimus, actibus, præcipue ſpectandum eſſe ut dominum abſolutum: quamquam id diverſimode. Nam dominium iſtud Dei, in primo actu præcipue referendum eſt ad rem, hoc eſt, ad pœnam, quæ Deo tanquam domino ipſius abſoluto debeatur: in duobus poſterioribus actibus potiſſimum ad perſonas, hoc eſt, ad nos, & Chriſtum. Conſiderari quidem poteſt etiam in primo Dei actu dominium ipſius reſpectu noſtri ipſorum, ſed tanquam cauſſa remotior ejus juris, quod ad pœnam repetendam habet. Quia vero Deus remiſſionem pœnæ ad correctionem morum noſtrorum direxit; ſiquidem ea ratione nos ſibi mirifice devinxit, & ad ſibi parendum in poſterum obſtrinxit, eamque conditionem lege nobis impoſuit; poſſis Deum in hoc etiam actu aliquo modo conſiderare ut Rectorem. Quamquam privatus etiam, qui læſus eſt, conditionem hujuſmodi, quæ ſane æquiſſima eſt, poteſt imponere ei, qui læſerat, ſi injuriæ condonationem obtinere velit; id quod ipſi legis inſtar erit. Hæc noſtra eſt de partibus, quas Deus in hoc negotio ſuſtineat, ſententia, quæ poſtea pluribus confirmabitur, Grotius, qui Deum quidem partem offenſam eſſe ſtatuit, ſed ei, qua talis, nullum ad pœnam repetendam jus relinquit, ideoque eum de ſuo nihil hic remiſiſſe, ſed de eo tantum jure, quod communitatis alicujus cauſſa comparatum ſit, quæ communitas in noſtro negotio ipſum genus humanum eſt, ceſſiſſe arbitratur, ſummam Dei erga nos miſericordiam ac beneficentiam, quæ in peccatis noſtris condonandis cernitur, quantum in ſe eſt, penitus tollit; adeoque in Deum, quem & jure iſto, & hac beneficentiæ laude, quæ longe maxima eſt, privat, admodum eſt injurius; & hic error, quod ipſe Socino objicit, Deum ut partem offenſam hic conſiderandum eſſe ſtatuenti, dici poſſit in hac materia eſſe ipſius τὸ πρῶτον ψεῦδος, *primum falſum* ſeu *primus erroris fons*. Quapropter ut error ipſius melius pateat, videamus quæ ſcribat.

Probare igitur conatur Partic. 2, *omnino hic Deum conſiderandum, ut rectorem. Nam pœnas infligere*, inquit, *aut à pœna aliquem liberare quem punire poſſis,*

(*a*) l. 2. Rhet. cap. 2. (*b*) l. 5. Eth. cap. 8.

ſis, quod juſtificare vocat Scriptura, non eſt niſi rectoris qua talis primo & per ſe: ut puta in familia patris: in republica regis, in universo Dei.

Pœnas infligere, aut à pœnis liberare, concedimus quidem eſſe etiam Rectorum; ſed aut non primo, aut non per ſe, verum eatenus, quatenus vel ipſimet ſunt læſi, ut in noſtro negotio contingit, vel partis læſæ, quæcunque illa tandem ſit, jus perſequuntur. Lædi autem præter Rectorem, qui pœnam reipſa exigit, poteſt vel dominus ejus communitatis abſolutus, cui rector iſte præeſt, aut Princeps eo ſuperior, qui per rectorem ſibi ſubordinatum injurias ſuas perſequi ac vindicare poteſt: quo pacto Rectores ac magiſtratus omnes Dei ſunt miniſtri in coërcendis delictis Rom. 13. 1 uſque ad ℣ſ. 7. 1 Pet. 2. 14, præſertim eatenus, quatenus ordinem ac tranquillitatem publicam, bonorumque ſecuritatem turbant ac convellunt. Lædi præterea poteſt ea ipſa, cui rector aliquis præeſt, Societas ſeu communitas, vel alia quævis; vel ſubditus aliquis, aut etiam quiſpiam alius. Nihil enim prohibet, quominus rector, (quemadmodum in nonnullis etiam privati, præſertim amici,) vel rogatus, vel ſponte ſua, amicitiæ, aut ipſius humanitatis, quo inter nos devinctis ſumus, jure impulſus, cauſam alterius cujuſpiam ſuſcipiat, & ſic jus alienum, illius, cui id competit, nomine, inque ejus utilitatem, perſequatur. Idem in debitis, quæ exigere per ſe creditorum eſt, accidit, cum debitores non niſi vi ad ſolutionem adigi poſſunt, aut de debito eſt controverſia. Neque vero mirari quiſpiam hic debet, quod nunc ſtatuamus, homines quoque ipſos lædi & injuria poſſe affici, & ſic etiam jus ad pœnam repetendam habere; quod tamen antea viſi ſumus negare, propterea quod omnes Dei ſint ſervi; ſervis autem nulla injuria fieri intelligatur, ſed domino per ipſos. Animadvertendum enim eſt, nos, dum hominibus quoque id tribuimus, eos conſiderare ut natura liberos, quemadmodum in jure civili conſiderari ſolent, ubi homines cum hominibus hac in parte, non cum Deo conferuntur. Quamquam, ut ſupra diximus, ſervi, quia arbitrio ſunt præditi ac voluntate libera, etiam dominorum reſpectu, aliquo modo liberi cenſendi ſunt, tanquam actionum ſuarum domini, & ſic ſui, non alieni. Quatenus autem libertas cuipiam competit, eatenus etiam juris ac injuriæ capax eſt, earumque rerum, quæ jus aut injuriam conſequuntur. Unde etiam quæri ſæpe ſolet, cujus rei exempla in ipſis Sacris Literis habentur, an Deus hoc aut illud jure poſſit potueritve hominibus imponere nec ne; & Deum juſtitia & æquitate adverſum nos uti aſſeritur, etiam nullo ipſius promiſſo, quo ſe nobis expreſſe obligarit, antegreſſo. Quia ex conjunctione inter Deum & creaturas mente atque arbitrio præditas, ſtatim jus quoddam oritur, quod ab ipſo ampliari pro arbitrio poteſt, quod fit promiſſis ipſius à libera voluntate manantibus. Iis enim jus acquiritur ei, ad quem pertinent. Qua de re nunc non eſt fuſius differendi locus.

Quod vero Grotius ait, à pœnis aliquem liberare, quem punire poſſis, à Scriptura vocari juſtificare; id licet velut aliud agens interſeruerit, ideo tamen addidiſſe videtur, ut oſtenderet, remittere peccata non eſſe niſi rectoris. Nempe quia juſtificare non ſit niſi judicis: judex autem, qua talis, ſit rector. Verum ne de eo nunc quicquam dicamus, quod juſtificare, cum de remiſſione peccatorum accipitur, non ſignificet, quempiam ſententia ſua juſtum pronunciare, quod judicis videtur eſſe proprium: ſed tantum, eum, quem ut injuſtum ac ſontem tractare poſſes, tanquam juſtum ac inſontem tractare, ſeu à reatu ac pœna liberare, utut eum injuſtum ac nocentem interea ſive cenſeas, ſive pronuncies. Id vero non tantum in judicem cadit, ſed etiam in eum, qui judex quidem non ſit, ſed jus tamen ad pœnam per alterum repetendam habeat, quemadmodum creditor ad repetendum debitum, quique proinde ſi jure ſuo cedat, nocentem impunitum præſtare poſſit, non ſecus ac creditor, ſi debitum remittat alteri. Fatetur enim Grotius partem offenſam Lege poſitiva poſſe fieri pœnæ creditorem. At cum creditor jure ſuo plane cedit, nemo debitum illud jure exigit. Ut, inquam, illud mittamus, animadvertendum eſt, judicare non eſſe rectorum, qua tales, primo, ſed eatenus, quatenus alienum jus perſequuntur, cujus perſequendi poteſtas non naturali, ſed poſitiva Lege illis aut demandata eſt, aut permiſſa. Omnes enim illi, qui nulli ſuperiori poteſtati ſunt ſubjecti, & ſic de jure ſuo ſtatuendi liberrimam habent poteſtatem, etiamſi non ſint rectores eorum, qui illis quocunque nomine debent, tamen de eo, quod illis debetur, naturali jure, ac ordinarie judicare poſſunt; & his id primo competit, cæteris propter illos. Nemini enim, dum ſui tantum repetendi cauſa id faciunt, ea in re inferunt injuriam. Quapropter jus illud de re ſua judicandi, à natura habent, quod tamen, ubi rectoris alicujus poteſtati ſe permiſerint, aut quacunque de cauſa ſubjecti fuerint, lege poſitiva; qua naturalia jure reſtringi, & ad communem utilitatem & ſocietatis humanæ conſervationem magis attemperari ſolent, in rectorem tranſfertur. Quod cur fiat, poſtea explicabitur. Quod ſi quis objiciat, neminem idoneum eſſe in cauſa ſua judicem: præterquam quod id de Deo, qui juſtiſſimus eſt, nec à rectitudine & æquitate ullo pacto abduci poteſt, nemo dicere auſit: is autem nobis hic potiſſimum ſpectandus eſt: Grotius ipſe inferius hoc cap. id non juris naturalis, ſed poſitivi, ideoque nec univerſale eſſe pronunciat; quia id plane non habeat locum in ſummis rectoribus, quo nomine & parentes quoad familiæ curam comprehendit. Nos Grotii dictum latius extendentes dicimus, id locum non habere in iis, qui ſuperiori poteſtati non ſubſint, & quibus proinde lex poſitiva, quam ipſi ſibi non ferant, ferri atque imponi nequeat. Neque enim ideo revera ſummi rectores lege illa poſitiva non tenentur, quia rectores ſint; (poteſt enim ea teneri rector inferior) ſed quia ſint ſummi, ſeu nullius alterius poteſtati ſubjecti. Alias enim ratio Legis in rectoribus æque valet, atque in aliis. Ideo enim nemo in ſua cauſa idoneus cenſetur judex, quia privati affectus, amor nempe ſui, ac propriæ utilitatis, aut contra ira atque odium in partem adverſam, non videantur paſſuri, ut judicium ſit incorruptum, & æquitati conſentaneum: cum affectus illi menti nebulas ſoleant offundere, & vix permittere, ut verum ac juſtum pervidere queas, aut quod juſtum cernis, pronunciare ac facere velis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Unde ſi quem adeo rigidum virtutis & æquitatis cuſtodem videmus, ut ne in ſua quidem cauſa videatur à recto diſceſſurus, imo æquius etiam ac mitius, quam in aliena cauſa judicaturus, ei nonnunquam libenter de cauſa communi judicium permittimus, atque adeo malumus ipſum, quam quempiam alium ſententiam ferre. Privati ergo affectus, & metus injuriæ efficiunt, ut neminem in ſua cauſa idoneum ſtatuamus eſſe judicem. At id æque in rectoribus habet locum, atque in iis, qui non ſunt rectores. Quare quod ſummi rectores nihilominus in ſua cauſa poſſint eſſe judices, id non ideo revera accidit, quod rectores ſint ſimpliciter, ſed quod ſint ſummi, quibus poteſtas in ſua cauſa judicandi à nemine poteſt eripi; quod idem habet locum in aliis omnibus, qui plane ſunt liberi, & ſuperiorem poteſtatem non agnoſcunt, etiamſi aliis regendis non præſint. Decepit fortaſſe in hoc negotio Grotium, quod vix quiſquam ſit, aut cogitari queat, qui, cum alienæ poteſtati non ſit ſubjectus, non ſit ſimul etiam rector, & quidem in ſuo genere ſummus. Omnes enim ita ſunt naturæ lege inter ſe copulati atque devincti, ſapientiſſimi naturæ Architecti *(a)* conſilio, ut vix quiſquam poſſit abſque ſocietate vivere: in ſocietate autem, ſi illa conſiſtere debeat, neceſſe eſt vel regere, vel parere, *(b)* vel etiam utrumque, tempore aut reſpectu diverſo, facere. Itaque ſi quis ſit, qui nulli plane poteſtati ſubjectus eſt, eum rectorem ſimul eſſe conſentaneum eſt, & quidem ſummum. Niſi enim ſummus eſſet, jam alienæ poteſtati foret ſubjectus. Hæc igitur inter alias videtur fuiſſe cauſa, cur Grotius illa, quæ iis, qui nullius poteſtati ſunt ſubjecti, qua talibus conveniunt, ad rectores ſummos retulerit, non qua ſimpliciter ſunt ſummi, h. e. nulli alteri ſubjecti, ſed qua rectores ſunt, & alios ſibi habent ſubjectos. Atqui per accidens fit, ut is, qui nullum agnoſcit ſuperiorem, ipſemet ſit ſuperior aliis, &, qui ab alio non regitur, regat alios. Quare quod competit ſupremo, vel, ut rectius loquar, ei qui prorſus eſt liber, & nulli poteſtati ſubjectus, quatenus talis, id per accidens, aut ſecundario, ſeu propter aliud, competit rectori, qua talis eſt. Ut igitur ad propoſitum redeamus: poteſt etiam is, qui rector non eſt, judicare, & ſic etiam juſtificare atque abſolvere: maxime autem Deus à nobis offenſus, qui cum nulli prorſus poteſtati ſit ſubjectus, ac præterea juſtiſſimus ac ſapientiſſimus, ut falli in judicando, aut à rectitudine diſcedere nequaquam poſſit, ac denique potentiſſimus, qui ſententiam latam ſemper & adverſus quemcunque poſſit exſequi, omnia perfectiſſima ratione habet, quæ in judice deſiderare queas; nulla interim habita ratione ejus, quod aliis regendis præſit. Veruntamen quia diverſæ illæ in Deo ſcheſes, nempe Rectoris, & ejus, qui ſimpliciter ſit ſummus, quique ut pars offenſa ſententiam de pœna ſibi debita ferat, ratione tantum diſtinguuntur; non mirum eſſet, Sacris Literas, quæ populariter loqui ſolent, & ἀκρίβειαν *accurationem* iſtam, quam, ita volente Grotio, hic ſectamur, non adeo ſpectant, ejuſmodi vocem huic actui, de quo agimus, accommodare, quæ proprie actum rectori per ſe competentem

a Ariſt. l. 1. Polit. 2. *b* ib. c. 1.

ſignificet. Quapropter, etiamſi juſtificare proprie loquendo non niſi rectori, qua talis eſt, primo ac per ſe conveniret; non tamen protinus ſequeretur, Deum hic ſpectandum ut Rectorem. Verum ea reſponſione nobis hic opus non eſſe, ex dictis apparet.

Sed videamus quo pacto Grotius probet *Punire, aut pœnis aliquem liberare, quem punire poſſis, non eſſe niſi rectoris qua talis primo & per ſe.*

Probat id ergo hac ratione Partic. 3: *Quod pœna ſit ultimum in coactione: coactio autem non competat, niſi ſuperiori*, τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ, *ſuperiori* vel *eminenti poteſtati.*

Cum Grotius per *ſuperiorem* hoc loco eum intelligat, qui alteri regendo præeſt, qua talis; haud eſt concedendum, coactionem non competere niſi ſuperiori. Competit enim naturaliter cuivis, cujus rem alius per vim detinet, aut etiam invadit: in illum, ut reſtituat, in hunc, ne eripiat. Rei autem nomen tam late ſumimus, ut omnia illa, circa quæ verſatur læſio & injuria, comprehendamus. Id quod dicimus, videtur per ſe manifeſtum. Nam ab eo, qui vi quippiam detinet, vi repetere rem naturali jure licere, nulla habita ratione regiminis aut imperii, quod in illum habeas, quis dubitat? hinc enim jura belli, & ſi quid bellis reſpondet in ſingulis. At ubi vi res repetitur ab eo, qui eam detinet, coactio eſt. Hinc multos videmus incidere caſus, ubi ipſa natura & ratione dictante vis adhiberi etiam à privatis poteſt, & cogi is, cui regendo illi haudquaquam præſunt, ut prædam v. g. ablatam reſtituat, aut compeſcatur, ne nocere queat. Nec neceſſe eſt jus illud rectores largiri privatis, ſed ſatis eſt, ut, quod habent à natura, illis non negent aut eripiant. Hoc pacto, ut Grotius infra etiam ex Sacris Literis docet, & alias manifeſtum eſt, regi à rege ob injuriam illatam bellum indici atque inferri poteſt jure naturali, poteſtque cogi alter ab altero, atque adeo etiam puniri. At rex iſte, qui bellum infert, non eſt rector alterius regis: ſed ad eum ſe habet, ut privatus ad privatum, qui uterque liber eſt, nec juris alieni: regiminis ratione ſunt pares, idque hic per accidens tantum concurrit. Hoc quidem requiritur, ut qui cogere velit alterum, præſertim vi aperta, eo, ut jure, ita & viribus ſit ſuperior, & hoc pacto ὑπερέχων: ſed vires non cogendi jus largiuntur, ſed ejus, ad quod faciendum jus jam habes, exſequendi facultatem, ac poſſunt etiam in eum cadere, qui jus cogendi habet nullum: nec ea res eſt rectorum propria.

Partic. 4. Quod ad Senecæ dictum attinet, qui clementiam definierit *lenitatem ſuperioris erga inferiorem in conſtituendis pœnis*; id primum non probat, pœnam conſtituere eſſe ſolius ſuperioris: ſed tantum, hujus ſolius in pœnis conſtituendis lenitatem clementiam dici, quæ in aliis, licet idem forte facientibus, hoc nomine inſigniri non ſoleat. Deinde non conſtat, an Seneca eum tantum vocet ſuperiorem, qui alteri gubernando præſit, qua talis eſt; an vero quemvis, qui viribus ac potentia ita ſit altero ſuperior, ut facile ac tuto injurias ſuas in eo vindicare aperta vi poſſit, ſive ob imperium id fiat, ſive aliam ob cauſam. Nam in cæteris, ut idem docet, * non vindicare injurias, infirmitas videtur, non clementia. Atqui ea virium

* Lib. 1. de Clem. c. 7.

ὑπεροχῇ; etiamſi cum imperio fere ſoleat concurrere, & quo majus id eſt, tanto magis, non eſt tamen imperii ita propria, ut Rectori, qua rector eſt, ſolum competat. Videtur ſane ipſemet Seneca alicubi de clementia diſputans ſuperiorem ab inferiori diſtinguere excellentia fortunæ, dum ait: (*a*) *Vita etiam ſuperiori eripitur, nunquam niſi inferiori datur. Servare, proprium eſt excellentis fortunæ.* Quapropter nec clementia ſua natura rectoris, qua talis eſt, propria cenſenda erit: nec reliquæ clementiæ definitiones, quas eodem loco affert Seneca, (*b*) id poſtulant. Unde videmus, cum Principes alieno etiam ſubdito, in quem injurias ſuas facile poſſent vel per ſe vel per alios vindicare, offenſas ſuas condonant, eos clementia dici uſos. Atqui id illi non faciunt revera qua rectores, ſed qua potentes ſimul, & offenſi. Itaque etiamſi ejus tantum eſſet conſtituere pœnam, cujus etiam eſt clementia uti: non ſequeretur tamen, conſtituere pœnam eſſe ſolius rectoris, qua talis. Verum ut tanto minus de Senecæ auctoritate nobis hic videatur laborandum, ipſemet efficit Grotius, qui paulo inferius, ejuſdem dictum de clementia pro ſe adductum quaſi confirmaturus, non obſcure corrigit. Poſtquam enim Senecæ dictum attuliſſet: *Clementia liberum arbitrium habet, non ſub formula, ſed ex æquo bono judicat*; ubi ſub formula judicare, & judicare ex æquo bono, inter ſe opponuntur, & ei, qui formulæ adſtrictus eſt, non obſcure adimitur, ex æquo bono, ſeu ſecundum æquitatem, quæ ſtricto jure opponitur, judicandi poteſtas: Grotius ita ſubjicit: *Æquitas enim eſt etiam adſtricti formulæ judicis: at clementia proprie ita dicta non eſt niſi ſummi in quaque communitate rectoris.* Quæ verba priorum ſententiam, quod ad poſteriorem dicti iſtius partem attinet, corrigere nemo non videt. Quid autem de ipſius Grotii pronunciato, *clementiam proprie ita dictam non eſſe niſi ſummi in quaque communitate rectoris*, ſtatuendum ſit, ex modo dictis intelligi poteſt; ut & illud, quouſque Senecæ dictum, *præter Regem ſervare poſſe neminem*, admittendum, dicta enim hujuſmodi: ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *ut plurimum* vera ſunt, nec aurificis, ut ille ait, ſtatera, ſed quadam populari trutina ſunt examinanda. Idem de Auguſtini, quod ſubjicitur, dicto, quod videtur eandem continere ſententiam, dici poteſt. Quamquam id, cum de rectoribus tantum qua rectores ſunt, ſit ſermo, ſimpliciter admitti poteſt.

Ex dictis aliquo modo jam poteſt æſtimari, quid de eo ſit ſentiendum, quod Grotius ſubjungit Partic. 5: *Vindicationem, quæ privatis & nulla ſuperiori poteſtate inſtructis tribui videatur, aut facti eſſe, non juris, quæ pugnet cum ipſa naturali æquitate, aut jus aliquod ſignificare non primo aut per ſe alicui competens, ſed aliena conceſſione: aut denique non ſignificare ipſum puniendi actum, ſed poſtulationem duntaxat pœnæ infligendæ, aut à Deo, aut ab alio rectore.* Nam ſi homines conſiderentur ut natura liberi, & non cum Deo, tanquam cum domino ſuo abſoluto conferantur, in quem omnes illorum redundent injuriæ, ſed potius cum hominibus, quo pacto injuriæ cenſentur eſſe ipſorum; non eſt id, quod Grotius aſſerit, univerſaliter admittendum, ut poſtea fiet clarius.

(*a*) Ibid, cap. 5. (*b*) Lib. 2, cap. 3.

Ait porro Partic. 6: *Hanc aſſertionem eo minus probationis indigere, quia Socinus alicubi fateatur, Deum in puniendis abſolvendiſque hominibus ſtatuendum eſſe tanquam Principem: quo nihil verius dici potuerit.*

Sed animadvertere debuit Grotius, Socinum, ſuæ ipſius ſententiæ habita ratione, non conſiderare Principem eatenus, quatenus rector eſt, ſed quatenus omnino liber, & nullius alterius poteſtati ſubjectus; adeoque eum non opponere illi homini, qui liber quidem ſit prorſus, ſed ſuperiori in alios poteſtate non inſtructus: multo autem minus parti offenſæ, cui Principis ſchesin, tanquam à Socino hic conceſſam, infra Grotius opponit. Socinus enim Principem tantum opponit judici ſub Lege conſtituto, qui propterea liberam pœnas condonandi poteſtatem non habeat. Ita enim loquitur eo, quem Grotius citavit * loco: *Deum in hominibus vel puniendis, vel abſolvendis, non tanquam judicem aliquem ſtatuendum eſſe, qui de alieno jure agat, cuique non liceat à legum præſcripto recedere: ſed tanquam dominum & principem, cujus ſola voluntas, cum de ipſius jure tantum agatur, omnium rerum lex ſit, & perfectiſſima norma.* Apparet ergo, Socinum non eatenus revera hic ſpectaſſe principem, quatenus rector eſt, ſed quatenus alienæ poteſtati non ſubjectus. Hac enim in parte ei judex ſub lege conſtitutus opponitur, non qua rector eſt: ſiquidem & Princeps rector eſt, & judex eſſe ſolet, præſertim is, qui de alieno jure ordinarie agit. Sumſit autem Socinus ideo potius Principem, quam aliquem alium, plane quidem liberum & alienæ poteſtati non ſubjectum, ſed privatum tamen, & nulla ſuperiori poteſtate inſtructum, partim quia libertas illa, ut ita dicam, abſoluta ac perfecta, in Principe omnium manifeſtiſſime conſpicitur, præſertim quia, ut antea monuimus, vix quiſquam poteſt cogitari plane liber, ac nulli ſubjectus, quin ſimul etiam ſit rector, & is quidem in ſuo genere ſupremus: inter rectores autem ſupremum locum obtinent Principes; partim etiam quia, ut tacitæ adverſariorum objectioni, cui hic occurrit Socinus, tanto magis ſatiſfieret, judici Princeps potius, quam privatus aliquis videbatur opponendus. Potuiſſet enim quiſpiam arbitrari, non mirum eſſe, eum, qui communitati alicui regendæ non præſit, offenſas ſuas nulla ſatiſfactione accepta remittere, & jure ſuo cedere; ſed eum, qui aliis ſimul gubernandis præſit, & judicis partes ordinarie obeat aut obire debeat, qualem conſtat eſſe Deum, id recte facturum, dubitare potuiſſet. Quapropter, ne huic exceptioni locus eſſet, Principem nominavit, in quo rectoris ac judicis partes cum ea, quam Socinus revera voluit exprimere, ſchesi concurrunt. Itaque ſchesin Rectoris, quæ Principis voce contineatur, adverſariis potius largitus eſt, quam ſibi ſumſit, aut ad ſuæ ſententiæ explicationem pertinere voluit; indicavitque hac ratione, ſi Princeps, licet rector ſit ac judex, offenſas ſuas libere, ſine ulla ſatiſfactione, condonare queat, & jure ſuo cedere, ſine ulla injuſtitiæ nota; æque, aut etiam multo magis Deum, licet rector ſit ac judex, id facere jure poſſe: præſertim cum Princeps liberis hominibus imperet non ſervis, ac proinde in pœnis vel infligendis vel

* Lib. 3. cap. 1.

remittendis communitatis ejus, quam regit, videatur rationem habere debere: Deus autem nobis tanquam herus ac dominus abſolutus imperet, qui proinde communitati, cui præſidet, nihil hic debeat, cum ea tota ſit illius; & in ejus uſum comparata. Qua de cauſſa Socinus priori loco commemoravit *dominum*. Quia hoc pacto melius exprimitur genus imperii proprium, quod Deus naturali jure in homines habet, quam Principe nominato. Denique vel eam ob cauſſam Principis potius quam privati alicujus mentionem facere potuiſſet Socinus, quia ad explicandam veram hujus beneficii, quod in remittendis peccatis cernitur, magnitudinem non parum pertinet, conſiderare, quantus is fuerit, & quam potens, qui offenſas ſuas nobis remiſerit. Magis enim elucet clementia, &, quæ hac continetur, benignitas, in magna poteſtate, quam ibi, ubi exiguæ ſunt ad ulciſcendum vires. *In privatis*, ut ſup. monuimus ex Seneca, *non retuliſſe gratiam lædentibus, infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio in facili eſt, is omiſſa ea certam manſuetudinis laudem conſequitur.* Eo pacto Chriſtus in parabola illa Matth. 18, Dei in hoc negotio benignitatem tanto clarius ante oculos poſiturus, regem introduxit ſervo ſuo debita remittentem; licet non qua rex, ſed qua creditor, ea remitteret: ſed beneficentiam auget, & exemplo, quod nos Dei mancipia inde capere debemus, pondus addit, quod is remiſerit, cui debitum exigere, & quidvis in nos ſtatuere, eſſet promtiſſimum. Adde quod majus eſt delictorum noſtrorum pondus, ob majeſtatem offenſi, & offendentium vilitatem. Non debuit autem Grotius, cum Socini ſententiam de ſchesi, quam Deo in verbis citatis tribuat, referens, eam ita mutilare, & alteram ejus partem, eamque potiſſimam, quæ eſt, quod Deus ſit pars offenſa, & ſic de ſuo tantum jure agat, omittere, atque, ut infra facit, duas ejus σχέσεως partes à ſe mutuo penitus divellere, & alteram alteri opponere. Deum enim ut partem offenſam, & ſic jus in pœna habentem, non ut principem tantum, conſiderandum eſſe, tum in verbis præcedentibus aperte ſignificarat Socinus, tum in iis ipſis, quæ adduximus, repetiit, cum dixit, Deum eſſe conſiderandum ut principem, *de cujus ipſius tantum jure agatur.* Jus autem Dei ſolius hic agitur eatenus, quatenus ipſe ſolus partis offenſæ rationem habet. Quare duo hæc ad ſchesin, quam in hoc negotio Deus ſuſtineat, ex Socini mente concurrunt: prius eſt, quod is ſit pars offenſa, atque ob eam cauſſam jus ad pœnam repetendam habeat, & quidem ſolus, cum ſolus ſit offenſus: poſterius eſt, quod nulli ſit poteſtati ſubjectus. Itaque eum opponit judici, non tantum ſub lege conſtituto, ſed etiam de alieno jure agenti, hoc eſt, alienam cauſſam, non ſuam diſceptanti. Priorem reſpectum removet Principis appellatione; poſteriorem vero eo, dum ait, de ipſius tantum jure agi, utrumque aliquo modo appellatione domini, quam primo loco collocarat.

Addit Grotius Partic. 17: *Nec aliud ſignificavit Jacobus, cum dixit, unum eſſe Legiſlatorem, qui poſſit ſervare & perdere*, Jac. 4. 12.

Quia Jacobo hoc loco *ſervare & perdere*, non eſt vel ſalutem reipſa in aliquem conferre, vel puniendi ac perdendi actum exercere: ſed, quinam ſalute donandus, aut contra perdendus, pro arbitrio decernere ac definire; ideo etiam non eam in Deo expreſſit ſchesin, ſecundum quam ei prius iſtud conveniat, ſed ſecundum quam poſterius. Indicat id non tantum vox legiſlatoris, cujus, qua talis, non eſt, pœnam reipſa infligere, ſed eam Lege ſancire ac definire, & quinam ea dignus ſit, ſtatuere: verum etiam ſcopus Jacobi, qui eſt oſtendere, eos, qui aliis obtrectent, eoſque judicent ac damnent, ſeu pœna atque interitu dignos pro libitu pronuncient, id ſibi ſumere, quod ſolius Dei ſit proprium. At cum illi tantum arbitrium de pœna decernendi, aut ſententiam de ea ferendi ſibi ſumant, non vero pœnarum ipſarum inflictionem ſibi arrogent; non eam Dei ſchesin debuit exprimere, ſecundum quam hoc poſterius illi competit, ſed eam, ſecundum quam prius. Idem ſtatuendum eſt, etiamſi cum vetuſtis quibuſdam exemplaribus Græcis, ut notavit Beza, Syriaca item & Latina interpretatione legas: *unus eſt legiſlator & judex, qui poſſit ſervare & perdere*; quod non male videtur congruere, tum ob ea, quæ de judicandi damnandique licentia præceſſerunt, tum ob id, quod ſtatim ſequitur: *Tu quis es, qui judicas alterum?* Nihilominus enim de ſententiæ tantum damnatoriæ latione, non vero de pœnarum inflictione, quæ judici alias convenit, ſermo eſſet. Eſt enim tum legiſlatoris tum judicis pœnam definire, & de ea pronunciare: illius quidem generatim in primis & abſolute, nulla facta mentione certæ alicujus perſonæ, quæ pœna ſit digna; hujus vero ſpeciatim, ac de certa aliqua perſona, quæ deliquerit. Quamquam etiam Legiſlator hoc poſterius veluti conſequenter facere cenſendus eſt. Qui enim certum aliquod delinquentium genus damnat, ac puniendum ſtatuit, is, ſimul ac quiſpiam contra Legem latam deliquit, eum pœna dignum ſententia ſua pronunciat. Verum etiamſi Deo, ut judici, ipſarum pœnarum inflictio hic tribueretur, id tamen ſententiam Grotii nequaquam confirmaret. Quandoquidem oſtendimus; judicare primo non eſſe rectoris, ſed ejus qui ſui plane ſit juris, ac nulli ſuperiori ſubjectus, quatenus quidem de ejus jure agitur. Alia, quæ adhuc de loco iſto dici poſſent, mittimus.

Poſtquam porro Grotius Partic. 8, tum ratione, tum auctoritatibus docuiſſet, Deum hic non eſſe ſpectandum ut judicem ſub Lege conſtitutum, quod idem Socinum voluiſſe paulo ante vidimus; ſubjicit: *At Socinus, quamquam loco ſupra citato Deum ut ſummum principem ſtatuit, paſſim tamen in omni hoc actu longe aliam ipſi σχέσιν tribuit, nimirum, partis offenſæ. Vult autem partem omnem offenſam eſſe pœnæ creditorem: atque in ea tale habere jus, quale alii creditores in rebus ſibi debitis, quod jus ſæpe etiam dominii voce appellat: ideoque ſæpiſſime repetit, Deum hic ſpectandum ut partem offenſam, ut creditorem, ut dominum, tria hæc ponens tanquam tantundem valentia. Hic error Socini cum per totam ipſius tractationem latiſſime diffuſus ſit, & dici ferme poſſit in hac materia eſſe ipſius τὸ πρῶτον ψεῦδος accurate refelli debet.*

Hic jam aperte patet Grotii in Socini ſententia explicanda error. Duas enim illius σχέσεως, quam in hoc negotio Deus ſuſtineat, partes, quas Socinus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conjunxerat, divellit, & inter ſe opponit, tanquam ſcheſes duas diverſas, non tanquam unius partes. Neque vero quemquam movere debet, quod Socinus interdum, nulla facta mentione ejus, quod Deus nulli prorſus poteſtati ſit ſubjectus, offenſas tantum ipſius commemoret, & eum creditori, qui debita ſua remittat, comparet. Nam nec uſpiam revera propoſitum Socino fuit, illam ſcheſin, ſecundum quam ei tum puniendi tum remittendi actus conveniat, accurate ac ſubtiliter definire: ſed tantum probare, Deum jure potuiſſe, aut etiam voluiſſe abſque ſatiſfactione peccata nobis remittere; vel ad aliorum objectiones reſpondere. Quod ſi hac occaſione ſcheſin Dei in hoc negotio attigit, id ex eventu quodammodo factum eſt, nec ea in parte requirenda ab ipſo eſt ἀκρίβεια iſta, quæ deſiderari fortaſſe poſſet, ſi id ei vere fuiſſet propoſitum. Nam dum argumentamur, aut ad argumenta reſpondemus, vim rationum tantum expendimus, multa interim, quæ ad naturam rerum ipſarum accuratius explicandam pertinent, omittentes; vel quia ad vim argumentationum aut reſponſionum nihil pertinent; vel quia aliunde nota, quemadmodum id eſt, quod à Socino crebrius omitti diximus; vel quia jam antea dicta. Quod ſi vero ullus eſt locus, in quo Socinus ſcheſin iſtam voluit exprimere, is eſt, quem nos antea ex ipſo adduximus, & ex quo nobis Grotius mutilam Socini ea de re ſententiam attulit, qui quidem eſt in ipſo diſputationis illius, in qua ſuam ſententiam Socinus probare inſtituit, limine; ubi ſi quid explicatum eſt, quod ad totius diſputationis ſummam pertineat, id, etiamſi poſtea non repetatur, tamen tanquam jam dictum tacite ponendum eſt, præſertim ibi, ubi expreſſe repetere nihil eſt opus, adeoque omiſſio illa, pro tacita negatione habenda non eſt. Cum ergo iſto in loco duas ejus ſcheſeos, quam Deus in hoc negotio ſuſtineat, partes, à Socino videamus conſtitutas; nullam errandi cauſſam habuit Grotius, qui eas à ſe invicem diſjunxit. Quod ſi ſententiam Socini vel non percepit, vel male retulit, quomodo eam recte aut accurate, ut ſe facturum non obſcure profitetur, refellere potuit?

Quod vero Socinus velit, partem omnem offenſam eſſe pœnæ creditorem: quamquam ubi id expreſſe dixerit, deprehendere non licuit, quemadmodum nec illud, quod jus hoc dominii voce ſæpe, ut Grotius ait, appellaret, quod fortaſſe nuſpiam fecit aperte: admitti tamen poteſt utrumque prius quidem, ſi jus naturale ſpectes, quod non ſervis, ſed liberis revera competit, qui ſoli etiam pro parte læſa habentur: ſervi eatenus tantum, quatenus libertatis quodammodo videntur participes: poſterius vero, quatenus jus crediti ſub jure dominii continetur. Itaque eatenus etiam tantummodo concedimus, Socinum iſta tria, partem offenſam, creditorem, dominum, ponere tanquam tantundem valentia, quatenus jus, quod pars offenſa habet in pœna, ſub jure crediti continetur, tanquam ſub genere proximo; hoc iterum ſub jure dominii laxius ſumti: ita ut iſtorum trium, quod ad negotium noſtrum attinet, eadem ſit ratio. Alioqui enim nec tantundem valent, nec tantundem valere à Socino dicuntur; & tertium illud, quod raro etiam ab eo uſurpatur, non tam ad pœnam ipſam, cujus Deus ſit Dominus, quam ad nos, qui Dei ſervi ſimus, ab eo refertur; licet illud ex hoc poſteriori, interveniente hominis delicto, conſequatur. Satius fuiſſet vel ipſius Socini verbis ſententiam ejus explicare, vel, ſi ſuis maluit uti Grotius, ita id præſtare, ne lector occaſionem inde haberet, falſam de Socini mente ſententiam concipiendi. Neque vero id, quod Socinum ſtatuere diximus, ipſius eſt in hac materia τὸ πρῶτον ψεῦδος *primum falſum*, ſed, ut ſupra monuimus contrarium Grotii.

Ut autem Socini ſententiam refellat Grotius Partic. 9, tres ponit aſſertiones, & eas confirmare nititur. Prima eſt: *Punire non eſt actus competens parti offenſæ qua talis eſt.*

Imo vero, ſi pars offenſa ſit plane libera, jure naturali hic actus ei primo competit, reliquis non niſi propter illam. Unde natura læſis, qua tales ſunt, puniendi cupiditatem, quæ ira eſt, inſeruit. Patebit id clarius, ubi docuerimus, partem offenſam naturaliter eſſe pœnæ creditorem. Nam creditori primo ac per ſe competit exigere debitum: rectori, aut cuicunque alii, propter illum. Quare eodem modo jus pœnam exigendi primo parti offenſæ convenit, rectori vero propter illam.

Sed probat ſententiam ſuam Grotius Partic. 10: *quia*, inquit, *alioqui oporteret omni parti offenſæ competere per ſe jus puniendi.* Recte, ſi pars offenſa ſit plane libera, & nullius poteſtati ſubjecta. Nam hanc conditionem ſemper addimus, aut additam intelligimus.

Atqui, ait Grotius Partic. 11, *falſum id eſſe ex eo apparere, quod punire probaverit actum eſſe τῆς ὑπεροχῆς: ipſo etiam Socino fatente, cum Deum hic ſpectandum dicat ut Principem.*

Sed nos id, quod aſſerit Grotius, in eum ſenſum acceptum, quem ipſius ſententia poſtulat, falſum eſſe docuimus, docuimus etiam, id non fateri Socinum: cum is non ſimpliciter dicat, Deum hic ſpectandum eſſe ut Principem; ſed addat, de cujus ſolius jure agatur. Quapropter concidit jam Grotii argumentum, quod inde ait firmiſſimum naſci: *Si punit Deus & pœnam tollit ut Princeps, non ergo ut pars offenſa. Non poſſe enim duobus diverſis tribui qua talibus:* quandoquidem antecedens hujus argumenti non ſimpliciter conceſſum eſt, nec concedi debet, ſed addito eo, *quod is de jure ſuo tantum agat, id quod faciat ut pars offenſa*; quo addito, non tantum non conſequitur ex antecedente concluſio, ſed ejus vi prorſus evertitur. Non poteſt quidem duobus diverſis idem tribui qua talibus, ſi utrumque eorum, vel etiam alterutrum ſeparatim ſumtum, pro proprio & adæquato ſubjecto rei, de qua agitur, aut ſcheſi, ſecundum quam res aliqua ſubjecto competat, ſumatur: ſed duo diverſa, tanquam partes, ad unam aliquam ſcheſin conſtituendam, atque ad proprium & adæquatum rei ſubjectum determinandum concurre, & ſic illis qua talibus quippiam tribui, nihil prohibet. Nihil etiam prohibet, diverſis ſubjectis qua talibus eandem rem tribui, ſed ſibi invicem quodammodo ſubordinatis, ita ut alteri primo res conveniat, alteri ſecundario & propter illud. Utrumque aliquo modo in noſtro negotio contingit. Nam duæ ſunt ſcheſeos illius, quam Deo in hoc negotio tribuimus, partes,

nempe eſſe offenſum, & prorſus eſſe liberum: ſubjectum etiam, cui pœnæ exigendæ jus conveniat, duplex quodammodo eſt, pars læſa & rector; ſed illi primo id competit, huic ſecundario & propter illam. Socinum autem Principis appellatione, cum Deum dixit hic ſpectandum ut Principem, de cujus ſolius jure agatur, habita ratione ſententiæ ſuæ de poteſtate, quam is vel ad pœnam infligendam, vel ad eam remittendam habeat, nil revera intellexiſſe aliud, quam eum eſſe plane liberum, & nullius prorſus poteſtati ſubjectum, non vero eum eſſe rectorem, ſuperius jam explicuimus.

Bene autem eſt, quod fatetur Grotius Partic. 12, Deum recte dici partem offenſam: punire aut impunitum dimittere, ei tribui qua pars offenſa, tum ſuperius docuimus, tum in ſequentibus docebimus.

Quod ad Lactantii dictum attinet Partic. 13: *Surgimus ad vindictam non quia læſi ſumus, ſed ut diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc eſt ira juſta, quæ ſicut in homine neceſſaria eſt, ſic utique in Deo, à quo ad hominem pervenit exemplum*; id ſi quidem de jure accipiatur, ut hic eſt neceſſe, (nam ſi de eo ſumere velis, quod fieri tantummodo ſoleat, nec ad rem quicquam faciet, & ab ipſa experientia nimis manifeſte refutabitur) & de jure quidem ejuſmodi, quo puniens naturaliter ita obſtringatur, ut ei aliter facere non liceat; id non niſi de rectoribus, quatenus de alieno jure agunt, concedi debet. Quamquam ne ſic quidem finis pœnæ ſatis recte eſt conſtitutus. At hoc modo acceptum nil juvat Grotium, niſi id ipſum pro conceſſo ſumat, quod in controverſia verſatur, nempe rectores, aut alios, non poſſe jure quempiam punire ideo quia læſi ſint. Id vero falſum eſſe vel inde patet, quod heri ſervos ſuos ideo punire jure poſſunt, quia in ipſorum utilitates peccarint, & Deus nos, quia obedientiam ipſi tanquam domino noſtro debitam non præſtiterimus: quod dum facit, diſciplinam ſimul fere ſancit, mores corrigit, licentiam comprimit. Nihil enim prohibet, utrumque ſimul facere, hoc eſt, ad vindictam ſurgere tum quia læſus ſit, tum eum in finem, ut diſciplina ſervetur, mores corrigantur, licentia comprimatur: præſertim ſi eo potiſſimum ſis offenſus, quia diſciplina ſit ſoluta, & licentiæ aperta feneſtra, atque ad tuam, quam quæris, utilitatem plurimum pertineat, diſciplinam ſervari, mores corrigi, & licentiam comprimi; quod in heris ſæpe accidit, & parentibus; inprimis autem in Deo. Quamquam utilitatis, qua uſi ſumus, vox ad ipſum relata, latius eſt extendenda, ita ut etiam gloriam & honorem, qui à creaturis in illum redundat, complectatur. Id autem quod aſſerimus, docuit etiam Seneca, quem aliquoties in hoc libro teſtem laudat Grotius. Is enim lib. 1 de clementia cap. 20, ait: *Duabus de cauſis punire princeps ſolet, ſi aut ſe vindicat, aut alium.* Loquitur de pœnis juſtis ac legitimis, ut cuivis locum inſpicienti patebit. Diſcrimen autem ſatis manifeſtum inter utrumque pœnarum genus conſtituit, dum prius illud dolori deberi, poſterius exemplo: illud principis ipſius eſſe, hoc alienum, docet. Unde principem læſum de pœna remittentem liberali comparat, qui quod alteri donat ſibi detrahit: plane ut Sac. Literæ, & eas ſequutus Socinus, Deum in hoc negotio conſiderant: cum vero in alienis injuriis facilis eſt princeps, ei ſimilem eſſe non obſcure oſtendit, qui de alieno liberalis eſt. Itaque priori pœnarum generi eos aſſignat fines, (a) qui ad læſum proprie ſpectent, ſolatium, & in poſterum ſecuriatem: poſteriori demum eos, qui non ad principem ipſum, qui puniat, ſed alios pertineant: (b) qui quidem ſunt iſta: *aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut cæteros meliores reddat: aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant*: quos fines poſſis referre ad eum, quem Lactantius in ſuis verbis expreſſit: quamquam eorum ultimum læſi ſuo ſibi jure queunt vindicare; unde ſecuritatem alterum ultionis finem conſtituit Seneca, tanquam ad eum, qui læſus eſt, proprie ſpectantem. Quod ſi peccatum, quod punitur, exemplo potiſſimum nocuit aliis, exemplum etiam, quod è pœna petitur, & quo vis exempli ſceleris ipſius tollitur, iis debetur, quibus facinus nocuit. Hic autem ſecundus finis potiſſimum ſpectat. Primus finis an, & quatenus pœnæ conveniat, infra dicetur. Neceſſario autem aliquem alium pœnæ finem, qui læſo qua læſus eſt proprie conveniat, eſſe concedendum, atque inprimis Deo ſupremo omnium rerum domino, ea ratione ſupra docuimus, quod Deo jus ſit omnes prorſus, ſi mereantur, in æternum perdere, & ultimo afficere ſupplicio; quo tempore, ubi pœna foret maxima, finis is, quem cum Lactantio conſtituit Grotius, nullum haberet locum. Non ſatis autem expendit uterque naturam iræ, dum offenſas proprias ab ira pœnaque juſta ſejunxit. Nam ira in propriis offenſis, ſi pro injuriis vere habeantur, primum oritur; in alienis eatenus, quatenus eos, qui læſi ſint, tanquam noſtros concipimus, & iis aliqua ratione favemus. Quod ſi ira in verum ac proprium feratur objectum, quod fit, cum vera eſt ea injuria, quam animo concipimus, ac præterea modum non tranſgrediatur, natura ſua injuſta non eſt, etiamſi ad effectum perducatur; tum demum fit illicita, cum is, in cujus ſumus poteſtate, prohibet, ne vel ad vindictæ decretum, quod animus ab ira ſollicitatus ferat, vel ad ipſum vindictæ effectum perveniat. At ſupremo numini eam Legem nemo ferre poteſt, & niſi ipſius decretum aliquod obſtet, ob offenſas ſuas jure iraſci & ad eas vindicandas ſurgere poteſt. Deo autem hac in re ii ſunt ſimiles, qui præter Deum ſubſunt nemini, ſi à Deo præceptum de offenſis ſuis condonandis non acceperint.

Partic. 14. Quod poſſit quis in ſua etiam cauſſa eſſe judex, nec juris naturalis, ſed poſitivi, adeoque nec univerſalis ſit ea regula, qua nemo in ſua cauſſa idoneus dicitur eſſe judex; id pro nobis facere ſupra docuimus, ubi oſtendimus, id ad eos omnes eſſe extendendum, qui nullius alterius poteſtati ſunt ſubjecti, etiamſi rectores non ſint, aut non conſiderentur ut rectores. Eatenus enim, quatenus nullius poteſtati ſunt ſubjecti, Lex poſitiva illis ferri non poteſt, qua illis jus in cauſſa ſua judicandi adimatur. Quare jus, quod naturaliter eam ad rem habent, retinent, niſi eo ſponte ſuo cedant.

Concluſionem Grotii quam ex ſuperioribus deducit Partic. 15, nempe, quod *puniant aut impunita dimittant crimina Principes etiam læſi, non tamen qua*

(a) cap. 21. (b) cap. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

læſi; ſubverſis ſuperioribus, ſponte ſua concidere eſt neceſſe. Oſtenſum enim eſt, eos, etiam qua læſi ſunt, id facere; imo eatenus potiſſimum impunita dimittere poſſe crimina, quatenus ipſi ſunt læſi, & ſic ipſorum jus in pœna agitur: cæteroqui de alieno liberales eſſe, ex ſententia Senecæ videri. Quod ſi tamen alienas injurias juſte remittunt, lege aliqua poſitiva aut conſenſu civium id ipſis jus acquiſitum eſſe oportet: quo tempore de ſuo remittunt. Quamquam quia tunc quoque minus ſibi videntur detrahere, quam cum ipſimet ſunt læſi, eos etiam tunc parciores eſſe decet in pœna condonanda.

Ad rationem, quam ſubjicit Grotius Partic 16, vel potius ex ſuperioribus repetit, *quia ſi id facerent ut læſi, jam & aliis læſis idem eſſet juris, qui tamen lædentem nec punire poſſint; nec impunitum præſtare*; ex ſuperioribus etiam petenda eſt reſponſio. Faciunt enim id principes non ſimpliciter qua læſi ſunt, ſed etiam qua nulli ſuperiori poteſtati ſubjecti, & Lege aliqua poſitiva non obſtricti. Itaque ſi alii quoque læſi ponantur hujuſmodi, idem illis jus conveniet. At qui alienæ poteſtati ſunt ſubjecti, ideo punire lædentem non poſſunt, quia jus illud, quod naturaliter habuerunt, aut habituri fuiſſent, ſi rectori non ſubeſſent, in rectorem tranſlatum eſt. Quamquam in liberioribus rebuſpub. ubi læſæ parti tantum conceditur juris in pœna, quantum creditori in eo debito, quod à debitore vi ſit repetendum, quod quidem per magiſtratum fieri ſolet, etiam ii, qui privatim ſunt læſi, pro ſua parte, ſeu quantum ipſorum in pœna intereſt, nocentem poſſunt præſtare impunitum. Quod ſi eum penitus impunitum præſtare nequeant, id fit ideo, quia non ipſi ſoli fuerant læſi, & ſic pœnæ creditores, ſed ſimul etiam alius quiſpiam, ſive Deus, ſive reſpublica, cujus intereſt nocentem puniri. Rectores autem & magiſtratus Dei quidem in maleficiis puniendis miniſtri ſunt, ſtatus autem publici tutores, iiſque officii ratione incumbit, jus illius perſequi, & ei tribuere. Unde punire, juſtitiæ illius, quæ in *ἀνταποδόσει retributione* cernatur, effectum in rectoribus eſſe, infra docebit Grotius; quod idem non obſcure fecit capite præcedenti, ubi de priori ſatiſfactionis fine, quem juſtitiæ divinæ demonſtrationem eſſe voluit, egit. Juſtitia vero illa jus ſuum tribuit alteri, & id quod ei debet perſolvit.

Illa etiam Grotii Partic. 17 ratio: *ſi punire aut impunitum dimittere Principibus qua læſis competeret, jam jus illis non eſſet puniendi crimina, in quibus læſi non ſunt*; tum demum foret firma, ſi principibus eatenus tantum, quatenus læſi ſunt, id jus competere diceremus. At nos iis, etiam qua rectores ſunt, & juris alieni perſequutionem in ſe ſuſcipiunt, id jus convenire arbitramur. Quamquam illis eatenus puniendi tantum jus eſt, non vero abſolvendi, niſi pars læſa conſentiat, aut lege aliqua poſitiva, vel conſuetudine, quæ pro lege ſit, factum fuerit, ut rectoribus jus ejuſmodi alienis injuriis acquireretur.

Quod autem excipit Grotius Partic. 18: *ac ne quis exiſtimet ideo à principe maleficos puniri, quod Reipublicæ noceant, cujus ipſe præſes eſt: videmus ſubditos etiam qui extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquerunt, recte & cum laude puniri*; id etiam vim haberet aliquam, ſi affirmaremus, Principem catenus tantum punire, quatenus vel ipſe privatim eſt læſus, vel ii, quibus ipſe præſidet, ſive univerſi ſimul, ſive ſinguli ſeorſim. At rector cujuſvis læſi cauſſam poteſt ſuſcipere, & partim quidem Dei offenſas, quatenus id ipſi vel aperte mandatum, vel tacite ſaltem permiſſum eſt, vindicare; partim etiam ſuas & ſuorum; partim denique alienas, hoc eſt, ſive rectoris, ſive reipubl. alterius, ſive denique alicujus privati, præſertim opem ejus implorantis. Tanto autem majorem ex ea re laudem conſequitur, quanto minus ad id faciendum videbatur obſtrictus, aut minor ejus rei apparebat neceſſitas: quod in alienorum injuriis ſæpe videtur contingere, quamquam non ſemper. Nonnunquam enim alienas injurias & alibi patratas, vel æque, vel etiam magis neceſſe eſt vindicare, quam ſuas aut ſuorum; ut cum pactorum fœderumque ratione Rectores ad alienas injurias ulciſcendas obligantur, aut verendus eſt ſeverior pœnæ non exactæ vindex. Neque vero illud prorſus concedendum eſt, quod hic Grotius tacite pro conceſſo ſumit, rempubl. eam, cui Princeps præeſt, non lædi, cum ſubditus ipſius extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquit. Nam ob privatorum etiam injurias inter ſe committi Principes aut reſpubl. poſſunt, ſuntque magnorum motuum parva ſæpe initia: cum, ut vulgo etiam notum eſt, principia mole ſoleant eſſe parva, virtute maxima; adeo ut hoc pacto nihil ſit parvum, nihil contemnendum. Deinde extranei irritati hujuſmodi injuria facile adduci poſſunt, ut quippiam ſimile, in quemcunque alium ejuſdem Reipublicæ civem deſignent, & injuria aut contumelia eum afficiant: cujus rei exempla præbet ipſa experientia. Adde, quod verendum ſit, ne ſubditi, quod in alienos ſunt auſi, in ſuos deinde eadem licentia committant, præſertim ſi rector, cui ea de re conſtitiſſe appareat, impune facinus iſtud tulerit. Magnum ad facinora incitamentum eſt, ſemel grande aliquid auſum eſſe, idque impune.

Quid de concluſione Grotii Partic. 19 ſentiendum ſit, ex dictis conſtare poteſt. Ea vero eſt: *manifeſte apparere jus puniendi, non competere læſo, cum nec poſita læſione ſtatim ponatur, nec remota removeatur: contra vero ſuperiori, ut ſuperiori idem jus competere. Nam ſimul atque ὑπεροχὴν ponas, & jus puniendi te ponere: eaque remota removere.* Etenim ſi pars læſa alienæ poteſtati non ſit ſubjecta, ei jus hoc competit, & læſione in hujuſmodi ſubjecto poſita, jus quoque illud ſtatim ponitur, remota removetur eatenus, quatenus is, à quo removetur, jus iſtud non habet primo; quo pacto etiam credito remoto, removetur jus exigendi debitum, poſito ponitur. Poſita ὑπεροχῇ ſeu poteſtate ſuperiore ac regimine, ponitur quidem jus puniendi, ſed non primo, verum propter læſum; aut per accidens, quatenus is, qui rector eſt, ſimul etiam eſt læſus. Quapropter multo minus concedendum eſt, remota ὑπεροχῇ, removeri jus puniendi, niſi forte per accidens: quatenus nimirum præter rectores nemo exſtat, qui nullius ſit poteſtati ſubjectus, & ſic jus, quod ei natura dedit ad pœnam infligendam, retineat; quemadmodum ſupra de jure ſeu poteſtate judicandi diximus.

Etſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Etſi autem per ea, quæ hactenus diſſeruimus, ſatis ſit reſponſum ad ea, quibus probare conatus eſt Grotius, jus puniendi primo ac per ſe competere rectori, qua rector eſt, non vero, ut nos cenſemus, parti offenſæ liberæ, & nullius poteſtati ſubjectæ: tamen ut omnis tollatur dubitatio, oſtendemus, qua de cauſa factum fuerit, ut jus puniendi, quod læſis primo competebat, in rectores transferretur eos, qui læſi non ſunt, (nam de iis, qui inferiorum delictis aut injuriis ipſimet injuria afficiuntur, quales ſunt, paterfamilias reſpectu familiæ, Deus reſpectu omnium, nil attinet dicere) privatis autem fere adimeretur. Hæc enim res præter eam, quam ſuperius explicuimus, cauſam, in errorem videtur impuliſſe Grotium. Inde enim natum eſt id, quod modo aſſeruit, quoque potiſſimum nititur, poſita ὑπεροχῇ poni jus puniendi, remota removeri. Partim quod rectores etiam tum, cum ipſi læſi non ſunt, puniant, idque faciant officii ratione, ſeu qua rectores; partim quia nemo appareat, cui jus illud primo competere videatur, quin idem ſimul ſit rector. Nam ſi quis ſit præter rectores, eum vel nulli alii rectori ſubeſſe oporteret, vel alicui. Prius contingere non poſſe videtur, quia ut ſuperius explicuimus, hujuſmodi hominem extra communitatem aliquam vivere oporteret; qualis vel nullus eſt, vel ejus ratio non habetur. Poſterius itidem vix videtur admittendum: quia cum privatis ordinarie poteſtas puniendi non ſoleat permitti, ſi quidem aliquando jure puniant, aliena conceſſione tantum, quæ interdum in legibus eſt expreſſa, id facere videntur. Etiamſi autem rectores ſummi etiam qua læſi ſunt, & ſimul nullius poteſtati ſubjecti, puniant: tamen eatenus tantum id eos facere, aut jure facere poſſe, non facile animadvertitur; partim quia iidem, ut & cæteri rectores, tunc quoque punire ſolent, cum læſi non ſunt, quod quidem faciunt ut rectores; partim quod cæteris læſis id non videamus permitti. Idem in debitis etiam exigendis contingeret, ſi privatorum nemini actus iſte permitteretur ordinarie, ſed rectorem adire ſemper, caſibus tantum quibuſdam exceptis, foret neceſſe. Nam tum etiamſi magiſtratus debitum ſuum exigeret primo qua creditor: tamen quia aliis creditoribus id permitti non ſoleret, contra vero magiſtratibus, qua tales ſunt, id competeret, poſſet quis arbitrari, jus exigendi debitum primo ac per ſe competere magiſtratibus, qua tales ſunt, cæteris non niſi aliena conceſſione. Cur vero idem prorſus non fiat in debitis, quod in pœnis, ex cauſſis iis apparebit, ob quas jus puniendi fuerit in rectores tranſlatum: quæ cauſæ quatenus debitis ac pœnis ſunt communes, idem utrobique fieri videmus, quatenus pœnis propriæ, diverſum. Partim ergo concurſus duarum ſcheſeon in eodem ſubjecto, ſecundum quas ei jus puniendi conveniat, partim tranſlatio quædam juris à læſis ad rectores, ejus, quod in errorem egit Grotium, cauſa eſt. Quod vero ad cauſas iſtius tranſlationis attinet, ne illud ſolum nunc urgeamus, quod id Dei, ſupremi rerum arbitri, voluntate factum fuerit, ſed hujus quoque voluntatis cauſas manifeſtas afferamus, ob quas homines ipſi, nulla habita ratione divini iſtius conſilii, id conſtituerint: prima hæc eſſe videtur, quod ii qui privatim ſunt læſi, non facile videantur modum in pœna legitimum ſervaturi, ira & dolore ob acceptam injuriam ſtimulante. Ob hanc enim cauſam idonei hac in re judices eſſe non cenſentur: cum tamen ei, cui puniendi poteſtas permittitur, etiam judicandi videatur relinquenda. Si quidem puniendi jus ac poteſtas, non in eo conſiſtit, ut ipſe manum admoliaris, quod ne magiſtratus quidem facere ſolet: ſed in eo, ut ſententiam ferre, & eam exſequutioni mandare queas. Etſi vero idem in rectoribus quoque ſit metuendum: tamen inferiores magiſtratus ac rectores à ſuperioribus coërceri poſſunt: ſupremis Legem hanc imponere nemo poteſt Deut. 10. 17. Pſal. 50. 1. 1 Tim. 6. 15. Pſalm. 82. 1. Quamquam cum unus tantum ſimpliciter ſit ſupremus, qui eam ob cauſam Deus deorum, Rex regum, ac Dominus dominantium dicitur, is omnium cauſas ad ſe revocat, & ipſos judices judicat, ipſe ſolus ἀνυπεύθυνος *judicio alieno non ſubjectus*, in quo nullus poteſtatis metuendus eſt abuſus. Adde quod revocato ad pauciores imperio eo, quod in terris ſummum eſt, minus crebro contingit, ut quis in ſua cauſa ita ſedeat judex, ut non reſtet ſuperius inter homines tribunal, itaque injuriæ ſuæ ſit ultor, ut potentior ei non ſit metuendus vindex. Quod ad patreſſamilias attinet, quorum major eſt numerus, licet eorum poteſtas in certis rebus ſit ſumma, non tamen eſt ſimpliciter in terris ſumma, poteſtque Legibus publicis coërceri, & certa ex parte etiam ſolet, ne in vindicta modum ſuperet: præterquam quod ipſa natura videatur ei modum ponere, cum ii, qui patrifamilias ſubſunt, ei adhæreant, vel ut corpus capiti, vel ut partes quædam corpori, vel ut inſtrumenta & κτήματα *res quæ poſſidentur* domino: ut in eos gravius animadvertere nequeat, quin ſeipſum lædere videatur, à qua re natura nos ſolet avocare. Altera cauſa eſt, quod, ut Grotius ſupra dixit, pœna ſit in coactione ultimum, nec quiſquam facile, niſi vis intentetur, eam velit ſubire. At non omnes, qui in communitate, ſeu Republica vivunt aliqua, vires ad cogendum ſufficientes habent, nec iis, qui habent, protinus utile eſt permittere, ut alios cogant, atque adeo puniant. Potentiores quidem cives injurias ſuas vindicare in imbecilliores facilius poſſent: ſed imbecilliores vel non poſſent, vel non niſi per inſidias, aut tumultum. At neutrum iſtorum in Republ. aut quavis alia Societate, utile eſt. Illud, quia omnibus jus æquum eſſe debeat, & ideo ſub magiſtratus ac rectoris alicujus patrocinium, etiam cum aliqua libertatis ſuæ diminutione confugere ſoleant homines, ne à potentioribus opprimantur: hoc, quia latam ad varia maleficia viam aperit, & vix quicquam eſt ad tranquillitatem communem, ſecuritatemque omnium convellendam aptius. Hinc Leges pronunciant: * non eſſe ſingulis concedendum, quod per magiſtratum fieri poſſit, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. Denique hæc quoque ejus rei cauſa eſt, quod privatorum etiam injuriæ, præſertim graviores, Reipub. nocere queant: unde ipſius quoque intereſt nocentes puniri. Nam in privatorum quoque injuriis, Legum, quibus ſalus civitatis continetur, labefactatur auctoritas, licentiæ aperitur feneſtra, atque in uno ſecuritas fere tentatur

* D. de reg. jur. l. 176.

omni-

omnium, & ſæpe ad pacem ac tranquillitatem publicam turbandam fit aditus. Taceo, quod, cum homines illi læduntur, qui Reipubl. ſunt vehementer utiles, & ex quibus ſalus multorum pendet, ſæpe grave vulnus accipiat Reſpub. Quod ſi etiam corpora liberorum hominum, non eorum ipſorum, ſed Reipubl. eſſe cenſeantur, uſus autem tantum ipſorum privatorum, lædi ea non poſſunt, quin ſimul Reſpub. injuria cenſeatur affecta. His igitur de cauſis rectori potius, quam iis qui privatim ſunt læſi, puniendi poteſtas permittitur. Nam primum Rectorum judicium in cauſa aliena poteſt eſſe ſincerius, & pœna moderatior: cum ira minus fere ſoleat in alienis efferveſcere injuriis, quam in propriis. Si quæ tamen etiam ob ſubditorum injurias oritur in rectore ira, quia eos cogitet eſſe ſuos, non alienos, & eo pacto injuriam ad ſe pertinere cenſeat, tanquam ad ipſorum patronum ac vindicem, ea & rationis imperium admittere, & ad ſeveritatem quandam publice utilem prodeſſe poteſt. Quatenus enim alienam injuriam ſuam quodammodo cenſet Rector, fit, ut animadvertere velit ac cupiat, nec, ut in alienis fieri ſolet, languide nimis rem gerat: quia tamen aliena potius eſt, quam propria, fit ut moderate cupiat. Deinde quia rectores viribus & potentia ſolent & eſſe debent privatis ſuperiores, non minus potentiores quam imbecilliores ac tenuiores cogere ac punire, & ſic jus omnibus æquum adminiſtrare queunt. Denique iidem ſupplicia ad Reipub. cujus cuſtodes ſunt ac tutores, emolumentum attemperare poſſunt, & cavere, ne privatorum incuria, Reſpub. eo jure, quod in pœna habet, fraudetur. Priores duæ cauſæ ſæpe etiam efficiunt, ut debitorum repetendorum cauſa magiſtratus ſit adeundus: nempe quia aut controverſia eſt aliqua de debito: aut quia debitor ſolvere non vult, niſi vi cogatur. In pœnis autem id fere ſemper faciendum eſt, præſertim ob cauſam poſteriorem. Fere enim fit, ut malimus debita ſolvere, quam pœnas luere. Hoc enim ſemper nocere cenſetur, illud non ſemper, aut illud magis, hoc minus, cæteris paribus: ut tacem ultimum ſupplicium, quod omnium debitorum gravitatem ſuperat. Omnes vero cauſæ à nobis enumeratæ, arguunt quidem, lege poſitiva recte potuiſſe jus puniendi, ſeu actum pœnalem exercendi, privatis, quibus naturaliter ac primo competebat, generatim loquendo eripi, & in rectores transferri, non vero jus illud primo rectoribus competere. Neque vero quiſquam mirari debet, jus id, quod naturaliter alicui competat, ipſi in communitate eripi, cum jura ad utilitatem noſtram pertineant, quam augeri non minui in communitate decet. Nam ſi ratio hæc firma eſt, omnes leges poſitivæ erunt è Republ. tollendæ: ſiquidem omnis lex poſitiva vel id præcipit, ad quod faciendum is, qui natura liber eſt, non eſt obſtrictus, adeoque id jure poteſt omittere; vel prohibet id, quod natura facere licebat, & ſic quoque jus libertatemque minuit. Deinde id, quod jus puniendi habet utiliſſimum, relinqui privatim læſis ſolet. Nam ibi, ubi magiſtratus, in quem jus illud tranſlatum eſt, opem implorare licet, per eum pœnam etiam repetere licet: quod ſæpe tutius, ac minori negotio fieri poteſt: ubi vero ejus opem implorare non licet, & prius, ut ait Cicero, injuſta fuerit pœna luenda, quam juſta repetenda, leges ac magiſtratus ſe expectari non jubent, quin eatenus vindicta quadam utaris, quatenus legitimam ac neceſſariam ſuſcipere defenſionem ſine ea non potes. Quamquam enim pro vindicta vix ſolet haberi, quod inculpatæ defenſionis cauſa factum eſt; eſt tamen aliquo modo. Quia niſi quis facinus aggrediendo injuriam intuliſſe cenſeretur, eum cædere aut vulnerare non liceret. Quod autem ob injuriam illatam alteri infertur nocumenti, vindicta quædam eſt. Unde etiam ira ibi locum habet, & quidem natura ſua juſta. Itaque jus vindicandi ac puniendi iis non penitus ereptum eſt, ſed ad Reipub. utilitatem temperatum. Æquum autem eſt, ut qui communitatis alicujus commodis frui velit, libertatis illius ac juris naturalis levem faciat jacturam, ſine qua publica utilitas non poteſt conſiſtere: cum ea res in ipſius iterum ceſſura ſit commodum, & ipſe plus ex communitate ſit percepturus emolumenti, quam ex iſta re damni; idque ipſius voluntate fieri cenſendum ſit: vel quia ſponte in talem Legem conſentit; vel quia rectoris ſe permiſit poteſtati; aut ad rempubl. acceſſit eam, in qua lex ejuſmodi viget; vel denique quia in hujuſmodi communitate perſeverat. Sed hæc hactenus.

Partic. 24. Quod ad illa Sacræ Literæ loca attinet, in quibus exemplum Dei peccata remittentis nobis proponitur, ut nos quoque læſi alii peccata condonemus; qua re falſum fuiſſe Socinum ſuſpicatur Grotius; ex iis recte concludi, Deum hic ſpectandum eſſe ut partem offenſam, & ut pœnæ creditorem, inferius docebitur. Quod Deus per ſeipſum pœnam infligat, aut infligendi jus habeat, nos non habeamus, id, quod ad comparationem iſtam attinet, fere per accidens eſt. Dico *fere*; quia ubi comparatio imparium ea in re inſtituitur, iſtius etiam rei haberi potuit ratio, quod factum videtur Matth. 18. Illo enim poſito, majus exemplo accedit pondus. Nam ſi Deus nobis, quos puniendi jus ac poteſtatem habet pleniſſimam, peccata remittit, eaque graviſſima & innumera: multo magis nos fratribus noſtris, in quos ea nobis poteſtas haudquaquam competit, peccata, quæ iſtorum reſpectu & pauciſſima ſunt & leviſſima, remittere debemus. Quamquam conceſſo eo, quod iis in locis Deus ſit ſpectandus ut pœnæ creditor, facile eſt inde concludere, eum etiam jure per ſeipſum pœnam ſibi debitam poſſe repetere; cum jus illud creditori primo ac per ſe competat, quod ei, qui ſupremus eſt omnium Dominus, à nemine poteſt eripi. Nos cum Deo comparati, nec jus crediti revera habemus, cum Dei ſimus ſervi, qui id ad ſe revocat; nec, ſi haberemus, protinus id per nos ipſos perſequi poſſemus, Deo, aut aliis etiam rectoribus id ſibi jure ſuo poſtulantibus. Quid de judicio illo ſit ſentiendum, quod partim Deo, partim nobis applicatur Matth. 7. 1, 2, ex loco Jacobi ſupra à nobis examinato conſtare poteſt. Judicium ipſum ſua natura ejuſdem eſt generis, licet ex diverſis cauſis pendeat, & alterum juris ſit, alterum tantum facti. Itaque non eſt ſimpliciter dicendum, judicium alterum ab altero diſtare toto genere; ac proinde exemplum hoc ad id, quod quærit Grotius, ineptum eſt: imò, quatenus ex ſimilibus argumentari licet, contrarium ejus inde ſequitur.

Simi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Similiter enim ſtatuere licet, remittere peccata, quatenus id nobis æque ac Deo tribuitur, ſua natura ſeu intrinſecus convenire, id quod Grotius negat; extrinſecus aliquo tantum modo; cum cæteroqui diſcrepent. Siquidem uterque injurias ſuas, tanquam debita quædam ſua, condonat alteri, miſericordia impulſus. Differentia præter alias hæc eſt, quod Deus eas injurias remittat, ad quas vindicandas jus verum ac proprie dictum habebat: nos vero eas, ad quas ulciſcendas jus verum ac proprie dictum non habemus, ſed ſpeciem tantum & prætextum juris, qui tamen iram æque concitare, & ad ultionem quempiam poteſt ſtimulare, imo ſæpe magis, quam jus verum ac proprie dictum. Juris enim ſpeciem habet, naturaliter eſſe læſum; eaque res vindictæ cupiditatem interdum æque incendit, atque ſi quis non modo naturaliter, ſed etiam civiliter ſeu quocunque modo id efferre velis, ut id ad Deum quoque poſſis accommodare, ſit læſus. Eodem modo poſſis comparationem inſtituere inter herum quemvis, ſervo ac mancipio injurias ſuas condonantem, & ſervum ipſum, eam injuriam, quæ tamen non ipſius, ſed domini eſſe cenſeatur, remittentem: quorum uterque iram ſeu vindictæ cupiditatem reprimit, & miſericordia adverſus alterum utitur.

Sequitur altera Grotii Partic. 21 aſſertio, quæ quidem eſt hujuſmodi: *Naturaliter pars offenſa qua talis nullum jus habet in pœna. Hoc*, inquit, *plus aliquanto eſt quam quod prima aſſertio collegerat. Ibi enim negavimus actum ipſum puniendi competere parti offenſæ: hic negamus jus aliquod ipſi competere, non modo ad actum per ſe exercendum, ſed etiam ad obligandum alterum ut exerceat: hoc eſt, partem offenſam non eſſe in pœna vere creditorem. Quod tamen putat Socinus, & tanquam certiſſimum ſæpe repetit.*

Etiamſi difficile fuerit Grotio oſtendere, Socinum id, quod ipſi hic tribuit, ſæpe repetere, quod expreſſe nuſquam fortaſſe dixit: tamen id nunc concedamus. Licet autem pars offenſa pœnæ ſit creditor: fieri tamen poteſt, ut, quia poteſtati alterius ſubjecta eſt, de eo jure aliqua fuerit diminutio, ita ut ejus uſum æque liberum non habeat, atque tum fuiſſet habitura, ſi ipſamet prorſus fuiſſet libera, & ſui plane juris atque arbitrii, eaque de cauſa non poſſit rectorem, per quem pœnam repetere, ſi jus ſuum perſequi velit, ob cauſam ſuperius explicatam eſt neceſſe, penitus obligare ad eam reipſa infligendam. Tanto autem minus id poteſt, quanto minus eſt libera, quantoque propius ad ſervorum conditionem accedit, rector aut princeps contra ad domini: quod fit, quando plus eſt in imperio ac regimine libertatis. Jus enim ac libertas pari paſſu, ut ſupra diximus, ambulant; & cujus minuitur libertas, ejus etiam jus minuitur, & contra. Hinc ſupra vidimus, non ipſius ſervi, ſed domini cenſeri injurias, adeoque non ipſi ſervo, (*a*) ſed domino per ipſum jus acquiri, de quo, invito etiam ſervo, remittere pro arbitrio poteſt. Eodem fere modo per uxorem jus partis læſæ acquiritur marito, (*b*) per liberos patri; quia nec uxores, nec liberi ſub poteſtate parentum exiſtentes, ſui ſunt juris, nec caput ipſi habent, ſed maritus, aut pater. Quare ſimiliter de ſubditis ac rectoribus ſtatuendum eſt, quatenus illi cum ſervis, hi cum dominis aliquid habent commune. At ſi pars offenſa ſit plane libera, & de jure ſuo ſtatuendi arbitrium habeat liberrimum, eum, qui ſe jus ipſi redditurum profitetur, omnino poteſt obligare, ut eum, qui læſit, ac pœnam eo nomine meretur, puniat. Etſi autem initio hujus cap. oſtendimus, Deum, qua pars offenſa, habere jus ad pœnam repetendam, id quod nobis in hac diſputatione poterat ſufficere; tamen idem generatim de aliis quoque læſis docebimus in ſequentibus. Quamquam etiam ibi, ubi de Deo id probavimus, rationes quaſdam attulimus, quæ ad cæteros quoque læſos pertinent, quas, quantum opus fuerit, in ſeqq. repetemus ac confirmabimus.

Partic. 22 Grotius ut ſuam ſententiam confirmet, primo Creditoris nomen explicat, & eum ſe dicit intelligere, cui ex quavis cauſa debetur: tum jus ac debitum diſtinguit in naturale & poſitivum, & in quo utrumque conſiſtat, explicat, ac de debito poſitivo hic non agi affirmat. Quibus ſubjungit: *Natura ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem poteſt, quam æqualitas ſecundum rem, hoc eſt, ut quantum mihi per te abeſt, tantundem reddatur. Hoc uno verbo vocare licet indemnitatem aut reſtitutionem. Hinc creditorem* τὸν ἔλαττον ἔχοντα *minus habentem recte vocavit Ariſtoteles. Habet autem hoc locum tum in acceptionibus* ἑκουσίοις, *voluntariis* ſeu *ſpontaneis in tum* ἀκουσίοις, *in voluntariis* ſeu *invite factis, ut idem Ariſtoteles notat. Sicut enim reddere teneris mutuum aut depoſitum, ita & rem furto ſublatam. Et hactenus naturaliter etiam ex delicto creditores fieri poſſumus. Neque id locum habet in his duntaxat delictis, in quibus rei corporalis acceptio intercedit: ſed in aliis etiam factis alicui noxiis. Ita qui alterum vulneravit, debet & mercedes medicis & impendia ob curationem facta, & operarum inter trimentum. L. ult. D. de his qui effud. Mirati ſunt quidam quod Ariſtoteles homicidium quoque poſuerit inter* συναλλάγματα *contractus, in quibus verſatur* τὸ διορθωτικὸν δίκαιον *emendativum jus. Sed recte notavit Euſtathius, non alia id ratione fieri, quam quia uxori, liberis aut cognatis occiſi aliqua ſoleat fieri compenſatio: de qua videre eſt in l. 4. paragr. 1. ad L. Corn. Sic & is qui mendacio famam læſit alterius, veri profeſſione reſarcire debet id quod de dignitate ipſius delibavit. Ex quibus omnibus apparet id quod ex delictis naturaliter debetur diverſum eſſe à pœna. Cauſa enim naturalis iſtius debiti eſt primo & per ſe non vitioſitas actus, ſed quia mihi aliquid abeſt: nam etſi citra vitium abſit, ut in depoſito, non eo minus mihi reſtitutio debetur. Cauſa autem pœnæ eſt ipſa actus vitioſitas, non autem quod aliquid mihi abſit. Nam etiamſi nihil abſit cuiquam, recte actus punietur, ut in gravibus delictis, quæ inchoata tantum & non conſummata ſunt.*

Verum quidem eſt, natura ex alterius facto nihil mihi deberi aliud, quam æqualitatem ſecundum rem, ut quantum mihi per alterum abeſt, tantundem reddatur; ſi modo recte intelligatur, quid ſit illud, aut quam late pateat, quod mihi per alterum abeſt in iis factis, quæ pœnam merentur. Duplici enim modo id accipi poteſt: laxius, & ſtrictius. Laxius eo pacto, quo cuivis læſo aliquid cenſetur abeſſe, ei contra

qui

(*a*) Lib. 4. Inſtitut tit. 4. paragr. 3. (*b*) ib. par. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

qui læſit, aliquid acceſſiſſe. Unde quivis qui læſit, ut ipſe quoque Grotius ex Ariſtotele monet, plus, qui læſus eſt, minus, ſeu lædens lucrum, læſus damnum habere cenſetur. At tum quoque læſus quiſpiam cenſetur, & ſæpe quidem graviter, cum facinus aliquod in eum tentatum eſt, ſed irrito conatu; ut cum quis vitæ illius, aut famæ ac dignitati, aut uxoris pudicitiæ ſtruxit inſidias, * aut cum ſervi fidem corrumpere conatus eſt. Abeſt ergo illi aliquid per alterum. Strictius autem ſumitur id, quod cuipiam abeſt per alterum, cum id de eo tantum dicitur, in quem facinus non modo eſt tentatum, ſed etiam conſummatum, de eo vero, in quem facinus irrito conatu fuerat ſuſceptum, non item. Et hoc poſteriori modo verba hæc accepiſſe Grotium, ultima ejus, quæ adſcripſimus, verba docent. Quandoquidem in iis ſatis aperte aſſerit, in gravibus delictis, quæ inchoata tantum, & non conſummata ſunt, nihil abeſſe cuiquam. At ſi hoc pacto verba iſta ſumantur, falſum eſt, naturaliter ex alterius facto nihil mihi deberi aliud, quam ut quantum per ipſum abeſt, tantundem reddatur. Nam quocunque modo cuipiam abeſt per alterum, ſtatim ei debetur compenſatio jure naturali: cum jus illud, ut Grotius recte dixit, conſiſtat in ipſa rerum inter ſe adæquatione. Quare ubi per aliquem orta eſt inæqualitas, ita ut alter minus per ipſum habere cœperit, jure naturali obſtringitur is, per quem id factum fuerat, ad defectum illum compenſandum, & priſtinam æqualitatem reſtituendam. Ponantur ergo duo, quorum alteri à latrone, raptore, fure, erepti ſint mille aurei, aut id, quod pretium hoc æquat, alteri non quidem ſint erepti, ſed inchoatum tantum facinus; ſi Grotii ſententiam ſequamur, priori tantum læſo aberit aliquid, poſteriori nihil. At ſi uterque læſus eſt, utrique aliquid abeſſe cenſendum eſt, ſed inæqualiter. Nam priori deſunt mille aurei, qui alteri non deſunt: reſtituantur igitur: nihilominus ei deerit id, quod poſteriori. Quicquid autem ad hoc poſterius compenſandum fit, id, cum ad ipſius rei ſtrictius ſumtæ perſequutionem aut reſtitutionem non pertineat, pœna erit, quæ proinde à reſtitutione rei ſeu compenſatione damni ſtricte ſumti, quod hic eſt aureorum mille, diſtinguetur. Quamquam etiam in hujus reſtitutionis locum pœna nonnunquam ſuccedit, ut poſtea patebit. Eſt ergo etiam pœna compenſatio ac reſtitutio quædam, ſed latius ſumta compenſationis ac reſtitutionis voce. Nam quemadmodum id, quod alicui abeſt per alterum, duplici modo ſumitur, latius, & ſtrictius: ita etiam compenſatio, per quam id ſarcitur. Quod ſi ergo latius ſumatur compenſatio ſeu reſtitutio, pœna ſub ea, tanquam ſub genere ſuo continetur; ſi ſtrictius, ab ea, tanquam à ſpecie diverſa ejuſdem generis, diſtinguitur. Retinet autem ea potius compenſatio, quæ à pœna diſtinguitur, nomen illud, quod generi accommodatur: quia de ea magis proprie dici ſolet, de pœna minus: quemadmodum etiam id, quod alicui abeſt, magis proprie dici ſolet de eo, quod per compenſationem ſtricte ſumtam ſarcitur, quam id, quod per pœnam. Unde Grotius ea verba, vulgarem loquendi conſuetudinem ſequutus, de hoc poſteriori tantum uſurpavit. Neminem autem ea vocum improprietas, modo de re conſtet, turbare debet; quam nec Ariſtoteles, nec Grotius ipſe refugit, & vitare vix potuit, ob vocabulorum propriorum, quibus tota hæc res explicetur, inopiam. Nam ſi lucrum habere, aut habere plus, aut aliquid cuipiam acceſſiſſe, de eo etiam in hoc negotio dicitur, qui proprie loquendo nihil accepit, & nullum habet ex injuria, quam alteri intulit, lucrum; ut cum occidit quempiam, aut vulneravit, membrumve læſit aliquod, aut ædes reſve alterius incendit, aut calumniatus eſt alterum, quibus ex rebus nullum eſt lædenti lucrum, niſi forte per accidens, ſed læſo tantum damnum: cur non ſimili ratione dici queat, ei, cui proprie ac manifeſte nihil deceſſit, deceſſiſſe tamen revera aliquid, eumque minus, ſeu damnum habere, propter id ipſum, quia læſus ſit. Qua vero ratione ei deceſſit aliquid, iſque minus, ſeu damnum habere cenſetur, eadem etiam illi reſtitutionem ac compenſationem competere manifeſtum eſt. Hoc obſervato diſcrimine, quod eſt inter compenſationem ſtricte ſumtam, & eam quæ late; itemque inter illam, & pœnam; non eſt difficile reſpondere ad ea, quæ Grotius de diſcrimine pœnæ & compenſationis ſeu reſtitutionis diſſerit.

Ut ergo res tota rectius intelligatur, ponendum eſt id, quod jam à nobis aliquo modo eſt oſtenſum, & cuivis videtur eſſe manifeſtum: læſionis ſive injuriæ hanc eſſe naturam, ut per eam, qua talis eſt, aliquid abſit alteri. Lædere enim eſt damnum alicui inferre, & ſic quippiam alteri detrahere. Quapropter remotis ab injuria & læſione omnibus iis, quæ illi ſunt communia cum contractibus voluntariis, in quibus læſio nulla eſt, & relicto tantum eo, quod læſionem proprie conſtituit, ejus ipſius vi quippiam aberit alteri, quod ei ſit reſtituendum. At quod alicui abſint mille v. g. aurei, id furto aut rapinæ commune eſſe poteſt cum mutuo, commodato, depoſito, in quibus tamen per ſe nulla eſt læſio atque injuria. Quare id ipſum læſionem & injuriam proprie nondum conſtituit, & quod eo tantum nomine debetur, pœnam nondum eſſe fatemur: conſequenter aut ſecundario ejus etiam nomine pœna poteſt deberi. At quod abeſt alteri per id, quod læſionem proprie conſtituit, & in quo ratio ac forma conſiſtit injuriæ, id demum proprie per pœnam compenſari arbitramur. Si enim eo nomine debetur læſo compenſatio aliqua, ut oſtenſum eſt, vel ſtricte ſumpta compenſatio debetur, vel pœna: nihil enim per ſe ex injuria poteſt deberi aliud. At reſtitutio ſtricte ſumta eo nomine non debetur. Reſtat igitur ut pœna debeatur. Quod ſi autem læſionis nomine debetur, nemini debetur alii quam læſo.

Etſi autem philoſophis circa humana verſantibus, ac ICtis eam quæſtionem poſſemus relinquere diſceptandam, quidnam ſit illud, quod læſo præter rem ipſam ſtrictius ſumtam abſit, & quodnam ſit illius damnum, cui res ipſa, quam ereptum iverat alter, vel non fuit erepta, vel poſtmodum reſtituta; cum nobis, præſertim ad argumenta Grotii reſpondentibus, ſatis eſſe queat, ſimpliciter oſtendiſſe, ita ſe rem habere: tamen ne quis ſuſpicetur, quia id à no-

* lib. 4. Inſtitit. 4. paragr. 1.

bis non explicetur, id revera etiam non eſſe, & effugium tantum à nobis quæri, (quamvis ipſa natura ſenſuſque communis nos ab hac ſuſpicione vindicare queat, cum ſæpiſſime videamus homines injuria affectos, etiam tum, cum ſuum receperunt, aut nihil revera perdiderunt, læſos ſeſe jure conqueri, accuſare ſontes, & naturæ quodam inſtinctu pœnam expetere:) ideo, quantum inſtituti noſtri ratio fert, id explicare conabimur, accuratiorem hujus rei tractationem aliis relinquentes. Itaque cum Ariſtoteles (*a*) alicubi dicat, iram oriri ex apparente injuria, quod Ciceroniana etiam vult iræ definitio; alibi autem, ut ſupra vidimus, aſſerat, (*b*) iram ex apparente ὀλιγωρίᾳ ſeu deſpicientia, qua indignus ſit is, qui contemnitur, oriri: facile colligi poteſt, in omni injuria contemtum quendam eſſe ejus, qui illam patitur, præter ipſius dignitatem ac meritum. Ubi autem ejuſmodi contemtus eſt, ibi conveniens ac debitus alteri honor abeſt; quæ res pleriſque vehementer dolet, ideoque iram pœnæque cupiditatem ſtimulat. Sed deinde, ut propius adhuc ad injuriæ rationem accedamus, & ſimul oſtendamus, quo pacto deſpicientia & contemtus iſte in injuria cernatur, ſumenda eſt differentia, quæ eſt inter injurias & contractus alios, in quibus, licet alteri abſit quippiam, injuria tamen & læſio eſt nulla. Ea vero ab ipſo Grotio (*c*) eſt indicata ex Ariſtotele, qui contractus ex injuria ortos vocat involuntarios ſeu invite factos, cæteros autem voluntarios ſeu ſponte factos: nempe quia hi poſteriores utriuſque contrahentium fiant conſenſu ac voluntate: priores autem altera parte, nempe læſa, invita & non conſentiente. Quare cum, ut idem explicuit Philoſophus, (*d*) injuriæ natura in eo conſiſtat, quod quis ſciens prudens rem alienam ſibi ſumere, vel ea uti frui præſumat, invito eo, ad quem ea jure pertinet, & penes quem ſolum, tanquam dominum, de ea ſtatuendi eaque fruendi arbitrium eſt ac poteſtas; dicimus, eum, qui injuriam alteri quocunque modo facit, arbitrium illud de re ſtatuendi, eamve uſurpandi, ſibi facto ſuo, ſive id inchoatum ſit tantum, ſive conſummatum, ſumere, & ſic jus, quod alter in rem eam habebat, quantum in ſe erat, illi eripere, atque ad ſe pertrahere; cum quantum in ſe eſt, perinde circa eam ſe gerat, atque ſi ipſe illius eſſet dominus, & niſi impediatur, pro libitu eam accipiat, eave utatur. Hæc autem oppreſſio ac ſervitus quædam eſſe videtur; cum non niſi domino ejus ipſius, cujus eſt res aliqua, liceat eo invito rem capere, eaque uti frui, & ne id quidem quavis ratione. Itaque ſimul honor conveniens ei, qui læditur, negari aut minui videtur; quin & ſecuritas ejus attentatur: cum videatur is, qui injuriam infert, ſi ſimilis ſeſe offerat occaſio, & cauſſa peccandi ſit eadem, ſimiliter ſemper facturus; & aliis, quibus eadem, aut etiam major peccandi cauſſa, hoc facto ad idem audendum dediſſe licentiam. Unde etiam fit, ut quo magis videtur convulſa eſſe læſi ſecuritas facto, licet inchoato tantum, tanto etiam gravior eſſe cenſeatur injuria. Hæc autem omnia conſequi ſolet dolor & moleſtia quædam, aut id, quod ei proportione quadam reſpondet. Itaque cum in cæteris contractibus, in quibus noſtra voluntate quippiam nobis abeſt, ſatis ſit rem ipſam, quæ abſuit, nobis reſtitui, quæ niſi abeſſet, ne contractus quidem foret amplius: in injuriis aliter accedit, ubi, etiam cum res nunquam abſuit, aut jam eſt reſtituta, contractus tamen aliquis manet, & ſic aliquid adhuc ab altera parte jure appetitur, quod nihil eſt revera aliud quam pœna, qua jus læſo quodammodo ereptum aſſeratur, ſtabiliatur in poſterum ſecuritas, vindicetur honos, dolor denique in autorem rediens à læſo tollatur. Magnitudo autem ſeu gravitas læſionis æſtimanda eſt, primo quidem ex ipſius rei, circa quam injuria verſatur, præſtantia & utilitate, quam nos merito ex ea potuiſſemus aut poſſumus quærere ac capere; & ſic etiam ex eo, quam chara ea nobis merito fuerit, aut eſſe debuerit: tanto enim illibentius ac gravius ferimus, aut ferre jure poſſumus, quempiam alium, cui jus in eam non competat, eam nobis vel reipſa eripere, vel ereptum ire; qua in re injuriæ ac læſionis rationem conſiſtere diximus: deinde æſtimanda eſt ex aliis etiam circumſtantiis, quæ nocentem merito ab iſto facinore debuiſſent abſterrere; ut in quibuſdam perſonæ dignitas, aut conditio favore digna, locus aut tempus; in aliis alia. Qua de re jura etiam præcipiunt*. Et hæc quidem læſio aut inde natus dolor ac diſplicentia, normæ inſtar eſt, ad quam pœnæ modus eſt accommodandus, & cui æquanda eſt ſupplicii gravitas ab eo, qui jus ſuum reddit læſo. Nam quemadmodum quanto major videtur eſſe læſio, tanto major naſcitur in animo dolor atque ira, & ex hac iterum pœna, qua dolori atque iræ ſatiſfiat: ita etiam quanto major eſt læſio, non opinione tantum, ſed & reipſa, tanto major jure poteſt exiſtere in animo dolor atque ira, tantoque major ac gravior pœna, qua dolori atque iræ juſtæ ſatiſfiat: & quemadmodum dolor atque ira læſi ultra normam ſuam progredi non debet, ita nec ultra dolorem pœna: læſo autem de utraque remittere licet, quantum vult.

Quia vero injuria, ſi effectum ſuum aſſequatur, duo in ſe continet, rei abſentiam, quam Grotius intelligit, & læſionem ab ea diſtinctam, hanc quidem tanquam rationem ac formam, illam autem tanquam materiam, & ex parte etiam tanquam cauſſam hujus efficientem; ideo cum injuria, qua talis eſt, proprie ſit cauſſa efficiens ac meritoria pœnæ, id quidem, in quo forma injuriæ conſiſtit, primo pœnam meretur, eoque remoto pœna locum jure non habet: conſequenter tamen, & veluti ſecundario, etiam ipſa rei abſentia, quando ei læſionis ratio adhæret, pœnæ cauſſa eſſe poteſt, ita ut per eam nonnunquam cenſeatur damnum ſtricte ſumtum compenſari. Unde cum infligitur pœna talionis, quam Lex Moſaica, & leges Rom. veteres, ibi, ubi locum habere potuit, conſtituerunt, quamque in cæde vindicanda adhiberi ſolere, ubivis gentium videmus, nulla fit alia damni compenſatio, quæ tamen, ut ipſe Grotius infra docet, fieri ſolet, ubi pœna corporalis remittitur; cum læſo omnino debeatur aliqua compenſatio. Licet enim ibi, ubi membra hominis liberi læſa ſunt, actio ei directa non competat, cum eorum dominus non ſit; competit tamen utilis; propterea quod utilitatis membrorum ſuorum

a l. 5. Eth. 8. *b* l. 2. Rhet. 2. *c* l. 5. Eth. c. 2. *d* ibid. c. 8 & 9.

* lib 4. Inſtit. 4. par. 9.

ſit

ſit dominus. Itaque ſi privatis tum, cum pœna corporalis infligitur, à magiſtratu non fit injuria; ſiquidem nullam illis compenſationem fieri imperat; pœnam in compenſationis locum ſucceſſiſſe neceſſe eſt. Quod enim ſonti deceſſit per pœnam, id læſo, quantum cujuſque intereſt, acceſſiſſe cenſetur; ſiquidem ipſi per pœnam, quoad ejus fieri poteſt, conſulitur. Idem autem fit in illis etiam delictis, in quibus talio quidem locum non habet, ſed nec reſtitutio rei, ſive ejuſdem, ſive ſimilis fieri poteſt, aut ut fiat convenit, nec compenſatio aliqua pecuniaria ſolet admitti; quia pecunia damnum æſtimari vel non poſſit, vel non deceat id fieri: ut in adulterio & ſimilibus aliis flagitiis contingit.

Recte autem à nobis conſtitutam eſſe pœnæ cauſſam, ipſa natura arguit, quæ iram, puniendi affectum ſeu cupiditatem, non aliam ob cauſſam excitat, quam ob injuriam ſeu læſionem apparentem. Itaque tolle injuriæ cogitationem aut perſuaſionem, ſtatim ſedatur ac tollitur ira, ut præter ipſam experientiam teſtatur apertis verbis Philoſophus*: habetque ſe ira ad læſionem eodem modo, quo pœnam ſeſe habere modo diximus. Exoritur enim ira ob perſuaſionem injuriæ primo, etiamſi nihil abſit: ſed tamen ubi injuriæ ac læſionis ratio acceſſit, oritur etiam ideo, quia quippiam abſit; &, quo id nobis fuit charius, quantoque ægrius eo caremus, tanto magis, niſi vim adhibeamus affectui, & naturalem appetitus impetum reprimamus. Itaque apparens injuria, etiamſi nihil abeſſe videamus, iram provocat: at rei ipſius abſentia, niſi injuriæ accedat perſuaſio, nunquam. Hinc autem alterum nobis naſcitur argumentum, quo probatur læſo deberi pœnam, quod ſupra etiam explicuimus. Etenim ira ſolius læſionis nomine pœnam cupit ac poſtulat. Itaque niſi omnem iram natura ſua injuſtam eſſe dicas, quæ pœnam eo nomine poſtulet, quo nomine minime debeatur, & ab invito repetendam ſuadeat; neceſſe eſt ſtatuere, pœnam læſionis nomine deberi. Quod ſi hoc nomine debetur, nemo non videt, eam deberi læſo. Neque eſt, quod quiſquam objiciat, pœnam etiam ab eo infligi poſſe, qui revera non iraſcatur: quare tum ſaltem pœnam alio nomine infligi jure poſſe aut ſolere. Nam etiamſi quis reipſa non iraſcitur, cum punit, iraſci tamen jure poteſt. Ira vero juſta, ut docuimus, ſtatim docet, læſionis alicujus nomine deberi pœnam. Diverſitas autem in cauſſa pœnæ προηγουμένῃ ſeu interius impellente, non protinus parit diverſitatem in cauſſa ejuſdem procatarctica, ſeu movente exterius, nec debiti rationem mutat: cum diverſæ in homine facultates, voluntas & appetitus, ab eadem cauſſa externa moveri poſſint, vel ſimul, vel altera ſine altera: quamquam altera, ſi validior ſit, in aſſenſum ſoleat trahere alteram. Sic debitum exigere poteſt avarus ob cæcam quandam habendi cupiditatem; liberalis ob benefaciendi voluntatem: debiti ratio interea nihil mutatur. Præterea cum voluntas ſit facultas quædam appetitui analoga (eſt enim ipſa quoque appetitus quidam rationem conſequens, ut ille ſenſum) & motus utriuſque facultatis itidem ſibi invicem reſpondeant, unde ſe mutuo etiam ciere ſolent: neceſſe eſt illum voluntatis actum ſeu motum, quo pœnam appetit; analogum eſſe iræ, ac proinde, ſi non eandem, ſaltem analogam habere cauſſam, quæ ipſum proprie moveat atque excitet, analoga autem nos hic eadem voce exprimimus. Quod ſi ergo iræ cauſſa propria eſt læſio apparens, etiam illius motus voluntatis, quo ea pœnam appetit, cauſſa propria erit læſio, ſi non eadem, ſaltem illi analoga. Sed nos eandem eſſe docuimus. Neque enim læſionem ad diverſa ſubjecta, nempe ad Deum & homines, quibus non συνωνύμως, ſed per analogiam tantum ea communis ſit, referimus, ſed ad idem.

Hic iterum aliud nobis naſcitur argumentum, quo probatur, pœnam læſo deberi, ex vindictæ natura petitum. Nam cum ira æque definiri poſſit cupiditas vindictæ, atque cupiditas pœnæ; ſeu æque affectus vindicandi, atque effectus puniendi, ut eam deſcribit Grotius, &, quod ad puniendi vocem attinet, etiam Cicero; quinetiam apud Ariſtotelem, qui loco ſuperius non ſemel indicato, iram definit ὄρεξιν τιμωρίας *cupiditatem pœnæ*, aut *vindictæ*, liceat vocem τιμωρίας æquæ reddere vindictam, ac pœnam; præſertim cum idem alibi* pro τιμωρίαν ἀντιλύπησιν habeat, ſeu repoſitionem doloris, quæ vindicta eſt: ſatis apparet, pœnam & vindictam reipſa eandem eſſe, vel ſaltem alteram ſub altera contineri. Conſtat autem aliunde, omnem pœnam eſſe vindictam. Etenim, ut ab initio vidimus, pœna tum à Græcis, tum à JCto definitur vindicta noxæ: uſurpaturque vox vindictæ in Sac. Lit. crebro, cum de pœnis ſive divinis, ſive à magiſtratu infligendis ſermo eſt, ut vel ex illis conſtat locis, quæ Grotius Partic. 79 ſuperiori cap. de juſtitia divina agens allegavit. Eadem, ut ſupra vidimus, utitur Seneca, de pœnis, quas Princeps infligat, agens, dum ait: *duabus de cauſſis punire princeps ſolet, ſi aut ſe vindicet, aut alium.* Ubi nemo non videt, eum proprie, tum vindictæ, tum pœnarum nomine uti: quod etiam in definitionibus ſive iræ, ſive pœnæ, fieri cenſendum eſt: nec ulla eſt cauſſa cur in Sac. Lit. à proprietate verbi illius in locis dictis diſcedatur. Vindicta vero ob læſionem atque injuriam primo exiſtit, &, ſi læſo non debetur, non debetur etiam prorſus. At pœnam deberi fatetur Grotius. Læſo ergo debetur. Diſtinguitur quidem interdum pœna ab ultione, quæ reipſa eadem eſt cum vindicta; ſed tunc ultio (in qua voce id magis videtur contingere, quam in vindictæ nomine) ſtrictius ſumitur, eſtque certa tantum pœnæ ſpecies, in qua puniens ſeipſum, quia læſus ſit, ideoque iraſcatur, & vindictæ cupiditate flagret, ſolum revera ſpectat; cum poſſit pœna ab eo, qui læſus non ſit, infligi ob alienam injuriam; poſſit etiam à læſo, ſed non irato revera & vindictæ cupiditate ardente; aut non ſui, ſed aliorum potius cauſſa: quod fiet, ſi vel illius ipſius, quem punit, vel aliorum correctionem ſpectet. Unde Seneca, cum de pœnis agit, quas Princeps ſui vindicandi cauſſa infligit, ultionis utitur voce: cum de aliis, vindicandi potius aut ſimili alia. Adde quod interdum pars læſa, aut ipſa læſionis ratio, non eſt ſenſibus manifeſta: quod tunc inprimis fit, cum delictum, cujus pœna exigitur, ſua natura non videtur ad aliorum detrimentum pertinere,

* 2. Rhet. c. 3.

* 1. de anima c. 1. tex. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſed per accidens tantum, &, niſi legibus eſſet prohibitum, quibus reſpubl. ſibi cavit, ne id committeretur, à civili Magiſtratu (niſi forte Dei juſſu) puniri vix poſſet; nec privatus aliquis cauſſam illam ſuo nomine poteſt ſuſcipere, ſed vel rector tantum, vel quiſpiam alius nomine totius communitatis. Itaque tunc ultionis vox minus videtur eſſe ad rem accommodata: quanquam etiam in iſtiuſmodi materia ſolet à bonis auctoribus nonnunquam uſurpari. Eſt igitur ultio ſtricte ſumta pœnæ ſpecies, & quidem, ſi ira eſt puniendi affectus, ut eſt, ſpecies pœnæ prima & præcipua; cum ad eam ira primo feratur; & quo propius pœna aliqua ad hanc accedit, tanto magis hoc nomen meretur; quanto longius recedit, tanto minus. Neque enim pœna de ſuis inferioribus prorſus æqualiter prædicatur, ſed ſecundum prius & poſterius, ut loquuntur, participatque, ut in aliis quoque nominibus accidit, tum de natura eorum, quæ dicuntur *ἀφ᾽ ἑνὸς*, *ab uno*, vel *ab una* ſc. *ſpecie*, tum de natura analogorum. Itaque caſtigatio, quæ ab ultione recedit longius, minus etiam pœnæ nomen meretur; imo quatenus ultioni opponitur, pœnæ rationem prorſus non habet. Opponitur autem caſtigatio ultioni eatenus, quatenus ad emolumentum ejus, qui deliquit, refertur; unde etiam illud conſequitur, quod ad ultimum ſupplicium non progrediatur, niſi caſtigatio eſſe deſinat. At pœna, qua talis, quemadmodum & ultio, nocumentum ejus, qui deliquit, ſpectat, nec ipſius conditionem reddere vult meliorem, ſed deteriorem. Nam ſi meliorem per ſe reddere vellet, cum delictum vere ac proprie pœnam mereatur, ſequeretur, delictum alicujus mereri, ut conditio ipſius fiat melior: quod nemo non videt eſſe abſurdiſſimum. Quod ſi ergo pœna, qua talis, nocere peccanti cupit; quicquid ejus bonum accommodum natura ſua ſpectat, qualis eſt caſtigatio, id qua tale, pœna non eſt. Patet idem ex cauſſis utriuſque rei. Nam pœnæ cauſſam propriam, iram eſſe vidimus, vel id, quod iræ proprie dictæ analogum eſt: ira vero vicina eſt odio, & ejus vel pars quædam, vel initium, eandemque ad nocendum vim habet, quam odium, imo ſæpe majorem. At bonum alicujus quærere, amoris eſt ac benevolentiæ. Unde S. Literæ Prov. 3. 13. Hebr. 12. 6 & ſeqq. Apoc. 3. 19, charitatem Dei & Chriſti in hominibus caſtigandis cerni aſſerunt, quia ipſorum emolumentum ea ratione quærat. Veruntamen quia videmus, parentes, & eos, qui patriam fere poteſtatem habent, dominos item ac magiſtratus, cum ad caſtigandum accedunt, frequenter iraſci iis, quos caſtigare volunt, nec quemquam, ſi modum in ira ſervent, iram iſtam cenſere injuſtam, præſertim ſi gravius deliquerint ii, qui puniendi ſunt; apparet, caſtigationem etiam aliquam vindictæ & ultionis habere rationem, & eatenus læſo deberi, ſive is ſit rector ipſe, ſive communitas, ſive quiſpiam alius. Miſcentur nempe in caſtigatione affectus contrarii, amor & ira, aut ſi quid eſt iræ in voluntate analogum: eodemque modo illorum effectus; iræ quidem nocumentum, amoris autem emolumentum; eaque ita tum ſeſe mutuo, tum caſtigationem temperant ac moderantur, ut ea inter vindictam & beneficium veluti medium obtineat locum, & de utroque aliquid participet; ac de eo quidem plus, quo validior affectus impellit. Verum, ut diximus, eorum alia faciunt, ut caſtigationi pœnæ nomen conveniat, ea nempe, quæ ex delicto, quod propria pœnæ cauſſa eſt, vere proficiſcuntur; quæ quidem ſunt ira, & exinde natum nocumentum, quod is, qui deliquit, ſentire debeat, quæ vindicta eſt; alia vero, quæ ex cauſſis contrariis, vel ſaltem longe diverſis oriuntur, nempe amor, & exinde profectum emolumentum ac beneficium, faciunt ut pœnæ nomen ei prope negari poſſit. Sed quia pœnæ ratio in caſtigatione ipſa cernitur manifeſtius, ea denominationem rei largitur. Quapropter ut argumentum hoc concludamus, cum pœna, qua pœna eſt, ultio quædam ſit ac vindicta, patet, eam, non niſi læſo deberi naturaliter; ejuſque primam ſpeciem eſſe eam, in qua puniens ſuas injurias vindicat, altera in qua alienos, ut ſupra etiam ex Seneca vidimus.

Præterea ſi conſtet, pœnam alicui deberi à nocente, facile conſtare poteſt, eam non niſi læſo deberi. Deberi autem alicui, docet primum illud, quod Grotius aſſerit, & nos quoque volumus, punire in magiſtratibus, qua tales ſunt, per ſe eſſe effectum juſtitiæ illius, cujus per ſe eſt *ἀνταποδοῦναι*, ſeu cujus verus ac proprius effectus eſt retributio circa bene aut male facta, ſub qua retributione continetur etiam pœna, à Magiſtratibus, qua tales ſunt, ſeu officii publici ratione infligenda nocentibus. At juſtitiæ illius *ἀνταποδοτικῆς* officium per ſe nullum eſt aliud, quam aliis jus ſuum reddere, & id, quod illis debetur perſolvere. Quod ſi ergo pœnam infligere in magiſtratibus per ſe eſt juſtitiæ hujus effectus, neceſſe eſt pœnam alicui deberi, cui ea Magiſtratus reddere cenſeantur, ſive reſpubl. ea ſit aut communitas, cui præſunt, ſive quiſpiam alius. Patet deinde idem ex fine pœnæ, qui eſt aliena utilitas, ob quam ſolam pœna debetur. Hac enim remota pœna expetibilis rationem, ut Grotius aſſerit, non habet: quicquid autem debetur, aliquam habet rationem expetibilis. Quod ſi ergo ob alienam tantum utilitatem debetur pœna, iis ipſis debetur, qui eam utilitatem ſibi jure ſuo vindicare poſſunt, qui quidem præter læſos ſunt nulli. Hi enim ſoli ex delicto, ex quo pœna, & ſic etiam pœnæ utilitas proprie proficiſcitur, damnum ſenſerunt. Quare naturalis ſuadet æquitas, ut illi etiam tantum commodum inde ſentiant, quod ipſi poſtea pro arbitrio cujuſcunque alterius utilitati deſtinare poſſunt. Quemadmodum enim, ut habet nota juris regula, (*a*) ſecundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequentur incommoda; aut, ut dicitur alibi, (*b*) commodum ejus eſſe debet, cujus periculum eſt: ita etiam dicere poſſumus: ſecundum naturam eſſe, commoda cujuſque rei ſequi eum, quem ſequuta ſunt incommoda; aut commodum ejus eſſe debere, cujus fuerit periculum. Is autem in hoc negotio eſt nemo, niſi ſit læſus. Quare ne communitas quidem naturali jure pœnæ fructum, ex delicto, illius interventu ortum ſibi vindicat, niſi ſit læſa.

Ex his autem patet, non quamvis actus vitioſitatem propriam pœnæ cauſſam eſſe, ſed eam demum, quæ ad alios ſpectet, h. e. læſionem ſeu injuriam actui

(*a*) D. de reg. jur. l. 10. (*b*) l. 2. Inſtit. tit.

adhæren-

adhærentem. Duplici enim ratione actus vitioſus ſpectari poteſt, vel quatenus in ſe tantum vitioſus eſt, aut non niſi illi, qui admittit, nocet: vel quatenus nocet aliis. Priori modo quî obligare poteſt delinquentem ad id præſtandum, quod utilitatem aliis tantum præbeat? Neceſſe enim eſt ut illud, quod quempiam obliget ad præſtandam rem aliis tantum utilem, ad alios etiam relationem habeat. Et facto quidem obligari ad eam rem naturali jure nemo poteſt, niſi per id alteri quippiam deceſſerit, quod utilitate aliqua ſit compenſandum. Reſtat ergo ut eatenus tantum vitioſus actus ad pœnam obliget nocentem, quatenus nocet aliis; ut recte dictum ſit à JC^to^, pœnam eſſe vindictam *noxæ*. Delictum enim qua nocet, *noxa* revera eſt ac dicitur. Etiamſi autem delictum aliquod natura ſua, ut ſupra quoque diximus, non videatur ad alterius detrimentum ſpectare: tamen ſi lege aliqua cautum ſit, ne id à quoquam committatur, (quod ipſum quoque potiſſimum ob læſionem aliquam auctui vitioſo, licet per accidens tantum adhærentem fieri ſolet) jus quoddam acquiritur ei, cui lege illa cautem eſt, ſive Reipubl. ſive rectori, ſive cuicunque alii, ejuſque cenſetur intereſſe, ne delictum iſtud committatur, & ſi committatur, is ſtatim fit pars læſa; ubi autem pars læſa evaſit, jam jure naturali fit pœnæ creditor. Neque enim ſemper idem prorſus eſt nexus inter læſionem & delictum alterius, quæ eſt inter jus crediti & læſionem; fierique poteſt, ut cum hæc poſteriora naturali jure inter ſe connectantur, priorum duorum vinculum ſit jus poſitivum. Veruntamen iſtud quoque jus poſitivum naturali aliqua ratione nititur, & læſionem non prorſus facit, ſed in factis ipſis aliquo modo invenit, injuriamque, ut ita dicam, poſitivam naturali cuidam læſioni ſuperſtruit. Solet enim, ut diximus, etiam illis actibus vitioſis, qui ſua natura non ſunt ad alienum detrimentum comparati, ſed noxam ſuam per ſe in auctorem vertunt; læſio aliqua adhærere per accidens: partim quia viris honeſtatis amantibus moleſtiſſimum eſt iſta committi, ideoque in communitate ea, cujus vel capita ſunt, vel membra, ea ferre nolunt, nec quicquam cum illis volunt habere commune, qui ea perpetrant: vel quia verentur, ne ii, qui ad ipſos proprius pertinent, ut uxores, liberi, pupilli, ſervi & alii, quos ab iis peccatis volunt eſſe immunes, exemplo iſtiuſmodi flagitiorum corrumpantur, aut in ſocietatem ſceleris trahantur: vel denique quia verendum eſt, ne ea, (ut fœcunda ſunt in aliena mala privata quoque flagitia, quemadmodum contra virtutes in alienas utilitates,) damna aliorum ſecum trahant, & toti denique communitati noceant. Unde cum læſio iſtiuſmodi nimis manifeſte delicto cuipiam adhæret, viri honeſti, nulla etiam lege poſita, indignantur id committi, & quo ſunt honeſtatis amantiores, tanto magis, ideoque pœnam expetunt. Eandem ergo ob cauſſam legibus ea prohibentur publicis, quas obſervare officium eſt juſtitiæ univerſalis. Juſtitia vero illa ſua natura ſpectat ad alterum, ut docet philoſophus; * adeoque cum quid contra ipſam, & ſic etiam contra leges peccatur, ſimul peccatur adverſus alterum. Indicat

* lib. 5. Ethic. cap. 1.

autem illud quoque, læſionem primo ac per ſe ſpectari in conſtituendis pœnis, non vero vitioſitatem actus abſolute conſideratam, quod in optimis etiam, quæ extant, rebuſpubl. multa non puniuntur, quæ manifeſte vitioſa eſſe conſtat, imo haud paulo vitioſiora, quam ea, in quæ ſatis ſevere ſolet animadverti. Nam ſi quis per iram vulneraverit quempiam, aut alio aliquo affectu impulſus injuriam ei fecerit, punitur, & ſæpe quidem graviter, nec quiſquam id injuſtum eſſe arbitratur. At ſi quis manifeſte, ſine noxa tamen alterius, deprehendatur eſſe avarus, quem idololatram eſſe Sac. Lit. pronunciant, aut ſuperbus, quod graviſſimum ſane peccatum eſſe eædem Sac. Lit. docent, aut invidus ac malignus, aut ebrioſus, qui non ſimplices ſunt actus, ſed habitus admodum turpes ac vitioſi, qui malitiam quandam arguunt, is non punitur, & leges etiam iſtis de rebus ferri non ſolent: quod in Moſaicis quoque Legibus, ad Remp. Iſraëliticam accommodatis, licet deprehendere. At ſi vitioſitas actus in ſe conſiderati, ſine alterius noxa, hic primo ſpectaretur, eaque eſſet propria pœnæ cauſſa, iſti, quos diximus, habitus magis forent puniendi, quam actus ſingulares, qui ſæpe à malitia ſunt ſejuncti, & ex ſubitis nonnunquam affectibus exoriuntur. Docuimus autem ſupra, quo pacto cuivis peccato ſeu actui vitioſo læſio quædam ſeu offenſa majeſtatis divinæ adhæreat; cum Deus partim naturaliter, partim expreſſe omnia delicta prohibuerit: ac præterea habita ratione objecti peccatorum, ſemper iis Deus ſive directe ſive indirecte petatur, atque ab iis inprimis, qui ipſum habent cognitum. Nam vel immediate in ipſum peccatur, vel mediate; quod poſterius fit, cum peccatum primo tendit in creaturam aliquam, præſertim rationalem, in quam peccari proprie poteſt. Nam & ibi peccatur in Deum, ubi in id peccatur, quod totum eſt Dei, ut ſuo loco vidimus.

Quod ad Ariſtotelis ſententiam attinet, nulla eſt cauſſa, cur arbitremur, eum ideo tantum poſuiſſe homicidium inter contractus involuntarios, quos jus emendativum ad æqualitatem reducere conatur, quia uxori, liberis, aut cognatis occiſi aliqua fieri ſoleat compenſatio, ut Euſtathius, ſive quiſquis ille eſt, voluit: imo cauſſa eſt non una, cur latius ejus verba ſint extendenda. Primum enim quid dicemus de adulterio, quod inter eoſdem contractus collocavit, & juri emendativo ſubjecit, itemque de προαγωγία, per quam, quia inter clandeſtina facta ponatur, viri docti * ſollicitationem alienæ uxoris ad adulterium intelligunt? Earum enim injuriam nomine pretium accipere turpe non ſine cauſſa habetur, idque viri magni ac honeſti nunquam vel poſtulabunt, vel admittent, ac præterea per ſollicitationem ſolam, nihil adhuc abeſt marito; ita ut compenſatio ſtricte ſumta ei hoc nomine deberi nequeat. At debetur quippiam, quia contractu illo invito obligatur lædenti læſus, ideoque jus emendativum circa hanc injuriam verſatur, ut id, quod læſo abeſt, lædenti vero acceſſiſſe cenſetur, huic detrahat, & illi reſtituat, atque ita, quantum ejus fieri poteſt, priſtina redeat æqualitas. Pœna ergo

* Muretus,

illi debetur. Quod ſi pœna debetur læſo injuriis aliis eodem loco collocatis; cur idem de homicidio non ſit dicendum? Fieri autem poteſt, ut in homicidio non tantum privati, quos commemorat Grotius, cenſeantur læſi, ſed ſimul etiam Reſpub. quæ membro aliquo eſt privata præter ſuam voluntatem: ut ex quibuſdam Philoſophi verbis, quæ paulo poſt adducemus, videtur apparere. Deinde Ariſtoteles homicidium ſimpliciter atque in univerſum, non vero in certis tantum caſibus, nempe tum, cum ſit compenſatio illa, de qua loquitur Grotius, ad contractus invite factos, atque ad jus emendativum retulit: & recte. Nam omnes injuriæ ſimpliciter ad contractus illos, ac jus emendativum pertinent. At homicidium ſemper eſt injuria, non vero in certis tantum caſibus: cum tamen compenſatio illa raro fieri ſoleat. Nam in homicidio vindicando talionis jus ubivis gentium videtur eſſe uſitatum. At ubi cædes cæde luitur, nulla ſit privatim læſis damni compenſatio. Quod ſi nihilominus læſo debetur compenſatio, eaque non eſt veriſimile privari læſum tum, cum talionis pœnam ſubit nocens, neceſſe eſt, ut ea per pœnam fieri intelligatur: quo pacto læſo debebitur pœna. Adde quod Ariſtoteles inf. eod. lib. 5. Eth. ubi iſta habentur, cap. 11. ait, eo nomine illum, qui ſibi violentas manus intulerit, puniri, & ignominia affici à civitate, quia eam affecerit injuria, & ex illo, tanquam effectu, hoc non obſcure probat. Poſtquam enim dixiſſet, eum non ſibi, ſed civitati intuliſſe injuriam, & priorem aſſertionis partem probaſſet, ſubjicit: *Propterea etiam civitas eum punit: & ignominia quædam inuritur ei, qui ſibi necem conſcivit, ut qui civitatem injuria affecerit.* Debetur ergo pœna ex Philoſophi ſententia injuriæ nomine, & ſic illi, qui ea eſt affectus. Quod ſi ob vitioſitatem actus ſimpliciter debetur, nec locutus, nec argumentatus eſſet recte Philoſophus. Datio autem ejus non minus in aliena cæde, quam in ſua locum habet; niſi quis dicat, rempubl. in aliena cæde vindicanda, ex Philoſophi mente privatorum tantum dolori obſequi, & eorum injuriam tantum vindicare: quo pacto ſequetur, privatim tantum læſis pœnam perſolvi, & ſi id jure quodam ſit, iis etiam tantum deberi.

Quod ad tres ſequentes Grotii rationes attinet Partic. 23, quæ ſunt: *Quod reſtitutionis modum & quantitatem ipſa rei natura determinet: pœna etiamſi in genere ſuo cauſam habeat naturalem aliquo modo, determinari tamen non poſſit, niſi per actum liberum voluntatis: quodque ante condemnationem pœna, quatenus in dando aut in faciendo conſiſtat, non debeatur ordinarie: at reſtitutio omnino debeatur: denique quod reſtitutionis debitum in hæredem tranſeat, pœna non tranſeat:* ad has, inquam, rationes patet jam ex ſuperioribus reſponſio. Nihil enim eæ probant aliud, quam diſcrimen eſſe non exiguum inter reſtitutionem ſtricte ſumtam, & pœnam; quod nos libenter agnoſcimus. Pœnam autem non eſſe reſtitutionem, late accepta voce, nequaquam oſtendunt. Veruntamen concedendum non eſt, pœnæ quantitatem, quod tacite Grotius aſſerit, naturam non determinaſſe, ſecus quam in reſtitutione accidat, ideoque determinari eam non poſſe, niſi per actum liberum voluntatis. Eſt enim ipſius quoque pœnæ norma naturalis, ad quam ejus quantitas ſeu gravitas ſit exigenda, læſio ipſa, quæ unde ſit æſtimanda docuimus ſuperius, quanquam, cum ejus quantitas ſæpe non ſit manifeſta, & diſcrepent nonnunquam etiam prudentium ea de re judicia, aut diverſis in locis diverſa in eodem delicto adhibeatur pœna; ideo ea non à natura, ſed ab hominum tantum voluntate videtur determinari. At ſi pœnæ quantitas à natura non eſt definita, ſequetur, ipſa natura rei inſpecta nemini fieri injuriam, quantumlibet gravis pœna ei infligatur ob quodvis delictum, quod pœnam meretur aliquam, (meretur autem quodvis, ſi modo verum ſit delictum) licebitque per naturam quoad pœnæ quantitatem progredi in infinitum: quod nemo non videt eſſe abſurdiſſimum. Unde vero ſit, quod interdum omnes, non tantum prudentes, aut legum gnari, ſed vulgus etiam imperitum, uno ore pronuncient, pœnam aliquam nimis eſſe gravem, & iniquam, aliam contra pro delicti modo nimis eſſe levem, aliam denique eſſe æquiſſimam? non aliam certe ob cauſam, quam quia ipſa natura terminos aliquos poſuit pœnæ, & ejus norma quædam extat, quam interdum omnes manifeſte cernunt, ut in pœna talionis, cum injuria verſatur inter pares, accidere ſolet, aut alii clarius, alii obſcurius; interdum prudentiores tantum, utpote qui oculum eum, quo iſta pervidentur, habent. Quia enim res iſta ex circumſtantiarum etiam ratione pendet, quæ nunc omnibus manifeſte patent, nunc minus; tanto autem melius de iis quiſque judicat, quo eſt prudentior, (ſiquidem prudentiæ eſt circumſtantiarum momenta ponderare, & earum rationes inter ſe conferre) inde ſit, ut nonnunquam, ubi res eſt nimis manifeſta, inter ſe conſentiant omnes; interdum à vulgo diſcrepent prudentes; aut prudentes etiam inter ſe; vel quod alius alium prudentia ſuperet, vel quod melius rem habeat exploratam, meliuſve expendat, vel denique affectu laboret nullo, alius laboret, aut alius alio. Quod ſi id ſit in eadem numero cauſa, multo magis in diverſis, ubi, licet delictum ſit idem genere aut ſpecie, circumſtantiarum tamen ratio variare poteſt. Verum idem in aliis quoque actionibus ad honeſtatem ſpectantibus, quibus ipſa natura modum poſuit, ſed ex circumſtantiis æſtimandum, accidit. Unde Ariſtoteles (a) ait: honeſta & juſta tantam habere differentiam, &, ut loquitur, errorem, ut lege non natura eſſe videantur, de qua iſtarum rerum inconſtantia ſeu varietate non uno loco conqueritur.(b) Adde quod fieri poſſit, ut diverſum quidem ſit ſupplicii genus, gravitas autem eadem. Niſi enim ſupplicii genus, ſeu mavis qualitas, ſimul ad quantitatem ejus ſpectet, ea libero voluntatis actu determinatur: quanquam ipſa natura digitum aliquando in eam intendit, ut in talione, ubi contrarium ejus, quod Grotius vult, videtur, contingere. Nam animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente reddendum, ipſa natura videtur dictare. At quantum pecuniæ ſit reddendum uxori, liberis, cognatis, cum cædes eſt facta, aut quantum pro oculo, manu, pede, cuipiam perſolvendum; quis facile dixerit? quis uſui illi, quem ex alterius vita potuiſſent capere perſonæ propinquæ, aut quem quiſque

(a) Lib. 2. Eth. 6, l. 1. Eth. c. 3. (b) Vid. etiam l. 2. c. 2.

ex ocu-

ex oculo ſuo, vel alio alio aliquo membro nobili percipit, cum is ſit multiplex, & revera inæſtimabilis, ſatis juſtum ponat pretium? Atque hæc præcipua eſſe videtur cauſa, cur tum vindicta potius à læſis ſoleat expeti, quam damni compenſatio, niſi forte homines ſint tenuis fortunæ; aut aliud quippiam interveniat, quod vindictam diſſuadeat, aut impediat. Idem in aliis noxis contingit, ubi injuriæ vel non poteſt, vel non debet fieri per pecuniam æſtimatio. Quod ſi nihilominus hic etiam reſtitutionis modum à natura vult eſſe definitum Grotius, idem æque, & interdum etiam manifeſtius in pœna fieri, animadvertere poterit.

Quod ad ſecundam ex rationibus Grotii enumeratis attinet, in ea nulla eſſe poteſt vis ad ſententiam noſtram labefactandam: ſiquidem ea non loquitur de pœna generatim ac ſimpliciter ſumta, ſed eatenus tantum, quatenus in dando aut faciendo conſiſtit. At debitum pœnæ non certum ejus modum, à quantitate diſtinctum, primo ac directe ſpectat, ſed pœnam ipſam, certa tantum quantitate ſeu gravitate definitam, ultra quam progredi non liceat, quamquam intra eam licet ſubſiſtere ei, cui debetur. Modus autem ſeu qualitas pœnæ, ſalva interim ejus quantitate, ab eo, qui vel naturali vel poſitivo jure cauſæ iſtius judex eſt, conſtitui poteſt. Neque vero eſt, quod quis dicit, ſi pœna læſo debeatur, eam non niſi eatenus illi poſſe deberi, quatenus in dando aut faciendo conſiſtit; quia alias ex ea nihil ad illum redire queat commodi. Poteſt enim nihilominus cenſeri pœna acceſſiſſe læſo, etiamſi nihil illi à nocente detur aut fiat, ut in ultione ea manifeſtum eſt, quam primum pœnæ genus eſſe vidimus, quæque Deo etiam adverſus ipſius hoſtes in Sacræ Literæ tribui ſolet; unde Deus ultionum dicitur Pſal. 94. 1. Docuimus autem ſuperius, quidnam utilitatis pœna poſſit afferre læſo, etiamſi nulla ei fiat rei corporalis reſtitutio, nec quicquam ejus cauſa laboris atque operæ ſuſcipiat nocens.

Quod ad tertiam rationem attinet, diſcriminis iſtius inter reſtitutionem ſtricte ſumtam & pœnam, ex noſtra quoque ſententia patet ratio. Nam id, quod per læſionem ſtricte ſumtam acceſſit nocenti, ad hæredem pervenire non poteſt, nec ullum ex ea re, niſi ipſemet culpæ ſit affinis, percipit lucrum, non magis quam ex vitioſitate actus abſolute conſiderata; ſed totum id in ipſius nocentis perſona reſidet, & cum ea extinguitur. Itaque id nec ab hærede jure petitur, nec ab eo poteſt reſtitui, niſi per accidens, cum id in debitum pecuniarium commutatum eſt. Debita autem ejus ſolvere debet hæres, cujus ad ipſum devolvuntur bona: ſiquidem id demum ipſius eſt, quod deducto ære alieno reſtat. Neque tamen propterea pœna deſinit eſſe reſtitutio, laxius ſumta voce. Nam nec reſtitutionis illius debitum, quam Grotius intelligit, quando ea improprie ita dicitur, ſemper in hæredem tranſit. Etenim, ſi quis mendacio famam alterius læſit, veri profeſſione reſarcire debet id, quod de dignitate ipſius delibavit, ut ſupra dixit Grotius. At debitum iſtud in hæredem haudquaquam tranſit: quia nec id, quod de alterius fama detractum eſt, tranſire aliqua ratione ad hæredem potuit: quod idem de reſtitutione aliarum rerum, quæ nec ad hæredes pervenire poſſunt, nec in rem eam, quæ ad illos devolvi queat, commutari ſolent, eſt dicendum. Quæ enim damna non niſi corporali pœna vindicarentur, eorum reſtitutio ab hærede poſtulari non ſolet.

Sed adhuc aliam habet rationem Grotius Partic. 24, qua probat, pœnas corporales non deberi læſis. Poſtquam enim dixiſſet, lege poſitiva & contractu introduci poſſe, ut creditori jus aliquod quæratur in pœnam, quam tunc à rei ſeu damni perſecutione jura manifeſte diſtinguant; quod tamen plerunque conſtitui ſoleat in pœnis pecuniariis, in pœnis autem corporalibus vix uſurpetur, ſubjicit: *Ideoque videmus Reges alioſque ſummos rectores pœnam remittere ſontibus, etiam invita parte læſa, injuncta ipſis ſola damni reſtitutione. Quod injuſtum nemo judicat. Eſſet autem hoc injuſtum, ſi pœna læſo deberetur, præſertim ubi nulla Reipubl. neceſſitas remiſſionem poſtularet.*

Sed huic objectioni nos jam occurrimus antea ſup. Partic. 21, cum noſtram de ſecunda hac Grotii aſſertione ſententiam explicaremus. Itaque reſponſio inde petatur. Illud tamen, ut res fiat planior, addimus: cum diſcrimen, ut ſupra vidimus, non exiguum ſit inter damnum ſtricte ſumtum, & læſionem ab eo diſtinctam; ſiquidem per illud manifeſte quippiam abeſt læſo, quod ad utilitatem ipſius pertineat, per hanc vero nihil ei adeo manifeſte abeſt: ideo etiam debiti utriuſque, quod inde oritur, non eandem prorſus eſſe rationem; & generatim loquendo non tantum læſo eſſe cauſam repetendæ pœnæ, præſertim corporalis, quanta eſt reſtitutionis ſtrictius ſumtæ urgendæ; niſi interdum læſio æquet damnum iſtud, aut etiam ſuperet, ut in facinoribus atque injuriis atrocibus accidit, quæ ſecuritatem dignitatemque læſi vehementer convellunt. Itaque & humanitas ipſa magis videtur ſuadere, ut de pœna corporali remittas; præſertim ſi commoda tua cæteroqui ſalva ſint, imo etiam plus inde ſis habiturus emolumenti proprie dicti, quam ex pœna; & Rectori plus in pœna corporali, etiamſi læſo deberi cenſeatur, remittenda licere credendum eſt, quam in debito reſtitutionis ſtricte ſumtæ. Nam id, quod læſo per pœnam iſtiuſmodi potiſſimum foret quærendum, nempe ut jus ipſi ſuum ſit ſalvum, & ſecuritas dignitaſque integra, rector etiam citra corporalem pœnam præſtare non raro poteſt. Etſi vero ſolatium quoque ex pœna & afflictione alterius, non obſtante jure civili, læſo quærere licet, quod per leges divinas ſub Novo Fœdere non licet: tamen, ſi cauſa aliqua gravis remiſſionem pœnæ ſuadeat, (cauſam autem gravem hic eſſe oportet, cum alias, ut infra ait Grotius, publice interſit delicta puniri, & jura affirment, pœnas ob maleficia ſolvi magnam rationem ſuadere: clementia autem præter rationem nihil faciat:) iſtud tanti non eſt, ut rector propterea pœnam omnino cogatur infligere; ſed ob id ipſum, quia parti læſæ regendæ præeſt, & ipſi officia certa ad alterum ſpectantia, etiam cum quadam naturalis libertatis imminutione præſcribere, & invitum ad ea præſtanda cogere poteſt, jus etiam habere videtur, læſo, præter rectam rationem pœnam & ex ea ſolatium tantum cum ſummo alterius

detrimento poſtulanti, eam denegare. Habet enim ſe rector, cauſam illam gravem conſiderans, rationis inſtar: læſus autem, pœnam ac ſolatium præter rectam rationem quærens, inſtar appetitus cæci, & affectus immoderati. Quemadmodum autem ratio appetitui & affectui multa negat, aut invito imperat, quia ei regendo à natura eſt præfecta: ita & rector hujuſmodi læſo, quem moderari debet. Eſt enim, ut docet Philoſophus (*a*), ſimile imperium rationis in appetitum, imperio magiſtratus Politici ac Regis in civem ac ſubditum. Quod ſi hoc ſapiat dominium aliquod, conſiderandum eſt, regere ac dominari ita inter ſe eſſe affinia, ut alterum alterius fines aliquouſque ingredi ſoleat; & quemadmodum is, qui ſervis dominatur, aliquatenus etiam regit: ita & qui regit, atque in eo libertate quadam utitur, ut hic ponimus, aliquatenus dominatur. Nam ut ſervi etiam heri reſpectu aliquo modo ſunt liberi, & ſic ſui, non ipſius domini: ita etiam liberi, qui rectori ſubſunt, aliquo modo ſerviunt, & non ſui ſunt, ſed imperantis; unde ei jus quoddam ſubditorum injuriis acquiritur, ex quo, ſi commoda illorum ſalva ſint, ipſe ſi nil aliud, laudem ſaltem clementiæ ac benignitatis ſibi poteſt quærere. Illud etiam in Grotii verbis animadvertendum eſt, eum partis læſæ nomine privatos tantum intelligere, non vero totum Reipubl. aut communitatis corpus. At fieri poteſt, ut pœnæ corporalis non tam privatus quiſpiam cenſeatur eſſe creditor, quam univerſa Reſpubl. Juris vero illius, quod habet reſpubl. diſpenſatio penes rectorem eſt, tanquam ejus caput; præſertim ſi is libere imperet, & legibus non ſit prorſus adſtrictus.

Ex his ſatis apparet, injuria Grotium Partic. 25 negare, Deum à nobis læſum, in pœna proprie eſſe creditorem, late accepta hac voce, prout eam in hac diſputatione accipit Grotius. Eſt autem Deus pœnæ creditor jure naturali, licet ipſamet pœna quibuſdam in rebus lege poſitiva non naturali ſit introducta. Fruſtra autem Grotius conatur effugere vim comparationis, quæ Matth. 18 inſtituitur inter Deum peccata nobis remittentem, & creditorem debitum ingens condonantem, ac jure ſuo cedentem. Neque enim, ut Grotius hic loquitur, comparatio *quavis ſimilitudine contenta eſt*, etiamſi forte non requirat, ut res genere proximo conveniant. Eſt enim aliquid adhuc inter genus proximum & *quamvis* ſimilitudinem intermedium. Nam comparationes requirunt, ut res diverſæ in eo conveniant, quod ad ſcopum propoſitum pertinet, & quod revera declarandum aut probandum eſt. Id autem in comparatione noſtra eſt benignitas ſeu beneficentia, ut Grotius tum hic tum alibi fatetur. At ſi Deus non eſſet pœnæ creditor, adeoque eam remitens, non de jure ſuo cederet, ſed de alieno, utpote alienæ utilitatis cauſa comparato; quo pacto ratione beneficentiæ conveniret cum creditore ingens debitum remittente, & ſic de jure proprio, ſuæ utilitatis cauſa comparato, cedente, & id, quod alteri donat, ſibi detrahente? Vidimus enim ſupra, Senecam, (*b*) manifeſta ratione ſuadente, eum demum Principem, qui injurias ſuas non vindicat, non eum qui alienas cum liberali conferre, qui, quod alteri donat, ſibi detrahit; cum alter de alieno liberalis ſit cenſendus. Tanto vero ineptior foret comparatio, quæ longe eſt diviniſſima, ſi Grotius eſſet ſequendus: quandoquidem ex ejus ſententia, pœnam illam, quam nobis Deus remiſiſſe intelligitur, communitatis tantum alicujus bono comparatam eſſe oportet, quo remoto ne expetibilis quidem habeat rationem. Communitas autem illa hoc loco nulla revera eſt alia, quam totum humanum genus, quod ipſum pœnam illam ſolvere debebat. Nam quod cœleſtis exſtiterit hiararchia, id ex eventu eſt. Sive enim exſtitiſſet, ſive minus, idem Deo ſive in exigenda ſive in remittenda nobis pœna jus fuiſſet, & ſic benignitas quoque in ſupplicio condonando per ſe eadem. Et ineptum ſane eſſet, dicere, Deum ideo pœnam à nobis exacturum fuiſſe, ut diſciplina in cœlis ſtabiliretur, & ordo ibi conſervaretur. Quod ſi ergo pœna iſta noſtræ tantum utilitatis cauſa per ſe erat comparata, (quanquam hoc ſeipſum, ut ſupra vidimus, evertit) quæ Dei erga nos fuit benignitas, cum de eo jure noſtri cauſa ceſſit, & pœnam, noſtræ ſcilicet utilitati ſervientem, nobis remiſit? Quam enim abſurda fuiſſet pœnam exigendi, & noſtræ utilitati conſulendi ratio, qua nobis funditus atque in æternum fuiſſet pereundum, & extrema infelicitas ac miſeria ſubeunda? quid magis alienum ab ea beneficentia, quam creditor ille Matth. 18 in ſervum exercuit? Debitum enim non ad ſervi, ſed ad Domini utilitatem pertinebat. Alias cum ſummo ſervi detrimento exigi qui potuiſſet? Adde, quod ne eo quidem contentus fuit Deus, ſi Grotio credimus, ſed adhuc voluit, ut Chriſtus noſtro nomine ipſi ſatiſfaceret, & pœnam loco noſtri penderet. Quæ potuit abſurdior excogitari beneficentiæ ratio? Videre igitur poteſt Grotius, quomodo & ſeipſum ſententia ſua, qua ſibi viſus eſt cauſam ſuam egregie ſtabiliviſſe, implicavit, & beneficentiam divinam, quæ in remittendis humano generi peccatis cernitur, & ex qua omnium maxime ad Deum redit gloria, funditus everterit, quantaſque Sacris Literis hanc benignitatem paſſim inculcantibus offuderit tenebras. Etiamſi vero hujus comparationis vim aliquot locis elidere conatus fuerit Grotius, nuſpiam tamen quicquam profecit, imo nodum, ſi recte attendas, ne tetigit quidem.

Quod ſubjungit Grotius Partic. 26, de Chriſti facto, qui pedes diſcipulorum lavans exemplum iis dedit, ut, quemadmodum ipſe fecerat, ſic & illi facerent, hoc eſt, inſervirent alter alteri; id nihil ipſum juvat. Quia res illæ, inter quas comparationem ibi fieri intelligendum eſt, in eo conveniunt, quod Chriſto fuit propoſitum declarare, h. e. in humilitatis ſeu demiſſionis, & ſimul etiam in fraternæ charitatis ratione. Itaque tum demum hoc exemplo ad rem ſuam confirmandam uti poterit Grotius, ſi oſtenderit, Deum creditori debitum ſuum remittenti fore benignitatis ratione ſimilem, etiamſi creditor pœnæ non ſit, nec de jure proprio ceſſerit, ſed de eo, quod alienæ tantum utilitatis cauſa fuerit comparatum, idque tunc demum, ubi præſtita ipſi fuit ſatiſfactio. Quamquam jure dici poteſt, Chriſtum,

(*a*) Lib. 1. Polit. cap. 6. Pac. (*b*) Lib. 1. de Clem. cap. 20.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtum, cum pedes diſcipulorum lavit, non tantum alterius generis ſervitia eo facto deſignaſſe, ſed hujus etiam ipſius, cujus eſt pedum lotio, ſi uſus exigat, ut ad hujuſmodi miniſteria aliis præſtanda nos demittamus. Quare tanto minus ad id, quod Grotius quærit, exemplum hoc pertinet. Cætera quæ de comparatione illa Matth. 18 ſubjungit Grotius, vel nihil adverſus nos faciunt, vel quatenus à ſententia noſtra diſcrepant, cum nova ratione non fulciantur, ſuperioribus convulſis per ſe concidunt. Ideo ea non adſcribimus.

Reſtat tertia Grotii aſſertio Partic. 27, quæ eſt: *Jus puniendi in rectore non eſt aut jus abſoluti dominii aut jus crediti.*

Hoc verum eſt, cum rectores conſiderantur ut rectores, & de alieno tantum jure agentes. At ſi ipſimet ſint læſi, præſertim ſoli, falſum id eſt. Quod idem dicimus de eo jure, quod ipſis tanquam dominis quibuſdam, per ſubditorum injurias acquiritur in pœna, de quo etiam remittere poſſunt, quantum volunt, & in quem placet uſum abſque alterius injuria convertere.

Probat ſententiam ſuam Grotius Partic. 28: *Primo ex fine, qui optime ſoleat diſtinguere facultates. Nam*, inquit, *jus abſoluti dominii, ut & jus crediti comparatum eſt ejus gratia, qui id jus habet. At jus puniendi, non punientis cauſa exiſtit, ſed cauſa communitatis alicujus. Pœna enim omnis propoſitum habet bonum commune; ordinis nimirum obſervationem & exemplum: ita quidem ut rationem expetibilis non habeat niſi ab hoc fine, cum jus dominii & crediti per ſe ſint expetibilia. Hoc ſenſu Deus ipſe dicit: ſe pœna eorum qui puniuntur non delectari.*

Recte ait Grotius, finem optime ſolere diſtinguere facultates; & ex eo nos facile probabimus, jus puniendi in Deo ad jus dominii abſoluti pertinere, & ſpeciatim ad jus crediti. Quod etiam dicimus de cæteris rectoribus, cum ipſi ſunt læſi, deque aliis omnibus, qui injurias ſuas vindicandi jus à natura ſibi datum retinent. Siquidem jus puniendi læſi cauſa primo comparatum eſt, eique naturaliter ac primo competit, ut ſuo loco vidimus. Quaptopter negamus Grotio, pœnam omnem propoſitum habere bonum commune, ita ut expetibilis rationem non habeat, niſi ab hoc fine. Unde illud quoque corruit, quod ea ratione probare voluit Grotius, jus puniendi, nempe in univerſum, non punientis cauſa exiſtere, ſed cauſa communitatis alicujus. Nam inter pœnas, aut Princeps, aut quivis alius, qui ſuperiori poteſtati non eſt ſubjectus, infligere poteſt, primum locum obtinet ultio ſtricte ſumta, cujus naturam omnia reliqua pœnarum genera ſequuntur; & quo magis pœnæ rationem habent, tanto magis. At ultio illa ipſius punientis, ſi læſus ſit, bonum primo ac per ſe ſpectat, aliorum non niſi per accidens. Unde ſupra vidimus, Senecam duos ei aſſignare fines, ſolatium, & ſecuritatem in poſterum: quibus addi poſſunt honoris ac dignitatis, per injuriam violatæ & aliqua ratione imminutæ, vindiciæ, aſſertioque juris noſtri. Quanquam hæc fortaſſe ad ſecuritatem à Seneca commemoratam, tanquam ad finem ſuum referri poteſt. At fines iſti diverſi ſunt à bono communi, & læſo ex pœna debentur. Quod enim per injuriam ademptum eſt, id partim per reſtitutionem ſtricte ſumptam, partim per pœnam, quæ læſionis rationem proprie conſequitur, eſt ſarciendum. Læſio autem ſtricte ſumpta, ea, quæ pro pœnæ finibus poſuimus, minuerat aut ſuſtulerat, eorumque contraria in læſo effecerat. Quare æquum eſt, ut per pœnam reſtituantur, & incommoda contrariis commodis penſentur. Neque vero eſt, quod quis dicat, primum finem à Seneca conſtitutum, nempe ſolatium ex alieno dolore, natura ſua malum eſſe & injuſtum, ideoque non commemorandum. Nam etſi nobis Deus ſub Novo Fœdere ea re interdixit, præſertim cum ipſe ea in re nobis exemplo præiverit, miſericordia ſumma adverſum nos ipſos uſus, ita ut vel ob id ipſum hanc conditionem nobis, ſi ejus benignitatis fructum ſentire vellemus, imponere potuerit, licet pro abſoluto ſuo in nos dominio id alias quoque poſſet: tamen ſi quis prior dolorem per injuriam alteri intulerit, non eſt natura injuſtum, eum, qui dolorem iſtum præter meritum ſenſerat, eundem in auctorem ſuum referre, & eo pacto doloris ſui lenimentum (id enim per ſolatium illud intelligendum eſt) quærere. Ideo natura tum hominibus, tum reliquis animantibus iram inſeruit, quæ eſt cupiditas reponendi doloris, quem cum repoſuiſſe videtur, conquieſcit; nec Lex Moſaica, ſi quis per Magiſtratum dolori ſuo ſatiſfacere vellet, prohibuit; imo ipſiſmet privatis vindictam hanc in quibuſdam caſibus permiſit: nec leges politicæ id vetant. Cæteros pœnæ fines, quos conſtituimus, natura ſua juſtos eſſe, neminem arbitror negaturum. Deinde ex eo quoque patet, pœnam etiam punientis gratia, ſi læſus ſit, eſſe comparatam, non vero ſemper communitatis alicujus cauſa, niſi & ipſa ſit læſa; quod herus ideo poteſt punire ſervum, ut labores imperatos diligentius exſequatur, & utilitatem domino præſtet eam, quam debet; nec id quiſquam injuſtum cenſet, aut cenſere merito poteſt, ſi jus herilis imperii finemque conſideret. Poteſt etiam herus omnes ſervos ſimul, ſi mereantur, punire: pœna autem per ſe non ſpectat utilitatem ejus, qui punitur, quæ tunc eſt univerſa communitas, cui herus, qua talis, præeſt: poteſt denique ita plectere ſervum, ut ad neminem perperveniat exemplum: nec minus illi jus hoc competit, cum unicum tantum ſervum habet, quam cum plures. Idem de Deo ſtatuendum eſt. Nam ideo punire quemvis, qui mereatur, poteſt, ut ipſi officium honoremque debitum præſtet: poteſt etiam omnes ſimul, ſi mereantur, punire, atque in æternum perdere, quo pacto bonum commune penitus tollitur: poteſt etiam occultas aliquas pœnas, unde nullum ad alios redeat exemplum, cuipiam pro ſceleribus infligere. Quomodo ergo pœna omnis bonum commune ſibi habet propoſitum, quo remoto expetibilis rationem non habeat? An putat Grotius, Deo non licuiſſe angelos omnes, ſi peccaſſent univerſi, eo pacto punire, quo cæteros; vel primos parentes; vel, ſi Noachus etiam cum ſuis impie vixiſſet, mundum primum; vel aliquando impios, & in ipſum extreme contumaces; niſi aut extitiſſet, aut extitura eſſet communitas aliqua, cui ea pœna Deus conſuleret, & in qua diſciplinam ea

ratione

ratione ſtabiliret? Id certe nemo non abſurdum eſſe videt. Sed quid multis opus, cum ſupra viderimus, Salomonem Prov. 16. 4 affirmare, Deum omnia propter ſemetipſum feciſſe, aut facere, etiam impium ad diem malum; & omnia eſſe in ipſum, & propter ipſum, tanquam finem ſuum Rom. 11. ult. 1 Cor. 8. 6. Hebr. 2. 10. Unde conſequitur, etiamſi tandem ſtatuendum eſſet, Deum in puniendo ſemper bonum communitatis alicujus, cui præeſt, ordinis nimirum conſervationem & exemplum quærere, eum tamen nihilominus propter ſeipſum punire; cum ipſemet communitatis illius ſit finis, & boni publici non miniſter aut cuſtos tantum, qualem Grotii ſententia facit, ſed dominus.

Quo vero pacto Grotius aſſerit, jus dominii & jus crediti eſſe per ſe expetibilia, voces *per ſe* opponens ei, quod eſt *propter aliud tantum*? An non jura ſunt in rerum utilium numero, ita quidem, ut rationem expetibilis non habeant niſi ab uſu? Tolle uſum, quid eſt, ob quod appeti mereantur? An fortaſſe res ipſas, quæ juri dominii aut crediti ſunt ſubjectæ, earumque uſum intellexit Grotius? quandoquidem pœnam juri dominii ac crediti opponit, cum eam potius opponere debuiſſet rebus creditis & ad dominium pertinentibus, ipſum vero jus puniendi, jure dominii & crediti. Sed præterquam quod iſta quoque in rerum utilium ſoleant eſſe numero, * ut pecuniæ, ſupellectilia, inſtrumenta, quæ non propter ſe, ſed tantum propter aliud, ſeu propter uſum aliquem ſunt expetibilia; an non jure dominii poteſt quis res ſuas abjicere, earumque jacturam facere, quod per ſe nequaquam eſt expetibile, ſed tantum propter aliud, nempe ob majus aliquod malum evitandum, aut bonum parandum? quo pacto jacturam rerum ſuarum facit mercator in mari, alius aliud perdit, ut vitam, aut famam redimat, aut aliis incommodis ſe ſuoſve liberet. Juris ſane vis non tantum in acquirendo, aut utendo, ſed etiam in amittendo ac minuendo collocatur. At hi actus poſteriores cum cernuntur in rebus bonis ac utilibus, nunquam ſunt natura ſua expetibiles. Similiter jure dominii quædam poſſumus ab aliis exigere, ut à ſervis laborem atque operam cum ipſorum moleſtia conjunctam, quæ tamen per ſe non ſint expetibilia, ſed tantum propter alia.

Illa vero loca, ad quæ reſpicit Grotius, in quibus dicit Deus, ſe non delectari morte impii, vel eam non deſiderare Ezech. 18. 23, 32. XXIII. 18, nihil ad ſententiam ipſius ſtabiliendam faciunt. In iis enim non de eo ſermo eſt, quid neceſſario faciat Deus aut non faciat, ut ſententia Grotii poſtulat, ſed quid ob ſummam benignitatem faciat. Grotius enim arbitratur, eo ſenſu ita loqui Deum, quia pœnam per ſe conſideret; pœna autem per ſe expetibilis rationem non habeat. Quod ſi ita eſt, ne potuit quidem Deus per naturam eo pacto pœnam deſiderare. Quatenus enim aliquid rationem expetibilis non habet, eatenus expeti non poteſt. Arbitramur autem omnes animadvertere, Deum ibi ea de re loqui, quæ benignitatis ſit ac miſericordiæ, non naturæ aut neceſſitatis. Neque vero Deus ibi pœnam per ſe tantum conſiderat, non habita ratione finis, ad quem ea deſtinata eſt. Alias enim liceret, ſalva iſtorum verborum ſententia ſtatuere, Deum nihilominus ob finem aliquem inſignem impii mortem deſiderare, eamque infligere velle, etiamſi ea per ſe non delectetur. Nam hoc etiam tunc de Deo poſſet dici, cum illi omnino decretum eſt impium morte punire; ſi quidem pœna, ut aſſerit Grotius, nunquam per ſe expetibilis rationem habet; adeoque ſive punire velit Deus, ſive minus, nunquam eam per ſe deſiderat, eave delectatur. At nemo non videt, Deum eo ſenſu verba illa extuliſſe, ut oſtenderet, ſe mortem illam impiis ob peccata anteacta non inflicturum ullo pacto, modo ad eum convertantur. Poteſt autem fieri, ut quiſpiam re aliqua non delectetur, eamque non deſideret, licet ea rationem aliquam habeat expetibilis, & ad jus dominii aut crediti pertineat, præſertim tunc, cum majorem ex re alia, quæ iſtius uſum impediat, percipit voluptatem. Sic quiſpiam dicit ſe non delectari libris, quos tamen habeat, & quibus uti poſſit cum fructu, alius armis, aut equis; alius denique opes ſe non deſiderare, affirmare poteſt; alius honores aut voluptates; alius denique alia; quæ omnia expetibilium rationem habent, & eorum aliqua ad jus dominii, aut etiam crediti, vel pertinent vel pertinere poſſunt. Quia ergo Deus magis delectatur impii converſione, & vita eam conſequutura, quam ejus morte, licet ad certum aliquem finem relata, & ſic aliquam expetibilis rationem habente, eaque duo ſeſe mutuo evertunt; ideo jure dicere potuit, ſe mortem impii non deſiderare, cave non delectari. Addendum tamen eſt dictis, diſtinguenda eſſe tempora, quibus Deus impios velit, aut non velit perire. Eſt enim tempus aliquod gratiæ, ſed eſt etiam iræ: & licet illa hac ſoleat eſſe major, in infinitum tamen & ipſa non exit. Nam cum Deus eum in finem homines produxerit, ut ex ipſorum factis gloriam conſequeretur, ut ſupra vidimus; cum per contumacem alicujus improbitatem finem hunc conſequi nequit, ſed ignominia potius ſubinde afficitur, convenit ipſius ſapientiæ eum è medio tollere, tanquam intentioni ac conſilio ſuo non tantum inutilem, ſed etiam vehementer adverſantem. Unde Deus, qui eum ob certum finem vivere antea deſiderabat, ob cauſam contrariam eum perdere ſummo jure deſiderat. Etiamſi autem Deus, ſimul ac quiſpiam eum ipſi uſum non præſtat, quem jure ſuo ab eo poſtulat, poſſit eum jure è medio tollere ac perdere; tamen ob miſericordiam ac longanimitatem ſuam, quam diu ſpes aliqua eſt, fore, ut finem atque uſum illum ipſi in poſterum præſtet; eum tolerare ſolet, & vitam ejus deſiderare: & eo uſque illa Dei verba, de quibus agimus, extendenda ſunt: at cum reſipiſcentiæ etiam ſpes tollitur ac deſinit, tunc nec iſta Dei verba, ut ipſamet ſatis indicant, locum habent amplius. Cum igitur impii contumaciter in ſceleribus perſeverant, ii præſertim, qui Deum ejuſque voluntatem habent cognitam, & nec minis, aut caſtigationibus, nec promiſſis divinis ad reſipiſcentiam ſe revocari patiuntur, eos tanquam hoſtes ac perduelles odit Deus, eorumque perditionem deſiderat, & ut Sacræ Literæ loquuntur, ea lætatur. Ita enim ait Moſes Deut. 28. 63 de populo

* Ariſt. l. 1. Eth. c. 5, 6, 7.

Iſraë-

Iſraëlitico, ſi graviter etiam ob peccata ſua punitus, reſipiſcere tamen noluerit, ſed contumax eſſe perrexerit: *Erit præterea, quemadmodum lætatus eſt Dominus ſuper vos, benefaciendo vobis, & multiplicando vos: ſic lætabitur Dominus ſuper vos, perdendo & delendo vos*; & quæ ſequuntur. Etiamſi autem aliquam improprietatem in verbis iſtis, quatenus ad pœnam referuntur, velis ſtatuere: (quanquam eadem in contrario etiam locum aliquem habebit:) non licet tamen eo uſque à verborum proprietate diſcedere, quin aliquid in Deo ſtatuas ei lætitiæ analogum, quam homines ii capiunt, qui graviſſimas ſuas offenſas in hoſtibus ſuis extreme contumacibus, juſtiſſimoque ſuo deſiderio vehementer obſtantibus, jure merito vindicant. Nam quemadmodum peccatis noſtris offenditur Deus, & quo graviora ſunt atque atrociora, tanto vehementius ea illi diſplicent, qua de cauſſa etiam iraſci & indignari toties in Sac. Literis dicitur: ita etiam aliquid iſti diſplicentiæ & iræ contrarium in ipſo exiſtere conſentaneum eſt, cum offenſas iſtas ſuas vindicat, eaque ratione tollit & extinguit: nec quicquam in eo eſt Deo indignum, ſi ei aliquando placeat vindicta, cui vehementer diſplicuerunt delicta & ſcelera, quibus eum homines per ſummum nefas offenderunt. Imo abſurdum eſt dicere, Deum aliquid facere poſſe, quo tamen nullo modo delectetur, aut delectari poſſit. Sed hoc, ut diximus, quia tardus eſt ad iram & longanimis, tarde ſolet facere, præſertim ſub N. Fœdere, ubi viſcera miſericordiæ, & immenſas divitias gratiæ ſuæ in nos effudit Exod. 34. 6. Num. 14. 18. Pſal. 86. 15. Luc. 1. 78. Epheſ. 1. 7, 8. 11. 4, 7. Quapropter, ut de finibus pœnæ reſpectu Dei, hac occaſione aliquid dicamus, ii duplicis conſtitui poſſunt generis. Alii enim locum habituri eſſent, etiamſi Deus omnes homines, vel etiam omnes in univerſum creaturas rationales, ſi mererentur, funditus tolleret: quod tamen, quia non fit, ideo vix etiam intelligitur fieri poſſe: alii tunc vel ſolum, vel, ut in poſteriore ejus generis fine videbimus, potiſſimum locum habent, cum aut ii ipſi, qui puniuntur, porro vivere pergunt, aut alii extant, ad quorum notitiam pœna poſſit pervenire; qui quidem fines ſunt manifeſtiores, & oculis fere magis ſubjecti, inter quos ille quoque eſt, quem Grotius conſtituit, quamquam ad Deum tanquam ultimum ac præcipuum finem & ſcopum relatus. Prioris generis ii potiſſimum ſunt, qui proportione quadam reſpondent iſtis, quos Seneca præfigit ultioni. Nam ſecuritati quidem in poſterum, in Deo proportione reſpondet immunitas in poſterum ab offenſis: ſolatio vero reſpondet εὐδοκία quædam, &, ut eam vocat Moſes, lætitia, quam Deus ex tollendis hoſtibus ſuis, utpote ipſi plane adverſis & abominandis, capiat, ſeu id, quod lætitiæ humanæ eſt analogum, qui finis tum ex priori, tum ex aliis, ubi ii locum habent, fere videtur proficiſci. Poſterioris generis ſunt ii, qui cæteris etiam pœnæ ſeu vindictæ finibus, quos illis à Seneca commemoratis addidimus, reſpondent, aut ejuſdem cum illis ſunt generis. Eorum alter eſt, quod Deus hoc pacto jus ſuum, quod in nos habet, ſibi aſſerit ac ſancit, &, quam ſollicite, quantoque cum timore ac tremore ipſi ſit ſerviendum, quam diligenter officium ipſi debitum ſit præſtandum, oſtendit; ſiquidem tam ſevere neglecti officii pœnas exigat. Atque hoc pacto mores corrigit, licentiam comprimit, diſciplinam ſancit, quem ſolum finem agnoſcit Grotius; quanquam ne is quidem vel ſemper, vel natura ſua & per ſe, ad bonum totius communitatis pertinet; cum poſſit ad unius tantum aut alterius correctionem ſpectare, nulla habita ratione communitatis, qualem Grotium intelligere, cum de Deo illius Rectore loquitur, par eſt; & præterea, ut ſupra monuimus, etiamſi ad bonum publicum ſemper pertineret, nihilominus tamen ibi nondum conquieſceret, ſed ad Deum, publici illius boni dominum, & finem ultimum referretur. Alter poſterioris generis finis, ad quem iſte, à nobis modo commemoratus, aliquo modo pertinet, eſt aſſertio quædam divini honoris ac majeſtatis, quæ peccato fuerat violata & ignominia affecta, gloriæque amplificatio. Quia enim nomen Domini propter eorum, qui id profitentur, ſcelera blaſphemari ſolet Rom. 2. 24, ac male audire apud ipſius hoſtes; ideo dignum eſt, ut id ab ignominia & contemtu vindicetur eorum ſupplicio, qui ignominæ illius fuerant auctores, & ſic gloriæ illius diminutio, quantum ejus fieri poteſt, ſarciatur; quod fit, cum apparet, Deum in ſuis etiam peccata impune non ferre, ſed aliquod ſaltem exemplum in eos ſtatuere, quibus alias magna eſſet parcendi cauſſa. Quo reſpexit Nathan 2 Sam. 12. 14. Poſtquam enim dixiſſet David: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris*; addit: *Verum tamen quia blaſphemando blaſphemare feciſti inimicos Domini in hoc negotio, etiam filius, qui natus eſt tibi, moriendo morietur.* Quanquam ea quoque ratione Deus gloriam ſibi parat ex pœna, quod potentiam imprimis ſuam oſtendit, etiam iis ipſis, quos it perditum, (qua de cauſſa antea innuimus, hunc finem etiam tum aliquo modo habiturum locum, ſi omnes tollere vellet Deus,) aut alias quaſdam proprietates ſuas, ut juſtitiam & rectitudinem, quas in ea ſimul exſerit. Quo pacto dixit olim Deus ad Pharaonem Exod. 9. 16: *Et profecto ob id conſtitui te, ut oſtenderem tibi potentiam meam, utque prædicent nomen meum in univerſa terra*: & ſuperius dixerat ℣ſ. 14: *Mittam omnes plagas meas in cor tuum, ut ſcias, quod non ſit ſimilis mei in univerſa terra.* Unde Paulus cum priora illa verba citaſſet, ea non obſcure ad Judæorum à Deo rejectorum pœnam accommodat, dum ait Rom. 9. 13, 22, *Deum, cum vellet oſtendere iram, & manifeſtare potentiam ſuam, tuliſſe in multa longanimitate vaſa iræ præparata ad interitum.* De prædicatione autem divinæ juſtitiæ, quæ in pœna cernatur, ipſe Grotius nonnihil dicet in ſequentibus. Itaque Deus, cum gloriæ ipſius ratio contrarium poſtulare videtur, pœnam vel remittit, vel mitigat, & ſui ipſius in ea re habet rationem; quod iniquum foret, ſi non ipſius, ſed communitatis tantum alicujus bono pœna foret comparata. Ejus enim bonum quæri debet in pœna remittenda, cujus in exigenda quærendum eſt, niſi ipſe aliter ſtatuat. Atqui id quod diximus, ex non paucis S. Literarum locis manifeſtum eſt. Nec enim alia ratione potiſſimum movit Deum Moſes, ut populo Iſraëlitico, in idololatriam prolapſo, aut adverſus Deum præfra-

ćte loquuto, parcere vellet, quam quod id gloriæ ipſius eſſet obfuturum, ut conſtat ex locis Exod. 32 11 & ſeqq. Num. 14. 13 & ſeqq. Vide etiam Deu. 32. 27. Sed inſignis eſt præter cæteros locus apud Ezechielem cap. 36, ubi, cum de pœna, quam populo Iſraëlitico irrogaſſet, loquutus eſſet Deus, cauſſam etiam exponit, cur eam mitigaret, & finem ei cito impoſuerit, dum inquit ℣ſ. 20 & ſeqq. *Et ingreſſus* (populus Iſraëliticus) *ad gentes, ad quas venerunt, polluerunt nomen meum, dum diceretur eis: Populus Jehovæ ſunt, & de terra ejus egreſſi ſunt. Et peperci nomini ſancto meo, quod polluerunt domus Iraël in gentibus, ad quas ingreſſi ſunt. Idcirco dic domui Iſraël: ſic dicit Dominus Jehova. Non propter vos facio, domus Iſraël, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus, ad quas veniſtis. Et ſanctificabo nomen meum magnum pollutum in gentibus, quod polluiſtis in medio earum: & ſcient gentes, quod ego Jehova, ait Dominus Jehova, cum ſanctificatus fuero in vobis in oculis veſtris.* Quo loco in Bibl. Magnis R. Stephani, inter alia quæ huc pertinent, ad ℣ſ. 21 ita annotatum reperies: *miſertus ſum nominis mei ſanctiſſimi: vindicavi enim eum à pollutione & injuria, qua afficiebatur, conſului honori ac gloriæ nominis mei.* à Vatablo vero: *miſertus ſum famæ meæ ſanctæ, quam profanaverant.* Gentes enim, ut ibid. notatum habes ℣ſ. 20 inſultabant divino nomini, ita impie ratiocinantes: Si fuiſſet Deus hujus populi, ut prædicant, omnipotens, non permiſiſſet eos depelli de terra ſua. Similem ex parte locum habes Eſa. 52. 5, 6, vide etiam inter alia Pſal. 74. 10, 18, 22. LXXIX. 9, 10 & CXV. 1, 2. Quapropter cum jus, quod Deus habet ad repetendam pœnam, ipſius cauſſa ſit comparatum, recte concludimus contra Grotium, id ad jus domini pertinere.

Sed aliam adhuc rationem habet Grotius Partic. 29, qua ſententiam ſuam firmet. Nam *nunquam*, inquit, *cum juſtitia pugnat de jure dominii aut crediti cedere. Quia natura hæc eſt proprietatis, ut ea tam uti quam non uti liceat. At quædam peccata impunita dimittere* * *(puta non reſipiſcentium) eſſet injuſtum in rectore, etiam in Deo, ut fatetur Socinus. Non eſt ergo jus puniendi idem cum jure dominii aut crediti.*

Etſi inſpecta natura ipſius juris dominii ac crediti, præſertim ſtrictius ſumti, quod circa utilia tantum verſatur, cum juſtitia non pugnet, de eo credere: non eſt tamen admittendum id, quod Grotius aſſerit, *nunquam* cum juſtitia pugnare jure domini aut crediti cedere, præſertim ſi Juſtitiæ vocem accipias pro Rectitudine in univerſum, quemadmodum Socinus eam loco à Grotio citato ſumit, & jus dominii ac crediti cum Grotio tam late extendas, ut honor quoque ac dignitas ſub illud cadat. Rectitudinis enim eſt, id omne facere, quod ut fiat æquum & honeſtum eſt, adeo ut ejus contrarium ſit inhoneſtum ac pravum. At interdum turpe eſt ac inhoneſtum, de jure crediti aut dominii cedere, quod ipſemet Grotius per accidens fieri poſſe non diffitetur infra cap. 5. Quare cum Rectitudine quoque ac Juſtitia interdum pugnat, de jure dominii aut crediti cedere. Id autem duplici ratione fieri poteſt; partim ob rerum ipſarum, circa quas jus illud verſatur, naturam, ac circumſtantiarum rationem; partim ob decretum contrarium. Nam quod ad priorem modum attinet, docuit Grotius ſupra, parti offenſæ tanquam creditori deberi, ut is, qui mendacio famam ejus læſit, veri profeſſione reſarciat id, quod de dignitate ipſius delibavit. An vero rectum & honeſtum foret, ſi quis graviſſimis calumniis appetitus, quæ ipſius famam & exiſtimationem, vitæ propemodum anteponendam, aut ſimul ipſam etiam vitam, uxorem, liberos, bona, in ſummum diſcrimen adducant, ut in atrocibus criminibus accidit, non exigeret à calumniatore, ut veri profeſſione famam ipſius & exiſtimationem in integrum reſtitueret? Certe id hominis foret diſſolutiſſimi, vel potius inſani, & non tantum non honeſtum, ſed etiam turpiſſimum. Quare eo jure non licet non uti, adeoque dictum Grotii, naturam proprietatis hanc eſſe, ut ea tam uti, quam non uti liceat, vel ad rem nihil facit, vel non eſt univerſaliter verum. Ad rem nihil faciet, ſi ita ea verba accipias, ac ſi dictum eſſet, naturam proprietatis per ſe conſideratam id permittere, & per eam nequaquam ſtare, quominus ea cedas, licet interim ipſarum rerum, in quibus ea cernitur, natura, ac circumſtantiarum ratio id prohibere poſſit. Non erit univerſaliter verum, ſi ita accipias, res omnes, in quibus proprietas cernitur, ita comparatas eſſe, ut iis tam uti, quam non uti liceat. Falſum enim id eſſe, iſtud quod attulimus, exemplum ſatis demonſtrat. De illis bonis concedi id poteſt, circa quæ jus dominii ac crediti magis proprie verſatur, h. e. de iis, quæ non niſi propter aliud ſunt expetibilia; vel de iis, quæ adeo ſunt vulgaria, ut à viro honeſto ſperni merito queant, præſertim tunc, cum major utilitas id ſuadet. De altero, quem conſtituimus modo, qui eſt, cum juris proprii ceſſioni decretum aliquod obſtat, nihil eſt opus dicere amplius, cum res ſit ſatis manifeſta. In noſtro autem negotio, utraque ratio habet locum, atque inprimis poſterior. Nam etſi pœna ſimpliciter atque abſolute ſumta, ut cap. 1 diximus, non ſit ita comparata, ut eam juſtitia omnino jubeat exigere: tamen non reſipiſcentes pœna non liberare, tum per ſe æquitati eſt admodum conſentaneum, &, poſitis quibuſdam finibus, quos Deus ſibi in regendis hominibus præfixit, factu neceſſarium, præſertim tunc, cum inſignis eſt eorum contumacia, & animi malitia, quemadmodum ex iis conſtat, quæ dicto loco hac de re diſſeruimus Partic 78, partim etiam ob hanc ipſam cauſſam decretum ea de re à Deo factum eſt. Atque ad hoc utrumque Socinus loco citatio reſpexit, cum dixit, *non reſipiſcentibus veniam non concedere, naturæ divinæ, & decretis ejus, & propterea rectitudini & æquitati debitum eſſe ac conſentaneum.*

Quod ad concluſionem Grotii attinet, ſi uſitatam ac ſimplicem verborum vim ſpectes, ea cum ſententia noſtra non pugnat. Neque enim nos ſimpliciter aſſerimus, jus puniendi eſſe idem cum jure dominii aut crediti: ſed jus puniendi, aut pœnam repetendi, quod læſus habeat, ſive rector ſit, ſive minus, ſub jure dominii ac crediti, tanquam genere ſuo contineri.

Quod ad ſequentem Grotii rationem attinet Partic. 30, quæ eſt: *Nemo ob id juſtus dicitur, ac ju-*

ſtitiæ

* Lib. 1, c. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtitiæ nomine laudatur, quod dominio ſuo utatur, aut quod creditum exigat. At quivis rector, atque ipſe Deus, juſtus ob id dicitur, & juſtitiæ nomine laudatur, quod pœnas non remittat, ſed ſevere exigat. Juſtus es Domine, quod ſic judicaſti Apoc. 16. 5. *Quod pluribus locis ſupra probatum eſt.* Ad hanc, inquam, rationem ex ſuperioribus poteſt colligi reſponſio. Nam quod ad rectores attinet eos, qui, dum puniunt, alienas tantum injurias vindicant, nihil opus eſt dicere. Ii enim dum id faciunt, jus reddunt alteri, non vero ſuo dominio utuntur, aut creditum ſuum exigunt. Itaque juſtitia tunc utuntur etiam particulari. Quod ad eos rectores attinet, qui ſuas injurias vindicant, ſi quidem merito ob iſtiuſmodi factum juſtitiæ nomine commendantur, neceſſe eſt id ob aliquam ex cauſſis commemoratis fieri, ob quas diximus juſtitiam ac rectitudinem nonnunquam poſtulare, ut creditum exigatur. Nemo quidem ob id ſimpliciter ac per ſe juſtus dicitur, quod dominio utatur, aut creditum exigat: (ipſa enim dominii aut crediti ratio per ſe ad juſtitiæ laudem nil facit, niſi quatenus id præſtat, ne cum juſtitia pugnet, re quapiam uti, eamve repetere) ſed tamen, dum quis dominio utitur, aut creditum exigit, juſtitiæ nomine laudari poteſt propterea, quia vel ipſa res propria creditave, habita præſertim circumſtantiarum ratione, ita ſit comparata, ut ea uti, eamve exigere honeſtas jubeat, vel decretum, quod reſcindi non debeat, de ea exigenda aut utenda interceſſerit. Utrumque autem in Deo locum habere tunc, quando juſtitia ſeu rectitudo poſtulat ut pœnam exigat, jam oſtendimus. Sed præterea nulla ratione probavit Grotius, ideo Deum in illo Apocalypſeos, quem adducit, loco, juſtitiæ nomine laudari, quod pœnas non remittat ſimpliciter, aut ſevere exigat. Neque enim, ut ipſa Grotii habet ejus loci interpretatio, ideo Deus juſtus ibi dicitur, quod judicarit ſimpliciter, ſed quod *ſic* judicarit. Modus nempe judicii in argumentum juſtitiæ divinæ ducitur. Quod ſi dicat Grotius, iſta particula ſeveritatem pœnæ ſignificari, id illi probandum erit. Nos autem ſuperiori cap.* ſatis oſtendimus, ea vocula indicari analogiam illam egregiam, quæ pœnæ iſti, de qua ſermo eſt, cum delicto intercedat, ſeu modum ſupplicii ſceleri accommodatiſſimum: qua in re ſi ſeveritas aliqua cernitur, quamquam ea, ſi gravitas ſceleris æſtimetur, tanta non apparet, id ex eventu eſt.

Ultima, quam hoc loco collocat Partic. 31, Grotii ratio eſt. *Virtutum diverſitas oritur ex diverſitate objectorum. At virtus qua de dominio aut de credito noſtro cedimus, liberalitas vocatur: non clementia: illa vero, qua impunitas conceditur, non liberalitas ſed clementia.*

Liberalitatis vox nunc laxius ſumitur, pro quavis beneficentia ſeu benignitate, nunc ſtrictius pro ea benignitate, quæ in pecuniis & impenſis cernitur. Si poſteri modo ſumatur, à clementia tanquam ſpecie diſparata ejuſdem generis diſtinguitur: ſi priori, clementiam, quatenus ea de jure ſuo, quod ad pœnam repetendam habet, cedit, & ſic benigne facit alteri, in ſe complectitur, ut exemplis ex Cicerone allatis docebimus Deo dante cap. 6, ubi Socinum ob vocis hujus in hac materia uſum reprehendit Grotius. Quanquam id ipſum quemvis monere poteſt, Liberalitatis vocem recte huc accommodari, quod beneficentia ſeu benignitas proprie dicta in concedenda impunitate cernitur, & clementiam eatenus in ſe complectitur, quod Grotius ipſemet fatetur, & quivis per ſe agnoſcit. An non enim inſigniter bene fit illi, cui pœna condonatur, quæ ab eo exigi ſummo jure poterat? At liberalitatis vox eo uſque porrigitur, quouſque benignitatis ſeu beneficentiæ nomen; ſiquidem ea pro ſynonymis ponuntur. Cur tamen ad largitiones & impenſas crebrius ac magis proprie accommodetur, cauſſa mox patebit. Nam, ut de re ipſa ſimul dicamus aliquid, cum liberalitas, ut ex Grotii dictis intelligitur, circa res eas verſetur, quæ juri dominii & crediti ſunt ſubjectæ; jus autem illud magis proprie cernatur in pecuniis, & rebus iis, quæ nummo æſtimantur; hinc fit, ut liberalitas etiam magis proprie circa pecunias atque impenſas occupetur. Verumtamen, quemadmodum interdum jus dominii & crediti latius extenditur; ita ut honores etiam, & quicquid eſt in bonis, quibus perfrui nobis licet, aut quicquid ex quacunque cauſſa nobis debetur, ambitu ſuo comprehendat: quo pacto id accipit Grotius, qui famam etiam ac dignitatem ei ſubjicit: ita etiam liberalitas, quæ circa jus iſtud verſatur. Sicut enim virtutum diverſitas oritur ex diverſitate objectorum, ut ait Grotius: ita etiam ejuſdem virtutis diſtinctio, ex objecti diſtinctione oriri ſolet. Quare quemadmodum jus dominii ac crediti nunc latius ſumitur, nunc anguſtius: ita & liberalitas; & ſi quidem latius ſumitur, clementiam quoque & manſuetudinem, ut diximus, quatenus ea de jure ſuo cedit, & ſic benigne facit alteri, in ſe complectitur; ſi ſtricte, quemadmodum eam accepit Ariſtoteles, & quo pacto eam frequentius accipi, ob cauſſam dictam conſentaneum eſt, à manſuetudine & clementia, tanquam à ſpecie diſparata diſtinguitur. Quia vero frequentius hoc poſteriori modo ea vox accipitur: ideo Grotius arbitratus eſt, eam nullo pacto huc pertinere. At vel ex ſuis dictis videre poterat, eam etiam in impunitate concedenda cerni poſſe. Dixit enim ſupra, lege poſitiva & contractu poſſe quempiam creditorem fieri pœnæ: quod licet in corporalibus vix dicat uſurpari, eo ipſo tamen fatetur, interdum uſurpari, vel ſaltem uſurpari poſſe. Quapropter fieri poteſt, ut quis impunitatem alteri concedendo, & liberalis ſit ſimul, & clemens ſeu manſuetus: ſiquidem quatenus de jure crediti cedit, liberalis eſt: quatenus non punit, manſuetus ac clemens. Quod ſi diverſitatem objecti acrius urgeat Grotius, idem argumentum ipſi opponemus, qui dixit, jure crediti deberi parti offenſæ, ut qui famam ejus mendacio læſit, veri profeſſione reſarciat id, quod de dignitate ipſius delibavit. Id ergo creditum liberalitati, vi argumentationis ipſius, ſubjacebit, de quo ea vel cedat, ſi id permittat honeſtas, vel non cedat, ſi honeſtas diſſuadeat. Eſt enim liberalitatis interdum non dare,* ſed ſibi ſervare, cum dare foret nimium: ſiquidem liberalitas, ut omnis virtus, medium ſervat. Atqui circa honorem & dignitatem verſatur partim

* Partic. 78.

* l. 4. Eth, 1.

magnanimitas ſtrictius ſumta, partim modeſtia, diſtinctæ à liberalitate virtutes, quæ nec illam in ſe comprehendunt, nec has illa. Simile eſt, quod circa eoſdem honores etiam juſtitia particularis occupatur, ut docet Philoſophus (a), quam tamen à duabus iſtis, quibus honorem ſubjecerat, virtutibus diſtinctam eſſe nemo neſcit. Atque ut ad rem noſtram accedamus propius, vindicta quoque ac pœna ſub eandem juſtitiam cadit: ſiquidem illius eſt cavere, ne quis eam præter aut ultra meritum patiatur: quia id cum æqualitate, in qua jus cernitur, pugnaret. Idque patet ex contrariis injuriis, quas juſtitia ſtudet corrigere. (b) Inter eas enim recenſentur verbera, cædes, debilitatio, maledicta, contumeliæ: quæ injuriæ ex ira nimia erumpunt, aliæ ſemper, aliæ plerumque, ac proinde ſub vindicta fere continentur. Quod ſi vindicta ſubjicitur juſtitiæ particulari, ſubjicitur etiam liberalitati ſeu beneficentiæ; cum circa idem rerum genus verſetur utraque, juſtitia quidem, cum eæ ſunt alieni juris; liberalitas cum noſtri. At circa effecta iræ ſeu vindictam verſatur manſuetudo & clementia. Adeo ut tres diſtinctæ in eodem objecto cernantur virtutes, idque ita, ut officium unius cum alterius officio nonnunquam concurrat. Nam juſtitia cavet, ne vindicta immerentem petat, vel ultra meritum ipſius progrediatur, quod etiam cavet manſuetudo: hæc eadem à vindicta licita ſæpe abſtinet, & ſic de jure ſuo cedit, quod idem eſt beneficentiæ ac liberalitatis laxius ſumtæ. Quod ſi Grotius, ob ſubtile aliquod inter manſuetudinem ac liberalitatem hac in parte diſcrimen, urgere velit, clementiam ſub liberalitate latius ſumta directe non contineri, ſed ab ea ratione diſtinctam, diſparatamque eſſe; id illi concedere ſine ſententiæ noſtræ detrimento poſſumus; cum interea nobis relinquatur id, in quo momentum omne poſitum eſt, liberalitatis quoque eſſe impunitatem alteri concedere.

Diſcrimen autem inter virtutes illas earumque effecta (c) hoc poteſt conſtitui, quod cum πρᾳότης ſeu manſuetudo, ut vocis Græcæ fert natura, primo circa iram verſetur, conſequenter circa ejus effecta; ea etiam primo non ad alterum ſpectet, ſed ad eum ipſum, in quo eſt, ac moderationem quandam & tranquillitatem animi in ipſo efficere per ſe laboret: liberalitas contra, ut & juſtitia primo (nempe ratione ac natura, non tempore) occupetur circa effecta iræ, conſequenter circa iram ipſam. Siquidem hæ virtutes primo ac per ſe reſpiciunt alterum, & ejus quidem bona curant, nocumenta vero prohibent, quo per ſe effecta iræ pertinent, ira ipſa nonniſi per effecta. Verum quia iſtud rationis tantum diſcrimen eſt, ideo in negotio noſtro nihil habet momenti. Ne quis tamen hic etiam quippiam poſſet deſiderare, ideo ſuperius expreſſe diximus, eatenus clementiam & manſuetudinem ſub liberalitate latius ſumta contineri, quatenus illa de jure ſuo cedit, & ſic benigne facit alteri. Quanquam Clementiæ vox vel ἐπαμφοτερίζει, *in utramque partem vergit*, vel ad alios magis ſpectat, quam ad eum, in quo ineſt, præſertim cum ea nuſpiam habeat locum, ubi non & beneficentia. At manſuetudo per ſe etiam alibi locum habet. Ubique enim locum habet, ubi & ira; at hæc etiam in eas ſive perſonas ſive res fertur, quibus nocere iratus non poteſt, aut in quas nec beneficium nec maleficium, nec jus nec injuria proprie cadit. Phantaſia enim vindictam etiam ibi ſibi fingit, ubi nulla eſt.

(a) Lib. 5. Eth. 2. (b) ibid. (c) l. 4. Eth. 5. & 2 Rhet. 3.

Objicit ſibi porro in ſequentibus Grotius Partic. 32, quod *cum deberi pœna dicatur, quis hic ſit creditor? Vix enim*, inquit, *intelligi poſſe videtur debitor, ubi creditor ſit nullus.* Etſi vero nos ex ſimplici iſto loquendi modo hujus rei argumentum non petamus, cum aliæ ſatis validæ nobis rationes ſuppeditent: tamen ne hanc quidem objectionem ſolide refutavit Grotius. Ita enim reſpondet: *Sed notandum eſt, vocem debere non ſemper notare relationem inter duas perſonas. Sæpe enim, debeo hoc facere, nihil eſt aliud, quam convenit hoc à me fieri, ſine reſpectu ad perſonam alteram. Ita debeo pœnam, id eſt dignus ſum pœna, & pati eam teneor abſolute: non autem relate ad hunc aut illum.* Nam in hanc reſponſione male confundit Grotius phraſes diverſas: *debeo hoc facere*, & *debeo hoc ipſum*, v. g. pœnam, quaſi hæc non minus abſolute intelligatur atque illa. Atqui, licet hæc poſterior phraſis non evincat neceſſario, perſonam eſſe aliquam, cui debeatur, niſi cum conſtat eam proprie ſumi: ſemper tamen includit relationem aliquam ad eum, cui debeatur, ſeu ad creditorem aliquem, ſive proprie ſive improprie dictum. Indubio autem propriam ſignificationem præferendam eſſe, alibi urget Grotius. Senſiſſe iſtud, quod de vi phraſeos hujus diximus, videtur Grotius; ideoque inferius ait: *ſi quis tamen cupiat in pœna aliquid ſibi dari, quod ſit creditori* ἀνάλογον, *non inepte forte dicitur, ordinem rerum bonumque publicum fungi vice creditoris, cujus ordinis bonique diſpenſatio rectori permiſſa eſt. Hoc enim indicare videtur trita ſententia, Delicta puniri publice intereſt.* Sed mirum eſt, Grotium non potius ipſam communitatem ſeu Remp. voluiſſe creditori reſpondere, quam ipſum bonum commune. Nam creditori rectius reſpondet τέλος ᾧ, ſeu is, qui bono aliquo perfrui debet, & cui illud deſtinatur, quam τέλος ὅ, ſeu bonum ipſum, quod quæritur. Reſpubl. autem eſt, quæ bono iſto perfrui debet. Nec minus ſane dictum iſtud vulgare, quod Grotius affert, huic ſententiæ favet, quam ei, quam ipſe ponit. Favet & illud, quod recte atque eleganter dicatur, quempiam Reipublicæ pœnas perſolvere. Quo autem pacto ei pœna perſolvi, eodem etiam deberi poteſt.

Non ſunt autem prætereunda illa Grotii, verba Partic. 32, quibus denuo probare conatur, non eſſe certum pœnæ creditorem, & ſic, cum quiſpiam dicitur debere pœnam, id abſolute intelligendum eſſe, non autem relate ad hunc aut illum. *Ideo*, inquit, *perinde eſt, in qua republica, ſub quo rectore aliquis pœnas delicti luat. Æque enim apud omnes liberabitur, quod non ita procederet, ſi, ut aliarum rerum, ita pœnæ certus exiſteret creditor. Uni enim illi, non etiam aliis, niſi juſſu ipſius facta ſolutio debitorem liberaret.*

Verum animadvertere debuit Grotius, pœnam non iis protinus perſolvi, apud quos, vel ſub quibus nocens eam luit, ſed iis, quorum nomine, ſeu in quorum gratiam ac commodum aliquod ea repetitur.

Poteſt

Poteſt autem ejus nomine ac bono exigi, qui ſub alio rectore, atque in alia republ. vivit, præſertim ſi pœna conſiſtat in afflictione corporis, ubi nulla fit rei corporalis datio & acceptio, qualis in aliorum debitorum ſolutione fieri ſolet: adeo ut longe facilius ſit abſenti pœnam hujuſmodi, quam aliquod aliud debitum perſolvere. Patet id ex natura ultionis ac vindictæ, quæ illi etiam, qui longiſſime abſit, perſolvi poteſt, idque per quemvis, qui læſi nomine eam repetat, ſive id ipſe juſſerit, ſive rem poſtea ratam habeat. Quamquam autem magiſtratus vix unquam pœnam delicti alibi admiſſi, & ad ſe ſuoſque nihil pertinentis, ſoleat exigere, niſi inſtigante eo, cujus intereſt ſonti pœnam infligi: nihil tamen prohiberet, quominus ipſe, tanquam partis læſæ amicus, cauſam ejus ſponte ſua ſuſciperet, & injuriam ejus, gravem præſertim, & quam vindicatam velle læſum ſit veriſimile, ulciſceretur, eoque pacto debitam ei pœnam perſolvi curaret: quemadmodum etiam amici debitorem fugientem, illo inſcio, comprehendere, & ad debitum, quo is invitus admodum fraudaretur, perſolvendum adigere poſſet: eodemque modo alius aliquis creditoris amicus id à magiſtratu petere atque impetrare. Sic à fure ac raptore in facinore deprehenſo, poteſt quis rem vicini, tanquam amicus, extorquere, certus, ipſum id ratum habiturum, etiamſi id non juſſerit. Nam cum jus ſuum conſequi ſit in rerum expetibilium numero, præſumi merito poteſt, alteri invito jus ſuum redditum, aut debitum perſolutum non iri, præſertim tunc, cum magnæ ſunt ſuſpicandi cauſæ, eum jure ſuo ægre ceſſurum. Perinde ergo tum erit, ac ſi ipſemet dominus aut creditor id, quod in ipſius gratiam amicus fecit, juſſiſſet aut poſtulaſſet. Nam ut in aliis rebus, quemadmodum jura docent *, ita etiam hic ratihabitio mandato comparari poteſt. Quare non recte pro conceſſo ſumit Grotius, tunc, cum ſub alio rectore, atque in alia repub. pœnam ſolvit reus, nec læſo eam perſolvi, nec eo jubente id fieri, præſertim ſi, ut hic faciendum docuimus, ratihabitionem etiam juſſionis loco habeas. Sed arbitratus eſt Grotius, ad id, ut alter magiſtratus, ad quem læſio & injuria per ſe nullo modo pertinet, pœnam à nocente jure poſſit exigere, & ea perſoluta nocens à reatu liberari, nullam partis læſæ vel juſſionem poſtulationemve, vel ratihabitionem, quæ mandati loco ſit, accedere oportere; cum magiſtratus is primo, ac ſuo veluti nomine, nulla læſæ partis habita ratione, pœnam poſſit repetere; quod nos ipſi nequaquam putamus concedendum. Contrarium enim ſatis eſt manifeſtum in pœna pecuniaria. Nam quo jure lucrum iſtud ſibi ſumit magiſtratus is, ad quem ex delicto nullum redundavit damnum? Quod ſi jure id ſibi ſumit, & ſic, ut Grotius vult, ſtatim liberatur nocens, jam magiſtratui ejus loci, ubi facinus eſt admiſſum, aut ei, qui privatim læſus eſt, jus mulctam illam exigendi ereptum eſt. Neque enim poteſt idem debitum jure bis exigi. Quod ſi abſurdum eſt, alterum magiſtratum eo pacto poſſe præjudicare alteri, & lucrum iſtiuſmodi ad ſe pertrahere, neceſſe eſt, ut magiſtratus ille vel injuriam fecerit nocenti, utpote qui alibi denuo ad pœnæ iſtius ſolutionem adigi poſſit: vel ejus nomine ac juſſu, cujus intererat nocentem puniri, id fecerit, & alii cuipiam pœnam perſolvi curaverit. Patet idem, quod diximus, ex pœnæ remiſſione. Nam ſi alter ille magiſtratus, eo, quo Grotius vult, modo pœnam poſſet exigere, poſſet eam eodem etiam modo condonare, eaque res non minus rata eſſe deberet apud omnes, quam ſi is magiſtratus, ſub quo delictum fuit admiſſum, & quiſquis adhuc in pœna illa jus habet, eam remiſiſſet, & reum à pœna prorſus abſolviſſet. Nam qui habet jus puniendi primo, abſque ullo alterius juſſu aut conſenſu, ſive tacito, ſive aperto, is habet etiam jus eodem modo remittendi. Ponamus ergo aliquem qui in Gallia peccarit, in Germania vero, Anglia, aut Hiſpania, vel à Principe, vel ab alio aliquo magiſtratu jus gladii habente veniam petat atque impetret; non poterit is poſtea in Gallia deprehenſus, jure ad pœnam rapi? quis id abſurdum eſſe non videt? Quis enim crediderit, alterum illum magiſtratum facto iſto ſuo jus eripuiſſe magiſtratui alteri, ſibi minime ſubjecto? At ſi is magiſtratus, ſub quo facinus admiſſum eſt, conſentientibus iis, qui jus forte in pœna habebant, facinus iſtud remittat, ipſo facto nocens ſtatim liberatur à reatu pœnæ, nec quiſquam eam jure ab illo exigit. Quod ſi ergo illic mandatum alterius, vel id, quod mandati vice eſt, ad ejuſmodi exactionem, aut remiſſionem pœnæ, qua nocens impoſterum ab eo debito liberetur, accedere oportet, hic non eſt neceſſe; apparet eſſe certum aliquem pœnæ creditorem, qui pro arbitrio eam poſſit vel repetere vel remittere, & is quidem nullus alius, quam læſus. Nulla enim alia iſtius diſcriminis ratio afferri poteſt, quam quod vel ea ipſa Reſpub. in qua facinus admiſſum eſt, vel aliquod ejus membrum, vel rector ipſe læſus eſt, & damnum aliquod ex delicto cepit, quod per pœnam ſit compenſandum: alii vero nullo pacto ſunt læſi, iiſque nulla debetur compenſatio. Rata enim merito eſſe debet remiſſio ejus, cui compenſatio debetur, aliorum haudquaquam; eodem etiam modo ſolutio illi præſtita liberare debitorem jure poteſt, non ea, quæ aliis, ipſo nullo pacto jubente aut conſentiente, facta eſt.

Quod de præmio ſubjungit Grotius Partic. 34, id nullam adverſus nos vim habet, qui ex ſimplici debendi voce proprie dictum pœnæ creditorem non colligimus, ut nec iſtic præmii debitorem. Interim tamen, ut ex eo, quod pœna deberi dicitur, jure colligitur aliquis ſaltem pœnæ creditor: ita etiam ex eo, quod præmium alicui deberi dicatur, aliquis colligitur præmii debitor; & ſi quidem id cuipiam vere debetur, adeo ut iniquum ſit, id ei non perſolvi, neceſſe eſt verum quoque extare debitorem: ſi vero improprie debetur, ut Grotius videtur velle, etiam improprie dictus erit debitor, quiſquis ille tandem ſit, ſive perſona aliqua certa, ſive communitas aliqua.

Sed adhuc quædam habet Grotius Partic. 35, quibus probet, nullum certum extare pœnæ creditorem, ſed bonum publicum fungi vice creditoris, inquit: *Atque hinc evenit, quod cum in cauſis aliis judex inter duas partes cognoſcat, in cauſis criminum ſæpe reus appareat, actor non appareat: quia ordo ipſe*

* D. Reg. Jur. lib. 60. & 152.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſeu bonum publicum quaſi actoris loco eſt: quod & Scriptura videtur innuere, cum dicit peccatum clamare contra peccatorem. Et ubi quis agit ad pœnam, agit aut ut quilibet (quemadmodum iis in locis ubi accuſationes promiſcue omnibus patent) aut ut à lege ad hoc ordinatus: quod iis in locis contingit, qui publice conſtitutos accuſatores habent: quorum utrumque certum eſt indicium, natura & reipſa nullum hic eſſe definitum adverſarium & pœnæ quaſi flagitatorem.

Sed hæ rationes non magis probant bonum publicum eſſe quaſi actoris loco, quam ipſam Rempublicam, ſeu totius communitatis corpus. Deinde eæ non evincunt, nullum eſſe certum pœnæ creditorem, ſed tantum, eum ſæpe cauſam ſuam ipſummet non agere, ſed magiſtratum vel ſponte ſua, nemine inſtigante, vel inſtigante alio, tanquam amico, aut à lege eum in finem conſtituto, cauſam ipſius ſuſcipere ac tueri, & jus ipſi ſuum reddere, quod imprimis tum fieri poteſt, ubi nulla ſit rei corporalis reſtitutio aut acceptio, ut in pœna corporali, de qua hic potiſſimum ſermo eſt, contingit. Nihil autem prohibet, quominus quis magiſtratus ope, vel nemine inſtigante, vel inſtigante aliquo, jus ſuum conſequatur; maxime vero tunc id fieri conſentaneum eſt, ſi vel ſola Reſpub. cenſeatur læſa, vel una cum privato Reſpub. vel denique privatus aliquis, qui accuſare non audeat, potentiam adverſariorum veritus. Decet enim rectorem, qui & Reipub. tutor, & juris privatorum aſſertor ac vindex eſſe debet, decet etiam amicos, aut eos, qui à lege ſunt conſtituti accuſatores, tum illius, tum hujus defenſionem ſuſcipere, & jus ejus perſequi.

Quod vero interſerit Partic. 36, *Scripturam, cum dicit: peccatum clamare contra peccatorem, videri innuere, bonum publicum quaſi actoris loco eſſe*; id vix refutari meretur. Peccatum enim ipſum potius actori comparatur, & fieri poteſt, ut contra bonum publicum clamet, ſi omnes graviſſime peccarint. Poteſt autem ideo dici clamare ad Deum contra peccatores, quia oſtendat, non amplius Deo ferendos eſſe eos, qui peccata ejuſmodi deſignent, quæcunque tandem hujus rei ſit cauſa. Quod ſi ex hujuſmodi loquendi modis quicquam firmiter concludi poteſt, nos facilius probabimus, læſos actorum partes ſuſcipere, & vindictam jure quodam ſuo repetere, præſertim ubi decretum de pœna infligenda, aut comminatio divina, quæ relaxari vel non poſſit, vel non debeat ideo, quia nulla ſit relaxandi cauſa, interceſſit. Hinc enim animæ propter ſermonem Dei occiſorum dicuntur ad Deum clamare Apoc. 6. 10: *Quouſque, here ſancte & verax, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum ab iis, qui habitant ſuper terra?* Ubi cum Deum veracem appellent, indicari videtur, decretum ejus atque effatum, de iſtiuſmodi hominibus puniendis intervenisse, adeo ut veritas Dei, cum nulla relaxandi ſit cauſa, pœnam exigere ſuadeat. Quia vero ea comminatio pœnam iis proponebat, qui ſanctos occidiſſent, ideo ſanctorum intereſſe videbatur pœnem illam repeti. Unde infra cap. 18 verſ. 20, cum de pœna Babylonis agitur, jubet ſpiritus divinus lætari cœlos, & Sanctos Apoſtolos & Prophetas, *quia*, inquit, *judicavit Deus judicium veſtrum de ipſa*: quaſi dicat, veſtras injurias ultus eſt. Vide etiam verſ. 5 & 6 ejuſdem capitis, ubi cum dictum eſſet, peccata hujus urbis conſequuta uſque ad cœlum; ipſi pii jubentur illi reddere, quemadmodum ipſa iis reddidiſſet; nempe quia illorum cauſa id Deus ſit facturus, licet per alios. Confer cap. præced. v. 16, 17. Simili quapiam ratione, quamvis nullo Dei, de quo nobis conſtet, decreto, aut comminatione antegreſſa, dicitur ſanguis Abelis clamaſſe ad Deum Geneſ. 4. 10, nempe contra fratricidam. Sed quid improprias locutiones ſectamur? cum videamus tum in Pſalmis, tum alibi in Sacris Literis Veteris Fœderis. Deum rogari ab oppreſſis, & injuria gravi affectis, ut vindictam de ipſorum hoſtibus ſumat. Vide inter alia Pſal. 69 & 79. & 94. & 137. 7, 8, 9. Jerem. 17. 18. xx. 12. Nempe quia natura hortante læſi vindictam appetunt, cujus cupiditatem Deus ſub Veteri Fœdere, præſertim adverſus hoſtes ſeu extraneos, non prohibuerat, & ne adverſus Iſraëlitam quidem, niſi certa quadam ratione: de qua re nunc non eſt diſſerendi locus. Etſi autem, ut ſupra diximus, omnium hominum, ac inprimis populi divini, qui hæreditas ac peculium Dei dicitur, injuriæ ultimo in Deum redundant Deut. 32. 9. Pſalm. 28. 9. XXXII. 12. LXXIV. 2. Exod. 19. 5, tamen cum ipſi naturaliter ſint læſi, videntur tunc, cum Deus vindictæ cupiditatem non prohibuit Deuter. 32. 35, 36, jus quoddam habuiſſe, eam à Deo, qui ſuorum vindicem & aſſertorem ſe profeſſus fuerat, poſtulandi, præſertim cum apertius aliquod de vindicta iſta ſumenda ipſius exſtitit pronunciatum. Jus enim quoddam ea comminatione, quæ illorum reſpectu promiſſi cujuſdam vim habere videbatur, illis acquiſitum cenſeri poterat ad pœnam repetendam. Sed nos, quibus vindictæ cupiditate interdictum eſt, ejuſmodi Dei comminationes pro nobis contra hoſtes allegare nec poſſumus, nec debemus, ſed potius Chriſti tum præcepto, tum exemplo Matth. 5. 44. Luc. 23. 34. Actor. 7. ult. 1 Cor. 4. 12, 13, quod alii etiam ipſius ſervi ſequuti ſunt, admoniti, pro iis orare, Deo interim non tam intentione, quam vi hujus noſtri facti, quod noſmetipſos vindicare nolimus, ut Chriſtus fecit 1 Petr. 2. 23. Rom. 12. 17, 19, totius rei arbitrium ac judicium permittentes, qui, nobis etiam contrarium expetentibus, injurias noſtras, vel potius ſuas, ulciſci poteſt.

Partic. 37. Quod attinet ad voces ἀφιέναι & χαρίζεσθαι, ſeu remittendi & condonandi, quibus in hoc negotio Sacræ Literæ utuntur, de quibus in ſequentibus diſſerit Grotius; quænam eorum hac in parte vis ſit, dicetur cap. 6. Neque enim nos ex illis concludere ſolemus, quale fuerit Dei jus ad pœnam de nobis ſumendam, ſed, quonam pacto Deus de jure illo, qualecunqne tandem fuerit, ceſſerit, & qua ratione nos à debito reatuve noſtro liberaverit. Modus enim liberationis à debito reatuve noſtro iſtis verbis exprimitur, & is quidem ejuſmodi, qui ſatiſfactionem prorſus excludat. Interim tamen ita licet argumentari contra Grotium: ſiquidem voces iſtæ de Deo in hoc negotio uſurpatæ arguunt, ipſum jus habuiſſe ad pœnam infligendam; vel jus illud fuit Dei proprium, quod ipſi primo non aliena quadam conceſſione competeret; vel alienum, ſeu aliena conceſſione ac nomine ipſi conveniens, quale eſt magi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

magiſtratuum, qui muneris tantum ſui ratione jus iſtud habent, munus autem totum ad alienam utilitatem ſpectat, non ad propriam. Non poſterius, ut omnes animadvertunt: ergo prius. Id autem jus illud eſt, quod volumus, ſeu jus dominii.

Quæ vero Grotius hac occaſione aſſerit ſententiæ noſtræ adverſa, ea in ſuperioribus jam ſunt diſcuſſa. Quare ea non examinamus.

Iſtud obiter notari poteſt, quod ſub finem capitis ait Grotius Partic. 38, quod per catachreſin dicamur pœnam debere etiam accuſatori, ut diabolo; ſi quidem id de Sacris Literis intelligat Apoc. 12.10. quæ ita loquantur, id nuſpiam apparet. Dicitur quidem diabolus accuſator fratrum noſtrorum: ſed quod ei pœna debeatur, nuſpiam affirmatur. Poteſt autem quis in aliena cauſa quempiam deferre; poteſt etiam ex invidia tantum ac per calumniam, à qua diabolus nomen habet, accuſare; quo tempore ei pœna nullo modo debetur. Adde quod iſta diaboli accuſatio in facto potius conſiſtat, quam in verbis. Ideo enim vel ſolum, vel potiſſimum accuſare fratres noſtros, aut Dei ſervos, dicitur, quia non ſecus atque accuſator, eorum perniciem moliatur, & id agat unice, ut eos vincat, & ſic efficiat, ut à Deo puniantur. Contrario modo, quanquam in ſuo genere ampliori ac magis illuſtri, Chriſtus Advocatus noſter eſſe, ac pro nobis interpellare dicitur. Inſpiciantur loci illius, ubi diabolus accuſator fratrum noſtrorum dicitur, circumſtantiæ, quas expendens Ribera, licet accuſationem etiam proprie dictam appellatione iſta velit comprehendi, ita ſcribere coactus eſt: *At quid ad rem præſentem attinet nomen accuſatoris, & quod ſtatim ait: Qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri? Senſus eſt: Quia victus & projectus eſt ille, qui fratres noſtros ſæpe vincebat, & ad peccata adducebat, de quibus eos poſtea ſemper apud Deum accuſabat.* Iſti autem accuſationi, quam Ribera vult victoriæ iſti ſuccedere, ex adverſo reſpondet in Chriſto, qui Rex ac judex à Deo conſtitutus eſt, noſtri à peccatorum pœnis abſolutio, quæ quia primo ex Dei, jure ſuo cedentis, benignitate pendet, cujus diſpenſationem Chriſto commiſit; ideo Chriſtus eam nobis præſtans, cum proprie Rex ac judex ſit, improprie advocatus appellatur, & pro nobis interpellare dicitur, non ſecus ac ſi alienam nobis benignitatem impetraret, cujus reipſa exhibendæ pleniſſimam habet poteſtatem. Sed hac de re cap. 10 differendi erit locus.

RESPONSIO

Ad Caput III. quod inſcripſit Grotius:

Qualis ſit Dei actus in hoc negotio, & oſtenditur eſſe legis relaxationem, ſive diſpenſationem.

PRimum ergo ſic ſcribit Grotius Partic. 1: *Cum Deus hic, quemadmodum probaverit, ſit ſpectandus ut rector, ſequi, actum hunc eſſe actum juriſdictionis generaliter dictæ. Unde ſequatur, non agi hic de acceptilatione, ut putet Socinus; cum ea non ſit actus juriſdictionis.*

Triplicem Dei actum hic ſpectandum eſſe, initio ſuperioris capitis monuimus: remiſſionem peccatorum; ſanctionis divinæ, quæ pœnam æternæ mortis peccantibus, nulla fidei aut reſipiſcentiæ habita ratione, comminabatur, relaxationem, ut vult Grotius, vel potius abrogationem quandam; denique traditionem Chriſti in mortem. Quæ tria veluti unum quendam actum conſiderat Grotius, ratione tantum in plures diſtinctum: cum tamen primus atque ultimus reipſa diſtincti ſint, licet hic ad illum, tanquam medium ad finem ſuum, referatur. Quomodo autem in unoquoque horum actuum Deus ſit ſpectandus, eo, quem diximus, loco explicuimus. Non oſtendit autem Grotius, Deum in eo actu, qui in hoc negotio eſt præcipuus, & cæterorum duorum finis, h. e. in peccatorum noſtrorum remiſſione, ſpectandum eſſe ut Rectorem. Nos vero docuimus, eum conſiderandum eſſe ut partem offenſam prorſus liberam, ac nullius poteſtati ſubjectam, quam pœnæ creditorem eſſe vidimus. Itaque ſi Grotius, ut quidem apparet, per Juriſdictionem generaliter dictam intelligit poteſtatem regendi alios, & ea omnia adminiſtrandi quæ ad gubernationem proprie pertinent; negamus remiſſionem peccatorum noſtrorum eſſe juriſdictionis illius actum ſeu effectum. Relaxationem aut abrogationem legis, quæ cum remiſſione peccatorum concurrit, ejus actum fuiſſe non negamus. Sed ſi juriſdictionem magis proprie ſumas, pro poteſtate judicandi, & ſententiam tum ferendi, tum exſequutioni mandandi, vel contra etiam mitigandi aut penitus remittendi, (nam huc quoque juriſdictio extendenda eſt, ſi remiſſio peccatorum ad eam revocari debeat,) fatemur remiſſionem peccatorum ejus eſſe actum. Verum ea juriſdictio non eſt natura ſua rectorum tantum propria, quemadmodum nec remiſſio, ſed omnibus iis competit, qui nullius ſunt poteſtati ſubjecti, & ſic liberrimum habent de jure ſuo ſtatuendi arbitrium, præſertim ſi ſimul vires habeant & facultatem ſententiam latam exſequendi. Oſtenſum * eſt cap. 2 eatenus iis, qui rectores non ſunt, vel ſaltem non conſiderantur ut rectores, juriſdictionem illam competere, quatenus de proprio ipſorum jure agitur; cum rectorum qua talium ſit potius de alieno jure agere, niſi forte eorum, quibus præſunt, ſint domini, quibus dum jus dicunt, ſimul etiam agunt de ſuo. Rectoris enim poteſtas, ut ipſe Grotius indicavit, eſt in alios & aliena, & dominio, quod habemus in nos noſtraque, eatenus opponitur. Itaque quo liberior eſt juriſdictio, & quanto plus judicanti licet de jure illo, de quo ſententia ferenda eſt, pro ſuo arbitrio, non aliena conceſſione remittere, tanto minus ea eſt regiminis propria: quia libertas iſta dominii eſt, & jus illud ipſius judicantis eſſe proprium arguit. Ea vero libertas in noſtro negotio manifeſte conſpicitur, quandoquidem Deus pro ſuo arbitrio, non aliena conceſſione, peccata nobis remiſit, & toti hominum generi

* Vid. partic. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hanc tantam benignitatem obtulit. Quare juriſdictio ea, quæ in hoc actu diſtincte conſiderato ſpectanda eſt, non eſt ea, quæ regiminis eſt propria. Neque vero eſt, quod objicias, juriſdictionem illam generaliter, ut Grotius loquitur, dictam, eſſe verum genus juriſdictionis, hujus, quæ magis proprie ſic appellatur; ac proinde cum illa Rectorum, qua talium, ſit propria, hanc quoque eſſe illorum propriam. Non enim juriſdictio illa hujus genus eſt, ſed ad eam ſe habet ut totum ad partem, quæ natura aut genere ſuo poſſit etiam extra totum illud conſiſtere; quo pacto ſe habet homo ad caput aut pedes, aut quo pacto, ut in eodem rerum genere maneamus, juriſdictio illa, quam Grotius intelligit, ſeſe habet ad poteſtatem de jure aliquo remittendi. Nam poteſtas de jure cedendi aut remittendi non tantum rectoribus competit, ac juriſdictionem iſtam laxius ſumptam habentibus, ſed & privatis, ut dominis aut creditoribus. Quemadmodum autem partes alicujus totius, licet genere eædem ſint cum aliis, extra illud totum exiſtentibus, tamen aliquid ſolent habere peculiare, quo à cæteris ejuſdem generis diſtinguantur, ac toti ſuo, quod conſtituunt, accommodentur, &, ut Scholæ loquuntur, approprientur: quo modo caput & pedes hominis aliquid habent ab aliis ejuſdem generis capitibus aut pedibus diverſum, & naturæ humanæ accommodatum: ita & juriſdictio illa ſtrictius ac magis proprie ſumpta, quatenus juriſdictionis laxioris pars eſt, habet quippiam peculiare, quo diſtinguitur ab ea, quam domini aut creditores liberi ac nullius poteſtati ſubjecti habent. Nempe quod Rectores, quarum prior eſt propria, de alieno jure ſententiam ferant, aut aliena conceſſione de eo remittant; hi contra de ſuo agant, de quo pro arbitrio ac voluntate ſua remittunt. Hujus autem poſterioris generis juriſdictionem illam eſſe, cujus actus eſt peccatorum noſtrorum remiſſio, paulo ante vidimus.

Videre jam poteſt Grotius, etiamſi Socinus dixiſſet, agi hic de acceptilatione, ſeu actum hunc Dei eſſe acceptilationem, eam tamen ſententiam iſto, quo hic utitur, argumento, utpote invalido, non everti. Sed unde conſtat Grotio, ita ſentire Socinum? quod idem de ipſo affirmat inf. cap. 6, nec ſcripſit id Socinus uſpiam, nec cogitavit: ſed tantum alicubi reprehendens doctos quoſdam viros, * (in margine autem libri ſui Bezam notat,) qui vocem Imputandi apud Paulum exponentes, dicant, id nobis acceptum ferri, quod non ipſi exſolvimus, ſed alius pro nobis, oſtendit, illos non recte loquutos: ſiquidem actus, quo quippiam acceptum fertur alteri, qui acceptilatio dicitur, ſit per ſola verba obligationis liberatio, ita ut acceptum non poſſit ferri illud, quod revera ſolutum eſt. Quod ſi ob hæc verba (alia enim non reperio) Socinum & hic & infra reprehendit Grotius, ipſemet cernere jam poteſt, vel Socini verba ſe non conſideraſſe, vel inique reprehendiſſe.

Quæ poſtea ſubjicit Partic. 2, de diverſa conſideratione divini hujus actus, *qui ſpectari queat, aut cum relatione ad divinam ſanctionem, ſeu, ut recentiores Juriſconſulti loquantur, legem pœnalem, vel citra eam relationem:* & quod *etiamſi Lex nulla pœnam expreſſiſſet, naturaliter tamen ipſe actus humanus, ſive intrinſecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, ſive etiam extrinſecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipſo pœnam aliquam, & quidem gravem, fuerit meritus; h. e. par fuerit hominem peccatorem puniri;* Ea nos libenter agnoſcimus; modo recte intelligatur, primum, quatenus pravitas actus humani pœnam mereatur, qua de re diximus cap. ſuperiori Partic. 22; deinde, qua ratione par fuerit, hominem peccatorem puniri. Hæc enim poſteriora verba ſunt ambigua. Nam vel ita ſumuntur, ac ſi dictum eſſet, æquitatem ipſam requiſiviſſe, ut homo peccator puniretur; quo pacto ea non ſunt in univerſum admittenda. Id enim verum eſt de certis tantum peccatis, de quibus vindicandis decretum aliquod Dei extat: vel hoc pacto intelliguntur, hominem peccatorem jure puniri, eumque fuiſſe pœna dignum, &, ut inferius hoc cap. loquitur Grotius, punibilem; adde etiam, cauſam fuiſſe aliquam, pro delicti ratione nunc majorem nunc minorem, quæ Deum ad puniendum moveret, licet non neceſſario, ſed ita, ut Deus ſalva æquitate poſſet nihilominus pœnam remittere; quemadmodum etiam dicere poſſes, par eſſe à debitore ſolvi debitum, aut creditorem id ab ipſo repetere. Hoc autem poſteriori ſenſu verba illa concedimus. Quod ideo monemus, ne quis arbitretur, vel ſimpliciter, ut multi volunt, vel aliquo ſaltem modo, ut velle videtur Grotius, æquitatem ac juſtitiam Dei requiſiviſſe, ut etiam reſipiſcentium peccata, ſi non illis ipſis, ſaltem in aliquo alio vindicarentur ac punirentur.

Quod vero ſubjicit Partic. 3: *Actum Dei, de quo agamus, fuiſſe punitionem unius ad impunitatem alteri conſequendam, de cujus actus juſtitia mox ſit acturus;* Id nos, ut cap. 1. patuit, merito negamus, & injuſtum futurum fuiſſe, cap. ſeqq. Deo dante, demonſtrabimus. Afflictio tantum hic fuit unius, nempe Chriſti, ad impunitatem omnibus hominibus parandam, & afflictio quidem ad truculentam & ignominioſam admodum mortem progreſſa.

Cum porro ſcribit Partic. 4: *Si reſpiciamus ſanctionem ſive legem pœnalem, erit actus ipſe via ad indulgentiam ſeu temperamentum ejuſdem legis, quam indulgentiam hodie diſpenſationem vocamus: quæ definiri poteſt, actus ſuperioris, quo legis manentis obligatio circa quaſdam perſonas aut res tollitur:* Primo conſiderandum eſt, an & quatenus ſanctio talis exſtiterit, quæ peccatoribus omnibus, nulla reſipiſcentiæ aut fidei habita ratione, pœnam æternæ mortis minaretur, (talem enim ſanctionem, ut mox patebit, intelligit Grotius;) deinde an ea, quæ extitit, relaxata tantum fuerit, an vero etiam alius aliquis actus potior, nempe abrogatio quædam, acceſſerit. Cujus inquiſitionis in hac diſputatione noſtra utilitas apparebit inprimis cap. 5, attingetur tamen à nobis ſub finem hujus ipſius tractationis; quanquam & alium in ſacra Theologia uſum habet.

De priori hujus quæſtionis capite ita ſcribit Grotius Partic. 5: *Sanctio hæc eſt: Homo comedens de vetita arbore omnino morietur* Geneſ. 2. 17. *Ubi per unam ſpeciem peccati omne peccati genus indicatur, ut exprimit Lex eadem clarius repetita, Maledictus qui non manſe-*

* Lib. 4. c. 2.

manſerit in omnibus præceptis legis Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. *Mortis autem & maledicti voce his locis intelligimus præcipue mortem æternam. Perinde ergo ſe res habet, quaſi in hunc modum Lex eſſet concepta: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ.*

Hic primo fatemur, myſtico ſenſu, ad quem Sacræ Literæ Novi Fœderis ſolent reſpicere, in locis à Grotio citatis, mortis & maledictionis nomine mortem æternam ſignificari: ſenſu literali ſeu hiſtorico non item. Id enim de mortis nomine nos docuimus cap. 1. Partic. 67, de maledictionis voce oſtendit Grotius inf. cap. 10, ubi ait: pœnam, maledictionis nomine in verbis iſtis legis ſignificatam, juxta carnalem, ut ipſe loquitur, ſenſum fuiſſe mortem violentam, idque ex contrario, nempe vita, legem implenti promiſſa, probat. Deinde licet, ut infra patebit, ſalva noſtra de Chriſti morte ſententia concedi queat, talem ſanctionem, qualem urget Grotius, ab ipſo etiam mundi origine extitiſſe: tamen quod ad priorem locum à Grotio citatum attinet, probandum ipſi eſt, eum ſive literali, ſive myſtico ſenſu acceptum, ad omnes in univerſum, qui peccaverint, pertinere, & cum illa legis ſanctione, quam ex Deuter. 27 & Galat. 3 citat, eandem revera ſententiam continere, ac perinde eſſe accipiendum, ac ſi dictum foret: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ. Nam nec verba loci id arguunt, nec Sacræ Literæ uſpiam docent, nec res ipſa evincit, imo etiam diſſuadet, ut mox apparebit: nec recte Grotius, cauſæ ſuæ ſervire volens, ita ejus loci verba concepit, ac ſi dixiſſet Deus: *Homo comedens de vetita arbore omnino morietur*; ut poſtea vocem Hominis indefinitam tanto commodius ad omnes homines poſſet trahere: cum tamen verba Dei ad ipſum Adamum, cum quo, ut Paulus quoque fere in hac materia facit (Vid. Rom. 5. 12. 15. & ſeqq. 1 Cor. 15. 22. Conf. 1 Tim. 2. 14. vid. Gen. 3. 3. Confer cum c. 2. 17) Eva eſt computanda, directa fuerint hoc pacto: *In die quo comederis ex ea* (arbore) *moriendo morieris*, d. l. Geneſ. 2. 17. vide etiam cap. 3. 11. Ac ne Grotius illa Dei verba ad omnes in univerſum homines traheret, ipſa peccati illius, cujus pœna in iis conſtituitur, ratio monere poterat. Nam primum nihil conſtat, omnes homines de arbore iſta comedendi occaſionem habituros fuiſſe, ita ut illis ea re ſub comminatione pœnæ eſſet interdicendum Gen. 1. 28, præſertim per generationem multiplicatis, atque in omnes terræ partes diſperſis, ubi Deum alias arbores iſti ſimiles plantaſſe aut plantaturum fuiſſe nil conſtat. Deinde nihil prohibet, quominus Deus poſtea ipſis etiam primis parentibus arboris ejus uſum permitteret; cum in ea re per ſe ac natura ſua nihil eſſet mali, ſed boni potius aliquid, ut ex naturali ejus effectu conſtat; imo id aliquando futurum fuiſſe admodum eſt probabile. Quod vero Grotius ait, per unam peccati ſpeciem omne peccati genus indicari; ſi id vult, ſpeciem pro genere eſſe poſitam, & ſic peccato indefinite ſumpto, non vero definite huic ipſi peccati ſpeciei pœnam mortis in illis verbis conſtitutam; id manifeſte falſum eſt. Sin vero id tantum vult, una cum hac ipſa peccati ſpecie, quæ nominatim ac definite ſit intelligenda, eſſe tacite comprehendendas alias omnes peccati ſpecies, quibus eandem pœnam conſtitutam eſſe intelligi debeat; primum id non evertit argumentum illud noſtrum; cum nihilominus neceſſe ſit, eos omnes, ad quos hæc comminatio per ſe ac directe pertinet, (pertineret autem directe ac per ſe ad omnes, ſi ea pro univerſali ſanctione foret habenda) etiam iſtius peccati, cui nominatim pœna eſt propoſita, committendi occaſionem habere. Deinde non debet Grotius facile pro conceſſo ſumere, Deum vi hujus comminationis eandem protinus pœnam ob quodvis delictum, præſertim expreſſe non prohibitum, homini fuiſſe inflicturum. Nam cauſæ aliquæ potuerunt eſſe non exigui momenti, cur Deus huic delicti ſpeciei pœnam hanc conſtitueret, quæ cum vel in hoc uno tantum, vel certe non in omnibus aliis delictorum generibus locum habeant, non eſt mirandum, ſi non eadem protinus pœna iis omnibus ſit conſtituta, quæ illi uni. Primo enim ideo huic delicto pœnam hanc figere poterat Deus, quia ab eo abſtinere admodum erat facile, & ſic major quidam, quam in aliis peccatis, à quibus difficilius eſſet ſibi cavere, in eo erat appariturus divini imperii contemtus, qui longe foret maximus, ſi vera eſſet vulgaris aliorum ſententia, de admirabili quadam primorum parentum ac proprie divina ante lapſum ſapientia & juſtitia, qua factum fuerit, ut intellectus quidem Deum ejuſque voluntatem, & quicquid eſt cœleſtium myſteriorum, quæ ad hominem aliquo modo poſſent pertinere, perfecte cognitum haberet, voluntas autem cum intellectu penitus conſpiraret, denique utrique ſine lucta ſeſe ſubjiceret appetitus. Nam ſi ita ſe res habuit, delictum iſtiuſmodi ipſorum reſpectu vel prorſus fuit impoſſibile, vel admirabilem quandam in illis improbitatem ac malitiam derepente neceſſe fuit exiſtere, & neſcio quam animi perverſitatem, ac majeſtatis divinæ, quam perfecte noverant, contemptum, ſuppliciis omnium atrociſſimis digniſſimum. Deinde eam ob cauſam pœnam illam huic uni delicto potuit proponere, quia præceptum hoc de vitando arboris illius uſu primum erat, quo primorum parentum noſtrorum obedientiam explorare, & ipſorum erga ſe pietatis experimentum capere volebat: quæ ratio in aliis delictis locum habitura non erat. Quapropter cum alias notum ſit, ea, *(a)* quæ ad pœnas ſpectant, benignius eſſe accipienda, & ſanctionum ſupplicia delictis conſtituentium ſeveritatem non augendam & exaſperandam eſſe, ſed potius minuendam ac mitigandam, niſi de legiſlatoris voluntate aliunde aperte conſtet; non eſt vox Dei tam ſevera, quæ ob unum peccati actum pœnam æternæ mortis comminabatur, ad alia omnia peccatorum genera, ſinguloſque eorum actus, ab eodem licet homine, cui Lex illa fuerat lata, commiſſos trahenda; non eſt etiam ad omnes prorſus homines continuo extendenda; cum jura quoque doceant, *(b)* conſtitutiones quaſdam Principum plane perſonales eſſe, nec ad exemplum trahi, in quo cenſu pœnales quoque collocantur, quæ nonnunquam perſonam non egrediantur. Deinde etiamſi par eſſet hujus & aliorum delictorum ratio, ita ut ex hac divina comminatione recte concludi poſſet, Deum eandem pœnam hominibus ob quodvis aliud delictum fuiſſe inflicturum; non tamen

(a) Reg. Jur. l. 17. *(b)* D. l. 1. tit. 4. de conſtit. Princ. l. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſequeretur, id ipſum à Deo hujus comminationis verbis fuiſſe comprehenſum ac conſtitutum. Sæpe enim fieri poteſt, ut vel ex lege aliqua ſpeciali, vel ex ſententia, à judice in certa aliqua cauſſa lata, ad ſimilem caſum recte progrediamur, & idem de illo ſtatuendum eſſe, argumento à pari ducto concludamus, etiamſi nec legiſlator, nec judex ille caſum iſtum, vel etiam totum iſtud rerum aut delictorum genus, de quo nos agimus, verbis ſuis fuerit complexus, &, ſive id illi in mentem veniret, ſive minus, ad id in illis non reſpexerit, propterea quod id ad ipſius propoſitum tum temporis nihil faceret. Quapropter nulla erat cauſſa, cur Grotius ſanctionem illam Dei, Adamo ſpecialiter in certo delicti genere propoſitum, ad omnes homines omniaque delicta extenderet. Imo ſi quis ea diligentius conſideret, quæ Paulus in poſteriore parte cap. 5. Rom. diſputat, deprehendet, ante Legem Maſaicum nullam extitiſſe ſanctionem Dei generalem, qua cuivis peccanti mortis æternæ pœna proponeretur, & hanc, qua de nunc agimus, comminationem, myſtice licet acceptam, fuiſſe per ſe ac natura ſua plane ſpecialem. Nam alias Paulus affirmare nequaquam potuiſſet, omnium hominum damnationem, vel ante, vel extra Legem Moſaicam viventium, vel etiam ea Lege animo interim ſemota, ex uno Adami delicto fluxiſſe; cum eos ipſos peccaſſe, & eatenus, quatenus peccaverint, mortem in eos omnes tranſiiſſe, expreſſe antea dixiſſet. Etenim ſi generalis ejuſmodi ab ipſo mundi initio extitiſſet ſanctio, quæ omnes homines peccantes morti æternæ addiceret; jam ii, qui peccaverant, per ſe, nulla prorſus habita ratione delicti ab Adamo commiſſi, condemnationi fuiſſent ſubjecti, eandemque pœnam vi ſanctionis iſtius divinæ ſubire debuiſſent, id quod aſſertioni Paulinæ prorſus adverſatur. Nec eſt, quod quis dicat, non debere id, quod Paulus ſimpliciter aſſerere videatur, ſimpliciter accipi: quandoquidem condemnatio hominum, ex ipſa comminatione divina, ante delictum extante, argumentatione à paribus ducta, derivari jure potuerit, cujus tamen comminationis nullam prorſus mentionem faciat Apoſtolus. Nam primum Paulus comminationem illam, quia plane perſonalis erat, & ad illam unam peccati ſpeciem, qua Adamus peccarat, reſtricta, eam delicti aut tranſgreſſionis Adami mentione tacite comprehendit, quemadmodum & judicium tranſgreſſionem conſequutum. Nam delicti nomine brevitatis ac concinnitatis cujuſdam cauſſa, tum antecedentia illius, tum conſequentia, unde illud vim aliquam, vel ad Adamum, vel ad alios homines morti ſubjiciendos habebat, complexus eſt: quemadmodum ipſius Adami nomine Evam, ut ſupra diximus, comprehendit, ut eum cum Chriſto tanto elegantius conferret, & unum hominem uni opponeret. At non eodem modo potuiſſet Paulus comminationem illam delicti iſtius nomine comprehendere, & nullam expreſſam illius mentionem facere, ſi ea ad omnes homines omniaque eorum delicta directe pertinerent. Deinde non eſt concedendum, omnium hominum condemnatione, de qua Paulo ſermo eſt, ex iſta Dei comminatione Adamo propoſita, à paribus ducto argumento, ſatis firmiter & evidenter deduci poſſe. Quod ipſemet Paulus aperte indicat ꝟſ. 13, 14, propterea quod Adamus expreſſum Dei mandatum, cui comminatio illa fuit adjuncta, tranſgreſſus fuerat, cæteri, ii præſertim, qui ante Legem Moſaicam vixerant, non item. Atque hinc Paulus non obſcure colligit, aliam aliquam ſubfuiſſe cauſam, ob quam omnibus Adami poſteris, licet non eodem modo cum parente ſuo peccantibus, idem tamen ſupplicium fuerit irrogatum, idque ait fuiſſe ipſum Adami delictum ſeu tranſgreſſionem. Poterat enim Deus cum poſteris Adami peccantibus ſeverius agere ob parentis delictum, quam alias fortaſſe acturus erat, & eandem illis pœnam infligere, licet non eodem plane modo, aut ratione pari peccaſſent; cum alias natura ſua injuſtum non eſſet, eam ipſis pœnam propter ipſorum delicta irrogare, utpote naturali ipſorum conditioni admodum conſentaneam. Etiamſi enim Deus ob parentum delicta nunquam puniat liberos vel citra vel ultra eorum ipſorum meritum: interdum tamen ob parentum delicta ſeverius commeritam pœnam à poſteris exigit, quam alias vel non fuiſſet exacturus, vel mitigaturus. Qua de re agetur cap. ſeqq. Taceo jam, potuiſſe mortem æternam, etiam citra peccatum ipſorum Adami poſterorum, in illos ex parentis ſui delicto, ſeu ejus delicti occaſione, tranſire; cum ad eam rem nihil aliud eſſet opus, quam naturalem eorum conditionem non mutari: id quod & abſque ipſorum mentio & citra pœnæ rationem, præſertim quod ad ipſos poſteros attinet, fieri poterat. Qua de re Socinus dixit*, & nos nonnihil cap. 1. partic. 65.

Quod ad alterum locum attinet, quem ita citat Grotius: *Maledictus qui non manſerit in omnibus præceptis legis*; primum ex iis, quæ hucuſque dicta ſunt, ſatis conſtare poteſt, hanc ſanctionem non eſſe eandem cum illa Dei comminatione Adamo propoſita Geneſ. 2. Deinde etſi verba illa ob ſimilitudinem quandam & analogiam, tum ratione culpæ, tum ratione pœnæ in iis expreſſæ, ad eos quoque accommodari poſſunt, qui ſub Lege non vixerunt, & ſic ad univerſos homines extendi; præſertim poſtquam illis hæc legis vox, illiuſve ſententia aliquo pacto innotuit, ut paulo poſt declarabimus: tamen, ſi textus conſulatur, ipſamet verba ſatis indicant, ea ad Judæos ſolos, qui ſub Lege Moſaica vixerunt, revera pertinere, etiam eatenus, quatenus myſtice ſumuntur. Nam in textu non ſimpliciter *Legis*, ut habet Grotius, ſit mentio, ut poſſit quis quamcunque Dei Legem, etiam naturæ tantum hic intelligere, ſed *Legis hujus*; quæ particula *hujus* Legi addita, eam ad Moſaicam reſtringit; quod adhuc clarius effert Paulus, dum verba illa Moſis quodammodo explicans, ita ea citat Gal. 3. 10: Maledictus *omnis qui non permanet in omnibus quæ Scripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea*; licet Apoſtolus eo loco myſticum verborum iſtorum ſenſum ſequatur. At quis neſcit, Legem iſtam, cujus in illis verbis ſit mentio, ſolis Judæis revera latam eſſe, ſecundario peregrinis inter ipſos habitantibus? Quod ſi alii aliqui eam poſtmodum receperunt, id ex eventu, non ex Dei Legem illam ferentis intentione factum eſt, licet id alioquin ipſi eſſet gratum. Neminem enim is ad gentes miſit, eos hortatum, ut eam Legem reciperent, ut Euangelio

* Soc. l. 4. c. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gelio factum eſt. Quemadmodum ex Hiſtoria S. & non paucis Scripturæ dictis eſt manifeſtum. Vid. inter alia Deut.4.6,8. Pſal.147.19,20. Rom.9.4. Eph. 2.12: Ad eos nempe pertinuit Lex Moſaica, ad quos antiquum Fœdus. Hoc autem ad ſolos ſpectavit Iſraëlitas: quapropter etiam hæc legis ſanctio, quæ fuit illius Fœderis quoddam veluti vinculum, quo homines, qui ad illud pertinebant, ad conditiones ejus omnes ſervandas adſtringebantur, nec minus ad leges ceremoniales, quam ad morales. Ideo Paulus in ipſo ad Gal. loco, de ſe ſuique gentis hominibus peculiariter dicit, ſe per Chriſtum ab exſecratione legis liberatos eſſe, de gentibus non item, quas ea in re à Judæis non abſcure disjungit, ut alii quoque viri docti * obſervarunt. Ita enim ait: Chriſtus *nos* redemit ab exſecratione legis, factus pro *nobis* exſecratio &c. Ut *in gentes* (h. e. gentibus) benedictio Abrahamæ contingeret (vel *contingat*) in Chriſto Jeſu, ut promiſſionem ſpiritus *acciperemus* (vel accipiamus) per fidem. Vide annot. Bezæ ad ℣ſ. 14, ubi diſcrimen inter Iſraëlitas & Gentes manifeſte conſtitutum aſſerit. Id vero non minus fit ℣ſ. 13. cum 14, collato. Ex quo apparet, non recte Grotium paulo poſt iſta Apoſtoli verba ℣ſ.13, ita citare, ac ſi ad omnes omnino fideles pertinerent: quod idem de altero quoque loco ibidem adducto Rom. 8. 1,2 dici poteſt, licet verba ipſa per ſe ſumta ita late, ut vult Grotius, extendi queant. Nam Paulus ea extulit reſpectu eorum, qui ſub Lege antea vixerant, ut tum ex univerſo cap. 7, cum quo connectuntur, tum ex ſequentibus ejuſdem c. 8 verbis eſt manifeſtum. Sed præterea ex eo quoque colligi poteſt, illam Legis ſanctionem, quæ mortis æternæ pœnam peccantibus conſtituit, non ad gentes, ſed ad Judæos tantum, vere ac proprie pertinuiſſe, quod Paulus Rom. 2. 12, de juſto Dei judicio, quod in omnes ſuo tempore ſit exerciturus, agens dicat: *quotquot ſine Lege peccarunt, ſine Lege etiam peribunt: & quotquot in Lege peccarunt, per Legem judicabuntur.* Quod ſi enim vox illa Dei tam ad gentes quam ad Judæos vere ac proprie pertinet, cur non omnes, etiam gentes, per Legem illam damnabuntur? Quis enim hujuſmodi legis in iis, qui peccant, foret uſus, ſi ejus vi tunc non damnarentur, cum abolendi juſto Dei judicio dicuntur?

Etiamſi autem proprie ſanctio iſta ad gentes non pertineat, tamen, ut antea monuimus, per analogiam quandam ad illas quoque accommodari poteſt, quemadmodum & Lex generatim ſumta, quatenus ea cum Lege naturæ conſentit; præſertim ab eo tempore, ex quo Legis proprie dictæ ſententia reconditior, naturæ maxime conſentanea, hominibus generatim omnibus innotuit, & ab iis conſcientiæ vi compulſis, tanquam æquitati naturali conveniens, agnita eſt; quod Euangelii tempore revera eſt factum. Id enim, ut doceat, omnes homines remiſſione peccatorum, quod beneficium eſt Euangelii maxime proprium, ſummopere indigere, vim ſanctionis legalis, qua homines damnari merito potuerint, tanquam naturali æquitati, aut ipſius naturæ legi admodum conſentaneam, urget, eamque ſimul explicat, & eo pacto ipſam naturæ Legem quodammodo excitat, & vim ejus veram oſtendit. Quo videtur reſpexiſſe Paulus Rom. 1. ult. Sunt enim Lex Moſis, præſertim ſi reconditum ejus ſenſum ſectes, & ea omnia, quæ ex legiſlatoris potiſſimum voluntate pependerunt, ideoque dogmata ſeu placita in Sac. Literis appellantur Epheſ. 2. 15. Col. 2. 14, 20, removeas, & Lex naturæ inter ſe admodum ſimiles & analogæ, eademque aliquo modo in ſe continent, licet altera clarius & diſtinctius, altera obſcurius & confuſius, itemque altera perfectius, altera imperfectius; ita ut altera per alteram, obſcurior nempe per clariorem, explicari recte poſſit. Nam ut Lex Moſaica tum præcepta complectitur, tum promiſſa & minas, ſeu præmia & pœnas, illa Legem obſervantibus propoſita, has tranſgredientibus: ita & Lex naturæ eadem quodammodo habet. Siquidem & natura quædam præcipit, quædam prohibet; ac ſpe quidem bona implet, & quadam conſcientiæ voluptate perfundit recte agentes, metum ac terrorem incutit male agentibus; ut præter experientiam docent plurima profanorum etiam ſcriptorum teſtimonia. Itaque cum ea omnia lege aliqua expreſſa, licet certo alicui populo lata, veluti evoluntur, & tum præceptorum, tum præmiorum ac pœnarum natura diſtinctius explicatur, lex iſta expreſſa cum naturæ lege quodammodo coaleſcit, & eadē fere cum illa eſſe videtur, eique nomen etiam ſuum largiri poteſt. Solent enim ſimilia ſimilibus, analoga analogis appellationem tribuere. Quod autem de lege generatim ſumta dicimus, id etiam de ſanctione iſta pœnali, in qua maxima legis vis conſiſtit, quam ad homines pœnæ ſubjiciendos habebat, intelligendum eſt. Unde, licet expreſſa illa Legis Moſaicæ ſanctio ſub N. Fœdere abrogata ſit, ut paulo poſt videbimus: tamen quatenus ea cum naturæ ſanctione, quam excitavit, evolvit, ac veluti animavit, coaluit, atque ita animis hominum ac conſcientiis inſculpta eſt, hodie quoque durare videtur, & eos, qui peccant, æternæ mortis pœna dignos eſſe arguit ac convincit; adeo ut remiſſio peccatorum eatenus relaxatio tantum quædam eſſe videatur. Quamquam etiamſi Lex Moſaica, aut iſta, de qua loquimur, illius ſanctio cum naturæ Lege non ita coaleſceret: tamen nos pœna mortis æternæ, ſemota Dei benignitate in Euangelio nobis oblata, dignos eſſe, convincere poſſet. Nam quam pœnam Deus peccantibus ſemel fixit aut irrogavit, eandem poſſet etiam omnibus in perpetuum figere: cum neceſſe ſit, eam natura ſua juſtam eſſe & æquitati conſentaneam, ſeu eos, qui peccant, pœnam hanc vere mereri, eaque per ſe dignos eſſe. Ac tali aliqua ratione affirmare videtur Paulus Legem eſſe potentiam peccati 1 Cor. 15. 56. Taceo quod ex voluntaria quoque hominis obligatione vim Lex habere queat hodie, quod fit, cum quis, abdicata Chriſti gratia, ei ſe ſponte obſtringit ac mancipat, qua de re vide Gal. 5. 2,3,4.

Sed ut ad alterum quæſtionis propoſitæ caput accedamus; ex dictis apparet, ne relaxatione quidem proprie dicta ſanctionis pœnalis, expreſſe à Deo propoſitæ, ad remiſſionem peccatorum opus fuiſſe reſpectu omnium, quibus remiſſio illa fuit oblata aut conceſſa. Cum nulla talis expreſſa fuerit ſanctio, quæ omnes in univerſum peccantes, etiam Ethnicos, mortis

* Calvinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mortis æternæ pœnæ ſubjiceret. Qui autem ſanctione aliqua non obligantur, eorum reſpectu illa non poteſt relaxari. Quod ad eos attinet, qui ſanctione illa vere obligabantur, nempe Judæos; quatenus quidem remiſſio illis conceſſa pertingebat ad peccata, lege adhuc durante admiſſa, actus hic relaxatio ſeu diſpenſatio vocari poterat, niſi alius circa eandem ſanctionem actus potior &, ut ita dicam, validior cum eo concurriſſet, qui rei denominationem largitur. A potiori enim, ut vulgo dicimus, fit denominatio. Oſtendemus enim, in locum ſeveriſſimæ illius ſanctionis, de qua agimus, ſubſtitutam eſſe ſub Euangelio aliam mitiorem: qui actus licet relaxatio dici queat, voce hac laxius ſumta: tamen quia hic relaxatio ſtricte ſumitur à Grotio pro ea indulgentia, quæ diſpenſatio hodie vocatur, & tum ab abrogatione, tum a derogatione diſtinguitur; relaxationis nomen lenius eſt, quam ut vim & naturam hujus actus exprimat.

Grotius Partic. 6, ut obtineat, actum hunc eſſe relaxationem ſeu diſpenſationem, cæteros actus circa ſanctionem iſtam verſantes removere conatur. Removet enim legis exſequutionem, abrogationem, & interpretationem κατ' ἐπιείκειαν. Sed in tota hac argumentatione bis peccavit: primum quod derogationem, quæ ab omnibus iſtis actibus diſtingui ſolet, omiſit; deinde quod nullam attulit rationem firmam, qua probaret, abrogationem hic non eſſe.

Nam quod ad prius attinet, nota ſunt Grotio verba Ulpiani (a): *Lex aut rogatur, id eſt fertur: aut abrogatur, id eſt, prior lex tollitur: aut derogatur, id eſt, pars primæ tollitur: aut ſubrogatur, id eſt adjicitur aliquid primæ legi, aut obrogatur, id eſt, mutatur aliquid ex prima lege.* Ut & illa alterius (b): *Derogatur legi, aut abrogatur. Derogatur legi, cum pars detrahitur. Abrogatur legi, cum prorſus tollitur.* Atqui minimum derogationem hic agnoſcere debebat Grotius. Nam primum eatenus detractum eſt aliquid ſanctioni iſti legali, quatenus magna parte præceptorum in libro Legis Scriptorum abrogata, ſimul factum eſt, ut non amplius ad *omnia præcepta legis hujus*, ſeu ad *omnia quæ Scripta ſunt in libro legis*, obligentur ii, qui ante hac iſta ſanctione ad ea ſervanda obſtringebantur. Sublata enim ſunt cerimonialia omnia, quin & forenſia, quæ omnium iſtorum præceptorum ambitu, quorum in ſanctione illa fit mentio, comprehendi vidimus. Quare loco *omnium*, *quædam* tantum relicta ſunt. Deinde cum ſanctio iſta velit, *ut omnis*, qui non ſervaverit omnia Legis præcepta, ſit maledictus; ſeu mortis æternæ pœnam luat: Deus Novi Fœderis, quod æternum eſt, ſanctione omnes eos excepit, qui in Chriſtum credunt, ac reſipiſcunt, qui tamen alias iſta legis ſanctione omnino tenebantur, ut ipſemet Grotius docet. Quare cum Lex *omnes* qui peccaverint, morti æternæ velit eſſe ſubjectos: ſanctio Euangelica vult, ut *non omnes* qui peccaverint, morti æternæ ſint ſubjecti, ſed ii demum qui non reſipiſcunt, aut in Chriſtum non credunt; cæteri vero omnes iſta obligatione Legis eximantur; poſſetque vi ſanctionis Euangelicæ fieri, ſi ipſorum hominum voluntas ac pietas accederet, ut omnes in perpetuum, quotquot alias vi ſanctionis legalis ad mortis æternæ pœnam ferendam obſtringebantur, obligatione iſta liberarentur. Derogatum ergo eſt plurimum iſti ſanctioni per ſanctionem Euangelicam, quo pacto vulgo dicitur, ſpeciales leges derogare generalibus, & jura docent *: *In toto jure, generi per ſpeciem derogari, & illud potiſſimum haberi quod ad ſpeciem directum eſt.* Ponimus autem interea, ſanctionem Euangelicam, qua ii, qui in Chriſtum credunt, obligatione ſanctionis legalis eximuntur, reſpectu hujus ſpecialem cenſeri debere. Nam ſi latius pateat, quam ut ſpecialis cenſeri debeat, id cauſſæ Grotii tanto magis oberit, & potiorem adhuc validioremque derogatione actum acceſſiſſe oſtendet. Quod ſi Grotius dicat, ſe id, quod derogationis nomine nunc complectimur, relaxationis voce comprehendiſſe, quia actus hic obrogatio ſit: obrogatio autem omnis ſit relaxatio ſeu diſpenſatio: ne de eo nunc quicquam dicamus, quod decuerit Jureconſultum, in materia ſuæ facultatis propria verſantem, id alicubi exprimere & clarius explicare; negamus, hujuſmodi derogationem, qualem hic eſſe oſtendimus, relaxationem, cum ea pro diſpenſatione ſumitur recte appellari. Nam relaxatio ſeu diſpenſatio ſuperius eſt à Grotio definita, *actus ſuperioris, quo legis manentis obligatio circa quaſdam perſonas aut res tollitur.* Lex autem tum *manere* ſimpliciter & abſolute dicitur, cum omnes ejus partes integræ inviolatæque manent, nec ulla illarum in perpetuum tollitur, ſed ordinaria legis totius vis, quam ad obligandum habebat, porro durat, licet interea extra ordinem obligatio ejus circa quaſdam perſonas aut res tollatur. Nam quod Grotius ait de *quibuſdam* perſonis aut rebus, id ita eſt intelligendum, ut quicquid hic fit, poſſit dici extraordinarie fieri, non ordinarie. Talis diſpenſatio ſeu relaxatio hujus, de qua agimus, ſanctionis, literali ſenſu acceptæ, (quanquam de myſtico idem dicere licet) fuit, cum David, qui vi illius ob adulterium & homicidium mortem ferre debebat, Dei benignitate fuit ab ea obligatione liberatus, manente interim vi ejuſdem ſanctionis ordinaria integra & inviolata, tum circa alios omnes præter Davidem Judæos, qui peccaſſent, aut peccaturi in poſterum eſſent, tum circa ipſum etiam Davidem ratione aliorum delictorum, ſi quæ forte committeret. Tales ſunt hodie diſpenſationes, cum iis, quibus jure canonico aut imperiali matrimonium contrahere inter ſe non licet, id tamen indulgetur ab iis, penes quos ejus rei eſt poteſtas, cum interea cæteri ea lege teneantur. Itaque diſpenſatio legem illam vix dici poteſt mutare, ſed tantum effectum ejus velut ad momentum impedire. Mutari autem tum demum lex vere & abſolute dicitur, cum ordinaria ejus vis vel in parte aliqua, vel in univerſum tollitur. Atqui nos oſtendimus, & partem ſanctionis illius, quatenus nimirum etiam cerimonialium & forenſium legum tranſgreſſores maledictioni ſubjiciebat, in perpetuum fuiſſe ſublatam; & totum fidelium genus itidem in perpetuum ab iſta obligatione exemtos eſſe ſanctione alia; quam diſpenſationem tantum eſſe, Grotius nunquam arbitror, docebit. Quod vero ad obrogationem attinet; ſiquidem ea tam late extendatur, ut etiam ſanctio-

(a) Pragm. Ulp. Tit. de leg. & morib. (b) De verb. ſign. l. 102.

* Reg. Jur. l. 80.

nem

nem ſeu lationem Legis alicujus generalis, qua ſanctionis prioris vis in perpetuum infirmetur, ambitu ſuo complectatur, ut hic erit faciendum, ſi Grotius velit, actum hunc, de quo agimus, obrogationem eſſe: negamus, omnem obrogationem eſſe relaxationem ſeu diſpenſationem. Longe enim patet latius, & derogationem etiam imo & abrogationem, quæ per aliam legm, illi aliquo modo contrariam fit, in ſe complectitur. Nam obrogare, quod Græcis eſt ἀντισφέρειν, eſt legis prioris infirmandæ cauſa aliam legem ferre, ut viri docti tradunt, Legis nomine etiam privilegiis certarum perſonarum propriis, & extra ordinem alicui conceſſis, qualia ſunt ψηφίσματα Ariſtoteli * dicta, comprehenſis; quo pacto in quavis relaxatione obrogatio eſt, & Lex quædam ſpecialis fertur. Verum eæ leges, quæ feruntur ad priorem infirmandam, vel extra ordinem tantum ejus vim infringunt, vel ordinarie, idque vel in certa tantum parte, vel in toto. Si extraordinarie diſpenſatio eſt ac relaxatio; ſi ordinarie, derogatio eſt, cum pars legis tollitur, abrogatio, cum tota. Neque eſt, quod quis dicat, Ulpianum in verbis ſupra citatis affirmaſſe, obrogationem tum eſſe, cum *aliquid* ex prima Lege mutatur, non vero cum mutatur tota, aut etiam pars ejus penitus tollitur. Neque enim vox *aliquid* in ejus verbis ponitur ad totum aut partem aliquam inſigniorem penitus ab obrogatione excludendam, quaſi tum obrogatio eſſe deſinat, ubi alia Lege vel tota Lex prior, vel pars ejus aliqua in perpetuum tollitur: ſed tantum ſignificat, ad obrogationem ſufficere, ſi *aliquid* tantum ex Lege, etiam extra ordinem mutetur; licet interim fieri queat, ut per eandem pars aliqua inſignis, vel tota Lex prior in perpetuum tollatur, & invalida reddatur. Nam & ubi pars Legis tollitur in perpetuum, & ubi tota, *aliquid* etiam ex lege mutatur, licet non contra. Quod ſi tamen quis omnino contendat, vocem *aliquid*, tacite opponi parti legis, aut legi toti, ratione habita ordinariæ obligationis; ita ut obrogationem ſemper infra derogationem aut abrogationem neceſſe ſit ſubſiſtere, adeoque nihil aliud eſſe oporteat præter relaxationem ſeu diſpenſationem; negamus actum hunc, de quo agimus, obrogationem ejuſmodi eſſe.

Sed jam tempus eſt, ut videamus, num rationem aliquam attulerit Grotius Partic. 7, qua evinceret, actum hunc, de quo agimus, non eſſe abrogationem legis. Ita vero illud probare conatur. *Nam Lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii ſunt eidem legi. Ideo ſcriptum eſt quod ira Dei manet* ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας Joh. 3. 36, *& quod illos occupat ira Dei ad finem uſque* 1 Theſſ. 2. 16.

Sed mirum eſt, Grotium non animadvertiſſe, teſtimonia à ſe citata nequaquam oſtendere, infideles eſſe adhuc obnoxios eidem Legi ſeu ſanctioni pœnali, ante Euangelium exſtanti: ſed tantum, eos obnoxios eſſe eidem pœnæ, quam ſanctio iſta myſtico ſenſu accepta minabatur. Poteſt autem quiſpiam eidem pœnæ eſſe obnoxius, quam Lex aliqua minatur, nec tamen ei ipſi legi eſſe obnoxius: nempe quia non vi iſtius legis, ſed vel ob ipſam rei æquitatem, vel vi alterius ſanctionis ad pœnam illam ferendam obligetur. Atque utrumque horum in hoc negotio accidit, ſed inprimis poſterius. Nam ii, de quibus in locis adductis ſermo eſt, vi ſanctionis in Euangelio demum promulgatæ, quæ omnibus, qui in Chriſtum non crediderint, æternam mortem ſeu damnationem minatur, iræ divinæ fuerunt obnoxii. Extat autem ea ſanctio tum alibi Marc. 16. 16. Hebr. 4. Conf. c. 3. 2. ✝ſ. 11, uſque ad fin. cap. tum etiam inprimis in eo ipſo Euangelii Joh. capite, unde prius teſtimonium citatum eſt, ubi cum dictum eſſet: *qui credit in ipſum (Dei filium) non judicatur:* additur: *qui vero non credit, jam judicatus eſt; quoniam non credidit in nomen unigeniti filii Dei.* Vide etiam ſeqq. & 1 Joh. 5. 12. Confer cum ✝ſ. 10, 11: quanquam hæc ipſa etiam verba ex c. 3. Joh. à Grotio citata, ſanctionem illam continent, & illos iræ divinæ ſubjiciunt, qui filio Dei non crediderint, aut non paruerint; de quibus loquitur alterum quoque teſtimonium ab eo citatum 1 Theſſ. 2, ut locus inſpectus unumquemque docebit. Quapropter pone, nullam exſtitiſſe ſanctionem pœnalem ante Euangelium, nihilominus tamen ii, de quibus ſermo eſt, vi ſanctionis Euangelicæ pœnæ mortis æternæ ſubjicientur. Imo cum in utroque loco, iræ iſtius divinæ, cui homines illi, de quibus ſermo eſt, ſint aut fuerint obnoxii, cauſa conſtituatur ἀπείθεια ſeu incredulitas, vel, ſi mavis, contumacia in Dei filium, aut utriuſque effecta: ſtatuendum eſt potius, id non vi ſanctionis in Lege Moſaica extantis, qualis eſt illa: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis*, revera factum eſſe, ſed vi ſanctionis Euangelicæ. Euangelium enim fidem in Dei filium urget, non Lex, quæ ideo dicitur non eſſe ex fide Galat. 3. 12.

Sed quantum conjectura poſſum aſſequi, in eo robur aliquod argumenti ſui collocat Grotius, quod in priori loco dicatur, iram Dei non *venire* ſuper eos, qui non credunt, aut non parent Dei filio, ſed ſuper ipſos *manere*. Hoc enim verbo, ut videtur, indicari putavit Grotius, quod alii quoque ante ipſum ſunt arbitrati, homines illos, de quibus ſermo eſt, etiam ante ſuam in Dei filium ἀπείθειαν, iſti Dei iræ fuiſſe obnoxios, & quidem vi ſanctionis alicujus ante Euangelium extantis; adeo ut eorum ἀπείθεια hoc tantum effecerit, ne ab ira Dei, cui jam facti eſſent obnoxii, liberarentur. Eandem fortaſſe vim ineſſe putavit Grotius verbis 1 Theſſ. 2.

Hanc totam argumentationem ex loco Johannis petitam uno verbo diſſolveret Caſaubonus, qui ita ad eum notat, verbum μένειν, *manere* interprete Nonno, idem ſignificare poſſe quod ἔρχεσθαι *venire*, adeo ut *manere ſuper incredulos* aut *immorigeros*. μένειν ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας, ſit *venire ſuper incred.* &c. ἔρχεσθαι ἐπὶ τοὺς ἀπειθοῦντας. Additque, ſæpe Græcos verbo μένειν ita uti. Etiamſi autem nos hanc iſtius loci interpretationem non prorſus probemus, cum vim verbi *manendi* nimium enervet: non eſt tamen veriſimile viros tantos nihil prorſus hic vidiſſe, & tota, quod dicitur, janua aberraſſe: ſed ſtatuendum potius eſt, id ſaltem illos recte animadvertiſſe, uſitatiorem quandam vocis *manendi* ſignificationem huic loco non ſatis eſſe aptam. Veruntamen ut tota ratiocinatio tanto apertius refellatur, ponamus primum, verbum *manendi* uſitatiorem ſuam ſignificationem hoc loco prorſus retinere,

ita

* Lib. 5. Eth. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ita ut ſignificet iræ iſtius divinæ ſuper incredulos, ſeu immorigeros, jam ante illam ἀπείθειαν exiſtentis durationem in poſterum: inde tamen non ſequitur, eos homines vi ſanctionis Moſaicæ, aut alterius cujuſpiam, à Deo ante Euangelium promulgatæ, iræ iſti vel ante ἀπείθειαν fuiſſe obnoxios, vel poſtea manſiſſe. Poterant enim antea obnoxii eſſe iræ illi, ſeu pœnæ, ſine ſanctione ulla expreſſe à Deo promulgata, vi ipſius naturalis æquitatis, de qua Grotius ipſemet antea dixit: vel ſi vi ſanctionis alicujus factum id antea fuerat, poterant nihilominus poſtea eidem iræ manere obnoxii vi ſanctionis alterius, quæ in prioris locum eſſet ſubſtituta, nempe Euangelicæ, & ideo damnari, non quia ſimpliciter aliquando peccaſſent, ſed quia in Chriſtum poſtea non credidiſſent; adeo ut poſterioris ſanctionis obligatio, obligationem prioris veluti exciperet, & ſtatim conſequeretur: id quod de Judæis, de quibus in poſteriori loco aperte ſermo eſt, concedi poteſt, etiamſi id vi verborum in locis citatis extantium evinci non poſſit. Sed deinde non eſt ſemper ea verbi *manendi* vis, ut ſignificet, id, de quo uſurpatur, jam ante illud tempus, cujus in verbis aliquibus ſive aperte ſive tacite fit mentio, ſeu ante actionem in iis commemoratam, jam extitiſſe, & poſt eam porro duraſſe aut duraturum eſſe: ſed interdum, nulla habita ratione ejus, quid ante actionem iſtam factum fuerit, tantum duratio rei in tempus ſequens eo verbo ſignificatur; uſurpaturque etiam de re ejuſmodi, quæ ſimul cum actione illa, cujus fit mentio, exiſtere ceperit, aut illius conſequens fuerit. Hoc pacto ſumitur apud eundem Euangeliſtam cap. 6. 56, ubi ait Chriſtus: *Qui comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in ipſo.* Quibus verbis non id vult ſignificare, eum, qui comedit ipſius carnem, & ſanguinem ejus bibit, ſi jam antea ipſi fuerit inſertus, in ipſo porro quoque permanſurum: ſed, eum comeſtione ac bibitione iſta tam firmiter ipſi inſertum iri, ut perpetuam & arctiſſimam cum ipſo ſit habiturus conjunctionem. Eodem modo uſurpatur apud eundem ſcriptorem cap. 15. 16, ubi ad diſcipulos ſuos ait Chriſtus: poſui vos, ut vos eatis, & fructum feratis, & *fructus veſter maneat:* h. e. ut fructus ille veſter, quem tuleritis, perpetuo duret; etiamſi non extiterit, antequam ferretur. Quin etiam cap. 32. 33, ubi de Spiritu Sancto dicitur, quod deſcenderit ſuper Chriſtum & *manſerit ſuper eum*; non quod ante deſcenſionem ſuper eum jam extiterit, ac poſtea durarit; ſed tantum quod poſt deſcenſionem ſuper ipſum permanſerit, ſeu extare perrexerit: quo pacto de eodem Spiritu Sancto dicitur infra cap. 14. 16, alium paracletum dabit vobis (pater,) ut *maneat vobiſcum in æternum*; nempe poſt dationem, nulla habita ratione temporis eam dationem antecedentis. Eadem ſignificatio alibi quoque in Sacris Literis extat, & in communi ſermone occurrit. Vide præter loca à nobis citata apud eundem ſcriptorem 1 Epiſt. 2. 10. III. 24. IV. 15, 16. Quare verba etiam inter nos controverſa ita poſſunt accipi, &, noſtra quidem ſententia, ita ſimul debent: eos qui filio Dei non credunt, vel non obediunt, ob id ipſum æternæ Dei iræ fieri obnoxios, ita ut à pœna nunquam ſint liberandi; nulla interim habita ratione ejus, num ante incredulitatem vel inobedientiam iſtam iræ Dei fuerint obnoxii nec ne. Id quod videns cum Nonno Caſaubonus, putavit μένει ſumi poſſe pro ἔρχεσθαι, quod verbum non ſignificat, iram illam ſuper incredulis aut immorigeris illis ante id tempus jam fuiſſe, imo non fuiſſe ſignificat; & eatenus non male viri iſti cenſuerunt: ſed eatenus non rectè, quod cum vox ἔρχεσθαι non ſignificet durationem rei in poſterum, præſertim conſtantem ac diuturnam, quam tamen hoc loco omnino ſignificare videtur verbum μένει, vim hujus vocis enervarunt, dum illam pro hac repoſuerunt, aut reponi poſſe putarunt. Tanto autem interpretatio noſtra erit apertior, ſi præſens μένει pro futuro ob rei certitudinem accipiatur, quod in Sacris Literis frequentiſſimum eſſe nemo ignorat. Ac ne longe abeamus, exemplum ejus rei habes eodem hoc verſiculo, in verbis præcedentibus, quibus ea, de quibus diſputamus, opponuntur: qui credit in filium, *habet vitam æternam*, h. e. certo habiturus eſt. Quare cum per oppoſitionem additur: qui vero non credit, vel non obedit filio, *non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum*, poteſt vox *manet* accipi pro manebit, ut tanto aptius reſpondeat verbo ὄψεται *videbit*, quod proxime præceſſerat. Cui illud quoque favet, quod, ut Beza notavit, quidam pro μένει, accentu tantum in ultimam trajecto, legunt μενεῖ *manebit.* Similiter nec in loco 1 Theſſ. 2 quicquam eſt, quod Grotium juvet. Neque enim ſignificat Paulus, Judæos illos ante ſuam in Dei filium ἀπείθειαν, cujus ibi effecta recenſentur, iræ divinæ fuiſſe obnoxios, nedum ut indicet, id vel ante illud tempus, vel poſtea factum eſſe vi ſanctionis alicujus divinę ante Euangelium extantis; ſed tantum eos ob iſtiuſmodi, quæ ibi commemorantur, ſcelera, eorumque fontem incredulitatem, ac contumaciam in Dei filium, ita à divina ira occupatos, & veluti concluſos ac circumſeſſos eſſe, ut eos pœna nunquam ſit deſertura.

Quando ergo Grotius ſententiam ſuam probare non potuit, reſtat ut noſtram aliquanto plenius, quam hactenus fecimus, exponamus, & quantum opus fuerit, muniamus. Diximus antea, minimum derogationem hic eſſe concedendam; nunc ulterius progredientes dicimus, actum hunc abrogationem ſanctionis legalis eſſe. Neque enim eſt, quod quis dicat, ubi derogatio ſit, ibi abrogationem eſſe non poſſe. Nam id vim fortaſſe haberet aliquam, ſi abſolute ac ſimpliciter dixiſſemus, vel intelligi voluiſſemus, derogationem hic eſſe, & non addidiſſemus, aut tacite additum intelligi voluiſſemus, *minimum* derogationem hic eſſe, potiori adhuc actui, qualis eſt abrogatio, ea ipſa vocula locum relinquentes. Nam ideo derogatio ſimpliciter poſita videtur abrogationem excludere, quia, cum actus aliquis hoc nomine ſimpliciter appellatur, ſignificari videtur, derogationem ibi primas tenere, nec ullum tum concurrere actum potiorem & inſigniorem, qui majorem legi mutationem inducat, quam derogatio, qualis eſt abrogatio. Conſentaneum enim foret, ab hoc potius actu denominationem ſumi. Alias derogatio tantum abeſt, ut abrogationem excludat, ut hæc illam ſemper in ſe includat, licet non contra. Cum enim tota lex tollitur, tolluntur etiam ſingulæ illius

illius partes, ſaltem eatenus, quatenus illius partes ſunt. At totam legem tollere abrogationis eſt, partem derogationis. Idem de relaxatione dicimus, quam hic aliquo modo locum habere diximus, ac multo magis de obrogatione, quæ generis cujuſdem locum habere videtur reſpectu abrogationis, derogationis, & relaxationis, ut antea explicuimus: quamquam tum inprimis, cum iſti actus non fiunt, niſi alia lege, quæ in poſterum valere debeat, conſtituta, quod proprie loquendo non ſemper fit: factum autem eſt in noſtro negotio. Nam poſtquam Deus, id quod ſub Euangelio factum eſt, ſanxit, ut omnes quotquot in Chriſtum credunt ac reſipiſcunt, in æternum ſerventur, contra ii demum in æternum pereant, qui in Chriſtum non credunt aut non reſipiſcunt; obrogatum eſt ſanctioni illi legali, quæ omnes in univerſum, qui legem tranſgreſſi fuiſſent, morti æternæ addicit, ejuſque vis quam antea habebat ad obligandum, ratione quorumvis hominum in perpetuum ſublata eſt; qui actus rectiſſime abrogatio appellatur. An non enim abrogatio eſt, cum ejus, qui legi præſidet, auctoritate, vis, quam lex ad obligandum habebat, reſpectu omnium, qui ea tenebantur, in perpetuum tollitur? Id autem, ut diximus, factum eſt per Euangelicam illam ſanctionem, univerſalem ac perpetuam, ac longe latius Moſaica, quam ad Judæos tantum proprie pertinuiſſe diximus, patentem. Ea enim partim legali iſti prorſus adverſatur, partim ea longe eſt mitior. Adverſatur prorſus, quatenus omnes eos à maledictione liberat, qui in Chriſtum vere credunt, & ſic etiam reſipiſcunt, licet antea graviſſime peccarint, aut adhuc nonnunquam labantur, atque ut alibi diximus, vel millies antea maledictionem Legis fuerint meriti. Mitior eſt, quatenus eos demum morti æternæ ſubjicit, qui in Chriſtum non credunt, nec reſipiſcunt; non vero, ut Lex Moſaica faciebat, eos, qui ullum Dei præceptum fuerant tranſgreſſi. At utroque modo ſanctio hæc Euangelica vim, quam legalis illa habebat ad obligandum, tollit. Nam quotquot vivunt homines, vel credunt in Chriſtum & reſipiſcunt, vel ſecus. Si credunt ac reſipiſcunt, jam vi ſanctionis Euangelicæ ab obligatione ſanctionis legalis eximuntur prorſus: ſi non credunt, nec reſipiſcunt, jam vi ſanctionis Euangelicæ ſatis valide ad pœnam mortis æternæ ferendam obſtringuntur, imo tanto validius, quam ſanctione legali, quanto illa hac alioquin eſt mitior: unde hujus relaxationem in perpetuum (ſi modo hæc relaxatio dici poteſt) reſpectu omnium in Chriſtum credentium, fieri vult Grotius: at ſanctionis iſtius Euangelicæ quæ ſperari queat relaxatio? Divitias gratiæ ſuæ immenſas jam exhibuit Deus Rom. 2. 3 & ſeqq. Epheſ. 1. 7. ij. 7, ultra quas impius ſit, qui ampliores ſibi poſtulet. Quid igitur ad vinculum, ſeu obligationem iſtam ad pœnam æternæ mortis ferendam, opus eſt legali ſanctione? Nullum certe alium hic ea præſtat uſum, quam quod docet, Deum, ſi jure ſuo voluiſſet uti, potuiſſe etiam eos omnes, qui in Chriſtum credunt, utpote qui peccaverint, aut peccatum habeant, ut Johannes loquitur 1 Joh. 1. 8, 10, æternæ morti ſubjicere, adeoque eos Dei benignitate, & peccatorum remiſſione opus habere: contra vero eos omnes ſummo jure morti æternæ ſubjici, qui in Chriſtum non credunt & non reſipiſcunt; ſiquidem eos Deus vel propter unum aliquod delictum, cui maledictio ſub Lege fuerat propoſita, potuerit morti æternæ ſubjicere: quanto ergo magis ob tantam, quæ hic cernitur, contumaciam & impietatem? Etſi autem ſatis videtur eſſe demonſtratum, ſanctionem illam legalem abrogatam eſſe: tamen ex eo inſuper oſtendi poteſt, quod, ut omnes norunt, & D. Auctor Hebr. 8. 13, loquitur, antiquatum ſeu abrogatum eſt Fœdus Vetus, & vis ejus in perpetuum ſublata. Unde ejus etiam interitum mox ſequuturum auctor ille ominatur, licet id adhuc, vigente cultu illo cerimoniali, & templo, urbe, ac populo Judaico adhuc ſalvo vigere ac ſatis firmum eſſe videri poſſet, dum addit: *quod autem antiquatur*, (vel *veteraſcit*) *ac ſeneſcit, prope eſt ut aboleatur.* At ſi Fœdus antiquum abrogatum eſt ſeu antiquatum, neceſſe eſt etiam illam, de qua agimus, legis ſanctionem antiquatam abrogatamque eſſe. Hæc enim ſanctio vinculum erat omnium validiſſimum, quo Judaicus populus ad conditiones ejus Fœderis omnes exacte ſervandas obſtringebatur. Quare ſi hæc ſanctio obrogata non eſt, vetus adhuc Fœdus viget, & omnes Judæi, imo omnes in univerſum homines, ſi ea ſanctio, ut Grotius vult, ad omnes prorſus homines pertinet, ad ejus conditiones obſervandas adſtringuntur. Adde quod Euangelio, quod gratia in Sac. Literis appellatur Joh. 1. 17. Rom. 6. 14, 15, & eo nomine legi opponitur, ſancito, neceſſe eſt abrogatam eſſe Legis ſeveritatem, gratiæ illi oppoſitam, adeoque etiam ſanctiones illas legales, quibus ſtantibus ſeveritatem illam adhuc vigere neceſſe eſt. At nihil eſt in univerſa lege ſeverius ac rigidius illa, de qua agimus, ſanctione. Hanc ergo inprimis abrogatam & antiquatam eſſe oportet. Atque id Spiritus Sanctus ſatis aperte indicavit, dum N. Fœdus eatenus inprimis oppoſuit Veteri, quatenus Novum remiſſionem peccatorum & iniquitatum liberaliſſime offert, eaque ratione efficit, ut homines ſponte ſua Deum tam benignum velint cognoſcere, & legibus ipſius, quarum obſervatione tanto bono potiri queant, parere; id quod Vetus non præſtet: qua de cauſſa novo ſuccedente, prius antiquare oportuerit ac conſeneſcere, ac tandem penitus aboleri d. l. Hebr. 8 ex Jer. 31. Veruntamen quia ſanctio Euangelica, condemnationem iis, qui in Chriſtum non credunt nec reſipiſcunt, interminans, aliquo modo cum legali convenit, & in iis, qui beneficii per Euangelium hominibus oblati ob ſuam contumaciam non fiunt participes, eundem effectum parit, quem paritura eſſet legalis illa ſanctio, cum eos non ſecus atque illa maledictioni ſeu morti æternæ ſubjiciat; ideo reſpectu eorum perinde eſt, ac ſi legali illi ſanctioni adhuc eſſent obnoxii. Quin & Sacræ Literæ in quibuſdam locis ita videntur loqui, ac ſi ii, qui in ſtatu damnationis verſantur hodie, ſub Lege eſſent. Quo accedit, quod Legis magis eſt proprium damnare, quam Euangelii: hujus contra magis abſolvere & juſtificare: unde illud interdum Legi ſimpliciter adſcribitur, tanquam maxime proprium: hoc Euangelio. Hinc enim litera & ſpiritus 2 Cor. 3. 6. ſeu Vetus & Novum Teſtamentum, eatenus inter ſe opponuntur, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

litera occidat, ſpiritus vivificet: & miniſterium legis vocatur ib. ℣ſ. 7 & 9, miniſterium mortis ac condemnationis, miniſterium autem Euangelii, appellatur miniſterium juſtitiæ, ſeu juſtificationis: Lex iram dicitur operari Rom. 4. 14, & gratiæ opponitur, ut antea vidimus: quibus alia non pauca hinc inde, apud Paulum præſertim, reperiuntur ſimilia. Vid. Rom. 3. 20. cap. 7, totum: & cap. 8 initium per aliquot verſic. Gal. 2. 16, 21. iij. 10 & ſeqq. & ℣ſ. 21. Quare cum Euangelium damnat, & morti æternæ ſubjicit, Legis fines videtur ingredi, & ejus officium quodammodo facere. Quam ob cauſſam Paulus non obſcure videtur aſſerere, eos qui ſpiritu non ducantur, ſed carnis opera faciant, eſſe ſub Lege, aut Legem iis poſitam; contra eos vero, qui fructus ſpiritus edant, Legem non eſſe Gal. 5. 18, 23. 1 Tim. 1. 9 & ſeqq. Quæ loca ſi adduxiſſet Grotius, videri potuiſſet cauſam ſuam magis ſtabiliviſſe; quamquam ea nihil ipſum revera juvant, eo præſertim animadverſo, quod Paulus conceſſione quadam in iſtiuſmodi locis uti cenſendus ſit, & eorum ſententiæ, cum quibus illi res erat, aut adverſus quos diſputabat, (hi autem erant, qui Legem adhuc vigere credebant, ut ex locorum circumſtantiis ſatis apparet) ſermonem ſuum aliquo modo attemperare, ne quid eorum, quæ ſalva Euangelii veritate concedi poterant, negare videretur, & interea, quatenus legis, aut eorum, quæ in lege continentur, uſus aliquis in Euangelio eſſet, oſtenderet. Quatenus ergo idem in Euangelio continetur, quod olim in Lege; licet ea generatim loquendo, aut qua veteris Fœderis erat propria, abrogata ſit: tamen hodie cenſenda eſt manere. Unde ait Apoſtolus Rom. 3. ult. ſe per fidem non abolere Legem, ſed ſtabilire. Nempe quia quicquid in Lege eſt, quod æternum eſſe merebatur, & cum gratia & veritate, quibus duabus vocibus Johannes Euangelium Legi oppoſitum deſcribit Joh. 1. 17, atque adeo cum ſpiritu egregie conſentiebat, id totum ex ea in Euangelium traductum eſt: cætera, tanquam ab ejus natura abhorrentia per ipſam Chriſti mortem ſublata ſunt, qua Novum Fœdus, & quicquid illius proprium eſt, ſancitum fuit ac ſtabilitum. Mortuus enim ille eſt ut Fœderis Novi mediator Heb. 9. 15: qua de cauſa ſanguis etiam ipſius, ſanguis novi & æterni Fœderis dicitur, ut ab initio diſputationis noſtræ vidimus. Ideo morti Chriſti ea videmus adſcribi, quæ Novi Fœderis ſunt propria, & quo magis illius ſunt propria, quantoque longius à Legis Moſaicæ proprietate recedunt, tanto magis, tantoque crebrius atque apertius ei tribuuntur. Omnium forte creberrime illi adſcribitur remiſſio peccatorum ac juſtificatio: quia hanc Novi Fœderis maxime propriam eſſe cap. 1 docuimus. Adſcribitur ei etiam crebro reconciliatio noſtri cum Deo, redemtio ex ſervitute etiam peccati, aut ſi quid eandem vim habeat: quod eatenus N. Fœderis eſt proprium, quatenus oſtendit, eam quoque pietatem hodie coram Deo valere, quam hoſtilis in Deum animus, & ſervitus peccati anteceſſit, quod Vet. Fœderis ratio non permittebat. Ejus enim erat, perfectam perpetuamque præceptorum omnium obedientiam exigere à ſingulis, & hac demum conditione juſtificationem polliceri. Adſcribitur eidem morti teſtificatio benevolentiæ Dei erga omnes homines, nulla gentium ordinumve diſcrimine: cum in Vetere diſcrimen, inter populos præſertim, eſſet maximum. Adſcribitur eidem Legis cerimonialis abolitio; & ex his manans Judæorum ac Gentium in unum Dei populum conjunctio: de quibus omnibus initio diſputationis noſtræ dictum eſt. Quomodo ergo fieri poteſt, ut Chriſtus, quemadmodum Grotius vult infra cap. 5, ideo moreretur, & peccatorum noſtrorum pœnas lueret, ne legi à Deo publicatæ, qua pœnam fuerat minatus peccantibus, aliquid auctoritatis apud nos detraheret pœnarum omiſſio; cum eam Legem Deus ipſe per Chriſtum ejuſque mortem abrogarit, & ejus vim atque auctoritatem in poſterum ſuſtulerit? Ea enim, quam Grotius intelligit, lex, hæc ipſa eſt pœnalis ſanctio, de qua hactenus agimus. Nec aliam ſane ob cauſſam magis urget Grotius, legem hanc non abrogatam, ſed tantum relaxatam eſſe, quam ut poſtea evincere queat, cauſam fuiſſe magnam, cur Deus nobis, qui nocentiſſimi eramus, ſponte dimiſſis, innocentiſſimum noſtri loco pœnæ ſubjiceret; nempe ut hoc pacto auctoritatem latæ ſemel Legis ſtabiliret. Quæ ratio ſtabiliendi auctoritatem Legis, peccatores ipſoſmet ad pœnam poſtulantis, quam futura fuiſſet præpoſtera, & Dei tum ſapientia tum juſtitia indigna, in ſeqq. capitibus, Domino adjuvante, docebitur. Interim dicimus, cum nulla ſit in univerſa Moſis Lege ſanctio hac ſeverior, nulla gratiæ Euangelicæ, & N. Fœderis benignitati magis adverſa, nihil poſſe dici abſurdius, quam Chriſtum N. Fœderis mediatorem Dei conſilio ac voluntate in eum finem eſſe mortuum, ne ea ſanctio auctoritatem ſuam perderet. Id enim nihil aliud eſt, quam ex Chriſto Moſen, ex ſanguine Fœderis Novi, ſanguinem Fœderis Antiqui, aut ſanguinem Abelis, qui maledictionem ac vindictam, præſertim adverſus Judæos parricidas clamet, facere. Quorſum enim auctoritas illius Legis ſtabiliretur pretioſo Chriſti ſanguine, niſi ut in poſterum rata eſſet, & exſequutioni mandaretur? Illud potius ſtatuendum eſt, Chriſtum, quia Novi Fœderis confirmandi cauſa mortuus eſt, ideo mortem eam ſubiiſſe, ut legis illius auctoritatem in poſterum eo, quo explicuimus, pacto tolleret, &, quemadmodum Paulus de obligatione legis ceremonialis loquitur Col. 2. 14, chirographum illud cruci affigeret ac perimeret. Idque ipſum voluit Apoſtolus Gal. 3. 13, ubi ad iſtam legis ſanctionem, quam paulo ante citaverat, reſpiciens, ait: *Chriſtus nos liberavit ab exſecratione Legis, factus pro nobis exſecratio:* hoc eſt, à jugo & obligatione Legis maledictionem nobis minantis in perpetuum nos liberavit, dum ipſe innocentiſſimus, ut nobis, qui nocentiſſimi eramus, conſuleret, & nos in ſalutis viam traduceret, mortem tam diram & infamem, quæ ſub Lege hominibus tantum Deo abominandis imponi debebat, ſubiit, eaque ratione totius illius legis tam ſeveræ vim & auctoritatem in poſterum ſuſtulit. Siquidem inde manifeſtiſſime patuit, Deum peccatores omnes ſalvos velle. Tollunt autem ſe mutuo, aliquem velle ſalvum, & eundem maledictioni ſeu mortis æternæ pœnæ ſubjicere. Imo licet in Euangelio quoque comminatio mortis æternæ non credentibus

dentibus

dentibus aut non reſipiſcentibus ſit propoſita, nuſpiam tamen indicatur, eum in finem Dominum Jeſum eſſe mortuum, ut id confirmaret, & inſignite ſtabiliret: ſed ſemel tantum, idque obſcurius, à Chriſto indicatur Luc. 23. 31, quomodo ex morte ipſius perſpici poſſit, eos qui in impietate perſiſtunt, punitum iri: nec quiſquam ex aliis Sacris Scriptoribus, cum docere vult, impios ac non reſipiſcentes perituros, argumentum ejus rei ex morte Chriſti petit. Nempe quia hoc ipſum Novi Fœderis non eſt plane proprium, & aliquo modo, ut diximus, legale: mors autem Chriſti ad illa, quæ Novi Fœderis ſunt propria, confirmanda ſpectat. Quod ſi ne in hunc quidem finem Chriſtus revera eſt mortuus, licet ea res Novi Fœderis aliqua ratione ſit propria: quanto minus eum in finem mortuus cenſeri debet, ut ejus legis auctoritatem ſtabiliret, quæ non illos demum, qui in ipſum credere ac reſipiſcere nolint, ſed omnes quotquot aliquando peccarint, morti æternæ mancipiat, quæ ab illa diſtincta, nullo modo eſt Novi Fœderis propria, ſed ab eo δὶς διὰ πασῶν diſſidet?

Quod porro Grotius Partic. 8, de interpretatione legis κατ' ἐπιείκειαν agens, ita verba illa Epheſ. 2. 3, *natura eramus filii iræ*, accipit, ac ſi dictum fuiſſet: eramus *obligati Legis ſanctione*; id nulla ratione nititur. Etiamſi enim verum ſit, Judæos fuiſſe obligatos legis ſanctione: non tamen ſequitur, id ipſum in illis verbis ab Apoſtolo fuiſſe expreſſum. Imo ſi *cæterorum* nomine, cum quibus ſui ordinis aut generis homines comparat Paulus, gentes intelligas; facile colligi poteſt, illum verborum Pauli ſenſum non eſſe, quem vult Grotius. Siquidem illi ea ſanctione revera non erant obligati. At Paulus de cæteris illis non minus, quam de ſui generis hominibus, affirmat, eos fuiſſe iræ filios: imo ita loquitur, ac ſi id de cæteris per ſe eſſet manifeſtius. Anguſtior nempe eſt Grotii explicatio verbis Apoſtoli. Quiſquis enim obligatus eſt Legis ſanctione ad pœnam, eſt etiam filius iræ naturá, non contra: cum poſſit quis etiam ob naturalem rei æquitatem ad pœnam vere obligari, abſque ulla ſanctione pœnali, ut ipſemet Grotius docuit.

Quæ de relaxatione ſatis docte diſſerit in ſequentibus Grotius Partic. 9, ea ſententiam noſtram non evertunt, ſed aliquo etiam modo confirmant. Nam ſi eo, quo Grotius vult, pacto ſanctio legalis relaxari potuit; potuit etiam alia mitior, quæ id, quod relaxationem vocat Grotius, in perpetuum ſanciret, & omnibus hominibus proponeret, in ſeverioris illius locum ſubſtitui, & ſic ſeverior illa abrogari.

Illud non eſt prorſus admittendum, quod ſub finem capitis dicit Partic. 10, *Si omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuiſſent, periiſſent funditus ex rerum natura duæ res pulcherrimæ, ex parte hominum religio in Deum, & ex parte Dei præcipua in homines beneficentiæ teſtatio.* De poſteriori, hoc eſt, teſtatione præcipuæ in homines Dei beneficentiæ, aſſentior Grotio: de priori non omnino. Nam ante publicatum Euangelium, cum nullum Dei promiſſum extaret, eos, qui peccaſſent, & poſtea reſipuiſſent, æternæ morti eximendos eſſe, vigebat nihilominus religio, in nonnullis quidem ante Legem, in multis autem ſub Lege. Non ergo funditus, ut Grotius ait, periiſſet religio in Deum, ſed tam ardens, tam pura & ſolida, nunquam tam multorum hominum animis fuiſſet ingenerata, niſi Deus ſanctionem de hominibus reſipiſcentibus morti æternæ eximendis propoſuiſſet, & eam quæ huic rei obſtabat, ſuſtuliſſet. Lex ſane, quæ omnibus peccantibus mortem minabatur, terrenis promiſſis homines ad religionem in Deum vocabat; quod fruſtra prorſus factum fuiſſet, ſi id concedendum eſſet, quod Grotius aſſerit. Vide inter alia quam plurima Veteris Teſtamenti loca Levit. c. 26. Deuter. 28. & 30.

RESPONSIO

Ad Cap. IV. quod inſcribit Grotius:

An injuſtum ſit Chriſtum puniri ob peccata noſtra, & oſtenditur non eſſe.

PRimum ait Partic. 1: *Argumenta, quibus Socinus hoc dogma it labefactatum, non ſatis recto ordine ab ipſo eſſe poſita.* Quare ad eum modum ea vult digeri, *ut prima ſit claſſis earum ratiocinationum, quæ id, quod factum ipſe cum ſuis defendat, injuſtum eſſe colligunt: ſecunda earum, quæ cauſam negant fuiſſe ita faciendi; tertia earum, quæ id à Deo factum negant*; cujus ordinis rationem reddit.

Quanquam nos, ſi argumenta ſint firma, de ordine non tantopere ſumus ſoliciti; tamen ordinem, quo Socinus * eſt uſus eo in loco, ubi ex profeſſo eſt argumentatus, (nam in iis argumentis, quæ hinc inde obiter interſpergit, dum ad rationes adverſarii reſpondet, non eſt quod quis ordinem certum deſideret) ſatis videtur eſſe commodus. Sciendum autem eſt, Socinum non de pœna tantum, quam Chriſtus ob peccata noſtra tulerit, ut hic facit Grotius, egiſſe, ſed de ſatiſfactione, ſeu plena eorum, quæ nos præſtare debebamus, ſolutione aut compenſatione. Deinde non tantum adverſariorum ſententiam oppugnaſſe, ſed ſuam etiam, & quidem primum, adſtruxiſſe. Præterea non tantum eam ſatiſfactionem, quam patiendo, ſed etiam eam, quam legem Dei noſtri loco implendo præſtiterit, refutandam ſibi ſumſiſſe. Ac denique rem habuiſſe cum eo, qui negavit, Deum ſalva ſua juſtitia potuiſſe nobis peccata noſtra, nulla pro iis accepta ſatiſfactione, condonare. Grotius hoc, quod primo loco exſequutus eſt Socinus, omittit. Neque enim in eo à Socino videtur diſſentire. Licet demonſtrationem divinæ juſtitiæ abſque ea ſalvam eſſe non potuiſſe indicet. Deinde quædam Socini argumenta, quæ is ad ſuam ſententiam confirmandam attulerat, ita accipit, ac ſi ſuæ ſententiæ fuiſſent oppoſita; & quædam illius dicta in alienum ſenſum, imprudens quidem, ut arbitror, non ſine negligentiæ tamen culpa, detorquet, ut non uno loco apparebit: ea etiam argumenta, quæ adverſus alteram ſatiſfactionem quam

* Lib. 3. cap. 1, 2, 3, 4, 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

activam vocant, ſunt à Socino allata, prætermittit. Quare non eſt mirum, ſi Grotio viſum eſt, alio in argumentis Socini percenſendis uti ordine, quam is eſt, quo Socinus ipſe fuerat uſus; cum nec ſcopum Socini in omnibus ſatis animadverterit, nec ea omnia, quæ Socinus aſſerit, ipſe neget, aut quæ ille oppugnat, ipſe defendat. Ut autem lector ſeriem argumentorum Socini videat, eam breviter hic delineabimus. Primum ſuam ſententiam confirmat Socinus, tum contrariam refellit: quanquam eo ipſo etiam, dum ſuam adſtruxit (a), contrariam refutaſſe cenſendus eſt. Sententiam ſuam confirmat, dum docet primo, Deum jure potuiſſe nobis peccata noſtra condonare, nulla pro iis vera ſatiſfactione accepta; deinde eum id etiam facere voluiſſe. Sententiam adverſariorum refellit (b), dum primo generatim docet, non potuiſſe, nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatiſfieri; deinde ſpeciatim, id à Chriſto fieri non potuiſſe. Prius ita exſequitur, ut primum injuſtum eſſe doceat (c), adeoque reſpectu Dei impoſſibile, alterum pro altero, ſeu vice alterius punire; injuſtum autem duplici ratione, partim natura ſua, partim ob divinum decretum, ſeu mavis effatum. Deinde quia, etiamſi id non foret injuſtum, atque ita reſpectu Dei impoſſibile, alia tamen ratione id foret impoſſibile; quia tot homines, qui pro aliis ſatiſfaciant, reperiri non poſſint, unus autem aliquis id præſtare nullo modo queat. Poſterius hoc modo tractat, (d) ut doceat, Chriſtum nec pœnarum, quas nos ex Lege Dei ſubire tenebamur, ſolutione, nec eorum, quæ nos ex ejuſdem Lege facere debebamus, præſtatione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatiſfacere (e) potuiſſe. Ut illud demonſtret, oſtendit, Chriſtum nec pœnam illam, quam nos ſubire tenebamur, mortem nimirum æternam ſubiiſſe, aut ſubire, niſi everſa ſalutis noſtræ & liberationis à peccatorum noſtrorum pœnis ſpe, potuiſſe; nec, ſi ſubiiſſet, pro omnibus omnium hominum peccatis ſatiſfacturum fuiſſe. Hoc vero quo pacto demonſtraverit, alio commodiore loco (f) dicemus. Cur hunc Socini ordinem reprehendendum putet Grotius, nondum perſpicio. Sed ordinem nunc mittamus, & rem ipſam, Grotii veſtigia ſequuti, conſideremus.

Ait ergo Grotius Partic. 2: *Ut ad juſti atque injuſti quæſtionem veniamus, primum ſeparanda eſſe iſta, An juſtum fuerit Chriſtum puniri ob peccata noſtra, &, An aliquid facere potuerit ad veniam nobis impetrandam.*

Etſi nos concedimus, poſſe has quæſtiones aliquo modo diſtingui; ita tamen eæ ſunt inter ſe conjunctæ, ut prior ſine poſteriore nequeat expediri. Niſi enim conſtet, potuiſſe pœnam Chriſto impoſitam aliquid facere ad veniam nobis impetrandam, non poteſt etiam conſtare, eam juſte potuiſſe Chriſto imponi. Itaque non concedimus Grotio id, quod poſtea, cauſam dicti reddens, ſubjicit: *Nam etiamſi talis cauſa pœnæ non fuiſſet*, (nempe ut nobis aliquid ad impunitatem prodeſſet) *non inde tamen ſequeretur, in ipſa pœna injuriam aliquam contineri.* Nam ſi Chriſtus ob peccata noſtra punitus fuit à Deo, neceſſe eſt eum noſtro nomine, ſeu noſtri loco ac vice pœnam illam pependiſſe, ut quidem cum cæteris omnibus, qui iſtam Chriſti ſatiſfactionem defendunt, contendit Grotius, & res ipſa cogit. Etenim vel ſuo nomine eam pœnam pependit Chriſtus, vel noſtro. Non ſuo, cum fuerit innocentiſſimus, & is, qui pœnam exegiſſe ſtatuitur, juſtiſſimus. Si noſtro; jam nos ipſi ad id, quod noſtro nomine ſolutum eſt, præſtandum nullo jure tenemur; & ſic vi pœnæ à Chriſto noſtri loco perſolutæ veniam peccatorum neceſſario conſequimur; niſi injuſtum dicere velis Deum, qui idem debitum bis exigat, ſemel à Chriſto, noſtri loco, iterum à nobis ipſis: id quod nulla juſtitiæ ratio permittit. Ea enim in æqualitate conſiſtit. At qui idem bis exigit, cum ſemel tantum debeatur, is æqualitatem in exigendo certe ſuperat. Id videmus in aliis debitis omnibus. Nam cum quis debitoris nomine perſolvit debitum, jam non poteſt idem ab ipſomet debitore iterum juſte exigi; ſed neceſſe eſt, ut, ſi alter ille totum ipſius loco perſolvit, ipſe debitor nihil amplius præſtare teneatur, & ſic debitor prorſus eſſe deſinat; ſi partem, ipſe reliquam tantum debiti partem ſolvere teneatur. Quod ſi ergo Chriſtus noſtro nomine univerſam, quam nos debebamus, pœnam, vel id, quod univerſam compenſaret, perſolvit, quemadmodum vulgo creditur ab omnibus, nos nullam amplius pœnam debemus: ſi partem tantum perſolviſſe aut compenſaſſe velis, quamquam hæc pro peccatis omnibus ſatiſfactio non erit, nihilominus pars debiti noſtri ſublata eſt, & ſic ex parte ſaltem ad impunitatem ut nobis ea pœna proſit, neceſſe eſt. Quod ſi ad veniam nobis impetrandam nihil prodeſt; & nos ad univerſam, quam debebamus, pœnam perſolvendam adhuc obligati ſumus; quo jure pœna à Chriſto antea noſtri loco fuit exacta? Non poteſt ergo poſterior quæſtio à Grotio conſtituta, à priori prorſus ſeparari, ſed unà tractanda eſt, quemadmodum Socinus fecit; quod quia Grotius non attendit, mirum quam male ſeſe in referendis Socini ſententiis, argumentis, ac reſponſionibus ſæpæ gerat: qua in re nullam meretur excuſationem, cum Socini dicta ita ſæpe ſint clara, ut dubitare non immerito poſſis, utrum is, qui verum eorum ſenſum non expreſſerit, exprimere etiam voluerit.

Probaturus porro Grotius Partic. 3, non fuiſſe injuſtum puniri Chriſtum ob peccata noſtra, ita ſcribit: *Injuria autem videtur quæri poſſe aut in ipſa materia, hoc eſt, in graviſſimis afflictionibus & morte, comparatis ad ejus qui iſta patiebatur innocentiam*, *aut in forma, hoc eſt, in pœna comparata ad peccata aliena tanquam cauſam meritoriam. Oſtendemus ergo in neutro eſſe injuriam.*

Ad hoc argumentum breviter ita reſpondemus: Injuriam proprie eſſe in pœna tota, ſeu mavis, (res enim eodem recidit) in materia propter formam, comparatam ad ejus, qui illam patiebatur, innocentiam: h.e. in eo, quod afflictio talis impoſita credatur innocenti, quæ reſpectu ipſius innocentis pœnæ rationem haberet, ſeu qua ipſe innocens puniretur. Quod propterea addimus, quia interdum nihil prohibet, quominus innocentis afflictione puniatur ipſe nocens, quod tamen in noſtro negotio

factum

(a) Lib. 3. cap. 1. (b) ibid. cap. 2. (c) cap. 3. (d) cap. 4. (e) cap. 5. (f) Inf. ad finem cap. 6.

factum non eſt, ubi dimiſſis nocentibus, innocentiſſimus tantum punitus creditur. quod ſi ex theſi ſpeciali facere velis generalem, ea hæc erit, injuſtum eſſe *punire innocentem*, quacunque tandem de cauſa id fiat, non vero ſimpliciter, ut Grotius poſtea facit, punire *quempiam* ob aliena peccata. Id enim concedi poteſt non ſemper eſſe injuſtum, ut inferius intelligetur.

Etiamſi autem hac reſponſione contenti eſſe poſſimus, tamen ut iis ſatiſfiat, qui uberiorem hujus rei declarationem deſiderabunt, verba Grotii melius adhuc excutiemus, cum in iis aliquo modo fons erroris lateat. Qua in re ſi à populari loquendi conſuetudine nonnihil diſceſſerimus, nemo id nobis vertet vitio; cum Grotius ad hujuſmodi diſputandi genus nos vocet, & ſententia noſtra jam ſatis populariter ſit explicata, & inferius denuo, ubi res poſtulabit, explicanda.

Cum ergo Grotius ait: aut in materia ipſa, aut in forma quæri poſſe injuriam; particula *in* vel ſubjectum ſignificat, cui injuria inhæreat, ſubjectum, inquam, tale, quale etiam in accidentibus, ad ſimilitudinem ſubſtantiarum, reperire licet; quo pacto Grotius infra ait, injuſtitiam proprie accidere actioni ipſi, qualis ſit materia punitionis; cui autem aliquid proprie accidit, id illius eſt ſubjectum; vel ſignificat cauſam, ob quam injuria ſubjecto illi inhęreat. Si priomodo verba ſua Grotius accipit; vel in neutra iſtarum partium ſeparatim ſumta eſt injuria, ſed in pœna tota, ex materia & forma compoſita; quo pacto non erit major argumenti propoſitio admittenda, ob inſufficientem membrorum diſjungendorum enumerationem; cum materia & forma non ſeparatim tantum, ſed etiam conjunctim ſumtæ fuerint commemorandæ; vel, quod eodem recidit, ſi rem ipſam ſpectes, in materia quidem reſidebit injuria, ſed propter formam; quo pacto minoris pars prior erit falſa; neque confirmabitur iſta ratione, qua utitur Grotius, quia certum ſit, Chriſtum innocentiſſimum, à Deo graviſſimis cruciatibus, ipſaque morte fuiſſe affectum: cum non in materia pœnæ abſolute ac per ſe conſiderata, adeoque etiam in ea afflictione, à qua pœnæ forma abeſt, injuria reſidere à nobis dicatur, ut argumentatio Grotii poſtulat; ſed in materia propter formam, adeoque in ea demum afflictione, quæ actu ipſo materia pœnæ eſt, & formam illam ſuſtinet. Nos vero negamus afflictionem mortemque Chriſti reipſa pœnæ fuiſſe materiam, idque illud revera eſt, de quo in hoc libro nobiſcum diſputat Grotius. Si vero poſteriori modo verba ſua Grotius accipit, altera minoris propoſitionis pars falſa eſt. Nam injuriæ ratio ac cauſa conſiſtit in forma pœnæ, relata ad illius, qui eam ſuſtinet, innocentiam. Etenim vindictæ ratio, quæ pœnæ forma eſt, in innocentem jure cadere non poteſt; injuria poteſt. Si ei vel falſo crimen aliquod impingatur, vel alienum delictum, ſive verum, ſive falſum imputetur. Sumimus autem hoc loco pro conceſſo, Grotium, dum pœnam comparat ad aliena delicta tanquam cauſam meritoriam, tacite id ponere, quod tunc, cum de materia ageret, expreſſe dixerat, nempe innocentem eſſe eum, qui pœnam illam ferat. Niſi enim id ponat, non eſt ſufficiens in majore propoſitione membrorum enumeratio; cum omiſſum ſit illud, in quo, noſtra quidem ſententia, injuriæ ratio conſiſtit. Diximus enim, eam conſiſtere in pœnæ forma, relata ad ejus, qui eam ſuſtinet, innocentiam; cujus conſiderationis nulla fieret mentio.

Hoc ut melius intelligatur, paulo adhuc penitius conſideranda ſunt hæc Grotii verba, in quibus pœnam comparat *ad peccata aliena tanquam cauſam meritoriam*; cum in iis non minima erroris, quem Grotius defendit, lateat cauſa. Primum autem arbitramur, eum loqui de peccatis alienis qua aliena ſunt, non vero, qua forte iis ipſis, qui propter ea puniuntur, communia. Alioquin & captioſe fuiſſet loquutus, & id, quod inter nos controverſum eſt, haudquaquam attigiſſet. Agitur enim inter nos de eo, qui ob aliena peccata, quorum nullo pacto erat particeps, utpote innocentiſſimus, punitus creditur. Deinde arbitramur Grotium vocem *meritoriam* ad eandem pœnam referre, ad quam cauſæ nomen, cui illam adjungit, refert; ita ut ſenſus ſit, peccata aliena non conſiderari ut cauſam ſimpliciter pœnæ illius, de qua ſermo eſt, ſed ut cauſam ejuſmodi, quæ pœnam illam mereatur. Nam ſi cauſæ tantum nomen ad pœnam eam referret, de qua ſermo eſt, quam reſpectu ejus, qui peccarit, alienam dicere poſſis; vocem autem *meritoriam* ad pœnam propriam, h.e. ei ipſi, qui peccarit, infligendam, cujus in Grotii verbis nulla eſt mentio: itidem captioſe fuiſſet loquutus. Denique voce *tanquam*, cauſæ meritoriæ præfixam, arbitramur eum non ipſam rei veritatem, ſed conſiderationem tantum, ſive veram, ſive falſam, exprimere voluiſſe. Nam ſi rei veritatem ea particula ſignificare voluiſſet, & ſic pro conceſſo ſumſiſſet, peccata aliena revera eſſe cauſam meritoriam pœnæ illius, qua de agitur; non tam injuſtum id foret cenſendum, quod ab ipſo ponitur, quam falſum & impoſſibile. Etenim aliena peccata non poſſunt eſſe cauſa meritoria pœnæ, quam alius quiſpiam à nocente diverſus ſuſtineat. Poſſunt quidem peccata aliena eſſe cauſa impulſiva pœnæ hujuſmodi, ſed eam mereri non poſſunt. Diſtinguenda enim ſunt à ſe invicem hac in parte duo iſta, quæ dum Grotius conjunxit, errandi occaſionem præbuit aliis, fortaſſe & ſibi, cauſa nimirum & Meritum. Cauſæ enim ſimpliciter eſt, aliquid facere ad rei exiſtentiam, & impulſivæ quidem, de qua Grotio ſermo eſt, movere quempiam ad aliquid faciendum, nulla etiam habita ratione juris, quod quis ad id faciendum habeat. Meriti autem eſt, dignum quempiam reddere re aliqua, ſive bona, ſive mala, & ſic jus ad eam largiri cuipiam, ad bonam quidem ei ipſi, qui meretur; ad malam vero ei, reſpectu cujus meretur. Unius autem peccata, non poſſunt alterum dignum reddere pœna, ſed eum tantum, qui ea admiſit, quemadmodum ſuperiori cap. docuimus; adeoque nec alienam pœnam mereri poſſunt, ſed propriam tantum illius, qui deliquit: impellere autem poſſunt quempiam ad alterum puniendum, & id quidem juſte, ſi is ipſe, de cujus pœna agitur, eam delicto aliquo ſuo fuerit commeritus; injuſte, ſi commeritus non ſit. Neque vero quicquam aliud volunt Sacræ Literæ, cum aſſerunt, quempiam à Deo ob aliena delicta fuiſſe punitum, quam Deum alienis peccatis impulſum fuiſſe ad eum

puniendum; non vero, aliena peccata, qua quidem aliena fuerunt, & ipſi puniendo nullo modo communia, pœnam alterius fuiſſe commerita. Nempe ut is, de cujus pœna agebatur, jure puniri poſſet, id à proprio ipſius delicto pependit; ut autem actu ipſo puniretur, etiam ab alieno. Qua de re plura inferius dicentur. Alia vero ratione fieri poteſt, ut peccata aliena pœnam mereantur alienam, non qua ipſa ſunt aliena, aut qua pœna eſt aliena, ſed quatenus aut peccata illi, qui ob ea punitur, ſunt aliquo modo communia, aut contra pœna ei, qui peccavit, ſeu cui ea peccata magis proprie tribuuntur. Poteſt enim quis & alieni peccati fieri particeps, & pœnæ. Peccati quidem, cum quis ejus vel extitit auctor ſuaſorve, vel adminiſter atque adjutor, vel denique approbator, aut etiam imitator. Contra pœnæ alienæ quiſpiam fit particeps, cum ex illa vel dolor atque afflictio, vel damnum aliquod, vel denique ignominia ad ipſum redundat, ob conjunctionem arctiorem, quæ inter ipſum, & eum, qui punitur, intercedit, qualis eſt v. g. inter parentes & liberos, Regem & ſubditos. Fit autem interdum, ut utrumque hoc concurrat, & tum is, qui ob alterius delictum punitur, ejus delicti ſit particeps, ac culpæ affinis, tum viciſſim alter ille, ob cujus delictum hic punitur, particeps evadat pœnæ. Quo tempore ob iſtam rerum inter ſe conjunctionem, ac confuſionem quandam proprii cum alieno, dicere poſſis, peccata unius merita eſſe pœnam alterius, ſeu aliena peccata merita eſſe pœnam alienam; verum non qua aliena, aut non qua alienam, ſed propria propriam. Quatenus enim quiſpiam alieno participat, eatenus illud non alienum eſt, ſed proprium. Etiamſi autem proprium cum alieno in hujuſmodi negotio quodammodo concurrat, tamen res interdum aliena potius dicitur, quam propria, aut huic etiam communis; quia id, quod commune eſt, ſæpe ſolet ei ſimpliciter adſcribi, cui id inſigniori quapiam ratione convenit. Itaque peccatum illi ſolet abſolute tribui, qui inter alios, quibus id delictum aliquo modo commune eſt, eminet, & cæterorum eſt veluti anteſignamus, quem principalem vulgo appellamus; pœna vero ei, in quo manifeſtius exercetur, quiquedamnum magis videtur ſentire.

Cum ergo eo ſenſu, quem priori loco explicuimus, quique ad noſtrum negotium proprie pertinet, peccata unius non poſſint revera mereri pœnam alterius, eumque afflictione aliqua aut nocumento, quo per ſeipſum ſit indignus, dignum reddere; apparet, injuſtum eſſe quempiam punire ob peccata aliena tanquam cauſam meritoriam; quod cum ſit, is qui vel reipſa innocens eſt, punitur, vel ſaltem qua innocens, qua de cauſa diximus antea, nos arbitrari, Grotium, cum pœnam comparat ad peccata aliena tanquam cauſam meritoriam, eum ipſum, qui punitur, ponere innocentem. Ad pœnam quidem ſimpliciter ſumtam ſufficit, ut peccata aliena ſtatuantur eſſe cauſa meritoria afflictionis alicujus, quæ cuipiam imponitur: at ut pœna ſit juſta, requiritur, ut ea non tantum ita conſiderentur, ſed etiam ut reipſa eam afflictionem mereantur, quæ pœnæ ac vindictæ rationem ſuſtinet. Alias immerito punietur alter. Immerito autem quempiam punire, eſt injuſte punire.

Non eſt autem hoc loco prætereundum, quod Grotius de forma tantum pœnæ agens, eam comparat ad aliena peccata, tanquam cauſam meritoriam, de materia vero loquens non item: quaſi peccata aliena, licet materiam pœnæ, ſeu afflictionem ac nocumentum ipſum, non mereantur, meritoriæ tamen cauſæ dici queant ratione formæ, & ſic non afflictionem, ſed relationem ei adhærentem, in qua forma pœnæ cernitur, licitam reddant. Id enim licitum fit ex delicto, cujus reſpectu delictum *meritoria* cauſa dicitur. Unde infra vult Grotius, actum pœnalem, quo quis ob alienum delictum plectitur, exerceri interdum tanquam licitum citra conſiderationem ullius delicti, vel antecedente ipſius punientis jure, vel juſto ac valido conſenſu ejus, de cujus pœna agitur. Atqui peccata non relationem, quæ pœnæ forma eſt, merentur, ſed rem atque afflictionem ipſam, cui relatio adhæret. Relatio enim illa eſt inter pœnam & delictum reſpectus, qui à terminis illis, ſeu mavis relatis, re non differt, ſed ratione. Nihil autem dicitur mereri relationem ex natura ſibi adhærentem, ſed rem illam, ad quam habet relationem. Itaque cum peccata aliena conſiderantur ut cauſa meritoria pœnæ, ipſe actus pœnalis cenſetur licitus ex alieno delicto, idque jus punienti cenſetur largiri ad eum infligendum, quale tamen jus ex ſe reipſa parere non poteſt, ut hactenus oſtendimus, adeoque ii, qui innocentes ob alienum delictum tanquam cauſam meritoriam puniunt, jus ſibi aliquod ad eos affligendos tunc arrogant, quod revera nullum eſt, iiſque injuriam faciunt, etiamſi cæteroquin jus aliquod habeant ad ejus generis afflictionem iis citra pœnæ rationem imponendam. Verum quia iſto jure, quatenus puniunt, non utuntur, reſpectu pœnæ perinde ſe res habet, ac ſic eo prorſus carerent. Quemadmodum ergo injuriam facturi eſſent, ſi eo jure prorſus carerent: ita & nunc, cum jure iſto non utuntur, ſed eo tantum juris prætextu, qui nil niſi prætextus eſt.

Quare ut ad ſequentia Grotii verba Partic. 4 pergamus; cum ipſemet aſſerat, fateri Socinum, non fuiſſe injuſtum, ut Chriſtus innocentiſſimus à Deo graviſſimis cruciatibus ipſaque morte afficeretur, nihil eſt, quod de ea re multa dicamus. Potuit autem id Deus facere, atque adeo, quemadmodum fatetur Grotius, fecit, jure dominii, quod in Chriſti vitam ac corpus habebat, accedente præſertim ipſius Chriſti conſenſu. Ex quo ipſo apparet, Chriſtum à Deo revera non fuiſſe punitum. Qui enim punit quempiam, is, quatenus eum punit, eo jure ad illum affligendum utitur, quod ex ipſo delicto aut injuria per ſe naturaque ſua pendeat: quale non eſt jus abſoluti dominii, quod hic primo eſt conſiderandum; nec illud, quod ex valido alterius conſenſu proficiſcitur. Utrumque enim citra omnem delicti reſpectum conſiſtere poteſt, & non niſi per accidens ac contingenter cum delicto cohæret.

Deinde illud quoque concedimus, quod alteram Minoris partem probaturus affirmat Grotius Partic. 5. *non eſſe ſimpliciter injuſtum, aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob aliena delicta.* Ubi minus affirmat Grotius, quam antea dixerat, & ſic alteram Aſſumtionis partem non probat, antea enim, poſtquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pœnam comparaſſet ad *peccata aliena*, addidit illa verba: *tanquam cauſam meritoriam*, h. e. ita ut peccata, quorum non ſis particeps, cenſeantur pœnam illam mereri. Quo pacto innocens quoque alieno merito puniri poſſet. At hoc eſt, quod nos negamus. Fieri autem poteſt, ut quis ob aliena peccata juſte puniatur, quia ipſe quoque peccarit, & ſic pœnam fuerit commeritus; præſertim ſi eorum ipſorum delictorum, quæ aliena dicuntur, & ob quæ punitur, fuerit particeps. Neque vero eſt, quod quis dicat, eum, qui ideo puniatur, quia ipſemet pœnam fuerit commeritus, ob aliena peccata eodem tempore puniri non poſſe. Nihil enim prohibet, quominus quis ſimul eodemque actu & ob ſua, & ob aliena peccata puniatur, ut inferius tum dictis, tum exemplis S. Literarum planum faciemus. Poſſunt enim plures eſſe unius rei, atque adeo unius etiam pœnæ, cauſæ antecedentes impulſivæ, & quidem unius generis. At cum S. Literæ affirmant, quempiam ob peccata aliqua punitum, nihil per ſe ſignificant aliud, quam peccata illa fuiſſe cauſas ejus pœnæ antecedentes aut impulſivas; quo autem modo cauſæ impulſivæ fuerint, id iſtiuſmodi loquendi ratione non explicatur, ſed ex rei ipſius ac circumſtantiarum ratione æſtimandum eſt. Propria pœnam vere merentur, & ut puniri is, qui ea commiſit, jure poſſit, efficiunt: Aliena, etiamſi pœnam iſtiuſmodi mereri nequeant, nihilominus tamen Deum vehementer movere poſſunt ad pœnam de alio quopiam, qui eam ſuis delictis eſt commeritus, ſumendam, ita ut, etiamſi forte Deus pœnam peccati alicujus non fuiſſet exacturus, aut de ea multum remiſſurus, tamen ob aliena peccata eam exigat, aut ſeverius exigat, quamquam non ultra proprium hominis meritum. Id autem duplici potiſſimum de cauſa videtur fieri; vel enim propterea id contingit, quia peccata aliorum præcedentia faciunt, ut tandem aliquando exemplum aliquod Deus toties irritatus ſtatuat, nec ultra modum peccandi licentiam progredi ſinat; cum etiam tolerantiæ ac lenitatis divinæ ſit aliquis modus; vel quia Deus hunc puniendo, alterum quoque illum, ob cujus peccata eum dicitur punire, ſimul punire poſſit, propter arctiorem, quæ inter illos intercedat conjunctionem, ob quam ille, ob cujus peccata punitur alter, ſupplicii alieni reipſa fiat particeps: quo pacto parentes in liberis ac poſteris, reges in ſubditis puniuntur, aut totius Reipubl. vel communitatis alicujus corpus in ſuis membris vel pluribus, vel nobilioribus, licet paucis. Etſi enim interdum tota aliqua communitas generatim peccet, non tamen Deus omnia illius membra ſingillatim punit; nec etiam ſtatim ſupplicium exigit, ſed nonnunquam pro ſua lenitate ac longanimitate diu parcit, ac reſipiſcentiam expectat; quod dum fit, multi ſæpe ſontes moriuntur, qui pœnam videntur effugiſſe. At cum fruſtra Deus expectavit, & tolerantiæ tempus præteriit, tandem poſteros, illorum peccatorum veluti hæredes, punit, & debitas ab iis pœnas exigit, & eo pacto majores ipſorum ſimul ſupplico afficit, quorum ſcelera per poſterorum pœnam traducit, & eorum etiam memoriam exſecrabilem reddit; cenſeturque tum totus ille populus aut familia, pro uno veluti homine, cujus diverſæ fuerint ætates, & quod de ultimis ſumitur ſupplicium, id propter conjunctionem ac ſucceſſionem de omnibus antegreſſis, qui ejuſdem ſceleris rei fuerant, ſumtum cenſetur. Cujus rei exemplum vel Hieroſolymitanum excidium nobis præbet, ut ex S. Lit. apparet Matth. 23. 34 & ſeqq. confer cum præced. à ỹſ. 29. Luc. 11. 49 & ſeqq. confer cap. 19. 42 & ſeqq. Deinde peccata quorundam ſunt occultiora, aut minus notabilia, quorum pœnas Deus, niſi alia interdum accederet occaſio, ad eas repetendas impellens, fortaſſe non exigeret, ſed quia alium quempiam, iis conjunctum punire vult, ideo eas pœnas exigit, ut per horum veluti latus, alterum quoque illum petat & affligat. Nonnunquam per totum aliquem populum aut familiam peccata aliqua ſerpunt, aut à variis varie, diverſoque tempore peccatur, quæ ſigillatim vindicta divina non perſequitur, ſed interdum tum demum, ubi is, qui familiæ aut populi iſtius caput ac princeps eſt, aliquid ſingulari dignum pœna admiſit, quem perſonarum conjunctarum ſupplicio punire vult: ideo totum populum aut familiam generatim punit. Quod ſi ſimul innocentes aliqui pereunt, aut damnum patiuntur, ut infantes, quos promiſſio aliqua divina propriaque pietas ab ea re non defendit, id vel non ex Dei conſilio revera fit, ſed ob ipſam rei naturam, ut cap. 1 diximus; vel ſi ex Dei fit conſilio, id non in ipſorum, ſed in aliorum potius, cum quibus conjuncti ſunt, pœnam cedit. Nam ea afflictio, quatenus in ipſis innocentibus acquieſcit, pœna non eſt, ſed eatenus demum, quatenus in ipſis nocentibus terminatur; adeoque id revera pœnæ rationem habet, quod ad ipſos nocentes inde redit damni ac nocumenti; ipſa innocentium afflictio, quatenus ipſorum propria eſt, & in ipſis terminatur, medium tantum quoddam eſt, per quod pœna exercetur; & quatenus quidem Deus hoc pacto affligit nocentes, eo jure utitur, quod ex peccatis ipſorum proprie manavit, cum ea afflictionem hanc vere fuerint merita: quatenus autem ipſos innocentes affligit, cum id abſque illorum conſenſu fiat, jure utitur dominii abſoluti, quod in creaturas omnes habet, citra omnem cujuſcunque delicti rationem; utiturque tum innocentibus illis ut rebus ſuis, quibus nihil ultra id, quod naturæ illorum conſentaneum eſt, ſeu quod naturaliter incurrere poſſent, mali aut doloris imponit. Quatenus autem quis jure dominii utitur, quod citra delictum in rem aliquam habuerit, eatenus, ut diximus, non punit, licet id faciat occaſione delicti alicujus, eumque in finem, ut pœnas ejus exigat. Neque enim omne id, quod fit ob delictum aliquod, eumque in finem, ut ejus pœna exigatur, protinus pœna eſt. Quandoquidem multi res ac pecunias ſuas ſponte ſua prodigunt, multaque patiuntur damna & incommoda, ut alios ulciſcantur ac puniant, nec tamen ea ipſa damna pœnæ ſunt; alias ſeipſos punirent. Qua de re inferius plura dicentur.

Quandoquidem ergo hactenus oſtendimus, non eſſe ſimpliciter injuſtum punire quempiam ob aliena delicta, ſi nempe is ipſe, de cujus pœna agitur, eam fuerit commeritus; quivis facile intelligere poteſt, multo minus id eſſe contra naturam pœnæ, cujus etiam rei in verbis ſuis mentionem facit Grotius; cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ne illud quidem ad naturam pœnæ requiratur, ut is ipſe, qui puniendus eſt, pœnam revera fuerit commeritus, ſed ſatis ſit, ut illi peccatum qualecunque, ſive proprium ſive alienum, ſive verum ſive falſum, apparens tamen, imputetur, iſque dignus propterea cenſeatur, qui affligatur ac male tractetur: quam ad rem ſufficit hominibus crudelibus atque iratis, aut imprudentibus, conjunctio ejus, de cujus pœna agitur, cum nocente, aut eo, qui nocens eſſe cenſeatur, ut liberorum cum parentibus, ſervorum cum dominis, ſubditorum cum magiſtratibus, aut ipſorum liberorum, conſanguineorum, ſervorum denique ac ſubditorum inter ſe, & amicorum quorumvis, præſertim eorum, qui id agunt, aut agere videntur, ut nocens pœnam effugiat. Ubi enim ira locum habet, ibi vindicta quoque ac pœna. Habet autem locum, natura ipſa inſpecta, in omnibus illis, quos diximus, ut ipſa teſtatur experientia. Requiritur quidem, tum ad iram, tum ad pœnam, ut in eo, qui puniendus eſt, culpa atque injuria, quæ vindicanda ſit, ſi non primo, ſaltem ſecundario, veluti in quodam culpæ alienæ hærede aut participe, videatur hærere, eique hoc pacto quippiam cenſeatur acceſſiſſe, quod illi per pœnam ſit detrahendum. Ea enim vindictæ ratio eſt. Ad id vero, ut ita cenſeatur, ſufficit illa, quam diximus, cum nocente conjunctio. Nam ſimili ratione poteſt quiſpiam rem à parente ſibi ablatam, à liberis repetere, tanquam ejus hæredibus, ad quos tamen nec res ipſa, nec rei pretium pervenerit, quod non niſi injuſte fit. Quod ſi quippiam ad eos revera perveniſſet, jure id ab illis poſtularetur. At delicti alieni nemo reipſa fieri poteſt particeps, & ejus veluti hæres, niſi ſuo ipſius delicto; & ea actus vitioſitas, quæ propria pœnæ cauſa eſt, perſonam delinquentis non egreditur, adeoque neminem niſi eum ipſum, qui peccavit, ad pœnam obligare poteſt: interim videri poteſt perſonam ejus quodammodo egredi, & in alios ei conjunctos veluti dimanare, eoſque dignos afflictione reddere; quod cum fit, iis alienum delictum imputatur, & tanquam meritoria ejus afflictionis cauſa conſideratur: eoque pacto innocens etiam ob alienum delictum puniri poteſt, licet, ut ſæpe jam diximus, injuſte.

His ita explicatis, poſſemus tranſire omnia ea Scripturæ loca, quæ ideo adduxit Grotius, ut probaret, non eſſe ſimpliciter injuſtum, aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob peccata aliena; cum nos utrumque fateamur. Veruntamen ne quis forte exſtimet, ut Grotius quidem arbitratus eſt, ex iiſdem etiam probari poſſe, ob aliena peccata, vel innocentes fuiſſe à Deo punitos, vel, quod eodem tandem recidit, qua innocentes, adeoque, cum nihil in Deum cadere poſſit injuſti, innocentes ob aliena peccata juſte puniri poſſe; ideo loca illa aſſcribemus, & id, quod Grotius putavit, ex iis haudquaquam evinci docebimus. Ex quo illud quoque patebit, Grotium, ſi in proximis verbis ſuis illud etiam ſe dicat ſubaudiiſſe, quod antea expreſſe dixerat, peccata aliena conſiderari tanquam cauſam meritoriam ejus pœnæ, de qua loquatur id, quod aſſerit, locis iſtis Scripturæ non probaſſe. Neque enim id probari ex illis poteſt, niſi ſimul oſtendatur, vel innocentes fuiſſe punitos, vel quà innocentes.

Antequam autem ea loca enumeret Grotius, prius monet Partic. 6, *ſe loqui de injuſtitia, quæ ex rebus oriatur, non quæ ex jure poſitivo, ut quo nequeat imminui divina libertas.* Atqui meminiſſe debebat, jus poſitivum etiam illud eſſe, quod ex promiſſione divina, qua ſeipſum Deus hominibus obſtringit, aut ex ejuſmodi effato, quod promiſſionem aliquam tacite in ſe includit, pendet. *Promiſſio* enim, ut ipſemet capite ſuperiore dixerat, *jus dat parti, quod ab ea auferri ſine injuria non poteſt.* Quare jure poſitivo, ab ipſius Dei voluntate profecto, reſtringitur aliqua ex parte ac limitatur ipſius libertas. Unde Grotius ipſe d. l. ſubjicit: *quanquam ergo promittere eſt liberum, tamen liberum non eſt promiſſa frangere,* & quæ ſequuntur. Quorſum autem hæc à nobis dicantur, inferius apparebit.

Loca, quibus Grotius Partic. 7 dictum ſuum, de quo hactenus egimus, probare nititur, ita ab eo citantur Exodi 20. 5, & 34. 7: *Deus viſitat parentum iniquitates in filios, nepotes & abnepotes. Patres noſtri peccaverunt, & nos pœnas eorum ferimus* Thren. 5. 7. *Ob factum Chami exſecrationi ſubjicitur Chanaan* Gen. 9. 25. *Ob factum Saulis ſuſpenſi ſunt filii ejus & nepotes Deo approbante* 2 Sam. 21. 8, 14. *Ob factum Davidis pereunt LXX. millia, & exclamat David, Ego peccavi & inique feci: hæ oves quid fecerunt* 2 Sam. 24. 15 & 17. *Sic ob factum Achanis filii puniuntur* Joſ. 7. 24, *& ob factum Jeroboami poſteritas ipſius* 1 Reg. 14. 10. *Hi loci*, inquit, *manifeſte oſtendunt, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata. Videat, ſi cui otium eſt, Chryſoſtomum* Homil. 29, *in* Geneſ. c. 4. *Tertullianum adverſus Marcionem.*

Ad hæc loca primo generatim reſpondemus: vel eos ipſos, quos ob aliena peccata punitos aſſerit Grotius, peccaſſe, & ſupplicium iſtud, quod ſuſtinuerunt, commeritos fuiſſe, licet id alienorum peccatorum cauſa atque occaſione poſtmodum reipſa ſubierint; vel eos non revera punitos fuiſſe, ſed tantum alienorum peccatorum cauſa atque occaſione afflictos, idque in eorum, ob quorum peccata affligebantur, pœnam ac ſupplicium. Id, quod diximus, magna ex parte Chryſoſtomus quoque, quem ſuæ ſententiæ teſtem laudat Grotius, affirmavit eo loco, quem indicatum Grotius voluit, ut paulo inferius in examinatione loci Geneſ. 9. 25 apparebit. Etſi vero rationes hujus reſponſionis noſtræ tunc indicabuntur, ubi ſingula teſtimonia à Grotio adducta diſcutiemus: tamen ea generali ratione confirmari poteſt. Triplicem ob cauſam, ut ex ipſius Grotii dictis conſtat, fieri poteſt, ut alterum affligere liceat: vel antecedenti affligentis jure, quale eſt jus dominii, quod is habeat in eum, quem velit affligere; vel juſto ac valido conſenſu ejus ipſius, qui ſit affligendus; vel denique ejuſdem delicto. Jus illud, quod ex conſenſu ejus ipſius, qui affligendus ſit, proficiſcitur, hic nullum habet locum, nam Deus nec in comminatione ſua, quam primo loco citavit Grotius, nec in exemplis iſtis, conſenſus illius ullam habuit rationem; & res ipſa unumquemque monet, in iis hunc conſenſum nequaquam acceſſiſſe, imo interdum ne accedere quidem potuiſſe, ut

cum

cum infantes ob alienum delictum fuerunt afflicti. Reſtat ergo, ut Deus eos, de quorum afflictione agitur, vel jure ſuo delictum antecedente, nempe jure dominii abſoluti, quod in eos ipſos habuerit habeatve, afflixerit, aut ſe afflicturum pronunciarit; vel eo jure, quod ex propriis ipſorum delictis manarit. Si illo, afflictio ea reſpectu eorum, quos jure dominii afflixit aut affligit Deus, pœnæ rationem non habuit habetve: ſi hoc, pœnæ quidem rationem habuit aut habet afflictio iſta, ſed eatenus ii, qui eam ſuſtinent, nec revera ſunt innocentes, nec qua innocentes affliguntur. Poſterius unicuique per ſe manifeſtum eſt. Prius ſupra à nobis ea ratione probatum eſt, quod is, qui punit alterum, eo jure utitur ad eum affligendum, quod ex delicto aliquo oritur: quale non eſt jus abſoluti dominii, quod quis citra omnem delicti cujuſcunque rationem in quempiam habuerit. Deinde quod qui jure illo dominii quempiam affligit, is eo utitur, ut re ſua, & ſibi plane propria. At nemo rem ſuam, qua talis eſt, punire poteſt. Alias enim ſeipſum puniret, utpote in quo nocumentum illud, quod ea res ſuſtinet, ultimo terminatur. Deinde inter punientem, & eum qui punitur, eatenus jus & injuria verſari poteſt. At inter dominum & rem ipſius, qua talis, nec jus eſt nec injuria. Indicat idem pœnæ cupiditas, ſeu ira. Cui enim iraſcimur, eum tamquam noxium & adverſum conſideramus, qui nobis, aut alicui ex noſtris injuriam intulerit. Quatenus autem hæc in quempiam cadunt, eatenus alienus eſt. Quare dum vindictam de eo ſumimus, ab eo ut alieno noſtrum repetimus, non vero eo tanquam noſtro utimur. Idem vindictæ ratio, quæ forma pœnæ eſt, indicat. Quo enim pacto poteſt quis rem ſuam, qua talis eſt, ulciſci, ab eaque vindictam repetere? Pœnæ ac vindictæ ratio in eo conſiſtit, ut id, quod lædens per injuriam nobis detraxerat, ab eo repetamus, & nobis vindicemus. At quo pacto id præſtamus, quatenus re noſtra utimur, & jus iſtud perſequimur, quod citra ullam injuriæ rationem nobis competebat? Interdum quidem ſimul iſta duo facimus, & dum jure noſtro delictum antecedente utimur, ſimul vel eum ipſum, in quem jus illud nobis competebat, vel alium quempiam punimus; verum perſecutio illa juris noſtri delictum antecedentis, vel medium tantummodo eſt, quo interveniente pœna alicui infligitur, ut antea aliqua ex parte explicuimus; vel jus, quod delictum anteceſſit, eatenus, quatenus punimus, prætextus tantum quidam vindictæ ac pœnæ eſt. Nam quod ad prius attinet, ſæpe fieri ſolet, ut dum quiſpiam jure ſuo utitur, quod illi citra delicti alicujus rationem competebat, afflictio ac detrimentum quoddam ad alterum inde redundet, quod tunc, cum eum punire nolumus, ſi animum noſtrum ſpectes, ex accidente eſt: at, ſi eum punire velimus, per ſe à nobis ſpectatur ac quæritur. Quod ad poſterius attinet, fieri poteſt, ut quis tacite jure ſuo, quod antea alterius delictum in ſe habebat, vel penitus, vel aliquouſque ceſſerit, & id vel nunquam, vel nondum perſequi cogitet, ſed poſtea delicto ejus aliquo irritatus contra faciat, & quatenus eum punit, jure illo utatur, quod ex ipſius in ſe delicto manarit: quia tanquam ab ingratio, & afflictionem aliquam merito, beneficium repetit. Atque eatenus tantum id, quod exigitur, pœnæ rationem habet. Quatenus autem aliquid beneficii rationem habet, eatenus id à benefactore alieni juris factum cenſetur. Conſtat ergo, Deum eatenus, quatenus jure dominii, quod citra delicti rationem in homines habet, quempiam afflixit, eatenus eum non puniviſſe: ac proinde eos, quorum ſit mentio in locis à Grotio citatis, vel à Deo revera punitos non fuiſſe, vel ſi puniti fuerunt, eos id perpeſſos, qua nocentes fuerunt ac pœnam commeriti.

Quia vero in tota hac diſputatione ſæpe occurrit diſtinctio afflictionis ac pœnæ, qua hæc etiam, quam nunc attulimus, ad teſtimonia à Grotio citata nititur reſponſio; ideo hoc loco lectorem, harum rerum minus forte gnarum (nam cæteri per ſeipſos id facile intelligunt) diſcrimen iſtud animadvertere cupimus. Intelligendum igitur eſt, afflictionem, ſi pro corporali vexatione ſumatur, genus eſſe pœnæ corporalis; ſi pro nocumento ac damno in univerſum, genus etiam eſſe pœnæ in univerſum; ita ut omnis quidem pœna ſit afflictio, at non viceverſa omnis afflictio ſit pœna. Afflictio v. g. fuit, quod iſte, de quo Joh. 9, cæcus fuerit natus, at pœna nequaquam; cum nec ob proprium, nec ob parentum peccatum id illi contigerit, ut D. Jeſus apertiſſime docuit, ſed ut apparerent in ipſo Dei opera ỽſ. 2, 3. Itaque neque reſpectu ipſius cæci, nec reſpectu parentum pœnæ rationem habuit ea cæcitas, ſed ſimplex tantum fuit afflictio. Pœna autem ea demum afflictio eſt, quæ vindictæ rationem habet. Qua vero in re vindictæ conſiſtat ratio, & paulo ſuperius, & cap. 2 à nobis eſt explicatum. Unde alterum conſequitur diſcrimen, quod pœna nemini imponi poſſit niſi eo jure, quod ex delicto ipſius oritur. Id enim vindictæ ratio poſtulat: alioqui injuſta futura. Afflictio autem, quemadmodum vidimus, poſſit cuipiam imponi citra ipſius delictum, vel jure dominii abſoluti, quod quis in affligendum habeat, vel eo jure, quod ex ipſius affligendi valido conſenſu proficiſcitur. Itaque ad pœnam juſtam meritum requiritur ejus, qui puniendus eſt, ut vulgo etiam intelligunt: ad afflictionem non requiritur. Ex eadem pœnæ forma naſcitur tertium diſcrimen; quod propria pœnæ cauſa impulſiva proëgumena ſeu interna eſt ira, quo nomine iræ quoque analogum voluntatis actum complectimur: at afflictionis non omnis ea eſt cauſa, ſed ſæpe contraria, nempe amor ac benevolentia. Indidem & quartum proficiſcitur diſcrimen, priori aliquo modo affine; quod pœnæ, qua talis eſt, ſit tantum nocere ei, quem punis, non vero ei benefacere, & felicitatem ejus quærere: at nihil prohibet, quominus is, qui alterum affligit, primo ac per ſe nihil aliud, quam ejus ipſius, quem affligit, bonum ac felicitatem quærat. Itaque fieri poteſt, ut quis ei, cui afflictionem imponit, præmium proponat, quo ei afflictionem illam abunde compenſet: quemadmodum ſane tum Chriſto, tum martyribus, infinitum afflictionis præmium à Deo fuit propoſitum, & Chriſto jam perſolutum: at pœnæ naturæ id prorſus repugnat; quia id omnem vindictæ rationem evertit. Ex quibus differentiis, præſertim tribus prioribus, ſatis etiam apparet, cur innocens puniri jure

nequeat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nequeat, affligi jure queat; quanquam diſcrimen aliquod inter innocentes facere ſolet Deus, cum ii duplicis etiam ſint generis. Alii enim ideo innocentes ſunt, quia per ætatem non poſſunt eſſe nocentes: alii quia, licet poſſint, nolunt tamen. Illorum innocentia eſt naturæ ac neceſſitatis, horum virtutis. Illis Deus eas afflictiones, quas alias naturalis eorum conditio afferre poſſet, ob aliena delicta interdum imponit: his ne iſtas quidem vere imponit, h. e. tunc immittit, cum ipſa natura eas non affert, niſi in ipſorum bonum ſint ceſſuræ.

His ita generatim explicatis, reſtat ut ſingula loca à Grotio Partic. 2 adducta conſideremus. Quod ergo attinet ad locos Exod. 20. 5. & 34. 7, ii loquuntur de nepotibus & abnepotibus iis, qui parentum veſtigia ſequuntur, eorumque peccata imitantur, ut ipſe Grotius agnovit ſupra cap. 1, ubi priorem locum adduxit, agens de loco Thren. 5, 7, quem hic ſtatim ſubjungit. Idem cenſent omnes, quotquot hac de re legere mihi contingit, Theologi, & ipſa etiam Legis Moſaicæ, præter naturalem rei æquitatem, evincit ratio. Nam niſi de iis tantum filiis, nepotibus aut abnepotibus hic ſermonem eſſe velis, qui per ætatem pœnam mereri nondum poſſunt, & in quos ea nullo jure poteſt cadere, ſed tantum afflictio, qua parentes ipſi ob ſua peccata puniantur; fieri non poteſt, ut ſalvis Dei promiſſis in Lege Moſaica extantibus, liberi aut nepotes parentum impiorum innocentes ab ipſo punirentur. Neque enim innocentiæ ac pietati cujuſque in Lege propoſita fuit impunitas, vitaque felix ac longæva, quam peccatis pœna; nec plus apud Deum, omnis æquitatis fontem, unquam potuit alienum peccatum, ad cujuſpiam pœnam, quam propria pietas & innocentia ad ejus impunitatem. Deus in eodem verborum contextu promittit, ſe poſteris eorum, qui ipſum diligant, & mandata ejus obſervent, benefacturum in milleſimam generationem; contra poſteris impiorum in tertiam tantum & quartam generationem mala minatur: ſatis oſtendens, longe plus apud ſe ad præmium poſſe pietatem, quam impietatem ad pœnam. Undæ Sacræ Literæ teſtantur. Deum ob pietatem parentum aut majorum, impiis etiam liberis ac poſteris pepercisse, ut de poſteris Davidis legimus: quomodo ergo ob propriam pietatem non multo magis pœnam, quam parentes tantum commeruiſſent, ab iis averteret, etiamſi tandem per naturam liceret eam illis infligere? Æquitas, ut vulgo etiam notum eſt, ſuadet, ut nocens potius dimittatur, quam innocens puniatur. Deus, qui ipſa eſt æquitas, mallet innocentem, & per omnia ſibi obſequentem punire, quam nocentem dimittere, aut aliquanto mitius punire, & ejuſmodi puniendi rationem in Lege ſua ſanciret, qua facile plerorumque in ea Lege obſervanda ſtudium retardaſſet? quotus enim quiſque ex poſteris iis, qui meminiſſent, aliquem ex majoribus ſuis, ea Dei comminatione comprehenſum, impium fuiſſe, quales in toto aliquo populo fere ſunt innumeri, pietati tantopere voluiſſet incumbere, & Legem tam duram implere, ſi, utut eam ſervaſſet, nihilominus ei majorum parentumve delicta fuiſſent luenda? Quare eos liberos poſteroſque, qui à Deo ob parentum aut majorum peccata puniuntur, ipſoſmet deliquiſſe, & pœnam commeritos eſſe neceſſe eſt. Qua de cauſa verba illa, quæ cap. 20 extant, *qui oderunt me*, à doctiſſimis interpretibus & explanatoribus, vel ad liberos, nepotes & abnepotes nominatim, vel æque ad liberos & poſteros atque ad parentes referuntur. Quo autem pacto ii liberi aut poſteri, qui ipſimet ſupplicium ſunt commeriti, ob majorum delicta puniri queant, & horum iniquitates in illis viſitari, ſuperius eſt à nobis explicatum.

Ad locum Thren. 5. 7, partim nos, partim Grotius Partic. 9. cap. 1 reſpondit. Nos enim oſtendimus, nec pœnæ nomen, quod utrobique in ſua interpretatione expreſſit Grotius, ibi haberi, nec de ea verba iſta, ſi eorum ſpectes mentem, intelligenda eſſe. Grotius vero ibi oſtendit, iſtos, de quibus ſermo eſt, patrum ſuorum veſtigia fuiſſe ſequutos, adducens ejuſdem cap. verba, quæ extant verſ. 16: *Væ nobis quia peccavimus.* Quamquam id etiam alias ex iſtorum temporum hiſtoria ſatis eſt manifeſtum. Quare etiamſi tandem de vera pœna capienda eſſent ea verba, ex iis tamen nequaquam colligi poſſet, innocentes fuiſſe à Deo punitos.

Ad locum Geneſ. 9. 25, ubi ob factum Chami exſecrationi ſubjicitur Canaan; reſponſionis loco afferre poſſumus ea, quæ Chryſoſtomus ibidem notavit, ad cujus ea de re teſtimonium nos remittit Grotius Partic. 10. Quamquam pro cap. 4 Geneſ. notari apud ipſum debuit cap. 9. Nam cap. 4 nihil tale extat, nec homiliæ numerus congruit. Chryſoſtomus igitur, cum cauſam attuliſſet, cur Noah noluerit ipſi Cham maledicere, ita porro, Oecolampadio interprete ſcribit: *Quare autem cum alius peccavit, ille pœnam luit? neque hoc abſque ratione factum eſt. Quia pater non minorem pœnam & cruciatum habuit quam filius. Scitis enim quomodo ſæpenumero patres orant, ut filiorum pœnas ipſi ferant: & quomodo gravius illis eſt, videre filios ſuppliciis affici, quam ſi ipſi forent obnoxii. Factum igitur eſt hoc, ut ille ob naturalem in puerum amorem, majorem ſentiret dolorem, & benedictio Dei ſervaretur inviolata, & puer accepta maledictione ſuorum propriorum pœnas peccatorum lueret. Nam licet propter Patris peccatum nunc maledictioni ſit obnoxius, attamen veriſimile fuit, quod & propter ſua delicta dederit pœnam.* * *Non enim ſolum propter peccatum patris maledictionem accepit, ſed ut propter ſe ille majorem pœnam penderet. Nam neque patres pro filiis, neque filii pro patribus pœnam luunt, ſed unuſquiſque pro ſuis peccatis pœnam luit. Ubique hoc à Prophetis dictum invenimus* Jerem. 31. 29. Ezech. 18. 4. Deut. 24. 16. 2 Reg. 14. 6. *Sicut cum dicunt: Comedentis uvas acerbas dentes obſtupeſcunt. Et anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Et iterum: Non morientur Patres pro filiis, ut neque filii pro Patribus.* Hæc Chryſoſtomus, qui in ſequentibus quibuſdam Scripturæ teſtimoniis probare nititur, tum ipſum Canaan Filium Chami malum fuiſſe, & omnes qui ab illo nati fuerunt, ad malum propenſe declinaſſe, adeo ut merito ſuo maledictionem illam ſuſtinuerint. Sed demus etiam Canaanum fuiſſe, innocentem: an protinus ſequetur, eum fuiſſe proprie loquendo punitum, & non potius per ipſius calamitatem Patrem

* Vid. etiam Joh. Oecolamp. argum. in cap. 18. Ezech.

fuiſſe

fuiſſe affectum pœna? Dices eum à Noacho fuiſſe exſecrationi ſubjectum; exſecrationem autem pœnam ſignificare. Nos vero contra urgemus, ſi eum innocentem fuiſſe velis, eum non potuiſſe proprie loquendo fieri exſecrabilem, præſertim apud Deum, apud quem hæc imprecatio fieri debuit rata. Quomodo enim exſecrari & abominari Deus Juſtiſſimus ac benigniſſimus innocentem poteſt, qui eos etiam, qui in gravia prolapſi peccata reſipuerunt, amore paterno complecti, & in gratiam recipere, ab initio mundi eſt ſolitus? Quapropter ſi Canaänum innocentem exſecrationi ſubjectum velis, neceſſe eſt, ut in voce exſecrationis improprietatem quandam agnoſcas, qualem in eadem voce agnoſcendam eſſe Galat. 3. 13, ubi Chriſtus pro nobis dicitur factus exſecratio, ſeu exſecrabilis, cap. 1 docuimus, ita ut exſecrabilis ideo dicatur Canaän, quia damnum tale ſubierit, quale ſuſtinere merentur ii, qui ſunt exſecrabiles, aut quod exſecrationis effectum eſſe ſolet. Quid autem illud ſit, ſtatim explicatur in ſequentibus Noachi verbis, dum additur: *Servus ſervorum erit fratribus ſuis.* Talis autem exſecratio, hoc eſt ſervitus, poteſt cuipiam citra reſpectum ad ullum peccatum, adeoque citra rationem pœnæ imponi. Nam & Eſau ſervus eſt conſtitutus fratris minoris, cum nondum nati eſſent pueri, & neque boni, neque mali quicquam feciſſent, tantum pro arbitrio & voluntate decernentis Dei Rom. 9. 12, 13. Gen. 27. 37. Malach. 1. 2, 3. Ubi etiam notandum eſt, Deum dici odiſſe Eſaum, Jacobum autem dilexiſſe, eo ipſo, quod illum hujus ſervum conſtituit; odium autem exſecrationi valde eſt affine. Atqui odium iſtud non poteſt proprie intelligi, cum, ut jam indicavimus, nulla delicti ibi habeatur ratio, imo ſatis aperte ab Apoſtolo excludatur. Ubi autem delictum nullum, ibi nec Dei odium locum habet. Senſus ergo eſt, Deum ita cum Eſao egiſſe, atque ſi ipſum odiſſet; vel minus illum quam Jacobum dilexiſſe, qua ratione accipitur eadem vox Luc. 14. 16. Confer cum Matth. 10. 37. Eodem pacto exſecrabilis dici potuit Canaän, quia non ſecus tractandus eſſet, ac ſi eum Deus fuiſſet exſecratus; quandoquidem eum ſervum fratrum ſuorum conſtituturus erat, quanquam in pœnam & ſupplicium patris, quemadmodum Chryſoſtomus docuit.

Sequitur apud Grotium Partic. 11 locus 2 Sam. 21. 8, 14, ubi ob factum Saulis ſuſpenſi dicuntur filii ejus & nepotes Deo approbante. Sed vel filii & nepotes iſti Saulis haudquaquam fuerunt innocentes, nec pro innocentibus à Deo habiti, vel proprie loquando non fuerunt puniti, ſed tantum in ipſius Saulis pœnam & ignominiam afflicti. In ipſius enim Saulis ſupplicium eos fuiſſe neci traditos, patet ex verbis Gibeonitarum, quorum injuriæ vindicandæ, iſti fuerunt ſuſpenſi. Nam cum David quæſiſſet, quidnam pro injuria ſibi illata poſtularent, reſponderunt verſ. 5: *Virum illum qui perdidit nos, & qui cogitavit adverſum nos, &c. Dentur nobis ſeptem viri è filiis ejus, & affigemus eos Jehovæ.* Quam ſententiam interpretatio Tigurinorum & veteris interpretis adhuc apertius confirmat. Sed quid eſt, quod evincat, eos, qui ſuſpenſi fuerunt, pro innocentibus à Deo habitos fuiſſe, præſertim ſi, ut conſentaneum eſt, ea fuerunt ætate, ut ſupplicii juſti eſſent capaces? Imo ſi ex hiſtoria aliquod in alterutram partem peti poteſt indicium, contrarium indicare videntur verba ipſius Dei, quibus cauſa redditur, ob quam fame afflixerit terram, quæ cauſa eadem eſt, ob quam iſti fuere ſuſpenſi. Unde etiam eo facto fames ceſſavit. Ita vero loquitur Deus Verſ. 1: *Propter Saulem, & propter domum ſanguinariam, eo, quod interfecit Gibeonitas.* (a) Non fruſtra ipſam domum ſeu familiam Saulis eo nomine ſanguinariam vocat, ſed innuere videtur, eam generatim culpæ fuiſſe affinem, ac peccatis ſuis commeritam, ut hoc parentis factum illi imputaretur, & in illa puniretur. Et veriſimile eſt Deum tam diu pœnam hujus ſceleris diſtuliſſe, donec appareret, an filii ac nepotes digni eſſent, qui paterni ſceleris pœnam luerent, nec ne. Audi Plutarchum in eo libello, quem infra commendat & pro ſe citat Grotius, de iis qui ſero à numine puniuntur. *Non omnia*, inquit, *parentum peccata Dii in liberos convertunt: ſed ſi quis de malo naſcitur bonus, tanquam bene affectus corpore natus de morboſo, is generis pœna liberatur, (b) tanquam ex improbitatis domo in aliam familiam datus. Qui vero morbo in ſimilitudinem generis refertur atque redigitur vitioſi, ei nimirum convenit tanquam hæredi debitas pœnas vitii perſolvere.* Et poſtquam attuliſſet exempla eorum, qui pœnas à majoribus commeritas effugerunt, addit: *Nati enim ſi malis, boni ipſi fuerunt. Sed quorum natura amplexa eſt cognatam malitiam, hos juſtitia ſimilitudinem pravitatis perſequens ſupplicio affecit.* Ethnicus hanc Numinis æquitatem ac juſtitiam agnovit, quam Chriſtianos repudiare minime decet. Ipſa nempe naturalis ratio monet, juſtum atque innocentem ob aliena delicta puniri ac perdi jure non poſſe; quam ſequutus olim Abrahamus, ita Deum alloquitur Geneſ. 18. 23: *Abſit à te ut rem talem facias, & interficias juſtum cum impio, fiatque ut impius, ſic juſtus. Abſit à te. Num is, qui judex eſt univerſæ terræ, judicium non faciet?* Idem ex Legis Moſaicæ ratione, ſub qua Saulis poſteri vixerunt, antea docuimus. Quare ſi ii juſti ac innocentes fuiſſent, à Deo, ea ratione puniri ac perdi non potuiſſent.

Quarto adducit Grotius Partic. 12 locum 2 Sam. 24. 15 & 17, ubi ob factum Davidis periiſſe leguntur LXX millia, exclamante Davide: *Ego peccavi, & inique feci: hæ oves quid fecerunt?* Sed ſi omnes iſti vere fuerunt à Deo puniti, ut hic ponitur, neceſſe eſt eos pro innocentibus minime fuiſſe à Deo habitos, tunc propter naturalem juſtitiæ, tum propter fœderis, quod illis cum Deo intercedebat, rationem. Indicat etiam illud, quod ab initio capitis legitur: *Deum fuiſſe iratum Iſraëli.* An enim Deus aut ſolet aut poteſt iraſci iis, quos innocentes eſſe optime novit, & qui ipſius præceptis omnibus parent, eum ex animo colunt & reverentur? Certe ſi Vatablo credimus, nec hujus ipſius facti ratione prorſus fuerunt innocentes. Is enim explicans illud Exod. 30. 12: *Cum cenſum egeris ſecundum capita filiorum Iſraël, juxta numerum eorum, dabunt ſinguli redemtionem animæ ſuæ Domino, quando eos cenſueris, ut non ſit in*

(a) Vide annot. Jun. & Trem. in hunc locum. (b) Ita Cluſerius: Xylander aliter, ſed proculdubio mendoſe.

eis plaga, cum ipſi cenſentur, ita annotat: *per redemtionem, oblationem intelligit, qua redimebant vitam ſuam. Nam alioqui Deus interficiebat eos, ut fecit temporibus David.* Unde apparet, eum ſtatuiſſe, tempore Davidis cum populus cenſeretur, non perſolviſſe ſingulos dimidium Sicli, quo animas ſuas redimere, & ab interitu liberare debebant. Quæ ſententia haudquaquam videtur repudianda. Fieri etiam poteſt, ut populus in hanc Davidis ſuperbiam, qui eum proculdubio in finem, ut vires ac potentiam ſuam cognoſceret, populum numerare juſſit, conſentiret. Nam quod David ait: *Ego peccavi & inique feci, hæ oves quid fecerunt?* Id eo ſenſu ab ipſo proferri potuit, quod populus non eſſet iſtius delicti, ob quod puniebatur, auctor, &, licet aliquantum exorbitaſſet, tamen ſi ejus culpa cum ipſius noxa conferretur, illa propemodum pro nihilo eſſet cenſenda. Iſto enim pacto loqui ſolemus, cum alicujus delictum extenuare, & eum, qui punit, aut punire vult, ad miſericordiam flectere volumus. Quod ſi eos ratione hujus ipſius negotii prorſus fuiſſe innocentes contendas, nihilominus ſtatuendum eſt, ob rationes ſuperius explicatas, eos, ut generatim fuerint puniti, ita & generatim pœnam hanc fuiſſe commeritos. Potuit enim Deus pœnam, quam alias meriti fuerant, eo potiſſimum temporis articulo exigere, ut hac ratione Davidem ipſorum Regem puniret, & ſuperbiam ejus retunderet. Nam per iſtorum, ut ita dicam, latus Davidem fuiſſe petitum, indicant tum verba ipſius Dei, quæ Davidi juſſerat nunciari, tum Davidis ad ea reſponſio verſ. 12, 13, 14. Magna enim eſt conjunctio, ut ipſe Grotius infra docet, inter Regem & ipſius populum, ita ut hoc afflicto aut punito, præſertim ob Regis culpam, ipſe Rex puniri merito cenſeatur, & contra. Et hæc quidem pœna ad vires & potentiam Davidis, qua efferebatur, minuendam pertinuit, ipſique Davidi non exiguum dolorem attulit, ut locus abunde docet.

Quinto adducit Grotius Partic. 13, locum Joſ. 7. 24, ubi ait ob factum Achanis punitos filios. At ſi filii prorſus fuerunt, nempe per ætatem, innocentes, non eſt concedendum, eos proprie loquendo punitos, ſed in pœnam tantum patris afflictos. Qua ratione cæteræ quoque Achanis res, quas nemo vere punitas dixerit, in ejuſdem ignominiam & pœnam fuerunt combuſtæ. Verum quales iſti Achanis liberi fuerint, an prorſus innocentes, nihil conſtat: imo ne illud quidem conſtat, an hujus ipſius facti ratione prorſus fuerint inſontes. Contrarium ſane ſuſpicatur Beza, qui adverſus Caſtellionem in reſponſione ad defenſionem tertiam Matt. 1. 19 ita ſcribit: *Quid ſi quos habuiſſet* (Achan) *ſceleris ſui celandi conſcios? & fortaſſis hæc vera cauſſa eſt cur una cum eo tota ipſius familia ſacrilegii luit.* Et paulo ante dixerat: *eum nemine (niſi forte quopiam ex ſuis) conſcio ſacrilegium commiſiſſe.*

Partic. 14. Ultimus locus eſt 1 Reg. 14. 10, ubi ob factum Jeroboami poſteritas ipſius punita ſcribitur. Sed poſteritas illa imitata eſt ipſius peccata. Conſtat id tum ex aliis, tum ex verſ. 13 ejuſdem cap. ubi Pagnino interprete ita legitur: *iſte ſolus* (Abia) *de Jeroboam ingredietur in ſepulchrum, quod in eo inventa ſit res grata Jehovæ Deo Iſraëlis in domo Jeroboam:* vides hunc ſolum pœnæ generis aliqua ratione exemtum, quod in eo quippiam eſſet, quod Deo probaretur: unde reliquos, qui puniti fuerunt, malos fuiſſe & pœna dignos, apparet. Quod aperte dicitur de Nadabo filio Jeroboami, qui paternorum ſcelerum pœnas luit cap. 15. 16 & ſeqq. Atque hoc in ipſius etiam Jeroboami pœnam ceſſit, ut patet ex cap. 14. 10.

Quod concludit Grotius: *Hos locos manifeſte oſtendere, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata*, id nihil contra nos aut Socinum facere jam antea oſtendimus, quanquam ne id quidem omnes loci à Grotio adducti oſtendunt, præſertim, ut ipſe ait, manifeſte.

Hinc autem patet, Grotium Partic. 15 Socini verba in alienum cogere ſenſum, cum ſubjungit: *Socinum objicere illud apud Ezechielem* Ezech. 18. 20: *Anima quæ peccavit, ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii.* Nam Socinus hoc tantum ex iſto loco voluit concludere, Deum ſtatuiſſe, ne quiſquam alterius loco puniatur, quemadmodum tum in libri margine notatum habes, tum in ipſo textu ſatis eſt expreſſum. Itaque duplici modo peccavit Grotius: primum quod Socinum ita ſibi hic objicientem facit, ac ſi is ex hoc loco probare vellet, id, quod his Dei verbis adverſatur, natura ſua injuſtum eſſe, quemadmodum tum ex ſuperioribus Grotii dictis, quibus ait Socinum hunc Ezechielis locum objicere, tum ex ejuſdem ad hanc objectionem reſponſione conſtat, qua de re poſtea dicetur. Deinde cum Socinus oſtendere velit, vi iſtius divini effati, non debere alterum *loco alterius* puniri; Grotius ita ejus verba accipit, ac ſi is probare vellet, non debere quempiam *ob aliena peccata* puniri. Atqui iſta differunt, poteſt enim quiſpiam puniri ob aliena peccata, nec tamen interea illius, ob cujus peccata punitur, loco. Nam qui quempiam alterius loco punit, is alterum illum, cujus vice hunc punit, eo ipſo pœna liberat. Atqui cum Deus quempiam punit ob aliena peccata, non protinus eum, ob cujus peccata hunc ſupplicio afficit, pœna liberat, imo eum ſæpe in finem id facit, ut alterum quoque illum hac ratione ſupplicio afficiat. Urſit hactenus Grotius, liberos Achanis & Saulis ob parentum ſuorum peccata punitos. An vero Achan ipſe & Saul pœnas interea effugerunt? Plura hujus rei exempla ab ipſomet Grotio inferius afferentur. Conſtat vero inde, neminem à Deo loco alterius puniri, etiamſi is ob peccata aliena puniatur, quod neminem puniri à Deo oſtendimus, niſi ipſemet pœnam eam ſit commeritus, & ſic eam ſuo nomine tum debeat tum perſolvat. Quod autem quis ſuo nomine debet ac perſolvit, id non poteſt alterius loco ac vice ſimul perſolvere. Idem ſtatuendum eſt de iis, quos ob aliena peccata afflictos tantum diximus jure dominii abſoluti. Nam ne illi quidem alterius loco afflictionem illam perſolvere potuerunt, cum eam Deo ſuo nomine deberent, propter naturalem iſtam, qua ipſi tanquam domino ſuo abſoluto, citra omnem cujuſcunque delicti rationem fuerunt obſtricti, obligationem. Aliam rationem, qua probetur, neminem revera poſſe alterius loco corporalem

pœnam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pœnam perſolvere, licet habita ratione intentionis ac conſilii ejus, qui punit, id fieri queat, infra videbimus. Sed videamus, quid reſpondeat Grotius.

Reſpondet ergo Partic. 16: *Deum his verbis non quid neceſſario ſibi faciendum ſit docere, ſed quid facere libere decreverit. Non magis ergo*, inquit, *hinc ſequitur iniquum omnino eſſe, ut filius ullam paterni delicti pœnam ferat, quam iniquum eſſe ut non moriatur peccator. Locus ipſe evincit, non agere hic Deum de jure perpetuo & immutabili, ſed de ordinario providentiæ ſuæ curſu, quo ſe poſthac adverſus Judæos uſurum profitetur, ut omnes calumniæ anſas abrumpat.*

Sed ex iis, quæ paulo ante diximus, apparet, hanc reſponſionem, quatenus in ea affirmatur, Deum his verbis non quid neceſſario ſibi faciendum ſit docere, ſed quid facere libere decreverit, ad ratiocinationem Socini ex hoc loco ductam convellendam nihil facere. Etſi enim Socinus ſtatuit, juris naturalis rationem prohibere, ne alter pro altero puniatur; non tamen id revera iſtis verbis probat: ſed, cum jam antea ratione docuiſſet, non debere nec poſſe corporalem pœnam, quam unus debeat, ab alio perſolvi; addit porro, Deum teſtatum eſſe, ſe ab hac æquitate non recedere; atque ad id probandum hunc Ezechielis locum adducit, cui addit Deut. 24. 16 & 1 Reg. 14. 6. Etiamſi igitur ex hoc loco probari haudquaquam poſſet, hoc Dei effatum ex ipſo naturali jure profectum, non tamen ſequeretur, Socinum male hinc argumentatum eſſe: cum ad ejus argumentationem ſatis ſit, Deum teſtatum eſſe, ſe nolle ut quiſquam loco alterius puniatur, itaque faciendum ſtatuiſſe, quo verbo in margine libri Socinus utitur. Inde enim nihilominus ſequitur, contrarium ejus, quod in his verbis aſſeritur, iniquum cenſendum eſſe ratione temporis conſequentis, ad quod Socinum reſpicere ſatis erat, cum ei oſtendendum eſſet, iniquum futurum fuiſſe, Chriſtum noſtro loco à Deo puniri. Deus enim ſalva juſtitia ac rectitudine à decretis ſuis, licet libere factis, recedere non poteſt, præſertim ſi per ea jus aliquod ſit acquiſitum alteri, ut hoc loco accidit. Jus enim acquiſitum eſt hoc Dei effato omnibus innocentibus, etiamſi nocentibus ſint conjunctiſſimi, ne alienorum peccatorum pœnas luant, utut tandem à natura jus iſtiuſmodi non haberent. Veruntamen quid eſt, quod, ut Grotius loquitur, evincat, Deum in hoc effato non loquutum eſſe de jure perpetuo & immutabili, & ſic libere decretum hujuſmodi feciſſe? an quod Deus in iiſdem verbis dixit: *Anima quæ peccavit, ipſa morietur*? Nam cum hujus decreti contrarium non videatur eſſe ſua natura iniquum (neque enim per ſe iniquum eſt, peccatorem non mori) conſequi etiam videtur, decretum hoc à Deo libere factum eſſe. Sed non animadvertit Grotius: non dicere hic Deum, peccatorem omnino moriturum: (id enim aperte pugnaret cum eo, quod Deus in hoc cap: infra affirmat, ſe nolle mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat ℣ſ. 23. 32:) ſed id eum dicere velle, non alium, ſed *eum ipſum*, qui peccaverit, moriturum. Omnis enim vis atque emphaſis eſt in voce *ipſa*, quæ præfigitur verbo *morietur*, quaſi dicat: cum mortem ob peccata infligere volue-ro, nulla alia anima, ſeu nemo alius, niſi is ipſe qui peccaverit, eam pœnam feret: quod ſtatim explicatur, dum additur: *filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii, juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii ſuper eum erit.* Quare ſi dicere velit Grotius, hujus decreti contrarium ſua natura non eſſe iniquum, id ipſum, quod in controverſia nunc verſatur, pro conceſſo ſumet. Quod ſi forte de peccatoribus non reſipiſcentibus tantum Deum loqui velit, quos Deus morte omnino velit plectere; ut alia nunc mittam, ipſe Grotius cenſet, cum juſtitia Dei pugnare, eos non punire.

Dices forte, ex eo conſtare, Deum hic non loqui de eo, quid perpetuo fecerit, ſed quid poſt id demum temporis ſit facturus, quia hoc pacto juret ſe effecturum, ne amplius ſit locus proverbio iſti ℣ſ. 3, quod tum vulgari ſermone in populo Judaico jactabatur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Nam ſi Deus antea quoque eodem pacto cum innocentibus impiorum parentum filiis egiſſet, quemadmodum inpoſterum ſe profitetur acturum, vel antea quoque proverbio iſti non fuiſſet locus, vel ſi nihilominus fuit, quomodo hac ratione ſe effecturum jurat, ne quis eo amplius utatur? Ipſemet igitur indicare videtur, ſe hactenus aliter hac in parte egiſſe, & Iſraëlitas cauſam habuiſſe aliquam, cur ita loquerentur, quam porro non ſint habituri. Sed præterquam quod & illius temporis hiſtoria, & omnes, quos quidem vidi, interpretes doceant, falſo & inique Iſraëlitas iſto proverbio uſos, adeoque Deum id, quod in eo jactabatur, haudquaquam feciſſe: id vero eſt illud ipſum, quod Socinus iniquum eſſe contendit; præter hoc, inquam, ſcopus verborum idem monet. Nam ſi ita ſe res haberet, ut objectio illa poſtulat, Deus ſeſe ab iniquitatis crimine, quod ipſi objiciebatur, haudquaquam vindicaſſet, imo id non obſcure agnoviſſet. Nam cum ei objiceretur tanquam res iniqua, quod ab innocentibus liberis paternorum ſcelerum pœnas exigeret, (id enim ſibi velle proverbium iſtud omnes norunt) Deus nec factum ipſum negaſſet, imo, ut ratiocinatio iſta fert, tacite agnoviſſet, nec tamen ulla ratione oſtendiſſet, id æquitati eſſe conſentaneum. Nihil enim eſt in toto hoc loco, quo probetur, æquum eſſe ut liberi innocentes paterna ſcelera luant; ſed tantum profitetur Deus, ſe id non facturum, & cauſam ejus rei ex ipſa æquitate petitam affert. Atqui Deo propoſitum fuiſſe, hac oratione ab iniquitatis crimine ſeſe vindicare, præter rationem manifeſtam, ea quoque verba indicant, quæ bis in hoc capite ponuntur ℣ſ. 25 & 29: *Et dicitis: non eſt æqua via Domini. Audite nunc domus Iſraël: Num via mea non eſt æqua?* Quapropter tantum abeſt, ut Deus hic fateatur, ſe hactenus à filiis innocentibus ac juſtis paternorum peccatorum pœnas repetiiſſe, ut potius oſtendere velit, ab Iſraëlitis id ſibi iniquiſſime fuiſſe objectum, eoſque hac ipſius oratione convictos, id ei porro haudquaquam objecturos. Itaque ut ad objectionem iſtam reſpondeamus, non ex eo ſolo Deus futurum indicat, ut Iſraëlitæ deſinant eo proverbio uti, quod innocens filius paternorum delictorum pœnas non ſit in poſterum perſoluturus, ſed etiam ex hac aperta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ejus rei denunciatione, quam eventus ipſe comprobet, ac porro ſit comprabaturus, quaque ita ſit convicturus omnes, ut agnoſcant, ſe ſuorum ſcelerum pœnas dare. Recenſet enim v.6,7,8, item 10 & ſeqq. ea flagitia, quæ ab iis, qui de iniquitate divinarum pœnarum ſibi inflictarum aut jam imminentium conquerebantur, deſignari vulgo ſolebant, eorumque ſe pœnas ab ipſo ſcelerato exacturum profitetur. Quare cum conſcientia eos ſcelerum iſtorum convinceret, jurat Deus fore, ut porro proverbio iſto uti deſinant. Sententiam hanc perſpicue expreſſit Johan. Toſarrius in ſua hujus loci paraphraſi, cujus verba non pigebit adſcribere. Ita enim caput hoc orditur: *Dominus autem oſtendere volens, ſe bona ratione ac juſta de cauſa Hieroſolymorum excidium meditari, quodque non patrum ſive majorum ſuorum culpa aliqua (ut ipſi ſibi perſuadebant) ſed de propria quiſque plecteretur, atque pœnas daret, verba hinc mecum facturus dixit: Quorſum ſpectat, & quid ſibi vult, quod tritum adeo inter vos adagium eſt, quo in terra Iſraëlitica paſſim dicitis: Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes nobis, eorum filiis ex ea obſtupuerunt? quaſi ea quæ vos fertis mala, patrum veſtrorum culpa verius feratis quam propria. Sed ita mihi perſtet mea vita, dicit Dominus Deus: Ego vos veſtræ iniquitatis ita convincam, ut nemo unus inter vos amplius futurus ſit, qui eo adagio in terra Iſraëlitica utatur.* Idem velle videtur Oecolampadius, qui ita ad ℣ſ.3, notat: *jurat* (Deus) *non ferendam parabolam, quia ſit manifeſtum futurum, unumquemque peccatorum ſuorum luere pœnam.* Quamquam Junius & Tremellius ita ea Dei verba acceperunt, ac ſi ideo juraſſet futurum, ut Iſraëlitæ proverbio iſto uti deſinerent, quia manifeſto, & illico, ac præſentiſſima editurus eſſet judicia ſua in ſingulos eorum, cum peccaverint. Quæ ratio longe eſt diverſa ab ea, quam objectio iſta poſtulat. Sed quid multis opus? ipſa ratio, ob quam Deus à filio paternorum delictorum pœnas ſe non exacturum profitetur, ſatis oſtendit, rem hanc ex ipſa æquitatis natura fluere, & ſic à Deo perpetuo fuiſſe uſurpatam. Nam cum Iſraëlitas ita objicientes aut interrogantes introduxiſſet Deus verſ.19, *& dicitis, cur non portaret* (vel, ut eſt in Hebr. *portavit) filius iniquitatem patris*? ita reſpondet: *Filius judicium & juſtitiam fecit, omnia præcepta mea cuſtodivit, vivendo vivet.* Quæ ratio tum ex Fœderis Antiqui, tum ex media æquitatis ac juſtitiæ natura petita eſt. Eadem autem in tota hac oratione, licet aliis verbis, aliquoties inculcatur, atque inter alia etiam iſtis: *juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii ſuper eum erit.* Quare, ut alia nunc mittamus, quæ de hoc loco dici adhuc poſſent, ſatis apparet, abſque cauſa Grotium ſcribere, Deum hic agere de *ordinario* providentiæ curſu, quo ſe *poſthac* adverſus Judæos uſurum profitetur, ut omnes calumniæ anſas abrumpat; tacite interim indicans, Deum ante id tempus aliter agere ſolitum, & poſt id tempus etiam extraordinarie aliter agere potuiſſe. Chryſoſtomus ſane id, quod in hoc loco continetur, ad omnia tempora accommodavit, nec minus ante hanc prophetiam, quam poſtea valuiſſe oſtendit eo loco, ad quem nos Grotius remiſit, quemadmodum ex ejus verbis ſuperius * adductis patet.

* Partic. 10.

Pergit Grotius Partic. 17: *Neque magis ad rem facit, quod ſcriptum eſt Deut.24.16: Ne morte afficiuntor patres pro filiis: neque filii pro patribus: ſed quiſque ob peccatum ſuum morte afficitor. Cujus etiam fit mentio 2 Reg. 14. 6. Lex enim hæc eſt ex parte poſitiva, lata hominibus à Deo, qua Deus non adſtringitur, ut qui eam ſibi nuſquam tulerit, neque vero ulla lege poſſit adſtringi. Manifeſta quoque eſt rationis diverſitas. Quia poteſtas hominum arctior eſt quam Dei. Quod infra clarius explicabitur, ut jam taceam in hominibus metui abuſum poteſtatis, in Deo non metui.*

Ad id quidem, quod Grotius hic agit, locus ille Deuteronomii proprie non pertinet: ſed nec eo à Socino refertur. Is enim, ut ſupra vidimus, hoc & ſuperiori loco non id vult probare, natura injuſtum eſſe quempiam puniri ob aliena peccata: ſed ex Dei ſententia non debere quempiam alterius loco puniri, etiamſi illi conjunctiſſimus fuerit. Ait autem eam ſententiam, quæ in illis Ezechielis verbis extet, diſerte ſcriptam eſſe Deut. 24. 16, habita ratione rei ipſius, non vero perſonæ pœnam irrogantis, hoc eſt, vel Dei, vel Magiſtratus; cum in neutro iſtorum locorum perſonæ punientis fiat mentio, ſed ſimpliciter tantum aſſeratur, eum ipſum, qui peccaverit, moriturum, aut morte afficiendum, non filium pro patre, aut contra patrem pro filio. Quamquam id, quod in iſto Deuteronomii loco reſpectu magiſtratuum dicitur, jure ad ipſum quoque Deum refertur, quatenus magiſtratus in pœnis irrogandis ipſi erant ſubordinati, ita quidem, ut Deus, quemadmodum Grotius infra cap. 10 ait, pœnas legis ordinarie per judices exigeret, ipſemet tum, ſi judices in officio ceſſarent. Quid vero eſt, quod Grotius ait, Deum Legem hanc, quam hominibus tulerit, ſibi nuſquam tuliſſe, cum apud Ezechielem ſaltem ad id, quod ea lege hominibus præcepit, ſeipſum obligarit? Quod ſi dicat, non legem eam eſſe, quam ſibi Deus tulerit, ſed promiſſionem; id ad rem nihil facit: cum promiſſio non minus obſtringat Deum, quam Lex divina eum, qui ſub Dei eſt poteſtate, quemadmodum ſuperius ex ipſo Grotio Partic. 6 docuimus. Quare quod Grotius de diverſitate poteſtatis divinæ & humanæ addit, ad rem nihil pertinet. Dei enim poteſtas eo uſque non extenditur, ut contra promiſſa ſua quippiam facere poſſit. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod, quemadmodum judices ac magiſtratus ſub lege poteſtatem pœnas exigendi habuerunt à Deo ſibi datam, eaque in re ipſi ſubſervierunt: ita etiam, ſi non eſt natura ſua iniquum, ut filius puniatur pro patre, aut contra pater pro filio, idque interdum à Deo factum eſt, nihil prohibuiſſet, quominus ipſis Deus hujus rei poteſtatem largiretur, & eos hac quoque in parte vellet ſibi ordinarie ſubſervire. Metus, ne illi poteſtate ſua abuterentur, ſi aliquid virium habet, debuiſſet etiam prohibere, ne in cæteris judicandi puniendique poteſtas illis permitteretur; cum non minus hic quam ibi abuſus locum habeat; potueritque Deus judices ea in parte certis legibus adſtringere, & certum poteſtati modum ponere.

Subjicit Grotius Partic. 18: *Excipere Socinum, nuſquam in Scriptura reperiri innocentes ob nocentum peccata punitos.* Et reſpondet: *exceptionem hanc ad*

rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rem non facere. Nam, inquit, *cum legamus punitos aliquos non ob ſua tantum peccata (quorum ratione nocentes erant) ſed inſuper ob aliena, ſequitur punitos etiam qua non erant nocentes. Si autem ex parte aliquis poteſt puniri qua non eſt nocens, quominus & in totum poſſit, natura non obſtat. Partium enim & totius jus eſt idem.*

At cum hoc ipſum inter Socinum & adverſarios quæratur, utrum innocens jure puniri queat, atque adeo etiam alterius loco ſupplicio affici, qui ad rem non facit id, quod Socinum excipere ait Grotius? præſertim cum illis verbis id quoque Socinus negaſſe cenſendus ſit, quod hic reſpondet Grotius, punitos legi aliquos etiam qua non fuerint nocentes. Nam quod Grotius id ea ratione probari poſſe putat, quod aliqui legantur non tantum ob ſua, ſed etiam ob aliena peccata puniti *, in eo vehementer falſus eſt, quemadmodum ex iis conſtat, quæ ſuperius ea de re diximus. Neque enim iſtiuſmodi verbis ſignificatur, eos, qui tum ob ſua tum ob aliena ſcelera fuerunt puniti, duplicem pœnam luiſſe, alteram ob ſua, alteram ob aliena peccata; aut alteram ejuſdem pœnæ partem ſibi vindicaſſe propria delicta, alteram aliena; adeo ut gravior eſſet ea pœna propriis eorum meritis, quemadmodum Grotius videtur velle: quo pacto fuiſſent ii puniti etiam qua non erant nocentes: ſed ſignificatur tantum duplicem fuiſſe ejuſdem pœnæ, reſpectu ſingularum ejus partium, cauſam impulſivam, quarum altera effecit, ut ii jure puniri poſſent, quæ quidem fuerunt propria delicta, altera ut, cum jure puniri poſſent, actu etiam punirentur, eaque fuerunt aliena delicta. Quare poſterior cauſa priorem ſemper præſuppoſuit, tanquam pœnæ legitimæ fundamentum, quo remoto nullam ipſa pænam in eo ſubjecto defigere poſſet; adeoque nulla pœnæ pars exacta fuit, in qua non haberetur ratio propriorum delictorum, tanquam cauſæ meritoriæ ejus pœnæ. Etiamſi ergo ii, qui ob aliena etiam peccata puniti fuerunt, non fuerint nocentes ratione alienorum peccatorum, non tamen dici debet, eos fuiſſe punitos etiam qua non fuerunt nocentes. Nam alias ſimiliter argumentari liceret: cum quis moritur ob peccata, ſive ſua ſive aliena, eum mori qua non eſt mortalis; quia ratione peccatorum non eſt mortalis. Unde ulterius Grotium ſequuti concludere poſſemus: ſi quis poteſt mori qua non eſt mortalis, poteſt etiam ſimpliciter is, qui non eſt mortalis, h. e. is, qui non poteſt mori. Tum demum id ſequeretur, ſi quis ob peccata moreretur non præſuppoſita mortalitate, id quod contradictionem involvit: eodemque pacto, ſi quis puniri jure poſſet ob aliena delicta non præſuppoſitis propriis, recte concluderetur, aliquem jure puniri poſſe qua non eſt nocens. Sed id ipſum in quæſtione eſt. Quod vero diximus, Sacras Literas, cum aſſerunt, quempiam tum ob ſua tum ob aliena peccata punitum, non ſignificare, eum duplicem pœnam, aut delictis ſuis graviorem pertuliſſe, tum ex ipſiſmet Sac. Literis, tum ex Grotii dictis intelligi poteſt. Nam quod ad illas attinet, Deus Levit. 26. 39 ita minatur Iſraëlitis, ſi in peccata prolapſi, in iis contumaciter perſiſterent, nec ullis pœnis ad frugem ſe revocari paterentur: *ſi qui ex vobis reſidui fuerint, contabeſcent in iniquitate ſua, in terra hoſtium veſtrorum: atque in iniquitatibus patrum ſuorum una cum illis contabeſcent.* Ubi vides, unam eandemque pœnam Deum duplicem ob cauſam, h. e. tum ob proprias tum ob paternas iniquitates, minari contumacibus, quam propriis ipſorum ſceleribus graviorem non fuiſſe futuram, quivis per ſe intelligere poteſt, præſertim ſi conſideret ea, quæ de illis ſcribuntur verſ. 14, 15, 18, 21, 23, 27. Poſteri Jeroboami, Achabi, aut ipſorum Iſraëlitarum generatim, qui ſuorum majorum idololatriam aut alia ſimul ſcelera ſunt ſequuti, & tum ob ſua, tum ob majorum peccata puniti, quid gravius ſunt perpeſſi eo, quod ob propria delicta, nulla habita ratione ſcelerum paternorum, ferre merebantur? Etenim vel occiſi ſunt, ut Jerobami & Achabi poſteri, & ex Iſraëlitico populo plurimi; aut in ſervitutem redacti & miſere afflicti. At hujuſmodi pœnas poſteri ſuis ipſorum peccatis erant meriti, quæ in ipſa lege ſatis fuerant expreſſæ. Vid. Exod. 22. 20. Levit. 26. Exod. 32. Num. 25. 3 & ſeqq. Judic. 2. 11 & ſeqq. & illis etiam interdum inflictæ, in quibus propria tantum flagitia fuerunt punita. Si cui libet, inſpiciat ea, quæ ſcripſit Joh. Maldonatus in verſic. 35. cap. 23. Matthæi. Quod ad Grotii dicta attinet, is, ut ſupra quoque ex eo retulimus, ait, actum pœnalem, qui licitus ſit factus ex delicto ejus, de cujus pœna agitur, poſſe ordinari in pœnam delicti alieni. Eadem ergo pœna infligetur tum ob proprium tum ob alienum delictum, neque is, qui eam ſuſtinet, punietur qua innocens. Totum enim id, quod patitur, patitur qua nocens.

Pergit Grotius Partic. 19: *Adde jam quod poſteri Saulis omnino erant innocentes, quo ad peccatum illud ob quod puniebantur. Si autem poteſt quis puniri qua innocens eſt, poterit & innocens.*

Largiamur nunc Grotio, quod nondum oſtendit, omnes Saulis poſteros, qui ob ipſius ſcelus ſuſpenſi fuerunt, & vere fuiſſe punitos, & ratione facti illius prorſus innocentes: an protinus inde ſequitur, eos fuiſſe punitos qua innocentes? nequaquam. Fieri enim potuit, ut aliis delictis pœnam eam eſſent commeriti, quæ poſtea ob parentis factum fuerit exacta, ut ipſemet pater etiam poſt mortem ignominia tanta affectus in liberis ſupplicium lueret. Quo poſito, ii pœnam qua nocentes luiſſe cenſendi ſunt.

Addit Grotius Partic. 20: *Ac ſi quis recte attendat, innocentia non magis obſtat punitioni quam afflictioni: imo illi neutiquam, niſi propter hanc. Quare diſtinctio nocentis & innocentis ad quæſtionem illam pertinet, An affligi quiſpiam jure poſſit: non autem ad hanc, An afflictio ejus vim poſſit habere pœnæ.*

Quia de punitione juſta hic ſermo eſt (nam alias fatemur, innocentiam non obſtare punitioni) falſum eſt, innocentiam non magis obſtare punitioni quam afflictioni. Oſtenſum enim eſt ſupra *, quo jure affligi innocens poſſit, quo eodem tamen puniri nequeat, obſtante pœnæ natura. Itaque cum innocentis afflictio juſta eſt, pœnæ rationem, ipſius reſpectu non habet: cum vero pœnæ rationem habet, juſta non eſt. Arbitramur autem Grotium hic loqui de afflictione generatim & abſolute, non vero de ea

* Partic. 3, 5.

* Partic. 3, 5 & 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de ea ipſa, quæ pœnæ rationem ſuſtinere debeat, & delicti nomine perſolvi. Nam ſi de hac nominatim loquitur, verum quidem eſt, innocentiam non magis obſtare punitioni, quam huic ipſi afflictioni: quandoquidem hæc ipſa afflictio pœna eſt: ſed id ad rem nihil facit. Neque enim nos dicimus, afflictionem eam, quæ pœnæ rationem eo, quo diximus, pacto ſuſtinere poſſit ac debeat, in innocentem jure cadere poſſe; quo conceſſo, etiam pœnam in eum jure cadere poſſe concedendum foret: ſed afflictionem generatim & abſolute ſumtam.

Sed fulcire conatur dictum ſuum Grotius Partic. 21, dum ita porro inquit, *Conceſſo enim non eſſe de eſſentia pœnæ relationem ad peccatum proprium, conceſſo etiam innocentem poſſe affligi (ut à Deo ad tempus poſſe fieri fatetur Socinus) nihil afferri poteſt, cur ex ipſa rerum natura (nam de lege poſitiva hic non agimus) injuſtum ſit, innocentem ob noxam alterius tali afflictione puniri, præſertim ſi ipſe ad pœnam talem ſponte ſe obligaverit, ejuſque ſuſcipiendæ in ſe poteſtatem habuerit, quod infra tractabitur.*

Ad hoc jam reſpondimus ſupra, ubi oſtendimus, vindictæ rationem, quæ forma pœnæ eſt, atque adeo etiam ea, quæ illius ſunt propria, obſtare, quominus pœna in innocentem jure queat cadere. Vindictæ vero ratio etiamſi non requirat, ut delictum vere cenſeatur illius proprium, ſeu ab eo ipſo commiſſum, qui pœnam luere debeat; id tamen requirit, ut ei alienum ſaltem delictum imputetur, & veluti ipſius proprium eatenus conſideretur. Id vero fit, ſi ita ejus delicti cenſeatur eſſe particeps, ut dignus propterea ſit, qui afflictionem aliquam ſuſtineat, etiamſi ea alias foret indignus; breviter, ut peccatum alienum conſideretur tanquam meritoria ejus afflictionis, quam ſuſtinere debeat, cauſa. Id vero, ut ſupra vidimus, jure fieri non poteſt, ſi is, qui vindictam illam ſuſtinere debeat, ſit innocens. Itaque dum Grotius ita videtur argumentari, ad pœnam ſufficere iſta duo, afflictionem, & relationem ad peccatum, etiam alienum; quæ cum utraque in innocentem cadant, etiam pœnam cadere; non animadvertit, non quamvis relationem afflictionis ad peccatum alienum, qualis v. g. eſt ea, quæ verſatur inter cauſam impulſivam ſimpliciter ſumtam, & ejus effectum, ſufficere ad pœnam conſtituendam, ſed eam demum in qua vindictæ ratio conſiſtit. Hanc vero in innocentem jure cadere poſſe.

Pergit Grotius Partic. 22: *Urget Socinus, ſaltem inter nocentem & eum qui puniatur, conjunctionem aliquam debere eſſe, quam agnoſcit inter patrem & filium, inter Chriſtum autem & nos non agnoſcit. Dici hic poſſet, non eſſe hominem homini alienum, naturalem eſſe inter homines cognationem & conſanguinitatem, carnem noſtram à Chriſto ſuſceptam: ſed longe major alia inter Chriſtum & nos conjunctio à Deo deſtinabatur. Ipſe enim deſignatus erat à Deo ut caput eſſet corporis, cujus nos ſumus membra.*

Ita loquentem Grotius facit Socinum, ac ſi magis urgeret conjunctionem illam inter nocentem & eum qui ſit puniendus, quam propriam hujus culpam. At Socinus ita non agit. Nam ad id, ut juſta ſit pœna, ob alienum peccatum infligenda, ex Socini ſententia magis pertinet, ut is, qui eam ferre debet, eam ipſemet ſit commeritus, quam ut nocenti ſit conjunctus. Deinde ita Grotii verba comparata ſunt, ut ſuſpicari quiſpiam poſſet, Socinum ne nunc quidem eam, quam Grotius poſtea commemorat, imo ne aliquam quidem conjunctionem inter nos & Chriſtum agnoſcere, dum ait, Socinum agnoſcere conjunctionem aliquam inter patrem & filium, inter Chriſtum autem & nos non agnoſcere. Id vero manifeſte falſum eſt. Sed hæc nunc mittamus. Illud potiſſimum animadvertendum * eſt, Socinum non *aliquam conjunctionem*, ut loquitur Grotius, inter nocentem & eum qui puniatur, poſtulare, ſed adeo arctam, ut is, qui puniri debet, propter eam ſolam delictorum alienorum eſſe videatur particeps, & contra nocens particeps pœnæ. Quid ergo huc facit, quod homo homini non ſit alienus? an ſi quis apud antipodas peccet, ego videbor illius delicti particeps, aut, ſi is punitur, etiam pœnæ? Hac ratione etiam is ipſe, qui læſus eſt, & pœnam exigit, tum delicti, tum pœnæ foret particeps, & magiſtratus, qui pœnam infligit. Nihil etiam ad rem facit, quod alia major inter nos & Chriſtum conjunctio fuerit deſtinata. Socinus enim loquitur de conjunctione, quæ pœnam reipſa antecedat, non de ea, quæ demum deſtinetur, & pœnam conſequatur. Neque enim propter eam conjunctionem, quæ demum deſtinatur, alter videtur particeps delicti alterius, alter viciſſim pœnæ, præſertim ſi is, qui punitus ſtatuitur, ad ſummam poſtea gloriam evehatur, ita cum ipſo conjungi maximæ ſit habendum felicitatis loco. Chriſtus caput noſtrum tum revera conſtitutus eſt, cum jeſt reſuſcitatus & ad Dei dextram collocatus Epheſ. 1. 22. Coloſſ. 1. 18. Ii, pro quibus mortuus eſt, generatim loquendo, tunc, cum mortuus eſt pro ipſorum peccatis, Dei, adeoque ipſius etiam Chriſti inimici fuerunt Rom. 5, nedum ut ipſius membra eſſent. Infiniti etiam ex iis, pro quibus mortuus eſt, ejus manſerunt hoſtes: cæteri per mortem ejus demum ſunt ad ipſum converſi, & ejus membra effecti 1 Petr. 2. 24, 25. ad Titum. 2. 14. 1 Cor. 7. 22, 23. Johan. 12. 32. Quare ob hanc conjunctionem, nec Chriſtus peccatorum ab iis antea commiſſorum, neque hi pœnæ potuerunt videri participes, qui prius inſignem mortis Chriſti fructum ſenſerunt, dum ea ratione ad ipſum ſunt converſi, quam ullum ex ea damnum aut ignominiam ſentire poſſent. Quanquam nullum prorſus ex ea ad Chriſti membra redit damnum, ſed impunitas, & futuræ immortalitatis tum ſpes, tum poſſeſſio, qua de cauſa in Chriſti cruce cum Paulo Galat. 6. 14 merito gloriamur.

Caſtigat porro Socinum Grotius Partic. 23, *quod perperam eam conjunctionm, quæ ad pœnas alteri ob alterius peccata irrogandas ſufficiat ad carnem ſolam reſtringat: cum myſtica conjunctio vim non minorem habeat.*

At cum de conjunctione iſta generatim agit, nuſpiam eam ita reſtringit Socinus. Qualem autem requirat, paulo ante diximus. Cum alicubi diſſimilitudinem inter factum Zaleuci, oculum ſibi ob filii delictum effodientis, & Dei, Chriſtum pro nobis, ut adverſarii volunt, pœnæ ſubjicientis, explicat, limitationem hanc addit: quia inter Chriſtum &

* Conf. inter ſe lib. 3. cap. 3. p. 252. & 3, 10. p. 305.

totum

totum mundum, pro cujus peccatis mortuus eſt, nulla alia reipſa interceſſit conjunctio, quam ea quæ ad carnem ſpectat. Conjunctionem enim myſticam & ſpiritualem, quæ inter nos & Chriſtum eſt, nihil huc pertinere jam oſtendimus. Adde quod vulgo ii, cum quibus diſputavit Socinus, ad hoc, ut Chriſtus pro peccatis noſtris puniri poſſet, ſufficere putant conjunctionem, quæ eſt inter nos & ipſum ſecundum carnem, accedente ſpontanea ipſius ad pœnam obligatione. Id ſtatuiſſe Euſebium Cæſarienſem, ſatis apparet ex locis à Grotio adductis. Nihil de eo nunc dico, quod vox *carnis*, niſi circumſtantiæ locorum aliud ſuadeant, poſſit etiam ad conjunctionem civilem, qualis eſt inter Regem terrenum & ejus populum, (quam an Grotius & hic & infra myſticam recte vocet, ipſe viderit) extendi. Caro enim, ut in Sacris Literis ſit, rei ſpirituali, cœleſti, ac divinæ poteſt opponi, & quippiam humanum & terrenum ſignificare. Qua ratione heri dicuntur domini ſecundum carnem Col. 3. 22.

Ex dictis liquet, nihil adverſus Socinum facere ea, quæ de myſtica conjunctione ſubjicit Grotius Partic. 24. Similitudinem Juſtini, vel quiſquis ille fuit, ita admittimus, ut magnam in ea ipſa re, de qua agitur, diſſimilitudinem urgeamus. Neque enim, ſi nihil injuſti facit is, qui tergum illius cædit, qui peccarat manu, protinus is etiam nihil facit injuſti, qui rege peccante, populum punit, ſi populus prorſus ſit innocens. Nam peccatum non eſt ipſius manus, ſed hominis, cujus & tergum. Itaque ſive tergum cædatur, ſive alia pars corporis, is tamen ſolus punitur qui peccavit. At ſi Rex ſolus peccet, populus puniatur, alius quiſpiam præter eum, qui peccavit, punitur, etiamſi ſimul etiam Rex punitus cenſeri poſſit.

Pergit Grotius Partic. 25: *Tandem huc devenit Socinus, ut dicat, hoc ſaltem non inveniri in Scripturis, punitum innocentem ob eas culpas, quarum ipſe nocens impunitatem tulerit. Sed hoc quoque ad rem non facit. Nam cum per ſe & univerſaliter injuſtum non ſit nocenti impunitatem dare (quod fatetur Socinus) neque ſit injuſtum punire aliquem ob peccata aliena, ne in his quidem conjunctis injuſtitia eſſe poterit. Imo id ipſum injuſtum non eſſe, manifeſtum facit Scriptura Achabi exemplo, qui ipſe ſuorum peccatorum accepit impunitatem, quorum pœna de filio ac poſteritate ejus exacta eſt* 1 Regum 21. 29. 2 Reg. 8. & 9. 10.

Locum debuiſſet notare Grotius, ubi ita Socinus agat, ut hic ſcribitur. Statim enim appareret, Socinum, dum ita excipit, non id revera agere, ut oſtendat, iniquum eſſe quempiam puniri ob aliena peccata, qua de re Grotius hic agit; ſed neminem alterius loco ac vice puniri debere. Quare dum Socini dictum ad rem non facere ait Grotius, non animadvertit ipſe, ſe Socini dictum eo non retuliſſe, quo referre debebat. Etſi autem videri cuipiam queat, Grotium nihilominus oſtendiſſe, id, quod Socinus in Scripturis non inveniri dixerat, injuſtum non eſſe: revera tamen non oſtendit, cum terminos quæſtionis mutet. Socinus enim, ut ipſemet Grotius refert, dixerat, in Scripturis non Legi *innocentem* punitum ob eas culpas, quarum ipſe nocens impunitatem tulerit: at Grotius in argumentatione ſua loco *innocentis* ſubſtituit *aliquem*, dum ait: neque ſit injuſtum punire *aliquem* ob peccata aliena. Unde illius concluſio hæc tantum erit: non eſſe injuſtum punire *aliquem* ob ea peccata, quorum ipſe nocens impunitatem tulerit. Quare id quod Socinus in Scripturis dixerat non inveniri, ab injuſtitiæ crimine non vindicavit hac argumentatione ſua Grotius. Ex quo etiam apparet, nihil contra Socinum facere id, quod de Achabi poſteritate punita dicitur. An enim de ejus innocentia quicquam teſtantur Sacræ Literæ? imo an contrarium non ſatis ex iis apparet? Quanquam præterea, ſi Socinus in illa ſua exceptione, quam ei tribuit Grotius, impunitatis facit mentionem, procul dubio liberationem à pœnis ſimpliciter, & omnimodam juris, quod is, qui impunitatem largitur habebat ad pœnam infligendam, reſpectu ipſius nocentis exſtinctionem, non vero certæ tantum pœnæ condonationem, aut mitigationem intelligit. At Achabus non impunitatem ſuorum ſcelerum ſimpliciter impetravit, ſed tantum dilationem internecionis familiæ ſuæ ad dies uſque filii, ac proinde mitigationem doloris, quem exinde cum capere neceſſum erat. Patet id, quod dicimus, ex 1 Reg. 21. 2. Nam alias Achabus ipſe ob ſua peccata morte violenta ſublatus eſt, Deo curante; & ubi canes linxerant ſanguinem Naboth, linxerunt etiam ipſius ſanguinem, quæ pœna ipſi fuerat à Deo ob ipſius ſcelus conſtituta. Vide d. l. 1 Reg. 21. 19. & 22. 20 & ſeqq. & verſ. 34. 38. Ne quicquam de eo nunc dicam, quod in ſua poſteritate, quæ admodum erat numeroſa, & regia præterea dignitate aucta, etiam mortuus pœnas perſolverit. Hæc enim ipſius quoque pœna futura erat cap. 21. 21, quæ non ablata ſed dilata tantum fuit.

An recte concludat Grotius Partic. 26, *neutiquam ſtare à Socino Sacras Literas, quæ id à Deo factum oſtendant, quod ipſe injuſtitiæ immerito accuſet*, ex dictis judicet æquus lector. Nuſpiam docent Sacræ Literæ innocentem à Deo ob aliena delicta punitum, id quod injuſtitiæ accuſat Socinus.

Partic. 27 addit: *Sed neque majus illi à recta ratione præſidium, quam mirum eſt toties ab illo jactari, monſtrari nuſquam.* Ubi toties rectam rationem Socinus jactarit, quemadmodum Grotius, Socinum pungere volens, loquitur, nec tamen quatenus ſatis erat, monſtrarit, loca notare debuit Grotius. Nam & rationis rectæ raro admodum in hoc negotio meminit, & fortaſſe uno tantum in loco expreſſe; & quomodo recta ratio id, quod aſſerit, oſtendat, ibidem demonſtravit. Locus eſt lib. 3. cap. 3, ubi docet, non poſſe nec debere pœnam corporalem, quam unus debeat, ab altero perſolvi, quia afflictio unius non poſſit fieri alterius; cum tamen neceſſe ſit, ut quod alterius loco perſolvitur, ipſius factum fuerit, vel actu ipſo, vel ſaltem jure, natura interim ipſa nihil obſtante, quominus reipſa ejus fieret. Cur vero innocens puniri jure nequeat, hanc rationem affert Socinus eod. lib. cap. 10, quia relativa ſint pœna & delictum. Quare cum in innocente delictum non ſit, nec pœnam in eum jure cadere poſſe. Is enim verborum ipſius ſenſus eſt, ut quivis ex ipſius loci circumſtantiis poterit colligere. Quæ autem rationis iſtius vis ſit, ex iis, quæ ſup.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

partic. 21 diximus, & ex proxime dicendis conſtare poterit.

Quod ergo ait Grotius Partic. 28, *eſſe quidem eſſentiale pœnæ, ut infligatur ob peccatum, ſed non item eſſentiale eſſe, ut infligatur ipſi qui peccavit, idque ſimilitudine præmii, gratiæ & ultionis manifeſtum eſſe*; nos quoque agnoſcimus: qui non ad eſſentiam, ſed ad æquitatem ac juſtitiam pœnæ requiri dicimus, ut non niſi ei, qui deliquit, infligatur; nec id Socini rationem labefactat. Nam cum nihilominus ad eſſentiam pœnæ pertineat, ut ei, qui puniri debet, peccatum ſive proprium ſive alienum imputetur, & aliquo ſaltem modo inhærere cenſeatur (eatenus enim demum id pœnam ejus videri poteſt mereri, id quod pœnæ eſt eſſentiale) ſive interim res ipſa ita ſe habeat, ſive minus: pœna quidem ſimpliciter in innocentem cadit, juſta cadere non poteſt. Nam ut ea juſta ſit, non tantum requiritur, ut ita cenſeatur à puniente, ſed ut res etiam ipſa ita ſe habeat. At quo pacto innocenti peccatum aliquod revera inhæret? cum ne alieni quidem facinoris poſſit eſſe particeps, ſeu culpæ affinis is, qui revera eſt innocens. Quod ad præmii, gratiæ, & ultionis cum pœna comparationem attinet, eam quidem agnoſcimus, ut dictum eſt, licet ultio ſub pœna latè ſumta contineatur: veruntamen iſtud obſervandum eſt, etiamſi præmium & gratia poſſint per naturam in benemeriti liberos aut cognatos, qui ipſi nil commeruerant, conferri, ſi ipſis parentis aut propinqui merita aut beneficia imputentur: tamen non ſemper id, quod in eos ob alienum meritum aut beneficium confertur, ipſorum reſpectu præmii aut gratiæ rationem habere, ſed ſæpe reſpectu illius ipſius tantum, qui bene fuerat meritus, in cujus gratiam & honorem id totum fiat: ipſorum autem liberorum aut propinquorum reſpectu ſimplex tantum eſſe emolumentum. Quemadmodum ſi pater præmium, quo ipſemet debebat perfrui, jubeat perſolvi filio, aut cuipiam amico, nihilominus ipſemet cenſebitur affectus præmio, filius aut amicus non niſi improprie, licet hic emolumentum univerſum percipiat, non ille. Idem in ultione ac pœna accidere ſupra vidimus. Poteſt enim quiſpiam affligere innocentem, non ut hunc ipſum ulciſcatur ac puniat, ſed ut ipſum innocentem per ipſum.

Quod vero Grotius ait Partic. 29, *injuſtitiam proprie non accidere relationi (qualis eſt punitio,) ſed ipſi actioni, qualis eſt materia punitionis*; id quidem verum eſt, ſi ut ipſa verba ſonant intelligatur. Nam ſubjectum injuſtitiæ illius eſt materia pœnæ ſeu afflictio: relatio illa, quæ ad formam pœnæ pertinet, cauſa eſt cur injuſtitia iſta afflictioni inhæreat. Monuerat id * jam Socinus, cum dixit, injuſtitiam non ex ipſa malorum ſibi non debitorum perpeſſione oriri, ſed ex perpeſſionis vel nulla vel injuſta cauſa ſive occaſione proficiſci. Jam vero pœna eſt afflictio ejuſmodi, quæ ex imputatione alicujus peccati oritur, quæ in innocentem jure non cadit. Itaque non tantum in materia pœnæ abſolute ac per ſe conſiderata, h. e. in ipſa afflictione, quærendum eſt verum diſcrimen, cur non æque liceat ob aliena peccata punire innocentem, atque eſt præmio aut gratia afficere immerentem ob alterius meritum aut beneficium. Imputare enim immerenti meritum aut beneficium alienum, injuſtum non eſt: at imputare peccatum alienum innocenti, injuſtum. Illud enim eſt tribuere alteri jus, quod non habeat: hoc vero eſt ſumere & arrogare ſibi jus in alterum, quod nullum eſt, nec eſſe poteſt, cum id ex reipſa, hoc eſt, ex delicto ipſo oriri ſit neceſſe. Quare nec illud concedimus, actum pœnalem, h. e. eam ipſam afflictionem, quæ pœnæ rationem ſuſtinere debeat, poſſe eſſe in poteſtate punientis, non tantum ex delicto ejus, de cujus pœna agitur, ſed etiam jure ipſius punientis antecedente, aut valido ejus, qui puniri debeat, conſenſu. Afflictionem quidem, quæ cæteroqui ſit ejuſdem generis, ſeu mavis ſpeciei, cum actu pœnali, nil prohibet eſſe in poteſtate alterius duplici hoc jure, & eatenus in pœnam alieni delicti ordinari, quatenus is, qui peccavit, ea interveniente punitur: ſed ea ipſa afflictio, quæ pœnæ rationem ſuſtinet, quouſque talis eſt, nequit eſſe in poteſtate punientis, niſi ex delicto ejus, cui imponitur, ut ſuperius eſt explicatum.

* Lib. 3. cap. 9.

Pergit Grotius Partic. 30: *Provocat Socinus ad omnium Gentium judicia. Sed primum quod ad Deum attinet, non dubitarunt Philoſophi, puniri ab ipſo in liberis parentum peccata*; idque probat auctoritate Plutarchi, & Valerii Maximi, & ſimiles locos ſexcentos apud hiſtoricos & Poëtas reperiri ait. Sic & populum à Deo puniri ob peccatum Regis, receptam fuiſſe ſententiam ab Heſiodi uſque temporibus.

Provocat ſane Socinus ad omnium gentium Leges & conſuetudines, non judicia ſeu ſententias ſimpliciter, oſtenſurus, non fuiſſe ullibi receptum, ut corporalis pœna, quam unus deberet, ab altero aliquo perſolveretur, & ſic unus alterius loco puniretur. Alios ob aliorum delicta puniri ſolitos, aut alios in aliis non negat. Itaque nihil opus erat demonſtrare, Philoſophos alioſve ſenſiſſe, peccata parentum à Deo puniri in liberis, præſertim malis; ſiquidem ipſi parentes in liberis puniantur, non vero liberi parentum vice ac loco; ac præterea ipſi liberi pœnam fuerint commeriti. Plutarchum in eo libello, quem citat Grotius, id ipſum tantum velle, quod ſtatuit Socinus, ſupra verbis ipſius productis oſtendimus. Conſentit etiam egregie Valerii Maximi locus à Grotio adductus. An non enim filius quoque Dionyſii tyrannus fuit, & homo improbus, adeoque dignus qui ob paterna delicta puniretur? Deinde non innocens, nocente ſponte dimiſſo, ſed nocens pater in improbo filio pœnas dedit. Ait enim Valerius: *Dionyſium dedecore filii, mortuum pœnas rependiſſe quas vivus effugerat.* Idem dicimus de Regibus, qui in populo ſuo puniuntur, quod tum fit juſte, cum ipſe etiam populus deliquit, ut ſane ſemper in populo graves pœnarum cauſæ reperiri ſolent.

Seipſum vero accuſat Grotius Partic. 31, dum ait: *Socinum non audere negare puniri alios ob aliorum delicta*: quorſum enim id tam fuſe probat, & contrarium Socino non obſcure aliquoties tribuit? Verum probatio Grotii firma non eſt, dum ait: *Rem eſſe in pœnis pecuniariis manifeſtam. Satis-datorem pro reo pœna pecuniaria plecti dicere Ulpianum: in pœnam furti recte accipi fidejuſſorem, aſſerere Cajum.* Etenim aliud eſt mulctam ſolvere, h. e. pecuniam eam ſuppeditare ac nume-

numerare Magiſtratui, quæ mulctæ rationem habeat, aliud proprie loquendo puniri aut mulctari. Illud latius patet, hoc ſtrictius. Nam creditor, à quo reus pecuniam accipit, poteſt mulctam magiſtratui pro reo numerare ac ſolvere, quem tamen proprie puniri nemo dixerit. Sunt autem etiam ſatiſdatores ac fidejuſſores, ſi quid pro reo ſolverint, creditores. Quare mulctam quidem aut pœnam ſolvunt, non vero mulctantur aut puniuntur ipſi. Is demum mulctatur, ad quem ex conſilio mulctantis, damnum redire, & in quo id terminari debet. Is vero eſt nocens ſeu reus ipſe, non fidejuſſor. Res ex Jure ſatis eſt manifeſta. Nam de iis, qui vere mulctantur ac puniuntur, extat juris regula (*a*), quæ quidem eſt ipſius, quem citat Grotius, Caji: *Quod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.* Idque ratio ipſa monſtrat. Qui enim vere punitur, is, ut jam diximus, damnum pati, eique aliquid decedere debet, ſi conſilium punientis ſpectes. At cui alius quiſpiam reddere cogitur id, quod expendit, ita ut in eum actionem inſtituere ad ſuum recuperandum poſſit, is nullum damnum cenſetur paſſus, ſed rem ſuam habere judicatur. Nam ut itidem habes in Regulis juris (*b*): *is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur*, quod idem aſſerit etiam Ulpianus, dum ait (*c*): *Id apud ſe quis habere videtur, de quo habet actionem. Habetur enim, quod peti poteſt.* Atqui expreſſe ait Imperator (*d*): *Si quid fidejuſſor pro reo ſolverit, ejus recuperandi cauſa habet cum eo mandati judicium* (*e*). Non ergo fidejuſſor revera punitur. Quis igitur? ipſe reus. Ait enim idem Imperator (*f*): *quod à fidejuſſoribus petitur, id ab ipſo debitore peti videtur. Quia mandati judicio redditurus eſt iis, quod pro eo ſolverint.* Conſilium igitur Magiſtratuum, fidejuſſorem mulctam ſolvere jubentium, & legum id permittentium, non eſt, ut ipſe fidejuſſor revera puniatur, aut ullum damnum patiatur: ſed potius ut ipſe reus pœnam ſuſtineat, qui etſi priore obligatione liberatur, nova tamen ad idem ſolvendum obſtringitur, & ultimo damnum in ipſum recidit. Quod ſi fidejuſſor reo poſtea debitum donet, ita ut ipſe damnum univerſum ſentiat, non reus; id, ſi legum ac Magiſtratuum eum punientium conſilium ſpectes, per accidens eſt. Nihilominus enim ipſe reus eatenus damnum ſenſiſſe cenſendus eſt, quatenus pecunia ſibi donata fuit mulctatus: perinde ac ſi longe ante ære illo donatus, poſtea mulctæ nomine id ſolviſſet. Quare Ulpianum non ſatis proprie loquutum eſſe neceſſe eſt, qui dixit, ſatiſdatorem pro reo pœna pecuniaria plecti: ſiquidem eam reo aut dat mutuo aut donat. Caji vero locus ad rem nihil facit. Aliud enim eſt in pœnam accipi, hoc eſt, eum in finem ut pœna ſolvatur, aliud ipſummet puniri. Neque vero Socinus, cum alicubi aſſeruit, pœnam pecuniariam poſſe pro altero ſolvi, voluit alterum pro altero puniri: ſed tantum ab uno alterius nomine ſolvi poſſe pecuniam eam, cui mulctæ ſeu pœnæ ratio accidit. Solutio iſta reſpectu rei, qui ob delictum ſuum ad pecuniam numerandam obſtringebatur, pœna eſt: reſpectu alterius creditum vel donum.

Pergit Grotius Partic. 32, & ait: *Cur in pœnis corporalibus idem jus non ſit, hanc adfert rationem Socinus, quia pecunia alterius effici poſſit: atque ideo pro alio ſoluta brevis manus fictione videatur donata delinquenti, ac deinde ab ipſo numerata. Corporalis autem vexatio alterius effici nequeat. Sed hoc ſubtiliter Magis quam vere dicitur. Nam iſta ratio nonnihil facit ad pariendam ipſi reo liberationem. Verum ut alteri infligatur pœna, quam alter ſit commeritus, iſta ratio non efficit.*

At Socinus non eum in finem diſcrimen iſtud attulit, ut oſtenderet, non poſſe alios ab aliorum delicta affici pœna corporali, & quidem ea ipſa, quam nocentes fuerint commeriti: ſed ut oſtenderet, non poſſe reipſa eam pœnam ab altero alterius loco perſolvi, ita ut perinde ſit, ac ſi is ipſe eam ſolviſſet, qui debebat: quemadmodum in pecuniariis pœnis accidit, ubi perinde eſt, ſive reus ſolvat, ſive alius ejus nomine. Æque enim reus liberatur; quemadmodum ipſe Grotius infra docet cap. 6, & alias eſt manifeſtum. Idem autem contingeret in pœnis corporalibus, ſi, quemadmodum pecunia, ita & afflictio unius poſſet fieri alterius. Nam quemadmodum ipſe reus ſtatim liberatur, cum alius ejus nomine pecuniam ſolvit, licet propria ipſius pecunia fuerit in obligatione; nempe quia pecunia pro ipſo ſoluta, ipſius propria facta, & ſic ipſemet ſuam pecuniam ſolviſſe cenſetur: ita etiam is, qui pœnam corporalem debet, ſtatim liberaretur eo debito, etamſi ipſius afflictio fuerit in obligatione, ſi alterius afflictio poſſet fieri ipſius. Ea enim perſoluta, ipſius afflictio ſoluta cenſeretur. Quare dum Grotius ait, *iſtam rationem nonnihil facere ad pariendam ipſi reo liberationem*, id, quod Socinus vult, non obſcure probat. Quod vero reſpondet: *iſtam Socini rationem non efficere, ut alteri infligatur pœna, quam alter ſit commeritus*, id, ut vidimus, ad rem nihil facit: cum Socinus nequaquam velit, eum, qui pecuniam nocentis loco ſolvit, puniri, propterea quod ejus pecunia fieri poſſit ipſius nocentis. Itaque ne illa quidem quicquam faciunt adverſus Socinum, quæ de præmio ſubjiciuntur. Tum demum aliquid facient, ſi oſtenderit Grotius, etiamſi lege conſtitutum ſit, ut præmium conferatur in ipſius patris perſonam, idque ſit ejuſmodi, ut ab uno acceptum, alterius fieri nequeat, legi tamen vere ſatiſfieri, etiamſi patre præterito in filium conferatur. Id vero concedi non debet. Nam quemadmodum Grotius infra cap. 6 ait: cum corporalis pœna non ſolvitur ab ipſo nocente, ſed ab alio, aliud ſimul ſolvi, quam quod fuerit in obligatione: ita etiam cum præmium, quod Lex ipſius benemeriti perſonæ deſtinat, quodque ab uno acceptum alterius fieri nequit, alteri cuipiam ſolvitur, aliud ſimul ſolvitur, quam id fuerat, quod Lex ſolvi volebat, licet per ſe ejuſdem ſit generis ſive ſpeciei. Quare Legis voluntati tunc vere non ſatiſfit. Illud etiam hic memoria volumus repeti, quod ſupra monuimus de præmiis ob parentum merita in liberos collatis partic. 28.

Quod vero Grotius Partic. 33 ait: *ſi verum eſſet, quod dicit Socinus, jam à fidejuſſore nolente reum forte abſentem ab obligatione pœnæ pecuniariæ liberari, pœna*

(*a*) Reg. Jur. l 46. (*b*) l. 15. (*c*) De verb. ſignifi. l. 143. (*d*) Inſtit lib. 3. tit 21 de Fidejuſſ. (*e*) Vide etiam Reg. Jur. l. 60. (*f*) Inſtit. l. 4. tit. 15. de Replicat.

non poſſet exigi; id quomodo ex Socini dicto conſequatur, oſtendere debuit Grotius. An forte quia fidejuſſor non vult reum abſentem liberari ab obligatione pœnæ pecuniariæ, ejus pecunia non poteſt aut non debet fieri ipſius rei, & ſic pro ipſo perſolvi; licet is fidem ſuam pro eo interpoſuerit, &, niſi reus ipſe mulctam ſolverit, ſe ipſius nomine promiſerit ſoluturum?

Pergit Grotius Partic. 34: *illud maxime miror, quod Socinus dicat, omnium gentium ac ſeculorum legibus & conſuetudinibus probatum, non poſſe corporalem pœnam quam unus debeat, ab altero perſolvi*; & poſtea exempla inſtitutaque gentium quarundam affert, quæ conſueverint ob unius noxam propinquos aut liberos punire.

At nos non parum miramur, Grotium non intellexiſſe, quid Socinus ſibi voluerit. Hoc enim voluit, ut non ſemel jam monuimus, & ipſius verba apertiſſime ſignificant: nec lege, nec conſuetudine unquam fuiſſe receptum, ut pœnam, quam quis corpore luere teneatur, alius, quiſquis tandem ille ſit, *pro eo pendere poſſit*, hoc eſt, ejus vice ſeu loco, ita ut perinde ſit, ſive ipſe nocens pœnam illam pependerit, ſive alius pro eo, quemadmodum in pœnis pecuniariis accidit. Nec unquam negavit Socinus, ob unius noxam plures puniri ſolitos, ſed non loco nocentis, ita ut eo ſponte dimiſſo, innocentes pœnæ corporali ſubjicerentur. Apertiſſime id ſignificavit in verbis ſequentibus, dum ait: *Solent aliquando homines ira & vindictæ libidine excæcati in innocentes quoque ſævire: maxime vero, cum eum qui ipſos læſit, vel quia eorum manus effugerit, vel quamcumque aliam ob cauſam ulciſci nequeunt. Sed quod, nocente ipſo, conſulto & ſponte, incolumi dimiſſo, in innocentem aliquem tantummodo ſæviant: id prorſus nunquam vel factum eſt, vel fiet.* Adeo clare mentem ſuam explicuit Socinus, ut mirum ſit aliquem adeo negligenter potuiſſe ejus verba legere, ut eorum ſententiam non perciperet, nedum Grotium virum tam doctum, & Socinum refutare volentem. An forte Grotius hoc quoque quod Socinum aſſeruiſſe dicimus, refellere voluit, & huc exempla iſta adduxit? Id vero non minus mirum foret. Quid enim? cum ob unius noxam apud Perſas peribat propinquitas, ipſe nocens dimittebatur, & propinqui illius loco puniebantur? An apud Macedonas ipſi perduelles pœna carebant, conſanguinei tantum ejus luebant noxam? Tertium exemplum Grotii id, quod volumus, aperte docet. Ait enim: In Græciæ civitatibus morem fuiſſe *cum Tyrannis* Tyrannorum liberos occidi. Non ergo liberi nocentium loco, ſed una cum nocentibus puniebantur. Idem de obſidibus dicendum eſt. Iis enim occiſis nihilominus ipſi hoſtes, à quibus obſides dati fuerant, occidebantur aut mulctabantur, ubi id fieri poterat. Quanquam obſidibus occiſis, ipſi interdum videri poterant haud leviter puniti.

Iſtud neſcio an recte à Grotio Partic. 35 ſumatur, obſidum vel omnium, vel plerorumque, vel eorum ſaltem, quorum exempla adducit, conſenſum anteceſſiſſe, eamque ob cauſam non fuiſſe creditum injuſtum, alium puniri ob alterius delictum. Obſides enim ſæpe dabantur filii impuberes, nonnunquam etiam puellæ, quarum aſſenſus apud cordatiores, ut de Romanis conſtat, invalidus habebatur. Alia quædam, quæ hic notari poſſent, tranſimus.

Quod vades in capitalibus ſuppliciis capite plecti ſolitos ait Grotius Partic. 36, ſi rei ſe non ſiſterent, id tum aliquid virium habebit, ſi conſtet primum, vade punito ita reum fuiſſe liberatum, ut poſtea deprehenſus ſupplicium ſubire non cogeretur; deinde ſi doceatur, id more fuiſſe receptum. Prius non docuit Grotius. Alterum aliunde potius quam ex illa Damonis & Pythiæ ſeu Phintiæ hiſtoria docere debebat. An enim id, quod à Dionyſio, crudeliſſimo tyranno, ſemel factum eſt, vel ut fieret decretum fuit, docere poteſt, id fieri ſolitum? Quanquam & illud addi poteſt, eos, qui auſi fuerunt in vades ſævire, in ipſum potius ſontem, quam in vadem, ſi ejus habuiſſent copiam, fuiſſe animadverſuros, nec reum ideo dimiſiſſe, quod putarent perinde eſſe, ſive vas, ſive nocens plecteretur: ſed quod crederent, vadem, ſi tantum ſupplicium ſibi ſentiret ſubeundum, diligenter curaturum, ut reus ſe ſiſteret. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod fieri potuiſſet, ut vades ejuſmodi tum potius, cum ſententia nondum eſſet lata, quam poſt damnationem admitterentur. Ut vero Magiſtratus reum tum, cum ſupplicium exigendum eſſet, præſentem, ſponte ſua incolumem dimitterent, & loco ejus vadem innocentem punirent, id nunquam factum eſſe crediderim, quod tamen à Deo in negotio ſatiſfactionis factum creditur.

Diſcrimen, quod affert Grotius Partic. 37, cur ex conſenſu minus aliquis teneatur ad pœnam corporalem, quam ad pecuniariam, tranſmittimus. Neque enim pertinet ad id, de quo Socinus loquitur. Nam pone tandem, eandem nos habere poteſtatem in corpus & pecuniam, nihilominus pœna corporalis ab uno pro altero ſolvi non poterit, ob cauſam à Socino explicatam. Poteſt id Grotius vel ex eo animadvertere, quod cum Deus alios ob aliorum peccata punit, diſcrimen illud nullam vim habet, cum Deus pro ſuo jure, abſque ipſorum puniendorum conſenſu puniat, nec tamen ideo alios aliorum loco punit. Nam cum Deus v. g. ob Davidis peccatum LXX millia hominum delevit, haudquaquam eos Davidis loco punivit, quaſi ipſemet tot millia mortium fuiſſet commeritus.

Nihil etiam iis, quæ hactenus diximus, obſtat id, quod infra commemorat Grotius Partic. 38, *Imperatores Chriſtianos ſtatuiſſe, ut commentarienſis, reo per familiæ ſuæ culpam carcere elapſo, pœnam ipſius ferret.* Nec enim credibile eſt, Imperatores illos ſtatuiſſe, ut commentarienſis loco rei puniretur, adeo ut reus poſtea deprehenſus, & facinoris convictus, ſupplicio ſubjici non poſſet, tantum abeſt ut reo ſponte dimiſſo, innocentem commentarienſem ejus loco puniri voluerint; quod revera eſt illud, quod Socinus lege aut conſuetudine receptum negat. Ideo autem proculdubio dignus hac pœna judicatus eſt commentarienſis, quia culpæ familiæ ſuæ videretur quodammodo particeps, partim quod malorum opera uteretur, quemadmodum alibi * in re ſimili legimus, partim quod familiam non diligenter cuſtodiret, &

* Lib. 4. Inſtit. tit. 5. De oblig. quæ quaſi ex delicto naſcuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

caveret, ne quid ejuſmodi moliri poſſet. Quanquam hoc Chriſtianorum Imperatorum decretum æquitatem Chriſtianam minime redolet, & plenum acerbitatis à clariſſimo quodam JCto (a) merito dicitur.

Partic. 39. Nobilium illorum, quos memorat, juris magiſtrorum auctoritas nos revera non ferit. Fieri enim poteſt, ut non is revera, qui ad pœnam capitalem pro altero ſeſe obligat, ſed magiſtratus tantum obligationem admittens peccet. Poſſet enim nonnunquam arbitrari quiſpiam, honeſtiſſimum eſſe pro reo mortem oppetere, præſertim ſi eum credat innocentem. Sic Chriſtianus pro Chriſtiano innocente, ſi vereatur, ne is metu mortis aliquid ſe indignum faciat, aut veritatem divinam abneget, aut ſi eum Chriſtianæ Reipub. ſeſe putet utiliorem, poſſet, imo deberet ad capitalem pœnam ſeſe obligare, itemque filius pro patre, frater pro fratre, amicus pro amico, aut viro aliquo magno, quem digniorem putet vita quam ſeipſum, ſi à magiſtratu talis obligatio admitteretur.

Partic. 40. Ad ſequentia reſpondere non eſt opus, cum ut toties jam monuimus, Socinus non neget, lege aut conſuetudine fuiſſe receptum, ut innocentes ob nocentium delicta punirentur. Quanquam fieri poteſt, ut multi ex iis, qui ita vel fecerunt, vel decreverunt, id non ſatis juſte fieri animadverterint, ſed utilitatis cauſa ita faciendum exiſtimaverint. Recte ait Cicero (b): utilitatis ſpecie in Republ. ſæpiſſime peccari; quod quibuſdam tum Romanorum tum Athenienſium factis & legibus, vel crudelibus, vel admodum inhumanis comprobat. Scribit Tacitus, (c) cum præfectus urbis Pedianus Secundus à ſervo interfectus eſſet, *Veteri more* familiam omnem, quæ ſub eodem tecto manſitaverat, agi ad ſupplicium oportuiſſe; quem morem ibidem confirmat Lipſius. Quomodo vero hanc in tot homines innocentes crudelitatem (nam quadringenti homini iſti fuerant ſervi, qui poſtea, nullo ætatis aut ſexus diſcrimine, unius ob noxam fuerunt trucidati) defendit ibidem Caſſius? *At quidam*, inquit, *inſontes peribunt. Nam & ex fuſo exercitu, cum decimus quiſque fuſte feritur, etiam, ſtrenui ſortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Iniquitatem facti non audet negare tantæ crudelitatis defenſor, ſed utilitate publica rependi putat. Hoc idem in decimatione Romanis uſitata contigiſſe ſatis aperte fatetur, quam Grotius infra injuſtam fuiſſe negat.

Scribit inferius Grotius Partic. 41: *Illud quoque mirari libet, quod de Zaleuci facto ita pronunciat Socinus, ut dicat eum peſſime audire, ejuſque nomen inter impotentes & temerarios principes ac populorum judices cenſeri*, & contrarium ex hiſtoricis probat.

Sed & hic non ea, qua decuit, diligentia uſus eſt Grotius in verbis Socini vel conſiderandis vel adſcribendis. Neque enim ait Socinus, Zaleucum peſſime audire, ejuſque nomen inter impotentes & temerarios principes & populorum judices cenſeri: ſed Zaleucum *dignum eſſe, qui apud poſteros male audiat, & inter impotentes & temerarios principes &c. cenſeatur*, hoc eſt, dignum, ut id fiat. Legatur integer Socini locus lib. 3. cap. 3, nam vox *dignus* paulo ante hæc verba, quæ ſola Grotius adduxit, præceſſerat, quia duabus eum rebus dignum Socinus affirmat, quarum alteram commemorat Grotius. Suum ergo judicium de Zaleuci facto exponit Socinus, & non quid revera fiat, ſed quid fieri jure poſſit, refert.

Valerii Maximi verbis de hoc Zaleuci facto recitatis ſubjicit Grotius Partic. 42: *Ac profecto ſi quemadmodum exſulandi, ita oculum ſibi eruendi libera eſſet homini poteſtas, nihil poſſet iſto Zaleuci facto præclarius reperiri. Præſertim cum legis præciſa obligatio aut propter ipſius principatum, aut propter populi conſenſum ceſſaverit. Erravit ergo Zaleucus ut Pagani ferme omnes, quod jus ſibi in corpus ſuum majus vero aſſeruit. Cæterum factum iſtud tantopere celebratum teſtimonium præbet contra notitiam illam, quam hominum mentibus impreſſam Socinus putat; non poſſe quenquam alieni delicti pœnam in ſe ſuſcipere.*

At ſi ceſſavit præciſa legis obligatio, ob cauſas à Grotio commemoratas, præſtitiſſet, populo præſertim poſcente, quemadmodum à Saule in Jonathane filio, ob violatum patris interdictum mortis pœnam commerito, factum cernimus 1 Sam. 14, filium liberari, & pœnam ei ſimpliciter condonari, vel mitigari, quam ejuſmodi compenſationem, qua Legi ſatiſfieret, comminiſci, qua tamen Legi ſatiſfactum non eſt. Erravit ergo Zaleucus dum & in ſe & in filium ſævit, cum non ſævire jure poſſet: deinde quod, etſi ſævierit, Legi tamen non ſatiſfecerit, quæ ab adultero univerſam pœnam exigebat, ab inſonte nullam. Poſtremus error illius eſt, quem Grotius notat. Neque vero factum hoc teſtimonium præbet contra id, quod Socinus aſſerit. Nec enim Socinus ait, *hanc eſſe notitiam hominum mentibus impreſſam*, non poſſe quenquam alieni delicti pœnam in ſe ſuſcipere: ſed, *rationis lumen aperte oſtendere*, non debere nec poſſe corporalem pœnam, quam unus debeat, ab altero perſolvi. Nam per notitias hominum mentibus impreſſas ea ſolemus intelligere axiomata, quæ κοιναὶ ἔννοιαι *communes notiones*, appellantur, & adeo omnibus ſunt manifeſta, ut natura nobis videantur inſita: quale eſt, totum eſſe majus ſuis partibus. At multa rationis lumen, quo nos Deus donavit, aperte oſtendit, quæ non ſunt κοιναὶ ἔννοιαι, ſed ex iis per apertam & legitimam conſequentiam deducuntur, etiamſi fieri poſſit, ut nonnulli, etiam ex doctis, contrarium ſentiant, quia illis aliquid imponat, aut quia principia cum ejuſmodi concluſionibus non conjungant. Atque in horum poſteriorum numero id reponit Socinus, de quo agimus. Poſſe autem multa etiam à doctis aſſeri, quæ rationis lumen aperte refellit, argumento ſunt tot Veterum philoſophorum paradoxæ theſes: quales illæ: contradictoria ſimul poſſe conſiſtere, aut inter ea eſſe medium; motum non eſſe; omnia eſſe unum: & ſexcenta alia. Nam cum rationes in contrarium ſolvere non poſſunt, à veritate deſciſcunt etiam docti. In Practicis præter rationes fallaces etiam affectus varii imponere poſſunt alioqui prudentibus. Crudelitatem ratio ipſa repudiat. At ſupra ipſe Grotius tum Leges tum facta admodum crudelia gentium & civitatum illarum, quæ alias humanitatis & prudentiæ laude præ cæteris fuerunt celebratæ, recenſuit:

quo

(a) Matth. Weſenbec. (b) Lib. 3. Offic. (c) Lib. 14. Annal.

quo pertinent etiam humanæ victimæ, quas longo ordine enumerat infra cap. 10, quarum abſurditatem & impietatem Plutarchus ex ipſo rationis lumine ſatis aperte oſtendit.

Concluſurus hanc quæſtionem Grotius Partic. 43, *hoc proprie quæri* ait, *an actus qui ſit in poteſtate ſuperioris, etiam citra conſiderationem delicti alieni, poſſit ab ipſo ſuperiore ordinari in pœnam delicti alieni.* Quatenus hoc à nobis vel negetur, vel concedatur, explicatum eſt Partic. 3, 5, & 29.

Quod de decimatione in Romanis legionibus uſitata ſcribit Part. 44, id nihil adverſum nos: cum Grotius ponat, non innocentem, ſed eum, qui deliquit, puniri ſolitum tum pro ſuo tum pro alieno delicto. At hic quæritur, an innocens ob alienum delictum puniri poſſit, aut etiam an unus vice alterius pœnam corporalem perſolvere poſſit. Quamquam ſupra vidimus, Caſſium decimationem hanc ab iniquitate non liberare, quia etiam ſtrenui ſortirentur.

Ait præterea Grotius Partic. 45: *Quis injuſtum putet, ſi ſumma poteſtate Legem relaxante, vir aliquis Reip. utilis, ſed ob culpam exſilium meritus, retineatur in Repub. alio tamen ſponte ſua ſe ad exilium obligante, ut exemplo ſatiſfiat?*

Exilium iſtud, quod alter ſponte ſubit, licet innocens, vel vera pœna eſt, vel ſpeciem tantum aliquam pœnæ habet, revera autem incommodum tantum eſt, quo interveniente nocens pœna liberatur. Nempe quia magiſtratus pœnam nocenti condonans, ne Legis apud populum forte minuatur auctoritas, ei hac ſpecie pœnæ perſuadere velit, ſe Legi nihilominus ſatiſfeciſſe. Si vera pœna non eſt, nihil ad rem noſtram pertinet, nos enim de vera pœna agimus. Si vera pœna eſt, iniquiſſima eſt, nec ea ratione Legi aut exemplo ſatiſfit. Lex enim nocentem ipſum ad pœnam obligat, & ſi alterutrum faciendum ſit, mavult nocenti pœnam condonari, quam innocentem puniri. Vera autem pœna, ut ex ſuperioribus conſtat, erit, ſi innocenti delictum alterius ita fuerit imputatum, ut propter illud dignus cenſeatur, qui male tractetur, & non ſecus ac inutile aut noxium Reip. membrum ex ejus corpore ejiciatur, quo pacto exilium hoc ei ignominioſum erit apud illos, qui pœnam hanc ei infligunt, & cum infamia, quæ juſtum exilium ſequitur, conjunctum. An vero hæc jure poterunt contingere innocenti, & quidem tum, cum amici aut reipub. cauſa ea ſponte ſua ſubit? ob quod factum, ſi id cæteroqui rectum ſit, ut Grotius hic ponit, laudem, imo & præmium aliquod mereretur. Quare ſi exemplum nihilominus ſtatuendum eſt, & retinendus in civitate is, qui deliquit, mitiganda potius aut commutanda eſt pœna exilii, ita ut eam ſentiat is ipſe, qui deliquit, & tamen in civitate maneat, quam ut exemplum tam præpoſtere ſtatuatur. Si enim ita relaxare licet ſummæ poteſtati Legem, ut innocens pro nocente ſubſtituatur, qua ratione Legi haudquaquam ſatiſfit: cur non ita licebit Legem relaxare, ut pœna commutetur ac mitigetur, vel tandem prorſus condonetur, cum ſummæ poteſtatis jus huc etiam extendatur?

Quod ad perduellium liberos attinet, quod tertium eſt Grotii Partic. 46 exemplum, idem reſpondendum eſt. Nam ſi liberi illi innocentes excluſione ab honoribus vere puniantur, quod quid ſit jam diximus, inique id fit. Si vero non puniuntur revera, ſed incommodum tantum aliquod ſentiunt, licet occaſione delicti paterni, idque in ipſius patris pœnam, nihil id ad rem noſtram pertinet. Tum autem ſine injuria incommodum hoc ſentient, ſi illis honores iſti jure non debeantur, ſed in rectoris ſimul arbitrio ſit, eos concedere cui velit, ut Grotius hic ponit, quemadmodum ſequentia ipſius verba clarius oſtendunt.

Quod generatim antea dixerat, nunc ad præſens negotium transfert Grotius Partic. 47: *In facto noſtro*, inquit, *habuit Deus poteſtatem affligendi Chriſtum innocentem ad mortem uſque temporariam, fatente Socino, jure ſcilicet dominico. Habuit & Chriſtus conceſſione divina, imo ut Deus ipſe poteſtatem, quam nos non habemus, in vitam & corpus ſuum. Ego inquit Chriſtus, ἐξουσίαν, h. e. jus & poteſtatem habeo ponendi animam meam* Johan. 10. 18. *Nihil ergo iniquitatis in eo eſt quod Deus, cujus eſt ſumma poteſtas ad omnia per ſe non injuſta nulli ipſe lege obnoxius, cruciatibus & morte Chriſti uti voluit ad ſtatuendum exemplum grave adverſus culpas immenſas noſtrum omnium, quibus Chriſtus erat conjunctiſſimus, natura, regno, vadimonio.*

Si per exemplum grave adverſus culpas immenſas omnium noſtrum intelligit Grotius afflictionem graviſſimam, quæ inſigne fuerit documentum, quantopere Deus peccatum oderit, quantopere nos ab eo revocatos cupiat, imo etiam quanta pœna maneat eos, qui peccatis valedicere nolint; fatemur in eo, quod Grotius ait, nihil eſſe injuſti, & tale exemplum nos in Chriſti morte libenter agnoſcimus, ut cap. 1 patuit. Sed, ſi ut diſputatio hæc poſtulat, per exemplum iſtud grave adverſus immenſas omnium noſtrum culpas, intelligit pœnam proprie dictam, ſeu vindictam omnium noſtrorum ſcelerum, de Chriſto ſumtam; tale exemplum in Chriſto ſalva juſtitia ſtatui poſſe negamus. Quin ex hoc ipſo, quod hic ponit Grotius de jure, quo Chriſtus à Deo in mortem traditus fuerit, oſtendimus ſupra Partic. 4. & 7, eum punitum proprie non fuiſſe.

Quod Chriſtus, ut Deus ipſe, habuerit poteſtatem, quam nos non habeamus, in vitam & corpus ſuum, non probatur ex illis Chriſti verbis Johan. 10: præſertim ſi Grotius per Deum ipſum, ut quidem videtur, intelligat Deum ſummum atque altiſſimum. Si enim eum tantum intelligat, qui ratione divinitatis ſuæ, h. e. ratione divinæ poteſtatis & ἐξουσίας, dependeat à Deo illo ſummo, quales ſunt angeli ac magiſtratus; non poterit poteſtas illa, quam Chriſtus habeat ut Deus ipſe, diſtingui à poteſtate illa, quam habeat conceſſione divina; cum tota illa poteſtas, quam quis habet, quatenus Deus eſt à ſupremo numine dependens, ſit ex conceſſione divina. Chriſtum autem iſto loco non conſiderari ut Deum ſummum atque altiſſimum, vel potius non eſſe, patet ex verbis ſequentibus, dum ſtatim ſubjicit: *Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Loquitur autem de præcepto ponendi animam, ut eam iterum accipiat. At Deo ſummo atque altiſſimo à nemine quicquam præcipi poteſt. Præcipere enim ſuperioris eſt, præceptum accipere inferioris. Naturarum di-

ſtinctio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtinctio hic nil juvat, præſertim Grotium, qui Chriſtum hic ut Deum vult loqui. Præceptum enim accipere proprie perſonæ eſt, non naturæ, quæ perſona non ſit, qualem humanam in Chriſto eſſe volunt adverſarii. Deinde quid opus fuiſſet præceptum hoc à Patre accipere, diverſa nempe perſona cum humana natura id à divina in eadem perſona conjuncta accipere poſſet, atque adeo acciperet? Itaque nec illud ex eo loco probari poteſt, Chriſtum talem habuiſſe poteſtatem in vitam & corpus ſuum, qualem nos non habeamus; imo contrarium; partim propter verba modo dicta, partim propterea, quod hic ſermo ſit de poteſtate ponendi animam pro ovibus, ut ſuperiora Chriſti verba ſatis docent. Atqui ejus generis poteſtas in vitam & corpus noſtrum nobis quoque competit, qui exemplo Chriſti jubemur animas pro fratribus ponere 1 Johan. 3. 16, quemadmodum etiam nonnulli pro Pauli anima cervicem ſuam ſuppoſuiſſe dicuntur Rom. 15.4. At præcipi id cuipiam non poteſt, aut à quoquam recte fieri, ad quod faciendum jus & poteſtatem non habeat. Quod ſi dicas, Deum eo ipſo, dum id jubet, poteſtatem quoque faciendi concedere; idem de Chriſto concludere debes, qui hoc ipſo loco ait, ſe id præceptum à Patre ſuo accepiſſe.

Partic. 48. Quantam in hoc negotio vim habeat, quod Chriſtus nobis natura & regno fuerit aut ſit conjunctiſſimus, ſupra viſum eſt hoc eodem capite. Quod ad vadimonium attinet, quia proculdubio vult Grotius, ut etiam alii ſatiſfactionis patroni, Chriſtum ſe Deo pro nobis ſtitiſſe vadem, & ad pœnas noſtro loco ſuſtinendas ultro ſeſe obtuliſſe: cur vadimonium iſtud ne uno quidem verbo probavit, aut probare conatus eſt? Fortaſſe exinde id concludi vult, quod Chriſtus dicatur melioris Fœderis ſponſor Hebr. 7. 22. At non dicitur, quod Deo pro nobis quicquam ſpoponderit, multo minus, quod ad pœnas noſtras luendas ſeſe Deo ultro obligarit. Fœderis melioris ſponſor dicitur Chriſtus, quia Novum Fœdus, cujus mediator ſeu interpres ac internuncius fuit à Deo conſtitutus, non tantum nobis promulgavit, ſed etiam pleniſſimè confirmavit, ac ſanguine ſuo ſanxit, & promiſſorum divinorum in eo comprehenſorum pleniſſimam fidem fecit. Nobis ergo Dei nomine ſpopondit, non vero noſtro nomine. Tanto vero elegantius id de Chriſto dicitur, quod ea, quæ Dei nomine nobis promiſit, reipſa etiam ejuſdem nomine exhibet; quod ipſum quoque D. Auctor hac voce tacite videtur fuiſſe complexus. Hoc noſtra poſtulabat imbecillitas & indignitas, quæ niſi ſublevaretur, ſeſe ad ſpem promiſſorem omnem fidem excedentium erigere non poterat. Nam tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides. His autem promiſſis quid majus aut divinius; nobis contra quid indignius; Deo non erat opus ſponſore aut vade, qui ſeſe ipſi pro nobis obligaret. Vades enim humanæ imbecillitatis aut indigentiæ cauſa quæſiti ſunt. Nam cum debitor aut reus ipſe vel conveniri ita commode non ſemper poſſit, aut non ſemper ab ipſo debitum exigere promptum ſit, vades ſunt inventi, qui aut conveniri commodius, aut à quibus debitum exigi facilius poſſet. Deo quid ejuſmodi vade opus; aut quando eum requiſiviſſe vel admiſiſſe legitur? Si punire vult, ſemper ipſi promptum eſt reos ac ſontes ipſos ſupplicio afficere. Adde quod in iſtiuſmodi caſu, de quali controvertimus, ne apud homines quidem vades uſum habere ſolent ullum. Nam, ut antea quoque dictum eſt, neminem hominum unquam tam iniquum aut tam crudelem fuiſſe deprehendere licuit, qui reo præſente vadem ſolum ad ſupplicium raperet. Et Deum id feciſſe putabimus, idque ad juſtitiæ ſuæ demonſtrationem? Quare cum Grotius non oſtenderit, Deum juſte pro nobis punire potuiſſe Chriſtum, fruſtra in eo laborat, ut id ſapienter à Deo factum demonſtret. Nihil enim ſapienter fieri poteſt, à Deo præſertim, quod juſtum non ſit. Sed videamus tamen, quæ ſcribat.

RESPONSIO

Ad Caput V. quod inſcribit Grotius:

An ſufficiens cauſa fuerit quæ Deum moveret ad Chriſtum pro nobis puniendum, & oſtenditur fuiſſe.

AIt igitur: *Socinus, noluiſſe Deum, ut Chriſtus pœnas pro nobis penderet, ſæpe hoc argumento probaret nititur, quod cur Deus ita vellet, nulla cauſa appareat.* Et in margine Annotat. lib. 3. cap. 1.

At in toto hoc capite nihil aliud Socinus docet, quam Deum jure nobis peccata, nulla ſatiſfactione vera pro iis accepta, condonare potuiſſe, ſecundo demum capite, cum id facere voluiſſe, quo tamen loco iſtiuſmodi argumento ad id probandum non utitur. Id fortaſſe huc pertinere putavit Grotius, quod Socinus loco eo, quem notavit, refellit certam quandam cauſam, qua Covetus cum pleriſque aliis, neceſſario impulſum fuiſſe putabat Deum ad ſatiſfactionem exigendam. Ejuſmodi enim in Deo juſtitiam ſtatuit, quæ peccatum omnino puniri debere dictet. Sed aliud eſt quippiam negare, aut excipere, aliud argumentari contra adverſarium; aliud certam cauſam, & quidem neceſſariam refellere, aliud ſimpliciter aſſerere, cauſam nullam apparere, cur Deus ita velit. Eodem modo alibi quoque excipiendi potius quam argumentandi gratia, cauſas, quæ ab adverſariis aſſerri ſoleant, refutat. Quod ſi alicubi concludit, quia cauſa hujus facti Deo digna ſit nulla, ideo id ne factum quidem eſſe; id facit poſito eo, quod nec per ſe conſentaneum ſit, nec adverſarii velint, cauſas veras facti hujuſmodi eſſe prorſus ignotas, & à Deo non patefactas. Quare quod ſubjungit Grotius, non poſſe jure à ſe poſtulari hujus rei cauſam, vel nihil adverſus Socinum, vel non recte aſſeritur: ſi quidem eas cauſas ipſe quoque manifeſtas eſſe putat, quod res ipſa etiam ſatis monet.

Ad cauſam explicandam acceſſurus Grotius Partic. 1 id præfatur: *Non recte Socinum poſtulare, ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

talis cauſa reddatur, quæ evincat Deum aliter agere non potuiſſe. Talis enim, inquit, *cauſa in his, quæ libere Deus facit, non requiritur.*

Nec revera poſtulavit ejuſmodi cauſam Socinus, cum ea ab adverſario ſponte afferretur; nec ſi ab eo poſtulaſſet, iniquum id fuiſſet cenſendum. Res enim illi erat cum eo homine, (quales ſane ſunt plerique) qui ſatiſfactionem prorſus putabat neceſſariam ad hoc, ut nos remiſſionem peccatorum conſequi poſſemus. Quare cum is effectum crederet neceſſarium, nihil iniqui poſtulaſſet Socinus, ſi cauſam, ex qua neceſſario hic effectus flueret, ab eo requiſiviſſet. Quod ſi Grotius liberam hanc Dei actionem ſtatuit, animadvertere etiam poterit, ea, quæ de neceſſitate ſatiſfactionis à Socino diſputantur, ad ſe non pertinere; niſi forte abſurda, quæ ex hoc dogmate conſequuntur, cauſarum gravitate velit excuſare.

Ex his patet, non recte objici Socino: Partic. 3: *Tanto iniquiorem eſſe iſtam illius poſtulationem, quod ne ipſe quidem cruciatuum & mortis Chriſti cauſas reddat, quæ aliquam ſecum neceſſitatem trahant*; cum cauſas ejuſmodi, præſertim à Grotio, aut quocunque alio, qui ſatiſfactionem liberam eſſe ſtatuat, ſimpliciter non poſtulet.

Sed præterea ſententiam Socini Partic. 4, de cauſis, quæ Deum impulerint ad Chriſtum in mortem tradendum, non recte refert. Nihil enim aliud ex ejus dictis poteſt erui, quod huc pertineat, quam Chriſtum ideo ex Socini mente mortuum, ut *ſanctitatis nobis viam monſtraret, & ut poſt vitam hic innocenter actam, in cœlum transferretur, & inde majeſtatem ſuam terris oſtenderet.* Et tamen addit: *Hæ ſunt cauſæ quibus Chriſti mortem Socinus adſcribit.* At iſta nec recte ſunt explicata, nec, ſi recte explicentur, diverſas ex Socini mente cauſas conſtituunt, ſed unam. Hoc enim vult Socinus. Chriſtum *ſalutis viam* (non *ſanctitatis*, ut loquitur Grotius) exemplo ſuo nobis demonſtrare, ac plene confirmare non potuiſſe, niſi mortem violentam adiiſſet, & per eam demum ad immortalem gloriam perveniſſet. Siquidem hæc ea via eſt, qua nos ad gloriam Deus vult deducere. Qua de re tum ab initio diſputationis noſtræ, tum cap. 1. Partic. 26, 27 dictum eſt ſatis. Viæ autem nomine hoc loco, vel non tam virtutes ipſæ nobis à Deo injunctæ intelligendæ ſunt, vel ſaltem non ſolæ, ſed etiam ea, quæ nobis eveniunt, ad gloriam immortalem contendentibus, quæ quidem ſunt ejuſmodi, ut natura ſua ad æternum interitum ac infelicitatem potius ducere videantur, & revera etiam, niſi eorum vis à Deo cohibeatur, ducant. Ea ergo non ad interitum, ſed ad æternam ſalutem ac felicitatem nos ducere, exemplo ducis vitæ ac ſalutis noſtræ, qui iter iſtud ad cœlum nobis primus præſcripſerat, demonſtrandum erat, ut Div. Auctor Hebr. 2. 10 & ſeqq. aperte ſatis docet. Ad hanc rem non ſuffecerunt oracula & miracula, ut de ſanctitatis via loquitur Grotius, ſiquidem imbecillitati noſtræ conſultum voluit Deus. Multum refert ad fidem rei, quæ alioqui videatur incredibilis aut impoſſibilis, faciendam, exemplum & experimentum ejus certum extare; multum etiam refert ad omnes animandos, ea ſubiiſſe omnium maximum, ac cæteros dignitate longiſſime ſuperantem, à quibus viliſſimi etiam abhorrent; & cum ipſum, qui primus hoc ad felicitatem ſupremam iter hominibus patefecerit, idem ſponte ſua ingreſſum eo perveniſſe, quo id ducere aſſeruerat.

Patet hinc, Chriſtum id ſine morte, ut ſubjicit Grotius Partic. 5, præſtare non potuiſſe, nec mortem ſine Chriſto, nempe in Apoſtolis & Prophetis. Chriſtus enim ſine morte duriſſimam viæ ad ſalutem ducentis partem, quæ ſpem noſtram inprimis convellere poterat, non oſtendiſſet. Prophetæ vero & Apoſtoli metam viæ nondum attigerunt, eorumque exemplo nondum patet, an ad cœlum ea via ducat. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod ipſi quoque exemplum hujus rei à Chriſto expectarint; & illuſtrius in Chriſto, primogenito inter multos fratres, ad cujus imaginem cæteros conformari oportebat, fuerit exemplum, quam in aliis. Quare etſi per naturam Chriſtus poterat ut Enoch & Elias, quemadmodum commemorat Grotius, in cœlum ſine morte transferri; decebat tamen, ut loquitur D. Auctor, Deum, ducem ſalutis noſtræ Hebr. 2. 10, tum ob cauſam dictam, tum ob alias, per afflictiones conſummare. Multum enim præterea intererat, eum, in cujus manu totius ſalutis noſtræ ratio ponenda erat, ſingularem ſuum erga nos adhuc impios charitatem apertiſſimo argumento comprobare, & omnia mala, ipſamque adeo mortem diriſſimam, quæ nobis ad ſalutem aſpirantibus perpetuo imminet, experiri, ut miſericors evaderet ac fidelis Pontifex ibid. verſ. 17, 18; ut illud nunc omittamus, quod nos locis paulo ſuperius notatis perſequuti ſumus, quodque attigit ipſe Grotius cap. 1. de remiſſione peccatorum agens, ubi docet, Chriſtum ex ſententia Socini mortem adiiſſe, ut perhiberet teſtimonium prædicationi ſuæ, in qua pœnitentibus remiſſionem peccatorum propoſuerat; id quod hic non commemorat.

Quod ad Grotii ſententiam attinet Partic. 6, primo cauſas affert, cur Deus pœnas æternas remittere nobis voluerit: alteram Dei bonitatem; alteram, quod alias felicitatis deſperatione religio tota periiſſet. Poſteriorem correctione quadam agere oſtendimus ſub finem cap. 3. Priorem prorſus admittimus, imo urgemus: quanquam illud, (niſi forte magis figurate atque oratorie, quam ad rei veritatem accurate ac proprie dictum ſit) non putamus concedendum, iſtam Dei bonitatem, quam Grotius intelligit, *eſſe proprietatem Dei maxime Deo propriam.* Intelligit enim benignitatem ipſius ac clementiam ſeu miſericordiam, ut tum loci Scripturæ ab ipſo allati, tum verba, quæ mox ſubjicit, indicant, dum ait: *Ubique enim Deus ſemetipſum hoc maxime attributo deſcribit, quod benignus ſit & clemens.* Quanquam clementia benignitate eſt anguſtior, & ejus velut pars quædam. Quandocunque enim exercetur clementia, etiam benignitas, ſed non contra. Verum de neutra id, quod Grotius aſſerit, proprie dici poteſt. Bonitas quidem illa, quæ pravitati proprie opponitur, eſtque nil aliud, quam Rectitudo, Deo eſt maxime propria: ſed non benignitas, ac clementia, quæ ſeveritati opponitur & iræ, in qua tamen altera illa bonitas, h. e. rectitudo, non minus quam in benignitate verſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

verſatur. Id autem, quod diximus, inde perſpici poteſt, quod ab iis, quæ Deo ſunt maxime propria, nullum ipſius opus ita poteſt diſcedere, ut propriis ac naturalibus eorum effectis ſit contrarium. Sic quia juſtus eſt, nihil unquam facere poteſt injuſti: quia ſapiens nihil poteſt facere inſipienter: quia verax, mentiri nunquam poteſt. At multa Deus facere poteſt, & nonnunquam etiam facit, quæ cum propriis clementiæ ac benignitatis effectis prorſus pugnant, ut cum peccatores ſeveriſſime punit, idque nonnunquam non expectata illorum reſipiſcentia. Ac ne longe abeamus, potuiſſet Deus omnes, qui peccaverunt, morti æternæ, nulla reſipiſcentiæ habita ratione ſubjicere, quemadmodum iis, qui ſub Lege vixerunt, comminatus fuerat. Atqui è diametro id pugnat cum hoc bonitatis ejus effectu, de quo nobis ſermo eſt. Effectus proprii earum rerum, quæ ſunt Deo maxime propriæ, liberæ ipſius voluntati non ſubjacent: effectus bonitatis hujus divinæ omnes liberæ Dei voluntati ſunt ſubjecti: per accidens fiunt neceſſarii, cum promiſſum intervenit. Huic bonitati opponitur in Deo ira & indignatio, qua, ut infra ait Grotius, Deus ſe impediri teſtatur, quominus bene hominibus faciat. Illis autem Dei proprietatibus nihil in Deo contrarium poteſt exiſtere, eaque ſunt prorſus infinita. Miſericordia iſta, de qua in locis à Grotio citatis ſermo eſt, non eſt prorſus infinita, licet ſit maxima ac prorſus admiranda. Nam Deus in primo loco, à Grotio citato, ut etiam alibi, dicitur tardus ad iram, ſed multus miſericordia. Licet enim iſtis verbis ſignificetur, majorem eſſe miſericodiam ira: eam tamen ira aliquando terminari, ſatis aperte ſignificatur. Quare ſtatuendum potius eſt, hanc Dei bonitatem non eſſe proprietatem ita in ipſo reſidentem, quemadmodum ſapientia, rectitudo, potentia. Eſt quidem miſericordia naturæ illius convenientior, quam contraria ſeveritas aut ira: ſed voluntatis tamen eſt, quod reipſa talis ſit. Quare eam non male dixeris eſſe conſtantem quandam benefaciendi voluntatem ac conſuetudinem; conſtantem autem ita, ut nihilominus contrarius voluntatis effectus in ipſo interdum exiſtere poſſit, qui tamen ei denominationem non largitur eo pacto, quo bonitas hæc ſeu benignitas. Ab eo enim, quod crebrius aut ut plurimum fit, denominatio potius ſumitur, quam ab eo, quod minus crebro. Miſericors Deus dicitur in locis à Grotio citatis, licet interdum ira miſericordiæ contraria in eo exiſtat, à qua tamen non ita denominatur, quemadmodum à miſericordia. Nam iraſci quidem dicitur Deus, ſed non iracundus, imo ne ſeverus quidem ſimpliciter: contra non tantum miſereri dicitur, ſed etiam miſericors ac miſerator. Habet nempe bonitas ſeu benignitas ac clementia ob conſtantiam ſuam ſimilitudinem cum habitibus, contrarium cum affectu non ita crebro exoriente.

Quod vero Grotius Partic. 7 ad dicti ſui probationem affert, *Ubique Deum ſemetipſum hoc maxime attributo deſcribere, quod benignus ſit & clemens*, cujus rei nonnulla ex Sacris Literis adducit exempla; id etiamſi concedendum eſſet, parum tamen firmum eſſet hujus rei argumentum. Potuit enim id eam ob cauſam fieri, quod inter omnia Dei attributa nullum ſit clementia & benignitate ipſius amabilius, nullum quo genus humanum, peccatis non modo obnoxium, ſed & onuſtum, magis indigeat, præſertim tum, cum conſcientia aut pœna delictorum urgetur, nullum quod majorem vim habeat ad nos Deo devinciendos, &, ut ipſi laudes dicamus, cultum & obſequium præſtemus, permovendos: quod tum per ſe manifeſtum eſt, tum ex iis ipſis, quos Grotius adducit, locis colligi poteſt. Dubium tamen eſt, an ſæpius Deus benignus ac clemens, quam potens, aut juſtus ac ſanctus, ut alia taceam, in Sac. Literis prædicetur. Iſtud, antequam hinc abeamus, in pleriſque locis à Grotio notatis animadverti velim, ad id, ut quis clementiæ divinæ fructum ſentiat, nihil aliud requiri quam reſipiſcentiam ac timorem invocationemque nominis ipſius, non vero, ut quis credat, ab alio pro ſe fuiſſe Deo ſatiſfactum. Confer locum Jonæ à Grotio citatum cap. 4. 2, cum fine cap. præced. 2 Chron. 30. 8, 9. Pſal. 86. 5 & 103. 8, conf. ℣ſ. 17 & 111. 4 & 145, confer. ℣ſ. 8 cum 19, 20, 21. Eſai. 55. 6, 7. Jerem. 31. 18, 19, 20. Joël. 2. 12, 13, &c. Rom. 2. 4 & ſeqq.

Deinde ad cauſas, cur Deus non niſi Chriſto punito æternas nobis pœnas remittere voluerit, accedens Grotius ait Partic. 8: *cauſam Deo, cur Chriſto pœnam imponeret, illa Scripturæ teſtimonia jam ante nobis adducta evincunt, quæ Chriſtum ob peccata noſtra traditum, paſſum, mortuum loquuntur. Hæc enim loquendi genera, ut ibi oſtendimus, cauſam impulſivam notant.*

Cauſam impulſivam paſſionis & mortis Chriſti iſtis loquendi generibus deſignari haud diffitemur, ſed non pœnæ proprie dictæ, quam noſtro nomine Deus à Chriſto exegerit, qua de re hic agitur. Imo ſi Deus benignitate & clementia ſua motus nobis æternas pœnas remiſit, ut modo docuit Grotius; apparet, eum à nemine pœnas noſtro nomine exegiſſe. Qua de re capite ſequenti agemus fuſius.

Partic. 9. Pergit: *Ex his vero, quæ de fine diximus, intelligi poteſt, non modo cauſam fuiſſe aliquam, ſed & quæ illa fuerit: nimirum quod tot & tanta peccata ſine inſigni exemplo tranſmittere Deus noluerit. Hoc autem ideo quia omne peccatum vehementer Deo diſplicet, eoque vehementius quo ipſum eſt gravius* Prov. XI. 20. Pſal. 2. 5. Eſai. 66. 4. Zach. 8. 17. Pſal. 45. 8. Hebr. XI. 2. *Cum vero Deus ſit activus, & ratione utentes creaturas in id condiderit, ut ſuas proprietates magis teſtatas faceret, conveniens eſt illi, etiam quantopere ſibi peccata diſpliceant actu aliquo teſtari: actus autem ei rei convenientiſſimus eſt pœna.*

Mirum eſt Grotium, cum hanc præcipuam ſatiſfactionis à Chriſto exactæ cauſam afferre cogitaret, vel non vidiſſe, vel cum videret, non refutaſſe ea, quæ Socinus ſat prolixe hac de re ſcripſerat lib. 3. c. 2, circa finem, ubi ita inter alia dicit: *Satis ſe odio peccatum proſequi oſtendit Deus, cum, niſi reſipiſcamus, &, peccatis relictis, juſtitiæ deinceps ſtudeamus, nos graviter punit, atque æternæ morti mancipatos relinquit. Satis idem nos à peccando retrahere curat, cum vitam ſuam corrigentibus æternæ beatitatis præmium proponit. Quo præmio omnium, quæ humana mens excogitare poteſt, maximo & præſtantiſſimo, quodque*

non vehementiſſime expetere nullo modo poſſumus, ſi quis non movetur, & ita à peccando ceſſat, deſperandum omnino eſt de reſipiſcentia illius. Præterea, an non ex ipſa morte Chriſti, citra omnem peccatorum noſtrorum punitionem, quantum Deus peccatum oderit, apertiſſime conſtat, cum, ut illud in nobis extingueret & aboleret, atque ea ratione, qua ſupra expoſitum fuit, nos ad vitæ ſanctimoniam traduceret, cariſſimum & innocentiſſimum filium tam atroci & deteſtabili morti tradere voluerit? videantur etiam ſequentia*, eaque memoria tepetantur, quæ nos cap. 1 diximus de ſimilitudine mortis Chriſti cum pœna *παραδειγματικῇ exemplari.*

Iſtud etiam hic obſervari volumus, locos Scripturæ omnes, quos Grotius de odio Dei adverſus peccata citavit, aut citare voluiſſe videtur, eo excepto, qui de Chriſto, & Salomone ejus typo, loquitur, qui extat Pſal. 45 & Hebr. 1, oſtendere, odium iſtud ipſoſmet peccatores ſpectare, & eos ad pœnam citare: quod idem oſtendunt loca, quæ poſtmodum de ira Dei ſubjicit, quæ quidem ſunt illa Exod. 32. 10, 11. Num. XI. 1. XVI. 22. XXV. 3 & ſeqq. Pſal. 2. 5. VI. 1. Joh. 3. 36. Rom. 1. 18. ij. 8, 9. Eph. 5. 6. Col. 3. 6. Apoc. 6. 16. In loco Hebr. XI. 2, qui eſt inter teſtimonia de odio Dei adverſus peccatum à Grotio citata, erratum eſt. Fortaſſe notari debuit cap. 2. 2, ubi de pœna trangreſſorum Legis agitur. Quod ſi autem hæc iræ atque odii divini ratio eſt, qui nobis Grotius talem in hoc negotio Dei iram aut odium fingit, quod ipſis peccatoribus ſponte dimiſſis, & ſingulari illis amore exhibito, innocentiſſimum & ipſi Deo conjunctiſſimum chariſſimumque ad pœnam poſtularit? An non vel exinde ſatis patet, iram Dei haudquaquam fuiſſe mortis Chriſti cauſam, nec odium Dei adverſus peccata fuiſſe ejuſmodi, ut pœnam Chriſti requiſierit, & ea fuerit expletum? Repetantur ea, quæ diximus cap. 1 partic. 1, ubi oſtendimus, iram Dei cauſam impulſivam mortis Chriſti, ut hic vult Grotius, conſtitui nullo modo debere, cum Sacris Literis apertiſſimis verbis contrariam ei charitatem cauſam ejus rei conſtituant.

Partic. 10. Pergit: *Præterea omnis peccati impunitas per ſe hoc habet, quod efficit ut peccata minoris æſtimentur, ſicut contra ratio expeditiſſima arcendi à peccato eſt formido pœnæ. Hinc illud, Veterem ferendo injuriam, invitas novam. Ergo prudentia quoque hoc nomine rectorem ad pœnam incitat.*

At ſi ea demum conditione impunitas offeratur, ut à peccatis in poſterum abſtineas, & ſanctitati per omnem vitam totis viribus incumbas, quemadmodum à Deo in remiſſione peccatorum nobis promittenda factum eſt, nego ejuſmodi impunitatem per ſe hoc habere, quod efficiat, ut peccata minoris æſtimentur: imo hæc expeditiſſima eſt homines non prorſus deploratos à peccatis arcendi ratio. Et niſi ejuſmodi impunitas hominibus fuiſſet conceſſa, felicitatis deſperatione religionem totam perituram fuiſſe, & paulo ante, & cap. 3 aſſeruit Grotius. Religione autem tota pereunte, an homines à peccatis arcebuntur? Nonne Grotius cap. 1, de hac ipſa impunitate agens, docere conatus eſt, ex ea recte inferri, nos in poſterum à peccatis abſtinere debere, rationem afferens hanc, quod in Sac. Literis homines ſummis Dei & Chriſti beneficiis, inter quæ primum locum obtinet ab æternis pœnis liberatio, excitentur ut ſancte vivant? Quanquam nos id infirmius eſſe diximus, niſi addatur, beneficium tantum non niſi reſipiſcentia & pietate interveniente obtineri poſſe, quod à nobis hoc loco additur, & ex Sac. Literis eſt manifeſtum, ipſique rationi per ſe admodum conſentaneum. Non ergo expeditiſſima eſt ratio arcendi à peccato formido pœnæ. Præmiorum ampliſſimorum ſpes longe plus roboris habet, quam formido pœnæ: idque docent inprimis Sacræ Literæ Novi Fœderis, quæ ea omnium creberrime inculcant, & illis ſatis aperte robur maximum à peccatis nos avocandi & pios efficiendi tribuunt. Vide inter alia 1 Johan. 3. 3. 2 Cor. 7. 1. Hebr. XI. 24, 25, 26. Col. 1. 4, 5. 2 Petr. 1. 4. Pœnæ metum incutiebat Lex Moſaica: Euangelium, quod gratia eſt, promiſſa maxime inculcat. An vero plus virium habuit Lex ad homines à peccatis abſtrahendos quam Euangelium? contrarium docent Sacræ Literæ Rom. 6. 14. VII. 4, 5, 6. VIII. 2, 3, 4. Degeneres animos non diuturni magiſter officii metus aliquo modo coërcet, ſecundum illud vulgatum: Oderunt peccare mali formidine pœnæ: generoſiores & probiores animos præmia erigunt & excitant, benignitas & clementia in officio continet. Itaque nec illud ſemper verum: *Veterem ferendo injuriam invitas novam**: imo ſæpe, ut itidem Vetus habet ſenarius: *Veterem ferendo injuriam vites novam.* Unde Petrus 1 Petr. 3. 9 & ſeqq. auſus eſt pronunciare, patientiam injuriarum nobis commendans, & admonens, ne malum malo penſemus, nec convicium convicio, ſed potius benedicamus: *Ecquis*, inquit ℣ſ. 13 *eſt, qui ſit vos afflicturus, ſi bonitatis æmulatores fueritis?* h. e. ſi beneſeceritis etiam iis, qui vobis injuriam intulerunt. Quanquam enim non id vult Petrus, nulla ratione evenire poſſe, ut ſecus eveniat: indicat tamen, non niſi apud homines plane improbos ſecus eventurum; unde ſtatim ſubjungit: *Quod ſi tamen quippiam patiamini propter juſtitiam, beati, &c.* Idem indicat Paulus, locum ex Proverbiis citans cap. 12. Rom. 5. 20, 21. Quod ſi autem injuriæ novæ occurrere poſſumus apud homines malitia non prorſus excæcatos, etiamſi injuriam veterem ſimpliciter, nulla reſipiſcentiæ conditione addita, condonemus; quid mirum, ei occurri, cum ea conditio additur ℣ſ. 4, 5, 6? Quod ſi nihilominus homines in peccatis perſeverant, id illorum propriæ & obſtinatæ malitiæ eſt imputandum, qui, ut ait Paulus Rom. 2, divitias bonitatis Dei & tolerantiæ & longanimitatis contemnunt, ignorantes bonitatem Dei ad pœnitentiam illos ducere, & ſecundum duriciem ſuam & cor pœnitere neſcium theſaurum ſibi colligunt iræ in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui redditurus eſt cuilibet ſecundum ipſius opera. His adde, formidinem pœnæ nihilominus ex morte Chriſti ad nos pervenire potuiſſe, etiamſi Chriſtus non fuerit punitus, qua de re ſupra egimus.

Partic. 11. Addit: *Augetur præterea cauſa puniendi, ubi Lex aliqua publicata eſt, quæ pœnam mi-*

* Partic. 57.

* Vide P. Syrum l. Grut. edit.

natur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

natur. Nam tum omiſſio pœnæ ferme aliquid detrahit de Legis autoritate apud ſubditos.

Hæc ratio nullam vim habet, cum ſupra cap. 3 docuerimus, legem illam, quam Grotius intelligit, per Chriſtum abrogatam eſſe. Quare fieri non poteſt, ut Deus illius auctoritatem morte Chriſti ſtabilitam vellet, per quam contraria ei ſanctio, omnibus peccatoribus reſipiſcentibus remiſſionem ſcelerum omnium promittens, fuit ſtabilita. Deinde cum ea Lex jam ante à plurimis pœnarum exemplis eſſet ſtabilita, ſiquidem ut D. Auctor Hebr. 2. 2 ait, ſermo ille per Angelos dictus, factus fuit firmus, & omnis tranſgreſſio ac inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem; quid opus erat, eam morte Chriſti ſtabiliri? Adde quod admodum præpoſtera fuiſſet iſta Legis ſtabiliendæ ratio, ſi Deus nocentibus ſponte dimiſſis innocentiſſimum revera puniviſſet. Lex enim eum ipſum, qui peccaſſet, maledictioni addicebat.

Partic. 12. *Graviſſimas Deo cauſas fuiſſe puniendi, ſi & magnitudinem & multitudinem peccatorum expendamus*, libenter fatemur. Veruntamen, ut ait Apoſtolus Rom. 5. 20, ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Addimus, graviſſimas quidem Deo fuiſſe puniendi cauſas, ſed puniendi nos ipſos, qui peccaveramus, non Chriſtum, de quo controverſia eſt. Poſtquam enim Deus ob tot tantaque peccata noſtra nos ipſos punire noluit, nullam amplius ſibi reliquit cauſam, cur quemquam ob peccata noſtra punire vellet, eum præſertim, qui eſſet ſanctiſſimus, & quo nemo ipſi eſſet charior aut conjunctior.

Ex dictis apparet, ea, quæ ſubjungit Grotius Partic. 13, plane concidere, nempe, Deum voluiſſe ſimul & clementiam, & ſeveritatem, ſive peccati odium, & Legis ſervandæ curam manifeſtare. Nam ſeveritas cum clementia iſta circa eadem numero peccata conſiſtere non poteſt: & ea, quam ſeveritatem Grotius vocat, non ſeveritas eſt, ſed iniquitas. Severitas enim pœnas, ut Lege conſtitutum eſt, ab ipſis nocentibus exigit; ſeveritas Grotiana, nocentibus ſponte dimiſſis, innocentiſſimum tantum pœnæ ſubjicit. Odium peccati tum aliunde, tum ex ipſa Chriſti morte ſatis apparuit, etiamſi Chriſtus non fuerit punitus, quemadmodum tum paulo ante, tum cap. 1 oſtendimus. Legis ſervandæ cura in iſtiuſmodi punitione nec apparuiſſet, nec cauſa erat cur appareret. Nihil etiam ad rem pertinent ea, quæ de modo leges relaxandi diſputat Grotius. Siquidem Lex non relaxata tantum fuit, ſed abrogata.

Partic. 14. Iſtud tamen conſiderandum eſt, quod in judiciis pœnalibus, etiam divinis, commutationem inter perſonas admiſſam aſſerit, idque Davidis & Achabi exemplo docere conatur. De Davide adducit verba Nathanis 2 Sam. 12. 13, 14, hoc pacto: *Tralatum eſt à te peccatum (h. e. pœna peccati) non es enim tu moriturus (quod alioqui Lex poſtulabat) ſed quia Dei inimicis occaſionem omnino dediſti Deo contemtim obtrectandi, filius iſte qui tibi natus eſt (tibi ſcilicet conjunctiſſimus, tuæque pœnæ vicarius) omnino moriturus eſt.*

Sed primum, licet id cuipiam leve videri poſſit, expreſſe interſeruit Grotius Prophetæ verbis voculas, *à te*, & rurſus voculam *tu* ℣ſ. 13: poſt verba etiam *non morieris*, non finiit ſententiam, ſed ita orſus eſt verſiculum 14, *ſed quia*, omiſſa quoque particula *etiam*. Hæc enim non fruſtra facta ſunt, ſed ut verba tanto magis ad rem, quæ Grotio probanda erat, viderentur pertinere. Nam particulæ illæ, præſertim *tu*, ante vocem *moriturus*, expreſſe additæ, emphaſin habent Grotii ſententiæ faventem, quæ, iis ſublatis, non appareret. Diſtinctione etiam majore inter duos illos verſiculos adhibita, & pro particula *ſed*, voce *Veruntamen* repoſita, quam plerique interpretes habent, & addita vocula *etiam*, Prophetæ verba non æque favent Grotii ſententiæ. Quare nos ea, ut in Hebræo habentur, ponemus: *Dominus tranſire fecit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen quia conviciando conviciari feciſti inimicos Domini in verbo hoc, etiam filius natus tibi moriendo morietur.* Deinde animadvertendum eſt, verba illa, *tranſire fecit* vel *tranſtulit peccatum tuum*, non ſignificare tranſlationem pœnæ in aliam perſonam, ut voluiſſe videtur Grotius, ſed ſimpliciter ablationem & remotionem pœnæ, ſeu condonationem. Sic uſurpatur infra hoc eod. libro cap. ult. ℣ſ. 10, ubi *tranſſer* vel *tranſire fac iniquitatem ſervi tui*, non ſignificat tranſfer pœnam iniquitatis meæ à me in alium, ſed aufer, condona, ut ibi præter alios notavit Vatablus. & Zach. 3. 4, ubi ita notatum eſt in Bibl. Mag. Rob. Stephani: *tranſire feci* Hebraiſmus pro *abſtuli*, Quaſi dicat, ſcito Dominum condonaſſe tibi omnia peccata tua. Eodem modo dicitur Pſal. 119. 39, *tranſire fac opprobrium meum*, non, tranſfer in alium, ſed *aufer*, quemadmodum nonnulli interpretes vel reddiderunt, vel annotarunt. Quia qui facit, ut aliquid tranſeat, is id à priori loco amovet. Similem loquutionem habes Marc. 14. 35, *ut tranſiret à ſe hora*, & ℣ſ. 36, *tranſfer poculum hoc à me*, Quare ſenſus verborum Nathanis eſt, Deum Davidi condonaſſe, & ab eo avertere decreviſſe pœnam peccati ab eo admiſſi, pœnam, inquam, veram ac propriam, in Lege conſtitutam, h. e. pœnam mortis, quod ſtatim declarat, cum addit: *non morieris*. Verum ne David putaret, ſe prorſus impune laturum tantum flagitium, excipit Propheta, filium, qui ipſi natus fuerat, moriturum, non quidem ipſius vice, ut vult Grotius, ſed in ipſius pœnam. Acerbum enim erat Davidi filium ſua culpa perire, ut hiſtoria ſatis indicat. Afflictus quidem fuit infans, ſed non revera punitus. Neque ſane recta hæc fuiſſet ratio abſtergendi ignominiam, divino nomini à Davide apud ipſius hoſtes inuſtam, ſi Deus loco ac vice Davidis infantem fuiſſet ultus, non vero in Davidis ſupplicium infantem afflixiſſet; imo hæc res majorem adhuc, nec immerito, dediſſet anſam adverſariis Domini de ipſo male loquendi, utpote qui innocentes nocentium loco iniquiſſime puniret. Sed hoc omnes vel norant, vel noſſe facile poterant, liberorum ademtione puniri parentes, idque Deo, qui abſolutus eſt omnium Dominus, licere. Qua de re ſuperiori capite actum eſt.

De Achabo vero ita ſcribit Grotius Partic. 15, *Achabus & homicidio ſe & rapina inquinaverat: denunciat ei per Eliam Deus futurum, ut canes lingant ejus ſanguinem. Veruntamen mox conſpecto ipſius pavore, & quadam divini numinis reverentia, dixit idem Deus: non*

inducam malum illud (quod ſcilicet & ipſe meruerat, & ego eram comminatus) diebus ejus. Diebus filii ejus (qui ſcilicet præter ſuas, paternas quoque pœnas feret) inducam malum illud ſuper domum ejus. Et ſubjungit, Deum & hic & in ſuperiori exemplo pœnam in alterum tranſtuliſſe.

Hic primum ſumit Grotius, Achabum non ſuſtinuiſſe illam pœnam, quam ipſi Deus fuerat comminatus, ut canes lingerent ejus ſanguinem, ſed in filium hanc pœnam fuiſſe tranſlatam. Atqui Sacræ Literæ expreſſe tradunt, ut cap. ſuperiore docuimus, canes Achabi ſanguinem linxiſſe ſecundum Dei verba 1 Reg. 22. 38. Ex hoc errore natus eſt alter, quod illa verba, *non inducam malum illud in diebus ejus*, accipit de pœna, quam Achabus in ſua ipſius perſona debuerat ſuſtinere, nempe de morte cruenta, unde futurum eſſet, ut ipſius ſanguinem canes lingerent; cum id de internecione miſerabili totius familiæ Achabi ſit accipiendum, ut verba ab ipſo Grotio citata ſat manifeſte oſtendunt. Et ſane cum non de lingendo ſanguine ſimpliciter, ſed de Achabi ipſius ſanguine fuiſſet loquutus Deus, quomodo potuiſſet dicere, ſe iſtud malum non in Achabi, ſed filii diebus inducturum? ac præterea cum de morte alicujus agitur, non dicitur, malum iſtud in diebus illius ipſius, qui eam ſuſtinere debeat, fieri vel non fieri. Hinc pendet tertius error, filium Achabi præter ſuas, paternas quoque pœnas tuliſſe. Id enim ſibi vult, filium duplicem ſuſtinuiſſe pœnam, alteram quam ipſe fuiſſet commeritus, alteram quam pater. Sed quænam fuit illa pœna, quam à Patre in ipſum tranſlatam vult Grotius? mors cruenta. An vero hanc non meruerat ipſe idololatria, cui fuit addictus 2 Reg. 3. 2, 3? aut an bis mortem ſuſtinuit, pro ſe ſemel, pro Patre iterum? Non duplicem pœnam ſuſtinuit filius, ſed pœnam gravem, duplicem ob cauſam, ut ſuperiori capite docuimus. Et utut tandem ipſius Achabi tempore malum iſtud, quod fuerat comminatus, induxiſſet Deus, eandem tamen mortem ac calamitatem, quam poſtea ſenſit, fuiſſet ſubiturus filius, ut ex verbis Eliæ v. 21, 22, 24 ſatis patet. Quare nihil hoc exemplum juvat Grotium.

Ad ea, quæ ſubjunguntur Partic. 16, per ſuperiora ſatis eſt reſponſum. Ideo ea non adſcribimus. Illud tamen conſiderandum videtur, quod inter alia ait: *Deo non fuiſſe ἀδιάφορον punire peccata.* Non arbitror id eum velle, Deo non fuiſſe liberum pœnam vel infligere, vel prorſus omittere. Repugnaret enim iis, quæ ſupra hoc cap. docuit, & Auguſtini atque Athanaſii confirmavit auctoritate, liberam hanc Dei eſſe actionem, & alium etiam nos liberandi modum poſſibilem Deo non defuiſſe. Quod ſi hoc tantum vult, non parvi id momenti viſum Deo, nec parum interfuiſſe, ut puniret; fatemur ita ſe rem habere, ſi per ſe ſpectetur. Verum ſi puniendi cauſæ conferantur cum cauſis parcendi, hæ, ut ipſe fatetur Grotius, non parum præponderant: ita ut dici queat, eatenus non amplius Deo fuiſſe ἀδιάφορον non punire. Nec eſt quod dicat Grotius, cauſas quidem graviores fuiſſe, cur nos ipſos non puniret, quam ut puniret, ſed non ut pœnam prorſus omitteret: quandoquidem nemo ob noſtra peccata præter nos ipſos jure puniri potuit. Quare qui neglexit cauſas nos ipſos puniendi, eaſque cauſis parcendi poſtpoſuit, neglexit etiam cauſas puniendi ſimpliciter, quod attinet ad ea peccata, quorum impunitatem ipſi ſumus conſequuti.

In Socini porro dictis errores non paucos notari ait Grotius Partic. 17, quorum primum facit, quod Socinus tradat, *juſtitiam punientem non reſidere in Deo, ſed eſſe effectum voluntatis ipſius.* Et ſubjicit: *Punire ſane effectus eſt voluntatis: ſed juſtitia illa ſive rectitudo ex qua naſcuntur tum alia, tum pœnarum retributio, proprietas eſt in Deo reſidens. Scriptura enim concludit Deum eſſe juſtum, quia pœnas reddat delictis, ex effectu cauſam colligens.*

Hic ne erret lector, obſervandum eſt, quid juſtitiæ punientis nomine Socinus intelligat. Intelligit igitur ex eorum, cum quibus diſputat, mente, tale Dei attributum, quod miſericordiæ opponatur, & pœnas quorumvis peccatorum repetat & infligat, quod, ut Socinus notavit, in Sacris Literis non juſtitiæ, ut adverſarius faciebat, ſed iræ, indignationis, aut ſeveritatis nomine inſignitur, quæ cum in pœnis tantum appareat, longe differt ab illa Dei juſtitia, quæ rectitudo dicitur, de qua loquitur Grotius. Rectitudo enim Dei non minus in remittendis pœnis, quam in infligendis cernitur, imo in omnibus prorſus Dei operibus. Punientem vero illam, de qua Socinus loquitur, juſtitiam non eſſe proprietatem in Deo naturaliter reſidentem, ſatis oſtendit Socinus. Sequeretur enim alias, Deum nullum peccatum impunitum relinquere poſſe. Nec enim poteſt contra proprietates iſtiuſmodi quicquam agere Deus. Cætera apud ipſum Socinum videantur. Quare quod hic ait Grotius, *juſtitiam ſive rectitudinem Dei* eſſe proprietatem in Deo reſidentem, id nihil adverſus Socinum, qui hanc non intelligit per juſtitiam illam punientem. Dicet Grotius, hanc ipſam intelligi debere, quia hæc ſit cauſa pœnarum & præmiorum; cum ex eo, quod Deus puniat, juſtus eſſe concludatur. Reſpondeo, Socinum loqui de juſtitia ejuſmodi, quæ ſit cauſa quarumvis pœnarum divinarum, & Deum ad peccata punienda ſimpliciter impellat. At talis non eſt rectitudo Dei. Licet enim hæc in omnibus pœnis divinis cernatur, non tamen omnium pœnarum eſt cauſa, aut Deum ad peccata punienda ſimpliciter incitat, ſed tantum ad pœnas non reſipiſcentium; ut alibi * fuſius eſt explicatum.

Ait Partic. 18: *In hunc errorem inductus videtur Socinus, quod Dei proprietatum effectus quoſvis eſſe credidit neceſſarios omnino, cum multi ſint liberi, intercedente ſcilicet inter proprietatem & effectum actu libero voluntatis. Sic bonitatis Dei eſt effectus bona ſua communicare. At hoc ante creationem non fecit. Ejuſdem bonitatis eſt parcere ſontibus: at parcere Deum iis, quos pœnis æternis punit, vix quiſquam dixerit.*

Sed nec error eſt, quem ita vocat Grotius, nec id, quod Socino hic tribuitur, niſi commoda adhibeatur interpretatio, ei eſt adſcribendum. Socinus nuſpiam dixit, quoſvis proprietatum Dei effectus eſſe neceſſarios, nec quarumvis; ſed quicquid dixit,

* Cap. 1. part. 78. & ſeqq. cap. 2. part. 29. 30.

ex quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ex quo id colligi poſſe videatur, eo redit, ut intelligatur, eos effectus divinarum proprietatum ſeu attributorum naturaliter in ipſo reſidentium, ad quos eum proprietates iſtæ per ſe ac ſimpliciter impellunt, circa ſuum objectum eſſe neceſſarios. Naturæ enim ſuæ repugnaret, ſi iis repugnaret. Tale effectum eſt juſtitiæ, id quod æquum eſt facere, ac ſuum cuique tribuere; ideo id ſemper facit Deus, contrarium nunquam. Sapientiæ effectus iſtiuſmodi eſt, convenienter omnia agere; veritatis pronunciare ea, quæ cum re conſentiant, ac promiſſa ſervare. Hæc quoque circa objectum ſuum ſunt neceſſaria ac Deo perpetua. Quod ſi juſtitia illa puniens eſſet proprietas naturaliter in Deo reſidens, non poſſet Deus non punire peccata, præſertim gravia. Ejus enim effectus proprius, ad quem per ſe ac ſimpliciter Deum impellit, eſt punire. Ἔνστασις *Inſtantia* Grotii nullam vim habet. Oſtendimus enim antea, iſtam Dei bonitatem, quam intelligit Grotius, h. e. beneficentiam ac clementiam ſeu miſericordiam, effectum eſſe voluntatis divinæ, non proprietatem naturaliter ac neceſſario in ipſo reſidentem.

Quod ſubjicit Partic. 19: *Neque ideo quia liber eſt Deo proprietatum iſtarum uſus, dici poteſt cum iis utitur ſine cauſa facere quod facit*, ſi Socinum petit, ut quidem videtur, eum non ferit. Talem enim deductionem apud Socinum nuſpiam invenias.

Partic. 20. Alterum errorem ſupra quoque indicatum ait: *quod Deum peccata remittentem plane idem vult facere, quod homines, qui de jure ſuo decedunt.* Jure id à Socino aſſeri cap. 2 oſtendimus; ubi etiam rationes, quibus hic utitur contra Socinum Grotius, excuſſimus. Ex iis autem apparet, fundamentum pœnæ proximum eſſe relationem rei ad perſonam, non minus quam in cæteris contingit, quæ ad jus crediti ac dominii pertinent, cum cauſa pœnæ vera ac naturalis ſit læſio, ſeu injuriæ alteri illatæ ratio. Quare contraria Grotii aſſertio falſa eſt; & ea, quæ inde porro deducuntur, nullo nituntur fundamento.

Cum vero inter ea dicitur Partic. 21, *Socinum ut certiſſimum poſuiſſe, Remp. nihil commiſſuram injuſti, ſi nocentem abſolvat, niſi jus proprium privati alicujus ſimul lædat, aut Dei Legem infringat*; vel *injuſtum* ſumit pro *inhoneſto* ſimpliciter, quemadmodum ſuperiora videntur indicare; vel pro eo, quod injuriam in ſe continet, eſtque adverſus alterum. Si priori modo vocem illam accipit, Socinum non ferit, qui eo loco * ſtrictius ſumit. Si poſteriori modo, concedi poteſt, id Socinum dixiſſe, quanquam revera non dixit. Nam ait quidem, Rempubl. aliquid poſſe committere injuſti, ſi alterutrum iſtorum fiat: ſed non dixit, ſi neutrum iſtorum fiat, nihil eam commiſſuram injuſti. Verum nihil eſt, quo falſum id eſſe demonſtrarit Grotius. Nam primum non eſt neceſſe Rempublicam vel pro iis ſolis accipere qui reguntur, vel pro iis tantum qui regunt, ut facit Grotius: cum pro utriſque conjunctim ſumi poſſit, ſeu pro toto communitatis corpore, cujus utilitati pœna fuerat deſtinata. Cur enim ei non liceat eo jure cedere, quod ipſius utilitati tantum ſervit? Deinde quod de temperandis aut relaxandis Legibus hic diſſerit, vel falſum eſt, vel nihil ad rem facit. Nam vel ſtatuit, quemvis, qui abſolvit nocentem ac pœnam ei remittit, temperare ſeu relaxare legem, quæ pœnam delicto conſtituerat, vel id non ſtatuit. Si ſtatuit; relaxare Legem poterit etiam privatus, cui per illam jus crediti in pœna acquiſitum eſt, quod in pœnis pecuniariis uſitatum eſſe faſſus eſt ſupra Grotius. Nam de jure crediti cedere poteſt quiſque pro arbitrio, ut idem urget. Falſum igitur erit, eo poſito, multitudinem, quæ regitur, non habere jus temperandarum legum. Si non ſtatuit id, quod diximus; nihil ad rem facit, quod de legum temperatione aut relaxatione ſcribit. Socinus enim de abſolutione tantum nocentis loquitur, non de relaxatione legis. Et poteſt ſane nocens abſolvi, etiamſi nulla Lex ſit lata, quæ pœnam ei conſtituerit, modo is ex ipſa rei æquitate pœna ſit dignus, unde nec relaxatione erit opus.

Juſtitiæ rectoris partem eſſe ſervare Leges, etiam poſitivas & à ſe latas Partic. 22, tum demum concedimus, cum de alieno jure in iis agitur, aut alioquin rector ad eas ſervandas ſe ipſum obſtrinxit. An enim alioqui ſummus rector Leges aliis ferre non poteſt, quibus ipſemet non teneatur? id ſane in Deo eſt manifeſtiſſimum, idque Grotius ipſemet ſupra cap. 4 urſit, quanquam non ſuo loco. Itaque etiamſi ſine cauſa ſufficiente non deceat relaxare Legem poſitivam, quam rector non ſibi ſed aliis tulerit, & in qua jus alienum non agatur: (temeritatis enim id foret, & inconſtantiæ cujuſdam:) tamen non protinus id injuſtum eſt, ſeu injurium, ut Grotio fuerat contra Socinum concludendum: adeoque ſi hoc ſenſu dicit, id *non licere*, dictum negamus: ſi *non licere* poſuit pro *non decere* aut *non convenire* abſolute; nihil id adverſus Socinum. Etiamſi autem actus Legem ferendi aut relaxandi ſit actus imperii, non vero dominii abſoluti, nempe proprie ac proxime, eſt tamen hujus remote in herili imperio, quod ex dominio abſoluto totum revera pendet, ejuſque finis eſt ipſius imperantis utilitas, ad quam boni ordinis in ea communitate, cui herus præeſt, conſervatio ſpectat, ut initio cap. 2 diximus. Adde quod in aliis etiam imperii generibus Lex aliqua poteſt ad ſolius imperantis utilitatem ſpectare, de qua cedere pro arbitrio quiſque poteſt. Quare ſine cujuſquam injuria is, qui imperat, poteſt Leges hujuſmodi relaxare. Ponimus autem in hac reſponſione, eandem eſſe rationem relaxationis, quæ eſt lationis Legum, ut Grotius pro conceſſo ſumit. Alias enim, ut antea diximus, ſi omnis liberatio à pœna Legibus conſtituta eſt relaxatio, ut Grotium ponere eſt neceſſe, ſi ad rem loquutus eſſe cenſeri velit, ea etiam privatis competet, qui pœnæ creditores à Lege ſunt conſtituti.

Poſtremo illud reprehendit Grotius, quod Socinus dicit Partic. 23: *Præter Dei & Chriſti voluntatem non poſſe ullam legitimam cauſam reddi mortis Chriſti, niſi dicamus Chriſtum meritum fuiſſe ut moreretur.* Et ait: *Nam ineſt quidem in antecedente cauſa meritum, ſed imperſonaliter. Merebantur enim peccata noſtra, ut pœna exigeretur. Quod vero pœna in Chriſtum collata fuerit, hoc ita ad Dei & Chriſti voluntatem referimus, ut ea quoque voluntas, cauſas ſuas habeat, non in merito Chriſti (qui peccatum dum*

* Lib. 3. cap. 1.

non noſſet, à Deo peccatum factus eſt) ſed in ſumma Chriſti aptitudine ad ſtatuendum inſigne exemplum: quæ tum in maxima ipſius nobiſcum conjunctione, tum in incomparabili perſonæ dignitate conſiſtit.

Sed hæc reſponſio Socini dictum non evertit. Is enim loquitur de cauſa mortis Chriſti definite, eaque legitima, h. e. tali, ob quam Chriſtus mori jure teneretur, ut cap. 1 explicuimus Partic. 16. Quod igitur in antecedente mortis Chriſti cauſa fuerit meritum, ſed imperſonaliter, id ad rem nihil: cum cauſa quæratur, ob quam hæc ipſa perſona morte affici jure potuerit, aut debuerit. Sed deinde non eſt concedendum Grotio, in peccatis noſtris, quæ præter Dei ac Chriſti voluntatem fuerunt antecedens mortis Chriſti cauſa, fuiſſe meritum imperſonaliter: h. e. ea fuiſſe commerita pœnam indefinite, cujuſcunque tandem perſonæ, non vero definite pœnam ipſorum nocentium. Id enim eſt falſiſſimum. Peccata noſtra noſtram etiam pœnam merebantur definite. Suum quemque ſcelus ad pœnam obligat. Unde vulgo dicit ſolet: noxa caput ſequitur, quemadmodum cap. ſeq. de pœnis corporalibus ait Grotius. Quare peccata noſtra non potuerunt eſſe *legitimæ* cauſæ mortis Chriſti, licet cauſæ eſſent ejuſdem impulſivæ.

Sed *collectionem Socini manifeſtis Scripturæ teſtimoniis refelli* ait Grotius. Nam *cur mortuus ſit*, inquit, *infans Davidis, cauſa antecedens aperta redditur: quia David graviſſime peccando occaſionem impiis dederat contumelioſe inſultandi divino nomini. Eſt ergo hic meritum, ſed non infantis. Et in Achabi poſteritate punienda præter meritum proprium reſpexit Deus ad merita peccatorum Achabi. Unde apparet cauſam antecedentem pœnæ eſſe quidem meritum, ſed non ſemper meritum perſonæ quæ punitur.*

Concluſio Grotii ſi de pœna quavis, ſive juſta ſive injuſta loquitur, nihil adverſus Socinum facit. Si de pœna juſta, falſa eſt, nec exemplis iſtis probatur. Nam Davidis infans punitus non fuit, ſed per ejus afflictionem ac mortem David. Achabi poſteritas punita quidem fuit, ſed ſuo merito, ut fatetur Grotius. Nec eſt quod dicat, alienum meritum nihilominus fuiſſe cauſam legitimam, ibi quidem mortis & afflictionis ſimplicis, hic vero pœnæ. Nam quatenus afflictio vel in infante vel in poſteritate illa terminabatur, eatenus *legitima* ejus cauſa non fuit meritum alienum, eo ſenſu, quo Socinus eam vocem accipit, ſed tantum cauſa impulſiva ſimpliciter. Neque enim alienum meritum jus dedit Deo ad infantem illum affligendum aut poſteritatem Achabi puniendam: ſed ibi quidem dominium abſolutum, quod in infantem habebat: hic vero meritum poſteritatis Achabi proprium. Quatenus autem ex ea afflictione damnum aliquod h. e. vel dolor vel ignominia ad Davidem aut Achabum ipſum redundabat, eatenus legitima quidem ejus cauſa fuit alienum, h. e. parentum meritum: ſed eatenus etiam non liberi, ſed parentes in liberis aut per liberos puniebantur: cui conſiderationi nihil in noſtro negotio reſpondet. Neque enim, ut alibi quoque jam monuimus, nos Chriſti morte fuimus puniti, ex qua nihil ad nos, ex Dei conſilio, redundavit mali, ſed Chriſtus tantum noſtri loco punitus creditur. Itaque ſi aliqua præter Dei & Chriſti voluntatem legitima ſeu juridica eſt ejus mortis cauſa, ea non noſtrum, ſed Chriſti ipſius meritum fuerit, cum ſumma ipſius contumelia atque injuria, conſtituenda. Pœnæ ſcilicet juſtæ cauſa legitima non eſt niſi meritum ejus ipſius, qui eam ſuſtinet.

RESPONSIO

Ad Cap. VI. quod inſcripſit Grotius:

An Deus voluerit Chriſtum punire: & oſtenditur voluiſſe: ſimulque ſatiſfactionis natura explicatur.

QUod Grotius ait Partic. 1, Socinum negare, Chriſtum à Deo punitum, recte aſſerit, ſed quod ait, id ab eo fieri lib. 3. cap. 2, non ſatis recte. Socinus enim ibi non de pœna ſimplici loquitur, ſed de vera ſatisfactione. At non omnis pœna Socino vera ſatiſfactio eſt, ſed ea demum, quæ peccatorum meritis prorſus ſit æqualis, ut jam non ſemel monuimus. Itaque hæc duo ex mente Socini ſimul poſſent conſiſtere, Chriſtum eſſe à Deo punitum, & eundem Deo vere non ſatiſfeciſſe pro peccatis noſtris.

Loca, ex quibus evincere conatur Grotius Partic. 2, Chriſtum à Deo punitum, cap. 1 excuſſimus, quo lectorem remittimus.

Ad ea, quæ Socinus objicit, accedit Grotius Partic. 3, & primum quidem ad exempla & promiſſiones remiſſionis peccatorum ante Chriſtum, *An exempla*, inquit, *indulgentiæ quod attinet (præterquam quod ex iis nihil univerſale recte concluditur) notandum eſt ea aut pertinere ad pœnas temporarias, aut ad æternas. Si ad temporarias tantum, ut in Achabo, manifeſtum eſt diſcrimen. Nam, ut vulgo dici ſolet, quod differtur non aufertur. Adde jam quod in ipſo Achabi facto, ut & in facto Davidis, contrarium ejus apparet quod inferre vult Socinus illa ipſa pro ſe allegans. Pœna enim temporaria ita ablata eſt à Davide & Achabo, ut in alios ſit tranſlata. Et in ipſa Lege non remittuntur peccata, niſi fuſo victimarum ſanguine. Si vero de pœnæ æternæ remiſſione agitur, nullo argumento probat Socinus, eam eſſe factam cuiquam citra reſpectum Dei ad Chriſtum.*

At cum Deus jam ab orbe condito, iis, qui, ut plurimum ſibi parerent, aut reſipiſcerent, ſemper peccata remiſerit, nulla vera ſatiſfactione pro ipſis accepta, ut ex iis, quæ ad hoc probandum adduxit Socinus, perſpici poteſt, nec ullum diſſimile exemplum à Grotio, ut videbimus, proferri potuerit: an non recte concluditur, in univerſum ita ſeſe rem habere? &, utut aliquando aliter egiſſet Deus, tamen ex eo, quod utplurimum feciſſet ante Chriſtum, recte colligeretur, cum ſub Novo Fœdere, ſub quo ſecundum divitias gratiæ ſuæ, perque viſcera miſericordiæ, peccata nobis condonavit Eph. 1. 7, reſipiſcentibus Luc. 1. 77, 78, nulla vera ſatiſfactione accepta peccata remittere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tere voluiſſe, id quod Socino propoſitum fuit oſtendere. Inter remiſſionem pœnarum temporariarum & æternarum manifeſtum eſſe diſcrimen haud negamus, ſed tale, quod ad rem noſtram nihil facit. Nam quod Deus à quibuſdam temporarias pœnas abſtulit, à quibus æternas auferre non decrevit, cauſa non eſt, quod pro pœnis temporariis vel nullam Deus exigat ſatiſfactionem, pro æternis autem exigat, vel pro iſtis ſatiſfactio vera præſtita fuerit, pro his non item: ſed, quod reſipiſcentia eorum, quibus temporarias pœnas condonavit, non fuerit plena, h. e. ejuſmodi, ut inpoſterum omnes peccatorum habitus exuerent, & pietatis ſtudio totos ſe conſecrarent. Adde quod, ſi Grotium ſequamur, longe promptius futurum ſit Deo, ſine ſatiſfactione reſipiſcentibus condonare pœnas æternas quam temporarias. Vult enim Grotius, ut ſupra vidimus cap. 2, pœnam omnem ad commune bonum ſeu ordinis conſervationem, & rationem expetibilis non habere niſi ab hoc fine. At pœnæ æternæ ab ipſis etiam reſipiſcentibus exactio ad eum finem nihil feciſſet, imo eum etiam ſuſtuliſſet. Quandoquidem ea univerſo generi humano extremam ſempiternamque allatura fuiſſet infelicitatem. Qua de cauſa contendit Grotius, niſi eam pœnam reſipiſcentibus condonare voluiſſet Deus, felicitatis deſperatione funditus perituram fuiſſe religionem, in qua vel ſolum vel ſaltem potiſſimum ordo ille communis continetur, quem Deus in humano genere quærit: cum contra remiſſio illius pœnæ, ſempiternam hominibus felicitatem afferens, religionem maxime animis noſtris inſerat, noſque ad amorem ac pietatem in Deum vehementiſſime ſtimulet. Quare nulla erat eam pœnam, ſi Grotii ſententiam ſequamur, exigendi cauſa, remittendi vel omittendi potius maxima. At temporariæ pœnæ bonum humani generis non prorſus evertunt, præſertim ſempiternum, nec religionem, ut æternæ, protinus extinguunt, & quia oculis noſtris ſunt ſubjectæ, à peccando pleroſque magis abſterrent, quam æternæ, quæ ſenſibus non ſunt obviæ. Itaque ut Deus temporarias exigat, magna eſt cauſa; ac proinde ad earum remiſſionem compenſationem ſeu ſatiſfactionem intervenire oportere veriſimilius foret, ſi id remiſſionis natura ferret, quam ad æternarum condonationem, quæ nonniſi vere reſipiſcentibus contingit, & perfecte quidem tum demum, cum eos Chriſtus è mortuis excitabit. Cur enim illius rei remiſſio, vel potius omiſſio compenſetur, cujus exactio nullam fuiſſet habitura utilitatem, ſed damnum potius maximum, omiſſio utilitatem inſignem?

Quod autem Grotius ait, de temporariis pœnis loquens, quod differtur non aufertur; id non recte ab eo dictum eſt: ſiquidem de illarum remiſſione, de qua Socinus una cum Sacris Literis agit, loquitur, quemadmodum ſane loqui debet. Nam ſi differt Deus tantum pœnas, & non vere etiam aufert, vere etiam eás non remittit, niſi forte eatenus, quatenus ipſa dilatione mitigat, qua ratione aliquam illarum partem aufert tamen: ſi vere remittit, non differt ſed aufert. Is enim remittit pœnam, qui jure, quod ad pœnam repetendum habebat, cedit. Qui autem jure illo cedit, non differt pœnam, ſed aufert. Achabi quidem pœna, quatenus ad familiam ejus ſpectabat, dilata potius fuit, quam ablata, adeoque mitigata tantum aliquantum, non remiſſa ſimpliciter. Quatenus de gravitate illius ipſa dilatione aliquid deceſſit, eatenus pars aliqua illius fuit remiſſa. Sed aliter contingit ibi, ubi temporaria pœna ſimpliciter remittitur. Itaque hoc exemplum nihil adverſus Socinum facit. Nam quatenus & ipſe cruenta morte fuit ſublatus, & familia internecione deleta, eatenus nulla fuit remiſſio: quatenus autem remiſſum aliquid fuit de rigore pœnæ, eatenus nulla interceſſit ſatiſfactio, ſed tantum pœnitentia ſeu dolor quidam Achabi, & coram Deo demiſſio, quæ ad veram reſipiſcentiam non fuit progreſſa, tantum abeſt ut vera fuerit ſatiſfactio, quam Socinus intelligit. Quod ad Davidis exemplum attinet, ne ibi quidem vera intervenit ſatiſfactio. Nam mors infantis illius non compenſatio fuit pœnæ remiſſæ, ſed quædam pœnæ particula, quæ, maxima ſupplicii parte ſublata, relicta fuit, ne prorſus impune tam grave peccatum ferret David. Itaque Davidi non tota pœna fuit remiſſa, ſed tanta; qua diſtinctione paulo poſt utitur Grotius. Comminatus enim ei fuerat Deus 2 Sam. 12. 10, ab ipſius domo non receſſurum gladium in ſeculum; quam pœnam ita removit Deus, ut unius infantis afflictione ac morte hac in parte contentus eſſet. Itaque non fuit pœna à Davide, ut Grotius vult, in infantem tranſlata, & ſic Davidi per compenſationem remiſſa: ſed reliqua ſupplicii, quod David ipſe luere in familia ſua debebat, parte, abſque ulla compenſatione, remiſſa, hæc relicta fuit, quemadmodum & illa, qua per filium debuit affici partim in ſeipſo, partim per uxorum ignominiam in ipſum redundantem ibid. verſ. 11. & cap. 16. 21, 22.

Quod vero ſub Lege non remitterentur peccata, niſi fuſo victimarum ſanguine, id non ideo factum, quod in eo vera eſſet pro peccatis ſatiſfactio, quemadmodum ex parte docuimus cap. 1, plenius autem, Deo volente, explicabimus cap. 10. Sed quod oblatio victimarum eſſet obedientia quædam, quamvis exigua, ex voluntate divina pendens (continetur enim numero δογμάτων Epheſ. 2. 15. Coloſſ. 2. 14, ſeu placitorum, quæ ipſa rei natura vere non nituntur, ſed arbitrio conſtituentis, licet cauſam aliquam habeant, cur conſtituantur, qualis eſt v. g. rei futuræ adumbratio) qua interveniente levium delictorum venia concedebatur à Deo, cum in gravioribus victimæ nullam vim haberent, ſed ut David docet, Pſalm. 51. 18, 19, ſpiritus contritus, cor contritum & confractum, præſertim ſi factorum etiam ſequeretur mutatio in melius. At obedientiam iſtam à vera ſatiſfactione aperte diſtinguit Socinus, idque rectiſſime, cum veram ac plenam ex ipſa rei natura pro peccatis compenſationem ſatiſfactionis nomine intelligat, qualis obedientia noſtra eſſe nequit.

Cum denique ait, remiſſionem pœnæ æternæ non eſſe factam citra reſpectum Dei ad Chriſtum, ambigue loquitur, poſſuntque verba hæc in eum ſenſum accipi, quem Socinus quidem admittat, ſed qui Grotium nihil juvet; nempe, Deum non niſi per Chriſtum pœnam mortis æternæ reipſa tollere decreviſſe ab iis, quibus ante ipſum peccata remiſiſſe dici-

dicitur. Neqúe enim illa remiſſio jam olim perfecta fuit, nec ante perficietur, quam illi à morte liberati ad immortalitem transferentur, quod per Chriſtum Deus eſt facturus. Verum id proculdubio ſibi voluit Grotius, Deum etiam ante Chriſtum, ad pœnas æternas hominibus condonandas, ſatiſfactione, quam is præſtiturus eſſet, motum fuiſſe. Sed id alto Scripturarum ea de re ſilentio refellitur. Percurrat quis omnia illa loca, in quibus iis, qui ſub Veteri Fœdere vixerunt, peccata remiſſa, aut remiſſio peccatorum promiſſa ſcribitur, ejus rei cauſas, primam quidem & potiſſimam Dei clementiam, mediam vero hominum fidem aut reſipiſcentiam, crebro commemorari deprehendet, Chriſti ſatiſfactionem, quæ tamen prior ac potior quam hominum fides ac reſipiſcentia foret cauſa, nuſpiam. Atqui opertebat ſaltem alicubi rei ad remiſſionem peccatorum tantopere pertinentis mentionem fieri. Quin etiam, ſi Theologis ſatiſfactionem Chriſti urgentibus credimus, non poterant hominibus peccata remitti, ita volente Deo, niſi ſibi applicuiſſent ſatiſfactionem Chriſti, & eam pro ſe præſtandam agnoviſſent, quod nuſpiam fuiſſe comemoratum, ſi ita ſe res haberet, mirum ſane foret. Idem Grotio ſtatuendum eſt, ſi modo credit, Deum ante Chriſtum hominibus conſtare voluiſſe, ſe æternas ab illis pœnas ablaturum, ubi reſipuerint. Inculcanda enim illis fuerat Chriſti ſatiſfactio, ne ex impunitate illa peccata minoris æſtimarentur; quod ne fieret, à Chriſto ſatiſfactionem exactam fuiſſe credit Grotius. Non poterat autem ſatiſfactio Chriſti id præſtare, niſi de ea hominibus aperte conſtaret. Quod ſi dicat Grotius, ſatis conſtare, ſatiſfactionem Chriſti fuiſſe inculcatam, aut ab iis agnitam, quibus olim peccata fuerunt remiſſa, quia non niſi per fidem remiſſionem peccatorum fuerint adepti, fides autem ſatiſfactionem Chriſti apprehendat; ad id cap. 1 reſponſum * eſt, quo lectorem remittimus.

De promiſſionibus idem quod de exemplis ſtatui vult Grotius Partic. 4; nos idem reſponſum volumus, præſertim quia Socinus iſta non diſjunxit. De diſcrimine, inter remiſſionem pœnæ *totius* & *tantæ*, ei aſſentimur.

Sed probat Partic. 5: *nullam eſſe promiſſionem remiſſionis, quæ Chriſti reſpectum excludat. Huc pertinent*, inquit, *illa Sacræ Scripturæ effata, quæ ſine ullo temporis diſcrimine Chriſtum oſtendunt, pro omnibus guſtaſſe mortem, dediſſe ſe λύτρον pro omnibus* Hebr. 2. 9. 1 Tim. 2. 6, *multoque magis illa, quæ per comparationem additam omnem temporis reſtrictionem repudiant, ut cum omnes dicuntur peccaſſe, & juſtificari per redemtionem in Chriſto* Rom. 3. 23, *& cum per unum Chriſtum ita dicitur in omnes (quotquot ſcil. juſtificantur) veniſſe juſtitia, quemadmodum per unum Adamum in omnes venit condemnatio* Rom. 3. 12. v. 15, 17, 18. 1 Cor. 15. 22.

Verba illa Grotii, promiſſiones remiſſionis quoad pœnas æternas *non excludere reſpectum Chriſti*, ſi ad rem pertinere debeant, ita accipienda eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, Deum in promiſſionibus illis vel faciendis vel exſequendis ſatiſfactione Chriſti futura motum fuiſſe, jam antea monuimus. An id loca à Grotio adducta demonſtrent, videamus. Primum nulla in his locis ſatiſfactionis pro peccatis noſtris præſtitæ fit mentio, nedum ut ea Deus jam olim ante Chriſtum ad remittendas æternas pœnas motus dicatur. De prioribus tribus locis agetur c. 8 & 9. In ultimis duobus nihil dicitur aliud, quam Chriſtum juſtitiæ & vitæ eſſe cauſam & authorem in nobis, quemadmodum Adamus fuit condemnationis & mortis. Locus Rom. 3. 12 hic non recte eſt poſitus.

Deinde quomodo probat Grotius, loca iſta ad ea etiam tempora reſpicere, quæ Chriſtum anteceſſerunt? An quia temporis diſcrimen non additur? eſto. An non res ipſa monere poterat unumquemque, vocem *omnium* in iſtis locis poſitam denotare homines iſtius ſeculi, quo Chriſtus exiſtere, & gratiam Dei ſalutarem omnibus hominibus revelare cœpit, ac temporum ſequentium, ad quæ ſalutaris illius gratiæ revelatio porrigitur? An forte inuſitata eſt hujuſmodi vocis univerſalis reſtrictio? haudquaquam. Nam ut alia præteream, in loco ſecundo à Grotio citato dicitur, non expreſſo temporis diſcrimine, ut oremus *pro omnibus hominibus*. Quis vero hic intellexerit omnes homines, qui ab initio mundi uſque ad illud tempus, quo oratur, vixerunt? an non per ſe manifeſtum eſt, id intelligendum eſſe de omnibus hominibus ejus ſeculi, quo quis orat, non antecedentium? idem alibi ſæpiſſime contingit, nec quiſquam eſt, qui ea de re dubitet. Sed præterea an non ipſa loca ſatis indicant, ad quæ tempora ſint referenda? Legantur ea quæ ſcripta ſunt Hebr. 2, initio facto à ℣ſ. 10, ubi uſque ad finem capitis rationes redduntur, ob quas Chriſtus pro omnibus guſtare debuerit mortem, & apparebit, omnes ſpectare ad ea tempora, quæ Chriſtum ſunt conſecuta, atque ad eos, qui ejus tanquam ducis exemplum imitari, qui ex reſurrectione ac imperio divino, quod per mortem adeptus eſt, conſolationem capere, & mortis metu, cui antea fuerant obnoxii, liberari, qui à Chriſto, Pontifice fideli ac miſericordi effecto, auxilium in tentationibus petere & ſperare poſſunt.

In loco vero 1 Tim. 2. 6, poſtquam dixiſſet Apoſtolus, *qui dedit ſeipſum redemtionis pretium pro omnibus*, ſtatim addit, *teſtimonium temporibus propriis*, hoc eſt, ut id cederet in teſtimonium divinæ erga omnes homines benevolentiæ, temporibus propriis. An vero hæc *tempora propria* ſunt omnia tempora, etiam ea, quæ Chriſtum anteceſſerunt? imo vero an non illis opponuntur? Significatur enim his verbis tempus certum, rei, de qua agitur, deſtinatum, & inprimis præcedentibus temporibus opponitur. Vide in hac Epiſt. cap. 6. 15. Gal. 6. 9. Tit. 1. 2, 3. Præterea verba illa: Jeſus Chriſtus *dedit ſe ἀντίλυτρον pro omnibus*, afferuntur ad probandum, *Deum omnes homines velle ſervari & ad cognitionem veritatis pervenire*, ubi intelliguntur omnes in univerſum homines, tam Judæi quam gentes. Quando vero id, quod hoc loco dicitur, factum eſt? certe non ante quam ſub N. Fœd. Actor. 11. 18, ubi etiam gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam, & eas cohæredes ac participes promiſſionis ſuæ in Chriſto Jeſu fecit Eph. 3. 6. Licet enim Deus nunquam quenquam à pœnitentia prorſus excluſerit: tamen, ut Paulus ait Actor. 14. 16, in præcedentibus generationibus permiſit

* Partic. 80.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

miſit omnes gentes ambulare viis ſuis, & temporibus ignorantiæ diſſimulatis, nunc, hoc eſt, ſub Euangelio, denunciat hominibus omnibus ubique ut pœnitentiam agant Actor. 17. 30. At vero ſi verba illa: *dedit ſe pretium redemtionis pro omnibus*, ad omnia præcedentia ſecula extenderentur, ſequeretur, omnibus ſeculis tantam Dei gratiam, quanta in verbis præcedentibus exprimitur, contigiſſe, & Deum tum etiam cupiiſſe ac curaſſe, ut omnes homines, etiam Ethnici, ad cognitionem veritatis pervenirent.

Eadem ratio oſtendit, tertium locum, in quo Grotius ait comparationem additam omnem temporis reſtrictionem repudiare, ad Novi Fœderis tempora pertinere. Nam cum Paulus in verbis illis Rom. 3. 23 loquatur de Judæis & gentibus, ut præcedentia manifeſte docent, qui non ex Lege, ſed ex fide Jeſu Chriſti juſtificentur, & inter quos jam nullum ſit hac in re diſcrimen; ſatis patet, ad N. Fœderis tempora hæc eſſe referenda. Quando enim juſtificatio gentibus eſt oblata? quando fides Jeſu Chriſti eis eſt patefacta? imo quando Judæis? quando diſcrimen inter Judæos & gentes ſublatum? nonne cum utriſque Euangelium eſt annunciatum? Quid? quod ſuperiora verba, ex quibus hæc pendent, manifeſte temporis diſcrimen exprimunt. Præceſſerat enim apud Apoſtolum: *Nunc autem ſine Lege juſtitia Dei revelata eſt, teſtificata à Lege & Prophetis; juſtitia vero illa Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt. Non eſt enim diſcrimen, Omnes enim peccaverunt*, & quæ ſequuntur. Indicant idem verba Apoſtoli ſequentia: *ad declarandam juſtitiam ſuam in præſenti tempore* ℣ſ. 26.

Quod ad locum Rom. 5. 17, 18 attinet, (nam verba cap. 3. 12 cum loco priori ſunt jungenda) cui etiam plurimum tribuit Grotius, nonne ℣ſ. 17, quem ipſe annotavit, expreſſe dicitur: multo magis *ii, qui abundantiam gratiæ & doni juſtitiæ accipiunt*, regnabunt per unum Jeſum Chriſtum? quæ verba ad eos omnes, qui ab initio mundi ad Chriſti uſque tempora vixerunt, pertinere, quomodo probabit Grotius? Abundantia gratiæ, de qua loquitur Apoſtolus, ſub Novo demum Fœdere hominibus oblata, & ab iis, qui in Chriſtum crediderunt, accepta eſt, ut tum ex aliis apparet, tum ex eo, quod infra ad finem capitis docet Paulus, qua ratione Deus effecerit, ut gratia ipſius abundaret, nempe quod Legem voluerit ſubintroire, ut abundaret delictum, ſed ſuperabundaret gratia. Abundantia ergo illa gratiæ poſt Legem demum extitit, adeoque non ab initio mundi, ſed poſt Legem demum, tempore gratiæ, ab hominibus eſt accepta. Quare cum verba ſequentia, *Itaque ut unius delictum* &c. quæ Grotius fortaſſe potiſſimum ſibi favere arbitratus eſt, ex iis, quæ modo explicuimus, deducantur, ſiquidem de eventu ipſo ſunt intelligenda, ut Grotius ſentire videtur, ad eoſdem homines, qui abundantiam illam gratiæ acceperunt, adeoque ſub Novo Fœdere vixerunt, ſunt reſtringenda: ſi vero, ut nos arbitramur, de conſilio divino, non de eventu ipſo ſunt accipienda, intelligendum eſt, ea ad illos omnes pertinere, qui ab eo tempore vixerunt, quo hæc abundantia gratiæ hominibus eſt oblata, ſeu ad eos, qui ex Chriſto ſpirituali ratione naſci potuerunt. Naſcimur autem ex Chriſto ſpiritualiter, dum ejus verbis ac promiſſis fidem habentes, obedientiam etiam ejus imitamur. Nam quemadmodum in omnem Adami progeniem damnatio, ita in omnem Chriſti progeniem juſtitia & vita pervadit. Neque vero comparatio, quam Grotius urget, non eſt recte inſtituta. Ad eam enim ſatis eſt, ut, ſicut ex Adamo in omnes condemnatio tranſiit, qui poſt ipſum fuere: ita per Chriſtum in omnes, qui poſt ipſum fuere, juſtitiam tranſire velit Deus. Quod autem Adamus, ita rei natura ferente, ante omnes in univerſum homines, Chriſtus vero non ante omnes prorſus, ſed ante omnes homines certorum temporum extiterit, id, quod ad comparationem ipſam attinet, per accidens eſt. Adde, quod ab eo tempore, ex quo juſtitia mundo per Chriſtum eſt oblata, conſilium Dei fuit, ut in nobis prorſus ceſſaret effectus ille noxæ Adami, ſeu damnatio, niſi nos ipſi culpa noſtra eum in nobis foveremus, oblatam gratiam aſpernantes: qua de cauſa Paulus in tota hac collatione de damno nobis per Adamum illato tanquam de re præterita, & quæ amplius non ſit, loquitur; adeo ut utrique, Adamo ſcilicet & Chriſto, ſuum tempus in collocatione aſſignetur, illi quidem tempus quod Chriſtum anteceſſit, huic omne id quod ſequutum eſt. Quare ut collatio ſit perfecta, tantum abeſt ut neceſſe ſit, juſtitiam per Chriſtum in omnes homines, qui ab initio mundi uſque ad Novi Fœderis tempora vixerunt, tranſiiſſe, ut potius ſtatuendum ſit, per eos omnes, in quos condemnatio ex Adami delicto manavit, eos intelligi, qui Chriſtum anteceſſerunt: per eos autem, in quos juſtitia ex obedientia Chriſti propagata eſt, vel propagari ex Dei conſilio debet, iſtos intelligi, qui Chriſtum ſunt ſequuti. Hac enim ratione plena futura eſt comparatio.

Ex his patet etiam aliqua ratione reſponſio ad locum 1 Cor. 15. 22, præſertim ſi cum Grotio ſtatuas, eundem eſſe hujus & prioris loci ſenſum, eandemque comparationem. Patet autem ex verſiculo ſequenti, qui præcedentem illuſtrat, per *omnes*, quorum fecerat mentionem, intelligere Paulum eos omnes, *qui Chriſti ſunt*, hi vero ſunt, in quibus Chriſti ſpiritus, atque adeo Chriſtus ipſe habitat Rom. 8. 10. Ex horum autem numero eos fuiſſe, quos Deus ab initio mundi juſtificavit, quid eſt, quod planum nobis faciat? Et licet ii quoque per Chriſtum ſint vivificandi, id tamen in comparationem Apoſtoli non venit. Chriſtus enim ſui corporis ſervator eſt Epheſ. 5. 23, & ſuis membris vivificandis proprie deſtinatus: cæteris extraordinarie idem beneficium per Chriſtum contingit. Verum quid hic locus ad propoſitum Grotii facit, cum ne ſpecies quidem hic ſit aliqua ſatiſfactionis Chriſti, ad quem Deus ab initio mundi in hominibus juſtificandis reſpexerit? Neque enim hic Paulus ad mortem Chriſti, quam ſatiſfactionem illam eſſe falſo credit Grotius, ſed ad reſurrectionem ejus reſpicit. Quemadmodum enim omnes homines, qui ab Adamo mortali propagati ſunt, mortales ſunt & ipſi, adeoque vi naturæ moriuntur: ita etiam omnes, qui naſcuntur ex Chriſto, qui primus per reſurrectionem immortalis eſt effectus, ipſi quoque vivificantur, ſeu

immorta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

immortales evadunt. Si cui placet, plura poterit hac de re legere in Diſputat: Socini cum Franciſco Puccio cap. 10. pag. 304 & ſeqq. & utriuſque comparationis Rom. 5 & 1 Cor. 15, hunc eſſe ſenſum facile deprehendet.

Subjicit Grotius Partic. 6 ad eandem ſententiam probandam: *Hinc eſt quod Chriſtus dicitur agnus mactatus à jacto mundi fundamento* Apoc. 13. 8, *quem locum a Socini interpretatione ſatis vindicant tum ipſa verborum ſeries, tum ſimilis Petri locus, ubi redemtio dicitur facta per ſanguinem Chriſti agni inculpati & immaculati, præcogniti ante jact a mundi fundamenta, manifeſti autem facti ultimis temporibus* 1 Petr. 1. 19. 20.

At verba *a mundi fundatione* ad *ſcriptionem in libro vitæ agni* referri poſſe, ita ut ſenſus ſit, eos adoraſſe beſtiam, quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine mundi in libro agni, qui mactatus eſt; locus ſimilis cap. 17. 8, indicio eſt: *& mirabantur inhabitantes terram, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ a fundatione mundi.* Agnoverunt id ex veteribus interpretibus ſeu Patribus, quos vocant, non pauci, ut videre eſt apud Fr. Riberam, qui hanc interpretationem pluribus probat, & ab iis, qui aliter faciunt, ſenſum loci perverti arbitratur. Agnovit idem Piſcator, qui Fr. Junium id obſervaſſe ſcribit, & eodem modo, quo Socinus, probat. Exempla ſimilis tranſpoſitionis verborum, quæ in loco à Grotio producto apparet, non deeſſe in Sacris Literis, non modo dicti autores, ſed & Socinus demonſtravit, ad quæ mirum eſt Grotium non reſpondiſſe, ſed ſatis habuiſſe, verborum ſeriem objeciſſe, quaſi ad hoc argumentum refellendum nihil attuliſſet Socinus. Mirum etiam eſt, eum nihil reſpondiſſe ad cætera, ubi Socinus docuit, etiamſi concedatur, verba illa *à conſtitutione mundi* jungi debere cum verbo *mactati*, non protinus tamen conſequi, Deum ab ipſo mundi initio ad homines juſtificandos fuiſſe motum ſatiſfactione aliqua, quam Chriſtus eſſet præſtiturus. Potuit enim idcirco dici, Chriſtum occiſum fuiſſe ab ipſis mundi primordiis, quia Deus jam tum, ut is mactaretur, decreviſſet: quo pacto Paulus dicit, datam nobis fuiſſe gratiam per Chriſtum Jeſum ante tempora æterna 2 Tim. 1. 9, quia eam Deus jam tum nobis dare decreviſſet. Qui loquendi modus in aliis compluribus Sacrarum Literarum locis reperitur. Quod enim Deus facere decrevit, id pro jam facto habetur, ut infra Grotius docebit, & ex Prophetarum vaticinationibus manifeſtum eſt. Locus Petri non oſtendit, verba illa *à conſtitutione mundi* ad mactationem Agni in Apocalypſeos loco referri debere, multo minus, in eo dici, mactatione Chriſti ſatiſfactum Deo pro peccatis omnium, qui ab initio mundi vixerunt, hominum, & Deum ad eos juſtificandos illa fuiſſe motum. Nam nec quicquam tale in Petri loco dicitur, nec quicquam eſt quod ſuadeat, utriuſque loci eundem eſſe ſenſum, in ea præſertim re, de qua inter nos eſt controverſia. Petrus ait, eos, ad quos ſcribit, redemtos à vana converſatione, h. e. ab impia vita revocatos, ſanguine agni, ante jacta mundi fundamenta præcogniti, h. e. à Deo antea approbati. & ad rem hanc, de qua agitur, electi ac deſtinati. Quemadmodum enim ſimplex vox *cognoſcendi* approbandi, eligendi, decernendi ac conſtituendi ſignificationem habet, ut ex Sacris Literis eſt notiſſimum; ita & vox *præcognoſcendi* vim habet ante approbandi & eligendi ſeu præordinandi. Vide Actor. 2. 23 Rom. 11. 2, & ibidem Bezam, & cap. 8. 29, & hoc ipſo capite apud Petrum ✠ſ. 2. Inſpiciantur etiam ea, quæ Piſcator tum in hunc ipſum, de quo agimus, locum, tum in cæteros ſcribit. Quare ſi locus hic cum Apocalypſeos verbis eſt conferendus, & verborum tranſpoſitio repudianda, confirmabitur poſterior, quam ex Socino produximus, eorum verborum explicatio. Quod ſi quis vocem *præcognoſcendi* prorſus proprie accipere velit, ita ut ſenſus ſit, Deum ante jacta mundi fundamenta noviſſe Agnum illum immaculatum ſanguinem fuſurum, ut nos à vana converſatione redimeret; quid hoc juvabit Grotium? Sed verba ſequentia, quæ integra debuiſſet adducere Grotius, ejus ſententiam ſatis aperte refellunt. Addit enim Petrus poſt verba illa, quæ Grotius adduxit: manifeſti autem facti ultimis temporibus *propter vos, qui creditis per eum in Deum, qui reſuſcitavit illum a mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deum.* Ex quibus apparet, Agnum illum ante mundum conditum à Deo deſtinatum, ultimis temporibus reipſa exhibitum, adeoque mactatum eorum cauſa fuiſſe, qui per Chriſtum in Deum credunt, & hanc fidem ex reſuſcitatione & gloria, qua ipſum Deus coronavit, concipiunt. Eos vero, qui ab initio mundi fuerunt juſtificati uſque ad Chriſti tempora, per ipſum in Deum crediſiſſe, & ex reſuſcitatione & exaltatione ipſius fidem in Deum concepiſſe, quod in Sacris Literis indicium?

Pergit Grotius Partic. 7: *Quare alibi Chriſti mors dicitur interceſſiſſe ad redemtionem etiam earum tranſgreſſionem, quæ ſub priore pacto fuerant* Hebr. 9. 15.

At neque hic ulla eſt veræ ſatiſfactionis mentio, ut cap. 8 planum fiet; tantum abeſt, ut ea Deus ſub Vet. Fœdere motus dicatur ad æternas pœnas hominibus remittendas. Deinde ſi, ut cum Luthero Piſcator in Germanica ejus loci tranſlatione fecit, ita ea verba accipias, ac ſi dictum eſſet, Chriſtum mortuum eſſe ad *redemtionem à tranſgreſſionibus*, quæ ſub priori Fœdere fuerant, de qua interpretatione agetur itidem cap. 8, quid roboris habebunt ad probandum, Deum ſub Vet. Fœdere, non dicam ſatiſfactione, ſed morte Chriſti fuiſſe motum ad pœnas æternas hominibus condonandas? Neque enim ex hujuſmodi interpretatione conſequitur, redemtionem hanc contigiſſe iis, qui ſub Vet. Fœdere vixerunt: ſed potius ſignificatur, ab iis tranſgreſſionibus, quæ in hominibus ſub Vet. Fœdere viventibus vim ſuam habuerunt, eos, qui ſub Novo vivunt, cujus cauſa Chriſtus, tanquam ejus mediator, mortem hic adiiſſe dicitur, morte hac interveniente eſſe redemtos ac liberatos. An vero in horum cenſu ii quoque fuerunt, qui vixerunt ſub V. Fœd. antequam id abrogaretur, & Novum conſtitueretur? Præterea quocunque modo Redemtionem accipias, & cum voce Tranſgreſſionum conjungas, ex hoc tamen loco nequaquam probatur, mortis Chriſti vi fuiſſe expiata peccata ſub Lege admiſſa & remiſſa. Neque enim D. Auctor per Tranſgreſſiones quæ ſub priori Teſtamento

ſtamento ſeu Fœdere, intelligit facta ipſa ſingularia, ſub Vet. Fœdere perpetrata condonataque, ſed genus tranſgreſſionum iſtarum, quæ ſub eo Fœdere viguerunt, & ejus vi tolli atque expiari non potuerunt; qualia erant peccata, quibus mortis pœna in lege fuerat conſtituta, quæ D. Auctor 5 præc. 14, *mortua* ſeu mortifera appellat, de quibus loquitur Paulus Actor. 13. 18, cum ait, per Chriſtum annunciari Judæis remiſſionem peccatorum, *& ab omnibus, a quibus non potuerint in Lege Moſis juſtificari, in hoc omnem credentem juſtificari.* Harum ergo redemtionem, h. e. expiationem & ab iis liberationem morte Chriſti, ad confirmationem N. Fœderis, in quo ea promittitur, & per quod aliquo modo perficitur, interveniente, nobis contigiſſe D. Auctor aſſerit, unde fiat, ut jam nihil nobis obſtet, quominus nos, qui ad vitam æternam vocati ſumus, eam reipſa adipiſcamur. Nihil enim magis æternæ noſtræ felicitati obſtabat, quam tranſgreſſiones iſtæ, quæ vi Vet. Fœderis expiari non poterant. Non eſt autem prætereundum, quod Grotius, ut cauſæ ſuæ aliqua ratione ſerviret, verbis Auctoris interſeruerit particulam *etiam*, hoc modo: ad redemtionem *etiam* earum tranſgreſſionum, quæ ſub priore pacto fuerant. Licet enim addita Grotii de hoc loco ſententiam non ſtabiliat, detracta tamen labefactat. Mirum enim eſſet, Auctorem, cum, ut totus locus indicat, de vi mortis Chriſti loquatur, quam ſub ipſo N. Fœdere habeat, finem ejus propinquiorem hunc ſimpliciter conſtituere, ut Deo, quemadmodum vult Grotius, ſatiſfieret pro peccatis ſub Vet. Fœd. commiſſis ac remiſſis, & poſtmodum addere, *ut vocati promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis*, qui finis ſit mortis Chriſti ulterior, ad quem prior ille referatur: cum *vocatorum* nomine ii revera intelligantur, qui per Euangelium ſunt ad æternam felicitatem vocati, quibus iſtorum peccatorum, quæ ſub ipſa Lege fuerunt commiſſa remiſſaque expiatio nil prodeſt. Etiamſi ergo tandem iſte fuiſſet mortis Chriſti finis, quem Grotius intelligit, non tamen ita, ut fecit Auctor, erat commemorandus, ſed eo modo, quo fecit Grotius. Sed ſi noſtra horum verborum explicatio retineatur, optime omnia quadrant. Finis enim proprius mortis Chriſti non is fuit, ut expiarentur ignorantiæ & fragilitates, quæ etiam ſacrificiis legalibus expiari poterant, ſed, ut expiarentur illæ tranſgreſſiones, quæ vi prioris Fœderis & ſacrificiorum in illo conſtitutorum expurgari non poterant. Quare ſimpliciter poterat dicere Divinus auctor, Chriſti mediatoris N. Fœderis mortem ad expiationem harum tranſgreſſionum interveniſſe. Deinde hic finis in futurum ſpectat, & maxime facit ad eum, qui ſubjungitur, nempe ut nos, qui ad æternam hæreditatem vocati ſumus, hoc ipſum promiſſum, hic quidem ſpe firma, olim vero reipſa accipiamus, ſublatis peccatis eam rem impedientibus.

De loco Rom. 3. 25, quem ſubjicit Grotius Partic. 8 ad idem demonſtrandum, ſatis dictum eſt cap. 1, particula 74 & ſeqq.

Partic. 9. Subjicit: *Accedit illuſtris ille ad Hebræos locus cap. 9. 25 & ſeqq. Non ut ſæpius offerat ſeipſum ſicut princeps Sacerdos in ſacrarium intrat quotannis cum alieno ſanguine (alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à jacto mundi fundamento) ſed nunc ſemel in conſummatione ſæculorum ad peccatum per immolationem ſui ipſius è medio tollendum factus eſt manifeſtus. Et ſicut ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, deinde judicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus, ut ſurſum ferret multorum peccata, &c. Cujus loci tota ſeries ſi recte attendatur, & præſertim conferatur Petri ille locus* 1 Petr. 1. 19, *ubi de re eadem iiſdem prope vocibus agitur, apparebit hoc differre ſacrificium Chriſti à Levitico, quod hujus vis eſſet limitata annuo tempore, illius vero vis ſe per omnia ſecula extendat: quippe cujus paſſio apud Deum ante omne ævum pro peracta ſit habita; etſi reipſa certo tempore peracta, & ſic decretum Dei nobis apertiſſime ſit revelatum. Ni vero ita eſſet, oportuiſſet Chriſtum ſæpius ſubire paſſiones, non poſtquam cœpit prædicare, ſed ab ipſa mundi origine. Quæ voces nullam plane habent ſignificationem, niſi vis mortis Chriſti ad omnis peccata ſe extendat, quæ ab ipſa mundi origine hominibus unquam remiſſa fuerunt: plane ſicut judicium poſt mortem ad omnia ea peccata ſe extendit, quæ vita durante homo commiſit.*

Si eadem de re hic agit D. Auctor, de qua Petrus Epheſ. 1. 19, non multum hic locus Grotii cauſam juvabit, imo potius labefactabit, ut ex iis conſtat, quæ de Petri verbis paulo ante diximus. Sed nec eadem de re agit Petrus, nec in verbis magna eſt convenientia. Etiamſi autem ex hoc loco probari poſſet, ſacrificio Chriſti omnia peccata, quæ ab orbe conditio fuerunt remiſſa, fuiſſe expiata: non tamen ſequeretur, Chriſtum pro iis pœnas luiſſe aut ſatiſfeciſſe, quemadmodum Socinus oſtendit. Hoc igitur erat oſtendendum Grotio, non illud. Hoc enim in controverſia nunc verſatur, quod tamen Grotius ne attingit quidem. Sed nec illud, quod Grotius vult concludere, ex eo ſequitur. Nam ut ad verba accedamus propius, diſcrimen inter Chriſti ſacrificium & Leviticum, quod explicare voluit D. Auctor, eſt, quod hoc quotannis iteraretur, illud vero ſemel tantum fuerit peractum: cui diſcrimini alterum interſeritur, ſupra eod. cap. explicatum, quod Chriſtus ſemetipſum obtulerit Deo, cœlum nimirum, quæ ſunt ſancti ſanctorum Pontificis noſtri, ingreſſus, cum Pontifex legalis cum alieno ſanguine ingrederetur in ſancta. Diſcrimen, quod Grotius conſtituit, hoc loco non apparet, eo præſertim ſenſu, quo ipſe vult, intellectum. Nam per *omnia ſecula*, illa etiam intelligit, quæ ab initio mundi ad Chriſtum uſque fluxerunt, qui ſi intelligeret univerſum illud tempus, quod à patefacto Chriſto uſque ad mundi finem duraturum eſt, hoc ei diſcrimen libenter concederemus: ſed id cauſæ illius nullo pacto patrocinaretur. Dicet Grotius, ex illis ſe vocibus diſcrimen iſtud colligere: *alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à jacto mundi fundamento.* Sed tantum abeſt, ut hæc verba eum ſenſum poſtulent, ut contrarium potius doceant, quemadmodum Socinus oſtendit, ad quæ Grotius tacet. Dixerat Socinus: Si virtus ſacrificii Chriſti ad eos etiam pertingere debuit, qui ſacrificium iſtud anteceſſerunt, non erat opus, ut Chriſtus ab orbe condito ſæpius pateretur, ſeque offerret. An non enim ſatis ſuperque fuiſſet, ſi Chriſtus, poſtquam in mundum venit, pati cœpiſſet, & ante illum extremum

diem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

diem ſubinde paſſus eſſet? Quare aliam horum verborum, quam Grotius arbitretur, eſſe ſententiam neceſſe eſt. Vis autem hæc eſt: Si Chriſtus ſe ſæpius offerre debuiſſet, debuiſſet etiam ſæpius pati: cum ſine paſſione & ſanguinis ſui fuſione ſeipſum offerre non poſſet. Verum quia ſacrificii vis non pertinet ad eos, qui ante illud vixerunt, ſed ad illius & ſequentium temporum homines, (id quod auctorem divinum pro conceſſo ſumere diximus) neceſſe fuiſſet, ut Chriſtus, antequam nos eſſe deſiiſſemus, ad quos Novum Fœdus, & ſacrificii ipſius vis pertingere debebat, ſæpius pateretur. Hoc ergo tempus, quod eos omnes anteceſſit, ad quos Novum Fœdus pertinet, ut emphatice denotaret D. Auctor, & tanto evidentius exprimeret, quid fieri oportuiſſet, ſi Chriſtus ſeipſum ſæpius offerre debuiſſet, ait, eum ſæpius pati debuiſſe *ab origine mundi*. Sententia enim illa, quæ vult, Chriſtum ſe ſæpius offerre debuiſſe, hoc etiam neceſſario ponit, Chriſti ſacrificium, quo ſæpius iteretur, tanto majorem vim habiturum ad peccata noſtra expianda. Quare ut pleniſſime peccata noſtra expiarentur, oportuiſſet Chriſtum, non modo aliquoties antequam nos eſſe deſiiſſemus, ad quos Novum Fœdus pertinet, ſeipſum Deo offerre, & ſic etiam pati, ſed ejus rei à mundi primordiis facere initium, & ex eo tempore ſæpius pati, ac ſacrificium ſuum iterare.

Partic. 10. Ex his patet, Socini interpretationem nec voces reddere inanes, nec argumentum Scriptoris enervare, quod ei Grotius objicit. Nam primum Socinus etiam vult, poſita ea hypotheſi, quam oppugnat Auctor, nempe Chriſtum ſæpius offerendum fuiſſe, conſequi, eum ſæpius offerendum fuiſſe à jacto mundi fundamento. Sed aliam, ut vidimus, conſequentiæ rationem affert, & ex parte contrariam ei, quam Grotius hinc evincere conatur, & neceſſario putat ponendam. Illud, ut res melius intelligatur, addi poteſt: verbum ἔδει ſeu *oportuiſſet*, quo utitur Auctor, ita late patere, ut non tantum ejuſmodi neceſſitatem, cujus contrarium eſt prorſus impoſſibile, complectitur, ſed etiam vim, aut, ut vulgo loquimur, neceſſitatem ejuſmodi, cujus contrarium non ſit conſentaneum, licet non ſit prorſus impoſſibile. Nam etſi aliquid ejus, quod ex hypotheſi illa deducit auctor, ſit prorſus neceſſarium, non tamen neceſſe eſt id eo verbo eſſe ſignificatum, aut totum id, quod deducitur, eſſe ejuſmodi. Deinde quemadmodum verba illa *in conſummatione ſeculorum*, quæ opponuntur illis *à jacto mundi fundamento*, non ita exacte ſumuntur ab auctore, ut terminum ſeculorum ultimum ſignificent, in quo Chriſtus per hoſtiam ſuam apparuit: ita etiam conſentaneum eſt, verba oppoſita, non ita exquiſite ſumenda eſſe, ut ſignificetur, ab ipſo ſeculorum initio ſtatim fuiſſe Chriſto patiendum, hypotheſi illa poſita: ſed in illo ſeculorum ab origine mundi fluentium tractu id oportuiſſe fieri, jam olim facto initio.

Non poſtrema vero, quæ in errorem induxit Grotium Partic. 11, cauſa fuit, quod hypotheſin, quam auctor impugnat, non ſatis recte conſtituit. Ea enim ab Auctore talis conſtituitur: Si Chriſtus ſe ſæpius debuiſſet offerre. Grotius hanc ponit: Si ſacrificium Chriſti Levitico par eſſet, h.e. virtutis certo tempore limitatæ. At hoc illo latius eſt. Verum quidem eſt, ſi Chriſtus ſeipſum ſæpius offerre debuiſſet, ejus ſacrificium futurum virtutis certo tempore limitatæ, ſed non contra. Si enim ita limitetur ejus virtus tempore, ut nihilominus perfecte ad omnes eos perveniat, quorum peccatis expiandis deſtinatum eſt, non eſt neceſſe ut ſæpius iteretur. Limitata eſt virtus ſacrificii Chriſti ratione temporis illud antecedentis, non conſequentis, id quod maximam inter Chriſti ſacrificium & Leviticum conſtituit imparitatem. Leviticum enim ad futura peccata nullo pacto ſeſe porrigebat: Chriſti ſacrificium in æternum peccata omnia expiat.

Illud obiter notari velim, Grotium Partic. 12, hoc loco oblationem Chriſti ab immolatione ipſius diſtinguere, & illam hujus conſequens facere, dum huic dignitatem, illi effectum tribuit. Animadvertit nempe, Auctoris D. argumentum, ut Socinus monuit, laboraturum petitione ejus quod in principio, ſi oblatio foret immolatio ſeu paſſio ipſa, vel in ea conſiſteret. Ex quo ſatis apparet, oblationem Chriſti expiatoriam, cui proxime tribuitur remiſſio peccatorum, de qua loquitur Auctor Epiſt. ad Hebr. non eſſe mortem Chriſti, ſed ejus conſequens. Qua de re agetur inf. cap. 10.

Ad teſtimonia, quæ ad Chriſti & Novi Fœderis tempus Socino videantur proprie ſpectare, reſpondet Grotius Partic. 13, *dicere quidem Hieremiam Deum propitium fore peccatis: ſed non negare id quod dicit Paulus, hanc propitiationem fieri in Chriſti ſanguine: ſive Chriſtum à Deo reſpici, imo omnes Prophetas (in quibus & Hieremias) teſtimonium præbere, remiſſionem peccatorum per nomen, h. e. vim atque virtutem Chriſti accipi*, Actor. 10. 43. *Et liberationem per Chriſtum obtigiſſe nobis dici juxta fœdus illud quod cum Patribus Deus fecerat; & juxta ea quæ per Prophetas prænunciaverat* Luc. 1. 68. 70, 71, 72, 73, 74. *Baptiſtam quoque divino mandato pœnitentia ductis remiſſionem polliceri, eamque propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri: ſed eundem, Chriſtum eſſe dixiſſe agnum qui tollat peccata mundi, per mactationem ſcilicet, quod exprimat Apocalypſis, aut per ſanguinem, ut Petrus loquatur. Quibus locis Agni itidem facta mentio clare monſtrat, quo Baptiſta reſpexerit.*

Sed ad rem non reſpondet Grotius. Neque enim Socinus teſtimonia de remiſſione peccatorum ad Novi Fœderis tempus proprie pertinentia eo adduxit, ut oſtenderet, Deum in remiſſione peccatorum concedenda non reſpexiſſe ad Chriſtum, qua de re ſeqq. cap. agetur, aut propitiationem, de qua loquitur Hieremias, non fieri in ſanguine Chriſti, aut per Chriſti vim ac virtutem, aut per ipſum tanquam agnum mactatum ejuſve ſanguinem: ſed ut oſtenderet, non eſſe Deo veram pro peccatis noſtris ſatisfactionem à Chriſto præſtitam, nec ab eo fuiſſe requiſitam. Hoc Socinum ex iis teſtimoniis non recte deduxiſſe, oſtendere debuit Grotius. Ea, quæ ex Scripturis adducit Grotius, non minus agnoſcit Socinus, quam ipſe. Conſtituit Deus Chriſtum propitiatorium in ſanguine ipſius, quatenus in eo nobis ſe propitium exhibuit, & rationem, qua eum reipſa propitium experiri poſſemus, oſtendit, ac ſanguine ipſius fuſo apertiſſime demonſtravit. Per nomen

Chriſti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſti, h. e. per ipſius poteſtatem ac virtutem, vel ſimpliciter, per ipſum Chriſtum, remiſſionem peccatorum credentes accipiunt. Per ipſum nobis contingit liberatio, per hanc hoc loco Grotius potiſſimum liberationem à peccatorum pœnis intelligit, quia eam nobis Dei nomine obtulit & confirmavit, omnia ad eam conſequendam media ſuppeditavit hodieque ſuppeditat, eamque omnibus reipſa eſt largiturus. Eſt Chriſtus agnus ille Dei, qui tollit, h. e. aufert, peccata mundi, ſive per peccata ipſas divinæ voluntatis tranſgreſſiones intelligas (qua de re vide 1 Johan. 3. 5, 8. & 1 Petr. 1. 18.) ſive peccatorum pœnas: idque etiam per mactationem & ſanguinis fuſionem, ut alibi eſt declaratum. Quanquam non eſt neceſſe, ut Baptiſta ad mactationem Chriſti nominatim reſpexerit, etiamſi agni fecerit mentionem. Qua de re capite 10 dicetur.

De voce *Remittendi* ſeu *ἀφιέναι*, quam Socinus urget, ait Grotius Partic. 14: *A ſe oſtenſum ſupra, neque Græcæ, neque Latinæ vocis eam eſſe vim, quæ juris proprii ceſſionem omnimodam neceſſario includat.*

Duo ſunt, quæ in hac reſponſione afferuntur, quorum alterum eſt, hanc vocem non includere neceſſario juris *proprii* ceſſionem: alterum, eam non neceſſario includere ceſſionem *omnimodam*. Illud nihil ad Socini ratiocinationem pertinet; hoc parum, & quatenus facit, falſum eſt. Prius docuimus cap. 2. Partic. 37. Neque enim Socinus ex hac voce concludit, tale eſſe jus iſtud, quod Deus ad nos puniendos habuit aut habet, ſed tanquam aliunde manifeſtum ſumit. Poſterius ideo adverſus Socinum parum facit, quia etiamſi ea vox non ſignificaret *omnimodam* juris ceſſionem, ſignificaret tamen talem, quæ veram ſatiſfactionem ſeu plenam debiti compenſationem excludat; id quod Socino propoſitum fuit oſtendere. Eſt enim aliquid intermedium inter omnimodam juris ceſſionem, & exactionem iſtiuſmodi ſatiſfactionis. Eatenus autem & cum Socini ſententia & cum veritate id, quod Grotius ait, pugnat, ſi intelligit, remiſſionem & retentionem aliquam juris ſimul poſſe conſiſtere, reſpectu ejuſdem debiti ſecundum eaſdem illius partes, ita ut, etiamſi quis totum debitum remiſerit, nulla ejus parte excepta (quod nobis in hoc negotio contigit) jure tamen ſuo, quod ad debitum illud exigendum habebat, penitus ceſſiſſe non ſit cenſendus: aut ſi partem aliquam debiti remiſerit, ejus tamen partis ratione jure ſuo non omnino ceſſerit, adeoque compenſationem aliquam eo nomine poſſit admittere; id quod falſiſſimum eſt. Remiſſio enim eſt omnimoda juris extinctio, reſpectu ejus, quod vere dicitur remitti. Itaque ſi totum debitum remittatur, totum jus tollitur; ſi tantum, h. e. ſi debiti pars remittatur, reſpectu ejus partis, jus penitus tollitur, ita ut nulla vera eo nomine poſſit requiri ſatiſfactio. Hoc autem propterea monemus, quia pœna ſimpliciter poſſet dici remitti, quia fere tota remittatur, exigua aliqua parte relicta; ſeu, quod idem eſt, quia gravior in longe mitiorem commutetur. Quod autem de potiori parte verum eſt, id interdum abſolute de toto pronunciari ſolet. Quod idem ſignificavit Grotius ſupra, cum de remiſſione pœnarum temporariarum agens ait, id non ſemper intelligendum de pœnis totis, ſed de tantis. Tunc ergo proprie remittuntur potiores pœnarum partes (habet enim pœna partes ratione gravitatis ac levitatis) earumque reſpectu eſt omnimoda juris ceſſio, nec compenſatio fit per pœnæ illius reliquias, aut pœnam mitiorem: reliquarum autem partium ratione nec remiſſio eſt, nec juris ceſſio ulla.

Quod igitur Grotius ait Partic. 15, *in pœnæ remiſſione, quæ à rectore fiat, nullam eſſe juris talis proprii ac privati, quale Socinus indicet, dominii ſcilicet abſoluti aut crediti, abominationem:* Hoc ad rem nihil facit, nec argumentum Socini convellit. Nos enim capite 2 docuimus, Deum in hoc actu conſiderandum revera ut partem offenſam & pœnæ creditorem, non ut Rectorem. Deinde, etiamſi tandem jus divinum in pœna non eſſet jus dominii & crediti, nihilominus argumentum Socini ex voce remiſſionis contra ſatiſfactionem ductum firmum eſt. Significatur enim nihilominus hac voce ad debitum aliquod relata, juris, qualecunque illud ſit, ceſſio ejuſmodi, quæ debitum illud eo uſque, quo uſque pertingit remiſſio, prorſus extinguat, & ſic veram etiam ſatiſfactionem excludat.

Quod ait Partic. 16, *velle Socinum remiſſionem pugnare cum quavis ſolutione accedente*, quanquam Socinus non *cuivis ſolutioni* ſed plenæ ſatiſfactioni opponere ſolet remiſſionem, veriſſimum tamen eſt, quod ei tribuit Grotius, ſi reſpectu ejuſdem debiti, & earundem ejus debiti partium intelligantur. Quod ſi ergo debitum totum ſit remiſſum, omnis excluditur ſolutio, ſi pars, partis.

Poſtea deſcriptionem quandam Remiſſionis debiti ponit Grotius Partic. 17, quæ ſpecies illas duas, nempe crediti & pœnæ, ſub ſe contineat: idque, ut ait, juxta ejus vocis uſum tum in jure civili, tum in ſermone communi. Ait ergo: *Remittere debitum eſt actus aut creditoris aut rectoris, pœnæ ſeu crediti obligatione reum liberantis.*

At niſi liberatio hæc ab obligatione ita intelligatur à creditore aut rectore facta, ut ea ex mera ipſius beneficentia fuerit profecta, quæ omnem ſolutionem veram excludat, non eſt admittenda hæc Remiſſionis definitio. Suo enim definito erit laxior. Recte Johannes Calvinus de Remiſſionis natura ſcripſit in ſuis Inſtitutionibus*: *Quid eſt*, inquit, *remiſſio, niſi meræ liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha teſtatur ſibi numeratam pecuniam: ſed qui nulla ſolutione, ultro ſua beneficentia nomen expungit.* Quæ eadem de remiſſione peccatorum, quæ nobis à Deo conceſſa eſt, dici vult; cum hoc argumento Pontificiorum ſatiſfactiones, tanquam cum remiſſione peccatorum pugnantes, refellat, quod longe validius adverſus plenam, quam Chriſtus præſtiterit, ſatiſfactionem pugnat. Neque vero unquam demonſtrabit Grotius, aliter remiſſionis nomen in hac materia uſurpari.

Quod autem Grotius Partic. 18, paulo inferius, cum docuiſſet, *ſolutionem rei plane ejuſdem quæ erat in obligatione, ipſo facto liberare*, ſubjungit: *Alia quævis ſolutio ipſo facto non liberat, puta ſi aliud quam quod in obligatione eſt ſolvitur. Sed neceſſe eſt actum aliquem accedere creditoris aut rectoris, qui actus recte & uſitate*

* Lib. 3. cap. 4. ſect. 25.

remiſſio appellatur. Talis autem ſolutio, quæ aut admitti aut recuſari poteſt, admiſſa in jure, ſpeciale habet nomen ſatiſfactionis, quæ interdum ſolutioni ſtrictius ſumtæ opponitur; Hic primum dicimus, ſi aliud ſolvatur, quam quod in obligatione eſt, non modo ejuſdem pretii, cujus eſt illud, quod eſt in obligatione, verum etiam ei, cui ſolvitur, vel eum ad finem, in quem ſolvitur, æque commodum atque utile, eaque de re creditori conſtet; ipſam æquitatis naturam omnino poſtulare, ut ſolutio iſtiuſmodi admittatur, & reus obligatione ipſo facto liberetur; & iniquiſſime facturum creditorem, ſi rem ipſam, quæ eſt in obligatione, ſibi exhiberi poſtulet, præſertim ſi videat, id cum extrema debitoris pernicie fore conjunctum: habebitque hic vere locum iſtud tritum: ſummum jus, ſumma injuria. Quid enim? an ſolutio hæc juſta non eſt? imo vero maxime eſt; cum æqualitas, in qua juſtitia conſiſtit, hic ſit maxima, tum ratione pretii, tum ratione utilitatis. Nam quod alias civili jure non protinus liberatur debitor, qui, cum rem teneatur tradere, pretium perſolvat, imo ne tum quidem, ſi aliquid majoris pretii ſolvat, id ideo accidit, quod fieri ſæpe poſſit, ut res, licet ejuſdem, aut etiam majoris pretii, tamen minus utilis aut commoda ſit ei, cui ſolvitur, aut ad eum finem, in quem ſolvitur, atque eſt id, quod eſt in obligatione: unde fit, ut minus tum videatur ſolvi. Minus enim eſſe videtur, quod minus eſt utile aut commodum: quemadmodum contra plus videtur perere is, qui aliud pro alio ſibi ſolvi poſtulat, licet minoris pretii, quam id ſit, quod eſt in obligatione: quia ſæpe accidit, ut ei, qui obligatus eſt, facilius ſit ſolvere id, quod majoris pretii eſt. (*a*) Verum ſi res, quæ ſolvitur, æque ſit pretioſa, & commoda, æquitatis natura, ut diximus, non patitur, eum qui ſolvit, amplius obligari, & apud Deum omnis æquitatis auctorem, id fieri nulla ratione poteſt. Jam videamus, an talis fuerit ea ſolutio, quam pro nobis præſtitam una cum cæteris vult Grotius. Si quidem rem ipſam ſpectes, talis ſolutio à Chriſto noſtri loco nec præſtita eſt, nec præſtari potuit: cum debitum illud, quod ſolvendum erat, eſſet mors æterna ac tempore infinita hominum innumerorum: Chriſtus autem quicquid perpeſſus eſt, id & tempore & gravitate fuit finitum, imo brevi tempore peractum. (*b*) At finiti ad infinitum nulla eſt proportio, nedum unius finiti ad innumera infinita. Unde conſequitur, nec talem à Chriſto præſtitam eſſe ſolutionem, qualem deſcripſimus, nec ullam veram & ex rei ipſius dignitate pendentem compenſationem: cum neceſſe ſit inter id, quod compenſat, & quod compenſatur, aliquam ſaltem proportionem eſſe. Veruntamen ſi adverſariorum noſtrorum mentem reſpiciamus, comperiemus, eos generatim omnes ſtatuere, Chriſtum ob infinitam perſonæ dignitatem non tantum æquivalentem debitis noſtris pœnam luiſſe, ſed etiam ea ſuperantem. Unde vulgo hoc ſenſu dicunt: vel unicam ſanguinis Chriſti guttam pro omnibus totius mundi peccatis ſuffeciſſe. Quod ad Grotium attinet, etſi non ſatis liqueat, quid hac de re ſentiat, tamen ſi ſibi conſtare velit, idem ſtatuere cogitur. Nam cum is ſentiat

(*a*) Lib. 4. Inſtit tit 6. de Actionibus, paragr. 33. (*b*) Vid. Soc, lib, 3, cap. 3. & 4.

pœnam nullam habere rationem expetibilis, niſi quatenus inſervit bono communi, ordinis nimirum conſervationi & exemplo: ab hoc fine pretium illius & æſtimatio omnis petenda erit; iſque plus ſolviſſe cenſendus erit, cujus pœna ad hunc finem plus contulerit, minus, cujus pœna minus eam ad rem fuerit utilis. Jam vero an noſtrum omnium interitus æternus plus inſerviiſſet bono communi, quam mors Chriſti? vel potius, an reliquitur verum aliquod commune bonum, cum omnibus æterna ſupplicia ſunt perferenda? An etiam mores ita potuiſſent corrigi, atque nunc morte Chriſti factum eſt, ſi nobis in æternum fuiſſet pereundum? An non ipſemet bis ſcripſit: *Si omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuiſſent, perituram fuiſſe funditus religionem in Deum?* An vero ordo communis conſervatur, & mores corriguntur, cum funditus perit religio in Deum? quid ordo communis religione in Deum habet majus aut præſtantius? At per Chriſti mortem homines, ut Sacræ Literæ teſtantur 1 Pet. 1. 18. 2. 24, 25. III. 18. Joh. 12. 32. 1 Cor. 6. ult. cap. 7. 22, 23. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 14. Apoc. 5. 9, 10, à vana converſatione ſunt redempti, ad Deum & Chriſtum adducti, ejuſque ſervi ac mancipia effecti, qui ardenter in poſterum bona ſectentur opera, ſerviantque pura conſcientia Deo viventi. Qui ergo fieri potuit, ut Deus hujuſmodi ſolutionem, ſi alioqui fuit juſta, ut nunc una cum Grotio ponimus, vel non admitteret, vel ea admiſſa nos ab obligatione non liberaret, cum etiam plus accepiſſet, quam debebatur? Quod ſi vi hujus ſolutionis extincta eſt ſtatim obligatio, nulla conſequi potuit remiſſio. Nam, ut paulo ante dixit Grotius, circa id, quod non exiſtit amplius, actus nullus verſari poteſt, ac proinde nec remiſſio. Quod ergo ait Grotius, actum illum creditoris aut rectoris, quem accedere oporteat ad liberationem ab obligatione, cum aliud ſolvitur, quam quod eſt in obligatione, remiſſionem appellari; id nec ſemper verum eſt, nec ſimpliciter, ſed eatenus tantum, quatenus aliqua ratione minus ſolvitur, ita ut is, cui ſolvitur, de jure ſuo cedat, & partem ſaltem aliquam debiti condonet, ſine ulla ejus compenſatione. Alias negamus actum illum remiſſionem appellari ſolere, & Grotium urgemus, ut idoneis exemplis contrarium probet: cum is vocis illius uſus, quem nos urgemus, omnibus ſit obvius. Similem actum creditoris ad novationem, ſeu obligationis unius in aliam mutationem, concurrere oportet, nec tamen ibi protinus eſt remiſſio, cum altera obligatio poſſit æque eſſe dura atque prior, & debitori nihil perire de utilitate ac commodo. Deinde etiamſi hic remiſſio aliqua concurrere queat, non erit tamen ea totius debiti remiſſio, nec ita appellabitur, quod tamen de remiſſione noſtri debiti expreſſe dicitur Matth. 18. 32 in perſona regis ſervo debitum condonantis. Neque enim eo pertingit remiſſio, quo ſolutio, & contra. In quantum ergo compenſatum eſt debitum, & pro eo ſolutum, in tantum nulla contigit remiſſio, ſed eatenus tantum, quatenus nil ſolutum eſt, ſed ſimpliciter condonatum. Itaque ſi Grotius remiſſionem cum ſolutione ac compenſatione in hoc negotio velit conciliare; neceſſe eſt ut dicat, nec totum debitum remiſſum eſſe, nec totum ſolutum aut compen-

ſatum,

ſatam. Quæ ſententia an ſit Catholica, cujus ſe defenſorem in hoc libro profitetur Grotius, & ipſe viderit, & alii: vera ſane non eſt, quatenus in ea affirmatur, non eſſe remiſſum debitum noſtrum univerſum, ſed partem tantum; adeoque & illud, partem ejus aliquam vere eſſe compenſatam.

Quod vero Grotius hic obiter cauſam notat Partic. 19, *cur pœnæ corporalis vicarius ipſo facto reum ſolvendo pœnam non liberet*, eamque hanc eſſe ait; *quia ſolvat aliud quam quod eſt in obligatione: eſſe enim in obligatione afflictionem ipſius qui deliquit*; id admittimus. Sed hoc ipſum tamen eo nititur, quod Socinus dixerat, & pro diſcrimine hac in parte inter pœnas pecuniarias & corporales attulerat, quod afflictio unius non poſſit fieri alterius. Nam ſi ea, non ſecus ac pecunia, alterius fieri poſſet, etiamſi in obligatione fuerit ipſius nocentis afflictio, non ſolveretur tamen aliud tum, cum quiſpiam alius, nocentis nomine, eam perſolvit. Ipſius enim nocentis effecta cenſeretur aliena afflictio, & ſic legi ſatiſfieret. Quod ſi hoc Socini diſcrimen removeas, Grotii diſcrimen nullam vim habebit. Neque enim minus in obligatione eſt ipſius nocentis pecunia in mulctis, quam afflictio in pœnis corporalibus. An enim leges, cum mulctas conſtituunt, non ipſum nocentem, ſed indefinite quemcunque pœnam ferre, & damnum ſentire volunt? & non à reo, ſed à quocunque mulctam exigunt? Certe non minus in illis punire volunt nocentem, quam in corporalibus. Id vero quomodo fiat etiam tum, cum alius pecuniam pro eo numerat, ſup. cap. 4 Partic. 31 fuſius eſt explicatum.

Iſtud, antequam alio progrediamur, in hac enumeratione modorum, quibus debitor obligatione liberetur, obſervandum eſt, Grotium Partic. 20, cum jam perveniſſet ad eam liberationem, quæ citra ullam ſolutionem debitum plane perimit, quod ad creditum attinet, acceptilationis tantum meminiſſe. ad quam certæ verborum formulæ requiruntur, nulla facta mentione ejuſmodi, qui ea verborum ſolennitate caret, & vulgo eſt uſitatiſſimus, ac ſimpliciſſimus, atque, ut ita dicam, naturalis, à quo ducta eſt illa ſimilitudo Regis debitum ſervo remittentis, Matth. 18. At hujus vel inprimis facienda fuiſſet mentio, cum de remiſſione ea agitur, de qua Sacræ Literæ, ex communi hominum uſu & ſermone hac voce accepta, loquuntur. Quod ſi eam explicare voluiſſet Grotius, &, quo nomine vulgo inſigniri ſoleat, docere, apparuiſſet, huic uſitatiſſime & maxime proprie remiſſionis nomen tribui, & ſicubi de alia aliqua ſpecie, ut acceptilatione, in qua ſola Juſtinianus Remiſſionis vocem uſurpat (nam ſimpliciſſimam remittendi rationem, in foro Romano fortaſſe non ſatis validam, non explicat) effertur, id eatenus fieri, quatenus nec ibi quicquam revera ſolvitur, adeoque cum ſimplici condonatione ei hac in parte convenit.

Explicatis modis, quibus ab obligatione liberetur debitor, aut reus, *bis falli Socinum* ait Grotius Partic. 21, *cum ad eam remiſſionem quam nobis Deus concedit, deſumtam ex jure vocem acceptilatione applicet.*

Sed nos cap. 3 oſtendimus, id injuria Socino Partic. 1 adſcribi. Quanquam illud, quod inter alia affertur, ad hujuſmodi aſſertionis refutationem pertinens, ad rectorem nihil ex pœna proprie pervenire, vel nihil huc pertinet, cum Deus hic proprie non ſit ſpectandus ut rector, ſed ut creditor; vel ſi ad Deum in hoc negotio transferatur, eo modo conſideratum, quo eum conſiderandum eſſe docuimus falſum eſt, ut cap. 2 oſtendimus. Deinde quod ait, Chriſtum dediſſe pro nobis λύτρον, & nos pretio emtos, hoc eſt, ſolutione aliqua liberatos, vel proprie accipit vocem λύτρου ac pretii, vel improprie. Si proprie, alicui proprie perſolutum eſt hoc pretium, & nulli quidem alii quam Deo, cui ſatiſfactio, hoc eſt, ſolutio recuſabilis, præſtita à Grotio dicitur. Unde conſequitur, Deum id etiam accepiſſe, eo modo, quo labores v. g. ab illo, in cujus utilitatem fiunt, accipi poſſunt; & ſic aliquid ad ipſum proprie perveniſſe, quod paulo ante, quanquam generali oratione, negarat Grotius; & recte quidem, ſi veritatem rei ſpectes, ſed poſita ſatiſfactione non recte. Nam quod ad rei veritatem attinet, Deus ipſe filium ſuum dedit, aut, ut Paulus loquitur Joh. 3. 16. Rom. 8. 32, pro nobis omnibus tradidit Quomodo ergo hoc pretium accepit, quod ipſemet impendit? an ſibi ipſi ſolvit aut ſatiſfecit? Reſtat ergo ut improprie dictum pretium fuerit datum. Ex pretio autem improprie dicto, proprie dicta ſolutio, quæ hic intelligenda foret, colligi haudquaquam poteſt. De quo plura eo loco, ubi latius de eo ſe acturum pollicetur Grotius.

Quod ait Partic. 22, *Socinum male arbitrari, remiſſionem pugnare cum antecedente ſatiſfactione*, id ſupra excuſſimus, & veriſſime dictum vidimus, ſi præſertim intelligatur, quid Socinus, adverſarium ſuum ſequutus, ſatiſfactionis nomine intelligat. Deinde etiamſi minus perfecta foret, tamen cum totius debiti remiſſione pugnaret eamque excluderet. Quod vero ad ſententiæ ſuæ confirmationem addit: *cum contra omnis ſatiſfactio (h. e. ſolutio recuſabilis) ideo admittatur, ut remiſſioni ſit locus*; id huc nihil pertinet; cum hæc ſatiſfactio, ut ſupra vidimus, ſi cæteroqui fuit juſta, recuſari non potuerit. Deinde etiamſi recuſabilis fuiſſet, tamen, ut modo diximus, cum remiſſione totius debiti pugnaret. Quamquam præterea non video, quomodo dicere poſſit Grotius, omnem ſolutionem recuſabilem admitti, ut remiſſioni ſit locus, quaſi remiſſio ſit conſequens aut finis ſolutionis illius jam admiſſæ. Nam remiſſio eſt actus creditoris aut rectoris circa obligationem adhuc exiſtentem; & actus quidem beneficentiæ, quod utrumque docet Grotius. At poſtquam ſolutio recuſabilis admiſſa eſt, vi illius liberatur ab obligatione debitor aut reus; cum ſolutio admiſſa ſit ſatiſfactio, ſatiſfactio autem, ut ait Ulpianus, * ſit pro ſolutione, quæ ſane ſtrictius ſumpta, ut itidem docet Grotius, protinus extinguit obligationem. Admiſſio enim ſolutionis defectum ſupplet in ſatiſfactione. Quod ſi dicat, interdum conditiones adjungi, quæ liberationem differant; reſpondeo primum, eum de omni ſatiſfactione loqui, conditiones autem iſtas non ſemper adjungi: deinde conditiones iſtas cum ſolutione ſeu ſatiſfactione ipſa eſſe computandas, eaſque non relinquere libertatem creditori aut rectori, ſed præſtitas, vi

* Dig. lib. 46 tit. 3. Lib. 52.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

admiſſionis, neceſſario parere liberationem ab obligatione. Patet idem inde, quod ſatiſfacere, ut Cajus teſtatur *, & alias ex bonis auctoribus conſtat, eſt deſiderium alicujus implere. Cujus autem deſiderium eſt impletum, quid deſiderare amplius poteſt, aut exigere à debitore? quomodo ergo eum amplius tenere obligatum queat? ſi nequit? extincta eſt obligatio, nec amplius benignitas ulla in liberando cernitur. Quare ſi remiſſio eſt actus ejuſmodi qualem diximus, & tamen in ſatiſfactione locum habet, neceſſe eſt eam in admiſſione ſolutionis recuſabilis conſiſtere. Grotius ſane paulo inferius, cum de actibus voluntatis loquitur, qui in ſatiſfactione ad liberationem requirantur, nullum alium creditori aut rectori actum tribuit, quam ut alterius rei pro altera ſolutionem admittat: nec alium excogitare poterit. Admiſſio autem ſolutionis recuſabilis, non eſt revera ſolutionis aut ſatiſfactionis effectus, ſed una cum ipſa ſolutione ſatiſfactionem conſtituit, & liberationis ab obligatione eſt cauſa. Quare ſi in ea conſiſtit remiſſio, hæc non erit ſatiſfactionis effectus ac conſequens, quod tamen vult Grotius, & cap. 1 prolixe defendit, ac non ſemel repetit.

Quod porro ait Partic. 25: *Cum dicimus ſatiſfactionem antecedere remiſſionem peccatorum, id intelligendum eſt aut actu ipſo, ut in peccatis Chriſtianorum contingit, aut in decreto certo & irrevocabili, ut in peccatis ſub Lege commiſſis & remiſſis. Quod enim Deus facere decrevit pro jam facto habetur, & dum debitum vere ſolvatur, nihil refert, quo tempore id fiat, præſertim apud eum, qui omnia quæ certo futura ſunt compertiſſima habet, & ea tanquam præſentia perpetuo videt atque intuetur, quæ eſt ipſius Socini confeſſio lib. 2. cap. 26*, qui locus in margine notatus eſt. Poſterius hoc, quod ſatiſfactio in decreto certo & irrevocabili præceſſerit remiſſionem, quod attinet ad peccata ſub Lege commiſſa & remiſſa, id eam ob cauſam proculdubio dicit Grotius, ne cogatur novationem ac delegationem hic admittere, qui alii ſunt liberationis ab obligatione modi, quam is eſt, qui fit per ſatiſfactionem, quem ipſe hoc loco ponit. Sed fruſtra. Nam ſi ii, qui ſub Lege in Deum crediderunt, obligatione pœnæ reipſa fuerunt liberati, ob ſatiſfactionem olim demum à Chriſto præſtandam, ad quam, iſtis jam liberatis, Chriſtus adhuc fuit obligatus, novatio hic eſt & delegatio. Obligationis enim unius loco ſubſtituta eſt altera, quæ novatio eſt, & debentis perſona eſt commutata, quæ delegatio. Certitudo decreti ac præſcientiæ divinæ novationem aut delegationem non tollit, niſi dicas, eam effeciſſe, ut Chriſtus poſt liberationem eorum, qui ſub Lege peccatorum tulerunt impunitatem, non obligaretur amplius ad ſatiſfactionem pro illis præſtandam. Hoc enim ſtante, integra eſt novationis & delegationis natura ſeu eſſentia. Iſtud autem ex ſententia Grotii falſiſſimum eſt; cum neceſſe ſit Chriſtum tam diu fuiſſe ad ſatiſfactionem pro iis præſtandam obligatum, donec eam præſtitit; id quod factum eſſet poſt iſtos ab obligatione jam liberatos. Patet autem vel ex ipſius Grotii dictis, non tantam fuiſſe decreti, & præſcientiæ divinæ vim, quanta hic requireretur. Nam & ſupra hoc cap. & cap. 1, adducens locum Pauli Rom. 3. 25, 26 ait, Deum eo tempore, quod Chriſtum anteceſſit, non remiſiſſe ſed tranſmiſiſſe peccata, & tolerantia vel inhibitione quadam uſum, cui opponatur divinæ juſtitiæ demonſtratio, quæ temporibus Chriſti tribuitur. Quare ex ſententia Grotii apud Deum non prorſus perinde eſt, ſive jam præſtita fuerit ſolutio, ſive poſtea demum certo præſtanda, & alia illius vis eſt, alia hujus. Nam poſtquam ea præſtita eſt, ἀνοχῇ non amplius utitur Deus, nec tantum tranſmittit peccata, ſed & remittit, ut vult Grotius: conta facit, cum ea demum futura eſt, licet certo prævideatur, & ab eo ipſo fuerit decreta. Ait quidem Socinus, id, quod Deus facere decrevit, pro jam facto haberi, ſed habita ratione veritatis ac certitudinis, ob quam fiat, ut ita de eo loqui liceat, atque ſi jam factum eſſet, quamvis id ſine figura aut tropo aliquo non fiat. Dicit etiam, dum debitum vere ſolvatur, nihil referre, quo tempore id fiat, præſertim apud Deum, ob cauſam dictam; ſed quod attinet ad rem ipſam ſeu effectum, de quo ibi agitur, h e. ſalutem hominibus conciliandam, & pariendam liberationem à peccatorum pœnis: non autem quoad ſpecialem hujus liberationis modum, qualis eſt vel novatio ac delegatio, vel ſatiſfactio ab illa diſtincta. Nam quod ad ipſam à peccatorum pœnis liberationem attinet, nihil refert, quo tempore ſolvatur, præſertim apud Deum, modo vere ſolvatur: ſed quod ad modum liberationis attinet, multum refert. Nam alius eſt liberationis modus, cum nulla nova obligatione interveniente, ſed ſolutione tantum, quæ ſatiſfactio ſit, ab alio præſtita, liberatur debitor: alius, cum debitor liberatur, alio interim ad ſolutionem manente obligato. Hic enim novatio eſt, cum nova obligatio aut novus contractus in alterius locum ſucceſſerit, eoque prior fuerit peremtus.

Partic. 24. Ex his autem patet, non eſſe à quæſtione hac alienum, probare, non poſſe ſatiſfactionem ſequi poſt remiſſionem, aut omnino ſimul contingere, neque hic ullam eſſe novationem aut delegationem, quemadmodum Socinum reprehendens aſſerit Grotius. Siquidem ex ſententia Grotii conſequitur, ſatiſfactionem ſequi poſt remiſſionem, & novationem hic eſſe ac delegationem, reſpectu eorum, qui ante Chriſtum remiſſionem fuerint conſequuti ob ſatiſfactionem ab ipſo poſtmodum præſtandam; cum tamen iſta ſe mutuo evertant. Præterea cum non quivis earum rerum, quæ remiſſioni aut ſatiſfactioni aliquo modo ſunt affines, ita ſit gnarus, ut ea norit à ſe invicem diſcernere, aut quænam iſtorum ſimul conſiſtere queant, quæ minus, cognitum habeat; non fruſtra Socinus, ut Grotius ei objicit, quædam iſtorum attigit, ut argumentum ſuum, quod ex remiſſionis natura contra ſatiſfactionem duxerat, muniret, & exceptionibus quibuſdam, etiam eorum, qui minus eſſent iſtarum rerum periti, occurreret, haudquaquam interea aſſerens, adverſarios aliquid horum, præter id, quod argumento ſuo oppugnabat, aſſerere. Quod ſi hæc fruſtra dicuntur, & ad quæſtionem noſtram non pertinent, cur Grotius ipſe poſt Socinum, hæc eadem tam fuſe docet? Quamquam Socinus non docet, nullam hic eſſe novationem, ut idem ſcribit: ſed, ſi novatio

hic

* Dig. l. 2. tit. 8. Leg. 1.

hic credatur facta, ſequuturum, non ſimul eſſe factam remiſſionem & ſatiſfactionem, imo remiſſionem hic non eſſe.

Quod poſtea ſubjungit Partic. 25, *non eſſe verum quod dixerit Socinus, ſatiſfactione omnino ac ſtatim tolli debitum*; vox *omnino*, quæ apud Socinum non extat, non eſt ultra illud ipſum debitum, pro quo ſatiſfit extendenda, ſed ita capienda, ac ſi dictum eſſet, totum illud debitum tolli: alias ex Socini ſententia non loqueretur Grotius. Id autem quod Socinus ſenſit, facile defenditur, ſi intelligatur, eum de *plena* ſatiſfactione expreſſe loqui, h. e. de ſolutione ejuſmodi, quæ licet rem ipſam in obligatione exiſtentem non exhibeat, eam tamen pretio & utilitate ſua plene compenſet, adeoque recuſabilis non ſit, ſed ea in parte ſolutionis ſtricte ſumtæ vim habeat. Itaque negamus Grotio, duplicem voluntatis actum, voluntatis, inquam, liberæ, (de hujuſmodi enim actu ſermo eſt) accedere debere, ut liberatio ab obligatione contingat, qui uterque certis legibus ac conditionibus definiri poſſit. Is enim, cui præſtatur ſatiſfactio, cum ſalva æquitate non poſſit non admittere ejuſmodi ſolutionem, nihil circa liberandum debitorem libere agit. Deinde pone, ſolutionem per ſe eſſe recuſabilem, & ſic actum voluntatis liberum accedere oportere; quæro, utrum talem intelligas, quæ ſola, abſque aliis conditionibus, præſertim debitori impoſitis, deſiderium creditoris aut rectoris circa debitum, pro quo ſolvebatur, impleverit, an talem, quæ abſque his non impleverit? Si poſterioris generis ſolutionem intelligis, ea ſola ſatiſfactio non eſt, ſed una cum cæteris conditionibus conjuncta. Satiſfacere enim, ut Cajus docuit, eſt deſiderium alicujus implere, intellige deſiderium relatum ad rem eam, ſeu debitum, pro quo ſatiſfit. At nos cum ſatiſfactionem in hoc negotio nominamus, intelligimus ſolutionem ejuſmodi, quæ ſola, non incluſis conditionibus aliis, ſatiſfactio vere ſit. Talem enim mortem Chriſti arbitrantur vulgo, quæ non demum à ſubſequuta Chriſti interceſſione, aut à fide ac pietate noſtra, ſatiſfactio fiat, ſed cum jam ſit, nobis applicetur. Si ergo prioris generis ſolutionem intelligis, qualem hic ſumendam eſſe diximus, quomodo is, qui ſolutionem iſtam admiſit, conditiones adhuc alias imponere poteſt, ad liberandum debitorem neceſſarias? qui enim conditiones imponit, ejus deſiderium nondum eſt impletum. Quapropter ex parte ejus, cui ſatiſfactio hujuſmodi eſt præſtita, non poteſt conditionum impoſitione adferri mora, quominus ſtatim conſequatur liberatio, etiamſi actus voluntatis liber ad ſatiſfactionem acceſſerit. Quod ad eum attinet, qui ſolvit, verum eſt, actum voluntatis ipſius liberum accedere oportere, ut id, quod ſolvit, alterius nomine ſolutum cenſeatur, & ſic liberationem ipſi pariat; veruntamen ubi is talem præſtat ſatiſfactionem, qualem hic à Socino intelligi, aut omnino intelligendam diximus, non poteſt ſimul ejuſmodi conditionem imponere debitori, ne à creditore aut rectore obligatione ſtatim liberetur. Id enim partim cum natura hujus ſatiſfactionis pugnaret, ut patet, partim cum æquitate ac juſtitia rectoris aut creditoris. Nam ſi hic nollet liberare debitorem, plena debiti compenſatione accepta, plus exigeret, quam ipſi debebatur. Tantundem enim accepit, quantum debebatur: quicquid ulterius exigit, æqualitatem ſuperat. Verum quia ipſi ſatiſfacienti debitor, ob hanc ſolutionem alteri præſtitam, obſtringitur, poteſt is ei conditiones æquas imponere, quemadmodum fidejuſſor ei, pro quo pecuniam ſolverat, quibus non præſtitis in ejuſdem generis aut magnitudinis debitum incidat, quantum id erat, à quo fuerat ipſius ope liberatus. Quapropter Chriſtus, non vero Deus, conditiones nobis aliquas imponere potuiſſet, quarum præſtatione, non quidem à priore debito, quo Deo fueramus obſtricti, liberaremur, ſed debitum illud, quo Chriſto ipſi poſtea fuiſſemus obligati, exſolveremus ita, ne in debitum iſtud, cui antea eramus obnoxii, incideremus. At conditiones nobis imponuntur in Sacris Literis ad remiſſionem peccatorum à Deo obtinendam neceſſariæ, eæque univerſæ ab ipſo primum profectæ. Is enim Chriſto, per quem eæ nobis innotuerunt, præceptum dedit, quid loqui deberet Joh. 12. 49, 50. VII. 16. XIV. 24. VI. 38. Unde is profeſſus eſt, doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed ejus, qui ſe miſerit: ſe non veniſſe ut voluntatem ſuam faceret, ſed ejus, qui ſe miſerit, patris. Quod ſi quis dicat, Chriſtum, etiamſi plenam ſatiſfactionem, qualem Socinus intelligat, præſtaret, potuiſſe tamen ſimul velle, ne Deus ſtatim nos liberaret, quia non ſimpliciter id, quod ſolvit, pro nobis ſolutum voluerit, ſed ſub conditione certa, quam Deus nobis eſſet impoſiturus; is non animadvertit, hinc ſequuturum, id, quod Chriſtus ſolverit, non ſimpliciter fuiſſe vel ſatiſfactionem vel pœnam pro peccatis noſtris perſolutam, ſed ſub conditione demum, quæ niſi præſtetur, ſatiſfactio etiam aut pœna illa non ſit amplius. Utraque enim ſua natura ſolutio eſt alicujus debiti, ſive veri, ſive apparentis, ſive proprii, ſive alieni. Hic autem non potuiſſet eſſe niſi alieni. Præterea, ſi conditio illa vel à nemine præſtetur, vel à paucis, ut fere fit, id, quod pro illis ſolutum cenſeretur, ſi conditionem præſtitiſſent, vel repetetur à Chriſto, vel donabitur ei, cui perſolutum fuerat? An non patet, quicquid ſolutum ſit à Chriſto, ſimpliciter ſolutum eſſe noſtro nomine, ac proinde ſi debitum noſtrum æquet, non potuiſſe nobis liberationem non parere apud eum, cui ſolutio illa præſtita eſt, utpote juſtiſſimum atque æquiſſimum.

Quare jam concidit illud, quod Grotius Partic. 26 ſubjungit: *fuiſſe & Chriſti ſatiſfacientis & Dei ſatiſfactionem admittentis hunc animum, ac voluntatem, hoc denique pactum & Fœdus, non ut Deus ſtatim ipſo perpeſſionis Chriſti tempore pœnas remitteret, ſed ut tum demum id fieret, cum homo vera in Chriſtum fide ad Deum converſus, ſupplex veniam precaretur, accedente etiam Chriſti apud Patrem advocatione ſive interceſſione.*

Nimis ſane audacter hæc Grotius ſine ulla probatione pronuntiat, & nobis credenda obtrudit. Ubinam enim tale Chriſti ſatiſfacientis & Dei ſatiſfactionem admittentis pactum & Fœdus in S. Literis legit? An de iis, quæ Deus & Chriſtus, inter ſe præſertim, fecerint ac conſtituerint, nobis extra divinarum ſcripturarum auctoritatem quicquam aſſerere, &

ſis, cum quibus diſputamus, obtrudere licet? idque non modo ſine ratione, ſed etiam contra rationem? Oſtendimus enim ſatiſſactione vera præſtita, conditiones nobis, præſertim à Deo, ad obtinendam à debito liberationem imponi non potuiſſe. Præterea abſurdum eſt admodum, aut Deum Chriſto hanc conditionem impoſuiſſe, aut Chriſtum in ſe recepiſſe, ut eum, cui plene ſatiſſeciſſet, nihilominus interceſſione ſua propitium nobis redderet, & ad condonandum debitum, pro quo æqualis pretii & utilitatis rem ſolviſſet, moveret. Quod ſi verum amas, ita potius ſtatuendum eſt, Deum qui nobis remiſſionem peccatorum per Chriſtum offerre & largiri ex mera benignitate & clementia decreverat, ſimul etiam decreviſſe, ne quis eam reipſa conſequeretur, niſi ad Deum converſus in Chriſtum crederet, peccatorum veniam ſupplex peteret, & ſic interceſſione Chriſti, h. e. interveniente ſollicita ejus cura, quam pro nobis, ſupremam à Deo poteſtatem conſequutus, gerit, ab omnibus peccatorum pœnis reipſa liberaretur. Id enim Sacræ Literæ abunde teſtantur.

Pergit Grotius Partic. 27: *voci remiſſionis per ſe inefficaci, fulcrum addit Socinus ex parabola* Matth. 18, *idque duplici argumento, primum quod Deus comparatur regi pecuniam debitum ſervo remittenti, nulla addita cujuſquam ſatiſfactionis mentione: deinde, quod nos tacite jubeamur idem facere quod Deus: minime vero nos oporteat ita in nos delinquentibus ignoſcere, ut pœnas ab amicis ipſorum expetamus. Sed facilis eſt reſponſio, comparationem ultra id tendi quo reſpicit: quod in omni argumento à ſimilitudine ducto vitioſum eſt. Confert ſe Chriſtus furi, nos vero quæſtori de alieno largienti: non quod aut ipſe rem alienam ſubtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat: ſed ſe quidem furi, quod ſuperveniat improviſus; nos vero quæſtori iſti, quod nos de noſtro facere oporteat id quod ille fecit de non ſuo. Sic in iſta parabola* Matth. 18, *commendatur nobis benignitas in proximum, quia Deus in nos benignus ſit. In hoc conveniunt rex ille in parabola & Deus, quod benigni ſint in eos qui longe infra ſe ſunt poſiti. Hanc benignitatem teſtatur Deus pœnas remittendo: rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Diſconveniunt quidem in eo Rex & Deus, quod Rex citra ſatiſfactionem, Deus non citra ſatiſfactionem remittit: ſed in eo ſita non eſt comparatio. Ratio quoque eſt alia. Nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum eſt, ſtatuendi quiſque habet liberrimam poteſtatem, & quo minus exigit, eo eſt liberalior. Exigendo autem nullum virtutis actum exercet. At de pœna quæ ad bonum commune & ad ordinem pertinet, habet quidem rector poteſtatem, ſed quæ in infinitum non exeat. Et cum pœnam exigit, virtute quadam utitur, quæ dicitur ἀνταποδοτικὴ, ut ſupra oſtendimus.* Hæc de priori argumento ex parabola ducto.

An vox remiſſionis inefficax fuerit ad id, quod Socinus volebat, probandum, ex dictis lector judicet. Ad exceptionem Grotii, qua prius Socini argumentum ex parabola Matth. 18 ductum labefactare conatur, dico: Comparationem ultra id, quo reſpicit, à Socino non tendi. Nam cum ipſe Grotius fateatur, commendari hic Dei in nos benignitatem, quam teſtetur remittendo nobis pœnas, eamque illuſtrari comparatione benignitatis, quam Rex exerceat in ſervum ſuum, pecuniam illi remittendo; neceſſe eſt, ut illa remiſſio pœnarum, quæ Deo tribuitur, cum remiſſione pecuniæ debitæ, quæ Regi tribuitur, quoad benignitatis rationem conveniat, eique ſit ſimilis, non vero admodum diſpar ac diſſimilis, præſertim ita, ut Rex pecuniam ſervo remittens multo ſit benignior, quam Deus eſſe cenſeatur pœnas nobis remittens. Nam quominus Deus ſit longe benignior, nihil prohibet, nec id comparationis vim minuit, ſed auget. Similia enim in eo, de quo agitur, & quo reſpicitur, convenire debere, exempla Grotii quoque docent. Nam adventus Chriſti ſimilis eſt adventui furis in nocte, cum uterque ſit improviſus, nec certi temporis: nos ut in æterna recipiamur tabernacula, ſimiles eſſe debemus in largiendo de iis, quæ nobis Deus dedit utenda, quæſtori, qui, ut ab aliis in eorum ædes reciperetur, de heri ſui bonis liberalis fuit. Nam, quod Grotius non videtur animadvertiſſe, huc etiam recte extenditur ſimilitudo, ut, quemadmodum ille de alieno largitus eſt, ita & nos de iis largiamur, quæ aliena ſunt, hoc eſt, de iis, quæ ſunt Dei, qui eorum nos ad tempus diſpenſatores conſtituit. Patet id ex eo, quod Chriſtus ea, quæ in parabola docuerat, magis adhuc inculcaturus, ita inter alia ait Luc. 16. 12: *Si in alieno fideles non fuiſtis, veſtrum quis vobis dabit?* ubi ſic notatum eſt in Bibliis Vatabli, quod unicuique etiam per ſe patet: *ſi in alienis opibus, nempe iis, quas Deus dedit vobis diſpenſandas &c. fideles non fuiſtis.* Quanquam etiamſi hic eſſet aliqua differentia inter largitionem quæſtoris & noſtram, ea tamen ſimilitudinis vim non labefactaret, ſed augeret. Benignitas enim noſtra, hac in parte major foret quæſtoris illius largitione: & veriſimilius eſſet, benignitatem de noſtro nobis profuturam apud Deum, qui benigniſſime æſtimat & remunerat benfacta, quam quæſtori profuit largitio de alieno. Jam videamus, an, ſi Deus non niſi plena ſatiſſactione accepta nobis remiſiſſe pœnas ſtatuatur, eadem ſit futura ratio, quod ad benignitatem attinet, remiſſionis pœnarum, quam Deus nobis conceſſit, & remiſſionis pecuniæ, quam Rex ſervo ſuo conceſſiſſe in ea parabola ſtatuitur. Remiſſio illa Regis eſt mera debiti condonatio, abſque ulla ſolutione, ſive ejuſdem rei, quæ deberetur, ſive alterius, quæ tantundum valeret, ſive ab ipſo debitore, ſive ab alieno præſtita, profecta tantum ex miſericordia condonantis, interveniente ſupplici debitoris precatione; ejuſque natura deſcribitur illis verbis: *miſericordia motus dominus, ipſum* (ſervum) *dimiſit, & debitum remiſit ei;* itemque illis infra: *omne iſtud debitum remiſi tibi, quia precatus es me.* Deus contra ex Grotii ſententia, ita nobis pœnas condonavit, ut prius pro iiſdem ab alio ſibi pleniſſime ſatiſſieri poſtularet, & tantundem, quantum nos debeamus, imo plus etiam ſolvi curaret. Eademne hic benignitatis ratio? Rectene huc accomodari poſſunt verba illa Regis ſervo beneficium exprobrantis: *Totum debitum remiſi tibi, quia me rogaſti,* in quibus benignitas Regia explicatur? Certe non magis, quam ſi Rex idem, pro pecunia illa decem millium talentorum, paſſus eſſet ſibi, ſive ab ipſo debitore, ſive ab alio, ſolvi rem, quæ

iſtorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

iſtorum decem millium talentorum prætium æquaret, & ipſi æque utilis eſſet, & ſic demum obligatione ſervum liberaſſet. Hujuſmodi enim liberatio ab obligatione exacte iſti remiſſioni, quam Deo tribuit Grotius, reſpondet. An vero arbitratur Grotius, eandem futuram ejuſmodi liberationis, & remiſſionis, quæ in parabola deſcribitur, rationem, quod ad benignitatem attinet? imo an ulla prorſus futura fuiſſet regis illius benignitas? an recte putaret Grotius uſurpari poſſe à Rege illa verba: *totum iſtud debitum remiſi tibi*? quæ ne ibi quidem uſurpari poſſent, ubi parte non exigua debiti condonata, reliquum fuerit exactum. Quod ſi hic non recte inſtitui poſſet comparatio ratione benignitatis, neque ibi recte inſtitui poſſe concludendum eſt, & ſtatuendum, quemadmodum Rex pecuniam ſine ulla præcedente ſolutione aut vera ſatiſfactione debitori, & quidem ſervo, remiſit: ita etiam Deum nobis ſervis ac mancipiis ſuis pœnas remiſiſſe, ſine ulla præcedente ſolutione aut ſatiſfactione vera. Sic enim par erit ratio benignitatis in utraque remiſſione, juſtaque inter utramque analogia.

Quæ addit Grotius de diſcrimine crediti & pœnæ, ea cap. 2 excuſſimus, & ex hac ipſa parabola refutavimus. Vide inter alia part. 25. Mirum autem eſt, cum Grotius ſtatuat, Deum eſſe in hoc negotio noſtro partem offenſam: parti autem omni offenſæ deberi compenſationem, eamque ex delicto alieno fieri creditorem; offenſas præterea majeſtatis divinæ eſſe innumeras atque infinitas; vel non agnoſcere, Deum in hoc negotio noſtro eſſe creditorem, apud quem infinitum debitum contraxerimus, cui ſolvendo nullo modo ſimus, ita ut ſi ſalvi eſſe debeamus, id nobis omnino fuerit condonandum; vel cum id agnoſceret, non ſtatuere, de hujus potius debiti remiſſione hic agi, quam de illius, quod ad jus crediti non pertineat, & non ad Dei ipſius, ſed ad alienam, nempe generis humani, utilitatem pertineat. Siquidem illius debiti remiſſio, exactiſſime reſpondet remiſſioni pecuniæ ingentis à Rege creditore conceſſæ ſervo; cum ſit ejuſdem generis, & ratio benignitatis par, vel potius in illa major: hæc vero, ut loco dicto oſtendimus, ſit illi multum diſſimilis, & benignitatis ratione valde impar, imo ab ea ſejuncta. Quare ſi ullus eſt Scripturæ locus, qui de ea agit, hic eſt, de quo nunc eſt controverſia. Quod ſi hic non eſt, dicat nobis Grotius, quinam de ea loquatur? Ipſe ſane omnia loca, quæ de ea accipi poſſint, ad alterius generis debiti remiſſionem retulit, hanc autem ne attigit quidem, imo id revera egit, ne hæc ulla ratione appareret. An vero putat Grotius, fieri poſſe, ut cum beneficia divina longe minora, eaque uni aut paucis hominibus, aut brevi tempore conceſſa, in Sacris Literis, tantopere celebrentur, beneficium hoc infinitum, hoc eſt, infinita debiti remiſſio, innumeris hominibus conceſſa, & perpetuo durans nuſpiam, præſertim claris verbis, ſit expreſſum, & à Sacris Scriptoribus celebratum, nuſpiam nos ad id agnoſcendum & gratiarum actione celebrandum excitemur? imo an fieri poſſe putat, ut id innumeris in locis, clariſſimis verbis non inculcetur? Cur ergo id ita ſupprimit, & quantum in ſe eſt, ex memoria hominum it ſublatum, & loca S. Scripturæ de eo loquentia alio detorquet? An forte vidit, ſi excutiatur, quale id ſit debitum, appariturum, id nil eſſe aliud, quam pœnam, ejuſque condonationem eſſe peccatorum remiſſionem, toties in Sac. Lit. celebratam, id quod tantopere refugit dicere? Quod ſi enim pœna non eſt, dicat nobis Grotius, quodnam ſit illud debitum, quæ ejus condonatio? Ego ſane nihil dubito, quin ſi is eſt in Grotio candor & veritatis divinæ amor, qui eſſe debet, quemque eſſe confido, eum agniturum ſuum hunc errorem, quo convulſo tota hæc ſatiſfactionis defenſio, quæ eo plurimum nititur, facile corruit. Nam ſi pœna Deo debetur tanquam creditori, totum id concidit, quod cap. 2, tanto conatu adſtruxerat: concidet diſtinctio illa in hoc negotio rectoris & creditoris, & quæ inde pendet differentia inter hujus & illius remiſſionem, & rationem benignitatis, qua uterque in remittendo utatur, quam & hic & alibi crebro inculcat, & qua vim argumentorum noſtrorum contra ſatiſfactionem iſtam pugnantum elidere conatur, quod in ſequentibus etiam manifeſte apparebit: concident illa, quæ de Juſtitia ſcribit, qua Rectores adigantur ad ſtatuendum exemplum, & qua Deus etiam in hoc negotio impulſus fuerit, ad pœnam peccatorum noſtrorum exigendam, quæ cura creditori, qua talis, haudquaquam incumbit. Illud adhuc ex ſuperioribus repetendum eſt, etiamſi jus, quod in pœna Deus habet, non eſſet jus crediti aut abſoluti dominii, ſed ad utilitatem communem per ſe & neceſſario referretur, tamen vim comparationis omnino excludere ſatiſfactionem; præſertim cum nec Grotius diffiteatur, potuiſſe nobis Deum ſine ſatiſfactione peccata condonare, nec diffiteri poſſit, tanto majorem remittentis benignitatem cerni in remiſſione, quanto minus ſolvitur, adeoque maximam, cum nihil, nullam, cum omnia. Perinde autem eſt, ſive id, quod debetur, ſolvatur, ſive prorſus tantundem, hoc eſt, ratione pretii & utilitatis par.

Partic. 28. *Ad alteram*, inquit, *comparationem quod attinet, quæ inter Deum & nos in parabola ἐπιμυθίῳ inſtituitur, nihil aliud inde inferri poteſt, quam æquum non eſſe ut duriores ſimus in parem, quam Deus tanto ſuperior eſt in nos miſeros homunciones. Hinc ſequitur, non debere nos magis vindictam expetere quam pœnam Deus expetat. Quomodo autem Deus iſtam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad inſtitutum pertinet. In eo enim non ſimilitudo eſt, ſed diſſimilitudo. Deus enim judex eſt: nos privati. Judici convenit ſollicitum eſſe de exemplo: privatos ea cura non ſpectat. Judicis officio continetur puniendi poteſtas: eadem privatis ademta eſt. Quod ſi nimium primatur iſta comparatio (ut fit à Socino) ſequeretur homines quoque judices non debere a ſontibus illis pœnas expoſcere.*

Imo vero etiam id, quod Socinus vult, ex parabolæ ἐπιμυθίῳ recte concluditur, & ad inſtitutum inprimis pertinet, ne ſtatuatur Deus vera demum ſatiſfactione ab alio accepta nobis peccata remiſiſſe. Alias enim ſequeretur, nos vi hujus parabolæ, & exempli divini in ea nobis propoſiti, ad nihil aliud faciendum adigi, ut itidem in ipſo delinquente offenſas minime vindicemus; nec quicquam nos facturos contra hoc Chriſti monitum, ſi pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fratrum delictis ab aliis pleniſſime nobis ſatiſfieri poſtulemus: cum tamen manifeſtum ſit, nobis in iſtis verbis Chriſti præcipi, ut offenſas fratribus prorſus condonemus, nulla vindicta aut pœna ab ullo, eo nomine expetita. Quomodo enim nos exemplo ejus, qui delictum ita condonet alteri, ut ab alio ſibi prius eo nomine vere ſatiſfieri curet, adigi poſſumus ad condonanda aliis delicta, nulla prorſus ſatiſfactione accepta? Non cogit alterius exemplum, ut plus, vel potius aliud facias, quam fecerit is, qui proponitur imitandus. Recte igitur urget Socinus: ſi rex ille ſervo, qui ipſi maximam illam pecuniæ ſummam debebat, dimiſſo, ab alio eam, vel id, quod tantundem valeret, ſibi reddi curaſſet, eum illi exprobrare deinde non potuiſſe, quod ipſi univerſum debitum remiſiſſet, is vero conſervo ſuo remittere noluiſſet. Nonne enim à ſervo illo audire debuiſſet: quid tu mihi debiti remiſſionem exprobras, cum tibi abunde pro eo univerſo, quod tibi debebam, ſatiſfactum fuerit? aut cur mihi objicis, quod à conſervo meo, id quod meum erat, repetere voluerim, cum tu ab alio, quod ego tibi debebam, aut tantundem, repetieris? Nam ego quoque, ſi alium inveniſſem, qui mihi pro illo ſatiſfeciſſet, libentiſſime illum dimiſiſſem. Cur enim, illius maximo incommodo, quod mihi debebatur, extorquere curaſſem, cum & ejus ingente commodo, & promptiſſime meum recipere potuiſſem? Quapropter jure concludimus, non eſſe diſſimilitudinem eam in remittendi modo, quam vult Grotius: ſiquidem ea univerſam ſimilitudinis vim enervaret, & id tolleret, cujus cauſa parabola fuit inſtituta.

Quod Deus judex ſit, nos privati, id nihil hic virium habet, niſi oſtendatur, Deum peccata nobis condonantem ſpectandum ut judicem de alieno jure agentem, non vero ut creditorem de ſuo jure, ſuiſque offenſis, quarum remiſſio nemini noceat, agentem, quod poſterius à nobis eſt oſtenſum. Itaque rectiſſime concluditur, ut in noſtris offenſis privatiſque injuriis id faciamus, quod Deus fecit in ſuis. Nec nimium hoc pacto premitur comparatio: nec ſequitur, homines quoque judices non debere à ſontibus ullis pœnas expoſcere, intellige qua judices ſunt, & de alieno jure, ſive Dei, ſive reipubl. ſive alicujus privati, agunt: cum nec Deus hic qua judex conſideretur. In privatis ſuis offenſis & injuriis, quas à fratribus acceperunt, id facere omnino debent judices, quod diximus, ſi Chriſto velint obſequi.

Pergit Grotius Partic. 29, *Remiſſionis vocem non ſatis eſſe validam ad omne genus ſolutionis ſive ſatiſfactionis excludendum, Socinus aliquatenus agnoſcens, aliquanto plus ſubſidii ſperat ab altera voce* χαρίζεσθαι, *quam in hoc argumento Paulus ter uſurpat* Coloſſ. 2. 13. cap. 3. 13. Epheſ. 4. 32, *cujus vocis non aliam eſſe vim ſupra indicavimus, quam ut aliquod beneficium, præſertim vero indebitum ea indicetur.*

Remiſſionis vocem ſatis eſſe validam ad veram ſatiſfactionem excludendam, arbitramur & à Socino & à nobis oſtenſum. Quod Socinus ait, verbum *condonare* ſeu χαρίζεσθαι magis liberalitatem ſonare, quam verbum *Remittere* ſeu ἀφιέναι, id non arguit, eum aliquatenus agnoviſſe, Remiſſionis vocem non ſatis eſſe validam ad ſatiſfactionem excludendam: ſed, vocem Condonandi ſeu χαρίζεσθαι apertius & clarius idem præſtare, quam Remiſſionis. Sumimus autem id, quod de vocis hujus ſignificatione aſſerit Grotius, eam ſignificare beneficium aliquod, præſertim indebitum; intellige beneficium ejus, qui dicitur quippiam χαρίζεσθαι ſeu condonare, ſed ſuo nomine, non alieno. Nam ſi alieno nomine condonet, beneficium ejus eſt, cujus nomine id facit, qua de re paulo poſt. Indicat autem id ſatis origo vocabuli, quæ docet id, quod quis dicitur χαρίζεσθαι gratiæ illius eſſe imputandum, ſeu gratis ab ipſo dari aut fieri, quod etiam exempla à Grotio paulo inferius allata comprobant, & per ſe eſt manifeſtum. At hoc ſatiſfactionem veram prorſus excludit. Quod enim beneficium indebitum præſtat debitori is, qui pro eo vere ſibi ſatiſfieri curat, & tantundem, quantum debebatur, recipit? Is quidem qui pro debitore ſolvit, beneficium illi præſtat, & tanto majus, quanto plus ſolvit: ſed nullum is, qui ſolutionem accipit. Quis hujus gratiæ liberationem ab obligatione imputaret, aut gratis ſe ab ipſo liberatum fateretur? Quare non poterit dici, ipſum κεχαρίσθαι debitum.

Sed caſtigat Socinum Grotius Partic. 30, qui ut certiſſimum ponat, ad ejus vocis ſignificationem hoc quoque requiri, ut quiſquam ſibi aliquid adimat, ſuoque ſe commodo privet; & id plane verum non eſſe ait, exemplis allatis, ex quibus pateat, ad vocis χαρίζεσθαι ſignificationem ſufficere, ut ad patientem aliquid commodi non debiti perveniat, etiamſi agenti nihil decedat.

At verba Socini ita ſunt accipienda, ac ſi dixiſſet, vocem χαρίζεσθαι non poſſe de quopiam uſurpari, niſi is de jure ſuo, quod habeat in ea re, quam dicitur χαρίζεσθαι, remiſerit, & commodo, quod ad eum inde redire poterat, ſeſe privaverit. Ponit nempe Socinus, eum, de quo agatur, jus aliquod in re, quam alteri gratificetur, habere, & commodum aliquod ipſius in ea agi: quemadmodum in hoc negotio accidit; cum Deus ſit pœnæ creditor, cujus uſibus illa ſervire debeat. Quare niſi ſuo jure, ac commodo, quod ad ipſum ex pœna redire debebat, ſe privaſſet, non poſſet dici eam nobis χαρίζεσθαι: quemadmodum nec fœnerator ille, de quo Luc. 7. 42, 43, κεχαρίσθαι debitoribus mutuum, niſi ſuo ſe jure ac commodo privaſſet. Quare nihil eſt opus reſpondere ad loca, quæ Grotius produxit: cum ambitum ejus materiæ, in qua verſatur Socinus, egrediantur.

Subjicit Grotius Partic. 31: *Accedit quod ſupra oſtendimus, rectorem in pœna nihil proprium atque privatum à ſe abdicare: idque in hoc argumento eo eſt maniſeſtius, quia non Deo tantum tribuitur, ſed & Chriſto* Epheſ. 4. 32. *At peccati injuria proprie in Deum fertur, ita ut ſi eo nomine Deus remittens peccata cenſendus ſit ſuum ſibi adimere, idem tamen de Chriſto qua mediatore dici nequeat.* Deum in pœna proprium ac privatum aliquid à ſe abdicare ſupra oſtendimus. Grotii argumentatio ſi firma eſt, non magis adverſum nos, quam adverſus ipſum militabit. Quomodo enim Deus ex ipſius mente condonat aut remittit nobis peccata? Quatenus admiſſa ſolutione recuſabili tanquam Rector nos ab obligatione pœnæ liberat. Remiſſionem etiam pœnæ generatim definit, Actum Rectoris reum obligatione pœnæ liberantis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

At Chriſto, qua mediator eſt, tribuitur peccatorum remiſſio ſeu condonatio, ut hic docet Grotius; tribuitur Apoſtolis Johan. 20. 23, tribuitur aliis, tum alibi, tum in his ipſis locis Epheſ. 4. 32. Col. 3. 13. His vero definitio illa Remiſſionis non convenit. Quid Grotius reſpondere velit, ipſi conſiderandum relinquimus. Quamquam arbitramur, eum de Apoſtolis idem, quod nos, reſponſurum. Nos reſpondemus: id, quod de vi verbi χαρίζεσθαι à nobis aſſeritur, de eo eſſe intelligendum, qui ſuo nomine & reipſa, non vero alieno nomine, aut ratione declarationis tantum aliquid dicitur χαρίζεσθαι. Nam ſi alieno nomine quiſpiam dicatur χαρίζεσθαι, tum non ipſe, ſed is, cujus nomine id facit, cenſendus eſt commodo ſuo ſe abdicare. Itaque hæc vox ne tum quidem eam, quam diximus, vim prorſus amittit, ſed perſonæ tantum ratione eam ſignificationem mutat. Chriſtus autem conſideratus ut mediator, h. e. interpres ac Legatus Dei, ad Novum Fœdus ipſius nomine nobiſcum pangendum miſſus, non ſuo, ſed Dei nomine nobis peccata condonavit ac remiſit, idque eatenus revera, quatenus remiſſionem perfectam nobis obtulit, declaravit, promulgavit, eamque ſpe certa nobis impertivit: qua in re etiam Apoſtoli aliquid habent cum Chriſto commune, ut cap. 1 vidimus. Indicat iſtud locus à Grotio citatus Epheſ. 4. 32, cum illo ad Col. 3. 13, qui potius adducendus hic fuerat Grotio, collatus. Quod enim in hoc dicitur: *Sicut & Chriſtus condonavit vobis*; id in priori dicitur: *Sicut & Deus in Chriſto condonavit vobis.* Locos autem hos eſſe parallelos, quemadmodum ipſæ ſunt Epiſtolæ, vulgo notum eſt. Quod ergo Chriſtus Dei nomine fecit, id Deus in ipſo ſeu per ipſum feciſſe cenſendus eſt. Qua de re vide etiam 2 Cor. 5. 19. Deum autem non modo promulgare, ſed etiam reipſa remiſſionem peccatorum, non alieno, ſed ſuo nomine præſtare, nemo ignorat. Quare quæ de vi vocis χαρίζεσθαι à Socino dicta ſunt, ea in noſtro negotio ad Deum proprie ſunt transferenda.

Addit Partic. 32: *Neque magis verum eſt quod ex illo ante poſito deducit Socinus, nempe τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum ſatisfactione quavis. Neque enim pugnat cum ea quæ & libere admittitur cum poſſet repudiari, & ad quam is qui beneficio afficitur, nihil ipſe contribuit: quorum utrumque accidit in Chriſti pro nobis ſatisfactione.*

Τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum ſatisfactione vera ſeu plena, (hanc enim Socinus intelligit, ut non ſemel monuimus) oſtendimus antea; itemque illud, ſatiſfactionem, quam Chriſtus pro nobis præſtitiſſe creditur, talem tamque perfectam ex adverſariorum mente fuiſſe, ut, ſi cæteroqui fuit juſta, quemadmodum ab iis ponitur, non potuerit æquitate ſalva repudiari, contra quam hic affirmat Grotius. Adde quod, etiamſi ea non fuiſſet prorſus perfecta & plena, non poſſet tamen ſimpliciter dici, Deum nobis χαρίζεσθαι *omnia delicta*, ut dicitur Colloſſ. 2. 13; niſi forte dicas, eam adeo fuiſſe in ſe imperfectam, ut reſpectu culpæ noſtræ fere pro nihilo fuerit habenda, qua ratione ex rei ipſius natura ſatiſfactionis nomen haudquaquam merebitur, nec pro vera compenſatione, de qua loquimur, haberi poterit. Cæteroquin enim, cum pars debiti magna ſolvitur, dici non poteſt, omne id, quod debebatur, condonatum fuiſſe, ſed partem tantum. An id quicquam juvet Grotium, quod nos ipſi, ad quos beneficium pervenit, nihil contribuerimus, mox videbimus.

Partic. 33. De verbo condonandi, quod eatenus urgemus, quatenus verbo χαρίζεσθαι reſpondet, per ea, quæ diximus, reſponſum eſt. Iſtud addimus, propter verba illa Grotii: *Principes cum capitalium criminum reis veniam concedunt, ſolere & mulctæ aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicere: neque tamen eo minus condonare dici crimina:* ſi mulcta iſta æquet pœnam promeritam, aut gravitate ad eam proxime accedat, dici non poſſe, principes condonaſſe crimina, ſed pœnam tantum commutaſſe. Imo ne tum quidem, ſi mulcta illa non levis ſit cenſenda reſpectu delicti, id ſimpliciter dici poteſt, ſed tantum, aliquid de pœna eſſe remiſſum. At in noſtro negotio plena creditur præſtita ſatiſfactio, quæ delictorum noſtrorum æquarit merita, imo ſuperarit.

Quod addit Partic. 34: *Quanto ergo juſtius ea vox hic uſurpari poterit, ubi requiſita ſatisfactio à nobis non procedit, ſed liberatio contingit plane gratis quoad nos, etſi non gratis abſolute: quod Scriptura indicat, cum juſtificatos non dicit gratis, & confeſtim addit* διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *& quæ ſequuntur* Rom. 3. 24. *Certe cum Scriptura non uno loco redemptos nos dicat, & quidem pretio, & Chriſtum ſe, aut carnem ſuam dediſſe ad nos liberandos, harum vocum vim omnem evertere, condonationis* τὸ ῥητὸν, *ſupra quam uſus vocis deſiderat, urgendo, æquitas nulla patitur.*

Hoc nihil facit ad oſtendendum, jure dici poſſe, Deum ipſum, etiam accepta vera ſatiſfactione, nobis χαρίζεσθαι ſeu condonare delicta, aut gratis nobis remittere. Nam quod ſatiſfactio à nobis non proficiſcatur, id non arguit, eum, qui ſatiſfactionem requiſivit & admiſit, gratis hic quicquam feciſſe, ſed eum, qui ſatiſfactionem ita pro nobis præſtitit, ut nullam veram à nobis compenſationem exigeret. Quare Chriſto, non Deo, hujus beneficentiæ laus foret tribuenda. At ille ipſe locus Rom. 3. 24, quem pro ſe adduxit Grotius, contrarium docet. Nam ibi non ſatis habuit Apoſtolus dixiſſe, nos juſtificari *gratis* h. e. ut Bezæ verbis utar, ex dono gratuito & mera liberalitate, ſed ſtatim addit, *ipſius* i. e. Dei *gratia*, ut tanto apertius deſignaret eum, cujus beneficentiæ juſtificationem noſtram acceptam ferre debeamus, ſeu quiſnam ſit ille, qui gratis nobis immunitatem à peccatorum pœnis præſtet. Quapropter quod additur: *per redemptionem quæ in Chriſto Jeſu*, non poteſt ſignificare, per ſatiſfactionem veram Deo à Chriſto Jeſu præſtitam; quod non modo alienum eſt tum, cum meræ Dei liberalitati beneficium hoc adſcribitur verum etiam eam prorſus evertit. Sed ſi per redemtionem intelligas liberationem à peccatorum pœnis, non quidem actu ipſo in nobis exiſtentem ac perfectam, ſed in cura, opera, & impendio divino per Chriſtum ad nos reipſa liberandos facto conſiſtentem, rectiſſime hæc cohærebunt. Inde enim evidentiſſime patebit, meræ Dei benignitati ac liberalitati uni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

univerſam juſtificationem noſtram, in quam pretioſum etiam unigeniti Filii ſui ſanguinem impendit, adſcribendam. Qua de cauſa idem Apoſtolus ait Epheſ. 1. 7, nos habere redemptionem, per ſanguinem Chriſti remiſſionem peccatorum, *ſecundum divitias gratiæ ipſius*, h. e. Dei, ut locus ipſe ſatis docet. Quare nihil ad convellendum argumentum noſtrum ex Condonatione peccatorum ductum facit, quod Scriptura nos dicat redemptos; nec magis, id, quod pretio emtos dicat, & Chriſtum ſe aut carnem ſuam dediſſe, nempe ad nos liberandos: cum ea nullam ſolutionem, & ſic nec ſatiſſactionem, Deo præſtitam arguant. Alias ſequeretur, Deum ipſum, à quo pretium hoc & impendium ad nos liberandos datum factumve eſt, ſibimet ipſi ſolviſſe ac ſatiſfeciſſe. Qua de re & ſup. partic. 21 nonnihil dictum eſt, & alibi plura dicentur.

Partic. 35. Ad argumentum Socini, quod ex imperata nobis Dei & Chriſti in condonandis peccatis imitatione, de qua cap. 4 Eph. verſ. vult. & initio cap. 5. & Coloſſ. 3. 13 depromitur, idem reſpondet, quod ad parabolam Matth. 18, idque breviter repetit. Quare nos etiam eodem lectorem remittimus. Quamquam ſi quis Socini & Grotii verba inter ſe conferre voluerit, animadvertet, vim argumenti Socini à Grotio non attingi. Eſt quidem verum, remiſſionem peccatorum & benignitatem ipſam nobis imitandam proponi: ſed id, quod Grotius hic intelligit, nec benignitas eſt, nec remiſſio; ſiquidem cum plena ſatiſfactione conſiſtere poteſt. Itaque vim ad nos excitandos, ut aliis delicta ipſorum condonare velimus, nullam habet; ſiquidem nos jubemur ita condonare offenſas; ut nec ab eo ipſo, qui in nos deliquit, nec ab alio, ipſius nomine, veram ſatiſſactionem expoſcamus. Et ſane id eſt, quod in condonatione delictorum eſt omnium difficillimum. Nam non ideo potiſſimum tam difficulter ad condonandas offenſas adduci poſſumus, quod ei, qui nos læſit, commodum illud, quod ex condonatione ad illum redire poſſet, invideamus, ſed quod ea ratione nobiſmet ipſis aliquid adimere, & nos lædere videamur, cum contemtum, qui fuit in injuria, non vindicaverimus, & honorem noſtrum eo pacto non aſſuerimus. Itaque ſi exemplum Dei nos ad condonationem offenſarum efficaciter impellere debet, neceſſe eſt, ut Deus non tantum nos ipſos impunitos dimiſerit, verum etiam eo, quod ex pœna ad ipſum pervenire poterat, ſeipſum privaverit; quod factum non fuiſſet, ſi plenam ſatiſfactionem ab alio ſibi noſtro nomine præſtare curaſſet.

Addit Partic. 36: *Quod ſi quis rem ſubtilius intueatur, reperiet forte, ne ab ea quidem quæ nobis præcipitur, condonatione, omnem omnino ſatiſſactionem removeri, ſed eam duntaxat, quæ pro ratione perſonæ, paris ſcilicet, non ſuperioris modum ſuperet. Nam ipſa culpæ confeſſio & deprecatio (quam expeti non vetat Chriſtus* Luc. 17. 4, 5.) *adeo à ſatiſſactione non abhorret, ut hoc ipſum Latini elegantiores proprio quaſi vocabulo ſatiſfacere appellent. Sic & Paulus vocem* χαρίσασθαι *de Corinthio uſurpat, cum tamen præceſſiſſet* ἐπιτιμία ὑπὸ τῶν πλειόνων 2 Cor. 2. 7. *Et proximis poſt Apoſtolos ſæculis ſcimus lapſis publice pacem (quam vocabant) Eccleſiæ non datam, niſi poſt quoſdam demiſſionis actus publicos, quos propterea ſatiſfactiones vocabant.*

At ejuſmodi ſatiſfactiones, ſi eas ita libeat appellare, quid commune habent cum ea ſatiſſactione, quam Socinus oppugnat, in qua pœna delicto pretii ratione æqualis, rei nomine perſolvitur?

Pergit Grotius Partic. 37: *Ducta à liberalitate ratio fragili fundamento innititur. Non ut ante oſtendimus, ea virtus, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non eſt liberalitas, ſed clementia, quam Seneca recte definit lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in conſtituendis pœnis: Cicero nomen generis pro ſpecie ponens, hanc ipſam clementiam lenitatem vocavit, eamque definit, juſtitiam poſitam in moderatione animadvertendi; juſtitiæ nempe voce tam late ſumpta, ut & pietatem & fidem & amicitiam complectatur. Hæc ergo clementia ad eam virtutem pertinet, quam Ariſtoteles in Ethicis vocat* πρᾳότητα. *Eſt enim clementia* πρᾳότης τ' ἄρχοντος. *Multum autem disjuncta ſunt* πρᾳότης & ἐλευθεριότης. *Scriptura hanc Dei clementiam nomine aliquanto generaliori vocat* χρηστότητα Rom. 2. 4. & XI. 22. Tit. 3. 4. ἐλευθεριότητα *autem nunquam. Imo quod amplius eſt, vox* ἐλευθεριότης *ſive liberalitatis ne in aliis quidem rebus quæ dari & accipi ſolent, de Deo uſurpatur: ſed hæc quoque virtus charitas potius Dei dicitur. Quia liberalitatis proprie eſt ita dari aliquid, ut danti pereat.*

Primum etiamſi voce Liberalitatis abuſus eſſet Socinus, in re tamen ipſa, quæ in Sacris Literis ſatis eſt expreſſa, haudquaquam erraſſet. Tanto vero minus hoc in ipſo eſſet reprehendendum, quod Theologi, contra quos diſputat, & quidem ii, qui Latini ſermonis elegantia & puritate nemini ſui ordinis ſunt ſecundi, Liberalitatis nomen in hoc negotio uſurpent, ut vel ex iis conſtat, quæ hoc capite * ex Calvino & Beza annotavimus. Sed deinde, nos cap. 2. Partic. 31. Ex ipſis etiam Grotii dictis oſtendimus, Liberalitatem ita late extendi poſſe, ut manſuetudinem & clementiam, quatenus de jure ſuo cedit, complectatur. Beneficentiæ nomen paulo poſt in hoc negotio admittit & approbat Grotius: Benignitatis nomine non ſemel eſt uſus. Cur à Liberalitatis voce tantopere abhorret? an nos has voces, bonos auctores ſequutus, inter ſe commutare potuit Socinus, & promiſcue uſurpare? Cic. lib. 1. Offic. *Juſtitiæ*, inquit, *conjuncta eſt beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet.* Tria hæc tanquam ſynonyma ponit. P. Manutius ad Cic. lib. 4. Epiſt. 5: *Liberalitatis nomine non largitionem tantum, ſed officium quodlibet, omnemque benignitatem indicari* ait, & in eam rem citat locum ex nobili illa ad Lentulum Epiſtola lib. 1. Epiſt. 9, ubi vox liberalitatis pro benignitate ſæpius ponitur. Sed, ne ullam Grotius habeat conquerendi cauſam, indicemus nonnullos Ciceronis locos, in quibus Liberalitatis nomen clementiam vel ſignificat, vel complectitur. In Orat. pro Marcello, clementiam Cæſaris, qua poſt victoriam partam fuit uſus, cum crudelitate, qua Pompejani fuiſſent uſuri ſi viciſſent, contendens; poſtquam dixiſſet, ſe victoriæ ferocitatem extimuiſſe, addit: *Quo gratior tua liberalitas, C. Cæſar, nobis, qui illa vidimus, debet eſſe.* Liberalitatem Cæſaris ferociæ victoriæ opponens; quam poſtea ex-

* Partic. 17. & 34.

plicans,

plicans, clementiam ipſius in conſervandis victis fuſe commendat. De eadem ita loquitur infra: *De nobis, quos in Repub. tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis.* In orat. pro Q. Ligario ejuſdem Cæſaris clementiam admirabilem prædicans, & quædam de ſe commemorans, quæ animum illius, niſi is fuiſſet clementiſſimus, potuiſſent offendere, ſubjicit: *Vide quam non reformidem: vide quanta lux liberalitatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur.* Infra ead. orat. ad eundem: *Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam &c.* Ubi liberalitatis vox quamvis benignitatem Cæſaris complectitur, etiam eam, qua ad preces ſuorum amicorum aliis ſoleret ignoſcere, iiſque ſalutem concedere, ut locus inſpectus unumquemque docebit.

Quod Scriptura Dei clementiam ἐλευθεριότητα nunquam vocet, & ne in aliis quidem rebus, quæ dari & accipi ſolent, de Deo hanc vocem uſurpet, id nihil adverſus Socinum, modo vox liberalitatis ad Deum recte transferri poſſit, & ad clementiam etiam ejus extendi; quod oſtenſum eſt. Alias ille quoque reprehendi poſſet, qui de beneficentia, quam nobis Sacræ Literæ præſcribunt, loquens, hac voce uteretur, cum ea Sacris Literis prorſus ſit incognita, & ne de nobis quidem uſurpari ſoleat.

Scribit porro Grotius Partic. 38: *Quod autem Socinus magna ſermonis intemperantia perpetuam Eccleſiæ ſententiam impietatis damnat & ſacrilegii, ideo quod ipſe, ut dicit, duplicem agnoſcat Dei liberalitatem, nos autem ſimplicem duntaxat, in ea re magnam veritati injuriam facit. Nam duplicem Dei non liberalitatem (ea enim vox ab hoc argumento aliena & Scripturæ inuſitata eſt) ſed beneficentiam, noſtra quoque ſententia agnoſcit, & quidem majorem multò quam iſta nuper nata Socini opinio.*

Quod de perpetua Eccleſiæ ſententia ait Grotius, ſi etiam Apoſtolos, & eos, qui ab ipſis acceptam doctrinam puram retinuerunt, includit, ipſi minime concedimus: ſi de Eccleſia, quæ poſt Apoſtolorum tempora extitit, loquitur, id nihil ipſum juvat, nobis nil obeſt: cum & ex Sacræ Literæ prædictionibus & ex veterum Eccleſiaſticorum Scriptorum teſtimonio conſtet, à morte Apoſtolorum, eorumque qui Chriſti tempore vixerant, corruptam fuiſſe ſinceram Euangelii doctrinam, & graves errores in Eccleſiam invectos: qua de re * alibi fortaſſe à nobis dicetur aliquid: ut taceam manifeſtos patrum etiam antiquiſſimorum errores, quos Grotius non ignorat. Sed præterea de eorum omnium, qui poſt Apoſtolos extiterunt, perpetua de ſatiſfactione ſententia & conſenſu, nihil certi ſtatui poteſt. Nam ne nunc de eo dicam, quod non ignoret Grotius, multos eoſque doctiſſimos fuiſſe viros, qui in doctrina de natura Chriſti, vel plane nobiſcum, vel non multo aliter ſenſerunt, & non paucos habuerunt ſibi conſentientes, quos veriſimile non eſt idem, quod Grotius, de ſatiſfactione ſenſiſſe: ut tacem etiam, ex cæteris Eccleſiæ doctoribus vel paucos ſententiam ſuam literis mandaſſe, vel paucorum libros ad manus noſtras perveniſſe; ut, inquam, hæc mittam, eorum omnium, quorum exſtant ſcripta, eam fuiſſe ſententiam non docuit Grotius. Nam nonnullorum Patrum, & quidem antiquiſſimorum, verba à Grotio producta longe aliam, quam ipſe arbitratur, ſententiam pati poſſunt: ut, quod Chriſtus victima fuerit, aut nos redemerit, aut peccata noſtra portarit, quæ ſunt in primorum Patrum, quos Grotius laudavit teſtes, verbis. Sane quod de redemptione dicitur ab Origine, id in quarto loco, quem produxit Grotius, explicatur, dum adductis Petri verbis 1 Epiſt. 1. 19 addit: *Si ergo pretio emti ſumus, ut etiam Paulus adſtipulatur, ab aliquo ſine dubio emti ſumus, cujus eramus ſervi, qui & pretium popoſcit quod voluit, ut de poteſtate dimittat quos tenebat. Tenebat autem nos Diabolus, cui diſtracti fueramus peccatis noſtris. Popoſcit ergo pretium noſtrum ſanguinem Chriſti.* Diabolo ergo, non Deo, qui publici boni cauſa λύτρον exegerit, pretium eſſe ſolutum cenſuit Origenes; quæ redemtionis ratio longe differt ab ea, quam Grotius defendit. Idem, quod Origines, Ambroſium & Auguſtinum dicere auſos docuit Socinus lib. 2. cap. 2, quorum ſententia merito ab omnibus fuit exploſa. Lactantium, quem itidem produxit Grotius, cum ipſo ſentire, valde incertum eſt; imo ſi quis ea, quæ ſcripſit lib. 4. Inſtit. Divin. cap. 26, conſerat cum iis, quæ ſuperioribus capp. præſertim 23, & 24 diſputarat, videbit, cum minus morti Chriſti tribuere, quam revera tribuendum erat, & hanc vel ſolam vel potiſſimam ejus cauſam ſtatuere, ut patientiæ exemplum nobis præbeat: nec Grotius quicquam ex illo protulit aliud, quam quod Chriſtum pro crimine noſtro paſſum dicat: quod ſignificare poteſt, Chriſtum paſſum ut nos à crimine noſtro liberaret. Sed hæc nunc mittamus. Sententiam de ſatiſfactione Chriſti vera, beneficentiam Dei, quam Sacræ Literæ in remiſſione peccatorum nobis exhibitam prædicant, partim tollere, partim obſcurare, ut Socinus dixerat, patet. Nam ſi Deus pro peccatis noſtris pleniſſime ſibi ſatiſfieri curavit, perit illa Dei beneficentia, quam Sacræ Literæ prædicant, quod nobis gratuito peccata omnia condonarit, & omnia debita noſtra remiſerit. Deinde, ſi eum in finem filium ſuum in mortem dedit, ut ſuum reciperet, & ſibi pleniſſime ſatiſfieret, cum totum debitum jure poſſet omnino condonare, (de ipſius enim ſolius jure agebatur) idque maxima cum laude; obſcuratur & admodum minuitur altera ipſius beneficentia, quæ in Chriſto morti pro nobis tradendo conſpicitur. Quapropter quod Grotius ait, ſuam quoque ſententiam, duplicem agnoſcere beneficentiam, & quidem majorem, quam Socini ſententia; id nihil eſt. Nam ſolutionem eam, quam à Chriſto præſtitam eſſe vult, à Deo non potuiſſe jure repudiari, antea docuimus. Nullam ergo in eo nobis oſtendit beneficentiam, quod eam admiſit, ut vult Grotius. Quamquam ubi legit uſpiam in Sacris Literis, quæ beneficentiam divinam per Chriſtum nobis præſtitam creberrime inculcant, ea in re Deum fuiſſe beneficum, quod ſolutionem, quæ ipſi à Chriſto præſtaretur, admiſerit? Cur ergo id Grotius aſſerere audet? Quod vero Deus eam ſolutionem repererit,

quod

* In Præfat.

quod priori beneficentiæ annectit Grotius, & filium ſuum chariſſimum morti dederit, ut eam ſatiſfactionem perageret, pœnas peccatorum ferendo, quæ altera eſt Grotio Dei beneficentia; ea aut nulla eſt, ſi, ut quidem neceſſe eſſet, Deus ideo id feciſſet, ut ſuum reciperet. Solutionem enim reperire, aut filium chariſſimum diræ morti objicere, ut tuum recipias, quod condonare jure poſſes, id non modo beneficentiam tuam non commendat, ſed etiam te juris tui tenaciſſimum eſſe, & rigidum debitorum exactorem arguit.

Quod Socini ſententiam, opinionem nuper natam appellat, id, niſi docuerit, eam ex Chriſti & Apoſtolorum dictis non eſſe excerptam, non magis nobis curandum eſt, quam curarunt ii, qui hoc ſeculo veritatem denuo cœperunt ex tenebris Pontificiis in lucem proferre, quos quoque Grotius habet in religione duces, cum illis idem à Pontificiis objiceretur. Verum hac in parte non videtur ſatis convenire Grotio cum amico & defenſore ſuo Voſſio, qui adverſus Ravenſpergum ſcripſit *, eandem, quæ Socini ſit, ſaltem in præcipuo capite, ante annos quingentos ſententiam fuiſſe Petri Abailardi, quod alii quoque ante ipſum aſſeruerunt: quin etiam idem Voſſius, tum Auguſtini auctoritate nixus, tum Driedonis verbis in eam rem adductis, docere conatur, annis circiter ſeptingentis ante Abailardum idem docuiſſe Pelagium. Driedo vero affirmat, hanc ſententia Auguſtini tempore Eccleſiam Chriſtianam (ut ipſe judicat) infeciſſe, & uſque ad tempora Bernardi ejus reliquias manſiſſe. Ab iiſdem non videtur ſejungendus Lactantius, ut paulo ante monuimus. Quomodo ergo nuper nata dici debet hæc Socini ſententiam? Quanquam nos præclarius de vi mortis Chriſti, & ſalutis noſtræ per Chriſtum partæ ratione, & ſentire & loqui ex Sacris Literis per Dei gratiam edocti ſumus, quam iſti, quos hac in parte ſequi dicimur, ſenſere. Abailardus enim Chriſtum dicit mortuum ad amoris ſui teſtationem; Pelagius, ad humilitatis & patientiæ exemplum, aperte interim negans, Chriſtum nos ab ulla captivitate ac ſervitute liberaſſe, quæ propemodum etiam videtur Abailardi fuiſſe ſententia, ſi ea ſunt illius verba, quæ à Voſſio adducuntur: qua in re nos utrumque graviſſime erraſſe, & in Chriſti mortem injurium fuiſſe ſtatuimus. Fines iſtos mortis Chriſti, quos attulerunt, nos quoque veros credimus, & ex divinis Literis docemus: ſed iis non modo ſeorſim ſumtis, verum etiam conjunctis plura Chriſti morti tribuimus, ut non uno loco eſt oſtenſum. Quanquam nihil conſtat, an illorum ſententia ab ipſorum adverſariis integra & incorrupta fuerit Literis prodita: cum ipſorum libri non extent. Videmus enim nobis quoque cum in aliis, tum in hac ipſa controverſia, partim affingi quædam, partim dicta noſtra mutilari; & Grotium ipſum, qui diligentius in hoc negotio, quam plerique alii, videtur verſatus, ſententiam Socini de cauſſis mortis Chriſti tum ſupra tum hoc ipſo in loco, integram non attuliſſe. Socini enim ſententiam eſſe vult, Deum filium ſuum morti objeciſſe, *ut doctrinæ teſtimonium redderet, & ſic ad reſurrectionem perveniret*, additque *intra hæc ſe ſiſtere Socinum*. Ubi omittit id, quod cap. 1 & 5, ipſe Socino tribuerat, *ut exemplum patientiæ nobis præberet*. Iſtud etiam vel prorſus omiſit, vel obſcurius, ut lector non animadvertat, complexus eſt, quod in eum finem Chriſtus ſit mortuus, ut ſupremam poteſtatem atque auctoritatem, omnia nobis pecata remittendi, & æternam felicitatem donandi, eaque omnia, quæ nobis ad eam conſequendam ſunt neceſſaria, ſubminiſtrandi adipiſceretur, fideliſque ac miſericors noſter Pontifex efficeretur, qui miſeriarum noſtrarum ſenſu tangeretur, & tentatis opem promte ac tempeſtive ferret. Eodem modo vel non attigit, vel ignaro ſententiæ noſtræ lectori obſcuriſſime ſignificavit, teſtationem ardentiſſimi amoris adverſum nos tum Dei, tum ipſius Chriſti, ex quo remiſſio peccatorum ejuſque ſpes certa proficiſcitur. Illud etiam injuria Socino paulo ante tribuit Grotius, cum velle, *quod Deus, plane judicans nihil referre, exemplum ſtatueretur aliquod nec ne, peccata noſtra reliquerit impunita*. Id enim nuſpiam dicit Socinus, ſed potius aſſerit & urget, graviſſimas Deum habuiſſe cauſas, quæ ipſum ad pœnas de nobis exigendas moverent: ſed eas omnes viciſſe amorem noſtri & ineffabilem ipſius miſericordiam. Ex his autem apparet, quantum viris etiam magnis, adverſariorum ſuorum ſententiam reccitantibus, tribuendum ſit.

Quod Grotius Partic. 39 ſubjicit: *Fateri debere Socinum, multo ſe minus Chriſto debere velle quam ipſi debeant*, nempe quia neget *mortuum eſſe Chriſtum, ut ſatiſfactionem perageret, pœnas peccatorum noſtrorum ferendo*; id nihil eſt. Quid enim? an Socinus, licet Chriſtum pœnas proprie dictas pertuliſſe, atque ita Deo ſatiſfeciſſe neget, non fatetur tamen, eum animam ſuam, ut nos à peccatorum noſtrorum pœnis liberaret, & æternæ ſalutis compotes redderet, profudiſſe, & cruciatus maximos ſuſtinuiſſe? Finis ille ſatiſfactionis ſuperadditus, ait paulo inferius Grotius, nihilo graviores Chriſti perpeſſiones facit. Gravitati ergo malorum & cruciatuum, fatente Grotio, nihil detrahit Socinus, dum ſatiſfactionem negat. An forte utilitati? nequaquam. Docet enim nos per mortem Chriſti remiſſionem peccatorum, æternamque felicitatem, & media ad eam aſſequendam neceſſaria adeptos. Hac vero utilitate quid majus? Nec refert, quod ſatiſfactionem ei non aſcribat. Satis enim eſt, morte Chriſti nos id aſſequutos, ob quod ſolum ſatiſfactio iſta, ſi Grotio credimus, quærebatur, hoc eſt, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam; cum ad eam obtinendam ſatiſfactio iſta non eſſet neceſſaria. Quare cum Socini ſententia, nec impendium Chriſti, nec utilitatem inde ad nos redundantem faciat minorem, quam ſententia Grotii facit, cur ei minus ſe debere fateatur, quam Grotius?

Per hæc reſponſum eſt etiam ad ea, quæ de charitate Dei ſubjicit Grotius Partic. 40. Quanquam nobis mirum accidit, aſſerere Grotium, Dei charitatem à ſe majorem prædicari quam à Socino. An majorem Dei prædicat charitatem, qui ſtatuit, Deum non niſi vera ſatiſfactione accepta voluiſſe nobis peccata remittere, quam is, qui aſſerit, Deum nobis ſine ulla vera ſolutione, ex mera benignitate peccata condonaſſe? An majorem Dei adverſum nos charitatem

* Cap. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tatem prædicat, qui aſſerit, ita nobis iratum fuiſſe Deum, ut non niſi dira filii ſui morte placari & reconciliari nobis voluerit, quam is, qui ſtatuit Deum, licet graviſſime à nobis offenſum, ſponte tamen ſua, ſolaque miſericordia impulſum, iram adverſus nos depoſuiſſe, nobis peccatorum remiſſionem ultro obtuliſſe, &, ut nos inimicos ſuos ſibi conciliaret, eoque pacto æternæ felicitatis participes redderet, unigenitum ſuum filium in mortem acerbiſſimam conjicere voluiſſe? An denique majorem prædicat Dei charitatem ſeu beneficentiam is, qui urget, Deum non proprio jure, non debito ad ſuam utilitatem pertinente, ſed ad alienam, ceſſiſſe, quam is, qui urget, Deum proprio ſuo jure, ac debito privato, ad ſuam utilitatem pertinente, noſtri cauſa ceſſiſſe? Hæc Socinus ſtatuit, illa Grotius. Unde quiſque facile videre poteſt, uter majorem Dei charitatem prædicet.

Pergit Grotius Partic. 41: *Neque dicimus à Deo impenſum eſſe Filium, ut ipſe Deus ſuum reciperet, ac ſic Deum ſordidum facimus, quod nobis exprobrat Socinus.* At cum de jure ſolius Dei ejuſque debito ageretur, neceſſe eſt, ut, ſi ſatiſfactionis præſtandæ cauſa Deus filium ſuum morti tradidit, id, ut ſuum reciperet, fecerit. Quod Deus in pœna nullum jus habuerit ut pars offenſa, quod hic tacite pro conceſſo ſumit Grotius, id nec facile concedent alii plerique, qui ſatiſfactionem Chriſti defendunt, &, ſi verum eſſet, omnem Dei in remittendis noſtris peccatis beneficentiam everteret, ut cap. 2, à nobis oſtenſum eſt. Quæ ſubjicit de cauſis, ob quas ſatiſfactionem exegiſſe Deum ipſe ſtatuat, ea cap. 5, examinavimus.

Pergit: *Neque illud minus iniquum, & ut ipſius voce utar, immane eſt, quod à nobis immanem Deum dicit ſtatui. Nam finis iſte ſatiſfactionis ſuperadditus nihilo graviores Chriſti perpeſſiones facit: quas ſine ulla crudelitate ipſi a Deo inflictas Socinus cogitur fateri. Imo quo fines ſunt plures, eo a crudelitatis ſpecie longius abſceditur. Nam crudelis eſt qui fruſtra aut levi de cauſa aliquem torquet.*

Partic. 42. Nec ex ſola gravitate perpeſſionum, quæ alteri imponuntur, æſtimanda eſt crudelitas, nec gravitate quavis aut quarumvis cauſarum excuſatur. Immane eſt eum, qui tibi ſit conjunctiſſimus, idemque innocentiſſimus, acerbiſſimis cruciatibus ſubjicere, ut injuriæ tuæ, ab aliis profectæ, licet alias graviſſimæ ſint, & pœna digniſſimæ, vindicentur, atque ita ira tua conquieſcat, tuque tuum jus hac in parte conſequaris. At hoc à Deo factum eſſe, ex ſatiſfactionis dogmate conſequitur. Quanquam enim alii apertius in hoc crimen incidunt, quam Grotius, qui Deum pœnæ creditorem fuiſſe neget: quia tamen hoc ſuſtineri nequit, idem ut fateatur neceſſe eſt. At ex Socini ſententia id minime conſequitur, cum Deus & graviſſimas ob cauſas, & non ad iram ſuam placandam, aut ad debitum ſuum repetendum; ſed ira ſponte depoſita, noſtræ tantum utilitatis cauſa Chriſtum tantis cruciatibus ſubjecerit, eoſque infinito poſtea præmio compenſarit, quam compenſationem pœna reſpuit. Si pater chariſſimum ſuum filium ſibi obſequentiſſimum diris modis excruciandum traderet, ut injurias graves à quopiam alio ſibi illatas vindicaret, iramque ſuam hac ratione extingueret, merito crudeliſſimus cenſeretur: ſed ſi vellet eum cruciatus eoſdem ſuſtinere veritatis pietatiſque cauſa, idque eum in finem, ut æternæ tum aliorum hominum tum ſuæ ſaluti prodeſſet, non modo non immanis, ſed & pius merito cenſeretur. Huic patri ſimilis eſt Deus, ex Socini ſententia: illi priori, vi ſententiæ eorum, qui ſatiſfactionem urgent.

Quod finis ſatiſfactionis ſeu pœnæ ferendæ multo apertius & multo certiore nexu cum morte Chriſti cohæreat, quam fines quos agnoſcat Socinus, quos hic Grotius Partic. 43 denuo mutilat: ſi de eo tantum loquitur, quid mortis natura ſimpliciter conſideratæ ferat, id ad rem nihil facit; ſi vero de eo loquitur, quid reipſa fiat, aut circumſtantiarum ratio in mortis Chriſti negotio ferat, dictum negamus.

Subjicit Grotius Partic. 44: *Quanquam vero hactenus oſtendimus Chriſti pœna Deo ſatiſfactum, negare tamen nolumus vim ſatiſfactionis eſſe etiam in Chriſti actione. Solet enim ſæpe actio grata admitti velut in pœnæ compenſationem. Beneficium ſuperveniens, inquit Seneca, injuriam apparere non patitur. De benef.* l. 6. cap. 5, *quo loco oſtendit reddere eſſe rem pro re dare, & ſolutione non idem ſolvi, ſed tantundem. Quamvis autem beneficium accipere Deus ἀνενδεὴς non poteſt, ipſius tamen ſumma bonitas qualecunque obſequium quaſi pro beneficio accipit. Sic Achabus pœnam temporalem lucrifecit Deum ſuppliciter venerando.*

In his & ſequentibus verbis vel de vera ſolutione ſive compenſatione, quam ſatiſfactionis nomine intelligimus, loquitur Grotius, vel de alia quapiam improprie ita dicta. Si de illa, (ut quidem debebat, ſi Socinum volebat oppugnare) cur non refutavit ea, quæ Socinus contra diſputavit cap. 5. lib. 3, ubi oſtendit, Chriſtum, quia homo fuerit, legi divinæ ſervandæ non minus fuiſſe obnoxium, quam cæteri ſunt homines. Quare cum ſuo nomine univerſam, quam præſtitit, obedientiam deberet Deo, non potuiſſe eum noſtri loco illam Deo ſolvere. Accedit, quod quicquid is fecit, ut Deo obediret, id illi abunde fuerit à Deo compenſatum, ita ut præmium iſtud ei dicatur donatum Phil. 2. 9. Utitur enim Paulus voce ἐχαρίσατο, quæ, ipſo Grotio teſte, beneficium indebitum ſignificat. Quare ne ſibi ipſi quidem Chriſtus proprie loquendo præmium iſtud meruit; tantum abeſt, ut de obedientiæ illius merito aut pretio tantum ſupereſſet, quod pro nobis vere ſolveret, & inobedientiæ noſtræ ſarciendæ Deo præſtaret. Præterea oſtendit Socinus cap. 3, ejuſd. lib. hujuſmodi ſatiſfactionem, quam activam vocant, eam, quæ paſſiva dicitur, ſeu per pœnam facta creditur, tollere. Si enim obediendo pro nobis ſatiſfecit, quid opus erat ſatiſfactione per pœnam? cum vi illius jam pro juſtis & innocentibus haberemur. Innocentes autem nulli ſubjacent juſtæ pœnæ, nec neceſſe eſt, ut eorum nomine quiſquam ſatiſfaciat. Contra etiam, ſi per pœnarum ſolutionem ſatiſfactum eſt, quid opus erat obedientia Chriſti activa penſari & ſarciri noſtram inobedientiam? Sed de his videatur ipſe Socinus: Grotium improprie dictam ſolutionem ac compenſationem hic adſtruere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

verba ipſius ſignificant. Nam iſta, gratam actionem *admitti velut in pœnæ compenſationem:* Dei bonitatem *qualecunque obſequium pro beneficio accipere*, ἀκυρολογίαν *improprietatem* indicant, ut & Achabi exemplum, & quod paulo poſt ſubjungit, Davidis, propter quem poſteris fuerint remiſſa peccata. Sed ſi hoc vult Grotius, Socinum non oppugnat, qui adverſus ejuſmodi ſatiſfactionem potiſſimum diſputat, in qua, licet non idem præſtetur, quod debebatur, præſtetur tamen tantundem; & ſic plene, rei natura inſpecta, compenſetur debitum. Quanquam non negamus, eum etiam minus plenam, veram tamen compenſationem debiti noſtri rejicere. Sed alterius generis ſatiſfactionem, quam uſus hujus vocis admittat, Socini ſententia non tantum non excludit, ſed etiam poſtulat, ſive nos reſpicias, ſive Chriſtum. Nam impletio conditionum, quas Deus ſive nobis, ſive Chriſto impoſuit, quibus intervenientibus peccata nobis reipſa condonare, ſeu eorum pœnas à nobis auferre voluit, ſatiſfactio dici poteſt. De nobis id docuit Socinus lib. 3. cap. 2. Quod ad Chriſtum attinet, idem ex ejus ſententia conſequitur. Quod ſi enim ſatiſfacere cuipiam eſt deſiderium ejus implere, ut ſupra* docuimus; Chriſtus, qui deſiderium Dei perfectiſſime implevit, & omnia, quæ ſalutis noſtræ cauſa ipſi à Deo fuerunt impoſita, plene fuit exſequutus, pleniſſime etiam Deo ſatiſfecit, idque pro nobis, hoc eſt, noſtri cauſa, noſtroque ſummo & ſempiterno bono, quamquam non loco ac vice noſtra. Deus enim pro immenſa ſua bonitate, ita ipſius obedientiam uſque ad mortem crucis ſibi præſtitam remunerare voluit, ut non modo ipſemet felix evaderet, ſed etiam univerſum ipſius ſemen, hoc eſt ii, qui dictis ipſius fidem habentes, obedientiam ipſius imitantur, quam ad rem ipſe hominibus auxilium in perpetuum eſſet laturus. De quo diximus tum initio diſputationis noſtræ, cum de tertio mortis Chriſti fine egimus, tum cap. 1, non uno loco, ſed inprimis part. 26 & 31, in quarum poſteriore oſtendimus, quantum hac in parte morti Chriſti tribuat Socinus, qui, ut oſtendat, ſe non hujuſmodi ſatiſfactionem, ſed alterius generis oppugnare, dicere creberrime ſolet, Chriſtum *juſtitiæ divinæ* pro peccatis noſtris non ſatiſfeciſſe; juſtitiæ illius nomine, ut alibi monuimus, adverſarios ſequutus, juſtitiam quandam punientem, hoc eſt, ſeveritatem divinam, peccatorum quorumvis pœnas exigentem, intelligens. Huic enim Chriſtus non ſatiſfecit, nec ſatiſfacere erat opus, cum ſeveritate hic uti noluerit Deus, ſed clementia: verum *voluntati divinæ* & ſalutis noſtræ deſiderio.

Iſtud Senecæ lib. 6 de Benef. cap. 5, *quod beneficium ſuperveniens injuriam apparere non patiatur*, non tantum eam ob cauſam, quam Grotius commemorat, huc non pertinet, ſed etiam ideo, quia quicquid Dei cauſa præſtamus, ei debemus totum. Quare etiamſi natura Dei capax eſſet beneficii, quod eſt impoſſibile; nemo tamen eſſet, qui id in ipſum conferret. Non eſt autem beneficium, quod ei, cui datur, totum debetur. Unde idem Seneca lib. 3 de Benef. cap. 21: *Quamdiu præſtatur, quod à ſervis exigi ſolet, miniſterium eſt: ubi plus quam quod ſervo neceſſe eſt, beneficium.* Quare quicquid Deo præſtatur, miniſterium revera eſt, non beneficium, nec eaſdem in extinguenda injuria vires habet. Beneficium enim verum, cum alias non deberetur, compenſare poteſt damnum mihi illatum: cum vero miniſterium præſtatur, id quod mihi alias debebatur, redditur, delictum antecedens non ſarcitur. *Summa*, inquit Grotius, *Dei bonitas qualecunque obſequium pro beneficio accipit.* Sed cur mavult ἀκυρολογεῖν quam proprie loqui? Deum nempe pro ſumma bonitate obſequium, licet exiguum, magno dignari præmio, & propter id delicta priſtina delere.

Senecam oſtendere, reddere eſſe rem pro re dare, & ſolutione non idem ſolvi, ſed tantundem, quorſum addit Grotius? an ad ſtabiliendam ſatiſfactionem, in qua non id, quod debetur, ſolvitur, ſed aliud, aut tantundem? At non ait Seneca, reddere eſſe rem *pro re, quæ debebatur*, dare, ſed *pro re, quam acceperis*; iſtud in ſatiſfactione tantum contingit, hoc etiam in vera ſolutione, quæ à ſatiſfactione diſtinguitur. Verba ſunt Senecæ. *cum dicimus, Beneficium illi reddidi; non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidiſſe, ſed aliud pro illo. Reddere enim eſt rem pro re dare. Quid ni? cum omnis ſolutio non idem reddat, ſed tantundem.* Si omnis ſolutio non idem redderet, quod debetur, ſed tantundem, omnis ſolutio, ex ſententia Senecæ, eſſet ſatiſfactio ſtricte ſumta. At illa genus eſt: hæc ſpecis.

Partic. 45. Pergit: *Neque tantum ſua actio alicui ad impunitatem ſolet prodeſſe, ſed & alterius, quicum ipſe conjunctus eſt. Sic poſteris Davidis propter ipſum Davidem pœna remiſſa eſt* 2 Reg. 8. 19, *non tantum ob promiſſiones Davidi factas, verum etiam quia Davidis actiones Deo benigne eas æſtimanti placuerant* 1 Reg. XI. 13. 2 Reg. 8. 19. & XX. 6. Idem declarat exemplis ac teſtimoniis profanis; quibus, parentum majorumve merita liberis ac poſteris profuiſſe, aut prodeſſe poſſe, docetur.

At hæc nihil adverſus Socinum, qui fatetur, Chriſti obedientiam iis, qui cum ipſo viva fide conjuncti ſunt, ad impunitatem prodeſſe, vi promiſſionis divinæ, ex mera benignitate profectæ. Quod idem de Davide ejuſque poſteris dicendum eſt, ut ex locis à Grotio citatis apparet. Ea enim factorum Davidis nullam expreſſam faciunt mentionem, promiſſionem autem ipſi factam expreſſe commemorat locus bis à Grotio productus 2 Reg. 8. 19, ubi quodammodo explicatur, quid ſit illud, *propter Davidem ſervum meum*, aut *ſuum*, quod in cæteris locis extat. Additur enim: *ſicut promiſerat ei, ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis diebus.* Unde Vatablus 2 Reg. 20. 6, quem locum itidem produxit Grotius, ad verba *propter Davidem*, notat, *ob Fœdus quod inivi cum Davide, ut appaream verax.* In loco etiam tertio 1 Reg. XI. 13, poſt verba: *propter David ſervum meum*, ſubjicitur: *& propter Jeruſalem quam elegi*, hoc eſt, propter Jeruſalem, *quia eam elegi*, ut interpretes* nonnulli annotarunt. Qua eadem ratione priora verba recte accipiuntur. Differentia inter Davidem & Chriſtum inter alias hæc eſſe videtur, quod Deus antegreſſa Davidis pietate motus aliqua ratione fuerit, ad promiſſa illa ipſi facienda,

* Partic. 29.

* Oſiander.

quanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quanquam ex mera benignitate, ut patet ex 2 Sam. 7. 18 & ſeqq. Eundem autem Chriſti ſanctitate atque obedientia fuiſſe motum ad promiſſa nobis facienda, & remiſſionem peccatorum nobis decernendam, nullus S. Lit. locus docet, ſed potius, Chriſtum Dei decretis ac promiſſis motum fuiſſe ad obedientiam ipſi præſtandam. Chriſti enim obedientia conditio fuit, ad exſequenda Dei decreta & promiſſiones jam extantes neceſſaria, & ſic earum ipſarum conſequens non antecedens; Davidis autem pietas ea, ad quam Deus primo reſpexit, antecedens promiſſionis fuit, non conſequens.

Subjungit Grotius Partic. 46: *Sicut autem opera temporaliter bona valent ad temporalem impunitatem, ita Chriſti opus perfecte & ſpiritualiter bonum, ad liberationem à pœna æterna valuit. Quod illud ſpectat: Per obedientiam unius, juſti conſtituuntur multi, i. e. juſtificantur, habentur quaſi inſontes* Rom. 5. 19. *Et alterum: Propter nomen ejus (Chriſti ſcilicet, ſolius enim Chriſti, non autem Dei mentio præceſſerat, fatente Socino, ac præterea hoc ipſum evincit ſimilis ſententia* Act. 10. 43.) *remittuntur nobis peccata* 1 Joh. 2. 12. *Certum enim eſt, hac phraſi, propter nomen alicujus, denotari cauſam impulſivam: neque ullo Scripturæ loco diverſum Socinus evicerit.*

Rem ipſam, quam Grotius hic concludit, concedimus; modo hoc nobis relinquatur, Chriſti opera non ſua vi, aut merito proprie dicto, ſed vi promiſſionis divinæ, ex mera benignitate profectæ, ad liberationem noſtri à pœna æterna valuiſſe. Alias eſt, quod in Grotii ratiocinatione deſideres. Cur enim operi temporaliter bono opponit opus perfecte & ſpiritualiter bonum? Nam quid eſt opus *temporaliter bonum*? nonne id quod ad tempus tantum durat, ſeu tempore definitum eſt? At temporali æternum opponitur, non vero perfectum & ſpirituale. Nam & Chriſti opus temporale fuit, & tamen perfectum & ſpirituale. Spiritualiter & perfecte bono opponitur id, quod carnaliter, ut ita loquar, & imperfecte bonum eſt. At Davidis v. g. facta, non tantum carnaliter fuerunt bona, ſed etiam ſpiritualiter, licet imperfecte. Præterea non eſt eadem proportio inter remiſſionem æternæ pœnæ, infinitis præſertim hominibus concedendam, & opus perfecte & ſpiritualiter bonum, quod ad tempus tantum duravit, quæ eſt inter remiſſionem pœnæ temporalis, paucis hominibus dandam, & opus unius hominis temporaliter bonum. Ibi enim infinita eſt diſtantia, hic finita. Quare ex hoc illud non recte colligitur, nec parium comparatio recte inter hæc inſtituitur. Magni autem momenti hæc eſt differentia, ubi de vera ſatiſfactione ſeu compenſatione, aut merito proprie dicto agitur, de quo loquendum fuerat Grotio, ſi Socinum oppugnare voluit. Locus Rom. 5. 19, ut jam apparet, nihil contra nos facit. Quomodo autem per obedientiam Chriſti juſti conſtituamur, & habeamur quaſi inſontes, explicuimus paulo ante partic. 44, & locis ibid. annotatis.

Locum 1 Joh. 2. 12, ad Chriſtum non referri neceſſario, nec, ſi referretur, quicquam ad ſtabiliendam ſatiſfactionem facere, jam prolixe docuerat Socinus, eo loco, quem notat Grotius, lib. 2. cap. 25, quæ Grotium refutare oportebat, cum eundem nobis vellet opponere. Ait Grotius: vocem *ejus* Chriſtum notare, quia ſolius Chriſti, non autem Dei mentio præceſſerat, fatente Socino. Reſponderat Socinus: poſſe relativum *ejus* ad Deum referri, etiamſi Johannes de Chriſto in iis, quæ propius antecedunt, loquutus ſit, *quanquam eum non nominat.* Hoc enim eſt, quod fatetur Socinus, non vero, ut Grotius ait, Chriſti ſolius, non autem Dei mentionem præceſſiſſe. Rationem autem reſponſionis ſuæ Socinus hanc affert, quia idem etiam tum fiat, ubi Chriſti expreſſa mentio præceſſerat: ut probatur locis c. 4. 19. c. 5. 14, quod idem viceverſa nonnunquam accidit; & alias notum ſit, relativa in S. Lit. non ſemper ad proxime antecedentia referri. Pro ſua vero ſententia adducit Socinus Sac. Lit. conſuetudinem, quæ Deum *delere* aut *remittere peccata propter ſe*, aut *propter nomen ſuum* teſtantur, aut *propter nomen ſuum ſervare* ac *vivificare*, ut inter alia loca oſtendunt Eſa. 43. 25. Pſal. 25. 11. (vel 12) & LXXIX. 9. & CVI. 8. (aut 9) & CXLIII. 12, de Chriſto vero idem nuſpiam diſerte dicitur. Quod ait Grotius, hoc ipſum, nempe Johannis verba ad Chriſtum pertinere, evincere ſimilem ſententiam Act. 10. 43, id nullo fundamento nititur. Nam etiamſi tandem ibi ſcriptum eſſet, *propter nomen Chriſti* nobis peccata remitti; non ſtatim conſequeretur, locum Johannis ad Chriſtum pertinere: cum eadem res de Deo & Chriſto dici poſſit, diverſis præſertim in locis, de quibus nihil conſtet, an ſe mutuo reſpiciant; quemadmodum ſane remiſſio peccatorum tum Deo tum Chriſto tribuitur. Sed præterea non eſt ibi ſcriptum *propter nomen ipſius*, ſed *per nomen ipſius*, quod vi ſua non cauſam impulſivam, quam Grotius vult priori iſta phraſi denotari, ſed mediam ſeu inſtrumentalem ſimpliciter ſignificat; & ſenſus eſt, vel per ipſum Chriſtum nos remiſſionem peccatorum conſequi, vel per virtutem & poteſtatem Chriſti. Interdum enim Hebræi *nomen alicujus* pro eo ipſo, cui vox *nominis* additur, ſumunt: unde in locis antea de Deo citatis, Deus nunc *propter ſe*, nunc *propter nomen ſuum* aliquid facere dicitur, eodem ſenſu: interdum virtutem, poteſtatem, dignitatem, vel auctoritatem voce *nominis* denotant, quemadmodum fit Phil. 2. 9, 10. Epheſ. 1. 21. Hebr. 1. 14. Actor. 4. 7. Quod ſi ex his Petri verbis judicandum eſt de verbis Johannis, ſtatuendum erit, id velle Johannem, nos per Chriſtum, ejuſve poteſtatem, remiſſionem peccatorum conſequi, cum hunc ipſum in finem ſit à Deo excitatus ſervator Actor. 5. 31, præterquam quod non niſi per fidem in ipſum, cujus ipſe auctor eſt, eandem conſequamur, quod ipſum quoque in loco Johannis intelligi poteſt, ut paulo poſt dicetur. Atque hæc interpretatio eo minus eſt repudianda, quod vox *propter* interdum pro *per* ponitur, idque eo in loco, quem Calvinus, contra quem Socinus diſputat, ad hunc Johannis locum illuſtrandum attulerat, qui eſt apud eundem Johannem cap. 6. Euang. ℣ſ. 57. *Ego vivo propter patrem, & qui comedit me, vivet propter me.* Ubi *propter patrem* eſt *per Patrem*, vel virtute Patris: *propter me* eſt *per me* vel virtute mea: quam enallagen ibi agnovit Beza. Phraſin vero *propter nomen alicujus*, poſſe ſignificare *propter fidem in aliquem*, aut *propter cognitionem alicujus*, Socinus docuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& hoc ipſo in loco id fieri oſtendit, collatione hujus verſiculi cum 13, ubi idem aliis verbis repetitur. Quod enim in loco noſtro dicitur: *Scribo vobis, filioli, quod remittantur vobis peccata propter nomen ejus,* id verſ. 13 his verbis repetitur: *ſcribo vobis, pueruli, quia cognoviſtis patrem.* Qua de re plura apud ipſum Socinum videri poſſunt, tum in ipſo de J. C. Servat. libro, tum in Commentario, quo hanc Epiſtolam illuſtravit. Quod ſi verba iſtiuſmodi *propter fidem*, aut *cognitionem alicujus*, Grotius velit etiam cauſam impulſivam denotare, habebit etiam in noſtra explicatione illorum verborum *propter nomen ejus* cauſam impulſivam, ſed quæ ad ſatiſfactionem ſtabiliendam nihil faciat: ſin inſtrumentalem tantum aut mediam, fateri cogetur, phraſin *propter nomen alicujus* non ſemper impulſivam cauſam denotare. Quamquam interdum, ut interpretes animadverterunt, cum Deus *propter nomen ſuum* aliquid facere dicitur, aut ut faciat rogatur, nihil aliud ſignificatur, quam eum id facere, aut facere debere, *propter gloriam ſuam*; cujus rei exemplum habes in loco illo Ezech. 36. 22 alibi * à nobis citato. Id autem de fine potius videtur intelligendum, quam de cauſa impulſiva.

RESPONSIO

Ad Cap. VII. quod inſcripſit Grotius:

De placatione & reconciliatione per Chriſti mortem facta.

QUæ Grotius Partic. 1, ab initio hujus capitis affert, ut oſtendat, Socinum non nudam ſatiſfactionis vocem, ſed rem ipſam ea voce expreſſam impugnaſſe, qua de cauſa alias quoque loquutiones, quibus Theologi de ſatiſfactione loquentes utantur, repudiarit; ea reſponſione non egent. An res ipſa, quæ ſatiſfactionis voce notatur, in Sacris Literis contineatur, ex dictis clarum eſt. An præter eas, quas hactenus examinavimus, aliæ loquutiones idem valentes, imo illæ ipſæ, quas Socinus rejicit, in Sacris Literis reperiantur, nunc videamus. Id enim Grotius ſe demonſtraturum aſſerit. Attulit autem Grotius ex Socino iſtas locutiones, quas tamen Socinus non omnes idem quod ſatiſfactionis verbum ſignificare arbitratur: *Chriſtus morte ſua nobis Deum reconciliavit; Chriſtus nos è manibus juſtitiæ divinæ, ſanguinem ſuum redemtionis noſtræ pretium illi dans, liberavit; Chriſtus ſcelera noſtra ſua obedientia compenſavit; Chriſtus, ut remiſſionem peccatorum nobis Deus largiretur, digne commeritus eſt; Chriſtus vitæ jactura Dei iram placavit.* His addiderat Socinus etiam illam, quam Grotius hic omittit: *Chriſtus pœnas univerſas noſtris iniquitatibus debitas, moriendo divinæ juſtitiæ perſolvit.* Attulerat autem has loquendi formulas Socinus ideo, ut oſtenderet, non carere falſitatis ſuſpicione doctrinam de ſatiſfactione, nec immerito à quovis repudiari, donec ea perſpicue ex Sacris Literis fuerit demonſtrata; cum non modo ſatiſfactionis vox in Sacra Scriptura nuſpiam extet, verum etiam in ea explicanda opus ſit uti loquendi formulis Sacræ Scripturæ prorſus incognitis, quales ſunt iſtæ, quas enumeravimus, quibus tamen ſcatent Theologorum libri & conciones. Cur enim eædem in Sacris Literis non extant, nec tam frequenter inculcantur, præſertim cum in cognitione ſatiſfactionis cardo ſalutis verti credatur? An enim divini homines, qui Spiritu Sancto impellente ſalutis viam literis manderunt, minore vel charitate vel diligentia in re tanti momenti inculcanda & explicanda uſi ſunt, quam Theologi recentiores? Nec ſane Grotius, etiamſi aſſerat, illas ipſas locutiones, quas rejicit Socinus, in Sacris Literis reperiri, id demonſtravit. Demonſtravit quidem, ſcriptum eſſe, Chriſtum nos Deo reconciliaſſe, & ἱλάσκεσθαι peccata noſtra, aut eſſe ἱλασμὸν pro peccatis noſtris, aut ἱλαστήριον; quæ omnia nos agnoſcimus: ſed nuſpiam oſtendit ſcriptum, Chriſtum *reconciliaſſe nobis Deum*, aut *Dei iram placaſſe*, quod nos cum Socino ſcriptum negamus. Demonſtravit etiam, Chriſtum nos redemiſſe, aut redemtionis pretium dediſſe, quod nos quoque fatemur: ſed nuſpiam oſtendit ſcriptum, *Chriſtum nos è manibus Dei* aut *juſtitiæ illius*, vel ſimpliciter *à Deo nos redemiſſe*, aut *pretium redemtionis Deo dediſſe aut perſolviſſe*, quod nos cum Socino negamus. Cæteras loquendi formulas, quas à Socino repudiari dixerat, in Sacris extare, itidem non docuit. Quomodo ergo aſſerit, illas ipſas locutiones, quas Socinus rejicit, in Sacris Literis reperiri? Sed videamus, quæ Grotius afferat teſtimonia, ad demonſtrandum idem valentes locutiones, imo illas ipſas, quas rejicit Socinus, in Sacris Literis reperiri.

Refert ergo teſtimonia illa ad claſſes quatuor Partic. 2. *Primam claſſem* facit *earum locutionum, quæ iræ averſionem deſignent. Alteram earum, quæ liberationem per redemtionem ſeu pretio dato factam indicent. Tertiam earum, quæ ſubrogationem innuant. Quartam earum, quæ morti Chriſti vim adſcribant ſacri expiatorii.*

Ad primam claſſem ſeſe accingens, hoc præmunit Grotius Partic. 3: *Iram alicujus avertere Græce dici* ἱλάσκεσθαι, εἰρηνοποιεῖν, καταλλάσσειν, ἀποκαταλλάσσειν, Latine placare, pacare, conciliare, reconciliare, item propitiare.

Hic primum animadvertenda eſt ambiguitas in phraſi, qua Grotius utitur: *iram alicujus avertere*, qua detecta non parum lucis ſequenti diſputationi accedet. Duplici enim ratione dici poteſt, iram Dei, de qua hic nobis agendum eſt, averti: vel quod ira Dei, qua is jam ſit accenſus, in ipſo mitigetur & extinguatur, ita ut ex irato placatus reddatur; qua ratione Grotio in hac diſputatione phraſis iſta eſt accipienda, ſi Socinum velit oppugnare, & iram Dei morte Chriſti placatam demonſtrare; vel quod ira Dei, quæ eſſe poſſet, aut omnino etiam ſequutura eſſet, avertatur, h. e. efficiatur, ne quis iram Dei, quam promeritus fuerat, & pœnam, quæ iræ effectus eſt, ſentiat; quo ſenſu nos fatemur, imo urgemus,

* Sup. cap. 2. partic. 28.

gemus, Chriſtum Dei iram à nobis avertere: cum de eo Paulus ſcribat 1 Theſſ. 1. v. ult. quod nos eripiat *ab ira ventura*, & Rom. 5. 9, 10, quod per ipſum, & quidem *in vita ipſius*, *ſervandi ſimus ab ira*. Nam dum cæteri homines ſuorum ſcelerum pœnas dabunt, & iram Dei adverſus ſe experientur, Chriſtus poteſtate ſua, quam habet, nos tuebitur, omniaque ſupplicia à nobis avertet, adeo ut iram Dei haudquaquam ſimus ſenſuri. Quin etiam in hac vita patrocinio ſuo nos à judiciis divinis tuetur, & cum alii pœnas peccatorum luunt, nos ipſius cura & tutela ab iis immunes reddimur. Et hoc ſenſu Chriſtum ἱλασμὸν dici aut ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ h. e. expiare peccata populi, mox patebit. Quanquam alia quoque reſtat ratio, eaque duplex, qua Chriſtus Dei iram à nobis avertit, ut paulo poſt dicemus. Deinde illud quoque animadvertendum eſt, etiamſi iram alicujus avertere ſit Græcis ἱλάσκεσθαι: non tamen ſemper viceverſa, niſi id ad perſonam, non ad rem aliquam, ut non raro accidit, referatur, quemadmodum inferius patebit. Grotio autem ad argumentum contra Socinum ex hoc verbo nectendum, non tam ea enunciatione, quam ponit, quam converſa eſt opus. Cætera, quæ de his verbis Græcis dicenda reſtant, ſuis locis videbimus.

Verba Rom. 1. 18, quæ de ira Dei agens citat Grotius, non ad omnes homines omniaque ſecula ſimpliciter pertinent, ſed ad eos, qui veritatem divinam per impietatem detinent, &, quantum in ſe eſt, ſupprimunt. Ratio ſubjecta nulla eſt. Poteſt enim quiſpiam eſſe filius iræ, etiamſi talis, quales ibi deſcribuntur, non ſit. Latetque in hac argumentatione conſequentis fallacia. Omnes enim illi, de quibus Rom. 1. 18, ſunt natura filii iræ, ſed non contra. Hucuſque legi.

De verbis Johan. 3. 36 ſupra cap. 3 egimus, & aliam, quam Grotius arbitratur, eorum ſententiam eſſe docuimus. Loquuntur enim de ira, quæ ſuper iis, qui Chriſto non credunt aut obediunt, manet, non quod antea fuerit ſuper iis, ſed quod ab iis, poſtquam exiſtere cœperit, porro non ſit auferenda. Quare concidit illud, quod ſubjicit Grotius, Chriſtum morte ſua hanc averſionem iræ, quæ ſuper aliis maneat, impetrare. Quamquam quicquid de Impetratione illius averſionis iræ dicit, id pro conceſſo ſumit Grotius, niſi Impetrare ſumat pro Efficere, ut quis rem ab altero, ſub certa conditione ſibi jam decretam, obtineat. Hac enim ſignificatione concedere poſſumus, Chriſtum morte ſua impetraſſe averſionem iræ divinæ; quia morte ſua effecit, ut iram Dei, quam ſumus meriti, non ſimus ſenſuri; quamquam vi decreti divini jam antea ea de re facti, ſed cujus effectus plenus à certis adhuc conditionibus pendebat. Effecit autem id mors Chriſti triplici ratione, quemadmodum cap. 1. eſt explicatum: partim quia per eam jus quoddam nobis datum eſt impunitatem vi Fœderis Novi, cujus fuit ſanctio, conſequendi; partim vero, quia per & propter eam Chriſtus pleniſſimam adeptus eſt poteſtatem omnes peccatorum pœnas à nobis avertendi; partim denique quia in nobis efficit conditiones eas, quibus præſtitis vi decreti divini remiſſionem peccatorum reipſa adipiſcimur. Atque hoc ſenſu Chriſtum ἱλασμὸν ſeu *expiationem*, aut, ut Grotius vult, *placamen* dici arbitramur.

In locis 1 Johan. 2. 2. & 4. 10. in quibus Chriſtus ἱλασμὸς dicitur, quod placamen vertit Grotius Partic. 5, adducendis, & ad ſententiam ſuam accommodandis, non uno modo lapſus eſt. Primum teſtimonium ſic habet: *Si quis peccarit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt* ἱλασμὸς *(expiatio) pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantum, ſed pro peccatis totius mundi*. Grotius pro voce *juſtum*, qua Johannes Chriſtum inſignit, non recte repoſuit *innocentem*. Nam etſi vox *juſtus* ſæpe pro innocente ſumitur, non tamen ſemper. Significat enim inter alia etiam fidelem ſeu cônſtantem in ſervandis promiſſis, ut cap. 1. faſſus eſt Grotius: & hoc pacto, ne longe abeamus, accipitur hæc vox à Johanne cap. præced. verſ. 9. in verbis illis: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt* (Deus) *& juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Hoc eodem modo in verbis noſtris accipi poteſt, ſenſu eleganti, cui Grotius ſua interpretatione viam quodammodo præcluſit, (neque enim vox *innocentis* fidelem nominatim ſignificare ſolet) nempe Chriſtum, quia ſit fidelis & conſtans in ſervandis promiſſis, noſtri patrocinium apud Patrem ſuſcepturum, & peccata noſtra expiaturum, hoc eſt, omnes peccatorum pœnas, quas Deus comminatus fuerat, & quæ ab irato Deo in impios proficiſci ſolent, poteſtate ea, quam à Patre accepit, à nobis averſurum: cum ipſe nobis reſipiſcentibus perpetuam à peccatorum pœna liberationem promiſerit. Quem ſenſum jam explicuerat Socinus lib. 2. cap. 21. Deinde, qua ratione probat Grotius, hoc loco Chriſtum ἱλασμὸν dici, quod *morte ſua iræ Dei a nobis averſionem impetraverit*, h. e. ut ipſe hæc verba accipit, iram Dei jam tum adverſus nos incitatam, pœnam pro nobis ſuſtinens, extinxerit? Verba Johannis nullam mortis Chriſti mentionem faciunt, nec opus eſt eam hic nominatim ſubaudire ad ſenſum loci complendum: imo ex cæteris verbis non obſcurum eſt, Chriſtum appellari hoc loco ἱλασμὸν, quatenus apud Patrem nunc degens advocatus noſter eſt, & cauſam noſtram ſuſcipit, nos patrocinio ſuo fovet & tuetur, & cura ſua ſingulari efficit, ne iram divinam experiamur, aut pœnas, quas meriti ſumus, luamus. Quo pertinent illa Hebr. 7. 24. *Hic autem eo quod permaneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Unde ſervare perfecte poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro iis*. Et illa cap. 2. 17. in quibus fidei etiam ipſius fit mentio, à qua ἱλασμὸς peccatorum proficiſcatur. Ait enim D. Auctor: *Unde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expiandum peccata populi. Nam in quo paſſus eſt ipſe cum eſſet tentatus, poteſt & iis qui tentantur auxiliari*. Ex hoc ergo loco non poteſt concludi, ipſi morti Chriſti averſionem iræ divinæ, multo autem minus iræ illius placationem, quam Chriſtus pœnas ſuſtinens impetraverit, eſſe tribuendam; adeoque nec ſatiſfactio hinc ulla, quam placatione iſta Grotius vult indicari, ſtabilitur. An enim in cœlis Chriſtus Deo ſatiſfacit, aut pœnas aliquas ſolvit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Partic. 6. Poſterior Johannis locus, qui extat 1 Epiſt. c. 4. 10, manifeſtum Grotii errorem arguit. Nam ſi in eo ſita eſt dilectio, quod Deus nos dilexerit, & filium ſuum miſerit ἱλασμὸν pro peccatis noſtris, quomodo Chriſtus morte ſua demum iram Dei adverſum nos incenſam placavit? Nam cum dilectio illa Dei, quæ ſane fuit ſumma, cauſa fuerit, cur Deus chariſſimum ſuum filium mitteret, ut eſſet ἱλασμὸς pro peccatis noſtris, neceſſe eſt, ut Deus iram adverſus nos jam ante depoſuerit. Quod ſi Grotium ſequamur, hæc erit verborum Johannis ſententia prorſus abſurda: In eo conſiſtere ſingularem illum & prorſus admirandum Dei adverſus nos amorem, quod filium ſuum miſerit, qui ipſius adverſus nos iram placaret, eumque nobis propitium redderet. Itane quiſpiam amat alterum, ut, id, quod habet pretioſiſſimum, ejus cauſa impendat, quo ipſemet placatur, & ei ipſi, quem tantopere amat, propitius fiat? Quid abſurdius dici poteſt? Nonne eodem tempore & impenſe amabit, & non amabit? Si Deus etiam tum potuit nobis iraſci, cum filium ſuum chariſſimum ſupremæ noſtræ felicitatis cauſa morti acerbiſſimæ objiceret, quod ſatis magnum argumentum erit, ex ejus effectis petitum, unde cognoſcamus, eum nobis non iraſci amplius? Dicitur autem Chriſtus eo loco miſſus, ut eſſet ἱλασμὸς pro peccatis noſtris, quia eum in finem fuit miſſus, ut expiationem peccatorum noſtrorum, ſeu perpetuam ab eorum pœnis liberationem per ipſum conſequeremur. Qua vero id ratione per mortem Chriſti factum ſit, paulo ante explicuimus.

Partic. 7. Teſtimonium Pauli Rom. 5. 8: *Commendat Deus ſuam charitatem* (*erga nos* omiſit Grotius) *quod, cum adhuc peccatores eſſemus nos, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*; quod cum illo Johannis conferri vult Grotius, itidem ſententiam ipſius convellit. Docet enim ibi Paulus, mortem Chriſti pro nobis ſuſceptam, ex ſingulari Dei erga nos charitate profectam eſſe, non vero charitatem Dei ex Chriſti morte. At ſi Chriſtus morte ſua Deum iratum nobis reddidiſſet propitium, Dei erga nos charitas ex Chriſti morte fuiſſet profecta, non contra.

Nec quartus locus Partic. 8, aliud docet Rom. 3. 24, 25: *Juſtificamur gratis, ipſius* (Dei) *gratia, per redemtionem quæ in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus* ἱλαστήριον (propitiatorium) *per fidem, in ipſius ſanguine.* In eo enim eſt Apoſtolus, ut oſtendat, meræ Dei gratiæ ſeu benignitati juſtificationem noſtram eſſe imputandam, quemadmodum cap. præced. partic. 34 docuimus, ubi oſtendimus etiam redemtionem illam in Jeſu Chriſto factam, per quam juſtificatio nobis contigerit, divinæ beneficentiæ tribuendam eſſe. Quare cum eandem rem uberius explicans addit, quod Deus propoſuerit Chriſtum propitiatorium, non poteſt is eſſe ſenſus, Chriſtum fuiſſe conſtitutum, ut nobis Deum iratum placaret, &, ut remiſſionem peccatorum nobis decernere aut promittere vellet, morte ſua impetraret: imo cum ipſe Deus dicatur propoſuiſſe Chriſtum propitiatorium per fidem, in ipſius ſanguine, manifeſte colligitur, Deum ſalutem noſtram jam tum cupiiſſe, & media, quæ ad eam perficiendam pertinerent, ſponte ſua procuraſſe, ac rationem æquiſſimam, qua ipſum propitium experiremur, in Chriſto oſtendiſſe, voluiſſeque ut Chriſtus, filius ipſius unigenitus, ſanguinem ſuum eum in finem funderet: quæ omnia an ullam Dei adverſus nos iram, quæ in eo tum temporis exſteret, admittunt? Iræ enim eſt pœnam expetere, & prohibere quominus nobis benefaciat Deus, cujus hic ſumma extitit in nos beneficentia. An arguunt à Chriſto impulſum eſſe Deum ad peccata nobis condonanda, & non potius Chriſtum à Deo ad id miſſum atque impulſum fuiſſe, ut ea faceret, quæ ad peccatorum remiſſionem nobis tum confirmandam tum parandam pertinerent? Quare, cum iſta vocis ἱλαστηρίου ſignificatio, quam Grotius urget, conſiſtere nequeat, quærenda eſt alia, tum cæteris Sacris Literis locis, tum hujus ipſius loci ſcopo conſentanea. Eam vero invenire non eſt difficile, ſi conſideremus, quorſum Apoſtolus in hac appellatione reſpexerit. Animadverterunt autem interpretes, eum alluſiſſe ad operculum arcæ fœderis, quod tum à LXX Interpretibus multis in locis, tum ab Auctore Epiſt. Hebr. cap. 9. 5, ἱλαστήριον vocatur, quia, ut infra non diffitetur Grotius, Deus in eo propitium & placatum ſe populo præbens, ſua reſponſa dabat, & Moſi loquebatur, quæcunque illis ſignificari volebat Exod. 25. 22. At in Chriſto non modo ſe nobis Deus propitium & admodum clementem exhibuit, verum etiam, quicquid nos de ſua voluntate, noſtræque juſtificationis modo & via ſcire voluit, per ipſum pleniſſime expoſuit, & oſtendit, quo pacto ipſum propitium re ipſa ſentire poſſemus. Quapropter Chriſtus eam ob cauſam recte ἱλαστήριον appellari poteſt.

Ex his patet, id, quod ſubjicit Grotius: *Quod* (nempe) *Chriſtum eſſe factum* ἱλασμὸν *ſeu* ἱλαστήριον *in ſanguine ſuo) quid eſt aliud quam id ipſum quod negat Socinus, placatam à Chriſto Deum*? nullo niti fundamento.

Sed caſtigat Socinum Grotius Partic. 9, *quod* ἱλασμὸν *apud Johannem expiationem interpretetur, expiationis autem voce peccati deſtructionem intelligat, quia id faciat nulla de cauſa, nullo munitus exemplo.*

Ἱλάσκεσθαι, unde ἱλασμὸς, expiandi ſignificationem habere, mox docebimus, neque id revera eſſe videtur, quod Grotius negat, qui explicationem potius hujus vocis nomini ἱλασμοῦ non putat convenire. Socinus per expiationem hoc loco perpetuam à peccatorum pœnis liberationem intelligit. Hoc ipſum velle Johannem, ſatis indicat collatio hujus verſ. cum præcedenti. Eandem enim ſententiam Johannes ſuo more repetit, & quod antea dixerat: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut viveremus per ipſum*, id ſeqq. verſ. ita effert: *in hoc eſt charitas &c. quod ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum* ἱλασμὸν *pro peccatis noſtris.* Unde apparet eatenus Chriſtum dici ἱλασμὸν *pro peccatis noſtris*, quatenus *per ipſum vivimus*, ſeu quatenus nos, qui graviter peccaveramus, ab æterna morte peccati pœna liberat, & vitam æternam divina voluntate nobis confert. Eatenus verba hæc poſteriora addunt aliquid præcedentibus, quatenus docent, Chriſtum non fuiſſe à Deo miſſum ut hominibus innocentibus

tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tantum vitam æternam offerret, eaque faceret, quæ ad illam reipſa iis conferendam eſſent neceſſaria, ſed potius ut peccatores, & homines qui impie vixiſſent, vitæ illius redderet participes; quam gratiam N. Fœderis propriam eſſe cap. 1 docuimus. Vocem ἱλασμοῦ placationem iræ divinæ non ſignificare, ex loco ipſo paulo ante demonſtravimus. Non ſatis autem commode Grotius explicuit, quid ſit ex Socini mente Expiatio, dum ait, eſſe *Peccati deſtructionem*, quibus verbis Socinus non utitur, ſed ſatis aperte ſcribit *, Expiare eſſe peccata purgare & eorum reatum ac pœnam auferre. *Deſtruere peccatum* ambiguum eſt, & ſignificare poteſt, idque fortaſſe magis proprie, ipſas tranſgreſſiones divinæ voluntatis tollere, ſeu efficere, ne quis amplius peccet, quæ non tam illa ipſa expiatio eſt, de qua Socinus loquitur, quam ejus medium, cum de ablatione reatus loquatur, ad quam neceſſaria eſt iſta peccatorum deſtructio.

Ἱλάσκειν, ait Partic. 10, *apud Græcos Scriptores omnes Poëtas, Hiſtoricos, alios eſſe placare, & ſolere conſtrui cum accuſativo deſignante perſonam, cujus ira avertitur: nec aliter uſurpari apud Lxx interpretes, &* Luc. 18. 13.

De cæteris Scriptoribus, qui puritatem Græcæ linguæ ſervant, nunc non erimus ſoliciti; cum Sac. Scriptores N. Teſtamenti Hebraiſmis innumeris ſcateant, & ſic à conſuetudine linguæ Græcæ ad Hebraicam deflectant, quod in hoc ipſo, de quo agimus, verbo Hebr. 2. 17, ubi id de Chriſto effertur, factum eſſe mox fatebitur Grotius. Sequuti ſunt divini illi viri inprimis Lxx ſeu Græcos V. Teſtamenti interpretes, ex quorum verſione innumeros loquendi modos in N. Teſtamenti Scripta traductos eſſe alibi monuimus: cum quibus jungendi ſunt librorum Apocryphorum ante illud tempus extantium auctores, qui & ipſi Hebraizant. At apud hos Scriptores ἱλάσκεσθαι aut ἐξιλάσκεσθαι (nam activi ἱλάσκειν vix eſt apud illos uſus) non ſemper eſt placari, hoc eſt, ex irato propitium fieri, præſertim ab alio: ſed interdum, cum abſolute ſeu intranſitive, ut loquuntur, ſumitur, ſignificat propitium eſſe, aut propitium, clementem ac manſuetum ſe exhibere tum, cum iraſcendi juſta foret cauſa; uno verbo, ignoſcere ac parcere. Atque huc recte poteſt referri locus Lucæ à Grotio citatus cap. 18. 10, ubi interpretes plerique verbum ἱλάσθητι reddiderunt *propitius ſis* vel *eſto*, quaſi dictum eſſet εὐμενὴς vel ἵλεως ἴσθι. Neque enim neceſſe eſt ita verbum iſtud interpretari, ac ſi dictum foret, *deſine iraſci:* quanquam ne ſic quidem ſua vi placationem ab alio profectam ſignificaret. Hanc ſignificationem reperies apud Græcos interpretes aliquoties, ubi in Hebræo eſt verbum Salach, quod eſt ignoſcere, parcere, condonare delictum, unde ab iis ſæpe redditur ἀφιέναι *remittere*: ſed verbum ἱλάσκεσθαι habes pro eo poſitum bis 2 Reg. 5. 18, in oratione Naamanis. Vide inter alia Levit. 4. 20, 26, 31, 35. cap. 5. 10, 13, 16, 18, qui ſibi à Deo cupit ignoſci, ſi ingreſſus in ædem Rimmon, cum Rege ſibi innitente ibidem adoraret, ſeu ſeſe incurvaret; & Pſal. 25. 11, (aut 12) Thren. 3. 41. Dan. 9. 19. Alibi ſæpe eodem ſenſu reddunt id verbum ἵλεων εἶναι propitium eſſe. Sed præterea non raro verbum ἱλάσκεσθαι aut ἐξιλάσκεσθαι, cum tranſitive uſurpatur, ſignificat Expiare aut Expiari. Vid. 1 Reg. 8. 30, 34, 36, 39, 50, eod. modo 2 Par. 6. & c. 7. 14. Jer. 5. 1. XXXI. 34, (conf. Hebr. 8. 12) & XXXVI. 3. lx. 20. Solent enim id interpretes Græci Vet. Teſtamenti frequentiſſime reponere pro Hebraico Cipper, ſeu (habita ratione pronunciationis) Kipper, quod eſt expiare; idque propterea, quia cujus delictum expiatur, is ἵλεων ſeu propitium experitur eum, quem offenderat, & iram ejus, quam meruerat, quæque ſi non exiſtat, exiſtere tamen poſſet, effugit; quod ſatis eſt ad id, ut verbum ἱλάσκεσθαι de expiatione poſſit uſurpari. Exempla, ubi verbum hoc pro expiatione uſurpatur, paſſim occurrunt apud Moſen, præſertim in Levitico. Quia vero Deus etiam in S. Lit. dicitur expiare; peccatum autem, vel id, quod aliqua labe contaminatum eſt, expiari; ideo etiam ἱλάσκεσθαι, aut ἐξιλάσκεσθαι interdum Deo tribuitur active, eodemque modo Chriſto, paſſive autem de peccato ipſo, aut de eo, quod labe aliqua contaminatum eſt, effertur. De Deo exemplum habes apud Siracidem cap. 34. 23, ubi cum dixiſſet, *oblationibus impiorum non delectatur dominus*, addit οὐδὲ ἐν πλήθει θυσιῶν ἐξιλάσκεται ἁμαρτίας, *neque in multitudine victimarum expiat peccata.* De Chriſto extat locus Hebr. 2. 17, de quo paulo poſt agemus. In quo utroque loco verbum hoc paſſive ad peccatum refertur, ea, qua diximus, ſignificatione, quod fit etiam Deut. 21. 8, ubi dicitur: καὶ ἐξιλασθήσεται αὐτοῖς τὸ αἷμα, *& expiabitur illis ſanguis*, hoc eſt, reatus ſanguinis auferetur, ut habet vulgata verſio, intellige à Deo. Præceſſerat enim: *Expia populum tuum Iſraël, quem redemiſti, Domine, & ne imputes ſanguinem innocentem in medio populi tui.* 1 Sam. 3. 14, ait Deus: Juravi domui Eli; εἰ ἐξιλασθήσεται ἡ ἀδικία οἴκου Ἡλὶ *ſi expiabitur iniquitas domus Eli.* Dan. 9. 24, τοῦ ἐξιλάσασθαι ἀδικίας, *ad expiandum injuſtitias.* Apud Siracidem ea conſtructione & ſignificatione reperitur aliquoties. Vide præter locum cap. 34, paulo ante commemoratum, cap. 3. 4. XXXIIJ. 5, 6. XX. 30. XXVIIJ. 5. Eodem modo effertur de terra ſanguine polluta Num. 35. 33, de Sancto Sanctorum, Æde Sacra, & ara expianda Levit. 16. 16, 20, 33. Ezech. 43. 20, 22, 26. XLV. 20. Ea vero ἐξιλάσκεσθαι nil eſt aliud, quam ea καθαρίζειν *expurgare*, aut ἁγιάζειν, *ſanctificare*, quæ verba interdum cum illo hac in re commutantur, interdum conjunguntur. Vid. d. l. Levit. 16. 19. Ezech. 43. 20, 26. & Exod. 29. 36, 37. Quomodo ergo ait Grotius, apud LXX interpretes, ſeu in Græca Vet. Teſtamenti interpretatione, non aliter uſurpari vocem ἱλάσκειν, quam ipſe dixerat, hoc eſt, ut ſignificet placare, & conſtruatur cum accuſativo deſignante perſonam, cujus ira avertitur? Cur item mox ſubjicit, *uno duntaxat loco, qui eſt* Hebr. 2. 17, *dicitur Chriſtus Sacerdos conſtitutus*, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, *ubi ſit enallage ex Hebraiſmo veniens*, ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, *cum uſitate dici debuerit* ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν; ſiquidem non modo apud LXX, ſed etiam apud Siracidem, idem fieri oſtendimus. Imo, quod amplius eſt, nec apud LXX, nec apud Siracidem, aut alios Scriptores Sacros deprehendere hactenus potui eam conſtructionem, quam Grotius vult eſſe uſitatam, quamque nos apud alios Scriptores reperiri non negamus. Neque enim uſpiam apud

* Lib. 2. cap. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

iſtos, quos dixi, Auctores reperio ſcriptum, quempiam ἱλάσκεσθαι aut ἐξιλάσκεσθαι τὸν θεὸν, aut aliam quempiam perſonam. Dicitur quidem Deus ἐξιλάσκεσθαι, ſed vel activa ſignificatione, ut ſupra vidimus, vel abſolute atque intranſitive, ut deponentia multa apud Latinos, non vero paſſive, hoc eſt, ita ut paſſionem aliunde profectam & ſubjecto inditam ſignificet: unde pro eo nunc ἵλεων εἶναι, nunc ἀφιέναι reponi, oſtendimus: qua ſignificatione ponitur non tantum pro Hebræo Salach, quod eſt parcere, ſed etiam pro Cipper ſeu Kipper, cum id de Deo active, paſſive de peccatis effertur; ubi Græci interpretes mutata conſtructione peccatorum nomen tertio caſu efferre ſolent, & dicere, Deum ἱλάσκεσθαι ταῖς ἁμαρτίαις: vid. Pſal. 65. 4. lxxviij. 38. Illud fortaſſe decepit Grotium, quod tum apud LXX interpretes, tum apud cæteros Scriptores Sacros, verbum ἱλάσκεσθαι frequentiſſime ſoleat conſtrui non cum voce accuſativi caſus, denotante perſonam aut rem, quæ expietur, ſed cum nomine genitivi caſus, interveniente præpoſitione περὶ, hoc pacto: ἐξιλάσκεσθαι περὶ τινος. Quo conſtructionis genere Chriſtus dicitur ἱλασμὸς περὶ ἁμαρτιῶν apud Johan. 1 Epiſt. cap. 2. 2. & IV. 10. Itaque cum nihilominus vox ἱλάσκεσθαι activam ſignificationem tunc videatur habere, quemadmodum & Hebræa Kipper, pro qua reponitur; ſtatuendum videtur, tacite ſubaudiri accuſativum perſonæ, quam ſacerdos v.g. de quo omnium creberrime ea vox effertur, dicatur ἱλάσκεσθαι, quæ quidem nulla hic alia reperiri poteſt præter Deum. Sed ſi ita ſe res haberet, cur non reperiretur vel ſemel de ſacerdote dictum, eum ἱλάσκεσθαι τὸν θεὸν ἁμαρτιῶν, aut περί τινος, cum contra legatur, cum ἐξιλάσκεσθαι τὸ ἅγιον, τὸ θυσιαστήριον; & alibi eodem modo tum alii, tum ipſe Deus dicatur ἐξιλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, qui ſane nec ipſa, nec perſonam ullam eo nomine placat. Nam conſentaneum foret illud crebro reperiri, hoc raro aut nunquam; cum de peccato, ſancto ſanctorum, aut ara dici non queat, ea placari, ſed de Deo, ut hic Grotius dicendum eſſe contendit. Itaque nos potius ex collatione iſta locorum ac phraſium in Scriptura extantium colligere poſſumus, ἐξιλάσκεσθαι περὶ ἁμαρτιῶν nil eſſe aliud, quam ἐξιλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, itemque ἱλασμὸν περὶ ἁμαρτιῶν, & ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν, idem prorſus eſſe, & utrumque καθαρισμὸν ſeu expiationem & expurgationem peccatorum, quæ in reatus ac pœnæ ablatione potiſſimum conſiſtit, ſignificare. Perſpici poteſt idem ex eo, quod Hebræum Kipper, eadem ſententia manente, conſtruatur cum nomine aliquo accuſativi caſus, nulla interveniente præpoſitione, & cum eodem, interventu præpoſitionis illius, quæ in hoc negotio reddi ſolet περὶ, eſtque frequentiſſime Hal, rarius Behad aut alia. Sic Levit. 16. 16, 18, dicitur de ſacerdote, quod expiare debeat ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël, itemque aram, interveniente præpoſitione Hal, quæ tum à Græcis interpretibus tum à Latinis ibi negligitur; niſi quod vetus interpres poſteriori loco habet *oret pro ſe*, quaſi de ipſo Sacerdote expiando agatur; at eodem capite inf. ℣ſ. 33, idem ſine præpoſitione illa dicitur, eodem plane manente ſenſu. Eodem modo in locis ſupra à nobis notatis Pſal. 65. 4. 78. 38, dicitur Deus peccata expiare, abſque præpoſitione voci *peccati* præfixa; quibus adde Eſai. 6. 7. & Dan. 9. 24. At Pſal. 79. 9. & Jer. 18. 23, idem de eo dicitur cum præpoſitione. Ratio autem hujus rei videtur pendere à propria & primitiva verbi Kipper, aut Caphar, unde ducitur, ſignificatione, quæ, fatente Grotio, eſt obtegere; à qua ſignificatione ne tum quidem penitus recedit, cum expiandi ſignificationem habet. Ideo enim potiſſimum expiatur peccatum, & reatus ejus aufertur, quia aliquo modo tegitur aut obliteratur. Verba vero Hebræa, quæ tegendi atque operiendi ſignificationem habent, ſæpe accuſativum ſimpliciter regunt, quemadmodum etiam in aliis linguis accidit, interdum nomen cum præpoſitione ea, quam verbo Cipper ſeu Kipper ſubjungi ſolere diximus, nempe Hal, quæ crebrius occurrit, aut Behad, aut alia ſimili, manente interim eadem ſignificatione. Unde ea præpoſitio interdum à Græcis & Latinis interpretibus negligi ſolet Vid. inter alia Exod. 40. 21. Num. 16. 33. Job 21. 26. Pſal. 44. 20, non ſecus ac ſi ea omiſſa nomen accuſativi caſus verbo fuiſſet ſubjectum. Ac ne alia hic conquiramus exempla, id, quod diximus, animadvertere quivis poteſt ex collatione locorum Pſal. 83. 3. & Neh. 4. 5. In priori enim loco abſque præpoſitione eſt: *texiſti omne peccatum eorum*, in poſteriori cum præpoſitione Hal, *ne tegas ſuper iniquitatem eorum*, quod Latini interpretes, omiſſa præpoſitione, ſimpliciter reddiderunt, *ne tegas iniquitatem eorum*, ſenſu nihil immutato: quanquam Græci habent μὴ καλύψῃς ἐπὶ ἀνομίαν αὐτῶν: quo pacto etiam alibi Pſal. 140. 2. CVI. 17, (18.) Malach. 2. 16, hujuſmodi loquendi genus reddiderunt: nonnunquam alias etiam præpoſitiones adhibuerunt. Præpoſitionem enim Hebræam, licet eandem, ita reddiderunt, prout putarunt melius congruere vel cum ſignificatione verborum Hebræorum, vel cum ratione ac conſtructione verborum Græcorum, quæ pro illis poſuerunt, præſertim cum ea varias ſignificationes recipiat. Quare, ut ad verbum Kipper redeamus, id cum præpoſitione conſtructum non refertur neceſſario ad perſonam aliquam non nominatam, in quam actio iſta tranſeat, qualis hoc loco foret Deus; ſed vel abſolute ponitur pro *expiationem facere* aut *peragere*, vel nomen cognatæ ſignificationis ſubintelligitur, rem ejuſmodi denotans, quæ peccatis veluti obtendatur, eaque tegat atque operiat. Quemamodum etiam verba cætera quæ tegendi ſignificationem habent, licet ſua natura activa ſint, tamen cum præpoſitione illa conjuncta vel abſolute ponuntur atque intranſitive, vel vox cognatæ ſignificationis tunc eſt ſubaudienda, hoc eſt, tegumentum ac velum aliquod, quod obtendatur, aut extendatur ſuper rem aliquam, quod videmus in Hebræo exprimi Exod. 40. 3, ubi eſt *tegere velum ſuper arcam*, pro quo habent interpretes recentiores *teges* vel *obteges arcam velo*. Quare eodem modo ſtatui poteſt de verbo ἐξιλάσκεσθαι, cum pro Hebræo Kipper ponitur, & cum genitivo per præpoſitionem περὶ conjungitur, id vi conſtructionis non referri tacite ad perſonam, quæ placetur: ſed, quod ad rem ipſam attinet, perinde eſſe, ac ſi referretur ad idem illud nomen, quod expreſſum eſt, ſed accuſativo caſu, atque adeo omiſſa præpo-

ſitione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſitione poſitum, præſertim tunc, cum vox peccati, aut ſimilis alia ei ſubjungitur, ubi videmus eam aliquando omitti, propterea quod peccatum, præter cauſam impulſivam, quam hac phraſi περὶ ἁμαρτιῶν non exprimi alibi monuimus, per ſe nil niſi objectum ſit hujus actionis: objectum autem æque exprimitur, ſive dicas ἐξιλάσκεσθαι ἁμαρτίαν ſive περὶ ἁμαρτίας. At cum perſonæ, quæ expietur, nomen ſubjicitur, quia ea per ſe rationem finis, finis, inquam, *cui* habere poteſt; finis autem præpoſitione iſta ſignificari poteſt; ideo ea nuſpiam fortaſſe omittitur. Nam etſi, quod ad rem ipſam attinet, nihil accedat phraſi, ſive dicas ἐξιλάσκεσθαί τινα ſive περί τινος: tamen quia prioris phraſeos non eſt ſignificare, id, quod verbo ſubjungitur, finem actionis eſſe, licet id alias ex re ipſa intelligi queat: poſterioris autem hæc vis eſſe poteſt; ideo emphaſeos nonnihil accedit phraſi, ſi dicas ἐξιλάσκεσθαι περί τινος, quæ abeſſet, ſi ſimpliciter diceres ἐξιλάσκεσθαί τινα.

Satis, ut arbitror, oſtendimus Partic. 11, vi conſtructionis, quam requirat verbum ἱλάσκεσθαι de Chriſto uſurpatum, evinci non poſſe, Deum à Chriſto fuiſſe placatum, & ex irato propitium redditum. Sed arbitratur Grotius, id nihilominus evinci poſſe ex natura vocis & perpetua ejus ſignificatione. Verbis enim illis, quæ paulo ſuperius ex ipſo adduximus de loco Hebr. 2. 17, ita ſubjicit: *Significat ergo ibi expiationem, ſed eam quæ fiat placando. Alioqui hic vocis uſus nihil haberet commune cum natura vocis ac perpetua ejus ſignificatione. Quare talem expiationem, qualem Socinus comminiſcitur, id eſt, peccati deſtructionem, quæ fit ſine placamento, iſta quidem vox ἱλάσκεσθαι & inde derivata ἱλασμὸς denotare non poteſt.* Sed ad hoc quoque reſponſum eſt à nobis tunc, cum oſtendimus, cur verbum ἱλάσκεσθαι pro Hebræo Cipper ſeu Kipper ponatur, & ſic expiationem ſignificet. Satis enim eſt expiatione fieri ut is, qui peccarat, ἵλεων ſeu propitium experiatur eum, quem offenderat, & qui iraſci jure poterat; vel eum ipſum, qui iraſci jure poterat, ἵλεων ſeu propitium ſeſe ei, qui iram ejus meruerat, præbere, & ſic reatum ac pœnam peccati benigne tollere; id quod Scriptura tum alibi, tum in deſciptione Fœderis Novi Jer. 31. 34, & Hebr. 8. 12, vocat ἵλεων εἶναι ταῖς ἀδικίαις aut ἁμαρτίαις: & ipſe remittendi actus, utpote ex clementia profectus, interdum dicitur ἱλασμὸς, nulla habita ratione ejus, quod is, qui remittit, ab aliquo placetur, aut ex irato demum propitius fiat. Vide Pſal. 130. 4. Sirac. 5. 5. xviij. 20. Sed deinde eam ſignificationem verbi ἱλάσκεσθαι, quam Grotius hic urget, locus ipſe non admittit. Auctor enim divinus in verbis controverſis non agit de re ejuſmodi, quam in terris Chriſtus peregerit, ſed quam in cœlis degens, auxilium nobis tentatis ferendo, utpote mali noſtri non ignarus, peragat: quemadmodum tum ea, quæ antecedunt & ſequuntur, verba, tum locus ſimilis ejuſdem Auctoris ad finem cap. 4 docet. At in cœlis neminem revera nobis placat Chriſtus, aut ut placet, neceſſe habet: cum ipſe omnem in cœlo ac terra ἐξουσίαν ſeu poteſtatem habeat, eum in finem ſibi à Deo datam, ut peccata nobis remittat Matth. 28. 18. Actor. 5. 31. Quia tamen alienum hac in parte beneficium diſpenſat, & non naturali ac ſibi plane propria, ſed ab alio ſibi data poteſtate id perficit, & eatenus alieno id facit nomine; ideo ita de eo loquitur Scriptura, ac ſi ab alio, tanquam ſacerdos, aut advocatus, remiſſionem peccatorum nobis adhuc impetraret, & efficeret, ut Deus actu ipſo ſe nobis exhibeat propitium ac clementem, cum reipſa clementiæ illius effectum nobis jam antea decretum præſtet. Qua de re monuimus nonnihil ſub finem cap. 2, plenius id exſequuturi, Deo volente cap. 10. Non repetimus autem id, quod paulo ſuperius hoc cap. diximus, expiationis naturam à Grotio non eſſe ſatis recte ex Socini mente explicatam.

Subjicit Grotius Partic. 13: *ἱλαστήριον apud Paulum interpretatur Socinus id, in quo ſe Deus placatum oſtendit. Non negamus poſſe hanc ſignificationem voci congruere, ac tali aliqua ratione tegmen Arcæ apud Scriptorem ad Hebræos vocari ἱλαστήριον. Sed cum ejus terminationis vocabula proprie vim quandam effectivam, improprie vero declarativam indicent, à proprietate nos hic diſcedere nulla ratio patitur. Apparet enim Chriſtum ita apud Paulum dici ἱλαστήριον, ut apud Johannem ἱλασμόν: At ἱλασμὸς omnino ſignificat placamen, non placationis teſtimonium. Quare Scriptura Scripturam interpretante, vox quoque ἱλαστήριον de Chriſto active non declarative exponenda eſt.*

Primum etiamſi concederetur, ἱλαστήριον de Chriſto active non declarative accipiendum eſſe, non tamen protinus ſequeretur id, quod Grotius vult, & Socinus oppugnat, Chriſtum nobis Deum iratum morte ſua placaſſe. Satis enim eſſet ad id, ut ea vox active de Chriſto accipi poſſet, eum vim aliquam, & quidem inſignem, habere ad peccata noſtra expianda, eorumque reatum ac pœnam tollendam, atque adeo ad efficiendum, ut nos Deum effectu ipſo experiamur propitium; id quod nos cum Socino libentiſſime fatemur. Itaque poſſemus Grotio illud etiam concedere, ita Chriſtum apud Paulum dici ἱλαστήριον, ut apud Johannem ἱλασμόν. Nam non tantum inde non conſequeretur id, quod vult Grotius, ſed etiam contrarium. Oſtendimus enim, verba Joh. præſertim cap. 4 non pati, ut placatio Dei, nomine ἱλασμοῦ ſignificetur. Sed deinde quid eſt, quod oſtendat, diverſas illas voces, quanquam ab eadem origine fluentes, apud diverſos Scriptores, quorum alterum ad alterius verba reſpexiſſe nil conſtat, eodem modo accipi? præſertim cum negare Grotius non poſſit, diverſas, quas illis nominibus tribuimus, ſignificationes Chriſto congruere. Nam & propitium ſe Deus in Chriſto declaravit atque oſtendit, & reipſa Chriſtus peccata noſtra expiavit, atque adhuc expiat. Imo cum & per ſe ſit veriſimile, & interpretes plerique in eo conſentiant, Paulum in voce ἱλαστήριον alludere ad operculum arçæ Fœderis, ad quam Johannem in voce ἱλασμοῦ reſpicere nemo dixerit, cum is potius ad ἱλασμοὺς ſeu expiationes à ſacerdote ipſo ſub Lege factas alludat; diverſam ſignificationem hujus & illius vocis eſſe conſentaneum eſt, eamque typo illi, ad quem reſpicitur, utrobique accommodatam. Jam vero operculum illud Arcæ non ideo dictum fuit ἱλαστήριον, quod vim aliquã activam haberet ad expiandum peccatum, nedum ad Deum placandum, quod Grotius de Chriſto apud Paulum hac voce vult ſignificari, vel ſaltem expiatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

expiationem ipſam aliquomodo adumbraret : ſed tantum, quod Deus in eo propitium ſe populo oſtenderet, & voluntatem ſuam, cum Moſe ibi loquens, patefaceret, quod Grotius non diffitetur. Itaque conſentaneum eſt, ſimili ſignificatione Paulum de Chriſto eam vocem extuliſſe, quæ tamen in ipſo longe illuſtrior eſt, quam in arcæ operculo, corporis illius umbra. Nam ne illud nunc commemorem, quod longe præſtantiora Deus in Chriſto nobis patefecit, quam in arcæ operculo, & longe hic clementiorem ſe nobis exhibuit quam ibi : imo per Chriſtum demum gratia patefacta eſt Johan. 1. 17. in illo ea, quæ ad Legem pertinerent; operculum nihil prorſus ad iſtam declarationem contulit, ſeu nihil ea in parte egit : at quæ Deus in Chriſto hic fecit, ea Chriſtus ipſe Dei nomine egit : quemadmodum tum res ipſa, tum collatio locorum Epheſ. 4. v. ult. cúm quo jungendus eſt ille 2 Cor. 5. 19. & Col. 3. ṽ. 13. alibi jam à nobis inſtituta docet. Ideo autem diximus per ſe veriſimile eſſe, Paulum ad operculum illud arcæ in voce ἱλαςηρίȣ alludere, non vero ad ἱλασμȣ̀ς legales; quod tegmen illud arcæ, Chriſti typum fuiſſe non ſit obſcurum, eique non modo apud auctorem Hebr. 9. nomen hoc ἱλαςηρίȣ tribuatur, ſed etiam omnium frequentiſſime de eo apud LXX Interpretes uſurpetur : & nihil ſit in toto Pauli loco, quod alluſioni illi repugnet, eique non faveat. Veriſimile autem eſt, ſcriptores Novi Fœderis, quando nomen ejus rei, quæ Chriſti typus fuerit, de ipſo uſurpant, ad typum illum alludere, niſi circumſtantiæ loci aliud ſuadeant. Hic autem nihil eſt quod diſſuadeat, imo ſunt, quæ alluſioni huic, & interpretationi faveant. Nam quod Deus ipſe dicitur verſ. 25. Chriſtum propoſuiſſe & veluti in conſpectu collocaſſe ἱλαςήριον, idque eum in finem, ut quippiam de ſe demonſtraret atque oſtenderet ad homines pertinens verſ. 26, nempe juſtitiam ſuam, tum qua ipſe juſtus eſt, h. e. fidem ſuam in ſervandis promiſſis, ut alibi * oſtendimus, tum qua juſtificat eum, qui eſt ex fide Jeſu; id indicat, ad rem aliquam alludi, non quæ ab aliquo alio ad veniam à Deo impetrandam, eumve placandum fuerit adhibita, aut in ipſius conſpectu peracta, ſed quam Deus certo in loco collocandam & cuipiam proponendam curarit, ut in ea quippiam ad homines ſpectans declararet atque oſtenderet, quale tegmen iſtud arcæ fuiſſe docuimus. *In ſanguine* autem Chriſti id dicitur eſſe factum à Deo, quia nullum illuſtrius ſui erga genus humanum adhuc impium amoris, clementiæ, ac benigniſſimæ voluntatis documentum in Chriſto nobis ſpectandum propoſuit, quam cum eundem illum chariſſimum ſuum filium pro nobis omnibus, pro hoſtibus, inquam, ſuis in mortem tam diram & infamem tradidit. Non commemoro autem, quod Apoſtolus paulo ſuperius verſ. 21, unde ea, quæ hoc loco dicuntur, aliquo modo pendent, loqui cœperit de manifeſtatione ſeu promulgatione juſtitiæ Dei h. e. juſtificationis vere divinæ, quæ non ex Lege, ſed per fidem contingere debeat omnibus, hoc tempore facta; id quod cum noſtra vocis ἱλαςηρίȣ explicatione egregie conſentit. Non commemoro etiam differentiam, quæ eſt inter locum hunc Pauli & illum 1 Johan. 2. 2. ubi primum vox ἱλασμȣ̃ occurrit. In hoc enim reſpicitur nominatim ad tempus iſtud, quo Chriſtus apud Patrem in cœlis degit, & advocati fungitur munere: in illo autem potiſſimum ad tempus, quo in terris adhuc extitit. Quod vero Grotius ait, vocabula ejus terminationis, cujus eſt ἱλαςήριον proprie vim quandam effectivam, improprie declarativam indicare; obſervandum eſt, quaſdam ejus generis voces ſubſtantivas effectum etiam & ſignum denotare actionem illam conſequens, quæ verbis iſtis, unde fluunt, denotatur, qua ratione νικητήριον præmium ſignificat victoriæ : multas etiam eſſe, quæ locum tantum denotent ejus actionis, quæ verbis, unde originem ducunt, ſignificatur. Sic ἀκροατήριον, φροντιστήριον, δεσμωτήριον, κοιμητήριον, θυσιαςήριον, & alia ſimilia, non rem quæ audiendi, cogitandi, vinciendi, ſomnum efficiendi, ſacrificandi vim habent, ſed locum, ubi illa peraguntur, notant. Atque in horum numero ἱλαςήριον eſt, cum de tegmine arcæ, quod ſæpiſſime fieri diximus, uſurpatur. Neque enim arcæ illius tegmen vim ullam effectivam habebat ad id, quod verbo ἱλάσκεσθαι ſignificatur, quicquid tandem illud ſit; ſed locus tantum erat in quo actio hæc peragebatur. Itaque tantum inquirendum relinquitur, quænam fuerit illa actio, quæ ibi perageretur. Quod ſi illa declaratio erat propitiæ voluntatis, non placatio, non hæc, ſed illa nomine ἱλαςηρίȣ ſignificabitur; ita ut terminatio hic nullam vim ad id, quod Grotius quærit, habeat. Verbum autem Caphar vel Kipper, & ſic etiam Græcum ἱλάσκεσθαι, quod pro illo omnium creberrime apud Græcos reponitur, à quibus verbis in utraque lingua tegminis illius nomen deducitur, etiam declarandi ſignificationem habet. Itaque ἱλαςήριον. dum denotat locum, in quo actio peragatur verbo ἱλάσκεσθαι deſignata, poteſt etiam denotare id, in quo declaratio fiat. Quod ſi in aliis vocibus ejuſdem terminationis non ita crebro contingit, ideo potiſſimum id fieri cenſendum eſt, quia verba, unde deducuntur, illam ſignificationem habere non ſoleant, quam verba Hebræa, quorum uſus nobis hic inprimis ſpectandus eſt, crebro recipiunt. Quod autem de loco actionis dicimus, id etiam ad id tranſferendum eſt, ad quod vox locum illum denotans tranſfertur, obſervata interim differentia, quæ eſt inter locum iſtum, & rem, ad quam vox iſta traducitur. Quare cum de Chriſto effertur, in quo non tam ut in loco aliquo, quam ut in cauſa media, actio hæc perfecta eſt, denotatur id, per quod declaratio propitiæ voluntatis facta eſt. Adde quod, etiamſi hic denotaretur id, in quo non declaratio ejus rei, quæ verbo ἱλάσκεσθαι proprie ſignificatur, ſed etiam res ipſa fuerit perfecta, non tamen ſequeretur id, quod Grotius vult, Chriſtum nimirum habuiſſe vim ad Deum placandum. Nam ἱλάσκεσθαι, ut ſupra vidimus, non raro ſignificat propitium eſſe, aut propitium ſeſe præſtare, aut ignoſcere. Hoc autem in Chriſto fecit, facitque Deus. Imo cum vox hæc non deſignet actionis cauſam primariam, ſed vel locum tantum, vel cauſam mediam, in qua principalis alia actionem iſtam perficiat; ſi ea hic ſignificaret id, quod vim habet quempiam placandi, ſequeretur, Deum fuiſſe, qui in Chriſto ſeipſum placarit. Nulla enim alia principalis

* Cap. 1. partic. 26. & ſeqq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

palis hujus actionis cauſa poteſt reperiri, quæ eam in Chriſto perſecerit; & Apoſtolus ſane Deum expreſſe commemorat, qui Chriſtum conſtituerit ἱλαστήριον; nullus etiam alius præter Deum hic conſtituitur ab adverſariis, qui placatus per Chriſtum fuerit.

Addit alteram ſententiæ ſuæ rationem Grotius Partic. 14. *Accedit quod hoc ipſum oſtendit vox adjuncta ſanguinis, cui placandi vis tribuitur, quia ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Trita ſunt, Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa. Et ſimilia apud Poëtas, de quibus infra accuratius agendi erit locus.*

Sed quæ conſequentia? Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio: Ergo ſanguini vis placandi tribuitur. Sic argumentaretur quiſpiam: Sine reſurrectione Chriſti non contingit nobis remiſſio, 1 Cor. 15. 17, 18. Ergo reſurrectioni Chriſti vis placandi tribuitur. Nec remiſſio peccatorum eſt placatio iræ divinæ, nec ad illam hæc eſt neceſſaria; cum nec ſemper iraſcatur Deus cum poſſit; & ab ipſo ſponte deponi queat ira, quam adverſus peccatores concepit. Verba Hebr. 9. 22. quæ ad Legis tempora pertinent, placationem iræ divinæ non commemorant. Sed demus, eorum ſenſum eſſe, ſine ſanguinis fuſione non fieri placationem. An inde ſequitur, ἱλαστήριον, cui ſanguinis mentio adjungitur, ſignificare id, quod Deum placaverit, non vero id, quod eum nobis placatum ſeu propitium declaraverit? an ſanguis unigeniti Dei filii oſtendere non poteſt, Deum nobis eſſe ac fore propitium? Cur ergo ejus mentio ἱλαστηρίῳ adjuncta, iræ Dei placationem omnino ea voce ſignificari doceat, non vero id, in quo Deus ſeſe nobis placatum, vel propitium potius declaret? Imo cum ſanguis filii Dei pro nobis fundi non potuerit, niſi Deus nos jam ante impenſe amarit, & ſic non iratus, ſed placatus aut propitius nobis fierit; fieri non poteſt, ut ſanguis ille placationem iræ divinæ per ipſum demum factam indicet, & ſic eam ἱλαστηρίῳ, cui adjungitur, ſignificationem ineſſe arguat. At cum propitiæ ac benevolæ erga nos Dei voluntatis maximum fuerit argumentum, ei rei, quæ Deum nobis placatum aut propitium nobis oſtendat ac declaret, rectiſſime potuit ſubjici.

Quæ hoc loco ex Poëtis refert, & infra ſe allaturum pollicetur, ex Ethnicorum ſuperſtitione deprompta, quantam in ſententiis ad ſanctiſſimam religionem noſtram pertinentibus vim habere queant, cordatus Lector expendat. Indignum eſt, Deum clementiſſimum, qui amore noſtri impulſus chariſſimum ſuum filium, ut ſaluti noſtræ conſuleret, in mortem tradidit, conferri cum crudelibus gentium diis, hoc eſt, cum ipſis dæmonibus, (his enim gentes ſacrificabant, 1 Cor. 10. 20.) qui hominum innocentium ſanguine fuerint placati.

Pergit Grotius Partic. 15: *Similis placandi voci eſt vox* καταλλάσσειν *&* ἀποκαταλλάσσειν *conciliare ſive reconciliare, quam in hoc ipſo argumento uſurpat Paulus* Rom. 5. 10. & 11. & 2 Cor. 5. 18. & Eph. 2. 16. & Coloſſ. 1. 20. *Opponit Socinus ſcriptum eſſe, non Deum nobis conciliatum, ſed nos Deo, idque idcirco quia non Deus nobis iratus, ideoque placandus, ſed nos à Deo averſi fuerimus. Verum quod ſibi ſumit, eum reconciliari qui infeſto ſit animo, non autem ipſi alterum, id minime verum eſt. Nam reconciliandi vox, ut & pacandi vox, promiſcue utrivis parti, tum quæ infeſta eſt, tum quæ neutiquam aut minus infeſta eſt, modo dativum, modo accuſativum aſſignat. Idem ergo valet nos Deo reconciliari & Deum nobis.* In hanc rem Sophoclis adſcribit verſus, quibus ſubjicit: *Videmus hic manifeſte* καταλλάσσεσθαι θεοῖς *Diis conciliari, idem eſſe quod iram ipſorum effugere. Et ſane de hac reconciliatione, h. e. divinæ iræ averſione, aut certe etiam de hac agi nemo negabit, qui locos ipſos modo citatos diligentius inſpexerit.*

Sed dum argumentum Socini convellere laborat Grotius, rationem Theologorum ex reconciliandi voce ductam, ad quam Socinus reſpondet, deſerit, vel potius vehementer labefactat. Vulgo enim ex eo ſimpliciter, quod nos dicamur reconciliati Deo, concludunt, Deum nobis placatum, & ex infenſo propitium redditum. At ſi, ut Grotius contendit, Reconciliandi vox etiam ei parti, quæ neutiquam infeſta eſt, aut minus infenſa, modo dativum, modo accuſativum aſſignat; certe ex eo ſimpliciter, quod nos Deo reconciliati dicimur, haudquaquam colligi poteſt, Deum nobis fuiſſe infenſum, & per Chriſtum poſtea placatum: imo ne tum quidem, ſi aperte ſcriptum eſſet, ut nonnulli, ad verba Sacrarum Literarum non attendentes, credere videntur, *Deum nobis reconciliatum*; quæ tamen verba magis videntur eam continere ſententiam, quam cum ſcriptum tantummodo eſt, *nos Deo reconciliatos.* Negare enim Grotius non poteſt, cum partes illæ duæ, inter quas fit reconciliatio, caſu diſtinguuntur, & altera dativo, altera alio effertur, ita communem loquendi conſuetudinem ferre, ut is dicatur reconciliatus, per quem ſteterat, ne amicitia aut denuo exiſteret, aut conſervaretur; Ei vero dicatur quiſpiam reconciliatus, qui animo placabili adverſus illum, amicitiam redintegrari aut conſervari cupiverat. Id vel ex eo liquet, quod Grotius unum tantum exemplum communi huic loquendi conſuetudini opponat, idque petitum ex Poëtis, quos nemo ignorat rarioribus loquendi generibus, præſertim ſi verſus id aliqua ratione videatur exigere, delectari. Ex quibus etiam apparet, argumentum Socini, *communem loquendi conſuetudinem* urgentis, à Grotio non eſſe labefactatum. Neque enim credibile eſt, Paulum in omnibus locis, in quibus de reconciliatione noſtri cum Deo ſermo eſt, à communi phraſeos uſu diſceſſiſſe; nec id admittendum eſt, niſi firma, qua id evincatur, afferatur ratio, quam an Grotius attulerit, ſtatim videbimus.

Grotius enim animadvertens, non poſſe ex eo ſimpliciter, quod nos dicamur Deo reconciliati, concludi, placatam à Chriſto fuiſſe iram Dei, id ex locorum circumſtantiis evincere conatur, & teſtimonia allata ordine examinat.

De loco Rom. 5. ita ſcribit Partic. 16: *Nam Paulus ſuo more bis idem exprimens, quod antea dixerat, pro impiis & peccatoribus mortuum eſſe Chriſtum* v. 6. & 8. *mox his verbis enunciat, cum hoſtes eſſemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipſius*, v. 10. *Eſſe autem hoc beneficium prius ipſa converſione, ex oppoſito membro apparet, ſi hæc, inquit, ita ſe habent multo magis nunc juſtificati per ipſum, ab ira ſervabimur*,

verſ. 9.

verſ. 9. *item, multo magis reconciliati ſervabimur in vita ipſius. A majori procedit Apoſtolica argumentatio. Si tam bonus erga nos necdum converſos Deus fuit, quis futurus erga converſos?*

Apoſtolum per Reconciliationem intelligere Converſionem, &, ſi ita loquendum eſt, amicitiam cum Deo initam, ſatis oſtendit oppoſitio. Reconciliati enim inimicis opponuntur, quos eoſdem Apoſtolus infirmos, h. e. graviſſimis animi morbis laborantes, itemque impios ac peccatores vocat v. 6. & 8. qui, ut in loco huic ſimili Coloſſ. 1. 21. loquitur, alienati fuerant & hoſtes mente in operibus malis. Reconciliati ergo cum Deo ſunt, qui animi morbos, h. e. impietatem & peccata, odiumque iſtud & hoſtilitatem mentis in operibus malis adverſus Deum depoſuerunt, atque ita ſunt ad ipſum converſi, & ejus amici effecti. Agnoſcit id ipſe Grotius. Nam pro eo, quod Paulus ſcribit: *Multo magis reconciliati ſervabimur in vita ejus*, ipſe dicit: *quis futurus eſt* (Deus) *erga converſos?* Converſos pro Reconciliatis manifeſte reponens. Quod ad rationem Grotii attinet, primum non recte pro conceſſo ſumit, idem eſſe, Chriſtum pro impiis & peccatoribus mortuum eſſe, &, cum hoſtes eſſemus, reconciliatos nos Deo per mortem filii ipſius. In prioribus enim verbis fundamentum poſteriorum ſternitur, in iiſque cauſa tantum, in his præter cauſam etiam effectus, qui eſt reconciliatio, exprimitur. Deinde verba verſ. 9. & 10. Non oſtendunt, Reconciliationem hanc anteceſſiſſe converſionem; ſiquidem ut ex ipſius Grotii dictis oſtendimus, Reconciliatio in poſteriori verborum iſtorum membro pro Converſione ſumitur. Quare idem quoque fit in membro priore, ad quod poſterius reſpicit, & exinde id, quod de Reconciliatione dictum fuerat, transſumit. Senſus igitur eſt: ſi Deus nos hoſtes ſuos, impenſa in id chariſſimi ſui filii morte, ad ſe convertit, & ex inimicis amicos fecit; an non multo magis jam ad ſe converſos & amicos ſuos factos, per viventem filium ſuum, quem mori amplius opus non eſt, ab ira ſeu pœna liberabit? Illud enim longe fuit durius, atque ea ratione factu difficilius, quam hoc. Quare ſi illud fecit Deus, multo magis hoc faciet. Neque vero eſt quod quis dicat, verba illa, εἰ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ, evincere, reconciliationem illam jam tum reipſa peractam fuiſſe, cum nos adhuc hoſtes Dei eſſemus; adeoque cum converſio noſtra perfici non potuerit, nobis adhuc hoſtibus Dei exiſtentibus, ſiquidem converſio iſta hoſtilitati in Deum prorſus adverſatur, fieri non poſſe, ut reconciliatio converſionem hic denotet. Animadvertendum enim eſt, verba iſta Græca, eam vim non habere, ut omnino ſignificent, nobis in odio & inimicitia adverſus Deum adhuc perſeverantibus reconciliationem reipſa eſſe factam, adeoque reconciliationem & inimicitiam ſimul conſtitiſſe; ſed, licet hæc illi obſtaret, illam tamen huic ſucceſſiſſe. Idem enim eſt horum verborum ſenſus, qui illorum Coloſſ. 1. 21, ut ipſe Grotius infra docet, καὶ ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθροὺς &c. νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου: *& nos cum aliquando eſſemus alienati & hoſtes mente in operibus malis, nunc vero reconciliavit in corpore carnis ipſius per mortem.* Diſtincta nempe ſunt inimicitiarum & reconciliationis factæ tempora: iſtud præceſſit, hoc ſucceſſit. Ex quo intelligitur, participium ὄντες, quod in utroque loco extat, non ſemper ad idem prorſus tempus referri, ad quod refertur verbum id, cui jungitur, ſed nonnunquam in præteritum reſpicere. Similis loquendi ratio eſt Epheſ. 2. 5. καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ, *& nos cum eſſemus mortui in delictis vivificavit cum Chriſto*; non quod vivificatio illa reipſa facta cum morte ſpirituali ſimul extiterit, ſed quod hæc proxime præceſſerit. Ita enim terminos mutationis *à quo & ad quem*, (ut cum Scholis loquamur) qui oppoſiti ſunt, nec ſimul in eodem ſubjecto conſiſtere poſſunt, ſed alter alterum tollit, connectere ſolemus. Sic dicere poſſumus: hic homo cum eſſet pauper, factus eſt dives; cum improbus, factus eſt probus; & contra: licet alterum præcedat, ſequatur alterum. Simili loquendi ratione uſus eſt ille, qui cæcus fuerat natus Johan. 9. 25. τυφλὸς ὢν ἄρτι βλέπω, *cum cæcus eſſem, nunc video.* Sed demus jam Grotio, idem dici verſ. 6, & 8, quod verſ. 10. iſtis verbis enunciatur: *cum hoſtes eſſemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipſius*, & hoc beneficium eſſe prius converſione, nempe reipſa facta; & actu ipſo in nobis exiſtente; non ſequetur tamen, in priori membro Reconciliationem non ſignificare Converſionem noſtri ad Deum. Nam, ut Grotius infra hoc capite de Reconciliationis progreſſu diſſerens ait, *verba activa & paſſiva iiſdem reſpondentia duplicem ſolent habere ſignificatum, aut ut intra vim atque efficaciam conſiſtant, aut ut effectum ſimul includant:* quod ipſe ad Reconciliationem ex ſua ſententia accommodat; & hoc ipſo etiam loco duplicem iſtam ſignificationem, ut & alibi, agnoſcit, ac ſi ſibi conſentire velit, agnoſcere cogitur. Reconciliationem enim, quæ effectum includit, nec ipſe quidem converſionem vult antecedere, cum tamen hic reconciliationem partim velit eam antecedere, partim cum ea conjungi, aut eandem ſubſequi. Quare dicere poſſumus, Reconciliare utrobique eſſe Convertere, ſed in priori comparationis atque argumentationis Apoſtolicæ membro, ejus ſignificatum intra vim & efficaciam conſiſtere, in poſteriori effectum ſimul includere: hoc eſt in priori membro ſignificare curam Dei, quam in nobis convertendis adhibuit, & opus ejus præcipuum, quod, ut nos ſibi reconciliaret, fecit; in poſteriori vero, divinæ hujus curæ atque operis effectum complecti.

Res autem eodem recidet, ſive hoc ſive illo, quo ante diximus, modo, Apoſtoli verba interpreteris, & vis argumentationis erit eadem.

Sed aliam ſententiæ ſuæ rationem affert Grotius Partic. 16: *Non poteſt*, inquit, *hic vox conciliationis in membro priore converſionem denotare. Singulare enim aliquid in Chriſto Apoſtolus notat. Tale autem non eſt peccatores convertere. Neque enim convertuntur unquam niſi peccatores: ſed rarum planeque ſingulare eſt pro peccatoribus mori, & conciliare per mortem peccatores, cum pauciſſimi ſemper fuerint, qui pro amicis viris bonis mortem oppeterent* v. 7.

Ita Grotius agit, ac ſi ii, qui Reconciliationem pro Converſione in priore membro accipiunt, à ſententia Apoſtolica vel ſejungerent, vel ſejungere cogeren-

cogerentur illa verba, *per mortem filii ejus*, quæ cæteris juncta, aliquid prorſus ſingulare notant. Hoc enim prorſus eſt inauditum, & ſine exemplo, quod Deus, ut nos hoſtes ſuos ad ſe converteret, unigenitum ſuum filium cruentæ & ignominioſæ morti objecit.

Tertia Grotii ratio eſt Partic. 18: *Deinde converſio rectius vitæ Chriſti glorioſæ, quam morti fertur accepta. At reconciliatio iſta morti tribuitur diſtinctæ atque diſcriminatæ à vita glorioſa, ut oſtendit dictionis ἀντίστοιχον.*

Mirum eſt Grotium non vidiſſe, ſe hac ratione non modo Sacras Literas, ſed & ſeipſum oppugnare. Seipſum quidem, quia in verbis illis: *Multo magis reconciliati ſervabimur in vita ejus*, Reconciliationem pro Converſione accipi non diffitetur. At reconciliationem hanc rei ejuſmodi, quæ à vita Chriſti diſtinguatur, adſcribi, hæc ipſa verba tacite indicant; ſed apertius præcedentia, quæ eundem ſenſum continent: *Multo ergo magis juſtificati nunc in ſangnine ejus, ſervabimur per ipſum ab ira.* Nam pro voce *Juſtificati* verſ. 10 reponitur *Reconciliati.* Juſtificatio autem hæc ſanguini Chriſti ſeu morti ipſius cruentæ, quæ vitæ opponitur, attribuitur. Sacras autem Literas oppugnat, quæ morti Chriſti omnium frequentiſſime & apertiſſime converſionem noſtram tribuunt, vitæ autem Chriſti diſerte raro aut vix uſpiam, licet hæc maximum ad eam habeat robur. Vide 2 Cor. 5. 14, 15, 20, 21. 1 Petr. 1. 18. ij. 24, 25. iij. 18. IV. 1, 2 Johan. 11. 52: xij. 32. Tit. 2. 14. Eph. 5. 25, 26. Apoc. 5. 9, 10. vij. 14. 1 Cor. 6. 5, ult. VII. 22, 23. Cauſam hujus rei diximus c. 1, nempe quod hoc opus inter alia fuerit maxime arduum, & charitatis Dei ac Chriſti erga nos maximum argumentum, quod vim plane inſignem ad nos Deo conciliandos ac devinciendos habet. Alludi præterea diximus ad fœderum percutiendorum rationem, cum reconciliationis noſtræ cum Deo, aut cum cœleſtibus, aut inter nos ipſos, ſanguine Chriſti aut morte ipſius factæ, fit mentio: cum fœdera antiquitus cæſæ victimæ ſanguine ſancirentur. Adde quod vis, quam vita Chriſti ad nos convertendos habet, hoc pacto non excluditur, ſed includitur. Oppoſitionis, quæ in verbis Apoſtoli eſt, vis non in eo conſiſtit, quod reconciliationem mors ſola effecerit, liberationem ab ira vita tantum: ſed quod ad reconciliationem perficiendam mors intervenire debuerit, atque adeo etiam intervenerit, ad liberationem à pœna non item; cum liberatio illa per Chriſtum viventem perfici poſſit, ac porro etiam debeat, qua de re itidem cap. 1 diſſeruimus.

Quarta Grotii ratio eſt Partic. 19: *Præterea ex poſteriori beneficio quale ſit prius datur intelligi. Poſterius quod converſis contingit, eſt pacem habere apud Deum* verſ. 1, *ſervari ab ira Dei* verſ. 9.

Sed quæ conſequentiæ ratio? Poſterius beneficium eſt pacem habere apud Deum, & ſervari ab ira: Ergo per prius non intelligitur converſio ad Deum? An non converſio ad Deum cum pace, quam actu ipſo habemus apud Deum, & liberatione ab ira egregie conſpirat, & ejus neceſſarium eſt antecedens ſeu requiſitum, quo poſito ipſa quoque ex divina benignitate conſequitur?

Pergit ratiocinari Grotius Partic. 20: *Hoc ipſum appellat Apoſtolus accipere reconciliationem* ỷ ſ. 11. *Quid hic eſt aliud accipere reconciliationem, quam accipere remiſſionem peccatorum, ut Scriptura loquitur* Actor. 10. 43: & 26. 18. *At converſionem accipere ignotum eſt loquendi genus. Si ergo in poſteriore membro accipere reconciliationem, eſt accipere peccatorum reconciliationem, ipſoque effectu ab ira ſive pœna liberari, in priore quoque membro reconciliari ſignificationem habere debet ἀνάλογον: ut prius beneficium ſit jus ad rem, poſterius ejuſdem exhibitio.*

Reconciliationem accipere hoc loco non ſignificare effectu ipſo ab ira ſive pœna liberari, ut contendit Grotius, ex eo patet, quod Apoſtolus ait: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*, ſatis clare oſtendens, ſe de ea re loqui, quæ nobis jam contingerit. At de liberatione ab ira, quæ ipſo effectu fiat, tanquam de re futura loquitur, dum ait: *Servabimur per ipſum ab ira.* Sed *accipere converſionem* ignotum loquendi genus eſt. Quid mirum? cum ipſe ille loquendi modus, quo Apoſtolus utitur, & de cujus interpretatione nunc quæritur, alias ſit ignotus. Neque enim vel in Sacris Literis, vel apud alium quempiam probatum auctorem temere dictum inveneris, *accipere reconciliationem.* Quare cum pro Reconciliatione reponitur Converſio, non eſt mirandum, loquendi genus manere ignotum. Quid? an non idem Grotio poteſt objici? Reconciliatio enim illi eſt placatio, nempe iræ divinæ. Nam hoc eſt quod conatur probare. At *accipere placationem*, ignotum loquendi genus eſt. Sed quid collectione hic utimur, cum ſatis aperte id committat Grotius, quod in nobis reprehendit? nam mox *accipere reconciliationem* ait eſſe *accipere reconciliationem peccatorum*, qui loquendi modus non minus eſt ignotus, quam is, quem ex noſtra ſententia nectit. Sed, ut diximus, non mirum eſt, converſione pro Reconciliatione ſubſtituta, manere loquendi genus ignotum aut inuſitatum, cum idem in uſitatis phraſibus contingere ſoleat, ſi eodem verbo retento, nomen ejuſdem ſignificationis pro alio velis reponere. Contrahere, jungere, inire amicitiam uſitate dicitur: at benevolentiam mutuam contrahere, jungere, inire, ignotum Latinis auctoribus loquendi genus arbitror; licet amicitia ſit benevolentia mutua. Quare interdum cum aliud nomen pro alio explicandi cauſa reponitur, etiam verbum, cum quo jungitur, mutandum eſt, aut circumlocutione utendum, quo pacto dicere hic poſſes, ſenſum verborum Apoſtoli eſſe: nos per Chriſtum id conſequutos, ut ad Deum converteremur. Adde quod nos, dum reconciliationem noſtram cum Deo de noſtra ad ipſum converſione accipimus, interim haud negamus, emphaſin quandam eſſe in voce Reconciliationis, præſertim abſolute poſita, & ad neutram earum partium, inter quas ea fuerit facta, nominatim relata, quæ in Converſionis voce non ſit, adeo ut hæc, etiamſi rem ipſam, in qua vis actionis Reconciliandi verbo ſignificatæ conſiſtit, ſatis exprimat, non tamen ei uſquequaque reſpondeat, & ſic pro ea non ſemper ita apte reponi queat. Nam Converſio quidem ſignificat, quem animum induerit is, qui ad alterum dicitur converſus: ſed quo animo viciſſim ſit alter iſte, ad quem is fuit converſus, ea voce non indi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

catur. At Reconciliandi verbum etiam tum cum paſſive ad unam partem nominatim refertur, licet primo ſignificet, quem animum induerit is, qui dicitur reconciliatus; ſimul tamen indicat, alteram quoque partem, quocunque tandem animo fuerit antea, eſſe amicam, & ſic mutuam jam conſtare benevolentiam. Itaque cum dicitur Deo nos reconciliatos, indicatur, amicitiam inter nos & ipſum, nobis ab odio revocatis, fuiſſe conſtitutam, & ſi quid antea ad illius perfectionem, ob animi noſtri adverſus Deum hoſtilitatem, etiam ex ipſius parte defuerit, id, nobis ad ipſum converſis, fuiſſe completum. Itaque licebit reconciliationem abſolute poſitam ℣ſ. 11, de amicitia per noſtram converſionem cum Deo inita ac conſtitua ſumere, quam nos accepiſſe non minus recte dixeris, quam reconcilationem dixit Apoſtolus, ita ut ſi illud reprehendas, hoc quoque tibi ſit reprehendendum.

Ultima Grotii Partic. 21 ratio eſt: *Adde his omnibus, quod non poſſit, niſi incommode aut inepte etiam dici charitas Dei ex eo colligi, quia nos ab odio Dei diſceſſerimus. Nam etiamſi de converſionis noſtræ beneficio agere voluiſſet Apoſtolus, erat id alia plane voce exprimendum, quæ non noſtram ſed Dei actionem ſignificaret. Noſtra vero interpretatione nihil planius, nihil Apoſtoli propoſito convenientius.*

Sed nec Apoſtolus ex ſola noſtri cum Deo reconciliatione charitatem Dei colligit, ſed ex eo, quod ea *per mortem filii Dei* facta fuerit. Itaque noſtra verbi reconciliandi explicatione admiſſa, non ex ſola noſtri ad Deum converſione, ipſius erga nos charitas colligi debet, ſed ex eo, quod, ut id fieret, Deus chariſſimum ſuum filium morti tradiderit. Etiamſi autem noſtra tantum actio videatur exprimi, non Dei, nec aperte dicatur, ipſius cura & conſilio totum id eſſe factum: tamen quia id ex dictis neceſſario conſequitur, & alias erat iis, ad quos ſcripſit Apoſtolus, notiſſimum, ideo id ſubaudiendum reliquit: quod ipſe Grotius oſtendit, dum argumentationem Apoſtoli ſic ſuperius explicuit: *Si tam bonus erga nos nec dum converſos fuit Deus, quis futurus erga converſos?* Sic Apoſtolus, cum ℣ſ. 5 charitatis Dei mentionem feciſſet, eam aperto demonſtraturus argumento, ſubjicit ℣ſ. 6. *Adhuc enim Chriſtus, cum infirmi eſſemus nos, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt*, nulla ejus rei mentione facta, quod id totum Deo tanquam primo autori ſit referendum acceptum, quod tamen neceſſario, ſi argumentatio Apoſtoli firma cenſeri debet, eſt ſubaudiendum. Alias enim Chriſti tantum, non etiam Dei erga nos charitas iſta ratione probaretur. Idem fecit Apoſtolus ℣ſ. 8 unde ſequentia, de quibus agimus, pendent. Id nempe, quod per ſe quivis intelligere ex dictis ejus poteſt, ſubaudiri voluit. Cum enim omnium arctiſſima ſit inter Deum & Chriſtum unicum ipſius filium conjunctio, fieri non poteſt, quin Chriſtus Dei ipſius voluntate & mortem eam ſubierit, & eum in finem, in quem eam revera ſuſcepit.

Planiorem eſſe Grotii Partic. 22 interpretationem, & Apoſtoli menti convenientiorem noſtra, vel, ut ipſe loquitur, nihil ea eſſe planius, nihil Apoſtoli menti convenientius, haudquaquam apparet. Loquendi enim conſuetudo, ut ſupra vidimus, ei haud favet. Deinde cum Apoſtolus oſtendat, mortem Chriſti ex ingenti Dei erga nos charitate profectam; Grotius ſtatuit, Deum morte Chriſti ex infeſto redditum eſſe nobis propitium: ita, quod mortis cauſam dicit Apoſtolus, Grotius effectum ſtatuit. Præterea nulla ratione excuſat id, quod Socinus objecerat, Satiſfactionis mentionem, quam reconcilationis nomine indicari una cum aliis ſtatuit Grotius, addito præſertim eo, quod ſubjicit Apoſtolus, *per mortem filii* Dei, non eſſe hic appoſitam; cum ea charitatis laudem, quam hic maxime conatur extollere Apoſtolus, imminuat. Vanum quidem id eſſe, ait Grotius, ſed cur? *Non enim*, inquit, *ſatiſfactionis fit mentio quatenus pœna eſt, ſed quatenus modus nos liberandi.* Quid tum? modo Deo dicatur præſtita ſatiſfactio, ſatis id eſt ad charitatis ipſius laudem minuendam, etiamſi nos ea ratione liberati eſſemus. Hoc enim, ut ſuperiori capite monuimus, beneficentiam ſatiſfacientis, non ſatiſfactionem accipientis commendat. Charitas autem Dei in ipſius beneficentia revera ſita eſt. Accedit, quod Grotius vult, Deum, præſtita jam ſibi ſatiſfactione, nihilominus actu ipſo manſiſſe iratum, & jus tantum reconciliationis nobis conceſſiſſe. Hoccine vero eſt, quod divinam charitatem tantopere commendet?

Sed adhuc habet Grotius, quod reſpondeat: *Neque poteſt*; inquit, *ut ſupra probavimus, ulla ratione manifeſtius oſtendi Dei charitas adverſum homines, quam quod iratus, id eſt pœnam expetens, noſtræ tamen impunitati viam, Chriſto in id impenſo, invenerit.*

Mirum ſane eſt, Grotium non videre, hæc ſibi invicem maxime adverſari, Deum iratum, hoc eſt pœnas ſcelerum noſtrorum expetentem, nihilominus impunitati noſtræ viam quæſiviſſe, adeo ut Chriſtum unigenitum ſuum filium eum in finem impenderet. An enim hæc tanta charitas cum ira iſtiuſmodi reſpectu ejuſdem objecti, eodem tempore in Deo conſiſtere poteſt, & una alteram penitus non extinguit?

Accedit ad alterum locum Grotius, qui extat 2 Corinth. 5, circa finem, *in quo, ut in illo ad Romanos, duplicis reconciliationis mentionem inveniri* ait. *Prior*, inquit, *eſt, qua Deus omnia, ſive mundum ſibi reconciliavit per Chriſtum ſive in Chriſto* ℣ſ. 18 & 19, *poſterior eſt ad quam Apoſtoli, ut miniſtri reconciliationis, quibus eſt impoſitus reconciliationis ſermo, homines adhortantur Dei ac Chriſti nomine* ℣ſ. 18, 19, 20. *Prior ergo illa non poteſt eſſe ipſa converſio: eſt enim antecedens & materia præcipua ejus ſermonis per quem ſit converſio.*

Hanc rationem jam excuſſimus circa finem cap. primi. Oſtendimus enim, duplicem quidem reconciliationem commemorari, verum non natura, ſed tempore, & cauſis mediis proximis diſtinctam: utramque in cura & labore nos ad Deum convertendi conſiſtere; & alteram à Deo per Chriſtum immediate, alteram per Apoſtolos, Chriſti nomine legatione fungentes, procuratam ac peractam: illam anteceſſiſſe, hanc ſequutam. Reconciliatio prior non ſimpliciter anteceſſit ſermonem, per quem fit converſio, ſed ſermonem Apoſtolorum, per quem ipſi Chriſti nomine aut vice debebant homines ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deum convertere. Neque vero Apoſtoli verba docent, Reconciliationem iſtam nominatim, quam Deus in Chriſto peregerat, fuiſſe præcipuam ſermonis Apoſtolici materiam, ſed ſimpliciter Reconciliationem, per quam rectiſſime intelligitur converſio hominum ad Deum, ad quam procurandam miſſi fuerant ipſi Apoſtoli. An enim ii, qui ad homines convertendos miſſi ſunt, de converſione iſta præcipue loqui non debent?

Altera Grotii ratio eſt Partic. 25: *Deinde Paulus ipſe oſtendit eam* (reconciliationem) *conſiſtere in non imputatione peccatorum, id eſt, in decreto non imputandi. Non imputare autem peccata & remittere idem valet* Rom. 4. 6, 7, 8.

At unde Grotio conſtat, reconciliationem conſiſtere in non imputatione peccatorum? an quia dicitur: Deus erat in Chriſto *reconcilians mundum ſibi ipſi, non imputans illis peccata*? At nihil eſt quod doceat, verba poſteriora, *non imputans illis peccata*, naturam atque eſſentiam reconciliatonis exprimere; cum commodiſſime accipi queant de modo ac ratione, qua Deus in reconciliandis hominibus ſit uſus, ſeu de medio quod ad eos permovendos, ut ſecum reconciliari, & depoſito odio ad ſe converti vellent, adhibuerit. Id vero fuit oblatio remiſſionis peccatorum omnium. Quid enim homines ad Deum viciſſim amandum, & odium adverſus ipſum deponendum magis incitare debuit aut potuit, quam tanta gratiæ amplitudo, ultro illis per Chriſtum oblata, & ſub conditione reſipiſcentiæ promiſſa? Sed ſi reconciliatio hoc loco nihil eſt aliud, quam non imputatio peccatorum, ſeu decretum de remiſſione peccatorum, ut vult Grotius, quid ipſum hic locus juvat? Probare enim debuit, Chriſtum nobis placaſſe Deum. At aliud eſt, Deum in Chriſto decretum feciſſe de remittendis peccatis noſtris, aliud Chriſtum nobis placaſſe Deum. Imo cum hoc loco & reconciliandi & non imputandi actio Deo ipſi tribuatur: (dicitur enim, *Deus erat in Chriſto reconcilians ſibi mundum, non imputans illis peccata*;) apparet, reconciliationem non eſſe iram divinam placare, idque ſatiſfaciendo. An enim Deus ſeipſum iratum nobis placavit, ſatiſfactionem aliquam per alium ſibimet præſtando?

Pergit Grotius Partic. 26 ac quærit: *quomodo autem hoc non imputandi decretum in Chriſto fundatum eſt?* & reſpondet: *Dicet Paulus: Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.*

Sed ubinam apud Apoſtolum eſt mentio ejus rei, quod decretum non imputandi ſit in Chriſto fundatum? quid eſt fundatio iſtius decreti in Chriſto? an hoc, quod Deus ad decretum illud faciendum à Chriſto motus fuerit? id enim quærit Grotius. Nihil tale eſt apud Apoſtolum. Verba illa *in Chriſto*, quæ extant ỳſ. 19, id non oſtendunt. Nam ſi ea jungas cum præcedentibus, ſenſus erit, Deum in Chriſto tanquam in legato ſuo fuiſſe, cum mundum ſibi reconciliaret; ſi cum ſequentibus, iſtud *in Chriſto* ſignificabit cauſam reconciliationis mediam, ut ſenſus ſit, Deum fuiſſe eum, qui per Chriſtum mundum reconciliarit, hoc eſt ad ſe converterit: *in* enim pro *per* innumeris locis Hebraico more poni, nemo ignorat, & Grotius ipſe, ut ſup. partic. 23 vidimus, *per Chriſtum* & *in Chriſto* hic pro eodem ſumit. Verba ultima, quæ Grotius ad iſtorum explicationem pertinere putat, non connectuntur cum illis, quæ de non imputatione peccatorum dixerat Apoſtolus, ſed cum proxime præcedentibus: *Rogamus pro Chriſto reconciliemini* Deo. Cauſam enim affert, ob quam homines cum Deo reconciliari & ad eum converti debeant, ad quod faciendum eos fuerat hortatus. Cauſa illa eſt: quia Deus prior tam impenſa ac prorſus inaudita charitate illos complexus fuerit, ut innocentiſſimum ſuum filium tanquam peccatorem tractari, & infando ac coram ipſo exſecrabili mortis genere affici curaret, eum in finem, ut in ipſo, hoc eſt ipſi inſerti, & ſic novæ creaturæ effecti, (quod idem eſt cum converſione ad Deum) tanquam juſti tractarentur. An non enim digniſſima eſt hæc ſumma Dei erga peccatores charitas, ut ipſum viciſſim diligant, & abjecta impietate ſanctitati totos ſe conſecrent? Et hæc quidem cauſa non tantum illam quoque in ſe complectitur, quam verſ. 18 commemorarat Apoſtolus, ſed ei magnum addit pondus. Mors enim Chriſti remiſſionis peccatorum, à Deo per Chriſtum hominibus oblatæ, inſignis eſt confirmatio. Eam vero Deus per Chriſtum legatione in terris fungentem, ad homines ſibi reconciliandos ita, ut poſtea per Apoſtolos, urgere non potuit, cum ea nondum extitiſſet, & ne Apoſtolis quidem, niſi paulo ante quam exiſteret, cognita eſſet.

Scribit amplius Partic. 27: *Quod objicit Socinus, non imputationem peccatorum pugnare cum iſto reconciliandi modo per ſatiſfactionem, caret ratione. Nam, ut ſupra explicatum eſt, præcedit ſatiſfactio, ſequitur deinde remiſſio ſive non imputatio. Ut jam taceam non abſolute dici Deum non imputare peccata, ſed non imputare ipſis, id eſt peccatoribus. Poſſe autem & huic peccatum remitti, ſive alterum eo nomine affligi atque puniri, tum ex multis quæ ſupra allegavimus, tum inprimis ex eo quod Davidi contigit, ſatis apparet.*

Ad ea, quæ ſupra ſe docuiſſe ait Grotius, ſuis locis reſpondimus. Oſtendimus autem, ſi ſatiſfactio plena præſtetur, remiſſionem ſequi non poſſe, cum iſtius vi ſtatim liberetur debitor. Oſtendimus etiam, fieri non poſſe, ut ipſi delinquenti vere condonetur peccatum, & alteri tamen innocenti imputetur; nec ejus rei ullum exemplum attulit Grotius.

Aliam adhuc Socini objectionem refellere conatur Grotius Partic. 28, dum ait, *Neque vero quia non verbis* ἀμέσως *cohærent. Non imputans peccata, Et: eum qui non noverat peccatum, peccatum fecit, ideo non ad eandem rem pertinent. Conjunguntur enim iſta inter ſe per voculas* συνδετικαῖς καὶ & γὰρ. *Neque ullus novus, & ab hoc argumento alienus ſermo intercedit: ſed hoc dicitur, Deum beneficii à ſe præſtiti legatos & miniſtros feciſſe Apoſtolos: in hoc ſcilicet miſſos per orbem terrarum, ut ejus beneficii fidem hominibus prædicatione ſua inſererent. Ei autem fidei faciendæ argumentum validiſſimum eſt, à traditione Chriſti in mortem. Minime enim credibile eſt, voluiſſe Deum filium chariſſimum & innocentiſſimum tam graviter affligi, niſi egregio aliquo fine ſibi propoſito. Hic autem finis proprius, inquam, & cum facto iſto proxime cohærens, Scriptura ubique & ipſa ratione aliquatenus* κατ' ἐπαγωγὴν *teſtante, alius eſſe*

vix poteſt, quam impetrandum jus veniæ per antecedentem ſatiſfactionem.

Sed nodum non ſolvit Grotius, quod facile apparuiſſet, ſi objectionem Socini, ad quam reſpondere videtur, explicuiſſet. Socinus oſtendit, Reconciliationem hic non ſignificare placationem iræ divinæ per ſatiſfactionem: quia Paulus hoc loco de reconciliatione per Chriſtum facta ex profeſſo agens, & ejus modum deſcribens, ſatiſfactionis illius nullam faciat mentionem, cujus tamen cognitio adeo neceſſaria creditur ab adverſariis: ſed reconciliationis illius modum exprimens, tantum dicat, quod Deus ſibi reconciliarit mundum, *non imputans illis delicta ipſorum*; quod ipſum, niſi quid apponatur aliud, ſatiſfactionem penitus excludit. Quod ſi quis dicat, ſatiſfactionis fieri mentionem in verbis ultimis, reſpondet Socinus præter alia, non ſuo loco hæc dicturum fuiſſe Apoſtolum, ſi in iis demum verbis ſatiſfactionem, per quam facta fuerit in Chriſto reconciliatio, commemorare voluiſſet, quæ tum fuiſſet commemoranda, cum reconciliationis iſtius modus exprimeretur, tum ut vis verborum, *non imputans illis delicta*, limitaretur, tum ut verum hunc eſſe reconciliationis modum conſtaret. Reſponſio Grotii hæc minime labefactat. Nam etſi ad eandem rem, hoc eſt, ad reconciliationis generalius ſumtæ negotium pertinet, tum non imputatio peccatorum, tum mors Chriſti, & eatenus nullus ab hoc negotio alienus interceſſit ſermo: eatenus tamen alienus ſermo interceſſit, quatenus Apoſtolus in ſequentibus non amplius de eadem numero reconciliatione loquitur, quam Deus per ipſum Chriſtum legationis munere in terris fungentem inſtituit, ad quam verba illa de non imputandis mundo peccatis referuntur: ſed de ea, quam per Apoſtolos, Chriſti quoad prædicationis munus vicarios, facere ab eo tempore cœpit, ex quo Chriſtus ad dextram Dei collocatus ejus legatus eſſe deſiit, & ut Rex ac Dominus omnium, ipſemet legatos ſuos ad homines miſit, & in ſuo nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum annunciari juſſit Luc. 24. 47. Hæc ergo intelligitur reconciliatio, cum dicitur, Deum Apoſtolis dediſſe miniſterium reconciliationis, aut poſuiſſe in illis ſermonem reconciliationis. Res fiet manifeſtior, ſi ſcopum & initium orationis Apoſtolicæ conſideres. Dixerat Apoſtolus verſ. 18 *illa omnia*, nempe quæ ad novam creaturam, ſeu novam cultus divinæ & vitæ inſtituendæ rationem pertinent; *ex Deo eſſe*, hoc eſt, Deo tanquam auctori eſſe adſcribenda. Sed quia dicere quis poterat, omnia iſta à Chriſto & Apoſtolis eſſe perfecta, qui in hominibus ad novam religionis & vitæ rationem traducendis laboraverint; ideo docet Paulus, quicquid hac in parte vel Chriſtus vel Apoſtoli fecerint, id Deum per eos feciſſe, ita ut id totum ipſi, tanquam auctori primo, jure imputetur. Hoc ergo explicaturus ait: Deum nos ſibi reconciliaſſe per Chriſtum, hoc eſt nos per eum ad ſe convertendos, atque adeo ad novam religionis ac vitæ rationem traducendos curaſſe; eundem etiam ſeſe, hoc eſt Apoſtolos, feciſſe reconciliationis miniſtros, ſeu munus ſibi impoſuiſſe homines itidem ad ipſum convertendi. Id magis adhuc inculcaturus, ita porro ſcribit: *quandoquidem Deus erat in Chriſto &c.* Quaſi dicat; quemadmodum enim Deus erat, qui per Chriſtum homines ad ſe convertere curabat, peccatorum remiſſionem illis liberaliſſime offerendo: ita idem Deus fuit, qui nos Apoſtolos converſionis præcones fecit, ſeu ad homines prædicatione convertendos miſit. Unde infert, ſe nomine, vel (ſi mavis) vice Chriſti, qui antea munus hoc ſuſtinuerit, legatione fungi, & Deum ipſum homines per ſe hortari, ut ad ipſum convertantur. Quapropter rogare ſe Chriſti nomine aut vice, ut reconciliari velint Deo, & ad ipſum penitus ſe convertere, addita cauſa ex morte Chriſti petita, de qua jam ſatis & hic & alibi dictum eſt. Argumentum autem Grotii, quo ait fidem hominibus fieri iſtius divini beneficii, quod putat eſſe, impetratum jus veniæ per antecedentem ſatiſfactionem, utut ipſi validiſſimum videatur, infirmiſſimum ac plane nullum eſt. Alios enim egregios Deoque digniſſimos, præter iſtum à Grotio expreſſum, mortis Chriſti fines nos alibi oſtendimus; & Grotius ipſe infirmitatem argumenti, quod validiſſimum eſſe dixerat, aliquo modo indicat, dum ait: Finem iſtum mortis Chriſti egregium *vix poſſe eſſe alium* præter eum, quem ipſe conſtituit. Si *vix* eſſe poteſt, poteſt tamen. Scripturam id ubique teſtari, Grotius non docuit: nec iſtud, rationem id aliquatenus κατ' ἐπαγωγὴν teſtari. Imo ratio ipſa contrarium monſtrat. Nam ut non ſemel diximus, ſi Deus ipſe chariſſimum ſuum filium pro nobis acerbiſſimæ morti objecit, quiſque videt, Deum ipſum nos jam vehementer amaſſe, nec cupiiſſe ut peccatorum noſtrorum pœnas lueremus, ſed ad eas nobis condonandas paratiſſimum fuiſſe. Unde promtum eſt colligere, non eo fine Deum tam graviter filium ſuum affligi voluiſſe, ut à ſe jus veniæ per ſatiſfactionem impetraret. Ratio ergo, ipſam rei naturam (quam hic etiam urſiſſe Apoſtolos eſt neceſſe, cum ſuæ prædicationi hoc argumento fidem facere vellent) reſpiciens, Grotii ſententiam non tantum non probat, ſed etiam aperte refellit.

Pergit Grotius Partic. 29: *Illud vero, Rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo, quanquam ex vocis natura poteſt ſignificare, aut odium in Deum abjicite, aut accipite remiſſionem peccatorum (per pœnitentiam ſcilicet, ut oſtenditur* Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 3. 19. & v. 31.) *ex rei tamen natura de qua agitur, poſteriorem ſenſum rectius admittit. Neque enim ſolet infirmior rogari, ut potentiorem in gratiam recipiat: & illa Pauli verba exprimunt ipſum reconciliationis miniſterium, quam reconciliationem jam jam imputatione peccatorum deſcripſerat. Sic Chriſtus ipſe miſſum ſed dicit* κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν Luc. 4. 18, *& Apoſtolis precipit* κηρύσσειν ἐν ὀνόματι αὐτοῦ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν Luc. 24. 47. *Sic ipſe Paulus dicit ſe* καταγγέλλειν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν Actor. 13. 38.

Reconciliari Deo ſignificare Accipere remiſſionem peccatorum nec docuit Grotius, nec docebit. Ex quo ipſo facile apparet, alteram potius ſignificationem, quam voci convenire fatetur, hic admittendam, ut ſenſus verborum Apoſtoli ſit: Odium in Deum abjicite, & ad eum vos convertite. Quod ait, non ſolere infirmiorem rogari, ut potentiorem in gratiam recipiat; id primum nihil contra nos. Neque

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

enim nos dicimus *Reconciliari Deo* eſſe *Deum in gratiam recipere*; nec id ex noſtra explicatione ſequitur. Odium deponere adverſus aliquem, & ſeſe ad aliquem convertere latius patet, quam *aliquem in gratiam recipere*. Iſtud etiam inferiori adverſus ſuperiorem convenit; hoc non niſi ſuperiori, communi loquendi conſuetudine tribui ſolet, & illius eſſe videtur, qui alterum gratia & benevolentia ſua dignatur. Subditus recte dicetur odium adverſus regem ſuum depoſuiſſe: ſed Regem ſuum in gratiam recepiſſe, non recte dicetur. Deinde, ſi urgeat, hoc ipſum quoque inuſitatum eſſe, ut ſuperior inferiorem roget, ut odium erga ſe deponat; dicimus, id infirmiſſimum eſſe, niſi doceat, id ipſum, de quo loquitur Apoſtolus, uſitatum ac vulgare eſſe. Hoc vero demonſtratu fuerit difficile, imo impoſſibile. An non hoc ipſum inuſitatum eſt, quod Apoſtolus ait: *ſeſe Chriſti nomine* aut *vice homines rogare*? ſi intelligas, quantus ſit is, cujus nomine rogetur; quinam nos, qui rogemur; quid illud, quod rogemur. Quid eo eſt inuſitatius, quod ſequitur: Deum pro nobis nocentiſſimis, pro nobis mancipiis ſuis, iiſque rebellibus, chariſſimum & innocentiſſimum filium ſuum morti tradidiſſe, ut tanquam juſti tractaremur? certe tale quid, nedum à potente aliquo principe, ſed nec ab alio quopiam vel factum eſt, vel fiet unquam. Neque ſane hoc Deo fuit factu facilius, quam nos per legatos ſuos rogare, ut ipſum vellemus diligere. Quod ſi illud nihilominus fecit Deus, licet inuſitatiſſimum, licet difficillimum, non eſt hoc poſterius ideo repudiandum quia inuſitatum; præſertim cum id, quod rogatur, ſit illud ipſum, ob quod Deus rem iſtam omnium difficillimam fecit: nempe ut ad ipſum adducamur, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus; quem mortis Chriſti finem inter alios Petrus expreſſis verbis explicuit 1 Petr. 2. 24. Sed retorqueamus hoc telum in Grotium & quidem validius, quam ille in nos. Si eſt inuſitatum, infirmiorem rogari, ut odium adverſus potentiorem deponat; adhuc inuſitatius eſt, imo prorſus abſurdum, infirmiores, extrema ſupplicia meritos, potentioris nomine rogari, ut remiſſionem ſuorum ſcelerum ab ipſo accipiant, & eum ſibi propitium ac placatum experiantur. Iſtud autem hic fit ex ſententia Grotii: ſiquidem *reconciliari Deo* eſt illi accipere remiſſionem peccatorum, & Deum experiri placatum ac propitium. Apoſtolus autem Dei Chriſtique nomine rogat homines, ut reconcilientur Deo. Ubi vero Grotius ſimilem precandi rationem deprehendit? An Rex forte curat ſuo nomine rogari maleficos, ut ipſe eis fiat propitius, illi vero remiſſionem ſuorum facinorum accipiant? an non ſatis eſt hoc illis offerri, quod per ſe vehementer eſt iis expetendum, nec in ipſorum, ſed regis eſt poteſtate, ita ut non ab ipſis, ſed à rege id ſit impetrandum? Sed ipſe Grotius aliquo modo videtur agnoviſſe hujuſmodi precum abſurditatem, eamque minuere voluiſſe, cum Apoſtoli verba ita explicans, *Accipite remiſſionem peccatorum*, in parentheſi addit, *per pœnitentiam ſcilicet*; indicans, Apoſtolum tale quippiam rogare, quod ad noſtrum officium pertineat, & ex parte noſtra ad obtinendam remiſſionem peccatorum ſit neceſſarium, puta pœnitentiam ſeu converſionem ad Deum, quam nos Reconciliationis nomine hic intelligimus. Sed primum, ſi idem eſt; nos reconciliari Deo, quod, Deum nobis fieri propitium, ipſorum verborum vi nihil tale ſignificabitur, quod ad noſtrum pertineat officium, atque à nobis ipſis fieri debeat. Deinde quid opus eſt ambagibus? ſi id revera rogare voluit Apoſtolus, ut nos reſipiſceremus, & ad Deum converteremur, quemadmodum ſtatuere res ipſa cogit; cur non ſtatim verba *Reconciliari Deo* in hunc ſenſum accipiuntur; cum, ipſo Grotio teſte, phraſis hunc ſenſum admittat, verius autem poſtulet? Quod Reconciliatio non imputatione peccatorum ab Apoſtolo fuerit deſcripta, non docuit Grotius. Quod Chriſtus & Apoſtoli miſſi fuerint ad remiſſionem peccatorum prædicandam, id Grotii ſententiam non demonſtrat, nec noſtram convellit. Nam hi iidem etiam ad pœnitentiam prædicandam hominesque ad Deum convertendos fuerunt miſſi, qua in re inculcanda plurimum poſuerunt ſtudii ac laboris. Johannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, & ipſius Chriſti vox hæc prima fuit, imo perpetua: *Pœnitentiam agite*; vel *Pœnitentiam agite & credite Euangelio.* Vide Matth. 3. 2, 8. IV. 17. Marc. 1. 15. VI. 12. Luc. 24. 47. Actor. 2. 38. iij. 19. XIV. 15. XVij. 30. XX. 21. XXVI. 18, 20. Et ad pœnitentiam quidem hortati ſunt homines, remiſſionem vero peccatorum iis Dei nomine promiſerunt. Ubi autem hortationi locus eſt, ibi & precibus eſſe poteſt aliquis; in promiſſionibus autem, præſertim ejuſmodi, qualis eſt peccatorum remiſſio, rogari haud ſolet is, cui promittitur.

Pergit Grotius Partic. 30: Epheſ. 2. 16, *ſcribitur de Chriſto*, ἵνα ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους (*Judæos & Gentes*) ἐν ἑνὶ σώματι τῷ θεῷ. *Hic dativus* θεῷ *non poteſt regi niſi a verbo* ἀποκαταλλάξῃ. *Socini autem interpretatio, ut* Deo *hic per ſe ſubſiſtat, aut reconciliare Deo ſit reconciliare ipſos inter ſe ut Deo ſerviant, diſtorta eſt dura, & ſine exemplo.*

In his verbis agi de reconciliatione Judæorum ac Gentium inter ſe non vero cum Deo, ſatis docuit Socinus, quamvis, conceſſo etiam eo, quod hic de reconciliatione noſtra cum Deo ſit ſermo, nihil inde poſſit contra noſtram, quam defendimus, ſententiam concludi, ut ex iis conſtare poteſt, quæ hactenus diximus de duobus ejuſdem Apoſtoli locis, de reconciliatione noſtra cum Deo loquentibus. Adhæret autem ex Socini mente dativus *Deo* verbo Reconciliandi, tanquam τέλος ᾧ, *finis cui* ut explicuit Grotius. Nec vero diſtortum, durum, aut ſine exemplo cenſeri debet, per dativum verbo ſubjectum, finem *cui* intelligi. Hinc enim appellatio illa finis apud Græcos, quæ in ſcholis eſt uſitata, orta eſt. Nec Sacris Literis id inuſitatum eſt, etiam in iis verbis, quæ alias vel cum dativo conſtrui non ſolent, vel alio ſenſu. *Vivere Deo*, *vivere Chriſto* hoc ſenſu uſurpari, omnibus notum eſt. Sic iſtud Micheæ 5. 2, ex te *egredietur mihi*, Vatablus ita explicat, id eſt, *in utilitatem meam & totius populi* Eſaiæ. 9. 6. *Puer natus eſt nobis* id eſt, in utilitatem noſtram. Luc. 12. 21, opponuntur inter ſe *diteſcere ſibi* & *diteſcere in Deum*. Utrumque finem *cui* ſignificat 1 Cor. 14. 28: *ſibi autem loquatur & Deo* i. e. in ſuam utilitatem, & Dei laudem. Eodem modo poteſt accipi iſtud *loqui Deo* ℣ſ. 2, ejuſd. cap.

Opponitur enim illis: *loqui hominibus*, nempe ædificationem, exhortationem, conſolationem, ut dicitur verſ. 3. 2 Cor. 2. 15. *Bona fragrantia Chriſti ſumus Deo*. cap. 5. 13. *ſive mente excidimus, Deo*, ſc. excidimus, *ſive ſani ſumus, vobis*, i.e. ſive furere videor, meipſum laudando, in unam Dei gloriam hic furor meus ſpectat: ſive ſapienter me gero, omnia commodo veſtro facio; quibus verbis ex parte utitur Beza in iſtius loci explicatione, huc referri etiam poteſt locus Apoc. 5. 9, 10. Interdum finis *cujus*, qui alias tacite involvitur, expreſſe adjungitur, ut 1 Cor. 14. 3. & 2 Cor. 1. 20. Neque eſt quod quis objiciat, dativum qui perſonam ſignificet, verbo Reconciliandi ſubjunctum, alias ſemper ſolere ſignificare, non finem, ſed partem alteram, cum qua pax conſtituatur. Eum enim ſenſum, qui uſitatior eſt, loci circumſtantiæ non admittunt, ut vel ex Grotii verbis mox docebimus. Ubi autem loci circumſtantiæ uſitatiorem ſenſum non admittunt, alius, quem ratio loquendi admittat, licet inuſitatior, eſt quærendus.

Sed rationem Socini, qua docet, non eſſe hic ſermonem de reconciliatione cum Deo, refellere conatur Grotius Partic. 31, ſic porro ſcribens: *Neque valet argumentum inde ductum, quod eo loco Paulus proprie agat de pace facta inter Judæos & gentes: neque enim ſequitur ab hoc argumento alienam eſſe mentionem pacis quæ utriſque cum Deo comparata eſt. Duo enim diverſa quæ junguntur, ita junguntur inter ſe, ut prius ac potius jungantur ipſi vinculo: neque enim junguntur inter ſe niſi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter ſe Gentes & Judæi per amicitiam cum Deo.*

At in his ipſis verbis, quæ Grotius urget, agi de reconciliatione inter Judæos & Gentes, ex eo apparet, quod hæc reconciliatio utrorumque opponitur iſti inimicitiæ, quæ antea fuerat inter Judæos & Gentes. Nam poſt verba illa: *Ut reconciliaret utroſque in uno corpore Deo per crucem*, ſtatim ſubjicit modum illius reconciliationis per crucem factæ: *Perempta inimicitia in ea*, nempe cruce, ſeu per crucem. Quæ autem fuerit illa inimicitia, quæ ſit perempta in cruce ſeu per crucem, paulo ante docuerat, dum inquit, quod Chriſtus *medium parietem maceriæ ſolverit, inimicitiam per carnem ſuam, legem mandatorum in decretis* (δόγμασι ſeu placitis) *abolens*: inimicitiam eam ſignificans, quæ ob præcepta legalia, quæ in placitis ac decretis ſita erant, & Dei magis voluntate, quam natura rei nitebantur, inter Judæos & Gentes fuerat orta. Iis enim veluti maceria & ſepto utraque gens diſterminabatur ac diſjungebatur. Hanc inimicitiam hic *per carnem ſuam*, quam videlicet morti tradidit, in cæteris verbis, *per crucem*, quod idem eſt, aboleviſſe aut diremiſſe dicitur Chriſtus. Qua de re agitur etiam Coloſſ. 2. 14. Sunt ergo hic duæ partes, inter quas, extincta inimicitia, reconciliatio interceſſit, Judæi ac Gentes, nec Deus hic poteſt habere rationem unius partis, cum qua Judæi & Gentes conjunctim, tanquam pars altera, concordiam conſtituerint, ſeu reconciliati fuerint. Grotii vero explicatio loco non convenit. Vult enim reconciliationem cum Deo hoc loco ideo commemorari, quia fuerit cauſa antecedens ſeu media reconciliationis Judæorum ac Gentium inter ſe. At qui hæc verba cauſam antecedentem reconciliationis Judæorum ac Gentium non denotant. Ita enim loquitur Apoſtolus: *Et medium parietem maceriæ diruit* (Chriſtus) *inimicitiam in carne ſua, Legem mandatorum in decretis abolens, ut conderet duos in ſemetipſo in unum hominem, faciens pacem, & reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem.* Hic nemo non videt, in verbis illis: *ut conderet duos* (i. e. Judæos & Gentes) *in ſemetipſo in unum hominem, faciens pacem*, ſermonem eſſe de pace & concordia inter Gentes & Judæos conſtituta. Quod vero vel minimum eſt indicium ejus rei, quod in iis, quæ ſequuntur, & non ſecus ac priora, cauſam finalem ſuperiorum exprimunt, (pendent enim à particula finali ἵνα præcedentibus præfixa, unde eam Grotius in recitandis verbis Ἀποκαταλλάξῃ hic repetiit) cauſa media ſeu antecedens iſtius pacis exprimatur? Cur Apoſtolus nullam cauſæ mediæ notam adjecit, vel ſaltem ordinem verborum non invertit, ut exinde conſtaret, hunc finem illo eſſe priorem? Ita enim ſolemus facere in enumerandis finibus, ut eum, qui prior eſt, medioque communi propius adhæret, ac ſubſequentis eſt cauſa, præponamus. Sed præterea finis ille, quem in his verbis exprimi vult Grotius, nec propius, nec ullo majore nexu adhæret communi medio, quod hoc loco exprimitur, & cujus fines explicantur. Medium enim iſtud eſt, diremtio interjecti inter Judæos & Gentes parietis, quem inimicitiam ideo vocat Apoſtolus, quod inimicitiæ inter utrumque populum eſſet cauſa. Huic medio proxime & naturali vinculo cohæret conſtitutio amicitiæ & pacis inter utrumque populum. Sublata enim inimicitiarum cauſa, pax conſequitur. At inter amolitionem iſtam parietis medii, qui diſcordiæ utriuſque gentis fuerit cauſa, & inter concordiam hominum cum Deo, talis nexus non apparet, nedum arctior ac manifeſtior. Imo contrarium ejus æque facile cum medio iſto connecteretur. Potuiſſet enim inimicitiarum cauſa ita tolli inter utrumque populum, ut uterque in odium Dei ſeu impietatem conſpiraret. Atque hæc ipſa videtur fuiſſe cauſa, cur Paulus, cum dixiſſet, Legem illam ceremonialem eum in finem ſublatam, ut populus uterque in unum novum hominem coaleſceret, addiderit: *& reconciliaret utroſque in uno corpore Deo.* Poterat enim quis objicere, eam concordiam, quæ ſublatis illis divinis legibus inter Judæos & Gentes conſtituta fuerit, adverſus Deum initam, atque eo pertinere, ut populus Judaicus, excuſſo Legum divinarum jugo, metum ac reverentiam numinis poneret, & una cum Gentibus Dei cultum jam porro negligeret. Cui objectioni occurrens Paulus, ait, tantum abeſſe ut ea concordia fuerit adverſus Deum inita, ut potius facta fuerit *Deo*, h. e. eum in finem, ut uterque populus certatim Deo ſerviret, & in verum ejus cultum penitus conſpiraret. De eadem ergo concordia in his verbis eſt ſermo, de qua in proxime præcedentibus. In eo tantum inter utraque verba eſt differentia, quod in his finis princeps atque ultimus hujus concordiæ eſt aperte expreſſus, qui in præcedentibus vel non fuerat, vel non ita clare expreſſus.

Sed fulcit rationem ſuam Grotius Partic. 32, dum addit: *Ac mirum eſt hoc non agnoſcere Socinum, cum dicat ipſe* Coloſſ. 1. 20, 21, 22. *Apoſtolum inſtituto ſermone*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mone de parta inter creaturas concordia, ſtatim ϗ ἀμέσως & immediate ſubjicere mentionem reconciliationis ejus qua homines amici Deo ſunt facti, & quidem interjecta voce ϗ, quæ non ſolet res nullo modo cohærentes connectere. Unde manifeſtum eſt eſſe hæc inter ſe conjuncta, ita ut recte Paulus, iſto quo de agimus ad Epheſios loco, reconciliationem hominum cum hominibus ad reconciliationem hominum cum Deo, tanquam effectum ad cauſam ſuam, retulerit.

Imo vero mirari debuiſſet Grotius, ſi aliter feciſſet Socinus. Nam licet in loco Coloſſ. 1. utraque reconciliatio connectatur per particulam copulativam: ita tamen utramque diſpeſcuit Apoſtolus, ut cuivis appareat, de alia reconciliatione in præcedentibus, de alia in ſequentibus agi. Nam antequam reconciliationem hominum cum Deo annectat reconciliationi creaturarum inter ſeſe, commemorat inimicitiam & odium hominum adverſus Deum, ut ex oppoſitione conſtaret, de qua reconciliatione eſſet loquuturus. In loco ad Epheſ. nihil tale apparet, imo ſatis aperta eſt oppoſitio inter reconciliationem & inimicitiam, quæ Judæis ac Gentibus interceſſerit. Adde quod in loco ad Epheſ. poſt verba, de quibus controvertimus, uſque ad finem capitis ſermo eſt de iis, quæ ad concordiam illam Judæorum ac Gentium pertinent. In loco ad Coloſſ. poſtquam Apoſtolus cepit agere de reconciliatione hominum cum Deo, ad concordiam illam hominum & Angelorum non redit amplius. Sunt quidem reconciliationes iſtæ conjunctæ genere, & cauſis efficientibus præcipuis, ſed ſpecie differunt, ſeu mavis ſubjectis.

Pergit Partic. 33. *Illud addendum eſt, nominari eo ipſo in loco ſanguinem Chriſti, tanquam per quem effecta ſit reconciliatio. At ſanguini Chriſti paſſim Scriptura ſubjungit, tanquam effectum maxime proprium, peccatorum remiſſionem* Matth. 26. 28. Eph. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. Hebr. 9. 22. Rom. 3. 23. Rom. 5. 10. 1 Johan. 1. 7. 1 Petr. 1. 2. Apoc. 1. 5. *Per vim ſcilicet placatricem* 1 Johan. 2. 2. & 4. 10.

Sed nulla hic eſt conſequentia: Chriſti ſanguini adſcribitur tanquam effectum maxime proprium peccatorum remiſſio, & quidem (largiamur enim id nunc) per vim placatricem. Ergo quia iſto in loco reconciliatio per ſanguinem facta dicitur, per reconciliationem remiſſio peccatorum, idque per vim placatricem intelligetur. Hoc enim concludendum eſt Grotio, ſi ad rem loquutus eſſe cenſeri debeat. Conſecutionem autem in iſto argumento nullam eſſe, vel ex ipſis Grotii verbis apparere poteſt, dum ait, remiſſionem peccatorum ſubjungi ſanguini Chriſti *tanquam effectum maxime proprium.* Satis enim indicat, eſſe etiam alios ſanguinis Chriſti effectus, ſed minus proprios. Quid vero prohibet, quominus etiam illi effectus, licet minus proprii, morti Chriſti aliquando ſubjungantur? Nos ſane ſuperius * hoc ipſo capite docuimus, converſionem noſtram ad Deum, morti aut ſanguini Chriſti adſcribi. Sed quid longius abimus? An non in loco Coloſſ. 1. 20. dicuntur ad concordiam redacta omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, i. e. homines & Angeli, *per ſanguinem crucis Chriſti*? An forte & ibi remiſſio peccatorum per vim placatricem intelligitur, & Angelis etiam parta eſt remiſſio peccatorum, placatuſque Deus? An non in loco Epheſ. 2. ſanguini Chriſti apertiſſime adſcribitur pax & concordia inter Judæos & Gentes conſtituta? Scribit enim Apoſtolus v. 13. *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis procul, prope facti eſtis in ſanguine Chriſti.* Quid autem eſt illud *prope facti eſtis in Chriſto Jeſu*, ejuſque *ſanguine*? id ſtatim ſignificat Apoſtolus dum addit: *ipſe enim eſt pax noſtra, qui facit utraque* (i. e. & Judæos & Gentes) *unum*, quod per abolitionem Legis ceremonialis porro factum docet. Quanquam id ipſum oppoſitio declarat, quæ eſt inter *procul eſſe*, & *prope factum eſſe.* Quid enim aliud eſt *procul fuiſſe*, quam quod verſ. præced. dictum fuerat: *abalienati a Republ. Iſraëlis*, &c. Quare *prope fieri* eſt in unam cum Iſraële Rempubl. ſeu unum Dei populum coire. Vide etiam verſ. 19. Ait præterea Apoſtolus Chriſtum inimicitiam iſtam, ſeu inimicitiæ cauſam, quæ fuerit Lex ceremonialis, aboleviſſe per carnem ſuam h. e. corpore ſuo in mortem tradito, quam poſtea dicit *in cruce* h. e. per crucem occidiſſe. Nam cum Chriſtus ſanguine ſuo doctrinam ſuam confirmarit, in qua omnibus hominibus peræque ſalus offertur, & ejuſmodi modus juſtitiam & ſalutem æternam conſequendi præſcribitur, qui Legalibus ceremoniis nihil indiget, imo ab iis abhorret, eo ipſo vim Legum ceremonialium ſuſtulit, nec quemquam iis obſtringi amplius docuit. Quid enim illud curandum eſt amplius in divino cultu, ſine quo juſtificari & æternam ſalutem adipiſci queam? ſublato autem hoc utriuſque populi interſtitio, & ſalute utrique peræque oblata, effecit Chriſtus, ut in unum Dei populum coirent Actor. 10. 37. Rom. 10, 12, 13. Adde quod Chriſtus per mortem Rex populi divini, & Dominus non modo Judæorum, ſed & Gentium effectus, Leges veteres, ad ſanctitatem veram conſtituendam nihil pertinentes, & concordiæ eorum obſtantes, qui unum Dominum, unum Deum habebant, & cætera, quæ ad Chriſtianorum unitatem facere docet Apoſtolus Epheſ. 4, pro ſuprema illa, quam obtinuit, auctoritate ſuſtulit, & per Apoſtolos, Paulum præſertim, obſervatu non neceſſarias docuit. Quod totum ſanguini Chriſti ea, qua alibi dictum eſt, ratione adſcribendum eſt. Sed quæ vis erit argumenti Grotiani ad ſtabiliendam placationem iræ divinæ, ſi negetur, Chriſti ſanguini remiſſionem peccatorum per vim placatricem tribui, quod jure negari jam docuimus? Oſtendimus enim nihil tale contineri in locis 1 Johan. 2. 2 &c. c. 4. 10. quæ Grotius ad id ſtabiliendum affert, ſed potius contrarium ex eorum poſteriore demonſtrari. Quanquam in neutro ſanguinis Chriſti ſolius, aut aperte fit mentio? imo in priori ad tempus, quo Chriſtus apud Patrem in cœlis degit, reſpicitur. De verbis Hebr. 9. 22 non ſemel diximus. Locum Rom. 5. v. 10. de converſione noſtri ad Deum loqui itidem docuimus.

Pergit Grotius Partic. 34: *Iſti ad Epheſios loco perſimilis mihi videtur is, cujus jam injecta mentio,* Coloſſ. 1. 20. *Plane ut ad explicationem iſtius hunc potius adferendum exiſtimem quam illum* Epheſ. 1. 9, 10. *Plurima enim congruunt. Quod illic ſeparatim dicitur*

* Partic. 18.

per ſanguinem & per crucem, hic dicitur conjunctim per ſanguinem crucis. Ibi eſt ποιῶν εἰρήνην: *hic* εἰρηνοποιήσας. *Ibi, ut reconciliaret ambos Deo: hic reconciliare omnia in ſeipſum, h. e. in Deum. Hoc intereſt, quod ibi duntaxat mentio fiat de hominibus inter ſe conciliat, quia conciliati erant Deo, hic vero de hominibus conciliatis & inter ſe & cum Angelis, ideo quia homines conciliati erant Deo.*

At hoc ipſum diſcrimen, quod Grotius hic affert inter utrumque locum, Socino ſatis eſt ad oſtendendum, locum hunc ad Coloſſ. 1. 20. potius conferri debere cum illo Epheſ. 1. 9, 10. quam cum iſto Epheſ. 2. 16. Nam cum ibi ſubjecta ſint eadem, nempe *omnia quæ ſunt in cœlo, & quæ in terra*, hic vero diverſa, nempe tantum Judæi & Gentes: & illud *ſummatim colligere in Chriſto* ἀνακεφαλαιώσασθαι ἐν χριστῷ, nihil ſit aliud, quam *pacem facere in Chriſto* εἰρηνοποιῆσαι διὰ χριστοῦ, quorum illud Epheſ. 1. hoc Coloſſ. 1. extat, nec diſcrimen hic ſit, niſi in verbis; apparet locum cap. 1 Epheſ. rectius conferri cum loco Coloſſ. 1 quam locum Epheſ. 2. Convenientia enim maxime ex ſubjecto, & actione quæ circa ſubjectum illud occupatur, æſtimanda eſt, præſertim ſi tempus ſit idem, & cauſæ efficientes potiſſimæ eædem, ut hic accidit. Nam quod Epheſ. 1. ſanguinis non fiat mentio, ea differentia minoris eſt momenti, quam ea, quæ in ſubjecto cernitur; & præterea jure dici poteſt, ſanguinem ibi tacite comprehenſum, cum Chriſtus, tanquam cauſa media, fuerit expreſſus, quo nominato omnia, quæ is fecit ad ἀνακεφαλαίωσιν illam pertinentia, inter quæ mors ipſius, intelligi poſſunt. Quamquam & ordo Scriptionis Apoſtolicæ Socino favet. Nam initium c. 2. Epheſ. reſpondet verſ. 21. cap. 1 ad Coloſſ. Unde veriſimile ſit, quæ ante hunc verſ. 21. cap. 1. Col. traduntur, cap. primo ad Eph. contineri non ſecundo; cum notum ſit, has Epiſtolas eſſe parallelas.

Sed quicquid de hoc ſit, iſtud jam patet, ſi idem ſit ſenſus hujus loci Coloſſ. 1. qui iſtius Epheſ. 2. quem hactenus examinavimus, nihil illum facturum ad ſententiam Grotii, de placatione iræ divinæ per antecedentem ſatiſfactionem, ſtabiliendam: cum nec placationis iræ divinæ, nec ſatiſfactionis ullius in loco ad Epheſ. fiat mentio. Quin hic ipſe locus ad Coloſſ. ut antea docuimus, validum nobis contra Grotium argumentum ſuppeditat, cum in eo *omnia, quæ in terra, & quæ in cœlis*, adeoque Angeli etiam reconciliati dicantur in Deum, & pacificati per ſanguinem crucis Chriſti. An enim his etiam Chriſtus ſanguine ſuo placavit Deum, & remiſſionem peccatorum ſatiſfactione pro illis præſtita à Deo impetravit? cur ad hoc Grotius nihil reſpondit, cum id Socinus urſerit, & fuſe deduxerit? Quod ait Grotius: *Hic agi de hominibus reconciliatis inter ſe & cum Angelis, ideo quia homines reconciliati erant Deo*, id eſt ſententiam dicere, non diſputare aut argumentari contra adverſarium, quod Grotius facere debebat. Cur non de hominibus tantum dicit, & non etiam de Angelis, eos cum Deo reconciliatos, ſi hic de reconciliatione cum Deo eſt ſermo? Apoſtolus enim ait, *omnia eſſe reconciliata in Deum*; quæ *omnia* poſtea explicans, ait, partim ſuper terra eſſe, partim in cœlis. Quod ſi abſurdum eſſe videt, dicere, Angelos cum Deo reconciliatos, aut Deum illis; cur ſimiliter non perſpicit, de reconciliatione cum Deo ſermonem hic non eſſe? Deinde cur reconciliationem hominum cum Deo, quam verbis Apoſtoli prioribus, *per ipſum reconciliare omnia in ſeipſum*, explicari putat, ponit tanquam cauſam antecedentem pacificationis hominum inter ſe & cum Angelis, cum Apoſtoli verba contrarium potius indicent? ait enim, quod voluerit Deus *per ipſum reconciliare omnia in ſeipſum*, εἰρηνοποιήσας, *pacificans*, (aut *pacificando*) *per ſanguinem crucis ejus, per ipſum ſive ea quæ ſuper terra, ſive ea quæ in cœlis*, hoc potius medium quoddam iſtius, quam iſtud hujus ſtatuens. Sed etiamſi concederetur, de reconciliatione hominum cum Deo hic ſermonem eſſe, nulla tamen inde concluderetur iræ divinæ per ſatiſfactionem antecedentem placatio. Id vel ex eo manifeſtum eſt, quod hic quoque, ut in loco 2 Corinth. 5. 18, 19. reconciliandi actio Deo tribuitur, Deus autem ſeipſum nobis iratum non placavit, nec ſibi ſatiſfecit per Chriſtum.

Subjicit Grotius Partic. 39: εἰς αὐτὸν *omnino eſt in ſeſe, Deum ſcilicet, ut & Syrus interpretatur Leh, hoc eſt ſibi. Nam ſi hoc vellent iſtæ voces quod Socinus vult, in unum, ſcribendum fuerat* εἰς τὸ αὐτὸ, *aut ſaltem* εἰς αὐτὸ, *non* εἰς αὐτὸν, *aut* εἰς αὑτὸν, *quod ad perſonam certam neceſſario refertur.*

Sed ubinam Grotius apud Socinum uſpiam legit, voces εἰς αὐτὸν aut εἰς αὑτὸν ſignificare *in unum*? An non Socinus vult, pronomen illud Græcum maſculini generis eſſe, & certam perſonam denotare, ac pro varietate aſpirationis, quam ipſe Grotius indicat, vel ad Deum, vel ad Chriſtum referri? Itaque in eorum verborum explicatione verſans ita loquitur: * *In ſeipſum, inquam, vel in ipſum, id eſt ad ſe,* (de Deo loquitur) *vel ad Chriſtum omnia convertendo ac dirigendo.* Itaque diligentiam in Grotio merito deſideramus, præſertim quia negligentia ipſius factum fuit, ut falſam ſententiam Socino tribueret, & à mente ipſius prorſus alienam. Sed quia Socinus dixerat εἰς αὐτὸν non debere hic verti *ſibi*, neque id ſententiam, aut ſermonis rationem ferre, niſi quis dativum *ſibi* accipiat de fine *cui*, quemadmodum accepimus vocem *Deo* Epheſ. 2. ubi hujus rei exempla attulimus: ideo Grotius oſtendere conatur, vim dativi hanc particulam habere poſſe. Sed fruſtra, niſi ſimul doceat, dativum *ſibi* tum non debere accipi de fine, quemadmodum poſtulare videntur verba *in ſeipſum*, ſed tantum de perſona, cum qua reconciliatio fuerit inita; cum Socinus fateatur, poſſe eam reddi per dativum *ſibi*, eo, quo diximus, ſenſu. Sic paulo ſuperius vidimus, opponi ſibi invicem iſta apud Lucam: πλουτεῖν ἑαυτῷ, & πλουτεῖν εἰς θεὸν, *diteſcere ſibi*, & *diteſcere in Deum*; ita ut eodem ſenſu ponatur dativus, quo particula εἰς accuſativo juncta, propter cauſam à Grotio allatam: ſic 1 Petr. 1. 4 dicitur: *in hæreditatem incorruptibilem* &c. *conſervatam in vos* h. e. vobis, ſeu pro vobis. Epheſ. 3. 2. *gratia Dei data eſt mihi in vos* i. e. pro vobis, in veſtram utilitatem. Hanc vero ſignificationem particulæ εἰς accuſativo junctæ, quæ reperitur etiam paulo ante hoc eodem cap. Coloſſ. 1. 16 & alibi, cum *in Deum* aliquid eſſe vel fieri dicitur, Rom. 11. v. ult.

* Lib. 1. cap. 8 pag. 60.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

1 Cor. 8. 6. Epheſ. 1. 5, cur repudiemus, & cum ea commutemus, quæ Grotio placet, nulla eſt cauſſa: contra cauſa eſt magna, cur id haudquaquam ſit faciendum. Docuimus enim, admiſſa Grotii interpretatione ſequuturum, ea etiam, quæ in cœlis ſunt, Deo, ſeu cum Deo reconciliata eſſe. Unde & illud concidit, quod ſubjungit: *Quid quod ipſo Socino fatente, uſitata eſt apud Græcos phraſis* καταλλάττεσθαι ἵνα πρὸς ἕτερον? *At* εἰς *in Apoſtolico ſermone poni vice* τοῦ πρὸς *negare nemo poterit, qui vel paucos locos diligenter inſpexerit, quales ſunt* Matth. 15. 24. Actor. 16. 40. Epheſ. 3. 19, *earundemque vocum commutatio in profanis quoque ſcriptoribus non raro occurrit.* Quid enim? an non modo nulla ratio vetat, quominus particula εἰς ita hic accipiatur, verum etiam ratio aliqua cogit, ut nemo id negare poſſit? aut, an ideo, quia in iſtis locis εἰς vice τοῦ πρὸς uſurpatur, non poteſt negari, id in hoc quoque loco fieri quæ conſequentia? Certe etiamſi nulla ratio obſtaret, id tamen tantiſper repudiari poſſet, donec ratio, quæ id facere cogeret, afferretur. Nam cum non ſit uſitata Apoſtolo phraſis καταλλάττεσθαι ἵνα πρὸς ἕτερον, non fuit occaſio Apoſtolo commutandi πρὸς in εἰς. Quod ad commutationis illius exempla à Grotio allata attinet, in eorum tertio, quod extat Epheſ. 3. 19, εἰς pro μέχρι poſitum eſt, ut notat Beza. Idem in altero loco, qui eſt Actor. 16, ult. ubi εἰς pro πρὸς poſitum ſcribit, annotat, in vetuſtis nonnullis codicibus eſſe ſcriptum πρὸς τὴν Λυδίαν. Ut taceam id, quod Eraſmus annotat, Λυδίαν accipi poſſe pro domo Lydiæ, quo pacto εἰς vim ſuam retinebit.

Hic jam ruunt etiam illa, quæ ex dictis deducit Grotius Partic. 36: *non eſſe veriſimile quod vult Socinus, hoc commate de ſola agi creaturarum inter ſe conciliatione: ſequenti autem commate de conciliatione hominum cum Deo.* Ratio, quam huic rei fulciendæ addit, infirma eſt: *Contra enim*, inquit, *quod univerſim dicitur* ℣ſ. 20, *id* ℣ſ. 21 *ad Coloſſenſes ſpeciatim applicatur: quod notat vox* καὶ ὑμᾶς, *hoc eſt, quin vos etiam, ſive vos quoque ipſos.* Nam particulæ iſtæ vi ſua nil aliud denotant, quam *& vos*, vel *vos etiam.* An vero hoc protinus arguit, id, quod antea generatim dictum erat, poſtea ſpeciatim ad eos, ad quos ſcribitur, applicari? an non etiam diverſæ ſpecies, ejuſdem generis, aut res ſimili aliquo modo conjunctæ, iſtis particulis inter ſe connecti poſſunt? quod idem dico de vocibus *quin vos etiam*, aut *vos quoque ipſos*, quibus Grotius putat reddendas illas καὶ ὑμᾶς. Quid enim prohibet, poſtquam dictum fuerit, Deum omnes creaturas per Chriſtum ejuſque ſanguinem inter ſe conciliaviſſe & ad concordiam redegiſſe, ſubjicere: *Quin vos quoque ipſos, aliquando alienatos & hoſtes mente in operibus malis, nunc reconciliavit* (ſibi) *in corpore carnis ipſius per mortem*? Quaſi dicat; Deus non tantum creaturas inter ſe, ſed etiam vos hoſtes aliquando ſuos ſibi morte Chriſti interveniente reconciliavit; ita ut Reconciliationes duæ, ſubjectis differentes, inter ſe hac ratione connectantur Epheſ. cap. 2 inchoat ſermonem Apoſtolus ab eadem particula καὶ ὑμᾶς cum tamen non id, quod generaliter dictum eſſet antea, ſpeciatim ad Epheſios applicetur, ſed, ut Eraſmo viſum eſt, vivificatio Epheſiorum vivificationi Chriſti, licet diverſi generis, annectatur ob ſimilitudinem, quæ utrique intercedit. Quin etiam in hac ipſa ad Colloſſ. Epiſtola cap. 2. 13, de iiſdem Colloſſenſibus, de quibus antea loquutus fuerat, verba porro facturus, ita periodum incipit, καὶ ὑμᾶς *& vos mortuos*, &c. propter eandem, ut videtur, cauſſam, ob quam initio cap. 2, Epheſ. iſtis particulis uſum diximus Apoſtolum. Nam & ibi reſuſcitationi Chriſti Colloſſenſium vivificationem comparat & annectit.

Pergit Grotius Partic. 37: *In hoc vero commate non id dicitur quod ait Socinus, reconciliationem factam nos inculpatos reddendo: ſed reconciliatos nos ut redderemur inculpati. Socinus ex fine modum fecit, ſane prælicenter.*

Ex iis, quæ ſupra etiam ex Grotio diximus de ambiguitate vocis Reconciliandi, reſponſio ad hæc peti poteſt. Paulus enim Reconciliandi vocem potiſſimum accepit pro Dei actione & propiore cura, quam in Colloſſenſibus convertendis adhibuerat; quæ ſignificatio nondum comprehendit plenum illius curæ effectum, quem ſpectavit Deus, ſed ejus quoddam initium, hoc eſt, ejuſmodi animorum ad Deum converſionem, ut peccatis valedicto, pietatem amarent, eique dare vellent operam: & hac ratione recte dicitur, reconciliationis finem eſſe, ut nos inculpati coram Deo reddamur. Socinus ſententiam totius loci magis, quam ſolum Reconciliandi verbum in eo poſitum reſpiciens, Reconciliandi vocem in ſuis verbis ſignificatu perfectiore poſuit, qua ratione plenum divinæ in nobis convertendis curæ effectum, qui eſt, ut reipſa ſancti & inculpati ſimus, comprehendit, & ſic id, quod Paulus reconciliationis finem ponit, ipſe modum ſeu formam ejus conſtituit. Hoc vero recte fieri poſſe hæc ipſa Pauli verba non obſcure indicant. Opponitur enim Reconciliatio alienationi & hoſtilitati mentis in operibus malis. Quare perfecta reconciliatio, ad effectum in nobis perducta, erit talis animi noſtri mutatio & in Deum charitas, ut jam opera faciamus prioribus, quibus adverſus Deum militabamus, contraria, atque adeo ſancte & inculpate coram Deo vivamus.

Quod ſubjungit Partic. 38, *paſſim indicare Scripturam remitti nobis peccata, ut in poſterum ſancte vivamus tanto beneficio obligati* Luc. 1. 74, id non oſtendit, per Reconciliationem eſſe hoc loco intelligendam remiſſionem peccatorum, quod vult Grotius: licet id in controverſia revera non verſetur, ſed illud, an reconciliatio ſignificet placationem iræ divinæ, aut ſatiſfactionem arguat. Quis vitium argumenti non agnoſcit? Peccata nobis remittuntur ut ſancte vivamus. Reconciliavit nos Deus ut ſancte vivamus. Ergo reconciliatio eſt peccatorum remiſſio. Quanquam etiam de Majore hujus argumentationis & loco Lucæ, quo ea probatur, nonnihil dictum eſt cap. 1 hujus Diſputat.

Ejuſdem valoris eſt, quod ſubjicit Partic. 39: *notandum eſſe, in hoc quoque commate corporis Chriſti, & mortis fieri mentionem, cui utrique, & huic quidem paſſim, remiſſio peccatorum tanquam effectum tribuatur.* Tale enim inde extruetur argumentum: Remiſſio peccatorum corpori & morti Chriſti tanquam effectum paſſim tribuitur. Reconciliatio corpori & morti Chriſti tanquam effectum tribuitur. Ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

reconciliatio eſt peccatorum remiſſio. Vitium argumenti ita notum eſt, nt nominare pigeat. Sed ejus infirmitatem nos in ſuperioris (*a*) loci examinatione pluribus oſtendimus.

Pergit Partic. 40: *Quod autem addit Apoſtolus, reconciliatos nos eſſe cum alienati & inimici mente eſſemus, ſimile eſt ei quod alibi dixit, Chriſtum pro nobis cum peccatores & impii eſſemus, mortuum eſſe* Rom. 5. 6, 8, *& Deum eſſe qui juſtificet impium* Rom. 4. 5. *Quare hic quoque de eodem agi beneficio eo juſtius creditur, quia initium, quo in hunc ſermonem Apoſtolus devenerat, hoc fuit, habere nos in Chriſto redemtionem, peccatorum ſcilicet remiſſionem.*

Sed quid inde roboris accedet ſententiæ Grotii, ſi concedatur, locum Rom. 5. 6, 8 eſſe huic ad Coloſ. ſimilem? an inde ſequetur, remiſſionem peccatorum nobis impetratam à Deo Chriſti morte per vim placatricem? nihil minus. Nam nihil tale in iſto ad Rom. loco dicitur, ſed illud, unde contrarium colligitur, ut ſuo loco fuit oſtenſum. Verum diſſimilitudo eſt inter hos locos non exigua, & ei, quod quærit Grotius, adverſa. Oſtendere enim velle videtur, de reconciliatione ejuſmodi in loco ad Coloſſ. agi, quæ in ipſa Chriſti morte, nobis adhuc impiis, fuerit peracta, quæque adeo non in converſione noſtri ad Deum, ſed in impetratione remiſſionis peccatorum per placationem iræ divinæ conſiſtat. At in verbis illis Rom. 5. 6, 8, nulla fit mentio ipſius reconciliationis noſtræ cum Deo, ſed tantum medii illius, quod Deus nobis ſecum reconciliandis deſtinaverat, quod eſt mors Chriſti: in loco ad Col. non mortis tantum Chriſti, ſed etiam reconciliationis per eam factæ fit mentio. Deinde id, de quo ad Rom. agitur, factum dicitur nobis adhuc peccatoribus & impiis, adeoque inimicis Dei exiſtentibus: at in loco ad Col. aſſeritur, reconciliationem cum Deo ſucceſſiſſe inimicitiæ iſti adverſus Deum, cum utriuſque rei tempus manifeſte diſtinguatur per particulas *aliquando* & *nunc*. Quod ipſum ſatis monere poterat Grotium, ne hos locos ſimiles eſſe diceret, & in verbis Coloſ. de ejuſmodi reconciliatione ſermonem eſſe putaret, quæ nobis in inimicitia adverſus Deum perſeverantibus peracta fuerit.

Partic. 41. Locus Rom. 4. 5, (*b*) ubi dicitur *Deum juſtificare impium*, nihil ad rem pertinet. Neque enim juſtificatio idem eſt quod reconciliatio, ſed ejus effectus: neque id vult Apoſtolus, Deum jam tum, cum homines adhuc ſunt impii, eos juſtificare, quod hic proculdubio vult Grotius; ſed Deum eos etiam, qui aliquando fuerint impii, juſtificare; id quod juſtitiam operum excludit, quæ ei demum contingit, qui per totam vitam fuerit pius, nec unquam præceptum aliquod Dei fuerit tranſgreſſus, quod Paulus vocat *operari*, voce hac in perfecto ſignificatu accepta. Scholaſtici dicerent: verba Pauli à Grotio citata accipienda in ſenſu diſjuncto ſeu diviſo, Grotium accipere in conjuncto ſeu compoſito. Eadem ratione dicit Paulus 1 Tim. 1. 15: Chriſtum in mundum veniſſe, *ut peccatores ſervaret, quorum ipſe ſit primus*, hoc eſt ut eos ſervaret, qui aliquando fuiſſent peccatores, verum jam tales eſſe deſiiſſent. qua ratione etiam ſe peccatorum primum vocat, non quod talis adhuc eſſet, ſed quod fuiſſet, hoc eſt, fuiſſet blaſphemus, perſequutor, contumelioſus, ut paulo ante dixerat. Hoc pacto dicitur Matth. 21. 31, *meretrices præcedere* Phariſæos *in regnum Dei*, hoc eſt eas, quæ antea hoc flagitio ſe polluiſſent. Loquitur autem Apoſtolus non de jure tantum juſtificationis obtinendæ, aut ejus impetratione, quæ fidem noſtram antecedat, ſed de ipſo juſtificationis actu, qui cum non niſi per fidem contingat, ut ibi docet Apoſtolus, non contingit niſi jam piis. Siquidem fidei juſtificantis anima ſunt bona opera, ut alibi monuimus, & reſipiſcentia ubique ad remiſſionem peccatorum obtinendam prædicatur neceſſaria. Erravit etiam in eo Grotius, quod locum hunc, qui ad omnia tempora ab initio mundi extenditur, ſimilem eſſe putat loco ad Coloſ. qui loquitur de re, quæ ſub Novo demum Fœdere fieri cœpit in iis, qui efficaciam mortis Chriſti agnoſcere poſſunt, & vim amoris divini ex ea relucentis perſpicere.

Iſtud etiam admodum infirmum eſt, quod ait Grotius Partic. 42, *initium, à quo in hunc ſermonem devenerit Apoſtolus, fuiſſe, habere nos in Chriſto redemtionem, peccatorum ſcilicet remiſſionem.* An non potuit Apoſtolus, explicato hoc beneficio, quod per Chriſtum nobis præſtiterit Deus, perſequi etiam alia, quæ per eundem in nos contulerit, præſertim ea, quæ cum remiſſione peccatorum ſingulari ratione ſunt conjuncta, qualis eſt converſio noſtra ad Deum, ſine qua remiſſionem peccatorum adipiſci fas non eſt? Certe nec Grotius negare poteſt, Paulum facta mentione remiſſionis peccatorum, quam per Chriſtum habeamus, alia quædam à remiſſione peccatorum diverſa commemoraſſe, quæ ad Chriſti dignitatem pertinent, aut per Chriſtum fuerunt facta ℣ſ. 15, 16, 17, 18, 19. An non Apoſtolus Eph. 1. 7, idem beneficium iiſdem prope ſyllabis commemorarat, atque inde initium ſequentis ſermonis duxerat, nec tamen idem iſtud poſtea iterat, ſed ad ea digreditur, quæ cum iſto beneficio divino aliquam habent conjunctionem, vel quod ejus ſpem nobis faciant, vel quod ad id reipſa conſequendum pertineant.

Quod poſtea ſubjungit Grotius Partic. 43, non poſſe rectius intelligi, quantum nos Deus amaverit (de Chriſto nihil opus eſt dicere) quantumque nos ipſi debeamus, quam ſi conſideremus nobis ſub ira adhuc Dei conſtitutis remiſſionem peccatorum primo impetratam, deinde & applicatam: id & ſuperiori cap. refutatum eſt, & hoc cap. non uno loco refellitur.

Pergit Grotius Partic. 44: *Quod autem alio loco dicit Socinus, oportuiſſe Deum nobis eſſe placatiſſimum, minimeque iratum, antequam Chriſtus mitteretur ad Fœdus pangendum: id quam ſit à vero alienum alibi ipſe videtur agnoviſſe, cum Deum ſtatuit eo ipſo momento, cum ad amicitiam redintegrandam nobis conditiones offerret, fuiſſe animo non placato, ſed placabili.*

Deum jam tum, cum Chriſtum ad Fœdus Novum in quo omnium peccatorum remiſſionem & æternam felicitatem reſipiſcentia & fide obtinendam promittit, nobiſcum pangendum, & ſanguine ſuo ſanciendum

(*a*) Partic. 33. (*b*) Hic locus in poſteriori editione omiſſus eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ciendum mitteret, placatiſſimum, ſeu quod idem eſt, minime nobus iratum fuiſſe, & pœnam noſtram nequaquam expetiiſſe, ſed potius impunitatem noſtram vehementer deſideraſſe, adeo clarum eſt, ut mirum ſit quemquam hac de re dubitare poſſe, idque ſatis aperte demonſtravit Socinus loco, quem Grotius notat, lib. 1. cap. 7 & nos non ſemel. Neque vero huic ſententiæ quicquam repugnat, quod Socinus alicubi innuit potius, quam pronunciat, Deum tum temporis animo placabili fuiſſe. Neque enim Socinus vocem *placabilis* opponit *placato*, ut facit Grotius: ſed placabilem accipit pro placido, miti & æquo, qui neglectis irarum cauſis in alterum ſit propenſus. Itaque Socino *placabilis* eo fere pacto dicitur quo *affabilis*, & quandam animi ſignificat affectionem, ſponte ab aliquo ſuſceptam, quæ animum re ipſa placatum minime excludit. Hoc ſenſu Socinum vocem hanc accipere, id quod ad contradictionem ab ipſius verbis depellendam ſatis eſt, quivis facile animadvertet, qui locum à Grotio notatum lib. 1. cap. 8, inſpexerit.

Sed rationem ipſam id dictare, ait Grotius Partic. 45. *In omnibus enim*, inquit, *conditionatis*, *conditionalia ſunt priora abſolutis. Neque vero conditio offerri, ſed & impleri debet, antequam ſequatur actus abſolutus. Quare pacem apud Deum nos habere dicit Scriptura, poſtquam per fidem ſumus juſtificati* Rom. 5. 1. *Antea ſumus iræ filii* Epheſ. 2. 3, *peccata enim noſtra ſunt cauſa ſeparationis, h.e. Deum à nobis averſum faciunt* Eſai. 59. 2. *Hæc ira excludit pacem ſive amicitiam, non autem qualemcunque dilectionem generaliter dictam, ut apparet* Joh. 3. 16. 1 Joh. 4. 10.

In conditionatis conditionalia priora eſſe abſolutis, & conditionem impleri debere, antequam ſequatur actus abſolutus, verum eſt, ſed id, quod in controverſia eſt, nondum demonſtrat. Neque enim in hoc negotio actus abſolutus, qui conditionibus impletis ſequi debebat, eſt, ut Deus aliquando ſit placatiſſimus, hoc eſt, actu ipſo minime iratus, nec pœnam noſtram, ſed impunitatem potius noſtram vehementer deſiderans; verum ut talis erga nos ſit perpetuo, imo nos impenſius adhuc, quam antea fieri poterat, amet, ejuſque rei fructum nos re ipſa experiamur; quod tum perfecte fiet, cum is jure ſuo, quod ad nos puniendos habet, penitus cedet, noſque ab æterna morte liberatos, immortali vita donabit. Vox enim *placatus* apud Socinum iram tantum actu exiſtentem & pœnæ infligendæ deſiderium excludit, non vero retentionem quandam juris ad puniendum, quo quis tum demum uti velit, ſi conditio æquiſſima, quam nocenti propoſuerat, non præſtetur, cum ipſe interea vehementer deſideret, & omnibus modis curet, ut conditio iſta à nocente recipiatur, & ſic ipſe jure ſuo uti haudquaquam cogatur: quod Deum tunc feciſſe conſtat, cum filium ſuum mitteret, & in mortem pro nobis traderet. Deinde vox hæc, etſi omnem iram actu exiſtentem excludit, non tamen protinus amorem ſummum abſolute ponit. Eſt enim inter iram & amorem aliquid intermedium, & inter eum, qui placatiſſimus eſt, atque eum, qui ſummo alterum amore complectitur. Qua de re paulo poſt dicetur aliquid explicatius.

Quod ad pacem illam attinet, de qua Paulus loquitur Rom. 5. 1, ea aliquid amplius denotat, quam id, quod Socinus voce *placati* aut *placatiſſimi* explicat. Significat enim amicitiam ac concordiam inter nos ac Deum ejuſmodi, quæ immunitatem à peccatorum pœnis, quatenus ea in hoc ſeculum cadit, abſolutam in ſe complectitur; ſiquidem ea, non à conditione futura demum, ſed jam præſente pendet. Itaque qui ea fruitur, niſi in deteriorem ſtatum culpa ſua relabatur, & animum vitamve in pejus mutet, etiam perpetuo à divinis ſuppliciis immunis erit. At is, cui Deus eo modo, quem Socinus intelligit, eſt placatiſſimus, in eo poteſt verſari ſtatu, in quo ſi perſeveret, Deum iratum omnino ſit experturus, & graviſſimas peccatorum ſuorum pœnas laturus. Qui enim in peccatis perſeverat, is, etſi Deum ad tempus habuerit placatum aut placatiſſimum, non tamen ſemper eſt habiturus, nec remiſſionem peccatorum, ſub conditione certa ſibi oblatam, conſequetur: imo quanto majorem ipſi gratiam exhibuerat Deus, quanto diutius ejus expectarat & quæſierat reſipiſcentiam, tanto gravior ei, quod divitias benignitatis, tolerantiæ, & longanimitatis divinæ contemſerit, eſt metuenda ira, ut inter alia docet Paulus Rom. 2. 4, 5. Quanquam pax illa cum Deo, de qua cap. 5 ſermo eſt, accipi etiam poteſt de ſenſu quodam favoris erga nos divini, ac ſecuritate à divinis ſuppliciis, quæ ex doctrina de juſtificatione per fidem obtinenda proficiſcitur, cujus ibi fructus enumerat Apoſtolus, quaſi dicat poſtquam ergo juſtificatio nobis per fidem obtinenda eſt promulgata, ejuſque certa ſpes facta, ſeu mavis, ejus obtinendæ jus datum; jam animi noſtri tranquilli ſunt, & judiciorum divinorum ſecuri. Quod vero Eph. 2. 3, dicitur, nos antea fuiſſe filios iræ, id non oſtendit, Deum tum re ipſa nobis fuiſſe iratum. Nam filium iræ eſſe, nihil eſt ibi aliud, quam ita vivere, ut ira ſeu pœna dignus ſis, vel, iræ ac ſupplicio eſſe obnoxium. Fieri autem poteſt ut Deus ei, qui iræ ac pœnæ eſt obnoxius, eave dignus, reipſa non iraſcatur, nec pœnam ejus expetat, ſed ejus potius ſalutem deſideret, & quærat. Atque id nobis, qui filii iræ fuerimus, contigiſſe eodem loco docet Paulus. Statim enim ſubjicit: *ſed Deus cum dives eſſet in miſericordia, propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui in delictis, ſimul vivificavit nos in Chriſto, & ſimul collocavit in cœleſtibus in ipſo, ut oſtenderet in ſupervenientibus ſeculis opulentiſſimam gratiam ſuam in bonitate, qua adverſus nos utitur in Jeſu Chriſto.* Quare non ſemper peccata noſtra Deum à nobis actu ipſo avertunt, hoc eſt, eum nobis iratum reddunt, &, ut pœnas noſtras expetat, ac nobis benefacere nolit, efficiunt, licet ea illorum vis ſit, effectum ſuum, niſi miſericordia Dei obſtaret, ſemper habitura: adeoque id quod Eſai. 59. 2, dicitur, non eſt ad omnia tempora trahendum, niſi tum, cum homines Dei miſericordia flecti ſe non patiuntur, & in impietate perſeverant. Certe id locum non habuiſſe tum, cum Deus opulentiſſimam ſuam gratiam per Chriſtum nobis exhiberet, ex verbis Pauli modo adductis liquido perſpicitur.

Mirum autem eſt Grotium negare, iram Dei, quæ cum à nobis avertit, & ad nos pro meritis puniendos

excitat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

excitat, vel potius nil eſt aliud, quam Dei à nobis averſio, & puniendi deſiderium, excludere dilectionem illam tantam, de qua ſermo eſt Joh. 3. 16. 1 Joh. 4 10, qua motus Deus filium ſuum unigenitum miſit expiationem pro peccatis noſtris, eumque in mortem dedit, ut in eum credentes ab æterno interitu vindicaremur, & vitam æternam conſequeremur. An non iſta ſibi tam adverſantur, quam quæ maxime? Ira illa pœnam ſceleribus noſtris dignam expetit: dilectio hæc ut à pœna liberemur deſiderat: illa prohibet ne Deus nobis benefacere velit: hæc ſummi beneficii, oblatæ ſalutis ſempiternæ, & traditionis unigeniti Dei filii in mortem, eſt cauſa. Quis vel ipſa verba Chriſti & Apoſtolorum de hac dilectione legens, non videt, amorem illum tantum fuiſſe, ut iram adverſus eoſdem, eodem tempore, in Deo nullo modo pati potuerit? Chriſtus enim, ut magnitudinem illius amoris oſtendat, ſic de illo ait: *Sic Deus dilexit mundum* q. d. tantopere ac tam impenſe amavit mundum. Johannes 1 Epiſt. cap. 4. nullum aptius potuit reperire argumentum ad oſtendendum, Deum eſſe charitatem, quam hoc ipſum charitatis opus; & poſtea ſic concluſit: ſi *ita* Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere. Paulus ait Rom. 5, Deum hac ratione charitatem ſuam erga nos *commendaſſe,* quod Chriſtus pro nobis adhuc impiis fuerit mortuus. Hiccine adhuc nobis fuit iratus, & morte Chriſti placandus? ab hoc impetrandum fuit ſanguine, ne nos in æternum punire vellet, qui ipſe omnia, quæ eo pertinebant, charitate impulſus fecit, & rem omnium pretioſiſſimam in eum finem impendit? Poterat tamen hæc erga nos charitas poſt converſionem noſtram augeri, atque adeo etiam aucta eſt. Nam etſi nos Deus, cum Chriſtum ad Novum Fœdus ſanciendum mitteret, impenſe amaret, imo, quatenus rei natura tunc ferebat, impenſiſſime; non tamen ſimpliciter impenſiſſime, obſtantibus peccatis noſtris, & Dei ſanctiſſimi erga nos amorem ad ſummum progredi non ſinentibus. At poſtquam iis abjectis Deum ex animo amare ac colere cœpimus, longe perfectior iſte Dei erga nos evaſit amor, permanſurus ſtabilis ac firmus, effectumque in nobis ſuum neceſſario habiturus, ſi in pietate uſque ad extremum vitæ terminum perſeveremus.

Inſtat Grotius Partic. 46: *Peccata remitti hominibus ante pœnitentiam ne Socinus quidem ſentit, placatus autem actu, aut qua voce Socinus utitur, placatiſſimus dici non poteſt, qui adhuc imputat peccata.*

Remittere peccata, aut contra ea imputare, ambigue dicitur. Nam & is dicitur remittere peccata, qui ſub certa conditione remiſſionem alteri offert, atque ita jus ad eam reipſa obtinendam concedit, & is, qui juri ſuo ſimpliciter renunciat. Itaque contra & is imputat peccata, qui remiſſionem non offert, nec jus ad eam concedit; & is, qui jure ſuo, quod habet in pœna, non cedit abſolute, ſed jus aliquod ſibi ad puniendum reſervat, quo uſurus ſit, ni conditio recipiatur. Priori modo Deus remittit peccata etiam ante pœnitentiam, ſeu peccata non imputat. Unde Paulus dixit 2 Cor. 5: Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, *non imputans illis peccata.* Poſteriori modo non remittit Deus peccata ante reſipiſcentiam, & ſic etiam imputat adhuc peccata. At qui hoc modo peccata imputat, poteſt eſſe placatiſſimus, h. e. actu minime iratus, ſed impunitatem nocentis vehementer deſiderans, ut paulo ſuperius eſt explicatum.

Partic. 47. Ex his patet, quid de momentis illis divinæ voluntatis, quæ hic conſtituit Grotius, ſentiendum ſit. Vult enim Deum ante Chriſti mortem, & poſita jam Chriſti morte, adhuc actu iratum, licet in primo momento non omnes iræ deponendæ rationes averſetur, in ſecundo promittat ſe iram depoſiturum. At nos iſtud ſatis jam refutavimus, quod attinet ad tempora, quibus Deus Chriſtum in mundum miſit, & mortem pro nobis ſubire juſſit. Quanquam cum tertium momentum, quo Deus iram jam deponit, cum prioribus ratione temporis ex Grotii ſententia concurrat, (ſiquidem eo uſque ſe extendit, quouſque Dei præſcientia, hæc vero ad omnia tempora) neceſſe eſt, ut Deus eodem tempore iiſdem & iratus & placatus fuerit, quod prorſus eſt abſurdum. Momentorum iſtorum diſtinctio, quæ temporis diſcrimen non ponit, ad evitandam abſurditatem nullum affert momentum.

Iſtud etiam unde Grotius Partic. 48 excerpſerit, neſcio, quod *cum homo vera fide in Chriſtum credit, Chriſtus ex fœderis formula credentem Deo commendet.* Talem enim fœderis formulam non memini legere. Imo hujuſmodi inter Deum & Chriſtum fœdus non admittunt illa Chriſti verba apud Johannem cap. 16. 25, 26, ubi ait: *Et non dico vobis, quod ego oraturus ſim patrem pro vobis. Ipſe enim pater diligit vos, quia vos me dilexiſtis, & credidiſtis, quod ego à Deo exivi.* Non admittit etiam ratio ea, qua Deus in ſalute noſtra per Chriſtum perficienda utitur Johan. 6. 37 & ſeqq. ibid. 44. 10. 28 & ſeqq. 17. 2. 1 Petr. 2. 25. Deus enim homines ſervandos Chriſto dedit, & eos tanquam paſtori vita æterna donandos commiſit, ac pleniſſima eum ad id efficiendum poteſtate inſtruxit. Qui ergo ipſe eos Patri demum commendare ex fœderis alicujus formula teneretur? Si interpellationem Chriſti, cujus in Sacris Literis fit mentio, objicias, de ea dictum eſt hoc cap. ſupra, & dicetur cap. 10.

Illud poſtremo notari vult Grotius Partic. 49: *Vocem reconciliationis non excludere ſatiſfactionem ſive præſtationem omnem & impendium. Nam apud Livium,* inquit, *eſt: Ut eo munere reconciliaret ſibi civium animos: alibi paſſim ſimilia occurrunt: ut eo quidem nomine nihilominus reconciliator noſter Chriſtus dici debeat: quod ipſum quoque monſtrat Scriptura. Cum reconciliationi addit mentionem ſanguinis.*

Sed non ſolvit Grotius argumentum Socini, ad quod videtur reſpexiſſe. Socinus enim non dicit, reconciliationem excludere *ſatiſfactionem ſive præſtationem omnem & impendium*, ſed *ſatiſfactionem plenam & veram*, quas voces expreſſe addidit. Reconciliatoris enim eſſe, eum, cui debetur, eo adducere, ut aliqua ſaltem ex parte de jure ſuo cedere velit, non vero ei plene ſatiſfacere. Livii verba contrarium non docent. Id enim tantum probant, impendio aliquo animos aliorum reconciliari poſſe, quod nemo negat. Sanguinis mentio cur addatur reconciliationi, oſtenſum eſt in ipſorum locorum, ubi id contingit, explicatione.

RE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

RESPONSIO

Ad Cap. VIII. quod inſcribit Grotius:

De redemptione noſtra per Chriſtum facta.

HIc primo Grotius Partic. 1, extra controverſiam eſſe ait, Redemtionem ſimileſque voces in Sacris Literis aptari ad liberationem noſtram à pœna commerita, quod locis aliquot Scripturæ oſtendit, nec Socinus, ut ipſemet Grotius ſcribit, diffitetur.

Adde deinde Partic. 2: *Quin & illi loci, qui nos ab iniquitate & vana converſatione dicunt redemptos, ut* Tit. 2. 14. & 1 Petr. 1. 18. *Eodem pertinent, cum peccatum pro peccati pœna poni ſit receptiſſimum: idque in loco ad Titum addita vox* καθαρίζειν *i. e. expiare, quam infra explicabimus, & in Petro vox agni, h. e. victimæ mentio apertum faciunt.*

At ratio ex verbo καθαρίζειν deprompta, eſt admodum infirma. Neque enim ea vox ſemper ſignificat pœnas peccatorum auferre, ſed ſimpliciter purgare & mundare, & ad ipſorum etiam vitiorum expurgationem refertur. Sic Paulus 2 Corinth. 7. initio: *Has ergo habentes promiſſiones dilecti*, καθαρίσωμεν, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctimoniam in timore Dei.* Jacob. cap. 4. 8. καθαρίσατε, *emundate manus peccatores, & purificate corda duplicis animi homines.* Ubi eodem ſenſu dixit etiam ἁγνίσατε, quo verbo in eadem ſignificatione utitur Johannes 1 Epiſt. 3. 3. & Petrus 1 Epiſt. 1. 22. Eadem ſignificatio verbi καθαρίζειν reperitur in loco, ei, de quo agitur, admodum ſimili Epheſ. 5. 26. ubi purificationem hanc Chriſto adſcribit Apoſtolus, quemadmodum in loco ad Titum, quam alibi ipſis hominibus adſcriptam vidimus: quia non tantum Chriſti efficacia, ſed ipſorum etiam hominum labor & opera ad eam concurrit. Chriſti vis antecedit ac impellit; noſtra voluntas ac labor, ab illa excitatus, ſubſervit. Ita vero Paulus ad Epheſ. ſcribit: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret*, καθαρίσας *purificans lavacro aquæ in verbo.* Ubi ſi voluiſſet Apoſtolus per verbum καθαρίζειν expiationem ſeu liberationem à reatu ac pœna peccatorum ſignificare, non lavacri aquæ in verbo, ſed ſanguinis, quo Chriſtus nos expiaverit, potius feciſſet mentionem, more Sacris Literis conveniente, præſertim cum egregiam haberet ad eam rem occaſionem ex mentione mortis Chriſti, cujus finem explicat. Verum quia de ablutione & expurgatione ipſorum ſcelerum agit, deque eo baptiſmo, qui, ut ait Petrus 1 Petr. 3. 22, non depoſitio eſt ſordium carnis, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum, ideo lavacri *aquæ*, & quidem *in verbo*, hoc eſt, quod lavacrum fiat per verbum Euangelii, morte Chriſti inſigniter confirmatum, fecit mentionem. Tit. 3. 8. Idem lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti vocat, h. e. lavacrum ejuſmodi, per quod novi homines aut novæ creaturæ porro evadamus, mente, voluntate, & actionibus noſtris immutatis; quam ablutionem Spiritui Sancto tribuit 1 Corinth. 6. 11. Concurrunt enim ad eandem hanc actionem, mors Chriſti, Spiritus Sanctus, verbum denique Euangelii, quod proxime ad eam efficiendam adhibetur. De eadem ablutione, quæ fiat aqua pura vid. Hebr. 10. 22.

Cum ergo verbum καθαρίζειν etiam de purgatione ab ipſis vitiis accipiatur, nil obſtat, quominus in loco ad Titum eo pacto accipiatur; imo id collatio hæc cum loco Epheſ. 5. qui ei eſt perquam ſimilis, admodum facit probabile. Quin & ſcopus loci id ſuadet. Dixerat enim Apoſtolus: gratiam illam Dei, omnibus hominibus ſalutarem, erudire nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo. Hujus pietatis cauſas ſubjicit duas, ad gratiam illam Dei ſalutarem, quam nos ad pietatem erudire dixerat, pertinentes: altera eſt expectatio ſpei illius beatæ, in apparitione gloriæ Dei & Chriſti nobis exhibendæ: altera eſt mors Chriſti, ſpei illius inſignis confirmatio, quam ideo ſuſceptam aſſerit à Chriſto, tum ut à ſervitute peccatorum nos vindicaret, tum ut ſervitio ſuo addictos, ſtudioſos bonorum operum ſectatores efficeret: qui fines mortis Chriſti reſpondent illis duabus, quas ante conſtituerat Apoſtolus, officii noſtri partibus, quæ ſunt, à peccatis deſiſtere, & bonum facere. Itaque verba hæc, *ut redimeret nos ab omni iniquitate*, reſpondere videntur illis: *ut abnegemus impietatem & mundanas cupiditates*; iſta vero: *& purificaret ſibiipſi populum peculiarem, ſtudioſe ſectantem bona opera*, reſpondent potiſſimum illis, *ut temperanter, juſte, & pie vivamus.* Hæc enim ſunt bonorum operum genera, quæ ſectari debemus. Quanquam in verbo *purificandi* liberatio etiam à vitiis aliquo modo reperitur. Eadem ratione Petrus 1 Petr. 2. 24, finem iſtum quodammodo duplicem mortis Chriſti conſtituit, *ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.* Quinetiam ipſe Paulus 2 Cor. 5. v. 15, ubi ait, Chriſtum mortuum, ut, qui vivunt, *non amplius ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Adde quod in loco ad Titum, tacita quædam eſt oppoſitio inter ſtatum illum priſtinum, ex quo redempti dicimur, & inter eum, in quem traducti ſumus. Hic autem in eo conſiſtit, quod populus Chriſti peculiaris, ſeu ſervi ipſius, qui ſtudioſe ſectemur opera bona, effecti ſimus. Quare ſtatus ille, ex quo redempti dicimur, nihil eſt aliud, quam quod peccato & iniquitati ſerviverimus, omnis generis mala opera patrantes; atque adeo de redemtione ſeu liberatione ab ipſius peccati jugo ac ſervitute hic ſermo eſt. Aliam adhuc rationem videbimus, ubi locum Petri 1 Epiſt. 1. 18. huic ſimilimum explicuerimus, ad quem nunc accedimus. In eo Petrus rationem affert, cur ii, ad quos ſcribit, incolatus ſui tempus in timore tranſigere debeant, ſeu, ut initio hujus admonitionis fuerat loquutus, cur non debeant priſtinis ſuis in ignorantia cupiditatibus conformari, ſed Sancti in omni converſatione fieri. Ratio hæc eſt: quia non res viles & caducæ, quales ſunt aurum & argentum, à Deo & Chriſto in id impenſæ ſint, ut à priſtina illa vanaque converſatione liberarentur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rentur, ſed pretioſiſſimus Chriſti ſanguis. Hanc ſententiam quis non videt Apoſtoli ſcopo eſſe convenientiſſimam, & ad id, quod volebat, admodum efficacem, ac verbis apprime conſentaneam? Verbum *converſationis*, quo Apoſtolus utitur, de ipſa vivendi ratione, ſeu de actionibus accipitur, nec in eo uſitata eſt metonymia cauſæ, quæ in voce *iniquitatis* aut *peccati* cernitur, dum pro pœna ſumitur: nec ulla eſt cauſa, quæ ſuadeat, ut à vocis proprietate hic diſcedatur: imo oppoſitio diverſum ſuadet. Nam ματαία ἀναστροφὴ i. e. *vana converſatio*, opponitur τῇ ἀναστροφῇ ἐν φόβῳ, *converſationi in timore*, τῇ ἁγιότητι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ, *ſanctitati in omni converſatione*, cujus verſ. 15. facta eſt mentio. Grotii ſententia ad id, quod volebat Apoſtolus, eſt inefficax. Neque enim, niſi quid addatur aliud, ſequitur, quia pro noſtris iniquitatibus Deo fuerit ſatiſfactum, ideo nobis pie vivendum eſſe. Addendum ſaltem fuiſſet Apoſtolo, ſatiſfactionem iſtam nobis non prodeſſe, niſi pie in poſterum vivamus. Alias enim, cum quis audit, pro peccatis ſuis vere ſatiſfactum, potius licentiam peccandi videtur nactus, præſertim ſi ſolutionis iſtius vis ad omnia peccata, etiam futura, extendatur, ut quidem ab adverſariis creditur. Quanquam nos ſupra oſtendimus, ſi ſatiſfactio talis qualem adverſarii volunt, Deo præſtita fuerit, neceſſe fuit, ut ſtatim conſequeretur peccatorum noſtrorum remiſſio, nec ulla amplius ex parte noſtra requireretur actio ad illam à Deo impetrandam. Itaque nec illud addi aut ſubintelligi poteſt, ſatiſfactionem nobis non prodeſſe, niſi pie vivamus. Atque hæc ratio etiam ad locum Titi 2 accommodanda eſt, unde noſtra illius loci explanatio adhuc magis confirmatur.

Sed ait Grotius, mentionem *agni* h. e. victimæ planum facere, de liberatione à peccati pœna eſſe ſermonem. Atqui oſtenſum eſt à Socino prolixe, (qua de re agendum nobis erit cap. 10.) victimæ Chriſti non modo ablationem pœnarum, verum etiam emundationem ab ipſis ſceleribus & peccatis tribui. Hinc D. auctor Hebr. 9. Chriſti ſanguinem cum victimarum legalium ſanguine comparans, ait, *eum purificare conſcientiam noſtram à mortuis*, ſeu *mortiferis operibus ad ſerviendum Deo viventi*, verſ. 14. Præterea ex Apoc. 7. 14. ſatis conſtat, ſanguini Agni repurgationem ab ipſorum peccatorum ſordibus tribui. Dicuntur enim illi, qui ante thronum & agnum ſtantes introducuntur, induti ſtolis albis, & palmas manibus tenentes, *ſtolas ſuas dealbaſſe in ſanguine agni*, h. e. puritatem vitæ vi ſanguinis agni conſequuti fuiſſe. Quemadmodum enim per palmas, quas manibus tenebant, fortitudo illorum in perferendis perſequutionibus ac victoria ſignificatur: ita per ſtolas candidas vitæ puritas: quomodo alibi in eodem lib. byſſinum purum & ſplendidum, quo ſponſa agni fuerit exornata Apoc. 19. 8, intelliguntur juſta piaque opera ſanctorum. Hæ enim duæ fuerunt cauſæ, ob quas illis, de quibus ſermo eſt, felicitas iſta, quæ poſtea deſcribitur, contigerit, vitæ puritas, & in perſecutionibus conſtantia. Confer. v. 15. cum 14. Quid quod Grotius ſupra cap. 1. in verbis 1 Petr. 2. 24. ad ſacrificia dixit alludi, quo tamen loco finis mortis Chriſti conſtituitur, *ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus*. Quid ergo mirum ſi ſanguini Chriſti, qui agnus aut victima dicitur, ab eodem Apoſtolo alibi idem adſcribatur effectus?

Hanc redemptionem, ait Grotius Partic. 3, *morti Chriſti adſcribi cum paſſim teſtetur Scriptura, ne id quidem inficiari potuiſſe Socinum* (addere debuit, *nec voluiſſe.*) *Verum*, inquit, *quomodo cauſa redemptionis ſit mors Chriſti, id eſt de quo quæritur. Nos enim ideo cauſam redemptionis eſſe mortem Chriſti dicimus, quod ea Deum moverit, ut nos à pœna liberaret. Id ipſum negat Socinus.*

At non tantum de eo quæritur in hoc Redemtionis negotio, an mors Chriſti Deum ad nos à pœna liberandos moverit necne, ſed etiam, idque præcipue, an Redemptio per Chriſtum facta ſolutionem veri pretii pro peccatis noſtris Deo præſtitam, ſeu veram ſatiſfactionem comprehendat. Hoc enim ab iis, qui ſatiſfactionem vulgo defendunt, urgetur, ut vel ex Coveti verbis, quibus Redemptionis illius vim explicat, apparet. Ita enim ſcribit: *Redimere aliquem eſt debitum ſolvere creditori ejus nomine qui ſolvendo non erat, ſicque ſatiſfacere creditori. Redemit nos Chriſtus à judicio Dei, vel ab ea juſtitia per quam peccatores damnari merebamur. Unde ſequitur, Chriſtum, cum nos redimeret, Deo pro nobis ſatiſfeciſſe.* Nec à Coveto in eo, quod potiſſimum quæritur, diſſentiunt cæteri, etiamſi vocem Redimere generaliter ſumtam paulo aliter ſint explicaturi. Hoc controverſiæ noſtræ caput, quod à Socino, cum de Redemptione diſputat, revera excutitur, hic non eſt expreſſum: id quod à Grotio exprimitur, à Socino tunc, cum de Redemptione ageret, non fuit oppugnatum. Aliud nempe eſt movere Deum, ut nos à pœna liberet, aliud ei verum pretium pro peccatis noſtris debitum perſolvere, ſeu vere ſatiſfacere. Movetur Deus ad liberandum à pœna etiam precibus, pœnitentia & lachrymis peccatoris, interdum etiam precibus alienis, ut olim precibus Moſis pro Iſraëlitico populo interpoſitis. Eandem proculdubio vim tribuit Grotius precibus Chriſti, quas ad Patrem olim pro peccatoribus fudit, & quas eum adhuc pro iiſdem credit fundere. Quantam vim etiam in ſalutis negotio habeant preces piorum pro peccatoribus fuſæ, oſtendit Johannes 1 Epiſt. 5. 19. At nulla eſt in illis vera pro peccatis ſatiſfactio. Sed deinde animadvertendum eſt, cum Socinus negat, Chriſtum moviſſe Deum morte ſua ad peccatorum veniam nobis concedendam, cum *movendi* vocem in magis propria, quatenus quidem ea hic locum habet, & perfecta ſignificatione accipere, ita ut notet, eum, cujus voluntas vel in contrarium propendeat, vel ſaltem ad rem aliquam per ſeipſam non ſit prona, nec eam ſponte ſua deſideret, impellere, ut aliquid velit, decernat, aut faciat. In qua ſignificatione Grotius atque alii hanc vocem accipiunt, cum ajunt, Deum Chriſti morte motum ad nos à pœna liberandos. Antea enim eum nobis iratum fuiſſe ajunt, ſed Chriſti morte placatum, iram deponere decreviſſe, atque adeo accedente fide ac pœnitentia noſtra, eam reipſa depoſuiſſe, & nos in gratiam recepiſſe. In hac ſignificatione vocem *movendi* accipere Socinum, cum negat, Chriſti morte motum eſſe Deum ad peccatorum veniam nobis concedendam

dendam, tum ex aliis patet, tum præcipue ex iis, quæ diſputavit lib. 2. cap. 19. & 25. Quod ſi vocem *movendi* laxius ſumas, ita ut ei quoque tribui poſſit, qui conditionem aliquam præſtat, quam is, qui alias ſponte ſua ad rem quampiam præſtandam propenſus eſt; eamque perfici vehementer deſiderat ac curat, ad eam penitus abſolvendam, vult intervenire, & qua non impleta, effectus ex ejus voluntate non conſequeretur; hac, inquam, ratione Socinus haud negat, dici poſſe, Chriſtum morte ſua moviſſe Deum ad nos à pœna liberandos. Statuit enim, mortem Chriſti conditionem fuiſſe, ipſi à Deo impoſitam, qua interveniente demum poteſtatem illam, à qua remiſſio peccatorum noſtrorum pendet, adipiſci debuerit, qua de re cap. 1. potiſſimum diximus. Verum hæc minus propria eſt Deum movendi ratio: cum is noſtri amore impulſus remiſſionem peccatorum jam olim decreverit, & per Chriſtum ſponte ſua nobis obtulerit, ipſumque Chriſtum ad illius ſpem in animis noſtris defigendam, & eam reipſa implendam, in mortem tradiderit, atque ingenti præmio ad eam ſuſcipiendam impulerit; ita ut res hæc ipſi Deo maxima ex parte ſit adſcribenda, & multo magis ipſe Chriſtum ad eam præſtandam moverit, quam Chriſtus conditionis iſtius præſtatione ipſum, ad peccatorum remiſſionem nobis reipſa largiendam. Adde huic movendi rationi aliam, quam itidem cap. 1. * explicuimus, quod mors Chriſti, cum remiſſionis peccatorum per ipſum nobis à Deo promiſſæ fuerit confirmatio, Deum ad eam nobis reipſa præſtandam obliget, & ſic à ſuppliciis, quæ peccatoribus infliget, nos liberet.

Pergit Grotius Partic. 4. *Quanquam vero ſi quid eſſet ambigui in his teſtimoniis, in quibus redemptionis ſit mentio, ſatis eſſet iis interpetrandis alia ejuſdem argumenti loca afferre, qualia multa citavimus, quæ Chriſtum ob peccata noſtra mortuum, pœnas pro nobis tuliſſe, & ſic impetraſſe nobis peccatorum remiſſionem, Deo ſcilicet per ipſius mortem placato, non obſcure ſignificant; confidimus tamen eandem ſententiam ſatis aperte ex iis etiam locis, quæ redemptionis vocem ſimileſque alias uſurpant, poſſe comprobari.*

At iſta, quæ Grotius ex Sacris Literis ſe credit comprobaſſe, in illis non leguntur, eo excepto, quod Chriſtus ob peccata noſtra mortuus fuerit; quod ad Grotii ſententiam comprobandam nullum robur habere, cap. 1 patuit. An ea comprobetur ex iis locis, quæ redemptionis vocem ſimileſque alias uſurpant, nunc videamus.

Duplex, inquit Partic. 9, *in Scriptura phraſis occurrit, altera, quæ delictorum redemptionem nominat, altera quæ noſtram, diverſo loquendi genere, at ſignificatu eodem. Prior illa phraſis* Hebr. 9. 15. *ubi Chriſti mors dicitur peracta* εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων. *Hoc autem loquendi genere* ἀπολυτρῶν τὰς παραβάσεις, *aut Latine, culpas, delicta, crimina redimere, non tantum ſignificari cauſam moventem ad liberandum: ſed talem etiam, quæ compenſationem aut ſatiſfactionem includat, tam manifeſtum eſt, ut id quoque fateri debuerit Socinus. Cum hæc ergo iſtius locutionis uſitatiſſima ſit ſignificatio, non licet inde nobis recedere, niſi duo probentur, interdum, etſi minus frequenter, aliud ea loquutione ſignificari, & cauſam hic eſſe juſtam, cur infrequentior ſignificatio frequentiori præferri debeat. Horum neutrum a Socino probatur.*

Hic ſi jure inſtantiam poſtulare voluit Grotius, quam tamen ultro attulit Socinus, debuit ipſe prior attuliſſe nonnulla ſaltem exempla, ex quibus conſtaret, hanc eſſe Græcæ illius phraſeos uſitatam ſignificationem, quam ipſe urget, & exempla quidem potiſſimum ex ſcriptoribus Sacris, vel iis, qui, quoad uſum phraſium & verborum, Sacris accenſeri poſſunt, quales ſunt LXX interpretes. Iſtud cum non fecerit Grotius, exemplum diverſum non recte poſtulat. Nam, ut ait Philoſophus, non eſt æquum inſtantiam petere eum, qui exempla ipſe non induxerit, Δεῖ γὰρ ἐπάγοντα πρότερον, οὕτω τὴν ἔνστασιν ἀπαιτεῖν. 8. Top. cap. 4. *Oportet enim inducentem prius, ita inſtantiam poſtulare.* Sed vidit fortaſſe ipſe Grotius infrequentem hujus phraſeos uſum. In Novo ſane Teſtamento hoc uno tantum ad Hebr. loco extat. Non eſt ergo quod Socino objiciat, eum frequentiori ſignificationi infrequentiorem præferre, cum in tanta exemplorum paucitate, vix dici poſſit, illam ſignificationem eſſe frequentiorem. Nec eſt quod dicat, Socinum fateri, alibi ſic ſe rem habere. Nihil enim is de phraſeos Græcæ uſu dicit, niſi quatenus objectionem ex adverſariorum mente formans ait, verbis illis Hebr. 9. 15. videri omnino ſatiſfactionem ſeu compenſationem tranſgreſſionum ſignificari: in cujus rei confirmationem addit: *nam & apud Latinos Redimere eo ſenſu nonnunquam profertur.* Deinde non omnino eſt neceſſe, etiam poſt alterius inductionem, exemplum diverſæ in eadem plane phraſi ſignificationis afferre, ſi ratio ſit gravis, quæ ab ea, quam alter urget, ſignificatione cogat recedere, & ex phraſibus ſimilibus colligi queat, id haud inconcinne fieri poſſe. At rationes graves, quæ ſignificationem illam, quam contra Socinum urget Grotius, etiamſi tandem uſitatior dicenda eſſet, non ferant, tum ſuperius in hac diſputatione noſtra ſunt allatæ, tum inferius afferentur, quarum unam is ipſe, in quo ea phraſis extat, locus ſuppeditabit. Deinde Redimendi verbum constructum cum nominibus, non perſonam liberandam, ſed rem, à qua liberetur, ſignificantibus, ut in noſtro ſit loco, non raro diverſam ab ea, quam Grotius vult, ſignificationem induit, & nihil revera ſignificat aliud, quam liberationem à re iſta, de qua ſermo eſt, impendio interveniente factam. Dicimus enim quempiam ſuis incommodis alterius damna, calamitates, mortem denique redemiſſe, quia is incommoda ſuſtinuerit, ut alterum malis iſtis liberaret, licet interim nihil cuiquam pro eo ſolverit, & nemini ſatiſfecerit. Accedit, quod Grotius hoc loco aſſerit, eundem eſſe ſignificatum hujus phraſeos, quæ de redemptione tranſgreſſionum loquitur, qui illius, quæ noſtram redemptionem nominat, quod ii quoque interpretes voluerunt, qui *redemtionem à tranſgreſſionibus* pro *redemtione tranſgreſſionum* repoſuerunt. Illa enim phraſis redemtionem noſtram ſignificat. Nos autem in ſequentibus ſatis aperte docebimus, phraſin hanc, quæ de noſtra redemtione loquitur, ſatiſfactionem pro nobis Deo præſtitam haudquaquam ſignificare; &

* Partic. 26. 31, 85, 88.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

phraſes ſimiles, in Sac. Literis non ſemel, non iterum, ſed plerumque metaphoricam ſignificationem habere. Quare idem de altera quoque phraſi erit ſtatuendum. Iſtud addendum hoc loco eſt, phraſium quidem iſtarum duarum, quod ad rem ipſam attinet, eandem eſſe ſignificationem, ſed alluſionem aliquantum eſſe diverſam. Nam in iis locis, in quibus de redemtione noſtra expreſſe ſermo eſt, alluditur tantum ad vulgarem captivorum redimendorum conſuetudinem: at in hoc loco, ubi tranſgreſſionum commemoratur redemtio, ad expiationum legalium ritus reſpicitur: cum, ut Grotius ipſe inferius aſſerit, redemtio pro expiatione hic ſumatur, quod etiam cenſuit Caſtellio, qui hanc vocem pro illa in ſua interpretatione repoſuit, quemadmodum Socinus jam dixerat. Quamquam interea dum vox ἀπολυτρώσεως, quæ proprie de redemtione captivorum uſurpatur, ad expiationem accommodatur, prior quoque alluſio aliquo modo cum altera iſta concurrit.

Partic. 6. Sed jam ad exempla veniendum eſt, quibus oſtendit Socinus, Redemtionem peccati ſignificare poſſe liberationem à peccato, nulla vera ſatiſfactione vel compenſatione interveniente, quorum alterum eſt Proverb. 16. 6, ubi ſecundum veterem tranſlationem ita legitur: *Miſericordia & veritate redimetur iniquitas:* alterum vero eſt Daniel. cap. 4. 24, ubi non modo ſecundum vulgatam & recentiorum verſionem Latinam, ſed etiam antiquam Græcam, idem loquendi modus habetur, licet in fonte paulo aliter ſit. Ita enim ibi legitur: *Quamobrem, rex, conſilium meum tibi placeat; & peccata tua juſtitia* (ſive *eleemoſynis*) *redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Exempla hæc diluere volens Grotius, de priori ſic ait: *In gnoma Salomonis* Prov. 16. 6, *eſt vox Hebræa Caphar quæ voci Græcæ ἀπολυτροῦν proprie non reſpondet: quod ipſum quoque Socinus agnoſcit, cum ait expiationem potius quam redemtionem ea voce deſignari. Addi poteſt nativam maxime ſignificationem ejus vocis eſſe, obtegere, atque inde ad alia ſimilitudine quadam produci. Neque vero ſequitur, ſi vox Caphar, quæ apud Hebræos, ut multæ aliæ, ob primitivarum vocum in ea lingua penuriam, eſt πολύσημος, ita ut cum alia, tum ἀπολυτροῦν quoque poſſit ſignificare, ideo & viciſſim Græcum ἀπολυτροῦν omnes habere ſignificationes quas habet Caphar, cum vocis ἀπολυτροῦν ſimplex ſit uſus apud Græcos origini ſuæ reſpondens, alias autem ſignificationes vocis Caphar aliæ Græcorum voces exprimant.*

Etiamſi vox Hebræa, qua Salomon utitur, voci ἀπολυτροῦν, ſeu Redimendi proprie non reſpondeat, modo per eam commode hic reddi poſſit, ut Vetus interpres fecit, & Grotius fieri poſſe non audet negare, habet Socinus id quod vult, nempe Redimere iniquitatem, quod eſt ἀπολυτροῦν ἀνομίαν poſſe ſignificare liberationem ab iniquitate, ſine vera ſolutione veri pretii, ſeu ſatiſfactione, cum hic de hujuſmodi liberatione loquatur Salomon. Mirum vero eſt Grotium objicere, vocem Hebræam verbo ἀπολυτροῦν proprie non reſpondere, quia, Socino fatente, expiationem potius quam redemtionem deſignet, cum ipſemet, una cum Socino ac Caſtellione, ἀπολύτρωσιν in illo ad Hebr. loco pro Expiatione accipiat. Ait enim infra hoc capite: in Epiſtola ad Hebræos pro eodem poni λύτρωσιν & καθαρισμὸν, ſeu expiationem; & in eam rem citat cap. 9. Hebr. ℣. 12, 14, 15, 22, 23. At ℣ſ. 15, extat hæc phraſis ἀπολύτρωσις τῶν παραβάσεων, de qua controvertimus. Quare vel ex ipſius Grotii mente, ἀπολύτρωσις hic eſt expiatio, & poteſt verbo Hebræo, quo Salomon utitur, licet figurate, reſpondere, id quod nobis ſatis eſt. Quòd non ſequatur, ſi vox Hebræa ſit πολύσημος, etiam viciſſim Græcam habere omnes eas ſignificationes quas Hebræa; nihil adverſus Socinum, qui id non urget, nec iſto modo argumentatur.

De poſteriori exemplo ita ſcribit Partic. 7: *Apud Danielem* cap. 4. 24, *eſt vox Hebræa Parak, quæ voci Græcæ ἀπολυτροῦν minime ἰσοδυναμεῖ: ſed proprie & frequenter ſignificat conterere, frangere, avellere; & propter hoc poſtremum, etiam liberare. Qamquam etiamſi redimere hoc loco cum veteribus interpretemur, nihil nos coget hanc vocem ſumere extra eam quam defendimus ſignificationem. Movetur enim Deus pœnitentiæ fructibus, ut inhibeat pœnas temporales, ut antea quoque notatum eſt.*

At dum Grotius ait, vocem Hebræam Græcæ ἀπολυτροῦν minime ἰσοδυναμεῖν, non tam Socinum, quam una cum antiqua Latina Græcam interpretationem oppugnat, quæ verbum Hebræum, quod hoc loco ſimpliciter liberationem ab iniquitatum & peccatorum pœnis ſignificat, nulla interveniente vera ſatiſfactione, voce ἀπολυτροῦν reddidit, ſatis indicans, vocem ἀπολυτροῦν figurate ſumtam tam late ſolere extendi, quam late vox Hebræa Parak, quæ ſua vi ne ejuſmodi quidem cauſam moventem, quam Grotius voce Græca vult deſignari, ſignificat, ſed ſimplicem tantum liberationem. Idem factum eſt à LXX interpretibus Pſal. 7. 3 & 136. 24, & Thren. 5. 8, ubi Hebræum iſtud verbum voce λυτροῦσθαι reddiderunt; licet ex ipſis locis apertiſſimum ſit, eo ſimplicem tantum liberationem ſignificari, nec credibile ſit, eos errore quodam Græca hac voce in eo reddendo uſos: ſed ſtatuendum, eos communem loquendi uſum ſequutos, λυτροῦσθαι uſurpaſſe ſimpliciter pro liberare. Quod ergo Grotius ait, verbum Hebræum Græco ἀπολυτροῦν minime ἰσοδυναμεῖν, id, ſi de propria ſignificatione loquatur, verum eſt, ſed ad rem non facit; cum nec id Socinus urgeat, nec inter nos conſtet, an vox ἀπολυτρώσεως in loco controverſo ſit proprie accipienda: ſi vero de impropria vocis Græcæ ſignificatione loquatur, id ei minime concedimus; cum inter alia vox Hebræa ſignificet liberare, quam eandem ſignificationem vox Græca frequentiſſime habere deprehenditur. Etiamſi vero concederetur, hoc loco voce ἀπολυτροῦν ſignificari cauſam, quæ Deum ad pœnas temporales inhibendum moveat, id tamen nondum ſatis eſſet ad eam vocis ſignificationem, quam Grotius defendit, Socinus autem in hoc negotio negat, & exemplis perpetuam non eſſe oſtendit. Socinus enim id tantum exemplis iſtis conatur oſtendere, verbo Redimendi juncto voci peccati, non denotari ſemper ſatiſfactionem ſeu veram compenſationem: Grotius contra urget, phraſi hac non tantum ſignificari cauſam moventem ad liberandum, ſed talem etiam, quæ ſatiſfactionem aut compenſationem includat, idque tam manifeſtum eſſe, ut id

fateri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fateri debuerit Socinus. Quibus verbis ſi Socinum vere voluit oppugnare, non vero ambiguitate vocum ludere, neceſſe eſt eum talem compenſationem intelligere, in qua res æqualis pretii, alias haudquaquam debita ei, cui ſolvitur, pro altera re ponatur. At iſti pœnitentiæ fructus, qui in loco, vel potius locis dictis commemorantur, præteritas culpas eo pacto haudquaquam compenſant, imo nec earum partem, adeoque nec vere pro iis ſatiſfaciunt: (alias enim eæ culpæ à Deo tunc non remitterentur; ſiquidem liberatio ex operum merito penderet:) ſed iis intervenientibus Deus miſericordia impulſus peccata condonat. Quod ſi urgeat Grotius, etiamſi hujuſmodi ſatiſfactio, qualem à Socino intelligi diximus, ea voce non denotetur in locis adductis, denotari tamen vim moventem ad liberandum; jam alibi dictum eſt, hujus generis ſatiſfactionem à Socino non oppugnari, niſi forte *movendi* vox in perfectiori quadam ſignificatione ſumatur, ut denotet eum, qui ad quippiam per ſemetipſum pronus non ſit, impellere, ut id velit ac decernat; quam ſignificationem locus Hebr. 9, inter nos controverſus non patitur. Chriſti enim mors ibi conſideratur ut mors mediatoris, qui Dei nomine ac juſſu Fœdus Novum, in quo remiſſio peccatorum nobis ab ipſo jam decreta promittitur, ea ratione confirmavit ac ſanxit. At mors mediatoris, aut mactatio pecudis, quæ ei in aliis fœderibus percutiendis olim ſolebat reſpondere, non intercedit ad eum, cujus nomine ac juſſu Fœdus ſancitur, movendum, ut id, quod in eo Fœdere continetur, decernat ac promittat; ſed ad oſtendendum, eum id ratum habiturum, atque adeo præſtiturum, quod mediator ipſius nomine promiſerit. Quia vero is hac Fœderis ſanctione, quam mediator ipſius nomine ac juſſu peregerit, ad promiſſa Fœderis præſtanda obligatur; eatenus dici poteſt eum ſanctione iſta moveri ad ea præſtanda, quod nos de Deo quoque in hoc negotio dici poſſe arbitramur, ut cap. 1, explicuimus, & ſup. partic. 3, breviter repetiimus. Quare ſi hujuſmodi vim moventem voce ἀπολυτρώσεως in loco Hebr. 9. 15, ſignificari velis, id adverſus noſtram ac Socini ſententiam nihil. Quamquam ut ea nominatim intelligatur, nihil cogit.

Accedit ad alteram locutionem Grotius Partic. 8, quæ perſonam redemtam indicet, & noſtro argumento in Sacris Literis ſæpiſſime accommodatur, & ait, *quæri, hic actus Chriſto proprie, an improprie tribuatur. Redemtionem hoc eſt, ἀπολύτρωσιν, propriam definiri à Socino, liberationem captivi è manibus detinentis pretio detinenti dato; nimis anguſte. Nam vocis & naturam & uſum non ad captivitatem ſolam reſtringi, ſed ad omne genus incommodi, ut & liberationis vocabulum. Rectius ergo definiri: Ἀπολύτρωσις ſive redemtio, eſt liberatio alicujus ab incommodo, λύτρου intercedente.*

An Socinus, dum ἀπολύτρωσιν proprie dictam ad ſolam captivitatem reſtrinxit, nimis anguſte eam definierit, judicent docti. Ii certe, qui vocabulorum ſignificationes vulgo tradunt, viri docti cum ipſo conſentiunt. Origo verbi ſeu vocis natura, quam Grotius urget, id ſatis videtur comprobare. Docet enim Grotius paulo poſt, quod etiam per ſe manifeſtum eſt, λύτρον, unde λυτρόω, ἀπολυτρόω, & nomina inde deducta, eſſe à λύειν *ſolvere*, quod proprie δεσμοῖς ſeu vinculis, quæ non niſi captivis adhibentur, opponitur, nec niſi improprie ad liberationem ab aliis incommodis transfertur. Quin etiam cum λύω inter alias ſignificationes hanc quoque habeat *, ut denotet Captivum redimere, ab hac λύτρον proprie fluxiſſe viri docti volunt. Quare λύτρον proprie erit pretium, quod pro captivo dependitur detinenti, ad illum liberandum, & ἀπολύτρωσις liberatio, quæ inde conſequitur; nec niſi improprie ſumetur pro liberatione ab infamia, exilio, & ſimilibus incommodis, quæ definitione ſua Grotius comprehendit. Quamquam & eo nomine Grotiana definitio in Logicorum reprehenſionem non immerito incurret, quod in ea λύτρον definiti conjugatum poſuit, quod ipſum quoque nunc proprie nunc improprie accipitur, ut poſtea patebit: cum tamen eam ob cauſam ἀπολύτρωσις fuerit ab ipſo definita, ut eam vocem ab improprietate, &, quæ inde naſcitur, ambiguitate prorſus liberaret. Quod ſi vox λύτρου proprie, ut quidem in definitionibus fieri ſolere infra urget Grotius, accipiatur, eadem reipſa erit definitio Grotii, quæ Socini, & æque anguſta: cum modo docuerimus, λύτρον proprie id eſſe pretium, quod ad aliquem è captivitate liberandum detinenti dependitur; adeoque fruſtra Socino de ſignificatione propria hujus vocis litem motam apparebit.

Quod ad exemplum ex Virgilio depromtum attinet, quod ad illuſtrandam ἀπολυτρώσεως proprie dictæ definitionem affertur Partic. 9; non conſtat primo, verbum Redimendi ab eo proprie uſurpatum, cum Poëtæ impropriis loquutionibus gaudeant, & hujus verbi tranſlatio frequentiſſima ſit, eoque loco eleganter, retenta Socini definitione uſurpari potuerit. Pollux enim fratrem à malo, quod captivitati reſpondet, liberavit, & quidem impendio interveniente, quod λύτρου eſt ἀνάλογον. Nihil ſane à Poëtæ mente alienum dixeris, ſi ſtatuas, illum omnino eo reſpexiſſe, quod Caſtor in inferni clauſtris tanquam carcere aliquo fuerit detentus, quem Pollux ſubinde, fratrem inde liberaturus, ſubierit. Quare ex hoc exemplo non patebit, redemtionem proprie dictam, liberationem non tantum à captivitate, ſed etiam ab aliis incommodis ſignificare. Plura dici poſſent, ſi fabulas perſequi placeret. Sed præterea non eadem eſt ratio Latinæ & Græcæ vocis, ad quam Socinus, imo & ipſe Grotius, magis in Redemtione definienda reſpexit, ut ex ejus verbis patet. Vox enim Græca, origine inſpecta, ad vincula & captivitatem reſpicit: vox Redimendi, ſi originem ſpectes, nihil tale habet, adeoque latius natura ſua patet, quam vox ἀπολυτρώσεως; & hactenus exactius reſpondere videtur verbo ἀγοράζειν vel ἐξαγοράζειν, quo interdum in eodem hoc negotio utuntur Sacri Scriptores. Quare cum hac ipſa in re, de qua controverſiam hic movet Socino Grotius, ſit aliqua inter Latinam & Græcam vocem differentia, ex Latina voce controverſia illa de vi Græcæ vocis decidi non poteſt.

Pergit Grotius Partic. 10: *Improprie ἀπολύτρωσις & redemtio qualemcunque liberationem ſignificat, etiam cui λύτρον non intercedit. Sed ut Socinus fatetur, & jura nos do-*

* Vid. Theſ. Gr. Linguæ H. Steph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nos docent, non eſt niſi gravibus de cauſſis recedendum à verborum proprietate. In dubio ergo ἀπολύτρωσις intelligenda eſt fieri λύτρου intercedente. Sed nunc ne dubitandi quidem eſt locus, cum Scriptura ipſum λύτρον aperte nominet. Venit enim filius hominis dare animam ſuam λύτρον pro multis Matth. 20. 28. Marc. 10. 45, *cum quibus locis illi conjungendi ſunt, qui per mortem, aut in ſanguine factam teſtantur redemtionem, ut* Hebr. cap. 9. 12.

Atqui Socinus graviſſimis de cauſis, quæ ex ſuperioribus capitibus potiſſimum patent, & in progreſſu à nobis afferentur, à proprietate vocis ἀπολυτρώσεως hic diſcedendum eſſe docuit: adeoque ſignificatio hujus vocis dubia cenſenda non eſt. Deinde regula illa, quæ aſſerit, non niſi gravibus de cauſis recedendum eſſe à verborum proprietate, hic locum habere non videtur, nec in iis omnibus vocibus, quarum ſignificatio impropria longe frequentior eſt quam propria, præſertim apud eos ipſos Scriptores, de quorum verbis agitur; niſi forte hæc ipſa ſat gravis cenſenda eſt cauſa, ob quam à proprietate videatur eſſe diſcedendum. Ideo enim in re dubia, propria potius videtur ſequenda ſignificatio, quam impropria, quod veriſimilius ſit proprie loquutum fuiſſe auctorem, quam improprie. At ſi longe frequentior ſit improprius alicujus vocabuli uſus apud aliquem auctorem, quam proprius, ceſſat illa ratio, & contrarium potius videtur eſſe ſtatuendum, atque ei, qui propriam ſignificationem omnino urget, ratio aliqua afferenda, cur impropriam reſpuat, quæ adeo iſti auctori ſit familiaris. Id vero in voce *Redimendi* apud Sacros Scriptores accidere, abunde docuit Socinus, qui ex infinita exemplorum, quæ in Vet. Teſt. Scriptis occurrit, copia hæc, quæ de cæteris admonere poſſunt, attulit. Exod. 15. 13. Deut. 7. 8. IX. 26. XIIJ. 5. XXI. 8. 2 Sam. 7. 23. Nehem. 1. 10. Pſal. 77. 16. Eſai. 29. 22. Pſal. 31. 6. Pſal. 111. 9. Ex Novo omnia, quæ inter nos in hoc negotio non ſunt controverſa, quorum nonnulla de Redemtione per Chriſtum loquuntur Luc. 2. 38. XXI. 28. XXIV. 21. Actor. 7. 35. Rom. 8. 23. Epheſ. 4. 30. Hebr. XI. 35, præter illa ſimilia, ubi eſt vox ἐξαγοράζειν, Epheſ. 5. 16. Col. 4. 5. Hoc idem illuſtrarat ſignificatione vocis contrariæ, quæ eſt Vendere Deut. 32. 30. Judic. 3. 8. IJ. 14, & cap. 4. initio. Eſai. 50. 1. Rom. 7. 14. Quod vero Grotius ait, hic de ſignificationis proprietate dubitandi locum non eſſe, quia Scriptura λύτρον aperte nominet, id vim aliquam haberet, ſi jam conſtaret, λύτρου vocem proprie hic ſumendam, quod æque eſt controverſum atque id, quod probandum ſibi ſumſit Grotius.

Sed huic reſponſioni occurrit Grotius Partic. 11: *Hi loci*, inquit, *cum valide Socino refragarentur, nihil aliud cominiſci potuit, quam ut diceret λύτρον ſive pretium hic dici improprie. Proprie autem dictum λύτρον ſeu pretium definit, id quod à detinente accipitur. Hic primum id quod modo diximus repetendum eſt, non debere deſeri proprietatem, niſi res urgeat. At cauſas comminiſcendæ improprietatis Socinus ſi quas attulit; eas à nobis cap. 4, 5, 6 ſolutas confidimus.*

An cauſas, ob quas Socinus improprie λύτρου vocem accipiat, ſupra diſſolverit Grotius, ex iis, quæ ibi repoſuimus, æſtimet lector. Perſpiciet autem, ut arbitror, graviores fuiſſe, quam ut eas loco movere potuerit Grotius. Λύτρον vero proprie dictum non iis, quibus Grotius hic utitur, definivit Socinus, ſed his deſcripſit verbis lib. 2. cap. 1: *Verum pretium voco non pecuniam tantum, ſed quicquid, ut ei ſatiſfiat, captivum detinet, datur. Dandi* autem verbo Socinus omne impendium omnemque præſtationem, etiam eam, quæ opere fit aliquo ſeu facto, comprehendit. Unde Grotius infra ex his verbis colligit, ſibi in eo cum Socino non diſconvenire, quod λύτρον proprie dictum definierit, *factum aut rem.* Quo tamen loco mox Socinum reprehendit, quod velit λύτρον proprie dictum omnino ab aliquo *accipi*, & non obſcure indicat, accipiendi verbum ab eo in definitione λύτρου eſſe poſitum, cum tamen id factis aptari non poſſit, ſed rebus ſolis. Atqui vel idem de verbo *dandi*, quo Socinus utitur, adjecta præſertim mentione ſatiſfactionis, eſt dicendum, & ſic male Grotius ex his Socini verbis colligit, etiam factum poſſe ex ipſius mente λύτρον proprie dictum eſſe; vel ſi latius patere putat *dandi* verbum quam *accipiendi*, male hoc pro illo in definitione Socini repoſuit. Non debuit autem ſatiſfactionis mentio in Socini definitione prætermitti à Grotio. Λύτρον vero iſtud ſeu pretium, quod Chriſtus pro nobis impendit, improprie ſumendum eſſe hinc conſtat, quod alias neceſſe fuiſſet, pretium iſtud alicui pro nobis ſolvi, & quidem ei, qui nos captivos teneret. Is vero non Deus eſt, cui ſatiſfactum, atque adeo ſolutionem liberationis noſtræ cauſa præſtitam adverſarii volunt, ſed ſalutis noſtræ hoſtes, quos Scriptura Peccati nomine complecti ſolet, cui ut venundati dicimur fuiſſe Rom. 7. 14, ita etiam ab eo redemti Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18, ſemel etiam Judæi ab exſecratione legis, quæ conſequens peccati eſt, dicuntur emti vel redemti Gal. 3. 13. Deum non eſſe eum, qui captivos nos tenuerit, & cui pretium ad nos liberandos fuerit perſolutum, inde perſpicuum eſt, quod ipſemet redemtionem hanc fecerit ac procurarit, & pretium illud, quod pro nobis datum eſt, impenderit. Vide Luc. 1. 68, quem confer cum Pſal. 111. 9. Joh. 3. 16. Rom. 8. 32. At pretium non illi ſolvitur, qui id ipſemet impendit, quique redemtionem facit ac procurat, ſed ab eo alteri. Conſentit his illud, quod nos Deo ipſi Chriſti ſanguine emtos, & ſic mancipia ejus effectos Sac. Literæ teſtantur Apoc. 5. 9. XIV. 6, quibus adde Act. 20. 28. 1 Cor. 6, ult. VIJ. 22, 23: 2 Petr. 2. 1. Jud. 4. Pretium vero non perſolvitur ei, cui res pretio iſto emitur atque acquiritur, & cujus uſibus aut ſervitio addicitur, ſed ei, in cujus ea manibus antea fuerat. Itaque ſi proprie dictum pretium ad nos liberandos interveniſſe velis, neceſſe eſt, ut noſtris Deique hoſtibus, qui nos antea captivos detinebant, & duriſſima ſervitute premebant, id perſolutum dicas. Qua de cauſa, ut ſupra * vidimus, Patres nonnulli, cum nullum alium reperirent, cui pretium id ſolutum fuerit, diabolo id ſolutum dixerunt: quorum ſententia jam dudum eſt exploſa. Quo accedit, quod duobus illis in locis Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18, in quibus verbum λυτροῦσθαι ad homines ipſos expreſſe refertur, & de redemtione per mortem Chriſti, quæ pretii cujuſ-

* Cap. 6, partic. 38.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dam locum habeat, ſermo eſt, agitur de liberatione noſtri è ſervitute ipſius peccati, ut ſuperius eſt oſtenſum. At Deo nullum fuit perſolvendum pretium, aut quicquam eum in finem præſtandum, quo permoveretur ad nos ex ea ſervitute liberandos: cum is nos in ea nequaquam detineret, ſed potius id unice deſideraret, ut ea excuſſa, ipſius ſervitio nos manciparemus. Diabolus is erat, qui nos in ea detinebat, ita ut, ſi quis pretio dato fuiſſet movendus ad nos è captivitate illa dimittendos, ei id pretium fuiſſet præſtandum. Sed nec redemtio illa, quæ eſt liberatio à peccatorum pœnis, per Chriſti ſanguinem facta, pretium aliquod verum Deo perſolutum, aut ſatiſſactionem ipſi præſtitam, vel arguit, vel admittit. Ea enim exponitur à Paulo per Remiſſionem peccatorum Epheſ. 1. 7. Col. 1. 14; hæc vero, ut Calvinum alibi monuimus ſcripſiſſe, meræ liberalitatis donum eſt, & tum demum fit, cum creditor nulla ſolutione ultro ſua beneficentia nomen expungit. Quod etiam ſatis expreſſit Apoſtolus, dum in prori loco addit, nos habere illam redemtionem *ſecundum divitias gratiæ* Dei.

Pergit Grotius Partic. 12: *Moſis cum Chriſto inſtituta collatio, reſponſione vix indiget, cum omnis ſimilitudo certos habeat terminos, quos extra protendi nequeat. Comparantur illi, qua liberatores, non ob liberandi modum.*

Similitudinem omnem certos habere terminos, extra quos protendi nequeat, Socinus norat, nec contra legem hanc comparationum quicquam hic deliquit. Nam comparationem inter Chriſtum & Moſen, qui λυτρωτὴς dicitur, quemque ratione Redemtionis Chriſti typum fuiſſe nemo ignorat, ita inſtituit, ut iis poſitis, quæ omnes concedere coguntur, illud deinde inferat, de quo eſt controverſia, & in quo Chriſtum cum Moſe convenire non omnes agnoſcunt. Nam poſito eo, quod, quemadmodum Moſes Dei juſſu & auctoritate populum Iſraëliticum redemit, ita Chriſtus Dei juſſu & auctoritate nos redemit: quemadmodum Moſes populum Iſraëliticum non redemit ex manibus Dei, ejuſve ſervitute, ſed ex ſervitute Ægyptiaca, & de manu Pharaonis: ita Chriſtus non ex ſervitute Dei, ſed ex ſervitute peccati & mortis: quemadmodum Moſes populum Iſraëliticum Deo aſſeruit, & ut ipſius cultui in poſterum vacaret effecit: ita Chriſtus etiam Deo nos emit ac vindicavit, & ut ei ſerviremus effecit. Vid. Exod. 6. 6: his, nquam, poſitis, neceſſe eſt, ut etiam concedas, quemadmodum nullum pretium Moſes Deo ſolvit, nec ei ullo pacto ſatiſfecit, ita nec Chriſtum id feciſſe: cum, ut antea diximus, non ei, cujus juſſu & auctoritate fit redemtio, & cui is, qui redimitur, hac ratione vindicatur, ſed ei, è cujus manibus quiſpiam redimitur, pretium ſit ſolvendum. Poſſunt ergo Chriſtus & Moſes hactenus, etiam quo ad modum liberandi inter ſe jure optimo conferri. Nec ullum robur habet, quod ſubjicit Grotius: *neque magis ex eo ſequitur, Chriſtum ſatiſfaciendo nos non liberaſſe, quia Moſes id non fecerit, quam Chriſtum nos liberaſſe per hominum mortem, qua id fecerit Moſes.* Non eſt enim horum par ratio. Nam cæteræ comparationis partes, quæ ſunt in confeſſo, non cogunt ſtatuere, Chriſtum nos liberaſſe per hominum mortem, quemadmodum fecit Moſes: ſed quod in eo conveniant Moſes & Chriſtus, quod neuter Deo vere ſatiſfecerit, neuter verum pretium ſolverit, cæteræ ſimilitudinis partes, quæ ſunt manifeſtæ, demonſtrant. Quanquam etiam internecioni iſti hominum per Moſen factæ aliquid in redemtione noſtra per analogiam reſpondet; (nam ut idem prorſus fecerit Redemtor noſter, quod Moſes, ſimilitudo non exigit:) quia quemadmodum Moſes populum ex ſervitute Ægyptiaca & de manu Pharaonis redemit, ipſo Pharaone ejuſque copiis divina virtute, quæ ipſius opera interveniente exerta eſt, deletis: ita Chriſtus nos ex hoſtium noſtrorum ſpiritualium manibus redimit, hoſtibus illis divina virtute extinctis Rom. 6. 6. Quia vero ejus rei complementum fiet in ſupremi judicii die 1 Cor. 15. 24, 25, 26, ubi ultimus & deterrimus Chriſtianorum hoſtis mors delebitur, & is qui mortis habet imperium, hoc eſt di bolus Hebr. 2. 14, 15, ideo dies ille, dies redemtionis eſt, & ita appellatur Eph. 1. 14. IV. 30: adde Luc. 21. 28. Rom. 8. 21, 23.

Nec illud validius eſt, quod addit Crotius Partic. 13: *Quod ſi ad modum pertineret comparatio, ut rectius procederet, dicendum eſſet, Chriſtum nos liberaſſe miraculis, ut M ſes, non autem morte nec ſanguine, quod Moſi non adſcribitur, nec adſcribi poteſt.* Neque enim neceſſe eſt, ſi aliqua ex parte, quod ad modum attinet, Chriſto cum Moſe ſimilitudo intercedit, protinus in omnibus, quæ ad modum liberandi pertinent, ſimilitudinem inter utrumque intercedere. Cur autem ea in parte, qua nos volumus, recte procedat comparatio, cauſa jam oſtenſa eſt. Adde, quod etiam miraculorum ratione, ſi modo comparatio recte inſtituatur, intercedat Chriſto cum Moſe in redemtionis negotio ſimilitudo. Nam miraculis Moſis, quatenus in eum finem fuerunt edita, ut agnoſcerent Iſraëlitæ, ipſum ſibi datum à Deo ducem, qui ſe ex ſervitute duriſſima in libertatem aſſereret, quod niſi factum eſſet, eum ſequuti non fuiſſent, adeoque reipſa non fuiſſet liberati, iis, inquam, reſpondent Chriſti miracula, quæ ſive per ſeipſum, ſive per Apoſtolos edidit, ad demonſtrandum, ſe à Deo miſſum, & datum nobis ducem, qui nos ex omnium hoſtium manibus ſit erepturus, quod niſi crederemus, eum non ſequeremur ducem, neque adeo liberatio noſtra reipſa conſequeretur. Iis vero miraculis, quibus hoſtes Iſraëlitarum, Pharao & ejus populus, non modo attriti & fracti, ſed etiam deleti fuerunt, unde perfecta populi divini liberatio conſequuta eſt, reſpondent ea Chriſti opera, quæ is ad dextram Dei ſedens facit, & porro facturus eſt, præſertim in adventu ſuo, ad hoſtes noſtros non modo frangendos, ſed etiam penitus in nobis delendos, qua in re perfectio liberationis & redemtionis noſtræ conſiſtit, ut paulo ante dictum. Quia vero Chriſtus partim ad fidem nobis inſerendam, noſque permovendos, ut ipſum ſequamur ducem, quod ex noſtra parte ad redemtionem perficiendam requiritur; partim vero ad jus liberationis à pœnis nobis pariendum; partim denique ad divinam poteſtatem adipiſcendam, qua ipſi fuit opus ad hoſtes noſtros penitus delendos, & nos perfecte liberandos, ſeipſum animamve ſuam impendit; ideo eleganter

dicitur ſeipſum vel animam ſuam pro nobis dediſſe λύτρον ſeu redemptionis pretium. Nam quemadmodum pretio impenſo captivus liberatur: ita nos Chriſto in mortem dato liberati ſumus ex hoſtium noſtrorum poteſtate. Moſes nihil tale fecit, nec ut faceret, opus fuit: cum id haudquaquam requireret ratio liberationis ex ſervitute corporali, ſecus atque in ſpirituali noſtra redemptione contingit. Atque hæc eſt cauſa, cur vox λύτρου liberationi per Chriſtum partæ additur à Scriptura, liberationi per Moſen partæ nuſquam, quod hic Grotius objicit: non vero, ut ipſe arbitratur, quod vox λύτρου, atque adeo etiam ἀπολυτρώσεως, proprie in liberationis per Chriſtum partæ negotio accipiatur. Nam ſi quidquam fuiſſet à Moſe impenſum, quod λύτρῳ ita commode reſponderet, atque reſpondet, id quod à Chriſto eſt ad nos liberandos impenſum, poſſet Scriptura vocem λύτρου Moſi accommodare non minus, quam vocem λυτρωτοῦ, quam ob ſimilitudinem tantum, quæ ei cum proprie dicto redemptore intercedit, ad eum transfert.

Quod addit Partic. 14: *Quid quod ne ex Socini quidem ſententia modus liberandi idem eſt? Nam Moſes, Joſue & alii liberarunt, non aliquid faciendo circa liberandos (quod Chriſto Socinus tribuit) ſed amovendo eos qui libertati obſtabant, hoſtes ſcilicet*; id primum nihil adverſus Socinum. Neque enim uſpiam ſimpliciter aſſerit, modum liberandi eſſe eundem: ſed in re certa convenire. Deinde Moſes, ut paulo ante vidimus, non parum circa ipſos liberandos fecit, dum eis, miraculis editis perſuaſit, ſe ad ipſos è ſervitute liberandos miſſum, quod niſi feciſſet, eum ſequuti non fuiſſent, & ſic nec redemti. Vide Exod. 4. ab initio per non paucos verſiculos, & ad finem capitis. Quamquam res alias ſatis eſt manifeſta. Adde quod Chriſtus ex Socini ſententia non eatenus tantum, ut Grotius credere videtur, vel etiam potiſſimum nos redimit, quatenus nos impellit ad id faciendum, quod ex parte noſtra ad liberationem eſt neceſſarium: ſed eatenus potiſſimum, quatenus hic quidem ſpe certa liberationem illam nobis impertit, aliquando autem, deletis omnibus hoſtibus noſtris, reipſa præſtabit. Itaque non minus quam Moſes hoſtes libertati noſtræ obſtantes amovet. Quamquam eatenus etiam aliqua ex parte hoſtes illos amovet, quatenus nos ad id, quod ex parte noſtra ad liberationem perficiendam requiritur, impellit. Non recte autem Grotius Joſuam cum Moſe ratione liberationis conjunxit, & ſic Chriſto oppoſuit. Moſi enim, qui λυτρωτὴς dictus eſt, eæ partes tribuuntur: Joſuæ vero, quod populum in terræ promiſſæ poſſeſſionem miſerit atque introduxerit. Itaque Chriſto, quatenus nos redimit, & è ſervitute hoſtium noſtrorum liberat, Moſes proprie reſpondet; Joſue vero eatenus, quatenus nos in futuræ terræ poſſeſſionem mittet, & ejus hæreditatem nobis diſtribuet.

Concludit Grotius Partic. 15: *Retinendam hic τὴν κυριολογίαν definitione tamen Socini nonnihil correcta: ut proprie ſit λύτρον res aut factum, quo movetur quiſpiam, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur.*

An κυριολογία ſit retinenda, ex dictis conſtat. Definitio Grotii æquo laxior eſt, duplici de cauſa. Primo quod ſtatuit, λύτρον proprie etiam ibi habere locum, ubi nulla eſt captivitas, de quo & ante dictum, & mox iterum erit agendum. Deinde quod non omne factum, quo quis movetur, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur, λύτρον proprie dictum eſt, ſed id demum, quod detinenti præſtatur, ut ei ſatiſfiat. Poteſt enim quiſpiam ad alterum incommodo, quo eum affecturus erat, liberandum moveri precibus, lachrymis, pœnitentia, blanditiis, minis, juſſu ſuperioris, aliiſque ſimilibus, quæ nemo λύτρον proprie dici conceſſerit. An enim cum Moſes, aut Deus per Moſen, Pharaonem movit miraculis editis, ut dimitteret populum, λύτρον ſeu redemptionis pretium proprie dictum ſolvit, & Pharaoni ſatiſfecit? aut ſi Moſes precibus ſuis Deum movit, ut à Pharaone ipſo plagas quaſdam, quas ei inflixerat, averteret, λύτρον verum pro eo perſolvit? aut pro populo Iſraëlitico, cum eundem eadem ratione movit, ne populum funditus deleret? aut cum Deus per Angelum præcepit Abrahamo, ne filium, quem jam jam mactaturus erat, interimeret, λύτρον jubendo perſolvit? Quod ſi tam late λύτρου vocem extendit Grotius, concedatur ſane, Chriſtum proprie dictum λύτρον ſolviſſe: quid hoc ad ſatiſfactionem veram, quam λύτρου & ἀπολυτρώσεως voce adſtrui putat? an idem eſt movere aliquem ad liberandum alterum ab incommodo, quo illum fuerat affecturus, & eidem vere ſatisfacere? certe Grotius hæc ipſe ſuperius diſtinxit, cum aſſeruit, *redimere crimina non tantum ſignificare cauſam moventem ad liberandum, ſed talem etiam, quæ compenſationem aut ſatiſfactionem includat.* Socinus etiam longe aliud ſatiſfactionis nomine intellexit. At de reipſa, non de voce eſt controverſia. Sed etiamſi tandem definitio Grotii admittatur, demonſtrari tamen non poteſt, Chriſtum λύτρον proprie dictum perſolviſſe, niſi vox *movendi* in ea ſignificatione accipiatur, in qua Socinus etiam concederet, Deum à Chriſto motum ad remiſſionem peccatorum concedendam: quod ſi fiat, de verbis non de re Grotius Socino litem movebit, & hac in parte deſeret cæteros, ni fallor, omnes, qui ſatiſfactionem Chriſti ex Redemtione ipſi adſcripta concludunt. Quanquam eos in hac λύτρου deſcriptione jam deſeruiſſe conſendus eſt, etiamſi vocem *movendi* ſtrictius accipiat.

Reprehendit Grotius Partic. 16. Socinum denuo, *quod immerito λύτρον ad ſolam captivitatem reſtringat, cum & ſervituti, & exilio, & morti, & omni incommodo, à quo liberari poſſumus, ea vox conveniat. Nam & origo*, inquit, *λύω ſcilicet, ad ea quoque pertinet, & communis uſus non refragatur.*

Socinus non quodvis λύτρον, ſed proprie dictum ad captivitatem reſtringit: improprie fatetur etiam aliis incommodorum generibus accommodari, & tanto quidem elegantius ac frequentius, quo ea captivitati ſunt viciniora, qualis eſt ſervitus, quæ ad ergaſtula & vincula ſæpe progreditur. Idem de origine vocis, λύω *ſolvo*, dicimus. Quis enim neſcit, hoc verbum liberationi ab exilio, morte, infamia improprie accommodari? Quomodo ergo exinde, quod λύω iſtis rebus accommodetur, probari poteſt, λύτρον inde ductum ad eas proprie pertinere? Sed quia captivis generatim loquendo vincula proprie dicta ſolent adhi-

beri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

beri, &, licet nonnunquam ea corpori admota non ſint, ita tamen ii attinentur, ut ſoluti non intelligantur: qua ratione dicit Cajus (a) ne eum quidem ſolutum intelligi, qui in publico ſine vinculis ſervatur: adeo verbum λύειν captivis peculiariter & magis proprie accommodatur. Hinc Actor. 24. 26. λύειν eſt è captivitate dimittere: eodem modo ἀπολύειν Luc. 23. 16, 17, 20, 22, 25. interdum etiam ex captivitate redimere; quam ſignificationem etiam λύειν habere, atque inde λύτρον deductum eſſe ex virorum doctorum ſententia jam ſupra monuimus. Quare origine vocis inſpecta conſtat, λύτρον & λυτρόω ad captivitatem proprie reſtringi debere. Hinc factum eſt ut, cum Ariſtoteles lib. 5. Ethic. cap. 6. λυτροῦν ſimpliciter poſuiſſet, interpretes, quos videre contigit, omnes id de redemptione ex captivitate acceperint, licet is alibi (b) vocem *captivi* apponat. Idem apud Latinos auctores deprehendere licet in verbo Redimendi, qui etiam tunc, cum eo figurate utuntur, ad captivitatem libenter alludunt, licet verbum Græcum ratione originis ſuæ magis quam Latinum ad captivitatem reſpiciat, ut antea diximus.

Quæ de voce *accipiendi* ſubjicit Grotius Partic. 17, qua Socinus in ſua pretii definitione non utitur, ſed alibi de hoc redemptionis noſtræ negotio diſſerens; ea tam late hic eſt extendenda, quam late antea extendimus verbum *dandi*, illius, ut loquuntur, correlatum, ita ut ad facta quoque accommodetur in alterius utilitatem ſuſcepta ac præſtita, & ſic ſolutionis ac ſatiſfactionis vim habentia. Quamquam cum λύτρα proprie dicta longe frequentius, atque ut plurimum, non facta, ſed res corporales, quæ dari & accipi proprie poſſunt, eſſe ſoleant, v. g. pecuniæ, ſeu, ut eſt apud Petrum 1 Petr. 1. 18. aurum & argentum: ideo ut tanto elegantior ſit iſta redemptionis metaphora, Sacræ Literæ non factum aliquod, v. g. mortem Chriſti, aut ſanguinis fuſionem, ſed rem, h. e. Chriſtum ipſum pro nobis traditum, aut animam ipſius, aut ſanguinem λύτρον pretiumve nominant, vel cum eo comparant.

Quæ de pœna hic diſputat Partic. 18, ea cap. 2. examinavimus. Zaleuci oculum, & eos, qui in decimatione puniuntur, λύτρα eſſe proprie dicta, oſtendere debuit Grotius: improprie ita dici poſſe non diffitemur. Ex his autem duobus exemplis perſpicitur, id etiam λύτρον recte dici poſſe, quod eum, qui alterum incommodo fuerat affecturus, revera non moveat, ut eum incommodo iſto liberari patiatur, adeoque ex eo, quod Chriſtus λύτρον pro nobis dederit, haudquam conſequi, eum vere moviſſe Deum ad nos liberandos. An enim Zaleucus oculo ſibi ipſi eruto ſeipſum movit, ut filium eo incommodo, quo eum erat affecturus, liberari pateretur, & non potius, tum amore in filium, tum populi precibus jam permotus, ut eum liberari vellet ac decerneret, oculum ſibi excuſſit, ut tanto commodius, quemadmodum ipſi videbatur, eum liberare poſſet? Cauſa quidem media, & veluti conditio quædam iſtius liberationis fuit Zaleuci factum, ſed non cauſa, quæ vere ac proprie eum ad liberandum filium impelleret. Idem de altero exemplo dicimus. Neque enim quod decimus quiſque puniretur, id revera movit Imperatorem ut cæteros liberari pateretur: ſed quia Imperator majori parti parcere jam decreverat, ut nihilominus metus ad omnes perveniret, nec prorſus inpunitum eſſet facinus, cæterique tanto facilius dimitti poſſent, in paucos animadvertit. Quare decimatio illa fuit quidem cauſa media liberationis, ſed non cauſa impellens ac movens, in eam ſignificationem movendi verbo accepto, in quam Socinus accipit, cum Deum morte Chriſti ad nos à pœna liberandos motum negat.

An Luſtrum à λύτρον dictum ſit, quod hic etiam urget Grotius Partic. 19, de eo non contendemus. Hoc quærimus, unde conſtet, Latinos, cum verbum Græcum ſuum facerent, propriam ejus ſignificationem fuiſſe ſequutos, & in lingua ſua retinuiſſe. Qui enim factum eſt, quod, cum vox Græca uſitate, ut Grotius haud negat, & maxime proprie, ſumatur pro pretio, quod pro captivo penditur, & λυτροῦν pro liberare ex captivitate pretio dato, vox *luſtri* & *luſtrandi* apud Latinos nunquam de hac liberatione, & pretio, quod in eum finem penditur, uſurpetur, cum interim de rebus cum λύτρον nihil commune habentibus ſumatur? nam *luſtrare* Latinis etiam ſpectare ſignificat: & *luſtra* præter alia ferarum ſpeluncas deſignant. An non inde patet, de ſignificatione vocis Græcæ, præſertim propria, nihil certi ex uſitata vocis Latinæ ſignificatione colligi poſſe? Quod ſi eadem eſt vocis Latinæ & Græcæ ratio, cur apud Græcos etiam vox λύτρου & λυτροῦν non ita frequenter de expiationibus uſurpatur, quemadmodum vox luſtri aut luſtrandi apud Latinos? aut ſi ita frequenter uſurpatur (quod tamen apud profanos Scriptores raro fieri crediderim, ſi modo fit uſquam) cur ea loca non attulit potius Grotius, quam Latinorum teſtimonia; cum exinde longe certius de propria ejus vocis ſignificatione judicari poſſet? Sed præterea non conſtat, luſtrationem apud Latinos ſua vi ſignificare liberationem per pœnam ſuccedaneam, h. e. pœnam rei aut perſonæ in locum nocentis ſubſtitutæ. Luſtratio enim ſæpe fiebat iis rationibus, quæ cum pœna nihil commune habebant. Nam, ut teſtatur Alexander ab Alexand. * tres iſtæ luſtrandi atque expiandi ſpecies veteribus fuerunt uſu frequentes, ut aut tæda & ſulphure purgarentur, aut aqua abluerentur, aut aëre ventilarentur. Ipſe Grotius ſupra produxit exemplum Oreſtis, qui λύτροις ſeu ablutionibus delictum ſuum expurgavit, ut teſtantur verſus Sophoclis ab eo citati. Idem exemplum produxit Alexander ab Alexand. de iſtis luſtrationum generibus agens. Infra cap. 10. ejuſmodi luſtrationis genus ex Ovidio commemorat Grotius, quod carmine novies repetito fiebat. Qui velit, videat etiam Caſaubonum ad Perſium, ubi de luſtricis infantium diebus prolixe agit. Quod ergo ſæpe veteres luſtrarent victimis cæſis, quas Grotius punitas arbitratur, id non docet, hanc eſſe propriam vocis *luſtrandi* ſignificationem, ſeu hoc verbum ſua vi ſignificare liberationem à pœna per pœnam ſuccedaneam: ſed ejus ſignificationem tam late patere, ut hanc etiam liberandi rationem, quæ fiat per pœnam ſuccedaneam, complectatur, quod fiet, ſi luſtrare accipias pro expurgare ac liberare à delicti

(a) D. De verb. ſignif. Lib. 48. (b Ethic. 9. cap. 2.

* Genial. dier. lib. 5. cap. 27.

pœna,

pœna, aut contaminatione aliqua. Taceo nunc, quod nihil conſtet, an à Veteribus creditum fuerit, victimas proprie loquendo punitas, & eam ipſam ob cauſam vim liberandi & expiandi habuiſſe. Fieri enim poterat, ut ideo vim expiandi habere crederentur, quod in honorem Deorum à reo ac ſupplice mactarentur atque offerrentur. Quamquam quia ob alienum delictum necabantur, & ſimile quippiam patiebantur ei, quod nocens ipſe perpeti merebatur, pœnæ vox huc non ineleganter, ſed figurate transferri poterat. Quod etiam de victimis legalibus dici poteſt, & ſimili metaphora nos quoque Chriſtum pro nobis punitum agnoſcimus.

Partic. 20. Luſtrare & placare numen eadem non ſunt ratione ſignificationis, licet ex paganorum ſententia potuerint eſſe conjuncta. Nam Scholiaſtes, quem citat Grotius, dixit *luſtrare civitatem*: at non dicimus *placare civitatem*, ſed *numen*, ut Cæſar dixerat. Nempe quia *luſtrare* eſt expurgare & liberare, quod de civitate recte dicitur. ἱλασμὸς & λύτρον, præſertim improprie dictum, concurrere poſſunt, ſed vis verborum diverſa eſt. Quod λύτρωσις & καθαρισμὸς Hebr. 9. Pro eodem ponantur, id pro Socino facit: cum verbum καθαρίζειν nihil ſit aliud, quam expiare, expurgare à reatu, vel contaminatione aliqua, quod nullum verum pretium, nullam ſatiſfactionem arguit.

Pergit Grotius Partic. 21: *Neque vero ex eo tantum infertur, λύτρον in hoc argumento ſumendum proprie, quia nulla efficax ratio nos cogit ad improprietatem deſcendere, ſed hinc etiam multo magis, quod neque ex profano, neque ex Sacro Scriptore locus ullus profertur, in quo λύτρου ſignificatio extra deſcriptionem à nobis poſitam porrigatur. Ex Græco locum nullum profert Socinus, ex Hebræo unum duntaxat* Prov. 13. 8. *in quo eſt Copher. Sed præterquam quod latius poteſt patere Copher quam λύτρον, quia λύτρον eſt a λύειν, quod liberare ſignificat, cum Caphar ut ſupra diximus, verbum ſit πολύσημον, non poteſt ullo argumento probari iſto in loco voce Copher aliud deſignari quam id quod nociturum movere poteſt ne noceat, ſive ille potentiam & affectum nocendi tantum habeat, ſive inſuper jus etiam & poteſtatem.*

Rationes efficaces, quæ cogant ad improprietatem λύτρου deſcendere, nos antea attulimus, nec afferre neglexit Socinus. Oſtendimus etiam ex illis exemplis, quæ ipſe Grotius paulo ante attulit, λύτρου ſignificationem extra deſcriptionem ipſius, ſi modo ex ea quicquam Socini ſententiæ adverſum colligi poteſt, extendi. Socini exemplum, non tam ex Hebræo, quam ex Græco petitum cenſeri debet, cum Græci interpretes vocem Hebræam *Copher* λύτρον verterint, Latini *redemptionis pretium*. Quamquam etiamſi Hebræam tantum vocem urſiſſet Socinus, non tamen exemplum ad id, quod probandum ſibi ſumpſerat, eſſet inefficax, modo conſtet, vocem Hebræam hoc loco eam habere ſignificationem, quæ voce λύτρου apud Græcos recte poſſit efferri: eam autem ſignificationem habere, ipſe Grotius fatetur. Quare nihil ad rem facit, quod vox Hebræa ſit πολύσημος, & latius patere poſſit: modo hic latius non pateat, & voce λύτρου recte vertatur, ut à Græcis factum eſt. Etiamſi autem vox Hebræa, adeoque etiam λύτρον, quod illi hoc loco in Græco reſpondet, ſignificet tale quid, quod nociturum movere poteſt ne noceat, non tamen inde ſequitur, proprie hic accipi λύτρον, & ſatiſfactionem veram ſignificare, quam ſolam ob cauſam Socinus hunc locum protulit. Quamquam probatio Grotii, quam ſubjicit, infirma eſt: *Simile enim eſt*, inquit, *Salomonis iſtud: Copher, aut ſi ita placet, λύτρον viri ſunt divitiæ ejus; iſti ſententiæ apud Jobum* cap. 2. 14. *quicquid habet aliquis, id pro vita ſua daturus eſt. Eſt enim hic inter cætera divitiarum uſus, quod multorum iram aut juſtam aut injuſtam poſſunt placare, atque ita noxam imminentem avertere: juxta illud, Munera crede mihi PLACANT homineſque Deoſque. Ac plane eſt in iſta gnoma commodorum, quæ ſecum fert utraque fortuna, elegans comparatio: Dives habet quo placet iratum: Pauper iræ alienæ minus eſt obnoxius.* Neque enim divitiæ hoc loco conſiderantur, quatenus alicui dantur ad eum placandum, quemadmodum Grotius arbitratur, ſed quatenus earum opinio terret alios, ne nocere velint. Ratio enim redditur ejus, quod ſuperiori verſiculo dictum eſt, quoſdam, cum pauperes ſint, divites ſe ſimulare. Ratio vero non eſt: quia divites habeant, quo placent iratum, (quid enim hoc prodeſt iis, qui reipſa ſunt pauperes, licet divites ſe ſimulent?) ſed quod opinio hæc divitiarum efficere poſſit apud alios, ne illis nocere velint. Non enim facile audemus eos, quos divites eſſe arbitramur, offendere. Ex quo apparet, λύτρον hic in eum ſenſum accipi, qui nullam ſatiſfactionem arguat. Quid enim opinio divitiarum, quæ efficit, ne quis alteri noceat, ad ſatiſfactionem? plura de ſenſu hujus loci dixit Socinus lib. 2. cap. 2. ubi oſtendit, etiam ea, quam Grotius vult, explicatione admiſſa, λύτρον hic proprie non accipi.

Pergit Grotius Partic. 22: *Quod ſi maxime verum eſſet λύτρον accipi poſſe pro qualicunque impendio, etiam quo ad liberandum nemo moveatur (quod nullo exemplo probatum eſt) tamen vox ἀντιλύτρου, qua Paulus utitur* 1 Tim. 2. 6. *ſignificantior eſt, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim ἀντὶ, in compoſitione aut contrarietatem, aut commutationem ſignificat. Hic contrarietas locum non habet: ſignificatur ergo compenſatio.*

An frigida ſit interpretatio vocis λύτρου, cum ſumitur pro impendio, quo interveniente non ſecus quiſpiam è captivitate ac ſervitute ſpirituali liberatur, atque pretio dato liberari ſolent ii, qui proprie ſunt captivi; eruditus lector judicet. An forte frigide loquutus Grotio videtur Otho apud Tacitum, * dum affatus milites, extrema pro ipſo pati & cum hoſte congredi paratos: *Hunc*, inquit, *animum, hanc virtutem veſtram ultra periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto.* Grande vitæ ſuæ pretium dixit, non quod alicui pro vita ipſius dare ac perſolvere vellent milites, nec quod ad aliquem placandum, ac ne nocere vellet, movendum eſſet comparatum: ſed quod ad vitam ejus periculo ac morti eripiendum pertineret, idque ea ratione, quod hoſtes periculo militum profligari poſſent. At eadem eſt hæc in parte Pretii ratio quæ λύτρου imo ideo λύτρον movendi aut ſatiſfaciendi vim habet, quia pretium

* Lib. 2. Hiſtor.

quod-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quoddam eſt: Unde quod Chriſtus λύτρον dixit, id Paulus τιμὴν ſeu pretium vocavit 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. & in verbis Othonis iſtud vitæ pretium non male λύτρου voce reddideris. Qui ergo frigidum cenſeatur, ſi quis dicat, Chriſtum pro nobis λύτρον, & grande vitæ noſtræ pretium dediſſe, cum, ut nos ab æterna morte liberaret, animam ſuam impendit, & diram mortem adiit? cum vel id ſolum, quod virtus alicujus periculis objiciatur pro altero, poſſit alienæ vitæ pretium eleganter dici. Quod ad argumentationem Grotii ex particula ἀντὶ attinet, in ea terminos aperte mutat. Nam cum in præmiſſis *commutationis* feciſſet mentionem, in concluſione *compenſationem* reponit. At non omnis commutatio compenſatio eſt, compenſatio, inquam, vera, ſeu ſatiſfactio, quam Grotius intelligit. Nam, ut in exemplo propoſito maneamus, ſi milites periiſſent, Othone, qui perire debebat, ſalvo remanente, commutatio hic quædam fuiſſet, & milites illi potuiſſent dici Othonis ἀντίλυτρον, nec tamen ulla facta fuiſſet compenſatio ſeu ſatiſfactio. Commutatio genus eſt compenſationis. Genere autem poſito non quævis ponitur ſpecies. Socinus in hoc ipſo redemptionis negotio verſans, & vim particulæ ἀντὶ, quamquam extra compoſitionem, in loco Matth. 2. 28, excutiens, * commutationem agnoſcit. Nam poſtquam dixiſſet, quando de redemptione ſermo eſt, locum eſſe præpoſitioni ἀντὶ ob commutationem illam, quæ in omni redemtione fiat:. Pretium enim redemtionis dari, & captivum recipi; ſubjicit: *Et ſane in hac ipſa redemtione noſtra per Chriſtum facta, licet, ut ſupra docuimus, metaphorica, hæc commutatio facta eſt, quod Chriſtus animam ſuam, ut loco iſto* (Matth. 20.) *dicitur, dedit, & nos recepit, id eſt è peccati ſervitute liberatos ſibi aſſeruit.* Talis commutatio, quæ nullam compenſationem ſatiſfactionemque, nullam placationem cujuſpiam arguit, indicatur Prov. 21. 18. *Redemptio juſti* (vel *pro juſto impius; & pro rectis iniquus*, id eſt, quemadmodum aliis doctiſſimis viris conſentientibus explicatur in Bibliis magnis Rob. Steph. *Subducitur periculo juſtus, & impius pro juſto ſubit periculum.* Cujus rei exemplum extat Eſai. 43. 3. ubi Deus dicitur redemptionis pretium pro Iſraëlitis dediſſe Ægyptum, Chus, & Saba: quod repetitur verſ. 4, ubi dicit Deus: dabo hominem pro te, & populos pro anima tua: non quod hoſtibus populi ſui ſatiſfacere & iram eorum hac ratione placare voluerit; ſed quod, ut Iſraëlitæ hoſtium manus effugerent, eorum impetum in Ægyptios, Æthiopes, & Sabæos converterit: ubi eſt commutatio ſine ſolutione aut ſatiſfactione. Ex quibus locis etiam apparet, ſatis elegantem & uſitatam cenſeri debere vocis λύτρου & ſimilium interpretationem, quam Socinus ſequitur. Siquidem in his etiam duobus Sacrarum Literarum locis vox Hebræa Copher, quam voce λύτρου in Græca verſione Prov. 13. 8 redditam ante vidimus, & hic rectiſſime reddi docuerunt illi interpretes, qui vel Redemptionem, vel Pretium pro ea repoſuerunt, id tantum ſignificat, quo interveniente quiſpiam periculo aut malo liberatur; non ſecus atque ſi pretium pro illo fuiſſet ſolutum. Nec injuria quiſpiam poſſet, verba Sacrarum Literarum aliquo modo ſecutus, dicere: impium eſſe ἀντίλυτρον juſti; & Deum Ægyptios & alios dediſſe ἀντίλυτρον pro Iſraëlitis.

Quod addit Partic. 23: *ἀντίλυτρον eſſe tale λύτρον, in quo liberator ſimile quiddam ſubit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur:* id in theſi quidem non probamus, ſed in hypotheſi libenter admittimus. Cur id in genere univerſo non admittamus, cauſa eſt, quia ſi hoſtes inter ſe permutent captivos, ut non raro accidit, hic captivus eſt illius ἀντίλυτρον, nec tamen liberator quicquam ſimile patitur ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur, ſive per liberatorem intelligas eum, qui captivum captivo redimit, ſive ipſum captivum, qui ab altera parte redditus alterum liberat è captivitate. Neuter enim horum aliquid mali perpetitur, ei præſertim ſimile, quod liberando imminebat. Quid quod, ut viri docti notant, & res ipſa ſatis oſtendit, pecunia pro captivo ſoluta ἀντίλυτρον recte dicitur. Eſt enim hic commutatio ea, quam ἀντὶ deſignat, ſiquidem pecunia datur, & captivus viciſſim recipitur. At tunc liberator, qui nullus eſt alius, quam is, qui pecuniam ſolvit, non patitur ſimile quiddam ei malo, quod illi imminebat, qui liberatur. Quod ſi Grotius id, quod aſſerit, ex eo concludere velit, quod ἀντίψυχοι, quos hic commemorat, eo ſenſu dicantur, nimis infirma erit ratio. Neque enim hic ſenſus oritur ex ſola particula ἀντὶ, *pro* vel *vice* ſed etiam ex adjuncta ψυχῆς *animæ* voce. Denotat enim vox ἀντιψύχων eos, quorum alter pro altero animam ponat aut devoveat, & ſic id malum, quod alteri ſubeundum erat, ejus loco ſubire non detrectet. In aliis vocibus ex particula ἀντὶ compoſitis eam vim eſſe non ſtatim eſt neceſſe. In hypotheſi autem, h. e. in Chriſto liberatore noſtro, qui ἀντίλυτρον noſtrum eſt, id agnoſcimus. Nos enim mortem ferre debebamus: ille, ut nos ab ea liberaret, mortem ſuſtinuit. Quanquam mors illa, quam nos ſubire merebamur, æterna erat; quam Chriſtus ſubiit, temporaria. Et huc libenter referimus illud Gal. 3. 13. in quo ait Grotius egregiam eſſe vocis ἀντιλύτρου περίφρασιν, *Chriſtus redemit nos ab exſecratione* (*legis* omiſit Grotius) *factus pro nobis exſecratio.* De quo loco egimus cap. 1. Senſus enim eſt: Chriſtus redemit nos ab æterna morte, quæ erat illa exſecratio, quam Lex minabatur, dum ipſe pro nobis tale mortis genus ſubiit, quod olim coram Deo erat exſecrabile, nempe mortem crucis. Quamquam, ut cap. 1 monuimus, hic locus de ſolis Judæis revera loquitur, nec tam late patet, atque iſte, in quo Chriſtus ſeipſum dicitur ἀντίλυτρον dediſſe pro omnibus.

Pergit Grotius Partic. 24: *Ad hæc accedit, quod ſanguinem Chriſti Petrus auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo ipſo qua pretium eſt* 1 Petr. 1. 18. *Solent autem aurum & argentum eſſe vere pretium, non figurate. Quare & ſanguis æque aut multo etiam magis vere ſit pretium, neceſſe eſt.*

Vocem *vere* apud Grotium accipio pro *proprie.* Hoc enim eſt quod Socinus negat; & Grotius ſatis aperte vocem *vere* opponit verbo *figurate.* Alias ſi verum opponatur falſo ac fictitio, concluſio Grotii nihil adverſus Socinum faciet. Nam etiam id, quod figurate tale eſt, vere tale eſt. Conſequentia in argumento Grotii nulla eſt: ſanguis Chriſti majus quiddam eſt argento & auro qua pretium eſt: ergo æque aut

* Lib. 2, cap. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aut multo etiam magis proprie pretium eſt. Si quis diceret: ſe non auro & argento, ſed ſanguine ſuo, qui iſtis longe ſit pretioſior, libertatem patriæ redemiſſe, quia pro libertate patriæ pugnans ſanguinem fuderit; an æque, imo etiam magis proprie ſanguinem ſuum diceret eſſe pretium, quam ſoleat eſſe aurum & argentum? Si Otho, cujus verba ex Tacito ſupra citavimus, dixiſſet: Aurum & argentum ſi pro me impendere velletis, ferrem: ſed virtutem veſtram periculis objici nimis grande vitæ meæ pretium puto: an quiſquam putaſſet, objici virtutem militum periculis, proprie dictum eſſe pretium, & quidem magis, quam aurum & argentum aut ſaltem ab Othone hoc modo verba iſta intellecta? Sic quiſpiam Grotium imitatus argumentaretur: ſermo Dei vivus, quatenus acutus eſt, aut ſecandi vim habet, comparatur cum gladio ancipiti, tanquam quippiam acutius, Hebr. 4. 12. At gladius anceps eſt proprie non figurate acutus. Ergo ſermo Dei æque, aut etiam multo magis proprie eſt acutus aut ſecandi vim habet. Et ne à loquendi genere, quo Petrus utitur, longius diſcedamus, ex eo, quod dicitur Prov. 3. 14, 15. meliorem eſſe negotiationem ſapientiæ, negotiatione argenti, & auro meliorem eſſe ejus proventum, & pretioſiorem margaritis; ex eo, inquam, collegerit quiſpiam, negotiationem ac proventum ſapientiæ magis proprie dici, quam dicatur negotiatio ac proventus auri & argenti: quia ſit quippiam ea negotiatione ac proventu majus, & quidem qua talis: hæc vero ſit negotiatio ac proventus proprie dictus. Sed quid aliunde petimus exempla? an non de Deo ipſo dici poteſt id, quod hoc loco Petrus ſcribit, nempe eum nos non auro & argento, ſed pretioſo filii ſui ſanguine ex vana converſatione noſtra redemiſſe? At Deus nemini verum & proprie dictum ſolvit pretium, neminem ut nos incommodo, quo nos affecturus erat, liberari pateretur, movit. Adde quod hic, ut ſupra docuimus, ſermo ſit de redemptione ſeu liberatione ab impia vita, in qua non Deus, ſed Diabolus homines detinuit, adeo ut ſi de vero pretio ſit ſermo, neceſſe ſit, illud Satanæ perſolutum, & eum in finem Chriſti pretioſum ſanguinem fuſum, ut ei ſatisfieret, iiſque hoc pacto moveretur ad nos ab impia vita liberandos, quo nihil dici poteſt abſurdius. Mirum autem eſt Grotium non animadvertiſſe dicti ſui abſurditatem, dum non contentus dixiſſe, ſanguinem Chriſti æque vere eſſe pretium, addit: *aut multo etiam magis vere* (h. e. proprie) *eſſe pretium*. An non enim maxime proprie pretium eſſe ſolent aurum & argentum? quid illis, quod ad proprietatem verbi pertineat, deeſt? Majus quidem pretium eſſe poteſt, vel, ut Petrus loquitur; aliquid pretioſius ſeu præſtantius, ſed non magis proprie pretium. Nec ſane apud Petrum comparatio eſt inter aurum argentumque, & inter ſanguinem Chriſti, ratione proprietatis pretii, ſed ratione magnitudinis ſeu præſtantiæ: qualis comparatio eſt etiam ſupra hoc eodem capite verſ. 7. ubi probatio fidei dicitur pretioſior auro quod perit. Eſt autem illud etiam obſervandum, quod Socinus jam monuerat, vocem *pretioſi* opponi *corruptibilibus*, adeoque ſignificare tale quippiam, quod nunquam perit, ſed cujus vis perpetua eſt, qualis oppoſitio eſt etiam dicto loco verſ. 7. quia vis quoque fidei, aut probationis ejus, nunquam perit. Sanguinis autem Chriſti vis ideo nunquam perit, quia eſt æterni fœderis ſanguis, qui divina promiſſa in perpetuum nobis confirmat, peccataque noſtra expiat; præſertim quia Chriſtus per ſanguinis fuſionem ad reſurrectionem & gloriam illam, de qua Petrus in ſequentibus loquitur, pervenit, qua fides & ſpes noſtra maxime nititur, & ex qua expurgatio peccatorum noſtrorum perpetua potiſſimum proficiſcitur.

Partic. 25. Quæ ſit pretii natura, ex definitione ſpeciei, ſeu λύτρου, ſupra conſtituta poteſt colligi, ablata differentia λύτρου ſpecifica. Requiritur autem ad illud, ut ei, qui valore ipſius atque æſtimatione ad rem aut jus aliquod concedendum moveri debet, pro ea ſolvatur ac præſtetur; quod Grotius omiſit. An autem ejuſmodi pretium Chriſtus pro nobis perſolverit, & ex ſuperioribus conſtare poteſt, & ex dicendis apparebit.

Scribit amplius Partic. 26: *Addi poſſunt his illi loci, qui oſtendunt à Chriſto datam carnem ſuam, aut ſeipſum pro vita mundi, ut nos liberaret* Johan. 6. 51. Tit. 2. 14. *Eſt enim hæc phraſis dare aliquid propter aliquid, vero pretio accommodatiſſima.*

Eſt quidem phraſis hæc *dare aliquid propter aliquid* vero pretio accommodatiſſima, ſed non tamen, ubicunque illa extat, verum pretium ſignificat: tum demum verum pretium ſignificaret, ſi perſona eſſet addita, cui ut ſatisfieret, res aliqua data diceretur, cujus hic nulla fit mentio, nec uſpiam in toto hoc negotio. At pretii eſt, non tantum dari ſeu impendi ſimpliciter propter rem aliquam, ſed dari ut cuipiam ſatisfiat, ſeu alicui perſolvi. Paulus 2 Corinth. 12. 15. ait, ego libentiſſime ſumptum impendam, *& expendar pro animabus veſtris*, quæ phraſis non minus eſt accommodata pretio proprie dicto, quam illa *dare aliquid propter aliquid*, nec tamen quemquam eſſe arbitror, qui non videat, Paulum, dum de ſe pro animabus Corinthiorum expendendo loquitur, proprie dictum pretium non intelligere, quod alicui pro illis ſolvere ſit paratus, ſed ſimpliciter dicere velle, ſe libenter vitam ſuam in diſcrimen adducturum, aut reipſa profuſurum, dummodo ipſorum animabus aut vitæ eo pacto queat conſulere. Novit autem Grotius, *dare* in hac materia eſſe *dare in mortem*, quod pretium proprie dictum non arguit. Hoc enim modo ipſemet cap. 1. explicuit illud Johan. 3. 16, ubi Deus dicitur *dediſſe* filium ſuum, exigente id loci ſententia. Eodem modo capienda eſt hæc vox Galat. 1. 4. Eph. 5. 22. Eſt enim in ſimplici verbo *dandi* uſitata ellipſis, quæ eſt, in compoſito *tradendi*, cum quo id in hoc negotio commutatur. Confer cum his locis iſtos Rom. 4. ult. 8. 32. Galat. 2. 20. Quanquam ellipſis in verbis his uſitata, non eodem ſemper modo, ſed pro ratione ejus, de quo agitur, ſupplenda eſt, ut notavit Beza ad Marc. 1. 14. ubi ſubauditur *in cuſtodiam*, quemadmodum & Matt. 4. 12. Monere autem poterant Grotium ii loci, in quibus Deus ipſe filium ſuum unigenitum aut proprium dediſſe, idque ad nos ab interitu liberandos, aut pro nobis tradidiſſe dicitur, ne ex locis ſimilibus, de eadem re loquentibus, proprie dictum pretium colligeret: ſiquidem Deus pretium nemini

perſolvit

perſolvit aut præſtitit. Adde quod neceſſe fuiſſet, ſi ſatiſfactionis dogma ſequamur, ipſi Deo pretium illud ſolvi ac præſtari, qui tamen id ipſemet dedit atque impendit. Præterea in loco Tit. 2, quem Grotius adduxit, ſermo eſt de redemtione ex ſervitute peccati, ſeu liberatione ab impia vita. Hujus autem cauſa Deo non erat perſolvendum pretium, nec ulla ratione erat movendus, ut nos ab illo jugo liberari pateretur, cum id ipſe vehementer deſideraret, & unice quæreret.

Pergit Partic. 27: *Socinus hæc, aliaque loca plura, in quibus mors aut ſanguis Chriſti pretium liberationis noſtræ vocatur, aliter eludere non poteſt, quam ut dicat, eſſe quidem effectum mortis Chriſti liberationem noſtram à pœnis (de liberatione enim à ſervitute peccati hic agendi non eſt locus) ſed quo ad nos, non quoad Deum: id eſt non Deum per eam adduci, ut nos liberet, ſed nos ut ad liberationem perveniamus. Sed hoc effugium tum ea quæ diximus, tum alia multa precludunt.*

Socinus nec Scripturæ loca eludit, nec effugia quærit. Grotius nihil horum oſtendit. Loca quæ hactenus adverſum nos adduxit, non omnia de liberatione à pœnis agunt, ut ipſe eſt arbitratus: ſed nonnulla de liberatione à peccatorum ſervitute. Non ſufficienter autem explicuit, quo pacto ſanguis Chriſti pretium liberationis noſtræ à pœnis dicatur: imo id omiſit, quod in liberatione à pœnis, quæ reipſa fiat, potiſſimum eſt, & à Socino eo loco, ad quem Grotius hic reſpicit, qui eſt lib. 2. cap. 2, cum de ea ageret, ſolum expreſſe fuit commemoratum. Id vero eſt, quod mors Chriſti cauſa fuerit, ex decreto divino neceſſaria, ſempiterni ipſius regni ac ſacerdotii, ex quo liberatio à pœnis actu ipſo proficiſcitur, ſeu, quod eodem recidit, ſupremæ ipſius poteſtatis, qua nos ab omnibus divinis ſupplicis tuetur. Videantur ea, quæ Socinus d. l. diſſeruit de verbis Hebr. 9. 11, 12, & conferantur cum iis, quæ ſuperius eodem cap. diſputarat de ea liberatione à peccatorum pœnis, quæ reipſa fiat, quæ tertia eſt apud ipſum Redemtionis ſignificatio. Prima enim eſt, liberatio è ſervitute ipſius peccati; ſecunda, liberatio à pœnis, quam ſpe certa in hoc ſeculo habemus, ſeu, ut nos cap. 1 de remiſſione peccatorum loquuti ſumus, quæ in jure conſiſtit. Grotius id, quod Socinus ad liberationem è peccati ſervitute proprie retulerat, de liberatione à pœnis agens commemoravit: qua in re non peccaſſet, ſi modo id, quod hic præcipuum eſt, non omiſiſſet, & duos liberationis à pœna modos, quorum alter in jure, ſeu ſpe certa conſiſtit, alter in actu ipſo, inter ſe diſtinxiſſet. Ex quo apparet, infra quoque Socino fieri injuriam, & ſententiam ipſius mutilari à Grotio, dum ita ſcribit: *Quicquid Socinus de nexu liberationis noſtræ cum morte Chriſti loquitur, ita ſummatim explicari poteſt. Liberatio (ut ipſe ſentit) ex ſanctimonia vitæ ſequitur: ſanctimonia ex ſpe præmii: ſpes primo ac potiſſimum ex reſurrectione naſcitur: morti autem tribuitur, aut qua via eſt ad reſurrectionem, aut qua reſurrectioni conjuncta ac comparata ſpem eandem confirmat.* In quibus verbis, præter id, quod modo diximus, nec illud recte explicatum eſt, quo pacto mors Chriſti ſpem noſtram confirmet. Mors enim Chriſti id præſtat non tantum mediate & veluti conſequenter, ſed etiam primo & immediate, licet vis ea, non conſequuta reſurrectione, non fuiſſet apparitura, ſed potius diſparitura, quemadmodum docuimus cap. 1. partic. 103, 104, 109. Itaque redemtio ſeu liberatio à pœnis, præſertim quatenus ſpe certa in hoc ſeculo obtinetur, ſeu in jure conſiſtit, etiam primo & immediate ex morte Chriſti pendet. Quod ſi quis Socini de liberatione à pœnis ſententiam ex toto ejus libro collectam plenius velit cognoſcere, videat ea, quæ cap. 1 diſſeruimus, de modo, quo remiſſio peccatorum ex morte Chriſti fluat: ſiquidem liberatio à pœnis, ſeu redemtio hæc, de qua cum Grotio diſputamus, nihil eſt aliud, quam peccatorum remiſſio, ut ipſe Apoſtolus docet Epheſ. 1. 7. Col. 1. 14. Videantur etiam ea, quæ ſupra hoc cap. part. 13, diſſeruimus, ubi ea, quæ de remiſſione cap. 1, dicta ſunt, ad redemtionis negotium aliquo modo accommodavimus. Iſtud adhuc, antequam ad ſequentia pergamus, monendum eſt, etiamſi inter modos, quibus nos mors Chriſti vel è peccati, vel è mortis ſervitute liberat, is quoque ſit, quod *nos moveat* ad vitæ ſanctimoniam: id ipſum tamen vi vocis λύτρου ad mortem Chriſti relatæ, per ſe non ſignificari, ſed ex re ipſa intelligendum, aut aliunde cognoſcendum eſſe. Vox enim illa ſimpliciter tantum ſignificat id, quod liberationis noſtræ cauſa ſit, quemadmodum λύτρον eſſe ſolet liberationis captivi: quod autem nos liberet *nos ipſos movendo*, hoc vi vocis non ſignificatur. An vero, aut quo pacto ex Socini ſententia dici queat, Deum per mortem Chriſti adduci ad nos liberandos, dictum eſt ſupra partic 3, & locis ibi notatis. Sed rationes videamus Grotii, quibus Socini ſententiam à ſe explicatam oppugnat.

Primum enim, inquit Partic. 28, *vox λύτρου, multoque magis ἀντιλύτρου, ejus ſunt naturæ, ut rem denotent, cujus prior ſit effectus circa liberatorem, quam circa liberatum.*

Per liberatorem, ut apparet, eum nunc intelligit Grotius, qui incommodo, quo alterum erat affecturus, λύτρῳ interveniente liberari patitur, qualis eſt v. g. is, è cujus manibus captivus redimitur, cum antea eum intellexiſſet, qui ἀντίλυτρον eſt alterius. Niſi enim eum hoc loco intelligit, ex cujus manibus liberatur is, pro quo λύτρον ſolvitur, non video, quid hæc ratio faciat adverſus Socini ſententiam, prout à Grotio paulo ante explicata eſt, videlicet non Deum morte Chriſti adduci ut nos liberet, ſed nos, ut ad liberationem perveniamus. Quod ad rem ipſam attinet, etſi nos duplicem oſtendimus modum, quo effectus mortis Chriſti, quæ liberationis noſtræ pretium eſt, prius circa Deum, quam circa nos verſetur; ſiquidem duplicem oſtendimus modum, quo mors Chriſti Deum obligarit ad nos à pœna liberandos, aut id Chriſto dandum, unde liberatio noſtra perfecte conſequitur, & conſequi ex Dei voluntate omnino debet; id tamen in hac redemtionis aut emtionis noſtræ, itemque pretii pro nobis impenſi metaphora, non conſideratur, nec ipſis his vocabulis, quæ urget Grotius, exprimitur, ſed aliunde aut ex re ipſa demum intelligitur. Etſi enim Deus nos, niſi reſipuiſſemus, punitusus, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mortis ſupplicio affecturus erat: tamen quia ipſemet tantopere diſideravit, ut nos à mortis æternæ pœna liberaremur, & in eum finem chariſſimum filium ſuum impendit; ideo, quemadmodum ſupra diximus, in hac redemtionis noſtræ metaphora, non conſideratur tanquam is, qui nos ad ſupplicium detinuerit captivos, & qui, pretio illi perſoluto, fuerit movendus, ut nos è captivitate dimitteret, atque à pœna liberaret; ſed ut is, qui nos emerit, aut redemerit, qui pretium pro nobis impenderit, & nos ſibi acquiſiverit; quia hæ partes, ſi ejus erga nos affectum ac voluntatem, actioneſque in hoc negotio ſpectes, longe magis ei conveniunt, quam illæ: &, ut alibi etiam monuimus, multo magis ille Chriſtum movit ad mortem liberationis noſtræ cauſa ſuſcipiendam, quam Chriſtus ipſum ad liberationem nobis reipſa præſtandam. Cum ergo Deo in hoc negotio non tribuantur partes ejus, qui nos incommodo affecturus detinuerit captivos, quem Grotius liberatorem appellat, ex eo, quod λύτρον & ἀντίλυτρον rem denotent, cujus effectus prior ſit circa liberatorem, quam circa liberatum, non ſequitur, effectum mortis Chriſti prius verſatum fuiſſe circa Deum, quam circa nos. Diximus autem jam ſupra, partes ejus, qui nos captivos tenuerit, & ex cujus ſervitute fuerimus liberati, in Sac. Literis tribui peccato, aut exſecrationi, atque adeo etiam cæteris hoſtibus noſtris ſpiritualibus, quos nemo liberatores dixerit, & circa quos ſi velis effectum mortis Chriſti prius verſatum fuiſſe, quam circa nos (quanquam id de peccato ac morte nullo pacto dici poteſt) quid id adverſus Socinum? Sed deinde in hac argumentatione ſua pro conceſſo ſumit Grotius λύτρον & ἀντίλυτρον proprie hic ſumi; quod non probavit. Nam ſi improprie ſumatur, negamus id, quod de voce hac aſſerit. Idem enim alias dicendum eſſet de verbis λυτρόω & ἀπολυτρόω: cum tamen ea ſæpiſſime talem ſignificent effectum, qui primum, imo ſolum verſetur circa liberatum: ut cum de ea liberatione, quæ abſque ullo fit impendio, ſumuntur, aut etiam de alia quapiam, ad quam impendium quidem intervenerit, ſed quo non ſatiſfieret cuipiam, qui incommodo eſſet affecturus eum, qui redemtus dicitur. Idem quod de λύτρῳ dicimus, contingere in voce *pretii*, ſtatim docebimus.

Secunda Grotii ratio eſt Partic. 29: *Deinde quamquam emere interdum ſumitur pro acquirere ſimpliciter, ut vendere pro mancipare, tamen addita voci emtionis vox pretii (ut* 1 Corinth. 6. 20. & VII. 23) *propriorem ſimilitudinem requirit. Eſt enim pretii maxime proprium, ut ab aliquo tanti æſtimetur, quanti res.*

Concedimus Grotio propiorem pel perfectiorem hic eſſe ſimilitudinem. Quid tum? an inde ſequitur, effectum pretii priorem fuiſſe circa liberatorem, hoc eſt circa Deum, qui ea motus fuerit ad nos liberandos, quam circa nos ipſos? quæ conſequentia? Ideo propior hic eſt ſimilitudo, quia non ſine impenſa ſumus acquiſiti, aut ex hoſtium noſtrorum poteſtate liberati, ſed impendium in eam rem inſigne factum eſt, quod pretio, quo interveniente emtio aut redemtio proprie dicta peragitur, eleganter reſpondet: imo nihil eſt in emtione ac redemtione proprie dicta, cui in emtione aut redemtione noſtra aliquid apte non reſpondeat, eo ſolo excepto, quod hic nemo ſit, qui pretium pro nobis impenſum acceperit, ſeu cui id præſtitum ſolutumque fuerit; id quod pretii hujus improprietatem arguit. Quod ſi Grotius ex voce pretii id, quod vult, concludere cupit, neceſſe eſt ut oſtendat, pretii vocem proprie hic accipi, non vero pro impendio tantum ſumi, quo interveniente nos Deo ac Chriſto fuerimus acquiſiti. Error autem Grotii ex eo ſatis patet, quod in locis citatis de ejuſmodi emtione ſit ſermo, qua nos Dei ac Chriſti ſervi evaſerimus, eique fuerimus acquiſiti. Ita enim habet prior locus: *Non eſtis veſtri. Emti enim iſtis pretio. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Quis non videt, hoc velle Apoſtolum, nos non eſſe noſtri juris & arbitrii, ſed Dei, quanti quanti ſumus, eſſe mancipia, qui magno pretio ſibi nos emerit. Quare nos & corpus & ſpiritum noſtrum ipſius gloriæ totum conſecrare debere, adeoque iis ad turpes cupiditates ac libidines nequaquam abuti: cum ea Dei ſint, ac proinde in illius ſolius uſus converti debeant. Alter locus eſt: *qui in domino vocatus eſt ſervus, libertus Domini eſt. Similiter qui liber eſt vocatus, ſervus eſt Chriſti. Pretio emti eſtis: ne ſiatis ſervi hominum.* Ideo nos pretio emtos dicit, quia Chriſti ſervi ac mancipia per mortem ipſius evaſerimus. Qui vero Chriſti ſit ſervus, ſimul etiam ſit ſervus Dei. Quomodo ergo in hac emtione primus hujus pretii effectus verſatus eſt circa Deum? An enim Deus erat movendus, ut nos ſuos ac Chriſti ſervos fieri vellet, cum id unice cuperet, & in eum finem ſanguinem filii ſui fundi curaret, adeoque non venditoris, ſed emtoris perſonam hac in parte gereret? Nos nos movendi eramus, ut peccato, imo & nobis ipſis mortui, Deo & Chriſto in poſterum vivere vellemus. Nos pretium pro nobis impenſum tanti, quanti res, vel potius majoris æſtimare debemus, id quod pretii maxime proprium eſſe ait Grotius, & cum ſciamus, quanti Deo & Chriſto conſtiterimus, tanto majori ſtudio ipſi ſervire. Ex dictis autem apparet, in eo etiam lapſum Grotium, quod ea teſtimonia, quæ de liberatione à ſervitute peccati loquuntur, de qua hic agendi locum non eſſe paulo ante dixerat, protulerit, & de liberatione noſtra à pœnis acceperit.

Tertia Grotii ratio eſt Partic. 30: *Præterea Apoſtolus ἀπολύτρωσιν exponit per ἱλαστήριον* Rom. 3. 24. *Eſt autem ἱλάσκειν actus, qui verſatur circa liberatorem prius, quam circa liberandum. Et alibi* Hebr. nempe 9. 12, *λύτρωσις exponitur per καθαρισμὸν, id eſt expiationem. De cujus vocis vi poſtea agemus.*

Ἱλαστήριον, de quo loquitur Apoſtolus, non eſt quidem revera idem cum ἀπολυτρώσει, ut verba Grotii ſignificare videntur, ad ἀπολύτρωσιν tamen pertinet. Sed ponatur idem eſſe: non ſequitur tamen, ἀπολύτρωσιν primo circa Deum, tum circa nos verſari, hoc eſt Deum primo ad nos liberandos moveri, tum liberationem noſtram ſubſequi. Docuimus enim ſupra cap. 7, nihil tale ex voce ἱλαστηρίῳ concludi poſſe: imo cum Deus ipſe conſtituerit Chriſtum ἱλαστήριον, contrarium inde colligi. Rationem ex etymologia ductam ibidem excuſſimus, & vel ex eo, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quod operculum arcæ Fœderis ἱλαστήριον dictum fuerit, cujus nullus circa Deum effectus, nulla eum ad liberationem movendi vis fuit, infirmitatem ejus oſtendimus. Vox καθαρισμοῦ non ſignificat actum primo circa Deum verſantem, ſed potius actum, qui circa ipſa peccata aut peccatorem occupetur. Quare quod λύτρωσις per καθαρισμὸν exponatur, id non tantum Socino non repugnat, ſed etiam favet. Solet quidem in expiationis per Chriſtum factæ negotio alludi ad actus circa Deum primo verſantes, ſed id nec fit vi vocis καθαρισμοῦ ſeu expiandi: cum etiam Deus dicatur expiare: ſed aliunde cognoſcitur; & aliud eſt alluſio, ac rei quædam ſimilitudo, aliud rei ipſius veritas ſive proprietas, qua de re Deo dante agemus ibi, ubi Grotius.

Quarta Grotii ratio eſt Partic. 31: *His adde, quod cum effectus alicui rei tribuitur admodum frequenter, atque ita ut nuſquam inveniatur tributus aliis rebus, (quemadmodum effectus redemtionis ad mortem & ſanguinem Chriſti refertur* Gal. 3. 13. Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 15. Apoc. 5. 9. & xx. 28. Rom. 3. 24. Epheſ. 1. 7, *tum neceſſe eſt finem proprium magis & propinquum, quam communem & remotum intelligere. At circa nos effectus liberationis & multis gradibus eſt remotus à morte Chriſti, & adeo non proprius, ut aliis rebus, quibus adſcribi non ſolet, multo magis conveniat.*

Hic primum erravit Grotius iterum, qui de redemtione ea, quæ liberatio eſt à pœnis, agens, citat loca de liberatione à ſervitute peccati, vel, quod eodem recidit, de ratione, qua Dei aut Chriſti cultores ac ſervi fuerimus effecti, loquentia, de qua hic agendi locum eſſe negat. Huc enim pertinent illa Tit. 2. 14. Apoc. 5. 9. In citatione cap. 20. 28, erratum eſt, cum nec tot ſint capitis verſiculi, nec quidquam huc pertinens ibi legatur. Arbitror autem ſcribendum fuiſſe Act. 20. 28. Nam locus congruit; cum ibi dicatur, Deum per proprium ſanguinem acquiſiviſſe Eccleſiam: qui locus eſt ſimilis illis duobus Tit. 2. & Apoc. 5. Deinde etiamſi Sac. Literæ, cum ipſa redemtionis voce utuntur, ob metaphoræ hujus concinnitatem & locutionis emphaſin, nulli alii rei actum hunc expreſſe tribuant, præterquam morti Chriſti, quæ impendium continet illi ſimile, quod ad redemtionem proprie dictam requiritur: tamen cum eandem rem aliis vocibus exprimunt, nonnunquam aperte aliis eam rebus, idque etiam magis aut propius, præſertim cum de liberatione à pœnis, quæ actu fiat, loquuntur, quam morti tribuunt; nonnunquam, ut ex re ipſa ſatis intelligitur, tacite idem faciunt; quod poſterius fit etiam in nonnullis locis, ubi ipſa Redemtionis vox extat. Redemtio enim hæc, de qua una cum Grotio agimus, hoc eſt liberatio à pœna nil eſt aliud, quam remiſſio peccatorum, ut ſuperius ex Paulo docuimus, quæ eadem juſtificatio dicitur. Hæc autem, præſertim ſi de liberatione ſumatur à pœnis, quæ reipſa fiat, reſurrectioni Chriſti, & poteſtati illius ſupremæ, æternoque ejus ſacerdotio, magis etiam aut propius quam morti tribuitur. Qua de re citavimus cap. 1, hæc Scripturæ teſtimonia Eſai. 53. 11. Actor. 5. 31. Rom. 4. 25. v. 9, 10. viij. 34. 1 Cor. 15. 17. 1 Theſ. 1. 10. Hebr. 2. 17, 18. vij. 24, 25. 1 Joh. 2. 2. Redemtio illa, quæ in adventu Chriſti nobis continget, unde ille dies redemtionis appellatur Luc. 21. 28. Eph. 1. 14. iv. 30. Rom. 8. 23, quam eandem Paulus redemtionem corporis noſtri, nempe à corruptione vocat, & 1 Cor. 1. 30, ut viri * docti animadverterunt, inter beneficia Dei per Chriſtum in nos profecta ultimo loco collocat, atque à juſtitia, hoc eſt, juſtificatione in jure conſiſtente, & ſanctificatione diſtinguit; hæc, inquam, nulli alii rei proxime ac proprie poteſt adſcribi, quam poteſtati Chriſti ſupremæ, qua hoſtes noſtros, quorum poſtremus eſt mors, delebit, & corpora noſtra humilia transformabit, ac ſimilia corpori ſuo glorioſo reddet Phil. 3. 20, 21. 1 Cor. 15. 24 & ſeqq. Qua in re perfecta liberatio noſtra à pœnis, quæ actu ipſo fiat, conſiſtit. Quapropter cum id ipſum, quod redemtionis nomine ſignificatur, aliis etiam rebus quam morti Chriſti tribuatur, idque magis quam morti aut propius, ex eo, quod ea tum, cum hoc ipſo nomine exprimitur, diſerte nulli alii rei, quam morti adſcribitur, non ſequitur, eam eſſe effectum mortis Chriſti proprium, niſi alia quadam ratione vocem proprii accipias, quam Grotius facit, qua de re diximus cap. 1. partic. 26, 85. Præterea in eo etiam falſus eſt Grotius, quod effectum liberationis circa nos, ſimpliciter ait multis gradibus eſſe à morte Chriſti remotum: cum tamen liberatio à pœnis, quæ in jure, aut in ſpe certa conſiſtit, de qua loquitur Paulus Rom. 3. 24. Epeſ. 1. 7. Col. 1. 14, ut apud Socinum videre eſt, etiam proxime & immediate ex morte Chriſti pendeat: ſiquidem, ut tum cap. 1, tum ſupra hoc cap. docuimus, mors Chriſti etiam immediate, idque eximia quadam ratione, & ad remiſſionem peccatorum potiſſimum ſpectante, divinas promiſſiones comfirmavit, & ſic jus quoddam ad liberationem reipſa obtinendam nobis peperit. Unde conſequitur, eam ad liberationem è ſervitute peccati, de qua nonnullos locos à Grotio citatos agere diximus, eatenus etiam per ſe concurrere, & propinquiorem illius cauſam eſſe. Siquidem ex ea confirmatione ſpes naſcitur, ex hac pietas in Deum. Liberatio vero à pœnis, quæ reipſa fiat, ſi eum ſpectes modum, quo eam mors Chriſti nobis pariat, quem Socinus de Redemtione agens inſignite commemoravit, uno tantum gradu à morte Chriſti diſtat. Etenim mors Chriſti cauſa eſt ſupremæ Chriſti poteſtatis, ſeu mavis ſempiterni Chriſti regni ac ſacerdotii; hoc liberationis à pœna. Si ſpectes reliquos duos liberationis hujus modos, qui quidem ſunt iidem cum liberatione à ſuppliciis ea, quæ in jure conſiſtit, & liberatione à ſervitute peccati; quid de iis hac in parte ſentiendum ſit, ex dictis conſtare poteſt.

Ex his patet, verba illa, quæ ſubjungit Grotius Partic. 32, ad explicandam Socini de nexu liberationis noſtræ cum Chriſti morte ſententiam, quæ ſupra particula 27, adſcripſimus, valde mutilam hac de re Socini ſententiam exhibere. Conſtat etiam magna ex parte, falſò aſſerere Grotium, *mortem iſti effectui* (h. e. liberationi noſtræ) *nonniſi per accidens cohærere: quia reſurrectio fidem non faciat, niſi qua eſt pars gloriæ Chriſti: gloria autem ſumma Chriſto etiam non mortuo potuerit contingere.* Pro conceſſo enim ſumitur primo, mor-

* Piſcator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tem Chriſti ad liberationem à pœna non niſi eatenus concurre, quatenus fidem nobis divinorum promiſſorum facit: deinde, eam non ingenerare nobis fidem, niſi per reſurrectionem; denique reſurrectionem non ingenerare fidem, niſi qua ſit pars gloriæ Chriſti: quæ omnia falſa ſunt. De duobus prioribus dictum eſt hactenus: de poſtremo actum eſt cap. 1. partic. 21. Præterea etiamſi gloria Chriſto ſumma, etiam non mortuo potuiſſet contingere, ſi rei natura inſpiciatur: ex decreto tamen divino, ob cauſas graviſſimas ad ſalutem noſtram ſpectantes facto, non potuit. Qua de re tum ab initio diſputationis noſtræ actum eſt, tum ut alia omittam loca, cap. 5. partic. 4, 5.

Ad ſequentia Grotii verba Partic. 33: *quod autem Chriſtus patiendo exemplum nobis quod ſequeremur præbuit, id ad remiſſionem peccatorum, quæ Chriſto non contingit, aptari omnino non poteſt*; ad hæc, inquam, reſponſio patet ex partic. 98, 99, 100. cap. 1, ubi idem Socino Grotius objeçerat. Diximus autem, nec Socinum de remiſſione peccatorum agentem ſolere exemplum Chriſti, præſertim expreſſe, commemorare; & licet ipſi Chriſto remiſſio peccatorum non contigerit, tamen id ſuo modo ad remiſſionem nobis parandam facere. Quod poſterius exſequuti ſumus d. partic. 100.

Pergit Grotius Partic. 34: *Quo ergo illa toties repetita mortis mentio in hoc redemtionis negotio? Duo adfert Socinus: primum quia in morte eſt impendium aliquod, quod non eſt in reſurrectione, ideoque mortis mentio redemtioni eſt aptior: deinde quia charitas Dei & Chriſti in morte magis indicatur.*

Agnoſcimus Socini dicta; eo tamen addito, quod quæſtio, ad quam reſpondet Socinus, comparate fuerit inſtituta, hoc pacto: cur non potius reſurrectio fuerit appellata redemtionis pretium, quam mors? ut tum ex Socini loco, tum ex rationibus ipſis, quas hic adducit Grotius, præſertim priori, conſtare poteſt. Sed videamus, quomodo hæc Grotius refellat.

Ad primum quod attinet, eodem, inquit Partic. 35, *relabimur. Nam ſi ex morte Chriſti per ſe liberationis noſtræ effectus non eſt conſecutus (quæ eſt ipſius Socini claris verbis edita confeſſio) nihil opus erat Chriſtum & Apoſtolos aut redemtionis aut pretii meminiſſe, præſertim toties: cum liberatio aliis verbis commodius poſſet explicari.*

Ut infirmitas argumenti, quo Grotius hic utitur, tanto melius appareat, illud primum eſt monendum, eum ſententiam verborum Socini, quæ extant cap. 3. lib. 2. (non 3 ut eſt apud Grot.) Haud aſſequutum. Neque enim Socinus vult, ut proculdubio cenſuit Grotius, mortem Chriſti primo & immediate, ac vi ſua nihil conferre ad liberationem: ſed, eam per ſe talem tantamque vim non habere, ut, ſi reſurrectio non fuiſſet conſequuta, nos nihilominus per eam potuiſſemus reipſa liberari. Docuimus enim alibi *, & ſupra hoc cap. repetiimus, vim mortis Chriſti veram, quam ad nos liberandos, ſeu remiſſionem peccatorum nobis parandam habet, non apparituram, ſed perituram fuiſſe, ſeque non exſerturam, niſi Chriſtus reſurrexiſſet. Contrarium poſtulat eorum ſententia, qui morte Chriſti Deo pro univerſis peccatis noſtris plene ſatiſfeciſſe arbitrantur. Hoc enim poſito, non potuiſſet nos Deus ſalva æquitate ac juſtitia ſua à pœnis non liberare, ut cap. 6, docuimus: nec quicquam ad eam rem opus fuiſſet Chriſti reſurrectione, quæ ſatiſfactionis vim non auget, ſed potius minuit. Major enim futura fuiſſet Chriſti pœna, & ſic plenior per eam ſatiſfactio, ſi in morte manſiſſet, quam nunc, cum poſt breve tempus reſurrexit, & ad ſupremam ob paſſionem mortis felicitatem ac dignitatem à Deo evectus eſt, quod, ut alibi oſtendimus, ne pœnæ quidem in Chriſto locum relinquit. Atqui ſententiæ huic prorſus adverſantur illa Pauli verba, quæ Socinus pro ſe citat 1 Cor. 15. 17, 18, ubi ait Apoſtolus: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris, etiam ii, qui in Chriſto obdormierunt, perierunt.* Cæteroqui fateri Socinum, mortem Chriſti *per ſe* vim habere ad liberationem noſtram, quam tamen poſt reſurrectionem demum exſeruerit, ex eodem loco, ubi verba à Grotio citata extant, aperte conſtat. Poſtquam enim dixiſſet (*a*): *Chriſti mors reſurrectione non conſequuta, non ſolum nos non liberaſſet, ſed omnis liberationis ſpem prorſus ademiſſet, ut aperte colligitur ex cap. 15, prioris ad Corinth. & ex aliis locis ſatis intelligi poteſt*; addit: *quanquam reſurrectione deinde conſequuta, ipſa quoque mors PER SE non leve pondus ad nos in fide ſtabiliendos, ut ſupra * demonſtratum eſt, obtinet.* Videantur etiam ea, quæ diximus cap. 1. partic. 104.

Deinde verba illa Grotii: *nihil opus erat Chriſtum & Apoſtolos aut redemtionis aut pretii meminiſſe, præſertim toties*, vel ſignificant, non fuiſſe neceſſarium, ut his verbis uteretur Chriſtus & Apoſtoli; vel non fuiſſe juſtam aliquam cauſam, quæ ſuaderet, ut hac metaphora crebrius uterentur. Si prius, nihil ad rem facit Grotii argumentatio. Multa enim, quæ non eſt fieri neceſſe, fiunt tamen, & recte quidem atque eleganter. Reſurrectionem noſtram ac liberationem à morte cæteriſque, quibus hic premimur, malis, redemtionis voce in Sacris Literis deſcriptam eſſe ſupra vidimus, cum tamen res aliter ſatis commode ac magis proprie poſſet exprimi. Si poſterius vult Grotius; rationem conſecutionis in argumento deſideramus. Nam etiamſi effectus liberationis noſtræ per ſe non eſſet conſequutus ex morte Chriſti, (ut eo ſenſu verba iſta capiamus, quo ea capere videtur Grotius) potuiſſent tamen Apoſtoli, non modo propter uſitatum ſcriptorum antiqui Fœderis morem, Redemtionem pro ſimplici liberatione ponentium, ſed etiam propter maximam ſimilitudinem liberationis noſtræ cum remdemtione proprie dicta, tum redemtionis voce, tum, quia magnum ad eam perficiendam interveniſſet impendium, etiam Pretii nomine uti. Neque vero novum aut inelegans cenſeri debet, pretio comparari id, ex quo effectus, ad quem id dicitur interveniſſe, per accidens tantum conſequitur. Nam, ut Socinus jam ſcripſerat, ſi quis amicum ex hoſtium manibus, hoſtibus ipſis, qui eum detinebant, occiſis liberaſſet, interim tamen ipſe non levia vulnera cum hoſtibus confligendo accepiſſet; non hoſtium interitum, ſed

* Vid. cap. 1, partic. 110.

(*a*) Lib. 2. cap. 3. (*b*) lib. 1. cap. 3. lib. 3. cap. 2.

ſuum

ſuum ſanguinem pro amici liberatione impendiſſe ſe diceret, quamvis non quia ipſe ſanguinem ſuum fudiſſet, (id enim per ſe liberationem potius impedit) ſed quia hoſtes ſuperaſſet & interemiſſet, ille liberatus eſſet. Eodem modo, ſi quis pro libertate patriæ pugnans oculum perdidiſſet, licet id non niſi per accidens cum libertate cohæreat, eleganter tamen dicere poſſet, ſe oculum pro libertate patriæ impendiſſe. Atque hujuſmodi phraſes & in communi ſermone, & in optimis auctoribus non ſunt inſolentes. Qua de re diximus etiam nonnihil cap. 1. partic. 26. Quod ſi hoc fieri poteſt tum, cum id, quod impenſum eſſe dicitur, ad effectum, de quo ſermo eſt, per ſe nihil confert: quanto rectius atque elegantius id fieri poterit, ubi id, quod impenſum eſt, per ſe multum ad effectum confert, quemadmodum ſane mortem Chriſti ad liberationem noſtram conferre oſtenſum eſt.

Pergit Grotius Partic. 36: *Altera vero illa conſideratio, ut ad illas pertineat ſententias, quæ charitatem Dei commemorant, ad alias certe quæ hoc non agunt, & ad ipſam redemtionis vocem explicandam parum commode affertur.*

Hic Grotius non eas tantum ſententias commemorare debuit, quæ de charitate Dei agunt, ſed etiam eas, quæ de charitate Chriſti, ad quam nonnunquam peculiariter reſpicitur in Sacris Literis. Socinus enim, ut ex Grotii verbis ſupra productis apparet, non tantum Dei, ſed & Chriſti charitatem commemorat. Deinde ſi Grotius eas tantum ſententias intelligit, ut quidem verba ipſius videntur indicare, quæ charitatis Dei, aut (ut hoc nunc addamus) Chriſti, expreſſam faciunt mentionem, vel quorum ſcopus verus eſt eam nobis commendare; qua ratione probabit, ad has ſolas pertinere rationem à Socino allatam? Nam ſive agatur de rebus à Deo per Chriſtum promiſſis, & non niſi ex ſumma ipſius erga nos charitate profectis, ſive de earum ſpe animis noſtris inferenda, & fiducia in ipſum noſtra excitanda, ſive de reliquo officio noſtro, atque inprimis de charitate erga Deum ac Chriſtum, aut erga homines; nunquam aliena eſt commemoratio ejus rei, unde charitas erga nos Dei ac Chriſti potiſſimum eluceat, imo maxime accommodata. Ea enim res promiſſa divina confirmat, ſpem ac fiduciam noſtram in Deum & Chriſtum roborat, ad obſequium ei præſtandum excitat, amorem ipſius ardentiſſimum in nobis accendit, ad diligendos alios, quos Deus ita charos habet, ut chariſſimum ſuum filium pro iis impenderit, curamque illorum ſuſcipiendam, ad animas denique pro fratribus ponendas adigit. Cur vero Grotius non adduxit locos aliquos, in quibus de redemtione vel emtione noſtra ſit ſermo, ad quos tamen nihil pertineat commemoratio ejus rei, ex qua charitas Dei & Chriſti maxime pateat? Quanquam ad veritatem verborum Socini ſatis eſt in plæriſque locis ita ſe rem habere; cum non aſſerat, hanc ſolam eſſe hujus rei cauſam, ſed potiſſimam, & latiſſime patentem.

Quod vero ait Grotius, ad ipſam redemtionis vocem explicandam parum commode afferri hanc Socini rationem, id nihil adverſum ipſum facit. Neque enim Socinus hanc rationem ad ipſam redemtionis vocem explicandam affert: ſed ad oſtendendum, cur ita frequenter, & ubique fere cum de liberatione noſtra agitur, Chriſti mortis fiat mentio, quæ ipſius Socini ſunt verba. Quamquam non injuria dici poteſt, Redemtionis vocem ad amorem Dei & Chriſti, qui ex liberatione noſtri patet, indicandum aliquanto aptiorem eſſe, quam ſimplex Liberationis nomen; præſertim ſi jam conſtet, eam in pleniore quadam ſignificatione hic & poſſe & debere accipi, nempe ut ſignificet, impendium in liberationem noſtram eſſe factum; id quod ipſa liberationis vox nullo modo indicat. Nam liberatio vera & proprie dicta eſſe poteſt, ubi nullum prorſus factum eſt impendium. Manifeſtior autem adhuc res eſt, cum ipſum Pretii nomen ponitur.

Pergit Partic. 37: *Omitto jam, quod ne oſtenditur quidem charitas ea re, quod boni noſtri non tam cauſa fuerit, quam nuda occaſio.*

Sed nos jam non ſemel oſtendimus, mortem Chriſti, ex noſtra ſententia, non nudam boni noſtri occaſionem, ſed veram fuiſſe cauſam. Quanquam etiamſi ea mera fuiſſet occaſio, ad ſalutem tamen nobis parandam aliquo pacto neceſſaria, nihilominus charitatem Dei, filium ſuum unicum morti tam diræ, ut hac occaſione ſaluti noſtræ conſuleretur, objicientis, & Chriſti, rem tam acerbam noſtra cauſa ſuſcipientis oſtendiſſet. Charitas enim alicujus erga alterum non minus perſpicitur, cum quis mali quippiam aut incommodi ſciens prudens ſuſcipit, ut ea occaſione illi proſit, quam cum ex eo ipſo malo per ſe aliquid commodi in ipſum redundat. Sic charitas amici erga amicum oſtenditur, ſi, ut eum ex hoſtium manibus eripiat, vulnera & mortem non detrectet, etiamſi ipſa ſua vulnera aut mortem amico nihil prodeſſe, ſed etiam per ſe obeſſe facile poſſe, cernat. Denique Chriſti ſaltem erga nos charitas morte ipſius demonſtrari potuiſſet, etiamſi Deus nulla utilitatis ad nos rediture ratione habita decreviſſet, ne is ſine morte poteſtatem adipiſceretur nos reipſa ſervandi, Chriſtus autem, ut id beneficium nobis præſtare poſſet, mortem eam, ut fecit, adiiſſet, cum cæteroquin æternis gaudiis potiri ſine ea poſſet. Verum nos alibi ſatis oſtendimus, ſalutis noſtræ cauſa Deum decretum id feciſſe, adeoque ſummam inde, non modo Chriſti, ſed & Dei erga nos charitatem, ex illius morte apparere. Vide inter alia cap. 5. partic. 4, & 5.

Scribit amplius Partic. 38: *Putat ſe Socinus noſtram ſententiam premere cum dicit, ita de redemtione per Chriſti mortem facta agere Scripturam, ut quiddam apertum ante oculos ponat, non autem ut occultam quandam indicet virtutem, qualem eſſe eam putat, quam nos ex Scriptura deducimus: ſed hoc cum dicit, nos non vulnerat, & in ſe potius telum ſubminiſtrat. Ea enim quæ ſunt Dei, quis novit, niſi Spiritus Dei, & cui ille voluerit revelare* 1 Cor. 2. 10, 11. *At mortem Chriſti in hoc à Deo procurari, ut de ipſo pœnæ peccatorum noſtrorum exigerentur, & ipſe λύτρον noſtrum fieret, dixerat multo ante Eſaias, dixerat Chriſtus ipſe, nec aliud adumbrarunt ſancti ritus in priſco Fœdere: ita ut qui ad iſta attenderet, non poſſet Dei circa hoc negotium voluntatem ac decretum ignorare; ut jam taceam, ipſam quo-*

dammodo naturam loqui, mortem eſſe peccati ſtipendium.

Locus 1 Cor. 2. 10, 11. de iis loquitur, quæ in ipſo Deo latent, & à ſola ipſius voluntate pendent, qualia ſunt decreta conſiliaque ipſius, quatenus nondum vel verbis vel operibus ſunt patefacta, præſertim clare atque aperte. Indicat id comparatio, qua utitur Apoſtolus, dum ait: *Quis enim hominum novit ea, quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt?* ubi quivis poteſt cernere, de iis rebus loqui Apoſtolum, non quas homo aperte facit, aut loquitur, ſed de iis, quas apud ſe cogitat & decernit. Hæc enim nemo hominum novit, præter ipſius Spiritum; poſtea demum ii, quibuſcum animi ſui cogitata communicat. Quid vero hoc ad Chriſti mortem, & ejus vim, præſertim poſtquam de ea moniti ſumus, quod Socinus ſuis verbis addit? Mors enim Chriſti, ejuſque in ſalutis noſtræ negotio vis, non eſt aliquid in Deo latens, ſed teſtimonium potius apertum rerum aut conſiliorum in ipſo per ſe latentium. Unde, ut ab initio diſputationis noſtræ vidimus, Paulus aſſerit 1 Tim. 2, 3. eam extitiſſe teſtimonium, teſtimonium, inquam, divinæ erga omnes benevolentiæ: & Johannes 1 Johan. 5. 2. 4. ſeqq. eam inter teſtes divinos numerat, qui afferant, Deum nobis dediſſe vitam æternam, & hanc vitam in filio ejus eſſe. Quare vis ea mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio, qua ſublata, Dei ac Chriſti erga nos charitas, aut promiſſorum nobis per ipſum propoſitorum veritas ex ipſa demonſtrari non poſſet, non eſt ita oculta, ut eam, præſertim poſtquam jam ſumus moniti, ex ipſa Chriſti morte, aut rebus eam conſequutis cernere ac deprehendere non poſſimus, ſed neceſſe ſit ea in re divinis tantum viris fidem adhibere, & ideo credere vim eam morti Chriſti ineſſe, quia illi ita affirment, & teſtimoniis aliis demonſtrent. Talis autem vis eſt ea, quam Grotius una cum aliis morti Chriſti tribuit, nempe Deo pro peccatis noſtris ſatiſfaciendi: id quod ex iis, quæ perpeſſus eſt Chriſtus, nequaquam apparet; multo autem minus ex iis, quæ eam ſunt conſequuta. Quid enim eſt, quod re ipſa tantum inſpectâ ſuadeat, quia Chriſtus truculentam mortem ſubierit, in qua tamen non permanſit, ſed poſt breve tempus in vitam revocatus ad ſupremam æternamque gloriam fuit tranſlatus, eum divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatiſfeciſſe? Sed ait Grotius: naturam ipſam quodammodo loqui mortem eſſe peccati ſtipendium: unde intelligi vult, ipſam etiam naturam quodammodo dictare, Chriſti mortem fuiſſe peccati pœnam. Sed primum aliud eſt ſimpliciter ob peccata alicujus puniri, aliud Deo ejuſque juſtitiæ pro eo ejuſve peccatis plene ſatiſfacere, de quo Socinus loquitur. Deinde nos cap. 1 docuimus, non omnem mortem, ſive naturalem, ſive violentam intelligas, peccati eſſe ſtipendium. Ubi etiam locum Pauli Rom. 6. ult. ad quem non obſcure digitum intendit Grotius, excuſſimus. Itaque ex eo, quod Chriſtus mortem violentam ſubierit, concludi non poteſt, eum peccati pœnam ſubiiſſe. Præterea quomodo natura ipſa loquitur, mortem eſſe peccati ſtipendium? Natura per ſe conſiderata alias potius mortis cauſas ſtatuit, quarum vis non ex Dei voluntate pendeat, ſed naturalis plane ſit. At peccati vis, quam habet ad mortem nobis inferendam ex voluntate ac decreto Dei (nam hominum ob peccata morte quempiam plectentium nobis hic habenda ratio non eſt) pendet, nec per ſe aut naturaliter eam habet.

Quod Grotius putat Partic. 39, ex hac Dei voluntate, quod nimirum voluerit, ut de Chriſto pœnæ peccatorum noſtrorum exigerentur, colligi ingentem Dei erga nos charitatem, idque confirmat locis 1 Joh. 4. 10. Rom. 5. 10. quibus addit 1 Tim. 2. 6. in eo quantopere fallatur, ex ſuperioribus capp. conſtare poteſt.

Ad ſequentia Grotii verba Partic. 40, quod attinet; etiamſi quædam Scripturæ phraſes prima fronte videantur ſententiæ Grotii aliquo modo favere: tamen ſi res paulo diligentius conſideretur, diverſam earum ſententiam eſſe deprehenditur, quemadmodum hactenus nos oſtendiſſe confidimus. Socini ſententiam ex Scripturæ verbis, præſertim inter ſe collatis, facile poſſe intelligi, ex iis, quæ ab initio diſputationis noſtræ de vi mortis Chriſti in ſalutis noſtræ negotio diſſeruimus, ſi jungantur iis, quæ de remiſſione peccatorum nominatim diſputata ſunt cap. 1 conſtare arbitramur. De multitudine graduum, quos conſtituat Socinus in deducenda liberationis noſtræ ex morte Chriſti conſequentia, & hoc & primo cap. reſpondimus. De varietate deductionis, aut obſcuritate ſententiæ Socini, in explicando proprio locutionum de liberatione noſtra loquentium ſenſu, non arbitror conqueſturum eum, qui ea, quam in rebus tanti momenti adhibere par eſt, diligentia, quam in Grotio non ſemel deſideramus, & ſine præjudicio, Socini librum legerit.

Concludit Grotius Partic. 41, & quomodo ſenſentia de Redemptione & Placatione, quam hactenus defendit, ad ſatiſfactionem demonſtrandam pertineat, docet: *Probata ergo*, inquit, *eſt à nobis vera redemptio, ſicuti modo probata eſt vera placatio. Utrovis autem horum probato, probatum eſt id quod intenditur, nos ſcilicet liberatos pœna Chriſti, quam ob peccata noſtra pependerit: non quod omnis redemptio aut reconciliatio talis ſit, ſed quod ſubjecta materia aliam non admittat. Inane ergo eſt, & abs re alienum quod aliquoties dixit Socinus, tum placari aliquem poſſe, etſi nihil præſtetur, tum redimi aliquem vere poſſe, qui nihil debeat, ac proinde citra ſolutionem. Nos enim de ea agimus placatione & redemptione, quam rei alicujus præſtatione, morte ſcilicet fieri Scriptura indicat, & de redemtione ea, qua nos à pœna commerita liberari eadem Scriptura teſtatur. Talis autem præſtatio, quæ debitorem pœnæ à pœna liberet, & recte & proprie ſatiſfactio appellatur. Quod videns Socinus, ut ſatiſfactionem tolleret, placationem quoque & veram redemptionem ſuſtulit.*

Si per veram redemptionem, ut quidem apparet, proprie dictam intelligit; eam non probavit Grotius; nec placationem iræ divinæ morte Chriſti factam. Quare nec ſatiſfactio hinc concludi ulla poteſt. Interim dicimus, etiamſi placationem iræ divinæ, morte Chriſti factam probaſſet: non ſtatim tamen inde concludi poſſe, veram ſeu plenam Deo ſatiſfactionem pro peccatis noſtris morte Chriſti præſtitam, id quod Socinus revera urget; non autem (quod

eum

eum Grotius aliquoties dixiſſe ſcribit) *placari aliquem poſſe, etſi nihil præſtetur*. Quanquam & hoc verum eſt. Quod ſi dicat Grotius, ſe per præſtationem hic intelligere veram ſolutionem; id quod in principio petit. Hoc enim ipſum revera quæritur. Quod ſi per præſtationem ſimpliciter intelligit factum, alterius placandi cauſa ſuſceptum; negamus ex placatione, quæ hujuſmodi præſtatione fit, protinus veram ſatiſfactionem concludi. Poteſt enim quiſpiam tali etiam facto placare alterum, quod culpam aut injuriam nullo modo æquet aut compenſet. An non, ut ſupra diximus, pœnitentia, eleëmoſynis, aliiſque pie factis ira Dei placari poteſt? quæ tamen nullo pacto peccata compenſant, aut pro iis vere ſatiſfaciunt. Ex quibus exemplis apparet, ne pœnam quidem veram ex placatione aut præſtatione hujuſmodi concludi, nedum veram, quam Socinus intelligit, ſatiſfactionem. Idem reſponſum volumus de liberatione debitoris à pœna commerita, quæ præſtatione fiat aliqua. Iſtud alio detortum eſt à Grotio, quod dixit Socinus *redimi aliquem poſſe, qui nihil debeat*. Neque enim hinc concludit, quod illi tribuit Grotius, eum etiam redimi poſſe citra ſolutionem: (addit enim Grotius verba illa: *ac proinde citra ſolutionem*:) ſed, aliud eſſe æs alienum pro altero diſſolvere, aliud pretium redemptionis pro eo dare. Cujus enim, inquit, æs alienum diſſolvitur, is vere ejus pecuniæ debitor erat. Qui vero pretio redimitur, fieri poteſt ut id pretium non deberet; utpote qui injuſte captivus detineretur. Dicit autem hæc imprimis propter adverſarium ſuum Covetum, qui ſcripſerat, redimere eſſe debitum ſolvere creditori ejus nomine, qui ſolvendo non erat, ſicque ſatiſfacere creditori. Neque ſane potuit eo loco id concludere Socinus, quod ei tribuit Grotius: cum is redemptionis vocem ibi adhuc proprie ſumat. Unde Grotius ipſe Redimendi verbo addit vocem *vere*. Redemptionem autem proprie dictam ſine ſolutione fieri non poſſe, Socinus ipſe contendit. Neque vero id, quod dixit, eſt à re noſtra alienum, ut Grotius affirmat. Nam nec nos iis, à quibus, ſeu ex quorum velut manibus redempti ſumus, quicquam revera debebamus, ſed ab iis injuſte detineri cenſebamur, præſertim poſtquam Deus nos liberari voluit. Nihil enim debebamus peccato, morti, Satanæ. Deo multum debebamus: ſed ex hujus manibus, redempti non dicimur; quia is jus ſuum perſequi noluit, ſed liberationi noſtræ adeo ſtuduit, ut pretium ipſe impenderet. Itaque in hac redemtionis metaphora (*a*) nos non conſideramur revera ut debitores, quod, ut ſatiſfactionem evincat, Grotius (*b*) hic ſumit. Nec vero Socinus propterea placationem iræ divinæ, & redemtionem proprie dictam (nam redemtionem veram, quæ falſæ aut imaginariæ opponitur, ipſe agnoſcit, & grato animo amplectitur) ſuſtulit, ut ſatiſfactionem tolleret, cum placatio iræ divinæ ſine ſatiſfactione ſubſiſtere poſſit, redemptio proprie dicta Origenis, Ambroſii & Auguſtini ſententiam fere magis ſit probatura, quam Grotii, aut aliorum de ſatiſfactione Deo præſtita placitum: ſed quod nihil horum ex Sacris Literis doceri poſſe, imo ab iis ſatis aperte refelli videret, & divinæ gratiæ hæc dogmata, eo præſertim, quo accipi ſolent, ſenſu vehementer officerent, ac ſalutis per Chriſtum partæ rationem obſcurarent ac perverterent.

(*a*) Vid. inf. (*b*) Cap. 9. Partic. 5.

Sed videamus, quomodo Grotius obiter Partic. 42, ut ait, in alia quædam animadvertat, quæ Socinus, non quidem dum argumentum tractat redemptionis, ad hoc tamen argumentum pertinentia, alibi diſſeruerit. Primum eſt, *quod* μεσίτου *vocem in Sacris Literis nihil aliud velit ſignificare, quam Dei interpretem*. At Socinus non ſimpliciter Dei interpretem ea voce ſignificari aſſerit, ſed talem, quo Deus ad fœdera cum hominibus pangenda utatur, & per quem populus cognitione voluntatis divinæ inſtructus ad Deum accedat. Quid hic deſiderat Grotius? *Mihi*, inquit, *aliud plane perſuadent loci duo: alter* 1 Tim. 2. 5. *ubi unus dicitur* μεσίτης *Dei & hominum* (*homo* omiſit Grotius) *Jeſus Chriſtus, qui ſe dederit* ἀντίλυτρον *pro omnibus. Alter vero* Hebr. 9. 15, *ubi Novi Fœderis* μεσίτης *dicitur Chriſtus, ut morte intercedente, ad redemtionem tranſgreſſionum,* (adde, *quæ ſub priori Teſtamento erant*) *vocati, vitam æternam adipiſcerentur. Quibus merito addatur tertius* Hebr. 12. 24. *De quo infra agetur. Apparet hic* μεσίτευμα *ſtatui in ipſa redemptione, aut etiam in iſta.*

Ultima hæc verba, in quibus concluſio antecedentium continetur, vel intelliguntur generatim de mediatoris officio, vel ſpeciatim de eo, quod Chriſto tribuitur. Si generatim, quomodo ex dictis illis, quæ de ſolo Chriſto mediatore loquuntur, concludi poteſt, cujuſvis mediatoris hoc eſſe officium? Quod enim Chriſtus mediator nos redemerit, id ex ſpeciali tum fœderis, ad quod nobiſcum Dei nomine feriendum miſſus fuerat, ratione, tum fœdus illud confirmandi modo, ipſi à Deo injuncto, pependit. Quandoquidem in eo fœdere remiſſio peccatorum, quæ redemptio vocatur ab Apoſtolo, omnibus offertur, idque promiſſum eſt ejus fœderis maxime proprium, ut cap. 1 docuimus. Speciatim etiam Chriſto injunctum fuit, ut non animalis alicujus, ſed ſuo ipſius ſanguine, ſeu morte cruenta, fœdus id ſanciret, & ſic in remiſſionem peccatorum liberationemque noſtram à pœnis, ſeipſum animamque ſuam impenderet. Quod ſi ſpeciatim Chriſti μεσίτευμα intelligit Grotius, nihil id facit ad eam ſententiam convellendam, quod Mediatoris vox nihil aliud in Sacris Literis ſignificet, quam interpretem ac Legatum Dei, ad fœdera cum hominibus pangenda miſſum, per quem populus cognitione voluntatis divinæ inſtructus ad Deum accedat; niſi oſtendatur, vel hujuſmodi interpreti ac Legato non poſſe convenire redemptionem; vel Chriſto redemptionem adſcribi qua mediator eſt ſimpliciter, adeo ut appareat, id ex ipſius μεσιτεύματος abſolute ſumpti natura pendere. Ex quo concludi poſſet, cum Legati atque interpretis hujuſmodi, qualem Socinus deſcripſit, abſolute non ſit redimere, Mediatoris nomen aliquid amplius ſignificare quam hujuſmodi interpretem. Sed neutrum horum probari poteſt. Nam quod ad prius attinet, legatus etiam hujuſmodi, liberationem à pœnis nomine Dei hominibus offerendo, eamque confirmando, & ſic jus ad eam reipſa obtinendam illis concedendo; ac præterea eoſdem movendo, ut conditionem, ſub qua liberatio illa promiſſa eſt, am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

plexi, eam effectu ipſo adipiſcantur, eos dici poteſt redimere; præſertim ſi eam in rem quippiam magni pretii impendat, atque inprimis vitam ac ſanguinem ſuum, quo tempore recte dicetur ſeipſum, aut animam vitamque ſuam redemptionis pretium pro illis dediſſe. Quod ad poſterius attinet, id ex locis citatis non oſtenditur. Imo in primo loco qui extat 1 Timoth. 2. ubi poſtquam dictum eſſet, Chriſtum eſſe mediatorem Dei & hominum, additur, *qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus*, aliquid potius mediatoris voci addi videtur, quod ex ea per ſe non intelligeretur. In loco Hebr. 9. nihil tale dicitur, unde id colligi queat; præſertim, cum non ſimpliciter dicatur Chriſtus mediator ad redemtionem tranſgreſſionum, quæ erant ſub priore Teſtamento, ſed *mediator Novi Fœderis* ſeu *Teſtamenti*, in quo redemptio ſeu expiatio iſtorum peccatorum offertur: ac præterea à fœderibus ad Teſtamenta jam tacite tranſit auctor, & ad ea alludit, ut oſtendat, mortem in hunc finem oportuiſſe intervenire. In tertio loco ne redemptionis quidem vox extat, nec ad eam alluditur, ſed manifeſta eſt alluſio ad ſanguinem illum, quo Moſes antiqui fœderis mediator, ac Dei ad populum Iſraëliticum hac in re internuncius, fœdus iſtud ſanciens reſperſit, & hoc pacto eos fœderi veluti adſcripſit: cujus rei fit etiam mentio cap. 9. paulo poſt verba à Grotio citata. Quod ſi quis velit ea inſpicere, & ſine præjudicio expendere, quæ de divinis his teſtimoniis, & mediatoris appellatione Chriſto tributa diſſeruit Socinus, deprehendet, uti ſpero, manifeſte, eam vocis illius vim eſſe, quam ex Socino attulimus.

Quod ſubjicit Grotius Partic. 43, *vocem non repugnare*, fatemur. Quod vero addit: *Nam ad μεσίτου officium non minus pertinet hominum vice apud Deum fungi, quam Dei vice apud homines:* ſi hoc vult, hoc eſſe proprium mediatoris cujuſvis, mediatoris, inquam, Dei & hominum, ita ut eum officii ratione neceſſe ſit hominum vice fungi apud Deum; dictum negamus. Satis enim eſt, ut à Deo ad homines mittatur, & per eum Deus cum illis loquatur, cum iis fœdus pangat, eoſque ad ſe adducat. Si vero id tantum vult, vocis naturam utrique rei accommodatam eſſe, fierique poſſe, ut is, qui mediator ſit, etiam hominum nomine aliquid apud Deum agat; id illi concedi poteſt. Sed hoc nihil adverſus Socinum, qui uſum hujus vocis in Sacris Literis, quarum fere propria eſt, reſpexit, & non quid fieri poſſit, ſed quid fiat, aut factum ſit, revera conſideravit. Quanquam mediator poſſit etiam hominum vice fungi apud Deum, nec tamen interea aliquem redimere, aut Deo ſatiſſactionem pro ipſo præſtare.

Pergit Partic. 44. *Neque apud ineruditos tantum, ſed & apud eos, qui elegantius loquuntur, μεσίτης dicitur is, qui placat aliquem. Unde Suidas eam vocem, voce εἰρηνοποιοῦ interpretatus eſt.*

Hoc etiamſi concederetur totum, non tamen convelleret id, quod de uſu hujus vocis in Sacris Literis dicimus, de quo nobis unice hic eſt laborandum. Sed Grotius procuidubio reſpexit ad Socini verba, ubi concedit, Chriſtum, quia nos cum Deo conciliarit, & ſic ſtabilem firmamque inter nos & ipſum concordiam conſtituerit, mediatorem dici poſſe, ſed non ſecundum Sacr: Literarum uſum, verum vulgari atque imperito loquendi uſu, quo factum ſit, ut is, qui pacem inter duos quoquo modo conciliet, mediator appelletur. Atque fieri poteſt, ut, quod imperito loquendi uſu receptum fuit, poſtea uſurparetur etiam ab eruditis, qui populo, quem penes arbitrium eſt ac loquendi norma, in vocibus ſolent gratificari; aut ipſi eruditi in vocis hujus uſu, quæ Sacr: Literarum, ut Eraſmus ad Galat. 3. annotavit, fere propria eſt, errarent, eaque ſignificatio, quam in Sacris Literis ea vox habere credebatur, poſtmodum pro genuina propriaque reciperetur. Nam cum ea vox in ſacro codice de Chriſto prope ſolo enuncietur aperte, nec deſint viri docti, qui negare audeant, Moſi eam appellationem tribui; Chriſtus autem, qui nos cum Deo reconciliaſſe in Sacris Literis dicitur, ad Deum nobis placandum inter nos & illum veluti medius interveniſſe creditus fuerit; facile potuit contingere, ut hæc propria iſtius vocis, etiam ab eruditis crederetur eſſe ſignificatio, atque à Scriptoribus Chriſtianis (hos enim Grotium intelligere arbitror) qui elegantius loquuntur, in eum ſenſum uſurparetur. Sed, ut diximus, in eo non multum eſt ſitum, modo de uſu Sacrarum Literarum conſtet. Quis autem ille ſit, à Socino luculenter ſatis eſt oſtenſum.

Alterum, in quod animadvertere libuit Grotio Partic. 45, eſt: *Quod dicat Socinus, perſonæ dignitatem nihil facere ad pœnæ æſtimationem, atque adeo divinam Chriſti naturam, & ſummam ipſius perfectionem ad pœnæ valorem nihil afferre ponderis. Nos vero,* inquit, *aliter credimus: nempe pœnam hanc inde fuiſſe æſtimandam, quod is qui pœnam ferebat, erat Deus, etſi eam non ferebat qua Deus. Huc enim ſpectat illa locutio, qua Deus dicitur acquiſiviſſe Eccleſiam PROPRIO ſanguine*, Actor. 20. 28. *Quomodo & alibi dominus gloriæ crucifixus dicitur.* 1 Cor. 2. 8.

Satis, ut apparet, fuit Grotio, id ex prolixa Socini diſputatione hoc loco excerpere, quod reprehenſioni magis videbatur obnoxium, quodque Socinus nec diſertis verbis pronunciavit, nec acrius urſit; omiſſis interim aliis, quæ apud Socinum ſunt potiora, & fortius ab eo aſſeverantur atque urgentur. Ea vero ſunt, ubi, conceſſo eo, quod perſonæ dignitate pœnæ æſtimatio augeatur, nihilominus oſtendit, quæ paſſus eſt Chriſtus, non æquaſſe illa, quæ nos ob peccata noſtra pati merebamur, ac proinde divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris vere non ſatiſfeciſſe; quia inter hæc & illa nulla fuerit proportio, utpote inter finita & infinita, ſeu temporaria atque æterna, inter unius & innumerorum ſupplicia, & qualitate, ſeu acerbitate atque atrocitate, per ſe multum diſſimilia; præſertim cum ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, infinito fuerint à Deo compenſata præmio, eorumque acerbitas hoc pacto adeo mitigata, ut ea, quæ paſſus eſt, pœnarum nomen ſuſtinere nequaquam poſſint. Quod ſi quis infinitam perſonæ dignitatem urgeat, ob quam fiat, ut quælibet leviſſima Chriſti pœna cuilibet noſtrum graviſſimæ æquiparari poſſit; reſpondet Socinus, ſi id verum eſſet, non opus futurum fuiſſe, ut Chriſtus tam dira pateretur; & Deum tacite injuſtitiæ & immanitatis inſimulari, qui, cum leviſſima Chriſti pœna ju-

ſtitiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtitiæ ipſius ſatiſfaceret, tam atrox ſupplicium de eo ſumpſerit. Hæc, inquam, & alia ſimilia Grotius hic tranſit. Quod ad iſtam ſententiam attinet, quam Grotius hic expreſſit, ſatis indicavit verbis ſuis Socinus, ſe magis de ea ſententia, qua *levis* viri principis pœna æquiparatur *graviſſimæ* hominis plebeji, dubitare, eamque ſuſpectam habere, quam hanc, quæ ei à Grotio diſertis verbis tribuitur, urgere. Tanto autem magis dubitat, cum de pœna à Deo irroganda, idque ex ſeveritatis abſolutiſſimæ præſcripto, agitur: cum apud Deum nullum ſit perſonarum diſcrimen, etiam tunc, cum ejus miſericordiæ eſt locus. Intelligi autem ex Socini dictis facile poteſt, non de quavis æſtimatione ac valore pœnæ ipſum loqui, ſed de ea, pro cujus ratione, vi juſtitiæ, omnino ſit minuenda vel augenda ſupplicii gravitas, etiamſi rigide exigantur pœnæ. Nam cæteroqui ſalva Socini ſententia dici poteſt, majoris eſſe valoris virorum dignitate eminentium pœnas, quam obſcurorum, quatenus ad exemplum, ſceleraque coërcenda plus valent: quo pacto contra etiam plus ſolent nocere ſcelerum exempla à magnis profecta auctoribus; majuſque eſt crimen, quia major, qui peccat: cum interea tamen ſupplicii gravitas eam ob cauſam non ſoleat mutari; neque quia, ſi dignior mulctam ſolvat, plus id valet ad exemplum, quam ſi obſcurior, ideo hic plus, ille minus ſolvere debet. Ad iſtiuſmodi autem valorem, quem Socinus intelligit, id tantum facit, quod pœnæ rationem aliquo modo ingreditur, & in quo nocumentum, quod in pœna ſpectatur, vere conſiſtit. Itaque dignitas ad valorem pœnæ pecuniariæ, aut illius, quæ in corporali afflictione proprie conſiſtit, nihil videtur facere. Unde nec Deus in Lege Moſaica ullam illius rationem habuiſſe aut haberi voluiſſe deprehenditur. Tum demum vim aliquam habere poterit, ſi pœna ipſam hominis dignitatem petat, & in honoris diminutione vel tota, vel pars ejus aliqua conſiſtat, ita quidem, ut ex intentione punientis plus ſit perditurus dignior, quam indignior, etiamſi alioquin idem uterque patiatur. Dico, ex intentione punientis: quia interdum in aliis etiam pœnarum generibus, cum duobus eadem pœna infligitur, alter tamen altero plus damni patitur, idque non ignorante eo, qui pœnam infligit; ut ſi tantundem mulctæ nomine cogatur ſolvere pauper, quantum dives, aut æque gravem corporis afflictionem corporalem ſuſtinere infirmior, atque firmior; aut alias deterior alterius ſit futura conditio: cujus tamen rei non habetur ratio, certe non ſemper. Iſto autem, quem explicuimus, modo, crediderim Socinum non fuiſſe negaturum, dignitate perſonæ augeri pœnæ æſtimationem, &, ſi proportio juſta inter afflictionem corporis & ignominiam queat inſtitui, illi per hanc aliquid poſſe decedere; poſito præſertim eo, quod ob dignitatem tantundem non acceſſerit gravitati criminis, licet ejuſdem, quod indignior commiſerit, quantum eandem ob cauſam acceſſurum eſſet pœnæ, ſi eandem pateretur dignior, quam vilior. Nam ſi dignitatis ratione tantundem accedit crimini, quantum pœnæ, dignitas non efficiet, ut leviori pœna afficiatur dignior ac nobilior, quam obſcurior atque ignobilior. Sed præterea in locis à Grotio de Chriſto citatis nulla habetur ratio pœnæ. Quare nec æſtimationis ac valoris pœnæ, qui ex dignitate perſonæ pendeat, & vi ſua, ſi quid afflictionis gravitati deſit, compenſet. Actor. 20. 28, ſanguinis eatenus fit mentio, quatenus eo impenſo factum eſt, ut nos Dei populus evaderemus, qui antea ab eo fuerimus alienati. Dicitur enim Deus proprio ſanguiue *acquiſiviſſe*, h. e. ſuam feciſſe, Eccleſiam, ſeu homines eos, qui Eccleſiam conſtituunt. Quamquam Syrus interpres, cujus auctoritatem nobis Grotius in hoc libro ſemel atque iterum, cum de ſenſu verborum Sacrar. Literarum ageretur, oppoſuit, pro voce *Dei*, legit *Chriſti*, hoc pacto: *ut paſcatis Eccleſiam Chriſti, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Nec ſane minor, imo major etiam eſſe debet illius auctoritas, cum de lectionis varietate agitur, quam cum de veritate ſenſus aut verſionis. Suſpicionem mutatæ in vulgatis codicibus Græcis lectionis, illud etiam movet, quod Beza notat, in quinque exemplaribus legi κυρίου καὶ θεοῦ: cujus rei cauſas quaſdam affert, ſed ut ipſe ait, tanquam divinans. Quod ſi omnino legendum ſit *Dei*; licet Chriſtus ſit verus Deus, non ipſe tamen, ſed Pater ipſius fuerit intelligendus. Quoties enim vox *Dei* in Sacris Literis ſubjective uſurpatur, & *Deum* aliquid feciſſe dicitur, ut hoc loco accidit, Patrem tantum Domini Jeſu Chriſti deſignat, nunquam vero ipſum Chriſtum. Unde in eadem hac Pauli oratione, Deus ſimpliciter nominatus bis apertiſſime diſtinguitur à Chriſto, verſ. 21, & 24. Dicetur autem ſanguis ille, quo acquiſita eſt Eccleſia, ipſius *proprius*, quia ſanguis fuerit proprii illius filii, quem ipſe, tanquam agnum ſuum, ad acquirendam ſibi Eccleſiam impendit. *Proprium* enim Sacris Literis ſignificat *omnino ſuum*, aut ſimpliciter *ſuum*. Unde Syrus, quemadmodum habet Tremelli verſio, quam paulo ante expreſſimus, nil habet aliud, quam ſanguine *ſuo*. Dicuntur autem Dei eſſe etiam ea, quæ cæteroqui aliorum ſunt, quia ab eo jure dominii poſſideantur. Quo pacto idem Apoſtolus dicit, corpus & ſpiritum noſtrum eſſe Dei 1 Corinth. 6. ult. Ideo autem hoc pacto loquutum fuiſſe Apoſtolum cenſendum erit, ut indicaret, quam chara Deo ſit Eccleſia, quam tanto pararit pretio, quantaque paſtoribus utendum ſit cura, ſtudio & diligentia, in ea paſcenda ac gubernanda. Quod ſi vox *Dei* hoc loco Chriſtum non deſignat, aut non extare cenſenda eſt; non poteſt hinc oſtendi, pœnam, quam Chriſtus ſuſtinuerit, inde æſtimandam, quod is, qui eam ferebat, Deus eſſet, etiamſi tandem pœnæ alicujus hic fieret mentio.

Nec in loco altero, qui extat 1 Cor. 2. 8. mentio fit ullius pœnæ, ſed tantum afflictionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem Apoſtolus *Dominum gloriæ*, hoc eſt dominum glorioſum appellat, non quidem quod eo tempore, cum crucifigeretur, reipſa talis eſſet, ſed quod tum, cum ea ſcriberet Apoſtolus, talis eſſet. Quanquam etiam reſpectu temporis paſſionis ipſius talis dici poterat, quia talis eſſet deſtinatione. Quo pacto dicitur Rex Judæorum, aut Servator Chriſtus Matth. 2. 2, 4. Dominus natus, aut Simeon vidiſſe Chriſtum Domini Luc. 2. 11, 26. h. e. eum, qui Chriſtus Domini & Rex Judæorum evadere debuit: cum eo tempore, quo naſcebatur, aut à Simeone videbatur, talis non eſſet. Neque vero

eo loco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eo loco dominus gloriæ idem eſt quod Deus; intellige natura & eſſentia, quemadmodum intelligere videtur Grotius. Chriſtus enim, quatenus eſt unus ille Dominus, à Deo uno, qui natura talis eſt, diſtinguitur 1 Cor. 8. 6, & Dominus ac Chriſtus factus eſſe dicitur Act. 2. 36. Eum autem in finem ita Chriſtum appellat Paulus, ut magnitudinem ſceleris, quod Principes hujus ſeculi in Chriſtum admiſiſſent, & ignorantiam divinæ ſapientiæ, quam illis tribuit, tanto magis oſtendat & exaggeret; non vero ut doceat, tanto majoris à Deo æſtimatam fuiſſe pœnam, quod Chriſtus Deus eſſet, qui pœnam illam ſuſtinuiſſet. Nullum enim, ne obſcurum quidem eſt indicium, quod Apoſtolum huc reſpexiſſe arguat.

Pergit Partic. 46: *Perſonæ quoque totius, hoc eſt Chriſti dignitas, non parum ad æſtimationem hanc contribuit. Ideo ἐμφατικῶς in Scriptura dicitur ſanguis domini* 1 Corinth. XI. 27, *ſanguis Chriſti* Hebr. 9. 14, *ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei* 1 Joh. 1. 7. *Venit in eandem æſtimationem & perfectiſſima Chriſti innocentia ac ſanctitas. Hinc pretioſus dicitur ſanguis, ut pote agni inculpati* 1 Petr. 1. 19, *alluſione facta ad morem, non Hebræis tantum, ſed & gentibus receptum, ut ſacris adhiberentur pecudes candore præſtantes &c. Eodem & iſta pertinent: Juſtificabit ſervus meus juſtus multos* Eſai. 53. 11. *Eum qui peccatum non novit, fecit peccatum* 2 Cor. 5. 21.

Sed primum cur dicit Grotius, *Perſonæ quoque totius, hoc eſt Chriſti dignitatem* non parum huc facere? an id non pertinet ad totius perſonæ ſeu Chriſti dignitatem, quod in loco modo excuſſo Paulus Chriſtum *Dominum gloriæ* appellat? an quod 1 Cor. XI. Chriſtus ſimpliciter appellatur *dominus*, ad totam perſonam ſeu Chriſtum pertinet, quod vero cap. 2, ejuſd. Epiſt. *dominus gloriæ*, hoc eſt glorioſus dicitur, non ad totam perſonam ſeu Chriſtum, ſed ad partem tantum, ſeu naturam ejus aliquam ſpectat? Unde hoc Grotio conſtat? Dominum aut Deum eſſe non niſi perſonis conveniunt qua talibus, non naturis, quæ perſonæ non ſunt. Propria enim ſunt earum tantum ſubſtantiarum primarum ſive ſingularium, quæ intellectu ſunt præditæ. Hæ vero perſonæ ſunt. Sed deinde, quid dignitas iſta, quæ locis à Grotio citatis exprimitur, pertinet ad æſtimationem pœnæ, cum nulla iſtis in locis fiat pœnæ mentio. 1 Cor. XI. 27, ideo vox *Domini* apponitur voci *ſanguinis*, ut oſtendatur, quam grave ſit illius peccatum, qui panem illum Euchariſticum indigne comedat, & poculum domini bibat: quia Domini ſanguinem, qui ibi adumbratur, & pro quo gratiæ Deo ac Chriſto agendæ ſunt, eo facto, quantum in ſe eſt, profanet, & communem ac vulgarem judicet. Eandem ob cauſam ibidem poculum, *poculum Domini* emphatice vocat, ut à vulgari ſecernat, & haudquaquam indigne uſurpandum oſtendat. Hebr. 9. 14, ſanguis Chriſti, tanquam ſanguis victimæ conſideratur, quod nullam pœnam proprie dictam arguit. Deinde, non tam in voce *Chriſti*, quæ perſonam, cujus hoc nomen ſit proprium, ſimpliciter ſignificare poteſt, ut alibi ſæpiſſime, hoc loco videtur eſſe emphaſis, quam in ſequentibus: *qui per ſpiritum æternum obtulit ſe irreprehenſibilem Deo.* Quibus verbis Domini Jeſu immortalis vita ſignificatur, per quam fit, ut non modo ſpe firma immortalitatis concepta repurgemur ab ipſorum peccatorum ſordibus, verum etiam ipſe Chriſtus in perpetuum pro nobis intercedere poſſit, & peccatorum noſtrorum pœnas auferre. Vide cap. 7, ejuſd. Eph. 5. 16, 24 & ſeqq. Johannes 1 Epiſt. 1. 7, ſanguinem Chriſti partim ut ſanguinem victimæ, partim ut ſanguinem Fœderis conſiderare videtur. Qua in re nulla pœnæ habetur ratio. De loco Petri jam ante ſat copioſe actum eſt, unde conſtare poteſt, nec ibi pœnæ haberi rationem. Verba Eſaiæ cap. 53. 11, loquuntur de re, quæ mortem Chriſti eſſet conſequutura: nec ſimpliciter ibi dicitur: *Juſtificabit ſervus meus juſtus multos*, ut Grotius citavit locum, ſed expreſſe additur, eum id facturum *ſcientia ſui*, non pœna, quam pro illis ſit laturus. Juſtus autem ideo ibi dicitur Chriſtus, ut eo ipſo tacite indicetur, quale futurum eſſet ejus ſemen, de quo Propheta proxime fuerat loquutus, ſeu quales futuri eſſent, quos Chriſtus ſcientia ſui juſtificaturus eſſet, (hi enim iidem ſunt ſemen illud Chriſti) nempe juſti, quemadmodum ipſe Chriſtus juſtus eſt. Unde intelligi vult, eos merito Chriſti ſemen fuiſſe appellatos. Simili enim ratione de Deo argumentatur Johannes 1. Epiſt. 2, ult. De loco 2 Cor. 5. 21, actum * eſt cap. 1, fuſe, ubi oſtenſum eſt, pœnæ proprie dictæ nullam ibi fieri mentionem. Quapropter nec deſcriptio illa Chriſti, *qui peccatum non novit*, ad æſtimationem pœnæ affertur, ſed ad oſtendendam magnitudinem charitatis erga nos divinæ, quam ex morte Chriſti oſtendere vult Apoſtolus.

Subjicit Grotius: *Quod autem Socinus argumentatur; quia divinitas ipſa non patiatur, ideo hanc in pœnæ conſiderationem non venire, perinde eſt ac ſi dicas, nihil referre privatum an Regem, item ignotum an patrem verberes, quia verbera in corpus dirigantur, non in dignitatem aut cognationem; cui craſſo errori jam dudum occurrit Ariſtoteles.*

At non ita concludit Socinus: Divinitas Chriſti non eſt paſſa, Ergo in pœnæ conſiderationem non venit. Sed: Ergo paſſio ipſius ex eo, quod Deus æternus fuerit, vim infinitam non habet. Cum autem *vim* nominat Socinus, non ſimpliciter valorem atque æſtimationem, de qua Grotius loquitur, intelligit, ſed virtutem atque efficaciam quandam occultam, quam paſſio habeat ad ſatiſfaciendum. Diſtinguit enim ibi manifeſte vim à dignitate, & de utraque ſeparatim docet, eam perpeſſioni Chriſti non ineſſe tantam, ut ea pœnas univerſas, quas nos peccatis noſtris merebamur, compenſet. Exempla ergo Grotii, aut inſtantiæ, in quibus de æſtimatione ac valore actionis, non de virtute ejus aliqua, aut vi occulta agitur, ad rem non pertinent. Nec craſſum Socino Grotius objeciſſet errorem, ſi ejus dicta melius expendiſſet. Quod ſi nihilominus putat, rationem conſequentiæ in argumento Socini nullam eſſe, ad ea reſpondere debuit, quæ Socinus ad illius probationem attulit.

Tandem objicit Partic. 47: *Commune etiam judicium à Socino diſſentit. Nam populi, quorum inſtituta maxime laudantur, pœnas æſtimarunt ex perſonarum*

* Cap. 1. partic. 60.

dignita-

dignitate, & attributis aliis. Quare ex Romanorum Legibus, quas conſtat æquitatis eſſe pleniſſimas, pœna variantur pro conditione perſonarum, atque ea vera æqualitas creditur, ſi inæquales inæqualia patiantur. Quod probat legibus ex Jure Romano allegatis; neque aliter ſtatuiſſe gentes alias ſapientiæ nomine celebratas, ab aliis abunde demonſtratum aſſerit.

Quatenus Socinus vel negare, vel admittere videatur, pœnas æſtimari ex perſonarum dignitate, antea diximus. Quod ſi aliter ſentit Grotius, & Leges inſtitutaque gentium nobis opponit; nos illi longe juſtius Leges Moſaicas opponimus, in quibus diſcrimen illud neglectum fuiſſe apparet. Æquum enim eſt divina præferre humanis, ea, quæ omni iniquitatis ſuſcipione carent, iis, in quæ ſuſpicio illa cadit: idque hic tanto magis, quod de pœna à Deo inflicta quæritur.

RESPONSIO

Ad Cap. IX. quod inſcripſit Grotius:

Quid ſit Chriſtum pro nobis eſſe mortuum.

SCribit igitur Grotius Partic. 1: *In tertia claſſe poſuimus ea teſtimonia, quæ ſubrogationem indicant, ut cum Chriſtus dicitur pro omibus mortem guſtaſſe* Hebr. 2. 9, *mortuus pro populo* Joh. XI. 50. *Paſſus pro nobis* 1 Petr. 2. 21, *pro nobis impiis & peccatoribus mortuus* Rom. 5. 7, 8, *unus pro omnibus mortuus* 2 Cor. 5. 14. *Receptum eſt in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut paſſus eſt vice ac loco alterius, id pro illo paſſus aut feciſſe dicatur. Sic apud Terentium eſt: Pro illo te ducam: Ego pro te molam. Neque hæc phraſis perſonis tantum accommodatur, ſed & rebus. Dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur ponitur, aut habetur.*

Hic ne verborum ambiguitas cuiquam imponat, exponenda eſt primum ſignificatio vocis *ſubrogationis*, qua Grotius utitur. Subrogatio autem, de qua agimus, nihil eſt aliud quam ſubſtitutio unius in locum alterius; & cum ad perſonas reſtringitur, commutatio eſt perſonæ, re aut ſtatu, ſive loco, in quem perſona altera reponitur, manente eodem. Hoc ſi ad perpeſſiones transferatur, is dicetur pro altero ſubrogatus, qui id, quod alteri ferendum erat, ipſe ſuſtinet, altero interea ab illa perpeſſione liberato. Hoc ipſum ſignificari ſolet, cum quis *vice* aut *loco* alterius quippiam dicitur perpeſſus. In hoc ſignificatu ſi Grotius hæc vocabula ſumit, Socino vere contradicit, nec Socino tantum, ſed ipſi quoque veritati, cum Chriſtum pro nobis ſubrogatum, aut vice ac loco noſtri paſſum aſſerit. Nam id, quod nos pati merebamur, erat mors æterna, quam Chriſtus nec ſuſtinuit, nec ſuſtinere, decreto divino obſtante, potuit; & ſi ſuſtinuiſſet, nos ab æterna morte non fuiſſemus liberati, quæ tamen ſola ejus rei ſuſcipiendæ fuiſſet cauſa. Vide Actor. 2. 24. 1 Cor. 15. 17, 18. Rom. 4, ult. Ab eo vero, quod Chriſtus paſſus eſt, hoc eſt morte violenta, nos haudquaquam liberati ſumus; imo eum in finem Chriſtus eſt mortuus, ut nos ejus veſtigia ſequuti, eadem pateremur, & alii pro aliis poneremus animas 1 Petr. 2. 21. Heb. 12. 1, 2, 3. Rom. 8. 17. 2 Tim. 2. 11. 1 Joh. 3. 16. Adde quod ubi vera eſt ſubrogatio, is, in cujus locum alter ſuccedit, ipſo facto liberatur, aut pati deſinit id, quod alter ipſius loco facit aut patitur. Alias non in ipſius locum ſucceſſiſſet alter, ſed una cum illo idem faceret aut pateretur. At nos Chriſti morte non liberati ſumus protinus: imo infiniti homines, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, pereunt, & quidem jure. Sin vero id tantum vult Grotius, Chriſtum ſuſtinuiſſe aliquid ſimile ei malo, quod nos ferre merebamur, idque eum in finem, ut nos ab iſto malo, quod merebamur, liberaremur, quod niſi factum eſſet, nos non fuiſſemus liberati, quemadmodum inferius ipſe rem hanc explicat; ſententiam Socini haudquaquam oppugnat. Fatetur enim id Socinus ultro, lib. 2. cap. 8, quem locum Grotius hic oppugnat, & nos idem tum alibi tum ſuperiori capite docuimus.

Argumentatio autem Grotii, quæ in his ipſius verbis continetur, conſequentis fallacia laborat. Ita enim, ſi ad rem loquutus cenſeri debet, argumentatur: Cum aliquis aliquid fecit aut paſſus eſt vice aut loco alterius, id pro illo paſſus aut feciſſe dicitur. Ergo vice verſa cum quis dicitur aliquid pro altero paſſus eſſe aut feciſſe, id vice aut loco alterius fecit aut paſſus eſt. Hac enim enunciatione opus eſt Grotio, ſi ex eo, quod Chriſtus pro nobis paſſus aut mortuus dicitur, evincere velit, eum vice aut loco noſtro paſſum aut mortuum: quæ tamen enunciatio univerſaliter ſumta minime admittenda eſt, cum particula *Pro* ſæpe ſumatur aliter, ut fatetur Grotius infra, & nos cap. 1, docuimus. Quod ſi non tam ex vi particulæ *pro* id velit concludere, quam ex locorum circumſtantiis, quomodo id præſtet, poſtea videbimus.

Pergit Partic. 2: *Declinat hanc interpretationem Socinus ambiguitate voculæ* pro, *quæ ſæpe utilitatem duntaxat alterius ſignificat: quod de Latina voce verum eſt, ut & de Græca* ὑπὲρ. *Sed vocula* ἀντὶ, *quæ reperitur apud* Matth. cap. 20. 28, & Marc. 10. 45, *hanc ſignificationem plane repudiat & commutationem requirit.* Id quod aliquot exemplis è Scriptura petitis comprobare nititur. Quibus addit: *Quoties vero perſonis applicatur ea particula, ſignificat alterum ſucceſſiſſe in locum alterius. Sic Archelaus in Judæa regnaſſe dicitur* ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *hoc eſt ipſi in regnum ſucceſſiſſe* Matth. 2. 22. *Sic Petrus jubetur dare ſtaterem pro ſe & Chriſto* Matth. 17. 27, *quia ipſe unus in actione duorum vicem ſuſtinebat. Neque aliter apud profanos ſcriptores* εἷς ἀντὶ πολλῶν, *& ſimilia.*

Commutationem nos una cum Socino in hoc negotio agnoſcimus, eamque aliqua ratione duplicem. Altera ea eſt, quam paulo ante explicuimus, ſubrogationi ſimilem: eſtque commutatio perſonæ patientis, perpeſſionis tamen genere, ſeu mavis ſpecie, ſimul mutata. Quamquam nec commutatio perſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

næ intelligitur actu ipſo quoad nos facta, ſed intentione Dei ac Chriſti. Quia nos actu ipſo, cum Chriſtus mortem temporariam ſubiit, liberati à morte æterna non ſumus, ſed in eum finem Chriſtus mortem illam ſubiit, ut nos ab hac liberaremur. Atque hanc commutationem Socinus particula ὑπὲρ, iis in locis, ubi Chriſtus pro nobis mortuus dicitur, ſignificari haud negat, vel ſaltem id, quod reipſa idem eſt: ut cum dicit, ſalutis noſtræ æternæ cauſa Chriſtum eſſe mortuum: (neque enim, ut infra dicetur explicatius, omnibus in locis, ubi de morte Chriſti pro nobis ſuſcepta ſermo eſt, neceſſe eſt commutationem illam inſignite intelligere) etiamſi dicat, eam particulam ibi non ſignificare *vice* aut *loco*. Particulas enim illas *vice* aut *loco* eo modo accipit, quo nos paulo ante indicavimus, cum de ſubrogatione egimus. Neque refert, quod interdum generalioribus vocibus in explicanda particulæ iſtius ſignificatione utitur: ut cum dicit, ea cauſam finalem, aut utilitatem ſignificari, aut *pro nobis* eſſe noſtri cauſa; cum Sacræ Literæ quoque interdum laxiorem ſua natura voculam pro ea ſubſtituant, nempe *propter*, eodem manente ſenſu. Conferantur inter ſe loci ſimilimi Rom. 14, 15, & 1 Cor. 8. 11: quod enim in priori dicitur, ne cibo tuo illum perdito *pro quo Chriſtus mortuus eſt*: id in poſteriori ita effertur, & peribit infirmus frater ob tuam ſcientiam, *propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Sed cum paulo ſpecialius ac plenius vim illius particulæ explicat Socinus, ſatis indicat, ejuſmodi commutationem, qualem expreſſimus, ſeſe in hoc negotio agnoſcere, & eam, præſertim in quibuſdam locis, ubi circumſtantiæ magis id requirere videntur, ea particula ſignificatam oſtendit. Nam præterquam quod ſub initium fere ejus capitis, in quo de ejus particulæ vi diſputat*, ait: *Is vere & proprie pro aliquo mori videtur, qui morte ſua illum in vita conſervat. Chriſtus morte ſua ex morte æterna nos eripuit, & in ſempiternam vitam tranſtulit*; idem apertius docet, explicans verba Cajaphæ Joh. XI. 50, de Chriſto pronunciata. Ait enim, *eum nihil aliud ſibi voluiſſe, quam cum aut ipſi perituri eſſent, ſi Chriſtum vivere permitterent, aut Chriſtus occidendus foret, ſi ipſi ſalvi eſſe vellent, ſatius eſſe Jeſum ſolum mori, & univerſum populum conſervari, quam univerſum populum perire, & Jeſum ipſum vivere.* Et addit: *Atque hæc Cajaphæ mens optime per typum ad ſalutem noſtram accommodari poteſt. Nam cum non niſi morte Chriſti interveniente, nos ſalvi eſſe poſſemus, ſatius fuit ipſum mori, & nos omnes ſervari, quam ipſum vivere, & nos omnes perire.* Et quæ ſequuntur. Altera commutatio, quam in hoc negotio agnoſcimus, etſi cum hac, quam modo diximus, quod ad rem ipſam attinet, eadem eſt, ratione tamen quadam ab ea eſt diverſa. Eſt autem ejuſmodi, qualis eſſe ſolet inter pretium, & rem perſonamve illam, quæ emitur, aut redimitur: ubi pretium datur, & res perſonave illa viciſſim recipitur. Pretii enim non eſt ſubire conditionem ſimilem ei, quam perſona empta aut redemta fuiſſet ſubitura, quod in priori commutatione ſignificatur. Atque hæc poſterior commutationis ratio intelligitur in duobus iſtis, quos Grotius ex Matthæo & Marco citat, locis, in quibus eſt particula ἀντὶ: idque Socinum agnoviſſe, verbis ipſius ſuperiori cap. citatis oſtendimus, & paulo poſt denuo oſtendendum erit. Subrogationem veram, à nobis antea definitam, quæ commutationis ſpecies eſt, iis locis non intelligi, Socinus ea docuit ratione, quod alias oportuiſſet animam Chriſti captivam remanere. Captivitas enim perpetua erat, ſeu mortis æternæ ſervitus, ex qua nos Chriſtus redemit. Quare ſi anima Chriſti in locum noſtrum vere fuiſſet ſubſtituta, hanc captivitatem ac ſervitutem, eam ſubire neceſſe fuiſſet. Neque vero admittendum eſt, quoties vox ἀντὶ perſonis applicatur, eam ſignificare, alterum ſucceſſiſſe in locum alterius, eique ſubrogatum eſſe. Nam, ut ſuperiori etiam cap. docuimus, cum captivi inter ſe permutantur, datur unus pro altero, εἷς ἀντὶ τοῦ ἑτέρου, nec tamen alter in alterius locum ſuccedit, hoc eſt, vice alterius captivus evadit, ſed uterque liberatur. Atque hoc inprimis tum accidere cenſendum eſt, cum eadem eſt perſonarum & rerum aliarum, quæ pro perſonis dari ſolent, ratio, quemadmodum in redemtione captivorum accidit. Perinde enim eſt, ſive pretium, ſive captivus pro captivo reddatur. Pretium autem commutatur quidem cum captivo, ſed ei non ſubrogatur. Deceptus videtur Grotius eo, quod putavit, in locis controverſis agi de commutatione inter ipſum Chriſtum & nos, quaſi ſenſus ſit, Chriſtum, cum nos animas noſtras eſſemus daturi, loco noſtri ſuam animam dediſſe. Atqui verba unumquemque ſatis monent, commutationem hic indicari inter λύτρον, quod eſt anima ſeu vita Chriſti, & inter nos tanquam captivos: commutationem, inquam, inter rem & perſonas: qua ratione etiam ſanguis Chriſti, per quem nos Petrus ait redemtos, eaque in re illum cum argento & auro comparat, poſſet dici datus ἀντὶ πολλῶν. Quis vero dixerit, aurum & argentum pro captivo, ſanguinem Chriſti pro nobis ſubrogatum, aut in locum noſtrum ſucceſſiſſe? Atqui hac in parte ſimiles ſunt hi loci ei, quem Grotius adduxit ex Matth. 17. 27, ubi Petrus jubetur dare ſtaterem pro ſe & Chriſto. Neque enim, ut Grotius arbitratus eſt, vera ſubrogatio per particulam ἀντὶ ſignificatur, quaſi Petrus in ſuum & Chriſti locum fuerit ſubſtitutus & ſubrogatus, (quis enim loco ſui ipſius ſubrogatur?) ſed commutatio quædam indicatur inter rem dandam & inter perſonas, hoc eſt inter ſtaterem, & Chriſtum ac Petrum. Eſt enim ibi ſermo de pecunia ea, qua redimi ſolebant animæ Iſraëlitarum, de qua legimus Exod. 30. 12 & ſeqq. ut Socinus de vi particulæ ἀντὶ diſputans innuerat. Quanquam, ſi Bezæ credimus, ne hoc quidem eſt neceſſe, ut ἀντὶ hoc loco vim ſuam conſuetam ac propriam retineat: quia poſſit idem ſimpliciter ſignificare quod ἕνεκα vel ὑπὲρ id eſt *cauſa*, *pro* aut *propter*. Sic namque ad hunc locum notat: *Pro*, ἀντὶ, *id eſt*, ὑπὲρ. *Nam proprie* ἀντί τινος *ſignificat loco aut vice alicujus.* Quod ita accipiendum eſt, ac ſi dixiſſet, ἀντὶ hic non ſumi proprie, ſed pro ὑπὲρ: quod ſequentia indicant. Nam hoc non contentus, videre lectorem jubet locum Marc. 10. 45, cui reſpondet ille Matth. 20. 28, de quibus teſtimoniis hic agimus. Ibi vero Beza duplicem ſignificationem particulæ ἀντὶ agnoſcit, priorem eam, quam vult Grotius; alteram eam quam Grotius repudiat. Ac de poſteriori quidem ſic ſcribit. *Vel*

pro

* Libr, 2. cap. 8.

pro multis, *id eſt, multorum cauſa, ut* ἀντὶ *pro* ὑπὲρ *vel* ἕνεκα *ponatur: veluti cum dicimus* ἀνθ' ὧν, *id eſt,* ὧν ἕνεκεν, *quomodo etiam accipitur* Matth. 27. 27. Qua in re alios quoque viros * doctos Bezæ video aſſentiri, qui & in his, & in aliis quibuſdam locis ἀντὶ pro ὑπὲρ accipi, & commodum utilitatemque ſignificari ſcribunt, & contrarium ejus, quod Grotius hic ad eo urget, ſentiunt: non ſine probabili ratione, quam Beza attulit, quod ἀντὶ pro ἕνεκα interdum ſumatur, id quod etiam in Sacris Literis occurrit. Nam præterquam quod voculæ ἀνθ' ὧν, quas ipſe ad hujus rei probationem adduxit, ſignificant *propterea quod,* ſeu *idcirco quod*, Luc. 1. 20. 19. 44. id ipſum quoque demonſtrat collatio locorum Matth. 19. 5. & Epheſ. 5. 31. Quod enim Matthæus in verbis Moſis à Domino Jeſu repetitis dicit ἕνεκεν τούτου, id Paulus reddit, ἀντὶ τούτου. Nec ſane aliam ibi ſignificationem habet ἀντὶ, quam *propter*, *cauſa*. Dubium ergo eſt, imo falſum, quod Grotius ait: vocem ἀντὶ ſignificationem hujuſmodi plane repudiare, & commutationem requirere. Quod ſi ne commutationem quidem neceſſario poſtulat, quam tamen nos hic libenter agnoſcimus, quomodo ſubrogationem inde concludet?

Sed ait Partic. 3: *Conſtrictus hic Socinus, negare non audet illo* ἀντὶ πολλῶν *commutationem quandam indicari: ſed miſere effugium quærit. Cum de redemptione agitur*, inquit, *locus eſt iſti præpoſitioni* ἀντὶ, *etiamſi captivus nihil pro redemptione debeat. Verum hoc eſt, ſed præter rem: non enim ex voce* ἀντὶ *directè inferimus ſolutionem: ſed inde colligimus vice noſtra Chriſtum mortuum, h.e. niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos fuiſſe morituros, & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non morituros morte æterna.*

Ita loquitur Grotius, ac ſi commutationem hic non libenter agnoſceret Socinus, quam agnoſcit libentiſſime. Neque vero Socinus eſt, qui miſere quærat effugium, aut præter rem loquatur, ſed Grotius is eſt, qui prætermiſſis iis, quæ Socinus ad ipſius objectionem ſolvendam attulerat, verba ad aliam quandam objectionem diluendam ab ipſo prolata, præter ipſius mentem alio detorquet. Ita enim agit Grotius, ac ſi Socinus adverſariis contendentibus, vocem ἀντὶ in hoc negotio ſubrogationem denotare, reſponderet: Cum de redemptione agitur, locum eſſe præpoſitioni ἀντὶ, etiamſi nihil pro redemptione debeat captivus; quo nihil eſt à mente Socini aliénius. Nam primo docet Socinus, non poſſe in locis Matth. 20. 28. cui reſpondet ille Marci 10. & Tit. 2. 14. vocem *Pro* vere ſignificare *vice* ſeu *loco*, cum de redemptione in illis agatur. Alioqui enim Chriſtum vice noſtra captivum remanſurum fuiſſe: ſed cauſam finalem aperte ſignificare; quod qualem vim habeat in noſtra redemptione, per ſuperiora abunde demonſtratum ait. Poſtea ſubjicit: *Sed inſtabit fortaſſe aliquis, & dicet, in Matthæi loco* (cap. 20. 28.) *eſſe Græcam præpoſitionem* ἀντὶ, *quæ quamvis aliud poſſit ſignificare quam Vice ſeu Loco; tamen in ſimilibus locutionibus, ut iſta eſt, Dare animam ſuam redemtionem pro multis, ſignificet debitum aliquod præceſſiſſe quod perſolutum fuerit. Ut apud eundem* Matth. cap. 17. Da eis pro me & te. *Ubi Pro in Græco eſt* ἀντὶ. *Illud enim, quod Chriſtus ibi Petrum dare jubet, debebatur ab unoquoque Iſraëlita, qui vigeſimum annum expleviſſet*, Exod. 30. 13. *Sed animadvertendum eſt (ut alia multa, quæ reſponderi poſſent, omittam) in Matthæi loco, de quo controverſia eſt, agi, ut dictum fuit & apertum eſt, de redemtione, de qua cum quis loquitur, locus eſt præpoſitioni* ἀντὶ, *etiamſi captivus nihil pro ſua redemtione ei debeat, qui ipſum captivum detinet. Nimirum propter commutationem illam, quæ in omni redemtione fit. Pretium enim redemtionis datur, & captivus recipitur. Et ſane in redemtione noſtra per Chriſtum facta, licet, ut ſupra docuimus, metaphorica, hæc commutatio facta eſt, quod Chriſtus animam ſuam, ut in loco iſto dicitur, dedit, & nos recepit, id eſt, è peccati ſervitute liberatos ſibi aſſeruit.* Ex quibus apparet, longe aliam fuiſſe objectionem, ad quam Socinus in verbis à Grotio prolatis reſpondet, quam fuit ea, quam Grotius hactenus urſit: ad hanc autem Socinum in præcedentibus jam reſpondiſſe, quam reſponſionem Grotius non attingit. Imo in his verbis hoc ipſum, quod Grotius negat, tanquam ab adverſario conceſſum, ſumitur, nempe præpoſitionem ἀντὶ aliud poſſe ſignificare quam Vice & Loco, quod Bezam & alios fateri ac demonſtrare paulo ante docuimus. Animadvertendum autem & illud eſt, non ſimpliciter aſſerere Socinum, cum de redemtione agitur, locum eſſe præpoſitioni ἀντὶ, *etiamſi captivus nihil debeat*, licet & hoc veriſſimum ſit; ſed addere, *ei, qui ipſum captivum detinet*, quod in noſtræ redemtionis negotio non parvi eſſe momenti, tum ſuperiori capite oſtenſum eſt, tum paulo poſt patebit. Quod vero ait Grotius, iſta ſua verba, *Chriſtum vice noſtra mortuum*, explicans, *niſi Chriſtus fuiſſet mortuus, nos fuiſſe morituros, & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non morituros morte æterna*; id nos etiam admittimus, ſed ad veram & propriam iſtorum verborum, quæ explicat, vim id ſufficere non arbitramur, ob cauſas Partic. 1. explicatas, ob quas ſubrogationem, quam particula *vice* indicari ipſemet vult, in hoc negotio non admittamus. Quod ſi tamen Grotius omnino contendat, id, quod dixit, ad vim particularum *vice* aut *loco* exprimendam ſufficere; jam conſtare illi poteſt, nos rem ipſam agnoſcere, & ſe, dum hæc contra nos urget, injuriam nobis facere, dum aliter nos ſentire non obſcure indicat. Sumimus autem hoc loco pro conceſſo, Grotium in poſteriori verborum ſuorum parte, quæ eſt: *quia Chriſtus mortuus eſt, nos non morituros morte æterna*, conditionem tacite includere, nec ſimpliciter ea verba intelligere. Ipſemet enim tum alibi, tum inprimis cap. 6 docuit, mortem Chriſti nos ipſo facto à pœna non liberare, ſed præter ipſius Dei actum, qui ad eam rem ſit neceſſarius, noſtram quoque fidem accedere oportere.

Rationem Grotii Partic. 4, quia rem ipſam agnoſcimus, præterire poſſemus, ſed ea infirma eſt. Neque enim vox ἀντὶ *juncta perſonæ & verbo* δοῦναι *omnino requirit, ut perſona in genitivo indicata, in genere aut ſpecie datura fuerit, quod nunc alius dedit.* Falſus nempe eſt in eo Grotius, quod putavit hujuſmodi phraſin ſemper ſignificare commutationem perſonarum, quarum altera dare quippiam debuerit, altera ejus loco dederit: cum ea poſſit etiam ſignificare commutationem pretii & perſonæ ejus, pro qua illud

* Johan. Scay.

dari dicitur. Poteſt enim perſona illa, quæ genitivo caſu effertur, habere rationem rei emptæ vel emendæ, & ſic inſtar mercis alicujus, pro qua pretium perſolvat quiſpiam, ut eam viciſſim recipiat, conſiderari. Nam etiam cum de merce ſeu re emenda eſt ſermo, locus eſt præpoſitioni ἀντὶ, propter commutationem illam, quam diximus, mercis ac pretii; quo pacto in loco ſupra à Grotio citato Hebr. 12.16 dicitur, Eſaum vendidiſſe jus primogenituræ *ἀντὶ βρώσεως μιᾶς*, *pro edulio uno*. Jam vero in redemtione omni, is, qui redimitur, & qui genitivo exprimitur particulæ ἀντὶ ſubjuncto, rationem habet rei emendæ, (inde enim dicitur *redimi*, & ἐξαγοράζεσθαι) & eatenus ἀντὶ αὐτοῦ dicitur aliquid dari. Quare ἀντὶ non tam à verbo δοῦναι ſeu *dandi* pendet, quaſi indicetur, dantis perſonam commutari, quam ex voce λύτρου ſeu *pretii*, quam Grotius phraſin hanc poſtea repetens omittit; cum tamen hæc & ordine verborum & ſententia ita cohæreant, λύτρον ἀντὶ πολλῶν h. e. *pretium redemtionis pro multis*, non vero *dare pro multis*. Itaque commutatio hoc loco indicatur inter animam Chriſti, quæ λύτρον illud eſt, & nos, qui multorum iſtorum nomine intelligimur; quæ commutatio eſt non perſonæ dantis, & ejus, quæ dare debuerat; ſed pretii, ac perſonæ redemptæ ſeu viciſſim receptæ. Poteſt autem per accidens fieri ut λύτρον etiam ſit perſona, & ſic perſonarum fiat permutatio in redemtione: ut cum captivi inter ſe permutantur ab hoſtibus; quorum tamen alter non dat aut patitur id, quod alter daturus aut paſſurus fuerat, ſed uterque liberatur.

Quod ſubjicit Partic. 5. *Neque refert, jurene ut in nexo ob debitum, an injuria, ut in capto à prædonibus*, id nihil adverſus Socinum facit, ut antea vidimus. Quod vero ait: *Hoc poſito, futurum ſcilicet ut nos morte afficeremur, ni mortuus eſſet Chriſtus, ſolutionem deinde recte colligi ex ipſa rei natura*; id nos negamus. Nam quod ad iſtius rei probationem affert, rem non conficit. Id vero eſt: *Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure. Non injuria, mortem enim commeriti eramus. Jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipſum alter à debito liberetur, eſt ſolvere aut ſatiſfacere.* Id enim, quod ultimo loco ſumit, verum non eſt, niſi ei ipſi detur, cui debetur, vel (quod eodem recidit) alicui alii, ipſius nomine aut juſſu; & id, quod datur, vere debitum illud compenſet. Alias enim dari ſive impendi poteſt aliquid, ut per id alter à debito liberetur, quod tamen nemini ſolvatur, nedum ipſi creditori; aut ſua vi debitum nequaquam compenſet, adeoque ſatiſfactionem veram haudquaquam arguat. Nam ut de poſteriori prius dicamus, poteſt quis dare alicui id, quod alioquin ipſi debuiſſet præſtare, etiamſi alterum illud debitum, à quo liberari cupit, non extitiſſet, adeo ut debitum iſtud præſtatione illa nequaquam compenſet; fieri etiam poteſt, ut inter id, quod datur, & debitum, nulla ſit vera proportio, aut id, quod datur, abunde compenſetur à creditore, adeo ut ea ratione nihil ipſi accedat, cum tantundem, quantum acceperat, reddiderit, vel etiam longe amplius. Quod ad prius attinet, poteſt dari quippiam atque impendi in liberationem alterius, vel ut per id ſpes certa liberationis fiat debitori, & ſic jus illi acquiratur ad eam conditione præſtita obtinendam; vel ut id exiſtat, unde creditor liberationem à pœna voluit pendere, quale eſt in hoc negotio, partim æternum Chriſti regnum ac ſacerdotium; partim ſides atque obedientia noſtra, quæ conditio eſt ad liberationem actu obtinendam neceſſaria. Atqui hujuſmodi datio vel impenſa ad liberationem alterius à debito comparata, ſolutio non eſt nec ſatiſfactio vera, de qua diſputamus. Alioqui fruſtra Grotius ſatiſfactionem nobis hoc libro conaretur oſtendere: cum nos iſtiuſmodi dationem atque impenſam ultro agnoſcamus, neque in voce ſatiſfactionis difficiles ſimus. Non commemoro illud, quod poſſit aliquid dari alii cuipiam præter creditorem, qui poſtea, quacunque tandem ratione, à creditore liberationem à debito impetret alteri. Quod ſi Grotius vim ponit aliquam in vocibus illis, *ut per id ipſum* alter à debito liberetur, quibus ſignificare velit, tale ſe impendium intelligere, per quod ſtatim, nulla alia re accedente aut interveniente, liberatio conſequatur; ne alia quædam ex dictis nunc repetam; tale fuiſſe impendium iſtud, quod ad liberationem noſtram intervenit, ne ipſius quidem Grotii ſententiæ ſatis eſt conſentaneum, ſed multo minus veritati. Qua de re diximus nonnihil paulo ante Partic. 3. & cap. ſuperiori Partic. 35. Animadvertendum autem hoc loco etiam illud eſt, quod ſuperiori cap. jam indicavimus, etiamſi mors, à qua nos Chriſtus anima ſeu vita ſua data liberavit, ſit debitum: eam tamen in redemptionis noſtræ negotio ad quod reſpicit phraſis δοῦναι ἀντὶ πολλῶν apud Matth. & Marcum, quam hactenus urget Grotius, non conſiderari revera ut debitum, ſed per proſopopœiam quandam ſuſtinere partes ejus hoſtis, qui nos captivos tenuerit, & ex cujus poteſtate fuerimus pretio liberati. Quare creditor, cui nos mortem illam proprie debuerimus, in conſiderationem hic non venit, adeoque nec ſolutionis aut ſatiſfactionis ipſi præſtitæ habetur ratio; quemadmodum nec ibi, ubi de redemtione ex ſervitute peccati, cujus nullus eſt creditor, nec nos debitores, ſermo eſt, ex qua tamen eodem ſanguinis Chriſti pretio liberati ac redempti ſumus. Ex quo apparet, illud nullam hic vim habere, quod Grotius abſque neceſſitate probat, nos mortis debitores fuiſſe, h. e. nos *mortem debuiſſe* (ita enim ejus verba capio, non vero ut ſignificent, nos *morti quippiam debuiſſe*, quod falſum foret & abſurdum) neque illud, unde hoc deducitur, nos jure fuiſſe morte afficiendos; licet id alioqui verum ſit. Poſtquam enim Deus jure ſuo, quod habebat ad mortis pœnam nobis irrogandam, ſub conditione ceſſit, atque ut ea conditio exiſteret, & ſic nos à morte liberaremur, vehementer deſideravit, omniaque eo pertinentia fecit, ac filium ſuum chariſſimum eam in rem impendit; mors recte conſiderari potuit citra rationem debiti aut pœnæ, quam Deus jure ſuo eſſet repetiturus, & ſpectari tanquam hoſtis quidam noſter, imo etiam Chriſti, & ipſius Dei, qui nos per injuriam jam detineat, quatenus nimirum Dei deſiderio, ſaluti noſtræ ſempiternæ incumbentis, adverſatur. Quod ſi quis nolit concedere, morti in hoc negotio tribui partes perſonæ

nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nos detinentis, ſed ipſius potius captivitatis, è qua fuerimus exempti, rationem habere dicat; vel nihil hac in parte erit, quod perſonæ captivum detinenti reſpondeat, metaphora atque ſimilitudine minus plena; vel Peccatum, cujus ſtipendium ac merces, quod mancipiis ſuis perſolvit, mors eſt Rom. 6. 16, uſque ad fin. cap. 7. 14, ejus perſonæ locum occupabit; cum ejus ſervi, eique venundati fuiſſe in Sacris Literis dicamur Hebr. 2. 14: vel denique is, qui mortis, ſeu mortiferum habet imperium, h. e. Diabolus, qui nos per peccatum in mortis vinculis detinuit, quem Chriſtus per mortem ſuam abolevit, & hoc pacto ex illius ſervitute & captivitate nos exemit. Quare cum & ab initio cap. 8. & alibi conceſſimus, redemptionem noſtram eſſe liberationem à pœna commerita, materialiter, ut in Scholis loquuntur, pœnam commeritam accepimus, non formaliter, h.e. rem ipſam intellexmus, quæ pœnæ rationem haberet, nempe mortem, non tamen eatenus, quatenus pœnæ rationem proprie habet. Concidit jam illud quoque, quod hic pro conceſſo ſumpſit Grotius, Chriſtum liberationem à debito nobis *impetraſſe* aliquid dando, impetraſſe, inquam, ab eo, qui jus habuerit debitum illud exigendi, nempe Deo, cujus nomen hic libenter reticet Grotius, ne is creditor eſſe videatur. Atqui iſtius rei in redemtionis noſtræ metaphora per ſe non habetur ratio, etiamſi tandem Impetrandi verbum eo ſumas ſenſu, quo Socinus quoque fateretur, Chriſtum nobis liberationem à debito morte ſua à Deo impetraſſe. Sed id prorſus admittendum non erit, ſi verbum hoc ſtrictius ſumas, prout Grotius accipit, ut ſignificet, movere quempiam ad decretum, liberationis verbi gratia faciendum, aut quippiam, licet ſub conditione, promittendum. Hoc enim modo Chriſtum non impetraſſe nobis à Deo liberationem à debito noſtro, ex ipſa redemptionis noſtræ ratione, & phraſibus, quibus Scriptura in eo negotio utitur, oſtendimus cap. ſuperiori Partic. 11.

Quod concludit Grotius Partic. 6: *Commutationem ergo illa locutio δοῦναι ἀντὶ πολλῶν veram indicat, ut ſemper: non metaphoricam*, id eo, quem Partic. 2. explicuimus, modo fatemur. Quod vero addit, *quam*, ſcil. metaphoricam commutationem, *Socinus ſine exemplo comminiſcitur*; id quomodo verum ſit, non videmus, niſi forte ea ipſa commutatio metaphorica eſt, & ſine exemplo, quam ſupra Partic. 3. ex Grotio attulimus, & Socinum agnoſcere docuimus. Alluditur quidem in verbis illis, in quibus commutatio iſta per particulam ἀντὶ exprimitur, ad commutationem aliam ſimilem, h. e. ad eam, quæ in redemtione proprie dicta fit; ſed interea tamen ea ipſa commutatio, quæ intelligitur, vera eſſe poteſt. Neque ſane arbitror ideo eam metaphoricam dicere Grotium, quia nemo λύτρον pro nobis impenſum acceperit, cum ipſe quoque id nolit, quemadmodum cap. ſuperiori claris verbis docuit; ac præterea nihil impediat, quominus alia ratione commutatio inter nos & pretium pro nobis impenſum fuerit facta, ut ex Socini verbis ſupra patuit: neque etiam ideo, quia noſtra liberatio non fuerit ipſo actu Chriſto in mortem dato, conſequuta, & ſic commutatio ex noſtra parte non protinus perfecta, ſed intentione tantum Dei ac Chriſti: cum ipſe quoque ſtatuat, mortem Chriſti nos ipſo facto non liberaſſe, quod res ipſa etiam ſatis docet. Imperfectionem id potius commutationis, quam metaphoram arguere videtur.

Pergit Grotius Partic. 7: *Ad alteram præpoſitionem ὑπὲρ quod attinet, primum notandum eſt illam quoque non quidem ſemper, at ſæpe idem valere quod ἀντὶ. Optat Paulus ἀνάθεμα eſſe ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, h. e. vice Judæorum, quos alioqui perſeverantes in incredulitate ſciebat futuros ἀνάθεμα* Rom. 9. 3. *Apoſtoli ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύουσι, h. e. legati ſunt ipſius Chriſti vice*, 2 Corinth. 5. 20. *Quare cum ἀντὶ neceſſario commutationem deſignet, ὑπὲρ autem pro eodem poni nonnunquam ſoleat, quid vetat vocem notationis dubiæ ex certa interpretari, præſertim cum de eodem argumento agitur. Inprimis vero eam interpretationem videtur requirere locus ille* 2 Corinth. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus, omnes ergo mortui.*

Præpoſitionem ὑπὲρ nonnunquam idem valere quod ἀντὶ, & ſic commutationem ſignificare concedimus: verum ea commutatio non ſemper eſt ſubrogatio, quam particula *vice* ſolemus exprimere, ſed talis, qualem Socinus in hoc negotio agnoſcit. Quare nihil erat neceſſe in eo laborare Grotium, ut oſtenderet, commutationem deſignari voce ὑπὲρ, ſed id demonſtrare debuit, de quo eſt controverſia, ſubrogationem hic intelligendam. Etiamſi autem commutationem ubique poſſemus ſalva ſententia noſtra agnoſcere, ubicunque de morte Chriſti pro nobis ſuſcepta ſermo eſt; ut ſane rem ipſam, in qua commutationis illius vis conſiſtit, ubique agnoſcimus: non tamen eſt neceſſe, ubique Sacras Literas ad eam reſpexiſſe. Nam quod attinet ad rationem ex particula ἀντὶ ductam, quæ in hoc eodem negotio uſurpetur, ea ideo infirma eſt, quia ejuſmodi commutatio, qualem loci ii poſtulant, in quibus vocula iſta de morte Chriſti pro nobis ſuſcepta uſurpatur, non poteſt aut debet omnibus in locis, ubi Chriſtus dicitur mortuus ὑπὲρ ὑμῶν, intelligi; imo præter locum 1 Timoth. 2. 6. ubi eadem eſt alluſio, quæ in verbis Matth. 20. & Marc. 10. & vox quoque ἀντίλυτρον, ex ea particula compoſita, extat, fortaſſe nuſpiam. Nam in iis locis, ubi eſt ἀντὶ, intelligitur, ut vidimus, commutatio non perſonarum, quarum altera patiatur, id quod altera paſſura erat, ſed pretii & captivorum redimendorum, quam ne Grotius quidem in illis locis, ubi ὑπὲρ extat, intelligendam eſſe contendit, ſed commutationem perſonæ patientis. Itaque ex illis locis, ubi ἀντὶ in hoc negotio uſurpatur, non poteſt conſtitui, quid in iis fiat, ubi extat ὑπὲρ, nec eadem eſt in his, quæ in illis, alluſio, adeoque nec eadem protinus cauſa, cur commutatio intelligatur. Quamquam illud quoque jure negari poſſe vidimus, ἀντὶ neceſſario commutationem deſignare, ut ait Grotius, licet id nos in hoc negotio ob locorum circumſtantias fateamur. Quod ad alteram commutationem, quæ eſt perſonarum, attinet, ne illa quidem ubique videtur inſignite intelligenda, præſertim ubi eo modo Chriſti mors deſcribitur, qui ad id, quod nos pati merebamur, h. e. ad mortem æternam, non ita concinne queat applicari; ut cum Chriſtus dicitur pro nobis mactatus, aut paſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

carne, aut pro nobis crucifixus eſſe indicatur 1 Cor. 5. 7. 1 Petr. 4. 1. 1 Cor. 1. 13; aut alias circumſtantiæ loci minus favent: ut cum apud Pet. 1 Petr. 2. 21, pro nobis paſſus eſſe dicitur, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, ubi minus apte commutationis iſtius fieret mentio. Grotius ſane ipſe non obſcure indicat, alios locos magis, alios minus hanc interpretationem requirere. Quod ſi quis tamen contendat, ubique eam intelligendam, cum eo nos non contendemus. Ad locum 2 Cor. 5. 14, quod attinet, vellem explicuiſſet Grotius, cur is commutationem inprimis requirat; idque aliquanto facilius nobis conſtitiſſet, ſi voci ultimæ *mortui* addidiſſet verbum ſubſtantivum, quod per ellipſin omiſit. Diſcrepant enim in eo interpretes, & alii ſubaudiunt *ſunt*, alii *fuerunt* vel *erant*, indeque diverſo modo verba illa explicant. Suſpicor autem Grotium ita voluiſſe lectorem accipere ea verba, ac ſi dictum eſſet: Si unus omnium loco mortuus eſt, ergo perinde eſt ac ſi omnes eſſent mortui, morte nimirum ea, quam fuerant meriti. Sed id non expreſſit, vel ob interpretationis varietatem, vel ne ſibi objiceretur, ſi verba iſta, prout ſonant, accipiantur, ſequuturum, omnes homines ipſo facto fuiſſe liberatos, cum Chriſtus pro ipſis fuit mortuus. Nam ſi homines omnes eam mortem luiſſent, quam merebantur, ipſo facto fuiſſent liberati. Quare etiam nunc, cum Chriſtus illorum loco eſt mortuus: ſiquidem perinde eſt; & phraſis *loco omnium* id requirit. Quod ſi interpretatione aliqua verborum hujuſmodi vim mollire voluerit; nos æque commode abſque iſta ſubrogatione vim verborum Apoſtoli explicabimus. Sed quia Grotius mentem ſuam non explicuit, nos huic rei non immorabimur, ſed breviter tantum indicabimus, quis verborum Apoſtoli verus videatur eſſe ſenſus. Explicat Apoſtolus, quantam in ſe ſuique ſimilibus vim habeat mors Chriſti, ex ſumma ipſius erga nos charitate profecta, ad ſeſe adigendum, ut officium ſuum ſedulo faciant, & omnes, ut priſtinis vitæ aut religionum diverſarum inſtitutis relictis, uni Chriſto ejuſque ſanctiſſimæ religioni addicere ſe velint, hortetur. Itaque ita ratiocinari videtur Apoſtolus: Si unus mortem truculentam ſubiit, ut omnibus hominibus æque ſalutem æternam pararet; omnes viciſſim ſibimet ipſis ejus cauſa mori, priſtinaque inſtituta relinquere debent, ſeu, ut id faciant tantam cauſam habent, tamque efficaciter impelluntur, ut id iam pro facto propemodum haberi debeat. Quandoquidem ideo ſalutis illorum cauſa mortem tam diram adiit, ut jam omnes non ſibimet ipſis, quales hactenus fuerant, ſeu prout conſueverant, vivant, ſed ſibi mortui, totam cultus divini vitæque rationem componant ad nutum ac voluntatem illius, qui ſalutis illorum cauſa mortuus ad reſurrectionem pervenit, & ſic vere ſe illorum ſalutis cauſa mortuum eſſe, eamque religionem, quam ipſis præſcripſit, verum eſſe ſalutis iter, atque adeo omnibus ſequendum, demonſtravit. Verbum enim *ἀπέθανον mortui ſunt*, de eo, quid jure fieri debeat, aut de vi & efficacia, non de effectu ipſo accipi poteſt. Quo pacto Rom. 6. 6, ut alibi monuimus, dicitur, *veterem noſtrum hominem una crucifixum eſſe*, nempe cum Chriſto. Et cap. 7. 4, qui locus huic noſtro valde eſt ſimilis, quamquam de iis, qui ſub Lege vixerant, ſolis loquitur, ſed ad quos in noſtro quoque loco, ut ex ſeqq. Apoſtoli verbis apparet, inprimis reſpicitur. Ita vero ibi loquitur Apoſtolus: *mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, ut fieretis vos alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructum feramus Deo.* Cui loco adjungi ob ſimilitudinem poteſt ille ad Galatas cap. 2, ubi in ſua perſona de omnibus ſui ſimilibus loquens ait: *ego per legem legi mortuus ſum, ut Deo vivam, cum Chriſto ſum crucifixus: vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & dedit ſemetipſum pro me.* Vid. etiam Cor. 2. 20. iij. 3. Quamquam in his verbis, præſertim poſterioribus, de ipſo effectu ſermo eſt. Neque vero inſolens eſt in Sac. Litteris ea, quæ de effectu loqui videntur, de vi & efficacia tantum, aut de eo quod jure fieri debeat, loqui. Id enim ex parte docuit Grotius, cum de reconciliandi verbo ageret. Et ne longe abeamus, ejus rei exemplum habemus hoc ipſo loco paulo poſt ℣ſ.17: *Vetera præterierunt, ecce omnia facta ſunt nova.* Vid. etiam Rom. XI. 26. Hebr. 8. 11, ex Jer. 31. Quod vero particulam *&* in verbis illis, *& pro omnibus mortuus eſt*, accipimus pro *quia* vel *enim*, nemo eorum mirabitur, qui vel Hebraicæ linguæ aliquantulum eſt gnarus, vel ea, quæ interpretes Sac. Literarum de hac particula notant, inſpexerit. Videat, qui volet, ea, quæ annotavit Beza ad Johan. 2. 13. iij. 13. Rom. 1. 23. 1 Joh. 1. 2. iij. 4, 24.

Quod in ſequentibus docet Grotius Partic. 8, etiamſi aperte dictum eſſet, Chriſtum bono noſtro mortuum, non tamen hoc ipſo commutationem excluſum iri, id reſponſione non eget, cum nemo noſtrum id velit.

Pergit Partic. 9: *Neque poteſt hic ſenſus rejici, quia alicubi Chriſti factum nobis in exemplum proponitur. Nam ad exemplum ſufficit generalem quandam eſſe ſimilitudinem, etſi differentia ſit in modo ſpeciali, cujus tamen mentio fit interdum rei certius denotandæ gratia. Quod manifeſto liquet ex Petri admonitione* 1 Petr. 2. 19 *& ſeqq. Vult nos patientes eſſe in tolerandis afflictionibus, quas inſontes patimur. Adfert Chriſti exemplum: qui inquit & ipſe paſſus eſt. Satis hoc erat ad comparationem, ſed addit, ὑπὲρ ἡμῶν, quod ad comparationem non pertinet, ſed rem ipſam, hoc eſt Chriſti paſſionem clare deſignat. Commune ergo eſt patientia: modus ille differt.*

Duplici ratione nobis hoc Chriſti factum in exemplum proponitur, vel quoad rem ipſam, hoc eſt, perpeſſionem afflictionum; vel quoad modum, ut Grotius loquitur, aut potius finem, qui eſt quod *pro nobis* id fecerit. Prius fit in loco Petri, quem Grotius hic examinat, & alibi: poſterius in loco Johannis 1 Epiſt. 3. 16: *in hoc cognovimus charitatem, quod ille pro nobis animam ſuam poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ex priori locorum genere concludit Socinus, Chriſtum vice noſtra non eſſe paſſum. Nam ſi vice aut loco noſtro fuiſſet paſſus, jam nos eadem mala, quæ ipſe perpeſſus eſt, non deberemus ferre. At ſi Chriſtus ideo paſſus eſt, ut nobis relinqueret exemplum patientiæ, quod ſequeremur, patet nos obſtrictos eſſe ad eadem ferenda,

ipſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ipſa morte Chriſti nos monente. Hanc argumentationem non attingit Grotius: ſed tamen docet, ibi non proponi nobis modum patientiæ imitandum, ſed ipſam tantum patientiam; quaſi iſtud quiſquam urgeat. Quod ad locum Johannis attinet, in quo modus etiam ipſe nobis proponitur imitandus, ex eo colligit Socinus, phraſin iſtam, *ponere animam pro aliquo*, non ſignificare, pro altero ſatiſfacere. Cum nos quoque pro fratribus animas ponere poſſimus, ad exemplum Chriſti, nec tamen pro illis ſatiſfaciamus, aut ſatiſfacere poſſimus. Nec hoc attigit Grotius, imo ita loquitur, ac ſi nuſpiam modus facti Chriſti, qui continetur in verbis *pro nobis*, proponeretur imitandus, ſed res tantum ipſa, quod etiam ratio, quam ſubjungit, indicat.

Subjicit enim Partic. 10: *Alioqui fruſtra Paulus quæreret, an Paulus pro fidelibus eſſet crucifixus* 1 Cor. 1. 13. *Poterat enim & ipſe pro Eccleſia, hoc eſt, in uſum Eccleſiæ crucifigi, ſicut pati ſe dixit pro Eccleſia* Col. 1. 24, *& poſtea magno Eccleſiæ bono ipſe gladio percuſſus eſt, Petrus, aliique Apoſtoli crucifixi. Sed eo modo, quo Chriſtus crucifigi, pœnas vice noſtra ferendo, nec Paulus poterat, nec alius quiſquam. Vox ergo illa* pro *peculiare hic aliquid denotat, quod Apoſtolis communicari non poteſt. Poſſet autem, ſi mortis Chriſti utilitas gradu tantum à morte Apoſtolorum, non etiam fine proprio ſegregaretur.*

Cum nos, ut jam vidimus, ad exemplum Chriſti *pro fratribus* animas ponere, atque adeo etiam reipſa, ſi res ferat, mori, ac crucifigi denique poſſimus; & tamen aliunde colligatur, neminem pro fidelibus crucifigi poſſe, quemadmodum Chriſtus crucifixus eſt; neceſſe eſt, ut modus, quo nos pro aliis pati aut mori poſſumus, & quo Chriſtus pro nobis paſſus ac mortuus eſt, partim conveniat, partim diſcrepet; & particula *pro* partim tale quid denotet, quod Chriſto & nobis omnibus commune eſſe poſſit, partim id, quod Chriſto ſit peculiare. Commune eſt, quod paſſio ac mors etiam à nobis ſuſcipi poſſit in aliorum utilitatem ac ſalutem; atque adeo, ut alter à paſſione ac morte liberetur: qua in re non tantum utilitas, ſed etiam commutatio quædam cernitur, quam in loco 1 Joh. 3. 16, & ſimilibus intelligi vult Grotius, nec nos diſſitemur. Differentia rurſus in eo eſt, quod nec primo ſumma iſta utilitas, hoc eſt, ſalus noſtra ſempiterna atque à morte æterna liberatio, ex paſſione Apoſtolorum aliorumque piorum pendeat, ſed ex paſſione ac morte Chriſti, fidei, vitæ ac ſalutis noſtræ ducis; nec ita perfecte cum illa cohæreat atque cum hac. Qua de re, quod attinet ad confirmationem doctrinæ Chriſti, unde certa liberationis ac ſalutis ſpes, & ejus adipiſcendæ jus proficiſcitur, diximus fuſe cap. 1. partic. 30, quod diſcrimen indicavit Apoſtolus ipſe, eo, quem Grotius hic citat, loco Col. 1. 24, ubi ait, ſe adimplere ea, quæ deſint paſſionibus Chriſti, in carne ſua, pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia, cujus ipſe factus ſit miniſter, &c. Chriſtus, qui primus vitam immortalem pateſecit per Euangelium, & viam ad eam ducentem promulgavit, primo pro Eccleſia univerſa fuit paſſus, cum doctrinæ ſuæ, Fœderiſque Novi in ea comprehenſi, confirmandi ac ſanciendi cauſa mortem ſubiit, eaque ratione viam ſalutis initiavit, & omnibus ad ſupremam felicitatem aditum pateſecit. Verum iſtis afflictionibus hac in parte, quod ad gentes attinet, per totum terrarum orbem diſperſas, aliquid deerat. Chriſtus enim non niſi ad perditas oves domus Iſraëliticæ erat miſſus, & ad eaſdem tantum Apoſtolos ſuos, cum in terris verſaretur, mittebat Matth. 15. 24. Rom. 15. 8. Matth. 10. 5. diſerte prohibens, ne in gentium viam abirent; adeoque gentibus ſalutem ipſemet non offerebat, nec adeo aperte ea de re loquebatur, licet nos nunc, poſtquam res aliunde patuit, non pauca de ea ab ipſo dicta deprehendamus: unde nec poſt ejus aſcenſionem ſtatim Apoſtolis, Spiritu Sancto jam impletis, myſterium iſtud innotuit. Quare ex eo, quod Chriſtus doctrinæ ſuæ confirmandæ cauſa paſſus eſt, non ita luculenter ac manifeſte patuit, ſalutem ab ipſo promulgatam etiam ad gentes pertinere, & Deum velle ut *omnes* homines, nulla generis aut ſtatus habita ratione, ſerventur, & ad cognitionem veritatis perveniant; & Chriſtum pro *omnibus* ſeſe dediſſe ἀντίλυτρον, teſtimonium, divinæ nimirum erga omnes benevolentiæ, temporibus propriis. Unde Apoſtolus eo, ad quem reſpicimus, loco 1 Tim. 2. 6, cum iſta, quæ retulimus, dixiſſet, ne quis ea de re dubitaret, ſua quodammodo auctoritate id totum confirmat, cum addit: *ad quod poſitus ſum ego præco & Apoſtolus (veritatem dico in Chriſto, non mentior) doctor gentium in fide & veritate.* Deerat ergo aliquid paſſionibus Chriſti, quod attinet ad confirmationem Euangelii, quatenus id ad omnes homines ſpectabat. Hunc defectum ſupplevit Paulus Rom. 1. 5. XI. 13. Gal. 2. 7, 8, 9. 2 Tim. 1. 11. Epheſ. 3. 2, &c. gentium, ut vidimus, doctor atque Apoſtolus, cui primum munus illud datum fuit, Euangelii hoc myſterium, de amplitudine gratiæ divinæ, per Chriſtum hominibus oblatæ, gentibus publice atque aperte annunciandi: qui cum non tantum aliis modis Euangelium ſuum confirmaret, ſed etiam variis afflictionibus, atque inprimis tunc, cum in principe urbe, & totius orbis, gentiumque adeo capite, ob myſterium Chriſti ſeu Euangelii vinctus eſſet, & in catena legatione pro eo fungeretur 2 Tim. 1. 12. ij. 9. Eph. 6. 20; adimplebat id, quod deerat afflictionibus Chriſti, in carne ſua, pro Eccleſia, Eccleſia, inquam, gentium, quæ maxima Eccleſiæ Chriſti pars cenſeri poterat. Quo pacto alibi etiam pro electis iſta ſe pati ſcripſit 2 Tim. 2. 10, ut & ipſi ſalutem conſequantur: ſed ea proprie ad gentium utilitatem fuiſſe ſuſcepta, totus Apoſtoli ad Col. locus, de quo agimus, indicat; & illa quæ præceſſerant, verba: nunc gaudeo *in afflictionibus meis pro vobis.* Quod apertius exprimit ad Epheſ. 3. 1, ubi ait: *ego Paulus vinctus Chriſti pro vobis gentibus.* Et inf. vſ. 13, *ne deficiatis in afflictionibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.* Id autem propterea ab ipſo dici, quia confirmandi ac defendendi Euangelii cauſa, ut eſt ad Phil. 1. 7, 17, cujus præco ad gentes eſſet conſtitutus, iſta fuerit paſſus, tum ex iis, quæ hactenus diximus, colligi poteſt, tum ex iis, quæ Apoſtolus in loco noſtro ad Col. ſtatim ea de re ſubjicit vſ. 25, uſque ad finem capitis, & Epheſ. 3. à vſ. 2, uſque ad vſ. 13: ubi prolixa parentheſi declarat, cur ſe vocarit *vinctum Chriſti pro gentibus.* Ex quo apparet, in perpeſſionibus Chri-

ſti, quatenus pro Eccleſia ſuſceptæ ſunt, non ſatiſfactionem aliquam aut veram ſubrogationem ſpectandam eſſe, ſed inprimis confirmationem Euangelii, & ſalutis in eo hominibus oblatæ: ſiquidem eatenus Apoſtolus aliquid ſe adimplere dicit pro Eccleſia, quod deſit afflictionibus Chriſti. Niſi enim eo afflictiones Chriſti pro nobis ſuſceptæ ſpectaſſent, nulla fuiſſet cauſa defectum earum hac in re commemorandi. Hac autem in re quandam habuit Paulus præ cæteris Apoſtolis, quibus Euangelium circumciſionis, ſeu Judaico populo annunciandum, erat concreditum Gal. 2. 7 & ſeqq. cui id jam antea Chriſtus ipſe annuciarat ac confirmarat, prærogativam, in eaque ad Chriſtum nemo acceſſit propius. Quantum autem eadem in re adhuc abſuerit à Chriſto, ex illis conſtare poteſt, quæ cap. 1 diſſeruimus eo loco, quem paulo ante notavimus. Ex quibus conſtare poteſt, etiamſi paſſiones Chriſti & Apoſtolorum ratione ultimi finis, qui verbis ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*, aut ſimilibus in hoc negotio ſignificatur, inter ſe conveniant, ratione tamen mediorum ad finem iſtum pertinentium, ſeu finium propiorum, multum diſcrepare. Quidam enim Apoſtolis plane non conveniunt, quidam imperfecte. Sed præter diſcrimen illud, quod in confirmatione N. Fœderis, & rebus ex ea pendentibus, atque ad ſalutem noſtram ſpectantibus cernitur, illud etiam longe maximum eſt, quod Chriſtus eum in finem fuit mortuus, ut ſupremam in omnia poteſtatem adeptus, ac fidelis noſter ac miſericors Pontifex effectus, peccata noſtra in perpetuum expiaret, tentatis nobis ferret opem, divina ſupplicia à nobis averteret, ac denique ex mortis faucibus ereptos ad beatam immortalitatem nos transferret. Quare non tantum gradu, ut Grotius objicit Socino, ſed etiam finibus propriis, nempe intermediis, ſegregatur mortis Chriſti utilitas à morte Apoſtolorum, nec propterea, ut diſcrimen inter hanc & illam queat conſtitui, neceſſe eſt ſtatuere, Chriſtum noſtro loco ac vice mortuum eſſe.

Partic. 11. Quid ex loco Hebr. 2. 9, 10, colligi debeat, aut à Socino colligatur, ex iis conſtat, quæ de verbis Petri 1 Epheſ. 2. 21, dicta ſunt.

Partic. 12. Quid ex loco 1 Joh. 3. 16, colligat Socinus, paulo ante diximus. Patet autem ex eo, modum quoque ſeu intentionem finis paſſionis Chriſti, quatenus ea *pro nobis* ſuſcepta dicitur, nobis imitandum proponi. Imitari autem poſſumus, etiamſi non prorſus idem præſtemus, quod Chriſtus; ſufficit ut præſtemus id, quod illi ſimile eſt. Etiamſi autem ibi non tam actus mortis, quam mortis periculum reſpiciatur, recte tamen exinde concludi poteſt, etiam reipſa nos poſſe pro fratribus mori: cum facile contingere poſſit, ut is, qui pro fratre mortis periculum ſubit, etiam mortem reipſa oppetat periculo illo oppreſſus. Et quemadmodum Paulus Col. 1. 24, Epheſ. 3. 1 & 13, pro Eccleſia ſe pati, ac vinctum eſſe ſcribit, ita etiam pro eadem mortuus eſt. Eodem pacto, & alii Apoſtoli ac martyres. Quæ ſit vis verborum *ponere animam*, jam ſatis luculenter docuerat Socinus ipſe in explicatione loci Joh. 10. 11, 15.

Partic. 13. Etiamſi autem in illis locis, ubi charitas Chriſti morte ipſius oſtenſa nobis proponitur imitanda, id quod nobis præſcribitur, non ſolam utilitatem alienam, ſed & commutationem quandam contineat; id tamen veram Chriſti pro nobis ſubrogationem non evincit, multo autem minus ſatiſfactionem. De ſatiſfactione, quia res eſt manifeſta, nihil dico. De ſubrogatione patet inde: quia hæc ſubrogatio vera non eſt, cum alter ipſo malo liberatur, alter ejus mali, aut etiam diverſi, periculum tantum adit, interim diligenter curans, ut ipſe quoque ſalvus evadat; ita ut ſi forte aliter contingat, id, quod ad conſilium ejus attinet, per accidens fiat: quemadmodum etiam fieri poteſt, ut uterque idem malum perpetiatur, tum is, quem alter ſuo periculo liberare ſtudet, tum is, qui liberare cupit: quod etiam nonnunquam ii, qui tale quid faciunt, non parum verentur. Addimus tamen, etiamſi haud inviti concedamus, in loco Johannis, in quo jubemur pro fratre animam ponere, commutationem quandam intelligi, id tamen non eſſe neceſſe: cum poſſit ſola utilitas aliena phraſi illa ſignificari. Patet id ex collatione trium locorum, quos Socinus in margine libri ſui notarat Joh. 13. 38, & Luc. 22. 33. Matth. 26. 35, quod enim Petrus apud Johannem dicit ad Chriſtum: *Animam meam pro te ponam*: id apud Lucam ita effertur: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Et apud Matthæum: *etiamſi oporteat me tecum mori, non abnegabo te.* Quæ ſane Lucæ & Matthæi verba nullam commutationem indicant, imo cum commutatione ac ſubrogatione ſatis aperte pugnant. Quomodo enim Petrus cum Domino Jeſu commutatus, aut ſubrogatus ei fuiſſet, ſi una cum illo fuiſſet mortuus?

Partic. 14. Quod ad Cajaphæ dictum Johan. 11. 50 attinet, agnoſcimus ibi commutationem veram, ſubſtitutionem autem non niſi improprie dictam, quam ab initio hujus capitis nos admittere diximus, quamque Socinus explicuit eo, quem Grotius oppugnat, loco, quemadmodum ex ipſius verbis, quæ ſup. partic. 2, produximus, conſtat. Improprietatem autem illam ſubſtitutionis Socinus eo docuit, quod diverſus ibi ſit interitus populi Judaici, & Chriſti, diverſaque ſalus, ſive Cajaphæ mentem, ſive vaticinium, quod inprudenti excidit, reſpicias. Cui rationi adde, quod etiam Chriſto mortuo populus nihilominus perire potuerit, quemadmodum ſane, generatim loquendo, periit. Hæc autem non eſt vera ſubſtitutio ſeu ſubrogatio. Quibus illud quoque adjiciendum eſt, quod Socinus itidem monuit, à Cajapha non conſideratum ejuſmodi interitum populi Judaici, cui is jam deſtinatus eſſet, ſed qui tum demum populo foret metuendus, ſi Chriſtus maneret ſuperſtes. Quod hoc loco non exigui eſt momenti. Nam cum adverſarii dicunt, Chriſtum noſtro loco mortuum, hoc ſibi volunt, Chriſtum loco noſtro, qui morti jam fuerimus deſtinati, fuiſſe ſubſtitutum ad mortem ferendam. Qua ſententia illis opus eſt, ad ſatiſfactionem exinde adſtruendam. At vero eo, quod jam diximus de ſenſu verborum Cajaphæ, conceſſo, id non ſequitur; ac proinde nec ſatiſfactio, quam hinc adſtruere ſolent, ex eo recte concluditur. Quid ſi enim ideo quis moriatur, ne populus aliquis pereat, quia ipſo vivente tale quippiam

facturus

facturus eſſet, quo ſibi interitum accerſeret, cujus rei occaſio morte illius hominis præcidi poſſit, & ſic populus ſervari? an ex hujuſmodi ſubſtitutione hominis iſtius pro populo, ulla ſatiſſactio colligi poſſet? minime. Nondum enim populus ille tale quid admiſiſſe ponitur, ob quod illi ſit intereundum, nec quiſquam adhuc ſtatuitur, qui eum velit perdere, & cui morte iſtius hominis ſit ſatiſſaciendum, utpote cauſa nondum exiſtente. Hoc vero ipſum in hoc noſtro negotio intelligendum eſt. Nam ſi Cajaphæ mentem ſpectes, ille ita cum ſuis ratiocinabatur, quemadmodum omnes, ni fallor, agnoverunt: Si Chriſtum vivere permittemus, omnes in eum credent, ut verſ. 48. dicitur, h. e, eum pro Meſſia ſeu Rege ſuo, qui eos ex ſervitute liberaturus ſit, agnoſcent; quo audito Romani, tanquam adverſus rebelles, qui rejecto Cæſare alium nobis regem conſtituerimus, inſurgent, & locum hunc occupabunt, gentemque noſtram perdent. Quare ne id fieret, Jeſum occidendum putabat, atque ita tanti mali anſam præcidendam. Unde patet, Cajapham, contra quam hic ſcribit Grotius, primum effectum mortis Chriſti poſuiſſe circa Judæos, quorum incolumitati conſulebat, non circa Rectores Romanos, qui nondum irritati erant, ſed irritari à populo, ſi Jeſum pro Rege ſuo agnoviſſent, poſſe credebantur. Primum enim ex morte Chriſti hoc ſequuturum putabat, ne populus in Dominum Jeſum crederet, eumve pro Rege ſuo ſibi divinitus promiſſo, & ad ſe liberandos miſſo haberet, imo potius tanquam ſeductorem quendam averſaretur. Unde alterum effectum circa Romanos putabat emerſurum, ne illi irritati, adverſus populum inſurgerent, eumque perditum irent. Si mentem Spiritus Sancti reſpicias, itidem rectiſſime ſtatuitur, primum effectum mortis Chriſti futurum circa Judaicum populum, & filios Dei diſperſos, nempe ut illi ab errore viæ ſuæ ad Deum ac Chriſtum converterentur, atque ita fieret, ne perirent, aut à Deo punirentur, cauſa pœnæ ſublata. Liquet hoc ex eo, quod Johannes vaticinium Cajaphæ verbis involutum evolvens, & ἐπίκελσιν quandam ſubjiciens, ita loquitur: quod Jeſus moriturus eſſet pro populo: *Et non pro populo tantum, ſed ut etiam filios Dei diſperſos congregaret in unum.* Nam cum in poſteriori horum verborum membro videretur ſubjiciendum fuiſſe: *Sed etiam pro filiis Dei diſperſis* (ita enim recte procedit hæc imparium comparatio: non pro populo tantum moriturus erat Jeſus, ſed etiam pro filiis Dei diſperſis) Johannes repoſuit: *Sed ut etiam filios Dei diſperſos congregaret in unum*, h. e. ut Judæos per gentes varias diſperſos, vel etiam gentes ipſas ad ſe ſuamque Eccleſiam aggregaret, fieretque unum ovile & unus paſtor. Dici enim poſſunt etiam homines ex gentibus Dei filii, quia eos Deus in filios adoptare decreverit, aut quia aliquo modo apti ſint, ut filii Dei fiant, qua ratione alibi Chriſtus eos oves ſuas alias vocat Johan. 10. 16, quas debeat adducere, ut ita ex Judæis & gentibus fiat unum ovile, ſeu una Eccleſia Deique populus. Maluit autem Johannes eo pacto, quo loquutus eſt, verba ſua concipere, ut interim non obſcure nobis explicaret, quo ſenſu dixiſſet, Chriſtum pro populo moriturum: nempe eum ideo moriturum, ut illos ab errore atque impietate ad ſe converteret, unde liberatio ab interitu eſſet conſequutura. Id vero morte Chriſti effectum voluit Deus, & quantum in ſe erat, effecit. Atque huc pertinent illa apud eundem Euangeliſtam loca cap. 12. 24, 32, 33. & ille Petri 1 Epiſt. 2. 24, 25, ut alia prætermittam, quæ alibi ſunt explicata. Quare non eſt quod Grotius hinc concludat, *mori pro populo*, incolumitatem ab altero, nempe Deo, impetrandam ſignificare, adeoque actum hunc Chriſti prius circa Deum, quam circa homines verſari. Imo contrarium ſatis aperte hoc loco indicatur. Quamquam ſi ad alios mortis Chriſti effectus ac fines reſpicias, ad quos tamen hic per ſe reſpici non videtur, nempe ut promiſſis divinis morte Chriſti confirmatis obligaretur Deus ad ea nobis præſtanda, tum ut Chriſtus hac conditione, quam Deus ipſi fixerat, præſtita, poteſtatem ab ipſo adipiſceretur populum Judaicum cæteroſque omnes Dei filios ab interitu reipſa vindicandi; effectus mortis Chriſti prius circa Deum, qui conditione præſtita promiſſum aut decretum ſuum exſequi, & ad ſupremum imperium Chriſtum evehere debuit, verſari ſtatuendus eſt, quam circa homines, qui per Chriſtum ſupremam poteſtatem jam adeptum reipſa ſervari debuerunt: neque id negat Socinus, quod eum Grotius præfracte ait abnuere. Qua de re non ſemel dictum eſt. Nec illud recte à Grotio dicitur, *Socinum urgere, eam ſumendam verborum Cajaphæ interpretationem, quæ ſimul & Spiritus Sancti & ipſius menti reſpondeat.* Nihil enim aliud Socinus dicit, quam Cajaphæ mentem à ſe explicatam *optime per typum ad ſalutem noſtram accommodari poſſe*; eamque poſtea accommodat. At aliud eſt urgere, ita ſumenda verba, aliud dicere, poſſe mentem hanc Cajaphæ per typum ad ſalutem noſtram optime accommodari. Qui illud dicit, aliam interpretationem plane non admittit; qui hoc, poteſt admittere. Veruntamen cum nemo non videat, id, quod Cajaphas voluit, fuiſſe typum aliquem ejus rei, quam Spiritus Sanctus deſignavit; non eſt dubitandum, quin ea verborum interpretatio ſit melior, quæ, quo ad ejus fieri poteſt, mentem Cajaphæ per typum ad id, quod Spiritus Sanctus voluit, accommodat.

An ea, quæ de Commutationis ſignificatione in particula *pro* à Grotio hactenus dicta ſunt Partic. 15, ex ſacrificii expiatorii natura multum illuſtrentur, & num ſanguis detur pro anima, eo præſertim ſenſu, quo vult Grotius, ſequente cap. videbimus. Interim dicimus, etiamſi Grotius veram Chriſti pro nobis ſubrogationem demonſtraſſet, eum tamen non protinus ſatiſſactionem veram ac plenam, quam Socinus negat, & cujus cauſa de ſubrogatione diſputat, obtenturum. Nam ſi infinitorum loco unus ſubſtituatur, qui id ferat, quod quilibet ex illis ferre debebat, an pro omnibus hac ratione ſatiſſiet? An ſi quis pro centum hominibus, qui ſinguli centenos debebant aureos, centum tantummodo det aureos, pro omnibus ſatiſfaciet? pro uno quidem ſatiſſacere poterit, ſed non pro centum. Quanto autem minus ſatiſſaciet, ſi & infiniti ſint homines, & infinitum ſingulorum debitum. Ipſe vero id tantum ſolvat, quod unus debebat? Quod ſi ne tum quidem Chriſtus vere pro

omnibus hominibus ſatiſfeciſſet, ſi tantum pœnarum dediſſet, quantum unuſquiſque noſtrum debebat, hoc eſt mortem æternam ſubiiſſet, quam ſubire non poterat; quanto minus ſatiſfeciſſe cenſeri debuit, cum id tantum luit, quod ad debitum noſtrum nullam proportionem habet? Vide quæ hac de re ſcripſit Socinus lib. 3. cap. 3. & 4.

RESPONSIO

Ad Cap. X. quod inſcripſit Grotius:

De expiatione facta per mortem Chriſti.

Reſtat, inquit Grotius Partic. 1: *Claſſis ultima teſtimoniorum, quæ Chriſti mortem ſacrum expiatorium eſſe ſignificant: quæ, quia Socini artificio plurimis nebulis involuta ſunt, poſtremo loco reſervavimus, ut ex his quæ ante dicta ſunt, aliquid lucis acciperent. Conſtat nobis & Socino de voce: Chriſti mortem fuiſſe ſacrificium expiatorium ſive victimam pro peccato, id ipſum clare teſtante divina ad Hebræos Epiſtola, inprimis* cap. 9. *Sed de ejus vocis vi propria aliter Socinus, aliter ſentit Chriſti Eccleſia.*

An teſtimonia ea, quæ Chriſti mortem Sacrum expiatorium eſſe ſignificent, Socini artificio plurimis nebulis involuta ſint, an contra nebulis, aliorum culpa, involuta, non parum lucis ejus opera acceperint, in progreſſu diſputationis apparebit. Iſtud autem hic conſiderandum eſt, Grotium non uſquequaque recte pro conceſſo ſumere, & tanquam fundamentum eorum, quæ diſputaturus eſt, ponere, ſibi & Socino in eo convenire, quod mors Chriſti, nempe proprie, non metonymice pro iis, quæ eam ſunt conſequuta, ſumpta, ſit Sacrum expiatorium, id ipſum clare teſtante Epiſtola ad Hebræos: cum Socinus * clariſſimis verbis, & ſatis fuſe docuerit in iis capp. quæ ſibi oppugnanda ſumpſit Grotius, Sacrificium Chriſti expiatorium perfectum, de quo auctor Epiſtolæ ad Hebræos, quamvis non ſine morte fuerit peractum, (mors enim ejus quoddam fuit initium, & neceſſarius ad illud aditus) non tamen in ipſa morte revera fuiſſe peractum, ſed in cœlo demum, in quo, tanquam ſanctuario ſuo, Chriſtus ſe Deo obtulit. Quod ſi Socinus alicubi mortem Chriſti ſacrificium vocat, ſiquidem de ſacrificio expiatorio perfecto loquitur, de quo Auctor Epiſt. ad Hebræos, mortis vocem, Sacrarum Literarum conſuetudinem ſequutus, metonymice, vel ſaltem metonymice ſimul ac ſynecdochice accepit, & id potiſſimum intellexit, quod mortem ex Dei decreto neceſſario eſt conſequutum, h. e. ejus in cœlum ingreſſum & perpetuam coram Dei vultu apparitionem, & quam pro ſalute noſtra ſuſcipit, curam. Qua de re monuit Socinus expreſſe lib. 2. cap. 13. Dicimus autem, mortem Chriſti diſtincte ſumptam non eſſe ſacrificium Chriſti *expiatorium perfectum de quo Epiſt. ad Hebr.* quia alias ſacrificium eſt, & dicitur; ſed interea vel ad ſacrificia expiatoria non reſpicitur, adeoque nec ipſa ut Sacrum expiatorium conſideratur, ut Eph. 5. 2. ſed ut ſacrificium in honorem Dei oblatum ac voluntarium; quo in genere perfectum eſt; vel ſi alicubi conſideratur ut Sacrum expiatorium, quod tamen vix uſpiam contingit in Sacris Literis, præſertim expreſſe, imperfectiori ratione ita dicitur. Potiſſima enim, peccata noſtra expiandi vis, in iis, quæ mortem ſunt conſequuta, ſita eſt: & liberatio perfecta à peccatorum pœna, quæ expiationis nomine potiſſimum intelligitur, ab iis immediate pendet, à morte vero mediate.

* Lib. 2. cap. 15. 21.

Quod vero Grotius de propria vocis ſacrificii expiatorii vi aliter Chriſti Eccleſiam, aliter Socinum ſentire ait, Chriſti Eccleſiam Socino, atque adeo iis omnibus, qui cum eo ſentiunt, opponens, eoſque non obſcure à Chriſti Eccleſiæ ſocietate excludens, in eo debuiſſet eſſe memor moniti Apoſtolici: *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* Quamdiu enim non oſtenditur, Socinum, & eos, qui cum ipſo ſentiunt, in re ad ſalutem neceſſaria errare, quod nec oſtenſum eſt à quoquam, nec oſtendi poſſe nobis eſt perſuaſiſſimum, injuria à Chriſti Eccleſia excluduntur, licet à parte Eccleſiæ numeroſiori in non paucis diſſentiant. Quid vero iniquis his aliorum de nobis ſententiis opponamus, alibi fortaſſe dicemus.

Sed videamus, quomodo Grotius Partic. 3, diſſenſum inter Chriſti Eccleſiam, ut ait, & Socinum, de propria vi vocis ſacrificii expiatorii explicet. *Diſſenſus*, inquit, *breviter ac perſpicue ſic explicabitur, ſi dicamus, juxta Socinum expiationis effectum primo ac proprie verſari circa peccata futura; quia fidem ingenerando mors Chriſti nos à peccatis abſtrahat: quoad peccata vero præterita non niſi ſecundario, & eatenus quoque omnem hanc actionem circa nos verſari, non circa Deum, h. e. non Deum moveri ad remittendum, ſed nos parari ad accipiendam remiſſionem, per vitæ ſcilicet emendationem: juxta ſenſum vero Eccleſiæ, quò Scripturis congruit, expiationis effectum proprie verſari circa peccata præterita & actionem primam eſſe circa Deum, qui ad remittendum moveatur.*

Non ſatis recte Grotius, cum de voce ageret, Socini ſententiam explicuit; ſed adhuc pejus hic, cum de vi propria vocis loquitur. Quomodo ergo Socini ſententiam recte refutaret? Sacrificii Chriſti vis, ad peccatorum noſtrorum expiationem pertinens, duplex eſt, (quamquam altero partitionis membro iterum diviſo, triplex conſtitui poteſt:) altera, eaque potior, & ſacrificiorum magis propria, quam Grotius in Socini ſententia explicanda omiſit, eſt, qua peccatorum omnium, non tantum futurorum, h. e. eorum, quæ poſt agnitam veritatem à fidelibus per fragilitatem aut imprudentiam admittuntur, ſed etiam præteritorum, qualiacunque & quantacunque ſint, reatum ac pœnas tollit, idque partim declarando, & jus ad eam rem nobis concedendo, partim actu ipſo divina ſupplicia tollendo. Altera ea eſt, quam Grotius attingit, quod fidem nobis ingenerat, & nos in futurum à peccatis arcet ac revocat. Quæ vis, licet non ſit propria ſacrificiorum, pertinet

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tamen ad proprium ſacrificiorum finem obtinendum, ipſamque expiationem perficiendam; cum nemo, niſi reſipuerit, & in Chriſtum crediderit, à peccatorum ſuorum reatu ac pœna in perpetuum liberetur. Hanc vim ſi reſpicias, verum eſt quod Grotius ait, eam primo circa futura peccata verſari, circa præterita conſequenter: at ſi priorem ſacrificii Chriſti vim, quam potiorem eſſe diximus, conſideres, ea primo ac proprie verſatur circa peccata, præterita quidem omnia, futura autem ea, quæ per fragilitatem aut imprudentiam admiſſa, fidem in Chriſtum veram non extinguunt: imo circa præterita maxime vis ea ſacrificii Chriſti verſatur, cum ea ſint graviora, eorumque cauſa inprimis ſacrificium Chriſti tanquam perfectius, in locum ſacrificiorum legalium fuerit ſubſtitutum; cum per infirmitatem aut ignorantiam admiſſa peccata, etiam ſub lege expiarentur. Ex quo graviſſimus Grotii in explicanda Socini ſententia error apparet, qui ait, expiationis effectum, ex ipſius mente non niſi ſecundario circa præterita peccata verſari. Credidit nimirum Socinum ſtatuere, eatenus tantum ſacrificium Chriſti peccata noſtra expiare, quatenus fidem nobis ingenerando nos à peccatis retrahit, unde poſtea ex promiſſo divino, nulla amplius ſacrificii iſtius efficacia interveniente, conſequatur peccatorum præteritorum remiſſio, quo nihil eſt à mente Socini alienius. Finge enim tandem, fidem ac reſipiſcentiam noſtram non à ſacrificio Chriſti, ſed aliunde proficiſci totam, nihilominus illud vim ad expianda peccata, poſtquam credidimus ac reſipuimus, habebit, & eam ad nos à pœna in perpetuum liberandos exſeret: imo quia ſacrificium Chriſti hanc vim habet, ideo nobis fidem ac ſpem promiſſorum divinorum ingenerat, & à peccatis abſtrahit. Si quis de hac Socini ſententia dubitet, videat inter alia lib. 2. cap. 14. & ſeqq. Qua vero ratione dici poſſit, ſacrificii Chriſti vim, ſi ex Grotii ſententia illud mortem eſſe ſtatuas, verſari circa Deum, eoque etiam Deum ad remittendum moveri, ſuperioribus capp. eſt explicatum. Sed tamen videamus quomodo ſententiam ſuam probet Grotius.

Actionem primam, inquit Partic. 3, *eſſe circa Deum, non circa homines, probatur ex natura ſacerdotii. Sacerdos enim pro hominibus conſtituitur in illis quæ ad Deum* ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν θεόν, Hebr. 5. 1. *Non autem pro Deo in iis quæ ad hominem* ὑπὲρ θεοῦ τὰ πρὸς τὸν ἄνθρωπον, *quod eſt Prophetæ. Cum autem ſacrificium, præſertim expiatorium, ſit actus ſacerdotis, qua talis (ſtatuitur enim in id Pontifex, ut offerat hoſtias pro peccatis* θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν Hebr. 5. 1: VIII. 3.) *ſequitur ſacrificium eſſe eorum, quæ ſiunt pro homine apud Deum.*

Poſtrema hæc verba ita ſunt comparata, ut per ſe Socini ſententiæ non repugnent, Grotium nil juvent. Fatetur enim Socinus quoque, & ſatis clare docet Auctor D. Hebr. 2. 17, actionem Chriſti, qua ſacerdos eſt, & ſic ejus ſacrificium expiatorium, eſſe ex eorum numero, quæ pro homine fiant apud Deum; ut alia hic deductione, cum de Chriſti ſacrificio quæratur, non fuerit opus. De ſenſu ergo quæritur, cum de verbis conſtet. Grotius ita verba ea proculdubio intelligit, ac ſi dictum eſſet, ſacrificiis moveri Deum, ut hominibus benefaciat, & expiatoriis quidem, ut remiſſionem peccatorum iis concedere velit. Hoc ſi in eam ſententiam accipiatur, in quam alias Grotius hujuſmodi verba in negotio noſtro ſumere ſolet, ut ſignificet, Deum iratum ac pœnas expetentem, ita tamen ut non averſetur omnes iræ deponendæ rationes, ſacrificiis placari, & ad ignoſcendum flecti; non eſt id de omnibus ſacrificiis expiatoriis, etiam proprie dictis, admittendum, imo de iis, quæ proprie ita appellantur, minus, quam de aliis ab homine profectis, precibus ſcilicet, pœnitentia, animi humilitate, ſeu cordis ac Spiritus contritione. Neque enim ſub Lege eo pacto Deum movebant ſacrificia ab ipſo præſcripta, præſertim ſemper: ſed cum Deus jam antea decreviſſet, ſe intervenientibus illis ſacrificiis delicta & lapſus velle condonare, iis oblatis, vi decreti illius, effectus ille apud Deum conſequebatur. etiamſi is actu non iraſceretur: imo ideo potius offerebantur ſacrificia, ne, ſi ea forte negligerentur, iraſceretur, quam ut jam iratus placaretur. Quod ſi vocem movendi, & cæteras ei ſimiles, eo modo hic accipias, quem nos alibi etiam explicuimus, ut ſignificent, conditione præſtita apud Deum efficere, ut vi decreti ſui hominibus benefaciat, & reatum peccati deleat pœnamque avertat, ſive per ſe, ut ſub Lege, ſive per alium, ut Novi Fœderis tempore; id, quod Grotius ait, tum de ſacrificiis legalibus, tum etiam de morte Chriſti, quam ſacrificium, & quidem expiatorium eſſe fatemur, licet per ſe in hoc genere nondum perfectum, verum eſt. Sed ſi loquaris de ſacrificio ſeu oblatione Chriſti expiatoria perfecta, quam in cœlis peragit, quamque D. Auctor ad Hebræos explicat, & Grotius, qui eam *oſtenſionis* appellat, agnoſcit; de ea aliquid amplius dici debet. Neque enim ea ad remiſſionem peccatorum intervenit, tanquam nuda quædam conditio, aut res ad alterum tantum qui remiſſionem reipſa præſtet, aliqua ratione impellendum comparata: ſed potiſſimum tanquam vera cauſa efficiens, quæ vi ſua remiſſionem peccatorum nobis à Deo decretam præſtat, & efficacia ſua eorum vim, quam ad nos damnandos & divinis ſuppliciis obnoxios reddendos habent, extinguit ac delet. Itaque quemadmodum ablationis vox, ut infra clarius patebit, ad hanc Chriſti actionem ob ſimilitudinem cum legalibus ſacrificiis transſertur: ita & loquutio hæc, quod peragatur vel fiat *apud Deum* pro hominibus. Similitudo in eo eſt, quod, quemadmodum legalia ſacrificia ideo Deo offerebantur & coram ipſius vultu perficiebantur, ut iis peractis, vi decreti ipſius homines, pro quibus offerebantur, remiſſionem peccatorum ab ipſo obtinerent: ita interveniente Chriſti oblatione, ſeu apparitione coram Dei vultu, per ſanguinis fuſionem facta, & cum ſummo ſalutis noſtræ perficiendæ deſiderio conjuncta, homines à Deo, vi decreti ipſius, ipſiuſque virtute, quam eum in finem Chriſto conceſſit, liberationem à pœnis obtinent. Indicare nempe hac loquutione divinus Spiritus voluit, remiſſionem peccatorum, quam Chriſtus in cœlis apud Patrem degens nobis præſtet, à Deo ejuſque benignitate primo proficiſci (de ejus enim jure ea in re agitur, ut cap. 2 vidimus) & quicquid ad eam in nobis reipſa perficiendam fit, id

totum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

totum ipſius virtute atque auctoritate, Chriſto, qui ut eam adipiſceretur, & ſic nos à peccatorum pœnis reipſa liberare poſſet, ſanguinem ſuum fuderat, eoque cum deſiderio cœlum fuerat ingreſſus, data peragi. Itaque ut id exprimat, non modo Chriſti in cœlos ingreſſum, atque ad Deum acceſſum, per quem factum eſt ut ad dextram ipſius conſideret, & plenam peccata nobis remittendi poteſtatem obtineret, ſed & perpetuam apud ipſum permanſionem, cum ſalutis noſtræ cura conjunctam ita conſiderat, ac ſi ea Deus aliqua ratione moveretur, ad remiſſionem peccatorum nobis vi decreti ſui concedendam, & ſic inter hanc & illam actus quidam ipſius Dei, propitium ſe nobis exhibentis, & nos à pœna liberantis interveniret: cum tamen ipſe Chriſtus, poteſtate ſibi à Deo, & olim jam decreta, & in cœlum ingreſſo donata, id totum, quod ad nos à pœna liberandos pertinet, ejus nomine faciat. Quo pacto infra Auctor D. Hebr. 10. 12, 13 inquit: Chriſtus una pro peccatis oblata hoſtia, in perpetuum conſedit in dextra Dei, *de reliquo expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ipſius*; in qua ſubjectione hoſtium Chriſti, remiſſio peccatorum noſtrorum plena atque perfecta conſiſtit. Quibus in verbis D. Auctor aliquo modo ſequitur verba Pſalmi, in quibus Deus dicit: ſede à dextris meis, *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; quaſi Deus ipſe, poſtquam Chriſtum ad dextram ſuam collocavit, id ſit facturus, & Chriſtus id ab ipſo expectet: cum tamen Chriſtus ipſe poteſtate ac virtute ſibi à Deo conceſſa id ſit facturus, quod perſpicue oſtendit Paulus Philip. 3. ſub finem, cum ait, Dominum Jeſum Servatorem noſtrum transformaturum corpus humilitatis noſtræ, ut id fiat conforme corpori gloriæ ipſius, *ſecundum efficaciam* (ſeu *virtutem*) *qua poteſt ipſe etiam ſubjicere ſibi ipſi omnia.* Quod idem dixerat 1 Corinth. 15. 25. dum inquit: *Oportet eum regnare* (id enim eſt *ſedere ad dextram Dei*) *donec ponat omnes inimicos ſub pedes ſuos.* Eodem modo de Davide, Chriſti hac in re typo, dicitur 1 Reg. 5. 3. Deum poſuiſſe hoſtes ipſius ſub plantis pedum ejus; cum tamen ipſe David potentia atque virtute à Deo accepta id potiſſimum fecerit. Quare improprie dicitur Chriſtus expectare, donec hoſtes ipſius ponantur, nempe à Deo, ſcabellum pedum ipſius. Unde apparet, id quod in expiatione peccatorum noſtrorum ultimum eſt ac præcipuum, Deo ipſi adſcribi, à quo Chriſtus id veluti expectet; & quia ad id perſiciendum Chriſtum per ſanguinis fuſionem in cœlum ingredi, & perpetuo, hoc eſt uſque ad diem redemtionis, ibi manere, ſalutemque noſtram ſollicite curare fuit opus, hunc actum dici poſſe intervenire pro nobis apud Deum ad peccata noſtra expianda. Interdum tamen D. ille ſcriptor de Chriſti ſacerdotio & oblatione agens, & rem nudam ante oculos nobis volens ponere, neglecta aliquantum alluſionis ac comparationis cum ritibus legalibus concinnitate, talem hac in parte Chriſti actionem eſſe aperte indicat, quæ circa nos primo verſetur, non vero circa Deum. Docet id, ut ſupra vidimus, locus ipſius ſub finem cap. 2. atque inprimis vero ultimus ubi modum explicat, quo Chriſtus, tanquam Pontifex in iis quæ apud Deum, peccata populi expiet. Modus vero iſte eſt: *in quo enim ipſe paſſus eſt cum tentaretur, poteſt iis qui tentantur auxiliari. Poteſt*, inquit, h. e. ad id faciendum pronus eſt, aut id facere libenter ſolet. Idem docent verba cap. 4. itidem ſub finem, quæ eandem cum illis cap. 2 ſententiam continent. Ad ea vero confirmanda atque illuſtranda adhibentur à D. Auctore ea, quæ ſubjiciuntur initio cap. 5. ut indicat particula *enim*, quæ initium iſtud cap. 5. cum fine capitis præcedentis connectit. Quare ex illis conſtare poteſt, quid D. Auctor ſibi velit iis verbis, quatenus ea ad Chriſtum accommodari debent, quæ Grotius hic urget; eaque de cauſa totum locum adſcribemus. Eſt autem hujuſmodi: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia ſecundum ſimilitudinem abſque peccato. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus miſericordiam & gratiam ad opportunum auxilium* cap. 5. *Omnis enim Pontifex ex hominibus acceptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ad* (vel *apud*) *Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis, qui poſſit moderate condolere ignorantibus & errantibus, ſiquidem etiam ipſe circumdatus eſt infirmitate*, &c. Ubi vides illis cap. 5 verbis, quod Pontifex conſtituatur in iis quæ ad Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis, nihil in præcedentibus reſpondere, præter illa, quod à Chriſto accepturi ſimus miſericordiam & gratiam ad opportunum auxilium; quod fit cum nobis tentatis ac vehementer trepidantibus ſuccurrit, & ne malorum pondere preſſi tentationi ſuccumbamus, ac peccatorum noſtrorum pœnas luamus, efficit; aut tunc, cum impii ſuorum ſcelerum dant pœnas, ipſe nos tuetur, & ne cum aliis una pernicie involvamur, poteſtate ſua divina intercedit. Quod idem ut vidimus, cap. 2. indicatur in verbis illis, ubi expiationis, quam Chriſtus apud Deum peragat, modus explicatur. At hujuſmodi actio circa nos primo verſatur, non vero circa Deum, niſi improprie loquamur. Animadvertendum autem eſt, in loco utroque, ſed apertius in poſteriori, ob alluſionem ad ſacerdotium legale, & ſimilitudinem quandam, quæ Chriſto cum Pontificibus Aaronicis intercedat, ad Chriſtum etiam accommodari infirmitatem, quæ in Pontificibus iſtis extiterit, quaque ii impelli debuerint, ad aliorum infirmitates tanto promptius expiandas: cum tamen in Chriſto quippiam alterius generis infirmitatibus illis, quæ nihil aliud erant quam lapſus & ignorantiæ, ſeu delicta ex infirmitate profecta, opponatur, nempe tentationes ſeu afflictiones ipſius, quarum memor, nobis tentatis atque afflictis ſuccurrere tanto promtius ſoleat. Ex quo apparet, peccatis etiam illorum, quos Pontifices Aaronici expiare debebant, tentationes atque afflictiones noſtras his locis reſpondere, quarum vis, quam ad nos perdendos habent, dum tollitur, & ab iis nos auxilio Chriſti eripimur, peccata noſtra expiari dicuntur. Itaque non mirum eſt, cætera quoque, quæ de Aaronicis ſacerdotibus dicuntur, alio ſenſu ad Chriſtum accommodari, & quædam de illis proprie, de Chriſto improprie, præſtantiori tamen ſenſu accipi. Multa enim, quæ improprie dicuntur, longe præſtantiora ſunt iis, quæ proprie dicuntur talia. Iſtud adhuc, antequam hinc abeamus, notare libet, Paulum Rom. 15. 17. Licet

de mu-

de munere ſuo Apoſtolico loquatur, cujus vis circa homines primo verſabatur, & quod, ut cum Grotio loquamur, erat pro Deo aut Chriſto apud homines, tamen quia ad ſacrificia ſacerdotiumque alludit, dicere, *ſe habere gloriationem*, ſeu quod glorietur, *in Chriſto Jeſu* τὰ πρὸς θεόν, *in iis quæ ad Deum.*

Addit Grotius Partic. 4: *Accedat illud* Hebr. 11. 24. *ubi ſanguis Chriſti purgatorius dicitur melius loqui, quam ſanguis Abel. Sanguis Abel clamabat ad Deum pro vindicta. Sanguis Chriſti clamat ad Deum pro remiſſione.*

Rem ipſam fatemur: ſed ad ſacrificia hic alludi negamus. Nec recte Grotius, ut ad victimarum expiatoriarum ſanguinem reſpici videretur, vocem ῥαντισμοῦ ſeu *aſperſionis*, quæ nomini ſanguinis additur apud D. Auctorem, reddidit voce *purgatorius* h.e. expiatorius, quod etiam alibi fecit, qua de re monuimus cap. 1. Alludi autem diximus ad ſanguinem fœderis antiqui, quo Moſes illud ſanciens populum conſperſit. Quo autem pacto is ad Deum clamet pro remiſſione, eodem cap. 1. expoſuimus Partic. 31.

Partic. 5. Ex dictis aliquo modo jam patet, quouſque collatio ſacrificii Chriſti cum ſacrificiis legalibus, quod ad rem noſtram attinet, extendenda ſit; quam quia hoc loco inſtituit Grotius, ejus veſtigia legamus, & quid recte aut ſecus dictum, videamus.

Legem dupliciter ſpectari, carnaliter & ſpiritualiter, concedimus. At cum ait, *Carnaliter ſpectari, qua inſtrumentum fuit* πολιτείας *Judaicæ*, vel πολιτείας nomen latius, quam vulgo fieri ſolet, extendit, vel explicatio eſt anguſtior. Nam non tantum Reipub. Judaicæ inſtrumentum fuit, ſed multo etiam magis divini cultus, qui populo Judaico fuit præſcriptus. Multæ enim erant ceremoniæ, quæ ad Remp. nihil pertinebant.

Explicaturus porro Grotius Partic. 6, quomodo ſacrificia legis expiatoria ſanctificarent ad carnis puritatem, ita ſcribit: *Lex Dei hanc habuit ſanctionem: Exſecrabilis eſt quiſquis non manſerit in omnibus verbis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. *Reus ergo pœnæ erat quiſquis vel minimum à Lege deflexiſſet, ut oſtendit* Jacob. 2. 10. *Pœna hæc juxta carnalem ſenſum erat mors violenta: quod ex contrario liquet, quia Legem implenti vita promittitur.* Et poſtquam de ratione, qua pœnas exigere ſoleret Deus, diſſeruiſſet, ſubjicit: *Sed quia legiſlatori licet ſuam legem, præſertim pœnalem, nonnihil relaxare, Deus Rex Hebræorum, in quibuſdam delictis victimas expiatorias admiſit vice ipſius peccatoris, & per illas ac non aliter peccatorem à mortis pœna liberare voluit.*

At primum non omnis immunditia, à qua, victima mactata, homines expurgabantur, lege cavebatur, cum nonnunquam talis eſſet, quam effugere in hominum arbitrio non erat poſitum. Vide Levit. cap. 14. & 15. Deinde non docet Grotius, verba illa legis: *Exſecrabilis eſt*, &c, hiſtorico ſeu literali ſenſu etiam ad eos pertinuiſſe, qui eo modo in Legem aliquam peccaſſent, ut expiari ſacrificiis conſtitutis poſſent. Nam ſi carnaliter, ut cum Grotio loquamur, hæc verba accipiantur, ea non niſi ad illos pertinent, qui elato brachio peccaſſent, ſeu quorum delictum cum contumacia & contemptu divinæ Legis eſſet conjunctum. Talia autem omnia facinora enormia cenſebantur, quamquam non ſola, eaque non niſi morte expiabantur. Si quis autem ſine contumacia, per errorem tantum aut fragilitatem humanam peccaſſet, quia hæc tranſgreſſio auctoritatem Legis non convellebat, fulmine hoc legali non percutiebatur, ſed expiationem habebat, quam ſi prorſus neglexiſſet ſciens prudens, jam per contumaciam cenſebatur peccare, & execrationi reddebatur obnoxius. Patet id ex Numer. cap. 15. ut Socinus alicubi oſtendit. Nam verſ. 23. ideo dicitur expiatum iri delictum populi Iſraëlitici, *quia, error eſt.* Vide etiam verſ. 27. ſed verſ. 28. & 29. dicitur: *Anima vero quæ aliquid fecerit in manu excelſa*, &c. *exſcindetur è medio populi ſui: quia probris affecit Dominum. Nam verbum Domini ſprevit, & præceptum ejus irritum fecit: omnino ergo exſcindi debet hujuſmodi anima* &c. Huc referri poteſt etiam illud Hebr. 10. v. 28: *qui ſpreverit* vel *irritam fecerit* (eſt enim in Græco vox ἀθετήσας *Legem Moſis, ſine ulla miſeratione in duobus vel tribus teſtibus moritur:* quod licet de contemptu Legis univerſæ, ſeu de ἀποστασίᾳ proprie videatur accipiendum, poteſt tamen ad cujuſlibet præcepti violationem, quæ contemptum quendam ejus arguat, & ejus auctoritatem convellat, accommodari. Neque vero Deus, ut æquus Legiſlator, omnes Leges ſanguine ſcripſit, ſed inæqualibus delictis, ut ex variis Legibus apparet, inæquales conſtituit pœnas, expiatione iis conceſſa, quæ Legis ſuæ, ſuique adeo imperii majeſtatem ac reverentiam non everterent; qualia erant fragilitates & ignorantiæ: contumaciam autem, & contemptum Legis ac imperii ſui, unde omnis ordo pendebat, extremo ſupplicio vindicandum ſtatuit. Grotius autem ita accipit illam Legis comminationem, atque ſi ea ſeparatim fuiſſet addita illis Dei præceptis, quæ aliquid facere jubent aut vetant, ſecluſo expiationis beneficio, ſeu iis inſtitutis, quæ expiationem concedunt ac præſcribunt; cum tamen ea univerſæ Legis, in qua expiandi etiam ratio præſcribitur, ſit appendix, & ita accipienda, ac ſi dictum fuiſſet, eum Deo fore exſecrabilem, qui tale quippiam adverſus Legem admiſiſſet, quod ipſius Legis beneficio tolli non poſſit. Satis autem apparet ex iis, quæ præcedunt Deut. 27. ubi verba hæc continentur, de ea exſecratione ſermonem eſſe, quæ Legis ipſius vi tolli non poſſit, qualis non eſt ea, cui Grotius putat obligatos fuiſſe etiam eos, qui expiari ſacrificiis poterant. Neque ſane eſt veriſimile, Deum voluiſſe Legem generalem adjicere, qua omnes in univerſum peccantes ad mortem violentam obſtringerentur, cum tot Leges expreſſas jam poſuiſſet, quibus delicta per fragilitatem & ignorantiam expiarentur. Locus Jacobi 2. 10. quamquam, ſi ſcopum ſpectes, ad Novi Fœderis tempora videtur pertinere, & de habitibus peccatorum loqui, qui non fragilitati ſed contumaciæ imputantur: adde, ſi placet, actus quoſdam adeo graves, ut hominem vero Dei timore non eſſe præditum arguant: ſi tamen eum ad Legis tempora accommodes, itidem, ut legale dictum, *Execrabilis quiſquis* &c, de peccatis elato brachio admiſſis erit accipiendus. Nam qui hac ratione in unum præ-

ceptum

ceptum peccat, is in totam legem peccare cenſendus eſt; cum contemnat ac ſpernat legem eam, quæ non minorem quam cæteræ auctoritatem habet, & quam ab eodem legiſlatore fixam, à quo cæteræ ſunt latæ, is, qui peccat, probe novit. Quare eadem ratione cæteras omnes facile videtur ſpreturus, vel potius hoc facto ſuo ſpreviſſe. Qui vero per ignorantiam aut fragilitatem peccat, & peccatum ſuum expiari ea ratione, quæ à legiſlatore conſtituta eſt, curat, is auctoritatem legis convellere non eſt cenſendus, imo pro eo habendus, qui eam inviolatam ac ſacroſanctam eſſe velit.

Hinc jam concidit illud quod Grotius infert, victimas expiatorias admiſſas à Deo *vice peccatoris*; cum delicta pro quibus offerebantur, capitalia non eſſent, ſed tum demum capitalia evaderent, ſi quis expiationem prorſus neglexiſſet: quamquam tum neglectus forte potius expiationis, quam ipſa legis alterius tranſgreſſio vindicabatur. In eum enim ſevere animadverti Deus voluit, ut vel ex ea conſtat lege, quæ extat Numer. 19. 20: *Vir* (ſeu *homo*) *qui immundus fuerit, & non purificaverit ſe, excidetur anima illa è medio congregationis, quia Sanctuarium Jehovæ polluit.* Vid. etiam v. 13. & Levit. 23.28,29,30. ubi de ſolenni illa expiatione anniverſaria, qua omnia peccata, quæ vi legis expiari poterant, purgabantur. Quamquam præterea etiamſi talis ſubrogatio admitteretur, indè tamen nulla prorſus ſequeretur ſatisfactio ſeu compenſatio vera: nec eadem protinus in noſtro negotio eſſet ratio, ut infra dicetur.

Sed ait Partic. 7. *Temere jurans mortem merebatur ex Lege* Exod. 20. 7. *ſed per victimam expiari poterat*, Levit. 5. 5. *Expiabit eum ſacerdos, inquit Lex, & remittetur ei*, Levit. 5. 6. 13. *Sic qui fidem depoſiti aut Societatis fefelliſſet, aut alium dolo decepiſſet, aut furatus eſſet quippiam, reus erat inquit Lex* Levit. 5. 23. *Ex edicto nimirum, quod extat* Exod. 20. 15. XVI. 17. *Sed idem reus præter damni reſtitutionem, ad quam tenebatur læſo, victima data expiabatur, & remittebatur ei quod fecerat.* Levit. 5. 26. *Et paſſim conjunguntur iſta, expiatio & remiſſio*, Numeror. 15. 28. Levitic. 4. 20. Levitic. 5. 13, 18, 26.

Atqui Exod. 20. 7. Nec mortis pœna eſt expreſſa, ſed ſimpliciter tantum dicitur, Deum illum hominem, qui temere ſeu falſo jurarit, non habiturum inſontem, quod de variis pœnis intelligi poteſt, quæ hominem ejuſmodi maneant, præter mortis ſupplicium: &, etiamſi pœna mortis eſſet expreſſa, ſtatuendum tamen eſſet, per Legem ſpecialem, quæ extat Levit. 5. generaliorem illam eſſe limitatam, & caſum expreſſum fuiſſe excipiendum; adeoque licet is verbis legis generalioris comprehenderetur, ſententia tamen non amplius fuiſſe comprehenſum, quod cum ſit, relaxatione non eſt opus, ſed, ut Grotius cap. 3 docuit, interpretatione κατ' ἐπιείκειαν, ſi quidem Lex generalior ac rigidior urgeatur. Locus ſane Exod. 20. de perjurio deliberato animo videtur intelligendus: at iſte Levit. 5. 4. de eo, quod quis juraverit, ſed poſtea oblitus neglexerit. Idem de eo dici debet, qui fidem depoſiti aut Societatis fefelliſſet, alterum dolo decepiſſet, aut furatus eſſet. Idque tanto magis, quod ex aliis locis conſtat, pœnam furti non fuiſſe mortem, ſed reſtitutionem dupli, quadrupli, quintupli, Exod. 22 ab initio, de furto autem loquitur locus Exod. 20. 15. & ratio idem docet. Nam ſi pro oculo, quem quis alteri excuſſiſſet, oculus tantum eruebatur, cur ob alia bona longe viliora, quæ quis alteri abſtuliſſet, vita eriperetur? Locus Exod. 16. 17. Nihil prorſus ad rem pertinet, ſi voluit Grotius notare cap. 21. 16. ejuſdem libri, in eo de plagio agitur, non de ſimplici furto, de quo ſermo eſt Levit. 6. Quod vero paſſim conjungantur iſta, expiatio & remiſſio; id non probat, peccatis illis, quæ expiarentur, capitalem pœnam Lege fuiſſe conſtitutam. Cum remiſſio ad quamvis pœnam referri queat; & pœna infligi jure poſſit, etiam ubi expreſſe non eſt conſtituta.

Infert Grotius Partic. 8: *In quibuſdam ergo delictis quod ad pœnam carnalem attinebat, admittebatur placamen, redemptio, ſatiſfactio, compenſatio denique mortis beſtiæ cum morte hominis alioqui debita.*

At ſi hæc vocabula eo ſenſu accipiantur, quo vulgo de morte Chriſti ſumuntur, nihil horum ex ſuperioribus colligi poteſt. Quanquam quacunque ratione accipiantur, non eſt illud admittendum, quod de morte hominis debita, quæ compenſanda eſſet, aſſerit, ut ex dictis conſtat. Sed quæ compenſatio poteſt eſſe vera inter beſtiam & hominem, præſertim inter unam aut alteram, & homines infinitos, omniaque ipſorum peccata, ut in ſacrificio anniverſario ſolenni?

Poſtquam docuiſſet Grotius Partic. 9: *Legem in univerſum pro delictis omnibus talem relaxationem non admiſiſſe*, ſubjicit: *In expiatione mortem pecudis morti hominis ſubrogari, manifeſtum quoque eſt ex eo, quod* Deuter. 21. *conſtituitur, ut homicida non reperto, populus expietur pecude cæſa: ubi & expiandi vox explicatur. Expia populum tuum Deus, & ne imputes ſanguinem innocentem. Alioqui vero non poterat terra expiari à ſanguine effuſo, niſi per ſanguinem effuſoris, ut ait Lex* Numer. 35. 34. *Huic loco addatur alter* Levitic. 17. 11. *Anima cujuſque carnis in ſanguine, ego vero deſtinavi vobis eum in altari, ad expiationem faciendam pro animis veſtris. Nam ſanguis eſt qui pro anima expiationem facit. Item tertius* Levit. 10. 17. *Ubi victima dicitur reorum iniquitates portare, cujus phraſeos vim alibi explicavimus.*

Sed qua ratione mors pecudis homicidæ morti ſubrogabatur? an ea ratione ipſe homicida liberationem à mortis ſupplicio conſequebatur, ita ut nec Deus eum morte plecteret, nec Magiſtratus aut vindex ſanguinis, etiamſi eum poſtmodum deprehendiſſet? non arbitror id Grotium ſentire, nec ex loco adducto id patet. Non enim homicida, ſed populus iſta victima expiabatur. At populus mortis pœnam non erat meritus, in eo præſertim caſu, cum auctor cœdis ignoraretur; neque tum temporis obſtringebatur ea Lege, quæ extat Numer. 35. 34. quæ tum demum habebat locum, cum homicida eſſet deprehenſus, ut res ipſa ſatis monet; neque tum licebat pecudem in ejus locum ſubrogare. Non ergo hic vera fuit ſubrogatio mortis pecudis in locum mortis homicidæ: ſed tantum mors pecudis in eo caſu idem præſtabat ex divino inſtituto, reſpectu terræ aut populi Iſraëlitici, quod præſtitura fuiſſet mors homicidæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cidæ, ſi fuiſſet deprehenſus. Quod ſi ſubrogationem nominare velit Grotius, per nos licet; ſed id non eſt, de quo inter nos eſt quæſtio. Nam de ea ſubrogatione eſt quæſtio, quæ ei ipſi, in cujus locum victima ſubſtituatur, à morte, idque ſua vi, pariat liberationem. Explicationem vocis Expiandi nos libenter admittimus; imo contra veram ſatiſſactionem urgemus. Nam *non imputare*, & ſatiſſactionem veram ſeu plenam admittere, ſe mutuo evertunt. Quare etiam *Expiatio* veram ſatiſſactionem tollet. Imo quia hoc loco *Expiandi* actio ipſi Deo tribuitur, patet, Expiare non eſſe placare, aut ſatiſfacere; &, de Chriſto recte dici poſſe, quod Expiet, etiamſi neminem placet, nemini vere ſatiſfaciat. Satis eſt, quod nobis peccata non imputet, ac pœnas commeritas efficacia ſua auferat. Qua in re partim cum Deo, partim cum Sacerdote conferendus eſt. Cum Deo; quatenus ipſe, ſua poteſtate pœnas aufert, non vero, ut ab alio auferantur, revera impetrat. Cum Sacerdote; quatenus à ſeipſo remiſſionem hanc non confert, ſed per ſanguinis fuſionem in cœlum ingreſſus, & coram Deo comparens, curamque ſalutis noſtræ gerens, eam nobis apud Deum quodammodo comparat, eo nempe pacto, quo ſuperius explicuimus Partic. 3.

Locus Levit. 17. 11. cui tantum ab iis, qui ſatiſfactionem defendunt, tribui ſolet, quid roboris habet ad ſententiam Grotii probandam? Nam ſi Hebræa verba conſideres, nihil ibi aliud dici deprehendes, quam ſanguinem, de quo dictum fuerat, quod in eo pecudum ſit anima, Expiare ſuper anima, aut in anima. At hoc non ſignificat, ſanguinem illum eſſe vice animæ humanæ: ſed animas à labe ipſis aſperſa ſanguine expurgari, & à reatu liberari. Neque vero, quod alicui locum non inſpicienti, aut cum iis, quæ antecedunt, non conferenti poſſit videri, verba iſta: *Anima carnis in ſanguine eſt*, afferuntur ad oſtendendum, unde ſanguis vim expiandi animas humanas habeat: ſed rationem exprimunt primam, cur nemo ſanguinem debeat comedere, quod verſiculo præcedente, cum quo hæc verba per particulam, *Nam* conjunguntur, dictum fuerat. Eadem ratio claris verbis repetitur verſ. 14. & indicata etiam fuerat Gen. 9. 4. ubi præceptum iſtud de ſanguine non comedendo primo proponitur. Huic rationi altera deinde eodem verſ. adjungitur, quod Deus ſanguinem animalium tam ſancto uſui, nempe animarum expiationi, deſtinarit ſuper altari. Quare eum non debere vulgari illo uſu profanari. Unde ſtatim ſubjicitur verſ. ſequenti: *Idcirco dixi filiis Iſraël: Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem.* Neque ſane in Hebræo eſt: ego *vero* deſtinavi illum &c. Ut habet Grotius: ſed, *&* ego dedi illum &c. ratio nempe altera rationi ſubjungitur. Similem rationem leges de adipe non comedendo cap. 3. hujus libri circa finem, & c. 7. 24. & ſeqq. quo utroque in loco adeps & ſanguis hac in parte inter ſe connectuntur quemadmodum etiam verſ. 33. ejuſdem cap. Ad oblationem enim potiſſimum adhibebantur. Vide Ezech. 44. 7. 15. Similis ratio affertur de unguento Sacerdotali & ſuffimento Sacro non uſurpando Exod. 30. 32, 33, 37, 38. Non fuiſſe autem ſanguinem victimarum datum loco animæ humanæ, ex ſuperioribus liquet.

In loco autem Levit. 10. 17. non parum erravit Grotius. Neque enim ibi (*a*) dicitur, *victima reorum iniquitates portare*; ſed potius ſacerdos; eſtque ibi *portare iniquitates*, eas auferre, vel ablatas declarare. Qua de re ſatis cap. 1. (*b*) dictum.

Subjicit Grotius: *Hanc ſubrogationem Socinus non vult agnoſcere, neque fateri per victimas ullo modo Deum motum, ne peccata puniret. Idque ut probet, duo hæc adfert: non potuiſſe errata hominum in beſtiis puniri, quia nulla inter homines & beſtias ſit ſpeciei communio. Neque Deo dari quicquam poſſe, qui eſt omnium Dominus.*

At Socinus nihil aliud iſtis rationibus voluit oſtendere, quam *victimas legales nullam vim per ſe habuiſſe divinæ juſtitiæ ſatiſfaciendi*, quæ ſunt ipſius verba, eo loco ſcripta, unde Grotius has rationes excerpſit, lib. 2. cap. 10. At hoc longe differt ab eo, quod Grotius eum probare voluiſſe affirmat. Potuiſſet enim aliquid, Deo ita volente, in locum peccatoris, mortis pœnam alioqui laturi, ſubſtitui, aut etiam Deum aliquo modo ad eum liberandum movere, quod tamen nullam per ſe vim haberet divinæ juſtitiæ ſatiſfaciendi, ſeu delictum pretio ſuo compenſandi. Neque nos ideo ſubrogationem iſtam victimarum in locum peccatoris, de qua Socinus nihil revera diſputat, negavimus, quod ea ſatiſfactionem veram ſtabiliat, ſed quod veritati alias non ſit conſentanea. Quid enim? an mors beſtiæ mortem hominis commeritam, aut etiam infinitorum hominum, qui eadem nonnunquam expiabantur victima, ſua vi, ſuove pretio æquabat aut compenſabat? Si dicat Grotius, ſubrogatione illa victimarum conceſſa hoc ſaltem ſe obtenturum, Chriſtum quoque pro nobis ſubrogatum, ac proinde etiam pro nobis ſatiſfeciſſe; reſpondemus primum, ne ſubrogationem quidem illam licet proprie dictam, ad ſatiſfactionem veram, quam Socinus negat, ſtabiliendam ſatis fore, ut in fine ſuperioris cap. oſtendimus: deinde rem ipſam non pati, ut in ſubrogatione proprie dicta Chriſtus ſtatuatur victimis ſimilis. Mors enim pecudis, & hominis, qui peccaverat, ejuſdem fuiſſet generis, nempe violenta, nec infinita inter utramque fuiſſet diſtantia. At mors Chriſti, & ea, quam nos eramus meriti, diverſi fuit generis, & infinita inter utramque diſtantia. Præterea ſub Lege ſacrificio rite peracto ſtatim conſequebatur vi promiſſi divini remiſſio: at ex morte Chriſti non ſtatim nos remiſſionem ac liberationem à morte conſequimur. Non eſt ergo hic vera ſubrogatio, multo minus vera ſatiſſactio. Quod ſi aliam quandam ſubrogationem improprie dictam urget, eandem nos cum Socino agnoſcere ſuperius docuimus. Illud quoque non ſatis recte dictum eſt à Grotio: Socinum nolle agnoſcere, neque fateri, per victimas *ullo modo Deum motum* ne peccata puniret. Motum enim negat Deum Socinus, ſi vox *movendi* proprie, quatenus quidem hic proprietas locum habet, accipiatur, ut ex iis colligi poteſt, quæ cap. 8. (*c*) diximus. Quod ſi eo modo Deum ſacrificiis motum dicas ne peccata puniret, quod non aliter niſi hac conditione præſtita voluerit pœnas remittere, id libenter fatetur Socinus. Docet enim, victimarum oblationem, obedientiam quandam Deo præſtandam, quanquam

(*a*) Partic. 33. (*b*) Partic. 10. (*c*) Partic. 3.

levem, continuiſſe, quam ex promiſſo Dei levium quorundam erratorum ac peccatorum venia conſequeretur. Sed videamus tamen, quid contra Socini rationes afferat Grotius.

Prius, inquit Partic. 11, *falſum eſt: nam quemadmodum differentia individualis (ut loquuntur) non impedit, quominus alter poſſit luere pœnas peccati alieni, modo ipſa mali inflictio per ſe injuſta non ſit (ut ſupra oſtenſum eſt) ita nec ſpeciei diverſitas impediet, quominus beſtia, quæ alioqui etiam juſte poterat occidi, impendatur exemplo, ut in ipſius morte appareat quid homo ſit commeritus. Neque conjunguntur homo & beſtia ſolo genere animantis, verum ea quoque relatione, quæ eſt inter poſſeſſorem & rem poſſeſſam. Eſt enim beſtia in univerſum ſub humano dominio: & ſpecialiter expiandus de ſuo dare victimam jubebatur* Levit. 5. 6, 7.

Hæc argumentatio potius quam exceptio Grotii, primum non probat id, quod Socinus negarat, nempe victimas legales vim per ſe habuiſſe divinæ juſtitiæ ſatiſfaciendi. Deinde in ea tanquam paria ſumuntur, quæ admodum ſunt diſparia. Etenim cum tanta requiratur inter eum, ob cujus delictum alter punitur, & eum, qui punitur, conjunctio, ut vel ob eam ipſam is, qui puniendus eſt, alieni delicti particeps eſſe videatur; hanc quidem conjunctionem facile admittit individualis differentia, non perinde ea, quæ eſt ſpeciei ac naturæ; multo autem magis prohibet ea differentia ſatiſfactionem divinæ juſtitiæ præſtitam, de qua Socinus. Quomodo enim mors beſtiæ, etiamſi ea tandem puniretur, compenſaret pretio ſuo capitale hominis ſupplicium, & ſic divinæ juſtitiæ ſatiſfaceret? Præterea ad pœnam juſte infligendam illud etiam requiri, ut is, qui puniri debet, culpæ ſit affinis, nec ſufficere, ut alieni delicti occaſione affligi poſſit, cap. 4 oſtendimus. *Exempli* voce Grotius ſibi impoſuit. Aliud enim eſt pœnam proprie dictam alieni delicti exigere, aliud in beſtiæ morte oſtendere, quid homo ſit commeritus. Adumbratio hæc pœnæ eſt, non vero pœna. Neque nos cum Chriſtum pro nobis punitum negamus, hujuſmodi pœnam intelligimus, ut cap. 1 patuit. Quanquam etiam illud jam docuimus, victimas ad capitalia ſupplicia expianda non ſolitas adhiberi. Quare dum eæ fuerunt mactatæ, non oſtenſum fuit revera, quid homo eſſet commeritus. Quod vero ea quoque ſit conjunctio inter hominem & beſtiam, quæ eſt inter poſſeſſorem & rem poſſeſſam, id nec per ſe contra Socinum facit, qui id non negat; nec oſtendit, beſtiam hominis loco vere puniri, aut, quod amplius eſt, pro eo per ſe divinæ juſtitiæ ſatiſfacere potuiſſe, id quod Socinus negat.

Quod Grotius Partic. 12, ad alteram Socini rationem reſpondet, id, quod ab eo aſſeritur, ad rem non pertinere; quia non ſequatur, ſi Deo nihil accedat per ſacrificia, ideo Deum ſacrificio non moveri, id reſpondere non potuiſſet, niſi Socini concluſionem prius pervertiſſet. Hoc enim rectiſſime concluditur, divinæ juſtitiæ ſacrificia per ſe non ſatiſfeciſſe, quia earum oblatione nihil Deo detur, qui omnium ſit Dominus Pſal. 24. 1, & 50. 10 & ſeqq. Actione grata & placente ſolere ſatiſfieri, ſi vocem ſatiſfactionis in eum ſenſum accipiat, in quem Socinus, cum negat, juſtitiæ divinæ ſacrificiorum oblatione ſatiſfieri; id non ſemper, imo rarius contingit; & reſpectu Dei quod ad peccata attinet, nunquam. Si ſatiſfactionis vocem alia ratione accipiat, ut ſignificet deſiderium ejus, qui benigniſſime agit, & de jure ſuo liberaliter remittit, implere, nihil id adverſus Socinum facit. Talem enim ſatiſfactionem libenter admittit, ut cap. 6, partic. 44, eſt oſtenſum.

Ex dictis patet, ea quæ Grotius ex ſuperioribus deducit Partic. 13, ſi in eum ſenſum accipiantur, quæ Socini ſententiæ repugnat, nullo fundamento niti. Qua reponſione contenti eſſe poſſemus: ſed, ut veritas manifeſtior fiat, nonnulla hoc loco, antequam ulterius progrediamur, libet annotare, quæ à Grotio in hac ſacrificiorum legalium & Chriſti compartione neglecta, eum in errorem induxerunt. Primum eſt, non omnia legalia ſacrificia pro peccato eſſe conferenda cum Chriſti ſacrificio, tanquam typos cum ſuo antitypo, ſeu figuras cum ſuo corpore, ut hic facit Grotius: ſed tantum ſacrificia illa, quæ publice, hoc eſt, pro univerſo populo, & ſtatis quibuſdam temporibus fiebant, præſertim vero illud, quod ſemel in anno ſummus ſacerdos in ſancta ſanctorum ingrediens peragebat. Cætera enim ſpiritualibus Chriſtianorum ſacrificiis, ſive omnium ſimul junctorum, ſive ſingulorum, reſpondent. Qua de re agetur infra. Alterum eſt, cum ſacrificiis ſeu oblationibus iſtis non tam mortem Chriſti, quod facit Grotius, quam ingreſſum ipſius in cœlos, morte interveniente factum, ſeu ipſius coram Dei vultu apparitionem, cum ſumma ſalutis noſtræ cura conjunctam, conferri debere, & huic potiſſimam expiandi vim ob divinam, quæ ei adjuncta eſt, poteſtatem, eſſe tribuendam. Quemadmodum etiam, ſi typos hujus ſacrificii ſpectes, potiſſima expiandi vis, quam illa ſacrificia ex Dei voluntate habebant, non in mactatione pecudis, ſed in illatione ſanguinis in ſancta & aſperſione coram Deo conſiſtebat. Mors autem Chriſti cum mactatione victimæ conferenda eſt, quæ non fuit ipſa revera oblatio, ſed ejus initium, & neceſſarius ad eam aditus: qua de re alibi jam quædam diximus, quædam dicentur infra. Ex his tertium conſequitur: ſacrificii Chriſti vim non in eo cerni, quod Deum ad remittendum moveat, ea præſertim ratione, qua ne morti quidem Chriſti id tribuit Socinus, aut Dei juſtitiæ ſatiſfaciat, (quid enim tale præſtat Chriſti in cœlum ingreſſus, & coram Dei vultu apparitio?) ſed ratione longe præſtantiore ac diviniore; nempe ipſam peccatorum remiſſionem præſtando, ſeu pœnas ea, qua ſub initio (a) diximus, ratione avertendo, & in nobis ea, quæ ad remiſſionem obtinendam ſunt neceſſaria, efficiendo. Quare ſacrificium Chriſti, ut itidem ſupra (b) monuimus, non mera eſt conditio obtinendæ à Deo remiſſionis, ut ſacrificia legalia, ſed vera potius cauſa efficiens, efficaciter eam nobis præſtans, qua in re antitypus typum, corpus umbram ac imaginem longe ſuperat, eique diſſimile eſt. Ex quo patet Grotii error, qui in hac collatione ſacrificii Chriſti & victimarum legalium hoc maxime urget, quod, quemadmodum hæ Deum ad remittendum

(a) Sup. partic. 2. (b) partic. 3.

move-

moverint, moverint, inquam, propria aliqua ratione, ita & illud; atque hoc demum pacto reatum ſpiritualem ſuſtulerit. Qua in re dignitati ſacrificii Chriſti multum detrahit; neque animadvertit Auctorem divinum, qui hanc comparationem ſacrificiorum diligentiſſime perſequitur, nuſpiam id aſſerere. Quod vel ex eo patet, quod Grotius hoc loco ſat fuſe collationem illam ex auctore divino repetens, & ſuam ſententiam confirmare laborans, ne verbum quidem, quod id auctor divinus explicarit, proferre potuit. Commemorat quidem Grotius *impetrationem remiſſionis peccatorum*, tanquam Auctoris verbis comprehenſam, & ad comparationem illam vere pertinentem, *impetrandi* voce motionem illam, ut ita loquar, Dei ad remittendum intelligens: ſed Div. Auctor in ℣ſ. 22. cap. 9, in quo iſtam remiſſionis impetrationem contineri vult Grotius, nihil dicit aliud, quam ſine ſanguinis fuſione non fieri remiſſionem, nempe ſecundum legem, ut ex verbis proxime antecedentibus intelligitur; quod ſua vi non ſignificat, Deum fuſione iſta ſanguinis ad remittendum moveri, ea præſertim ratione, qua Socinus verbum movendi ſolet accipere: ſed tantum, eam fuiſſe cauſam mediam, vel cauſam ſine qua non, ut vocant, remiſſionis. Præterea ſanguinis fuſio non reſpondet ſacrificio Chriſti perfecto, ſed, ut per ſe patet, fuſioni ſanguinis Chriſti, ſeu morti ipſius cruentæ. Fatemur autem eatenus dici poſſe, Chriſtum morte cruenta nobis remiſſionem peccatorum à Deo impetraſſe, quatenus conditio fuit ipſi à Deo impoſita, qua interveniente in cœlum ingredi, & divinam illam poteſtatem, unde peccatorum noſtrorum remiſſio pendet, adipiſci debuit, atque adeo adeptus eſt.

Cætera, quæ hoc loco ſubjicit Grotius Partic. 14, ad comparationem illam ſacrificiorum pertinentia, ſunt extra controverſiam, licet non omnia divini auctoris verba recte ad ſuum inſtitutum accommodet aut explicet. Eſt quidem commune ſacrificio expiatorio legali & ſacrificio Chriſti, quod ſine ſanguinis fuſione non fit remiſſio: ſed verba Hebr. 9. 22, de iis tantum, quæ ſub Lege fiebant, loqui, non ſemel monuimus. ℣ſ. 23 & 24, non expiatio legalis dicitur ὑπόδειγμα, & ἀντίτυπον illius cœleſtis ſive ſpiritualis, ſed ea, quæ olim ad cultum divinum adhibebantur, atque à Moſe aſperſa fuerant ſanguine, ut dictum fuit ℣ſ. 21, appellantur ὑποδείγματα eorum, quæ in cœlis; & ſancta manufacta dicuntur ἀντίτυπα ſanctorum verorum, hoc eſt, ipſius cœli, ut Auctoris verba manifeſte docent, quamquam alias & iſtud, ſi recte intelligatur, concedi poteſt, ut inferius intelligetur. Cum dicitur ℣ſ. 9, victimas legales non potuiſſe ſecundum conſcientiam perficere cultorem, quod tamen præſtat ſacrificium Chriſti ℣ſ. 14, non hoc tantum, imo non hoc revera intelligitur, licet alias veriſſimum ſit, victimas legales non potuiſſe auferre mortem æternam, Chriſti ſacrificium poſſe: ſed, illas non potuiſſe auferre reatum peccatorum ad conſcientiam hominum proprie ſpectantium, quem in levioribus quibuſdam, & ad carnem potius quam hominis conſcientiam pertinentibus auferebant; nec vim habuiſſe homines ab ipſis peccatis liberandi, & ſic efficiendi, ne in poſterum conſcientiam ſuam peccatis pollucrent: quod utrumque ſacrificium Chriſti præſtare ℣ſ. 14, dicitur.

Ad ea loca, in quibus Chriſtus agens dicitur, quæ Grotius eodem dicit reſpicere, quo reſpiciunt ea, quæ de ſacrificio Chriſti loquuntur, per ea, quæ diximus, ſatis eſt reſponſum. Quædam tamen de iis mox dicemus explicatius.

Quod addit Grotius Partic. 15: *neque multum ad rem faceret, etiamſi non ſoliti eſſent in lege agni pro peccato immolari*, in eo reſpicit ad verba Socini cap. 9. lib. 2, quem locum paulo poſt annotat Grotius, ubi Socinus aſſerit, *nec Johannem Baptiſtam nec alium quemquam ſub Novo Fœdere, qui Chriſtum agnum appellaverit, ad figuratam in Vetere Fœdere expiationem peccatorum vere reſpicere potuiſſe: ſed ad ſacrificia in univerſum, quibus non ſolum apud Hebræos, ſed etiam apud gentes peccata expiari credebantur; quia in Vetere Fœdere, pro peccato nullus agnus immolaretur* &c. *exceptis quibuſdam pauciſſimis ſacrificiis, in quibus non quidem pro peccato ſed pro delicto agnus mactabatur*; & videre jubet Levit. 14. 12, & Num. 6. 12. Quibus verbis non negat Socinus, iis in locis, ubi Chriſtus agnus dicitur, reſpici ad ſacrificia legalia, imo id aperte affirmat: ſed non ad figuram ſeu typum legalem, qui ad Chriſtum nominatim adumbrandum ex Dei voluntate eſſet deſtinatus, vere reſpici. Nam alludi poteſt etiam ad id, quod alterius rei typus verus non eſt, modo inter id, & rem, de qua agitur, ſimilitudo aliqua ſit & convenientia, qualis eſt etiam inter Chriſti & Gentium ſacrificia, quæ tamen illius typum fuiſſe nemo dixerit; itemque inter Chriſti regnum & terrenorum Principum imperia generatim conſiderata, ad quæ, cum de illo agitur, non ſemel alluditur; inter conjugium ſeu matrimonium, & noſtram ſpiritualem cum Chriſto conjunctionem; inter epulas, & cœleſtia noſtra gaudia; ut alia innumera comparationum exempla in Sac. Literis extantia omittam. Comparationem ergo inter Chriſtum & ſacrificia, præſertim expiatoria, generatim conſiderata, iis in locis, ubi Chriſtus agnus dicitur, non negat Socinus, idque vel ob ſimilitudinem potiſſimum effectus, hoc eſt, expiationem ſeu ablationem peccatorum, ut in Baptiſtæ verbis, etiamſi in illis mactationis aut oblationis nominatim non habeatur ratio; vel ſimul etiam ob mactationem ac ſanguinis fuſionem, ut in aliis quibuſdam Sac. Scripturæ locis. Agnum autem pro pecude in univerſum, quæ in ſacrificiis mactari ſoleret, poni, & hanc potius quam aliam, ad innocentiam, puritatem ac manſuetudinem Chriſti deſignandam nominari aſſerit.

Iſtud mirandum eſt, quod addat Grotius Partic. 16: *Verum inſuper liquet agnum in contaminationibus expiandis fuiſſe uſurpatum* Levit. 14. 12, & Num. 6. 14, *quæ quidem contaminationes in Lege Veteri peccato eouſque æquabantur, ut & peccati nomen acciperent. Unde & agnus ille in reatum ſive delictum offerri utrobique dicitur: & altero loco diſerte additur, quia peccavit circa cadaver* &c. & ad marginem adſcribat: *Contra Socini lib. 2. cap. 9*, quaſi hoc ipſum Socinus non agnoviſſet, aut contrarium ſcripſiſſet; cum tamen hoc & ſcripſerit, & locis iiſdem, quibus Grotius, comprobarit, in iis verbis, quæ Grotius re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

futare ſe oſtendit. Oſtendendum erat Grotio, ad iſta tanquam ad typum quendam vere ac nominatim reſpici, cum Chriſtus agnus à Johanne dicitur, qui peccata mundi tollat. Etiamſi autem nonnunquam contaminationes iſtæ, quas Socinus *Delicti* nomine intelligit, Peccati nomen accipiant, id tamen adverſus Socinum nihil facit. Apertiſſimum enim eſt ex ejus verbis, ipſum, Sacras Literas hac in parte ſequutum, Peccati nomen ſtricte accepiſſe, quatenus à Delicto ſeu Contaminatione diſtinguitur, & ejuſmodi labem intellexiſſe, cui Peccati aut Tranſgreſſionis nomen magis proprie convenit. At cum Peccati vox etiam ad Contaminationes tranſſertur, laxior aut minus propria eſt ejus ſignificatio.

Quod de victima paſchali, quæ in prima inſtitutione aliquid habuerit expiatorii, addit Partic. 17, id nihil ad rem facit, cum Socinus una cum Coveto de ſacrificiis expiatoriis ſub ipſa Lege loquatur. Neque Exod. 12. 5, dicitur, eam plerumque fuiſſe agnum, ſed ſine diſcrimine vel agnum vel hœdum. Si nihilominus plerumque agnus fuit, id ex eventu eſt, non ex inſtituentis præcepto. Quamquam ex verbis Moſis, rationem hujus ceremoniæ diligentiſſime explicantis, non conſtat, Deum voluiſſe eo ſanguine præterita Iſraëlitarum peccata, quibus ſe imitatione Ægyptiorum contaminaſſent, expiari, ſed tantum eum voluiſſe hac veluti nota diſtingui domos Iſraëlitarum & Ægyptiorum, quo præcepto neglecto eaſdem cum Ægyptiis pœnas fuiſſent incurſuri. Vid. ℣ſ. 13, 23. Quare non eſt veriſimile, Johannem cum Chriſtum vocaret agnum, qui peccata mundi tollat, iſtuc reſpexiſſe.

De Agna vero cur teſtimonium affert Grotius Partic. 18, cum de Agno expreſſe loquatur Socinus, &, ne quis hic errare poſſit, Agnum ab Agna ſatis aperte diſtinguat, dum Agnam ſive capellam pro peccato privati immolari ſolitam ſcribit, notatis in margine locis Levit. 4. 28, 32, & cap. 5. 6, quem poſteriorem hic citat Grotius.

Addit Grotius Partic. 19: *Agnus autem cum dicitur Chriſtus, ſacrificium notari, & quidem pro peccato.* Si hoc tantum vult, ad ſacrificia pro peccato reſpici, & ad ea alludi, nihil id adverſus Socinum. Si vero id vult, omnibus in locis, in quibus Chriſtus agnus dicitur, eum conſiderari ut ſacrificium, hoc eſt eatenus revera ſpectari, quatenus ad reatum peccatorum tollendum immolatus ac Deo oblatus eſt; id nequaquam probant loci à Grotio citati 1 Petr. 1. 18. Apoc. 5. 6, 9, 12. xiij. 8. Neque enim primum, quod in his fit, id in omnibus locis, ubi Chriſtus agnus dicitur, præſertim ubi nulla mactationis aut ſanguinis fit mentio, qualis eſt in locis citatis, fieri eſt neceſſe; cum manſuetudinis aut puritatis ſingularis, aut ablationis peccatorum ſimpliciter in ejuſmodi appellatione haberi poſſit ratio, licet ad ſacrificia interea aliqua ratione alludatur. Verum neque in his ipſis locis, licet mactationis aut ſanguinis fiat mentio, & ad ſacrificia expiatoria alludatur, Chriſtus eatenus conſideratur, quatenus Deo fuit oblatus; neque ablatio reatus aut pœnarum ei tribuitur, ſed in loco Petri & Apoc. 5, id ei tantum adſcribitur, quod nos ipſius ſanguine fuerimus redemti à vana converſatione, hoc eſt, ab impia vita liberati & abſtracti; quod nos ſanguine ſuo emerit Deo, hoc eſt morte cruenta effecerit, ut nos Dei ſervi ac mancipia fieremus. Eodem ſenſu etiam cap. 7. 14, dicitur, homines ſanctos ſtolas ſuas in ſanguine Agni laviſſe, hoc eſt vitam ſuam ab omni ſcelerum labe vi mortis Chriſti cruentæ repurgaſſe, ſpe immortalis vitæ certiſſima inde concepta.

Ex his liquet, quid reſpondendum ſit ad ſequentia Grotii verba, dum ait Partic. 20: *Unde pluſquam manifeſtum eſt, cum dixit Baptiſta Chriſtum eſſe Agnum, qui auferret Mundi peccata* Joh. 1. 29, *de peccatis ibi præteritis agi, non de futuris, & de auferendo per remiſſionis impetrationem apud Deum, non autem per fidei ingenerationem.* In verbis Baptiſtæ agi de peccatis præteritis, & de reatu auferendo, etiam Socinus ſcripſit, nec de eo quæſtio eſt; ſed id quæritur, an de præteritis peccatis tantum, & de ſolo reatu auferendo in iis ſit ſermo. Nos nihil arbitramur obſtare, quominus in iis agatur etiam de expiatione peccatorum futurorum, hoc eſt eorum, quæ poſt agnitam veritatem per fragilitatem admittuntur, & de ablatione ipſorum peccatorum ſeu liberatione noſtri ab impia vita; cum videamus alibi ſanguini Agni id ipſum aperte tribui. Quod de futurorum peccatorum expiatione hoc eſt reatus ablatione diximus, id ipſum facile concedet Grotius; qui fortaſſe *futura* peccata aliter quam Socinus accepit, & ſic ea in parte ipſum reprehendit. An enim illa Chriſti ſacrificio non expiantur? quid ergo impedit, quominus eorum quoque expiatio Chriſto tum adſcribatur, cum Dei Agnus dicitur, & ablatio peccatorum mundi eidem tribuitur? Neque obſtat quod ad ſacrificia Veterum alludatur, quæ nihil aliud, quam præteritorum peccatorum reatum auferebant, aut auferre credebantur. Comparatio enim ſita eſt in ablatione peccatorum ſimpliciter, non in modo aut perfectione. Illa quæ ſub Lege offerebantur, peccata auferebant imperfecte, Chriſtus Dei agnus perfecte. Illa enim præterita peccata tantum, & quidem non omnia, ſed ſolum leviora delebant: Chriſtus præterita omnia, quotcunque aut quantacunque tandem ſint, & futura: illa reatum ſolum, eumque temporarium, tollebant, ab ipſis peccatis homines non abſtrahebant: Chriſtus non modo reatum ac pœnam, maxime æternam, aufert, ſed ab omnibus peccatis, quæcunque perpetuæ remiſſioni obſtant, avocat & liberat. Qua de re infra nobis iterum erit dicendum, ubi oſtendemus, Auctorem Epiſt. ad Hebr. ſacrificio Chriſti ablationem non tantum reatus, ſed ipſorum etiam peccatorum, in quibus antea hæſeramus, tribuere. De *impetratione remiſſionis apud Deum* nihil eſt in verbis Johannis, præſertim ſi in eum ſenſum accipiatur, qui Socini ſententiæ repugnat. Grotius, qui in ea re ſententiam ſuam figit, non debuit eam ſine probatione ſumere.

Pergit Grotius Partic. 21: *Neque verum eſt, quod dicit Socinus, ſolum ſacerdotem ſummum, Chriſti, ſolamque anniverſariam expiationem, ſacrificii ipſius figuram geſſiſſe**. *Quamquam enim in ſummo ſacerdote, & illo ſolenni ſacro figura quædam fuit excellentior, quam propterea ſingulari cura Spiritus ſanctus in epiſtola ad*

* In poſteriori editione additur aut certe ſola quæ pro populo fierent ſacra. Addendum adhuc erat, ſtata.

Hebræos

Hebræos perſequitur, negari tamen non poteſt, quia & ſacerdotes alii, & ſacra alia expiatoria obſcurius eodem r ſpexerint. Monſtrat hoc eadem illa Epiſtola cap.9.13, ubi omnis carnalis per victimas purificatio cum ſpirituali per Chriſtum purgatione confertur, multoque magis verſ. 21 & ſeqq. ubi cum dictum eſſet univerſaliter, omnia ferme in lege ſanguine purgari, neque aliter quam fuſo ſanguine contingere peccatorum remiſſionem, ſubjungitur deinde, ἀνάγκη οὖν &c. id eſt neceſſe igitur eſt exemplaria quidem eorum quæ in cœlis his expurgari. in margine notat: *contra cap.9.lib.2.*

Recte animadvertit Grotius, Socinum non dicere, *ſolam* anniverſariam expiationem ſacrificii Chriſti figuram geſſiſſe, ſed hanc potiſſimum. Ita enim ſcribit eo, quem Grotius citavit, loco: *Figura mortis Chriſti erant tantummodo ſacrificia illa, quæ publice, hoc eſt pro univerſo populo, ipſo etiam aliquando ſummo ſacerdote non excluſo, & ſtatis temporibus fiebant; præſertim vero illud, quod ſemel in anno ſummus ſacerdos, in ſancta ſanctorum ingrediens peragebat.* Et paulo poſt: *In hoc igitur ſacrificio* (anniverſario) *ut dictum eſt, potiſſimum mors Chriſti, adeoque ipſe Chriſtus, quatenus Deo pro nobis ſacrificavit, adumbratus fuit.* Fuiſſe autem præter iſtud anniverſarium ſacrificium alia quædam ſacrificia expiatoria ſtata & publica, patet ex Num. 28. 15, 22, 30. & XXIX. 5, 11, 16, 19, 22 &c. Vult ergo Socinus, publica & ſtata ſacrificia atque inprimis anniverſarium, figuram fuiſſe ſacrificii Chriſti: cætera vero, ſacrificiorum noſtrorum ſpiritualium. Nam & nos iſtiuſmodi ſacrificia, quibus intervenientibus peccata expiantur Pſal. 50. 18. Prov. 16. 6. Actor. 3. 19. 1 Petr. 2. 5, ſeu remiſſio peccatorum ex Dei benignitate obtinetur, offerimus: quod ſatis luculenter ibi demonſtravit Socinus, cujus rationes Grotius non attigit. Sacerdotem etiam ſummum eſſe verum Chriſti ſummi ſacerdotis typum ibi. & 9. Apoc. 1. 10. v. 10; cæteros vulgares ſacerdotes nobis, qui etiam ſacerdotes ſumus, cenſet reſpondere, qua de re mirum eſt, ſi quiſquam dubitet. Hoc enim pacto, quemadmodum univerſum Fœdus autiquum imago quædam eſt novi, ita illius partes, hujus etiam partibus, aut rebus, ad id pertinentibus, apte reſpondebunt. Rationes Grotii contrarium non evincunt. Nam primum non docetur à Grotio Hebr. 9.13, ſermonem eſſe de omnibus prorſus ſacrificiis legalibus; cum tantum mentio fiat ſanguinis taurorum & hircorum, & cineris juvencæ aſpergentis eos, qui eſſent polluti. Ubi per ſanguinem taurorum & hircorum intelligi poteſt ſanguis victimarum, quæ in anniverſario ſacrificio mactari ſolebant, cujus fuſione interveniente Pontifex ſummus in ſancta ingrediebatur, cujus mentionem fecerat divinus auctor verſ. præced. ubi eum ſanguinem hircorum & vitulorum appellarat. Infra cap. 10. 4, denuo ſanguinem taurorum & hircorum appellat. Manifeſtum enim eſt ex præcedentibus, auctorem divinum de anniverſario ſacrificio ibi loqui. Quod ad cinerem juvencæ attinet, ille ſacrificium revera non erat, ſed quippiam ex ſacrificio relictum, quod ratione purgationis cum Chriſti ſanguine eleganter poteſt conferri, præſertim cum ejus vis non ad unum aut alterum tantum, ſed ad omnes, qui polluebantur, pertingeret, licet aſperſio ipſa variis temporibus fieret à variis, & ſic diverſis temporibus ejus vis ad ſingulos perveniret; quemadmodum etiam variis temporibus ad varios vis ſanguinis Chriſti pervenit, eoſque expurgat, licet ſemel tantum ſit fuſus. Adde quod hoc inſtitutum eſſet perpetuum, nec juvencæ illius immolatio ac combuſtio ex populi voluntate penderet, ſed ex Dei præſcripto ab ipſo ſacerdote perageretur, adeo ut ſacrificium hoc recte poſſit accenſeri iis, quæ Socinus ſacrificii Chriſti typos conſtituit. Sed præterea ſi Grotii verba ſpectemus, non multum ea contra Socinum faciunt. Grotius enim purificationem carnalem cum ſpirituali conferri ait, per purificationem proculdubio cum Divino Auctore effectum victimarum intelligens. At Socinus de ipſis victimis loquitur, non de earum effectu. Poſſet autem ideo omnis illa carnalis per victimas legales purificatio cum purgatione noſtra ſpirituali per Chriſti ſanguinem conferri, quia illa per ſe conſiderata hujus quædam eſſet figura, nulla interim habita ratione ejus, quod omnia prorſus ſacrificia, unde illa proficiſceretur, ſacrificii Chriſti revera eſſent typi; præſertim cum purificatio illa, quæ ex noſtris ſacrificiis proficiſcitur, eadem ex ſacrificio Chriſti proficiſcatur, imo noſtra ſacrificia non niſi efficacia illius interveniente expurgent. Sed nec ex ipſius Auctoris verbis, niſi id aliunde conſtaret, conſequitur, illam purificationem hujus typum eſſe; cum ad Auctoris divini argumentationem ab imparibus ductam ſatis ſit, purificationem noſtram ſpiritualem ex ſacrificio Chriſti certius proficiſci, quam carnalem illam ex legalibus. Hoc autem verum eſt, etiamſi non conſtet, unam alterius figuram eſſe, tantum ob eam cauſam, quod legales victimæ ad illam purgationem ex ſe nullam vim haberent, Chriſti autem ſacrificium ad conſcientiæ noſtræ purgationem vim ex ſe habeat maximam. Simile argumentationis genus, inter alia habes 2 Cor. 3. 7 & ſeqq. ad cujus robur haudquaquam requiritur, ut eorum, quæ inter ſe comparantur, alterum alterius typus eſſe ſtatuatur.

Verba ℣ſ. 21, 22, collata cum verbis ℣ſ. 23, itidem ſententiam Grotii non confirmant. Neque enim dicitur ℣ſ. 23, ſacrificia legalia, præſertim omnia, eſſe exemplaria aut typos ſacrificii Chriſti: ſed ea, quæ ſub Vet. Fœdere ſanguine purificata in præcedentibus dixerat, fuiſſe exemplaria eorum, quæ in cœlis. De victimis ipſis, quod ad ipſarum inter ſe comparationem attinet, nihil dicitur aliud, quam quod cœleſtia præſtantioribus ſacrificiis expiari debuerint, quam ipſorum exemplaria. Sed præterea vel hic reſpicitur ad aſperſionem tabernaculi & vaſorum miniſterii per Moſen factam, de qua ℣ſ. 21, qua res iſtæ fuerunt conſecratæ, à vulgaribus ac profanis ſecretæ, & divino cultui penitus dedicatæ; quod per ſimilitudinem quandam ad cœleſte tabernaculum, licet alias haudquaquam profanum, ea ratione poteſt accommodari, quod id, victima Chriſti eo illata, huic uſui fuit conſecratum, ut ibi oblatio perfecta, & expiatio peccatorum noſtrorum à Chriſto Pontifice noſtro magno perageretur, quod antea factum non fuerat: quod ſi admittatur, verba ℣ſ. 23,

 potiſſi-

potiſſimum apta erunt ex verſ. 21. & intermedia tantum ad amplificationem eorum, quæ de ſanguinis uſu dicti fuerant, pertinere cenſebuntur; & ſic locus ad controverſiam noſtram nihil pertinebit; cum Socinus de iis victimis loquatur, quibus hominum delicta ſolerent expiari, quæque ſub Lege iterarentur: vel, ſi per expiationem exemplarium, eorum quæ in cœlis, & ipſorum cœleſtium, intelligitur expiatio peccatorum eorum hominum, qui vel ad cœleſte, vel ad terrenum ſacrarium pertineant, h. e. Judæorum & Chriſtianorum; reſpicietur ad ſacrificium anniverſarium, quod nos verum ſacrificii Chriſti typum eſſe contendimus, & ad quod ab auctore divino reſpici ſequentia ipſius verba verſ. 24. & 25 aperte demonſtrant. Nam de expiatione iſta ſolenni ita legimus Levit. 16. 16. quod Pontifex ſanguinem hirci, qui pro peccato populi offerebatur, intra velum debuerit inferre atque ibi verſus propitiatorium ſpargere; & additur ℣ſ. 16: *& emundabit ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël, & à prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis eorum: & ſic faciet tabernaculo conventus, quod commoratur cum eis in medio immunditiarum eorum*, quaſi ſcilicet ipſum ſanctuarium & tabernaculum immunditiis ſeu peccatis Iſraëlitarum pollueretur ac profanaretur, eoque expurgato, expiarentur ipſius populi peccata. Populus autem divinus ſub Novo Fœdere ad cœleſtia ſancta pertinet, ad quæ illis per ſanguinem Chriſti patefactus eſt aditus Hebr. 10. 9 &c. 6. 19, 20. 9. 8. quæ dum Chriſto eo per ſanguinis effuſionem ingreſſo (ut cum divino auctore loquamur) expurgantur, peccata noſtra expiantur. Quare hic locus non tantum ſententiam Socini non convellet, ſed cum ea pulchre conſentiet.

Pergit Grotius Partic. 22: *Sic &* cap. 10. 11. *quotidiana ſacrificia cum Chriſti ſacrificio comparantur: cujus loci ſententiam evertit Socinus*, quotidie *exponens* quotannis, *nullo exemplo. Nam quod locum* Hebr. 7. 27. *adfert huic interpretationi firmandæ, fruſtra eſt, cum falſo ſumat, ſacerdotem in ſolo anniverſario ſacrificio pro ſe offerre debuiſſe. Contra enim offerre pro ſe debuit, quoties peccati ſibi eſſet conſcius*, Levit. 4. 3. *Paſchale quoque ſacrificium ſacrificii à Chriſto peracti figuram fuiſſe, oſtendit* Johan. 19. 36. *& Paulus* 1 Corinth. 5. 7.

In loco citato cap. 10. de ſacrificio anniverſario ſermonem eſſe, ſatis docere poſſunt ea, quæ ab ipſo capitis initio leguntur, unde cætera, quæ hoc loco dicuntur, pendere, præter rem ipſam, Beza in ſua verſione oſtendit. Inſtitutam enim eſſe à Divino auctore collationem inter ſolenne ſacrificium expiatorium, & ſacrificium Chriſti, ℣ſ. 1. & 3. aperte comprobant. Particulam illam καθ᾽ ἡμέραν non ſimpliciter explicat Socinus per vocem *quotannis*, ſed *certo quodam tempore perpetuo*, ut eo loco, quem Grotius citavit, videre eſt, h. e. certo quodam die quotannis. Hoc vero nec ſine exemplo fecit Socinus, nec, ſi exemplum deeſſet, protinus repudiari deberet, cum rationem hujus ſuæ interpretationis attulerit, quod de anniverſario ſacrificio hucuſque inſtitutus eſſet ſermo, quod veram oblationis Chriſti umbram fuiſſe antea docuerat. Quod ad locum cap. 7. 27. attinet, in quo exemplum ejus ſignificationis extare Socinus ſtatuit, non dicit Socinus, ſummum Sacerdotem *in ſolo anniverſario ſacrificio* pro ſe offerre debuiſſe; ſed ita ſcribit: *Nuſquam legitur, ſummum Sacerdotem in ſacrificiis, quæ pro populo fiebant, pro ſe etiam offerre debuiſſe, niſi in ſacrificio illo anniverſario.* In ſacrificiis igitur *quæ pro populo fiebant*, debuiſſe pro ſe etiam offerre ſummum ſacerdotem, niſi in illo anniverſario, nuſquam legi ſcribit Socinus: non vero, eum pro ſe ſeparatim offerre non debuiſſe, cum ſibi delicti alicujus eſſet conſcius. Id autem rectiſſime urget Socinus, quia Auctor D. loco d. cap. 7. manifeſte facit mentionem ſacrificii, quod pro populo fieret, in quo ſacerdos prius pro ſe, tum demum pro populo offerre debuerit. Ita enim ait: *qui* (Pontifex noſter Chriſtus) *non habet quotidie neceſſe, quemadmodum illi Pontifices, prius pro propriis peccatis victimas afferre, deinde* (pro peccatis) *populi. Hoc enim fecit ſemel cum ſeipſum obtulit.* Adde quod ne ſic quidem, ſi Grotium ſequamur, ſacerdos quotidie offerre debuerit, non magis quam alius quivis è populo. Neque enim quotidie peccati alicujus ſibi erat conſcius, pro quo offerre deberet, alias idem de quolibet Iſraëlita dicendum eſſet. Quapropter rectiſſime ſtatuit Socinus de anniverſario ſacrificio ibi eſſe ſermonem, ac proinde vocem *quotidie* ita interpretandam eſſe, ac ſi dictum eſſet, certo quodam die quotannis.

Quorſum de Paſchali victima teſtimonia Grotius afferat, cauſam non video: cum Socinus de ſacrificiis expiatoriis in Lege conſtitutis loquatur. In eorum autem numero non fuit victima Paſchalis ſub Lege, quæ nec Deo fuit oblata, nec expiandi vim, eo præſertim tempore, habuiſſe uſpiam legitur. Alias eam victimam Chriſti typum fuiſſe non negamus.

Quæ de ſacrificiis Gentium, earumque ſuper hoc negotio ſententia fuſe ſubjicit Grotius Partic. 23, ea ſigillatim examinare nihil eſt opus, poſtquam vidimus, quid de vi ſacrificiorum ab ipſo Deo inſtitutorum, & quidem eorum, quæ ſacrificii Chriſti figuræ fuerunt, ex divinis literis ſit ſentiendum, & quid ex iis, quod ad noſtram controverſiam pertineat, concludi debeat. Nonnulla tamen, quæ ad rem noſtram magis pertinent, attingemus.

De voce ἱλάσκεσθαι actum eſt cap. 7. Partic. 9. & ſeqq. Voces ἁγνίζειν, καθαίρειν, nil juvant Grotium; nec illud, quod pro eodem ponantur λύσεις & καθαρμοὶ ἀδικημάτων. Ideo enim id fit, quod ſacrificiorum interventu homines cenſerentur ſolvi ſcelere & reatu. Ἀποτρόπαια etiam recte poſſunt dici ſacrificia expiatoria, quod avertant pœnam, vel etiam iram divinam, unde pœna proficiſci ſolet. Oſtendimus autem c. 7. qua ratione de Chriſto quoque dici poſſit, eum iram divinam à nobis avertere. Quod Conciliari ſit idem quod Placari, id nihil ad rem facere eodem loco docuimus, quia Sacræ Literæ nuſpiam dicunt, quemadmodum in Poëtæ dicto, quod Grotius citat, *homini Deum conciliari*; ſed, *homines conciliari Deo.* Luſtrale Sacrum eſſe quod ſanguine emit, id ea, quæ de redemptione diſputavit Grotius, non comprobat; niſi doceat, vocem *emendi* proprie accipiendam, & idem prorſus de Sacro noſtro expiatorio, & redemtione per Chriſtum peracta intelligendum eſſe. Quod

ait,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ait, inprimis notandum, ſæpiſſime, cum de Sacris expiatoriis agitur, ſanguinis fieri mentionem, *quia ex vetuſtiſſima Dei lege Noacho data* Geneſ. 9. 4. *atque inde ad populos omnes propagata, ſanguis ſit vice animæ, ac propterea animæ nomine appelletur*, in eo fallitur. In illa enim Dei Lege non dicitur, ſanguinem eſſe *vice animæ*, ſive per Animam intelligas animam humanam, cujus vice ac loco ſanguis beſtiarum in Sacris expiatoriis detur, quemadmodum intelligere videtur Grotius; ſive animam beſtiarum, quam Deus iſto loco deſignat. Prohibens enim eſum ſanguinis beſtiarum, animam carnis, ſanguinem per appoſitionem vocat; quia anima ſit in ſanguine, ut loquitur hac eadem de re Deus in loco ſupra examinato Levit. 17. 11. & 14. h. e. quia ſanguis ſit vehiculum quoddam animæ, ut viri docti notant, ſeu vehiculum vitalis iſtius Spiritus, qui una cum ſanguine ad totum corpus animandum, vitamque animalis conſervandam diffunditur, nec vehiculum tantum, ſed & quoddam nutrimentum. Ex ſanguine enim puriſſimo in corde vitales Spiritus gigni docent Philoſophi, per quos animæ vis toti corpori diſpenſatur. Atque hanc ob cauſam à Poëtis etiam anima pro ſanguine videtur uſurpari. Piare, etiamſi nonnunquam de pœnis dicatur, per ſe tamen ejus ſignificatio latius patet, & idem eſt quod ἁγνίζειν & καθαίρειν h. e. purificare, ſeu purgare ac removere ſcelus, ejuſve reatum. Vidimus enim alibi, luſtrationem, quæ eadem expiatio dicitur, ut vel ex Grotii dictis conſtat, apud veteres iis ſæpe rebus peragi ſolitam, quæ cum pœna nihil haberent commune. Piandi autem vox ideo de pœnis uſurpari potuit, quia pœnis etiam ſcelera expurgantur, & reatus tollitur, aut quia inſignior præ aliis expiandi modus olim eſſet per victimas, quæ peccati alieni cauſa mactabantur, & ſic figurate pœnas luere dici poterant. Quare illud negamus, quod Grotius contra Socinum concludit, *in ſacrificiis piare, eſſe luere per ſucceſſionem rei alterius in locum pœnæ debitæ*, præſertim ſi *luere* ſumatur pro pœnam proprie dictam perſolvere, aut vere ſatisfacere: alias id adverſus Socinum revera non facit. Quanquam Socinus cum de Expiatione loquitur, non ad vim propriam vocis Latinæ, ſed ad ſignificationem vocum Græcarum & Hebræarum, quæ Expiandi verbo ab interpretibus reddi ſolent, reſpicit. Non eſſe autem eam vim verborum Hebræorum aut Græcorum, partim ex iis, quæ alibi diſputavimus, patet, partim ex iis apparebit, quæ infra dicenda erunt. Argumento autem eſt illud, quod etiam ſancta, & ara dicatur ſacrificiis Expiari, vide Exod. 29. 37. 30. 29. Ezech. 43. 20, 22. 45. 18. 20. De voce *Pro* cap. 9. ſatis diximus.

Scribit denique Grotius Partic. 24, ad calcem hujus de Sacris gentium narrationis: *Mos ille Gentium in expiandis peccatis, hominum aut pecudum mactatione, non parum affert lucis ad intelligendam ipſam ſacrificii expiatorii naturam, & vocabula propria ejus argumenti. Eoque minus ſperni poteſt hic labor, quod dicat Socinus, Baptiſtam, cum Chriſtum agnum Dei appellavit, ad ſacrificia in univerſum reſpexiſſe, quibus non ſolum apud Hebræos, ſed & apud Gentes peccata expiari credebantur. Neque vero dubitandum eſt, cum in hoc ipſo ſacrificii expiatorii argumento voces Græcas καθαρίζειν & ἁγιάζειν ſæpiſſime uſurpat divinus ſcriptor ad Hebræos, quin eo ſenſu uſurpaverit, quem Græca lingua receperat.*

Quicquid ex Gentium inſtitutis de ſacrificiorum natura, aut vocum ejus materiæ propriarum vi in Sacris Literis colligi poteſt ac debet, id ejuſmodi eſt, ut ex ipſiſmet Sacris Literis, abſque iſta narratione intelligi potuerit. Et ſane quicquid in hac materia ex ipſis Sacris Literis intelligi non poteſt, id, licet Gentium conſenſu comprobatum videremus, merito tamen, cum de divinorum inſtitutorum vi ac natura quæritur, nobis ſuſpectum eſſe deberet: cum videamus Gentes, etiam eas, quæ humaniores cæteris fuerunt, eo erroris progreſſas, ut humanis victimis numen placari poſſe crederent, quemadmodum fuſe docuit Grotius. Plutarchus, cum in lib. de Superſtitione ſacrificia Gentium partim ridicula, partim impia & crudelia, quales humanæ victimæ, graviter reprehendiſſet, ſubjicit: *Nullus eſt animi morbus tam multis erroribus ac perturbationibus ſcatens, ac tam inter ſe diſſidentibus ac pugnantibus opinionibus refertus, atque ſuperſtitio.* Quid vero mirum, ſi dæmones, quibus, ut alibi monuimus, ſacrificabant Gentes 1 Cor. 10. 20, & qui in iſtis tenebris imperium quodammodo in mundo habebant, effecerunt, ut tum reliqua cultus divini, tum ſacrificiorum ratio perverteretur, ac plus rebus iſtis externis tribueretur, quam Deus vel ante Legem vel ſub Lege iis tribui voluit? Deinde victimæ iſtæ Gentium non à numine ipſo hominibus ſuppeditari ſolebant, aut ex ejus in homines amore ſingulari proficiſci credebantur, ſed ab hominibus ipſis numini irato offerri, ad ejus iram placandam & favorem emerendum ſolebant. At victima hæc noſtra, de qua agimus, ab ipſo Deo in ſempiternam hominum felicitatem, ipſis nihil tale cogitantibus fuit ſuppeditata, & ex ingenti ejus erga nos amore profecta, & ſola ipſius & Chriſti (ut ſic dicam) voluntate peracta fuit. Quare etiamſi illæ vim placandi numinis habuiſſe crederentur, non tamen idem de Chriſti victima ſtatuendum eſt; cum antequam illa mactaretur atque offerretur, Deum nobis placatum fuiſſe neceſſe ſit; quemadmodum cap. 7 abunde docuimus. Præterea illa Gentium, ut & Judæorum ſub Lege ſacrificia, proprie fuerunt talia: Chriſti ſacrificium improprie, ſeu per analogiam ac ſimilitudinem ita dicitur, licet illis ſit longe divinius. Quare cum improprietas diverſitatem parit, id, quod ſacrificiis proprie dictis tribuitur, ad Chriſti ſacrificium non eodem plane modo referendum eſt, ſed per analogiam accommodandum, & divinius aliquid intelligendum. Obſervandum & illud eſt, etiamſi ex eo, quod ſacrificiis proprie dictis convenit, jure colligi queat, vel idem, vel aliquid analogum ſacrificio Chriſti convenire: non tamen contra, ſi quid illis non conveniat, nec Chriſti ſacrificio convenire, concludendum eſt: cum hoc ſit longe perfectius, & vim quandam habeat, quam ne legalia quidem habuerunt. Qua de cauſa etiam hæc illi cedere oportuit, ut poſtea intelligetur. Itaque quod ad voces Græcas καθαρίζειν & ἁγιάζειν, h. e. *purgare* & *ſanctificare*, attinet, quibus in hoc argumento non ſemel utitur D. ſcriptor ad Hebræos eæ ad Chriſti ſacrificium & ſacerdotii functionem re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

latæ, eo etiam ſenſu uſurpantur, quem Græca lingua receperat, h. e. de expurgatione reatus, & averſione iræ numinis aut pœnæ: licet in modo, quo ea fiat, quam voces ipſæ vi ſua non exprimunt, ſit diverſitas, talis tamen, quæ analogiam & ſimilitudinem penitus non excludat. Interdum etiam id ſignificant, aut una cum eo, quod modo diximus, comprehendunt, quod ad alia quidem ſacrificia relatæ ſignificare non ſolent, ſua autem natura non minus ſignificare poſſunt, quam ablationemreatus ac pœnæ. Denotant enim interdum etiam purgationem abipſorum peccatorum ſordibus, quæ ἁγιασμοῦ ſeu ſanctificationis nomine etiam magis proprie deſignatur. Qua de re diximus nonnihil initio c. 8.* Interdum denique Hebraicam conſuetudinem magis ſequuntur, & declarationem ſignificant liberationis à reatu ac pœna, ut poſtea videbimus. Notum enim eſt N. Teſtamenti ſcriptores Græca vocabula ad Hebraicam conſuetudinem ſolere deflectere: id quod in verbo ἱλάσκεσθαι, quod itidem hujus argumenti ac materiæ verbum eſt, accidere cap. 7 vidimus, & Grotius, quod ad conſtructionis rationem attinet, in loco Hebr. 2. 17 faſſus eſt. Quod Socinus dixit, Baptiſtam ad ſacrificia in univerſum reſpexiſſe, &c. Id nihil Grotium juvat. Neque enim Socinus ait, Baptiſtam reſpexiſſe ad modum, quo ſacrificia vel apud Hebræos vel apud Gentes peccata expiare crederentur, ſed ad ipſam expiationem vel ablationem peccatorum ſimpliciter, quæ ex ſacrificiis proficiſci credebatur. At hic non ſimpliciter de ablatione peccatorum & reatus expurgatione eſt controverſia, (de hac enim utrinque conſtat) ſed de modo ſpeciali. Hunc vero ex Gentium inſtitutis ac ſententiis recte colligi, non eſt concedendum, cum nec ex legalium victimarum natura modus, quo ſacrificium Chriſti peccata expiat, revera aut plene cognoſci poſſit.

Pergit Grotius Partic. 25: *Unde jam promtum eſt intelligere, quid illud ſignificet, quod Chriſtus ſacrificium pro peccato ſive expiatorium dicitur. Nam cum tres interpretationes afferat Socinus: primam, quod Chriſti mors fidem nobis ingenerando nos à peccatis in poſterum retrahat: alteram, quod mors ipſa antecedens ſit quiddam ad peccatorum remiſſionem conſequendam: tertiam, quod ipſi remiſſioni aut decreto de ea facto teſtimonium quaſi præbeat: ex his tribus ſola ſecunda huc pertinet: non quod non alia quoque illa Chriſtus fecerit, & quidem multo quam Socinus opinatur efficacius, ſed quia iſta ad ſacrificium pro peccato non pertinent.*

Hic primum animadvertendum eſt, ex ipſius etiam Socini mente, mediam ſignificationem, vel potius vim ſacrificii Chriſti expiatorii, eſſe potiſſimam, & ob eam inprimis id expiatorium dici. Deinde ſignificatio ſecunda non eſt à Grotio recte diſtincta à prima. Nam ſacrificium Chriſti etiam eatenus eſt quippiam antecedens ad remiſſionem conſequendam, quatenus fidem ingenerando nos à peccatis in poſterum retrahit. Fides enim noſtra & reſipiſcentia eſt conditio ad remiſſionem conſequendam neceſſaria, eamque antecedit. Multo ergo magis id antecedit, quod eam conditionem in nobis efficit. Diſtinctio igitur in eo potius conſiſtit, quod ſacrificium Chriſti, qua fidem nobis ingenerat, ſit antecedens remotius, ex quo, natura rei inſpecta, niſi quid accederet aliud, remiſſio peccatorum non conſequeretur; qua vero peccatorum remiſſionem actu ipſo confert, quæ eſt altera illa ſignificatio, quam nos potiſſimam eſſe dicimus, antecedens eſt proximum. Quod ad tertiam ſignificationem attinet, licet Socinus lib. 2. cap. 20. quem locum hic Grotius notat, doceat, Chriſtum eatenus etiam dici peccata expiaſſe, quatenus ea expiata declaravit, non tamen ibi aſſerit, Chriſtum ea de cauſa ſacrificium expiatorium dici. Conſiderat enim eo loco Chriſtum non ut ſacrificium, ſed ut Sacerdotem, eumque non cum ſacrificiis legalibus, ſed cum ipſo Sacerdote peccata expiante confert. Etſi autem Chriſtus idem ſit Sacerdos & ſacrificium, ratione tamen ea differunt, & alia Chriſto qua ſacrificium eſt, alia qua Sacerdos conveniunt. Non diffitemur tamen, ex iis, quæ Socinus diſputat, colligi poſſe, Expiatorii nomen ſacrificio Chriſti etiam eatenus tribui poſſe, quatenus expiationis, quam nobis per ipſum Deus præſtat aut præſtiturus eſt, pleniſſimam fidem facit. Siquidem Expiare, docente Socino, ſignificat etiam Mundum declarare: declaratio autem illa etiam ſacrificio Chriſti tribuitur. Quod vero ait Grotius: *Iſta duo ad ſacrificium pro peccato non pertinere*, ſi hoc tantum vult, ea ad eſſentiam ac naturam ſacrificii expiatorii generatim conſiderati non pertinere, ſeu ſacrificium aliquod expiatorium eſſe poſſe, quod ea vi careat; id quidem verum eſt, ſed hinc non conſequitur, iſta ad ſacrificium *Chriſti* expiatorium, de quo nos agimus, non pertinere, aut ob illas etiam cauſas id expiatorium dici non poſſe. Si vero vult, ea nulla ratione ad ſacrificium expiatorium pertinere, & per accidens tantum cum expiandi virtute cohærere; dictum negamus. Nam quatenus ſacrificium fidem ingenerat, & à peccatis avocat, eatenus multum confert ad effectum & finem proprium, ob quem offertur, h. e. ad plenam ac perpetuam peccatorum remiſſionem; cum nemo eam à Deo conſequi poſſit ſine fide ac reſipiſcentia, contra vero, quicunque his rebus inſtructus eſt, illam Dei beneficio conſequatur. Eodem modo, inſcribere leges & conditiones fœderis ab altero propoſitas, animo illius, cum quo fœdus pangitur, non pertinet quidem ad naturam & eſſentiam fœderis, & tamen Fœderi Novo apud Hieremiam Hierem. 31. & Scriptorem Divinum ad Hebræos Hebr. 8. 7. & ſeqq. 10. 16 tribuitur, &, quia Antiquum fœdus ea vi caruerit, vitio non caruiſſe aſſeritur. Nempe quia id ad finem, ob quem fœdera conſtituuntur, plurimum confert. Quod ad teſtificationem remiſſionis attinet, nec ea ſacrificio expiatorio, qua tale, prorſus eſt accidentaria: cum propter hoc ipſum Expiare quis dici poſſit, quod peccatorem declaret mundum aut expiatum: ſiquidem hæc etiam eſt illius vocis ſignificatio. Adde quod teſtificatio de remiſſione nobis à Deo decreta ſit expiationis, quæ reipſa nobis vi ſacrificii Chriſti contingere debeat, cauſa. Inde enim partim jus ad ipſam liberationem à pœna adipiſcimur, & à ſupplicio ſecuri reddimur; partim fides ac pœnitentia in nobis excitatur, qua interveniente reipſa Chriſti ſacrificio expiamur. Nec denique ipſa legalia ſacrificia hac vi, ex divino inſtituto ac decreto

* Partic. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

prorſus caruerunt. Sacrificio enim oblato ac rite peracto, reus à peccato ſuo immunis declarabatur, deque remiſſione peccatorum certus reddebatur, cum id Deus promiſiſſet. Quod ait Grotius, iſta duo, quæ Socinus Chriſti ſacrificio tribuit, Chriſtum multo efficacius præſtitiſſe quam Socinus opinetur, id facilius fuit dicere, quam demonſtrare.

Ex iis, quæ diximus, colligi poteſt reſponſio ad ſequentia Grotii verba Partic. 26, ubi ex eo, quod ſacrificia legalia, & ſacrificia Gentium ex earum opinione conſiderata, vi illa duplici, de qua controverſia eſt, caruerint, concludit, nec ad Chriſti ſacrificium Expiatorium eandem pertinere; ſiquidem comparatio ſacrificii Chriſti cum ſacrificiis legalibus & Gentium victimis expiatoriis, fatente Socino conſiſtat in ipſa expiatione. Nam primum ad comparationem illam ratione Expiationis ſatis eſt, ſi illa expiandi vis, quam habebant ſacrificia legalia, & habere credebantur ſacra Gentium, etiám Chriſti ſacrificio conveniat, etiamſi quippiam amplius ad Expiationem pertinens ſacrificium Chriſti præſtet; cum legalia (nam de Ethnicorum Sacris nil attinet amplius dicere) imperfecta fuerint, hoc perfectiſſimum; illorum præſtantiſſima, typi & umbræ hujus, hoc corpus & antitypus. Non eſt autem neceſſe, ut id univerſum, quod corpori tribuitur, tribuatur etiam umbræ; imo neceſſe eſt, ut id minime fiat. Adde quod prior illa vis ſacrificii Chriſti, de qua controverſia eſt, non tam ad Expiationis ſimpliciter ſumptæ naturam & eſſentiam, quam ad ejus modum aut perfectionem pertineat. Comparatio autem in re ipſa potius, quam in modo aut perfectione conſiſtit. Veruntamen non eſt illud concedendum, quod ſumit Grotius, ſacrificia legalia remiſſioni vel peractæ, vel certo decretæ teſtimonium non præbuiſſe, qua de re paulo ante diximus, & Socinus ſcripſerat lib. 2. cap. 13. Verba illa legis: *Expiabit & remittetur*, oſtendunt quidem, ſacrificia illa legalia, fuiſſe aliquod antecedens requiſitum ad remiſſionem, ſed interim non oſtendunt, ea non præbuiſſe teſtimonium remiſſioni, vel jam peractæ, vel certo decretæ. Quid? quod viri doctiſſimi in illis ipſis verbis vocem Expiandi pro *emundatum declarare* poni ſcribunt, de certo emundationis futuræ ſeu remiſſionis decreto loquentes. Eadem verba haudquaquam excludunt alteram illam vim ad Expiationem peccatorum noſtrorum pertinentem, quam Chriſti ſacrificio Socinus tribuit, quod nimirum à peccatis nos avocet. Nam hoc ipſum etiam eſſe quoddam requiſitum remiſſionem antecedens, antea diximus. Verum quidem eſt, illa verba ſacrificiis legalibus accommodata iſtam vim non complecti: ſed nec excludunt, & per ſe conſiderata eam complecti poſſunt. Quatenus Expiatio ſacrificiis legalibus & Chriſto applicata idem ſignificet, jam dictum eſt. Ut prorſus idem ſignificet non eſt neceſſe. Plus ſignificat in corpore quam in umbra. Nec contrarium evincunt verba illa Hebr. 9. 22. ſine ſanguinis fuſione non fit remiſſio: nec admittendum eſt, Auctorem divinum ex eodem illo decreto deducere utramque expiationem, puta ſacrificiorum legalium, & Chriſti: cum de eo tantum, quod ſub Lege fiebat, loquatur; ut propter Grotium toties hæc verba iterantem, jam ſæpe monuimus. At ratio antitypi non ex typo pendet, ſed contra. Quanquam etiamſi id Grotio concedatur, ipſius cauſam non juvabit, nec Socini refellet.

Pergit Grotius Partic. 27: *Non obſtat, quod dicitur ad* Hebr. 10. 4. *fieri non poſſe ut ſanguis taurorum & hircorum tollat peccata. Repetendum enim eſt ex ſuperiori* κατὰ τὴν συνείδησιν, *ut manifeſto apparet, ſi cum hoc loco ſimiles conferas* cap. 9. 9 & 14. *Sanguis pecudum tollebat peccata, id eſt reatum temporalem, non autem tollebat reatum ſpiritualem, ut ſupra oſtenſum eſt.*

Ita obſcure argumentum Socini, quo is ſententiam ſuam defendit, propoſuit Grotius, ut Lector, quorſum id pertineat, haud facile poſſit animadvertere. Probatur autem iſto loco Hebr. 10. 4. Auctorem divinum imperfectionem ſacrificiorum legalium ex eo arguere, quod peccata auferre, h. e. homines ab ipſis peccatis avocare & abſtrahere non potuerint; quæ cauſa fuerit, cur ea ſæpius repetere fuerit neceſſe, ac tandem ſacrificio Chriſti, quod eam vim habeat, tolli & aboleri. Ex quo apparet, ad ſacrificium Chriſti expiatorium, ejuſque perfectionem pertinere, ut à peccatis homines revocet & abſtrahat. Auferre autem peccata hoc loco ſignificare, à peccatis homines avocare, & efficere ne amplius peccent, non vero, ut Grotius putat, reatum ſpiritualem ſeu pœnam æternam peccatorum auferre, inde patet, quod Auctor divinus rationem hic reddit, cur quotannis, nempe cum ſolenne illud ſacrificium à Summo Pontifice perageretur, fieret commemoratio peccatorum. Huc autem nihil facit, quod ſacrificia legalia reatum ſpiritualem ſeu pœnam æternam non auferrent, (neque enim eam ob cauſam quotannis peccatorum inſtituebatur commemoratio) ſed quod homines, licet ſemel ſacrificiis illis expiati, à peccando tamen eapropter non ceſſarent, verum in eadem peccata denuo relaberentur, unde neceſſe erat, eadem ſacrificia quotannis ad illa peccata expianda repeti, & eorum confeſſionem ac commemorationem inſtitui. At cum ſacrificio Chriſti homines ab omnibus peccatis, quæ remiſſioni peccatorum perpetuæ obſtant, avocentur, non eſt neceſſe illud iterari. Hunc ſenſum quivis Auctoris verba ab initio capitis perlegens, præſertim jam admonitus, facile animadvertet. Hoc idem, nempe à peccatis homines avocare, & eoſdem inculpatos reddere, vocat Auctor divinus *perficere* ſeu *conſummatum reddere* verſ. 1. hujus effectus eſt, *nullam habere amplius conſcientiam peccatorum*, verſ. 2. His opponitur: *commemorationem peccatorum in ſacrificiis fieri quotannis* verſ. 3. & *non poſſe auferre peccata* verſ. 4, & 11. Quapropter non eſt opus in verſ. 4. ſubaudire quicquam, quod ad ſententiam Auctoris complendam pertineat. Quod ſi tamen ſubaudienda eſſet particula illa κατὰ τὴν συνείδησιν, non protinus is eſſet ſenſus, quem vult Grotius, nempe ſacrificia legalia non potuiſſe auferre reatum ſpiritualem ſeu æternum; ſed, ea non potuiſſe auferre reatum, ne carnalem quidem, eorum peccatorum, quæ ad conſcientiam & interiorem hominem proprie ſpectant. Nam ſi illa verba ſubaudienda eſſent, tum peccata ea, quæ ſacrificiis iſtis auferri non poſſent, diſtinguerentur ab illis, quæ poterant

rant auferri, non vero pœnæ à pœnis. Hunc ſenſum eſſe docuimus ſupra verborum cap. 9. 9. quem locum cum hoc conferri vult Grotius; quamquam nihil cogit, eandem prorſus hujus & illius eſſe ſententiam. Quod ſi eadem utriuſque agnoſcenda eſſet ſententia, tum verba illa cap. 9. 9, eo modo accipienda forent, quo nos verba cap. 10. 4. & 11. accipipimus, ita ut ideo dicantur ſacrificia non potuiſſe ſecundum conſcientiam perfectum reddere cultorem, quia nullam habuerint facultatem homines ab ipſis peccatis retrahendi, & conſcientiam à vera labe repurgandi. Et ſane utrumque hoc, quod diximus, divinus Auctor illis verbis videtur ſignificare voluiſſe; quemadmodum contrarium utriuſque tribuit ſanguini Chriſti verſ. 14. quem etiam cum loco cap. 10. conferri vult Grotius. Ait enim ibi: ſanguinem Chriſti emundaturum conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi. Emundat autem conſcientiam noſtram à mortiferis illis operibus, dum & reatum graviſſimorum ſcelerum, quæ ſub Lege mortem omnino afferebant, nec expiari ſacrificiis poterant, tollit, &, ut ab iis in poſterum abſtineamus, nec conſcientiam noſtram illis polluamus ac gravemus, efficit, atque ita nos impellit ut Deo viventi ſerviamus, quo fit, ut expiatio illa in æternum duret, nec repetitione ſit opus. Quare ſi hi loci cum illo cap. 10. conferendi ſunt, eique cenſendi ſimiles, confirmabitur noſtra illius loci interpretatio.

Subjicit Grotius Partic. 28: *Neque in Apocalypſi illud: qui lavit nos à peccatis noſtris* cap. 1. 5. *ſine inſigni detorſione interpreteris, qui lotos nos declaravit, aut* 1 Johan. 1. 7. *ubi eſt, Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato, exponere licet, mundos nos eſſe declarat. Repugnat enim manifeſte & verborum proprietas, & perpetuus Scripturæ uſus in hoc argumento. Immunditiæ nomine ſignificari paſſim reatum, fatetur Socinus. Hinc* καθαρίζειν & ἁγιάζειν, *eſt eum reatum tollere, ſive efficere remiſſionem, ut ipſe ſcriptor ad Hebræos exponit vocem* καθαρίζειν, cap. 9. 22. *Chriſtus per ſeipſum fecit hunc* καθαρισμὸν Hebr. 1. 3. *Chriſtus* καθαρίζει *conſcientiam ab operibus mortuis* Hebr. 9. 14. *hoc eſt, ipſo Socino interprete, à reatu & pœna, pœnæque timore conſcientiam liberat.*

At Socinus in eo, quem Grotius in margine notavit loco, lib. 2. cap. 17. locum Apocal. 1. 5. de mundatione à reatu & pœna peccatorum interpretatur. Quod ſi forte notare voluit cap. 20. lib. 2. primum ibi quoque eandem ſententiam agnoſcit, licet ea verba etiam de declaratione mundationis à reatu ac pœna accipi poſſe dicat. Quæ vero hic eſt detorſio? an non enim voces Expiare & Mundare, quibus æquipollet verbum Abluere, ſumi ſolent in Sacris Literis pro Mundum declarare? De voce Expiandi notatum id habes in Bibliis Magnis Roberti Stephani Levit. 5. 10. & 16. quo poſteriori verſiculo idem notatur in Bibliis quæ Vatabli dicuntur, & cap. 6. 6. (vel 7.) cap. 15. 15. ubi itidem Vatablus, quem vide etiam verſ. 29. (vel 30.) & cap. 16. 30. Atque hoc tum alibi, tum inprimis cap. 4. ejuſdem libri fieri poſſe Socinus docuit. De voce Mundandi vide cap. 12. 7. & cap. 13. ac 14. ubi de leproſo vel mundo vel immundo declarando agitur. Ibi enim perpetuo, ubi in Latinis editionibus eſt *Mundum judicabit*, aut quippiam ſimile, in Hebræo eſt, *emundabit*; & pro eo, quod in Latinis verſionibus eſt, *immundum judicabit*, in Hebræo eſt, *contaminabit* vel *polluet*. Quæ prope omnia Socinus jam ſcripſerat, ad quæ Grotius connivet, ſatis habens, detorſionem verborum Scripturæ ei objicere. Non repugnat ergo perpetuus Scripturæ in hoc argumento uſus Socini explicationi, ut affirmat Grotius. Adde quod tunc verba illa, quæ rem ipſam ſeu rei exhibitionem proprie ſignificant, de declaratione illius commode queant accipi, cum rei ipſius exhibitionem vi declarationis iſtius conſequi neceſſe eſt. Id autem tunc contingit, cum declaratio ſit rei ab altero decretæ, idque illius ipſius, qui decrevit, juſſu ac nomine. Hac enim teſtificatione jus ei, cui res decreta eſt, datur ad eam repetendam. Quo pacto cap. 1. vidimus, Apoſtolis etiam tribui actionem remittendi peccata. Talis autem inprimis eſt declaratio ablutionis ſeu liberationis à reatu ac pœna, quam in certis Sacræ Scripturæ locis, ubi ablutio aut purgatio à peccatis ſanguini Chriſti adſcribitur, Socinus intelligit, quemadmodum eodem cap. 1. diximus. Quare poſſis ſententia ipſius, quod ad rem ipſam attinet, nihil mutata, ita verba ejus accipere ac ſi dixiſſet, Chriſtum nos ſanguine ſuo à reatu peccatorum liberaſſe aut liberare declarando, ſeu teſtificando nobis beneficam ea de re Dei voluntatem ac decretum. Verba καθαρίζειν & ἁγιάζειν ſignificare quidem ſolent liberationem à reatu ac pœna, poſſunt tamen, ut ex dictis conſtare poteſt, declarationem etiam illius liberationis à Deo nobis decretæ, eam præſertim, cujus vi effectum ipſum conſequi neceſſe eſt, ſignificare: interdum etiam ſignificant liberationem ſeu repurgationem à peccatis ipſis, ſeu à male agendi conſuetudine, ut alibi * docuimus. Verba Hebr. 1. 3. non tantum de ipſa reatus ablatione, ſed etiam de declaratione ac teſtificatione remiſſionis accipi poſſunt. Verba cap. 9. 14. & de ablatione à reatu ac timore pœnæ, & de ablatione ipſorum peccatorum loqui, docuit Socinus lib. 2. cap. 2. & 16. quod poſterius caput non minus quam prius, quod ſolum notavit Grotius, illi erat conſiderandum. Hebr. 10. verſ. 22. quem locum in ſequentibus citat Grotius, *aſpergere à conſcientia mala*, eſt animum ab ipſis peccatis liberare ac purgare, quemadmodum ibidem verſ. 23. *ablutum eſſe corpore aqua pura*, eſt ab omnibus peccatis externis, quæ corpore perfici ſolent, eſſe mundum.

Sed ait Grotius Partic. 29: *Cur ab hoc ſenſu diſcedatur duobus illis locis Apoſtoli Johannis, ratio plane nulla eſt. Non enim ſi Jeſus teſtis fidelis dicitur* Apoc. 1. 5 *ideo lavare illud ad teſtimonium referri debet. Non enim cohærent* ἀμέσως illud μάρτυς ὁ πιςός, & ἔλουσεν, *ſed intercedit mentio primogenituræ mortuorum, regni, deinde charitatis: ut vel cæco appareat, multa officia ac beneficia Chriſti ad ipſius dignitatem una conjungi.*

At cum Socinus docuerit, uſum Sacrarum Literarum in hoc argumento ferre eum verborum *mundandi & lavandi* ſenſum, quem Grotius repudiat, ac præterea ſenſum etiam illum, quem Grotius hic urget, admittat; non eſt neceſſe, ut rationem afferat, qua probet, ab eo eſſe diſcedendum, (hoc enim

* Cap. 8. Partic. 2.

Grotius

Grotius velle videtur:) ſed: cum reſpondentis fungatur munere, ſatis eſt oſtendere, locorum circumſtantias alium quoque ſenſum admittere, aut etiam ei, præſertim quod attinet ad verba 1 Joh. 1. 7, favere: quod totum Socinus abunde præſtitit. Eum autem in verbis 1 Joh. 1.7, (de loco enim Apocalypſeos id jam docuimus) illum etiam ſenſum admittere, quem urget Grotius, patet ex lib. 2. cap. 19. Loco Apocal. 1, congruere ut *abluere* ſignificet ablutionem nobis à Deo ſub conditione decretam teſtari; docuerat Socinus eo, quod paulo ante eodem in loco Chriſtus dictus eſſet teſtis fidelis ideo, quia de divina erga nos voluntate ac benevolentia N. Fœdere comprehenſa, etiam ſanguine fuſo teſtatus fuerit. Ex quo conſequitur, eum de peccatorum noſtrorum emundatione, quam nobis Dei nomine obtulerat, teſtificatum eſſe, & nos ab iis decreto divino liberatos declaraſſe; pro quo beneficio, ex ſingulari ipſius amore profecto, ei ſingulares debentur gratiæ. Et hoc eſt, quod Socinus ea ratione ſibi voluit, non vero, ut Grotius videtur crediſſe, hunc omnino ſenſum, non vero alium hujus loci eſſe admittendum. Quod ſi urgere velit Grotius, abſurdum eſſe, eum poſteriorum verborum ſtatuere ſenſum, qui in primis verbis quodammodo comprehendatur, aut ex iis fluat; id ei ratione fuerit comprobandum. Poterat enim id, quod in deſcriptione præſtantiæ Domini Jeſu tacite dictum fuerat, vel potius ex ea concludi poterat, quia longe maximum ipſius in nos beneficium complecteretur, maximumque eſſet ipſius erga nos charitatis argumentum, & opus ipſius magis proprium, aperte exprimi, tanquam potiſſima cauſa, ob quam illi laudes eſſent tribuendæ.

De loco 1 Joh. 1.7, ita ſcribit Partic. 30: *omnino abſurdum eſt καθαρίζειν de declaratione mundationis, non de ipſa mundatione accipere, cum paulo poſt jungantur ἀφιέναι & καθαρίζειν. Argumentatur Apoſtolus à conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundationem, hoc eſt, remiſſionem per ſanguinem Chriſti: quia nemini in luce ambulanti peccata imputantur.*

At cum vox ἀφιέναι & καθαρίζειν conjunguntur, de Deo ipſo enunciantur: hoc autem verſiculo. 7, de quo agimus, vox καθαρίζειν de Chriſti ſanguine effertur. Nihil autem mirum, ſi ea aliter de Deo, aliter de ſanguine Chriſti accipiatur. Cum de Deo dicitur, quod nos *emundet ab omni iniquitate*, id ſignificat, Deum nobis *remittere peccata noſtra*, ut ibidem dictum fuerat: (ſunt enim poſteriora verba priorum expoſitio:) at de ſanguine Chriſti non recte dixeris, eum nobis peccata remittere, vel ſaltem non eo plane ſenſu, quo de Deo dicitur. Grotius ſane cum purgatio à peccatis ſanguini Chriſti tribuitur, putat eo ſignificari vim placatricem, qua ſanguis ille Deum ad remittendum moverit: quod idem de Deo dici nequit. Quid quod eadem phraſis, *remittere peccata*, & huic contraria, *tenere peccata*, vel *ſolvere & ligare*, aliter atque aliter iiſdem in locis accipitur, cum ad diverſos refertur; de teſtificatione quidem ac declaratione, cum refertur ad Apoſtolos & Eccleſiam, de effectu ipſo, cum ad Deum ac Chriſtum Joh. 20. 23. Matth. 16. 19. xviij. 18. Ex collatione autem verſ. 7 & 9, veriſimilius colligit Socinus, verbum καθαρίζειν ſeu *emundare & purgare*, de teſtificatione remiſſionis peccatorum accipiendum, ſeu de emundatione, quatenus à declaratione ejus rei nobis à Deo decretæ proficiſcitur. Cum enim verba verſ. 9, in quibus emundatio noſtri ab iniquitate Deo ipſi, qui fidelis ſit ac juſtus, hoc eſt in ſervandis promiſſis verax & conſtans, adſcribitur, omnino videantur reſpicere ad verba, quæ præceſſerant verſ. 7, in quibus ſanguini Chriſti expurgatio illa tribuitur; eatenus ea ſanguini Chriſti adſcribi videtur, quatenus is promiſſionis divinæ de remiſſione peccatorum noſtrorum teſtimonium atque argumentum fuit. Hinc enim egregiam habuit occaſionem Deum fidelem ac juſtum appellandi, & exinde concludendi, eum nobis in luce ambulantibus certo peccata remiſſurum. Si enim ſanguis Jeſu Chriſti filii Dei tam apertum nobis præbet teſtimonium remiſſionis peccatorum, omnibus in luce ambulantibus à Deo decretæ ac promiſſæ, certe cum Deus ille, qui promiſit, fidelis ſit ac juſtus, ſeu in promiſſis ſervandis verax ac conſtans, omnino nobis, ſi in luce ambulaverimus, & peccata noſtra confeſſi fuerimus, ea remittet. Etiamſi autem eatenus etiam Deum fidelem conſtantemque in ſervandis promiſſis dicere potuerit Apoſtolus, idque habita ratione mortis Chriſti & remiſſionis pccatorum, quæ inde pendeat, quatenus promiſerat, ſe per ipſum Chriſtum ſuprema poteſtate donatum peccata nobis remiſſurum, ſi mortem noſtra cauſa oppeteret; tamen, ut alia quædam hic mittam, veriſimile eſt, Johannem, ſi habita ratione promiſſionis alicujus à Deo factæ ſanguini Chriſti purgationem à peccatis adſcripſit, quemadmodum conſentaneum eſſe docuimus, habuiſſe potius rationem rei ejuſmodi, ex qua promiſſio illa divina pateat, eique fides fiat, quam quæ tantum conditio ſit ad promiſſionis illius effectum obtinendum neceſſaria, cujus non niſi per accidens eſt teſtari de promiſſione; cum poſſit conditio cum promiſſione natura ſua nihil habere conjunctum, & niſi de hac aliunde conſtet, de ea nihil teſtari. Videtur enim Johannes, dum ſanguini Chriſti purgationem peccatorum tribuit, quam poſtea Deo adſcribit, non tantum ſimpliciter dicere velle, quid futurum ſit, aut cujus rei vi, ſed etiam unde id pateat, aut unde plenam ejus rei ſpem ac fidem concipere queamus, & ſecuri à divinis ſuppliciis evadere. Quod ſi tamen illam etiam mortis Chriſti vim hic à Johanne ſpectatam velis, licebit utramque conjungere: cum nihil prohibeat, quominus id fiat: præſertim cum declaratio etiam illa, ut vidimus, rei ipſius, ſeu remiſſionis, quæ actu ipſo fiat, ſit cauſa. Argumentatio Grotii: Nemini in luce ambulanti imputantur peccata: Ergo ſi in luce ambuletis, habetis mundationem ſeu peccatorum remiſſionem, idque per ſanguinem Chriſti; Apoſtolica non eſt. Ubi enim apud Apoſtolum eſt illud Antecedens univerſalius Conſequente? non in verſ. 9, ut Grotius videtur arbitrari. Nam ſubjectum enunciationis, quæ continetur verſ. 7, quæque argumentationis Grotianæ conſequens eſt ſeu concluſio, æque late patet, atque ſubjectum enunciationis illius, quæ habetur verſ. 9. Videtur Grotius eo ſibi impoſuiſſe, quod concluſionis ſuæ verba concepit in ſecunda perſona, non ſecus

ac ſi

ac ſi Johannes verſ. 7. de iis tantum loqueretur, ad quos ſcribit, antecedens vero in tertia perſona, adeoque univerſaliter & abſolute; cum utrobique Johannes in prima perſona de iiſdem loquatur. Adde quod ex iſto antecedente non ſatis recte infertur, iſtos, ad quos ſcribit Johannes, per ſanguinem Chriſti habere remiſſionem, vel, ut ipſe Apoſtolus loquitur, ſanguinem Chriſti nos emundare ab omni peccato. Nam vi illius antecedentis non concluditur, *ſanguinem Chriſti* nos emundare ab omni peccato, ſed ſimpliciter, nos, ſi in luce ambulemus, mundari & remiſſionem peccatorum conſequi. Præterea cum ſanguis Chriſti ſit apertiſſimum amoris divini erga nos, & remiſſionis inde manantis argumentum, videtur concluſio Grotiana antecedente, quod ad eam probandam adhibetur, clarior ac manifeſtior, cum contra fieri debeat. Complectitur enim concluſio argumentum manifeſtiſſimum, unde antecedentis veritas apparet, cum tamen ejus in antecedente nulla facta fuerit mentio.

Iſtud etiam hic obiter notandum eſt, quod paulo ante tranſmiſimus, non ſatis firmam eſſe rationem Grotii, qua probat, verbum καθαρίζειν de ipſa mundatione, non vero de mundationis declaratione ſeu teſtificatione accipiendum, quia cum verbo ἀφιέναι conjungatur. Docuimus enim tum alibi, tum paulo ante, verbum ἀφιέναι & ſimilia, nonnunquam etiam de teſtificatione ſeu declaratione remiſſionis eſſe ſumenda. Hæc potius ratio fuerat afferenda, quod verſ. 9. Deo, quatenus juſtus ac fidelis eſt, tribuitur, quod nobis remiſſurus ſit peccata, & nos emundaturus ab omni iniquitate. At Deus quia fidelis eſt ac juſtus, non teſtatur nobis in luce ambulantibus de remiſſione peccatorum, quam nobis jam aperte promiſit, & filii ſui ſanguine obſignarit, ſed reipſa exhibet ac præſtat.

De Baptiſtæ verbis jam egimus ſuperius. Rationem, qua Grotius nititur Partic. 31: nullam eſſe docuimus. Quare non eſt, cur hic moremur. Verba illa Hebr. 9. 26. *ad abrogationem peccati* εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας ſignificare *ad purgandum* ſeu *expiandum nos*, *ad id ut contingat nobis remiſſio* πρὸς τὸ καθαρίζεσθαι ἡμᾶς, πρὸς τὸ γίνεσθαι ἡμῖν ἄφεσιν, nemo negat. Quamquam nihil prohibet, quominus id eatenus de Chriſto ejuſque ſacrificio dictum intelligatur, quatenus ipſum peccatum in nobis extinguit, unde remiſſio ſeu liberatio à pœna conſequitur. Inter cæteros enim modos, quibus ſacrificium Chriſti peccatorum noſtrorum pœnas tollit, hic quoque eſt, quod à peccatis nos avocat: cum hæc unica ſit ad remiſſionem peccatorum obtinendam via nobis à Deo propoſita. De cæteris modis ſupra Partic, 2. dictum eſt. De verbis verſ. 22. ejuſdem cap. 9. Hebr. jam ſæpe dictum eſt.

Pergit Grotius Partic. 32: *Quamquam vero Socinus quoſdam locos vero ſenſui conetur eripere, tamen, multis aliis convictus, agnoſcit indicari in Chriſti ſacrificio expiationem factam, quæ antecedat remiſſionem peccatorum tanquam requiſitum aliquod. Attamen negat, Deum iſto ſacrificio moveri ut remittat, ſed nobis fidem quandam ingenerari, qua, perducti ad emendationem vitæ, porro remiſſionem peccatorum conſequamur: in quo primum parum meminit ejus quod dixerat, figuram cum figurato congruere debere in ea, in quo fit collatio. Neque ejus quod oſtendit Scriptura, illud, omnia purificantur in ſanguine, eodem modo ad legalia ſacrificia, & ad Chriſtum pertinere Hebr. 9. 22. Sacrificia autem legalia plane talem fidem non ingenerabant.*

At nec dum demonſtravit Grotius ullum locum, quem vero ſenſui conatus ſit eripere Socinus, cujus ſtudium & labor omnis in eo conſumitur, ut verus ſenſus omnibus Scripturæ locis conſtet. Neque vero non libenter agnoſcit Socinus, in Chriſti ſacrificio factam expiationem, quæ antecedat remiſſionem peccatorum tanquam requiſitum aliquod, præſertim ſi ſacrificii nomine, mortem etiam Chriſti, quod nos recte fieri haud diffitemur, comprehendas, aut requiſiti nomine etiam cauſas medias, ex quibus remiſſionem peccatorum Deus pendere voluit, & quarum vi ea nobis contingit, intelligas. Nam mors Chriſti requiſitum fuit proprie dictum, ſeu conditio ad obtinendam eam poteſtatem, ex qua remiſſio peccatorum noſtrorum ex Dei decreto pendet, neceſſaria. Sacrificium etiam perfectum, quod in cœlis peragit Chriſtus, eſt antecedens remiſſionis peccatorum cauſa, &, licet ſit aliquid conditione nuda majus, habet tamen cum requiſito ſeu conditione analogiam aliquam, ut Partic. 3. fuit explicatum; &, ſi vocem requiſiti, prout natura ſua patitur, laxius aliquanto ſumas, quam fere ſolet, requiſitum ad remiſſionem nobis pariendam dici poteſt. Diximus autem jam ſupra Partic. 2. vehementer in eo falli Grotium, qui putet, ex Socini ſententia eatenus tantum ſacrificium Chriſti eſſe antecedens aliquod remiſſionis, quatenus fidem nobis ingenerat, qua ad emendationem vitæ perducti, ex Dei decreto remiſſionem peccatorum conſequamur. Quamquam ideo Deus hoc ſacrificium præ legalibus elegit, & remiſſionem peccatorum noſtrorum ex eo pendere voluit, quia id ipſa peccata è nobis tollat, ſeu fide nobis ingenerata ad emendationem vitæ nos perducat, ut ex Hebr. 10. conſtat. Ad rationem autem Grotii ex collatione ſacrificii Chriſti cum legalibus petitam jam ſupra reſpondimus. Collatio præcipue conſiſtit in re ipſa, h.e. in eo, quod, ut ſub Lege omnia purgabantur ſanguine, & ſine ejus fuſione non fiebat remiſſio, ita nec ſub Euangelio, ſeu in expiatione per Chriſtum facta: non vero in modo, niſi ex parte, ut ſuperius eſt explicatum.

Subjicit Grotius Partic. 33: *Neque tolerabilis eſt illa vocis expoſitio, expiare, eſſe aliquid facere, quod ad remiſſionem requiratur. Contra enim voces iſtæ omnes, καθαρίζειν, ἁγιάζειν & ſimiles quibus utuntur Apoſtoli, ſuapte natura & uſu perpetuo non ſolum ordinis anteceſſum, ſed & efficaciam quandam deſignant.*

Sed quæ eſt iſta Grotii ratio? Voces iſtæ omnes καθαρίζειν, & cæteræ, non ſolum ordinis anteceſſum, ſed & efficaciam quandam perpetuo deſignant: Ergo expiare non ſignificat, id facere, quod ad remiſſionem requiratur. An enim hac ratione non ſignificatur præter ordinis anteceſſum etiam efficacia quædam? Quod in nobis fidem & reſipiſcentiam efficit, quam ex promiſſo divino neceſſario conſequitur peccatorum remiſſio, nonne & ordine remiſſionem antecedit, & efficaciam ad eam inſignem habet?

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quod ſi Expiare eſt reatum peccatorum tollere, an non id merito dici poteſt Expiare, quod id efficit, unde ablatio reatus neceſſario conſequitur?

Alia quoque, inquit Partic. 34, *evertendæ huic à Socino repertæ interpretationi certiſſima argumenta nobis Scriptura ſuppeditat. Dicit enim opus fuiſſe novo ſacerdote ex ordine Melchiſedech* Hebr. 7. verſ. 11. *At fidem in Deum prædicare, imo & prædicationem hanc morte confirmare potuerant etiam Levitici ſacerdotes. Quare ſi nihil præterea efficit Chriſti Sacerdotium (quod vult Socinus) ſequitur eo opus non fuiſſe.*

At ubinam apud Socinum legit Grotius, nihil aliud Chriſti ſacerdotium efficere, quam ut fidem in Deum prædicet, aut eandem prædicationem morte confirmet? producat vel unum locum. Nec ſcripſit hoc, nec ſenſit Socinus: & tamen Grotius ei audet hoc tam apertis verbis tribuere, quod antea etiam, licet minus aperte, non ſemel fecerat. Prædicare fidem non eſt ſacerdotii Chriſti, nec ei à Socino uſpiam tribuitur. Mors ipſa eatenus tantum ad ſacerdotium Chriſti pertinet, quatenus non niſi ea interveniente Sacerdos vere & perfecte evadere, & ſacrificium pro peccatis perfectum offerre potuit. Quare etiamſi tandem Levitici ſacerdotes fidem prædicare, & eam morte confirmare potuiſſent, non tamen protinus foret concludendum, non fuiſſe opus Sacerdotio Chriſti, qui non tantum morte fidem nobis ingeneravit, ſed magis adhuc ſuo in cœlos ingreſſu ac perpetua coram Deo apparitione, ac cura ſalutis noſtræ, quam, ſupremum adeptus à Deo imperium, gerit; nec tantum fidem nobis ingenerat & ad vitæ ſanctimoniam perducit, ſed ipſam remiſſionem peccatorum confert, & à judiciis divinis nos actu ipſo liberat. Præterea etiamſi ſacerdotes Levitici habita ratione perſonarum ſuarum potuiſſent prædicare fidem, & morte ſua prædicationem iſtam confirmare: id tamen non potuiſſent facere ratione ſui ſacerdotii, quod Legi Moſaicæ erat alligatum, ut D. Auctor ſatis aperte docet; adeo ut ſacerdotes iſti, quoad munus ſuum nil niſi miniſtri quidam eſſent Legis Moſaicæ. At fides illa, quæ à Socino intelligitur, Euangelica eſt, quæ remiſſionem peccatorum perfectam ac beatam immortalitatem à Deo promiſſam amplectitur, & tanti boni ſpe, quam in ſe continet, hominem purificat, ſicut Deus purus eſt 1 Johan. 3. 3. Remiſſio vero peccatorum perfecta in Novo demum fœdere, quod in melioribus promiſſis ſancitum eſt, quam vetus Hebr. 8. 6. ibid. 12. Jerem. 31. 1 Tim. 1. 10. propoſita eſt, & per Chriſtum ejuſque Euangelium immortalitas illuminata, ac mors, peccati pœna, deſtructa. Quare munus illorum mutari, &, ſi hoc ſacerdotum eſſet, ſacerdotium præſtantius minus præſtanti ſuccedere oportuiſſet. Verba autem Hebr. 7. 11 à Grotio citata, in quibus docetur, novum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſuccedere debuiſſe Aaronicis ſeu Leviticis, ſententiæ Socini, quam Grotius oppugnat, favent. Nam D. Auctor eam affert cauſam, cur novo ſacerdote fuerit opus, quod per ſacerdotium Leviticum non fuerit perfectio, h. e. quod ejus vi homines ad ſanctitatem vitæ pertrahi non potuerint, adeoque nec perfectam peccatorum remiſſionem conſequi. Quod ut oſtendat, ad ipſam Legem ſeu Fœdus Antiquum, unde vis ſacerdotii univerſa pependit, tranſit, quemadmodum tum ex hoc ipſo, tum ex ſeqq. verſiculo animadvertitur, atque imprimis ex verſ. 17, 18, 19, ubi rationem ſuam explicat Auctor, & infirmitatem legis, unde etiam illa ſacerdotii magna ex parte pendet infirmitas, oſtendit. Hanc vero in eo collocat, quod Lex nihil perfecerit: id quod antea de Levitico ſacerdotio dixerat. Quid vero ea verba ſibi velint ſatis intelligitur ex oppoſitione, dum ait, ſed introductio melioris ſpei (ſcil. perficit) per quam appropinquamus Deo. Id negat divinus Auctor Legi in illis verbis, *nihil perfecit Lex*, quod introductioni melioris ſpei, quam Euangelium complectitur, tribuit. Tribuit autem ei quod per eam accedamus ad Deum, h. e. quod efficiat, ut ſerviamus Deo viventi, ut de ſacrificio Chriſti cap. 9 loquitur, & conſtituat nos coram ipſo inculpatos, unde perpetua peccatorum remiſſio conſequitur. Hanc eandem Legis imbecillitatem arguit Paulus Rom. 7, præſertim ibi, ubi ſub ſua perſona, de homine ſub Lege adhuc conſtituto loquitur. Non præſtabat autem id Lex, quod diximus, quia ſpe illa meliore, quæ in Euangelio continetur 2 Cor. 7. 1. 1 Johan. 3. 3, carebat, ex qua vera ſanctitas conſequitur. Unde Paulus felicitatem Chriſtianorum miſeriæ eorum qui ſub Lege fuerunt opponens ait: *Lex ſpiritus vitæ* (nempe immortalis) *in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis* Rom. 8. 2: Spes enim immortalis vitæ certa ac firma homines primum à peccato, tum à morte liberat, & ſic id quod Legi erat impoſſibile, præſtat, dum enim efficit, ut homines non ſecundem carnem ambulent, ſed ſecundum ſpiritum, eo ipſo etiam facit, ut juſtificationem, quam Lex occulte promittebat ibid. verſ. 4, ſed præſtare ob carnis noſtræ vim non poterat, ex Dei promiſſo conſequantur. Quia vero mors & ſacrificium Chriſti eſt ſpei illius perfecta confirmatio, ideo eadem vis illi tribuitur, & legalia ſacrificia ſacerdoteſque Leviticos qui id efficere non potuerint, ipſi cedere debuiſſe inde oſtenditur.

Sequitur apud Grotium Partic. 35: *Præterea hoc ipſum, Chriſtum eſſe mortuum pro peccatis noſtris, ad ſalutem creditur* 1 Corinth. 15. verſ. 2, 3. *Non ergo Chriſti expiatio ad hoc primo comparata eſt, ut ad credendum adducat aliquem, cum ipſa ſit inter credenda: quod enim ad fidem duntaxat alicui rei faciendam inſervit, id à re credenda diverſum ſit, neceſſe eſt.*

At jam non ſemel diximus, Socinum nuſpiam aſſeruiſſe, expiationem Chriſti duntaxat ad fidem nobis ingenerandam inſervire. Inſervit enim etiam ad liberationem ab ipſo reatu peccatorum, idque non tantum conſequenter, h. e. quatenus fidem ingenerando ad reſipiſcentiam nos adducit, quam remiſſio peccatorum excipit, ſed etiam proxime, h. e. quatenus à credentibus & reſipiſcentibus pœnas efficacia ſua aufert. Nihil de eo nunc dico quod non recte Grotius mortem Chriſti, pro peccatis ſuſceptam, cum expiatione Chriſti ſeu ſacrificio ipſius expiatorio, de quo Socinus loquitur, confundit: quod illi tamen concedi poſſet, ſi mortis nomine ea etiam quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illam ſunt conſequuta complecteretur. Quod ſi quis putet, omiſſa etiam vocula *duntaxat* argumentum Grotii firmum perſtare; is vehementer fallitur. Majorem enim argumenti iſtius propoſitionem refellit Chriſti reſuſcitatio, quæ in eum finem eſt comparata, ut nos ad fidem adducat, 1 Petr. 1. 21, & ipſa tamen inter credenda eſt, ut locus à Grotio citatus 1 Corinth. 15. docet, & cum morte Chriſti hac in parte conjungitur, ut patet ex collatione, verſ. 4. & 11, cum præcedentibus, quod idem fit 1 Theſſ. 4. 14, ubi, quemadmodum & in loco ad Corinth. ſpes reſurrectionis noſtræ ex reſurrectione Chriſti, ob quam mortis etiam ipſius fit mentio, oſtenditur. quin & Rom. 10. 9. fides cordis, quæ eſt ad juſtitiam ac ſalutem, in eo ſita eſſe docetur, quod credamus, Jeſum à Deo eſſe excitatum è mortuis. Sed, ut res tanto rectius intelligatur, animadvertendum eſt, fidem illam, per quam ex Dei benignitate revera ſervamur, & quam Deus primo ac per ſe à nobis réquirit, ſi juſtificari velimus, non eſſe credere Jeſum eſſe mortuum, aut reſuſcitatum; ſed, ut prolixe docuit Socinus lib. 4. cap. 9. & ſeqq. eſſe fiduciam in Deo per Chriſtum collocatam, quæ, ut alibi monuimus, ſpem promiſſorum divinorum, per Chriſtum nobis oblatorum, & per eundem præſtandorum, atque ex ea manantem, mandatorum ipſius obſervationem complectitur. Hæc vero fides quia in nobis excitatur, tum morte tum reſuſcitatione Chriſti, maxime vero reſuſcitatione; ideo ſalus etiam ei fidei adſcribitur, qua credimus, Jeſum Chriſtum eſſe mortuum, & à Deo reſuſcitatum; imo, ut vidimus, ei fidei etiam ſoli, qua credimus Chriſtum eſſe à Deo excitatum è mortuis, & exaltatum, verum, ut ita loquar, antecedenter: eſt enim fides illa cauſa antecedens ejus fidei quam Deus in nobis potiſſimum quærit, & cujus nobis inſerendæ cauſa Chriſtum morti tradidit, reſuſcitavit, atque ut id factum eſſe firmiter credamus vult ac curat. Eadem ratione Joannes fidem, quæ nos Dei filios efficiat, deſcribens, ait: *Omnis qui credit Jeſum eſſe Chriſtum*, h. e. regem noſtrum cœleſtem, ſeu, ut verſ. 5. loquitur Dei filium, ex Deo natus eſt, non quod hæc ſic fides illa quæ per ſeipſam ac primo filios Dei nos conſtituat, ſed quod hæc fides ſpem immortalis vitæ animis noſtris infigat. Unde fit ut mundum vincamus, & præcepta Dei obſervemus, quemadmodum ex eodem loco conſtat. At cum Socinus ait mortem aut ſacrificium Chriſti eo etiam ſpectare, ut fidem nobis ingeneret, eam intelligit fidem, cujus objecta ſunt promiſſiones divinæ per Chriſtum nobis factæ, & conſequenter mandata, ſine quorum obſervatione promiſſa conſequi nemo poteſt. Quam fidem illam eſſe diximus, per quam primo ac per ſe, ex benignitate tamen divina, ſervamur. Hujus ergo fidei ſtricte ſumptæ objecta non ſunt mors, reſurrectio, ac ſacrificium Chriſti, ſed fidei quæ hanc antecedit, eamque nobis ingeneratur. Iſta enim nobis ſunt notiora, quam ſunt res à Deo promiſſæ; unde ex morte, reſurrectione ac gloria Chriſti ſuprema, curaque quam pro nobis gerit, remiſſio peccatorum ac ſalus noſtra demonſtratur.

Præterea, inquit Grotius Partic. 36, *poſt inſitam demum fidem expiatio Chriſti in nobis effectum habet. Chriſtus enim Pontifex eſt conſtitutus ad expianda peccata populi ſui id eſt credentium*, Hebr. 2. 17. *Non poteſt ergo, expiare, eſſe ad fidem perducere.*

Hæc ratio vim fortaſſe haberet aliquam, ſi Socinus ſtatueret, expiare, quatenus de Chriſto dicitur, nihil aliud ſignificare quam fidem nobis ingenerare, & hac ratione ad peccatorum remiſſionem (nam & hoc addere debuit Grotius) nos perducere; vel ſi conſtaret, totum id, quod Sacræ Literæ uſpiam expiandi voce, ad Chriſti ſacrificium relata complectuntur, poſt inſitam demum fidem in nobis vim ſuam exſerere. At neutrum conſtat. prius falſum eſſe jam non ſemel docuimus: nam id quod in expiatione noſtra potiſſimum eſt ac maximum, quodque hoc nomine inprimus intelligi ſolet, poſt fidem nobis inſitam locum in nobis habet, nempe à divinis ſuppliciis liberatio. Poſterius non eſſe admittendum, ex iis, quæ paulo ante diſputata ſunt, conſtat. Divinus Auctor loco citato expiandi vocem in potiori ſignificatione accipit, & de ablatione ipſarum divinarum pœnarum quas meriti eramus inprimis loquitur. Non ſequitur autem Chriſtus expiat peccata, pœnas à credentibus auferendo; ergo non expiat etiam fidem ingenerando, & ad pietatem nos perducendo. Iſtud finis eſt; hoc medium: fine poſito haudquaquam negantur media. Euangelio tribuitur ſalus, finis fidei, nec tamen eidem negatur medium nempe fides ipſa, quæ non niſi ex auditu verbi divini, quod eſt Euangelium, naſcitur. Sed præterea cum Socinus de ingeneratione fidei loquitur, Rom. 1. 18, etiam ea vis ſacrificii Chriſti comprehendenda eſt, qua fides ingenerata fovetur ac ſtabilitur, ne vi tentationum nimia evertatur, & ſic ii qui eam antea conceperant, ab ea deficientes, ſuorum peccatorum dent pœnas. At de hac etiam loquitur Divinus author in verbis à Grotio citatis, ut verſus ſequens, quem nos ſemel expendimus docet. Atque ea de cauſa paulo ante diximus, auctorem D. non ſolum, ſed inprimis de ablatione ipſarum pœnarum loqui. Itaque ea verba non tantum non evertunt, ſed etiam aliqua ex parte ſtabiliunt eam Socini de vi expiatorii Chriſti ſacrificii ſententiam, quam Grotius hic oppugnat.

Eam quæ proxime ſequuntur Partic. 37, alibi examinavimus. Diximus enim non ſemel, inprimis cap. 7. & 8, quatenus à Socino negetur, Deum morte Chriſti ad remittendum moveri. De loco Hebr. 12. 24. actum eſt cap. 1. & hoc cap. breviter Partic. 3. locum etiam Hebr. 2. 17. ubi Chriſtus dicitur ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας expiare peccata, tum ſeptimo cap. examinavimus, ubi oſtendimus, verba illa non ſignificare placare peccata, i. e. placando Deum peccata expiare, ut vult Grotius: de voce piandi ſive expiandi vidimus, itidem hoc cap. Partic. 23. cui loco adde, Partic. 19. ubi de voce *luſtrandi*, quæ eandem in negotio noſtro vim habet, egimus. Non oſtendit autem Grotius, vocem *piandi* ſive *expiandi* nihil aliud proprie ſignificare quam *luere*, h. e. pœnam pendere. Ita enim verbum hoc erit accipiendum, ſi contra Socinum facere debeat. Neque vero auctores à Grotio citati expiandi verbum volentes [illegible] dicunt, ſanguinem dare pro ſanguine, vitam pro vita animam pro anima; ſanguine aliquid emere, morte alterius ſalutem conſequi. Neque enim cum iſta dicunt, ſignificationem verbi *piandi* vel *expiandi* abſolute aut

gene-

generaliter conſiderati deſcribunt, & ſic vim illius verbi propriam exprimunt; ſed modum expiationis ſpecialem, ad de etiam præ cæteris inſigniorem, qui alicubi fuerit uſurpatus, deſignant. Alias idem dicendum foret de propria ſignificatione verborum καθαρίζειν, ἁγνίζειν, ἁγιάζειν, h. e. *expurgandi, purificandi, ſanctificandi*, pro quibus iſta non minus ab auctoribus citatis poſita dici debent, quam pro voce *piandi* vel *expiandi*: nec tamen luitionem verba illa proprie ſignificant. Novit autem Grotius, pro verbo *expiandi* tum in Sacris Literis, tum in profanis auctoribus, poni etiam *abluendi* verbum: & Poëtas interdum, cum magnitudinem ſceleris alicujus exprimere volunt, dicere, nullum fluvium, & ne mare quidem ei expiando ſuffecturum, quod ad luitionem nihil, ſed ad expurgationem & ablutionem tantum facit. Atque hæc conſentiunt cum illis quæ de luſtratione d. l. cap. 8. expoſuimus. Adde quod in Sacris Literis ipſi Deo tribuitur expiatio, ut cap. 7 vidimus, & paulo inferius fatetur Grotius: adſcribiturque aſperſioni cineris juvencæ combuſtæ Hebr. 9. 13. Atque in ſacrificiis non de ipſa mactatione pecudis, quæ revera fuiſſet luitio illa ſeu pœnæ perſolutio, ſed de iis dicitur quæ mactationem conſequebantur, atque inprimus de aſperſione ſanguinis, quæ à ſacerdote vel in Sancto Sanctorum, vel in ara, aut circa eam fiebat; unde factum, ut *expiare* ſumatur pro *expiando ſpargere*. 2 Paral. 29. 24, ut contra *aſpergere* pro *expiare* ſeu *expurgare*, ut Hebr. 10. 22. Quamquam non tam ab aſperſione ſanguinis ducta cauſa, quam ab aſperſione cineris juvencæ, de qua paulo ante diximus: ad quem ritum alludit etiam David Pſal. 51. 9. Itaque etiamſi tandem apud profanos ſcriptores expiandi vox aliter uſurparetur, id tamen ad Sacras Literas non protinus eſſet trahendum. Quamquam prætera, iſta omnia, in quibus Grotius periphraſin verbi *expiandi*, arbitratur, de expiatione per mortem Chriſti facta dici poſſe fatemur; licet improprie pro ſanguine noſtro Chriſti ſanguis datus atque impenſus dicendus ſit; cum intelligendum ſit cum impenſum, ut nos ab æterna morte liberaremur: intelligi autem ea poſſunt ex iis inprimis, quæ cap. 8 & 9 diximus.

Pergit Grotius Partic. 38: *Neque voces Hebrææ hinc diſſident. nam Caphar non modo eſt tegere, ſed & redimere*, Exod. 21. 30. Pſalm. 49. 7, &c. *Placare* Geneſ. 32. 19, *atque inde porro expiare. Chata eſt luere* Geneſ. 31. 39. *unde & hoc cœpit ad expiationem ſignificandam uſurpari. In margine notat contra* Socin. l. 2. cap. 11.

Grotius, ut apparet, ſatis hic habet, Socini dicta de vi vocum Hebræarum refellere, & oſtendere, eas à ſua ſententia non diſſidere: at hic longe diligentior eſſe debuiſſet quam antea, cum de vocibus Græcis & Latinis apud profanos auctores egit, & oſtendere, voces Hebræas eam ſententiam poſtulare quam urget. Socinus eo loco quem ſe Grotius oppugnare profitetur, non ait, *Caphar*, tantum eſſe *Tegere*, quod ei tacite tribuit Grotius, ſed propriam ejus ſignificationem eſſe *tegere* & *operire*, vel *oblinendo obturare atque obſtruere*, quorum illud etiam dixit Grotius ſupra cap. 8. de gnoma Salomonis Prov. 16. 6. agens. Deinde cum negat verbum iſtud ſignificare poſſe *ſatiſfactionem*, non modo de vera compenſatione, qua tantundem ſolvitur quantum debetur, loquitur; verum etiam ut ex iis, quæ antecedunt & ſequuntur, verbis, ſatis liquet, eatenus verbum iſtud conſiderat, quatenus ad peccata refertur. At in locis à Grotio citatis, verbum iſtud non refertur ad peccata, quæ expientur, redimantur, aut placentur, ſed vel ad animam vel ad hominem ipſum, aut ejus faciem. Adde quod loci priores non habent ipſum verbum *Caphar*, ſed nomen inde deductum. At in ipſo verbo *Caphar*, de quo Socinus agit, nuſpiam, ut arbitror, *Redimendi* ſignificationem reperies, niſi forte ipſam vocem *redimendi* improprie ſumas pro *expurgatione peccatorum* ſeu *expiatione*, quam ipſe Grotius à redemptione hic diſtinguit, ut in loco Proverb. 6. 6 vidimus. Tertius locus alias etiam nihil adverſus Socinum facit, cum non neget Socinus hoc verbum placandi ſignificationem habere, *placare* autem & vere *ſatiſfacere* longe differunt: Quod ad verbum *Chata* vel *Chitte* attinet, haud negat Socinus illud interdum eſſe *luere*, ſed ait, id cum de ſacrificiis agitur, *purificandi* & *mundandi* ſignificationem habere, &, etiamſi aliquando erratum ſatiſfactione purgetur, non tamen ea ratione peccata in Deum purgari, ſed clementia & pura ipſius benignitate: unde hoc ipſum verbum etiam de Deo uſurpetur Pſalm. 51. 8. Ait etiam, eo uti Moſen, cum agitur de *expiando* altari, aut ſimili aliqua mundatione: peccatis autem expiandis, licet ratione originis huc potius videatur accommodandum, vel raro, vel nunquam. Ex quo jam patet, id cum de ſacrificiis agitur, poſſe ac ſolere aliud ſignificare quam *luere*, neque enim luitur altare, aut pro altari, rebuſque ſimilibus. Probandum autem erat Grotio, non aſſerendum nude, inde verbum *Caphar* expiandi ſignificationem habere, quia ſignificet *placare*, aut (nam huc etiam verba Grotii extendi poſſunt) *redimere*. Cum enim ea ſit propria verbi ſignificatio, quam Socinus conſentiente Grotio docuit, inde ſtatim ad Expiationem peccatorum transferri potuit: quia peccata non alia ratione potiſſimum expiantur ac purgantur, quam quia teguntur à Deo, ut apparet Pſalm. 32. 1. Nehem. 4. 5. qua de re Socinus jam monuerat: & ſane cum redimendi ſignificatio in ipſo verbo *Caphar* non reperiatur, non eſt veriſimile, inde potius *expiandi* fluxiſſe ſignificationem, quam ab ea quæ ejus verbi eſt maxime propria. Quod ad *placationem* attinet, quis planum nobis faciet ab ea potius expiandi ſignificationem manaſſe, quam ab hac illam: hæc enim illa longe eſt uſitatior. Conſentaneum eſt, niſi quid contrarium ſuadeat, ab uſitatiori fluxiſſe minus uſitatam, quam contra. Quanquam etiamſi inde expiandi ſignificatio manaſſet, non tamen ſequeretur in omni expiatione placari quempiam, ſeu ex irato propitium reddi: ſatis enim eſt cognatam hanc placationi ſignificationem eſſe, ut ſane eſt: Cum in expiatione iræ cauſa obliteretur, & quod ad reatum attinet extinguatur, interdum ipſa ira, ſi jam exiſtat, mitigetur ac placetur. Quod verbum *Chata* aut *Chitte* ideo ad expiationem ſignificandum uſurpari cœptum ſit, quia interdum *luere* ſignificat, probare debuiſſet Grotius; ſiquidem uſus ejus verbi in expiationibus id haudquaquam probat; & præterea cum ille, unus forſaſſe ſit locus quem Grotius

citat, in univerſis Sacris Literis, ubi verbum *Chitti* ſignificare videatur *luere*; non licet inde concludere in expiationibus eam ſignificationem eſſe retinendam.

Scribit porro Grotius Partic. 39: *Tribuitur autem expiatio primo victimis, ut apparet* Heb. 13. & 23, *deinde ſacerdoti propter victimas quas exhibet, ut ſæpe in Levitico: proſtremo etiam Deo iſtam luitionem admittenti.*

Imo vero Deo primo ac perfecte tribuitur expiatio, ſacerdoti ac victimis conſequenter, & ratione minus præſtanti: Deus enim revera peccata eorumque reatum tollit, ac pœnas avertit: Hoc autem eſt expiare ceu expurgare peccata: Sacerdos proprie dictus, quia facit id quod ad reatus ablationem requiritur. Chriſtus qui diviniori ratione ſacerdos eſt, partim cum Deo convenit, partim cum ſacerdote proprie dicto, ut ſupra vidimus. Victimis denique eatenus expiatio competit, quatenus earum interventu reatus aufertur. Hinc in Veteri Teſtamento non victimæ, præſertim ſi eo nomine pecudes mactatas, quas punitas credit Grotius, intelligas, dici ſolent expiare, ſed iis ſeu per eas fieri dicitur expiatio, quod etiam plerumque fit in Novo, de Deo autem & de ſacerdote ſæpe dicitur, quod peccata expient. Ex quo conſequitur, non eam eſſe vim vocum expiationem apud Hebræos ac Græcos ſignificantium, quam vult Grotius. Nempe ut ſignificent *luere*, ſeu pœnam ac *ſupplicium ferre.* Nam ſi hoc ſignificarent, ipſis victimis ſæpiſſime tribui deberent, quas Grotius pœnas arbitratur *luere*; non vero Deo ac ſacerdoti: cum neuter pœnas ferat, & Deus ſit qui eas, ut cenſet Grotius, exigat, ut nos cum Sacris Literis ſtatuimus, condonet. Neque vero uſpiam legere memini, eum dici luere, qui luitionem ſeu pœnam admittat. Quare nihil eſt, quod Grotius ſine ulla probatione aſſerit, Deo tribui expiationem, tanquam luitionem, quam vox *Expiandi* ſignificet, admittenti. Quod vero Hebr. 9. 13. Sanguini tribuatur expiatio, id nullam *luitionem* ſeu *ſupplicii perpeſſionem* ſignificat, ſed *expurgationem* tantum à contaminatione. Nam nec verbum ἁγιάζειν, h. e. *ſanctificare*, ſignificationem iſtam habet, nec ſanguis ille luere aut pœnas ſolvere dici poteſt, multo minus cinis vitulæ aſpergens contaminatos, cui *expiatio* ibidem tribuitur, & ſi pœnarum perſolutionem ſignificaret vox ἁγιάζειν, non regeret accuſativum deſignantem perſonam aut rem in quam actio tranſeat, ſeu quæ ſanctificetur, quod tamen vel fit vel fieri intelligendum eſt, ut contingit voci καθαρίζειν, quæ ei reſpondet verſ. ſeqq. de qua idem reſponſum volumus. Quamquam verſ. 23. non dicitur quod victimæ *expient*, ſed quod iis purgentur cœleſtia: Cauſæ nimirum expiationis, mediæ non principales eæ conſtituuntur.

Quod expiationem ait Partic. 40: dici cœpiſſe propter ſimilem effectum, etiam ubi nulla luitio intercedit, idque Pſalm. 51. 8, confirmat, pro Socino facit, quamquam, dum id propter ſimilitudinem effectus tantum factum putat, eum falli ex dictis conſtare poteſt.

Partic. 41. Chriſto expiationem tribui ut victimæ, verum eſt: ſed victimæ nomen non prorſus proprie illi competit: nec modus expiationis prorſus idem eſt qui in aliis victimis, ut ſuperius eſt explicatum, Sanguinem victimarum dari vice animæ peccatoris, ſupra non eſt probatum de victimis legalibus: de Chriſto id proprie dici non poſſe, cap: ſuperiori à nobis oſtenſum eſt, licet commutationem in hoc negotio agnoſcamus. Expiatio ei nihilominus proprie competit, cum peccata vere expurget, & ab eorum reatu ac pœna liberet, quam ad rem non fuit neceſſe ut ſanguis ejus vice animarum noſtrarum proprie daretur.

Ait porro Grotius Partic. 42: *Quodſi verum eſſet, quod vult Socinus, expiationem multo magis fieri per reſurrectionem & aſcenſionem in cœlos, quam per mortem & fuſionem ſanguinis (quia illa aptiora ſint perſuadendæ nobis fidei quam mors ipſa) ſaltem aliquo Scripturæ loco iſtis actibus expiatio tribueretur, quod nuſquam fit.*

Sed etiamſi expiatio ῥητῶς reſurrectioni & aſcenſioni in cœlos non tribuatur, tribuitur tamen reipſa, dum Chriſtus reſurrexiſſe dicitur ad juſtificationem noſtram, quæ perfectam à peccatorum pœnis liberationem in ſe complectitur Rom. 4. ult. ut niſi Chriſtus reſurrexiſſet, nos adhuc in peccatis noſtris fore, & eos qui in Chriſto obdormierunt, perituros affirmatur 1 Cor. 15. 17, 18, & dum aperte plus efficaciæ in nobis à condemnatione liberandis tribuitur reſurrectioni, itemque ſeſſioni in dextra Dei, & interpellationi pro nobis quam morti, quod in illis fit Apoſtoli verbis Rom. 8. 34: *Quis eſt qui condemnet?* (nempe electos Dei) *Chriſtus eſt qui mortuus eſt, magis vero qui etiam reſurrexit, qui etiam eſt in dextra Dei, qui etiam intercedit pro nobis.* At cum expiatio, ut vidimus, ſit liberatio à peccatorum pœnis: nonne cui vis atque efficacia tribuitur nos à pœnis liberandi, ei etiam expiatio tribuitur? & cui illa magis, etiam hæc? Cur autem Expiationis vox, cum de reſurrectione ſermo eſt, non uſurpetur, ibi vidimus, ubi oſtendimus cur liberatio à pœnis morti frequentius, quam iis, quæ eam ſunt conſequuta, tribuatur; cap. 1. Partic. 26, 27. ubi præter generalem rationem, hanc quoque ſpecialem attigimus, quod, cum reſurrectio expreſſe nominatur, alluſio ad ſacrificia expiatoria locum non habeat, quæ habet cum ſanguinis fit mentio. Alluſioni autem hac in parte multum tribui, illud docere poteſt, quod cum ad expiationem legalem, ac nominatim ad ingreſſum Pontificis in Sancta reſpicitur, ſatis aperte ingreſſui Chriſti in cœlos, qui nihil aliud eſt quam in cœlos aſcenſio, & apparitioni coram Dei vultu, quæ hoc pacto facta eſt, expiatio tribuitur, licet alibi, cum diſerte *aſcenſio in cœlos* nominatur, expiatio illi non adſcribatur. Docet id, quod diximus, locus Hebr. 9. 23, & ſeqq. ubi D. Auctor ait: *ipſa cœleſtia præſtantioribus victimis* (h. e. victima Chriſti) *purgari* ſeu *expiari* oportuiſſe. Addita ratione, quia *non in manufacta ſancta ingreſſus ſit Chriſtus, antitypa verorum, ſed in ipſum cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis.* Quæ autem expiatio verſ. 23. ſit intelligenda ſupra * diximus. Addit paulo poſt verſ. 26: *nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad abrogationem* (ἀθέτησιν) *peccati per hoſtiam ſuam apparuit,*

* Partic. 21.

intelli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

intellige, ut ipſemet Grotius infra explicat, in cœlo apud Patrem. ἀθέτησις autem illi ſeu abrogatio peccati, eſt expiatio, ut ſuperius idem explicuit. Huc etiam revera pertinet locus ejuſdem cap. verſ. 12. de quo infra: quin etiam ii omnes, in quibus Chriſtus ſe pro nobis Deo dicitur obtuliſſe. Quod vel ex iis apparet quæ verſ. 25. dicit Auctor, ubi inquit: *Neque* (ingreſſus eſt in cœlum) *ut ſæpius offerat ſeipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſancta quotannis in ſanguine alieno.* Qua de re inferius plura. Sed cur Grotius non expreſſit etiam ea aperte, quæ Chriſtus poſtquam in cœlum aſcendit, ibidem peragit ad liberationem noſtram à pœnis pertinentia, quibus vel inprimis expiationem Socinus tribuit? an forte vidit, expiationem illis expreſſe à Scriptura tribui? Hebr. 2. 17. 1 Joh. 2. 2. Taceo quod in his verbis Grotius iterum non obſcure pro conceſſo ſumat, ideo vel tantum vel potiſſimum morti Chriſti expiationem à Socino tribui, quia fidem nobis perſuadeat: quod jam ſæpe falſum eſſe diximus.

Pergit Grotius Partic. 43: *Falſum eſt quod ait Socinus, patefactioni divinæ voluntatis expiationem aut* καθαρισμὸν *tribui: neque hoc evincunt loca allegata. Nam* Hebr. 1. 3. *Chriſtus omnia verbo ſuo portare dicitur, quia illius imperio omnia parent: ſicut vox* ῥῆμα *eodem ſenſu invenitur* cap. 11. 3. & Luc. 5. 5.

At quid hoc, quod ideo dicatur Chriſtus omnia portare verbo ſuo, quia illius imperio pareant omnia, facit adverſus eam ſententiam, quam Socinus de expiatione ibi commemorata tuetur? Neque enim Socinus iſta verba, *portans omnia verbo potentiæ ſuæ* de patefactione divinæ voluntatis accepit, ſed illa, quæ præcedunt, in quibus Chriſtus dicitur *ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ* Dei: ſequentia vero verba eodem prope modo, quo Grotius, explicat, dum ait, ea ſignificare, Chriſtum potente ſuo juſſu omnia moderari ac regere. In iis autem alterum expiationis modum, qui conſiſtat in ipſarum pœnarum ablatione, indicari, vel ejus fundamentum quoddam ſterni cenſet: quemadmodum in præcedentibus ſternatur fundamentum alterius expiandi modi, per mortem facti, qui in declaratione remiſſionis nobis à Deo decretæ conſiſtat.

Subjicit Partic. 44: *Capite vero* 10. (Hebr.) v. 26, & 29. *non pro eodem ponuntur cognitio veritatis & ſanctificatio per ſanguinem, ſed plura beneficia conjunguntur, ut eo ſpectabilius ſit crimen hominis ingrati.*

Primum etiamſi non poſſet evinci, voce ἁγιασμοῦ hoc loco ſignificari *potiſſimum* (hanc enim vocem addiderat Socinus) cognitionem veritatis de remiſſione peccatorum ac vita æterna, atque inde pendentem à profano hominum vulgo ſeparationem, (nam hanc quoque incluſerat:) tamen nihil eſſet, quod iſti explicationi obſtaret. De hujuſmodi ſane ἁγιασμοῦ etiam alibi in Sacris Literis ſermo eſt, atque inter alia Johan. 17. 17. 1 Petr. 1. 2. Judæ verſ. 1. eamque ob cauſam *ſanctorum* nomen omnibus illis tribuitur, qui veritatem Euangelii cognoverunt, eamque profitentur. Quod paſſim fit in Epiſtolis Paulinis, & in hac ipſa ad Heb. Epiſtola cap. 3. 1. vi. 10. 13. 24. Sed deinde ſatis eſt id oſtendi, quod hic potiſſimum quæritur, eatenus ſanctificationem iſtam ſanguini Chriſti tribui, quatenus divinam voluntatem Novo Fœdere comprehenſam confirmat & aperte comprobat. Id autem ex appellatione *fœderis* ſanguini Chriſti adjuncta ſatis patet. Ideo enim ſanguis Chriſti dicitur *ſanguis fœderis*, quod per eum fœdus novum ſancitum fuerit ac confirmatum. Adde quod valde ſit conſentaneum, ideo Auctorem D. hic conjungere Filium Dei, ſanguinem fœderis, ſpiritum gratiæ, tanquam ea, quæ ab Apoſtata ſeu deſertore Chriſtianæ religionis, cujus ſcelus hic exaggerat, nominatim violentur; quia ea de veritate ſanctiſſimæ hujus religionis aperte teſtentur, adeoque ab eo, qui religionem illam agnitam negat, deteſtandi mendacii arguantur, & tanquam res impuræ traducantur: Filius Dei quidem, tanquam religionis iſtius inter homines auctor ac primus promulgator; ſanguis fœderis, & Spiritus gratiæ, tanquam inſignes quidam ejus rei teſtes 1 Johan. 5. 6. 8. & ſeqq. quibus Johannes plurimum, quod ad vim teſtimonii attinet, tribuit, & aquæ, quam tertium teſtem conſtituit, non obſcure præfert. Quamquam & aqua, per quam puritas quædam eximia intelligi videtur, nominato Dei filio tacite videtur comprehenſa. Quod ſi eo, quem diximus, modo ſanguis Chriſti hic conſideratur, facile erit colligere, ſanctificationem, quæ ei tribuitur, tale quippiam eſſe, quod à ſanguine illo eatenus pendeat, quatenus is teſtandi ac divinam voluntatem patefaciendi vim habet. Pendet autem ab eo, iſta ratione conſiderato proxime notitia veritatis Euangelicæ, quam qui habet, eo ipſo à profano hominum vulgo ſeparatur; pendet inde immunitas ac ſecuritas à divinis ſuppliciis, quæ expiatio eſt peccatorum in jure conſiſtens; eaque ſanctificationis nomine intelligi queunt.

Sed contra id, quod ex adjecta fœderis mentione collegerat Socinus, ita excipere videtur Grotius Partic. 46: *Adjicitur quidem aliquando ſanguini fœderis mentio: ſed ſæpius multo* τῆς θυσίας. *Quare ea ſumenda eſt interpretatio, quæ iſta conjungat. Hoc autem fiet, ſi fœderis illam ſpectemus partem, qua Chriſtus ſtipulatus eſt, ſi mortem ſubiret, fore, ut remitterentur peccata ſibi credentibus, Deus autem id ipſum promiſit, ut appa-ret* Eſai. 53. 10.

Primum non ſatis recte loquutus videtur Grotius, dum ait, ſæpius multo ſanguini adjici mentionem τῆς θυσίας, quam fœderis. Nam mentio fœderis ideo dicitur adjici ſanguini, quia *fœderis ſanguis* expreſſe dicitur: At *ſanguinem* τῆς θυσίας ſeu *victimæ* eundem expreſſe nominari, legere non memini. Sed ita accipiamus verba Grotii, ac ſi dixiſſet, ſanguinem Chriſti ſæpius mulro conſiderari ut ſanguinem victimæ. Quid tum? an inde ſequetur, eum ſemper eo modo conſiderari, etiam tum, cum fœderis eſt adjuncta mentio? quæ conſecutionis ratio? ſed & hoc largiamur. An inde conſequetur, ſanguini Chriſti non tribui, quod divinum fœdus confirmet, ac de remiſſione nobis à Deo decreta teſtificetur, noſque ad veritatis divinæ cognitionem pertrahat? minime. Nam primum pro conceſſo ſumitur, ſacrificii Chriſti non eſſe, fidem promiſſorum divinorum nobis ingenerare, & de remiſſione peccatorum nos certos reddere; quod haudquaquam eſt concedendum. Deinde etiamſi id ſacrificio Chriſti, qua tale, non conveniret, poſſet nihilominus hic effectus ſanguini Chriſti ob adjunctam fœderis mentionem tribui;

ſiquidem vis hæc haudquaquam pugnat cum vi ſacrificii Chriſti propria, imo ei egregie ſubſervit, cum ad remiſſionem peccatorum multum faciat. Quare duplex ſanguini Chriſti vis tribueretur, altera ſacrificiorum propria, altera ſanguinis fœderum. Quod vero Grotius ait, Chriſtum ſtipulatum eſſe, ſi mortem ſubiret, fore ut peccata remitterentur ſibi credentibus, id nec in citato Eſaiæ loco, nec alibi uſpiam in Sacris Literis dicitur. In loco Eſaiæ promittitur quidem à Deo, ſi Chriſtus mortem ſubeat, fore ut peccata remittantur in ipſum credentibus: ſed quod Chriſtus id fuerit ſtipulatus, atque ita demum Deus id promiſerit, ne verbo quidem indicatur. Promiſſio illa non ex antegreſſa aliqua ſtipulatione, ſed ex ſola Dei voluntate pependit. Deinde, ut alia omittam, quod eatenus Chriſti ſanguis dicatur ſanguis fœderis, præſertim primo ac per ſe, quatenus fœderis iſtius pars eſt, eaque vera loquutionis hujus in negotio aut loco noſtro vis ſit, (id enim, quantum conjicere poſſum, vult Grotius) ex Sacris Literis non apparet: quod autem eatenus dicatur ſanguis fœderis, quatenus fœdus novum eo fuit confirmatum ac ſancitum, ut olim antiquum ſanguine vitulorum & hircorum, ſatis aperta ſunt in Sacris Literis argumenta; nec qui de eo dubitet, ex Sacrarum Literarum interpretibus quemquam hactenus deprehendere licuit. Neque ſane veriſimile eſt Auctorem ad Hebr. cum hac appellatione uteretur, id dicere voluiſſe, quod Grotius videtur ſentire; cum is fœdus novum ex Jeremia deſcribens, ſanguinem Chriſti ſeu mortem ejus cruentam inter conditiones aut partes ejus non ponat: quod nec alibi in Sacris Literis, cum de fœdere novo ſermo eſt, factum temere inveneris. Chriſti autem ſanguis, non alterius, quam novi, quod inter nos & Deum percuſſum eſt, fœderis ſanguis eſt, Matth. 26. v. 28. Marc. 14. 24. Confer Hebr. 9. 15. & ſeqq. 12. 24. XIII. 20.

Scribit amplius Grotius Partic. 45: *Quod vero Chriſtus in cœlo dicitur offerre ſanguinem, hoc eſt, Patri mortem ſuam oſtendere, & quaſi ejus Deum commonefacere* ſeu *in memoriam revocare* ἀναμιμνήσκειν, *quod inſuper interpellare pro nobis legitur, hæc expiationem in cruce peractam non tollunt. Expiatio enim in Cruce peracta, Deum movet ad remittendum & jus nobis acquirit, ſed ſub certa conditione ac modo: in quibus comprehenditur ex parte Chriſti interpellatio, ex parte noſtra fides vera, ut explicatum eſt, cum de ſatiſfactione ageretur.*

At ubinam, quæſo, in Sacris Literis dicitur, Chriſtum in cœlo offerre ſanguinem, aut Patri mortem ſuam oſtendere, & ejus Deum quaſi ἀναμιμνήσκειν? Chriſtus apud Auctorem ad Hebræos, Hebr. 7. 27. IX. 14. 25. X. 10. qui ſolus de oblatione ipſius cœleſti aperte agit, ubique ſeipſum, aut corpus ſuum dicitur obtuliſſe Deo, ſanguinem nuſpiam, licet non niſi per ſanguinem ejuſque fuſionem id fuerit factum. Ideo D. ille Auctor cap. 9. de ſacrificio Chriſti fuſe diſſerens, idque cum ſacrificio Legis anniverſario conferens, in quo Pontifex ſanguinem in ſancta illatum pro ſuis ac populi ignorantiis offerebat, ut dicitur verſ. 7. nihil aliud ἀνάλογον hujus comparationis, quod quidem huc pertineat, reponit, quam Chriſtum *per proprium ſanguinem ingreſſum eſſe ſemel in ſancta, æterna redemptione* ſeu *expiatione reperta*, v. 12. & paulo poſt verſ. 14. cum elegantioris comparationis cauſa ſanguini Chriſti purgationem ſeu expiationem conſcientiæ tribuiſſet, quam ideo præſtet, quia per eum facta ſit oblatio, non tamen ipſum ſanguinem dicit à Chriſto eſſe oblatum Deo, quemadmodum Grotii ſententia, & comparationis major quædam concinnitas poſtulaſſet; ſed ait, Chriſtum, cujus ille fuerit ſanguis, *per ſpiritum æternum ſeipſum obtuliſſe inculpatum Deo:* quibus in verbis ipſius immortalitas, & ſumma naturæ corporiſque ipſius glorioſi perfectio, qua ad cœleſtem illam oblationem erat opus, potius quam vitæ ſanctitas notatur. *Spiritus* enim ille *æternus* rectiſſime accipitur de *virtute vitæ indiſſolubilis*, ſecundum quam Chriſtus dicitur factus ſacerdos cap. 7. 16. & ob quam ſacerdotium ipſius æternum eſt, atque ab eo in alterum quempiam non tranſit, ut Leviticum, ibid. verſ. 24. & ſeqq. uſque ad finem cap. ex quibus intelligi facile poteſt, quid apud D. hunc Auctorem vox inculpati ſignificare queat, ſi conferas ℣ſ. 26. cap. iſtius 7. cum antecedentibus & ſeqq. Vult nempe D. Auctor d. l. cap. 9. ſignificare, inde ſanguinem Chriſti maximam vim ad conſcientias noſtras à mortuis operibus expurgandas, atque ad ſerviendum Deo viventi excitandas habere, quia Chriſtus ejus interventu immortalem vitam fuerit adeptus, atque in cœlum ingreſſus ibidem apud Deum permaneat, ſalutis noſtræ curam perennem, quod ſine immortalitate fieri non poterat, geſturus. Quod vero Grotius ait, ea, quæ in cœlis Chriſtum facere dixerat, *expiationem in cruce peractam non tollere*, id ambiguum eſt, maxime ob verbum *peractam*. Nam vel hoc vult Grotius, expiationem in cruce jam conſummatam atque ad finem perductam eſſe, ita ut Chriſto, qua ſacerdos eſt, nihil amplius, quod ad eam pertineat, faciendum reſtaret; vel aliquam fuiſſe vim atque efficaciam in morte Chriſti expiatoriam, & quidem tantam, ut cætera, quæ ad expiationem perficiendam pertinent, inde neceſſario ex Dei decreto conſequi debuerint. Si poſterius, rem totam fatemur: cum ſtatuamus, mortem Chriſti fuiſſe conditionem ipſi à Deo impoſitam, qua præſtita ſupremam in cœlis poteſtatem ac plenam nos à peccatorum ſuppliciis liberandi virtutem adipiſci debuit, qua juncta cum ſumma Chriſti fide, ſummaque erga nos charitate ac miſericordia, quæ morte ipſius, pro nobis adhuc impiis ſuſcepta, tum comprobata eſt, tum aliquo modo excitata, non poteſt non liberatio à peccatorum pœnis conſequi, & ſic expiatio penitus abſolvi. Si prius vult Grotius, aſſertionem ipſius haudquaquam admittimus, & ex eo, quod Chriſtus in cœlo ſacerdotii munere æternum fungatur, adeoque pro nobis, ut Grotius fatetur, offerat, pro nobis coram Dei vultu appareat atque interpellet, valide concludimus, expiationem in cruce nondum fuiſſe conſummatam atque perfectam: cum ſacerdotium illud Chriſti non niſi ad expiationem peccatorum noſtrorum pertineat, & oblatio hæc ipſius apparitioque coram Dei vultu pro nobis, non niſi expiatoria ſit: quod etiam interpellatio, quæ ab ea reipſa non differt, abunde comprobat, præſertim ſi conſideres

locum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

locum ſupra à nobis adductum Rom. 8.34. Imo cum ea, quæ in cœlis peragit Chriſtus, cum liberatione noſtra à pœnis proxime cohæreant, eamque vi atque efficacia ſua propria nobis præſtent, ſimpliciter dici poteſt, expiationem in cœlis peragi: morti autem diſtincte ſumptæ, tanquam cauſæ antecedenti, & ſic metonymice quodammodo tribui. Atque hoc etiam nobis in anniverſario Legis ſacrificio, quod potiſſimum nobis Chriſti ſacrificium adumbraſſe nemo non videt, expreſſum eſt. Neque enim in eo ſacerdos tunc dicebatur expiare, cum pecudem mactaret Levit. 16. 16. & ſeqq. (quod nec in aliis ſacrificiis expiatoriis legere memini) ſed cum ſanguinem in adyta illatum ſpargeret, & hoc pacto coram vultu Dei, qui ibi peculiari quadam ratione præſens erat, ibid. verſ. 2. compareret, eaque oblatione pro populo veluti interpellaret. Cui adde alia quædam, quæ è ſanctuario egreſſus faciebat, ad expiationem penitus abſolvendam pertinentia, quibus tamen nihil in Chriſti ſacrificio reſpondet: quæ omnia mactationem conſequebantur. Iis autem, quæ in ipſo ſanctuario faciebat Pontifex, proprie reſpondere ea, quæ in cœlis facit Chriſtus, coram vultu Dei pro nobis apparens atque interpellans, tum per ſe quivis facile videt, tum ſatis aperte docent ea, quæ leguntur Hebr. 9. 23, & ſeqq. Quare iis etiam expiatio vere adſcribenda eſt. Ideo vero D. Spiritus ſparſioni ſanguinis coram Dei vultu, cæteriſque rebus, quæ mactationem conſequebantur, expiationem aperte adſcribit, non vero ipſi mactationi; quia hæc remotior erat liberationis à reatu cauſa, illæ propriores. Atque hinc etiam D. Auctor Hebr. 2. 17. ait, Chriſtum oportuiſſe per omnia fratribus ſimilem fieri, *ut miſericors fieret & fidelis Pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi*; de ea re loquens, quam poſt mortem, atque adeo in ipſis cœlis perpetuo peragat Chriſtus, ut non ſemel docuimus, quod idem vult Johannes 1 Epiſt. 2. 2. Animadvertendum nempe eſt vocem *expiationis* ex earum eſſe numero, quæ dicuntur *ab uno* ἀφ' ἑνὸς aut *ad unum* πρὸς ἕν. Eorum autem vocabulorum ea eſt ratio, ut quo quidque ad id, quod in eo genere potiſſimum eſt, & cui primum vox communis convenit, accedit propius, majoremque cum illo nexum habet, tanto magis proprie nomen illud commune ſibi vindicet. Expiare autem, ut voces Græcæ καθαρισμὸς, ἁγνισμὸς, ἁγιασμὸς, quæ de ea uſurpantur, indicant, eſt expurgare peccata, & quidem cum de ſacrificiis ſermo eſt, inprimis ſignificat, peccatorum reatum ac pœnam tollere. Imo cum de aliis præter Chriſti victimam ſacrificiis uſurpatur, aliam ſignificationem non recipit. Unde ſupra Grotius urſit, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας Hebr. 9. 26. nil eſſe aliud quam πρὸς τὸ καθαρίζεσθαι ἡμᾶς, ad expiandum nos, πρὸς τὸ γίνεσθαι ἡμῖν ἄφεσιν, ut contingat nobis remiſſio. Remiſſio autem liberatio eſt à pœna. Quare ei perſonæ primo expiatio competit, quæ pœnam tollit, atque ab ea abſolvit: qualis in hoc negotio eſt Deus, ac Chriſtus, Dei nomine remiſſionem nobis præſtans. Unde de Deo, cum peccata remittit, dicitur, eum expiare peccata, ut alibi vidimus, nec diffitetur Grotius; atque inter alia 1 Joh. 1. 9. ubi pro eodem ponuntur *remittere peccata* & *expiare ab iniquitate*. Deinde etiam illis ſive perſonis, ſive rebus tribuitur expiatio, quæ aliquid ad liberationem à pœna ſeu remiſſionem peccatorum nobis pariendam faciunt ac conferunt, ſive cauſæ impulſive ſint, ſive mediæ: quo in numero ſunt ſacerdotes, qua tales, ac victimæ, &, qui circa victimas peraguntur, actus. Harum cauſarum quo quæque propius cum liberatione illa cohæret, quantoque plus ad eam efficiendam habet efficaciæ, tanto magis proprie ei tribuitur, expiatio: imo ei ſimpliciter interdum tribuitur, quod effectui illi eſt omnium proximum, & maximam inter alia ad eum pariendum vim habet. Atqui cum effectu liberationis à pœna ſeu remiſſione, quæ actu ipſo fiat, propius cohærent illa, quæ in cœlis facit Chriſtus, ut fatetur tum hic tum alibi Grotius; & Paulus aperte docet Rom. 8. 34. ad liberationem à condemnatione plus facere ea, quæ mortem ſunt conſequuta, quam mortem ipſam. Itaque ſimpliciter expiatio illis adſcribi poteſt, morti autem quodammmodo metonymice, & veluti antecedenter; niſi forte mors non ſumatur ſola, ſed hoc nomine comprehendantur ea, quæ illam ex Dei decreto ſunt conſequuta, ad liberationem à pœna ſpectantia, ut alibi (*a*) eſt explicatum. Quomodo autem mors Chriſti Deum ad remittendum moviſſe dici queat, & jus nobis acquiſierit, explicatum eſt non ſemel. (*b*) Illud tantum monendum eſt, etiamſi mors Chriſti conditio fuerit, qua præſtita ex Dei promiſſione, quæ extat Eſai. 53. 10, 11. remiſſio peccatorum conſequi debuit, eaque ſanctio fuerit Novi Fœderis, in qua remiſſio peccatorum nobis promittitur, adeoque jus quoddam ad eam repetendam nobis dederit; nos tamen eam, ut Paulus apertiſſimè 1 Corinth. 15. 17, 18. teſtatur, reipſa non fuiſſe conſequuturos, niſi Chriſtus reſurrexiſſet, & dextra Dei fuiſſet exaltatus dux & ſervator Actor. 5. 31. Neque enim nobis primo aut ſimpliciter fuit promiſſum, ſi Chriſtus mortem ſubeat, fore ut Deus nobis peccata remittat: ſed ipſi Chriſto præmii loco fuit à Deo promiſſum, fore ut, ſi mortem pro nobis ſubeat, voluntatem ipſius de ſalute noſtra feliciter ad exitum perducat, & peccatorum pœnas reipſa tollat, ut ex d. l. Eſaiæ 53. conſtat. Quare ea promiſſio conſequenter tantum ad nos pertinet; & omnis ejus, qui ad nos inde redundare debuit, effectus, ex Chriſti exaltatione pendet. Quod poſterius de omnibus Dei promiſſionibus per ipſum Chriſtum nobis propoſitis ſtatuendum eſt, præſertim cum Chriſtus ipſe eas ſe nobis præſtiturum dixerit. Confirmatio etiam Novi Fœderis per mortem vel facta non fuiſſet, vel vim habuiſſet nullam, niſi Chriſtus Dei filius, quem ſe eſſe morte fuerat teſtatus, perfecte evaſiſſet, quod per reſurrectionem exaltationemque factum eſſe abunde teſtantur Sacræ Literæ Act. 2. 36. XIII. 32, 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4, 5. V. 5, 6. Quare ea conſequuta, effectus promiſſionum divinarum ad nos pervenit, & peccata noſtra vere expiantur.

Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, præſertim ſi jungantur illis, quæ ſuperius non uno loco ſunt à nobis diſputata, haud eſt difficile reſpondere ad id, quod ſubjicit Grotius Partic. 46: *Pugnat autem cum Scriptura Socinus manifeſte, cum expiationem negat eſſe*

(*a*) Cap. 1. Partic, 26, 27. 31. 85. (*b*) Cap. 8. Partic. 3.

factam antequam Chriſtus cœlum ingrederetur. Paſſim enim Scriptura τὴν ἀπολύτρωσιν, τὸν καθαρισμὸν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας *tribuit morti, eaque ipſa jam peracta indicat.* Nam expiatio morti Chriſti metonymice magis quam proprie, atque, ut ita dicam, antecedenter tribuitur, quatenus eſt cauſa eorum, ex quibus perfecta expiatio ſeu liberatio à pœna proxime proficiſcitur: vel, quod eodem fere recidit, mortis nomine etiam effecta, quæ eam ex Dei decreto fuerunt conſequuta, comprehenduntur. Quamquam non in omnibus locis, ad quos proculdubio reſpicit Grotius, ea, quæ hic enumerantur, ita tribuuntur morti, ut in ea, antequam in cœlos ingrederetur Chriſtus, peracta indicentur: ſed mors verbi gratia facta eſſe, aut interveniſſe dicitur εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων ad expiationem tranſgreſſionum: aut Chriſtus εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας ad abrogationem ſeu expiationem peccati per hoſtiam ſuam apparuiſſe: id quod verum eſſe poteſt, etiamſi effectus ille ex morte Chriſti proxime non fuerit conſequutus, aut ante ingreſſum Chriſti in cœlos peractus: cum finis tantum mortis hoc pacto indicetur qui poteſt etiam eſſe remotior. Imo hic ipſe locus, in quo uno ἀθέτησις ἁμαρτίας Chriſti hoſtiæ tributa reperitur, qui quidem extat Hebr. 9. 26. ſententiam Grotii ſatis aperte refutat. Nam in eo verbum *apparuit*, exigentibus id loci circumſtantiis, Grotius ipſe interpretatur de apparitione in cœlo apud Patrem. Quare ſenſus erit: Chriſtum ad expiationem peccati per hoſtiam ſuam apud Patrem in cœlis apparuiſſe. Quod non modo non ſignificat, expiationem ante ingreſſum Chriſti in cœlum eſſe factam, ſed etiam aperte demonſtrat, eam ante id tempus reipſa factam non eſſe. Alias Chriſtus eum in finem apud Patrem in cœlis apparere non potuiſſet. Sunt alia quædam loca, in quibus expiationem morte Chriſti, antequam in cœlos ingrederetur, peractam dici putat Grotius, in quibus tamen id haudquaquam dicitur, ut paulo poſt patebit. Neque vero aliquid amplius, quam hactenus diximus, evincunt illa loca, ubi Chriſtum *in ſanguine ſuo nos à peccatis laviſſe* Apoc. 1. ỳſ. 5, aut *in ſanguine* ipſius quempiam *ſanctificatum* fuiſſe dicitur Hebr. 10. 29. *In* enim pro *per* uſitatiſſimo in Sacris Literis Hebraiſmo poni nemo ignorat. Itaque idem eſt ac ſi dictum eſſet *per ſanguinem*, ut alibi Hebr. 13. 12. Spiritus Sanctus loquitur: id quod nihil aliud quam cauſam expiationis mediam ſignificat. At cauſa media eſſe poteſt, quæ effectui non ſit proxima: poſtulatque nonnunquam phraſeos concinnitas aut emphaſis, ut remotior potius cauſa quam propior nominetur: quod in hoc negotio fieri ſuo loco oſtendimus. Nec denique illa loca quippiam evincunt amplius, quæ ſanguini ipſi expiationem tribuunt. Nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ut alibi diximus. Quamquam præterea non ſemper, ubi voces hujuſmodi occurrunt, quas Grotius commemorat, & ſic expiatio morti adſcribitur, expiatio intelligitur ea ſeu liberatio à pœna, quæ reipſa fiat: ſed interdum declaratio tantum expiationis nobis à Deo decretæ; vel intelligitur quidem expiationis actus, ſed quatenus ab hujuſmodi declaratione ac ſanctione remiſſionis à Deo decretæ, jus ad eam repetendam nobis largiente, proficiſcitur: interdum ablutio ab ipſorum peccatorum ſordibus, quæ magis proprie ſanctificatio dicitur, ſignificatur, aut liberatio à pœnis, quatenus ab hujuſmodi ablutione ex Dei decreto pendet. Hanc autem utramque morti etiam primo ac per ſe cum Socino tribuimus, licet ea vim ad iſta efficienda vel habitura non fuiſſet, vel non exſertura, niſi ea, quæ in Chriſto conſequuta vidimus, apparuiſſent. Quibus de rebus dictum eſt ſuis locis.

Addit Grotius Partic. 47: *Oblatio vero in cœlo quidem facta eſt, ſed ita ut nec morti in terris peractæ eum titulum denegare debuerit Socinus, contra clara verba Pauli* Ephel. 5. 2. *ubi Chriſtus ſe dicitur tradidiſſe pro nobis* προσφορὰν. *Solam verborum ſeriem inſpexiſſe, ipſius interpretationem abunde refutaſſe eſt. Ibidem merito conjunguntur* προσφορὰ & θυσία. *Peragi autem* θυσίαν *tunc cum morti datur hoſtia, omnes Græcorum, omnes Latinorum libri indicant.*

Chriſti mortem pro nobis ſuſceptam oblationem dici, idque in eo ipſo, quem Grotius citat, loco Epheſ. 5. 2. tantum abeſt, ut neget Socinus, ut ſatis aperte affirmet. Id negat, agi hic de oblatione corporis Chriſti expiatoria perfecta, de qua in Epiſt. ad Hebr. agitur. Recte autem id negare Socinum, vel ea verba indicant, quæ ſubjiciuntur: *in odorem bonæ fragrantiæ*; quorum vix ullus eſt uſus, cum de expiatoriis ſacrificiis eſt ſermo, ſed, ut alibi Socinus ſcripſit, potiſſimum ac fere ſemper de ſacrificiis non expiatoriis uſurpantur, ut videre eſt primis tribus capitibus Levitici, in quibus de hujuſmodi ſacrificiis agitur, & de holocauſto, quod per ſe expiatorium non erat, ac manifeſte diſtinguitur apud Moſen ab hoſtia pro peccato. In ſeqq. vero capp. ubi de variis ſacrificiis expiatoriis agitur, ſemel tantum cap. 4. 31. in uno ex illis ea verba leguntur. Capite porro 16. ubi diligentiſſime tota ceremonia ſacrificii illius anniverſarii pro peccatis explicatur, cui ſacrificio potiſſimum in Epiſtola ad Hebr. aſſimilatur Chriſti ſacrificium, nunquam leguntur. Adde quod verba illa, in ſacrificio expiatorio, non de eo dicuntur, per quod maxime & revera peccata expiabantur, h. e. de ſanguinis oblatione (nam neque inde odor ullus ad ſuperiora ferebatur) ſed de combuſtione adipis & renium, quæ tametſi ad abſolvendam expiationem in legalibus illis ſacrificiis requirebatur, tamen, ut ea, quæ fiebat Pontifice jam egreſſo ex ſacrario, nihil ſibi reſpondens in Chriſti ſacrificio expiatorio habet, ubi omnia abſolvuntur, antequam Chriſtus Pontifex è ſacrario ſuo egrediatur. Hinc ergo facile colligi poteſt, Paulum, cum dicit, Chriſtum tradidiſſe ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ, ad ſacrificia potius voluntaria, qualia erant holocauſta & pacifica, alluſiſſe, & ſic oblationis nomine ſacrum Chriſti expiatorium non intellexiſſe, tantum abeſt ut perfectum illud, ex quo proxime peccatorum remiſſio proficiſcatur, ſignificare voluerit. Hoc potius voluit dicere Paulus, Chriſtum, quatenus tantopere nos dilexit, ut ſeipſum pro nobis in mortem traderet, (traditionem enim hanc, mortem ubique deſignare c. 1. urſit ipſe Grotius, & Socinus locis ſimilibus adductis abunde docuit) atque adeo hanc ipſam Chriſti actionem fuiſſe Deo oblationem hoſtiamque

gratiſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gratiſſimam ac ſuaviſſimam. Nam facta egregia, quibus patrandis charitas & beneficentia erga homines exercetur, Deove obedientia præſtatur, hoſtiæ Deo gratæ appellari ſolent, ut his locis docuit Socinus, Hebr. 13. 16. 1 Petr. 2. 5. Philip. 4. 18. in quorum poſtremo extant etiam illa verba *odorem bonæ fragrantiæ*, quæ in illo ad Epheſ. habentur. Adde his Rom. 12. 1. Hæc & alia plura cum ſcripſerit Socinus, ad ſuam hujus loci explicationem defendendam, non erat cur diceret Grotius, *ſolam verborum ſeriem inſpexiſſe, eſſe ipſius interpetationem abunde refutaſſe.* An forte voces *pro nobis* conjungendas putat, quod ad conſtructionem ac ſententiam attinet, cum voce *oblationis*, perinde ac ſi dictum eſſet, Chriſtum ſeipſum tradidiſſe, ut eſſet oblatio pro nobis? At nec poſitus verborum id comprobat (debuiſſent enim potius verba *pro nobis* oblationi poſtponi, ut nos fecimus, ſententiam, quæ ex hujuſmodi nexu oritur, exprimere volentes) & quivis facile videt, voces *pro nobis* rectiſſime conjungi cum verbo *tradendi*, ut ſenſus ſit, Chriſtum ſeipſum pro nobis tradidiſſe, in mortem videlicet; quod ii interpretes inprimis docuerunt, qui diſtinctionem inter voces *pro nobis* & *oblationem* adhibuerunt, * quod Socinus, quamquam alia de cauſa, commemoravit. An forte hoc abſurdum Grotio videtur, & tale, quod ex ipſa verborum ſerie ſtatim reſtitetur, quod Socinus dixit, verbum *tradidit* non eſſe conjungendum cum voce *oblationem*, quaſi nimirum ante vocem Oblationis adhuc penderet ſententia, ad cujus complementum poſtea addatur, *oblationem & hoſtiam Deo:* ſed voces has per appoſitionem eſſe additas, ad factum hoc Chriſti, h. e. traditionem ſui ipſius pro nobis in mortem, ex ſumma erga nos charitate profectam, tanto magis commendandum, & Epheſios, ut illud imitari velint, tanto vehementius incitandos, ſiquidem ea res Deo adeo fuerit grata. Alii enim malunt ita verba iſta jungere, ac ſi ſcriptum eſſet: *tradidit ſeipſum pro nobis in oblationem*, ſeu *ut eſſet oblatio.* Sed præterquam quod eo conceſſo non protinus ſtabiliretur id, quod Socinus negat, Grotius autem probare debet, nempe Paulum loqui de ſacrificio Chriſti expiatorio perfecto, idque in morte ipſa peractum dicere: imo potius aliquid virium ad hoc poſterius probandum, argumento, quod hinc duci ſolet, decederet: ſeries etiam verborum Socino non repugnat. Quid enim eſt, quod prohibeat, quominus verba illa *oblationem & victimam Deo*, ſi conſtructionem Grammaticam ſpectes, per appoſitionem cenſeantur adjuncta voci *ſeipſum*, & ſic ad Chriſtum referantur, non quidem ſimpliciter conſideratum, ſed eatenus, quatenus ſeſe pro nobis in mortem tradidit; ita ut, quod adjuncto proprie competit, ſubjecto metonymice tribuatur; & perinde ſit, ac ſi expreſſe ad actionem ipſam, h. e. traditionem pro nobis in mortem, fuiſſet relatum. Quod aliquo modo Grotium etiam ſtatuere neceſſe eſt, qui mortem oblationem illam eſſe contendit. Talis appoſitio eſt etiam in loco 1 Tim. 2. 6. *qui* (Chriſtus) *dedit ſemetipſum redemtionis pretium pro omnibus, teſtimonium temporibus propriis:* ubi vox *teſtimonium* per appoſitionem, ratione quidem conſtructionis Grammaticæ, ad ſubjectum ipſum, nempe Chriſtum, videtur referendum. Sed ſi ſententiam ſpectes, perinde eſt ac ſi ad ipſam actionem Chriſti, nempe quod ſeſe in mortem tradiderit, referretur, quod Eraſmus voluit, & Beza, licet aliter quoque verba illa interpretetur, agnoſcit, & Grotius indicavit ſupra cap. 8. quin etiam Rom. 12. 1. in verbis illis: *rationalem cultum veſtrum*, talis appoſitio eſt, ubi id, quod adjicitur, potius ad rem totam, quæ præceſſit, ſeu actionem ipſam refertur, quam ad nomen illud tantum, cum quo eodem caſu per appoſitionem conjungitur. Ideo autem videntur verba illa: *oblationem & hoſtiam Deo*, potius per appoſitionem adjecta ſuperioribus, quam ad eorum ſententiam, quæ adhuc pendeat, complendam, quia illo modo ſumpta, eventum, ſeu id, quod reipſa factum fuerit, magis exprimunt, & ſic ad commendationem hujus Chriſti actionis, de qua agitur, quæque Epheſiis imitanda proponitur, plus faciunt: cum altera explicatio, quæ oblationem cum voce *tradidit* primo conjungit, magis intentionem ac conſilium ipſius Chriſti, quam eventum ipſum denotet. Adde quod hoc pacto videatur perire ellipſis, quam in verbo *tradendi* Grotius etiam agnoſcit, ſi ita verba Apoſtoli accipias, ac ſi dictum eſſet, tradidit ſeipſum pro nobis in oblationem: cum hæc oratio plena eſſe videatur, nec facile admittat, ut poſt verbum *tradidit* ſubaudiatur *in mortem*, ſiquidem jam dictum eſt *in oblationem.* Quod ſi tamen arbitratur Grotius, ellipſin iſtam nihilominus locum habere poſſe; nos de hac interpretatione cum illo non contendemus, præſertim ſi ita accipiantur verba, ac ſi dictum eſſet, Chriſtum ſeipſum pro nobis in mortem tradidiſſe, ut hoc ipſo pacto eſſet oblatio ac victima Deo gratiſſima, quod eventum quodammodo ipſum ſignificare videtur.

Quod vero Grotius ait, merito in hoc loco conjungi προσφορὰν & θυσίαν, θυσίαν autem mactatione perfici; id eum in finem proculdubio dicit, ut oſtendat, oblationem, quæ Græcis eſt προσφορὰ, in ipſa mactatione fieri. Verum animadvertendum eſt, vocem θυσίας nunc abſtracte, ut Logici loquuntur, nunc, idque frequentius, in concreto ſumi, h.e. nunc ipſam hoſtiæ mactationem deſignare, nunc metonymice ſubjectum mactationis, ſeu victimam ipſam, ſive totam, ſive partem ejus aliquam. Idem accidit in voce προσφορᾶς, quæ nunc ipſum offerendi actum, nunc rem oblatam ſignificat. Cum abſtracte ſumuntur hæ voces, diverſa ſignificant, & de ſe invicem prædicari non poſſunt, niſi forte improprie, aut per accidens, ut poſtea videbimus. Atque hoc pacto θυσία in ſacrificiis antecedit, προσφορὰ ſequitur. At cum in concreto ſumuntur, eandem rem denotant, & inter ſe confunduntur. Id enim quod mactatur, aut pars ejus aliqua, ut ſanguis aut adeps, aut totum etiam pecudis corpus, ut in holocauſtis, poſtea ſolet offerri. Quare idem ſunt ſubjecto, ratione differunt. Sacrificii autem ratio maxime conſiſtit in oblatione, per quam res penitus Deo conſecratur, & in honorem ac cultum ejus convertitur, quam ad rem mactatio eſt aditus ac præparatio quædam. In loco noſtro Epheſ. 5. ubi voces θυσία & προσφορὰ metaphorice accipiuntur, eæ cenſentur in concreto ſumi, quemadmodum etiam accidit in voce priori,

nempe

* Tigurini & Caſtellio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nempe θυσίας, in locis huic ſimilibus Rom. 12. Philip. 4. 1 Petr. 2. Hebr. 13. à Socino adductis: & ex eventu eſt, quod hæc oblatio & victima mactatione fuerit peracta. Hoc enim non ſignificatur iſtic voce θυσίας, ſed ex natura ſubjectæ materiæ pendet. Fatemur ergo θυσίαν, ſi abſtracte, ſecundum propriam vocabuli notionem accipiatur, mactatione perfici, & θύειν eſſe mactare: ſed in ea totam ſacrificii rationem, aut etiam potiſſimam conſiſtere, aut oblationem, in qua ſacrificii ratio proprie cernitur, ea perfici atque abſolvi, non concedimus, præſertim ſi loquamur de ſacrificiis à Deo inſtitutis. Quamquam non negarim, poſſe vocem θυσίας per quandam ſynecdochen de tota ſacrificandi actione accipi. Id autem quod diximus, jure à nobis negari, vel ex illo Ezechielis loco intelligi poteſt, qui extat cap. 44. ubi Deus eos Levitas, qui, cum Iſraëlitæ in idololatriam fuiſſent prolapſi, ipſi quoque à Deo receſſerant, ſacerdotio privat, & ſic offerendi ac ſacrificandi munus, quod ſacerdotum eſt proprium, iis aufert, relinquit tamen mactationem holocauſti ac victimarum populi. Ita enim ait verſ. 10, 11. *Et Levitæ illi, qui longe receſſerunt à me* &c. *eruntque in ſanctuario meo miniſtri, præpoſiti portis domus, & miniſtrantes in domo: ipſi mactabunt holocauſtum & victimam populo* &c. Et verſ. 13. *Nec appropinquabunt mihi, ut ſacerdotio fungantur mihi, & accedant ad omnes ſanctificationes meas, ad ſanctitates ſanctitatum: ſed portabunt iniquitatem ſuam* &c. Poſtea eos, qui integros ſeſe eo tempore præſtiterant, in ſacerdotio confirmans, ita inquit verſ. 15. *Sacerdotes autem Levitæ filii Sadoc, qui cuſtodierunt cuſtodiam ſanctuarii mei, quum errarent filii Iſraël à me, ipſi accedent ad me ut miniſtrent mihi, ſtabuntque in conſpectu meo, ut offerant mihi adipem & ſanguinem, ait Dominus Jehova.* Quis ex ipſa oppoſitione non cernit, quantum mactatio victimæ, & oblatio differant, & quanto hæc illa ſit præſtantior, quantoque magis ad ſacrificii rationem pertineat: cum hæc ſacerdotum tantum ſit, illa eorum etiam, qui ſacerdotes non ſunt? Intelligi hinc poteſt, mactationem, præſertim vulgarium victimarum, ſeu à plebe oblatarum, fuiſſe etiam Levitarum, qui ſacerdotes non eſſent, ſacerdotibus tamen ſubſervirent. Nam ſacerdotes illos, qui in idololatriam fuerant prolapſi, in Levitarum vulgarium ordinem relegat Deus, ut viri docti * annotarunt. Ex Levitico idem non obſcure colligitur. Nam ubi de mactatione ſermo eſt, præſertim vulgarium ſacrificiorum, non additur ſacerdotis Aaronici nomen, qui immolare debeat, ſed aliquo modo illi, qui victimam afferat, & mactandam curet, tribuitur, cum tamen continuo, ubi de ſanguinis excepti fuſione ſparſioneque in ara vel circa aram ſermo eſt, aut de oblatione adipis, aut holocauſtorum incenſione, quibus rebus oblatio tribuitur, eam per filium Aaronis ſacerdotem fieri debere expreſſe dicatur: quod etiam ſit in avium immolatione, ubi ſimul fiebat ſparſio aut fuſio ſanguinis in ara, & immolatio. Ex quibus apparet, mactationem non ita fuiſſe ſacerdotum propriam, ut ea, quæ illam fuerunt conſequuta, ad oblationem proprie pertinentia. Unde Vatablus Levit. 1. 5. ad verba, quæ in iſta ſacrificiorum deſcriptione ibi primum occurrunt, *Tunc mactabit juvencum*, ita annotavit: *ſub intellige ſacerdos, vel Levita.* Oblationis autem nomen ad ipſam mactationem in Sacris Literis referri, docere debuit Grotius, cum illam in hac vere peragi contendat. Id autem legere non memini: de iis, quæ mactationem conſequebantur, oblationem dici nullum eſt dubium; idque vel ex loco Ezechielis, quem paulo ante adduximus, patet, & ex Levitico manifeſtum eſt.

* Jun. & Trem.

Ex his patet, nihil eſſe opus reſpondere ad ea, quibus probat Grotius Partic. 48, *θυσίαν tunc peragi cum morti datur hoſtia:* cum nos id, abſtracte ſumpto vocabulo, pro actione, quæ verbo θύειν ſignificatur, fateamur. Hoc autem pacto vocem iſtam hoc loco ſumit Grotius, ut indicat verbum *peragendi*, quod ei adjicit. Quamquam ex Plutarchi verbis, quæ adduxit Grotius, non apparet, θυσίαν collocari ἐν τῷ σφάττειν. Videtur enim Plutarchus eam vocem in concreto ſumere, & ipſum mactatorum hominum ſanguinem ex Gallorum & Scytharum ſententia θυσίας appellare.

Quod attinet ad exemplum Abrahami Partic. 49, qui juſſus eſt offerre filium, & quia nihil in ſe deſiderari paſſus eſt eorum, quæ ad id perficiendum pertinebant, eundem obtuliſſe dicitur; animadvertendum eſt, eum non tantum mactare filium Geneſ. 22. ſed etiam in ara, quemadmodum juſſus erat, comburere, atque ita in honorem Dei offerre cogitaſſe, ut ex tota hiſtoria manifeſtum eſt. Quare ex eo, quod oblationem à Deo ſibi imperatam, quam opere parabat, animo jam perfecerit, non ſequitur, aut oblationem, aut totam ſacrificii rationem mactatione perfici: cum aliquid præter mactationem facere juſſus fuerit, & jam pararit atque animo perfecerit Abrahamus; idque ejuſmodi, cui oblationis nomen competere Grotius negare non poteſt.

Quod attinet ad collationem locorum Partic. 50. Apoc. 5. 6. & 12. XIII. 8. cum verbis Pauli 1 Corinth. 5. 7. Etſi nos θύειν pro σφάττειν eſſe poſitum minime negemus: tamen non eſt neceſſe, Spiritum Sanctum in voce *agni*, loci ex Apoc. citatis, reſpexiſſe ad agnum Paſchalem. * Agni enim vox generalior eſt, potuitque alia eſſe hujus appellationis ratio, quam ipſe Grotius ſupra explicuit hoc capite.

Scribit porro Grotius Partic. 51: *Et apparuit Chriſtus in cœlo apud Patrem* διὰ τῆς θυσίας Hebr. 9. 26. *præceſſit ergo ſacrificium, ſecuta eſt apparitio.*

At primum Grotius ipſe, quod Caſtellio quoque fecerat, verba διὰ τῆς θυσίας *per hoſtiam* vel *immolationem* ſuperius videtur junxiſſe præcedentibus, *ad deſtructionem peccati:* ut ſenſus ſit, Chriſtum, ut peccatum per hoſtiam ſuam deſtrueret, vultui Dei apparuiſſe. Qui ſenſus Socini ſententiæ non modo non repugnat, ſed etiam favet. Deinde jam diximus, ſi vox θυσίας pro ipſa hoſtiæ offerendæ mactatione ſumatur, θυσίαν præceſſiſſe, apparitionem ſequutam. Verum θυσίαν illam univerſam ſacrificii rationem, aut oblationem in ſe complecti negamus. Sumit autem Grotius, ut apparet, hoc loco vocem θυσίας abſtracte. Denique particula διὰ *per* accipi poteſt pro *cum*, quod non raro fit in Sacris Literis. Præter locum 1 Johan. 5. 6. à Socino adductum, vide

* Vid. Partic. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

etiam Rom. 2. 17. IV. 11. XIV. 20. 2 Cor. 2. 4. iij. 11. VI. 8. Itaque ſenſus erit, Chriſtum cum victima ſua coram Dei vultu apparuiſſe: ſeu, dum coram Deo apparuit, victimam ſuam obtuliſſe. Nam alluſione quadam facta ad cerimoniam legalem, aliquo modo diſtinguuntur Chriſti victima, & ipſe Chriſtus, tanquam Sacerdos coram Deo apparens, ac victimam ſuam Deo exhibens, licet re ſint eadem.

Pergit Grotius Partic. 52: *Sic alibi in eadem Epiſtola dicitur Chriſtus in ſanctuarium cœleſte intraſſe per ſanguinem ſuum* αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, *id eſt, reperta æterna redemptione*, Hebr. 9. 12. *& ſediſſe ad dextram divini ſolii* καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *facta peccatorum noſtrorum expiatione: quibus in locis voces anteacti temporis oſtendunt, factam redemptionem aut expiationem, priusquam Chriſtus cœleſtem regiam intraret.*

Primum etiamſi id, quod hic concludit Grotius, in locis citatis diceretur, Socini tamen ſententiam de expiatione noſtra per Chriſtum facta non everti, docuimus ſupra Partic. 45, 46. ubi oſtendimus, quomodo dici queat, expiationem in morte Chriſti factam eſſe. Deinde quod attinet ad locum cap. 9. 12. animadvertere poterat Grotius, aoriſtos illos participiorum, qualis eſt εὑράμενος ſeu εὑρόμενος, verbis, quæ anteactum tempus ſignificant, adjunctos, non ſemper requirere, ut actio illis expreſſa præceſſerit eam, quæ deſignatur verbis, quibus junguntur, ſed interdum vim habere participiorum temporis præſentis aut imperfecti, quando verbis præteriti temporis, quo aoriſtos etiam complectimur, adjunguntur. Quod idem nonnunquam accidit in participiis præteriti perfecti. Notavit id Caſtellio ad Matth. 10. 5. ubi verba Græca, ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς παραγγείλας αὐτοῖς, ita reddiderat, *Dimiſit Jeſus, eis ita præcipiens*, licet παραγγείλας ante acti temporis ſignificationem habeat. Nam, inquit, ea miſſio ipſa præceptio eſt, cum jubet eos ire ad perditas oves Iſraëliticas. Id autem recte fieri poſſe comprobat iis verbis, quæ apud Euangeliſtas paſſim occurrunt, ἀποκριθεὶς εἶπεν, *reſpondens dixit*, quæ alias viderentur reddenda, *cum reſpondiſſet dixit*. Illo autem modo redduntur ab interpretibus, quia nemo non animadvertit, non prius eum, de quo ſermo eſt, reſpondiſſe, quam dixiſſet. Ipſa enim dictio reſponſio eſt. Quare ἀποκριθεὶς ponitur pro ἀποκρινόμενος, vel, quod eodem recidit, perinde eſt ac ſi participium ἀποκριθεὶς reſolveretur in aoriſtum indicativi, & cum verbo, cui adhæret, conjungeretur per particulam καὶ, hoc pacto: ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν, *reſpondit & dixit*, quemadmodum Johannes in Euangelica hiſtoria fere loquitur. Exempla etiam habes inter alia 2 Pet. 2. 6. ubi ait Apoſtolus: πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας τεφρώσας καταστροφῇ κατέκρινεν: *urbes Sodomorum & Gomorrhæ in cineres redactas everſione condemnavit.* At non antea in cineres redegit, quam everſione condemnavit. Itaque perinde eſt ac ſi dixiſſet τεφρῶν κατέκρινεν, *in cineres redigens condemnavit.* Eodem verſ. etiam participium præteriti perfecti τεθεικὼς ita uſurpatur, dum poſt verbum κατέκρινεν ita ſubjicit Petrus: ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικώς, *exemplo eorum qui impie victuri eſſent poſito*; ubi participium τεθεικὼς quoddam veluti conſequens ſeu effectum condemnationis iſtius ac ſubverſionis ſignificat; q. d. Apoſtolus: quo ipſo exemplum quoddam ſeveritatis ſuæ propoſuit iis, qui impie victuri eſſent, ſpectandum ac metuendum. Eodem cap. 5. 15. ἐπλανήθησαν ἐξακολουθήσαντες *aberrarunt ſequuti.* Quod eandem vim habet, ac ſi dixiſſet, *aberrarunt ſequentes*, vel *aberrarunt & ſequuti ſunt.* Quamquam non eſt neceſſe aliunde petere hujus rei exempla, cum ea ex ipſa hac ad Hebr. epiſtola depromi queant. Nam cap. 7. 27. dicitur: τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ, ἑαυτὸν ἀνενέγκας, *hoc enim fecit ſemel, ſeipſo oblato*, h. e. ſeipſum offerens, aut quum ſeipſum obtulit, ut Beza vertit. Ubi manifeſte ponitur ἀνενέγκας pro ἀναφέρων. Actio enim illa, quæ ſignificatur verbo ἐποίησεν *fecit*, eſt oblatio pro peccatis, ut ex præcedentibus clarum eſt: ita ut emphaſis tantum ſit in voce ἑαυτὸν *ſeipſum*: alias identica, ut loquuntur, foret loquutio, & ἀδολεσχία *nugatio* quædam committeretur. Infra cap. 11. 9. de Abrahamo dicitur: παρῴκησεν εἰς τὴν γῆν &c. ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ Ἰσαὰκ &c. Ubi ſive reddas verbum παρῴκησεν *commoratus eſt*, ſive cum aliis quibuſdam *commigravit*, κατοικήσας ponitur pro κατοικῶν *habitans*, vel καὶ κατῴκησεν *& habitavit.* Similis etiam ei, de quo agimus, loco extat cap. 1. in iis verbis, quorum partem priorem citavit Grotius, verſ. 3, 4, ubi Auctor D. ait, quod Chriſtus conſederit in dextra majeſtatis in excelſis τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, *tanto præſtantior factus Angelis*, &c. cum eo ipſo præſtantior Angelis factus eſſet, quod ad dextram Dei conſediſſet; ut præter rem ipſam verſ. 13, 14. oſtendit. Itaque aoriſtus γενόμενος conſequens quoddam ſeu effectum ſeſſionis ad dextram Dei exprimit. Ut igitur ad locum cap. 9. 12. redeamus, poteſt aoriſtus εὑράμενος ſeu εὑρόμενος ſubjunctus verbo εἰσῆλθεν ita accipi, ac ſi dictum eſſet: Chriſtus per proprii ſanguinis fuſionem ſemel eſt ingreſſus in ſancta, & eo ipſo æternam redemptionem ſeu peccatorum expiationem reperit. Imo interpretatione hac nihil poteſt dici loco univerſo ac ſcopo auctoris accommodatius. Nam, ut ſupra vidimus, Sacerdos non expiatione vere jam facta ingrediebatur in Sancta, ſed eam facturus: unde cum ſanguine ingrediebatur, quem pro ſuis & populi ignorantiis offerret, ut ſupra D. Auctor πρότασιν *propoſitionem* iſtius comparationis inter Sacerdotem Aaronicum & Chriſtum, inter illius & hujus ſacrificium explicans, dixerat. Quare conſentaneum eſt Auctorem in ἀποδόσει *redditione* hujus comparationis non dicere, Chriſtum Pontificem facta jam expiatione ingreſſum eſſe in Sancta, ſed ideo, quod per ſanguinem proprium ingreſſus ſit, feciſſe vel nactum eſſe æternam redemptionem ſive expiationem. Nec ſane amplius fuiſſet opus, eum tanquam ſacerdotem ſancta ingredi, ſi expiationem jam reipſa peregiſſet, præſertim per pœnarum, ut adverſarii volunt, ſolutionem, ac plenam ſatisfactionem.

Quod ad locum cap. 1. 3. attinet, admiſſo eo, quod aoriſtus verbo ἐκάθισεν præpoſitus, denotet actionem ejuſmodi, quæ ſeſſionem in dextra majeſtatis antegreſſa fuerit: non dicitur tamen ibi, quod facta ſit expiatio antequam Chriſtus cœleſtem regiam intraret. Aliud enim eſt cœleſtem intrare regiam, aliud in divino ſolio conſidere; ut etiam in rebus terrenis, unde ducta eſt metaphora, videmus: prius enim rex deſignatus intrat regiam, quam in

regio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

regio ſolio, quod inibi poſitum eſt, conſideat. Ingreſſus ergo in cœlum præceſſit, ſeſſio in dextra divini ſolii ſubſequuta eſt. Hoc autem non parum habet in noſtro negotio momenti. Dicere enim potuit D. Auctor, Chriſtum expiatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta conſediſſe in dextra divini ſolii, non quod eam jam in morte ſua peregiſſet, ſed quod per proprii ſanguinis fuſionem cœlum ingreſſus ſeipſum Deo obtuliſſet, &, ut ita dicam, præſentaſſet. Qua via quia id conſequutus eſt, ut in dextra divini ſolii conſideret, & ſic plenam peccata nobis remittendi ac ſalutem æternam donandi poteſtatem à Deo conſequeretur, jure poteſt dici expiationem peccatorum noſtrorum tunc feciſſe. Quia aliquo modo perinde eſt, ac ſi ipſam remiſſionem peccatorum nobis decretam à Deo impetraſſet ſeu obtinuiſſet. Quemadmodum Pontifex Legalis tum vere dicebatur expiare peccata, cum coram Deo in Sanctis cum victima comparens id faceret, quo interveniente Deus remiſſionem peccatorum vi decreti ſui iis concedebat, pro quibus victima offerebatur. Quamquam quia non ſtatim effectus iſtius rei, præſertim plenus ac perfectus, ex Dei conſilio ad nos pervenit, cum Chriſtus cœlum per mortem ingreſſus in Dei ſolio conſedit, ſed ſubinde effectus ejus rei ad nos redundat, redundaturus plene in ipſius adventu, qui eſt egreſſus Pontificis noſtri è Sanctis; ideo quamdiu ibi apud Deum manet, & coram ipſo apparet, expiare dicendus eſt. Qua de re dictum eſt ſupra, & paulo poſt adhuc nonnihil dicetur.

Quanquam ergo, inquit Partic. 53 *Chriſtus ejuſmodi eſt Pontifex, qui non in terra manere, ut ſacerdotes Levitici* Hebr. 8. 4, *ſed cœlum penetrans ipſo cœlo celſior debuit evadere* Hebr. 4. 14. VII. 26, *quippe cujus ſacerdotium debuit eſſe æternum & ἀπαράβατον* cap. 7. 24, *verus tamen ſacerdos fuit & vera victima, jam tum cum in terris morti ſe traderet. Ideoque dicitur veniſſe in mundum* Hebr. 10. 5, (*hoc eſt in orbem terrarum, ipſa Scriptura interprete* Johan. 18. 37. 1 Timoth. 1. 15.) *ut voluntatem Dei faceret* verſ. 7 & 9, *hoc eſt, ut corpus ſuum à Deo aptatum, id eſt, ſanctificatum* verſ. 6, *offerret Deo* verſ. 10. *pro peccatis* verſ. 8. & 12.

At inter conditiones, quæ ad noſtrum ſacerdotem vere ac perfecte conſtituendum requiſitæ fuerunt, hæc numeratur, loco à Grotio citato Hebr. 7. ℣ſ. 26, quod ſublimior cœlis evadere debuerit. Qua de cauſa in altero loco cap. 8. 4 dicitur, ſi eſſet in terra, ne ſacerdos quidem eſſet. Quare cum in terris adhuc eſſet, nondum cœlis ſublimior factus, ſacerdos ſummus nondum fuit, nec perfectam illam obtulit victimam, ſed ut Sacerdos ſummus, ac victima perfecta fieret, morte præparabatur. Idem ex eo patet, quod Chriſtus factus eſt Pontifex ſecundum vim vitæ indiſſolubilis ſeu immortalis Hebr. 7. 16, hanc etiam in terris nec habuit, nec habere debuit, ut ſanguinem fundere poſſet. Eodem ſpectant ea, quæ leguntur ad finem ejuſdem capitis. Idem demonſtrant verba cap. 5. 5: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum glorificavit ut Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & in alio dicit: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Unde perſpicitur, non ante Chriſtum vere ac perfecte factum eſſe Pontificem ſeu ſacerdotem illum ſummum, quam verba illa Pſalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, vere implerentur. At hoc poſt reſurrectionem demum factum eſt, ut apparet ex locis Actor. 13. 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4, 5. Qua de cauſa eodem illo cap. 5. Hebr. 5. 9, 10 dicitur de Chriſto: *Cum perfectus eſſet redditus, factus eſt obedientibus ſibi omnibus cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech.* Perfectio autem illa Chriſti, diebus carnis & perpeſſionibus ipſius ibi opponitur, ejuſque immortalitatem complectitur; ut apparet etiam ex collatione locorum cap. 2. 10. VII. 28, quibus addi poteſt cap. 11. ult. Conſentiunt cum his D. Auctoris verbis egregie, quæ dicit Petrus Actor. 5. 31: *Hunc* (Jeſum) *Deus ducem & ſervatorem exaltavit*, (h. e. exaltavit ut eſſet dux & ſervator) *dextra ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.* Ibi dicitur *factus eſſe cauſa ſalutis æternæ, itemque Sacerdos*; hic *exaltatus dux & ſervator*: Non quod antea talis plane non eſſet, ſed quod non perfecte. Diximus autem præparatum fuiſſe Chriſtum ad hoc ſacerdotium tunc, cum pateretur: quia tunc aſſimilatus eſt fratribus per omnia, ut miſericors & fidelis fieret Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expianda peccata populi Hebr. 2. 17. Nam ea re factum eſt, ut mala noſtra expertus, tentatis noſſet ſuccurrere; qui affectus & promptitudo ad opem nobis ferendam, miſericordiæ aut compaſſionis nomine ab Auctore divino effertur, eratque inter conditiones, quæ in Sacerdote eligendo ſpectabantur, ut patet ex cap. 5. 2. Ex quo ipſo etiam intelligitur, Chriſtum in terris nondum vere fuiſſe Sacerdotem ſummum, & peccata perfecte expiaſſe, cum ad conditionem hanc morte demum ſit perductus. Quod ad locum Hebr. 10. 5 attinet, non eſt ibi ſermo de adventu Chriſti in hunc mundum viſibilem, vel de adventu ad nos; ſed de ingreſſu ipſius in mundum futurum, & acceſſu ad ipſum Deum, ut pro nobis coram ipſo appareret, & voluntatem ipſius de peccatorum noſtrorum expiatione, de qua Eſai. 53. 10, 11, perficeret. Agitur enim hic de re ejuſmodi, quam ut Pontifex & Sacerdos noſter peregit, & qua legalia ſacrificia ſuſtulit. Talis autem non eſt ingreſſus in hunc mundum viſibilem, aut adventus ad nos, ſed ingreſſus in cœlum, quod eſt ſanctuarium hujus noſtri Pontificis, & apparitio coram Dei vultu, quæ poſtquam facta eſt, legalia ſacrificia fuerunt abrogata. Neque vero, utut hoc levius cuipiam videri poſſit, verba illa εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον ſimpliciter reddi debuerunt, *veniens in mundum*, ut facit Grotius, ac ſi dictum ſolummodo eſſet, ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, qui loquendi modus eſt in locis à Grotio allegatis Johan. 18. 37. & 1 Tim. 1. 15, quæ illorum D. Auctoris verborum interpretationem continere, probandum erat Grotio; ſed *ingrediens in mundum*, quæ verba etiam de ingreſſu Chriſti in cœlum uſurpari poſſunt. *Veniſſe Chriſtum in cœlum*, nemo fortaſſe dixerit; ſed, *in cœlum fuiſſe ingreſſum*, recte dicitur; & hoc ſenſu verbum εἰσελθεῖν de Pontifice noſtro uſurpatur Hebr. 6. ult. 9. 12, & 24. vocabulum ſimplex ἔρχεσθαι ſeu *venire* magis adventum ad nos denotare videtur. Sermo ergo hic eſt de orbe

terrarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

terrarum futuro, nobis præparato, in quem Chriſtus primogenitus ille introductus, ab Angelis adorari juſſus eſt cap. 1. 6. cap. 2. 5. quem Petrus vocat cœlum novum & terram novam, in qua juſtitia habitet, 2. Epiſt. 3. 13. Cœlum autem & terram dicere, eſt dicere Mundum; cum is ex cœlo & terra conſtet. Ipſa ſane *mundi* appellatio orbi futuro tribuitur Rom. 4. 13. Unde jam intelligitur, ea, quæ Grotius tanquam ex auctoris mente inter ſe concinnavit, ſententiam ipſius non ſtabilire. *Aptatio corporis Chriſti*, de qua verſ. 5. poteſt quidem dici illius ſanctificatio, ſi vox ſanctificationis in eum ſenſum accipiatur, in quem ſumuntur illa Divini Auctoris verba cap. 7. verſ. 26. *Sanctus, expers mali, ſegregatus à peccatoribus.* Loquitur enim de illius immortalitate, &, ut ita dicam, impatibilitate, ut ex duobus verſ. præcedentibus, quorum hic ratio redditur, apparet. Immortalitate enim ac impatibilitate, ab hominibus vulgaribus ac peccatoribus, qui infirmi ſunt, perpeſſionibus & morti obnoxii, perfecte fuit ſeparatus, ac divina quadam ratione ſanctificatus. Eam autem libentius ſanctitatis nomine divinus auctor exprimit, ut eam tanto elegantius infirmitatibus ac peccatis Pontificum legalium opponat, ut ex ſequentibus apparet. Hac Chriſti corpus ad perpetuam in cœlis coram Deo apparitionem fuit præparatum, & perfectum redditum.

Subjicit Partic. 54: *Quo loco obſervandum ſimul eſt, ſanctificatos nos dici oblatione* ἐφάπαξ*: cum interpellet Chriſtus toties, quoties opus eſt nobis: ita ut hic non interpellatio, ſed mactatio ſit intelligenda.*

Oblatio corporis Chriſti ſemel facta dicitur, quia ſemel tantum Chriſtus per ſanguinis fuſionem cœlum ingreſſus corpus ſuum eo intulit, ac Deo veluti præſentavit atque exhibuit, ex quo tempore perpetuo coram Deo cum hoſtia hac ſua adſtat, nunquam è ſanctuario, donec expiatio penitus perficiatur, egreſſurus. Quare oblationem illam non repetit, quemadmodum ſub Lege fiebat, ubi quotannis Pontifex cum alia hoſtia in ſanctuarium ingrediebatur, eamque Deo offerebat, mox inde egreſſurus: cum præcedentis tantum anni, non etiam ſequuturi temporis peccata expiaret. Chriſtus autem, cum ſemel ingreſſus in cœlum perpetuo ibi maneat, & peccata in æternum expiet, h. e. tam diu, quam diu expiatione aliqua opus erit, oblationem non repetit. Opus enim eſſet, ut ſanctuarium egreſſus denuo peccatorum noſtrorum expiandorum gratia per ſanguinis fuſionem ingrederetur, ſeque Deo exhiberet ac præſentem ſiſteret. Προσφορᾶς enim ſeu oblationis nomen proprie ipſam rei antea abſentis exhibitionem, &, ut ita dicam, præſentandi actum denotat: ideoque primo ſignificat Chriſti ad Deum acceſſum, & primam illam ſui ipſius exhibitionem ac coram Dei vultu apparitionem, conſequenter illius apparitionis durationem, & rei ſemel exhibitæ præſentiam continuatam. Itaque cum ſemel rès actu ipſo exhibetur ac præſens ſiſtitur, ſemel oblata dicitur, etiamſi oblata perpetuo eodem in loco permaneat; unde & oblatio perpetua dici poteſt. Habet autem ideo Chriſti ad Deum acceſſus, & prima apparitio ſingularem cum oblatione legali convenientiam, adeoque nomen hoc oblationis magis ſortitur, quia Chriſtus hac via, ut antea diximus, poteſtatem obtinuit illam, unde perfecta peccatorum noſtrorum remiſſio pendet. Qua de cauſa dicit D. Auctor cap. 10. 12. Chriſtus *una pro peccatis oblata hoſtia, in perpetuum conſedit in dextra Dei: quod reliquum eſt, expectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus*, de quo loco diximus nonnihil ſupra Partic. 3. eodem etiam verba cap. 1. 3. referri poſſe diximus. Veruntamen quia ex primo illo Chriſti ad Deum acceſſu, effectus remiſſionis ex Dei conſilio ac voluntate non ſtatim ad nos manavit, nec manaturus fuiſſet, niſi Chriſtus ad dextram Dei collocatus, in cœlis apud ipſum permanſiſſet, ſalutem noſtram perpetuo curaturus: nunc autem, quia id facit, effectus ille ad nos reipſa manat ac porro manaturus eſt: ideo licet hæc perpetua Chriſti apud Deum exiſtentia, cum ſalutis eorum, qui graviſſime in Deum peccaverant, cura conjuncta, oblationis nomen conſequenter tantum videatur ſortiri: ſua tamen natura effectui illi, cui oblatio proprie deſtinata eſt, h. e. remiſſioni peccatorum ſeu à pœnis liberationi propior eſt, & natura ſua ad eum plus confert. Quare ab eo tempore perfectiſſime Chriſtus ſacerdotio fungi, atque adeo etiam offerre & interpellare pro nobis dicitur, ex quo ad dextram majeſtatis in excelſis conſedit. Significavit id D. Auctor cap. 8. initio, cum ita inquit: *Caput autem eorum quæ dicuntur* (intellige, à nobis de Chriſti ſacerdotio) *talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextra throni majeſtatis in cœlis, ſanctorum* (ſeu *ſanctuarii*) *miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum dona & victimas conſtituitur. Unde neceſſe eſt habere aliquid etiam hunc quod offerat. Nam ſi eſſet in terra, ne ſacerdos quidem eſſet, cum extent ſacerdotes offerentes ſecundum legem, qui exemplari & umbræ ſerviunt cœleſtium.* Quod vero Grotius ait, Chriſtum interpellare toties, quoties opus eſt, quaſi ea Chriſti actio nunc ceſſet, nunc denuo repetatur; id nuſpiam legitur. Interpellatio illa ſeu ἔντευξις, ut ex Hebr. 7. v. 24, 25. colligitur, nil eſt aliud, quam perpetua ſacerdotii functio, & aſſidua ſalutis noſtræ cura, quam Chriſtus ad Dei dextram collocatus ſuſcipit ac gerit, & ab oblatione pro nobis perpetuo durante reipſa non differt. Quemadmodum enim Pontifex Legalis ideo dici poterat ἐντυγχάνειν ſeu intercedere pro populo, pro quo offerebat, quia victimam offerendo apud Deum curabat, ne populus peccatorum ſuorum pœnas lueret, (nam de precibus, quas ſacerdos fundere debuerit pro peccatoribus, præſertim in ſanctuario, aut tum, cum expiaret peccata, nihil legitur:) ita Chriſtus dum oblationem perpetuo pro nobis peragit, & apud Deum comparens ſalutem noſtram vehementer deſiderat atque aſſidue curat, ἐντυγχάνειν dici poteſt. Oblatio ergo id hic præſtat, quod alibi preces. Neque vox ἐντεύξεως ipſius natura inſpecta, minus videtur apta eſſe ad hujuſmodi interceſſionis modum ſignificandum, quam ad eum, qui per preces fit: ad quem, tanquam frequentiorem, vox ἐντεύξεως, cum natura ſua eſſet laxior, videtur fuiſſe accommodata. Quamquam deſiderium illud remiſſionis peccatorum per oblationem à Deo obtinendæ, & aliis veluti impetrandæ, cum precibus pro aliis fuſis admodum eſt conjunctum, eique valde vicinum. Quo autem pacto hæc ad Chriſtum accommodentur, Partic. 3.

eſt à nobis explicatum. Grotius eam ἔντευξιν de precibus proprie dictis procul dubio accepit. Qua in re, quantopere fallatur, alibi jam monuimus. Nam cum Deus omnem Chriſto in cœlo ac terra poteſtatem dederit Matth. 28. 18, eum in finem, ut nobis remiſſionem peccatorum æternamque vitam largiatur, & nos, qui ipſius membra ſumus, perpetua ope foveat Act. 5. 31. Joh. 17. 2. Eph. 1. 22, 23. v. 29, 30, 32, cur Deum adhuc vere oret, & preces apud ipſum interponat, ut peccata nobis remittere velit?

Quæ porro ſcribit Grotius Partic. 55: *Duplicem eſſe, ut legalium quarundam victimarum, ita Chriſti oblationem, priorem, mactationis, alteram oſtenſionis. Quarum prior non ſacrificii præparatio, ſed ſacrificium; poſterior non tam ſacrificium, quam ſacrificii facti commemoratio ſit:* Hæc confutatis ſuperioribus, ex quibus ea Grotius concludit, per ſe ipſa concidunt. Oſtendimus enim, eam tantum oblationem, quam oſtenſionis vocat Grotius, hoc nomen ſub Lege habuiſſe, ad quam etiam tunc, cum mors Chriſti oblatio dicitur, alluditur. Quamquam oblationis illius nomine, ut ex ſuperioribus conſtat, intelligimus, non tantum ſanguinis illationem in Sancta, quæ in ſolenni Legis ſacrificio fiebat, ſed etiam ſanguinis coram Deo ſparſionem, aut effuſionem in aliis tabernaculi locis factam, quin & combuſtionem holocauſtorum aut adipis, in odorem Deo gratum, itemque aliorum donorum exhibitionem coram Deo, certis ritibus peractam. Itaque oblatio etiam illa Chriſti cœleſtis, quam oſtenſionis appellat Grotius, vera ipſius ac perfecta oblatio expiatoria eſt, & ſacrificii pro peccatis conſummatio, cujus initium quoddam fuit ipſius mactatio, & ad veram oblationem præparatio.

Sequitur apud Grotium Partic. 56: *Quare cum apparitio & interpellatio non ſint actus proprie ſacerdotales, niſi quatenus peracti ſacrificii virtute nituntur, ſacrificium illud qui tollit, ne ſacerdotium quidem Chriſto verum relinquit, contra manifeſtam Scripturæ authoritatem, quæ diſtinctam à Prophetica & Regia Pontificiam dignitatem Chriſto aſſignat: non figurate dictam, ſed maxime veram, quippe cum ſacerdotium ipſius Levitico ſacerdotio, quod verum fuit ſacerdotium opponatur, ut ejuſdem generis ſpecies perfectior alteri ſpeciei minus perfectæ. Neque recte inferri potuerit, neceſſe fuiſſe ut haberet quod offerret Chriſtus*, Hebr. 8. v. 3. *niſi ex veritate ejus in quod conſtitutus erat ſacerdotii, dicto* verſ. 3.

Imo vero tunc apparitio & interpellatio ſunt actus proprie ſacerdotales, quando ſacerdos cum hoſtia, quam offerat, coram Deo in Sanctis apparet, & hoc modo pro aliis ἐντυγχάνει ſeu interpellat, adeoque ſacrificium vere peragit, non vero, cum eo jam antea alibi peracto preces illius virtute nixas fundit. Illud igitur cum Chriſto tribuamus, nec ſacrificium ipſius tollimus, nec verum perfectumque ſacerdotium, imo id ei valide aſſerimus. Pontificiam igitur Chriſti dignitatem à Prophetica & Regia diſtinctam agnoſcimus, quanquam non pari modo diſtinctam. Arctius enim cum Regia dignitate cohæret, quam cum Prophetica. Unde duo iſta munera, Regium nempe & Pontificium, in Sacris Literis aperte à ſe invicem disjuncta, & ut in Scholis loquuntur, contradiſtincta nuſpiam cernas: ſed potius alterum in altero quodammodo comprehenſum videas. Nam D. Auctor Hebr. 3. initio, Chriſti dignitatem, quam ratione muneris ſibi à Deo mandati habeat, nobis ante oculos ponere volens, & ad ejus conſiderationem nos cohortans, duo tantum illius officia commemorat, Propheticum & Sacerdotale, quorum illud in terris olim abſolvit, hoc in cœlis perpetuo adminiſtrat, dum inquit: Unde, fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, *conſiderate Apoſtolum* (ſeu *legatum*) *& Pontificem confeſſionis noſtræ Chriſtum Jeſum.* Apoſtolum ſive legatum confeſſionis, h. e. religionis ac fidei noſtræ, quam profiteri debemus, vocat Chriſtum, quia ad eam nobis annunciandam olim à Deo miſſus fuit, quod eſt Prophetæ: Pontificem autem ejuſdem confeſſionis ſive religionis appellat, quia ad eam perpetuo tuendam, & curam ejus gerendam, h. e. ad omnia ea, quæ ad illam ſpectant, adminiſtranda, & ad exitum in nobis perducenda à Deo conſtitutus eſt: quaſi ſummum religionis noſtræ ac ſacrorum præſidem aut adminiſtratorem dicas. Quod infra cap. 12. 2. illis verbis expreſſit, dum eum *ducem & conſummatorem fidei* appellat: quia non tantum voce & exemplo nobis ad eam præivit, verum etiam eandem ad Dei dextram nunc collocatus perficit, atque ad optatum finem perducit. Cæteri ſcriptores Novi Teſtamenti Regium potius & Propheticum munus commemorant; nec ullus ex iis Chriſtum diſerte Sacerdotem aut Pontificem vocat: facturi id proculdubio creberrime, ſi id in cæteris ipſius muneribus, atque inprimis in regio conſideratis certis eorum munerum circumſtantiis, in quibus Sacerdoti legali ſimilis eſt Chriſtus, intelligi ac tacite comprehendi non poſſet; cum ex eo munere ſalus noſtra æterna pendeat Hebr. 5. 9, 10. VII. 24, 25. quandoquidem inde peccatorum noſtrorum proficiſcitur remiſſio, ac juſtificatio, in qua beatitas noſtra conſiſtit. Quando autem cæteri Scriptores Sacri id commemorant, quod ad ſacerdotium Chriſti magis proprie pertinet, munus hoc ipſum muneri regio, aut functionem functioni revera non opponunt. Interpellationem Chriſti pro nobis ſemel nominavit Paulus Rom. 8. 34. Sed in ea tacite actum etiam regiæ ipſius poteſtatis, ad nos à pœna liberandos pertinentem, tanquam interpellationis effectum quendam proximum complexus eſt. ἐνέργεια enim ſeu operatio à regia Chriſti poteſtate manans, atque ad nos à pœna liberandos pertinens, curæ illius pro nobis ſuſceptæ quidam veluti effectus eſt & conſequens. Regiam quidem Chriſti poteſtatem Apoſtolus ibi commemoravit in verbis, *qui etiam eſt in dextra Dei*, & interpellationem ab ea diſtinxit; ſed poteſtatis illius actum expreſſe non commemoravit, contentus interpellationem nominaſſe. Johannes 1 Johan. 2. 2. dum Chriſtum Advocatum, quem apud Patrem habeamus, nominat, & eum ſimul expiationem pro peccatis noſtris vocat, cenſeri poteſt munus Sacerdotale nobis deſcripſiſſe. Ubi tamen regium munus non apponit. At cum ad conſolationem illam, quam eo loco peccantibus proponit Johannes, plurimum pertineat ſcire, Chriſtum pleniſſimam habere pœnas peccatorum à nobis auferendi poteſtatem, tacite id in ſuis verbis incluſiſſe cen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cenſendus eſt. Neque vero immerito Sacri Scriptores alterum officium in altero quodammodo comprehendunt. Nam quicquid à Chriſto ut Sacerdote expectamus, id ab eo ut Rege reipſa proficiſci, dici poteſt. Sacerdotis eſt peccata expiare & expurgare. Hoc fit dum hoſtes Chriſti & noſtri, peccatum nempe ipſum, mors, &, qui mortis habet imperium, Satanas, deſtruuntur. At Chriſtus hoſtes ſuos ac noſtros debellat ac deſtruit ut Rex, 1 Cor. 15. 24, 25, 26. Philip. 3. ult. Sacerdotis eſt auxilium iis, qui ad thronum gratiæ accedunt, opportunum præſtare; & afflictis prompte ſuccurrere. Hebr. 2. 17, 18. cap. 4. 15. 16. An non etiam Chriſti Regis eſt, populo ſuo ad thronum ipſius confugienti ſuccurrere, & afflictis opem ferre? Idem ex eo quoque apparet, quod Auctor Divinus Epiſt. ad Hebr. locum illum Pſalmi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad ſacerdotium Chriſti aperte refert cap. 5. v. 6. Et Pontificiam ei dignitatem hac ratione à Deo conceſſam docet. At ea de Regno aperte loquuntur. Nam David, qui Chriſti typus fuit, explicat in iis verbis decretum Dei, quo Rex, poſt diuturnum exilium, reipſa fuit conſtitutus, & in ſolio regio collocatus. Quemadmodum Pſalmus inſpectus quemvis docebit. Unde ea Paulus Chriſto è mortuis reſuſcitato demum ait impleta Actor. 13. 32, 33. Nam tum demum Deus ſecundum promiſſa ſua Regem dedit populo ſuo, & Jeſum conſtituit Dominum & Chriſtum, ſeu quod idem eſt, filium Dei in potentia, Confer inter ſe Matth. 16. 16. Luc. 9. 20. Marc. 8. 29. 1 Joh. 5. 1. & 5. Joh. 1. 42. 50. VI. 69, XX. 31. Actor. 2. 36. Rom. 1. 4. Et idem hic D. ſcriptor ad Hebr. cap. 1. 5. ex iſtis verbis demonſtrat præſtantiam Chriſti ſupra Angelos, quam, ad dextram majeſtatis in excelſis collocatus, eſt adeptus. Quod ſi Sacerdotium Chriſti à Regia dignitate prorſus eſt diſtinctum, & Chriſtus reipſa ſacerdos fuit cum in cruce pateretur, imo tunc proprie ſacerdotii munere functus eſt, in cœlo improprie, quomodo hæc verba, quæ de Regia ſupremaque dignitate Chriſti loquuntur, ad ſacerdotium Chriſti accommodantur, quod tum revera fuerit peractum, cum Chriſtus ſe maxime humiliavit, & minor apparuit Angelis Philip. 2. 8. Hebr. 2. 8.? Diſtinctio autem inter Regium & Sacerdotale munus primum in eo cernitur, quod Regium munus latius ſe porrigit, quam Sacerdotium; unde illius etiam crebrior fit mentio. Regis enim eſt etiam punire; Sacerdotis vero tantum peccata populi expiare. Deinde cum Chriſtum Regem appellamus, eo ipſo, niſi quid addamus aliud, non exprimimus, eum hanc poteſtatem aliunde accepiſſe, &, quicquid beneficii ab ipſo ut Rege noſtro proficiſcitur, id totum Deo, qui hanc ei poteſtatem largitus fuerit, adſcribendum eſſe. Regium enim munus & nomen, per ſe nil tale indicat, cum Deus etiam Rex ſit & dicatur Matth. 5. 35. 1 Timoth. 6. 15. At cum Chriſtum Sacerdotem vocamus, ei oblationem & interpellationem tribuimus, eo ipſo indicamus, peccatorum noſtrorum remiſſionem non ab ipſo ut prima cauſa, ſed à Deo proficiſci, & eum poteſtatem peccata noſtra remittendi à ſeipſo non habere, nec eſſe ſupremum omnium rerum Rectorem. Quomodo enim offerret & interpellaret apud alium; & ſacerdotis munere fungeretur, ad remiſſionem nobis parandam? Quare dum Sacerdotis nomine inſignitur, à Deo altiſſimo, cui alias poteſtate æqualis eſt, aperte diſtinguitur, & Dei præ ipſo prærogativa atque eminentia indicatur, quæ facile ob tantam Chriſti præſtantiam ac gloriam, qua ipſum Deus auxit obſcurari poſſet, & ſic Deo gloria, illa quam in Chriſto exaltando quæſivit eripi. Accedit quod, cum Chriſtus Sacerdos dicitur, & quidem talis, qui ſeipſum obtulerit, & mors ipſius, ſine qua offerre ſe non potuit, apertius includitur, quam Regni mentio nullo pacto complectitur; & cura ipſius admodum tenera & ſolicita, quam pro nobis gerit, & qua expiationem peccatorum noſtrorum perficit, magisquam Regii muneris mentione indicatur. Unde non parum conſolationis ex divina Chriſti poteſtate nobis accedit, quæ alias magnitudine ac ſublimitate ſua vilitatem noſtram abſterrere potuiſſet, quominus tanta cum animi fiducia ad ipſum confugere, & opem ab ipſo expectare auderemus. Quare hæc quoque fuit cauſa hujus appellationis Chriſto tribuendæ; ut omittam multas ſimilitudines, quæ Chriſto cum Sacerdote Legali, & Melchiſedeco, qui itidem ſacerdos fuit Dei altiſſimi, intercedunt, quæ huic appellationi anſam dederunt; quibus etiam addenda eſt ſimilitudo multiplex cum ipſis victimis legalibus. Quod vero Grotius putat, ſe cauſam noſtram premere, quod Scriptura dignitatem Pontificiam non figurate dictam, ſed maxime veram Chriſto tribuat: ſi hoc vult, Scripturam vocem Sacerdotis aut Pontificis proprie de Chriſto uſurpare, nec ullum huic appellationi Chriſto tributæ ſubeſſe tropum, fallitur, ut ex dictis conſtare poteſt: ſi vero hoc tantum vult, dignitatem, quæ huic muneri ſubſit, eſſe maxime veram non figuratam, non animadvertit, nos quoque, licet in voce Pontificis ſeu Sacerdotis figuram agnoſcamus, ipſam tamen dignitatem, quæ huic muneri ſubeſt, maxime veram & perfectam, imo longe majorem, quam ipſe agnoſcit, Chriſto aſſerere, adeoque nihil de dignitate ipſius vera imminuere. Nam improprietas illa, quam nos appellationi huic, quatenus ad Chriſtum refertur, ſubeſſe credimus, muneris hujus dignitatem auget, & niſi agnoſcatur, non modo Pontificii, ſed & Regii muneris præſtantia minuitur ac convellitur. Pontifex enim proprie dictus poteſtatem remittendi peccata non habet, nec liberationem à pœna illis, pro quibus offert, ipſe confert, ſed eam à numine, quamquam jam antea decretam, oblatione tantum impetrat, & nihil aliud agit, quam ut eam conditionem impleat, ſine qua remiſſio à numine non proficiſceretur. At Chriſtus poteſtatem pleniſſimam habet nobis peccata condonandi, nec eam remiſſionem à numine demum impetrat, ſed ipſe eam nobis Dei nomine ut Rex confert. Hoc qui non agnoſcit, is Chriſtum dignitate Regia, quantum in ſe eſt, ſpoliat, & Chriſtum eſſe negat. Quare ſtatuendum eſt, quemadmodum vocabula plurima ab hominibus rebuſque humanis ad Deum reſque divinas tranſlata, præſtantius ac divinus quippiam denotare ſolent, quam cum de hominibus humaniſve rebus uſurpantur, licet de his proprie, de illis improprie dicantur: ita etiam nomen Pontificis ad Chriſtum Dominum noſtrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cœleſtem ac divinum tranſlatum, in ipſo præſtantius quippiam ac divinius denotare, quam in illis; adeo ut, quantum divina humanis, cœleſtia terrenis, tantum Sacerdotium Chriſti illorum ſacerdotio præſtet, licet iſtud figurate, hoc proprie ſic appelletur. Nihil vero prohibet hæc improprietas, quominus ſacerdotium Chriſti Levitico opponatur. Nam ſupra * quoque, cum de λύτρῳ egimus cap. 8. vidimus impropria propriis opponi, tanquam perfectiora & præſtantiora imperfectioribus aut minus præſtantibus. Et ne ab hac noſtra materia longius abire videamur, aſperſio ſanguinis Chriſti opponitur aſperſioni ſanguinis, quo antiquum fœdus fuit ſancitum; purificatio cœleſtium, purificationi tabernaculi terreni: Paſcha noſtrum Paſchati Judaico: azyma azymis: circumciſio circumciſioni: templum templo. Sunt quidem hæ ſpecies ejuſdem generis, verum non ſynonymi, ſed analogi, quod æquivocum ſecundum quid vocant. Chriſti enim munus, quod in cœlis peragit, nomen hoc ſortitur ob convenientiam in multis, & quidem maximi momenti rebus, quæ ad ſacerdotium proprie dictum conſtituendum pertinent. Quominus in omnibus cum proprie dicto ſacerdotio conveniret, præſtantia ſive perfectio, ut diximus, effecit. Satius autem eſt proprietatem perfectioni cedere, quam hanc illi. Recte vero argumentatus eſt Divinus ſcriptor ad Hebr. dum ex eo, quod Chriſtus ſit Sacerdos, concluſit, neceſſe eſſe ut habeat quod offerat: non, ut Grotius loquitur, *neceſſe fuiſſe, ut haberet, quod offerret*, quaſi de re præterita loquatur Auctor. Sacerdos enim omnis, ſive proprie ſive improprie ita dicatur, propter oblationem ita dicitur, quæ ipſa oblatio nunc propria eſt, nunc impropria, & recte quiſpiam concluderet, etiam nos habere quod offeramus Deo, cum ſacerdotes ſimus, licet non niſi improprie hoc nomen nobis conveniat, quemadmodum & oblatio impropria eſt, 1 Petr. 2. 5. Rom. 12. 1. Hebr. 13. 15.

Subjungit Grotius Partic. 57: *Sed profecto minime mirum eſt, ſi qui Chriſto gloriam naturalem, hoc eſt veri nominis Deitatem, ſuſtulerunt, iidem & officia ipſius imminuunt, & beneficia ipſius præcipua recuſant agnoſcere.*

Quid per gloriam Chriſti naturalem intelligat Grotius, obſcurius aliquanto explicuit, dum eam per *veri nominis Deitatem* deſcripſit. Arbitror tamen, eum *Deitatem proprie dictam* intelligi voluiſſe. Quod ſi ita eſt, nos nequaquam ii cenſendi ſumus, qui hanc Chriſto gloriam ſuſtulerimus. Deitatem enim proprie dictam Chriſto aſſerimus, eamque corde credimus, ore confitemur. Nam Dei aut Deitatis nomen, ſi propriam ipſius vim in Sacris Literis ſpectes, potentiam eximiam & imperium ſublime ſignificat: quod quanto majus eſt atque eminentius, tanto magis ei hoc nomen competit. Hinc Dii in Sacris Literis dicuntur, quibuſcunque Deus potentiam eximiam aut imperium in alios conceſſit, ut Angeli Pſalm. 8. 6. XCVII. 9. & Magiſtratus Exod. 15. 11. XXI. 6. XXII. 26. Pſalm. 82. 1, 6. Johan. 10. 34. Deuter. 10. 17. Pſalm. 50. 1: quibus quia ipſe cum ſummo imperio præeſt, iiſque moderatur omnibus, ideo Deus Deorum dicitur. Dei ergo nomen ſua natura appellativum eſt, & multis commune: κατ᾽ ἐξοχὴν tamen ſeu per excellentiam uni illi ſummo rerum auctori ſingulariter tribuitur: tum quia ipſius imperium ſimpliciter ſummum eſt, ac potentia infinita: tum quia ſolus à ſeipſo imperium illud ac virtutem habet: cæteri omnes ab ipſo. Poſt Deum autem ſummum, Chriſtus in imperio ſummus eſt. Chriſto enim omnis poteſtas in cœlo & in terra data eſt Matth. 28. 18, omniaque illi ſunt ſubjecta, eo tantum excepto, qui ipſi ſubjecit omnia 1 Cor. 15. 27. Pſalm. 8. Hebr. 2. 8. Nam ut ait Apoſtolus Epheſ. 1. 20. & ſeqq. Deus illum collocavit in dextra ſua in cœleſtibus, ſublimius omni principatu & poteſtate & virtute & dominatu, & omni nomine, quod nominatur non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubjecit ſub pedes ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, & alibi Philip. 2. 9. & ſeqq. Deus eum in ſummam ſublimitatem extulit, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium terreſtrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus ad gloriam Dei Patris. Adeo autem ſublime hoc eſt imperium, ut Paulus dicat 1 Corinth. 15. 28, olim demum, cum omnia filio ſubjecta fuerint, ipſum quoque filium ſubjectum iri ei, qui ipſi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus, quam ob cauſam ad dextram Dei ſedere dicitur: qua de re nunc non eſt fuſius diſſerendi locus. Itaque ut ipſum Dominum Jeſum argumentantem aliquo modo imitemur Johan. 10. v. 34, 35. Si Deus ipſemet eos appellavit Deos, qui exiguum, præſertim ſi comparate loquamur, & multis modis à Deo circumſcriptum, ad breve tempus in terris habuerunt imperium; an non multo magis Chriſtus dicendus eſt Deus, qui ſuper omnes Deos, qui in cœlo ſunt & in terra, ſolo altiſſimo excepto, evectus eſt 1 Corinth. 8. 5, 6. d. l. 1 Cor. 15. Epheſ. 1. Phil. 2. 1 Petr. 3. 22, qui Angelorum eſt Dominus & caput Coloſſ. 1. 10. Apoc. 1. 5. Princeps regum terræ, Rex, inquam, regum ac Dominus dominorum, Apoc. 19. 16, cujus regnum æternum eſt Daniel. 7. 14. Luc. 1. 32, 33. Pſalm. 45. 7. Hebr. 1. 8, qui non in corpora tantum hominum, ſed & in animas poteſtatem habet, qui non vivis tantum, ſed & mortuis imperat Rom. 14. 9, cui ipſa inferni clauſtra parere coguntur Apoc. 1. 18. in cujus manu eſt, quicquid ab ipſo Deo expectamus bonorum, ipſaque adeo beata immortalitas Johan. 3. 35. Epheſ. 1. 22, 23. Johan. 17. 2. Nonne dicendus eſt ſuper omnia Deus benedicendus in ſecula. Rom. 9. 5. Certe quemadmodum Deus ille altiſſimus ſimpliciter Deus Deorum eſt, atque adeo etiam ipſius Chriſti Deus Johan. 20. 17. Epheſ. 1. 17. Pſalm. 45. 8. Hebr. 1. 9. Apoc. 3. 12, & caput 1 Corinth. 11. 3, quemadmodum eum Scriptura apertiſſime nominat: ita Chriſtus cæterorum omnium reſpectu Deus Deorum merito dici poteſt. Quod ſi Grotius per veri nominis Deitatem, & per naturalem Chriſti gloriam, intellexit ſubſtantiam ſeu eſſentiam divinam, ab humana ipſius natura diſtinctam, quæ ut ipſa à nemine prorſus dependet, ita nec ejus, quam habet, potentia atque imperium; hanc nos Chriſto non ſuſtulimus; ſed ei falſo, contra Sacrarum Lite-

* Partic. 24.

rarum teſtimonia, cum divinæ gloriæ, & ſpei noſtræ Philip. 2. 11. Johan. 13. 31, 32. XIV. 13. XXVI. 1. 1 Petr. 1. 21, quam utramque Deus in Chriſto exaltando quæſivit, detrimento attributam eſſe docuimus ac docemus. Recte autem nos id facere, tum ex iis, quæ paulo ante de vera Chriſti Deitate diximus, tum ex hac de Sacerdotio Chriſti diſputatione patet, etiamſi Grotii hac de re ſententia recipiatur. Nam ſi Chriſtus Deitatem illam in ſe habet, quæ prorſus eſt independens, adeoque ipſe Deus eſt altiſſimus, qui à nemine quicquam accepit unquam, à nemine quicquam impetrat: quî Sacerdos eſt, quî pro nobis interpellare, & à Deo remiſſionem quodammodo impetrare dici poteſt? Nam ſive id figurate dictum eſſe nobiſcum velis, ſive cum Grotio & aliis proprie; apparet Chriſtum à ſeipſo, ſeu poteſtate ac virtute ſibi prorſus naturali & aliunde non accepta, remiſſionem peccatorum nobis haud conferre. Alias hujuſmodi loquendi modi ei nequaquam accommodari poſſent. Nec eſt quod ad naturarum diſtinctionem confugias. Nam præterquam quod officia, quale eſt ſacerdotium, & officiorum iſtorum functiones, non niſi perſonæ primo competant; cum Chriſtus Patri, diſtinctæ à ſe perſonæ, offerat, apud eum interpellare, & pro nobis comparere, atque ut Grotius vult, precibus veris remiſſionem etiamnum ab ipſo nobis impetrare dicatur, apparet, eum eſſentia illa divina, quæ ex ſe iſta omnia præſtet, carere. Cur enim ab alia perſona petere diceretur, quod à ſeipſo haberet, ac per naturam ſuam divinam efficere pro arbitrio ac liberrima voluntate ſemper potuiſſet? Præterea ſi Chriſtus, & una cum illo Spiritus Sanctus, eſt unus cum Patre Deus, ut in ultimis verbis indicat Grotius: qui fit, quod Pater ſolus, ut Grotius vult, placetur, filius eum placet; Patri ſoli ſatiſfiat, filius ſatiſfaciat; Patri ſoli victima offeratur, filius offerat? An filius & Spiritus Sanctus, licet unus cum Patre Deus, non fuerunt æque ac Pater peccatis noſtris offenſi, ac nobis irati? Non æque voluerunt exemplum aliquod ſeveritatis ſtatui, & ſatiſfactionem ſibi præſtari? aut Pater ſolus, cum iratus eſſet, erat placandus, non item filius & Spiritus Sanctus? illi ſoli ſatiſfactio erat præſtanda, non etiam duabus reliquis ejuſdem Deitatis perſonis? Non erant illi quoque Rectores hujus univerſi, atque adeo etiam humani generis, qui ordinem communem ac publicum bonum curarent, & jus puniendi haberent? Certe ſi quis totum Grotii librum percurrat, deprehendet, ipſum nuſpiam conſiderare Filium & Spiritum Sanctum ut Rectores ſummos, & eas illis partes in hoc negotio tribuere, quas Patri tribuit: ſed Patrem ſolum, præeuntibus hac in re Sacris Literis, conſiderare ut Rectorem ſummum, filium tanquam eum, qui Rectori huic ſupremo victimam obtulerit, &, ut ipſe arbitratur, ſatiſfecerit: Spiritus Sancti ne mentionem quidem ea in re facere: quemadmodum nec Sacris Literæ ejus in hoc negotio meminerunt, quaſi ejus quoque peculiares aliquæ in eo fuerint partes. Quare iſtiuſmodi de Deitate Chriſti ſententia, quam una cum aliis defendere videtur Grotius, haudquaquam poteſt conſiſtere. Ob noſtram autem de ea ſententiam, tantum abeſt, ut ullum ipſius officium imminuamus, aut beneficia ipſius præcipua agnoſcere recuſemus, quemadmodum Grotius nobis objicit, ut potius ea plurimum juvemur in cognoſcendis ipſius officiis & beneficiis, atque in tota ſalutis noſtræ ratione penitius perſpicienda. Hæc eſt, quæ ſpem & fiduciam noſtram, quam in Deo per ipſum collocamus, fulcit, & nos Deo, qui eum nobis dedit vitæ ducem, qui una nobiſcum ex ipſo profectus eſt, qui nos fratres ſuos vocare non erubeſcit Hebr. 2. 10. & ſeqq. omneſque noſtras miſerias expertus eſt, maxime devincit. Nullum eſt beneficium ad ſalutem noſtram ullo modo pertinens, quod per ipſum à Deo in nos proficiſci non agnoſcamus. Eſt enim, ut Paulus ait, *unus* ille *Dominus per quem omnia* 1 Cor. 8. 6. At vero Grotius, dum Chriſto homini alienam tribuit gloriam ac deitatem, propriam interim, h. e. à Deo ipſi donatam, tenebris involvit: & dum eum adhuc veras preces pro nobis ad Deum ſubinde vult fundere, divinam illam poteſtatem ac regnum cœleſte, quod ad Dei dextram collocatus accepit, evertit, & ſi vim ſententiæ hujus ſpectes, (de animo enim ac conſilio ipſius aliter ſentio) Jeſum eſſe negat Chriſtum: Deo illi uni, quem Paulus Patrem eſſe diſerte ait d. l. 1 Cor. 8. 6. Epheſ. 4. 6, prærogativam adimit, dum Deitatem eam, quæ ipſi plane propria eſt, cum Chriſto communicat: gloriam, quam is quæſivit in Chriſti reſuſcitatione & exaltatione, in qua excellentem magnitudinem potentiæ ſuæ, & efficaciam roboris virium ſuarum exſeruiſſe dicitur Epheſ. 1. 19, 20. tollit; & ſingulare, quod ea in re nobis præſtitit, beneficium, ac ſpei noſtræ ſulcrum ſubvertit. Nec ſane nobis, quod Chriſti dignitatem imminuamus, aut beneficia ejus non agnoſcamus, à qua re longiſſime abſumus, debebat objicere Grotius, qui, ut cap. 2. & 6. inprimis vidimus, in hac diſputatione mirum in modum in Deum eſt injurius, dum ei jus pœnam peccatorum noſtrorum exigendi proprium ſeu dominicum eripit, & ſic de proprio jure in remiſſione peccatorum eum non ceſſiſſe ſtatuit, atque adhuc compenſationem pro peccatis noſtris veram exegiſſe contendit: id quod remiſſionem peccatorum, beneficium Dei omnium maximum ac plane infinitum, penitus tollit. Quapropter amice eum monemus, ut re melius expenſa, & veritate, ut de ipſius candore nobis perſuademus, agnita, ingenium, eruditionem, induſtriamque ſuam, quam imprudens ad illam oppugnandam hoc potiſſimum libro contulit, ad eandem defendendam ac vindicandam convertat, redditurus alioqui rationem ei, qui ſecundum uniuſcujuſque opera judicaturus eſt.

Concludit tandem Grotius Partic. 75, gratiarum actione: Tibi, inquit, Domine Jeſu &c. *Cum Patre & Spiritu, uno tecum Deo*, ſit honos & gloria.

At proferat vel unum divinum hominem, Apoſtolum, Prophetam, qui eo modo de uno illo Deo loquutus fuerit, ut ipſe hic loqui auſus eſt; quique Spiritui Sancto laudem & honorem una cum Patre ac Filio reddiderit. Nos vero ſic Deum & Chriſtum gratiarum actione celebramus, ac honore afficimus, quemadmodum in Sacris Literis factum cernimus:

Sedenti in throno, & Agno, qui occiſus eſt, & emit nos Deo in ſanguine ſuo, & fecit nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, ſit benedictio, & honor, & gloria, & robur in ſecula ſeculorum. Apoc. 5. 2. ib. 9. Amen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

HUGONIS GROTII

AD

JOHANNEM CRELLIUM

EPISTOLA:

In qua gratias ipſi agit pro Reſponſo ad ſuum librum.

LIbro Tuo, quo ad eum, quem ego quondam ſcripſeram, Eruditiſſime Crelli, *reſpondiſti, adeo offenſus non fui, ut etiam gratias Tibi tunc intra animum meum egerim, nunc autem & hiſce agam literis. Primum, quod non tantum humane, ſed & officioſe valde mecum egeris; ita ut queri nihil poſſim, niſi quod in me prædicando modum interdum excedis. Deinde vero, quod multa me docueris, partim jucunda ſcitu, partim utilia, meque exemplo Tuo excitaveris, ad penitius expendendum ſenſus Sacrorum Librorum. Bene autem in Epiſtola Tua, quæ mihi longe gratiſſima advenit, de me judicas: Non eſſe me eorum in numero, qui ob ſententias ſalva pietate diſſidentes alieno à quoquam ſim animo, aut boni alicujus amicitiam repudiem. Etiam in Libro de Vera Religione, quem jam percurri, relecturus & poſthac, multa invenio, ſummo cum judicio obſervata. Illud vero ſeculo gratulor, repertos homines, qui neutiquam in controverſiis ſubtilibus tantum ponant, quantum in vera vitæ emendatione & quotidiano ad ſanctitatem profectu. Utinam & mea ſcripta aliquid ad hoc ſtudium in hominum animis excitandum inflammandumque conferre poſſint! tunc enim non fruſtra me vixiſſe hactenus exiſtimarem. Liber de Veritate Religionis Chriſtianæ magis ut nobis eſſet ſolatio, quam ut aliis documento, ſcriptus, non video, quid poſt tot aliorum labores utilitatis adferre poſſit, niſi ipſa forte brevitate. Si quid tamen in eo eſt, quod Tibi Tuique ſimilibus placeat, id mihi ſupra ſpem eveniet. Libris de Iure Belli ac Pacis, id præcipue propoſitum habui, ut feritatem illam non Chriſtianis tantum, ſed & hominibus indignam, ad bella pro libitu ſuſcipienda, pro libitu gerenda, quam gliſcere tot populorum malo quotidie video, quantum in me eſſet, ſedarem. Gaudeo ad Principum quorundam manus hos libros veniſſe, qui utinam partem eorum meliorem in animum ſuum admitterent. Nullus enim mihi ex eo labore fructus ſuavior poſſet contingere. Te vero quod attinet credas rogo, ſi quid unquam facere poſſim, Tui aut Tuorum, quos ſingulariter amas, cauſa, experturum Te, quanti Te Tuo merito faciam. Nunc cum aliud poſſim nihil, Dominum Ieſum ſupplice animo veneror, ut Tibi aliiſque pietatem promoventibus propitius adſit.*

Tui nominis Studioſiſſimus

Pariſiis X. Maji. Anno 1631.

HUGO GROTIUS.

EPI-

EPISTOLA GROTII
AD
CRELLIUM.

Tam pro Epiſtola, Vir Clariſſime, quam pro tranſmiſſo libro, gratias ago maximas. Conſtitui & legere & relegere diligenter, quæcunque à te proficiſcuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipſo tempore, quo literas tuas accepi, verſabar in lectione tuæ interpretationis in Epiſtolam ad Galatas. Quantum judicare poſſum, & Scripti occaſionem, & propoſitum, & totam ſeriem dictionis, ut magna cum cura indagaſti, ita feliciter admodum es aſſecutus. Quare Deum precor, ut & Tibi & tui ſimilibus vitam det, & quæ alia ad iſtiuſmodi labores neceſſaria. Mihi ad juvandam communem Chriſtianiſmi cauſam, utinam tam adeſſent vires, quam promptus eſt animus. Quippe me à prima ætate per varia diſciplinarum genera jactatum, nulla res magis oblectavit, quam rerum Sacrarum meditatio. Id in rebus proſperis moderamen, id in adverſis ſolatium ſenſi. Pacis conſilia & amavi ſemper, & amo nunc quoque, eoque doleo, cum video tam pertinacibus iris committi inter ſe eos, qui Chriſti ſe eſſe dicunt, ſi recte rem putamus, quantillis de cauſis! De illo ad Timotheum loco cogitavi ſæpe, ac plane tecum ſentio, verba non eſſe talia, quæ nullo modo ſenſum ferre poſſint, quem ſecutæ ſunt complures Eccleſiæ jam temporibus Clementis & Tertulliani, ne Epiſcopus fieret aut Diaconus, qui ſecundas quoquo modo nuptias feciſſet. Et recte adducis locum, ubi ſimilis eſt locutio, γεγονεῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή. Neque verum eſt, ad τὰ παρέςτι enuntianda ſemper requiri, ut hoc ipſo tempore maneat illa χέσις: ſæpe ſatis eſt, ut locutio talis locum habeat, rem aliquando ita ſe habuiſſe. Quin & diverſa tempora ſub unius nominis appellationem veniunt, ſic Felicem Suetonius vocat trium reginarum maritum. Certe Græci, ſui ſermonis non ineruditi, ita verba accepere. Ecce Chryſoſtomum:

Deſunt verba Chryſoſtomi.

Quanquam non nego, cur eos, quos digamos vocabant, arcerent Epiſcopatu ſive Preſbyterio, non fuiſſe unicam, verba illa Pauli, ita, ut dixi, accepta, cauſam, ſed & æmulationem τῶν ἔξω. Romano Pontifici Maximo non licuiſſe iterare matrimonium aſſeverat Tertullianus de Monogamia, & ad Uxorem, & Exhortatione Caſtitatis, & Præſcriptionibus adverſus hæreticos: quod ipſum de Flamine Diali alii prodiderunt. Jam vero erant ejus animi illorum temporum Chriſtiani, ut nulla in re, quæ modo aliquam haberet honeſti ſpeciem extraneis quicquam vellent concedere.

Erant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Erant autem ſecundæ nuptiæ, quanquam in fœminis magis culpatæ, tamen ne in viris quidem laudatæ, præſertim ſi liberi exſtarent: ita ut Clementis Alexandrini judicio, is qui mortua uxore alteram ducat, non peccet quidem in fœdus, ſed tamen minus impleat τὴν κατ' ἐπίτασιν τελειότητα. Cæterum cum ea, quæ à Diacono, tantoque magis ab Epiſcopo ſive Presbytero exigit Apoſtolus, talia ferme ſint, quæ à Chriſtianis omnibus exigantur, propior ſum Theodoreti ſententiæ, quæ hoc ſpectatum putat, ne ad tales functiones eligerentur, niſi qui retro ab ipſo baptiſmi tempore omni probro ac culpa vacaſſent, neque ullo facto Eccleſiæ animadverſionem incurriſſent. Voces autem Mulieris & Viri hic ſumi, ut ſexum primario, non conjugium denotent; ut ſenſus ſit, talem virum Eccleſiæ præfici debere, qui una contentus fœmina fuerit, id eſt, qui uxori ſuæ ſemper concors fiduſque vixerit, neque eam læſit aut pellicis aut vago amore: quod apud Græcos nimium fuiſſe frequens, etiam Comediæ de Græco in Latinum verſæ teſtantur, & quidem diſſimulantibus id publicis legibus. Obſtare videbitur, quod in vidua allegenda requirit Apoſtolus, ut unius viri fuerit mulier: nam is locus cum illo de viris ob locutionis ſimilitudinem comparandus videtur; mulieri autem neque duos ſimul maritos habere permiſſum fuit, neque ad earum adulteria leges connivebant. Vera hæc ſunt, ſed notandum eſt, mulieribus Græcis & Epheſinis per leges licuiſſe à maritis divortium facere, & ſic quoties vellent, mutare matrimonium: quod non modo cum Chriſti edicto pugnabat, ſed licentiam, qualis tunc vigebat, inſpicientibus, non procul aberat ab adulterii ſpecie. De Romanis mulieribus Seneca: Illuſtres quædam ac nobiles fœminæ non Conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubunt repudii. Juvenalis:

———— ſic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos. ———

Martialis non illepide:

———— toties quæ nubit, adultera lege eſt:
Offendor mœcha ſimpliciore minus.

Unius ergo viri fœmina ea dicitur, quæ viro, dum is vixit, fida fuit; neque eum divortio mutavit. Hæc ſunt quæ mihi de iſto loco hoc quidem tempore videntur: quibus ſi quid habes rectius, id rogo mihi benignus impertias; atque ita de me credas, mihi nihil fore gratius, quam ſi qua in re gratum quid tibi facere poſſim: Deus tuis laboribus propitius adſit. XX. Junii. CIↃ IↃC XXXII.

Tui ſtudioſiſſimus

HUGO GROTIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

CHRISTIANO LECTORI

Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto.

ETſi nihil magis in votis fuit, Chriſtianæ Lector! quam procul omni certamine in Sacrarum literarum ſtudiis ætatem exigere, & in ſenſibus earum eruendis operam omnem conſumere: tamen veritatis divinæ, qua nihil nobis eſſe debet antiquius, amor, & eorum voluntas, quorum apud me maxima eſt auctoritas, effecit, ut cum viro clariſſimo Hugone Grotio, qui libro adverſus Fauſtum Socinum ſcripto, illam imprudens oppugnarat, congrediendum mihi putarunt; ne ea ſilentio à nobis prodita, cum inſigni gloriæ divinæ, & humanæ ſalutis detrimento, in falſitatis ſuſpicionem & contemtum ob id ipſum veniret; præſertim cum tam potens ingenio, eruditione, orationis nitore, famaque celebris adverſarius ei eſſet conſtitutus. Equidem non ignorabam virium mearum tenuitatem, cum provinciam iſtam ſuſciperem: ſed non dubitabam etiam, Deum precibus aſſiduis advocatum, pro cauſſa ſua pugnaturo laturum opem: idque tanto magis, quanto ego eſſem inbecillior, is cum quo mihi res eſſet, ab ingenii & doctrinæ copiis inſtructior. Incitavit me illud quoque non parum, ut Grotio reſpondendum exiſtimarem, quod jam antea perſpexiſſem, ipſum de doctrina, quam Eccleſiæ noſtræ ſequuntur, peſſime perſuaſum eſſe, & ea de nobis alibi ſcripſiſſe, quæ nos facile in omnium odium, & una Sanctiſſimam hanc quam defendimus, veritatem adducere poſſent. Etenim inter ea, quæ in nos ac Socinum admodum inclementer dixit, eo libello, quem pietatem Ord. Holl. inſcripſit, iſta etiam ſunt: *Cum hæreſis ſit venenum Eccleſiæ, &c. quidem præſentiſſimum: ſed tamen hæreſeos aliqui ſunt gradus, ut ſit hæc illa nocentior, pejorem aliam non reperiri hæreſi Socini*, *ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant; & tantum intereſſe inter Papiſtas & Sociniſtas,* (ita enim nos appellat) *quantum inter tyrannidem & effrenem licentiam.* Grave quidem crimen noſtrum, ſi vera ſunt iſta; ſed grave etiam Grotii, ſi falſa. Adducit Grotius ad nocentiſſimæ hæreſeos crimen probandum, aliquod DD. Apoſtolorum Johannis & Pauli loca, partim de Chriſti divinitate, partim de natura ipſius, naturalive conditione, partim denique de ipſius, ut Paulino utar verbo, exinanitione loquentia: quaſi nos iſta in dubium vocemus, & non potius falſum, qui verbis illis affingitur, ſenſum, quem in quibuſdam ex iis locis celebres nonnulli inter adverſarios noſtros viri repudiarunt. Deinde, etiamſi rem illam, quæ in iſtis Scripturæ locis continetur, errore lapſi, non ſatis eſſemus aſſequuti, quod hactenus à nemine oſtenſum eſt, nec oſtendi poſſe pro certo habemus; nondum tamen tam atrox crimen probatum eſſet: cum nihilominus ea de Chriſti divinitate ſentiamus, quæ ſi quis corde credat, ore confiteatur, eorumque vim factis, pro virili exprimere conetur, eum ſalvum fore Sacræ Literæ Clariſſimis verbis pronunciant. Huic autem qui hæreſeos crimen, & quidem peſtilentiſſimæ impin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gi, qui effrænis licentiæ nota inuri jure poteſt? Affirmat Paulus: *Si confeſſus fueris ore tuo dominum [eſſe] Jeſum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum reſuſcitarit ex mortuis, ſervaberis* Rom. 10.9. At nos per Dei gratiam ore confitemur Jeſum eſſe Dominum; & quod ore confitemur, corde credimus, nempe quod Deus eum reſuſcitarit à mortuis, eaque ratione ad ſupremum dominium evexerit: novimus enim id quod idem Apoſtolus ait: *Ad hoc Chriſtum mortuum eſſe, reſurrexiſſe, & revixiſſe, ut & mortuis & vivis dominaretur* Rom. 14.9, *eum propter obedientiam uſque ad mortem crucis Deo præſtitam, ab ipſo in ſummam ſublimitatem evectum, & donatum ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei Patris* Philip. 2.9 & ſeqq. Quibus in verbis perſpicue explicat Apoſtolus, qua ratione Chriſtum lingua atque ore confiteri debeamus Dominum, ea nempe, quæ cedat in Dei Patris gloriam, qui ad tantam ſublimitatem ipſum evexit: quam rationem Petrus quoque clariſſimis verbis, in prima ſua, quæ Actor. 2.36 extat, concione expreſſit, dum ita inquit: *Certo ergo ſciat omnis domus Iſraëlis, quod & Dominum & Chriſtum ipſum Deus fecit hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis* 1 Cor. 8.6. XII. 5, 6. Scilicet Dominum per quem omnia, Chriſtum agnoſcere nos vult Apoſtolus Epheſ. 4.5, 6, ab uno illo Deo, ex quo omnia, quem Patrem eſſe pronunciat, diverſum. Eandem, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, ſententiam, quam in illo ad Rom. loco, primum à nobis adducto, expreſſam vidimus, aliis verbis idem extulit Apoſtolus, ad Corinthios ita ſcribens 1 Cor. 12.3: *Nemo poteſt dicere Dominum [eſſe] Ieſum, niſi in Spiritu Sancto*, & D. Joannes 1 Joh. 5.1. Conf. cap. 2.22. 4.2, 3, dum ait: *omnis qui credit, quod Ieſus ſit Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Quo quidem loco Symbolum proponit hominis Chriſtiani, quem quivis, qui ex Deo ſe natum eſſe gaudet, tanquam fratrem ſuum, ex eodem cœleſti patre genitum, amore proſequi debeat. Vid. fin. cap. 4. Nemo autem ignorat, Chriſtum Johanni nil ſignificare aliud, quam Regem illum divino populo, olim promiſſum, Deo unctum, ac regia illa poteſtate donatum; quem nos agnoſcere ex dictis ſatis conſtare poteſt, eumque tantum, ut omnia illi ſubjecta eſſe gloriemur, Deo ſolo, qui ei omnia ſubjecit excepto Eph. 1.21, 22. 1 Cor. 15.27, 28. Idem voluit Johannes, cum alibi pronunciavit 1 Joh. 4.15: *Quiſquis confitetur, quod Ieſus ſit Filius, Deus in ipſo manet; & ipſe in Deo;* cum fidem noſtram; quæ mundum vicerit, deſcribens ait cap. 5.5: *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quod Ieſus ſit filius Dei?* Pro eodem ponens Chriſtum, & Dei filium, perfectiſſimam hujus nominis vim ac ſignificationem ſequutus: quod nos collatione aliorum complurium Sacræ Scripturæ locorum [a] initio diſputationis noſtræ planum fecimus. Nam cum Deus ille ſummus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, [b] ob imperium potentiamque ſummam dicatur Deus; is qui ei ratione imperii eſt ſimilimus, imo æqualis, ita tamen, ut imperium ab ipſo acceperit, filius ipſius [c] κατ' ἐξοχὴν rectiſſime dicitur. Judices olim ac magiſtratus, cum quibus ſe Chriſtus ipſe ita confert, ut ma-

[a] Vid. Tract. de vi mortis Chriſti in ſalutis negotio pag. 2. ſub notis l. m. n. o. [b] Vid. cap. 10. diſputat. hujus partic. penult. [c] per excellentiam.

jori

jori ſe jure Dei filium eſſe demonſtret, quam illi Dii fuerint appellati, ob imperii cum Deo ſimilitudinem, Joh. 10. 34. & ſeqq. ut Dii, ita etiam filii Dei, quia id imperium ab ipſo acceperant, nominabantur Pſal. 82. 1, 6. qua tamen in re tantum cedunt Chriſto, regi regum, ac Domino Dominorum Apoc. 19. 16, quantum ſubditi, regibus ſuis, imo quantum terrena poteſtas cœleſti, humana divinæ. Hac autem filii Dei appellatione crebrius utitur de Chriſto Spiritus Sanctus, quam Dei voce, ut ſimul Chriſti cum Deo altiſſimo ſimilitudinem, ſupremamque adeo dignitatem, & ab eodem altiſſimo Deo differentiam exprimat. Dei nomen ſolam dignitatem exprimit: differentiam inter ipſum & Deum altiſſimum conſtituit nullam: at cum filium Dei audimus, eum intelligimus, qui imperii ratione Deo quidem ſummo ſit ſimilimus, ſed eodem etiam inferior, quia filius. Deus enim ille altiſſimus à nemine habet ut Deus ſit, ut imperet omnibus: Filius ob id ipſum, quia filius, Patri id refert acceptum. Quod ſi quis plenius cognoſcere velit cauſas, ob quas Chriſtus Dei Filius dicatur, & quibus veluti gradibus ad ſummam hujus nominis dignitatem ac faſtigium perductus fuerit, conſulat ea Scripturæ loca, quæ cauſas iſtas luculenter explicant, quæ quidem ſunt iſta: Luc. 1. 53. Johan. 10. 36. Pſal. 2. 7, qui locus explanatur Actor. 13. 32, 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4, 5. v. 5, 6. Hæc cum de Chriſto credamus, omnia illi præſtamus officia, quæ ei Sacræ Literæ præſtanda eſſe docent. In ipſum enim credimus, ac ſpem noſtram collocamus, perque ipſum in Deum 1 Petr. 1. 21. Id vel ex eo patet, quod nomen ipſius invocemus: cum ſciamus, eum & noſſe, quæ petimus, Johan. 21. 17, quia norit omnia Apoc. 2. 23; corda, renes ſcrutetur, 1 Cor. 4. 2, occulta tenebrarum & cordis conſilia in lucem aliquando pro ducturus; & poſſe omnia, quæ flagitamus, præſtare; cum Matth. 28. 18, omnem in cœlo ac terra poteſtatum ſit adeptus, & Johan. 3. 35, in ipſius manu omnia pater collocarit, ipſamque adeo, qua nihil eſt majus, (cap. 17. 2. Vid. etiam 5. 12, 25, 26, 27. VI. 39, 40, 44, 54. X. 58,) immortalem vitam; velle denique præſtare omnia cap. 14. 13, 14, cum id promiſerit; cum nos tantopere diligat, ut Rom. 5. 6, 8, animam ſuam pro nobis adhuc impiis poſuerit Joh. 15. 13. qua charitate nulla eſt major. Cur ergo, cum dives ſit in omnes, qui nomen ipſius invocant, Rom. 10. 12, eum non invocaremus? at quomodo, ut ibid. v. 14, ait Apoſtolus, invocare poſſemus eum, in quem non crederemus? quare cum in Chriſtum credamus, cum nomen ipſius, vi ſententiæ noſtræ, quam de ipſo profitemur, invocemus, ſalutem nobis certo ex divina benignitate polliceri poſſumus. Ait enim idem Apoſtolus ibid. v. 11: *Omnis qui credit in ipſo non confundetur* ibid. v. 13, *omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Ob idem Chriſti in omnia dominium Philip. 2. 9, 10, ob nomen, inquam, ſuper omne nomen ipſi datum, monente Apoſtolo, genua ei flectimus, regi divino ac cœleſti, non vulgarem ac civilem, ſed divinum exhibentes cultum, cum Pſalm. 45. 12. Confer Pſalm. 97. 8. Hebr. 1. 6 adoramus, & Johan. 5. 22, 23, ita honoramus

 ut pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut patrem: *quia pater neminem judicat, ſed omne judicium dedit filio*, idque ideo, ibid. 27, *quia filius hominis eſt*, ob idem imperium dicto ipſius Hebr. 5. 9, obedientes eſſe, & mandata ejus pro viribus, ipſius ope adjuti, exſequi ſtudemus: cum ſciamus, eum falſo Luc. 6. 46 appellare Chriſtum Dominum ſuum, qui non faciat id quod ille præcipit, & quod ore confitetur, opere negare. Quandoquidem 1 Joh. 2. 3, 4. III. 6, Chriſtum is non novit, qui mandata ipſius non obſervat, 3 Joh. 11. 1 Joh. 4. 7, 8. Tit. 1. 16, uti nec Deum: adeoque nec vitam æternam, cujus Joh. 17. 3 adipiſcendæ ratio in hujus utriuſque cognitione conſiſtit, adipiſcetur. Nihil enim in Chriſto valet, 1 Cor. 7. 19, *niſi obſervatio mandatorum Dei*, nil niſi Gal. 5. 5 *fides per charitatem efficax*, nil cap. 6. 15 *niſi nova creatura*. Quare cum hæc ſit de Chriſto fides ac confeſſio noſtra, nihil eſt, quod peſſimæ ac nocentiſſimæ hæreſeos, aut effrenis licentiæ crimen metuamus; cum Sacrarum Literarum, hoc eſt ipſius Dei ac Chriſti voce, ab eo abſolvamur.

Quod ad ſententiam eam attinet, de qua in hoc libro diſputatur, etſi ejus quoque cauſſa à pleriſque ad inferos relegemur: injuria tamen id fieri, teſtis erit ſententiæ illius noſtræ explicatio, quam diſputationi huic præmiſimus. Profecto vel id ſolum tam iniquis aliorum ea in parte judiciis obſtare deberet, quod morti Chriſti ſalutem nobis partam adſcribimus. Satiſfactionem Chriſti non agnoſcere dicimur: nos vero [a] agnoſcimus Deo dignam, & Sacris Literis conſentaneam: Deo indignam, & à Scripturæ ſententia vehementer abhorrentem merito repudiamus. Catholicam ea de re ſententiam, tot patrum auctoritate munitam, antiquitatis nomine venerandam rejicere perhibemur. Satis illa nobis ſententia Catholica eſt; quæ Chriſti, quæ Apoſtolorum eſt. Hi ſunt illi Eccleſiæ patres, hi doctores ac magiſtri, omni exceptione majores: ab his quicquid profectum eſt, auctoritate ſatis munitum, ſatis antiquum eſt. Adverſus hos nihil univerſi orbis valet conſenſus. Quod ſi teſtimonia patrum, quæ longo ordine recenſet Grotius, inſpicias, [b] comperies illum eſſe primum, qui à noſtra ſententia diſcedat, qui idem à Grotio. Is vero eſt Origines, qui Diabolo vult Chriſti ſanguinem, redemtionis noſtræ pretium perſolutum, quod Auguſtinum quoque & Ambroſium, patrum Latinorum lumina, ſtatuiſſe, Socinus jam monuit. Ab hac vero ſententia quis hodie non abhorret? quod ſi tantum veterum Eccleſiæ doctorûm auctoritate ac conſenſui tribuendum eſt, cur non eam Grotius de Deo ſummo ejuſque filio ſententiam amplectitur, quæ antiquiſſimorum patrum fuit, & trecentos circiter annos in Eccleſia duravit? neque enim perſuadere mihi poſſum, ignorare Grotium, in ipſorum Lectione adeo verſatum, eos haudquaquam credidiſſe, patrem & filium perſonas eſſe in eadem numero ſubſtantia exiſtentes, adeoque filium quoque eundem cum patre altiſſimum eſſe Deum: ſed ſolum patrem eſſe illum qui eſt ſuper omnia Deum, creatorem univerſi, filium autem, ut Juſtini utar verbis, [c] alium eſſe Deum præter univerſi creatorem, & olim etiam miniſtraſſe ac ſubditum fuiſſe illi cœleſti ac ſupermundano, qui eſt ſuper

a Vid. cap. 6. diſput. partic. 44. & Confer cum cap. 1. partic. 1. b Vide locum quartum à Grotio citatum, ex lib. 2. in Epiſt. ad Rom. 6. 2. c Dial. cum Tryph. Judæo, non uno loco.

omnia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

omnia, Deo. Demonſtrarunt id noſtri variis in locis ſatis luculenter, teſtimoniis ex antiquiſſimorum patrum ſcriptis, quæ ad manus noſtras pervenerunt, productis. Et de quibuſdam ex illis, ut Tertulliano & Origine, multi ex adverſariis id non diffitentur: quidam etiam de aliis. De Spiritu Sancto quid ſenſerint, vel unus docere poteſt Hilarius, qui, ut [a] Eraſmus obſervavit, in duodecim, quos de Trinitate ſcripſit, libris, Spiritum Sanctum nuſpiam Deum, nuſpiam adorandum dixit, ſed cum id de Patre & Filio pronunciaret, de Spiritu Sancto nil dixit aliud, quam eum promerendum; & inter cætera [b] locum illum Matth. 28, qui pro Trinitate præcipuus habetur, *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ita explicuit, *id eſt in confeſſione & auctoris, & unigeniti, & doni.* Aliter nempe illi, quam hodie ſolent omnes, de Trinitate ſenſerunt, veritati Apoſtolicæ hac in parte propriores. Diſſenſerint ergo illi à nobis: diſſenſerunt iidem etiam à Grotio, & tot conſequentium ſeculorum doctoribus omnibus: diſceſſerunt illi aliquantum à doctrinæ Apoſtolicæ puritate: qui mox conſequuti ſunt, diſceſſerunt longius. Non eſt ergo quod quiſquam illorum auctoritate in religionis negotio nitatur. Ex fonte ipſo hauriendæ ſunt aquæ puræ, non ex rivulis, qui ſimul ac à fonte receſſerunt, aliquid traxerunt ſordium, alii plus, alii minus. Qua de re liberius etiam ii loquuntur, qui iis cæteroqui plus tribuunt. Audi virum clariſſimum Joſephum Scaligerum, [c] qui inter alia, quæ ad illud Apoſtoli 1 Cor. 15. 20: *Qui baptizantur pro mortuis*, annotavit, accuſat ignorantiam veterum Chriſtianorum omnium, & antiquiſſimorum Patrum errorem, qui duraverit ad Auguſtini uſque ætatem & infra, de receptaculo quodam animarum ſubterraneo, ubi uſque ad judicii diem vel requie fruantur, vel ærumnas patiantur, exceptis martyrum animabus; unde ritus quoſdam ſuperſtitioſos, iis temporibus uſitatos, quibus animæ illæ juvari poſſe credebantur, ortos ait. Quibus interjicit: *Quid alias ineptias Patrum majorum gentium dicam, quæ non doctorum Eccleſiæ, ſed ne cujuſpiam de vulgo Chriſtianitatis eſſe deberent?* & inferius: *alios vetuſtiſſimos Chriſtianorum errores qui volet ſcire, adeat Tertullianum de Idololatria, item de oratione, & Corybantiaſmos, & alios errores Latinæ & Græcæ Eccleſiæ ab illis maximam partem manaſſe fatebitur.* Nempe, ut ultima hæc Scaligeri verba indicant, præparabatur jam tum via Antichriſto, qui non multo poſt ſucceſſurus erat, & errorum, quos erat adſtructurus, fundamenta paulatim ſternebantur; imo, quod mireris, jam tum, cum Apoſtoli veritatis magiſtri ſupereſſent. Scribit enim ad Theſſalonicenſes 2 Theſſ. 2. 7, 8 Apoſtolus: *myſterium iniquitatis* (quod quid ſit ex cæteris verbis omnes intelligunt) *jam operatur* (vel *in opere eſt*) *tantum is, qui cohibet, donec è medio tollatur, & tunc revelabitur ille iniquus* ſive *exlex.* Et Johannes 1 Joh. 4. 3 ſcribit, Spiritum illius Antichriſti, qui venire debuerit, jam tum fuiſſe in mundo: de quo tamen ſpiritu alii magis, alii minus participabant, aliis Eccleſiæ partibus adhuc incorruptis. Errorum enim curſui Apoſtolorum aliorumque virorum magnorum auctoritas obſtabat, quibus amotis, velut aggere erupto, errores varii Eccle-

a Vid. Eraſmi Præfat. in Hilar. *b* Hilar. lib. 2. de Trin. ſub ipſum initium. *c* Vide notas ipſius in quædam S. Scripturæ loca Genevæ editas, & Græco Nov. Teſtam. contextui præfixas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſiam inundarunt. Teſtatur id Egeſippus, vir Apoſtolicis temporibus finitimus, ut lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 22. Euſebius ſcribit, qui verba ejus hac de re lib. 3. 32, alibi refert. Nam cum ad Trajani tempora perveniſſet, & mortem Simeonis Hieroſolymitani Epiſcopi narraſſet, ita inquit: *Ad ea uſque tempora virgo pura & incorrupta manſit Eccleſia, iis qui ſanum prædicationis canonem corrumpere conati ſunt, ſi tum aliqui fuerunt, in obſcura quadam caligine, ad id uſque temporis deliteſcentibus. Poſtquam autem ſacer Apoſtolorum chorus differentem ſortitus eſt finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam ſapientiam ipſis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conſpiratio, per ſeductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam, quoniam nemo amplius ſuperſtes erat ex Apoſtolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem, falſi nominis ſcientiam ex adverſo prædicare conati ſunt.* Quod ſi Eccleſia ad illud uſque tempus virgo pura & incorrupta fuit, neceſſe eſt doctrinæ corruptionem, quæ fuit conſequuta, late per Eccleſiæ corpus ſerpſiſſe. Nam alias jam ante illa tempora graviſſimos in Eccleſiam errores invehi cœptos, tum ex Chriſti ipſius prædictionibus Matth. 4. 4, 5, 11, 12, 24, tum ex Johannis 1 Joh. 2. 18. & ſeqq. 4. 1. & ſeqq. 2 Johan. v. 7, 10, inprimis, & Judæ Jud. v. 4, 18. Confer locum totum cum 2 Petr. 2, & 3, teſtimoniis conſtat: quorum hic affirmat, jam ſubingreſſos eſſe falſos in Eccleſiam doctores, de quibus jam antea loquuti fuerint Apoſtoli. Prædixit autem Paulus Actor. 20. 29, 30, quoque mox ſubſequuturam doctrinæ corruptionem, dum ita præmonuit Eccleſiæ Epheſinæ ſeniores, ut & ſibi Eccleſiæ diligenter proſpicerent: *Ego novi hoc, quod ingredientur poſt diſceſſum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abſtrahant diſcipulos poſt ſeipſos.* Unde etiam Timotheum 2 Tim. 4. 2, 3, 4, ita obteſtatus eſt: *Prædica illum ſermonem, inſta tempeſtive, intempeſtive: argue, reprehende, exhortare in omni longanimitate & doctrina. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ferent, ſed ſecundum cupiditates proprias ſibi ipſis coacervabunt doctores, prurientes auditu: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Jam tum imminenti malo vult occurri Apoſtolus. Quid ergo mirum, ſi doctores Eccleſiæ, qui ſunt conſequuti, cum Eccleſiæ corpus jam tot laboraret morbis, ipſi quoque aliquid traxerunt vitii? Itaque illud tutiſſimum eſt, Sacris Literis preſſe inſiſtere, & exinde de omnibus Chriſtianæ religionis myſteriis judicium ferre, nec de earum ſententia ex veterum Chriſtianorum, qui poſt Apoſtolos vixerunt, quorum etiam pauciſſimi literis aliquid mandarunt, quod ad ætatem noſtram pervenerit, conſenſu ſtatuere. Hanc viam ſeſe inſiſtere illi profeſſi ſunt, qui veritatem proximis temporibus ex tenebris in lucem proferre cœperunt: quibus ea involvi denuo facile poteſt, ſi eorum auctoritati nimium fidas, à quibus errores Latinæ & Græcæ Eccleſiæ maximam partem manaſſe, Scaligerum dicentem audivimus. Nos regium iſtud ad veritatem iter per Dei gratiam ingreſſi, & in hac diſputatione ſequuti ſumus, ad quam te, Chriſtiane Lector, nunc deducimus, ubi paucula adhuc te monuerimus.

Primum eſt de editionis tarditate. Scias igitur, Chriſtiane Lector,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

prope biennium jam extitiſſe Grotii librum in publico, cum reſpondendi laborem in me recepi: quod antea non feceram, partim quod alios ad eam rem magis idoneos eo munere defungi cuperem; partim quod tantum otii à cæteris meis laboribus impetrare me poſſe vix ſperarem, quantum ad hanc ſcriptionem requireretur; partim denique quod interveniens Grotii calamitas alacritatem ad reſpondendum adimeret. Verum cum nihilominus vindicias poſtularet veritas à Grotio oppugnata, opus hoc divino fretus auxilio ſum aggreſſus, ſed quod ob eos, quos dixi, labores meos tardius progredi fuit neceſſe. Erat enim tunc ea muneris mei ratio, ut paucæ mihi per ſeptimanam horæ, quas huic labori liceret impendere, reſtarent. Poſtquam vero eum ad finem perduxi, non pauca intervenerunt, quæ recognitionem libri diſtulerunt, & ipſa temporum iniquitas publicæque calamitates, turbatis operis noſtris typographicis, editionis conſilium impediverunt. Nunc aliquid nactus opportunitatis, librum, quantum licuit, recognoſcere cœpi, & prælo ſtatim ſubjeci, preſſurus etiam diutius, ſi vel permiſiſſent ii, quorum voluntate labor hic fuit ſuſceptus, vel metuendum non fuiſſet, ne diuturnior mora iis, quia Eccleſiarum noſtrarum ſententiam Grotii libro confoſſam crediderunt, animos adderet.

Alterum eſt, quod hic reticendum non putavi, eſt, de quæſtionibus ad Politicam aut Juris civilis diſciplinam ſpectantibus, ad quas cum accederem, non eram neſcius, mihi cum eo rem eſſe, cujus iſta facultas eſſet propria, quæ mihi aliena: ſed vis atque evidentia veritatis effecit, ut eas quoque divino confiſus auxilio aggrederer, ne ſi forte illam partem diſputationis reliquiſſem intactam, ea, quæ Grotius attulit, pro invictis haberentur. Quod ſi ex Juriſconſultorum formulis non ſemper loquimur, dabit nobis æquus Lector veniam, & potius vim mirabitur veritatis, quæ mihi adverſus Clariſſimum Juriſconſultum diſputanti arma ſuppeditaverit, ad eum convincendum idonea. Quod ſi placuiſſet Deo ad hæc uſque tempora ſervare Socinum, qui ſtudio Juris civilis, cujus ſcientia ei prope hæreditaria extitit, ab adoleſcentia fuerat innutritus, habuiſſes & hanc, & reliquas omnes diſputationis hujus partes accuratius ac plenius tractatas. Audivimus enim ex iis, qui familiariter ipſo ſunt uſi, eum, quamquam modeſtiſſime de ſe & ſentiret & loqueretur, ſignificaſſe tamen, ſi, ut tum jactabatur, excellens ſibi obtingeret adverſarius, qui librum de Jeſu Chriſto Servatore adoriretur, tum demum ſe totum hoc argumentum uberrime explicaturum. Sed quando eum Deus multo ante rebus humanis exemit, quæ è divite Spiritus divini, quo fuit donatus, & ingenii vena pleno hauſiſſes ore, à nobis parcius deprompta æqui boni te conſulere par eſt. Iſtud denique monendum putavimus, numeros paginarum libri Grotii, quos tamen magna ex parte ob editionis diverſitatem ſuſtulimus, ad editionem primam, &, quæ ei conformis eſt, ſecundam, qua in verbis ipſius deſcribendis primum uſi ſumus, referendos eſſe.

Quod reliquum eſt, ipſum Dominum Jeſum Chriſtum, ad dextram majeſtatis in excelſis conſidentem, fidelem illum animarum noſtrarum

paſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

paſtorem ardentibus ſuſpiriis oro, ut laborem hunc noſtrum ad ſuam & Patris ſui gloriam, ad Eccleſiæ ſuæ ædificationem, ad tuum aliorumque omnium emolumentum convertat, te Spiritu ſapientiæ donet, ut veritatem, quam defendimus, cernas, Spiritu roboris, ut eandem profiteri non verearis: te ſanguine ſuo repurget ad ſerviendum Deo viventi; atque ita, ubi in luce ambulaveris, ut Deus eſt in luce, te penitus ab omni peccato abluat. Vale, optime Lector, & nos per fidem in Jeſum Chriſtum ad immortalitatem aſpirantes, qua potes ratione, viciſſim juva. Racoviæ Anno à Chriſto nato 1623.

JOANNES CRELLIUS FRANCUS
Eccleſiæ Racov. Miniſter.

Quia nos eas Capitum inſcriptiones ubique poſuimus, quas Grotius conſtituerat, ideo, ut Lectori conſtet, quid nos in ſingulis Capitibus præcipue doceamus, eorum argumenta velut in tabella hic ſpectanda proponemus.

Cap. I. *Sententia de ſatiſfactione Chriſti per pœnarum ſolutionem examinatur, refutatis iis, quæ ad eam ſtabiliendam à Grotio adducuntur: ſententia vera de ratione, qua remiſſio peccatorum ex morte Chriſti proficiſcatur, defenditur.*

II. *Oſtenditur, Deum in remittendis peccatis conſiderandum eſſe ut partem offenſam liberrimam, de jure proprio, quod ad pœnas de nobis repetendas habebat, cedentem.*

III. *Probatur, ſanctionem illam Legis, qua omnes, qui peccaſſent, nulla fidei aut reſipiſcentiæ habita ratione, morti ſubjiciuntur, ſub Novo Fœdere à Deo non relaxatam tantum, ſed abrogatam eſſe.*

IV. *Oſtenditur, Chriſtum ſalva juſtitia puniri non potuiſſe.*

V. *Docetur, non fuiſſe ſufficientem cauſam, quæ Deum moveret, ut, cum nos ipſos punire nollet, Chriſtum pœnæ ſubjiceret.*

VI. *Demonſtratur, Deum noluiſſe à Chriſto ſatiſfactionem per pœnarum ſolutionem exigere, eamque cum remiſſione peccatorum non poſſe conſiſtere. Additur nonnihil de ea ſatiſfaciendi vi, quæ actioni Chriſti tribuitur.*

VII. *De reconciliatione noſtri cum Deo agitur, & Deum tunc, cum Chriſtum pro nobis in mortem traderet, nobis actu ipſo iratum non fuiſſe, & ſic nec morte Chriſti placatum, oſtenditur.*

VIII. *Ex redemptione noſtra per mortem Chriſti facta ſatisfactionis dogma non ſtabiliri docetur, ſimul etiam de Mediatoris voce, & de pœnarum ex perſonæ dignitate æſtimatione nonnihil agitur.*

IX. *Explicatur, quid ſit Chriſtum pro nobis eſſe mortuum.*

X. *Agitur de explicatione peccatorum interventu mortis Chriſti facta, ſeu de ſacrificio & ſacerdotio Chriſti, ejuſque in parienda nobis peccatorum remiſſione efficacia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

JOHANNIS CRELLII FRANCI

De

UNO DEO PATRE

Libri duo.

In quibus multa etiam de Filii Dei & Spiritus Sancti natura diſſeruntur.

IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

DE UNO DEO PATRE
LIBRI DUO.

In quibus multa etiam de Filio DEI & Spiritus Sancti natura diſſeratur.

J. C.

Eccleſiæ Racovienſis Miniſter Chriſtiano Lectori Salutem.

EDidimus non ita pridem, Chriſtiane lector, librum de Deo & ejus attributis, quem JOHANNIS VOLKELII de vera religione libris præfiximus. In eo cum de unitate Dei ageremus, res videbatur poſtulare, ut ad veritatis iſtius rationem penitus explicandam oſtenderemus, Deum ſummum non eſſentia tantum, ſed & perſona unum eſſe, nec quemquam eſſe alium, quam Patrem domini noſtri Jeſu Chriſti: Et cœperamus quidem pluribus id argumentis demonſtrare, argumentaque illa adverſus vulgares, aut aliquanto ſpecioſiores exceptiones munire. Verum cum opus nobis, ut ibi diximus, ſub manu creſceret, hanc tractationem à reliquo opere ſejungendam putavimus. Etenim partim argumentorum copia, quæ ultro ſe nobis ex ſacris literis offerebant, ſcripti noſtri molem augebat; partim illud, quod nollemus quicquam eorum ſcientes prudentes præterire, quod ad argumentorum noſtrorum vim lubefactandam, aliquid momenti habere credi poſſet. Nam cum ob hanc inprimis de uno Deo Patre ſententiam, licet plurimis ac clariſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis nixam, acerbiſſimis omnium odiis & inſectationibus ſimus expoſiti; operæ pretium videbatur oſtendere, quanta nobis hac in parte fieret injuria, quamque adeo in ſe ipſum injurius eſſet Chriſtianus orbis, quî hanc divinæ veritatis partem tam contumaciter repudiaret: præſertim cum tam varius, tamque inſignis hujus doctrinæ in ſacra Theologia totaque religione Chriſtiana ſit uſus, quemadmodum ſub finem horum librorum, Deo adjuvante, docebimus. Tanto autem hunc laborem putavi magis eſſe neceſſarium, quod viderem, noſtros homines, cum ab adverſariis, hoſtili fere animo ac calamo, aſſiduo oppugnarentur, in eo potiſſimum fuiſſe occupatos, ut eorum rationes refellerent, ſuas autem ferè breviter tantùm, aut hinc inde ſparſim, ſcriptis ſuis inſeruiſſe, cùm reſpondentium potiùs, ut diximus, partes, quàm argumentantium ſuſtinerent. Etſi enim viri quidam in Eccleſia noſtra ſummi, argumentantium quoque in hac controverſia munus in ſe ſuſcipere aliquando cœperunt: aliis tamen ſcribendi laboribus avocati, hunc è manibus deponere fuêre coacti. Quare non niſi initium ejus, quod in hunc finem moliebantur, operis nobis reliquerunt, quod ante annos complures publico dedimus. Optandum quidem vehementer fuerat, viros tantos, ab ingenio rerúmque divinarum ſcientiâ nobis longè inſtructiores, opus hoc potiùs abſolviſſe, quàm nobis perficiendum reliquiſſe: ſed quia id ab illis factum non eſt, non erat committendum, ut nunquam abſolveretur. Poteramus autem tantò laborem hunc audaciùs aggredi, quòd evidens ſententiæ veritas, & rationum firmiſſimarum è ſacris literis ſponte ſubnaſcentium multitudo, ingenii noſtri tenuitatem ſublevaret; quódque cerneremus, ſententiam ipſam per tot annos, a tot támque acutis adverſariis, nullo non armorum machinarúmque genere fruſtra fuiſſe oppugnatam. Itaque animum a cauſſæ bonitate ſumſimus. Spem ſanè in Deo ac Chriſto habemus, fore ut ii, quî veritatis cognoſcendæ ſtudio tenentur, ubi argumenta noſtra expenderint, veritatem ejus, quam tuemur, ſententiæ cernant; quin etiam ii, quorum animos ita præconceptæ opiniones occuparunt atque obſederunt, ut veritati locum apud ſe dare nolint, animadvertant tamen, ſi legere noſtra ſuſtinuerint, non levibus nos rationibus a ſententia, quæ a tot ſeculis in orbe Chriſtiano recepta fuit, dimotos; & ſi quid in illis ſupereſt æquitatis ac humanitatis, tanto nos odio proſequi eo nomine deſinant. Quamquam enim nos, divino freti auxilio, nihil non perpeti veritatis cauſſâ parati ſumus: aliorum tamen eſſet, non modò ab odii acerbitate ſibi temperare, ſed etiam commiſeratione tangi eorum, quos in gravem quidem errorem incidiſſe putarent, ſed non levi tamen momento in eum impulſos intelligerent. Hominis namque Chriſtiani non eſt, imò ne hominis quidem, eum, quem judicio lapſum eſſe, utut in re gravi, exiſtimes, non modò humanitate non erigere ac ſublevare, verùm etiam acerbitate magis impellere ac præcipitare. Sed quicquid illi tandem facturi ſint; Deo tamen confidimus, non effecturos, ut nos ſententiæ, quam profitemur, unquam pœniteat. Interim te, Chriſtiane lector, per veritatis, perque tuæ ſalutis amorem obteſtamur, ut ea, quæ ſcribimus, expendas, atque ad verbi divini normam exigas. Nihil poſtulamus, quod jam antè a te non requiſierit Apoſtolus, cum *omnia probare, &, quod bonum eſt, tenere* juſſit. Spernere hæc, ac ſuſque deque habere, ſalva pietate non potes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Nam ut cætera abeſſent, ſuo loco commemoranda; gloria divina hîc agitur, cujus pars minima rebus humanis etiam maximis major eſt, in quibus tamen quantum ſtudii omnes, & tu fortaſſis ipſe ponas, vide. Excuſari poſſit in alio harum rerum ignoratio, quia facultas fortè cognoſcendi, ac porrò contemtus abſuit: in te excuſari non poteſt, apud eum judicem, qui, ne ampliùs ignores, occaſionem meliora cognoſcendi offert, efficitque ut ſine contemtu neſcire ea non poſſis. Non patitur ſe divina veritas impunè ſperni. Nôſti illud Servatoris: *Cui multum datum eſt, ab eo multum repetetur; & apud quem multum eſt depoſitum, ab eo ampliùs repoſcetur* Luc. 12. 48. A te plus exiget Dominus, quàm ab aliis, cui majorem, quàm aliis non paucis, veritatis cognoſcendæ facultatem largitur. Cavendum tibi eſt, ne juſtiſſimus ille judex, in hac cauſſa te injuſtum deprehendat judicem, qui cùm accuſatores noſtros, conviciis ſæpe magis, quàm rationibus nos oppugnantes, ubivis audias, nos audire nolis, cum nos noſtráque; modeſtè defendimus. Quòd ſi etiam cauſſam noſtram damnare audeas, & non modò cœlo nos proſcriptos, ſed & terris fortè omnibus proſcribendos ſtatuas; cogita, inauditos tanquam innocentes damnari. Neque verò tibi ſuffecerit, examinandi laborem in alios ita rejeciſſe, ut illorum judicium ſine tuo ſequaris. Cogita, tibimet ipſi rationem de te reddendam eſſe. Tibi, tibi, inquam, pro ingenii ac facultatis modo probanda ſunt omnia, &, quod bonum eſt, tenendum. Quòd ſi aliis omnia commiſeris, vide etiam atque etiam, ne hominibus aut negligentibus, aut eruditionis ac ſcientiæ opinione tumentibus, aut humanæ auctoritati ac præconceptæ opinioni penitùs addictis, aut alioqui pertinacibus ac cedere neſciis, aut quietis potiùs ac ſecuritatis ſuæ, quàm ſalutis, ſive ſuæ, ſive alienæ amantibus, aut meticuloſis, ac, quod ſentiunt, dicere non audentibus, te tuamque ſalutem commiſeris: uno verbo, ne cæcus ſequutus cæcos duces, unà cum eis in foveam cadas. Ne cogites, pii ſunt illi ac veritatis admodùm amantes, quos ſequor. Nam ne de eo nunc quicquam dicam, quòd hanc de aliis opinionem eorum ſæpe mores ac facta refutent; multæ ſunt vitiorum latebræ, & occulti pectoris humani receſſus. Deo tantùm ac Chriſto patent. Itaque magis ſæpe verendum eſt, ne dum de aliena pietate ad eum modum judicas, erres, quàm dum de dogmate agitur, de quo judicium tibi ſumere fortè non audes. Neque verò eſt, quòd dicas, ſubtiliora ſunt iſta, nec pro captu meo. Nam ſi ſententiam ipſam, de qua hîc diſputatur, ſpectes, quid eâ ſimplicius? quid Apoſtolico, quod vocant, ſymbolo, pueris etiam noto, continet ſublimius? Deum nempe illum unum alium non eſſe, quàm Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Si argumenta ſpectes, quæ ex ſacris literis depromſimus; ea per ſe plana ſunt ac facilia; adeò quidem, ut eorum vim declinare alia ratione non poſſint adverſarii, quàm ut a verborum ſimplicitate tum ipſi deflectant, tum nos abducere conentur. Quin & ea argumenta, quæ ab ipſa ratione petivimus, ſi pauca excipias, quæ eruditorum cauſſâ adjecimus, ita ſunt clara, ut vis potiùs rationi atque intellectui ſit facienda, ne eorum vim penitus admittat, quàm animus intendendus, ut ea percipiat. Quòd ſi quid fortè occurrerit in defenſione argumentorum ex ſacris literis petitorum, quod homini artis diſputandi imperito poſſit videri ſubtilius; id ab eo præteriri poterit. Cætera enim, quæ ab unoquoque intelligi facilè poſſunt, illi ad ſententiam de hac cauſſa ferendam ſuffectura confidimus. Quamquam nos totum hoc ſcriptionis genus ita temperavimus, ut ab homine mediocriter in literis verſato intelligi poſſint omnia, etiam ea, quæ in ſecundo libro hinc inde ex Philoſophia, ac receptis ſcholarum ſententiis petivimus. Nec nobis revera imputandum eſt, ſi quid interdum a nobis dicatur, quod a rudioribus ſubtile dici queat; ſed adverſariis, qui, ut diximus, a ſimplicitate tum verborum divini ſpiritus, tum ſententiarum, quas ratio etiam indoctis dictat, abducunt, ac diſtinctionum ſubtilitate, planiſſima, quæ pro ſententia noſtra producimus, argumenta eludere conantur. Quare amicè monemus & oramus omnes, ad quorum manus hoc ſcriptum noſtrum pervenerit, ut dicta noſtra diligenter ad divinorum oraculorum ſtateram appendant atque examinent, néve conſcientiæ ſuæ, cùm veritatem deprehendent, vim faciant, & vel ei reluctantes, vel perpetuo eam ſilentio prementes, ſuam aliorumque ſervitutem alant; ſed alios partim ad veriorem ſententiam, partim ad moderatiora conſilia flectere ſtudeant, & quantum in ſe eſt, efficiant, ut omnes ad veritatem de rebus ſacris liberè inquirendam animum erigere, & ad lucem illius oculos attollere audeant; atque ita in univerſo terrarum orbe, animi, oris, ac vitæ pietate colatur Deus unus, Pater, ex quo omnia, & unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia. Ipſi gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

SCOPUS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

SCOPUS ET DISTRIBUTIO HUJUS OPERIS.

SCopus hujus operis noſtri eſt oſtendere, Deum ſummum nullum eſſe alium, præter Patrem Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti. Opus autem totum in duos partiemur libros. In priori ſacrarum literarum teſtimoniis, atque argumentis inde ductis, ſententiam noſtram firmabimus. In poſteriori aliis idoneis rationibus ad eandem probandam, contrariámque refellendam utemur. Quanquam & iſtic ad ſacras literas ſubinde lectorem revocabimus. In priori autem operis parte ita progrediemur, ut primùm directè probemus, Patrem Jeſu Chriſti ſolum eſſe Deum illum ſummum; idque partim iis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, in quibus aperta fit Patris mentio; partim iis, in quibus Patris quidem nomen expreſſum non eſt, de eo tamen revera ſermo eſt. Deinde indirectè, ut loquuntur, idem demonſtrabimus, cùm ex iiſdem ſacris literis docebimus, nec Chriſtum, quem cæteroquin ex Patris dono Deum ſuper omnia in ſecula benedictum eſſe confitemur, Deum illum ſummum eſſe, nec ſpiritum ſanctum, quem Dei altiſſimi virtutem atque efficaciam eſſe infrà lib. 1. ſect. 3. cap. 5. patebit. Sic enim relinquetur, Patrem ſolum eſſe Deum ſummum: cùm nemo præterea alius cogitari poſſit.

DE UNO DEO PATRE LIBRI PRIMI

Sectio Prima.

In qua directè probatur, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſolum eſſe Deum illum ſummum; & primùm quidem ex illis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ de Patre expreſſe loquuntur.

CAP. I.

Argumentum primum ex verbis Chriſti, Joh. 17. 3: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te (Pater) ſolum verum Deum*, &c.

PRimum ergo ſententiæ noſtræ teſtimonium atque argumentum eſto illud ipſius Chriſti, Patrem ſuum his verbis alloquentis: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Hic nemo dubitat, *veri Dei* nomine Deum ſummum intelligi. Quare cùm Chriſtus Patrem ſuum ita deſcribat, ut eum ſolum verum Deum dicat; intelligitur, Patrem Chriſti ſolum eſſe Deum ſummum.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Reſponſio ad argumentum primum, & ejus refutatio.

NOn pauci ſunt, qui evidentiâ verborum coacti, id, quod dicimus, totum concedunt, ſed non eâdem ſententiâ. Ajunt enim, non ideo Patrem ſolum dici verum Deum, ut ab eadem illa deitate excludatur Filius & Spiritus ſanctus: ſed ut excludantur tantùm idola, ſeu falſi Gentium Dii. Hîc enim *verum* Deum falſis opponi. Et eſt quidem verum, ideo Patrem ſolum verum Deum appellari, ut ii à vera Deitate excludantur, qui jam tum pro Diis falſo habebantur, ac colebantur: ſed ea tamen ratione id fit a Chriſto, quæ latiùs pateat, & non tantùm illos, ſed & quoſvis alios, præter Patrem, a ſuprema illa deitate excludat. Itaque intelligitur, ſi cui, præter Jeſu Chriſti Patrem, ſuprema deitas tribuatur, id falſo fieri. Id autem, quod aſſerimus, & vis verborum requirit, & occaſio ſeu cauſſa ab ipſis adverſariis indicata. Nam quod ad prius attinet; ea eſt vis vocis *ſolius*, ut omnes alios excludat à communione prædicati, præter eum, cui apponitur. Is autem, cui vocula *ſolus*, ſi ſententiam ſpectes, (nam de verborum conſtructione poſtea agemus) apponitur, eſt Pater Jeſu Chriſti, fatentibus iis, cum quibus nunc nobis res eſt. Prædicatum eſt *verus Deus*, ſeu Deus ſummus. Quare vox *ſolius* a communione hujus prædicati omnes excludit præter Patrem, ac porrò etiam Chriſtum & Spiritum Sanctum. Quod ad poſterius attinet; vel ideò Gentium Dii a vera deitate vi horum Chriſti verborum excludi intelliguntur, quia conſtet, eos a Patre, quem ſolum verum Deum Chriſtus appellat, eſſe diverſos, vel quia jam conſtet, eos falſos Deos eſſe. Non poſteriorem ob cauſſam. Nam aliàs a vera deitate jam excluſi cenſerentur, antequam horum Chriſti verborum vi excludi intelligerentur; nec opus foret ad eam rem verba iſta adhibere. Si priorem ob cauſſam; neceſſe eſt omnes, quos a Patre Jeſu Chriſti diverſos eſſe conſtat, a vera ſupremáve Deitate excludi. Nam aliàs argumentum, quod ex his verbis duceretur ad idola Gentium a vera deitate excludenda, foret invalidum. Tale enim foret, ſi categoricè proponeretur: Quidam a Patre Jeſu Chriſti diverſi, non ſunt veri Dii. Gentium Dii ſunt a Patre Jeſu Chriſti diverſi. Ergo Gentium Dii non ſunt veri Dii. Major in prima figura eſſet particularis, quæ conſecutionem reddit invalidam. Quare etiamſi falſa Gentium de idolis ſuis opinio occaſionem præbuerit Chriſto, ut Patrem ſolum verum Deum diceret: ita tamen verba ſua concepit, ut & alii a vera illa Deitate excluderentur; nec magis illi, quibus divinitas ſuprema jam tum falſo attribueretur, quàm quibus eadem in poſterum quoque attribui falſo poſſet. Nam, ut hoc quoque addamus, quis dubitet, Petrum v. g. Paulum, Gabriëlem, Michaëlem, a ſuprema illa Deitate, vi iſtorum Chriſti verborum validè excludi? Atqui nemo tum erat, qui eos Deos ſupremos ſtatueret: neque adeò Chriſtus ad illos a Deitate excludendos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſpeciatim reſpexit. Quare vis verborum ac ſententiæ latiùs patet, quàm eorum occaſio, & ad alios quoque, præter Gentium idola, rectè extenditur.

Neque verò eſt, quod quis dicat, ideò non modò idola Gentium, ſed & homines atque Angelos illos, horum verborum vi a ſuprema deitate excludi, quia non ſint ejuſdem eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ cum Patre: Filium autem & Spiritum ſanctum non excludi, quia ejuſdem ſint cum Patre eſſentiæ. Conſentaneum enim eſſe, ſi quid Patri ſoli tribuatur, ab ejus rei communione non excludi perſonas, quæ eandem numero ſubſtantiam habeant. Nam præterquam quòd hoc nihil revera eſt aliud, quàm id pro conceſſo ſumere, quod eſt maximè controverſum; cùm Chriſtus Patrem ſolum verum Deum dixit, non minùs ſolam Patris perſonam, quàm eſſentiam ſeu ſubſtantiam intellexit, & porrò non minùs eos a vera illa ſupremáque Deitate excluſit, qui perſonæ eſſent a Patre diverſæ, quàm qui ſubſtantiæ diverſæ. Populari enim loquendi genere utitur Chriſtus, & diſcipulorum ſuorum captui ſeſe accommodat. Preces enim ideo illis præſentibus ad Patrem clara voce concepit, ut eos non minùs hac ad Patrem oratione & inſtrueret, & conſolaretur, quàm antea, illos ipſos alloquens, fecerat. Atqui populo, imò univerſis, *ſolus Pater* non minùs ſolam Patris perſonam denotat, quàm ſubſtantiam; ac porrò non minùs omnes diverſas a Patre perſonas excludit, quàm ſubſtantias. Adde, quòd, cùm perſonam a Patre diverſam cogitat vulgus, ſtatim & ſubſtantiam ab eo diverſam cogitat. Ubi unam ſubſtantiam concipit, diverſam perſonam cogitare non poteſt. Certè de modis, ſubſiſtentiis, ſuppoſitalitatibus, perſonalitatibus, quæ in eadem numero ſubſtantia exiſtentes, diſtinctas tamen reipſa perſonas conſtituant, ne hodie quidem vulgus Chriſtianorum cogitat; nedum ut olim inter Judæos, etiam piſcatores iſta noverint. Quare ſi Chriſtus populari captui ſeſe accommodans, omnes diverſas a Patre ſubſtantias, a ſuprema deitate voluit excluſas; ſimul etiam omnes diverſas a Patre perſonas excluſas voluit. Unde intelligitur, in his verbis contrarium potiùs ejus pro conceſſo poni, quod in exceptione hac ſumitur, nempe eum, qui perſonâ a Patre diſtinguatur, ut Chriſtus, etiam ſubſtantiâ ab eo diſtingui, ac porrò horum Chriſti verborum vi a vera illa ſupremáque Deitate excludi. Idque tantò magis de Chriſto credendum eſt, quòd eum diſcipuli, qui tum aderant, non modò hominem verum eſſe cernerent, ſed etiam a Patre, tanquam miſſum a mittente, in his ipſis verbis diſcerni, & ad eundem preces fundere, & gloriam ab ipſo petere audirent. Deinde ſi nemo vi horum Chriſti verborum a vera illa Deitate excluditur, etiamſi a Patre perſonâ manifeſtè differat, niſi præterea etiam conſtet, eum eſſentiâ ab eo diverſum eſſe; ſequetur, eum his verbis refutari non poſſe, qui dixerit, Gabriëlem v.g. Petrum, Paulum, aut denique Jovem, Neptunum, alióſve Gentium Deos, veros eſſe Deos, perſonis quidem a Patre diſtinctos, ſed ejuſdem tamen cum illo eſſentiæ, eo nempe modo, quo vulgò de Chriſto, aut de Spiritu ſancto ſentiunt. At quis non videt, efficaciſſimè hujuſmodi perſonas, ſive veras, ſive fictas, a Deitate vi verborum Chriſti excludi, modò quis eas a Patre diverſas eſſe fateatur?

Sed ajunt illi, nos ipſos contendere, ſi quid *ſoli* Deo tribuatur, id non protinus negari illis, qui ab eo dependeant, eíve ſint ſubordinati. In quorum numero ponamus Chriſtum. Quare etiamſi *Pater ſolus* dicatur verus Deus, non protinus tamen verum Deum negari Chriſtum. Quemadmodum nec cùm ſolus Deus aut ſapiens Rom. 16. 27. 1. Tim. 1. 17. Jud. ỳ. 25. aut potens 1. Tim. 6. 15. aut immortalitatem habere dicitur ib. ỳ. 16, excluduntur ab his attributis ii, qui ea a Deo acceperunt. Sed hæc objectio, ſi res rectè intelligatur, non modò ſententiam noſtram, & argumentationem ex verbis Chriſti ductam non convellit, ſed etiam confirmat. Etenim ne nos quidem volumus, Chriſtum a vera deitate vi iſtorum verborum penitus excludi, ſi nimirum vera Deitas laxiùs ſumatur, ita ut eam quoque deitatem in ſe complectatur, quæ a ſuprema revera, non falſa tantùm hominum opinione, dependeat. Oſtendimus enim in libro * de Deo & ejus attributis, *Dei* nomen naturâ ſuâ commune eſſe, & omnibus illis, qui ſublime aliquod imperium, aut potentiam eximiam habent, competere, in terris quidem Principibus ac magiſtratibus; in cælo angelis, & ſupra hos omnes Chriſto, angelorum omnium capiti, ac Regi omnium Regum; ſed per excellentiam ſupremo illi ac a nullo alio pendenti Monarchæ, tanquam proprium attribui. Quare id tantùm nobis volumus, Chriſtum a vera illa Deitate Joh. 17. 3. κατ' ἐξοχὴν ſeu per excellentiam ſic dicta, hoc eſt a Deitate ſuprema atque independente, vi illorum, de quibus agimus, verborum excludi. Nam his verbis primò a ſuprema Deitate omnes, præter Patrem, excludi ſtatuimus; conſequenter autem a vera deitate etiam laxiùs ſumta eos, qui eam ab ipſomet Patre, cui ſoli ſuprema atque independens divinitas competere dicatur, non acceperint. Nam pro independente habetur, quia ab eo, a quo ſolo ea revera pendere poteſt, non pendet. Unde omnia Gentium idola a vera Deitate horum verborum, ſeu mavis, ſententiæ in illis comprehenſæ vi, ſimpliciter excluduntur; cùm a Patre non modò revera non penderent, ſed ne pendere quidem crederentur. Chriſtus autem ab ea non excluditur, quia illius a Patre dependentia, ratione divini in omnia imperii, & cultûs tanto imperio digni, evidentiſſimis documentis demonſtrata eſt. Quod autem de hoc loco dicimus, id etiam fit in cæteris, in quibus ejuſmodi attributa Deo ſoli tribuuntur, quæ tamen aliis quoque ab eo communicantur. Nam in iis etiam omnes, præter Deum, excluduntur a communione iſtorum attributorum κατ' ἐξοχὴν & ſtrictè acceptorum. Solus enim Deus dicitur ſapiens, potens, immortalitatem habens, non quia ſolus ſimpliciter ſit ſapiens, potens, immortalis; ſed quia ſolus a ſeipſo talis eſt. Itaque cæteri omnes, præter Deum, excluduntur hujuſmodi verborum vi a ſapientia, potentia, immortalitate independente, & aliunde non profecta: tum demum ſimpliciter atque in univerſum ab iis attributis excluduntur, cùm conſtat, quòd ea a Deo, cui ſoli primò competant, non acceperint, ac porrò ab eo hac in parte revera non pendeant. Ficta dependentia, jurè pro nihilo habetur. Unde intelligitur, quid nobis velimus, cùm dicimus, ſi quid ſoli Deo in ſacris literis tribuatur, id non protinus negari iis, qui a Deo pendeant, eique ſint ſubordinati. Non enim id volumus, nulla prorſus ratione ejuſmodi attributa illis negari: (negantur enim iis κατ' ἐξοχὴν ſumta;) ſed non protinus negari ſimpliciter atque in univerſum, ſeu ſignificatione laxiore.

Inſtabunt illi fortè, cum quibus nunc agimus, & dicent, ſe idem aliquo modo ſtatuere. Patrem enim ſolum ideo vocari Deum verum ſeu ſummum, quia fons ſit divinitatis, ac porrò quandam præ Filio ac Spiritu ſancto prærogativam ratione divinitatis habeat. Siquidem Filius ac Spiritus ſanctus divinam eſſentiam ab ipſo habeant, ipſe a nemine. Quam ob cauſam Patrem nominatim αὐτόθεον appellant, & ea ratione Filio & Spiritui ſancto opponunt. Sed qui ita reſpondent, vel ſibi contradicunt, vel nihil dicunt, nudáque nobis verba pro rebus obtrudunt. Nam ſi vera competit Patri præ Filio & Spiritu ſancto excellentia, ita ut propter eam *Dei* nomen ſoli Patri tribui, Filio autem ac Spiritui ſancto adimi queat; fieri non poteſt, ut Filius ac Spiritus ſanctus ſint ille ſummus altiſſimuſque Deus. Deo enim altiſſimo nihil dignius, nihil excellentius ulla ratione cogitari poteſt, & ipſimet in ſymbolo Athanaſiano contendunt, in Trinitate nihil eſſe prius aut poſterius, nihil majus aut minus. Quòd ſi Pater fons divinitatis eſt reſpectu Filii ac Spiritus ſancti; quomodo eadem numero erit Patris, Filii, & Spiritus ſancti divinitas? Foret enim Pater ſuæ ipſius divinitatis, ſeu eſſentiæ divinæ fons,

* Vid. in primis cap. 13. adde etiam c. 8. & 9.

ſeipſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſeipſo prior & poſterior. Quomodo, ſi Pater eſt fons cæterarum perſonarum, non pendebit Filius ac Spiritus ſanctus a Patre? quomodo non uterque erit effectus Patris? ac porrò quomodo Filius ac Spiritus Sanctus erunt ille ſummus altiſſimuſque Deus? Hic enim a nullo pendet, nullius eſt effectus. Quòd ſi hæc agnoſcere nolunt; quid aliud faciunt, quàm ut verba nobis inania pro rebus obtrudant, atque adeò nihil dicant? Et qua, quæſo, ratione, verba ſacrarum literarum planiſſima, & rudiſſimo cuique expoſita, huc torquere audent? Quo pacto enim homo rudis (ne de doctis nunc quicquam dicam) capere poteſt, ſolum Patrem eſſe illum ſummum Deum, cùm interea jubeatur credere, etiam Filium ac Spiritum ſanctum eundem illum Deum ſummum eſſe? quo pacto prærogativam poterit cogitare cujuſpiam præ eo, qui Deus ſit ſummus? quî prærogativam illius præ eo, qui idem ſit numero cum ipſo Deus? quî fontem cæterarum perſonarum eum, a quo illæ tanquam effectus a cauſſa non pendeant? Hoc certè non eſt hominem rudem erudire, ſed ei mentem eripere, & facere, ut, qui aliquid intelligebat, nihil ampliùs intelligat. Quod & doctis eveniet, ſi ea expendere, & mente potiùs rem concipere fuerint conati, quàm verborum tantùm ſono ſe atque alios fallere voluerint.

Ex his autem illud etiam intelligi haud difficulter poteſt, quomodo occurrendum ſit illis, qui ajunt, per attributionem, ſeu appropriationem, ut loquuntur, Patri hîc & alibi DEI nomen tribui, & quidem, ut nunc ponimus, ſoli. Nam vel volunt DEI nomen, propter eam, quam Pater præ Filio ac Spiritu ſancto habeat, prærogativam, illi ſoli tanquam proprium attribui, & ſic Filio ac Spiritui ſancto tacitè adimi; vel nulla prærogativæ illius ratione habitâ. Si prius; quo pacto refutari queant, jam diximus. Si poſterius, nullo prorſus idoneo, ſive ex ſacris, ſive è profanis literis, vulgarique loquendi conſuetudine, exemplo oſtendere poterunt, attributum, quod pluribus æquè commune eſt, uni tantùm ex illis ita rectè tribui poſſe, ut dicatur, ei *ſoli* id competere. Quare iſtiuſmodi attributionis in his Chriſti verbis nulla eſt habenda ratio.

Reſponſio ſecunda ad argumentum.

Sed jam aliâ, quæ ad primum hoc ſententiæ noſtræ teſtimonium reſponderi ſolent, refellamus. Sunt ergo, qui negent, hanc in illis Chriſti verbis ſententiam contineri, quæ ab aliis admittitur, nempe Patrem ſolum eſſe verum Deum. Aliâ enim, & quidem duplici ratione, hæc verba explicant. Nonnulli ajunt, vocem *ſolius* non ad ſubjectum verborum Chriſti, quod, ſi ſententiam ſpectes, Pater eſt, ſed ad prædicatum pertinere, quod eſt *verus Deus*. Chriſtum enim dicere, *Patrem eſſe illum ſolum verum Deum*, non, *Patrem ſolum eſſe verum illum Deum.* Priorem autem illam enunciationem non prohibere, quò minùs etiam Filius aut Spiritus ſanctus poſſit dici verus Deus, vel etiam ſolus ille verus Deus. Non enim pugnare inter ſe has enunciationes: Pater eſt ille ſolus verus Deus; &, Filius, aut Spiritus ſanctus, eſt ille verus Deus, aut ſolus ille verus Deus.

Reſponſio tertia.

Alii verò ita contendunt hæc verba ordinanda conſtruendaque eſſe, ut ſenſus ſit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant, Te, & eum, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum, eſſe illum ſolum verum Deum.* Itaque tantum abeſſe, ut his verbis Chriſtus a ſuprema Deitate excludatur, ut ea potiùs illi expreſſe tribui cenſenda ſit. Quæ quanti ſint momenti, videamus.

Reſponſionis ſecundæ refutatio.

Quod ergo ad priores attinet; ii vehementer falluntur. Vox enim adjectiva *ſolius*, quoties adhibetur ad alia ſubjecta a communione prædicati excludenda, ſubjecto, non prædicato, adjicitur. Hoc autem loco vocem ſolius, ad alia ſubjecta, nempe idola, a communione prædicati, quod eſt *verus Deus*, excludenda adhiberi, omnes adverſarii contendunt. Quare non prædicato adjicitur, ſed ſubjecto, quod, ſi ſententiam ſpectes, non niſi Pater eſt. Atque ut rem adhuc planiùs cernas, vide, utrùm ex noſtra, an illorum ſententia, idola ſeu Gentium Dii validè excludantur a vera Deitate. Si noſtram ſententiam ſequaris, res confecta eſt. Etenim ſi ſolus Chriſti Pater eſt verus Deus: idola certè veri Dii non ſunt. Cùm non ſint Pater Chriſti. At ſi ſententiam illorum ſequaris, qui hac reſponſione utuntur, nondum res confecta eſt. Statuunt enim illi, ſalva iſta enunciatione, Pater eſt ſolus verus Deus, aliis etiam ſubjectis poſſe idem prædicatum attribui. Poſſe enim nihilominus dici, Filium eſſe verum Deum, & quidem illum ſolum verum Deum; ſimiliter & Spiritum ſanctum. Itaque hæc Chriſti verba per ſe non prohiberent, quò minùs etiam infinitis aliis ſubjectis idem prædicatum attribueretur. Quare non ex his Chriſti verbis conſtare poſſet, idola non eſſe veros Deos, ſed aliunde id totum eſſet intelligendum.

Dicet fortè quiſpiam, ſubjectum, cui vox *ſolius* proximè apponatur, eſſe nomen *Dei*, non Patrem; prædicatum autem, a cujus communione alia ſubjecta excludantur, eſſe vocem *veri*. Senſum enim eſſe, Patrem eſſe illum Deum, qui ſolus ſit verus. Sed & hoc effugium vanum eſt, duplici de cauſa: primò, quia vox *veri* hîc non eſt prædicatum ejuſmodi, quod ſolum vim aliquam ſignificandi habeat, & peculiare aliquod cujuſquam rei attributum denotet, ſed tantùm unà cum eo, cui adjicitur. Neque enim hoc loco *verus* idem ſignificat quod *verax*: ſed cùm rei falſæ, ſeu falſo ſic appellatæ opponatur, nil ſignificat præter veritatem rei, cui apponitur. Itaque ſolum de re nulla prædicatur, ſed unà cum eo, cui apponitur, quod hoc loco eſt *Deus*. Significat nempe unà cum illa voce ſummum, eum, qui verè ac reipſa, non hominum tantùm opinione, ſit Deus. Sic dicimus, Chriſtum eſſe verum hominem, verum Meſſiam, & ſic in cæteris. Perinde enim eſt, ac ſi diceres, eum verè ac reipſa eſſe hominem, eſſe Meſſiam, non falſo, non hominum tantùm opinione. Quare non ita ſunt dirimendæ hæ voces *Deus verus*, ut altera iterum ſubjectum conſtituat, altera predicatum, & vox *ſolius* voci *Dei* cenſeatur appoſita, ut ab aliis omnibus ſubjectis, præter Deum, prædicatum *veri* removeatur: ſed voces *veri Dei* conjunctim prædicatum unicum conſtituunt, & vox *ſolius* ſubjecto illius, nempe Patri, appoſita cenſeri debet, ut alia omnia præter Patrem ſubjecta a communione hujus prædicati, nempe veræ Deitatis, excluderentur. Et ſanè non id agebat Chriſtus, ut idola Gentiúmve Deos a veritate ſimpliciter excluderet, ſed ut a vera Deitate excludendos, ſeu pro veris Diis non habendos doceret. Quòd ſi dicas, vocem *Dei* denuo repetendam, ut ſenſus ſit, Patrem eſſe illum Deum, qui ſolus ſit verus Deus; quid aliud facies, quàm ut, quod quiſque ſimpliciter efferret, per ambages dicentem facias Chriſtum, & abſque neceſſitate tum ſubjectum, tum prædicatum duplices, idque ſubjecto iterum in prædicatum relato; perinde ac ſi quis hujuſmodi locutionem ad Chriſtum directam, *ut agnoſcant te ſolum verum Chriſtum* ſeu *Meſſiam*, ita mallet explicare, *ut agnoſcant te eſſe illum Chriſtum, qui ſolus eſt verus Chriſtus*, quàm ſimpliciter, *ut agnoſcant te, qui ſolus es verus Chriſtus* ſeu *Meſſias*. Nam, ut alteram quoque rationem addamus; itiamſi ita eſſent accipienda verba, ac ſi dictum eſſet, Patrem eſſe illum Deum, qui ſolus ſit verus Deus; nihilominus tamen perinde eſſet, ac ſi dictum eſſet, Patrem ſolum eſſe verum Deum. Quemadmodum ſi dicerem, Chriſtus eſt ille homo, qui ſolus eſt ex virgine natus; aut, Chriſtus eſt ille homo, qui ſolus eſt verus ille Meſſias; perinde eſt ac ſi dicerem, Chriſtus ſolus eſt homo ille ex virgine natus; Chriſtus ſolus eſt verus ille Meſſias. Sic etiam: Elias eſt Propheta ille, qui ſolus eſt igneo curru in cœlum ſubvectus; perinde eſt ac ſi dicerem, Elias ſolus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Propheta ille, qui igneo curru eſt in cœlum ſubvectus, itémque, Gabriël eſt angelus ille, qui ſolus Mariæ virgini conceptionem Chriſti annunciavit; perinde eſt, ac ſi diceres, Gabriëlem ſolum eſſe angelum illum, qui Mariæ virgini conceptionem Chriſti annunciavit. Neque verò ullum diſſimile exemplum, ſive ex ſacris literis, ſive ex aliis probatis autoribus, ſive ex communi popularique loquendi genere afferent. Quoties nimirum quiſpiam dicitur eſſe id, cui ſoli quippiam aliud inſit; perinde eſt ac ſi diceretur, primo illi ſubjecto ſoli utrumque conjunctim competere. Neque verò illi quicquam proficiunt, qui hujus generis fingunt exempla, ut de certa quadam Eccleſia, (nos exempli cauſſa, Antiochenam illam antiquam ſumemus,) dicant, eam eſſe illam Eccleſiam, quæ ſola eſt vera Eccleſia, aliis licèt veris Eccleſiis ſimul extantibus. Ajunt enim, ita licere dicere: Antiochena Eccleſia eſt Eccleſia, quæ ſola eſt vera. Quia nimirum ex numero ſit earum Eccleſiarum, quæ ſolæ ſint veræ Eccleſiæ. Sic diceret alius: Petrum eſſe animal, quod ſolum ſit rationale. Quia ſit unum ex iſtis animalibus, quæ ſola ſunt rationalia. Sed hujuſmodi exempla exemplis indigent. Probandum enim eſt idoneo aliquo exemplo, vel ſacro, vel profano, rectè quempiam ad eum modum loqui poſſe. E ſacris non proferent exemplum. Vulgus non ita loquitur. Chriſtus autem vulgari more locutus eſt. Non rectè autem eos loqui, qui hujuſmodi utuntur exemplis, inde patet: quòd cùm dicimus, Eccleſiam aliquam ſolam eſſe veram Eccleſiam, ſi modò ſtatuamus, plures eſſe numero veras Eccleſias; Eccleſiæ illius nomine, quæ ſola ſit vera, non intelligimus quamvis ſingularem Eccleſiam ſeparatim ſumtam, ſed totum Eccleſiæ iſtius genus, ſeu mavis ſpeciem. Non enim de ſingulari aliqua Eccleſia ſeparatim ſumtâ dici poteſt, eam ſolam eſſe veram Eccleſiam. Aliàs rectè diceretur, ſolam Antiochenam Eccleſiam fuiſſe veram Eccleſiam, quod illi ipſi nolunt, qui talia exempla fingunt. Sed toti illi ſpeciei aut generi Eccleſiarum, illi nimirum, quæ ſalutarem Chriſti doctrinam profitetur, id tanquam proprium convenit, & ei ſoli ineſſe rectè dicitur. Id autem, quod dicimus, inde etiam apparet, quòd cùm Eccleſiæ alicui *ſoli* veræ Eccleſiæ nomen tribuere volumus, non poſſumus Eccleſiæ illi addere vocem *omnis*, quæ ſignificaret, de ſingulis Eccleſiis ſeparatim idem dici poſſe. Non enim licet dicere: *Omnis* aut *Quævis Eccleſia ſalutarem Chriſti doctrinam profitens ſola eſt vera Eccleſia:* ſed ſimpliciter tantùm: Eccleſia ſalutarem Chriſti doctrinam profitens ſola eſt vera Eccleſia. At cùm Eccleſiam v. g. Antiochenam dicimus Eccleſiam, Eccleſiæ nomen ita ſumimus, ut Eccleſiam ſingularem ac ſeparatim conſideratam denotet, ſeu Eccleſiam diſtributim, non collectim ſumtam. Totum enim genus, aut ſpeciem collectim ſumtam, non licet de quovis individuo ſeparatim efferre. Quare non licet etiam dicere, Antiochenam Eccleſiam eſſe illam Eccleſiam, quæ ſola ſit vera. Eodem modo non rectè dicitur, Petrum eſſe illud animal, quod ſolum eſt rationale. Petrus enim non eſt totum illud genus, aut ſpecies animalis, cui ſoli rationale inſit; & ſic in cæteris.

Hactenus ergo inconcuſſum manet, illis verbis Chriſti hanc contineri ſententiam, quòd Pater ſolus ſit verus Deus. Dicimus autem, ſententiam hanc verbis illis contineri. Nam ut hoc quoque nunc addamus, quod & verbis Chriſti, & ſententiæ noſtræ non parum lucis afferet; verba illa *ſolum verum Deum*, Græcè τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, per appoſitionem cum voce præcedente *Te* Patrem deſignante cohærent, ac ſi dictum eſſet, *qui ſolus es verus Deus*. Itaque articulus voci μόνον in Græco præfixus, eandem rem denuò deſcribi indicat, ut & alibi in appoſitionibus fieri ſolet. Simillimum huic habes locum 1. Tim. 6. 16. ubi cùm dixiſſet Paulus, *quem (adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum) ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:* addit, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, *qui ſolus habet immortalitatem.* Ubi quivis videt, hæc verba ſuperioribus per appoſitionem cohærere, & articulum ſervire conjunctioni novæ hujus deſcriptionis Dei cum præcedentibus; vocem autem *ſolius* ad ſubjectum referri. Quare non eſt, quod quis putet, nos vocem *ſolius* cum præcedente vocula *Te*, ſi conſtructionem Grammaticam ſpectes, connectendam cenſere. Nam & articulus obſtat voci μόνον præfixus; & hoc pacto ſubaudiendum eſſet verbum *eſſe*. Perinde enim foret, ac ſi dixiſſet Chriſtus, *Te ſolum eſſe verum Deum:* quod etſi per ſe verum eſt, tamen ab hujus loci ſententia alienum eſſe paulò pòſt intelligetur.

Jam enim tempus eſt, ut eorum quoque examinemus ac refellamus ſententiam, qui ita hæc verba accipiunt, ac ſi dixiſſet Chriſtus, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant, Te,* (Pater) *& eum, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum, eſſe illum ſolum verum Deum.* Primùm dicimus, hanc explicationem ideo conſiſtere non poſſe, quia vocem *ſolum* ad prædicatum, nempe *verum Deum* refert, quam ad ſubjectum referendam eſſe nos antè docuimus. Quòd ſi quis ita velit accipere verba, ac ſi dictum eſſet, *Te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum ſolum, eſſe illum verum Deum:* primùm obſtat poſitus voculæ *ſolius*. Etenim cùm vox *ſolus* ad plura ſubjecta ſimul refertur, vel omnibus, ut nos modò fecimus, poſtponi, vel omnibus præponi ſolet. Quod poſterius fit in illis Pauli verbis, quæ ſola nonnulli ad ſuam hujus loci explicationem illuſtrandam adducunt, extántque 1. Cor. 9. 6. Ita enim ibi e Græco legendum eſt: *An ſolus ego & Barnabas, non habemus poteſtatem non operandi?* At hoc noſtro loco non tantùm vocula *ſolus* ſed unà totum prædicatum, nimirum *verus Deus*, interponitur inter ſubjecta illa duo, ad quæ referri cenſetur, nempe inter vocem *Te*, & *Jeſum Chriſtum*, quem Pater miſerit. Ut taceam, articulum voci μόνον præfixum non pati, ut ea vel cum voce *Te*, vel cum verbis *Jeſum Chriſtum*, iſto modo conjungatur; quemadmodum omnes Græcæ linguæ non ignari fatebuntur. Deinde hac ratione evertetur nihilominus adverſariorum de Spiritus ſancti deitate ſententia. Si enim Pater & Chriſtus ſolus eſt verus ille Deus: Spiritus ſanctus Deus ſupremus revera non erit. Idem autem ſequetur, etiamſi ita verba accipias, ac ſi dixiſſet Chriſtus: *ut cognoſcant te* (Pater) *& Jeſum Chriſtum, quem miſiſti, eſſe illum Deum, qui ſolus eſt verus.* Oſtendimus enim antea, id perinde eſſe, ac ſi dictum eſſet, *Te & Jeſum Chriſtum ſolum eſſe Deum illum verum.* Nihil, inquam, hac in parte intereſt, ſive primo ſtatim ſubjecto addatur vox *ſolius*, ſive illi ſubjecto, quòd pars prædicati eſt. Præterea falſum eſt, in eo ſitam eſſe vitam æternam, ſeu rationem vitam æternam conſequendi, ut homines cognoſcant, Patrem & Chriſtum eſſe illum ſolum verum Deum. Propriè acceptum conſiſtere non poteſt. Aliàs ad ſalutem æternam & neceſſariò requireretur, & ſufficeret, Patrem & Chriſtum pro illo ſolo vero Deo agnoſcere. At hoc pacto omnes, qui eam ſententiam animo tenent, vitam æternam conſequerentur: cùm tamen iis in vitiis hærere ſimul queant, de quibus apertè pronunciant ſacræ literæ, eos, qui talia faciant, regni cœleſtis hæreditatem non adituros. Dices ergo, impropriè id accipiendum, ita nimirum, ut hæc cognitio in ſe comprehendat fidem in Chriſtum, per charitatem omniſque generis virtutes efficacem; per metonymiam nimirum cum ſynecdoche conjunctam, quâ cauſſæ nomine ſimul etiam effectus comprehendatur. Quo pacto illi fidei, quâ creditur, Jeſum eſſe Chriſtum Dei Filium, vita æterna in ſacris literis adſcribi videtur Joh. 20. 31. At ne hoc quidem cunſiſtere poteſt. Sic enim nihilominus ſignificaretur, illam cognitionem omnibus ad vitam æternam eſſe neceſſariam, & fidei per charitatem efficacis fundamentum quoddam. At hoc falſum eſſe inde liquet, quòd non modò Chriſtus ipſe, qui ad ſalutis viam hominibus annunciandam, fidémque ſalvi-

ficam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ficam illis inſerendam miſſus a Deo fuit, eam ſententiam apertè non tradidit, aut hominibus inculcavit; ſed ne illius quidem Apoſtoli, divinitatis ac doctrinæ ipſius clariſſimi præcones. Nam quod ad Chriſtum attinet; is non modò ultrò non docuit atque inculcavit, ſe unà cum Patre eſſe illum ſolum verum Deum; verùm etiam cùm ei commodiſſima occaſio præberetur, id de ſe pronunciandi, non pronunciavit tamen; ſed ita de ſe loquutus eſt, ut ſe a Deo κατ' ἐξοχὴν dicto apertè diſcerneret, & ſe ab eo totum pendere oſtenderet. Quemadmodum apparet ex cap. 10. v. 33. & d. hujus ipſius hiſtoriæ Euangelicæ, de quibus verbis & * alibi a nobis dictum eſt, & dicetur infrà ſuo loco. Apoſtoli autem, cùm de præſtantia Chriſti loquuntur, cujus cognitio ſit fundamentum illius fidei ac pietatis, per quam ſervamur, nihil commemorant ſublimius, quàm quòd Jeſus ſit ille Chriſtus, aut Dei Filius; quæ duo pro eodem ponunt. Idque apud ipſum hunc ſcriptorem non infrequenter occurrit. Qua de re itidem infrà ſect. 2. c. 31. dicendi locus erit. Accedit, quòd ſacri ſcriptores, ac nominatim Johannes, cùm de ea cognitione loquuntur, in qua religio, aut via ad vitam æternam conſiſtit, non de ea cognitione loquantur, quâ certum aliquod attributum, Deo aut Chriſto eſſentiale, illi ineſſe cognoſcatur, qualis cognitio hæc eſſet, quòd Pater & Chriſtus ſit ille ſolus verus Deus: ſed de cognitione Dei ſimpliciter, de quali nos Chriſtum hîc loqui cenſemus, intelligentes cognitionem Dei inprimis reſpectu ipſius voluntatis, rerumque ad eam quoquo modo ſpectantium; itémque de cognitione Chriſti reſpectu ipſius muneris, quod ad voluntatem divinam patefaciendam, confirmandam, exſequendam ac perficiendam totum ſpectat. Taceo nunc modum loquendi, quali nec Johannes, nec quiſquam ſcriptorum N. fœderis utitur, cùm de cognitione totius alicujus complexi ſeu enunciati loquitur vid. Joh. 8. 19, 55: 14. 7: 16. 3: 17. 25: 1 Joh. 2. 3, 4, 13, 14: 3. 1: 4. 7: 5. 20: conf. Epheſ. 1. 17. & Col. 1. 9. Joh. 6. 69. conf. cum ỷ. 12, 24, 25: 17. 25. Nam ſententiam hanc, quam ii, cum quibus nunc diſputamus, his Chriſti verbis comprehenſam volunt, ita efferrent ſacri ſcriptores, *ut cognoſcant, quòd* (vel, ut vulgata loqui ſolet, *quia* aut *quoniam*) *tu es ſolus verus Deus*, &c. quemadmodum ii, qui in lectione ſacrarum literarum aliquantò diligentiùs verſantur, animadvertent: quo pacto v. g. apud eundem Johannem legimus, cap. 6. 69. *cognovimus, quia* (ſeu *quòd*) *tu es Chriſtus Filius Dei; cognoverunt principes, quia* (vel *quòd*) *hic eſt Chriſtus* cap. 7. 26. Non urgeo etiam illud, quod inf. ſect. 2. cap. 17. demonſtrabimus, nec preces, quas ad Patrem hîc fundit Chriſtus, nec miſſionem a Patre, ibid. cap. 5. quam in his ipſis verbis commemorat, pati, ut Chriſtus unà cum Patre ſolus ille verus ſupremuſque Deus ſtatuatur. Illud tantùm hîc dicam, quod a doctiſſimis quibuſdam adverſariis aliquatenus eſt animadverſum, non convenire huic loco, ut Chriſtus de ſe pronunciet, ſe unà cum Patre eſſe illum ſolum verum Deum: partim quidem, quia Patrem oret, & porrò quàm modeſtiſſimè de ſe loquatur; partim verò quia ſe ut Patris legatum conſideret ac deſcribat. Patrem enim orans, non ſe Patri æquaſſe, & id de ſe pronunciaſſe cenſendus eſt, quo Pater ipſe nihil habet majus; ſed, ut modeſtiſſimo & ſupplici conveniebat, infra eum ſe poſuiſſe. Deinde cum ſe tanquam Patris legatum hîc conſideret ac deſcribat, non cenſendus eſt ſibi tribuiſſe ſummam Patris legantis majeſtatem ac gloriam, quæ in eo conſiſtit, quòd ſolus verus Deus ſit. Adde, quòd & ordo & concinnitas orationis poſtulat, ut prior deſcriptio Patri, cui proximè adhæret, ſit propria, quemadmodum poſterior Chriſto eſt peculiaris: non verò Chriſtus & peculiari ratione deſcribatur, & iterum eâ, quæ illi ſit cum Patre communis, idque iis verbis, quæ, ſi ordinem ſpectes, non minùs Patri propriè attribui videntur, quàm poſteriora Chriſto.

* in lib. de Deo cap. 13. inf. h. lib. ſect. 2. cap. 31.

Et primam quidem ex his tribus rationibus, aliquatenus attigit acutiſſimus ac doctiſſimus Pontificiorum interpres. * Inter alias enim cauſſas, ob quas Chriſtus hoc loco non ſe, ſed Patrem appellaverit ſolum verum Deum, hanc quoque affert, *Quòd voluerit Chriſtus de Patre quidem ſuo, ut Filium decebat, honorificè, de ſe verò quàm modeſtiſſimè loqui, ideò,* inquit, *non ſe, ſed Patrem Deum appellavit. Eodem, ut opinor, pertinet, quòd nec ſe quidem ipſum nominare voluit: nec enim dixit, ut cognoſcant te, & me: ſed,* ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum, *per tertiam perſonam de ſeipſo loquens, quod majoris modeſtiæ, quàm ſeipſum, cùm de rebus agitur honorificis, qualis hæc erat, nominare.* Quòd ſi cenſendus eſt Chriſtus in re tantilla modeſtiæ hoc loco conſuluiſſe; quantò magis in eo, ne ſe unà cum Patre ſolum verum ſupremúmque Deum hîc diceret? Quamquam non tantùm modeſtiæ, ſed & rei ipſi hîc conſulere voluit Chriſtus. Voluit enim ſe Patri, & cognitionem ſui cognitioni Patris ſic adjungere, ut ſimul, quantum interſit diſcriminis, oſtenderet. Significare enim voluit, Patrem tanquam ſummum rerum omnium Monarcham ac Principem cognoſcendum, ejúſque voluntatem per ſe attendendam eſſe; ſe verò tanquam legatum ejus ſpectandum, qui voluntatem ejus annunciet, & certiſſimis documentis demonſtret, eandem porrò Dei nomine exſequuturus ac perfecturus. Hujuſmodi enim deſcriptiones perſonarum in ſac. Literis non otioſæ eſſe ſolent, ſed ad rem, qua de agitur, illuſtrandam accommodatæ. Sed de his ſatis. Cui planæ ſacrarum literarum interpretationes placent, non poteſt non hanc, quam oppugnamus, repudiare, noſtram autem amplecti, niſi opinioni de re ipſa præconceptæ omnia poſtponere malit.

Cap. II.

Argumentum ſecundum ex verbis Pauli 1. Cor. 8. 6. Nobis unus (*eſt*) Deus, Pater, ex quo omnia, &c.

SEcundum noſtræ de uno Deo Patre ſententiæ teſtimonium eſto illuſtris Pauli locus, ubi nobis, quis ſit ille unus Deus, explicuit, dum ita inquit: *Nobis unus* eſt *Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum.* Quid clarius dici potuit ad oſtendendum, Deum illum unicum neminem eſſe alium, præter Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti? Siquidem Paulus explicans, quis ſit ille unus Deus, ſimpliciter dicit, eſſe Patrem; non, Patrem Filium & Spiritum ſanctum. Atqui nulla ratione fieri potuiſſet, ut Paulus, explicaturus, quis ſit ille unus Deus, Patris tantùm mentionem faceret, omiſſis perſonis aliis, ſi Deus ille unus non tantùm Pater eſſet, ſed & Filius, & Spiritus ſanctus. Qandoquidem duæ illæ præter Patrem perſonæ, æquè ad id declarandum pertinerent, quis ſit ille unus Deus, atque ipſe Pater; adeò ut ab illo hîc omitti aut ſubticeri non poſſent.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HÆc licet adeò ſint plana atque perſpicua, ut primo ſtatim aſpectu pateant: invenit tamen amor ſua defendendi, quod reſponderet.

I. *Reſponſio.*

Alii enim excipiunt, Paulum non dicere, unum illum Deum eſſe *ſolum* Patrem, ſed ſimpliciter, eſſe Patrem. Hac autem ratione cæteras perſonas non excludi. Et ne ſine argumento id dicere videantur, ſequentia ſtatim verba producunt, ubi Paulus aſſerit, *Unum eſſe Dominum, Jeſum Chriſtum, per quem omnia, & nos per illum.* Atqui, inquiunt, nemo dixerit, Unum illum Dominum eſſe *ſolum* Chriſtum. Aliàs Pater unus ille Dominus non eſſet, quod nemo non videat eſſe abſurdiſſimum. Unum enim illum Deum non poſſe non eſſe unum illum Dominum.

* Johan. Mal. donatus Jeſuita in hunc locum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

II. *Reſponſio.*

Alii reſpondent, *Patris* nomen de divinis uſurpatum ambiguum eſſe. Nunc enim οὐσιωδῶς hoc eſt eſſentialiter ſumi, & deitatem, vel trinitatem totam indiſtinctè ſignificare; nunc ὑποστατικῶς hoc eſt perſonaliter accipi, & primam, ut loquuntur, Trinitatis perſonam, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, denotare. Hoc autem loco in priori ſignificatione ſumi; non in poſteriori, quemadmodum noſtra ſententia poſtulet.

I. *Reſponſionis refutatio.*

Sed quod ad priores attinet; oſtendimus jam antea, eam eſſe vim illorum Pauli verborum, ac ſi dictum eſſet, Deum illum unum neminem eſſe alium, præter Patrem. Siquidem hîc explicare voluit Apoſtolus, quis ſit ille unus Deus. Rectenè verò is rem explicat, qui non modò tantundem, ſed plus etiam omittit, quod ad rem explicandam pertinet, quàm exprimit, & loco trium perſonarum unam tantùm, ut hic faceret Apoſtolus, commemorat? Quis, quæſo, ex adverſariis noſtris, explicaturus, quis ſit ille unus Deus, ita agit, ut ſolius Patris mentionem faciat, & dicat, Deum eſſe unum, nempe Patrem Jeſu Chriſti? Quis illorum non ſic potiùs loquitur, aut loqueretur: Deum illum unum eſſe Patrem Filium ac Spiritum ſanctum? Nempe quia ſic illi loquendum eſt, ſi ſententiæ ſuæ convenienter loqui velit. Tantò autem magis ita debebat loqui Apoſtolus, ſi cum adverſariis noſtris ſenſiſſet; ne noſtro huic, ut ipſi cenſent, errori tam gravi, tam peſtilenti, occaſionem præberet, ut nimirum Deus ille unus, non minùs perſonâ, quàm eſſentiâ unus ſtatueretur, & non niſi Pater Jeſu Chriſti eſſe crederetur, præſertim cùm perſonæ a ſua ipſius eſſentia diſcrimen, tunc in vulgus notum non eſſet, vel, ut rectiùs loquamur, inventum nondum eſſet: & præterea de Filio, ac Spiritu ſancto dubitari non immeritò poſſet, utrùm Deus ille ſummus eſſent. Partim quòd utrumque a Patre proficiſci apud omnes in confeſſo eſſet; partim quòd Apoſtoli utrumque a Deo ſimpliciter ita dicto frequentiſſimè diſtinguerent; ut cùm illum Dei Filium, hunc Dei ſpiritum appellarent. Quare non erat tam periculoſe loquendum, & tanti, ut illis placet, tamque pernicioſi erroris occaſio fidelibus præbenda, fideliſſimo & ſalutis humanæ ſtudioſiſſimo magiſtro. Ex quo etiam apparet, nihil id eſſe, quod nonnulli hîc reſpondent, Paulum per attributionem ſeu appropriationem, ut vocant, dixiſſe, Deum illum unum eſſe Patrem. Hac enim ratione vulgus Chriſtianorum nequaquam erudiiſſet, ſed errore potiùs, ut jam diximus, graviſſimo implicaſſet. Siquidem attributionis illius, quæ hîc ſtatuitur, rationem vulgus non intelligit: cùm multi ex eruditis etiam viris de ea ne audierint quidem. Itaque tanti non erat, figurâ hac cum rei detrimento uti. In explicationibus rerum, perſpicuitati ſtudent omnes fideles doctores; & tantò quidem magis, quantò res ſunt majores, quantoque majus obſcuritas afferre poteſt periculum. At quis Apoſtolo fidelior? quid majus eo, de quo agebatur? qui error, ex adverſariorum præſertim noſtrorum ſententia, gravior? quod majus periculum?

Sed deinde cujuſmodi hæc eſt attributio ſeu appropriatio? Num ejuſmodi, ut vox anguſtior, nempe *Pater*, laxiori, ac plures perſonas actu in ſe comprehendenti, nempe *Deo*, per appoſitionem adjungatur, aut de ea ſimpliciter prædicetur? At quo exemplo docebunt, id rectè fieri poſſe? Solet quidem nonnunquam nomen individui adjungi nomini ſpeciei, ut *Jeſu Chriſti* nomen voci *hominis*: ſed tunc ſpeciei nomen plura individua actu non complectitur, ſed aliquod tantùm individuum ſub ſe comprehenſum denotat. Quòd ſi dicant, in eo ſitam eſſe appropriationem, quòd vox *Dei*, quæ cæteroqui pluribus numero perſonis, nempe Patri, Filio, & ſpiritui ſancto communis ſit, hîc tanquam unius, nempe Patris, propria ſumatur; primùm id pro conceſſo ſumunt, quod non modò controverſum eſt, ſed & falſum, & his ipſis Pauli verbis contrarium cenſeri debet, nempe *Dei* nomen, cùm pro Deo ſummo ponitur, pluribus numero perſonis commune eſſe, ita nimirum, ut de ſingulis univocè, ſeu, ut loquuntur, in quid prædicetur: quo pacto illi volunt, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spiritum ſanctum eſſe Deum. Etenim cum Deus ſummus *unus* tantùm ſit numero, & hoc ipſo loco a Paulo dicatur, non poteſt de pluribus numero diſtinctis ad eum modum prædicari. Unum enim numero de pluribus numero differentibus univocè prædicari nequit: ſiquidem id ſpeciei tantùm ac generis eſt proprium, ſeu mavis illius, quod genere aut ſpecie unum eſt. Deinde hoc pacto evertitur reſponſio ſuperior ad argumentum noſtrum; nempe Apoſtolum non dicere, Unum illum Deum eſſe ſolum Patrem. Nam ſi vox *Dei* hoc loco ſumitur tanquam Patris propria; certè menti ipſius conſentanea eſt hæc oratio; Unus ille Deus eſt ſolus Pater. Si enim non ſolus eſſet Pater, ſed & Filius ac Spiritus ſanctus: jam vox *Dei* non ſumeretur ut Patris propria, ſed ut tribus perſonis communis. Quare ab ipſo ſtatim initio, non negare debebant, Paulum id dicere, quod nos aſſerimus, nimirum Deum unum eſſe ſolum Patrem, aut vice verſa; ſed tantùm de hujus ipſius aſſertionis ſenſu nobiſcum diſputare. Præterea ſi vox Dei tanquam Patris propria hîc uſurpatur, vel per excellentiam ſumitur, & ſignificat eam perſonam, quæ cæterarum ſit fons; vel nulla habita ratione illius excellentiæ, ſimpliciter pro Patre ponitur. Si priori modo; jam præcedenti capite docuimus, eos qui ita dicunt, vel ſibi contradicere, & Patrem revera ſolum ſtatuere Deum ſummum, vel nihil dicere. Si poſteriori, ad rem non fuiſſet loquutus Apoſtolus. Non enim de eo quærebatur, utrum unus ſit Pater, ſed utrum unus ſit Deus, ut ex præcedentibus Apoſtoli verbis manifeſtum eſt. Quamquam ne priori quidem ratione ad rem locutus fuiſſet Apoſtolus. Quæſtio enim non de eo erat, utrùm unus tantùm eſſet, qui aliarum perſonarum ſupremam divinitatem habentium fons eſſet; ſed ſimpliciter, utrùm unus an plures eſſent, qui ſupremam divinitatem revera haberent, ac porrò divino cultu primò ac per ſe eſſent afficiendi.

Adhuc unam potiſſimùm rationem explicuimus ac defendimus, quâ reſponſio eorum refellitur, qui negant hanc eſſe vim verborum Pauli, ut intelligamus, Deum illum unum eſſe *ſolum* Patrem. Altera ratio eſt, quòd ſi dicere velis, Deum illum unum non eſſe Patrem ſolum, ſed etiam alias perſonas, nempe Filium & Spiritum ſanctum; neceſſariò in alterutrum horum abſurdorum tibi ſit incidendum, vel ut dicas, Patrem non eſſe illum unum Deum, ſimiliter nec Filium, nec Spiritum Sanctum; vel quamlibet illarum perſonarum eſſe ſimul & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Etenim cùm ais, Apoſtolum non dicere, Unum illum Deum eſſe ſolum Patrem, ſed tantùm, Unum illum Deum eſſe Patrem; vel ſtatuis, locutionem Apoſtoli non eſſe propriam, ſed per Synecdochen quandam, unam Trinitatis perſonam pro tota Trinitate poni; propriam autem locutionem hanc eſſe, Deus ille unus eſt Pater Filius & Spiritus ſanctus, ſeu tota Trinitas: vel locutionem quidem hanc, Deus ille unus eſt Pater, cenſes eſſe propriam, ſed non tamen talem, quin eâ ſalvâ liceat itidem propriè dicere, Unus ille Deus eſt Filius, Unus ille Deus eſt Spiritus ſanctus. Si prius ſtatuis; vel quævis Trinitatis perſona eſt tota Trinitas, vel non eſt ille unus Deus. Ita enim argumentari licebit: Deus ille unus eſt tota Trinitas, ſeu Pater Filius ac Spiritus ſanctus ſimul juncti. Atqui Pater eſt Deus ille unus: Ergo Pater eſt tota Trinitas. Similis autem de Filio ac Spiritu ſancto argumentatio eſt. Quòd ſi concluſionem abſurdam eſſe agnoſcas, neganda tibi erit minor, quæ partim ex ſacris literis confirmatur, partim ex tua ſententia. Ita enim agere licebit: Deus ille unus eſt tota Trinitas. Pater non eſt tota Trinitas. Ergo Pater non eſt ille unus Deus. Similiter de Filio, & Spiritu ſancto argumentari poterimus. Si poſterius ſtatuis; ita argumentabimur: Deus ille unus eſt Pater. Deus ille

unus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

unus eſt Filius, & Spiritus ſanctus. Ergo Filius, & Spiritus ſanctus ſunt Pater; & contrà. Non addimus autem in concluſione voculam *quidam* vel *aliquis*, quia termini ſunt ſingulares. Quòd ſi concluſionem ut abſurdam admittere nolis, iterum minor tibi erit neganda. Ita enim argumentabimur: Deus ille unus eſt Pater. Filius, & Spiritus ſanctus non eſt Pater. Ergo Filius, & Spiritus ſanctus non eſt Deus ille unus. Viciſſim etiam de Patre ita concludere licebit: Deus ille unus eſt Filius, aut Spiritus ſanctus. Pater non eſt Filius, nec Spiritus ſanctus. Ergo Pater non eſt unus ille Deus.

Tertia ratio ex ſequentibus verbis peti poteſt. Etenim ſi unus ille Deus eſſet non tantùm Pater, ſed etiam quiſpiam alius; certè Chriſtus is eſſet. Atqui Chriſtus hîc manifeſtè ab illo uno Deo diſtinguitur, atque ita Deus ille unus non eſſe demonſtratur, dum additur: ***Et unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.***

Quòd verò illi ajunt, hæc ipſa verba docere, cùm Deus ille unus Pater dicitur, non excludi ab eadem illa deitate Filium, aut Spiritum ſanctum; quia nec hîc, ubi Dominus ille unus dicitur Jeſus Chriſtus, excludatur ab eodem illo dominio Pater; in eo non parùm falluntur. Quandoquidem vox Domini eum hoc loco denotat, qui Deo ſummo aliqua ratione ſit inferior, eique in imperio ſubordinatus, utut ei ſit proximus; hoc eſt eum ſignificat, per quem Deus ille ſummus omnia ad ſalutem hominum quoquo modo ſpectantia gubernat. Hoc autem modo Deus ille unus, dominus nequaquam eſt: cùm non poſſit ſeipſo ulla ratione eſſe inferior, & ſibi ipſi eſſe ſubordinatus. Quare ab hujuſmodi dominio verbis ſequentibus rectè excluditur. Probatur autem id, quod diximus, duplici ratione ex hoc ipſo loco ducta. Primùm enim, ***unus ille Dominus*** vel idem revera eſt cum uno illo Deo; vel aliqua ratione eo eſt inferior. Idem non eſt; aliàs nulla diſtinctionis foret ratio, nec ulla eſſet cauſſà, cur unus ille Deus Pater, unus verò ille Dominus Chriſtus eſſe diceretur. Non minùs enim Dominus ille unus, quàm Deus ille unus, Pater fuiſſet dicendus. Quæ enim cauſſà foret, cur Deus ille unus Pater eſſe diceretur; eadem etiam eſſet, ob quam Dominus ille unus Pater dicendus eſſet. Reſtat ergo, ut eum ſignificet, qui Deo uno eſt aliqua ratione inferior. Deinde idem probatur ex deſcriptionibus, quæ utrique, hoc eſt, tum Patri, tum Chriſto, adduntur, & quibus a ſe invicem diſcernuntur. Nam ut ſuperiori quoque capite monuimus, deſcriptiones, quæ rebus aut perſonis in ſacris literis adduntur, non ſolent eſſe vel otioſæ, vel a re, qua de agitur, alienæ; ſed ad eam illuſtrandam, aut probandam comparatæ. Hoc loco, ſi quicquam ad rem faciunt illæ deſcriptiones, quòd Pater ſit is, *ex quo omnia, & nos in illum*, Chriſtus is, *per quem omnia, & nos per illum*; oſtendunt, Patrem quidem eſſe unum illum Deum, Chriſtum verò unicum illum Dominum. Quaſi dixiſſet Apoſtolus: Unus nobis eſt Deus, nempe Pater; utpote ex quo ſunt omnia, & porrò nos in illum. Et unus etiam nobis eſt Dominus, nempe Jeſus Chriſtus; ut pote per quem ſunt omnia, & porrò nos per ipſum. Neceſſe enim eſt, ut unus ille Deus is ſit, ex quo ſunt omnia, hoc eſt, qui prima eſt ac ſuprema omnium eorum efficiens cauſſa, quæ ad nos Chriſtianos pertinent, (ad Chriſtianos enim eum peculiariter reſpicere, vocula *nos* aliquoties repetita docet) & *in quem* proinde, tanquam ultimum ſcopum, nos toti reſpicere, omnémque cultum & honorem conferre debemus. Deus enim ſupremus is nobis eſt habendus, qui prima eſt ac ſuprema cauſſa, ut aliarum rerum, ita nominatim earum, quæ ad nos ſalutemque noſtram ſpectant: *Unus* autem is, qui non aliquarum tantùm rerum, ſed omnium cauſſa ſuprema eſt. Si enim unus non eſſet; aliæ ex hoc, aliæ ex alio, tanquam primo auctore ſupremâque cauſſa manarent: ac porrò earum rerum gloria a nobis partim ad hunc, partim ad illum eſſet referenda. Unum verò nobis Dominum eſſe Chriſtum ex eo patet, quia *per eum ſunt omnia*, hoc eſt, quia media eſt cauſſa omnium eorum, quæ ad nos ſalutemque noſtram ſpectant, quódque per eum omnia a prima illa rerum cauſſa gubernantur ac diſpenſantur. Unde porrò conſequitur, *nos per illum* viciſſim Deum debere colere, hoc eſt eum medium eſſe honoris, qui a nobis Deo exhiberi debet, ſcopum ac finem. Nam quia *per eum omnia*, non modò Dominum eum eſſe, ſed etiam unicum eſſe Dominum oſtenditur. Si enim plures eſſent, alia per hunc adminiſtrarentur, alia per illum: & ſic partim per hunc, partim per illum Deus nobis eſſet colendus. Hæc verbis ac ſcopo Apoſtoli, quis non videt apprimè conſentanea? Neque verò eſt, quòd quis dicat, etiam de Deo ſummo interdum dici, *per eum eſſe omnia.* Etenim certum eſt, id non ſignificare, quempiam alium, qui nimirum ſuprema ſit cauſſa, per Deum ſummum iſta efficere. At de Chriſto in ſacris literis frequenter dicitur, quempiam alium, nempe Deum aut Patrem, qui non poteſt non eſſe ſuprema cauſſa, per ipſum quippiam facere, id quod cauſſę ſecundę eſt; qua de re infrà ſuo loco agemus fuſiùs hoc lib. ſect. 2. c. 19. In his autem Pauli verbis non ea ratione dici *per Chriſtum fieri omnia*, qua de Deo id alibi dicitur, id demonſtrat, quòd hoc loco inter ſe opponantur, & ad diſtinguendas diverſas perſonas adhibeantur illa, *ex quo omnia*, & *per quem omnia*; quemadmodum & iſta: *nos in ipſum*, & *nos per ipſum*. Quare nec id, quod Patri adjungitur, Chriſto eſt commune; nec id, quod Chriſto adjungitur, ita ſumitur, ut commune ſit Patri. Hoc autem non alia ratione fiet, quàm ſi verba Patri adjecta ſignificent, eum eſſe primam omnium cauſſam efficientem, & ultimum noſtrum religioniſque noſtræ finem: ea verò, quæ Chriſto adjiciuntur, ſignificent id, quod verborum fert proprietas, nempe eum eſſe mediam omnium cauſſam efficientem, & intermedium religionis finem. Ex quibus jam intelligitur, Deum quidem unum ſignificare illum, qui prima ſit omnium cauſſa efficiens, ultimuſque finis: Dominum verò unum ſignificare illum, qui media ſit omnium cauſſa efficiens, & finis ſimiliter cultûs a nobis Deo præſtandi intermedius; ac proinde illum ſuperiorem majorémque, hunc aliqua ratione minorem inferioremque eſſe. Et ſanè plærique ſacrarum literarum interpretes hanc ſignificationem illius dominii, quod Chriſto peculiariter tribuitur, videntur agnoſcere. Quoties enim legunt, Chriſtum eſſe factum Dominum, aut poteſtatem illi regnúmve datum, aut eum regnum aliquando traditurum Deo ac Patri, ferè ajunt, ſermonem ibi eſſe de illo dominio, aut regno, quod ipſi tanquam mediatori peculiariter in Eccleſiam a Patre conceſſum ſit. Cùm igitur tale dominium uni competat Chriſto; cur ejus ratione habita non dicatur *unus Dominus*; præſertim hoc loco, ubi, ut vidimus, unus Dominus ab uno Deo apertè diſcernitur, & Jeſus Chriſtus, nullius alterius adjecta mentione, eſſe dicitur; ipſéque Chriſtus ſpectatur ut is, per quem omnia, & per quem Deus a nobis colendus eſt, id quod mediatoris eſt, ut vulgò vocem eam accipiunt; ubi denique ad nos Chriſtianos Eccleſiamque haud obſcura eſt relatio. Satis ergo conſtat, Patrem non eſſe illum unum Dominum, de quo hîc ſermo eſt, nec hoc idem, quod Chriſto tribuitur, dominium illi convenire. Quòd ſi ita eſt; ea, quæ de uno Domino loquuntur, verba, non tantùm non labefactant ſententiam noſtram, quam prioribus verbis de uno Deo loquentibus ineſſe volumus, ſed etiam confirmant. Si enim, cùm Paulus dicit, unum eſſe Dominum, Jeſum Chriſtum, ſignificare voluit, eum Dominum nullum eſſe alium, quàm Jeſum Chriſtum; ſimiliter etiam, cùm dixit, *unum nobis eſſe Deum, Patrem illum*, ſignificare voluit, Deum illum nullum eſſe alium, quàm Patrem. Eadem enim verborum vis ac ratio eſt; nec minùs hæc, quàm illa, ad alios excludendos virium habent.

Antequam autem hinc abeamus, breviter nobis explicandum eſt, quî Dominus ille unus ab uno Deo diſtinguatur; cùm tamen Domini nomen κατ' ἐξοχὴν

omninò

omninò ſumi videatur. Alioquin enim multi forent domini, ut ipſe Paulus in verbis præcedentibus v. 5. indicavit. Atqui Dominus κατ' ἐξοχὴν ita dictus neminem videtur ſignificare alium, quàm ſummum illum Deum, & a nullo alio pendentem rerum Monarcham. Reſpondemus, *Domini* quidem nomen, cùm tanquam Chriſti proprium ponitur, κατ' ἐξοχὴν ſumi, ſed reſpectu cæterorum Dominorum, qui eatenus ſunt ejuſdem cum ipſo generis, quatenus a Deo ſummo dominium acceperunt, ac porrò ab eo dependent. In hoc enim genere Chriſtum contineri ſacræ literæ manifeſtiſſimè teſtantur, & nos infrà ſect. 2. c. 11. clariſſimis earum teſtimoniis productis docebimus. Itaque quæcunque tandem ſit illa ἐξοχὴ, quæ voce *Domini* continetur, cùm pro Chriſto ponitur, aut ei ſoli tribuitur, ea non tam latè patet, nec tam eſt ſublimis, ut etiam ſupremum prorſus ac independens dominium complectatur, quod Dei ſummi proprium eſt; ac proinde nec vox *Domini* eo ſenſu Deo ſummo convenit, ſed ab eo diſtinguitur. Ita nempe factum eſt, ut cùm *Dei* nomen ſuâ naturâ aliquid excellentius atque auguſtius, quàm ſolum *Domini* nomen, ſignificet; *Dei* quidem nomen κατ' ἐξοχὴν ſumtum illum denotaret, qui imperium haberet prorſus independens, & prima omnium rerum eſſet cauſſa efficiens; *Dominus* verò, ab eo, qui Deus κατ' ἐξοχὴν dicitur, diſtinctus, eum per excellentiam quandam deſignaret, qui inter dominos a Deo pendentes primum teneret locum, & cæteris omnibus eſſet longè ſublimior. Qua de re plura dicere poſſemus, niſi nobis aliò eſſet properandum.

II. *Reſponſionis refutatio.*

Examinanda enim nunc eſt altera ad argumentum noſtrum ex hoc Pauli loco ductum reſponſio, quæ eſt, *Patrem* hoc loco non pro Patre Jeſu Chriſti ſumi, ſed totam Trinitatem complecti. Quam quidem reſponſionem alicui in mentem venire potuiſſe mirum eſt. Certè in illis excuſari minimè poteſt, qui ſe nihil præter purum putum Dei verbum docere gloriantur, & nobis objicere ſolent, quòd rationem ſecuti, a verbo Dei diſcedamus, & ſcripturas torqueamus. Quid enim eſt extra ſcripturam loqui, & a plana & aperta ejus ſententia diſcedere, ſi iſtud non eſt? Quo namque exemplo probabunt unquam, *Patris* vocem de Deo uſurpatam tres divinitatis perſonas ſignificare? Omnibus ſunt obvia loca, in quibus *Patris* vox aut abſolutè prolata, aut manifeſtè ad nos (quod illi hîc tacitè fieri volunt) relata, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti denotat: & certè idem & Chriſti & noſter Pater eſt, ut manifeſtè apud Johannem docet Chriſtus Joh. 20. 17. & non pauca alia demonſtrant. Hæc ergo vocis *Patris* ſignificatio, cùm omnibus ſit notiſſima, & ſacris literis uſitatiſſima, altera verò illa nullo poſſit idoneo demonſtrari exemplo; quid iis in mentem venit, ut illâ relictâ, hanc amplecterentur, vel potiùs excogitarent, & eo quidem loco, ubi Paulus perſpicuè, quis ſit ille unus Deus, explicare, & porrò ſignificatione vocis notâ uti voluit? Afferunt quidem illi loca, ubi Deum ob creationem Patrem dici cenſent; hîc autem ajunt ad creationem reſpici; cùm *ex eo* dicantur *eſſe omnia*. Sed hoc poſterius ſine probatione ſumitur. Vox enim *omnia* ſolet ad ſubjectam referri materiam, & ad eam reſtringi. Hîc autem de *nobis*, hoc eſt, Chriſtianis, ac proinde de rebus ad Chriſtianos nominatim pertinentibus ſermo eſt. Deinde non probant illi, Patrem, qui ob creationem ita vocetur, alium eſſe præter Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Videmus ſanè, vel in ſymbolo, quod Apoſtolicum appellatur, eundem dici Patrem omnipotentem, & creatorem cœli & terræ; hujus autem filium Jeſum Chriſtum: & ipſi, utut creationem & cæteras actiones, quæ extra Deum exercentur, faciant toti Trinitati communes; afferunt tamen, peculiariter tribui Patri creationem, Filio redemtionem, Spiritui ſancto ſanctificationem. Quare etiamſi tandem Deus hoc loco ob creationem Pater appellaretur, nulla tamen foret cauſſa, cur quempiam alium, præter Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, intelligendum putaremus; ſed cauſſa potiùs foret magna, cur hunc cenſeremus nominatim intelligendum. Quanquam præterea vel planè nullus, vel vix ullus eſt in univerſa Scriptura locus, in quo ob ſolam creationem primam, de qua illi loquuntur, Deus dicatur, aut Pater ſimpliciter, aut Pater noſter: ſed ob alia planè paterna ejus in homines, qui eum Patrem ſuum vocant, beneficia, & certam quandam, adeoque non omnibus communem, ſed populo ipſius propriam creationem. In novo ſanè Teſtamento jure negari poteſt, Deum uſpiam ob ſolam creationem primam, Patrem aut ſimpliciter, aut nominatim noſtrum dici. Siquidem ubicunque ejus appellationis cauſſæ afferuntur, aliæ præter creationem primam afferuntur. Denique nuſpiam illi oſtendent, Chriſtum ſimpliciter Patrem appellari; ſed ſemel tantùm apud Eſaiam cap. 9. 6. *Patrem ſeculi*, idque ut Græca Latinaque interpretatio addit, *futuri*. Adde, quòd longè aliud eſt, patris nomen alicubi de quopiam prædicari; aliud, cùm Patris nomen adhibetur ad certum aliquod ſubjectum denotandum, quod pater ſit, eum ipſum nominatim intelligi, aut unà cum aliis comprehendi. De Spiritu autem ſancto adeo frigidè illi probant, eum Patrem eſſe, ut ferè pigeat memorare, quæ afferunt. Præcipuum ac propè unicum eſt, quòd per eum regeneremur, quodque Chriſtus dicat Joh. 3. 6. *Quod ex ſpiritu natum eſt, ſpiritus eſt.* Sed hoc pacto etiam aquam debebant Patrem facere, ſiquidem eam Chriſtus paulò antè ℣. 5. cum ſpiritu hac in re conjunxit, & ex ea & ſpiritu renaſci nos oportere dixit. *Niſi quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua & ſpiritu*, (*ſancto* addit vulgata verſio) *non poteſt introire in regnum Dei.* Per aquam autem illi aquam elementarem, quæ in baptiſmo adhibetur, intelligere ſolent; & quicquid tandem per eam intelligas, perſona non eſt. Sic & verbum Dei Patrem debebant facere, quia ſcriptum eſt a Petro 1 Petr. 1. 23. nos eſſe *renatos non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivi*, vel potiùs *vivum, & permanens in æternum.* Eadem autem ratio valeret etiam in generatione propriè dicta. Itaque quoties ſcribitur, Chriſtum v. g. natum eſſe *ex ſemine* Davidis, ſemen Davidis Chriſti Pater ſtatueretur, & ſic in cæteris. Quòd ſi probare non poſſunt, ſpiritum ſanctum patrem eſſe, aut rectè ita appellari poſſe: quantò minùs probare poterunt, eum alicubi Patris nomine deſignari aut comprehendi, cùm Pater ad certum aliquod ſubjectum deſignandum, ut hoc loco fit, uſurpatur? Sed deinde, etiamſi hujuſmodi vocis hujus ſignificatio alicubi reperiretur, hîc tamen locum non haberet, ubi Pater a Chriſto manifeſtè diſcernitur, & ab eo certâ notâ diſtinguitur. Etenim Pater eſſentialiter, ut illi loquuntur, ſumtus, etiam Chriſtum, ex ipſorum mente, includit. Atqui is Patri hîc ea ratione, quam ſuprà expendimus, opponitur, & ab eo, ut loquuntur, contra diſtinguitur. Denique contradictio in hac ipſorum latet ſententia. Nam vel *Pater* ille, de quo hæc verba accipiunt, perſona eſt, vel non eſt. Si perſona eſt, cur eum Patri perſonaliter accepto opponunt? cur illum Patrem Chriſti eſſe non ſinunt? Vel enim una eſt perſona, vel plures. Si una; quæ alia hîc intelligi poterit, præter Chriſti Patrem? Si plures; non Pater, ſed Patres dicendi erunt. Si verò perſona non eſt, Pater non eſt. Pater enim omnis, utut metaphoricè ſic dictus, modò intellectu ſit præditus, perſona eſt. Nam pater ob actionem aliquam, & inprimis ob generationem, ſive propriè, ſive figuratè ſic dictam, ita vocatur. Actiones autem hujuſmodi non niſi ſuppoſitorum ſunt, hoc eſt, ſubſtantiarum primarum perfectarum, ut lib. 2. ſect. 1. c. 4. explicabimus. Suppoſitum verò omne, ſi intellectu ſit præditum, omnium conſenſu, perſona eſt. Neceſſe ergo eſt, Patrem hunc, de quo Paulus loquitur, perſonam, & quidem unam eſſe. Pater verò pro una perſona in divinis acceptus, adverſariorum etiam confeſſione, non

niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

niſi Chriſti Pater eſt. Ut fruſtrà ſint, qui ad hujus & ſimilium locorum aciem retundendam, novum iſtum vocis ſignificatum commenti ſunt.

Cap. III.

Argumentum tertium ex loco Pauli Epheſ. 4. 6. *Unus (eſt) Deus & Pater omnium.*

LOco illi Pauli ad Corinthios, quem hucuſque ad ſupremam deitatem ſoli Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti aſſerendam urſimus, non abſimilis eſt ille ejuſdem Apoſtoli ad Epheſios: *Unus (eſt) Deus & Pater omnium.* Iſtic enim *Deus* ille, qui unus eſſe dicitur, & *Pater*, unum idemque ſubjectum ſignificant, ac proinde alterum altero latiùs non patet, nec quiſquam alius eſt Deus ille unus, quàm Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Non arbitramur autem hoc loco neceſſe eſſe, ut multis demonſtremus, ſat familiare eſſe ſacris literis, ut de eadem re loquentes, eamque diverſis nominibus deſignantes, nomina illa particulâ copulativâ *&* inter ſe connectant; quemadmodum hoc loco voces *Dei* & *Patris* inter ſe connexas videmus. Notârunt enim id ſacrarum literarum interpretes, tum plurimis aliis in locis, tum nominatim etiam in iis, in quibus hæ eædem voces *Deus* & *Pater* conjunguntur. Ut cùm dicit idem Apoſtolus, Chriſtum aliquando traditurum regnum *Deo* & *Patri* 1 Cor. 15. 24. aut cùm unà cum Petro ita loquitur: *Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti* 2 Cor. 1. 3. Epheſ. 1. 3. 1 Petr. 1. 3. aut cùm ait: *ut unanimes, uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti* Rom. 15.6. ut alia non pauca his ſimilia, 2 Cor. 11. 31. Gal. 1. 4. Epheſ. 5. 20. Phil. 4. 20. Col. 1. 3: 2. 2. (in Græco:) 3. 17. 1 Theſſ. 1. 3, & alibi, quæ apud eundem Apoſtolum extant, loca nunc prætereaam. Satis enim apparet, iſtis locis, diverſis nominibus idem ſubjectum deſcribi, ac perinde eſſe ac ſi dictum fuiſſet, *Deus qui Pater eſt*, vel *Deus, hoc eſt, Pater*, vel alia ſimili ratione.

Hoc autem ad Epheſios loco omnino unum eundemque *Dei* & *Patris* nomine intelligi, primùm ex eo apparet, quòd junctim de hujus illiuſque unitate loquitur, non verò, ut in cæteris omnibus, quas commemoravit, rebus fecerat, diſtinctè. Dixerat Apoſtolus, demonſtraturus, Chriſtianos unitatem ſpiritualem, pacis inter ſe vinculo colligatos, tueri debere; & *Unum*, inquit, *corpus, & unus ſpiritus, quemadmodum etiam vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium.* Cur non dixit ſimiliter, ut in cæteris, *unus Deus, unus Pater omnium*, ſi alium *Dei*, alium *Patris* nomine intelligebat? Idem deinde ex eo patet, quòd Deum unum hoc loco diſtinxit, & *a Domino uno*, & a *Spiritu uno*, & quidem ita, ut eos non tantùm diverſis vocibus deſignaret, diverſiſque orationis membris includeret, ſed alias etiam res iis interjiceret, ut tantò luculentiùs appareret, eos a ſe invicem diſcerni. Vidimus autem jam ſuperiori capite, per *unum Dominum*, nominatim Chriſtum intelligi. Quis ergo alius per *unum Deum*, tum ab *uno Spiritu*, tum ab *uno Domino* ſeu Chriſto diſtinctum, intelligeretur, quàm Pater Chriſti? præſertim cùm ipſum Patris nomen expreſſe fuerit ab ipſo Apoſtolo additum. Etenim ne totam Trinitatem *Dei* illius, qui *unus* dicitur, nomine intelligas, obſtat primùm ratio jam dicta, quòd duæ, ut vulgò creditur, Trinitatis perſonæ jam fuerint commemoratæ, & ab *uno Deo* diſtinctæ. Deinde quàm abſurda foret illa oratio, *una eſt omnium Trinitas & Pater!* Nam ne illud nunc urgeam, Trinitatem *unum Deum* non eſſe, ſed tres, ut lib. 2. ſect. 1. c. 1. docebitur, & cuivis per ſe patet, modò vim intellectui ſuo ob præconceptæ opinionis amorem facere nolit; quid opus eſt, poſt totam Trinitatem Patrem nominatim addere, quaſi in ea non fuiſſet comprehenſus? Quòd ſi explicandi cauſſa voluiſſet aliquid addere Apoſtolus, tres perſonas debuiſſet exprimere, non unam. Neque enim qui unius perſonæ facit mentionem, Trinitatem perſonarum explicat.

DEFENSIO ARGUMENTI.

SEd non deſunt, qui *Patris* nomine hoc etiam loco totam Trinitatem vel deitatem indiſtinctè ſumtam velint intelligi. Quod quàm abſurdè faciant, quanquam ex ſuperiori argumenti defenſione poteſt intelligi; tamen hîc quoque ideo potiſſimùm oſtendendum eſt, quòd præcipui ejus ſententiæ patroni eò progreſſi ſint, ut per *unum ſpiritum, unum Dominum, unum Deum & Patrem*, idem hoc loco intelligi, nec in re, ſed in verbis tantùm diſtinctionem eſſe dicant. Quàm audax, quamque abſurda ſit ea verborum Pauli explicatio, difficile eſt dicere. Sed ita neceſſe fuit illis facere, quibus conſtitutum fuit θέσιν διαφυλάττειν, & nihil non defendere, quod ſententia ſemel decreta poſtularet. Non urgebimus autem nunc, tres perſonas, quarum unaquælibet ſit ſpiritus, Dominus, Deus, Pater, unum Spiritum, Dominum, Deum, Patrem, ut illi pro conceſſo ſumunt, eſſe non poſſe. Illud quærimus, quo exemplo freti, vel Spiritûs, vel Patris nomen, ad tres perſonas extendant? De *Patris* nomine dictum eſt cap. præcedenti. Inde ea, quæ huc pertinent, petantur. *Spiritûs* nomen, nunc ſimpliciter, nunc cum adjectione poſitum, pro Spiritu ſancto infinities poſitum legas; at pro Patre aut Chriſto nuſpiam. De Patre vox *Spiritus* ſemel in ſ. literis prædicatur Joh. 4. 24. vid. ſi placet, lib. de Deo cap. 15. bis diverſo ſenſu de Chriſto 1 Corinth. cap. 15. ℣. 45. 2 Cor. 3. 17. at ſubjectivè poſita, ſeu certum ſubjectum, quod ſpiritus ſit, deſignans, nec de Chriſto, nec de Patre uſpiam intelligitur. Num fortè licebit ſignificationes vocum uſitatiſſimas, quas Paulum ſecutum hîc eſſe ſatis patet, repudiare, & eam, quæ nuſpiam extat, verbis affingere? Sed deinde, quæ cauſſa, cur ter potiùs eandem rem repetere maluerit Apoſtolus, quàm tria inter ſe diſtincta, quæ iiſdem vocabulis exprimi poſſent, quæque ad rem, quam agebat, ſingula plurimùm pertinerent, diſtinctè enumerare? Cur, inquam, maluit ter Deum indiſtinctè nominare, & verba tantùm cumulare, quàm nunc unitatem Spiritus ſancti, ſub nomine *unius ſpiritus*, nunc Chriſti, ſub nomine *unius Domini*, nunc *Patris*, ſub hoc ipſo nomine commemorare? Præterea, cur aliis rebus interjectis tria hæc diſjunxit Apoſtolus? cur ſaltem non conjunxit, & continua ſerie de illorum unitate loquutus eſt? Cætera, quæ junctim commemoravit, diverſa eſſe videmus: ea, quæ diſjunctim commemoravit, eadem putabimus? Novimus quidem, interdum rem eandem commutatis verbis referri: ſed cùm res inter ſe ſimiles ordine recenſentur, & cæterarum ſingulæ ſingulis membris aut commatibus abſolvuntur, non ſolet res eadem diverſis membris, cæterarum ſimilibus repeti; multò autem minùs, cæterarum rerum ſimilium ac commatum interjectu, a ſe dirimi ac divelli. Nullum hujuſmodi exemplum, nec ex profanis, nec ex ſacris illi proferent. Accedit, quòd tum demum a ſacris ſcriptoribus res eadem ſolet ita ſignificanter, ut hîc fieret, repeti, cùm in ſingulis verbis aliqua peculiaris vis eſt, quæ hîc nulla foret. In voce ſanè *Spiritus* nulla hîc foret, quemadmodum mox intelligetur. Quòd ſi vox *Domini unius* hîc idem ſignificaret, quod *unus Deus*, & ſic ſupremum omnium rerum Monarcham deſignaret; ejus vis univerſa non modò *Dei unius* nomine fuiſſet expreſſa, ſed ſtatim etiam clariùs explicata, cùm poſt Patris nomen additur, *eum eſſe ſuper omnes.* Significatur enim, eum unum omnibus ſummo cum imperio præeſſe, eos regere ac gubernare; ut inde intelligatur, Patrem meritò cum Deo illo uno ita fuiſſe conjunctum, ut idem eſſe intelligeretur. Quaſi dixiſſet, *Unus eſt ſimul & Deus & Pater omnium, utpote qui eſt ſuper omnes.* Si enim Pater unus ille Deus non eſſet, non omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

omnibus ſumma cum poteſtate præeſſet. Jam verò an non ſatis his verbis vis vocis *Domini* fuiſſet expreſſa? Sed in voce *ſpiritus* quæ vis foret? Nil enim ſignificaret aliud, quàm unam ſpiritualem eſſentiam. Nihil de eo nunc dicam, quòd non protinus Dei eſſentia ſignificaretur. Ponatur vel ſine ratione, *ſpiritu* ſeu *ſpirituali eſſentiâ* commemoratâ, nominatim Dei ſignificari ſubſtantiam. Quid hoc ad unitatem Chriſtianam demonſtrandam facit? num propterea, quòd illi omnes eandem eſſe credant? At nec fidei ipſorum in hoc commate fit mentio; & ejus unitas peculiariter commemoratur, dum dicitur, *una fides*. Quid ergo id ad rem pertinebat, unam eſſe ſpiritualem, adde, ſi lubet, Dei eſſentiam? Nihil. Intelligendum enim eſt, non ex eo ſimpliciter fidelium unitatem concludi, quòd rerum illarum, quæ enumerantur, quælibet in ſe una ſit; ſed quòd, cùm in ſe una ſit, alia quidem ſpecie, alia numero, omnibus fidelibus ſit communis. Ex hac enim rerum tantarum communione, ſeu rerum Chriſtianis communium unitate, eorum unitas concluditur. Quare omnia, quæ enumerantur, vel bona ſunt in ipſis Chriſtianis exiſtentia, ſive ſigillatim, ut ſpes, fides, baptiſmus; quò & ſpiritum illum unum referre licet; ſive junctim, ut corpus illud myſticum: vel ſunt res, quæ extra ipſos quidem exiſtant, ſed manifeſtam tamen ad eos relationem habeant, & ad concordiam illos adigant: quales ſunt, *unus Dominus*, itemque *unus Deus, ac Pater* omnibus illis communis, *qui eſt ſuper omnes*, hoc eſt, ut antè diximus, qui omnibus ſummo cum imperio unus præeſt, omnes æquè regit ac gubernat: eſt etiam *per omnes*, hoc eſt, ſuâ providentiâ per omnes ſeſe diffundit, omnia totius Chriſtiani corporis membra permeat, ad omnia bonitate ſua pertingit; vel, quod eódem redit, inter omnes veluti verſatur, inque eorum eſt medio, ope nimirum, auxilio, providentiâ ſuâ: eſt denique *in omnibus*, hoc eſt, in omnibus per ſpiritum ſuum habitat. Quibus enim hæc omnia ſunt communia, eos inter ſe maximè unitos eſſe oportet. At quæ relatio eſt inter *ſpiritum* & Chriſtianos, ſi eo nomine ſpiritualem Dei eſſentiam intelligas? quomodo illa communis erit omnibus Chriſtianis? Neque enim ab illis poſſidetur, ut res prioris generis à nobis enumeratæ. Non habet etiam relationem ad ipſos, ut vox *Domini, Dei*, & *Patris*. Annon res ipſa oſtendit, ſi divinum per hanc vocem ſpiritum intelligere velis, omnino neceſſe eſſe intelligere ſpiritum ſanctum, omnibus fidelibus communem, quo veluti animentur & gubernentur? Hic enim inter ea erit bona, quæ divina benignitate ab illis obtinentur. Neque ſanè ejus mentio ulla ratione omitti hîc debuit: partim quia inter bona Chriſtianis communia, quæ illos inter ſe uniant, vel inprimis elucet ſpiritus ſanctus, qui eos ad ejuſdem felicitatis ſpem erigit atque obſignat. Unde Apoſtolus de eadem re ad Corinthios agens, poſtquam dixiſſet, Chriſtum, ejúſve Eccleſiam, unum corpus eſſe ex variis veluti membris compactum, addit 1. Cor. 12. 13: *Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno ſpiritu potati ſumus*. Eandem ob cauſſam multa in præcedentibus ejuſdem loci verbis de unitate ſpiritus diſſeruerat ibid. ℣. 4, 7, & ſeqq. ne ob tam diverſas, quas in diverſis Chriſtianis exſerebat facultates, alii alios pro alienis haberent, vel ſaltem minora dona adeptos præ ſe deſpicerent; ſed potiùs ſeſe invicem, pro diverſis quidem, ſed ejuſdem tamen corporis membris agnoſcerent, cum eodem Dei ſpiritu veluti animarentur. Cur ergo hoc loco, ubi eandem rem tractat Apoſtolus, illam ſpiritus ſancti, quo Chriſtiani eſſent imbuti, unitatem expreſſe non commemoraret? Quo accedit, quòd Apoſtolus ſtatim in ſequentibus, quemadmodum & in illo ad Corinth. loco, de diverſitate donorum, ſeu effectuum divini Spiritus, Chriſtianis hominibus dati, differit. Ut nullum ſit dubium, eum priùs de unitate ipſius illius ſpiritus, ut illic, fuiſſe loquutum. Ubinam autem eam commemoraſſe cenſendus eſt, niſi cùm de *uno ſpiritu* fuit loquutus? niſi fortè unius baptiſmi nomine eum velis comprehenſum, quod tamen iſti nolunt, qui de aquæ baptiſmo loqui Apoſtolum omnino contendunt, nec nos abnuimus. Et certè ſi de divino quodam ſpiritu hîc ſermo eſt, non de animo ac voluntate, cujus ratione fideles unus eſſe ſpiritus debeant; non eſt quidquam dubitandum, de ſpiritu ſancto loqui Apoſtolum. Quòd ſi verò per *ſpiritum unum*, ſpiritum ſanctum intelligas; nulla eſt cauſſa, cur per *unum Dominum* non intelligas Chriſtum, quemadmodum in loco ſuperiori 1. Cor. 8. 6. factum videmus; ac porrò per *Patrem*, quod cæteroquin etiam vox ipſa exigebat, Jeſu Chriſti Patrem.

Satis, ut arbitramur, oſtendimus, *Patris* nomine in illo ad Epheſios loco non niſi Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti intelligi: ac porrò non niſi hunc, unum illum Deum a Paulo ſtatui. Quòd ſi quis ad appropriationem ſeu attributionem a quibuſdam in hoc argumento confictam velit confugere, ei haud difficulter occurri poterit, ſi illa conſiderentur, quæ cap. præcedenti ea de re diximus, priorem reſponſionem ad argumentum noſtrum ex eo loco ductum examinantes. Quare non eſt, quod iis diutiùs immoremur.

Cap. IV.

Argumentum quartum ex verbis Chriſti. Matth. cap. 24. 36: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.* Et Marci cap. 13. 32: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit: neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.*

ANtequam a locis abeamus, quæ Patris expreſſam faciunt mentionem, unum adhuc placet addere argumentum ex verbis Chriſti Matth. 24. & Marc. 13. petitum, in quibus apertè aſſerit, *Solum Patrem*, aut, quod perinde eſt, *neminem niſi Patrem ſcire de die illo vel hora*, ultimi nimirum judicii, ſeu adventus ſui. Hinc enim ſententia noſtra clariſſimè demonſtratur. Nam qui ſolus aliquando ſcivit diem horámve ultimi judicii, is ſolus eſt ſummus ille Deus. Atqui, teſte Chriſto, Pater ſolus aliquando diem horámve illam ſcivit. Quare is ſolus eſt ſummus ille Deus. Majoris, ut vocant, propoſitionis veritas facilè cuivis patet. Qui enim ſolus aliquando ſcivit omnia, ſolus etiam eſt ſummus ille Deus. Siquidem Deus ſummus ſemper ſcit, ſcivitque omnia. At qui ſolus aliquando ſcivit ultimi judicii diem, ſolus tunc ſcivit omnia. Qui enim eum diem neſcivit, non omnia prorſus ſcivit. Quare qui ſolus aliquando ſcivit ultimi judicii diem, ſolus etiam eſt ſummus ille Deus.

Si quid ad hujus argumenti defenſionem pertinet; quamquam tam clarum eſt, ac validum; ut eâ non egere videatur; id a nobis dicetur infrà hujus lib. ſect. 2. cap. 9. ubi de Chriſto agemus.

Sequuntur nunc argumenta ex iis locis ducta, in quibus Patris quidem nomen non extat, de eo tamen revera ſermo eſt.

Cap. V.

Argumentum quintum ex verbis Pauli 1 Cor. 12. 4, 5, 6, petitum: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, &c.*

IN his, quæ adduximus, Apoſtoli verbis, ſatis apparet, voces illas, *idem Deus*, ſignificare unicum illum, omnibuſque Chriſtianis communem Deum. Jam verò cùm illum Apoſtolus, & *ab eodem ſpiritu*, & ab *eodem Domino*, quem Chriſtum eſſe ex duobus ejuſdem Apoſtoli locis ſuprà cap 2. & 3. vidimus, diſtinguat; patet, Deum illum eſſe Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec quenquam præterea alium.

Etenim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Etenim quis alius cogitari poteſt, ab unico illo ſpiritu, unicoque Chriſtianorum Domino, nempe Chriſto, diſtinctus, qui *Dei ejuſdem* nomine deſignetur, præter Chriſti Patrem? qua verò ratione ſub hoc ipſo *Dei ejuſdem* nomine, *ab eodem ſpiritu, & ab eodem Domino* diſtingueretur, ſi unicus ille ſpiritus, unicuſque Dominus, non minùs eſſent *idem* ille *Deus*, quàm Pater? Neque verò quiſquam de hac iſtius loci ſententia dubitabit, qui hæc cum illis conferre voluerit, quæ de duobus ejuſdem Apoſtoli locis 1 Cor. 8. 6. Epheſ. 4. 4, 5, 6. diximus.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc non admodum veremur, ne quis ex adverſariis hæc tria, nempe *eundem ſpiritum, eundem Dominum, eundem Deum*, ita accipiat, quemadmodum nonnullos ſimilia verba in loco Eph. 4. interpretari diximus; nempe ut aſſerat, iſta omnia toti Trinitati eſſe communia, nec diverſas ſingula perſonas aut res denotare, ſed eandem Trinitatem tribus diverſis modis deſcribi. Etenim ne ea nunc repetam, quæ de loco ad Epheſios ſunt dicta, ubi vidimus, apertiſſimè *unum ſpiritum* ab *uno Domino*, & ab *uno Deo* diſtingui, & illorum nominum ſingula ſingulas perſonas aut res deſignare: unde facilè eſt colligere, idem in hoc quoque loco fieri, qui illi ad Epheſios, partim verbis, partim argumenti ac ſcopi ratione eſt ſimillimus: accedit illud, quòd hoc pacto vox *ſpiritûs* non ſpiritum ſanctum a Patre & Filio diſtinctum ſignificaret, ſed pro ſpirituali ſubſtantia ſumeretur; quemadmodum in illo ad Epheſ. loco a quibuſdam fieri vidimus. At præterquam quòd id alioquin eſt ineptum, & a mente Apoſtoli, ut illinc apparere poteſt, alienum; nec antecedentia, nec ſequentia verba iſtam interpretationem patiuntur. Etenim Apoſtolum nominatim loqui de *ſpiritu ſancto*, quem infra ℣. 7, 8, 9, 11, 13. aliquoties ſimplici *ſpiritus* nomine deſignat, omnia arguunt. Nam de donis ſpiritualibus, ſeu a ſpiritu ſancto manantibus, loqui cœperat Apoſtolus ℣. 1. & regulam ſtatim ab initio propoſuerat, quâ Corinthii deberent ſpiritum ſanctum ab impuro, afflatum divinum a diabolico, qui fortaſſe pro divino ſevenditaret, diſcernere. Quam eandem Johannes quoque aliis licèt verbis, in Epiſtola ſua prima cap. 4. 2. tradidit. Ita enim ait Paulus: *Nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu* (Gr. *Jeſum*;) *& nemo poteſt dicere Dominus Jeſus* (Gr. *Dominum* [*eſſe*] *Jeſum*) *niſi in ſpiritu ſancto*. Hoc cum dixiſſet, addit ℣. 3. *diviſiones autem gratiarum* ſeu *donorum ſunt, ſed idem ſpiritus*. Ubi nemo non videt, ad eum ſpiritum reſpici, cujus proximè facta fuerat mentio. Quaſi dicat, omnibus quidem, qui Dei ſpiritu impulſi loquuntur, hoc commune eſt, ut Chriſtum dicant Dominum: ſed alioqui diverſa admodum ſunt dona, ab eo ſpiritu in homines, qui eo replentur, manantia, licet is ipſe ſpiritus ſit idem, non diverſus. Accedit, quòd poſtea verſic. 8. & ſeqq. prolixè varia illa ſpiritus ſancti effecta enumerat, explicaturus id, quod priùs dixerat, *diviſiones* ſeu *diſcrimina eſſe donorum, ſed eundem ſpiritum*. Hæc cum quivis facilè poſſit cernere; non eſt, ut diximus, admodum verendum, ne quis illâ rimâ elabi conetur. Quamquam error omnes effugiendi vias quærere ſolet.

Verùm non deſunt, qui ſpiritum ſanctum tribus iſtis modis deſignari dicant, & nunc *ſpiritum eundem*, nunc *eundem Dominum*, nunc denique *eundem Deum* appellari contendant. Sed hanc interpretationem facilè refellit collatio hujus loci cum illo ad Epheſios, cap. 4. ℣. 4, 5, 6. ubi idem argumentum tractans Apoſtolus, *unum ſpiritum*, ut didimus, & ab *uno Domino*, & ab *uno Deo* manifeſtè diſcernit, & ex ſingulorum unitate argumenta petit ſingula, quibus demonſtret, Chriſtianos unitatem ſpiritualem inter ſe ſummo ſtudio tueri debere; non verò ob diverſitatem fortè donorum ſpiritualium, rerúmve his ſimilium, a ſe invicem divelli. Quod idem hoc quoque loco agere Apoſtolum, quivis facilè animadvertet, ſi caput hoc perlegerit. Quare haudquaquam conſentaneum eſt, Apoſtolum eos, quos alibi tam apertè, eandem rem tractans, diſtinxerat, hîc confundere; &, cùm iiſdem verbis utens, tria planè diſtincta argumenta poſſet afferre, ſcopo ſuo aptiſſima, unum tantùm revera complecti maluiſſe, a ſolius ſpiritus ſancti unitate ſeu identitate ductum. Adde, quòd aliàs quoque nec res, nec locus hic patitur, ut Spiritus ſanctus intelligatur, cùm *Dominum eundem*, aut *Deum eundem* eſſe Paulus ait. Siquidem non de aliquo tantùm Deo ſummo, aut Domino Chriſtianorum inſignitè ſic dicto, ſermo eſt, ſed de eo, præter quem nullus eſt alius. Non enim id dicere voluit Apoſtolus, *aliquem* Deum ſummum, aut aliquem Chriſtianorum Dominum inſignitè ſic dictum, eſſe eundem; ſed ſimpliciter Deum illum ſummum, Dominumque inſignitè ſic dictum, eſſe eundem. At nemo neſcit, præter ſpiritum ſanctum Deum ſummum eſſe Patrem, cui innumeris locis *Dei* nomen tanquam proprium attribui, fatentur ipſi adverſarii; & hoc ipſo loco fit verſic. 2. ubi Spiritus ſanctus *Dei* ſpiritus appellatur. Certè ipſum ſpiritum iſtic *Dei* nomine non intelligi liquet. Similiter & *Dominum* inſignitè ita dictum, præter Spiritum ſanctum extare, innumeri ſacrarum literarum loci docent, in quibus *Domini* nomen Chriſto tanquam proprium, fatentibus ipſis adverſariis, tribuitur. Quin & hoc ipſo loco, eodem verſic. ſecundo, Jeſum eſſe *Dominum* aſſeritur. Et quoties, quæſo, apud Apoſtolum *Dei* Patris, & *Domini* Jeſu Chriſti fit mentio? Quid ergo eſt, quòd hoc loco putemus, Spiritum ſanctum, jam ſemel nominatum, intelligi, cùm diſtinctè poſteà *Domini* & *Dei* fit mentio? Quin potiùs ſacrarum literarum conſuetudinem atque analogiam ſecuti, Deum, Dominum, ac Spiritum a ſe invicem diſcernimus; quemadmodum fit ab eodem Apoſtolo in fine poſterioris ad eoſdem Corinthios Epiſtola, ubi ita inquit: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.*

CAP. VI.

Argumentum ſextum ex verbis 1 Tim. 2. 5. *Unus (eſt) Deus; unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* Quibus accedunt illa Rom. 3. 30: *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide*, &c.

ARgumentum noſtrum ex illo 1. ad Tim. loco ejuſmodi eſt: Si ſolus Pater *unius Dei* nomine iſtic intelligitur, ſolus Pater eſt ſummus ille Deus. Nam ſi quiſquam alius præter Patrem eſſet Deus ſummus, *unius Dei* nomine comprehendi debuiſſet. Cùm unus Deus is ſit, præter quem nullus eſt alius. Jam verò ſolum Patrem iſtic *unius Dei* nomine intelligi inde patet, quòd is tantùm eo nomine intelligatur, inter quem & homines Chriſtum Jeſum mediatorem eſſe dicit Apoſtolus, uti ex connexione verborum apparet. At is eſt ſolus Jeſu Chriſti Pater.

UBERIOR CONFIRMATIO AC DEFENSIO ARGUMENTI.

UT argumentum hoc penitùs confirmetur, illud probandum eſt, quod ultimo loco diximus, nempe ſolum Patrem eſſe illum Deum, inter quem & homines Chriſtum mediatorem eſſe ait Apoſtolus. Nam Chriſtum quidem inter Patrem & homines mediatorem eſſe nemo dubitat: ſed inter ſolum Patrem & homines eum mediatorem eſſe multi negant. Totius enim Trinitatis mediatorem eſſe Chriſtum ſtatuunt. Verùm ea ſententia conſiſtere non poteſt. Inde enim ſequeretur, Chriſtum, qui ſecunda Trinitatis illius perſona ſtatuitur, ſui ipſius mediatorem eſſe, ſeu inter ſeipſum interveniſſe medium; id quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſeipſum evertit. Adde, quòd Chriſtus hoc loco apertiſſimè a Deo, cujus mediator eſſe dicitur, diſtinguatur. Dices, Chriſtum ſecundùm humanam tantùm naturam eſſe mediatorem. Nihil autem in eo eſſe abſurdi, ſi ſtatuatur, Chriſtum ſecundùm humanam naturam conſideratum, ſui ipſius ſecundùm divinam naturam ſpectati mediatorem eſſe, & a Deo uno rectè diſtingui. Verùm hanc reſponſionem non modò non afferunt, ſed etiam penitus repudiant multi ex ipſis adverſariis. Alii enim omnino contendunt, Chriſtum ſecundùm utramque naturam eſſe mediatorem. Alii verò, etſi ita loqui verentur, re tamen ipſa idem dicunt. Nam revera ad totam Chriſti perſonam, quanta quanta eſt, ſeu ad Chriſtum, quà Deus ſimul & homo eſt, munus id referunt. Quod ad cæteros attinet, qui Chriſtum ſecundùm humanam tantùm naturam mediatorem eſſe volunt; nec illi hac diſtinctione difficultatem effugiunt. Alii enim ſunt, aut fuerunt, qui ipſam humanam Chriſti naturam revera mediatorem eſſe voluerunt, & *hominis Jeſu Chriſti* nomine apud Paulum intelligi contenderunt. Hi, ut cæteri adverſarii animadverterunt, omnino fateri coguntur, humanam Chriſti naturam perſonam eſſe. Nam & officia, quale eſt mediatorem eſſe, non niſi perſonarum ſunt; & nomen *hominis*, itemque *Jeſu Chriſti*, perſonæ nomen eſt. Quòd ſi humana Chriſti natura perſona eſt, Chriſtus ſecunda ſupremæ divinitatis perſona eſſe nequit. Forent enim in eo duæ perſonæ, humana, & divina; divina, inquam, per eſſentiam. At duas in Chriſto perſonas eſſe, omnes tanquam Neſtorianum, & ſacris literis adverſum, meritò rejiciunt, & abſurdiſſimum eſſe judicant.

Verùm alii ſunt, & longè quidem plures, qui ut hunc ſcopulum evitent, ſubtiliùs agunt. Etènim non ipſam humanam Chriſti naturam, ſed ipſius, ut loquuntur, ſuppoſitum perſonámve, propriè mediatorem eſſe ajunt: naturam autem humanam dicunt eſſe principium formale ejus, ut ita dicam, mediationis, hoc eſt, eam ſubjecti partem, quæ propriam actionis cauſſam in ſe contineat. Hoc quia obſcurius eſt, exemplo declarandum eſt. Docent Philoſophi, hominem propriè intelligere, amare, odiſſe; itemque edere, bibere, currere; non ipſam animam, aut corpus: ſed intelligere quidem illum, amare, atque odiſſe, ſecundùm animam; edere autem ac bibere ſecundùm corpus. Quare principium formale quarundam hominis actionum eſt anima, quarundam corpus. Eodem ergo modo dicunt adverſarii, Chriſti ſuppoſitum ſeu perſonam, hoc eſt, ipſum Chriſtum totum, propriè eſſe mediatorem, ac porrò ea facere, quæ mediatoris ſunt, ſed ſecundùm humanam naturam. Et rationem quoque hanc addunt, quia niſi ipſa Chriſti perſona mediator eſſet, actiones, quas ut mediator præſtat, vim infinitam non haberent, nec Deo pro peccatis hominum, infinitam pœnam merentium, ſatisfacerent; id quod illi Chriſti mediatoris proprium eſſe cenſent officium. At nunc, quia perſona ipſius, quæ ſit ipſe Deus infinitus, actiones has, licèt ſecundùm humanam naturam, propriè exſerat; ideo eas infinitam vim ac dignitatem habere. Sed dum ita diſputant, elabendi rimam, quam diſtinctione naturarum ſibi videbantur aperuiſſe, iterum occludunt. Etenim ſi ipſa Chriſti perſona divina mediator eſt, & actiones obit mediatoris proprias; etiam divinam naturam eaſdem obire neceſſe eſt; & ſic Chriſtum ſecundùm divinam quoque naturam mediatorem eſſe. Etenim ut ipſi fatentur adverſarii, divina perſona a natura divina reipſa non differt, nec quicquam naturæ addit niſi ſubſiſtentiam. Subſiſtentia autem per ſe vim agendi nullam habet: ſed vis agendi omnis in natura reſidet. Subſiſtentia tantùm conditio quædam eſt, ſine qua non agit natura. Quare quicquid divina Chriſti perſona agit, natura ipſius divina, ſubſiſtentiâ prædita, agit. Ex quo intelligi poteſt primùm, non rectè dici, ipſum Chriſti, ut loquuntur, ſuppoſitum ſeu perſonam ſecundùm humanam naturam aliquid agere. Quandoquidem Chriſti perſona, ſi vim ſententiæ adverſariorum ſequamur, ipſa natura divina eſt ſubſiſtentiam ſuam habens. Non rectè autem dicitur, naturam divinam ſubſiſtentem ſecundùm humanam naturam aliquid agere. Cùm humana natura naturæ divinæ pars non ſit. Vox autem *ſecundùm*, ut ab adverſariis uſurpatur, etiam partis reſpectum omnino includit. Quòd ſi perinde eam locutionem accipias, ac ſi dictum eſſet, *per humanam naturam*; jam & Pater, & Spiritus ſanctus poſſet aliquid ſecundùm humanam Chriſti naturam agere, quamquam fortè Pater non ut proxima cauſſa, ſeu immediatè humanam naturam movens: at ſpiritus ſanctus in illa habitans, etiam ut proxima cauſſa, atque immediatè naturam illam movens. Deinde & iſtud ex dictis intelligitur, diſtinctione illa naturarum effici non poſſe, ut rectè dici queat, Chriſtum ſui ipſius mediatorem eſſe; non tantùm quia rectè dici nequeat, ejus perſonam ſecundùm humanam naturam quicquam agere, ſi perſona illa ipſe Deus ſupremus eſt; verùm etiam, quia ex iſta adverſariorum ſententia ſequatur, ipſam naturam Chriſti divinam primò ac propriè mediatoris officio fungi, utut fortè humanæ naturæ operâ hac in parte utatur. Neceſſe enim foret, ut eadem natura divina inter ſeipſam & homines interveniret media; id quod nemo non videt eſſe abſurdum. Intelligitur denique, hanc diſtinctionem naturarum non efficere, ut Chriſtus mediator a Deo diſtingui poſſit, ſi Chriſtus eſt ipſe ille Deus. Quò accedit, quòd non niſi ea ſimpliciter a ſe invicem diſtinguuntur, de quibus ſimpliciter aſſeri poteſt, eorum unum non eſſe alterum. Hoc autem loco Deus & Chriſtus, qui illius mediator eſſe dicitur, ſimpliciter a ſe invicem diſtinguuntur. Quare nec Deus ille Chriſtus, nec Chriſtus Deus ille eſt. Diſtinctio nempe naturarum efficere non poteſt, ut quippiam de ſubjecto aliquo ſimpliciter negetur, quod ob alteram naturam de eo ſimpliciter aſſerendum eſt, ut fuſiùs docebimus capite 3. ſectionis ſequentis. Quare nec efficere poteſt, ut quippiam ſimpliciter ab eo diſtinguatur, quod de illo ſimpliciter prædicandum eſt. Quandoquidem hujuſmodi diſtinctio, ut vidimus, tacite ſimplicem alterius de altero negationem involvit.

Non eſt autem, quòd quis dicat, ideo rectè Chriſtum in verbis Apoſtolicis a Deo diſtingui, & ſic tacitè negari, eum eſſe Deum illum; quia *Dei* aut *Dei unius* nomine tota Trinitas intelligatur, Chriſtus autem non ſit tota Trinitas. Etenim hoc pacto dici poſſet, ne Patrem quidem eſſe Deum, aut Deum illum unum; quia Pater non ſit tota Trinitas. At quis ferret ita loquentem? Sacris certè literis apertè contradiceret, qui ita loqui auderet. Adde, quòd ne ipſi quidem adverſarii nomen *Dei*, aut *Dei unius*, collectivum eſſe putent. Quod nimirum tres perſonas junctim ita ſignificet, ut de ſingulis ſeorſim prædicari nequeat. Nam in prædicando id nomen univerſalis naturam habere volunt, ita ut ſigillatim de unaquaque perſona dici queat, hoc nempe pacto; Pater eſt ille unus Deus, Filius eſt unus ille Deus, Spiritus ſanctus eſt unus ille Deus. Quare non ideo Chriſtus ab uno Deo diſtinctus fuit, & ſic tacitè negatum, eum eſſe illum unum Deum, quia tota Trinitas non ſit; ſed quia ſimpliciter Deus ille unus non ſit.

Dicet fortè quiſpiam, quemadmodum non ſequitur, Chriſtum non eſſe hominem, quia ſit mediator hominum; cum potiùs ideo ſit homo, quia hominum eſt mediator: unde Apoſtolus expreſſe dicat, mediatorem illum unicum Dei & hominum, eſſe *hominem* Jeſum Chriſtum: ita nec ex eo, quòd Chriſtus dicatur eſſe mediator *Dei*, Dei, inquam, ſupremi atque unici, conſequi, eum non eſſe Deum ſupremum atque unicum. Hoc quamquam ad ſecundam hujus libri ſectionem magis pertinet, breviter tamen refutabimus; præſertim quia res longiori diſputatione non eget. Quis enim non animadvertit, cùm Chriſtus dicitur eſſe mediatur hominum, *hominum* nomine alios homines intelligi, qui ſunt præter Chriſtum, qui à

Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deo vel penitus erant alienati, vel non ita conjuncti, quin novo fœdere per mediatorem Deo conjungi poſſent. Ex eorum autem numero Chriſtus profectò non fuit. Quare hoc argumentum retorquere potiùs in adverſarios poſſumus. Quemadmodum enim Chriſtus ex eorum hominum numero nequaquam eſt, quorum mediator fuit, nec ſub illis in loco Paulino comprehenditur: ita idem Chriſtus nec Deus ille eſt, aut Dei illius nomine comprehenditur, cujus mediator dicitur.

Denique ſi tota Trinitas Dei illius nomine comprehenderetur, cujus mediator eſt Chriſtus; Chriſtus etiam Spiritûs ſancti mediator foret. At id nequaquam vero eſt conſentaneum. Ejus enim rei in tabulis fœderis, cujus mediator fuit Chriſtus, aperta extarent teſtimonia. At quænam illa? Non poſtulamus ejuſmodi ſcripturæ loca, in quibus expreſſe dicatur, Chriſtum Spiritûs ſancti fuiſſe mediatorem; ſed è quibus liquidò appareat, ita Chriſtum inter Spiritum ſanctum & nos interveniſſe medium, ut mediatori inter eos, qui fœdere ſunt jungendi, intervenire eſt neceſſe, & partes illius muneris proprias inter ipſum & nos obiiſſe. Noſtrâ ſententiâ, quam ne adverſarii quidem doctiores falſam exiſtimant, utut imperfectam eſſe dicant, mediatoris inter Deum & homines officium eſt, Dei ad homines internuncium eſſe, & fœdus inter utroſque percutere; ac porrò efficere, ut homines voluntatis divinæ cognitione inſtructi, ad Deum colendum accedant. Adverſarii autem vulgò exiſtimant, Chriſti mediatoris proprium eſſe munus, pœnas omnium peccatorum noſtrorum pleniſſime perſolvendo, Dei iram adverſus homines accenſam placare, & pro illis apud Deum (quod nos ſacerdotis eſſe cenſemus) interpellare. At ubinam in ſac. Literis docetur, Chriſtum ſpiritus ſancti ad homines fuiſſe internuncium, fœdus inter eum & homines percuſſiſſe, & homines voluntatis ipſius cognitione imbutos, ad eum colendum adduxiſſe? De Patre clariſſima extant ſac. Literarum teſtimonia, quorum nonnulla ſequenti ſectione cap. 4. 5, 15. adducemus. Certe Chriſtus, nomine *Patris* non expreſſo, eum ita nonnunquam deſcribit, *Is qui me miſit*, & hanc deſcriptionem cum *Patris* nomine commutat *. Unum tantùm, quantùm meminiſſe poſſum, ex ſ. lit. locum proferre ſolent adverſarii, quo probent, Chriſtum a ſpiritu ſancto miſſum, qui quidem extat apud Eſaiam cap. 48. 16. Ubi ita Propheta, ſecundùm Vulgatam interpretationem loquitur: *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus ejus.* Sed præterquam quòd ibi Propheta revera de ſeipſo loquitur, ut etiam ab adverſariis quibuſdam eſt animadverſum; & ſi quis neget, ea de Chriſto eſſe intelligenda, nihil habituri ſunt adverſarii, quo id probent: notandem eſt, ita quoque verba illa ex Hebræo rectè verti poſſe, ut a recentioribus quibuſdam interpretibus † factum eſt, *Et nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritum ſuum.* Adde, quòd retenta etiam vulgata interpretatione, neceſſe foret ſtatuere, aliter Spiritum ſanctum miſiſſe Chriſtum, aliter ipſum Dominum Deum, a quo ſpiritus ſanctus illic apertè diſtinguitur. At hîc de ea ratione agitur, quâ ſpiritus ſancti legatus atque internuncius fuerit Chriſtus, quæ Dei ſit propria. Similiter autem nec de fœdere inter ſpiritum ſanctum & homines percuſſo, ut cætera nunc omittam, quicquam legitur. Quæ vero loca proferunt adverſarii, in quibus putant ſcriptum eſſe, Chriſtum nobis placaſſe Deum; ea de Patre ipſimet ſolent interpretari, non de Spiritu ſancto, de quo nullum producunt teſtimonium. Neque aſſerere iidem ſolent, Chriſtum pro nobis interpellare apud Spiritum Sanctum; ſed apud Deum Patrem. Unde Johannes ait 1. Joh. 2. 2. *Nos habere advocatum apud Patrem, Jeſum Chriſtum, illum juſtum, qui ſit propitiatio pro peccatis noſtris.* Reſtat ergo, ut non tota Trinitas, ſed ſolus Pater nomine *Dei*, in loco noſtro intelligatur; atque ita Deus ille unus, & Pater, pro eodem habeantur. Sed quid multis opus? ipſa ſimilitudo hujus loci cum iis, quos ſuperiùs excuſſimus, in quibus *unius Dei* nomine Pater intelligitur, aut *unus* ille *Deus* Pater eſſe dicitur, eundem hîc quoque intelligi, ſatis unumquemque, qui veritati pertinaciam opponere nolit, docet. Quò accedit, quòd, ut in locis 1. Cor. 12. & Epheſ. 4. Oſtendere voluit Paulus, eundem eſſe Deum omnium Chriſtianorum, non alium horum, alium illorum: ita hîc docere vult, eundem eſſe omnium omnino hominum Deum; qui proinde eodem modo erga omnes ſit affectus, eatenus nimirum, quatenus omnes cupiat ſervari, & ad agnitionem veritatis pervenire: non verò hos quidem ſervari, cæteros verò perire. Unde etiam unum ad homines mediatorem miſit, qui cum omnibus, ipſius nomine, idem fœdus percuteret, ac ſanguine ſuo ſanciret; & ſic omnes ex ſervitute peccati ac mortis, veluti pretio dato, eximeret, omnibuſque ſummam illam Dei erga ipſos benevolentiam teſtatam faceret.

* Vide inter alia non pauca, Joh. 8. 26, 27, 28. † Caſtellio.

De loco Rom. 3. 30.

Hic autem locus illius etiam nos admonet, qui extat apud eundem Apoſtolum Rom. 3. 30. ubi oſtenſurus, Deum omnes homines, Judæos ſimul ac Gentes, peræque ex fide juſtificaturum, ita ait: *quandoquidem unus [eſt] Deus, qui juſtificabit circumciſionem* (hoc eſt circumciſos ſeu Judæos) *ex fide, & præputium,* (hoc eſt præputiatos, ſeu gentiles) *per fidem.* Loquitur autem de illo Deo, de quo eò uſque multa dixerat, & cui juſtificandi actionem adſcripſerat. Quem quidem a Chriſto aliquoties apertiſſimè diſtinguit, de eo inter alia vers 25. aſſerens, quòd Chriſtum conſtituerit propitiatorium. Hunc autem non niſi Chriſti Patrem eſſe, omnes agnoſcere videntur. Certè nec totam Trinitatem eſſe, nec ipſum Chriſtum, nec Spiritum ſanctum, partim iiſdem, partim ſimilibus rationibus oſtendi poteſt, quibus in proximo loco ſumus uſi, quemadmodum cordatus lector per ſeipſum intelliget. Quare diutiùs immorari hîc nolumus: præſertim quia hunc locum mantiſſam tantùm prioris eſſe volumus.

Cap. VII.

Septimum argumentum ex iis locis ductum, in quibus nomine *ſolius Dei*, aut *ſolius ſapientis Dei*, aut *ſolius heri Dei*, ſolus Jeſu Chriſti Pater deſignatur.

Quamquam ex ſingulis iſtorum locorum, in quibus hujuſmodi ratione ſolus Jeſu Chriſti Pater deſignatur, argumenta ducere poſſemus: tamen quia argumenta ſunt inter ſe ſimilia, ea pro uno cenſebimus. Ita verò concludere licet: Si per *ſolum Deum*, aut *ſolum ſapientem Deum*, aut *ſolum herum Deum*, ſolus Pater alicubi intelligitur, (intelligi autem poſtea docebimus) neceſſe eſt ſolum Patrem eſſe Deum illum, nempe ſummum, ſapientem, herum. Neceſſe enim eſt, ut ſimpliciter dicere poſſim, *ſolus Deus*, aut *ſolus ſapiens Deus*, aut *ſolus herus Deus* eſt Pater: & vice verſa, Pater eſt *ſolus Deus*, Pater eſt *ſolus ſapiens Deus*, aut *ſolus herus Deus*. Alioquin hæc non ponerentur pro Patre tanquam æquipollentia; ſeu non ſolum Patrem ſignificarent, ſed quempiam etiam alium. Utram autem ex his enunciationibus ſumſeris, noſtra ſententia ſtabilietur. Si priorem; dici abſolute ac ſimpliciter non poteſt, ſolum Deum, aut ſolum ſapientem, aut ſolum herum Deum eſſe Patrem, ſi latiùs patet nomen *ſolius Dei*, &c. quàm Pater, ſeu ſi quiſpiam alius etiam, præter Patrem, eſt ſolus Deus, aut ſolus ſapiens Deus, aut ſolus herus Deus. Neque enim anguſtius de latiori ſimpliciter enunciatur; ſed contrà. Si poſteriorem enunciationem ſumas; oſtenſum eſt ſuprà in defenſione primi argumenti, id perinde eſſe ac ſi diceres, ſolus Pater eſt Deus, ſolus Pater eſt ſapiens ille Deus, aut herus Deus. Cum enim quiſpiam dicitur eſſe is, cui ſoli aliquid conveniat; perinde eſt, ac ſi diceres, idem attributum illi, qui primò nominatur, ſoli convenire.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nire. Ut ſi dicam: Deus eſt ſpiritus ille, qui ſolus ab omni æternitate extitit; perinde eſt, ac ſi dicerem, ſolus Deus eſt ſpiritus ille, qui ab omni æternitate extitit; & ſic in cæteris.

CONFIRMATIO AC DEFENSIO ARGUMENTI.

UT autem oſtendamus, iſtiuſmodi ratione Patrem ſolum alicubi deſignari, incipiemus ab eo loco, in quo *ſolius ſapientis Dei* fit mentio, utpotè valdè claro, & ad id, quod probandum eſt, aptiſſimo. Is verò extat ſub ipſum Epiſtolæ ad Romanos finem Rom. 16. 27. ubi ait Apoſtolus: *Soli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui honor, & gloria, in ſecula ſeculorum.* Hoc loco *ſolius ſapientis Dei* nomine nullum intelligi alium, quàm Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, haud difficulter intelligi poteſt. Clarum enim eſt, eo nomine nec Chriſtum intelligi; cùm a ſolo ſapiente Deo apertiſſimè diſtinguatur; idque tanquam media gloriæ atque honoris cauſſa, ab ultimo ejuſdem ſcopo atque objecto; neque etiam totam, quæ ab adverſariis ſtatuitur, Trinitatem. Aliàs Chriſto, qui in ea Trinitate contineretur, per ſeipſum, tanquam per mediam cauſam, gloria tribueretur. Nam quod ad effugium duarum naturarum attinet; id non magis hîc, quàm in ſuperiori teſtimonio locum habet: cùm hîc Chriſtus conſideretur ratione habita officii, quod ſuſtinet; cujus reſpectu media eſt cultûs divini cauſſa. Unde adverſarii ipſi vulgò ſtatuunt, cùm per Chriſtum dicimur Deum colere ac venerari, Chriſtum tanquam mediatorem conſiderari. Mediatoris autem, ut & cætera officia, non niſi perſonæ quà talis eſt, conveniunt. Quare vel humanam Chriſti naturam perſonam eſſe, & Jeſu Chriſti nomine intelligendam, dicere oportet; vel ſtatuendum, Chriſtum etiam ſecundùm divinam naturam hîc conſiderari; aut hanc primò ac directè Jeſu Chriſti nomine hîc intelligi, quemadmodum præcedenti capite eſt oſtenſum. Reſtat ergo, ut nomine ſolius ſapientis Dei certa quædam perſona divina, & quidem Chriſto ſuperior, intelligatur. Dignior enim eſt is, cui tanquam ultimo ſcopo gloria tribuitur, cauſâ mediâ, per quam ei cultus exhibetur. Talis verò perſona nulla eſt præter Patrem. De ſpiritu ſancto fruſtra hîc cogitaveris. Nam, ne illud nunc urgeam, quòd ne perſonam quidem ſpiritum ſanctum eſſe conſtet; illud certum eſt, ſpiritum ſanctum non eſſe perſonam perſonâ Chriſti digniorem. Talem autem eam eſſe docuimus, cui per Chriſtum gloria tribuitur. Præterea Patrem quidem per Chriſtum coli, tum ex ſacris literis (vid. inter alia Eph. 5. 20. Col. 3. 17.) tum omnium confeſſione manifeſtum eſt. At ſpiritum ſanctum per Chriſtum coli, quis ſacrarum literarum locus, non dico aſſerit, ſed indicat? Imò tantum abeſt, ut per Chriſtum colendus dicatur, ut ne ſimpliciter quidem gloria illi, eo præſertim pacto, quo hîc intelligitur, tribuenda eſſe dicatur; vel ab aliquo ſaltem homine tributa legatur, de quo infrâ ſect. 3. cap. 2. plura. Nec ſanè ulla eſt cauſſa, cur, ſi certa hîc perſona ſit intelligenda, Patre præterito ſpiritum ſanctum intelligi velimus: cum Deo hoc loco gloria tribuatur tanquam primo ſalutis, rerumque ad eam pertinentium auctori. Patri autem omnia iſta, tanquam primo auctori, ſi non ſoli, ſaltem potiſſimùm adſcribi ſolere, adverſarii non diffitentur, & ex illo Pauli loco 1. Cor. 8. 6. apertiſſimum eſt, ubi Patrem eum eſſe dicit, *ex quo omnia.* Unde etiam eum ultimum cultûs & honoris, qui a nobis proficiſcatur, finem conſtituit. Idem enim eſt ille, ex quo omnia, & in quem omnia Rom. XI. ult.

Secundus ex tribus iſtis locis extat apud Johannem cap. 5. 44. ubi ita inter alia Judæos alloquitur Chriſtus, *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis: & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?* Quo in loco Patrem nomine ſolius illius Dei intelligi, primùm totus contextus oſtendit, in quo Chriſtus nunc Deum, nunc Patrem ſuum promiſcuè commemorat, nec ulla vel minima eſt cauſſa, cur ſuſpicemur, Chriſtum ab una perſona ad aliam in eadem oratione tranſiiſſe: cum omnia, quæ Deo illi tribuuntur, Patri rectiſſimè adſcribi, nemo negare queat. vide verſic. præced. & ſeqq. imò totum illud cum Judæis colloquium, initio facto a verſic. 17. Deinde Chriſtus de eo loquitur Deo, quem Judæi pro Deo agnoſcebant, & de quo inter eos conſtabat, gloriam ab eo proficiſcentem quærendam eſſe, utut eam quærere negligerent. Loquitur enim de re, quæ fidem in ipſum (nempe Chriſtum) antecedere debeat; quâ quia carebant Judæi, ideo ad fidem in Chriſto collocandam, ab ipſomet hîc inepti pronunciantur. Atqui nullum alium, præter eum, quem Chriſtus Patrem ſuum appellabat, pro Deo tunc agnoſcebant Judæi. Quòd enim illi vel Trinitatem pro Deo habuerint, vel Filium, aut Spiritum ſanctum, nemo arbitror eſt, qui aſſerere auſit. At de Patre Chriſtus id affirmat infrà cap. 8. 54. ubi ait: *eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quòd Deus veſter ſit.* Conſtat ergo hoc loco, ſolum illum Deum eundem eſſe cum Patre, nec latiùs illum, quàm hunc patere.

Tertius locus extat apud Judam ℣. 4. qui ſi Græca ipſius verba inſpicias, ait, falſos doctores, jam tum in Eccleſiam ſubingreſſos, *ſolum herum Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negare.* Docuimus enim jam alibi *, per *ſolum* illum *herum Deum*, non Chriſtum, ut multi ex adverſariis exiſtimant, ſed quempiam alium intelligi. Nam primùm ſi Chriſtum intellexiſſet, nil fuiſſet opus, poſtquam eum appellaſſet *ſolum herum Deum*, eundem nominare *Dominum noſtrum*; præſertim cum vox *heri* vim omnem vocis *Domini* complectatur. Deinde non poteſt Chriſtus *ſolus herus Deus* appellari; cùm Pater ipſius ita Herus ſit ac dicatur, ut hoc ipſo nomine deſignatus, a Chriſto diſtinguatur vid. Luc. 2. 29. & deinc. Act. 4. conf. ℣. 24. cum. 27. & 30. Neque verò uſpiam Chriſtus in toto Novo Teſtamento *herus* dicitur; ſed Pater ita appellatus reperitur. Nec mirum, quia in magna illa Dei domo, Chriſtus non pater eſt, ſed filius patris familiâs; & caput habet Deum, ut ſuo loco dicetur. Pater familiâs autem caput aliud in domo non habet, ſed in ea ſupremus dominus eſt ac rector. Quòd verò quidam articuli unitatem urgent, qui verbis illis, *ſolum herum Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, ſit præfixus, nihil agunt. Unitas enim articuli pluribus nominibus præfixi, non protinus identitatem rei arguit, ſed ſæpe aliquam tantùm rerum diverſarum affinitatem aut conjunctionem, qualis v. g. eorum eſt, quæ ad eandem actionem concurrunt, aut circa quæ eadem actio verſatur. Vide Matth. 3. 7: 16. 1, 6: 17. 1, 27: 27. 56. Eph. 2. 20: 3. 5: 4. 11: 1 Theſſ. 1. 8: Heb. 9. 19. Viri ſanè quidam inter adverſarios eruditiſſimi, cùm in hoc argumento articuli unitatem urſiſſent, alibi rationem inde petitam parùm firmam eſſe pronunciant †. Conſtat ergo Chriſtum illic *ſolius heri Dei* nomine non intelligi.

Porrò autem nec Trinitatem, quæ ſtatuitur, totam eo nomine intelligere poſſumus. Alioquin quid opus fuiſſet, poſtquam dictum eſſet, eos Trinitatem totam, hoc eſt, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum negare, addere nominatim, eos Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negare? quaſi non ſatis id dictum fuiſſet, cùm aſſertum fuit, eos totam Trinitatem negare. Dices, totam Trinitatem non niſi confuſe, ac proinde obſcurè, appellatione *ſolius heri Dei* ſignificari. Quare explicationis cauſſa aliquid fuiſſe addendum diſtinctius. Reſpondemus, ſi ratio iſta aliquid haberet momenti, non tantùm Domini Jeſu Chriſti, ſed & Patris & Spiritus ſancti expreſſam mentionem fuiſſe faciendam: cùm illi non minùs indiſtinctè ac confuſè, ſi iſtorum ſententia vera eſt, nomine *ſolius heri Dei* ſignificentur, quàm Chriſtus. Ut taceam, ſi Chriſtus a ſolo illo hero diſtinctus eſt; conſentaneum eſſe, perſonam perſonæ conjungi, non verò tribus perſonis confuſe

* Lib. de Deo cap. 14. † Conf. annotat. Bezæ ad verba Eph. 4. 11. *Paſtores & Doctores*: & illa cap. 5. 5. *Dei & Chriſti.*

ſumtis,

ſumtis, unam perſonam, & quidem ex trium iſtarum numero, ſubjici. Porrò, ſi certa aliqua perſona intelligenda eſt; quis eſt, qui ſpiritum ſanctum, (ut eum nunc perſonam eſſe largiamur) Patre præterito, cum Chriſto, tanquam eum qui imperet, conjunctum eſſe, eique non modò verborum ordine, ſed etiam tituli dignitate præpoſitum, aſſerere audeat? Sacræ enim literæ Patrem, tanquam ſummum Monarcham, cum Chriſto plurimis in locis, nulla ſpiritus ſancti factâ mentione, conjungunt, eumque Chriſto, & verborum ordine, & tituli dignitate præponunt: Spiritum ſanctum, Patre præterito, cum Chriſto, tanquam dominum ac principem nunquam conjungunt, & ne aliàs quidem, niſi fortè rariſſimè; nedum ut eum verborum ordine aut tituli dignitate Chriſto præponant. Ut taceam, Patrem expreſſe Herum appellari, ſpiritum ſanctum nuſpiam; nedum ut *ſolius heri* nomine fuerit inſignitus. Quin nec *Dei* nomen ullibi ei tributum legitur. Qua de re inf. hoc lib. ſect. 3. c. 1.

Cap. VIII.

Argumentum octavum ex viſionibus, apud Danielem, & in Apocalypſi Johannis extantibus, ductum.

Locis hucuſque allatis addendæ ſunt viſiones duæ, inter ſe admodùm ſimiles, ex quibus unam tantùm Dei altiſſimi perſonam eſſe apparet. Unde protinus etiam intelligitur, Deum illum ſummum nullum eſſe alium, præter Patrem Jeſu Chriſti. Quandoquidem hic, omnium confeſſione, divina perſona eſt; & cæteræ, quæ itidem ſupremæ divinitatis perſonæ eſſe creduntur, eſſe non poſſunt, niſi ille divina perſona ſit: ſiquidem is cæterarum fons ac principium eſt, & quicquid in illis divinitatis eſt, id ab ipſo eſt. Quare ſi una tantùm divinitatis ſupremæ perſona eſt, ſolus Pater perſona eſt ſupremam divinitatem habens. Ut taceam, ex illis ipſis, quas adducemus, viſionibus, ſi cum aliis ſcripturæ locis conferantur, ſatis intelligi, Deum illum, qui ſe quodammodo conſpiciendum præbuit, non niſi Patrem eſſe. Earum verò viſionum prior extat apud Danielem cap. 7. 9. & d. ubi dicitur, antiquum dierum, hoc eſt Deum illum, qui ab omni æternitate extitit, ſediſſe, ad eumque cum nubibus cœli veniſſe quaſi filium hominis, & ab eo poteſtatem, & honorem, & regnum accepiſſe. Poſterior verò extat Apoc. 4. & 5. capp. ubi itidem deſcribitur, quomodo Deus ille omnipotens & æternus, creator omnium, in throno ſederit, & poſtmodum ad eum venerit Agnus, atque ab eo acceperit librum, quem nemo alius aperire atque inſpicere dignus fuerit, librum, inquam, arcanorum Dei de rebus futuris decretorum. Utrobique autem Deus ille ſummus atque æternus, qui per ſedentem in throno intelligitur, tanquam una perſona depingitur, & à Chriſto apertiſſimè diſtinguitur, idque etiam tum, cùm divinus Chriſto honor tribuitur, aut tribuendus eſſe dicitur. Nam & apud Danielem dicitur, ei, qui quaſi filius hominis ad antiquum dierum acceſſerit, ab eo datum eſſe honorem; & omnes populos, tribus, & linguas ipſi ſervituras. Ubi ſanè non de civili honore aut ſervitute Chriſto præſtanda, ſed de religioſa ac divina ſermo eſt. Et in Apocalyſi ſcribit Johannes: *Omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo omnes (Gr. in iis omnia,) audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum* c. 5. 13. Quin etiam antea à quatuor animalibus, & viginti quatuor ſenioribus, itemque ab angelis, Angno ſeparatim laudes fuerunt dictæ; quemadmodum ſuperiùs ib. ℣. 8. & d. ſeparatim ſedenti in throno cap. 4. 8, & d. Atqui ſi plures eſſent Dei altiſſimi perſonæ, & inter eas nominatim Chriſtus; plures etiam tanquam in throno ſedentes, fuiſſent exhibitæ; nec Chriſtus ita fuiſſet a ſedente in throno, ſeu Deo illo æterno atque omnipotente, diſtinctus, quin appareret, ipſum quoque in throno ſedere, & Deum illum omnipotentem atque æternum eſſe.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Quòd ſi quis dicat, eſſentiam tantùm divinam, quæ una ſit numero, ſub imagine ſedentis in throno fuiſſe exhibitam, non perſonam aliquam; is non parùm fallitur. Nam præterquam quòd ipſa imago ſedentis in throno, perſonæ imago revera eſt, & perſonæ quidem unius; actiones, quæ ſedenti in throno tribuuntur, eum omnino ſuppoſitum, ut vocant, intelligens, hoc eſt perſonam eſſe demonſtrant. Cum actiones non niſi ſuppoſitorum eſſe vulgò in ſcholis dicantur: actiones autem illæ, quæ ſedenti in throno tribuuntur, non niſi intelligenti naturæ convenire poſſint. Ut taceam, quàm plurima ſac. literarum teſtimonia, de quibus infrà ſect. 2. c. 18. dicendi locus erit, cum his collata, ſatis docere, Patrem Jeſu Chriſti per eum, qui in throno ſedeat, intelligi. Hunc enim Chriſto poteſtatem, honorem, regnum, cæteraque omnia dediſſe manifeſtè aſſerunt: alium quempiam Chriſto ea omnia dediſſe nuſpiam dicunt.

Non eſt autem, quòd quis ad diſtinctionem Chriſti & ſedentis in throno dicat, illum tantummodo ſecundùm humanam naturam ab hoc diſtingui: at ſecundùm divinam cum ipſo eundem eſſe. Nam primùm, ſi Chriſtus ſecundùm naturam potiorem, ſecundùm quam ſolam perſona eſſe creditur, idem cum ſedente in throno eſſet; non poſſet ab eo ſimpliciter diſtingui. Id enim perinde eſſet, ac ſi ſimpliciter negaretur eſſe ſedens in throno. At de toto ſimpliciter non poteſt negari id, quod de eodem ſimpliciter, ob alteram naturam aut partem, aſſerendum eſt, etiamſi ei ſecundùm alteram naturam, præſertim minùs præſtantem, non inſit; ut ex iis intelligetur, quæ infrà ſect. 2. cap. 3. dicentur. Quî, quæſo, fieri potuiſſet, ut in tota viſionis utriuſque deſcriptione, ne minimum quidem extaret indicium, unde appareret, Chriſtum cum ſedente in throno eundem eſſe; & diverſitas quidem naturarum eſſet apertiſſimè expreſſa, unitas autem, in cujus cognitione non minus eſſet ſitum, nullo modo? Deinde cùm Chriſto, quatenus a ſedente in throno diſtinguitur, actiones ſuppoſitorum intelligentium ſeu perſonarum propriæ tribuantur, ut ex ipſis viſionibus, præſertim poſteriore, manifeſtum eſt; apparet, eum, quà perſona eſt, conſiderari, atque a ſedente in throno diſtingui. At perſona Chriſti adverſariis eſt illa ipſa, quam ſecundam Trinitatis faciunt; quæ eſt ipſa natura divina ſubſiſtentiam ſuam habens. Quare hanc quoque, ſi ſibi conſentanea loqui velint adverſarii, a ſedente in throno diſtinctam eſſe, illis fatendum eſt: vel, ſi hoc fateri nolint, nobiſcum aſſerendum, Chriſti perſonam non eſſe ſecundam Trinitatis ab ipſis aſſertæ. Præterea quis credat, cùm Chriſto fuit divinus honor tributus, eum tantùm ſecundùm naturam minùs præſtantem fuiſſe conſideratum, & non potiùs totum, aut ſecundùm naturam illo honore maximè dignam? Atqui cùm ei honor ille tribuitur, apertiſſimè conſideratur, ut a ſedente in throno diſtinctus. Quare Chriſtum totum, etiam ejus, ſive naturæ, ſive partis reſpectu, quæ in ipſo eſſet præſtantiſſima, a ſedente in throno diſtinctum eſſe oportet. Denique ſi Chriſtus ſecundùm divinam naturam unus idemque cum ſedente in throno eſſet; vel plures perſonæ in throno ſedentes, Patris nempe, & Filii, (ne de Spiritu ſancto nunc quicquam dicam) exprimendæ fuiſſent; vel ſtatuendum eſſet, Patrem & Filium non tantùm eſſentiâ, ſed & perſonâ eundem eſſe. Quandoquidem dubium eſſe non poteſt, Patris perſonam per ſedentem in throno expreſſam eſſe. Atqui eandem eſſe Patris & Filii perſonam omnes tanquam Sabellianum rejiciunt, & meritò damnant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. IX.

Breviter indicantur plura argumenta, quibus oſtenditur, ſolum Patrem Jeſu Chriſti eſſe Deum ſupremum.

PRæter argumenta hucuſque allata, non pauca poſſunt afferri alia; ſed quia cum illis ferè ſunt conjuncta, quæ ſecunda & tertia ſectione a nobis producentur; ideo breviter tantùm a nobis hoc loco indicabuntur; nec omnia tamen, ſed ſolùm potiora.

Nonum ergo ſententiæ noſtræ argumentum conſtitui poteſt, quòd nomen *Dei*, aut *Domini*, cùm pro voce *Jehova* aut *Adonai* uſurpatur, innumeris ſcripturæ locis tanquam Patris proprium ſumatur, ita minirum, ut is ſolus eo nomine, ſive ſimpliciter poſito, ſive cum epitheto aliquo, ut *veri, vivi, omnipotentis*, & quæ ſunt his ſimilia, elato intelligatur, & hac ipſa appellatione deſignatus, a Chriſto aut Spiritu ſancto, aut ab utroque ſimul diſtinguatur. Id enim non fieret, ſi non Pater tantùm eſſet ſupremus ille Deus, ſed etiam Filius ac Spiritus ſanctus. Qua de re vide, quæ dicturi ſumus infrà ſect. 2. cap. 1. & ſect. 3. cap. 5. & ſi libet, etiam cap. 9, 10, 11, 12. libri noſtri de Deo & ejus attributis.

Decimum argumentum conſtitui poteſt, quòd ſolus Jeſu Chriſti Pater a ſeipſo ſit, nec a quopiam alio vel naturam, vel quicquam divini acceperit, id quod Dei ſupremi eſt proprium. Cum quo illud conjungi poteſt, quòd ſolus Pater ſit, ut vulgò loquuntur, fons divinitatis. Ab eo enim ipſe quoque Filius divinitatem ſuam habet, ut tum res ipſa loquitur, tum adverſarii vulgò fatentur. Ab eodem etiam procedit Spiritus ſanctus. Et licèt Latinæ Eccleſiæ ſtatuant, Spiritum ſanctum a Patre & Filio ſimul procedere, quod ſi rectè intelligatur, concedi non tantùm poteſt, ſed etiam debet: illud tamen partim ex ſacris literis, partim ex ipſorum adverſariorum ſententia patet, non poſſe Filium eſſe primam Spiritus ſancti originem, quam fontis nomine hîc intelligimus, ſed a priori alia profectam. Qui enim ipſemet aliunde fluit, ac divinitatem ſuam accipit, is non poteſt eſſe prima divinitatis alienæ ſcaturigo. Et ſane quicquid in ſac. Literis dicitur, quod eò pertineat, ut intelligamus, ſpiritum ſanctum etiam a Filio procedere, id in eo revera continetur, quòd Filius ſpiritum ſanctum mittat, atque in fideles ſuos effundat. Atqui Filius Spiritum ſanctum mittit a Patre, ut ipſemet expreſſe aſſeruit Joh. 15.26. & rogaturum ſe aliquando dixit Patrem, eumque alium Paracletum diſcipulis miſſurum, Joh. 14. 16. & promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre effudit in fideles tam præſtans donum, ut teſtatur Petrus Act. 2. 33. confer. etiam Luc. 24. 49. & Joh. 7. 39. Itaque Græcæ Eccleſiæ, licèt alioqui de Spiritus ſancti perſona cum Latinis conſentiant, ab iis tamen ea in parte diſcedunt, quòd Spiritum ſanctum non a Patre & Filio, ſed a Patre per Filium, aut procedere, aut mitti dari ve dicunt, quæ loquendi ratio ad veram ſententiam exprimendam eſt accommodatior. Patet ergo, ſolum Jeſu Chriſti Patrem eſſe divinitatis fontem, ſeu primam originem, ac porrò ſolum ex quo ſint omnia; id quod ſupremi Dei proprium eſt. Nam ut ſolus Deus ſupremus eſt is, ex quo ſunt omnia: ita is ſolus, ex quo ſunt omnia, Deus ſupremus eſt. Plura ad hoc argumentum pertinentia vid. infrà ſect. 2. cap. 2, & 3. & ſect. 3. cap. 11.

Undecimum argumentum patet latiſſimè, & in multa diſtingui poteſt. Omnia enim Sacræ Scripturæ loca huc pertinent, in quibus aliqua Patri præ Chriſto prærogativa tribuitur. Huc ſpectant primùm ea ſac. literarum teſtimonia, in quibus Pater aut expreſſe major Chriſto, vide ſect. 2. cap. 14. aut Chriſti caput ibid. cap. 24. aut Deus Chriſti appellatur ib. c. 23. quin & illa, quibus Pater Chriſto mandata dediſſe ib. c. 16. Chriſtumque ejus ſervum ac miniſtrum fuiſſe, ejus mandatis paruiſſe, & ejus voluntati ſuam ſubjeciſſe dicitur ibid. c. 12. Itemque illa, ubi Chriſtus dicitur eſſe Dei ib. c. 25. eſſe Dei mediator ib. c. 27. Dei ſacerdos ib. c. 28. miſſus a Patre ib. c. 5, & 15. veniſſe ut Patris voluntatem, non ſuam faceret ib. c. 16. Pertinent huc & illa, quibus Chriſtus profitetur, non ſe, ſed Patrem primum operum admirandorum, quæ ederet, autorem eſſe ib. c. 3, & 19. ſuam doctrinam non ſuam, ſed Patris eſſe ib. c. 4. qui in ſe credat, non in ſe credere, ſed in eum, qui ſe miſerit, nempe Patrem ib. c. 8. quibus & illa ſunt ſimilia, quæ docent, Patrem per Chriſtum coli, & ad Patris gloriam, tanquam ad ultimum ſcopum referri ea, quæ Chriſtus vel habet divina, vel præſtat, vel viciſſim a nobis illi præſtantur ib. c. 19. Chriſtum preces ad Patrem fudiſſe ib. c. 17. Patrem reſuſcitationis Chriſti verum eſſe auctorem ibid. c. 29. Patrem exaltaſſe ibid. c. 18. ac glorificaſſe Chriſtum, atque adeò omnia ei largitum eſſe: Patri Chriſtum traditurum aliquando eſſe regnum, eique ſubjectum futurum ibid. c. 24. Patrem per Chriſtum omnia feciſſe aut facere ibid. c. 19. Docebimus autem ſuis locis, dum iſta, quæ enumeravimus, Patri adſcribuntur, prærogativam ei præ Chriſto toto, non verò ſecundùm alteram tantùm naturam conſiderato, tribui; ac porrò etiam Spiritu ſancto eum eſſe majorem. Quod vel inde perſpici poteſt, quòd ea, quæ enumeravimus, & Patri abſolutè ſoleant adſcribi, & nuſpiam Chriſto, reſpectu nimirum naturæ alicujus potioris, nuſpiam Spiritui ſancto adſcribantur. Adde his & alia, quæ ab ipſis adverſariis ex parte ſunt obſervata; ut quòd Pater, non Chriſtus, non Spiritus ſanctus, homines prædeſtinaſſe, & vel ante conditum mundum, vel a jactis mundi fundamentis quippiam cuiquam decreviſſe legitur ib. c. 10. vid. Mat. 20. 23: 22. 1, & d. 25. 34. Rom. 8. 29, & d. Gal. 1. 15, 16. Eph. 1. 3, & ſeqq. uſque ad ℣. 13. Omnis gloria, omnis felicitas, ſive Chriſto, ſive ejus fidelibus deſtinata, a Patre primùm decreta parataque eſt. Omnis ab illo ſalutis noſtræ ratio pendet. Quid verò de creatione cœli & terræ dicam? Hanc utut adverſarii etiam Chriſto ac Spiritui ſancto aſſerere conentur; ipſi tamen dicere ſolent, eam Patri peculiari ratione, non ſecùs ac ſi ipſius propria eſſet, adſcribi ſolere; quo pacto Filio tribuatur Redemtio, Spiritui ſancto ſanctificatio: qua de re nonnihil dicemus infra ſect. 3. cap. 7. Hinc & in Symbolo, Apoſtolico dicto nec Chriſto, nec Spiritui ſancto Creatio cœli & terræ adſcribitur, ſed Patri tantùm. Ita enim dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotem, creatorem cœli & terræ. Et in Filium ejus unigenitum*, &c. non ipſum Chriſtum creatorem, ſed creatoris filium unigenitum confitentes. Neque verò ſac. Literæ uſpiam Chriſto creationem cœli ac terræ adſcribunt, &, cùm creationem ei tribuunt, non modò de creatione nova, ſeu certa quadam reformatione rerum loquuntur, verùm etiam nuſpiam dicunt, ipſum Filium creaſſe omnia, ſed per ipſum, aut in ipſo eſſe creata omnia. Denique cùm vel de religione ac cultu divino univerſo, vel de certis illius partibus loquuntur ſac. Literæ, ita Patrem commemorare ſolent, ut ſatis appareat, hunc eſſe eum, cui omnibus ſeculis ab omnibus hominibus cultus fuerit exhibendus, & a piis omnibus exhibitus, & in quem ſolum omnis honor ultimò ſit referendus. Unde etiam poſt exaltatum Chriſtum, is tamen mos in Eccleſiis Chriſtianis obtinuit, ut preces publicæ plæræque ad Patrem dirigerentur, paucæ ad Filium, rariſſimæ, præſertim ſi preces ab hymnis diſtinguas, ad Spiritum ſanctum; qua de re alibi inf. ſect. 3. c. 2. nonnihil dicemus. Unde preces Eccleſiaſticæ ut plurimùm ita finiri ſolent, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, nonnunquam & Filii nomine præfixo, per quem nimirum ut mediatorem, & ſacerdotem, ad ipſum Patrem preces funduntur; licèt nos alioqui non modò libenter fateamur, ad Chriſtum ipſum preces fundi poſſe, ſed ſæpe etiam debere, contendamus; & in Eccleſiis noſtris id creberrimè ipſi faciamus. Sed tamen iſta, quæ in univerſo Chriſtiano orbe per tot ſecula duravit, conſuetudo, quam ne dogma quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illud vulgare de tribus ſupremi Dei perſonis tollere potuit, teſtimonium præbet noſtræ de uno Deo Patre ſententiæ. Hujuſmodi enim Patris præ Filio & Spiritu ſancto prærogativa, illum ſolum ſupremum eſſe Deum evincit. Ipſa nempe veritas ſeſe animis hominum, etiam ſibi reluctantium, inſinuavit, & ſuæ claritatis radios iis immiſit, nec ſe penitus errorum nebulis obſcurari paſſa eſt. Nam undique apparent indicia atque argumenta, ex quibus patet, ſolum Patrem eſſe eum, *ex quo omnia, & per quem omnia, & in quem omnia*, ut de Deo ſummo Paulus Rom. 11. 36. loquitur, hoc eſt cujus conſilio ac decreto omnia primùm conſtituantur; cujus efficaci providentiâ ac virtute omnia perficiantur; in quem denique tanquam ultimum finem omnia tendant. Facilè id obſervabit paulò diligentior ſac. Literarum lector, præſertim ita monitus, ſi & rerum, quæ Patri, Filio, ac Spiritui ſancto tribuuntur, & rationis, quâ eæ illis tribuuntur, ac porrò modorum loquendi, qui de iis uſurpantur, diverſitatem attenderit.

Addi poſtremò & illud poteſt, quòd nullus alius eſt ſupremus ille Deus, quàm qui olim dictus fuit Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Deus Iſraëlitarum. Hic autum nullus eſt alius, quàm Pater Jeſu Chriſti. Unde nonnulli ex doctioribus adverſariis * ſcripſerunt, eum, qui olim Deus Abrahæ & Patrum appellari voluit, nunc proprio elogio vocari Patrem Chriſti, titulus nimirum ſeu deſcriptio mutata fuit, perſonâ manente eâdem. Hinc Deus ille Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Deus Patrum, ſimpliciter ita appellatus, pro ſolo Patre manifeſtè ponitur Act. 3. 13, ita enim inquit Petrus: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Jeſum.* Si non Pater ſolus, ſed & Filius, & Spiritus ſanctus, erat ille Deus Patrum; cur Deus ille Patrum, ſimpliciter ſic appellatus, dicitur reſuſcitaſſe *Filium ſuum?* Num fortè Chriſtus eſt ſui ipſius, uti & Spiritus ſancti, Filius? Cur etiam D. Auctor ad Hebræos, ut alios nunc prætercam, *Deum* illum, qui *multifariam multiſque modis olim loquutus eſt Patribus in Prophetis*, qui nimirum ſubinde Deus Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, aut Deus Iſraëlitarum appellatur; cur, inquam, hunc ſimpliciter ita appellatum pro Patre poſuit? Addit enim, eum *noviſſimè diebus iſtis loquutum eſſe nobis in Filio.* An non indicavit, eundem eſſe Deum illum, qui in toto Vet. Teſtamento loquens introducitur, quique Deus Patrum appellatur, & Patrem Chriſti, nec latiùs illam, quàm hanc appellationem patere? Certè plus quam Lynceum eſſe neceſſe eſt, qui Chriſtum, ne (de Spiritu ſancto nunc quicquam dicam) ſub Vet. Fœd. pro Deo ſummo habitum ac cultum fuiſſe, in ejus Fœderis ſcriptis deprehendere velit: adeo magnum ea de re ſilentium illic eſt. Sed de his hactenus.

SECTIO SECUNDA.

In qua oſtenditur, Chriſtum non eſſe Deum illum ſupremum, ut intelligatur, ſolum Patrem Deum illum ſummum eſſe.

IN præcedenti ſectione ea produximus loca, quæ inprimis oſtendunt, & quidem directe, Patrem ſolum eſſe ſupremum illum Deum: interim tamen iſtud quoque ſimul probant, Chriſtum non eſſe eundem illum Deum; id quod ſecundo loco nobis probandum ſumſimus, cùm ad prioris demonſtrationem pertineat. Si enim Chriſtus, quod idem de Spiritu ſancto ſtatuendum eſſe poſtea docebitur, non eſt ille unus ſupremuſque Deus; relinquitur, ſolum Patrem Deum illum eſſe: cum nemo reſtet alius, de quo id vel ſuſpicari homo Chriſtianus poſſit. Oſtendimus autem, Chriſtum in omnibus illis locis a *Deo uno* diſtingui, ac proinde Deum illum unum non eſſe. Idem enim a ſeipſo diſtingueretur. Et ne quis diſtinctione naturarum ſe hîc effugere poſſe exiſtimet; in plæriſque, ex quibus etiam de cæteris judicium fieri facilè poteſt, demonſtravimus, Chriſtum ibi non conſiderari ſecundùm aliquam naturam, quæ perſona non ſit, ſed habita ratione ipſius perſonæ ſuæ, quæ ex adverſariorum ſententia Deus ille unus eſt, & ſecunda, ut illi loquuntur, Trinitatis perſona.

Verùm iſtis rationibus plures adhuc addere placet, non quòd iſtæ per ſe cuivis cordato ſufficere non poſſent aut deberent, ſed ut appareat, quot quantiſque divinarum literarum præſidiis noſtra de uno Deo Patre ſententia ſit communita. Ita enim ſpes eſt fore, ut non modò omnes cordati ab omni impietatis ac temeritatis crimine nos liberent, qui a recepta per tot ſecula ſententiam diſceſſerimus; ſed etiam mirari incipiant, ſe in tanto veritatis undique collucentis, & ſeſe ultrò omnium oculis inferentis ſplendore caligâſſe; ſeque impiè contumaces fore intelligant, ſi ad tantam ejus lucem oculos datâ operâ claudere, & veram, quam defendimus, ſententiam repudiare audeant.

Primùm igitur ea adducemus ſacrarum literarum teſtimonia, & ex iis petita argumenta, quæ potiſſimùm oſtendant, Chriſtum non eſſe illum unum ſupremúmve Deum; interim tamen ſimul Patri præ Chriſto prærogativam tribuant, & quidem ſoli, ex qua ſtatim conſtare poſſit, Patrem ſolum Deum illum ſupremum eſſe. Deinde ea ſubnectemus, quibus illud tantùm directè demonſtretur, Chriſtum Deum illum ſupremum non eſſe.

CAP. I.

Argumentum primum inde ductum, quòd Chriſtus a Deo creberrimè diſtinguatur.

QUod ergo ad prioris generis teſtimonia atque argumenta inde petita attinet; initium faciemus ab iis, quæ patent latiſſimè, & ad nomina, Chriſto, vel aliqua ratione negata, vel tributa, referri poſſe videntur: quorum quidem duo tantùm hoc loco a nobis afferentur. Prius eſt, quòd Chriſtus à *Deo* ſimpliciter poſito innumeris locis apertè diſtinguatur. Atque ut ex tanta exemplorum copia pauca proferamus, quæ de cæteris lectorem admoneant; quoties Chriſtum Dei filium appellatum legimus? Alibi eum Dei Verbum ſeu Sermonem, Dei imaginem vocatum videmus: alibi eum in principio apud Deum fuiſſe, a Deo miſſum, a Deo egreſſum, panem Dei eſſe, qui e cœlo deſcenderit, in Dei forma, Deoque æqualem fuiſſe; ad dextram Dei, aut potentiæ Dei conſediſſe, a Deo Dominum & Chriſtum factum, a Deo judicem conſtitutum eſſe, ſcriptum cernimus Joh. 3. 18. Apoc. 19. 19. 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Joh. 1. 1, 2: 6. 33. Joh. 3. 17, 34: 8. 32: 13. 13: & 16. 27, 30. Certum autem eſt, *Dei* nomine in iſtiuſmodi locis Deum ſummum intelligi. Quomodo ergo Chriſtus ipſe, Deus ille ſummus eſſe poteſt? Neceſſe enim eſſet, vel duos eſſe Deos ſummos, eum nimirum, qui *Dei* nomine ſignificaretur, & Chriſtum; vel Chriſtum a ſeipſo diſtingui, quod abſurdum eſſe omnes intelligunt.

DEFENSIO ARGUMENTI.

VErùm ad hoc argumentum duo reſponderi ſolent. Primùm, *Dei* nomine in iſtiuſmodi locis Patrem denotari. Cùm verò Chriſtus perſona ſit a Patre diverſa; non mirum eſſe, Chriſtum a Deo diſtingui. Deinde, Chriſtum ratione humanæ naturæ a Deo diſtingui, non ratione divinæ.

Prior exceptio duas potiſſimùm ob cauſſas nullius eſt momenti. Una eſt, quòd inde ſequatur, vel duos eſſe Deos ſummos, nempe Patrem, & Chriſtum; vel hos duos, licet perſonis diſtinctos, unum tamen Deum conſtituere. Prius ne adverſarii quidem concedunt. Poſterius itidem conſiſtere non poteſt, quia *Dei* nomen, perſonæ nomen eſt. Significat enim eum, qui aliis imperet; & quidem, cùm ſummum

* Calvin. ad Act. 22. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deum denotat, eum deſignat, qui ſummo imperio omnia moderetur. Hoc autem non niſi perſonæ eſt, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, ſuppoſiti intellectu præditi, quæ perſonæ definitio eſt. Quare qui unum Deum dicit ſummum, unam perſonam dicit, ſummo imperio omnia temperantem: qui plures perſonas ejuſmodi dicit, plures Deos ſummos dicit. Qua de re libro ſecundo ſect. 1. c. 1. plura. Altera cauſſa eſt, quia ſi nomen *Dei* pro Deo ſummo acceptum, Chriſto cum Patre commune eſt; nulla eſt ratio, cur pro Patre peculiariter ſumatur, & ſic Chriſtus a Deo diſtinguatur. Quomodo enim vox Patri & Filio communis, unum ab altero diſtinguet? Num rectè loqui ex illorum ſententia cenſeretur, qui Patrem a Deo ſimpliciter poſito diſtingueret? Quis unquam, verbi gratiâ legit, *Pater Dei, Pater miſit Deum, Pater dedit Deum, Deus exivit a Patre, ſi in Patrem creditis, etiam in Deum credite*; quemadmodum legimus, Chriſtum eſſe Dei filium, Deum miſiſſe filium ſuum, Chriſtum exiiſſe a Deo; & ipſe pronunciat Joh. 3. 16, 17: 13. 3: 14. 1: *Si creditis in Deum, & in me credite.* An non ipſæ aures priores illos loquendi modos, tanquam a ſacrarum literarum, imò & eorum, cum quibus nobis res eſt, conſuetudine abhorrentes reſpuunt? Quòd ſi dicas, ideò vocem communem peculiariter attribui Patri, quia is ſit fons ac principium divinitatis: ſiquidem Filius & Spiritus ſanctus ſuam ab eo Deitatem habeant: oſtendimus jam ſuprà ſect. 1. c. 1. eos qui ita reſpondent, vel ſibi contradicere, ſuumque dogma de Trinitate perſonarum in una Dei ſubſtantia evertere, vel nihil dicere, & inania nobis verba obtrudere. Quare eò lectorem remittimus.

Ad poſteriorem exceptionem quod attinet, quæ eſt, Chriſtum ſecundùm humanam naturam, non ſecundùm divinam, a Deo abſolutè poſito diſtingui; ea itidem conſiſtere non poteſt. Nam primùm docuimus jam ſuprà ſect. 1. c. 6. & 8. non poſſe Chriſtum ſimpliciter a Deo diſtingui, ſi ipſemet Deus ſupremus eſt, etiamſi tandem ſecundùm alterutram naturam non ſit. Deinde ex adverſariorum ſententia, in multis locorum a nobis adductorum, iiſve ſimilium, Chriſtus ſecundùm divinam naturam ſpectatur; ut cùm appellatur Dei Filius, aut Filius Dei unigenitus; itemque cùm in principio apud Deum extitiſſe, a Deo in mundum miſſus fuiſſe, e cœlo deſcendiſſe, a Deo exiiſſe, Deo æqualis eſſe aut fuiſſe dicitur. Plærique etiam illa huc referunt, quòd Dei imago, Dei Verbum aut Sermo appellatur, quodque in forma Dei fuiſſe perhibetur. Quare neceſſe eſt dicere, Chriſtum in ejuſmodi locis totum, quantus quantus eſt, a Deo diſtingui, non verò unius tantùm naturæ reſpectu. Ex hujuſmodi autem locis facilè de cæteris judicium fieri poteſt. Cur enim diſtinctionis ratio diverſa quæratur, ubi de eadem perſona ſermo eſt, cùm eadem ubique ratio locum habere poſſit? Quò accedit, quòd eodem modo & Spiritum ſanctum a Deo ſimpliciter poſito diſtingui infrà ſect. 3. c. 5. docebimus, quo Chriſtum ab eo diſtingui vidimus. Quòd ſi diſtinctio eadem eſt, cur non & diſtinctionis ratio; præſertim ſi eadem utrobique locum habere queat, ut adverſarii vel fatentur, vel fateri coguntur. Quam enim in ſpiritu ſancto, tertiâ, ut illi volunt, Trinitatis perſonâ ſtatuunt, eandem & Chriſto accommodari poſſe, fatendum illis eſt. At ſi ad diſtinctionem naturarum confugias; longè diverſa erit diſtinctionis utriuſque ratio. Ea enim in Spiritu ſancto locum non habet. Quare non in hac, ſed in alia re diſtinctionis inter Deum & Chriſtum ratio collocanda eſt. Nullam autem aliam excogitari poſſe docuimus, quàm ut ſolus Pater ſupremus ille Deus agnoſcatur. Et hæc de primo argumento dicta ſufficiant.

Cap. II.

Argumentum ſecundum ex nomine *Filii Dei*, ductum.

SEcundum argumentum ex eo peti poteſt, quòd Chriſtus toties in ſacris literis Dei Filius dicitur. Filius enim Dei ſupremus ille Deus eſſe non poteſt. Hoc autem ut probemus, non repetemus nunc id, quod capite præcedenti urſimus, hac ipſa appellatione Filium a Deo ſimpliciter dicto diſtingui. Non etiam illud urgebimus, quòd neceſſe ſit aliam Patris, aliam Filii ſubſtantiam eſſe: quia alioqui Pater Filius foret, & Filius Pater: cùm quiſque cum ſua ſubſtantia ſive eſſentia reipſa idem ſit. Quòd ſi verò alia eſt Filii ſubſtantia, alia Patris; Filius Deus ſummus eſſe non poteſt; niſi duos Deos ſummos ſtatuas. Non denique illud hîc urgebimus, quòd, ut rudiſſimi quique intelligunt, Filius Patre ſit poſterior tempore: Deus autem ſupremus, tempore nemine poſſit eſſe poſterior; cùm ab omni æternitate extiterit. Hæc, inquam, nunc non urgebimus, alibi urgenda lib. 2. ſect. 2. c. 1. & ſeq. ſed illud tantùm, quòd ex hac appellatione ſequatur, Patrem Filio excellentiorem eſſe. Deo autem ſupremo nemo ulla ratione excellentior eſt. Quicquid enim excellentiæ eſt, quod in ſupremam divinitatem cadere poſſit, id ab eo abeſſe non poteſt, qui Deus ſupremus eſt. Aliàs defectu aliquo laboraret. At talis excellentia eſt, a ſeipſo eſſe. Excellentior enim ac major is eſt, qui eſſentiam ſuam, & quicquid omnino habet, a ſeipſo habet, quàm is, qui ab alio & eſſentiam habet, & omnia, quæ eſſentiam conſequuntur, & ſine illa haberi non poſſunt. Jam verò Deum Patrem eſſentiam ſuam, & cætera omnia, quæ habet, a ſe ipſo habere, apud omnes conſtat; & niſi haberet, ipſe quoque alterius Filius, aut creatura quædam, non Deus ſummus foret. At Filius ob id ipſum, quia Filius eſt, eſſentiam ſuam, ac porrò etiam quicquid eſſentiam conſequitur, & ſine illa haberi non poteſt, a Patre habet. Quæ cauſa eſt, (ut hoc obiter notemus) cur Chriſtus longè ſæpiùs *Dei Filius*, quàm *Deus* in ſacris literis dicatur: nempe quia prior appellatio ita Chriſti divinitatem exprimit, ut ſimul a ſuprema illa atque independente divinitate, quæ Patris eſt, eandem diſcernat: id quod vox *Dei* non præſtat. Patet ergo Patrem Filio excellentiorem eſſe; ac porrò Filium ſupremum Deum eſſe non poſſe. Certè & ipſi adverſarii, ut non ſemel jam monuimus, vid. ſect. 1. c. 1. &. 2. & cap. præced. hujus ſect. prærogativam quandam Patris præ Filio & Spiritu ſancto agnoſcunt, quòd is ſit fons divinitatis. Unde complures ex Veteribus Eccleſiæ doctoribus, illud Chriſti Joh. 14. *Pater major me eſt*, de eo ſecundùm divinitatem acceperunt, ut inf. c. 14. hujus ſect. videbimus.

DEFENSIO ARGUMENTI.

SEd non deerunt, qui dicant, Chriſtum quidem, quà Filius eſt, ſeu habita ratione perſonæ ſuæ, a Patre eſſe; non verò, quà Deus eſt, ſeu habita ratione naturæ divinæ. Hujus n. reſpectu eum non minùs, quàm Patrem, eſſe a ſeipſo, &, ut loquuntur, αὐτόθεον. Unde conſequatur, Patri præ Filio, quà Filius eſt, non quà Deus, ὑπεροχὴν ſeu prærogativam atque excellentiam quandam competere. Hanc verò non prohibere, quominus Chriſtus Deus ſupremus ſit. Verùm hac reſponſione nihil proficiunt. Nam illud ipſum, quod fatentur, ſufficit nobis ad probandum id, quod non fatentur. Primò enim docuimus, Deo ſupremo neminem ulla ratione poſſe eſſe excellentiorem. At illi fatentur, faterique coguntur, Patrem Filio, quà Filius eſt, ſeu habita ratione perſonæ, excellentiorem eſſe. Adde, quòd Deus ſupremus nullatenus, hoc eſt nec ratione naturæ ſuæ, nec ratione perſonæ, (ut nunc iſta cum adverſariis ita diſtinguamus) ab alio eſt. Quicquid enim ab alio eſt, id a cauſſa efficiente pendet. At Deus ſupre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſupremus nullatenus a cauſſâ efficiente pendet. Quare ſi Chriſtus ratione perſonæ a Patre eſt; Deus ſupremus eſſe non poteſt. Præterea malè illi perſonam Chriſti à natura ipſius divina ita diſtinguunt, ut dicant, illam a Patre eſſe, hanc non eſſe. Siquidem perſona divina nil eſt aliud, quàm ipſa natura divina ſubſiſtens, ut libro ſecundo docebimus, & multi ex adverſariis fatentur. Nam quòd iſti, cum quibus nunc nobis res eſt, ajunt, perſonam, quà talis eſt, nihil eſſe aliud, quàm τρόπον ὑπάρξεως, hoc eſt modum exiſtendi, quem alii ſubſiſtentiam vocant; in eo mirum in modum falluntur. Poterant id vel inde diſcere, quód perſona Patris generat, Filii generatur. At modus exiſtentiæ, ſeu ſubſiſtentia, nec generat, nec per ſe generatur, ſed ipſa natura ſubſiſtens. Accedit, quòd tum ex aliis, tum inprimis ut Joh. 10. 34. & ſeq. ſatis apparet, Chriſtum eatenus jure dici poſſe Deum, quatenus eſt Dei Filius. Docet enim ibi Chriſtus exemplo eorum, quos Deus ipſe olim Deos appellavit, ſe, quem Pater ſanctificaverit, & in mundum miſerit, multò magis appellari poſſe Filium Dei. Ubi eandem ob rationem concludere poterat, ſe multò magis appellari poſſe Deum. Quamquam non concluſit, ut hac ipſa ratione oſtenderet, ſe ſibi divinitatem ſupremam haud ſumſiſſe, ſed eo ipſo, quòd Deum Patrem ſuum appellaſſet, & ſe Filium ipſius hoc pacto aſſeruiſſet, a ſupremo Deo ſeſe diſtinxiſſe, ut eſt a nobis explicatum in libro de Deo & ejus attributis cap. 13. Certe illi ipſi quoque, quos in exemplum adduxit Chriſtus, eandem ob cauſſam, & Dii & Filii Dei, in eo ſcripturæ loco, cujus partem Chriſtus adducit Pſal. 82. 6. fuerunt appellati. Id tantùm diſcriminis appellationes illæ habent, quòd prior perſonas illas a Deo ſupremo per ſe non diſtinguit, poſterior diſtinguit: illa dependentiam divinitatis a ſupremo numine non exprimit, utut divinitatem illam, quæ à ſupremo numine dependet, exprimat: hæc etiam dependentiam illam exprimit. Ex quibus intelligitur, ſi Chriſtus, quà Filius Dei, a Patre eſt, & ſic Pater ipſo eſt excellentior; Chriſtum etiam quà Deus eſt, à Patre eſſe, & ſic Patrem ipſo eſſe excellentiorem. Poſtremò, ſi Chriſtus naturam ſuam non accepit à Patre, non fuit propriè generatus. Quiſquis enim ab altero propriè generatur, naturam ſuam ab altero accipit. Atqui illi, uti & cæteri adverſarii, omnino volunt atque urgent, Filium proprie a Patre generatum eſſe, & niſi id ſtatuatur, Chriſtum unigenitum Dei Filium non fore. Quare ſua vineta cædunt, dum naturam ſuam divinam Chriſtum a Patre accepiſſe negant, ſed perſonam tantùm ab eo habere aſſerunt. Quamquam nec in eo ſatis ſibi ſemper conſtant, ut ab aliis adverſariis eſt animadverſum.

Ad diſtinctionem naturarum in Chriſto, quia nemo hîc confugit, aut confugere poteſt; ideo eam non attingimus.

Cap. III.

Argumentis, quæ in ſequentibus afferenda ſunt, diſtributis, tertium proponitur ex verbis Chriſti apud Johannem c. 5. 19. *Non poteſt ſilius a ſe facere quidquam, &c.*

JAm ut relictis nominibus ad alia veniamus ſententiæ noſtræ argumenta; ea nobis producenda ſunt ſacrarum literarum teſtimonia, in quibus aliquid vel de Chriſto negatur, quod de eo negari, vel contrà tribuitur, quod ei tribui non poſſet, ſi Deus ille ſummus eſſet. Animadvertendum enim eſt, quædam prædicato quæſtionis noſtræ, hoc eſt Deo ſummo, ineſſe, quæ ſubjecto ejuſdem, nempe Chriſto, non inſunt; quædam contrà ſubjecto ineſſe, quæ prædicato non inſunt, hoc eſt quædam Chriſto convenire, quæ Deo ſummo non conveniant. Quare nos ex utriuſque generis rebus argumenta ducemus. Et quia inter cæteros ſcriptores plurima tum hujus, tum illius generis teſtimonia nobis ſuppeditat Johannes, qui vulgò creditur hunc ſibi in Euangelica hiſtoria ſcopum præfixiſſe, ut Chriſtum ſupremum illum, atque ab omni æternitate exiſtentem Deum eſſe demonſtraret; ideo ab eo faciemus initium, docebimuſque tantum abeſſe, ut id, quod vulgò creditur, defendere ſibi propoſuerit, ut nemo eam ſententiam pluribus atque evidentioribus argumentis convulſerit. Nam ſcopus quidem ipſius fuit, divinitatem Chriſti oſtendere, ſed eam, quæ tota a ſupremo illo Deo dependeat. *Hæc* enim, inquit Joh. cap. 20. 31. *ſcripta ſunt, ut credatis, quòd Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Eo ipſo autem, quòd Jeſus ſit Chriſtus, hoc eſt unctus ille, Deique Filius, a Deo ſupremo manifeſtè diſtinguitur, & ab eo totus, quantus quantus eſt, pendere, eoque inferior eſſe oſtenditur.

Eorum autem, quæ ex hoc ſcriptore peti poſſunt, teſtimoniorum, in quibus aliquid de Chriſto negatur, quod de ipſo, ſi is ſupremus ille Deus eſſet, negari non poſſet, primum conſtituemus illud, quod extat capite 5. 19. *Non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Quod ex parte infrà repetitur v. 30. ubi ait: *Non poſſum a meipſo facere quidquam.* In prioribus autem verbis, ut doctiſſimi * quidam ex adverſariis noſtris docuerunt, vocula *niſi* ponitur pro *ſed ſi*, ut alibi quoque, tum apud eundem Johannem cap. 15. 4. tum apud alios ſcriptores ſacros Math. 12. 4. 1 Cor. 7. 17. Gal. 2. 16. Apoc. 9. 4: 21. 27. contingit, apud quos nonnunquam ſimpliciter pro *ſed* ponitur. Nam alioqui, ſi particula illa vim ſuam retineret, ſequeretur, Chriſtum indicare voluiſſe, ſe aliquid a ſemetipſo facere poſſe, nempe ſi Patrem aliquid facientem viderit: cum tamen hæc duo inter ſe opponantur, *a ſeipſo quicquam facere*, & *facere aliquid tum, ubi Patrem id facientem viderit*; ita ut Chriſtus dicere voluerit, ſe nihil a ſemetipſo facere poſſe, ſed tum demum, ubi Patrem id facientem, & ſibi ea in re veluti præeuntem viderit: quemadmodum quivis per ſe facilè poterit animadvertere, & verba verſiculo 30. repetita oſtendunt. Ex hoc autem loco ita argumentamur: Deus ille ſummus a ſeipſo omnia facere poteſt. Chriſtus a ſemetipſo nihil facere poteſt. Ergo Chriſtus non eſt Deus ille ſupremus. Propoſitio major, ut in ſcholis appellant, per ſe manifeſta eſt. Deus enim ſupremus prima atque ſuprema omnium rerum cauſa eſt; ac porrò quicquid facere poteſt, a ſeipſo poteſt, non ab alio: alioquin ipſe prima ac ſuprema cauſa non eſſet; ſed is potiùs, a quo haberet, ut facere aliquid poſſet. Aſſumtio autem, ſeu minor, ipſius Chriſti eſt.

DEFENSIO ARGUMENTI.

AD hoc argumentum duplex afferri conſuevit reſponſio, neutra quidem prorſus directa, ſed quarum tamen altera majorem propoſitionem labefactare videtur; altera præmiſſas ſive diſtinguendo, ſive limitando, totum argumentum invalidum reddere. Alii enim reſpondent, Chriſtum ideo dicere, ſe nihil a ſeipſo facere poſſe, quia operandi potentiam non a ſeipſo habeat, ſed eam a Patre, per æternam illam ex eſſentia ejus generationem, acceperit. Itaque fatentur illi, Chriſtum hîc de ſe ſecundùm divinitatem, atque adeo quatenus Deus ille ſummus ſit, loqui; negant autem, inter ſe pugnare, Deum ſummum eſſe, & non à ſeipſo, ſed ab alio acceptâ potentiâ omnia facere. Alii verò reſpondent, Chriſtum hîc ſecundùm humanam naturam de ſe loqui, non ſecundùm divinam. Quare ex hoc argumento nihil ſequuturum aliud, quàm Chriſtum ſecundùm humanam naturam non eſſe Deum ſupremum; id quod ipſi ultrò agnoſcant.

Quod ad priorem reſponſionem attinet; ea duas præcipuè ob cauſſas conſiſtere nequit. Prior eſt, quòd contradictionem non uno modo involvit. Primùm enim eundem ſimul & ſupremum Deum, & non ſupremum facit: ſupremum quidem expreſſe; non ſupremum autem, quatenus eum potentiâ ab alio acceptâ

* Joh. Maldonatus.

omnia

omnia facere aſſerit. Dum enim ita ſtatuit, eum primam omnium rerum cauſſam, & ſic ſupremum Deum eſſe negat, ut ex antè dictis conſtat. Deinde dum Chriſtum ab omni æternitate generatum fuiſſe dicit, ſimul & æternum dicit, & non æternum: æternum expreſſe, non æternum tacitè, dum generatum aſſerit. Præterea cùm ex eſſentia quidem Patris genitum perhibet, ſed ita, ut eandem numero eſſentiam habeat; eundem Chriſtum ex ſeipſo genitum dicit: cum quiſque, ut antè monuimus, idem ſit cum eſſentia ſua; & fateantur adverſarii, perſonas divinas cum eſſentia re idem eſſe, licet inter ſeipſas re differre velint.

Altera cauſſa, ob quam prior illa reſponſio conſiſtere nequit, eſt, quòd iſtiuſmodi verborum Chriſti explicatio contextui repugnat, & maximè verbis ſequentis verſiculi, in quibus Chriſtus, dicti ſui rationem explicaturus, ita ait ℣. 20: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.* Ut autem res tota fiat planior, quædam hîc priùs animadvertenda ſunt. Primùm, hæc duo, ut ſuprà jam monuimus, inter ſe opponi, *ex ſeipſo aliquid facere*, & *aliquid facere, ſi Patrem facientem viderit*; & ideo Chriſtum prius illud de ſe negare, quia hoc poſterius de ſe aſſerat. Deinde, *ex ſeipſo aliquid facere*, eſſe propriâ, & non aliunde acceptâ potentiâ, ſapientiâ, auctoritate, operari. Unde conſequitur, *Aliquid facere, ſi Patrem facientem viderit*, eſſe, non propriâ, ſed a Patre acceptâ potentiâ, ſapientiâ, auctoritate id facere. Comparat nempe hoc loco Chriſtus Patrem artifici cuipiam; qui filio ſuo præat exemplo, &, quid faciendum ſit, fideliſſimè oſtendat, eaque ratione, ut is quoque idem facere poſſit, efficiat: ſe verò ipſum hujuſmodi filio aſſimilat, qui à Patre ſibi commonſtrata ſpectet, diſcat, atque imitetur: nempe quia illam, quam diximus, potentiam, ſapientiam, atque auctoritatem ab eo acceperit. Hanc ergo dando, demonſtrat Pater; eandem accipiendo, videt Filius. Unde ita argumentamur: Si ideo Chriſtus negaret, ſe a ſemetipſo quicquam facere poſſe, quia a Patre, per æternam illam generationem, potentiam omnia faciendi acceperit; ſequuturum, Patrem ei per generationem iſtam omnia demonſtrâſſe. Atqui id falſum eſſe, non uno modo apparet. Primò quia inde ſequeretur, Chriſto omnia abſolutè, nulla re excepta, jam ab æterno fuiſſe demonſtrata, nec quicquam ei demonſtrari ampliùs, nedum aliquid majus, potuiſſe. Siquidem per æternam illam ex eſſentia Dei generationem, Filius eſſentiam ipſius Dei, ac porrò etiam omnipotentiam, omneſque naturales ipſius proprietates, uti ſanè credunt adverſarii, accepiſſet. Has autem qui habet, ei nihil demonſtrari poteſt ampliùs, ſeu nullius rei efficiendi facultas ei ampliùs dari poteſt, non magis, quàm ipſi Patri. Atqui Chriſtus, ut vidimus d. ℣. 20. manifeſtè aſſerit, Patrem ſibi adhuc majora iis, quæ jam demonſtraverat, demonſtraturum, hoc eſt, majorum operum patrandorum facultatem daturum. Ex quo apparet, nondum omnia abſolutè ipſi demonſtrata fuiſſe. Quò accedit, quòd majora illa opera, quæ ſibi demonſtraturus ſit Pater, explicaturus Chriſtus, duo commemorat, quorum alterum alteri veluti ſubſervit, nempe facultatem mortuos vivificandi, & judicandi poteſtatem, ℣. 21. & 22. Atqui ea ſibi ideo data eſſe, hoc eſt certò datum iri, infrà Chriſtus aſſerit, *quia filius hominis ſit* ℣. 27. Unde conſequeretur, Chriſto, quia filius hominis ſit, majora fuiſſe demonſtrata a Patre opera, quàm per æternam illam ex Dei eſſentia generationem, per quam habeat, ut Deus ſupremus ſit: id quod ſeipſum tollit. Præterea ſi Pater per æternam illam ex eſſentia ſua generationem, iſtam operandi facultatem Filio dediſſet, non ex libera voluntate, ſed neceſſariò dediſſet. Nam ea ipſa generatio ab adverſariis prorſus neceſſaria ſtatuitur, & porrò omnia, quæ in illa neceſſariò continentur, aut cum ea neceſſariò ſunt connexa. Et ita ſanè illos ſtatuere neceſſe eſt. Aliàs enim generatio illa æterna non eſſet. Quicquid enim ſimpliciter ab æterno eſt, ſimpliciter etiam neceſſarium eſt. Quod a libera Dei voluntate pendet, id æternum eſſe non poteſt: quia liber voluntatis actus, tempore rem illam præcedit. Jam verò Chriſtus ipſe in verbis ℣. 20, a nobis adductis oſtendit, ex libera voluntate, non neceſſariò Patrem ſibi facultatem iſtam dediſſe, ſeu, ut ipſe loquitur, omnia demonſtrâſſe. Ait enim: *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*, q. d. & ideò, quia nimirum diligit Filium, omnia, quæ ipſe facit, demonſtrat ei: ut quivis per ſeipſum cernit. Quicquid autem ex ſua erga quempiam dilectione facit Deus, id ex voluntate libera facit: quod neceſſariò facit, ita ut non poſſit non facere, non ex dilectione facit. Denique cùm Pater dicitur omnia demonſtrare Filio, & quidem ex ſua erga ipſum dilectione; apparet tum, cùm demonſtravit, Filium jam extitiſſe, cumque ſpectatum, tanquam jam genitum, non tanquam eum, qui eo ipſo demum actu generetur. Atqui in iſta generatione, non ſpectatur Chriſtus tanquam jam genitus, (aliàs non generaretur:) ſed tanquam is, qui eo ipſo demum actu producatur. Quare iſta demonſtratio per generationem illam facta non eſt.

Diſtinctio naturarum in Chriſto examinatur.

Quod ad poſteriorem reſponſionem attinet, quæ diſtinctione naturaram in Chriſto, vim argumenti noſtri effugere conatur; quia eâ creberrimè utuntur adverſarii, ideo ſemel aliquantò diligentiùs eſt examinanda, ut lector in cæteris, ubi eadem occurrerit reſponſio, huc remitti poſſit. Quia verò adverſarii vulgò cenſent, ſe diſtinctionis illius, ac porrò etiam reſponſionis ſuæ auctores habere Apoſtolos, qui nonnulla Chriſto *ſecundùm carnem* competere dicunt; ideo primùm, quantopere in eo fallantur adverſarii, oſtendemus. Deinde docebimus, diſtinctionem illam ad argumentum noſtrum ex loco Joh. 5. 19. petitum, aliaque ſimilia diſſolvenda, nullum afferre momentum. Et denique hoc ipſum, quòd Chriſto ſecundùm humanam naturam alia competere, alia non competere vulgò dicantur, adverſariorum de Chriſto ſententiam evertere demonſtrabimus.

Ut ergo id, quod primo loco propoſuimus, expediamus; locorum, in quibus adverſarii vulgò exiſtimant, ſuæ ſe diſtinctionis exemplum habere, primus extat Act. 2. 30, ubi Petrus ait, Deum juraſſe Davidi, ſe *de fructu lumbi ejus ſecundùm carnem* (ſic enim habent codices Græci) *ſuſcitaturum eſſe Chriſtum.* Secundus locus extat Rom. 1. 3, ubi ait Paulus, Filium Dei *eſſe factum ex ſemine Davidis ſecundùm carnem.* Tertius eſt cap. 9. ejuſdem epiſtolæ ℣. 5. ubi dicitur, Chriſtum *eſſe ex Patribus ſecundùm carnem.* Cenſent autem adverſarii, *ſecundùm carnem* eſſe *ſecundùm humanam naturam*, & huic diſtinctionis membro tacitè opponi illud, *ſecundùm divinam naturam*: præſertim quia Paulus, poſtquam in loco iſto Rom. 9. dixiſſet, Chriſtum eſſe ex Patribus ſecundùm carnem, hæc apponit verba, *qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula*; ubi non obſcurè ſuppeditare videtur alterum diſtinctionis iſtius membrum, nempe *ſecundùm divinam naturam.* Sed quantoperè adverſarii in diſtinctionis illius, quâ utuntur Apoſtoli, ſenſu fallantur, ex eo apparet, quòd cùm in ſacris literis non rarò verba illa *ſecundùm carnem* occurrant, nuſpiam tamen opponantur illis *ſecundùm divinam naturam*; ſed ſemper illis *ſecundùm ſpiritum*, quæ longè alium habent ſenſum. Sic Paulus, (ut ea tantùm percurramus loca, quæ ad rem noſtram propiùs accedunt) in eadem ad Romanos epiſtola c. 4. 1. ait: *Quid ergò dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem?* Sic enim rectè, ſi ſententiam ſpectes, Vetus interpres verba ordinavit. Ubi vides, Paulum dicere, Abrahamum eſſe ſuum, uti & cæterorum Judæorum *patrem ſecundùm carnem*: id quod nemo non videt eſſe ſimile illi, quòd Chriſtus *ſecundùm carnem* ex fructu lumbi Davidis ſuſcitatus, aut ex ſemine Davidis factus, aut ex patribus eſſe dicitur. Vocat autem Paulus Abrahamum ſuum cæterorúmque Judæorum patrem *ſecundùm carnem*, ut indicet, ſe eum hîc non

condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conſiderare ut patrem ſpiritualem. Etſi enim Abrahamus ſpiritualis quoque pater erat Apoſtoli, non tamen cæterorum generatim Judæorum, cum quibus ſe hoc loco conjungit Apoſtolus. Docet enim tum eodem ỷ. 2. infrà, tum alibi Gal. 3. 7. atque adeo etiam cap. 9. ỷ. 7, 8. hujus epiſtolæ, Abrahamum credentium tantùm verum eſſe patrem, & hos demùm verum eſſe Abrahami ſemen, ad quod ſpirituales Dei promiſſiones ſpectent. Eodem pacto cap. 9. 5. Rom. ubi Chriſtus dicitur eſſe *ex patribus ſecundùm carnem*, paulò antè v. 3. vocat Apoſtolus Judæos *cognatos* ſuos *ſecundùm carnem*, opponens illos tacitè cognatis ſpiritualibus, ſeu ſecundùm ſpiritum. Sic & 1. Cor. 10. 18. jubet videre *Iſraëlem*, hoc eſt Iſraëliticum populum, *ſecundùm carnem*, itidem eum Iſraëli ſecundùm ſpiritum, hoc eſt populo Chriſtiano, opponens. Populus enim Chriſti eſt verus ac ſpiritualis Dei Iſraël, Rom. 9. 6. Gal. 6. 16. Sic in 2. Cor 5. 16. ait, ſe nunc *neminem noſſe* (hoc eſt æſtimare ac probare) *ſecundùm carnem*, & ſi noverit aliquando *ſecundùm carnem Chriſtum*, nunc jam non ampliùs noſſe. Ubi itidem *ſecundùm carnem*, tacitè opponitur ei, quod eſt *ſecundùm ſpiritum*, & vel in Chriſto, vel in iis, qui ſunt in Chriſto, ſpectandum eſt. Illuſtris etiam eſt locus Gal. 4. ubi unus Abrahami filius, nempe Iſmaël, dicitur *natus ſecundùm carnem*, v. 23. 29. alter verò, nempe Iſaacus, *ſecundùm ſpiritum*, v. 29. non certè ſecundùm divinam naturam; ſed divina virtute, quæ ob promiſſionem divinam antegreſſam, ad nativitatem ejus perficiendam intervenit. confer. v. 23. 28. & Rom. 9. 8, 9. licèt ejus idem Iſaac, ſi generatio cum ſpirituali Chriſtianorum generatione, non cum Iſmaëlis ortu conferatur, jurè *ſecundùm carnem* facta dici queat. Sic & *Domini ſecundùm carnem*, ſunt domini *carnales*, ut vetus habet interpres, Col. 3. 22. hoc eſt tales, qui in rebus ad carnem tantùm & terrenam hanc vitam ſpectantibus, imperandi jus habent, in rebus ſpiritualibus haudquaquam. Et ne quis effugii pateat locus, ille ipſe locus Rom. 1. 3. quem adverſarii pro ſe militare putant, ſententiam noſtram confirmat. Ita enim ait Apoſtolus: *qui* (Filius Dei) *factus eſt* (vulgata addit *ei*) *ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus* (Gr. *definitus* ſeu *conſtitutus eſt*) *Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Vides, verbis illis *ſecundùm carnem*, opponi illa, *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, hoc eſt quo ſanctificatus fuit Chriſtus; eſſeque ſermonem de ratione, quâ Chriſtus fuerit Dei Filius definitus *ex reſurrectione mortuorum.* Qua de re plura dicemus infrà cap. 31. *Secundùm ſpiritum* autem nuſpiam ſignificat *ſecundùm divinam naturam*; nec uſpiam *ſpiritus* vox ſubjectivè poſita, ſive ſola, ſive cum adjectione aliqua, naturam ſeu eſſentiam divinam denotat. Et vel ſola *ſanctificationis* vox, ei hoc loco appoſita, quemvis monere poteſt, de ſpiritu potiùs ſancto, virtuteque divina, quâ & reſuſcitatus fuit Chriſtus, & in regem populi divini cæleſtem unctus, adeoque Filius Dei κατ' ἐξοχὴν conſtitutus, ſermonem eſſe. Videbimus enim infrà capite 31. in ſac. literis ſæpe pro eodem ſumi, eſſe Chriſtum, ſeu Regem illum a Deo unctum, & eſſe Dei Filium. Ex quo intelligi poteſt & alter in eadem epiſtola locus cap. 9. 5. Quo enim pacto Chriſtus eſt Dei Filius perfectiſſima ratione ſic dictus, eâdem & Deus eſt ſuper omnia benedictus in ſecula. *Conſtitutus* autem *eſt*, ut vidimus, *Dei Filius in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum.* Quare & Deus ſuper omnia benedictus in ſecula. Et ſanè cùm verba *ſecundùm carnem*, præcedentibus annexa, omnino poſtulare videantur, ut tacitè alterum diſtinctionis membrum in ſequenti membro ſubintelligatur; non eſt difficilè videre, potiùs id eſſe ſubaudiendum, quòd nos volumus, quàm quod ex adverſariorum ſententia eſſet apponendum. Ineptè enim ſubaudirentur verba *ſecundùm divinam naturam.* Ita namque cenſendus eſſet Apoſtolus dicere: *qui ſecundùm divinam naturam eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula.* Atqui cùm divinam naturam ſive eſſentiam commemoraſti, jam revera commemoraſti id, quod adjicitur. At ceſſat abſurditas, ſi id ſubaudias, quod Apoſtolum cap. 1. ejuſdem epiſtolæ expreſſiſſe vidimus, nempe *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis.* Taceo, quòd nec Petrus in tota illa oratione ſua, in qua aſſerit, Deum juraſſe Davidi, ſe de fructu lumbi ejus ſuſcitaturum Chriſtum ſecundùm carnem, quicquam huic reſpectui *ſecundùm carnem* opponat, quod divinam in Chriſto eſſentiam arguat; ſed reſurrectionem atque exaltationem Chriſti divina virtute perfectam, quâ Dei filius perfectiſſima ratione evaſit, uti ex parte jam vidimus, & pleniùs ſuo loco docebimus. Quare nihil eſt in illis locis, quod diſtinctionem illam adverſariorum ſtabiliat. Quòd ſi in illis nihil eſt, quod eam ſtabiliat, licèt inter cætera eam vel maximè videantur confirmare; jurè concludi poteſt, nec alibi quicquam eſſe in ſacris literis, quod eam ſtabiliat: ac porrò eam non debere adhiberi ad tot ſacrarum literarum loca, de Chriſto ſimpliciter loquentia, reſtringenda, & a ſimplicitate ſententiæ deflectenda.

Sed jam ad id accedendum eſt, quod ſecundo loco nobis probandum ſumſimus, nempe diſtinctionem illam ad agumentum noſtrum ex loco Joh. 5. 19. ductum, aliáve ſimilia infringenda, nullum afferre momentum. Nam primùm conſuetudo loquendi nequaquam fert, ut quod de toto aliquo ſimpliciter dici poſſit ac debeat, de eodem ſimpliciter negetur etiamſi ea res toti illi ſecundùm unam tantùm partem inſit, ſecundùm alteram non inſit. Quis enim v. g. hominem ſimpliciter neget edere, bibere, aut carneum, craſſum, procerum, aut humili ſtatura eſſe, quia anima ejus, aut ipſe ſecundùm animam, non edat, non bibat, carneus, craſſus, procerus, aut contrà brevis ſtaturæ non ſit? licèt anima potior hominis pars ſit; illa autem homini ſecundùm corpus tantùm competant. At ſi Chriſtus Deus ille ſupremus eſt, de eo ſimpliciter aſſerendum eſt, eum omnia a ſeipſo facere poſſe, uti antea eſt oſtenſum; nec adverſarii, qui verba illa Chriſti, de quibus agimus, de eo ſecundùm humanam tantùm naturam intelligenda eſſe dicunt, diffitentur, imò urgent potiùs. Neque enim minùs ſimpliciter ſolent de Chriſto id affirmare, quod ei ſecundùm naturam multò potiorem ineſt, quàm negare, quod ei ſecundùm inferiorem non ineſt. Quare ſi Chriſtus ſupremus Deus eſſet, non poſſet de eo ſimpliciter, ſeu nulla addita limitatione, certæque naturæ reſpectu expreſſo, negari, eum quicquam a ſe facere poſſe. Cum ergo negetur; apparet, eum Deum illum ſupremum non eſſe. Quò accedit, quòd hoc loco Chriſtus Filii nomine deſcribatur, idque reſpectu Dei. Hanc autem deſcriptionem adverſarii plærique ad ſolam divinam Chriſti naturam, omnes ad eam præcipuè referunt. Quare tantò minùs eſt credibile, de eo hîc ſimpliciter negatum eſſe, quod ei ſecundùm divinam naturam inſit, ac porrò de Filio Dei ſimpliciter dici & poſſit, & debeat. Certè id perinde foret, ac ſi diceres, Hominem, aut ſubſtantiam mente præditam, non poſſe intelligere, ratiocinari, meminiſſe, quia ſecundùm corpus iſta non poſſit.

Verùm adverſus id, quod diximus, nonnulli ex adverſariis afferre illud ſolent, hominem ſecundùm animam eſſe immortalem vel incorruptibilem, & tamen ſimpliciter negari, eum eſſe immortalem vel incorruptibilem. Sed animadvertendum eſt, nos de illis loqui attributis, quæ & poſſint, & ſoleant, vel etiam debeant, de toto ſubjecto ſimpliciter, ac ſine limitatione efferri, licèt uni tantùm ejus parti primò & per ſe inſint, toti autem non niſi conſequenter. At immortale vel incorruptibile eſſe, ut ipſi adverſarii unà nobiſcum fatentur, non effertur de toto homine ſimpliciter & abſque limitatione: nempe quia totum hominis compoſitum diſſolvi, & ſic mori & corrumpi videmus, utut ſpiritus ſuperſtes maneat. At iidem adverſarii contendunt, ut omnia, quæ humanitati

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſti competunt, attributa, de Chriſto ſimpliciter, ac ſine limitatione ſolent efferri, v.g. quòd ſit conceptus, ex virgine natus, paſſus, mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, & quæ ſunt his ſimilia: ita etiam omnia divinæ naturæ attributa. Itaque ut Deum ſimpliciter eſſe aſſerunt, ita eundem ab æterno extitiſſe, omnipotentem, omniſcium, immenſum, creatorem cæli & terræ eſſe, ſimpliciter & abſque limitatione aſſerunt, &, ſi ſibi conſentire velint, aſſerere coguntur. Nonnulli illud Pauli afferunt, ubi aſſerit Rom. 7. ℣. 17. Ea, quæ operetur, mala, non ſe operari, ſed peccatum, quod in ipſo habitet: ubi putant, id, quod de toto ſimpliciter enuncietur, de eodem ſimpliciter negari, quia alteri parti non inſit. Itaque diſtinctione partium, contradictionem, quæ prima fronte in verbis illis appareat, tollendam eſſe. Sed non parùm falluntur. Neque enim iſtic a Paulo diverſarum in eodem ſubjecto partium habetur ratio, quaſi ſecundùm unam partem ſubjecto res tribuatur, ſecundùm alteram eidem adimatur. Non iſtud, inquam, ibi fit: ſed attributum idem per elegantem antanaclaſin, nunc laxiùs, nunc ſtrictiùs, nempe per quandam ἐξοχὴν, ſumitur; & laxiùs quidem ſumtum, ſubjecto tribuitur; ſtrictiùs autem acceptum, de eodem toto, quantum quantum eſt, negatur, & non alteri ſubjecti ejuſdem parti, ſed alteri ſubjecto tribuitur, ut locus ipſe oſtendit. Homo enim a Paulo, ſub ipſius perſona deſcriptus, mala illa operari dicitur, propriè ac laxè ſumto *operandi* verbo: idem autem negatur ea operari, quatenus *operandi* verbum ſignificat, primam ac principem operationis cauſam eſſe. Hanc enim non ſe, ſed *peccatum* eſſe ait 1 Cor. 15. 10. Eodem modo alibi dicit, ſe plus cæteris Apoſtolis laboràſſe; non autem ſe, ſed gratiam Dei, quæ ſibi adfuerit. Se laboràſſe affirmat, propriè loquendò: negat idem, quia non fuerit prima & princeps ejus laboris cauſſa, ſed Dei gratia, quæ ipſi præſens adfuit. Sic & Chriſtus ait: *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me* Joh. 7. 16. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me* c. 12. 44. Etenim doctrina Chriſti, ipſius erat, quia ab eo promulgabatur: non erat, quia ipſe non erat primus illius auctor, ſed is qui ipſum miſerat. In ipſum creditur, quia objectum eſt fidei: non in ipſum, quia princeps fidei objectum, ultimúſque ſcopus non eſt. Hîc enim is eſt, qui Chriſtum miſit.

Quare ut ad locum noſtrum revertamur, neceſſe eſt, ut Chriſtus, cùm ſimpliciter nagavit, ſe ex ſeipſo quicquam facere poſſe, de ſeipſo toto, quantus quantus eſt, non verò de una tantùm ſui parte, vel de ſe ſecundùm unam tantùm partem, fuerit loquutus. Quod ut adhuc evidentiùs appareat, & regula a nobis antea conſtituta tantò magis confirmetur, illud addendum eſt: Si id, quod de toto abſolutè aſſeri poteſt ac ſolet, de eodem toto itidem ſimpliciter & abſque ulla limitatione negari poteſt, quia nimirum id ei ſecundùm aliquam partem, utut inferiorem, non inſit; licebit de Chriſto ſimpliciter dicere id, quod nos volumus, nempe eum non eſſe Deum altiſſimum, non extitiſſe ab æterno, non creâſſe mundum; Filium Dei non eſſe incarnatum, aut hominem factum; non fuiſſe, antequam ex virgine naſceretur, in cœlo: quia nihil horum ei ſecundùm humanam naturam competit. quin etiam dici poterit, Filium Dei non eſſe Filium Dei, præſertim illum unigenitum, ſi eatenus talis eſſe ſtatuatur, quatenus ex eſſentia Patris ſit genitus, quod ei ſecundùm humanam naturam non convenit. Dicere denique licebit, eum nec conceptum ex Spiritu ſancto, nec natum ex Maria, nec creviſſe, nec ediſſe, nec bibiſſe, nec fleviſſe, non mortuum, non reſuſcitatum, non aſcendiſſe in cœlos, non venturum ad judicium, & alia innumera; quia ei nihil horum ſecundùm divinam naturam competat. At prima illa adverſarii non fuerunt, cætera nullius Chriſtiani hominis aures ferre poſſunt. Quia ferat ejuſmodi Theologiam, quæ permittit, ut poſſis, Jeſum Filium Dei eſſe, eundémve aliquando mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, ſimpliciter negare? Quare ſi hæc & inaudita ſunt, & intolerabilia; cogitandum illis eſt, æquè intolerabilem eſſe ipſorum interpretationem, quâ, cùm Chriſtus ſimpliciter ait, Filium nihil a ſeipſo facere poſſe, dicunt, eum ſecundùm humanam tantùm naturam de ſe loquutum eſſe; ſecundùm autem divinam naturam eum omnia a ſeipſo poſſe; unde conſequitur, abſolutè de eo dici poſſe, eum omnia a ſeipſo facere poſſe, non minùs, quàm abſolutè Deus ille ſummus eſſe aſſeritur.

Deinde vel fatentur ii, cum quibus hîc nobis res eſt, de natura Chriſti divina ſimpliciter, ſeu nulla addita limitatione dici poſſe, eam à ſeipſa nihil facere poſſe, vel non fatentur. Si fatentur; cur inter humanam & divinam naturam hîc diſtinguunt? cur verba Chriſti, de quibus agimus, non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam, de ipſo intelligenda dicunt? Num fortè & divinam naturam ſecundùm humanam nihil a ſe facere poſſe dicent? At quis non videt hujuſmodi loquendi ac limitandi rationem ineptam eſſe? Num tu dixeris, animam hominis ſecundùm corpus vim cogitandi, intelligendi, ratiocinandi in ſe non habere? aut corpus non eſſe carneum, craſſum, procerum aut humile, ſecundùm animam? Et eſto, liceat hujuſmodi limitatione expreſſe addita, de anima negare ea, quæ illi revera inſunt, corpori non inſunt; & contrà de corpore, quæ illi inſunt, animæ non inſunt; num protinus ſimpliciter ac ſine ulla limitatione idem facere licebit? Quis fando audivit, uni totius alicujus parti ſimpliciter adimi id, quod illi revera ineſt, quia alteri ejuſdem totius parti non inſit? Quomodo ergo divinæ naturæ ſimpliciter adimi poſſet id, quod illi ineſt, nempe a ſe omnia facere poſſe, quia id humanæ naturæ non competat? Jam verò ſi non fatentur adverſarii, poſſe de natura Chriſti divina ſimpliciter dici, eam a ſeipſa nihil facere poſſe; concidit ipſorum de perſona Chriſti ſententia. Etenim ſi Filius Dei eſt perſona ſupremam divinitatem habens; neceſſe eſt, ut quicquid de ipſo ſimpliciter vel negatur, vel affirmatur, idem quoque de divina ipſius natura ſimpliciter vel negari, vel affirmari queat. Quandoquidem perſona ſupremam deitatem habens, nil eſt aliud, quàm ipſa natura divina ſubſiſtens, ut non pauci ex adverſariis fatentur, & nos libro ſect. 1. c. 4. Secundo docebimus. Cùm ergò de Filio Dei ſimpliciter negetur, eum a ſeipſo quicquam facere poſſe, idem autem de natura divina ſimpliciter negari nequeat; fatendum erit, Filium Dei perſonam ſupremæ deitatis non eſſe. Neque verò hujus argumenti vim effugere poſſunt ii, qui perſonam divinam volunt eſſe non naturam divinam, ſed naturæ divinæ ſubſiſtentiam. Nam primùm ex hoc ipſo Johannis loco evincitur, vel falſam eſſe ipſorum de perſona divina ſententiam, vel Filium Dei perſonam ſuprema divinitate præditam non eſſe. Etenim Subſiſtentia nihil operatur, neque a ſeipſa, neque alio demonſtrante. Natura enim ipſa ſubſiſtens omnia operatur, vel ſuâ, vel aliunde accepta facultate. Subſiſtentia nullam ipſa facultatem habet, nec a ſe, nec ab alio acceptam. Atqui Filius Dei Patre demonſtrante omnia operatur. Quare ſubſiſtentia non eſt. Si Filius Dei ſubſiſtentia non eſt, vel perſona divinitatis ſupremæ non erit ſubſiſtentia, vel Filius Dei perſona ſupremæ divinitatis non erit. Deinde ſi ſubſiſtentia aliquid operaretur, eo modo operaretur, qui naturæ illi conveniens eſt, cui ineſt, & cum qua reipſa idem eſt. At natura divina, cui ſubſiſtentia divina ineſt, & cum qua, ut docent adverſarii, re idem eſt, a ſeipſa operatur, non verò alio demum demonſtrante. Quare & ſubſiſtentia divina ad eum modum operari dicenda eſſet; nec magis ſimpliciter negari poſſet, eam a ſeipſa operari, quàm de natura divina id queat negari. Adde, quòd non minùs ineptè atque abſurdè diceretur, ſubſiſtentiam divinam *ſecundùm humanam naturam* nihil a ſeipſa facere poſſe, quàm naturam divinam ſecundùm humanam nihil a ſeipſa poſſe facere.

Præterea, ſi eo modo verba Chriſti eſſent reſtringenda, ut volunt adverſarii; Chriſtus ad rem loquutus non eſſet. Apparet enim ex ipſo loco, fatenturque omnes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

omnes, Chriſtum ad Judæorum objectionem reſpondere, & verba illa ſua, *Pater meus hucuſque operatur, & ego operor*, ab omni blaſphemiæ atque arrogantiæ crimine defendere velle. Graviſſimi namque criminis loco id ipſi a Judæis ducebatur: quia hujuſmodi verbis *Patrem proprium diceret Deum, æqualem ſeipſum faciens Deo*, ut verſ. 18, legitur. Ita enim ratiocinabantur: Qui ſe æqualem Deo facit, is morte piandum admittit ſcelus. At Chriſtus ſeipſum æqualem Deo facit: quandoquidem Deum proprium dicit Patrem, ſeque in operando ei æquat. In qua argumentatione de Chriſto toto agitur, non de una tantùm ejus natura, præſertim indigniore. Nam nec Chriſtus, cùm aſſeruit, *Pater operatur, & ego operor*, de una tantùm ſui parte, & quidem indigniore, loquutus eſt, ſed de ſe, quâ Filius Dei, atque adeò Deus erat, ut ipſi adverſarii urgent, qui illa etiam ℣. 18 verba nobis objicere ſolent, ut inde probent, Chriſtum naturâ eſſe Deum; quia & proprium Deum Patrem dixerit, & Deo ſe æqualem conſtituerit: quorum neutrum ei convenire poſſit, qui non ſit naturâ Deus. Ad illud autem Judæorum argumentum reſpondet Chriſtus: *Amen amen dico vobis, non poteſt Filius facere quicquam a ſemetipſo &c.* Quid verò ad rem faceret hæc reſponſio, ſi Chriſtus hîc de ſe ſecundùm humanam tantùm naturam loqueretur; cùm de ipſo vel toto, quantus quantus eſt, vel ſecundùm divinam naturam, ut adverſariorum fert ſententia, quæreretur? quomodo is ſua verba, in quibus de ſe toto, aut de ſeipſo, ut Deo ſummo, fuerat loquutus, defendiſſet? Objicitur illi: æqualem te facis Deo, nempe quà Filium Dei te facis, tibique divinam (ut adverſariis placet) naturam eo pacto arrogas. Reſpondet Chriſtus, ex ipſorum ſententia: Filius ſecundùm humanam naturam nil poteſt a ſeipſo facere, atque eatenus Patri eſt inæqualis. Quid hoc ad rhombum? Quòd ſi nobiſcum ſtatuas, Chriſtum de ſeipſo toto, quantus quantus erat, loquutum, maxime ad rem loquutum, & ſolidiſſimè crimen ſibi objectum diluiſſe deprehendes. Reſpondet enim: ſe non ſimpliciter & abſolutè Deo ſe æqualem facere, etiamſi ratione operationis ſe Deo comparet: quia, utut omnia faciat, quæ Pater; nihil tamen a ſeipſo facere queat, ſed ea tantùm, quorum faciendorum facultatem ſibi Pater dederit. Itaque ratione ipſius operationis ſeſe Patri æqualem: ratione modi operationis inæqualem eſſe. Patrem enim a ſeipſo operari: ſe, non niſi demonſtrante Patre, ſeu potentiam, ſapientiam, auctoritatem ſibi dante. In eo verò nihil eſſe blaſphemiæ, nihil arrogantiæ, crimen nullum. Adde, quòd ne illa quidem, quæ in ipſis operibus per ſe ſpectatis cernatur, æqualitas, prorſus abſoluta ſit. ſiquidem adhuc majora ſibi Pater ſit oſtenſurus, ac porrò æqualitati illi aliquid adhuc poſſit adjici.

Denique ſi Chriſtus de ſe ratione humanæ tantùm naturæ dixiſſet, ſe nihil a ſeipſo facere poſſe, & interim intelligi voluiſſet, ſe ratione divinæ naturæ omnia a ſeipſo facere poſſe; non Patrem, præſertim ſolum, ſibi ea in re oppoſuiſſet, aut opponere debuiſſet, ſed ſeipſum ſecundùm divinam naturam conſideratum, ſibi ſecundùm humanam ſpectato. Atqui non hoc, ſed illud facit Chriſtus, dum ſubjicit: *Niſi quid viderit Patrem facientem.* Item: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: & majora his demonſtrabit ei opera.* Nam præterquam quòd oppoſitionis ratio rectiùs conſtet, ſi natura Chriſti una naturæ alteri, cujus diverſa ſit in eo, de quo agitur, ratio, opponatur, quàm ſi eadem opponatur perſonæ alienæ; nulla etiam cauſſa juſta excogitari poteſt, cur Chriſtus, cum ratione unius naturæ negâſſet, Filium a ſeipſo quicquam facere poſſe, ratione alterius naturæ non apertè de eodem Filio affirmârit, eum omnia a ſeipſo facere poſſe. Cùm non major illud negandi, quàm hoc aſſerendi cauſſa eſſet: ne dicam, majorem fuiſſe cauſſam hoc aſſerendi, quàm illud negandi; ſiquidem de æqualitate Filii cum Patre, & quidem quà Filius eſt, agebatur. Adde, quòd natura Chriſti divina propior magiſque propria cauſſa fuiſſet iſtius, quam ſecundùm humanam naturam accepiſſet, facultatis edendorum miraculorum, quàm Pater. Niſi fortè divinam in ipſo naturam otioſam fuiſſe velis. Itaque huic potiùs, quàm Patri, ea vis fuiſſet adſcribenda. Quòd verò nonnulli, Patri potiùs, quàm divinæ ſuæ naturæ, Chriſtum opera ſua tribuiſſe aſſerunt, ut quandam Patri præ ſe prærogativam tribueret; id ipſum ſententiam ipſorum evertit, noſtram autem ſtabilit; cùm præſertim prærogativam illam in eo conſiſtere ſit neceſſe, ut Pater a ſeipſo, Filius non niſi potentiâ a Patre acceptâ, omnia facere ſtatuatur. Etenim eo ipſo Chriſtus ſupremus ille Deus eſſe negatur, dum alius agnoſcitur, cui aliqua præ ipſo prærogativa competat; dumque aſſeritur, eum ab alio, quacunque tandem ratione, acceptâ potentiâ omnia facere. Pater verò ſolus ſupremus ille Deus ſtatuitur, dum ei ſoli, tanquam primæ cauſſæ opera Chriſti adſcribuntur, eique præ Chriſto prærogativa tribuitur.

Reliquum nunc eſt id, quod tertio loco nobis demonſtrandum ſumſimus, nempe hanc ipſam diſtinctionem, quâ utuntur adverſarii, dum alia ſecundùm divinam, alia ſecundùm humanam naturam, Chriſto ſeu Dei Filio competere, vel non competere dicunt, ipſorum de Chriſto ſententiam evertere. Etenim ex eo ipſo ſequitur, Dei Filium non eſſe perſonam ſupremæ divinitatis. Rationem hujus rei jam ſuprà alicubi attigimus. Nam dum ita diſtinguunt adverſarii, oſtendunt, humanam naturam eſſe perſonæ Chriſti partem, & ad eam conſtituendam pertinere. At humana natura perſonæ ſupremam divinitatem habentis pars eſſe nequit, nec ad eam conſtituendam concurrere poteſt. Etenim ſive perſonam divinam velis eſſe naturam divinam ſubſiſtentiâ præditam, ſive ipſam illam naturæ divinæ ſubſiſtentiam; neutro modo humana natura illius pars eſſe poteſt. Nam nec naturæ divinæ pars eſt, nec ſubſiſtentiæ; cùm neutra ex partibus diverſis ſit conſtituta: & utraque ab omni æternitate extiterit integra; ac porrò neutram humana natura conſtituere poteſt. Certè vel duas in Chriſto perſonas ſtatuere neceſſe eſt; unam ſimplicem, quæ ab omni æternitate extiterit; alteram ex humana & divina natura compoſitam, (quamquam hoc pacto divina perſona pars alterius effecta fuiſſet, & ſic perſona eſſe deſiiſſet) vel illi diſtinctioni naturarum valedicendum eſt. Sed hac de re lib. 2. ſect. 2. cap. 6. plura.

Fuſiùs aliquantò de hoc Johannis loco egimus, partim quia ut quiſque locus evidentiùs adverſariorum ſententiam evertit, (eſt autem hic inter evidentiſſimos unus) ita ferè plus in eo obſcurando, & a genuino ſenſu detorquendo laboratum eſt; partim verò, quia non pauca, quæ de eo dicta ſunt, in ſequentibus etiam locis ſunt profutura, utpote ad quos, vel utroque illo, quem excuſſimus, modo, vel alterutro reſponderi conſuevit.

Cap. IV.

Quartum Argumentum ex illis apud Johannem locis petitum, in quibus negatur, Chriſtum doctrinæ ſuæ primum eſſe auctorem.

PОrrò ut ad alios apud Johannem locos pergamus, in quibus aliquid de Chriſto negatur, quod de ipſo negari, ſi Deus ille ſupremus eſſet, non poſſet; affines ei, quem præcedenti cap. examinavimus, illi ſunt, in quibus Chriſtus negat, ſe primum doctrinæ illius, quam promulget, auctorem eſſe. Qui quidem loci ſunt non pauci; in eorumque nonnullis operum quoque fit mentio, quorum auctorem primum, non ſe, ſed Patrem, non minùs, quàm in præcedenti teſtimonio, facit. Nam cap. 7. 16, 17, 18, cùm mirarentur Judæi, quomodo is literas ſciret, cùm non didiciſſet; reſpondit eis Jeſus, & dixit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem*

ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar. Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem gloriam quærit ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt. & cap. 8. 28: *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quòd ego ſum, & a me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* & cap. 12. 49, 50: *Ego ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar: & ſcio, quòd mandatum ejus vitæ æterna eſt. Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* & cap. 14. 10: *Verba, quæ ego loquor, a me ipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera.* Ubi quidem *operum* nomine, verba quoque ipſius includenda eſſe, ipſa docet oppoſitio. Et infrà eodem capite ℣. 24: *Sermonem quem audiſtis, non eſt meus: ſed ejus, qui miſit me, Patris.* Quò pertinent & alia complura, quæ apud eundem ſcriptorem extant, cap. 8. ℣. 38, 40: & 15. 15: & 17. 8, 14. quin & cap. 3. 11, 32, 34. in quibus Chriſtum ea, quæ loquutus eſt, apud Patrem vidiſſe, a Deo vel Patre audiviſſe, eáve illi a Patre data, & Dei ſeu Patris verba ſermonemque fuiſſe legimus. Ex his autem patet, Chriſtum ſupremum illum Deum non eſſe. Deus enim ſupremus prima etiam ſupremaque omnium cauſſa eſt, nec de eo ullo pacto dici poteſt, doctrinam ipſius, non eſſe ipſius, ſed alterius alicujus perſonæ; eumque a ſemetipſo non loqui; quemadmodum ex probatione majoris propoſitionis argumenti ſuperioris patet. At de Chriſto illa toties tamque manifeſtè dici, eumque non primam, ſed ſecundam mediamque doctrinæ ſuæ cauſſam conſtitui cernimus.

DEFENSIO ARGUMENTI.

EFfugium illud diſtinctionis naturarum nullum hîc locum habere, in argumento proximo, cùm ſecundam reſponſionem refelleremus, oſtendimus. Siquidem hîc Chriſtus ſimpliciter ac ſine ulla limitatione negat, ſuam doctrinam eſſe ſuam, ſeque a ſemetipſo loqui. Itaque de ſe, quantus quantus fuit, loquutum eſſe neceſſe eſt. Præſertim cùm id, quod de ſe negat, non alteri alicui naturæ ſuæ, ſed alteri perſonæ, nempe Patri, in ſolidum adſcribat; atque ideò non unam naturam alteri, ſed perſonam perſonæ, hoc eſt, ſeipſum Patri, ea in parte opponat. Nam ſi is eſſet verborum ſenſus, quem adverſarii, iſta diſtinctione utentes, volunt, dicendum ei fuiſſet: Doctrina mea non eſt mea ſecundùm humanam naturam, ſed ſecundùm divinam: ſeu mea eſt, non quà homo ſum, ſed quà Deus: non verò: doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, nempe Patris. Et in loco quidem cap. 14. 10. quî decuiſſet, omiſſa divinæ naturæ mentione, dicere: *Pater autem in me manens*, ſeu *habitans, ipſe facit opera?* ubi & verba intelligenda eſſe docuimus. Etenim cùm cauſam operum ſuorum in ſe habitantem indicare vellet; cur non potiùs divinam ſuam naturam, in ſe eſſentialiter habitantem, ſibique propriam, quàm perſonam a ſe diverſam nominavit? Cur, ut tantò ſignificantiùs ſeſe excluderet, cùm Patrem nominâſſet, appoſuit pronomen *ipſe*; q. d. ipſe, inquam, Pater facit opera? Nonne maneſeſtum eſt, Chriſtum ſe totum, quantus quantus eſt, a prima operum ac verborum ſuorum cauſſa diſtinguere, & ea ſibi ademta, Patri in ſolidum adſcribere voluiſſe? Accedit, quòd Chriſtus, cùm dicit, doctrina *mea*, ſermo *meus*, eatenus doctrinam ſermonémve illum *ſuum* intelligi volebat, quatenus maximè erat ipſius. Fuiſſet autem maximè ipſius, ex ſententia adverſariorum, quatenus is perſona divina eſſet, a qua non minùs, quàm a Patre, doctrina illa primò manâſſet. Quare cùm id dixiſſet, atque intelligi voluiſſet; nulla erat cauſſa, cur eam Patri potiùs, quàm ſibi, ſuavé naturæ divinæ adſcriberet, etiamſi tandem naturæ diverſæ in ipſo locum haberent. Illud denique diſtinctionem naturarum hinc excludit, quòd Chriſtus ſeipſum hîc manifeſtè conſiderat, quatenus legati divini munus ſuſtinebat. At munus illud non niſi perſonæ eſt, quà talis. Quare vel de ipſa natura divina Chriſtum hîc loqui ſtatuendum eſt, vel fatendum Chriſtum perſonam ſupremæ divinitatis non eſſe. Siquidem, uti præcedenti cap. oſtendimus, & lib. 2. ſect. 1. cap. 4. pluribus oſtendemus, perſona divina nihil eſt aliud, quàm ipſa natura divina ſubſiſtentiam ſuam habens. Adde, quòd adverſarii Chriſtum ſecundùm divinam naturam primò miſſum eſſe volunt. Statuunt enim, miſſum eſſe Filium a Patre è cœlis, ut carnem aſſumeret, ac porro ſalutis humanæ negotium ſuſciperet. Quod ſi Chriſtus etiam ſecundùm divinam naturam, imò ſecundùm hanc primò, Patris legatus eſt; cur ea, quæ ei, ut legato Patris tribuuntur, ad humanam tantum naturam reſtringuntur, & non potiùs toti Chriſto, quantus quantus eſt, tribuuntur? Quòd ſi quis in his aliiſque ſimilibus locis Patri præ Chriſto, etiam quatenus Deus eſt, prærogativam aliquam tribui velit, ut quidem verba omnino poſtulant; is eo ipſo Chriſtum ſupremum Deum non eſſe, contrà Patrem ſolum (cum nulli alii ejuſmodi prærogativa competat, eique Chriſtus in ſolidum, nulla alterius perſonæ facta mentione, doctrinam, operáque ſua adſcribat) ſupremum illum Deum eſſe, fateatur neceſſe eſt: qua de re in præcedentium argumentorum defenſione dictum.

CAP. V.

Quintum argumentum, ex iis apud Johannem locis petitum, in quibus Chriſtum a ſeipſo veniſſe negatur.

SImilia prioribus ſunt ea loca, in quibus Chriſtus ſe a ſemetipſo veniſſe negat, ſed a Patre miſſum ſe dicit. Ita enim ait cap. 7. 28, 29. *Unde ſim ſcitis: & a me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis: Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* & cap. 8. 42. *Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis utique me. Ego enim ex eo* (vel *ex Deo*) *proceſſi, & veni* (vel *venio*:) *Neque enim a me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Et cap. 5. 43. dixerat: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* At ſi Chriſtus Deus ille ſupremus eſt, quomodo a ſeipſo non venit? A ſeipſo enim venire, eſt propria voluntate motum, ſuavè ipſius auctoritate fretum venire, ac munus aliquod inter homines obire. At quomodo Deus ille ſupremus id, quod facit, non propria voluntate auctoritateque, ſed alienâ, facere dici poteſt? Certè etiamſi diverſæ eſſent in una eſſentia divina perſonæ, Pater & Filius; non poſſet tamen una ab altera mitti ac venire, quin ſimul a ſeipſa veniret. Quandoquidem eadem numero utriuſque foret voluntas, eadem auctoritas. Itaque nihil decernere, nihil jubere poſſet Pater, quin illud ipſum eadem actione decerneret Filius. Quòd ſi abſurdum eſt, quempiam a ſe ipſo mitti, & Chriſtus apertè negat, ſe a ſemet ipſo veniſſe; ſtatuendum eſt, eum non eſſe perſonam ejuſdem cum Patre eſſentiæ, adeoque nec ſupremum illum Deum.

DEFENSIO ARGUMENTI.

EXceptio de duabus naturis cur locum hîc non habeat, in præcedentium argumentorum defenſione docuimus; præſertim quia hîc Chriſtus apertè tanquam a Patre miſſus conſideratur; id quod ad totam Chriſti perſonam pertinere, & ad naturam ipſius divinam nominatim ab adverſariis referri ſolere diximus. Et præterea, cùm Chriſtus hoc pacto auctoritatem ſibi doctrinæque ſuæ conciliare apud omnes voluerit; quid opus fuiſſet, a Patre illam petere, ſi divinam in ſe eſſentiam habuiſſet, & ſic non minùs, quàm Pater, imò idem numero cum illo Deus fuiſſet, idque Patris nomine commemorato, ut adverſarii ſtatuunt, intelligi voluiſſet? Quorſum enim attinet, auctoritatem aliunde petere, cum eam per teipſum, & eandem quidem numero, cum altero, habeas, & te habere, credi ab omnibus omnino velis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. VI.

Argumentum ſextum ex illis apud Johannem locis petitum, in quibus negat Chriſtus ſe veniſſe, ut voluntatem ſuam faceret.

SExto loco commemoranda ſunt illa teſtimonia, in quibus Chriſtus negat ſe veniſſe, ut voluntatem ſuam faceret, ſed ejus, a quo miſſus fuerit, Patris. Id quod ex priori conſequitur. Legati enim eſt, non ſuam, ſed mittentis voluntatem facere ac quærere. Atque huc pertinent illa Chriſti verba, Joh. 5. 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Et cap. 6. 38. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*, intellige Patris, ut ex ſeqq. verſic. aliiſque pluribus locis, & ex re ipſa intelligitur. Quomodo autem Chriſtus, ſi ſupremus ille Deus erat, non quærebat voluntatem ſuam, aut, ut eam faceret, non venerat? Quorſum enim venerat, niſi ut voluntatem Dei illius ſummi faceret? Imò eo ipſo, dum ſe voluntatem Patris quærere, &, ut eam faceret, de cœlo deſcendiſſe aſſerit, eo ipſo, inquam, aſſereret, ſe quærere voluntatem ſuam, &, ut eam faceret, de cœlo ſe deſcendiſſe, ſi idem numero cum Patre Deus eſſet. Siquidem, ut antea monuimus, eorum, quorum eadem numero eſſentia eſt, eadem planè eſt voluntas, idemque numero voluntatis actus, quemadmodum ſanè adverſarii de Deo Patre ac Filio ipſius ſtatuunt.

Brevis argumenti defenſio.

Exceptio autem illa de humana natura, ſecundùm quam hîc loquutus ſit Chriſtus, ne cætera, quæ ſuprâ diximus, hîc repetamus, ideo locum non habet, quòd in ſecundo loco, unde de priori judicium fieri poteſt, dicat Chriſtus, *ſe de cœlo deſcendiſſe*, non ut ſuam, ſed ut Patris voluntatem faceret. At deſcenſus ille Chriſti, toti ipſius perſonæ convenit, vel, ut adverſarii credunt, ſecundùm divinam naturam ei competit. Secundùm hanc enim Chriſtum è cœlis deſcendiſſe contendunt, ut è virgine naſceretur. Quare de tota ſua perſona, non de una tantùm illius parte loquitur. Aut ſi ratione unius tantùm naturæ hæc ſibi tribuit, ex adverſariorum ſententia de divina loqui cenſendus erit; id quod ſeipſum evertit. Cætera, quæ hîc dici poſſunt, jam in ſuperioribus locis ſunt explicata.

Cap. VII.

Argumentum ſeptimum ex eo, quòd Chriſtus ſuam gloriam non quæſierit.

SEptimò huc pertinent illa ejuſdem Chriſti cap. 8. ℣. 50: *Ego non quæro gloriam meam: eſt, qui quærat, & judicet.* Et illa eodem capite ℣. 54: *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me.* Ex quorum illo ita argumentari licet: Si Chriſtus ſupremus ille Deus fuiſſet, non potuiſſet non gloriam ſuam quærere. Etenim finis omnium actionum Dei, & eorum, qui ab ipſo mittuntur, eíve ſerviunt, ultimus eſt ſcopus, Dei ipſius gloria. Itaque ſi Chriſtus Deus ille ſupremus eſſet, ſuam gloriam non potuiſſet non quærere. Deinde cum ſatis apertè profiteatur, ſe gloriam quærere ejus, qui ipſum miſerit, nempe Patris, cap. 7. 18. ſi ejuſdem cum illo eſſentiæ fuiſſet, idemque cum ipſo Deus; ipſius gloriam quærendo, etiam ſuam quæſiviſſet. Præterea cùm dicat, Patrem ipſius gloriam quærere ac judicare, ipſúmve glorificare; neceſſe fuiſſet, ipſum quoque Chriſtum eodem tempore, eádemque operâ, ſuam gloriam quærere ac judicare, ſeque adeò ipſum glorificare. Cùm, ut antea monuimus, eorum, quorum eadem numero eſt eſſentia, eadem voluntas ac potentia agendi, eandem etiam numero operationem eſſe ſit neceſſe. Unde adverſarii quoque volunt, operationes Trinitatis ad extra, ut loquuntur, eſſe indiviſas. Quamquam limitationem ratio iſtius identitatis non admittit; & eâ etiam admiſſa, hic eandem, ex adverſariorum ſententia operationem fuiſſe neceſſe eſt: quia eam glorificationem vel in exaltatione humanæ naturæ, vel in manifeſtatione gloriæ Chriſti apud homines conſtituunt, & conſtituere neceſſe habent. Jam verò videmus, Chriſtum apertè negare, ſe gloriam ſuam quærere, aut ſeipſum glorificare.

Ex poſteriore autem loco ita concludimus: Si Chriſtus Deus ille ſupremus eſſet, dicere non potuiſſet, ſi ſeipſum glorificaret, gloriam ſuam nihil fore. Quomodo enim gloria, quæ a ſupremo Deo proficiſcitur, aut quâ Deus ſupremus ſeipſum glorificat, nihil, hoc eſt, vana atque inanis, eſſe poſſet? Certè non magis vana eſſet, quàm gloria a Patre profecta. Atqui apertè Chriſtus dicit, ſi ſeipſum glorificaret, gloriam ſuam nihil eſſe: & ea in parte glorificationem a Patre profectam, tanquam veram ac ſolidam, glorificationi a ſe profectæ opponit.

Cap. VIII.

Octavum Argumentum ex verbis Chriſti Joh. cap. 12. 44: *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me.*

HÆc, quæ citavimus, Chriſti verba, ſignificare, ipſum non eſſe principale fidei objectum, ultimumque ſcopum, in quem ea tendat, & in quo conquieſcat, omnes facilè intelligunt. Ita enim communis loquendi poſtulat conſuetudo, quam Chriſtum ſequutum eſſe conſtat; ſiquidem a populo, quem altiori voce alloquebatur, intelligi volebat. Hinc verò ſequitur, Chriſtum non eſſe illum ſupremum Deum. Deus enim ille ſummus, ultimus eſt fidei ſcopus, & principale ejus objectum. At Chriſtus ſe hunc eſſe in verbis citatis negat.

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIſtinctio naturarum hîc locum habere non poteſt, tum ob ſimplicem negationem *; tum propterea, quòd Chriſtus ſe hîc conſiderat, quatenus in ipſum creditur, credendúmve eſt. At in ipſum credendum eſt, ut in Dei filium, vid. Joh. 3. 18. & cap. IX. 35, 36. atque adeò, ſi adverſariis credimus, ut in ipſum Deum ſummum. Unde, cùm de Chriſto agitur, urgent illud Jeremiæ cap. 17. 5: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, omittentes aut non expendentes illud, quod ſequitur, *& ponit carnem brachium ſuum*, hoc eſt in carne, re fragili, robur ac præſidium ſuum collocat, *& cor ejus recedit a Deo.* Quorum neutrum in Chriſto homine, præſertim a dextris Dei in cœleſtibus collocato, locum habet. Quare, ut ad locum noſtrum redeamus; cùm ſe Chriſtus objectum fidei conſtituit, interim tamen principale ſe objectum, ultimumque ejus finem eſſe negat; de ſe ut Dei Filio loquitur. Eum verò ſecundùm humanam tantùm naturam Dei Filium eſſe, adverſarii non conceſſerint. Adde, quòd ſe, ut Patris legatum conſideret. Nam legato, quâ talis eſt, adhibita fides, non in ipſo, ſed in legante ultimò terminatur: cum inde ejus pendeat auctoritas, iſque non ſua, ſed aliena, nempe mittentis dicta proponat. Et Chriſtus ſanè ideò hoc dixit, ut fidem in ſe collocatam commendaret; nempe quia non in ſe conquieſcat; cum ex ſeipſo non loquatur: ſed in ipſum Patrem, qui ſe miſiſſet, tendat, atque in eo terminetur. Quæ autem Chriſto, ut Patris legato tribuuntur, ea ad Chriſtum, quantus quantus eſt, referenda eſſe, &, ſi is perſona ſit ſupremæ divinitatis, etiam divinæ naturæ eſſe adſcribenda, jam ſuprà cap. 4. hujus ſect. docuimus. Quòd ſi hoc abſurdum eſt; fatendum erit, Chriſtum ſupremum Deum non eſſe.

* Vide ſupra cap. 3. hujus ſect.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

C a p. IX.

Argumentum nonum, quòd Chriſtus aliquando diem ultimi judicii ignoraverit.

HUcuſque ex Johanne adduximus teſtimonia, in quibus de Chriſto id negatur, quod de eo negari non poſſet, ſi is Deus ille ſummus eſſet. Sequitur, ut ex aliis quoque ſcriptoribus ſacris ſimilia adducamus teſtimonia, & quidem ejuſmodi, in quibus prærogativa Patri præ Chriſto tribuatur. Eorum autem primum faciemus illud Chriſti, quod ſuprà de Patre agentes attigimus, Marc. 13 32: *De die autem illo, vel hora* (nempe ultimi judicii) *nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater*, ſeu, ut Matthæus cap. 24. 36, loquitur, *niſi ſolus Pater*. Quomodo ſolum Patrem Deum ſupremum eſſe, hinc evincatur, antea oſtendimus. Nunc, quomodo hinc probetur, Filium non eſſe ſupremum illum Deum, videndum eſt: licèt priori probato, hoc poſterius neceſſariò conſequatur. Sed nos contraria hîc agimus ratione, & non ex eo, quòd ſolus Pater ſit Deus ſupremus, Chriſtum non eſſe Deum ſummum demonſtramus; verùm ex hoc poſteriori illud. Res autem facilis eſt, & cuivis patet: Deus enim ille ſummus nihil ignorat, aut unquam ignoravit. Filius autem Dei diem horamque ultimi judicii aliquando ignoravit. Quare Filius Dei ſummus ille Deus non eſt.

DEFENSIO ARGUMENTI.

QUantopere ſe in hoc nodo ſolvendo torſerint adverſarii, quámque diverſas diverſi, imò & iidem, interpretationes excogitârint, videre licet tum apud alios, tum inprimis apud Maldonatum, qui refert, Hieronymum & Ambroſium, teſtimonii difficultate preſſos, eò confugiſſe, ut locum vitiatum eſſe dicerent, & non legendum, *neque Filius, ſed Pater*: contra omnium codicum fidem; quam ſi licebit in dubium vocare, nihil erit in ſacris literis certum, nihil firmum, nihil quod negare non liceat. Neque ſolùm Marci, ſed & Matthæi verba his reſpondentia expungere oportebit. Ait deinde idem interpres, majorem partem antiquorum auctorum exiſtimâſſe, Chriſtum ignoraſſe diem judicii, non quòd revera ignoraverit, ſed quòd fecerit, ut nos ignoraremus, quòd nobis revelare noluerit, quòd ejus corpus, id eſt, Eccleſia ignoraverit, quòd ſe ſcire diſſimulaverit: in eamque ſententiam citat Origenem, Chryſoſtomum, Gregorium, Hieronymum, Bedam, Theophylactum. Hanc interpretationem (ſi modò hoc nomen meretur) eo argumento idem rectè refellit, quia iſto modo etiam Pater diem judicii ignoraret; quia eum nobis non revelavit. Sed deinde quænam hæc fuiſſet Chriſti ratio? Volebant diſcipuli ex ipſo diem judicii ſcire. Reſpondet Chriſtus, ex iſtorum ſententia: Filius facit, ut vos ignoretis diem judicii, eum revelare non vult, ſcire ſe diſſimulat. Atqui idipſum rogabant diſcipuli, ut eum ſibi indicaret. Cauſſa erat afferenda, cur indicare nollet; cur, ut illi loquuntur, diſſimularet. Denique quæ hæc interpretatio: *neſcio*, id eſt, diſſimulo me ſcire? Itáne Chriſtus cum diſcipulis egit, &, cum quibus apertè agere, & licebat, & decebat, eos eluſit? Ejuſmodi oratio, ne cordato quidem homine, nedum Chriſto digna eſſet. Alios rurſus, ut Origenem, Epiphanium, Chryſoſtomum, ait interpretatos, Chriſtum ignorâſſe diem judicii, id eſt, nondum expertum fuiſſe. Hanc ſententiam eadem ratione, quâ ſuperiorem, refutat: quia hoc pacto & Pater ignoraret, cum nec ipſe eum ſit expertus. Alios dixiſſe ait, ſenſum eſſe, nec filius hominis ſcit, niſi Pater ſciat: ſed quia Pater ſciat, filium etiam hominis ſcire, ut Euthymius. Quæ interpretatio admodum eſt frivola: primò quia hoc modo cauſſam non attuliſſet, cur diſcipulis diem judicii non indicaret, nec deſiderium ejus cognoſcendi, & ab ipſo inquirendi minuiſſet, ſed auxiſſet: quia hoc pacto indicâſſet, filium hominis eum diem ſcire. Deinde nec vox Filii abſolutè de Chriſto poſita filium *hominis*, ſed Filium *Dei*, quà talis eſt, denotat; præſertim cùm ſtatim ei vox *Patris* opponatur, per quam Deus intelligitur: & vocula *niſi*, in verbis *niſi Pater*, non cum proximis revera verbis, *neque Filius*, cohæret, ſed cum illis *nemo ſcit*; vel ſaltem ſumitur pro adverſativa *ſed*. Denique adverſatur ea interpretatio verbis Matthæi, qui ait, *ſolum Patrem ſcire*. Quàm ridiculum enim eſſet, dicere, filium hominis non ſcire diem judicii, *niſi ſolus Pater ſciat*? contradictio enim eſt in adjecto, & conditio appoſita id, cui apponitur, evertit. Ait autem porrò idem interpres: multos veteres & graves Auctores, quorum nomina ordine recenſet, ita interpretatos, Chriſtum, quatenus homo eſt, diem judicii ignorâſſe. Quod ipſe non niſi eatenus verum eſſe putat, quatenus intelligatur, Chriſtum non eo titulo, ſeu non ea de cauſſa, ſciviſſe diem judicii, quia homo fuerit, ſed quia Deus. Alioquin enim falſum, atque adeò horrendum auditu eſſe putat, Chriſti humanam naturam aliquid ignorâſſe. Arbitrantur namque Pontificii, quin & alii nonnulli, Chriſti humanam naturam ab initio ſtatim conceptionis aut nativitatis omnia ſciviſſe. Verùm & illam interpretationem refellit, quia Chriſtus non ſolùm neget, Filium hominis (*Dei* potiùs dicere hîc debebat) diem judicii ſcire, ſed etiam affirmet, *ſolum Patrem ſcire*: quo verbo non ſolùm Filium, ſed etiam Spiritum ſanctum videatur excludere.

Verùm enim verò quia hodie ea interpretatio, quam interpres ille rejicit, nempe ut Chriſtus non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam naturam dicatur verè ignorâſſe diem judicii, vulgò receptiſſima eſt, etiam apud eos, qui alioquin in ipſo conceptionis momento divinæ naturæ proprietates humanæ communicatas, aut omnium rerum ſcientiam animæ ejus infuſam ſtatuunt; ideo ea nobis hîc breviter refellenda, eâque excuſſâ, iſtius etiam hominis propria interpretatio paucis refutanda eſt.

Iſtiuſmodi ergo interpretatio, & ad argumentum noſtrum reſponſio, quæ vulgò affertur, tribus potiſſimùm de cauſſis admitti non debet. Primùm, quia Chriſtus ſimpliciter, & ſine ulla limitatione negat, Filium ſcire diem ac horam judicii. Unde conſequitur, eum de ſe toto, quantus quantus eſt, loquutum eſſe; quemadmodum in examinatione reſponſionis ſecundæ ad locum Johan. 5. 19, oſtendimus. Deinde, ut alia eodem loco dicta prætereamus, tum ex ſimplici voce *Filii*, Deo Patri oppoſitâ, tum ex gradatione, quâ utitur Chriſtus, ab Angelis ad Filium, a Filio ad Patrem aſcendens, apparet, eum omnino de ea natura loquutum eſſe, ſecundùm quam Dei Filius eſt. Tertiò, quia apud Matthæum expreſſè dicitur, *ſolum Patrem ſcire* diem horámve judicii. Quæ eadem verborum Marci ſententia eſt, dum ait: *nemo ſcit, &c, niſi Pater*; Patrem ipſi quoque Filio opponens. Atqui ſi Chriſtus ſecundùm divinam naturam diem judicii ſciviſſet, jam non ſolus Pater, ſed & Filius ſciviſſet; & præterea, ſi adverſariis credimus, Spiritus ſanctus.

Quòd verò hoc loco illud Pauli dictum Coloſſ. 2. 3, tantopere urgent: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*; non animadvertunt primùm, verba illa non minùs, imò etiam rectiùs, ad nomen *myſterii Dei* & Chriſti, cujus mentio proximè præceſſerat, referri poſſe, quàm ad *Chriſti* nomen; ſiquidem de illius cognitione ibi præcipuè agitur, ut ſenſus ſit: In myſterio Dei & Chriſti omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos eſſe. Myſterium autem illud Euangelica doctrina eſt. Vide cap. 1. v. 25. 26, 27. Deinde voces *ſcientiæ & ſapientiæ* accipiendæ ſunt de notitia rerum ad ſalutem humanam pertinentium, quæ nobis etiam per Chriſtum revelatæ ſunt, & a nobis diligenter cognoſcendæ. In harum autem rerum numero diem judicii non eſſe, ex illis ipſis Chriſti verbis, de quibus diſputamus, apparet. Ut taceam, etiamſi alioqui de eodem rerum genere ſermo eſſet: tamen ſpeciale hoc dictum de judicii die, deroga-

turum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

turum generali, & non hoc ex illo, ſed illud ex hoc interpretandum eſſe.

Reſtat, ut nonnulla de ea interpretatione ac reſponſione dicamus, quam ille Pontificiorum interpres, cæterorum omnium ſententiis refutatis, excogitavit: quamquam eam ita proponit, ut nec ipſe ei ſatis fidere videatur. Ait enim: *ſed, niſi fallor, eodem modo Chriſtus loquitur, quo ſupra dixit* Matth. 20. 23, Sedere autem ad dextram & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo. *Itaque indicat, quod majus eſt, ſe non ſolùm, ut hominem, ſed etiam ut Deum, modo quodam diem judicii ignorare; non quòd ignoret, ſed quòd non ipſius ſit officium, ſcire: ſicut non dixit, quibus paratum eſt* a me, *ſed* a Patre meo, *non quòd non etiam ab ipſo paratum eſſet: ſed quòd regnum parare, id eſt, prædeſtinare, non ipſius, ſed Patris officium ſit. Sic etiam Patris eſt conſtituere, quando ſolvendus ſit mundus, quando dies judicii futurus ſit. Hoc eſt, quod Apoſtolis dicit* Act. 1. 7. Non eſt veſtrum, noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Propterea ſolus ipſe ſcire ſignificatur. Atque hic, ni fallor, verus eſt ſenſus.* Rectè bis appoſuit illud, *ni fallor.* Subverebatur enim, ne falleretur: nec ſibi ipſi vir ingenioſus ſatiſfaciebat, cùm aliis ſatiſfacere vellet. Sed nec locum rectè explicuit, imò pervertit; nec difficultatem ſuſtulit, ſed aliqua ex parte auxit. Nam primùm & ſine exemplo, & ſine ulla juſta ratione a propria & uſitata vocum *non ſcit* ſignificatione recedit, dum interpretatur, *non eſſe alicujus officium ut ſciat;* niſi fortè hoc ipſum pro cauſſa afferat, de quo controvertitur, nempe non poſſe dici, Filium neſcire diem judicii, quia, ut cætera omnia, ita & diem illum ſemper ſciverit. Deinde, quocunque modo interpretetur verba illa, *non eſſe officium Filii, diem illum ſcire,* non effugit tamen difficultatem. Vel enim ideo officii Chriſti id non eſt, quia non teneatur illum diem ſcire, ſeu ad id, ut diem illum ſciat, non ſit obligatus; vel quia teneatur illum diem neſcire, ita ut ne liceat quidem illi ſcire; quod poſterius loci ab ipſo citati poſtulare videntur. Si poſterius vult, auget difficultatem, non minuit; & plus etiam, quàm opus eſt, dicit. Non enim tantùm dicit, Filium tunc neſciviſſe judicii diem, ſed ne licuiſſe quidem illi ſcire. Quomodo autem is Deus ille ſupremus eſſe poteſt, qui non modò aliquid ignoret, ſed ne ſcire quidem poſſit; aut cui aliquid ne liceat quidem ſcire, idque quà Deus eſt? Et tamen hunc ſenſum videntur omnino poſtulare loca ab eo citata, & cum hoc ita, ut oportet, collata. Nam cùm Chriſtus dicit, *Sedere ad dextram & ſiniſtram non eſt meum dare,* ſignificat, id non eſſe in ſua poteſtate atque arbitrio ſitum, ſeu ſibi id non licere facere. Locus autem Actorum poteſtatis expreſſam mentionem facit, & ſignificat, Patrem ſuæ ipſius (eſt enim Græcè ἰδίᾳ i. e. *propriæ*) poteſtati atque arbitrio, temporum ac momentorum determinationem, ac porrò etiam notitiam reſervaſſe. Si verò prius vult; primùm, quid hoc ad rem faciet? Senſus enim erit, neminem eſſe obligatum ad id, ut ſciat diem judicii, nec Angelos, nec Filium, ſed ſolum Patrem. Quid tum enim? etiamſi nec homines, nec angeli, nec Filius obligatus ſit, ut ſciat; ſcire tamen & illi, & hic poterit: & nos, (ſic dicere potuiſſent diſcipuli) ut non teneamur, ſcire tamen cupimus: cum ſcire, ſalva dicti illius veritate, poſſimus. Credit enim ille, adverſus quem diſputamus, etiamſi Chriſti officium non fuerit ſcire diem judicii, ſciviſſe tamen. Hoc ergo pacto non repreſſit Chriſtus Apoſtolorum deſiderium, ac diem illum cognoſcendi cupiditatem; & locum reliquit iſtiuſmodi cogitationi, fieri poſſe, ut & homines, & angeli, diem illum ſciant. Deinde quo pacto dici poteſt, Patris officium eſſe, ſeu Patrem obligatum eſſe, ut diem judicii ſciat, Filium non eſſe, ſi hic quoque ſupremus eſt, atque adeò unus cum Patre Deus? Etenim non poteſt alteruter eorum ad quippiam ſciendum obligari, quin alter quoque ſit obligatus: cum idem numero utriuſque ſit intellectus, eademque prorſus ſcientia. Et præterea, quamcumque cauſſam attuleris, ob quam Pater ad judicii diem ſciendum ſit obligatus, ea Filio erit communis, ſi is ſupremus cum Patre Deus eſt. Quin ſi fieri poſſet, ut eorum alter ad id obligatus eſſet, alter non eſſet, vel minùs eſſet; ſtatuendum foret, Chriſtum magis eſſe obligatum; quia is judicis officium ſuſtineat, & in eo, ſi ſupremus eſt Deus, a nullo dependeat, adeò ut diem judicii pro arbitrio & conſtituat & determinet. Taceo, non rectè dici, Patris officium eſſe, eúmve teneri ſcire diem judicii, cùm non poſſit non ſcire; vel, ſi ideo officium ejus eſſe dicas, quia eum diem teneatur definire ac conſtituere; videndum eſt, quàm rectè dicatur, id eum facere teneri, quod in arbitrio ipſius poſitum eſt. Sed de his hactenus.

CAP. X.

Argumentum decimum ex verbis Chriſti Matth. 20. 23. *Sedere ad dexteram & ſiniſtram non eſt meum dare,* &c.

ALterum locum faciemus eum, quem nonnemo, ut vidimus, interpretum, cum éo, de quo huc uſque egimus, teſtimonio contulit, extatque apud eundem Matthæum cap. 20. Ubi ita Chriſtus ait: *Sedere autem ad dexteram & ſiniſtram non eſt meum dare,* (ſic legitur in Græco, non addita voce *vobis,* quæ in vulgata interpretatione reperitur) *ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Facilè autem cuivis patere poteſt, quid Chriſtus dicere voluerit: nempe in ſua poteſtate non eſſe, ſeu ſibi non licere pro arbitrio decernere, quinam in regno ejus ad dextram ipſius, qui item ad ſiniſtram ſedere, adeoque proximum ab ipſo dignitatis ac honoris gradum obtinere debeant. Hoc enim illis deberi, quibus id a Patre ſit deſtinatum; cujus decreta reſcindere ipſe non poſſit. Ex quo apparet, Chriſtum eam ſibi poteſtatem negare quam Patrem exercuiſſe indicat. Unde conſequitur, Chriſtum Deum illum ſupremum non eſſe. In Dei enim ſupremi poteſtate atque arbitrio ſunt omnia, quæ modò ſub ullam poteſtatem cadunt; quale ſanè eſt illud, dare aut decernere, ut aliquis ad dexteram, alius ad ſiniſtram Chriſti, in regno ejus ſedeat. Siquidem Chriſtus indicat, a Patre id aliquibus paratum eſſe.

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIces, ne Deo quidem ipſi licere decreta ſua, præſertim aliquid boni cuipiam deſtinantia, reſcindere. Quare Chriſto non licuiſſe ampliùs pro arbitrio decernere, quinam ad dextram ipſius, qui verò ad ſiniſtram ſedere debeant; etiamſi Deus ille ſupremus ſit: quia jam antea decretum ea de re immutabile fecerit. Reſpondemus, id hîc pro conceſſo ſumi, quod & planè controverſum eſt, & nullo alio ſcripturæ teſtimonio comprobari poteſt: (*nec enim legimus in ſcriptura, Filium aut Spiritum ſanctum, ſed ſolum Patrem quemquam prædeſtinâſſe,* ait hoc loco doctiſſimus Pontificiorum interpres *) & verbis loci non modò non conſentaneum, ſed etiam ab eo alienum eſt. Nam ſi ita ſe res haberet, nec ſimpliciter dixiſſet Chriſtus, *ſedere ad dextram & ſiniſtram non eſt meum dare;* nec de Patre ſolo dixiſſet, id ab eo aliquibus paratum; ſed vel a ſe, non nominato Patre, id factum dixiſſet, vel ſaltem ſe cum Patre conjunxiſſet. Quis enim non putaret abſurdum eſſe, ſi quis ipſum Chriſti Patrem, utut decretum de ſeſſione illa ad dextram ac ſiniſtram aliquibus dandâ jam fecerit, ita loquentem introduceret: *Sedere ad dextram & ſiniſtram, non eſt meum dare, ſed quibus paratum eſt a Filio meo.* Nonne hoc pacto Pater Filio aliquam præ ſe tribueret prærogativam, & id ei adſcriberet, quod ſibi adimeret? Quare cùm nunc Filius eo pacto de ſe loquatur; ſtatuendum eſt, ut quidem nonnullos interpretes agnoſcere videmus, Chriſtum, etiam quà Deus eſt, aliquam Patri prærogativam præ

* Joh. Maldonatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſe adſcribere, &, quod illi tribuit, ſibi adimere. Id quod, ſi rem ex vero æſtimes, nihil eſt aliud, quàm dicere, Patrem ſolum ſupremum illum Deum eſſe, Filium non eſſe, ut ſuprà cap. 2. hujus ſect. ſatis docuimus.

Dicet alius, Chriſtum hîc non ſimpliciter negare, ſuum eſſe dare, ut hic ad dextram ipſius, ille ad ſiniſtram ſedeat; ſed, non eſſe ſuum illis duobus diſcipulis, Zebedæi filiis, dare. Omnino enim vel legendam, vel ſubaudiendam eſſe vocem *vobis*: quia & vetus interpres eam habeat; & ſequentia verba, prioribus oppoſita, id requirant. Sequitur enim: *ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Unde apparere videtur, in præcedentibus verbis ſubaudiendum eſſe nomen perſonarum, quibus rem tantam dare, Chriſto non competat: eos verò eſſe diſcipulos illos, qui id a Chriſto petierint, voce *vobis* a vetere interprete deſignatos. Quòd ſi vocula illa addatur, nil, inquies, Chriſtus de ſe dicit aut negat, quod de Deo ſupremo dici aut negari non poſſit. Sed primùm, nulla ratio cogit, ut voculam *vobis* vel legendam, vel ſubaudiendam cenſeamus; ſed ratio potiùs eſt, cur legendam non putemus. Nam quod ad auctoritatem veteris interpretis attinet; nulla eſt cauſſa, cur relicto fonte, rivulum ſequamur, & hunc illo puriorem eſſe credamus. Quin potiùs lectio interpretationis Latinæ, lectioni Græcorum codicum, ſi hi inter ſe conſentiant, cedere debet, & ex illa corrigi. Conſentiunt autem hîc inter ſe Græci codices, & quidem non apud Matthæum tantùm, ſed & apud Marcum cap. 10. 40. ubi eodem modo legitur; & doctiſſimus ille Pontificiorum interpres nullum ſe ſcire ait veterem interpretem Græcum, qui voculam *vobis* legerit, ac ne Auguſtinum quidem inter Latinos. Quod verò ad rationem attinet ex ſequentibus verbis ductam; ea quidem ſuadet, in præcedentibus verbis perſonarum quoque haberi rationem, quibus ſeſſionem illam ad dextram ac ſiniſtram dare Chriſti non ſit; ſed inde non ſequitur, vocem *vobis* omnino eſſe ſubaudiendam, & ſic iſtis diſcipulis duobus nominatim tantam felicitatem hîc negari. Nemo enim non videt, ita quoque rectè hæc verba poſſe accipi, ac ſi dixiſſet Chriſtus: Sedere ad dextram & ſiniſtram non eſt meum dare, quibuſcumque nimirum velim, etiam cognatis, quales vos eſtis, ſolius cognationis habita ratione; aut id ſimpliciter petentibus, & alios ea in re prævenientibus, ut vos facitis: ſed iis demum, quibus id a Patre meo deſtinatum eſt. Sed deinde, largiamur nunc, vocem illam *vobis* vel legendam, vel ſubaudiendam eſſe: nihilominus tamen, cùm Chriſtus dicat, non eſſe ſuum dare ſeſſionem illam, niſi iis, quibus a Patre paratum ſit; ſequitur, eum non eſſe Deum illum ſupremum. Indicat enim iſtiuſmodi verbis, non ſe primum tantæ dignitatis auctorem eſſe, ſed Patrem, & ſe ad alienum, nempe Patris, arbitrium, legéſque ab eo conſtitutas, honorem illum & promittere, & aliquando daturum eſſe. Alioquin, ut ſuperiùs monuimus, vel a ſe, vel ſaltem a ſe ac Patre ſimul, tantam dignitatem aliquibus paratam eſſe dixiſſet. Jam verò neutrum illorum, quæ diximus, in Deum illum ſupremum cadit. Is enim & primus eſt auctor omnium iſtiuſmodi honorum præmiorumque & non ad alienæ, ſed ad ſuæ tantùm voluntatis arbitrium ſe componit, ac præmia honoreſque diſtribuit.

Exceptio de humana natura, ſecundùm quam non fuerit ipſius dare, cùm ſecundùm divinam eſſet, nullum hîc locum habet: tum propter ſimplicem negationem; tum quòd non naturam naturæ, ſed ſuam perſonam Patris perſonæ hîc opponat, &, quod ſibi adimit, huic tribuat: tum denique, quòd hæc ratio ad petitionem iſtorum diſcipulorum repellendam nullam vim habuiſſet. Neque enim illi rogabant, ut ſecundùm hanc, non ſecundùm illam naturam id ipſis daret, quod cuperent; ſed ſimpliciter ut daret; ac proinde, ut eatenus daret, quatenus poſſet. Quare ſi reſpondiſſet Chriſtus, non eſſe ſuum dare ſecundùm humanam naturam; ſtatim regerere potuiſſent, nil id ſua referre, modò ſecundùm divinam daret, ſecundùm quam dare poſſet. Sed non ita ii fuerunt ſubtiles, licèt Chriſtum Dei filium eſſe crederent, ut de diſtinctione illa cogitarent. Itaque ſimplicem negationem ſimpliciter accipiendam putârunt, & Chriſtum ad rem loquutum, non extra oleas vagatum crediderunt. Taceo, quòd doctiſſimi quoque adverſariorum, Chriſtum de ſe ut Deo hîc loquutum eſſe agnoſcunt, ut in ſuperioris loci examinatione vidimus *.

C A P. XI.

Undecimum argumentum ex illis Chriſti verbis Matth. 19. 17. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus.*

TErtium locum conſtituemus illum, qui apud eundem Matthæum extat capite proximè præcedenti, nempe 19. 17. ubi, cùm juvenis quidam ita Chriſtum fuiſſet alloquutus: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* his ei verbis reſpondit Chriſtus, ut tum in Græcis codicibus apud ipſum Matthæum, tum in Latinis etiam apud Marcum cap. 10. 18. & Lucam cap. 18. 19. legitur: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus*, vel *ſolus Deus.* Quem locum & olim & hodie multi ita ſunt auſi accipere, ac ſi Chriſtus ex confeſſione iſtius juvenis docere voluiſſet, ſe eſſe Deum illum unum, ſive ſummum: quod ſi falſum eſſe oſtenderimus; ſtatim in illos argumentum retorquebitur, & contrarium ejus, quod illi volunt, hîc a Chriſto pro conceſſo ſumi, apparebit. Et illi quidem ita argumentari Chriſtum credunt: Nemo eſt bonus, niſi Deus, nempe ſummus. Ego ex tua confeſſione ſum bonus. Ego igitur ſum Deus ſummus. Sed primùm Chriſtus nuſpiam, utut longè majores ejus rei occaſiones haberet, ſeſe Deum eſſe, vel expreſſè dixit, vel apertè docuit, ut cuilibet Euangelicam hiſtoriam legenti conſtabit; imò ut ſuprà ſect. 1. c. 1. & ſ. 2. c. 2. monuimus, cùm illi objiceretur, quòd ſe Deum faceret, *Dei* nomen ſtudio declinavit, & ſe *Filium Dei* profeſſus eſt Joh. 10. 33. & d. nedum ut ſe Deum illum ſummum eſſe aut profeſſus fuerit, aut id demonſtrare fuerit conatus. Quantò ergo minùs hoc loco, ex ſola *boni* voce, & quidem nomini *magiſtri* addita, rem tantam collegit? Deinde, ſi Chriſtus docere hunc juvenem voluiſſet, ſe eſſe Deum illum ſupremum; voluiſſet etiam eundem intelligere, neminem præter ſe eſſe, cui *Dei* aut *boni* nomen κατ' ἐξοχὴν ſumptum conveniat. Dixit enim neminem eſſe bonum, præter unum, nempe Deum. Oſtendimus autem jam ſect. 1. in defenſione 1. arg. & cap. 7. ſi quis dicatur eſſe is, cui ſoli quippiam competat, illi ipſi quoque ſubjecto ſoli idem tribuendum eſſe. Quòd ſi ergo Chriſtus, ſe Deum illum eſſe, qui ſolus ſit bonus, docere voluiſſet; intelligere juvenem illum voluiſſet, neminem præter ſe talem eſſe. Atqui hoc falſum eſt: cum præter Chriſtum talis ſit Pater, ille nempe Deus, de quo, tanquam a ſe diverſo, tum alibi frequentiſſimè, tum in eadem oratione loquitur. Quòd ſi quis dicat Chriſtum intelligi voluiſſe, nullum eſſe præter ſe alium, ratione habita eſſentiæ, cui *Dei* & *boni* nomen per excellentiam ſumtum conveniat; eſſe tamen alium, ratione habita perſonæ; is nimirum pro conceſſo ſumet id, quod falſiſſimum eſſe omnes agnoſcunt, juvenem illum inter eſſentiam & perſonam diſtinguere jam noviſſe, & ei conſtitiſſe, plures perſonas divinas in una numero eſſentia eſſe poſſe; vel dicere cogetur, Chriſtum hunc juvenem, diſtinctionis illius ignarum, hoc ſuo ſermone in graviſſimum errorem impuliſſe, nempe ut crederet, nullam præter Chriſtum aliam eſſe perſonam, cui Dei aut boni nomen, ita, ut diximus, ſumtum, conveniat. Fieri ne potuit, ut rem tantam tam breviter attingeret Chriſtus, & hominem ignarum ea de re non erudiret? Denique ipſa Chriſti verba, *Quid me vocas bonum? nemo bonus, niſi ſolus Deus*, ſatis apertè docent, Chriſtum titulum tantum, utpote ſoli Deo competentem, re-

* Joh. Maldonatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pudiâſſe; nedum ut eo arrepto, rem adhuc incredibiliorem, nempe ſe eſſe ſummum illum Deum, inde concluſerit. Quid ergo, inquies; Chriſtus non erit bonus? Reſpondemus, vocem *boni*, cùm ita ſumitur, ut non niſi Deo ſummo competat, quemadmodum hoc loco fit a Chriſto, κατ' ἐξοχὴν, ut jam antea monuimus, accipi, & eum denotare, qui omnium perfectiſſima ratione, atque ex ſeipſo bonus ſit, quo pacto & ſapientiam, & potentiam, & immortalitatem ſumi Rom. 16. 1 Tim. 1. & 6. cùm ſolus Deus ſapiens, potens, immortalis dicitur, alibi jam vidimus *. In hac ſignificatione negat Chriſtus, ſe eſſe bonum. Nam ſi objicias, juvenem illum non ſimpliciter Chriſtum appellâſſe bonum, ſed *magiſtrum bonum*, & ſic in tam perfecta ſignificatione vocem boni non accepiſſe, ſed in ea, quæ magiſtro divinitùs dato convenire poſſet: reſpondemus, juvenem illum, cùm inuſitato quodam more Chriſtum ita compellâſſet, *Magiſter bone*, quo pacto eum aliàs appellatum fuiſſe nuſpiam deprehendimus, eum ſingulari quadam ratione bonum appellare, & per quandam excellentiam illi hoc nomen tribuere voluiſſe. Etſi autem de tam perfecta vocis ſignificatione, quæ ſoli Deo convenit, non cogitârit; tamen cum hujuſmodi appellatio, propter ſingularitatem ſuam, a communi conſuetudine recedentem, ſignificationem tam perfectam, & ſic divinitatem quandam, redolere videretur; modeſtiæ Chriſti ſummæ fuit, hunc titulum, tanquam ſoli Deo verè competentem, non admittere, ſed declinare ac repudiare. Et hoc quidem longè magis decuit, quàm eum titulum, alia mente prolatum, in ſupremæ ſuæ deitatis confeſſionem trahere. Simili quadam ratione idem Chriſtus infrà Matth. 23. 8, 9, 10. diſcipulos monet, ut Rabbinorum ac magiſtrorum titulo ſeſe inſigniri non patiantur; quia unus ſit magiſter noſter Chriſtus; néve quempiam in terris Patrem vocent; quia unus ſit Pater noſter, qui in cœlis eſt: etiamſi fortè ii, qui eos Rabbi aut Magiſtros appellarent, de tam perfecta ſignificatione, in qua eæ appellationes non niſi Chriſto convenirent, minimè cogitarent, imò ne veriſimile quidem eſſet cogitare; neque etiam nos Patris nomen in tam excellenti ſignificatione ſumeremus, quâ id non niſi Deo ſummo conveniret. Satis enim eſt, ejuſmodi appellandi conſuetudinem, ſapere aliquid nimium, atque adeo divinius quippiam redolere, quod non niſi Chriſto, aut Deo ſummo conveniat. Siquidem modeſtia etiam ea fugit, quæ ſpeciem habent nimii. Quod ergo perfectiſſimæ humilitatis magiſter iſtis verbis docuit diſcipulos, id in loco noſtro docuit exemplo, dum *Boni* titulum, tanquam nimium, ac ſoli Deo proprium, repudiavit. Hinc autem patet, longè aliter, quàm adverſarii cenſent, atque adeò contraria ratione, argumentatum fuiſſe Chriſtum, hoc nimirum pacto: *Nemo eſt bonus, niſi Deus, nempe ſummus; quod perinde eſt, ac ſi diceret: Quiſquis eſt bonus, nempe* κατ' ἐξοχὴν, *is eſt ſummus ille Deus. At ego non ſum Deus ille ſummus. Quare non ſum bonus,* κατ' ἐξοχὴν *nomine hoc ſumto; nec ita à te fueram appellandus.*

Cap. XII.

Argumentum duodecimum ex verbis Chriſti ad Patrem: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

QUartum locùm faciemus illum, ubi Chriſtus ita ſuas ad Patrem preces concluſit Matth. 26. 39: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, ſeu, ut Lucas loquitur cap. 22. 42: *Non mea voluntas; ſed tua fiat.* Ex his enim verbis colligitur, Chriſtum non eſſe ſupremum illum Deum. Deus enim ſummus nulli alii perſonæ de ſe ſtatuendi, & contrà etiam, quàm ipſe cuperet ac vellet, decernendi arbitrium permittit, aut permittere poteſt. Alioquin hoc ipſo facto perſonam illam ſe ſuperiorem agnoſceret Deo autem ſummo nil eſt ſuperius. Jam verò Chriſtus hîc alii perſonæ, nempe Patri ſuo, de ſe ſtatuendi, & contrà etiam, quàm ipſemet alioqui vellet, decernendi arbitrium permittit. Deinde, ſi Chriſtus ſupremus ille Deus fuiſſet, unus etiam idemque cum Patre, ut & adverſarii contendunt, Deus, ſeu unius cum illo eſſentiæ fuiſſet: alioqui duo dii ſummi forent. Atqui ex hoc loco conſtat, Chriſtum non fuiſſe eundem cum Patre Deum, ſeu ejuſdem cum illo eſſentiæ. Nam ſi fuiſſet; una etiam illi cum Patre voluntas, idemque numero voluntatis fuiſſet actus, ut ſupra hac ſect. c. 5. & 6. docuimus. Ex hoc autem loco apparet, voluntatem utriuſque diverſam fuiſſe, diverſumque illius actum: imò fieri potuiſſe, ut una alteri in re illa, de qua agitur, eſſet contraria, quamquam ita, ut voluntas Chriſti Patris voluntati cedere parata eſſet. Alioqui minimè dicere potuiſſet, *verùm non mea voluntas, ſed tua fiat.* Siquidem non potuiſſet non propria ipſius voluntas fieri, ſi Patris voluntas fieret, nec potuiſſet, verbi gratiâ, cupere Chriſtus, ut calix ille a ſe tranſiret, ſi Pater eum tranſire nollet.

DEFENSIO ARGUMENTI.

REſpondebitur hîc ſtatim, ex verbis manifeſtè apparere, Chriſtum ſecundùm humanam naturam ita loqui, non ſecundùm divinam. Et nos quidem credimus, Chriſtum ſecundùm humanam naturam, ſeu ipſam illam humanam naturam hîc loqui, ſed ita, ut ſimul concedendum ſit, aliam in eo naturam, nempe divinam illam, non eſſe. Nam primùm ſimplex illa negatio, *non mea voluntas fiat*, non permittit, ut in Chriſto alia fuerit natura, & quidem potior, ſecundùm quam ipſius voluntas omnino fieri debuerit; quemadmodum neceſſe foret ſtatuere, ſi in Chriſto divina illa fuiſſet natura, quæ eadem numero & Patris eſſet. Ut taceam, abſurdum eſſe, imò planè impoſſibile, in Chriſto eodem tempore contrarias de eadem re fuiſſe voluntates, quarum altera vellet calicem ab ipſo tranſire, altera nollet. Certè ſimul quoque duas perſonas in ipſo agnoſcere foret neceſſe. Nam ut alteram attexamus rationem, ob quam illa naturarum diſtinctio hîc locum non habeat; neceſſe eſt Chriſtum hæc de ſe dixiſſe, quatenus perſona eſt. Nam operationes hujuſmodi, quales ſunt, velle, ac porrò etiam petere, non niſi ſuppoſitorum ſunt intellectu præditorum, quà talium; atque adeò nonniſi perſonarum, quà talium. Vel ergo neceſſe eſt adverſarios ſtatuere, Chriſtum hæc de ſe loquutum, quà divina perſona ſit, una nimirum ex perſonis Trinitatis, quod falſum eſſe docuimus, & illi ipſi, qui diſtinctione naturarum hîc utuntur, agnoſcunt; vel neceſſe eſt agnoſcere, humanam ipſius naturam, ſecundùm quam voluerit illa, ac petierit Chriſtus, perſonam eſſe; & ſic, ne duæ in ipſo perſonæ, contra omnem & rationem & ſcripturam, cum Neſtorianis ſtatuantur, divinam in illo eſſentiam ac perſonam non extare. Denique animadvertendum eſt, eum non naturæ ſuæ divinæ arbitrio ac voluntati, ſed Patris voluntati ſe hîc ſubjicere, & ſic non naturam naturæ, ſed perſonam perſonæ, & illius voluntatem hujus voluntati opponere. Quare in Chriſti perſona eam voluntatem, quam Patri tribuit, & ſuæ ſimpliciter opponit, plane non extitiſſe fatendum eſt.

Cap. XIII.

Argumentum decimum tertium ex verbis Hebr. 5. 5: *Chriſtus ſemetipſum non clarificavit*, &c.

HUcuſque ex Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptoribus, atque adeò non niſi ex ipſius Chriſti ſermonibus loca attulimus, in quibus ea de Chriſto negantur, quæ de eo negari nullo modo poſſent, ſi is Deus ſupremus eſſet. Quibus placet ſubjungere illa D. Auctoris Epiſt. ad Hebr. verba, quæ extant cap. 5. 4, 5: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem,* (nempe Pontificatûs, ſeu ſummi ſacerdotii) *ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.*

* Vid. ſect. 1. defenſ. arg. 1.

ron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret: ſed qui loquutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Nam ſi Chriſtus eſſet ſummus ille Deus, quomodo ſeipſum non clarificâſſet, ut pontifex fieret? ſi modò Deus ille ſummus Pontifex eſſe poteſt; de quo infrà. Etenim a Deo ſupremo omnis pontificatûs honor pendet, & in alios confertur. Et eo ipſo, quòd Pater eum clarificavit, ut Pontifex fieret, quemadmodum hîc affirmatur; ſemetipſum etiam clarificâſſet Chriſtus, ut Pontifex fieret, ſi is ſummus ille, atque adeò unus cum Patre Deus eſſet. Atqui id hoc loco negatur, & is, qui dixit ad eum, Filius meus es tu, ipſum clarificâſſe, non ipſe ſeipſum dicitur.

DEFENSIO ARGUMENTI.

EXceptio de duabus naturis hîc non magis locum habet, quàm in locis ſuperioribus, tum ob ſimplicem negationem: tum propterea, quòd Chriſtus hîc conſideretur, quà officium ſacerdotale adeptus eſt, quod ei non niſi quà perſona eſt, competit. Quòd ſi illa perſona eſt ſupremæ divinitatis, ipſi naturæ divinæ ea, quæ de Chriſto hîc dicuntur aut negantur, attribuenda aut neganda erunt. Cum perſona divinitatis ſupremæ nihil aliud ſit, quàm natura divina ſubſiſtentiâ prædita. Adde, quòd ea, quæ Chriſto hîc tribuuntur, eatenus ei adſcribuntur, quà Dei Filius eſt. Etenim verba illa Pſalmi ſecundi non ideò citat D. Auctor, ut eum, qui Chriſtum glorificârit, ac pontificem fecerit, ſimpliciter tantùm deſcribat; ſed ut ea ipſa deſcriptio doceat, Chriſtum a Deo Pontificem eſſe factum. Nam præter conſuetudinem & hujus & cæterorum divinorum auctorum, qui deſcriptiones perſonarum ad materiam ſubjectam accommodatas, non a re alienas, adhibere ſolent; etiam verba ſequentia id docent. Subjicit enim D. Auctor: *quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Ex quibus verbis liquidò cernitur, etiam in priori loco de ſacerdotio, quod Chriſto datum fuerit, ſermonem eſſe. Atqui locus ille vulgò de Chriſto ſecundùm divinam naturam accipi, & ad generationem ipſius ex eſſentia Patris, ab omni æternitate factam, torqueri ſolet. Quod quamquam abſurdum eſt, & præter alia, cum verbis Pauli Actor. 13. 32, 33. atque adeò cum hoc ipſo loco pugnat: eorundem tamen exceptionem de humana natura, ſecundùm quam hîc locus de Chriſto ſit accipiendus, excludit. Denique ſi de certa tantùm natura, non verò de tota Chriſti perſona loqui hîc voluiſſet Auctor divinus, non Chriſtum Patri, ſed ſibi ipſi ſecundùm divinam naturam oppoſuiſſet, & quod humanæ ademiſſet, divinæ tribuiſſet. Id autem non fecit; nec facere potuit. Si enim eo ipſo Chriſtus factus eſt a Deo Pontifex, quatenus a Deo genitus eſt, adeoque Dei Filius extitit, uti divinum auctorem indicare manifeſtè videmus; a ſe ipſo, ne ſecundùm divinam quidem naturam conſiderato, Pontifex conſtitui potuit. Aliàs Chriſtus fuiſſet genitus a ſeipſo, ſecundùm divinam naturam conſiderato, & ſic ſui ipſius eſſet filius; divinaque natura potuiſſet ad ipſum dicere, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod quàm ſit abſurdum, quamque ſecum ipſo pugnet, quivis cernit. Verùm enim verò is demum locum hunc, & argumentationem Auctoris rectè intelliget, qui animadverterit, Chriſtum eatenus præcipuè Dei Filium dici, quatenus ſummam cum Deo ſimilitudinem, ipſius beneficio eſt adeptus: non fuiſſe autem Chriſtum Deo ſimiliorem effectum, quàm tum, cùm perpetuam domûs Dei adminiſtrationem, ac populi divini in æternum curandi ſervandique munus eſt adeptus; id quod ſaterdotio ipſius continetur. Siquidem id munus Regio non opponit D. Auctor, ſed hoc in illo aliqua ratione includit. Verùm hæc obiter hîc dicta ſunto, infrà lectori profutura.

CAP. XIV.

Argumentum decimum quartum ex verbis Chriſti Joh. 14. 28: *Pater major me eſt.*

ENumeravimus adhuc loca non pauca, in quibus aliquid de Chriſto negatur, quod de eo negari non poſſet, ſi is Deus ille ſummus eſſet. Sequitur, ut ea loca videamus, in quibus ei aliquid tribuitur, quod tribui non poſſet, ſi is Deus ille ſummus eſſet; & quidem ea primùm, in quibus aliqua Patri præ ipſo prærogativa adſcribitur, & ſic Pater Chriſto ſuperior conſtitur: cujuſmodi & ea fuerunt, quæ hucuſque adduximus. Initium autem iterum faciemus a Johanne, apud quem hujus quoque generis plurima extant teſtimonia: inter quæ primum locum dabimus illi, in quo Chriſtus apertiſſimis verbis, Patrem ſeſe majorem eſſe profitetur, quod quidem facit cap. 14. 28. ubi ait: *Pater* (in Græco additur *meus*) *major me eſt*. Cui adjungi debet ille cap. 10. 29, locus, ubi idem Chriſtus ait: *Pater meus, qui dedit mihi* (nempe oves) *major omnibus eſt*. Ubi quidem iſtorum *omnium* nomine, Chriſtum quoque ipſum iucludi, tum collatio cum illis cap. 14. verbis, tum illud oſtendit, quòd Patri eodem in loco tribuit, quòd ſibi oves illas dederit, ac porro ſibi, quòd eas a Patre acceperit. Atqui Deo ſupremo nemo major eſſe poteſt.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc multi veterum Auctorum conceſſerunt, Chriſtum de ſe, etiam quà Filius Dei eſt, loqui, & eatenus Patrem ſeſe majorem dicere, quatenus Patris nomen principium, &, ut Græci loquuntur, cauſſam Filii ſignificat. Sic præter alios Pontificius ille, quem ſuprà citavimus, interpres * ait exponere Athanaſium, Hilarium, Epiphanium, Gregorium Nazianzenum, Cæſarium, Cyrillum, Damaſcenum, Chryſoſtomum, Leontium, Theophylactum, Euthymium, locis eorum annotatis. *Sed haud ſcio*, inquit, *an plus adverſariis* (Arianis nimirum, cum quibus diſputabant) *conceſſerint, quàm æquum erat*. Vidit nempe homo acutus, inde conſequi, Chriſtum, etiam quà Filius Dei eſt, non eſſe ſupremum illum Deum: ſiquidem eo, quà talis eſt, Pater ſit major. Qua de re nos ſuprà ſect. 1. c. 1. jam ſatis diximus. Adde, quòd iſta ratio, quâ illi Patrem Chriſto majorem faciunt, ad inſtitutum Chriſti nihil facit. Reddit enim ibi Chriſtus rationem ejus, quod proximè dixerat, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Quibus verbis ſanè ſignificat, aliquid ſibi acceſſurum boni, aut felicitatis, ubi ad Patrem abiverit; adeoque diſcipulos vel ipſius cauſſa gaudere debere, quòd ad Patrem abeat: quemadmodum viri doctiſſimi ante nos obſervarunt. Quid vero id ad rem facit, quòd Pater eatenus ſit Chriſto major, quatenus divinæ ipſius, ſive naturæ, ſive perſonæ, fons ſit, ipſumque ex eſſentia ſua ab æterno genuerit? An non res ipſa monet, Chriſtum ſignificare voluiſſe, Patrem eatenus ſe majorem eſſe, quatenus beatior, glorioſior, potentior ſe ſit; ſe verò, ubi cum illo propiùs fuerit conjunctus, & in ſedem ejus propriam receptus, ejuſdem beatitatis, gloriæ, potentiæ atque imperii participem fore. Sed non eſt neceſſe, ut in illa veterum interpretatione refellenda multùm laboremus. Quandoquidem hodie vix quiſquam eſt, qui eam ſequatur. Animadvertentes enim recentiores, iſtiuſmodi interpretatione Arianorum ſententiam de Chriſti divinitate non parùm ſtabiliri; illam potiſſimùm reſponſionem, quâ itidem non pauci veterum uſi ſunt, arripuerunt, quòd Chriſtus iſtic non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam tantùm naturam de ſe fuerit loquutus. Quæ reſponſio propè iiſdem rationibus, quas ſuprà cap. 3. hujus ſectionis attulimus, ſi paucula in nonnullis immutaveris, refelli poteſt. Nam ne ea nunc repetamus, quibus docuimus, exemplum hujuſmodi diſtinctionis in ſac.

* Joh. Maldonatus.

literis nullum extare; quin etiam hanc ipſam diſtinctionem, ſententiam adverſariorum de perſona Chriſti evertere; oſtenſum eſt a nobis, non poſſe id de toto ſimpliciter negari, quod de eodem ſimpliciter affirmari poſſit ac ſoleat, vel etiam omnino debeat, utut ei ſecundùm aliquam partem, præſertim indigniorem, non inſit. Unde ſequitur, etiam vice verſa, non poſſe de toto aliquo ſimpliciter affirmari id, quod de eodem toto ſimpliciter negari poſſit ac ſoleat, vel etiam debeat, utut id ei ſecundùm aliquam partem, præſertim indigniorem inſit. Jam verò ſi Chriſtus eſt ille ſupremus Deus, Patri per omnia æqualis, ut quidem adverſarii affirmant, idque nulla adhibita limitatione, ſed ſimpliciter; ſimpliciter etiam de eo negari poteſt, imò debet, Patrem eo majorem eſſe. Neque enim magis ſimpliciter de eo affirmare licet, eum eſſe Deum illum ſummum, & Patri per omnia æqualem, quàm negare, Patrem eo eſſe majorem, vel ipſum eſſe Patre minorem. Quare nec affirmare Chriſtus de ſeipſo ſimpliciter potuit, ſi ipſemet Deus ille ſummus fuit, Patrem ſe majorem eſſe. Quò accedit, quòd hujuſmodi affirmatio, *Pater meus major me eſt*, æquipollet hujuſmodi negationi, *Ego non ſum tam magnus, ut Pater meus*; quemadmodum per ſeipſum quivis cernit, & ſcopus horum verborum a nobis ſuprà indicatus docet. Significare enim voluit Chriſtus, ſibi aliquid adhuc deeſſe, quod Pater habeat; & proinde, ut & ipſe idem adipiſcatur, ſibi ad Patrem abeundum eſſe. Quare cum docuerimus, non poſſe de toto negari, quod de eodem toto ſimpliciter affirmari poſſit aut debeat; non potuiſſet Chriſtus ita de ſe loqui, ſi ob alteram naturam, & quidem potiorem, contrarium de ſe intelligi voluiſſet. Deinde cùm is, qui loquitur, ſit ipſe Dei Filius: dicit enim, *Pater me major eſt*; eo ipſo indicans, Deum Patrem Filio ſuo majorem eſſe; vel neceſſe eſt dicere, Patrem ipſa naturâ Chriſti divinâ majorem eſſe, id quod adverſarii illa ipſa diſtinctione ſua evitare conantur; vel fatendum, Filium Dei non eſſe perſonam ſupremæ Deitatis. Quandoquidem perſona ſupremæ deitatis nihil aliud eſt, quàm ipſa divina natura ſubſiſtentiam ſuam habens, ut ſuperiùs diximus cap. 3. Præterea interpretatio adverſariorum, vim verborum Chriſti planè enervat, & ad id, quod ſpectabat Chriſtus, invalida reddit. Ideò enim Chriſtum hæc verba protuliſſe vidimus, ut diſcipuli cernerent, ſibi ad Patrem, ut majori potiretur felicitate, abeundum eſſe; ac proinde non tantùm non triſtarentur, ſed etiam lætarentur, eum abire. At ſi Chriſtus ſecundùm unam tantùm naturam Patre fuiſſet minor, & interea in ſe habuiſſet naturam aut perſonam, Patri per omnia æqualem; nihil opus fuiſſet, eum ad Patrem tanquam majorem ire, ut majori felicitate potiretur; nec diſcipuli cauſſam habuiſſent gaudendi, quòd a ſe abiret, ſed potiùs triſtandi, quòd cum poſſet non abire, abiret tamen; potuiſſentque Domino ſtatim objicere: Imò verò, cur tu ad Patrem, tanquam te majorem abis, cùm eâ ſis præditus naturâ aut perſonâ, quæ Patri ſit per omnia æqualis, eaque natura tibi etiam nobiſcum in terris verſanti ſemper intima adſit. Quin ergo apud nos manes, & eam felicitatem, quam apud Patrem quæris, hic tibi ipſe paras? Vides, hac ratione, ſi ea ex adverſariorum mente accipiatur, apud diſcipulos nihil effecturum fuiſſe Chriſtum. Efficere autem plurimùm potuit, ſi omiſſa illa naturarum diſtinctione, verba ſimpliciter & abſolutè, prout prolata ſunt, de ſe accipi voluit.

Verùm ſunt nonnulli viri docti ex adverſariis*, qui hæc Chriſti verba, uti & alia non pauca apud eundem Johannem loca, nec de humana Chriſti natura, nec de divina putant eſſe accipienda, ſed de toto, ut loquuntur, complexo: quia tametſi Deus ſit æternus, cùm tamen ad nos deſcendit, medius eſſe cœperit inter Deum & nos. Sed nihil illi proficiunt. Etenim vel volunt, Filium, cùm ad nos deſcendit, deſiiſſe eſſe Deum ſupremum, vel non volunt. Si volunt; Filius nec eſt, nec fuit unquam Deus ſupremus. Hic enim non poteſt unquam deſinere eſſe Deus ſupremus. Si non volunt; non potuit Filius propterea ſimpliciter dici Patre minor, aut, quod idem eſt, Pater ipſo major. Quia Deo ſupremo nemo ſimpliciter, imò nemo ullo modo major eſt. Et, ſi vera eſt adverſariorum de Chriſto ſententia, Filius dici debet Patri per omnia æqualis. Non poteſt autem, ut antea oſtendimus, idem de eodem toto ſimpliciter & affirmari & negari. Deinde cum totum illud complexum, de quo verba iſta Chriſti dicunt eſſe accipienda, ſit perſona Chriſti, ſeu Filius ipſe Dei, ut nec illi diffitentur, & nos antea oſtendimus; neceſſe eſt ut fateantur, vel perſonam illam non eſſe perſonam ſupremæ deitatis, vel etiam de natura divina dici poſſe, Patrem ea majorem eſſe, quemadmodum paulò antè eſt a nobis demonſtratum. Non repetimus etiam illam rationem, quâ reſponſionem hodie apud adverſarios maximè receptam refutavimus; nempe quòd hujuſmodi interpretatio vim verborum Chriſti enervet, & ad id, quod intendebat, inefficacia reddat. Eadem enim ratio etiam adverſus hanc interpretationem militat. Nam ſi ita ſunt accipienda hæc verba, ut nihilominus intelligi poſſit, vel potiùs debeat, Chriſtum eſſe ſupremum Deum, ſeu naturam Dei ſupremi in ſeſe habere; non ſunt ea idonea ad oſtendendum, Chriſto ad Patrem fuiſſe abeundum, & diſcipulos gaudere debuiſſe, quòd ad Patrem eſſet abiturus; quemadmodum ex ſuperiùs dictis intelligi poteſt. Adde, quòd, ſi Chriſtus ideo ſe Patre minorem diceret, quia medius ſit inter Deum & nos; ſemper eo ſenſu Patre minor eſſet, etiam poſtquam in cœlum aſcendit, & ad dexteram Patris conſedit. Quandoquidem Chriſtus etiamnum medius eſt inter nos & Deum: cum ſacerdos ſit, & advocatus noſter, qui pro nobis apud Patrem interpellet. Quam ob cauſſam ipſi adverſarii eum mediatorem nunc eſſe dicunt. Atqui Chriſtus ſatis oſtendit his verbis, ſe, poſtquam ad Patrem abierit, eo non fore ampliùs minorem. Unde illi ipſi, cum quibus nobis hîc res eſt, dicunt, Chriſtum in his verbis ſtatum præſentem comparare cœleſti gloriæ. Etenim, ut ſuperiùs jam indicavimus, quia Filius gloriâ illâ, hoc eſt immortalitate ac ſublimi illa in omnia poteſtate adhuc carebat, ideo Patre minor erat; eandem adeptus, Patre non ampliùs minor cenſetur. Neque enim hîc exactiſſima, & omnibus numeris abſoluta æqualitas ſpectanda eſt. Quare non eatenus ſe Chriſtus Patre minorem, aut Patrem ſe majorem dixit, quia ipſe ſit inter Deum & nos medius. Non commemoro nunc, illos, cum quibus nobis res eſt, ſtatuere, Chriſtum etiam ab initio mundi aliqua ratione Dei & hominum mediatorem fuiſſe. Unde conſequeretur, divinam ipſius perſonam, abſque humana natura exiſtentem, jam ante illum, quem intelligunt, deſcenſum, Patre minorem fuiſſe. Nec illud hîc urgeo, ſi Chriſtus, quia ad nos deſcendit, hoc eſt ut illi cenſent, humanam naturam aſſumſit, medius inter nos & Deum, ac porrò Patre minor evaſit: neceſſe eſſe, & Patrem & Spiritum ſanctum medium inter nos & Deum, ac ſeipſo minorem evaſiſſe. Neque enim potuit Filius, ejúſve natura divina humanam aſſumere, quin ſimul & Patris & Spiritus ſancti natura, ac porrò ipſemet Pater ac Spiritus ſanctus eandem naturam humanam aſſumeret, ſi verum eſt id, quod adverſarii dicunt, iſtorum trium naturam divinam numero unam eandemque eſſe, qua de re agemus libro ſecundo ſect. 2. c. 5.

Cap. XV.

Argumentum decimum quintum ex eo ductum, quòd Filius à Patre in mundum ſit miſſus.

SEcundo loco illud afferri poteſt, quod toties apud Johannem legitur, Chriſtum a Deo vel a Patre miſſum. vide Joh. 3. 17: 4. 34: 5. 23, 24, 30, 37, 38. & alibi paſſim. Quod etiam apud alios ſcriptores reperitur, & inter alios apud Paulum, cùm ait: *Deus*

Filium

* Vide Joh. Calv. Admon ad fratres Polonos.

Filium ſuum miſit in ſimilitudine (ſic eſt in Græco) *carnis peccati*, Rom. 8. 3. & Gal. 4. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege.* Hinc enim conſequitur, Chriſtum non eſſe ſupremum illum Deum. Nam hujus non eſt mitti, ſed mittere; quia ejuſdem etiam non eſt, ulla ab altero mandata accipere; ſed omnibus dare. Omnis autem legatus, quà talis, mandata ab altero accipit, & ad alterius voluntatem ac nutum dicta factave ſua, quæ ut legatus ſuſcipit, componat neceſſe eſt: alioqui legati munus non obibit. Unde & Chriſtus, ut ſuprà vidimus, ait Joh. 12. 49. *Qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* & v. ſequenti: *Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.*

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc non facilè ad naturarum diſtinctionem confugere ſolent adverſarii; partim quia volunt, Chriſtum, antequam e virgine naſceretur, a Patre fuiſſe è cœlo miſſum, imò hunc ipſum in finem fuiſſe miſſum, ut è virgine naſceretur, humanamque naturam aſſumeret; partim, quia cernunt, mitti, & ſic legati munus ſuſtinere, non niſi perſonæ, quâ talis eſt, convenire. Ut taceam, ſi ſecundùm humanam tantùm naturam miſſus eſſet Chriſtus, conſecuturum, eum etiam a ſeipſo, ſeu a divina ſua natura, miſſum eſſe; cum tamen miſſionis ſuæ auctorem aliam perſonam, nempe Patrem, ubique faciat, ſeipſum nunquam; imò expreſſè, ut ſuprà vidimus, neget, ſe a ſeipſo veniſſe Joh. 7. 28.

Quare aliò confugere ſolent adverſarii, & ex eo, quòd Chriſtus a Patre miſſus fuerit, conſequi negant, eum Patre minorem eſſe. Plærique ſanè eorum aſſerunt, eum ſalva ſua cum Patre æqualitate, etiam tum, cùm humanam naturam nondum aſſumſiſſet, & ante Legem, & ſub ipſa Lege, a Deo miſſum, indeque angelum, ſeu nuncium ac legatum, ſæpius appellatum fuiſſe; quod nos in libro de Deo, cùm de nomine Jehova ageremus, ſatis, ut arbitror, reſutavimus. Ajunt autem illi, non eſſe inuſitatum, ut ſenator v. g. aliquis a collegis ſuis, quibus cæteroquin auctoritate ac poteſtate par ſit, mittatur, & eorum nomine legationem obeat. Quin etiam majorem a minore mitti poſſe; ſive quia id munus ipſemet ſponte ſua in ſe recipiat, ſive quia id precibus aliiſve perſuaſionibus ab eo impetretur. Sed primùm, rationem conſecutionis argumenti noſtri non reſellunt, quâ ſalvâ, argumentum ipſum ſalvum eſt. Deinde ſi ita ſe res habet in divinis, quemadmodum in humanis illi fieri contendunt, ut nimirum par a pari, imò etiam major a minori mitti poſſit; nil prohibebit, quominùs etiam Pater a Filio aut Spiritu ſancto mittatur: id quod ipſorum etiam adverſariorum ſententiæ repugnat, qui negant, Patrem a Filio, aut a Spiritu ſancto, ſive ſeparatim, ſive ab utroque ſimul, mitti poſſe. Quamquam mirum eſt, eos id negare: cum tres illas perſonas ſibi invicem per omnia æquales ſtatuant; ita ut nil repugnet, ſi una earum mitti poſſit, etiam cæteras mitti. Sed quid dico nil repugnate? cùm fieri non poſſit, ut una mittatur, quin mittantur etiam cæteræ: ſiquidem unius ſint eſſentiæ: perſona autem ſine eſſentia mitti non poſſit. Quòd ſi enim Patris etiam eſſentia fuit miſſa, cùm Chriſtus, aut Spiritus ſanctus (ut de hoc quoque nunc ſimul agamus) fuit miſſus; certè ipſum Patrem miſſum fuiſſe neceſſe eſt. Is enim mittitur, cujus eſſentia mittitur: cum idem ſit quiſque reipſa cum ſua eſſentia. Præterea ex hac iſtorum reſponſione ſequetur, nil prohibere, quin Deus aut Chriſtus ab angelis, ac denique ad hominibus mittatur, precibus nimirum, aut aliis perſuaſionibus adductus. Quòd ſi hoc abſurdiſſimum eſſe omnes intelligunt; agnoſcant etiam, fieri non poſſe, ut Chriſtus Patri per omnia ſit æqualis, ſiquidem ab eo miſſus fuerit. Neque enim ulla alia cauſſa fuit, cur vel hoc, vel illud, quod priori loco diximus, abſurdum eſſe omnes cenſerent, quàm quia ratio ipſa omnes docuit, legantem quidem, ratione habita ejus rei, cujus gratiâ legationem decernit, principalem, ut cum vulgo loquar, eſſe; legatum verò, illius eſſe eadem in re miniſtrum. Simul autem & illud intellectum fuit, Patrem Filio aut Spiritu ſancto, qui ab eo prodeant, ſuamque ab illo eſſentiam accipiant, inferiorem, eorúmve miniſtrum eſſe nullo modo poſſe, nedum hominum aut angelorum. Quod ergo ad inſtantias, quas vocant, ſeu exempla in contrarium adducta attinet; hîc eos decuerat meminiſſe illius, quod ipſi ſæpe, ubi nullus ei rei locus eſt, inculcare ſolent, malè hac in re argumentum duci ab humanis ad divina. Ratio autem diverſitatis hæc eſt: quia nullus hominum (niſi fortè ſummos reges excipias, qui legationes obire ipſi non ſolent,) adeò magnus eſt, quin in re certa alteri ſubjici, ſéve ipſum ſubjicere poſſit, atque adeò mandata ab eo accipere, eique miniſtrare. Quare etiam is, qui alteri dignitate par eſt, vel etiam ſuperior, ab eo mitti, & legationem ipſius nomine obire, eaque in parte illo inferior evadere, & ei tanquam principali, in negotio aliquo inſervire poteſt. At Deus ille ſummus ita mutari non poteſt, ut aliqua in re quopiam fiat inferior, eique miniſtret; ſed ſemper omnibus eſt ſuperior, eique miniſtratur ab omnibus. Quare nec legati munus ſuſcipere unquam poteſt.

CAP. XVI.

Argumentum decimum ſextum inde ductum, quòd Chriſtus mandata a Deo acceperit, eaque ſervârit.

TErtiò, his ſubjungenda ſunt illa apud Johannem loca, quibus Chriſtus apertè profitetur, ſe mandata a Patre accepiſſe, ſeque ea ſervare. Ea verò ſunt non pauca. Nam & c. 10. 18, ait: *Hoc mandatum* (nempe de ponenda anima mea, ut eam iterum accipiam) *accepi a Patre meo.* & c. XII. 49: *qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*: quæ verba cap. præcedenti citavimus. & cap. XIV. 31: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* & cap. XV. ỷ. 10: *Et ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Vide etiam cap. 4. 34: & VI. 38: & VIII. 29, 55: & XVII. 4: & XVIII. 11. & illa, in quibus ſat clare docetur, Chriſtum obediviſſe Deo, Rom. 5. 19. Phil. 2. 8. quibus adde Hebr. 5. 8. Referri etiam huc poſſunt illa apud Prophetas loca, in quibus Deus Chriſtum ſervum ſuum vocat, ut inter alia ſit Eſa. 42. 1. (qui locus de Chriſto citatur a Matth. cap. 12. ỷ. 18.) & cap. XLIX. 5, 6. ejuſdem prophetiæ (qui locus ex parte citatur Act. 13. 47.) & cap. LII. 13: & LIII. 11; & Ezech. 34. 23, 24: & cap. XXXVII. 24, 25, & ille, ubi Miniſter ſacrarii appellatur, Hebr. 8. 2. Quæ omnia oſtendunt, Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe. Hic enim a nemine mandata accipere, iiſque parère, nemini obedire, nullius ſervus eſſe poteſt. Aliàs ſummus non eſſet. Superior enim is eſt, qui mandata dat, & cui obeditur ac ſervitur.

DEFENSIO ARGUMENTI.

EXcipiunt adverſarii vulgò, Chriſto ſecundùm humanam tantùm naturam iſta competere. Sed hæc exceptio facile per ea convellitur, quæ ſuprà cap. 3. & 14. cap. hujus ſectionis dicta ſunt. Nam primùm ea, quæ attulimus, de Chriſto ſimpliciter ac ſine ulla limitatione dicuntur. At ſi in Chriſto eſſet ipſa ſupremi Dei eſſentia, ſeu mavis, ſi ipſemet Deus ille ſummus eſſet; non minùs ſimpliciter, imò etiam magis de eodem illa negari deberent. Non enim magis de eo affirmare ſimpliciter liceret ea, quæ illi ſecundùm naturam humanam inſunt, quàm negare, quæ ei ſecundùm divinam non inſunt. Non poteſt autem idem de eodem ſimul & affirmari & negari ſimpliciter. Deinde ſi Chriſtus perſona ſupremæ deitatis eſt, limitatio illa *ſecundùm humanam naturam* in illo locum non habet, nec efficere poteſt, ut, quod humanæ ipſius naturæ

turæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

turæ tantùm competit, de perſona ipſius ſimpliciter efferatur. Siquidem perſona divinitatis ſupremæ, ipſa natura divina eſt. Divinæ autem naturæ non poteſt dici quippiam competere ſecundùm humanam; ac multò minùs de ea ſimpliciter efferri id, quod ipſi per ſe repugnat, & creaturæ tantùm competit; qualia ſunt mandata accipere a Patre, ea ſervare, Patri ſervire. Tantò autem magis hæc ratio urgenda eſt, ſi conſtet, ea, quæ de Chriſto dicuntur, perſonæ tantùm revera ac propriè convenire: qualia ſunt illa, quæ recenſuimus. Non enim competunt hæ actiones propriè niſi ſuppoſito intelligenti, hoc eſt perſonæ, quà tali. Præſertim quia ratione officii, quod ſuſtinuit Chriſtus in terris, mandata a Patre accepit, eaque præſtitit; & nunc miniſter ſacrarii, quà Sacerdos, dicitur. Officia autem hæc non niſi perſonæ, quà tali, conveniunt. Jam verò quod non niſi perſonæ Chriſti propriè convenit, id ei naturæ convenire neceſſe eſt, quæ cum ſubſiſtentia ſua perſonam ipſius abſolvit. Quòd ſi ea natura divina eſt; concidit adverſariorum limitatio, hujuſmodi attributa ad humanam tantùm naturam reſtringentium. Si humana natura; vel duæ in Chriſto perſonæ erunt, divina & humana; vel divina illa, quam adverſarii ſtatuunt, neganda erit; & humana tantùm, ſi eſſentiam reſpicias, divina autem, ſi qualitates, quibus eſt a Deo donata, agnoſcenda; id quod nos volumus. Non commemoramus nunc illud, quòd mandata Chriſtus a Deo accepit, etiam quà legatus ipſius fuit. Legatum autem Dei Chriſtum ſtatuunt adverſarii non tantùm ſecundùm humanam naturam, ſed etiam, & quidem primò, ſecundùm divinam. Quo ergo pacto mandatorum acceptionem & conſervationem, ac porrò ſervi nomen, ad humanam tantùm naturam reſtringunt? Neceſſe nempe eſt, ut illi dogmati priùs renuncient, quàm iſta limitatione hîc utantur.

Cap. XVII.

Argumentum decimum ſeptimum ex eo ductum, quòd Chriſtus preces ad Patrem fuderit.

Quartò afferri poſſunt illa, tum apud Johannem, tum apud alios ſcriptores ſacros loca, in quibus Chriſtus Patrem oraſſe legitur. Extant autem prolixæ ipſius ad Patrem preces, partim pro ſe, partim verò pro diſcipulis, tum præſentibus, tum futuris, fuſæ, toto cap. 17. Johannis. Quibus adde illas in horto Gethſemane, Matth. 26. 39, 42, 44: Luc. 22. 41, 44. Et illas in cruce Matth. 27. 46. Luc. 23. 34, 46. Ad quarum illas, quas Chriſtus pro ſeipſo tunc ad Deum fudit, reſpiciens proculdubio D. Auctor ad Hebræos cap. 5. 7. ait: *Qui* (Chriſtus) *in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*, vel (ut ex Græco verti poteſt) *a metu*. Quin & alibi legitur, eum pernoctâſſe in precatione Dei, ſeu ad Deum, Luc. 6. 12. Vide etiam cap. 9. 18, 28, 29: XI. 1. & Joh. 14. 16. Ex quibus liquet, Chriſtum Deum ſummum non eſſe. Hic enim, cum nullius ope indigeat, & a nullo pendeat, nullius opem unquam implorat.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Reſponſio illa, quòd Chriſtus ſecundùm humanam tantùm naturam oraverit, per ea, quæ & ſuperiùs cap. 3. & 14. Diximus, & cap. præcedenti ex parte repetiimus, ſatis refutatur. Quibus adde: ſi Chriſtus, ut illa diſtinctio ponit, divinam in ſe naturam habuiſſet, nihil futurum fuiſſe opus, ipſum ad alteram perſonam nempe Patrem, confugere, quemadmodum Chriſtum feciſſe toties legimus, idque etiam cum lachrymis & clamore valido. Quid enim opus eſt ab alio petere, idque tanta cum contentione, atque adeo etiam cum lachrymis, quod per te ipſum, idque viribus naturalibus & aliunde non pendentibus, præſtare ſemper liberrimè facillimeque poſſis; imò quod omnino præſtare ipſemet decreveris? quemadmodum ſane de Chriſto ſtatuendum eſt, ſi is ipſe Deus ſummus fuit.

Ajunt hîc nonnulli, fieri poſſe, ut is etiam, qui aliquid per ſe præſtare poſſit & velit, ab altero id petat, ut ei hac in parte honorem exhibeat, & ei benefacti gloriam quodammodo relinquat. Et decuiſſe Chriſtum, utpote Filium, Patrem hac ratione honorare; & quæ a tota Trinitate proficiſcantur beneficia, a Patre nominatim, tanquam e fonte petere. Quæ reſponſio difficultatem primùm non tollit. Nam vel volunt illi, qui ita reſpondent, Patri præ Filio, & ſic primæ divinitatis perſonæ præ ſecunda, etiam quà talis eſt, aliquam prærogativam competere, vel id nolunt. Si volunt; non ſunt perſonæ illæ ejuſdem numero eſſentiæ, nec Filius ſupremus ille altiſſimuſque Deus eſt, ut ſuprà c. 1, & 2. hujus ſect. jam oſtendimus. Si nolunt; nulla eſt cauſſa, cur Filius a Patre potiùs aliquid petat, quàm a ſeipſo, (ſi modò quiſpiam a ſeipſo aliquid petere poteſt) vel abſque ullis precibus id per ſeipſum præſtet. Quæ enim cauſſa eſt in omnimoda paritate, ut Patri potiùs is honor deferatur, factique gloria tribuatur, quàm Filio? Imò verò id cavendum potius fuiſſet Chriſto, ne exemplo precum ſuarum, quas ad Patrem ſolum fudiſſe deprehenditur, cauſſam præberet aliis, majorem honorem Patri, quàm vel ipſi, vel ſpiritui ſancto, exhibendi. Siquidem perſonis omnino æqualibus, æqualis etiam debetur honor; & ipſimet adverſarii contendunt, trium illarum, quas ſtatuunt, divinitatis ſupremæ perſonarum æqualem honorem ac gloriam eſſe. Quòd ſi dicas, ut quidem nonnulli faciunt, modeſtiæ Chriſti fuiſſe, ut quod per ſeipſum vel ſibi ſumere, vel aliis largiri poſſet, a Patre potiùs peteret; ne ea, quæ jam dicta ſunt, repetamus; quærere licebit, cuinam naturæ modeſtiam illam putent tribuendam? Si humanæ; ejus modeſtiæ non fuit, ſed judicii tantùm, Patrem Filio præferre, & ad honoratiorem potiùs preces dirigere. Modeſtiæ majoris eſt ad inferiorem potiùs, quàm ad ſuperiorem accedere. At ſi omninò pares exiſtimes perſonas; non magis modeſtiam probas, ſi ad hanc, quàm ſi ad illam accedas, preceſque tuas convertas. Si divinæ naturæ aut perſonæ modeſtiam illam adſcribant; (quemadmodum quidem neceſſe eſſe diximus, ſi perſona illius divina, hoc eſt ipſe ſummus Deus eſſet) valde abſurdi ſunt, & in Deum ſummum injurii. Modeſtia enim, hominum atque angelorum virtus eſt, non Dei altiſſimi. Illius, inquam, naturæ hæc virtus eſt, quæ & extolli, & aliqua ratione dejici poſſit, non illius, quæ non poſſit. Quòd ſi modeſtiam Deo etiam ſummo, quà talis, audeas tribuere; nulla erit cauſſa, cur tantopere contendas, Chriſtum non ſecundùm divinam naturam, ſed ſecundùm humanam tantùm oraſſe Patrem. Non enim impoſſibile foret, Chriſtum ſecundùm divinam naturam ita ſe modeſtiæ cauſſâ demiſiſſe coram Patre, ut eum pro aliis, nempe hominibus, oraret, & dona, quæ ipſemet illis per ſe largiri poterat, iis impetraret. Quod tamen quàm abſurdum ſit, nemo non videt, & ipſi adverſarii ſatis ſe cernere indicant, dum ad naturarum diſtinctionem in hoc argumento omnes, quod ſciam, confugiunt.

Sed præterea reſponſionem illam nequaquam admittit precum Chriſti ad Patrem fuſarum modus, maxime ab Auctore Epiſt. ad Hebr. expreſſus, & ab Euangelicæ quoque hiſtoriæ ſcriptoribus ex parte indicatus. Is enim indigentiam etiam Chriſti, & precandi neceſſitatem, non modeſtiam ſolam arguit. Illius enim argumentum eſt, tum tanta in precando aſſiduitas, tum clamor ille validus, & lachrymæ, & animi anxietas, quæ in precando paulò ante mortem apparuit. Si dicas, neceſſitatis quidem fuiſſe, quòd oraverit Chriſtus; ſed modeſtiæ, quòd Patrem potiùs, quàm ſe divinámve ſuam naturam oraverit: ne ſuperiùs dicta nunc repetamus; ſi humana Chriſti natura cum divina perſonaliter unita ſtatuatur, neceſſitas illa planè excludetur, præſertim in rebus ad ipſum

Chriſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſtum pertinentibus, in quibus tamen eum clamorem illum, & lachrymas, tantamque animi contentionem adhibuiſſe cernimus. Etenim quo pacto v. g. neceſſitas humanam Chriſti naturam impellere potuiſſet, ut tam ardenter Patrem oraret, ne ipſam deſereret, aut ope ſua deſtitueret, utque ſpiritum ipſius in manus ſuas reciperet, & ipſam a morte ſervaret, ſi naturæ divinæ, quæ id præſtare & poſſet & vellet, imò non poſſet non præſtare, indiſſolubili nexu juncta fuiſſet? Num putamus, humanam Chriſti naturam veritam fuiſſe, ne unio illa perſonalis diſſolveretur? At de eo ne dubitare quidem cuiquam permittunt adverſarii, nedum ut Chriſti humanæ naturæ, ſeu Chriſto homini, tale quid in mentem venire potuiſſe credant. An fortè vereri poterat, ne ſalvâ illâ unione, ipſa nihilominus perpetuò in morte maneret, & ſic divina natura cum corpore exanimi atque exſangui in omnem æternitatem perſonaliter unita maneret? Quis id cogitare non horreat? cum ne ad momentum quidem, ſi ex vero rem æſtimes, id fieri potuerit. Reſtat ergo, ut non modeſtiæ, ſed neceſſitatis cauſſa & oraverit Chriſtus, & Patrem, diverſam a ſe perſonam, oraverit. Nempe quia id, quod ſibi petebat, per ſeipſum præſtare non poterat; quod aliis petebat, non niſi accepta a Patre poteſtate, largiri poterat, quam, pro aliis orando, ſibi dari tacitè petebat. Indicat prius illud D. Auctor Epiſt. ad Hebr. cap. 5. 8. dum eum, cui Chriſtus preces ac ſupplicationes cum clamore valido & lachrymis obtulerit, nomine ejus proprio non expreſſo, ita circumſcribit: *qui poſſit illum ſalvum facere a morte*, ſeu *a morte liberare*. Hac enim deſcriptione eam perſonam a Chriſti perſona diſtinguere, & ſimul cauſſam afferre voluit, cur ei preces obtulerit; & denique, quid ſibi tunc tam anxiè petierit, indicare. At nec a Chriſto eam perſonam hoc pacto diſtinxiſſet, ſi Chriſtus ſeipſum non minùs, quàm ipſum Pater, a morte ſalvum reddere potuiſſet; cum communia non diſtinguant, ſed propria; nec cauſſam attuliſſet juſtam, cur ei tanto cum clamore & lachrymis, ut ſe a morte liberaret, ſupplicârit.

Cap. XVIII.

Argumentum decimum octavum ex eo ductum, quòd omnia Chriſto a Patre ſint data.

Quintò afferri poſſunt illa loca, in quibus ſcriptum eſt, omnia Chriſto a Patre data eſſe; idque partim generatim, partim ſpeciatim, hoc eſt, rebus certis, quæ ipſi a Patre ſint datæ, nominatim expreſſis. Quò pertinent plurima, non modò apud Johannem, ſed & apud alios ſcriptores loca. Et quia adhuc ex Johanne potiſſimùm citamus teſtimonia, ideò ab eo incipiamus; præſertim quia apud eum crebriùs, quàm apud alios ſcriptores, expreſſe ſcriptum eſt, Patrem Filio aliquid dediſſe. Ita igitur ait cap. 3. 35. *Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.* Et cap. 5. Chriſtus, declaraturus verba illa, de quibus ſuprà egimus, *Pater diligit Filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit, & majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini*; ita inter alia ait ℣. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Et ℣. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo: & poteſtatem dedit ei, etiam* (in Græco enim eſt καὶ) *judicium facere, quia filius hominis eſt.* Cui loco, quod ad vitam attinet Filio a Patre datam, non planè diſſimilis eſt ille cap. 6, 57. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Omne quod dat mihi Pater* (hoc eſt quemvis hominem probi animi, quem ad me Pater trahit,) *ad me veniet.* Quod aliquo modo repetit ℣. 39. & cap. x. ℣. 29. *Pater meus, qui* (ita eſt in Græco) *dedit mihi* (oves,) *major omnibus eſt.* cap. 13. 3. *Sciens* (Jeſus) *quòd omnia dedit ei Pater in manus.* Et cap. 17. 2. *Dediſti* (Pater) *ipſi* (Filio) *poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Et ℣. 5. *Clarifica me tu, Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui priùs, quàm mundus eſſet, apud te.* Idem enim eſt clarificare, quod dare claritatem, uti & per ſe manifeſtum eſt, & apparet ex ver. 22, 24. Rurſus ℣. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti.* Et mox ℣. 7. *Nunc cognoverunt, quòd omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt.* Vide etiam ℣. 9, 11, 12, 24. Et ℣. 22. *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis:* Et ℣. 24. *ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi. Quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Idem Johannes initio Apocalypſeos ait: *Apocalypſis* (ſeu revelatio) *Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus, palàm facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri citò.* Quomodo autem ei hanc revelationem dederit Deus, prolixè narratur infrà cap. 5. ab initio uſque ad ℣. 10. & cauſſa ejus rei hæc additur, *quia occiſus fuerit, & emerit nos in ſanguine ſuo, & fecerit nos Deo noſtro reges & ſacerdotes.* Legatur integer locus, ut pote rem totam graphicè admodum depingens. Capite autem 2. circa finem ait ipſe Filius Dei: *Qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea,* &c. *Sicut & ego accepi a Patre meo.* Quod idem aliis verbis explicat infra ſub finem cap. 3. ℣. 21.

Jam ut ad alios Novi Teſtamenti ſcriptores accedamus, qui vel expreſſè, vel verbis tantundem valentibus aſſerunt, Chriſto aliquid, aut etiam omnia, quamvis diviniſſima, eſſe a Deo Patre tradita; primùm ita inter alia apud Matthæum cap. XI. 27. ait ipſe Chriſtus: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* & cap. 21. 24. de ſe citat illa Pſalmi 118. 21. verba: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput Anguli. A Domino factum eſt iſtud; & eſt mirabile in oculis noſtris.* Qui locus etiam ex parte citatur Act. 4. 11. & alibi. Ubi etſi verbum *dandi* non extat, res tamen extat eo verbo ſignificata; hoc eſt, gloriam, potentiam, atque imperium Chriſto a Deo datum eſſe indicatur. Qua de re apertiùs capite 28. Matth. ℣. 18. loquitur Chriſtus, dum ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Porrò apud Lucam ita de ipſo loquitur Angelus cap. 1. 32: *Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem* (ſeu *ſolium*) *David Patris ejus: & regnabit in domo* (Græcè *ſuper domum*) *Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* & cap. 22. 30. ait ipſe Chriſtus: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Diſpoſitio enim illa dationem arguit. Apud eundem autem ſcriptorem in Actis c. 2. 33, ait Petrus: *Dexterâ igitur Dei exaltatus* (Chriſtus,) *& promiſſione Spiritûs ſancti accepta a Patre, effudit hunc, quem* (Græcè *hoc, quod nunc*) *vos videtis & auditis.* Et mox, cùm citaſſet de Chriſto Davidis verba: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; addit ℣. 35: *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quòd & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* & cap. 3. 13: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum, glorificavit Filium ſuum Jeſum.* & cap. 5. 31: *Hunc principem & ſalvatorem Deus exaltavit dexterâ ſuâ ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.* & c. x. 42: *& præcepit nobis* (Chriſtus) *prædicare populo & teſtificari, quòd ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum*; quod ex parte repetit Paulus infrà cap. 17. 31. Ex cujus Epiſtolis, ne nimis prolixi ſimus, aliquot tantùm adducemus loca, 1 Cor. 15. 27. ex Pſal. 8, ait, *omnia ſubjecit* (Deus & Pater) *ſub pedibus ejus* (nempe Chriſti.) *Cùm autem dicat,* (vel *dicit* potiùs) *omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Quod etiam dilucidè explicat ad Eph. 1. 17, 20. & d. ubi ait, quòd Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ *conſtituit* (Chriſtum) *ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam,* (Græcè *ſuper omnia Eccleſiæ,*) *quæ eſt corpus ipſius,* &c. & Phil. 2. 9. & d. *Propter quod*

(nempe

(nempe quia Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem crucis) *& Deus exaltavit* (Græcè, *ſuperexaltavit*) *illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus* (ſcil. ſit) *Jeſus Chriſtus, in gloriam* (ita eſt in Græco) *Dei Patris.* Et quis omnia ſcripturæ loca enumerando percenſere poſſet? vide inter alia, Heb. I. 2, & deinceps uſque ad finem capitis; & cap. 2. 7, 8, 9: & c. III. 2, & d. & c. V. 5, 6, 7, 8, 9. & I Pet. I. 21.

In veteri autem Teſtamento, præter loca, quæ in teſtimoniis ſcriptorum novi Fœderis a nobis citatis continentur, nempe è Pſal. 8. & cx. Illuſtre eſt admodum illud Pſalmi ſecundi ℣. 6, 7, 8, *Ego conſtitutus ſum rex* (Hebræus codex habet, *Ego conſtitui regem,* & Deo Patri verba hæc tribuit, quæ vetus interpres Chriſto) *ſuper Sion montem ſanctum ejus* (Hebr. *meum:*) *prædicans præceptum ejus* (Hebr. *Narrabo decretum,* nempe quo rex ſum conſtitutus: Chriſti enim ſunt verba, Davidis antitypi:) *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea,* &c. Cui jungenda eſt inſignis illa viſio apud Daniëlem cap. 7. 13, ubi ait: *Videbam in viſione noctis, & ecce cum* (vel *in*) *nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum* (hoc eſt, Deum illum æternum ſuprà ℣. 9, & 10, deſcriptum) *pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt* (Chald. *in conſpectum ejus appropinquare fecerunt*) *eum. Et dedit* (antiquus dierum) *ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ, ipſi ſervient: poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Plura ſcientes volentes prætermittimus.

Ex his autem evincitur, Chriſtum non eſſe Deum ſummum. Huic enim nemo quicquam largiri, nedum omnia poteſt: cum ipſe largiatur omnibus omnia. At Chriſto tot tantaque, imò omnia Patrem largitum eſſe videmus. Quare Chriſtus Deus ille ſupremus non eſt. Poſſes & plura argumenta conſtituere, præſertim ex illis locis, in quibus non eſt dandi aut donandi verbum: ſed vis argumenti eadem eſt; ut ſi dicas: Qui exaltatus eſt a Deo, aut ab eo glorificatus, aut Dominus & Chriſtus factus, is non eſt ſummus ille Deus.

DEFENSIO ARGUMENTI.

I. *Reſponſio, ejuſque refutatio.*

AD hoc argumentum, & ſcripturæ, quibus id nititur, loca, non omnes, imò nec iidem ubique eadem reſpondent. Alii enim majorem, quam vocant, argumenti directè negare videntur; alii in diſtinctionibus effugium quærunt. Nam quod ad priores attinet; ajunt nonnulli, Apoſtolum etiam affirmare, Chriſtum *traditurum regnum Deo ut Patri* I Cor. 15. 24, quo loco idem eſt verbum, quo utitur Chriſtus Matth. 11. 27, cùm ait: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo.* Itaque Deo etiam ſummo aliquid tradi daríve poſſe ajunt. Deinde, ut Chriſtus Joh. 17. 2, 5, petat a Patre glorificari, & ſic gloriam ſibi dari; ita eundem ibidem aſſerere, ſe Patrem glorificâſſe, & porrò glorificaturum.

Sed primùm de ejuſmodi nos loquimur datione, quæ ex gratia & benignitate quadam dantis proficiſcatur: quam ob cauſſam *largiendi* verbo in argumento noſtro uſi ſumus. Ejuſmodi enim eſt illa datio, quâ Chriſto omnia ſunt a Patre data: ſiquidem eam Chriſtus dilectioni Patris erga ſe apertè adſcribit cap. 3 & 5 Johannis; & cap. 17, gloriam ſibi deſtinatam precibus exorat, & Deus Pſalmo ſecundo dicit Filio: *Poſtula a me, & dabo tibi hæreditatem gentes,* &c. Et Paulus Philip. 2, ait, Chriſto *donatum,* ſeu *ex gratia datum eſſe* (nam in Græco eſt ἐχαρίσατο) *nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Et ratio, ob quam vis vivificandi & judicium exercendi Chriſto data ſit, nimirum, *quia filius hominis ſit,* ſatis arguit, ejuſmodi, qualem diximus, dationem illam fuiſſe: quod idem liquet ex loco Daniëlis cap. 7, aliiſque ſimilibus. At hujuſmodi dationem non eſſe illam, quâ Chriſtus traditurus eſt regnum Deo & Patri, omnes per ſe facilè cernunt. Neque enim gratiæ aut benignitati Chriſti in Patrem, qui nullius benignitate eget, imputari poterit. Eſt enim traditio illa regni talis, qualis eſt ducis v. g. ad certum quoddam bellum conficiendum a rege ſuo conſtituti, quo confecto, poteſtatem ſibi datam deponat, eamque regi ſuo, qui eam per ipſum hucuſque exercuerat, reddat, ut per ſeipſum, ſi ita velit, eam in poſterum exerceat. Hoc autem totum, jure ipſo ita poſtulante, facit: ſiquidem poteſtas ei ad bellum tantùm illud conficiendum fuerat a rege data. Sic Chriſtus, qui ad ſuos, noſtroſque hoſtes debellandos, poteſtatem regiam a Patre accepit, eamque Patris nomine hucuſque exercet, omnibus hoſtibus deletis, eam Patri ſuo reddet, hoc eſt, ita deponet, ut eam Pater in poſterum per ſeipſum exerceat, atque, ut Paulus loquitur, Deus ſit omnia in omnibus. Ex quo emergit altera ratio diverſitatis: quòd nos de ea loquimur datione, quam inferior in ſuperiorem exercere non poteſt, qualis eſt collatio poteſtatis ac juris alicujus in alterum, datio vitæ, rerúmve ſimilium. At traditio illa regni poteſt in inferiorem reſpectu ſuperioris, imò non niſi in illum, cadere. Facilè autem cuivis apparet, quantopere ea traditio, quâ Chriſtus regnum Deo & Patri reddet, ab ea differat, quâ Pater Chriſto ſolium Davidis, omnemque in cœlo & in terra poteſtatem, ac porrò etiam cætera dedit. Quia, cum Chriſto illa data ſunt a Patre, is Dominus & Chriſtus factus dicitur. At quis de Patre auſit dicere, eum tunc, cùm ei regnum tradet Chriſtus, Dominum & Chriſtum, a Chriſto factum ac conſtitutum iri?

Sed deinde largiamur, aliquid Deo dari poſſe; quis eſt, qui audeat dicere, Deo ſupremo *omnia* ab altero eſſe tradita? omnem ei in cœlo ac terra poteſtatem datam eſſe? ut de ſe Chriſtus affirmat. Num Patri, quem ſupremum eſſe Deum inter omnes conſtat, conveniret hæc v. g. oratio: Ego diſpono vobis regnum, quemadmodum mihi diſpoſuit Filius? Num dici poſſet, Patri datum eſſe ab altero vitam habere in ſemetipſo? eum vivere propter alterum? Num ei conveniret hæc oratio: Filius meus, qui dedit mihi oves, major eſt omnibus? Num illa: Tui erant (diſcipuli, ô Fili,) & tu mihi eos dediſti? Sed quid opus eſt pluribus? percurre cætera, & vide, num ſine blaſphemia Patri Deóve ſummo illa poſſis applicare.

Ex his autem facilè etiam perſpicitur, quàm frivolum ſit alterum, quod de clarificatione Patris ex cap. 17 Johannis ℣. 2 & 4, affertur. Tantum nimirum intereſt inter clarificationem Chriſti, quam a Patre petit, & inter clarificationem Patris, a Chriſto in terris profectam, quantum intereſt inter gloriam, quam nobis Deus promittit, & aliquando per Chriſtum dabit, Rom. 2. 7, 10: 5. 2, & inter eam, quam nos Deo dare aut reddere dicimur I Theſſ. 2. 12: inter benedictionem, quâ nobis Deus benedicit, & illam, quâ nos Deo, I Pet. 5. 10, inter laudem, & honorem, quo nos aliquando afficiet, & eum, quo nos ipſum Joh. 12. 26. Rom. 2. ℣. 7, 10. I Cor. 4. 6. Nam clarificatio Patris a Chriſto profecta, erat illuſtratio nominis divini, ſeu bonitatis, potentiæ, ſapientiæque paternæ celebratio ac manifeſtatio: ea verò, quam Chriſtus petebat, in immortalitatis & poteſtatis ſupremæ collatione conſiſtebat. Quod & per ſe manifeſtum eſt, & poſtea docebitur, cùm tertiam ad argumentum noſtrum reſponſionem refellemus. Quare in verbis Chriſti, Joh. 17. 2, 4, ejuſmodi eſt antanaclaſis, ac ſi quis noſtrûm diceret: glorifica nos, ô Deus, ut nos te glorificemus: benedic nobis, ut nos tibi benedicamus: laudem illam & honorem nobis deſtinatum da, ut nos te laudemus atque honoremus: vel, nos te glorificavimus in terris, te laudavimus, honoravimus, opus, quod nobis perficiendum dediſti, conſummavimus. Quare nos apud temetipſum glorifica eâ gloriâ, quam nobis deſtinâſti ante conditum mundum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

II. *Reſponſio, ejuſque refutatio.*

Sed jam tempus eſt, ut alias quoque ad argumentum noſtrum reſponſiones, ſeu mavis, locorum, ex quibus illud ducitur, interpretationes videamus. Reſpondent ergo nonnulli, Chriſto omnia a Patre per æternam ex eſſentia ipſius generationem data eſſe. Quæ reſponſio itidem majorem argumenti petere videtur, eamque univerſaliter veram eſſe negare. De Patre enim tantùm eam veram eſſe tacitè dicitur; ac non de Filio, aut etiam de Spiritu ſancto. Sed hæc reſponſio duas præcipuè ob cauſſas non eſt admittenda. Primò quia non uno modo, ut ſuprà hujus ſect. c. 2. & 3. jam indicavimus, contradictionem involvit. Nam eundem ſimul & æternum, & non æternum facit: ſimul ſummum Deum, & non ſummum: eundem eſſentiâ cum Patre, & non eundem: ei æqualem, & non æqualem. Illud quidem, dum ei numero eandem cum Patre eſſentiam tribuit, & ab omni eum æternitate extitiſſe aſſerit: hoc, dum eundem generatum fuiſſe ex eſſentia Patris, ab eóque omnia, quæ ratione Deitatis habet, accepiſſe aſſerit. Deinde quia plurimis locorum a nobis citatorum manifeſtè refragatur. Nam quædam apertè loquuntur de re, quæ in tempore, non quæ ab omni æternitate facta fuerit. Ut locus Luc. 1. ℣. 32. & Joh. 5. 20, & d. ubi etiam vita commemoratur, quam Filio Pater in ſemetipſo habere dederit, hoc eſt, (ut doctiſſimi interpretes animadverterunt *) vivificandi vis ac virtus, quam non pauci eum per æternam illam generationem a Patre accepiſſe volunt. Sic & cap. VI. 37. & XVII. 4. Act. 2. 33, & ſeqq. & cap. III. ℣. 13: v. 31. 1 Cor. 15. 27. Epheſ. 1. 20, & d. Phil. 2. ℣. 9, & d. quibus adde omnia, quæ ex Epiſtola ad Hebr. ex Epiſtola Petri, Apocalypſi, itémque ex Pſalmis, & ex Danièle citavimus. Quædam etiam cauſſam illius dationis exprimunt ejuſmodi, quæ cum æterna illa ex eſſentia Dei generatione nihil commune habet †; ut quod Pater Filium dilexerit, Joh. 3. 35: & V. 20: & XVII. 24. quæ cauſſa etiam ad vitam, quam Pater Filio in ſeipſo habere dederit, pertinet; aut quod Filius, nempe Dei, filius hominis ſit, ibid. ℣. 27, aut quod obediens fuerit Patri uſque ad mortem crucis, Phil. 2. 9, & d. quodque Patrem glorificaverit in terris, & opus conſummaverit, quod ipſi dederat, ut faceret, Joh. 17. ℣. 4, 5. aut quod id à Patre poſtulârit & exoraverit, ibid. & Pſal. 2. 8. Et hæc de ſecunda reſponſione dicta ſufficiant.

III. *Reſponſio, ejuſque refutatio.*

Jam ut ad eas reſponſiones accedamus, quæ diſtinctione quadam argumentum ſolvere conantur; eæ iterùm ſunt variæ. Nonnulli enim vocem *dandi*, & alias, quæ ſimilem vim habent, diſtinguere videntur; alii res eas, quæ datæ dicuntur; aliæ denique eum, cui datæ ſint, ratione diverſarum, quæ in ipſo ſint, naturarum, quarum una ejuſmodi ſit, ut ſecundùm eam dari aliquid ipſi potuerit, atque adeò omnia data ſint, altera ejuſmodi, ut ſecundùm eam ipſi nil ſit datum. Et primi quidem illi vocem *dandi* in majore propoſitione, de datione, quæ reipſa fiat, accipiendam eſſe dicent; minorem autem nonniſi de ea, quæ declaratione fiat. Reſpondent enim ad loca, quibus aſſumtionem noſtram firmavimus, præſertim nonnulla, non ita ea intelligi debere, quaſi Pater Filio res in iis commemoratas reipſa, certo demum tempore dederit, ſed quòd ea illum habere, vel per æternam illam generationem accepiſſe, declaraverit, &, ut ab omnibus agnoſcerentur, effecerit. Sic non pauci accipiunt illam claritatem, quam a Patre Chriſtus petierit Joh. 17. 1, 5, 22, 24. Sic illud, quòd eum Deus Dominum & Chriſtum fecerit Act. 2. 36. Sic iſtud, quòd ei nomen dederit, quod eſt ſuper omne nomen Phil. 2. 9. Sed primùm ipſimet ſatis vident, hanc reſponſionem non quadrare ad omnia, quæ adduximus, loca. At cæteris ſalvis, nihilominus argumentum noſtrum conſtaret, etiamſi iſta, quæ commemoravimus, aut etiam nonnulla alia, ad eum modum, quem ipſi volunt, accipienda eſſent. Deinde nulla eſt cauſſa (niſi idipſum, quod hoc argumento impugnamus, pro cauſſa afferre velint) ob quam a proprietate ſimplicitateque verborum diſcedere debeamus; imò cauſſæ ſunt graves, ob quas ab ea diſcedendum non ſit. Nam quod ad claritatem illam attinet, quam Chriſtus a Patre flagitat Joh. 17, ſi is in ſe jam reipſa habebat id, quod iſti manifeſtandum fuiſſe dicunt, nempe majeſtatem illius unius Dei, (hanc enim intelligere eos neceſſe eſt per claritatem, quam eum reipſa apud Patrem ante conditum mundum habuiſſe contendunt;) quid opus erat Patrem rogare, ut ipſum glorificaret? Id enim in manu ipſius Chriſti ſemper fuiſſet, non minùs, quàm in Patris: nec minùs ipſe ſeipſum glorificaſſet, quàm Pater ipſum. Siquidem opera ad extra, imò omnia, illis communia eſſe neceſſe foret. Deinde Chriſtus id a Patre petit, tanquam præmium præſtiti operis, ſibi a Patre commiſſi, ut apparet ex collatione ℣. 4, & 5. At præterquam quòd Deo ſupremo præmium dari nullum poteſt; quódnam hoc eſt operis præſtiti præmium, ut Deus ſupremus agnoſcatur eſſe, qui eſt? an non hoc Deo, nullo ullius operis reſpectu, ſummo jure debetur? nec minùs Filio, quàm Patri, aut Spiritui ſancto. Præterea, quomodo explicabunt illud, *Clarifica me Pater apud temetipſum?* quid enim eſt illud *apud temetipſum?* An non manifeſtum eſt, iſtiuſmodi verba opponi ſolere, atque hoc loco opponi ei, quod fiat apud homines, aut coram iis appareat, ut in poſterioribus verbis tacitè opponitur illis *apud me?* Non ergo ſermo eſt de re, quæ apud homines fieri debeat, qualis eſſet manifeſtatio illa gloriæ Chriſti, quam ab æterno reipſa habuiſſet; ſed quæ apud Deum. Quid igitur? Num fortè Pater ſibi ipſi declarare majeſtatem Filii debebat? Non ſatis eam nôrat? & cùm non noſſet, ſibi ipſi declarare debebat? Num angelis ſecum in cœlis verſantibus? quid? non ſatis illi ſecundæ Trinitatis perſonæ majeſtatem nôrant? non oculis uſurpârant?

Quod ad locum Actorum 2. attinet, ubi Deus Jeſum dicitur feciſſe Dominum & Chriſtum; non patiuntur verba ejuſmodi explicationem. Nam, ſi iſtorum ſequamur explicationem, ita loqui cenſendus erit Petrus: Certiſſimè ergo ſciat omnis domus Iſraël, quòd & Dominum eum & Chriſtum declaravit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis. At cui id declarârat? num angelis? nondum illi nôrant, Chriſtum eſſe, quod erat, & jam pridem fuerat? num hominibus? at his ipſis verbis id Judæis revera primùm declarabat Petrus, & per eum Deus. Deinde hæc verba deducit Petrus ex illis Pſalmi Pſal. 110: *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* At in illis Chriſtus jubetur regnare, interpretante Paulo 1 Cor. 15. 25. Non verò regnare tantùm declaratur. Num fortè jubet Pater, ut Filius ipſe declaret, ſe regnare, ſemperque regnaſſe? Atqui illi nobis perſuadere volebant, Chriſtum Joh. 17, Patrem rogaſſe, ut ipſe id faceret, cùm ipſe eum viciſſim, & jam glorificâſſet, & glorificaturus porrò eſſet. Deinde huic ſeſſioni ad dextram Dei opponitur apud Paulum 1 Cor. 15. 24, & d, regni traditio, quæ certè non conſiſtet in eo, quod non ampliùs declaraturus ſit Chriſtus, ſe regnare: imò, ſi Chriſtus eſt unus ille Deus, tum demùm in cælis declarabit nobis, ſe regnare, non minùs, quàm Patrem: *cum Deus ſit futurus omnia in omnibus.* Mitto alia, quæ dici de illis Pſalmi verbis poſſent. Denique qui volunt, Deum Jeſum declarâſſe Dominum & Chriſtum, vel ſtatuunt, illum ab æterno fuiſſe Chriſtum, vel certo demum tempore factum eſſe. Ab æterno eſſe non potuit. Chriſtum enim eſſe, eſt eſſe unctum, id quod in Deum ſupremum, quatenus talis eſt, cadere non poteſt; nec quiſquam, quod ſciam, id auſus eſt dicere; ſed omnes id Chriſto, quà homo eſt, convenire ajunt. Factus igitur eſt aliquando Chriſtus, & quidem ab eo, cujus Chriſtus ſeu unctus eſſe dicitur, nempe Deo ac Patre. Quid ergo ambages, quid effugia quærunt? cum nihilominus fateri cogan-

* Joh. Calvinus, Wolfg. Muſculus & Johan. Maldonatus.
† Vid. ſup. cap. 3. hujus ſect.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cogantur, cum aliquando Chriſtum, ac porrò etiam Dominum, (Chriſtum enim eſſe, eſt eſſe Regem ac Dominum populi divini) a Deo reipſâ, non declaratione tantùm, factum eſſe, utut tandem de tempore, quo id factum fuerit, nobiſcum non conſentiant. Illud enim nobis hîc ſufficit, quòd eum Deus Dominum & Chriſtum reipſa fecerit. Quamquam quis eſt, qui, ſi impetrare a ſe poſſit, ut præjudicatam opinionem ad breve tempus ſeponat, non videat, id poſt mortem ac reſurrectionem Chriſti eſſe factum? cum omnes loci illius, de quo agimus, circumſtantiæ eò nos ducant, imò impellant; ut alios prætercam huic ſimiles, inter quos ille Eph. 1. 19. & ſeqq. & Hebr. 1. 3.

Quod ad locum Phil. 2. attinet; nec ille explicationem iſtam admittit. Primùm, quia illis verbis explicatur præmium longè maximum demiſſionis & obedientiæ Chriſti, uſque ad mortem crucis Deo præſtitæ. Id verò eſſe non potuit, declarare, quiſnam ille, ac quantus ſit, ſemperque fuerit, hoc eſt, ut adverſariis dicere neceſſe eſt, eum Deum illum ſummum eſſe demonſtrare, qua de re ſuprà, de loco Joh. 17. 5. agentes, diximus. Deinde ideo inter cætera Chriſtus ſuperexaltatus, & nomen ſuper omne nomen ei datum eſſe dicitur, ut etiam cœleſtium genua ei flecterentur. Quid verò opus erat cœleſtibus ea declaratione, ut Chriſto, ſecundæ nimirum Deitatis perſonæ, quam ſemper optimè noviſſent, & oculis, ut ſic dicam, uſurpâſſent, & adhuc uſurparent, genua flecterent? Sed præterea collatio hujus loci, partim cum duobus præcedentibus, partim cum aliis ſcripturæ teſtimoniis, quæ iſtam explicationem non admittunt, huic autem ſunt perquàm ſimilia, hic quoque eam repudiandam eſſe oſtendunt. Denique ut omnia iſta loca, de declaratione tantùm majeſtatis ac gloriæ Chriſti accipienda eſſe largiamur; nihilominus tamen inde conſtabit, Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe. Cur enim aliàs Patri, non ipſi Chriſto, declaratio illa tribueretur? Annon Chriſtus eam declarare per ſeipſum & ſemper potuiſſet, & voluiſſet? imò non potuiſſet non declarare, Patre illam declarante; quemadmodum paulò ſuperiùs hoc ipſo capite monuimus. Et de tertia reſponſione hactenus.

IV & V. *Reſponſio & utriuſque refutatio.*

Quod autem ad eos attinet, qui diſtinctione potiſſimùm rerum Chriſto datarum effugere conantur; illi iterùm inter ſe diſcrepant. Alii enim, (quæ quarta jam eſt reſponſio) cùm omnem poteſtatem Chriſto datam cùm eum ad dextram Dei collocatum, cùm Dominum ac Chriſtum factum eſſe, aliáque ſimilia legunt, id non de jure imperandi, ſed de actu atque exercitio imperii intelligendum eſſe ajunt. Alii, (quæ quinta eſt reſponſio) concedunt, etiam de jure imperandi ſermonem eſſe, quod Chriſtus ſibi per obedientiam mortemque ſuam acquiſierit, quà mediator ac redemtor. Sed primùm de utraque reſponſione idem dici poteſt, quod de tertia præcedenti, nempe etiamſi hæc iſtorum locorum admitteretur explicatio, ſalvum tamen fore argumentum noſtrum, ſalvis cæteris, quibus fulcitur, locis, quæ iſtam explicationem reſpuunt. Deinde, quod ad priorem attinet, eam loca illa ſcripturæ non admittunt. Etenim omnis poteſtas in cœlo & in terra, non actum ſeu exercitium imperii, hoc eſt, actiones, quæ a regio munere proficiſcuntur, ſed ipſum imperandi ac gubernandi jus facultatemque plenam denotat. Eadem vis eſt ſeſſionis ad dextram Dei, vel in ſolio Dei, aut ſolio Davidis. Cum enim quiſpiam ab altero in ſolio regio collocatur, aut ſedere jubetur, non tantùm exercitium imperii, imò non ipſum exercitium primò datur, utpote quod ab eo ipſo, qui in ſolio regio collocatur, proprie pendet; ſed ipſum ei regium munus, poteſtas, ac dignitas conceditur. Similiter non tum demum quiſpiam Dominus ac Chriſtus, ſeu Rex fieri dicitur, cùm imperium, quod pleniſſimo jam jure obtineat, ac reipſa poſſideat, exercet, ſed cùm in ejus poſſeſſionem mittitur. Præterea, ut de poſteriori etiam reſponſione ſimul agamus; vel habuit Chriſtus ſemper plenum imperandi jus ac facultatem, vel non habuit. Si non habuit, quomodo Deus ille ſupremus eſſe poteſt? Num Deus ſupremus eſſe poteſt, qui jus imperandi pleniſſimum ſemper non habeat? Si habuit; quomodo ei ab altero, nempe a Patre, certo demum tempore datum donatumque eſt, ut vel actu imperaret, vel jus imperandi adipiſceretur? Quomodo hujuſmodi imperium illi pro demiſſionis ac obedientiæ præmio a Patre dari potuit, ut quidem datum eſſe præter locum Johannis c. 17. 4, 5. Phil. 2. 9, & d. alia non pauca indicant. vid. Eſa. 53. 10, 11, 12. Luc. 24. 26, 46, 47. Hebr. 2. 9. 10: XII. 2. 1 Petr. 1. 11. Apoc. 3. 21. Etenim quod quis in poteſtate ſua jam habet, quodque pleniſſimo jure ſemper obtinuit, id ei pro præmio perſolvi non poteſt, nec omnino ab altero dari. Nam ſi quis dicat, fieri poſſe, ut quiſpiam duplici, aut etiam triplici jure ac titulo eandem rem obtineat, ut ſi is, cui alter quippiam debeat, illius ex aſſe hæres, & naturâ, & teſtamento evadat: fieri item poſſe, ut rem jam poſſidenti, novum jus ad eandem poſſidendam accedat; reſpondemus, ſi quis rem aliquam jam poſſideat, & quidem pleno jure, dici nequaquam poſſe, eam illi tum demum ab altero dari, cùm novum illi ad eam poſſidendam jus accreſcit. Quod enim meum eſt, meum ampliùs fieri non poteſt, ac proinde nec ab altero dari. Sed deinde quis dicat, rem illam tum temporis ei *donari* ac *ex gratia dari*? quis dicat, eam illi pro præmio tunc perſolvi? Nónne rideres eum, qui mille aureos, quos tuo jure, eóque optimo jam poſſideas, tibi ſe donare, aut pro mercede laboris conſtituere, ac porrò etiam præmii loco perſolvere aſſereret? Et etiamſi tandem eos nondum poſſideres, modò ii tibi jure optimo jam deberentur; nemo eos tibi vel donare, vel pro mercede laboris adhuc præſtandi conſtituere, & porrò præmii loco perſolvere poſſet. Nónne meritò rideres debitorem tuum, qui pecuniam, quam ipſi mutuò dediſſes, ſe tibi donare, aut ob certum aliquem laborem ſibi a te præſtitum, præmii loco perſolvere diceret? Quantò ergo minus Chriſto poteſtas atque imperium donari, & præmii loco perſolvi potuiſſet, ſi id jam ſummo pleniſſimoque jure perpetuò obtinuiſſet, etiamſi ei novum ad illud poſſidendum jus accreviſſet? Quare cùm omnis poteſtas atque imperium Chriſto datum donatumque ab altero dicatur, cùm Dominus & Chriſtus poſt reſurrectionem a Deo factus eſſe affirmetur, cùm id demiſſionis & obedientiæ præmium tulerit; fieri non potuit, ut id jam antè poſſideret; imò ne illud quidem, ut plenum ad eam rem jus ante obedientiam illam præſtitam haberet. Quòd ſi ita eſt, quomodo Deus ille ſummus eſſe poteſt? Neque verò eſt, quòd quis exiſtimet, illud imperandi jus, quod Chriſtus quà mediator ac redemtor habeat, illo jure ac poteſtate non contineri, quod Deus ſummus ex ſeipſo habet; ac porrò Chriſto, licèt Deus ſummus eſſet, id dari ab alio potuiſſe. Etenim Dei ſummi jus ac poteſtas ad omnia ſe extendit, quæcunque naturâ ſuâ injuſta non ſunt. Injuſtum autem certè non eſt imperium illud, quod Chriſto ut mediatori ac redemtori tribuitur. Et quódnam, quæſo, eſt illud imperandi jus? nónne jus leges nobis præfigendi, eáſque adminiſtrandi, jus peccata nobis remittendi, nos ab hoſtibus noſtris tuendi, & æterna felicitate donandi? quid verò? Deo ſummo illa omnia faciendi jus non eſt? Quomodo ergo Pater jus illud Chriſto dedit? quomodo id per ipſum exercet, ſi Deus ſummus id ex ſeipſo non habet? Quare & Chriſtus id ex ſeipſo haberet, ſi Deus ille ſummus eſſet. Alia nonnulla, quæ hoc loco dici poſſent, infrà commodiore loco dicentur.

VI. *Reſponſio, ejuſque refutatio.*

Reſtat, ut ultimam, omniumque uſitatiſſimam ad loca a nobis adducta, & argumentum ex illis nexum, reſponſionem examinemus; quæ quidem in diſtinctione naturarum Chriſti ſita eſt. Ajunt enim vulgò, hæc de Chriſto ſecundùm humanam naturam, non ſecundùm divinam dici. Sed primùm, ut ſuperiùs cap. 14, docuimus, non poſſet ſimpliciter aſſeri, Chriſto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illa omnia data donataque, eum exaltatum, glorificatum, Dominum ac Chriſtum factum eſſe, ſi divinam illam naturam, ſecundùm quam iſta de eo dici non poſſent, haberet. Quandoquidem eadem illa de ipſo ſimpliciter negari deberent, non minùs, quàm in locis citatis ſimpliciter de eo affirmantur. Quò accedit, quòd iſtiuſmodi loca tacitam quandam negationem, & quidem ſimplicem, in ſe contineant, nempe Chriſtum illa, quæ ei data eſſe dicuntur, ex ſeipſo non habere. Alioquin enim data ei eſſe non dicerentur. At in negationibus ejuſmodi, diſtinctionem naturarum locum non habere, ſuprà cap. 1. hujus ſect. ſatis oſtendimus, præſertim de loco Joh. 5. 19. agentes. Deinde Regem, Chriſtum, Dominum eſſe vel fieri, imperium tenere aut exercere, & ſi quæ his ſunt ſimilia, non niſi ſuppoſito intelligenti, ſeu perſonæ, quà talis eſt, primò ac propriè competunt. Quare vel de ipſa perſona divinitatem ſupremam habente, quà talis eſt, atque adeo de ipſa natura divina ſtatuendum eſt, ei hæc omnia eſſe a Patre donata; vel fatendum, Chriſtum talem perſonam non eſſe. Denique ſi in Chriſto ſupremi Dei eſſentia eſſet, nulla cauſſa foret, cur ab alia perſona, nempe a Patre, ei omnia data, íſque Dominus ac Chriſtus factus eſſe diceretur, & non potiùs a ſeipſo. Num enim natura Chriſti divina hac in parte otioſa fuit? num humanæ omnia non dedit? Certè dediſſe adverſarii contendunt; & ita dicere coguntur, tum propter arctiſſimum, quem ſtatuunt, utriuſque naturæ nexum; tum propterea, quòd Pater dare non potuit, quin Filius eadem ſimul daret, ſi unius eſt cum Patre eſſentiæ. Cur ergo Patri, & quidem ſoli, non etiam Chriſto, id tribuitur? Si dicas, propter prærogativam Patris præ Filio id factum; eo ipſo ſolum Patrem Deum illum ſummum eſſe, Filium non eſſe, fateberis. Quamquam ne ſimplex quidem prærogativa efficere potuit, ut Patri toties, támque apertè, Filio ipſi nuſpiam id tribueretur. Neque enim audiendi ſunt illi, qui, cùm in quibuſdam locis legunt, Deum Chriſto aliquid dediſſe, eum glorificâſſe, exaltâſſe, Dominum & Chriſtum feciſſe, totam Trinitatem, eſſentiámve divinam intelligunt, ut Chriſto eandem actionem tribuere poſſint. Nam primùm, cùm toties legamus, aut expreſſe ſcriptum eſſe, Patrem illa feciſſe, ut quidem præter alia fit in locis omnibus ex Johanne citatis; aut Deum glorificâſſe Filium, eíve aliquid dediſſe; fateanturque ipſi, *Dei* nomen plurimis in locis ſolum Patrem deſignare; cur hunc in illis, de quibus agitur, locis intelligi non fatentur? Nonne ipſa locorum ſimilitudo id ſuadet? nonne ea, quæ generaliùs aut confuſiùs videntur dicta, ex iis locis, quæ ſpecialiùs & diſtinctiùs eandem rem exprimunt, præſertim cum tot ſint numero, explicanda ſunt? Deinde an non manifeſtum eſt, cùm Deo actio dandi, exaltandi, glorificandi tribuitur, perſonam intelligi, (actiones enim ejuſmodi non niſi perſonis tribuuntur) & quidem a Chriſto diſtinctam? quis enim vel inter ipſos adverſarios ferret ita loquentem: Filius Dei Chriſto dedit aut donavit nomen; Filius Dei Chriſtum glorificavit, Jeſum fecit Dominum? Certè qui ita loqueretur, is Neſtorianiſmum redolere, & duas Chriſto perſonas, Filium Dei & Chriſtum, attribuere, ab ipſis adverſariis, nec immeritò, diceretur. At eadem eſt ratio, ſi dicas, Deum illa Chriſto præſtitiſſe, Deique nomine, Filium intelligas. Neque id ignorant adverſarii. Quis autem Spiritum ſanctum intelligi dicat, qui nuſpiam *Dei* nomine in ſcriptura expreſſus reperitur; nedum ut eo nomine a Chriſto diſtinctus, eique prælatus eſſe inveniatur; nuſpiam etiam Chriſto aliquid donâſſe, eúmve exaltâſſe legitur. Ut taceam, eandem quæſtionem redituram, quam de Patre, urſimus, nempe cur Spiritui ſancto potiùs, quàm Filio, iſta tribuerentur, ſi Filius Deus ſupremus eſſet.

Appendix hujus argumenti, in qua docetur, divinitatem Chriſto a Patre donatam eſſe.

ANtequam ab hoc argumento penitùs diſcedamus, hanc ei appendiculam ſubjungere placet, quâ noſtra ſententia adhuc magis confirmetur. Ex locis enim a nobis adductis patet, Chriſto divinitatem ſeu deitatem a Patre dono datam eſſe; atque adeò eum Deum a Patre factum. Unde porrò conſequitur, Chriſtum ſupremum illum Deum non eſſe. Hic enim ex ſeipſo Deus ab omni æternitate fuit, non verò ab altero demum divinitatem ſuam accepit; alioqui ſupremus non futurus. Id autem, quod diximus, duobus potiſſimùm argumentis, quæ ex locis a nobis citatis & excuſſis ducuntur, confirmari poteſt.

Primum eſt: Qui ab alio Dominus eſt factus, is etiam (ſi Deus eſt) Deus ab alio factus eſt. Atqui Jeſus, quem Deum eſſe conſtat, eſt a Deo factus Dominus. Ergo ab eodem etiam Deus factus eſt. Minor propoſitio, quam vocant, ſeu aſſumtio Petri eſt Act. 2. 36. Major hac ratione confirmatur: Quia ſi non eſſet factus ab alio Deus, cum Deus tamen ſit, nec Dominus fieri ab alio potuiſſet. Qui enim Deus eſt, præſertim in tam perfecta ſignificatione, in qua Chriſtus Deus eſſe perhibetur, is etiam Dominus eſt; &, ſi Deus a ſeipſo eſt, etiam Dominus a ſeipſo eſt; ac proinde Dominus ab alio fieri ampliùs non poteſt. Poteſt idem & hac ratione confirmari: Dominium illud Chriſti, vel idem eſt cum ipſius Deitate, vel ab ea diverſum. Si idem; certè cùm is factus eſt Dominus, ſimul etiam Deus eſt factus. Si diverſum; vel deitati illius par eſt, vel minus. Majus enim deitate ſua Chriſtus nil habet. Si par; (quamquam id dicere ii non poſſunt, qui ei ſupremam illam atque independentem deitatem tribuunt;) par etiam illius eſt cum deitate ratio: & nulla eſt cauſſa, cur, ſi is Dominus eſt factus, non etiam factus ſit Deus. Si minus; itidem ſequetur, eum ex ſemetipſo non habere, quòd Deus ſit. Si enim ex ſeipſo non habet id, quod minus eſt; multò minùs id, quod majus eſt. Quo loco non eſt omittendum, Ambroſium in his ipſis Petri verbis*, pro voce *Domini*, legere *Dei* nomen, quaſi Petrus dixerit: *Et Deum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum*, &c.

Secundùm argumentum ejuſmodi eſt: Cui id datum donatúmve eſt, ob quod divino cultu affici debet, ei etiam ipſa deitas data donataque eſt. Neque enim quicquam præter divinitatem eſt, ob quod aliquis divino cultu affici a nobis debeat, ſeu quod efficiat, ut quiſpiam cultu illo dignus ſit. Jam verò Chriſto datum donatumque legimus id, ob quod divino cultu affici debet, nempe omne judicium, nomenque ſuper omne nomen. Ita enim, ut vidimus, loquitur ipſe Chriſtus Joh. 5. 22, 23: *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant* Patrem: *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Et Paulus Phil. 2. 9. & d. ait: *Propter quod & Deus exaltavit* (Græcè *ſuperexaltavit*, ſeu *in ſummam ſublimitatem extulit*) *illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus* [*ſit*] *Jeſus Chriſtus in gloriam Dei Patris.* Utrobique autem de divino cultu adorationeque, quæ Chriſto ab omnibus debeatur, ſermonem eſſe, & res ipſa loquitur, & omnes fatentur. At eum illi cultum, ob judicium omne a Patre datum, ob nomen ſuper omne nomen ei donatum, exhibendum eſſe, eadem teſtimonia luculenter aſſerunt. Idem facilè probari poteſt etiam ex illo Danielis loco, cap. 9. ubi Chriſtus ab antiquo dierum, hoc eſt, Patre ſuo, dicitur poteſtatem & honorem & regnum accepiſſe; additurque, omnes populos, tribus, ac linguas ipſi ſervituras, nempe ob poteſtatem tantam, ac regnum ipſi datum. Quis enim regi ſuo non ſerviat? Servitus autem illa non civilis intelligitur, utpote non

* Lib: 1. de Fide cap. 7.

terreno

terreno regi præſtanda; ſed religioſa ac divina, ut pote regi divino ac cœleſti exhibenda. Cur ergo negant adverſarii plærique, deitatem Chriſto datam donatámve eſſe? Et ſanè non pauci tum ex veteribus, * tum ex recentioribus ſacrarum literarum interpretibus, cùm Paulus ait, Chriſto donatum eſſe nomen ſuper omne nomen, aſſerunt, *Dei* nomen iſtic intelligi; quia præter id nullum aliud extet nomen, quod ſuper omne nomen ſit. Quamquam in eo multi errant, quòd per *nomen* ipſam appellationem ſeu vocem *Dei* intelligunt. Etenim quomodo poſt mortem demùm ei hæc appellatio donata fuit; cùm Verbum ſeu Sermonem Deum fuiſſe dicat in principio Joh. 1. 1. nempe in principio ejus rei, de qua loquitur, quæ quidem eſt Euangelium. Adde, quòd Paulus de præmio loquatur, quod Deus Chriſto propter tantam demiſſionem, atque obedientiam uſque ad mortem crucis, donavit. At quodnam illud præmium eſt, dare alicui titulum, ſi rem ipſam titulo deſignatam non des? Itáne Deus ille benigniſſimus atque opulentiſſimus præmia pro tanta pietate perſolvit? Ejuſmodi præmium ne Principe quidem, alióve homine potente dignum eſſet. Adde, quòd, cùm quis rem ipſam habet, & quidem optimo jure, nihil eſt prorſus opus ei nomen dare aut donare, quo res illa deſignetur; præſertim cùm rei illi nomen aliquod jam eſt poſitum ac conſtitutum, ut quidem hîc accidit. Si quis rex reipſa ſit, & quidem optimo jure, ei regis titulum donare nil eſt opus: cùm nemo eum illi, niſi injuriâ, negare poſſit. Id autem donari demum poteſt, quod jure etiam poſſet negari. Quare per *nomen* illud non titulum, ſed dignitatem aut poteſtatem, ut fit in loco ſimili Eph. 1. 21. intelligere oportet, ut nomen ſuper omne nomen, ſit dignitas aut poteſtas omni alia ſublimior †. Hæc enim eſt propria cultûs atque honoris tanti cauſa. Ut enim poteſtati terrenæ ac civili civilis cultus; ita ſupremæ ac divinæ divinus cultus debetur: quemadmodum & locus Joh. 5. 22. docet, ubi Chriſto ob poteſtatem judicandi, quæ poteſtatis ipſius pars eſt maxima, imò omnem quodammodo in ſe complectitur, divinum honorem ab omnibus exhibendum eſſe oſtenditur. Jam verò, ſi ita ſe res habet; cur adeò nobis inſultant adverſarii, quòd dicamus, Chriſtum ex gratia Dei Patris Deum eſſe, ei divinitatem ab eo donatam, eum Deum ab eo factum conſtitutúmque eſſe? Cur nobis exprobrant, quòd duos habeamus Deos, alterum (ut nonnulli in re tam ſeria cavillari non verentur) ſenem, alterum juvenem: quaſi aut duos Deos haberemus ſummos; aut unum habere Deum ſummum, alterum verò ab eo dependentem, eíque ſubordinatum, ſacris literis ſit adverſum, quæ multos etiam Deos eſſe diſertè aſſerunt 1 Corinth. 8. ỽ. 6. & nominatim unum Deum, Patrem, ex quo omnia, & unum Dominum, Jeſum Chriſtum, per quem omnia, nos habere affirmant; aut quaſi Deus, quia ab omni æternitate Deus ſit, ſenex propterea meritò dicendus ſit; aut juvenis Deus Chriſtus, quia tempore eo ſit poſterior, ut Filius Patre; cùm & ſenectus & juventus nonniſi in corruptibilibus locum habeat, in incorruptibilibus atque immortalibus ceſſet. Quòd ſi ita Deum ſenem eſſe volunt, ut Daniël antiquum dierum vocat eum, ad quem ille, qui filio hominis ſimilis fuerit, acceſſerit, & poteſtatem, honorem, regnum, dominiumque in omnes terrarum populos ab eo acceperit, quod ſanè ab omni æternitate factum non eſſe omnes cernunt; cur illud rident? cur, quod ſacræ literæ tam clare tradunt, impiè exagitant? Nondum is Chriſtianæ religionis naturam ſatis novit, qui id ignorat. Chriſtianos ab Ethnicis illud hac in parte disjungit, quòd Chriſtiani unum Deum ſummum agnoſcunt, nec ulli præterea divinitatem tribuunt, niſi cui eam Deus ille ſummus revera conceſſerit. Sed hoc nondum eos a Judæis aut Turcis diſpeſcit. A Judæis enim & Turcis illud disjungit, quòd Chriſtiani præter illum ſummum Deum, etiam Filium ejus pro Deo ſuo colant, ſeu, ut Paulus loquitur, unum Deum Patrem, ex quo omnia, & in quem nos; & unum Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia, & per quem nos, agnoſcant. Sed hæc obiter, nec tamen abſque neceſſitate, dicta ſunt. Deflectendum enim paulùm erat a via, ut errantes in viam revocaremus.

* Vide inter alios Cornel. a Lapide in hunc locum.
† Vide Calvin. & Bezam.

Cap. XIX.

Augumentum undevigeſimum, quòd Chriſtus & opera & verba ſua Patri adſcribat: quòdque non prima, ſed ſecunda ſit rerum ad ſalutem ſpectantium cauſſa.

UT igitur ad alia ſententiæ noſtræ argumenta pergamus; ſubjungi poſſunt illis, quæ modò attulimus, teſtimoniis, ea Johannis loca, in quibus Chriſtus opera dictaque ſua Patri, tanquam primo auctori, non ſibi ſuæque alicui naturæ divinæ, adſcribit. In quibus tamen hoc loco non multùm immorabimur, partim quia nonnulla de iis ſuperiùs diximus, cùm ea ex Johanne recenſeremus loca, in quibus aliquid de Chriſto negatur, quod de eo negari non poſſet, ſi Deus ille ſummus eſſet, ſecundo ac tertio hujus ſectionis capite: partim etiam, quia proximè præcedentibus locis, in quibus aliquid dignitatis Chriſto a Deo datum, donatum, in eúmve collatum eſſe dicitur, ita ſunt affinia, ut eandem propè cum illis vim habeant. Recenſebimus tamen potiora ex illis, in quibus Chriſtus opera ſua Patri adſcribit, (nam ea, quæ de doctrina ipſius loquuntur, plæraque ſuprà c. 4. ſunt à nobis adducta, partim verbis ipſis adſcriptis, partim locis, ubi extent, annotatis) & aliquid adhuc iis, quæ ſuperiùs ea de re dicta ſunt, adjiciemus. Omiſſo ergo celebri illo cap. 5. loco, in quo Chriſtus aſſerit, ſe nihil ex ſeipſo facere; Patrem ſibi omnia demonſtrare, quæ ipſe facit, & adhuc majora ſibi demonſtraturum opera, ỽ. 19, 20: itemque illo cap. 14. 10. ubi ait, Patrem in ſe manentem, ipſum facere opera illa; de quo utroque ſatis ſuprà cap. 3. hujus ſect. dictum eſt; pertinent huc illa Chriſti verba, quæ itidem extant cap. 5. 36: *Ego habeo teſtimonium majus Johanne* (vel *Iohannis*, ſcil: *teſtimonio*;) *opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium per hibent de me, quòd Pater miſit me.* Et cap 10. 25. *opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Quid autem eſt, ea in nomine Patris ſui facere, quàm facere potentiâ, auctoritate, ac juſſu Patris? & eodem cap. ỽ. 37, 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etiamſi mihi non vultis* (vel *velitis*) *credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia* (vel *quòd*) *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Et cap. 11. 41. Lazarum reſuſcitaturus; ita ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quòd ſemper me audis: ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant, quòd tu me miſiſti.* Ex quo loco apparet, quòd Chriſtus Lazarum reſuſcitaverit, aliaque ſimilia ediderit miracula, id inde profectum fuiſſe, quòd a Patre exaudiretur, & virtus ea perficiendi ſemper illi ſubminiſtraretur, vel ſubminiſtrata nunquam auferretur: id quod etiam Martham, quæ Jeſum eſſe Chriſtum Dei Filium jam agnoverat, crediſſe videmus, ut ỽ. 22. profitetur. Horum autem nihil de Chriſto dici poſſet, ſi is Deus ille ſupremus eſſet, omniaque illa miracula ex ſeipſo, ſeu virtute, poteſtate atque auctoritate ſibi planè propria, ac naturaliter in ſe reſidente, ediſſet. Taceo finem illorum operum a Chriſto perſpicuè expreſſum, nempe ut credatur, ipſum a Patre miſſum eſſe: & ſic Patrem in ipſo, tanquam in unico legato, chariſſimoque Filio, eſſe; ac viciſſim ipſum eſſe in Patre, ſeu cum illo maximè unitum eſſe; prout ſimilia apud eundem Johannem verba alibi accipiuntur. vid. Joh. 6. 56: XIV. 20: XV. 4, 5: XVII. 21, 22, 23, 26. 1 Joh. 2, 5, 6, 24, 27, 28: III. 24: IV. 12, 13, 15, 16: 5. 20. Atqui ſi Chriſtus ſummus ille Deus eſſet, & virtute ſibi planè naturali miracula ediſſet, non hic illorum finis eſſe debuiſſet, ut ab alio

miſſus eſſe crederetur; ſed potiùs ut a ſeipſo veniſſe, & omnibus ſuo ipſius nomine præcepta dare ac promiſſa proponere intelligeretur.

Effugio illi diſtinctionis naturarum rima jam antè eſt præcluſa, ſiquidem hæc de Chriſto ſimpliciter ſeu abſque limitatione efferuntur, quod fieri non poſſet, ſi is unus ille eſſet Deus: quia eadem de ipſo etiam abſque limitatione neganda eſſent. Deinde, quia operationes illæ Chriſti ſuppoſito, ſeu perſonæ, quà talis eſt, propriè conveniunt, non naturæ, quæ perſona non ſit. Quare vel humanam naturam perſonam eſſe fateri debent, ſi de ea intelligere illa velint; & ſic Chriſtum divinam perſonam altiſſimumq́ue illum Deum eſſe negare coguntur; vel aſſerere, de Chriſto etiam, quà perſona eſt divina, ipſeq́ue ille altiſſimus Deus, illa dici. Præterea non alteri perſonæ, ſed alteri ſui ipſius parti, hoc eſt, naturæ divinæ, ea adſcribere debebat; niſi illam otioſam ea in re fuiſſe velis: cum otioſa eſſe non poſſet, Patre operante, ſi una eademq́ue numero eſt utriuſque natura.

Addenda autem his è Johanne petitis locis ſunt illa petri Act. 2. 22: *Jeſum*, inquit, *Nazarænum, virum approbatum a Deo in vobis* (ſeu *apud vos*) *virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri* &c. Et illa ejuſdem Petri cap. 10. 36, 38, ubi ait: *quomodo unxit eum* (Jeſum a Nazareth) *Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Id quod agnoverat antea Nicodemus, dum ita Chriſtum alloquitur Joh. 3. 2: *Scimus, quòd a Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deùs cum illo.* Atqui ſi Chriſtus Deus ille ſupremus eſſet, nec Deus per illum ea facere dicendus eſſet; nec hanc Petrus afferre cauſſam debuiſſet, cur miracula edidiſſet Chriſtus, *quoniam Deus erat cum illo*: ſed hanc, *quoniam ipſe Deus erat*, aut, *quoniam divinam in ſe eſſentiam habebat*; vel quocunque tandem modo rem eandem efferre placuiſſet.

Neque verò hîc dici poſſe, *Dei* nomine divinam Chriſti naturam intelligi, ſed Patrem Chriſti; iiſdem argumentis doceri poteſt, quibus uſi ſumus in defenſione argumenti proximè præcedentis, cùm de iis ageremus teſtimoniis, in quibus Deus aliquid Chriſto dediſſe, aut aliquid in eum contuliſſe dicitur. Diſtinctionem etiam naturarum paulò antè excluſimus.

Chriſtum ſecundam non primam eſſe rerum ad ſalutem noſtram pertinentium cauſſam.

Sed ne de ſolis Chriſti miraculis agamus, adjiciamus ea ſcripturæ loca, quibus oſtenditur, Chriſtum cæterarum quoque actionum, quas edidit, diviniſſimarum, atque ad ſalutem noſtram maximè pertinentium, non primam, ſed ſecundam intermediamq́ue cauſſam eſſe. Id verò ex iis intelligitur locis, in quibus aſſeritur, *per eum omnia facta eſſe*, ut Joh. 1. 3. *In ipſo condita eſſe univerſa*, hoc eſt per ipſum, (*in* enim pro *per* Hebraico more paſſim ſumi, omnibus eſt notiſſimum) Col. 1. 16. Quod eodem ſtatim verſiculo explicatur, dum dicuntur omnia *per ipſum* eſſe creata. Nam quòd ibidem ſubjicit vulgata verſio, etiam *in ipſo* omnia eſſe creata, id Græcè eſt *in ipſum*, & finem denotat. Sic paulò pòſt eodem loco dicitur, placuiſſe, nempe Deo, *omnia per ipſum reconciliare*, quæ in cœlo & in terra. Alibi etiam *per eum omnia eſſe* dicuntur, 1 Cor. 8. 6, de quo loco ſuprà ſect. 1. c. 2. actum eſt: ubi etiam oſtendimus, non eo modo id accipi debere, quo de Deo ipſo ſemel atque iterum dicitur, *per eum eſſe omnia*. De Deo enim non ita ſumi, quaſi aliquis alius, qui ſuprema ſit operis cauſſa, per eum quippiam fecerit; ſed ſimpliciter, quòd is ſit omnium cauſſa efficiens, vel quòd ipſius virtute atque operatione omnia ad exitum perducantur. At de Chriſto non ſemel dici, aliquem alium, nempe Deum, quem ſupremum operum cauſſam eſſe nemo neſcit, per Chriſtum omnia facere, aut feciſſe. Nam inter alia ait Apoſtolus Eph. 3. 9, *qui* (*Deus*) *omnia creavit per Jeſum Chriſtum*, ut exemplaria Græca conſtanter legunt: & Auctor Epiſtolæ ad Hebr. 1. 2, cùm dixiſſet, Deum his ultimis temporibus nobis loquutum eſſe *in Filio*, hoc eſt, per Filium, ex Hebraiſmo paulò antè notato, addit: *per quem & ſecula fecit*, nempe Deus ille, qui per eum nobiſcum eſt loquutus. Sic & 2 Cor. 5. 18, dicitur: *omnia* [*eſſè*] *ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Jeſum Chriſtum.* Alibi: *Deum nobis victoriam dediſſe per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, 1. Cor. 15. 57: *Deum Spiritum ſanctum effudiſſe in nos abundè per Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum*, Tit. 3. 5: *Deum judicaturum occulta hominum* (ſecundùm Pauli Euangelium) *per Ieſum Chriſtum*, Rom. 2. 16. Ut alia ſimilia loca prætercam. Ex quibus omnibus apparet, Chriſtum non eſſe ſupremum illum Deum. Hic enim eſt prima ſupremaq́ue omnium rerum, quas facit, cauſſa, non ſecunda aut intermedia. At iſta loca docent, Chriſtum intermediam, non primam ſupremámque eorum, quæ facit, cauſſam eſſe. Alioqui dici non poſſet, Deum per ipſum omnia facere.

Quod ſi enim quis dicat, Paulum aſſerere, 1 Theſſ. 4. ℣. 2. 2 Theſſ. 3. 12. ſe Theſſalonicenſibus, *dediſſe præcepta per Dominum Jeſum*, aut per Chriſtum eos hortari, licèt Chriſtus media illius actionis cauſſa, reſpectu Pauli fuiſſe non videatur, ſed Paulus potiùs reſpectu Chriſti: reſpondemus, illam ſignificationem, quæ cæteroquin etiam in ſacris literis rara eſt, illic locum haudquaquam habere poſſe, ubi Deus per Chriſtum vel omnia, vel aliquid feciſſe dicitur; quemadmodum id ipſum, quod modò nobis ipſis objicientes diximus, docet. Eo enim modo, quo Paulus per Dominum Jeſum ſe præcepta dediſſe, aut hortari ait, non niſi inferior per ſuperiorem agere quippiam poteſt. Significat enim, ſe iſta feciſſe aut facere auctoritate Domini Jeſu interpoſita; hac ſua ſe præcepta atque hortationes fulcire. At hoc modo nihil Deus per quemquam agere poteſt. Reſtat ergo, ut uſitatiſſima voculæ *per* ſignificatio retinenda ſit ibi, ubi Deus per Chriſtum facere quippiam dicitur, nimirum, ut Deus primum ac principale agens, Chriſtus ſecundum atque intermedium, quod ab illo dependeat, ſtatuatur.

Quod inſuper illuſtri illo Pauli loco confirmatur, qui extat 1 Cor. 1. 30. ubi Apoſtolus omnia beneficia, quæ Deus per Chriſtum in nos contulit, complectitur, dum ita ait: *Ex ipſo* (nempe *Deo*) *vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio.* Vides, eum ſapientiæ juſtitiæ, ſanctificationis ac redemtionis noſtræ, non primum auctorem, ſed cauſſam ſecundam, & a priori alia, nempe Deo, pendentem ſtatui? quandoquidem expreſſe *factus eſſe nobis* dicitur *a Deo ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio*, hoc eſt, cauſſa ſapientiæ, juſtificationis, ſanctificationis, & redemtionis liberationiſque noſtræ. Quod etiam ſignificatum fuit verbis præcedentibus, in quibus Corinthii, qua Chriſtiani nimirum erant, *eſſe ex Deo in Chriſto Jeſu*, ſeu per Chriſtum Jeſum, dicuntur. Non diſſimilis huic locus extat Hebr. 5. 9, 10. ubi dicitur, quòd Chriſtus *conſummatus factus ſit omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.* Vides, eum *factum eſſe cauſſam ſalutis æternæ*, & quidem eatenus, quatenus a Deo Pontifex eſt renunciatus? Cum hoc autem loco convenit ille, quem ſuprà ex Actis citavimus cap. 5. 31. ubi *Deus* dicitur Chriſtum *principem & ſalvatorem exaltâſſe* (hoc eſt, ut is princeps ac ſalvator fieret, eum extuliſſe) *dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.* Accedunt his illa loca, quæ de effuſione Spiritus ſancti a Chriſto facta loquuntur, quæ ſanè actio una eſt ex illuſtriſſimis, ad ſalutem humani generis ſpectantibus. Et ne repetamus illum ex Johanne locum, quem ſuprà jam citavimus, de precibus a Chriſto ad Patrem fuſis differentes, cap. 14. 16: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*, & quæ ſequuntur; alius adhuc extat apud eundem Johannem eadem de re locus infra cap. 15. 26: *Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, ſpiritum veritatis,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

veritatis, qui a Patre procedit. Ubi vides, Chriſtum non a ſe, tanquam a primo fonte, ſed a Patre miſſurum fuiſſe, atque adeò miſiſſe Spiritum ſanctum, quem etiam nominatim a Patre ait procedere; primam illius cauſſam Patrem, ſe mediam conſtituens. Eadem de re inſignis extat in Actis locus, (quem ſuprà etiam citavimus cap. 18. hujus ſect.) cap. 2. 33. ubi ſtatim a prima illa atque illuſtriſſima Spiritus ſancti in diſcipulos Chriſti effuſione, ita loquitur Petrus: *Dexterâ igitur Dei exaltatus* (Chriſtus,) *& promiſſione Spiritus ſancti acceptâ a Patre, effudit hoc, quod nunc videtis & auditis.* Spiritum ergo ſanctum a Patre, ut alibi ipſe Chriſtus dixit Act. 1. 4, promiſſum, ab eodem poſtea re ipſa accepit, & ſic demùm in Apoſtolos effudit. Quod quid eſt aliud, quàm Patrem primam illius effuſionis cauſſam, Chriſtum ſecundam eſſe, a Patre ea in re penitus dependentem? Ex quibus etiam intelligi poteſt, cur Johannes cap. 7. 39, dixerit, *Spiritum ſanctum nondum fuiſſe, quia Jeſus nondum fuerit glorificatus*; nempe quia non niſi dexterâ Dei exaltatus ac glorificatus, Spiritum ſanctum dare potuerit. Unde ipſe quoque Chriſtus dixit, cap. 16. 7: *Ego veritatem dico vobis: expedit vobis, ut ego vadam,* (nempe ad Patrem, & ſic glorificer.) *Niſi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Quàm longè autem hæc abſint ab ea ſententia, quæ Chriſtum ipſum Deum ſummum, & ſic primam ſummamque omnium rerum actionumque cauſſam conſtituit, & nos jam oſtendimus, & quivis per ſe facilè poteſt cernere.

Diſtinctio naturarum non magis hîc, quàm in præcedentibus locis, argumentiſque inde ductis, locum habet: tum quia neceſſe eſſet, de eodem Chriſto eadem, quæ de illo hîc ſimpliciter ob humanam naturam dicuntur, ob divinam negare: tum quòd hæc quoque loca tacitam negationem, & quidem ſimplicem, in ſe contineant, nempe Chriſtum iſta ex ſeipſo non facere, ſeu primam iſtorum operum cauſſam non eſſe: tum denique quia operationes illæ non niſi ſuppoſito ſeu perſonæ Chriſti, quà talis eſt, conveniunt; & partim loca ipſa manifeſtè indicant, partim adverſarii fatentur, Chriſtum in illis conſiderari, aut ut mediatorem, ac Dei legatum, aut ut ſacerdotem, aut ut regem, &, ut uno verbo omnia complectamur, ut Servatorem, ac porrò ut perſonam. Officia enim hæc non niſi perſonæ primò & per ſe competere, & nos docuimus alibi, & adverſarii fatentur *. Quid autem inde conſequatur, ex præcedentibus capitibus intelligitur.

Cap. XX.

Argumentum vigeſimum ex verbis Chriſti Joh. 8. 16: *Judicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.*

POtuiſſemus ex locis a nobis & proximè, & ſuperiùs adductis plura formare argumenta, atque adeò ex ſingulis, præſertim clarioribus, ſingula: ſed nos de numero non multùm laboramus, verùm de pondere, atque evidentia, quæ ipſa ultrò nobis numerum parit. Adeò enim materia hæc, quam tractamus, fæcunda eſt, ob tam evidentem ſententiæ, quam defendimus, veritatem, ut modus potiùs argumentorum, quàm copia nobis quærenda eſſe videatur. Habeantur ergo loca proximè examinata pro argumento hujus ordinis, in quo adhuc verſamur, ſexto, ex Johannis, aliorumque ſimul ſcriptorum ſacrorum teſtimoniis petito, in quibus aliquid de Chriſto affirmatur, quod affirmari de eo non poſſet, ſi is Deus ille ſupremus eſſet: cujus generis adhuc alia ſuperſunt apud eundem Johannem loca, quæ nunc perſequemur.

Septimum ergo argumentum petemus ex illis Chriſti verbis, quæ extant Joh. 8. verſ. 16. *Si judico ego, judicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater.* Quibus verbis indicat Chriſtus, ſi ipſe eſſet ſolus, nec Pater ipſi adeſſet, fieri poſſe, ut in judicando erraret, vel ſaltem non immeritò de veritate judicii ipſius dubitari poſſe. Nunc autem dubitandi cauſſam eſſe nullam, quia Pater ipſi perpetuò adſit, ac porrò eum in judicio errare nequaquam permittat. At ſi Chriſtus Deus ille ſummus eſſet, non minùs verum fuiſſet ipſius judicium, etiamſi ſolus fuiſſet, quàm nunc cenſendum eſt, quia Pater ei adſit. Num enim unius perſonæ, quæ ſummus ille Deus ſit, judicium non ita pro vero habetur, quàm ſi conſtet, aliam perſonam, quæ itidem Deus ſummus ſit, illi adeſſe? An ii, quibuſcum loquebatur Chriſtus, ita erant ſtupidi, ut, ſi intellexiſſent, Chriſtum eſſe ipſum Deum ſummum, non ſtatim fuiſſent faſſuri, ejus judicium eſſe veriſſimum, etiamſi de alia aliqua perſona, quæ ipſi tum aliàs, tum in judicando adeſſet, nil audiiſſent aut cogitaſſent?

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIces fortè, Chriſtum orationem ſuam accommodaſſe Judæorum opinioni, qui eum purum hominem eſſe crediderint. Itaque eum pro conceſſo ſumere non potuiſſe, ſe eſſe Deum illum ſummum: ſed ex re ipſis manifeſta argumentum ducere coactum fuiſſe. Verum hæc reſponſio nulla eſt. Nam primùm, ſi Chriſtus id tantùm pro conceſſo ſumere voluiſſet, quod Judæi de ipſo crederent; ne illud quidem, quod hîc de ſe affirmat, pro conceſſo ſumere debuiſſet aut potuiſſet, præſertim adverſariorum ſtante ſententia. Nondum enim illi credebant, Deum eſſe ipſius Patrem, id quod hîc ſumit; nondum credebant, Patrem ipſius, nempe Deum, ipſum miſiſſe, ac porrò etiam ei adeſſe. Deinde hac reſponſione uti non poſſunt adverſarii, niſi fateri velint, non ideò Chriſtum appellaſſe Deum Patrem ſuum, quia ex ejus eſſentia ita fuerit generatus, ut unus cum illo Deus eſſet. Etenim ſi hanc ob cauſſam Deum appellaſſet Patrem ſuum, jam id pro conceſſo ſumſiſſet, quod eum ſumere non potuiſſe reſponſio illa contendit. Quid enim aliud foret, pro conceſſo ſumere, Deum eſſe Patrem ſuum, quàm ſe quoque Deum ſummum eſſe? Atqui manifeſtè videmus, Chriſtum hîc ponere, Deum eſſe Patrem ſuum. Quòd ſi dicas, id quidem Chriſtum ponere, ſed implicitè atque occultè, ita, ut Judæi id non intelligerent; concidet id, quod adverſarii noſtri dicere ſolent, tam manifeſtum eſſe hoc pro generatione illa Chriſti ex eſſentia Dei argumentum, quòd Chriſtus Deum Patrem ſuum, ſe autem Filium ipſius vocet, ut Judæi quoque id intellexerint. Et hanc volunt eſſe cauſſam, cur ei & blaſphemiæ crimen eo nomine impegerint, eúmque lapidare voluerint, ac tandem in crucem egerint, quòd Deum Patrem ſuum, ſeque ejus Filium eſſe diceret; quia nimirum intellexerint, eum hoc modo indicare, ſe eſſe ex eſſentia Dei genitum, ac porrò unam cum illo eſſentiam habere. Huc enim trahere ſolent illa apud eundem Johannem loca cap. 5. 17, 18, & d. & x. 30, & c. xix. 7. & Matth. 26. 63, & d.

Dicet fortè quiſpiam alius, hoc ipſum Chriſtum dicere voluiſſe, quod nos negemus, nempe ſe eſſe unum illum cum Patre Deum. Hanc enim ob cauſſam eum affirmâſſe, ſe ſolum non eſſe, ſed Patrem ſibi adeſſe, ac porrò errare ſe in judicando non poſſe, quia Pater eſſentiæ unitate ſibi ſit junctus. Sed primum nimis obſcurè loquutus fuiſſet, ſi rem tantam illis verbis complecti voluiſſet. Quis enim, ſi quiſpiam dicat, *Ego non ſum ſolus, ſed ego & Pater,* intelligat, eum id velle dicere, ſe unius eſſe cum Deo eſſentiæ? Nam ſi dicas, voce *Patris* id ſatis indicari; animadvertendum eſt, vim argumentationis Chriſti, ſeu medium, ut loquuntur, terminum principalis argumenti, non in voce *Patris* conſiſtere, ſed in eo, quòd Pater Chriſto adeſſet. Atqui quòd Deus aut Pater cum aliquo ſit, longè aliam vim habet, quàm unam cum illo eſſentiam habere. Significat enim ex conſuetudine loquendi, omnibus, ſed præcipuè Judæis, familiariſſima, Deum alicui favore opeque ſua adeſſe. Quare hoc pacto mentem Chriſti, vimque argumenti non percepiſſent Judæi. Adde, quòd, ſi tanta vis in voce Patris

* Vid. ſup. c. 3, 4, 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſt, cur Chriſtus dixit Patrem ſuum ſecum eſſe? quaſi quiſpiam cogitare poſſet, eos, quos unius eſſentiæ eſſe jam intelligeret, a ſe invicem divelli, atque alterum ab altero relinqui poſſe. Denique deſcriptio illa Patris, quòd ipſum, nempe Chriſtum, miſerit, illi ſententiæ repugnat: partim quidem, quia omnino neceſſe eſt, aliam eſſe mittentis, aliam ab eo miſſi eſſentiam; nec ſummus Deus eſſe poteſt, qui ab altero eſt miſſus, ſed eo minor, ut ſuprà 1. ſect. c. 15, eſt oſtenſum: partim verò, quia in hac deſcriptione Patris, non obſcurè cauſſa redditur, cur Chriſtus ſolus non ſit, ſed ſit cum eo Pater: nempe quia Chriſtus Patris ſit legatus, & quidem inſignis. Deus autem legatis ſuis omnibus favore opeque ſua in omnibus, quæ officium ipſorum ulla ratione poſtulet, ſemper adeſt. Tantò autem magis Chriſto, quàm cæteris, quantò Chriſtus erat cæteris præſtantior. Hoc niſi agnoſcas, deſcriptio illa Patris ad rem præſentem nihil faciet. Non ſolet autem Chriſtus deſcriptiones otioſas, atque ad rem nihil facientes adhibere. Jam verò id, quòd Pater Chriſtum miſerit, nullo modo cauſſa ejus rei eſt, quòd Chriſtus unius ſit cum Patre eſſentiæ.

Exceptio de duabus in Chriſto naturis, ſi quis eam hîc adhibere velit, facilè iiſdem rationibus refutatur, quibus in præcedentium argumentorum defenſione uſi ſumus; quas proinde cordatus lector, mutatis, ut loquuntur, mutandis, per ſeipſum huc transferre, & ad rem præſentem accommodare poterit.

Cap. XXI.

Argumentum vigeſimum primum ex verbis Chriſti Joh. 8. 14: *Verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quò vado.*

Octavò afferri poſſunt illa Chriſti verba, eod. c. 8. Johannis, unde proximum citavimus teſtimonium, ſcripta, quæ acuti quidam inter adverſarios viri * ad ſuam ſententiam flectere conati ſunt. Extant autem ℣. 14, ubi ad hunc modum ait Chriſtus: *Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quò vado.* Etenim ſi Chriſtus eſſet ſummus ille Deus, non hanc rationem afferre debuiſſet, atque adeò nec attuliſſet, quòd ſciat, unde veniat, & quò vadat; ſed hanc potiùs, quòd ipſemet ſit ſummus ille Deus, aut quippiam tale, quod eandem ſententiam contineat. At non hanc, ſed illam Chriſtus cauſſam attulit.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Occurrunt illi, quos diximus, & hanc ipſam cauſſam attuliſſe Chriſtum ajunt. Figuratè enim locutum, & plus, quàm dicit, indicâſſe, nempe, ſe Filium Dei naturalem, ac verum eſſe Deum, intellige ſummum. Quòd ſi objicias, cur ergo apertè non dixit, quia Deus ſum? Reſpondent illi, Chriſtum uſum fuiſſe inſinuationis figurâ, ad perſonas, quibuſcum loquebatur, accommodatâ, & penè neceſſariâ. Non enim, inquiunt, ferre potuiſſent, ſi apertè ſe Deum, aut Dei Filium eſſe dixiſſet. Dixiſſe ergo quod verum erat, quodque cauſſæ erat neceſſarium: ſed ita dixiſſe, ut adverſarios ſuos verborum ambiguitate obſcuritateque deluderet. Verùm iſti homines ſe atque alios hac explicatione deluſerunt, non Judæos Chriſtus. Fatentur illi, eſtque res manifeſta, Chriſtum verbis iſtis indicare, ſe venire a Patre, venire è cœlo, & iterum in cœlum ad Patrem iturum. Quis enim dubitet, id Chriſtum hîc ſignificare voluiſſe, quod alibi apud eundem Johannem ait cap. 16. 18: *Exivi a à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem?* Quæ res aliis aut ſimilibus verbis non ſemel apud eundem ſcriptorem repetitur. Atqui tantum abeſt, ut hujuſmodi verba denotent, Chriſtum eſſe illum ſummum Deum, ut contrarium etiam indicent. Etenim ſi illa verba, *egreſſus ſum a Patre, & veni in mundum*, de motu, ut loquuntur locali, hoc eſt, de deſcenſu è cœlis in terram propriè ſic dicto accipias, quemadmodum illa, quæ his opponuntur; *iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*, de locali è terris in cœlum abitu intelligenda ſunt; ea in Deum ſummum non cadunt. Hic enim loco, ut omnes fatentur, non movetur. Si verò ita accipias, ut ſignificent, Chriſtum legationis ſuæ auctorem habuiſſe Deum Patrem, ad quem ſit rediturus, ut facilè intelligi poteſt ex ℣. 42, ejuſdem capitis; nec hoc Deum ſummum arguit, ſed potiùs Deo ſummo inferiorem, ab eoque pendentem, & aliam ab eo eſſentiam habentem. Atqui alia horum verborum ſententia nulla reſtat. Quòd ſi enim dicas, eatenus Chriſtum a Deo egreſſum, quia ab æterno ex ejus eſſentia generatus fuerit, quemadmodum iſti, adverſus quos præcipuè diſputamus, velle videntur; id planè a loco alienum eſt. Quandoquidem ſatis manifeſtè apparet, egreſſum illum Chriſti a Patre, cum ejuſdem adventu in mundum, connexum eſſe, quemadmodum reditus ad Deum, cum relictione mundi: ac porrò de re ſermonem eſſe, quæ certo demum tempore, non ab æterno facta fuerit, quod etiam ſatis liquet ex ℣. 42, paulò antè citato. Simul & illud apparet, exitum illum a Patre rem ejuſmodi eſſe, quæ reditui ad Patrem eleganter opponi queat, & cum eo nequeat ſimul conſiſtere. Quæ verò oppoſitio eſt inter æternam ex Patris eſſentia generationem, & reditum ad Patrem è terris in cœlos? aut cur reditus iſte ad Patrem cum illa generatione conſiſtere nequeat, ſi illa, ut adverſariis ſtatuere neceſſe eſt, adhuc durat?

* Joh. Maldonatus, & auctores ab eo citati.

Cap. XXII.

Argumentum vigeſimum ſecundum ex verbis Chriſti Joh. 8. 29: *Non reliquit me ſolum Pater: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Nonum hujus generis teſtimonium extat eodem cap. 8. Joh. ℣. 29. ubi ita Chriſtus ait: *& qui me miſit, mecum eſt: non reliquit me ſolum* (Pater, addit Græcus codex:) *quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Cujus ſententiæ pars prior, extat etiam infrà cap. 16. 32. ubi ita diſcipulos alloquitur Chriſtus: *Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Ex quibus locis conſequitur, Chriſtum non eſſe Deum illum ſupremum; & ex priori quidem duplici ratione. Primùm, quia Chriſtus verbis utriuſque loci indicat, ſibi non ſatis opis ac præſidii fore, ſi a Patre deſeratur; id quod de Deo ſummo cogitari non poteſt. Illi enim per ſeipſum ſemper abunde ſatis eſt opis ac præſidii: nec opus eſt, ut illi quiſpiam adſit, opemque ferat. Deinde ſi Chriſtus eſſet Deus ſupremus, ejuſdem cum Patre eſſentiæ; non hanc afferre debuiſſet, neque adeò attuliſſet, rationem, cur Pater ſecum eſſet, quia quæ placita ſunt ei, ſemper faciat: ſed hanc, quia unius ſit cum illo eſſentiæ. Hæc enim & neceſſaria & unica revera fuiſſet cauſſa, cur cum Chriſto Pater eſſet; utpote qua ſtante, non potuiſſet is cum Chriſto non eſſe, & ad quam cæteræ, quæ cogitari poſſent, cauſſæ nihil ampliùs momenti potuiſſent adjicere. Ea enim conjunctio cæteras illas cauſſas & tempore anteceſſiſſet, & in ſummo jam fuiſſet poſita, omnibuſque numeris ita abſoluta, ut Pater & Chriſtus firmiori arctiorique nexu adſtringi jam ampliùs non poſſent.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Hujus poſterioris argumenti vim, cùm viderent illi *, qui præcedentem etiam locum in contrarium ſenſum vetere conati ſunt, dixerunt, particulam ὅτι, non cauſſam, ſed effectum potiùs, & indicium ſeu argumentum a poſteriori ſumtum ſignificare. Non enim ideo Patrem cum Chriſto fuiſſe, quia quæ pla-

* Maldonatus cum Autoribus ab eo citatis.

cita

cita ei erant, faceret; quaſi alioquin cum ipſo non eſſet futurus: ſed contrà, ideo Chriſtum hæc feciſſe, quia Pater cum illo fuerit. Innumera autem vel in ſolis Pſalmis exempla eſſe, ubi particula *quia* ita uſurpetur: è quibus illud Pſal. 16. (Heb. 17. 6.) producunt: *Ego clamavi, quoniam exaudiſti me, Deus.* Non enim propterea clamâſſe, quia exauditus fuerit, ſed propterea exauditum, quia clamârit. Verùm quæ cauſſa illos impulit, ut ab uſitata ac ſimplici particulæ illius ſignificatione, quæ cuivis hîc ſtatim in mentem venit, diſcederent? Certè nulla, præter eam ſententiam, de qua hîc diſputatur. Viderunt enim aliàs, locum hunc ſuo de Chriſto dogmati conſentaneum non fore. At non adeò frequens eſt ille particulæ *quia* uſus, ut iſti dicunt, præſertim in Novo Teſtamento; & exemplum illud è Pſalmo petitum nullum eſt. Nam, ut taceam, in Hebræo non legi, *quoniam exaudiſti me*, ſed in futuro, *quoniam exaudies me*; quod cauſſam, cur ad Deum clamaverit David, continere poteſt; nempe quia certò perſuaſus fuerit, ſe a Deo exauditum iri: illud præterea notum eſt, apud Hebræos præterita, (vide inter alia innumera: Pſal. 1. 1: 2. 1: X. 3, 6, 10, 17: XI. 1, 7: XII. 5: XIV. 1: XV. 3, 4, 5. uti & futura Pſal. 1. 2, 3, 4: 2. 1, 2, 4: V. 4: VI. 7, 10: VII. 9: VIII. 4. & alibi paſſim. vide plæriſque his locis Vatablum, & Hebr. textum.) crebrò pro præſentibus ſumi, & non minùs, quàm præſentia apud Latinos, actionis frequentationem aut conſuetudinem denotare. Quaſi dixiſſet David: quia exaudire me ſoles. Unde & recentiores quidam ita vertunt locum, * *quoniam exaudis me.* Hoc verò an cauſſam denotare non poteſt, ob quam David ad Deum clamârit? Imò verò maximè. Etenim ut preces ad Deum fundamus, id vel inprimis nos incitat, quòd videamus, Deum nos exaudire ſolere. Deinde, ſi Chriſtus ex eo, quòd ea ſemper faceret, quæ Patri placerent, tanquam ex effectu argumentari voluiſſet; ſumſiſſet id, tanquam Judæis, quibuſcum loquebatur, jam ſatis notum, ſe ea, quæ Patri placerent, ſemper facere. Atqui id Chriſtus non facit. Nam alioquin etiam illud, tanquam Judæis ſatis manifeſtum, ponere debuiſſet, quòd a ſeipſo nihil faciat, ſed, ſicut ipſum docuerit Pater, ita loquatur. Quandoquidem quivis cernit, ſi Chriſtus ſemper ea fecit, quæ Patri plarerent; eum etiam nihil a ſeipſo, ſeu proprio auſu feciſſe, nec quicquam fuiſſe loquutum præter ea, quæ Pater ipſum docuiſſet. At verò hoc poſterius Chriſtus non ponit tanquam Judæis manifeſtum; ſed id tunc ab illis cognitum iri aſſerit, cùm ipſum exaltaverint, ut patet ex verſic: præcedenti. Quare nec prius illud, tanquam iis jam manifeſtum ponit, ut iſtorum hominum ſententia poſtulat. Quò accedit, quòd ſi Chriſtus ex effectis argumentari voluiſſet, opera potiùs miraculoſa, quàm virtutis ac pietatis opera produxiſſet. Illa enim omnium manifeſtiſſima erant ipſius cum Patre conjunctionis effecta; ad quæ alibi quoque crebrò, cùm de ſua cum Patre conjunctione aliáve re ſimili loquitur, provocare ſolet, ut apud eundem ſcriptorem legimus. vid. cap. 5. 36: & cap. X. 37, 38: & cap. XIV. 11: & XV. 24. Præterea ſi etiam aliunde apparet, hanc veram fuiſſe cauſſam, cur Deus Chriſto adeſſet, quia ea, quæ placita ei eſſent, ſemper faceret; ratio illorum, ob quam ab uſitata ac ſimplici ſignificatione voculæ *quia* diſcedendum hîc eſſe putant, prorſus concidit. At ita ſe rem habere, inde patet, quòd cauſſa, cur Deus Chriſtum conſtanter amârit, ac porrò ei ope ſua ſemper adfuerit, hæc ab ipſo Chriſto alibi affertur, quia ea fecerit, aut porrò facturus ſit, quæ Patri placerent, ejuſque mandatis eſſent conſentanea. Nihil autem aliud eſt, Patrem non relinquere Chriſtum ſolum, ſed ei adeſſe, quàm Patrem conſtanter amare Chriſtum, eique ope ſua perpetuò adeſſe. Cauſſam verò amoris erga ſe paterni, ac porrò etiam opis, quam ſibi tulerit, eam fuiſſe, quam diximus, illis verbis Chriſtus indicat, quæ extant infrà cap. 10. 17: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.* Hoc enim mandatum, ut ſeq. verſ: addit, acceperat a Patre ſuo. Et cap. 15. 10: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Ubi, quicquid iſti dicant, cum quibus nobis res eſt, monet diſcipulos ſuos Chriſtus, ut, ipſius erga ſe charitate ſemel potiti, operam dent, ne eâ iterum excidant, ſed eâ perpetuò fruantur; modumque illis oſtendit, quo id certò ſint conſequuturi, ſuprà etiam verſ: 2. ſimilitudine indicatum, nempe ut præcepta ejus ſervent. Hunc porrò modum ſuo exemplo illuſtrat, & ad id, ut in amore ipſius permanere queant, accommodatiſſimum, atque adeò unicum eſſe oſtendit: quandoquidem & ipſe Patris præcepta ſervando, id conſequutus ſit, ut in ejus dilectione maneat, hoc eſt, ab eo conſtanter diligatur. Concidit ergo, ut diximus, illa ratio, ob quam particula *quia* non cauſſam, ſed effectum aut indicium in verbis cap. 8. 29, denotare cenſenda ſit. Quòd ſi cauſſam denotat, res ipſa, ut vidimus, indicio eſt, Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe.

Diſtinctione naturarum argumentum noſtrum ſolvi non poteſt. Obſtant enim primùm eæ cauſſæ, quas ſuprà cap. 3, 14, 16: hujus ſect. indicavimus, nempe quòd iſta de Chriſto ſimpliciter dicantur, quòdque hîc eum neceſſe ſit ſpectare, ut perſonam, tùm ob miſſionem, tum ob operationes, quas ſibi tribuit eatenus, quatenus hîc conſiderandus eſt. Deinde & illud reſponſionis illius vim tollit, quod nihilominus ea potiùs cauſſa fuiſſet a Chriſto afferenda, ob quam Pater ipſi adſit, eumque ſolum non relinquat, quia ſecundùm divinam naturam, cui humana perſonaliter ſit unita, idem ſit cum Patre Deus.

Cap. XXIII.

Argumentum vigeſimum tertium, quòd Pater appellatur Deus Chriſti.

DEcimò ea recenſebimus teſtimonia, in quibus Pater appellatur Deus Chriſti. Ita autem ea de re ipſe Chriſtus cum Maria colloquens ait infrà apud eundem Johannem cap. 20. 17: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.* Et apud eundem ſcriptorem Apoc. 3, in eodem verſiculo 12, quater Patrem Deum ſuum vocat, dum ait: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, & foràs non egredietur ampliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cælo a Deo meo.*

Quod ad alios ſcriptores attinet; primùm apud Matthæum, & Marcum legimus, Chriſtum, cùm in cruce penderet, ita ad Patrem clamâſſe: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. Paulus autem Epheſ. 1. 17, optat, ut *Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ, det illis ſpiritum ſapientiæ.* Et D. Auctor Epiſt. Hebr. cap. 8. ỷ. 9. De Chriſto citat illa Pſal. 45. 7, 8. verba, de Salomone olim, tanquam Chriſti typo, prolata: *Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi, &c. dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Sic & Michæas de Chriſto loquitur cap. 5. 4: *Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui.* Ex quibus apparet, Chriſtum non eſſe ſupremum illum Deum. Deus enim ſummus Deum non habet, ſeu illius nullus alius eſt Deus; ſed ipſe potiùs Deus Deorum eſt. *Deum* enim *alicujus eſſe*, eſt in eum imperium ac poteſtatem habere, vel ejus eſſe benefactorem, vel denique ab eo, tanquam ſummum dominum aut benefactorem coli. In Deum autem ſupremum nemo dominium habet, nemo ei benefacit, nemo ab eo colitur. Alioquin ipſe ſummus non eſſet.

* Vide Bibl. Vatab. Jun. & Tremel.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc nullum illis aliud reſtat effugium, præter naturarum diſtinctionem. Quamquam ne id quidem reſtat. Quandoquidem & hanc elabendi rimam jam ſatis ſuprà obſtruximus cap. 3,14,16. Præſertim quia omnes locorum iſtorum circumſtantiæ arguunt, de tota Chriſti perſona agi, ſeu eum ut perſonam conſiderari. Conſideratur enim ut Dei Filius, ut Servator noſter, ut Dominus, ut a Deo unctus, ut Deus, ut princeps a Deo conſtitutus. Quare perſona ſupremæ deitatis eſſe non poteſt. Alioqui etiam divina ipſius natura Deum haberet. Et præterea ſi Chriſtus ipſe Deus ille ſummus eſſet, utut humanam etiam naturam haberet, non tamen aliquis alius, ſeu alia perſona, nempe Pater, ipſius Deus eſſet, ſed ipſe ſibi Deus foret. Ipſemet enim ſummum in naturam ſuam humanam imperium haberet, ipſemet ei benefaceret, ipſemet ab ea coleretur; certè non minùs, quàm alia aliqua perſona, imò magis. Cur ergo alius potiùs, nempe Pater, ipſius Deus appellatur, non ipſe ſui ipſius? Quòd ſi abſurdum eſſe agnoſcant, quempiam ſui ipſius Deum eſſe; agnoſcant etiam, Chriſtum Deum ſummum non eſſe.

Cap. XXIV.

Argumentum vigeſimum quartum ex verbis 1 Cor. 11. 3: *Caput Chriſti Deus.*

HUcuſque ex Euangelica potiſſimùm hiſtoria a Johanne deſcripta, ea protulimus teſtimonia, in quibus aliquid de Chriſto affirmatur, quod de eo affirmari, ſi is Deus ille ſummus eſſet, non poſſet; & ea quidem ejuſmodi, quæ Patri præ Chriſto prærogativam aliquam tribuant, & ſic Patrem ſolum (cum nulli alii ejuſmodi prærogativa competat) Deum ſummum eſſe demonſtrent. Sequitur, ut ex aliis quoque divinis ſcriptoribus ſimilia teſtimonia atque argumenta depromamus. Quanquam jam non pauca produximus, cùm è Johanne teſtimonia peteremus; eò quòd eandem aut ſimilem ſententiam continerent.

Ex iis autem, quæ ſuperſunt, ei primum dabimus locum, quod verbis è Johanne aliiſque ſcriptoribus proximè citatis admodum eſt vicinum, ut pote in quo Deus caput Chriſti eſſe dicitur. Id autem fit 1 Cor. 11. verſ. 3, ubi hunc in modum Paulus loquitur: *Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris vir: caput verò Chriſti Deus.* Atqui Dei ſummi nullum aliud eſt caput, ſeu nullum is ſupra ſe caput habet; alioqui ſummus non futurus. Facilè enim a quovis intelligitur, caput alicujus eſſe, ſignificare, in eum imperium aliquod aut poteſtatem habere, eumque certa quadam ratione regere.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc iterum adverſarii ad ſuam illam naturarum in Chriſto diſtinctionem, tanquam ad ſacram anchoram confugere ſolent, quam tamen a nobis ſuprà ſatis confutatam eſſe, lector animadvertere potuit.* Non repetimus omnia, quæ dicta ſunt; illud tantùm hîc quoque obſervari volumus, Chriſtum hîc etiam ut perſonam ſpectari. Conſideratur enim ut caput viri, ac porrò uniuſcujuſque hominis, hoc eſt, ut dominus cuivis viro aut homini regendo præpoſitus, quemadmodum & vir caput eſt mulieris. At talis eſt Chriſtus, quà perſona eſt. Quare ſi adverſariorum de Chriſto ſententia vera eſt, eum, quà perſona divina, Deuſque adeò ſummus eſt, caput ſupra ſe habere oportebit. Id quod contradictionem involvit, éſtque illud ipſum, quod effugere conantur ii, qui illâ naturarum diſtinctione hîc utuntur. Neque verò eſt, quòd quis dicat, in prioribus quidem verbis, ubi caput viri Chriſtus eſſe dicitur, eum ut perſonam conſiderari; in poſterioribus autem ſpectari ratione ejus tantùm naturæ, quæ perſona non ſit. Præterquam enim, quòd id ſine ratione aſſeritur; ratio etiam id refellit. Primò quia dubium non eſt, Deum Chriſti caput eſſe, quà dominium atque imperium in virum ab eo accepit. Accepit autem Chriſtus id dominium quà perſona eſt. Cur ergo Deus caput Chriſti; quatenus hic perſona eſt, non conſtituatur? Deinde, ſi cauſſam inquiras, cur Apoſtolus, cùm aſſeruiſſet, Chriſtum viri caput eſſe, poſtea etiam dixerit, Chriſti caput eſſe Deum; hanc præcipuam invenies, ne videretur Deo, nullam ampliùs in virum relinquere poteſtatem; quia Chriſtus illius caput, ſeu dominus ac rex ſit: ſed potiùs ut intelligeretur, Deum eo ipſo quoque viri caput, ſeu dominum ac regem eſſe, quia Chriſtus cujuſvis viri caput ſit: cùm Deus ipſius etiam Chriſti ſit caput. Quemadmodum enim mulier non ideò è Chriſti imperio ac poteſtate eſt exemta, quia vir illius caput eſt, cum ipſius quoque viri caput ac dominus ſit Chriſtus: ita nec vir è Dei poteſtate eſt exemtus, quia Chriſtus illius caput eſt: cùm Deus ipſius etiam Chriſti ſit caput. Adde, ideò id dixiſſe Apoſtolum, ut intelligeretur, ſi quâ ignominiâ Chriſtus, qui caput noſtrum ſit, a nobis afficiatur, id in ipſum Deum tandem redundaturum, qui ipſius iterum ſit caput. At neutra hæc ratio quicquam valeret, ſi Deus non eſſet Chriſti caput, quatenus is viri caput eſt ac dominus. Si autem Deus Chriſti caput eſt, quatenus is dominus noſter eſt; caput eſt perſonæ illius, quà talis. Denique non deberet ejuſmodi gradatio fieri, ut a viro ad Chriſtum, a Chriſto ad Deum, tanquam aliam ab ipſo perſonam, aſcenderetur, ſi præter humanam alia eſſet in Chriſto natura, cui non minùs competeret, ut caput ipſius eſſet, quàm perſonæ ab ipſo diverſæ: ſed illius naturæ non minùs, quàm hujus mentio facienda fuiſſet. Quòd ſi quis eò confugere velit, ut dicat, *Dei* nomine non Patrem intelligi, ſed totam Trinitatem: ei primùm aliquem ſaltem locum afferre neceſſe eſt, è quo manifeſtè conſtet, Deum a Chriſto diſtinctum, aliquem alium præter Patrem denotare. Siquidem nos innumera afferre poſſumus, in quibus, ipſis etiam adverſariis fatentibus, non niſi Patrem denotet; & aliàs conſtat, ea, quæ huic ſimilia ſint, Patri nominatim in ſacris literis attribui. Similia enim illa ſunt, eſſe caput alicujus, & eſſe Deum alicujus. At hoc poſterius de Patre Chriſti nominatim dici, ex illis Chriſti verbis Joh. 20. 17. & illis Apoſtoli Eph. 1. 17, quivis intelligere poteſt. Adde, quòd rationes, ob quas Deus caput Chriſti dicatur, in Patrem Chriſti omnes quadrent. An in quempiam alium, de eo nil conſtat: vel potiùs, quòd in neminem alium quadrent, conſtat: nempe quòd Chriſto omne imperium dederit; quòd leges, ſecundùm quas nos regat ac judicet, tulerit; quódque adeò voluntatem ſuam per ejus manus ad exitum perducat, ſuæque gloriæ per ejus imperium conſulat, Eſa. 53. 10. Joh. 13. 32: XIV. 13: XVII. 1. Phil. 2. 11. Sed denique illæ rationes, quæ evincunt, Chriſtum hîc ut perſonam conſiderari, Trinitatem illam Dei nomine intelligi non permittunt. Alioqui perſona Chriſti, quæ iſta Trinitate contineri creditur, ſui ipſius, quà talis, caput foret. Neque verò eſſentiam ipſam, quæ perſona non ſit, intelligere licet. Nam hæc regere neminem poteſt; & porrò caput nullius eſt. Sed fruſtra fingitur verus Deus, qui perſona non ſit: cùm *Dei* nomen, ut jam ſuprà hac ſectione cap. 1. monuimus, perſonæ nomen ſit.

* Vide cap. 3, 14, 16. hujus ſect.

Cap. XXV.

Argumentum vigeſimum quintum ex verbis 1 Cor. 3. ult. *Chriſtus [eſt] Dei.*

SEcundum locum faciemus eum, qui extat in eadem ad Corinth. Epiſt. cap. 3, circa finem, éſtque præcedenti non multùm diſſimilis; utpote in quo aſſeritur, Chriſtum eſſe Dei. Quæ res ut rectius intelligatur, totum adſcribemus locum. Ita ergo ait Paulus: *Nemo glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus,*

ſive

ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim (Græcè non habetur *enim*) *veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Facile quivis ex ipſis verbis intelligit, *eſſe alicujus*, hoc loco ſignificare, vel ab altero aliqua ratione poſſideri, in ejúſve poteſtate eſſe, vel ſaltem ejus uſibus eſſe dicatum, ac porrò ſuperiorem habere alium. Unde Paulus non vult, ut quiſpiam Chriſtianorum in homine aliquo, ne Apoſtolo quidem, glorietur, ut nimirum ſe Pauli, aut Apollo, aut Cephæ, hoc eſt, Petri, eſſe jactet, quemadmodum Corinthii faciebant: ſed potiùs in Chriſto, atque adeò in Deo omnes glorientur. Quandoquidem ipſi nullius ſint alterius, præterquam Chriſti, ac porrò etiam Dei: ſed contrà potiùs omnia, ne Apoſtolis quidem exceptis, ipſorum. Nam & Apoſtoli, Chriſtianorum uſui ac ſaluti erant conſecrati, eiſque adeò inſerviebant, non contrà. Unde in poſteriori ad eoſdem Corinthios Epiſtola ſub ipſum capitis 1. finem ait: *non dominamur fidei veſtræ: ſed adjutores ſumus gaudii veſtri.* Et cap. 4. 5: *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per* (Græcè *propter*) *Jeſum.* Unde patet, Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe. Deus enim ſummus eo, quem explicuimus, ſenſu, nullius eſt; alioqui ſummus non futurus. Dicitur quidem Deus eſſe *Deus alicujus*, ſed non ſimpliciter *eſſe alicujus.* Illud prius ſummam Dei præ eo, cujus Deus eſſe dicitur, eminentiam, & imperium in illum ſignificat: hoc verò poſterius, eum a quopiam veluti poſſideri ſignificaret. Quamquam etiamſi hoc uſpiam diceretur, non tamen eo ſenſu diceretur, aut dici poſſet, quo id de Chriſto dici vidimus.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HOc argumentum diſtinctione naturarum in Chriſto non magis, quàm præcedentia teſtimonia, eludi poteſt: tum propter alias cauſſas ſuprà cap. 3, 14, 16, allatas; tum propterea, quia Chriſtus hìc tanquam Dominus noſter, ac porro tanquam perſona conſideratur; idque non minus, cùm is Dei eſſe perhibetur, quàm cùm nos ipſius eſſe dicimur. Quandoquidem ideò Paulus, poſtquam nos Chriſti eſſe dixiſſet, Chriſtum rurſus Dei eſſe affirmat, ne ideo, quia Chriſti ſumus, nos Dei non ampliùs eſſe quiſpiam putet; ſed potiùs, ut vel ob id ipſum nos Dei eſſe intelligat, quandoquidem & ipſe Chriſtus, ac porrò omnia, quæ ipſius ſunt, Dei ſint. Quòd ſi ut perſona hìc conſideratur; perſona ipſius ſupremi Dei perſona non eſt. Hæc enim alterius non eſt, niſi & divinam naturam alterius eſſe velis; quod illi, qui diſtinctione naturarum hìc utuntur, hac ipſa diſtinctione evitare conantur. Præterea ſi Chriſtus Deus ille ſummus eſſet, etiamſi ſimul naturam humanam haberet, non magis tamen eum alterius alicujus perſonæ, quàm ſui ipſius eſſe, dicendum foret. At hìc ſimpliciter Dei, alterius nimirum perſonæ, eſſe dicitur, nulla ejus rei mentione facta, quòd etiam ſui ipſius ſit, ſeu quòd humana ejus natura ſit divinæ. Si quid eſt, quod ad uberiorem harum rationum intelligentiam pertineat, id è præcedentium rationum defenſione peti poteſt.

Cap. XXVI.

Argumentum vigeſimum ſextum, ex verbis 1 Cor. 15. 24, 28. quòd Filius traditurus ſit regnum Deo & Patri, eique ſubjectus ſit futurus.

TErtius locus extat in eadem epiſtola cap. 15. ubi Chriſtus regnum Deo & Patri traditurus eſſe dicitur, & ipſemet ſubjectus futurus ei, qui ipſi ſubjecerat omnia. Ita enim ait verſu 24, 25: *Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit* (vel *aboleverit*) *omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem* (Græcè *enim*) *illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus* (vel *ſuis.*) Et ℣. 28. *Cùm autem ſubjecta illi fuerint omnia; tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi* (vel *ei*) *omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Unde duplici modo argumentari, atque adeo duplex argumentum, quod tamen pro uno numerabimus, petere poſſumus: prius ex verſic. 24, poſterius ex verſic. 28. Nam quod ad prius attinet; docuimus jam ſuperiùs cap. 18, hujus ſect. ubi de iis egimus locis, in quibus aliquid, vel etiam omnia Chriſto a Patre tradita eſſe dicuntur, ejuſmodi traditionem regni hoc loco intelligi, quæ in ejus depoſitione, & juris, quod quis ad imperandum habebat, abdicatione conſiſtit, ita ut ipſemet in poſterum idem illud regnum nec per ſe, ut antea, nec per eum, cui regnum tradit, adminiſtret: quo pacto poteſtatem ſuam dux, a rege bello alicui gerendo præfectus, bello confecto regi tradit. Atqui Deus ſummus hoc pacto regnum ſuum nemini tradit, aut tradere poteſt; niſi dicas, eum ſimul etiam Deum ſummum eſſe deſinere. Quòd ſi alicui regnum tradit, ut olim Chriſto tradidit, non ita tradit, ut ipſe regno illo ſeſe exuat, ſed ut per eum, cui regnum tradit, tanquam ſibi ſubordinatum, regnet. Quo pacto & rex per duces ſuos bellum gerit; &, ne longiùs abeamus, Deus per Chriſtum, quem judicem conſtituit, judicaturus dicitur mundum. Cum enim dicitur neminem judicare Joh. 5. 22, 24, intelligendum eſt eum per ſeipſum neminem judicare, ſed per Filium, cui omne judicium tradidit. Siquidem aliàs Deus non uno loco dicitur judicaturus, Rom. 2. 5, 6: III. 6. 1 Cor. 5. 13. 2 Theſſ. 1. 5. 1 Pet. 1. 17. ſive abſolutè, mediâ ejus judicii cauſſa non expreſſa; ſive hac apertè commemoratâ, dum dicitur judicaturus eſſe orbem *in viro*, ſeu per virum, quem conſtituit Act. 17. 3, hoc eſt, *per Jeſum Chriſtum*, ut expreſſe ſcriptum legimus Rom. 2. 16.

Quod ad poſterius argumentum attinet, quod ex verſic. 28, duci poteſt; patet, Deum ſummum nemini ſubjici poſſe. At ipſe Dei Filius ſubjicietur aliquando ei, qui ipſi ſubjecerat omnia, nempe Patri. Quare Dei Filius ſummus Deus eſſe non poteſt.

DEFENSIO ARGUMENTI.

HIc plærique omnes ad diſtinctionem naturarum confugiunt: ſed nihil proficiunt; tum propter ſimplicem ejuſmodi affirmationem, quæ in utroque verſiculo reperitur *, quæ locum non haberet, ſi ob alteram naturam, nempe divinam, eadem de Chriſto ſimpliciter negari deberent: tum propterea, quòd Chriſtus hìc eatenus conſideratur, quatenus rex fuerat, atque adeò quà perſona eſt: ut vel humana natura pro perſona ſit agnoſcenda, vel divinæ perſonæ ſimul & naturæ iſta ſint adſcribenda: quorum illud ſententiam adverſariorum prorſus convellit, hoc, iiſdem agnoſcentibus, ſeipſum. Adde, quòd in poſteriori loco emphaticè dicitur, *& ipſe Filius* ſubjectus erit ei, qui ſubjecerit ei omnia. Quis verò credat, Paulum, cùm ita loqueretur, Chriſtum conſideràſſe non ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam Dei Filius eſt, ſed ſecundùm aliam? Neque enim eſt, quòd quis dicat, *Filii* nomen hoc loco abſolutè poni, non addito *Dei* nomine, ut poſſit etiam Filius hominis intelligi. Etenim vox *Filii* manifeſtè opponitur *Deo & Patri* tanquam correlato ſuo, ut in ſcholis loquuntur, nec unquam aliter vox Filii de Chriſto abſolutè uſurpata intelligitur, quàm ut ad Deum tanquam correlatum ſuum, referatur, non verò ad hominem aliquem. Ut taceam, ipſam emphaſin, quæ eſt in duabus voculis *&* ſeu *etiam*, & *ipſe*, poſtulare, ut eo modo deſcriptus cenſeatur Chriſtus, quo reliqua omnia ibidem commemorata, nempe ipſi ſubjecta, ſuperet, non quo illis vel par ſit, vel etiam inferior. Is verò modus non eſt, ut dicatur *hominis filius*, ſed *Dei.* Illo enim modo hominibus par eſt, angelis etiam inferior. At quà *Dei Filius*, κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, etiam angelis eſt ſuperior, ut apertè ſcribitur Hebr. 1. 4, 5. Denique, ſi ſecundùm humanam tantùm naturam Chriſtus tradet regnum, & ſubjectus

* Vid. cap. 3, 14, 16. hujus ſect.

erit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

erit, ſecundùm divinam non item; cur ſoli Patri regnum traditurus, cur ei ſoli ſe ſubjecturus, non etiam ſibi ſuæve divinæ naturæ eſſe dicitur? cur additur, ut *Deus* ſit omnia in omnibus? cur non etiam ipſe Chriſtus omnia in omnibus futurus eſt? Neque enim eſt, quòd quis dicat, ibi divinam naturam abſolutè, etiam Chriſti, intelligi. Nam & ex reipſa intelligitur, perſonam aliquam deſignari, (operatio enim ipſi, gubernatióque omnium tribuitur) & quidem a Chriſto diſtinctam; & antecedentia verba omnia apertè docent, de *Deo* & *Patre*, ſeu de Deo, qui Pater Chriſti ſit, ſermonem eſſe, utpote qui etiam Chriſto omnia ſubjecit, eumque ad dextram ſuam collocavit, quemadmodum alibi vidimus.

Quòd verò nonnulli excipiunt, ideo dici, Chriſtum regnum traditurum eſſe Deo & Patri, quia id regnum, quod tanquam mediator habeat, non id, quod tanquam Deus, ſit depoſiturus; id nullius itidem eſt momenti. Nam primùm oſtendimus jam ſuprà cap. 18. hujus ſect. Chriſto, ſi Deus ille ſummus eſſet, regnum hujuſmodi dari non potuiſſe. Quia aliàs idem imperium & ex ſeipſo, & non ex ſeipſo eodem tempore haberet; ſimul in eo ſubordinatus eſſet alteri, & non eſſet; uno verbo, ſimul & ſummus eſſet, & non ſummus. Docuimus enim, regnum hujuſmodi per ſe conſideratum eâ poteſtate atque imperio contineri, quod Deus ſummus ex ſeipſo habet. Siquidem nullus eſt imperii illius actus, qui Deo ſummo per ſe non competat. Quòd ſi Chriſtus ejuſmodi regnum accipere non potuit, ſi Deus ſummus eſt; nec tradere alteri, ac deponere poteſt. Cum ergo legamus, eum regnum illud Deo ac Patri traditurum, & ſic depoſiturum; patet, eum Deum illum ſummum eſſe non poſſe. Adde, quòd, ſi iſtiuſmodi adverſariorum reſponſio admittenda eſſet, ſequuturum ſit, Chriſtum regno illo tradito non ſubjectum iri Deo & Patri, contrà quàm Apoſtolus manifeſtè teſtatur. Qui enim ſummum atque independens in res omnes imperium retinet, is nemini ſubjicitur: aliàs ſupra ſe alium agnoſceret, & ſic ſummus non eſſet. Imò tantum abeſſet, ut Chriſtus poſt traditionem illam regni, quod quà mediator habet, magis eſſet ſubjectus Patri, quàm antea, ut potiùs minùs ſubjectus eſſe cenſeri deberet. Etenim ratione regni illius, a Patre, ut diximus, & ſacræ literæ abundè teſtantur, dependet, & ei ſubordinatus eſt: quæ ſubordinatio aliquid ſaltem ſubjectionis in ſe continet. Atqui hæc, regno illo depoſito, prorſus ceſſaret, manente interim imperio ſummo atque independente, quod non patitur, ut ulli ſit ſubjectus. Diſtinctio naturarum nihil hîc habet ponderis; partim quia illam jam antè rationibus excluſimus; partim quia illi, qui reſponſione iſta utuntur, Chriſtum ſecundùm utramque naturam, aut totam Chriſti perſonam, mediatorem eſſe, ac porrò regnum, quod ei ut mediatori conveniat, habere atque adminiſtrare volunt.

Cap. XXVII.

Argumentum vigeſimum ſeptimum, quòd Chriſtus ſit Dei & hominum mediator.

QUarto loco illud afferri meretur, quod ſub finem præcedentis capitis attigimus, nempe quòd Chriſtus dicatur *mediator Dei & hominum*, 1 Tim. 2. 5, & eodem ſenſu *mediator fœderis novi*, aut *melioris*, nempe quàm vetus fuerat, Heb. 8. 6: IX. 15: XII. 24. Intelligitur enim, eum inter Deum & homines, ad fœdus inter illos feriendum, interveniſſe medium, ejúſque fuiſſe, ut alibi loquitur divinus ad Heb. ſcriptor, *ſponſorem*, cap. 7. 22. Hinc verò intelligitur, Chriſtum Deum ſummum non eſſe. Etenim Deus ille ſummus mediator nullius eſſe poteſt, ſed ipſe potiùs mediatorem habet. Si enim mediator eſſet, primùm alium haberet ſe ſuperiorem, inter quem & homines interveniret medius. Nam ſive ideò mediatorem dici velis, quia in fœdere feriendo Dei negotium agat apud homines, tanquam ejus internuncius, & voluntatis ipſius interpres; ſive ideo, quia hominum cauſſam ac negotium agat apud Deum; utroque modo tanquam Deo inferior ſpectatur. Itaque ſimul & ſummus eſſet, & non ſummus. Deinde ipſe ſui ipſius foret mediator. Nam ſi quis dicat, ideò hoc poſteriùs non conſequi, quia Deus ille, cujus mediator ſit Chriſtus, non niſi Pater ſit; ne illud nunc repetamus, quod cap. 1. hujus ſect. docuimus, ex eo ipſo conſequi, Chriſtum non eſſe Deum ſummum, quia a Deo ſimpliciter poſito diſtinguatur; duo adhuc ſunt, quæ iſtam exceptionem excludant. Primum eſt, quòd nulla poteſt excogitari cauſſa, cur, ſi Pater mediatorem habeat, Chriſtus mediatorem, & quidem eundem non habeat, ſi is ſummus, atque adeo idem cum Patre Deus ſit. Sive enim voluntas Patris per mediatorem exponenda fuit hominibus, ſive hominum cauſſa apud Deum agenda, & is, ut vulgò credunt, placandus; eadem cauſſa æquè ad Chriſtum pertinuit, atque ad Patrem, ſi Chriſtus quoque eſt ſummus ille, idémque cum Patre Deus. Alterum eſt, quòd ob eſſentiæ unitatem ne fieri quidem poteſt, ut unius perſonæ aliquis ſit mediator, qui alterius non ſit. Nam ſive voluntatem ſuam una perſona per quempiam exponat, ſive id agatur, ut ejus voluntas ad miſericordiam per quempiam flectatur; fieri non poteſt, quin ſimul cæterarum etiam perſonarum, quæ ejuſdem ſint eſſentiæ, voluntas per eundem exponatur, aut ad miſericordiam flectatur. Siquidem earum perſonarum voluntatem, ut & intellectum, cæteraſque proprietates eaſdem eſſe numero, eaſdemque planè operationes eſſe neceſſe eſt. Quod in iis, quæ ad extra ſunt, quales hæ ſunt actiones, verum eſſe fatentur ipſi adverſarii. Jam verò abſurdum atque adeo impoſſibile eſt, quempiam ſuiipſius eſſe mediatorem.

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIſtinctione naturarum effugere non poſſunt adverſarii, tum ob alias cauſſas, ſuprà non ſemel explicatas, tum propterea, quòd ſect. 1. cap. 6, docuimus, adverſariorum alios, dum Chriſtum mediatorem ſecundùm humanam naturam conſtituunt, humanam revera naturam perſonam facere; alios dicere ipſum divinum Chriſti ſuppoſitum ſeu perſonam, mediatoris partes obire: (obire autem non poteſt, niſi ipſa divina natura obeat:) alios apertè dicere, atque adeò contendere, Chriſtum eſſe mediatorem ſecundùm utramque naturam. Hujus autem ſuæ aſſertionis rationem inter alias hanc afferunt, quam repudiare nec cæteri adverſarii poſſunt, quòd aliàs ſatiſfacere divinæ juſtitiæ, infinitum pro peccatis noſtris pretium poſtulanti, non potuiſſet. Et hoc vel unicum vel præcipuum fundamentum eſt dogmatis de incarnatione, ut loquuntur, Filii Dei, ſecundæ perſonæ Trinitatis. Ex quibus apparet, adverſarios ad diſtinctionem naturarum in Chriſto confugere hîc non poſſe. Interim tamen, quàm malè iſta ſint conſtituta, quæ dicunt, vel illud arguit, quòd Paulus, cùm dixiſſet, *unum eſſe Deum, unum etiam mediatorem Dei & hominum*, eum deſcripturus, non dicit, *Deum & hominem Jeſum Chriſtum*, ſed ſimplicitee, *hominem Jeſum Chriſtum.* At illo modo ei fuiſſet loquendum, ſi ſententia iſtorum vera eſſet. Deſcriptiones enim perſonarum, ut jam non ſemel monuimus, apud ſacros Auctores, ut eſſe debent, ita & ſunt, rebus, de quibus agitur, accommodatæ. Quare, ſi Chriſtus, & quà Deus, & quà homo, ſeu ſecundùm utramque naturam, mediator fuiſſet; eum non ſolùm hominem, ſed & Deum appellare debuiſſet, cum eum deſcribere vellet; præſertim cum & *Dei* & *hominum*, quorum mediator ſit, expreſſe facta eſſet mentio. Et ita ſanè loqui amant adverſarii, cùm ſuis verbis ſententiam ea de re ſuam explicant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

C A P. XXVIII.

Argumentum vigeſimum octavum, quòd Chriſtus Sacerdos ſit.

NOn abſimile priori eſt, quòd Chriſtus Pſal. cx. 4, & inde in Epiſtola ad Hebræos multis locis *Sacerdos* aut ſimpliciter, aut *ſummus*, ſeu *Pontifex* dicitur; vide cap. 2. 17: IV. 14: V. 5, & d. 6. ult. vid. & cap. 7, & 8, & 9, ideo nonnulla hîc de eo adjiciemus; præſertim quia ipſe divinus Spiritus hac appellatione caviſſe videtur, ne quis Chriſtum ob tantam, quam habet, poteſtatem, Deo ſubordinatum non eſſe putaret. Nam qui ſacerdos eſt, Deus ille ſummus eſſe non poteſt. Sacerdotis enim eſt, ſacrarii miniſtrum eſſe, Hebr. 8. 1: unde & ipſum ſacerdotii officium miniſterium dicitur, ibid. ℣. 6: ejuſdem eſt, cauſſam hominum agere apud Deum, cap. 2. 17, & cap. 5. 1, pro illis Deo offerre, eod. c. 5. 1: VII. 27: VIII. 3: vid. & c. IX, & X. & interpellare, cap. VII. 25, eaque ratione remiſſionem peccatorum iis a Deo quodammodo impetrare; ac porrò coram Dei vultu comparere, cap. IX. ℣. 24. Quæ omnia tum ex re ipſa, tum ex Epiſtola ad Hebræos ſatis luculenter patent, in qua ea partim de ſacerdotibus, & quidem ſummis, in genere enunciantur, partim de ipſo Chriſto nominatim affirmantur. Atqui nihil iſtorum in Deum ſummum cadit. Is enim eſt, qui ſacerdotes ſummos infimoſque habet, ſacerdos eſt nullius: ipſi miniſtratur & offertur: apud eum pro aliis interpellatur: coram vultu ejus comparetur, ut peccata hominibus condonet: ipſe nemini miniſtrat, nemini offert, apud neminem interpellat, coram vultu alterius non apparet, ut is peccata cuipiam condonet: ſiquidem ipſe pro ſuo jure ac poteſtate peccata omnibus condonat. Etſi autem iſta figuratè de Chriſto dicantur, ut alibi oſtenditur: illud tamen certum eſt, iſtos loquendi modos de Chriſto nullo modo uſurpari poſſe, ſi is eſſet prima ſupremaque remiſſionis peccatorum cauſſa, & ex ſeipſo, non aliunde accepta poteſtate, ea hominibus condonaret, hoc eſt, ſi ipſemet Deus ille ſummus eſſet.

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIſtinctio naturarum non magis hîc locum aut robur ullum habet, quam vel alibi ſuperiùs, vel in præcedenti capite, ubi de mediatoris officio agitur; præſertim quia adverſarii mediatoris officium, quod Chriſto competat, in ſacerdotio potiſſimùm collocant. Quare ne cætera repetamus, illud tantùm dicimus: ſi Chriſtus præter humanam naturam etiam divinam haberet, neceſſe fuiſſe, ut non minùs, quàm Pater, ſacerdotem ſummum, & quidem ſeipſum haberet: cùm nec ulla excogitari poſſit cauſſa, nec fieri ullo pacto queat, ut Pater ſacerdotem habeat aliquem, Chriſtus non habeat, ſi is non minùs, quàm Pater, atque adeò idem numero cum illo Deus ſit: quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ de mediatoris voce antea diximus. At ubi vel minimum apparet in ſacris literis indicium, ex quo conſtare queat, Chriſtum non minùs, quàm Patrem, ſummum aliquem ſacerdotem habere? quis non videt, abſurdiſſimum eſſe ſtatuere, Chriſti perſonam ſibi ipſi offerre? Nullo ergo pacto ſacerdotium Chriſti cum divina, quæ in ipſo ſtatuitur, natura conſiſtere poteſt.

C A P. XXIX.

Argumentum undetrigeſimum, quòd Chriſtus à Patre fuerit reſuſcitatus.

SExtum hujus generis argumentum duci ex iis poteſt locis, in quibus Chriſtus ab alio, nempe Patre ſuo, reſuſcitatus dicitur. Quæ ratio tantò magis urgenda eſt, quia ejus contrarium ab adverſariis urgetur. Ajunt enim, Chriſtum ſeipſum reſuſcitâſſe, & hac ratione ſe Dei Filium, ex eſſentia nempe Dei genitum, atque adeò Deum ſummum eſſe, luculenter demonſtrâſſe. Sed id argumentum partim per ſeipſum concidit, cùm falſa nitatur hypotheſi, ut mox a nobis demonſtrabitur; partim alio eorundem adverſariorum errore labefactatur. Volunt enim illi, animam ſeu ſpiritum Chriſti, (quod etiam de aliorum hominum ſpiritibus ſtatuunt) eo mortuo, nihilominus actiones, quæ non niſi ſubſtantiis actu ipſo viventibus & per ſe intelligentibus competunt, exercuiſſe; nonnulli in infernum, aut purgatorium deſcendiſſe, Patrum animas, neſcio è quo limbo, eduxiſſe ajunt. At ſi hujuſmodi actiones anima Chriſti, etiam durante morte, exercuit; quid prohibet, quominus eadem anima corpus ſuum, domiciliumque priſtinum ingreſſa, illud ſibi denuò junxerit, & divinâ virtute reſuſcitârit? Num enim minùs poſſit anima Chriſti divina virtute inſtructa, quàm tota ejus humanitas, cùm viveret, eadem divina virtute præſtare potuit? Num minùs illa poſſit, quàm Apoſtolorum v. g. aliquis, quibus poteſtatem aliquando dedit Chriſtus, mortuos reſuſcitandi, Matth. 10. 8, & quorum aliquos legimus, mortuos quoſdam reſuſcitâſſe? Actor. 9. 40, 41. & cap. XX. 9, & d. quod idem de Elia 3 Reg. 17. 7, & d. & Eliſæo 4 Reg. 4. 18, & d. ſcriptum legimus. Quare nos argumentum adverſariorum longè rectiùs invertemus, & telum, quod in nos vibrare conantur, in illos retorquebimus. Etenim ſi Chriſtus Deus ille ſummus eſſet, ejus reſuſcitatio ipſimet tanquam vero ac præcipuo auctori adſcribenda eſſet. Atqui non ipſi, ſed Patri, tanquam vero ac præcipuo ejus auctori tribuitur; imò ipſum Chriſtum, propriè loquendo, ſeipſum non reſuſcitâſſe, ſatis apertè ſignificatur. Quare is Deus ille ſummus non eſt. Majoris, quam vocant, veritas ſatis eſt manifeſta. Nemo enim dubitat, ſi Chriſtus ſummus ille Deus ſit, eum omnino ſeipſum reſuſcitâſſe, ac, ut recuſcitaret, maximè conveniſſe. Nam cum ex ea ſententia ſequatur, humanam naturam, ſecundùm quam mortuus fuerit Chriſtus, perſonaliter fuiſſe junctam divinæ; fieri nequaquam potuit, ut humana natura in morte perpetuò maneret, & ſic, cum unio illa nunquam diſſolvi ex eorum ſententia poſſit, divinæ naturæ corpus mortuum indiſſolubili æternoque nexu unitum eſſet. Porrò autem, ſi reſuſcitanda fuit humana natura, a quonam potiùs reſuſcitanda erat, quàm a natura ejuſdem Chriſti divina, quæ id & præſtare per ſeipſam facillimè poſſet, & propter arctiſſimam illam unionem, hoc naturæ ſibi junctæ beneficium, ad ſuam gloriam & honorem inprimis neceſſarium, deberet? Itaque ſive facultatem ſpectes id præſtandi, divina Chriſti natura prima ejus operis cauſſa fuiſſet; ſive officium, ipſi id præcipuè incubuiſſet. Quomodo ergo Chriſtus reſuſcitationis ſuæ verus ac præcipuus auctor non fuiſſet? Quod ad minorem attinet, tot ſunt, tamque clara ſacrarum literarum teſtimonia, quæ reſuſcitationis Chriſti verum ac præcipuum auctorem conſtituunt Patrem, non Chriſtum, imò Chriſto ipſi ſat apertè opus hoc adimunt, (quanquam & res ipſa, nempe mors ipſius, ſatis adimit) ut mirum ſit, quemquam ea de re dubitare poſſe. Nam primùm in quibuſdam locis apertè dicitur, Patrem reſuſcitâſſe Chriſtum; aut Deum reſuſcitâſſe Filium ſuum. Quis autem eſt ille Deus, cujus Filius eſt Chriſtus, niſi Pater? Et illud quidem Paulus ſcribit ad Galatas ab ipſo Epiſtolæ initio, dum ita ait: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum a mortuis.* Hoc verò affirmat Petrus Act. 3. ℣. ult: *Vobis primùm Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis.* Et Paulus cap. 13. 33, idem reipſa aſſerit, dum ait: *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris* (Græcè *ipſorum nobis*) *reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem ſuſcitavit eum a mortuis, ampliùs*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

non reverſurum in corruptionem, ita dixit &c. Ex quibus verbis apparet, eum, qui ad Chriſtum dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* qui quidem nullus eſt alius, quàm Pater, ipſum reſuſcitâſſe a mortuis. Idem Apoſtolus 1 Theſſ. 1. 9, 10, *Converſi eſtis,* inquit, *ad Deum a ſimulachris, ſervire Deo vivo & vero: & expectare Filium ejus de cœlis (quem ſuſcitavit ex mortuis) Jeſum, qui eripuit* (Gr. *eripit*) *nos ab ira ventura.* Ubi itidem Deus Filium ſuum ex mortuis ſuſcitâſſe dicitur.

Accedunt his locis plurimi alii, in quibus ſimpliciter ſcriptum eſt, Deum reſuſcitâſſe Chriſtum; è quorum numero unum tantùm atque alterum, verbis ipſis adductis, hîc adſcribemus, reliquos indicâſſe contenti. Ita ergo ait in Actis Petrus cap. 2. 24, *quem* (Jeſum Nazaræneum) *Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod* (ſeu *eò quòd*) *impoſſibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear: propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non dereliques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et paulò pòſt ℣. 32, *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.* Vide etiam, quæ idem Petrus ait infrà capite 3. 15. (quem verſic. conf. cum 13) & cap. IV. 10. & cap. V. 30: & cap. X. 40: & Paulus cap. 17. 31: & Rom. 4. 24: & cap. VIII. 11: & cap. X. 9. itemque 1 Cor. 6. 14: & cap. XV. 15: & 2 Cor. 4. 14: & cap. XIII. 4. Inſignis autem inter alia locus extat apud eundem Apoſtolum Eph. 1. 19, 20, ubi iis inter alia optat, ut ſciant, *quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus* (nempe illius, quem Deum Domini noſtri Jeſu Chriſti, Patrem gloriæ, ℣. 17, appellaverat,) *in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in cœleſtibus:* & quæ ſequuntur. Junge etiam ea, quæ leguntur cap. ſeq. ℣. 5, & his gemina Col. 2. 12, 13, adde & illa D. Auctoris ad Hebr. 13. 20, & iſta Petri 1 Epiſt. 1. 21.

Non commemoramus illa teſtimonia, quæ ſanè ſunt non pauca, in quibus ſimpliciter affirmatur, Chriſtum reſuſcitatum eſſe; quod toties repetitum omnino ſignificat, eum ab alio reſuſcitatum eſſe; quod etiam nonnullorum locorum circumſtantiæ apertè indicant. Vide inter alia 1 Cor. 15. 4, 12, & d. ubi ſepties illa loquendi ratio uſurpatur; & poſtea ℣. 15, apertè Deum id feciſſe aſſeritur; Chriſtique reſuſcitatio noſtræ reſuſcitationis exemplum conſtituitur, quod etiam alibi contingit.

Uberior Confirmatio et Defensio Argumenti.

DIces, etiamſi Chriſtus ab alio reſuſcitatus dicatur, non ſequi tamen, eum a ſeipſo reſuſcitatum non eſſe: cum eadem actio poſſit a pluribus cauſſis, & quidem inter ſe paribus, proficiſci: quin etiam iis in locis, in quibus aſſeratur, Deum reſuſcitâſſe Chriſtum, *Dei* nomine intelligi poſſe totam Trinitatem, aut divinam Chriſti naturam; præſertim cum alibi Chriſto ipſi reſuſcitatio ſui ipſius adſcribi videatur. Sed prius tres potiſſimùm ob cauſſas admittendum non eſt. Prima eſt, quia illud ſaltem ex locis a nobis adductis ſequitur, Chriſtum non eſſe principalem ſuæ reſuſcitationis cauſſam. Cur enim toties támque apertè alii perſonæ, nempe Patri, reſuſcitatio ipſius adſcriberetur, & non ipſi potiùs Chriſto? Atqui vel hoc ſolum nobis hîc poſſet ſufficere, ad oſtendendum, Chriſtum non eſſe Deum illum ſummum. Oſtendimus enim antea, eum, ſi Deus ille ſummus eſſet, omnino principalem reſuſcitationis ſuæ auctorem fore.

Altera cauſſa eſt, quia ſacra ſcriptura ita Deo Patri reſuſcitationem Chriſti adſcribit, ut non obſcurè, imò ſatis apertè indicet, eandem illam actionem ipſi Chriſto revera non competere. Primùm, quia ſi Chriſtus ſeipſum, & quidem vi naturali, ac ſibi planè propria, a mortuis reſuſcitâſſet, id in aliquibus ſaltem teſtimoniorum a nobis citatorum omnino commemorandum fuiſſet. Ac ne alia nunc afferam, fieri hoc inprimis debuiſſet, Act. 2. 24. & ſeqq. & Rom. 10. 9. & 2 Cor. 13. 4. Nam quod ad primum locum attinet; cùm aſſeruiſſet Petrus, Chriſtum reſuſcitatum eſſe a mortuis, eò quòd impoſſibile fuerit, eum teneri a morte; an non maxima fuiſſet cauſſa dicendi, ideo impoſſibile id fuiſſe, quia ipſe fuerit Deus ille ſummus, qui proinde non potuerit animam ſuam in inferno relinquere, & permittere, ut corpus ſuum corruptionem videret? Hæc enim propria, atque adeò unica ejus rei cauſſa fuiſſet. At ille Davidis verbis adductis atque ad Chriſtum accommodatis, longè aliam cauſſam affert, nempe quòd Chriſtus Dominum providerit in conſpectu ſuo ſemper, quia is a dextris ipſius ſemper fuerit, ne commoveretur; inde eum lætitiam, inde ſpem concepiſſe, fore ut Dominus non derelinqueret animam ipſius in inferno, nec daret ſanctum ſuum videre corruptionem: quò & ſequentia pertinent, ubi Chriſtus in Davidis perſona profitetur, Deum ſibi notas feciſſe vias vitæ, & ſe repleturum jucunditate. Quæ cauſſa nihil cum illa, quæ afferenda fuiſſet, commune habet; imò eam ſubvertit.

Quod ad ſecundum locum attinet Rom. 10. 9, ideo ibi potiùs dicendum fuiſſet, Chriſtum ſeipſum a mortuis reſuſcitâſſe, (ſi modò quis a mortuis ſeipſum reſuſcitare poteſt) quàm Deum id feciſſe; quia id ibi explicatur, quod de Chriſti dignitate præcipuè eſt a nobis & corde credendum, & ore confitendum, & quod ſi credamus ac confiteamur, ſalutem ſumus conſequuturi. At ſi Chriſtus ſeipſum a mortuis reſuſcitâſſet, id nobis etiam omnino credendum confitendumque eſſet, ipſis adverſariis fatentibus, imò urgentibus; ac porrò hoc loco ab Apoſtolo minimè fuiſſet prætermittendum. Prætermiſiſſet enim id, quod & majorem Chriſti dignitatem in ſe contineret, & non minùs nobis creditu eſſet neceſſarium, quàm id, quod expreſſit. Quod ad tertium teſtimonium attinet 2 Cor. 13. 4, ideo loco ejus, quod iſtic dicitur, *Chriſtum vivere ex potentia Dei,* dicendum potiùs fuiſſet, *eum vivere ex potentia ſua,* quia iſtic de ipſius Chriſti potentia agitur, eumque in Corinthiis potentem eſſe demonſtratur, ſuſpicione infirmitatis, quæ ex morte ejus truculenta capi poterat, diſcuſſâ. Quam ad rem nil fuiſſet aptius, quàm ſi dictum fuiſſet, eum propriâ virtute revixiſſe, & mortis vim eluctatum eſſe. Deinde ex Act. 13. 33. & Rom. 1. 4. Col. 1. 18. Apoc. 1. 5, patet, reſuſcitationem Chriſti talem actionem fuiſſe, ut per eam Chriſtus a Deo generatus fuerit, ejuſque filius evaſerit, qua de re infrà plura. Atqui Chriſtus ſeipſum non genuit, nec ſui ipſius eſt filius.

Tertiò, in quibuſdam locis a nobis adductis hac ſect. cap. 31, Deus, ſeu Pater Chriſti, nomine non expreſſo ita deſcribitur: *Is qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis,* & ea deſcriptione ab ipſo Chriſto diſtinguitur. Vide Rom. 4. 24. & c. VIII. 11. & 2 Cor. 4. 14. Unde apparet, hanc actionem non eſſe Chriſto cum Patre communem, ſed huic propriam. Alioquin hæc deſcriptio non minùs Chriſto, ne dicam magis, competeret, quàm Patri; neque adeò a Chriſto is, qui ipſum a mortuis reſuſcitâſſet, diſtingui poſſet. Communia enim, ut alibi monuimus, non diſtinguunt, ſed propria. Quò accedit locus Epiſt. Heb. cap. 5. 7, quem ſuprà cap. 17, hujus ſectionum expendimus, de precibus a Chriſto ad Patrem fuſis differentes. Ex eo enim duplici ratione evincitur, Chriſtum ſeipſum a mortuis reſuſcitare non potuiſſe, atque adeò nec reſuſcitâſſe: partim quia, ut Pater id faceret, tantis precibus, tanto clamore, lachrymis etiam fuſis, contendit; partim quia is, cui ſupplicavit, ita deſcribitur, & a Chriſto diſtinguitur, quòd *poſſit vel potuerit illum ſalvum facere a morte:* qua utraque de re vide, quæ ſuprà diximus. Accedit denique locus Eph. 1. 19, 20, a nobis adductus, ubi oſtenditur, quantam potentiam, quantum robur in eo exſeruerit Deus Pater, cùm Chriſtum a mortuis reſuſcitavit, & ad dextram ſuam in cœlis collocavit. At quid opus tantâ potentia fuiſſet,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aut quî ea omnino fuiſſet a Deo Patre adhibita, ſi Chriſtus ſeipſum, virtute ſibi planè propriâ ac naturali, a mortuis reſuſcitaſſet? Quòd ſi dicas, eandem illam virtutem ipſius quoque Chriſti fuiſſe, utpote Patri & Filio communem; nulla cauſſa afferri poteſt, cur ea magis a Patre, quàm a Chriſto, exſerta fuiſſe dicatur; cum contrà potiùs faciendum fuiſſe, jam antea docuerimus.

Tertia cauſſa, ob quam prior illa exceptio nullius ponderis cenſeri debet, eſt, quòd ea ſententia argumentum Paulinum, quo ex Chriſti reſurrectione noſtræ reſurrectionis veritatem adſtruit, (id quod 1 Cor. 15. 11, & d. potiſſimùm præſtat) vehementer labefactat, & ſic validiſſimum ſpei noſtræ fulcrum convellit. Paulus enim inde oſtendit, nos reſurrecturos, quia Chriſtus reſurrexerit. At ſi Chriſtus ſeipſum virtute ſibi inſita ac prorſus naturali a mortuis reſuſcitavit, & non potuit non reſuſcitare; conſecutio infirma eſt. Quomodo enim ſequitur, ſi Chriſtus propria ac planè naturali virtute ſeipſum reſuſcitavit, & non potuit non reſuſcitare; nos quoque, qui ea virtute prorſus caremus, & quos natura noſtra ab æterna morte nequaquam vindicat, omnino reſurrecturos?

Vix nunc quicquàm opus eſt de poſteriori exceptione dicere, quæ eſt, poſſe *Dei* nomine, qui Chriſtum reſuſcitâſſe dicatur, vel totam Trinitatem, in qua & Chriſtus contineatur, vel eſſentiam divinam, quæ non minùs in Chriſto, quàm in Patre fuerit, intelligi. Allata enim a nobis ſunt argumenta etiam ex iis locis, ubi exceptionem illam ne ipſi quidem adverſarii adhibere auſint, quibus docetur, Chriſtum ſeipſum a mortuis non reſuſcitâſſe; cujus contrarium exceptio illa poſtulat. Sed præterea quis non intelligit, cùm Deus a Chriſto diſtinguitur, aut is, qui Jeſum reſuſcitavit a mortuis, perſonam aliquam intelligi a Chriſto diſtinctam, id quod nobis hîc ſufficit? Perſonam intelligi; & *Dei* nomen indicat, quod perſonæ eſſe ſuprà cap. 1. hujus ſect. docuimus; & actio reſuſcitandi, quæ non niſi perſonæ propria eſt. Unam autem perſonam intelligi, ipſa *Dei* vox, ut & deſcriptio illa, *Is qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis*, ſingulari numero elata, docet. Neque enim vox *Dei* collectiva eſt, nec enunciatio illa, in qua mentio fit ejus, qui Chriſtum ſuſcitavit, generalis aut communis eſt, ſed propria ac ſingularis. Diſtinctio autem inter Chriſtum, & eum, qui ipſum reſuſcitavit a mortuis, ex locis ipſis manifeſta eſt. Nec Neſtorianiſmi, ut cap. 18. hujus ſect. monuimus, notam effugeret ille, qui *Dei* voce Chriſtum ipſum nominatim intelligens, diceret, eum reſuſcitâſſe Chriſtum, aut quippiam ſimile circa ipſum feciſſe. Perinde enim eſſet, ac ſi quis diceret, Dei Filius Chriſtum reſuſcitavit. Sed quid opus eſt pluribus? cum ipſa ſcriptura ſeipſam explicet, dum, quod alibi Deo ſimpliciter nominato tribuit, alibi Patri apertè tribuit, vel ipſo Patris nomine expreſſo, vel eo, quem Deus reſuſcitârit, Filii ipſius appellatione deſcripto. Quòd ſi ergo aliquid obſcuritatis aut ambiguitatis eſſet in illis locis, in quibus *Deo* ſimpliciter tribuitur Chriſti reſuſcitatio, nullâ aliâ notâ appoſitâ, quæ de Patre ſermonem eſſe indicet; cætera tamen loca docerent, ea de Patre intelligenda eſſe. Obſcuriora enim per clariora, confuſa & ambigua per diſtincta explicanda ſunt. Sed nihil eſt in ipſa *Dei* voce ambiguitatis, nihil obſcuritatis. Cum nullus proferri poſſit ſcripturæ locus, in quo *Dei* nomen ſubjectivè poſitum, & a Chriſto præterea diſtinctum, quod utrumque in illis teſtimoniis accidit, de alio, quàm de Patre, accipiatur.

Quòd verò quædam ſcripturæ teſtimonia proferuntur, in quibus Chriſto reſuſcitatio ſuiipſius tribui videtur; ut quòd ipſemet dixerit, ſe templum, nempe corporis ſui, tribus diebus excitaturum eſſe, Joh. 2. 20, 21, ſéque poteſtatem habere & ponendi animam, & eandem ſumendi vel accipiendi, (eſt enim in Græco λαβεῖν, quod utroque illo modo verti poteſt) Joh. 10. 18, ea nihil evincunt aliud, quàm Chriſtum reſuſcitationis ſuæ cauſſam fuiſſe, eámque in illius, ut ita dicam, manu fuiſſe poſitam, adeò ut ipſi eripi atque interverti a nemine poſſet. Quo pacto idem Chriſtus apud Lucam ait, *eum, qui perdiderit animam ſuam, eam ſalvam facturum*, cap. 9. 24, ſeu *eam vivificaturum* cap. 17. 33, & Johannes de iis, qui in Chriſtum credunt, & ſic ex Deo generati ſunt, pronunciat, Sermonem, hoc eſt, Chriſtum, *dediſſe iis poteſtatem, ut filii Dei*, hoc eſt, immortales, *fiant*, Joh. 1. 13. Nam alioqui tam pauca teſtimonia, quorum prius etiam planè figuratum eſſe omnes cernunt, nequaquam opponi debent tot támque perſpicuis teſtimoniis ac rationibus inde depromtis, quibus evincitur, non Chriſto, ſed Patri, hanc actionem propriè attribuendam eſſe. Plura quidem de locis iſtis duobus, quæ in contrarium afferuntur, dici poſſent; ſed non id nunc agimus, ut adverſariorum argumenta refellamus, verùm ut noſtram ſententiam argumentis allatis adſtruamus. Quare iſta attigiſſe nunc ſufficiat.

Exceptionem de duabus in Chriſto naturis hîc non attingimus. Facilè enim cordatus lector, ſi & argumentum, vel potiùs argumenta noſtra conſideraverit, & ea præterea expenderit, quæ in ſuperioribus capitibus de iſta diſtinctione diximus, intelliget, eam hîc locum habere non poſſe.

Cap. XXX.

Argumentum trigeſimum, quòd Chriſtus imago Dei inviſibilis dicitur.

Ultimum hujus generis argumentum faciemus illud, quòd Chriſtus dicitur *imago Dei inviſibilis* Col. 1. 15, quod ex parte aliqua dicitur etiam 2 Cor. 4: ℣. 4, ubi Chriſtus itidem *imago Dei* eſſe affirmatur: & Hebr. 1. 3, ubi *figura ſubſtantiæ*, ſeu *character perſonæ Dei* eſſe dicitur. Non utemur autem hîc ea ratione, quâ jam ſup. hujus ſect. cap. 1, ſumus uſi, nempe, Chriſtum a Deo, nempe ſummo, hoc pacto aperte diſtingui, ſed alia, & quidem duplici, quarum prior omnibus locis citatis communis eſt; poſterior loco ad Coloſ. 1, magis propria. Nam primùm imago nulla ejuſdem numero eſſentiæ eſt cum eo, cujus eſt imago: alioqui ſuipſius imago foret. Quare, cum Chriſtus imago Dei ſit, ejuſdem numero ſubſtantiæ cum Deo eſſe non poteſt, ac porrò nec Deus, nempe ille ſummus. Eadem vis eſt, cùm figura ſubſtantiæ Dei, aut perſonæ ipſius character eſſe dicitur. Deinde, ſi Chriſtus *inviſibilis Dei imago* eſt; ipſum inviſibilem non eſſe, ac porrò nec Deum illum ſummum eſſe oportet. Is enim inviſibilis eſt, 1. Tim. 1 17, utpote, quem nemo hominum vidit unquam, nec videre potuit, Joh. 1. 18: 1 Tim. 6. 16. Satis namque apparet, ideo Chriſtum *Dei inviſibilis* imaginem dici, quia cùm ipſum Deum, utpote inviſibilem, per ſeipſum cognoſcere non poſſimus, Chriſtus nobis datus ſit, in quo, tanquam imagine oculis quodammodo expoſita, Deum illum contemplari atque agnoſcere poſſimus, ut alii quoque viri docti obſervârunt ac ſcriptum reliquerunt. Quòd ſi Chriſtus non minùs, quàm Deus ille, cujus imago dicitur, inviſibilis fuiſſet, imago illius eſſe non potuiſſet, ſed aliâ potiùs imagine, per quam ad ejus notitiam perveniremus, opus fuiſſet.

DEFENSIO ARGUMENTI.

Hic quia plærique Chriſtum non ſecundùm humanam naturam, ſed ſecundùm divinam, Dei imaginem ab omni æternitate fuiſſe contendunt; ideò, ut prius argumentum noſtrum ſolvant, non ad naturarum in Chriſto diſtinctionem, ſed ad diſtinctionem diverſarum in una Deitate perſonarum confugere ſolent. Secundam enim divinitatis perſonam primæ, hoc eſt, Filium Patris, imaginem eſſe contendunt; quia Filius eſſentiæ ratione Patri ſit ſimillimus, utpote ex ipſius eſſentia genitus. Negant autem inde conſequi, Filium imaginem fore ſuipſius: quia utut ejuſdem ſit

cum Patre eſſentiæ, perſonâ tamen ab eo differat. Quod ad poſteriorem rationem attinet, dicent fortè, eundem Filium, utut ſecundùm divinam naturam Deus ſit, æquè ac Pater, inviſibilis; aſſumtâ tamen humanâ naturâ viſibilem evaſiſſe, & ab hominibus fuiſſe conſpectum. Sed hæ reſponſiones difficultatem nequaquam tollunt. Nam quod ad priorem attinet, primùm fruſtra diſtinguitur perſona a ſua eſſentia: cum idem quiſque ſit cum ſua eſſentia. Quare, ſi Filii perſona imago eſt perſonæ Patris, etiam eſſentia Filii imago erit eſſentiæ paternæ; ac porrò vel diverſam numero utriuſque eſſentiam eſſe oportet, vel idem ſeu eadem eſſentia ſui ipſius imago erit. Adde, quòd ipſimet, ut jam monuimus, contendunt, Filium ratione eſſentiæ eſſe Patri ſimillimum, ac porrò ejus imaginem. Quare ratione eſſentiæ Filium a Patre numero diſtinctum eſſe oportet. Imago enim, quà imago eſt, numero differt ab eo, cujus eſt imago, & ſimile a ſimili. Sunt enim hæc inter ſe relata, ac porrò oppoſita. Oppoſita autem, quà talia, minimùm numero differre oportet. Neque enim eſt, quòd dicas, interdum quempiam ſui ſimilem dici. Nam in hujuſmodi locutione habetur ratio diverſi temporis, cujus reſpectu idem ſecum ipſo comparatur: at nos hîc de ſimilibus loquimur, nulla habita ratione diverſi temporis, ſed ejuſdem. Ut taceam, ipſos adverſarios velle, Filium a Patre realiter differre oportere, ut ille hujus imago dici queat. Nihil autem id ad rem faceret, niſi catenus realiter differrent, quatenus alter alterius imago eſt. Quòd ſi ergo Filius ratione eſſentiæ Patris imago eſt, ratione eſſentiæ alterum ab altero differre oportet.

Quod verò ad poſteriorem exceptionem attinet, quæ poſteriorem etiam rationem noſtram petit; nihil ea efficiet, niſi Chriſtum ſecundùm humanam naturam, ſecundùm quam viſibilis ſit aut fuerit, Dei imaginem eſſe dicas; id quod plærique nolunt, ſiquidem ii, ut diximus, Chriſtum Dei imaginem eatenus eſſe volunt, quatenus ex ſubſtantia Patris ſit genitus, & porrò eandem cum illo ſubſtantiam habeat; id quod ei ſecundùm humanam naturam non competit. Quare huic ſententiæ eos priùs renunciare oportet, quàm iſta reſponſione utantur. Neque enim eſt, quod dicant, nil eſſe neceſſe, ut Chriſtus eatenus, quatenus imago eſt, viſibilis ſit: ſatis enim eſſe, eum quacunque ratione viſibilem eſſe aut fuiſſe. Nam ſi ita ſe res haberet, planè otioſa eſſet vox *inviſibilis*, nomini *Dei*, cujus imago ſit Chriſtus, adjecta. Quocunque enim animum vertas, nullam aliam invenies rationem, cur eo modo Deum hîc deſcripſerit Apoſtolus, quàm ut oſtenderet, ideo opus fuiſſe, ut, ſi Deum cognoſcere & veluti ſpectare vellemus, imago ejus quædam, nempe Chriſtus, nobis proponeretur, & oculis hominum objiceretur: ſiquidem Deus ſit inviſibilis, atque a nemine noſtrum per ſeipſum cognoſci, præſertim plenè perfectéque poſſit. Quod & Johannes cap. 1. 18, ſignificavit, inquiens: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* At ſi Chriſtus, quà imago eſt Dei, non minùs quàm ipſe Deus, eſſet inviſibilis; nihilo magis per ipſum poſſemus cognoſcere Deum, quàm Deum ipſum per ſeipſum. Quare Chriſtus imago Dei eſſe non poſſet. Apparet nempe, tum ex hac Dei deſcriptione, tum ex eo, quod altero loco a nobis citato, 2 Cor. 4. 4, dicitur, Chriſtum Dei imaginem noſtri reſpectu dici, quia nimirum nobis Dei voluntatem, bonitatem, potentiam, ſapientiam in ſe ipſo repreſentârit, & ſpectandam quodammodo exhibuerit. Unde Chriſtus ipſe Matth. 11. 27: *Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Joh. 14. 7. 9, vide & c. 18. 19, *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum cognoviſſetis; & a modo cognoſcitis eum.* Et paulò pòſt: *Qui videt me, videt Patrem.* Sed deinde, etſi Chriſtus ſecundùm humanam naturam viſibilis fuerit, non debuiſſet tamen a Deo inviſibili ſimpliciter diſtingui, & ei hac in parte opponi, ſi ipſe nihilominus Deus ille ſummus atque inviſibilis fuiſſet. Etenim ſi Chriſto nomen *Dei*, nempe ſummi, abſolutè attribui poteſt ac debet, ut illi volunt; etiam illa ei abſolutè tribui poſſunt ac debent, quæ de Deo abſolutè dicuntur, quæque ei ratione eſſentiæ conveniunt. Quòd ſi Chriſtus abſolutè inviſibilis ob naturam divinam dici poteſt ac debet; non debet a Deo inviſibili abſolute diſtingui.

Dicet fortaſſe alius quiſpiam, Chriſtum ſecundùm humanam naturam Dei imaginem eſſe: id quod non videtur ab eorum abhorrere ſententia, qui unà nobiſcum fatentur, Chriſtum noſtri reſpectu Dei imaginem appellari, quia nimirum Deum inviſibilem nobis in ſe veluti contemplandum exhibuerit. Sed primùm, non ſatis ſibi conſtant, dum id, quod cum *imagine Dei* idem eſt, aut ſaltem eandem in noſtro argumento vim habet, ad divinam naturam referunt, nempe quòd Chriſtus *character ſubſtantiæ Dei* dicitur. Neque enim character, eandem habet ſubſtantiam cum re, cujus eſt character. Deinde hoc pacto non minùs ſuæ ipſius perſonæ aut naturæ divinæ imago fuiſſet Chriſtus, quàm paternæ; nec ulla fuiſſet cauſſa, cur alterius potiùs, quàm ſui ipſius imago diceretur. Atqui non hoc, ſed illud tantùm dictum reperimus. Cùm enim Dei imago appellatur Chriſtus, omnes, quod ſciam, adverſarii Patrem intelligi ſtatuunt; & diſtinctio Dei illius a Chriſto, ac denique collatio hujus loquendi modi cum aliis ſimilibus ſcripturæ dictis, idem ſatis oſtendit. Taceo, quòd eatenus nobis Chriſtus Deum inviſibilem in ſe veluti contemplandum exhibuit, quatenus ejus voluntatem doctrinâ, potentiam operibus admirandis expreſſit; utriſque fidem ac veritatem luculenter demonſtravit. Hæc verò perſonæ tantùm, quà talis eſt, conveniunt, ut adverſarii illi, vel divinam ipſius perſonam, quà talis eſt, imaginem Patris eſſe, vel naturam humanam, ſi huic ſoli id tribuere velint, perſonam cogantur ſtatuere. Quorum illud ipſorum reſponſionem, hoc per ſe ipſorum ſententiam convellit. Et hæc quidem de iis argumentis dicta ſufficiant, quæ ita Chriſtum Deum ſummum non eſſe oſtendunt, ut ſimul Patri aliquam præ ipſo prærogativam tribuant.

CAP. XXXI.

Argumentum trigeſimum primum ex cauſſis illis præcipuè ductum, ob quas Chriſtus Dei Filius in ſac. literis dicitur.

TRanſeundùm nunc eſt ad ea argumenta, quæ abſolutè oſtendunt, Chriſtum non eſſe Deum illum ſummum, nulla ejus rei habita ratione, quòd Patri ſimul aliqua prærogativa præ ipſo tribuatur. Etſi autem hoc loco omnia humanitatis Chriſti attributa afferre poſſemus, ut quòd conceptus, & è Maria virgine natus fuerit, quòd ederit, biberit, creverit, quòd fatigatus aliquando, lachrymatus, conturbatus, paſſus denique cruciatus acerbiſſimos, ac mortuus fuerit, & quæ his ſunt ſimilia. Quin illud ipſum, quòd homo ſit ac fuerit: ſiquidem eorum nihil de Deo ſummo dici poteſt, ut de Chriſto, & quidem abſolutè dicuntur: tamen nos ea tantùm hîc afferemus, quæ aliud aliquod ſententiæ noſtræ argumentum contineant, præter id, quod omnibus illis attributis commune eſt.

Primum autem faciemus illud, quòd ſi Jeſus Deus ille ſummus eſſet, non alia ratione eſſet, quàm quia Dei Filius eſt. Nam nec quicquam de Jeſu Chriſto majus dici poteſt, quàm quòd Dei Filius ſit; & ipſi adverſarii volunt, eum eſſentiam illam divinam per generationem ex Patre, quæ ſanè eum Dei Filium conſtituit, accepiſſe. Unde autem quiſpiam divinam illam eſſentiam habet, inde etiam habet, ut Deus ſit. Atqui Jeſus ea ratione Deus ſummus non eſt, quia Dei Filius eſt. Quare nec ſimpliciter Deus ille ſummus eſt.

Aſſumtionem autem noſtram non ea ratione hîc probabimus, quòd Jeſus, dum Filius Dei dicitur, eo ipſo a Deo, nempe ſummo illo atque unico, diſtinguitur; neque etiam eo, quòd hoc ipſo nomine Patre inferior ſtatuitur, utpote qui totus, quantus

quantus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quantus ſit, ab ipſo dependeat; cum Pater a nullo alio pendeat. His enim rationibus jam ſupra cap. 1, & 2, hujus ſect. ſumus uſi. Sed alio, & quidem duplici argumento idem probabimus: quamquam & alia, dum in priori comprobando verſabimur, inferentur, quæ etiam ad ipſam quæſtionem ſeu theſin principalem demonſtrandam apta forent. Prius eſt, quòd cum aliquot cauſſæ in ſacris literis exprimantur, ob quas Jeſus Dei Filius ſit; nulla earum ſit talis, ut eum Deum illum ſummum conſtituat; utpote quæ omnes Jeſu Chriſto homini, ſeu, ut cum adverſariis loquamur, Chriſto ſecundùm humanam naturam conveniant, & certo demum tempore cœperint. Imò tantum abeſt, ut eæ Chriſtum Deum illum ſummum conſtituant, aut eſſe demonſtrent, ut potiùs non eſſe oſtendant: ita ut ſingulæ pro ſingulis ſententiæ noſtræ argumentis haberi jure poſſint. Atqui fieri nullo pacto poteſt, ut ſi Jeſus ea ratione Dei ſit Filius, quæ eum Deum ſummum conſtituat, ea in ſacris literis non ſit uſpiam apertè expreſſa: partim quidem, quia alias rationes expreſſas videmus, quæ haud paulò minoris eſſent momenti, quàm illa; partim verò, quia ratio illa, ut quidem adverſarii contendunt, omnino eſſet ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſaria, & tantò clariùs a ſacris ſcriptoribus explicanda, tantoque diligentiùs ac crebriùs inculcanda, quantò eſſet a ſenſibus captuque noſtro remotior, ac porrò cognitu ac creditu difficilior. Nam cùm ſacra ſcriptura noſtræ de Chriſto fidei ac confeſſiónis ſummam in eo collocet, ut credamus ac profiteamur, Jeſum eſſe Filium Dei, Joh. 20. 31: 1 Joh. 4. 15: v. 5. adde Matth. 16. 16: Joh. 6. 69. Act. 8. 37: IX. 20, nempe perfectiſſima ratione ſic dictum; neceſſe eſt etiam de vera ac genuina ratione conſtare, ob quam is talis Dei Filius dicatur. Neque enim ſatis eſt verba tenere ac pronunciare; ſed rem ipſam, quatenus ſub captum noſtrum cadit, tenere animoque complecti neceſſe eſt. Alioqui nec verè rem credes, nec ex animo profiteberis. Res autem, quæ iſtis verbis ſignificatur, conſiſtit in genuina ratione, ob quam Jeſus Dei Filius κατ' ἐξοχὴν dicatur: quæ quidem ex ſententia adverſariorum ea eſt, quòd is ex eſſentia Patris ab æterno ſit genitus. Neque ſane, ſi ea cæteroquin aut ſecum ipſa, aut cum ſacris literis conſentiret, ulla alia verior eſſet aut magis genuina. Quod ſi ergo hanc in ſacris literis expreſſam non eſſe videmus, ſed alias ab hac longè diverſas; illam iſtius rei rationem non eſſe ſtatuendum eſt. Poſterius argumentum, quo aſſumtio noſtra confirmatur, inferiùs hoc capite videbimus.

Plenior Confirmatio & defenſio hujus Argumenti.

UT autem appareat, nullam ejuſmodi rationem, ob quam Chriſtus Dei Filius ſit, in ſacris literis expreſſam eſſe, quæ eum Deum ſummum conſtituat; ſed tales tantùm, quæ humanæ Chriſti naturæ, ſeu, ut rectiùs loquamur, homini Jeſu Chriſto conveniant; loca illa recenſebimus, in quibus cauſſæ exponuntur, ob quas Jeſus Dei Filius fuerit appellatus. Quorum teſtimoniorum nonnulla ſaltem ita ſunt comparata, ut, ſi potiore aliqua ratione Jeſus Dei Filius jam tum fuiſſet, ac nominatim ideò, quòd ex eſſentia Patris fuiſſet ab omni æternitate generatus, eam omitti nequaquam conveniſſet. Cauſſæ verò illæ, ob quas Jeſus Dei Filius dicitur, ordinem quendam inter ſe habent, & poſterior ſemper aliquid priori addit, ac Jeſum Chriſtum perfectiori, quàm antea, ratione, Dei Filium conſtituit.

Prima cauſſa exponitur ab angelo apud Lucam c. 1. ℣. 15, ita inter alia Mariam alloquente: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te* (Græcè *ſuper te*,) *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque &* (Græce ſimpliciter *ideo &* vel *etiam*) *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Ubi non poſſumus non adſcribere ea, quæ doctiſſimus Pontificiorum interpres in hunc locum inter alia annotat *. Senſum enim verborum rectè & vidit, & explicuit. Et primùm quidem de ultimis hujus loci verbis notat, *Vocare* idem hîc ſignificare quod *Eſſe*, ex Hebræorum idiomate, conſequens ſeu effectum pro antecedente cauſſa ſumentium, de quo & verſu 32, dixerat. Nam iſtic quoque de naſcituro virginis filio ait Angelus, *Et Filius altiſſimi vocabitur*, hoc eſt, erit. Exempla verò ejus Hebraiſmi protulerat interpres ille ex Eſa. 1. 26: IV. 3, cui adjicitur etiam locus Gen. 21. ℣. 12, conferendus cum Rom. 9. 7. Addi poterant & iſta, Matth. 5. 9, 19: XXI. 13, ex Eſa. 56. 7: & hoc ipſo cap. 1 Lucæ ℣. 76. Rom. 9. 26, ex Oſeæ cap. 1. ℣. 10. Itaque idem ille interpres inferiùs meritò reprehendit Calvinum, qui, ut Serveti argumentum ex his Angeli verbis ductum effugeret, interpretatus eſt, vocabitur, id eſt, declarabitur Filius Dei.

,,Quo enim, *inquit*, modo, cum hac interpretatione
,,ratio Angeli cohærere poteſt, Ideo, quod naſcetur ex
,,te ſanctum, vocabitur Filius Dei? Non debemus li-
,,teris ſacris abutentes hæreticos refutare. *Sed deinde ra-*
,,*tionem illam explicans, ob quam Angelus Chriſtum Dei*
,,*Filium vocatum iri, hoc eſt, futurum dixerit, ait:* Alii
,,omnes, quos viderim, interpretantur, quaſi de Chri-
,,ſto, ut Deo, aut certè ut homine, in unam cum
,,Deo perſonam aſſumpto loquatur Angelus: utraque
,,enim ratione Chriſtum verum naturalémque Dei Fi-
,,lium eſſe. *Sed paulo tamen pòſt in hunc modum ſcribit:*
,,Quamquam ego quidem alium arbitror eſſe ſenſum,
,,ut non de Chriſto, quà Deus, neque qua homo per-
,,ſonæ conjunctus divinæ, ſed de ſola conceptione, hu-
,,manaq; generatione hoc intelligatur, quaſi dicat An-
,,gelus, *vocabitur*, id eſt, erit *filius Dei*, quia non a viro,
,,ſed a Deo, virtute Spiritus ſancti generabitur. Neque
,,enim de Chriſti natura, ſed de modo generationis
,,Angelus agebat. Et cauſſa, quam reddit, quam ob
,,rem Filius Dei futurus ſit, quòd Spiritus ſanctus
,,ſuperventurus eſſet in virginem, eamque obumbra-
,,tura virtus altiſſimi, non erat apta ad probandum eo
,,ſenſu, Chriſtum Dei Filium futurum fuiſſe, quatenus
,,Deus, aut quatenus homo in eandem cum Deo
,,perſonam aſſumptus erat; quia potuit etiam pu-
,,rus homo Spiritu ſancto ſuperveniente, & virtute
,,Altiſſimi obumbrante, concipi, qui neutro illo mo-
,,do Filius eſſet Dei; cùm neque Deus eſſet, neque di-
,,vinæ conjunctus perſonæ. Ad probandum autem,
,,id, quod naſciturum erat ex virgine, Dei Filium fu-
,,turum fuiſſe, eo ſenſu, quo expoſui, aptiſſima ratio
,,fuit Angeli, quia non ex viro, ſed ex ſolo Deo con-
,,cipiendus erat. Itaque etiamſi Chriſtus Deus non
,,fuiſſet, illo tamen modo genitus, quo genitus fuit,
,,merito Dei Filius vocatus fuiſſet; non ſolùm ut cæte-
,,ri viri ſancti, de quibus dictum eſt: *Ego dixi, dii eſtis,*
,,*& filii Excelſi omnes:* ſed ſingulari quadam & propria
,,ratione, quòd non alium, quàm Deum haberet Pa-
,,trem, non ab alio, quàm ab eo generatus.

Quid, quæſo, dici potuit aptius & loco convenientius? Ideo ipſius potiùs verbis, quàm meis, rem totam explicare volui, ut ſimul hominis Pontificii teſtimonio conſtaret, quàm evidens ſit ea, quam nos defendimus, ſententia, de ratione in his Angeli verbis expreſſa, ob quam Jeſus Dei Filius dicatur. Quid enim aliud, quam rei evidentia, hominem Pontificium, iſtius præſertim, cui ille fuit addictus, diſciplinæ, adigere potuit, ut contra cæterorum omnium, quos viderit, interpretum conſenſum, eam, quam nos volumus, ſententiam ſequeretur? præſertim cùm ſciret, eos, quos hæreticos judicabat, hunc locum pro ſua de Chriſto ſententia urgere. Quamquam videmus, quoſdam etiam ex iis, qui Euangelici vocantur *, & illi, & nobis hac in parte adſtipulari. Prima ergo hæc cauſſa eſt, ob quam Jeſus Dei Filius extitit, quòd non ex viro, ſed ex Deo, virtute atque efficacia ipſius interveniente, conceptus ac generatus fuit; & ſic nullum alium, præter Deum, habuit patrem. Non eſt autem credibile, ſi alia longè potior fuiſſet cauſſa, ob quam filius ille ex Maria naſciturus, a primo ſtatim ortu, Dei Filius eſſet futurus, angelum id non fuiſſe indicaturum, itaque verba ſua concepturum, ut intelligeret Maria, aliam adhuc potiorem hujus rei cauſſam ſubeſſe. Atqui potior fuiſſet ejus

* Joh. Maldonatus.

* Vide Gualter, in hunc locum: Hier. Zanch. l. 2. de Trib. Eloh. cap. 6. par. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rei cauſſa, illa nimirum, quam plæroſque interpretes afferre vidimus, quod homo ex virgine naſciturus, ſeu mavis humana illa natura, eſſet aſſumenda in unitatem perſonæ Filii Dei, ex eſſentia Patris ab omni æternitate generati. Cur ergo hujus rei ne minimum quidem in Angeli verbis extat indicium? Cur non ita eſt locutus, ut appareret, eandem illam perſonam jam antea quidem ab omni æternitate Filium Dei fuiſſe; nùnc autem alia adhuc nova ratione extiturum eſſe? Neque enim eſt, quod cum quibuſdam interpretibus dicas, Angelum id aliquo modo indicâſſe voculâ *&*, dum non ſimpliciter ait, *Ideò quod naſcetur ex te ſanctum*, ſed, *Ideò & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Senſum enim eſſe, non ſolùm eam perſonam, quæ jam antea extiterit, Dei Filium eſſe, ſed etiam ſanctam illam virginis prolem, ob admirabilem conceptionem, vocatum iri Filium Dei. Nam hæc ſententia omnino duos Dei Filios, duáſque adeò perſonas in uno Chriſto conſtituit, unum ante virginem, alterum è virgine natum. Quare niſi particulas διὸ καὶ ſimpliciter velis vertere *ideóque*, ut illud καὶ *&* vel *que* tantùm connectendis ſententiis ſerviat; animadvertendum eſt id, quod non ignobilis Euangelicorum interpres hoc loco annotavit *. *Conjunctio*, inquit, καὶ, *id eſt*, ETIAM, *eſt hic nota paris, & notat parem veritatem conſequentis cum antecedente Enthymematis. Quaſi dicatur: Quàm verum eſt, te concepturam ex ſingulari operatione Spiritus Sancti, ac proinde virginem: tam etiam verum eſt, filium illum, quem ſic conceptura ac paritura es, fore Filium Dei.* Idem paulò pòſt negat, talem hîc inſtitui inter humanam & divinam Chriſti naturam antitheſin aut collationem, qualem interpretes illi conſtituunt, & ex particula *&*, quæ in verbis angeli extat, exſculpunt.

Sed jam tempus eſt, ut ad alias rationes, ob quas Chriſtus Dei Filius dicatur, progrediamur. Altera igitur ejus rei cauſſa, exprimitur ab ipſo Chriſto Joh. c. 10. ỷ. 34, 35, 36. Cùm enim Judæi blaſphemiæ crimen ipſi objeciſſent, quòd homo cum eſſet, Deum ſeipſum faceret: nempe quia Deum appellârat Patrem ſuum, ſeque cum eo unum eſſe dixerat; ita eis reſpondet: *Nónne ſcriptum eſt in Lege veſtra: quia* (hæc vocula abeſt a Græco) *Ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis: Quia* (ſeu *quòd*) *blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?* Ubi apparet, hanc Chriſtum afferre rationem, ob quam longè majori jure Filium Dei ſeſe appellârit, quàm judices illi olim dii fuerint appellati, quòd a Patre ſanctificatus, & in mundum miſſus fuerit. Hæc verò ratio, an Chriſtum Deum illum ſummum conſtituit? An enim miſſio, ut de hac priùs loquamur, Deum ſummum conſtituit? an illa cum generatione ex eſſentia Patris quicquam habet conjunctum? Sanctificatio autem a Patre profecta, num in divinam Chriſti naturam cadit, & non potiùs in humanam? Hoc certè & multi ex adverſariis fatentur, & res ipſa loquitur. Quod enim a Deo ſanctificatur, ſanctitatem aliquam, quacunque tandem in re illa conſiſtat, acquirit. Hoc verò in divinam naturam ab omni æternitate exiſtentem non cadit; in humanam cadit. Neque enim eſt, quod quis dicat, nos etiam Deum, ejuſque nomen ſanctificare Eſa. 8. 13. 1 Pet. 3. ỷ. 15, cui tamen ſanctitatem nullam conciliemus. Quandoquidem manifeſtum eſt alia ratione Deum a nobis, alia nos a Deo ſanctificari. Deus a nobis ſanctificatur, dum ſanctitatem majeſtatemque ejus agnoſcimus, veneramur, prædicamus; nos a Deo, dum ſanctitatem aliquam, quâ ceteroqui deſtitueremur, ex ejus benignitate obtinemus. Quod ſi modus, quo Deus Chriſtum ſanctificavit, ejuſdem eſſet generis cum eo, quo nos Deum ſanctificamus, & non potiùs cum eo, quo Deus nos ſanctificat, licèt ſpecie ac perfectione differens; quid ſanctificatio illa faceret ad oſtendendũ, Chriſtum Dei Filium ſummo jure dici? Num enim ſanctificatio, quæ a nobis proficiſcitur, Deum, in quem tendit, noſtrum conſtituit Filium? & non potiùs ea, quę a Deo in nos proficiſcitur, nos ejus conſtituit filios; imperfectiore quidem ratione, quàm Chriſtum; quia & ſanctificatio noſtra eſt imperfectior: ſed tamen verè. Qualis autem illa Chriſti ſanctificatio ſit, haud difficulter ex miſſione, quæ ei adjungitur, colligi poteſt. Miſſio enim illa in eo conſiſtit, quod legationis munus Chriſto ſit ad homines a Deo commiſſum. Sanctificare autem in ſacris literis ſignificat, quempiam ab aliis ſegregare, & ad munus ſingulare deligere, vel ad uſum quendam diviniorem veluti præparare. Quare vel ita hoc loco ſumitur, ut apud Jeremiam, quem ita aliquando allocutus eſt Deus, Jerem. 1. 5, *Priuſquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & Prophetam in Gentibus* (Hebr. abeſt *in*) *dedi te*; quemadmodum & illic, & in hoc Johannis loco viri docti annotarunt *: vel idem eſt, quod donis ſingulariſſimis, qualis eſt potentia, ſapientiáque divina, ad munus auguſtiſſimum in terris obeundum implere, & hoc pacto ab aliis hominibus ſegregatum, ad munus illud inſigniter præparare. Miſſio ergo in mundum, ipſum illud munus in ſe complectitur: ſanctificatio autem deſignatio aut præparatio ad id munus eſt. Hæc verò quid ad ſummam Deitatem Chriſto aſſerendam, aut ad ſtabiliendam generationem Chriſti ex eſſentia Patris ab æterno factam, habent momenti? Imò verò tantum abeſt, ut ad ſupremam Deitatem Chriſto aſſerendam quicquam habeant roboris, ut potiùs demonſtrent, Chriſtum Deum ſupremum non eſſe. De miſſione ſuprà id docuimus cap. 15. hujus ſect. Idem autem & de ſanctificatione ſtatuendum eſt, quæ ad id munus deſignatio eſt aut præparatio. Nam ſi ipſum munus in Deum ſummum non cadit; nec deſignatio aut præparatio ad id munus in eum cadere poteſt. Quamquam & ex illis idem doceri poteſt, quæ diximus de locis, in quibus Chriſto aliquid a Deo datum eſſe affirmatur. Qui enim a Deo ſanctificatur, ei hoc ipſo Deus quippiam largitur. Deo autem ſummo nemo quicquam largitur, qui omnibus donat omnia. Sed præterea, ſi Chriſtus Deus ille ſummus fuiſſet, ſi fuiſſet ex eſſentia Patris ab æterno genitus, & eam ob cauſſam Dei Filius; qui fieri potuiſſet, ut id hoc loco reticeret? Nam ſi ullus erat locus, ubi id eſſet exprimendum, hic locus erat. Aſſeruerat Chriſtus, ſe cum Patre unum eſſe; id quod ratione divinæ naturæ dictum eſſe adverſarii volunt. Ideò enim affirmatum ab eo fuiſſe ajunt, Deum eſſe ſuum Patrem, quia ex ejus eſſentia ſit genitus; ideo ſe cum eo unum eſſe, quia eandem numero cum ipſo habeat eſſentiam. Judæi porrò blaſphemiam eo nomine ipſi objecerant, quòd cum homo eſſet, Deum ſeſe faceret. Ubi quidem *Dei* nomen eo modo accipiunt, quo id in hominem non cadit; & adverſarii noſtri contendunt, eos de Deo ſummo omnino loqui; nempe quia animadverterint, Chriſtum ea ratione Deum ſe eſſe non obſcurè affirmare. At ſi ita ſe res habet, omnino neceſſarium fuiſſet, Chriſtum eam rationem afferre, ob quam Dei Filius ſit, quæ eum ex eſſentia Patris genitum, eandemque cum ipſo eſſentiam habere oſtenderet. Quomodo enim aliàs dictum illud ſuum, quod a Judæis blaſphemiæ accuſabatur, defendiſſet? quomodo oſtendiſſet, jure ſe ea, quam adverſarii volunt, ratione Dei Filium ſeſe appellâſſe? Objicitur Chriſto a Judæis, ex adverſariorum noſtrorum ſententia, Blaſphemus es, quia te Filium Dei ex eſſentia ipſius genitum aſſeris; quia te Deum ſummum facis. Reſpondet Chriſtus: Jure id de me aſſero, nec in eo ſum blaſphemus: quia me Pater ſanctificavit, & in mundum miſit. Quid hoc ad generationem ex eſſentia Dei æternam? quid ad ſummam illam atque independentem deitatem, quam ſibi aſſeruiſſe Chriſtus creditur? Dices, ſatis Chriſtum indicâſſe, ſe eſſe ex eſſentia Patris genitum, atque adeò ipſum Deum ſummum, quia dixerit, ſe in mundum a Patre eſſe miſſum. Id enim docere, eum, antequam naſceretur è virgi-

* Joh. Piſcator.

* Vide Johan. Maldon. in Jerem. & Joh. & Wolfg. Muſcul. in Johannem.

ne,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ne, in cœlis apud Deum perpetuò fuiſſe; inde poſtea in virginis uterum deſcendiſſe, ac hominem eſſe factum; id quod non niſi in Deum ſummum cadat. Sed quàm frivola illa ſint, facilè animadverterent homines, ſi paulùm ſeponere præjudicatam opinionem vellent. Nam primùm & in mundum mitti, & venire poteſt, qui in cœlo nunquam fuit. Aperta ſunt ipſius Chriſti de Apoſtolis verba apud eundem Johannem, ubi eos etiam ſecum ipſo hac in parte comparat, infrà cap. 17. 18, *Sicut tu* (Pater) *me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* De falſis autem Prophetis ait Johannes 1 Epiſt. 4. 1, *multos pſeudoprophetas egreſſos eſſe in mundum.* At nec hi, nec illi vel in cœlo, vel in alio extra hunc mundum loco fuerant, unde poſtea in hunc mundum ingrederentur: ſed illi quidem Chriſti ad homines legati erant conſtituti, atque ad Euangelium iis annunciandum deſignati: hi verò ſponte ſua ad homines venerant, & non ſecùs, ac ſi a Deo eſſent ad eos ablegati, novam quandam inter eos doctrinam promulgare auſi fuerant. Itaque mitti in mundum a Deo aut Chriſto, eſt legatum ipſius ad homines conſtitui; legatus autem Dei ad homines eſſe poteſt, qui in cœlo nunquam fuerit. Deinde etiamſi neceſſe omnino eſſet, eum, quem Deus in mundum miſerit, in cœlo priùs fuiſſe, atque inde in terras deſcendiſſe; id quod nos aliàs de Chriſto libenter fatemur; quid tamen prohibet, eum, qui naturâ ſuâ non niſi homo ſit, a Deo in cœlum aſſumi, & mandatis iſtic inſtructum, ad homines deinde in terras mitti? Et ita quidem omnino neceſſe eſt ſtatuere, ſi Chriſtum mitti in mundum non potuiſſe, vel ſaltem non aliter miſſum eſſe ſtatuas, quàm ut è cœlis in terras propriè loquendo deſcenderet. Siquidem ex dictis noſtris ſatis conſtat, miſſionem hanc Chriſto non niſi ſecundùm humanam naturam competere, quæ ſanè non in cœlis, ſed in terris fuit genita; ac porrò, ſi in cœlis fuit, uti & nos agnoſcimus, eò illam aſcendiſſe oportet. Et id quidem ipſe Chriſtus indicat, dum apud hunc eundem ſcriptorem ait cap. 3. 13, *Nemo aſcendit* (præteriti hoc verbum eſt temporis: eſt enim in Græco ἀναβέβηκεν: & res ipſa præteritum exigit) *in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt* (vel potiùs *erat*) *in cœlo.* Unde infrà capite 6. 62, ait: *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat priùs.* Utrobique de filio hominis loquitur, & hîc non ait, eum illo ipſo tempore in cœlis eſſe, ſed fuiſſe priùs, ac poſtmodum eò aſcenſurum. Ex quo facilè apparet, eum non de divina natura loqui, quæ nec filius hominis eſt, nec cœlum unquam deſerere potuit, nec eò unquam aſcendit. Sed præterea an non angelus aliquis, qui perpetuò in cœlis fuerit, inde in terras, atque ad ipſos homines mitti poteſt? Quare id, quod Chriſtus hîc de ſe aſſerit, nullum ſupremæ divinitatis continet indicium. Ut taceam, etiamſi contineret, non tamen protinus ſecuturum, eum Dei Filium, non verò Spiritum ſanctum eſſe, ſi Spiritus ſanctus etiam eſt, ut illi volunt, ſummus ille Deus. Nam & ille è cœlis mittitur; & nil prohibet, ſi Filius naturam humanam aſſumere potuit, illum quoque eam aſſumere: imò ita neceſſe fuit fieri, ſi is aſſumſit, qui ejuſdem eſt cum ipſo eſſentiæ; qua de re alibi.

Nunc ad alias cauſſas progrediendum eſt, ob quas Chriſtus Dei Filius dicatur; iis tamen omiſſis, quæ etiam ipſius fidelibus, licèt adhuc mortalem hanc vitam agentibus, ſi ſummam earum rerum perfectionem demas, communes ſunt; nempe quòd & ſanctitate Deo fuerit ſimillimus, & ob amorem ejus erga ſe plus quàm paternum, ipſi conjunctiſſimus; de quibus dictum eſt a noſtris alibi ſatis *. Tertia igitur cauſſa, ob quam Chriſtus Dei Filius dicitur, eſt ipſius a mortuis reſuſcitatio, reſuſcitatio, inquam, ad immortalem vitam. Ob hanc enim primogenitus ex mortuis a Paulo appellatur, Col. 1. 18. Apoc. 1. 5, cujúſnam verò primogenitus, niſi Dei? Quanquam reſuſcitationis vox tam latè poteſt extendi, ut etiam quartam ac præcipuam in ſe complectatur cauſſam, ob quam

* Vide Socin. contra Wujek. cap. 5. Reſponſ. ad Claſſ. 3. Arg. 1.

Chriſtus Dei Filius dicatur, nempe Chriſti exaltationem ſeu evectionem ad imperium ac ſummum ſacerdotium, ut infrà clariùs docebimus. Locus autem, qui ob reſuſcitationem laxiùs ſumtam, in qua nimirum etiam conſequens exaltatio comprehendatur, Chriſtum Dei Filium eſſe doceat, illuſtris extat, Act. 13. 32, 33, ubi ita Paulus loquitur: *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adimplevit filiis ipſorum nobis* (ita enim è Græco legendum ſuprà monuimus) *reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cui non abſimilis extat Rom. 1. 4, ubi cùm Apoſtolus Chriſtum Dei Filium appellâſſet, ut id uberiùs declararet, addit: *qui factus eſt ei* (*ei* non habetur in Græco) *ex ſemine David ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt* (Græcè ὁρισθέντος, *qui definitus* ſeu *conſtitutus eſt*) *Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* In priori loco cauſſa, cur Jeſus Filius Dei ſit, hæc affertur, quòd is ſit a mortuis reſuſcitatus. Hanc autem rationem nihil cum generatione ex Dei eſſentia, nihil cum ſuprema illa Deitate, quæ Chriſto competat, communè habere, res ipſa ſatis oſtendit: cum reſuſcitatio res ſit certi temporis, non ab æterno facta, & Chriſto non niſi ſecundùm humanam naturam, ut adverſarii loquuntur, competat; & denique non Chriſto, tanquam vero auctori, ſed Deo Patri adſcribatur; tantúmque abſit, ut ea Chriſtum Deum illum ſummum eſſe arguat, ut potiùs non eſſe demonſtret, quemadmodum ſuprà hujus ſect. cap. 29, docuimus. In poſteriori autem loco, etſi verba illa *ex reſurrectione mortuorum*, de tempore tantùm accipi poſſint, quo Chriſtus fuerit Dei Filius conſtitutus; ea tamen ſatis apertè docent, Chriſtum eam ob cauſſam illic Dei Filium conſtitutum dici, quæ locum in ipſo ante reſurrectionem, præſertim tam perfectè, non habuerit: id quod minimè quadrat in æternam illam Filii ex Patris eſſentia generationem, nec in ullam cauſſam, ob quam Chriſtus ſupremus ille Deus dici debeat.

Ut autem res tantò clariùs appareat, videamus, quid ad hæc loca adverſarii reſpondeant. Ad utrumque igitur locum reſponderi ſolet, nihil aliud ſibi velle Apoſtolum, quàm reſurrectione Chriſti declaratum fuiſſe, eum eſſe Filium Dei naturalem, hoc eſt, ex ipſa Dei eſſentia genitum; idque ſibi velle verbum ὁρισθέντος, *definiti*, quod in poſteriori loco extet. Addunt præterea nonnulli, in priori loco verbum ἀναστήσας non ſignificare reſuſcitationem Chriſti ex mortuis, ſed ipſius in carne exhibitionem: quia in ſequenti demum verſic. nempe 34, incipiat Apoſtolus reſuſcitationem ipſius confirmare. Alii reſuſcitationem Chriſti a mortuis verbo illo ſignificari agnoſcunt; ſed ajunt, in Græco eſſe participium aoriſti temporis, quod præteriti ſignificationem habeat, & perinde eſſe, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, *reſuſcitato Jeſu, ſeu poſtquam reſuſcitaſſet Jeſum.* Quare Apoſtolum non affirmare, dictum illud Pſalmi, in quo de Chriſti ex Deo generatione agitur, in ipſa ejus reſuſcitatione impletum eſſe, ſed poſt eam, cùm nimirum fuit exaltatus, & rex a Deo conſtitutus. Verùm reſponſio illa, quæ affertur, nempe de declaratione tantùm ejus, quod Chriſtus Dei ſit Filius, nullius eſt momenti. Etenim quod ad priorem locum attinet, ex quo etiam de poſteriori judicium fieri & poteſt, & debet; non poteſt verbum *Genui*, de declaratione generationis ex eſſentia Dei ab æterno jam factæ accipi. Nam ut taceam, hoc pacto concidere illud, quod plærique adverſariorum de particula *Hodie* philoſophantur, eâ nimirum Dei æternitatem ſignificari, in qua nihil ſit præteritum aut futurum, ſed præſens tantum: quandoquidem dici non poteſt, Deum ab omni æternitate declarâſſe, Chriſtum eſſe ex eſſentia ſua genitum: ut, inquam, hoc taceam; alia ſunt, quæ illam interpretationem evertunt. Primùm enim, quid hoc ad impletionem promiſſionis Patribus factæ, quam Deus eorum filiis reipſa præſtiterit? Fatentur illi, cum quibus diſputamus, & res ipſa oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

oſtendit, promiſſionem hîc intelligi de Meſſia dando. Quid verò huc pertinet, quòd a Deo patefactum ſit, Chriſtum eſſe talem ipſius Filium, qui ab æterno ex eſſentia ipſius ſit genitus? Etenim & multis aliis modis, quàm Jeſum regem dando aut conſtituendo, Deus id declarare poterat, (ſi modò id alioqui verum fuiſſet) ut ſanè declarâſſe, iſti, cum quibus diſputamus, aſſerunt; & iſto modo declarare non poterat. Tantum enim abeſt, ut id, quòd Deus Jeſum regem conſtituit, arguat, eum ex eſſentia Dei ab æterno fuiſſe genitum, atque adeò Deum ſummum eſſe; ut potiùs contrarium inde evincatur, quemadmodum a nobis ſuprà cap. 18. hujus ſect. oſtenſum eſt. Nam ſi dicas, eum ſeipſum Regem conſtituiſſe: primùm id Paulus hoc loco non urget, qui manifeſtè non ipſi Chriſto, ſed Patri & ſuſcitationem ipſius, & porrò declarationem, ut illi volunt, generationis ex eſſentia ſua, tribuit. At illud, non hoc fuiſſet Apoſtolo urgendum, ſi indicare voluiſſet, ea re declaratum fuiſſe, Chriſtum eſſe Dei Filium ex ejus eſſentia genitum, quòd ſeipſum ſuſcitârit. Deinde etiamſi Chriſtus ſeipſum ſuſcitâſſet, tamen ex ipſa ſuſcitatione, ſive illam de nativitate Chriſti, ſive de ejus a mortuis reſurrectione intelligas, id minimè apparuiſſet. Apparere autem debuiſſet, ſi ſuſcitatio Chriſti eatenus declarare debuit, Jeſum eſſe ex eſſentia Dei genitum, quia ſeipſum ſuſcitârit. Non apparuiſſe autem, ſatis liquet. Cui enim, quæſo, in mentem veniret, aut eum, qui naſcatur, ſuæ ipſius nativitatis, aut eum, qui reſurgat a mortuis, reſurrectionis ſuæ auctorem eſſe? cum is, qui naſcitur, antea non fuerit; qui reſurgit, per mortem eſſe deſierit, &, quod ad vires attinet, quibus reſurgere queat, ei ſit ſimilis, qui naſci demum debet. Neceſſe ergo eſſet, jam aliunde conſtare, aliam in eo naturam fuiſſe, quæ & ante ejus nativitatem reipſa jam extiterit, & in morte ejus actu ipſo vixerit, ac porrò ſive nativitatis, ſive reſurrectionis ipſius cauſſa vera extiterit. Atqui id illud revera erat, quod ſuſcitatione declaratum fuiſſe, & ex ea apparuiſſe adverſarii volunt. Denique etiamſi apparuiſſet, Chriſtum ſeipſum ſuſcitâſſe; quomodo inde apparuiſſet, eum eſſe naturalem illum Dei Filium, ex eſſentia ipſius ab æterno genitum? Nam ne repetamus id, quod ſuprà cap. 29 hujus ſect. docuimus, ex adverſariorum ſententia ſequi, potuiſſe animam Chriſti corpus ſuum divina virtute reſuſcitare; ut etiam taceamus, potuiſſe id divina virtute præſtare alium aliquem ſpiritum, qui, corpori ejus antea fuerit unitus: ſi Deus ſummus ſeipſum ſuſcitare poteſt, quid prohibet, eum vel Patrem ipſum, vel Spiritum ſanctum, quem tertiam Deitatis perſonam faciunt, fuiſſe? Eſto ergo, apparuerit ex ſuſcitatione Chriſti, ipſum ejus fuiſſe auctorem; apparuerit, eum Deum ſummum eſſe; quid eſt, quod arguat, eum ex eſſentia Dei ab æterno genitum? Quænam eſt hujus cum illo connexio?

Deinde, quis verbis Pſalmi inſpectis non animadvertit, hunc eſſe eorum ſenſum, Filius meus es tu: quandoquidem ego te hodie genui? Quis verò ſimul etiam non animadvertit, ad hunc ſenſum longè magis quadrare, ut verbum *Genui* de ipſa generandi actione, quàm de generationis declaratione accipiatur? Quis eſt, qui, ſi hujuſmodi verba audiat, ita illa velit accipere: *Filius meus es tu, quia hodie declaravi, me te genuiſſe;* & non potiùs ita: *Filius meus es tu, quia te hodie reipſa genui?* Sed quid multis opus? Nam ſi reſurrectio Chriſti, & eam conſequuta exaltatio, ſeu ad regnum, præſertim ſacerdotale, evectio, eſt quædam ex Deo generatio, & ob eam jure quiſpiam Dei Filius dici poteſt, etiamſi alia ſublimior generatio non præceſſerit; quid eſt, quòd quis Generationem illam, cujus in Pſalmi verbis fit mentio, malit de generationis antegreſſæ declaratione, quàm de ipſo generandi actu, ſumere? Siquidem id, quod verbo Genui exprimitur, reſurrectione & exaltatione Chriſti perfectum eſt. Docuimus autem jam antè, reſurrectionem Chriſti, quandam fuiſſe ex Deo generationem, & paulò inferiùs pluribus idem docebimus.

De evectione autem ad regnum is dubitare non poteſt, qui expenderit, reges, principes, ac judices, ab ipſo Deo, tum *Deos*, tum *Filios Dei* ſive *Excelſi* appellari Pſal. 82. 6, quem locum Chriſtus citat Joh. 10. 34, ut doceat, ſe haudquaquam blaſphemare, quòd ſe Filium Dei eſſe dixerit. In illo autem loco, non niſi poteſtatis illius atque imperii, ad quod a Deo ſint evecti, habetur ratio. Siquidem illis generatim omnibus Deorum ac Filiorum Dei nomen tribuitur, quatenus ab hominibus inferiori ordinis diſtinguuntur. Et vide, quæſo, quàm pulchrè hæc & reliquis Pſalmi ſecundi verbis, & Apoſtoli, teſtimonium inde petentis, ſcopo conveniant. Ex utriſque enim apparet, in verbis illis, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, de Chriſto rege conſtituendo agi. Cùm enim dixiſſet Deus, *Ego conſtitui regem ſuper Sion montem ſanctum meum;* ſubjicit David: *Narrabo decretum.* Quódnam verò decretum, niſi ea de re factum, de qua loqui cœperat, nempe quòd ipſum Deus conſtituerit regem ſuper Sion montem ſuum ſanctum? Quæ verò ſunt decreti verba? *Dominus*, inquit, *dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Quid ergo effugia, quid ambages quærimus? Cur non rectà & ſimpliciter hæc de generatione Chriſti, quæ in eo ad regnum per reſurrectionem evehendo conſiſtat, accipere malumus, quàm de declaratione generationis ex eſſentia Dei ab omni æternitate perfectæ, cujus hîc nec vola nec veſtigium apparet ullum? Hoc pacto ad Davidem etiam Chriſti typum hæc verba eleganter, quamquam longè humiliori ſenſu, accommodare poſſumus, ad quem ea accommodanda eſſe, & verba ipſa Pſalmi præ ſe ferunt, & alii ante nos animadverterunt. Nam cùm Deus olim Davidem, ex variis calamitatibus, & ipſis propè mortis faucibus ereptum, conſtituiſſet regem ſuper populum ſuum; eum quodammodo genuit, ac Filium ſuum conſtituit, & quidem talem, qui reſpectu aliorum terrenorum regum, primogenitus eſſet potentiâ & dignitate evaſurus. Unde de eodem ita loquitur Deus Pſal. 89. 28: *Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ.* Quod autem Davidi illo ſenſu competit, id longe auguſtiori convenit Chriſto, qui *reſuſcitatus a mortuis, collocatus fuit ad dextram Dei in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecta fuêre ſub pedibus ipſius; & ipſe datus caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius omnia in omnibus implentis*, Eph. 1. 19, & d. An non tunc a Deo genitus, an non Filius ipſius evaſiſſe meritò dici poteſt? ſiquidem non tantùm ad immortalem vitam per reſurrectionem fuit regenitus, ſed etiam Deo poteſtate atque imperio, ob quod Deus ipſe appellatur Deus, ſimillimus ex ipſius benignitate evaſit. Ob ſimilitudinem autem cum Deo, & angeli & homines filii Dei appellantur; quæ quantò major eſt, tantò majori jure illis hoc nomen convenit. Nulla autem perfectior excogitari poteſt eâ, quam Chriſto competere modò docuimus: quâ quidem ita & angelos omnes, & homines ſuperat, ut ii reſpectu Chriſti ſervi potiùs, quàm filii, dicendi ſint.

Ex his jam apparet, quid etiam de loco altero Rom. 1. 4, ſentiendum ſit. Quamquam is ſeipſum quoque ſatis, abſque alieno præſidio, adverſus vulgarem interpretationem munit. Nam nec ſcopus Apoſtoli, nec verba, nec res ipſa fert, ut intelligamus, Chriſtum per reſurrectionem a mortuis eſſe declaratum Filium Dei, ex eſſentia ipſius genitum. Quandoquidem ſcopus Apoſtoli eſt, explicare, non quomodo Jeſus Chriſtus declaratus ſit Dei Filius, ſed quomodo ſit. Nam cùm Chriſtum nomine Filii Dei deſcripſiſſet; declarat porrò, quomodo id ſit intelligendum. Et ne quis fortè putet, inde ſecuturum, eum filium Davidis, quod tamen ſcriptura teſtetur, non eſſe; oſtendit, quomodo utrumque ſimul conſiſtere poſſit. Et primùm docet, quomodo is Davidis ſit filius; deinde quomodo Dei. Ait igitur: *qui factus eſt ex ſemine Davidis ſecundùm carnem:*

nem: qui definitus (ſeu *conſtitutus*) *eſt Filius Dei ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione a mortuis.* Annon ipſa oppoſitio oſtendit, quemadmodum illic docetur, quomodo Chriſtus reipſa ſit Davidis filius; ita hîc oſtendi, quomodo reipſa Dei ſit Filius? Nam nec declaratio rectè opponeretur verbo *factus eſt*; nec ſibi invicem reſpectus illi diverſi, nempe *ſecundùm carnem*, & *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, hoc eſt, ſecundùm ſpiritum, quo ſanctificatus fuit Chriſtus. Etenim illud, *ſecundùm carnem*, ſubjecti rationem denotaret; iſtud verò, *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, cauſſam tantùm efficientem mediam. Deinde vox ὁρίζειν nuſpiam in ſacris literis, imò nuſpiam prorſus ſumitur pro declarare: niſi vocem *declarandi* ita accipias, ut tunc ſumitur, cùm quis dicitur rex aut conſul declarari, dum conſtituitur, eique officium hoc decernitur. Nam ὁρίζειν propriè quidem ſignificat *definire*, *determinare*: in ſacris autem literis non niſi *conſtituere*, *decernere*, *deſignare*, vid. Luc. 22. 22: Act. 2. 23: x. 42: xi. 29: xvii. 26, 31: id quod egregiè quadrat in Chriſtum, quatenus interveniente reſuſcitatione rex conſtitutus fuit. Quòd ſi cum interprete veteri *prædeſtinare* velis reddere: quamquam nec verbum ſimplex ὁρίζειν eam verſionem poſtulat, nec res patitur: ſatis tamen liquebit, Chriſtum ab æterno Filium Dei reipſa non fuiſſe. Neque enim prædeſtinatur id, quod eſt, ſed quod nondum eſt; & hîc de nulla alia re, quàm de filiatione, ut ita dicam, Chriſti ex Deo agitur. Imò ſequetur, in reſurrectione demum eum, ut Filius Dei reipſa fieret, plenè deſtinatum eſſe. Denique in ſuperiori loco Act. 13, oſtendimus, reſurrectionem Chriſti haudquaquam declarâſſe, Chriſtum ex eſſentia Dei genitum, & hoc pacto Dei Filium eſſe, ſed potiùs contrarium.

Jam quòd ad illorum ſententiam attinet, qui verbum ἀνιςάνας in loco Act. 13, non ad reſurrectionem Chriſti a mortuis, ſed ad ejus nativitatem, & primam exhibitionem referendum eſſe contendunt; etſi id ſalvo argumento noſtro principali concedere, imò urgere etiam poſſemus; oſtendemus tamen, iſtam interpretationem ſuſtineri non poſſe. Primò, quia iſtic, ut ſupra jam monuimus, agitur de ejuſmodi Dei facto quo impleverit promiſſum ſuum de rege Iſraëliticæ genti præficiendo: quod etiam ex ipſis Pſalmi ſecundi verbis docuimus. Atqui Chriſtus non tunc, cùm natus fuit, ſed cum reſuſcitatus, & ad dextram Dei collocatus, Dominus ac Chriſtus, ſeu cœleſtis populi divini rex evaſit. Deinde & præcedentia Apoſtoli verba, & ſequentia, quæ illi adverſus nos urgent, de reſuſcitatione ex mortuis ſermonem eſſe oſtendunt. Nam cùm dixiſſet, *Deum ſuſcitâſſe eum* (Chriſtum) *tertia die*; addit: *qui viſus eſt per dies multos his, qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Jeruſalem: qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem.* Cujus verò rei teſtes? nónne ejus, quam modò commemorârat, & oculis quodammodo uſurpatam ab iis fuiſſe dixerat, nempe reſurrectionis Chriſti, & quæ eam fuit conſequuta, exaltationis? Hujus enim rei propriè erant conſtituti teſtes. Vide ſuprà cap. 1. 22: ii. 32: iii. 15: iv. 33: v. 32, confer cum præced. & cap. 10. 40, 41, 42. Cùm ergo ſubjicit Apoſtolus: *Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam* (vel *quòd*) *hanc Deus adimplevit filius ipſorum nobis, ſuſcitans Jeſum*; & ipſummet de reſuſcitatione Chriſti è mortuis loqui neceſſe eſt. Idem enim ſe Judæis Antiochenis nunc annunciare aſſerit, quod cæteri Apoſtoli apud plebem in ipſa Judæa teſtentur. Quòd ſi ergo illos de reſurrectione, ac conſecuta exaltatione apud plebem teſtari dixit; ſe quoque de ea nunc loqui ſignificat. Quod verò ad ſequentia verba attinet, quæ illi adverſus nos urgent; non probatur iſtic demum, Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis; ſed eo poſito, tanquam ſatis jam probato, tantùm oſtenditur, ita Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, ut non ampliùs revertatur in corruptionem. Potuiſſet enim alicui hîc ſuboriri ſcrupulus, reſuſcitatum quidem eſſe Chriſtum, nec tamen impletam eſſe promiſſionem Patribus factam: quandoquidem fieri potuerit, ut ita reſuſcitaretur Chriſtus, ut denuò in corruptionem reverteretur. At Meſſiam patribus olim promiſſum ejuſque imperium durare debere in ſeculum ſeculi, ut Prophetica ſcripta docent. Vide 2 Sam. 7. 13, 14, & confer cum loco Heb. 1. 5: & Pſal. 45. 7, (confer Heb. 1. 8,) 110, 1, 4, & Dan. 7. 14, adde & Joh. 12. 34. Hunc ergo ſcrupulum auditoribus eximit Apoſtolus, dum addit: *Quòd autem ſuſcitavit eum a mortuis, ampliùs jam non reverſurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis ſancta* (Heb. *miſericordias*, hoc eſt, promiſſa ex gratia & miſericordia profecta) *David fidelia*; & quæ ſequuntur. Ex quibus intelligitur, eum in proximè præcedentibus de reſurrectione ipſa jam loquutum eſſe, eamque ſatis probâſſe; nunc aliquid ampliùs, ut ſcrupulum omnibus penitùs eximat, de ea docere velle. Quamquam & illud abſonum eſt, Paulum, cùm modò dixiſſet, Chriſtum eſſe primò exhibitum, & vel natum, vel in mundum miſſum, ſtatim ſubjicere, quòd Deus eum ita reſuſcitarit a mortuis, ut non revertatur ampliùs in corruptionem. Quis enim nexus? An non patet, hæc poſteriora verba requirere, ut de reſurrectione ipſius proximè loquutus fuerit Apoſtolus?

Quod verò ad illos attinet, qui ajunt, promiſſionem illam de Chriſto, & porrò etiam illud Pſalmi ſecundi dictum, non impleviſſe Deum reſuſcitando Chriſtum, ſed eo reſuſcitato; cum iis non admodum pugnabimus. Nam ipſimet ultrò fatemur, ſi reſuſcitatio Chriſti ſtrictè ſumatur, tantùm pro ejus in vitam reditu, ſecluſa exaltatione conſequuta; promiſſionem illam divinam, Pſalmique dictum, in ea nondum verè impletum eſſe. Sed animadvertendum tamen eſt, primùm, reſuſcitationis aut reſurrectionis Chriſti nomen, interdum per quandam ſynecdochen cùm metonymia conjunctam, complecti univerſam Chriſti gloriam, hoc eſt, immortalitatem ac ſupremam poteſtatem, quam per reſurrectionem eſt conſecutus. Atque in hunc ſenſum omnino accipienda eſſe videtur hæc vox Actor. 2. 32, 33: & iv. 33: (confer cum 5. 32: & x. 40, & d.) & Rom. 4. 25: & 10. 9: & Phil. 3. ℣. 10: 1 Petr. 1. 3: & iii. 21. Deinde & illud animadvertendum, aoriſtos participiorum, verbis præteriti temporis adjunctos, eam ſæpè vim habere, quam haberent participia præſentis temporis, iiſdem verbis adjuncta. Cujus rei exempla habes inter alia Heb. 1. 4: vii. 27: xi. 9: 2 Pet. 2. 6, 15. ut omittam illud apud Euangeliſtas paſſim obvium ἀποκριθεὶς εἶπε, reſpondens dixit. Quare jurè ſtatui poteſt, perinde eſſe accipienda Apoſtoli verba, ac ſi dixiſſet: Promiſſionem illam Patribus factam Deus implevit, *reſuſcitans* (ut vetus interpres habet) vel *reſuſcitando Jeſum*: præſertim quia ad Chriſti ex Deo generationem facit etiam ipſa illius in vitam reſtitutio: cum eo pacto veluti dinuò genitus fuerit. Sed multò plus facit immortalitas, quam reſurrectione interveniente, Chriſtus adeptus eſt Matth. 19. ℣. 28. Siquidem hoc pacto Deo naturâ ſimilis evaſit. Unde noſtra quoque reſurrectio regeneratio dicitur; & Chriſtus affirmat, eos, qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, *filios Dei eſſe: cum ſint filii reſurrectionis*, Luc. 20. 36. & Paulus aſſerit, *nos expectare adoptionem filiorum Dei*, nempe *corporum noſtrorum redemtionem*, Rom. 8. 23. In immortalitate enim maximè conſiſtit *conſortium* ſeu *participatio divinæ naturæ*, quam commemorat Petrus 2 Epiſt. cap. 1. ℣. 4. Sed maximè omnium huc facit divinum Chriſti imperium ac poteſtas, ob quam perfectiſſima ratione Dei Filius eſt. Itaque ſi omnino particicipium ἀναςήσας interpretari velis, *reſuſcicato* Jeſu, ſeu *poſtquam reſuſcitâſſet* Jeſum; intelligendum erit, tunc verè ac perfectè impletam fuiſſe promiſſionem illam Patribus factam, de Meſſia ſeu Rege ſingulari Iſraëlitis dando, ac porrò & illud Pſalmi dictum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, cùm Jeſus à Deo reſucitatus ad dextram ipſius in cœleſtibus fuit collocatus, & ſic

Chriſtus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſtus, ſeu Rex ac Dominus, Dei virtute ac beneficio evaſit. Hinc enim, ut ſuprà cap. 28, hujus ſect. vidimus, D. Auctor Epiſt. Hebr. cap. 5. 5, illa Pſalmi verba de glorificatione Chriſti, ſeu Pontificatus honore in ipſum collato, accipit; qui quidem regiam ipſius poteſtatem in ſe complectitur: cùm regnum ipſius ſit ſacerdotale, & ſacerdotium regium. Hinc & alibi in ſacris literis pro eodem ſumuntur, Jeſum eſſe *Dei Filium*, & eſſe *Chriſtum*, hoc eſt, Regem populi divini, à Deo unctum, aut *Dominum*, nempe illum unicum, per quem Deus Eccleſiam, & omnia ad eam ſpectantia adminiſtret ac gubernet. confer inter ſe Matt. 16. 16: Marc. 8. 29: Luc. 9. 20: Joh. 1. 50: Act. 8. 37: IX. 20, 22: Rom. 10. 9: 1 Cor. 12. 3: Phil. 2. 11: 1 Joh. 4. 15: V. 1, & 5. add. c. 2. 22: IV. 2, 3: 2 Joh. 4. confer & illa Matth. 27. 41, 42, 43, & Luc. 23. 35: quin & cap. 22. 67, 69, 70. Hanc enim ob cauſſam ſumma doctrinæ de ſuprema Chriſti dignitate, noſtræque de ipſo fidei ac confeſſionis, in eo promiſcuè collocatur, quòd *Jeſus ſit Chriſtus* aut *Dominus*, vel quòd *Jeſus ſit Dei Filius*. vide eadem loca. Hinc etiam factum, ut quoties illa duo, nempe *Chriſtum* eſſe, & eſſe *Dei Filium*, ſimul de Jeſu Nazaræno dicuntur, nunquam tanquam diverſa per particulam copulativam *&* connectantur; (quamquam & particula iſta ſæpe explicandi tantùm vim habet) ſed ſine ea ubique per appoſitionem jungantur; ut appareat, non res diverſas inter ſe connecti, ſed eandem rem diverſis modis deſcribi. vide Matt. 16. 16: XXVI. 63: Joh. 6. 69: XI. 27. XX. 31. Eſtque inprimis obſervandum, inſignem illam Petri de Chriſto ejuſque ſumma dignitate confeſſionem, cæterorum quoque diſcipulorum nomine editam, a Matthæo l. d. cap. 16. 16, his verbis deſcribi: *tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*: à Marco autem cap. 8. 29, his tantùm verbis: *Tu es Chriſtus*; à Luca cap. 9. 20, *Chriſtus Dei*. Qui duo poſteriores Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores, unam, & quidem potiſſimam confeſſionis illius partem omiſiſſent, ſi aliud eſſet, *eſſe Filium Dei vivi*, aliud, *eſſe Chriſtum*. At ſi utrumque reipſa idem eſt, nihil revera omiſerunt, ſed breviùs eandem rem expreſſerunt. Jam verò Chriſtum eſſe, ſeu unctum eſſe à Deo, Deum illum ſummum nequaquam conſtituit, nec eſſe arguit; imò contrarium, cùm Deus ſummus ungi a nemine, a nemine rex conſtitui poſſit.

Et ne quis fortè dicat, aliam adhuc, eámque ſublimiorem ſupereſſe cauſſam, ob quam Jeſus Dei Filius dicatur; id partim ipſius ſcripturæ ſilentio, quæ tantam rem tacere non potuiſſet, partim ex iis, quæ hucuſque attulimus, teſtimoniis ſcripturæ refutatur. Nam ne cætera nunc repetamus, ſi alia ſublimior fuiſſet cauſſa, ob quam Jeſus Dei Filius diceretur, ea nequaquam omitti potuiſſet loco a nobis ſuperiùs examinato Rom. 1. 4. Ibi enim, ut vidimus, propoſitum fuit Apoſtolo, oſtendere, qua ratione Chriſtus Dei Filius dicatur. Neque verò in alia ſignificatione, quàm quæ maximè inſignis eſt, *Filii Dei* nomen iſtic accipit, dum nomine Jeſu Chriſti proprio nondum expreſſo, *Filii Dei* appellatione eum deſcribit. Quare maximè inſignem, ſeu mavis, veram ac genuinam ejus appellationis rationem expreſſiſſe cenſendus eſt. Num verò illam ejus rei cauſſam exprimit, quòd Chriſtus ſit ex eſſentia Dei ab æterno genitus, ac porrò Deus ille ſummus? Haudquaquam: ſed eam potiùs, quæ cum illa ratione pugnat, nec patitur, ut Chriſtus Deus ille ſummus ſtatuatur; cùm eum *conſtitutum* dicat *Dei Filium*, & quidem *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, hoc eſt, ſecundùm ſpiritum, quo ſanctificatus fuit, idque *ex reſurrectione mortuorum*. Nam quòd quidam per *ſpiritum ſanctificationis* divinam eſſentiam intelligunt, id & ſine omni exemplo, & ſine ratione fit, & cum verbo *definitus* ſeu *conſtitutus*, & denique cum reſurrectione mortuorum, ex qua, vel per quam id factum fuerit, pugnat. Patet ergo, nullam aliam ſublimiorem cauſſam extare, ob quam Jeſus Dei Filius dicatur, eâ, quòd a mortuis reſuſcitatus, Dominus ac Chriſtus, ſeu Rex populi divini cœleſtis atque æternus, factus a Deo fuerit. Idem inſuper ex illo Pſalm 2, loco a nobis ſuperiùs explicato patet. Omnes enim, quod ſciam, fatentur, cùm Deus Chriſtum ita alloquitur, *Filiùs meus es tu*, Filii Dei nomen omnium excellentiſſima ratione accipi. Atqui cauſſam, cur iſtic Dei Filius dicatur, hanc eſſe videmus, quòd a mortuis reſuſcitatus, non immortalis tantùm, ſed & Rex populi divini, ac porrò Pontifex, ſalutíſque noſtræ princeps factus fuerit, ut partim ex ipſo Pſalmo, partim ex loco Actor. 13. & Hebr. 5 docuimus; cum quibus jungi poteſt locus Heb. 1. 4, 5. Cùm enim ibi dixiſſet D. Auctor, Chriſtum, purgatione peccatorum noſtrorum per ſemetipſum facta, conſediſſe ad dextram Dei in excelſis, addit: *tantò melior* (vel potiùs *præſtantior*) *Angelis effectus, quantò differentius* (hoc eſt, *præſtantius* ſeu *excellentius*) *præ illis hæreditavit nomen. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* Ex quo loco intelligitur, Filii Dei nomen Chriſto eſſentiale non eſſe, cùm id hæreditâſſe dicatur: nec id nomen eſſe ſummi Dei; cum per exaltationem demùm ſuam, dignitatem ac præſtantiam ei nomini ac titulo parem adeptus fuiſſe dicatur, quod in Deum ſummum non cadit. Adde, quòd res ipſa indicet, de Chriſto ſecundùm humanam naturam, ut loquuntur, ſermonem hîc eſſe; ac porrò nomen hoc ejuſmodi eſſe, quod Chriſto ſecundùm naturam illam conveniat. Quò accedit & ſequens locus, *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium*, in quo eadem ſententia exprimitur. Ea enim verba, itidem arguunt, non eſſe ſermonem de re ejuſmodi, quæ Dei ſummi ſit propria, quæque ab omni æternitate extiterit. Nam & in futurum verba manifeſtè reſpiciunt; & primo ſeu literali, ut vocant, ſenſu, apertiſſimè de Salomone, Chriſti ea in re typo, fuerunt prolata, ut alii quoque fatentur. Confer inter ſe loca, 2 Sam. 7. 14, unà cum præcedentibus & ſequentibus, & 1 Par. 22. ℣. 10: & XXVIII. 6. confer etiam 3 Reg. 5. 5: & VIII. 19. Neceſſe ergo eſt, ut inter rationem, quâ Salomo Dei filius extitit, & inter eam, quâ Chriſtus Dei Filius eſt, ſimilitudo intercedat atque analogia talis, ut illa hujus imago quædam ſit. At quomodo ea ratio, quâ Salomo Dei filius extitit, imago quædam ejus fuit rationis, quâ Jeſus Dei Filius eſt, ſi Jeſus ideo Dei Filius eſt, quia ex eſſentia Patris ab æterno fuerit genitus, idémque cum Patre ſit Deus? Quòd ſi ratione ſummæ charitatis, & inde promanantium beneficiorum, quibus Deus Jeſum eſt proſecutus, inter quæ principem locum tenet regnum atque imperium cœleſte ipſi conceſſum, Jeſus Dei Filius eſt; rectè Salomon Chriſti typus conſtituitur, & verba de illo ſenſu literali prolata, ad hunc myſtico longéque auguſtiori ſenſu, jurè atque eleganter referuntur. Patet ergo, nec in verbis Pſalmi 2, ibidem citatis, quicquam de æterna Chriſti ex eſſentia Patris generatione contineri. Denique quis dubitet, cùm Petrus Jeſum Dei Filium eſſe confeſſus eſt, aut nos idem de illo credere ac confiteri jubemur, ſi pro Chriſtianis haberi, & ſalvi eſſe velimus, nomen Filii Dei in perfectiſſima, quâ id Chriſto convenit, ſignificatione ſumi? Atqui id tunc nihil aliud reipſa ſignificare vidimus, quàm Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu regem a Deo conſtitutum, ejúſque populo præpoſitum, ut eum æternùm tueatur ac ſervet. Quare hanc potiſſimam eſſe rationem ſtatuendum eſt, ob quam is Dei Filius dicatur, nec potiorem reperiri aliam. Illa verò cùm Chriſtum Deum illum ſummum non conſtituat, ſed potiùs Deum ſummum non eſſe oſtendat; ſequitur, nullam ejus filiationis, ut loquuntur, cauſſam extare, quæ Chriſtum Deum illum ſummum conſtituat.

Aliquantò plura diximus de prima ratione, quâ oſtenditur, Chriſtum non eſſe Deum illum ſummum, ideo quòd Dei ſit Filius: partim quia, ſi rectè animadvertas, plura ſententiæ noſtræ argumenta in ea continentur; partim verò, quia id, quòd Chriſtus Dei Filius ſit, firmiſſimum adverſæ ſententiæ argumentum continere vulgò creditur. Quare paulò pluribus,

quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quantopere hîc vulgò erretur, oſtendendum erat, & vera ſententia de ratione, quâ Chriſtus Dei ſit Filius, comprobanda.

Sequitur nunc altera aſſumtionis argumenti principalis probatio, quam brevioribus expediemus. Ea verò eſt, quòd ex ſacris literis liquidò apparet, Chriſtum ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam Dei Filius, & quidem unigenitus ac proprius eſt, pro nobis eſſe mortuum. At ſi eatenus eſſet Dei Filius, quatenus eſſet ex eſſentia Dei genitus, & ſic ipſe Deus ſummus, ſecundùm eam naturam mori non potuiſſet, ſecundùm quam Dei Filius eſt. Neque enim Deus ſummus, quà talis, mori poteſt; imò nulla prorſus ratione poteſt. Jam verò id, quod de Chriſto diximus, inde patet, quòd ſummus Dei erga nos amor in ſacris literis ex eo oſtenditur, quòd is ***Filium ſuum unigenitum***, aut ***Filium proprium*** pro nobis in mortem tradiderit. Vide Joh. 3. 16, & confer. cum ℣. 14, & Rom. 8. 32, 1 Joh. 4. 10, confer. cum præced. 9, adde etiam Rom. 5. 10, & confer. cum ℣. 8. At ſi Chriſtus non ſecundùm eam naturam, ſecundùm quam Dei Filius fuit, ſed ſecundùm aliam, quæ Filii Dei unigeniti perſonæ acceſſerit, mortuus fuiſſet; nec ſimpliciter de Filio Dei unigenito ac proprio dici poſſet, eum eſſe mortuum, aut pro nobis datum; nec ſummus ille Dei erga nos amor inde poſſet colligi. Quid enim adeò mirum, aliquam unigeniti Filii Dei acceſſionem, ſeu naturam ei adjunctam, pro nobis fuiſſe impenſam, ſi interim ipſe Dei Filius unigenitus, qui ab æterno extiterit, planè ſalvus atque integer manſit, nec ullum vel minimum inde dolorem ſenſit? Cur ergo tantopere id urgetur, quòd Deus Filium ſuum, eumque unigenitum ac proprium, pro nobis tradiderit, íſve pro nobis mortuus fuerit, ut charitatis divinæ magnitudo inde intelligatur? Quòd ſi illum ipſum hominem Jeſum Chriſtum, divina virtute è virgine genitum, a Deo ſanctificatum ac in mundum miſſum, ſupremo rerum omnium dominio atque imperio jam ante jacta mundi fundamenta deſtinatum, qui ſanctitate, qui ſapientiâ, qui potentiâ Deo ſimillimus, &, ut Paulus loquitur, in Dei forma, Deóque æqualis fuit Phil. 2. 6, quémque adeò Deo unicè charum fuiſſe conſtat; ſi hunc, inquam, ipſum Dei Filium unigenitum ac proprium eſſe credas; tum demum ipſum Dei Filium unigenitum, non acceſſionem ejus aliquam, pro nobis mortuam eſſe intelliges, indeque & Dei, & ipſius Filii unigeniti, qui ſemetipſum in mortem tam diram noſtrâ cauſſa conjecerit, charitatem æſtimare diſces. Hæc de primo hujus ordinis argumento.

Cap. XXXII.

Argumentum trigeſimum ſecundum, quòd de Incarnatione Dei ſummi taceant ſacræ literæ.

SEcundum argumentum facere poſſumus, quòd, ſi Chriſtus Deus ille ſummus eſſet, qui, ut illa ſententia poſtulat, è cœlo in virginis uterum deſcenderit, & iſtic incarnatus fuerit, omnino neceſſe eſſet, iſtam incarnationem ab Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptoribus, aliiſque divinis viris atque Apoſtolis, clariſſimè, non uno, ſed plurimis in locis, fuiſſe expreſſam. Etenim ut nonnulla hîc ex iis repetamus, quæ ſunt alibi fuſiùs a noſtris explicata; videmus in ſacris literis clariſſimè creberriméque eſſe expoſita ea, quæ aliquatenus ſunt ad credendum difficilia, ſimul tamen creditu omnino neceſſaria; ut creatio cœli & terræ, Dei de rebus humanis cura, & cogitationum noſtrarum cognitio, reſurrectio mortuorum, & vita ſempiterna hominibus danda. Nec tantùm ea, quæ ſunt creditu omnino neceſſaria; ſed & alia illis, quæ diximus, haud paullò per ſe minora, diſertiſſimè videmus in ſacris literis expreſſa: ut quòd Chriſtus ſit ex ſemine Davidis ortus. Jam verò Incarnatio illa Dei ſummi, & omninò neceſſaria creditu foret, ſi revera extitiſſet; & tamen creditu difficillima: quorum illud urgent adverſarii, qui nos propterea atrociſſimæ hæreſeos maximæque impietatis accuſant, quòd eam negemus; hoc autem ultrò fatentur, & fateri coguntur. Quis enim non videt, rem eam eſſe a rationis judicio vehementer abhorrentem, & talem ſaltem, quam impoſſibilem ratio ſibi relicta judicet? Quare neceſſe eſſet illam & clariſſimè fuiſſe in ſac. literis deſcriptam, & creberrimè a divinis viris, ſaluti noſtræ optimè conſulere volentibus, repetitam atque inclulcatam, ita quidem, ut nemo dubitare poſſet, eam ab illis aſſeri atque urgeri. Atqui id non fieri, partim inde patet, quòd quæcunque loca afferunt adverſarii ad dogma illud probandum, ea ita ſunt comparata, ut conſequentiis ſit opus, quò hanc ſententiam eliciant, Deum illum altiſſimum eſſe incarnatum, ſeu hominem factum; partim quia iis in locis Incarnatio iſta expreſſa non eſt, in quibus, ſi vera eſſet, omninò fuiſſet expreſſa. Etenim cum Matthæus cap. 1. 18, & cap. 2, & Lucas cap. 1. 26, & d. & cap. 2. 7, & d. hiſtoriam nativitatis Chriſti deſcribant, & quædam commemorent, quæ haud paullò minora ſunt, quàm illa ſummi Dei incarnatio; ut quòd Chriſtus ex ea virgine ſit natus, quæ viro fuerit deſponſata; quòd ex ſpiritu ſancto conceptus; quòd Bethlehemi in lucem editus; ne alia repetam, à Luca diligentiſſimè expoſita, à Matthæo omiſſa: quî fieri poteſt, ut id omiſerint, quod in tota illa re omnium fuiſſet maximum, ac ſcitu creditúque maximè neceſſarium, nempe quod Deus ille altiſſimus in virginis uterum deſcenderit, & carnem ibi aſſumſerit, ac porrò natus fuerit? Præſepe, in quo Chriſtus recèns natus fuerit poſitus, non præteriit Lucas; & incarnationem Dei ſummi, unionem hypoſtaticam naturæ divinæ & humanæ omiſſurus fuiſſet? cum nunc adverſarii noſtri de nativitate Chriſti ſine ejus rei mentione diſſerere non poſſint. Qui fieri etiam potuiſſet, ut Marcus totam nativitatis Chriſti, in qua incarnatio contineretur, hiſtoriam præteriret; Johannes autem, quem Incarnationem deſcripſiſſe volunt, tam breviter, tam obſcurè eam attingeret ac delibaret? Qui fieri poteſt, ut Apoſtoli, cùm homines ad Chriſtum adducerent, &, ut in eum crederent, hortarentur, majeſtatémque ejus illum in finem explicarent, nullam rei tam neceſſariæ mentionem facerent? Legatur prima Petri poſt acceptum ſpiritum ſanctum concio ad populum, ad quam tria hominum millia in Chriſtum crediderunt, & in ipſius nomen baptizati fuerunt Act. 2. 24, & ſeqq. itémque altera ad eundem populum cap. III. 13, & d. nulla ibi incarnationis ſit mentio. Similiter nec in ſermonibus ejuſdem Apoſtoli, vel ad principes ac ſeniores populi cap. IV. 8, & d. & cap. V. 30, & d. vel ad Cornelium atque alios, de Jeſu Chriſto habitis cap. X. 36, & d. Nulla ejus mentio extat in oratione Pauli, quam Antiochiæ in ſynagoga cap. XIII. 17, & d. nulla in ea, quam Athenis in Areopago cap. XVII. 22, & d. nulla in ea, quam coram Agrippa rege cap. XXVI. 2, & d. Feſto præſide, aliiſque compluribus, habuit Cæſareæ. Et Athenis quidem illuſtrem ad eam rem explicandam occaſionem habuit, cùm de ignoto Deo loqueretur. At nihil in omnibus illis Apoſtolorum orationibus de Chriſto legas ſublimius, quàm eum a Deo fuiſſe, a mortuis excitatum, in cœlum receptum, Dominum ac Chriſtum factum, dextra Dei exaltatum Principem ac Servatorem, ad dandam pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, conſtitutum judicem vivorum ac mortuorum. Præterea quoties Apoſtoli ſummam Dei erga humanum genus charitatem ac benignitatem in Jeſu Chriſto exhibitam commendant? At quod illuſtrius, fuiſſet ejus charitatis argumentum, quàm quòd Deus ille ſummus hominum cauſſa homo fieri voluerit? vide inter alia Rom. 5. 5, & d. & VIII. 31, & d. Cur ergo iis in locis tantum ea de re ſilentium? 2 Corinth. 5. 14, & d. adde & ℣. 14, & d. Epheſ. 1. 3, & d. cap. 2. toto. Coloſſ. 1. 12, & d. 1 Tim. 2. 3, & d. 2 Tim. 1. 9, & d. Tit. 2. 11, & d.

& cap.

& cap. III. 4, & d. 1 Petr. 1. 3, & d. 2 Petr. 1. 3, & d. 1 Joh. 3. 1, & d. & cap. IV. 8, & d. Nempe quia nec facta fuit, nec ulla (ut hoc quoque breviter addamus) fuit cauſſa, quæ poſtularet, ut Deus ille ſummus, creator cœli & terræ, carnem aſſumeret. Quandoquidem homo Jeſus Chriſtus divina virtute adjutus, omnia, quæ ad ſalutem noſtram pertinuerunt, tum docendo, tum miracula edendo, tum denique Patri ſuo in omnibus obtemperando, olim in terris præſtare potuit, & reipſa præſtitit; & quæcunque etiamnum ad ſalutem noſtram perficiendam requiruntur, eadem divina virtute perficere poteſt, atque adeò reipſa perficit. Quis verò dicere auſit, Deum ſine maxima cauſſa, vel potiùs neceſſitate, rem à ſua majeſtate tantopere abhorrentem ſuſcipere voluiſſe, etiamſi tandem naturâ ſuâ poſſibilis eſſet? Sed hac in re prolixi eſſe nolumus; quia hinc inde in argumentis noſtris ea attinguntur, quæ huc pertinent. Quòd ſi quis hoc quoque pleniùs explicatum videre cupit, alibi apud noſtros legere poterit *.

CAP. XXXIII.

Argumentum trigeſimum tertium, quòd Chriſto ſpiritus ſanctus datus fuerit.

TErtium argumentum faciemus, quòd Chriſto ſpiritus ſanctus à Deo datus fuerit: qua de re non uno ſcripturæ ſacræ loco legitur. Nam & in veteri Teſtamento, præſertim apud Eſaiam, aliquot ea de extant teſtimonia, & in Novo, in quo nonnulla etiam è veteri citantur. Ita enim loquitur Eſaias initio c. 11: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Et acquieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectûs, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis*, vel, ut eſt in Hebræo, *timoris Domini.* Ubi de Chriſto ſermonem eſſe, omnes & vident, & fatentur. Sic initio cap. 42, de eodem Chriſto ait Deus: *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum,* (Heb. *innitar ei,*) *electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum.* Que verba de Chriſto citantur Matth. 12. 17. & cap. LXI. 1, Propheta hoc pacto Chriſtum loquentem introducit: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me.* Quæ verba ipſe Chriſtus in ſe impleta teſtatur Luc. 4. ℣. 18, & ſeqq. In ipſa verò Euangelica hiſtoria legimus, quomodo ſpiritus ſanctus ſuper Chriſtum a Johanne baptizatum deſcenderit, ac ſuper eo manſerit, Matth. 3. 16. Luc. 3. 22, & Joh. 1. 32, 33: unde Lucas cap. 4, initio ait, *Jeſum plenum ſpiritu ſancto regreſſum eſſe a Jordane.* Et Petrus apud eundem ſcriptorem teſtatur Act. 10. 38, *quòd unxerit eum Deus ſpiritu ſancto & virtute.* Unde Chriſtus ſe *in ſpiritu* ſeu *per ſpiritum Dei*, dæmonia ejicere aſſerit, (quod & Petrus d. l. Act. 10, non obſcurè innuit) & Phariſæos blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum accuſat, quòd auſi eſſent, hujuſmodi miracula, utpote ſpiritûs ſancti vi perfecta, Beelzebuli dæmoniorum principi adſcribere, Matth. 12. 28, 31. Marc. 3, confer. ℣. 30, cum præced. Lucas autem Act. 1. 2, ait, Chriſtum ea die, quâ aſſumtus eſt, *præcepiſſe Apoſtolis per ſpiritum ſanctum*, hoc eſt, impulſu ſpiritus ſancti. Neque enim ſpiritu ſancto uſus eſt miniſtro, cujus opera interveniente diſcipulis mandata daret. Quanquam alii voces, *per ſpiritum ſanctum*, cum ſequentibus, *quos elegerat*, per trajectionem connectunt: de quo nihil eſt neceſſe hîc diſputare. Eadem enim loci, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, vis erit, nempe Chriſtum, impulſore ſpiritu ſancto, Apoſtolos elegiſſe. Nec mirum, cùm eſſet *ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii, ſpiritus ſcientiæ*, hoc eſt, qui ſapientiam, intellectum, conſilium, ſcientiam efficiebat, & Chriſto impertiebatur, ur ex loco Eſaiæ 11, a nobis citato apparet.

Ut autem hinc demonſtremus, Chriſtum non eſſe illum ſummum Deum, non ea nunc utemur ratione, quòd hoc pacto ei quippiam a Deo Patre datum ſit, quod argumentum hujus ſect. cap. 18, explicuimus: ſed eâ, quòd ſpiritu ſancto nihil ei planè futurum fuiſſet opus, ſi is Deus ille ſummus eſſet: præſertim ſententiâ illâ adverſariorum poſitâ, quòd Spiritus ſanctus perſona ſit a Patre & Filio diſtincta. Quid enim, quæſo, opis afferre poſſit Deo ſummo ſpiritus ſanctus? quid eſt, quod Deus ſummus ex ſemetipſo præſtare nequeat? Neque enim eſt, quod dicant, humanam Chriſti naturam ope ſpiritus ſancti eguiſſe. Nam ne illud nunc urgeam, iſta ſimpliciter de Chriſto dici, non dicenda, ſi is Deus ſummus eſſet, utpote de quo illa ſimpliciter ſint neganda; quid opus erat humanæ naturæ auxilio ſpiritus ſancti, tertiæ, ut illis placet, Deitatis perſonæ, ſi ipſamet ſecundæ perſonæ Deitatis perſonaliter juncta erat; ſi tota plenitudo eſſentiæ divinæ (ſic illi locum Col. 2. 9, interpretantur) in ea corporaliter habitabat; ſi, ut iidem volunt, divina illa natura humanæ omnia, quæ in illam caderent, dona ſupernaturalia largiebatur; ſi vel omnes ſuas proprietates, vel ſaltem plenam omnium rerum ſcientiam ei communicaret, quemadmodum major adverſariorum pars ſtatuit? Num quicquam ad hunc cumulum adjicere ſpiritus ſanctus poterat? Cur, quæſo, Chriſtus per ſpiritum ſanctum potiùs, quàm per ſuam naturam divinam, vel dæmonia ejeciſſe, vel aliquid præcepiſſe, vel ſapientiâ, intellectu, conſilio, fortitudine, ſcientiâ, timore Domini præditus fuiſſe ſcribitur?

DEFENSIO ARGUMENTI.

DIcet fortè quiſpiam, ideò hæc ſpiritui ſancto potiùs, quàm divinæ Chriſti naturæ aut perſonæ tribui, quia illa ad ſanctificationem Chriſti pertineant: ſanctificationem autem, licèt toti Trinitati communem, propriè ſpiritui ſancto adſcribi. Sed hæc non modò ſine ratione, ſed etiam contra rationem dicuntur. Non commemorabimus nunc illud, non poſſe ſpiritui ſancto magis tribui ſanctificationem Chriſti, quàm Patri, cui ea ita adſcribitur, ut pro cauſſa afferatur, cur Chriſtus ipſius ſit Filius Joh. 10. 36. Hinc enim conſequuturum eſſet, ſi ſpiritui ſancto magis ea competeret, quàm Patri; ſpiritum ſanctum potiùs Patrem fore Chriſti, quàm Deum illum, qui Chriſti Pater & eſt, & paſſim in N. Teſtamento dicitur. Illud hîc dicemus, quod hujus loci proprium eſt; ſi ulla excogitari poteſt ratio, cur id, quod omnibus illis perſonis commune eſt, uni tamen magis adſcribendum ſit, quàm alteri; cauſſam hîc fore magnam, cur hæc actio Filio potiùs, quàm alii alicui perſonæ ſit adſcribenda, & cauſſam quidem duplicem. Una eſt, arctiſſima illa, quæ Filio cum humana ſua natura intercedit, ut adverſariorum fert ſententia, conjunctio. Altera, quòd iidem adverſarii volunt, Filium eſſe ſapientiam ac virtutem Dei naturalem, per quam omnia Deus efficiat, & huc illa, quæ Proverb. 8, de ſapientia generatim atque abſtractè dicuntur, & illa, quæ 1 Cor. 1. 24, de Chriſto leguntur, trahunt. At cuinam perſonæ divinæ magis conveniret, humanæ Chriſti naturæ ſapientiam, intellectum, conſilium, ſcientiam impertiri, quàm ei, quæ & naturæ illi ſit conjunctiſſima, & ipſius Dei ſapientia ſit naturalis? cuinam potiùs, quàm naturali Dei virtuti ac potentiæ competeret, omnia ſtupenda opera per humanam naturam patrare? Chriſti ergo naturæ divinæ potiùs, quàm ſpiritui ſancto, ea omnia tribuenda eſſent.

Præterea ex iis quærimus, qui iſtiuſmodi exceptione uti velint, num ſtatuant, ſpiritum ſanctum plus ad hæc dona humanæ naturæ concedenda, quàm divinam ipſius Chriſti perſonam contuliſſe, an utramque perſonam tantundem. Si illud, ſuam ſententiam evertent: ſi hoc, ſcripturam. Nam ſi illud velint; vel non tantum virium fuit in divina illa Chriſti perſona ad id præſtandum, quantum in ſpiritu ſancto; vel non tantum voluntatis. Neutrum de ea dici poteſt, ſi Chriſtus ſummus ille Deus fuit, & quidem ejuſdem cum ſpiritu ſancto eſſentiæ. Si hoc velint; nulla planè

erit

* Vide Socin. in fragmentis pag. 18, & d.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

erit cauſſa, cur ſpiritui ſancto expreſſe tribuatur, quòd homini Chriſto dona illa impertiverit, divinæ ipſius Chriſti naturæ aut perſonæ nuſpiam. Quare hæc exceptio locum hîc habet nullum; & porrò nec diſtinctio humanæ & divinæ in Chriſto naturæ. Hoc ipſum enim quærimus, cur humanæ naturæ ſpiritus ſanctus fuerit datus, ſi ea divinæ naturæ perſonaliter fuit unita.

Cap. XXXIV.

Argumentum trigeſimum quartum quòd Chriſtus a diabolo tentatus fuerit.

QUartum hujus generis argumentum eſt, quòd Chriſtus, ut Euangelica narrat hiſtoria Matth. 4. 1, & d. Luc. 4. 1, & d. a diabolo tentatus, & ad adorationem etiam ipſius ſollicitatus fuerit, quódque in hunc ipſum finem, ut tentaretur, a ſpiritu divino in deſertum fuerit actus. Id enim haudquaquam contigiſſet, ſi is Deus ſummus eſſet. Nam primùm, quid indignius Deo, quàm impio ac nefario hoſti, quem ob contemtum majeſtatis ſuæ, clariſſimè olim conſpectæ, cœlo extruſiſſet, ſeſe tentandum, & ad ipſius met adorationem ſollicitandum exponere, atque ad illudendum majeſtati ſuæ ultrò ſe offerre? Deinde quorſum id factum eſſet? an ut conſtaret, Deum ſummum poſſe tentationes diaboli ſuſtinere ac vincere? Num quiſpiam ea de re dubitare poterat, ut experimento eſſet opus? Præterea, quî auſus eſſet diabolus rem tantam aggredi? Non commemorabo nunc illud, quòd & dæmones ad divinæ majeſtatis conſpectum contremiſcunt, Jacob. 2. 19, qui etiam ad ipſius memoriam, cœlo ab eo dejecti, & in tartara detruſi, horrent. Finge enim nunc in ſpiritu malefico, & iræ, & virium Dei inſuperabilium optimè conſcio, ac vinculorum ſuorum, quibus ab eo conſtrictus tenetur, probè memori, tantam impudentiam & audaciam, quantam libet: aſtutiam tamen illi ſummam eſſe ſimul fatebere. Atque utinam ea fatenda non eſſet! At quo pacto fieri poteſt, ut ſpiritus aſtutiſſimus Deum ſupremum tentet, eúmque ſeducere conetur, & denique ad rem indigniſſimam ac deteſtabiliſſimam, adorationem nempe ſui, ſollicitare in animum inducat? Num enim fieri poteſt, ut vel rem, quam impoſſibilem eſſe probè nôrit, aggrediatur; vel rem hanc impoſſibilem eſſe, planiſſime non cernat? Neutrum in eum cadit, qui vel micam ingenii habet, nedum ut in ſpiritum ſubtiliſſimum atque aſtutiſſimum cadat. Adde, quòd, cùm, dicit, *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*; & iterum, *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*; ſatis oſtendit, id ſe agere, ut Chriſtus aliqua ratione ambigere incipiat, utrùm revera Dei ſit Filius, quem ſe eſſe cœlitùs paulò antè audiverat; vide Matth. 3. 17. & porrò tanquam rei aliquo modo dubiæ uberiora quærat argumenta. At quî potuit ullo pacto ſperare, id ſe apud illum Dei Filium, qui ex eſſentia divina ſit genitus, efficere poſſe? Num fortè putamus, hoſtem in hoc pugnandi genere exercitatiſſimum, quem mille fallaciarum architectum vulgò etiam appellant, eo tentandi genere hîc uſum, quod eſſet ad decipiendum omnium ineptiſſimum, atque adeo ad fortiſſimum ſapientiſſimúmque ducem oppugnandum, arma expediiſſe tam futilia, tamque ridicula? Quid proficeret Satan, ſi apud hominem etiam vulgarem, cui modò mens ſana ſit, rationibus aliquibus efficere conaretur, ut dubitaret de ſe, an homo eſſet, & non potiùs ſubſtantia homine inferior? An non hic luſus potiùs eſſet, quam tentatio? At multò magis riſu dignum fuiſſet, perſuadere velle rationibus Filio Dei, ex eſſentia divina genito, ut dubitet, utrùm ſit Dei filius, nec ne.

Longè verò aliter ſe rem habere intelliges, ſi animadvertas, Chriſtum tali ratione Dei Filium fuiſſe pronunciatum a Deo, quæ ad eſſentiam ipſius non pertineret, quæque charitate divina revera niteretur, & in eo maximè conſiſteret, quòd deſignatione jam eſſet Meſſias, ſeu Rex populi divini cœleſtis atque æternus, qui poſtea demùm reipſa evaſit. Facilè enim intelliges, non tam ineptè pugnaſſe vaferrimum hoſtem, cùm id in dubium vocavit, & fidei ſcuto, ad ipſius tela excipienda fuiſſe opus. Taceo nunc alia, quæ in illa tentationis Chriſti hiſtoria occurrunt, ut quòd ei Satan in montem altiſſimum perducto, omnia hujus mundi regna, eorumque ſplendorem, tanquam non ſatis cognitum, aut non ſatis oculis ejus obverſantem, oſtenderet, ut eum ad ſe adorandum tantò faciliùs alliceret: quodque coram ipſo, eundem in finem, auſus fuerit dicere Luc. 4. 6, *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum. Quia mihi tradita ſunt: & cui volo, do ea.* Apparet enim, ſatis intellexiſſe Satanam, ſibi non cum Deo ſummo rem eſſe, ſed cum eo, qui homo ſubſtantiæ ratione eſſet, ex ſingulari autem Dei charitate ipſius Filius. Quem quia Deus tentandum ſibi ultrò obtuliſſet, ut virtutis ac pietatis ſuæ daret documentum; eum ſuis artibus a Deo abſtrahere, non putavit penitus impoſſibile. Sed & hæc, & alia quædam lector ingenioſus per ſe animadvertet.

DEFENSIO ARGUMENTI.

NOn eſt autem, quod quis dicat, iſta, quæ ex hiſtoria illa deduximus, propterea non conſequi, quòd ſecundùm humanam tantùm naturam tentatus fuerit Chriſtus, non ſecundùm divinam. Etenim ne alia nunc repetam, ſuperiùs non ſemel dicta; eadem nihilominus abſurda ſequuntur, etiamſi ſtatuas, Satanam naturam tantùm humanam, ſed ſummo tamen Deo perſonaliter unitam, & indiſſolubili nexu copulatam, tentaſſe, &, ut ea tentaretur, Deum voluiſſe. Etenim indignum fuiſſet Deo ſummo, in natura ſibi perſonaliter unita, impio ac teterrimo hoſti ſeſe ludibrio habendum, & ad ipſius adorationem ſollicitandum offerre. Siquidem humana natura nihil facere poterat, niſi divina conſentiente. Quare Satanas, naturam Chriſti humanam ad ſui adorationem ſollicitans, ſimul divinam naturam, ut in tam horrendum ſcelus *conſentiret, idque humanæ naturæ permitteret, ſollicitaſſet. Supervacaneum etiam fuiſſet, oſtendere, naturam Deo ſummo perſonaliter unitam, poſſe tentationes Satanæ ſuſtinere ac vincere. Quis enim ea de re dubitare poterat? Unde etiam patet, non potuiſſe Satanam vel minimam de ea vincenda ſpem concipere. Quid enim? num credere potuit Satanas, fieri poſſe, ut eò uſque divina natura desereret humanam, ſibi perſonaliter unitam, ut ipſi ſuccumberet, ut atrociſſimum facinus ſuſciperet, & porrò etiam æternæ damnationi obnoxia fieret? Non vidit Satan, ſibi non cum ſola humana, ſed ſimul etiam cum divina natura rem fore; & hanc ſeducendam eſſe, ac ſcelus ei perſuadendum, ſi illa vinci debeat? Quid ergo reſtat aliud, quàm ut dicas, Satanæ nihil de unione illa humanæ naturæ cum divina conſtitiſſe? Sed quid? an Satanas, qui hoc ipſum oppugnandum ſibi ſumſit, quòd Jeſus eſſet Filius Dei, non intellexit, quid verba illa ſignificarent? At, ſi adverſariorum ſententia vera eſt, ſignificant, hominem illum Jeſum unam eſſe perſonam cum Filio illo Dei, ab æterno ex Dei ſubſtantia generato. Quis credat, ſi, ut adverſarii volunt, incarnatio illa Filii, ex Dei eſſentia ab æterno generati, fuit in ſacris literis prædicta, virgini Mariæ annunciata, & poſtmodum reipſa perfecta, ac tum ab ipſa Maria, tum ab aliis agnita, inque Chriſti baptiſmo cæleſti voce declarata, Satanæ hac de re nihil conſtitiſſe? præſertim ſi olim in cœlo Deum, & in ipſo omnia ipſius decreta (hæc enim adverſariis idem reipſa ſunt cum Deo ejúſve eſſentia) vidit; ac porrò intellexit, fore, ut ſecunda Trinitatis perſona illis temporibus incarnaretur. Sed in re clara pluribus opus non eſt. Illud tantùm addimus, cùm Satanas Chriſtum eò adducere voluerit, ut dubitaret, utrùm eſſet Dei Filius, ille nimirum, quem ſe eſſe, divina paulò ante voce pronunciari audiverat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

non eſſe conſentaneum, eum, in tentando illam naturam præteriiſſe, ſecundùm quam ille Dei Filius eſſet. Hanc autem divinam eſſe volunt adverſarii. Quare vel huic ſententiæ, vel limitationi, quâ tentationem iſtam ad humanam naturam reſtringunt, illis eſt renunciandum.

Non arbitramur autem, quemquam cordatorum hominum dicturum, hoc argumentum ex diaboli, qui mendax ſit ſpiritus, teſtimonio eſſe ductum. Etenim nos contrà, quàm diaboli verba volunt, urgemus, illum ipſum hominem, quem diabolus tentabat, fuiſſe atque eſſe Dei Filium, cæleſti voce non multò antè in baptiſmo commendatum. Non ergo ex teſtimonio diaboli argumentum ducitur, quaſi is id ipſum dixerit, quod nos volumus; ſed partim ex facto Dei, Chriſtum tentari, & Satanæ inſidiis objici volentis; partim ex ſenſu, dictis, factiſque Satanæ, tanquam effectis, quæ exiſtere non potuiſſent, niſi ſententia noſtra vera eſſet.

Cap. XXXV.

Argumentum trigeſimum quintum, quòd Chriſtus primogenitus ſit omnis creaturæ.

QUintum argumentum inde duci poteſt, quòd Chriſtus dicatur *Primogenitus omnis creaturæ*, Col. 1. 15, atque ipſe ſe eodem ſenſu *principium creaturæ Dei* vocet, Apoc. 3. 14. Illud autem prius adverſarii de eo ſecundùm divinam naturam dictum eſſe, & iſtius naturæ non exiguum argumentum continere volunt: cum tamen primogenitum ſemper in eorum numero contineri neceſſe ſit, quorum, præter parentes, primogenitus dicitur, ac porrò Chriſtum numero creaturarum comprehendi, quarum primogenitus dicitur; id quod in Deum ſummum non cadit.

Nam quòd vulgò ita locum exponunt ac ſi dictum eſſet, Chriſtum eſſe genitum ante omnem creaturam; id, ſi ad eum modum accipiatur, ut Chriſtus ex numero omnis creaturæ penitus eximatur, ſine ullo exemplo ſit, & contra receptam tum in ſac. literis, tum in vulgari ſermone, loquendi conſuetudinem. Id quod & doctiſſimi quidam inter adverſarios viri ſatis animadverterunt. Johannes enim Piſcator, etſi illam expoſitionem ut orthodoxam probet; conſiderandum tamen proponit, an non diverſa, quam affert, expoſitio genuina ſit; nempe ut intelligamus, Chriſtum dici primogenitum omnis rei creatæ, eò quòd ſit princeps hæres omnium. Et Paulò pòſt addit: *Nam quò minùs hoc nomen* πρωτότοκος *de divina Filii Dei ex ſubſtantia Patris generatione accipiendum videatur, facit nativa ejus ſignificatio. Propriè enim eum ſignificat, qui primo partu in lucem eſt editus:* Τίκτειν *enim parere ſignificat, non gignere: & matri convenit, non patri. Deinde vix reperias exemplum, ubi nomen ex* πρῶτος *& præterito medio compoſitum genitivum ita regat, quaſi ſit participium conſtans ex præpoſitione* πρὸ. *Ita enim hìc exponitur,* πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *quaſi ſit,* πρωτοτεχθεὶς πάσης κτίσεως, *id eſt,* τεχθεὶς πρὸ πάσης κτίσεως.

Cap. XXXVI.

Argumentum trigeſimum ſextum, quòd Chriſtus ſit æqualis Deo.

LOcus ad Phil. 2. 6, & ſeqq. qui adverſus nos urgeri ſolet, non unum ſententiæ noſtræ continet argumentum. Nam præter ea, quæ ſuperiùs urſimus, quòd Chriſtus a Deo ſimpliciter poſito aliquoties ibi diſtinguatur; quòd Deo obediens factus; quòd ab eo exaltatus fuerit, quòdque ei a Deo nomen ſuper omne nomen donatum; quòd dignitas ac honor illi datus, in gloriam Dei Patris, tanquam ultimum ſcopum, tendere affirmetur; præter hæc, inquam, & illud arguit, Chriſtum Deum illum ſummum non eſſe, quòd Deo æqualis fuiſſe dicitur. Id quod adverſarii plærique de eo ſecundùm divinam naturam dictum, & apertum illius naturæ documentum eſſe contendunt. Atqui æquale ſemper aliam habet eſſentiam ab eo, cui æquale eſt. Aliàs idem ſibi ipſi æquale eſſet: cum tamen æqualia relata, ac porrò oppoſita ſint. Si ergo æqualis eſt Chriſtus Deo, & quidem, ut illi putant, ratione eſſentiæ & proprietatum eſſentialium; aliam eſſentiam Dei, aliam Chriſti eſſe neceſſe eſt. Quare vel duæ divinæ eſſentiæ independentes, ſeu duo dii ſummi ſtatuendi erunt; vel Chriſtus ſummus ille Deus non erit.

Plura argumenta afferri poſſent: ſed his contenti nunc erimus: præſertim quia eorum nonnulla infrà attingentur, cum ex principiis, quæ ipſa ratio ſuppeditat, ſententiam noſtram probabimus. Neque enim ita ex ratione argumentabimur, ut ad ſacra teſtimonia ſubinde non ſimus adverſarios revocaturi.

SECTIO TERTIA.

In qua oſtenditur, Spiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe, ut pateat, ſolum Patrem Deum ſummum eſſe.

SEquitur nunc, ut oſtendamus id, quod tertio loco demonſtrandum nobis ſumſimus, Spiritum nempe ſanctum non eſſe Deum illum ſummum. Quamquam res ex iis, quæ de Chriſto diſputavimus, facilè decidi poteſt. Etſi enim illa quoque ſacrarum literarum teſtimonia, quæ oſtendunt, ſolum Patrem eſſe ſummum illum Deum, ſimul validè demonſtrant, Spiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe; cùm conſtet, Spiritum ſanctum non eſſe Patrem: tamen iis hoc loco non utemur. Quandoquidem hoc loco non ex eo, quòd Pater ſolus ſit Deus ſummus, demonſtramus, Spiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe: ſed contrà ex eo, quòd Filius & Spiritus ſanctus Deus ille ſummus non ſit, oſtendimus, ſolum Patrem Deum ſummum eſſe. Verùm illis teſtimoniis, quibus oſtendimus, Chriſtum non eſſe Deum illum ſummum, demonſtrare hìc etiam poſſumus, Spiritum ſanctum non eſſe Deum ſummum. Neque enim fieri poteſt, ſi Chriſtus Deus ſummus non eſt, ut Spiritus ſanctus Deus ſummus ſit. Unde nec ullus unquam, quod ſciam, extitit, qui, cùm Chriſtum pro Deo ſummo non haberet, Spiritum ſanctum tamen pro Deo ſummo agnoſceret. Et ratio ejus rei eſt manifeſta, ſive rem ipſam, ſive adverſariorum ſententiam ſpectes. Nam quod ad rem ipſam attinet; quo pacto fieri poſſet, ut Chriſtus Spiritum ſanctum mitteret, hominibuſque daret, ſi Spiritus ſanctus Deus ſummus eſſet, Chriſtus non eſſet? Num enim Deum ſummum mittere ac dare poſſet, qui eo foret inferior? Quòd verò ad adverſariorum ſententiam attinet; ſtatuunt illi, Spiritum ſanctum ut a Patre, ita & a Filio eſſentiam ſuam habere. At quomodo Deus ille ſummus eſſentiam ſuam ab eo habere poteſt, qui Deus ſummus non ſit? quomodo creator à creatura? is, qui ab omni æternitate fuerit, ab eo, qui certo demum tempore extitit? Quare cum demonſtraverimus, Chriſtum Deum ſummum non eſſe; poſſemus hìc ſubſiſtere, nec alia afferre argumenta, quibus doceremus, Spiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe. Veruntamen, ut res tantò fiat manifeſtior, aliis adhuc argumentis idem demonſtrabimus. Et primò quidem inde ducemus argumenta, quòd in ſacris literis non pauca de Spiritu ſancto ſint omiſſa, nequaquam omittenda, ſi is Deus ſummus eſſet. Deinde ex illis argumenta petemus, quæ de ſpiritu ſancto expreſſe in iiſdem ſacris literis traduntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. I.

Argumentum primum, quòd Spiritus ſanctus nuſpiam apertè Deus in ſacris literis appelletur.

QUod ergo ad prius argumentorum genus attinet; primùm ab ipſo Dei nomine incipiemus. Etenim nullus proferri poteſt ſcripturæ locus, in quo Spiritus ſanctus apertè Deus appelletur. At ſi Spiritus ſanctus Deus ille ſummus eſt, quî fieri poteſt, ut ne unus quidem in tam prolixo ſacrarum literarum codice extet locus, in quo is apertè ac perſpicuè Deus appelletur? De Patre tot, tamque aperta extant loca, ut nemo negare poſſit, eum eſſe Deum, niſi idem ſolem in meridie lucere audeat negare. De Chriſto itidem, licèt Deus ſummus non ſit, aliquot tamen ſunt aperta ſacrarum literarum loca, quæ illum Deum eſſe oſtendant, omnibus vulgò nota. De Spiritu ſancto nullus omnino extabit, etiamſi æquè ac Pater, Deus ille altiſſimus ſit, & Chriſto non modò non minor, ſed etiam, cùm hic naturâ homo ſit, major? Accedit, quòd ex adverſariorum ſententia, omnino ad ſalutem creditu eſt neceſſarium, Spiritum ſanctum eſſe Deum, & quidem ſummum. Et ſanè ſi Deus ſummus eſſet, ſcitu id videretur omnino neceſſarium. Cui enim fidelium liceret Deum ſuum ſupremum ignorare, eúmque non colere? Eadem autem res ſimul talis foret, ut, niſi divinitus nobis revelaretur, de ea nobis nihil conſtare, præſertim certò, poſſet: cum ſenſibus noſtris non ſit ſubjecta. Quomodo ergo res tanta, tam neceſſaria ſcitu, tam abſtruſa, non fuiſſet a viris divinis, ipſo divino ſpiritu impellente, clarè expoſita, atque ex profeſſo tradita? quomodo non ſubinde repetita atque inculcata, ut a nemine, niſi in media luce cœcutire vellet, poſſet ignorari? At quem locum illi proferent, ubi ex profeſſo traditum atque apertè ſcriptum ſit, Spiritum ſanctum eſſe Deum? Nullum certè tot adverſariorum myriades, tot viri docti, & in ſacrarum literarum lectione aſſiduè verſantes, per tot ſecula, quibus iſta de Spiritu ſancto ſententia viguit, invenire potuerunt. Quod facilè apparebit, ſi præcipuos, quos in medium adferunt, locos examinaverimus, quibus oſtendere conantur, Dei nomen Spiritui ſancto tributum eſſe.

Mittemus autem hîc illum locum, quo nonnulli uſi, vel potiùs abuſi ſunt, *Spiritus* [eſt] *Deus* Joh. 4. 24, utpote in quo a plæriſque adverſariis animadverſum atque oſtenſum fuit, *ſpiritus* nomen Spiritum ſanctum non denotare, ſed ſpiritualem ſubſtantiam. Ibi enim de Patre revera eſt ſermo, ut antecedentia verba manifeſtè demonſtrant: nec vox *ſpiritûs* ſubjecti locum habet. (unde & articulo deſtituitur, qui tamen voci Θεὸς præfixus eſt) ſed prædicati. Senſus enim eſt, *Deus eſt ſpiritus* hoc eſt, ſpiritualis eſſentia ſeu ſubſtantia. Hæc igitur, quia apud adverſarios hodie vel omnes, vel plæroſque in confeſſo ſunt, nunc mittamus.

Verùm plærorumque, cùm de hoc argumento diſputatur, Achilles is eſt locus, qui extat Act. 5. 3, 4. ubi cùm Petrus, ut quidem in vulgata verſione legitur, dixiſſet Ananiæ: *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto?* Addit paulò poſt: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Multum etiam a nonnullis tribuitur illis Pauli, 1 Cor. 6. 19, 20, ubi cùm dixiſſet: *membra veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo*, &c. addit: *Glorificate & portate* (ita habet editio vulgata) *Deum in corpore veſtro.* Et illis in eadem Epiſt. cap. 12. 4, 5, 6, *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Præſertim, quia infrà ℣. 11, dicitur: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Afferri etiam ſolent ex veteri Teſtamento illa Davidis verba, 2 Sam. 23. 2, 3, *Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Iſraël mihi, locutus eſt fortis Iſraël.* Addunt præterea ea loca, in quibus Spiritum ſanctum Jehovam putant appellari. Primùm ajunt, Deut. 32. 12, dici: *Dominus* ſeu *Jehova ſolus dux ejus* (nempe populi Iſraëlitici in deſerto) *fuit: & non erat cum eo Deus alienus.* At de ſpiritu ſancto idem affirmari, nempe quòd deduxerit Iſraëlem, Eſa. 63. 14, ubi legitur: *ſpiritus Domini* (Jehovæ) *ductor ejus fuit.* Deinde ajunt, Jehovam Exod. 4. 12, Num. 12. 6, & alibi, profeſſum eſſe, ſe locuturum per prophetas. At Act. 1. 16, idem Spiritui ſancto tribui; uti & loco paulò antè citato, 2 Sam. 23. 2. Tertiò ajunt, Jehovam ſæpiùs fuiſſe irritatum ab Iſraëlitis. At hoc ad ſpiritum ſanctum referri Eſa. 63. 10: Heb. 3. 8, 9: Act. 7. 51. Denique verba illa Jehovæ Eſa. 6. 9, & d. ſpiritui ſancto tribui Act. ult. ℣. 25, 26. Hæc, quantum hucuſque animadvertere potui, præcipua ſunt teſtimonia, quibus probare adverſarii conantur, Spiritum ſanctum Deum, vel, quod majorem aliquo modo vim habet, Jehovam eſſe appellatum.

Sed primùm in nullo iſtorum locorum apertè ſcriptum eſt, aut ex profeſſo traditum, Spiritum ſanctum eſſe Deum: cum ubique per conſequentiam aliquam id ſit concludendum; & illa quidem, ex quibus concluditur, ſpiritum ſanctum Jehovam eſſe appellatum, ferè diverſiſſimis in locis ſint ſcripta. Itaque ne milleſimus quidem inter rudiores, niſi ab alio admoneatur, alia cum aliis eſſet collaturus, præſertim ita, ut hujuſmodi concluſionem, qualem adverſarii volunt, inde eliceret. Etſi verò nos legitimas conſecutiones minimè repudiamus: oſtendimus tamen, neceſſe hîc eſſe, ut tales extent in ſac. literis loci, in quibus apertè ſcriptum ſit, ſpiritum ſanctum eſſe Deum. Quia fieri non poſſit, ſi is Deus ille ſummus ſit, quin id apertiſſimè ac creberrimè ſit ſcriptum, atque ex profeſſo explicatum. Itaque, ſi talia loca proferri non poſſunt; concludi jure poteſt, conſequentias, quæ ad eam rem probandam nectuntur, legitimas non eſſe. Id autem, ſi eas examinaveris, quas proferri ab adverſariis vidimus, haud difficulter deprehendes. Et enim argumenta, quæ ex iſtis locis petuntur, plæraque eâ potiſſimùm ratione nituntur, quòd quæ in uno loco Deo aut Jehovæ tribuuntur, ea vel alibi, vel eodem in loco Spiritui ſancto tribuantur. Quæ ratio quàm fallax ſit, ex eo poteſt intelligi, quòd hoc pacto non tantùm concludi poſſet, ſpiritum ſanctum eſſe Deum aut Jehovam, ſed etiam ſpiritum ſanctum eſſe Patrem, aut Filium; itemque Filium eſſe Patrem, & contrà. Quia ipſi adverſarii contendunt, opera Trinitatis ad extrà eſſe indiviſa, ſeu omnibus perſonis communia; & loca non pauca proferunt, ubi vel iiſdem in verbis, vel in diverſis, eadem res tribuatur, vel omnibus illis perſonis, vel earum duabus. Et ratio ſatis eſt manifeſta, cur ejuſmodi conſequentia illegitima ſit. Quia res ſimiles a diverſis cauſſis proficiſci, aut circa diverſa objecta verſari, aut diverſis ſubjectis ineſſe poſſunt: imò eadem prorſus operâ à diverſis cauſſis vel cordinatis, ut loquuntur, ſeu inter ſe unitis, vel ſubordinatis, quarum nimirum altera pendeat ab altera, ſive ſubſerviat, proficiſci poſſunt. Si quid præterea videtur eſſe roboris in illis locis, id ſingulis excuſſis, nullum eſſe facilè deprehendetur.

Ut igitur ſingulos, quantùm opus erit, examinemus; primus ex Act. 5, citatus, nequaquam id, quod adverſarii volunt, probat. Primùm, quia, ut ab aliis quoque animadverſum eſt, aliter in Græco, quàm in vulgata verſione legitur. * Neque enim iſtic ſcriptum eſt, *Mentiri te Spiritui ſancto*, quod Græcè eſſet ψεύσασθαί σε τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ: ſed *mentiri te ſpiritum ſanctum*, vel (ut doctiſſimus quidam inter adverſarios interpres † reddidit) *ut falleres ſpiritum ſanctum*, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Quam verſionem & alii quidam * attigerunt: ſed præjudicata illis opinio obſtitit, ne penitus approbarent. Comprobat autem hanc verſionem id, quod infrà legitur ℣. 9. ubi idem Ananiæ & Sapphiræ crimen

* Vide Eraſmi annotat: & Bezam. † Joh. Piſcator. * Beza.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

his verbis explicat Petrus: *Quid utique convenit vobis*, (ſeu *quid eſt*, *cur convenerit inter vos*) *tentare Spiritum Domini?* Idem nempe eſt, *Tentare Spiritum ſanctum*, & *Spiritum ſanctum* ψεύσασθαι. Tentârant autem illi Spiritum ſanctum, quia perinde egerant, ac ſi explorare vellent, num Spiritus ſanctus in Apoſtolis habitans, ſeu ipſi Apoſtoli, Spiritus ſancti in ſeſe habitantis vi, fraudem animadverſuri eſſent, nec ne. Unde idem, quem ſuperiùs laudavimus, interpres, qui ita reddiderat verba verſic. 5. *Ut falleres ſpiritum ſanctum*; ad eum modum illa poſtmodum explicat: *ut fallere conareris ſpiritum ſanctum*, *id eſt*, *nos Apoſtolos*, *in quibus agit ſpiritus*, *& quibus revelat*, *quæ opus eſt ad ædificationem Eccleſiæ. Metonymia adjuncti.* Non commemoro nunc illam eorum verborum explicationem, quam Eraſmus tradidit, & alii quoque viri docti ſunt ſequuti, quòd, *mentiri ſpiritum ſanctum*, ſit ſimulare ſpiritum ſanctum. Ex his autem facilè apparet, haudquaquam ex eo loco concludi poſſe, ſpiritum ſanctum eſſe Deum. Cum alio modo de ſpiritu ſancto loquatur Petrus, alio de Deo. Illic dicit, *mentiri* ſeu *fallere* ac ludificari *ſpiritum ſanctum*: hîc *mentiri Deo.* Illud ſimpliciter objectum, circa quod fraus ac ludificatio verſetur, denotat: hoc verò ſcopum ultimum, in quem injuria ac contumelia iſta redundet. Ideo enim Petrus, poſtquam dixiſſet, Ananiam fallere voluiſſe ſpiritum ſanctum, eumque mendacio ſuo ludificari; addidit, eum non hominibus mentitum, ſed Deo; ut is peccati ſui gravitatem tantò magis cerneret. q. d. non debes putare, hanc injuriam ad nos tantùm ſpectare, & in nobis terminari. Tendit enim illa in contumeliam ipſius Dei. Id verò addere nequaquam fuiſſet opus, ſi dixiſſet, Ananiam mentitum eſſe Spiritui ſancto, eique ex doctrina Apoſtolica jam conſtitiſſet, Spiritum ſanctum eſſe Deum ipſum. Non abſimilis eſt huic locus 1 Theſſ. 4. 8. ubi cùm dixiſſet Apoſtolus, quæ præcepta illis dederit per Dominum Jeſum, & qua conditione illos vocârit Deus, addit: *Itaque qui hæc ſpernit*, (Gr. ſimpliciter, *qui ſpernit*,) *non hominem ſpernit*, *ſed Deum*: *qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis* (Gr. *in nos.*) q. d. utpote qui Spiritum ſuum ſanctum nobis dedit, quo nos regi, & cujus impulſu nos loqui apparet. Unde patet, eam injuriam, ac noſtri præceptorumque a nobis traditorum contemtum, in ipſum Deum vergere. Sed deinde, etiamſi diceretur, Ananiam mentitum fuiſſe Spiritui ſancto, & ſimul mentitum Deo; inde tamen non ſequeretur, Spiritum ſanctum eſſe Deum. Nam uno eodémque actu poteſt quis duobus mentiri; & uni quidem per alterum; ſeu uni immediatè, ut hîc Spiritui ſancto in Apoſtolis habitanti; alteri mediatè, ut Deo. Sic qui fideles perſequitur, perſequitur Chriſtum ipſum: qui Apoſtolos audit ac recipit, vel contrà ſpernit, audit ac recipit, vel ſpernit Chriſtum: qui Chriſtum, ipſum etiam Deum, qui eum miſit, Matth. 10. 40, Luc. 10. 16, Num verò inde quiſquam concluſerit, vel fideles, vel Apoſtolos eſſe Chriſtum; vel Chriſtum eſſe eum, qui ipſum miſit, nempe Patrem? Atqui ſi ita licet argumentari: Ananias mentitus eſt Deo: Ananias mentitus eſt (eodem nimirum tempore & actu) Spiritui ſancto: Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus; ita etiam licebit argumentari: Paulus perſecutus eſt Chriſtum Act. 9. 4, 5: XXII. 7, 8: XXVI. 14, 15, Paulus perſecutus eſt (eodem nimirum tempore & actu) fideles: Ergo fideles ſunt Chriſtus. Vel, qui Apoſtolos audit, audit Chriſtum: atqui idem audit eum, qui miſit Chriſtum: Ergo is, qui miſit Chriſtum eſt Chriſtus. Quid verò ad has argumentationes reſpondebunt adverſarii? proculdubiò, plus eſſe in concluſione, quàm in præmiſſis. Idem ergo ſibi reſponſum putent. Ita enim concludendum erat: Ergo aliquis, qui mentitus eſt Spiritui ſancto, mentitus eſt Deo. Uti & in illis, quæ nos attulimus: Ergo aliquis, qui perſecutus eſt fideles, perſecutus eſt Chriſtum: aliquis, qui audit eum, qui Chriſtum miſit, audit ipſum Chriſtum. Plura de hoc loco diximus, quia plus in eo roboris ponitur: nec tamen omnia, quæ dici adhuc poſſent. Cætera aliquantò breviùs percurremus.

Quod ergo ad ſecundum locum attinet, qui extat 1 Cor. 6. 19, 20; non habetur in Græco, *& portate* Deum in corpore veſtro, nec *Dei* nomine Spiritus ſanctus intelligitur, ſed ab eo apertè diſtinguitur. Ita enim totus locus in Græco legitur: *An neſcitis*, *quòd corpus veſtrum templum ejus*, *qui in vobis eſt*, *Spiritus ſancti ſit*, *quem habetis a Deo*; *& non ſitis veſtri? Emti enim eſtis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore veſtro*, *& in ſpiritu veſtro*, *quæ ſunt Dei.* Nónne hîc Spiritus ſanctus a Deo manifeſtè diſtinguitur, dum dicitur, *quem* (ſcil. ſpiritum ſanctum) *habetis a Deo?* de eodem autem Deo loquitur etiam in ſequentibus, *Glorificate igitur Deum in corpore veſtro*, &c. De ſpiritu ſancto in iis Apoſtolum non loqui, vel illud eſt argumento, quòd de eo loquitur, cui nos tanquam mancipia emti pretio ſumus. Quis autem uſpiam legit, nos ſpiritui ſancto emtos eſſe: Patri nos eſſe a Chriſto emtos ac mancipatos, tum res ipſa loquitur, tum facilè conſtare poteſt ex illis Apocalypſeos verbis, quæ extant cap. 5. 9, 10: & cap. XIV. 4. Quòd ſi dicant, inde probari, ſpiritum ſanctum eſſe Deum, quia nos ejus templum ſimus; templum enim non eſſe niſi ipſius Dei: primùm non ſequetur, Spiritum ſanctum hîc appellatum eſſe Deum, & quidem apertè, qua de re nunc eſt quæſtio. Multa enim loca iidem adverſarii ſolent proferre, ex quibus evincere conantur, vel Spiritum ſanctum, vel Chriſtum eſſe Deum, nempe ſummum, ubi tamen Chriſto, aut Spiritui ſancto, *Dei* nomen attributum non eſſe, tum ipſi fatentur, tum omnes cernunt. Deinde templum poteſt eſſe non tantùm ſummi Dei, ſed etiam ejus, qui illi ſit in imperio cultuque divino, non hominum tantùm opinione, ſed revera ſubordinatus. Poſtremò eatenus tantùm concedi poteſt, templum non eſſe niſi ipſius Dei, quatenus templum non alterius alicujus perſonæ honori revera dicatum eſt, nec ab alia perſona, diviniori quodam jure poſſidetur, ac principaliter incolitur, quam a Deo. Cæteroquin & ab angelis aliqua ratione, tanquam Dei miniſtris incolitur, & in eo virtus atque efficacia Dei quodammodo habitat, ita ut & ipſius virtutis divinæ templum eſſe jure dici queat. Quandoquidem Deus efficaciâ ac virtute ſua incolit templum ſuum, illud præſertim, de quo in illo ad Corinthios loco agitur. Quare ſi quis ex eo, quòd corpus noſtrum ſpiritus ſancti templum ſit, concludere velit, eum eſſe Deum; illi demonſtrandum eſt, ita corpus noſtrum ſpiritus ſancti templum dici, ut intelligatur, eum eſſe perſonam, cujus honori corpus noſtrum ſit dicatum, & a qua corpus noſtrum eo jure, quod divini numinis proprium eſt, poſſideatur, ac principaliter incolatur. At id demonſtrare impoſſibile eſt; & falſum eſſe vel ex eo apparet, quòd in loco huic noſtro ſimillimo, qui extat ſuprà in eadem ad Corinthios Epiſtola cap. 3. 16, inde non obſcure probat Apoſtolus, nos eſſe Dei templum, quia ipſius ſpiritus in nobis habitet. Quemadmodum & Johannes probat, Deum in nobis manere, quia de ſpiritu ſuo nobis dederit, 1 Joh. 3. 24: IV. 13. Nam ſi ſpiritus ſanctus talis eſſet perſona, qualem diximus, atque adeo ipſe Deus ſupremus; quid opus eſſet inde concludere, Deum in nobis manere, aut nos templum ipſius eſſe, quia ipſius ſpiritus in nobis ſit; & non potiùs ex eo, quia ipſe ille ſpiritus, qui in nobis habitet, Deus ſit? Quid, inquam, opus eſt oſtendere, nos eſſe templum Dei, qui a ſpiritu ſancto diſtinctus ſit, & eo interveniente in nobis habitet; & non potiùs Dei, qui ſit ſpiritus ille ipſe in nobis habitans, & non per aliam, ut adverſariis noſtris placet, perſonam, ſed per ſeipſum, nos tanquam templum ſuum incolens? Verùm enim verò nôrant Apoſtoli, ſupremi numinis non eſſe, perſonâ ac ſubſtantiâ ſuâ templum qualecunque in terris incolere, & in hominum pectoribus habitare, ſed virtute atque efficaciâ ſuâ. Ideo non ex eo, quòd ipſemet ſpiritus ſanctus, qui in nobis habitat, Deus ſupremus ſit, concludunt, nos Dei templum eſſe, aut Deum in nobis manere; ſed ex eo, quòd Dei illius ſpiritus in nobis habitet, & ab eo nobis datus fuerit. Cujus enim numinis ſpiritus, ſeu

vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vis atque efficacia, alicubi habitat, illud ipſum numen ibi habitare dicitur, & ejus templum illud eſt, in quo virtus ipſius veluti ſedem fixit.

Tertius locus, qui extat 1 Cor. 12. 5, 6, itidem contrarium apertè probat. Manifeſte enim illic *ſpiritus unus* ſeu *idem*, diſtinguitur & ab *uno* eodemve *Deo*, & ab *uno* eodémve *Domino*; qua de re ſuperiùs ſect. 1. cap. IV, actum. Quòd ſi ex unitate operationis, quæ ex collatione ℣. 6, & 11 apparet, velint colligere, eundem eſſe Deum illum unum, & unum ſpiritum; primùm aliud eſt, ſpiritum ſanctum eſſe illum unum Deum; aliud, eum unum illum Deum appellari, qua de re hîc agitur. Deinde concludendum erit, etiam Deum illum, qui per ſpiritum ſuum iſta omnia operatur, eundem eſſe cum ſpiritu illo ſuo: quia eædem operationes utrique conveniant, h. e. Patrem eſſe ſpiritum ſanctum, & contra: imò tres, quæ ſtatuuntur, perſonas eſſe unam, ac de ſe invicem prædicari; quia eædem ſint earum operationes ad extra, de quibus hîc ſermo. Sed hac de re ſuperiùs etiam dictum.

Similiter nec quartus locus, qui extat 2 Sam. 23. 2, 3. probat, Spiritum ſanctum eſſe Deum, ſed potiùs non eſſe; nedum ut Deus aut Jehova apertè ibi appelletur. Nam apertè illic à Domino ſeu Jehova, qui Deus ille unus eſt, diſtinguitur, dum ſpiritus Domini ſeu Jehovæ dicitur, qua de re inf. cap. 5, plura. Quòd autem illi ita argumentantur: Deus loquutes eſt per Davidem: Spiritus ſanctus loquutus eſt per Davidem: Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus; quivis facilè cernit, quàm fallax ſit hæc argumentatio: cùm conſtet ex puris affirmativis in ſecunda figura, ut in ſcholis loquuntur. Quòd ſi argumentum ejuſmodi admittendum eſt, ita quoque concludere poterimus: Deus Pater loquutus eſt per Davidem: ſpiritus ſanctus loquutus eſt per Davidem: Ergo ſpiritus ſanctus eſt Deus Pater. Major enim tum propter communionem illam operationum, quam inter perſonas Trinitatis ſtatuunt, ab adverſariis eſt concedenda, tum propter ipſa ſacræ ſcripturæ dicta. Nam ut unum tantùm nunc producam locum; Act. 4. 25, ajunt de Deo Patre Apoſtoli, quòd *per os David pueri*, ſeu *ſervi ſui loquutus fuerit*, nempe *Spiritu ſancto*, ut habet interpretatio Vulgata. Deum autem Patrem iſtic intelligi, patet ex ℣. 27, ubi Jeſus appellatur puer ſeu filius illius, quem Apoſtoli alloquuntur, Dei. Et ſanè loquebatur Deus per ſpiritum ſuum, ſeu ſpiritu ſuo interveniente, per Davidem, quatenus ei ſpiritu atque efficaciâ ſuâ, & patefaciebat ea, quæ dicere debebat, & ad ea proferenda illum impellebat. Sic in Apocalypſi cap. 2, & 3, ſub finem ſingularum Epiſtolarum ad Angelos Eccleſiarum Aſiaticarum, leguntur illa verba: *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis*. Atqui in illis Epiſtolis perpetuò loquitur Chriſtus Dei Filius. Quare ſi adverſarios argumentantes ſequi deberemus, concludendum foret, ſpiritum illum, nempe ſanctum, eſſe Chriſtum Dei Filium. Loquebatur nimirum illic Chriſtus, ſed per ſpiritum ſuum, cui propterea etiam loquendi actio ibidem tribuitur. Quòd ſi invertere majorem ſuam velint adverſarii, & hoc modo argumentari: Quicunque per Davidem loquutus eſt, is eſt Deus Iſraelis; ea propoſitio nec continebitur in loco citato, ex quo argumentum ducitur; nec erit admittenda, niſi ita ſumatur: Quæcunque perſona principaliter loquuta eſt per Davidem, ea eſt Deus ille Iſraëlis. Jam ſi ſubſumas: ſpiritus ſanctus eſt perſona, quæ principaliter loquuta eſt per Davidem; ea itidem nec in loco citato continebitur, nec ullo pacto erit concedenda. Sed deinde alio modo de Deo ibi loquitur David, alio de ſpiritu ſancto. De hoc dicit: ſpiritus Domini locutus eſt *per me*; de ipſo autem Deo: Dixit Deus Iſraël *mihi*; nec eadem de re utrobique eſt ſermo. In priori enim verborum parte ſignificatur, quòd Deus per ſpiritum ſuum ad prophetias edendas Davidem impulerit: in poſteriori, quòd ipſimet Davidi aliquid dixerit, ſeu annunciari curârit, nempe de regia dignitate, quam ei per Samuëlem primùm detulit 1 Sam. 16. 13, poſtea per Nathanem, etiam quoad poſteros, confirmavit 2 Sam. 7. 12, & d. confer d. l. 2 Sam. 7. 28: 3 Reg. 5, 5, & VIII. 19, & d. 1 Par. 22. 8, & d. & Pſal. 88. 4, 20, & d. Hac igitur in re Deus non per Davidem eſt loquutus, ſed per alios Davidi. Quòd verò id nihilominus per ſpiritum Dei factum eſt, id, quod ad vim illorum verborum attinet, planè per accidens eſt. Perinde enim fuiſſet, ſi Deus coràm, ſine ullo Propheta, qui divino afflatu duceretur, Davidem fuiſſet alloquutus.

Facilè jam eſt ad illa quoque loca reſpondere, quibus probare alii conantur, ſpiritum ſanctum Jehovam appellari. In nullo eorum aperte ſcribi, ſpiritum ſanctum eſſe Jehovam aut Deum, id quod ad argumentum noſtrum evertendum requirebatur, quivis cernit. Sed nec illud probant, ſpiritum ſanctum eſſe Jehovam. Cum enim dicitur Deut. 32. 12: *Dominum ſolum fuiſſe ducem* populi Iſraëlitici; voculâ *ſolus* non niſi eatenus excluduntur eæ, ſive res, ſive perſonæ, quæ ſunt Domino hac in parte ſubordinatæ, quatenus ſupremi duces ejus populi eſſe negantur. Quòd ſi ab actione educendi populum ex Ægypto eâ particulâ penitus excluderentur; concludendum eſſet, vel Moſen non duxiſſe illum populum, quod tamen hiſtoria ipſa apertiſſimè docet; vel eum etiam eſſe ipſum Jehovam. Quod idem de Angelo illo dicendum eſſet, quem Deus ait præceſſurum coram populo, & cuſtoditurum ipſum in via, & introducturum in locum, quem præparârit, in quo Angelo nomen ſuum futurum aſſerit, Exod. 23. 20, 21. Sed bene eſt, quòd ipſa loci verba docent, voculam *ſolus*, *Diis alienis*, perſoniſque Deo minimè ſubordinatis revera opponi; in quarum numero nequaquam eſt ſpiritus ſanctus, qui in Moſe inprimis habitans, populum ducebat, ut ex illo Eſaiæ, quod citatum eſt, cap. 63. 11, intelligi poteſt. Non eſſe autem Spiritum hunc ipſum Jehovam, qui ſolus dicitur populum illum duxiſſe, inde apparet, quòd in his ipſis Eſaiæ verbis, quæ cum illo Deuteronomii loco conferuntur, a Domino ſeu Jehova diſtinguitur, dum Domini ſpiritus appellatur: & mox ad ipſum illum Jehovam ſermonem convertens Propheta: *ſic*, inquit, *deduxiſti populum tuum*.

Ad alteram rationem: Jehova dixit, ſe locuturum per Prophetas: Atqui ſpiritus ſanctus loquutus eſt per Prophetas: Quare ſpiritus ſanctus eſt Jehova: reſponſio jam patet ex iis, quæ de loco 2 Sam. 23. 2, dicta ſunt. Syllogiſmus enim eſt ex meris affirmativis in ſecunda figura. Quòd ſi hæc ratio firma eſt, ſequetur, Angelos quoque ipſum Jehovam eſſe. Nam in loco citato Num. 12. 6. dicit Jehova, ſe in viſione appariturum Prophetis, vel per ſomnium ad illos loquuturum. At hoc etiam fecerunt angeli, ut liquet tum aliis ex locis, tum inprimis ex prophetia Ezechiëlis, Daniëlis, & Zachariæ, atq; ex Johannis Apocalypſi. Quin & in Euangelica hiſtoria, & in Apoſtolorum Actis ejus rei exempla habemus. vid. Dan. 8. 16, 17, & IX. 21, & d. & X. 5, & d. Zach. 1. 8, 9, 14, 19: & 2. 1, 3, & d. & 4. 1, & d. & alibi ſæpiùs. Apoc. 1. 1: XVII. 1, & d. & XIX. 9, 10: & XXI. 9, & d. & c. XXII. 8, & d. & ℣. 16. Ac ne longiùs abeamus a locis, quos adverſarii producunt; ille ipſe, qui verba iſta ad Moſen habuit Exod. 4. 12. Angelus fuit, Dei perſonam ſuſtinens, ut alibi docuimus *; & etiamſi quis id fateri nolit, tamen cùm per Angelos Lex diſpoſita ac tradita dicatur in manu mediatoris Gal. 3. 19; neceſſe eſt, ut fateatur, in Lege ferenda angelos Moſen, de quo verba illa Exod. 4, agunt, allocutos eſſe.

Idem vitium eſt in tertia ratione, nempe, ut in ſecunda figura ex puris affirmativis ducatur concluſio: Jehovam Iſraëlitæ irritârunt: ſpiritum ſanctum Iſraëlitæ irritârunt: Ergo ſpiritus ſanctus eſt Jehova. Id quod illo ipſo, qui citatur, Eſaiæ loco refutatur, dum is ſpiritus Jehovæ eſſe dicitur. Ait enim: *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti* (Heb. *ſanctitatis*) *ejus*, id eſt, Domini ſeu Jehovæ. De eo enim ſermo eſt. vid. ℣. 7, & d. Similis autem argumentatio foret: Iſraëlitæ inobedientes fuerunt Jehovæ, eumque exaſperârunt: Iſraëlitæ fue-

* Vid. lib. de Deo & ejus attrib. cap. 15.

runt inobedientes voci Jehovæ & exaſperârunt os ejus: Ergo vox Jehovæ, aut os ejus ſunt ipſe Jehova. Vel Iſraëlitæ afflixerunt ſpiritum ſanctum, eique reſtiterunt: Iſraëlitæ afflixerunt Moſen, eique reſtiterunt, ut hiſtoria non uno loco teſtatur. Imò eatenus illi potiſſimùm afflixerunt ſpiritum ſanctum, eique reſtiterunt in deſerto, quatenus Moſen, in quo habitabat, afflixerunt, eique reſtiterunt. Unde ſequetur, ſi adverſarii rectè argumentantur, Moſen eſſe ipſum ſpiritum ſanctum. Animadvertendum autem eſt, verba Heb. 3. 8, 9, non ita tribui ſpiritui ſancto, quaſi ea ex ipſius, ut illi cenſent, perſona eſſent prolata: ſed quia ſpiritus ſancti impulſu fuerint pronunciata. Aliàs ſequeretur, ſpiritum ſanctum ipſum Davidem eſſe. Quandoquidem ſpiritus ſanctus hoc loco dicitur etiam illa verba pronunciaſſe Pſalm 95: ***Hodie ſi vocem ejus***, nempe Dei, ***audieritis***, & quæ ſequuntur. Atqui certum eſt, tum iſta verba, tum cætera, quæ ab initio Pſalmi leguntur, ex Davidis perſona pronunciari vide Heb. 4. 7. Sic ſuprà vidimus, ſpiritui tribui, quòd ea dixerit, quæ ex Chriſti perſona apertiſſimè pronunciantur Apoc. cap. 2, & 3. Ita ergo illa dixit ſpiritus ſanctus in Davide, quemadmodum & clamare in cordibus noſtris dicitur Abba Pater, Gal. 4. 6, nempe quia nos in ipſo, hoc eſt, illius impulſu, ita clamemus, Rom. 8. 15, & quemadmodum pro nobis dicitur gemitibus inenarrabilibus intercedere, ibid ℣. 26, quia facit, ut nos rogemus ac ſuſpiremus ad Deum.

Quod ad ultimam probationem attinet; ideò ſpiritui ſancto tribuuntur Dei ipſius apud Eſaiam verba, quia ea Eſaias ſpiritus ſancti impulſu pronunciaverit. Quemadmodum autem non ſequitur, quia Eſaias quoque ea verba pronunciaverit, ideò ea ex ipſius perſona dicta eſſe, & ſic Eſaiam eſſe Jehovam: ita nec de ſpiritu ſancto, cujus impulſu ea pronunciavit, concludendum eſt. Eſt autem & hîc animadvertendum, quod in loco 2 Sam. 23, notavimus, non dici de ſpiritu ſancto, eum *ad Eſaiam* verba illa dixiſſe, ſed tantùm *per Eſaiam*. At Jehova non tantùm per Eſaiam illa dixit, ſed etiam, ut ex ipſa prophetia apparet, ad Eſaiam; quia eum tanquam perſona perſonam eſt coràm allocutus; id quod ſpiritui ſancto nec hîc, nec alibi uſpiam tribuitur. Quòd ſi enim ſpiritus ſanctus alicui quippiam dixiſſe legitur, id non aliter factum eſſe deprehenditur, quàm quòd prophetæ alicujus interventu quippiam fuit alicui a Deo annunciatum. Quia enim divino afflatu Prophetæ loquuti ſunt; ideo ſpiritus divinus per eos loquutus dicitur. At cùm coràm Deus quempiam alloquitur, aut angelus perſonam ejus ſuſtinens; ſpiritus ſanctus eundem alloquutus eſſe non dicitur. Et de primo quidem argumento noſtro hactenus.

Cap. II.

Argumentum ſecundum, quòd nuſpiam in ſacris literis præcipiatur, ut ſpiritum ſanctum adoremus, aut invocemus, & ne exemplum quidem ejus rei extet.

ALterum argumentum illud eſto, quòd nuſpiam in ſacris literis aut præcipitur, aut aliqua ratione monetur, ut ſpiritum ſanctum adoremus, aut invocemus. Imò tantum abeſt, ut ullum hac de re præceptum aut monitum extet, ut ne exemplum quidem ullius hominis ibi occurrat, qui id fecerit. Quamquam autem in Spiritum ſanctum in Symbolo, quod Apoſtolicum vocant, credendum eſſe dicitur; quo pacto & in Eccleſiam Catholicam, & in cætera, quæ ibi recenientur, credendum eſſe multi veterum dixerunt; in ſacris tamen literis nuſpiam expreſſe dicitur, in ſpiritum ſanctum eſſe credendum, aut quemquam in ipſum credidiſſe. At quî fieri poſſet, ut, ſi ſpiritus ſanctus Deus ille ſummus eſſet, ea omnia apertiſſimè non præciperentur, & quàm plurima earum rerum invenirentur in viris piis exempla? Primùm quidem ideò, quia illa omnibus eſſent ad ſalutem ſcitu factúque neceſſaria, ſi Spiritus ſanctus Deus ſupremus eſſet. Deinde verò quia non modò de Patre toties illa ſunt apertiſſimè ſcripta; ſed de Filio etiam, partim præcepta, partim monita extant, & exempla quàm plurima, etiamſi hunc Deum illum ſummum non eſſe oſtenderimus. Quantò ergo plura de ſpiritu ſancto extarent, ſi is Deus ſummus eſſet?

DEFENSIO ARGUMENTI.

COnantur quidem adverſarii interdum conſequentiis quibuſdam evincere, iſta aliquo modo in ſacris literis contineri; verùm hîc non conſequentiis agendum eſt, ſed apertis, ut docuimus, præceptis, quæ cuilibet, etiam ſimplici homini, pateant. De invocatione putant nonnulli ſe exemplum habere, tum apud Paulum 2 Cor. 13 ultimo, qui *communicationem ſpiritus ſancti* optet Corinthiis; tum apud Johannem Apoc. 1. 4, qui *gratiam & pacem a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni Dei ſint*, ſeptem Eccleſiis Aſitaticis precetur. Verùm non parùm falluntur. Nam quod ad Pauli votum attinet; aliud longè eſt, optare, ut communicatio ſpiritus ſancti ſit cum aliquibus; aliud ipſum ſpiritum ſanctum invocare. Illud enim nil eſt aliud, quàm optare, ut ſpiritus ſanctus cum hominibus communicetur, aut jam communicatus apud eos perſiſtat. Neque enim communicationem ſpiritûs ſancti activè ſumit Apoſtolus, quaſi nimirum optet, ut ſpiritus ſanctus aliquid communicet; alioquin addidiſſet nomen rei alicujus, quam communicari a ſpiritu ſancto Corinthiis velit; ſed, ut explicuimus, paſſivè. Quo pacto ſumitur communicatio ſanguinis Chriſti, & participatio corporis Chriſti, 1 Cor. 10. 16, ubi eadem in Græco vox eſt, quam in loco 2 Cor. 13 ult. *communicationem* vetus interpres vertit. Explicat nempe Apoſtolus, dum communicationem ſpiritus ſancti Corinthiis precatur, qua inprimis ratione Deum ac Chriſtum ſuam erga eos gratiam ac dilectionem teſtari cupiat, eâ nimirum, ut ſpiritum ſanctum illis largiatur, aut jam datum in illis porrò foveat atque augeat. Mirum autem eſſet, ſi Paulus a ſpiritu ſancto, ut a perſona divina aliquid hîc precaretur, ejus mentionem alibi in ſimilibus votis ab eodem toties fuiſſe prætermiſſam. Qua de re in ſequentibus.

Quod ad Johannis votum attinet; ipſe ſpirituum illorum numerus ſatis indicat, eum locum ad invocationem ſpiritus ſancti, quem illi tertiam divinitatis perſonam eſſe volunt, nihil facere. Septem enim perſonæ loco unius forent conſtituendæ, ita ut loco trium divinitatis perſonarum habituri eſſemus novem. Quod cùm viderent alii, dixerunt per ſeptem illos ſpiritus intelligendam eſſe variam Dei virtutem, ſeu, ut illi loquuntur, varia ſpiritus ſancti dona. Itaque perinde eſſe, ac ſi ab ipſo ſpiritu ſancto gratiam & pacem precaretur Johannes. Sed præterquam quòd adverſarii inter ſe ea de re non conſentiunt, (alii enim ſeptem præcipuos Dei angelos, alii multiplicem Dei ac Chriſti providentiam eo nomine intelligunt) quid eſt, quod doceat, eam Dei virtutem a ſpiritu ſancto, quæ tertia ſit Deitatis perſona, proficiſci? & hunc invocari, cùm a ſeptem illis Dei ſpiritibus gratiam & pacem Johannes precatur? Nullum eſt vel minimum ejus rei in Apocalypſi, ubi eorum ſpirituum aliquoties fit mentio, indicium. Vide præter hunc ipſum capitis 1. locum, cap. 3. 1, & 4. 5, & 5. 6, quæ duo loca confer cum Zach. 4. 2, 10, unde illa quodammodo ſunt deſumta. His in locis eos ſpiritus videbis appellari *Dei* ſpiritus. Coram ejus throno ii dicuntur conſiſtere. Eoſdem dicitur habere Chriſtus, & quidem tanquam oculos & cornua. Oculorum enim inſtar illi ſunt, quia per eos inſpiciat ac curet ſuos, iiſque provideat; cornuum autem inſtar, quia per eos hoſtes feriat, & a ſuis arceat ac propulſet. Quódnam hîc ſpiritus ſancti, tertiæ nimirum divinitatis perſonæ indicium? An non res ipſa monet, ſi multiplex Dei virtus atque efficacia, quam Chriſto communicavit, intelligenda eſt, Johannem, dum ab illis ſpiritibus gratiam & pacem preca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

precatur, eos quidem ita commemorare, ac ſi perſonæ quædam forent a Deo & Chriſto diſtinctæ; interim tamen revera medium tantùm modúmque exprimere, quo gratiam & pacem a Deo proficiſci in Eccleſias velit; atque ita tacitè Dei ipſius, quem primùm nominaverat, invocationem repetere, utpote cujus illi primò ſint ſpiritus, & cui quodammodo miniſtrent: quàm ob cauſſam etiam Deo illos ſtatim ſubjunxit. Veruntamen quia & Chriſtus eos Dei ſpiritus habet, iiſque utitur; ideo mentione illorum facta, Chriſtum etiam commemoravit, & ab eo gratiam ac pacem illam Eccleſiis precatus eſt. Quare votum hoc, & in eo comprehenſa opis divinæ imploratio, propriè ad Deum & Chriſtum refertur, impropriè ad ſpiritus illos. Quæ cauſſa eſt, cur ab aliis divinis viris eorum mentio in ſimilibus alioqui ſalutationibus & votis omittatur. Qui angelos intelligi volunt, ii dicent, ad eos tantùm ſecundariò, tanquam ad miniſtros referri invocationem illam, non tanquam ad dominos, veróſque gratiæ ac pacis illius largitores. Atque ideò alibi eorum mentionem prætermitti. Chriſto autem eos propterea præponi, partim quia Dei, cui proximè ſubjiciuntur, primò ſint, (quam ob cauſam etiam infrà cap. 3, nomen Hieroſolymæ novæ inter Dei & Chriſti nomen interjicitur) partim, quia de Chriſto plura dicturus erat Johannes. Ideo enim ejus mentionem ad finem reſervâſſe, ut orationis ſerie minimè turbata, liberiùs in ejus laudes excurrere poſſet. Nam ſi ſpirituum mentionem ad finem reſervare voluiſſet, longiori hyperbato ei fuiſſet utendum, vel nova oratio ordienda. Apparet ergo, nihil in his locis eſſe, quod ad invocationem ſpiritus ſancti ſtabiliendam pertineat. Atque hîc illud commemorare operæ pretium eſt, quod viri docti annotârunt, * Hilarium in duodecim de Trinitate libris, Spiritum ſanctum nuſpiam appellâſſe Deum, nuſpiam dixiſſe adorandum, ſed tantùm promerendum: quod idem in aliis, tum illius, tum ſuperiorum temporum ſcriptoribus obſervant. Quin tantam habuit verior de Spiritu ſancto ſententia vim, ut etiam poſt ea tempora, quibus ſpiritus ſanctus pro Deo ſummo haberi cœpit, Eccleſiaſticæ preces propè omnes ad Deum Patrem & Chriſtum dirigerentur, non ad ſpiritum ſanctum. Extantque adhuc diverſi Pontificiorum libri †, ſuperiori ſeculo editi, in quibus ſacrorum ac ceremoniarum apud eos uſitatarum ratio deſcribitur, ubi expreſſis verbis monetur, obſervandum eſſe, quòd omnis oratio dirigatur ad Patrem, aut ad Filium, nulla ad ſpiritum ſanctum: quia donum non petatur a dono, ſed a largitore doni. Non ignoramus quidem uſitatum inter illos hymnum, quo orant, ut ſpiritus ſanctus veniat, & corda ſuorum fidelium repleat: ſed cauſſa tamen, quæ affertur, quòd donum non petatur a dono, ſed a largitore doni, univerſalis eſt, ejúſque rationem in precibus Eccleſiaſticis ferè omnibus habitam, in omnibus prorſus habendam fuiſſe, patet. Eſt autem illa precandi conſuetudo ſat apertum verioris, quæ olim in Eccleſia viguit, ſententiæ veſtigium. Nam ſi ſpiritus ſanctus eſt Deus ſummus, Patri, & Filio, quem illi etiam Deum ſummum eſſe volunt, per omnia æqualis; cur non æquali honore dignus fuit judicatus? Cur preces vel omnes, vel ſaltem plæræque, non æquè fuerunt ad ipſum directæ, atque ad Patrem aut Filium? Id nempe obſtitit, quòd primis illis temporibus extra controverſiam fuit poſitum, quodque ſacræ literæ ſatis apertè teſtantur, & hodie non pauci, ſibi in eo parùm conſentientes, fatentur, ipſum ſpiritum ſanctum donum eſſe. Qua de cauſſa Hilarius, antè laudatus, ſuam de Trinitate ſententiam dicto illo Chriſti Matth. 28. 19, illuſtrans ac confirmans, ita verba illa, *Baptiſantes in nomine* (Gr. *in nomen*) *Patris & Filii & Spiritus ſancti*, explicat lib. 2, de Trinitate, ſub ipſum initium: *in confeſſione auctoris, & unigeniti, & doni.* Quod pluribus ibidem verbis perſequitur. Quare cum ita de Spiritu ſancto ſentirent, non ad ipſum, ſed ad Patrem & Filium, ejus doni largitorem, preces direxerunt: ſcientes, non a dono peti donum, ſed a largitore doni. Quam conſuetudinem ne contrarius quidem error per tot ſecula penitus mutare potuit.

* Eraſm. præfat. in Hilarium. † Miſſale Cracovienſe; Rationale divinor. officiorum.

CAP. III.

Argumentum tertium, quòd Spiritus ſancti mentio plurimis in locis omiſſa fuerit, nequaquam omittenda, ſi is Deus ille ſummus eſſet.

TErtium argumentum inde duci poteſt, quòd in plurimis ſcripturæ locis, ubi Patris & Filii, nonnunquam & Angelorum, aliarúmve rerum ac perſonarum, fit mentio, nulla fiat Spiritus ſancti: cùm tamen ejus mentio fieri debuiſſet non minùs, quàm Patris & Filii; magis autem quàm angelorum, aliarúmve rerum ac perſonarum, ſi is Deus ille ſummus foret, Patri ac Filio, ut illi loquuntur, per omnia æqualis. Quod ut planum fiat, primùm ea producemus loca, in quibus Patris & Chriſti tantùm fit mentio; deinde illa, ubi mentio fit aliarum ſive perſonarum, ac præcipuè angelorum, ſive rerum, quæ multò minùs, quàm Spiritus ſanctus, commemorari debuiſſent, ſi is ſummus ille Deus eſſet. Quia verò prioris generis loca pænè ſunt innumera; nos ea tantùm hic recenſebimus, quæ aliquantò ſunt illuſtriora, atque ea præcipuè, quæ eodem orationis complexu idem de Deo & Chriſto enunciant; cætera lectoris diligentiæ reſervantes.

Incipiemus autem à Johanne; in cujus hiſtoria Euangelica primum illuſtribus illis Chriſti verbis dabimus locum, quæ extant cap. 17. 3: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te* (Pater) *ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Non urgemus nunc illud, quòd Pater ſolus dicatur Deus verus: id enim fecimus in ipſo operis hujus initio ſect. 1. c. 1: ſed quòd Patris tantùm & Filii fiat mentio, & in horum tantùm duorum cognitione vita æterna, ſeu ejus adipiſcendæ ratio collocetur: cùm tamen, ſi ſpiritus ſanctus non minùs, quàm Pater, ille verus Deus eſſet, non minùs in illius, quàm in hujus cognitione vitam æternam conſtitutam eſſe neceſſe foret, ac porrò non minùs illius, quàm hujus, facienda fuiſſet mentio; nedum ut legatus divinus potiùs fuiſſet commemorandus. Neque eſt quòd dicant, in Patris & Chriſti cognitione cognitionem Spiritus ſancti contineri. Id enim licèt alioqui veriſſimum ſit, ad argumentum tamen noſtrum labefactandum nihil facit. Continetur enim Spiritus ſancti cognitio in cognitione Dei & Chriſti; ſed non tanquam perſonæ alicujus a Deo Patre & Chriſto diſtinctæ, verùm ut rei diviniſſimæ a Patre per Filium hominibus communicandæ. Nam alioquin in Dei quoque cognitione Chriſti cognitio non ſemel includitur; & contra, in Chriſti cognitione Dei cognitio 2 Cor. 10. 5: Eph. 1. 17: Col. 1. 10: 2 Pet. 1. 3, 8: & 2. 20: & 3. 18: 1 Joh. 2. 3, 4, 13: & cap. 3. 6: nempe quia qui Chriſtum novit ac videt, Patrem novit ac videt, Joh. 8. 19: & XIV. 7, 9. & contrà nemo novit Patrem, nec ad eum venit, niſi per Filium, Matth. 11. 27: & Joh. 14. 6: ita ut neceſſe ſit Filium etiam noſſe, qui ſalutarem Patris cognitionem vult adipiſci. Et tamen Chriſtus in loco illo noſtro non ſatis habuit, vel ſolius Patris, vel ſui tantùm unius facere mentionem, ſed utriuſque cognitionem conjunxit: nempe quia perſonas illas divinas exprimere voluit, in quarum cognitione vita æterna conſiſtat. Quòd ſi ergo ſpiritus ſanctus perſona eſſet divina a Patre & Filio diſtincta; non minùs illius, quam harum duarum perſonarum mentionem feciſſet: ſiquidem in illius cognitione non minùs, quàm in illarum, vitæ æternæ cognitio conſiſteret.

Sed jam ad alia pergamus, & quia à Johanne cœpimus, cætera, quæ apud eundem, partim in Euangelica ejus hiſtoria, partim in Epiſtolis, partim denique in Apocalypſi extant, addamus. Et in Euangelica

quidem hiſtoria ita inter alia ait Chriſtus, cap. 8. 16, & ſeqq. quem locum ſuprà ſect. 2. cap. 20, alia occaſione excuſſimus: *Si judico ego, judicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me, Pater: & in Lege veſtra ſcriptum eſt, quia* (vel *quòd*) *duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Cur, quæſo, non ſimiliter & Spiritus ſancti fecit mentionem, ſi is Deus ſummus eſt, perinde ut Pater? An ille minùs ad veritatem judicii Chriſti conferebat, quàm Pater, licèt unus cum illo Deus eſſet? an minùs teſtimonium de Chriſto perhibebat? Cur ergo ejus teſtimonium non commemoravit; cum pluralitas teſtium fide digniſſimorum, majus teſtimonio pondus addat; & hîc Chriſtus numerum ſimul & dignitatem teſtium urgeat? Certè in illo 1 Joh. 5. 7. qui hodiè vulgò legitur, loco, quamquam nec in veteribus codicibus Græcis, nec in Syriaca interpretatione, nec in plæriſque veteribus Latinæ editionis codicibus, extante, & a non paucis Græcis interpretibus ſeu Patribus, quos vocant, imò & nonnullis Latinis omiſſo *, & a recentioribus quibuſdam repudiato, ac denique cum reliquo contextu malè cohærente, & ob varietatem lectionis ſuſpecto; in illo, inquam, loco teſtimonii Spiritus ſancti peculiariter fit mentio. Et poteſt ſanè peculiariter ejus teſtimonium commemorari, etiamſi perſona divina a Patre ac Filio diſtincta non ſit: nempe quia teſtimonium, quod Deus per eum de Chriſto edidit, aliquid habuit à cæteris peculiare, ita ut ſeorſum propemodum ab utroque teſtari viſus fuerit: ſed cauſſa afferri non poteſt, cur omiſſum fuerit ejus teſtimonium, ſi is perſona eſt divina a Patre & Filio diſtincta. Quòd ſi is virtus & efficacia Dei Patris eſt, ejus teſtimonium in Patris teſtimonio rectè comprehenditur; ut quidem fit in eodem illo primæ Johannis Epiſtolæ capite, ubi locus modò dictus vulgò nunc legitur, ỷ 9, 10, quos confer cum duobus verſiculis præcedentibus. Addi his poteſt & ille cap. 5. Euangelicæ hiſtoriæ locus ỷ. 13: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor;* imò & omnia, quæ ſequuntur, ubi de admirandis Chriſti operibus, & jam tum perfectis, & poſtea perficiendis ſermo eſt, ubi nulla fit mentio Spiritus ſancti, qui tamen omnino æquales in iſtorum operum effectione partes unà cum Patre & Filio habuiſſet, ſi unus eſſet cum utroque Deus. Sed, ut antea indicavimus, ejuſmodi loca omnia recenſere nimis longum foret. Inſpiciantur & illa cap. 14. 22, & XV. 24, & XVI. 3.

Jam ut ad Epiſtolas ejuſdem Apoſtoli veniamus; quid illud eſt, quod legitur 1 Epiſtola cap. 1. 3, *ſocietas noſtra ſit* (vel potius *eſt*) *cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto?* Cur non additur etiam *cum ſpiritu ſancto*, ſi is eſt perſona ab utroque diſtincta, & utrique tamen per omnia æqualis, imò unus cum utroque Deus? Quid item illud cap. 2. 24. *Si in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis?* Cur non & in Spiritu ſancto? Quid illud 2 Epiſt. ỷ. 3, *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & a Chriſto Jeſu Filio Patris?* cur non & a Spiritu ſancto? qua de re poſtea plura, ubi de ſalutationibus Paulinis. Adde his verba ỷ. 9, ejuſdem Epiſtolæ: *Qui permanet in doctrina* (nempe Chriſti,) *hic & Patrem & Filium habet.* Cur enim non & Spiritum ſanctum?

Ad Apocalypſin quod attinet; ut omittam nunc ea loca, in quibus cum Deo & Chriſto aliæ res aut perſonæ junguntur, poſtea a nobis recenſenda; quàm illuſtris eſt ille locus cap. 5. 13, ubi omnes, quæ uſpiam ſunt, creaturæ dixiſſe leguntur: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum?* Cur non, ut hodie omnia adverſariorum templa perſonant: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto? cur tantùm Sedenti in throno & Agno? Sedentem autem in throno eundem cum Patre eſſe, qui ex toto illo cap. 5, aliiſque in eodem libro ſcriptis non intelligit, næ illum parùm intelligere oportet, vide ſect. 1. cap. 8. Huc pertinent & illa cap. 11. 15, *Factum eſt regnum* (Græcè *facta ſunt regna*) *hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus.* Et cap. 12. 10: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus:* cur non & Spiritus ſancti? Neque enim eſt, quod quis dicat, *Dei noſtri* nomine Spiritum ſanctum includi. Nam nec uſpiam, ut ſuprà cap. 1. hujus ſect. vidimus, Spiritus ſanctus in ſcripturis appellatur Deus; & is hîc Deus noſter appellatur, cujus Chriſtus ſeu unctus eſt Jeſus. Dicitur enim, *& poteſtas Chriſti ejus, hoc eſt,* Dei noſtri. Atqui Chriſtus non eſt Spiritus ſancti Chriſtus, nec ita uſpiam appellatur; ſed Dei Patris, ut ſatis apertum eſt ex Pſal. 2. Neque enim a ſpiritu ſancto, ſed Spiritu ſancto a Deo, nempe Patre, eſt unctus, Act. 10. 38, adde Eſai. 42. 1: Matth. 12. 17: Eſai. 61. 1: Luc. 4. 18. Pertinent huc & illa cap. 14. 4, *Hi emti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Cur enim non & Spiritui ſancto? Similia ſunt, quæ leguntur de illis, qui partem habent in reſurrectione prima, cap. 20. 6, *Erunt*, inquit, *ſacerdotes Dei & Chriſti.* Cur non & Spiritus ſancti? Sic & cap. 22. 22, *Dominus Deus omnipotens templum illius* (Hieroſolymæ novæ) *eſt, & Agnus.* Et v. ſequ. *Claritas Dei illuminat eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Et cap. 22. ỷ. 1, *Oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.* Et ỷ. 3, *Sedes Dei & Agni in illa* (nova Hieroſolymâ) *erit.* Quibus locis nulla eſt cauſſa, cur Spiritus ſanctus omitti debuerit, ſi is perſona divina eſt a Patre & Filio diſtincta, utrique tamen æqualis.

Jam ut ad alios ſcriptores ſacros veniamus; quid clarius eſt illis Pauli Apoſtoli ſalutationibus, quæ in omnium ipſius Epiſtolarum initiis extant, *Gratia & pax à Deo Patre*, vel *Patre noſtro, & Domino noſtro Jeſu Chriſto?* Non multum etiam diſſimilis clauſula extat in Epiſtola ad Eph. cap. 6. 23, ubi Paulus *pacem fratribus, & charitatem cum fide* precatur *à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.* Salutationem autem Paulinis illis ſimilem vidimus in ſecunda Johannis Epiſtola ỷ. 3. Cur verò ne ſemel quidem Paulus a ſpiritu ſancto gratiam & pacem fidelibus eſt precatus? An minus ejus gratia fidelibus erat neceſſaria, licet Deus ille ſummus eſſet? an minus erat pacis ſeu felicitatis, quam fidelibus optabat, auctor? aut minùs dignus erat, cui invocationis honorem expreſſe tribueret, quam Deus Pater, & Chriſtus? Certè vel hoc ſolum quemvis monere deberet, ne de tertia aliqua divinitatis perſona cogitaret. Quòd verò idem Paulus alicubi communionem ſpiritus ſancti precatur, id nihil ad invocationem ſpiritus ſancti facere, cap. præcedente vidimus. Reſponſum etiam eſt ad illa Apocalypſeos verba, ubi Johannes à ſeptem ſpiritibus, qui ſint coram Dei throno, gratiam & pacem Eccleſiis precatur. Accedant illa ejuſdem Apoſtoli vota pro Theſſalonicenſibus ſuſcepta: *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos.* 1 Theſſ. cap. 3. ỷ. 11: & 2 Theſſ. 2. 15: *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos* &c. *exhortetur* (vel potiùs *conſoletur*) *corda veſtra.* Adde & illa cap. 1. v. ult. *& vos in illo* (nempe Domino noſtro Jeſu Chriſto glorificemini) *ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti.* Extant apud eundem Apoſtolum & alia loca, ubi nulla ſpiritus ſancti fit mentio, Deo Patre & Chriſto commemorato. Sic Col. 2. 2, commemorat *myſterium Patris, & Chriſti.* 2 Theſſ. 1. 1, ſcribit *Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Sic in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. 1. ait, ſe eſſe *Apoſtolum Jeſu Chriſti ſecundùm imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ.* Neque enim eſt, quod quis putet, eandem hîc perſonam deſcribi. Nam & præter ipſam orationis formam, conſuetudo Apoſtoli, Deum a Chriſto paſſim diſtinguentis, & collatio aliorum locorum, eandem ſententiam continentium, Deum Patrem nomine *Dei Sal-*

vatoris

* Vid. Annotat. Eraſmi & Lovanienſium, verſionem Lutheri ipſo vivente editam. & Johannem Buchenhagium Pomeranum, in Jona Propheta expoſito, & edito Witteбergæ, anno 1550. p. 8. & ſeqq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vatoris deſcribi oſtendit. Vide initia duarum ad Corintios Epiſtolarum, itemq́ue illarum, quæ ad Galatas, Eph. Philip. Coloſſ. extant; quin & initium poſterioris ad eundem Timoth. & ad Tit. in quo poſtremo loco eodem modo, quo hîc, Deum deſcribit, dum eum *Salvatorem noſtrum* appellat. Neque enim ea vox Chriſti ſolius eſt propria. Dei primùm eſt ſervare; propter illum etiam aliorum, & maximè Chriſti, quem ille Salvatorem excitavit ac miſit, & poſtmodum dextrâ ſuâ exaltavit. vide Act. 5. 31: XIII. 23: 1 Joh. 4. 14. confer cum ℣. 9, 10. Hinc Deus Salvator appellatur in eadem ad Tim. Epiſt. cap. 2. 3, ubi quidem a Chriſto ſatis manifeſte diſtinguitur verſ. duobus ſeqq. adde cap. 4. 10: Tit. 2. 10: III. 4, 6, ubi Deum Salvatorem itidem a Chriſto apertè diſtinguit verſ. duob. ſeqq. quod fit etiam Judæ v. ult. ubi dicitur: *Soli Deo Salvatori noſtro, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria*, &c. Quare ut ad locum noſtrum ex Epiſtola 1 ad Tim. adductum redeamus; duæ diverſæ perſonæ, Pater nempe & Filius, nulla mentione facta ſpiritus ſancti, connectuntur. Idem fit in eadem Epiſtola alibi. Nam ut locum cap. 5. 21, qui ad ſecundum ordinem a nobis ſuprà conſtitutum pertinet, nunc prætereamus; ita cap. 6. 13, loquitur Paulus: *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, ut ſerves mandatum* &c. Et in 2. ad eundem Tim. Epiſt. cap. 4. 1. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per* (Græca *ſecundum*) *adventum ipſius* (vel *ſuum*) *& regnum ejus* (vel *ſuum*;) *prædica verbum* &c. Similia ſunt & illa apud eundem Apoſtolum Eph. 5. 5, ubi negat, ullum fornicatorem, aut immundum, aut avarum, *habere hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Et Tit. 2. 13, ubi commemorat *adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Nam quòd adverſarii nonnulli, ob unitatem articuli, Dei & Chriſti nomini præfixi, eandem perſonam utroque illo nomine deſignari contendunt; in eo vehementer falluntur. Articuli enim unitas non ſemper unitatem ſubjecti, ſed ſubjectorum diverſorum conjunctionem quandam ſæpe notat, ut docuimus ſect. 1. c. 7, in loco ſimili apud D. Judam, ℣. 4, ubi de hominibus quibuſdam impiis ait, quòd *ſolum dominatorem*, vel, ut eſt in Græco, *ſolum herum Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negent*; ubi unus & hero illi Deo, & Domino Jeſu Chriſto articulus eſt præfixus, & tamen diverſæ perſonæ, Deus nempe Pater, & Chriſtus, inter ſe junguntur. Diverſas autem perſonas nomine Dei & Chriſti in locis citatis intelligi, ex eo patet, quòd Paulus, uti & alii ſacri ſcriptores, Deum ſubjective poſitum, ut in utroque fit loco, perpetuò a Chriſto diſtinguunt. Adde, quòd in loco Eph. 5, ſi eandem perſonam deſignare voluiſſet Apoſtolus, nomen *Dei* præpoſuiſſet, tanquam generalius, ac minùs diſtinctè perſonam illam, quam intelligebat, denotans; nomen autem *Chriſti*, tanquam diſtinctius, illius explicandi cauſſa ſubjeciſſet: cum nunc contrà faciat. Neque enim eſt, quòd fortè putes, incrementi cauſſa id feciſſe Apoſtolum, qui ab humiliori titulo ad altiorem aſcendere voluerit. Siquidem id tum locum habuiſſet aliquem, ſi vox *Dei* epitheti ſeu prædicati inſtar de aliquo ſubjecto fuiſſet elata, non verò ad ipſum ſubjectum deſignandum abhibita, quod ſi unum eſt, ejuſmodi gradatio obſervari non ſolet, ſed potiùs ſpecialiora ejus nomina generalibus, diſtinctiora confuſis ſubjici ſolent. Meritò ergo & hæc loca, uti & ille Judæ à nobis hac occaſione adductus, cæteris exemplis addi debent, quibus oſtendimus, Deum & Chriſtum commemorari ſolere, nulla facta mentione ſpiritus ſancti, qui tamen non minùs foret commemorandus, ſi perſona eſſet divina, ab utroque diſtincta, utrique tamen æqualis. Hujuſmodi autem loca etiam apud Petrum extant, qui initio poſterioris Epiſtolæ idem bis facit, quod Johannem & Paulum inprimis facere docuimus. Ita enim ait ℣. 1: *Iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem, in juſtitia Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.* & rurſus ℣. 2: *Gratia vobis & pax adimpleatur* (vel *multiplicetur*) *in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri.* Non multùm differunt a locis huc uſque citatis, imò eandem, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, vim habent illa, in quibus vel de iis agitur, qui divinum in nos imperium habent, vel de noſtro erga illos officio, Dei tantùm ac Chriſti mentione facta, licèt aliquantò diverſa ratione. Ex quibus nonnulla adducemus, ut alia etiam ſimilia lector a nobis monitus obſervet. Pertinet huc locus ille celebris, 1 Corinth. cap. 8. ℣. 6. ubi de iis agitur, qui divinum in nos imperium habent, & divino a nobis cultu ſunt afficiendi: *Nobis unus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.* Cur enim non additur, *& unus ſpiritus ſanctus*, ut quidam, errori ſuo velificantes, contra omnium antiquorum codicum fidem addere ſunt auſi? Additur is quidem, imò præfigitur uni Domino, & uni Deo, in eadem Epiſtola cap. 12. 4. quia ibi de ſpiritu ſancto, ſeu efficacia divina, ejúſque in hominibus Chriſtianis effectibus, præcipuè erat ſermo. Sed hic omitti non debebat, ſi æquè ac Pater & Chriſtus, divinum in nos imperium habet, & cultum divinum meretur. Cauſſa, inquam, afferri juſta poteſt, cur commemoratus fuerit, etiamſi perſona a Deo ac Chriſto diſtincta non ſit; ſiquidem res perſonis, & quidem divinis, non ſemel in ſacris literis adjunguntur, ut & alibi a noſtris, & a nobis ipſis paulò pòſt nonnullis exemplis oſtendetur. Sed nulla cauſſa juſta afferri poteſt, cur in hujuſmodi locis omiſſus fuerit ſpiritus ſanctus, ſi eſt perſona divina, Patri & Filio per omnia æqualis. Spectant huc illa ejuſdem Apoſtoli verba, quæ extant in Actis cap. 20. 21. ubi ſummam & ſuæ prædicationis, & noſtri officii explicat, & *ſe teſtificatum*, ait, *Judæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* & illa ejuſdem 1 Theſſ. 1. 9, 10: *Converſi eſtis ad Deum vivum a ſimulachris, ſervire Deo vivo & vero; & expectare Filium ejus de cœlis* (*quem ſuſcitavit ex mortuis*) *Ieſum qui eripuit* (Græcè *eripit*) *nos ab ira ventura.* Et 2 Theſſ. 3. 5: *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate* (Græcè *charitatem*) *Dei, & patientia* (Græcè *patientiam*, ſeu *patientem expectationem*) *Chriſti.* Atque ut alia etiam miſceamus, licèt de alia re agentia; ita ait Judas ℣. 1, *his qui ſunt in Deo Patre dilecti, & Chriſto Ieſu conſervati.* Et Johannes in Apocalypſi ita homines pœnam divinitùs ſibi infligendam metuentes, loquentes introducit: *Cadite ſuper nos* (montes nimirum & petræ) *a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* Et c. 12. 17, *qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.* Et c. 14, *hîc patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.* Et c. 20, *animæ decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei.* Alia, quæ prolixiùs, aut aliâ orationis formâ, cùm de rebus divinis loquantur, Dei tantùm & Chriſti faciunt mētionē, paſſim obſervare licet.

Jam ut ad alterum ordinem locorum a nobis conſtitutum tranſeamus; angelorum fit mentio, ſpiritu ſancto prætermiſſo, primùm in illis Chriſti verbis, quæ extant apud Lucam cap. 9. 26: *Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc & Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate* (vel *gloria*) *ſua, & Patris & ſanctorum augelorum.* Quibus ſimilia ſunt, quanquam in re contraria, illa ejuſdem Chriſti, quæ leguntur Apocalypſ. 3. 5. *Qui vicerit* &c. *confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram angelis ejus.* Et illa Pauli 1 Tim. 5. 21: *Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio.* Quis credat, potuiſſe omitti ſpiritum ſanctum, & angelos potiùs ejus loco commemorari, ſi is perſona divina eſſet, a Patre & Filio diſtincta, & utrique æqualis? An majus pondus accedebat dictis, ſi omiſſo Deo ſummo, ejus ſervi, omiſſo creatore, creaturæ commemorarentur? Dices, ex illa omiſſione id, quod volumus, concludi non poſſe; quia aliàs idem de Patre foret concludendum. Eum enim in loco duobus illis, quos ex Luc. 9, & Apocal. 3, citavimus ſimili, omitti,

ſolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſolis angelis commemoratis, nempe Luc. 12. 8, ubi ait Chriuſts: *Omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Reſpondeo, ideo hîc angelorum tantùm fieri mentionem, quia ii ſoli ex perſonis cœleſtibus reipſa præſentes aderunt in judicio, cùm Chriſtus nomina illorum, de quibus ſermo eſt, aut confitebitur, aut negabit. At in locis a nobis antea productis, quia Patris quoque fit mentio, apparet, Chriſtum ac Paulum voluiſſe omnes cœleſtes perſonas, quarum conſpectum revereri debeamus, & coram quibus laudari honorificentiſſimum, reprehendi ac repudiari ignominioſiſſimum ſit, commemorare, atque ita ne eas quidem præterire, quæ numine tantùm ſuo præſentes ſint, aut olim ſint futuræ. Unde conſequitur, ſpiritum ſanctum, in iſtiuſmodi locis, ſi divina perſona foret, omitti nequaquam potuiſſe; ſed vel angelorum loco fuiſſe nominandum, vel, ſi hos etiam commemorare placuiſſet, iis præponendum.

Jam verò, ut res alias Deo & Chriſto, omiſſo ſpiritus ſancti nomine, adjungi doceamus; locum habemus inſignem in Apocalypſi, ex qua multa antea produximus teſtimonia, cap. 3. 12, ubi Chriſtus præmium vincenti his inter alia verbis proponit: *Scribam*, inquit, *ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.* Ubi vides inter Deum & Chriſtum, ſeu utriuſque nomen, interjici, Hieroſolymam novam, ejuſque nomen. Cur non etiam dicebat, ſe ſcripturum ſuper eum ſpiritus ſancti nomen? cur Hieroſolymæ potiùs, quàm ſpiritus ſancti, ſi hîc Deus ille ſummus eſt? Claudat tandem agmen illuſtris item locus, qui extat Heb. 12. 22, 23, 24, ubi non tantùm cum Deo & Chriſto junguntur angeli, ſed & homines pii, partim vivi, partim mortui, eorúmve ſpiritus, & res quædam aliæ ſacræ, ad quas Chriſtianis hominibus per Chriſtum patefactus eſt aditus, nulla mentione ſpiritus ſancti facta. Ita enim ibi loquitur divinus ſcriptor: *Acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum* (Græce *myriadas angelorum, panegyrin* ſeu *conventum univerſalem & Eccleſiam primogenitorum*) *qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum; & teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Quis credat in tam prolixa perſonarum & rerum commemoratione, quas ob præſtantiam ſummam divinas appellare licet, potuiſſe omitti ſpiritum ſanctum, ſi is ejuſmodi perſona divina eſſet, qualis Pater aut Chriſtus?

Neque verò eſt, quod quis dicat, *Dei judicis omnium* nomine ſpiritum ſanctum comprehendi. Id enim tum tolerabile aliquo modo eſſet, ſi vel unus proferri poſſet manifeſtus ſcripturæ locus, in quo ſpiritus ſanctus Deus appelletur. Sed deinde quis vel ex locis, & ſuprà, & paulò antè non exiguo numero prolatis, non perſpicit, Dei nomen ſubjectivè poſitum Patrem denotare, & ea ratione tum à cæteris omnibus perſonis, tum ab ipſo Chriſto diſtingui? Et ſanè nemini veriſimile eſſe poteſt, Patrem hîc omiſſum eſſe, quem in locis ſimilibus nuſpiam vidimus omiſſum. Nuſpiam autem commemoratus fuit, prętterquam ibi, ubi *Deus judex omnium* commemoratur. Neque verò eſt, quod quis dicat, Patrem quidem intelligi, ſed non ſolum, verùm & ſpiritum ſanctum. Nam ſi plures perſonæ intelligerentur, deberet perſona Chriſti non minus, quàm ſpiritus ſancti, eo nomine includi, ut quidem adverſariorum de perſonis divinitatis fert opinio. Atqui Chriſti mediatoris perſona aperte à Deo illo diſtinguitur, dum ſeparatim poſtea commemoratur: & præterea nullo modo concedendum eſt, plures Dei perſonas, nec ſimul tamen plures Deos ac judices eſſe. Hìc autem non *judices omnium Dii, ſed judex omnium Deus* commemoratur. Sed objiciet fortè aliquis, ſi ratio ex illo loco ducta vim aliquam haberet, non tantùm ſecuturum, ſpiritum ſanctum perſonam non eſſe, ſed ne rem quidem ſacram aut divinam, quales hîc recenſeri videmus; vel ſaltem res hîc commemoratas diviniores Spiritu ſancto eſſe; quod ne nos quidem conceſſerimus. Reſpondemus autem, hanc objectionem robur aliquod habituram, ſi res omnes, ſaltem diviniſſimæ, fuiſſent enumeratæ, ut perſonas diviniſſimas ac ſanctiſſimas omnes videmus eſſe enumeratas; &, ſi eadem hîc ratio rerum diviniſſimarum omnium, quæ perſonarum eſſet. At aliter ſe res habet. Ipſorum enim bonorum nobis a Deo per Chriſtum promiſſorum, nempe immortalitatis, & remiſſionis peccatorum, nulla expreſſa fit mentio; ſed illius tantùm locus figuratè commemoratur, nempe Sion mons & cæleſtis Jeruſalem; hujus verò cauſſa efficiens media, nempe Chriſtus novi Fœderis mediator, & aſperſio ſanguinis, meliora loquens præ Abele; & utriuſque cauſſa efficiens prima Deus. Eodem modo nec ſpiritus ſanctus, qui inter bona nobis promiſſa continetur, commemoratus fuit. Nempe quia perſonas quidem omnes recenſere voluit, cum quibus conjunctionem aliquam ac communionem, vi religionis Chriſtianę habeamus, ita ut ad eas acceſſiſſe recte dici poſſimus: res autem ſacras ac divinas eas tantùm voluit commemorare divinus Auctor, quæ extra nos aliqua ratione conſiſtunt, & illis, ad quæ populus Iſraëliticus olim acceſſit, cum ei Lex è monte Sina per Moſen mediatorem promulgaretur, eleganter reſpondent, & aliqua ratione opponuntur. Hoc autem in numero non eſt efficacia ſeu virtus divina, quæ in nos à Deo manat, atque in corda noſtra mittitur; uti nec ipſa peccatorum remiſſio, & immortalitas. At ſi ſpiritus ſanctus eſſet perſona, ad illum non minùs, quàm ad Patrem, acceſſiſſemus, & cum eo communionem ac ſocietatem haberemus ſummam; nec in tam prolixa & accurata perſonarum, cum quibus conjunctio nobis intercedat, enumeratione omitti ulla ratione potuiſſet. Sed non mirum eſt, eum hic omitti: cùm & Johannes, ut ſuprà vidimus, communionem noſtram cum perſonis divinis, quæ κατ' ἐξοχὴν ita dici merentur, deſcribens dicat, 1 Johann. cap. 1. ℣. 3: *ſocietatem noſtram eſſe cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto*: intra has perſonas eam conſiſtere indicans. Spiritus ſancti quidem communio eſt nobiſcum; quia ejus participes reddimur: ſed nos cum illo ſocietatem non dicimur habere: quia ſocietas noſtra non eſt cum dono, ſed vel cum eo, qui nobis largitur donum, vel cum eo, qui idem unà nobiſcum habet, ejuſdémve aliqua ratione conditionis eſt.

Cap. IV.

Argumentum quartum ex Matth. XI. 27: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius*, &c.

SAtis multa hucuſque protulimus teſtimonia, in quibus Spiritus Sancti mentio omittitur, non omittenda, ſi perſona divina eſſet. Unum nunc ſubjiciemus locum, qui paulò eſt à ſuperioribus teſtimoniis diverſis, & ſimilior illis, in quibus aliquid expreſſè de Spiritu Sancto negatur. Quia licet Spiritus Sancti expreſſam mentionem non faciat, generalibus tamen verbis quippiam de eo negat, quod negari non poſſet, ſi is perſona divina eſſet, à Patre & Filio diſtincta. Is vero locus extat Matth. XI. 27: ubi ita Chriſtus ait: *Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Hoc autem quomodo verum eſſet, ſi Spiritus Sanctus eſſet perſona divina, à Patre & Filio diſtincta, & utrique per omnia æqualis? Nam & Filium noſſet quiſpiam præter Patrem, & Patrem præter Filium, nempe Spiritus ſanctus; & noſſet quidem ſine ulla alterius revelatione.

Neque verò dici hîc poteſt, vocem *Nemo* tantùm ad creaturas excludendas poni. Cur enim aliàs additur, *niſi Pater?* cur is excipitur? Num fortè & ille inter creaturas eſt, ut propterea expreſſe excipiendus fuerit? Excipitur enim id tantùm, quod alioquin

ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſub nomine generali comprehenditur, & quod, niſi exceptum fuiſſet, generali oratione comprehenſum cenſeri poſſet, & ſic idem de eo vel affirmatum vel negatum, quod de cæteris ejus generis rebus affirmatur aut negatur. Eadem difficultas eſt de Filio, ſi adverſariorum ſententiam ſpectes. Neque enim eum, quà Filius Dei eſt, creaturam eſſe volunt. At hîc, quà Filius eſt, ſpectatur. Non eſt etiam, quod quis dicat, ſpiritum ſanctum tacitè includi in Patre & Filio. Nam ſi ſpiritus ſanctus eſt perſona ab utroque diſtincta, quo jure id aſſeritur? Deinde, an magis includitur ſpiritus ſanctus in Patre & Filio, quàm vel Filius in Patre, vel contrà Pater in Filio? certè non magis. Quare ſi ideo nulla ſpiritus ſancti facta eſt mentio, quia is in utroque includitur; non debuit expreſſe vel Filii, vel Patris fieri mentio; quia alter in altero includatur. Et ſanè Patris mentio apertiùs includit Filium, aut Filii mentio Patrem, quàm utriuſque mentio ſpiritum ſanctum, ſi hîc eſt perſona ab utroque diſtinctâ. Imò hunc includi, ne ſuſpicio quidem eſt. At iſtic ipſa nomina apertam habent ad ſe mutuò relationem. Quare ſpiritus ſancti potiùs facienda fuiſſet mentio, quàm vel Patris, cùm de cognitione Filii agitur; vel Filii, cùm de cognitione Patris. Non eſt denique, quòd quis dicat, ſpiritum ſanctum inter eos comprehendi, quibus Filius Patrem, aut ſeipſum velit revelare; quia ut eſſentiam, ita & cognitionem Patris ei largiatur. Etenim ut taceam, non revelari quippiam cuipiam, niſi jam exiſtenti; de ea revelatione hic ſermo eſt, quæ certo demum tempore fiat, & a Filii voluntate pendeat, non verò a naturæ neceſſitate. Atqui illa, ſi dici debet, revelatio, quæ fiat per proceſſionem ſpiritus ſancti ex Filii eſſentiâ, & ab æterno facta eſſe, & non a voluntate Filii, ſed a naturæ neceſſitate pependiſſe creditur. An non res ipſa indicat, homines hîc intelligi, quibus Chriſtus per Euangelii doctrinam Patris notitiam tradere velit? Quamquam præterea hoc ipſum, quod in hac exceptione aſſeritur, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe, demonſtrat. Neque enim Deus ſummus eſt, qui eſſentiam ſuam, & quicquid habet, ab alio aliiſve habet, ſed qui a ſeipſo, ut de Chriſto diſputantes docuimus ſect. 2. c. 2.

Cap. V.

Argumentum quintum, quòd Spiritus ſanctus a Deo ſæpiſſimè diſtinguatur.

POſtquam ſatis de iis dixiſſe videmur, quæ de ſpiritu ſancto in ſacris literis non habentur, minimè prætermittenda, ſi is Deus ille ſummus eſſet; ſequitur, ut ea quoque videamus, quæ de eo in ſacris literis expreſſe traduntur, ſúntque ejuſmodi, ut ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe doceant. Ea verò duplicis ſunt generis. Quædam enim ejuſmodi ſunt, ut propriè ſumta non magis perſonis, quàm cæteris rebus conveniant, aut etiam perſonis nullo modo competant, ſed rerum tantùm propria: quædam verò ejuſmodi, ut proprie quidem ſumta perſonis ſolis conveniant, verùm ſpiritui ſancto per tropum quendam tribuantur; quibus adjungemus etiam quædam, quæ primò ac per ſe ſuppoſitis conveniunt, rebus autem cæteris non niſi conſequenter. Nos à prioribus incipientes, non tantùm ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe docebimus, ſed ne perſonam quidem: quanquam hoc poſterius non omnibus, quæ afferemus, argumentis; ſed tamen non paucis.

Primum ergo argumentum ex iis rebus ductum, quæ non magis perſonis, quàm rebus, conveniunt, illud eſto, quòd ſpiritus ſanctus a Deo, ſeu Jehova, ſæpiſſimè apertiſſiméque diſtinguitur. Sæpiſſimè autem ſpiritum ſanctum atque apertiſſimè a Deo ſeu Jehova diſtingui, vel illa oſtendunt loca, in quibus Dei aut Jehovæ ſpiritus appellatur, aut Deus ſeu Jehova eum ſpiritum ſuum vocat; qualia ſanè extant in ſacris literis non pauca, ex quibus ſuprà vidimus unum atque alterum ab adverſariis productum, ut oſtenderent, ſpiritum ſanctum Deum aut Jehovam dici, ejúſve nomine intelligi; illa nempe 2 Sam. 23. 2, 3: Eſa. 63. 10: adde ex multis hinc inde in ſacra ſcriptura extantibus, hæc pauca Eſa. XI. 2: XLII. 1: LIX. 21: LXI. 1: Joël 2. 28: Matth. 3. 16: XII. 28: Rom. 15. 19: 1 Cor. 2. 11, 12, 14: III. 16: VI. 11. Vidimus etiam ſuprà ex eadem Epiſtola alios locos, ubi alia ratione ſpiritus ſanctus a Deo diſtinguitur, cap. VI. 19, & cap. XII. 4, 5, 6: quin & 2 Cor. ult. v. ult. qui loci ab adverſariis produci ſolent, ut ſpiritum ſanctum perſonam divinam eſſe doceant. Sed in re manifeſta non opus eſt pluribus. Commemoravimus autem ea potiſſimùm ſcripturæ loca, in quibus adverſarii de ipſa ſpiritus ſancti perſona ſermonem eſſe vel fatentur, vel etiam urgent, ne quis de dono tantùm ab illa profecto verba fieri, & illud tantùm, non verò ſpiritum ſanctum propriè ſic dictum, Dei ſpiritum appellari contendat, de qua diſtinctione in ſequenti argumento agetur.

Verùm ajunt, cùm ſpiritus ſanctus a Deo aut Jehova diſtinguitur, Dei aut Jehovæ nomine Patrem intelligi, vel etiam Filium, qui itidem ſit Jehova. Ideo enim utriuſque ſpiritum dici, quia ab utroque procedat. Similem exceptionem vidimus de Chriſto, vide ſect. 2. cap. 1. qui itidem a Deo creberrimè diſtinguitur. Eadem autem, quæ ad illam exceptionem iſtic diximus, iiſve ſimilia, hic quoque dici poſſunt. Quare cùm inde ea peti poſſint, nil eſt neceſſe ea hîc repetere.

Cap. VI.

Argumentum ſextum, quòd Spiritus ſanctus ſit Dei virtus.

SEcundum hujus ordinis, ſed ſectionis hujus ſextum argumentum eſto, quòd ſpiritus ſanctus Dei ſit virtus ſeu efficacia, ea nimirum, (ut rem obiter explicemus) quæ a Deo procedit, atque in homines manans, eos ſanctificat ac conſecrat, & varios atque admirabiles in iis effectus parit, quam afflatum divinum appellare ſolent. Jam verò Dei virtus ſeu efficacia, Deus ſummus perſonáve ſupremæ Deitatis eſſe non poteſt: ut in defenſione hujus argumenti meliùs intelligetur.

Spiritum autem ſanctum virtutem Dei eſſe ſeu efficaciam, ipſos adverſarios noſtros in ſacris literis paulò exercitatiores haud fugit. Eſt enim inter alios manifeſtus admodum locus Luc. 24. 49, ubi ait Chriſtus: *Et ego mitto promiſſum Patris mei in* (Gr. *ſuper*) *vos. Vos autem ſedete in civitate* (Gr. additur *Hieruſalem*,) *quo adusque induamini virtute ex alto.* Ubi ab omnibus, quod ſciam, interpretibus animadverſum eſt, nomine virtutis illius, quâ ex alto indui debebant Apoſtoli, ſpiritum ſanctum intelligi. & hoc erat illud promiſſum Patris à Chriſto ſuper illos mittendum. vide inter alia Act. 1. 4, 5, 8: 2. 4, 33. Itaque hic locus etiam ad alios, in quibus ſpiritus ſanctus *virtutis* divinæ nomine ſignificetur, illuſtrandos fuit adhibitus. Adſcribere hîc libet duorum doctiſſimorum ſac. ſcripturæ interpretum, alterius Pontificii, alterius Euangelici, verba ad locum Luc. 1. 35. annotata, ubi ita ait Angelus ad Mariam virginem: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in* (Gr. *ſuper*) *te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Prior enim ille interpres*, poſtquam dixiſſet, Gregorium, Chryſoſtomum, Victorem, Damaſcenum, Bedam, Theophylactum, virtutem Altiſſimi interpretari Chriſtum, ſeu Dei Filium, ſubjicit: Alii quem antè vocaverat ſpiritum ſanctum, nunc virtutem Altiſſimi vocari putant, ut Euthymius, quem minorem licèt, & ſolum auctorem, veriſimiliora tamen dicentem, quàm plures, majoréſque illos, ſequi malo. Eſt enim ejuſdem ſententiæ repetitio, quâ Hebræi, præſertim in Canticis, frequenter utuntur, verſum unum una concludente ſententia, quæ priore parte verſus aliis, poſteriore aliis repetatur verbis, ut, Pſ. 2. 4. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Eodem enim modo videmus, Angelum paulò ante dixiſſe, *Ave gratia plena, Dominus tecum,* eandem ſententiam verbis diverſis variantem. Idem enim eſt, ut illic docuimus, *Gratia plena, Dominus tecum.* Et ſolet ſpiritus ſanctus, ſicut *digitus*, ſic etiam *virtus Dei* eadem ſimilitudine vocari, ut infrà cap 24. 49:

* Joh. Maldonatus,

Vos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto. Itaque virtus, & ſpiritus, frequentiſſimè ſolent in ſacris literis copulari, ut infrà cap. 4. 14: & in Actis cap. 10. 38: Rom. 1. 4: & 15. 13: 1 Cor. 2. 4: Eph. 3. 16: 1 Theſ. 1. 5: *Poſterior verò ita ſcribit**: Et virtus Altiſſimi, δύναμις ὑψίστου. Id eſt, idem ille ſpiritus ſanctus, qui eſt virtus procedens ex Altiſſimo, hoc eſt, Deo Patre. Periphraſis. Repetitur enim κατ' ἐπεξήγησιν eadem ſententia aliis verbis. Sic infrà 24, 49, ſpiritus ſanctus nominatur virtus ex alto, δύναμις ἐξ ὕψους. *His & alii quidam viri doctiſſimi adſtipulantur.* † *Nam quòd Veterum plærique per virtutem Altiſſimi Filium Dei intellexerunt, id, ne rationem a doctiſſimo Pontificiorum interprete allatam nunc repetam, aliis quoque argumentis refutatur. Primùm, quòd* Matth. 1. 20, *ubi Angelus Joſepho eandem rem explicat, ſolum ſpiritum ſanctum cammemorat, non omiſſurus Filium Dei, ſi eum Gabriël hoc loco nominatim cum ſpiritu ſancto conjunxiſſet, & ſuæ conceptionis auctorem conſtituiſſet: cùm non major hic illius commemorandi eſſet cauſſa, quam illic. Deinde quia hoc pacto Chriſtus ſui ipſius Filius ſtatueretur, quandoquidem ſuperiori ſectione oſtendimus*, c. 31, *Chriſtum ob tam admirabilem conceptionem ac generationem Dei Filium appellari.*

Dicet forte quiſpiam alius, virtutem Altiſſimi, nec Filium hoc loco ſignificare, nec ſpiritum ſanctum; ſed efficaciam a ſpiritu ſancto manantem. Duas enim hîc cauſſas efficientes conceptionis Chriſti commemorari: alteram ſpiritus ſancti perſonam, alteram ipſius virtutem. Sed primùm ea ratio obſtat, quam de Filio modò attulimus. Quia hac ratione ſpiritus ſanctus Pater Chriſti conſtitueretur; qua de re infrà cap. ſeqq. ſeparatim agemus. Deinde ſi ulla hîc perſona præter Chriſti Patrem fuiſſet nominanda, talis præſertim, quæ in virginem ſuperventura, conceptionem Chriſti efficere deberet; Filius ille fuiſſet nominandus, quem adverſarii cenſent è cœlo in virginis uterum deſcendiſſe, & iſtic carnem humanam aſſumſiſſe. Atqui jam docuimus, & in hac exceptione, quam nunc refutamus, ponitur, Filium in verbis angeli, tanquam ſuæ conceptionis auctorem non fuiſſe nominatum. Denique iſtiuſmodi ſententia poſtularet, ut virtus illa, cujus in verbis angeli fit mentio, ſpiritus ſancti virtus appellaretur, aut Altiſſimi nomine, cujus virtus eſſe dicitur, ſpiritus ſanctus intelligeretur. Prius autem factum non eſſe, quivis cernit. Poſterius inde refellitur, quòd tum ex verbis ſequentibus, tum ex collatione cum ℣. 32, ſatis apparet, *Altiſſimi* voce Patrem Jeſu Chriſti deſignari. Quare hîc alter eſt locus, ex quo probatur, ſpiritum ſanctum virtutem ſeu efficaciam divinam eſſe.

Tertius locus extat apud Paulum 1 Cor. 2. 4, 5, ubi ait: *Et ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Ubi vides, Apoſtolum pro eo, quod antea duabus vocibus *Spiritûs & virtutis* expreſſerat, poſtea tantùm reponere *virtutem Dei.* Quibus addi debent & illa Petri verba in Actis de Chriſto Act. 10. 31: *Quomodo unxit eum Deus ſpiritu ſancto & virtute.* & illa Angeli apud Lucam de Johanne Baptiſta, Luc. 1. 17: *Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Idem enim revera *ſpiritûs* aut *ſpiritus ſancti*, & *virtutis* nomine deſignarur. Neque verò refert, quòd alicubi commemoretur *virtus ſpiritus ſancti.* Etenim & virtutis ſeu efficaciæ iterum poteſt eſſe virtus ſeu efficacia alia, a priori illa pendens: & præterea obſervandum eſt, genitivum *ſpiritus ſancti* jure optimo haberi poſſe pro genitivo ſpeciei: quo pacto & *donum ſpiritus ſancti* ſumitur pro dono, quod eſt ſpiritus ſanctus, Act. 2. 38: x. 45: conf. cap xi. 15, 16, 17. & *arrhabo ſpiritûs* pro arrhabone, qui eſt ſpiritus ſanctus, 2 Cor. 1. 22: & 5. 5. ut tum per ſe facile intelligitur, tum ex collatione cum verbis Eph. 1. 14, perſpicitur. Sic & *promiſſio ſpiritus ſancti* Actor. 2. 33, accipitur pro re promiſſa, quæ eſt ſpiritus ſanctus. Sed nihil opus eſt pluribus exemplis: cum ſatis frequenter genitivus alteri nomini ſubjectus, ejus ſpeciem certam ſignificet, uti a viris doctis obſervatum eſt.

Adjici locis hucuſque allatis poſſunt verba Eph. 3. 7, 20, in quibus ſi virtutis divinæ loco repoſueris ſpiritum ſanctum, nullum revera ſententiæ, diſcrimen videbis induci: quemadmodum etiam contrà, ubi ſpiritus ſancti fit mentio, ſi repoſueris virtutem ſeu efficaciam divinam, divinúmve afflatum, nulla ſententiæ diverſitas emerget; licèt ibi, ubi virtutis nomen, tanquam genus, ei eſt præpoſitum, loquendi ratio aliquantùm ſit mutanda; aut ubi id explicandi cauſſa eſt adjectum, poſtea non ſit ampliùs repetendum. Addi etiam poſſunt illa Chriſti apud Lucam verba cap. 11. 20, in quibus aſſerit, ſe *in digito Dei* ejicere dæmonia. Ubi facilè videre eſt, *digiti* nomine virtutem & efficaciam Dei intelligi, uti & alibi in ſacris literis contingit: vid. Pſal. 8. 4, conf. Exod. 8. 19, quo pacto etiam *manus Dei* ſumitur. Ideo enim id, per quod Deus opera ſua perficit, hoc eſt, ejus virtus, ſeu efficacia, manus aut digitus dicitur, quia nos manibus & digitis opera noſtra efficere ſolemus, quemadmodum alii jamdudum animadverterunt. Atqui apud Matthæum cap. 12. 28, eandem rem exprimens Chriſtus, ait, ſe *in ſpiritu Dei* ejicere dæmonia; ut idem ſit Dei digitus, ſeu virtus & efficacia, quod Dei ſpiritus.

Denique ſpiritum ſanctum Dei virtutem ſeu efficaciam eſſe inde apparet, quòd & prophetiæ, & alia admirabilia dona atque opera, quæ ex virtute atque efficacia illa, quam afflatum divinum appellare ſolemus, proficiſcuntur, omnia ſpiritui ſancto, tanquam cauſſæ proximæ, atque interiùs in hominibus operanti, adſcribuntur; idque non quia divinitùs patefactum ſit, ſpiritum ſanctum ea efficere; ſed quia id ex re ipſa ſatis pateat, ſi modò conſtet, divina virtute iſta perfici. vide Luc. 1. 41, 67: ii. 26, 27: Act. 4. 8, 31: vi. 10, 55: ix. 31: x. 44, 45, 47: xi. 15, 16, 24, 28: xiii. 2, 4, 9, 52: xv. 8, 28: xvi. 6, 7: xx. 23, 28: xxi. 4, 11: & (ut alia quàm plurima ſacræ ſcripturæ loca prætercam) 1 Cor 12. 4, 7, & d. 2 Pet. 1. 3, ult. Unde etiam cùm aliquem divinitus afflatum fuiſſe, ac cœleſti virtute completum, ſignificare volunt divini ſcriptores, eum ſpiritu ſancto repletum eſſe dicunt, vel ſimili aliquo loquendi modo uſi, eum ſpiritu divino præditum eſſe affirmant. At ſi ſpiritus ſanctus non eſſet ipſa Dei virtus atque efficacia, ſed perſona a Patre & Filio diſtincta, nulla foret cauſſa, cur ea omnia ſpiritui ſancto, tanquam cauſſæ proximæ, atque interiùs in hominibus operanti adſcriberentur. Quandoquidem fieri poſſet, ut Pater & Filius ſuâ efficaciâ ea omnia efficerent, non interveniente ſpiritus ſancti perſona, tanquam cauſſa media. Certè etiamſi conſtaret, prophetiam, aut aliud aliquod donum divinitùs proficiſci; non poſſet tamen ſine peculiari revelatione divina conſtare, ſpiritum ſanctum tanquam mediam proximamque cauſſam ad eam rem perficiendam interveniſſe. At ſacræ literæ ita ea de re loquuntur, ut ſatis apertè indicent, ex re ipſa, ſine alia peculiari revelatione, de eo conſtare. Neque vero Paulus, cùm ad Corinthios ſcribens dixit, 1 Cor. 2. 1, verba ſua fuiſſe in oſtenſione ſpiritus, nempe divini; aut inter alia commendâſſe ſeipſum, tanquam Dei ſervum, *in ſpititu ſancto* 2 Cor. 6. 4; ex ſuis demum verbis intelligi voluit, ſe ſpiritu ſancto fuiſſe præditum, & ab eo ſua dicta factáve profecta; ſed ex re ipſa. Quòd ſi dicas, ideo omnia illa ſpiritui ſancto adſcribi, eáque de re fidelibus omnibus conſtitiſſe, quia ſpiritus ſanctus ſit ipſe Deus, a quo omnia illa proficiſci nemo neſciat; is præterquam quòd rem ſumet hîc controverſam, & iis hominibus, quibus Paulus v. g. potiſſimùm demonſtrare volebat, ſe ſpiritu divino loqui, incognitam; nodum etiam minimè ſolvet. Neque enim ſpiritui ſancto opera illa adſcribuntur eo modo, quo Patri, qui omnium confeſſione Deus ſummus eſt; neque ea, quâ Filio; ſed, ut ipſi quoque adverſarii ex parte fatentur, ratione quadam propria ac peculiari, hoc eſt, ut cauſſæ proximæ, atque in hominibus inte-

* Johan. Piſcator. † Vid. Johan. Calvinum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

interiùs operanti. Et hoc eſt, quod ſacræ literæ locis ſuprà adductis, aliiſque infinitis ſibi volunt. Atqui hac de re nihil conſtaret ex ipſis operibus divina virtute perfectis, ſi ſpiritus ſanctus eſſet Deus ille ſummus, a Patre tamen ac Filio perſona diſtinctus. Imò ſi ſpiritus ſanctus eſſet Deus ſummus, concludendum potiùs foret, ſpiritum ſanctum non eſſe talem operum iſtorum cauſſam. Dei enim ſummi non eſt, ut perſonaliter in hominibus habitans, opera aliqua in iis, aut per eos perficiat; ſed ut virtutem atque efficaciam illis ſuam inſpiret, & eo pacto opera admiranda in iis aut per eos patret.

DEFENSIO ARGUMENTI PLENIOR.

SAtis, ut videmur, argumentum noſtrum hucuſque confirmavimus. Verumtamen cum duæ ad id reſponſiones afferri vel ſoleant, vel poſſe videantur; eæ nobis ſunt refellendæ. Prior majorem argumenti propoſitionem petit, quam inſtantiâ conantur infringere adverſarii. Ajunt enim, Chriſtum quoque Dei virtutem ſeu potentiam appellari 1 Cor. 1. 24, & tamen eum non modò perſonam eſſe, ſed etiam ipſum Deum ſummum. Verùm hoc poſterius nos ſuprà refutavimus; & hoc ipſo quoque ſatis refellitur, quòd is Dei, nempe ſummi, ſit virtus, eaque ratione a Deo ſummo manifeſtè diſtinguatur. Sed deinde nos virtutis & efficaciæ nomen in argumento noſtro propriè ſumimus. Unde autem illi probabunt, Chriſtum eſſe Dei virtutem, ſive potentiam, propriè ſic dictam? Nam ſive potentiæ nomen de ea accipiant virtute, quæ naturaliter in Deo habitet, ſive de ea, quæ ex ipſo tanquam fonte ſuo emanet, & creaturis etiam aliqua ratione communicetur; neutra perſona eſt, ſed qualitas quædam; & illa quidem proprietas Dei eſſentialis, tribus, ut illi volunt, perſonis communis. Chriſtum autem perſonam eſſe, omnes & nôrunt & urgent. Idem intelligi poteſt etiam ex altero elogio, quod eodem in loco 1 Cor. 1. 24, Chriſto tribuitur, nempe, quòd Dei ſapientia dicitur. Dei enim ſapientia, propriè loquendo, attributum ſeu proprietas ejus eſt naturalis, per quam Deus & intelligit omnia, & aptiſſimè conſilia operaque ſua diſponit. Hæc verò perſona nequaquam eſt, ſed itidem attributum ejus eſt, ſeu proprietas naturalis, tribus, ut adverſariorum fert ſententia, perſonis communis. Certè cum Chriſtus perſona ſit a Patre diſtincta, Pater autem in ſeipſo ſuâve perſonâ ſapientiam omnem, quâ omnia intelligit ac diſponit, habeat, nec quiſquam per aliam perſonam intelligat, ſed per ſeipſum ſibique inſitam ſapientiam; non poteſt Chriſtus, propriè loquendo Dei ſapientia eſſe. Similiter igitur nec Dei potentia. Eadem enim utriuſque rei eſt ratio. Intelligendum igitur eſt, quemadmodum ſermo crucis eodem ad Corinthios loco 1 Cor. 1. 18, Dei virtus ſeu potentia dicitur; ſimiliter & Euangelium; quia nimirum in eo ſingularis Dei virtus ſeu potentia exſeratur, omnibuſque credentibus manifeſtè appareat Rom. 1. 16, ita & Chriſtum Dei virtutem, ſeu potentiam, itemque ſapientiam dici, quia in eo ſumma potentia Dei ac ſapientia exſerta fuerit, & in eo clariſſimè ab omnibus credentibus perſpiciatur. Inſpiciatur ipſe locus, & conferantur inter ſe ℣. 18, & 24, atque ita rem ſe habere facilè unuſquiſque animadvertet. Ex his autem apparet, inſtantiam hanc ad argumentum noſtrum convellendum nihil habere momenti. Siquidem nos de efficacia Dei propriè ſic dicta loquimur, & ſpiritum ſanctum ipſam Dei virtutem ſeu efficaciam ab eo procedentem atque manantem eſſe oſtendimus. Certè vel ex ipſorum adverſariorum ſententia, aliter Chriſtum, aliter ſpiritum ſanctum Dei virtutem eſſe neceſſe eſt. Nam ſi Chriſtus eſt virtus Dei ſubſtantialis, perſonam ſuam propriam habens; & ſpiritus etiam ſanctus talis Dei virtus eſt; duæ in Deo erunt virtutes ſeu potentiæ ſubſtantiales perſonalitatem ſuam habentes; & duæ illæ perſonæ, quà tales, ſibi prorſus erunt ſimiles: quorum neutrum fieri poteſt. Illud, quia alterutra efficacia fruſtra foret; cùm una ad omnia perficienda penitus ſufficiat. In eo autem, qui nihil ipſe fruſtra facit, nihil etiam prorſus eſt fruſtra, nihilve ſupervacaneum. Quin & impoſſibile id eſt: quia duæ ejuſdem planè rationis formæ in eodem ſubjecto conſiſtere non poſſunt, niſi fortè ſecundùm diverſas partes; id quod in Deo locum non habet. Nam alioqui res in infinitum abiret. Qua de re lib. 2. ſect. 1. c. 5, dicemus explicatiùs. Hoc verò poſterius ideo conſiſtere non poteſt, quia perſonas illas divinas, quatenus ab eſſentia diſtinctæ ſint, diſſimiles eſſe & volunt, & velle coguntur. Quare ne abſurda illa, quæ diximus, eveniant, neceſſe eſt ſtatuere, ſpiritum ſanctum eſſe virtutem ejuſmodi, quæ perſona non ſit. Et hæc de priori ad argumentum noſtrum reſponſione.

Poſterior in diſtinctione ſita eſt, quâ cæteroqui crebrò utuntur adverſarii, cùm de ſpiritu ſancto ſermo eſt. Ajunt enim, duplici modo ſpiritus ſancti vocem ſumi: nunc pro tertia divinitatis perſona; nunc pro ejus effectu, ſeu dono ab eo manante: & illam quidem propriè ſpiritum ſanctum appellari; hoc verò metonymicè. Cauſſam enim pro effectu poni. Non memini quidem legere, eam reſponſionem ad hoc ipſum argumentum noſtrum accommodari: ſed quia tamen accommodari poſſet, operæ pretium eſt eam hîc excutere; præſertim quia nihil ſpecioſius dici poſſe videatur. Nam cum nos per virtutem ſeu efficaciam Dei intelligamus vim quandam, a Deo ejúſque naturali potentia in homines manantem; dicere quis poſſet, eſſe quidem ſpiritum ſanctum hujuſmodi Dei virtutem, ſed metonymicè acceptum. Illam enim Dei efficaciam, effectum ſeu donum ſpiritus ſancti eſſe propriè ſic dicti. Hoc autem loco de ſpiritu ſancto non metonymicè, ſed propriè accepto, non de ipſius dono, ſed de ipſo diſputari. Argumentum igitur noſtrum inefficax eſſe, & ad rem nihil facere. Aliquantò autem aliter nos in hac reſponſione donum ſpiritus ſancti ſummius, vel ſaltem latiùs id extendimus, quàm adverſarii vulgò ſolent. Quantum enim hucuſque deprehendere potui, ſolent illi per ſpiritus ſancti donum intelligere facultates illas admirabiles, hominibus divina virtute inſertas, ut facultatem prophetandi, linguis loquendi, & alia, ſive viſibilia, uti vocantur, ſive inviſibilia, ſeu mavis occultiora, ſpiritus ſancti in hominibus effecta. At illa Dei virtus, de qua loci ſacrarum literarum a nobis adducti loquuntur, iſtiuſmodi facultas, vel facultates potiùs, non eſt, ſed earum effectrix, utut ipſa iterum a potentia in Deo naturaliter reſidente fluat. Quare, ſi tam ſtrictè ſpiritus ſancti donum acciperetur, non poſſet hæc reſponſio ad argumentum noſtrum, aut loca, quibus id confirmavimus, accommodari; niſi quis fortè dicere velit, in omnibus illis locis, in quibus ſpiritus ſanctus & virtus Dei, tanquam ἰσοδυναμοῦντα ſive æquipollentia ponuntur, vel alterum alterius loco collocatur, ſpiritus ſancti, aut divinæ virtutis nomen, pro ejuſmodi facultate homini divinitus ingenerata uſurpari; nuſpiam verò de efficacia divina facultatum ejuſmodi in hominibus effectrice. Id quod nec adverſarii facilè dixerint, nec conſiſtere ullo modo poteſt, ut partim ipſi loci paulò diligentiùs inſpecti unumquemque docebunt, partim ex ſequentibus intelligetur. Quare ut iſta diſtinctio ad argumentum noſtrum aliquid videatur facere, ponemus, adverſarios eam quoque divinam efficaciam, a naturali Dei potentia manantem, mirandorum in hominibus effectuum cauſſam, ſpiritus ſancti donum conſtituere, & ſic non propriè, ſed metonymicè tantùm ſpiritus ſancti nomine intelligi; quia nimirum a perſona divinitatis tertia, quæ ſpiritus ſanctus propriè appelletur, manet.

Ut igitur exceptionem iſtam jam refellamus; dicimus, nequaquam eſſe concedendum, illam Dei virtutem atque efficaciam, quæ hoc loco intelligitur, metonymicè tantùm ſpiritum ſanctum dici, & non potiùs proprie, quatenus quidem proprietas locum hîc habet. Nam ſi metonymicè tantùm Dei ſpiritus aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſpiritus ſanctus appellaretur, nempe qui a ſpiritu ſancto propriè ſic dicto proficiſcatur; nulla foret cauſſa, cur ea non ſimiliter Pater aut Filius appellaretur. Siquidem non minùs a Patre, ac Filio, quàm a ſpiritu ſancto proficiſceretur, etiam ex adverſariorum ſententia: cum ſit effectus quidam potentiæ Dei naturalis, quæ ex ipſorum ſententia tribus divinitatis perſonis communis eſt, & Patri quidem primò ineſt, tanquam divinitatis fonti; per eum deinde, ut ipſi volunt, Filio & ſpiritui ſancto, qui ab eo ſuam habeant eſſentiam. Neque eſt, quòd dicas, ideo potiùs ſpiritum ſanctum appellari afflatum illum, quàm Patrem aut Filium; quia a ſpiritu ſancto immediatè proficiſcatur, a Patre autem & Filio non niſi mediatè. Etenim quid prohibet, Patrem aut Filium, cum eandem in ſe habeant potentiam, ad omnia efficacem, quam ſpiritus ſancti perſona; eam etiam per ſe, perinde ut ſpiritus ſancti perſona, exſerere? ut ſanè exſeruiſſe ex ſacris literis videmus. Imò qui fieri poteſt, in hac eſſentiæ, omniumque ad eam pertinentium unitate, ut non æquè immediatè Pater ac Filius virtutem ſuam exſerat, quàm ſpiritus ſanctus? Ita enim Pater & Filius virtutem ac potentiam ſuam, unde efficacia ſeu afflatus ille divinus immediatè proficiſcitur, ſpiritui ſancto communicaſſe cenſetur, ut eadem tamen numero in Patre ac Filio remanſerit, & eodem planè actu a tribus illis perſonis exſeratur. Unde ergo illud diſcrimen, quòd ſpiritus ſanctus immediatè, Pater & Filius mediatè eam exſerant? Quòd ſi autem æque immediatè Pater & Filius vim atque efficaciam illam exſerunt; nulla eſt cauſſa, cur vis illa magis ſpiritus ſanctus, quàm Pater aut Filius dicatur, ſi ea non ſit ipſe ſpiritus ſanctus, ſed ideo tantùm ita appelletur, quia ab eo proficiſcatur. Non repetimus id, quod antea diximus, etiamſi Pater & Filius non niſi mediatè, ſpiritus ſanctus immediatè eam exſereret, id tamen ex re ipſa, ſine peculiari revelatione divina conſtare non poſſe; cum tamen videamus, ſimul ac aliquid divina virtute atque afflatu factum eſſe conſtiterit, id protinus ſpiritui ſancto, tanquam cauſſæ proximæ adſcribi. Sed deinde reſponſione illa adverſarii in quibuſdam locis a nobis adductis uti non poſſunt, niſi ſimul evertant unum ex præcipuis argumentis, quibus probare conantur, ſpiritum ſanctum ſuppoſitum perſonámque eſſe; illud nempe, quod ducitur ex actionibus perſonarum, aut ſaltem ſuppoſitorum propriis. Nam in loco primo ex Luc. 1. 35, a nobis adducto, ubi ſpiritus ſanctus dicitur ſuperventurus ſuper Mariam, ipſi adverſarii perſonam ſpiritus ſancti videntur intelligere, præſertim cum actio *ſuperveniendi* propriè non niſi perſonæ, vel ſaltem ſuppoſito conveniat. Taceo, & in loco Epheſ. 3. 20, a nobis citato, virtutem ſeu potentiam divinam dici operari in Apoſtolis. Novam præterea rationem, quâ reſponſio iſta evertatur, ſequenti capite videbimus.

Cap. VII.

Argumentum ſeptimum, quòd Chriſtus ſpiritus ſancti filius foret, ſi is Deus ſummus eſſet.

TErtium hujus ordinis argumentum, quod ad proximè quoque præcedentis defenſionem ſpectat, conſtituere poſſumus, quòd ſi ſpiritus ſanctus Deus foret, aut perſona ſaltem aliqua; Chriſtus etiam ſpiritus ſancti foret filius; imò rectiùs hujus, quàm Patris filius diceretur, id quod ſeipſum evertit. Vidimus enim ſuprà ſect. 2. c. 31, Chriſtum ideo primùm appellatum fuiſſe Dei Filium, quòd ſpiritus ſanctus ſuper Mariam matrem ejus ſupervenerit, & virtus altiſſimi eam obumbrârit, atque adeò Chriſtus ſpiritus ſancti vi conceptus ac generatus fuerit. Quòd ſi ſpiritus ſanctus perſona eſt, quæ immediatè eam vim in virginis utero exſeruit, & Chriſtum produxit; ſpiritus ſanctus Chriſti Pater eſt magis, quàm Deus Pater, qui non niſi mediatè, ſeu aliâ perſonâ interveniente, id præſtiterit. Præterea illa ſanctificatio Joh. 10. 34, 35, quam ipſe Chriſtus pro cauſſa affert, cur Filium Dei ſeipſum jurè dixerit, ſpiritui ſancto etiam competet, præſertim ex adverſariorum diſciplina. Ii enim, licèt omnia opera ad extrà, ut loquuntur, toti Trinitati communia eſſe velint, creationem tamen Patri, redemtionem Filio, ſanctificationem ſpiritui ſancto magis propriè convenire aſſerunt. Denique & Paulus Rom. 1. 4, ut itidem ſuprà vidimus, ait: Chriſtum eſſe *conſtitutum Dei Filium in potentia, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum*; propriam ac proximam illius filiationis cauſſam conſtituens ſpiritum ſanctificationis. Quòd ſi is vel perſona eſt, vel a perſona ſpiritus ſancti proficiſcitur; ſpiritus ſanctus Pater Chriſti erit. A qua abſurditate longè abeſt noſtra ſententia, quæ ſpiritum ſanctum non perſonam aliquam ſtatuit, ſed Dei virtutem & efficaciam; quæ utut ad generationem Filii concurrerit, non concurrit tamen tanquam Pater, ſed tanquam id, per quod Pater generavit. Quòd ſi ſpiritus ſanctus perſona non eſt, nec Deus ille ſummus eſt, utpote qui neceſſariò perſona eſt. Et ſanè de eo ipſo inter nos & adverſarios hic eſt quæſtio, utrùm ſpiritus ſanctus perſona ſit divina, a Patre nimirum diſtincta. Hoc ergo tertium ſit hujus ordinis argumentum.

Cap. VIII.

Argumentum octavum, quòd Spiritus ſanctus hominibus à Deo donetur.

QUartum argumentum ex iis rebus ductum, quæ de ſpiritu ſancto in ſacris literis apertè traduntur, eſto illud, quòd ſpiritus ſanctus hominibus a Deo detur, quodque eum homines precibus a Deo impetrent, accipiant, habeant; quemadmodum propè innumera ſacrarum literarum loca docent; è quibus ſufficit inſpexiſſe vel hæc pauca: Luc. 11. 13: Joh. 7. 39: XIV. 16, 17: Actor. 5. 32: XV. 8: Rom. 5. 5: 1 Cor. 6. 19. Unde & donum appellatur ſpiritus ſanctus, Act. XI. 17, quem confer cum præced. imò omnibus iis in locis, ubi fit mentio *doni ſpiritus ſancti*. Docuimus enim ſuprà cap. 6. hujus ſect. genitivum iſtic non eſſe cauſſæ efficientis, ſed ſpeciei: aliàs & dona potiùs, quàm donum ſpiritus ſancti, fuiſſent commemoranda; & eo ipſo non fuiſſet ſignificatum, homines vel accepiſſe, vel accepturos ſpiritum ſanctum, quod tamen ſacræ literæ ea loquendi ratione utentes indicare omnino voluerunt; ſed tantùm ejus aliquod effectum. Ex his autem evincitur, ſpiritum ſanctum non eſſe Deum ſummum. Hic enim a nemine cuiquam datur aut donatur, à nemine precibus impetratur. Nam primùm omne donum, & quicquid precibus impetratur, eſt in poteſtate donantis. Deus autem ſummus in alterius poteſtate non eſt; alioquin hoc ipſo quempiam ſeipſo ſuperiorem habiturus, ac porrò ſummus non futurus. Quid, quòd donum ſit etiam illius, cui donatur, ita ut ab eo poſſideatur. Num verò Deus ſupremus ita hominis mortalis eſſe poteſt, ut ab eo poſſideatur? Præterea, quorſum tantum homini daretur donum? quis illius fructus? nullus certè excogitari poteſt alius, quàm ut illi in homine exiſtant effectus, quos a ſpiritu ſancto produci ſacræ literæ teſtantur. Quid verò? num ut hujuſmodi effectis ac donis aliquem compleat Deus, opus eſt, ut ipſemet homini donetur? An cùm Pater aliquem hujuſmodi donis implet, neceſſe eſt, ut ipſemet ei donetur? Cur autem ſpiritus ſanctus idem non poſſit, quod Pater, ſi itidem ſummus eſt, atque adeò idem cum Patre Deus? Denique quid cauſæ eſt, cur a Patre aut Filio nobis ſit impetrandus ſpiritus ſanctus, ſi ipſemet eſt ſummus ille Deus? cur a ſemetipſo non datur, ſi modò dari poteſt?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

DEFENSIO AC CONFIRMATIO HUJUS ARGUMENTI UBERIOR.

AD hæc non video, quid reſpondere illi poſſint, qui aſſerere non dubitant, (neque verò aliter, ut poſtea patebit, poſſunt) ipſam ſpiritus ſancti perſonam hominibus, unà cum ſuis effectis dari. Itaque alii ita declinare conantur ictum, ut aſſerant, non ipſum ſpiritum ſanctum proprie ſic dictum hominibus a Deo dari: ſed ejus effectum, vel potiùs effectâ varia, qualia ſunt illa, quæ 1 Cor. 12. ỳ. 8,& d. ſat fuſe recenſentur, aliáve fidelibus omnibus communia. Hæc enim ſpiritus ſancti nomine per metonymiam ſignificari, cùm is hominibus dari, & ſic ab illis accipi atque haberi dicitur. Cauſſam enim efficientem poni pro effectu. Quamquam nónnulli, qui metalepſin in phraſi eſſe ajunt, paulò aliter rem videntur accipere. Neque enim videntur ipſum ſpiritus ſancti nomen pro ejus effectis ſive donis accipere, ſed pro ipſa illa, quam ſtatuunt, divina perſona. Interim tamen ei dationem paſſivè acceptam, impropriè tantùm tribui ſignificant; quia id, quod effectis propriè conveniat, ipſi quoque cauſſæ efficienti improprie tribuatur. Siquidem effecta ſpiritus ſancti propriè dentur, non ipſe. Et hi quidem utrique cautiùs ſibi videntur agere, quàm ii, qui ipſum ſpiritum ſanctum dari ſimpliciter fatentur. Interim tamen non cernunt, & hanc rimam, per quam elabi conantur, obſtructam eſſe; & etiamſi nos illis eam aliquantùm laxemus, eos nihilominus conſtrictos teneri. Nam primùm falſum eſt, effecta tantùm ſpiritus ſancti, non ipſum ſpiritum ſanctum, hominibus dari; ac porrò cùm dari dicitur, aut a nobis accipi, aut haberi, id non niſi per metonymiam vel metalepſin dici. Deinde etiamſi id daretur, nihilominus fatendum eſſet, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe.

Quod ad prius attinet; id primùm generali quadam ratione, & omnibus illis, de quibus agimus, locis communi demonſtrabimus; deinde aliis ſpecialioribus, & certorum locorum magis propriis; & denique ex quibuſdam adverſariorum hypotheſibus.

Ad generalem rationem quod attinet; ſi ſpiritus ſancti nomine in iis, de quibus agimus, locis, intelligitur divinus ac ſanctus quidam afflatus, ſeu vis quædam a Deo manans, quæ hominibus veluti inſpiretur; ſpiritus ſanctus proprie datur; hoc eſt, non metonymicè tantùm, aut per metalepſin hominibus dari, ab iis accipi, & haberi dicitur. Ita ſe rem habere poſtea intelligetur. Priùs enim oſtendemus, ejuſmodi afflatum ſpiritus ſancti nomine intelligi, cùm is nobis dari, a nobis accipi, & haberi dicitur: quamquam per ſeipſum cuivis facilè ſit veriſimile. Indicavit id, & externo quodam afflatu repræſentavit ipſe Chriſtus Joh. 20.22, cùm poſt reſurrectionem diſcipulis apparens, diceret: *Accipite ſpiritum ſanctum.* Refert enim Johannes, eum, verba illa prolaturum, inſufflâſſe, ſeu afflâſſe diſcipulos. Quid enim ea actione aliud indicare voluit, quàm ſe illos diviniori & occultiori quadam ratione afflaturum, & vim quandam cœleſtem iis inſpiraturum? quæ qualis eſſet, verbis expreſſis ſtatim docuit, dum ſubjecit, *Accipite ſpiritum ſanctum.* Sed præterea idem inde patet, quod ſpiritus ſanctus in locis ſuprà à nobis annotatis, eorumque ſimilibus, eo ſenſu accipitur, quo tum temporis vulgò inter Judæos accipiebatur. Num enim putamus, Johannem Baptiſtam, cùm ad populum verba faciens, diceret, Chriſtum eſſe baptizaturum ſpiritu ſancto, id nomen in ſignificatione populo ignota uſurpâſſe? aut populum, eo nomine audito, non intellexiſſe, quid Johannes diceret? Atqui hic ille eſt ſpiritus, quem Chriſtus petentibus promittit, quíque poſtea Apoſtolis ac cæteris diſcipulis datus eſt, ut tum ex reipſa intelligitur, tum ex loco Act. 1.4, 5, manifeſtum eſt. Quid verò cùm Petrus ad populum de Spiritu ſancto recens effuſo diſſereret Act. 2. 17, 18, 33, & auditoribus, ſi reſipiſcerent, & in nomen Jeſu Chriſti baptizarentur, eundem promitteret ỳ. 38, num illum arbitramur, Spiritus ſancti vocem ignota illis ſignificatione uſurpâſſe, hoc eſt, ab iis intelligi noluiſſe, vel ſaltem intellectum non fuiſſe? ſimiliter, cùm infrà cap. 5, in ſenatu Judæorum dixit, *Nos ſumus teſtes horum, & ſpiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus* (vox *omnibus* abeſt a Græco) *obedientibus ſibi*; num cenſemus, illum vocem ſpiritus ſancti aliter uſurpâſſe, quàm ſeniores illi Judæorum eam accipere ſolerent? an non ideo iſta commemoravit, ut adverſarii, probè intelligentes, quid ſpiritus ſancti vox ſignificet, & quantum ſpiritus illius teſtimonio ſit tribuendum, fidem dictis ſuis & cæterorum Apoſtolorum adhiberent? Idem ſtatuendum eſt de ejuſdem Petri verbis in domo Cornelii habitis, in quibus Chriſtum ſpiritu ſancto unctum fuiſſe affirmat, ut divinam ei auctoritatem hoc pacto aſſerat. Quid? quòd & Johannes, & apud ipſum Chriſtus, voces, quibus ſpiritus ſanctus obſcurius deſignatus fuerat, vel ſimplici *ſpiritûs*, vel *ſpiritus ſancti* voce poſita declarârunt: ut apparet ex locis à nobis ſuprà adductis Joh. 7. 39: & cap. 14. 16, 17, quibus adde ejuſdem cap. ỳ. 26: & cap. ſeq. ỳ. 26. Hoc autem ſatis indicat, ejus vocis ſignificationem vulgò jam notam fuiſſe. Quid autem Judæi tum temporis ſpiritus ſancti nomine vulgò intellexerunt? Num perſonam fortè divinam? Quî ergo fit, ut ne veſtigium quidem illius opinionis inter Judæos poſt id tempus remanſerit, nec in illis appareat, qui illis temporibus fuêre proximi? Num, ut Chriſtianis ægrè facerent, ſua illi dogmata ab omnibus vulgò recepta ejurârunt? Nulli certe cordato homini id unquam perſuaſeris. Quid ergo illos ſpiritus ſancti nomine intellexiſſe credemus, quàm afflatum divinum; id nempe, quod & Hebrææ vocis, quâ ſpiritus denotatur, & Græcæ, & Latinæ origo indicat, quodque inter Gentes etiam, utut in re ipſa cæteroquin errantes, ſpiritus divini nomine intelligebatur. Nam & Hebræum Ruach ventum aut flatum propriè ſignificat, & Græcum πνεῦμα, quod à πνέειν eſt, ut Latinum ſpiritus a ſpirando. Itaque eo nihil accommodatius eſt ad ſignificandum divinum illum afflatum, ſeu vim cœlitùs hominum pectoribus inſpiratam. Quæ ſignificatio, ut diximus, ne gentibus quidem extraneis ignota fuit, licèt interim in re graviſſimè errarent, falſum afflatum pro vero, diabolicum pro divino habentes. Sed hoc ad ipſius vocis vim & ſignificationem per ſe non pertinet. Jam verò ſi ſpiritus ſancti nomen in iis, de quibus agimus locis, de divino illo afflatu, ſeu vi quadam divinitus in homines manante accipitur; cur ſpiritus ſanctus non niſi per metonymiam aut metalepſin nobis dari, & porrò a nobis accipi aut haberi dicitur? Cur non ipſe ſpiritus ſanctus propriè ſic dictus, (quatenus quidem proprie vox iſta in hac materia ſumi poteſt) nobis dari agnoſcitur? Nam ſi propriè non datur, vel ideo id fit, quia afflatus hic ſanctus non niſi impropriè, nempe per metonymiam cauſſæ efficientis, ſpiritus ſanctus dicatur; vel quia non proprie, ſed per metalepſin tantùm dicatur dari, hoc eſt, tantummodo ratione donorum atque effectuum ab eo manantium. At utrumque falſum eſt. Nam quod ad prius attinet, quæ non niſi per metonymiam cauſſæ efficientis aliquo nomine appellantur, illa ipſa per ſe nomen iſtud non merentur, ſed ideo tantùm ſic appellantur, quia a cauſſa efficiente proficiſcantur, cui hoc nomen per ſe ac primò competat. Atqui vis illa, quæ hominibus a Deo inſpiratur, per ſe ſpiritus ſanctus appellari meretur, atque adeò appellatur, nulla habita ratione ejus, quòd ab ejuſmodi cauſſa proficiſcatur, quæ ſpiritus ſanctus proprie appelletur. Quòd ea per ſe ſancta ſit, ac dicatur, nemo dubitat. Quod autem per ſe ſpiritûs quoque nomen mereatur, itidem ex dictis patet; quia nimirum a Deo hominibus inſpiretur, eâque homines afflentur. Neque refert, quòd metaphoricè, ſeu ob ſimilitudinem, dicatur *ſpiritus*. Hoc enim loco non eatenus ſpectatur vocis proprietas, quatenus metaphoræ opponitur, ſed quatenus metonymiæ. Siquidem de hac nunc eſt quæſtio. Quòd ſi propterea dicere velis, afflatum hunc improprie ſpiritum ſanctum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dici, quia metaphoricè ſpiritus dicatur; vide, quo pacto defenſurus ſis, tertiam illam divinitatis perſonam, proprie ſpiritum ſanctum dici. Nam & illam ſpiritum ideo dici cenſent, quia a cæteris duabus ſpiretur; non verò ideo, quia ſubſtantia ſit ſpiritualis. Aliàs appellatio illa non magis tertiæ illi perſonæ, quàm cæteris duabus conveniret. Quid verò? num illa propriè ſpiratur atque efflatur? Certè longè minùs illi competit ſpirari, quàm huic, de quo nos agimus, divino afflatui: cùm illa extra Deum non prodeat; hic a Deo procedat, & hominibus inſpiretur. Patet ergo afflatum illum divinum, propriè ſpiritum ſanctum, non metonymicè tantùm dici. Quod ad poſterius attinet; vix crediderim, adverſarios negaturos, ipſum illum afflatum propriè dari. Quomodo enim id, quod hominum pectoribus, in ſummam eorum utilitatem inſpiratur atque inſeritur, illis propriè non datur? Nulla ergo hîc metalepſis eſt quærenda, quâ fiat, ut id, quod effectui tantùm propriè competit, impropriè tribuatur cauſſæ efficienti. Cùm hîc ipſa cauſſa efficiens effectuum illorum, qui intelliguntur, hoc eſt, ipſe afflatus divinus hominibus per ſe detur. Et hæc de generali ratione, & omnibus, de quibus agimus, locis communi dicta ſufficiant.

Quod ad ſpeciales attinet, ac certorum locorum magis proprias; primùm poni merentur illa Chriſti verba, quæ ex Johanne ſuprà citavimus Joh. 14. 16, 17: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis* (Gr. *cognoſcitis*) *eum: quia apud vos manebit* (Gr. *manet*, quatenus nimirum in Chriſto habitans, inter diſcipulos veluti verſabatur) *& in vobis erit*, hoc eſt, & porrò non tantùm apud vos, ſeu inter vos, uti nunc, ſed & in vobis ipſis erit, vobis à Patre donatus. Quid clariùs dici poſſet ad oſtendendum, ſpiritum ſanctum propriè ſic dictum a Deo dari, eumque donum eſſe, quod precibus a Patre fidelibus impetretur? Quid enim? num Paracletus ille ſpiritus ſanctus propriè dictus non eſt? aut non niſi per metalepſin, diſcipulis à Patre dandus dicitur? Prius dicere adverſarii non poſſunt, niſi tertiam illam divinitatis perſonam ſpiritum ſanctum propriè dictum eſſe negare velint; quod tamen maximè volunt. Etenim hanc per Paracletum illum intelligi omninò contendunt, urgentque tum ipſum Paracleti ſeu Conſolatoris nomen, tum vocem *alius* ei appoſitam, tum actiones perſonarum proprias in hoc Chriſti ſermone ei tributas, de quibus infrà nonnihil agemus. Illud jure dici poteſt, ſi iſtic de ſpiritu ſancto propriè ſic dicto ſermo non ſit, nuſpiam de eo ſermonem eſſe. Reſtat ergo, ut dicant, eſſe quidem hîc ſermonem de tertia divinitatis perſona, & hanc per Paracletum intelligi: verùm non niſi per matalepſin dici, eam Apoſtolis eſſe a Patre dandam: quia nimirum ejus effectus ſeu dona varia illis ſint danda. Verùm nec iſtud effugium locum hîc habet. Etenim ex collatione iſtius loci, cum verbis verſic. 26. ejuſdem capitis, itemque cum verbis ℣. 26. cap. ſeq. facilè cuivis apparet, eatenus Chriſtum aſſerere, Patrem à ſe rogatum diſcipulis eſſe daturum ſpiritum ſanctum, quatenus eum eſſet in nomine Chriſti, aut Chriſtus ipſe à Patre diſcipulis miſſurus. Ita enim priori illo loco ait: *Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. in poſteriori verò: *cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, ſpiritum* (vel potiùs *ſpiritus*) *veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et ſanè quid aliud vel Pater, vel Filius, ad dationem illam pertinens facere poterat, quàm ut ſpiritum ſanctum diſcipulis eo fine mitteret, ut in illis perpetuò maneret, & divina illa, quæ in illis poſtmodum apparuerunt, effecta produceret? Atqui miſſio illa, &, qui eam conſequitur, ſpiritus ſancti adventus, non primò effectis ſpiritus ſancti, huic autem tantùm conſequenter, convenit; quod fieret, ſi non niſi per metalepſin ei tribueretur; ſed contrà. Unde adverſarii ex illa miſſione ſpiritus ſancti perſonam probare ſolent; quod facere non poſſent, ſi eam primò ac per ſe donis ſpiritus ſancti competere judicarent. Quandoquidem hujuſmodi miſſio, cùm perſonæ neutiquam ſit propria, eam etiam probare non poteſt. Quòd ſi ergo miſſio illa ſpiritui ſancto primò ac per ſe competit, non ejus effectis; eadem & dationis erit ratio, quam in miſſione illa conſiſtere vidimus. Naſcitur autem hinc & altera ejuſdem rei ratio. Etenim quòd ſpiritus ſanctus docere debuerit diſcipulos omnia, & dicta Chriſti omnia in memoriam illis revocare, ponitur tanquam miſſionis ſpiritus ſancti, ac porrò etiam dationis illius conſequens, cap. 14. 26. At ſi eatenus tantùm daretur ſpiritus ſanctus, quatenus dona ejus dantur; ea res in ipſa datione ſpiritus ſancti contineretur, non verò illius conſequens foret. Impertitio enim illa ſcientiæ rerum divinarum, vel inprimis pertinet ad effectionem donorum, à ſpiritu ſancto in Apoſtolos profectorum.

Satis hic locus monere poterat adverſarios, ne auderent negare, ſpiritum ſanctum propriè ſic dictum unà cum ſuis effectis nobis dari. Sed non deſunt & alii, qui idem præſtent. Animadverſus enim fuit a cæteris adverſariis, qui iſtiuſmodi reſponſione propterea non utuntur, locus Pauli Rom. 5. 5, ubi ait: *charitatem Dei* (hoc eſt, charitatis divinæ ſenſum) *diffuſam eſſe in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus ſit nobis.* Ubi quidem de eo ſpiritu, qui charitatis divinæ ſenſum in cordibus noſtris diffundat, & ſic ſpiritualis doni auctor ſit, dicitur, eum eſſe nobis datum. Cui loco poteſt addi ille ejuſdem Epiſt. cap. 8. 15, ubi ait Apoſtolus: *accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo* (hoc eſt, per quem, ſeu cujus vi atque impulſu) *clamamus Abba (Pater.) Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii* Dei. De quo & in Epiſtola ad Gal. 4. 6, ait: *miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba, (Pater.)* Sic & 2 Tim. 1. 7, dicitur. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris: ſed virtutis* (ſeu *potentiæ,*) *& dilectionis, & ſobrietatis*, (vel *prudentiæ.*) Quid enim id aliud eſt, quàm non dediſſe nobis Deum ſpiritum ejuſmodi, qui timorem atque ignaviam in nobis efficiat, ſed talem, qui robur ac fortitudinem, qui charitatem, ac prudentiam, aut ſobrietatem, nobis ingeneret? Neminem autem hucuſque audire ac legere memini, qui ſpiritum divinum horum donorum efficientem cauſſam ſpiritum ſanctum propriè dictum eſſe negare auderet. Neque verò in his locis metalepſis ab aliis excogitata locum habet. Etenim effecta quoque ſpiritus ſancti in iiſdem locis commemorantur, tanquam res quædam à ſpiritu ſancto dato diverſæ, atque adeò tanquam effecta rei datæ. At ſi per metalepſin illam ſpiritus ſanctus datus diceretur, nempe ratione effectuum, effectus illi in re data continerentur, nec tanquam ab ea diſtincti commemorarentur. Et hæc quidem ex ſacris literis, adverſus metonymiam & metalepſin in his loquendi modis excogitatam, dicta ſunto.

Quod ad adverſariorum hypotheſes attinet; quamquam illis jam aliqua ex parte uſi ſumus; illud tamen adhuc addendum eſt, quòd iſtiuſmodi ad argumentum noſtrum reſponſione vehementer ipſorum convellitur ratio, quam ad ſpiritus ſancti immenſitatem, ac ſupremam porrò Deitatem probandam afferre ſolent; nempe quòd ſpiritus ſanctus in fidelibus per totum orbem diſperſis habitet. Duplici enim ratione hoc argumentum labefactant, primùm, quia, ſi ipſe ſpiritus ſanctus propriè ſic dictus non datur fidelibus, ſed ejus tantùm effectus; probari non poterit, ipſum ſpiritum ſanctum, ejúſve eſſentiam, in ſingulis fidelibus reipſa eſſe, id quod ad rationem ipſorum concludendam eſt neceſſarium. Deinde quia nec ejuſmodi immenſitas, qualem illi intelligunt, inde probari poterit, niſi ſimul effectum etiam ſpiritus ſancti, vel ſaltem omnia ejùs effecta, per fidelium pectora toto terrarum orbe diſperſa, inter ſe juncta, immenſa eſſe, & Deum ſummum conſtituere velint. Non poſſunt ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

adverſarii negare, ipſum ſpiritum ſanctum, propriè nimirum ſic dictum, fidelibus a Deo dari. Quin ſimul & ſcrarum literarum teſtimonia, & ſuas ipſorum aſſertiones tollant.

Sed nunc laxemus aliquantùm hæc vincula, quibus eos conſtrictos teneri docuimus, & largiamur iis ita poſtulantibus, non ſpiritum ſanctum propriè dictum dari fidelibus, ſed illius tantùm effectum. Non elabentur tamen. Nihilominus enim hinc oſtendemus, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe. Nam primùm ſi ſpiritus ſanctus Deus ſummus eſſet, ne per metonymiam quidem aut metalepſin de eo diceretur, eum ab altero hominibus dari, aut donari, aut homines eum accipere. Quis enim hujuſmodi loquendi rationem, tanquam abſurdam ac Deo ſupremo indignam non reſpuat? Magis ſobriè de Deo ſummo loquuntur ſacræ literæ, quàm ut in ejus nominibus hujuſmodi tropos fingant. Quòd ſi tamen quiſpiam contendat, non eſſe hujuſmodi lòcutionem Deo indignam aut abſurdam; exemplum ſimilis loquutionis, ſive in Dei ſummi, ſive in Patris nomine, aut alio, quod tantundem valeat, oſtendat. Deinde, ſi ita ſe res haberet, non intelligeretur, certum illud donum, ſeu mavis donorum genus dari, quod omnes tamen dari intelligunt, cùm ſpiritus ſanctus dari dicitur. Etenim Dei ſummi dona atque effecta latiſſimè patent. Quicquid enim eſt boni, id ab eo proficiſcitur. Itaque ſi Deum ſummum dari audires, quia nimirum dona ejus dentur; vel omnia bona ſimul dari intelligeres, vel, ſi certum tantummodo donorum genus dari intelligeres, id dari crederes, quod omnium eſt excellentiſſimum, ſive ſolum, ſive cum aliis conjunctum. Idem ergo cogitandum eſſet de ſpiritu ſancto, ſi is Deus ſummus eſſet, & non niſi ratione donorum atque effectuum dari diceretur. Atqui nec omnia bona dari intelliguntur, cùm ſpiritum ſanctum dari audimus; nec id, quod omnium maximum eſt, nempe vita immortalis, aut perfecta juſtificatio: ſed ſtatim mens noſtra fertur ad divinum afflatum ſeu inſpirationem, vel ejus in hominibus effecta; nempe quia ſpiritus divinus propriè ſic dictus, afflatus divinus eſt, ſeu vis a Deo in homines manans, eorum pectoribus cœlitus inſpirata. Hæc, inquam, cauſſa vera eſt, cur mens noſtra, ſpiritum ſanctum dari audiens, ad certum illud doni, aut donorum genus feratur. Sed excipient adverſari, aliam hac in parte eſſe rationem nominis Dei, aut Patris, aut etiam Filii; aliam nominis ſpiritus ſancti, utut is Deus ſit ſummus. Etenim ita diſputant, ut ſuprà quoque indicavimus: etiamſi omnia opera ad extrà toti Trinitati ſint communia, Patri tamen peculiari quadam ratione tribui creationem, Filio redemtionem, ſpiritui ſancto ſanctificationem. Jam verò, inquient, illud doni ſeu donorum genus, quod intelligimus, ſimul ac ſpiritum ſanctum dari audimus, ad ſanctificationem pertinere. Ideo non Dei nomine, tribus perſonis communi, non Patris, non Filii, ſed ſpiritus ſancti nomine deſignari. Vides, per quas ambages mens ab adverſariis eò deducatur, quò illa rectà ſtatim fertur? Eſtne verò credibile, illos ſive Judæos, ſive Ethnicos, qui de ſpiritu ſancto hominibus dando, ſive a Chriſto, ſive ab aliis divinis viris primùm audierunt, vel iſta jam ſciviſſe, vel iis ignoratis non intellexiſſe, quid ſpiritus ſancti nomine ſignificaretur, & tum ſibi, tum aliis promitteretur? Num auditores illi Johannis Baptiſtæ aut Petri, quos ſuprà memoravimus, adeò rerum iſtarum gnari fuerint, ut cogitarent primùm, cùm de ſpiritu ſancto in ſe effundendo audirent, ſibi datum iri aliquem effectum, non primæ aut ſecundæ divinitatis perſona peculiarem, ſed tertiæ, cujus proprium ſit ſanctificare, effectum igitur illum ad ſanctificationem pertinere, ac porrò afflatum divinum eſſe? An non longè pronius illis fuit cogitare id, quod vox ipſâ indicabat, afflatum ſibi divinum, aut ejus effecta promitti? Sed deinde, unde conſtat adverſariis, ita tres divinitatis perſonas inter ſe munera iſta tria partitas? Num illarum fortè concilio interfuerunt, ut tam audacter iſta affirment? Dicent, ex ſacris literis ea de re ſibi conſtare, utpote quæ Patri creationem inprimis adſcribant, redemtionem Filio, ſanctificationem ſpiritui ſancto. De creatione & redemtione non eſt nunc diſputandi locus. Illud tamen obiter dici poteſt, creationem, ſeu primam illam rerum omnium productionem Patri, non inprimis tantùm, ſed ſoli adſcribi; cùm ſolus illius fuerit auctor. Redemtionem adſcribi Filio, nec ſoli ſimpliciter, nec tanquam primo auctori; ſed tanquam cauſſæ mediæ præcipuæ, quæ Patris nomine ac juſſu totum redemtionis ac ſalutis noſtræ opus peregerit, atque adhuc peragat. Quod ad ſanctificationem attinet; nec crebriùs ea adſcribitur ſpiritui ſancto, quàm Patri aut Filio, præſertim aperte, nec tanquàm perſonæ alicui tribuitur, ſed tanquam rei, per quam ſanctificatio peragatur. Patet id primùm ex eo, quòd cùm de Patre expreſſe legatur, eum ſanctificare, uti & de Chriſto; de ſpiritu ſancto nuſpiam, quod ſciam, dicatur, eum ſanctificare; ſed tantùm, in eo, ſeu per eum, homines ſanctificari; aut ſimili aliqua ratione, quæ perſonarum non ſit propria, ſanctificatio ei adſcribatur. De Patre habes loca aperta Joh. 10. 36: XVII. 17, quibus adde 1 Theſſ. 5. 23, ubi facilè apparet, de Patre ſermonem eſſe: ſiquidem hunc ſolum nomine ***Dei*** ſubjectivè poſito, præſertim cùm a Chriſto diſtinguitur, intelligunt ſacræ literæ. Nec facilè crediderim, adverſarios eum locum de ſpiritu ſancto ſolo accepturos. In veteri etiam teſtamento occurrunt loca complura, in quibus Deus aſſerit, ſe eum eſſe, qui populum Iſraëliticum ſanctificet: quæ vel de Patre ſolo, ut nos cenſemus, loquuntur, vel ſaltem etiam de Patre, non de ſpiritu ſancto ſolo. De Chriſto teſtimonia habes Eph. 5. 26: Heb. 2. 11: XIII. 12. Prætereo enim illa loca, in quibus alio quodam modo, vel Patri, vel Filio ſanctificatio adſcribitur. At ſi ſpiritus ſanctus divina perſona eſſet, Patri per omnia æqualis, eique præcipua quadam ratione ſanctificandi actio conveniret; quî fieri poſſet, ut de eo ne ſemel quidem diceretur, eum ſanctificare; de Patre autem & Filio id apertè diceretur? Poſſet quidem ſpiritui ſancto directè ſanctificandi actio tribui, etiamſi perſona non ſit: cum videamus multis aliis rebus ac inprimis qualitatibus quas activas vocant, actiones directè in ſac. literis tribui; & ipſum quoque ſanctificandi actum. Matth. 23. 17, 19. Heb. 9. 13, Sed id fieri non poteſt, ut ſpiritus ſanctus perſona ſit, & ei peculiari ratione præ Patre & Filio ſanctificandi actus competat, nec tamen ei directè uſpiam tribuatur. Attigimus ſuprà & alias rationes, aliud agentes. Etenim in argumento proximè præcedenti oſtendimus, ex iſta adverſariorum hypotheſi ſequuturum, ſpiritum ſanctum Chriſti eſſe Patrem, magis quàm Deus, qui Pater illius ubique dicitur. Vidimus etiam ſuprà, hujus ſect. c. 3. in Epiſtola D. Judæ Patri ſanctificationem peculiariter adſcribi, Chriſto noſtri conſervationem, ſpiritu ſancto ne commemorato quidem. Ita enim Græcus habet textus: *Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, in Deo Patre ſanctificatis, & Jeſu Chriſto conſervatis, vocatis*, ſeu, ut recentiores nonnulli interpretes, perſpicuitati ſententiæ aliquomodo ſtudentes verterunt, *vocatis, à Deo Patre* (vel *per Deum Patrem*) *ſanctificatis, & Jeſu Chriſto ſervatis*. Eſtne credibile, ſi Spiritus Sanctus divina perſona eſſet, cui ſanctificandi actio aliqua ratione magis, quàm Patri & Filio, conveniret, Patri hanc actionem, omiſſa penitus ſpiritus ſancti mentione, tanquam propriam fuiſſe attributam? Vidimus etiam à Paulo aſſeri 1 Cor. 8. 6, omnia ad ſalutem noſtram quoquo modo pertinentia, ex Deo Patre eſſe, tanquam cauſſa primâ; omnia itidem per Filium, tanquam cauſſam mediam; nulla mentione facta ſpiritus ſancti. At ſi ſpiritus ſanctus perſona divina eſſet, cui tam inſignis actio, ad ſalutem noſtram tantoperè pertinens, eximiâ quâdam præ duabus illis perſonis ratione competeret; non modò omitti illius mentio non potuiſſet, ſed nec rectè affirmari, *omnia eſſe ex Patre*, aut, *omnia eſſe per Chriſtum*. Siquidem perſona illa ſpiritus ſancti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vel ut prima ſupremáque cauſſa, in re tanta aliquid haberet præ Patre, vel ut media, præ Filio: cùm tamen Patri, tanquam primæ cauſſæ, Filio autem tanquam mediæ, proximum tamen à prima locum tenenti, non aliqua, ſed *omnia* in ſolidum tribuantur. Denique non fert vulgaris de Trinitate ſententia, iſtiuſmodi actionum ac munerum partitionem. Etenim ſi unus idémque numero perſonis illis eſt intellectus, voluntas, potentia, nec quicquam iſtorum uni magis, quàm cæteris ineſt; neceſſe eſt, & unam numero omnium illarum eſſe operationem, ut etiam fatentur adverſarii, nec unam perſonam magis quippiam agere, quàm alteram. Iſta enim actionis diverſitas aut inæqualitas, non niſi inde oriri poſſet, quòd una perſona de hac re, altera de illa, tertia de alia, vel magis cogitaret, vel eam magis exercere vellet, vel denique magis præſtare poſſet. At iſtiuſmodi diſcrimen in illa unitate ſtatui pon poteſt. Quia cùm perſonæ illæ eodem planè intellectu, non alio atque alio cogitent, ſimiliter & voluntate velint, & potentiâ eâdem numero exteriùs operentur, tantum cogitat, vult, & operatur una, quantum altera; non una magis, quàm altera. Patet ergo, ſanctificationem, & quicquid ad eam pertinet, nullo modo magis competiturum ſpiritui ſancto, quàm Patri & Filio, ſi is unus eſſet cum utroque Deus.

Atque hinc tertia emergit ratio, quâ demonſtratur, ne per metonymiam quidem de ſpiritu ſancto dici poſſe, eum dari, aur ab hominibus accipi, ſi is Deus ille unus cum Patre & Filio ſtatuatur. Sequetur enim, non magis ſpiritum ſanctum, quàm Patrem & Filium nobis dari, atque à nobis accipi. Siquidem illa dona atque effecta, quorum reſpectu ſpiritus ſanctus dari diceretur, non magis a ſpiritu ſancto, quàm à Patre & Filio proficiſcerentur; nec alia ratione ab his, aliâ ab illo, ſed eâdem prorſus. At quis unquam fando audivit, quis legit, Patrem cuipiam dari, aut, ut nobis detur, peti, cùm ſpiritus ſancti dona petuntur? quis Filium ſibi dari hodiè poſtulat, eadem illa effecta petiturus? Quis illum ferat, qui Chriſtum roget, ut ſibi det Patrem; aut ſpiritus ſancti perſonam oret, ut Patrem & Filium, & ſe quoque ipſum nobis largiatur? Atqui ſi vim ſententiæ adverſariorum ſpectes, ad eum modum orare optimo jure licebit. Et certè fideles, cùm dona ſpiritualia petunt, non id ſpectant, ut ea dentur, quæ à tertia divinitatis perſona nominatim proficiſcantur, quaſi illis perinde non ſit, ſive à Patre ipſo, ſive à Filio eadem immediatè proficiſcantur. Quid enim illi tunc aliud quærunt, quàm ut divina virtute imbuti, aut uberiore myſteriorum divinorum cognitione, aut cœleſti quodam gaudio, aut ſingulari pietatis ardore, aut aliis cœleſtibus donis compleantur? quæ omnia tam à Patre & Filio immediatè proficiſci poſſe, quàm ab illa, quæ ponitur, ſpiritus ſancti perſona, facilè omnes intelligunt. Quare, ſi ſpiritus ſanctus Deus ſummus eſt; nulla eſt cauſſa, cur ea dona magis ſpiritus ſanctus, quàm Pater aut Filius appellentur; aut cùm ea à Deo petuntur, ac dantur, magis ſpiritus ſanctus, quàm Pater & Filius, peti ac dari dicatur.

Denique ſi ſpiritus ſanctus Deus ſummus eſſet, non ab alia perſona daretur, aut peti jubererur; ſed ab ipſomet potiùs, tanquam primo ſimul ac proprio fonte, dona illa peti, ſaltem alicubi juberentur. At id nuſpiam fit. Duplex quodammodo in hoc uno argumento latet ratio; altera, quòd ab ipſo nuſpiam peti jubeantur dona ab eo manantia, uti nec quicquam aliud: qua de re ſuprà cap. 2, hujus ſect. nonnihil dictum eſt; ut non ſit neceſſe hîc immorari. Altera, quod ab alio, nempe Patre, peti ſpiritus ſanctus jubeatur, & dari dicatur. Ex hoc enim ſequitur, ſpiritum ſanctum non poſſe non diſtribuere dona ſua, cùm Pater ita vult; nec contrà diſtribuere, cùm Pater non vult. Si enim poſſet ea diſtribuere, Patre etiam nolente, aut eo licèt volente, non diſtribuere; ſatius eſſet, ipſum ſpiritum ſanctum rogare, ut ea nobis largiretur, quàm Patrem. Præterquam quòd inde ſequuturum eſſet, Patrem non eſſe ſummum illum Deum; ut qui non omnia dona abſolutè in ſua poteſtate habeat, &, utut quædam munera largiri hominibus velit, non poſſit tamen, niſi ex alieno conſenſu. Jam verò ſi ſpiritus ſanctus non poteſt non diſtribuere dona ſua, cùm Pater vult; nec diſtribuere, cùm Pater non vult; & ſic neceſſariò ad alienum ſe componit arbitrium; Deus ſummus non eſt. Deus enim ſummus ſui prorſus eſt arbitrii, ſui juris; nec ad alienum ſe arbitrium unquam componit, præſertim neceſſariò. In aliena enim foret poteſtate, & ſic ſuperiorem alium agnoſceret, quo ipſo Deus ſupremus eſſe deſineret. Quòd ſi dicas, non poſſe quidem ſpiritum ſanctum aliter agere, quàm Pater velit; ſed id non eam ob cauſſam fieri, quòd in Patris ſit poteſtate, ſed quia ejuſdem numero ſit cum eo eſſentiæ ac voluntatis, ita ut ne poſſit quidem aliter vel velle, vel agere, quàm Pater velit, aut agat; vide, in quas te difficultates, in quos laqueos conjicias. Si enim ob iſtam unitatem neceſſariò idem volunt atque agunt Pater & ſpiritus ſanctus; ut ſanè aliter fieri non poſſet, ſi unius forent eſſentiæ; cùm Pater voluit mittere, atque adeò miſit ſpiritum ſanctum, ſpiritus ſanctus etiam ſeipſum voluit mittere, ac porrò reipſa miſit: & contrà, cùm ſpiritus ſanctus mitti voluit, Pater quoque ipſe mitti voluit; cùm in forma corporea ſuper Chriſtum deſcendere voluit, ac porrò deſcendit ſpiritus ſanctus, voluit & ipſe Pater in eadem deſcendere, ac porrò deſcendit. Et quis tandem abſurdorum finis? Sed in eas ſalebras, imo præcipitia ſe conjicere neceſſe eſt, qui à plana ac ſimplici veritate, tam clarè in ſacris literis expreſſà, ultrò deflectunt. Quod ii faciunt, qui non ipſum ſpiritum ſanctum, ſed ejus tantùm effectum nobis dari contendunt. Nos rectum illud iter ſequentes, poſtquam oſtendimus, ex eo, quòd ſpiritus ſanctus hominibus detur, conſequi, eum non eſſe Deum ſummum; nunc etiam oſtendemus, eum perſonam non eſſe.

Id autem hinc facilè patet, quòd nulla perſona eodem tempore pluribus, nedum infinitis, ita dari poſſit, ut in ſingulis reipſa ſit atque habitet. At hoc modo ſpiritum ſanctum fidelibus per totum orbem diſperſis dari jam vidimus. Non poſſe autem perſonam illo, quo dictum eſt, modo dari, inde patet, quòd perſona illa vel infinita eſt, vel finita. Si infinita eſt, nil eſt neceſſe eam hominibus dari, ut in illis exiſtat atque habitet; imò ne poteſt quidem dari; ſiquidem ſemper in illis fuit, & ob infinitatem ſuam non potuit non eſſe; ut alias difficultates nunc omittam. Si finita eſt; ut taceam, eam ab adverſariis pro Deo ſummo agnoſci minimè poſſe; non poteſt ea pluribus, atque adeò innumeris hominibus ſimul ita dari, ut in ſingulis reipſa exiſtat. Aliàs eam diſcerpi in partes oporteret; quod ipſum perſonam illam perimeret.

Facile jam eſt animadvertere, nullam vim habere illam adverſariorum inſtantiam a Chriſti datione petitam. Ajunt enim, etiam Chriſtum nobis datum, Eſa. 9. 6. Addunt nonnulli & illud Pauli Rom. 8. 32, Deum *nobis omnia cum Chriſto donaturum*. Atqui Chriſtum & perſonam eſſe, inquiunt, & ſummum præterea Deum: Deum ſummum non eſſe, nos jam antea docuimus; & vel ex iis ipſis locis, qui adducuntur, evinci poteſt. Deus enim ſummus nec parvulus eſt, nec naſcitur, nec eſt Dei filius; non poteſt ille pro nobis tradi, ne a ſeipſo quidem, nedum ab alio; non ejuſmodi eſt, ut vel parci ei poſſit, vel non parci. Sed præterea, ut id agamus, quod hujus loci eſt proprium; cùm ab Eſaia dicitur, filium nobis eſſe datum, non ſignificatur, eum ita datum, ut reipſa in nobis ſit, aut a nobis aliqua ratione poſſideatur, quo ſenſu ſpiritus ſanctus nobis dari dicitur; ſed eum eſſe datum in noſtram utilitatem, ſeu ſummo noſtro bono ac commodo: quod facilè apparet ex præcedenti commate, ubi eodem ſenſu dicitur parvulus eſſe *nobis natus*. Neque enim Chriſtus *nobis natus* dicitur, ut in nobis exiſtat, aut a nobis poſſideatur, ſed ut noſtræ utilitati per eum conſulatur. Dativus nimirum perſonæ ſæpe finem *cui*, ut loquuntur, non poſſeſſorem ſignificat, ut a vi-

ris

ris doctis eſt animadverſum. Atque hinc illa appellatio finis *cui* nata eſt. Quòd ſi quis dicat, etiamſi ex iſto Eſaiæ loco evinci nequeat, ita Chriſtum nobis datum, ut in nobis habitet; id tamen aliunde conſtare. Apoſtolum enim Epheſiis optare Eph. 3. 17, ut habitet Chriſtus per fidem in ipſorum cordibus: animadvertendum eſt primùm, non vi dationis illius, de qua apud Eſaiam ſermo eſt, tanquam cauſſæ proximæ, Chriſtum habitare in cordibus fidelium: quemadmodum ſpiritus ſanctus, ſimul ac fidelibus datur, in iis habitat. Siquidem datio iſta Chriſti contigit hominibus, etiam nondum credentibus, &, ſimul ac natus fuit, perfecta fuit. At Chriſtus in cordibus hominum non habitat niſi per fidem, ut ipſe locus oſtendit. Deinde & illud animadvertendum eſt, Chriſtum iſtic metonymicè ſumi pro religione aut doctrina ab eo tradita, ut fit etiam infrà in eadem Epiſtola cap. 4. 20, 21, Sic & Moſes pro Lege per eum tradita ſumitur, Act. 15. 21: 2 Cor. 3. 15. Senſus ergo verborum Apoſtoli eſt: Det vobis Deus, ut conſtanter in cordibus veſtris credatis atque adhæreſcatis doctrinæ Chriſti, eáque ſit animis veſtris per fidem penitus infixa. Et etiamſi tandem de perſona Chriſti ſermo eſſet; non ſequeretur tamen, Paulum optare, ut is reipſa ac propriè in fidelium cordibus habitet, ſed ut gratiâ, ope, ac ſpiritu ſuo id faciat. Quod ſatis indicat & votum Apoſtoli, & modus ſeu cauſſa media illius habitationis, ab eo expreſſa, nempe *per fidem*. Nam ſi eſſentiâ ſuâ Chriſtus in iis habitaret, in omnibus prorſus hominibus, ſive credentibus, ſive non credentibus, habitaret. Id enim fieret ob immenſitatem ejus naturalem, quæ nullo prorſus loco excluderetur, qualiſcunque tandem ſit; nec in ea re vel fidei, vel incredulitatis poſſet haberi ratio. Neceſſarium enim eſt, ut quod eſſentiâ immenſum eſt, omnia loca, omniaque omnium pectora compleat. Nihil ergo vel ille Eſaiæ, vel hic ad Epheſios locus ad rem facit. Locus verò ille Epiſtolæ ad Rom. ne id quidem dicit, quod ille Eſaiæ. Nam *omnia nobis cum Chriſto donatum iri*, ita interpretari poſſumus, & rectiùs quidem, Deum nobis omnia, (nempe quæ nobis promiſit) perinde ut Chriſto, donaturum, ſeu, ut ſuprà eodem cap. dixerat Apoſtolus, nos Chriſti cohæredes fore, & cum ipſo conglorificandos eſſe, ℣. 17. Conformes enim debemus fieri imagini Filii Dei, ut ſit ipſe primogenitus inter multos fratres, ℣. 29, ad quem verſiculum oculum hîc intendere videtur Apoſtolus. Neminem autem offendere debet loquendi ratio, quaſi *cum ipſo* non poſſit ſignificare, *perinde ut ipſi*. Siquidem jam vidimus, nos conglorificandos eſſe, nempe cum Chriſto, hoc eſt, ita ut Chriſtus glorificatus fuit. Sic in eadem Epiſtola dicitur, *nos cum ipſo conſepultos*, hoc eſt, perinde ut ille, ſepultos; & *veterem noſtrum hominem cum ipſo crucifixum eſſe; nos cum illo mortuos; cum ipſo* Rom. 6. 4; 6, 8, hoc eſt, non ſecùs ac ipſe, *victuros*. vide etiam 2 Tim. 2. 11, 12.

Appendix argumenti præcedentis, in qua urgentur loca, in quibus ſpiritus ſanctus arrhabo appellatur, eóque homines dicuntur obſignari, itémque eo perfundi, baptizari, potionari.

TEſtimoniis de datione & acceptione ſpiritus ſancti loquentibus, adjungamus alia, quæ licèt per ſe quoque adverſus ſententiam de ſpiritu ſancto vulgarem urgeri poſſent; tamen quia non multum ſunt prioribus diſſimilia, ideo ea prioris argumenti mantiſſam eſſe volumus. Primùm autem huc pertinent ea ſcripturæ teſtimonia, in quibus ſpiritus ſanctus pignus, vel potiùs, ut Græcus habet textus, arrhabo, ſive ſimpliciter, ſive hæreditatis noſtræ dicitur, 1 Cor. 1. 22, & 5. 5, & Eph. 1. 14. Eſt autem arrhabo pars rei promiſſæ in anteceſſum data, quæ de reliquo etiam eum, cui quippiam promiſſum eſt, certum reddat. Itaque quia Deus hæreditatem promiſſam nondum reipſa nobis exhibet, ſpiritum ſanctum velut in anteceſſum nobis dat, qui de futura hæreditate, donec in eam nos reipſa mittat, certos nos ac ſecuros reddat. Hinc autem ſatis apparet, ſpiritum ſanctum non eſſe Deum ſummum. Hic enim promiſſor ipſe eſt, non arrha aut pignus rei promiſſæ. Quis ſeipſum oppignorat, aut arrhæ loco dat? aut quo pacto Deus ab homine arrhæ pignoríſve loco accipi poteſt? Arrha enim poſſidetur aliquo modo ab eo, cui datur. Quo autem pacto Deus ſummus poſſideri ab homine poteſt? Præterea an credibile eſt, Deum nobis jam nunc plus dediſſe, quàm ſe olim daturum promiſerit? Id ſane nec arrhæ ratio fert, nec illud patitur, quòd omnium confeſſione olim longè feliciores ac dignitate præſtantiores, imò tunc demum verè felices ac glorioſi evademus. At plus nobis nunc dediſſet, ſi ſpiritus ſanctus Deus ſummus eſſet, quam eſt ipſa hæreditas nobis promiſſa. Quis enim hæreditatem noſtram, licèt tempore infinitam, cum Deo comparare audeat?

Admonent autem nos loca citata etiam alterius loquendi modi de ſpiritu ſancto uſurpati, qui docet, eum perſonam divinam non eſſe. Eſt autem ille, quòd ſpiritu ſancto credentes dicantur obſignati. Sic enim apertè ſcribitur Eph. 1. 13, cui ſimilis eſt locus c. 4. 30. Quamquam enim in poſteriori loco dicitur, Epheſios eſſe obſignatos *in ſpiritu ſancto*, quod nonnulli interpretantur, *per ſpiritum ſanctum*: docebimus tamen paulò inferiùs, etiam aliis locis, & quidem ubi de ſpiritu ſancto ſermo eſt, particulam *in* redundare ex Hebraiſmo: idque hoc loco fieri ſatis apparet, tum ex collatione verborum cap. 1. 13, ubi particula illa omittitur, tum ex re ipſa. Neque enim hîc oſtendere voluit Apoſtolus, quis obſignarit, ſed quàm præſtanti ſigno fuerimus notati, & a Deo veluti communiti, quod intuentes, de futura noſtra redemtione dubitare minimè poſſimus; & porrò, quantum nobis datum ſit, conſiderantes, diligenter caveamus, ne tanto nos bono, ſermonum forte vanitate, privemus, & characterem notamque nobis a Deo impreſſam deleamus atque obliteremus. Id verò non expreſſiſſet Apoſtolus, ſi tantùm dixiſſet, nos per ſpiritum ſanctum eſſe obſignatos; niſi fortè quis hujuſmodi verba ſumere velit in eam ſententiam, in quam nos ea dicta eſſe volumus; nempe ut intelligatur, nos ipſo divino ſpiritu fuiſſe obſignatos, ſeu ſpiritum ſanctum eſſe inſtar ſigni, notæ, ac characteris nobis impreſſi, quo nos Deus, tanquam peculium ſuum, notârit, nos ſacros & inviolabiles, & ab omni interitûs periculo, modò officium noſtrum faciamus, tutos reddiderit. Idem indicavit Apoſtolus 2 Cor. 1. 22, præſertim ſi quis eum locum conferat cum duobus iſtis, quos ex Epiſtola ad Eph. citavimus, & maximè cum priori. Nam & res utrobique eadem explicatur, nec verba multùm diſcrepant. Etenim illic quidem, cùm dixiſſet Apoſtolus ℣. 21, *qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto* (Græcè *in Chriſtum*) *& qui unxit nos Deus* (ſcil. *eſt*:) addit ℣. 22, *qui &* (vel *etiam*) *ſignavit nos, & dedit pignus* (Græcè *arrhabonem*) *ſpiritûs in cordibus noſtris*. Hîc verò ait: *In quo* (hoc eſt, per quem, ſcil Chriſtum) *& credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto*, (hoc eſt, ſpiritu ſancto promiſſo) *qui eſt pignus* (vel *arrhabo*) *hæreditatis noſtræ, in diem redemtionis*, &c. Poſterius nimirum ad explicationem prioris additur, & quod arrha hæreditatis noſtræ eſt, idem etiam eſt ſigillum, quo ſumus notati. Hinc autem iterùm apparet, nec Deum ſummum, nec perſonam eſſe ſpiritum ſanctum. Neque enim perſonâ quippiam obſignatur, ſed re aliqua: nec quicquam eſt abſurdius, quàm dicere, Deum ſummum, cujus nos peculium ſumus, & qui nos obſignavit in diem redemtionis, ipſum eſſe ſigillum, quo nos obſignemur.

Ex his etiam illud apparet, fruſtra eſſe adverſarios, qui ex verbis Eph. 4. 30, perſonam ſpiritus ſancti exſculpere conantur, quia a nobis contriſtari ac moleſtiâ affici dicatur. Quaſi verò & ſimilia charitati non tribuantur, quæ dicitur *gaudere veritate*, & contrà, *non gaudere* (quod perinde eſt ac triſtari) *injuſtitiâ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

1 Cor. 13. 6, & non ſit faciliùs proſopopœiam hîc invenire, quàm oſtendere, perſonæ alicui, & ipſi quidem Deo ſummo, convenire, ut ſit ſigillum hominibus impreſſum. Certè qui Rom. 8. 26, ſpiritui ſancto gemitus impropriè tribui volentes nolentes agnoſcere coguntur; nullam cauſſam habent, cur, figuratè eidem contriſtationem adſcribi nolint; præſertim cùm nec ipſi contriſtationem ei propriè adſcribere poſſint. Siquidem ea in Deum propriè non cadit.

Quòd ſi dicant, etiam illud de ſpiritu ſancto impropriè ac per metaphoram dici, quòd eo obſignemur: reſpondemus, etiamſi res metaphorico illo loquendi modo expreſſa, propriis verbis concipiatur, nihilominus tamen eandem argumenti noſtri vim futuram eſſe. Significatur enim, ut dictum eſt, ſpiritum ſanctum rem quandam eſſe a Deo nobis datam, quâ de futura noſtra redemtione ac felicitate nobis promiſſa certi reddamur. Deinde etiamſi metaphorica ſit illa loquendi ratio, non tamen ejuſmodi eſt, ut perſonæ ſit accommodata. Neque enim quævis metaphora cuivis rei accommodata eſt. Proferatur vel unus aliquis ſive ex profano, ſive ex ſacro ſcriptore locus, ubi quis perſonâ aliquâ dicatur obſignari. Quare, ſi ſpiritus ſanctus perſona eſſet, ejuſmodi uſus eſſet Paulus metaphorâ, quæ perſonæ eſſet accommodata, & non minùs rem, de qua hîc agebatur, expreſſiſſet, quàm vox obſignationis. Dixiſſet nimirum, ſpiritum ſanctum eſſe ſponſorem, aut vadem, aut obſidem, vel arrhabonis, aut pignoris nomine fuiſſet contentus, quod poſterius interdum per metaphoram perſonis accommodatur. At perſonam aliquam, quæ alicui data, eum de ſalute atque incolumitate certum reddat, ſigno comparari, ei perſonæ, cui cavetur, impreſſo, ſeu eâ quempiam obſignatum dici, id prorſus inauditum eſt. Neque verò in locis adductis quicquam præcedit, quod ad tam audax, imò abſurdum metaphoræ genus, potiùs quàm ad aliud, inſtituto æquè, perſonæ autem magis accommodatum, occaſionem Apoſtolo dederit. Inuſitatæ autem metaphoræ ac figuræ, a viris cordatis ac gravibus uſurpari non ſolent, niſi occaſio peculiaris eos invitet, atque eò ducat; nedum ut præter omnem neceſſitatem ita abſurdè loquantur. Idem dictum volumus etiam iis, qui per metonymiam aut metalepſin hæc de ſpiritu ſancto pronunciari aſſerunt, nempe ratione donorum ab eo profectorum. Sunt enim & metalepſes aliæ perſonis aliqua ratione accommodatæ, vel ſaltem uſu magis receptæ. Inuſitatæ autem viris cordatis affingendæ non ſunt, niſi eos certa quadam occaſione ad eas deductos eſſe appareat. Quamquam iidem adverſarii etiam metaphoram excuſare tenentur, quæ nihilominus cum metalepſi concurreret.

Tertio loco commemorari merentur illi ſcripturæ ſacræ loci, in quibus *ſpiritus ſanctus in homines effundi* dicitur, quales ſunt iſti: Eſa. 44. 3: Joël. 2. 28, 29, (qui locus citatur a Petro Act. 2. 18, 19:) Zach. 12. 10: Tit. 3. 6, quibus & illi ſunt adjungendi, in quibus homines dicuntur *in eo*, ſeu *eo baptizari*, ejúſque baptiſmus aquæ baptiſmo a Johanne uſurpato opponitur, ut ſit Matth. 3. 11, & locis apud cæteros Euangeliſtas ei reſpondentibus, itemque Joh. 1. 33: Act. 1. 5: XI. 16: adde 1 Cor. 12. 13, licet ibi *in uno ſpiritu baptizari*, a quibuſdam acceptum ſit, pro, per unum ſpiritum baptizari, quo nimirum pacto dicere poſſemus, nos per Chriſtum baptizari, per quem Deus ſpiritum ſanctum in nos ubertim effudit, Tit. 3. 6, cùm tamen aliàs, ubicunque phraſis illa, *in ſpiritu baptizari*, extat, omnibus fatentibus, nil aliud ſignificet, quàm *ſpiritu baptizari*, redundante apud Græcos particula *in*, quæ ex Hebraiſmo manavit. Quia enim id, quod Græci ſimplici dativo, Latini ablativo efferunt, Hebræi ſine particula præfixa, quæ ferè eſt *Be*, hoc eſt, *in*, efferre non poſſunt; ideo ea à ſcriptoribus Græcis hebraizantibus ſæpe retinetur, & dativo, qui ſolus eam vim habere poterat, præfigitur. Ita autem verba illa *in ſpiritu ſancto* alibi intelligenda eſſe, facilè apparet ex membro oppoſito. Nam in plæriſque locis, in quibus dicitur, Johannem aquâ baptizâſſe, Græcè eſt *in aqua*; in uno tantùm loco Act. XI. 16, omittitur particula *in*, & ſimpliciter ac ſine Hebraiſmo dicitur, *aquâ* eum baptizâſſe. Quare idem de loco 1 Cor. 12, ſtatuendum eſt; præſertim cùm ex re ipſa ſatis pateat, Apoſtolum unitatem fidelium ex eo demonſtrare velle, quòd omnes eodem ſpiritu ſint imbuti ac repleti. Quod ut tantò ſignificantiùs exprimeret, etiam potationis facit mentionem. Quia enim liquoris tum quiſpiam plenè fit particeps, cùm eo & tingitur exteriùs, eíve immergitur, & eo potatur, ſeu mavis, potionatur, ut interiùs etiam eo repleatur: ideo Paulus, ut ſignificaret, Chriſtianos uſquequaque repletos fuiſſe ſpiritu ſancto, eos ita potionatos fuiſſe ait, ut unum ſpiritum haurirent, eoque penitus imbuerentur. Quod convenit cum illo Chriſti, qui homines ad tam præſtantis doni participationem apud Johannem invitans, ita ait: *ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat* Joh. 7. 37, intellige de illa *aqua vivente*, quam ſpiritum ſanctum eſſe ex ſequentibus conſtat. Addantur his illa quoque loca, in quibus ſpiritu ſancto, vel Chriſtus ipſe unctus eſſe dicitur, vel alii uncti eſſe ſignificantur Eſa. 61. 1: Luc. 4. 18: Act. 10. 38: adde Heb. 1. 9: ex Pſal. 45. 8: 2 Cor. 1. 21: 1 Joh. 2. 20, 27. Ex his enim omnibus intelligitur, ſpiritum ſanctum perſonam non eſſe, nedum ut ipſe Deus ſupremus ſit. Quis dixerit, perſonam aliquam, nedum Deum ſummum, in homines effundi, eâ homines baptizari, potionari, ungi? Virtute divina aliquem ungi poſſe id ipſum ſatis docet, quòd Chriſtus eo loco Actor. 10. 38, ubi ſpiritu ſancto unctus dicitur, etiam virtute nempe divina, unctus dicitur. Metonymiam, quæ in his loquendi modis fingitur, ea refutant, quæ ſuprà diximus. Quanquam etiam admiſſa indicaret, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe. Quis enim credat, ſacros ſcriptores in Dei ſupremi nomine toties ejuſmodi uſurpare metonymias, & loquendi formulas, quæ non modò per ſe a ſupremæ divinitatis ratione vehementer abhorreant, ſed quarum ſimiles ne in aliarum quidem perſonarum nominibus, vel in vulgari ſermone, vel in ſacris literis temerè occurrant?

Cap. IX.

Argumentum nonum ex iis locis ductum, quæ partitionem quandam ſpiritus ſancti arguunt.

Verùm nondum penitus a datione Spiritus Sancti nobis eſt diſcedendum. Aliud enim adhuc argumentum ſuppeditat nobis dationis illius modus, ſeu voces quædam, quæ aliquibus in locis, ubi donationis illius fit mentio, adjiciuntur. Nam 1 Joh. 4. 13. legimus, Deum *de ſpiritu ſuo nobis dediſſe*; id quod ſignificat, Deum non univerſum ſuum ſpiritum, ſed ejus partem quandam dediſſe. Id quod in perſonam, præſertim divinam, ſummúmque adeò Deum, non cadit. Divina enim perſona in partes diſtribui nequit; &, ſi cuipiam daretur, non niſi tota daretur. Dicet fortè quiſpiam, in Græco legi, Deum *ex ſpiritu ſuo* nobis dediſſe, quod ſignificare poſſit, Deum non quidem ipſum ſpiritum ſuum, aut ejus partem aliquam dediſſe, ſed aliquid a ſpiritu iſto manans. Hanc enim vim voculæ *Ex* ſæpè eſſe, ut ſignificet cauſſam efficientem. Quo pacto omnia dicuntur *eſſe ex Deo*, Rom. XI. ult. 1 Cor. 8. 6. & ſanctus Mariæ conceptus eſſe *ex ſpiritu ſancto*, Matt. 1. ℣. 20. Verùm iſtam interpretationem hoc loco haudquaquam eſſe admittendam, primùm ſimillimus apud eundem Johannem locus, ubi idem plane agit Apoſtolus, demonſtrat. Is verò extat ſub finem cap. 3. ubi cùm dixiſſet, charitatem inprimis commendaturus, eum, qui ſervet mandata Dei, in ipſo manere, & ipſum in eo, addit: *& in hoc ſcimus, quoniam* (vel *quòd*) *manet in nobis, ex ſpiritu, quem dedit nobis.* Vides, eum dicere, Deum dediſſe nobis ſpiritum, nempe ſuum, & ex eo cognoſci, eum in nobis manere? Cur ergo non idem dicat in loco noſtro cap. 4. ubi cùm aſſeruiſſet, ſi diligamus nos invicem, Deum in

nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nobis manere, & charitatem ejus in nobis perfectam eſſe, addit: *In hoc cognoſcimus, quoniam* (vel *quòd*) *in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam* (vel *quòd*) *ex ſpiritu ſuo dedit nobis.* Similitudo ipſa locorum evincit, Johannem, quemadmodum illic dixit, Deum nobis ſpiritum ſuum dediſſe, ita & hîc idem dicere; niſi quòd hîc paulò diſtinctiùs loquens, indicat, Deum non totum ſuum ſpiritum, ſed de illo, ſeu partem illius nobis dediſſe. Deinde res ipſa id poſtulat. Voluit enim ac debuit exprimere Johannes, quid nobis dederit Deus, ex quo certò cognoſcere poſſimus, Deum in nobis habitare. Id verò non expreſſiſſet, ſi tantùm dixiſſet, Deum dediſſe ex ſpiritu ſuo, tanquam cauſſa efficiente. Quid enim illud eſſet, tantùm cogitandum nobis reliquiſſet; & manca eſſet ſententia. Perinde ac ſi quis diceret, Deus nobis dedit ex ſe, tanquam cauſſa efficiente. Quæ oratio non ſatis digna foret viro cordato, nedum Apoſtolo. At illa, quam expreſſimus, ſententia, & perfecta eſt, & rem datam apertè exprimit, & talem quidem, quæ clariſſimè demonſtret, Deum ſingulariſſima ac diviniſſima quadam ratione in nobis habitare, & nos in ipſo, arctiſſimumque inter nos & ipſum amoris ac conjunctionis eſſe vinculum. Quomodo enim arctiùs cum ipſo jungi poſſemus, aut ille nobiſcum, quàm cùm de ſpiritu ſancto nobis impertivit? Idem, quòd illis Johannis verbis, indicatur etiam iſto loquendi modo, quo utitur cum Græcis Veter. Teſtamenti interpretibus Lucas, Petri orationem Græcè deſcribens, in qua Joëlis locus citatur, Act. 2. ỷ. 18, 19. Nam loco ejus, quod adud Joëlem Deus dicit, *Effundam ſpiritum meum*, in Petri verbis dicitur, *Effundam de ſpiritu meo*: eodem quidem manente ſenſu, ſed ita tamen expreſſo, ut ſignificetur, Deum non totum ſpiritum ſuum effuſurum ſuper omnem carnem, ſuperque ſervos & ancillas ſuas, ſed illius veluti partem quandam. Eſt enim immenſa illius apud Deum copia, quæ in ipſo tanquam fonte ſuo reſidet, ab ipſo autem, quando & quatenus vult, procedit ac manat, non ſecùs ac lumen à ſole; aut ut vis illa, quam influentiam vocant, ab aſtris; aut ut calor ab igne in res ei admotas. Liceat enim rem diviniſſimam ſimilitudinibus illuſtrare, quarum non abſimiles habes de ſapientia à Deo manante apud Auctorem libri Sap. cap. 7. 26, 27. Quemadmodum igitur res à nobis memoratæ vim ſuam diffundunt, ac in plura ſubjecta, idque ſæpe inæqualiter, diſtribuunt: ita & Deus vim virtutemque ſuam pluribus communicat, nec omnibus eâdem menſurâ, eodémque gradu. Unde quædam ejus virtutis oritur partitio: ne quis miretur, nos ſcripturam ſecutos, aliquam ſpiritus ſancti partitionem urgere. Quanquam quid opus eſt id defendere, aut excuſare, quod tam apertè ſacræ literæ aſſerunt? Quid enim eſt, quod Auctor Epiſt: ad Heb. cap. 2. 4, ait, Deum teſtimonio ſuo confirmaſſe doctrinam Euangelicam de ſalute ſempiterna, tum ſignis ac portentis, variiſque virtutibus, tum μερισμοῖς ſeu *partitionibus* aut *diſtributionibus ſpiritus ſancti*, hoc eſt, ſpiritum ſanctum diſtribuendo in fideles, iiſque variâ menſura, prout placuit, impertiendo? Quid item illud eſt, quod olim ad Moſen dixit Deus: Num. XI. 17: *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis*, nempe ſeptuaginta ſenioribus; quod etiam poſtea reipſa factum eſſe cernimus. Ita enim infrà legimus, ibid. ỷ. 25: *Auferens* (Dominus) *de ſpiritu, qui erat in Moſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetarunt*, &c. Quid porrò illud quod de Eliſæo legimus, 4 Reg. 2. 9, qui voluit ſibi dari *duplicem ſpiritum* Eliæ, vel, ut eſt in Hebræo, *os duorum in ſpiritu* Eliæ, hoc eſt, partem ejus ſpiritus duplicem, ſeu duobus ſufficientem, ut à viris doctis explicatur, ex collatione hujus loci cum illo Deut. 21. 17, ubi eadem phraſis, quanquam in re alia, occurrit. Jubetur enim ibi pater dare *duplicia*, Hebr. *os duorum*, ſeu duplicem bonorum partem, primogenito ſuo filio, ex uxore licèt odioſa ſuſcepto. Neque verò fruſtrà illud petiit Eliſæus, ut ex ſequentibus ejus loci verbis intelligitur. Quid, quòd & primitiarum ſpiritûs mentionem facit Paulus, Rom. cap. 8. ỷ. 23. Quid autem aliud ſunt primitiæ alicujus rei, quam primæ ſelectæque ejus partes? Denique cùm Johannes ait, *Deum non ad menſuram dare ſpiritum*, Joh. 3. 34. quid aliud vult, quàm Deum copioſiſſimè dare ſpiritum? Id verò dici non poteſt de re, quæ augeri aut minui, quæque dividi in partes quaſdam nullo modo queat. Et ſanè tacitè indicat Johannes, Deum certâ quâdam menſurâ dediſſe aut dare ſpiritum: Chriſto autem ſoli immenſam quandam illius copiam eſſe impertitum. Non eſt autem nobis hoc loco neceſſe omnia dicere, quæ ad pleniorem iſtorum locorum explicationem pertinent. Fiet id, ſi Deus voluerit, aliàs. Satis enim nunc habemus oſtendiſſe, partitionem quandam in ſpiritum ſanctum cadere, quæ in perſonam divinam nequaquam cadit; imò in nullam prorſus, niſi cum quadam ejus corruptione. Spiritui autem ſancto corruptionem nullam affert ejus diſtributio.

Illi autem effugio locum in præcedentibus jam præcluſimus, quòd hæc de ſpiritus ſancti, qui perſona divina ſit, dono ſeu effectu intelligenda ſint. Præterquam quòd ex quibuſdam locis a nobis adductis, cap. 8. hujus ſect. eorumque ſimilibus, appareat, aliud eſſe ſpiritum illum, de quo iſta dicuntur, aliud donum ab adverſariis intellectum, nempe qualitatem aut motum à ſpiritu divino hominibus impreſſum. vide Num. XI. 25, & d. confer inter ſe Joël 2. 28, 29: Zach. cap. 12. 10: & Eſai. XI. 2: Joh. 3. 34. ne commemorem nunc ipſam hiſtoriam effuſionis ſpiritus ſancti Actor. 2, deſcriptam, ex qua patet, aliud eſſe ſpiritum ſanctum in Apoſtolos effuſum ac diſtributum, aliud donum inde profectum. vid. ỷ. 3, 4. De illo autem ſpiritu etiam cætera ſunt intelligenda.

Facilè ex locis à nobis hucuſque adductis plura poſſes conſtituere argumenta. Nam ſinguli loquendi modi, in teſtimoniis partitionem aliquam ſpiritus ſancti, vel apertiùs, vel tectiùs ſignificantibus uſurpati, ſingulas poſſent ſuppeditare rationes. Adeò enim à ſuprema Deitate abhorrent, ut nemo eos auſit de ea uſurpare. Nihil ſanè tale vel de Patre, vel de Filio, vel leviter in ſacris literis indicatum eſt. Quis vel audivit, vel dicere auſit, de Patre, vel de Chriſto, auferri, de ipſo dari aut effundi, eum diſtribui, eum duplicari, eum vel ad menſuram, vel citra eam dari, quempiam ipſius primitias, ſeu primas ac potiores ipſius partes habere? Quæ autem hujus rei eſt alia cauſſa, quàm quia perſonæ ſunt, & quidem divinæ; licèt hic non ex ſeipſo, ſed ex Dei gratiâ & dono. Eadem ergo ratio eſſet & ſpiritus ſancti, ſi is ſummus cum utroque Deus eſſet.

CAP. X.

Augumentum decimum, quòd Spiritum extinguere vetamur, quodque Spiritum Sanctum aliquando non fuiſſe, & an eſſet, à diſcipulis quibuſdam ignoratum fuiſſe, legimus.

SExtum in hoc ordine locum illa merentur Apoſtoli verba, 1 Theſſ. 5. 19. ubi monet, *ne ſpiritum extinguamus*, de ſpiritu divino loquens. Unde itidem intelligitur, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe. Ea enim indicant, ſpiritum illum extingui poſſe. At quis id auſit de Deo ſummo ullo modo dicere? quis ferat ita monentem, cave ne Deum Patrem extinguas? Nónne ipſæ aures ejuſmodi loquendi modos penitus reſpuunt? Eadem autem eſt ratio ſpiritus ſancti, quæ Patris, ſi ſpiritus ſanctus Deus ſummus eſt. Ideo enim illud de Deo Patre dici nequit, quia Deus ſummus eſt. Quòd ſi illud per tropum aliquem, quem cæteroqui verbis ſubeſſe non negamus, excuſare velis; cogitandum eſt, id quod paulò antè monuimus, etiam tropos ſobrios eſſe debere; maximè cùm Dei ſupremi nomen uſurpatur, de quo ita loquendum eſt, loquunturque Apoſtoli, ut majeſtate ipſius eſt dignum. Jam verò monuimus, ejuſmodi lo-

quendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quendi modum Deo minimè eſſe convenientem, & tanquam abſurdum ab auribus ſtatim reſpui. Sublimiori, ac magis figurato, quàm Apoſtoli, ſtylo utuntur Prophetæ nonnulli, qui vel in Pſalmis ac canticis inprimis cernitur. Carminis enim quoddam genus continent, & ad poëtarum ſtylum, quemadmodum à viris doctis obſervatum eſt, propriùs accedunt, quàm ad proſam orationem. At nihil tale iſtic de Deo leges; nedum ut Apoſtolus, qui ſupra vulgi ſermonem vix exſurgit, in præceptis tradendis tam audaci atque inuſitata figura uſus fuiſſe cenſeri debeat. At ſi ſpiritum ſanctum propriè afflatum divinum, ſeu vim quandam a Deo in homines manantem eſſe agnoſcas; eam loquendi rationem minimè abſurdam eſſe facilè intelliges. Nihil enim prohibet, afflatum divinum, in hoc præſertim aut illo homine, ceſſare atque extingui.

Hinc etiam intelligi poteſt ille loquendi modus de ſpiritu ſancto uſurpatus a Johanne: *Nondum erat ſpiritus ſanctus*, (ſic conſtanter legunt Græca exemplaria) *quia Jeſus nondum erat glorificatus* Joh. 7. 20: quod cum nonnulli ex adverſariis ſuæ de ſpititu ſancto ſententiæ minimè conſentaneum eſſe cernerent, ita Latinè legendum putârunt: Nondum erat ſpiritus *datus*. Quam lectionem admittendam * non eſſe, alii ex adverſariis indicârunt, atque oſtenderunt. Non longè ab hac loquendi ratione abit illa, qua uſi ſunt diſcipuli illi Epheſi a Paulo reperti Act. 19. 3. Cùm enim ex iis quæſiiſſet Paulus an ſpiritum ſanctum, fidem amplexi, accepiſſent; reſponderunt, *Se neque, an ſpiritus ſanctus ſit, audiviſſe.* Fingant hìc, quos velint, tropos adverſarii; non perſuadebunt tamen homini cordato, &, quo pacto de re quaque loqui ſoleamus, conſideranti, de ſpiritu ſancto ita vel Johannem, vel diſcipulos illos loqui potuiſſe, ſi ſpiritus ſanctus Deus eſſet. Num tu dices, Deum nondum eſſe, nondum eſſe Patrem, nondum eſſe Filium, quia nondum certus ejus inter homines extet effectus? quo auctore? quo exemplo fretus? Num quiſpiam dixerit, ſe neſcire an Deus ſummus ſit, quia non audiverit, certa ejus dona hominibus contingere? At ſi ſpiritum ſanctum afflatum divinum eſſe cogitâris, ſeu vim quandam a Deo in homines manantem, eos loquendi modos non miraberis. Quia enim Chriſto nondum glorificato, afflatus ille hominibus, licèt credentibus, non ſolebat contingere, & poſtea etiam id fieri Epheſii illi diſcipuli ignorabant; ideo Johannes quidem dixit, Nondum fuiſſe ſpiritum ſanctum, Chriſto nondum glorificato; diſcipuli verò illi, ſe ne audiiſſe quidem, an ſpiritus ſanctus ſit.

Cap. XI.

Argumentum undecimum ex Joh. 15. 26, ubi ſpiritus ſanctus a Patre procedere dicitur.

POſtquam argumenta ex illis duximus ſcripturæ locis, in quibis ea de ſpiritu ſancto dicuntur, quæ non magis perſonis, quàm rebus conveniunt; reliquum eſt, ut ex illis etiam ſpiritus ſancti attributis rationes petamus, quæ propriè quidem ſumta perſonis, vel ſaltem ſuppoſitis tantùm competunt, ſpiritui autem ſancto figuratè tribuuntur; vel primò ac per ſe ſuppoſitis conveniunt, cæteris rebus tantùm conſequenter.

Eorum primum eſto, quòd ſpiritus ſanctus dicatur a Patre procedere. Metaphora quidem eſt aliqua in *procedendi* verbo, quam & adverſarii coguntur agnoſcere Joh. 15. 26, (procedere enim propriè non niſi hominibus aut animalibus ſeipſa loco moventibus competit) ſed ea non impedit, quominus argumentum hinc ducamus. Conſtat enim inter nos & adverſarios, id verbum ad Spiritum ſanctum relatum, ejus a Patre productionem deſignare, per quam nimirum ſpiritus ſanctus reipſa eſt id, quod eſt. Unde adverſarii eam proceſſionem ab æterno factam eſſe volunt; & quemadmodum Filius per generationem a Patre ſuam acceperit eſſentiam, ita ſpiritum ſanctum per proceſſionem, eandem accepiſſe ajunt. De qua re nihil nunc opus eſt explicatius dicere. Fiet id, Domino opem ferente, infra lib. 2. ſect. 2. cap. 1, & d. & ſect. 3. Nunc ſatis eſt id monuiſſe, quod diximus. Etenim ex eo, quòd ſpiritus ſanctus a Patre procedere, eſſentiamque ſuam accipere dicatur, patet, eum non eſſe ſummum illum Deum, ob eaſdem rationes, ob quas ſupra ſect. 2. cap. 2, diximus, Filium Dei non eſſe Deum ſummum, quia a Patre generatus fuerit, ab eoque eſſentiam ſuam acceperit. Eadem enim hac in parte proceſſionis, quæ generationis eſt ratio. Imò, ut ſuo loco oſtendemus, proceſſio illa ab adverſariis excogitata generatio eſt, non minùs, quàm illa Filii. Quapropter, quæ de generatione Filii Dei diximus, huc quoque tranſferenda ſunt. Adde illis hanc quoque rationem, quòd Chriſtus ſignificet, proceſſionem illam etiámnum durare. Non enim dicit, ſpiritum ſanctum a Patre *proceſſiſſe*, ſed *procedere*. Neque verò negant id adverſarii doctiores, qui ejuſmodi proceſſionis modum excogitârunt, qui ab omni æternitate duret, atque in omnem æternitatem ſit duraturus. Itaque ex eorum ſententia, etiámnum eſſentiam ſuam a Patre, & ſimul a Filio, accipit ſpiritus ſanctus, & in omnem ævorum perennitatem accepturus eſt. Atqui Deum ſummum ab omni æternitate eſſentiam ſuam jam plenè habuiſſe neceſſe eſt, ita ut eam accipere jam porrò non potuerit poſitve; utut ponatur id, quod impoſſibile eſt, eum eſſentiam ſuam ab alio accipere aliquando potuiſſe. Deinde ii, qui ſpiritus ſancti proceſſionem, de qua Chriſtus apud Johannem loquitur, (neque enim alibi illius expreſſa ſit mentio) ab omni æternitate duraſſe, & in omnem æternitatem duraturam contendunt, non conſiderarunt, de ea ſpiritus ſancti proceſſione loqui Chriſtum, quâ futurum ſit, ut ſpiritus ſanctus ab ipſo diſcipulis mittatur, ac porrò ad eos veniat. Nam ſi cætera in eodem loco dicta conſideres, nullam aliam cauſſam reperies, cur Chriſtus dixerit, ſpiritum ſanctum a Patre procedere, quàm ut declaret illud, quod dixerat, *quem* (ſcil. *paracletum*) *ego mittam vobis a Patre*: neque id adverſarii negare videntur. Quid verò proceſſio illa ab æterno in æternum durans, commune habet cum ſpiritus ſancti ad diſcipulos miſſione atque adventu? imò illa potiùs hanc impediret, ſi per illam ſpiritus ſanctus ſummus Deus extitiſſet, ut volunt adverſarii. Taceo, eos, Græcis tantùm exceptis, velle, ſpiritum ſanctum non minùs à Filio, quàm a Patre æternùm procedere. At Chriſtus de re loquitur, quæ Patri ſit propria. Sibi enim ipſi hac in parte Patrem quodammodo opponit, oſtenſurus, cur non a ſe, ſed *a Patre* ſpiritum ſanctum miſſurum ſe eſſe dixerit. Quantò verò ſimplicius eſt, ac planius ſtatuere, eatenus ſpiritum ſanctum a Deo procedere, quatenus virtus ſit atque efficacia ab eo in homines manans, quàm Deum ſummum, qui non niſi unicus eſt, ab altero, qui itidem Deus ſummus ſit, procedere; eum, qui a nulla cauſſa proficiſcitur, ab altero eſſe ſuum accipere; qui eſſentiam ſuam ab æterno pleniſſimè habuerit, eam tamen adhuc accipere, & in omnem æternitatem accepturum?

Idem autem, quod ex Chriſti verbis a Johanne deſcriptis docuimus, doceri etiam illis Pauli verbis poteſt, quibus affirmat, ſpiritum ſanctum *ex Deo eſſe*, 1 Cor. 2. 12. Ait enim: *nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus; ſed ſpiritum, qui eſt ex Deo.* Quicquid autem ex Deo eſt, Dei effectus eſt, ab eoque pendet. Deum autem nullius rei effectum eſſe, omnes, ut diximus, nôrunt. Quamquam vix opus eſt effectûs facere mentionem, ſatis eſt dicere, Deum ſummum ex nemine eſſe.

* Vid. Bezam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. XII.

Argumentum duodecimum, quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittatur.

SEcundum eorum attributorum, quæ propriè non niſi perſonis aut ſuppoſitis conveniunt, ſpiritui autem ſancto per tropum aliquem accommodantur, eſto id, quod in eodem, quem proximo cap. citavimus, Johannis loco, c. 15. 26, & 14. 16, & 16. 7, & alibi apud eundem ſcriptorem habetur, nempe quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittatur. Id enim in Deum ſummum non cadit. Etſi autem miſſio illa nihil aliud eſt, quàm datio ſpiritus ſancti: unde pro eodem ponuntur, ſpiritum ſanctum à Patre diſcipulis dari, & mitti, ut patet ex verborum c. 14. 16, cum locis modò citatis collatione; tamen, quia miſſionem illam adverſarii ejuſmodi eſſe volunt, ut non niſi in perſonam cadere queat, præſertim quia Chriſtus ſpiritum ſanctum in eodem ſermone, tanquam legatum quendam ſuum ad diſcipulos mittendum introducit, maximè c. 16. 7, 8, 13; ideo eodem ferè modo hinc demonſtrari poteſt, ſpiritum ſanctum non eſſe ſummum illum Deum, quo idem de Chriſto ex ejus miſſione ſuprà ſect. 2. c. 15. demonſtravimus. Ut nil ſit neceſſe plura hoc loco addere.

Cap. XIII.

Argumentum decimum tertium, ex verbis Joh. 16. 13: *Non loquetur* (Spiritus ille veritatis) *à ſemetipſo· ſed quæcunque audiet, loquetur*, &c.

QUia ſub finem cap. præcedentis delapſi ſumus in mentionem loci Joh. 16. 13, ubi ſermo eſt de re miſſioni ſpiritus ſancti conjuncta; ideo eum quoque hîc examinabimus. Quandoquidem iſtic non tantùm id de ſpiritu ſancto affirmatur, quod de eo affirmari non poſſet, ſi Deus ille ſummus eſſet, ſed etiam negatur id, quod de Deo ſummo negari nequaquam poteſt. Ita enim ait Chriſtus: *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia* (ſeu quòd) *de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Negatur hic ſpiritum ſanctum loquuturum a ſemet ipſo: contrà affirmatur, eum, quæ audierit, loquuturum, & de eo, quod Chriſti ſit, accepturum. Et prius quidem ideo potiſſimùm negatur, ut oſtendatur, eum rectè ſpiritum veritatis, hoc eſt, veraciſſimum fuiſſe appellatum: hoc verò poſterius ideo de eo affirmatur, ut oſtendatur, eum clarificaturum eſſe Chriſtum. At Deus ille ſummus, quicquid loquitur, à ſemetipſo loquitur; & ob id ipſum verax eſt, quia à ſemetipſo loquitur. Non audit etiam ille, quid loqui debeat, nec legati inſtar ab alio inſtruitur. Nil accipit ille à quoquam; imò de ſuo omnibus largitur. Non glorificavit is Chriſtum, aliquid ab eo accipiendo, ſed ei dando. Quomodo ergo ſpiritus ſanctus Deus ille ſummus eſt? Adſcribere hic juvat verba doctiſſimi Pontificiorum interpretis, * qui difficultatem hanc ex parte explicuit, ita inquiens: Reddit autem (Chriſtus) rationem, ut Rupertus ait, quamobrem ſpiritum veritatis eum appellaverit, *quia non loquetur*, inquit, *à ſemetipſo*, quaſi ſi a ſemetipſo loqueretur, non veritatem, ſed mendacium locuturus eſſet. Quod quomodo verum ſit, non ſatis apparet, cùm potiùs ideo veritatem dicat, & falſum dicere non poſſit, quia à ſemetipſo loquitur. Cùm enim a ſemetipſo loquitur, ut Deus loquitur: cum nihil aliud, quam Deus ſit. Cùm autem ut Deus loquitur, mentiri non poteſt, quod ſi poſſet facere, tunc nimirum poſſet, quando non a ſemetipſo, id eſt, non tanquam Deus loqueretur. Quæritur igitur ab Auguſtino & Beda, quomodo intelligendum ſit, non loqui a ſemetipſo. Si enim in ſpiritu ſancto, ſicut in Chriſto, duplex natura eſſet, altera divina, altera humana, aut aliqua alia, poſſemus fortaſſe dicere, tunc ex ſeipſo non loqui, cùm ut homo loqueretur, quemadmodum interpretamur, quod de ſeipſo dicit Chriſtus, Joh. 14. ℣. 4: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor*, & quod dixit ſuprà, cap. 7. 16: *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Cùm autem ſpiritus ſanctus unica, eáque divina natura ſit, ut D. Auguſtinus diſputat, id dicere non poſſumus. Hæc ille. Optandum nempe fuerat adverſariis hoc loco, duplicem poſſe in Spiritu etiam Sancto confingi naturam, ut in Chriſto factum eſt, ut nodum hunc expedirent. Quâ ergò rimâ, cùm illa non pateat, elabi conantur? Duplicem affert interpres ille reſponſionem; alteram Auguſtini ac Bedæ, alteram ſuam. Illa eſt: ideo dici ſpiritum ſanctum a ſemetipſo non loqui, quia nec ſit a ſemetipſo; quemadmodum ergo, *inquit*, non eſt a ſemetipſo, ſed a Patre Filióque procedit, ita non loquetur, niſi quæ a Patre, & Filio accepit, ab illis procedendo: quemadmodum paulò poſt dicit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Sed cùm ad ea verba perveniſſet interpres ille, hanc loci hujus explicationem ſatis clarè confutat. Recepta, *inquit*, vulgò recentiorum interpretum ſententia eſt, *quia de meo accipiet*, id eſt, ex me procedit. Qua de re multas hîc apud quoſdam, neſcio quàm ſolidas, neſcio quàm ad rem accommodatas ſubtilitates invenio, quas ne recitare quidem velim. Tantùm dico, mihi perſuaſum omnino eſſe, eum non eſſe ſenſum. Cur enim non dixit clariùs, *de me*, aut *a me* accipiet? cur, non *accepit* potiùs, quàm *accipiet*, cum proceſſio ſpiritus ſancti a Patre & Filio, non futura, ſed jam præterita eſſet? Nam etſi ad hæc a quibuſdam reſponderi ſcio, malim equidem nil dicere, quàm id dicere, * quod dicunt. Præterea, quomodo cum ea interpretatione hærere poteſt, omnia, quæ habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet? Denique agebatur hîc de teſtimonio, quod ſpiritus ſanctus de Chriſtó perbibiturus erat, quóque eum erat glorificaturus, quod oportebat eſſe conſpicuum, atque manifeſtum; alioqui quomodo propter illud Chriſtum clarificare poterat? Proceſſio autem illa eſſentialis non erat conſpicua: non ergo tanquam argumentum afferri poterat, unde diſcipuli colligerent, ſpiritus ſancti opera in Chriſti gloriam redundare, hoc enim erat eum clarificare. Nil eſt opus, ut pluribus interpretatio ea refutetur, quæ tantopere homini Pontificio, & Eccleſiæ ſuæ ſententiis addictiſſimo diſplicuit, quàmque defendi non poſſe vidit, niſi ea dicantur, quæ indigna judicavit, quæ vel memoraret. Quanquam etiam admiſſà illa interpretatione, nihilominus evinci poteſt, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe: cum Deus ſummus, ut paulò ſuperiùs cap. XI hujus ſect. vidimus, a nemine procedere, a nemine eſſentiam ſuam accipere poſſit. Subjicit paulò poſt interpres ille ſuam ea de re ſententiam: Vera igitur, *inquit*, interpretatio, quia de meo accipiet, id eſt, quia meo nomine veniet, quia non aliam, quàm meam vobis tanquam legatus meus doctrinam tradet. Propterea enim operum, atque doctrinæ illius gloria in gloriam meam redundabit, quod eſt clarificare me, quia meo nomine, & non alia, quàm mea myſteria vobis tradet, non alia, quàm mea faciet opera. Cum hoc enim ſenſu, quod ſequitur, aptè convenit, *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*, ut ſtatim explicabimus. Propterea per futurum dixit, *accipiet*, quia accipere ab eo, eſt ejus mitti nomine, & quaſi mandatis ab eo acceptis, & nondum miſſus erat. Propterea dixit, *de meo* non *de me*, quia ſignificare voluit, accepturum de doctrina & operibus ſuis, quicquid inter homines docturus, quicquid facturus erat.

Quid ergo ipſe ille interpres reſpondet? aut quo pacto de ſpiritu ſancto dici poſſe cenſet illa, *de meo acci-*

* Joh. Maldonatus.

* Quid verò id aliud eſt, quàm Spiritum ſanctum in omnem æternitatem a Patre & Filio proceſſurum?

piet,

piet, ſi is ipſe Deus ſummus eſt? Non, *inquit*, quòd eadem ipſe antè non haberet, ſed quia, ut ait Cyrillus, accommodatè ad humanum loquitur ſenſum. Solent enim legati, cùm a principe diſcedunt, accipere mandata, quæque dicturi, quæque facturi ſint. Ad verba autem ℣. 13, *Non loquetur à ſemetipſo*, ait: Simpliciùs (intellige, quàm Auguſtinus & Beda reſponderant) dicere poſſumus, nihil aliud eſſe, non loqui a ſemet ipſo, quam non loqui contraria iis, quæ ipſe locutus eſſet ex voluntate Patris. *In quam ſententiam citat aliquot auctores veteres, & addit*, Job. 7. 16. Eodem enim modo expoſuimus, quod de ſe dixit, c. 14. 10. *Mea doctrina non eſt mea*, & *Verba, quæ loquor vobis, à meipſo non loquor. Sic & illa*, quæcunque audiet loquetur, *ita accipienda eſſe ſignificat, quo modo illud Chriſti acceperat*, cap. 5. 30, Ego ſicut audio judico, *& illud*, Ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo, nempe quod Chriſtus nihil vel judicet, vel aliquando fuerit loquutus, niſi quod ſciret aut ſciat conſentaneum eſſe Patris judicio ac voluntati. Sic ergo nec ſpiritum ſanctum quicquam a ſeipſo loquuturum, quia nil ſit loquuturus, niſi quod ſciat conſentaneum eſſe judicio ac voluntati Chriſti.

Verùm iſtiuſmodi verborum Chriſti interpretatio nec uſque quaque eſt admittenda, nec difficultatem prorſus tollit. Nam quod ad prius attinet; non poſſunt priora illa verba, *Non loquetur à ſemetipſo*, & quæ his veluti opponuntur, *ſed quæcunque audiet, loquetur*, de nudo tantùm cum Chriſti dictis conſenſu accipi: ſed omnino ſignificant, eum, de quo illa dicuntur, non eſſe dictorum ſuorum primum auctorem, ſed quempiam alium eorum auctorem eſſe. Nam alioqui dici poſſet, ne Patrem quidem loquutum eſſe a ſeipſo, quia nihil fuerit loquutus, niſi quod approbaverit Filius; nec Filium, etiam reſpectu ſpiritus ſancti: quia, ut fert ſententia adverſariorum, nil Filius dixit, niſi conſentiente ſpiritus ſancti perſona. Atqui hæc omnes abſurda eſſe vident. Adde, quòd idem ille interpres non modò fatetur, ſed & urget, ſpiritum ſanctum hîc ſpectari tanquam Chriſti legatum, id quod ipſe verborum contextus ſatis oſtendit. Ad hujus legationis proprietatem nil deeſſe poteſt, ſi ſpiritus ſanctus perſona eſt. Quare verba illa, *Non à ſemetipſo loquetur*, &, *quæcunque audiet, loquetur*, itemque *de meo accipiet, & annunciabit vobis*, ita accipienda ſunt, prout legato conveniunt. At legato ita conveniunt, ut non ipſe primus ſit dictorum ſuorum auctor, ſed alterius tantùm dicta ac mandata per eum patefiant iis, ad quos mittitur: & propriè quidem dicti legati, qualis foret ſpiritus ſanctus, ſi perſona eſſet, eſt propriè mandatis inſtrui ab altero, & perceptam ejus voluntatem ac ſententiam ad alios deferre, iiſque exponere. Eſt enim legatus, quà talis, miniſter alterius, & alienæ voluntatis interpres. Quod verò ait, illa, quæ ℣. 15, & 18, dicuntur, *de meo accipiet*, accommodatè ad humanum dici ſenſum; ſi id vult, cum nihil revera accepturum a Chriſto; quia omnia ſemper habuerit; ſed ita hominibus viſum iri; quid aliud facit, quàm ut Chriſti verba eludat? quaſi verò Chriſtus de eo loquatur, quid homines, utut falſo, ea de re opinaturi ſint, & non potiùs quid verè futurum ſit, licet aliqua verbis figura ſubſit. Num putamus, Chriſtum dicturum fuiſſe, ſpiritum ſanctum ſeſe glorificaturum; quia homines falſò ſint exiſtimaturi, ſpiritum ſanctum de eo, quod Chriſti ſit, accipere? An gloriam vana hominum opinione nixam, & præterea ad imminutionem quandam dignitatis ſpiritus ſancti, hoc eſt, ſummi, ut illis placet, Dei pertinentem, pro gloria ſua agniturum fuiſſe arbitramur? Quòd ſi illud vult, verè quidem accepturum aliquid ſpiritum ſanctum de eo, quòd Chriſti ſit, ſed tamen figuram ſeu tropum *accipiendi* verbo ſubeſſe ex rebus humanis petitum; torqueat ſeſe, ut velit, in omnes ſe partes vertat, nullo exemplo oſtendet, dici poſſe, eum accepturum ab alio, non a ſeipſo, ſed ab alio audita loquuturum, qui primus ſit dictorum ſuorum auctor, & cui ea certo demum tempore ab alio tradita, aut quocunque modo inſerta impreſſaque non ſint. Quanquam præterea ſi ſpiritus ſanctus non minùs propriè legatus fuit Filii, quàm Filius olim Patris; nulla hîc ſermonis improprietas, vel in audiendi, vel in accipiendi verbo admittenda eſt, quæ ullum in eo, de quo hîc diſputatur, momentum habere poſſit. Significabitur enim omnino, ea, quæ dixit ſpiritus ſanctus, ei fuiſſe a Chriſto patefacta ac commiſſa. Id enim eſt legati ejuſmodi, qualis Chriſtus fuit, & qualem illi ſpiritum ſanctum eſſe volunt.

Ex quibus jam intelligitur, difficultatem hujuſmodi reſponſione non tolli, nec argumentum noſtrum ſolvi. Quia, quicquid excogites, verba hæc conſtare non poſſunt, niſi agnoſcatur, ſpiritum ſanctum non eſſe primum eorum, quæ diſcipulis Chriſti patefecit, auctorem, ſed alterius, nempe Chriſti, atque adeò ipſius Dei Patris voluntate factum eſſe, ut is ea, quæ diſcipulis dictavit, revelaret. Hoc autem in Deum ſummum non cadit. Is enim primus eorum, quæ vel hominibus revelat, vel cæteroqui facit, auctor eſt; nec alterius voluntate fit, ut is quippiam hominibus revelet: qua de re vide, quæ ſupra ſect. 2. cap. 3. 4, diximus, de Chriſto diſputantes, cùm illa ejus verba expenderemus Joh. 5. 19: *Non poteſt Filius a ſe facere quicquam*; & iſta, cap. VII. 16: *Mea doctrina non eſt mea*; & alia his ſimilia.

Sed urgebit quempiam hic fortaſſe ſcrupulus, quî fieri poſſit, ut ſpiritus ſanctus dicatur audire, & de alieno accipere, quæ aliis annunciet, ſi is divinus tantùm ſit afflatus, ſeu virtus atque efficacia? Reſpondeo, cùm adverſarii quoque fateantur, & res ipſa indicet, iſta de ſpiritu ſancto accipi propriè non poſſe; nihil eſſe neceſſe, ut nos de afflatu divino illa propriè accipi poſſe doceamus. Quòd ſi figura in verbis admittenda eſt; non eſt difficile docere, iſta rectè atque eleganter de afflatu divino, ſeu virtute cœlitus Apoſtolis inſpirata, dici poſſe. Patebit ex ſequentibus, de ſpiritu ſancto; uti & de aliis rebus, per proſopopœiam non pauca in ſacris literis dicta inveniri. Hanc figuram a loco Johannis, de quo agimus, non abhorrere, paulò pòſt docebitur. Vident omnes, de ſpiritu ſancto hîc ſermonem eſſe tanquam de legato, qui a Chriſto ſit ad diſcipulos mittendus. Legati, ut antè diximus, eſt, non a ſeipſo loqui, ſed mandata ab eo, a quo mittitur, audita acceptaque aliis annunciare. Hæc ergo & ad virtutem divinam Apoſtolis olim inſpiratam accommodantur; & jure. Eſt enim aliquid in afflatu illo divino, quod auditioni & acceptioni de alieno, & annunciationi, egregiè reſpondet, quodque adeò metaphoræ, ex qua proſopopœia illa nata eſt, locum fecit. Etenim non afflatus divinus, ſed is, unde afflatus ille proficiſcitur, verus eſt eorum auctor, quæ per eum hominibus revelantur; nec quicquam aliud virtus illa divina hominum animis ac mentibus inſerere poteſt, quàm velit is, à quo ea hominibus inſpiratur; qui quidem hîc eſt Chriſtus. Itaque legato cuidam ſimilis eſt, qui non niſi à Principe ac Domino ſuo audita atque accepta exponat iis, ad quos mittitur. Cur autem hîc per proſopopœiam de ſpiritu ſancto loquatur Chriſtus, cauſſa hæc potiſſimùm eſt, quia eum ſecum quodammodo comparat, & quaſi in ſuum locum ad diſcipulos, abitu ipſius inſtante contriſtatos, ſubmittendum conſiderat. Chriſtus enim hucuſque illorum fuerat veluti conſolator. Itaque iis, abitu ipſius audito contriſtatis, alium paracletum, ſeu conſolatorem, qui vices ipſius hac in parte abundè expleat, ſe rogante, Patrem daturum eſſe, vel ſe à Patre illis miſſurum dixit. Comparationes autem rerum cum perſonis, facilè pariunt proſopopœias. Hinc ut exemplis rem illuſtremus, David, cum principibus ſermones ac conſilia adverſus ſe ineuntibus, teſtimonia Dei contendens, & illis ea opponens, *conſiliarios ſuos*, ſeu, ut eſt in Hebræo, *viros conſilii ſui* vocat. Pſal. 119. 24. Hinc etiam orta eſt proſopopœia illa celebris apud Salomonem, qui ſapientiam & contrariam ei ſtultitiam, inſtar fœminarum quarundam, homines

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ad ſe invitantium introducit, ob comparationem cum muliere extranea, & aliena, quemadmodum viri * doctiſſimi annotârunt. Legatur totus locus, initio facto à cap. 7. Prov. ℣. 5, ubi comparatio illa incipit, ac per reliquum caput totum, & duo ſequentia extenditur. Confer etiam cum eo loco cap. 24. Eccleſ. Plura ea de re dici poſſent, ſed non eſt nunc ei rei locus: & nonnulla etiam in ſequentibus adhuc dicentur, ex quibus apparebit, neminem mirari debere, de ſpiritu ſancto ejuſmodi proſopopœiam uſurpari. Quanquam vel id ſolum admirationem cuivis demere poſſet, quod fatetur ipſe Chriſtus, ſe in iſto ſermone ſuo, in quo ſpiritum ſanctum aliquoties inſtar perſonæ cujuſdam introducit, in parœmiis, ſeu figuris è medio petitis, loquutum diſcipulis; aliquando autem palàm atque apertè iis de Parte, ſeu rebus ad Patrem pertinentibus, annunciaturum, cap. 16. 25, inter illas autem res vel inprimis eſt ſpiritus ſanctus, de quo toties in iſto ſermone, nunc quidem apertiùs, nunc tectiùs fit mentio. Sat profectò clarè poſtea rem explicuit Chriſtus, cùm in diſcipulos ſpiritum ſanctum effudit, per quem in omnem eos veritatem introduxit. Is enim non ut vera aliqua perſona iis quicquam annunciavit, ſed ut afflatus quidam divinus eorum animis inſpiratus, pleniſſimam iis doctrinæ Chriſti notitiam inſeruit atque impreſſit. Quare cum eventus ipſe ſermonem illum ſatis explicuerit; quid aliam interpretationem quærimus?

Cap. XIV.

Argumenta tria ex 1 Cor. 2. 10, & d. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, & quæ ſequuntur.

QUartum in hoc ordine locum dabimus illis Pauli verbis, 1 Cor. 2, quibus adverſarii uti ſolent ad divinam ſpiritus ſancti perſonam probandam. Ita enim ibi loquitur Apoſtolus: *Nobis autem revelavit Deus* (ea nempe, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt ipſum) *per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt*, &c. Aliquot nobis hic locus argumenta ſuppeditat, ſed quorum nonnulla ſuperiùs vid. cap. 5. hujus ſect. ſunt à nobis propoſita. Primùm, quòd à Deo diſtinguatur ſpiritus ſanctus, dum *Deus per illum nobis* res ſalutares revelare dicitur, dum is *Dei ſpiritus* appellatur, dum aſſeritur, eum *profunda Dei ſcrutari*, & *quæ Dei ſunt cognoviſſe*, dum denique *ex Deo eſſe* perhibetur, ſup. cap. 8. deinde, quòd homines eum dicuntur accepiſſe. Poſtremò, quòd cùm *ex Deo eſſe* dicitur, cap. 11. Dei effectus conſtituitur; nihil autem horum in Deum ſummum cadere docuimus. Sed præter hæc tria, totidem alia ex iiſdem verbis argumenta peti poſſunt. Primum eſt, quòd *Deus per ſpiritum ſuum* nobis aliquid revelâſſe dicitur. Inde enim patet, eum non primam, ſed mediam illius revelationis cauſam eſſe, id quod in Deum ſummum non cadit. Vide, quæ ſuprà ſect. 2. cap. 19. diximus de iis locis, in quibus Deus per Chriſtum vel omnia, vel res certas feciſſe dicitur.

Alterum eſt, quòd dicatur *ſcrutari etiam profunda Dei*. Neque enim quiſquam dicitur ſcrutari ea, quorum clariſſima & perfectiſſima notitia ipſi primò ineſt, & quæ ab ipſomet primò ſunt conſtituta atque decreta. Atqui ſi ſpiritus ſanctus Deus ille ſummus eſt; in ipſo primò profunda illa Dei, hoc eſt, abdita illius conſilia, eorumque clariſſima ac perfectiſſima cognitio reſidet, ab eóque omnia illa primò ſunt conſtituta atque decreta. Quomodo ergo illa ſcrutari diceretur? Dicitur quidem Deus ac Chriſtus ſcrutari corda noſtra; quia in alieni pectoris ſecreta penetrat: at ſua conſilia, ſua profunda nuſpiam ſcrutari dicitur. Ne homines quidem ſua conſilia ſcrutari dicuntur; niſi forte, cùm ea aut memoriâ aliquo modo exciderunt, aut eorum rationem ipſi nondum ſatis habent exploratam. At quid Deo ſummo ad exploratiſſimam profundorum ſuorum notitiam deeſſe poteſt? Apoſtolus hoc loco, ſpiritus humani exemplo declaraturus id, quod de Dei ſpiritu dixerat, non aſſerit, illum ſcrutari ea, quæ ſunt hominis, ſed *ſcire*. Licèt modus loquendi, quo de ſpiritu Dei uſus fuerat, eò illum duceret, ut affirmaret, ſpiritum etiam hominis ſcrutari ea, quæ ſunt hominis. Sed noluit id de ſpiritu hominis affirmare, quia in ipſo primò reſident ea, quæ ſunt hominis, hoc eſt, ejus conſilia ac decreta; & ab ipſo ſunt conſtituta. Eadem ergo ratio foret ſpiritus ſancti, ſi is Deus ſummus eſſet. Scimus quidem, per metalepſin, quæ etiam proſopopœiam quandam parit, dici, ſpiritum Dei omnia ſcrutari; nempe quia in cauſſâ ſit, ut homines, quibus ineſt, omnia, etiam profunda reconditaque Dei conſilia inveſtigent. Quo pacto idem ſpiritus dicitur pro nobis interpellare gemitibus inenarrabilibus, & clamare Abba Pater; quia in cauſſâ eſt, ut nos iſta faciamus. Sed ea reſponſione uti adverſarii non poſſunt, qui ex eo, quòd ſpiritus ſanctus omnia, etiam ea, quæ Dei ſunt, ſcire dicitur, ſpiritus ſancti perſonam exſculpere conantur; quod facere non poſſent, ſi ea per metalepſin de ſpiritu ſancto dici agnoſcerent. Non magis enim inde ſequeretur, ſpiritum ſanctum eſſe perſonam, quàm charitatem perſonam eſſe, quia illi tot actiones perſonarum propriæ per metalepſin infrà in eadem Epiſtola tribuantur 1 Cor. 13. Deinde planè inſolens cenſenda foret ejuſmodi metalepſis, ſi ſpiritus ſanctus ſummus ille Deus foret. Quis diceret, Patrem ſcrutari Dei conſilia, quia faciat, ut alius ſcrutetur? Cur ergo ſpiritus ſanctus Dei profunda ſcrutari diceretur, ſi ipſemet Deus ſummus eſſet, cujus iſta ſunt profunda? Idem dicimus de illis Pauli verbis Rom. 8. 27, quæ paulò antè attigimus: *ipſe ſpiritus poſtulat* (ſeu *interpellat*) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Is autem, qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſiderat ſpiritus: quia ſecundùm Deum poſtulet pro ſanctis.* Quomodo enim hæc vel per metalepſin de ſpiritu ſancto dicerentur, ſi is eſſet ipſe Deus ſummus, apud quem interpellatur, quique ſcrutatur corda, & ſecundùm quem, ſeu ſecundùm cujus voluntatem, interpellant ſancti? Neque enim convenit, ut Deo ſummo non modò humana tribuatur actio, ſed ſua etiam illi perſona ſimul detrahatur.

Tertium argumentum, quod ex illo ad Corinth. loco duci poteſt, eſt, quòd ſi ſpiritus ſanctus perſona eſſet a Patre & Filio diſtincta, quæ, propriè loquendo, ſcire diceretur, non rectè affirmaretur, neminem præter ipſum ea ſcire, quæ Dei ſunt. Scirent enim præter ipſum etiam Pater & Filius, idque primò. Quòd ſi dicant, particulam *nemo* hîc opponi tantùm creaturis, vel potiùs creaturas tantùm, hominéſve complecti, quaſi dictum eſſet, *Nemo hominum ea ſcit*; id noſtra quidem ſententia admittere poteſt, at non adverſariorum. Nos enim in illis verbis, *niſi ſpiritus Dei*, metonymiam adjuncti, quæ ſimul metalepſin quandam parit, agnoſcimus. q. d. Apoſtolus: Nemo hominum Dei myſteria abditaque conſilia ſcit, præter eos, qui ſpiritu ipſius ſunt prædibi, cujus ſolius vi illa à nobis inveſtigari poſſunt. Sed adverſarii, qui ſcientiam illam ipſi Spiritui Sancto hoc loco propriè tribui volunt, id dicere non poſſunt, & fateri coguntur, Spiritum Sanctum ideo expreſſe fuiſſe exceptum, quia alioquin omnino voce illa generali *Nemo* comprehenſus fuerit. Quàm ridicula, quæſo, atque Apoſtolo indigna ejuſmodi fuiſſet oratio: Nemo hominum aut creaturarum ea ſcit, quæ ſunt Dei, niſi Deus Pater: aut nullus angelus ea ſcit, quæ ſunt Dei, niſi Chriſtus aut Spiritus ſanctus. Quid enim? num Pater in hominum aut creaturarum eſt numero? num Chriſtus aut Spiritus Sanctus in numero angelorum? Neque enim quicquam a generali oratione excipi ſolet, niſi quod alioqui ex eodem rerum ſit genere, de quo ſermo eſt; quodque proinde, niſi

* Vide Cornel. Janſen. cap. 8. in Proverb.

fuiſſet exceptum, omnino generali oratione fuiſſet comprehenſum, idemque de illo, quod de cæteris, vel affirmatum, vel negatum. Quare ſi hîc ipſi ſpiritui ſancto, ut adverſarii volunt, ſcientia rerum divinarum propriè adſcribitur, non verò in ejus voce metonymia illa, quam explicuimus, agnoſcenda eſt; vox *Nemo* ad ſolos homines aut creaturas reſtringi non poterit, ſed ipſas quoque divinas perſonas complectetur, è quarum numero illi ſpiritum ſanctum eſſe volunt. Unde ſequitur, cùm ſpiritus ſanctus ex ipſorum ſententia ſit perſona à Patre & Filio realiter diſtincta; Patrem & Filium à rerum divinarum ſcientiâ hac Pauli oratione excludi; cujus rei nullum eſt in ſententia noſtra periculum. Eodem modo, ſi ſpiritus hominis eſſet perſona quædam ab ipſo homine, cujus ſpiritus dicitur, diſtincta; dum negatur, quemquam hominum ea ſcire, quæ ſunt hominis, præter ipſius ſpiritum; ipſe homo, cujus ſpiritus eſt, fuiſſet excluſus: & præterea inepta futura fuiſſet illa exceptio, *quis hominum ſcit* ea, quæ ſunt hominis, *niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Num enim ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, homo eſt? At ſi ita accipias verbâ Apoſtoli, ac ſi dixiſſet: Nemo hominum ſcit abdita hominis conſilia ac cogitata, præter eum ipſum, qui ſpiritu ac mente ſua ea concipit atque intelligit; ceſſabit abſurditas. Animadvertendum enim eſt id, quod Philoſophia docet, non ipſum hominis ſpiritum, quem animam vocant, propriè intelligere, ſed eo, ſeu ejus vi, hominem intelligere.

CAP. XV.

Argumentum decimum ſeptimum, quòd Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum aliquando deſcenderit.

ULtimo loco adjungere libet illud, cui plærique adverſarii plurimùm tribuunt, cùm oſtendere volunt, ſpiritum ſanctum non eſſe virtutem divinam, ſed ſuppoſitum à Patre ac Filio diſtinctum. Id verò eſt, quod in Chriſtum à Johanne baptizatum *ſpiritus ſanctus deſcenderit in corporali ſpecie, ſicut columba*, ut ſcribit Lucas cap. 3. 22, cui conſentiunt & cæteri Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores Matth. 3. 16: Mar. 1. 10: Joh. 1. 32, 33. Vetus illud eſt, quod hodieque inter adverſarios vulgò jactatur, Abi, Ariane, ad Jordanem, & videbis Trinitatem. Sanè, ſi Trinitas eſt Pater, Filius, & ſpiritus ſanctus; Pater quidem, qui tanquam Deus ſummus in cœlo habitans, & ab hominum oculis ſemotus, pro ſumma ſua auctoritate iis imperat, & Filio auctoritatem de ſua majeſtate conciliat; Filius autem verus homo, in Jordane à Johanne baptizatus, & poſtea ſpiritu ſancto cœlitus perfuſus ac repletus; ſpiritus denique ſanctus, res quædam cœlitus in Chriſtum demiſſa, quâ Chriſtus fuit completus; ſi, inquam, id eſt Trinitas, jurè is, qui Trinitatem non agnoſcat, ad Jordanem ire jubetur. Nos quidem, qui interdum eódem abire jubemur, jam dudum iſtic, per Dei gratiam fuimus, & Trinitatem illam vidimus, eámque libenti animo & agnoſcimus, & profitemur. Si verò Trinitas illis eſt, trium perſonarum, realiter inter ſe diſtinctarum, in una individuaque eſſentia conjunctio; illa tantum abeſt, ut apud Jordanem videri poſſit, ut potiùs ipſis quodammodo oculis cerni poſſit, eam non eſſe. Quæ enim iſtic unius ejuſdémque numero eſſentiæ, quæ Patri, Filio, & ſpiritui ſancto ſit communis, vel ſpecies eſt, vel umbra? Eadémne numero ſubſtantia eſt Dei, qui è cœlo loquitur, inde minimè deſcendens; & ejus, qui in Jordane baptizatur, veri hominis; & denique ejus rei, quæ de cœlo in eum deſcendit? Taceo alia, quæ partim ſuprà dicta ſunt, partim paulò pòſt dicentur. Illi igitur qui hujuſmodi Trinitatem confinxerunt, aut ab aliis confictam defendunt, ad Jordanem adhuc relegandi ſunt, ut Trinitatem veram, velut è propinquo ſpectent, & rectiùs diſcant agnoſcere. Arianos quidem eódem ablegare nos jure poſſumus; utpote qui Dei Filium ſpiritum quendam inviſibilem ante mundi creationem a Deo productum ſtatuunt: ſed adverſarii noſtri, qui homouſion defendunt, tantum abeſt, ut id jurè facere poſſint, ut Ariani potiùs eos illò poſſint ablegare. Minùs enim Arianorum dogma iſti hiſtoriæ adverſatur, quàm Homouſianorum. Verùm nos hoc loco non omnia, quæ dici poſſent, urgebimus; ſed id tantùm, quod de ſpiritu ſancto ſcribitur; ut telum, quo in nos adverſarii pugnant, iis non tantùm extorqueamus, ſed etiam in illos retorqueamus. Urgent illi, ſpiritum ſanctum & deſcendiſſe, & in forma corporea, nempe columbina, apparuiſſe. Inde enim ſequi, ſpiritum ſanctum ſubſtantiam quandam eſſe, non qualitatem, ſubſtantiarum enim, & quidem primarum tantùm eſſe deſcendere, & formas ſpeciéſve aſſumere ac ſuſtinere. Simul autem apparere ajunt, ſpiritum ſanctum eſſe ſubſtantiam ejuſmodi, quæ à Patre & Filio realiter ſit diſtincta. Neque enim Patrem & Filium de cœlo deſcendiſſe, aut formam illam corpoream aſſumſiſſe. Suppoſitum ergo eſſe ſpiritum ſanctum, ac porrò, quia intelligens etiam ſit, (eum enim dici ſcrutari omnia, etiam profunda Dei, & ſcire ea, quæ ſunt Dei, aliaque ſimilia intelligentium propria de eo pronunciari) etiam perſonam eſſe. Suppoſitum enim intelligens omne perſonam eſſe: cùm ea ſit perſonæ definitio. Tanto apparatu opus eſt, ut ſpiritus ſancti perſona hinc extruatur, quam nos unà cum duabus cæteris apud Jordanem viſuros eſſe pollicebantur. Neque enim Trinitas adverſariorum cerni poteſt, niſi tres perſonæ cernantur, & quidem ita, ut perſonas eſſe appareat. Quid ad illorum hanc argumentationem reſpondendum ſit, paulò poſt indicabitur. Nunc id, quod propoſuimus, agamus, ut aſſumtis iis, quæ partim in ſacra illa hiſtoria leguntur, partim ab adverſariis aſſeruntur, ſpiritum ſanctum Deum ſummum non eſſe demonſtremus. Aſſerunt illi, ſi ſpiritus ſanctus Deus ille ſummus ſit, eum ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe omnino debere; quin etiam cum Filio. Alioqui vel duos pluréſve Deos ſummos fore; vel Patrem, aut Filium, quem ii pro ſummo Deo habent, Deum ſummum non fore. Atqui ex hac Spiritus Sancti apparitione patet, aliam Spiritus Sancti aliam Patris & Filii eſſentiam eſſe. Etenim eſſentia Patris & Filii de cœlo tunc, cùm Chriſtus fuiſſet baptizatus, non deſcendit, nec formam illam corpoream aſſumſit. Eſſentia Spiritus Sancti, ut ex ipſorum adverſariorum ſententia liquet, utrumque fecit. Quare eſſentia Spiritus ſancti non eſt eſſentia Patris aut Filii, ſed aliam hanc, aliam illam eſſe neceſſe eſt. Neque verò eſt, quòd dicant, non eſſentiam, ſed perſonam Spiritus Sancti utrumque illud feciſſe. Nam primùm, omnis perſona ſubſtantia eſt; ſubſtantia autem eſſentia eſt per ſe ſubſiſtens. Quare cujus perſona deſcendit, & formam aliquam aſſumit, ejus etiam eſſentia id facit. Deinde an non ipſi, ut vidimus, urgent, id, quod deſcendit, ac formam ſuſtinet, neceſſariò ſubſtantiam eſſe? Subſtantia autem Spiritus ſancti nihil aliud eſt, quàm ipſius eſſentia: & apud adverſarios perinde eſt dicere, eandem eſſe perſonarum divinarum eſſentiam, & eandem ſubſtantiam; nempe, quia omnis ſubſtantia eſſentia eſt. Eſſentiam ergo ſpiritus ſancti deſcendiſſe oportet. Et etiamſi tandem perſona in divinis non eſſet ipſa ſubſtantia aut eſſentia, ſed aliquid in eſſentia, quòd tamen impoſſibile eſt, (naturæ enim ſuppoſiti, ac porrò etiam perſonæ repugnat, ineſſe in altero) non poſſet tamen ea, aut deſcendere, aut formam aſſumere, quin idem faceret ipſius ſubſtantia, ac eſſentia, in qua ultimò omnia accidentia inſunt, & veluti conquieſcunt.

Deinde, alia etiam breviori via ex eo, quòd Spiritus Sanctus è cœlo ſuper Chriſtum deſcenderit, idque in forma ſeu ſpecie corporea, oſtendere poſſumus, eum Deum illum ſummum non eſſe. Etenim Deus ille ſummus loco non movetur, ac porrò nec è cœlo deſcendit. In Deum etiam ſummum, ex adverſariorum ſententia, nullum cadit accidens. Accidens

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

autem fuit ſpecies illa corporea, in qua ſpiritus ſanctus deſcendit, uti & ipſe ille deſcenſus.

Hoc animadvertentes adverſarii nonnulli, ita rem explicant, ut ſatis appareat, eos nec deſcenſum propriè dictum ſpiritui ſancto tribuere; nec velle, eum ſpeciem illam corpoream in ſe recepiſſe; ſed vel corpus quoddam verum ſpecie columbina è cœlo deſcendiſſe, vel ſpeciem tantùm columbæ deſcendentis videntium oculis fuiſſe objectam, quæ ſymbolum eſſet præſentiæ & operationis ſpiritus ſancti, replentis Chriſtum donis, ad fungendum munere prophetico neceſſariis. Hoc verò ſi ita eſt, quomodo hinc oſtendetur, ſpiritum ſanctum eſſe rem per ſe ſubſiſtentem, ac porrò ſuppoſitum, perſonámque à Patre & Filio realiter diſtinctam? ſiquidem nec propriè deſcendit in Chriſtum, nec formam illam ſuſtinuit, ſed vel objecta tantùm fuit videntium oculis ſpecies corporis, cùm revera corpus nullum eſſet; vel, ut doctiſſimorum quorundam * adverſariorum fert ſententia, verum corpus, quod deſcendit, ſpeciem illam ſuſtinuit. Atqui & res, quæ non modò perſonæ non ſunt, ſed ne ſubſtantiæ quidem, deſcendere de cælo impropriè dici poſſunt; & inter alios Jacobus cap. 1. 17, ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum* (hoc eſt, ex cœlo) *eſt, deſcendens à Patre luminum.* Eædem autem externa quadam ſpecie adumbrari, & hominum oculis objici poſſunt, quemadmodum præter alia docet id, quod in Actis de prima illa ſpiritus ſancti in Chriſti diſcipulos effuſione legimus Act. 2. 3. Linguæ enim illæ diviſæ nónne linguarum diverſarum facultatem, diſcipulis Chriſti per ſpiritum ſanctum dandam expreſſerunt? Nihil autem prohibet, quominus eædem moveri viderentur. Quot rerum hujuſmodi ſpecies, nunc externis, nunc internis prophetarum ſenſibus videmus objectas? Nihil ergo hinc, ſi ita res explicetur, excerpi poterit, quod ad ſuppoſitum ſpiritus ſancti, nedum ad perſonam ejus probandam pertineat. Deinde etiamſi illa omnia figurate de ſpiritu ſancto velint accipi; nihilominus tamen iis ſtatuendum eſt, hîc adumbratam fuiſſe ſingularem quandam operationem Spiritus Sancti, non Patris, aut Filii; ſaltem non æquè. Cur enim aliàs non diceretur Pater & Filius etiam deſcendiſſe in forma corporea? At ſi Spiritus Sancti eadem foret eſſentia, quæ Patris & Filii; non minùs horum, quàm illius operatio, ſpecie ac deſcenſu illo fuiſſet expreſſa; & ſic non minùs Pater & Filius, quàm Spiritus Sanctus, in ſpecie corporea deſcendiſſe dicendus eſſet. Etenim ejuſmodi operatio ipſius ſubſtantiæ eſt ſingularis, vim omnem operandi in ſe habentis. Hæc ergo cum ponatur in tribus illis perſonis eadem; eadem quoque omnibus illis perſonis peræquè tribuenda operatio. Hoc cùm non fiat, ſequitur, aliam eſſe Spiritus Sancti, aliam Patris & Filii eſſentiam; ac porrò, niſi aut plures Deos introducere, aut Patrem ſummum Deum negare velint adverſarii, Spiritum Sanctum Deum ſummum non eſſe, agnoſcere coguntur.

Sed quomodo tamen, inquies, ſpiritui ſancto conveniunt, in ſpecie corporea è cœlo deſcendere, ſi virtus tantùm & efficacia divina eſt, non ſuppoſitum, aut perſona? Hoc quamquam ad id, quod nunc agimus, propriè non pertinet; tamen, ne quis ſcrupulus reſtet, breviter explicabimus. Primùm jam vidimus, quoſdam ex adverſariis, vi ſententiæ ſuæ coactos ſtatuere, illa de Spiritu Sancto propriè non dici; ſed ſpeciem illam corpoream, ejuſque è cœlo deſcenſum, ſymbolum tantùm fuiſſe externum Spiritus Sancti, Chriſtum donis ſuis complentis: quòd idem cur de divina efficacia dici non poſſit, cauſſa eſt nulla. Deinde ſi omnino velimus, illa de Spiritu Sancto propriè dici; intelligendum eſt, quod ad deſcenſum motumque illum attinet, qualitates unà cum ſuis ſubjectis, atque adeò in illis moveri. Quare & efficacia divina, ſi in homine exiſtere, & in eo, ſeu unà cum eo moveri poteſt; etiam in re alia, quam Deus ad eam deferendam adhibere velit, è cœlo poteſt deſcendere. Neque verò Deo conveniens deeſt ac diguum iſtâ efficaciâ, ut ita dicam, vehiculum. Quòd verò ad ſpeciem attinet; ſi ſubjectum efficaciæ illius, ſpeciem quandam habeat, præſertim talem, quæ efficaciæ latentis ſit indicium ac ſymbolum; nihil planè prohibet, quominus dicatur, virtutem illam in ſpecie, aut cum ſpecie iſta deſcendere. Sed de his, ſi Deus voluerit, aliàs pluribus agemus. Illud hîc obſervari adhuc volumus; etiamſi ſcribatur, Spiritum Sanctum in forma corporea tunc ſuper Chriſtum deſcendiſſe, & facilè intelligi queat, id quod vulgò omnes ſentire videntur, eundem in forma quadam corporea die Pentecoſtes apparuiſſe; cum tamen nec hîc, nec alibi uſpiam dici in ſpecie ac forma perſonæ alicujus apparuiſſe; quemadmodum de Patre ac Chriſto, cùm in certa forma apparuerunt, itemque de angelis, legimus. Quòd ſi Spiritus Sanctus perſona eſſet, cur non & ipſe in perſonæ ſpecie apparuiſſet? Nam ſive columbæ illam ſpeciem fuiſſe velis, in qua ſuper Chriſtum deſcendit, ut vulgò omnes contendunt, ſive aliquam aliam; id certum eſt, perſonæ eam formam non fuiſſe. Neque enim vel ignis, vel columba perſona eſt: cùm perſona non ſit, niſi intellectu prædita ſubſtantia. Quòd verò Spiritum Sanctum intellectu præditum eſſe, ex illis Apoſtoli verbis evincere conantur, quibus aſſeritur, eum ſcrutari aut ſcire, id præcedenti capite refutatum eſt.

* Vide Maldonatum & Auguſtinum ab eo citatum.

Cap. XVI.

CONCLUSIO LIBRI PRIMI,

In qua oſtenditur, adverſariorum de Trinitate ſententiam ipſo ſacrarum literarum ſilentio refutari; nec quicquam prohibere, quominus ea argumentis à ratione petitis oppugnetur.

Satis adhuc ex ſacris literis oſtendimus, non Chriſtum, non ſpiritum ſanctum, ſed ſolum Patrem Deum illum ſupremum eſſe; Deumque ſummum, ut eſſeniâ, ita & perſonâ unum eſſe, non, ut vulgò creditur, perſonarum ratione trinum. Quod dogma, etiamſi tot aliæ, quas produximus, rationes abeſſent, ſolo ſacrarum literarum ſilentio refelleretur. Eſtne enim credibile, Chriſtum & Apoſtolos, ut Prophetas nunc prætercam, rem, quemadmodum vulgò creditur, & dogmatis illius ratio fert, ſcitu tam neceſſariam, creditu tam difficilem, & omnem humani ingenii captum longiſſimè ſuperantem, tacituros fuiſſe? Nónne res ipſa docet, eos, quantò eſſet dogma illud, & ſcitu magis neceſſarium, & perceptu difficilius, tantò id clariùs fuiſſe propoſituros, & tantò crebriùs, tantoque diligentiùs inculcaturos? Cogit id credere eorum in cæteris rebus, haud paulò minoribus, & perceptu facilioribus, diligentia; cogit eorumdem erga ſalutem generis humani ſtudium, vel potiùs ardor; cogit denique id, quod ſuſceperunt ac ſuſtinuerunt, officium. Num Chriſto Servatori noſtro, num Apoſtolis, aliiſque divinis viris, minùs putabimus curæ fuiſſe ſalutem hominum, quàm iis, qui aut olim tanto conatu dogma illud, tanquam proram ac puppim ſalutis noſtræ defenderunt, aut hodie tuentur? Num illis aut intelligentia iſtius, quod vulgò adorant, myſterii minor fuit, aut verba, quibus id deſcriberent, defuerunt? Clariùs id exprimere potuit Athanaſius in ſymbolo ſuo, quàm Chriſtus, quàm Apoſtoli? *Quicunque* inquit, *vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem, quam niſi quis integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate; & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim eſt perſona Patris, alia Filii, alia ſpiritus ſancti. Sed Patris & Filii & ſpiritus ſancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.* &c. Quid, quæſo, iis in univerſo ſacrarum literarum codice ſimile? Non refutabimus nunc eorum errorem, qui in ſacris

literis non omnia ad ſalutem neceſſaria contineri credunt quod præſtitum eſt a noſtris * alibi. Id tantùm dicimus, utut aliqua, etiam ad ſalutem neceſſaria dogmata, in ſacris literis non continerentur; hoc tamen, quod aliorum caput, ac veluti fundamentum ab iis conſtituitur, perſpicuè non contineri, prorſus incredibile cenſendum eſſe. Verùm his nunc miſſis, cum illis agamus, qui omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſacrorum voluminum ambitu comprehendi agnoſcunt & urgent. Quam illi rationem afferent, cur id dogma apertè in ſacris literis non contineatur? Ajunt non pauci, licèt id expreſſe in illis non comprehendatur, legitimâ tamen conſequentiâ deduci ex iis poſſe. Atqui, ut alia nunc mittam, in re tam difficili, a captu noſtro tam remota, tam neceſſaria, non ſolas conſequentias, ſed claram ac dilucidam explicationem, eamque non ſemel repetitam, omnino oſtendendam eſſe, paulò antè docuimus; præſertim quia homines ſimplices, quibus æquè Deus ſalutis viam patere voluit, ne dicam magis, quàm doctis & ingenioſis, conſequentias illas non intelligunt; ac præterea non in conſequentiæ tantùm ratione, ſed etiam in ipſius ſententiæ vi percipienda illis laborandum eſt, quæ vix à doctis percipitur: ſi modò id percipi poteſt, quod ſecum ipſo pugnat. Quin, ſi vera illi loquuntur, qui Trinitatis dogma ad fidem catholicam, ſine qua nemo ſalvus eſſe queat, vel inprimis pertinere dictitant, hominibus rudioribus de ſalute deſperandum eſt. Etenim ſi credere eſt, non verba tantùm ore proferre, ſed animo ſententiam complecti, ac firmiter tenere; quotus quiſque eſt ſimpliciorum, qui dogmati illi credat? Etenim ſi ſententiam ejus dogmatis animo quiſpiam complecti velit, neceſſe eſt, ut inter eſſentiam & perſonam divinam diſtinguat. Nam niſi diſtinguat, vel unam tantùm perſonam divinam reipſa credet, ut unam eſſentiam; vel tres eſſentias, & ſic tres Deos, non minùs, quàm tres perſonas divinas, ſtatuet. Quorum utrumque ex adverſariorum ſententia ſalute hominem privat. At quotus quiſque eſt, qui perſonam divinam ab eſſentiâ nôrit diſtinguere, & tres perſonas ita concipiat, ut tres ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes ſibi ſimul non imaginetur? Subtilem ſanè eſſe oportet, & miram de perſona ſententiam tenere, qui aliter faciat. Quid ergo rudioribus fiet, pro quibus æquè mortuus eſt Chriſtus? Sed demus, id dogma à rudioribus percipi poſſe; an non clara, crebra ac diligenti ejus rei explicatione illis eſt opus? Ubi autem rei tam abſtruſæ explicationem potiſſimùm quæremus? Nónne in ſacris literis? Itaque ſi perſpicua hujus rei explicatio, ne ſemel quidem in illis continetur; concludendum eſt, dogma illud falſum eſſe, & ne conſequentia quidem legitimâ ex ſacris literis extrui poſſe. Non repudiamus ergo conſecutiones legitimas, quibus & ipſi libentur utimur: ſed in hujuſmodi dogmate, quale id eſt, de quo diſputamus, niſi perſpicua ſimul & aperta ejus explicatio proferri poſſit, conſequentias legitimas nullas eſſe, jure ſtatuimus.

Ajunt alii, non tantùm legitimis conſecutionibus id dogma ex ſacris literis elici poſſe, ſed reipſa etiam in iis contineri. Utut enim Trinitatis vox in illis non extet, extare tamen ejus ſententiam. Neque verò nos requirimus, ut ipſum Trinitatis nomen oſtendant: ſed rem ac ſententiam, quam eo nomine vulgò comprehendunt, clarè ac perſpicuè expreſſam. Illud, inquam, requirimus, ut oſtendant, ubi ſcriptum ſit, Deum eſſe unum eſſentiâ, trinum perſonis. Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, nempe ſummum, ſpiritum ſanctum eſſe Deum, nec tamen tres eſſe Deos, ſed illos tres unum eſſe Deum. Sic, Patrem eſſe æternum, ſimiliter Filium, & ſpiritum ſanctum; nec tamen tres eſſe æternos, ſed unum æternum. Hæc aut ſimilia, quorum ſententia omnibus ſtatim pateat, requirimus; qualia ſunt illa Athanaſiana, quibus omnia hodie templa perſonant. At cùm talia proferunt loca, in quibus conſequentiâ eſt opus, ut pateat, hanc illorum eſſe ſententiam, quam illi volunt; nihilo plus perficiunt, quàm illi, qui ſolis conſecutionibus rem tantam ex ſacris literis elici volunt. Vide illorum Achilles duos. *Baptizate in nomen Patris, & Filii, & ſpiritus ſancti* Matth. 28. 19. Quantum diſtant hæc ab illis: Tres ſunt perſonæ in una Dei eſſentia? Tria videmus; tres perſonas non videmus: nec magis unam eorum trium eſſentiam; imò potiùs diverſas cernimus, & inter ſe inæquales. Hîc certè conſequentiis opus eſt. Sic 1 Joh. 5. 7, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & ſpiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.* Non repeto nunc illud, quod ſuprà cap. 3. hujus ſect. indicavimus, quàm ſuſpectus ſit locus. Demus, eſſe indubitatum. Unde patet, hîc unitatem eſſentiæ intelligi? Unum ſunt: ergo unum eſſentiâ? Non modò ſententia ipſa non extat, ſed ne conſequentiâ quidem legitimâ id evinci poteſt. Generale eſt unum eſſe, & plures ſub ſe continet ſpecies: unum eſſentiâ, unum conſenſu, ſive animi, ſive teſtimonii, ſive alterius alicujus rei. Poſito autem genere ponitur quidem ſpecies aliqua, ſed non protinus certa, ut hoc loco unum eſſentiâ. Et ſanè facilius eſt ex loco illo oſtendere, diverſas eſſe trium illorum eſſentias, quàm unam. Imò hoc oſtendere impoſſibile eſt. Præterea quibus verbis dicitur, ſpiritum ſanctum eſſe perſonam? Ad conſequentias confugere eſt neceſſe.

Ex dictis autem apparet, quàm iniquè agant ii, qui, cùm ex ratione argumenta adverſus iſtud dogma afferuntur, clamant, myſterium hoc eſſe, quod credendum ſit, non ſcrutandum; rationem iſta non capere; in ſacris literis ſimpliciter eſſe acquieſcendum. Cedendum eſſet iis hominibus, ſi perſpicuis ſacrarum literarum teſtimoniis dogma iſtud probarent, & non potiùs contra aperta ac clara earum teſtimonia aſſererent. At nunc, cum ejuſmodi loca proferre non poſſint; fruſtra nos ipſo myſterii nomine, ne ratione hîc utamur, terrent, ac veluti Gorgone objectâ, in ſaxa vertere conantur. Quanquam ne tum quidem rationis examen eſſet ſubterfugiendum, ſi id myſterium divinitus revelatum eſſe conſtaret. Quod enim myſterium nobis ex ſacris literis proferent, quod cum ratione pugnet? Superant quidem rationem myſteria, ſed non evertunt; non extinguunt illa hujus lumen, ſed perficiunt. Imò ratio myſteria, quæ per ſe invenire non poterat, ſibi revelata, & percipit ſola, & amplectitur, & defendit. Ratione utitur Paulus 1 Cor. 15. 12, & d. dum reſurrectionem probat; quod myſterium vel maximè rationem aliàs ſuperat. Quid, quòd ipſi adverſarii id malè faciunt, quod nos rectè facere prohibent? Non commemorabo nunc illud, quòd ſine rationis ope de eſſentiæ & perſonæ diſcrimine diſſerere non poſſint. Ubi enim iſta in ſacris literis ſcripta ſunt? & ut ſcripta eſſent, ſine ratione nec percipi, nec explicari poſſent. Illud nunc urgeo, quòd omnes conſequentiis utuntur, cùm de hoc dogmate, quod myſterium illi vocant, diſputatur. Quid verò? num ratione non utitur, qui conſequentiis utitur? Num fortè & argumentationes illæ in ſacris literis ſunt perſcriptæ? Dices, ipſas argumentorum propoſitiones eſſe ſcriptas. Primùm eſto ita. At ipſas argumentationis forma ibi non traditur; nec oſtenditur, hanc, qua tu uteris, legitimam, quâ adverſarius, illegitimam eſſe. Quid ergo id docet? ratio. Sed deinde, reſolve argumentationes tuas, & tuorum, quos maximè ſuſpicis ac probas; quam paucas reperies, quæ ex ſolis ſacris literis conſtent? Quid uſitatius eſt iſtiuſmodi argumentationibus: Cui conveniunt proprietates unius illius Dei, is eſt unus ille Deus: Chriſto autem, vel ſpiritui ſancto eæ conveniunt. Item, Cui conveniunt actiones perſonarum propriæ, is eſt perſona: At ſpiritui ſancto conveniunt. Ubi autem iſtæ propoſitiones, quas majores vocant, (ne de aſſumtionibus quicquam nunc dicam) ſcriptæ ſunt? Unde, niſi ex ratione, depromuntur? Quòd ſi argumentatio, etiam cùm de myſteriis agitur, poteſt conſtare ex altera propoſitione, quam ratio tantùm ſuppeditet; cur non poſſit etiam ex duabus; ſi tam approbet utramque ratio, quàm unam? Præterea,

ſi vel

* Vide Joh. Volkelium lib. 5. de vera Relig. cap. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſi vel ex ipſorum adverſariorum ſententiis, vel ex confeſſis apud omnes axiomatibus ac principiis argumentemur; quis id, niſi iniquiſſimè, reprehendere poterit? præſertim ſi oſtendamus, dogma illud contradictionem, ut loquuntur, implicare, ſeque ipſum evertere. Fatentur enim omnes ſaniores, dogma nullum verum eſſe poſſe, quod contradictionem implicet, ſeu cujus vis ea ſit, ut idem neceſſe ſit ſimul eſſe, & non eſſe, eodem nimirum reſpectu, parte, tempore. Hoc enim principio ſublato, omnis tollitur ſcientia; &, utut tu millies demonſtrares, Deum eſſe in perſonis trinum, liceret tamen alteri æquè verè dicere, eum trinum non eſſe, & ſic in cæteris omnibus. Atqui oſtendere haud difficulter poſſumus, dogma illud vulgare, de Trinitate perſonarum in una numero eſſentia, contradictionem implicare. Quid ergo reſtat, quin id falſum ab omnibus agnoſcatur? Ita autem rem ſeſe habere, ut diximus, ſequenti libro, divina ope adjuti, demonſtrabimus.

DE UNO DEO PATRE

LIBER SECUNDUS.

POſtquam ex ſacris literis docuimus, Deum illum ſummum nullum eſſe alium, quàm Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; nunc idem aliis potiſſimùm argumentis confirmabimus: & quidem ita, ut contrarium huic ſententiæ dogma, partim ex ipſa illius natura, & receptis apud adverſarios ſententiis, partim ex aliis, quarum veritas certa ratione demonſtrari poteſt, refellamus. Totam autem hanc tractationem in tres iterum ſectiones dividemus. In prima, de tribus illis, quæ ſtatuuntur, ſupremæ divinitatis perſonis generatim diſſeremus, & id dogma tum ſecum ipſo, tum cum aliis adverſariorum hypotheſibus pugnare docebimus. In ſecunda, de ſecunda Trinitatis illius perſona, quam Filium Dei eſſe volunt; in tertia, de tertia perſona, quam ſpiritum ſanctum faciunt, loquemur. Quibus abſolutis, totum opus ita concludemus, ut uſum diſputationis hujus maltiplicem oſtendamus.

SECTIO PRIMA.

In qua de tribus, quæ vulgò ſtatuuntur, ſupremæ Deitatis perſonis generatim agitur.

CAP. I.

Argumentum primum, quo oſtenditur, vulgare de Trinitate dogma ſeipſum evertere: quia ſimul unus & tres Dii forent.

VT ergo id, quod primo loco propoſuimus, exſequamur; primùm inde patet, vulgare illud dogma, de tribus in uno Deo perſonis, contradictionem involvere, atque adeò ſeipſum evertere, quòd ſimul & unus Deus & tres Dii, nempe ſummi, ſtatuuntur: unus quidem Deus expreſſe; tres verò, ſi vim ſententiæ ſpectes. Ajunt enim, tres eſſe perſonas reipſa inter ſe diſtinctas, quarum quælibet ſit Deus. Siquidem ita dicere ſolent, & vi ſententiæ ſuæ dicere coguntur: Pater eſt Deus; Filius eſt Deus; ſpiritus ſanctus eſt Deus. De Deo autem ſummo ſemper loquuntur. Jam verò ubi tres ſunt perſonæ realiter inter ſe diſtinctæ quarum quælibet ſit Deus ſummus, ibi tres Dii ſummi ſunt. Percenſe modò perſonas illas, & tres Deos ſummos habebis. Primus enim Pater erit, ſecundus Filius, tertius ſpiritus ſanctus. Res diſputatione non eget apud eum, qui ob præconceptam de Deo opinionem, ubi ad eum ventum eſt, tria numerare non dedidicit.

DEFENSIO ET CONFIRMATIO ARGUMENTI UBERIOR.

SEd pertendunt illi tamen, hos tres unum eſſe Deum. Si ita hos tres unum dicerent eſſe Deum, ut tres pluréſve ſenatores unum ſenatum dicimus, cùm de ſingulis id dici nequeat; ignoſci illis hactenus poſſet. Sed cùm de qualibet perſona diſtinctè ſumta Dei ſummi nomen pronuncient, & pronunciare vi ſententiæ ſuæ omninò cogantur, dicere id non poſſunt. Omnino enim ex hac opinione ſequitur, vel Patrem eſſe Filium & Spiritum ſanctum, ac viciſſim; vel alium numero Deum eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum: quorum illud realem perſonarum diſtinctionem tollit; hoc Dei unitatem ſubvertit, & tres numero Deos manifeſtè conſtituit. Nam quod ad prius attinet, ita argumentabor: *Unus ille Deus eſt Pater*, teſtantibus ſacris literis, & fatentibus adverſariis. *At Filius*, ex adverſariorum ſententia, *eſt unus ille Deus, ille idem nimirum numero, qui Pater modò dictus fuerat. Ergo Filius eſt Pater.* Eadem autem argumentatio etiam inverti, converſis ac tranſpoſitis præmiſſis, poterit, & de ſpiritu ſancto, reſpectu Patris & Filii, ſimiliter conſtitui. Nec poteſt aliter diſſolvi, niſi dicas, alium numero Deum eſſe Filium, alium Patrem, alium ſimiliter ſpiritum ſanctum; & ſic tres eſſe numero Deos. Itaque quocunque ſe vertant adverſarii, & ſuum dogma, & ſacrarum literarum ſententiam, ipſo illo dogmate evertunt. Deinde, num rectè ita argumentor, Pater eſt perſona divina, Filius eſt perſona divina, Spiritus ſanctus eſt perſona divina; Ergo tres ſunt perſonæ divinæ, non una? Omnino ita aſſerent adverſarii. Cur ergo ſimiliter non rectè argumentor: Pater eſt Deus ſummus, Filius eſt Deus ſummus, Spiritus ſanctus eſt Deus ſummus: Ergo tres ſunt Dii ſummi, non unus? Si urgeremus exempla a rebus creatis petita: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, Johannes eſt homo: Ergo tres ſunt homines, non unus: vel, Michaël eſt angelus, Gabriël eſt angelus, Raphaël eſt angelus: Ergo tres ſunt angeli, non unus: ſi, inquam, hæc urgeremus exempla, exclamarent adverſarii, aliter ſe rem habere in creaturis, aliter in Deo. At nunc, cùm divinarum perſonarum exemplo utimur, quid ſunt dicturi? In perſonis divinis aliter ſe rem habere, aliter in Deo? Itáne? Sed quid ſi demonſtremus, eum ipſum, de quo agitur, Deum perſonam divinam eſſe, uti & contrà? An adhuc negabunt, id valere in Deo, quod in perſona divina? Atqui id partim ex ſacris literis, partim ex ipſorum adverſariorum ſententia demonſtrare facile eſt. Ajunt illi, quamlibet perſonam divinam eſſe Deum illum unum. Et quidni dicant? ſiquidem earum quamlibet, totam unius Dei eſſentiam habere volunt; nec aliter dicere poſſunt, niſi illo Trinitatis dogmate everſo. Sacræ autem literæ de Patre apertè affirmant, eum eſſe Deum illum unum. Atqui id falſum erit, ſi Deus ille unus perſona divina non eſt. Ita enim argumentari licebit: Deus ille unus non eſt perſona divina. Pater eſt perſona divina: Ergo Pater non eſt Deus ille unus. Eadem de Filio & Spiritu Sancto inſtituetur, ex adverſariorum ſententia, argumentatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Potuiſſent hæc, quæ ad confirmandum primum argumentum dicta a nobis ſunt, etiam per ſe afferri ad ſententiam adverſariorum refellendam. Sed noſtra nil intereſt, ſive pro peculiaribus argumentis habeantur, ſive pro fulcris primi. Quanquam hoc etiam alia generali ratione confirmari poteſt. Nam *ubicunque reipſa multiplicantur ſubjecta, multiplicantur etiam illa, quæ de ſingulis diſtinctè dicuntur; & multiplicantur quidem pro numero ſuorum ſubjectorum.* Rem jam declaravimus exemplis & divinis, & angelicis, atque humanis: nec ullo prorſus exemplo refelli poteſt. Percurre omnia rerum genera, & ita ſe rem habere deprehendes. Quot ſunt homines, tot ſunt animalia, corpora, ſubſtantiæ: quot angeli, tot ſpiritus; quot lineæ, tot longitudines ac quantitates; quot virtutes, tot habitus, tot qualitates; quot patres, tot relata: & ſic in cæteris. Nempe quia omnia iſta prædicata ad numerum ſuorum ſubjectorum multiplicantur. Quare etiam quot perſonæ divinæ ſunt, tot erunt Dii, & Dii quidem ſummi: ſiquidem Deus ſummus de qualibet perſona divina diſtinctè prædicatur. Unde apparet, ſymbolum Athanaſianum ſibi planè contradicere, dum ita pronunciat: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; & tamen non ſunt tres Dii, ſed unus Deus. Sic etiam: Pater eſt æternus, omnipotens, immenſus; eodem modo & Filius, & ſpiritus ſanctus: & tamen non ſunt tres æterni, omnipotentes, immenſi; ſed unus æternus, omnipotens, immenſus.

Dixerit fortè aliquis: aliter accipi vocem *Deus*, cùm de ſingulis perſonis prædicatur: aliter cùm abſolutè ponitur: illic hypoſtaticè ſumi, ſeu perſonaliter, hîc eſſentialiter. Equidem non crediderim, acutiores ex adverſariis ita reſponſuros. Siquidem ii Deum, uti & nonnulli Patrem, eſſentialiter ſumtum, volunt etiam de ſingulis perſonis prædicari. Adde, quòd neceſſe eſſet eandem ambiguitatem in voce *æterni, omnipotentis, immenſi*, ſtatuere, ut alius diceretur eſſentialiter æternus, omnipotens, immenſus, non perſonaliter; alius contrà perſonaliter. Aliàs iterum laborandum eſſet, quomodo contradictio illa ſit concilianda, quæ in illis verbis eſſe videatur, quòd cùm & Pater ſit æternus, & omnipotens, & immenſus, & ſimiliter Filius, ac ſpiritus ſanctus; non ſint tamen tres æterni, omnipotentes, immenſi, ſed unus tantùm. Atqui non memini legere, vel audire, adverſarios in voce *æterni, omnipotentis, immenſi*, eandem ambiguitatem fingere. Quare non facile crediderim, ut dixi, adverſarios acutiores ita reſponſuros. Veruntamen ſi quis ita reſponderit, quid aliud dicet, quàm ſymbolum Athanaſianum ſophiſticè ludere, & homines rudes ac ſimplices vocis ambiguitate decipere? Quis enim illorum cogitaſſet, aliter atque aliter *Dei* vocem iſtic accipi? Nam quorſum, quæſo, verba illa adduntur, *Et tamen non ſunt tres Dii, ſed unus Deus?* nónne eam ob cauſſam, ne quis, ex rudioribus præſertim, audiens, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spiritum ſanctum eſſe Deum, inde colligat, tres eſſe Deos? At in qua ſignificatione? in ea nimirum, in qua audierat, Patrem eſſe Deum, ſimiliter & Filium, & Spiritum ſanctum. Hic enim ſcrupulus primò oritur; nec in mentem venit homini rudi alia ſtatim vocis ſignificatio. Hæc ergo ſententia verbis illis refutatur; ac porrò vox *Deus* eodem modo utrobique accipitur, non aliter tunc, cùm de ſingulis perſonis dicitur, aliter verò, cùm abſolutè ponitur, & Deus eſſe unus dicitur. Deinde ex hujuſmodi exceptione ſequitur nihilominus, rectè dici poſſe, tres eſſe Deos, ſi hypoſtaticè *Dei* vox ſumatur, ut quidem in ſacris literis ſæpe ſumi fatentur adverſarii. Et mirum ſanè eſſet, eos non expreſſe dicere, tres eſſe Deos, niſi viderent, id nimis apertè ſacris literis adverſari: cum audeant dicere, tres eſſe Elohim; & libri à diverſis adverſariis extent *de tribus Elohim* ſcripti. Quid enim *Elohim* aliud ſignificat, quàm *Dii?* Itaque tres Elohim, tres ſunt Dii. Hebraica nempe ac minùs nota voce, abſurditatem aliquantulùm tegere, ſed ridiculè, conantur. Reprehenditur quidem hujuſmodi loquendi modus ab acutioribus quibuſdam adverſariis, è quorum tamen numero non deſunt, qui Elohim Hebraicum, cùm de Deo ſummo effertur, non minùs ſignificatione, quàm formà Grammaticâ plurale eſſe cenſent. At ſi ſignificatione etiam plurale eſt, Deos ſignificat, non minùs quàm Græcum θεοὶ, aut alia in aliis linguis ei reſpondentia. Plures ergo ſunt Dii. Sed præterea vana eſt prorſus diſtinctio inter Deum hypoſtaticè ſeu perſonaliter, & eſſentialiter acceptum, præſertim cùm de ſummo Deo ſermo eſt. Etenim & ipſa *Dei* vox, perſonæ nomen eſt, cùm nomen ſit ejus inprimis, qui imperium in alios habeat; & ſummus Deus ſupremum rerum omnium rectorem ac monarcham ſignificet. Imperare autem ac regere non niſi perſonarum eſt. Adde, quòd ſuperiùs hoc ipſo capite oſtendimus, Deum illum unum præter quem nullus eſt alius, perſonam eſſe. Uti contrà, non poteſt quiſpiam hypoſtaticè ſeu perſonaliter Deus eſſe, Deus, inquam, ſummus, quin ſimul ſit eſſentialiter. Annon enim eſſentialiter Deus eſt, qui eſſentiam divinam habet? At quiſquis eſt hypoſtaticè Deus ſummus, eſſentiam divinam habet. Quòd ſi Deum eſſentialiter acceptum dixeris ſignificare ipſam eſſentiam, quæ nec ſit Pater, nec Filius, nec Spiritus ſanctus, aut contrà; ſed aliquid in tribus iſtis ſubſiſtens: primùm non facilè crediderim, adverſarios, qui accuratiùs loquuntur, id admiſſuros. Siquidem eſſentia, ita præſertim accepta, ut de ſingulis perſonis divinis prædicari nequeat, aliquid abſtractum ſignificat: *Deus* autem concretum, quale quidem in ſubſtantiis datur, eſt, & eſſentiam unà cum exiſtentia aut ſubſiſtentia denotat. Sed deinde quicquid tandem adverſarii ſtatuere hac de re velint, illud jam nos docuimus, Dei nomen perſonæ nomen eſſe: & cùm certum ſit, Dei unius nomen ita in ſacris literis uſurpari, ut de Patre directè prædicetur; adverſarii autem velint, etiam de Filio & ſpiritu ſancto dici; neceſſe erit oſtendere, ubinam vox *Dei*, cum de uno illo Deo ſermo eſt, tale quippiam denotet, quod nec ſit Pater, nec Filius, nec ſpiritus ſanctus. Denique nihil ejuſmodi ſignificatio ad rem faciet. Siquidem nos de eo diſputamus Deo, de quo adverſarii ipſi loquuntur, cùm ajunt, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, ſpiritum ſanctum eſſe Deum: non verò de eo, qui de perſonis divinis prædicari ad iſtum modum nequeat. Et hæc quidem de primo argumento dicta ſunto.

Cap. II.

Argumentum ſecundùm: quia quælibet perſona divina trina in perſonis foret.

Altera ratio, qua oſtenditur, vulgare Trinitatis dogma ſeipſum evertere, eſt, quòd inde ſequatur, quamlibet divinitatis perſonam trinam in perſonis eſſe, & ſic unam ſimul eſſe, & non unam. Etenim ſic dicunt adverſarii: Deum illum unum trinum eſſe in perſonis. Iidem rurſus, ut diximus, aſſerunt, quamlibet perſonam divinam eſſe Deum illum unum. Unde conſequitur, quamlibet perſonam divinam eſſe trinam in perſonis.

Neque verò eſt, quod majorem particularem eſſe dicas. Singularis enim eſt, quæ univerſali hic reſpondet: cum nihil ſubſumatur in minori, quod ſub illo ſingulari, quod majoris ſubjectum eſt, & medius argumenti terminus, non contineatur, ſeu de quo ſingulare illud dici nequeat. Concluſio autem falſiſſima eſt, & ſeipſam, ut vidimus, evertit. Quòd ſi quis diſtinctione hîc uti velit, & dicere, majorem loqui de Deo eſſentialiter ſumto, minorem de Deo perſonaliter ſumto; is nihil proficiet. Siquidem nos diſtinctionem illam præcedenti cap. refutavimus, oſtendentes, quamlibet perſonam divinam eſſe Deum eſſentialiter ſumtum: quia totam Dei eſſentiam habeat. Itaque utrovis modò vocem Dei ſumas, vera tamen minor erit; quemadmodum etiam adverſarios doctiores omnes dicturos crediderim. Sed præterea fingamus, eſſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſſentiam, quæ neque ſit Pater, nec Filius, nec ſpiritus ſanctus, rectè dici poſſe Deum, & eam in perſonis trinam eſſe, quam locutionem legere apud adverſarios non memini: tamen ſi tota illa eſſentia in qualibet perſona eſt, cuilibet perſonæ trinitas inerit, & ſic non minùs, quàm eſſentia illa, trina in perſonis erit. Cui enim ineſt eſſentia, ei ineſt totum id, quicquid in illa eſſentia eſt, & de eo in concreto prædicatur. Præſertim ſi res illa per ſe eſſentiæ ineſt, & non per accidens: ut hîc omnino volunt adverſarii, quibus non modò perſonæ divinæ non poſſunt eſſe accidentia divinæ eſſentiæ, ſed nullum prorſus eſt in Deo accidens.

C A P. III.

Tertium argumentum: quia perſonæ divinæ realiter eædem & diverſæ forent.

TErtium argumentum eſt, quòd ſtatuunt adverſarii, eſſentiam cum perſonis realiter idem eſſe, perſonas autem inter ſe realiter differre. Hinc enim ſequitur, idem ſimul & unam rem eſſe & plures, realiter a ſe differre, & non differre. Etenim quæ ſunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter ſe realiter ſunt eadem. Atqui tres illæ perſonæ divinæ realiter inter ſe diſtinctæ, realiter ſunt idem uni cuipiam rei, nempe eſſentiæ divinæ. Ergo perſonæ illæ tres realiter inter ſe diſtinctæ, inter ſe realiter ſunt eædem. Concluſio ſibi manifeſtè contradicit. Major, quam vocant, propoſitio, omnibus noto nititur principio, quod vulgò ita efferunt: Quæ ſunt eadem uni tertio, (hoc eſt rei alicui, cum qua conferuntur) etiam inter ſe ſunt eadem. Eadem autem vis manet axiomatis, ſi addas & in prædicato & in ſubjecto iſtius enunciationis, vocem *realiter*. Nam quæ eadem ſunt realiter uni tertio, illa ſunt res eadem cum illo tertio. Quid enim eſt aliud, eadem eſſe realiter, quàm eandem rem eſſe? At quæ ſunt res eadem cum uno tertio, inter ſe quoque rem eandem eſſe neceſſe eſt: aliàs tertium illud, cum quo illa ſunt res eadem, ſimul eſſet & una res, & plures. Sic nonnulli ex ipſis adverſariis probare ſolent, attributa divina non diſtingui realiter inter ſe. Attributa, inquiunt, divina ſunt realiter idem cum eſſentia divina. Ergo ſunt realiter idem inter ſe. Quia quæ ſunt realiter idem uni tertio, ſunt etiam realiter idem inter ſe.

Sed alii, * qui vident, ſuam de Trinitate ſententiam hoc pacto convelli, ajunt, hanc rationem firmam non eſſe; & tritum illud axioma, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, debere ſic intelligi: *Quæ ſunt eadem uni tertio incommunicabili, ſunt eadem inter ſe.* Conſtare autem, eſſentiam divinam non eſſe incommunicabilem; cùm ſit eadem numero in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis. Neque verò poſſunt ullam aliam inſtantiam afferre adverſarii, quâ axioma illud convellant, præter id, de quo hîc controvertitur, & hac ipſa ratione refellitur. At nullam patitur inſtantiam ſive exceptionem major illa, & à nobis, & ab aliis propoſita: quia ejus ratio prorſus eſt univerſalis. Niſi enim admittatur, contradictio aperta ſequitur, ut vidimus; nempe unum idémque ſimul eſſe eandem rem, & plures. Quare ſi res aliqua fingatur communicabilis, quæ eadem ſit realiter cum tribus realiter inter ſe diſtinctis; ut hîc eſſentia divina, quæ res una eſt, cum tribus perſonis; illa ſimul erit res una, & plures. Itaque tale communicabile non eſt admittendum; & ſi pro inſtantia ad convellendum axioma illud in noſtra hac controverſia afferatur, mera hæc erit petitio ejus, quod in principio. Cùm illud communicabile hac ipſa ratione refellatur. Facilè autem cuivis apparet, hujuſmodi communicabile contradictionem involvere, ſi, quid eo nomine hîc intelligatur, conſideres. Communicabile enim hîc illud appellant, quod cùm unum ſit numero, pluribus tamen numero ſit commune. Ita enim eſſentiam divinam communicabilem eſſe volunt. Siquidem eam unam eſſe numero, unà nobiſcum agnoſcunt, ſed tribus numero perſonis communem eſſe volunt, ita ut in concreto de ſingulis diſtinctè prædicetur, hoc nimirum pacto: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus; & tamen illos tres volunt eſſe unum Deum. Quid enim hoc aliud eſt, quàm unum numero eſſe ſimul plura numero; ſingulare eſſe, & non ſingulare? Singulare enim eſt, quia unum numero. Non ſingulare, quia in plura ejuſdem nominis ita dividi poteſt, ut totum tamen ſit in ſingulis; id quod rationi ſingularis ſeu individui prorſus repugnat. Firma ergo eſt ea, quam propoſuimus, ratio, quam, ſi placet, etiam ita poſſis proponere, ut concludatur, Eſſentiam divinam ſimul fore & unam tantùm rem, & plures. Nam unam quidem eſſe omnes fatentur. Plures autem eſſe ex ipſorum dogmate conſequitur: quia ſtatuunt, eam eſſe idem realiter cum tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis. Etenim ſi perſonæ illæ tres realiter inter ſe diſtinctæ ſunt; neceſſe eſt eas eſſe tres res diſtinctas. Idem enim realiter eſt, quod una res eſt: diſtincta realiter, quæ plures res ſunt. Id quod & res ipſa loquitur, & præcipui ex adverſariis fatentur; & qui id negant, quid dicant, neſciunt. Eandem enim rem realiter a ſe differre, ſtatuere neceſſe habent; id quod ſeipſum evertit. Jam ſi eſſentia eſt realiter idem cum tribus perſonas realiter inter ſe diſtinctis; neceſſe eſt eam eſſe rem eandem unam cum tribus rebus diſtinctis. Quod verò idem eſt cum tribus rebus diſtinctis, id tres eſſe res neceſſe eſt. Quare eſſentia divina ſimul & una res erit, & tres res; id quod, ut diximus, ſecum ipſo pugnat.

Addamus huic argumento corollarium: divinas perſonas ſimul fore unum per ſe, & unum tantùm per accidens: & ſic unum per ſe, & non per ſe; per accidens, & non per accidens. Etenim quæ unum ſunt ratione eſſentiæ, & quidem ejuſdem numero, maxime ſunt per ſe unum. Unitas major inter ea, quæ diverſorum inſtar concipiuntur, ne fingi quidem poteſt. Atqui eo modo divinæ perſonæ unum eſſe ſtatuuntur. Rurſus autem, quæ duo aut plura ſunt actu, ultimáque perfectione, ea non ſunt unum per ſe, ſed unum tantùm per accidens. Quæ enim unum per ſe ſunt, ita ſunt comparata, atque inter ſe apta, ut vel eorum unum ad alterum habeat ſe, ut potentia ad ſuum actum, ſeu ut res perficienda ad ulteriorem quandam perfectionem; vel utrumque ſimul ab alio aliquo actu perficiatur, utpote nondum ultimam ſuam perfectionem in ſe habens. Actus enim eſt, qui & conjungit, & ſeparat. Conjungit, ſi unus: disjungit, ſi plures. Atqui perſonæ divinæ nec ad ſe mutuò, nec ad aliam aliquam rem ita referuntur, ut potentia ad actum, ulteriorémque perfectionem, ultimam ſuam perfectionem jam adeptæ. Eſſentia actus ejuſmodi eſſe non poteſt. Perſonæ enim potiùs addunt eſſentiæ aliquid perfectionis, nempe ſubſiſtentiam ac proprietatem perſonalem, quàm contrâ. Et ſubſiſtentia illa eſſentiam præſupponit, non contrà.

C A P. IV.

Argumentum quartum: quia ſimul una & tres ſupremæ deitatis ſubſtantiæ forent.

QUartò hac quoque ratione contradictio in illo dogmate oſtendi poteſt, quia ſimul & unam, & plures Dei ſubſtantias introducit. Unam eſſe Dei unius ſubſtantiam omnes ſtatuunt. Plures autem pluralitas perſonarum neceſſariò poſtulat. Etenim ſi perſona nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia prima intelligens; ubi ſunt plures perſonæ, ibi plures ſubſtantias primas intelligentes eſſe neceſſe eſt. Multiplicato enim definito, quod hîc perſona eſt, multiplicatur etiam tota definitio, ſeu totum id, quod in definitione exprimitur. Eadem enim reipſa ſunt definitum, & definitio, ſeu id, quod in definitione exprimitur: modo tantùm explicandi differunt. Poſſes eandem rationem etiam ita breviùs proponere: Si quælibet perſona eſt

* Vid. Becan. in Tractat. de Deo c. 1. ſect. 1. partic. 8.

ſubſtantia, ubi plures ſunt perſonæ, plures etiam ſunt ſubſtantiæ. Multiplicatis enim individuis, multiplicatur in iiſdem id, quod generis locum obtinet, uti & id, quod ſpeciei. Quia nihil ſunt individua aliud, quàm id, quod ſpeciei ac generis nomine effertur, per differentias, quas individuantes vocant, contractum. Itaque niſi id, quod ſpeciei aut generis locum habet, ita, ut diximus, contractum multiplicetur, non multiplicantur individua. Individua autem ſunt perſonæ, quarum genus eſt ſubſtantia. Perſonam verò quamvis eſſe ſubſtantiam, & hanc de perſona, ut ſuperius de ſuo inferiori prædicari; primùm inductione patet. Nam & perſona humana, & angelica, & divina, ſubſtantia eſt. Præter has autem nulla alia eſt perſona, ſi angelorum nomine etiam malos angelos ſeu dæmones comprehendas. Quis dubitat, Petrum, aut Paulum, alióſve homines eſſe ſubſtantias? Quis Gabriëlem, Michaëlem, alióſve angelos? Quis item dæmones? Homines enim petulantis ingenii non moramur, qui dæmones neſcio quid aliud faciunt, contra aperta ſacrarum literarum teſtimonia; qui iidem nec perſonas illos eſſe dicent, aut dicere poterunt. Num fortè negabis, Patrem & Filium eſſe ſubſtantias? Sunt enim homines quidam ſuperſtitioſi, qui *ſubſtantiæ* vocem de Deo uſurpare non audent: quia ſubſtantiæ ſit ſubſtare accidentibus: accidentia autem in Deum cadere piaculum illis eſt dicere. Et tamen iidem non reprehendunt ſuos, qui dicunt, Dei unam eſſe ſubſtantiam: & quod a multis ſeculis in templis canitur, *Pater, Filius, Sanctus ſpiritus, tria ſunt nomina, omnia eadem ſubſtantia*. Sed eximamus illis hunc metum. Subſtare accidentibus, id ipſum ſubſtantiæ eſt accidens. Per ſe ſubſiſtere, hoc eſt ſubſtantiam eſſe. Num verò Pater & Filius per ſe non ſubſiſtunt? Si illi per ſe non ſubſiſtunt, nihil per ſe ſubſiſtet. Num fortè, qui Deo accidens ullum adſcribere formidas, ipſum Deum facies accidens? At quicquid ſubſtantia non eſt, accidens eſt. Taceo neminem negare poſſe, Filium eſſe ſubſtantiam, niſi qui idem hominem eum eſſe audeat negare. De ſpiritu autem ſancto idem adverſarios dicere eſt neceſſe, quod de Patre, & Filio.

Et quia nonnulli, licèt cæteroqui Deum ſubſtantiam eſſe dicant, tamen perſonas divinas ſubſtantias eſſe negant, ut poſtea clariùs apparebit; idem alia quoque ratione probemus, ſumto eo, quod apud adverſarios generatim omnes extra controverſiam eſt poſitum. Statuunt illi omnes, à Scholaſticis edocti, Perſonam nihil eſſe aliud, quàm ſuppoſitum intelligens: *Suppoſitum* eſſe perſonæ genus, *intelligens* differentiam ſpecificam, quæ generi illi addita, totam perſonæ rationem abſolvat. Eſtque ea *Suppoſiti* vox, licèt in hoc ſignificatu barbara, in ſcholis, cùm de perſonis divinis ſermo eſt, admodum uſitata. Ajunt enim, tria eſſe in Deo ſuppoſita. Jam verò ſuppoſitum, ut ab ipſis Scholaſticis, ejus vocis ita uſurpatæ auctoribus, explicatur, eſt ſubſtantia prima completa: addere ſolent, ut ſit incommunicabilis; quanquam præter neceſſitatem, ut mox audiemus. Subſtantiam eſſe dicunt, ut accidentia, primam, ut univerſalia, genera nimirum & ſpecies, excludant. Prima enim ſubſtantia dicitur, quæ una eſt numero, ſeu ſingularis. Completam ac perfectam ajunt eſſe, ut partes ſubſtantiarum, ſive integrantes, ſive eſſentiales excludant, & quicquid inſtar formæ de quopiam prædicatur, aut cuipiam ineſt, ut humanitas, ſeu humana eſſentia. Incommunicabilem denique dicunt, ne ſit pluribus ſuppoſitis communis, néve cum alio ſuppoſito conjungatur, quam conditionem propter eſſentiam divinam, vel etiam humanam Chriſti naturam addiderunt, cui cæteræ omnes conditiones ſuppoſiti conveniunt. Itaque niſi hanc conditionem adderent, viderunt ſequuturum, divinam eſſentiam ſuppoſitum eſſe, &, cum ſit intellectu prædita, etiam perſonam. In uno autem ſuppoſito tria ſuppoſita, in una perſona tres perſonæ locum non habent. Quare trinitatis ſuæ metuentes ruinam, fulcrum hoc ei infirmum appoſuerunt. Atqui ea conditio jam continetur in *primæ* ſeu *ſingularis* ſubſtantiæ nomine. Singularis enim non eſſet, ſi pluribus ſingularibus eſſet communis, & de iis in concreto, (quatenus quidem concreta in ſubſtantiis reperiuntur, ut Deus, homo,) prædicaretur. Qua de re ſuprà vide cap. 3. hujus ſect. Hoc loco ea re nobis non eſt opus. Neque enim in eo vis hujus, quod nunc urgemus, argumenti ſita eſt. Illud adhuc addendum videtur, ad rationem hujus deſcriptionis rectiùs percipiendam: ideò Scholaſticos, ejuſmodi, qualem deſcripſimus, ſubſtantiam, ſuppoſitum appellaſſe: quia ſuppoſitum id demum dici mereatur, quod omnibus aliis prædicationibus, ſeu rebus, quæ de altero prædicari queant, veluti ſupponatur, ac ſubjiciatur. Breviter, quod ſit ultimum ſubjectum, de quo cætera prædicentur, ipſum de nullo alio. Hoc verò nullum eſt aliud, præter ſubſtantiam primam ac ſingularem. Hæc enim de nullo alio dicitur: quia nec aliquid habet ſe inferius; nec ſubjectum, cui inſit, ſive inhæreat, inſtar accidentis: ſed ipſa ſubjectum eſt ultimum, de quo & ſubſtantiæ ſecundæ, nempe genera & ſpecies, & accidentia dicuntur. Qua de re videantur Categoriæ, quæ Ariſtoteli inſcribuntur. De his loquitur vulgare etiam axioma: Actiones eſſe ſuppoſitorum; quia ſubſtantiis primis, & quidem perfectis, maximè propriè actiones conveniunt. Si ergo *quælibet perſona eſt ſuppoſitum; ſuppoſitum autem omne ſubſtantia; etiam perſonam quamlibet ſubſtantiam eſſe oportet: & porrò ubi plures perſonæ, ibi plures etiam eſſe ſubſtantias neceſſe eſt.*

Viderunt vim hujus argumenti non pauci ex adverſariis. Ideo ut eam effugerent, definitionem perſonæ veram, ac vulgò etiam in ſcholis, ſi rem ipſam ſpectes, receptam, perverterunt. Ajunt enim, perſonam non eſſe *ſubſtantiam*, ſeu rem per ſe ſubſiſtentem, ſed *ſubſiſtentiam* naturæ intelligentis incommunicabilem. Hanc accuratam eſſe perſonæ definitionem: illam autem, quâ perſona fuerat in ſcholis definita, nempe quòd ſit ſubſtantia intelligens, incommunicabilis, non ſuſtentata ab alio; minus accuratam eſſe. Perſonæ enim in concreto, non in abſtracto ſumtæ competere: non eſſe autem definitiones accuratas concretorum, ſed abſtractorum. Porrò autem ſubſiſtentiam ajunt eſſe modum quendam entis, non ens ipſum. Per ſe enim atque abſtractè conſideratum, entitatem non habere. Itaque Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, per ſe & abſtractè conſiderati, ſeu ab eſſentia diſtincti, illis ſunt non Entia. Et in eo quidem illis aſſentior, quòd perſonæ ejuſmodi, quales ab iis concipiuntur, ſint non entia. Revera enim ipſorum ſunt commenta. Sed Patrem, & Filium, vel etiam ſpiritum ſanctum, eſſe non Entia, aut modos tantùm Entis, id verò falſiſſimum eſt. Res certè & per ſe Deo indigna eſt, &, ut videbimus, ſua vi omne imperium Patri, & Filio, omnémque honorem eripit, atque ad atheiſmum quendam gradum hominibus ſtruit. Non urgebo autem nunc illum tantùm loquendi modum, qui ſuam abſurditatem prima ſtatim facie prodit, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum per ſe eſſe non entia; a quo tamen non abhorrent viri magni inter ſuos nominis, etiam Theologicis ſcriptis clari. Neque enim dubito, quin id multi etiam ex adverſariis improbent. Verùm id ipſum quoque valde indignum eſt, Deum & Chriſtum (ne de ſpiritu ſancto nunc quicquam dicam) ſubſiſtentiam, aut modum entis conſtituere. Quid enim? qui Deus eſt, qui ſubſtantiam habet divinam, ſubſiſtentia eſt, & non potiùs res per ſe ſubſiſtens? modus entis, non ens ipſum? Quomodo ergo imperat? quomodo quicquam agit? quomodo à nobis invocatur? atque ut uno verbo omnia complectar, quomodo eſt Deus? Actiones enim, & quæ actionum ſunt propria conſequentia, non ſubſiſtentiarum ſunt, ſed rei ſubſiſtentis. Nam ſubſiſtentia facultates ac vires, ex quibus actio promanat, non habet, ſed res ſubſiſtens. Num ſubſiſtentia actu vult, intelligit, gubernat, creat, ſervat? Num tu, cùm invocas Deum, modum aliquem divinæ eſſentiæ invocas? ut te modus ali-

quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quis juvet ac ſervet, rogas? Certè ſi id ſunt perſonæ divinæ; nullus hominum ſimplicium, perſonas divinas credit, ipſa ſua tenuitate ac ſubtilitate aciem mentis eorum planè fugientes. Sed quid de ſimplicibus tantùm loquor? Ne docti quidem plærique tales ſibi, ſive cùm orant, ſive cùm aliquid aliud de Deo & Chriſto cogitant, perſonas fingunt; forte nec ii ipſi, qui hæc commenti ſunt, niſi tum, cùm ſua quædam dogmata ſibi conciliare laborant.

Sufficere hæc poſſent ad refutandum iſtorum hominum, ut leviſſimè dicam, commentum. Sed tamen ut & ratio perſonæ tantò clariùs pateat, & pluribus ſatiſfiat; plura paulò ea de re dicamus. Primùm ergo, dum perſonam ſubſiſtentiam faciunt, obliviſcuntur ſui, qui eandem ſuppoſitum eſſe dicunt. Neque verò quemquam mihi videre hucuſque licuit, qui ſuppoſitum genus perſonæ eſſe, & accuratè de eo prædicari poſſe negaret. Et ſatis nobis hîc eſſet, tria in Deo ſuppoſita omnes agnoſcere. Jam verò ſuppoſitum ipſi dicunt eſſe ſubſtantiam talem, qualem antea deſcripſimus: & poſtulat illius nominis ratio, quam ejus inventores ſpectarunt. Neque enim ſubſiſtentia ultimum eſt ſubjectum, de quo omnia tandem dicantur, ipſum de nullo: ſed ſubſtantia ipſa, ſeu ens ſubſiſtentia præditum. Ipſa ſubſiſtentia enti ineſt, &, ut non ſit accidens, inſtar tamen accidentis prædicatur de eo, cui ineſt. Talia autem omnia ſuppoſita eſſe ab omnibus negantur. Quò accedit, quòd actiones quæ ſuppoſitorum ſunt propriæ, non ſubſiſtentiæ conveniunt, ſed ſubſtantiæ ipſi, ſeu enti ſubſiſtentiam habenti, utpote quod vires ad agendum neceſſarias habet: quemadmodum paulò antè monuimus. Subſiſtentia nil præſtat aliud, quàm ut ens per eam ſubſiſtat, & porrò, ſi id cæteroqui vires ac facultates aliquas habeat, agat. Præterea quis dicat, hominem, aut angelum eſſe ſubſiſtentiam, & non potiùs ſubſtantiam, ſeu rem per ſe ſubſiſtentem? At quilibet homo perſona eſt, ſimiliter & angelus. Atque ut altiùs aſcendamus; & Chriſtus ſubſtantia eſt, non ſubſiſtentia; ens, non modus entis. Eſt autem perſona. Perſona ergo non eſt ſubſiſtentia. Alioquin ita ex adverſariorum ſententia argumentandum eſſet: Omnis perſona eſt ſubſiſtentia: Nullus homo, angelus, nec ipſe Chriſtus eſt ſubſiſtentia. Quare nec perſona.

Dicet fortaſſe aliquis; perſonas quidem creatas ſubſtantias eſſe, ſed divinas eſſe ſubſiſtentias: nec eſſe perſonam genus univocum perſonæ creatæ & increatæ, ſed analogum tantùm. Verùm ex eo quærere primùm licebit, num Chriſtum creatam tantùm, an increatam perſonam eſſe velit, an utramque ſimul? Si creatam tantùm, falſa erit ejuſdem ſententia, qui Chriſtum ſecundam Trinitatis perſonam eſſe ſtatuit. Hæc enim perſona increata eſt; nec potuit deſinere eſſe increata, quin Trinitas concideret, exemtâ ex trium perſonarum numero unâ, nempe ſecundâ. Si increata tantùm; Chriſtus erit ſubſiſtentia tantùm (ſi divina perſona ſubſiſtentia tantùm eſt, non res ſubſiſtens) quod omnes falſum eſſe vident. Qui enim homo eſt, ſubſtantia certè eſt, non ſubſiſtentia. Si utramque ſimul; duæ erunt illius perſonæ, diverſæ rationis, ſeu diverſam definitionem habentes. Altera enim erit ſubſtantia; altera ſubſiſtentia, non ſubſtantia. At unus eſt Chriſtus, una illius perſona, fatentibus omnibus, & contra Neſtorium urgentibus. Deinde ratio ſuppoſiti, quod divinæ etiam perſonæ ſeu increatæ competit, non permittit, ut vidimus, divinam perſonam ſubſiſtentiam tantùm eſſe; non, inquam, magis, quàm creatam. Denique illud ipſum, quod rationis loco affertur, eam ſententiam convellit. Nam ſi perſona genus eſt analogum perſonæ increatę & createę, perſonam divinam non ſubſiſtentiam, ſed ſubſtantiam eſſe oportet. Neque enim analoga ſunt, ſubſiſtentia Dei & res ſubſiſtens creata: ſed ſubſtantia creata increatæ, ſubſiſtentia ſubſiſtentiæ, modus modo, analogus eſt; & contrà. Quare ſi perſona creata ſubſtantia eſt, non ſubſiſtentia, aut modus aliquis; etiam increata ſubſtantia erit, non ſubſiſtentia: res, inquam, ſubſiſtens, non modus rei.

Quòd verò ajunt, cùm perſona dicitur eſſe ſubſtantia prima intelligens, definitionem hanc eſſe perſonæ in concreto ſumtæ, non in abſtracto: quærere ex iis libet, quid perſonæ in concreto ſumtæ, quid item abſtractæ nomine intelligant? Si concretum ita ſumunt, quo pacto ſubſtantiæ à nonnullis dicuntur concretæ, ut homo, animal, quorum abſtracta ſtatuuntur humanitas, animalitas; talium concretorum accuratiſſimæ traduntur definitiones; & hoc modo definienda omnino hoc loco eſt perſona, ubi quæritur, an Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint tres perſonæ in una divina eſſentia. Neque enim Pater, Filius, & Spiritus ſanctus perſonalitates ſunt, ſed perſonæ: niſi ſimiliter dicere velis, hominem eſſe humanitatem, animal animalitatem, Patrem paternitatem, & ſic in cæteris: quo pacto concreta erunt abſtracta, & contrà; & ſic fruſtra inter ſe ab adverſariis diſtinguentur. Deinde quocunque tandem modo concretum hîc accipias, nihil id noſtra refert, modò noſtra perſonæ definitio, quatenus concreta definiri poſſunt, ſit bona, aut genus ſaltem rectè conſtitutum. Siquidem de perſonis in concreto ſumtis, non de perſonalitatibus ſermo eſt. Et neceſſe eſt, ubi tria aut plura ſunt concreta ejuſdem alioqui rationis, ut tres boni, tres ſapientes, tres reges, patres, filii, ibi plura eſſe ſubjecta, ſeu plures ſubſtantias, quibus adjunctum illud, quod in concreto effertur, inſit. Eadem eſt ratio etiam eorum concretorum, quæ modum aliquem entis, aut ſubſtantiæ, in concreto exprimunt, quales ab accidentibus vulgò diſtinguuntur. Nam ſinguli illi modi, ſingula entia aut ſubſtantias poſtulant: nec concreta, ejuſdem alioqui rationis, ſunt plura, niſi ſimul ſubjecta ſint plura, ſeu plura entia aut ſubſtantiæ. Denique etiamſi tandem daremus, perſonas divinas eſſe ſubſiſtentias, non ſubſtantias; nihilominus tamen contradictio in vulgari Trinitatis dogmate lateret. Nam & hoc contradictionem involvit, unam numero ſubſtantiam tres ſimul ſubſiſtentias habere, quemadmodum ſequenti capite docebimus.

CAP. V.

Argumentum quintum: quia tres unius ejuſdemque rei ſubſiſtentiæ eſſe non poſſunt.

QUintum hujus generis argumentum eſt, quòd ſi plures ſunt in una Dei ſubſtantia perſonæ, neceſſe eſt etiam plures in eadem ſubſiſtentias eſſe: quemadmodum adverſarii non modò fatentur, ſed etiam urgent. Quandoquidem ſubſiſtentia ſuppoſiti forma eſt. Non poteſt autem res eadem multiplicari, niſi & forma multiplicetur. Quare nec ſuppoſita aut perſonæ multiplicari poſſunt, niſi & ſubſiſtentiæ multiplicentur. Idem apertiùs etiam ex eorum ſequitur ſententia, qui ſuppoſitum ac perſonam volunt eſſe ipſam ſubſiſtentiam. Atqui impoſſibile eſt, unius numero ſubſtantiæ plures eſſe ſubſiſtentias. Primùm quia unius rei non poſſunt plures eſſe formæ ejuſdem rationis, ſive ſubſtantiales ſint, ſive accidentales, ſive quocunque eas nomine appelles, ne modos rerum excluſos putes. Non poſſunt, inquam, unius eſſe plures exiſtentiæ, inhærentiæ; non plures rationalitates, non plures longitudines, aut albedines, niſi fortè ſecundùm diverſas partes; non plures paternitates ejuſdem rationis, niſi reſpectu diverſorum, aut diverſo tempore, & ſic in cæteris. Et ratio hæc eſt: quia non poteſt eadem res bis aut pluries eſſe id, quod eſt, ſed ſemel tantùm, intellige eodem tempore, eodem reſpectu, (qui in relatis tantùm eſt obſervandus,) & ſecundùm eaſdem partes. Alioqui progreſſus daretur in infinitum. Quis enim terminum hîc ponet? Quæ cauſſa eſt, cur non infinities res aliqua ſit id, quod eſt, ſi bis aut ter eſſe poteſt? Progreſſus autem in infinitum eſt impoſſibilis, etiam ſubſiſtentiarum aut ſuppoſitorum in Deo. Quare etiam illud eſt impoſſibile, unde hujuſmodi progreſſus in infinitum ſequitur. Id autem eſt, quòd una eadémque res pluries poſſit eſſe id, quod eſt. Hoc verò inde iterùm naſcitur, quòd eadem res poſſit habere plures ejuſdem rationis formas, eodem nimirum tempore, reſpectu, parte. Eſt

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

enim forma id, per quod res eſt, quod eſt. Quare ubi plures ſunt ejuſdem rationis formæ, pluries res eſt id, quod eſt. Adde, quòd, ſi forma eſt, per quam res eſt id, quod eſt; eâ detractâ res non ampliùs manet id, quod fuerat. At ſi duæ poſſunt eſſe ejuſdem rei formæ tales, quales diximus; alterâ etiam detractâ, nihilominus res manebit id, quod eſt. Id verò eſt impoſſibile, & cum ipſius formæ ratione pugnat. Subſiſtentia autem illa, de qua agimus, forma eſt ſuppoſiti, & per eam ſubſtantia, cui ineſt, ſuppoſitum fit.

Nam, ut hoc quoque obiter explicemus, duplici modo, apud adverſarios ſumitur ſubſiſtentia, laxiùs & ſtrictiùs. Laxiùs ſumta, communis eſt omnibus ſubſtantiis, primis, ſecundis; perfectis, imperfectis; totis, partibus. Et ſic opponitur inhærentiæ tantùm, quæ accidentium eſt propria. Itaque ſubſiſtentia illa eſt forma ſubſtantiæ cujuſvis, ſeu id, per quod ſubſtantia eſt ſubſtantia: inhærentia forma accidentis, hoc eſt, id, per quod accidens eſt accidens. De hac ſubſiſtentia hoc loco propriè ſermo non eſt: licèt ea in hac, de qua agimus, ſubſiſtentia quodammodo includatur, vel ab ea præſupponatur; de ea quoque verum ſit, eandem numero ſubſtantiam plures ſubſiſtentias habere non poſſe. Strictiùs autem ſumta, non niſi ſuppoſitis convenit, ſeu ſubſtantiis primis, hoc eſt, ſingularibus, & quidem completis ſive perfectis: eſtque hujuſmodi ſubſtantiarum, quà tales ſunt, forma quædam. Non poteſt ergo una eademque ſubſtantia plures ejuſmodi ſubſiſtentias habere.

Atque ut rem propius ſpectes; num cenſes Dei ſubſtantiam, quæ numero una eſt, & completa, pluries vel ſubſtantiam eſſe, hoc eſt, rem, quæ non inhæreat alteri, ſed per ſe ſubſiſtat; vel pluries completam? Si pluries, etiam infinities erit. Status enim non datur. Præterea, ſi plures in eadem ſubſtantia dantur ſubſiſtentiæ, neceſſe eſt, ut inter illas aliqua ſit diſtinctio: ſi enim diſtinctio nulla eſt, una erit ſubſiſtentia, non plures. At nulla diſtinctio inter illas eſt. Etenim formæ ſive ſubſtantiarum, ſive accidentium, ſive modi ſint, ſive res, ſi ſunt ejuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, non poſſunt diſtingui, niſi diverſis ſubjectis aut materiis inſint, vel ſaltem diverſis ejuſdem ſubjecti aut materiæ partibus; aut tempore, aut reſpectu diverſo, à ſe invicem diſtinguantur. Hic autem (ut ad rem noſtram id transferamus) nec diverſa ſunt ſubjecta, ſed ſubſtantia divina eadem numero; tempus idem; nec diverſæ partes; cum & ſubſiſtentia non niſi toti ſubſtantiæ competat, & divina eſſentia ex partibus non ſit conflata. Reſpectus etiam diverſi locum hic non habent: cùm ſubſiſtentia non ſit relatum. Nulla ergo reperietur inter ſubſiſtentias illas, & ſic inter perſonas divinas, diſtinctio. At diſtinctas, & quidem realiter, volunt adverſarii, & res ipſa poſtularet. Reſtat igitur, ut non ſint ejuſdem rationis ac definitionis, & ſic aliquid habeant, in quo conveniant: quia omnes ſubſiſtentiæ ſint in divina eſſentia exiſtentes; & aliquid, in quo diſcrepent, ac ſpecie diſtinguantur. At nec compoſitionem ejuſmodi ex genere & differentia ſpecifica in divinis admittunt adverſarii; & impoſſibile eſt, quorum una numero eſt eſſentia, ea ſpecie ac definitione diſcrepare. Quæ enim ſpecie ac definitione diſcrepant, ea hoc ipſo eſſentiâ etiam diſcrepant: ſiquidem ſpecies ad eſſentiam pertinet, & definitio rei eſſentiam explicat, quæ ubi una eſt prorſus, una etiam eſt reipſa definitio. Denique ſubſiſtentia ea, de qua hîc ſermo eſt, protinus ſubſtantiam, cui ineſt, reddit incommunicabilem pluribus ſuppoſitis. Unâ ergo poſitâ ſtatim excluduntur cæteræ. Si enim plures eſſent ſubſiſtentiæ, plura forent ſuppoſita. Quanquam hîc nobis oſtendiſſe ſufficit, plura ſuppoſita in eadem ſubſtantia non eſſe. Subſiſtentiam autem illam reddere ſubſtantiam, cui ineſt, incommunicabilem, patet ex eo, quòd propter eam ſuppoſitum eſt incommunicabile pluribus ſuppoſitis. Quòd ſi ſuppoſitum, etiam ſubſtantia, quæ ob ſubſiſtentiam illam ſuppoſitum fit ac conſtituitur. Etenim forma quævis, quod largitur toti, largitur etiam materiæ, cui ineſt, vel ei quod materiæ reſpondet; & niſi largiretur, ne toti quidem, quod ex ea conſtituitur, largiretur. Eatenus enim totum reddit tale, quatenus materiam totius, quæ potentiâ talis erat, actu talem reddit. Eadem ratio eorum eſt, quæ his per analogiam reſpondent. Hic verò forma eſt ſubſiſtentia: materiæ reſpondet eſſentia ſeu ſubſtantia, cui ſubſiſtentia ineſt, & cum qua ſuppoſitum conſtituit, vel potiùs, quæ propterea, quòd ſubſiſtentiam illam habet, ſuppoſitum ipſa eſt. Quòd ſi corpus, quamdiu animam in ſe habet, animatum eſt & dicitur, quamdiu ſentiendi vim, ſenſitivum; licèt hæ formæ aliquid reale corpori addant: multò magis eſſentia divina ſubſiſtentiam illam atque incommunicabilitatem in ſe habens, ipſa & per ſe ſubſiſtere, & incommunicabilis dici poteſt ac debet: cum hæ formæ nihil ei realiter, ut ipſi adverſarii contendunt, addant. Hæc autem etſi pro nova ratione haberi jurè queant, tamen cum priori computabimus.

Cap. VI.

Argumentum ſextum: quòd perſonæ divinæ ſimul forent communicabiles, & incommunicabiles.

SExto loco illud afferri poteſt, quòd ex vulgari Trinitatis dogmate ſequatur, perſonas divinas & incommunicabiles eſſe, & communicabiles; & ſic ſuppoſita ſimul, & non ſuppoſita; perſonas, & non perſonas. Conſtat enim inter omnes, ſuppoſitum omne, ac porrò omnem quoque perſonam, debere eſſe incommunicabilem alteri ſuppoſito aut perſonæ, ſive uni, ſive pluribus. Unde etiam in definitione perſonæ incommunicabilitatem vulgò exprimunt. At ſi eſſentia divina eadem numero communis, ſeu, ut illi loquuntur, communicabilis eſt pluribus ſuppoſitis ſeu perſonis divinis, ipſa quoque ſuppoſita perſonæque illæ communicabiles erunt pluribus ſuppoſitis perſoniſque. Quorum enim eſſentia, & quidem tota, communicabilis eſt pluribus ſuppoſitis, illa ipſa ſunt communicabilia pluribus ſuppoſitis. Nihil enim magis communicari poteſt alteri, (ſi modò id alterum eſt, & non potiùs idem) quàm cujus eſſentia tota, eadem numero communicatur alteri. Atque in univerſum, nihil magis cuiquam competere poteſt, quàm quod ratione eſſentiæ, & quidem totius, ei competit. Quòd ſi ergo perſonarum divinarum eſſentia tota eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis; illæ ipſæ perſonæ erunt communicabiles pluribus ſuppoſitis. Quare & communicabiles erunt ſimul, & incommunicabiles; & ſic ſuppoſita ſimul, & non ſuppoſita; perſonæ, & non perſonæ.

Cap. VII.

Argumentum ſeptimum, ex analogia cum rebus creatis ductum: ubi oſtenditur, niſi una Dei perſona ſtatuatur, infinitas eſſe ſtatuendas.

ULtimum hujus generis argumentum faciemus id, quod etiam rudiſſimis facilè patet, & ab adverſariis facilè creditur eludi poſſe: nempe quòd videmus, in rebus creatis unius ſubſtantiæ intelligentis unam tantùm eſſe perſonam, non plures, &, ut latiùs rem hanc extendamus, non poſſe eſſe plura ſuppoſita, niſi ſimul etiam plures ſint numero ſubſtantiæ atque eſſentiæ. Cur ergo non idem de Deo ſtatuamus? Rationem conſequentiæ mox videbimus, ubi examinaverimus exceptionem adverſariorum, quâ hoc argumentum convellere nituntur. Ajunt enim, aliam hîc eſſe rationem ſubſtantiæ creatæ & increatæ. Illam enim finitam eſſe, hanc infinitam. Itaque illam quidem, ſi una ſit numero, in pluribus ſuppoſitis aut perſonis ſubſiſtere non poſſe: hanc autem poſſe. Verùm hæc differentia nullum in eo, de quo agimus, habet momentum. Tum enim demum momenti aliquid habitura eſſet, ſi perſona increata non æquè infinita

foret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

foret, atque eſſentia ſeu ſubſtantia, in qua ſubſiſtere creditur, aut pars rei alicujus ſuppoſitum ac perſona eſſe poſſet. Nunc cùm aliter ſe res habeat, eadem hîc ratio eſt finitæ & infinitæ perſonæ. Cur enim finita ſubſtantia nonniſi unam perſonam conſtituere poteſt? nempe quia perſona aut ſuppoſitum totam in ſe ſubſtantiam, non partem ejus aliquam complectitur, nec poteſt eadem ſubſtantia eodem tempore, ſecundùm idem bis eſſe idem; ac porrò nec bis eſſe ſuppoſitum, bis perſona. At eadem ratio eſt etiam in ſubſtantia divina. Siquidem perſona quælibet divina totam divinam ſubſtantiam amplectitur, nec partem aliquam ſibi tantùm decerpit, aut decerpere poteſt, niſi perſona ac ſuppoſitum eſſe deſinat. Quare non magis ſubſtantia infinita, poteſt plura in ſe habere ſuppoſita aut perſonas, quàm finita. Quò accedit, quòd, ſi propter diſcrimen finiti & infiniti, diſcrimen etiam foret in numero ſuppoſitorum; ſequeretur, diſcrimen hoc ratione numeri, infinitum fore. Hoc enim poſtulat infinita illa diſtantia, quæ eſt inter finitam & infinitam ſubſtantiam, quæque diſcrimen illud numeri perſonarum parere cenſetur. Itaque perſonæ in infinita Dei ſubſtantia, numero etiam infinitæ ſtatuendæ eſſent, non numero finitæ, & quidem tres tantùm. Etenim inter tria & unum non modò finitum; ſed etiam valdè exiguum eſt diſcrimen.

Dices, hanc rationem non evincere, infinitas in Deo perſonas eſſe, ſed eſſe poſſe, ſeu nil repugnare, quominus ſint; quia infinitas eſſentiæ ejus permittat. Sed præterquam quòd adverſarii dicant, idem eſſe in Deo Poſſe & eſſe; illud certum eſt, quæcunque in Deo eſſe naturaliter poſſunt, nec ex libera illius voluntate pendent, omnino etiam ac neceſſariò in eo eſſe. Neceſſe enim eſt, ut perfectionem quandam, & quidem naturalem in ſe contineant. Nulla autem naturalis perfectio, quæ in Deum cadere poteſt, ab eo poteſt abeſſe. Siquidem non poteſt eſſe naturæ imperfectæ, ſeu talis, cui aliquid adhuc perfectionis poſſit addi. Quædam ad hanc exceptionem pertinentia dicentur in ſectionibus ſequentibus, ubi examinabitur modus generationis Filii Dei, & proceſſionis ſpiritus ſancti, ab adverſariis excogitatus.

SECTIO SECUNDA.

In qua de ſecunda, quæ ſtatuitur, ſupremæ Deitatis perſona diſſeritur.

POſtquam Trinitatis dogma ex iis refutavimus, quæ ad tres, quæ in Deo ſtatuuntur, perſonas generatim pertinent; reſtat ut idem dogma ex illis refellamus, quæ de certis perſonis nominatim aſſeruntur. Ea verò illa ſunt, quæ ad ſecundam & tertiam Trinitatis perſonam propriè pertinent, vel etiam ad primam, reſpectu iſtarum duarum. Et in hac quidem ſectione, de ſecunda perſona, ut ab initio hujus libri diximus, agemus. Quo loco duo inprimis dogmata occurrunt examinanda: alterum eſt, de ipſius ex eſſentia Patris ab omni æternitate facta generatione: alterum, de ipſius incarnatione. Utrovis enim ſublato, concidit ſententia illa, de ſecunda Trinitatis perſona, vulgò recepta.

CAP. I.

Argumentum primum, quo refellitur dogma de æterna Filii Dei ex eſſentia Patris generatione: quia Filius foret ſui ipſius Filius.

UT ergo ad prius illud dogma accedamus; ſtatuunt adverſarii, &, ni ſtatuerent, Trinitatis dogma tueri non poſſent, Filium ab æterno ita ex eſſentia Patris eſſe genitum, ut nihilominus eandem numero cum Patre eſſentiam habeat. Atqui dogma illud pluribus contradictionibus & abſurdis fœcundum eſt. Nam primùm inde ſequitur, Filium eſſe ſui ipſius filium, ac patrem. Etenim ex cujus eſſentia quiſpiam generatur, ejus eſt Filius. At, ſi illa adverſariorum de Filio Dei ſententia vera eſt, ſequitur, Filium ex ſua ipſius eſſentia eſſe genitum. Quare Filius ſui ipſius filius, ac porrò & ſui ipſius pater erit: id quod manifeſtam involvit contradictionem. Propoſitionem argumenti, quam majorem vocant, nil eſt opus demonſtrare: cùm res ſit ſatis manifeſta, etiam apud adverſarios. Aſſumtio verò ſeu minor inde patet. Quia ſi eadem numero eſt eſſentia Patris & Filii; certe ſi Filius ex eſſentia Patris eſt genitus, ex ſua ipſius eſſentia eſt genitus. Neque verò dicere poſſunt, nondum illam eſſentiam fuiſſe Filii eſſentiam. Quia nullum tempus fuiſſe volunt, quo Filius non extiterit, & divinam eſſentiam non habuerit. Alioqui Deus ille ſummus non foret. Poſſes idem argumentum etiam hoc modo proponere: Nemo ex ſeipſo generatur. Eſſet enim, antequam eſſet. Eſſet, quia eſſet principium ac cauſſa ſuæ generationis: non eſſet, quia generaretur. Relata ſunt, id, ex quo aliquid generatur, & id, quod ex eo generatur. Non poſſunt autem relata eidem, reſpectu eodem, eodemque tempore ineſſe. Sunt enim oppoſita. Oppoſitorum autem natura eſt, ut ſe invicem in eodem ſubjecto, eodem tempore ac reſpectu, ſecundùm idem eandémve partem, perimant. Jam verò ſi Filius ex eſſentia Patris eſt genitus, & Patris ac Filii eadem numero eſt eſſentia; ex ſeipſo Filius eſt genitus. Quia etiam ex ſua eſſentia eſt genitus. Non poteſt autem quiſquam magis propriè ex aliquo gigni, quàm cum ex eſſentia ejus gignitur.

Eadem abſurditas patet etiam ex modo, quo veteres Patres, vulgaris de Trinitate ſententiæ partim architecti, partim patroni, Filium Dei ab æterno generatum eſſe ſtatuerunt, quem & hodie plerique agnoſcunt: cum nec alium excogitare ſuæ ſententiæ aliqua ratione conſentaneum poſſint. Ajunt enim: Patrem genuiſſe Filium, ſeipſum intelligendo: quemadmodum rurſus volunt, Patrem & Filium ſimul produxiſſe & ſpirâſſe Spiritum ſanctum, volendo atque amando.

Quæ res ita ex adverſariorum mente explicari poteſt. Duo tantùm ſunt in Deo principia ἐνεργητικὰ, ſeu aliquam operandi vim habentia, quorum operationes & immanentes ſint, (hoc eſt, in ipſo Deo maneant, non verò in aliquod aliud ſubjectum tranſeant) & circa ipſum Deum occupentur: intellectus nimirum, & voluntas. Deus enim ſeipſum & intelligit, &, ut ſummum bonum, vult atque amat. Omnipotentia quidem Dei, etiam eſt principium ἐνεργητικόν: ſed ejus operationes circa alias tantùm res, non circa ipſum Deum, occupantur, & in alia tranſeunt. Ex his verò ſecundam ac tertiam divinitatis perſonam hoc pacto eliciunt adverſarii. Intellectum, inquiunt, non intelligere niſi per imaginem rei illius, quam intelligit. Quare cùm Deus ab omni æternitate ſeipſum intellexerit; neceſſe eſſe, ut imaginem ſuiipſius ab omni etiam æternitate conceperit. Hanc verò neceſſariò eſſe Deum ipſum. Nam & quicquid in Deo ſit, id Deum eſſe ajunt, ob ſummam ipſius ſimplicitatem; & imaginem iſtam Dei infiniti, infinitam eſſe oportere. Nihil verò eſſe infinitum, præter Deum. Neceſſe autem ſimul eſſe dicunt, ut illa imago perſonâ ſit diſtincta ab eo, qui ipſam produxerit. Aliàs ſeipſum produxiſſet Deus. Unde tandem concludunt, eam eſſe Dei Filium: quia & producta ſit, & producenti, utpote ejus imago, ſimilis, & ſubſtantiâ cum illo eadem. Porrò autem, quia Deus ſeipſum cognitum, ſuamque illam, quam intelligendo produxerit, imaginem amet, & ab ea viciſſim ametur; hunc ipſum voluntatis actum tertiam divinitatis perſonam conſtituere. Siquidem & in Deo ſit ille amor, & infinitus; ac porrò non minùs, quàm imago illa ab intellectu producta, Deus. Perſonâ autem neceſſariò eſſe diſtinctum ab iis, à quibus ſit productus. Hæc nobis illi pandunt de duarum perſonarum divinarum productione myſteria, mirum quàm alto ſacrarum literarum ſilentio ſuppreſſa, quámque aliena ab iis, quæ de Filii ex Deo generatione eædem ſacræ literæ apertiſſimis verbis tradunt, ſuo loco lib. 1. ſect. 2. cap. 31. à nobis producta. Hîc illi, qui rationem in divinis

nis

nis cæcam eſſe clamitant, qui ex ea adverſus Trinitatem diſputari volunt, qui illud crebrò in ore habent, *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*, quemadmodum à Salamone ſcriptum arbitrantur: hîc, inquam, exclamare debeant, rationem cæcam eſſe: hos ſcrutari velle majeſtatem: nefas eſſe ineffabilia myſteria velle eloqui. Sed niſi ejuſmodi commenta fuiſſent, Trinitatem illi hodie ſuam non haberent. Mirum autem eſt, quam præpoſterè hic ſe gerant adverſarii. Nam dum ſimplicitatem ita urgent, ut quicquid in Deo eſt, Deum eſſe velint, interim autem plures in eum perſonas invehunt, &, ſi vim ſententiæ ſpectes, infinitas, ea ipſa ratione ſimplicitatem penitus convellunt. Sed gravius illud eſt, quòd dum ſimplicitatis tantam rationem habere velle videntur, de qua tamen ſacræ literæ tacent, utpote ad ſalutem cognitu non neceſſaria, & ſimplicioribus planè incognita; unitatem tollunt, quam ſacræ literæ toties támque apertè inculcant. Sed & hæc, & non pauca alia, quæ in hac ſententia continentur, abſurda, quorum nonnulla ſuperiùs oſtenſa ſunt, nonnulla inferiùs oſtendentur, nunc mittamus, & illud demonſtremus, quod paulò antè propoſuimus, nempe hinc ſequi, Filium Dei eſſe ſui ipſius filium. Id verò oſtendere haud eſt difficile.

Nam ſi eadem numero eſt Patris & Filii eſſentia, ac porrò etiam intellectus; eadem quoque numero eſt intellectûs operatio; præſertim quia acutiores adverſarii, ob ſummam Dei ſimplicitatem, idem eſſe volunt intellectum ipſius & intellectionem. Itaque ſi intellectûs operatione Pater genuit Filium, Filius quoque, cujus eadem fuit operatio, ſeipſum genuit. Quin etiam ſpiritus ſanctus genuit Filium illum Dei ab æterno exiſtentem: & ſic Pater eſt Filii, & ſui principii principium. Eâdem enim intellectione, unà cum Patre & Filio, ſeipſum eſſentiámque ſuam, & ſimul etiam ipſum Patrem ac Filium ab omni æternitate intellexit ac contemplatus eſt. Et ſic, quia eodem voluntatis actu, ſpiritus ſanctus unà cum Patre & Filio voluit atque amavit, quicquid illi volunt atque amant; ſi voluntatis quidam actus eſt ſpiritus ſanctus, ſeu quippiam a Patre & Filio per voluntatis operationem productum, ſeipſum quoque produxit ſpiritus ſanctus.

Præterea hoc pacto non tantùm eaſdem perſonas ſeipſas, ſed & alias infinitas produxiſſe ſtatuendum eſt. Etenim cùm perſona quævis & ſeipſam & cæteras intelligat, eaſdémque cupiat atque amet: neceſſe eſt, ut quævis iterum plures & filios & ſpiritus ſanctos producat, ſi illa ſunt vera, quæ de divina intellectione & amore illi nobis dictitant. Etenim diverſam atque adeo diſſimilem eſſe oportet imaginem Patris, quà Pater eſt, & Filii, quà Filius eſt, & Spiritus ſancti, quà talis. Sunt enim inter ſe oppoſiti Pater & Filius, qua tales: ſimiliter & Spiritus ſanctus, quà eſt ab utroque productus. Relata enim ſunt: relata omnia, ut ſuprà diximus, oppoſita. Oppoſitorum autem oppoſitas eſſe imagines oportet. Quicquid ſit; illarum rerum, quæ reipſa differunt, diverſas eſſe imagines ſe oportet, quæ illas exactè exprimant, & non tantùm, quomodo eæ inter ſe conveniant, ſed etiam quomodo differant, oſtendant. Pro imaginum autem illarum diverſitate ac multitudine, orietur etiam multitudo actuum voluntatis, & amoris, quo perſonæ ſingulæ complectuntur illas imagines, & viciſſim imagines illæ perſonas, à quibus productæ ſunt, ſeque etiam ipſas ſingulæ, & denique ſe invicem proſequuntur. Quare ſi & imagines illæ per intellectum productæ, & illi voluntatis actus in Deo perſonæ ſunt, vel ſaltem perſonarum diverſarum principia; perſonæ in infinitum multiplicabuntur. Quanquam ſi quicquid eſt in Deo, Deus eſt; aliunde quoque divinæ naſcentur perſonæ. Etenim in Deo imagines rerum ſingularum ſunt, quas intelligit, (ſiquidem intellectio in Deo non niſi per imaginem fiat:) ſimiliter & decreta de rebus infinitis, & amor erga res creatas, variíque voluntatis actus. Hæc ergo omnia Deus erunt: perſonis tamen different ab illo, vel illis, a quibus ſunt producta. Itaque vel hinc infinitas in Deo perſonas habebimus.

CAP. II.

Argumentum ſecundum: quia infiniti forent Filii, uti & Spiritus ſancti.

NE quis fortè putet, illis tantùm infinitam divinarum perſonarum multitudinem metuendam eſſe, qui illum, quem præcedenti capite explicuimus, generationis Filii Dei, & proceſſionis ſpiritus ſancti modum excogitârunt; docebimus, eandem aliis etiam eſſe ſtatuendam, qui Filium Dei ab æterno ex eſſentia Patris generatum eſſe volunt: & porrò, cum infinitam divinarum perſonarum multitudinem abſurdiſſimam eſſe videant, illud etiam dogma, unde ea fluit, a veritate alieniſſimum eſſe, eoſdem agnoſcere debere. Etenim ſi Deus ex eſſentia ſua generavit Filium, & rurſus unà cum Filio produxit Spiritum ſanctum, & hi idem ſunt cum illo Deus; nulla eſt cauſſa, cur non & Filius alium iterum genuerit Filium: ſimiliter & Spiritus ſanctus alium; & hic præterea alium, atque ita in infinitum. Quid enim? an quod Pater potuit, Filius non poteſt ac Spiritus ſanctus? Non ergo idem ſunt cum illo Deus. Cum non eandem habeant facultatem ac potentiam, ſed inæqualem. Num dices, eos noluiſſe? At res ejuſmodi, quæ ad intrà, ut loquuntur, ſpectant, in Deo prorſus ſunt neceſſariæ; non verò liberæ voluntati ſubjacent. Quòd ſi voluntati liberæ ſubjacent, fieri poterit, ut intra tempus aliquod plures divinæ perſonæ accreſcant, ubi nimirum perſonæ illæ, quæ hucuſque generare aut ſpirare perſonas alias noluerunt, voluerint.

Ajunt nonnulli, ideo fieri non poſſe, ut Filius aut Spiritus Sanctus alium Filium aut Spiritum Sanctum producat, non quia aliqua ſit in Filio aut Spiritu ſancto impotentia, ſed quia quicquid in divinis generari aut procedere potuit, id jam generatum ac productum fuerit; id autem, quod jam generatum aut productum eſt, produci ampliùs non poſſit, eſſet enim ſimul & non eſſet. Quo pacto nec mundus hic, quia jam exiſtit, creari ampliùs a Deo poteſt: non propter aliquam in Deo impotentiam, ſed propter ipſius rei, ut ita dicam, impotentiam. Verùm quidem eſt, mundum, qui jam eſt, creari ampliùs non poſſe. Sed an non credunt adverſarii, alium præter hunc mundum creari à Deo poſſe? credunt omnino, ut arbitror. Transferamus hoc ad rem noſtram. Filius is, qui jam generatus eſt, generari ampliùs non poteſt; nec Spiritus ſanctus, qui jam productus eſt, ampliùs produci. Sed quid prohibet, alium Filium, aliúmve Spiritum Sanctum, à Filio ac Spiritu Sancto produci, & ab his iterum alios? ſiquidem ex adverſariorum hypotheſibus ſuprà ſect. 1. hujus lib. c. 7. oſtendimus conſequi, divinam naturam infinitarum numero perſonarum capacem eſſe. Quare ſuis hypotheſibus conſentanea non dicunt, dum ajunt, quicquid in Deo generari aut produci potuit, id totum jam in Filio, quem prima divinitatis perſona generarit, & in Spiritu Sancto, quem prima & ſecunda produxerit, contineri: ac proinde alium Filium, aliúmque Spiritum Sanctum a Filio & Spiritu Sancto produci non potuiſſe. Siquidem ibi infinitis adhuc perſonis locus fuit. Et hoc alterum ſit argumentum adverſus æternam illam Filii ex eſſentia Patris generationem.

CAP. III.

Argumentum tertium: quia Filius Dei ab æterno & fuiſſet, & non fuiſſet.

TErtium, quo idem dogma refellitur, argumentum eſto, quòd inde ſequatur, Chriſtum ab omni æternitate extitiſſe, & non extitiſſe; ſemper fuiſſe, & aliquando non fuiſſe. Ab omni æternitate fuiſſe oportet: quia & ab omni æternitate generatus apertè dicitur, &, ſi certo demum tempore extitiſſet, Deus ſummus non foret. Deus enim ſummus ab omni æternitate extitit. Non fuiſſe autem ab omni æternitate, ex eo ipſo patet, quòd generatus eſt, & quidem ratione ſubſtantiæ, proprieque dicta generatione.

Excla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Exclamabis hîc ſtatim, & te facile intelligere dices, quid velim: nempe generationem proprie dictam eſſe mutationem ex non ente in ens. Itaque ſi Filius Dei propriè generatus fuit, eum aliquando fuiſſe non ens, ſeu aliquando reipſa non extitiſſe. Hoc ipſum, inquam, volo. Verùm, inquies, de naturali tantùm generatione definitionem illam accipiendam eſſe, non de ſupernaturali. Hanc autem Filii Dei ex eſſentia Patris generationem ſupernaturalem eſſe, non naturalem. Hæc cùm dicunt adverſarii, primùm vehementer in illis deſideramus conſtantiam. Etenim ſi Filii Dei generatio ſupernaturalis eſt, & à naturali adeo diverſa; cur ipſimet tantopere hac ipſa in re urgent humanæ generationis exemplum, dum toties inculcant, eum, qui Filius Dei ſit proprius, unigenitus, naturalis, neceſſariò ejuſdem eſſe cum Patre eſſentiæ? Unde enim hujuſmodi propoſitionem extruunt, niſi ex rebus humanis ac plane naturalibus? & ſanè expreſſe etiam exempla filiorum ab hominibus genitorum proferunt, ut eam enunciationem ſtabiliant; nec alia proferre poſſunt. Quid enim? num fortè alii aliqui extant filii cujuſpiam unigeniti, proprii, naturales, ſed ſupernaturaliter geniti, quos in exemplum adducant & ex quibus hujuſmodi enunciationem extruant? Dicent, in eo convenire Filii Dei generationem cum generatione humana ac naturali, quòd Filius per eam evaſerit ſubſtantiâ Patri ſimilis; non in eo, quòd aliquando non extiterit. Itáne verò tibi licebit, ubi libet, generationis naturalis rationem ac ſimilitudinem urgere; ubi iterùm libebit, repudiare? Ita nimirum non ſemel faciunt adverſarii, ut proprietatem vocum, cùm illorum cauſſæ ſervit, obtendant; cùm obſtat, rejiciant; recepta in ſcholis axiomata ac definitiones mutent, amplient, reſtringant, & Lesbiæ regulæ inſtar ad ſententiam ſuam inflectant. Nuſquam plura ſibi permiſit humani ingenii audacia fingere, quàm de Deo, utpote re à ſenſibus noſtris remota, in qua commenta ſua non ita facilè deprehendi poſſe credidit. Sed, ut ad rem noſtram redeamus, ſi proprietatem vocis urges, cùm Chriſtus a Deo generatus eſſe dicitur, & inde concludis, eum omnio ex ſubſtantia ejus generatum eſſe: quia illos, qui proprie ex aliquo ſunt generati, ex ſubſtantia ejus generatos eſſe oporteat; cur non etiam vides, Chriſtum ex non ente factum eſſe ens, & ſic aliquando non extitiſſe; cùm hoc non minùs, quàm illud, ad proprietatem pertineat generationis illorum, ex quibus prius illud colligis. Eſt enim hoc eſſentiale, ut tu fateris, generationis naturalis, ut ſit mutatio ex non ente in ens. Cur deinde non agnoſcis, aliam eſſe ſubſtantiam generantis, aliam generati? cùm hæc per generationem demùm producatur, illa jam antè extiterit: altera ſit cauſſa, altera effectus. Cur denique non agnoſcis etiam, Filium tempore poſteriorem eſſe Patre? Quòd ſi hæc agnoſcere in Filii Dei generatione non vis, nec ſententia tua permittit; ne vocis proprietatem urgeas, aut eam ex rebus naturalibus ipſemet æſtimes. Quòd ſi à proprietate diſceſſeris, & ſimilitudine eximia ac ſingulari, quæ inter generationem humanam & divinam illam intercedat, contentus fueris; rem tibi facilè abſque illa ex eſſentia Dei generatione expeditam dabimus, ut & libro 1. ſect. 2. cap. 31, oſtendimus, de Filio Dei agentes, & alibi à noſtris oſtenditur. Debebas autem id tantò magis facere, quòd ſupernaturalem hanc eſſe generationem, & rectè, contendis. Circumſpice enim generationes ſupernaturales ac divinas omnes; nullam invenies, in qua ex eſſentia ſua aliquid Deus generârit. Nec eſt, quod exempla deſideres: tot ſunt, quot angeli, qui omnes Dei dicuntur Filii: quot homines extant pii, & Chriſto fideles; quot olim evadent immortales. Hi enim omnes ex Deo aut generati, aut adhuc generandi ſunt, ut ex ſacris literis patet. Nec eſt, quod verearis, ne in hujuſmodi generatione nullum invenias modum ſpecialem, qui Chriſto ſit vel prorſus peculiaris, vel ita eximius, ut eum à cæterorum cenſu eximat, & unigenitum Dei Filium, conſtituat. Eximent hunc tibi metum ea, quæ & à nobis loco dicto, & ab aliis alibi diſputantur.

Sed deinde, ut mittam, generationem ex eſſentia generantis, qualem Chriſti eſſe volunt adverſarii, vel inprimis eſſe naturalem, non ſupernaturalem; omnis omnino generatio propriè ſic dicta, ſive tu illam naturalem, ſive ſupernaturalem eſſe velis, eſt mutatio à non ente in ens, ita nimirum ut neceſſe ſit, id, quod generatur, non extitiſſe aliquando, & poſtea per generationem exiſtere cæpiſſe. Quid enim? an non omnis generatio proprie ſic dicta, eſſentiæ productio eſt & acquiſitio, acquiſitio, inquam, reſpectu generati? At quomodo eſſentia ejus produci poteſt, quod jam eſt, ſemperque reipſa fuit? quomodo acquirere eſſentiam poteſt id, quod eam perpetuò habuit? Num forte generatio ſupernaturalis, licèt ſubſtantialis ac proprie ſic dicta, productio & acquiſitio eſſentiæ ſive ſubſtantiæ non eſt? Si non eſt, ne nomen quidem generationis, cùm de ſupernaturalibus effertur, ampliùs intelligimus; & tu ignotâ nobiſcum loqueris linguâ, qui talem nobis generationem narras. Sed quicquid tu tandem ſentias; illud certum eſt, ſacras literas, cùm generationem Filii Dei commemorant, populari nobiſcum loqui lingua, & ideò loqui, ut vim ac ſententiam vocum percipiamus, utut totam rei rationem non penitus intelligamus. Sed age; ſi non eſt neceſſe, ut id, quod generatur, antea non extiterit; poterit id generari, quod jam reipſa exiſtit: ac porrò nihil prohibebit, eum, qui hodie reipſa eſt, nec eſſe deſinit, cras aut perendie propriè generari. Hoc pacto prius ille fuit in viæ termino, ad quem tenderet, quàm viam eſſet vel ingreſſus, vel emenſus: generatio enim eſt via ad eſſe: reipſa eſſe, ſeu eſſentiam habere, terminus illius viæ eſt. Quis ergo id abſurdum eſſe non videt, & contra omnem generationis rationem? Conſervari id quidem poteſt, quod jam eſt; ſed non generari. Quòd ſi generatio poteſt eſſe rei jam exiſtentis, quà exiſtit, generatio erit conſervatio rei. Atqui generatio eſt conſervationis antecedens: illa producit rem; hæc productam tuetur. Si ergo cum natura generationis pugnat, id, quod jam reipſa eſt, generari; neceſſe eſt, ut id, quod proprie generatur, aliquando non ens fuerit, ſeu aliquando reipſa non extiterit.

Dicent fortè, ad generationem illam, quæ fiat per emanationem, ut vocant, non requiri, ut res generata aliquando non extiterit; ſatis enim eſſe, quod eſſentiam ſuam non à ſeipſa habeat, ſed ab alio, nempe ab eo, unde manat. Sic lucem aut radios perpetuò à Sole emanare ac generari, non ideo, quia antea non extiterint, ſed quia ſuam eſſentiam non ex ſeipſis, verùm à Sole habeant. Finge enim, inquiunt, Solem ab æterno extitiſſe: ab æterno eum lucem ac radios generaſſe neceſſe erit: & ſic radios, licèt generatos, ab æteterno tamen extitiſſe. Jam verò Dei Filium per emanationem à Patre genitum eſſe ajunt. Genitum enim à Patre, dum is ſeipſum intelligit, & ſui ipſius concipit imaginem; quæ actio perpetuò duret. Similiter etiam, jugi voluntatis actione produci ſpiritum ſanctum, qua de re ſuprà vidimus. Verùm nihil iſto commento proficiunt. Nam ut alia præteream ſuprà cap. 1, hujus ſectionis commemorata; exemplum radiorum ſolarium, quod illi ſuæ ſententiæ maximè putant accommodatum, ad rem non facit. Quandoquidem de generatione propriè dicta hîc unà cum adverſariis loquimur. At lucis ac radiorum propriè dicta generatio non eſt: cùm hæc ſint accidentia. Accidentium autem propriè dicta generatio non eſt, ſed ſubſtantiarum tantùm, ut notum eſt. Quòd ſi emanatio radiorum à Sole propriè dicta generatio foret; nihil fuiſſet neceſſe, adverſarios tam ſollicitè inter generationem naturalem & ſupernaturalem diſtinguere, cùm nos urgemus, quicquid proprie generatur, id neceſſariò aliquando non extitiſſe. Quandoquidem emanatio radiorum à Sole naturalis eſt; &, ſi generatio propriè dicta eſt, jam habebunt exemplum generationis naturalis, in qua id, quod generatur, jam antea tamen, ut ipſi hîc urgent, extiterit, ſemperque exiſtere

poruerit. Deinde, quæ per emanationem quodammodo generantur, non habent eſſentiam perfectam ac conſiſtentem, ſed eorum eſſe, ut loquuntur, eſt in fieri, hoc eſt, eo ipſo tantùm ſunt, quòd fiant, ac tranſeant, perinde ut actiones ac motus. At Filius Dei ſubſtantiam habet perfectam ac conſiſtentem, non tranſeuntem. Quare per emanationem genitus non eſt. Denique & in illis, quæ jugiter emanant, & ea ratione veluti generantur, id generatur, quod antea non extiterat. Habent enim illa partes ſucceſſivas, quarum una præcedit, altera ſubſequitur; & illa, quæ ſemel fuerat generata, quia ſuum eſſe jam accepit, non generatur ampliùs, ſed alia, quæ nondum extiterat. Quare ſi lux perpetuò à Sole generatur, alia ſubinde atque alia pars ſucceſſiva generatur. Aliàs ſi tota ſecundùm omnes partes unquam extituras ſemel producta eſſet, non generaretur jugiter, ſed tantùm ſemel producta conſervaretur. Ex his autem & illud apparet, non poſſe Filium Dei per emanationem jugem generari; aut ſi per emanationem generari velint, eum Deum ſupremum non fore. Nam Deus ſupremus partes non habet, per quas ſucceſſivè generetur. Ut taceam, quicquid per emanationem ſive perpetuam, ſive non perpetuam generatur, ejus eſſentiam ab eo pendere, à quo emanat. Dei autem ſupremi eſſentia à nullo pendet.

C a p. IV.

Argumentum quartum: quia Filius Dei adhuc generaretur, & in omnem æternitatem generandus eſſet.

QUartum argumentum ex eo duci poteſt, quòd ſi Deus ex eſſentia ſua ab æterno generavit Filium, adhuc etiam eundem generat, & in æternum generabit. Id quod etiam fatentur ex adverſariis plurimi, ii præſertim, qui Filium per intellectionem à Deo generatum ajunt. Illa enim intellectio perpetuò durat, & in omne ævum durabit. Verùm non tantùm illi id fateri coguntur, qui iſtum generationis Filii Dei modum agnoſcunt, ſed & cæteri omnes, niſi alia ſua dogmata velint ſubvertere. Etenim ſi Deus ab æterno genuit Filium, nunc autem non ampliùs gignit; factus eſt ex generante non generans: quæ mutatio cùm non ad creaturas ſpectet, ſed intra ipſum Deum conſiſtat, in Deum non cadit, nec cadere ab adverſariis agnoſcitur. Adde, quòd vel Filius ſupremus Deus non eſt, vel ex naturæ neceſſitate fuit à Patre genitus. Si enim eum Pater non ex naturæ neceſſitate genuiſſet, liberè ac contingenter genuiſſet. Deus autem ſummus non eſt, qui contingenter, non neceſſariò exiſtit. Quòd ſi ex neceſſitate naturæ genuit Deus Filium, perpetuò gignit: cùm natura ejus ſemper ſit prorſus eadem. Præterea apud Deum, ſi adverſariis credimus, nulla eſt diſtinctio temporis, ſed æternitas tota apud eum ſimul collecta, & ad punctum quoddam contracta eſt. Quicquid ergo facit, neceſſe eſt, ut tota æternitate faciat, ac porrò perpetuò. Adde, quòd non pauci illud Pſalmi urgent Pſal. 2. 7, *Hodie genui te.* Ajunt enim, vocem præteriti temporis *Genui* ſignificare, generationem illam jam eſſe perfectam; vocem autem *Hodie* ſignificare, eam adhuc eſſe præſentem: quia *Hodie* præſens tempus denotet.. Frivolum quidem id eſt, quod urgent: ſed ſuo adverſarium gladio jugulare, etiam plumbeo, potes. Quaſi verò Hodie non habeat latitudinem, & non amplectatur etiam aliquid præteritum, ut & futurum. Omniáne, quæ Hodie facta ſunt, adhuc durant; aut quæ futura ſunt, jam ſunt? An quæ tu hodie loquutus es, omnia adhuc loqueris, aut quæ loquuturus es hodie, jam loqueris omnia? Quæ ego hodie ſcripſi, adhuc ſcribo? In hominibus aut creaturis, inquies, ita ſe res habet, non in Deo. Sed unde tu ſcis, *Hodie* præſens denotare apud Deum? Nónne ex eo, quòd de præſenti aliàs ſemper ſumitur? Num fortè ex eo, quòd de Deo illa vox uſurpetur, apud Deum autem nonniſi præſens ſit, colligis, Hodie præſens denotare? Non arbitror. Atqui illo modo etiam conſtat, Hodie latitudinem habere, & non in indiviſibili momento conſiſtere, ſed certum quendam temporis tractum complecti: quia aliàs ſemper ita uſurpatur. Sed ne tergiverſandi ſit locus; dico, vocem *Hodie*, de ipſo Deo uſurpatam, certum ac definitum tempus denotare, & actiones, quas Hodie feciſſe aut facturus eſſe dicitur, certo tempore circumſcriptas eſſe, non æternas. Et id quidem perpetuum eſt: cùm nuſpiam aliter de Deo vox illa uſurpetur. Nam ut prætercam illa Caini ad Deum verba Gen. 4. 14: *Ejicis me hodie à facie terræ*; ita ait de eo Moſes Exod. 14. 13, *Videte magnalia Dei, quæ facturus eſt hodie.* Num fortè jam tum, cùm ita loqueretur Moſes, ea faciebat, imò ab omni æternitate jam fecerat Deus, aut in æternum erat facturus? Quin & ipſe Deus de ſe ait ibid. c. 34. 11. *Obſerva cuncta, quæ hodie mando tibi.* Et iterum Moſes Levit. 9. 4. *Hodie enim Dominus apparebit vobis.* vide etiam Deut. 2. 25: XXVI. 16, 18: XXIX. 12: Joſ. 3. 7: V. 9: 1 Sam. 4. 3: & XI. 13: & XV. 28: & XXVI. 8, 23: & XXVIII. 18. Ut alia non pauca mittam, quæ quiſque per ſe poterit ſacras literas legendo obſervare. Jam verò vel ex hoc ipſo apparet, Deum jam non ampliùs gignere, nec in omnem æternitatem geniturum Filium: quandoquidem dixit, ſe *hodie eum genuiſſe*, id quod certum temporis ſpatium ſeu articulum, quo actio illa perfecta fuerit, ſignificare, ex tot exemplis ſimilium locutionum à nobis adductis patet: præſertim cum diſſimile exemplum proferri nequeat; & ipſi adverſarii fateantur, vocem *Genui* ſignificare, generationem illam jam perfectam eſſe, ſeu Filium per eam generationem perfectè jam eſſe productum. Id autem non ſignificaret, niſi præteriti vim haberet. Sed quid multis opus? Res ipſa oſtendit, eum, qui jam olim reipſa ac perfectè extat, ut quidem Filium Dei extare conſtat, gigni ampliùs non poſſe: quod & ratione nos antea comprobavimus, & omnes ii agnoſcunt, quorum mentes pſeudophiloſophia non pervertit. Et ſolent ſane plærique hoc myſterium ſuum apud homines ſuæ iſtius philoſophiæ ignaros celare, niſi cùm id aliquo modo aperire coguntur; quia vident, ſe fidem apud eos non facilè inventuros; & abſurdum cuivis ſano viſum iri, Filium Dei, quem à tot retrò ſeculis reipſa extitiſſe ſciat, nunc generari, & generatum perpetuò iri.

Addi poteſt allatis adhuc argumentis & illud: quòd cùm perſona nil ſit aliud, quàm ſubſtantia prima intelligens, ut ſuperiori ſectione oſtenſum eſt; ſi perſona Deitatis ſecunda ex ſubſtantia primæ generata eſt; duas fore in Deo ſubſtantias, unam primæ perſonæ, ex qua fuerit generatus Filius; alteram, quæ ſit ipſe Filius. Quod etiam ex eo conſequitur, quòd generatio propriè dicta, qualem illi volunt eſſe generationem Filii Dei, non ſit niſi ſubſtantiæ: ſubſtantia autem non niſi ex ſubſtantia naſci poteſt. Rurſus tamen, ſi ſubſtantia Filii nata eſt, & eadem numero ſubſtantia eſt Filii & Patris; ſequitur & Patris ſubſtantiam eſſe natam, & quidem ex ſeipſa. Itaque & Pater ſui ipſius eſt Filius. Quomodo enim is non gignitur, cujus ſubſtantia genita eſt? Quomodo non ejus eſt Filius, ex cujus ſubſtantia eſt genitus? Afferri poſſent & alia argumenta, ſed his contenti nunc erimus.

C a p. V.

Argumentum primum, quo dogma de Incarnatione Filii Dei refellitur: quia Pater etiam & Spiritus ſanctus fuiſſet incarnatus.

TRanſeundum eſt ad incarnationem, quam omnes illi agnoſcere coguntur, qui Chriſtum ſupremum eſſe Deum ſtatuunt. Cùm enim eum naturâ hominem eſſe, & certo tempore ex virgine natum, ex ſacris literis ſit manifeſtiſſimum; neceſſe fuit, ut ſtatuerent, eum, ſeu naturam ejus divinam, ita aſſumſiſſe humanam, ut unitate perſonæ manente, Deus ſimul eſſet & homo. Nam ſi Deus & homo diverſæ eſſent perſonæ; nec Filius Dei homo, nec homo Filius Dei fuiſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fuiſſet, non magis, quàm Pater eſt Filius ille, quem ſecundam Trinitatis perſonam ſtatuunt, aut ſpiritus ſanctus, vel contrà; imò minùs: cùm illarum perſonarum natura, non genere tantùm aut ſpecie, ſed numero eadem ſtatuatur: Dei autem ſupremi & hominis natura etiam genere longiſſimè à ſe invicem diſtet. Atqui in illa, quam diximus, ſententia de Incarnatione Filii Dei, ex eſſentia Patris ab æterno geniti, multa continentur abſurda. Nos hîc quædam tantùm, & ad rem noſtram magis pertinentia, afferemus. Primum enim inde ſequitur, non tantùm Filium, ſed & Patrem, & ſpiritum ſanctum, aſſumſiſſe humanam naturam. Etenim is aſſumſit humanam naturam, cujus propria natura ſive ſubſtantia eam aſſumſit, cumque ea eſt perſonaliter unita. Atqui ſi Chriſti divina natura aſſumſit humanam naturam, etiam Patris & ſpiritus ſancti natura propria eandem aſſumſit. Siquidem eadem numero in tribus illis perſonis eſt. Et ſanè diuturnitas erroris effecit, ut nonnulli ex adverſariis non ſint veriti dicere, totam trinitatem eſſe incarnatam & nuper non nemo ex præcipua quadam adverſariorum ſecta extitit, vir celeberrimi * inter ipſos nominis, & Romæ quidem Theologiam nunc docens, qui librum ſuum dedicavit Trinitati increatæ, & in Jeſu Chriſto creatæ. Quod ſi verum eſt, & Pater & ſpiritus ſanctus ex virgine natus eſt, & paſſus, & mortuus, & ſepultus, & reſuſcitatus, & quicquid Chriſtum unquam feciſſe, aut eo factum eſſe legimus, id Patri & ſpiritui ſancto quoque conveniet. Ita redibit veterum illorum ſive Sabellianorum, ſive Patripaſſianorum hæreſis ab ipſis adverſariis damnata. Et ſanè, ſi rem rectè conſideres, nihil eſt aliud ſententia vulgaris de Trinitate, quàm Sabellianiſmus ſubtiliùs aliquantò propoſitus, & novis quibuſdam coloribus incruſtatus, noviſque nominibus palliatus. Idem enim numero Deus, cum hoc modo, ſeu ſubſiſtentiâ, conſideratus, Pater eſt, cum alio modo, ſive ſubſiſtentiâ, Filius; cum alio iterùm ſpiritus ſanctus. Quod quid eſt aliud reipſa, quàm quod Sabellius voluit? Idem enim numero Deus, eadémve ſubſtantia, eadem etiam revera perſona eſt, tres diverſos modos ſeu ſubſiſtentias habens.

Sed, ut ad id revertamur, quod agere cœperamus; dicent, naturam quidem ſeu ſubſtantiam divinam aſſumſiſſe humanam, verùm non in quavis ſubſiſtentia, ſed tantùm in ſubſiſtentia Filii: ad hanc tantùm terminari unionem ſeu conjunctionem illam humanæ ac divinæ naturæ. Diceres, hos homines oculis ipſis illam incarnationem vidiſſe, qui tam accuratè explicare nôrint, in qua ſubſiſtentia terminata fuerit illa unio, licèt ſubſiſtentiæ tres in eadem natura ſint, realiter, ut loquuntur, ab illa non differentes. Ut autem commenti hujus vanitas oſtendatur; explicemus aliquantulùm, quid ſibi velint; ſi modò intelligi res poteſt. Unio vera ac realis, qualis illa foret ab adverſariis excogitata, inter res minimùm duas verſatur, quarum altera alteri terminos ſuos, ſive propriè, ſive impropriè dictos, jungat, atque applicet. Res eſt clara in rebus corporeis, quas oculis cernimus, & à quibus terminorum vox, quâ ipſi in hac re utuntur, deſumta eſt. Nam tabula tabulæ, lapis lapidi jungitur, dum ſuperficies unius jungitur ſuperficiei alterius. Eſt autem ſuperficies extremum, ſeu terminus quidam corporis. Quia autem ſuperficies totius alicujus corporis per omnia ejus latera extenditur, & alia ejus pars eſt anterior, verbi gratiâ, alia poſterior; ideo fieri poteſt, ut unio ac conjunctio duorum corporum non terminetur ad quamvis ſuperficiei aut corporis partem. Sic lapides duo quadrati, ſecundùm ſuperficiem unius tantùm lateris ſe tangunt: niſi fortè unus includat alterum: & tum exterior continentis lapidis ſuperficies, non tanget contenti ſuperficiem ulla ex parte. Quare ad exteriorem illam continentis lapidis ſuperficiem non terminabitur illa unio, ſeu conjunctio, ſed ad interiorem tantùm. Jam in rebus incorporeis nulli propriè ſunt termini, nulla partium ejuſmodi diverſitas. Unde neceſſe fuit, ſi humana natura juncta fuit divinæ, quam omnes incorpoream eſſe ſtatuunt, eam toti jungi. Sed tamen apud adverſarios terminorum diverſorum inſtar ſunt ſubſiſtentiæ ac modi naturæ divinæ diverſi, quorum unus Patrem, alter Filium, tertius ſpiritum ſanctum conſtituit. Jam dicunt, unionem hanc perſonalem terminari ad ſubſiſtentiam Filii, ſeu eatenus naturam humanam junctam eſſe divinæ, quatenus hæc in Filio, non verò quatenus in Patre aut ſpiritu ſancto ſubſiſtit. Itaque Filii ſubſiſtentiam, non Patris aut ſpiritus ſancti, humanæ naturæ communicatam; illa hanc ſubſiſtere; ac porrò unam cum Filio Dei, non cum Patre aut ſpiritu ſancto, perſonam conſtituere. Adverſarii rem ferè obſcuriſſimè explicant. Sed aut hoc eſt, quod volunt, aut, quid velint, ne intelligi quidem poteſt. Verùm nihil agunt. Nam ſi natura divina tota, humanæ juncta eſt, & tres ſunt in illa tota natura ſubſiſtentiæ, quarum una non magis ab eſſentia differt, quàm altera, aut penitus illi infixa; non magis etiam uni ſubſiſtentiæ juncta eſt humana natura, quàm alteri; & ſic non magis ad unam, quàm ad alteram terminatur illa unio; humanaque natura non magis unius, quàm alterius perſonæ ſubſiſtentiâ ſubſiſtit. Imò ſi eſſe poteſt aliquod inter eas ſubſiſtentias diſcrimen; magis Patris, quàm Filii & ſpiritus ſancti ſubſiſtentiâ ſubſiſtet, utpote quæ in natura divina prima eſt, & quâ duæ reliquæ veluti nituntur.

Quod ut tantò clarius fiat, id repetendum eſt memoria, quod antea indicavimus; realem quandam inter naturas duas unionem ſtatui; ac porrò naturam naturæ primò ac per ſe junctam eſſe; ea, quæ in natura ſunt, tantùm conſequenter. Neque enim quicquam realiter jungi & uniri poteſt cum modo rei, ſed cum reipſa. Cernimus id in conjunctione corporis & animæ, quod illi exemplum inter cætera omnia unioni illi hypoſtaticæ ſimillimum judicant. Corpus enim primò & per ſe jungitur animæ: conſequenter iis, quæ ſunt in anima, ejúſve modis, ut exiſtentiæ, aut ſi quod aliud eſt, quod modum appellare placeat. Quòd ſi ſecundariò tantùm corpus jungitur iis, quæ ſunt in anima; non poteſt uni eorum magis uniri, quàm alteri; niſi fortè unum magis, aut priùs inſit animæ, quàm cætera. At hoc modo ſubſiſtentiam Filii non ineſſe divinæ eſſentiæ jam oſtenſum eſt. Sed deinde etiamſi aliqua ratione magis juncta eſſet humana natura ſubſiſtentiæ Filii; ſufficeret tamen ad incarnationem totius Trinitatis, totam Trinitatis eſſentiam cum ea unitam eſſe. Quomodo enim id totum non eſt incarnatum, cujus tota eſſentia incarnata eſt? Adde, quòd, cum ſubſiſtentiæ illæ extra eſſentiam non exiſtant, imò cum ea reipſa idem ſint; neceſſe eſt etiam ſubſiſtentias illas omnes tres unà cum illa eſſentia incarnatas eſſe. Trinitas ergo tota incarnata eſt, paſſa eſt, ſatiſfecit Patri pro peccatis. ô egregiam Theologiam, quæ hujuſmodi fructus parit! Sed pergamus ejus dogmatis abſurditatem oſtendere.

Cap. VI.

Argumentum ſecundum: quia ſecunda divinitatis perſona deſiiſſet eſſe perſona.

SEcundò ex eodem dogmate ſequitur, alteram divinitatis perſonam deſiiſſe eſſe perſonam. Nam evaſit pars Chriſti, ex humana & divina natura conſtituti. Eſt autem de eſſentia ſuppoſiti, ac porrò etiam perſonæ, ne ſit pars alterius, ut apud omnes in confeſſo eſt.

Fatentur adverſarii, & res nimis manifeſta eſt, Chriſtum eſſe totum quoddam ex humana & divina natura conſtans. Quanquam ajunt, non eſſe totum eſſentiale, ſed perſonale. Id quod noſtram argumentationem minimè infringit, ſed ſtabilit potius. Quid enim? non æquè repugnat perſonæ eſſe partem totius perſonalis, hoc eſt, perſonæ ac ſuppoſiti, atque eſſe partem totius eſſentialis? Imò verò maximè. Quia

* Cornelius Cornel. à Lapide Jeſuita, commentar, in Prophetas minores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſic duæ forent perſonæ in una perſona, altera pars, altera totum. Quare nihil eſt, quod quis forte putet, illam, quam cæteroquin adhibent, inter totum eſſentiale & perſonale diſtinctionem, quicquam ad rationem noſtram convellendam pertinere. Quanquam & aliàs fruſtrà fingitur totum perſonale, quod ſimul eſſentiale non ſit. Sed nil eſt nunc neceſſe iſtud demonſtrare. Quid ergo? num fortè dicent, humanam naturam Chriſti, ejus partem non eſſe? Eò nonnulli ex adverſariis inclinare videntur: quanquam illis plærique non minùs contradicunt, quàm illi receptiſſimæ à tot retrò ſeculis, apud unionis illius hypoſtaticæ defenſores, ſententiæ. Quid enim apud illos uſitatius, quàm totum Chriſtum alterutri naturæ ſeorſim ſumtæ opponere? quorſum ſpectat illa diſtinctio inter *totum Chriſtum*, & *totum Chriſti*? Deinde ſi humana natura pars perſonæ Chriſti non eſt, accidens iſtius perſonæ erit, accidens, inquam, tale, quod Phyſicum ſeu prædicabile nonnulli appellant. Facilè enim tum ratione, tum auctoritate Philoſophi oſtendi poteſt, id eſſe accidens, quod ineſt, non ut pars, & poteſt ab eo, in quo ineſt, abeſſe. Jam ſi humana natura Chriſti, pars Chriſti non eſt; totum id, quod diximus, ei competit. Ineſt enim in perſona Chriſti, in eaque ſubſiſtit, uti adverſarii volunt. Jam verò pars non erit. Abeſſe denique poterit ab eo, in quo ineſt, nempe divina Chriſti perſona aut natura. An enim divina natura aut perſona interiret, ſi humana ab ea ſepararetur? non dico, ſeparatum iri; quod illi futurum negant: ſed, ſi ſepararetur, non deſtructum iri perſonam divinam, id quod hoc loco ſatis eſt. Sunt enim & accidentia inſeparabilia, uti & in ſcholis appellantur, quæ licèt nunquam à ſubjecto ſeparentur: tamen ab eo abeſſe poſſe ideo dicuntur, quia, etiamſi poneretur, illa ab eo, in quo inſunt, ſeparari, rem tamen ipſam interire non eſſet neceſſe. Quòd ſi humana natura eſt accidens perſonæ Chriſti, quomodo Chriſti perſona, aut Dei Filius eſt homo? Humanus quidem dici fortè poterit Chriſtus, ſed non homo. Neque enim id, quod alteri accidit, de eo συνωνύμως ſeu univocè prædicatur, ſed παρωνύμως. Sic poculum, cui aurum tanquam accidens adhæret, auratum vel inauratum dicitur, non aurum: ferrum, cui ignis ineſt, ignitum, non ignis: & ſic in cæteris.

Sed præterea, quomodo id non eſt totum, quod unum eſt, & ex duobus naturâ ſuâ ſeparabilibus conſtat? Tale autem eſt Chriſtus. Eſt enim unum quippiam, ex divina & humana natura conſtans, quarum utraque naturâ ſuâ ſeparabilis; utut hæc, ex illorum ſententia, non ſit ſeparanda. Quomodo ergo humana natura pars Chriſti non eſt? Si eſt; jam altera pars erit divina natura ſuam ſubſiſtentiam habens, hoc eſt, perſona divina, quæ humanam aſſumſit. At perſona, ut vidimus, pars alterius, & quidem ſuppoſiti, aut perſonæ, eſſe non poteſt.

Dicet fortaſſe aliquis, ferrum ignitum eſſe quippiam ex ferro & igni unitum; nec tamen ferrum ipſum ſuppoſiti rationem amittere, ſed tantùm ignem in illo ſubſiſtentem. Quare etiamſi Chriſtus ſit quippiam ex perſona divina, & humana natura conſtans; non tamen illam, ſed hanc, perſonæ rationem amittere: quia hæc in illa ſubſiſtat. Eandem enim hac in parte perſonæ & ſuppoſiti rationem eſſe: quia id, de quo diſputamus, an in perſonam cadat, ideo in eam cadat vel non cadat, quia in ſuppoſitum cadat vel non cadat. Sed ſi in ferro illo ignis ſubſtantialis eſt, iſque ſuppoſitum illud, quod ferrum ignitum dicitur, conſtituit, tanquam pars aliqua; certe ferrum per ſe, abſque igne illo ſumtum, ſuppoſitum ampliùs non erit. Eſſet enim ſuppoſitum pars ſuppoſiti. Nec quicquam refert, quòd nihilominus ferrum illud diceremus ſuppoſitum. Non enim ferrum illud ab igne ſejunctum, ſuppoſitum appellaremus, ſed cum eo conjunctum; licèt à ferro, tanquam potiori, fieret denominatio. Quòd ſi ignis ille ſubſtantialis unà cum ferro unum ſuppoſitum non conſtituit, ſeu pars ejus non eſt; non video primùm, quî dici queat, illum ſuppoſiti rationem amiſiſſe. Erit enim in ferro ita, quemadmodum aër per ferri poros ſparſus. Hic verò in ferro tantùm ut in loco quodam continetur, nec interea ſuppoſitum eſſe deſinit; uti nec aqua laxiorum corporum ſpatiis ſeſe inſinuans, per eaſque diffuſa. Deinde hoc exemplum ad rem non faciet: quia nos demonſtravimus, humanam naturam, Chriſti partem eſſe. Eligant jam, utrum velint, adverſarii, ex illis, quæ de igne diximus, (nihil enim neceſſe eſt, ut nos controverſiam illam decidamus) & animadvertent, ἔνστασιν illam, ſeu exemplum ferri igniti, quo in hac re ſæpius utuntur, nihil ad convellendam rationem noſtram facere.

Cap. VII.

Argumentum tertium: quia Deus ſummus & homo diſparata ſunt.

Tertia ratio eſt, quòd ex ipſorum ſententia neceſſe eſt Chriſtum ſimul & Deum, nempe ſummum, & hominem eſſe; & Deum eſſe hominem, hominem eſſe Deum. Atqui Deus ille ſummus & homo diſparata ſunt. Unum autem idemque ſubjectum duo diſparata ſimul eſſe non poteſt, nec unum diſparatorum poteſt eſſe alterum, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, non poſſunt diſparata de eodem ſubjecto univoce, ſeu in quid, prædicari, & quidem ſingula ſeorſim abſque ulla limitatione vel adjectione. Non poſſunt etiam de ſeſe mutuò univocè, ſeu in quid dici, niſi fortè per metaphoram ac ſimilitudinem: ut ſi dicam, hominem eſſe leonem, vel vulpem, hoc eſt, leoni, aut vulpi ſimilem. Sed figuræ hîc locum non habent. Propriè enim id fieri volunt adverſarii, & velle coguntur; partim ob ſua de Chriſto dogmata; partim ob aperta ſacrarum literarum dicta. Qua de re poſtea nonnihil dicetur. Cur verò diſparata iſto, quem diximus, modo, de uno eodémque ſubjecto dici nequeant, nedum de ſe invicem, ratio hæc eſt: quia diſparata ſunt oppoſita, quanquam laxiori oppoſiti ſignificatione, quam Ariſtoteles id nomen accepit. Atque id non diffitentur adverſarii. Vident enim, diſparata tacitam in ſe contradictionem continere, quæ oppoſitio eſt maxima & irreconciliabilis. Etenim per differentias eſſentiales, quibus ſibi invicem opponuntur, ſe mutuò excludunt, & alterum negatur eſſe alterum. Sic homo v.g. & equus differunt, ut homo, & non homo; rationale, & non rationale; equus, & non equus. Homo & planta differunt, non tantùm ut homo, & non homo; ſed etiam ut animal, & non animal; ſeu ut ſenſitivum, & non ſenſitivum. Et quantò longiùs alterum ab altero diſtat, tantò plures reperiuntur inter illa differentiæ eſſentiales, quas genericas vocant, tantoque plures emergunt inter illa contradictiones. Jam verò, ſi quicquam in ſubſtantiæ genere ab homine diſtat, is Deus eſt; ſi modò Deum ad ſubſtantiæ genus referre per adverſarios licet: id quod hîc ſtatuere nihil eſt neceſſe. Imò ſi eum à ſubſtantiæ genere excludas, tantò longiùs ab homine diſtabit, tantoque plures inter illum & hominem oriuntur differentiæ, atque contradictiones, quæ efficiunt, ut ii inter ſe opponantur. Differunt enim homo & Deus, ut homo, & non homo; animal, & non animal; corpus naturale, & non corpus naturale; & ſi quæ adhuc aliæ reperiuntur differentiæ, quibus Deus ab hominis generibus diſpeſcitur. Non poſſunt ergo Deus & homo de eodem ſubjecto, quale eſt Chriſtus, ſimpliciter atque abſolute, & quidem univocè, ſeu in quid, prædicari.

Neque verò eſt, quod putes, illa ſynecdochicè de Chriſto dici, partium nominibus pro toto poſitis. Nam primùm utrumque vocabulum, ut aliàs, ita & de Chriſto uſurpatum, non niſi perſonam ipſius denotat. Perſona autem totum eſt, non pars. Deinde ſi illa ſynecdochicè tantùm de Chriſto prædicarentur; rectiſſime dicerem, Chriſtus non eſt Deus, Chriſtus non eſt homo: imò ſic tantùm propriè & accurate loquendum eſſet: quemadmodum veriſſimè dico, Homo non eſt anima, homo non eſt caro, à ſpiritu nimirum diſtinctè ſumta. Hæc enim locutio eſt propria & accurata: illa im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

impropria & figurata, Homo eſt anima, homo eſt caro. At quis ferat dicentem, Chriſtum non eſſe Deum, non eſſe hominem? Adde, quòd, utut partes de toto ſynecdochicè dici ſoleant, non ſoleant tamen de ſeipſis mutuò prædicari. Neque enim dico, carnem eſſe animam ſeu ſpiritum; vel contrà animam eſſe carnem. At hìc etiam de ſe invicem prædicantur Deus & homo. De Metaphora, quâ interdum diſparata de eodem aut de ſe invicem prædicantur, ut ſi dicam, hominem aliquem eſſe leonem, aut vulpem, hoc eſt, leoni aut vulpi ſimilem, nil eſt neceſſe dicere. Nam Chriſtus nec ex adverſariorum, nec ex noſtra ſententia, metaphoricè vel Deus, vel homo dicitur, ſed utrumque propriè; & ſecundùm illos utrumque eſſentialiter; ſecundùm nos, hoc quidem eſſentialiter, illud verò prius eo modo, quo & rex dicitur: id quod eſſentiam non attingit.

Viderunt non pauci ex adverſariis hunc nodum, quem cùm diſſolvere non poſſent, vellent tamen, dixerunt, hunc inuſitatum eſſe prædicandi modum. Et certè inuſitatus eſt: quia id dicit, quod naturâ ſuâ impoſſibile eſt: ſiquidem ut docuimus, contradictionem involvit, nempe eundem ſimul ſimpliciter eſſe hominem, & non eſſe; Deum eſſe, & non eſſe. Neque verò eſt, quod quis dicat, diſparata illa, quæ contradictionem tacitam in ſe contineant, non ſecundùm eandem partem de Chriſto prædicari, ſed ſecundùm diverſas: alterum quidem ſecundùm divinam naturam; alterum ſecundùm humanam. Poſſe autem idem de eodem ſecundùm diverſas partes & affirmari & negari. Etenim quemadmodum idem de eodem toto non ſimpliciter, ſeu abſque limitatione vel adjectione aliqua, & affirmatur, & negatur, etiamſi id ſecundùm unam partem ei inſit, ſecundùm alteram non inſit, ut libro primo ſect. 2. cap. 3, docuimus: ita nec illa de eodem ſubjecto ſimpliciter dicuntur, quæ tacitam ejuſmodi contradictionem continent, utut ſecundùm diverſas partes eidem inſint. Nam id nihilominus perinde eſſet, ac ſi idem de eodem toto ſimpliciter & affirmaretur & negaretur. Talia verò oſtendimus eſſe duo diſparata, univocè de eodem ſubjecto ac propriè prædicata. Deinde ſpecies, ſub qua individuum unumquodque continetur, nunquam reſpectu unius tantùm partis integralis, aut integrali ſimilis, de toto prædicatur, ſed de toto, quà totum eſt. *Homo* autem ſpecies eſt, ſub qua Chriſtus continetur: & ſi non foret, negandum eſſet, Chriſtum propriè eſſe hominem. Quare Homo non reſpectu unius tantùm partis de Chriſto prædicatur, ſed de toto, quà totum eſt. Cur autem non & *Deus*, totius, quà tale, attributum foret? Atqui non poſſunt de eodem toto, quà totum eſt, diſparata prædicari. Contradictoria enim de eodem toto, quà tale eſt, ſimul prædicarentur.

Cap. VIII.

Argumentum quartum: quia duæ in Chriſto forent perſonæ.

Ultimum argumentum faciemus: ſi humana Chriſti natura (utimur appellatione adverſariis conſuetâ) perſona eſt, Chriſtus divina perſona eo, quo adverſarii volunt, modo eſſe non poteſt. Eſſent enim duæ in uno Chriſto perſonæ, divina, & humana: id quod ſeipſum evertit. Jam verò humanam Chriſti naturam perſonam eſſe, primùm ex definitione perſonæ probatur. Omnis enim ſubſtantia prima, ſeu ſingularis completa intelligens, perſona eſt.

Nam quod nonnulli dicunt, hanc eſſe definitionem perſonæ in concreto ſumtæ, id nihil hîc momenti habet. Etenim nec quicquam nos aliud probare volumus, quàm humanam Chriſti naturam perſonam eſſe in concreto ſumtam, qualis eſt Petrus, Paulus, alii; & præterea omnis perſona concretum quoddam eſt. Reſpondebunt igitur, hanc definitionem definito ſuo laxiorem eſſe. Non enim omnem ſubſtantiam primam (hoc eſt, ſingularem atque unicam) intelligentem, eſſe perſonam, ut ut perſona vox in concreto ſumatur. Sed nullo id jure reſpondetur. Primùm, quia aliàs ſequeretur, aliquod ſuppoſitum intelligens perſonam non eſſe: id quod nemo non falſiſſimum eſſe agnoſcit. Omnis enim ſubſtantia prima intelligens, ſuppoſitum ſimul eſt; vel ob id ipſum, quia intelligendi actio ei propriè competit: actiones autem non ſunt niſi ſuppoſitorum. Deinde quam inſtantiam, quod exemplum in contrarium afferent? Percurre ſubſtantias humanas omnes; percurre angelicas, ac dæmonum malorum naturas; omnes perſonæ ſunt. De divina ſubſtantia idem nos ſuprà docuimus. Et ſit ſanè, quod volunt adverſarii, eam tribus ſubſiſtentiis ſubſiſtere, & ſic in perſonis trinam eſſe: ſatis eſt, eam perſonam, ſive unam, ſive plures eſſe. Nunc enim, cùm humanæ Chriſti naturæ perſonalitatem ſuam aſſerimus, non de numero perſonarum, ſed de re ipſa diſputamus. Per nos eam hîc vel trinam in perſonis fingas licèt. Quænam autem reſtant aliæ ſubſtantiæ primæ intelligentes, quæ perſonæ non ſint? Hominum, inquies, animæ à corporibus ſeparatæ. Eas enim ſubſtantias eſſe primas, ſeu ſingulares, & intelligentes. Nam à corporibus ſeparatas intelligere poſſe, atque adeo reipſa intelligere. Sed ſi ita ſe res habet; cur eæ perſonæ non ſunt? Num enim non erunt ſuppoſita intelligentia? Dices, ſuppoſita non eſſe: quia partes ſint hominum naturales, ſeu naturâ ad id inſtitutæ, ut totum aliquod conſtituant. Quid? an partes ſubſtantiarum naturales, à ſe invicem disjunctæ, ſuppoſita non ſunt? Certè ut vulgaris, ita & veriſſima ſcholarum ſententia eſt, ſuppoſita tum temporis eſſe. Nihil enim refert, quòd partes aliorum naturaliter vel fuerint, vel eſſe poſſint: modò nunc reipſa non ſint, ſed tota quædam per ſe abſolvant. Actiones ſuppoſitorum propriæ iis competunt, & ſingulis ſingulæ. Animabus ſanè humanis, ſi vera eſt adverſariorum ſententia, non actiones tantùm conveniunt, ſed omnium etiam præſtantiſſimæ, ac perſonarum maximè propriæ, nempe intelligere, & velle, & ſi quæ ſunt cum his conjunctæ. Quomodo igitur ſuppoſita, quomodo perſonæ non erunt? Quod ſi perſonæ non ſunt; ne illis adſcribantur actiones perſonarum propriæ. Id quod fiet, ſi dixeris, animas illas quamdiu ſeparatæ ſubſiſtunt, actu intelligere non poſſe. Anima enim non eſt intelligens, ut quod, (cum Scholaſticis loquimur) ſed ut Quo: hoc eſt, non ipſa per ſe intelligit, ſed eſt id, cujus vi homo intelligit. Itaque quamdiu homo ipſe non eſt, anima ejus per ſe intelligere non poteſt. Cùm autem perſona definitur Subſtantia prima intelligens, vel ſuppoſitum intelligens; id dicitur intelligens, quod per ſeipſum intelligere actu queat, ſeu intelligens ut Quod, non ut Quo. Quâ ergo inſtantiâ noſtram infringent definitionem? num exemplo ejus ipſius naturæ, de qua diſputamus? At id ſine petitione ejus, quod in principio, fieri non poteſt. Num dices, naturam Chriſti humanam non eſſe intelligens ut Quod, ſed ut Quo? non erit ergo ſubſtantia intellectu prædita, uti nos ſumus, & ſic nec humana natura. Omnis enim ſubſtantia intellectu prædita, eſt intelligens ut Quod, hoc eſt, ipſamet intelligere actu ipſo poteſt. Qua de re infrà plura dicemus.

Secunda ratio, quâ probatur, humanam Chriſti naturam perſonam eſſe, hæc eſt, quòd ea ſit homo, homo, inquam, ſingularis, ac filius hominis. At qui homo eſt, aut filius hominis, is perſona eſt. Sunt enim hæc perſonarum nomina. Unde adverſarii quidam acutiores nolunt naturam in Chriſto humanam, hominem appellare; & hanc phraſin Neſtorianiſmum reſipere non malè ajunt, ſi quis dicat, Deus aſſumſit hominem. Dicendum enim eſſe, Deum aut divinam naturam aſſumſiſſe humanitatem vel humanam naturam. Deinde ſi humana Chriſti natura homo revera eſt & filius hominis; nemo dubitare poteſt, ea, quæ de homine Jeſu Chriſto, ſeu filio hominis, ut ſe Chriſtus appellat, in ſacris literis dicuntur Matth. 16. conf. ỷ. 13, 15, 16: Joh. 3. conf. ỷ. 14, 16: & 5. 26, 27: 1 Tim. 2. 5, de ea intelligenda eſſe. Neque enim duo homines in uno Chriſto fuerunt. Atqui Filius ille hominis, dicitur Filius Dei; aut contrà, Filius Dei dicitur filius hominis, homo dicitur Chriſtus mediator; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

alia illi tribuuntur, quæ omnium confeſſione nonniſi perſonæ competunt. Certè ſi homo ille perſona non eſt, ita licebit argumentari: Filius ille hominis non eſt perſona: Filius Dei eſt Filius ille hominis: Ergo Filius ille Dei non eſt perſona. Humanam autem Chriſti naturam, quam illi hominem dicere verentur, hominem revera ac propriè eſſe, ex hominis definitione patet. Cui enim definitio competit, ei etiam definitum. Siquidem definitum & definitio, ſeu res definitione comprehenſa, non niſi explicandi modo differunt. Cæteroquin idem prorſus ſunt. Jam verò an humanæ Chriſti naturæ definitio hominis non convenit? non fuit illa, ut cæteri homines omnes, animal rationale? De rationali dubium non eſt, natura enim humana non fuiſſet, ſi rationalis non fuiſſet. De animali dubium etiam illi eſſe non debet, qui ſcit, animal, cùm hominis genus conſtituitur, nil eſſe aliud, quàm corpus anima ſenſitivâ præditum. Quid? num tale corpus humana in Chriſto natura non fuit? num corpus, hoc eſt, corporea ſubſtantia non fuit? num animâ ſenſitivâ non fuit prædita? omnem ſenſum & rationem exuit, qui id negare audeat. Humana ergo Chriſti natura homo eſt. De ſingularitate autem ejus, quis dubitat? Quòd ſi homo eſt; filius etiam hominis eſt: tum quòd ſacræ literæ Filium hominis & Hominem promiſcuè ponunt, ut vulgò etiam notum eſt; tum quia is, qui homo ex homine natus eſt, non poteſt non eſſe propriè loquendo filius hominis.

Dicet fortaſſe aliquis, humanam Chriſti naturam non eſſe propriè & accuratè loquendo vel hominem, vel animal, vel corpus, ſed Chriſtum humanâ naturâ præditum, eſſe & hominem, & animal, & corpus. Quia homo & animal concreta ſint; & ſimiliter corpus, cùm pro genere hominis ponitur: humanam autem Chriſti naturam abſtractum eſſe. At nos contrà: ſi humana Chriſti natura, corporea ſubſtantia propriè & accuratè loquendo eſt, quod negare nemo poteſt, niſi qui ſenſui non ampliùs credit; eadem etiam animal eſt: cùm animâ ſenſitivâ ſit prædita: & porrò homo; cùm etiam anima rationali ſit prædita. Quare quòd illi abſtractum quoddam eſſe dicunt, & humanitatem ſeu naturam humanam, non hominem appellant, id nuda eorum opinione nititur. Sed deinde quid illis eſt humanitas, animalitas, corporeitas abſtracta? Non dicent eſſe univerſalia à ſingularibus mente veluti ſejuncta, qualia abſtracta in ſubſtantiarum genere libenter admittimus. Id enim hîc nihil ad rem facit. Siquidem Chriſti humana natura ſingularis eſt atque unica numero. Non dicent etiam, eam eſſe formam hominis, animalis, corporis. Nam & hoc nihil ad rem facit: cùm natura Chriſti humana non forma ſit hominis, ſed aliquid formâ præditum; non pars eſſentiæ humanæ, ſed tota eſſentia. Quid ergo illis ſunt abſtracta illa? num ſingularis natura hominis, animalis, corporis alicujus, ab omnibus, quæ ad eam conſtituendam non requiruntur, abſtracta, & per ſe nudè conſiderata? Primùm quid cogit ita humanam Chriſti naturam conſiderare? ſiquidem in illa fuerunt multa ad ipſam humanitatis eſſentiam conſtituendam non pertinentia, uti & in aliis hominibus. Et ut illa propiùs attingam, quæ in hujuſmodi concretis ſpectari vulgò ſolent, fuit in eo exiſtentia ſingularium propria, cujus, in definitione ſpeciei ac generis, ratio non habetur; fuerunt differentiæ, quas vocant, individuantes: certo ea loco, certo tempore extitit. Ens, inquam, fuit revera exiſtens, &, ut cæteræ ſubſtantiæ, ſubſiſtens. Talia autem abſtracta appellari non ſolent. Deinde cernere non poſſum, cur eſſentia tota, atque omnibus numeris abſoluta, quæ reipſa exiſtat, utut mente abſtrahatur ab illis, quæ ei inſunt, ſpeciei aut generis ſui nomen propriè non mereatur; cur, inquam, hæc humana natura, quæ reipſa exiſtat, (de hac enim loquimur) homo dici non debeat, aut hæc animalis natura integra, animal. Fruſtra videntur hîc diſtinctionem quæſiiſſe recentiores Philoſophi, veteribus ignoratam, & ob vocum diſcrimen, (quanquam & abſtracta illa ſubſtantiarum vocabula ſimplicia, ut humanitatis, pro humana natura ſumtæ, animalitatis, corporeitatis, fingere neceſſe fuit) rei ac ſignificationis ipſius diſcrimen quoddam induxiſſe. Sed dicent fortè, humanam Chriſti naturam per ſe ipſam non ſubſiſtere, ſed ſubſiſtere in perſona Filii Dei, cujus ſubſiſtentiâ propriâ ſuſtentetur. Itaque vel hominem non debere dici, vel, ſi homo dicatur, perſonam tamen non eſſe. Verùm ut alia nunc mittamus paulò pòſt dicenda; ſubſiſtentia illa, quâ humanam Chriſti naturam carere dicunt, vel ad naturam hominis conſtituendam pertinet, vel non pertinet. Si pertinet, natura Chriſti humana ſine ea non erit integra; & ſic Chriſtus non erit homo perfectus, contra ſacrarum literarum, & ipſorum adverſariorum ſententiam. Si non pertinet; nil prohibebit ejus abſentia, quominus humana Chriſti natura homo proprie dicatur.

Tertiò ex eo probatur, humanam Chriſti naturam perſonam eſſe, quia ea propriè loquendo agit, & officia certa ſuſtinet. At actiones, ut ſæpiùs de communi ſcholarum ſententia monuimus, propriè non ſunt niſi ſuppoſitorum, quæ ſi intellectu ſint prædita, omnium confeſſione ſunt perſonæ. Similiter & officia perſonarum ſunt propria, quemadmodum & adverſarii fatentur. Jam verò humanam Chriſti naturam propriè agere, eo probatur, quòd & reipſa ſubſiſtat, & vires quoque ac facultates ad agendum ſufficientes in ſeipſa habeat. Non enim minores habet, quàm quiſquam hominum, imò tantò majores, quantò majoribus donis majorique potentiâ eſt a Deo donata. Quid verò ad id, ut aliquid propriè loquendo agat, requiritur, quàm ut reipſa ſubſiſtat, ac vires ad agendum ſufficientes in ſeipſo habeat? Certè nos ipſos propriè agere negandum eſſet, ſi id de humana Chriſti natura negandum eſſet, quæ, ut diximus, in iis, quæ ad actionem propriè ſic dictam requiruntur, non modò nos æquat, ſed & multis modis ſuperat. Atque ut ſpecialiùs rem iſtam declaremus; num illa propriè loquendo, ac per ſeipſam non intelligit, non ratiocinatur? Non eſt ergo ſubſtantia intelligens, & animâ rationali prædita, ac porrò nec humana. Intelligens enim ſubſtantia eſt illa, quæ reipſa intelligere ac ratiocinari, propriè ſanè, non impropriè, poteſt, accedente præſertim uſu aliquo & exercitatione. Atqui intellectio vel ſola ad probandam perſonam ipſius ſufficeret. Eſt enim perſonarum, ut ſuprà etiam monuimus, propria. Sume jam porrò alias actiones, ſive hominum, ſive animalium proprias, ut velle, deſiderare, loqui, edere, bibere, loco ſeſe movere, & membra ad agendum ciere? Si facultates ad has actiones exercendas non habuit humana natura, vel humana prorſus non fuit; vel manca fuit, aut corporis, aut animæ ratione. Neutrum veritas, aut adverſariorum ſententia admittit. Damnavit antiquitas Monotheletas, qui unam tantùm in Chriſto voluntatem ſtatuerunt. Quòd ſi duplex in ipſo voluntas fuit, altera in divina natura, altera in humana; quemadmodum divina natura propriâ ſua voluntate voluit ac vult; ita & humanitas ſuâ. Quorſum enim illi aliàs ineſſet? Facultates ſunt propter actiones. Et ſanè abunde ſe exſeruit humana ejus voluntas, dum petiit à Patre, ut calicem à ſe transferret. Quanquam hîc ſatis nobis eſſet, potuiſſe eam naturam proprie velle. Nam id non cadit niſi in ſuppoſita.

Dicent fortaſſe, humanam naturam per ſe non ſubſtitiſſe, ſed ſubſtitiſſe in perſona Filii Dei; ac proinde per ſe etiam nihil potuiſſe agere. Quod enim per ſe non ſubſiſtat, per ſe quoque nihil agere. Quare actiones omnes propriè ac directè non humanæ naturæ, per quam ſint perfectæ, adſcribendas eſſe, ſed toti Chriſto, licèt ſecundùm humanam naturam. In toto enim Chriſto, ejúſve perſona, illas terminari ac fundari. Quòd ſi actiones illas velis ipſi naturæ humanæ directè adſcribere, locutionem fore impropriam: quemadmodum cùm dico, animam intelligere, velle, ſentire: cùm tamen non anima propriè intelligat, velit, ſentiat; ſed homo animâ, ſeu per animam, aut ſecundùm animam. Sic nec corpus edere, bibere; ſed ipſum

homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hominem corpore. Sic denique nec brachium ſeſe movere, licèt ita nonnunquam loquamur, ſed hominem. Quæ cujus ſint momenti, conſideremus: & primùm illud, cur negent, humanam Chriſti naturam per ſe ſubſiſtere. Poteſt autem triplex eſſe ejus locutionis ſententia, quæ hîc in mentem alicui venire poſſit. Primùm enim id per ſe dici poteſt ſubſiſtere, quod non indiget ullo ſubjecto, cui inhæreat, & à quo, ſi removeatur, in nihilum ſit abiturum. Hoc modo per ſe ſubſiſtunt omnes ſubſtantiæ; non ſubſiſtunt accidentia, ea nimirum, quæ in novem categorias ſeu prædicamenta vulgò diſtribui ſolent. Hoc modo humana natura, fatentibus adverſariis, per ſe ſubſiſtit. Eſt enim ſubſtantia, non accidens. Alioqui natura humana non eſſet. Deinde per ſe ſubſiſtit, quod nullo prorſus externo indiget adminiculo ut ſubſiſtere queat, & integrum atque incolume conſervari. Hoc modo nulla res creata, & ab altero dependens, per ſe ſubſiſtit. Sed id non impedit, quominus res, hac per ſe ſubſiſtendi ratione deſtitutæ, propriè agant, ut cuivis manifeſtum eſt. Res enim corruptibiles, atque inprimis homines, & multis cauſſis, ut primùm exiſtant, & multis adminiculis, ut conſerventur, indigent; & tamen propriè agunt. Quare nec humanæ naturæ id obſtabit, quominus propriè loquendo agat. Tertiò id per ſe ſubſiſtit, quod non eſt pars alterius, ſed per ſe totum quippiam ſuiſque numeris abſolutum conſtituit. Hoc modo partes rei alicujus, ſive integrantes, ſive eſſentiales, per ſe non ſubſiſtere dicuntur; ac porrò nec per ſe agere, ſed totum per illas. Atque huc pertinent exempla illa omnia paulò antè adducta. Hoc fortè modo dicent adverſarii, humanam Chriſti naturam per ſe non ſubſiſtere: quia ſit pars ſuppoſiti alterius, nempe totius Chriſti, ſeu perſonæ ipſius. At ſi ita ſe res habet, nec perſona illa divinitatis ſecunda, cum qua humana dicitur unita, quæque proinde altera ejuſdem ſuppoſiti pars eſt, ampliùs quicquam propriè aget. Ita ex perſona divina, hoc eſt, ex ipſo Deo ſummo, qui propriè loquendo egit, factum eſt id, quod proprie loquendo agere non poſſit, quo nihil cogitari poteſt abſurdius. Nam certè, ſi humana natura pars eſt; erit & alia aliqua ejuſdem totius pars. Quænam verò ea, præter perſonam, à qua eſt aſſumta, & cum qua dicitur unita? Quare & hæc, pars erit, ac porrò per ſe non magis ſubſiſtet, (ea nimirum ſubſiſtendi ratione, de qua nunc agimus) quàm humana natura. Sed deinde, ſi humana natura Chriſti eſt plena ac perfecta, corpore humano, & anima rationali, utroque ſuis numeris abſoluto conſtans; nónne eſt per ſe integrum aliquod, facultates ad agendum ſufficientes habens? certè ſi quid horum negaveris, vel integritatem humanæ naturæ negabis, vel nos quoque ipſos talia integra eſſe negabis. Concedunt adverſarii, ipſa rei veritate coacti, humanam Chriſti naturam per ſe eſſe totum eſſentiale. Non audent etiam dicere, eam eſſe partem Chriſti integrantem: quia partes integrantes eas tantùm eſſe docent, quæ quantitatem habent. Quare ſi Chriſtus ex humana natura & divina, ut partibus integrantibus conſtaret; etiam divina natura, altera hujus ſuppoſiti pars, quantitatem haberet. Itaque nonnulli dicunt, divinam & humanam naturam eſſe quaſi partes eſſentiales, ſeu inſtar partium eſſentialium: & humanam naturam habere ſe inſtar materiæ, reíque perficiendæ: divinam inſtar formæ, ac rei perficientis. Sed dum hoc dicunt, eo ipſo fatentur, eas naturas impropriè partes dici, propriè autem tota; vel ſaltem, ſi divina natura totum dici nequeat, quia partibus careat; humanam naturam per ſeipſam totum quoddam eſſe, eſſentialibus atque integrantibus partibus omnibus conſtans. Atqui hoc ipſum eſt per ſe ſubſiſtere, cùm in tertia, quam conſtituimus, ſignificatione locutio illa accipitur. Quare fruſtra ſunt adverſarii, cùm dicunt, poſſe divinâ potentiâ à ſubſtantia integra ac perfecta, qualis eſt humana in Chriſto natura, ſubſiſtentiam illam, de qua loquimur, ſeparari. Et credo quidem ſeparari poſſe, ſi integra ac perfecta ſimul eſſe deſinat, & vel pars alicujus rei eſſentialis, vel integralis, cum corpore alio coaleſcens, evadat. Sed ut ea perfecta manens, & totum eſſentiale atque integrale per ſe abſolvens, per ſe non ſubſiſtat, id contradictionem involvit. Id enim foret eam per ſe totum abſolvere, & non abſolvere; integram ac perfectam per ſeipſam eſſe, & non eſſe. Et hæc quidem ratio non tantùm oſtendit, actiones propriè humanæ naturæ competere, unde porrò concluditur, eam ſuppoſitum ac perſonam eſſe; verùm etiam immediatè id oſtendit. Si enim humana natura eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, ſtrictiore nimirum illo per ſe ſubſiſtendi modo, quem tertio loco expoſuimus; ſuppoſitum omnino eſt. Siquidem hæc ſubſiſtentia ſuppoſiti forma eſt, per quam ſuppoſitum eſt ſuppoſitum, ut ipſi docent adverſarii: qui nullam etiam aliam cauſſam afferunt, nec afferre ex ſua ſententia poſſunt, cur humana Chriſti natura ſuppoſitum, ac porrò perſona non ſit, quàm quia ſubſiſtentiâ illâ careat.

Sed ut ad actiones revertamur; inde quoque patet, eas humanæ naturæ propriè convenire, quòd alioqui neceſſe ſit ſtatuere, omnes Chriſti actiones, qualeſcunque tandem fuerint, divino ipſius ſuppoſito, quà ſuppoſitum eſt, propriè tribuendas eſſe, ſeu divinum illud ſuppoſitum eas actiones propriè perfeciſſe. Atqui inde ea emergunt abſurda, quæ vel cogitare horret animus. Omnes enim actiones naturales, imperfectionis humanæ & mortalitatis noſtræ propriæ, quæ homini cum brutis communes ſunt, nonnullæ etiam, utut neceſſariæ, ἀσχήμονες tamen, non humanæ naturæ, ſed ipſi divino ſuppoſito, hoc eſt, ipſi Deo, quà ſuppoſitum eſt, propriè convenient. Qui hæc abſurda de Deo cogitare non veretur, is nondum tremendam illam ac glorioſiſſimam illius majeſtatem ſatis revereri didicit, & maximam ſanctiſſimæ Chriſti religioni facit injuriam, quam hoc pacto apud extraneos ludibrio exponit.

In illos certè id cadere non debebat, qui tantopere horrent accidens aliquod Deo adſcribere, aut genus aliquod, & ſimilia; quæ utut tandem erronea eſſent, ſalva tamen ipſius majeſtate cogitari ac dici poſſent. *Sed ita ferè fit, ut qui culicem colant, elephantem deglutiant, & qui in iis, quæ ad Philoſophicam tantùm ſubtilitatem pertinent, ad ſuperſtitionem uſque cauti eſſe volunt, in iis, quæ ipſam numinis reverentiam petunt, pluſquàm incurioſi ſint.*

Ut igitur ad inſtitutum redeamus; cùm ſatis oſtenſum ſit, actiones propriè humanæ naturæ competere; facilè etiam eſt oſtendere, eidem officia quoque competere. Nam primùm poſſe humanam Chriſti naturam officium aliquod ſuſtinere, id quod nobis hîc ſufficeret, proclive eſt demonſtrare. Qui enim actiones intelligentium proprias, eáſque valde eximias, obire poteſt, poteſt etiam officium aliquod ſuſtinere. Quid enim aliud ad officium in genere requiritur? Deinde in ſpecie idem haud difficulter oſtenditur. Tria Chriſti ab omnibus conſtituuntur munera: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Primi eſt divinam voluntatem hominibus exponere & confirmare: ſecundi Deo offerre, & pro peccatoribus interpellare: tertii, Dei populum gubernare, tueri ac ſervare. Quanquam ſervare etiam ad Sacerdotale pertinet, de quo nunc non eſt dicendi locus. An verò hæc munera humanæ Chriſti naturæ non conveniunt? Prophetæ eſt, non ſuo nomine, ſed alieno, nempe Dei, loqui, (neque enim cùm Deus ex ſua perſona loquitur, Prophetico munere fungitur) & ſermones doctrinámve ab illo acceptam aliis proponere vide lib. 1. ſect. 2. cap. 8. Et Chriſtus nominatim de ſe dicit, ſe à Patre ea, quæ dixerit, audiiſſe; ab eo ſe edoctum; ab eo mandatum ſe accepiſſe, quid loqui debeat: doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed ejus, qui ſe miſerit. Quæ omnia ſecundùm humanam naturam de Chriſto dicta eſſe volunt adverſarii: nec aliter poſſunt. Divina enim natura aut perſona, quà talis, diſcere aut mandata accipere non poteſt: omnia illius ſunt, quæ habet, aut tradit, non aliena. At ſi humana natura propriè non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

agit, ea, quæ ſecundùm illam facta dicuntur, ipſam divinam perſonam propriè feciſſe dicendum eſt. Illa ergo propriè audivit à Patre, illa propriè didicit, mandata accepit: & porrò ex mandato alieno loquuta eſt; alienam, non ſuam doctrinam promulgavit: illa propriè Propheticum munus obivit: ſimiliter & pietatem, temperantiam, caſtitatem, aliáſque virtutes exercuit; miracula virtute divina edidit; morte ſua doctrinam ſuam confirmavit: id quod Prophetici muneris complementum fuit.

Jam ut ad ſacerdotale munus veniamus interpellare pro altero apud Deum, non eſt ipſius Dei, nec divinæ perſonæ, quà talis, ut cernunt ipſi adverſarii, ſimiliter nec offerre Deo: præſertim quia ipſa oblatione expiatoria apud Deum interceditur pro altero. Itaque neceſſe eſt, ut ſecundùm humanam naturam iſta Chriſtum feciſſe dicatur. Unde porrò, ob rationem paulò antè dictam, conſequitur, humanam naturam illa feciſſe aut facere, & ſic ſacerdotis munere fungi.

Denique cum videamus, Chriſtum regem à Deo conſtitutum atque unctum dici, eique omnem in cœlo & in terra poteſtatem datam: cùm illa ſecundùm humanam naturam de Chriſto neceſſe ſit intelligere; conſequitur, humanam naturam poteſtatem illam habere, ac porrò etiam exercere: id quod Regis eſt. Hæc plana ſunt, ſine ſalebris, ſine ſpinis. Nihil hîc communicatione idiomatum eſt opus: nihil opus eſt ſubtiliter inter loquutiones abſtractas ac concretas diſtinguere; perſonam à natura, naturam rurſus unam ab altera diſcernere; quærere, quomodo Deo ſummo humana, homini Dei ſummi propria poſſis tribuere; quomodo eadem perſona nunc ut Deus ſummus, nunc ut mediator gubernet, & ſic perſona eadem à ſeipſa quodammodo diſtinguatur.

Ex dictis autem illud quoque intelligi poteſt, nihil opus fuiſſe illa duarum naturarum unione. Nam ſi opus fuiſſet, ideo fuiſſet, ut officia illa Chriſtus ſuſtinere atque obire poſſet. Atqui illa obire poterat Chriſtus, etiamſi eſſentiâ non niſi homo eſſet: imò ſi Deus fuiſſet, obire priora duo non potuiſſet, poſtremum non potuiſſet accipere, nec obire propterea, quòd regium iſtud munus non ſit imperium ſupremi Dei, quà talis eſt, ſed, ut loquuntur adverſarii, regnum ejuſmodi, quod Chriſtus, quà mediator, adminiſtret. Et tale quidem requirebat noſtræ fidei ac ſpei confirmatio, ac Dei ſupremi gloria. Quòd ſi quis dicat, vires humanis majores ad illa officia obeunda fuiſſe requiſitas; id aliquid haberet momenti, ſi neceſſe fuiſſet, eum vires illas à ſeipſo habere, nec eas potuiſſet ab ipſo Deo accipere. At nunc cùm & potuerit eas à Deo accipere, & ſacræ literæ toties teſtentur, eum à Deo accepiſſe: quid opus erat, ut is Deus ſummus eſſet? Deus & natura nihil faciunt fruſtra, rectè ajunt vulgò: quanquam Deus ea quoque facit, quæ natura facit. Quòd ſi Deus non facit ſupervacanea; multò minùs ea, quæ impediunt, & aliàs majeſtate ipſius ſunt indigna. Oſtendimus autem, unionem illam impedituram fuiſſe munerum iſtorum adminiſtrationem. Oſtendimus etiam, eam Deo non pauca tribuere abſurda, & majeſtate ipſius indigna, atque ad venerationem ejus, quam ſancire per Chriſtum voluit, ex animis hominum vel tollendam, vel ſaltem in iis minuendam, aptiſſima.

SECTIO TERTIA.

In qua de tertia, quæ vulgò ſtatuitur, ſupremæ Deitatis perſona diſſeritur, & Spiritum ſanctum Dei Filium fore oſtenditur, ſi ſententia de eo vulgaris vera eſſet.

Satis jam de ſecunda, quæ ſtatuitur, Trinitatis perſona diximus; reſtat, ut nonnulla addamus etiam de tertia. Ut multa de ea dicamus, neceſſe non eſt; quia quæ de generatione Filii ex eſſentia Patris dicta ſunt, ea ad proceſſionem illam ſpiritus ſancti, quam adverſarii excogitarunt, transferri leviter immutata poſſunt. Unde nos quoque ſuprà interdum ſpiritum ſanctum cum Filio apertè conjunximus, & ſic ea, quæ hîc afferri poterant, dicere occupavimus. Nec id abſque ratione. Etenim ſi rectè attendas, & generatio Filii ex eſſentia Patris, proceſſio quædam eſt; & contrà proceſſio ejuſmodi, qualem adverſarii ſpiritui ſancto tribuunt, generatio illi ſimilis, qualem Filio Dei tribuunt adverſarii. Prius fatentur doctiores ex adverſariis, qui de generatione Filii ac proceſſione ſpiritus ſancti agentes, duas ajunt eſſe in Deo proceſſiones. Cur autem *proceſſionis* nomen ſpiritui ſancto peculiariter accommodetur, & ſic à generatione Filii diſtinguatur, hanc ajunt eſſe rationem: quia ſpeciale nomen deſit, quo proprius ac peculiaris ille modus deſignetur, quo ſpiritus ſanctus à Patre & Filio proceſſerit. Itaque ut in aliis rebus ſæpe fit, generale nomen uni ſpeciei tanquam proprium tribui, & ſic ab altera ſpecie diſtingui. Quòd verò proceſſio quoque illa ſpiritus ſancti generatio ſit, ſi modò generatio illa Filii Dei, quam adverſarii ſtatuunt, generatio revera eſt; id quoque demonſtrare non eſt difficile. Etenim quid aliud ad generationem propriè dictam requiritur, quàm ut quis eſſentiam ab alio accipiat, vel ſpecie, vel (ut adverſariorum de Deo fert ſententia) numero eandem cum eſſentia ejus, à quo illam accipit? Breviter generatio propriè dicta eſt ſubſtantiæ communicatio cum altero. An verò proceſſio illa ſpiritus ſancti ab adverſariis excogitata, talis communicatio non eſt? Num per proceſſionem illam ſpiritus ſanctus eſſentiam non accepit eandem numero cum eſſentia illorum, à quibus proceſſit? Ita ſanè ſentiunt atque contendunt adverſarii. Quòd ſi proceſſio ſpiritus ſancti, generatio propriè dicta eſt; duos habemus in Trinitate Filios, unum primæ perſonæ ſolius, alterum primæ & ſecundæ: & duos etiam Patres, unum primam perſonam, quæ duplici nomine Pater erit, nempe quia & ſecundam & tertiam Deitatis perſonam generârit: alterum ſecundam, quæ unà cum Patre ſpiritum ſanctum generârit. Atqui & ex ſacris literis, & ab adverſariis didicimus, unum tantùm eſſe Patrem, & unum tantùm Filium, nempe κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum.

Viderunt acutiores ex adverſariis hunc ſententiæ ſuæ ſcopulum, eúmque vitare conati ſunt. Limitandam ergo illam cenſuerunt, quam cæteroquin ipſi tradunt, generationis definitionem, & dixerunt, non omnem communicationem ſubſtantiæ cum altero eſſe generationem, ſed eam demùm, quam ſequatur relatio talis, qualis eſt inter Patrem & Filium, quæ barbarè appellatur paternitas & filiatio. In quo quidem ridiculi ſunt. Quaſi enim fieri poſſit, ut perſona perſonæ ſubſtantiam ſuam reipſa communicet, nec tamen ſtatim ſequatur iſtiuſmodi relatio; & illa perſona, quæ ſubſtantiam ſuam communicat alteri, eo ipſo non protinus exiſtat Pater, aut (ubi ſexus diſtinctio eſt, quæ in Deo nulla) mater: & viciſſim is, cui ſubſtantia communicatur, filius, vel (ubi ſexus diſtinctus) filia. Fatentur ipſi adverſarii, patris, filii, generationis, proceſſionis vocabula, uti & alia ſimilia, per analogiam de Deo & creaturis dici, eſſeque ab his ad Deum ob ſimilitudinem tranſlata. At in rebus creatis, ſimul ac ſubſtantia producta eſt, generata res propriè dicitur, nec quicquam ampliùs ad proprietatem vocis requiritur. Quòd ſi perſona perſonam produxerit, ſtatim illa pater, vel, ut diximus, mater, appellatur; hæc filius aut filia. Quod ergo generationi illi analogum eſt in Deo, etiam generatio dici meretur. Id verò eſt productio alterius perſonæ, ſeu communicatio ſubſtantiæ cum altera perſona. Hujus porrò conſequens neceſſarium eſt paternitas & filiatio, ei, quæ in humanis cernitur, analoga. Siquidem ea generatio inter perſonas verſatur.

Sed ajunt nonnulli, ideo productionem ſecundæ perſonæ generationem appellari, quia per eam producta ſit perſona, non eſſentiâ tantùm, ſed aliâ etiam peculiari ratione producenti ſimilis. Eſſe enim ſecundam illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illam perſonam, quà talis eſt, primæ imaginem, utpote quam illa ſeipſam intelligendo produxerit; imaginem autem ei, cujus eſt imago, ſimilem eſſe. Aliam rationem eſſe ajunt proceſſionis ſpiritus ſancti. Hunc enim à Patre & Filio eſſe productum volendo. Voluntatis autem non eſſe, producere quippiam ſimile ei rei, quam vult ac deſiderat. Itaque Spiritum Sanctum, utut Patri ac Filio per proceſſionem evaſerit eſſentiâ ſimilis, vel potiùs idem; habita tamen ratione perſonæ ſuæ, quâ a Patre & Filio diſtinguitur, neutri eſſe ſimilem. Generationem autem illam demùm proceſſionem rectè appellari, quâ perſona producta producenti prorſus evaſerit ſimilis: eam verò rectè à generatione diſtingui, cujus diverſa ſit ea in parte ratio. Sed nihil ſubtilibus illis commentis proficiunt. Nam præterquam quòd jam ſuprà ſect. 2. cap. 1. commentum illud de productione perſonarum, quæ intelligendo aut volendo fiat, refutavimus: duo adhuc ſunt, quæ vanitatem hujus exceptionis oſtendunt. Prius eſt, quòd ad proprietatem generationis ex altero, nequaquam requiritur, ut generatum generanti per omnia ſit ſimile: ſed ſatis eſt, id eſſentiâ ſeu ſubſtantiâ illi eſſe ſimile. Ex qua ſimilitudine, proprietatum etiam naturalium, & toti generi aut ſpeciei communium, ſimilitudo ſequitur. Quanquam non in hac, ſed in illa per ſe generationis proprietas cernitur; &, ſi fieri poſſet, ſubſtantiam generati, ſubſtantiæ generantis eſſe ſimilem, proprietates autem utriuſque diverſas, nihilominus generationis proprietas conſtaret, utut fortaſſe agnoſci non ita facilè poſſet: quia nos ex propriis ac conſequentibus rerum indiciis, res ipſas cognoſcere ferè ſolemus. Quare ſi Spiritus ſanctus, vi proceſſionis ſuæ, ſubſtantiâ evaſit Patri & Filio ſimilis, imò idem, (identitas enim apud adverſarios, nec proceſſionem, nec generationem in divinis tollit) Spiritus ſanctus proceſſione illa generatus à Patre ac Filio fuit, ipſaque adeo proceſſio ejus generatio eſt. Quàm multis in rebus, ſi eſſentiam, & proprietates eam protinus conſequentes excipias, filii ſolent eſſe patribus diſſimiles? nec tamen propterea minùs propriè ex illis generati, eorúmve filii eſſe dicuntur. Hîc autem eſſentia ac proprietates naturales ſunt eædem prorſus. Quid igitur ad generationis proprietatem ſpiritui ſancto deeſt? ut taceam, ne proprietate quidem ſeu charactere illo, quem hypoſtaticum vocant, ſpiritum ſanctum Patri & Filio diſſimilem eſſe poſſe, ſi alia eorundem adverſariorum de proprietatibus illis perſonalibus ſententia vera eſt. Statuunt enim illi, eas cum eſſentia tribus perſonis communi, re idem eſſe, & non niſi intellectione ab ea diſcretas. Unde neceſſariò conſequitur, qui eſſentiam illam in ſe habet, (habet autem quælibet iſtarum trium perſonarum) etiam proprietates illas omnes in ſe habere, eáſque non minùs, quàm eſſentiam, tribus perſonis communes eſſe. Quanquam ea ſententia ſeipſam evertit. Simul enim communes erunt, & propriæ, reſpectu earundem perſonarum; & perſonas illas diſſimiles, & non diſſimiles, diverſas, & non diverſas facient.

Poſterius, cur illa adverſariorum ratio ſive exceptio locum non habeat, eſt: quia ſi eorum ſententiam de attributis divinis ſequamur, non poteſt quicquam à voluntate procedere, quin ſimul procedat ab intellectu, & contrà. Siquidem apud illos omnia attributa divina, atque adeo intellectus quoque ac voluntas, ſi rem ipſam ſpectes, planè idem ſunt. Sunt enim ipſa Dei eſſentia, in quam ne minima quidam compoſitio aut diverſitas vera cadat. Et Scholaſtici quidem plærique, ut ſuam ſententiam exprimant, dicunt, intellectum ac voluntatem in Deo, uti & cætera ejus attributa, non tantùm realiter, ſed etiam formaliter idem eſſe, hoc eſt, non tantùm ita inter ſe juncta eſſe, ut divelli à ſe invicem nunquam queant, ſed ne propriis quidem formis, vel eſſentiis ac definitionibus, à ſe invicem diſcerni. Ariſtoteles diceret, & re, & ratione idem eſſe. Eadem enim Ariſtoteli ratione ſunt, quæ eandem formam, eandemque definitionem habent; quæ diverſam, ratione differre dicit. Si autem hoc modo idem in Deo ſunt intellectus & voluntas, atque adeo intellectus eſt ipſa voluntas, & contrà; quicquid ex intellectu procedit aut generatur, procedit etiam ac generatur ex voluntate, & contrà. Non ergo productio ab intellectu magis eſt generatio, quàm illa, quæ à voluntate proficiſci dicitur; non illa magis producit perſonam producenti ſimilem, quàm hæc; nec magis Filius eſt Filius, quàm ſpiritus ſanctus: nec minùs idem Filius eſt ſpiritus ſanctus, quàm tertia Trinitatis perſona. Non minùs enim Filius à voluntate proceſſit, quàm ſpiritus ſanctus; nec minùs ſpiritus ſanctus ab intellectu, quàm Filius. Hi nimirum ſunt fructus ſubtilitatum, quibus Theologia ſcholaſtica ſcatet. Et tamen eas & ſectari, & admirari videmus eos, qui ſacras literas pro unica fidei norma agnoverunt.

Sed inquient, his difficultatibus eoſdem Scholaſticos jam occurriſſe. Divina enim attributa ex illorum diſciplina, utut actu non diſtinguantur ex rei natura, ſeu extra mentis noſtræ conſiderationem, ullo modo, nec realiter, nec formaliter, diſtingui tamen eminenter, hoc eſt, virtute ac potentiâ. Hoc autem diſcrimen eſſe fundamentum diverſitatis inter proceſſiones duarum perſonarum, de quibus nunc agimus; itémque inter effectus varios à Deo manantes; & denique inter conceptus ac cogitationes animi noſtri de divinis attributis. Nos enim ob imperfectionem intellectus noſtri attributa divina inadæquatè concipere, ac proinde tanquam diverſa conſiderare, quæ reipſa idem planè ſint; & hanc Rationis diſtinctionem vocant Scholaſtici, quâ creberrimè utuntur. Nam cùm diverſa inter ſe confuderunt; quia tamen rerum diverſitas animis contemplantium ultrò ſeſe offert, & ipſi de iis, tanquam de diverſis loqui & diſputare coguntur; ad hoc irrationale rationis diſcrimen, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Quanquam autem hunc errorem etiam in obſcuritate verborum, tanquam latibulo ſuo deliteſcentem, configere poſſimus: placet tamen eum priùs inde extrahere, ut ab iis, qui in ſcholarum umbris nunquam ſunt verſati, cerni res clariùs poſſit. Eminenter diſtingui, & diſtingui actu, apud Scholaſticos inter ſe opponuntur. Potentiam enim ac virtutem actui apud Philoſophos opponi, notum eſt. Cùm verò Scholaſtici dicunt, aliquid eminenter diſtingui; perinde id illis eſt, ac ſi dicerent, virtute ac potentiâ diſtingui. Diſtinguuntur ergo illis eminenter ea, quæ, utut actu ipſo prorſus ſint eadem, poſſint tamen diſtingui, quia vim quodammodo habeant plurium, ſive quia diverſæ operationes atque effectus ab illis poſſint manare; ſive quia cum rebus diverſis comparata, ſingularum formis aliquo modo reſpondeant, aut diverſos ad illas reſpectus habeant. Sed quicquid illi comminiſcantur, vel actu ipſo in re, de qua agitur, diſcrimen eſt, vel diſtinctio nulla eſt. Etenim actu ipſo diſtincta ſunt, de quorum uno aliquid rectè affirmatur, quod de altero eodem tempore rectè negatur. Quòd ſi enim illa nihilominus actu prorſus ſunt idem; contradictoria eidem ſimul inerunt, ſeu idem de eodem ſimul & affirmabitur, & negabitur, id quod eſt impoſſibile. Quòd ſi adeo obſtinatus adverſus clariſſimam veritatem eſſe velis, ut dicas, nihil prohibere, quominus contradictoria eidem conveniant, modò id virtute ſeu potentiâ ſit plura; nihil prohibebit, omnia, quæ uſpiam extant, unum actu eſſe, diverſa autem virtute ſeu potentiâ: &, ſi quis id aſſerere velit, nulla poterit ratione refutari. Nam ſi contradictoria non evincunt, illa, de quibus dicuntur, actu ipſo eſſe diverſa; nihil id evincere poterit. Quicquid enim unum ab altero diſcernit, contradictionis vi diſcernit: & omnis oppoſitio, omnis differentia, eam in ſe tacitè includit; & niſi includeret, nihil eſſet, quod prohiberet, oppoſita eidem convenire. Rectè dixit Philoſophus *, & dixit quidem ex communi omnium conſenſu: ſi duo eadem dicantur, quicquid de eorum uno dicitur, dici etiam de altero. Quòd ſi ergo de uno quippiam verè dicatur, quod de altero negandum ſit; illa actu eadem ſimpliciter eſſe non poſſunt: ſed neceſſe eſt vel re, vel ratione, hoc eſt, formâ atque eſſentiâ propriâ, diſtingui. Id verò neceſſariò evenit in intellectu ac volun-

* Ariſtot. lib. 7. Top. cap. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tate divina, ſi vera ſunt illa, quæ ſuprà ex veterum Patrum, & Scholaſticorum ſententia diſſeruimus, de diverſitate inter generationem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti. Etenim generatio dicitur facta per operationem intellectûs; proceſſio Spiritus ſancti non item. Hæc rurſus per operationem voluntatis; illa non item. Intellectûs eſſe dicitur, producere quippiam prorſus ſimile rei intellectæ; voluntatis id eſſe negatur. Intellectu ſolus Pater dicitur produxiſſe Filium; voluntate non ſolus Pater, ſed unà cum Filio, Spiritum ſanctum. Quod ſi iſta vera ſunt, & actu ipſo ante omnem mentis noſtræ conſiderationem extiterunt; actu etiam, citra omnem mentis noſtræ operationem, intellectum ac voluntatem divinam diſtinctam fuiſſe neceſſe eſt. Quare vel deſinant negare, actu ipſo eſſe aliquod inter divina attributa diſcrimen; vel diſcrimen inter generationem Filii & Spiritus ſancti tollant, & Filium Spiritum ſanctum eſſe dicant, Spiritum ſanctum viciſſim Filium: quo ipſo Trinitatis dogma convellent. Etenim ſic præter Patrem una tantùm perſona erit, ſublato inter Filium & Spiritum ſanctum diſcrimine.

Illud adhuc, antequam huic diſputationi finem imponamus, addere placet, quando in hunc de diſtinctione virtuali, ut loquuntur, ſermonem incidimus; vaniſſimum eſſe eorundem Scholaſticorum commentum, dum dicunt, perſonas Trinitatis ab eſſentia, nec realiter, nec formaliter diſtingui, ſed eminenter tantùm, ac porrò ratione, quæ ibi etiam diſtinctionem concipiat, ubi actu nulla eſt. Etenim ſi, ut illi volunt, eſſentia divina actu ipſo eſt communicabilis pluribus perſonis, & communicabilis fuit ante omnem operationem intellectus noſtri; contrà autem perſona eſt incommunicabilis pluribus perſonis; actu etiam ipſo inter eſſentiam & perſonam diſcrimen eſſe oportet. Aliàs ſi actu planè ſunt idem; contradictoria eidem ſimul actu inerunt; quemadmodum ſuprà dictum eſt. Neque verò in eo ſolo, quod jam expreſſimus, contradictio implicabitur, ſed in omnibus illis, in quibus perſona ab eſſentia diſtinguitur: ut quòd illa ſuppoſitum ſit ac perſona, hæc non ſit; illa realiter diſtinguatur ab aliis perſonis, hæc non diſtinguatur; illa propriè genuerit, aut genita fuerit, vel a Patre Filioque proceſſerit, hæc non item. Sed quid multis opus? planè irrationale, ut diximus, eſt illud rationis diſcrimen, quod ibi fingitur, ubi reipſa nullum eſt. Similes nimirum ſunt ii, qui hoc rationis diſcrimen rebus applicant, illis, qui unum hominem cùm videant, duos ſibi cernere videntur. Hi oculis, illi mente falluntur. Vera enim eſſe non poteſt mentis noſtræ ſententia, ſi aliter rem concipiat, quàm eſt. Siquidem veritas eſt adæquatio, ut loquuntur, ſeu convenientia intellectus noſtri, ac porro etiam ſermonis, cum reipſa. Quòd ſi verè homines concipiunt ut diſtinctum, quod diſtinctum reipſa non eſt: conceptus ejuſdem rei ſibi invicem contrarii, veri erunt, Dei nimirum & hominum mortalium. Deus enim & beati angeli atque homines, qui Deum, uti eſt, cernunt, nullum, ſi iſtorum de divinis attributis ſententia vera eſt, in Deo diſcrimen mente concipiunt: quia nullum in ipſo eſt: homines concipiunt. At verum vero contrarium eſſe non poteſt, non magis, imò minùs, quàm ovum ovo, lac lacti. Nec eſt, quod ab Ariſtotele tam abſurdæ diſtinctionis patrocinium petant, qui, ut ſuprà monuimus, alia dicit re, alia ratione diſtincta eſſe. Ratione enim illi diſtincta ſunt, quæ Scholaſtici formaliter diſtingui ajunt, hoc eſt, quæ, utut inter ſe unita ſint, & nexu quodam indiſſolubili, vel utrimque, vel ex una parte juncta, formis tamen atque eſſentiis propriis differunt: ut docilitas, & facultas admirandi in eodem homine: generatio & corruptio. Omnis enim generatio naturalis ac propriè dicta, eſt corruptio alterius, & contrà. Differunt nihilominus hæc, imò oppoſita ſunt, & porrò oppoſitas etiam habent eſſentias, quæ eidem materiæ reſpectu diverſorum inſunt. Aliud enim corrumpitur, aliud generatur. Sic & fundamenta à relationibus, quæ illis innituntur, diſtinguuntur. Differunt autem illa toto etiam genere, ſeu prædicamento. Sic & ejuſdem rei cum diverſis comparationes ac relationes, formas atque eſſentias habent diverſas, vel genere, vel ſpecie, vel numero: uti & termini ac correlata differunt. Has ergo diſtinctiones in rebus non fingit ratio, ſed in iis reipſa invenit: & ipſi Scholaſtici ea, quæ, nobis etiam non cogitantibus, formis diſtincta ſunt, actu ipſo diſtincta dicunt, utut ſimul exiſtant. Quòd ſi tale inter perſonas divinas & eſſentiam diſcrimen agnoſcere velint, vulgare Trinitatis dogma, nec ſecum, nec cum aliis ſuis dogmatis conciliare patroni ejus poterunt. Nòn ſecum: quia hoc pacto quælibet perſona propriam ſuam habebit formam atque eſſentiam; & ſic perſonæ illæ unius ſimul eſſentiæ erunt, & non erunt. Non cum aliis: quia ſumma Dei ſimplicitas cadet. Quòd ſi non agnoſcant diſtinctionem illam, iterum Trinitas concidet, ſublato omni vero inter eſſentiam & perſonas, & porrò etiam perſonarum inter ſe diſcrimine. Quare quocunque ſe vertant adverſarii, Trinitatem illam ſuam, perſonarúmve in unica Dei eſſentia pluralitatem, defendere non poſſunt: ac porrò nihil reſtat aliud, quàm ut unà nobiſcum fateantur, unam Dei ſummi perſonam non minùs, quàm ſubſtantiam eſſe.

CONCLUSIO OPERIS,

In qua uſus hujus de Uno Deo Patre diſputationis explicatur.

POſtquam ergo demonſtravimus, Deum illum ſummum, non minùs perſonâ, quàm eſſentiâ, unum eſſe, nullumque eſſe alium, quàm Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; reliquum eſt, ut uſum hujus rei oſtendamus. Is autem tantò major eſt, quantò adverſum dogma magis eſt noxium; tantoque latiùs ſe diffundit, quantò latiùs contrariæ ſententiæ patent incommoda. Nam primùm quàm neceſſarium ſit intelligere ac credere, unum tantùm eſſe Deum ſupremum, & ſacræ literæ docent, quæ id tam crebrò inculcant, & omnes facilè intelligunt. Jam verò, niſi ſtatuas, unam tantùm eſſe ſupremæ deitatis perſonam, nec ſatis intelligere, nec conſtanter credere ac tueri unitatem ſupremi numinis potes. Quandoquidem à nobis ſatis eſt oſtenſum, plures perſonas ſupremam divinitatem habentes, plures eſſe Deos ſummos. Etiamſi verò error hic aliquatenus infringatur ac minuatur alio errore, dum iſtarum perſonarum una numero eſſentia ſtatuitur: tamen nec penitus tollitur, & id ipſum, quod de unitate eſſentiæ divinæ dicitur, ſatis intelligere, ac conſtanter credere non patitur. Utut enim maximè connitaris, unam eandemque trium re ipſa diſtinctarum perſonarum eſſentiam animo concipere non potes; præſertim ſi ea de illis cogitare velis, quæ vel ſacræ literæ, vel ipſi adverſarii de Patre, Filio, & Spiritu ſancto aſſerunt, ad eorum diſcrimen ſpectantia. Quiſquis enim vel ipſa illa nomina audit, & Filium à Patre verè generatum eſſe, Spiritum ſanctum ab utroque proceſſiſſe cogitat, protinus tres eſſentias numèro diverſas, utut cæteroqui ſimillimas, aut certa quadam ratione inter ſe copulatas, cogitare neceſſe habet. Similiter, qui cogitat, Patrem miſiſſe Filium, & utrumque rurſus Spiritum ſanctum; Filium de cœlo deſcendiſſe, &, ut illi volunt, carnem aſſumſiſſe, illorum neutro deſcendente, aut carnem aſſumente; ſpiritum ſanctum rurſus in corporea forma deſcendiſſe, Patre & Filio non deſcendente; quî non ſimul diſtinctas eſſentias animo concipere cogitur? Quòd ſi ſingulis ſupremam deitatem tribuet; tres numero Deos, utut inter ſe ſimillimos, ac certa ratione unitos, cogitabit. Cùm ergo hactenus multitudo Deorum iſtâ ſententiâ inducatur; neceſſe eſt illam eatenus quoque in abſurda incidere, quæ multitudinem Deorum conſequuntur. Qui plures Deos ſummos ſtatuit, is gloriam atque honorem uni debitum in plures dividit, & quantum cæteris tribuit, tantum illi uni adimit. Cùm enim illi inter ſe ſtatuantur æquales, nec alius alii ſubordinatus agnoſcatur, (quamquam & falſa ſubordinationis opinio pro nulla habetur) quod uni tribuitur, ad alterum non pervenit. Quare qui

plures

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

plures perſonas ſupremam divinitatem habentes agnoſcit ac colit, quod uni debebatur, ad plures transfert, & quod cæteris tribuit, illi uni detrahit. Atque ut propiùs rem ſpectes; ſi ſolus Pater, uti demonſtravimus, ſupremus eſt Deus; quis ea abſurda ex contraria de Trinitate ſententia conſequi non cernit? Primùm enim Patris honór minuitur, dum id, quod longe omnium auguſtiſſimum habet, & quo cætera omnia ſuperat, cum aliis ex æquo communicatur, ſuprema nimirum Deitas, & porrò, quæcunque hujus ſolius ſunt propria, ſive ipſius ſint opera, ſive noſtra, ad gloriam & honorem ipſius ſpectantia. Etenim ſtatim neceſſe eſt, & creationem cœli & terræ, &, ut alia innumera opera prætercam, reſuſcitationem & exaltationem Chriſti, quam ſoli Patri imputandam eſſe clariſſimis ſcripturæ teſtimoniis docuimus lib. 1. ſect. 2. cap. 18, 29, toti Trinitati communem exiſtimare; ut quidem exiſtimant adverſarii. Sic nec amor hominum, qui ad Patrem ſolum ultimò pertingere, & in eo uno conquieſcere debebat, ad eum ſolum ultimò pervenit, ſed in plures perſonas, quæ ipſi prorſus æquales ſtatuuntur, ſpargitur: ſimiliter & honor, & fiducia, & invocatio, & omnia laudum genera, in plures ultimò dividuntur, quæ tota tandem ad unam perſonam pervenire debebant.

Et hæc quidem abſurda naſcuntur æquè ex ſententia de ſuprema Filii Deitate, atque ex dogmate de ſuprema Deitate Spiritus ſancti. Iſtud autem ſententiæ de ſpiritu ſancto magis eſt proprium, quòd ei divinum imperium ac gubernatio, quæ illi prorſus non convenit, tribuitur; ac porrò Deus eſſe ſtatuitur, per ſe adorandus, invocandus, &, ut dator omnium planè bonorum, celebrandus: cum nec quicquam horum, ut vidimus lib. 1. ſect. 3. cap. 1, & 3, ei in ſacris literis tribuatur, nec tribui, cùm perſona non ſit, poſſit. Itaque licet alias ſpiritus ſanctus Deo ſupremo ſit ſubordinatus, tanquam media actionum diviniſſimarum cauſſa: non eſt tamen ei ita ſubordinatus, ut perſona eſſe ſolet, cui ab altero imperium, rerúmque adminiſtratio, &, quæ illam conſequi ſolent ac debent, honoris ac cultus partes, ſint conceſſæ: quo pacto Chriſtum Deo ſubordinatum eſſe cernimus, qui & Deus expreſſe nominatur, & in ſolio Dei collocatus, rebus omnibus imperare ſcribitur. Unde etiam, ut ab omnibus adoretur, útque omnes in eo fiduciam collocent, atque adeo ejus opem implorare audeant, præcipitur; nec ulla honoris divini pars eſt, quæ ei non legatur tributa, quanquam ita, ut ad Patrem ultimò tendat. Nihil horum de ſpiritu ſancto legitur. Quare non in eo tantùm adverſarii peccant, quòd Spiritum ſanctum ſupremum Deum faciunt; ſed & in eo ſimpliciter, quòd Deum ſtatuunt, ſeu divino imperio præditum, humanáſque res gubernantem; eumque porrò non minùs, quàm Chriſtum, invocandum, adorandum, & cætera ei tribuenda dicunt, quæ divino cœleſtique regi ac domino propriè debentur: immemores apertiſſimorum Apoſtoli verborum, aſſerentis 1 Cor. 8. 6, *Nobis unum eſſe Deum, Patrem, ex quo omnia, & nos in illum: & unum dominum, Jeſum Chriſtum, per quem omnia, & nos per illum.*

Quanquam autem hæc abſurditas, quam poſteriori loco explicuimus, magis in vulgari de ſpiritu ſancto, quàm de Filio Dei, ſententia cernitur; cernitur tamen etiam in iſta: &, niſi alius error, nempe incarnationis Filii Dei, alterum illum quodammodo correxiſſet, fieret adhuc gravior. Nam dum ante ac præter Jeſum Chriſtum ex virgine natum, eum, inquam, hominem, quem illi humanam tantùm naturam appellant, Filius Dei unigenitus fingitur, qui ab omni æternitate extiterit, qui divino in omnia imperio unà cum Patre ſemper fuerit præditus; Deitas ei tribuitur rei, quæ non modò Deo ſupremo non fuit ſubordinata, aut imperio tam ſublimi ab eo donata, ſed ne extitit quidem unquam. Atque hac poſteriori in parte gravior per ſe eſt hic error, quàm is, qui circa ſpiritus ſancti Deitatem committitur. Spiritus enim ſanctus non modò extitit, & adhuc exiſtit, ſed etiam res eſt, ut diximus, diviniſſima, & Deo ſummo in præſtantiſſimis operibus verè unita ac ſubordinata.

Audimus nonnullos interdum dicentes, vel propterea ipſorum de Chriſto ſententiam eſſe præferendam noſtræ, quòd illa cum majori ipſius gloria ſit conjuncta. Ipſam autem erga Chriſtum Servatorem noſtrum charitatem poſtulare, ut ei potiùs aliquid honoris addamus, quàm detrahamus. Qui quidem homines primùm ita agunt, ac ſi ex noſtro res penderet arbitrio, & non ex ſacrarum literarum, hoc eſt, ipſius Dei ſententia, manifeſtiſque rei argumentis, penitùs æſtimanda eſſet. Cùm ergo certas ipſæ ſacræ literæ nobis hac in parte poſuerint metas, quas tranſgredi fas non eſt; ut nihil nobis de honore Chriſti demere licet, ita nec quicquam addere. Neque verò amor erga Chriſtum verus, quantuſcunque ſit, poſtulat, ut quicquam ei præter veritatem tribuas, & falſis cum titulis ac laudibus ornes. Nam nec falſo delectatur honore, cui veri honoris abunde eſt: nec quicquam laudi ſibi ducit, quod Patris gloriam, unde omnis in ipſum honor, omnis divinitas eſt profecta, minuit. Minuit autem, ut vidimus, illa adverſariorum de ſuprema Chriſti divinitate opinio. Itaque etiamſi tandem liceret ex noſtro affectu aliquid ad honorem Chriſti adjicere; non liceret tamen id, quod cum injuria Patris conjunctum eſt. Nefas eſt, quicquam de honore Chriſti demere. Sed nec fas, quicquam de honore Patris decerpere. Nefas eſt, quicquam de amore erga Filium detrahere, ſed nec fas, quicquam de amore Patris: cùm & prius illud propterea non liceat, quia dum honor Chriſto debitus negatur, Patri ſimul honor debitus denegatur; & dum minùs amatur Filius, quàm par eſt, minus amatur Pater. *Qui* enim *non honorat Filium,* inquit ipſe Chriſtus, *non honorat Patrem, qui miſit eum.* Et, *qui odit me, odit & Patrem meum* Joh. 5. 23: cap. 15. 23. Siquidem, ut Johannes ait 1 Joh. 5. 1, *qui diligit eum, qui genuit, diligit etiam eum, qui ex ipſo genitus eſt.* Habenda ergo eſt ratio ſumma honoris Filii; ſed non minor Patris, propter quem ille honoratur amaturque. Neque verò nos ii ſumus, qui ullam Filio honoris partem detrahamus, aut detractam cupiamus, pro cujus gloria, ipſius auxilio freti, ne atrociſſimam quidem mortem recuſamus. Honorem illi falſo, & cum imminutione gloriæ divinæ affictum, ab ipſomet edocti, refellimus. Quod ipſemet recuſat, facere nolumus. Atque ut videas, Chriſto nos honorem relinquere illibatum, & pro virili conari præſtare; quid ampliùs requirit à nobis ipſe Chriſtus, quàm ut ipſum honorificemus, ſicut honorificamus Patrem? Num quis major illi honor convenit? neminem, niſi inſanum, id arbitror dicturum. At quam ob cauſſam illum ſibi honorem vindicat Chriſtus? Num ideo, quia ſupremus ſit, atque ab omni æternitate exiſtens Deus? Non ſanè: ſed quia omne illi Pater judicium dedit. Ita enim ait: *Pater non judicat quenquam: ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*.* Qua de re plura ſuo loco diximus. Cùm ergo eum ob judicium omne à Patre datum, honoremus; cùm ob tam ſublime imperium eum adoremus, ob nomen ſuper omne nomen ei donatum, genua illi flectamus, † & eum divinum noſtrum Dominum, ad Patris dextram in cœleſtibus collocatum, profiteamur, eum tanquam omnium factorum, dictorum, conſiliorum noſtrorum, intimorumque animi receſſuum judicem ac vindicem revereamur, non ſecùs ac Patrem; num ullam ei honoris debiti partem detrahimus? Utinam verò plærique, qui, ut ſuum erga Dei filium teſtentur amorem, laudibus etiam falſis eum afficiunt, in eo, in quo Chriſtus verum erga ſe amorem collocat, majorem præſtarent ardorem; & qui in ipſum de alieno liberales eſſe volunt, in ſuo non adeò eſſent reſtricti! Id verò eſt, ut præcepta Chriſti obſervent. Ita enim ait Chriſtus Joh. 14. 21, *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Hîc, hîc nobis omnibus elaborandum eſt; hîc ſumma erga Chriſtum oſtendenda charitas; quam ſi præſtiterimus,

* Vid. appendicem c. 18. ſect. 2. lib. 1. † Phil. 2. 9, & d.

rimus, nullum ei convenientem denegabimus honorem. Sed nimirum facilius eſt laudes & honorum titulos in immenſum augere, quàm juſſa exequi: ut in humanis facilius eſſe videmus adulari, ac laudibus etiam nimiis alterum ornare, quàm veri amici aut ſervi fidelis officium præſtare. Nihil nobis hîc ſuminus, tenuitatis noſtræ probè nobis conſcii; nec aliis omnibus pietatis laudem detrahimus, dum in plæriſque deſideramus majorem; nec de alieno magis, quàm de noſtro officio ſumus ſolliciti. Sed cuperemus tamen, minùs illi in Chriſtum amori tribui, qui in ſola opinione & verbis ſpecioſis conſiſtit; & cum illis ipſis, qui ſibi nimiùm in eo placent, aliquando fieri, ut jurè debebat, ſuſpectum.

Præterea (ut ad alia ſimul incommoda atque abſurda tranſeamus, quæ ex adverſariorum ſententia de pluribus in Deo ſummo perſonis manant) illi ipſi, qui falſum Chriſto honorem tribuunt, verum illi interim vel adimunt, vel vehementer minuunt atque obſcurant. Itaque quod nobis injuriâ objiciunt, faciunt ipſi, &, dum altiùs Chriſtum evehere conantur, de ſuo eum ſolio ac faſtigio imprudentes detrudunt. Etenim ſententia illa de ſecunda Trinitatis perſona, ſeu de Filio Dei unigenito, qui ab omni æternitate ex Patris eſſentia genitus fuerit, non tantùm Patris, ſed & ipſius Jeſu Chriſti ex virgine nati divinitatem veram ita obſcurat, ut propè extinguat. Nam primùm ea non permittit, ut ipſe Jeſus Chriſtus, ille ipſe, inquam, homo, qui ex virgine demùm eſt natus, pro Filio Dei unigenito, & κατ' ἐξοχὴν in ſacris literis ſic dicto, agnoſcatur, ſed pro ejus acceſſione quadam, ſeu natura ab ipſo aſſumta. Etſi enim hominem Jeſum Chriſtum Dei filium unigenitum appellant adverſarii: id tamen non-niſi per communicationem idiomatum ab illis fit, quâ ea, quæ ſecundùm unam naturam Chriſto conveniunt, ei tribuuntur ab altera natura diſcripto. At illa ipſa ſubſtantia humana, ex corpore & anima rationali conſtans, quam illi hominem appellare verentur, illis per ſe Filius Dei unigenitus nequaquam eſt, ſed natura ab eo aſſumta. Unde & veſti eam comparare ſolent, quam ille induerit. Non magis ergo ſubſtantia illa humana, h.e. ſi ex vero rem æſtimes, ipſe homo Jeſus Chriſtus, unicus ille Dei Filius erit, quàm corpus noſtrum anima eſt, quia hæc illo ſit induta, & cum illo tam arcto vinculo nexa. At ex iis, quæ nos ſuprà lib. 1. ſect. 2. cap. 31, ex ſacris literis de ratione diximus, quâ Jeſus ſit Filius Dei, manifeſtè conſtat, illum ipſum hominem ex virgine natum, nec quemquam alium, vel ante, vel præter eum, unigenitum eſſe Dei Filium. Quomodo ergo illa adverſariorum opinio veram ejus gloriam non minuit, vel potiùs tollit? Quò accedit, quòd eadem ſententia Chriſtum hominem de regio illo, in quo eſt à Deo collocatus, ſolio deturbat, nec Dominum ac Chriſtum à Deo factum eſſe, bona fide agnoſcere permittit. Hæc enim non niſi in perſonam cadunt, Deo ſupremo minorem: qualis illis nec Chriſtus homo, ſeu humana, ut illi vocant, natura eſt, nec divina ipſius perſona. Hæc, quia ipſamet Deus ſupremus eſt, ac porrò eo nequaquam minor: illa, quia iis perſona non eſt, nec eſſe poteſt, ſi in alia perſona ſubſiſtit. Et quorſum illa humanæ naturæ poteſtas, ſi eam per ſeipſam exercere non poteſt? Nihil enim per ſeipſam, ſi ſuppoſitum non eſt, agere poteſt; ſed Deus ipſe tantummodo ſecundùm eam agit. Quorſum duplex in eadem perſona imperium, quod non niſi ſemel ab ea poteſt exerceri? Si quis Lunam cum Sole indiſſolubili nexu jungere vellet, illius lumen redderet ſupervacaneum atque otioſum. Neque enim Luna ſuum nobis lumen impertiretur, Sole omnia radiis ſuis illuſtrante, atque ipſam Lunam veluti obſcurante. At eadem à Sole disjuncta tantam terris lucem, utut à Sole acceptam, impertit, ut magnum cum illo luminare in ſacro codice appelletur. Ita & homo Chriſtus, ſi illum in unam cum Deo perſonam conjungas, auguſtum illud imperii ac majeſtatis ſuæ jubar amittit, à ſupremæ divinitatis gloriâ ac ſplendore obſcuratum, atque otioſum redditum. Omnia enim ſuprema divinitas, poteſtatis, ſapientiæ, ac bonitatis ſuæ radiis, ſatis per ſeipſam illuſtraret. At ſi is eſt à Deo ſupremo, ut naturâ, ita & perſonâ diſtinctus, ejus veluti radiis illuſtratus, terris maxime ſalutare lumen impertit, facitque ut, qui ad ſupremæ divinitatis ſplendorem oculos attollere, cúmque per ſe intueri non poterant, in Chriſto blandiùs quodammodo reſulgentem contemplari queant; & qui ob tantam naturæ diſtantiam ad Deum ſupremum animos erigere non poterant, per Chriſtum, naturæ vicinitate ac ſimilitudine ſibi conjunctum, elevare audeant.

Quod ut tantò meliùs intelligatur, plura adhuc ejus ſententiæ, quæ Chriſtum ſupremum Deum facit, recenſebimus incommoda, ut intelligatur, nos haud temerè, ſed graviſſimas ob cauſſas à recepta per tot ſecula ſententia diſceſſiſſe. Nam ſententia illa finem eum magna ex parte tollit, ob quem Deus per hominem totam ſalutis noſtræ rationem adminiſtrari voluit; & porrò etiam, cur ita Deus voluerit, intelligere nos non patitur. Duo enim ea in re ſpectavit Deus, nempe æternam nominis ſui, ob quam omnia facit, gloriam, & incomparabilem generis humani fructum. Illam Deo eripiunt, qui talem faciunt Chriſtum, ut nihil à Patre ſuo accipere, omniáque ſuis ipſius viribus præſtare, ſine aliena ope potuerit. Id quod illi faciunt, qui eum Deum ſupremum conſtituunt. In eo enim inprimis tanta Dei, quam ſpectavit, gloria ſita eſt, quòd per hominem, cui tantæ vires cæteroqui minimè inſunt, tam ardua præſtiterit, cúmque à mortuis excitatum, ad tam ſublime imperii faſtigium in cœlis extulerit. Fructum autem tantæ rei nobis iidem eripiunt, quia ſpei ac fiduciæ noſtræ nobis ſubducunt fulcra atque adminicula, quibus per tam arduum iter in cœlum nitimur. Nam primùm exemplum, quod à Chriſto capere debebamus, tùm pietatis adeò laborioſæ, tum felicitatis per eum nobis propoſitæ, enervant. Voluit enim Deus, ut in Chriſto non tantùm cerneremus, quid vel præſtare, vel conſequi deberemus; ſed etiam quid poſſemus. Poterat nobis ipſe Deus exemplo eſſe & ſanctitatis, & felicitatis, ad quam aſpirare debeamus, uti ſanè nobis utraque in re ſpectandus proponitur. Nam & ſancti eſſe jubemur 1 Pet. 1. 15, 16, ut Deus ſanctus eſt, 1 Joh. 1. 7, in luce ambulare, ut ipſe eſt in luce, vid. inter alia Matth. 5, ult. Luc. 6. 35, 36: Eph. 4. ult. 5. 1, ut alia omittam, quibus ad certas quaſdam, & valdè eximias virtutes Dei exemplo incitamur; & nos Deo ſimiles aliquando fore 1 Joh. 3. 2, divinæque naturæ participes 2 Pet. 1. 4, promittitur. Sed propius homines & imbecillitati ſuæ accommodatius deſiderabant exemplum. Nam ipſius Dei exemplo diſcere quidem poterant, quid illud ſit, quod vel facere, vel ſperare deberent, (quanquam ne illud quidem ſatis exactè; cum utrobique multum ad pleniorem ſimilitudinem deſit:) ſed illud ſcire inde non poterant, quid etiam poſſent. Id verò ex Chriſti exemplo abundè diſcimus. Eo enim nos docuit Deus, ſuis ea nos præſtare ac conſequi poſſe viribus, quæ noſtris nequeamus. Nam quod ad prius attinet, & Chriſtus carne circundatus erat, carni noſtræ, hoc eſt, carni, ut Paulus loquitur, peccati, ſeu peccatrici, ſimili, quam omnes etiam, quæ nos ad peccandum inducunt, occaſiones invitare atque irritare per ſe poterant. Non minùs illa à morte tam acerba, quæ ei propoſita erat, quàm noſtra, abhorrebat. Sed quod illa per ſe non poterat, Deus ope ſua in ea effecit. Ad exactiſſimam enim ſanctitatem, omnique labe carentem, Chriſtum perduxit; ut inde ad nos manaret exemplum, quo vetaremur dubitare, eam nos, divina ope ſuffultos, pietatem præſtare poſſe, quam Deus à nobis exigit, non parem quidem Chriſti ſanctitati, ſed tamen ſimilem. Atque huc inter alia reſpicit Paulus, dum ad Romanos ita ſcribit cap. 8. 2, 3, 4, præſertim ſi Græca ejus verba inſpicias: *quod impoſſibile erat Legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus filio ſuo miſſo in ſimilitudine carnis peccati, &* (vel *idque*) *pro peccato, condemnavit peccatum in carne: ut juſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Impoſſibile erat Legi Moſaicæ nos ab imperio ac poteſtate peccati, ac porrò etiam mortis ſempiternæ, liberare. Conabatur

quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quidem id præſtare, ſed caro noſtra ad peccandum adeò prona, ejus conatui obſtabat, & vim illius minuebat, ita ut id, quod volebat, conſequi non poſſet. Quod igitur Lex efficere in nobis non poterat, id Deus poſtea per Filium ſuum Jeſum Chriſtum effecit. Hunc enim miſit ad nos carne circundatum, noſtræ, quæ ad peccandum adeò proclivis eſt, ſimili, & iiſdem, quibus peccatores premi ſolent, malis obnoxiâ: utque peccatum in nobis aboleret, ejus vim in Chriſti carne primùm ſuſtulit ac delevit; ut ita nobis quoque, ad exemplum Chriſti, non ex carnis cupiditatibus, ſed ex ſpiritus ductu viventibus, juſtificatio contingeret, quam Lex promittebat quidem, ſed præſtare ob carnem noſtram, ut dictum eſt, non poterat. Ex quibus facilè apparet, Deum in Chriſto tale nobis proponere voluiſſe pietatis exemplum, ex quo diſceremus, non tantùm quid facere debeamus, ſed etiam quid ope ejus adjuti poſſimus.

Quod ad poſterius attinet; itidem Chriſti exemplo docemur, non tantùm quid illud ſit, quod conſequi debeamus; ſed etiam quòd id conſequi poſſimus, utut viribus noſtris planè non poſſimus. Etenim & Chriſtus, qui mortalis olim fuit, & naturâ nobis planè ſimilis, evaſit immortalis, & eâ quidem viâ, quæ omnes naturæ limites excedit, hoc eſt, per reſurrectionem. Unde, ut libro primo ſect. 2. cap. 29, demonſtravimus, Paulus luculenter oſtendit, nos quoque reſurgere poſſe, atque adeò reſurrecturos, ſi Chriſtus ex mortuis reſurrexit.

Jam verò utriuſque rei, hoc eſt, & pietatis & felicitatis, exemplum labefactant, & maximam ejus vim tollunt, quicunque Chriſtum Deum illum ſupremum faciunt. Nam quod ad priorem attinet; quid mirum, Deum illum ſupremum ſanctè vixiſſe? Num ab eo, quid poſſimus, diſcere poſſumus? Eſtné talis inter nos & illum, virium ad ſanctitatem pertinentium proportio, qualis inter nos & Chriſtum ratione ipſius ſanctitatis eſſe debet? Quòd ſi dicas, humanam nihilominus Chriſti naturam noſtræ fuiſſe ſimilem, quæ divina ope, tanta fuerit ſanctitate prædita; ex illa exemplum ejuſmodi capere nos poſſe; multùm falleris. Nam ſi humana natura ſuppoſitum non fuit; ipſa etiam nihil proprie loquendo egit, ſed divina perſona, ſeu Deus ipſe ſecundùm illam. Multùm autem, imò infinitum intereſt, ſi vires agendi ſpectes, utrùm Deus ſupremus agat, an homo. Deinde nihilominus in humana illa natura, infinita ſupremæ deitatis vis perſonaliter habitavit, & à peccato omni ita eam cohibuit, ut prorſus impoſſibile fuerit eam peccare. Quid in nobis ſimile? Taceo, quæ illi de diſſimilitudine dictitant inter nos & Chriſtum, ratione peccati originalis, & ingentis ejuſdem corruptionis naturæ noſtræ, quæ in Chriſto nulla; in nobis autem tanta exiſtimatur, ut nobis relicti nil propè niſi peccare poſſimus.

Quod verò ad poſteriorem, nempe felicitatem noſtram, ejuſque adipiſcendæ rationem attinet; quid mirum eſt, Deum ſupremum à mortuis (eum enim hominem factum mori potuiſſe, credere nos volunt) reſurrexiſſe, & porrò immortalem evaſiſſe? Num ullæ vel minimæ reſtant in nobis poſt mortem vires, quibus nos ab ejus vinculis expedire, atque in vitam revocare poſſimus? Num ergo ex Chriſti exemplo diſcemus, poſſe nos, quod ille potuit?

Sed alia præterea ratione, ſpei ac fiduciæ noſtræ fulcra, quæ ei firmandæ Deus admovit, ſubvertit adverſariorum de Chriſto opinio. Deus enim non per ſeipſum, ſeu immediatè, ut loquuntur, totam ſalutis noſtræ rationem gubernare, atque ad exitum perducere voluit, ſed eam in Jeſu Chriſti manu poſuit, nobis & naturâ conjuncti, & omnia, quæ nobis ipſi ſervientibus eveniunt, mala perpeſſi, ut ita in optimam ſpem nos erigeret, fore, ut is vilitatem noſtram non deſpiciat, & nobis vexatis atque afflictis tantò promtiùs ſuccurrat. Id quod aliquot locis indicavit D. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos; & primò quidem omnium circa finem c. 2. Dixerat enim, Chriſtum *nuſpiam angelos apprehendere, ſed ſemen Abrahæ apprehendere*, hoc eſt, nuſpiam in ſcriptura dici, Chriſtum Angelis ſuſcipiendis ac ſublevandis (id enim hîc eſt ἐπιλαμβάνεσθαι) deſtinatum à Deo, aut in eo occupatum eſſe; ſed has ejus eſſe partes, ut Abrahæ poſteros ac filios curâ ſuâ complectatur, eos ſublevet, æternúmque ſervet: illos nimirum, qui non tantùm ſecundùm carnem ex Abrahamo fuerint prognati, ſed qui etiam fidem illius imitentur. Hoc ergo cùm dixiſſet, ſubjicit: *Unde debuit per omnia fratribus* (veris nimirum Abrahæ filiis, carne & ſanguine tamen præditis, & omni acerbitatum generi ſubjectis) *ſimilis fieri, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum,* (ſeu *in iis, quæ ad Deum ſpectant,*) *ut repropitiaret* (ſeu *expiaret*) *delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus,* (ſeu *cùm tentaretur,*) *potens eſt & iis, qui tentantur, auxiliari.* Quam eandem rem aliquo modo repetit ſub finem cap. 4. & fuſiùs declarat cap. 5. confer inter ſe ℣. 2, 3, & 7, 8. c. 5. Docet nimirum divinus Auctor, Chriſtum, quia eadem mala ſit expertus, tantò proniorem eſſe ad nos, in ſimili afflictione conſtitutos, juvandos, & ope ſua ſublevandos. At quo pacto hac conſolatione ſincerè nobis frui licet, ſi Chriſtus eſt ipſe Deus immortalis, & ab omni afflictionis etiam umbra ſemotus? Nec enim refert, quòd humana natura paſſa mortuaque fuerit, ſi modò hæc in id cadunt, quod ſuppoſitum non eſt. Nam ſi natura illa ſuppoſitum non eſt, ac porrò nec per ſe quicquam agit, ſed quicquid agit, divina perſona, hoc eſt, ipſe Deus ſupremus ſecundùm illam agit; quid refert, illam paſſam eſſe, & mala noſtra expertam? Siquidem ipſa divina perſona, quę verè agere cenſenda erit, quicquid Chriſtus agit, nihilominus ea mala non ſenſit, nec eam ob cauſſam ad nos juvandos fieri potuit pronior. Et licèt natura humana ad actionem illam, quâ nobis auxilium à Chriſto fertur, concurrere ſtatuatur: non concurret tamen tanquam ſuo arbitrio relicta, ſed ut ea, quæ divinitatis arbitrio ac impulſui neceſſariò pareat, ſine quo nec agere, nec ceſſare ab agendo poſſit. Perinde ergo hac in parte erit, ac ſi ipſe Deus immediatè totam ſalutis noſtræ rationem gubernaret. Itaque ut in Dei gloriam, & verum Jeſu Chriſti honorem, ita & in ſeipſos valde ſunt injurii, qui ſupremam Chriſto divinitatem affingunt. Nos verò ſimul Deo ac Chriſto ſuum aſſerimus honorem, qui hominem Jeſum Chriſtum, ob mortem crucis in ſummam ſublimitatem potenti Patris dexterâ evectum, & principem ac ſervatorem noſtrum conſtitutum, adoramus, eumque Dominum ad Dei Patris gloriam ex Pauli doctrina profitemur; Phil. 2. 11, ſimul & vim reſurrectionis, ac glorificationis ejus fructum ſentimus, & veriſſimè illud à Petro dictum eſſe experimur, 1 Pet. 1. 21, *nos per ipſum credere in Deum, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides noſtra & ſpes eſſet in Deo*; in quo ipſo ſummam Dei erga nos bonitatem agnoſcimus, & grato animo exoſculamur.

Magna ſunt illa & gravia, quæ hucuſque attulimus, ſententiæ adverſariorum incommoda; quæ vel ſola ad ejus abſurditatem oſtendendam abundè ſufficerent. Sed nondum eſt finis. Uno enim dato abſurdo, ſequuntur multa; & facilè catena errorum nectitur. Nam præterquam quòd plurima ſacrarum literarum loca, cum opinione illa pugnantia, ſive minùs conſona, adverſarios pervertere, & in alienam ſententiam torquere neceſſe eſt; dogmata quædam alia, ſaluti humanæ valdè noxia, illi ſuperſtruuntur, quæ, eâ convulſâ, corruere neceſſe eſt. Poſſes hîc jure collocare craſſiſſimum illum multorum de ubiquitate, ut vocant, ſeu omnipræſentia corporis Chriſti errorem, quo nimirum ipſa corporis Chriſti ſubſtantia, unà cum divinitate ejus, quovis in loco, minimo, maximo, tota adeſſe fingitur; qui error, quicquid illius patroni dicant, Chriſtum de loco in locum moveri non magis, quàm ipſam divinam naturam, patitur; & quæcunque in ſacris literis leguntur, (leguntur autem innumera) quæ oſtendunt, eum certo locorum ambitu comprehenſum, & è loco in locum progreſſum fuiſſe, ſua vi tollit; atque inter cætera ejus in virginis utero conceptionem; niſi quis ipſam virginem non tantùm veſte, aut ædibus ſuis, ſed omnibus cœlis latiùs patuiſſe dicat; ſimiliter & aſcenſum

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ejus in cœlum, & ex eo reditum, tam neceſſarios Chriſtianæ religionis ac fidei, ut vocant, articulos: quos dum illi defendunt, qui & ubiquitatem corporis Chriſti, ſibi contradicunt, & neutrum plenè ac conſtanter aſſerunt. Gravis hic error eſt, tum per ſe, tum quia, ſi animum attendas, omnis ſcientiæ, fideique Chriſtianæ fundamenta ſubvertit. Senſibus enim fidem negat, & nec oculis, nec manibus ampliùs vult credi, quibus Chriſtus Luc. 24. 39, & d. Joh. 20. 27, 28, ut aliorum diſcipulorum, ita & pertinaciſſimam Thomæ incredulitatem olim expugnavit. Credi namque poſtulat, in quem locum Chriſtus veniſſe oculis eſt viſus, in eo jam reipſa fuiſſe, antequam veniret: & e quo loco diſceſſiſſe viſus eſt, in eo nihilominus ipſo corpore manſiſſe; & nunc ea etiam loca corpore Chriſti, carne, ſanguine, & oſſibus conſtante, plena eſſe, quæ eo vacua, aliiſve corporibus repleta eſſe, non oculi tantùm, ſed & manus teſtantur Joh. 3. 11, 32: Act. 10. 40, 41: 1 Cor. 15. 5, & d. Quòd ſi his teſtibus fides neganda eſt; nulla erit cauſſa, quin fides derogetur Chriſto, ea, quæ vidit, teſtanti: nihil erit, cur Apoſtolis credamus, Chriſti miracula, mortem, reſurrectionem, quæ ſenſibus externis deprehenderunt, aſſerentibus; & iis ſcriptoribus ſacris, qui oculatorum teſtium fide ſeſe niti affirmant Luc. 1. 2. Fruſtra ſcripſit Johannes 1 Joh. 1. 1, *quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*, ſi & oculi & manus falli in re tam manifeſta poſſunt; quin etiam dubitandum nobis erit, an illa, quæ legimus in ſacris literis, legamus. Sed de hoc errore plura hîc dicere non libet, utpote non omnibus adverſariis communi. Quanquam interim & illorum pars major ſimilia de præſentia ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, contra ipſorum ſenſuum fidem aſſerit; & nemo denique illorum, ubiquitatis illius patronis penitus poteſt ſatisfacere, quamdiu humanam Chriſti naturam cum divina, quæ eſſentia ſua omnibus in locis tota ſubſiſtat, individuo nexu junctam ſtatuunt. Niſi enim iiſdem planè in locis humana natura ſit, in quibus divina; eodem tempore humana natura toti divinitati erit juncta loco, & non juncta.

Sed alius eſt error tum in ſummam Dei erga nos benignitatem valdè injurius, tum pietati, ac porrò etiam ſaluti humanæ valdè noxius, qui eo dogmate nititur, eſtque omnibus vulgò adverſariis communis. Etenim ſi Chriſtus eſt Deus ſupremus, qui è cœlis in virginis uterum ſe demiſerit, qui infans in cunis vagierit, qui ederit, biberit, lachrymatus fuerit, aliáque humanæ fragilitatis propria, mortem denique truculentam in ſe ſuſceperit; quærendus eſt aliquis rei tam abſurdæ conveniens, hoc eſt, æquè abſurdus finis, qui huc neceſſitatis Deum ſupremum, nos ſervare volentem, adegerit. Is verò vulgò ſtatuitur, ut Deus infinitus; partim infinito obedientiæ ſuæ, quam activam vocant, merito, infinitorum hominum inobedientiam plenè compenſaret, partim etiam infinito mortis ſuæ pretio, Patri nobis irato, pro peccatis noſtris omnibus, & præteritis, & præſentibus, & futuris, pleniſſimè ſatisfaceret, omniáque penitus debita noſtra illi perſolveret; imò ſi vera ſunt, quæ dicunt, longè plus etiam ſolveret, quam nos deberemus. Siquidem vel unam ſanguinis Chriſti, utpote Dei infiniti, guttam, pro omnibus totius mundi peccatis ſatisfacturam fuiſſe dictitant. Hujuſmodi ſatisfactio quia à nulla creatura præſtari potuerit, fuerit autem ad placandam Dei iram neceſſaria; ideò ajunt, Deum incarnari oportuiſſe. Reperti quidem ſunt nonnulli, qui priorem ſatisfactionis illius partem, quæ in activa, ut vocant, Chriſti obedientia conſiſtit, ſuſtulerunt. Viderunt enim, ſi obedientiâ ſuâ Chriſtus inobedientiam noſtram plenè compenſarit, nulla reſtitura peccata, pro quibus morte ſua ſatisfaceret, omnibus obedientiâ illâ jam abundè compenſatis atque extinctis. Sed illi & pauci ſunt, & poſteriorem nihilominus ſatisfactionem, in obedientia paſſiva, ſeu paſſione ac morte conſtitutam, vehementer urgent. Reperti ſunt plures, qui etiam alteram ſententiæ illius partem aliquantum mitigare ſunt conati: vel quòd ejus neceſſitatem ſuſtulerunt, vel quòd aſſeruerunt, eam ſatisfactionem ſua vi debita noſtra non extinguere, niſi Dei accedat benignitas. Sed præterquam, quòd vulgarior ſit illa, quam nos antea explicuimus, ſententia; neceſſarium atque inevitabile illud fuiſſe neceſſe eſt, quod Deum ſupremum ad eam rem, quâ nihil poteſt ipſo indignius cogitari, impulerit; & plærique eorum, qui neceſſitatem ſatisfactionis illius ſuſtulerunt, ex Dei decreto non pendentem, nihilominus pretium illud, quod pro nobis ſolutum fuerit, dignitate ſuâ infinitum, ac par debitis noſtris fuiſſe ſtatuunt. Atqui hæc ſententia, præterquam quòd veram mortis Chriſti vim, in parienda nobis peccatorum remiſſione ac ſalute ſempiterna, agnoſcere non permittit; ipſum quoque Deum ſummæ, quam nobis peccatoribus præſtitit, benignitatis laude privat: imò & jus illi adimit pietatem porrò à nobis exigendi; quo ipſo & in nobis ſtudium pietatis perimit, & cum pietate ſalutem eripit. Etenim nec remiſit ſeu condonavit nobis Deus peccata, ſi totum id, quod ipſi debebatur, noſtro loco ac nomine ab altero ei fuit perſolutum; nec filium, redemptionis noſtræ pretium pro nobis ipſe impendit, ſi ipſi eſt Filii morte ſolutum. Ubi ergo illud, quod tantopere prædicat Apoſtolus, nos in Chriſto habere redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ divinæ Eph. 1. 7. Plenus eſt ſacer, Novi potiſſimùm Teſtamenti, codex, laudibus tantæ Dei erga nos benignitatis & immenſæ charitatis. vide inter alia Joh. 3. 16: Rom. 3. 5, 6, & d. 8. 32: 2 Cor. 5. 18, & d. Eph. 2. 4, & d. 1 Joh. 4. 9, & d. Quo verò jure Deus à nobis ampliùs exigere poterit pietatis officium, ſi Chriſtus omnia abundè præſtitit ac compenſavit, tum Legi pro nobis parendo, tum (quâ re jam ampliùs opus non erat) morte pœnas peccatorum noſtrorum omnes cumulatè perſolvendo? Cui licet ab ipſo debitore adhuc aliquid exigere, ei ab alio, debitoris nomine ac loco, nondum eſt penitus ſatisfactum. Is qui pro debitore ſolvit, jus habet ſuum ab eo recipiendi, niſi id ſe ipſi donaturum promiſerit. Sed id jus Chriſtus non habebit, ſi idem eſt cum Patre Deus. Si enim ita ſe res habet, ipſi Chriſto non minùs, quàm Patri, erat ſatisfaciendum; & dum illi ſatisfecit, ſibi quoque ſatisfecit: ſi modò quiſquam ſibi ſatisfacere poteſt. Si ideo, quòd de ſuo ſolvit, non de alieno, ipſius manemus debitores; tantum debemus illi, quantum antea Patri. Verſura facta eſt, æquè nobis, niſi benigniorem Patre Filium facias, gravis. Infinitum enim reſtat, ut antea, debitum, non niſi æterna morte perſolvendum: nec ſaluti noſtræ conſultum eſt magis, quam antea. Sed nemo id facilè cogitat; omnes ſolutum eſſe libenter credunt: nemo ſe tantundem debere cenſet, quantum antea debuerat. Jus ergo Deo & Chriſto periit nobis pietatem imperandi, &, ſi eam præſtare nolimus, nos puniendi. Hoc quanquam per ſe impium eſt cogitare; id quoque ſecum ſtatim affert, ut neceſſitatem piè vivendi tollat. Quod ſi autem nobis piè vivere neceſſe non eſt; periit pietas. Quis eſt, qui rem, quâ nulla eſt difficilior, ſine neceſſitate ſuſcipere velit? Si quis enim eſt, qui pietatem ad ſalutem non eſſe neceſſariam dicat, piè interim vivat; ſeipſum non ſatis intelligit, ac melius ſentit, quam loquitur. Neceſſitatem enim piè vivendi reverà agnoſcit, &, ſi animi ſui tacitos ſenſus meliùs aut ſcrutaretur, aut exprimere vellet, etiam profiteretur. Sed notum (proh dolor!) nimis eſt, quam periculoſa, quam inimica pietati dogmata, quæ hîc recenſere longum foret, ſuper hoc uno, de quo modò locuti ſumus, extruantur. Subduc illis fundamentum malè poſitum, opinionem de ſuprema Chriſti Deitate, omnia mox collabi ſenties.

Obeſt autem illa de ſuprema Chriſti Deitate opinio non tantùm iis ipſis, qui eam tuentur, ſed etiam aliis. Etenim eos, qui à Chriſtiana religione adhuc ſunt alieni, ab ea amplectenda arcet, & porrò ſalutis iter ingredi non ſinit. Cum enim putent, hæc eſſe ipſius Chriſtianæ religionis capita, & quidem præcipua, quæ eſſe à Chriſtianis vulgò creduntur, de Deo Trino, de Dei ſupremi incarnatione, & cætera, quæ ex his aliquomodo pendent; interim tamen partim ratione duce, partim ex ſacris literis veteris fœderis, manifeſtam eorum falſitatem videant; non poſſunt non univerſam Chriſtianam religionem, tanquam falſam, atque à Deo minimè profectam averſari. Qui enim vera poſſet eſſe ea religio, quæ divinitùs profecta, cujus dogma aliquod ad eam conſtituendam omnino pertinens, manifeſtè falſum eſſe deprehendatur, & iis ſcriptis, quæ divinitus ſint profecta, contrarium? Quare neminem adeo & ſuæ, & alienæ ſalutis incurioſum, ne dicam ei inimicum eſſe decet, ut quid hîc in parte ſtatuat, ac profiteatur, minimè curet: nec cuiquam mirum videri debet, nos non dubitaſſe ſententiam vulgò à tot ſeculis receptam deſerere, utut infeſtis omnium odiis, atque inſectationibus, ac perpetuis fortunarum, & ipſius denique vitæ periculis propterea ſimus expoſiti. Fructum enim illum, quem inde ad Dei gloriam, ad verum Chriſti honorem, ad noſtram denique & alienam ſalutem redundare docuimus, longè majorem eſſe indicamus, quam ut vita fortunæque noſtræ, & quicquid habemus in rebus humanis carum, in comparationem cum eo venire queat. Unde etiam cenſemus, eos, qui vitam ob profeſſionem hujus veritatis profundere recuſent, & eam agnitam turpiter deſerant ac prodant, inter illos eſſe numerandos, quos filii hominis, & ſermonum ejus pudeat, Luc. 9. 26, & qui nec Dei Chriſtique gloriam, nec ſuam ſalutem, uti par eſt, amant, omnibúſque aliis rebus anteponant. Quibus quid expectandum ſit, facilè æſtimare quivis poteſt. Quin & illud facilè hinc intelligitur, quid de iis ſentiendum ſit, qui, cùm adjumenta habeant omnia, & occaſionem minimè vulgarem, veram, quam tuemur, ſententiam agnoſcendi; eam tamen contemnunt, imò etiam ei contumaciter reluctantur. Eos nimirum, unà cum cæteris divinæ veritatis contemtoribus, & gloriæ divinæ pietatiſque inimicis, pœnas, niſi reſipiſcant, daturos. Noſtrum interim non eſt, damnare eos, qui ob meram ignorantiam, adverſæ ſententiæ adhærent, aut fortè ob longam erroris conſuetudinem, aliaque ſimilia, quæ ei veritatis ſpeciem conciliant, eam deponere admodum difficulter poſſunt, modò alioqui pietatis ſint ſtudioſi, nec diſſentientes odio proſequantur. Charitas enim in æquiorem nos partem flectit, ubi manifeſta ſupremi legiſlatoris ac judicis ſententia in ſeveriorem nos non cogit. Periculoſa eſt ſententia adverſariorum, & in Deum ac Chriſtum, inque pietatem per ſe injuria: ſed cogitamus, veniam poſſe dari à benigniſſimo judice, hinc quidem errori atque ignorantiæ, ſi abfuerit contumacia & contemtus; illinc pietati, ejus ſententiæ abſurditatem partim minuenti, partim tegenti; & tantò quidem faciliùs, quantò minùs iidem illi alios ob contrariam verioremque ſententiam damnârint. At quæ ſpes illis, quibus adjumenta ad veritatem cognoſcendam non defuerunt; quorum manifeſta in re tanta apparuit, vel negligentia, vel pertinacia; quos nil niſi hominum metus, & crucis Chriſti fuga, & quæ ſunt his ſimilia, à vera ſententia arcuerunt, quid illi errori ſuo, cùm ad tremendi judicis tribunal ſiſtentur, prætexent? quid autem illi, qui alios ob hanc ſententiam tam rigide, tam ſuperbe, ut fit à plurimis, damnant, & non modò conviciis inſectantur, ſed vel extremo ſupplicio afficiendos, vel ſaltem in exilium pellendos cenſent? quod errori ſuo velum prætendent? *Si non veniſſem*, inquit Chriſtus Joh. 15. 22, *& locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent peccati ſui.* Idem ſibi dictum putent, ad quorum manus ſcripta ea perveniunt, unde ſententiam veriorem diſcere poſſint. Simul autem illud omnes norint, quantò ſententia noſtra pietati eſt magis conſentanea, tanto magis illis, qui eam fuerint amplexi, dandam eſſe operam, ut vitæ ſanctitatem cum ea conjungant, certi, veritatis cognitionem ſine pietate plus ipſis obfuturam, quàm profuturam.

Deus ille pacis faxit, ut omnes eodem animo inter ſe mutuò affecti ſint ſecundùm Chriſtum Jeſum: ut concorditer uno ore glorificent Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; cui ipſi quoque ſit honor in ſecula. Amen. Rom. 15. 5.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

JOHANNES CRELLIUS
Eccleſiæ Racovienſis Miniſter
CHRISTIANO LECTORI
SALUTEM.

QUantum in cognitione rerum ad veram religionem pertinentium ſit poſitum, Chriſtiane Lector, ignorare nemo poteſt eorum, qui ſacroſanctum Jeſu Chriſti nomen ſincero pectore proficentur. Ea enim notitia vitæ lux eſt, quâ qui carent, ii cœcorum inſtar in tenebris palpant, quid ſequantur, quidve declinent, ignari. Arctum certè illud æternæ ſalutis iter invenire nequeunt, nec per tot ſalebras, tam anguſto inter præcipitia tramite, ad ſupremæ felicitatis faſtigium eniti. At quibus cœleſtis illa veritatis lux affulſit, ea præſertim, quam orbi caliginoſo Chriſtus intulit, ii & extremam, ad quam tendant, vitæ metam cernunt, & viam, quæ ad eam ducat, vident, ac ducem nacti Deum, iter iſtud beatitatis ingredi, & ejuſdem ope adjuti feliciter emetiri poſſunt. Quare omnibus, quibus ſua ſalus eſt cordi, rerum ad religionem cultumque divinum ſpectantium ſcientia ſedulò eſt inquirenda; & ſi qua etiam ſtrictura hujus lucis illorum oculis ſeſe inferat, cavendum eſt, ne eam ſpernant, ſed quamvis obſcuriùs lucentem tam diu ſequantur, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus ipſorum, ac clarum tandem Solis jubar omnes ex animis illorum tenebras pellat. Quod cùm divina illis benignitate aliqua ratione contigit, alios etiam monere atque excitare debent, ut evigilent è ſomno, & velut è mortuis reſurgant, ut Chriſtus eos illuminet. Quare cùm Pater ille luminum poſt denſiſſimas ignorantiæ tenebras, quæ terrarum orbi per multa ſecula incubuerant, vitæ lucem iis reddidiſſet, qui in umbra mortis ſederant; noſtri homines eo ſplendore tum ipſi ad ſalutis viam rectiùs cognoſcendam ſunt uſi, tum ut alios in eandem traducerent, operam dederunt, & quam ab iis, qui anteceſſerunt, acceperant facem, Solis cœleſtis radiis luculentiùs accenſam, aliis iterum præferre pro ſua virili ſunt conati. Eam ob cauſſam non paucos in lucem ediderunt libros, quibus vel univerſam Chriſti religionem breviter explicarent; vel de quibuſdam illius capitibus fuſiùs diſſererent, & ab errorum ea nebulis, quibus adhuc involuta eſſent, vindicarent. Qua quidem in re & neceſſitati ſatiſfeciſſe, & utilitati, quæ illius lineam egreditur, non una ex parte conſuluiſſe videntur. Nam & rudiores habent, unde ſalutarem veritatem pietatiſque doctrinam diſcant; & eruditiores, unde ad uberiorem rerum divinarum cognitionem inſtruantur. Deſideratus nihilominus à non paucis fuit ejuſmodi liber, qui & religionis myſteria pleniùs aliquantò explicaret, quàm in compendiis factum; & ſimul, quæ alibi ſparſim eſſent fuſeque diſputata, velut in ſynopſin redacta, divinæ veritatis ſtudioſis exhiberet legenda. Quem laborem cùm non parùm utilitatis aliis allaturum cerneret, Vir aliquando tum pietate, tum eruditione præſtantiſſimus JOHANNES VOLKELIUS, Eccleſiæ Smiglenſis paſtor, eum in ſe ſuſcepit, & hos, quos nunc edimus, de vera religione libros conſcripſit. Eos cùm aliis viris piis atque eruditis legendos dediſſet, dignos judicârunt, qui ſimul ac ultima illis eſſet ab ipſo manus addita, lucem aſpicerent. Sed morte præventus, rem, ut voluerat, perficere non potuit. Itaque labor hic illis ex parte fuit relictus, quibus ante obitum de toto opere judicium Auctor permiſerat. Quia verò id ipſi ab initio fuerat propoſitum, ut ea potiſſimùm explicaret, quæ ad ipſam religionis præſcriptionem pertinent, & illa doctrinæ Chriſtianæ capita defenderet, de quibus noſtræ ab aliis ſententiæ abirent diverſæ; breviùs de attributis divinis diſſeruit, de quibus minus eſſet inter nos & alios controverſiæ. Quamobrem ii, quibus judicium de totius operis editione fuerat permiſſum, cenſuerunt, fuſiorem attributorum divinorum explicationem operi reliquo eſſe præmittendam, ne præcipua ſacroſanctæ Theologiæ pars præ cæteris veluti neglecta videretur.

Hunc laborem cùm mihi, auctoritate Eccleſiæ accedente, demandaſſent; facilè animadverti, quàm grave humeris meis onus imponeretur. Veruntamen cùm illi, qui ita cenſuerant, rem urgerent, negare id, quod poſtularent, religio mihi fuit. Quare Deum ſuppliciter precatus, rem ſum aggreſſus, &, quod unum potui, fidem ac diligentiam in me deſiderari paſſus non ſum. Etſi verò non defuerunt, qui ordinem operis Volkeliani alicubi mutandum, & quæ Auctor libro quinto tractaſſet, a ſe invicem divulſa, locis magis propriis ſparſim inſerenda putarent; ſatiùs tamen judicavimus, compagem operis non diſſolvere, ne alia etiam, quæ ordinis conſtituendi cauſſâ ſunt ab Auctore dicta, mutanda eſſent. Satis æquo lectori fore putavimus, ſi ea, quæ aſſeruntur, vera eſſe ac ſalutaria deprehenderet, & ordinis etiam, quem Auctor ſequutus eſt, rationem ei aliquam conſtitiſſe animadverteret.

Quicquid autem a nobis præſtitum eſt, quod uſibus tuis, benevole lector; ſerviat, id Dei optimi maximi ac Servatoris noſtri JESU CHRISTI benignitati debetur. Nobis nihil inde decerpimus. Nec eos ſua fraudatos laude volumus, qui ante nos hoc argumentum de Deo ejuſque attributis tractarunt, quorum libri verſantur in hominum eruditorum manibus. Quicquid apud nos inveneris, quod ab illis dictum ſit priùs, id ipſis ſecundùm Deum ac Chriſtum adſcribas. Quin per me licet omnia illis adſcribas. Neque enim novitatis laudem quærimus; ſed ut priſca illa veritas, ſacris literis comprehenſa, in lucem proferatur, ac priſtino ſuo nitori reſtituatur, laboramus. Utinam verò omnia jam ita eſſent ab aliis dicta atque explicata, ut nihil prorſus reſtaret dicendum, quod cum ipſorum dictis ſcriptiſve comparatum, novum videri poſſet; nihilque nobis relictum eſſet aliud, quàm ut, quæ a clariſſimis viris ante nos aſſerta defenſaque eſſent, tum ipſi diſceremus, tum aliis inculcaremus. Quòd ſi aliquas putabis in hoc opere laboris noſtri fuiſſe partes, eas tribuas velim Venerando Seni, & non pietate minùs, quàm generis nobilitate præſtanti viro Dno STANISLAO LUBJENIECIO, cujus ut in plurimis aliis, ita & hac in re ſingulare extitit de Eccleſia Chriſti hominumque ſalute bene merendi ſtudium. Is enim opus Volkelianum poſt Auctoris obitum, tanquam prolem parente orbam ſuſcepit, & curâ ſuâ ita fovit atque aluit, ut in publicum tandem prodire poſſet. Nam & poſtquam operis edendi labor mihi fuit ab Eccleſia demandatus, velut ἐργοδιώκτης hortari me nunquam deſiit, donec rem videret confectam; ac ut ſumtus non deeſſet, pupillæ velut elocandæ dotem conquiſivit. Itaque illum tanquam alterum hujus operis parentem agnoſces, lector benevole, & pro ejus noſtráque ſalute, qui tuæ ſaluti conſultum ex animo cupivimus, Deum orabis. Vale, lector amice, & creſce in gratiâ & cognitione Domini noſtri & Servatoris Jeſu Chriſti 2 Petr. III. ult. Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen.

LIBER

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

LIBER de DEO & ejus ATTRIBUTIS.

Cap. I.

Aditus ad tractationem de Deo.

DE vera religione dicturis, primùm omnium, quid nomen ſignificet, explicandum eſt. Denotat igitur Religio cultum divinum, ſeu Dei colendi rationem: & vera quidem eam, quæ & circa verum Deum, & recto convenientique modo verſatur. Dei verò nomen naturâ ſuâ, ut inferiùs intelligetur cap. 13. conf. & capp. 8, 9. pluribus eſt commune: ſed tamen inſignitè denotat ſupremum omnium rerum dominum. Circa hunc religionem veram primò ac per ſe occupari, & in eo, tanquam ultimo ſcopo, penitus conquieſcere eſt neceſſe. Quare & numen iſtud ſupremum cognoſcendum eſt iis, qui ad veram religionem ſunt inſtituendi, & ratio inquirenda, quâ id ritè colatur: ita quidem, ut ſumma ſimul cultûs illius pateat tum utilitas, tum neceſſitas. Hac enim ſublatâ, religionis quoque veræ ſtudium, vel penitus tolletur, vel frigebit. Poteſt autem cognitio Dei tam latè extendi, ut cognitionem quoque rationis, quâ is ſit colendus, ambitu ſuo complectatur. Siquidem ad Deum pleniùs cognoſcendum, non tantùm Attributorum ipſius, ſed & Operum notitia requiritur, quæ niſi ſint aliqua, nec religionis ulla fuerit utilitas, nedum neceſſitas. Inter ea verò eſt & religionis præſcriptio. Itaque univerſa hæc de Religione vera tractatio, ad cognitionem Dei revocabitur; cujus primùm Attributa, ad quorum cognitionem & Nomina ipſius nos ducunt, dein Opera explicabuntur. Attributa autem appellamus omnia, quæ ipſi ſive naturâ, ſive voluntate inſunt. Opera verò actiones ab ipſo proficiſcentes, ſeu quicquid is extra ſe perficit. Et inter attributa quidem primo loco occurrit Exiſtentia. Nam in omni diſciplina primò conſtare debet, ſubjectum, in quo tractando ea occupatur, exiſtere, aliàs fruſtra de cæteris laboraveris. Quare & nobis primò omnium docendum eſt, extare Deum; idque tantò magis, quòd hoc primum eſt religionis fundamentum, quo ſublato eam penitus ruere foret neceſſe. Unde & ſacri noſtri libri aſſerunt Hebr. XI. 6, *eum, qui velit accedere ad Deum*, (hoc eſt, ipſum colere, eique placere) *credere oportere, quòd ſit*, ſeu revera exiſtat, *& quòd remunerator ſit eorum, qui ipſum quærunt*, hoc eſt, qui ipſum colunt, & ea ratione favorem ipſius ambiunt: quod quidem poſterius, priori demonſtrato, haud difficulter creditur, ſi modò intelligas, quid Dei nomen hîc ſignificet, de quo ante omnia neceſſe eſt conſtare. Diximus autem, id ſignificare ſupremum rerum omnium Dominum. Hoc ergo primum Religionis veræ fundamentum, primò etiam collocabimus, & rationibus firmabimus; ut cætera deinde validiùs ei ſuperſtruantur. Etſi verò ex iis, quæ de Sacrarum literarum auctoritate alibi lib. 5. cap. 5. in hoc opere diſputabuntur, perſpici ſatis poſſit, Deum eſſe: placet tamen aliis quoque argumentis idem hoc loco demonſtrare, ut & illi id agnoſcant, qui auctoritatem ſcriptorum ſacrorum nondum admittunt. Triplici autem argumentorum genere ad id probandum utemur. Primùm enim ex univerſa rerum natura ducemus argumenta: deinde ex rebus humanis, ſive a natura, ſive ab alia ſuperiore cauſſa ortis: denique ex iis, quæ præter naturam ſunt aut fiunt. Deum autem ſupplices rogamus, ut ipſe ſpiritu ſuo mentem noſtram ac calamum in univerſo hoc opere gubernet.

Cap. II.

Deum eſſe ex univerſa rerum natura demonſtratur.

UT igitur ab univerſa rerum natura incipiamus; illud primò eſt monendum, ſatis hîc nobis eſſe, ſi docuerimus, hujus mundi, & rerum in eo exiſtentium, ſupremum aliquem eſſe dominum ac rectorem. Quandoquidem ii, qui Deum eſſe negant, res alias præter hunc mundum, & naturas in eo exiſtentes, agnoſcere non ſolent. Itaque ſi illis demonſtraverimus, hunc mundum ſupremi alicujus rectoris arbitrio temperari; protinus fatebuntur, rerum omnium rectorem aliquem ſupremum eſſe. Deinde, quia haud difficile eſt videre, ſi hujus mundi ſupremus aliquis ſit rector; etiam cæteris rebus, quæ præter hunc mundum extare creduntur, eundem præeſſe rectorem; ſi modò eæ cum hoc mundo, ac nominatim cum hominibus aliquid commune habeant, & ad eorum gubernationem quippiam adferant momenti. Quòd ſi quis ejuſmodi res fingat, quibus cum mundo, & hominibus in eo exiſtentibus, nihil planè ſit negotii, earum nulla hîc habenda eſt ratio. Quandoquidem nobis ſatis eſt oſtendere, ſupremum aliquem eſſe, tum ipſorum hominum, tum rerum ad eos quoquo modo ſpectantium dominum ac rectorem. Ideo enim hîc Deum eſſe demonſtramus, ut oſtendamus, homines religione devinctos eſſe. Ad hoc autem id, quod diximus, ſufficit. Supremo enim domino & rectori ſuo ſummum etiam cultum atque obſequium debent homines, in quo religio tota conſiſtit. Adde, quòd hoc loco nondum id agimus, ut unum tantùm eſſe Deum demonſtremus: ſed ſimpliciter, ut Deum eſſe doceamus, cui nimirum homines cultum & obſequium longè maximum debeant. Itaque ſatis eſſet demonſtrare, hominum ſupremum aliquem eſſe dominum, qui nimirum occulta quadam ratione & naturæ limites excedente, humanum genus gubernet; etiamſi tandem aliarum rerum, vel nullus, vel alius eſſet dominus ſupremus, vel denique ipſius hominis plures; quod tamen a nobis ſuo loco refutabitur. Ut autem demon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtremus, ſupremum hujus univerſi rectorem eſſe, non adeò multum nobis in eo eſt laborandum, ut probemus, non infinitam eſſe rectorum ſeriem, ſed vel unum protinus eſſe collocandum, qui a ſuperiori non dependeat; vel ad talem tandem eſſe deveniendum. Siquidem apud omnes conſtat, in cauſis per ſe agentibus, quales ſunt rectores, progreſſum in infinitum non dari. Et ſanè ad regimen omne ordo requiritur; & ad optimum quidem, quale neceſſe eſt regimen hujus univerſi eſſe, ordo maximus & exquiſitiſſimus. Ordo autem inter infinitos rectores (ſi modò rectores ſunt appellandi) nullus revera eſſe poteſt. Ubi enim nullum eſt primum, nullum eſt etiam ſecundum aut tertium; atque adeo ordo nullus. Regimen omne conſilio conſtat. Conſilium in infinita multitudine nullum eſt, ſed infinita potiùs confuſio ac perturbatio. Quare id ſolum nobis probandum reſtat, eſſe aliquem hujus univerſi rectorem.

Id autem primùm hac ratione demonſtrabitur: Si omnia naturalia finis gratiâ agunt, neceſſe eſt eas rectoris alicujus conſilio gubernari. Nam quæcunque finis alicujus gratiâ agunt, vel ſuo ipſorum conſilio, vel alieno ad finem illum diriguntur, ad eúmve collimant. Siquidem neceſſe eſt, vel ipſa, & finem, ad quem collimant, noſſe atque appetere, & ſeſe ad eum conſequendum componere; vel quippiam aliud, quod ea dirigat. Alia ratione finis gratiâ fieri nihil poteſt. Naturalia verò ſuo conſilio ad finem, cujus gratiâ agunt, non diriguntur aut collimant. Siquidem eorum alia nullius ſunt conſilii capacia, ut quæ intellectu ſunt deſtituta: alia, ut ut conſilii ſint capacia; tamen quæ naturæ ſolius inſtinctu faciunt, conſilio ſuo non faciunt. Sic, quæ homini ſunt cum brutis ac plantis communia, conſilio humano propriè non fiunt; licèt conſilio & induſtriâ humana juventur: quemadmodum & naturalis plantarum, tum propagatio, tum nutritio ac ſuſtentatio. Cum ergo res naturales, cùm ipſius naturæ inſtinctu agunt, ad finem ſuo conſilio non dirigantur; reſtat, ut dirigantur alieno, & quidem illius, qui rerum naturam in ſua poteſtate habeat, & ejus curſum moderetur. Naturalia autem omnia finis alicujus gratiâ agere, adeò manifeſtum eſt, ut jamdudum in proverbium abierit, *Naturam nihil agere fruſtra*. Fruſtra verò agit, quicquid finem, cujus gratiâ agat, ſibi non habet propoſitum. Probat idem Philoſophus fusè, ſecundo inprimis Phyſicorum libro, vid. præcipuè cap. 8. lib. 2. Phyſ. & aliis non paucis locis aſſerit. Patet id manifeſtè in animalibus, quæ naturali appetitûs inſtinctu, etiam ante experimentum, ad opera ſibi aliiſque utilia incitantur. Appetitus autem omnis, & quicquid appetitu fit, finis gratiâ eſt. Ex quo facilè etiam intelligitur, quid ſentiendum ſit de cæterarum rerum naturalium actionibus aut motibus, ut aſtrorum, aut plantarum, ad quas naturali quodam inſtinctu atque impetu incitantur; nempe eas quoque finis alicujus gratiâ eſſe. Nam de ſimilibus idem judicium eſt: & naturale eſt, ut ait Philoſophus, 8. Phyſ. tex. 61. ſimiliter ſe habere in omnibus. Quare ſi ille animalium inſtinctus appetitúſque naturalis, & actiones inde prodeuntes, finis alicujus gratiâ ſunt; etiam hic cæterarum rerum inſtinctus naturalis, &, quæ ab eo prodeunt, actiones ac motus, finis alicujus gratiâ erunt. Eſt enim inſtinctus hic appetitui brutorum analogus, adeóque affinis, ut apud Philoſophos etiam appetitûs nomen fuerit ſortitus. Et ſanè, niſi oculos claudere velimus, manifeſtè cernimus, quis ſit ille finis, ob quem Sol v. g. perpetuò in orbem moveatur; quis item finis, ob quem plantæ ſemina producant, ſemina rurſus plantas, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Neque enim refert, quòd hæc ſenſu & appetitu propriè ſic dicto, quo in finem cognitum ferantur, deſtituta ſint. Nam nec telum novit aut appetit ſcopum, in quem dirigitur, & tamen finis cauſâ movetur; nec navis portum novit aut appetit; nec horologium finem ſuum intelligit, aut deſiderat; & ne equus quidem ſemper, quò dominum vehat. Ab alio enim, qui finem novit, & appetit, diriguntur ac gubernantur. Atque hoc ipſum eſt, quod nos hoc loco quærimus. Præterea ex eo quoque apparet, naturam finis gratiâ agere, quòd ea ceſſet ab iis actionibus, quarum utilitatem, ad quam fertur, jam eſt adepta; niſi fortè ad eam conſervandam eodem actionis genere ſit opus. Quæ enim finis cauſâ non agunt, ſed quia ſimpliciter neceſſe eſt agere; etiam utilitate remota agere pergunt. Denique naturam imitata ars finis gratiâ agit; & niſi eum primò ſibi proponeret, non ars, ſed mera foret ſtultitia. Utilitate enim vel careret, vel non niſi caſu eam attingeret, quemadmodum qui nullum ſibi locum, ad quem tendat, præfixum habet, hinc inde tantùm oberrabit, & vel nunquam eò perveniet, quò debebat, vel caſu tantùm ac fortuitò eò deferetur, niſi alieno conſilio dirigatur. Quare idem in natura contingeret, niſi finis gratiâ ageret. Omnia cæco quodam ferrentur impetu, & alia in alia incurrerent, ſine ordine, ſine utilitate, ſi finem certum, veluti ſcopum, ſibi non haberent præfixum; non niſi caſu ac fortuitò, atque adeo rarò ſcopum ferirent. Hæc enim eorum eſt ratio, quæ caſu ac fortuitò agunt. Quòd ſi quis nihilominus dicere velit, hæc omnia, etiamſi nec ſuo, nec alieno conſilio dirigantur, ad ſcopum tamen, ad quem debebant, rectà ferri; is perinde faciet, ac ſi dixerit, infinitos eſſe cœcos, qui, cum nec ſuo, nec alieno conſilio, ad ſcopum dirigantur, & ne ferire quidem eum cupiant, aptiſſimè tamen ad eum ſemper colliment, & niſi quid impediat, eum ſemper attingant. Quæ oratio, cæci, aut ne cæci quidem eſſet, ſed potiùs inſani. Patet ergo, res naturales conſilio alicujus gubernari. Non poſſunt autem gubernari, niſi ab illo, qui naturam habeat in ſua poteſtate, ejuſque ſit dominus. Quo pacto enim aliàs naturam, tantamque univerſi molem gubernaret, atque ad finem ſuum dirigeret? Quare dominum & rectorem aliquem huic rerum univerſitati præeſſe neceſſe eſt.

Dicet fortaſſe aliquis, ipſam naturam ſuo conſilio res omnes ad finem ſuum dirigere; ac porrò nullo alio rerum moderatore opus eſſe. Nam & nos ipſos affirmare, naturam finis gratiâ agere; & uſu receptum eſſe, ut eidem providentia tribuatur. Dicere enim ſolemus, naturam hæc aut illa providè feciſſe, rebuſque utiliter proſpexiſſe. Sed hi loquendi modi facilem reſponſionem habent. Proſopopœiâ enim utimur, ex Metonymia ſeu Metalepſi ortâ, & in vulgari ſermone uſitatâ, ut, quæ cauſſæ efficientis ſunt propria, effectui tribuamus. Naturæ igitur tribuimus, quod Deo naturæ auctori ac moderatori competit. Quod ad rem ipſam attinet, interrogare licebit eum, qui hæc objicit, quid Naturæ nomine intelligat. Vel enim naturam intelligit particularem, in ſingulis rerum naturalium individuis extantem; vel univerſalem, ex ſingularum rerum naturis collectam; vel denique ſubſtantiam aliquam per hoc univerſum diffuſam, & omnium rerum naturas ſuſtentantem, atque in fines ſuos dirigentem. Si naturam intelligit particularem; egregiè fallitur. Quid enim? Num triticum fortè conſultat, ut granum producat, quod vel generis ſui propagationi, vel hominum alimentis cedat? Num temporum articulos novit ei producendo aptos, & tempeſtates obſervat? & granum rurſus conſultat, ut radices in terra figat, ut culmum, ut ſpicam proferat, & cætera ſeminibus aliis, aut procreandis, aut tuendis apta? An porci, aut aſini, dum generationi dant operam, conſultant, ut tam aptam partium ac membrorum ſtructuram è materia effingant, tam admirabiles facultates ei indant; quarum rerum artificium humanum ingenium vix aſſequi, nedum excogitare, quantò autem minùs efficere poteſt. Fortè iidem porci, aut aſini deliberant, quomodo cibus in ventriculo concoqui, quomodo in chylum, chylus in ſanguinem verti, & per venas atque arterias diffundi poſſit; quomodo ſpiritus vitales inde gigni, quomodo membra eo nutriri queant? Quòd ſi ullius rei natura iſtis de rebus conſultaret; hominum certè natura ratione prædita id faceret, idque ipſi homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

homines non poſſent non ſentire. At quis iſtud conſilium in ſe unquam eſt expertus? Ex his jam porrò apparet, nec univerſalem naturam, ex ſingularium rerum naturis collectam, conſilio uti, & de rebus in finem ſuum dirigendis deliberare. Cùm univerſalis illa natura, nihil ſit præter naturas ſingulares, quas cogitatione nos conjungimus. Neque enim idea eſt aliqua, extra ſingularia ſubſiſtens. Quòd ſi quis Naturæ nomine ſubſtantiam aliquam intelligat a rebus naturalibus diſtinctam, quæ ſingularum rerum naturas ſuſtentet ac gubernet, & in ſuum quamque finem dirigat; is ipſam revera naturam Deum ſtatuet, &, ſi Deum, tali natura poſita, exiſtere negaverit, ſeipſum non intelliget. Deum enim eſſe, uti vidimus, eſt omnium rerum Dominum eſſe & rectorem. At talis erit natura illa, quæ ſtatuitur ſubſtantia omnes res naturales ſuſtentans, & conſilio ſuo in ſuos quamque fines dirigens. Nam quid aliud eſt hoc, quàm res univerſas regere, eáſque in ſua poteſtate habere? Neque verò naturam hujuſmodi, rerum genera ſeu univerſalia tantùm, ſed & ſingularia noſſe ac gubernare neceſſe erit. Neque enim dirigere omnia in fines ſuos poterit, niſi v. g. Solem & cætera aſtra ſingularia, noverit ac rexerit, è quorum virtute ac motu genera plantarum atque animalium univerſa, eorúmque ſalus pendet. Adde, quòd, cum univerſalia nihil ſint præter ſingularia inter ſe collecta; non poteſt univerſalia ſuſtentare, ac in fines ſuos dirigere, niſi qui ſingularia ſuſtentat, & in ſuos fines dirigit. Quare quiſquis hujuſmodi naturam fingit, Deum ex natura facit, vel Deum naturæ nomine deſignat.

Cap. III.

Ex mundi hujus opificio Deum eſſe demonſtratur.

SEd jam ulteriùs progrediemur, & oſtendemus, hujus univerſi aliquem eſſe opificem, ſeu cauſſam efficientem intelligentiâ conſilioque præditam, quam nos Creatorem appellamus. Unde iterum patebit, eſſe aliquem hujus univerſi dominum ac rectorem. Etenim ipſius naturæ jure quivis opifex dominus eſt operis ſui, quâ tale eſt, &, ſi id ex materia produxerit, quæ alieni juris non ſit, totum opus, quantum quantum eſt, ipſius eſt. Unde ei ſoli pro arbitrio opere uti licet: cæteris non niſi ipſius voluntate ac permiſſu; niſi fortè ipſemet opifex alieni ſit juris, non ſui; id quod in ſupremum hujus univerſi opificem non cadit. Supremum autem aliquem eſſe neceſſe eſt, ne in cauſſis per ſe agentibus progreſſus in infinitum detur. Ac præterea, ut ut hujus univerſi opifex alii alicui ſubeſſet; nihilominus tamen ad ſupremum rectorem tandem eſſet deveniendum, ut ſuperiùs jam docuimus. Id ergo tantùm probandum eſt, hujus univerſi opificem eſſe aliquem. Probari autem poteſt tum eo ipſo, quod antea docuimus, nempe res omnes conſilio alicujus gubernari, & in fines ſuos dirigi; tum ratione illi vicina, quâ id ipſum probavimus. Quod enim ad prius attinet; ſi res, quæ in hoc mundo cernuntur, ſine opificis alicujus conſilio extiterunt, & ita, ut videmus, conſtructæ colligatæque inter ſe fuerunt; ſine conſilio etiam cujuſpiam in fines ſuos diriguntur. Siquidem eæ in fines ſuos ideo diriguntur, quia talem naturam habent, & cum cæteris ita ſunt colligatæ. Quod ad poſterius attinet; ſi res hujus univerſi omnes, finis gratiâ non tantùm agunt, ſed & exiſtunt; neceſſe eſt eas a cauſa efficiente intellectu prædita productas eſſe. Quicquid enim finis gratiâ exiſtit, (exiſtit autem, quicquid non ſui ipſius, ſed alterius gratiâ eſt) id ejus cauſſæ vi exiſtit, quæ & finem illum habeat cognitum, & eundem appetat, & denique media ad illum conſequendum comparet. Id verò, cùm res ipſa ſenſui nondum eſt objecta, ejus tantùm cauſſæ eſt, quæ intellectu ſit prædita, & certo conſilio agat. Patet id etiam ex eo, quòd quæcunque finis gratiâ exiſtunt, eorum cauſſa finis eſt. At finis non alia ratione cauſſa eſt rei, quàm quatenus cauſſam efficientem, cognoſcendi facultate & appetitu præditam, ad rem producendam movet. Nam, ut præter manifeſtam rationem, communis Scholarum conſenſus docet; finis duplici modo ſpectari poteſt. Primùm quatenus adhuc eſt in agentis, ut loquuntur, intentione, hoc eſt quatenus ab efficiente rei cauſſâ cognoſcitur, & appetitur, eámque ſuavitate ſua ad rem producendam impellit: deinde, quatenus jam reipſa exiſtit, ac poſſidetur. Poſteriori modo non cauſſa eſt rei, ſed effectus; operis conſequens, non antecedens. Priori autem modo tantùm cauſſa eſt, & ad exiſtentiam rei aliquid confert. Unde patet, quæcunque finis gratiâ exiſtunt, cauſſam efficientem habere, cognoſcendi facultate, & appetitu præditam. Ea autem cognoſcendi facultas hîc non niſi intellectus eſſe poteſt, qui res nondum exiſtentes ſolus poteſt cognoſcere: appetitus autem ille voluntas eſt. Res tota adhuc manifeſtior fiet infra cap. 4. ubi Peripateticorum quorundam refutabimus ſententiam, qui omnia finis cauſſâ ita exiſtere contendunt, ut efficientem eos hujus univerſi cauſſam non agnoſcere appareat.

Nunc id, quod tota Peripateticorum, imò & Platonicorum ſchola, non modò fatetur, ſed & urget, probabimus, nempe res hujus univerſi omnes finis gratiâ exiſtere; ſed ita, ut controverſiam de materia prima, quæcunque tandem ea ſit, non faciamus noſtram. Satis eſt enim nobis conſtare, res omnes, quatenus formam aliquam ſunt adeptæ, finis gratiâ exiſtere; & materiam primam, ſi finis gratiâ ipſam non extitiſſe contendas, ad finem tamen certum adhibitam eſſe. Neque enim id nunc agimus, ut omnia, quæ ad creationem rerum pertinent, vel explicemus, vel demonſtremus; ſed ut hujus univerſi opificem aliquem eſſe oſtendamus. Oſtendemus autem, etiamſi non probaverimus, materiam primam per ſe conſideratam, finis gratiâ extitiſſe; modò docuerimus, res ex ea formatas, finis gratiâ eſſe; materiam autem primam ei fini ſubſervire. Operis enim ratio in forma & diſpoſitione conſiſtit, non in materia per ſe conſiderata. Adde, quòd ne ſacræ quidem literæ, cùm creationem hujus mundi deſcribunt, in materiæ productione eam collocant, ſed in ejus formatione. Quinetiam rerum quarundam creatarum materiam apertiſſimè commemorant, ut alibi in his libris lib. 2. cap. 4. explicabitur. Quanquam autem haud quaquam obſcurum eſt, omnia, quæ in hoc univerſo cernimus, finis gratiâ exiſtere; quia tamen non omnes ad ea, quæ in natura ſunt manifeſtiſſima, attendunt; ideo placet, lectorem in hoc univerſi theatrum aliquantùm introducere, ut rem ipſis quodammodo oculis cernat. Tantò autem id faciemus libentiùs, quòd eadem operâ illud exemplis confirmabimus, quod antea aſſeruimus, naturalia finis gratiâ agere. Simul & fundamenta quædam ſternemus doctrinæ de potentia, ſapientia, arbitrio, imperio, benignitate, ac providentia Dei, de quarum rerum poſtrema in cæteris hujus operis libris agetur: de prioribus nos ipſi in hoc libro infrà dicemus. Et ſanè Sacri quoque libri non ſemel ad rerum in natura exiſtentium contemplationem nos vocant, ut divinæ majeſtatis radios in iis relucentes, & admirandarum ejus proprietatum veſtigia illis impreſſa luſtremus. Etenim non tantùm omnia naturæ opera, ſed & ſingula, ſingula etiam divinitatis argumenta nobis ſuppeditant. Ita ut tot hujus, quam defendimus, ſententiæ argumenta dicere queas, quot naturæ cernimus opera. Eo autem hæc tractabimus pacto, ut oſtendamus, omnium rerum naturam ita eſſe comparatam, ut ad utilitatem aliquam tendat: unde facilè intelligetur, omnia finis gratiâ exiſtere.

Incipiamus a corporibus ſimplicibus, ex quibus hoc univerſum conſtat; inde ad mixta animatáque progrediamur. Inter ſimplicia ordinem ducunt cæleſtia, è quibus primus oculis ſe noſtris offert Sol, quem aſtrorum regem ac ducem non immeritò appellant. Huic ob apparentem nobis magnitudinem, & lucis, quam terris impertit, claritatem, veluti regina ſuccedit Luna. Sequuntur cæteræ ſtellæ, inſtar ſtipatorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

torum quorundam, aut exercitûs ducem ſuum ſequentis. Utilitatem Solis longè maximam, ad quam naturâ comparatus eſt, qui non cernit, eum cæcum eſſe oportet: quanquam & is, qui eam non videt, ſentit tamen. Ita enim naturâ factus eſt, ut & lumen animantibus, ac præcipuè homini, ad variarum rerum cognitionem, atque ad actiones operáque neceſſaria præbeat; & calore ſuo rerum omnium generationem promoveat, genitas foveat, & ad maturitatem perducat. Itaque ſine eo vita rerum inferiorum conſtare non poſſet, nedum ut ulla ſine eo poſſet eſſe vitæ jucunditas. Ut autem vim ſuam ſalutarem in omnes terræ partes, quatenus opus eſt, ſpargere poſſit; motus illi naturæ vi ineſt, & quidem, ut communis fert ſententia, duplex: alter diurnus, quo intra viginti quatuor horarum ſpatium, totum orbem circumiens, utrumque mundi hemiſphærium luſtrat: alter annuus, quo nunc ad ſeptentrionem, nunc ad auſtrum propiùs accedens, nunc his, nunc illis terrarum partibus ſeſe pleniùs indulget. Quòd enim quidam priorem inprimis & quidam alterum motum Soli negent, ac terræ adſcribant, quæ ab occidente orientem verſùs quotidie circumrotata, aliam atque aliam ſubinde ſui partem Soli obvertat; id noſtra nihil refert. Eadem enim hujus motûs, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, vis & ratio erit; quanquam terræ ac Solis naturæ conjunctim utilitas illa imputabitur. Quanta verò utriuſque illius motûs, & porrò naturæ illius corporis, unde is fluit, utilitas ſit, dici vix poteſt. Inde enim fit, ut Sol unus toti orbi ſufficiat, & omnibus terræ partibus proſit; nulli autem, vel ob perpetuam præſentiam, vel ob perpetuam abſentiam, ita noceat, ut ea rebus viventibus penitus reddatur inutilis. Nam ſi Sol eandem terræ partem perpetuò ſpectaret, hanc quidem penitùs exureret; cæteras verò frigore enecaret, ac prorſus redderet otioſas: &, etiamſi tandem in locis aliquibus, ab eo nec nimiùm diſſitis, nec nimiùm ei propinquis, aliqua poſſet eſſe rerum generatio: ea tamen animalia, quæ generarentur, tandem capere atque alere non poſſent. Et præterea facem quidem Sol laboribus hominum atque animalium præferret; ac commodius at tutius quieſcendi ſpatium iis non præberet, ob perpetuam luminis præſentiam. At nunc omnibus orbis terræ partibus ſalutarem vim ſuam impertit, & non modò accedens, ſed & recedens prodeſt. Nam dum recedit, ea, quæ nimiùm incaluerant, refrigerari ſinit: &, quæ laboribus diurnis laſſata fuerant, iis quieſcendi largitur opportunitatem. Quia verò ejus abſentia, præſertim diuturnior, omni prorſus incommodo carere non poteſt; ideo ne nimiùm rebus viventibus noceat, ſapientiſſimè proſpectum eſt. Nam primùm ejus curſus verſùs ſeptentrionem & auſtrum, iis eſt incluſus cancellis, ut, cùm in alterutram partem deflectit, non tamen adeo longè ab altera diſcedat, ut, quæ in ea generata fuerant animalia, omnino perire ſit neceſſe, præſertim præſtantiora, quorum nova quotannis generatio non redit. Deinde quantò diutiùs iis lumen ſuum ſubtraxerat, tantò poſtea diutiùs indulget. Ita enim diſpenſat lucis ac tenebrarum, caloris ac frigoris vices, ut dimidio annui curſus tempore, cuilibet terræ parti lumen caloremque impertiatur, dimidio ſubtrahat; & quod diuturniore abſentia veluti neglexerat, id diuturniore rurſus præſentiâ compenſet. Itaque videmus, iis in regionibus, quæ ſeptentrioni ſunt viciniores, aptæ tamen ut colantur, intra ſat breve tempus fruges & provenire, & matureſcere, ob dierum longitudinem, ac diuturniorem Solis, operi veluti inſtantis, commorationem: cum eam ad rem tempore longiori ſit opus in regionibus temperatioribus. Pręterea cùm in adverſum hemiſpęrium ſol tranſit, & noctes regionibus a tergo relictis facit longiores; non nimis longè infra illarum horizontem deſcendit. Itaque noctes illis propemodum crepuſculi cujuſdam inſtar ſunt, & nec calore penitus deſtituuntur, nec lumine: ſed illo frigus, hoc tenebræ aliquo ſaltem modo temperantur, ut nec nimis noxium illud, nec hæ nimis moleſtæ ſint. Quam utilitatem Sol magis adhuc auget, dum Lunæ lumen ſuum commodat, & per eam averſas, nec ſibi conſpicuas terræ partes illuſtrat ac fovet. Cùm enim plurimum lucis habet Luna, eam illa terræ partem luſtrat, à qua Sol abeſt longiſſimè. Et hæc quidem motui Solis annuo ac diurno ferè ſunt communia. Illud autem annuo magis proprium eſt, quòd ſuo illo acceſſu receſſuque, & diverſo terrarum aſpectu, infinitæ tum plantarum, tum animalium varietati ſervit. Alia enim majori, alia minori indigent calore aut frigore. Itaque diverſas tum annorum tempeſtates, tum in terra zonas, caloris ac frigoris ratione inter ſe diſtinctas extare, rerum, quæ in terris naſcuntur, univerſitati utile eſt. Diſtinctionem autem illam, Solis poſitus motúſque annuus facit. Neque verò eſt, quòd quis dicat, zonam torridam, quæ tropicis, ſeu extremis ſolaris curſûs terminis interjacet, & frigidas, quæ polis ſunt vicinæ, illam ob vicinitatem Solis, has ob longinquitatem, reddi inutiles. Zonam enim torridam inutilem non reddi, manifeſtè docet experientia. ſiquidem ſub ipſo etiam æquatore mediáque Solis via, cultiſſimas quaſdam regiones, inſulaſque fertiliſſimas reperiri conſtat. Nam præter terræ venas, indeque natos rivos ac flumina, duplici adhuc ratione proſpectum eſt, ne terræ illæ exareſcerent penitus, & ad cultum ineptæ fierent: nocturno frigore, & pluviis, quæ tum, cùm Sol loco alicui verticalis eſt, ibi perpetuò cadere dicuntur. Nam cùm Sol infra illarum regionum horizontem noctu, quàm poteſt longiſſimè deſcendat*, frigus veluti in alteram partem abigit, & vim æſtûs diurni temperat. Pluviæ verò, quæ in eas regiones, quibus Sol perpendiculariter imminet, eo tempore perpetuò cadere ſcribuntur, unà cum venis terræ, eam penitus exareſcere non ſinunt. Qua quidem in re, uti & in cæteris omnibus & utilitatis habitam eſſe rationem, & porrò ſapientiâ & conſilio rerum naturam conſtitutam eſſe, quis non cernit? Sapientiæ enim ac conſilii eſt, quòd plures non ſunt Soles, cùm toti orbi unus ſufficere poſſet. Deinde quòd, cùm neceſſe eſſet regiones Solis viæ ſubjectas vehementiùs aduri, ſi omnibus terræ partibus unus calorem impertiri deberet; ita tamen ejus vis eſt temperata, ut nec penitus inculta jacerent, & hominibus inacceſſa, tanta medii orbis ſpatia; nec humanum genus, cui in temperatis utrinque zonis ſeu regionibus ſedes eſſet, a ſe invicem divelleretur. quod quidem factum eſſet, ſi ob intolerabilem æſtûs vim, a ſeptentrione in auſtrum, aut ab hoc in illum, tranſitus hominibus fuiſſet negatus, & omnis commerciorum via intercluſa. Nam ſi ſervari nihilominus generis humani unitas ac conjunctio debuiſſet; altera orbis pars, ac porrò longè plus quàm dimidium, hominibus prorſus redditum fuiſſet inutile. Denique, quia hoc pacto effectum eſt, ne ita omnia ferverent æſtu, quin ut caloris, ita & frigoris perpetuus quidam fons eſſet. Quandoquidem ut ſine calore res inferiores nec generari, nec conſervari poſſunt: ita nec ſine frigore, &, qui frigore omni ſublato penitus periret, humore aqueo. Itaque ſi nullæ eſſent orbis partes, quibus frigus terræ & aquæ perpetuò veluti aleretur, & e quibus id cæteris regionibus adſpiraretur; non ea tantùm, quæ æſtum nullo modo poſſunt ferre, ſed omnia tandem exareſcerent, & in flammas cineréſque abirent. Ex quibus (ut hoc nunc dicere occupemus) intelligitur uſus earum, quæ polis ſubjectæ ſunt, regionum, licèt hominibus ob perpetuum frigus inacceſſarum. Hi enim ſunt perennes quidam frigoris fontes. Illic frigus terris & aquis incumbens, in totum hunc inferiorem orbem ſeſe inſinuat. Duos autem frigoris fontes eſſe oportuit, alterum ab hoc, alterum ab altero terræ latere; non unum, ut caloris. Caloris enim fons in medio poſitus, in utramque partem vim ſuam diffundere poteſt. At unus frigoris fons in altero extremo poſitus, ad alterum orbis extremum vim ſuam protendere non potuiſſet; partim locorum in-

* Vid. And. Cæſalpin. Quæſtion. Peripatet. lib. 5. quæſt. 8.

terca-

tercapedine prohibente, partim intermediæ regionis æſtu tranſitum frigori in alteram partem negante. Itaque utile toti terrarum orbi, & rerum inferiorum omnium naturæ fuit, extare regiones aliquas, quas nunquam ita vicinus Sol luſtraret, quin perpetuo rigerent gelu. Neque tamen conſultum fuit, nunquam eas partes a Sole luſtrari, aut omni calore deſtitui. Ita enim nimia frigoris vis fuiſſet, & in regiones, quæ nunc temperatiores ſunt, latiùs ſeſe ſpargens, commodas hominum & animalium ſedes nimis coarctaſſet, quæ nunc ſunt laxiores. Eandem ob cauſſam etiam conſultum non fuit, latiùs diſtendi extremas Solis vias, quas Tropicos vocant. Plures enim terræ, quæ nunc temperatiores ſunt, nimio æſtu ferverent. Sufficiunt autem hominibus & recipiendis & alendis eæ regiones, quæ frigidiſſimis interjacent, ut ſine ſuo incommodo his carere poſſint; aut, ſi quod eſt incommodum, id alio longè majori commodo compenſetur. Videmus enim per tot ſecula nondum omnes, quæ habitari poſſunt, orbis regiones hominibus ita repletas eſſe, quin longè plures capere & alere poſſent. Quanta ergo Solis, ac facultatum ejus naturalium, illuminandi nimirum, calefaciendi, & in orbem perpetuò circumeundi, ſit utilitas, liquet. Non perſequor autem ea, quæ de motu ipſius a Philoſophis & Mathematicis ſubtiliùs diſputantur. Illa enim, quæ vulgò etiam nota ſunt, aut quorum veritas unicuique facilè poteſt innoteſcere, hîc afferre ſatis eſt. Sed non eſt tamen de utilitate Solis agentibus prætermittenda illa, quæ in vaporibus ex mari, fluminibus, aliiſque locis humidioribus, in aërem atrahendis cernitur. Ex illis enim nubes, ex his iterum pluviæ ac nives oriuntur; quæ quantopere ſint terræ humectandæ, ac fæcundandæ neceſſariæ, clarius eſt, quàm ut verbis res egeat. Poſſent & alia addi; ſed nolumus eſſe prolixiores. Nam & hæc alicui fuſiùs, quàm pro inſtituto noſtro, dicta videbuntur. Verùm ea præterire noluimus, quia ipſa ſacra ſcriptura Solis miraculum celebrat; vid. Pſal. 19. utpote quod valde manifeſtè opificem hujus univerſi ſapientiſſimum demonſtrat, atque aliis etiam nonnullis, quæ dicemus, lucem adferet.

Quod ad Lunæ utilitates attinet; nec eæ ſunt obſcuræ, & aliqua ex parte iis ſimiles, quas à Sole manare diximus. Etenim a Sole mutuata lumen ac calorem, veluti minor quidam Sol, ut Philoſophus ait *, efficitur, & ejus abſentis vicaria eſt. Nam & lumine noctis tenebras ita temperat, ut quieti tamen non reddat ineptas; & calore moderato inferiora ita fovet, ut nec ob diuturniorem Solis abſentiam, frigoriſque inclementiam, vim ſuam penitus amittant; & interea læto quodam humore ac ſucco repleantur. Notum enim eſt, eam humorum incrementum, tum in aliis rebus, tum in animalibus ac plantis parere. Itaque rerum generationi atque incremento efficacia ipſius eſt neceſſaria. Quod ne agricolæ quidem ac hortulani ignorare videntur, qui plantarum quarundam ſationem ad Lunæ curſum moderantur. Taceo eum fructum, qui Lunæ cum Sole communis, in univerſa hominum vita eſt maximus. Eſt autem temporum diſtinctio, quâ omnes populi uti queant, non ab arbitrio cujuſquam, ſed ab ipſa natura pendens; ac porrò non incerta, ſed certa, ſtata, ac perpetua. Quæ enim humanarum actionum ac negotiorum foret confuſio, ſi ejuſmodi temporum diſtinctio tolleretur? Tolleretur autem, ſi aſtrorum, inprimiſque Solis ac Lunæ curſus tolleretur. Ut non immeritò ſacræ noſtræ paginæ hunc etiam aſtrorum uſum commemorent, cùm de eorum in cœlis conſtitutione loquuntur Gen. 1. 14. Ad diſtinctionem enim temporum certam, certâ quoque rerum varietate ac mutatione opus eſt. Nam quod prorſus uniforme eſt, nihil diſtingvit. Mutatio autem omnis ſtata in aſtris eſt primùm, ab aſtris deinde in his infetioribus.

In hujus autem, uti & cæterarum utilitatum ſocietatem, etiam reliqua præter Solem & Lunam aſtra venire, facilè patet. Nam ad temporum diſtinctionem facere ortus atque occaſus ſtatos ſiderum, eorumque converſiones ac motus, non tantùm iis, qui in literis humanioribus aliquantulùm ſunt verſati, notum eſt, ſed & nautis atque agricolis peritioribus. Ii enim aſtrorum præcipuorum motus obſervant, & tum tempora ex eorum ratione diſtinguunt, tum operas quaſdam ſuas ad eam diſponunt, præſertim quia certam etiam eorum in rebus inferioribus vim ineſſe deprehenderunt. Idem multò magis Philoſophi longa temporum obſervatione didicerunt docueruntque. quanquam non pauci longiùs in eo progreſſi ſunt, quàm decuit. Conſentaneum autem, imò neceſſarium eſt, illa corpora, quæ ejuſdem ſunt generis, eandem etiam genere vim habere. Nam & ſuprà diximus ex Philoſopho, Naturale eſſe ſimiliter ſe habere in omnibus. Quare cum omnia aſtra ejuſdem ſint cum Sole & Luna generis; neceſſe eſt etiam eandem genere vim habere, & uſum rebus inferioribus præſtare ſimilem ei, quem duo illa aſtra præſtant; alia quidem majorem, alia minorem, prout ipſorum aſtrorum ratio ac conſtitutio naturalis ad illorum naturam propiùs accedit, aut ab ea longiùs recedit. Quæ enim ſtellæ vel luminis claritate, vel motûs ratione, vel magnitudine, aut terrarum propinquitate, duobus illis aſtris ſunt ſimiliores; virtute atque uſu etiam ſimiliores ſunt. Et ſanè lumen ab iis aliquod manare cernimus: à lumine verò calor ſejungi penitus non poteſt. His autem duabus rebus Sol ac Luna his inferioribus proſunt. Quare & cætera aſtra. Neque verò credibile eſt, tantam aſtrorum multitudinem ac varietatem otioſam eſſe, ſi & conſpirationem rerum ſuperiorum cum inferioribus amicam, & infinitam utrarumque multitudinem ac varietatem conſideraveris.

Aſtrorum utilitate viſa, haud difficile eſt & corporis illius cœleſtis, per quod, aut in quo feruntur aſtra, videre. Quòd ſi quis illud non agnoſcat, illi nihil eſt neceſſe ejus utilitatem monſtrare. Satis enim nobis eſt, eorum corporum monſtrare utilitatem, quæ in natura extare agnoſcuntur. Et ii quidem, qui cœlum vel ex una ſolida ſphæra conſtare aſſerunt, per cujus profunditatem circuli quidam ſolidi, aſtra vehentes, permeent; vel ex pluribus id ſphæris componunt; non poſſunt corporum iſtorum utilitatem non agnoſcere. Aſtris enim ferendis inſervient, & quidem ita, ne eorum ordo aliquando turbetur, aut penitus diſſolvatur. Qui verò per æthera purum ac liquidum aſtra ferri contendunt; ii itidem noſtram ſententiam confirmant. Siquidem corpore ſolido cœlum conſtare ideo negant: partim quia ad motum aſtrorum ſit inutile; partim quia quorundam ſaltem aſtrorum motui ſit futurum impedimento. Eo enim ipſo naturam ab inutili abhorrere oſtendunt. Ætheris autem illius duplex erit uſus: prior, ut motus aſtrorum locum habeat: ſiquidem, ut Peripateticorum ſcholæ placet, omnis motus aliquo nitatur immobili: niti autem non poſſent aſtra, ſi per inane volverentur. Poſterior eſt, ut vis aſtrorum, etiam ſupremorum, interventu corporis, ſive unius, ſive plurium, continua ſerie poſitorum, ad nos uſque perveniat. Corporum enim vis ad alia corpora, non niſi interveniente corpore intermedio deferri poteſt. Unde Ariſtoteles * ſcriptum alicubi reliquit, neceſſe fuiſſe mundum hunc inferiorem cum ſuperioribus lationibus (hoc eſt, cum corporibus cœleſtibus, quæ in orbem continuo motu feruntur) continuum quodammodo eſſe, ut omnis ipſius virtus inde gubernaretur.

Hinc jam etiam apparet, quæ corporis inter cœlum & terram interjecti, & qualitatum, quæ illi naturaliter inſunt, ſit utilitas. Perſpicuum enim eſt, ut lumen aſtrorum excipere, & nobis impertiri poſſit. Nam ſi opacum eſſet, aſtrorum nobis conſpectum eriperet, & lumen auferret. Liquidum autem, non ſolidum eſſe oportuit, ut corpora, quæ vel naturali, vel ſpontaneo motu per illud feruntur, ſecare id poſſent. alioquin illorum motus penitus impediretur. Liquidum verò illud, aëreum eſſe debuit, non aqueum;

* Ariſt. lib. 4. de Generat. Animal. c. ult.

* lib. 2. Meteor. cap. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut ea, quæ non niſi in aëre degere queunt, animalia, & naſci, & nata ſervari poſſent, non vero ab aquis ſuffocarentur, ſimiliter ne earum plantarum, quæ in aquis creſcere nequeunt, generatio impediretur. Caloris denique ac frigoris capax eſſe oportuit; quia hac utraque qualitate omnia, quæ vel ex terra, vel circa terram naſcuntur, indigent: capax tamen & humoris aquei, ſeu mavis vaporum; quia his ad humectandam terram, ad generàndas plantas, ad animalium denique nutritionem ac refocillationem eſt opus, quorum uſui & plantæ inſerviunt.

Hinc porrò facilè eſt oſtendere uſum terræ aquis magna ex parte denudatæ, fluminibus tamen ac fontibus irriguæ; ſimul & aquæ, partim terræ incumbentis, partim per illius venas diffuſæ. Nam ſolidum neceſſe fuit eſſe fundamentum rerum animatarum: quarum pars magna quia non niſi in ſicco aut creſcere, aut vivere apta eſt, ideo terram aquis denudatam oportuit. Earundem tamen cauſâ & fluminibus & fontibus irrigari, & pluviis deſuper cadentibus ſubinde humectari neceſſe fuit. Ita enim & potus animantibus, & cibus, qui ſine humore ex terra educi nequit, ſuppeditatur. Simul autem neceſſarium fuit Mare, fluviorum tum fons, tum receptaculum. Notum enim jam etiam vulgò eſt, è mari oriri fontes & aquarum ſcaturigines, quæ in rivos ac flumina collectæ, iterum in mare relabuntur, & in circulum redeuntes, perpetuam tum cæteris animantibus, tum homini præſtant utilitatem. Adde his, quòd & maria & flumina omnigenos alant piſces, & in uſus humanos ſuſtentent. Ut navigationis commoda, alióſque multiplices aquæ uſus prætercam, vulgò adeo notos, ut, cùm ob neceſſitatem ac magnitudinem digni ſint, qui commemorentur; ob id ipſum, quòd nimis ſint noti, commemorari non debeant.

Ex iis autem, quæ de fontium ex mari derivatorum origine diximus, patet, & ſubterraneos terræ meatus ac venas utilitate haudquaquam carere. Non carere & cætera, quæ in terræ gremio condita ſunt, tum metallorum, tum aliorum foſſilium, quæ thermarum quoque ſaluberrimarum cauſſæ ſunt, uſus quotidianus docet. Quin ne illæ quidem exhalationes ex terra erumpentes, quæ vel venti ſunt, vel ventorum cauſſæ, fructu carent, licèt poſtremum inter opera naturæ locum videantur obtinere. Partim enim mitigando æſtui; partim aëri purgando, & a putredine ac corruptione vindicando; partim impellendis ac differendis per orbem nubibus, imbrium materiam continentibus, aliarúmque rerum, ſive naturalium, ſive hominum ſolertiâ comparatarum, motui ſerviunt.

Jam ut ab inanimatis ad animata tranſeamus; hîc adhuc manifeſtiùs utilitatis apparet ratio. Nec mirum. Nam quantò longiùs a materia prima recedunt, & quantò plus, ut ita loquar, formæ ſunt adepta, tantò propiora ſunt fini, tantóque plus illis ineſt utilitatis. Quia enim materia prima utilitatem per ſeipſam non habet, ſed eatenus tantùm, quatenus formis ſubſervit: ideo quò quidque propius eſt materiæ primæ, tantò minus in eo cernitur utilitatis: quantò longiùs ab ea recedit, tantò major in eo apparet utilitas. Sunt autem corpora ſimplicia materiæ primæ propiora, & inanimata animatis. Itaque in illis minor apparet utilitas; niſi quatenus ad plures pervenit, & diutiùs durat; in his major. Et ſanè manifeſtè cernimus, ſimplicia mixtis, non hæc illis ſervire. Quia verò tanta occurrit & ipſarum rerum, & utilitatis, quam eæ præſtant, varietas; ideo nobis ſumma tantùm capita ſunt attingenda. Inter animata, ſi ab imis incipias, primùm occurrunt plantæ; quarum nomine & herbas, & frutices, & arbores, communi Scholarum uſu complectimur: omnia, inquam, terrâ naſcentia, & animâ, quam vegetativam vocant, prædita. Utilitatem, ad quam naturâ ſunt comparatæ, facilè perſpicere potes ex facultatibus animæ, quibus ſunt a natura inſtructæ. Facultas animæ vegetativæ duplex eſt, nutritiva, quæ eadem auctrix eſt, & generatrix. Priori facultate ſibi ipſis primò ſingulæ proſunt plantæ. ſi quidem ut vivere atque vigere poſſint, nutritione illis eſt opus; ut ad juſtam magnitudinem perveniant, etiam augmento. Poſteriori facultate totius generis propagationi ac perpetuitati ſerviunt; ne id pereuntibus individuis totum intereat, ſed aliis per generationem ſubſtitutis conſervetur. Hinc jam porró & partium, ex quibus plantæ conſtant, utilitas patet, ad quam ſunt a natura formatæ. Partim enim alimento attrahendo, partim digerendo ac diſtribuendo, partim fructibus ac ſeminibus, quibus genus propagetur, proferendis, partim aliis ſive partibus nobilioribus, ſive fructibus tegendis ſerviunt. Et ſic aliæ aliis, omnes toti, ſive individuo, ſive generi conſervando naturæ lege miniſtrant. Ex his verò alia iterum emergit utilitas, qua plantæ tum animalium, tum verò maximè hominis vitæ, qui rerum terrenarum omnium dominus eſt & finis quidam, ſerviunt. Nam & victum nobis atque animantibus præſtant plantæ, & medicinam: quædam etiam tegendo fovendóque corpori faciunt: quædam denique, præſertim grandiores, materiam ſuppeditant variorum inſtrumentorum, quorum in vita maximus eſt uſus.

Plantis proxima ſunt bruta, quæ ſupra vegetativæ animæ vim ſenſu quoque ſunt præditæ; cui & appetitus eſt additus, & facultas locomotiva, ſeu vis membra ciendi. In quem uſum animæ vegetativæ vis animalibus ſit data, ex iis, quæ de plantis diximus, intelligi poteſt. Senſuum autem utilitatem quis ignorare poteſt, niſi qui ſenſibus ipſe ſit deſtitutus? Appetitus eò prodeſt, ut ad jucunda, & tum ſibi, tum generis ſui propagationi utilia perſequenda, injucunda autem ac noxia fugienda incitetur animal. Facultas denique locomotiva, ut illa quidem reipſa perſequi atque aſſequi, hæc verò declinare atque evitare queat.

Unde jam porrò & ſingularum partium, quibus animalia conſtant, patet utilitas. Aliæ enim nutritioni natura ſua inſerviunt; aliæ generationi; aliæ ſenſibus; aliæ motui; quædam ſenſui ſimul & aliarum facultatum functionibus. Quòd ſi quæ fortè ſint, quæ illis functionibus proximè non inſerviant; famulantur tamen iis partibus, quarum opera ad functiones ſuas anima utitur. Quòd ſi ſingularum partium ſtructuram intueri placeat, videbimus eam ad utilitatem ſummo artificio comparatam. Illud enim jure affirmari poteſt, & ſitum, & magnitudinem, & figuram ſingularum partium ſive externam, ſive, quæ aliquibus ineſt, internam, & cæteras qualitates, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, raritatem, denſitatem, mollitiem, duritiem, & ſi quæ ſunt ſimiles, omnes utilitatem habere. Quod fatebitur, quiſquis doctorum virorum, qui his de rebus diſſerunt, libros adierit. Idem facilè cernes in varietate partium, quæ diverſis animantium generibus datæ ſunt, prout vel locis, vel victus ratione, vel aliis ſunt rebus inter ſe diſtincta. Terreſtribus enim pedes ſunt, aliis præterea alæ; aliis, quæ in aquis degere nata ſunt, pinnæ, aut alia membra natatui utilia; pulmones iis, quibus reſpiratione eſt opus; piſcibus eorum loco branchiæ. Addita ſunt animalibus arma, quamquam aliis alia, quibus hoſtem impetant atque abigant: ſimul & ſolertia indita iis utendi. Itaque videas, quædam recèns nata, arma ſua nullo dum experimento cognita noſſe, & vel fronte, vel aliis partibus, lædenti minari. Plurimis ſingularis contigit induſtria latibula quærendi, cavernas, in quibus habitent, aut cuniculos moliendi; aliis nidos tum ſuâ, tum prolis cauſſa extruendi; aliis mira cibos conficiendi, & cellulas ſibi extruendi ſolertia, ut apibus; aliis indefeſſa cibos congerendi diligentia, ut formicis; aliis aſtutia in fugiendo eludendoque hoſte; aut in præda capienda. Omiſimus eam providentiam, quòd lac illis datum eſt animalibus, quorum fœtus ſolido ſtatim cibo ali nequeunt; quod quidem alimentum tum demùm affluit, cùm ſoboles in lucem jam prodiit, aut mox eſt prodi-

tura,

tura. Simul autem tum ipſis matribus, tum ſoboli ea vis ineſt, ut & illæ lac præbere velint, & hæc ſugere, atque unde alimentum petere queant, nullo demonſtrante nôrint.

Et has quidem utilitates vel ſibi ipſis, vel generi ſuo præſtant animantes, earumque ſive facultates, ſive partes. Hominis autem, ut jam antè indicavimus, utilitati omnia ſerviunt. Nam primùm, quem plantæ præbent homini uſum, eundem genere & animalia eidem præſtant. Sed deinde quædam majoribus a natura viribus ac robore prædita, laborem homini minuunt. Nonnulla ut ut in cibis ipſa non ſint, cibum tamen gratiſſimum parant, ut apes. Alia etiam materiam veſtium pretioſiſſimarum, filis tenuiſſimis ductis, conficiunt. Et alia quidem pluribus ſimul rebus humano generi proſunt, alia paucioribus.

Nec refert, quòd quædam venenata ſint, quædam aliàs hominibus ſæpe noxia. Nam primùm, multa eorum utilitate damna compenſant, ſi accedat ſolertia atque induſtria, ad quam homines natura finxit. Quòd ſi in eam rem plures incumberent, in quam pro tanta hominum multitudine incumbunt pauci; non dubium eſt, quin plures eſſent reperturi multorum noxiorum etiam animalium utilitates. Nunc negligentiæ ſuæ pœnas humanum genus meritò luit. Nam quæ venenata ſunt, ſæpe medicamenta præbent utiliſſima; imò adverſus ſua venena remedium nonnunquam adferunt. Quædam artium quarundam operibus ſerviunt: quin & partes nonnulla habent non venenatas, adeò ut etiam in cibis ſint. Præterea etiam ſi homini per ſe ipſa non ſerviant; ſerviunt tamen aliorum animalium, quæ hominis naturæ ſunt amiciora, uſibus. Nam & beſtias admodum venenatas ab aliis animalibus ſine noxa ſumi, & in eorum alimentum converti videmus. Eorum autem animalium carnes (ut de aliarum partium uſu taceam) victum hominibus præbent. Itaque nihilominus ad hominem redit utilitas. Adde, quòd, cum homo naturâ ſit & virtutis & vitii, artis atque inertiæ capax; utile eſt, extare in rerum natura quædam, quæ partim virtutem ac patientiam ejus exerceant, ſimul & induſtriam ac prudentiam excitent; partim in peccati aut inertiæ pœnam cedant. Taceo, quòd cauſſæ, ex quibus venenata animalia, aut ipſa eorum venena proficiſcuntur, elementa nimirum, & caloris aut frigoris vis, infinitâ ſuâ, quam humano generi præbent, utilitate, hæc incommoda facilè compenſent. Poſtremò, etiamſi natura hominum utilitati non conſuluiſſet, cui eſt aliàs abunde ſatis proſpectum: utilitas tamen etiam in hujuſmodi animalibus cerneretur ea, quam partes toti, aut tota generis ſui propagationi præſtant.

Jam de utilitate earum, ſive facultatum, ſive partium, quas homini proprias natura dedit, quid opus eſt multa dicere? Quid enim ratione atque intellectu, quo ſupra cæteras animantes eminet homo, eſſe poteſt, vel ad utilitatem, vel ad jucunditatem uberius? Eo & aſſequi res in natura abſtruſiſſimas, & agere honeſtiſſima, & utiliſſima comparare, & conficere pulcherrima poteſt. Docet id ſcientiarum atque artium, tum ingenuarum, tum mechanicarum, infinita multitudo. At ſingularum quanta utilitas? quanta vel ipſarum, vel operum ab iis profectorum jucunditas? Intellectu homo omnes res terrenas in ſuam poteſtatem redigere, atque adeo omnia, quæ ſenſibus ſunt ſubjecta, in uſus ſuos poteſt convertere. Diſtinxit eundem hominem natura a brutis ſermonis facultate, cujus quanta ad ſocietatem humanam colendam vis ſit, vix ipſa, quæ eum præſtat uſum, lingua effari poteſt. Sermonis beneficio docemus alios ea, quæ magno labore, aut diuturno rerum uſu, ipſi vel invenimus, vel ab aliis inventa didicimus, eademque ad ſeram poſteritatem propagamus. Sine eo foret, intra paucos ſtaret ejus rei, quam quiſque didiciſſet, utilitas. Ejuſdem beneficio alios monemus; a vitiis dehortamur; ſalutaria illis conſilia præbemus; ſolamur mœſtos; dejectos erigimus; amicitias conciliamus; opem alienam nobis paramus; odia extinguimus; pœnas deprecamur. Diſtinxit natura hominem a brutis etiam corpore. Neque enim ad terram pronum finxit, &, ut illa, ad paſtum abjecit, ac ventri obnoxium finxit: ſed os ei ſublime dedit, cœlumque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Manus ei dedit, quæ inſtrumenta inſtrumentorum rectiſſimè dicuntur. Iis enim & parare ſibi, & apprehendere inſtrumenta neceſſaria poteſt; & eadem, cùm neceſſaria aut utilia eſſe deſinunt, deponere. Qua quidem parte natura eorum inſtrumentorum defectum, quibus alia animalia inſtruxit, abunde compenſavit; uti & indumentorum defectum. Omnia enim intellectus humanus manuum ope comparare poteſt. Et tantò quidem melius eſt, nullo eſſe naturali veſtimento tectum, nulli inſtrumentorum armorúmve generi veluti alligatum, quàm eo a natura inſtructum eſſe: quòd hoc pacto varia pro neceſſitate aut commoditate aſſumere, & cùm utilitas ceſſat, eadem rurſus deponere licet, ne ampliùs ſint oneri. Id quod in brutis non licet. Itaque nihil eſt, quòd, ut nonnulli faciunt, naturam hominum accuſes, & de miſeria, quâ infra cæteras animantes ſimus dejecti, conqueraris. Quin & illa ipſa, quæ in hominibus recèns natis apparet, imbecillitas & inopia, quanta in aliorum animalium ſobole non cernitur, utilitatem habet: & ne nimium noceat, alia ratione eſt proſpectum. Nam ea facit, ut parentibus liberi tantò magis concilientur, & ad eorum aliquando imbecillitatem atque inopiam viciſſim ſublevandam obligentur. Simul etiam, ut humanæ ſocietati, ac parendi officio ab ineunte ætate tantò magis adſveſcant, & porrò earum utilitatum, quas ſocietas, & obſequendi aliis voluntas hominum generi præſtat, tum ipſi fiant participes, tum alios reddant. Ne autem nimis noceat tanta eorum imbecillitas, ratio parentibus data, & ipſa hominum ſocietas, omni brutotum conjunctione perfectior, facit. Itaque cum cætera animalia, quòd ratione careant, tantâ ſolertiâ ſuæ ſoboli proſpicere nequeant; non ita imbecilla in lucem produci utile fuit, ne plæraque curâ parentum deficiente perirent. Nihil nunc dico de ſexus diſtinctione, quæ multis quidem animantibus communis eſt, nec utilitate caret; ſed cujus uſus in homine maximè apparet. Ita enim ſimul & conciliantur homines hominibus, & alio ſexu huic, alio illi muneri diligentiùs incumbente, atque in commune commoda ſua conferente, omnia rectiùs curantur. Atque ut videas, quantopere ab inutili natura abhorreat; in iis etiam, quæ viliſſima ſunt, ac propè ſuperflua videntur, utilitatem ea reperit. Quid vilius pilis? certè res in proverbium abiit, ut, quod viliſſimum eſt, ne pilo quidem dignum eſſe, vulgaribus quibuſdam linguis dicamus. Et tamen illorum quoque non exigua utilitas apparet iis in partibus, quas natura iis contexit. Nam quòd caput iis tegitur, utile eſt ad fovendum ac muniendum cerebrum, quod cæteroqui frigidum eſt ac humidum, ne nimiùm aut refrigeretur, aut incidentibus deſuper humoribus humectetur. Supercilia utilia ſunt ad ſudores arcendos, ne in oculos a fronte, è qua illi copioſiùs erumpere ſolent, influant. Cilia viſûs gratiâ ſunt data, ut per ea oculi radios ſuos ad rem objectam dirigant, & ad eam veluti colliment; &, ſi quid fortè oculis immineat, quod eos lædere poſſit, ciliorum contactu, ut ut ſenſûs per ſe expertium, deprehendatur, & oculis averſis vitetur. Genas quoque virorum utiliter veſtiunt pili, cùm ad pubertatem accedunt, & jam libidinis ſtimulis agitari incipiunt. Conſulitur enim hoc pacto pudicitiæ, ut ea re notato diſcretoque virili ſexu, vitari a fœmineo inſidiæ, & animadverti ab aliis fraudes, ac præverti tantò faciliùs poſſint. Unde & a pueris, in quibus minùs eſt periculi, ea diſtinctio abeſt. Taceo alia, in quibus natura pudori ac honeſtati, diſciplinæ, ordini publico privatoque proſpexit.

Cum ergo videamus, omnia naturâ ita eſſe comparata, ut aliquam præſtent utilitatem; annon manifeſtum eſt, omnia ejus utilitatis gratiâ extitiſſe, ſeu formata conſtructaque eſſe? Etenim, ut ſuprà quoque diximus, ſi negare audeas, ea utilitatis gratiâ exiſtere,

perinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perinde facies, ac ſi dixeris, infinitos eſſe cœcos, qui cum ſcopum nec ipſi videant, aut ferire cogitent, nec ad eum a quoquam alio dirigantur, ad eum tamen aptiſſimè colliment, & eum, niſi impediantur, ſemper attingant.

Cap. IV.

Pergitur in opifice hujus mundi demonſtrando, ut Deum eſſe intelligatur.

SAtis quidem hucuſque oſtendimus, aliquem eſſe hujus univerſi opificem, qui proinde ſupremum in omnia imperium habeat, atque adeò Deus ſit. Sed libet tamen aliam adhuc rationem addere, quâ idem probetur: idque ea maximè de cauſſa, ut Philoſophorum quorundam occurramus opinionibus, qui a ſapientia hîc longè deflexerunt. Ita ergo concludimus: Si mundus aliquando non extitit, neceſſe eſt eum ab opifice aliquo fuiſſe productum. Nam ut aliquando non fuerit, & poſtea tamen ſine ulla cauſſa efficiente extiterit, id unum eſt ex maximè impoſſibilibus. Fieri enim nihil poteſt, niſi ab eo, quod faciat. Fit autem, quicquid eſſe aliquando incipit. Itaque ſcholarum omnium conſenſu receptum illud eſt, quod ab Ariſtotele lib. 9. Metaph. tex. 19. fuit pronunciatum: Quicquid fit actu ex eo, quod potentia eſt, ab eo fit, quod actu eſt. Ab iis, qui mundi creationem oppugnant, id inter alia vel maximè urgeri conſuevit, quòd ex nihilo fieri nihil poſſit. Nempe quia quicquid fieri videmus, ex materia aliqua præcedente fiat. At ſi hæc ratio quicquam habet momenti; habebit & illa, quòd a nihilo fieri nihil poſſit, ſeu, quòd nihil poſſit fieri, niſi ab aliquo efficiente. Siquidem quicquid fieri videmus, ab aliquo efficiente fieri cernimus. Imò hoc poſterius priori illo propterea certius debet cenſeri, quòd effectionis ex nihilo aliqua ſaltem cernatur ſpecies. Quandoquidem varias rerum formas, quæ antea non extiterunt, videmus produci. Etſi verò illæ ſine materia vel ſubjecto aliquo non exiſtunt; ex materia tamen non fiunt. At quòd aliquid ſine ulla cauſſa efficiente fiat, ſeu eſſe incipiat, ejus rei ne umbra quidem apparet. Itaque etiamſi tandem conſtaret, creationem non niſi ex nihilo, quod negativum vocant, eſſe poſſe; non liceret tamen eo argumento adverſus mundi creationem niti. Nunc autem multò minùs, cum id creationis natura non exigat, ut nos ſuprà jam indicavimus, & alibi in hoc opere fuſiùs docebitur.

Ut igitur ad inſtitutum redeamus; certum eſſe debet, ſi mundus aliquando non extitit, eum a cauſſa efficiente fuiſſe productum. Quòd ſi quis nihilominus negare audeat, mundum hunc ab opifice aliquo conſtitutum, licèt aliquando non extiterit, quia caſu exiſtere potuerit; ex eo primùm quærere licebit, an viderit unquam, aliquid caſu factum eſſe, nec ne? Si nihil unquam caſu factum vidit, aut comperit; quî mundum, opus omnium pulcherrimum, caſu factum eſſe dicere audet? Si verò aliquid caſu factum eſſe vidit; ſimul etiam videre potuit ac debuit, id nihilominus a cauſſa aliqua efficiente factum eſſe. Etenim caſus * cauſſa eſt per accidens, in iis, quæ rarò ac præter intentionem agentis fiunt. Cauſſa verò per accidens ſemper nititur eâ, quæ per ſe eſt. Quemadmodum enim accidens omne nititur eo, quod per ſe eſt: (nam aliâs accidens non foret:) ita & cauſſa per accidens nititur eâ, quæ cauſſa per ſe eſt. Aliàs nullo modo cauſſa foret. Caſus verò nonniſi ad cauſſas efficientes refertur. Quòd ſi per exempla ire libet, facilè id erit oſtendere. Nam ſi lapis v. g. delapſus aliquem fortuitò vulneret; gravitas lapidis in cauſſa fuit, ut decideret. Eadem ſimul, & durities lapidis, aut acumen in cauſſa fuit, ut vulneraret. Eæ verò ſunt cauſſæ iſtorum effectuum per ſe, & cauſſæ quidem efficientes. Sed quia rarò fit, ut e fornice delapſus lapis aliquem vulneret, nec id ſpectabat lapis, quî ſpectare nil poteſt; ideo caſui id tribuitur. Sic ſi aliquo deambulante cœlum tonet, caſu id fieri dicitur: quia & rarò fit, & præter intentionem agentis. Sed utrinque tamen cauſſa hujus effectus aliqua eſt per ſe: illinc quidem conſilium ac voluntas deambulantis; hinc cauſſa naturalis, tonitru in nubibus excitans. Idem de cæteris omnibus judicandum eſt. Itaque & illi, qui mundum ex fortuito atomorum concurſu, ſomniantes, credo, potiùs quàm vigilantes extruxerunt, eo ipſo cauſſam mundi efficientem, licet ineptiſſimam poſuerunt, ipſum nimirum tumultuarium atomorum motum, &, quæ hujus iterum cauſſa fuit, eorum levitatem aut gravitatem. Sed deinde caſus ſemper cæcus eſt. Alioqui caſus non foret. Diximus enim, tum demum caſu aliquid fieri, cùm præter intentionem ejus, qui agit, quippiam accidit. Unde vulgò fortuna, quæ vel idem eſt, quod caſus, vel ſub caſu continetur, cæca dicitur pingiturque. At quopacto is, qui cæcus ipſe non ſit, cæco quodam impetu hoc univerſum conſtitiſſe, auſit aſſerere; in quo & pulcherrimum cernat ordinem, & conſtantiſſimum miniméque perturbatum ſiderum motum, atque ad vitam & ſalutem rerum inferiorum aptiſſimè compoſitum; conſenſum præterea rerum omnium ſingularem; ſtructuram tum plantarum, tum animalium adeò artificioſam, adeò ad uſum accommodatam, ut eam nec undiquaque perſcrutari, nec ſatis admirari humanum poſſit ingenium. Hæc ſanè ſi quis cæco ſive caſui, ſive neceſſitati tribuenda ſtatuat; dicam, cæcitatem omni & oculorum & mentis acie eſſe perſpicaciorem, hoc eſt, tenebras eſſe lucem, & lucem tenebras. Itaque ſi cui, præſertim de veritate admonito, ad tantam ejus lucem cæcutire placet; is ſuæ ſanè cæcitati, vel voluntariæ potiùs inſaniæ, quæ meritas ab eo pœnas exiget, relinquatur.

Nunc ad eos nos convertamus, qui ab omni æternitate hanc rerum univerſitatem extitiſſe volunt, qua in ſententia ſunt Peripatetici; quibus & hodie celeberrimos quoſdam Philoſophos, Ariſtoteli, quàm ſacris literis addictiores, non obſcurè videas adſtipulari. Horum ſententiam ſi refutaverimus, argumentum noſtrum paulò antè propoſitum penitus confirmabimus, & opificem aliquem eſſe hujus univerſi evincemus. Res verò ita patet: Si hoc univerſum ab æterno extitit, ab æterno etiam extiterunt homines & animalia, perpetuaque fuit eorum generatio. Hoc autem eſt impoſſibile. Prius & per ſe manifeſtum eſt, & apud eos, qui mundi æternitatem aſſerunt, probatione non indiget. Siquidem & humanum genus, & univerſæ plantarum atque animalium familiæ, non minùs ad hujus univerſi conſtitutionem pertinent, quàm aut aſtra, aut elementa; ne dicam magis. Siquidem corpora ſimplicia, ſaltem hoc modo digeſta, mixtorum animatorum ſunt gratiâ; aſtra quidem ut cauſſæ efficientes neceſſariæ, elementa ut materia. Quare etiamſi quis tandem cœlum tantùm atque aſtra, & elementa ita digeſta, ab æterno dicat extitiſſe, de rebus autem animatis vel dubitet, vel neget; eò tamen adigetur, ut de his quoque id fateri cogatur. Impoſſibile enim eſt, hanc mundi machinam innumeris ſeculis ſine ſuo caruiſſe, & Solem cæteroſque planetas ac ſtellas, fruſtra terrarum orbem undiquaque luſtrâſſe, & lumen illi ſuum ac calorem impertiiſſe. Quorſum enim id totum ſpectat, niſi ut plantarum, animalium, & denique hominum generatio perpetuò locum habeat, earumque rerum omnium vita conſervetur? Adde, quòd, ſi quis unâ cum aſtris atque elementis neget homines atque animalia extitiſſe, neceſſe habeat dicere, eos & præter naturæ ordinem, & non neceſſariò extitiſſe, id quod Peripateticorum ſententiæ prorſus adverſatur. Etenim quicquid naturali ordine fit, id neceſſe eſt infinito tempore aliquando factum eſſe. Sed quid dico, infinito tempore? cùm quicquid naturali ordine fit, neceſſe ſit fieri finito tempore, quanquam fortè longiſſimo. Siquidem ordo naturæ tempore definitus eſt, & in circulum ali-

quando

* vid. *Ariſt. lib. 2. Phyſ. c. 4, 5, 6.*

quando redit: cum motus omnium illorum corporum, unde univerſus naturæ ordo pendet, tempore ſit definitus. Quod ergo tempore finito, quanquam longiſſimo, non fit; id naturæ ordine fieri non poteſt, multò autem minùs, quod infinito tempore factum non eſt. Etenim in infinito tempore neceſſe eſt ordinem naturæ infinities in circulum redire: ac porrò neceſſe eſt, infinities id factum fuiſſe, quod ordine naturæ fieri potuit. Ideò rectè pronunciatur a viris doctis, omnem potentiam naturalem habere determinatum aliquod tempus, intra quod ea deducatur in actum. Atqui ſi ab æterno homines unà cum cæteris animalibus non extiterunt; neceſſe eſt, ut infinito tempore non fuerint generati. Nam ante quodlibet tempus certum ac finitum, præceſſiſſe oportet infinitum. Si enim finitum tantùm præceſſiſſet, jam id principio non caruiſſet; & ſic totum fuiſſet finitum. Nam ex finitis, licèt maximis, ſi numero ſint finita, non niſi finitum fit. Sed quicquid tandem dixeris; neceſſe eſt generis ſaltem humani atque animalium aliquem agnoſcere opificem ac conditorem, qui eos liberè produxerit, ſi ab æterno non extiterunt. Id quod nobis ad Dei exiſtentiam demonſtrandam ſatis eſt; & ſimul præcipuum, quo æternitas mundi Ariſtotelica nititur, fundamentum convellit. Etenim inde liquet, non neceſſariò, ſed contingenter homines atque animalia extitiſſe. Si enim neceſſariò extitiſſent, ſemper extitiſſent. Neceſſarium & ſemper, inquit Ariſtoteles 2. de Gener. & Corr. c. ult. t. 68. ſimul ſunt. Itaque quicquid neceſſarium eſt, nempe ſimpliciter, ſemper eſt, fuit, & erit. Quod ſi contingenter extiterunt homines atque animalia; vel conſilio alicujus extiterunt, vel ſine conſilio. Si conſilio alicujus; datur cauſſa hominum efficiens conſilio prædita, & liberè agens; ſiquidem non neceſſariò, ſed contingenter homines produxit. Hujuſmodi autem hominum cauſſam, ipſorum rectorem ſupremum, ſeu Deum eſſe, jam ſuprà docuimus. Si ſine alicujus conſilio homines atque animalia extiterunt; caſu extiterunt; ut ex ſuprà dictis apparet. Caſu autem non extitiſſe, & Peripateticorum ſchola, & nos unà cum illis, antea docuimus.

Id ergo nunc reſtat, ut demonſtremus, impoſſibile eſſe, ut homines atque animalia omnia ab æterno extiterint. Id autem ex eo patet, quòd in cauſſis hominum efficientibus, & quidem per ſe agentibus, daretur progreſſus in infinitum. Similiter & in cauſſis efficientibus eorum animalium, quæ non niſi ex ſemine generari conſtat. At in cauſſis per ſe progreſſum in infinitum, Ariſtoteles æternitatis mundi conditor, & omnes ejus ſectatores meritò rejiciunt ac refutant. Jam verò neceſſariò ſecuturum ejuſmodi progreſſum in infinitum in cauſſis per ſe, poſita æterna hominum atque animalium generatione, patet. Etenim cum homo non niſi ab homine naturaliter producatur; neceſſe eſt quemvis hominem habuiſſe infinitos majores, a quibus ortum duxerit. Si enim finiti numero fuiſſent; cum ſinguli etiam tempore finito extiterint; neceſſe eſſet, eorum ſeriem aliquando initium habuiſſe. At ponitur ea ſeries a parte antè (ut loquuntur) infinita, omnique principio carens. Idem ſtatuendum eſt de cæteris rebus animatis, quæ non niſi ex ſemine generantur. Viderunt hunc nodum nonnulli ex Peripateticorum ſchola viri * acutiſſimi, ideòque dixerunt, & libris publicè, ac cum privilegio editis, docuerunt, non neceſſariò hominem ex homine gigni, ſed poſſe, imò ſolere ex putredine fieri a calore ac motu Solis, in locis temperatiſſimis, quos in zona torrida, media aëris regione collocant. Generari enim & plantas, & animalia quædam ex putredine, calore Solis. Idem ergo fieri in homine. Naturale enim eſſe, ut ſimiliter fiat in omnibus. Et hanc quidem volunt eſſe veram cauſſam, a qua tum humani generis, tum cæterarum omnium rerum animatarum pendeat æternitas; non generationem ex ſemine. Hanc enim non neceſſariam eſſe, ſed contingentem. Æternitatem autem re contingente non niti. Sed cum huic illorum ſententiæ de generatione hominum ex putredine, ipſa rei experientia vehementer obſtaret; illud ſunt commenti, loca illa, ubi ea generatio peragatur, ob varia impedimenta cæteris hominibus eſſe quodammodo inacceſſa atque adeo incognita. Sed vaniſſimum eſſe hoc commentum liquet. Quî enim fieri poſſet, ut intra aliquot annorum millia, nec hominum ullus ad ea loca pervaſerit, nec ullus inde ad nos pervenerit? Nam quò hominum vel induſtria, vel audacia non eſt progreſſa? præſertim cum regiones orbis medii, in quibus illi hæc cœli miracula ponunt, fuerint ab hominibus dudum perluſtratæ ac cognitæ. Adde, quòd iidem fatentur, hominibus quocunque modo genitis, datam eſſe facultatem generandi ſibi ſimilia, ut multiplicati in terras dividerentur, ne eæ jacerent inertes ac ſine fructu. Nam aliàs cogerentur fateri, fruſtra datam eſſe hominibus facultatem generandi ſibi ſimilia; ſiquidem a cœlo generari potuerunt. Naturale enim eſt, ne per plura fiat, quod poteſt fieri per pauciora, ut & ipſi affirmant, & res loquitur. Quî ergo factum eſt, ut homines, qui illis in locis generantur, ſeſe in orbem non diffuderint? At animalia, inquiunt, quædam fiunt ex putredine a calore Solis. Ignobiliora quidem, atque adeò imperfectiora, videmus ita procreari: ſed nobiliſſima perfectiſſimaque nunquam vidimus; nec id Ariſtoteles auſus eſt aſſerere, ut ipſimet fatentur. Non ſequitur autem: ſi imperfectiora ita generantur, ergo & perfectiora; & denique homo, omnium animalium perfectiſſimus, & intellectu præditus. At naturale eſt, ut ſimiliter fiat in omnibus. Similiter quidem: ſed non eodem prorſus modo. Nam ut perfectione res differunt; ita & rerum primò producendarum aut generandarum modus aliqua ſaltem ratione differt; uti tum in plantis, tum in animalibus videmus. Nonnulla enim majori providentia, ut & generentur & ſerventur, egent. Itaque magna in illis parentum cura cernitur. Maximâ autem omnium eget homo. Itaque nos rationabiliùs ſtatuimus: quemadmodum aliarum quarundam & plantarum, & animantium cura delegata eſt homini intellectu prædito, ut earum propagationem ac ſalutem curet: ita hominis ipſius, tanquam nobiliſſimæ plantæ in hunc mundi agrum inſertionem ac curam, reſervatam eſſe alteri, quod omnem hominum intellectum ſuperat. Ita enim rectè ſervabitur naturæ ordo, & graduum quædam ſimilitudo ac proportio.

Sed præterea & illud obſtat hominum ab omni æternitate generationi ac ſucceſſioni, quòd primorum, qui artes ac ſcientias invenerint, auctorum nomina literarum monumentis conſignata ſint a viris doctis; priorum autem hominum, qui eaſdem tenuerint atque excoluerint, ne veſtigia quidem appareant. Impoſſibile autem eſt, ſi genus humanum ab æterno extitit, artes ac ſcientias, præſertim magis neceſſarias, ante pauca annorum millia, quibus eæ ſunt repertæ, vel non extitiſſe, vel cum aliquando extiterint, earum etiam memoriam penitus fuiſſe ſublatam. Quòd verò Peripatetici comminiſcuntur, eaſdem artes infinities & inventas, & rurſus ignorantiæ tenebris involutas fuiſſe; id mirum eſt, ſi cuiquam homini cordato perſuaderi poſſit. Et eſt id tantùm illorum, quibus decretum eſt theſin ita tueri, ut quicquid illi conſentaneum eſt, licèt abſurdum, admittant ac defendant. Etenim ſi in paucis artibus ac diſciplinis id contigiſſet, mirandum non eſſet. At nullius hominis nomen celebrari, qui ante hæc pauca annorum millia, quibus nos genus humanum extitiſſe volumus, eaſdem artes coluerit, id nullo modo eſt credibile, ſi ab infinitis ſeculis humanum genus extitit. Eadem ratio & regionum eſt, quarum aliquas olim incultas jacuiſſe, alias ne nunc quidem coli videmus. At ſi ab infinitis ſeculis genus humanum extitiſſet; quî fieri poſſet, non omnes jam pridem cultas, hominibuſque repletas eſſe?

* Andr. Cæſalpin: Profeſſor Acad: Piſanæ, poſtea Medicus Romanus Quæſt. Peripat. lib. 5. quæſt. 1.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Verùm ut hujus erroris etiam radices, unde is repullulare fortè poſſit, evellamus, & noſtra, quæ a fine rerum naturalium ſuperiùs duximus, argumenta adhuc magis confirmemus; libet eorundem Peripateticorum, quorum paulò antè mentionem fecimus, ſententiam confutare de modo, quo res omnes a primo ente dependeant. Ea enim ſi admitteretur, & rerum creatio in ſacris literis deſcripta, & primi entis arbitrium atque imperium, & providentia omnis, ac porrò omnis tolleretur religio. Eſt autem illa ex Ariſtotelis dictis ita concinnata, ut ipſius omnino eſſe videatur. Itaque tantò magis convellenda eſt, ne homines incauti, dum ejus Philoſophi, & quorundam ipſius ſectatorum acumen mirantur, & multa præclara eorum inventa diſcunt, impietatis ſimul venena hauriant. Statuunt enim illi *, Ens ſummum, quod unà nobiſcum Deum appellant, intellectum eſſe, non practicum, qui conſilio agat, aut præter ſe quippiam ſive conſideret, ſive efficere velit; ſed qui in ſeipſo tantùm contemplando perpetuò ſit occupatus; imò nil aliud ſit, quàm ſui ipſius contemplatio ſive intellectio. Itaque non quia is ita apud ſe decernat ac velit; ſed ipſo hac de re ne cogitante quidem, neceſſariò hoc univerſum ab ipſo manare. Modum verò ejus rei hunc eſſe volunt. Deum, inquiunt, finis ac boni rationem habere. Bonum autem omne deſiderabile eſſe, ſeu appetibile. Appetibili poſito neceſſariò poni etiam id, quod appetat. Id hoc loco eſſe materiam; quæ per ſe boni expers atque indiga, bonum atque adeò formam appetat. Formam enim in ſubſtantiis eandem cum fine eſſe. Ex hoc ergo materiæ appetitu formas pendere; & primò quidem eas, quæ in partibus hujus mundi perpetuis cernuntur, cœlo nimirum, & elementis totis. Variari autem earum rerum formas atque operationes, prout partes materiæ univerſæ, vel propiùs, vel longiùs a Deo abſint. Propiores enim nobiliorem ſortiri formam; remotiores ignobiliorem. Ab his iterum pendere varieratem formarum, quæ in mixtis cernatur. Materiam enim elementorum a cœleſtium corporum motu, calore, ac virtute variè præparatam, innato ſuo appetitu, quo in finem feratur, varias formas inducere; atque adeò participatione quadam divini illius entis, mixta perfectiora animam ſortiri, alia vegetativam tantùm, alia etiam ſenſitivam, alia denique rationalem. Cujus quidem ſententiæ abſurditatem ac vanitatem ut tantò rectiùs intelligamus; animadvertendum eſt, duplicem eſſe finem, ut ipſemet Ariſtoteles docuit. Alius ab eo dicitur finis *cujus*, alius *cui*. Finis *cujus*, eſt bonum, quod appetitur, ac paratur. Finis *cui*, eſt res vel ſubjectum aliquod, cui bonum aliquod paratur. Et cauſſa quidem efficiens, quæ conſilio agit, ſemper eſt aliqua ratione finis *cui* ſui effectus, licèt non ſemper ſola. Sæpè enim aliis quoque boni quippiam parat; & nonnunquam aliis magis, quàm ſibi. Veruntamen niſi aliquo modo etiam ſeſe reſpiceret, nunquam ad actionem accederet. Finis enim eam ad actionem movet. At non moveret, niſi aliqua ſaltem ratione ei allubeſceret. Nam ſuavitate quadam ſuâ finis movet, quicquid movet. Quare aliquam ſaltem jucunditatem id, quod conſilio agit, ſua ſibi actione comparare ſtudet. Et nos quidem hoc modo Deum, ut primam mundi efficientem cauſſam, ita & ultimum finem eſſe ſtatuimus. Sed ii, adverſus quos nunc diſputamus, Deum finem *cujus* eſſe volunt. Atqui finis *cujus* vel ſubſtantia prorſus non eſt, vel non eſt ſubſtantia prima, a qua cæterarum eſſentia pendeat, quemadmodum ipſi volunt. Nam finis *cujus*, vel actio eſt, vel quippiam actione productum ſive effectum. Quòd ſi interdum id videatur eſſe finis, cujus gratiâ quippiam ſuſcipitur, quod & ſubſtantia ſit, & jam reipſa exiſtat; ut ſi quis auri argentive gratiâ quippiam faciat; non ipſa revera ſubſtantia, ſed illius acquiſitio, & multò magis uſus, qui in actione conſiſtit, finis eſt. Adeò ut finis ultimus neceſſariò ſit actio aliqua, aut actionis conſequens. Quamquam quid multis hîc opus? cum illi homines eum, de quo agimus, finem, putent eſſe ipſam intellectionem. Atqui actio nulla ſubſtantia eſt: quia per ſe non ſubſiſtit. Et opus omne ab agente pendet. Non ergo finis prima eſt ſubſtantia, & cæterarum omnium cauſſa. Sed deinde, quomodo ab hoc fine, quem intellectionem eſſe volunt, pendent omnia? Quia appetibile eſt, inquiunt, ideò neceſſariò eſt & id, quod appetit. Si appetibile pro eo ſumunt, quod appeti poteſt; falſum eſt, appetibili poſito, neceſſariò poni id, quod appetat. Poteſt enim extare bonum, quod appeti poſſit, reipſa tamen a nemine appetatur. Quemadmodum & res viſibilis eſſe poteſt, quæ a nemine tamen actu ipſo videatur. Præterea quicquid appetit, id jam eſſe neceſſe eſt. Non entis nulla eſt affectio, nulla nec actio, nec paſſio. Si ergo materia appetit finem; ab appetitu finis ipſa non poteſt proficiſci. Duæ igitur ſubſtantiæ ponentur, quarum una ab altera non pendeat; nempe appetibile, quod illi Deum vocant, & appetens, quod materiam. Atqui illi etiam materiam primam a Deo pendere volunt; & abſurdiſſimum eſſe judicant, duas in hoc univerſo ſubſtantias primas ponere: ut certè abſurdum eſt, ſi earum neutra conſilio eſt prædita, ut poſſit alteram ſibi pro arbitrio ſubjicere, & eâ ad opera ſua uti. Ampliùs: quomodo materia appetit illam intellectionem? Num fortè ipſa quoque cupit intelligere? Non videntur admodum ab ea ſententia homines illi abhorrere. Intelligentiam enim æternam materiæ apponunt. Quod quàm nugatorium ſit, inde apparet, quòd hoc pacto omnia materiata intelligerent. Adhæc; appetat materia iſtam intellectionem. Quid hoc ad formas materiales aſtrorum, & elementorum, quas ex hoc materiæ appetitu volunt pendere? Propter finem enim id tantum appetitur, ſine quo finis vel planè non poteſt, vel commodè non poteſt obtineri. Formæ autem materiales rerum inanimatarum ad intellectionem nihil prorſus conducunt. Præterea, ſi formæ illæ materiales ex materiæ appetitu pendent; neceſſe eſt eas a materia appeti. At quî poſſunt; cùm nec ipſa eas per ſe cognoſcat, nec intellectio illa, unde pendere dicitur. Intellectio enim illa ex iſtorum ſententia nihil præter ſeipſam cognoſcit, materialia percipere non poteſt. Quòd ſi intellectio illa formas materiales non cognoſcit, nec materia cognoſcet: cùm ea nihil per ſeipſam cognoſcat. Si quid cognoſceret, cognoſceret ideo, quia intellectio ipſi appoſita per ſe cognoſceret. Hanc autem materialia non cognoſcere viſum eſt. Atqui quicquid appetitur neceſſe eſt cognitum eſſe vel ab eo ipſo, quod appetit, vel ab eo, quod illi appetitum hunc inſeruit, & a quo ipſius eſſentia pendet. Ignoti enim prorſus, nulla eſt cupido. Accedit, quòd dependentia rerum ex fine ejuſmodi eſt, ut prius illud ſit, quod fini eſt propius; ultimum illud, quod ab eo remotiſſimum. Jam verò formæ, que materiæ inſunt, propiores ſunt fini ultimo, quam materia. Unde, ut ſuprà ex ſententia Philoſophi * diximus, quò quidque propius eſt materiæ, tantò ei minus ineſt pulchri ac boni. Quî ergo factum, ut a fine primò omnium effluxerit materia, quæ ab eo eſt remotiſſima? & non priùs formæ materiales, fini propiores? Unde iſte ſaltus? An non res ipſa docet, cum formæ materiales ſine materia exiſtere non potuerint, materiam, tanquam ſubjectum, primò exiſtere debuiſſe, tum demum formas? At hic progreſſus non eſt mediorum ex fine, tanquam ex cauſſa, ſed ad finem, tanquam ad effectum: qui progreſſus non eſt niſi cauſſæ efficientis. Quod illi ipſi docent, cum quibus diſputamus.

Sed nondum finis. Veniendum enim eſt ad formarum materialium a primo ente dependentium varietatem. Unde illa? Intellectio ſui ipſius unum quippiam eſt atque indiviſibile, nullam varietatem, ne

* Vid. Andreæ. Cæſalpini Quæſt. Peripatet. lib. 2. quæſt. 1. & ſeqq. ſparſim. adde quæſt. ult. lib. 1. & Inveſtigat. Dæmon Peripatet. cap. 2. & d. confer. Ariſt. lib. 12. Metaphyſ. cap. 7. & ſeqq.

* Vid. lib. 4. Meteor. cap. ult.

cogi-

cogitationis quidem, admittens, quemadmodum illi docent, & res ipſa demonſtrat. Materia ſimiliter per ſe uniuſmodi eſt. Unum autem in uno, non niſi unum facit. Unde ergo tanta formarum in eadem materia varietas? Ajunt ergo illi, ut antea vidimus, ex diverſitate materiæ ſecundùm locum, ſeu ex propinquitate, aut diſtantia ab illa intellectione, quam Deum vocant, formarum pendere diverſitatem. Intellectionem autem illam in ſummo collocant. Huic ergo proximum eſſe cœlum; quod propterea nobiliſſimam inter partes hujus mundi formam ſit adeptum, & motum celerrimum ac perpetuum, qui vitæ ſit inſtar. Huic, ut loco, ita & formæ præſtantiâ proximum eſſe ignem. Huic iterum proximum aërem; huic aquam; huic denique terram, quæ veluti fex univerſi in imo ſubſidat. Non diſputabimus hîc de nonnullis, quæ hîc ponuntur, licet à doctis quibuſdam viris in dubium vocentur, aut prorſus etiam falſa judicentur. Habeant ſe nunc illa ita, ut poſitum eſt. Nihilominus tamen non uno modo falſitatis ſententia iſta convincetur. Primùm iſti intellectioni, quam Deum appellant, ſupremum locum, ſeu tu mavis *ubi* appellare, per ſe attribuunt. Atqui intellectioni nullus per ſe locus attribui poteſt. Locus enim per ſe non niſi ſubſtantiæ alicujus eſt, ſeu rei per ſe ſubſiſtentis; tum demum actionum aliarumque rerum, quæ non niſi in ſubſtantiis ſubſiſtunt. Intellectio autem res non eſt per ſe ſubſiſtens, ſed actio. Deinde ſi ob ſolam propinquitatem aut longinquitatem materiæ ab illa intellectione, variant formæ partium hujus mundi; neceſſe eſt à ſupremo cœlo uſque ad centrum terræ infinitum eſſe formarum diſcrimen, & ſuperiores ſemper eſſe præſtantiores inferioribus. Atqui & cœlum, aut æther, qui immenſæ eſt profunditatis, uniformis eſt; & ſphæræ elementorum ab illis conſtitutæ craſſiſſimæ ſunt, & tamen uniformes. Quæ igitur cauſſa eſt, ut cum per innumera propè cœli milliaria, una ætherei aut cœleſtis corporis (de aſtris poſtea dicemus) forma ſit; poſtmodum demum ſequantur aliæ? cur intra exiguum ſpatium maxima eſt formæ differentia, cum in maximo fuerit aut nulla, aut exigua? qui fit, quòd aër, cujus vel uſque ad cœlum, vel uſque ad ſphæram ignis ab illis conſtitutam, magna eſt profunditas, non ſubinde aliâ atque aliâ formâ appareat? Præterea cur æquè propinqua eſt terra cœlo, imò propinquior multis locis, quàm aqua, ſuprà quam & littora, & montes eminent? Atqui contrà debebat fieri; cùm aqua præſtantiorem ſit formam adepta.

Quo quidem loco non poſſum non facere, quin aliquantò pluribus hoc divinæ providentiæ opus perſequar, quod in digeſtione infimorum duorum elementorum præcipuè cernitur. Quia & Peripateticorum, & cæterorum omnium, qui creationem hujus mundi negant, ſententias apertiſſimè convellit. Id verò eſt, quòd terra non tota eſt aquis circumfuſa, ſed magna ejus pars aquis eminens, commodiſſimam hominibus & cæteris animalibus ſedem, ac natale plantis ſolum præbet: Oceanus autem certis limitibus circum ſcriptus, non inundat terras; ſed per ſubterraneas venas ex imo in altum aſcendens aqua, ſeſe in omnes, quæ habitantur, terræ partes diffundit. Etenim cum terra gravior ſit aquâ; unde, quæ admodum ſunt terrea, in aquis protinus ſubmerguntur; debuiſſet tota terra infrà aquas ſubſidere, aqua autem tanquam levior illi ſupernatare. Quæ enim ratio eſt partis terræ ad partem aquæ, eadem eſt ratio totius ad totum: cum tota ſint ſimilaria. Ut ergo pars terræ gravior eſt parte aquæ ejuſdem molis, & infrà eam ſubſidit, eique incumbens illam dividit, atque ad latera pellit: ita & tota moles terræ deberet toti aquæ moli ſuccumbere, hæc autem illi undique innatare. Et hanc quidem ob cauſſam Peripatetici, cum partibus hujus machinæ mundanæ loca ſua diſtribuunt, ſphæram cæleſtem, ſeu tu mavis ſphæras dicere, complecti ajunt ſphæram ignis; hanc rurſus aëris; hanc aquæ; hujus iterum ſphæram terræ globum. Quæ ergo cauſſa eſt, cur tanta terrarum ſpatia ſuprà aquas emineant? Quæ cauſſa, cur alibi tantos hiatus terra aperuerit, ut vaſti Oceani aquas complecteretur? Cur iſtic haud paulò depreſſior eſt (nam in declive currunt flumina, ex altiſſimis ſæpe montibus orta, & fundus maris multis locis deprehendi non poteſt) illic adeò eminet? cur itidem alibi laxa eſt, & meatus aquæ, ſeſe iterum in varias terrarum partes diffundenti, atque in altum enitenti præbet? Si ad aſtra cauſſam referas, fruſtra es. Quandoquidem inter illas etiam globi terreſtris partes tantum diſcrimen apparet, quæ æqualiter ab aſtris diſtant, & eodem modo ab illis luſtrantur: ut quæ in eodem climate ſitæ ſunt. Eadem enim cauſſa eodem ſe modo habens, idem ubique deberet efficere. Si ad materiam hæc referre velis, itidem fruſtra es. Neque enim hæc materiæ ſunt naturalia, ſed ab ea ſeparabilia. Nam non minùs vel terra, vel aqua *, vel corpus eſt, vel quicquid materiam eſſe velis, ſive inferiori, ſivè ſuperiori ponatur loco. Et raritas ac denſitas partium terræ, haudquaquam illi naturalis eſt. Ob hanc autem, ut illi † docent, contra quos hîc inprimis diſputamus, fit, ut partim alterum terræ hemiſphærium ad occaſum, in quo vaſtitas Oceani Atlantici patet, ſit depreſſius, alterum magis extuberet: partim etiam ad ſeptentrionem apud Scythas aliquantò altior ſit terra, quàm ad meridiem, ubi itidem Oceanus. Illud certum eſt, ob laxitatem aut denſitatem terræ, hîc venas ejus aperiri, & tranſitum aquæ dari, illic negari. Præterea ſi materia hîc in cauſſa eſt; cur in hac parte magis, quàm in illa? Materia enim per ſe ubique ſibi ſimilis eſt. An non manifeſtiſſimè patet, efficiens aliquod, & quidem liberrimum eſſe, quod ad generationem ac ſalutem animantium, maximè hominum, aquas à magna terrarum parte abire juſſerit, inque certos terræ ſinus collegerit: interim tamen partim per venas terræ aquas in altum eniti, & in varias illius partes derivari; partim à Sole atque aſtris è mari, fluminibus, lociſque udis in aërem elevatas, in terras decidere voluerit. Qui id admonitus non agnoſcit, indignus eſt, cum quo diſputetur. Ex quibus (ut hoc quoque velut in tranſitu addamus) apparet, rationi prorſus eſſe conſentaneum, quod ſacræ literæ aſſerunt, antequam hic mundus, omnibus ejus partibus digeſtis, conſtrueretur, terris undique profunditatem aquarum incubuiſſe Gen. 1. 2, 6, 9, 10, quæ poſtmodum à magna illarum parte ſecedere juſſæ, & omnipotente Dei vi pulſæ, illinc aridam reliquerint, quæ terra inſignitè dicitur, hinc mare conſtituerint. Et ſummo jure moneri homines, ut adorent eum, qui fecerit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum Apoc. 14. 7.

Sed redeamus ad eos, quorum ſententiam refutare antea cœperamus, de prima varietatis formarum, quæ in partibus hujus mundi perpetuis cernitur, origine. Quanquam in his & cæteri, qui vel ſimplici neceſſitati, vel caſui hujus univerſi ſtructuram imputant, inventuri ſint, quod eorum errorem convincat. Nihil dum enim diximus de aſtris, eorumque tum poſitu, tum motu. Uterque autem Peripateticorum ſententiam apertiſſimè refellit. Nam cur, quæſo, Sol planetarum ſplendidiſſimus, & cæterorum dux ab illis non immeritò appellatus, in cæli medio conſiſtit? cur non in ſummo? Præſtantiſſimum enim aſtrum Deo eſſe debebat proximum. Deinde cur in eadem à ſummo cœlo diſtantia, in diverſis ejus partibus hîc ſtellæ ſunt, illic nullæ; hîc majores, illic minores; hîc lucidiores, illic obſcuriores? quæ hujus diverſitatis ratio? Adde, quòd Deum ex Peripateticorum ſententia non niſi in uno eoque indiviſibili cœli loco exiſtere neceſſe eſt. Quantitate enim caret omni: nec totus poteſt eſſe in pluribus ſimul locis. Aliàs enim totus ubique eſſet; & ſic omnia illi æque eſſent propinqua; ac porrò ex iſtorum ſententia, omnia eandem haberent formam.

* lib. 2. de Gener. & Corr. c. ult. t. 68.
† Cæſalp. Quæſt. Peripat. lib. 9. quæſt. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quòd ſi in uno tantùm ſupremi cœli loco conſiſtit; eædem cæleſtis materiæ partes, eademque aſtra nunc illi maximè ſunt vicina, nunc, cùm in adverſam partem atque è diametro oppoſitam quotidie diſcedunt, longiſſimè ab eo diſcedunt. Itaque neceſſe erit illa ſubinde formam mutare, & nunc præſtantiſſimam habere, nunc omnium deterrimam: illam, cùm maximè ſunt Deo vicina; hanc, cùm ab eo remotiſſima. Intermedio tempore, medio etiam ſe modo habebunt, pro vicinitatis aut diſtantiæ ratione. Qua de re plura dici poſſent, niſi alia adhuc reſtarent abſurda, quæ ex iſtorum ſententia manant. Etenim omnem ea motum tollit cœli & aſtrorum, ac porrò omnia, quæ ab eo pendent. Quæ enim cauſſa eſt, cur aſtra aut quæcunque pars cœli, Deo maximè propinqua, velit ab eo diſcedere? Finis, ſi quid movet, ad ſe trahit, non à ſe pellit. Deinde quam cauſſam illi afferre poſſunt, cur ab oriente in occidentem potiùs moveatur cœlum, quàm contrà? aut planetæ contrà ab occidente in orientem? Nam in Deo, ſi iſtorum hominum ſententiam ſpectes, nulla ejus diverſitatis cauſſa eſt. Siquidem in eo nec dextrum, nec ſiniſtrum eſt, nec impetus ullus ad hoc potiùs latus, quàm ad illud; voluntas extra ſe agendi nulla, multò minùs arbitraria ac libera, qualis hîc requiritur. Nam cum per ſe nihil interſit, ſive in hanc, ſive in illam partem primus cœli motus tendat; non niſi arbitrium, ſeu voluntatis libertas efficere poteſt, ut in hanc, non in illam partem flectatur. Libertatem autem voluntatis omnem Deo ſuo Peripatetici abſtulerunt. Ex quo apparet, nec in materia eſſe ejus rei cauſſam. Nam appetitus illi in hanc potiùs partem, quàm in illam, non ineſt, niſi propter finem & intellectum. Ille autem non magis hoc, quàm illud requirit. Similiter autem nec illius rationem reddere homines iſti poſſunt, cur non potiùs, ubi nunc ſeptentrio eſt ac meridies, aut intra hæc ſpatia alicubi, oriens ſit & occidens. Nam in ſphæra omnia ſimiliter ſe habent; & tam potuiſſet cœlum ab ea parte moveri, ubi nunc meridies eſt, aut ſeptentrio, quàm ab oriente aut occidente. Similis eſt & aliarum partium ſphæræ cœleſtis ratio. Denique cur tam inæquabili motu feruntur planetæ? cur iidem, cùm unà cum cœlo ſeu primo mobili quotidie circumvolvantur, proprio tamen motu in contrarium tendunt? Notum enim vulgò eſt, ex communi tum Ptolemæi, tum Ariſtotelis aſſeclarum ſententia, Planetas quidem unà cum toto cœlo quotidie ab ortu in occaſum moveri, atque ita in ortum per adverſam partem redire: interea tamen proprio atque obliquo motu ab occaſu in ortum paulatim tendere. Unde illa motûs, non tantùm inæqualitas, ſed & contrarietas? Finis enim, qui cœlum & aſtra movet, prorſus uniformis eſt; ſimiliter & materia, quæ per ſe illam tantùm differentiam ſecundùm partes ſortitur, quòd earum alia ſit Deo propior, alia ab eo remotior. Propinquitas autem aut longinquitas illa, inæquabiles motus efficere non poteſt; multò minùs ſibi invicem contrarios. Cum ergo tanta ſit motus inæqualitas, ac denique contrarietas; quid eſt, quod eam effecit, præter conſilium atque arbitrium ejus, qui generationi ac conſervationi plantarum atque animalium hac in re conſuluit?

Sed nimirum iſtorum hominum ſententia, ſi rectè expendatur, omnem illam providentiam tollit, quæ in rerum animatarum generatione ac conſervatione cernitur. Etenim ſi primum illud ens in ſeipſo tantùm contemplando occupatum, ut alia etiam exiſtant, nec cogitat, nec curat; materiæ autem pars quælibet nil deſiderat aliud, quàm ut primi illius entis, quantùm licet, fiat particeps, & de ſeipſa tantùm perficienda laborat: quî factum, ut perpetuæ rerum animatarum generationi ita fuerit proſpectum? Cur aſtra in cœlis conſtituta? cur illis lumen, cur calefaciendi, & propemodum animandi vis illis conceſſa? cur motus ille obliquus planetis datus, quo fit, ut vim terris omnibus ſalutarem impertiantur, & nullam ſuo beneficio defraudent? Num fortè ſibi ipſis ſingula lucent aſtra, aut ſeipſa calefaciunt? At ſuum tantùm deſiderium cupiunt implere, & ſuum quærunt bonum. Quî verò obliquus planetis ſub Zodiaco curſus ita placet, ut malint tranſverſum, quàm rectum iter ſequi? cur malunt cœlo contraniti, quàm obſequi? Aut cur omnino cœlum rotatur? Diſcurrere illi placet, & imitari intellectionem ſui ipſius, quæ Deus eſt? Nugæ. Nónne vel cœcis patet, hæc inferiorum gratiâ inſtituta eſſe? At finis ille non actu, atque naturâ anteceſſit aſtra, ut ex eo aſtra pendere poſſent. Siquidem perpetua rerum generatio ab ipſis aſtris, tanquam à cauſſis efficientibus pendet, eſtque his actu poſterior. Non poteſt autem prius à poſteriori pendere. Reſtat ergo, ut intentione, quemadmodum loquuntur, prior fuerit. At quis illum finem intendit? Deus ille Ariſtotelicus, à quo tamen aſtra pendere volunt, de eo non cogitavit. Reliquum ergo eſt, ut alio modo à primo ente aſtra ac cætera omnia pendeant; quàm ut à fine: & Deus ſit agens practicum, quod nimirum certo conſilio ac fine, quem ſibi proponat, alia extra ſe producat entia.

Idem & alia probant, quæ ad conſervationem rerum animatarum ſpectant. Cur enim, quæſo, plantæ perpetuò naſcuntur, fructus proferunt, & animalibus atque hominibus alimenta præbent, aliiſque eorundem uſibus ſerviunt? Hîc verò illi apertè ajunt, non ideo plantas creſcere aut fructus proferre, ut animalibus proſint: ſed quamque rem creſcere ſui, generiſque ſui gratiâ. Per accidens ergo fieri, quòd vel nos animalibus, eorumque partibus, vel animalia unà nobiſcum fruantur plantis. Et illud quidem certum eſt, ipſam plantarum naturam, aut animalium, non id ſpectare, ut ea nobis proſint: ſed earum rerum autorem id ſpectaſſe, adeò affirmamus, ut id ex ipſa rerum natura cerni poſſe aſſeramus. Et quatuor potiſſimùm ſunt, quæ id oſtendant. Primùm, quia ſi id per accidens fit, & præter intentionem ejus, unde plantæ pendent; caſu fit, vel cœcâ quadam neceſſitate. At caſu non fit: quia perpetuò fit. Caſus autem, ut ipſe docet Ariſtoteles, in illis tantùm locum habet, quæ raro fiunt. Sed nec cœca neceſſitate fit. Quî enim cœcitas tam oculata nihilominus fuit, ut cùm innumera ſint animalium genera, & diverſo victus utantur genere; nulli non accommodatum præbuerit victum, plantis inprimis, aut aliis animalium generibus conſtantem? Deinde quia omnia naturæ opera, Peripateticis urgentibus, bonum aliquod ſpectant. Quid autem ipſæ plantæ inde conſequuntur boni, quòd creſcunt, quòd fructus proferunt, quòd genus ſuum propagant? Non certè magis ad illas quicquam inde redundat boni, quàm ad lapidem ex eo, quòd extet. Cùm enim ſe eſſe non ſentiat; perinde illi eſt, ſive ſit, ſive non ſit. Similis autem ratio & plantarum eſt: cum non magis ſentiant, quàm lapides. Omnis revera boni in perceptione ac perfruitione conſiſtit ratio; conſequenter tantùm in illis, quæ perfruitionis gratiâ fiunt. Cur ergo non cenſeamus animalium potiùs, quàm ſui gratiâ plantas creſcere ac propagari? cùm animalia tantùm, quicquid in plantis boni eſt, percipiant ac ſentiant; plantæ ipſæ nihil. Præterea videmus, plantas quaſdam tantam ſeminum ac fructuum vim proferre, ut vel maximam eorum copiam inutiliter perire neceſſe ſit, vel, ſi omnia ad generis ſui propagationem converti debeant, neceſſe tandem ſit, univerſam terram à paucis plantarum generibus occupari, cæteris, quarum infinitus eſt numerus, excluſis. At ne iſti quidem credunt, vel fruſtra illa à natura produci, vel in eum finem, ut paucæ tantùm plantæ terram occupent, ſed ut omnia plantarum genera locum habeant. Eadem autem ratio & in animalibus locum habet, quorum tantus ſubinde ſurgit numerus, ut cætera, & ſæpè quidem nobiliora, conſumtura videantur, niſi ab aliis ipſa conſumerentur. Denique ſi plantæ animalium gratiâ non creſcunt; vel aliud plantarum, aliud animalium erit ponendum principium; vel ſummæ ſtultitiæ natura erit accuſanda, in qua tot immenſæ ſapientiæ cer-

cernuntur argumenta. Etenim cùm animalibus daret eas partes, quibus cibos ſibi aptos eligerent, ſumerent, conficerent, digererent, inque ſui nutrimentum converterent; vel ſimul etiam curavit, ut cibos ſibi accommodatos haberent; vel eos aliunde jam extare, aut extituros novit; vel denique nec curavit ut haberent, nec eos extituros novit. Si primum; cum animalium innumera vel plantis tantùm, vel aliis iterum animalibus nutriantur; neceſſe eſt, ut plantæ animalium gratiâ extiterint: id quod nos volumus. Si ſecundum; neceſſe eſt, ut alius plantarum, alius animalium autor fuerit: quod nec nos, nec illi volunt. Si tertium; neceſſe eſt, ut maximè improvida atque adeò ſtultiſſima fuerit natura, vel potiùs (quod horret animus dicere) illius autor, qui inſtrumenta dederit animalibus ad cibos ſumendos, conficiendos, ac digerendos, cùm nec curaret, ut ea cibos ſibi accommodatos haberent, nec eos aliunde extare, aut unquam extituros, noſſet. Caſu tantùm, ſed nimiùm felici, in tantam alimentorum copiam incidiſſent animalium dentes. Similis autem ratio foret hominis, cui fruſtra data eſſet tanta ſolertia atque ingenium varia ſibi vitæ parandi ſubſidia, niſi is, qui eum produxit, eorum ipſi materiam paraſſet. Materiam autem vel maximè plantæ præbent atque animalia.

Quod de plantis hucuſque diximus reſpectu animalium; idem etiam dicendum eſt de ſingulis ſive plantarum ſive animalium individuis reſpectu ſui generis; & maximè de iis animalibus, in quibus ſexus eſt diſtinctus, & utriuſque conjunctio ad generationem eſt neceſſaria. Nam ſi quælibet materiæ pars id tantùm agit, ut perfectionem ſuam conſequatur, eamque retineat, quàm poteſt diutiſſimè; quid de alterius individui productione laborat? imò illam averſari etiam deberet. Quia vigorem illa ſuum diutiùs retinere ſolent, quæ non generant, quàm quæ generant, cæteris paribus. Eſtque res in animalibus, atque in ipſo homine ſatis nota. Deinde quid hæc materiæ pars novit, eſſe aut fore aliquam aliam materiæ partem, quæ ejuſdem generis formam, quam ipſa habeat, recipere poſſit? Cur ergo, ut forma eadem in alia materia propagetur, laborat? Quî item novit materia ea, ex qua mas fit, eſſe aut fore alibi fœminam, quicum junctus ſobolem procreare poſſit? aut contrà, quî ea materia, quæ in fœminam abit, novit, alibi marem eſſe, aut forè? Similiter quî hæc materiæ pars novit, fore alibi hominem alium, cum quo poſſis ſermones conferre, amicitiam ac ſocietatem colere? cur ergo loquendi facultatem appetiit? cur ad ſocietatem aſpiravit? Hæc omnia ſanè non caſu, ſed finis gratiâ fieri cernunt illi, quibuſcum diſputamus; & inſanirent, ni faterentur. Quis iſta ergo providit? quis hunc finem ſibi propoſuit? ſi illorum hominum ſententiam ſpectes, nemo. Iſte enim illorum hominum Deus, qui nihil aliud eſt quàm ſeipſum intelligere, his de rebus ſollicitus non eſt, nec poteſt, quicquam extra ſe intelligere. Quicquid fit, illo fit ignorante, ac ſibi uni intento.

Satis hucuſque oſtendimus, Ariſtotelicam, ſeu ex Ariſtotelicis hypotheſibus extructam, de prima hujus univerſi cauſſa, rerumque æternitate ſententiam, conſiſtere nullo modo poſſe; & neceſſariò primæ rerum omnium cauſſæ tribuendum eſſe arbitrium, ſeu voluntatis libertatem. Siquidem aliàs nec ulla ejus rei reddi poſſit ratio, cur motus cœli ab ortu potiùs ſit in occaſum, planetarum ab occaſu potiùs in ortum, quàm contrà: cur item ea regio, quæ nunc ſeptentrionem ſpectat, vel auſtrum, non extiterit oriens aut occidens. Nulla etiam ratio, cur non omnes cœli partes, æqualiter à ſummo, aut à principio rerum primo diſtantes, lucidæ ſint, aut ſaltem æquè ſtellatæ; cur non omnes æquè nobiles. Cur in magna à ſummo diſtantia formæ diverſitas nulla, in exiguo magna; cur aqua terram non undique contegat, & quæ ſunt his ſimilia ſuperiùs à nobis explicata, in quibus conditoris arbitrium cernitur. Unde jam illorum etiam hominum concidit ſententia, qui Ariſtotelem itidem ſequi ſe putantes, mundo quidem efficientem cauſſam tribuunt, ſed neceſſariò agentem; & Solis eam inſtar conſiderant, qui neceſſariò lucem in inferiora ſpargat; &, ſi ab æterno extitiſſet, ſemper in inferiora ſparſiſſet. Nam nullam iſtarum, quas diximus, rerum cauſſam reddere poſſunt; & motum omnem è rerum natura coguntur tollere; nec niſi ex propinquitate aut diſtantia à primo illo mundi principio, formarum diverſitatem petere. Contraria principium illud facere non poterit, niſi per accidens. Nam quæ neceſſariò agunt, non utrumque contrariorum poſſunt efficere, ſed unum tantùm. Unde & in ſcholis vulgò traditur hoc inter agentia diſcrimen, quòd quæ naturaliter agant (hæc autem agunt neceſſariò) ad unum tantùm contrariorum efficiendum comparata ſint: nam ignis v. g. calefacere tantùm poteſt, non frigefacere: voluntaria autem etiam contraria. Hæc enim voluntatis natura eſt, ut ad contraria ſit flexibilis, quamquam non in omnibus eodem modo. Poteſt agens voluntarium rem & ſurſum movere & deorſum; antrorſum & retrorſum; majorem minorémve facere; rectam aut obliquam; quin & calefacere & frigefacere: quamquam hoc homo, qui voluntarium agens eſt, non niſi naturalibus mediis efficere poteſt, calefaciendi aut refrigerandi vim per ſe habentibus, quæ nimirum vel in ſeipſo reperit, vel aliunde aſſumit, & rei admovet. Jam verò in hoc univerſo multa videmus contraria, & talia quidem, quæ ad conſtitutionem ac conſervationem rerum, ad earundem motus actioneſque naturales, per ſe ſint neceſſaria. Qualia v. g. ſunt calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, rectum & obliquum. Quarum rerum omnium maximus eſt in natura uſus, vel ad conſtitutionem mixtorum, etiam animatorum, eorumque conſervationem; vel ad corporum motum atque actionem. Quare fieri non poteſt, ut hoc univerſum à cauſſa efficiente neceſſariò agente fuerit productum, ſed ab agente voluntario conſtitutum fuiſſe neceſſe eſt. Adde, quòd, ſi mundi aliqua eſt cauſſa efficiens; neceſſe eſt, ut is aliquando non extiterit, atque ut in ſcholis loquuntur, ex non ente factus fuerit ens. Etenim vel mundus perpetuò efficitur; vel aliquando fuit factus, & fieri poſtea deſiit. Quicquid enim efficitur, vel ſemper effici neceſſe eſt, vel aliquando. Perpetuò autem mundus non efficitur. Non enim ulla ejus pars per ſe moveretur. Nam id demum per ſe movetur, quod jam factum eſt, quodque idem antea quidem fuerit in termino à quo, ut in ſcholis loquuntur, poſtea verò in termino ad quem. Atqui infinitæ hujus univerſi partes per ſe moventur, ut aſtra, ut animalia, ut elementorum partes. Quòd ſi verò aliquando effectus fuit mundus, poſtea effici deſiit; neceſſe eſt ut aliquando non extiterit, & ex non ente ens factus fuerit. Quare non ab æterno. Si non ab æterno, liberè eum ab opifice aliquo factum oportuit, non neceſſariò. Si enim neceſſariò effeciſſet, nunquam non effeciſſet: cùm nullam potuerit agens ſummum ſimul ac neceſſarium pati mutationem. Exemplum luminis à Sole manantis huc non quadrat. Nam lumen illud ſubſtantia non eſt, nec per ſe movetur: & tam imbecillis ejus eſt eſſentia, ut perpetuâ corporis lucidi præſentiâ effici neceſſe ſit. Qualem naturam in nulla ſubſtantia cernere licet. Non repetimus id, quod antea docuimus, æternitate mundi poſitâ progreſſum cauſſarum per ſe in infinitum ponendum eſſe, quem omnes ſani abſurdum, atque adeò impoſſibilem eſſe agnoſcunt.

Sed ajunt illi: ſi mundus ab æterno non extitit, neceſſe eſſe ut cauſſa aliqua fuerit, quæ Deum ad mundum condendum poſtea moverit, quæ antea non moveret, & hujus mutationis iterum aliam eſſe quærendam cauſſam, cur nimirum antea non moverit, poſtea moverit. Nihil enim a ſeipſo mutari poſſe, ſed quicquid mutatur, mutari ab alio. Mutari eſſe pati. Nihil autem pati poſſe à ſe, ſed ab alio. Idem enim fore agens ac patiens. Atqui agere & pati eſſe relata; relata oppoſita. Oppoſita eidem ſecundùm idem, reſpectu eodem, eodemque tempore ineſſe non

poſſe: cùm hæc ſit oppoſitorum natura. Sed ſi hæc ratio firma eſt, non tantùm primi motoris, vel potiùs Creatoris, tolletur arbitrium, ſed penitus ex rerum natura exterminabitur; & cum arbitrio omnis & virtus & vitium, omne utriuſque meritum, præmium & pœna. Si enim iiſdem cauſſis impellentibus poſitis, non poteſt is, qui agit, aliter agere, quàm agit; non erit in hominis poteſtate, ut vel probus ſit, vel improbus, virtutem aut vitium colat: ſed quicquid aget, neceſſariò aget, & omnis, quæ videatur eſſe culpa, in res externas referetur, quæ eum ad agendum primò impulerint; & tandem in primum motorem, qui omnium cæterorum fuerit cauſſa. Atqui nihil vel ſanorum omnium judicio, vel doctrinæ Ariſtotelicæ * in Ethicis explicatæ, magis eſt adverſum quàm in noſtra poteſtate non eſſe, ut vel boni, vel mali fiamus; ut vel peccemus, vel à peccato abſtineamus. Omnia ſcelera excuſationem ac veniam merebuntur; nec virtus laudem merebitur, nec vitium reprehenſionem; niſi quo modo laudare ſolemus aut vituperare inanimata, cùm vel ex animi noſtri ſententia cadunt, vel contrà. Itaque multò magis merita præmiorum ac pœnarum tollentur. Quòd ſi verò iiſdem cauſſis impellentibus poſitis, poteſt nihilominus homo aliter agere quàm agit; & cauſſa, cur hoc, & non potiùs alio modo agat, non alia præter ipſum quæri debet: cur non idem de primo rerum omnium principio ſtatuamus? præſertim cum tot, tamque manifeſtis argumentis arbitrium ipſius, ſeu libertas voluntatis ſit demonſtrata, & pluribus adhuc oſtendi poſſit. Quis enim v. g. credat, Solem, qui toties eſt terrâ major, non potuiſſe vel unum palmum aut digitum, ſive majorem eſſe, ſive minorem? Quis credat littora maris non potuiſſe latum pedem eſſe laxiora, vel anguſtiora? Montes altiores, aut minùs altos? hoc potiùs in loco, quam in illo extare fontes? cum videamus hæc inferiora ſine ullo detrimento naturæ rerum ſæpius mutari. Quid ergo iſtarum rerum magnitudinem aut locum ita definivit, præter arbitrium conditoris? Finis, ut videmus, non definivit; cum eodem fine poſito variari res illæ potuerint, & nunc quoque ex parte ſoleant. Materia ſeipſam definire non potuit. Nec forma, quæ illam ipſam determinationem vel in ſe continet, vel præſupponit. Efficiens autem non potuit determinare, niſi liberè ageret; cum appareat effectum eſſe contingentem. Contingens autem effectus omnino cauſſam contingenter, ac porrò liberè agentem requirit, quæ nulla eſt niſi arbitrio prædita. Cum ergo Deus arbitrio ſit præditus, potuit eâdem cauſſâ poſitâ, quæ eum ad creandum mundum impelleret, eum nunc non creare, nunc creare. Itaque deceptionem in illa Peripateticorum argumentatione eſſe neceſſe eſt. Quæ ut tantò evidentiùs appareat, ſingulas ejus partes videamus.

Quòd ergò dicitur, ſi mundus certo demùm tempore creatus fuit, neceſſe eſſe, ut cauſſa aliqua fuerit, quæ Deum ad creandum mundum poſtea moverit, que antea non moverit; id duplicem habet reſponſionem. Nam primùm ponatur, ita ſe rem prorſus habere, ut illi volunt: quid tum? Cauſſa iterum, inquiunt, quærenda erit alia, cur Deum hoc tempore ad creandum moverit, antea non moverit. Hoc quoque nunc concedatur. Progreſſus, inquient, in cauſſis moventibus dabitur in infinitum. Sed in quibus cauſis? per ſe agentibus, an per accidens? Etenim cauſſæ, quæ ad agendum impellunt, ſæpe cauſſæ per accidens tantùm ſunt. Nam & id, quod occaſionem rei gerendæ præbet, cauſſa rei eſt, & ad eam perficiendam movet. At quæ occaſionem præbent, ſæpe per accidens tantùm præbent; atque adeo per accidens tantùm cauſſæ ſunt. Id vel inde patet, quòd à contrariis ad contraria, ab oppoſitis ad oppoſita occaſionem ſæpe ſumimus, & ab illis ad hæc movemur. Contraria autem contrariorum cauſſæ non ſunt, niſi per accidens. Sic ex malis moribus, nonnunquam & legibus non ſatis bonis, bonæ naſcuntur leges. Sic morbo alicujus ad ſanitatem ipſi reſtituendam impellimur, inopiâ ad vitæ ſubſidia illi ſuppeditanda. Sic & quies ad laborem, labores iterum ad quietem nos deducunt. Agimus enim ſæpe aliquid, quia diutiùs quievimus: & rurſus quieſcimus, quia aliquid egimus. At in cauſſis per accidens progreſſum in infinitum dari, apud Peripateticos abſurdum non eſt, imò neceſſarium; cum apud ipſos perpetuus fuerit generationis & corruptionis ab omni æternitate circulus, & generatio corruptionis, corruptio rurſus generationis alterius fuerit cauſſa, quanquam per accidens. Nam nihil generari apud ipſos poteſt, niſi aliquid fuerit corruptum: corrumpi autem poteſt nihil, niſi antea generatum. Sic in aliis quoque neceſſariò nexis progreſſus in infinitum datur. Nam nec præſens datur, quin præteritum præceſſerit, & hoc rurſus aliud, & ſic deinceps. Sic nec Sol in occidente ex eorum ſententia eſſe poteſt, niſi antea fuerit in oriente: & rurſus in oriente eſſe non potuit, niſi priùs eſſet in occidente, idque in infinitum; & ſic in cæteris, quæ ab æterno mota volunt. Quid ergo prohibet, quò minùs etiam in cauſſis per accidens, quæ Deum ad creandum mundum impulerint, datus fuerit progreſſus in infinitum? Non dicimus, id factum eſſe. Nam id non eſſe neceſſarium, poſtea docebimus. Sed cum Peripateticis agentes, id tantùm fieri potuiſſe dicimus, ut tantò evidentiùs infirmitatem ratiocinationis, quâ utuntur, oſtendamus, & ſuo eos quodammodo jugulemus gladio. Potuit nempe Deus nunc hoc, nunc illud agere, & ex uno alterius operis occaſionem ſumere. Quin etiam nunc aliquid extra ſe agere, nunc nihil; & nunc idem diutiùs, nunc minùs diu; idem poſt intervallum repetere, aut aliud ſe dignum ſuſcipere. Singula ejus opera certum habebunt temporis initium: ſed non omnia ſimul ſumta: quia numero infinita, utut genere finita. Quemadmodum apud Peripateticos ſingulæ cœli aut aſtrorum circumvolutiones, ætates hominum, generationes rerum ac mutationes, initium habent, ſed non omnes ſimul. Quia omnes ſimul ſumi non poſſunt, utpote infinitæ. Interea tamen, in cauſſis per ſe progreſſus in infinitum propterea non dabitur magis, quàm apud Peripateticos in rebus illis, quas nunc enumeravimus. Nam nihilominus & una erit cauſſa efficiens ſuprema, Deus: & finis aliquis ultimus, quem ſibi in agendo propoſuerit: & materia operum externorum prima: & formarum, uti nunc videmus, aliquis erit terminus.

Sed jam alteram etiam reſponſionem ad iſtam Peripateticorum rationem addamus. Dicimus ergo, non eſſe argumenti conſequentiam admittendam, vel ſaltem non eo ſenſu, quo illi volunt, & nos hucuſque conceſſimus. Etenim vocabulum *movendi* duplici modo accipi poteſt. Nam movere quempiam poteſt cauſſa aliqua, quia quantum in ipſa eſt, moveat, etiamſi non permoveat; nempe quia non neceſſariò, ſed contingenter tantùm ab ea proficiſcatur effectus: movere etiam poteſt ita, ut permoveat. Et priori quidem modo poterat Deum eadem cauſſa perpetuò movere ad mundum creandum, & tamen non permovere ſemper, ſed certo tantùm tempore. Hujus autem rei non eſt neceſſe aliam quærere cauſſam, præter ipſius Dei arbitrium. Arbitrii enim hæc eſt naturâ, ut eâdem cauſſa poſitâ, & eandem per ſe efficaciam obtinente, agens nihilominus vel agere poſſit, vel non agere, & liberè in hanc, vel in illam partem inclinet. Atque id à Deo factum eſſe, exemplis aliquot oſtendimus. Cur ergo idem in creando mundo non fuerit factum? Non potuit, inquies; quia hæc mutatio quædam Dei erit. At qua ratione Deus, ſi id ponatur, mutabitur? Num ſubſtantia ipſius erit alia? num attributum aliquod naturale? num decretum, quod ipſe voluerit eſſe immutabile, infringetur? Haudquaquam. Sed eatenus tantùm mutabitur, quatenus id facere decernet, quod

antea

* vid. lib. 3. Ethic. ad Nicom. inprimis cap. 3. Pacio. 5.

antea non decreverat; ac porrò opere perficiet, quod antea non fecerat. Quid in eo abſurdi? Mutabitur, inquies, à ſeipſo. Atqui abſurdum non eſt quempiam à ſeipſo ita mutari, ut, cùm antea vel non egiſſet, poſtea agat; vel cùm aliud quippiam egiſſet, aliud poſtea liberè ſuſcipiat. At mutari eſt pati: pati autem nihil poteſt à ſeipſo. Eſſet enim ſimul agens & patiens. Sed nos negamus, hujuſmodi actionis mutationem, paſſionem eſſe. Spontaneus vel à quiete ad actionem, vel ab una actione ad alteram progreſſus, paſſio non eſt ejus, qui actionem ſuſcipit, ſed actio. Quòd ſi quis fortè ideo credat, hujuſmodi mutationem eſſe paſſionem, quia mutari Grammaticis ſit paſſivum; ei facilè & à nobis, & ab ipſis reſpondebitur Peripateticis. Nam ſi ita argumentari licèt, nos multò rectiùs concludemus, mutationem hanc actionem eſſe. Quia nihil ſit aliud, quàm agere, cum antea non egeris, vel aliud quippiam egeris. Hîc nec Grammatici ullam reperiunt paſſionem; nec in re ipſa ullam reperient Philoſophi. Quid? cum Peripatetici dicunt, Deum ſeipſum intelligere? nónne etiam dicunt, eum à ſeipſo intelligi? Atqui intelligere activum eſt, intelligi paſſivum. Patietur ergo Deus aliquid à ſeipſo? At id conſtantiſſimè negant Peripatetici, qui nihil à ſeipſo, nedum Deum, pati volunt; idque in hac ipſa re urgent. Docent iidem, ſentire, appetere, intelligere Grammaticis activa eſſe, & nihilominus paſſionem ſignificare; quanquam primi entis intellectionem excipere coguntur: contrà, ſentiri, appeti, intelligi, licèt paſſiva, actionem quandam ajunt ſignificare ejus, quod ſentitur, appetitur, intelligitur. Senſum enim, appetitum, intellectionem fieri recipiendo ac patiendo aliquid ab objecto. Quanquam illi Ariſtotelis ſectatores, quibuſcum potiſſimùm hîc agimus, ejuſmodi ajunt eſſe paſſionem, quæ in actionem exeat; & rectè. Sentire enim & intelligere, non tantùm eſt recipere ſpeciem rei objectæ, atque hac ratione pati; ſed etiam illam dijudicare. Dijudicare autem actio eſt. Idem de voluntate ſtatuendum eſt, præſertim cùm circa bonum ejuſmodi verſatur, quod & amplecti poſſit, & ſpernere. Dum enim ad id amplectendum ſe applicat, aut contrà id repudiat, aliquid circa illud agit. Atque hoc poteſt etiam jure ad rem noſtram transferri. Etenim quòd Deus decrevit aliquando mundum condere, ac porrò condidit, actio eſt: prior immanens, ut in ſcholis vocant, poſterior tranſiens. Sed orta eſt utraque à paſſione quadam, ſi eo modò vocem accipias, ut à Philoſophis accipi in hujuſmodi rebus ſolet. Sejuncta enim eſt hæc paſſio, & à corruptione, & à dolore omni; imò & voluptatem afferre apta eſt. Motus nempe fuit Deus ad creationem mundi decernendam fine, atque adeo rebus, quæ eum ad finis conſiderationem veluti duxerunt. Etenim cùm vires ſuas haudquaquam ignoraret (quis enim neget, Deum ſeipſum penitus noſſe?) vidit etiam, mundum ſe condere poſſe; vidit præterea, in quem uſum id poſſet cedere. Uſus hîc Deum movit, &, ut ita dicam, allexit atque invitavit, ad mundi creationem & decernendam, & perficiendam. Et hactenus Deus aliquid à fine illo eſt paſſus; ſed eo paſſionis genere, quod, ut jam innuimus, ſuaviſſimum eſt. Voluntas porrò, hoc fine veluti excitata, aſſenſum ei præbuit invitanti, & eidem ſeſe liberè applicuit. Et hactenus ea pati deſiit, atque aliquid circa finem illum egit. Itaque ſi etiam in hujuſmodi actionibus & paſſionibus velis aliud eſſe agens, aliud patiens; reperies objectum, & id, quod circa objectum occupatur. Sed ea viciſſim in ſe agunt, & à ſe invicem patiuntur. Objectum primò movet facultatem, quæ circa illud occupatur; hæc ab eo excitata, circa illud viciſſim agit: & voluntas quidem ſæpe plus agit, quàm paſſa fuerat; aut etiam oppoſitum agit ejus, ad quod excitata fuerat. Illud, cùm liberè amplectitur bonum aliquod, & ad id perſequendum progreditur: hoc, cùm id repudiat, aut omittere decernit.

Sed ajunt: ſi Deus agit, quod poſſet non agere, laborioſa ac moleſta erit in agendo perſeverantia. Quod enim agit, cùm aliter agere poſſet, id, ſi diutiùs in agendo perſiſtat, laborat ac fatigatur. Atque hoc hauſerunt ab Ariſtotele. Sed nos primùm quærimus, unde illis conſtet, quicquid agit, cùm aliter agere poſſet, id, ſi diutiùs in agendo perſeveret, moleſtiam ſentire? Dicent, credo, ex hominibus & animalibus id conſtare. Diuturno enim motu frangi: quin & ſenſum laborare, & intellectum eidem rei diutiùs intentum. Sed quæ conſecutio eſt, ut idem fiat in omnibus, atque adeo etiam in immortalibus & incorruptibilibus, quod in mortalibus? Si dicant, nullum dari agens liberum, quod idem ſit immortale; id ipſum ſument, quod maximè debebant probare. Si verò tale agens concedant; jam rationis diverſitatem facilè vident. Corruptibilia enim labore, aut diuturna ſivè ſenſus, ſive intellectûs intentione ideo fatigantur, quia ſpiritus animales, quibus omnis ſenſus & intellectus noſter, omniſque motus peragitur, diuturno motu animique intentione abſumuntur, expirant, atque diffugiunt: ne de aliis corporeis inſtrumentis nunc quicquam dicam, quæ labore ac motu paulatim atteruntur. Nam corporis calor, motu auctus, membra ſenſim depaſcitur. Quòd ſi membra eandem ſemper integritatem retinerent; ſi ſpiritus animales non abſumerentur; eâdem ſemper alacritate operi poſſemus incumbere, nec ullus vel homines, vel animalia labor frangeret. At in incorruptibilibus atque immortalibus, iſtiuſmodi vel membrorum, vel ſpirituum conſumptio ac debilitatio locum habet nullum. Eſſent enim ipſamet corruptibilia. Quarum enim rerum partes paulatim debilitari atque abſumi poſſunt, eæ ipſæ quoque ſunt corruptibiles. In Deum autem tantò minùs illa cadunt, quòd ejus natura à conditione corporum mortalium ac corruptibilium longiſſimè omnium abeſt, qua de re ſuo loco. Id autem, quod de incorruptibilibus diximus, vel ex cœlo atque aſtris patet, quæ in orbem perpetuò ſine ulla defatigatione currunt, &, ſi Peripateticis credimus, ab omni æternitate cucurrerunt. Quod autem cælum aut aſtra poſſunt in motu prorſus uniformi; id multò magis Deus, cæli & aſtrorum principium, poteſt in actionum ad res alias ſpectantium diverſitate, quæ ſæpe magnam parit jucunditatem. Taceo, quòd ſi in Deum defatigatio cadere poſſet, quæ non poteſt; facilè tamen pro ſua ſapientia modum poſſet invenire, quo ſine labore ac moleſtia hanc rerum univerſitatem gubernaret, & quieti ſuæ conſuleret.

Objicere etiam ſolent, conſilia Dei de rebus condendis, & formis materiæ indendis, (ideas nonnulli appellant) ad rerum productionem non ſufficere; imò ne prodeſſe quidem. Quia interno ad eam rem principio ſit opus; quod illi materiæ appetitum eſſe volunt. Sed nudum Dei conſilium, ſine efficacia, ſeu vi quadam ab eo manante, ne nos quidem ad rerum formationem ſufficere arbitramur. Eſt nempe vis in Deo omnipotens, per ſe quidem indeterminata, ſed quæ voluntate ipſius determinari ad quemvis effectum poſſit, ut infrà cap. 22, explicabitur, cùm de potentia Dei agemus. Ab hac rerum creatarum formæ, vita, motuſque proficiſcitur. Quòd ſi illi putant, poſſe à Deo formas omnium rerum manare, etiamſi de iis ne cogitet quidem; an non credibilius eſt, ab eo manare poſſe, ſi de iis materiæ impriendis cogitet, & vi ſua materiæ indat?

Objicitur & illud, ſi dicas, aliquando non fuiſſe mundum, tempus te aliquod ante mundum ponere. Tempus autem ante mundum fuiſſe nullum: quia nec motus ſeu mutatio fuerit. Tempus enim ſine motu nullum eſſe. Sed jam alii ante nos animadverterunt, falſum eſſe, quod ſumitur, tempus non eſſe, ubi nullus ſit motus ſeu mutatio. Etſi enim temporis diuturnitas, ſine mutatione aliqua non ſentitur: tempus tamen etiam ſine mutatione eſt. Tempus enim nil aliud, quàm duratio eſt. Duratio autem etiam ſine motu eſſe poteſt. Nam & quietis eſt aliqua duratio. Nec illud certum, vel potiùs falſum eſt, nullum ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conditum mundum fuiſſe motum, ſeu mutationem. Cæteræ eorum hominum ratiunculæ leviores ſunt, quàm ut hîc commemorari debeant, præſertim cum modus aliquis huic tractationi ſit ponendus. Quanquam dolendum eſt, adverſus veritatem leves interdum hominibus conjecturas aut ſuſpiciones ſufficere: cùm ad veritatem illis perſuadendam, quæ ad pietatem ducit, ne apertiſſimæ quidem rationes iis ſatiſfaciant.

Cap. V.

Deum eſſe oſtenditur ex rebus homini propriis.

POſtquam univerſam rerum naturam in divinitatis teſtimonium advocavimus; ſequitur, ut ea, quæ in humanis rebus cernuntur, ejuſdem rei documenta videamus. Sumemus autem non ea, quæ hominis naturam conſtituunt, de quibus ſuperiùs cap. 3, diximus: ſed ea, ad quæ hominem vel naturalis inſtinctus, vel mens evidentibus rationibus nixa, vel ſuperior aliqua cauſſa ducit.

Primùm igitur occurrit perpetuus gentium vel omnium vel ſaltem plærarumque, etiam barbararum, in eo, quod hîc defendimus, conſenſus. Adeo enim omnibus, quorum memoria extat, ſeculis in eo conſenſere terrarum populi, ut crederent, numen extare aliquod religioſe colendum, ut maluerint alii vel aſtra, vel belluas, vel denique ligna aut lapides pro Diis colere, quàm nullum numen, nullam religionem agnoſcere. Itaque varietas quidem fuit ſententiarum de numinis natura, de numero, de ratione ac modo colendi: ſed in tanta tamen varietate conſenſus hîc fuit, Deum eſſe aliquem, qui ſit religioſe colendus. Licèt autem hodie populi reperti ſint, in quorum aliquibus nulla propemódum videatur extititiſſe de divinitate opinio: tamen longè plures fuerunt reperti, in quibus divinitatis opinio extitit; licèt aliàs barbari eſſent, & ab humanitatis cultu alieni. Deinde teſtantur hiſtoriæ, eas nihilominus gentes, in quibus divinitatis opinio videatur extitiſſe nulla, dæmonem habere aliquem, quem metuant, &, ne noceat, revereantur, id quod nobis hîc plus, quàm ſatis eſt. Eſt enim & hoc divinitatis ac religionis, quamquam in contrarium detortum, veſtigium. Non mirum autem cæteroquin eſt, homines barbaros, qui humanam quodammodo naturam exuerunt, & belluinam quandam feritatem induerunt, id perdidiſſe, quod hominis proprium eſt, nempe divinitatis exiſtimationem, & religionem. Sine intellectu enim nulla de numine opinio, nullus religionis ſenſus eſt. Itaque in belluas ea res non cadit: ac porrò illis non admodum convenit, qui in belluas ferè abierunt. Quî ergo factum, ut in populis ad extremam etiam barbariem prolapſis, aliquod tamen divinitatis ac religionis remanſerit veſtigium? Ad quamcunque cauſſam hunc gentium conſenſum retuleris, veritatem ejus, quam tuemur, ſententiæ deprehendes. Neceſſe enim eſt hunc conſenſum referre ad cauſſam aliquam toti hominum generi communem: cum effectus ſit communis. Ejuſmodi autem cauſſa eſt, vel naturæ inſtinctus, vel traditio antiquiſſima, à communibus humani generis parentibus profecta, vel denique magna rei ipſius, ſeu mavis, argumentorum, unde ea ab omnibus intelligatur, evidentia. Ad quarum cauſſarum poſtremam patefactionem divinam, miracula, cæteraque divinitatis argumenta omnibus expoſita referimus. Et de hac quidem cauſſa nihil eſt neceſſe dicere. Ipſa enim protinus rei veritatem ponit: præſertim cùm ratio adferri nulla poſſit, cur, quæ ſuâ evidentiâ homines generatim omnes ad agnoſcendum Deum & religionem colendam adducant, eos nihilominus decipiant. Quod ad duas priores cauſſas attinet; ſi ad naturæ inſtinctum conſenſum illum gentium retuleris; natura humano generi errores non inſevit: ad veritatem illa, non ad mendacium nos finxit. Si ad traditionem antiquam; itidem veritatem ejus ſententiæ deprehendes. Etenim vel initium tu aliquod iſti de Deo ſententiæ aſſignas; vel nullum, ſed eam unà cum genere humano ab omni æternitate vis extitiſſe. Si hoc exiſtimas; cauſſam illius ad traditionem referre non potes. Traditio enim omnis, & multò magis quicquid à traditione proficiſcitur, initium habet. Deinde ſi ab æterno hanc de Deo ſententiam in genere humano extitiſſe velis; neceſſaria erit non minùs, quàm ipſum genus humanum, quod neceſſariò extitiſſe putas. Quicquid enim ab æterno fuit, neceſſarium eſt; certè omnem liberum humanæ voluntatis actum antecedit. At nulla ſententia falſa, neceſſaria eſt. Et ſanè omnino neceſſe eſſet, illam ex ipſa natura oriri. Ex ipſa autem natura oriri falſa ſententia, ut vidimus, non poteſt. Quòd ſi certum iſti ſententiæ initium aſſignas; vel ſimul etiam aſſignas generi humano; vel hoc infinitis antè ſeculis putas extitiſſe. Si illud dicas; primùm cogeris autorem humani generis ac porrò Deum agnoſcere, qui nos præter naturam produxerit. Siquidem nec à ſeipſo genus humanum potuit exiſtere; nec à cauſſa aliqua naturali produci. Si enim à cauſſa naturali fuiſſet primò productum; non potuiſſet non infinitis antè ſeculis exiſtere: cum naturæ curſum infinitis ſeculis infinities in orbem rediiſſe ſit neceſſe, ut præcedenti capite docuimus. Et volunt ſanè illi, qui hominem à cœlo è terra gigni fingunt, ſubinde id novam hominum generationem moliri, ut, ſi fortè vis generandi in hominibus jam productis deficiat; non deficiat tamen humanum genus, aliis recentibus in eorum locum è putredine ſuccenturiatis. Deinde conſtantia hujus ſententiæ in tanta hominum gentiumque multitudine, veritatem ejus arguit. Ætatem enim tantam ea non ferret, ſi falſa eſſet, etiamſi tandem traditione aliqua majorum fuiſſet poſterorum mentibus impreſſa. Excutit tandem natura, quæ præter, aut etiam contra eam rebus imprimuntur. Sic aqua, etiamſi vi ignis fervidiſſima evaſerit; tamen quia id præter ipſius naturam fit, igne amoto ad frigus ſponte ſua revertítur. Eodem modo ratio hominis falſitatem ſententiæ, ſibi præter naturam impreſſæ, aliquando tandem penitus exuiſſet; præſertim quia aliàs natura noſtra freni ac jugi illius, quod ipſi religio imponit, eſt impatiens, & ad libertatem adſpirat. Quomodo ergo ſententia illa per omnia, quorum memoria extat, ſecula, tam longè lateque dominaretur? Hoc idem dicendum eſt, ſi aſſerueris, genus humanum ante hanc de Deo ſententiam infinitis ſeculis extitiſſe. Sed deinde quî fieri poteſt, ut in ſententiam falſam, cujus aliquando expers fuiſſet genus humanum, omnes generatim populi conſpirarent? Itáne ſine evidenti argumento gentes omnes ingenioſores, ſibi imponi paſſæ ſunt? Verum enim verò fieri nequaquam potuit, ut genus humanum hac aliquando de Deo deque religione ſententia caruerit. Quandoquidem ipſi quoque athei eam generi humano utiliſſimam, & ad rempub: gubernandam valdè neceſſariam, ac porrò omni ſtudio fovendam eſſe docent. Hujuſmodi ergo ſententiâ tam utili, tam neceſſariâ rei hominum publicæ, ad quam eos natura formavit, vel infinitis ſeculis humanum genus caruerit, vel aliquando exciderit? Id verò unum eſt ex impoſſibilibus. Adde, quòd mirum eſſet, ſi genus humanum aliquando ſine Deo, ſine religione omni extitiſſet, ejus ſeculi ne veſtigium quidem apparere.

Dicet fortè quiſpiam, non eſſe mirandum, ſententiam de Deo ac religione tam eſſe conſtantem, tamque latè dominari, licèt falſam: quia partim vi, partim fraude hominum aſtutorum, & ad ſuum compendium religione abutentium perpetuò foveatur. Sed ne ea nunc repetamus, quæ de origine hujus ſententiæ diximus; ſi miracula excipias, quibus illi, qui Deum eſſe negant, fidem non adhibent; quid fidem de Deo, quid religionem magis unquam ſtabilivit, quàm tormenta ac mortes diræ, quas ſuſtinuerunt primi Chriſtianæ religionis aſſertores, quorum conſtantiam tot hominum myriades ſunt ſecutæ? qua de re ne profani quidem ſcriptores, & à ſacris noſtris alieni, tacent. Quis autem, niſi inſanus, dixerit, vel potentiam eorum, qui eam religionem promotam cupierint, vel

frau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fraudem, id effeciſſe? Adde, quòd, quicunque religionis negotium vel vi gerunt, vel fraude atque aſtutiâ eam ad rem utuntur, non id revera agunt, ut hominibus generatim perſuadeant, Deum aut religionem eſſe: ſed ut hoc aut illud numen agnoſcant, hanc illámve religionem approbent, iſtis artibus conantur efficere. Deum enim ac religionem eſſe, jam apud omnes generatim in confeſſo eſt, & ut ab iis vel vi exprimatur, vel fraude illis perſuadeatur, non eget. Imò illorum artes, qui religionis negotium vi aut fraude urgent, ut id omnibus generatim hominibus jam ſit perſuaſum, poſtulant, ſine eo nihil profecturæ. Quòd ſi aliunde non conſtaret, Deum eſſe, non poſſet quantavis potentia vel aſtutia efficere, ut in eo omnes generatim populi, omnia ſecula conſpirarent. Quemadmodum nulla nec vis, nec fraus efficere unquam potuit, ut in unam planè religionem omnes terrarum populi, vel ad breve tempus conſpirarent. Quin faciliùs in eam conſpirarent gentium animi, ad virtutem cæteroqui compoſiti, quæ omnium eſt optima, ſi vis ac fraus abeſſet, & ii, qui vel alterutram, vel utramque adhibent, potiùs ad virtutem cæteris, tum voce, tum exemplo præirent.

Non fecimus autem in hoc argumento explicando ullam eorum Philoſophorum mentionem, qui Deum & religionem eſſe negârunt. Neque enim illorum diſſenſio argumenti noſtri vim infringit, aut populorum integrorum conſenſui quicquam derogat. Nam & pauci fuerunt reſpectu plurimorum aliorum, qui Deum ac religionem aſſeruerunt; & mirandum non eſt, in abſurdas etiam, atque à veritate alieniſſimas ſententias incidiſſe Philoſophos. Sæpe vulgus longè ſinceriùs de rebus judicat, quàm Philoſophi, præſertim hi, aut illi. Nec ſine cauſſa quidam dixit, Nihil tam abſurdum eſſe, quod non dixerit aliquis veterum Philoſophorum. Conſulantur modò libri, à profanis auctoribus vel de placitis Philoſophorum, vel de vita ſimul & dogmatibus eorum conſcripti. Quid manifeſtius eſt, quam eſſe in natura motum aliquem? & hoc tamen acuti quidam negarunt Philoſophi, & argumentorum ſubtilitare refellere conati ſunt. Quid manifeſtius, quàm rem quamlibet eſſe, vel non eſſe: contradictoria ſimul conſiſtere non poſſe? Et nihilominus tamen contrarium aſſerere auſi ſunt Philoſophi, adverſus quos diſputat in Metaphyſicis Ariſtoteles lib. 3. Metaph. Similes & illi fuerunt, qui ne oculis quidem ſuis fidem habuerunt, & nihil verum eſſe, ſed omnia tantùm videri, dixerunt. Itaque ne illud quidem ſat bona fide crediderunt, ſe eſſe ac vivere; id quod apud unumquemque eſt certiſſimum. Neque verò iſta ſine rationibus aliquibus affirmarunt. Et mirabimur, aliquos extitiſſe Philoſophos, qui Deum, quem oculis non cernerent, extare negarint? Certè tantò minùs id mirandum eſt, quòd illis vixerunt temporibus, atque inter illas gentes, ubi & falſa numina, & ſæpe ridiculis, aut manifeſtè impiis ſacris colebantur. Religio vera inter Judæos, vel ignotum, vel inviſum illis genus, ſedem habebat; & ne illam quidem ſatis fidam. Rariſſimè enim ab impiis ritibus Judæorum gens fuit immunis. Et ritus ab ipſo Deo Judæorum genti traditos, cum eorum rationem Philoſophi non cernerent, ſpernere poterant. Itaque cùm nullam uſpiam religionem, ſuperſtitionem autem ubivis gentium cernerent, aut cernere ſibi viderentur; quid mirum eſt, religionem eos penitus contemſiſſe, & nullum prorſus numen extare credidiſſe? Taceo, quòd alios ipſum novitatis ſtudium, &, quæ ei ſubeſſe ſolet, ambitio ad hunc ſcopulum impellere poterat: alios, quòd rationes quaſdam ſolvere fortè non poſſent. Accidit enim nonnullis, ut cùm ſolvere objectiones non poſſint, etiam à manifeſta veritate deſciſcant. Quamquam fortaſſe nonnulli ex iis, qui athei ſunt habiti, non tam numen nullum crediderunt, quàm illos, qui vulgò colerentur, pro Diis non agnoverunt. Omitto jam illos, qui cùm voluptatibus ſint, aut aliis pravis affectibus mancipati, numen eſſe negant, ut tantò ſuis vitiis liberiùs indulgere queant. Quia nimirum cernunt, ſi numen aliquod ſit, id ipſorum ſcelera non paſſurum inulta, & non niſi puritate mentis, vitæque integritate id ritè coli poſſe. Sed hi, quia belluinum quippiam ſapiunt, & à naturæ ſuæ dignitate diſcedunt, noſtri argumenti vim minimè labefactant, ut ex iis, quæ ſuperiùs diximus, patet.

Verùm ad alia, quæ in humanis rebus cernuntur, divinitatis argumenta accedamus. Secundum ergo nobis præbet vis conſcientiæ, de qua paſſim legas apud Philoſophos, hiſtoricos, oratores, Poëtas. Inter alios vide Ariſtotelem Ethicorum libro nono * de amicitia, quæ hominibus ſecum ipſis ſit, diſputantem, & conſcientiæ vim tum in bonis viris, tum in improbis explicantem. Tanta verò ea eſt in utramque partem †, ut neque timeant ii, qui nihil admiſerunt; & pœnam ſemper antè oculos verſari putent, qui peccaverunt. Et mala quidem nec vigiliis * nec quietibus ſedari poteſt, etiam in ſolitudine anxia & ſollicita eſt. Nec ullius potentia † tanta fuit, ut illius vim effugere poſſet. Itaque videmus in hiſtoriis potentiſſimos etiam principes, qui omnem numinis reverentiam poſuerant, tandem conſcientiæ tormentis lancinatos, ac ſcelerum furiis agitatos fuiſſe. Neque verò illi, quos conſcientia ſcelerum urget, ab hominibus tantùm ſibi metuunt, & eorum pœnas pertimeſcunt: quin potiùs humana ſupplicia nonnunquam expoſcunt, aut ſibi ipſis manus violentas inferunt. Aliquid humanâ irâ atque ſupplicio majus exhorreſcunt. Ideo, ut ille * ait, ad omnia fulgura pallent, cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli. Quid verò aliud hic humani animi ſenſus dictat, quàm eſſe numen, quod, quæ nos gerimus, audiat videatque, & cuique pro factis digna rependat præmia. Cur enim aliàs vanum natura hominibus injiceret metum, præſertim ubi occultè patrata ſunt flagitia, aut potentia adverſus humana ſupplicia nocentem munit? Dices, naturam hanc conſcientiæ vim indidiſſe homini, ut hoc primùm monitore à ſceleribus avocaretur; quem ſi non audiret, ab eodem velut infeſto accuſaretur, & tanquam certiſſimo teſte convinceretur, eodem damnaretur judice, & denique velut à tortore ac carnifice lancinaretur. Sed primùm, ſi hæc ipſius naturæ conſilio propriè tribuis, quæ tam prudenter iſta inſtituerit; ipſam revera naturam Deum facis; &, ſi Deum interea eſſe negas, teipſum non intelligis, ut ex iis, quæ ſuprà cap. 2, diximus, apparet. Deinde cùm hic conſcientiæ cruciatus in metu conſiſtat, uti contrà voluptas rectæ conſcientiæ in ſpe bona: apparet, præter hunc conſcientiæ morſum, aliud aliquod reſtare ſupplicium, quod omnibus ſceleratis generatim immineat: & contrà impunitatem illis eſſe propoſitam, qui cum virtute vixerint. Natura enim nec ſpem vanam omnes generatim homines, nec falſos metus concipere jubet. Neceſſe igitur eſt, aliquem eſſe rectorem ac judicem hominum occultum, qui præmia & pœnas omnibus diſpenſet. Neque enim impunitas illa, quam bona conſcientia ſibi pollicetur, aut pœna, ad quam ſeſe mala conſcientia damnat, humanis imputari conſiliis debet. Homines enim ſæpe virtutibus alienis infeſti, vitiis favent; bonos premunt, malos extollunt; & innocentiæ debita præmia ad nocentes non rarò deferunt. Quid verò aliud eſt dicere, rectorem eſſe aliquem ac judicem humani generis occultum, quàm Deum eſſe?

Tertiò & illud eſt non leve veritatis ſententiæ noſtræ argumentum, quòd omnes rerum humanarum non ignari vident, ſine religione rempub. conſtare non poſſe. Et Plutarchus quidem, *urbem*, inquit, *citiùs videri ſine ſolo, quàm rempub. ſine opinione de Diis aut conſtitui aut conſtitutam ſervari.* Et *religionem vinculum eſſe omnis ſocietatis & legum ponendarum* aut *juſtitiæ firmamentum*; ut aliorum jam mittam teſtimonia, quorum non exiguus à viris doctis citatur numerus †. Agnoverunt autem hanc religionis in republ. neceſſitatem etiam illi, qui nullam religionem veram eſſe

* Pacio cap. 4. † Cicero pro Milone. * Salluſt. Catil. † Seneca. * Juvenalis. † Vid. Lipſ. Polit. lib. 4. cap. 2. & adverſus Dialogiſtam.

crediderunt, vel credere, ſi ſibi conſtare voluerunt, potuerunt. Inter hos autem poſteriores jure collocandus eſt Ariſtoteles, cujus de Deo ſententiam ſuperiori capite examinavimus. Is verò, cùm ea recenſet, ſine quibus civitas ſeu reſpub. eſſe nequeat, *Quintum ac primum* ſeu *præcipuum eſſe* dicit *rerum divinarum curationem* lib. 7. Pol. 6. Huic ex recentioribus addatur homo acutiſſimus, ſeu mavis aſtutiſſimus, Machiavellus. Etenim ex non paucis hinc inde ab eo dictis apparet, eum religionem nullam, quicquid nonnunquam dicere videatur, (nam atheiſmum aliquo modo tegere erat neceſſe) revera agnoviſſe. Chriſtianum certè non fuiſſe, partim ex nonnullis ejus de religione præceptis conſtare cordatis poteſt, partim ex eo, quòd de Moſe legiſlatore alicubi ſcribit, * eum, uti & Lycurgum ac Solonem, boni publici cauſſa ſibi ſoli uſurpaſſe potentiam ferendarum legum, & conſtituendæ reipub. Atqui ille idem, † mirum quantum in religione momentum ponat ad reipub: ſalutem & incrementum. *Ubi*, inquit, *religio eſt, locum habent bonæ leges, ac bona diſciplina, ex quibus fortunati felicesq́ue rerum eventus, in expeditionibus præſertim bellicis, naſcuntur. Sicuti è contra etiam ſublata religione corruere rempub: oportet. Quoniam ſublato Dei timore ſequitur impietas, & ex ea, ruina imperiorum.* Et poſtmodum peculiari capite * conſtituto docet, *quantum interſit ad conſervandam rempub. ut ratio divini cultus atque religionis habeatur, & quòd in Italia propter Romanam eccleſiam, deficiente eadem religione, ruina imperii ſecuta ſit.* Mitto alia apud eundem eadem de re dicta. Maluimus autem ad impietatem evertendam impii voce uti, ut ſuo ea teſtimonio convincatur, & proprio veluti gladio juguletur. Etenim ſi tantum in religione ſitum eſt, ut eâ ſalus univerſa nitatur reipub. eâ ſtante ſtet, ruente ruat; quî fieri poteſt, ut non aliqua ſit vera religio, ac porrò Deus verus, qui eâ religione colatur? Etenim cùm naturâ homines ad ſocietatem remq́ue publicam conſtituendam facti ſint; neceſſe etiam eſt eoſdem à natura factos eſſe ad id, ſine quo ſocietas ac reſpub: conſtare non poteſt. Qui ad finem quippiam ſimpliciter deſtinat, deſtinat etiam ad media, ſine quibus finis obtineri non poteſt. Natura ergo homines ad rem vanam falſamq́ue perpetuò colendam, ac ſummo ſtudio retinendam finxit? Hoc quis credat, niſi perverſiſſimo ſit ingenio præditus, & cui conſtitutum ſit veritati agnitæ pertinaciſſimè reluctari? Illi certè, qui naturæ tanquam primæ cauſſæ tribuere ſolent omnia, quæ in ea cernuntur diviniſſima, & ex ea imprudentes ſæpe Deum faciunt, tantam ei injuriam facere non debebant. Adde, quòd, ſive noſtram, ſive illorum ſententiam ſpectes, virtute in repub. vigente, neceſſe eſt rempub: quoque ipſam florere. Nam & per ſe virtus ad reipub: quietem & ſalutem maximum adfert momentum, nec prudentia atque induſtria poteſt ab ea ſejungi: divinum præterea auxilium virtuti præſtò eſt. His autem tribus poſitis, ex impiorum autem ſententia, duabus prioribus rebus concurrentibus, ſalva omnino eſt, aut eſſe ſaltem ſolet reſpub. Itaque ſi religio tam neceſſaria eſt reipub: ut illa ruente hanc ruere ſit neceſſe; neceſſe eſt virtutem quoque religione niti, ita ut illa ſine hac conſiſtere nequeat. Si enim virtus vigere ſine religione poteſt; poterit & reſpubl. Et fatentur ſanè illi homines, virtutem ſine religione vigere non poſſe: imò propter hoc ipſum religionem ad reipub: ſalutem tantopere neceſſariam eſſe aſſerunt, quia eadem ad virtutem colendam tantopere ſit neceſſaria; id quod illis etiam tacentibus res ipſa loquitur. Quòd ſi virtus religione nititur, ac ſine ea conſiſtere non poteſt; qui religio omnis falſa eſſe poteſt? Quid enim? num virtus errore adeo nititur, ut eo ruente ſit collapſura? & cujus oculus, cujus moderatrix eſt ipſa prudentia, ridenda ac pudenda hominum cæcitate indiget? O miſeram virtutem, quæ, niſi eorum calliditas ac ſimulatio, vel potiùs fraus atque impietas extitiſſet, qui nôn religionem, ſed ſuperſtitionem excogitarunt, extitura non fuerit, &, ut extitiſſet, conſervari non potuerit! Sed citiùs te virtutis ingenium ignorare, quàm eam errori ac cæcitati, ne dicam fraudi, atque impietati imputandam eſſe, bonis ac cordatis viris probaveris.

Denique nequaquam eſt credibile, cum tot erroribus ac vitiis humanum genus ſit obnoxium, & in ſcopulos propè infinitos impingat, id ſine rectore, qui nulli errori ſit obnoxius, relictum, & tanquam miſeranda quædam turba, in mediis fluctibus, ſine nauclero fortunæ ludibriis expoſitum eſſe. Quò accedit, quòd res quæ hominum uſibus ſerviunt, naturæ leges accuratiùs ſervent, quàm homines ipſi ſolent; nec ullum brutum tam longè à ſuæ naturæ tramite recedat, quàm homines à ſuæ naturæ præſcripto ob arbitrii libertatem deflectere conſueverunt. Quare incredibile prorſus eſt, non extare aliquem naturæ violatæ vindicem, & malè adminiſtratæ rerum inferiorum procurationis ultorem. Itáne enim impunè homo rebus omnibus ad libidinem ſuam abutetur? & res vitio carentes, illis, qui tot flagitiis ſcatent, ſervire ſine vindice cogentur? Num in id omnis naturæ, quam optimam eſſe cernimus, conatus, omnis ille rerum pulcherrimarum ordo tandem deſinet, ut quàm plurimum ſcelerum ubivis terrarum perpetretur, & homines ſine ullo numinis metu viventes, ipſis etiam brutis, quæ illis miniſtrant, fædiores ac deteſtabiliores evadant? ut denique omnia ſurſum deorſum volvantur, ac cælum propè terræ miſceatur? Id ſanè fieri ſublato Deo, qui hominum genus regat, neceſſe eſt. Siquidem & res ipſa docet, & fatentur impii, ſublata omni religione, omnia ſceleribus repletum iri. Nullius enim non ſceleris mater eſt atheiſmus. Quanquam & ſuperſtitio crudelis eſſe ſolet, & multis modis impia: quemadmodum ille animadvertet, qui veterum Ethnicorum ſacra (ſi modò ſacra ſunt, quæ ſcelerata atque impia) conſideraverit. Nam haud temerè ullam gentem, ne ex humanioribus quidem, deprehendes ſuperſtitione devinctam, quæ non humanis victimis litârit Diis ſuis, vel, ut nos cenſemus, dæmonibus: quemadmodum viri docti ex veterum monumentis demonſtrant. Quanta immanitas eorum fuit, qui Saturno aut Molocho liberos ſuos per ignem conſecrare non horruerunt *, & in ætatem innocentiſſimam, in chariſſima pignora, in ſua ipſorum viſcera ſævire ſuperſtitione coacti ſunt? Taceo fædiſſimas libidines, aliaq́ue nefanda, quæ ſacrorum prætextu exercere, vel auribus oculiſq́ue uſurpare coëgit ſuperſtitio. Ut non mirum ſit, Poëtam, qui nullam religionem nôrat, quæ ſuperſtitio non eſſet, vel potiùs ſuperſtitionem religionem eſſe putabat, exclamaſſe: *Tantùm religio potuit ſuadere malorum!* † Jam verò omnis religio, ſi nullus eſt revera Deus, ſuperſtitio erit; & tandem in atheiſmum omninò abibit. Nihil enim fictum perpetuum: quin ne diuturnum quidem eſt, niſi aliquid tamen veri ſubſit, quo fulciatur. Ideo omnes, quæ olim univerſum orbem occupaverant, religiones, vel potiùs ſuperſtitiones, deſierunt. Sola Judaica, quia veris nixa eſt fundamentis, etſi multis modis contaminata, hodieq́ue perſtat. Chriſtiana quoque, quæ illam pro vera agnoſcit, & ex ea quodammodo enata, pietatem ad ſummum perduxit, per ſummas difficultates eluctata perſtat; licèt per multa ſecula innumeris propè erroribus fuerit conſpurcata, & tenebris involuta denſiſſimis; perſtitura tam diu, quàm diu mundus hic duraverit. Id ergo demùm perpetuum eſt, quod fictum falſumq́ue non eſt. Imò quod penitus fictum, ne diuturnum quidem eſt. Nam quòd & ſuperſtitiones multæ diu durarunt, id eam ob cauſſam factum eſt, primò quia, utut malè conſtitutæ atque extructæ, hoc tamen fundamento fuerunt nixæ, eſſe Deum, eſſe religionem aliquam. Deinde quia nulla fuit ſuperſtitio, præſertim

* Diſputat. de Repub. lib. 1. cap. 9.
† ibid. cap. 11. * ibid. cap. 12.

* vide Plutarch. lib. de ſuperſtitione ſub ipſum ferè finem.
† vide etiam Lipſii monita & exempla Pol. lib. 1. cap. 2. de Superſtitione.

diutur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

diuturna, quæ non dæmonum aſtu excitata ſtabilitaque fuerit, vel prodigiis quibuſdam aut oraculis, vel aliis occultioribus fraudibus. Dæmonibus autem poſitis, Deum etiam omnino ponendum eſſe, ſequenti capite docebimus. Itaque ut ſcelerum, ita & ſuperſtitionis in orbe diuturnitas, ſeu mavis perpetuitas, non quidem juſtas ac legitimas, ſed tamen veras quaſdam habet cauſſas. Hujus autem perpetuitas cauſſas haberet nullas, ſi nullum eſſet numen, nullus occultus humani generis rector. Quare ut ad id redeamus, unde profecti ſumus; ſi Deus non foret, omnia tandem in atheiſmum abirent: & hic tandem omnium, quæ in mundo fiunt, finis eſſet, ut ubivis gentium immaniſſima ſcelera impunè exerceantur, & omnis naturæ ordo, qui longè eſt pulcherrimus, in confuſionem ac perturbationem rerum ſummam, omnis bonitas in id, quod peſſimum ac deteſtabiliſſimum eſt, exeat. At non exibit, ſi Deus eſt, (ſicuti revera eſt) tum ſcelerum ultor, tum pietatis cuſtos, ac remunerator. Ita enim religio, ita pietas, ſtabile nacta fundamentum, perpetuò conſiſtere poterit; & ipſa impietas laudi ac præmio pietatis, quam oppugnat, ſerviet; utraque autem, cùm juſtam referet à ſummo rerum omnium rectore ac judice mercedem, ipſius gloriæ atque honori miniſtrabit. Hoc rerum fine nihil melius, ordine nihil pulchrius, aut rationi convenientius.

Cap. VI.

Deum eſſe ex iis oſtenditur rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt.

Reliquum nunc eſt, ut ea videamus divinitatis argumenta, quæ ex illis peti rebus poſſunt, quæ præter naturam exiſtunt aut fiunt. Etſi verò principem inter hæc locum merebantur ea, quæ Chriſtianæ religionis confirmandæ cauſſa ſunt miraculoſe facta: tamen quia his ibi propriè locus eſt, ubi de veritate Chriſtianæ religionis agitur; ideo ea hoc loco à nobis non attingentur. Similiter nec de illis hîc quicquam dicturi ſumus, quæ ad Moſaicam religionem propriè ſpectant. Alia nunc proferemus in medium. Et illud quidem primùm, quòd ſpiritus ſint aliqui intellectu præditi, quibus cum hominibus aliquid ſit commercii, quique iis aut gratificentur, aut adverſentur, bene aut malè faciant. Eos autem intelligimus ſpiritus, quos profani ſcriptores Genios appellant, aut Dęmones; quod poſterius nomen nos ad malos tantùm referre ſolemus. Generalius Angelorum nomen eſt: quamquam ſimpliciter uſurpatum, malis vix tribui ſolet. Hujuſmodi ſpiritus ſi extare docuerimus, facile intelligetur, Deum eſſe, qui & illis, & hominibus ſummo cum imperio præſit. Et ſanè vel nemo, vel vix quiſquam eſt, qui planè perſuaſum habeat, ſpiritus hujuſmodi extare, quin ſimul etiam credat, Deum, ſeu numen aliquod eſſe. Etenim vel ſpiritus illi ſinguli prorſus ſunt liberi, ac nullius imperio ſubjecti; vel alieno imperio ſubſunt. Si ſinguli ſunt prorſus liberi, (quod tamen à ratione abhorret) cum iidem hominibus occulta quadam ratione benefacere aut malefacere queant; ſinguli etiam Dii quidam erunt. Quòd ſi alieno imperio ſubſunt, æquè, aut etiam multò magis Deum eſſe neceſſe eſt, vel unum, (ut nos credimus, & ratio dictat) vel plures. Unum, ſi unius imperio ſummo ſubſint omnes: plures, ſi plurium. Etenim qui ſpiritibus illis ſummo cum imperio præeſt, is non poteſt non eſſe & hominum Deus. Quis enim ejus poteſtatem non agnoſcat, qui ſpiritibus, præſtantiſſimam quandam naturam, humanâ certè longè præſtantiorem, adeptis, ſummo cum imperio præſit; & iis quidem ſpiritibus, qui occulta quadam ratione hominibus & bene & malè facere poſſint? Quandoquidem neceſſe eſt, ut idem ille hominibus, vel per ſe, vel per ſpiritus ſibi parentes, benefacere, aut malefacere, præter naturæ curſum poſſit. Quis ergo præpotentem hunc dominum ac principem religioſe non putet colendum, &, quacunque ratione poſſit, demerendum? Sed præterea, ſi ſocietas inter ſpiritus illos eſt aliqua, etiam imperium aliquod ſummum eſſe neceſſe eſt, idque naturâ ſuâ omnium præſtantiſſimum. Etenim ſocietas nulla, præſertim inter multos, ſine imperio conſtare poteſt. Cum autem naturâ ſint præſtantiſſimi; non eſt dubitandum, eo illos imperii genere gubernari, quod naturâ ſuâ omnium eſt præſtantiſſimum. Id verò ſapientum judicio eſt monarchicum. Quòd ſi quis eſt illorum ſpirituum monarcha ſeu ſummus princeps; ſimul & hominum erit Deus, uti paulò antè vidimus. Eſſe autem inter illos ſocietatem neceſſe eſt, niſi dicas, omnes prorſus, non modò malos, ſed & peſſimos eſſe, ac ſibi ipſis infeſtos. Etenim bonus bono, ſi eum modò noverit, non poteſt non eſſe amicus, & cum eo ſocietatem (niſi fortè loci diſtantiâ prohibeatur) colere: cum & inter malos aliqua ſit ſocietas. Nempe quia ne mali quidem, ſi conſulere ſibi velint, omnibus bonitatis partibus carere poſſunt. Sed incredibile prorſus eſt, ſpiritus illos omnes eſſe malos, nedum ita, ut ſibi ipſis quoque infeſti cenſeri debeant. Quòd ſi enim homines, qui ad peccandum adeò ſunt naturâ proni, utpote quos innatus corpori terreno ſenſus & appetitus, tot illecebris, veluti catenis injectis, ad vitia trahit, non omnes tamen ſunt mali, nedum peſſimi, ac ſibi ipſis infeſti: quis id de ſpiritibus credat, longè præſtantiorem humanâ naturam adeptis, & à terreni corporis contagione ſejunctis? Adde, quòd, ſi omnes eſſent mali, ac multò magis, ſi omnes peſſimi, nullus in humano genere virtuti locus eſſet, niſi aliquem illis omnibus potentiorem ponas, qui eorum potentiam coërceat, & tum virtutis, tum eorum, qui virtutem colunt, ſit cuſtos: qui ſi extat, Deus eſt. Etenim mali eos, cum quibus aliquid eſt ipſis negotii, vel ſuis moribus obſequi ac favere volunt, vel extinctos, ac perditos cupiunt; idque tantò magis, quantò ſunt ipſi pejores. Habere autem ſpiritus illos cum hominibus aliquid commercii, poſtea intelligetur. Itaque ſi mali forent omnes; omnes homines vitiis ac ſceleribus favere cuperent; &, qui obſequi cupiditati ipſorum nollent, eos vellent perditos; ac porrò, niſi aliquis eos coërceret potentior, bonos omnes protinus perderent atque extinguerent. Quomodo enim homines ſpiritibus, quos cernere non poſſunt, obſiſterent? quomodo eorum inſidias evitarent? præſertim cum neceſſe ſit, eos, qui præſtantiorem præ hominibus naturam adepti ſint, vires etiam ac facultates habere humanis majores. Itaque ſi hujuſmodi extant ſpiritus, ſive boni ſint, ſive mali, (quemadmodum quidem nos eorum alios bonos, alios malos eſſe credimus) Deum eſſe neceſſe eſt.

Id ergo ſupereſt, ut doceamus, extare ſpiritus, quibus cum hominibus aliquid ſit commercii. Hîc ſi ſolâ veterum ſapientum auctoritate pugnare vellemus, quibus homines à religione alieni non parùm alioqui tribuere ſolent, *quovis dato judice*, ut graviſſimus auctor Plutarchus ait *, *evinceretur, teſtibus productis ſapientibus atque antiquis, naturas eſſe quaſdam, veluti in confinio Deorum* (ſic enim ipſe ſentit) *atque hominum interpoſitas, motibus, quibus mortalia afficiuntur, mutationibuſque obnoxias neceſſariis, quos Genios majorum inſtituto vocari rectum ſit*. Sed nos experimenta potiùs illa in medium afferemus, quæ veteres etiam paganos induxerunt, ut Genios eſſe crederent. Et Plato quidem, cujus univerſa ſchola Genios conſtanter aſſeruit, documentum eorum ſat evidens habuit in præceptore ſuo Socrate. De illius enim dæmonio, tum ipſe, tum Xenophon, qui eodem vixit ævo, tum Plutarchus ſcribit; & hujus quidem poſtremi libellus extat integer, qui de Socratis Genio aut Dæmone inſcribitur. Narrat autem Xenophon †, Socratem multis ex familiaribus atque amicis prædixiſſe, hæc quidem facienda eſſe, illa omittenda, tanquam à Genio antè ſignificata; & illis, qui paruerint, id profuiſſe; qui non paruerint, obfuiſſe. Ut autem iſta Socrates confingeret, id ab ejus moribus alieniſſimum fuiſſe, tum Xenophon,

* De oraculorum defectu. † ſub initium lib. 1. Memorab. Socratis.

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tum Plutarchus ſatis oſtendit. Præſertim quia fieri non potuiſſet, quin eventus vanitatem ejus ſæpe proderet, ſi illa, quæ amicis prædixit, humani ingenii aciem fugientia, à dæmone ipſi revera ſuggeſta non fuiſſent, ſed ab ipſómet excogitata. Habuerunt præterea priſci illi homines complura, & omnium oculis expoſita Geniorum documenta in oraculis, quæ non uno in loco per non pauca ſecula conſtanter fuerunt edita: de quibus, cur hinc inde deſierint reddi, libellum integrum conſcripſit Plutarchus. Fieri autem nulla ratione poteſt, ut humanis illa omnia artibus perficerentur: cùm tot, tam aſtuti ex omnibus locis ac regionibus ad oracula illa conſulenda confluerent homines: qui non potuiſſent non facillimè fraudem humanam, in tanta rerum ac negotiorum à conſultoribus propoſitorum varietate deprehendere, præſertim cùm non deeſſent, qui ea omnino de cauſſa accederent, ut fidem oraculorum explorarent. Itaque non potuiſſent oracula illa diu ſuam tueri famam atque auctoritatem; nedum per tot ſecula. Nunquam certè ita deſipuit univerſus orbis, quin aliquid, in graviſſimi licèt erroris conſtantia, ſeu mavis pertinacia, ſequeretur veri. Quare licèt fraus oraculis ſubeſſet, maximè ſi eorum ſcopum ſpectes, (is enim ſuperſtitio erat atque impietas) fraudem tamen ab eo ingenio, quod ſuprà humanæ mentis aciem eſſet, proficiſci ac foveri fuit neceſſe. Neceſſe, inquam, omnino fuit, ut multa oraculorum ope patefierent, ad quæ nullius hominis acumen poſſet pertingere. Dignus autem fuit orbis impius, & in Deum auctorem ſuum, & patrem benigniſſimum ingratus, ut dæmonum fraudibus & inſidiis permitteretur. Oraculis & prodigia illa ſunt addenda, quæ ab hiſtoricis veteribus, cæteroqui minimè vanis aut credulis, ita conſtanter narrantur, ut ipſóſmet illis credidiſſe ſatis appareat. Certum quidem eſt, conficta fuiſſe plurima: ſed niſi aliqua fuiſſent vera, hoc eſt, talia, quæ nec ipſius naturæ viribus, nec humana arte poſſunt perfici, tanta illis fides, etiam a prudentiſſimis viris, non fuiſſet adhibita. At nunc, quia vera quædam extiterunt, inclinatis jam per illa ad ſuperſtitionem animis, etiam ficta fidem apud vulgus, quædam etiam apud cordatos invenerunt. Denique manifeſtè id ipſum, quod aſſerimus, docent artes magicæ, pythonicæ, necromanticæ, & aliæ ſimiles, quæ non niſi ope malorum quorundam geniorum perfici poſſunt. Earum autem exempla omnis ætas, omnis regio tulit; adeo ut, ſi quis eas negare vellet, eum omnium ſeculorum hiſtoriis fidem abrogare, & multiplicem noſtrorum temporum experientiam in dubium vocare foret neceſſe. Scripſerunt hac de re varii, iíque doctiſſimi viri, & multis exemplis oſtenderunt, eas artes non ſine manifeſto effectu exerceri conſueviſſe. Quin & regiones ſunt nonnullæ, nobis ſat vicinæ, in quibus hujuſmodi artes admodum ſunt vulgares*. Neque verò refert, quòd de quibuſdam harum artium effectis, inter ipſos viros doctos, qui de illis ſcripſerunt, diſputatur. Nam primùm de multis aliis nulla eſt inter eos controverſia: ut de rerum occultarum patefactione, de ſpectris, de ſenſuum aut phantaſiæ deluſione, omnem naturalium rerum vim excedente. Ea verò vel ſola nobis ad id, quod volumus, probandum ſufficerent. De quorum autem effectuum generibus inter illos certatur, de iis non tam quæritur, utrùm prorſus ficta ſint, quàm an talia revera ſint, qualia vel ab ipſis ſagis ac veneficis perhibentur, vel vulgò eſſe creduntur. Alii enim ea reipſa fieri à Dæmone contendunt; alii phantaſiam tantùm aut ſenſus ita cenſent ab eo deludi, ut id fieri putent homines, quod revera non fiat. Sed deinde ii, qui nonnulla eorum fieri poſſe negant, quæ a ſagis atque aliis conſtanter aſſeruntur, ab experienta nonnunquam nimis receſſerunt, rationes nimirum fallaces ſequuti, ut ab aliis poſtea fuit oſtenſum. Quanquam ut de prodigiis, quæ à profanis ſcriptoribus narrantur, antea diximus, multa nimirum fuiſſe conficta, ſed nihilominus pro veris habita, propter alia non ficta: ita & de magicarum artium effectis cenſemus. Itaque nec propterea, quòd multa vera ſint, omnibus fides eſt adhibenda: nec quia multa falſa, omnibus fides eſt deneganda. Quòd ſi nihil eſſet aliud, quo ea probaremus; ſufficere nobis deberent ea, quæ his ipſis annis in media Germania*, locis ſat notis, & Epiſcopatuum nomine claris, geſta fuerunt. Siquidem & publicis ſcriptis, & ipſâ famæ conſtantiâ confirmatur, repertam illic ingentem eorum, qui cum Dæmone conſpiraverint, multitudinem: eamque peſtem per omnium ordinum atque ætatum homines adeò graſſatam eſſe, ut ne pueritia quidem à tam nefando ſcelere fuerit immunis. Vana quidem ea eſſe mallemus: ſed quia nimis certa eſt impietas, ſaltem hoc commodum vel invita præſtet pietati, ut Deum eſſe demonſtret, qui bonos contra tantos dæmonum aſtus ac crudelitatem defendat. Neque verò refert, quòd in iis, quæ de magis ac veneficis hinc inde referuntur, quædam addantur, quæ ſuperſtitionem redoleant, quaſi nimirum dæmones hæc aut illa reformident, quæ nullam adverſum eos vim habere liquet. Nam neque nos nihil prorſus his narrationibus falſi admiſceri dicimus. Ecquæ verò hiſtoria, præter ſacram, adeo felix unquam fuit, ut nulla ei erroris labes aſpergeretur? Certè ſi hujuſmodi ab hiſtoricis fidem requiſiveris, omnem omnibus profanis hiſtoriis fidem abrogabis. Quis unquam ita rem exactè novit, præſertim quam oculis non uſurpârit, vel auribus præſens hauſerit, ut non alicubi laberetur? Deinde non modò incredibile non eſt, ſed plùs quàm credibile, Dæmonem ita aſtutè ſuum agere negotium, ut etiamſi tandem magicæ artis impietas extinguatur; animi tamen hominum ſuperſtitione aut impietate alia teneantur, in eaque confirmentur. Itaque conſentaneum eſt, eum interdum fingere, illa ſibi valde eſſe formidanda, quæ minimè ſunt, quæque ipſe cupit animis hominum penitus infixa, & ſuis conſiliis cernit aptiſſima. Nulla ergo cauſſa eſt, cur ea, quæ omnium temporum exemplis, omnium populorum teſtimonio, & hujus ipſius ætatis experientiâ comprobantur, in dubium vocentur. Quòd ſi quis paulò curioſiùs in exempla voluerit inquirere; vereor, ne nimis multa ſit reperturus. Siquidem nobis nihil tale quærentibus, ab hominibus minimè vanis ea ſunt narrata, quæ dubitationi nullum locum reliquére. Ab aliis, quòd tam diu, tamque manifeſtè inimicam magicæ artis vim experti fuerint, ut in eo falli nullo modo potuerint. Ab aliis, quòd ea oculis ſuis uſurpaverint, quæ humana tantùm arte præſtari à magis nullo modo potuerunt. Ab aliis, quòd errore aliquando implicati, ea ſortilegii genera, quæ ſanctioribus in ſpeciem verborum formulis perficerentur, cum certiſſimo effectu non ſemel exercuerint. Neque verò eſt, quòd quis objiciat, impios quoſdam homines magicas artes tentaſſe, earum tamen vim experiri non potuiſſe. Siquidem earum vis omnis, partim à malorum ſpirituum, partim à Dei pendet arbitrio, qui ſpiritus illos nunc cohibet atque impedit, nunc habenas illis laxat. Itaque non eſt neceſſe, ut ſpiritus illi ſemper cupiditati hominum velint obſequi; & nonnunquam ſui compendii cauſſa poſſunt illis operam ſuam negare, qui eam maximè requirunt. Arbitrium enim ad neceſſitatis legem cogi non poteſt. Lex neceſſitatis eſt, ut res eodem ſemper modo fiat. Arbitrium etiam iiſdem cauſſis poſitis, aliter atque aliter agere ſæpe poteſt: multò magis cùm diverſæ ſunt cauſſæ. Sed deinde, utut dæmones gratificari hominum impiorum voluntati cupiant; non ſemper tamen id in ipſorum eſt poteſtate, Deo illos cohibente: vel quia nolit homines impios deſideriis ſuis potiri, & in ſummis ſceleribus veluti exultare; vel quia aliis fortè hac ratione noceri nolit. Quanquam & aliæ poſſunt eſſe hujus rei cauſſæ, nobis ſæpe occultæ. Quòd ſi enim homines hominum conſilia eorumque rationes non ſemper cernimus; quid mirum, Dei ſapientiſſimi conſilia, eorúmve cauſſas nos ſæpe ignora-

* Vide inter alios Andream Cæſalpinum Inveſtig. Dæmon. Peripat. Joh. Bodinum Dæmonomaniâ. Martinum Delrium Diſquiſit. Magic. Joh. Wierum de Præſtig. Dæmonum.

* Herbipoli ſeu Würtzburgi & Bambergæ.

re?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

re? Regum conſilia, quorum tamen actiones omnium ferè oculis obſervantur, divinare ſæpe difficile eſt; & ſolent eſſe aliqua imperiorum ſecreta, non cuivis obvia. Quid ergo de ſummi regis conſiliis ſtatuemus, cujus ſapientia tanta eſt, ut noſtra illius vix gutta ſit?

Hucuſq; primum vidimus divinitatis argumentum, ex illis ductum rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt. Addamus alia, & quidem, ut apud impios etiam fidem faciliùs inveniant, ab ejuſdem notæ hominibus obſervata, & literis prodita. Eorum autem duo potiſſimùm apud Machiavellum reperias; cujus qui fuerit in religione ſenſus, jam ſuprà diximus, & ex his ipſis, quę afferemus, prudentibus facilè conſtabit. Prius eſt, quòd integro capite probat,* *Magnos motus prædici ſolere, cùm in urbibus, tum in provinciis: idq́ue ſignis quibuſdam, aut hominum præſagiis denunciari.* & rem hanc tractare incipiens, *ut cauſam*, inquit, † *facilè confitebor me ignorare: ita rem ipſam cùm ex antiquis tum novis exemplis agnoſcere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, quicunque aut urbi alicui aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis aut cœleſtibus ſignis prædici ac prænunciari ſolere.* Quod poſtea exemplis quibuſdam oſtendit, quorum plurima adducere ſe poſſe aſſerit. Simul autem ſatis apertè demonſtrat, & nullum ſe revera Deum agnoſcere; & tamen, quòd non agnoſcat, excuſationem ſe habere nullam. Nam ſi Deum aliquem agnoviſſet, cur cauſſam harum rerum ignorare ſe diceret? cur non protinus cogitaret, à Deo, qui humani generis curam gerat, futuros motus prodigiis ac ſignis cœleſtibus ſignificari? Cur poſtea, ignorantiam cauſſarum, unde iſta proficiſcantur, iterum confeſſus ſcriberet: *niſi fortè cum Philoſophis quibuſdam pronunciandum cenſeamus, aërem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe, quæ futuras res prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuncient, ut ſe adverſus eas tempeſtivè præparare & communire queant.* Cur adeo hęſitanter de ſpiritibus illis loquitur? aut cur ſigna illa non potiùs ad numen aliquod vel rectà, vel ſaltem tanquam ad primum fontem retulit, ſi aliquod agnovit? Agnoſcere autem vel his ipſis indiciis admonitus debebat. Nam etiamſi tandem ad ſpiritus in aëre degentes hæc referas; (id quod illi homini, ut apparet, inter cætera viſum eſt maximè probabile:) nihilominus tamen Deum eſſe confitendum erit, ut à nobis eſt paulò antè oſtenſum. Certe ſi ſpiritus illi prævidere caſus futuros, licet adhuc occultos, poſſunt, & hominum vicem dolent, ac prodigia ſignáque cœleſtia, ut illos moneant, queunt excitare; dubium non eſt, quin & multis aliis modis eoſdem juvare poſſint, ſi velint. Siquidem ad homines juvandos ſæpiſſimè nec plus ſcientiæ, nec plus facultatis ac virium requiritur, quàm ad prodigia illa patranda, quibus futuri motus ſignificentur. Itaque vel ipſi Dii quidam erunt, ſi nulli alii parent domino ac principi; vel, ſi hoc abſurdum eſt, ut ſanè eſt, confitendum erit, aliquem eſſe illorum principem ac rectorem, qui ſimul & humani generis ſit Deus.

Sed erunt fortaſſe, qui ab aſtris tum motus illos populorum, tum eorum præſagia proficiſci dicent: quemadmodum & tempeſtates, & earum ſigna ſoleant ab iis proficiſci. At ſi ita ſe res habet, neceſſe erit aſtris ſcelerata hominum facta ac conſilia, ex quibus motus plerique ortum ducunt, & ſine quibus non conſtant, vel cognita eſſe, antequam fiant; vel ipſiſmet tanquam cauſſis efficientibus adſcribi. Quorum prius ſi dixeris; ex aſtris Deos facies, ut antè de ſpiritibus diximus, niſi aliud numen ſuperius agnoſcas. Quî enim dii non erunt, qui & facta hominum cernant, & futuros caſus, ipſiſmet hominibus adhuc incognitos prævideant, & eoſdem antè ſignificent, & denique promoveant, ſi nullius imperio ſubſint? Itaque nihil reſtabit aliud, quàm ut cum antiquis barbaris, hominibus ſuperſtitioſiſſimis, aſtra adores. Quid autem ſtultius, quàm aſtra adorare, ac pro Diis colere, quæ neceſſitatis lege ſaluti animantium, atque hominum uſibus miniſtrant? Si poſterius; & innocentiſſima aſtra, atque in ſalutem humani generis data, atrociſſimi criminis, ſummiq́ue in homines maleficii accuſabis; & ſimul omnia hominum ſcelera, tanquam aſtrorum lege atque efficaciâ perpetrata, excuſabis; omnem legum, omnem præceptorum atque admonitionum vim enervabis; omne pœnarum ac præmiorum meritum tolles. Quorſum enim iſta, ſi aſtrorum arbitrio omnia humana gubernantur, & eorum vi, quæ immutabilis eſt, etiam flagitia deſignantur? Quamquam quî fieri poteſt, ut aſtra homines adigant ad ea facta, quæ, ſi illis credimus, qui aſtris omnia imputant, ſeveriſſimè prohibere, damnare, vindicare jubent? Etenim ſi omnia humana aſtrorum vi gubernantur ac perficiuntur; etiam leges ſapientiſſimorum virorum illis erunt adſcribendæ, quibus flagitia pœnis graviſſimis propoſitis vetantur; atque adeo ipſa lex Moſaica, & ſanctiſſima Chriſti diſciplina; quemadmodum ſanè nonnulli ſatis audacter faciunt. Similiter & cruciatus conſcientiæ, ſcelera ſua damnantis, & ſupplicia magiſtratuum, quibus ea plectuntur, aſtris erunt tribuenda. Quî ergo ſibi ipſis ita adverſantur, ut ad illa homines adigant, quæ graviſſimè interdicunt? quî ea perpetrare jubent, quæ ſeveriſſimè damnant, ac diriſſimis ſuppliciis ulciſcuntur? Adde, quòd hæc ipſa, quam nunc defendimus, ſententiâ, hominum propè omnium mentibus impreſſa, eſſe nimirum Deum, qui religioſe ſit colendus, ad ſiderum vim erit referenda. Quòd ſi ergo quiſpiam ad aſtra res humanas omnes ita referat, ut interim Deum eſſe neget; is ab ipſiſmet aſtris refutabitur, quæ omnibus generatim terrarum populis illam de Deo ac religione ſententiam impreſſerint. Quòd ſi nihilominus ſuam ſententiam veram, noſtram falſam eſſe contenderit; videat ſanè, ne ſeipſum ad mendacium tum credendum, tum pertinaciter defendendum ab aſtris factum eſſe, hac oratione imprudens doceat. An enim credibile eſt, ab aſtris maximam potiùs generis humani partem, adde ſimul optimum quemque & virtutis ſtudioſiſſimum, ad mendacium, quàm paucos aliquos factos eſſe? Certè ſi ea ſpectemus aſtrorum effecta, quæ ſenſibus omnium ſunt manifeſta; cernimus, ea hominibus generatim omnibus eſſe ſalutaria. Quî ergo fieri poteſt, ut ad mendacium in re maximi momenti, ad ſuperſtitionem, genus humanum propè univerſum finxerint atque adegerint, & adhuc adigant? Quòd ſi quis dixerit, aſtra non niſi per accidens excitare motus ac tumultus; quatenus nimirum vis illorum incidat in animos ad eam rem veluti præparatos, & materiem quandam turbarum in rebus humanis inveniat; jam ad illa ſignorum iſtorum cauſa per ſe referri nullo modo poterit; ſed omnino neceſſe erit, unam aut plures eſſe cauſſas intelligentiâ præditas, quæ vel ipſæmet ad motus incitent homines, vel cauſſas illorum motuum prævideant, & quid ſecuturum ſit, ſignificent. Nam aliàs quo pacto cupiditas v. g. bello regionem aliquam petendi, in hominum animis enata, efficere poteſt, ut in illa regione imagines exercituum armis inter ſe concurrentium, in aëre appareant; aut ut vox alicubi exaudiatur humanâ major, id ipſum, quod futurum eſt, prænuncians? aut quo pacto cauſſæ illæ, quæ mortem principi alicui adferunt, ſive ipſius naturæ imbecillitas, ſive caſus aliquis, ſive intemperantia, ſive incuria, ſive inſidiæ, efficere poſſunt, ut cœleſti igni ædificii alicujus pars tangatur, quæ interitum ejus principis ſignificet? Talia autem ſunt ſigna illa, quorum exemplo Machiavellus ſuam aſſertionem confirmat; quibus plurima in hiſtoriis leguntur ſimilia. Unde idem ille homo ad nullam ex cauſſis naturalibus ſignorum illorum originem retulit: ſed id rationi maximè conſentaneum putavit, ut, ſi ſpiritus aliqui ſint in aëre degentes, ad eos ſignorum iſtorum cauſſa referatur. Vidit nempe, cauſſam hîc requiri mente præditam, hominibus ipſis & ſapientiorem, cùm occultas rerum futurarum cauſſas ſagaciſſimè prævideat; & potentiorem, cùm meteora etiam præter communem naturæ curſum moderari, & ad ſenſa ſua hominibus ſignificanda uſurpare queat. At poſita tali cauſſa,

* Diſput. lib. 1. cap. 56. † Vid. etiam Exempla & Monita Polit. Juſt. Lipſii lib. 1. cap. 5. Mon. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſive unâ, ſive pluribus, Deum neceſſariò ponendum eſſe, ex ſuperioribus ſatis conſtat. Quominus verò eum homo ille, cæteroquin acutus, agnoſceret, duo videntur obſtitiſſe; probitatis defectus, & manifeſti illarum, quas in terris vigere tunc vidit, religionum errores; quin & eorum, quibus minimè omnium conveniebat, impietas, quam ipſemet ex parte ſuis ſcriptis notavit.

Sed jam tempus eſt, ut poſterius afferamus ex ejuſdem hominis ſcriptis divinitatis argumentum. Id autem eſt, quòd integro itidem capite probat, *Fortunam* (ſic enim ille loquitur) *hominum animis tenebras offundere, ne vim ſuam ingruentem refringant.* & rem ipſam exorſus ait, *multa accidere ex fato ita urgente, ut iis obviam ire nemo poſſit, quamvis in promtu remedia fuerint.* Id quod exemplo luculentiſſimo docet cladis illius, quam populus Romanus olim accepit, urbe à Gallis capta. Oſtendit enim, omnia fato quodam ita contigiſſe, ut nec evitari tanta clades poſſet, nec tamen Romano populo exitium afferret, ſed eum potiùs cautiorem ac prudentiorem in poſterum redderet, & ad tantam imperii molem ſtruendam veluti præpararet. Addit tandem: *facilè appariturum hiſtorias omnis generis percurrenti, homines fati neceſſitatem evitare non poſſe: ſed faciliorem eventum iis, quæ ab eo impendent, efficere, eumq́ue promovere.* Et ſanè videmus, de fatali neceſſitate, cui res actionesq́ue humanæ ſint ſubjectæ, apud varios auctores, hiſtoricos, philoſophos, oratores, ac poëtas, multas extare ſententias, quarum non paucas Politici quidam ſcriptores * collegerunt, & exemplis illuſtrarunt. Ex iis autem ſatis apparet, vim quandam eſſe humana majorem, quâ hominum actiones atque eventus gubernentur; nec eam brutam, aut conſilio deſtitutam; ſed quæ aptiſſimis mediis ad finem certum tum collimet, tum res perducat. Id quod non niſi illius eſt, quod conſilio agit. Itaque fruſtra illi ſunt, qui ad aſtra hæc referunt; niſi fortè aſtra putant conſilio eſſe prædita, &, cum tantam in univerſa hominum vita gubernanda vim habeant, eorundem eſſe rectores, atque adeò Deos. Id quod nemo non falſum eſſe cernit: & vel hoc ſolo refutatur, quòd aſtra hominum utilitati naturæ lege ſerviant: homines aſtris haudquaquam. Reſtat ergo, ut alius ſit occultior generis humani rector, qui ea, quæ fato creduntur accidere, vel ipſemet efficiat, vel cauſſas earum rerum efficientes partim non impediat, partim etiam gubernet, & ad finem ſeſe dignum dirigat. Et profectò ſi quis res humanas, & maximè ſuas actiones, ac, qui eas conſequuntur, eventus diligenter obſervare velit; nec pauca, nec obſcura deprehendet divinæ providentiæ, & gubernationis cæteroquin occultæ argumenta. Ea certè nec nobis hæc ſcribentibus defuerunt, pro quibus divino numini gratias meritò & agimus, & porrò acturi ſumus. Sed nimirum multi, vel quid ſecum aut cum aliis fiat, non multò conſiderant magis, quàm bruta: multi rerum tantùm initia intuentur; finem, ad quem divina providentia, lentè quidem atque occultè, ſed ſatis tamen efficaciter res ducit, non ſpectant: vel ad apertas tantùm rerum cauſſas, prima ſtatim fronte ſeſe oſtendentes, reſpiciunt; occultiores, quæ cum tempore demum patefiunt, non attendunt.

Sed dicet hîc aliquis: ſi eſt aliquis ſupremus humani generis rector, & quidem, ut ſtatuitur, omnipotens, omniſcius, optimus; quî fit, quòd vel nunquam ſeſe conſpiciendum mortalibus præbet, vel ſaltem tam evidenter ſeſe demonſtrat exiſtere, ut nullus planè ſit de eo dubitandi locus? quî fit, quòd ſcelera, quæ in orbe paſſim deſignantur, fieri permittit, & quidem, ut videtur, impunè? cur non ſtatim fulmine ſuo petit impios, & ad tartara mittit? cur bonos ſæpè opprimi à malis, optimos à peſſimis ſinit? cur hos florere opibus, circumfluere omni voluptatum genere patitur, illis cum anguſtia rerum, cum variis difficultatibus ac doloribus propè perpetuò conflictantibus, & ſpiritum ægrè trahentibus? Cui quidem, ſi Deum non agnoſcat,

* vid. 1. Lipſium Polit: lib. 1. cap. 5. & notas ad illud. itemque Monita & exempla Polit. lib. 1. c. 5. inprimis Mon. 3.

longè rectiùs objeceris, cur is naturam, optimam alioqui parentem, tam faciat iniquam, ut præſtantiſſimam ſuam ſobolem, ac felicitate digniſſimam, homines intelligo virtuti penitus deditos, ad cruciatus ac miſeriam producat; cùm eorum dolores ac calamitates, quas totâ ferè vitâ, & ipſius quidem virtutis cauſſa, ſubeunt, & in quibus ipſam ſæpè vitam finiunt, nullo compenſare præmio poſſit. Si enim poſſet, Deus foret. At Deus, quem nos agnoſcimus, compenſare poteſt. Qui enim naturæ auctor eſt, cur non poſſit etiam præter aut ſupra naturam aliquid facere? cur putes, eum ita vim ſuam omnem in naturam effudiſſe, ut nihil ſibi reſervarit ampliùs? Sed quiſquis tandem illa objecerit, is nondum ſatis religionis, hoc eſt, pietatis ac virtutis ingenium novit; non ſatis novit ingenium fidei, quâ religio nititur. Hujus enim vis ibi demum revera cernitur, ubi cauſſæ quidem ſunt credendi ſufficientes, non tamen ejuſmodi, quin dubitare, ſi pertinaciam aut improbitatem veritati opponere velis, poſſis. Nam ea demum vera religio eſt, quæ liberè ſuſcipitur; non quæ cogitur, & ab invito quodammodo extorquetur. Ratione certa niti debet ideò, ut ſimul & prudens ſit, & ſtabilis; ſed tamen non ea, quæ etiam improbum atque à virtute averſum cogat. Quare nec ſeſe mortalium oculis conſpiciendum debet præbere Deus, cujus etiam majeſtatem ferre non poſſent; nec adeò manifeſtè ſe toti hominum generi patefacere, ut de eo ne improbiſſimi quidem homines dubitare ampliùs poſſint: nec porrò impietatem apertis ſuppliciis perpetuò perſequi, pietatem autem manifeſtis ſemper remunerari præmiis. Nam & hoc tam apertum foret divinitatis argumentum, ut de ea dubitationem omnem penitus tolleret. Itaque dum vitiis nullum relinqueret locum; virtutis, quæ in difficultate potiſſimùm cernitur, materiam ſimul tolleret. Quæ cauſſa etiam eſt inter alias, cur & malos toleret Deus, non homines tantùm, ſed & dæmones; & bonos viros ab illis opprimi ſinat, ut horum virtus ampliorem, in quo ſe exerceat, campum habeat; & magno certamine parta victoria, triumpho tantò dignior evadat: & denique tum in præmio reddendo Dei illuſtretur bonitas; tum in ſuppliciis impietati infligendis ſeveritas; in utriſque juſtitia. Sed quia hujus rei explicatio ad tractationem de providentia divina propriè pertinet; ideò ea de re plura hîc non dicemus. Dicentur alibi in hoc opere, ubi de providentia divina ex profeſſo agetur *, & illud quidem nominatim explicabitur, cur bonis in hac vita malè, malis bene eſſe videatur. Quòd ſi quis profanum ſcriptorem legere malit; is vel Plutarchi libellum adeat, quem de iis ſcripſit, qui ſerò à numine puniuntur. Inveniet enim ibi multas eaſq́ue graviſſimas cauſſas ab eo explicatas, cur malis aut parcat, aut parcere videatur Deus. Quòd ſi illis hanc unam addideris, conſtitutum eſſe à Deo diem, quo univerſum orbem juſtè ſit judicaturus, & cuilibet ſecundùm opera ipſius redditurus mercedem; omnis illius objectionis vis penitus evaneſcet. Hujus autem rei veritas nobis eſt demonſtrata, reſuſcitato è mortuis Jeſu, quem Deus vivorum ac mortuorum judicem conſtituit. Quod ipſum ſolidis argumentis, tum alibi eſt à noſtris fuſiùs demonſtratum, tum infrà breviter oſtendetur, ubi de ſacrarum literarum auctoritate agetur, qua pro conceſſa nunc ſumta, ad alia cum Deo bono pergamus.

Cap. VII.

De nominibus Dei.

Ut igitur ad cæterorum explicationem veniamus, quæ de Deo nobis ſunt cognoſcenda; utile eſt à nominibus ipſius, quibus in ſacris literis inſignitur, incipere. Hæc enim ad cognitionem attributorum ejus aliquid nobis adferent adjumenti: quanquam & ab his viciſſim ea lucem accipient. Nomina autem Dei illa intelligimus, quæ ſubſtantiva Grammaticis dicuntur, vel ſaltem hujuſmodi nominum ingenium, cùm

* vid. infra lib. 3. cap. 7.

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de Deo uſurpantur, perpetuò imitantur. Itaque nomina adjectiva ab hac tractatione removemus. Hæc enim non tam ipſum Deum, quàm ejus adjuncta, imò ſi formam eorum ſpectes, non niſi hęc denotant: licèt interdum ad ipſum Deum ſignificandum adhibeantur, ut *altiſſimus* Pſal. 18. 14: XXI. 8: Luc. 1. 32, 35, 76, ut *potens* ibid. ℣. 49. De ſimplicibus autem nominibus nos loqui, omnes animadvertunt, non de iis, quæ periphraſi quadam Deum deſcribunt. Cujuſmodi ſunt illa: *is, qui eſt, & qui erat, & qui venturus* ſeu *futurus eſt* Apo. 1. 4, 8; *is, qui in cælis habitat* Pſal. 2. 4; *is, cujus nomen ſanctum eſt* Luc. 1. 49; & alia complura, quæ divina volumina legenti paſſim occurrunt. Horum enim, uti & adjectivorum nominum explicatio, tum nimis prolixa foret; tum ad tractationem potiùs attributorum effectorumque divinorum ſpectat. Cùm verò ſacræ literæ univerſæ Hebræâ Græcâque linguâ contineantur; omnia illa, de quibus agimus, Dei nomina, vel Hebræa, vel Græca eſſe neceſſe eſt. Et Hebræa quidem ad quatuor potiſſimùm referri poſſe videntur. Eorum primum eſto *El* Gen. 14. 18, & ſeqq. & alibi paſſim. ſecundùm *Eloah* Job. 3. 4: IV. 9, 17: Pſal. 114. 7: Hab. 3. 3, & ejus plurale, quod longè uſitatius eſt, *Elohim* Gen. 1. 1, & d. & alibi paſſim; tertium *Adon* Pſal. 14. 7, &, quod itidem longè frequentiùs de Deo uſurpatur, ejus plurale compoſitum *Adonai* Exod. 4. 10: Pſal. 2. 4: XXII. 31, (al: 32:) XXXV. 17: XXXVII. 13: XXXVIII. 10: XXXIX. 8. & alibi ſæpè; quartum *Jeheveh* ſeu *Jihveh* Gen. 2. 4, 5, 6, & d. & alibi paſſim, tetragrammatum, à literarum apud Hebræos numero appellatum, quod vulgò pronunciant *Jehova*; & eadem, ut apparet, vox contracta *Iah* Exod. 15. 2: Pſal. 68. 5. Addere his licebit quintum *Schaddai* Ruth. 1. 20, 21: Job. 5. 17. & alibi ſæpè: Pſal. 68. 15, quod etſi naturâ ſuâ adjectivum eſſe videtur, & attributum quoddam divinum per ſe denotat: tamen in ſacris literis plerumque, præſertim extra Moſis libros, ſubſtantivi loco ponitur, & Deum ipſum, de quo ſolo effertur, deſignat. Gręca nomina, quibus Deus uſitatè appellatur, duo ſunt, θεὸς & κύριος, Latinis *Deus*; & *Dominus*: pro quo poſteriori interdum ponitur δεσπότης ſeu *herus*. Iſtorum autem duorum nominum Græcorum, prius quidem, tum in ſacris literis N. Fœderis, tum apud Græcos vet. Teſtam. interpretes, omnium frequentiſſimè poni ſolet pro primis duobus Dei apud Hebræos nominibus, *El* & *Eloah* vel *Elohim*: poſterius pro duobus reliquis ex illis quatuor, puta *Adonai* & *Jehova* ſeu *Jah*: licèt veram & nativam hujus poſterioris ſignificationem non exprimat, ut in ſequentibus patebit. Nunc enim de ſingulis vocibus agemus, eo in plæriſque ordine uſi, ut primò propriam cujuſque ſignificationem inveſtigemus, alicubi etiam de aliis vocum affectionibus, ſi quid notatu dignum occurrat, moneamus: deinde verò, ſi pręter Deum ſummum aliis quoque tribui conſtet, quo pacto ad eum inſignitè denotandum adhibeantur, oſtendamus. Si quid erit præter hæc, quod in hac aut illa voce conſiderandum ſit, id in cujuſque tractatione monebitur. Omnibus autem explicatis, de uſu hujus doctrinæ nonnihil adjiciemus. Quod etiam in cæteris, & multò quidem magis, ſumus facturi.

Cap. VIII.
De nomine *El*.

QUod ergo ad vocem *El*, quam primo loco collocavimus, attinet; in eo plærique viri docti & Hebrææ linguæ periti conſentiunt, eam robuſtum, fortem, potentem propriè denotare. Id enim nomen ipſam etiam vim aut facultatem aliquid præſtandi ſignificare, aliquoties deprehenditur. Deut. 28. 32: Neh. 5. 5: Prov. 3. 27. Hinc & à Græcis Veteris Teſtamenti interpretibus ſat multis in locis, ubi de Deo uſurpatur, vertitur ἰσχυρὸς, id eſt, *robuſtus*, *validus*: licèt, ut paulo antè monuimus, omnium frequentiſſimè ab iiſdem reddatur θεὸς, *Deus*; vide inter alia Neh. 1. 5: IX. 31, 32: Job. 22. 13. XXXIII. 29. XXXIV. 31. XXXVI. 22, 26; nonnunquam etiam κύριος, *Dominus*, præſertim apud Jobum Job. 8. 3, 5, 13, 20. IX. 2. XII. 6. XIII. 7. XV. 4, 13, 25, & alibi. Hinc & viri fortes, aut potentes hoc nomine appellantur Pſal. 29. 1. Ezech. 7. 13. XXXI. 11. XXXII. 21. adde & Exod. 15. 15. licèt interdum alia adhuc vox addatur, quæ itidem fortitudinem, robur, aut potentiam ſignificet, ad rem tantò magis augendam. Sic *fortes robuſtorum* apud Ezechiëlem c. 32. 21. ubi vetus interpres Latinus habet *potentiſſimi robuſtorum*, hoc eſt, per Hebraiſmum, heroës aut duces potentiſſimi, validiſſimi, aut fortiſſimi. Sic Chriſtus dicitur vocandus *Deus fortis* apud Eſaiam c. 9. 6; ubi eædem ſunt voces, quæ apud Ezech. loco dicto extant: quas alii reddunt, *heros fortis*; alii à ſe invicem divellunt, & pro duabus diverſis appellationibus reputant. Et Vatablus quidem, vir Hebraicarum literarum peritiſſimus, Chriſtum ob miracula ibi Deum appellandum eſſe notat, ſeu ob potentiam naturæ limites excedentem, cui & poteſtas divina adjuncta fuit.

Ex his autem apparet, hoc nomen, cum naturâ ſuâ commune ſit, ſeu, ut Grammatici vocant, appellativum, κατ' ἐξοχὴν, hoc eſt, per excellentiam ſumtum, ad Deum ſummum denotandum fuiſſe adhibitum, & ſic inſtar nominis proprii uſurpatum. Nempe quia Deus non modò eos omnes, qui aliquid virium aut potentiæ habent, virtute ac robore ſupereminet: ſed etiam quicquid in illis eſt roboris, quicquid potentiæ, id totum iis eſt largitus; cum ipſe à nemine quicquam acceperit. Itaque meritò apud Daniëlem appellatur *El Elim, Deus Deorum* Dan. XI. 36; quaſi dicas, Deorum robuſtiſſimum ac potentiſſimum, eoſque omnes virtute ac potentiâ ſuâ complectentem. Et Moſes in cantico ſuo, ſummam Dei potentiam, cujus ingentia documenta & ipſe & univerſus populus oculis uſurpârat, deprædicans exclamat Exod. 15. 11. *Quis ſicut tu in Diis*, ſeu *fortibus, Domine?* quod ita extulit Pſaltes Pſa. 89. 7, *Quis in cœlo æquabitur Domino? [quis, inquam,] ſimilis eſt Domino in filiis Deorum?* Utrobique pro *Diis* Hebraicè eſt *Elim*.

Cap. IX.
De nomine *Eloah*.

QUod ad ſecundùm attinet nomen *Eloah*, & ejus plurale *Elohim*, quod illo multò frequentiùs reperiri diximus; cenſent rerum Hebraicarum peritiores, id propriè Judicis ac Vindicis habere ſignificationem, & poteſtatis atque imperii eſſe nomen: quanquam illius potiſſimùm eſt, quod naturæ limites ſupergreditur, & illis, qui ei ſe ſubjiciunt, eſt ſalutare. Obſervârunt ex iis nonnulli, doctiſſimum Hebræorum * ad illa Davidis verba Pſal. 4. 1. *Deus juſtitiæ meæ*, ubi extat vox *Elohim*, annotaſſe: *Omne Elohim ſignificationem Judicis habere*: ita ut *Deus juſtitiæ* alicujus, ſit judex ac vindex juſtitiæ, vindex juſtæ, quam quis habeat, cauſſæ. Et hinc eſt, quòd judices aliique principes, qui ſanè omnes judicandi poteſtatem habent, *Elohim* ſeu Dii in ſac. literis Exod. 21. 6: XXII. 8, 9, 28: Pſal. 82. 1, 6: Joh. 10. 34, 35: 1 Sam. 28. 13, 14 appellentur: & cui in alterum poteſtas quædam ſublimis eſt, *Elohim* ſeu Deus ipſius eſſe dicatur, ut Moſes Pharaonis Exod. 7. 1: & Deus ſummus, *Elohim cœli, & Elohim terræ* Gen. 24. 3, 7; ob ſummam, non in ipſum tantùm cœlum & terram, ſed etiam in omnia, quæ illorum amplexu continentur, poteſtatem. Quo ſenſu alibi *Dominus cœli & terræ* appellatur Gen. 14. 19, 22: Mat. XI. 25: Act. 17. 24: Quamquam enim ideo interdum quiſpiam alicujus Deus eſſe dicitur, vel quia ſingularis ipſius ſit benefactor, vel quia ab eo colatur, ut in explicatione nominis θεῦ dicetur inf. c. XIII: in illis tamen locis poteſtatis habetur ratio, quę hoc nomine pręcipuè ſignificatur. Non deſunt tamen, qui id nominis, perinde ut *El*, virium ac potentię ſignificationem habere cenſeant. Nos prius illud verius exiſtimamus: ita tamen, ut haud negemus, id robur etiam ac vires interdum deſignare, & ſic vim obtinere vocis *El*: quemadmodum viceverſa *El*, nonnunquam vim habere videtur nominis *Elohim*, & principatum atque imperium denotare. Græci ſanè interpretes *Elim* nonnunquam ἄρχοντες Exod. 15. ℣. 15.

* R. David Kimchi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Ezech. 31. 11, aut ἡγούμενοι Ezech. 17. 18, reddiderunt. Accidere id videtur ob rerum, quæ iis nominibus propriè deſignantur, conjunctionem quandam. Vires enim imperio adſunt; & tantò quidem majores, quantò ipſum eſt majus. Unde & δυνάσται dicuntur, qui poteſtate atque imperio pollent: quin & illi, qui præcipui ſunt imperiorum alienorum adminiſtri. Contrà etiam viribus, ſaltem iis, quæ naturalium rerum vim excedunt, aliqua adhæret poteſtas ſublimior. Utramque autem ob cauſſam angeli *Elohim*, ſeu Dii in ſacris literis vocari videntur Pſal. 8. 6. confer Heb. 2. 7: Pſal. 97. 7. confer Heb. 1. 6. Nam & *fortes* ſunt *robore*, ut eſt in Pſalmo 103. 20, & occultioris illius, ac naturæ limites excedentis regiminis, quo res humanas gubernat Deus, dignitate proximi ſunt ac præcipui adminiſtri. Qua in re quædam etiam eorum poteſtas cernitur, de qua nunc non eſt fuſiùs dicendi locus.

Hæc autem omnia eò à nobis dicuntur, ut & vis nominis *Elohim* tantò meliùs appareat, & id vocabulum ſuâ quidem naturâ commune ſeu appellativum eſſe intelligatur: ſed, quemadmodum de priori Dei appellatione diximus, κατ' ἐξοχὴν ſumtum, Dei illius, qui à nemine alio imperium accepit, & cujus poteſtas ſimpliciter & abſolutè ſumma eſt, fieri proprium. Etenim cæteri omnes, qui aliquid habent poteſtatis & imperii, id ab ipſo, eóve permittente, obtinuerunt, tenentque: ipſe ſuum nulli acceptum refert. Unde etiam fit, ut cæteri omnes ei ſubſint, & ad ejus nutum ac voluntatem ſeſe jurè attemperent: ipſe ſuperioris imperium non agnoſcat. Quam ob cauſam vel inprimis *Deus Deorum* Deut. 10. 17. Pſal. 50. 1. Et ipſius etiam Chriſti, qui Deus eſt ſuper omnia benedicendus in ſecula Rom. 9. 5. Omniſq; principatus ac poteſtatis caput Col. 2. 10; Deus Pſal. 45. 8. Heb. 1. 9. Mich. 5. 4. Joh. 20. 17. Epheſ. 1. 17. Apoc. 3. 12. ac caput 1. Cor. 11. 3. appelletur.

Eſt autem animadvertendum, *Elohim*, licèt terminatione ſit plurale, ſignificatione tamen eſſe ſingulare, quoties de una aliqua ſive perſona, ſive re effertur. Unde etiam fit, ut licèt de eodem ſubjecto efferatur, cum verbis, vel adjectivis nominibus, nunc pluralis, nunc ſingularis numeri conſtruatur; quod poſterius eſt longè frequentius. Illud ob terminationem contingit; hoc ob ſignificationem. Commune id eſt huic nomini inprimis cum vocibus *Adonim* & *Baalim*, quæ itidem dominium ac poteſtatem deſignant. Nam & hæc, cùm pluralia ſint Grammaticis, vim obtinent haud rarò ſingularium, & de una quapiam perſona efferuntur. Datur id honori ejus, qui ita appellatur. Significatur enim, unum illum, ob poteſtatem dignitatemque inſtar eſſe multorum. Ex quo eodem honoris fonte manavit etiam vulgarium linguarum conſuetudo, unum plurium inſtar compellandi. Docuerunt hæc poſt Hebræos, homines Chriſtiani Hebraicè docti, iique plurimi, & ut à nobis, ita etiam inter ſe ſententiis de religione diverſi. De nomine *Adonim* exempla proferentur cap. ſequenti de *Baalim* alibi *. De *Elohim* dubitare non poteſt, qui animadverterit, unicum Jeſu Chriſti Patrem eo nomine creberrimè in ſacris literis fuiſſe appellatum: alicubi ſimiliter Chriſtum. Exemplum utriuſque rei illuſtre habes Pſal. 45. 7, 8, ubi Propheta Chriſtum in Salomone, ipſius typo & imagine alloquens, *Elohim* appellat; & ſimiliter Deum illum, qui Chriſtum oleo lætitiæ præ conſortibus ipſius unxerit; qui quidem nullus eſt alius, quàm ipſius Pater. Eodem modo vox illa pluralis de unico effertur Angelo Jud. 13. 22. conf. cum ℣. præced. de unico homine, ut de Moſe Exod. 4. 16: VII. 1: de Samuële 1 Sam. 28. 13. conf. cum anteced. & conſeq. de unico idolo, ut de Baal aut Baal Berith Jud 6. 31: VIII. 33: XI. 24: 3 Reg. 18. 25. confer. cum ℣. 21, 26: de Dagone Jud. 16. 23, 24: 1 Sam. 5. 7: de Aſtoreth 3 Reg. XI. 5, 33: 4 Reg. 1. 2, 3, 6, 16. de Chamos, de Milcham: quæ falſa hominum opinione id nomen obtinuerunt. Et hoc pacto videtur accipiendum id, quod in primo Decalogi præcepto dicitur: *Non erit tibi Elohim* (id eſt, *Dii*) *alii*, hoc eſt, Non erit tibi Deus alius Exod. 20. 3. Deut. 5. 7. Quòd enim verbum ſingulare ſit appoſitum nomini *Elohim*, id ſententiæ datum eſt: quòd adjectivum plurale, id terminationi. Sed de conſtructione hac alius erit agendi locus *.

* Volk. lib. 5. cap. 9.

C A P. X.

De nomine *Adon* & *Adonai*.

SEquitur nunc, ut tertium Dei nomen *Adon*, vel potiùs *Adonai* expendamus. Ipſum enim *Adon*, id eſt, Dominus, vix uſpiam abſolutè poſitum, vel ſolum, ad Deum ſignificandum adhibetur, ſed cum adjectione aliqua: ut cùm dicitur, *Dominus univerſæ terræ* Joſ. 3. 11, 13. Pſal. 97. 5. Mich. 4. 13. Zach. 4. 14: vel ſaltem aliud ipſius nomen, quo à cæteris dominis diſtinguatur, ſtatim adjicitur. Exod. 23. 17: XXXIV. 23: Eſa. 1. 24: III. 1: X. 28. Similiter nec plurale *Adonim*, cùm ſubjecti locum obtinet, abſque adjectione aliqua uſurpari conſuevit: ſed appoſito correlativo, ut vocant, hoc eſt, eo expreſſo, cujus dominus ſit is, de quo verba fiunt. Sic Deus dicitur *Dominus Dominorum* Deut. 10. 17: Pſal. 136. 3: *Dominus noſter* Neh. 8. 10: Pſal. 8. 2, 10: CXXXV. 5. CXLVII. 5: quod Hebræis, ſi vocis terminationem ſpectes, eſt *Domini Dominorum*, *Domini noſtri*. Huc etiam pertinet id, de quo nobis præcipuè hîc agendum eſt, nomen *Adonai*, quod ſuprà diximus eſſe plurale compoſitum vocis *Adon*. Redditur quidem propè ſemper ab interpretibus *Dominus* abſolutè; quia particula affixa rarò peculiarem aliquam vim habet, & in Græco Latinoque elegantiùs omittitur: ſed propriè tamen ſignificat *Domini mei*. Cum enim, uti aſſeruimus, nomen iſtud ſubjecti locum obtinens, abſolutè poni non conſueverit, ſed adjecta mentione ejus, ad quem refertur; quiſque autem de Deo reverenter & ſentiens & loquens, eum ſuum ipſius profiteri ſoleat Dominum; inde factum, ut de Deo frequenter admodum uſurpatum fuerit nomen *Adonai*, hoc eſt, ſi ſignificationem magis, quàm terminationem formamque Grammaticam ſpectes, *Dominus meus*. Nomen autem illud non ſimplex, ſed compoſitum eſſe, & literam j in fine affixam, vim habere pronominis *meus*, agnoverunt interpretes tum Græci, tum Latini Pſal. 16. 2: & 35. 23. ubi exigente locorum ſententia, particulam iſtam affixam expreſſe reddiderunt pronomine *meus*. Viderunt enim eam ibi emphaticè poni. Et hæc cauſſa eſt, cur hoc nomen nec alias ſibi particulas affigi patiatur, nec alia nomina regat. Neque enim dicitur, *Adonai hujus* aut *illius*, ſed *Adonai* ſimpliciter. Redditur autem ab omnibus interpretibus numero ſingulari *Dominus*, vel *Dominus meus*; non verò *Domini*, aut *Domini mei*. Qua in re & ſententiæ vim, & frequentiſſimum hujus vocis uſum ſequuntur. Etenim plurale nominis *Adon* ſive ſimplex, ſive compoſitum, quoties de unica tantùm ſubſtantia intelligente, quam perſonam vocamus, effertur, neceſſariò ſenſum habet ſingularem. Exempla habes in ſacris literis plurima: ut de Abrahamo Gen. 24. 9, 10, 51. Potiphare ib. cap. XXXIX. 2, 3, 7, 8, 16, 19, 20. Pharaone cap. XL. 1. Joſepho cap. XLII. 30, 33: XLIV. 8. aliis Exod. 21. 4, 6, 8, 32. v. Ben Ariam. Deut. 23. 15. Jud. 3. 25: XIX. 11, 12, 26, 27. 1 Sam. 20. 38. 2 Sam. 20. 6. Job. 3. 19. Eſa. 19. 4: XXIV. 2. Mal. 1. 6. Imò, quantum adhuc obſervare licuit, haud temerè invenias, ubi verba, *Dominus tuus*, *veſter*, *illius*, *illorum*, aliter, quàm plurali nomine efferantur. At cùm homo hominem appellat ſuum, non alterius dominum, haud facilè reperias pluralem numerum. Tunc enim uſurpari ſolet *Adoni*, id eſt, *Dominus meus*: non verò *Adonai*, *Domini mei*: eam, ut apparet, ob cauſam, ne quis hominem eodem, quo Deum compellare videatur nomine. Quanquam præterea, ut Dei nomen *Adonai*, diſcerneretur à vulgari *Adonai*, quo quis uti poſſit de dominis ſuis pluribus loquens, ultimæ ſyllabæ punctum vocale mutatum eſt. In illo enim à obſcurum eſt, ſed productum: in hoc clarum & breve: quorum illud kametz Hebræis dicitur, hoc pathach. Ceſſat tamen diſcrimen iſtud, cùm appoſitus ei voci accentus diſtinguendi vim habens, quem pauſam vocant, vocalem brevem in longam mutare cogit.

* Volk. lib. 5. cap. 9.

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Ex his autem intelligitur, hoc quoque nomen, ſi originem ſpectes, eſſe commune: ſed eandem ob cauſſam, ob quam cætera, quæ præcedentibus vidimus capitibus, ſupremi rerum omnium Domini, quem *Dominum Dominorum* Deut. 10. 17. Pſal. 136. 3. appellant ſacræ literæ, proprium evaſiſſe: ita quidem, ut eo, quo diximus, pacto ſcriptum, nulli tribuatur alii; niſi fortè angelis Judic. 6. 15. confer c. ℣. 12, 20, 21, 22, non in ſua tamen ipſorum perſona ſpectatis, ſed Dei ipſius perſonam ſuſtinentibus, & eam aliquo modo repræſentantibus. Qua de re in ſequentis explicatione nominis plura dicentur. Commune enim id eſt huic Dei nomini cum cæteris, atque adeò etiam cum nomine Jehova, quod Dei maximè cenſetur proprium. Cæteroquin, ut diximus, nemini, niſi Deo ſummo, nomen *Adonai* ſingulariter uſurpatum tribuitur. Et licèt Chriſtus quoque ſit Dominus dominorum: tamen, quia eum Deus, ut Petrus ait, Dominum ac Chriſtum fecit Act. 2. 36, ideo David in ſpiritu eum Dominum ſuum vocans Pſal. 110. 1, non *Adonai*, ſed *Adoni* appellat. Ita nempe ſummum alioqui Chriſti dominum exprimere voluit, ut eum nihilominus à Deo altiſſimo voce ipſa diſcerneret. Sic & alibi Chriſtum ab *Adonai*, tanquam Regem ab ipſo conſtitutum, tanquam Filium à Patre diſtinguit Pſal. 2. conf. ℣. 4. cum ℣. 6, 7.

Cap. XI.

De nomine tetragrammato, vulgò Jehova: quædam etiam de nomine *Jah*.

PRogrediendum nunc eſt ad quartum Dei nomen, quod tetragrammatum à literarum numero appellari ſuprà diximus. De eo aliquantò plura, quàm de præcedentibus, nobis ſunt dicenda. Nam primùm nobis agendum eſt de ea voce, quatenus ipſa per ſe, hoc eſt, ſine aliis vocibus, cum quibus quodammodo componatur, rem certam ſignificat; deinde quatenus cum aliis vocibus veluti coaleſcit, & cum illis juncta, ad rem quampiam deſignandam adhibetur. Dicere enim poſſis, eam nunc extra compoſitionem ſpectari, nunc in compoſitione. Et de vocis quidem illius, etiam citra compoſitionem ſpectatæ, non ſignificatione tantùm eſt agendum, ſed, ut illa tantò faciliùs inveniatur, etiam de pronunciatione.

Ut ergo de hac primò dicamus, nomen hoc vulgò pronunciant *Jehova*; nonnunquam *Jehovi*; pro punctorum vocalium, literis ejus vocis in ſacro codice ſubjectorum ratione. Sed rationibus non paucis evincunt viri, hac ætate ob Hebraicarum literarum peritiam celeberrimi, vitioſe vocem hanc ad eum modum pronunciari. Hebræos vulgò à vocis iſtius pronunciatione, reverentiâ quadam numinis, quæ tamen in ſuperſtitionem abiit, jam olim abſtinuiſſe: ideoque in lectione ſacrarum literarum alia pro eo Dei nomina ſubſtituiſſe: ac porrò, ut ea de re lector admoneretur, eorum nominum puncta vocalia literis tetragrammati ſubjeciſſe. Sunt autem vicaria illa, ut ita dicam, nomina *Adonai* & *Elohim*: quorum illud cæteroqui non ita frequenter, ut hoc poſterius, in ſacris literis occurrit. Quæ cauſa eſt, cur illud ſemper pro tetragrammato in lectione ſubſtituatur, niſi eodem in loco continuò antecedat, vel ſequatur ipſa vox *Adonai*. Hoc enim cùm accidit, ejus loco in lectione tetragrammati ſubſtituitur *Elohim* Gen. 15. 2: Deut. 3. 24: Joſ. 7. 7: Jud. 6. 22: & alibi ſæpè. Et puncta hujus vocalia literis illius ſubſternuntur, ne bis, idque continuò pronunciandum ſit *Adonai*. Veſtigia lectionis Hebræis uſitatioris habes apud Græcos interpretes, qui vocem *Jehova* paſſim reddunt κύριος, quod reſpondet nomini *Adonai*. habes etiam apud Latinum veterem, qui Exod. cap. 6. ℣. 3, Deum ita loquentem inducit: *Et nomen Adonai non indicavi eis*: cum in Hebræo ſit, *Et* [in] *nomine meo Jehova, non fui cognitus illis*. Quòd verò in *Adonai* prima vocalis ſit *a*, in *Jehova*, *e*, id facilè apud Hebræos, mutatione puncti, quod *ſcheva* illi appellant, compoſiti in ſimplex, fieri potuiſſe, quos paulò antè laudavimus, viri eruditi docent. Rationes illorum non adducimus, quæ ab iis, qui Hebraica planè non attigerunt, cum faſtidio aliquo, fortè etiam ſine fructu legerentur. Cæteri, qui Hebraica nôrunt, niſi iſta jam ſciant, facilè apud eos poſſunt legere, qui ex profeſſo ea tractant. Nobis quidem religio non eſt, vulgari pronunciandi ſcribendique conſuetudini aliquid dare. Monere tamen iſta, eam præcipuè ob cauſam debuimus, ne quid nobis ad veram ejus vocis originem ac ſignificationem inveſtigandam obſtaret. Hanc enim, ut ex dicendis intelligi poterit, non ita facile indagaveris, ſi ea, quæ voci huic ſubſternuntur, puncta ejus propria exiſtimaveris.

Origo verò & ſignificatio hujus vocis genuina rectè à viris quibuſdam doctiſſimis eruitur ex tertio Exodi capite: cauſſa verò, ob quam id nomen ſibi Deus impoſuerit, ex ejuſdem libri capite ſexto. In priori enim loco Deus quærenti Moſi, quid reſpondere debeat Iſraëlitis interrogantibus, quódnam ſit nomen Dei illius, à quo ſe miſſum aſſereret, ita, ſi ex Hebræo locum vertas, reſpondet: *Ero qui Ero*: quibus ſubjicit ℣. 13, & d. *Sic dices filiis Iſraël, Ero miſit me ad vos*. Et iterum: *Sic dices filiis Iſraël, Jehova Deus Patrum veſtrorum, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, & Deus Iacobi, miſit me ad vos: hoc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem*. Ubi vides, cùm primùm ſeſe appellaſſet Deus, *Ero qui ero*, deinde conciſiùs *Ero*; eundem poſtea verba, quibus Moſes ad populares ſuos uti debeat, formantem, & ſic in tertia perſona de ſe loquentem, pro *Ero* ponere vocem *Jehova*. Satis autem liquet, Deum in ſequentibus verbis non aliud prorſus nomen pro eo, quod priùs ſibi indiderat, reponere, ſed idem, pro perſonæ loquentis ratione, diverſimodè formatum repetere. Cùm ergo in prima perſona de ſe loquens, ſeſe vocarit *Ero qui ero*, vel una voce *Ero*: certe nunc in tertia perſona de ſeipſo per Mimeſin loquens, & ſimplici voce utens, *Erit* ſeipſum appellaſſe cenſendus eſt. Id autem Hebræis eſt *Jeheveh*, vel *Jihveh*. In qua voce ſunt quatuor illæ literæ, ex quibus id, de quo agimus, nomen apud Hebræos conſtat. Puncta vocalia, quæ mutata eſſe ſuprà diximus, alia ſunt. Sed ea, ut notum eſt, in literarum cenſum apud illos non veniunt.

Hoc ut fiat planius, nonnihil adhuc addendum eſt, ſed ita, ut, quantum ejus fieri poteſt, etiam iis conſulamus, qui Hebrææ linguæ prorſus ſunt ignari. Cùm Deus ſeipſum appellavit *Ero*, Hebraicè dixit *Ehieh*. Hujus tertia perſona ſingularis, maſculini generis, ſi & literas & puncta vocalia noſtro more efferas, eſt *Jihieh*, id eſt, *Erit*. Verùm quia hæc vox Hebraica in familiari uſu magis verſatur; ideo, ne Dei ipſius nomen promiſcuo uſu quodammodo profanaretur, ſed à verbo illo vulgari faciliùs diſcerneretur; cognatum *Jeheveh* vel *Jihveh* ejus loco fuit ſubſtitutum, quod & minùs eſſet frequens, & ejuſdem tamen cum illo ſignificationis, ac unâ tantùm ab illo literâ diſtaret. Nam loco j penultimæ literæ eſt v. quæ quidem literæ apud Hebræos nec figurâ multùm diſtant, & inter ſe facilè commutantur. Tantum autem videtur effeciſſe nominis divini reverentia, ut *Jeheveh* in vulgari etiam ac genuina ſignificatione frequentari deſierit. Neque enim hucuſque ullum videre locum in ſacris literis memini, ubi ea vox, literæve illius omnes extent, niſi ubi Deum, aut qui ejus perſonam ſuſtinet, deſignat. Obſervatur à viris doctis locus apud Eccleſiaſten cap. XI. 3, ubi reperiatur, tertia futuri perſona ſingularis maſculina verbi *Havah*, quæ debebat eſſe *Jeheveh* vel *Jihveh*, ſed iidem notant, formam ejus prorſus ibi eſſe anomalam, non modò punctis vocalibus, ſed & literâ ultimâ mutatâ. Quod non alia de cauſſa factum videtur, quàm ne cum divino nomine conveniret, legitur enim ibi *Jehu*. Quare nihil dubitamus, veram iſtius vocabuli pronunciationem eſſe *Jeheveh* vel *Jihveh*, idque ſuâ naturâ Grammaticis verbum eſſe, quod ſignificet *Erit*: uſu autem nominis induiſſe naturam. Qua ratione etiam prima hujus verbi perſona *Ehieh* id eſt *Ero*, aut integra oratio *Ero qui Ero*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quâ ſe appellavit Deus, in nomen quoddam migrat. Verumtamen non ita vox illa, qua de agimus, nominis æmulatur ingenium, ut non ſuum etiam magna ex parte retineat. Nam nec variationem aliis nominibus uſitatam admittit, nec particulas ſibi affigi patitur, quas idem iſtud verbum aliàs reſpueret. Eo tamen etiam appellativorum, quæ vocant, nominum indolem imitatur, quòd ſæpè vocem *Zebaoth*, id eſt, *exercituum*, regere deprehenditur. Hoc enim illud eſt, quod in ſacris literis, præſertim apud Prophetas, frequenter occurrit, *Dominus*, vel, cum vox *Adonai* præcedit, *Deus exercituum.*

Inventa origine, & propria hujus vocis ſignificatione; videndum nunc porrò eſt, cur id nominis ſibi Deus impoſuerit. Id verò nobis aperiet alter Exodi locus, quem capite 6. ℣. 2, & d. extare diximus. In eo Deus ſic in Hebræo alloquitur Moſen: *Ego ſum Jehova:* (ſequamur enim nunc vulgarem pronunciationem) *apparuiq́ue Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo, in [nomine] Dei omnipotentis: at [in] nomine meo Jehova non ſum cognitus illis. Et etiam* (vel *etenim*) *ſtatui pactum meum cum eis, quòd daturus eſſem eis terram Canaan, terram peregrinationum ipſorum, in qua peregrinati ſunt: & etiam* (vel *porrò autem*) *audivi clamorem filiorum Iſraël, quos Ægyptii ſervitute premunt: & recordatus ſum pacti mei. Idcirco dic filiis Iſraël: Ego ſum Jehova, & educam vos ab oneribus Ægypti, & eruam vos è ſervitute ipſorum, & redimam vos brachio extenſo, & judiciis magnis: accipiamq́ue vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: ac ſcietis, quòd ego ſim Jehova Deus veſter, qui educo vos ab oneribus Ægypti. Introducam quoque vos in terram, pro qua levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo; daboq́ue eam vobis in hæreditatem. Ego Jehova.* Ex quibus verbis ſatis apparet, ideo Deum ſeſe appellare *Jehova*, vel potiùs *Jihveh* aut *Jeheveh*, id eſt, *Erit*, quia id præſtiturus ſit Iſraëlitis, quòd ipſorum patribus olim promiſerit. Unde futurum ſit, ut experimento ipſo cognoſcant, eum eſſe *Jeheveh* ſeu *Erit*; id quod patres ipſorum nondum, præſertim plenè, fuerint experti. Hoc enim eſſe videtur, quod ait, ſe iis in nomine ſuo *Jehova* non fuiſſe cognitum. Illud ergo *Erit*, vel *Ero*, quod pleniùs antea dixerat, *Ero qui Ero*, nihil ſignificat aliud, quàm reipſa is ero, quem me futurum dixi; ſeu, reipſa eum me præſtabo, quem præſtiturum promiſi. Paulò enim aliter atque aliter vox *Ero* bis poſita, in eadem oratione ſumitur per antanaclaſin, figuram & frequentem ſatis, & elegantem: priùs de facto ipſo; poſteriùs de jure, ſeu mavis de obligatione. Fidem nempe ſuam ac conſtantiam in ſervandis promiſſis, eo nomine potiſſimùm declarat Deus: ſimul tamen etiam potentiam, quâ res promiſſas, licèt alioqui difficillimas, præſtat, quamque impedire nulla vis, quantumcunque renitatur, poſſit. Quia verò tanta potentia non niſi in eum cadit, qui ſummus ſit rerum omnium dominus ac monarcha; ideo eadem vox vim nonnunquam habere videtur nominis *Elohim*, id eſt, Dei, aut *Adonim*, Domini, cùm id κατ' ἐξοχὴν Deo ſummo tribuitur. Hoc pacto ſumitur, cùm nomen *exercituum* regit. 2 Sam. 5. ℣. 10. 2 Reg. 19. 10, 14. Unde idem explicatiùs interdum dicitur, *Jehova Deus* (Hebr. *Elohe*) *exercituum*. Significatur enim, eum eſſe Dominum rerum omnium, (ſic *exercituum* nomen in hac phraſi plerique accipiunt, quos hac de re legere mihi contigit) quæ copiarum inſtar ad nutum ipſius adſint, & pro ipſo veluti militent: vel, eum legionum angelicarum ſummum eſſe ducem atque imperatorem. Cui autem angelici parent exercitus, quid non pareat? Quare nomen hoc unum Deum ita ſignificat, ut diverſa ejus attributa, naturæ vinculo inter ſe colligata, animis noſtris inſinuet. Quodnam verò eorum potiſſimùm, ex ipſorum locorum ratione cognoſcendum eſt.

Ex iis, quæ diximus, intelligi ſatis poteſt, verbum hoc originis quidem ac nativæ ſignificationis ratione commune eſſe: veruntamen tum ob ἐξοχὴν ſignificationis Dei evaſiſſe proprium; tum ob id, quòd de aliis ſive perſonis, ſive rebus in ſe ſpectatis, nominis inſtar uſurpatum nunquam fuerit; quin etiam in nativa ſua ſignificatione uſurpari deſierit. Obſervatum nihilominus fuit à viris doctiſſimis, id nomen, ut & cætera Dei propria, angelis tribui, ipſius perſonam aliqua ratione ſuſtinentibus, idq́ue abſolutè, ac ſine ulla poſitum adjectione. Nam cum adjectione poſitum, ſeu integræ ſententiæ inſertum, quæ in unum veluti nomen coaleſcat, de aliis quoque rebus enunciatur. Id quod cum nomine *El* ei eſt commune, quemadmodum inferiùs explicabimus. Nunc id, quod de hoc nomine angelis tributo diximus, exſequamur. Angeli cùm in ſeipſis ſpectantur, à Jehova ut miniſtri à domino, ut nuncii à mittente diſtinguuntur. Sed nonnunquam, Deo ita volente, ipſius perſonam aſſumunt, & tunc quodvis ipſius nomen & ipſi ſibi tribuunt, & ab aliis ſibi tribui patiuntur. Non ſecùs enim ſe gerunt ac loquuntur, ac ſi ipſemet adeſſet Deus. Non alia proculdubio de cauſa, quàm ut tantò plus auctoritatis habeat res & oratio, & in auditorum animos altiùs deſcendat. In dramatibus ſimilia quodammodo cernimus. In iis enim alter alterius perſonam ita ſuſtinet, ut res non referri, ſed geri videatur. Quanquam iſtic ad delectationem ſpectantium, & in rebus ſæpè minimè ſeriis: illic ad utilitatem audientium, ac in rebus maximè ſeriis: &, quod diſcrimen hîc maximè attendendum eſt, Angeli Dei perſonam ita ſuſtinent, ut ejus auctoritatem ſimul habeant: longè ſecùs quàm in dramatibus contingit. Angeli enim à Deo ipſo mittuntur, ab eo perſonam hanc ſibi impoſitam ſuſtinent. Quam ob cauſam ita olim Deus præcepit de angelo, quem eſſet miſſurus, ut Iſraëlitas in itinere defenderet, & in terram ipſis deſtinatam introduceret: *Cave*, inquit, *a facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum. neque enim parcet prævaricationi veſtræ. Nomen meum in ipſo eſt.* Exod. 23. 20, 21, q. d. perſonam meam ſuſtinet, mea auctoritate ac poteſtate inſtructus. Non ſolent eandem rationem principum perſonas aſſumendi, ac loquendi formam ſervare legati. Cùm enim nemo non aliam ipſorum principum, quàm legatorum perſonam animo concipiat, minus vel gratiæ, vel gravitatis habitura eſſet alienæ perſonæ aſſumtio. At Angeli Deum hominibus repræſentârunt inconſpicuum, nunquam viſum, nunquam mortalibus videndum. Ejus autem, quâ de nunc agimus, rei exemplum habes in apparitione Dei Abrahamo facta Geneſ. cap. 18. In ea angelus unus duobus aliis comitatus, non ſecùs ac Deus ipſe loquitur, ac *Dominus* ſeu *Jehova* non ſemel appellatur, ℣. 13, & d. eoq́ue à cæteris duobus ſatis apertè diſtinguitur. Hinc vulgò hodie arbitrantur, Deum ſummum revera adfuiſſe: multi etiam, tres divinitatis perſonas virorum ſpecie apparuiſſe. Sed ne veterum quorundam Eccleſiæ doctorum ſententias nunc commemorem; aliud D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. docet cap. 13. 2. Is hoſpitalitatem commendaturus, quoſdam, ait, inſcios, ejus virtutis beneficio excepiſſe hoſpitio Angelos. Ad hanc autem de Abrahamo, & quæ de Lotho ſubjicitur, hiſtoriam eum reſpicere, præter rem ipſam, arguunt ſcripturæ loca, quæ in orâ ſacri codicis vulgò ſolent adjici. Quòd ſi Deus ipſemet tunc adfuiſſet; ad laudem hoſpitalitatis tantò majorem, dicturus potiùs fuiſſet ſcriptor divinus, quoſdam per eam Deum ipſum hoſpitio excepiſſe. Sed deinde is ipſe, qui nomen Jehova, cum Moſe colloquens ſibi impoſuit, eoq́ue tam frequenter in ea ſermocinatione inſignitur, angelus fuit. Teſtatur id ipſe Moſes Exo. 3. 2. apparitionem iſtam ſibi factam deſcribens. Sic enim iſtic in Hebræo legimus: *& apparuit ei Angelus Jehovæ*, ſeu *Domini*, non verò *Dominus*, ut eſt in vulgata interpretatione Latina. Unde Stephanus in Actis: *Hunc* (Moſen intellige) *Deus principem & redemtorem miſit in manu* (hoc eſt, interveniente opera ac miniſterio) *angeli, qui apparuit ipſi in rubo.* Is, qui è monte Sinai tanta cum majeſtate Legem ferens pronunciavit, *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, & quæ ſequuntur, qui in tota illa hiſtoria paſſim *Jehova* appellatur à Moſe, angelus fuit. Teſtis eſt idem, quem modò citavimus, Stephanus Actor. 7. 53; teſtis Paulus Galat. cap. 3. ℣. 19; teſtis divinus ad Hebræos ſcriptor cap. 2. ℣. 2. Hi namque omnes uno

affirmant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

affirmant ore, per angelos diſpoſitam, ſeu latam pronunciatamque Legem. Et Auctor quidem divinus Epiſtolæ ad Hebræos eo argumento Euangelium præfert Legi, quòd hæc per Angelos, illud per Dominum, nempe Chriſtum, quem angelis longe præſtantiorem eſſe factum prolixe docuerat cap. 1.4, & d. uſque ad finem cap. primò fuerit promulgatum. Quò reſpicit etiam Paulus Coloſ. 2. 8, & d. ꝟ. 10, Coloſſenſes monens, ne à Chriſto ad mundi rudimenta relabantur, quæ in Lege Moſaica continentur: *& eſtis*, inquit, *in ipſo* (Chriſto) *impleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Quaſi dicat, ſi quis fortè cogitet, Legem per angelos, & quidem principes, eſſe latam; glorioſum eſſe, ab illis divinæ voluntatis notitiâ imbutum cenſeri; longè glorioſius eſt, vos per eum, qui omnium illorum principum ac poteſtatum caput eſt ac dominus, divinæ voluntatis notitiam fuiſſe conſecutos, eamque plenam ac perfectam, non, ut ſub Lege, imperfectam. Quò minùs excuſari poteſt eorum error, qui angelum, vel potiùs angelos illos, per quos Legem promulgatam fuiſſe legimus, imò & cæteros, quibus nomen *Jehova* tributum aliquando fuit, Chriſtum fuiſſe contendunt, qui & Jehova ſimul appellari potuerit ob naturam, & angelus ob officium. Quo pacto etiam dictus ſit angelus fœderis Mal. 3. 1. Quæ ſententia tum Pauli, tum divini ad Hebræos ſcriptoris argumentum, quo Legi Euangelium uterque præfert, penitus evertit. Qua re potiſſimùm admoniti viri eruditi, alios quoque de errore illo vulgari monuerunt. Adde, quòd divini illi, quos laudavimus, teſtes, non unius tantùm angeli, ſed *Angelorum*, tanquam plurium, per quos Lex lata fuerit, mentionem faciant. Unde colligimus, alios aliis in eodem miniſterio ſucceſſiſſe. Atqui nomen loquentis propterea mutatum eſſe, nuſpiam deprehendas. Semper enim is, qui vel Moſen vel populum ipſum alloquitur, Dei & perſonam, & nomen præfert. Præterea, vel ſuo is nomine, vel alieno ita loquutus eſt. Si ſuo, legati munus non obiit, nec angelus dici meruit. Si alieno, is ipſe non fuit, cujus nomen præ ſe tulit, ſed alienam perſonam ac nomen aſſumſit. Nam qui alieno nomine loquitur, alienaque vel mandata, vel promiſſa, vel denique facta exponit, cum interim, ſi orationis formam ſpectes, ea omnia de ſe ipſo dicere, aut ſibi tribuere videatur; eum alienam perſonam aſſumſiſſe, & nomen, quod in ea oratione uſurpat, alienum eſſe neceſſe eſt. Quid igitur cauſæ eſt, cur eum, qui locis indicatis verba, tanquam ipſe Deus, facit, Chriſtum, qui ſit ipſe Jehova, & ex ſua perſona revera loquatur, eſſe cenſeamus? Accedit, quòd Chriſtus nuſpiam ſimpliciter appelletur *Angelus*, vel etiam *Angelus Dei*: ſed tantùm *angelus* ſive *legatus fœderis* d.l. Mal. 3. 1, intellige novi. Illius appellationis ratio latiùs patet: hujus anguſtiùs. Illo modo, præſertim cùm hiſtoria aliqua narratur, nominari ſolent ſpiritus illi cæleſtes, quorum ea eſt functio ordinaria ac perpetua, ut ad varia miniſteria obeunda à Deo, nunc etiam à Chriſto, mittantur. Hoc autem poſteriori modo vocatum cernimus Chriſtum, qui ad certam tantùm rem conficiendam, nempe ad fœdus novum Dei nomine cum hominibus ſanciendum, aliquando miſſus fuit. Ex quo etiam intelligitur, cujuſnam temporis reſpectu ea appellatio Chriſto conveniat. Non ejus, quo Lex è monte Sinai fuit promulgata, & antiquum fœdus per Moſen cum Iſraëlitis percuſſum: non eorum, quæ vel anteceſſerunt, vel proximè ſubſequuta ſunt, ſeculorum: ſed ejus, quo Euangelium per ipſum eſt orbi publicatum ac confirmatum. Tunc angelus ſeu legatus fœderis, tunc fœderis mediator Hebr. 8. 6: IX. 15: XIII. 24, hoc eſt, internuncius inter Deum ac homines in eo ſanciendo fuit. Hinc legimus quidem, Chriſtum ex muliere factum natúmve Gal. 4. 4, à Deo fuiſſe miſſum: ſed antequam ex ea naſceretur, miſſum nuſpiam legimus. Et quî legamus id, quod fieri nulla ratione potuit? vel quia, antequam naſceretur, ne extare quidem potuerit; vel quia, ut iſti cenſent, Deus fuerit ſummus, qui nuncius ac legatus alterius eſſe nequit, nec miniſterium obire poteſt ullum. Deo ſummo miniſtrant omnia, ipſe nulli: nuncios mittit, à nullo mittitur. Alioquin ſummus eſſe, atque adeò etiam penitus eſſe deſineret. Legati enim eſt, mandatis ab altero acceptis, ejus negotia curare, & juſſa exſequi. Quapropter, etiamſi tandem obtineretur, iis in locis, ubi Angelum legimus Jehovam appellatum, Chriſtum eſſe intelligendum; non eſſet tamen ſtatuendum, eum ipſummet fuiſſe Jehovam: ſed ex angelorum numero aliquem, qui Dei ſummi perſonam ſuſtinens, nomen etiam ejus uſurpârit. Cum inter ſe pugnare videamus, angelum eſſe, & quidem Jehovæ, qui unus tantùm eſt, & eſſe ipſummet Jehovam. Sed quid multis opus? cum nullus proferri queat locus extra controverſiam poſitus, in quo nomen Jehovæ, præſertim abſolutè prolatum, Chriſto tribuatur: contrà verò plurimi, in quibus Chriſtus à Jehova apertiſſimè diſtinguitur. Citavimus ſuprà ex Pſalmis duos, de nomine *Adonai* differentes. In eorum altero Pſaltes Pſal. 2. 2, 7. Chriſtum à Jehova, ut regem ab eo unctum, ut filium ab ipſo genitum, diſcernit: in altero Pſal. 110. 1, cum Chriſti Patrem appellaſſet Jehovam, Chriſtum ipſum deſcribens, dicit *Adoni*. Multa alia occurrunt apud Prophetas loca. Inter alia vide Pſal. 16. 8: CXVIII. 22, & d. Eſa. XI. 1, & d. XXVIII. 16: XLII. 6, 7, 8: XLIX. 8: LIII. 6, 10: LXI. 1, & d. Mich. 5. 4. conf. ꝟ. 2: Zach. 13. 7, in quibus manifeſtum eſt inter Chriſtum & Jehovam diſcrimen. Relinquitur ergo, nec Chriſto, nec angelis, cùm in ſeipſis ſpectantur, hoc nomen abſolutè poſitum convenire; ſed Deo ſummo, cujus ille Filius eſt, hi ſervi, eſſe proprium.

Quòd verò à nonnullis loca quædam afferuntur Num. 10. 35, 36: Pſal. 24. 7, 8: XLVII. 6: LXVIII. 2: in quibus id nomen arcæ fœderis metonymicè tributum reperiatur: vero eſt ſimilius, ea ibi Deo per metonymiam ſubjecti adſcribi, quæ arcæ ipſi magis conveniant; quàm arcæ, Dei nomen imponi. Quia enim Deus arcæ tanquam ſolio cuidam cenſebatur inſidere 2 Sam. 6. 2. 1 Par. 13. 6. & inter Cherubinos, ſuper ejus operculo collocatos, habitare: ideò arcâ loco motâ, atque in altum ſublatâ, ipſemet ſurgere, & in altum aſcendere; eâdem per portam in templum ſacrariúmve illatâ, ipſemet per portam ingredi; eâ denique in loco ſuo repoſitâ, & veluti requieſcente, quieſcere dici poterat. Unde 2 Paral. 6. 41, Pſal. 132. 8, ita eadem ſententia effertur: *Surge, ô Domine (Jehova) Deus, in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ.* Arca quidem propriè nec ſurgere, nec aſcendere, nec ingredi dici poterat, ſed de loco amoveri, in altum tolli, aliquò inferri: cum illa viventium tantùm ſint, & ſua ſponte loco ſe moventium; hæc etiam inanimatorum. Veruntamen, quia is motus Deo etiam, arcæ quodammodo inſidenti, tribuitur; ideo iis deſcribitur vocibus, quæ motui viventium propriè conveniunt. Quatenus ergo voces illæ motum localem ſimpliciter deſignant, eatenus id, quod arcæ primo ac propriè competit, veluti conſequenter & impropriè tribuitur Deo: quatenus autem motum viventibus proprium denotant, eatenus primò Dei eſt habita ratio, & propter Deum eædem voces accommodatæ ſunt arcæ. Idem de requie non immeritò dixeris. Nam & hæc viventibus tantùm κυρίως videtur tribui. Et hactenus quidem de uſu nominis Jehovæ abſolutè poſiti.

Supereſt, ut de uſu dicamus ejuſdem nominis cum adjectione quadam prolati; vel potiùs de integris enunciationibus, in unum veluti nomen coaleſcentibus, quarum ſubjectum, ut vocant, eſt vox Jehova. Quia enim hæ de rebus aut perſonis à Deo diſtinctis nominis unius inſtar efferuntur; duplicis hinc erroris, & quidem inter ſe contrarii, nata eſt occaſio. Alii enim, quia probè animadverterunt, res perſonáſve eas, de quibus enunciationes ejuſmodi uſurpantur, à Deo ſummo longiſſimè diſtare, arbitrati ſunt, nomen Jehovæ non eſſe Dei ſummi proprium. Alii contrà, cùm ſtatuerent, nomen iſtud Dei ſummi eſſe proprium, eò delapſi ſunt, ut eum, qui Deus ſummus non eſt, eſſe crederent, quia id nomen ei tribui videatur. Utrique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

errori locum illud fecit, quòd in quibuſdam iſtarum enunciationum deeſt copula in ſcholis ita appellata, nempe verbum *eſt*, cujus ellipſi nihil frequentius. Itaque prædicatum cum nomine Jehova, ſubjecti locum obtinente, viſum eſt per appoſitionem Grammaticis dictam cohærere. Quæ autem ea ratione junctim de re quapiam dicuntur, dici etiam poſſunt ſeparatim. Ea res tantò hîc viſa eſt ſimilior vero, quòd longè ſit uſitatius, duabus vocibus per appoſitionem inter ſe junctis rem quampiam denominare, quàm integra enunciatione. Verùm id neminem debebat movere. Cernimus enim in ſacris literis, integram nonnunquam ſententiam ſeu orationem, unius inſtar nominis uſurpari. Sic juſſus fuit Eſaias cap. 8. 3, filium ſuum appellare, *Accelera, detrahe ſpolium, feſtina prædari.* Rotundiùs iſta apud Hebræos efferuntur: ſed eodem tamen ſenſu. Integra autem eſt oratio, non quidem aſſerens quippiam, ſed præcipiens. Suprà vidimus, Deum appellaſſe ſeipſum *Ero qui Ero*, Exod. 3. 14, quæ, ut à nobis explicatum eſt, integra eſt enunciatio ac promiſſio. Sed exemplum ejus rei, quam quærimus, extat in Geneſi clariſſimum, Gen. 22. 14. Dicitur ibi Abrahamus nomen montis, in quo filium ſuum immolare voluit, appellaſſe, *Dominus* (Hebr. *Jehova*) *videbit*: quod aliquantùm poſtea mutatum ibidem legitur, *Dominus videbitur.* Ubi vides, effatum integrum, ex nomine Dei tetragrammato conſtans, montis nomen evaſiſſe. Sed plura occurrunt exempla, in quibus verbum *eſt* deſideratur; quæ tamen plæraque à viris quibuſdam eruditis rectè fuerunt explicata. Ex eorum numero eſt illud apud Moſen Gen. c. 33. 20: *& ſtatuit ibi* (Jacob) *altare, & vocavit illud, Fortis Deus Iſraëlis* ſcil: *eſt.* vel potiùs, *Deus* (eſt enim in Hebræo *El*) *eſt Deus Iſraëlis.* Deum enim Deum ſuum fore, Jacobus antea voverat Gen. 28. 21. Ex eodem cenſu eſt & illud apud eundem Exod. 17. 15: *ædificavit Moſes altare, & vocavit nomen ejus, Dominus* (*Jehova*) *exaltatio mea*, vel, *Dominus vexillum meum.* Et iſtud libri Judicum c. 6. 24, ubi ita in Hebræo legimus: *ædificavit ibi altare Domino, vocavitque illud, Dominus* (*Jehova*) *pax*, hoc eſt, Dominus eſt pacis atque incolumitatis auctor. Idem reipſa erit ſenſus, etiamſi cum veteri Latino interprete vertere libeat, *Domini pax.* Nihilominus enim ſubintelligendum erit verbum *eſt*: quaſi dictum foret, *Domini eſt pax*, hoc eſt, Domini donum ac beneficium eſt pax; Domini eſt ſalutem atque incolumitatem præſtare. His adde ultima Ezechiëlis verba: *Et erit ex eo die nomen urbis, Dominus* (*Jehova*) *illic.* Ubi nimis eſt apertum, ſubaudiri vocem *eſt*, ita ut non dicatur, urbem illam vocatum iri *Dominum* ſeu *Jehovam*, qui illic; hoc eſt, in ea ipſa urbe ſit: ſed nomen ejus fore totum illud complexum: *Dominus* [*eſt*] *illic.* Quemadmodum eandem urbem Deus apud Eſaiam alloquens ait, *Non vocaberis ultrà Derelicta*: &c. *ſed vocaberis Voluntas mea in ea* cap. 62. 4. Et rationem mox ſubjungit: *quia complacuit Domino in te.* Ubi ſane urbs non vocanda erat *Voluntas mea*, ſeu mavis, *Voluntas Domini*: ſed *Voluntas mea* aut *Domini in ea* ſcil: *eſt*, hoc eſt, Dominus hac urbe delectatur, eamque amat. Eodem modo locis præcedentibus, non altaria dicuntur *Jehova* ſeu *Dominus*, qui ſit exaltatio, aut vexillum alicujus, qui ſit pax, pacíſve auctor: ſed totum enunciatum, *Dominus* [*eſt*] *exaltatio mea*, vel *vexillum meum*: itémque *Dominus* [*eſt*] *pax*, vel *Domini* [*eſt*] *pax*, in unum nomen tranſit.

Reliqui ſunt duo apud Jeremiam loci, quorum alterum cùm præjudicata de re ipſa opinio controverſum feciſſet, alterum etiam apud quoſdam in conſortium traxit, ita cæteroqui clarum, ut priorem quoque illum extra controverſiam ponere debuerit. Extant autem cap. 23, & 33, in quorum poſteriore ita ſcribitur Jer. 33. 15, 16. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Davidi germen juſtitiæ: & faciet judicium ac juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Juda, & Jeruſalem habitabit confidenter. Et hoc* (ſcilicet nomen eſt) *quo vocabit eam*, (ita eſt in Hebræo) *Dominus* (*Jehova*) *juſtitia noſtra.* Ubi manifeſtum eſt, nomen *eam* ad Jeruſalem, licet in Hebræo plurali numero poſitam, per Syneſin referri, quæ mentem, non verba ſpectat; *eam* ſcilicet *urbem*, quæ vox apud Hebræos etiam fæminina eſt. Atqui urbs Hieroſolymitana nequaquam appellari debebat *Jehova*, qui ſit *juſtitia noſtra*: quin potiùs ea tacitè comprehenditur voce *noſtra*, quæ illos deſignant, quos Jehova ſit juſtificaturus. Ii verò erant, Judæ populus univerſus, & nominatim is, qui Hieroſolymæ nomine intelligitur. Quare ſtatuendum eſt, id quod ab aliis ante nos animadverſum eſt, nomen civitatis eſſe debuiſſe totam enunciationem, *Jehova* [*eſt*] *juſtitia noſtra.* Q. d. Jehova eſt, qui nos juſtificat, qui nos ab omni injuſtitiæ pœna liberat, qui nos tanquam innocentes tractat. Prior verò locus eſt hujuſmodi cap. 23. 5, 6. *Ecce dies veniunt, dixit Dominus* (*Jehova*,) *& ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit rex, & proſperè aget, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus ejus ſervabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter: & hoc* [*eſt*] *nomen ejus, quo vocabit eum, Dominus* (*Jehova*) *juſtitia noſtra.* Quia loco *Hieruſalem* hîc ponitur *Iſraël*, nomen viri loco urbis; ideo hîc non dicit, vocabit *eam*, ut in altero, quem vidimus, loco; ſed *eum*, nempe Iſraëlem, ſenſu tamen eodem. Ipſa ſimilitudo locorum hanc ſententiam non modò admittit, ſed & flagitat. Ut nil ſit cauſæ, cur ultima hæc verba ad ſubjectum remotius, quod eſt germen illud Davidicum, ſeu rex proſperè juſteque imperaturus, referri debeant. Quòd ſi etiam referrentur; non magis tamen ſequeretur, germen illud Davidicum eſſe ipſum *Jehovam*, qui eſt juſtitia noſtra, ejúſve auctor, quàm urbem Hieroſolymitanam, cui nomen iiſdem planè verbis conſtans, attributum videmus. Intelligendum nempe eſt, brevia iſtiuſmodi dicta, quæ ſymboli cujuſdam loco uſurpantur, & in adagium aut proverbium vel jam abiere, vel abire facilè poſſunt, ſimiliter & vota aut præſagia rerum futurarum, migrare ſolere in nomina vel perſonarum certarum, vel rerum ac locorum: & in nomina quidem perſonarum illarum, vel à quibus ea crebrò uſurpantur, aut uſurpari meritò poſſunt; quales inprimis ſunt illi, quibus res dictis iſtiuſmodi comprehenſæ eveniunt, aut evenire debent; vel per quos res iſtæ præſtari atque effici debent; vel denique in quibus aut omen ac præſagium rei futuræ, aut præteritæ veſtigium ac monumentum extat. Quod poſtremum etiam de rebus ac locis ſtatuendum eſt. Locorum autem illi potiſſimùm hujuſmodi notantur appellationibus, in quibus res ipſa geſta fuit. His enim res ipſa veluti veſtigium quoddam imprimit, ita ut momumenti cujuſdam inſtar ſint, & rei memoriam excitent ac refricent. Et ne ad linguas vulgares hîc divertamus, & inde mutuemur exempla; deprehendes id, quod dicimus, in non paucis nominibus Hebræorum propriis, quæ in ſacro codice extant, iis præſertim, quæ ex nomine divino *El* componuntur Sic *Elnathan* v. g. ſignificat *Deus dedit*: *Elcana, Deus Zelotes*: *Elias, Deus Dominus*: *Elimeleh, Deus meus rex*, vel ſimpliciter, *Deus rex.* Ubi non ii, quibus nomina illa compoſita imponuntur, ipſius Dei aut Domini appellatione inſigniuntur: ſed appellatio hæc per ſe vim conſuetam retinet, ac ſummum omnium rerum monarcham ſignificat, de quo prædicatur, quòd vel *dederit* quempiam, vel *zelotes* ſit, vel *Dominus*, vel *Rex.* Itaque in tribus poſterioribus nominibus ſubauditur verbum *eſt*: nec minùs ea ſententiis integris, licèt elliptice prolatis, conſtant, quàm primum. Huc etiam pertinet nomen *Michaël*, quod ſignificat, *Quis ſicut Deus?* pertinet & *Immanuël*, id eſt, *Nobiſcum Deus.* Utrobique ſubintellige *eſt.* De priori dubitari non poteſt. De poſteriori exempla, quæ attulimus, ei adeò ſimilia perſuadent. Quòd ſi contendas, id nominis omninò ſignificare, eum, qui ita appellatur, eſſe ipſum Deum, qui ſit nobiſcum, qui nobis favore & auxilio ſuo adſit; impietatis damnabis eos omnes, qui id nomen olim hodieque, vel aliis impoſuerunt, vel uſurpârunt ipſi. Ut taceam, Chriſtum, cui id nomen Deus per Eſaiam deſtinavit, ejus Prophetæ ætate ſuam habuiſſe imaginem, cui eadem appellatio, iſtius temporis ratione habita, competeret; imperfecta quidem ſigni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſignificatione, ſed tamen verà. Animadvertet id, quiſquis conſideraverit ea, quæ apud Prophetam ibi, ubi hoc nomen primùm editum legirur vid. Eſa. 7. 14, & & d. & confer cap. 8. 3, 4, & ſeqq. de Immanuële ſubjiciuntur. Chriſto autem ideo id nomen eſt impoſitum, quia Deus per ipſum atque in ipſo nobiſcum eſt, hoc eſt, nos ſingulari ſuo favore proſequitur, nobis opem fert, nos omnium cæleſtium bonorum copiâ cumulat. Sed de his fortè plus ſatis.

Adjicienda ſunt paucula de nomine *Jah*, quod in Pſalmis potiſſimùm occurrit. Nota eſt in vulgus ſolennis illa ad Deum laudandum cohortatio, ***Hallelu-Jah***, vel ***Hallu-Jah***; quam & Græci, & Latini vulgò ſcribunt ***Alleluja***. Significat autem, *laudate Jah* hoc eſt, ***Dominum***. Eodem enim modo, quo tetragrammatum, à Græcis ac Latinis verti ſolet, ex quo etiam natum videtur, ejectis duabus literis mediis *h* & *v*. Aliam vocis originem ægrè inveneris. Quemadmodum autem tetragrammato ſubſtrata eſſe docuimus puncta vocalia vocis ***Adonai***: ita eidem nomini in unam ſyllabam contracto, ultimum hujus punctum, quod nobis *a* longum valet, ſubjectum eſt. Hinc *Jah* pronunciatur; cum habita ratione genuinæ tetragrammati pronunciationis, *Jeh* dici deberet. Eſt & illud indicio, nomen hoc cum tetragrammato idem quodammodo eſſe, quòd ut in ſacris literis inſignitè legimus, ***Jehova*** eſſe Dei nomen Exod. 3. 15: Eſa. 42. 8: Amos 5. 8: IX. 6. ita & *Jah* Pſal. 68. 5, quódque hoc pro illo reponitur eo, inprimis loco, ubi vix ullo alio, quàm nomine ***Jehovæ*** appellatur Deus, imò expreſſe dicitur, ***Jehova*** nomen ejus eſſe: uti fit in cantico Moſis & Iſraëlitarum, quod in Exodo deſcriptum habes vid. cap. 15. 2. confer etiam cætera. Quare nil eſt neceſſe de hujus nominis vi atque uſu plura diſſerere: cum res in tetragrammato ſatis ſit explicata.

Cap. XII.

De nomine *Schaddai*.

Reliquum ex Hebraicis eſt nomen Dei *Schaddai*, quòd cùm natura ſit adjectivum, frequentiùs ſubſtantivi loco ponitur, & Deum ipſum, de quo ſolo uſurpatur, deſignat. Apud Moſen aliquoties nomini divino *El* junctum, adjectivi retinere videtur ingenium, Gen. 17. 1: XXVIII. 3: XXXV. 11: XLIII. 13: XLVIII. 3: Exod. 6. 3, & à Latinis redditur ***Omnipotens***. De origine, ac porrò de nativa ejus ſignificatione aliquantulùm diſcrepant inter ſe docti. Alii ex ea voce compoſitum cenſent, quæ copiam atque abundantiam, &, ſi ita loqui licet, ſufficientiam denotat. Alii ab eo derivant verbo, quod nobis eſt *vaſtare*. Illuc reſpexerunt Græci Veteris Teſtamenti interpretes, cùm nomen illud verterunt ἱκανὸς, id eſt, ſufficiens Ruth. 1. 20, 21: Job. 21. 15: XXXI. 2: XXXIX. 31. Egregiè id conſentit cum reipſa, cumq; locis è Moſe antea citatis. Deus enim ita omnium rerum abundat copiâ, ut omnia poſſit omnibus impertiri, atque adeò reipſa impertiatur, iis præcipuè, qui ipſi parent. Hinc ergo factum videtur, ut iſtis in locis, vel Deus ipſe amplam pietatis mercedem, ac beatam rerum omnium copiam Patriarchis promittens, hoc ſe nomine inſigniret; vel hi aliis eandem optantes, eo nomine Deum, ejus affluentiæ auctorem, deſcriberent. Quia verò immenſam ea res arguit Dei potentiam, quâ fit, ut omnibus ſuppeditare queat omnia; ideo vocem eandem interpretes Græci apud Jobum ſæpè reddidere παντοκράτωρ, hoc eſt, ***omnipotens***: licèt interdum habeant κύριος, *Dominus*. Illud ſequuti Latini, non apud Jobum tantùm, ſed & alibi paſſim, nonnulli etiam ubique, vocem illam Hebraicam vertunt ***omnipotens***. Quemadmodum autem iſta, ut ita dicam, ſufficientia, & in omnes exuberans ac redundans copia, omnipotentiam arguit: ita hæc illam in ſe quodammodo comprehendit; ut non multùm referre videatur, utro modo nomen iſtud vertas, ἱκανὸς, an παντοκράτωρ: niſi quòd ἱκανὸς, id eſt, *ſufficiens*, originem vocis eam, quam priori loco poſuimus, propiùs indicet: παντοκράτωρ autem, id eſt, ***omnipotens***, etiam poſteriori etymologiæ accommodari queat, quæ à verbo vaſtandi ſignificationem habente nomen Schaddai deducit. Vaſtator enim appellaretur Deus, non tam ob vaſtandi conſuetudinem, (extruere enim opus illius eſt magis proprium, deſtruere quodammodo alienum) quàm ob potentiam ac facultatem. Quin etiam, ſi hanc vocis originem ſequi placeat, quæ, ſi nominis naturam, & linguæ conſuetudinem ſpectes, probabilitate ſua non caret; neceſſe videtur, ejus vim latiùs extendere, ut eo nomine ſignificetur is, qui ſummum quoddam habeat robur, quo ut vaſtare omnia, & momento citiùs hoſtes ſuos evertere, atque in nihilum redigere poſſit, ita & homines ſibi charos tueri, & omni bonorum genere augere queat. Aliàs enim eò inclinat animus, ut credat, inde potiùs appellatum eſſe optimum numen, quod benefaciendi facultatem, vel etiam conſuetudinem, quàm ab eo, quod nocendi vires ſignificat. Accedit inprimis locus Exodi nobilis, ſuperiùs à nobis, cùm de tetragrammato ageremus, citatus Exod. 6. 3, & ex parte illuſtratus, ubi ait Deus: *apparui Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, in [nomine] Dei omnipotentis*, (Hebr. *El Schaddai*:) *at in nomine meo Jehova non ſum cognitus illis*. Ubi non eſt conſentaneum, dicere velle Deum: patribus illis veſtris me potiſſimùm exhibui Deum ejuſmodi, qui ſit vaſtator, ſeu, qui deſtruere ac perdere queat omnia, ut ex re atque operibus ipſis vim nominis mei *El Schaddai* agnoſcerent. Sed potiùs, ut de virorum doctorum ſententia in Bibliis magnis Roberti Stephani annotatum habes, *Omnipotentem me illis declaravi, & mihi abundè eſſe divitiarum, ut illos divites redderem: at opere non complevi, quod illis ſum pollicitus: hoc eſt, promittentem quidem me illis terram Chananæorum audierunt & crediderunt: ſed opere promiſſa complentem non viderunt, quemadmodum tu viſurus es. Tibi igitur in nomine meo Jehova cognitus ero, id eſt, videbis, me id facere, quod nomen meum ſonat, nempe facientem eſſe, hoc eſt, præſtantem, quod ſum pollicitus: educam vos de terra Ægypti, & introducam in terram Chanaän. Quemadmodum antea vocatus ſum Deus omnipotens, Deus altiſſimus, qui creavit cœlum & terram: ita nunc vocabor Jehova Deus, qui eduxi vos de terra Ægypti.* Plura exſcripſimus verba, ut ſimul etiam ea, quæ de ſignificatione vocis *Jehova* antea diximus, teſtimonio doctorum virorum aliqua ex parte confirmaremus, de qua plura ibidem ſcripta reperies. Et de nominibus Dei Hebraicis hactenus.

Cap. XIII.

De nomine θεὸς.

Veniendum nunc eſt ad Græca, quorum primum eſt θεὸς. De ejus origine non ſatis convenit inter doctos; nec nobis hîc multùm laborandum eſt. Etymologiam enim nominum divinorum ideo inquirimus, ut eorum vim atque uſum in ſacris literis tantò rectiùs percipiamus. At ſi vox θεοῦ alienæ potiùs eſt originis, quàm ſuæ; ab hominibus impiè ſuperſtitioſis formatam, atque adeò ex ipſa ſuperſtitione profectam, conſentaneum eſt. Inter cætera enim, quæ de ejus etymologia traduntur, illud eſt maximè probabile, quod à Platone ſcribitur: * *Videntur mihi*, inquit ille, *Græcorum priſci deos ſolos putaſſe eos, quos etiam his temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, Solem, Lunam, terram, ſtellas, cœlum. Cum ergo hæc omnia perpetuò in curſu eſſe conſpicerent, & ab hac natura* τοῦ θέειν *ſeu* θεῖν (Græcis hoc eſt currere) θεοὺς *nominaſſe videntur; deinde & alios animadvertentes, omnes eodem nomine appellaſſe.* Antiquitatem impiæ hujus ſuperſtitionis, quam & Græcis priſcis, & ſui temporis Barbaris tribuit Plato, vel ex ſacris literis cognoſcere licet, Deut. 4. 19. ibid. c. 17. 3, & d. Apud Moſen enim non modò prohibetur, ne aſtra colantur: ſed & ſeveriſſima in eos, qui id auſi fuerint, pœna ſtatuitur. Qua re nihil fuiſſet opus, ſi ne exemplum quidem ejus rei tunc ex-

* Plato in Cratylo.

titiſſet. Sed efficere non potuit ea pœnæ atrocitas, quin impietatis illius contagio ab exteris nationibus ad Iſraëlitas tandem dimanaret. Videmus enim, eos poſterioribus ſeculis, poſitâ Legis reverentiâ, Solem, Lunam, cæteráque aſtra, numinum inſtar adoraſſe, 4 Reg. 17. 16: XXIII. 4, 5, 11, maximè autem Solem, quem Reginam cœli, ut apud Jeremiam legimus, cap. 44. 17, & d. & ỷ. 25. aſtricolæ appellabant. Quare vel nimis bene de auctoribus nominis θεῶ exiſtimant, vel eorum ſententiâ quodammodo rejectâ, meliorem ſubſtituunt, qui θεὸς à θέειν ideò rectè ductum ajunt, quia Deus omnia providentiâ ſuâ percurrat, omniaque ambiat: vel ab αἴθειν, quod eſt *urere*; quia Deus ignis aut lux ſit, ut ſacræ literæ docent, aut caloris ac luminis auctor: cum iſta etymologia in Solem magis quadret: vel denique à θεᾶσθαι, quòd Deus omnia cernat. Cum hoc poſtremum etiam Soli poſſit accommodari, ex illorum præſertim ſententia, qui numen ex ipſo fecerunt, & ſenſum ei ac mentem tribuerunt. Omnia enim Sol cernere ac contueri dicitur. Sed iſta, quorum vel ſuperſtitioſa, vel incerta eſt ratio, omittamus.

Iſtud dubium eſſe nemini poteſt, quòd ſacri ſcriptores Novi Fœderis, ad quos potiſſimùm reſpicere debemus, cùm de Græcis Dei nominibus agimus, vocem illam eo uſurparint ſenſu, quo Hebræi voces *El* & *Elohim*. Sive enim aliquod vet. Teſtamenti teſtimonium citant, ſive, ut frequentiſſimè contingit, ad aliquem ejuſdem Teſtamenti locum reſpiciunt, pro Hebraicis illis nominibus vocem θεῶ potiſſimùm reponunt. Qua in re tum Græcos veteris Teſtamenti interpretes, tum receptam jam inter Judæos Græcè loquentes conſuetudinem ſunt ſequuti. Diximus autem, Hebraica illa nomina naturâ ſuâ eſſe communia, ſeu appellativa, ut vocant; ſed κατ' ἐξοχὴν ſumta ſupremi numinis fieri propria. Naturâ enim ſuâ ſignificare eum, qui vel potentiâ ſeu viribus, vel poteſtate atque imperio, vel utraque re eminet, præſertim ita, ut rerum naturalium modum ſupergrediatur. Sed in excellentiſſima ſignificatione accepta deſignare eum, cujus & vires, & poteſtas atque imperium abſolutè ſummum eſt ac independens. Extenditur autem Dei vox etiam ad illegitima ac malefica imperia, quæ poteſtatis nomen vix merentur, (poteſtas enim vera ac plena in jure conſiſtit) quin etiam ad ea, quæ ne imperia quidem propriè ſunt, ſed cum iis ſimilitudinem tantùm habent. Verùm id non fit, niſi cum adjectione quadam eorum, qui hujuſmodi imperiis, ſive propriè ſive impropriè dictis, ſeſe ſponte ſubjiciunt, & ea veluti conſtituunt. Sic Satanas dicitur *Deus hujus mundi* ſeu *ſeculi* 2 Cor. 4. 4: quo pacto & *princeps hujus mundi* appellatur Joh. 12. 31: XIV. 30: XVI. 11: & per Metaphoram, Phil. 3. ỷ. 19. venter Deus appellatur eorum, qui ipſi ſerviunt, & ad eum omnia conſilia ſtudiaque ſua referunt. His enim venter quodammodo imperat, & totam eorum vitam gubernat. Cæteri, quorum imperium & legitimum eſt, & parentibus ſalutare, ètiam ſimpliciter *Dii* appellantur. Et verè quidem ac propriè ii, qui reipſa imperant: falſo autem, qui opinione tantùm hominum. Sed de iis, quibus impius error hoc nomen impoſuit, nil eſt neceſſe hoc loco dicere.

Quod ad eos attinet, qui hoc nomen jurè uſurpant; duplicis illius, quam conſtituimus, ſignificationis, hoc eſt, tum illius, quæ laxior eſt, tum ejus, quæ anguſtior, & ſupremo numini peculiaris, exemplum habes in nobili illo prioris ad Corinth. cap. VIII. 5, & d. loco, ubi Paulus: *Nullus*, inquit, *eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt, qui dicantur dii, ſive in cælo, ſive in terra*: (*ſiquidem* vel *quemadmodum ſunt dii multi & domini multi*:) *nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Vides, eum ſimul, & multos eſſe Deos, & unum tantùm, affirmare: illic laxiori, hîc anguſtiori ſignificatione. Illic enim omnes intelligit, qui potentiâ præcellunt, aut ſublimiorem habent poteſtatem: quales in cœlo ſunt angeli, in terris magiſtratus; hîc κατ' ἐξοχὴν illum tantùm, qui à ſeipſo potentiam & imperium poteſtatemque omnem habet. Sic iiſdem in verbis *Domini* etiam vocem, nunc latâ, nunc ſtricta ſignificatione ſumit. Illâ, cum *Dominos* ait eſſe multos: hac, cùm *unum* tantùm, qua de re infrà, ubi de ipſo *Domini* nomine agemus. Neque verò exiſtimandum eſt, Apoſtolum de falſis Gentium diis loqui, cùm multos eſſe deos aſſerit. Hoc enim ſi voluiſſet, nónne ſatis fuiſſet dixiſſe, *licèt multi ſint, qui dicantur dii?* quid opus fuiſſet confirmationis uberioris gratiâ ſubjicere: *ſiquidem*, vel, ut eſt in Græco, *quemadmodum ſunt multi Dii?* An quiſquam tum poterat ignorare, multos eſſe, qui eo nomine, utut falſo, appellarentur, ut neceſſe eſſet repetita aſſeveratione id confirmare? Deinde cur Apoſtolus *Dominos* adjunxiſſet *Diis?* An non multi verè ac propriè extant domini? Cur ergo vera falſis eâdem aſſeveratione periculoſe junxiſſet? An non res ipſa loquitur, ideo Apoſtolum addidiſſe ſuperioribus illa, *quemadmodum ſunt multi dii*, ut oſtenderet, non injuriâ multos vocari deos, ſive in cœlo, ſive in terra, ſeque ipſum pluribus id nomen commune eſſe cenſere? Cùm enim antea tantummodò dixiſſet, multos eſſe, qui *dicantur* dii, non verò, qui *ſint*; poterat aliquis cogitare, Apoſtoli judicio eos nomine tantùm, non reipſa deos eſſe. Quare, ut ei ſuſpicioni occurrat, ſuam ea de re ſententiam explicat, & illam, quæ præcedentibus verbis comprehenſa fuerat, ita generatim acceptam, calculo ſuo comprobat. q. d. licèt multi ſint, qui vocantur dii, ſive in cælo, ſive in terra: (ut ſanè reipſa, ac meâ quoque ſententiâ, multi ſunt dii: illi nempe omnes, qui potentiâ præcellunt, aut poteſtate ſublimi: in cœlis angeli; in terris magiſtratus: quemadmodum & multi reipſa ſunt domini:) nobis tamen Chriſtianis unus tantùm ſummo cum imperio præeſt colenduſque eſt Deus, nempe Jeſu Chriſti Pater, qui ut primus eſt fons atque auctor rerum omnium, quæ ad nos, noſtramque ſalutem pertinent: ita & ultimus eſt religionis ac pietatis, quæ à nobis proficiſci debet, ſcopus. Similiter etiam unus tantùm nobis Chriſtianis præeſt ac colendus eſt Dominus, nobis regendis à Deo ſummo præfectus, nempe Jeſus Chriſtus, cujus operâ interveniente, ut omnia, quæ ad nos ſalutemque noſtram ſpectant, à Deo perficiuntur: ita viciſſim per eundem omnis in Deum cultus ac pietas à nobis proficiſci debet. Is, inquam, & media eſt omnium bonorum ad ſalutem noſtram tendentium cauſſa; & medius religionis atque honoris, qui viciſſim à nobis primo ſalutis noſtrę auctori debetur, ſcopus; eum colendo, Deum ipſum colimus. Neque verò eſt, quod quis urgeat vocem *Nobis*, quæ verbis de uno Deo loquentibus præfixa eſt ab Apoſtolo, dum ait, *Nobis autem unus* [eſt] *Deus, Pater*, &c. quaſi dicere velit, Ethnicorum quidem opinione multi ſunt Dii, noſtrâ autem ſententiâ unus tantùm eſt. Neque enim hîc quæritur, quid vel nos, vel illi hac de re ſentiant: ſed quid reipſa ſit: præſertim quia non tantùm de Deo uno, ſed & de Domino uno hîc ſermo eſt. Satis autem liquet, non tantùm Ethnicorum, ſed & Chriſtianorum ſententiâ, multos eſſe dominos. Itaque vox *nobis* non tantundem valet, ac ſi dictum eſſet, Noſtra ſententiâ vel opinione: ſed nos, quà Chriſtiani ſumus, & religione devincti, diſtinguit, ſive ab aliis, ſive à nobis etiam ipſis ſecundùm carnem conſideratis: ita ut ſignificet Apoſtolus, etiamſi multi ſint dii ac domini, qui vel in alios, vel in nos ipſos, nempe ſecundùm carnem ſpectatos, poteſtatem aliquam habeant; aut cæteroquin ob inſigne robur dii dici mereantur: eos tamen in re religionis nobis revera non imperare, nec proinde à nobis religioſe colendos eſſe. Unum enim tantùm eſſe Deum, qui nobis, quà religione devincti ſimus, ſuo planè jure imperet, & unum tantùm Dominum, qui ipſius auctoritate nobis præſit, & nos poteſtate ab eo accepta gubernet.

Arbitramur ſatis conſtare, Apoſtolum, cùm multos eſſe Deos aſſeruit, de falſis Gentium diis non loquutum; ſed de iis, quos ſacræ literæ vet. Teſtamenti Deos appellant. Verùm eos non propriè Deos appellari dices, ſed metaphoricè tantùm; quia cum Deo ſimilitudinem quandam habeant. Deum enim propriè illum tantùm dici, quem altiſſimum ſacræ literæ appellant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quare ita conciliandam hanc, quæ in Pauli verbis occurrat, ἐναντιοφανείαν, * ut *multos* eſſe dicat *deos* per metaphoram ſic appellatos: *unum* verò tantùm propriè ſic dictum. Sed hîc illud primùm ſumitur, quod nullo nititur fundamento, Deum propriè illum tantùm dici, qui altiſſimus eſt. Etenim propria hujus vocis ſignificatio ea meritò cenſeri debet, quæ propriæ Hebraicarum vocum, pro quibus in ſacris literis uſitatè ponitur, ſignificationi exactè reſpondet. Nam ſi ad Græcæ vocis etymologiam reſpicere velis, & inde proprietatem ſignificationis æſtimare; neceſſe erit dicere, de Deo ſummo eam non niſi metaphoricè dici. Sive enim vocem θεὸς ab eo deducas verbo, quod currere ſignificat, ſive ab eo, quod urere, ſive denique ab eo, quod ſpectare; metaphora voci, cùm Deo ſummo tribuitur, ſuberit: cum illa contrà creaturis quibuſdam planè propriè conveniant. Quòd ſi ex Hebraicarum illarum, quas diximus, vocum ſignificatione propria, hujus quoque proprietatem æſtimaveris; deprehendes, eam propriè creaturis quoque nonnullis tribui, illis nimirum, quibus poteſtas atque imperium ſublimius, ac robur inſigne competit. Oſtendimus enim ſuperiùs, voces Hebraicas, pro quibus Græca θεὸς plærumque ſolet reponi, eum propriè denotare, qui ea, quæ diximus, habeat. Quare non ea erit conſtituenda inter Deum ſummum, &, qui illi ſubſunt, differentia, quòd illi ſoli propriè vox Dei conveniat, his non niſi impropriè ac metaphoricè: ſed quòd illi primò ac per ſe, ac ratione omnium perfectiſſima: his verò ſecundariò, & non niſi illius virtute ac beneficio; ac porrò aliqua ſaltem ratione imperfectiùs. Quod enim ab altero totum pendet, ad ejus perfectionem penitus aſſurgere non poteſt, ſed aliqua ſaltem ratione infra eam ſubſiſtit. Eſt hæc natura eorum vocabulorum ac generum, quæ communia ab uno dicuntur, à ſcholaſticis analoga attributionis, ab aliis aliter. Una enim earum vocum ſignificatio præcipua eſt, & cæterarum veluti fons & origo. Id enim, quod ea voce præcipuè denotatur, in cauſſa eſt, ut & cætera talia ſint & dicantur. Ideo ab uno, ſeu mavis ab una dicuntur. Quia ab uno ſui generis, ſeu ab una ſpecie, cæteræ pendent, & id habent, quod ſunt, & dicuntur. Id verò unum in noſtro negotio illud eſt, quod ſummum. Deus enim altiſſimus à ſeipſo habet, ut Deus ſit ac dicatur, cæteri ab ipſo. Siquidem ille à ſeipſo & robur habet immenſum, & poteſtatem atque imperium in omnia: cæteri non niſi illius virtute ac beneficio. Eam autem, quam hîc defendimus, ſententiam de proprietate vocis Dei, creaturis quibuſdam tributæ, confirmat etiam illuſtris apud Johannem locus, qui capite 10. extat. Nam cùm Chriſto eſſet à Judæis ℣. 33, objectum blaſphemiæ crimen, eò *quòd, homo cum eſſet, ſeipſum faceret Deum*: Chriſtus, id crimen diluens, ita reſpondet ℣. 34, & d: *Nónne*, inquit, *ſcriptum eſt in lege veſtra* Pſal. 82. 6, *Ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quòd blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum?* Ubi nullum eſt dubium, quin Judæi propriè *Dei* vocem uſurparint, cùm Chriſtum eo nomine auderent blaſphemiæ arceſſere, quòd ſe Deum faceret. Dubium etiam eſſe non debet, quin Chriſtus illis reſpondens, docere voluerit, jurè ſe potuiſſe Dei nomen uſurpare, idque verè ac propriè, licèt expreſſe non uſurpaſſet. Ad id autem probandum exemplum affert eorum, quos Deus ipſe aliquando vocarit deos, & à minori ad majus argumentum ducens, ita, ſi ſententiam ſpectes, concludit: Si illi appellati ſunt dii, ad quos ſermo Dei factus eſt; multò magis ego Deus appellari poſſum. Ubi nequaquam eſt concedendum, eum, ambiguitate vocis abuſum, à metaphorica ſignificatione ad propriam tranſiiſſe. Neque enim ſequitur: ſi illi metaphoricè dicti ſunt dii: multò magis ego propriè ſic dici poſſum; præſertim ſi ſtatuas id, quod hîc refellimus, vocem eam non niſi Deo ſummo propriè competere: quæ enim, quæſo, eſt conſecutio: illi ſunt Dii metaphoricè appellati, & quidem jure: ergo ego multò majori, vel ſaltem æquali jure, Deus naturâ, ſeu Deus ſummus dici mereor. Rationem tantùm expende, quâ Chriſtus ſibi potiùs, quàm illis, hoc nomen tribui poſſe oſtendit. Hanc illis complexus eſt verbis: *Quem Pater ſanctificavit, & in mundum miſit*. Atqui ratio iſta Deum ſummum haudquaquam arguit; ſed potiùs non eſſe arguit. Neque enim Deus ſummus ab alio ſanctificatur, ſed alios ipſe ſanctificat: in mundum à nemine mittitur, ſed alios imperio ſuo mittit obnoxios. Certè ob eam rationem nec Pater Chriſti Deus eſt, quem eſſe omnes credimus; nec Spiritus ſanctus, quem illi, cum quibus diſputamus. Non poteſt autem Deus ſummus, alius ob hanc, alius ob illam rationem Deus eſſe. At ſi agnoſcas, *Dei* nomen judicibus ac magiſtratibus, de quibus locus Pſalmi à Chriſto citatus Pſal 82. 6, loquitur, propriè convenire; firmiſſima erit illius argumentatio. Si enim iſti, quos Deus illis Pſalmi verbis alloquutus eſt, dii ſunt dicti, licèt non adeo magna, nec inuſitata eorum eſſet poteſtas; an non longè majori jure Chriſtus jam tum Deus dici potuit? Hunc enim Pater à cæteris omnibus ſelectum, potentiâ & auctoritate prorſus inuſitatâ ac planè divinâ inſtructum, ad humanum genus miſerat. Verùm ita moderatus eſt ſermonem Chriſtus, ut tantummodo diceret, ſe *Filii Dei* nomen ſibi uſurpaſſe: non verò, ſe *Dei* appellationem vel ſumſiſſe ſibi, vel ſumere jurè potuiſſe: ut tantò magis blaſphemiæ crimen à ſe depelleret. Potuiſſet quidem Chriſtus eodem jure, eademque uſus ratione, *Deum* ſe appellare, quâ ſe *Dei Filium* aſſeruerat. Quemadmodum & illi, de quibus in Pſalmo ſermo eſt, eandem ob cauſam & *Dii* & *Filii Dei* ſeu *Altiſſimi* ibidem appellantur. Sed aliquo tamen pacto minùs auguſtum eſt, & à blaſphemiæ crimine longiùs remotum *Filii Dei*, quam ipſum *Dei* nomen. Hoc enim ſolam ejus, qui ita vocatur, majeſtatem ac ſublimitatem explicat, eumque ita cum Deo ſummo conjungit, ut nullam inter hunc & illum differentiam indicet. Illud autem, etſi maximam ejus, qui ita nominatur, cum Deo ſummo conjunctionem exprimit, præſertim in tam perfecta, quâ Chriſto competit, ſignificatione: nihilominus tamen ſtatim differentiam illius à Deo ſummo aperit, & eum Deo aliqua ratione inferiorem eſſe oſtendit. Filius enim Dei eo ipſo, quòd Filius eſt, à Deo Patre ſuo totus pendet, omniaque ipſi accepta refert: hîc nemini. Quæ cauſa etiam eſt, cur Chriſtus longè crebriùs Filius Dei, quàm Deus appelletur. Quare duplici ratione cenſendus eſt Chriſtus ad argumentum adverſariorum, quo calumniam ſuam probare nituntur, reſpondere. Diſputant illi: Deum teipſum facis. Blaſphemas igitur. Chriſtus & conſecutionem infringit, argumento ſuperiùs explicato; & antecedens, dum argumentum illud ſuum concludens oſtendit, ſe dixiſſe, *Filius Dei ſum*: non verò, ut illi objecerant, *Deus ſum*. Quòd ſi tamen id quoque tacitè aſſeruiſſe cenſendus ſit; indicat ea reſponſione, ſe non ſupremam & à nullo alio pendentem deitatem ſibi tribuiſſe, ſed eam, quæ à ſuprema pendeat, quæque in Filium Dei cadat, eúmve conſtituat. Hoc autem ſe abſque blaſphemiæ crimine, imò ſummo jure feciſſe.

Ut ergo ad inſtitutum redeamus; conſtat, alios etiam præter Deum ſummum deos propriè dici. Secundùm Patrem quidem Chriſtum: poſt hunc verò in cœlis angelos, in terris magiſtratus ac judices. Conſtat etiam, rectè à nobis ſuprà conſtitutam eſſe duplicem nominis *Dei* ſignificationem, laxiorem & ſtrictiorem. Ea enim non minùs hîc, quàm in loco Pauli ſuperiùs citato reperitur. Laxior, cùm judices eo nomine appellantur: ſtrictior, cùm ad eos ſermonem *Dei* eſſe factum, & Chriſtum *Dei* Filium eſſe dicitur. Nam Patrem hîc intelligi, res ipſa loquitur. Eandem ſignificationem omnes innumeris agnoſcunt locis, ſed iis maximè, in quibus Deus à Chriſto, ut iſtic contingit, diſcernitur. Verùm eam agnoſcere debebant, in omnibus Novi Teſtamenti locis, in quibus vel ſubjectivè, ut loquuntur, vox *Dei* ponitur, cùm interim ad eum ipſum, qui Deus dicitur, ſermo non dirigatur; vel

in

* Contrarietatem apparentem, ſeu contradictionis ſpeciem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

in Græco articulus voci præfigitur, qui nec penitus, nec ex parte aliqua vim ſuam perdere deprehendatur. Idem de plæriſque locis Græcæ Veteris Teſtamenti verſionis dici poteſt, in quibus vox θεὸς ſingulari numero ponitur. Duobus enim illis modis vox θεὸς uſurpata, Deum ſummum, tum in N. Teſtam. tum in plæriſque Veteris Teſtamenti locis ſignificat.

Atque ut de priori modo, adeoq́ue de priori ſtrictioris illius ſignificatûs indicio nunc dicamus; ſubjectivè *Dei* vocem uſurpari dicimus, quoties ea de aliquo ſubjecto non enunciatur, etiamſi fortè prædicati, ex pluribus vocibus conſtantis, pars ſit. Ut cùm dicitur, Chriſtum eſſe Filium *Dei*; nos accedere ad *Deum* Heb. 7. 25: XI. 6: cap. 13. 15: adde 1 Joh. 4. 2, 3, 6, 7. Offerre hoſtias *Deo*; & quæ ſunt hujus generis alia. Hoc ergo modo uſurpata vox *Dei* κατ᾽ ἐξοχὴν ſumi, & Deum ſummum, in novo præſertim fœdere, denotare ſolet. Atque hæc eſt cauſa, cur *Deus* ſimpliciter poſitus à Chriſto toties apertiſſimis verbis diſtinguatur. At cùm eadem vox prædicati locum obtinet, articulo deſtituta, (interdum enim habet vid. 2 Sam. 7. 28. Pſal. 46. 12: XLVII. 9: LXXVII. 15: Eſa. 45. 22: XLVI. 9: Oſeæ. 11. 9.) ſupremam deitatem non denotat, niſi ex accidenti. Id quod ex enunciationis ſubjecto, aut aliis locorum circumſtantiis eſt colligendum. Aliàs enim non proprii, ſed appellativi rationem habet. Eadem ratio eſt, cùm vocandi caſu quiſpiam eo nomine compellatur, honoris tantùm & dignitatis exprimendæ cauſſa, non ut ab aliis, quibus idem nomen conveniat, diſtinguatur. Illo enim modo abſque ulla ἐξοχῆ ſignificationis, vocabula generalia cuivis illius generis, quod deſignant, individuo poſſunt accommodari.

Jam ut de altero etiam indicio ſtrictioris ſignificationis vocis θεοῦ aliquid dicamus; quia id in articulo ei præfixo conſiſtit; ideo pauca nobis de articuli vi dicenda ſunt, alibi etiam profutura. Fatendum quidem eſt, articulum voci naturâ ſuâ generali præpoſitum, non ſemper vim habere, eam ad certam aliquam ſive ſpeciem, ſive individuum, reſtringendi. Imò ut ipſi notant Græci, articulus nonnunquam eſt προσδιορισμὸς τοῦ καθόλου, ſeu univerſalis naturæ nota quædam. Quin & ornatûs ſæpe cauſſa magis, quàm neceſſitatis, præfigitur vocibus, & rem quamvis ſui generis deſignat. Sic, ut rectè annotârunt interpretes quidam, apud Matthæum ὁ ἐθνικὸς, Matth. 18. 17, non ſingularem aliquem, ſed quemcunque notat Ethnicum; ὁ τελώνης quemvis publicanum: apud Marcum ὁ ἱερεὺς Marc. 1. 44, quemcunque ex ſacerdotibus. Participiis præpoſitus nil conſuevit ſignificare aliud, quàm apud Latinos pronomen *qui* verbis præpoſitum. Ut fruſtra illi ſint, qui alicubi quippiam eo ſingulare notari contendunt Apoc. 2. 23. Exempla paſſim ſunt obvia: vide inter alia Matt. 5. 22, 28, 40, 42: VII. 8, 21, 26: X. 37, 39, & d. Joh. 3. 15, 16, 18, 36: VI. 35, 47, 54, 56: eſtq́ue res jam olim à viris doctis notata. Solet tamen articulus nominibus præfixus, perinde ut apud Hebræos He emphaticum ab illis dictum, ea creberrimè ad rem certam reſtringere. Qua de cauſa nominibus propriis frequentiùs ſubducitur. Siquidem ea per ſe jam ſatis arctata, reſtrictione alia non indigent. Reſtringit autem voces articulus duplici ratione; vel ut mentem audientis referat ad rem aliquam notam, præſertim antea nominatam, aut aliqua ratione indicatam; ob quem uſum ἀναφορικὸς appellatur: vel ut deſignet rem in ſuo genere eximiam. Quo tempore generale διακριτικοῦ nomen obtinet: cùm cæteroquin, etiam quando ἀναφορικὸς eſt, diſcernendi vim habeat. Et haud ſcio, an ex priori vi poſterior nata ſit, atque ideo res eximiæ articulo notentur, quia præ cæteris notæ eſſe ſoleant, ut ad eas facilè mens audientis referatur. Utriuſque uſus exempla notantur ab eruditis plurima. Et poſterior quidem, qui noſtri potiſſimùm inſtituti eſt, adeò celebratur, ut nonnulli, & ex iis etiam Græci, hunc ſolum propemodum videantur agnoſcere. Monuit in præceptis analyticis Philoſophus, * diſtinguendum eſſe vocabulum articulo præditum, & eo carens, exemplo in voce ἀγαθοῦ propoſito. Non n. idem eſſe, voluptatem eſſe ἀγαθὸν, & voluptatem eſſe τὸ ἀγαθὸν, & ſic in cæteris. Ubi doctiſſimi quidam illius interpretes notant, ἀγαθὸν ſignificare quodcunque bonum: τὸ ἀγαθὸν verò ſummum. Articulum enim excellentiam quandam deſignare. Quamquam alii rectè addunt, τὸ ἀγαθὸν etiam bonum univerſim ſignificare: cùm, ut ſuprà monuimus, articulus etiam ſit προσδιορισμὸς τοῦ καθόλου, frequentiùs quidem nominibus pluralis numeri præpoſitus, ſed interdum etiam ſingularis: & apud Philoſophum τὸ ἀγαθὸν & ſummum ſignificet bonum, & univerſum. Ea, quæ diximus, ad vocem θεοῦ nunc transferamus. Huic, & ſingulari numero, & prorſus abſolutè poſitæ, articulum ſæpiſſimè videmus præfigi, qui tamen nec univerſalis, cujuſdam naturæ indicium eſt; præſertim cum Chriſti Patrem toties tam apertè denotet; nec ἀναφορικὸς dici meretur, quòd ad rem antea indicatam referatur. Sæpè enim nulla nec aperta, nec tacita Dei antecedit mentio. Reliquum igitur eſt, ut ἐξοχὴν ſeu excellentiam quandam denotet. Niſi dicere velis, eum rem denotare in ſuo genere notiſſimam. Sed notiſſima in hoc genere illa cenſenda erit, quæ omnium eſt excellentiſſima, ita ut res eódem recidat. Agnoverunt articuli voci huic præfixi vim, etiam veteres quidam, tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ doctores, quorum teſtimonia ſunt à noſtris alibi producta. Cyrillus * enim, *illud*, inquit, *apprimè tenendum eſt, quod quandò divina ſcriptura nominibus, ſecundum Græcæ linguæ uſum, articulos præponit, tunc & unum, & quod ſolum propriè atque verè tale quid dicitur, ſignificat: articulo autem non adjecto, generaliùs cuncta deſignat: ut verbi cauſâ; Multi vocati ſunt dii: ſed quando cum articulo Græcâ linguâ Deus dicitur, tunc ſolus & propriè Deus deſignatur: cùm verò abſque articulo Deus profertur, qui ad hoc gratiâ vocatus eſt, intelligitur.* Incautiùs quidem aliquantò loquitur, ut partim ex iis conſtat, quæ ſuperiùs de voce θεοῦ ſubjectivè poſita, déque articulorum vi, ex eruditorum ſententia diximus; partim ex infrà dicendis conſtabit: veruntamen magno ea ſunt argumento, quantum articulo tribuerit. Cautiùs illo Auguſtinus, Latinus Græco. Nam de verbis Jacobi ad fratrem Eſavum diſſerens, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum videt aliquis faciem Dei*, ita inter alia ſcribit: † *Hoc potuit ſic dici, quemadmodum & Moſes Pharaonis Deus dictus eſt, ſecundùm quod dicit Apoſtolus, Et ſi ſunt, qui dicuntur dii, ſive in cælo, ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & domini multi*; Exod. 7. 1. 1 Cor. 8. 5. *maximè, quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſimè ſolet dei veri unius fieri ſignificatio. Non enim dixit* πρόσωπον τοῦ θεοῦ, *ſed dixit* πρόσωπον θεοῦ. *Facilè autem hoc intelligunt, quâ diſtantiâ dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.* vid. etiam Judic. 13. 22. Veruntamen obſervandum eſt, nonnunquam voci θεοῦ præfigi articulum, etiamſi de Deo ſummo ſermo non ſit: ſed tum ea vox vel pluralis eſt numeri; vel cum adjectione quadam ponitur, quæ articuli vim reſtringat; vel denique articulus pro adverbio ὦ, quod vocandi caſui præfigi ſolet, uſurpatur. Primum in Græca Vet. Teſtamenti tranſlatione occurrit: cætera etiam in novi Fœderis ſcriptis. Nam quod ad primum attinet; cùm Deus ſummus dicitur *Deus Deorum*, tum apud Moſen, tum apud Danièlem, Deut. 10. 17. Dan. XI. 36. voci θεῶν plurali articulus præfigitur, qui univerſitatem quandam denotat. Significatur enim, eum eſſe omnium cæterorum deorum Deum. Quod ad ſecundum attinet, vox θεοῦ articulo quidem notata, ſed cum adjectione aliqua, nunc ſingulari Judic. XI. 24. 1 Sam. 5. 7. 4 Reg. 19. 34. nunc plurali numero poſita, etiam falſis diis tribuitur: Exod. 12. 12: XXIII. 24, 32, 33: XXXIV. 15, 16. Deut. 6. 14: VII. 16, 25, & alibi paſſim. ut nil prohibeat, quominus vero alicui Deo, licèt non ſummo, tribui queat, ob peculiarem quendam ad eum, cujus mentio adjicitur reſpectum. Animadvertendum enim eſt, quando vocabula cum adjectio-

* Lib. 1, Prior. Analyt. c. 37. Pacio.

* Lib. 1. c 4. in Euang. Johan. interprete Georg. Trapezuntio.
† Lib. 1. Quæſtion. ſuper Geneſ. quæſtione 105. Gen. 33. 10.

nc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

me aliqua ponuntur, vim articuli eis præfixi, vel penitus perire, vel ex eo, quod adjicitur, æſtimandam eſſe. Neque enim, ſi quid fortè ſingulare denotat, eam ſemper rem deſignat, quæ in toto illo genere, quod voce eadem abſolutè poſita ſignificatur, eminet: ſed ſæpè eam tantùm, quæ peculiarem quendam ad id, quod apponitur, reſpectum habet. Et hoc quidem cernitur in iis exemplis, in quibus fictitius aliquis Deus, hujus aut illius gentis Deus, cum articulo dicitur: quia ab ea gente vel ſola, vel præcipuè colatur, vel primùm omnium cultus fuerit. Cæteroquin nullam rei, ut ita dicam, ſingularitatem denotat articulus, præter eam, quam ipſum vocabulum appoſitum per ſe ſignificat. Sic ὁ κύριος, ὁ διδάσκαλος abſolutè poſitus, certum quendam dominum, aut doctorem ſignificat: & in ſacris quidem literis nominatim Chriſtum. De voce κύριος cum articulo poſita, res omnibus eſt nota. De voce διδάσκαλος habes apud Matthæum & Johannem exempla. At cùm dicitur ὁ κύριος vel ὁ διδάσκαλος τούτου ἢ ἐκείνου, dominus vel magiſter hujus aut illius Matt. 26. 18. Joh. XI. 28. nihil ſingulare denotari ſolet, quod ex voce appoſita per ſe non pateat. Quemadmodum vel ex ſacris literis petita docent exempla Matth. 10. 25, & 24. 45. Luc. 12. 36, 45, 47. Sic ὁ ἀδελφός σου, frater tuus, Mat. 5. 23, & d. VII. 3, & d. ὁ υἱὸς αὐτοῦ, filius ipſius ibid. ℣. 9, & ſimilia, nil ſingulare ſignificare deprehenduntur. Denique articulum voci θεὸς præpoſitum in adverbium vocandi ὦ migrare, iis ignotum eſſe non poteſt, qui vel Pſalmorum tranſlationem Græcam legerint. Nam in iis fortaſſe ſemper, vid. inter alia Pſal. 3. 8: V. 3, 11: VII. 2, 4, 10: X. 12, &c. in cæteris ſacrorum librorum plerumque, vid. Num. 12. 13: Jud. 16. 28. 3 Reg. 8. 23, 25, 26, 28. 1 Par. 17. 17. pro vocandi caſu θεὲ vel ὦ θεὲ, legitur ὁ θεός. Ejuſdem rei exempla habes etiam in novo Teſtamento. Nam & apud Marcum cap. 15. ℣. 34, Chriſtus in cruce pendens exclamaſſe legitur, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, hoc eſt, *Deus meus, Deus meus*, pro, *Deus mi, Deus mi*: quemadmodum apud Matthæum cap. 27. 46, expreſſe legimus, ubi eſt, θεέ μου, θεέ μου. In iis autem verbis Chriſtus reſpexiſſe creditur ad Pſa. 22. initium, ubi itidem in Græco eſt ὁ θεὸς ὁ θεός μου, nominativus pro vocativo. Exemplum etiam extat in verbis Pſalmi 45. 7; quæ citantur in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. 8; quibus Pſaltes literali, quem vocant, ſenſu Salomonem, myſtico Chriſtum compellans, ὁ θεὸς dicit, pro θεὲ, vel ὦ θεὲ. Eandem caſuum enallagen ſequuntur & aliæ voces, præſertim, quando cum voce θεὸς pro vocativo uſurpata junguntur. Sic uſurpatur ὁ βασιλεύς μου Pſal. 5. 2. ὁ κυριός μου Pſal. 35. 23. illic ſequitur, hìc præcedit ὁ θεός μου. Pſalmo autem 8. 2: κύριος ἡμῶν ita ſumitur, licèt proximè præceſſerit κύριε. vide etiam Pſa. 86. ℣. 12. Apud Johannem ſimilia occurrunt. cap. 13. 31 ait ad diſcipulos Chriſtus: *vos vocatis me* ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος, ubi rectè doctiſſimi quidam interpretes vulgatam verſionem defendunt, quæ vocandi caſu habet, *Præceptor & Domine*. cap. 19. 3 milites ita affantur Chriſtum: Salve ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, id eſt, *ô Rex Judæorum*. Similia reperies in Apocalypſi cap. 6. 10. Ut non immerito credas, cùm Thomas apud eundem Johannem cap. 20. 28, ita Chriſtum affatur, ὁ κυριός μου, καὶ ὁ θεός μου, eum nominativo pro vocativo eſſe uſum, quaſi dixiſſet, *ô Domine mi, & ô Deus mi*: quemadmodum alibi eaſdem voces ad alterum directas uſurpari videmus. Quanquam etiamſi ea Thomæ verba ita accipiantur, ac ſi dixiſſet, *Tu es Dominus meus & Deus meus*, quemadmodum nonnulli verterunt interpretes: intelligi tamen ex ſuperioribus poteſt, articuli vim ob adjectam particulam μου, id eſt, *meus*, minui. Quòd ſi vim aliquam habere concedendum ſit; conſentaneum eſt, Thomam, cùm Chriſtum à Deo reſuſcitatum videret, dicere voluiſſe, eum eſſe illum Dominum, qui à Deo fuerit Iſraëlitico populo promiſſus, qui ei genti ſit inſigniter benefacturus, eumque ex ſervitute liberaturus: ut jure eum non modò dominum ſuum, ſed & Deum ſuum appellare poſſit aut debeat. Breviter, eum eſſe illum Chriſtum Dei filium, quem eſſe aliquando unà cum cæteris crediderat ac profeſſus fuerat Matth. 16. 15, 16: Joh. 6. 69; ſed quæ fides, Chriſti morte tam dira tamque infami, deliquium aliquod in Thoma fuerat paſſa. Quare articulus potiſſimùm cenſendus erit ἀναφορικὸς, qui mentem ad rem certam anteaque notam referat. Cæteroqui cùm de Chriſto vox θεοῦ uſurpatur, vel manifeſtè, ut in loco Pſalmi ſuperiùs viſo Pſal. 45. 7, articulus vim perdit, cùm nominativus pro vocativo ponatur; vel vox θεὸς ſine articulo poſita, prædicati locum obtinet. Sic apud Eſaiam puer aliquando naſciturus dicitur appellandus θεὸς ἰσχυρὸς, *Deus fortis* Eſa. 9. 7: apud Johannem dicitur θεὸς ἦν ὁ λόγος, id eſt, *Verbum* vel *Sermo erat Deus* Joh. 1. 1. Nam vocem λόγος articulo notatam, quo vox θεὸς caret, ſubjecti locum ibi tenere, omnes, quod ſciam, interpretes atque explanatores Græcæ linguæ non ignari animadverterunt. Apud Paulum Chriſtus dicitur eſſe *ſuper omnes* vel *omnia* Rom. 9. 5, θεὸς, *Deus*, itidem abſque articulo. Ut ſatis appareat, ſoli Patri nomen hoc, articulo vim ſuam retinente notatum, tribui: eum etiam ſolum intelligi, cùm vox ea ſubjectivè in Novo Teſtamento uſurpatur.

Ex eo autem, quòd vox *Dei* tum in Hebræo, tum in Græco, ejuſmodi adjectionem amat, quâ relatio ad alios ſignificatur, ut cùm Deus dicitur eſſe Deus hujus aut illius; ex eo, inquam, facilè intelligitur, eam vocem nec naturâ ſuâ propriam eſſe, nec ipſam Dei eſſentiam ſignificare. Propria enim nomina apud Hebræos ejuſmodi adjectiones non patiuntur. Non dicitur verbi gratiâ, Moſes vel Jeſus vel Paulus hujus aut illius, niſi cùm ſubauditur vox *filius*, in fæminarum nominibus *filia* vel *uxor*. Eſſentia etiam Dei ex rerum abſolutarum eſt numero, non relatarum. Cur ergo tam crebrò Deus dicitur horum aut illorum Deus? nempe quia Dei vox poteſtatis inprimis & imperii nomen eſt, cui honor ac veneratio debetur, & quod parentibus ſolet eſſe ſalutare. Significat igitur ejuſmodi adjectio, Deum eſſe benigniſſimum ejus, cujus Deus eſſe dicitur, dominum ac rectorem: quemadmodum exempla docent. vide inter alia Exod. 3. 6, 15, 16, confer Gen. 17. 7, 8: & Matth. 22. 31, 32: 2 Cor. 6. 16, conf. Levit. 26. 12, aut ab eo pro hujuſmodi numine coli, vel coli debere Gen. 24. 12, 27, 42, 48: XXVII. 20: XXXI. 5, 29, 42, 53: XXXIII. 20, conf. cum 28. 21: XLIII. 23: L. 17. Latini etiam Dei vocem, tanquam principatus benefici nomen, uſurpant: quanquam interdum ad ſolum principatum, ſeu mavis eminentiam alicujus, interdum ad ſolam beneficii magnitudinem exprimendam adhibent. Nam & Principes viroſque potentes, Deos interdum videmus appellari; & eum, qui inter Poëtas eminet, Poëtarum; qui inter Oratores aut Philoſophos, Oratorum aut Philoſophorum Deum dici: denique eum, qui alteri inſigniter benefacit, Deum cenſeri. Unde illud vulgò tritum, *Homo homini Deus*: cujus contrarium, *Homo homini dæmon* aut *lupus*. Eo modo Orator Lentulum, *fortunæ nominiſque ſui Deum ſtatuere ſe* ait. Sed de his ſatis. Alia nonnulla, quæ eò pertinent, ut rectiùs intelligatur, quo pacto Deus ſummus ob poteſtatem atque imperium Deus dicatur, ad explicationem ipſius poteſtatis divinæ reſervamus.

Cap. XIV.

De nomine κύριος & δεσπότης.

Reſtat vox κύριος, *Dominus*, &, quæ interdum ejus loco reponitur, δεσπότης, id eſt, *herus*. Significatio illius nominis genuina nota eſt omnibus; ut ne quidem neceſſe ſit monere, id perinde ut cætera hucuſque à nobis viſa, cùm naturâ ſuâ commune ſit, κατ' ἐξοχὴν ſumtum, de Deo frequenter inſtar proprii uſurpari. Diximus autem ſuprà, id tum pro nomine *Adonai*, cui magis propriè reſpondet, tum propter hoc, etiam pro tetragrammato *Jehova* in Græco reponi. Quia enim *Adonai* pro *Jehova* in lectione Hebræorum verborum ſubſtitui conſuevit; ideo illius etiam interpretatio huic accommodatur. Præſertim quia durius viſum fuiſſet Græcis auribus, ſi interpretes proprietatem vocis ſequuti, eam toties reddidiſſent ἐστὶ vel ὁ ἐστὶ. Adde, quòd

illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illud Dei nomen, quod ob venerationem etiam inter Hebræos occultaretur, ejuſmodi interpretatione non videntur vulgare voluiſſe. Quia verò vox Jehova magis, quàm cætera Dei nomina, propriorum naturam ſequitur: ideo etiam Græca κύριος, cùm pro illa ponitur, propriorum indolem, quà licet, æmulatur. Diximus ſuprà ex virorum doctiſſimorum ſententia, propriis nominibus articulum libentiùs ſubtrahi: quia cùm per ſe ſatis videantur eſſe reſtricta, reſtrictione ea, quæ per articulum fieri ſolet, non indigeant: licèt interim articulum etiam ſæpe concinnitatis potiùs, quàm neceſſitatis cauſſa admittant. Idem fit in voce κύριος, cùm pro *Jehova* ponitur Gen. 2. 5, 8, 15, 16, 22: III. 1, 8, 9, 14, 21, 23, & alibi paſſim; ſæpe etiam cùm pro *Adonai* Pſal. 68. 18, 21, 23, 27: LXXI. 16: LXXVII. 8: præſertim cum utraque vox Hebræa, propriarum more, He emphaticum, quod articulo apud Græcos reſpondere diximus, reſpuat. Nam licèt ἐξοχὴ ſignificationis, & diſtinctio ſupremi domini ab aliis dominis, videatur articulum poſtulare: tamen quia res ipſa, locorumque circumſtantiæ Dominum illum ab aliis ſatis diſcernunt, & de ſummo rerum omnium monarcha ſermonem eſſe docent; ideo articulus longè frequentiùs omittitur: ut vox illa non per eum c[illegible]mum coarctata, ſed tanquam propria, per ſe ſatis jam reſtricta eſſe videatur. Cæteroqui cùm nomen iſtud κατ' ἐξοχὴν ſumitur, ſed de alio, præterquàm de uno Deo, uſurpatur, articulum plærunque ſibi præfixum habet; ut appareat, id per ſe commune, ab articulo ad certam perſonam eſſe reſtrictum.

Atque hæc eſt cauſa, cur in novo Teſtamento, maximè apud Lucam & Paulum, vox κύριος, cùm Deum ſummum deſignat, articulo libentiùs careat: quemadmodum & apud veteres Teſtamenti interpretes, unde in Novi Teſtamenti libros conſuetudo illa manavit. At cùm de Chriſto ſubjectivè uſurpatur, raròarticulus omittitur, niſi fortè cùm occurrunt verba *in Domino*, quæ apud Paulum ſatis ſunt frequentia, vide inter alia Rom. 16. 2, 8, 11, 12, 13, 22: 1 Cor. 7. 39: IX. 1, 2: Epheſ. 5. 8. Licèt enim ea de Chriſto plærumque accipiantur, de Deo autem ſummo tunc fortaſſe tantùm, cùm ad aliquem veteris Teſtamenti locum reſpicitur 1 Cor. 1. 31: 2 Cor. 10. 17: vid. Jer. 9. 24: tamen vix eſt, ubi ea cum articulo voci κυρίῳ præpoſito reperiantur. Itaque non eſt illud diſcrimen, quod in additione aut detractione articuli conſiſtit, ita perpetuum, ut non ſit interdum neceſſe aliunde judicare, utrùm de Chriſto, an verò de Deo ſummo ſit ſermo. Cùm ergo ad locum aut hiſtoriam veteris Fœderis reſpicitur, aut de re ſermo eſt, quæ facta fuerit, antequam munus ſuum ordiretur Chriſtus; ſimplex *Domini* nomen Deum ſummum revera ſignificat: niſi fortè verba vet. fœderis ad Chriſtum potiùs accommodentur, quàm de eo prolata fuiſſe dicantur; aut in ſimplici narratione ad Chriſtum, qui futurus aliquando ſit dominus, apertè reſpiciatur. At cùm verba fiunt de re ad N. Fœderis tempora propriè pertinente, ſi articulus nomini κυρίῳ præfixus ſit, ſaltem ut plurimùm Chriſtus intelligitur: cùm abeſt, ſæpiùs Deus ſummus; præſertim ſi excipias locos, in quibus extant verba ἐν κυρίῳ.

Ex hoc autem diſcrimine facile apparet, nomen *Domini*, cùm de Chriſto uſurpatur, non reſpondere nomini *Jehova* vel *Adonai*. Quia alioquin articulo frequentiùs careret. Articulus igitur ille ſignificat quidem, Chriſtum κατ' ἐξοχὴν dici *Dominum*: ſed tamen *Domini* vocem aliquid minus ſignificare, quàm *Jehova* aut *Dei* nomen ſubjectivè poſitum. Atque hinc eſt, quòd *Dominus* abſolutè poſitus, à *Deo* itidem ſimpliciter nominato, tam crebrò diſtinguatur, & ille titulus Chriſto, hic Patri tanquam proprius in novo Fœdere tribuatur 1 Cor. 8. 6. Epheſ. 4. 5, 6. conf. 1 Cor. 12. 5, 6, atque adeò Pater ille unus Deus, Chriſtus ille unus Dominus dicatur. Dei enim nomen eum tunc ſignificat, qui poteſtatem habeat in omnia à nullo alio dependentem: Domini verò nomen eum, qui divinum quidem imperium, ſed ab alio tamen acceptum habeat, idque ejus nomine ac voluntate adminiſtret; & cui nominatim divini populi gubernatio ſit commiſſa. Alioqui Deus ille unus à Domino uno diſtingui non poſſet: ſed utrumque nomen Patri adſcribendum eſſet. Supremus enim Deus, ſimpliciter etiam ſupremus rerum omnium, ac porrò unicus eſt Dominus; & contrà.

Jam ut de nomine δεσπότου ſeu *heri*, nonnihil dicamus; eo ſimpliciter poſito rariùs deſignatur Deus vid. Prov. 29. 25: Luc. 2. 29: Act. 4. 24; ſæpius aliis additis verbis, ex quibus facilè intelligatur, de Deo ſummo ſermonem eſſe Gen. 15. 2: Job. 5. 8: Eſa. 1. 24: III. 1: X. 33: 2 Petr. 2. 1: Jud. ℣. 4: Apoc. 6. 10. In Græca veteris Teſtamenti verſione plærumque pro nomine *Adon* vel *Adonai*, de quo ſuprà ſatis diximus, ponitur: rariùs pro aliis Dei nominibus. Hinc quo pacto Deo tanquam proprium nonnunquam tribuatur, facilè apparet. Uti nec illud obſcurum eſt, cur ei omninò tribuatur. Jus nempe illi eſt in omnia dominicum, atque in res omnes intelligentiâ præditas herile: & in nos quidem, tum ob creationem, tum ob redemtionem, quâ nos ſibi vindicavit atque aſſeruit. Ille ſummus atque adeò unicus eſt, ſive in maxima hac univerſi domo, ſive nominatim in cælo, ſive denique in Eccleſia, quæ peculiariter *domus* Dei appellatur 1 Tim. 3. 15, paterfamilias. Hunc dignitate proximè attingit Chriſtus, qui licèt non ſemel in ſacris literis Dei ſervus appelletur, ejus temporis habita ratione, quo in terris mortalis egit: nunc tamen non, ut Moſes, ſervi partes in Dei domo ſuſtinet, ſed, quemadmodum teſtatur divinus ad Hebr. ſcriptor cap. 3. 5, 6, filius eſt ſuper Dei ſuamque domum, quæ partim Eccleſia, partim cœlum eſt. Etſi autem in Dei domo ita, ut diximus, eminet: quia tamen non ſimpliciter in ea ſummus eſt, cùm caput habeat Patrem 1 Cor. XI. 3; ideo nuſpiam δεσπότης ſeu *herus* aut *paterfamilias* appellatur: ſed ab illo nonnunquam clariſſimè diſtinguitur vid. Luc. 2. 29, & d. Act. 4. conf. ℣. 24. cum 27, & 30. Jud. ℣. 4. Nam quòd apud Judam ſub uno uterque articulo commemoratur; id conjunctionis, non identitatis, ut ita dicam, indicium eſt, quemadmodum alibi diſputabitur *. Si unus idémque eſſet, nil fuiſſet opus, poſtquam eum appellaſſet *ſolum herum Deum*, nominare *Dominum noſtrum*: præſertim cùm vox *heri*, vim omnem vocis *Domini* complectatur, ut taceam, Chriſtum *ſolum illum herum* dici non poſſe; cùm Pater ita herus ſit, ut hoc ipſo nomine appellatus, à Chriſto diſtinguatur, quemadmodum exempla è Lucæ ſcriptis adducta docent.

Et hæc de nominibus Dei, tum Hebræis, tum Græcis: ex quorum vi de ſignificatione Latinorum, quatenus hæc in illorum locum ſubeunt; ſtatuendum eſt. Hæc autem divinorum nominum explicatio primùm eò prodeſt, ut non pauca ſacrarum literarum loca rectiùs intelligamus, quæ, ignorata earum vocum vel ambiguitate quadam, vel propria vi ac ſignificatione, in alienum ſenſum trahi facilè poſſunt, atque adeò trahuntur: ſimul ut controverſias quaſdam non exigui momenti facilius dijudicare ac decidere poſſimus. Deinde cùm videamus, nomina Dei plæraque aut potentiam, aut imperium Dei ſupremum ac maximè beneficum exprimere; quædam etiam ipſius fidem & conſtantiam in ſervandis promiſſis: monemur, ut hæc Dei attributa altiori quodammodo cogitatione expendamus, animiſque noſtris infigamus. Prorſus enim credibile eſt, ab iis potiſſimùm rebus Deum eſſe in ſacris literis appellatum, quas de ipſo ſciri ac credi omnium hominum plurimùm interſit, & quarum cognitio ad religionem ac pietatem in nobis excitanda[illegible], maximum habeat momentum. Huc enim om[illegible] de Deo in ſac. literis dicuntur, tendunt. Et profectò quis eſt, qui, ſi potentiam Dei ſummam, ſi ſummum ejus in omnia imperium, nec ſummum tantùm, ſed & maximè beneficum; ſi denique fidem ejus ac conſtantiam in ſervandis promiſſis planè immutabilem agnoverit, & iis de rebus cogitationem ex animo nunquam depoſuerit, ſpem ſuam in eo collocare dubitet, & ad eum ſumma animi veneratione colendum, atque ad obſequium ei præſtandum, totum ſe non componat?

* inf. lib. 5. cap. 10.

quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quis ei placere, & favorem ejus, quibus poſſit modis, ambire non ſtudeat? Quòd ſi quis aliquantò diligentiùs ea rimari ac perſequi velit, quę de nominum iſtorum vi dicta ſunt; haud difficulter ea poterit eruere, vel omnia, vel ſaltem plæraque, quæ de Dei natura ſunt omnibus neceſſariò cognoſcenda. Sed cùm ea aliunde clarius intelligantur, ut infrà videbimus; hæc nunc perſequi nolumus.

Cap. XV.

Deſcriptio quædam Dei traditur.

Poſtquam de nominibus Dei ſatis diſſeruimus; ſequitur, ut de re ipſa videamus: quamquam & de nominibus agentes, rem aliquatenus attingere oportuit. Requiri autem primò omnium videtur, ut definitione quadam res explicetur. Perfectam & exactam Dei definitionem nemo fortaſſis adhuc Chriſtianorum auſus eſt polliceri, nec nos promittimus. Nam cùm aliàs difficilis eſt eſſentiæ rei unius cujuſque inveſtigatio, & exquiſita per definitionem explanatio; tum verò maximè Dei, cujus eſſentia eſt à ſenſibus noſtris remotiſſima, adeoque ſublimis, ut ad ejus contemplationem oculi mentis noſtræ caligent. Quare ea contenti erimus deſcriptione, quæ rem, quoad ejus fieri poteſt, commodè nobis explicet, & à cæteris omnibus diſcernat. Poteſt autem duplex Dei tradi deſcriptio, quarum altera minùs quidem accurata eſt, & ipſam Dei naturam atque eſſentiam vix attingit; ſed tamen ad uſum popularem eſt accommodatior, atque haud ſcio, an ad religionem utilior cognitu: altera aliquantò accurratior eſt, & Dei eſſentiam, quà licet, explanat. Prior ad hunc ſimilémve conſtitui poteſt modum, ut Deum dicamus eſſe Creatorem ac Dominum omnium rerum ſupremum, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De qua poſtrema hujus deſcriptionis parte agetur, tum in hoc opere,* tum à nobis, ſi Deus voluerit, alibi. Hoc ferè modo in Symbolo, quod Apoſtolicum vocant, Deum videmus deſcriptum. In ea religionis ac cultus, quem ipſi debemus, cauſſa continetur ac fundamentum. Ejus explicatio fuſior ad tractationem partim attributorum, partim effectorum divinorum ſpectat. In illorum enim numero eſt dominium Dei in res omnes: in horum creatio, & generatio Jeſu Chriſti, ob quam Pater ejus dicitur. Quare his nunc non immorabimur. Poſterior definitio conſtitui poteſt hujuſmodi, ut Deum dicamus eſſe Spiritum æternum. Æternum autem, non tantùm quia ſemper extiturus ſit, ſed etiam quia ſemper extiterit. Eodem propè ſenſu dixeris Spiritum ex ſeipſo exiſtentem: ex ſeipſo autem exiſtere, cujus nulla prorſus eſt efficiens. Spiritum cùm nominamus, ſubſtantiam intelligimus ab omni craſſitie, qualem in corporibus oculorum arbitrio ſubjectis cernimus, alienam. Hoc modo & Angelos dicimus Spiritus, & diviniorem noſtri partem, quam animam Philoſophi libentiùs appellant; & aërem denique, licèt ſenſibus quibuſdam, ut tactui, patentem, & alia corpora huic ſimilia: quorum unumquodque tantò magis hoc nomen ſortitur, quantò eſt ſubtilius. Hoc ergo genus ita eſt Deo cum iſtis rebus commune, ut ordo tamen ſit inter has ejus ſpecies, partim naturæ quatenus, aliæ ab una pendent; partim perfectionis. Pendent enim cæteri ſpiritus à Deo: & aliis magis, aliis minùs id nomen convenit. Itaque non ita naturam generum ſynonymorum retinet, quin ad illa propiùs accedat, quæ communia ab uno appellari ſuperiùs cap. 13, diximus. Hoc autem genus ipſæ nobis ſuppeditant ſacræ literæ. Quandoquidem Chriſtus apud Johannem cap. 4. 24. *Spiritus*, inquit, *[eſt] Deus*. Animadverterunt enim ibi omnes propè ſac. literarum interpretes, *Dei* nomen, quod articulo eſt in Græco notatum, ſubjecti locum tenere; vocem *ſpiritus*, quæ articulo caret, prædicati: neque eam ſpiritum Sanctum iſtic denotare: cùm manifeſtè de Patre ſit ſermo: ſed ſpiritualem ſignificare ſubſtantiam. Itaque perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet, Deus eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis ſubſtantia. Ex his autem intelligitur, membra humani corporis, quæ Deo in ſac. literis adſcribuntur, uti & partes quædam aliarum animantium, quales ſunt alæ, non niſi impropriè Deo tribui. Siquidem à ſpiritus natura prorſus abhorrent. Tribuuntur autem Deo per metaphoram cum metonymia conjunctam. Nempe quia vel facultates, vel actiones Deo conveniunt*, illarum ſimiles, quæ membris illis aut inſunt, aut per ea exercentur. Veteres quidam, quos hodie omnes vulgò ſequuntur Theologi, hanc lopuendi figuram ſpeciali nomine ἀνθρωποπάθειαν vocarunt; ad quam & illi pertinent loquendi modi, quibus humani affectus, aliaque his ſimilia Deo tribuuntur, de quibus ſuo loco.

Hinc porrò & illud intelligitur, Dei formam ab homine concipi revera non poſſe, nedum imagine aut ſimulachro aliquo exprimi. Quam tu enim ſpiritui, quem oculis cernere non potes, formam tribues? Cumque neceſſe ſit, quicquid homo mente concipit, multò autem magis, quod manu efformat, Dei majeſtate longè eſſe inferius; ideo eam, quantum in ſe eſt, minuunt, & venerationis illi multum detrahunt, quicunque ſimulachro atque effigie Deum exprimere audent; vel potiùs, cùm exprimere nequeant, conantur tamen. Qui quidem tantò peccant graviùs, quòd id Deus fieri expreſſe vetuit, & cùm fieret, graviſſimè reprehendit. Qua de re quia alibi in his libris agetur,* ſacræ ſcripturæ teſtimoniis citatis; ideo plura hîc non addimus.

Ex his autem & uſus doctrinæ patet de genere, quod in deſcriptione Dei poſteriore collocavimus. Cui accedit ille, quem is ipſe ſuggerit locus, in quo Deum ſpiritum appellari vidimus. Ait enim Chriſtus Joh. 4. ℣. 23, 24: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus [eſt] Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adoràre.* Significat enim Chriſtus, id quod ratio ipſa dictat, Deum, cum ſpiritus ſit, non niſi ſpiritualibus revera delectari. Itaque carnalem atque umbratilem ejus cultum, qui certo aliquando loco fuerat ab ipſomet Deo alligatus, jam porrò ex ipſius conſilio ceſſare, ſpiritualem autem ei ſuccedere debère. Quapropter ſpiritûs ſeu animi religione ac pietate, Deum propitiandum eſſe meminerimus; ita nimirum, ut agnita ipſius majeſtate atque imperio, agnita ſimul bonitate, agnitâ ſapientiâ, quâ intimos cogitationum noſtrarum receſſus ſcrutatur, humillimè nos coram eo demittamus, ac veluti proſternamus; ei nos totos dedamus, ejuſque nutum in omnibus ſequi velimus; eum amemus toto pectore; ſimul tamen, filiorum more, etiam timeamus ac revereamur; ac porrò omnia, quæ juſſerit, ſumma animi alacritate exſequamur: eundem animum ab omni cogitationum atque affectuum impuritate ita purgemus, ut corpus quoque ab omni peccatorum labe ſervemus immune. Neque enim ita ſpiritu colendus eſt Deus, ut interim de externis operibus ſolliciti non ſimus, &, cùm corpus in peccatorum cœno volutetur, animum inquinari non putemus: quemadmodum nonnulli & ſibi, & aliis fruſtrà, vel potiùs impiè, perſuadere conantur. Nam omnia, quæ corpore delinquuntur, ab animi quadam manant impuritate, & in illum ita redeunt, ut conſcientiæ labem aſpergant, notamque inurant, ni gratia divina, & emendatio vitæ accedat, indelebilem. Non otioſa & ignava animi cogitatione aut conſilio colitur ac propitiatur Deus; ſed ea demùm, quæ efficax eſt, & in omnium bonorum operum fructus exuberat; quos niſi proferat, ne ipſe quidem animus ſibi ſatiſfacit, nedum ut Deo ſatisfacere poſſit. Itaque ad ſpiritualem Dei cultum pertinet, quicquid animus, divinæ voluntatis cogni-

* Inf. lib. 5. cap. 9.

* Apud Volk. lib. 4. cap. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tione inſtructus, & veneratione majeſtatis ipſius plenus, ac fiduciâ in ipſo poſitâ ſuffultus, facere jubet. Unde & opera illa, quæ ceremoniæ dicuntur, & per ſe nihil, quod ad honeſtatem pertineat, in ſe continent, eatenus olim Deo placuere, quatenus ex ſtudio ipſi placendi, ac mandatis ipſius parendi, fuere profecta. Quæ tamen poſtea per Chriſtum ſuſtulit, utpote nec ſuæ naturæ, ut vidimus, ſatis convenientia, nec virili humani generis ætate, judicio, ac ſtudio ſatis digna. Qua de re agetur in his libris alibi. Et hæc de genere in deſcriptione Dei poſito dicta ſufficiant. Alia enim, quæ plus ſubtilitatis, quàm utilitatis, aut etiam certitudinis habent, libenter præterimus, & in cæteris quoque prætermittenti ſumus. Cùm non id agamus, ut ad diſputationes ac certamina ſcholarum, ſed ut ad pietatem ac religionem inſtructiores evadamus. Quam ob cauſſam nobis nunc etiam pluſculum indulſimus in uſu hujus doctrinæ explicando: quia utut aliquantùm à via digreſſi ſimus, non tamen aberraſſe videmur. Ad ſcopum enim noſtrum tetendimus.

Quod ad æternitatem attinet, quam differentiæ loco in eadem deſcriptione poſuimus; de ea inferiùs agemus, cùm attributa divina explicabimus inf. cap. 18. Illud, quod itidem differentiæ loco poni in definitione Dei potuiſſe diximus, nempe quòd à ſeipſo exiſtat, uberiori explicatione non indiget. Admonere nos tantùm debet, ut Dei majeſtatem & admiremur & veneremur, ſupra quicquid in creaturis magnum cernimus & admiramur; atque adeo ſupra cœleſtes atque immortales ſpiritus, quorum natura inter cæteras res creatas eminet maximè. Deus enim à ſeipſo eſt, quicquid eſt: ſimplici exiſtit neceſſitate, quæ in ipſomet eſt, non in cauſſa ipſius aliqua, ut pote quæ nulla eſt. Cum res creatæ omnes, ut Apoſtoli verba huc accommodemus Rom. 11. ult. ex ipſo ſint, & per ipſum, & porrò etiam in ipſum, ſeu ipſius gratiâ. Itaque quò creatura quæque eſt præſtantior, tantò plus Deo debet referre acceptum: Deus nihil cuiquam.

Cap. XVI.

Attributorum divinorum diſtinctio.

POſtquam deſcriptionem Dei vidimus, & illud inprimis ipſius attributum conſideravimus, quod συνωνύμως univocè ſeu directè, ſeu in quid, ut in ſcholis loquuntur, de ipſo enunciatur: nunc ad illa veniendum eſt, quæ παρωνύμως denominativè ſeu obliquè, ſeu in quale quid, de eo dicuntur; & ea quidem revera tantùm, quæ in ſacris literis commemorantur. Cætera enim, ſi quæ ſunt, non niſi eatenus attingemus, quatenus in illis vel continentur, vel ad eorum explicationem aliquid facient. Nam illa, quæ in ſacris literis extant, & indubitata ſunt, & ad eum, quem quærimus, uſum, hoc eſt, religionem ac pietatem, ſufficiunt. Quanquam & inter ea, quæ de Deo in ſacris literis dicuntur, is nobis in hoc opere habendus eſt delectus, ut ea per ſe ac præcipuè ſumamus explicanda, quæ affirmatè de eo enunciantur; vel ſaltem, utut negativa eſſe videantur, ſi vocum formam ſpectes, tamen ſi rem ipſam intuearis, affirmativa potiùs ſunt, aut affirmationem in ſe continent, ut incorruptibilitas atque immortalitas. Utraque enim neceſſitatem quandam perpetuò exiſtendi ſignificat; poſterior & vitam in ſe includit. Illa verò exiſtendi neceſſitas, ad æternitatem Dei ſpectat. Vita Dei ſuum habet in hac tractatione locum. Cætera, quæ negativè de Deo in ſacris literis dicuntur, & non qualis ſit, ſed qualis non ſit, explicant, ſatis erit tum attingere, cùm vel ad affirmativa declaranda, vel ad uſum illorum oſtendendum aliquid facient. Nam alioqui nulla diſciplina per ſe attendit ea, quæ negativè de ſubjecto illius dicuntur. Quia negationes de re quaque infinitæ eſſe poſſunt; & porrò diſciplinâ comprehendi nequeunt. Adde, quòd iis probè cognitis, quæ rei inſunt, facilè eſt de iis judicare, quæ ei non inſunt. Non diſputabimus autem hoc loco multis, quo diſtinctionis genere attributa Dei, præſertim naturalia, (quædam enim illi vi liberæ voluntatis inſunt) à ſe invicem diſcernantur, in quo Scholaſticorum ingenia ſeſe exercent. Satis hîc nobis erit illud tenere, quod omnes fatentur, ea, quæ naturaliter Deo inſunt, nunquam à ſe invicem reipſa ſejungi poſſe: interim tamen neceſſe eſſe, ut & iſta, & cætera omnia, aliter atque aliter animo concipiamus, ac porrò etiam deſcribamus; & uno cognito atque explicato, non protinus cognita atque explicata eſſe cætera. Aliter enim v.g. mente concipere & definire oportet unitatem Dei, aliter æternitatem, aliter vitam, aliter ſapientiam; & ſic in cæteris. Nec qui unum iſtorum cognoverit, protinus cognita habet & cætera. Alioqui ſatis foret unum Dei attributum explicuiſſe; & ſic ſuperflua foret cæterorum tractatio. Neque verò, dum illa diſtinctè & conſideramus, & explicamus, falli nos, aut falſa Deo affingere, quiſquam dixerit. Aliàs ſine errore vix quicquam de Deo aut cogitare, aut loqui poſſemus. Quin & viri divini, dum divini ſpiritus impulſu diſtinctè de Dei attributis loquuntur, &, ut diſtinctè de iis cogitemus, hoc pacto efficiunt, nobis in hoc errore præiviſſent, atque ad eum nos impuliſſent.

Inter illa verò hunc ſervabimus ordinem, ut ea priùs tractemus, quæ ad communes entium, ut loquuntur, ſeu rerum affectiones vel revera pertinent, vel cum iis conjunctionem habent; tum demum illa, quæ viventium ſunt propria. Ad priora quod attinet; inter communes entium affectiones ſunt, exiſtentia, unitas aut multitudo, itemque duratio. De Dei exiſtentia ante omnia nobis fuit agendum, ob cauſſam primo capite explicatam. Sequitur ergo, ut de unitate Dei in ſequentibus primò agamus; deinde de æternitate, quam durationis vel perfectionem, vel perfectiſſimam ſpeciem poſſis dicere. Ea, quæ viventium ſunt propria, ſuo loco diſtribuemus.

Ita verò in ſingulorum attributorum explicatione verſabimur, ut declarata, ubi opus fuerit, vocum ſignificatione, & oſtenſo, attributa illis ſignificata Deo convenire, eorum rationem ac naturam inveſtigemus, locis etiam ſacrarum literarum excuſſis, qui ad eorum intelligentiam magis videbuntur neceſſarii, quo facto, de uſu, quem earum rerum cognitio nobis poſſit afferre, nonnihil adjiciemus.

Cap. XVII.

De Unitate Dei.

QUod ergo ad unitatem Dei attinet; non perſequemur hîc ea, quæ de multiplici ejus vocis uſu in ſcholis diſputantur. Satis erit, eam nos hîc ſignificationem explicare, quâ Deus in ſacris literis, atque adeo vulgò quoque, unus eſſe dicitur. Dicitur autem unus, quia unus ſit numero, ut loquuntur, & quidem ita, ut plures ſui generis, ſeu tu mavis dicere ſpeciei, non habeat. Quo pactò unum dicimus eſſe Solem, aut Lunam, aut terrarum orbem, & ſi quæ ſunt iis ſimilia. Significare enim volumus, eorum quodque unum eſſe numero, & ita ſingulare, ut alia, quæ ejuſdem ſint ſpeciei, non extent, hoc eſt, plures Soles, Lunas, terrarum orbes non eſſe. Hoc modo Deum in ſac. literis unum dici, nemo ignorat. Sciunt enim omnes, unum Deum ideo aſſeri, ut oſtendatur, plures Deos non eſſe: idque tum abſolutè ac ſimpliciter, tum relatè, quatenus nimirum aſſeritur, unum eſſe tum horum, tum illorum hominum, Judæorum v.g. & Gentium Deum, qua de re infrà nonnihil monebimus. Dictum eſt autem ſuprà, Dei nomen hoc loco eum ſignificare, qui à nullo pendeat alio, ſed a ſeipſo imperium habeat in alia. Unum ergo Deum eſſe cùm dicimus, primò plures negamus eſſe Deos, qui à ſeipſis imperium habeant, ac porrò ſimpliciter ſint ſupremi: ſed conſequenter & illos hac ratione deos excludimus, qui, licet ſummi non ſtatuantur, ſed ab aliis ſuperioribus pendere cenſeantur; tamen Deo, qui ſolus à ſeipſo imperium habet, revera non ſunt ſubordinati, præſertim ita, ut occulta quadam ratione, & naturæ limites excedente, gubernent alios, id quod illis tamen tribuitur, nempe quia vel planè non exiſtunt, aut vivunt;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vunt; vel etiamſi vivant, à Deo tamen ad ſocietatem divinioris illius gubernationis non ſunt admiſſi. Cæteroquin eædem ſacræ literæ, quæ unum tantùm eſſe Deum aſſerunt, multos etiam Deos eſſe apertiſſimè docent, ſed à ſupremo Deo dependentes, eique ſubordinatos. Qua de re dictum eſt ſupra cap. 13. Loca ſacrarum literarum, quæ unum eſſe Deum affirmant, ſatis ſunt obvia. vide Deut. 6. 4: & Marc. 12. 29. ubi prior ille locus citatur; & Rom. cap. 3. ℣. 30. 1 Cor. 8. 4, 6. Gal. 3. 20. Eph. 4. 6. 1 Tim. 2. 5. Adde his ea teſtimonia, in quibus Jehova ſolus dicitur eſſe Deus, & nullus alius præter eum, & ſi quæ ſunt his ſimilia. vide Deut. 4. 35: XXXII. 39. 2 Sam. 7. 22. 3 Reg. 8. 60. Eſa. 37. 16. XLIII. 10, 11. XLIV. 6. XLV. 5, 6, 21, 22. XLVI. 9: Oſe. 13. 4. Joh. 17. 3. 1 Cor. 12. 6.

Verùm non tantùm ſacræ literæ id aſſerunt, ſed & ipſa ratio ſana dictat, unum tantùm ſupremum eſſe Deum: ac porrò neminem ullo pacto Deum eſſe, qui unius illius beneficio talis non evaſerit. Nam & Ariſtoteles, * licèt in eo nobiſcum non conſentiat, ob quam cauſſam Deus revera Deus dicitur; nihilominus tamen, unum tantùm eſſe Deum, à nullo alio pendentem, hac oſtendit ratione, quia multitudo dominantium, intellige eorum, quorum alter alteri non ſit ſubordinatus, haud ſit bona. Non conſpiraturam rerum univerſitatem, ſi à duobus diverſis principiis, quorum nimirum alterum alteri non ſit ſubordinatum, penderet. Quod nos tantò rectiùs urgere poſſumus, quia Deum, ſeu ſupremum rerum dominum, libera præditum eſſe voluntate oſtendimus, quam Ariſtoteles ſummo omnium rerum principio abſtulit. Nam ſi plures eſſent ſupremi rerum domini; poſſent de eadem re ſtatuere contraria, ſi nempe neutrum eorum cum rectitudine pugnaret. At tum turbaretur univerſitatis ordo, & alter alterum impediret. Utrique ſimul obtemperari non poſſet. Quòd ſi ergo melius eſt, unum eſſe univerſi dominum, quàm plures; unum eſſe neceſſe eſt. In ſuprema enim divinitate non niſi id, quod optimum, eſſe poteſt. Adde, quòd in imperiis, ſeu regiminibus, à natura inter homines inſtitutis, quale eſt domeſticum; uti & in imperiorum umbris, quas in animalibus quibuſdam natura exhibet, unum videmus cæteris omnibus præeſſe. In familia enim omnibus imperat paterfamilias. Nec dubium eſt, quin inter imperia, quæ in rebuſpubl. cernimus, humano arbitrio quodammodo inſtituta, monarchia naturâ ſuâ ſit optima, ſi in eum incidat, qui & virtute præditus ſit tanta, ut quàm optimè velit omnibus proſpicere, ac bonum publicum tueri; & tantâ polleat tum ſapientiâ, tum potentiâ, ut etiam poſſit; breviter, in quo ſint omnia, quæ ad imperium feliciter adminiſtrandum pertinent. Magis enim ſic imperii vis unitur, quàm cùm in plures dividitur. Uniri autem vim imperii, non in plures ſpargi & dividi, boni publici multum intereſt. Jam verò in eo, qui ſupremus ſit rerum dominus, non poſſunt non illa omnia concurrere, quæ ad imperium rectè ac feliciter gerendum pertinent. Quis ergo dubitet, eum tantùm eſſe unum? Accedit, quòd perfectiſſimum unicum tantùm eſt. Omnis multitudo, ſive à natura eſt, ſive à conſilio, ob defectum eſt aliquem. Si unum ſufficeret, plura non quærerentur. Imo multitudo, ſi alterum alterius ope prorſus non indiget, ac proinde alterum alteri planè nil conferat, etiam noxia eſſe ſolet. Quis verò dubitet, ſupremum numen, primum naturæ principium, eſſe perfectiſſimum? quis id aliquo defectu laborare dicat? Taceo, quòd, ſi ab unitate numinis diſceſſeris, nullam afferre poſſis cauſſam, cur aut duo magis ſint Dii, quàm tres, aut vice verſa tres, quàm duo; & ſic deinceps. Ita ut vel in unitate tibi ſit acquieſcendum, vel, cùm nullius certi numeri ratio conſtare queat, ad infinitam deorum multitudinem ſit deveniendum, quâ nihil eſt à ratione ſana alienius. Quod enim quidam de duobus diis, altero bono, altero malo, impiè nugati ſunt; id vix commemorari mereatur. Ab ipſa ergo ratione abhorret deorum multitudo, quam impia olim Gentium ſuperſtitio invexit. Qui quidem duplici ratione peccarunt: primò quòd in tres ſupremum hujus univerſi imperium diſtribuerunt, Jovem cœlo potiſſimùm, Neptunum mari, Plutonem inferno, ſumma cum poteſtate præficientes. Deinde quòd ut hos, ita & alios pro libitu finxerunt ac coluerunt deos propè innumerabiles, qui ſupremis illis ſubeſſent.

Sed, ut ad Deum verum redeamus; unum tantùm eſſe numero, omnes Chriſtiani, ut alios nunc omittam, fatentur. Quia verò unius numero rei non niſi una eſt eſſentia; ideo omnes unam tantùm eſſe Dei eſſentiam ſeu ſubſtantiam, (per ſe enim ſubſiſtit Deus) rectè affirmant. Interim tamen plurimi ſecum ipſis pugnantes, non unam illius perſonam eſſe contendunt. Cùm unius numero ſubſtantiæ, ſeu, ut rectiùs loquamur, una numero ſubſtantia, non niſi una eſſe queat perſona. Eſt enim perſona, ut alibi eſt à noſtris oſtenſum, nihil aliud, quàm ſubſtantia prima intelligens. Prima verò appellatur, quæ una eſt numero, ſeu ſingularis. Ubi ergo una tantùm eſt ejuſmodi ſubſtantia, una tantùm eſt perſona: ubi plures perſonæ ſunt, ibi etiam plures ejuſmodi ſubſtantias eſſe neceſſe eſt. Sed eandem ſententiam inductione facilè oſtenderis. Exemplis enim patet, rem quamque intelligentem, ſi una ſit numero, unam tantùm eſſe perſonam, non plures. Etenim unus homo, una eſt perſona: ſimiliter & angelus unicus. Ac ne in rebus tantùm creatis id locum habere dicas; idem in divinis cernimus. Nam & unus Pater, una perſona eſt, & unus Dei filius, & unus Spiritus ſanctus; ille ex noſtra etiam ſententia, hic ex mente eorum, cum quibus hîc nobis res eſt. Eſt autem Pater unum numero, & intelligens; ſimiliter & Filius; ex iſtorum autem ſententia & Spiritus Sanctus. Cum ergo & Deus ſupremus unus ſit numero, & intelligens; quid eſt, cur is quoque una perſona non ſit? præſertim cum illi ipſi fateantur, qui contrarium aſſerunt, vocem *Dei* non rarò hypoſtaticè ſumi, ſeu de una tantùm perſona uſurpari; ita ut *Deus unus* unam perſonam ſignificare queat. Præterea *Dei* nomen ſuprà docuimus eſſe nomen imperii potiſſimùm ac poteſtatis, & hoc loco eum denotare, qui ſummo imperio cuncta regat. Imperare autem & regere non niſi perſonarum eſt. Qui ergo unum eſſe dicit Deum, unam dicit eſſe perſonam, ſummo imperio pollentem: qui plures hujuſmodi perſonas dicit, plures Deos dicit. Quòd ſi idem nihilominus unum dicat eſſe Deum, ſibi ipſi contradicit, & non Deorum magis, quàm perſonarum ſupremam divinitatem habentium pluralitatem hac ratione tollit. Accedunt aperta ſacrarum literarum teſtimonia, & argumenta ex iiſdem depromta, quæ ſolum Jeſu Chriſti Patrem Deum ſupremum eſſe docent; ita ut non ſolùm intelligatur, Deum unam tantùm eſſe perſonam; ſed etiam, quænam illa perſona ſit, agnoſcatur. Qua de re animus quidem erat hoc loco pluribus agere. Cùm enim alibi in hoc opere argumenta potiſſimùm refutentur, quæ pro contraria ſententia afferuntur; non alienum ab hoc loco eſſe videbatur, veram ſententiam aliquantò pluribus, primùm ex ſacris literis, deinde ex aliis principiis rationi manifeſtis confirmare. Sed quia nobis opus ſub manu ita crevit, ut juſtum per ſe librum conficere poſſit; viſum eſt ea, quæ ſcripſimus, ab hac tractatione ſecernere, & aliquando, ſi Deus voluerit, ſeparatim lectori dare. Interea iis lector poterit eſſe contentus, quæ infrà in his de vera religione libris ea de re dicuntur *. Nunc de uſu hujus doctrinæ quædam ſubjiciemus.

Eſt autem uſus doctrinæ hujus in univerſa religionis ac cultus divini ratione longè maximus, & inprimis neceſſarius. Nam primùm in eo ipſo pars magna conſiſtit gloriæ, quam ſupremum ſibi numen jure

* Lib. 12. Metaph. cap. ult.

* Apud Volk. lib. 5. cap. 9. & ſeqq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſuo vindicat, ut ſolum pro eo rerum domino & rectore agnoſcatur ac prædicetur, qui à ſeipſo imperium omne habeat. Pars hæc magna eſt honoris ac reverentiæ, quam ipſi debemus, ne quem ei audeamus apponere ſocium. Et hoc eſt, quòd Deus honorem ſuum in prima Decalogi parte, ſeu, ut loquuntur, tabulâ ſanciens, id primò omnium vetuit, ne Deus alius coram ipſo habeatur. Quod populo quidem Iſraëlitico nominatim dictum eſt, ſed omnes tamen revera obſtringit. Habent autem Deum aut Deos alios coram ſupremo numine, non tantùm qui plures unoDeos ſupremos ſtatuunt aut colunt; ſed & qui ſupremo numini aliquem adjungunt in imperio naturæ limites excedente ſocium, & occultiorem rerum humanarum gubernationem ac procurationem audent impertiri ei, quem ipſe Deus ſummus ſibi non adjunxerit, & adjunxiſſe, clariſſimè non fuerit teſtatus. Et hi & illi læſæ majeſtatis divinæ ſunt rei; utrique unitatem ſupremi numinis oppugnant; quamquam illi apertiſſimè, hi poſteriores aliquantò occultiùs. Unum regem apertè non agnoſcit, qui plures ſupremos in eodem regno aut republica dominos manifeſtè ſtatuit: ſed & ille plures quodammodo reges inducit, qui ea munia, quæ ad regem primò ſpectant, & nonniſi ab ipſomet cum aliis communicari poſſunt, cum iis ſententiâ ſuâ communicat, quibus ea rex ipſe non commiſit; ac porrò honoris eos regii participes facit: utut illos interea reges non appellet, imò regi ſubeſſe apertè dicat. Sic & plures Deos apertiſſimè quidem illi ſtatuunt, qui plures ſupremos, ac ſibi invicem minime ſubordinatos in hanc rerum univerſitatem introducunt dominos: verùm & illi, quamquam aliquantò minùs apertè, idem faciunt, qui occultam illam, & naturæ limites excedentem gubernationem & providentiam, ac porrò & cultum religioſum ſuâ ſententiâ in plures dividunt, quibuſcum iſta Deus non communicavit, aut communicaſſe manifeſtè teſtatus eſt; utut eos Deos non appellent, imò Deo ſupremo hac in parte miniſtrare aut ſubeſſe dicant, & honorem illis exhibitum, in ipſius honorem cedere putent. Nam ſi unus eſt ſupremus rerum omnium arbiter, unus qui à ſeipſo imperet omnibus; quicquid eſt imperii, id non niſi ipſo dante aut permittente poteſt teneri; & tantò quidem minùs, quantò id eſt ſupremo propius. Proximum autem illud eſt, quod naturæ limites excedit, & rationem imperiorum humanorum omnem ſuperat. Hoc enim verè divinum eſt: quemadmodum & cultus ille verè divinus eſt, qui cuipiam ob hujuſmodi gubernationem ac procurationem rerum tribuitur. Et tamen hodie quoque occulta illa, & naturæ limites excedens gubernatio ac procuratio, & ſimul cultus religioſus, citra ullum divinum teſtimonium, nedum, quod hîc requireretur, apertum & omni exceptione majus, in multos dividitur ab iis, à quibus minimè debebat. Nam & mater Domini Maria, ut regina cœli, & diviniſſimorum donorum veluti diſpenſatrix quædam colitur; & alius ex ſanctis vita functis ut hujus, alius ut illius regionis aut urbis cœleſtis quidam patronus, alius ut huic, alius ut alii præcipuè rei curandæ præfectus, religioſe adoratur, & precibus auxilium ejus, licèt longiſſimè abſentis, infinitis etiam locis ſimul imploratur. Quo ipſo divinitas illi revera adſcribitur, etiamſi ut quidam apud Deum interceſſor compelletur. Poteſtatis quidem aut virium imperfectionem interceſſio arguit: at divinitatem non tollit. Neque verò deſunt inter hujus erroris patronos, qui ſanctis aliquid interceſſione majus adſcribant. Mariam ſanè virginem ut reginam cœli, ſicut diximus, colunt, ideoque in laude ac gloria Deo paſſim adjungunt. Quin & celebri in loco editus eſt libellus de Septem Excellentiis Beatiſſimæ Virginis*, in quo modi deſcribuntur illam ſalutandi, ubi inter alia aſſerit Auctor, Chriſtum *ſervire atque aſſiduè miniſtrare Matri ſuæ*, & addit: *O ſi liceret, quàm libenter me illi ſocium adjungerem, quàm libenter ab eo modum & tibi* (Mariam virginem alloquitur) *& Deo perfectè ſerviendi addiſcerem! quàm libenter dulciſſimum Jeſum à labore ſublevarem! Domine Jeſu ſalvator amabiliſſime, permitte me aliquid Matri tuæ præſtare. Et ſi non vis hoc mihi concedere, ſaltem permitte, ut dum tu Matri ſervis, ego ſerviam tibi.* Miraris fortè, vel potiùs abominaris. Audi alia his gemina, aut majora. Eo enim non contentus, quòd eam *Reginam cœli, Dominam mundi*, antea appellaſſet, quodque aſſeruiſſet cum quopiam alio*, *Deum in reliquis creaturis, tribus modis eſſe, per eſſentiam, per præſentiam, per potentiam; in beatiſſima verò virgine quarto quodam modo per identitatem*; altiùs adhuc aſcendens, ſeptimum Excellentiæ gradum conſtituere audet, quòd ſit *Domina Dei*, & ait, *Si in aliis gradibus B. Virgo hæc obtinuit, ſanè in ſeptimo, quaſi ſuæ conditionis oblita, in Filium dominium ſuſcipiens, ſupra ipſum Dei thronum ſolium ſuum collocavit.* Potuiſſétne quippiam magis horrendum dici? Et nititur quidem ille homo illis Lucæ verbis, quibus de pueri Jeſu erga Joſephum ſimul & Mariam obſervantia, & obſequio illis olim præſtito loquitur: *Et erat ſubditus illis* Luc. 2. 51. ubi mirum eſt, eum Joſephum quoque non ſupra Deum, imo & ſupra Mariam, cujus ſolium ſupra ipſum Dei ſolium extulit, collocaſſe: ſiquidem & puer Jeſus, & unà cum illo etiam Maria, ut uxor marito, ſubjecta, divina lege fuit. Et etiamſi quis hæc ita excuſare velit, ut dicat, de Deo, hoc eſt Chriſto, ſermonem iſtic haberi ſecundùm humanam tantùm naturam conſiderato; ut taceam, ordinem ac gradus excellentiæ ab eo conſtitutos id vix pati: an non impium eſt, Mariæ ſolium ſupra Chriſti thronum collocare, ſecundùm humanam naturam, ut cum illis loquamur, conſiderati? Quid enim? An non ex ipſorum ſententia Chriſtus ſecundùm humanam naturam *ad dextram Dei evectus ac collocatus eſt, longè ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro?* Epheſ. 1. ℣. 20, 21. Quid ergo reſtat aliud, quàm ut Maria ipſum Dei locum occupet, Joſephus autem adhuc ſublimiùs collocetur? Sed de his aliiſque ſimilibus ſententiis aut vocibus, in Dei majeſtatem vehementer injuriis, plura nunc dicere nolumus. Monere tamen iſta debuimus, hoc præſertim tempore, quod, ſi ullum aliud, hujuſmodi monitis eget.

Patet ergo jam ſingularis, ac longè maximus hujus doctrinæ in re pietatis uſus, qui latiùs etiam extendi debet. Etenim unitate Dei, tanquam fundamento quodam, omnia illa nituntur præcepta, aliaque ſpiritus ſancti dicta, quibus vel univerſus cultus divinus, vel pars ejus aliqua, ſoli Deo vindicatur atque aſſeritur, cæteris omnibus, qui ei hac in parte ſubordinati non ſunt, excluſis. Talia ſunt, in quibus Deum ſolum timendum, aut adorandum, ei ſoli ſerviendum, ſoli confidendum, per ejus ſolius nomen jurandum eſſe, vel expreſſe aſſeritur, vel non obſcure ſignificatur. Eodem fundamento nititur maximum illud ac præcipuum Legis univerſæ mandatum Deut. 6. 5, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, ſeu *ex totis viribus tuis.* Unde Moſes hoc præceptum traditurus, hæc præmiſit verba: *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* Nec malè doctiſſimi quidam interpretes, cùm Moſes ſubjungit, *Et* (ſic eſt in Hebræo) *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. particulam *Et* pro *Ergo* acceperunt, ut alibi non ſemel in ſac. literis evenit: quaſi dixiſſet Moſes, *Diliges ergo Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Gen. 44. 11 confer Hebr. cum Lat. Marc. 9. 5. X. 26. XII. 30, 37. Phil. 1. 22. 2 Tim. 2. 19. Heb. 3. ult. & alibi. Nam ſi unus tantùm Deus eſt, in eum unum totus cordis affectus eſt convertendus, ei tota animi ac voluntatis propenſione ſtudendum, totis viribus mandatis ejus obtemperandum eſt. Quod ſi plures eſſent Dii ſummi, id fieri non deberet. Plures enim forent amandi, & quidem ita, ut in ſingulis amor ille terminaretur. Qui autem plures eo modo diligit, is unum eorum nominatim toto cordis affectu amare non poteſt. Quod in plures ſibi non ſubordinatos dividitur ac ſpargitur, ad ſingulos totum non pervenit: ſed quic-

* Auctore Johanne Argento, Vilnæ apud Joſeph. Karczan. Anno 1614.

* Petro Damiano.

quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quid uni tribuitur, alteri decedit. Itaque ſummus amor pluribus ſibi invicem minimè ſubordinatis, ſimul tribui non poteſt; nec uni eorum totus præſtari poteſt, niſi eo cæteri penitus priventur. Id quod & de ipſo amoris affectu ſtatuendum eſt, & de ejuſdem effectu, qui in eo conſiſtit,ut ea facias,quæ grata ſunt illi, quem diligis,&,ſi quid tibi jurè imperat, id alacriter exſequaris. Qua quidem in re Johannes 1 Joh. 5.2, 3 noſtrum erga Deum amorem, Chriſtus apud eundum ſcriptorem Joh. 14.21. conf. ℣. 15, & 23, 24, noſtræ erga ſe charitatis vim collocat. *Nemo poteſt*, ut idem Chriſtus ait Matth. 6.24, *duobus dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit* (vel potiùs *uni adhærebit*) *& alterum contemnet*, ſeu *negliget*. Id ergo neceſſe erit contingere iis,qui plures Deos ſummos fingunt. Sed ſimilia contingunt iis, qui Deo pro ſuo arbitrio adjungunt in imperio ſive unum, ſive plures, quos ipſe ſibi non adjunxit. Quicquid enim illis amoris, quicquid cultûs, quicquid abſequii præſtant, id Dei veri amori, cultui, obſequio demunt. Et etiamſi Deo ipſi per eos putent honorem ſe præſtare, non præſtant tamen, ſed rivales potiùs atque æmulos Deo conſtituunt, quibus quicquid præſtatur, id ſibi detractum meritò judicat Deus.

Quomodo verò ea, quæ de unitate Dei, déque cultu ei ſoli præſtando hucuſque diſſeruimus, cum vera Jeſu Chriſti Deitate atque honore divino non pugnent; partim ex dictis cordatus lector facilè intelliget, partim alibi in hoc opere videbit explicatum. vid. Volk. lib. 4. cap. 8. 11. & lib. 5. cap. 29.

Præterea hîc quoque doctrinæ de unitate Dei uſus eſt, ut, cùm videamus, unum eſſe omnium hominum Deum, non alium hujus, alium illius populi, alium v.g. Judæorum,alium Gentium; inde colligamus eum & ab omnibus coli velle,& omnibus viciſſim velle benefacere, eorumque pietatem remunerari; imò & cultum, & beneficia ſeſe maximè digna, omnibus terrarum populis velle eſſe communia. Docuit nos hæc Paulus Rom. 3.28, & d, qui ad Romanos ſcribens, poſtquam dixiſſet, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis*, addit: *An Judæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Imò & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem* (hoc eſt, circumciſos ſeu Judæos) *ex fide, & præputium* (hoc eſt, præputiatos, ſeu Gentes) *per fidem.* Beneficium hoc Dei longè maximum, quod per Chriſtum orbi eſt patefactum, conſiſtitque in juſtificatione per fidem, Judæis ac Gentibus commune eſſe docet, quia unus utrorumque ſit Deus. Sic & ad Timotheum ſcribens 1 Tim. 2.4, 5, cùm dixiſſet, *Deum omnes homines velle ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*, id confirmaturus addit: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum*, & quæ ſequuntur.

Denique cùm omnes unum communemque habeant Deum, par eſt, ut ſe invicem omnes diligant, & inter ſe concordes vivant, atque ii inprimis, qui in agnitione unius illius Dei conſentiunt, & in cultu ipſius conſpirant,ac vim benefici ipſius imperii maximè experiuntur, hoc eſt, ii, qui ad Dei ac Chriſti populum reipſa pertinent. Quam ob cauſſam Apoſtolus Eph. 4.6. ad pacis ac concordiæ ſtudium cohortans, inter alias cauſſas, quæ illos eam ad rem incitare debeant, hanc quoque ponit, quòd *Unus* ſit *Deus & Pater omnium.* Omnino enim convenit, ut qui eundem ſupremum agnoſcunt dominum ac principem, ac multò magis, qui eundem habent patrem, pacem inter ſe colant. Quo quidem loco, uti & duobus proximè antè citatis, Deus dicitur unus, non tantùm quia per ſe unus ſit, ſed etiam relatè ad diverſos homines, vel gentis ratione, vel ſpiritualibus donis, vel denique ſententiis quibuſdam de rebus ad religionem ſpectantibus, de quibus ſalva fide ac pietate diſſentire Chriſtiani poſſint, inter ſe diſtinctos. Ita nimirum unus eſſe dicitur Deus, ut ſimul utriſque ſit communis; non verò alius horum Deus, alius illorum. Unde ſuprà diximus, Deum non tantùm abſolutè unum dici ſolere, ſed & relatè, hoc eſt, reſpectu horum illorumve hominum.

Quæ de unitate perſonæ divinæ diximus, eorum uſum ibi, ſi Dominus opem tulerit, oſtendemus, ubi ſententiam illam noſtram pleniùs confirmabimus. Quamquam facilè videre poſſunt cordati, quantum ad verum Dei cultum interſit, ut is ſolus pro ſummo Deo colatur, qui ſolus etiam Deus ſummus revera ſit. Videre & illud poſſunt, eandem rem in tota religionis ac ſalutis noſtræ ratione explicanda magnum habere momentum. Quis enim cauſſas ſive religionis, ſive ſalutis noſtræ rectè poſſit explicare, veritate ejus rei ignorata? ex errore autem circa rerum cauſſas,multi ferè ſequuntur alii. Certè non pauca, eaque valde abſurda, quin & perniacioſa quædam dogmata, ſuper illa ſententia de tribus in una Dei eſſentia diſtinctis perſonis vulgò ſuperſtrui, haud difficulter poteſt oſtendi; & aliqua ex parte in his de Vera religione libris oſtendetur. Ut taceamus, eâ ſententiâ valde abſterreri à Chriſtiana religione eos, qui cùm unum tantùm eſſe Deum agnoverint, nihilominus tamen à ſacroſancta Chriſti religione ſunt alieni. Religionis enim putant eſſe errorem, qui hominum eſt eam profitentium.

Cap. XVIII.

De Æternitate Dei.

SEquitur nunc, ut de æternitate Dei dicamus. Eſt autem æternitas ſempiterna rei duratio. Sempiterna verò ea demum revera eſt, quæ eſt infinita. Poteſt autem duratio infinita eſſe vel à parte antè, ut loquuntur, vel à parte pòſt, vel ab utraque, hoc eſt, vel initio carere, vel fine, vel utroque. Et illa demum, quæ & initio caret & fine, perfectiſſima eſt æternitas, quam Deo competere aſſerimus, quamque ſuprà cap. 15, differentiæ loco in deſcriptione ipſius poſuimus. Eſt enim Deus æternus,quia & ſemper fuit,& ſemper erit, & ſic non minùs initio caruit, quàm fine cariturus eſt. Duratio quæ fine caret, quam æternitatem à parte pòſt vocant, & angelis, & piis omnibus cum Deo, ex ipſius benignitate communis erit: ſed æternitas à parte antè, ſeu duratio initio carens, illis eſt nequaquam cum Deo communis. Creaturæ enim non eſſent, ſi initio carerent.

Eſſe autem Deum ita, ut diximus, æternum, patet. Nam quòd initio careat, inde manifeſtum eſt, quòd prima ſupremaque eſt cauſſa rerum efficiens, ut ſuprà cap. 3. & 4. vidimus. At ſi aliquando non extitiſſet, (non extitiſſet autem aliquando, ſi initium habuiſſet) ipſum iterum ab alia cauſſa efficiente productum fuiſſe neceſſe eſſet. Quare ipſemet prima rerum cauſſa non foret. Et ſanè eâ ſententiâ poſitâ, in cauſſis per ſe efficientibus omninò in infinitum eſſet abeundum. Neceſſe ergo eſt, ut initio Deus caruerit. Unde patet, eum etiam fine carere. Quæ ſubſtantiæ aliquando non fuerunt, iterum non eſſe poſſunt: at quæ nunquam non fuerunt, nunquam poſſunt non eſſe. Eas enim abſoluta neceſſitate oportuit extitiſſe. Nam aliàs aliquando non extitiſſent. Quicquid ſit; primam rerum efficientem cauſſam abſoluta neceſſitate, & aliunde non pendente, exiſtere oportuit. Quod autem tali neceſſitate exiſtit, id nunquam poteſt non exiſtere. Quare Deus nunquam poteſt deſinere.

Adde, quòd nec per ſeipſam ad interitum inclinet Dei natura, cum ex pugnantibus non ſit conflata, cauſſam alioquin efficientem habitura: nec vis ipſi poſſit inferri; cum nec validior eo quiſquam cogitari, nec imbecillior ei nocere poſſit, præſertim cùm nec fraude, ob ſummam ſapientiam, circumveniri queat; nec ipſe ſalutem ſuam deſerere aut prodere. Siquidem & optimum eſſe neceſſe eſt,& beatiſſimum, qui ſe vitamque ſuam non poſſit non maximè amare.

Sed præter rationes allatas, æternitatem Dei & ſacræ literæ aſſerunt. Nam & ipſum Deum, Gen. 21. 33. Eſa. 40. 28. Rom. 16. 26, & potentiam ejus æternam vocant; Rom. 1. 20. idque non magis reſpectu futuri temporis,quàm reſpectu præteriti. Nam cùm Abrahamus dicitur invocaſſe nomen *Dei æterni*; tacitè videtur *Deus æternus* opponi Diis recens excogitatis atque in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ventis,ac porrò etiam aliquando perituris. Apud Eſaiam ſanè, cùm Deus ſempiternus dicitur d.l.Eſa.40, ad præteritum tempus ſatis apertè reſpicitur. Ita enim ait: *Numquid neſcis, aut non audiiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ.* Et Paulus, cùm Deum æternum appellat, ad id reſpicit, quod dixerat, myſterium Euangelicum, quod ipſius juſſu nunc ſit patefactum, *æternis temporibus* fuiſſe tacitum, ſeu à Deo ipſo celatum, & in hæc ultima tempora veluti reſervatum. Cùm verò & Dei potentiam æternam vocat, de ea loquitur potentia, à qua profecta ſunt Dei opera, ex quibus inviſibilia ipſius à creatione mundi intelligantur. Non ignoramus autem, vocem *æterni* aut *ſempiterni* in ſac. literis frequenter ita accipi, ut infinitam durationem, qualem Deo nos tribuimus, revera non ſignificet. Sed id vel ex locorum circumſtantiis colligitur; vel ex ipſius rei, cui æternitas tribuitur, natura ac conditione, aliunde ſatis notâ, intelligitur; ex qua etiam æſtimari debet, an longius, aut minùs longum tempus, æternitatis nomine intelligi debeat. Nomen enim iſtud, quod in Hebræo plærumque eſt *Olam*, accommodatè ſumi ſolet ad rei illius, cui tribuitur, naturam ac conditionem. Itaque aliter v.g. dicuntur colles æterni Gen. 49. 26: aliter poſſeſſio æterna Gen. 17. 8: XLVIII. 4: Levit. 25. 34, 46: aliter ſacrificium æternum Levit. 6. 20: Num. 28, & 29 cap. ſæpe. aliter vita æterna nobis promiſſa. Joh. 3 & alibi ſæpe. Colles enim æterni dicuntur, quia quamdiu hic mundus extitit, & porrò extiturus eſt, fuerint futurique ſint. Poſſeſſio æterna reſpectu futuri tantùm temporis dicitur, idque juris ſolius habita ratione; quod tamen & ipſum ceſſat, ceſſantibus perſonis, ad quas ſpectat; & alienari ac perdi à poſſeſſore poteſt. Sacrificium æternum dicitur, quia in perpetuum, quamquam ſtatis temporibus, offerri debeat, quamdiu nimirum ipſe legis lator legem ea de re fixam non mutârit Dan. 9. 27. Vita autem æterna nobis promiſſa in futurum tota ſpectans, fine prorſus eſt caritura. Siquidem nobis incorruptibilitas & immortalitas apertè promiſſa eſt. vid. Luc. 20. ℣. 36. 1 Cor. 15. 42, 50, 53, 54. Cum ergo pro diverſa rei conditione, aut locorum circumſtantiis, vox æterni aliter atque aliter accipiatur, & tum demum reſtringenda ſit, cùm illæ id poſtulant; ſi quis nomen *æterni* ad Deum ejúſve potentiam relatum reſtringere vellet, neceſſe eſſet, eum vel ex locorum circumſtantiis id colligere, vel ex rei ipſius natura. At ex neutris id colligi poteſt; imò natura Dei contrarium, ut vidimus, poſtulat. Accedunt alia ſacræ ſcripturæ teſtimonia, in quibus æternitas Dei veluti per partes exprimitur. Partes autem illius vel duæ conſtituuntur: altera, quæ antegreſſa eſt; altera, quæ conſequitur, & ſine fine duratura eſt: vel tres, pro triplici temporum differentia. Et interdum quidem tota Dei æternitas ita deſcribitur, ut vel duæ, vel tres illius partes eodem loco exprimantur; nonnunquam verò partes ipſius ſeparatim, ſeu locis diverſis, commemorentur. Duæ illius partes ſimul exprimuntur in illo Pſalmi loco Pſal. 90. 2, *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo & uſque in ſeculum tu es Deus.* Tres autem in Apocalypſi cap. I. 4, 8. IV. 8. XI. 17. XVI. 5, ubi ita Deus deſcribitur, ut dicatur, *Is qui eſt, qui erat, & qui venturus* (hoc eſt, *futurus*) *eſt.* Vocem enim *venturus* poni pro *futurus*, reliquæ duæ, quibus opponitur, temporis differentiæ, nempe *eſt* & *erat*, ſatis docent. Eodem pacto tempora aut ſecula ventura pro futuris apud profanos auctores, aut *ventura* ſimplicitur pro rebus futuris, Eſa. 41. 22, 23. XLIV. 7. XLV. 11. Joh. 16. 13, & feſtum *venturum* pro futuro in ſacris literis poni cernimus. Actor. 18. 21. Neque verò iſta trium temporum enumeratione ſimpliciter indicare Spiritus Sanctus voluit, Deum & tunc, cùm iſta ſcriberentur, & antea extitiſſe, & poſtea extiturum. Si enim ab iis diſcedas, quæ propè momento exiſtunt ac pereunt; quid eſt, cui tres illæ temporis differentiæ aſſignari non poſſint? Quare cum eximium aliquid iſtic notet divinus ſpiritus, ac Deo ſupremo proprium, utpote quem primo loco etiam non nominatum ita deſcribit; apparet, eum voluiſſe omne, quod unquam vel fuit, vel porrò futurum eſt, tempus complecti: quaſi dixiſſet, Qui & nunc eſt, & antea fuit ſemper, & in poſterum ſemper extiturus eſt. Aliter ſi accipias, facilè id angelis accommodabitur, & præteriti *fuit* ſignificatio, ſignificationi futuri *erit* non rectè reſpondebit.

Referri autem vulgò ad ea loca, in quibus æternitas Dei veluti per partes quaſdam deſcribatur, & illa ſolent, ubi Deus ſeipſum appellat *primum & ultimum* Eſa. 41. 4. conf. cap. XLIII. 10, d. XLIV. 6, & d. conf. & ℣. 2, & d. XLVIII. 12. conf. anteced. à ℣. 3; aut *Alpha & Omega* Apoc. 1. 8: XXI. 6; hoc eſt, ut ipſemet ſeipſum declarans addit, *principium & finem*: nempe quia Græcarum literarum Alpha principium eſt, Omega finis. Sed ea loca, licèt quandam etiam perpetuitatem notent, non tamen abſolutam illam Dei æternitatem, ſeu durationem ejus per ſe conſideratam exprimunt. Nam quod ad priorem loquendi modum attinet; non ideo primus dicitur & ultimus, quia, ut ante omnes extiterit, ita etiam poſt omnes ſit extiturus. Quandoquidem Deus tum angelos bonos, tum homines pios, in omnem ævorum perennitatem ſecum vult vivere; adeoque reſpectu ipſorum ultimus dici nequeat. Quod verò ad poſteriorem loquendi rationem attinet; ſi principium & finem ad ipſam Dei exiſtentiam ac durationem referre velis, evertetur potiùs Dei æternitas, quam tum initio, tum fine carere neceſſe eſt. Quòd ſi ita velis hæc verba interpretari, ac ſi dictum eſſet, Deum & ante omnes extitiſſe, & poſt omnes extiturum eſſe; obſtabit ratio paulò antè allata. Ut taceam, ne ſic quidem æternitatem Dei abſolutam ſatis expreſſum iri. Animadverterunt igitur eruditi quidam ſac. literarum interpretes, apud Eſaiam ideo Deum vocari primum atque ultimum, quia certa quædam opera, de quibus ibi ſermo eſt, & primus inchoârit, & ultimò ſit perfecturus, ita ut nemini, qui rem antea inceperit, ſucceſſerit; nemo etiam illi, qui eandem perficiat, ſit ſucceſſurus. Eadem & poſterioris loquendi rationis vis eſt.

Jam ut ad ea ſacrarum literarum loca veniamus, in quibus æternitatis partes ſeparatim exprimuntur, aut aliqua ratione ſignificantur; conſequentem quidem illius partem, (ut de hac primò loquamur) ſeu æternitatem à parte pòſt, & ſæpiùs, & magis abſolutè videmus in ſ. codice deſcribi. Ut cùm Deus dicitur vivens in ſecula ſeculorum Apoc. 4. 9, 10; aut cùm affirmatur, cœlum quidem & terram perituram, Deum autem eundem permanſurum, & annos ejus non defecturos Pſal. 102. 27, 28, & Heb. 1. 11, 12; aut cùm dicitur eum permanſurum in æternum Pſal. 92. 9: CII. 13; eum regnaturum in æternum Exod. 15. 18: & ultrà, ſeu in perpetuum. Pſal. 145. ult. Eòdem pertinet, quòd & incorruptibilis dicitur Deus Rom. 1. 23: 1 Tim. 1. 17; & 1 Tim. 6. 16; ſolus immortalitatem habere aſſeritur. Cum enim vox prior corruptionis, poſterior mortis ſubeundæ ἀθανασίαν ſeu impoſſibilitatem ſignificet; illa quidem exiſtendi atque integritatem naturæ ſervandi, hæc verò etiam vivendi neceſſitatem includit, & omnem durationis vitæque terminum efficaciſſimè excludit.

Hujus autem æternitatis, quæ ſine fine duratura eſt, illud eſt conſequens, quod in Pſalmo 90. 4, dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte.* Significatur enim, ut viri docti explicant, Deum mille annos pluris non facere, quàm homo diem unum. Cùm enim infinitum illi ſit ævum; nihil illi revera perit, etiamſi mille anni, imò annorum myriades prætereant. Siquidem nihilominus infinitum ævi ſpacium reſtat. De homine prædivite vulgò interdum dicimus, perinde illi eſſe mille florenos expendere, ac pauperculo alicui aſſem. Quia hujus exiguæ admodum ſint facultates; illius propè videantur inexhauſtæ. Atqui longè rectiùs de Deo dici poteſt, mille annos illi perinde eſſe ac nobis dies unus ſit; quàm, perinde eſſe diviti mille florenos expendere, ac pauperi aſſem. Atque adeò hîc plus ferè dici ſolet, quàm revera debet; illic minùs. Illa autem Pſalmi

verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

verba imitatus eſt aliquo modo Petrus, dum dixit 2 Pet. 3. 8. *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni ſicut unus dies.* Significat enim, apud Deum diſcrimen illud temporum, quod nos maximi facere ſolemus, nihil habere momenti. Perinde ipſi eſſe, ſive unus prætereat dies, ſive mille anni. Quia nihilominus infinitum reſtet ævum. Nihil illi de totius ævi ſumma perit. Sed de his verbis inferiùs adhuc nonnihil dicendum erit.

Nunc de ratione agendum eſt, quâ ſacræ literæ antegreſſam ęternitatis divinæ partem ſignificare conſueverunt.¦ Facere autem id ferè ſolent compar atè. Ita enim eam indicare ſolent, ùt Deum ante mundum conditum extitiſſe dicant, aut apertè ſignificent. Sic ſuprà vidimus in Pſalmo, ubi utraque divinæ æternitatis pars expreſſa eſt, priorem comparatè primùm deſcribi, in illis nempe verbis Pſal. 90. 2. *Antequam montes fierent, aut formaretur terra & orbis*; deinde demùm abſolutè, dum additur, *à ſeculo* &c. *tu es Deus*. Sed alibi vix cernas eam aliter indicatam, quàm quatenus Deus aliquid ante hunc mundum egiſſe, aut quippiam apud ipſum extitiſſe ſignificatur. Quo pertinent illa Salomonis de ſapientiâ Prov. 8. 22, & d. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio:ab æterno*(ſeu *à ſeculo*)*ordinata*(ſeu *formata*)*ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret*; & quæ ſequuntur. De quibus verbis agetur infrà, ubi de ſapientia divina diſſeremus cap. 24. Eódem pertinet & illud, quòd Chriſtus gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet, habuiſſe ſe ait Joh. 17. 5, ſeu, ut inferiùs ib. ℣.24, in eadem oratione loquitur, ſe à Patre ante jacta mundi fundamenta fuiſſe dilectum; ex qua dilectione, illa ipſi gloria fuit à Patre decreta, quam ſibi ab eo dari, tum temporis petiit. Huc & illa Petri pertinent 1 Pet. 1.20, dicentis, Chriſtum ante jacta mundi fundamenta fuiſſe præcognitum; & iſta Pauli, aſſerentis Eph. 1.4, nos ante jacta mundi fundamenta fuiſſe à Deo in Chriſto electos; & gratiam nobis in ipſo datam eſſe ante tempora ſecularia 2 Tim. 1. 9. Hæc omnia, inquam, comparatè dicuntur, & exiſtentiam quidem Dei ante orbem conditum oſtendunt; ſed æternitatem omni carentem initio non tam exprimunt, quàm ad eam cogitandam nos aliqua ratione ducunt. Ad eam enim, ſi cogitationem altiùs attollas, neceſſe eſt pervenire. Niſi enim quippiam ponas, quod ab omni æternitate extiterit, dicere cogeris, aliquando nihil prorſus extitiſſe. Quòd ſi verò nihil prorſus aliquando extitit; ne nunc quidem quicquam eſt. Unde enim illa, quæ nunc ſunt, extiterunt, cùm per ſeipſa non poſſent? & cur poſtea potiùs extiterunt, quàm antea? Neque enim, ubi nihil prorſus extat, quod diſcrimen faciat, ulla diverſitatis reddi poteſt ratio. Quòd ſi nos ipſos, & cætera, quæ cernimus, extare, ſine inſania negare non poſſumus; neceſſe eſt aliquid ſtatuere, quod ab omni æternitate extiterit. Quid autem potiùs, quàm id, quod cæterorum omnium eſt cauſſa? Non poteſt quidem ratio noſtra cogitando emetiri infinitum illud ævi ſpacium: (infinitum enim non eſſet, ſi finem ejus aliquem ratio inveniret:) ipſum tamen illud ævi ſpacium, quod infinitum eſſe neceſſe ſit, invenire poteſt, & ſi altiùs rem repetat, invenire cogitur. Non laboravit autem divinus ſpiritus in infinito illo, quod anteceſſit, Dei ævo pleniùs ac diſtinctiùs deſcribendo; ſed ſatis habuit, partim æternitatem Dei abſolutè commemorare, in qua infinitum illud, quod anteceſſit, ævum comprehenditur; partim ea dicere, quæ ad hujus quoque diſtinctiorem cognitionem nos veluti manu ducerent. Præſertim quia ſatis aliàs in ſacris literis expreſſum eſt id, propter quod maximè videtur eſſe neceſſarium, ut Deus credatur ab omni æternitate extitiſſe. Id verò eſt primùm, ne & ipſius Dei, & aliarum rerum, alius introducatur ſupremus opifex, atque adeò alius adhuc Deus, eo, qui ſupremus ſtatuebatur, ſuperior. Nam ſi initium habuiſſet Deus, ab alio iterùm fuiſſet productus, ut ex paulò antè dictis conſtat. Hic ergo potiùs eſſet Deus ſupremus, non ille. Deinde ne verendum ſit, Deum aliquando iterum interiturum. Siquidem, ut antè dictum eſt, quæ aliquando non fuerunt, poſſunt iterùm non eſſe, & in priſtinum ſtatum relabi; niſi ſuperioris cauſſæ, quæ hic nulla eſt, benignitate & efficaciâ perpetuitatem ſortiantur, ac veluti firmentur. At utrique huic incommodo ſatis alibi occurritur. Priori, cùm Deus unus, cùm idem altiſſimus, cùm omnium rerum conditor, omnibus aliis excluſis, dicitur; poſteriori, cùm ei immortalitas, & quidem ſoli, cùm incorruptibilitas adſcribitur, & eum in omnem ævorum perenuitatem permanſurum ac victurum, ſat clarè docetur. Interea tamen, ut omnes, etiam ſimpliciores, tantò faciliùs perſpicere poſſent, omnium rerum auctorem rectè conſtitui Deum; eum ante mundum conditum extitiſſe, & tum de eo condendo, tum de genere humano ſervando, ac ſalutis duce nobis præficiendo, conſilium jam tum iniiſſe, apertè affirmant ſacræ literæ; & ut eatenus potiſſimùm in antegreſſæ æternitatis conſideratione verſemur, non obſcurè monent. Adde etiam, ut ad profundæ illius, quæ retrò eſt, æternitatis aditum hac ratione veluti deducti, cùm nullum illius exitum, ſeu mavis initium, reperiamus, nec ullam Dei efficientem cauſſam ponere poſſimus; eò vehementiùs naturam illius ac majeſtatem admiremur. Quod tantò magis facere debet, quantò quiſque eſt ingenioſor, & ad hujuſmodi rerum contemplationem aptior. Quare tantum hac in parte expreſſum eſt in ſacris literis, quantum cuique ad ſalutem ſatis eſt.

Ex dictis autem facilè intelligitur, nos non arbitrari, perinde eſſe dicere, aliquid ante conditum mundum extitiſſe, & ab omni æternitate extitiſſe. Neque id cenſuiſſe apparet eos ex veteribus Eccleſiæ doctoribus, qui angelos ante conditum mundum à Deo creatos fuiſſe ſtatuerunt. Neque enim vel creationis ratio, vel ipſorum ſententia patitur, ut creatura aliqua ſtatuatur ab omni æternitate extitiſſe. Conſentaneum autem id eſſe, quod illi de angelorum creatione cenſuerunt, alibi Volk. lib. 2. cap. 2, docetur. Itaque non eſt neceſſe, ut quicquid ante conditum mundum à Deo factum decretúmve eſt, id protinus ab omni æternitate factum aut decretum eſſe ſtatuatur; imò quod à libera Dei voluntate pendet, non potuit ab omni æternitate exiſtere. Etenim quæ cauſſam efficientem habent non neceſſariò ſed liberè agentem, poſſuntque naturâ ſuâ tam exiſtere, quàm non exiſtere, illa ab omni æternitate exiſtere non potuerunt. Tempore enim antegreſſam oportuit liberam illam, à qua profecta ſunt, cauſſam. Nam quæ cauſſæ, ſimul ac exiſtunt, agunt, neceſſariò agunt id, quod agunt, non liberè, nec ab actione ſua ceſſare poſſunt. Atqui omnia Dei decreta, factáque externa, cauſſam habent liberè agentem, ipſam nimirum Dei voluntatem. Nihil enim extra ſe neceſſariò Deus agit, ac pronde nec faciendum decernit, ſed liberè. Quòd ſi aliqua eſt decretorum divinorum neceſſitas, ea ſemper liberrimo voluntatis actu nititur, ſive ut cauſſa proximâ, ſive ut remotâ.

Non poteſt autem nobis eorum probari ſubtilitas, qui æternitatem Dei, omnia, quæ unquam extiterunt, temporum ſpacia complectentem, in unius puncti ſeu momenti anguſtias cogunt. Indiviſibilem enim eam eſſe ſtatuunt; nihilque in ea prius, nihil eſſe poſterius. Itaque quicquid Deus unquam egit, acturúſve eſt, id eum ſimul agere. Omnia ipſi præſentia; nihil præteritum, nihil futurum. Quæ ſententia & ſacris literis repugnat, & ſibi ipſi, omninoque contradictionem non unam involvit. Etenim ſacræ literæ æternitatem Dei deſcribentes, eam, ut vidimus, nunc triplici temporum differentiâ complectuntur, dum dicunt, Apoc. 1. 4, 8. IV. 8, *is, qui eſt, & qui erat, & qui venturus* ſeu *futurus eſt*; nunc in duas eam partes dividentes, præteritum & futurum aut ſimul, aut disjunctim commemorant. Quorſum enim illa, cùm Deum eſſe dicunt *a ſeculo in ſeculum*? Pſal. 90. 2. nonne *a ſeculo* præteritam ævi partem, *in ſeculum* futuram ſignificat? Quorſum illa, cùm hinc quidem eum ante conditum mundum extitiſſe aut aliquid egiſſe docent; Prov. 8. 22. Joh. 17. 24, & abili. cùm *antiquum dierum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

appellant Dan. 7. 9, 13: hinc verò, eum porrò *permanſurum & annos ejus non defecturos*, Pſal. 102. 27, 28, aſſerunt. Nónne hæc omnia temporum ſucceſſionem arguunt? Atque ut hanc ſententiam ſibi quoque ipſi adverſari videas; utuntur illi, qui eam propugnant, Boëthii potiſſimùm definitione, qui æternitatem ait eſſe *Interminabilis vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem.* Ideo autem *totam* ejus vitæ poſſeſſionem *ſimul* eſſe dicunt, ut intelligatur, æternitatem non in infinito quodam ſeculorum tractu conſiſtere, ita ut alia ejus pars præcedat, ſuccedat alia; ſed univerſam uno eodemque momento exiſtere. At præterquam quod vita ad æternitatis eſſentiam conſtituendam non pertinet; ſi vita illa interminabilis eſt ſeu infinita, quomodo ejus poſſeſſio tota ſimul eſt? Interminabilis enim vita ea demùm eſt, quæ ſemper durat. Sempiterna autem duratio, quomodo tota eodem momento conſiſtere poteſt? Siquidem omnis duratio partes habet, quarum alia ſuccedat alteri, alia prior ſit, alia poſterior. Si poteſt tota æternitas in uno momento tota conſiſtere; ponatur Deus momento extitiſſe ac periiſſe: num tu eum interminabilem habuiſſe vitam, num æternum fuiſſe dixeris? Eadémne vita & momentanea eſſe poteſt & æterna? Deinde quo pacto poteſt indiviſibile complecti ſpacia in innumeras partes diviſibilia? Æternitas Dei complectitur omnia, quæ unquam fuerunt aut futura ſunt, tempora. Nihil enim eam anteceſſit, nihil ſequetur: ſed quæcunque ab initio mundi fluxerunt, & ad ejus finem fluent ſecula, intra ejus ambitum continentur. Quomodo ergo indiviſibilis eſt? quomodo in punctum momentúmve collecta? Quis, quæſo, dixerit, punctum aliquod, aut id, quod puncti ſit inſtar, amplecti totum hunc mundum? Indiviſibile quodvis quovis diviſibili minus eſt. Majus autem minoris amplexu contineri non poteſt. Certè hoc pacto non vita noſtra reſpectu æternitatis divinæ puncti inſtar eſſet, ſed æternitas Dei reſpectu vitæ noſtræ. Præterea ſi æternitas Dei quovis momento tota exiſtit, quicquid eſt, æternum erit. Quicquid enim cum tota æternitate unà exiſtit, id æternum eſſe neceſſe eſt. At iſtâ ſententiâ poſitâ, etiam ea, quæ momento exiſtunt, unà exiſtent cum tota æternitate. Quinetiam ipſa temporum intervalla & res omnes, licèt longiſſimis ſpaciis à ſe invicem disjunctæ, hac ratione ſimul extiterunt atque exiſtent; & initium mundi verbi gratiâ, cum ejus fine connectetur. Omnia enim in illo æternitatis divinæ, ut ita dicam, momento inter ſe coëunt: non aliud hac, aliud illa æternitatis parte extitit, vel exiſtet. Quæ verò eodem momento exiſtunt, certè ſimul exiſtunt. Quemadmodum etiam ea, quæ eodem tempore toto exiſtunt. Alia eſt eorum ratio, quæ eodem quidem temporis ſpacio, ſed diverſis ejus temporis partibus exiſtunt; ut ſi eodem ſeculo exiſtant, at non eodem anno; aut eodem quidem anno, ſed non eodem menſe, die, hora, momento. Quod ſi æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius eſt, nihil poſterius; certè cum omnia in ea fiant, omnia eodem momento fient: & quicquid Deus ſemel fecit, aut facturus eſt, æternùm fecit, facturuſque eſt. Condidit ſemel mundum hunc, & ex nihilo produxit: eundem ergo adhuc condit, & exiſtentem licèt, ex nihilo producit; quinetiam tum eum conſtruet, cùm deſtruet; & quia deſtructurus eſt aliquando mundum, deſtruxit jam tum, cùm condidit. Nam ſi dicas, eum antea non condidiſſe mundum, poſtea condidiſſe, nunc non ampliùs condere, aut conditurum; partes dabis durationis divinæ, alias antecedentes, alias conſequentes, in quarum alia hoc faciat, in alia illud. Idem de cæteris omnibus Dei actionibus intelligendum eſt. Omnes licèt inter ſe pugnantes, jungendæ erunt: traditio Chriſti in mortem, cum ejus reſuſcitatione; aſſumtio in cœlum, cum ejus è cælo miſſione: iraſcetur nobis Deus, cùm maximè propitius eſt; & propitius erit, cùm vel maximè iraſcitur. Quæ tanta eſt rerum inſociabilium conſociatio? Neque verò ſententiam tot abſurdis fœcundam illa ſtabiliunt Petri verba, de quibus ſuprà egimus: *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni ſicut unus dies* 2 Pet. 3. 8; aut illa Pſalmi, unde ſua depromſiſſe videtur Petrus: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit, & cuſtodia in nocte* Pſal. 90. 4. Neque enim magis ex his ſequitur, in æternitate Dei nullam eſſe ſucceſſionem, nihil prius aut poſterius, quàm in ſeptem illis annis, quos pro Rachele ſerviit Jacobus, nihil tale fuiſſe; quia ſcriptum ſit, illos *ſeptem annos fuiſſe in oculis ejus* (ſic eſt in Hebræo) *ut dies ſingulos* Gen. 29. 30. Quin ſi hoc modo premere illa, ſive Petri, ſive Pſalmi verba libeat, faciliùs contrariam inde ſententiam expreſſeris. Nam & in mille annis, & in uno die, temporis eſt ſucceſſio; nec totum, ſive mille annorum, ſive unius diei ſpacium, uno momento exiſtit. Si quis dixerit, Deo victoriam largiri volenti unum militem eſſe ut mille, & mille ut unum; rectè omnino dixerit. Ecquis verò erit, qui inde colligere velit, unum militem & mille apud Deum per ſe nihil differre, nec numeri hujus ullum eſſe diſcrimen. An non manifeſtum eſt, eum, qui ſic loquatur, id ſibi tantùm velle, perinde eſſe Deo, & æquè facilè, ſive per unum vincere, ſive per mille? ſimiliter etiam, vel unum vincere, vel mille. Cur ergo ex eo, quòd apud Dominum unus dies eſſe dicitur, ut mille anni, & contrà, colligitur, apud Dominum per ſe nihil inter utrumque temporis ſpacium intereſſe, aut nullam in æternitate ejus ſucceſſionem eſſe? Plura de iis locis non addimus, quia eorum ſenſum jam ſatis ſuprà explicuimus.

Illud adhuc de æternitate Dei addendum eſt; eam non ipſi tantùm Deo, ſed etiam attributis ipſius, quæ tota ſimul exiſtunt, attribui. Itaque ſuprà vidimus, etiam potentiam Dei æternam appellari. Et iis quidem attributis, quæ Deo ſunt prorſus naturalia, uti eſt ipſius potentiâ, ſeu vires ac robur, non minùs abſolutè competit æternitas, quàm ipſi Deo. Ipſe enim ſimpliciter æternus non foret, ſi attributa, quæ ſunt illi prorſus naturalia, æterna ſimpliciter non eſſent. At quæ ita ſunt comparata, ut actu ipſo, niſi creaturæ extent aliquæ, exiſtere nequeant; æterna non prorſus abſolutè dicuntur, ſed relatè, hoc eſt, ita, ut ſignificetur, tamdiu ea ineſſe Deo, quamdiu ii extent, ad quos ea ſpectant. Hoc pacto regnum Dei, ut ſuo loco dicetur inf. cap. 23; æternum eſſe prædicatur; & *miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum eſſe* dicitur, ſed additur, *ſuper timentes eum* Pſal. 103. 27; quæ verba æternitatem illam reſtringunt, & non abſolutè miſericordiæ divinæ tribui oſtendunt. Et hæc eſt cauſſa inter alias, cur ſæpiùs in æternum duratura eſſe dicatur Domini miſericordia, quàm ab æterno. Quod etiam de regno divino intelligendum eſt.

Quod ad uſum hujus doctrinæ attinet; primùm ad venerationem divini numinis tantò majorem in animis noſtris excitandam, facit conſideratio divinæ æternitatis. Pertinet enim hoc ad excellentiam ſupremi numinis, quâ creaturas omnes ſuperat, quod nec initium habuerit, nec finem ſit habiturus, aut habere ulla ratione poſſit: cùm hæ & initium habuerint, & finem, niſi ab ipſomet æternitate donentur, ſint habituræ.

Quorſum autem id nominatim proſit ſcire, quòd Deus ab omni æternitate extiterit; jam ſupra ſatis explicatum eſt, cùm oſtendimus, qua ratione ſac. literæ æternitatem Dei à parte antè, ut vocant, exprimere conſueverint.

Quod ad eam attinet æternitatem, quam à parte pòſt appellant; illius cognitio eò ſpectat, ut fidem ac ſpem noſtram in Deo firmiter collocare, & æternam ab eo vitam nobis polliceri queamus. Concideret enim fides ac ſpes noſtra, ſi hoc perennitatis divinæ fundamentum ei ſubduceretur. Quomodo enim ei tutò ad extremum uſque ſpiritum confidere queas, de quo certò non conſtet, utrùm cras aut perendie ſit ſuperfuturus? At niſi de æternitate atque immortalitate divina conſtaret, dubitari non immeritò poſſet, utrùm cras aut perendie victurus eſſet. David, ut in principibus hominumque filiis confidendum non eſſe, nec ab iis ſalutem ſperandam eſſe doceat, hac potiſſimùm ratione nititur: *Exibit ſpiritus ejus, revertetur in terram ſuam:*

ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum Pſal. 146.2, 3, & loquitur tamen is de ſalute temporali. Quid ergo de ſpe ſalutis æternæ vitæque immortalis cenſendum eſt? quomodo hæc in eo poteſt locari, qui mortalis ipſe ſit? Atque hæc eſt cauſſa, cur ſac. literæ æternitatem divini numinis conſequentem aliquantò & pleniùs & crebriùs exprimant, quàm antegreſſam. Quia nimirum fides ac ſpes noſtra magis in futurum reſpicit, quàm in præteritum: imò ſpes per ſe non niſi futurum ſpectat; maximè ſpes Chriſtianorum, quibus reſurrectio eſt & immortalis vita promiſſa.

Quod verò hujus æternitatis conſequens eſſe diximus, nempe quòd apud Dominum unus dies ſit ut mille anni, & vice verſa; id quem uſum habeat, Petrus nos docuit, qui & de re ipſa nos monuit. Inde enim perſpici poteſt, Deum tarditate in promiſſis exſolvendis non uti, nec ullas nectere moras, dum decretorium illum adventus Chriſti diem diutiùs differt. Tempus enim ipſi nunquam deerit ad exſolvenda promiſſa ſua, cui mille anni perinde ſunt, ac dies unus. Æternum illi ſupereſt ævum, quantumcumque etiam effluxerit. Idem ad alia quoque Dei promiſſa, præſertim non ad hunc aut illum hominem nominatim, ſed vel ad totum genus humanum, vel ad populum aliquem ſpectantia, transferendum eſt.

Cap. XIX.

De Vita Dei.

POſtquam illa Dei attributa vidimus, quæ vel ad communes rerum affectiones pertinent, vel cum iis conjunctionem habent; nunc ad ea veniendum eſt, quæ viventium ſunt propria. Ea verò ita ſunt comparata, ut alia aliis veluti innitantur, &, ut in ſcholis loquuntur, alia ab aliis præſupponantur. Et primùm quidem ſequuntur facultates, ſeu actionum propriæ cauſſæ ac principia; tum demum ea, quæ facultatibus his iterùm nituntur. Cum autem actiones, etiam divinæ, duplicis ſint generis, aliæ, quas immanentes vocant, quæ ab agente in rem aliam non tranſeunt, eámve afficiunt; aliæ tranſeuntes: etiam facultates, quæ earum ſunt principia, duplicis ſunt generis. Aliæ enim immanentium propria ſunt principia: aliæ tranſeuntium. Facultates, quæ per ſe immanentium, conſequenter & tranſeuntium actionum ſunt principia, duæ in Deo ſunt, Intellectus & voluntas, quæ vitam ejus veluti determinant, ac differentiarum inſtar ad eam reſtringunt ſpeciem, quæ eſt perfectiſſima. Facultates ſimiliter, quæ actionum tranſeuntium ſunt principia, duæ ſunt, Potentia, quæ in efficacia conſiſtit ac viribus, & Poteſtas, quæ in jure. De his ergo ita agemus, ut initio à Vita facto, ad actionum immanentium principia progrediamur; ab his iterum ad principia tranſeuntium; cætera ſuis locis viſuri.

Quod ergo ad vitam Dei attinet; ut de voce primùm dicamus; animadvertendum eſt, cùm id nomen ad Deum in ſacris literis refertur, non protinus vitam illam ſignificari, quâ Deus ipſe vivit, de qua nobis eſt hoc loco agendum. Etenim cùm Paulus Epheſ. 4. 18, ait, Gentes *alienatas eſſe à vita Dei*; quivis facilè cernit, non eam intelligi vitam, quâ Deus ipſe vivit; ſed vel vitæ rationem à Deo præſcriptam, eique placentem; ut opus Dei aut Domini Joh. 6. 29: 1 Cor. 15. 58; ſignificat opus à Deo aut Domino præſcriptum, eique gratum & acceptum; vel vitam ſempiternam, quæ à Deo proficiſcatur. Quo pacto *vita Ieſu* apud eundem Apoſtolum 2 Cor. 4. 10; ſignificat vitam, ſeu mavis conſervationem in vita, atque è mortis periculo liberationem, quæ à Jeſu Chriſto proficiſcatur. Quamquam prius eſt vero ſimilius. Cùm verò Chriſtus apud Johannem ait Joh. 5. 26, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*: itidem non de illa vita, vel ſaltem non de illa ſola loquitur, quâ Deus aut Chriſtus ipſe vivat: ſed potiùs per metonymiam effecti, vim atque efficaciam deſignat vitam aliis largiendi; quemadmodum ab interpretibus nonnullis eſt animadverſum *. Probat enim Chriſtus his & ſequentibus verbis id, quod antea dixerat, *mortuos audituros vocem Filii Dei, &, qui audierint, victuros*. Id autem non rectè probaſſet, ſi per vitam, quam Pater in ſemetipſo habeat, & Filio quoque habere in ſemetipſo dederit, eam tantùm intellexiſſet, quâ ipſemet Pater ac Filius vivat. At rectiſſimè id probat, ſi vim atque efficaciam intelligit vitam aliis largiendi, vel ſaltem hanc quoque verbis iſtis includit. Verùm hac de re non eſt hîc fuſiùs dicendi locus.

Accedendum enim nobis eſt ad illam Dei vitam, quam ipſemet Deus vivit; quæ tum ſignificari ſolet, ſaltem primò, cum Deus vivens in ſac. literis appellatur: aut illa jurandi formula Deo uſurpata legitur, *Vivo ego*, & illa hominibus, *Vivit Dominus*. Utrumque autem horum in ſac. literis frequens eſt. Itaque ſi teſtimonia requiras hujus divini attributi, ea ſunt obvia. Quod ad alias rationes, quibus id probetur, attinet; eædem ſunt, quibus Deum eſſe ſuprà probavimus. Deus enim revera non eſſet, ſi vitâ careret; ut omnes per ſe intelligunt. Quam ob cauſſam Deus verus in ſac. literis idolis fictitiiſque Diis eo nomine, nunc apertè, nunc tacitè opponi ſolet, quòd ſit Deus vivus; ut propemodum perinde ſit, Deum vivum dicere, ac Deum verum: quamquam nonnunquam vox *veri* & *vivi* Deo ſimul, uberioris declarationis cauſſa tribuitur. Sic Jerem. 10. 10, cùm de idolis non pauca dixiſſet, & ea nec benè, nec malè cuiquam facere poſſe docuiſſet, Deum verum illis opponens ait: *Dominus autem Deus verus eſt: ipſe Deus vivens, & rex ſempiternus.* Et Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens 1 Theſſ. 1. 9. *Converſi eſtis*, inquit, *ad Deum à ſimulacris, ſervire Deo vivo & vero.* Idem in Actis ſolam *vivi* vocem opponit *vanis* ſeu commentitiis Gentium diis. Ita enim Lyſtrenſibus ait, ſibi ac Barnabæ ſacrificare volentibus, & ſe Mercurium, Barnabam Jovem appellantibus: *& nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Itaque cùm Deum *vivum* in ſacris literis appellari audimus, præter ipſam vitam omnia illa cogitare debemus, quæ in Deo vero requiruntur, ac nominatim immenſam ipſius potentiam; non quidem vi ſolius vocis *vivi*, ſed & nominis *Dei*, cui apponitur. Quò accedit, quòd vox illa κατ' ἐξοχὴν Deo ſummo tribui, certis præſertim in locis, omnino videatur, ita ut intelligendum ſit, Deum ita vivere, ut fons ſit omnis vitæ; hoc eſt, ut ipſe primò ac per ſeipſum vivat, cæteriſque omnibus ſit vitæ cauſſa. Unde illic Viventis epitheto non ſine peculiari emphaſi videmus inſigniri Deum, ubi de vita ac ſalute, ſive æterna, ſive temporali, quæ ab eo vel proficiſcatur, vel ſperetur, ſermo eſt. vide Joh. 6. 58: 1 Tim. 4. 10: conf. cum ℣. 8: & VI. 17.

Quod ad ipſam vitæ divinæ rationem ac naturam attinet; de ea non adeo multa nobis ſunt dicenda. Primò quia ad religionem ac ſalutem hac in parte ſatis eſt, ſi tantum de vita Dei intelligamus, quantum etiam rudiſſimi quique intelligere facilè poſſunt, atque adeò, cùm vitæ nomen audiunt, intelligere ſolent. Nempe ut ſtatuamus, Deum non eſſe rem ſive ſubſtantiam naturâ inertem atque otioſam, & porrò intelligendi, volendi, & liberè agendi vi deſtitutam: qualia videmus eſſe corpora inanimata, ac nominatim idola ſive ſimulachra, ligna ac lapides: ſed contrà talem eſſe Deum intelligamus, in quo facultates illæ locum habere queant. Deinde quia nos mortales de vitæ divinæ natura diſſerere non multa poſſumus, qui ne noſtræ quidem vitæ naturam ſatis intelligimus. Unde etiam inter doctiſſimos viros de vitæ definitione controverti videas. Eò tamen ferè eorum, qui rectiùs cæteris ea de re loqui videntur, redeunt ſententiæ, ut vita dicatur eſſe vigor quidam, aut actus quidam internus ac continuus ab anima corpori juncta proficiſcens. Sed quia hæc definitio quatenus animæ corpori junctæ mentionem facit, vitæ in univerſum non competit; ideo aliquid eſt quærendum, quod latiùs pateat, &

* Wolfg. Muſculo. Joh. Maldonato.

divinæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

divinæ etiam vitæ poſſit accommodari. De verbis, quibus accurata vitæ definitio concipi queat, non laborabimus: ſatis erit indicare, quod ad rei intelligentiam proſit. Dici igitur poteſt, vitam eſſe vigorem aut actum quendam internum ac continuum, ſive ipſius ſpiritus elementarem naturam ſuperantis, ſive ab hujuſmodi ſpiritu, qui corpori alicui ſit junctus, manantem. Spiritûs nomen & Deo convenit, & angelis, & animæ humanæ à Philoſophis, imò & vulgò ſic appellatæ, & animæ brutorum vid. Gen. 6. 17: VII. 15: Eccleſ. 3. 21, ac denique nobiliori illi plantarum parti, quæ illis inſita, eas vegetat, & nutriendi ac generandi vim illis largitur. Spiritus autem vel ita perfectus eſt, ut per ſe non modò unitatem atque integritatem ſuam ſervare, ſed & operari queat; vel aliqua ratione imperfectior, ita ut corpore aliquo naturaliter indigeat, quo & contineatur, & in operando utatur. Ille per ſe vivit: hic per ſe non vivit, ſed ejus virtute atque efficaciâ vivit compoſitum, quod conſtituit, & cui naturaliter ineſt. Prioris generis ſpiritus eſt Deus; poſt Deum angeli. Poſterioris, ſpiritus rerum corruptibilium. In quo tamen genere ſpiritus humanus nobilitate ac perfectione maximè eminet. Ex his ergo intelligi aliqua ratione poteſt, quid Dei ſit vita. Quòd ſi ſpecialiùs ac diſtinctiùs cognoſcere velis, qualis ſit ille divinæ naturæ vigor, ſeu qualis Dei ſit vita; id, quatenus nobis cognitu neceſſarium eſt, ex ſequentibus intelligetur, ubi de intellectu, voluntate, potentia Dei, cæteriſque ipſius attributis agemus. Illud hîc ex ſuperiori capite repetendum eſt, vitam Dei eſſe prorſus neceſſariam; ac porrò, ut ab æterno duravit, ita & in æternum duraturam. Unde eum vidimus appellari viventem in ſecula ſeculorum Apoc. 4. 9, 10: vid. & Deut. 32. 40, deque eo pronunciari, quòd ſolus habeat immortalitatem 1 Tim. 6. 16. Immortalitas enim moriendi impoſſibilitas eſt, vivendi autem neceſſitas, quæ æternam vitæ durationem poſtulat. Neceſſitatem autem non eam intelligimus, quæ coactionis eſt, & ſpontaneo opponitur: ſed quæ contingentiæ tantùm opponitur, nec externa eſt, ſed Deo naturalis & interna. Solus autem immortalitatem habere dicitur Deus, uti & ſolus appellatur ſapiens Rom. 16. 27: Judæ ℣. 25, & nemo bonus, niſi is unus, eſſe dicitur Matth. 19. 17; nempe quia iſta ſolus à ſeipſo, & perfectiſſima ratione habeat: cæteri, qui habeant, non niſi ab ipſo, & inferiori perfectionis gradu. Nam nec immortalitas noſtra, ut de hac ſola loquamur, Dei ipſius immortalitati prorſus par erit. Dei enim vita ſimpliciter & abſolutè neceſſaria eſt: cæterorum non niſi ex hypotheſi quadam. Nam à voluntatis divinæ conſtantia, & angelorum nunc pendet vita atque immortalitas, & noſtra aliquando pendebit. Cæteroqui Deus, ſi vellet, deſtruere poſſet, quicquid conſtruxit. Sed quod ad nos attinet, voluntatem ſuam Deus, non modò decreto, ſed & promiſſione variis modis ſtabilita, reddidit hac in parte immutabilem: ita ut nobis extra inobedientiæ ac contumaciæ periculum poſitis, nunquam ſit verendum, ne nobis vitam auferat, & viribus ſuis ad perniciem noſtram utatur.

Reſtat, ut de uſu hujus doctrinæ quædam moneamus. Is verò ex dictis ſatis intelligitur. Quandoquidem Deus revera Deus non eſſet, ſi vitâ deſtitueretur; nec magis foret colendus, quàm idola atque ſimulachra. Mera ſuperſtitio atque ſtultitia foret omnis religio, in eamque voces quadrarent divinorum virorum, quibus idololatrarum ſtultitiam meritò inſectantur, quòd Deos habeant omni vita, omnique facultate, quæ viventium ſit propria, deſtitutos: qui, ut Jeremias ait cap. 2. 7, *ligno dicant: Pater meus es tu: & lapidi: Tu me genuiſti*; vel, ut Eſaias inquit cap. 42. 19, qui *confidant in ſculptili; qui dicant conflatili: Vos Dii noſtri: ſurdi audite: & cæci intuemini.* Unde alibi Jeremias; *Stultus,* inquit cap. 10. 14, *factus eſt omnis homo à ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili: quoniam falſum eſt, quod conflavit, & non eſt ſpiritus in eis.* Stultiſſimum enim eſt, pro domino ac rectore ſuo eum agnoſcere, qui non vivat: metuere eum, qui nocere nequeat; ſpem ſuam in eo ponere, qui benefacere non poſſit; preces admovere ſurdo; à cœco petere, ut ſe reſpiciat. Itaque ut uno verbo rem totam complectar, vitâ Dei ſublatâ, ipſe Deus ac religio omnis tolleretur. Eâdem autem ſtabilitâ, ab idolorum cultu abſtrahimur, ut ex dictis patet.

Quorſum verò proſit ſcire, Dei vitam æternam eſſe atque immortalem, id capite ſuperiori ſatis eſt explicatum. Itaque nihil eſt neceſſe his diutiùs immorari.

CAP. XX.
De Intellectu Dei.

SEquitur nunc, ut de intellectu Dei agamus: ſiquidem ejus explicatio partim ad uberiorem ac diſtinctiorem vitæ divinæ cognitionem pertinet; partim fundamenti cujuſdam inſtar ſubſternitur reliquorum Dei attributorum tractationi. Intellectum autem hoc loco pro facultate intelligendi, ſeu res percipiendi ac cognoſcendi ſumi, facilè ex ſuperiori capite perſpici poteſt. Quod propterea monemus, quia apud Veterem Latinum Bibliorum interpretem vox Intellectûs pro ſapientia aut ſcientia ſæpe uſurpata legitur, & Pſa. 136. 5, etiam, cùm de Deo ſermo eſt. Sapientia autem ac ſcientia, ejus, de quo hîc loquimur, intellectûs actus quidam eſt ac perfectio, de qua inferiùs agemus. inf. c. 24.

Deinde & illud animadverti cupimus, nos non ita ſtrictè Intellectûs vocem ſumere, uti tum ſumitur, cùm hominibus tribuitur. Intellectûs enim humani non eſt, res ipſas primò ac per ſeipſum percipere, ſed ſenſu jam ante perceptas dijudicare, rerum eſſentiam ac naturam ex iis rerum affectionibus, quæ ſenſu jam ſunt cognitæ, penitiûs rimari, univerſalia ex ſingularibus colligere, alia ex aliis ratiocinando deducere. Unde in ſcholis vulgò dicitur, Nihil eſſe in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu. Similiter nec illud intellectûs noſtri propriè eſt, res antea cognitas carúmve ſpecies retinere; ſed memoriæ. At nos cùm de intellectu Dei loquimur, unà cum aliis, qui de eo diſſerunt, ſimpliciter intelligimus facultatem res quaſvis, quatenus ſub cognitionem ullo modo cadunt, percipiendi ſeu cognoſcendi. Itaque uni divino intellectui tribuimus ea omnia, quæ pluribuus in homine facultatibus ſunt delegata, ſegregatâ, quæ in nobis eſt, facultatum iſtarum imperfectione. Eo nempe & præſentia intuetur Deus, & præterita tenet, & futura prævidet; eo & externas & internas rerum affectiones cognoſcit, & naturas earum intelligit; eo quis rerum ſit ordo, quæ ſimilitudo aut diſſimilitudo, quis cauſſarum atque effectuum nexus cernit; res & ſingulas & univerſas perſpicit. Ut autem hujuſmodi facultatem Deo ineſſe demonſtremus, non multis eſt opus. Cum enim totius rerum naturæ ſit & opifex, & rector ſupremus, uti ex illis conſtat, quæ de exiſtentia Dei ſupra cap. 2, 3, 4 diſputavimus; cumque omnia in fines ſuos dirigat; nihil eorum illi incognitum eſſe neceſſe eſt. Cognoſcere autem quî poſſet, niſi cognoſcendi eſſet facultate præditus? Ipſi ſenſus noſtri, ipſa mentis noſtræ vis admonere nos debet de intellectu ejus, omnem alium ſenſum atque intellectum ſuperante, unde ipſa promanavit. Quî enim ſentiendi atque intelligendi vim largiri cæteris omnibus potuiſſet, is, qui ſenſu (liceat enim & hac voce de Deo uti) atque intellectu ipſemet eſſet deſtitutus; imò qui omnem ſenſus atque intellectus vim ipſemet perfectiſſima ratione non complecteretur? Itaque non injuriâ ita Pſaltes hominum impiorum ac providentiam divinam negantium errorem, vel potiùs væſaniam refutat: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat,* (vel *non videbit*) Pſal. 94. 9? Idem de cæteris, quibus à Deo inſtructi ſumus, cognoſcendi ſentiendique facultatibus cogitandum. Hinc autem eſt, quòd & ſenſuum organa, ut oculi & aures, Deo per anthropopathian, quam vocant, ſeu metonymiam cum metaphora conjunctam, in ſacris literis tribuantur. Nempe quia ſenſuum illorum vis ac facultas, quæ per organa iſta exſeritur, Deo convenit.

Ex

Ex his & illud cerni jam poteſt, de ſacrarum literarum auctoritate, quâ intelligendi cognoſcendique facultas Deo aſſeratur, vix neceſſe eſſe ampliùs monere. Teſtimonia ubique ſunt obvia. Siquidem Deo intellectus ſeu intelligentia, ut ſuprà vidimus, & intelligendi actus, & ſapientia, & omnium rerum ſcientia apertiſſimè adſcribitur: quemadmodum & vulgò notum eſt, & inferiùs cùm de Sapientia Dei agemus, patebit. Ad quem locum & cætera differimus, quæ de intellectu Dei ſcire ad religionem ac pietatem utile eſt. Nonnulla, quæ in ſcholis de eo diſputantur, tutiùs ignorari, quam definiri arbitramur.

Uſus hujus doctrinæ unicuique patet, & ex dictis ſatis poteſt intelligi. Tolle à Deo intelligendi facultatem, & Deum eſſe negaveris; opificium ac regimen hujus mundi ei ademeris, & unà cum providentia omnem religionem ſuſtuleris. Quod in idololatrarum ſtuporem dictum ſuperiori capite ex Eſaia attulimus, nempe quòd dicant conflatili, *Vos Dii noſtri: ſurdi audite: & cæci intuemini*, id huc maximè pertinet. In eos enim quadraret, qui Deum colunt, & ab eo auxilium ſperant, & precibus impetrare ſtudent, niſi Deus intellectu, & quidem perfectiſſimò, eſſet præditus. Sed pleniùs hujus rei uſus intelligetur, cùm de ſapientia Dei agemus.

CAP. XXI.

De Voluntate Dei.

INtellectum Dei ſequitur ejuſdem voluntas, alterum actionum immanentium principium. Quod unà cum illo & ad vitæ ipſius pleniorem intelligentiam pertinere, & ſequentium ejus attributorum fundamentum eſſe diximus. Voluntatis divinæ nomen paſſim in ſacris literis occurrit: vid. Pſal. 40. 9: CIII. 21: CXLIII. 10. Eſa. 44. 28: XLVI. 10: LIII. 10. Matt. 6. 10: VII. 21: XVIII. 14: XXVI. 42. & alibi paſſim in N. Teſt. quanquam pro effectu, aut objecto ejus potiùs, quàm pro ipſa facultate, de qua nos hîc agimus, uſurpatum. Triplici enim potiſſimùm ratione voluntatis nomen accipi ſolet. Primùm pro ipſa facultate, quâ aliquid velle atque appetere, vel contrà nolle atque repudiare poſſumus. Deinde pro ejus facultatis actu, hoc eſt ipſa θελήσει, quam barbarè, ſed ſignificanter tamen, volitionem, aut contrà nolitionem appellant. Denique pro eo, quod quiſpiam vult, aut volendo conſtituit: quod partim objectum, partim effectum voluntatis eſt: quo pacto nos, verbi gratiâ, Dei voluntatem facere dicimur. Nos in prima ſignificatione vocem voluntatis accipimus, quam Deo ineſſe oſtenditur, quoties voluntatis divinæ, quocunque tandem ſignificatu, fit mentio d. l. Mat. 7. 21: & XII. 50. Joh. 7. 17: IX. 31. Act. 13. 22. Eph. 6. 6. Heb. 10. 36: XIII. 21. 1 Joh. 2. 17. Neque enim vellet quippiam Deus, niſi volendi facultas ei ineſſet. Siquidem actus facúltatem arguit, eamque neceſſariò ponit. Neque verò quicquam eſt, quod intellectu ſit præditum, quod non ſimul etiam ſit præditum voluntate. Itaque cum Deo intellectus neceſſariò inſit, ineſt & voluntas; ſine qua non magis eſſet Deus, quàm quod ducitur nervis alienis mobile lignum. Nihil ille præciperet aut prohiberet. Vult enim aliquid fieri, qui præcipit; non fieri, qui prohibet. Non ſceleratis ſupplicium ab eo metuendum eſſet, non piis ſperandum præmium. Neque enim vel pietatem amare, vel impietatem odiſſe poſſet. Omnes ei preces fruſtra adhiberentur; ut pote qui moveri, ſeu ut aliquid velit aut nolit, induci nullo pacto poſſet.

Definitur autem in Scholis voluntas, Appetitus intellectualis, hoc eſt, appetitus ejuſmodi, qui intellectum propriè ſequitur: & cum eo eſt neceſſariò connexus. Appetitus enim vox latiùs hîc extenditur. Nam alioquin eo nomine illa vocatur in animalibus facultas, quæ ſenſibus externis annexa, ea, quæ illis grata ſunt, perſequitur; quæ ingrata, averſatur ac fugit: qui quidem appetitus ſenſitivus in ſcholis vulgò appellatur, ut diſtinguatur ab intellectivo, qui voluntas propriè dicitur. Hic enim non niſi in illis eſt, quæ intellectu ſunt prædita, & ex eo aliquo modo pendet. Dum enim ſubſtantia intellectu prædita res percipit ac conſiderat, eas animadvertit ſibi naturæque ſuæ vel accommodatas eſſe atque amicas, vel adverſas atque inimicas, vel denique neutras. Quæ autem amicæ ſunt, eo ipſo ſunt bonæ: quæ adverſæ, malæ: quæ neutræ, neutræ & hîc ſunt, hoc eſt, nec bonæ per ſe, nec malæ. Bonum verò cognitum, quà tale, ſtatim amatur ac deſideratur: malum contrà cognitum averſatur animus: neutra in medio quodammodo relinquuntur; tum demum vel amoris, vel odii capacia, ubi in alterutram partem fuerint pertracta. Hoc ergo primum voluntatis munus eſt, bonum ab intellectu perceptum amare ac deſiderare, malum ab eodem cognitum averſari, & quodammodo refugere, neutra in medio relinquere. Neque enim eſt, quod quis dicat, voluntatis eſſe velle, non verò etiam nolle, & appetitûs appetere ac deſiderare, non averſari. Etenim facultates hæ ſunt contrariorum; licèt appellationes ab effectu potiore ducantur. Potior enim eſt voluntatis effectus velle, quàm nolle; & appetitûs appetere, quàm refugere. Diximus autem, hoc primum eſſe voluntatis munus, non ſolum. Sunt enim & alia duo, ad quæ primum illud gradus quidam eſt. Alterum ergo voluntatis officium eſt, è rebus duabus aut pluribus, quæ ſimul omnes conſiſtere vel planè non poſſint, vel commodè non poſſint, unam eligere, & quid agendum, quídve omittendum decernere. Qua in re voluntatis libertas maximè cernitur, quam Græci αὐτεξούσιον, Latini arbitrium appellant. Arbitrium enim libertatem in ſe continet, quam ſi demas, arbitrium eſſe deſinet. Itaque qui ſervum arbitrium dicunt, arbitrium ſimul eſſe & ajunt, & negant. Eſt enim animadvertendum, voluntatem non protinus id omne, quod intellectus bonum eſſe judicat, quodque adeo ipſi voluntati aliqua ratione allubeſcit, eligere, & omnino perſequendum ſtatuere, etiamſi nec externum aliquod impedimentum obſtet, nec majoris alicujus boni, ſive cognitio, ſive opinio, indeque nata ſpes ac deſiderium, prohibeat. Nam in ſumma etiam æqualitate rerum propoſitarum, è quibus unum aliquod eligendum, cætera ommittenda ſint, delectum inſtituit voluntas. Ubi cur hoc potiùs, quàm illud elegerit, nulla alia, quæ impulerit, præter ipſam voluntatem cauſſa reddi poteſt. Quia voluntas hac in parte prima eſt ac ſuprema cauſſa. Quocirca licèt nullus ſit voluntatis actus, qui non cauſſam aliquam habeat impellentem, nempe finem ac bonum objectum, ejúſve cognitionem: nihilominus tamen illa cauſſa non protinus talis eſt, ut voluntatem in ſuas partes cogat, ac neceſſariò pertrahat; ſed multæ cauſſæ ſuadent tantùm, & leniter ducunt, libertate voluntati relicta, ut vel ſequatur, vel reſiſtat. Deſiderium enim ciet in voluntate boni cognitio; ſed non ſemper ineluctabile ac prorſus invictum. Ut igitur nihilominus vim cauſſæ impellentis ſequatur voluntas, impetum ejus quendam accedere oportet, cujus præter ipſam voluntatem nulla poſſit reddi ratio. Quare voluntas non eſt ejuſmodi cauſſa, quæ tantùm agat aut moveat, quantum ipſa à cauſſa impulſiva movetur: ſed quæ etiam ampliùs agat, quàm ipſa movetur; quia vim habet aliquo modo ex ſeipſa agendi. Non dicimus, voluntatem omnem ex ſeipſa, vim agendi habere, quaſi ejus eſſentia à nulla alia ſuperiori cauſſa pendeat: id enim non niſi de Dei voluntate verum eſt: ſed id dicimus, voluntatem vim ac facultatem habere, licet in creaturis aliunde pendentem, quâ poſſit ex ſeipſa ita agere, ut aliquid ad vim ac motum cauſſæ, à qua fuerat primùm impulſa, adjicere queat, & impetum, quem aliunde non acceperat, addere, ut ita electio ac decretum fiat, indeque porrò actio aliqua proficiſcatur. Hanc voluntatis vim, quæ ſanè diviniſſima eſt, quia Philoſophorum Princeps in Deo non agnovit; ideo mundi æternitatem introduxit, & unà cum mundi creatione imperium, & providentiam divinam circa res ſingulas ſuſtulit. Quem mirum eſſet, non ſimul & arbitrium voluntatis humanæ, & ſic omnem

veram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

veram virtutem & improbitatem, actionumque ſive bonarum, ſive malarum meritum ſuſtuliſſe; niſi rei evidentia, & inde natus communis hominum conſenſus, eum retinuiſſet. Nam certè ſi in Deo non eſt vis illa divina atque admirabilis movendi ultrà, quàm à bono cognito moveatur ipſa; multo minùs in homine erit. Quicquid ergo homo facit, neceſſariò faciet, quemadmodum ſuprà cap. 4, oſtendimus, ubi voluntatis divinæ arbitrium pluribus adverſus Ariſtotelem, & ejus hac in parte aſſeclas, demonſtravimus. Quòd ſi hoc abſurdiſſimum eſt, ut ſanè eſt; Deo multò magis hæc libertas inerit. Imò ei primò, cæteris non niſi per ipſum; prout & intellectus, cum quo voluntas ac libertas pari paſſu ambulant. Nam cæteris, in quibus intellectùs tantùm umbra quædam eſt, ut voluntatis, ita & libertatis hujus tantùm eſt imago.

Porrò autem ut appareat, quouſque hæc voluntatis libertas extendatur; illud ſatis liquet, ibi eam incipere, ubi deſinit volendi aut decernendi neceſſitas. Neceſſitati enim volendi aut decernendi, opponitur libertas, utpote ad oppoſita indifferens. Itaque ibi locum habet, ubi contingentia ac poſſibilitas eſt volendi aut decernendi, vel potiùs in hac ipſa eſt ſita. Nam id ipſum eſt libertatem voluntatis habere, poſſe velle, ubi & nolle poſſis, & contrà. Jam verò ſi quæ eſt volendi ac decernendi neceſſitas, ea in ſummo bono ultimoque vitæ fine primò apparet: in cæteris eatenus, quatenus neceſſitatis quodam vinculo cum eo fine connexa judicantur, & ad eum obtinendum omnino cenſentur requiri. Eſt enim ſummum bonum αὐταρκὴς, & explendo neceſſario cujuſque deſiderio ſufficiens. At ſi neceſſariò quippiam aliud præter ſummum bonum eſſet expetendum, ipſum ſummum bonum ei rei non ſufficeret. Itaque neceſſitas volendi atque eligendi, ſi quæ eſt, intra felicitatem, & media, quæ ad eam neceſſaria cenſentur, conſiſtit. Cætera contingenter vult, ac perſequenda ſtatuit voluntas. Diximus autem neceſſitatem, *ſi quæ ſit*, intra illa conſiſtere. Quia ubi aliquid cum ſummo alicujus bono in contentionem venire poteſt, ut in hominibus accidit; ibi felicitas appetitur quidem ac deſideratur neceſſariò: non tamen neceſſariò præ altero illo bono, quod cum illa in contentionem venit, eligitur, ac perſequenda ſtatuitur. Et ne fortaſſe exiſtimes de iis tantùm nos hominibus loqui, qui quid ſit felicitas, nunquam expenderint: Paulum ſpecta. At quem virum? quàm ſapientem? quàm divinum? Is anathema à Chriſto pro Iſraëlitis, ſuis ſecundùm carnem agnatis, fieri optavit Rom. 9. 3. Quid autem aliud eſt anathema à Chriſto fieri, quàm perire, ac felicitatem ſupremam perdere? * Non longè ab illo abiit Moſes Exod. 32. 32, vir itidem diviniſſimus. Is enim, niſi Deus ignoſcere Iſraëlitis vellet, ſe quoque ex libro, quem ſcripſerit, libro, inquam, vitæ, deleri cupivit. Quòd ſi tanta eſt voluntatis humanæ libertas circa ipſam felicitatem, quæ ultimus eſt vitæ noſtræ finis ad nos relatus, & votorum? noſtrorum ſumma; quantam putamus eſſe libertatem in cæteris? Tanta certè eſt, ut modò aliquod motûs principium nanciſcatur, hoc eſt, cognitionem aut ſpeciem boni alicujus, ſeſe ad id etiam, quod minus eſt, applicare queat, & efficere, ut illud potiùs perſequamur, quàm id, quod majus eſt. Id autem vel eam ob cauſſam fit, quia bonum cæteroqui minus, ob aliquam circumſtantiam in contentionem cum majori veniat, ita ut res velut in æquilibrium deducta, non niſi liberrimo voluntatis decreto definiri queat: vel quia dum per vices nunc hujus, nunc illius boni ſpecies animo occurrit, voluntas vel huic, vel illi pro libitu ſeſe applicare, & hac ipſa ſui inclinatione ei etiam pondus addere poteſt, quod minus eſſe mens non ignorat. Sua enim vi, ac liberrimo in alterutram partem impetu, voluntas ſupplet id, quod ſpeciei illius boni, ad quod ſeſe applicat, deerat. Veruntamen eò uſque hæc voluntatis libertas non pertingit, ut id, quod mens impoſſibile eſſe cernit, eligere poſſit, utut poſſit optare: neque etiam eò, ut id alteri præferat, quod nullam cum eo proportionem habere, ſed infinitis ab eo partibus ſuperari liquidò cernat. Itaque ut ad libertatem voluntatis divinæ aſcendamus; non poteſt non felicitatem ſuam Deus & appetere, & (fas ita ſit de Deo loqui) perſequi, eâve perfrui. Nam & neceſſaria illa prorſus eſt, ut ſuo loco docebimus; & nihil eſt, quod cum ea in contentionem venire ullo pacto queat, & porrò voluntatem, ut ei felicitatem ſuam poſtponat, ullo modo impellere. Itaque & illa neceſſariò vult ac facit Deus, ſine quibus felicitas ipſius conſiſtere non poteſt. At in cæteris, quibus neceſſarius non eſt cum felicitate ipſius nexus, libertas voluntatis ipſius regnat. Neceſſitate enim volendi ac eligendi ſublata, libertas, ut diximus, relinquitur. Nihil autem eorum, quæ extra Deum ſunt, ad felicitatem ejus ſimpliciter ac per ſe pertinet. Quare eorum nihil velle aut facere neceſſariò cogitur; ſed quicquid vult aut facit, per ſe liberè vult ac facit. Dico autem *per ſe*: quia cum ſeſe obſtrinxit ad aliquid faciendum, jam id neceſſitate juris, ac porrò juſtitiæ vi, omnino facit; & niſi faceret, contra naturam ſuam ageret, ſuamque felicitatem everteret. Similiter cùm aliquid facit, id, ut rectè ac ſapienter faciat, neceſſe eſt: quià aliàs itidem naturæ ſuæ repugnaret, ſuamque felicitatem veluti oppugnaret. Eatenus ergo neceſſariò extra ſe agit, non liberè. Sed huic neceſſitati locum facit liberrimus quidam voluntatis ipſius actus.

Reſtat adhuc ultimum voluntatis munus, ſeu mavis vis ac facultas: nempe quòd aliis rebus, cùm eveniunt, delectetur, aliis offendatur. Reſpondet id maximè primo voluntatis muneri, & quod hoc præſtat in futuris, id præſtat illud in præſentibus, aut etiam in præteritis. Ex eodem ſanè potiſſimùm etiam pendet; aliquo modo & ex ſecunda voluntatis functione. Quiſquis enim rem aliquam, ut bonam ac jucundam deſiderat, vel etiam eam perſequi omnino ſtatuit, eâ potitus aliquo modo delectatur ac lætatur: contrà ſi, quod averſatur, id nihilominus eveniat; offenditur tanquam malo atque injucundo. Quam ob cauſſam ſacræ literæ per metaphoram quandam, & lætandi, & dolendi ſeu triſtandi verbum, & alia quædam his ſimilia Deo tribuunt; ut ſignificent, aliquid eſſe in Deo his voluntatis noſtræ actibus analogum. Qua de re ibi agetur, ubi de illis voluntatis divinæ actibus dicemus, qui affectuum nomine in ſacris literis deſcribuntur, vid. cap. 31. Nam & de his, & de decretis divinis, infrà ſeparatim tractabimus. Eò igitur cætera rejicimus de voluntate divina adhuc dicenda. Quod enim hîc quoque voluntatis divinæ actiones attigimus, id, ut facultatis ipſius rationem ac naturam explicaremus, fecimus. Quandoquidem facultates explicari non poſſunt, niſi per ſuos actus. Suâ enim naturâ ad illos referuntur, & quicquid ſunt, illorum ſunt.

Uſum hujus doctrinæ jam ante attigimus. Docuimus enim, voluntate Dei ſublata, omnem veram religionem ruituram, & Deum revera non futurum, omni ipſius imperio, omni cura ac providentia, cum ipſa rerum creatione ſublata. Idem reipſa fit, ſi libertatem voluntati ipſius detrahas, & quicquid facit, neceſſariò eum facere ſtatuas. Neque enim revera poteſtatem atque imperium habet, qui, quod facit, neceſſariò facit, & arbitrio libertatéque naturali deſtituitur. Præterea & illud conſequi vidimus, Dei arbitrio ac voluntatis libertate negata, corruituram multò magis humanæ voluntatis, uti & cæterarum creaturarum intellectu præditarum libertatem, quâ ſublatâ religio concidit; concidit virtutis ac vitii ſeu peccati ratio, præmium ac pœna. Simul autem omnis vera è rerum natura tollitur contingentia, ut vocant. Quocunque enim te vertas, vera atque abſolutè ſic dicta contingentia non alio nititur fundamento, quàm voluntatis alicujus arbitrio, ſeu libertate ejuſmodi, quæ in alterutram partem ſeſe flectere ex ſeipſa poſſit. Inde enim poſtea actionum & effectuum longa concatenationis ſerie ducitur contingentia. Quæ enim non poſſunt vel moventi reſiſtere, vel ultrà, quam moventur ipſa, movere alia: ea contingentiæ abſolutè ſic dictæ, fundamen-

* Vel potiùs morte in lege maledicta Chriſto procurante affici, quo ſenſu Chriſtus pro nobis maledictio factus eſſe dicitur Gal. 3. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

damentum eſſe nullo modo poſſunt, ſed per ſe potiùs ſunt neceſſitati, ſubjecta, & libertatem nec ipſa habent, nec in aliis pariunt. Talia autem omnia ſunt, quæ arbitrio ac libertate voluntatis ſunt deſtituta.

Cap. XXII.

De Potentia Dei.

ABſolutis illis facultatibus divinis, quæ immanentium actionum propria ſunt principia, tranſeuntium conſequenter: ſequitur, ut eas etiam explicemus, quæ actionum tranſeuntium, hoc eſt, in alia veluti manantium, & in iis vim ſuam exſerentium, propria ſunt principia. Diximus autem duas eſſe: Potentiam, quæ in vi atque efficacia conſiſtit, & Poteſtatem, quæ in jure. Utraque ad actiones operaque Dei externa requiritur. Nihil enim fieri poteſt à quoquam, niſi faciendi vires habeat: à Deo etiam nihil, cujus faciendi jus non habeat. Quamquam hæc poſterior etiam ad decreta Dei requiritur. Ut enim nihil facit Deus, quod jure facere nequeat; ita nec decernit. Interim tamen ad ipſa opera decretorumque effecta primò ac per ſe pertinet: ad decreta propter facta ipſa. Ideo enim aliquid decernere licet, aut non licet, quia id etiam facere licet, aut non licet; non contrà, ſi naturæ ordinem reſpicias: etiamſi ex rectitudine decretorum, etiam operum rectitudinem concludere liceat. Quamquam autem harum facultatum nomina interdum videantur confundi: poteſtas tamen Græcis ἐξουσία propriè eſt: potentia autem, de qua hoc capite agere inſtituimus, ſive Deo, ſive aliis rebus attributa, δύναμις potiùs vocari ſolet: Matth. 22. 29: Luc. 15. 17: Rom. 1. 4, 20: IX. 17: 1 Cor. 6. 14: Epheſ. 1. 19, aut ἰσχὺς Epheſ. 1. 19: Apoc. 7. 12: ſic & Epheſ. 6. 10: 2 Theſſ. 1. 9: 2 Pet. 2. 11, item κράτος Epheſ. 1. 19: VI. 10: Col. 1. 11, unde παντοκράτωρ, hoc eſt, omnipotens. Verùm vox κράτος etiam imperium in ſacris literis denotat, vel ſaltem de imperio accipi rectè nonnunquam poteſt. Non recenſemus alia, præſertim figurata, quale eſt brachium, vel brachium extenſum, dextra, & his ſimilia.

Quid autem ea ſit potentia, ex dictis facilè intelligi poteſt. Eſt enim facultas extra ſe efficaciter agendi. Eam verò Deo ineſſe, & quidem infinitam, non tantùm affirmant ſacræ literæ, ſed ex clariſſimis etiam ejus effectis demonſtrant. Loca ſacrarum literarum, quibus immenſa Deo potentia tribuitur, paſſim ſunt obvia. vid. inter alia Gen. 17. 1: & 35. 11: & 43. 14: & 48. 3: Job. 9. 4, 19: & 12. 13: & 42. 2: Pſal. 89. 9, & d. Jer. 32. 17. 18, 19: Matth. 19. 26: Luc. 1. 37: Epheſ. 3. 20: Apoc. 1. 8: IV. 8. Quod ad effecta attinet; primum, quod habemus, immenſæ Dei potentiæ documentum, eſt mundi hujus creatio, quam nos ſuprà cap. 4. & 5. rationibus demonſtravimus. Immenſam certè ejus, qui hæc omnia condidit, vim ac potentiam eſſe neceſſe eſt. Quanta enim in hoc univerſo eſt operum maximorum ac planè ſtupendorum multitudo? quanta varietas? quanta in ſingulis vis? quàm admirandæ facultates? Qui hæc producere potuit, quid non poſſit? Ideo toties in ſacris literis commemoratur rerum creatio, ut inde Dei potentiam æſtimare diſcamus. Jungenda creationi rerum eſt perpetua earundem conſervatio, procuratio ac gubernatio, quæ quotidie infinitæ Dei virtutis ac roboris documenta nobis proponit. Accedunt miracula, quorum maximus fuit numerus. Sed illuſtria præter cætera fuerunt ea, quæ per Moſen, maximè autem, quæ per Chriſtum fuerunt patrata: quorum illis Legis, his Euangelii initia Deus inſignivit, ac veluti conſecravit: ut certa atque in omne ævum duratura utriuſque doctrinæ, ſed hujus maximè, extarent fundamenta, quibus omnium poſterorum fides tutò inniti poſſet. Chriſti ſanè miracula tanta fuerunt, ut majora ante eum fecerit nemo. Tot autem numero, ut ſi ſingula fuiſſent nominatim perſcripta, mundum libros, qui ſcribendi fuiſſent, non capturum Johannes affirmet Joh. 21. ult. Miraculis autem Chriſti illa meritò accenſemus, quæ per ſervos ſuos in cœlum hinc profectus toto paſſim orbe edidit, & quibus tot terrarum populos in jura ſua adegit. Illuſtre fuit & illud potentiæ divinæ documentum, ac inſignitè commemorandum, quod rei & præſtitu, & nobis creditu difficillimæ, creditu autem maximè neceſſariæ, continet argumentum. Quid enim ſecundùm naturam magis videtur eſſe impoſſibile, quàm mortuorum reſuſcitatio, & ad immortalitatem traductio? Hic eſt noſtræ de Dei potentia fidei, ſi certorum ejus effectuum habeatur ratio, quidam veluti apex. Unde & in Abrahamo credentium patre id maximè inſigne fuit, quod crediderit, etiam à mortuis reſuſcitare poſſe Deum vid. Heb. 11. 19. At hujus rei documentum nobis evidentiſſimum dedit Deus in duce fidei ac ſalutis noſtræ Chriſto, dum eum & à mortuis reſuſcitavit, & ad dextram ſuam in cœleſtibus collocavit. Quod quidem tam admirabile divinæ potentiæ opus verbis inſignibus (ſi modo in re tanta ulla ſatis magnifica oratio eſſe poteſt) exprimit Apoſtolus in ea, quam ad Epheſios ſcripſit, Epiſtola; adeo ut dignus ſit locus, qui hîc expreſſe inſeratur. Cum enim precatus eſſet à Deo Epheſiis illuminatos mentis oculos, ut ſcirent, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, hoc eſt, ut intelligerent ſummam illius boni, quod ipſis à Deo eſſet oblatum, præſtantiam; optat etiam, ut ſummam ejuſdem boni certitudinem cognoſcant, quæ niſi infinita illa Dei potentia, qua ſola id præſtari nobis poteſt, cognita, cognoſci nequit. Cognoſcitur autem ea potentia ex tam illuſtri, quem diximus, effectu. Itaque ita ſubjicit Eph. 1. 19, & d: *&* (ſcilicet *ut ſciatis*) *quæ ſit ſuperminens magnitudo virtutis* (ſeu *potentiæ*) *ejus in nos, qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis* (ſeu *virium*) *ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem* (ſeu *potentiam*,) *& dominationem, & omne nomen, quod nominatur non tantum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnia* (ſic eſt in Græco) *Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius,* [*&*] *plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet*: ſic enim potius vertendum eſt participium πληρουμένου, quam, *adimpletur*. Satis ergo divina ſeſe demonſtravit potentia, quam Deo ineſſe alias quoque eſt conſentaneum. Quemadmodum enim Deus, quia intelligere tum bona, tum mala poteſt omnia, voluntatem quoque habet, ut illa approbet, hæc improbet, ac porro diverſa de illis decreta facere queat: ita & conſentaneum, imo neceſſarium eſt, ut, quæ approbet, poſſit efficere; quæ improbet, tollere.

Cæterum ut, quæ ſit potentiæ divinæ ratio, quæ amplitudo ac perfectio, melius intelligatur; de omnipotentia Deo in ſacris literis attributa nobis dicendum eſt: & quidem ita, ut primum tum de Omnipotentiæ voce, tum de aliis loquendi modis, quibus eadem res in ſcripturis exprimi ſolet, nonnihil dicamus: deinde rem ipſam penitius inſpiciamus. Quod ergo ad vocem *omnipotentiæ* vel potius *omnipotentis* attinet, Deo in ſacris literis attributam; ea Græce, ut ante monuimus, eſt παντοκράτωρ. Quam vocem Græci Veteris Teſtamenti interpretes, è quibus in Novum Teſtamentum proculdubio manavit, nunc pro voce *Schaddai* ponunt, de qua inter Dei nomina ſuprà cap. 12, egimus, vel pro nomine *Zebaoth*, quod *exercitus* denotat; cum Deus ille ſummus, vel *Jehova Zebaoth*, hoc eſt; Jehova ſeu Dominus exercituum, vel explicatius *Jehova El Zebaoth*, hoc eſt, Jehova ſeu Dominus Deus exercituum appellatur. Utroque autem modo ſumta, Dei vim ac potentiam ſignificat; ſed magis, cum pro nomine *Schaddai* ponitur, ut ex iis conſtare poteſt, quæ de ejus vocis vi ſuo loco diximus. Vox enim illa robur ac vires Dei ſignificat, quibus omnibus omnia ſuppeditare ac ſufficere queat. At cum pro nomine *Zebaoth* ponitur, voci *Jehova*, aut *El* hoc eſt, *Dei*, adjecto, primo & per ſe ſupremum Dei in legiones angelicas, ac porro in res cæteras angelis inferiores, jus ſignificat: conſequenter etiam potentiam Dei ac robur ipſius indicat. Et hoc quidem duplici ratione. Nam primo, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

innumeris ſpirituum immortalium ac robore præcellentium legionibus ſummo cum imperio præeſt, eum illis omnibus longè robuſtiorem eſſe intelligimus; niſi fortè cenſeas, eum non niſi ita volentibus imperare, & eos exercitus, ſi velint, imperium ipſius excutere impune poſſe; id quod de ſupremo numine cogitare nefas eſt. Deinde cui res omnes, etiam angelicæ legiones, parent, quid per eas efficere, in rebus præſertim humanis, non poſſit? Principes ac reges δυνάστας ſeu potentes appellamus, non tam propter imperandi ac gubernandi jus per ſe conſideratum, quàm propter id, quod juris hujus, cùm eo uti reipſa queunt, conſequens eſt; nempe quòd multum in rebus humanis poſſint, opibus regnorum, ac ſubditorum ſuorum viribus ſubnixi. Quantum igitur Deum poſſe cenſemus, qui omnibus angelorum legionibus, quorum & robur maximum eſt, & numerus propè infinitus, imperat, eaſque ſibi habet obſequentiſſimas? Itaque hoc veluti ſecundarium eſt Dei robur ac potentia, extra ipſum ſita, atque ab eo pendens; quâ quidem in gubernatione rerum inferiorum, & exequutione decretorum ſuorum, creberrimè utitur. Etſi enim Deus etiam per ſe, ſeu vi in ſe habitante poſſit omnia, quæ vult, efficere: uti tamen libenter, atque adeo ordinariè ſolet mediis à ſe jam paratis, & ad res varias efficiendas aptis. Neque enim res, quas produxit, otioſas eſſe vult: cum eas ideo produxerit, ut pro viribus ſibi ab ipſo conceſſis operarentur, & variis muneribus incumberent. Itaque quemadmodum per homines multa in terris efficit, multaque decreta ſua ad exitum perducit: ita quæ occultiori quadam ratione efficit, per angelos libenter præſtat, quemadmodum ex hiſtoria ſacra intelligitur. Quò reſpiciens Pſaltes ait Pſal. 103. 20, 21: *Benedicite Domino omnes angeli ejus; potentes virtute* (ſeu *robore*) *facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes* (Hebr. *exercitus*) *ejus, miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus.* Itaque ut pateat, quantum per creaturas etiam ſuas poſſit præſtare Deus; crebriùs illa Dei ſive appellatio, ſive deſcriptio inculcatur, quòd ſit Dominus aut Deus exercituum. Quod ad alios loquendi modos attinet, quibus infinita Dei potentia in ſac. literis exprimitur; de illis non eſt neceſſe multa dicere, quia controverſia carent. Qualis eſt ille apud Jobum cap. 42. 2, cùm Deum ita alloquitur: *Novi, quòd omnia potes.* Et illa Chriſti verba, *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt* Matth. 19. 26. & Marc. 10. 27. Et iſta Angeli ad Mariam, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum* Luc. 1. 37. Notum enim eſt, *omne verbum* Hebraico more illic poni pro *omnis* vel *ulla res*. His autem locis adjungi poſſunt & illi, ubi omnipotentia divina non tam exprimitur, quàm effectu ejus manifeſto commemorato indicatur, aut alia quapiam ratione deſcribitur. Quò pertinent illa Davidis, in quibus Deum verum fictis omnique robore deſtitutis idolis opponens, *Deus*, inquit Pſal. 115. 37, *noſter in cœlo* [*eſt*:] *omnia quæcunque voluit, fecit*, q. d. tantæ potentiæ eſt, ut quicquid voluerit, faciat. Quam ſententiam etiam apud Eſaiam habes expreſſam Eſa. 46. 10. Neque enim de rebus tantùm præteritis loquitur David, ſed indefinitè de quovis tempore. Præteritum nempe Hebraico more pro præſenti, quodvis tempus indefinitè ſignificante ponitur; quemadmodum & alibi frequenter fit in ſacris literis Pſal. I. 1: II. 1: X. 3, 6, 10, 17: XI. 1, 7: XII. 5: XIV. 1: XV. 3, 4, 5: XVI. 1. & alibi paſſim: quandoquidem præſens Hebræi non habent, niſi participium, ut ii nôrunt, qui eam linguam primis labris guſtârunt. Eódem pertinent & illa Pauli, quibus Deum ad hunc deſcribit modum Eph. 3. 20: *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem* (ſeu *potentiam*) *quæ operatur in nobis*, &c. Cùm enim inter ea, quæ nos petimus, quædam contineantur præſtitu per ſe maximè difficilia, ut eſt reſurrectio atque immortalis vita, nobis à Deo promiſſa: ſi Deus illa omnia præſtare poteſt, & quidem longè abundantiùs, quàm nos non tantùm petere, ſed & intelligere poſſumus; quid erit, quod is præſtare nequeat? Illud tamen tum in hoc, tum in aliis fœderis novi locis, ubi Deus dicitur *potens eſſe* vid. Rom. 4. 21: XVI. 25. 2 Cor. 9. 8. Jud. ℣. 24. adde 2 Tim. 1. 12, aliquid facere, notandum eſt, hac phraſi voluntatem, ſeu mavis propenſionem quandam Dei ad rem, de qua ſermo eſt, efficiendam, vel tacitè præſupponi, vel cogitandam, & ex ipſa potentia quodammodo æſtimandam relinqui; præſertim ibi, ubi potentiæ nomen non minùs de jure ac poteſtate, quàm de viribus accipi poteſt vid. Rom. XI. 23: XIV. 4. Certè & ipſum verbum *poſſe*, de voluntatis propenſione, indeque nata agendi conſuetudine, omnino accipi videtur in illis D. Auctoris ad Hebræos de Chriſto verbis Heb. 2. 18: *In eo, in quo paſſus eſt ipſe* [*&*] *tentatus, potens eſt* (Græcè ſimpliciter *poteſt*) *& iis, qui tentantur, auxiliari.* q. d. ad auxilium iis ferendum pronus eſt, & id ferre libenter ſolet.

Illa autem ſacræ ſcripturæ loca, in quibus ſecundùm. Veterem interpretationem Latinam dicitur Gen. 18. 14: Jer. 32. 17, & 27, Deo nihil eſſe difficile, ab aliis in alium ſenſum trahuntur. Quia enim illis in locis in Hebræo pro *difficile* legitur *mirabile*; ideo id à nonnullis interpretibus recentioribus, apud Jeremiam etiam à Græcis, pro abſcondito ſumitur. Licet autem inde nec falſus, nec à locorum circumſtantiis penitùs abhorrens naſcatur ſenſus: vero tamen ſimilior is eſt, quem vetus interpres expreſſit. Eo ſanè modo vocem *mirabilis* vel reddiderunt, vel explicuerunt omnes, quos videre licuit, interpretes apud Zachariam cap. 8. 6, ubi Deus id, quod de incolis urbis Hieroſolymitanæ promiſerat, confirmaturus inquit: *Si videbitur difficile* (Hebr. *erit mirabile*) *in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis; numquid in oculis meis difficile* (Hebr. *mirabile*) *erit?* Adde, quòd interpretes illi, qui *mirabile* illis in locis pro abſcondito acceperunt, exiſtimaſſe videntur, id ſimpliciter pro *ignoto* poni. Hanc autem vocis *mirabilis* ſignificationem haud temerè inveneris. Nam etiam tum, cùm ad cognitionem refertur, id ſignificare ſolet, quod difficilius ac ſublimius eſt, quàm ut penitùs cognoſci, aut ratio ejus perſpici queat, etiamſi de eo cæteroqui prorſus conſtet.

De illis verò Chriſti verbis, Patrem, ut calicem à ſe transferat, orantis, *Abba Pater; omnia tibi poſſibilia ſunt* Marc. 14. 36, meritò dubitari poteſt, utrùm de potentia hac, qua de nunc agimus, accipienda ſint. Imò vix dubitandum eſt, de poteſtate potiùs, quàm de viribus ac potentia Chriſtum loqui. Indicant id Matthæi verba, quibus eandem Chriſti precationem deſcribit Matth. 26. 39: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Quorum vim & Marcus expreſſit, dum proximè antè ſcripſerat, Chriſtum oraſſe, *ut ſi fieri poſſit, tranſiret ab eo hora.* Neque enim verba illa, *ſi poſſibile eſt*, ita ſunt accipienda, ac ſi Chriſtus aliquo modo de divinis, quibus id præſtari queat, viribus dubitaſſet; quo nihil poteſt excogitari abſurdius: ſed de ejuſmodi poteſtate, quam divina decreta, ipſiuſque rei ratio concedat, eum in hoc negotio dubitaſſe, abſurdum non eſt. Ambigere enim non immeritò Chriſtus poterat, utrùm id, quod cupiebat, divina decreta permitterent, & ipſa rei ratio ferret. Unde etiam ſtatim precationis verbis ſubjunxit: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Neque verò eſt, quod quis dicat, pugnatura inter ſe Chriſti verba, ſi illa *Omnia tibi ſunt poſſibilia*, & iſta, *ſi poſſibile eſt*, de eodem poſſibilitatis genere accipiantur. In illis enim ſimpliciter aſſeri id, de quo in poſterioribus ex parte dubitetur. Nam in illis Chriſtus loquitur de rebus omnibus abſolutè ac ſimpliciter conſideratis, nulla habita ratione ejus, an ſint certo aliquo Dei decreto jam definita, nec ne; at in his, ut antè indicavimus, decretorum divinorum rationem vel inprimis habet. Quare perinde eſſe videtur, ac ſi dixiſſet Chriſtus: Pater, res omnes tuæ ſunt poteſtati ac arbitrio ſubjectæ, ita ut de illis ſtatuere tibi liceat, quod placet, quòd ſi tuis decretis, ac conſiliorum tuorum rationibus planè adverſum non eſt, transferre à me hoc poculum; transfer id, quæſo. Sin minùs; id fiat, quod tu decreveris; non quod ego cupio. Sed de vi verborum ſatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Ad rem ipſam ut veniamus; primùm de objecto potentiæ divinæ, ejuſque amplitudine dicendum eſt; deinde ipſius facultatis circa hoc objectum occupatæ genus, aliquantò propriùs eſt deſignandum, ut appareat, quomodo potentia divina circa objectum ſuum verſetur. Objectum potentiæ divinæ, quod, cùm reipſa exiſtit, ejuſdem etiam effectum eſt, quàm latè pateat, ſatis ſignificatur, dum dicitur *omnia* Deum poſſe. Quomodo autem ea vox ſit intelligenda, inter omnes rerum Theologicarum peritos ſatis conſtat. Ad omnia enim illa eſt extendenda, quæ ſeipſa non evertunt, ſeu, ut in ſcholis loquuntur, contradictionem non implicant. Quæ enim implicant, ſub nullam cadunt potentiam, ſed ſuâ naturâ ſunt impoſſibilia. Nam contradictionem illa dicuntur implicare, quæ ſi ponantur, neceſſe erit idem ſimul eſſe, & non eſſe. Idem autem ſimul eſſe & non eſſe impoſſibile eſt. Neque verò tùm demum id fieri cenſendum eſt, cùm apertè idem affirmatur, & negatur: ſed etiam tum, cùm id tacitè fit, & ex eo, quod ponitur, id neceſſariò conſequitur. Sic contradictionem involvit, Deum mori poſſe, imò & dormire, edere, bibere. Si enim Deus mori poſſet; Deus, nempe ſummus, & à ſeipſo exiſtens, non foret. Quare ſi quis dicat, Deum mori poſſe; Deum ſimul eſſe & non eſſe tacitè dicit. Idem autem & ille tectiùs aſſerit, qui affirmat, Deum dormire, edere, bibere. Hæc enim non niſi corruptibilium ſunt ac mortalium. Quare talia poſſe facere, non potentiæ ſeu roboris, ſed impotentiæ potiùs alicujus & infirmitatis eſt. Quo loco & illud eſt animadvertendum, quædam contradictionem involvere abſolutè atque in univerſum; quædam reſpectu hujus aut illius ſubjecti tantùm; qualia ſunt ea, quæ paulò antè commemoravimus. Nam edere, bibere, dormire, mori, per ſe contradictionem nullam involvunt, ſed tum v. g. cùm ad Deum referuntur. Sic & Deum mentiri ſine contradictione tacita non poteſt aſſeri, etiamſi idem in aliud ſubjectum, ut in homines, cadat. Imperfectionem enim, imò vitium id arguit, quod in Deum cadere non poteſt. Sed abſolutè ac per ſe contradictionem involvit, Factum fieri infectum, ita nimirum, ut res eo ipſo tempore, quo facta eſt, facta non fuerit. Unde non tantùm Philoſophi veteres id Deo dixerunr eſſe impoſſibile, ſed & Theologi Chriſtiani. Nam inter alios ex Auguſtino * hæc vulgò à Theologis hoc argumentum tractantibus citantur verba, rationem hujus ſententiæ continentia: *Quiſquis ita dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, ut quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt ſe hoc dicere: Si omnipotens eſt, faciat ut ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint.*

Sed erunt nihilominus, qui dicant, injuriam fieri divinæ omnipotentiæ, quæ hoc pacto coarctetur, & velut in anguſtias cogatur. Ea, quæ à nobis allata ſint, non ſacrarum literarum auctoritate niti, ſed humani ingenii inventa eſſe. Neque enim deſunt hodie, qui divina virtute etiam contradictoria ſimul conſiſtere poſſe exiſtiment, idque apertè aſſerere non dubitent. Nempe quia facilè cernunt, dogmata quædam ſua, quæ ſacrarum literarum teſtimoniis niti exiſtimant, contradictionem involvere. Candoris id quidem eſt, quòd contradictionem ibi cernere ſe dicant, ubi acutiores cernere ſe negant: ſed ſuperſtitioſæ nihilominus credulitatis eſt, quòd iis, quæ ſeipſa evertunt, fidem, tamquam ſacrarum literarum auctoritate ſuffultis, habeant. Non cernunt autem illi, dum Dei omnipotentiam tam latè extendunt, id ſe evertere, quo ſe maximè niti putant, ipſa nempe ſacra oracula, & quicquid eſt, quod divinitus factum eſſe unquam novimus. Etenim ſi factum infectum reddere poteſt Deus; efficere poterit, ut, quæ vel ipſe, vel Chriſtus, vel ſervi ejus unquam aut dixerunt, aut fecerunt; nunquam vel ipſe, vel hi dixerint, aut fecerint: & quæ ſcripta in ſacris literis ſunt, nunquam à divinis viris ſcripta fuerint. Itaque nec certò affirmari poterit, Deum creaſſe cœlum & terram, Chriſtum in mundum veniſſe, Euangelium annunciaſſe, miracula edidiſſe, mortuum ac reſuſcitatum fuiſſe, in cœlos aſcendiſſe, atque in ſolio Dei conſediſſe, & quæcunque ſunt alia in ſac. literis ſcripta. Quo, quæſo, pacto tueri poterimus illa nominatim divini ſpiritûs verba, quæ in Epiſt. ad Hebræos extant Heb. 6. 17, 18, 19: *Abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus* (Græcè *in quibus*) *impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*, & quæ ſequuntur. Quænam enim ſunt illæ res immobiles, ſeu immutabiles, hoc eſt, tales, quæ irritæ fieri non ampliùs poſſint? nónne promiſſio Dei, & jusjurandum promiſſioni additum? quanquam nihil nunc refert ſcire, quænam illæ ſint. Nam quæcunque tandem illæ ſint, eadem illarum, quæ promiſſionis & juramenti, ratio erit. Hæ autem res duæ quomodo irritæ fieri non poſſunt, ſi Deus factum infectum poteſt reddere? Poterit enim efficere, quemadmodum paulò antè vidimus, ut quod promiſit, non promiſerit, quod juravit, non juraverit. Quomodo ergo inde colligere poterimus immutabilitatem conſilii ipſius, & ſpem in his rebus firmam collocare? Si dicas, Deum, etiamſi id facere poſſit, facere tamen nolle; unde id tibi conſtat? Ratione omni deſtitueris, ſi contradictoria ſimul à Deo effici poſſe dicas. Ad ſacrarum literarum auctoritatem, quam hac aſſertione ſubvertiſti, confugere ampliùs non potes. Omnium & divinarum & humanarum rerum certitudinem tollis, dum illud ponis. Dubitari enim non immeritò poterit, utrùm nos etiam ſimus ac vivamus, utrùm ea, quæ videmus, videamus, & ſic in cæteris: vel idem ſimul ſine abſurditate & affirmari & negari poterit: ſiquidem fieri divinâ potentiâ poſſit, ut quod eſt, non ſit tamen revera tum, cùm eſt. Nihil tam abſurdum erit, quod hac ratione aſſerere non liceat. Neque verò dum ad ea, quæ ſeipſa evertunt, Dei omnipotentiam non extendimus, eam coarctamus, aut verè limitamus; ſed rectè vim vocis reique naturam explicamus. Neque enim exiſtimandum eſt, vocem *omnis* aut *omnia* ſimpliciter poſitam, hanc omnino vim habere, ut in ſe complectatur, quicquid etiam mente fingi poteſt. Nam in ſac. literis vel ſemper, vel ſaltem plærumque ad materiam ſubjectam reſtringitur: & jurè affirmari poteſt, nuſpiam ita latè extendi, ut quicquid omnino fingi mente poteſt, id ambitu ſuo comprehendat. Quin ne in ſermone quidem vulgari ita eam vocem accipere ſolemus: ſed cùm tam latè eam extendi volumus, aliquid adjicere ſolemus, unde id intelligatur. Quare illud immotum manet, Dei potentiam ad ea tantùm protendi, quæ contradictionem non involvunt. Immenſa autem atque infinita nihilominus rectè dicitur, quia in rerum poſſibilium genere, quarum numerus infinitus eſt, ea nullum habet terminum.

Verùm enim verò, ut nonnulli latiùs, quàm convenit, divinam extendunt potentiam: ita contrà etiam non deſunt, qui coarctent. Utrique in vitio: illi quòd nimium, hi quòd parum ei tribuant. Statuunt enim quidam, Deum plura non poſſe efficere, quàm efficere reipſa velit. Atqui multa ſunt, atque adeò innumera, quæ Deus reipſa efficere non velit; quæ tamen ſi Deum facere non poſſe dixeris, id dixeris, quod abſurdiſſimum, & in Deum ejuſque potentiam valde injurium cenſendum eſt. Tale v. g. eſt, Deum ne pilum quidem loco movere poſſe, quem non moveat. Quia eum moverè nolle, ex ipſo effectu appareat. Et quod Chriſtus Matth. 5. 36, de nobis dicit, imbecillitatem noſtram oſtenſurus, nos ne pilum quidem poſſe album aut nigrum facere; id etiam reſpectu pilorum hujus aut illius hominis dici de Deo poterit: nempe eum albos facere non poſſe, quia nolit: aut nigros, quia itidem nolit. Fruſtra, ſi ita ſe res habet, à nobis deprecamur pœnas ac ſupplicia divina. Nam vel poteſt illa Deus infligere, vel non poteſt. Si non poteſt; quid illa metuimus, quid à nobis averti petimus? Si poteſt, & perpetuò volet: niſi dicere velis, eum hodie quidem poſſe, cras non ampliùs poſſe ea infligere. Quamdiu

* Ex lib. 26. contra Fauſtum cap. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

enim poterit, tamdui etiam volet. Siquidem non poſſit, niſi ſimul etiam velit. Potentia autem Dei immutabilis eſt atque æterna. Rectè adverſus hujus ſententiæ patronos urgeri ſolet illud Chriſti Matt. 26. 53, *An putas quia* (vel *quòd*) *non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones angelorum?* Significat enim omnino, Patrem eas legiones mittere ſibi poſſe. At noluit tamen. Plura ergo Deus poteſt, quàm vult. Sed in re manifeſta non opus eſt pluribus. Ea tantùm amovenda ſunt: quæ ſcrupulum alicui movere poſſent.

Objici enim primùm poteſt, quòd voluntas & potentia in Deo ſint planè idem. Itaque ad quæ voluntas Dei non extendatur, ad ea nec potentiam extendi. Sed ſi concluſio ita accipiatur, ut conſecutionis ratio poſtulat; nihil ea cum ſententia illa, quam hucuſque defendimus, pugnat. Etenim ſi rectè inſtituatur inter voluntatem & potentiam divinam comparatio, nihil hac in parte aliud ex utriuſque identitate colligi poteſt, quàm facultatem unam non latiùs extendi alterâ: ſimiliter nec unius actum actu alterius. Id quod cum ſententia hucuſque defenſa non pugnat. Illud enim tantùm aſſerimus, eam in Deo facultatem, quæ potentia dicitur, latiùs patere, quàm pateat actus voluntatis. Quod & de voluntate aſſerimus. Latiùs enim patet volendi facultas, quàm actus. Quæ enim liberè vult Deus, eorum etiam contraria velle poterat, quæ tamen non vult. Sic cum liberè vellet peccatores ſervare, poterat etiam velle eoſdem perdere. Quòd ſi plura velle poteſt Deus, quàm reipſa vult: cur non & plura poteſt efficere, quàm reipſa vult atque efficit? Taceo, quod potentia & voluntas non ita ſunt in Deo eadem, quin ratione à ſe invicem diſtinguantur. Itaque licet fateamur, Dei potentiam ſeſe reipſa non exſerere, ubi ſe non exſerat voluntas: tamen non eſt neceſſe objectum utriuſque idem prorſus eſſe. Illud certè videmus, voluntatem divinam etiam circa ea verſari, circa quæ non verſatur potentia. Verſatur enim voluntas etiam circa ipſam divinam felicitatem. Hanc enim non poteſt non appetere divina voluntas. At potentia circa illam revera non occupatur, licet ab illa veluti præſupponatur. Deinde videmus, voluntatem operari, non operante & vim ſuam exſerente potentia. Etenim cùm tantùm deſiderat Deus, ut quippiam ab hominibus liberè fiat, aut non fiat; vel cùm factum aliquod probat, aut improbat; vel denique cùm in futurum aliquid decernit, voluntas operatur, at non potentia, quæ tum demum ſeſe exſerit, cùm Deus id, quod apud ſe decrevit, reipſa exſequitur. Quare non ita urgenda eſt attributorum divinorum identitas, quin & objectorum, & actuum diverſitati locus relinquatur.

Deinde & illud objici poteſt, quòd Deus contra voluntatis ſuæ decreta nihil poſſit facere. Voluntatis ergo actus potentiam limitare videtur, ita ut ad ea non extendatur, ad quæ voluntatis actus non extenditur. Sed primùm animadvertendum eſt, non omnia decretis divinis definita eſſe, ita ut libertatem ſtatuendi, quod placuerit, ſibi in poſterum omnem Deus eripuerit. Quare plura adhuc velle, ac porrò etiam facere poteſt Deus, quàm actu vult ac facit, etiamſi contra ſua decreta nihil agat, agerève poſſit. Deinde & illud animadvertendum eſt, impoſſibilitatem, quæ in iſta re cernitur, non opponi revera huic, de qua agimus, Dei potentiæ ſeu robori; ſed primò ac per ſe juri ac poteſtati, quam ἐξουσίαν appellari diximus; potentiæ autem non niſi conſequenter, vel potiùs per accidens tantùm. Nam quod v.g. credentes in Chriſtum perdere ob decretum de illis factum non poteſt Deus, id non ideò fit, quia vires ac robur non habeat eos perdendi. Neque enim quiſquam dubitat, niſi decretum ac promiſſum ejus interveniſſet, eum illos perdere potuiſſe. Decreto autem ac promiſſo in contrarium facto, non factus eſt Deus minùs robuſtus: nihil ei virium proptetea deceſſit: cum hæ ei prorſus ſint naturales, ac porrò immutabiles. Quare etiamnum vires illas habet. Sed cùm antea haberet jus ac poteſtatem liberam illos perdendi; eo ſe jure pro ſua benignitate abdicavit. Itaque uſu poteſtatis ſuæ liberrimo, uſum ejuſdem in poſterum aliquo modo reſtrinxit & limitavit. Hîc ergo primò impoſſibilitas illa reſidet. Hinc etiam in voluntatem manat. Quia Deus contra id, quod penitùs jam decrevit, promiſit, ac ſanxit, velle ac decernere nihil ampliùs poteſt: quia ſic conſtantiam, veritatem, fidem, juſtitiam, ac rectitudinem ſuam convellere tentaret. Non poteſt, inquam, ex hypotheſi, ſeu mavis, per accidens. Nam per ſe ac ſimpliciter etiam voluntas vim haberet, id, quod nunc velle non poteſt, volendi ac ſtatuendi. Hinc porrò eatenus tantùm ad potentiam ſeu robur divinum impoſſibilitas illa dimanat, quatenus non patitur eam ad actum illum progredi, ad quem cæteroqui progredi per naturam ſuam poſſet. Exeri enim potentia reipſa non poteſt, niſi actus voluntatis antecedat. Quòd ſi ille non antecedat, non ſequitur etiam actus potentiæ; licet aliàs tanta ea ſit, ut ad eum actum perficiendum abundè ſufficeret. Et hæc quidem dicitur abſoluta Dei potentia, quæ nihil eſt aliud, quàm potentia ac robur Dei per ſe conſideratum, non habita ratione cæterorum Dei attributorum, à quibus ejus actus aliquo modo pendet, nempe poteſtatis ac voluntatis divinæ. Huic opponi vulgò ſolet potentia, quam ordinariam vocant: quæ tamen non alia eſt à potentia abſoluta, ſed reipſa eadem; verùm aliter conſiderata. Ordinaria enim eatenus eſt, quatenus ad illorum attributorum, à quibus in operando pendet, normam veluti conformata eſt. Quia autem hoc ipſum liberrimæ voluntatis ac poteſtatis eſt, poſſe ſe jure ſuo, ſaltem ex parte abdicare, & vel agere extra ſe velle, vel nolle: inde fit, ut quia potentia divina non niſi ea reipſa exſequitur, quæ jure & poteſt Deus, & reipſa vult; ideo potentia Dei ratione actus ſui aliquo modo etiam reſtringitur ac limitatur, viribus ipſis interim in ſe nihil imminutis, ac prorſus illibatis. Quare ut ad id, cujus cauſſa hęc diſputata ſunt, redeamus; plura Deus facere poteſt, quam reipſa vult ac facit. Etiamſi autem (ut hoc quoque obiter addamus) totam omnipotentiæ rationem non complectatur, qui dicit, Deum id, quod reipſa vult, facere poſſe: tamen cùm populariùs de ea diſſeritur, nil prohibet, eam ita deſcribere, quòd quicquid vult aut velit Deus, facere poſſit. Quo pacto ſuprà vidimus Dei omnipotentiam à Davide Pſal. 115. 3; indicatam eſſe. Sed hujuſmodi loquendi ratione non id tantùm complectendum eſt, quod Deus actu ipſo velit: ſed etiam quicquid unquam fortè voluerit, aut velle poſſit. Id quod omnipotentiæ divinæ rationem, prout cuivis etiam rudiſſimo cognitu neceſſaria eſt, ſatis complectitur, &, ſi quid ea præterea in ſe complectatur, id neceſſariò ſecum trahit; præſertim ſi quis liberrimam Dei voluntatem agnoſcat, quæ ad omnia, à natura ejus non abhorrentia, extendere ſe poſſit.

Accedendum nunc ad illud eſt, quod ſecundo loco propoſuimus. Id autem eſt, ut genus potentiæ divinæ aliquantò propiùs ac diſtinctiùs deſignemus; ut appareat, quomodo ea circa objectum ſuum, de quo adhuc dictum eſt, verſetur. Ex quibus & illud intelligi poterit, quo pacto ſpiritus ſanctus Dei virtus ſit, ut in ſacris literis appellatur. Illud quidem ex dictis unicuique liquet, potentiam hanc divinam, de qua loquimur, ex earum eſſe numero, quas activas in ſcholis appellant. Eſt autem potentia activa duplex: altera, quæ ad unum effectum ita determinata eſt, ut ejus oppoſitum agere nunquam poſſit, &, cùm materiam nacta eſt habilem, in qua vim ſuam exſerat, omniaque impedimenta fuerint amota, non poſſit non agere. Talis eſt potentia ignis, quam habet ad calefaciendum & urendum. Altera eſt, quæ aliquo modo indeterminata eſt, & ad oppoſita indifferens: quia etiam materiâ ad patiendum habili poſitâ, & impedimentis remotis, poſſit non agere, aut etiam contraria agere. Talis eſt potentia hominis, qui pro arbitrio nunc agere, nunc non agere, & idem corpus ſurſum aut deorſum volvere, bene aut malè facere, ſanare aut perdere poteſt. Illam priorem, generali nomine ad ſpeciem traducto, naturalem appellant; hanc ſpecialiori nomine ad

genus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

genus accommodato, Rationalem aut Voluntariam. Nam & hæc naturalis eſt; & aliquantò latiùs, quàm rationale aut voluntarium propriè ſic dictum patet. Siquidem & brutis aliquo modo communis eſt, quæ poſſunt membra ſua, & porrò etiam alia extra ſe poſita, movere aut non movere; & movere quidem motibus contrariis, ſurſum, deorſum; antrorſum, retrorſum. Cum autem eodem tempore ac reſpectu, oppoſita aut contraria facere nequeat; neceſſe eſt, ut aliquid ſit, quod facultatem ad oppoſita indifferentem, ad alterum oppoſitorum determinet, atque ita efficiat, ut facultas agendi ſeſe nunc exſerat, nunc non exſerat; & cùm ſeſe exſerit, hoc aut contrario modo agat. Id autem in homine eſt voluntas, cui & appetitus ſubeſt. Voluntas enim in oppoſita per ſe flexibilis, facultates ſibi ſubjectas regit ac determinat. Ad hoc potentiæ genus etiam divina pertinet. Hæc enim ad omnia, ut vidimus, effecta poſſibilia, quorum multa ſibi invicem opponuntur, extenditur; & ſeſe nunc exſerere poteſt, nunc non exſerere; & nunc hoc, nunc contrario modo agere; imò & eodem tempore contraria, ſed in diverſis ſubjectis efficere. Satis id oſtendit creatio rerum, quarum infinitæ contrariis ſunt inter ſe qualitatibus naturâ præditæ. Oſtendit idem & rerum gubernatio. Deus enim, ut Anna Samuëlis mater canit 1 Sam. 2. 6, 7, *mortificat, & vivificat; deducit ad inferos, & reducit; pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſublevat.* Cum enim potentia ipſius ſit per ſe ad oppoſita indifferens, à liberrima ipſius voluntate determinatur. Itaque à potentia divina nullus manat effectus, quin voluntatis actus antecedat. Unde & voluntati divinæ opera divinâ virtute perfecta tribuuntur. Sic viginti quatuor illi ſeniores in Apocalypſi *Dignus es*, inquiunt Apoc. 4. 11, *Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem* (ſeu *potentiam*:) *quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant* (Græcè *ſunt*,) *& creata ſunt.* Et quia divina voluntas propter immenſum illud robur ſibi adjunctum adeò efficax eſt, ut ſine labore rem perficiat; ideo dicendo ac jubendo res efficere Deus dicitur Gen. 1, *Dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux:* & ſic in cæteris. Unde Pſaltes, Pſal. 33. 9, *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Quibus verbis declarat quodammodo id, quod paulò ante vers 6, dixerat: *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus* (ſeu *exercitus*) *eorum*: hoc eſt, ut viri doctiſſimi explicuerunt*, ſimul ac juſſit, ſimul ac halitum ex ore ſuo emiſit, (per ἀνθρωποπάθειαν enim de Deo Pſaltes loquitur,) cœli, eorumque apparatus, ſeu ſtellæ, inſtar exercitûs extiterunt. Quo pacto ſpiritu oris ſui Chriſtus dicitur interfecturus impium Eſa. XI. 4. 1 Theſſ. 2. 8; hoc eſt, juſſu ſuo efficaci, ſimul ac halitum, ut ita dicamus, ex ore emiſerit. Ipſe enim Deus ait Eſai. 55. 11: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Introducitur nempe Deus inſtar Domini potentis, qui laborem ipſe non ſuſcipit, ſed quæ vult, jubendo perficit, utpote ad cujus nutum omnes, qui ei ſubſunt, ſeſe componunt. Ad Dei autem nutum ac voluntatem omnia prorſus ſeſe veluti componunt: nec tantùm ea, quæ ſunt, ſed & ea, quæ non ſunt, vocanti parent. Cùm enim ea veluti advocat; & comparere jubet, comparent, ſeu exiſtunt. Unde Deus dicitur *vocare ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt* Rom. 4. 17: ſic dicitur *vocare famem*: vid. 4 Reg. 8. 1. Pſ. 105. 16: quia ut fame homines premantur, efficiat. Neque verò ita tantum jubet Deus, ut opera ſua mandet ſervis ſuis perficienda, quemadmodum homines imperant: ſed rebus etiam ipſis, ut vel exiſtant ſimpliciter, vel, ut tales exiſtant, imperat. Id autem imperare, velle eſt, & velle quidem abſolutè. Voluntaria ergo, ut diximus, Dei potentia eſt: interim tamen & cum potentiis naturalibus, ſtrictiùs ita dictis, ſimilitudinem habet. Omnium enim earum vim aliquo modo complectitur. Potentia voluntaria, quæ hominum atque animalium eſt propria, per ſe tantùm cernitur in rebus movendis, ac porrò conjungendis, aut ſeparandis. Unde etiam iſtius facultatis vi aliam formam materiæ imprimere per ſe non poſſunt, quàm ut ſuperficiem ejus variè figurent, corpora denſent ſtipentque, aut laxent, & ſi quæ ſunt his ſimilia, quæ motu quodam locali perficiuntur. Quòd ſi alia velint efficere, ut calefacere, aut frigefacere, illuminare, ſanare, colorem hunc & illum non allinere, ſed in ipſa re efficere, atque ex materiæ potentia, ut loquuntur, elicere; neceſſe eſt, ut alia adhibeant media, quæ vim habeant naturalem illa efficiendi; qualia in ſeipſis pauca atque exigua habent ideo aliunde petere habent neceſſe. Sic igne plurimùm ad res calefaciendas, & alias illis qualitates imprimendas utuntur. Ipſi per ſe nil hîc præſtant aliud, quàm ut res loco moveant, & alia aliis applicent, vel ab aliis ſeparent. At Deus potentiâ in ſe habitante non tantùm res loco movere poteſt, & eas illis qualitates atque affectiones indere, quæ motum localem conſequuntur: ſed & cæteras qualitates per ſe, cùm vult, efficere. Non indiget ille mediis, quibus nos ad quaſdam illarum producendas (omnes enim non poſſumus) uti cogimur: non indiget etiam materiâ ad opera ſua efficienda ita aptâ, uti nos ad opera noſtra indigemus. Ineptiſſimam enim aptam reddere, & ex ea pulcherrima poteſt opera producere. Quò reſpiciens aut alludens Baptiſta, ait Matth. 3. 9, Deum vel ex lapidibus poſſe ſuſcitare filios Abrahæ. Qua quidem in re omnes & naturales facultates, & voluntarias longè, imò infinitùm ſuperat. Porrò autem, ut docent Philoſophi, ea, quæ in alia agunt, illa contingere vel propriè vel impropriè debent: propriè quidem, ſi extrema rei agentis & patientis inter ſe loco jungantur: impropriè, ſi virtus quædam ab agente in patiens emanet, qua interveniente hoc ab illo veluti tangatur. Quem contactum virtualem appellant Scholaſtici. Quo pacto aſtra agunt in hæc inferiora, tum virtute quadam manifeſta, tum occulta, quam influentiam vocant: quæ utut non eſt tanta, quanta à nonnullis aſtrologis creditur, eſt tamen non exigua reſpectu corporum, etiam humanorum, à quibus etiam ad animum nonnihil derivatur. Simile ergo quippiam accidit, dum Deus in res cæteras agit. Eas enim virtute quadam à ſe manante movet, afficit ac tranſmutat. Hæc virtus, præſertim in homines manans, Spiritus Dei appellari in ſacris literis ſolet, vid. Job. 26. 13. Zach. 4. 6. Luc. 1. 17, 35: & XXIV. 49. Act. 10. 38. 1 Cor. 2. 4, 5. Epheſ. 3. 7, 20. conf. etiam Matth. 12. 28, cum Luc. 11. 20. qui pro effectuum ratione diſtinguitur. Et ille quidem, qui bonos, ſeu hominibus ſalutares, utiles ac gratos effectus parit, ſpiritus Dei bonus appellatur, & interdum Spiritus Dei ſimpliciter vocatur Pſal. 143. 10; cui opponitur in iiſdem ſacris literis ſpiritus Dei malus, hoc eſt, talis, qui homines ita commeritos affligat, ac cruciet: quali ſpiritu Saulum olim, ablato bono Dei ſpiritu, vexatum atque agitatum fuiſſe legimus 1 Sam. 16. 14, 15, 16, 23: XVIII. 10: XIX. 9. Ille autem, qui bonus Dei ſpiritus dicitur, pro effectuum ratione, varia iterum nomina ſeu epitheta ſortitur. Hinc ſpiritus dicitur ſapientiæ, intelligentiæ, conſilii, timoris Domini Eſa. 11. 2, virtutis ſeu roboris, charitatis, ſobrietatis aut prudentiæ 2 Tim. 1. 7. vid. etiam Exod. 28. 3. Zach. 12. 10. & ſi quæ ſunt his ſimilia. Quòd ſi effectus ejus talis ſit, ut eo homines Deo peculiari quadam ratione conſecrentur, & a reliquo hominum vulgo ſegregati, Deo quodammodo jungantur; ſpiritus ille, qui eum effectum parit, ſanctus appellatur. Effectus autem parit ſpiritus divinus, quoſcunque in homine Deus vult efficere. Reſpondet enim fonti ſuo, hoc eſt, ipſi potentiæ in Deo reſidenti, quæ cum ad quoſvis effectus per ſe indeterminata ſit, à voluntate divina ad certos effectus determinatur. Eſt igitur ſpiritus ille qualitas quædam inter potentiam illam, & effectus manifeſtiores, qui vel internis, vel etiam externis hominum ſenſibus percipiuntur, intermedia. Et quia eo primò Deus, &, qui eum à Deo accepit, Chriſtus Actor. 2. 33, deinde homines eo afflati atque repleti operantur; ideò cùm per proſopopœiam, quę quidem ex metonymia oriatur, inſtar perſonæ cujuſdam

* Fr. Vatablus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

agentis introducitur, nunc Dei ipſius aut Chriſti, Luc. 12. 12: Joh. 4. 26: Act. 2. 4: 1 Cor. 12. 11, conf. cum ℣. 6, à quo promanat, nunc hominum, in quos manat, & quibus communicatur, actiones ei tribuuntur, Act. 6. 10: Rom. 8. 26, 27: 1 Cor. 2. 10: XIV. 14, eæ nimirum, quæ illius vi interveniente perficiuntur. Sed de his nunc non eſt fuſiùs agendi locus. Attingere ea tantùm hîc voluimus, partim ut intelligeretur diſtinctio inter illam Dei virtutem atque efficaciam, cui ſpiritus ſancti nomen peculiariter tribuitur, & inter eam, de qua hoc loco propriè agimus, Dei potentiam; partim etiam ut intelligeretur modus, ſaltem præcipuus, quo Dei ſe potentia in res alias exſerit.

Reliquum eſt ut hujus doctrinæ uſum paucis explicemus. Nam ut multa hac de re dicamus, neceſſe non eſt. Quis enim non videt, quàm neceſſarium ſit, ſummam atque infinitam Dei potentiam noſſe? Nam præcipua Dei opera, quæ nobis in ſacris literis proponuntur credenda, ſive præterita, ſive adhuc futura, niſi illâ ſimul agnitâ credere non poſſumus. Quis creationem rerum omnium, quis earundem conſervationem ac providentiam, quâ ſingulis proſpicitur, quis miracula omnem naturæ vim excedentia credet, niſi ſummam illam, & omnes naturæ limites egredientem Dei potentiam ſimul agnoſcat? Quis Chriſti reſurrectioni atque exaltationi fidem adhibebit, niſi inſuperabile illud Dei robur, quo illam perfectam fuiſſe neceſſe eſt, vel aliunde jam cognoverit, vel unà cum illa ſtatim admittat? Eph. 1. 17, 20. Quis porrò etiam credet, nos aliquando à Deo per Chriſtum è mortuis ſuſcitandos eſſe, & omnes, qui unquam vixerunt, pios immortalitate donandos, niſi infinitam Dei potentiam agnoſcat? Ideo ſanè Sadducæi mortuorum reſurrectionem olim negarunt, quia & ſcripturam, & virtutem ſeu potentiam Dei ignorarunt, ut Chriſtus illis objicit Matth. 22. 29. Atqui illa, quæ recenſuimus, adeo neceſſaria ſunt creditu, ut ſi aliquid eorum in dubium vocetur, vel omnis penitus religio, vel ſaltem Chriſtiana, quæ ſola ſalutem ſempiternam hominibus affert, & ſola hodiè ex Dei conſilio vigere debet, ſit corruitura. Adde, quòd nemo ſe Dei præſidio ab hoſtium ſuorum, præſertim ſpiritualium violentia ſatis tutum, & adverſus pericula undique circumſtantia ſatis munitum credere poteſt, niſi qui Deum potentiorem omnibus firmiter credit, & porrò neminem ex illius ſe manibus extorquere poſſe novit, vid. Joh. 10. 29. Qui potentiam Dei omnia vincentem novit, is demum audacter dicere poteſt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31: *Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos*. Pſal. 10. 8, 6, 7: Hebr. 13. 6. Quemadmodum autem ſpem ac fiduciam noſtram, quam in Deo collocamus, fulcit conſideratio potentiæ ipſius: ità & reverentiam tanti numinis in animis noſtris excitat, & ut eum timeamus, atque offendere non audeamus, efficit. Quod de Chriſto ait Paulus 1 Cor. 10. 22, *An æmulamur* (vel potiùs *ad iram provocamus*) *Dominum? Numquid fortiores illo ſumus?* id ipſum ad Deum ſummum rectiſſimè refertur. Cogitandum nobis profectò eſt, *eum eſſe timendum, qui & animam & corpus poteſt perdere in Gehenna* Matth. 10. 28: Luc. 12. 4, 5, quemadmodum Chriſtus monet; & poteſt quidem, ſive vires, ſive jus ſpectes. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. Heb. 10. 31. Siquidem & graviſſima ſupplicia infligere poteſt, & nemo eſt, qui ex ejus manibus, ut ſacræ literæ non ſemel monent Deut. 32. 39: Job. 10. 7: Eſa. 43. 13: Oſe. 2. 10, eripere quenquam poſſit. Unde David, vel ipſe potiùs Deus, cum pœnas impiis denunciaſſet: *Intelligite*, inquit Pſal 50. 22, *hæc, qui obliviſcimini Deum; ne quando rapiat* (Hebraicè *rapiam*,) *& non ſit, qui eripiat*. Itaque ob potentiam ſuam inprimis, cui & puniendi voluntatem adde, Deus in ſacris literis terribilis ac tremendus perhibetur, Exod. 15. 11: Deut. 7. 21: X. 7: Neh. 1. 5: IX. 32: Pſal. 47. 3: LXXVI. 8. Satis ergo patet, quantus ſit hujus de divina potentia doctrinæ uſus.

Interim tamen etiam cavendum eſt, ne omnipotentiâ divinâ ad quævis abſurda dogmata adſtruenda abutaris, & illis, qui ea contradictionem implicare docent, ac proinde, ne ſub Dei quidem potentiam cadere demonſtrant, objicias, quòd Dei omnipotentiam negent, ut hodie à multis fit. Cùm enim v. g. impoſſibile eſſe oſtenditur, ut hoſtiæ, quas vocant, conſecratæ, corpus Chriſti ſint: omnipotentia Dei obtenditur, & qui rem impoſſibilem eſſe ajunt, iis objici vulgò ſolet, quòd omnipotentiam Dei negent. Atqui illud dogma contradictionem involvit multiplicem. Unum enim numero corpus, multa numero foret, hoſtiæ enim multæ ſunt. Idem ſimul viſibile & inviſibile foret eidem homini: ei proximum, & ab eo remotiſſimum: intra eum, cùm ab eo comeditur, & extra eum in cælo, & infinitis aliis locis: majus ſimul hominis ore, quo capitur, & minus: quantum, & ſine quantitate: ſub ſpecie, & ſine ea: ſupra & infra ſeipſum: quia ſimul ſuprà in cælo, & infrà in terra totum: ante ſe & retrò: ad dextram & ſiniſtram, prout loci ſunt, in quibus & hoſtiæ exiſtunt. Hæc verò oppoſita ſunt, quæ de eodem ſimul eodem reſpectu dici ſine contradictione non poſſunt. Eædem autem ex parte, & aliæ quædam contradictiones in illorum continentur ſententia, qui idem Chriſti corpus vel ubique eſſe dicunt, vel ſaltem in Euchariſtia ore comedi affirmant, qui itidem Dei omnipotentiam urgere ſolent. At nos oſtendimus, Dei omnipotentiam ad ea, quæ naturâ ſuâ ſunt impoſſibilia, hoc eſt, quæ contradictionem involvunt, non extendi. Itaque aliud eſt, Dei omnipotentiam negare; aliud, rem quampiam impoſſibilem dicere, & ſic negare, eam ſub Dei omnipotentiam cadere. Quin etiamſi quis tandem per errorem arbitraretur, rem aliquam naturâ impoſſibilem eſſe, ac porrò ſub potentiam Dei non cadere, quæ revera poſſibilis eſſet: tamen ſi idem omnia naturâ ſuâ poſſibilia, Deo poſſibilia eſſe conſtanter affirmaret, & præterea nihil eorum, quæ in ſacris literis Deo clarè tribuuntur, negaret; non dicendus eſſet Dei omnipotentiam negare, ſed illius rei, quam impoſſibilem eſſe diceret, rationem non ſatis noſſe.

CAP. XXIII.

De Poteſtate Dei.

SEquitur, ut de Poteſtate Dei agamus, quam Græcis ἐξουσίαν dici, & in jure conſiſtere, ſuperiùs monuimus. Hæc enim facultas alterum eſt actionum Dei tranſeuntium principium, & priori, hoc eſt, potentiæ ſeu efficaciæ, quam voluntariam eſſe, & arbitrio divino gubernari diximus, quodam neceſſitatis vinculo annexum. Etenim nullum eſt agens voluntarium, ſeu arbitrio præditum, quod non & poteſtatem, ſeu jus aliquod habeat agendi, vel contrà etiam non agendi. Nam & hæc facultas oppoſitotum eſt, in eaque libertas maximè cernitur. Hinc Deo & ἐξουσία ſeu poteſtas in ſac. literis expreſſe non ſemel tribuitur Luc. 12. 5. Acto. 1. 7. Judæ ℣. 25, & ſpecialia poteſtatis nomina, qualia ſunt Regis aut Domini, de eo uſurpantur Pſal. 24. 7, & ſeqq. XXIX. 10: XLVII. 3, 7, 8: XLVIII. 3: LXXXXV. 3: Matth. 5. 35: 1 Tim. 1. 17: & c. 6. 15; & poſterius quidem frequentiſſimè, quemadmodum omnes nôrunt, & ex iis, quæ ſuprà de nominibus Hebraicis Adon & Adonai, & Græcis κυρίου & δεσπότου diſſeruimus, perſpici poteſt. Quin & ipſum *Dei* nomen, aut poteſtatis, aut potentiæ illius, cui poteſtas neceſſariò adhæret, nomen eſſe docuimus ſup. cap. 8. & ſeqq.. Et cùm Deum exiſtere demonſtravimus, eum exiſtere oſtendimus, qui ſupremam in omnia poteſtatem habeat.

Verùm ut hujus attributi ratio meliùs intelligatur, primùm de poteſtatis divinæ natura in genere nonnihil dicendum eſt; deinde ſpeciatim de poteſtatis illius quaſi partibus aut gradibus agendum.

Quod ergo ad prius attinet; jam antè dictum eſt, Poteſtatis nomine jus intelligi, non illud quidem ſolum, quod ad alterum refertur, & ad juſtitiam ſpecialiter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cialiter ſic dictam propriè pertinet : ſed id,quod ad honeſtatem univerſam ſpectat. Ejus autem duplex iterum eſt ſignificatio : altera laxior,ſtrictior altera. Laxior eſt, cùm ſignificat facultatem ſine pravitate aliquid agendi aut habendi, aut contrà etiam non agendi. Facultatem hanc aliqui moralem vocant, ut illam, quæ in efficacia conſiſtit, naturalem. Moralis enim ideo eſt, quia ad morum atque actionum honeſtatem ac rectitudinem pertinet. Sine ea enim prava eſt actio; cùm adeſt, recta, ſeu minimè prava atque inhoneſta. Poſſes hoc jus appellare licentiam, niſi hæc vox in vitio poni ſoleret. Nam jus iſtud ad omnia ſpectat, quæ licita ſunt. Strictior autem juris ſignificatio eſt, cùm denotat obligationem ad aliquid agendum, vel contrà omittendum. Diverſitas hæc ſignificationis etiam in voce concreta *juſti* cernitur. Aliud enim juſtum dicitur, quia id facere licet : aliud, quia id fieri debet, aut contrà debet omitti. Prius illud propemodum negante magis ſenſu juſtum dicitur, ut viri quidam docti hac de re loquuntur, quàm ajente ſeu affirmante. Juſtum enim ideo vocatur, quia injuſtum ſeu illicitum non eſt. At poſterius ajente potiùs ſenſu ita appellatur. Juſtum enim dicitur, quia jus fas illud poſtulat & requirit. Priori modo juſtum eſt debitum exigere; cùm interea liceat etiam non exigere. Poſteriori modo juſtum eſt debitum reddere, atque in univerſum à maleficiis abſtinere, & id, quod facere omnino decet, facere. Ex his duabus juris ſignificationibus prior hujus loci propria eſt : poſterior ad Sanctitatem ac juſticiam Dei pertinet. Poteſtas enim non in eo revera cernitur,quod omnino fieri debet, præſertim quà tale eſt : ſed in eo, quod liceat. Sanctitas autem ac juſtitia in eo, quod fieri debet. Poteſtas eatenus tantùm ad hoc etiam extenditur, quatenus id ſimul facere licet. Nihil enim fieri debet, quod non ſimul etiam facere liceat. Sed magis tamen poteſtas in eo cernitur, quod ita juſtum eſt, ut nec contrarium ejus ſit injuſtum ſive illicitum, quale illud tantùm eſt, quod priori modo juſtum dicitur. Quare hæc juris ac juſti ſignificatio hîc revera attendenda eſt. Interim tamen propter hanc & altera, quæ ſtrictior eſt, hoc loco attingenda eſt. Nam primùm ex eo, quod ita juſtum eſt, ut fieri omnino debeat, æſtimare poſſumus, quænam ita ſint juſta, ut ea facere liceat. Quæcunque enim cum illo non pugnant, ea facere licet. Deinde & illud inde cognoſcere licet, quàm late pateat illud jus, quod liberum eſt, & in quo poteſtas illa Dei, qua de agimus, propriè conſiſtit. Id enim ad ea omnia extenditur, quæ cum juſto ſtrictiùs ſumto ita conſentiunt, ut nec eorum contraria ſive oppoſita ab illo abhorreant. Nam quæ ita ſunt comparata, ea vel facere, vel omittere licet. Atque in hoc genere libera poteſtas cernitur. Eſt autem juſtum illud ſtrictiùs ſumtum, quicquid dignitas atque excellentia naturæ intelligentis, ſive ſimpliciter, ſive ob circumſtantiam aliquam poſtulat. In eo enim ſervando omnis rectitudo atque honeſtas; in negligendo omnis vera pravitas ac turpitudo conſiſtit. Quicquid ergo tale eſt, ut ſalva naturæ intelligentis dignitate & fieri & omitti poſſit, id liberæ poteſtati ſubjectum eſt. Et in hoc rerum genere Dei poteſtas infinita eſt, nulloſque admittit limites, niſi quatenus ipſemet pro arbitrio liberaque voluntate juri ſuo aliqua in parte renunciat, & de eo cedit : ut cùm peccata remittit. Eo enim tempore uſu poteſtatis ſuæ ex una parte, uſum ejus in alteram partem tollit aut reſtringit. Sed de proprietatibus divinæ poteſtatis paulò pòſt dicetur explicatiùs. Illud autem hoc loco non repetimus,quòd ſuperiori jam capite monuimus, poteſtatem Dei per ſe referri ad actiones Dei tranſeuntes, ſeu facta externa, & eorum objecta : ad decreta autem, quæ actiones immanentes ſunt, ſive internæ, propter facta. Ad ea enim primò ac per ſe refertur poteſtas, ad quæ & potentia, cui innititur. Hæc autem ad actiones tranſeuntes, & earum objecta revera pertinet.

Affectiones ſeu proprietates poteſtatis divinæ aliqua ex parte poſſunt ex iis intelligi, quæ de ea hucuſque diximus. Etſi autem plures conſtitui poſſunt; eas tamen ad duas licet revocare : altera eſt, quòd ſit independens; altera, quòd infinita. Independens autem eſt duplici ratione, nempe ſi vel originem ejus ſpectes, vel uſum. Nam nec aliunde eſt accepta, non magis quàm potentia, cui neceſſitatis vinculo adhæret; nec ſuperioris alicujus ſubjecta eſt arbitrio, à quo ejus uſus aliqua ratione pendeat aut gubernetur, id quod Græcis eſt ἀνυπεύθυνον. Ipſa enim ſuprema eſt, ut ex iis, quæ de Dei exiſtentia ſuprà diximus, patet. Unde Deus *altiſſimus* non ſemel in ſacris literis appellatur, Gen. 14. 18: XXXII. 8. Pſal. 7. 18: IX. 3, & alibi ſæpe. Quanquam enim id Hebraicè ſimpliciter *Excelſum* ſonat : cum Hebræi ſuperlativis, uti & comparativis gradibus careant : facilè tamen intelligitur, eo nomine eminentiam Deo tribui, quæ illi ſit plane propria. Ideo interpretes Græci, ſenſum ſecuti, rectè ὕψιστον hoc eſt, *altiſſimum* reddiderunt : & Lucas cap. I. 32, 35, 76: VI. 35: VIII. 28, Hebraici illius, ut apparet, nominis vim exprimere volens, itidem Deum ὕψιστον ſeu altiſſimum vocat. Sed de hac poteſtatis divinæ ſublimitate inferiùs plura dicentur. Infinita autem eſt eadem poteſtas, tum ratione objecti, circa quod verſatur, tum ratione durationis. Illa, quæ in objecto per ſe ſpectatur, amplitudo appellari ſolet, & à nonnullis ſimpliciter infinitatis nomine intelligitur; quæ in modo, plenitudo aut perfectio; quæ in duratione, æternitas eſt, ſub qua & neceſſitas comprehendenda eſt, quæ æternitatis verum eſt fundamentum. Sed æternitas, & neceſſitas, quæ illius cauſſa eſt, in diverſis poteſtatis gradibus aliquo modo variat, ut in ſequentibus intelligetur, ubi videbimus, quomodo hæ poteſtatis divinæ proprietates gradibus illius accommodentur.

Ut igitur ad poſterius veniamus eorum, quæ de poteſtate divina ſuprà propoſuimus; tribus veluti gradibus poteſtas divina ita attollitur, ut poſterior priori tanquam cauſſæ cuidam innitatur. Primùm enim jus fuit Deo creandi ac pro arbitrio formandi res quasvis; eſtque etiamnum jus res alias, ſi ita lubeat, producendi ac fingendi. Hinc oritur alter poteſtatis gradus; jus nimirum res omnes tanquam proprias habendi ac poſſidendi. Quod quidem eſt dominium ipſius in res omnes abſolutum. Nam ut ſup. cap. 3, jam diximus, opus quodvis, quà tale eſt, naturâ ſuâ opificis eſt, &, ſi ex ſua, non aliena materia id formârit, totum eſt ipſius. Deus autem ex aliena materia nihil formavit. Tertius poteſtatis divinæ gradus eſt, jus rebus omnibus pro arbitrio utendi. Qui enim abſulutus eſt rei dominus, illi pro arbitrio eâ uti ſemper licet. Ex his autem tribus poteſtatis gradibus, primus ſimpliciter eſt ac fuit neceſſarius; duo poſteriores ex hypotheſi. Ut enim reipſa dominium haberet Deus in res creatas, iiſque pro arbitrio uti poſſet, eas creari ſanè oportuit. Itaque actum quendam liberæ voluntatis, ut duo illi gradus reipſa exiſterent, intervenire oportuit, nimirum ut producere res vellet Deus, ac porrò reipſa produceret. Hoc poſito, duo illi poſteriores poteſtatis gradus neceſſariò conſequuntur. Interim in primo gradu, non quidem actu, ſed poteſtate quodammodo continentur,tanquam ejus quædam propagines. Unde & illud obiter notari poteſt, cùm Ens ſupremum ob poteſtatem & imperium Deum appellari contendimus, non ita hoc intelligendum eſſe, quaſi ob imperium tantùm, quod in res omnes actu ipſo habeat, Deus vocetur, eoque ſublato Deus ampliùs dici non mereatur. Nam nihilominus partim propter infinitam potentiam vireſque inſuperabiles, quæ illi planè ſunt naturales, Deus ſummo jure dici meretur, ut ex iis inprimis apparet, quæ de nomine *El* diximus cap 8; partim propter illam poteſtatem, quæ potentiæ iſti neceſſariò adhæret, & in qua imperandi jus ita continetur, ut ſi modò res ulla extra Deum exiſtat, in eam Deus non poſſit non ſummum imperium habere. Ob id igitur, quòd Deus actu ipſo imperium, & quidem ſupremum habeat, jure quidem Dei nomen κατ᾽ ἐξοχὴν ſortitur : præſertim cùm cæteræ, quas diximus, cauſſæ ab imperio illo ſejungi nequeant, imò illius ſint fundamenta :

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

damenta: ſed non protinus, ſi id actu ipſo non habeat, creaturis nimirum non extantibus, Deus appellari non merebitur.

Illud autem tum in iis, quæ paulò antè diximus, tum in ſequentibus memoriâ tenendum eſt, cùm aſſerimus, Deum pro arbitrio res & creare, & creatis uti poſſe, ejuſque dominium eſſe abſolutum; arbitrium ac dominium illud latiùs extendi non debere, quàm juſtitia, &, quæ ei veluti prælucet, ſapientia permittit. Docuimus enim antea, poteſtatem naturâ ſuâ intra ea conſiſtere, quæ licita ſint, ſeu minimè prava & ſanctitati atque juſtitiæ adverſa. Siquidem poteſtas jus eſt. Jus autem cum juſtitia pugnare non poteſt. Et etiamſi tandem in creaturis à ſapientiæ lege aliqua ratione diſcedere poſſe videatur, in Deo tamen non poteſt. Nunquam ergo Deus ita pro arbitrio poteſt creare quippiam, vel ad eum modum re creata uti, ut id à ſapientiæ aut juſtitiæ lege diſcrepet ac diſſentiat. Unde porrò intelligitur, fieri non poſſe, quin ea, quæ creat Deus, ita formet, ut ad finem bonum ac naturâ ſuâ honeſtum ſint idonea. Id enim partim ſapientiæ, partim juſtitiæ ſeu ſanctitatis lex requirit. Fieri etiam non poteſt, quin res ita formet, ut & ipſis, ſi ſenſu aliquo ſint præditæ, & maximè ſi intellectu, melius ſit exiſtere, quàm non exiſtere, vel ſaltem non deterius; ratione nimirum habita divini conſilii, & eorum, quæ ab eo ſunt profecta, non verò eventûs, ex ipſarum præſertim creaturarum arbitrio pendentis. Nam quod ad hunc attinet, aliter ſæpe res poteſt cadere, ita ut ſatius fuerit, hominem v. g. aliquem non fuiſſe natum, quemadmodum de Juda Chriſtus ait Matth. 26. 24. Sed id ſibi ſuæque improbitati acceptum referre debebat, non creationi, aut conſilio divino, quod de eo ſine conditione, in arbitrio ipſius ſita, factum eſſet. Qua de re alibi agetur in hoc opere*. Quapropter poteſtas divina non eò uſque eſt extendenda, ut ſtatuatur, eum poſſe quippiam ad æternos cruciatus, ſine ulla conditione, quæ in ipſius creaturæ arbitrio poſita ſit, producere. Id enim ab omni rectitudine atque æquitate, ne de benignitate nunc quicquam dicam, tam abhorret, quàm quod maximè. Sed hac de re dicetur infrà, ubi de Sanctitate ac juſtitia Dei agemus.

Poſtquam ergo gradus divinæ poteſtatis conſtituimus; ſequitur, ut ſi quid adhuc in ſingulis conſiderandum reſtat, videamus. Et de primo quidem gradu, hoc eſt, de jure creandi, ac res pro arbitrio formandi, nihil eſt neceſſe ampliùs dicere. Quod ad alterum attinet, quem in abſoluto dominio conſiſtere diximus; in eo utile erit ſpectare proprietates poteſtatis antea enumeratas. Prima autem fuit, quòd ſit independens; idque duplici ratione: tum quòd à nullo ſit accepta; tum quòd ſuprema, hoc eſt, ejuſmodi, ut in ejus quoque uſu à ſuperioris arbitrio non pendeat Deus, nec quicquam illi vel præcipi, vel interdici queat. Dominium à nemine accepit Deus, quia ſua ipſius virtute, non aliunde accepta, ſuo planè arbitrio, res omnes produxit, ab alio nec adjutus, nec juſſus. A ſeipſo ergo habet, quòd illarum ſit dominus, & ſi ullum dominium naturale dici meretur, Dei in res omnes dominium ſummo jure ita meretur appellari. Supremum etiam eſt Dei dominium, & ſupremum quidem abſolutè. Cum enim dominium ſuum à nullo acceperit, ſed contrà omnes, qui dominium aliquod habent, ab ipſo; neceſſariò ſupremus eſt omnium dominus. Unde & Dominus dominorum eſt appellatus. Deut. 10. 17: 1 Tim. 6. 15. Fieríne enim poteſt, ut is, cujus potentia, ſapientia, ac poteſtas à nullo pependit alio, ei, qui ab ipſo totus pendeat, ſe ſubjecerit? ut is, cujus potentia ac ſapientia immenſa æternaque eſt, & omnis, quæ uſpiam eſt, potentiæ ac ſapientiæ fons, ei ſe regendum permiſerit, qui non niſi ab ipſo acceptis viribus ac ſapientiâ imperet? Hoc verò eſſet rerum naturam non modò pervertere, ſed & evertere. Itaque divina natura omni ſubjectioni repugnat. Quam ob cauſſam Paulus, cùm dixiſſet 1 Cor. 15. 26, Deum *omnia ſubjeciſſe ſub pedibus* (vel *pedes*) Chriſti, prout David Pſal. 8. 8, aliquando prædixerat; ſtatim ſubjungit: *Cùm autem dicat: Omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio* (Gr. *manifeſtum* [*eſt*] *quòd*) *præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Licet D. Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 2. 8, eadem Davidis verba citans dicat: *In eo quòd omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit* (vel *omiſit*) *non ſubjectum ei*, hoc eſt, nihil prætermiſit, quod ei non ſubjiceret. Intelligit enim omnia, quorum naturæ non repugnat alteri ſubjici. Talia autem ſunt omnia præter eum, qui Chriſto omnia ſubjecit.

Altera divinæ poteſtatis proprietas conſtituta fuit Infinitas, ad quam & amplitudinem ratione objecti, & plenitudinem ſeu perfectionem ratione modi, & æternitatem, quæ ad durationem ſpectat, retulimus. Amplitudinem dominii divini jam antè ſatis oſtendimus. Docuimus enim nihil eſſe, quod ſub illud non cadat: ſiquidem omnia Deus creavit. Hanc ſacræ literæ non ſemel commemorant; quamquam nunc apertiùs, nunc minùs apertè. Illuſtria inter alia ſunt Moſis verba, quibus Iſraëlitas ita alloquitur Deut. 10. 14: *Domini Dei tui cælum eſt, & cœlum cœli, terra, & omnia quæ in ea ſunt.* Ubi cùm cœlum cœli, hoc eſt, cœlum ſupremum, commemorat, intelligenda videntur & ea, quæ in illis continentur, nempe exercitus illi angelici, quorum dominus toties appellatur Deus: perinde ut poſtea de terra loquens ait, *& omnia quæ in ea ſunt.* De cœleſtibus autem id expreſſe non dixit, vel quia id ex eo, quod de terra dicturus eſſet, intelligi atque æſtimari aliqua ratione poſſet, vel quia ad inſtitutum ejus minùs pertineret. Ad eos enim, qui & in terris viverent, & terrenis Dei beneficiis fruerentur, eaque ab ipſo expectarent, ſermonem habebat. Sic & alibi ſacræ literæ; cùm Deum appellant cœli & terræ dominum Matth. 11. 25: Act. 17. 24, aut etiam Deum Gen. 14. 22, omnia illa comprehenſa volunt, quæ vel in cœlo, vel in terra extant, ut per ſe haud difficulter cernere quivis poteſt. Inſignia etiam de amplitudine divini dominii illa ſunt Davidis verba, quibus Deum alloquitur, in dedicatione rerum, quas tum ipſe, tum populus, ac populi primores, ad templum aliquando conſtruendum contulerant: *Cuncta*, inquit 1 Paral. 29. 11, 12, *quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt: tuum, Domine, regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ divitiæ, & tua eſt gloria: tu dominaris omnium* (ſeu *omnibus*) *in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo & imperium.* Et poſt pauca ℣. 14: *Tua ſunt omnia*: quod & ſecundò repetit, ℣. 16. Alibi autem idem Pſaltes Pſal. 89. 12: *Tui*, inquit, *ſunt cœli & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundaſti: aquilonem & mare tu creaſti.* Quibus verbis & fundamentum hujus dominii exprimit. Mitto alia apud eundem, quibus aut cœlos cœlorum Pſal. 115. 16, aut terram ac plenitudinem ejus Pſal. 24. 1, aut etiam mare Pſal. 95. 5, aliaque his ſimilia Dei eſſe dicuntur.

Non eſt autem exiſtimandum, amplitudinem divini dominii aut ceſſaſſe, aut imminutam fuiſſe, poſtquam Deus omnia Chriſto ſubjecit, & omnem illi in cœlo ac terra poteſtatem tradidit. Neque enim, quæ Chriſto ſubjecit Deus, à ſe alienavit, & jure, quod in illa habuit, ſeſe revera abdicavit. Nam & proprietas, quam vocant, rerum, ipſius nihilominus eſt, & uſus. Uſum enim rerum omnium ita Chriſto conceſſit, ut eum per Chriſtum ipſemet pleniſſimè ſemper percipiat. Chriſtus ſanè olim, quæ ex Patris dono ac conceſſione habebat, ea nihilominus Patris eſſe dixit. Ita enim Patrem pro diſcipulis orans, inter cætera inquit Joh. 17. 9, 10: *Pro his (oro,) quos dediſti mihi: quia tui ſunt: & omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt.* Et quid mirum, omnia illa, quæ Chriſtus habet, Dei eſſe, cùm & ipſe Chriſtus ſit Dei? *Omnia*, inquit Paulus ad Corinthios 1 Cor. 3. 22, 23, *veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Deo enim in rerum omnium dominio eſt ſubordinatus: quemadmodum infrà meliùs intelligetur, cùm de imperandi jure agemus. Quòd ſi autem ne Chriſti quidem dominium divini dominii amplitudini quicquam derogat; quid de aliis

dominiis

* Apud Volk. lib. 5. cap. 17.

dominiis multò minoribus ac longè imperfectioribus ſtatuendum erit? Chriſti enim dominium ad res præter Deum omnes extenditur, & abſolutum non immeritò eſſe dicitur, æternumque eſt, prout regnum ac poteſtas ejus dicitur. Dan. 7. 14. Luc. 1. 32, 33. Cætera autem & terminis longè anguſtioribus continentur, & minùs ſunt perfecta, minuſque durabilia. Præſertim cum plæraque non immutabili Dei decreto aut promiſſo nitantur, ut regnum Chriſti, ſed precario tantùm jure teneantur. Itaque humana dominia ita ſunt comparata, ut quæ poſſidemus, non minùs ſint Dei, quàm peculium ſervi in heri eſt poteſtate; imò magis. Diſpenſatores enim ad breve tempus conſtituti ſumus quorundam heri noſtri bonorum, ſed ita, ut eorum fructum, quoad neceſſe eſt, percipere nobis liceat. Unde Chriſtus Luc. 16. 1, 12, bona noſtra terrena, aliena appellat, & nos, dum de illis largimur egenis, diſpenſatori comparat, de alieno, hoc eſt, de domini ſui bonis liberali. Ex quibus (ut hoc obiter addamus) apparet, cùm Iſraëlitæ olim res Ægyptiorum, Deo jubente, abſtulerunt, Exod. 2. 21, 22: XI. 2, 3: XII. 35, 36: eos furtum non commiſiſſe: quia domino earum rerum naturali atque abſoluto, non modò non invito, ſed etiam jubente, id fecerunt. Quemadmodum furtum non committit, qui, jubente hero, etiam invito diſpenſatore, rem heri ſibi vindicat.

Non derogat autem & illud quicquam dominii divini amplitudini, quòd Deus populum ſuum nonnunquam vendidiſſe, Deut. 32. 30. Judic. 2. 14: III. 5: IV. 2. aut contra redemiſſe dicitur, Exod. 6. 6: XV. 13: Deut. 7. 8: IX. 26: XIII. 5: XXI. 8. 2 Reg. 7. 23. Pſal. 77. 16: LXXVIII. 42: CVI. 10, & alibi. vel ei nos emti eſſe perhibemur, Apoc. 5. 9: XIV. 4. conf. 1 Cor. 6. 20. quæ voces proprie ſignificant, aut quippiam alienatum, aut alieni quippiam comparatum & acquiſitum eſſe. Nimis enim evidens eſt, in vocibus illis ad Deum relatis eſſe metaphoram, quamquam non ubique ab omnibus ſatis agnitam. Vendidiſſe enim populum ſuum dicitur Deus, quia eum hoſtium ſuorum poteſtati permiſerit, & quaſi ad ſe non pertinentem neglexerit ac deſeruerit: licet interim jus ei dominii ſalvum maneret. Cum ipſi quoque hoſtes, quorum poteſtati eum permiſiſſet, quanti quanti eſſent, Dei, ſi jus ſpectes, eſſent. Cùm autem nos Deo emti eſſe dicimur, nequaquam ſignificatur, nos antea jure ipſo Dei non fuiſſe; ſed uſum ſervorum ei non præſtitiſſe. Itaque non jus demum Dominii eo pacto in nos acquiſivit Deus; ſed uſum noſtri eum, quem jure ſuo à nobis poſtulare poterat. Naturæ enim jure ipſius eramus mancipia, ſed ab eo, ut Paulus ait Col. 1. 21, fueramus *alienati & inimici ſenſu* (ſeu *mente*) *in operibus malis*. Ut ergo ipſi nos totos manciparemus, & tum ſpiritu, tum corpore ipſum glorificaremus, & honori ejus ſerviremus, filio ſuo pro nobis impenſo effecit. Atque hæc illa emtio eſt. Quanquam ergo & hoc emtionis, ut ita dicam, jure Dei ſimus mancipia: non tamen interim jus creationis deſierat, ſed illius acceſſione vis hujus quodammodo aucta fuit. Sed de amplitudine Dominii divini ſatis.

De plenitudine autem ejus nihil eſt neceſſe multa dicere: præſertim cum Deum & naturalem rerum omnium dominum, & ſupremum eſſe docuerimus, & de poteſtate rebus omnibus utendi paulo pòſt dicturi ſimus. In eo enim plenitudo Dominii divini continetur, quòd & res ipſæ, ſeu rerum, ut loquuntur, proprietas ad Deum penitus ſpectet, & earundem uſus. Juriſconſulti dicerent, Deum habere & directum & utile rerum omnium dominium. Directum enim illis eſt, quod ad rei proprietatem pertinet: utile, ut vox ipſa monet, quod ad uſum. Hæc divini dominii plenitudo, cum ejus amplitudine conjuncta facit, ut Deus ſubjicere omnia, cui velit, poſſit, & res earumque uſum alieno arbitrio ita permittere, ut nihilominus eis per illum perfruatur. Hoc jure uſus eſt, cùm Chriſto præter ſeipſum omnia ſubjecit.

De æternitate etiam dominii divini multa dicere non eſt neceſſe; cum vel ex iis, quæ paulo antè dicta ſunt, ſatis pateat, tamdiu Dei dominium duraturum, quamdiu res ulla extet. Cum igitur res nonnullæ creatæ in æternum ſint extituræ; non tantùm relatè dominium Dei æternum eſt, ſed & abſolutè, ex parte nimirum poſteriori. Relatè enim æternum dominium dicitur, quod tamdiu durat, quàm diu res ei ſubjecta duret, ita ut illud finem non habeat, antequam hæc finem ſortiatur. Quo pacto & dominia quædam humana aut poſſeſſiones æternæ dicuntur. vid. ſup. cap. 18. Sic æterna fuit aut eſſe debuit Iſraëlitarum in terra Chananæa poſſeſſio, Gen. 48. 4, quæ tamen ceſſante conditione illis à Deo impoſita, actu ipſo ceſſavit. Abſolutè autem æternum eſt à parte pòſt, ut loquuntur, quod nullum prorſus habiturum eſt finem. Tale autem eſt Dei dominium.

Jam ut ad tertium juris ac poteſtatis divinæ gradum accedamus; illum in eo poſitum eſſe diximus, quòd Deo rebus creatis pro arbitrio uti liceat. Ut autem uſus ille rectè percipiatur, primùm conſiderandus eſt finis, in quem rebus univerſis uti Deus pro jure ſuo poteſt; deinde modus utendi, & res creatas ad finem illum adhibendi.

Quod ad prius attinet; veriſſimum quidem eſt, Deum in rebus tum producendis, tum utendis, creaturarum, præſertim intellectu præditarum, bonum quæſiviſſe, atque etiamnum quærere. Veruntamen jus dominicum, quod in res omnes habet, ita eſt comparatum, ut ei liceat rebus creatis ad ſuum aliquod bonum ſive utilitatem, ſi modò aliquam ex iis percipere queat, uti. Juris enim dominici ea eſt ratio, ut per ſe ſpectet ad utilitatem ejus, qui id habet: licet is poſſit in alienam id potiùs, quàm in ſuam utilitatem convertere, aut in alienam æquè, atque in ſuam. Et ſacræ quidem literæ ſatis apertè docent, docet & ſana ratio, Deum non tantùm eſſe cauſſam efficientem rerum primam, ſed & finem ultimum, finem, inquam, *cui*, quemadmodum ſup. cap. 4, docuimus. Finis verò *cui* ille eſt, cui bonum aliquod paratur atque acquiritur. Hinc enim eſt, quòd ſac. literæ Rom. XI. 36: Heb. 2. 11. confer etiam 1 Cor. 8. 6: vid. ſup. c. 13, non tantùm aſſerunt, *ex Deo*, aut *per Deum eſſe omnia*, ut ſignificent, Deo auctore, & efficaciam ſuam exſerente, omnia perfici: ſed etiam *in Deum*, aut *propter Deum eſſe omnia*, id quod finem denotat. Quamquam autem de rebus ad ſalutem humani generis vel ſolùm, vel præcipuè ſpectantibus iis in locis ſit ſermo: idem tamen ob rationis ſimilitudinem, etiam ad cætera Dei opera jurè extenditur. Atque huc rectè à viris doctiſſimis, atque adeo à plæriſque, quantum cernere poſſum, interpretibus, refertur illud Salomonis Prov. 16. 4: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium ad diem malum*, hoc eſt, etiam id, quòd hominem, non quidem impium facit, (id enim in Deum optimum nequaquam cadit) ſed impium ſponte ſua factum, ad diem ſupplicii atque ultionis ordinat atque aſſervat. Nam & id Dominus facit propter ſemetipſum, quemadmodum paulò pòſt intelligetur. Præteritum autem *operatus eſt* Salomon Hebraico more, de quo & ſuperiori capite jam monuimus, uſurpat pro præſenti, quodvis tempus indefinitè ſignificante. Etſi verò Deus propriè ac ſtrictè ſumtam utilitatem ex rebus à ſe creatis percipere nequeat: percipere tamen id poteſt, quod cum ea ſimilitudinem atque affinitatem aliquam habet. Duo autem hujus generis in ſac. literis occurrunt: alterum, quod Deus ex omnibus ſuis operibus per ſe percipit: alterum quod per ſe ex rebus intelligentiâ præditis; ex cæteris autem, non niſi his intervenientibus. Prius eſt, quod Pſaltes expreſſit, dum inquit: *Lætabitur* (vel *Lætetur*) *Dominus in operibus ſuis*. Pſ. 104. 31. Delectatur enim Deus tam præclaris ſapientiæ, potentiæ, ac bonitatis ſuæ operibus atque effectis. Qua de re infrà cap. 31. Poſterius eſt Dei gloria, quâ non tantùm prædicationem nominis ipſius, ac laudes potentiæ, ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis, ac cæterarum, ut Petrus appellat 1 Pet. 2. 9, virtutum intelligimus; ſed multò magis animi venerationem, cultum, obſequium; cujus aut fructus eſt, eſſeque debet prædicatio, quæ ver-

bis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

bis peragitur, aut incentivum. Neque enim gloriâ eâ delectatur Deus, quæ in lingua tantùm natat, & præter vocum ſonum nihil propemodum habet: ſed animum laudantis præcipuè reſpicit, & animi fructus, ex veneratione numinis ipſius proficiſcentes. Unde Pſaltes Pſal. XXXIII: ***Exultate juſti in Domino: rectos*** (ſeu innocentes ac juſtos) ***decet laudatio***, intellige divini numinis. Nota ſunt Dei verba de populo ſuo conquerentis Eſai. 29. 18: quæ ex Propheta repetit Chriſtus apud Matthæum, cap. 15. 8, *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem longè eſt à me.* Longè autem cor ejus populi à Deo aberat, quia Dei mandata obſervare negligebat. Vide non abſimilem Dei querimoniam Pſalmo 50. Hic autem gloriæ fructus, quem ex rebus creatis percipit Deus, ad priorem illum, nempe delectationem numinis, uti paulò antè innuimus, quodammodo redit. Etenim laudibus ex animo grato & veneratione ipſius pleno manantibus, itemque benefactis, delectari Deum, ſacræ literæ teſtantur Hebr. 13. 15, 16, add. Rom. 12. 8: & hoſtias eas appellant Deo acceptas, & ſuaveolentes Phil. 4. 18: 1 Pet. 2. 5: non quidem quaſi ipſius honoris & gloriæ adeo avidus eſſet Deus: ſed quia gratum ipſi eſt, opus ſuum tale eſſe, quale eſſe convenit, & ſuæ id intentioni ac conſilio reſpondere. Quivis enim opifex delectatur opere ſuo, cùm id tale eſt, quale eſſe decet, & ipſe eſſe voluerat. Tunc autem opus Dei, quod intelligentiâ præditum eſt, tale eſt, quale eſſe maximè decet, cùm conditorem ſuum optimum, ac Patrem benigniſſimum amat, colit, veneratur, ei obſequitur, & ſe continere non poteſt, quin in laudes ipſius erumpat, eumque gratiarum actione celebret. Breviter, cùm id ipſi præſtat, quod ſummo jure debet. Hinc ergo eſt, quòd ſacræ literæ pronunciant, Deum maxima in nos beneficia contuliſſe, *ad laudem gloriæ ſuæ*, aut *gloriæ gratiæ ſuæ*, eúmve in finem, *ut annunciemus virtutes ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum* Eph. 1. 6, 12, 14: 1 Pet. 2. 9. Et Paulus, poſtquam monuiſſet, nos non eſſe noſtros, quia pretio emti ſimus 1 Cor. 6. 19, 20, nempe Deo per Chriſtum, ut ſuperiùs vidimus, ſubjicit: *Glorificate ergo* (ſic eſt in Græco) *Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Quaſi dicat, eum, quem unum poteſtis, Deo præſtate uſum, ut & animos & corpora veſtra, atque adeo tum cogitationes animi, tum facta externa, gloriæ & honori ipſius conſecretis atque impendatis. Et hæc complectitur ſacrificium laudis, quod unum Deus à populo ſuo poſtulat Pſal. 50. 14, 15, 23, conf. & intermedia. Nempe quia cæteris, quas habemus, rebus nec ipſe indiget, & ab ipſo eas nos habemus: ſed cor noſtrum in noſtra quodammodo poteſtate eſſe voluit, quod unà cum fructibus ſuis, qui quidem ad honorem nominis ipſius ſpectant, jure ſuo à nobis exigit. Etiamſi autem interdum gloriæ fructu ob malitiam creaturarum quarundam intellectu præditarum fraudari videatur: tanta tamen eſt ipſius tum ſapientia, tum potentia, ut nihilominus vel invitæ uſum ipſi, quem quærit, præſtent. Nam & ad multa ſua decreta, ad nominis ipſius gloriam ſpectantia, voluntariâ ipſarum malitiâ utitur; & tandem eam conſequitur, cùm eas punit, in iiſque potentiam ſuam patefacit, quemadmodum de Pharaone & aliis legimus Exo. 9. 16: Rom. 9. 17, 22. Ut rectè dixerit Salomon, Deum propter ſemetipſum, etiam impium ad diem malum facere, ſeu ſupplicio deſtinare. Itaque & ipſe Satan, infenſiſſimus Dei hoſtis, velit nolit, uſum Deo præſtare cogitur, qui nominis ipſius gloriæ inſerviat. Sed de fine ſatis.

Quod ad modum attinet rebus creatis in hunc finem utendi; is partim communis eſt rebus omnibus, partim intellectu præditis proprius. Uterque autem varius eſt ac multiplex, ſi eum ſpecialiùs ac diſtinctiùs conſideres. Et in eo maximè liberrima Dei poteſtas cernitur. Etenim & conſervare res creatas poteſt Deus, & deſtruere; in eodem ſtatu relinquere, aut immutare; meliorem, aut deteriorem earum conditionem facere. Quamquam in creaturis intellectu præditis poteſtas deſtruendi, & deteriorem earum conditionem faciendi, certos habet à juſtitia decretiſque divinis conſtitutos limites, uti & anteà monuimus, & cap. ſequenti ex tractatione de juſtitia Dei rectiùs intelligetur. In bonis diſtribuendis liberrima per ſe eſt ipſius poteſtas, ſive perſonas ipſas ſpectes, quibus donat, ſive rerum, quas donat, qualitatem aut quantitatem, ſive denique tempus ac durationem. Itaque & res ſubjicere pro arbitrio poteſt, tum cui vult, tum quas vult, tum quouſque vult. Quemadmodum autem donare, quæ vult, poteſt: ita &, niſi promiſſum aliquod obſtet, aut ipſa rei æquitas per ſe diſſuadeat, adimere. Quare cùm divitias, cùm copioſam progeniem alicui largitur Deus, cùm vitam producit, valetudinem reddit, vires indit, libertatem donat, ſapientiam inſpirat, potentiam vel auctoritatem cuipiam conciliat; aut contrà hæc cuipiam negat, aut adimit; jure illo utitur Deus, quod habet ad rerum conditionem pro arbitrio vel meliorem vel deteriorem faciendi. Eodem utitur, cùm innocentes etiam, ut nocentes puniat, aut tantò graviùs puniat, afflictionibus ſubjicit, ut infrà pleniùs explicabitur. Hoc jure uſus eſt olim, cùm, ut Eſavus Jacobo, ſeu illius poſteritas hujus poſteritati ſerviret, antequam uterque natus eſſet, & quicquam boni vel mali egiſſet, decrevit, Gen. 25. 23: Rom. 9. 10. Hanc poteſtatem ſignificat, cùm ait, ſe miſereri cujus velit. Exod. 33. 19: Rom. 9. 15. Hæc poteſtas in cauſſa eſt, cur nemo illi dicere poſſit, cur ita facis? ib. ℣. 20, 21: Eſa. 45. 9, 10: Dan. 4. 35. In illis enim, quæ per ſe ſunt licita, ejus voluntas pro ratione eſt. Quamquam ratione nunquam deſtituitur. Sed hac de re paulò pòſt plura, cùm de imperandi jure ac poteſtate agemus.

Jam enim tempus eſt, ut ad illud Dei jus accedamus, quod ſpectatur in modo, quo rebus intelligentiâ præditis nominatim utitur. Id autem in eo conſiſtit, quòd poteſtatem habeat Deus eas regendi ac gubernandi. Etenim propriè loquendo, non niſi res intellectu, ac porrò etiam liberâ voluntate præditæ gubernantur. Minùs propriè res, quæ ſenſu & appetitu ducuntur: res inanimatæ prorſus impropriè. Ii enim propriè demum reguntur, quibus imperari ac mandari aliquid poteſt. Non poteſt autem, niſi intellectu ac voluntate libera inſtructis. Hujus autem poteſtatis ratio ut pateat, tum proprietates ejus generales conſiderandæ veniunt; tum functiones ejus ſigillatim ſpectandæ, ex quibus natura ejus intelligetur. Poteſtatis enim natura, ex propria functione æſtimanda eſt. Proprietates eædem ſunt, quæ dominii; cum quo ita cohæret regendi poteſtas, ut reſpectu rerum intelligentiâ præditarum ab eo divelli nequeat. Dominus enim rei intellectu præditæ, eo ipſo, quòd illius dominus eſt, jus habet eam regendi, ſive imperandi. Unde ſacræ literæ, cùm *Domini* nomen vel de ipſo Deo, vel de Chriſto uſurpant, imperium ejus ſimul comprehendunt, vel etiam præcipuè deſignant. Itaque ut dominium Dei prorſus independens eſt, & ampliſſimum, & pleniſſimum, & denique æternum: ita & imperium Dei, ſeu regendi ac gubernandi poteſtas. Quod independens ſit Dei imperium, imò etiam quòd ampliſſimum atque pleniſſimum; ad id referri debet, quòd *ſolus potens* à Paulo dicitur 1 Tim. 6. 15, vid. cap. præced. Eſt enim in Græco vox δυνάστης; quam vocem eos denotare diximus, qui ob poteſtatem in alios multum poſſunt. Deus autem *ſolus* eſſe dicitur δυνάστης, quia ſolus à ſeipſo imperium habeat, & quidem in omnia, & quiſquis poteſtatem habet, ab ipſo, hoc eſt, ejus vel dono, vel ſaltem permiſſu, habeat. Pertinet etiam tum ad ſublimitatem, tum ad amplitudinem ejuſdem imperii, quòd is Rex regum, Dominus dominantium d. l. ad Tim. Dominus exercituum Eſa. 1. 24: II. 12: III. 1, 15, & alibi paſſim, Deus deorum Deut. 10. 17: Pſal. 50. 1, & denique Deus Pſal. 45. 8: Mich. 5. 4: Joh. 20. 17: Epheſ. 1. 17: Apoc. 3. 12, ac caput ipſius Chriſti 1 Cor. 11. 3, dicitur: qui & ipſe Rex regum & Dominus dominorum eſt Apoc. 17. 14: XIX. 16. add. c. 1. 5, caput omnis principatus & poteſtatis Col. 2. 10, Deus ſuper omnia, ſive omnes, in ſecula benedictus Rom. 9. 5, utpote ab ipſo Deo ſuper omnia evectus. Ex quo apparet, imperii di-

vini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vini amplitudinem nihil imminutam, cùm omnis in cœlo ac terra poteſtas Chriſto fuit tradita: quemadmodum & de dominio ſupra diximus. Eſt nempe Chriſtus, & in ipſo dominio, & in ejus uſu ita Deo ſubordinatus, ut per eum Deus in rebus ad Eccleſiam quoquo modo pertinentibus regnet. Regium enim Chriſti munus eò ſpectat, ut quæcunque Deus de ſalute noſtra, & rebus ad eam quoquo modo ſpectantibus, uti & contra de impiorum ſupplicio decrevit, ac, quatenus nobis ſcitu neceſſaria ſunt, per eundem revelavit, ejus imperio interveniente ad exitum perducantur. Hinc Eſaias prædixit fore cap. 53. 10, ut ſi Chriſtus animam ſuam pro peccato poſuerit, *voluntas Domini in manu ejus dirigatur*, ſeu *feliciter perficiatur.* vid. & Joh. 6. 39, 40. Loquitur autem de voluntate Domini ad ſalutem humani generis ſpectante, ut ex ſequentibus apparet. Jeſum enim *principem & ſalvatorem Deus exaltavit dexterâ ſuâ, ad dandam pœnitentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum*, Act. 5. 31, ſeu ut ipſe Chriſtus Patrem alloquens ait Joh. 17. 2, *Dediſti illi* (Filio) *poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Omnia ergo nihilominus ſub imperio Dei manent, etiamſi Chriſtus tanta cum poteſtate illis ex Dei voluntate præſit, ut in rebus omnibus, quæ decretis Dei non ſunt definitæ, quæ quidem ſunt innumeræ, ſtatuere, quicquid velit, poſſit. Ea enim, quæ ad ſalutem humani generis, aut etiam contrà ad impiorum ſupplicia ſpectant, ferè generalibus tantùm Dei decretis fuerunt definita: cum interim particularia ſeu ſingularia occurrant infinita, in quibus aliter atque aliter agere, ſalvis Dei decretis, liceat. & licet nonnulla peculiaribus Dei decretis definita ſint, non tamen omnes rerum circumſtantiæ definitæ ſunt. In his ergo libertas illa imperii Chriſto dati conſpicitur. Ad quæ reſpiciens Apoſtolus ait, *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi* (vel *ipſi*) *omnia*: 1 Cor. 15. 28. quaſi nimirum Filius nunc, cùm ad dextram Dei ſedens omnia regit, ei non ſit ſubjectus, nempe quia in perfectiore quadam ſignificatione *ſubjiciendi* verbum accipit, ita ut is demum ſubjectus alteri dicatur, qui illius imperio, utut cæteroqui leniſſimum ſit, ac pluſquam paternum, etiam in ſingulis, majoris præſertim momenti rebus, ſit adſtrictus. Poteſt autem nihilominus is, qui ita alteri ſubjectus eſt, proximum ab eo dignitatis locum tenere, & reliquis omnibus, qui eidem ſubjecti ſunt, longiſſimè antecellere, ac res longè maximas ex ejus voluntate gerere: ut Regis filius unigenitus, qui illud imperii, quod pater habet, nomen non gerat. Qua de re nunc non eſt neceſſe plura dicere. Quòd autem tanta Chriſti ad Dei dextram collocati ſit in gubernando libertas, id non magis amplitudini aut etiam plenitudini imperii divini derogat, quàm libertas regum terrenorum, qui ſalvis legibus divinis, quas migrare illis non licet, infinita de rebus particularibus ſtatuere pro arbitrio poſſunt. Vide modò, quod jus regis Iſraëlitici fuerit, ipſius Dei juſſu populo annunciatum, 1 Sam. 8. 9, 11, & d. nec tamen omnia illic ſunt enumerata, in quibus libera regis poteſtas cernitur. Ita nimirum Deus res ſibi voluit eſſe ſubjectas, ut cui placeret, ejus imperio vel omnes, ut Chriſto, vel aliquas, ut regibus ac principibus terrenis, ſubjiceret, & ejus arbitrio ita permitteret, ut ſi quid ab aliquo ſtatueretur ſuis decretis ac conſiliis non conſentaneum, impediendi, aut ad ſua conſilia flectendi poteſtatem ſibi reſervaret. At quæcunque Chriſtus ſtatuit, ea divinis decretis ac conſiliis nunquam adverſantur, ſed iis maximè ſunt conſentanea. Quandoquidem eum Deus non minùs ſapientiâ, ſanctitate ac bonitate, quibus rebus ipſius conſilia nituntur, quàm poteſtate ſibi effecit ſimilem. Quare Chriſti decreta non modò à Deo nunquam impediuntur; ſed cum illis ita ſuam ſententiam conjungit Deus, ut verè Chriſtus ac Pater unum ſint, quemadmodum ipſe Chriſtus aliquando aſſeruit; Joh. 10. 10. ac porrò Deus in Chriſto ac per Chriſtum, Chriſtus autem cum Deo regnare dicendus ſit.

Quod ad plenitudinem imperii divini attinet: ea inde facilè poteſt æſtimari, quòd quam poteſtatem habet figulus in lutum ſuum, eam in rebus omnibus naturâ ſuâ non illicitis habet Deus; ut in res cæteras, ita & in eas, quæ mente ſunt præditæ Eſa. 45. 9, 10: Jer. 18. 6, & d. Rom. 9. 20, 21; poteſtque ex eadem maſſa aliud vas decreto ſuo fingere in honorem, aliud in ignominiam atque interitum; licet illud alioqui non minùs, quàm hoc, ad ignominiam atque interitum formare poſſet. Fingere autem vas in utrumque uſum Deus poteſt, partim in genere, partim in ſpecie. In genere quidem, dum, qui ipſi placet, modum hominibus præſcribere poteſt, quem qui ſequatur, præmium ſit conſecuturus; qui non ſequatur, pœnam ſit incurſurus; licet & alium eligere modum poſſet, æquitati non minùs, quàm ille ſit, conſentaneum. Ejus enim rei rationem habere non tenetur Deus; & poteſt hominem illum jure damnare, qui modum ab ipſo præſcriptum ſequi nolit; etiamſi is tandem aliam ſequatur rationem ipſi ſerviendi, & naturâ ſuâ honeſtam, & aliquando ab ipſo Deo approbatam. vid. Rom. 9. 31, 32: & 10. 3, 4. Unde eundem hominem etiam indurare poteſt, & pœnæ effugiendæ occaſionem illi quodammodo præcidere, quòd ipſius voluntati ſeſe opponere, quàm ſubjicere maluerit. In ſpecie autem idem facere poteſt Deus, quatenus ex pluribus ſupplicium æquè commeritis, hujus quidem miſereri pro arbitrio poteſt, illum autem indurare ac punire. Similiter autem & refingére vaſa poteſt. Cui enim impio fuerat mortem comminatus, quemque adeò decreto ſuo ad ignominiam & interitum veluti formaverat; eum refingere, ſi reſipiſcat, poteſt, & ad vitam decreto ſuo formare: uti & contrà juſtum, cui vitam pollicitus fuerat, & quem hoc pacto ad honorem ſalutemque formaverat, ſi à juſtitia ſua diſcedat, ad interitum poteſt refingere; quemadmodum ſacræ literæ apertè teſtantur Jer. 18. 6, & d. Vaſis enim ipſis arbitrii libertatem, quam naturaliter dedit, non eripit. Itaque cùm media ſeſe ad Deum convertendi ſunt ab ipſomet propoſita, nec ob inſignem hominum ingratitudinem ac pervicaciam iterum erepta; vas impurum repurgare ſe poteſt, ut ſit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum, ut Paulus ea de re loquitur 1 Tim. 2. 21. Contrà etiam id, quod purum eſt, polluere ſe poteſt; idque tantò faciliùs, quantò faciliùs eſt peccare, quàm piè vivere. Ex ejuſmodi autem vaſis mutatione ratione morum, ſequitur & mutatio conditionis, & ſic mutatio quædam decreti divini ſpecialis, quo vel præmium vel pœna homini fuerat ob priſtinos mores, ſed cum tacita conditione in futurum ſpectante, conſtituta, uti apertiſſimè ſacræ literæ teſtantur.

Denique quod ad æternitatem divini regni attinet; de ea ſacræ literæ apertè non ſemel teſtantur. d. l. Jer. 18: add. Ezech. 18. 21, & d. &c. XXXIII. 13, & d. Inter alia David ita ait: *Dominus regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi.* & alibi Deum alloquens, *Regnum tuum,* inquit, *regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Pſal. 10. 16: CXLV. 13. vid. & CXLVI. 10: & Dan. 3. 10: IV. 31. Hinc & *Rex ſeculorum*, hoc eſt, ſempiternus à Paulo dicitur 1 Tim. 1. 17. Quòd enim Deus interdum dicitur certi temporis habita ratione regnaſſe, Pſa. 93. 1. XCVII. 1: XCIX. 1. aut regnaturus eſſe, Eſai. 52. 7. conf. etiam c. 24. 23: & Mich. 4. 7. & regna mundi, ipſius & Chriſti facta eſſe; Apoc. XI. 15: & XII. 10. facilè patet, id non de ipſo regnandi jure ac poteſtate intelligendum eſſe, ſed de certo ejus poteſtatis uſu, & apertiori declaratione, deque divinæ potentiæ exſertione; vel de ſubjectione hominum, in re religionis ad imperium Dei ſeſe accommodantium, eique ſeſe ſubmittentium.

Sequitur nunc, ut imperii divini partes ac functiones breviter explicemus. Eæ ſunt, ſancire leges, aut contrà tollere; & deinde eaſdem adminiſtrare ac tueri; cui parti etiam parentium ſeu ſubditorum defenſionem adjungimus. Utrumque autem cum vel per ſe poſſit facere Deus, vel per alios; ſimul etiam ad ipſius poteſtatem pertinet, eos eligere ac conſtituere, per

quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quos iſta faciat; aut eos, qui conſtituti ſunt, ſi ita uſus ferat, mutare, ac penitus amovere. Jam quod ad leges attinet; earum nomine hoc loco non tantum præcepta intelligimus, ſed & pœnarum ſanctiones; ſiquidem & decreta de pœnis promulgata, leges pœnales Jureconſulti appellant. Pœnarum autem ſanctioni adjungi poſſunt & decreta de præmiis, quæ legum obſervantibus proponuntur.

De hac poteſtate loquitur Jacobus cum ait c. 4. 12, *unum eſſe legiſlatorem, qui poſſit ſervare & perdere.* Deum autem intelligi, nemo non intelligit. Quanta vero ſit hæc Dei poteſtas, ex ſuperius dictis æſtimari poteſt. Nam quod ad præcepta attinet; jus habet Deus non tantum factis noſtris externis, aut dictis, leges ponendi, ſed & animi cogitatis ac conſiliis, licet ad actum nullo modo progreſſis. Qua in re omnem humanam poteſtatem divinum imperium ſupergreditur. Deinde non tantum ea, quæ vi naturalis honeſtatis omnino facienda ſunt, imperare nobis poteſt Deus; ſed quicquid omnino non eſt inhoneſtum. Jus enim nobis facit volendo. Quare leges non modo naturales, quas vocant, ferre poteſt, ſed & poſitivas, quas libeat. Tales olim fuerunt ceremoniales, imo & judiciariæ, quatenus à moralibus diſtinctæ ſunt, quæ proinde δόγματα ſeu placita aut decreta appellantur Eph. 2. 15. Col. 2. 14: quia arbitrio legiſlatoris ſupremi, non ipſa honeſtatis vi nitebantur. Nulla quidem earum, ratione caruit: ſine ratione enim Deus ſapientiſſimus nihil conſtituit: ſed ratio nullius ea fuit, ut legem neceſſario ferendam eſſe doceret. Itaque eadem ratione manente, poterat lex non ferri; & lata poteſt abrogari. Adde, quod etiam in ipſis moralibus præcipiendis delectum habere poteſt Deus, & nunc pauciora, nunc plura aut perfectiora præcipere. Quod diſcrimen in veteri & novo Fœdere manifeſtum eſt. Apertè enim Chriſtus Matthæi cap. 5, quædam nobis præcipit, in antiquo Fœdere non præcepta; aut interdicit, in illo non interdicta. Præterea nunc perfectiorem legis exſequendi modum ſub comminatione ſupplicii, etiam extremi, poſtulare poteſt Deus; nunc minus perfecto contentus eſſe. Quod diſcrimen itidem inter antiquum & novum fœdus, ſed contrario modo, apparet. Ibi enim perfecta ad juſtificationem obtinendam opera requiſivit: hîc non exigit. Verùm hæc res ad poteſtatem præmia & pœnas conſtituendi non immerito poteſt referri. Denique non tantum generales leges figere poteſt Deus, quæ vel omnes omnino homines obſtringant, vel totum aliquem populum, aut certam populi partem, genere aut qualitate à reliquis diſtinctam; ſed & mandata ſingulis dare peculiaria, & quidem ejuſmodi, quæ generalibus aliquo modo adverſentur, vel ſaltem adverſari videantur. Ut cum Abrahamo præcepit, ut filium ſuum unigenitum occideret atque offerret Gen. 22. 1, & d. licet jam lex eſſet lata, de ſanguine humano non fundendo; Gen. 9. 5, & d. & natura ipſa cæteroquin à nece liberorum abhorreat. Sed quia Deus, ut Dominus omnium abſolutus, jus habebat vitæ & necis in Iſaäcum; de eo ſtatuere jure poterat, ut in experimentum virtutis ac pietatis paternæ occideretur; poterat & patri pro abſoluta ſua poteſtate præcipere, ut ipſemet filii necem manu patraret. Jure ergo utrumque ſtatuere poterat; de illo, ut inſons necem pateretur; de hoc, ut inferret. Nec tamen jura naturæ violari voluit, & affectum parenti inditum exſcindi; ſed ſuæ voluntati ſubjici, & ad moderationem quandam revocari. Quia ſpem nihilominus voluit eſſe Abrahamo reliquam, fore, ut ea res filio dolorem quidem ad breve tempus afferret, at non interitum; & non modo non obeſſet revera, ſed & prodeſſet: cum jam promiſiſſet, per eum Abrahamo copioſam fore ſobolem. Ideo credidit Abrahamus, Deum etiam è mortuis eum excitare poſſe, atque adeo, ut promiſſa ſua impleret, excitaturum eſſe Gen. 17. 16, 19. XXI. 12. Heb. XI. 18, 19. Quemadmodum ergo dum quis ſeipſum morti, rei honeſtæ cauſſa objicit, aut filium, ut id faciat, hortatur; amorem naturalem erga ſe, aut filium non exuit, ſed moderatur, & ad honeſti leges attemperat; maxime ſi ſpes ſit futuræ vitæ: ita nec Abrahamus, occidere filium juſſus, amorem illum exuere juſſus eſt, ſed divino illum amori poſtponere, & ad ſupremi numinis voluntatem attemperare. Neq; interim Deus legem ſuam de homicidio revera evertit. Nam hîc caſus ex mente Dei, qui legem illam tulerat, non fuerat comprehenſus, unde nec homicidii pœnæ ex lege illa divina obſtrictus fuiſſet Abrahamus, etiamſi id, quod animo jam peregerat, manu quoque fuiſſet exſecutus. Æquitas enim non permiſiſſet, ut quem caſum legiſlator ipſe exceptum voluiſſet, ad eum legis ſeveritas extenderetur.

Quod verò ad ſanctiones pœnarum, & præmiorum conſtitutionem attinet; licet Deo pœnas qualeſcunque, modò delicti magnitudinem non excedant, ſontibus conſtituere. Ut enim graviores ſint delictis pœnæ, juſtitiæ ratio non permittit: quò minus leniores ſint, per ſe non prohibet, clementia autem ſæpe poſtulat. Quare Deus vel æquales delicto pœnas decernere, vel delicto minores poteſt; quæcunque cæteroquin illarum ſit qualitas, atque infligendi modus.

Quod ad præmia attinet; in iſtis major eſt Dei libertas, & ratione magnitudinis in infinitum quodammodo exit. Quia enim actus eſt beneficus, aliiſque utilis, ei juſtitia per ſe nullum præſcribit modum. In hominibus quidem prudentia libertati illi modum ponit; quia & promittentis copiæ ac facultates modum habent, & nimia largitione exhauriuntur. At bonorum divinorum immenſa atque inexhauſta eſt copia; & cùm ab eo creaturæ bona accipiunt, illis quidem multùm accedit, danti nihil decedit. Neque verò eſt, quod quis dicat, Dei poteſtatem eatenus hîc non eſſe infinitam, quatenus ei, qui præmium aliquod verè mereatur, non poſſit id negare, aut ita minuere, ut infrà meriti dignitatem ſubſiſtat. Quid enim creaturæ apud Deum merentur? Ut enim quiſpiam apud alterum propriè loquendo mereatur aliquid, neceſſe eſt, ut ei rem præſtet cæteroquin indebitam, & talem quidem, quâ ille verè indigeat. At nos quid Deo non debemus? Cum enim toti, quanti quanti ſumus, Dei ſimus; omnem operam, quæ à nobis proficiſci poſſit, Deo debemus. Itaque nihil à nobis exigit, quod à nobis ſuo jure, etiam abſque mercede, exigere non poſſet. Quemadmodum apertè docet Chriſtus apud Lucam cap. 17. 10. Taceo, quòd operâ noſtrâ Deus non indigeat, ſine nobis ab æterno felix, & in æternum futurus. Impunitatem quidem, ſi prorſus innocentes eſſemus, mereremur; ſed hanc præmii nomine hîc non intelligimus. Bonum enim poſitivum, ut loquuntur, non privativum eo nomine ſignificamus; certè non tale, quod in immunitate tantùm conſiſtat ab eo malo, quod ipſa naturalis noſtra conditio ac ſtatus, in quo nos Deus poſuit, ſecum non ferat. Bonum nempe intelligimus, ultra id, quod naturalis noſtra conditio ſecum fert, in nos conferendum. Quòd ſi ne innocentes quidem verè mereremur præmium; quodnam meremur homines multis modis nocentes, & innumeris peccatis contaminati? Neque enim eſt, quod putes, ea ſupervenientibus meritis compenſari poſſe. Dum enim in poſterum Deo ſervimus, officium præſtamus, Deo, nulla præcedentis delicti habita ratione, debitum; defectum, qui præceſſerat, non ſarcimus: quin ne illud quidem ſatis implemus. Quare illimitata hîc per ſe eſt Dei poteſtas; &, ut infinitum ei licet nobis decernere præmium, ita & nullum: & ſi aliquod, qualecunque ipſe velit aut quantùmcunque.

Diximus autem, non ſancire tantùm, quæ placeat, Deo licere; ſed & ſancita, quatenus nimirum ipſa honeſtatis ratio permittit, tollere. Poteſt ergo & leges, quas poſitivas vocant, abrogare, hoc eſt, penitus tollere; ac multò magis iiſdem derogare, earúmve partem tollere: ac denique eaſdem relaxare, hoc eſt, earum vim circa res aut perſonas ſingulares tollere, quam in cæteris velit eſſe ſalvam atque illibatam. Ubi enim abrogatio locum habet, ibi multò magis locum habet derogatio, & relaxatio, quam diſpenſationem vulgò appellant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pellant. Hac poteſtate uſus eſt Deus, cùm leges ceremoniales per Moſen latas, itemque judiciarias, quatenus à naturalibus diſtinctæ ſunt, ſub N. Fœdere ſuſtulit. Habet autem ea res non tantùm locum in præceptis, quibus Deus aliquid vel fieri jubet, vel prohibet; ſed etiam in ſanctionibus pœnalibus ac comminationibus legi additis. Sic ſub Euangelio ſuſtulit ſeveriſſimam illam Legis Moſaicæ ſanctionem: *Maledictus omnis, qui non perſeverarit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis* Gal. 3. 10. ex Deut. 27. 26; loco ejus hanc reponens: *Qui non credit*, nempe in Dei Filium, *condemnabitur* Marc. 16. 16. Joh. 3. 18, 36. Credendi autem verbo etiam effectus fidei, nempe pietas ei conſentanea, includenda eſt. Nam & hoc ſancitum eſt, ut qui ſecundùm carnem vivunt, moriantur, & regni cæleſtis hæreditate excludantur. Sic paſſim ſacræ literæ docent. vid. inter alia cap. 5. Mat. totum, & cap. VII, & cap. XXV. 34, & d. Joh. 5. 29. Rom. 6. 16: VIII. 13. conf. & ℣. 1. 4, & d. 1 Cor. 6. 9, 10. Gal. 5. 19, 20, 21. Epheſ. 5. 5. Apoc. 21. 8, 27: XXII. 15. Poteſt autem Deus & lege pœnali cæteroqui durante, vim ejus circa certas perſonas aut facta tollere. Quemadmodum olim mortis pœnam Davidi remiſit 2 Sam. 12. 13. conf. præced. à ℣. 5, lege generali de adulteris & homicidis capitali ſupplicio afficiendis non abrogata, ſed durante ejus in cæteris perſonis ac factis obligatione: qua de re viri docti jam ante nos monuerunt. Quanquam ejuſmodi relaxatio, quæ facta hominum ſequitur, etiam ad libertatem judiciariæ poteſtatis pertinet, & fortè magis, quàm ad eam, quæ in ipſis legibus ferendis aut mutandis cernitur, licèt cum hac conjunctionem habeat.

Quod ad decreta de præmiis attinet, quæ legiſlator non ab aliis perſolvi vult, ſed ſe redditurum pollicetur; ea ſub promiſſorum legem penitus cadunt: & abrogari non poſſunt, niſi fortè certo aliquo tempore, aut conditione, ſive apertâ, ſive tacitâ ſint definita. Elapſo enim tempore, aut conditione ceſſante, eorum vis ceſſat. Sed alioquin revocari non poſſunt ſine conſenſu ejus, cui promiſſum eſt. Huic enim jus promiſſione acquiritur, quod eripi invito non poteſt. Commutatio præmiorum fieri ſalvâ juſtitiâ poteſt, præſertim minorum in longè majora, & accipienti longe utiliora ac gratiora. Sed ſanctionibus pœnalibus, non delinquentibus jus acquiritur: verùm jus ſuum aſſeritur ei, ad quem pœnæ utilitas ſpectare meritò debet. Hic ſi ſit ipſe legiſlator, pro arbitrio eas leges relaxare poteſt. Nec relaxare tantùm, ſed & abrogare, aut iis derogare. Quanquam ſine ratione probabili id fieri, prudentiæ inprimis aut ſapientiæ lex non permittit. Et quò major vis legi fit, licet alioqui poſitivæ, tantò major ac validior ratio id ſuadere debet. Major autem legi vis fit derogatione, quàm relaxatione ſeu diſpenſatione: major adhuc abrogatione, quæ totam legem tollit.

Porrò autem ut ad eam poteſtatis divinæ partem veniamus, quæ conſiſtit in rerum ſancitarum adminiſtratione; ad eam pertinet, tum cura, quæ adhibetur, ut, quæ aliis ſunt mandata, ſerventur; tum de factis præteritis judicium, hoc eſt, pœnarum ac præmiorum perſolutio. Ad quam propemodum revocare poſſis defenſionem eorum, qui parent, & ab injuriis vindicationem. Quòd ſi tamen extra judiciorum lineam cadat, eam cæteris imperii functionibus tanquam diverſam adjungere licet. Sunt autem duæ illæ, quas conſtituimus, partes adminiſtrationis rerum ſancitarum ita inter ſe conjunctæ, ut prior etiam de poſteriori aliquid trahat. Nam & tunc, cùm Deus delinquentes punit, aut pios præmiis in hac vita afficit, ut mandata ſua obſerventur curat. Sive enim ipſoſmet delinquentes caſtigando emendare conatur, ſive eos alieno ſupplicio exemploque terret, id agit, ut legibus ſuis pareatur. Præmiis autem tum eos, quibus perſolvit, ad virtutis conſtantiam hortatur, tum cæteros ad eorum imitationem excitat. Quin & præmiorum, quæ legibus fortè additur, promiſſio, promiſſorum confirmatio, pœnarum denique comminatio huc pertinet. Pertinent & alia multa, ſive beneficia, ſive nocumenta, quæ pietatem languentem excitant, aut materiem ei præbent uberiorem. Pertinet huc & electio & conſtitutio eorum, per quos leges ſancitæ inculcentur, urgeantur, in earumque obſervatione alii juventur. Magna eſt hæc Dei poteſtas, & latiſſimè patens: ſed auguſtiſſima eſt poteſtas judicandi, & præmia pœnaſque perſolvendi. Et de præmiorum quidem perſolutione quid ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus ſatis conſtat. Quod ad pœnarum perſolutionem attinet, primùm poteſt Deus non tantùm pœnas expreſſe ſancitas exigere, ſed etiam nunquam expreſſas, modò naturâ ſuâ non ſint iniquæ, hoc eſt, delicto non graviores, & promiſſio de impunitate nulla extet. Itaque etiam olim lege nondum lata punire homines potuit Deus: modò adverſus leges honeſti conſcientiæ uniuſcujuſque à natura inſcriptas, aliquid, præſertim grave atque enorme, deliquiſſent. Eo ipſo enim ſtatim pœnam fuerunt commeriti, etiamſi eam Deus expreſſis verbis non eſſet comminatus. Conſcientia ſanè ipſa unumquemque reum facit, &, ſimul ac peccatum agnoſcit, præſertim grave, eum ad ſuum tribunal ſiſtit, & pœnam commeritum eſſe judicat. Nam quòd Apoſtolus dicit Rom. 4. 13: 5. 13, *Legem iram operari: quia ubi non ſit Lex, nec prævaricatio*, ſeu *tranſgreſſio* ſit: & *peccatum non imputari, cùm Lex non eſt*; id non eſt de Lege expreſſis verbis à Deo lata eatenus intelligendum, quatenus ea prohibet, quæ ipſa naturalis ratio adeo turpia eſſe cernit, ut, niſi forte depravetur, vehementer ab illis abhorreat, eaque committi indignè ferat: ſed eatenus revera, quatenus ea vetat, quæ naturalis ratio vix ac ne vix quidem vitioſa judicat, vel etiamſi vitioſa eſſe judicet, non tamen adeo ab illis abhorret, quin illis veniam dandam eſſe putet. Cujuſmodi eſt concupiſcentia, & alia peccata, in quæ valde proclivis eſt lapſus. Cæteroquin in enormibus ſceleribus naturæ lex ſat validè homines obligat ad pœnam, ut ex non uno Scripturæ loco apparet, vid. Gen. 6. 5, & d. & cap. VII. & VIII. & cap. XV. 13, 14, 15, conf. Exod. cap. 7, & ſeqq. Gen. 18. 20, & d. & cap. XIX. Lev. 18. 24, & d. 20. 23: ubi ſupplicia divina, eaque graviſſima commemorantur, ante Legem Moſaicam, de qua illa Pauli verba loquuntur, hominibus impiis inflicta. Hîc ergo primùm poteſtas divina circa pœnas cernitur. Deinde, ut poteſtatem habet Deus infligendi pœnam: ita & non infligendi: niſi fortè extrema peccatoris contumacia, aut irrevocabile ipſius Dei decretum, diverſum poſtulet, ut inferiùs explicabitur. Cæteroquin juſtitiæ Dei nequaquam repugnat, peccatori, quem punire jure poſſet, ignoſcere. Nemini enim, ſive puniat, ſive non puniat, facit injuriam. Siquidem de jure ipſius tantùm agitur. Neque enim nocenti, ut ſuprà monuimus, debetur pœna, ſed is eam debet: & debet quidem illi, in quem injuria omnis ultimò redundat: qui in noſtro negotio eſt Deus. Jus autem ſuum, ſi rem per ſe ſpectes, ut perſequi cuique licet: ita & non perſequi, ac de eo, quantum libet, remittere. Hæc enim juris proprii ac dominici natura eſt. Jus autem, quod Deus ad pœnam habet, ipſius proprium eſſe, ex iis, quæ ſuprà dicta ſunt, patet. Quia enim omnia, quæ nobis præcipit ſervis ac mancipiis ſuis, debemus Deo, naturali noſtro domino atque hero; eidem etiam debemus neglecti obſequii ac miniſterii pœnas. Nam hæ in omiſſi officii veluti locum ſuccedunt, & id compenſare, ſi modò poſſint, debent. Cum ergo herili jure à nobis exigat Deus obſequium; eodem etiam neglecti officii pœnas exigere poteſt. Neque verò refert, quòd noſtris delictis non tantùm Deus, ſed ſæpè etiam homines alii lædantur atque injuriâ afficiantur. Nihilominus enim jus illud totum in Deum redundat. Siquidem omnes illi, qui à nobis præter Deum læduntur, naturâ ſuâ Dei ſunt ſervi. Servis autem, ut jura docent*, nulla fieri injuria intelligitur, ſed domino per ipſos. Itaque invitis etiam ſervis ejuſmodi injurias condonare dominus poteſt; & Deus noſtras. Hoc autem Dei jus, quod in remittendis peccatis, eorúmve pœnis condonandis cernitur, vel ex eo jure diſcere poſſumus, quod homines habent. Quiſque enim offenſas ſuas liberè condonare alteri poteſt.

* lib. 4. Inſtit. juris tit. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quidni ergo multò magis Deus? Quòd ſi principes ſummi non tantùm ſuas, ſed interdum etiam privatorum, aut totius reipub. injurias condonare jure, cum ſingulari clementiæ laude poſſunt: quid ni & Deus, rex regum, & dominantium dominus? Illi enim reipublicæ tuteres quidam ſunt, & boni publici adminiſtri potiùs, quàm domini. At Deus publici boni dominus eſt, non miniſter; & totius univerſi commodum ad ipſius gloriam, tanquam ad ultimum finem, referri debet. Itaque ne boni quidem publici cauſſa omnino tenetur Deus punire. Quanquam & publico bono ſine pœna nocentium, ſi præſertim reſipiſcant, conſuli poteſt. Imò hoc ipſum bono publico maximè conſentaneum eſt, patere reſipiſcentibus ſpem veniæ. Quare ne ſummi quidem rerumpub. principes in hoc jure cum Deo ſunt comparandi. Quòd ſi ne illi quidem hac in parte cum Deo conferendi ſunt, quorum poteſtas certa ratione ſumma eſt ac liberrima; multò minùs Deus erit conferendus cum judicibus ſub aliena poteſtate, ac lege certa conſtitutis. Hi enim ideo, quia ab ea lege diſcedere non poſſunt, & de alieno, non ſuo jure agunt, pœnas remittendi poteſtatem liberam non habent. Neque verò eſt, quòd putes, poſtquam Deus lege lata pœnam eſt comminatus, jam ei non eſſe integrum pœnas remittere; quia aliàs conſtantia ipſius ac veritas convelleretur: illa, quia decreta ſua mutaret; hæc, quia id non faceret, quod ſe facturum dixerat. Etenim, ut ab aliis jam obſervatum eſt, decreta divina de pœnis irrogandis, ac porrò etiam pœnarum comminationes, non prorſus abſolutæ ſunt cenſendæ; niſi vel earum contrarium naturâ ſuâ pravitatem quandam in ſe contineat: aut ſignum comminationibus ſit additum immutabilis planè voluntatis. Ut ſi comminationi juramentum ſit additum. Qualis extat de Iſraëlitis incredulis ac contumacibus in terram promiſſam non introducendis Num. 14. 28, & d. Deut. 1. 34, 35. Pſal. 95. 12: CVI. 26. Hebr. 3. 11: IV. 3, & d. Si neutrum horum appareat; comminationes cenſendæ ſunt relaxabiles, & tacitam quandam ſive exceptionem, ſive conditionem, etiam ex parte comminantis in ſe continere, etiamſi ea expreſſe non ſit appoſita. Nonnunquam enim ideo conditio non apponitur, ut jus punientis tantò evidentiùs declaretur, & is, qui pœnam eſt commeritus, tantò magis ſit ſollicitus, ut eam effugiat. Itaque ne comminationis vis veluti enervetur, conditio vel exceptio cogitanda potiùs relinquitur, quàm exprimitur. Quòd ſi comminationes quædam, licet abſolutè prolatæ, non tamen prorſus abſolutè ſunt accipiendæ; ſatis apparet, ipſa decreta in Dei voluntate exiſtentia, quorum indicia ſunt comminationes, non eſſe prorſus abſoluta. Ideò enim comminationes, licet abſolutè prolatas, tacitam conditionem in ſe continere dicimus, quia decretum ea de re à Deo factum conditionem appoſitam habeat, eamque ſubintelligi Deus velit. Conditio autem non ubique eadem, aut omni ex parte æqualis eſt, ſed, pro ratione ipſius remiſſionis ac relaxationis, diverſa. Nam ad veram ac plenam omnium pœnarum condonationem reſipiſcentiâ omnino eſt opus. Jer. 18. Ezech. 18, & XXXIII. Matt. 3. 8, & d. Luc. 13. 3, 5, & alibi. Ad dilationem verò aut mitigationem ſupplicii, aut ad certæ tantùm pœnæ averſionem, nonnunquam ſuffecit, ſeſe coram Deo humiliaſſe, factum doluiſſe, Deum fuiſſe deprecatum. 3 Reg. 21. 29.; Jon. 3, & 4. cap. Nonnunquam & alienæ præces Exod. 32. 14, & d. & cap. XXXIII. 17. Num. 14. 19, 20. aut facta Num. 16. 46, 47. & cap. XXV. 11, 13. Job. 42. 7, 8, 9. multùm valuerunt: & gloriæ divinæ reſpectus, d. l. Exod. 32. 11, & d. Num. 14. 13, & d. Deut. 32. 27. conf. cum præced. ℣. 15, Pſal. 79. 9, 10, Eſa. 52. 5, 6. Ezech. 36. 21, & d. quæ minui ſupplicio populi divini graviore poterat. Quarum rerum omnium exempla ſacræ literæ ſuppeditant. Nulla autem in eo inconſtantiæ umbra eſt, ſi quis id, quod cum conditione decreverat, conditione non extante, non exequatur. Qua de re plura inf. cap. 25. Similiter nec ulla mendacii nota inurenda eſt illi, qui quod cum tacita conditione, ſeu mavis exceptione dixerat, non ſimpliciter exequatur. Res etiam ex iis, quæ in communi hominum vita occurrunt, exemplis clara eſt. Quoties enim parentes liberis, domini ſervis, præceptores diſcipulis, imò & principes ſubditis pœnas comminantur, quas tamen, intervenientibus precibus, ſive ipſorum delinquentium, ſive aliorum, aut alia aliqua probabili cauſſa ſuadente, remittunt? nec tamen quiſquam eis vel inconſtantiæ, vel mendacii notam propterea inurit. Nempe quia comminationes generatim omnes per ſe naturáque ſuâ relaxabiles ſunt, & ita intelligendæ, ut commminanti, ſub alienaque lege non poſito, eas liceat revocare. Nunquam quidem ſine ratione aliqua, ſed tamen ſine ratione neceſſaria. Lenitas enim ac clementia non cogitur, ſed exoratur, & blandè flectitur: quòd ſi neceſſaria planè eſt, clementia eſſe deſinit; niſi fortè neceſſitas tantùm pendeat ex promiſſo liberrimè facto. Neque verò eſt, quòd quis putet, etiam extremè contumacibus hoc pacto ſpem veniæ fore reliquam. Nulla enim ratio eſt, quæ impunitatem, præſertim plenam, hominibus extremè contumacibus à Deo dandam, & comminationis vim reſpectu ipſorum tollendam eſſe ſuadeat. Siquidem Dei majeſtatem impiè contemnere pergunt, legum auctoritatem planè proculcant, ordinem bonum, quantum in ſe eſt, penitus convellunt, & peſtes quædam ſunt minimè ferendæ, omníque beneficio divino prorſus indignæ. Nec ullo modo credibile eſt, ejuſmodi conditionem in comminatione tacitè fuiſſe comprehenſam, quæ etiam in extremè contumaces cadat, & eos a pœna omni liberare queat. Cum etiam nulla comminatione extante, impunitate prorſus ſint indigni; vel potiùs indignum Deo ſit, eorum ſcelera impunè dimittere.

Antequam autem à liberrima hac pœnas infligendi poteſtate, quâ Deum pollere docuimus, diſcedamus; illud adhuc adjiciendum eſt, quòd, utut innocentes punire revera non liceat, jus tamen ſit Deo infantes v. g. pœnæ alienæ veluti impendere, hoc eſt, eos affligere, ac tandem neci dedere, ut ipſos nocentes in iis puniat. vide 2 Sam. 12. 14, & d. Quam ob cauſſam non quóſvis ad eam rem deligit, ſed eos tantùm, qui nocentibus arctiori vinculo ſunt conjuncti, & quos ſalvos eſſe, ſontium plurimùm intereſt. Tales ſunt liberi, nepotes, ac pronepotes reſpectu parentum ac majorum. Sunt enim liberi quædam veluti partes parentum, & in poſteris progenitorum ſanguis ac nomen eſt. Itaque ut hi puniantur, illi affliguntur; idque vel unà cum parentibus, ut tantò gravior ſit eorum pœna; vel cæteroqui ſine illis, ſed eum tamen in finem, ut dolor aut ignominia ad parentes redundet, vel ſaltem hæc ipſa chariſſimorum pignorum, ac poſteritatis jactura illis in pœnam cedat. Hoc autem jus innocentes certi generis alienæ pœnæ impendendi, non oritur propriè ex delicto aliquo, nec ad jus puniendi per ſe pertinet; ſed manat ex dominio abſoluto, quod Deus in innocentes etiam citra reſpectum ad delicta aliena habuit. Itaque & in alium quoque finem bonum, ac gloriæ ſuæ ſervientem, æquè poſſet innocentes impendere, atque in pœnam alienam. Eos revera non puniri, tum apparebit, cùm de juſtitia Dei agemus. Nunc illud tantùm explicandum eſt, quod jam innuimus, non quoſvis innocentes Deum nocentium pœnæ ſolere impendere, ita præſertim, ut eos necandos curet, & iis, utut per naturam diutiùs aliàs victuri fuiſſent, vitam abrumpat. Sunt enim innocentes duplicis generis. Alii ideò inſontes ſunt, quia per ætatem ſontes eſſe nondum poſſunt; alii, quia ſontes eſſe nolunt, utut per ætatem eſſe poſſent. Illorum innocentia naturæ eſt; horum voluntatis: illa mera eſt vitii negatio; hæc virtutem habet conjunctam. Itaque dubium non eſt, hanc Deo longè acceptiorem eſſe illa, & in majori homines apud ipſum gratiâ ponere; præſertim cum tot tamque ampla ipſius extent promiſſa, innocentiæ huic, quæ in mandatorum ipſius obſervatione conſiſtit, propoſita. Deus igitur non hoc, ſed illud innocentium genus pœnæ alienæ impendere ſolet. Similiter autem & de illis judicandum eſt, qui ad hoc aut illud innocentium genus proximè accedunt: Ut igitur

nocen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nocentes in innocentibus puniat, deligere illos ſolet, qui nec mala ſua uſquequaque, nec bona poſſunt agnoſcere: quòd intellectu nondum uti, aut nondum ſatis uti queant: parentibus autem ob tenerrimum in hanc ætatem affectum, pœna ferè eſt acerbior. Quanquam non dubium eſt, vel æque acerbam, vel etiam acerbiorem eſſe, cùm liberorum mores, eruditio, fortuna ipſorum votis reſpondet. Sed in his tum demum punit parentes ac majores Deus, ſi & ipſi liberi ſint nocentes; utut tandem non eorundem cum parentibus delictorum ſint participes, aut eodem peccati genere ſe contaminarint. Satis enim eſt, eos eſſe pœnam quacunque ratione commeritos, quam poſtea in parentum ſimul aut majorum ſupplicium convertat. vide 2 Sam. 24. 13, & ſeqq. quo pacto etiam regis peccata in populo puniuntur, utut ejus peccati, cujus occaſione punitur, experte, modò aliàs nocente. At ſi qui ſint innocentes, cùm nocentes eſſe poſſent, vel ſaltem innocentibus proximi, & non niſi levi aliqua culpa obſtricti, eos nocentium pœnæ non impendit Deus. Imò propter paucos ejuſmodi innocentes, maximæ nocentium multitudini parcere paratus eſt. Ut ex iis patet, quæ de Sodomæ & finitimarum urbium excidio locutus eſt cum Abrahamo Deus. Et ad hoc reſpiciens Abrahamus dixit Gen. 18. 23, & d. *Numquid perdes juſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? & non parces loco propter quinquaginta juſtos, qui fuerint in eo? Abſit à te, ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc*, vel, ut eſt in Hebræo, *an judex univerſæ terræ non faciet judicium?* Cæteroqui quod ad infantes innocentes attinet, non ignorabat Abrahamus, neceſſe eſſe, ut ingens in illis urbibus eorum extaret multitudo: nec id tamen in hac oratione ſua uſpiam urſit; nec ejus rationem habuit Deus, quominus eodem igne abſumerentur; uti nec in diluvio, nec in urbium ſubverſionibus, aliiſque publicis calamitatibus, ob impietatem populo aut loco alicui immiſſis vid. Thren. I. 5: II. 11, 12, 19, 20: IV. 10: Joſ. 7. 24, & d. quin etiam interdum unà cum parentibus & liberos occidi, ut apparet, voluit. Unde apparet, aliam eorum innocentium eſſe rationem, qui nocentes eſſe non poſſunt, aliam eorum, qui nolunt. Poteſt autem Deus etiam hos afflictionibus pro abſoluti dominii jure objicere, aut ut eas ſponte ſubeant, præcipere. Quæ quia illis in virtutis ac pietatis materiem cedunt; ſimul etiam cedunt in præmium virtuti propoſitum, & felicitatem tantò majorem, quantò major fuerat calamitas, & quantò major, quam in iis excercuerant, pietatis conſtantia. Inter hos autem maximè eminet Chriſtus, qui & innocentiſſimus fuit, & peccatorum noſtrorum cauſſa diriſſimum ſimul & ignominioſiſſimum mortis genus adire à Deo juſſus eſt; non in ipſorum nocentium pœnam, ſed impunitatem. Tantò autem minùs, ut ipſemet puniretur. Nam nec juſtæ pœnæ ob innocentiam capax fuit; & cum ipſis nocentibus impunitatem dare vellet Deus, innocentiſſimum ſanè ac ſibi conjunctiſſimum punire noluit. Ideo & infinito præmio eum ad mortem ſubeundam incitavit, & eo perſoluto, omnem ejus acerbitatem abundè compenſavit, mortemque æternâ vitâ, dolorem infinitis gaudiis, contumeliam immenſa gloria obruit ac ſuſtulit. vid. Eſa. 53. 10, 11. Phil. 2. 9, & d. Hebr. 12. 2. quæ omnia à pœnæ propriè dictæ ratione, quæ vindicta eſt, maximè abhorrent.

Quod verò ad electionem ac conſtitutionem eorum attinet, per quos Deus leges promulget ac ſanciat, & porrò adminiſtret; præmia & pœnas tum proponat, tum confirmet, tum denique reipſa diſtribuat; bonos defendat, malos coërceat, ſuaque decreta hoc pacto ad exitum perducat; in eo iterum latiſſimè divina patet poteſtas. Ejus tot ſunt documenta, quot ſive in cœlis, ſive in terris habet regni ſui atque imperii adminiſtros, eos inprimis, qui in alios vel poteſtatem, vel auctoritatem ſaltem habent, & iis aliquo modo regendis ſunt præfecti. Quorum quidem innumera eſt multitudo. Et in terris quidem alii ſpiritualis, alii terreni ac civilis regiminis ſunt adminiſtri. Cui utrique regimini inſerviunt & angeli, inter quos ipſos poteſtatis non unus eſt gradus, ut docetur. apud Volkel. lib. 2. cap. 3. Quibus omnibus ſumma cum poteſtate præeſt Chriſtus, eorum caput à Deo conſtitutus Col. 2. 10. 1 Pet. 3: 22, conſtitutus princeps ac rex regum terræ Apoc. I. 5: XVII. 14: XIX. 16. caput Eccleſiæ Epheſ. 1. 22. Col. 1. 18, judex vivorum & mortuorum Act. 10. 42: XVII. 31: Rom. 14. 9, 10, 11. Cujus imperium ex Dei decreto ac promiſſione æternum eſt: cùm cæterarum creaturarum, & inprimis hominum poteſtas precaria ſit cenſenda, ut de dominio ſuprà diximus. Ideo Deus tranſfert imperia ac regna pro arbitrio ab uno in alium, de familia in familiam, de gente in gentem, pro voluntatis ſuæ arbitrio. Nam ut eſt apud Danielem cap. 4. 17, *Dominatur excelſus in regno hominum; & cuicunque voluerit, dabit illud humillimum hominem conſtituit ſuper eum.* Quæ ſententia apud eundem denuò repetitur, ib. ℣. 32. Quanquam alias, niſi delictum ipſorum hominum accedat, ſive eorum, qui regunt, ſive eorum etiam, qui reguntur; non facilè Deus imperia mutat. Similiter autem & imperii ac poteſtatis gradus, fines, munerum functiones, in Dei ſunt poſitæ arbitrio. Cum omnium abſolutorum regnorum maximè abſolutum ſit Dei regnum. Imò hoc ſolum verè abſolutum eſt: cætera omnia divinis legibus naturâ ſuâ adſtricta. Ut rectè Nabuchodonoſor à Deo caſtigatus pronunciarit ib. ℣. 31. 32, non tantùm ſempiternam eſſe Dei poteſtatem, ſed etiam *omnes habitatores terræ apud eum in nihilum* (ſeu *tanquam nihilum*) *reputatos eſſe: juxta voluntatem enim*, inquit, *ſuam facit tam in virtutibus* (ſeu *exercitu cœli*,) *quàm in habitatoribus terræ: & non eſt qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti?* ubi quidem & potentiam ejus & poteſtatem ſimul prædicat.

Reliquum jam eſt, ut de uſu hujus doctrinæ agamus. Is autem tantus eſt, ut ne Deum quidem eſſe, ſine ea ſatis intelligi poſſit: cum is ob eam ipſam poteſtatem, &, ex qua fluit, potentiam, Deus, ut ſuprà videmus, dicatur. Itaque facilè etiam videre eſt, quantum hæc doctrina in univerſa religionis ac pietatis ratione momentum habeat. Primùm enim eò facit, ut Deum ſumma animi demiſſione veneremur, & adoremus. Cuilibet enim poteſtati honor debetur, maximè ab iis, qui ei ſunt obnoxii ac ſubjecti: & quantò ea major eſt, tantò & honor ei debetur major: terrenæ ac civili poteſtati, terrenus ac civilis debetur; divinæ divinus ac religioſus; ſupremæ ac maximæ, ſummus ac maximus.

Deinde hinc patet, nos in omnibus Deo obtemperare, &, quicquid nobis præcipiat, id ſine tergiverſatione exſequi debere. Si enim is dominus noſter eſt abſolutus, nos ſervi ejus ac mancipia; illi quidem, quicquid præſtare poſſimus, præcipere licet; nobis autem, quicquid is præcipit, facere neceſſe eſt. Secùs qui facit, is, utut eum Dominum linguâ vocet, reipſa tamen pro Domino ſuo non agnoſcit. *Quid vocatis me Domine, Domine*, inquit Chriſtus Luc. 6. 46, *& non facitis, quæ dico?* & ipſe Deus apud Prophetam Malach. 1. 6: *Filius honorat Patrem ſuum, & ſervus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum.* In timore autem illo obſequium ipſi debitum vel inprimis comprehenditur. Tantò autem magis eum timere, & mandatis ipſius obſequi debemus, quòd ſciamus, eum poteſtatem habere non tantùm corpus noſtrum perdendi, ſed & animam, in gehenna Matth. 10. 28.

Tertio ex agnitione dominii abſoluti, quod in nos habet Deus, illud quoque fluit, ut reliquæ pietati noſtræ, & divinorum mandatorum obtemperationi, ſingularem addamus modeſtiam, & *cùm fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, dicamus, ſervi inutiles ſumus: quia quod debuimus facere, fecimus*; quemadmodum Chriſtus nos monet Luc. 17. 10.

Fluit hinc quartò & illud, ut Deo magis, quàm hominibus, utut potentiſſimis, obtemperemus Act. 5. 29. & proinde nec à veritate, nec à pietate nobis ab eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

præſcripta unquam diſcedamus, etiamſi tandem ii, ſub quorum poteſtate alioqui ſumus, id urgeant, & graviſſima nobis, ni id fecerimus, ſupplicia minentur. Potiùs hæc patienter ſunt ferenda, quàm ut vel latum unguem à Dei mandatis diſcedamus. Neque enim ſupremus dominus offendendus eſt, ne ſervos ejus offendas; atque ut horum iram ac ſupplicia effugias, in illius iram ac ſupplicia, quæ longè ſunt graviora, incurrendum. Obſequendum eſt dominis & magiſtratibus propter Deum, non adverſus Deum.

Quintò, & magiſtratus principeſque hac ratione monentur, ut cùm omnem poteſtatem à Deo acceperint Rom. 13. 1, 4, 6, ne propter eam ſuperbiant, ſed ſe coram Deo quàm humillimè demittant, miniſtros ſe ipſius eſſe cogitantes; & tales quidem, à quibus is non imperium tantùm ac poteſtatem auferre poſſit, quando libuerit, ſed in quos etiam vitæ ac necis habeat poteſtatem. Deinde ut eum in finem poteſtate ſua utantur, in quem illis data eſt, ibid 13. 3, & d. conf. 1 Pet. 2. 14: hoc eſt, ad bonorum atque innocentium defenſionem, malorum autem & ſocietatis humanæ jura violantium coërcitionem & pœnam. Ad oppreſſionem autem veritatis ac pietatis ne ea unquam abutantur, ſed id agant, ut ſub ipſorum imperio homines vitam tranquillam & quietam poſſint agere, cum omni pietate & honeſtate 1 Tim. 2. Cogitandum illis eſt id, quod dominos ſeu heros nominatim monet Apoſtolus, Epheſ. 6. 6. Col. 4. 1: ut æquitatis ſint obſervantes, etiam tum, cùm illis res eſt cum inferioribus, quia & ipſorum dominus ſit in cœlis, apud quem acceptio perſonarum non eſt.

Sextò eò facit conſideratio abſolutæ, quam Deus in nos habet, poteſtatis, ut æquo animo feramus ea, quæ ipſius voluntate nobis incumbunt, mala, nec decretis ejus obloqui ac refragari unquam audeamus. Siquidem ſcimus, id ipſi ut domino abſoluto licere; poteſtate autem ſua eum nunquam abuti. Audiendus eſt hîc Propheta Eſa. 45. 9, 10: *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ: numquid dicet lutum figulo ſuo quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt. Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis?* potiùs cum Jobo dicendum, cùm ea, quæ à Deo acceperamus, bona nobis eripiuntur: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum* Job. 1. 21, & cùm aliàs etiam affligimur: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* cap. 2. 10. aut cum Davide Semeji maledictis laceſſito 2 Sam. 16. 10: *Dominus præcepit ei ut malediceret Davidi: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* qua de re ita in Pſalmis loquitur: Pſal. 39. 9, 10, *Opprobrium inſipientibus dediſti me. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Utitur nimirum Deus paratâ hominum malitiâ ad nos affligendos caſtigandoſque: nec nos tam reſpicere debemus, quis ſit is, per quem punimur, quam quis ille, à quo punimur, & à cujus veluti manu ictus venit; & æquo animo paternam caſtigationem admittere, ut à divino ſpiritu monemur.

Addendum eſt ſeptimo loco & illud, quòd ſpem ac fiduciam noſtram alat ſuprema atque abſoluta Dei poteſtas, & ut tantò audaciùs omnia, quibus indigemus, à Deo poſtulemus, efficiat. Siquidem omnia bona in ipſius poteſtate ac manu ſunt poſita, ita ut ea pro arbitrio diſpenſare poſſit ac ſoleat. Ideo ſub precationis Dominicæ finem hæc ſubjicitur clauſula: *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula.* Quaſi dicamus, ideò hæc à te fidenter petimus, quia tu ſolus revera regnas, omniaque pro voluntatis tuæ arbitrio moderaris ac diſpenſas; adeò ut, modò tibi ita placeat, omnia nobis dare liceat. Simul autem & robur tibi ſuppetit omnia præſtandi: indeque ad te omnis redibit, & redire meritò debet gloria.

Octavò, eò facit conſideratio liberrimæ Dei poteſtatis, ut tantò majoris ipſius beneficia æſtimemus, & quantum illi debeamus, tantò rectiùs agnoſcamus. Nemo ſatis æſtimare poteſt divina beneficia, niſi qui ea jurè ſibi à Deo negari poſſe agnoverit; nec rectè agnoſcere poteſt, quantum Deo debeat, niſi qui agnoverit, nihil ſibi debuiſſe eum, qui omnia dedit. Et ut cætera nunc taceamus; beneficium remiſſionis peccatorum nemo juſtis ponderibus examinabit, nec magnitudinem divinæ benignitatis, unde manavit, expendet, niſi qui conſideraverit, quas pœnas, quàm graves atque acerbas à nobis Deus exigere jure ſuo potuerit. Qui tamen jure ſuo ceſſit, & penitus, ſi reſipiſcamus, cedere paratus eſt, ipſa etiam immortalitate nos donaturus, quam ne tum quidem verè mereremur, ſi ſanctiſſimi & ab omni labe puriſſimi eſſemus.

Nonò, eò quoque facit dominii divini, quod in omnia habet, conſideratio, ut cum nos diſpenſatores ſimus alienorum bonorum, ea, jubente Domino Luc. 16. 9, & d. libenter in alios erogemus; præſertim cùm hoc pacto noſtræ ipſorum utilitati in futurum maximè poſſimus conſulere. Juſti enim tum demùm diſpenſatores revera erimus, injuſto tamen, ſed prudenti diſpenſatori eatenus ſimiles, quatenus meriti, ut heri noſtri bonis exuti, ejus etiam domo expellamur, amicos nobis de alieno parabimus, ut cùm eguerimus, recipiamur in æterna tabernacula.

Denique & eò facit, ne conſcientiæ noſtræ hæreant in uſu iſtarum rerum, quas nobis utendas permiſit Deus. Siquidem Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Qua ratione utitur Apoſtolus 1 Cor. 10. 25, & d. de libertate loquens, quâ Chriſtiani in cibis uti ſalvâ conſcientiâ queant. Quamquam eandem ob cauſſam, earundem rerum uſu etiam abſtinere debemus, ſi is cum ſcandalo ſeu offenſione aliorum conjunctus ſit futurus. Quia idem Dominus, qui earum uſum aliàs nobis conceſſit, eodem nobis, ſi ſcandalum inde ſit exiturum, interdixit.

Cavendum autem eſt, ne poteſtatem Dei vel ſententiâ noſtrâ nimis coarctemus, vel contrà etiam ad res naturâ injuſtas extendamus. Quorum illud faciunt ii, qui Deo negant poteſtatem peccata nobis ſine ſatiſfactione, ſeu compenſatione debiti noſtri, & quidem pleniſſimâ, condonandi. Hoc illi, qui poteſtatem ei tribuunt, innocentibus peccata aliena imputandi, eoſque verè puniendi; quin etiam homines, antequam quicquam mali faciant, immutabiliter, ſeu abſque ulla conditione in eorum arbitrio poſita, æternis ſuppliciis deſtinandi, & eos in hunc ipſum finem creandi, peccandi neceſſitatem iis imponendi, &, licèt credere ob ipſius decretum non potuerint, eos tamen hoc nomine æternis cruciatibus plectendi. Qua de re cap. 25, plura dicentur.

Cap. XXIV.

De Sapientia Dei.

Vidimus hucuſque facultates, quæ Deo inſunt. Sequitur, ut illa etiam Dei attribua videamus, quæ facultatibus illis vel omnibus, vel aliquibus innituntur. Inter ea rurſus ordo quidam eſt. Alia enim aliorum aut principia quædam ſunt, aut normæ; alia verò ex illis tanquam principiis pendent, aut ad ea tanquam ad normam quandam ſeſe accommodant. Principia aut normæ cæterorum ſunt Sapientia & Sanctitas: quarum illa Intellectûs, hæc Voluntatis potiſſimùm perfectio eſt. Ex his principiis, quamquam non ſolis, pendet Beatitudo, ac Magnitudo Deo in Sacris Literis attributa, cui poſteriori & Omnipræſentia poteſt adjungi. Utraque enim non modò ſapientiâ & ſanctitate, ſed & facultatibus, quas explicuimus, omnibus nititur: quamquam diverſo modo. Beatitudo enim eorum, quæ Deo ſunt naturalia, verum ac proprium eſt conſequens: Magnitudo etiam eorum, quæ à libera Dei voluntate pendent; qualia ſunt potentiæ divinæ opera. Ad ſapientiam autem & ſanctitatem, tanquam ad normam quandam ſeſe accommodant ea, quæ ita Deo inſunt, ut à voluntate ipſius pendeant, plæraque liberè, nonnulla etiam neceſſariò. Eorum alia cum habitibus, qui nobis inſunt, ſimilitudinem quandam habent, quorum etiam nominibus appellantur, ut Benignitas, & Severitas. Alia, ut actus revera ſunt, ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& eorum nomina ſortiuntur; ut ea, quæ affectuum ſunt inſtar, & decreta. De quorum diſcrimine ſuo loco dicetur. Nunc ad ea, quæ enumeravimus, explicanda nos accingemus, ſervato eodem, quo illa propoſuimus, ordine.

Ut igitur à Sapientia incipiamus, à qua cætera omnia vel pendent, vel diriguntur; ejus nomine hoc loco omnem rerum cognitionem complectimur, ſive illa ſimplex ſit, ſive practica, & in agendo occupata. Deum autem ſapientem eſſe ſacræ literæ innumeris locis teſtantur, quæ etiam *ſolum ſapientem* eſſe, Rom. 16. 26. 1 Tim. 1. 17. Jud. ℣. ult. & eodem ſenſu *ejus eſſe ſapientiam* aſſerunt Dan. 2. 20,21,22: quòd & ſolus à ſeipſo, & perfectiſſima ratione ſit ſapiens: cum cæteri omnes, qui ſapientes ſunt, ab ipſo, diverſo perfectionis gradu, ſapientiam hauſerint. Probant eandem manifeſtè admirabilia Dei opera; rerum omnium ab eo productarum pulcherrimus ordo, multiplex uſus; earundem conſervatio ac providentia, quæ in minimis etiam Dei operibus elucet. Sanè hanc Dei ſapientiam prædicat Pſaltes Pſal. 104. 24: CXXXVI. 5: aliique Prophetæ Jer. 10. 12: LI. 15: & mortalium aliquando ſapientiſſimus Salomon Prov. 3. 19,20: VIII. 22, & d. nec immeritò viri docti ſtatuunt, Paulum 1 Cor. 1. 21 nomine *ſapientiæ Dei,* in qua mundus, ſapientiæ ſuæ ope, Deum non cognoverit, per Metonymiam effecti intelligere rerum omnium ſtructuram ſapientiſſimè conſtitutam, unà cum perpetua illa providentia, quâ res alioqui facilè perituræ conſervantur. Probant hanc & ea, quæ in religione Chriſtiana continentur, aut ejus confirmandæ cauſſa per Chriſtum facta ſunt; qui propterea rectè à Paulo, ut *potentia* ita & *ſapientia Dei* vocatur. Quin, ut idem Apoſtolus docet 1 Cor. 1. 24: à tempore publicati inter omnes gentes Euangelii, *innotuit principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam,* hoc eſt, per ea, quæ in Eccleſia Chriſti, aut circa eam fiunt, *multiformis ſapientia Dei* Epheſ. 3. 10. Unde non immeritò Deum, tanquam auctorem Euangelicæ prædicationis, & myſterii in eo patefacti celebrans, cum *ſolum ſapientem* vocat Rom. 16. 26. 27; quia nimirum ſumma ejus ſapientia in eo myſterio appareat, qua de re nunc non eſt fuſiùs agendi locus. Satis ea res ex his libris patebit, ea præſertim parte, quâ de Chriſtiana religione agetur.

Non eſt autem facilè univerſam divinæ ſapientiæ rationem una definitione comprehendere. Etſi enim dicere poſſes, eam eſſe exactiſſimam rerum cognitionem; ea tamen definitio uni tantùm illius parti, quæ quidem naturâ prior eſt, propriè competere videbitur. Nam duplex Sapientiæ divinæ eſt ratio, ſeu duæ ſunt illius veluti partes. Altera magis theoretica ſeu contemplativa eſt, & in nuda rerum cognitione conſiſtit; altera practica atque effectiva, quæ tum in conſiliis ac decretis, tum in ipſa operum divinorum effectione, & univerſa rerum gubernatione cernitur. Hæc autem poſterior illius pars, non eſt ſimplex rerum cognitio; ſed potiùs ex ſimplici rerum cognitione efflorеſcit, eique innititur. Prior illa reſpondet tum cognitioni ſenſuum noſtrorum, tum cognitioni illi intellectus, quæ ad contemplativas ſcientias potiſſimùm pertinet. Poſterior autem reſpondet prudentiæ noſtræ, & artibus: quarum illa in delectu rerum, in conſiliis, ac porrò in gubernandis tum noſtris, tum alienis actionibus verſatur: hæc in operibus variis aptè efformandis ac perficiendis. Hæc autem poſterior Sapientiæ pars potiſſimùm, omniumque frequentiſſimè deſignari videtur, cùm ſapientiæ divinæ expreſſa fit mentio; quia populariori, præſertim apud Judæos, orationis genere utuntur ſacræ literæ. vide inter alia Exod. 28. 3: XXXI. 6: XXXVI. 1, 2, 8. Deut. 1. 13, 15: XXXIV. 9. 3 Reg. 2. 6, 9: & cap. 3. 2. Illi autem ſapientiæ nomine crebrò viros prudentes ac ſolertes intelligunt, etiam illos, qui in aliquo artis mechanicæ genere excellunt. Cùm autem de priori ſapientiæ divinæ parte, ſeu actionibus ad eam pertinentibus ſermo eſt, ſciendi, cognoſcendi, intelligendi, nonnunquam & ſcrutandi, aut probandi ſeu explorandi verbo utuntur ſacræ literæ. Et propter hanc inprimis Deus videtur *Deus ſcientiarum,* hoc eſt, ſcientiſſimus fuiſſe in ſacris literis appellatus. 1 Sam. 2. 3.

Ut igitur de Scientia divina agamus; in eo potiſſimùm noſter occupabitur labor, ut oſtendamus, quàm latè ea ſeſe extendat, ſeu quàm latè objectum illius pateat. Id enim & ſacræ literæ nobis de ſcientia divina maximè inculcant; cum id unum etiam de ſcientia divina tenere ad religionem ac pietatem ſufficiat. De eo autem ita agemus, ut primò videamus, quid ſacræ literæ hac de re aſſerant: deinde id aliquantò diligentiùs explicabimus, ut erroribus, qui circa hanc rem occurrunt, obviàm eamus. Objectum ſcientiæ divinæ ejuſque amplitudinem breviter ſignificat Johannes, dum ait, Deum *omnia* ſcire 1 Joh. 3. 20. Comparat autem Deum ea in re cum corde noſtro, & ſignificat, eum noſtrorum etiam factorum majorem ac certiorem notitiam habere, quàm cor ſeu conſcientia uniuſcujuſque noſtrûm propria. Etſi autem omnium creberrimè in ſacris literis ea Dei ſcientia commemoratur, quâ res humanas omnes, etiam cogitationes in intimis mentium receſſibus latentes complectitur: quia hæc ſcientiæ divinæ pars creditu eſt, ut difficillima, ita nobis maximè neceſſaria: ſcientia tamen divina ad cæteras etiam res extenditur. Et ſeipſum quidem quin penitus nôrit Deus, quis dubitet? Certè ſi ſeipſum ignoraret, nec ſapientis nomen mereretur, nec rerum creandarum conſilium ſuſcipere unquam potuiſſet. Neceſſe enim eſt, ut vires ſuas immenſas, quibus res omnes & condere, & diſponere ac gubernare poſſet, probè cognitas haberet. At ſi has probè cognitas & habuit, & habet; cur non & cætera, quæ ipſi inſunt? Verùm hanc ſui notitiam, quam Deus habeat, aut tanquam nimis manifeſtam, aut tanquam ad nos ſalutemque noſtram per ſe non pertinentem, nominatim commemorare non ſolent ſacræ literæ: ſed ad eam divinæ ſcientiæ partem nos revocant, quæ ad providentiam, atque inprimis ad rerum humanarum gubernationem ac procurationem ſpectat, & ad cogitationes etiam noſtras extenditur. Has autem ſi novit Deus, quis negare audebit, eum noſſe cætera, quæ vel apertiora ſunt, vel non magis cognitu difficilia, quàm ſunt occulta hominum conſilia? Certè ſacræ lit. cùm Deum res humanas exactè cognitas habere docent, ea ſæpe dicunt, quæ ad res etiam cæteras extendi & jurè poſſunt, & debent. Cùm enim inter alia Pſaltes ita de Deo ait Pſal. 33. 15: *Qui finxit ſigillatim* (Hebr. *ſimul*) *corda eorum* (nempe *omnium filiorum hominum*) *qui intelligit omnia opera eorum;* ſignificat, non mirandum eſſe, Deum opera humana, etiam quatenus ex animi conſilio æſtimanda ſunt, noſſe; quia Deus hominum omnium corda finxerit. Quis enim dubitet, eum, qui tantâ polluit ſapientiâ, ut corda omnium finxerit, etiam intelligere hominum opera; & potentiæ immenſæ, quâ iſta effecerit, parem in illo ſapientiam eſſe? quis dubitet, eum ita corda hominum finxiſſe, ut intelligere ſemper poſſet, quidnam iſtic foveant, quæ agitent conſilia, quid moliantur? Finxit enim ideo, ut etiam regeret, iiſque pro arbitrio ſemper uteretur; quam ad rem cognitio operum, atque adeo animorum, vel inprimis pertinet. Hæc autem ratio an non & ad cæteras res à Deo creatas extendi jurè poteſt, ac debet? Similia ſunt apud Eſaiam. Poſtquam enim dixiſſet Eſa. 29. 15, 16, *Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis novit nos?* eos ſtatim refutans ait: *Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo: Non feciſti me: & figmentum dicat fictori ſuo: Non intelligis.* Jeremias autem oſtenſurus, Deum omnes homines, eorumque opera, utut aliàs occulta, cernere, ait Jer 23. 23, 24: *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus?* quaſi dicat, num putas me Deum eſſe, qui hominis inſtar propinqua tantùm videre ac cernere, aut curâ meâ complecti, & efficaci virtute at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tingere poſſim? Haudquaquam talis ego ſum: ſed etiam longiſſimè ſemota aſpicio ac percipio, & in ea potentiam meam exſero. Quare non eſt, quòd quis putet, ſe meam ſcientiam effugere poſſe, utut ſe maximè occultet. Omnia ego loca ſpiritu ac providentia mea impleo; nullo ſapientia ac potentia mea loco excluditur, nullo includitur. Non abſimilia his leguntur apud Davidem Pſal. 139, ubi ſat fuſe admirabilem Dei ſcientiam, quâ res humanas comprehendat, in ſua perſona explicat; dignaque ſunt illius verba, quæ hîc adſcribantur. Multorum enim teſtimoniorum ſunt loco. Ait ergo ℣. 1, & d: *Domine probaſti* (ſeu *exploraſti*) *me, & cognoviſti*: (præteritis utitur pro præſentibus:) *tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculum* (Hebr. *accubitum*) *meum inveſtigaſti; & omnes vias meas prævidiſti: quia non* (vel *nondum*) *eſt ſermo in lingua mea, ecce tu, Domine, cognoviſti omnia, noviſſima & antiqua* (Heb. *retrò & ante*) *tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt* (Hebr. *excelſa* vel *exaltata eſt*) *& non potero ad eam* (ſeu *non poſſum eam aſſequi.*) *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumſero pennas meas diluculo,* (Hebr. *alas auroræ*) *& habitavero in extremis maris; etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: Et dixi, Forſitan tenebræ occultabunt me: & lux illuminatio mea in deliciis meis*: (Hebr. *lux eſt propter me*, vel *circum me*:) *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ, ita & lumen*: (ſic eſt in Hebræo:) *Quia tu poſſediſti renes meos*; & quæ ſequuntur. Quibus verbis docemur, omnia cernere Dei oculum, & ubique ejus ſpiritum potentemque virtutem adeſſe præſentem. Adde his, quòd cum Deus naturas rerum condiderit, & ut tales eſſent, quales ſunt, conſilio ac voluntate ſua effecerit, eas ignorare non poſſit; niſi eum obliviosum eſſe velis, qui, quales finxerit, non ampliùs meminerit. Itaque quæ conſtantis naturæ ſunt, in numerato eum ſemper habere certum eſt. Quod exemplo ſtellarum, quas nominatim recenſeat, nobis oſtendunt ſacræ literæ Pſal. 147. 4: Eſa. 40. 26. Quod ad ea attinet, quæ oriuntur & occidunt, variiſque mutationibus ſunt obnoxia; nec ea Deum, etiam quatenus mutantur, & nunc hoc, nunc illo modo ſe habent, ignorare, illud docet, quod de paſſerculis, viliſſimo avicularum genere, aſſerit Chriſtus Matth. 10. 29, 30, ne unum quidem eorum cadere ſuper terram ſine Patre noſtro, hoc eſt, ſine ipſius ſcitu ac permiſſu. Unde porrò vult colligi, multò minùs nobis quicquam ſine ipſius ſcitu ac voluntate accidere poſſe, qui multis paſſeribus præſtantiores ſimus, & quorum etiam omnes capitis pili ſint numerati, hoc eſt, quorum res non tantùm maximæ, ſed & minimæ Deo ſint curæ. Quòd ſi plures deſideras locos, in quibus de cognitione agatur rerum, operum, cogitationum ac conſiliorum humanorum, ſive bonorum, ſive malorum, quam Deus habeat; vide inter alios Deut. 31. 21: 1 Sam. 16. 7: 3 Reg. 8. 39: Pſal. 7. 10: XXXVIII. 10: XCIV. 11: Prov. 15. 11: XVI. 2: XXIV. 12: Jerem. 17. 9, 10: Ezech. 11. 5: Sirac. 23. 28: Act. 1. 24: XV. 8: Rom. 8. 27: 1 Theſſal. 2. 4, in quibus locis de cordium inſpectione, & cogitationum humanarum notitia ſermo eſt. De aliis autem actionibus hominum, rebúſque, quæ in terra geruntur, licet aliàs occultis, loquuntur iſta: 1 Paral. 28. 9: 2 Paral. 16. 9: Job. 28. 23: XXXI. 4: Pſal. 94. 7, & d. Prov. 5. 21: XV. 3: Sirac. 17. 13, & d. 23. 29: XXXIX. 24: Jer. 32. 19: Matth. 6. 4, 6, 8, quibus addi poſſunt & loca de Chriſto loquentia Rom. 2. 16, per quem Deus occulta hominum eſt judicaturus; cui proinde cognitio factorum & conſiliorum humanorum, cordiumque notitia data eſt, Marc. 2. 8: Joh. 1. 48, 49: II. 24, 25: VI. 64: XVI. 30: XXI. 17: 1 Cor. 4. 4, 5: Apoc. 2. & 3. capp. ubi in ſingulis epiſtolis ad Angelos Eccleſiarum Aſiaticarum ſcriptis teſtatur Chriſtus, ſe ipſorum opera noſſe, eaque ex parte recenſet; & inter alia expreſſe teſtatur, ſe ſcrutari corda & renes cap. 2. 23. Quæ tam admirabilis ſapientia, ex inexhauſto divinæ ſapientiæ fonte, vel Oceano potiùs fluxit.

Quòd ſi per temporum etiam differentias ire libet, & ex iis rerum genera diſtinguere; itidem videbis, nullum rerum genus à Deo ignorari. De præſentibus, quæ per ſe maximè ſub cognitionem cadunt, nihil eſt opus dicere. His præterita ſunt proxima. Ea ſub cognitionem Dei cadere, nemo poteſt ignorare, qui nôrit, præterita Deum hinc inde in ſacris literis recenſere. Poſtulat id præmiorum ac pœnarum perſolutio, atque inprimis univerſale illud judicium, quod per Chriſtum eſt habiturus; in quo cuique pro præteritis ipſius factis, ſive bonis, ſive malis, redditurus eſt. Adde, quòd memoria Deo expreſſe in ſacris literis tribuatur Pſal. 105. 8, 42: CVI. 45. Luc. 1. 72. Ut cùm dicitur meminiſſe Teſtamenti aut juramenti ſui. Etſi enim ideo potiſſimùm dicatur meminiſſe rerum, quia earum habeat rationem, eas curet, aut propter eas aliquid faciat: hoc tamen ipſum facere non poſſet, niſi res illas teneret ac noſſet. Quòd verò Deus factorum quorundam dicitur oblivisci, aut, ut peccatorum oblivisci velit, rogatur, vide inter multa alia Pſal. 13. 2: XLII. 13. Jer. 31. 34. Ezech. 18. 22, 24: XXXIII. 13. Oſ. 1. 6: IV. 6. Metonymiam in obliviſcendi verbo eſſe conſtat: qualem etiam in verbo contrario uſurpari jam indicavimus. Quemadmodum enim meminiſſe eorum dicitur, quorum rationem habet, quæque curat: ita contrà eorum obliviſci, quorum rationem habere non vult, & quæ extra curam ſuam quodammodo ponit. Homines enim eorum rationem habere non poſſunt, quorum obliviſcuntur; contrà, quorum ſunt memores, eorum, ſi cæteroqui curam aliquam requirere videantur, rationem habere ſolent; aut viceverſa ob id ipſum, quia eorum rationem habent, eorum diligenter meminerunt. Inde ergo factum eſt, ut meminiſſe ſumatur pro curare, obliviſci pro negligere, ac extra curam ſuam ponere. Ex eodem fonte & illi manârunt loquendi modi, ut Deus dicatur rerum quarundam recordari, aut res aliquæ aſcendere vel venire in memoriam ante Deum Pſal. 109. 14, 15. Act. 10. 4. Apoc. 16. 19; nempe quia Deus, qui eas aliquando non curare viſus eſſet, earum rationem habere, & ipſo id opere teſtari velit. Non infrequens enim eſt Hebræis, ut vocibus ad ſenſum aut intellectum pertinentibus, pro verbis actionem voluntatis aut affectum ſignificantibus utantur. Et ne longè abeamus, tum id fit, cùm Deus aut Chriſtus dicitur noſſe eas ſive res: ſive, quod frequentius eſt, perſonas, quas amet, probet, ac pro ſuis agnoſcat; Pſal. 1. 6. Amos 3. 2. Nah. 1. 7. 1 Cor. 8. 3. 2 Tim. 2. 19: aut prænoſſe eos, quos antea elegerit Rom. 11. 2. 1 Pet. 1. 20. Itaque cæteros à Deo aut Chriſto non cognoſci vel expreſſe dicitur, vel apertè ſignificatur; cum tamen eoſdem alioquin optimè nôrit. Nam cùm v. g. Deus dicit ad Iſraëlitas d. l. Amos 3. 2. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* An non ſignificat, ſe nullam cæterarum cognationum terræ cognoviſſe? Chriſtus autem expreſſe ait Matt. 7. 23, ſe aliquando dicturum impiis, *Nunquam novi vos*, aut ſimpliciter, *Neſcio vos*, c. 25. 12, non quia eos propriè loquendo non nôrit, ſed potiùs quia eos optimè nôrit, ac ſciat, qui ſint, & quibus ſint præditi moribus. Dicet enim: *Diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Quare quia eos noverit eſſe homines impios, ideo nunquam eos ſe dicet noviſſe; ut *non nôſſe* ſcientiæ propriè dictæ effectus ſit & indicium, non ignorantiæ.

Quod denique attinet ad res futuras; illas etiam Deum noſſe, apertiſſima ſunt in ſacris literis documenta. Rectè quidam ex veteribus ſcriptum reliquit *, *Præſcientiam Dei tot habere teſtes, quot fecit Prophetas.* Etſi enim Prophetæ loquuntur etiam de præſentibus & præteritis, dum hominum facta, verbi gratiâ, reprehendunt; magis tamen eorum proprium eſt futura, & alia incognita atque occulta divino ſpiritu patefacere; nec quiſquam eorum extitit, quorum monumenta ſunt reliqua, qui futuri quippiam non annunciârit. Similiter & in N. Teſt. vaticinia non pauca legimus,

* Tertull. l. 2. cont. Marcionem.

qui-

quibus ètiam maxima Apocalypſeos pàrs dicata eſt. Hac futurorum prænotione Deus inter alia ſeſe à fictitiis Diis vult diſcerni, & ſe ſolum pro vero Deo agnoſci, quia ſolus futura annunciare poſſit, ac reipſa annunciet, Gentium dii non poſſint. Patet id ex Eſaiæ non uno loco. Eſa. 41. 22, 23, 26: cap. XLIV. 7, 8: cap. XLVIII. 3, 5, 6, 7, 14, & d. Et inter cætera quidem ita alloquitur commentitia illa Gentium numina: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quòd dii eſtis vos.* Nullum ergo rerum genus excipitur, quod Deus cognitum non habeat. Illud autem vix monere neceſſe eſt, Deum non univerſalia tantùm, ſeu rerum genera, ſed & ſingularia habere cognita: cùm cura, providentia ac gubernatio divina, ad quam judicium de uniuſcujuſque factis, & præmiorum diſtributio, pœnarumque inflictio pertinet, circa ſingularia maximè verſetur: & nimis apertum ſit, Deum de rebus ſingularibus, præſentibus, præteritis, ac futuris, in ſac. literis loquutum.

Poſtquam ergo vidimus, quid de amplitudine objecti divinæ ſcientiæ ſacræ literæ aſſerant, aut ex iis colligi queat; ſequitur, ut aliquantò accuratiùs rem declaremus. Dictum autem eſt, Deum *omnia* ſcire, etiam alioquin abſtruſiſſima. Quemadmodum verò, cùm dicitur, Deum omnia poſſe, ea intelliguntur omnia, quæ ſub potentiam ullam cadunt, ſeu quæ naturâ ſuâ ſunt poſſibilia: ita etiam cùm dicitur, Deum omnia ſcire, intelligenda ſunt omnia ſcibilia, ſeu omnia, quæ ſub ſcientiam ullam cadunt. Scibilia autem ſunt, quæ entitatem, ut loquuntur, habent, ſive reſpectu præteriti temporis, ſive reſpectu præſentis, ſive denique reſpectu futuri. Etſi enim etiam de non ente loqui ſoleamus, & porrò etiam illud aliquo modo intelligere: id tamen per ſe ac quà tale eſt, non magis intelligi poteſt, quàm tenebræ videri. Cùm enim non ens, præſertim ſimpliciter ita dictum, nihil prorſus ſit; omnem mentis obtutum, quà tale eſt, effugit, & ſub cognitionem non cadit. Cognoſcitur tamen & æſtimatur quodammodo ex ſuo oppoſito, hoc eſt, ex eo, quod eſt: quemadmodum tenebræ ex lumine. Sic & impoſſibilia quodammodo cognoſcuntur ex poſſibilibus aut neceſſariis. Nam termini inter ſe aliqua ratione oppoſiti, ex quibus impoſſibilia veluti conſtitui finguntur, ſunt, aut eſſe poſſunt. Niſi fortè eorum alter ſit plane negativus, qui itidem non niſi ex ſuo oppoſito intelligitur. Similiter & repugnantia terminorum revera eſt, in qua impoſſibilitatis ratio ſita eſt. Siquidem ea prohibet, quominus termini illi componantur, & ſic res impoſſibilis revera exiſtat. Sic duos eſſe Deos ſummos impoſſibile eſt. Cognoſci autem id ipſum poteſt, quia & quid Deus ſupremus ſit, quatenus hîc neceſſe eſt, intelligitur, & quid duo ſint; ſimiliter etiam pugna inter iſtos terminos tacita intelligitur: & ſic in cæteris. Jam verò entia alia ſunt potentiâ tantùm, ut res qualicunque modo futuræ; vel actu; in quorum poſteriorum numero non præſentia tantùm, ſed & præterita hîc ponimus. Horum quodlibet, prout entitatem habet, à Deo cognoſcitur. Deus enim ita rem concipit, ut revera eſt. Siquidem is nunquam fallitur. At cùm quis aliter rem concipit, quàm ea ſeſe revera habet, errat ac fallitur. Quod ergo præteriit, ut præteritum concipit & novit Deus; ſimiliter præſens, ut præſens; poſſibile aut futurum, ut poſſibile aut futurum; idque vel ſimpliciter, vel ſub quadam conditione. Porrò cùm poſſibilia, ſi latè hoc nomen ſumatur, in duplici ſint differentia: alia enim ita ſunt poſſibilia, ut neceſſariò etiam ſint futura; alia non neceſſariò, ſed contingenter tantùm; quæ poſteriora plerumque ſimplici poſſibilium nomine intelligi ſolent: quodlibet iſtorum, prout ſeſe reipſa habet, cognoſcit Deus, ob rationem jam dictam. Neceſſariò ergo futura concipit, ut neceſſariò futura; contingenter futura, ut contingenter futura. Contingentium autem futurorum hæc eſt ratio, ut poſſint etiam non fieri. Ob hoc ipſum enim contingenter futura dicuntur, & neceſſariis opponuntur. Quare cum in ſe adhuc ſint indeterminata, & in utramque partem aliquo modo indifferentia ac veluiti flexibilia; Deus etiam illa novit, ut indeterminata, & in utramque adhuc partem flexibilia. Diximus autem, illa *aliquo modo* eſſe indifferentia, non prorſus abſolute ac ſimpliciter. Quia etſi omnia ejus generis ita ſint comparata, ut & fieri poſſint, & non fieri; ferè tamen fit, ut in alterutram partem magis inclinent; hoc eſt, ut vel veriſimilius ſit illa futura eſſe, quàm non futura; vel contra. Ejus autem rei ratio omnis latet in cauſſis. Futura enim entitatis ſuæ rationem totam à cauſſis ſuſpenſam habent; & ideò poſſibilia ſunt, quia cauſſæ extent, quæ eas producere, ut ut fortè longa effectuum ſerie interveniente, poſſint. Et alia rurſus certò ac neceſſariò futura ſunt, quia cauſæ tales extant, quæ neceſſariò ea ſint producturæ; alia non neceſſariò, quia cauſſæ non extent neceſſariò ea producturæ. Quòd ſi ergo cauſæ ſint, quæ magis in id inclinent, ut agant, & effectum producant, quàm ut non producant; effectus etiam ipſe magis futurus cenſetur, quàm non futurus. Verbi gratiâ, ſi nubes cogantur denſæ, que jamjam videantur pluviam emiſſuræ; contingenter quidem futura eſt pluvia; ſed magis tamen cenſetur futura, quàm non futura; niſi evidens appareat impedimentum cauſſis illis pluviæ validius. Similiter etiam in contrarium ſe res habet. Ut, hominem aliquem validum ac vegetum ad veſperam uſque non moriturum, quàm moriturum, veriſimilius eſt; licet mori interea poſſit. Et Græci quidem, ut ea, quæ certò futura ſunt, ab iis diſtinguant, quæ ſint veriſimiliter futura; illa quidem ἐσόμενα vocant, aut vocare linguæ ſuæ convenienter poſſunt; hæc verò μέλλοντα. Quam diſtinctionem tradit ipſe Ariſtoteles in libello de Divinatione per ſomnum. Cauſſam enim reddens, cur quædam ſomnia, res futuras portendentia, reipſa non eveniant; ait, ſomnia ejuſmodi eſſe ſimilia ſignis illis, ex quibus futuras tempeſtates, pluvias, aut ventos, conjectare ſolemus, quæ tamen non ſemper eveniunt. Si enim contingat, ut potentior aliquis motus vim cauſſarum tempeſtatem minantium impediat, non reſpondet eventus ſigno illi. Quo pacto & multa rectè ab hominibus decreta effectu ſuo carent, valentiori cauſſa impediente. ὅλως γὰρ (inquit) οὐ πᾶν γίνεται τὸ μελλῆσαν, οὐδὲ τὸ αὐτὸ τὸ ἐσόμενον, καὶ τὸ μέλλον. Quæ ita reddidit interpres: *Omnino enim non omne fit, quod futurum erat. Neque idem Quod erit, & Quod futurum eſt.* Quorum duorum, nempe τοῦ ἐσομένου, ejus *Quod erit*, & τοῦ μέλλοντος, ejus *Quod futurum eſt*, hæc eſt differentia, ut illud certò, ac porrò neceſſariò ſit futurum; hoc veriſimiliter tantùm. Itaque illius planè determinata eſt veritas; hujus non item. Hinc illud etiam determinatè cognoſci poteſt; hoc non item: & ſi quis hoc poſterius determinatè mente concipiat, & futurum credat, fallitur. Aliter enim rem concipit atque eſt. Eadem autem ratio eſt etiam oppoſiti, hoc eſt, ejus, quod non eſt μέλλον aut ἐσόμενον. Quia verò ea, quæ propriè ſunt μέλλοντα, ſeu veriſimiliter eventura, nonnunquam ad ἐσόμενα, ſeu certò ac neceſſariò futura, proximè accedunt; ideo quod ad verba attinet, ſæpè ea confunduntur, & ne Græci quidem, in vulgari præſertim ſermone, ea ſemper diſcernunt. Fit autem id propterea, quia vis cauſſarum quarundam impediri difficulter, ſi à Deo non inhibeatur, poſſit. Quantò autem difficilius vis cauſſarum impediri poteſt; tantò effectus accedit ad τὰ ἐσόμενα propiùs. Sunt enim τὰ ἐσόμενα, ut diximus, quæ certò ac neceſſariò eventura ſunt, ac porrò non poſſunt non fieri. At quantò difficiliùs vis cauſſarum impeditur, tantò effectus ad ea, quæ non poſſunt non fieri, accedit propiùs. Difficultas enim impoſſibilitati vicina eſt, & quidam ad eam veluti gradus. Unde de rebus, quæ difficulter admodum impediri ſolent, dicere vulgo ſolemus, impoſſibile eſſe quin eveniant: & de eorum contrariis, hoc eſt, factu admodum difficilibus, impoſſibile eſſe ut eveniant. Quidni ergo illa ſimpliciter futura aut eventura dici queant, quæ difficulter impediri poſſunt; aut contrà non futura vel eventura, quæ vix fieri queunt? Idem de cæteris etiam eſt judicandum, quæ valde probabile eſt vel eventura, vel non eventura. Cum ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deus omnia, prout reipſa ſe habent, cognoſcat; ἐσόμενα, ſeu certò futura, cognoſcit ut talia; ſimiliter & μέλλοντα, ut μέλλοντα, ſeu veriſimiliter eventura, pro ratione cauſſarum, unde pendent. Eodem modo & ea, quæ in medio ſunt conſtituta, & velut in æquilibrio pendent, ut talia novit. Quòd ſi dicas, illum ut ἐσόμενα concipere ea, quæ tantùm ſunt μέλλοντα, aut etiam prorſus media ſeu indifferentia; eum dices falli ac errare. Itaque inconſideratè illi faciunt, qui futura contingentia Deum determinatè ſcire ajunt, quia aliàs non eſſet omniſcius: cùm potiùs ideo illa determinatè futura non concipiat, quia eſt omniſcius, & in rebus cognoſcendis nunquam errat, nunquam non verum intellectu concipit. Veritas enim conformitas eſt ſeu convenientia intellectûs cum re ipſa. Qui ergo ea, quæ reipſa ſunt indeterminata, aut non ſimpliciter futura, concipit ut determinatè ac ſimpliciter futura; ejus intellectus cum re non convenit, ſed ei potiùs adverſatur; ac porrò fallitur. Itaque qui ad eum modum omniſcientiam Dei urgent, perinde faciunt, ac ſi quis diceret, quia Deus omnipotens eſt, ideò eum etiam ægrotare poſſe. Nam ob id ipſum omnipotens non eſſet, ſi ægrotare poſſet. Diximus autem jam antea, omniſcientiam Dei ad omnia ſcibilia extendi, quemadmodum omnipotentia ad omnia poſſibilia. Et quemadmodum huic nihil detrahitur, cùm ad impoſſibilia extendi negatur: ita nec omniſcientiæ, cùm negatur ad ea extendi, quæ ſcibiliâ naturâ ſuâ non ſunt, ſeu ſub nullam ſcientiam cadunt. Talia autem ſunt futura contingentia determinatè ſumta.

Etſi autem hæc ſententia veriſſima eſt, & non modò cum omniſcientia divina non pugnat, ſed etiam ad eam ſtabiliendam omnino pertinet: tamen, quia ab illis, quibus præjudicatæ opiniones ad veri cognitionem obſtant, acerbiſſimè ferè oppugnari, & impietatis accuſari ſolet; operæ pretium eſt pluribus eam confirmare, & inſignem ejus in re pietatis ac religionis uſum oſtendere. Tantum enim abeſt, ut ea cum religione ac pietate ulla ex parte pugnet, ut religio ſine illa defendi nequeat, utpote quam ſententia contraria vi ſua penitus convellit. Nam ſi omnia futura, qualiacunque ſint, Deo ab omni æternitate determinatè cognita fuiſſe contendas; neceſſe eſt ſtatuere, omnia neceſſariò fieri, ac futura eſſe. Unde ſequetur, nullam eſſe aut fuiſſe unquam humanæ voluntatis libertatem; ac porrò nec religionem. Quin & ipſi Deo arbitrium, ſeu voluntatis libertas neganda erit. Quod nil eſt aliud, quàm Deum negare Deum eſſe. Ut alia nunc reticeam abſurda, ex eo dogmate in Deum redundantia, inferiùs, quantum inſtituti noſtri ratio feret, commemoranda. Nam ſi omnia determinatè ab æterno fuerunt Deo cognita; nihil in rerum natura erit, quod abſolutè ſit contingens, ſed omnia erunt neceſſaria. Abſolutè autem contingens dico, quod habita ratione omnium cauſſarum, à quibus pendet, contingens eſt, hoc eſt, non tantùm ratione cauſſarum ſecundarum, à quibus fortè proficiſci queat; ſed etiam ratione cauſſæ primæ, hoc eſt, Dei: ita ut ſimpliciter poſſit vel fieri, vel non fieri. Sunt enim qui contingentia quidem dari in rerum natura fatentur; ſed tantummodo reſpectu cauſſarum ſecundarum aut proximarum, à quibus illa proficiſcantur; non reſpectu cauſſæ primæ. Nam reſpectu hujus omnia neceſſariò fieri volunt: reſpectu autem cauſſarum ſecundarum contingenter: nempe quia, ſi cauſſæ illæ per ſe ac ſuâ naturâ conſiderentur, indifferentes ſint, hoc eſt, poſſint & agere, & non agere: quatenus autem à prima cauſſa dirigantur, aliter agere non poſſint, quàm agunt. Itaque reipſa neceſſariò agunt; non quidem neceſſitate naturali ac interna; ſed neceſſitate externa, quæ nimirum pendeat à cauſſa prima. De tali contingente hîc non agimus; quia id revera ad neceſſaria pertinet, utut fortè neceſſitas illa ignoretur à cauſſis ſecundis in actione verſantibus: ſed de eo, quod abſolutè contingens eſt. Jam verò nullum abſolutè contingens in rerum natura eſſe poteſt, ſi eorum eſt & ſemper fuit determinata veritas, ſecundùm quam à Deo ab omni æternitate potuerint cognoſci, atque adeò cognita fuerint. Quicquid enim ſemper eſt, ſemperque fuit, neceſſarium eſt, ut ſuprà jam alicubi monuimus. Quod ſi ergo omnium rerum veritas jam ab omni æternitate fuit definita; neceſſaria eſt, nec aliter ſeſe habere poteſt. Simul autem & cauſſas rerum omnium ab omni æternitate ad ſuos effectus determinatas fuiſſe neceſſe eſt. Nam & diſpoſitio cauſſarum ad rerum numerum pertinet. Qui ergo v. g. peccat, is jam ab omni æternitate ad id determinatus fuit, ut peccaret. Unde conſequitur nullam eſſe illius culpam. Si qua enim illius eſſet culpa, in eo eſſet, quòd ſeſe ad hunc effectum, nempe peccatum, diſpoſuiſſet ac determinaſſet. Atqui jam diſpoſitus ad eam rem fuerat, antequam eſſet. Quòd ſi quis nihilominus contendat, poſita determinata rerum omnium ab æterno veritate, aliquid abſolutè contingens dari; is non videt, duo inde ſecutura impoſſibilia. Prius eſt, idem ſimul fore & poſſibile, & impoſſibile. Nam ſi abſolutè contingens eſt; poteſt aliquid & fieri, & non fieri; & ſic utrumvis contradictoriorum verum eſſe. At ſi futurorum contingentium determinata eſt veritas, ſemperque fuit; non poteſt utrumvis contradictoriorum verum eſſe aut fieri. Etenim ſi determinatè verum eſt, rem non futuram; verum eſſe non poteſt, rem futuram. Aliàs id, quod determinatè verum eſt, poſſet fieri falſum; & contrà falſum poſſet fieri verum. In exemplo res fiet manifeſta. Si ab æterno determinatè verum fuit, Adamum eſſe lapſurum; fieri non potuit, ut non laberetur; ac proinde id contingens ampliùs non fuit, vel potiùs nunquam fuit, ſed neceſſarium. Nam ſi dicere velis, potuiſſe eum nihilominus non labi, etiamſi determinatè verum eſſet, eum lapſurum; ponamus id, quod poſſibile dicis, fuiſſe in actu, hoc eſt, Adamum, ſtante determinata veritate ejus rei, quòd lapſurus reipſa fuerit, non fuiſſe tamen reipſa lapſum: nónne inde ſequetur, id quod determinatè verum fuerit, falſum eſſe; & contrà, quod determinatè falſum fuit, verum extitiſſe, hoc eſt, contradictoria ſimul eſſe vera?

Ex quibus etiam alterum impoſſibile facilè oſtendi poteſt, quod ex determinata illa contingentium futurorum veritate conſequi diximus. Id autem eſt, fieri poſſe, ut Deus non ſemel, ſed infinities etiam erret ac fallatur. Nam ſi alterum futurorum contingentium determinatè verum eſt, ac porrò ab omni æternitate determinatè cognoſcitur; & nihilominus tamen contingens eſt; fieri poterit, ut aliter eveniat, quàm Deus cognoverit. Niſi enim aliter evenire poſſit, jam contingens non ampliùs eſt. Unde etiam contingentia, cùm reipſa fiunt, contingentia eſſe deſinunt. Quodlibet enim, dum eſt, neceſſariò eſt. Siquidem fieri non poteſt, ut dum eſt, ſimul non ſit. Aliàs contradictoria ſimul eſſent vera. Quare cùm iſta impoſſibilia ſequantur; neceſſe eſt vel negare, ullum eſſe in rerum natura abſolutè contingens, ſed omnia neceſſariò fieri; vel fateri, illa determinatè cognoſci, quàm diu ſint futura contingentia, non poſſe. Quod poſterius nos volumus. Quod ſi autem prius illud eligas, & omnia neceſſariò fieri dicas; jam nec Deus aliquid liberè unquam egit, vel agit, ſed omnia fecit, facitque neceſſariò: nec magis imperat ac gubernat, quàm cœlum, dum movet inferiora. Fruſtra ei preces adhibentur, ut aliquid boni faciat, aut mala avertat: cùm non poſſit aliter agere, quàm agit. Niſi dicere velis, eum etiam precibus noſtris cogi poſſe, & eum aliter facere non poſſe, quàm oremus; & rurſus nos neceſſariò cogi, ut ita oremus; quæ neceſſitas non niſi à prima cauſſa provenire poteſt. Ita in circulum redibimus; & Deus nos coget, nos Deum. Præterea quicquid uſpiam eſt impietatis, id à Deo primùm, & quidem immutabiliter proveniet, & non nobis ipſis exitii noſtri cauſſam, aut diabolo debebimus imputare, ſed, quod dictu horrendum eſt, Deo. Adde, quòd, ubi talis neceſſitas eſt, nec ullum verum peccatum eſt, nec meritum pœnæ. Extra culpam enim eſt, qui nullo modo aliter agere poteſt, quàm agit. Itaque nulla erit vera impietas, nulla ejus pœna. Calamitas eſſe aliqua poterit, quæ etiam innoxium premat. Hos & ſimiles alios fructus parit

abſolutè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

abſolutè contingentium negatio. Omnia ſurſum deorſum vertenda erunt, omnis religionis ac pietatis ratio tollenda, ſi omnia fieri neceſſariò dicas.

Sed dicet aliquis; nunc quidem nihil ampliùs eſſe, quòd abſolutè contingens dici poſſit, poſtquam Dei decreto omnia ſint definita: veruntamen ante decretum Dei ea fuiſſe indefinita, ac porrò liberè à Deo poſtmodum determinata. Quare libertatem ipſius Dei hoc pacto in dubium non vocari. Non enim Deum negari eſſe liberum, etiamſi poſt decretum jam factum aliter agere non poſſit; modò liberè decretum fecerit. Hæc ſi quis dixerit, primùm ex eo quærere libet, an credat revera, tempus aliquod fuiſſe, quo res illæ nondum fuerint decreto Dei definitæ; an verò putet, nullum extitiſſe tempus, quo illæ determinatæ non fuerint. Si prius; neceſſe eſt, ut etiam agnoſcat, tempus aliquod fuiſſe, quo illæ ne à Deo quidem determinatè cognitæ fuerint. Siquidem omnis earum determinatio à libero Dei decreto, poſtmodum demum ſubſequuto, pependit. Si poſterius; fruſtra dicit, ullum dari aut datum fuiſſe in rerum natura contingens: ſiquidem nullum fuit tempus, quo res decreto Dei definitæ, & ſic neceſſariæ non fuerint. Et fruſtrà in illis, quæ ab omni æternitate extiterunt, libertas fingitur. Cùm ea omnia abſolutè neceſſaria ſint. Nam vel cauſſam nullam prorſus habent, vel non niſi neceſſariò agentem. Deinde etiamſi dicas, Deum liberè omnia decreviſſe, ſive ab omni æternitate id factum velis, (id quod ſeipſum evertere jam diximus) ſive certo demum tempore; non effugies tamen omnia ea, quæ antea ex negatione contingentium deduximus, abſurda; ſed etiam ex parte augebis. Etenim primùm dicendum erit, Deum jam omni ſeſe libertate ab eo tempore abdicaſſe, quo decretis ſuis res omnes, alioqui contingentes, determinavit. Itaque ne hilum quidem movere aut facere ampliùs poterit, quàm moveat atque agat. Siquidem contra decreta ſua facere ampliùs nil poſſit. Hoc autem quid eſt aliud, quàm Deum jam olim poteſtate illa, quam liberrimam eſſe vidimus, ſe abdicaſſe, & nunc inevitabili neceſſitati in omnem æternitatem ſubjectum ac mancipatum eſſe? Quid verò id eſt aliud, quàm eum ſe ſimul & Deitate ſua quodammodo abdicaſſe? Deinde ſumma impietas ei, per ſummam impietatem tribuenda erit, quòd cùm aliter facere poſſet, decreverit tamen ut & omnes omnino homines peccarent, & maxima eorum pars in peccatis ad extremum uſque perſeveraret, utque tot paſſim flagitia, tot nefaria ſcelera deſignarentur. Quanquam, ut antè monuimus, in tanta neceſſitate peccandi, quod peccatum ampliùs erit? Sibi contradicit, qui quempiam neceſſariò peccare dicit. Si enim peccat, poterat non peccare. Nam in eo vera peccati ratio conſiſtit, quòd quis malè agat, cùm poſſet non agere. Qui verò poterat non peccare, non neceſſariò peccat. Quid ergo? in illum omnis redibit culpa, qui liberè decreverit, ut ea omnia, quæ peccata dicuntur, neceſſariò committerentur. Ipſe nempe Deus ſanctiſſimus, fons & origo vera omnis impietatis erit: eidemque, licèt juſtiſſimo, ſumma injuſtitia, licèt benigniſſimo, ſumma crudelitas erit adſcribenda; ſiquidem eos æternis ſuppliciis mactare velit, qui aliter facere non poſſint, quàm agant; & ob id ipſum quidem, quia id agant, quod ut agerent, ipſemet immutabiliter decreverit. Quanquam ſimul & ſeipſum ad inutilem laborem, quàm diu hic mundus durat, damnaſſe cenſendus erit; qui tantò gravior eſt quantò meliùs cognitum habet, id, quod quærit, præſtitu impoſſibile eſſe. Nam cum homines omnes ad reſipiſcentiam perpetuò vocet, & multa, ut illi convertantur, faciat; neceſſe eſt, ne contingentiæ locus eſſet ampliùs, ut ab æterno decreverit, ſe iſta facturum. Simul tamen decreviſſe ſtatuendus erit, ne unquam hujus ſuæ curæ fructum conſequeretur, ac conſequi poſſet. Deum & naturam nihil fruſtra facere, Ethnici etiam viderunt: quia eum viderunt ſapientem, à quo & natura pendeat. At ſi illa ſententia vera eſt, non tantùm fruſtrà, ſciens ſcilicet ac prudens, agit Deus, ſed ut neceſſariò fruſtrà ageret, ipſe ſciens prudens decrevit. Sequitur etiam inde, Deum liberum arbitrium nec angelis, nec hominibus unquam dediſſe, nec dare ſalvis ſuis decretis potuiſſe. Qui enim neceſſariò & vult & agit, quicquid vult & agit, is libero arbitrio præditus non eſt. Tales autem omnes & angelos & homines perpetuò fuiſſe neceſſe eſt, omni contingentiâ, ut vocant, divino decreto ſublatâ. Sed nolo in abſurditate atque impietate, quâ dogma illud fœcundum eſt, explicanda eſſe prolixior; præſertim quia de eo alibi * in hoc opere diſputabitur.

Antequam autem ulteriùs progrediamur, refellendæ nobis ſunt vulgares quædam exceptiones adverſus ea, quæ hucuſque diſputavimus. Plærique enim, cùm audiunt, nos ex ſententia illa vulgari de præſcientia futurorum contingentium colligere, Deum auctorem fore peccatorum noſtrorum, dicere ſolent, non ideo illa futura eſſe, aut fieri, quia Deus ea præſciverit: ſed ideo Deum ea præſciviſſe, quia futura eſſent. Quo pacto nos cras Solem oriturum prævidemus, aut aſtrologus eclipſin futuram novit; licèt nec nos ortûs ſolaris, nec aſtrologus eclipſeos ſit cauſſa. Ideo enim illa prævidentur, quia futura ſunt: non contrà. Sed qui ita reſpondent, nodum non tangunt, nedum ut ſolvant. Neque enim nos aut ponimus, aut ex vulgari illa ſententia colligimus, ipſam præſcientiam divinam peccatorum noſtrorum cauſſam eſſe: ſed ex ea, tanquam effectu quodam colligimus, Deum ejúſve decretum, ut aliarum rerum, ita & peccatorum cauſſam fore. Ita namque ratiocinando progredimur, ut primùm ex determinata futurorum contingentium præſcientia, quæ ab æterno in Deo fuiſſe creditur, colligamus, ipſa illa contingentia jam ab omni æternitate determinatè futura fuiſſe. Ex hoc deinde concludimus, ab æterno jam extitiſſe eorum omnium cauſſam, ad hos effectus determinatam. Hujuſmodi autem cauſſa, quæ ab omni æternitate extiterit, nulla præter Deum ejuſque decretum excogitari poteſt. Rectè autem nos ita colligere, & his veluti gradibus ad concluſionem hanc extruendam accedere, facilè intelligitur. Nam quod ad prius attinet; qui ita excipiunt, ipſimet aſſerunt, Deum ideo præſciviſſe futura, quia futura eſſent, intellige determinatè. Quod verò ad poſterius; cum res futuræ ab omni æternitate nondum extiterint, nec extare potuerint; in ſeipſis etiam determinatæ eſſe non potuerunt. Non entis enim nulla eſt affectio. In cauſſis ergo ſuis, ſive pluribus, ſive una, quæ ab omni æternitate jam extaret, determinatæ fuerunt. Ex quibus patet, quàm diſſimile ſit exemplum hominum, vel ortum Solis, vel eclipſin, vel quidvis aliud, ab ipſis minimè pendens, providentium. Etenim cùm illi talia prævident, cauſſas eorum cernunt extra ſe jam exiſtentes, ad hos effectus determinatas. At ab æterno nullam ejuſmodi cauſſam rerum futurarum Deus cernere potuit præter ſeipſum.

Ajunt deinde, Deo omnia, quæ unquam fuerint, aut futura ſint, perpetuò eſſe præſentia, atque adeo jam ab omni æternitate præſentia fuiſſe. Itaque Deum res futuras non in cauſſis tantùm ſuis ab omni æternitate vidiſſe, ſed etiam in ſeipſis. At ſi ita ſe res habet, neceſſe erit, res omnes ab æterno jam extitiſſe. Nam ſi non fuerunt, Deo præſentes eſſe non potuerunt. Non entis enim, ut antea dictum, nulla eſt affectio. Adde, quòd hac ratione præſcientia rerum Deo neganda eſſet, ut quidem fecerunt celeberrimi quidam auctores, hac ipſa ratione uſi, quòd Deo nihil ſit futurum, ſed omnia præſentia. Præſcientia enim non niſi futurorum eſt †. Eſt autem hæc ſententia cum illo errore colligata, quem ſuprà cap. 18, ſatis refutavimus, quòd Dei æternitas quolibet momento tota exiſtat. Adde, quòd nihilominùs ſequitur, cauſſam peccatorum non in homine reſidere, ſed in Deo. Homo enim efficere non potuit, ut vel ipſemet Deo ab æterno præſens eſſet, vel ea, quæ ſuo tempore eſſet acturus. Quare aliam ejus rei cauſſam, & quidem ab omni æternitate exiſtentem fuiſſe neceſſe eſt. Quod autem effecit, ut omnia Deo ab

* Volk. lib. 5. cap. 17. † Auguſt. lib. 2. ad Simplic. quæſt. 2. Gregor. lib. 20. Moral. c. 23. citante Becano.

æterno

æterno eſſent præſentia, effecit etiam, ut ea ſimpliciter eſſent. Cum non aliam ob cauſſam Deo res ſint præſentes, quàm quia revera ſint. Quæ autem cauſſa efficiens excogitari poteſt ab omni æternitate exiſtens præter Deum? Quòd ſi quis illam vulgi ſententiam quòd Deo omnia ab omni æternitate fuerint præſentia, ita interpretetur, ut dicat, ea non in ſeipſis Deo fuiſſe præſentia, ſed eum omnium tam certam ſemper habuiſſe cognitionem, ac ſi reipſa ei fuiſſent præſentia; is, ſi dictum hoc etiam ad futura contingentia extendat, id ipſum pro conceſſo ſumet, quod in controverſia hîc verſatur, eſtque à nobis jam ſatis refutatum.

Ajunt etiam, Dei ſcientiam infinitam eſſe, ideoque omnia tempora ſupergredi, & quod in fine mundi v. g. futurum eſt, eum jam ab omni æternitate reipſa vidiſſe. Sed quemadmodum potentia Dei infinita eſt in genere poſſibilium, non impoſſibilium: ita & ſcientia Dei infinita eſt in genere ſcibilium; non eorum, quæ ſub ſcientiam naturâ ſuâ non cadunt, qualia ſunt futura contingentia determinatè ſumta. Et contradictionem implicat, aliquid ab omni æternitate reipſa jam viſum eſſe, & ab omni æternitate non extitiſſe. Cùm nihil reipſa videri poſſit, eo tempore, quo nondum eſt.

Sed jam ulteriùs progrediendum eſt, & tum veritas, tum utilitas ſententiæ noſtræ aliis adhuc rationibus oſtendenda, repetitis breviter iis, quæ ſunt à noſtris alibi hac de re dicta *. Oſtenſum enim ab illis eſt, cum vulgari ſententia de præſcientia futurorum contingentium, non obſcurè pugnare quædam ſacrarum literarum loca: cum noſtra autem non pugnare ea, quæ pugnare aliis videantur. Nam quod ad prius attinet; quomodo, poſitâ illâ futurorum contingentium præſcientiâ, quæ Deo vulgò tribuitur, rectè explicari poterit id, quod in Geneſi legimus, Deum, viſa hominum malitiâ, *pœnituiſſe, quòd hominem feciſſet in terra?* Gen. 6. 6, 7. Etſi enim tropum ſubeſſe pœnitendi verbo agnoſcimus, ut ſuo loco † intelligetur, dici tamen non poteſt, Deum propterea pœnituiſſe, quòd creaſſet hominem, quia id contigerit, quod certò futurum eſſe jam tum viderit, cùm hominem crearet. Niſi dicere velis, vel mutabilem revera eſſe Deum, quem ejus rei pœnituerit, cujus eum antea, cùm eaſdem cauſſas haberet videretque, non pœnituiſſet; vel eum etiam tum pœnituiſſe, quòd crearet hominem, cùm crearet; imò & antequam crearet. Quod tantò magis ſtatuendum erit, ſi dicas, Deo omnia perpetuò eſſe præſentia. Hoc enim pacto eum & tum, cùm homines crearet, & ab omni æternitate ejus rei pœnituit, & in æternum pœnitebit. Quia non minùs ab omni æternitate illam hominum malitiam præſentem habuerit ac viderit, & in omnem æternitatem ſit viſurus, quàm tunc, cùm illi homines viverent, & ſcelera graviſſima patrarent. Eadem ratio & illius eſt loci, in quo aſſeritur, Deum pœnituiſſe, quòd Saulem conſtituiſſet regem. 1 Sam. 15. 11, 35.

Deinde, quo pacto dici poſſet Deus expectare hominum illorum reſipiſcentiam aut pietatem, qui id nunquam præſtant, quod Deus expectare dicitur? qua de re inter alia ipſe Deus apud Eſaiam ita loquitur Eſa. 5. 4: *Quid fieri potuit ampliùs vineæ meæ,* (hoc eſt, populo Iſraëlitico) *& non feci ei? Cur* (ſic eſt in Hebræo) *expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* & paulò pòſt iterum: *Expectavi* (Hebr. *expectavit*) *ut faceret judicium, & ecce iniquitas* (Hebr. *plaga* aut *vulnus*) *& juſtitiam, & ecce clamor.* Quo enim pacto poteſt quiſpiam dici id expectare, quod in nulla prorſus ſpe habet, quódque non eventurum planiſſimè intelligit, imò jam reipſa videt?

Sunt præter hæc & alia ſac. ſcripturæ loca, quæ cum illa ſententia aut omnino pugnant, aut non ſatis rectè conſentiunt. Etſi enim ſatis habent vulgò dicere, in iis humano more de Deo ſcripturam loqui; quod ne nos quidem uſquequaque diffitemur, præſertim in quibuſdam: nimis tamen longè à propria verborum ſignificatione recedendum eſt, & ſententiarum vis enervanda, ſi eas cum definita illa futurorum contingentium præſcientia conciliare velis. Talis eſt non ille tantùm locus, in quo anthropopathiam libenter agnoſcimus, cùm Deus de Sodomitis & Gomorrhæis loquens ait Gen. 18. 21: *Deſcendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam:* ſed & ille, ubi Abrahamum ita per angelum alloquitur: ib. c. 22. 12: *Nunc cognovi, quòd times Deum, & non peperciſti unigenito filio tuo propter me.* Quicquid enim aliàs de utriuſque loci ſententia ſtatuas; illud tamen facilè eſt cernere, Deum novum quoddam atque inſigne experimentum, illic quidem impietatis Sodomiticæ & Gomorrhææ, videre voluiſſe, hîc verò pietatis Abrahamicæ vidiſſe, quod antequam fieret, planè certum & exploratum non eſſet. Et quia actus ille voluntatis, qui ad iſtud experimentum requirebatur, in Sodomitis quidem ac Gomorrhæis pars quædam fuit & veluti complementum impietatis, in Abrahamo autem timoris Dei ac pietatis; ideo dici poteſt, Deum eatenus, illic quidem impietatem hominum, hîc verò pietatem Abrahami tunc cognoviſſe, cùm iſta fierent. Cui rei & illud conſentit, quod de Abrahamo initio illius hiſtoriæ ſcriptum eſt, nempe, quòd eum Deus *tentârit*, ſeu experimentum pietatis ipſius capere voluerit: quod alibi quoque in ſcriptura ſacra de Deo reſpectu aliorum hominum dicitur. Sic enim ait inter alia Deus ipſe ad Moſen Exod. 16. 4: *Egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiant per ſingulos dies, ut tentem eum, utrùm ambulet* (ſeu ambulaturus ſit, vel ambulare velit) *in Lege mea, an non.* Et Moſes ad populum Deut. 8. 2: *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, utrùm cuſtodires* (ſeu cuſtodire velles) *mandata illius, an non.* Inſignia ſunt & illa Dei verba in libro Judicum expreſſa cap. 2. 21, 22: *Ego non delebo gentes, quas dimiſit Joſue, & mortuus eſt: ut in ipſis experiar Iſraël, utrùm cuſtodiant viam Domini, &c. an non.* Quæ ſententia repetitur cap. ſequenti. c. 3. ℣. 4. Illud certè negare nemo niſi pertinaciſſimus poteſt, hæc & ſimilia loca cum noſtra potiùs ſententia, quàm cum adverſa conſentire. Quare nemini mirandum eſt, eam nos defendere ſententiam, quæ non modò evidentiſſima ac planè cogente nititur ratione, ſed & ſacrarum literarum auctoritate ſtabilitur, & earum verbis adeo eſt conſentanea.

Neque verò eſt, quòd quis putet, eam pugnare cum aliis non paucis ſcripturæ locis, ex quibus futura contingentia à Deo prævìſa aut prædicta eſſe appareat. Nam primùm vel bona illa ſunt, quæ prævìſa dicuntur, vel mala, hoc eſt, turpia atque illicita, vel denique per ſe media atque indifferentia. Si bona, aut indifferentia; nihil prohibet, ea Deum ſimpliciter fieri decreviſſe; atque adeò, cùm contingentia antea eſſent, ea jam porrò neceſſaria evaſiſſe. Quod etiam de illis ſtatui rebus poteſt, ad quas actum voluntatis humanæ accedere eſt neceſſe. Nihil enim prohibet, Deum in hac illáve re neceſſitatem imponere homini volendi id, quod turpe non eſt, relicta ei in cæteris plæriſque libertate. Quòd ſi autem talia ſimpliciter decernere poteſt Deus; multò magis ſub conditione. Nam de actionibus etiam malis ac per ſe illicitis, aliquid in futurum ſub conditione decernere Deus poteſt: quantò magis de bonis aut naturâ ſuâ mediis? Simpliciter atque abſolutè nunquam Deus decernit ea, quæ per ſe mala ſunt, præſertim antequam paratam ipſius hominis malitiam inveniat: ſed ſub conditione, quâ poſitâ demum abſolutum evadit decretum. Quòd ſi hominem ſive unum inveniat, ſive plures, jam ſponte ſua improbos, eorum malitiâ uti ad conſilia ſua exſequenda ſolet, & de iis nonnihil decernit, quod ſine peccato ab iis fieri non poteſt. Sed nec hujus generis decreta conditione carere ſolent, utut ea non ſemper exprimatur; ac porrò nec planè ſunt immutabilia, niſi fortè tum, cùm ad rem ipſam ferè ventum, aut jam accedendum eſt. Qua de re cap. ſeq. plura dicentur. Deinde non pauca futura prævidentur aut prædicuntur, non tanquam ἐσόμενα, ſed tanquam μέλλοντα hoc eſt, non tanquam omnino futura, ſed tanquam veriſimiliter extitura. Et non

male

* Socin. prælect. † Inf. cap. 31.

malè dixeris, interdum non tam id aſſeri, rem, de qua ſermo eſt, eventuram, quàm cauſſas extare, quæ effectum illum portendant, & ſecuturum eſſe ſuadeant. Quin etiam verba, quæ prædictionum formam habent, nonnunquam cohortationum aut dehortationum vim potiùs habere deprehenduntur. Id ſanè, quod aſſerimus, communi loquendi conſuetudini eſt conſentaneum. Nam de iis, quæ tantùm ſunt μέλλοντα; ſæpè ſine ulla temeritatis nota ita loquimur, ac ſi eſſent ἐσόμενα, ſeu omnino futura. Ut cùm de iis ſermo eſt, quæ jam jam futura videntur, licèt ea ab arbitrio humano adhuc pendere norimus, nec ignoremus, multa inter calicem, quod dicitur, & ſuprema labra cadere poſſe. Sic ſi conſtet, virum aliquem bonum ac fidei tenacem, pecuniam habere præſentem, quam alteri jam jam perſolvere & debeat, & ſe omninò velle dicat; quis dubitat dicere, eum id facturum, & certò quidem facturum, præſertim niſi Deus ipſe impediat? At in ipſius adhuc poteſtate eſt, voluntatem mutare: & intervenire poſſunt alia, quæ effectum impediant. Solemus nimirum tum, cùm illa futura, aut etiam certò futura eſſe dicimus, eam certitudinem intelligere, quæ in rebus humanis locum habeat; adeò ut ſermo noſter materiæ ſubjectæ accommodari, & pro ejus ratione intelligi debeat. Itaque non ſine tacita quadam conditione verba ſua, de re contingenti & in futurum ſpectante elata, cordati potiſſimùm viri accipi volunt, perinde ac ſi dixiſſent, niſi quid interveniat inuſitatum aut inopinatum. Quis dubitet rectè, verbi gratiâ, locutum eſſe Paulum, cùm de Timotheo ad Corinthios ſcribit 1 Cor. 4. 17, eum ipſis in memoriam revocaturum vias ipſius in Chriſto; licèt res non eſſet prorſus neceſſaria ac immutabilis. Neque enim credibile eſt, Paulum ideo id dixiſſe, quia ipſi divinitus patefactum fuerit, ita Timotheum omnino facturum; ſed quia cauſſas ejus rei partim in Timotheo, partim extra ipſum videbat, planè veriſimiliter illum effectum parituras. Videbat enim, illum & viarum ſuarum in Chriſto gnarum eſſe, & ea pietate præditum, ut Corinthiis ea re indigentibus, eas vellet in memoriam revocare, præſertim à Paulo monitus aut juſſus. Quis dubitet rectè loquutum atque argumentatum fuiſſe Moſen, cùm inter alia ita loquitur: Deut. 31. 27: *Ecce adhuc vivente me, & ingrediente vobiſcum ſemper,* (Hebr. *ecce adhuc me vivente vobiſcum hodie,*) *contentioſe egiſtis* (vel *agitis*) *contra Dominum: quantò magis cùm mortuus fuero?* At non erat tamen id neceſſarium; & ne fieret, hac ipſa oratione curabat Moſes. Eódem referri debent & illa Pauli ad Philemonem ℣. 21: *Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.* Quæ verba ita ſunt comparata, ut dum ait Apoſtolus, ſe ſcire, ita Philemonem facturum, eum ad id faciendum non obſcurè hortetur. Nec immeritò dixeris, propè magis Apoſtolum hortari, ut id faciat Philemon, quàm aſſerere, id eum facturum. Nam alioqui rem non prorſus certam ſive neceſſariam fuiſſe, ipſæ indicant preces, quas in eadem epiſtola Paulus Philemoni admovet. Non abſimilia ſunt & illa ejuſdem Apoſtoli ad Galatas cap. 5. 10: *Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud ſapietis.* Nam dum fiduciam ac ſpem de illis ſuam exprimit, ad eam implendam illos hortatur.

Hæc ſi jungantur illis, quæ ſuprà diximus, de ratione, quâ res futuræ ſub ſcientiam, ac porrò ſub Dei præſcientiam cadant, facilè intelligi poterit, nihil eſſe in ſcriptura, quod determinatam illam ac planè certam futurorum contingentium præſcientiam Deo tribuendam eſſe demonſtret. Sine ea enim defendi poſſunt & explicari omnia, quæ de præſcientia futurorum in ſac. literis dicuntur, omneſque adeo de rebus futuris prædictiones. Rectiſſimè Deus dicitur *annunciare ventura* ſeu *futura,* id quod falſi Dii nequeant. vid. Eſai. 41: 44: 48 capp. *Ventura* enim ſimpliciter non dicuntur ea, quæ adhuc ſunt planè indifferentia ſeu indeterminata, & non magis futura, quàm non futura: ſed ea tantùm, quæ aut certò, aut ſaltem admodum veriſimiliter eventura ſunt. Ea verò omnia Deus novit, ac porrò etiam annunciare poteſt: vel quia ipſemet ea decrevit; vel quia eorum cauſſas, utut aliis omnibus adhuc incognitas, videt, quas vel promovere, vel impedire in ipſius eſt arbitrio ſitum. Itaque & illa prævidet Deus, quæ naturâ ſuâ ſunt contingentia, &, ſi decretum ipſius abſit, certò futura non ſunt. De quo rerum futurarum genere inprimis loquitur ſcriptura, cùm earum cognitionem ac prædictionem Deo uni tribuit, falſis autem diis adimit. Has enim non modò ipſi illi fictitii Dii, cùm reverâ non extent, annunciare non poſſunt; ſed ne dæmones quidem, qui ſub commentitiorum Deorum nominibus ſeſe olim venditare, ac credulis hominibus colendos obtrudere ſunt ſoliti; ac porrò nec falſi fictorum numinum vates. Partim quidem, quia Dei decreta ignorant, antequam ea Deus aliqua ratione patefaciat; partim quia alias occultas rerum futurarum cauſſas pervidere non poſſunt; & utut tandem nonnullas videant, aut ipſimet quippiam apud ſe moliantur; nihil tamen certi prædicere de ipſo effectu poſſunt. Quandoquidem Deus tum ipſorum conſilia, tum omnium aliarum cauſſarum vim impedire poteſt. An autem impedire velit nec ne, certò illi ſcire nequeunt, utut interdum conjecturâ nonnihil aſſequantur.

Hinc etiam perſpicitur, rectiſſimè Deum dici, Dan. 13. 42, *abſconditorum cognitorem, qui omnia nôrit antequam fiant,* hoc eſt, antequam reipſa eveniant. Novit enim ea in intimo etiam cauſſarum ſuarum receſſu, & nominatim in hominis pectore adhuc latentia. Patet etiam, jurè eum aliquando ita de Abrahamo dicere potuiſſe Gen. 18. 19: *Scio quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.* Quia enim noverat, eum eſſe virum pium ac juſtum; prorſus veriſimile erat, fore, ut ita filiis ſuis præciperet; præſertim & novo beneficio ab ipſo, arcana ei conſilia ſua revelante, obligatus, & his ipſis verbis, ut id faceret, monitus. Diximus autem, potuiſſe ita Deum loqui; non, omnino ita loquutum: quia in Hebræo ita legitur: *Novi enim eum* (Abrahamum,) *ut præcipiat filiis ſuis,* &c. Quod ita viri * Hebraicæ linguæ & Sacrar. Liter. peritiſſimi explicant: *Novi eum eſſe hominem pium, juſtum, & docilem; non, inquam, celabo eum, ut præcipiat filiis ſuis,* &c. Quorum virorum ſententiâ non dicit Deus, quid facturus ſit Abrahamus; ſed, in quem finem ipſemet ei velit patefacere conſilium ſuum; & cur eum ſibi finem proponat, ac veriſimiliter conſecuturum judicet; nempe quia Abrahamum noverit, hoc eſt, ejus pietatem optimè habeat cognitam. Hæc enim eum impulſura erat, ut amici cujuſdam inſtar ad notitiam arcanorum Dei conſiliorum admiſſus, diligenter præciperet filiis ſuis, ut, quæ Deo tam benigno placerent, in omni vita ſequerentur. Intelligi etiam poteſt, quo pacto Deus olim prædixerit Moſi Deut. 31. 16, 20, fore ut populus ipſo mortuo fornicaretur poſt Deos alienos, & irritum faceret fœdus, quod cum eo pepigerat. Siquidem ejus rei rationem ipſe affert ℣. 21: *Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus ſit* (Hebr. *quid ipſe faciat*) *hodie, antequam introducam eum in terram, quam ei pollicitus ſum,* ſeu, ut eſt in Hebræo, *juravi.* Si enim, ut ſuprà vidimus, Moſes ex populi illius contumacia, ante oculos ipſius jam tum verſante, ejuſdem rebellionem poſt mortem ſuam collegit ſecuturam; quantò magis id Deus facere poterat, qui corda omnium penitus nôrat? Quid mirum, eum aliorum quoque populorum, aut aliquorum indefinitè hominum, quorum operâ ad decreta ſua perficienda ſit uſurus, futuram malitiam prædixiſſe? Quòd ſi enim nos homunciones videre facilè poſſumus, ni Deus ſingulari quadam ratione malitiæ curſum impediat, tum populos quoſdam, tum aliquos indefinitè homines fore peſſimos, idque poſt multa ſecula, ſi tam diu duraturus ſit mundus; quid de Deo cogitandum eſt? 1 Sam. 23. 11. Intelligi ſimiliter & illud poteſt, quo pacto Deus Davidi olim quærenti, utrùm cives Ceilæ ipſum in manus Saulis ſint tradituri, ſi eo in loco ad illius uſque adventum perſiſtat, reſponderit, eos tradituros.

* Franc. Vatabl.

Eorum

Eorum enim animos ita comparatos eſſe cernebat Deus, ut Davidem advenienti ac urgenti Sauli eſſent tradituri. Et id ipſum etiam revera tantùm quærebat David: non verò, quis omnino ſecuturus eſſet eventus. Aliàs facilè cogitare poterat, ſi nil aliud impediret, quominus eum Sauli traderent, Deum impedire poſſe. Quærebatur ergo πέρί τοῦ μέλλοντος, de re probabiliter eventura, atque adeò magis de diſpoſitione animorum Ceilenſium, & vi cauſſarum, quæ effectum illum parituræ eſſent, quàm de ipſo eventu. Eodem modo & illud eſt intelligendum, quod Chriſtus dicit Matth. 11. 21, & d. ſi ea miracula Tyri & Sidone facta fuiſſent, quæ ipſe certis quibuſdam in locis ediderat, urbes eas olim in cilicio ac cinere pœnitentiam acturas fuiſſe. Nempe quia minùs contumaces fuerint Tyriorum & Sidoniorum animi, quàm Judæorum illorum, qui tot Chriſti miracula vidiſſent: adeo ut omnino credibile eſſet, Tyrios & Sidonios, ſtupendis Chriſti factis commotos, ad frugem redituros fuiſſe. De aliis quibuſdam ſcripturæ locis, quæ cum noſtra ſententia pugnare cuipiam videri poſſunt, agemus cap. ſeqq.

Expectabit hîc fortè quiſpiam, ut explicato ſcientiæ divinæ objecto, aliquid addamus de modo, quo ea circa illud verſetur. Verùm id, quod à nobis utiliter hac de re dici poſſe videtur, propè totum in iis continetur, quæ partim hucuſque de ſcientiæ illius objecto, partim ſuperiùs de intellectu divino diſſeruimus. Neque verò neceſſarium eſt modum ſcientiæ divinæ noſſe, modò de re ipſa conſtet. Sacræ ſanè literæ, ut ſuprà jam diximus, id maximè inculcant, ut credamus, Deum omnia noſſe, etiam occultiſſima, atque inprimis ea, quæ ad homines gubernandos, judicandos, juvandos, aut contrà etiam plectendos pertinent: de cognitionis illius modo vel tacent, vel pauca loquuntur, & obiter tantùm rem attingunt. Illud fortè ad modum quiſpiam retulerit, quo res etiam longiſſimè diſſitas cognoſcat Deus, quod apud Zachariam c. 4. 10, legitur, cui in viſione ſeptem lucernæ ſuper candelabro aureo fuerant oſtenſæ: *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* De quibus & in Apocalypſi legas. Nam & cap. 4. ℣. 5, ait Johannes, ſe inter alia vidiſſe *ſeptem lampades ardentes ante thronum*, nempe Dei, *qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.* Et cap. 5. ℣. 6, agnum, quem viderit, deſcribens ait, eum *habuiſſe cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Quibus in locis ad Zachariæ verba alludi, facilè quivis perſpicit. De iiſdem ſeptem Dei ſpiritibus legitur etiam cap. 1. ℣. 4, ubi ab iis quoque gratiam & pacem Eccleſiis ſeptem Aſiaticis precatur Johannes, & eos in conſpectu throni Dei eſſe affirmat: & cap. 3. ℣. 1, ubi Chriſtus ita inter alia ſe deſcribit, quòd habeat illos ſeptem Dei ſpiritus. Verùm quia inter ſac. literarum interpretes nondum ſatis conſtat, quid ſpirituum iſtorum nomine intelligatur; & plærique oculos non ideo dici exiſtimant, quia Deus aut Chriſtus per eos res longè diſſitas videat ac cognoſcat, ſed quia per eos nobis proſpiciat, noſque curet; ideo nos quoque rem in medio relinquemus, certi, ſacram ſcripturam hominibus piis crucem hîc non fixiſſe, nec ab iis exigere, ut iſta omnino intelligant.

Solet autem hoc loco diſtinctio explicari ſcientiæ divinæ à ſcholaſticis tradita, in naturalem, liberam, & mediam. Etſi verò non omnes eodem prorſus modo eam explicent; eò tamen ferè res redit, ut naturalem aut neceſſariam Dei ſcientiam ſtatuant illam, quâ is tum ſeipſum ſuaque attributa naturalia, tum res omnes poſſibiles, quà tales, ab æterno cognoverit. Liberam, quâ res à libera ipſius voluntate pendentes, vel olim ſimpliciter futuras præſcivit, vel nunc exiſtentes novit. Liberam autem ideo vocant, quia cum ipſarum rerum exiſtentia à libero voluntatis divinæ actu pendeat; conſequenter ipſam quoque ſcientiam inde pendere neceſſe eſt, nec ſimpliciter eſſe Deo neceſſariam. Scientia enim ab ipſa rerum exiſtentia ſive præſente, ſive præterita, ſive aliquando demum futura pendet, eamque, ut loquuntur, præſupponit. Quòd ſi ergo hæc non eſt ſimpliciter neceſſaria, nec illa erit. Mediam autem ſcientiam ſtatuunt, quâ Deus ſub conditione novit, quid futurum ſit aut fuerit. v. g. quid Tyrii aut Sidonii fuiſſent facturi, ſi miracula illa inter ipſos fuiſſent edita, quæ in his illíſve Judæorum urbibus à Chriſto edita fuerant. Quæ ſcientia ex neceſſaria & libera veluti mixta eſt: unde & media dicitur. Nam partim res aut futuras, aut jam exiſtentes ſpectat, partim poſſibiles: quorum hoc cum neceſſaria ſcientia commune habet, illud cum libera. Sed hæc ita libaſſe nobis ſuffecerit. Si quem enim ea diſtinctio in rebus ſacris uſum habet, eum percipere illi quoque poterunt, qui vel hæc pauca cognoverint. Si quis tamen plura deſideraverit, adire poterit Scholaſticos, & alios, qui de attributis divinis diſputant.

Veniendum nunc eſt ad alteram ſapientiæ divinæ partem, quam practicam eſſe, & Sapientiæ nomine in ſac. literis potiſſimùm deſignari ſolere diximus. Etſi verò eam dicere poſſes vel ſcientiam, vel facultatem omnia & conſilia & opera aptiſſimè diſponendi, ac porrò etiam perficiendi: ex quibuſdam tamen ſacrarum literarum locis apparet, Sapientiæ nomine actum potiùs intellectus divini ſignificari, quo omnia aptiſſimè conſtituat, ac perficiat, atque adeò conſuetudinem quandam ſumma cum ratione, ordineque convenientiſſimo omnia & decernendi, & porrò etiam exſequendi. Salomon certè, cùm in Proverbiis Sapientiam introducit loquentem, & ea ſibi tribuentem, quæ divinæ ſapientiæ magis ſunt propria, tanquam de divino quodam effectu loquitur. Ita enim illa de ſe ait Prov. 8. 22, & d: *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*, (Hebr. *ex tunc*, ſive *ab eo tempore:*) *ab æterno* (Hebr. *à ſeculo*) *ordinata ſum, & ex antiquis* (Hebr. *à principio*) *antequam terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego jam concepta* (Hebr. *formata*) *eram: nec dum fontes aquarum eruperant; nec dum montes gravi mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar* (Hebr. *formata ſum.*) Ubi vides, ſapientiam dicere, ſe fuiſſe ordinatam, & quidem à principio, ſe fuiſſe conceptam aut formatam. Quin & illa verba *Dominus poſſedit me*, in verſione interlineari Ariæ Montani, quæ Operi etiam Regio eſt inſerta, ita videas reddita: *Dominus acquiſivit me.* Nam & hanc ſignificationem habere verbum Hebraicum, quo Salomon utitur, omnes ejus linguæ non ignari nôrunt. Nec mirum, Græcos interpretes ita locum vertiſſe: *Dominus creavit me.* Quod imitatus eſt & Siracides cap. 24. 14, dum ita Sapientiam introducit loquentem ℣. 12: *Ab initio ante ſecula creata ſum*: & paulò antè: *Conditor univerſi mandatum mihi dedit, & creator meus domicilium meum conſtituit*, ut ex Græco locum recentiores quidam interpretes verterunt. Et cap. 1. ℣. 4, dixerat idem Auctor: *Prior, vel prima omnium creata eſt ſapientia.* Unde etiam non defuerunt viri * doctiſſimi, qui verba illa Salomonis ab Arianis ad Filium Dei detorta eſſe conqueſti, cenſuerunt, de ea tantùm ſapientia, quæ hominibus à Deo communicata ac patefacta fuerit, hoc eſt, de verbo Dei, aut cognitione voluntatis ipſius, in verbo ejus comprehenſa, ſermonem hîc eſſe. Hanc ſapientiam à Deo ante ſecula veluti formatam ac mente ejus conceptam, ab eo poſtmodum in homines dimanaſſe. Cui ſententiæ vehementer favere videntur Siracidæ verba, qui cùm Salomonem ſequutus Sapientiam introduxiſſet laudes ſuas prædicantem, ſubjicit Sir. 24. 32, 33: *Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis. Legem mandavit Moyſes in præceptis juſtitiarum, & hæreditatem domui Jacob, & Iſraël promiſſiones.* Vel, ut eſt in Græco: *Hæc omnia liber ſunt teſtamenti Dei altiſſimi, Lex quam mandavit nobis Moyſes, [quaſi] hæreditatem in congregationibus Jacob.* Unde & ſuprà dixerat, Deum ſapientiæ præcepiſſe, ut in Jacobo habitaret, & in Iſraële acciperet hæreditatem. Illud certum eſt, ideo & Salomonem & Siracidem tantopere commendaſſe Sapientiam, ut ad eam diſcendam ac comparandam homines incitaret, ut dubitandum non ſit, utrumque præcipuè de illa ſapientia laborare, quæ à Deo in homines proficiſcitur, & cum illis

* Vid. Philipp. Melanchthon ad locum Prov. 8. 22. & ad cap. 3.

commu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

communicatur. Interea tamen & illud ex utriuſque dictis apparet, ut tantò major atque illuſtrior ſit ſapientiæ hujus commendatio, eam cum divina, utpote genere quodammodo eâdem, conjungi, & ſic de utraque in genere, ſeu abſtractè, ut loquuntur, ita diſſeri, ut nunc ea illi tribuantur, quæ divinæ, nunc illa, quæ humanæ, à Deo tamen veluti à fonte ſuo profectæ, magis ſunt propria. Id quod doctiſſimus quidam inter Pontificios Proverbiorum Salomonis interpres * eruditè in Commentariis ſuis explicuit: qui proinde & illud unà cum aliis quibuſdam animadvertit, Salomonem per proſopopœiam de ſapientia loqui, quaſi eſſet perſona aliqua, & res à Deo ac homnibus diſtincta. Quia enim, ut idem ſcribit †, cap. 7, introduxerat Salomon mulierem procacem, invitantem ad ſe juvenes ſermone blando & petulanti; cap. 8, è regione ejus convenienter introducit ſapientiam, velut alteram mulierem, invitantem homines ad ſe ſermone, qui meritò efficacior eſſe deberet, cùm ex perſonæ invitantis probitate, integritate, & excellentia, tum ex fructu, quem adfert ſequentibus ſe. Ad excellentiam autem & antiquitas pertinet, ac natalium ſplendor, & res præclarè geſtæ. Ideo in verbis illis cap. 8. ℣. 22 Prov. quæ ab initio adduximus, & ſequentibus, Sapientia & antiquitatem ſuam, & natalium ſplendorem, & opera ſua inſignia ad ſui commendationem adfert, ſeque ante mundi creationem à Deo formatam aſſerit; apud eum ſe in deliciis fuiſſe; operibus ejus omnibus adfuiſſe; coram eo, ut filioli aut filiolæ teneræ coram parentibus ſolent, luſiſſe. Nimirum quia Deus ſapientiſſimo ſuo conſilio omnia ita pulchrè ab ipſo ſtatim initio conſtituit & conſtruxit, ut operibus ipſe ſuis delectaretur, videns ea eſſe valde bona, & ad id, quod quærebat, aptiſſima. Inde porrò ait, ſe luſiſſe in orbe terrarum, & delicias ſuas fuiſſe, atque adhuc eſſe, cum filiis hominum. Nempe quia Deus eâdem ſapientiâ in regendis ac gubernandis hominibus uſus ſemper fuerit, & eam cum hominibus libenter communicaverit, atque adhuc communicet, & vehementer cupiat, eam ipſorum animis penitùs inſertam. Similem proſopopœiam de ſapientia invenies ſuprà cap. 1. 20, & d. quin eadem ratione contrariam ſtultitiam introducit Salomon inſtar perſonæ cujuſdam cap. 9, nempe poſt abſolutam hanc, de qua agimus, proſopopœiam. Plura hac de re dici poſſent, ſi id inſtituti noſtri ratio ferret. Nec tamen omittenda hæc fuerunt, ut & nobiliſſimus hic locus de Sapientia agens, quem vulgaris interpretatio tenebris involvit, aliquid lucis acciperet, & illud intelligeretur, quod ſuperiùs aſſeruimus, Sapientiam hanc, quæ in efficiendo atque agendo eſt occupata, alicubi ſaltem pro effectu quodam intellectus divini ſumi. Quod meritò etiam ſtatui poteſt de illis Pauli verbis, Epheſ. 3. 10, ubi ſapientiam Dei multiformem vocat, eamque ab illo demum tempore principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, ſeu ea, quæ circa Eccleſiam fierent, innotuiſſe ſignificat.

Diximus autem jam ſuprà, hanc ſapientiam omniſcientiâ Dei niti, & ex ea veluti enaſci. Cum enim ea partim in conſiliis, partim in ipſis actionibus rectè ac convenienter inſtituendis cernatur; quid ad eam rem illi deeſſe poteſt, qui omnia habet exactè cognita? Siquidem ad conſilia rectè inſtituenda requiritur, ut & finis proponatur bonus; & media deligantur, ac modus illis utendi, ad finem obtinendum aptiſſimus, ſive ſimpliciter, ſive illi, qui conſilium exſequi debet. Ad actiones autem rectè inſtituendas id ſolum eſt neceſſarium, ut quod rectè conſtitutum eſt, aut inter agendum conſtituitur, eodem modo fiat, nec quicquam per errorem omittatur. Ad hoc verò quid deeſſe poteſt illi, qui omnia penitus novit, qui quid bonum, quid malum, quid melius aut deterius, quid ad quamque rem accommodatius, aut minùs accommodatum, quæ rerum vires, quis cauſſarum atque effectuum nexus, quis ordo, quæ circumſtantiæ ſingulorum, penitùs habet exploratum? Quo autem pacto in ſingulis operum generibus verſetur hæc Dei ſapientia, id explicare hujus loci non eſt. Pertinet enim id, quatenus ad religionem ſpectat, ad tractationem Operum divinorum, ex quibus & de conſiliis judicare licet. De operibus autem Dei in ſequentibus libris agetur.

Illud tamen hîc monendum videtur, Deum ad conſilia ſua exequenda non ſemper ea adhibere media, quæ ſuâ naturâ ad rem perficiendam ſint aptiſſima ac validiſſima: ſed ſæpè etiam ea, quæ per ſe imbecilla atque inepta eſſe videantur, & nonnunquam ei, quod agere inſtituit, quodammodo contraria. Neque interim à ſapientiæ lege quicquam diſcedit. Ipſe enim mediis per ſe invalidis robur, ineptis aptitudinem indere, & omnia in contrarium flectere facilè poteſt: & quò media videntur eſſe, imò per ſe ſuâque naturâ ſunt ad rem perficiendam minùs idonea, tantò ſæpe ſunt ei, quod Deus ſpectat, aptiora. Solet enim id ſæpe quærere Deus, ut ratio conſiliorum ſuorum minùs quidem initio pateat; tandem verò, ubi res perfecta fuerit, tantò magis appareat, à divina eam manu fuiſſe profectam, non humanis viribus, non naturali aliqua ratione perfectam. Ita enim fit, ut nihil ſibi laudis humana potentia decerpat, nihil humanum ingenium ſibi arrogare queat; imò potiùs ii, qui ſapientiæ opinione tument, & ad carnalis prudentiæ rationem res divinas exigunt, ſtulti evadant, ſeque ipſi conſiliis ſuis implicent. Quia enim aliâ longè viâ ad ſcopum ſibi præfixum progreditur Deus, quàm illi putarent eſſe proprediendum, imò ratione utitur carnalibus illorum conſiliis planè contrariâ; inde fit, ut Dei conſilia, licet certiſſimis documentis comprobata, non modò non aſſequantur, ſed etiam tanquam prorſus inepta repudient, & porrò, cùm ea non ſequantur, interitum ſibi accerſant voluntarium. Quod quid eſt aliud, quàm ob ſapientiam ſtultum fieri, & nimiùm intelligendo facere, ut nihil intelligas? Hac de re non pauca diſſerit Paulus in tribus primis Epiſtolæ prioris ad Corinthios capitibus, ut alia nunc ſcripturæ loca prætercam. vid. cap. 1. 18, & d. uſque ad finem capitis. c. 2. 6, uſque ad finem cap. c. 3. 18. vid. etiam Eſai. 29. 14. Atque hanc divinæ ſapientiæ rationem in rejectione Judæorum, converſione autem Gentium, cùm conſideraſſet atque explicuiſſet idem Apoſtolus ad Romanos ſcribens, admirabundus exclamat: cap. XI. 33, 34: O *altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles* (ſeu *imperveſtigabiles*) *viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* (Gr. *in ipſum*) *ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula, Amen.*

Reſtat nunc, ut de uſu hujus doctrinæ dicamus. Is verò eſt admodum inſignis & neceſſarius. Nam quod ad omniſcientiam divinam attinet; ideo ea animis noſtris penitus infixa eſſe debet, primùm ut Deo ſive futura nobis prædicenti, ſive alia occulta nobis patefacienti, indubitatò credamus: quandoquidem falli nequaquam poſſit ob omniſcientiam; uti nec fallere, ob immutabilem ſanctitatem, cujus pars eſt veracitas ac fides, de qua in ſequentibus. Deinde, ut Deum, prout par eſt, revereamur, cum metu ac pudore, cum ſumma animi ſimplicitate ac ſinceritate ei ſerviamus, & non externa tantùm facta, hominumque oculis ſubjecta, ſed & occulta, atque adeo ipſa animi cogitata ad ejus præſcriptum componamus. Hoc enim tum demum faciemus, ſi firmiter crediderimus, omnia cernere vindicem Dei oculum; non factum noſtrum ullum, non dictum, non conſilium animi, ipſum latere; omnia nuda atque reſupinata coram oculis ejus eſſe. Quis enim tam ſanctum numen non revereatur? quis auſit aliquid indecori, nedum impii, vel animo concipere, vel ore proloqui, vel opere deſignare, qui ſe in Dei oculis verſari ſemper cogitet? qui cogitet, eum, cùm leges non tantùm factis noſtris, ſed & cogitatis præſcripſerit, & præmia iis ac pœnas conſtituerit, eorundem arbitrum eſſe, & nullo alio teſte indigere, ſed ipſum certiſſimum ſimul eſſe teſtem, & judicem juſtiſſimum. Quis item auſit aliud linguâ promtum, aliud

* Cornel. Janſenius S. Theol. Lovanii Profeſſor, deſign. Epiſcopus Gandenſis. † vid. quæ dicat ad Prov. 8. 1, & 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pectore clauſam habere, & in fidei aut pietatis ratione ulla uti ſimulatione, qui Deum corda noſſe, & non faciem, ut homines ſolent, ſed animum ſpectare intelligat? Nulla igitur impietas, nulla ſecuritas, hypocriſis nulla locum ibi habet, ubi firma eſt de omniſcientia Dei perſuaſio ac fides. Hanc qui habet, is demum credet vera eſſe, quæ ſacræ literæ teſtantur, Deum occulta hominum per Jeſum Chriſtum eſſe judicaturum; Rom. 2. 16, & porrò Chriſtum, qui à Deo conſtitutus eſt judex vivorum ac mortuorum, Act. 10. 42, ut munus hoc rectè obire poſſit, ſcrutari corda ac renes, Apoc. 2. 23, & aliquando illuminaturum abſcondita tenebrarum, & manifeſtaturum conſilia cordium, & tunc laudem fore unicuique à Deo. 1 Cor. 4. 5.

Sed deinde non tantùm ad metum numinis nobis incutiendum, ſed etiam ad animos noſtros conſolandos, & ſpem noſtram fovendam, conſideratio omniſcientiæ divinæ plurimùm facit. Nam primùm ſolatur nos adverſus perverſa hominum de nobis factiſque noſtris judicia, & varias, quæ de Chriſtianis hominibus ſpargi ſemper conſueverunt, calumnias, atque atrociſſimas criminationes. Cum enim Deus omnia nôrit, non eſt metuendum, ne nobis iniqua hominum judicia apud ipſum noceant. Nullus in ipſius judicio falſus teſtis ſurgere, & opprimere quenquam calumniâ poteſt. Itaque modò mens recti ſibi ſit conſcia, omnia hominum mendacia, obtrectationes ac calumnias contemnere poteſt, & innocentiâ ſe ſuâ involvere, in eâque ſecurè conquieſcere, & ſperare, Deum innocentiæ vindicem, eam aliquando in apertum producturum. Qua ſpe ſe non ſemel ſolatur in Pſalmis David, Pſal. 7. 9, & d. conf: & ℣. 4, & d. & Pſal. 17. 1, & d. ult. & 18. 21, & d. & 26. 1, & d. & 35. 23, 24, & 43. 1. & alibi. & Deum innocentiæ ſuæ teſtem invocat, eique cauſſam ſuam committit. Huc etiam reſpicere videtur Chriſtus apud Matt. 10. 26, dum diſcipulos adverſus hominum odia & contumelias obfirmat, & inter alia ait: *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non ſcietur.* Deinde & eatenus nos ſolatur, ac ſpem noſtram alit de omniſcientia divina cogitatio, quatenus inde conſtat, Deum preces noſtras audire atque intelligere, quocunque loco aut tempore fuſas; nec preces tantùm verbis conceptas, ſed & tacita animi noſtri vota atque ſuſpiria; quin etiam, ut Chriſtus monet, Matt. 6. 6, 7, antequam oremus, eum ſcire, quibus indigeamus rebus. Itaque etiamſi nec ſatis explicare oratione poſſimus, quid cupiamus, nec ſatis etiam intelligere, quid cupere debeamus; illud tamen nos ſolatur, quòd Deus & animi noſtri ſenſa intelligere, & ſuprà vota etiam noſtra nobis conſulere poſſit. Quò inter alia reſpiciens Paulus ait: Rom. 8. 26, 27: *Nos quid oremus, ſicut oportet neſcire,* (loquitur autem de nobis infirmitate laborantibus, & ſub perſecutionum onere fatiſcentibus) *ſed ipſum Spiritum poſtulare pro nobis gemittibus inenarrabilibus: eum autem, qui ſcrutetur corda, ſcire, quid deſideret ſpiritus: quia* (vel *quòd*) *ſecundùm Deum poſtulet pro ſanctis.* Præterea ſolatur nos Dei omniſcientia, quòd certò inde nobis conſtat, etiamſi morte quodammodo abſorbeamur, & in omnium mortalium oblivionem veniamus, in oblivionem tamen apud Deum nos non venturos, & Dominum ſuos etiam poſt mortem noſſe, ac planè in numerato habere eorum nomina, non ſecùs ac ſi in libris haberet deſcripta. Unde & libri vitæ fit in ſacris literis mentio, Phil. 4. 3: Apoc. 3. 5: XX. 12: XXI. 27: XXII. 19: in quo nomina ſint eorum deſcripta, qui cum pietate vixerint. Quæ res licèt ad decreta divina propriè pertineat; pertinet tamen ſimul & ad omniſcientiam, ſine qua illa conſtare non poſſent. Pertinere huc videtur & illud Salomonis, cùm ait, Prov. 15. 11: *infernum & perditionem eſſe coram Domino.* Id enim videtur dicere, Deum eos etiam exactè noſſe, inque numerato habere, quos infernus abſorpſerit, quique jamdudum etiam perierint. Unde colligit, multò magis coram ipſo eſſe corda filiorum hominum, hoc eſt, hominum cogitationes ac conſilia, quæ ſunt adhuc præſentia. Denique nos erigit ac ſolatur omniſcientiæ divinæ conſideratio, quòd ſcimus, Deum etiam occultiſſima adverſariorum noſtrorum conſilia, & clandeſtinas machinationes noſſe. Itaque eas nobis, ſi cum pietate vixerimus, revera nocere non poſſe, ſive eas detegere Deo placeat, ſive alia aliqua ratione impedire, ſive denique permittere, ut ad exitum perducantur. Cum nihilominus pro ſapientia ſua efficere poſſit, ut quæ illi in perniciem noſtram moliuntur, nobis fiant ſalutaria. Qua in re etiam illa Sapientiæ pars, quam practicam appellari poſſe diximus, cernitur, cujus notitia ac certa in nobis fides quàm ſit neceſſaria, quámque utilis, itidem paucis nunc eſt declarandum.

Primùm neceſſaria eſt ejus cognitio, ut iis, quæ de admirandis Dei operibus in Sac. Lit. prædicantur, fides indubitata poſſit adhiberi. Quia enim ea illorum eſt ratio, ut abſque ſumma ſapientia perfici non potuerint: unde nos ex iis, tanquam effectis, eam demonſtravimus: ſi quis ei fidem adhibere nolit, eum ſimul neceſſe eſſet illis fidem derogare, quæ de præcipuis Dei operibus in Sac. Lit. ſcripta ſunt. Id quod ſine certa pernicie fieri non poteſt. Deinde eò facit illius cognitio, ut firmiter credamus, Deum, etiamſi omnia ipſius promiſſionibus videantur obſtare, & ad impedienda ipſius decreta conſpirare; rationem tamen tenere, omnes difficultates facillimo negotio expediendi. Facillimè illum omnia hoſtium ſuorum ſimul ac noſtrorum conſilia turbare poſſe: nullam eſſe ſapientiam, nullam prudentiam, nullum conſilium contra Dominum, quemadmodum ſpatientiſſimus mortalium olim dixit, Prov. 21. 30: quod etſi ad Dei potentiam ſpectet; ſpectat tamen etiam ad ejus ſapientiam. Itaque vanos hoſtium ſuorum conatus ridere dicitur Deus, Pſal. 2. 4, & apprehendere ſapientes in aſtutia eorum, Job. 5. 12, 13, & conſilium pravorum diſſipare, efficereque, ut per diem incurrant tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpent in meridie. Præterea & eò prodeſt de Sapientia divina notitia, ne quia rationes divinorum conſiliorum non capimus, ideò ea ſpernamus ac repudiemus; néve ad carnalis atque animalis prudentiæ normam, divinam ſapientiam exigamus. Quin potiùs, monente Paulo 1 Cor. 3. 18, 19, ſtulti fiamus in hoc ſeculo, ut verè ſapientes fiamus. Siquidem ſapientia hujus mundi apud Deum ſtultitia eſt: cap. 1. 21: & quia in ſapientia Dei (hoc eſt, per ea Dei opera, in quibus ſapientia ipſius manifeſtè elucet) non cognovit mundus per ſapientiam (nempe ſuam) Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, hoc eſt, per prædicationem, quæ hominibus animalibus, & nil niſi terrenum ſpirantibus, utut ſecundùm carnem ſapientibus, ſtulta videatur, ſalvos facere credentes. Stultus enim eſt ſapientibus illis ſermo crucis, & Chriſtus crucifixus, ibid. ℣. 18, & 23: per quem nos Deus ſervare conſtituit. Sed cogitandum eſt, quod ſtultum eſt Dei, ut loquitur idem Apoſtolus, ſapientius eſſe hominibus; uti &, quod infirmum eſt Dei, fortuis eſſe hominibus. ib. ℣. 25. Quæ n. divinâ ſapientiâ gubernantur, etiamſi ad rem, quàm parat Deus, inepta, ac porrò ſtulta eſſe videantur, aptiſſima tamen ſunt; & quæ invalida, divinæ potentiæ acceſſione fiunt validiſſima. Itaque illa quidem ſuperant omnia, etiam acutiſſimorum hominum inventa; hæc omnes potentiſſimorum hominum molitiones. Quare non externam rerum divinarum ſpeciem, certè non ſolam, ſed multò magis vim earum reconditam ſpectare, & inde eas æſtimare debemus. Quam ad rem diligenti rerum examine ac judicio eſt opus. Hoc verò cum abſque rationis uſu nequaquam fiat; valdè inconſideratè illi faciunt, qui propterea, quod diviniſſima quædam conſilia prima fronte ſtulta videantur, & à ſapientibus ſecundùm carnem repudientur, rationis uſum à rebus ſacris removent, eamque in divinis non audiendam eſſe ſimpliciter aſſerunt. Quod dum faciunt, id imprudentes agunt, ne quicquam rerum divinarum intelligamus, & abſurdiſſima quævis dogmata nobis obtrudi patiamur. At non rationis uſus, ſed abuſus iſtiuſmodi ſcripturæ dictis tollitur; uſus vel maximè præcipitur. Unde enim tibi conſtare poterit, hæc divina eſſe, illa non eſſe? Argumenta ſanè

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ac teſtimonia, ex quibus id conſtare poſſit, non niſi rationis beneficio intelliguntur atque examinantur. Hanc ergo non deſtruit divina ſapientia, ſed eam & poſtulat, & perficit. Unde & illud intelligitur, non eò uſque extendendam eſſe hanc ſtultitiæ ſpeciem, quæ in divinis rebus occurrat, ut etiam contradictoria nobis perſuaderi patiamur. Hæc enim non in eorum ſunt numero, quæ ſtulta tantùm eſſe videantur: ſed omninò falſa ſunt atque impoſſibilia, ut jam ſuprà cap 22, monuimus. Eatenus nobis ſapientiſſima quadam ſimplicitate utendum eſt, ut poſtquam ratione ac judicio adhibito deprehendimus, aliquid divinitus eſſe profectum, illud amplectamur, & divino conſilio nos penitùs attemperemus, etiamſi carnis ſenſus maximè repugnet, & ſtultum eſſe homines pro ſapientibus habiti clamitent. Talia ſunt, velle Deum homines per crucem atque ignominiam ad ſummam felicitatem ac gloriam, & per ipſa inferni, ut ita dicam, clauſtra, in cœli adyta perducere: & per ſimilia mala decuiſſe religionis ac ſalutis noſtræ ducem, ad ſupremum gloriæ faſtigium aſcendere. Ac porrò in Chriſtum aliquando crucifixum, & tam ignominioſa morte è vivis ſublatum, omnibus, qui ſervari velint, eſſe credendum. Hujuſmodi enim ſermonem ſtultum ex hominum ſapientum opinione vocat Apoſtolus; qui tamen & reipſa eſt ſapientiſſimus, & rem rectè æſtimantibus talis apparet. Unde idem Apoſtolus ait, d. l. 1 Cor. 1. 12,24, *Chriſtum crucifixum Judæis quidem ſcandalum eſſe, Græcis autem* (ſeu *Gentibus*) *ſtultitiam: ipſis autem vocatis, Judæis atque Græcis Chriſtum eſſe Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Quod etiam de ſermone crucis ex parte ſuprà ſcripſerat. ib. ℣. 18.

Hic autem doctrinæ de Sapientia Dei uſus in univerſa providentiæ ipſius ac gubernationis ratione patet latiſſimè. Multa enim occurrunt, in tanta præſertim rerum humanarum confuſione ac perturbatione, quæ piorum ac robuſtorum etiam animorum fidem labefactare cæteroqui poſſent; præſertim antequam ii vel ex eventu, vel aliis ex rebus divinorum conſiliorum rationes deprehendant. Atque illud inprimis, cur impiis benè, piis malè eſſe videatur. Quæ res & Aſaphum aliquando turbavit, ut ipſemet de ſe Pſalmo 73 teſtatur; quin & Hieremiam, qui ea de re quodammodo expoſtulat cum Deo cap. 12: & ne quemquam hæc res turbet, monet Pſalmo 37. David, interitum impiis certiſſimum denuncians, piis mercedem promittens. Qua de re quia & nos nonnihil ſuprà cap. 6, monuimus, & alibi in hoc opere ex profeſſo agetur; ideo plura de ea hîc dicere nihil attinet.

Illud adhuc ad uſum hujus de ſapientia divina doctrinæ addendum eſt: cum Deus ita ſit ſapiens, ut ſimul omnis ſapientiæ fons ſit; unde & ſolus dicitur eſſe ſapiens; ab eo ſapientiam, quâ plurimùm indigemus, petendam, quemadmodum & Jacobus monet, Jac. 1. 5. ei etiam omnem, ſi quam habemus, ſapientiam, & maximè eam, quæ circa rem pietatis ac ſalutis occupatur, acceptam ferendam eſſe. Sic Daniël olim, cùm ipſi res occulta eſſet à Deo patefacta, dixit Dan. 2. 20, & d. *Sit nomen Domini benedictum à ſeculo & uſque in ſeculum, quia ſapientia & fortitudo ejus ſunt,* & poſt pauca: *ipſe dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam: ipſe revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Tibi Deus patrum meorum confiteor, teque laudo, quia ſapientiam & & fortitudinem dediſti mihi,* &c. Verùm exempla eorum, qui vel ſibi vel aliis ſapientiam, ac inprimis divinæ voluntatis cognitionem à Deo petierunt, hinc inde in ſacris literis occurrunt.

Cap. XXV.

De Sanctitate Dei.

POſtquam de Sapientia egimus, quæ intellectus divini propria eſt perfectio; ſequitur, ut de Sanctitate agamus, quæ voluntatis potiſſimùm eſt perfectio, ſeu mavis, bonitas. Potiſſimùm dicimus; quia aliquo modo ad totam Dei naturam extenditur. Complectitur enim ea vox naturæ divinæ puritatem quandam: ſed præcipuè ſignificat eam voluntatis bonitatem, quâ fit, ut omnes Dei actiones rectæ ſint, & ab omni pravitate alienæ. Hanc Johannes puritatis voce intelligit, cùm Deum purum eſſe ait 1 Joh. 3. 3. Et ſanè ſanctum impuro inprimis opponitur: & quia vulgaria ac profana impura eſſe ſolent: ideò & vulgaribus, & profano uſui expoſitis opponitur. Subeſt autem & alia ſanctitatis voci ad Deum relatæ ſignificatio, ſed quæ ad hunc locum propriè non pertinet; cum ſit aliorum etiam Dei attributorum, & maximè potentiæ & imperii ſummi atque infiniti, veluti conſequens. Significat enim non rarò vox *ſancti* de Deo uſurpata idem, quod auguſtum, venerabile, inviolabile, uti ab aliis viris doctis eſt ante nos obſervatum. Quæ ſignificatio illic inprimis locum habet, ubi Deus non ſimpliciter ſanctus, ſed ſanctus alicujus, verbi gratiâ, Iſraëlis appellatur. vid. 4 Reg. 19. 22: Pſal. 71. 22: LXXVIII. 41,42: LXXXIX. 19: Eſa. 1. 4: V. 19, 24: X. 20: XII. 6: XVII. 7: XXIX. 19, 23: & alibi ſæpe. Quo pacto tum alibi ſæpè, tum verò omnium creberrimè apud Eſaiam nominatur. Itaque ſanctus Iſraëlis ſignificare videtur auguſtum ac venerandum Iſraëlis numen, glorioſum ac majeſtatis plenum. Unde & nonnemo interpretum * recentiorum non ſemel *Auguſtum Iſraëlis* vertit. Sic & Habacucus c. 1. 12, eum *ſanctum ſuum* vocat, hoc eſt, ſibi unicè colendum ac venerandum. In eadem ſignificatione videtur ea vox accipi, cùm in ſcriptura ſæpiùs *ſanctum Dei nomen* eſſe dicitur; vid. Lev. 20. 3: Pſ. 99. 3: CXI. 9: Ezech. 20. 39: XXXVI. 20, & d. & alibi. Luc. 1. 49. ut nomen ſanctum idem ſit, quod auguſtum ac venerandum. Atque haud ſcio, an & in illa acclamatione angelica, quæ apud Eſaiam c. 6. 3, extat, & illâ quatuor animalium in Apocalypſi, cap. 4. 8, quâ Deus ſanctus appellatur, eademque vox ad ſummam ſanctitatis illius perfectionem indicandam, & conſtantiorem rei aſſeverationem exprimendam, ter repetitur, *ſancti* nomen pro auguſto ac venerando ponatur; Exod. 15. 11. 1 Sam. 2. 2. Pſal. 30. 5: XCIX. 3; ut alia loca prætercam. Venerandus autem eſt Deus ob varias atque admirandas, quæ in eo elucent, proprietates, indeque profecta opera ſtupenda, atque adeo ob ipſam quoque ſanctitatem, de qua hîc propriè nobis eſt inſtitutus ſermo.

Hanc autem ibi inter alia intelligunt ſacræ literæ, dum Deum ſanctum ita appellant, ut homines ad eum hac in parte imitandum hortentur. Sic in Levitico aliquoties inculcat Deus hæc verba, hiſve ſimilia: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum,* Lev. XI. 44,45: & XIX. 2: & XX. 25: & XXI. 8: id nimirum monens, ne Iſraëlitæ, & inprimis ſacerdotes ipſi conſecrati, ulla in re ſeſe contaminent, animáſve ſuas polluant. vide etiam Joſ. 24. 19. Eadem verba & Petrus repetit, 1 Pet. 1. 15,16, dum monet, ut *ſecundùm eum, qui vocavit nos, Sanctum, & ipſi in omni converſatione* (hoc eſt, in omnibus vitæ actionibus) *ſancti ſimus: quoniam ſcriptum eſt, Sancti eritis* (Græcè *eſtote,*) *quoniam ego ſanctus ſum.* Hanc Dei ſanctitatem metaphoricè quidem, ſed ſatis tamen ſignificanter deſcribit Johannes, dum ait, 1 Joh. 1. 5,6,7: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus, quòd ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: ſi autem in luce ambulamus, ſicut ipſe* (nempe Deus) *eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem.* Ubi quidem *Lucis* nomine ſanctitatem ſeu puritatem intelligi, contrà per *Tenebras* impuritatem, turpitudinem, pravitatem, quivis cernit. Eſt enim lux res puriſſima, tenebræ contrà impuritatis ſpeciem habent. Cum ergo Apoſtolus ait, Deum eſſe lucem, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Deum eſſe ipſam ſanctitatem, nempe ob ſummam ſanctitatis, quæ in eo eſt, perfectionem. Quemadmodum enim per metonymiam ſcelus pro homine ſceleſto & valdè flagitioſo ponunt Latini; ita Johannes 1 Epiſt. 4. 8, contrà lucem ponit pro lucidiſſimo, ſeu ſanctitatem pro ſanctiſſimo. Quo modo idem Deus charitas ab eodem Johanne dicitur, quia maxima ſit in eo charitatis abundantia & perfectio. Eâdem metaphorâ Jacobus cap. 1. 17: Deum vocat Patrem luminum, quia

* Caſtellio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nimirum & lucidiſſimus ſit, hoc eſt, ſanctiſſimus, & omnis lucis ſeu ſanctitatis in hominibus fons & auctor: quemadmodum Sol ſiderum eſt & lucidiſſimus, & ſimul propè omnis, quæ in terris eſt, lucis fons & origo. Addit autem, *apud eum non eſſe tranſmutationem, nec viciſſitudinis* (ſeu *converſionis*) *obumbrationem*; eum hac in parte & Lunæ, & Soli, quæ magna in ſacris dicuntur luminaria, tacitè opponens. Nam Luna quidem mutabilis eſt, & nunc illuſtris, nunc obſcura. Sol autem, licèt in ſe nunquam obſcuretur, proprio ſplendore ſemper lucens; tamen ob ſui converſionem, & in adverſam cœli partem tranſitum, tenebras quodammodo inducit illi mundi parti, quam relinquit. At Pater ille ſpiritualis luminis, nec unquam in ſe obſcuratur, aut lumine aliqua in parte deficit, ut Luna; nec Solis inſtar ſponte ſua à nobis diſcedit, ut quos ſemel ſuo lumine illuſtraverat, eos iterum tenebris involvat, hoc eſt, quos ſanctitatis ſuæ fecerat participes, eos iterum vitiorum tenebris involvat. Probat enim Jacobus, Deum, qui ipſe malis non tentatur, ſeu ad malè agendum nunquam incitatur, nec alios tentare atque ad peccandum impellere: neque ita inſtabilem eſſe, ut quos ſemel donis ſuis cœleſtibus compleverat, & ſponte ſua genuerat, ut primitiæ quædam ejus creaturarum eſſent, eos iterum peccatorum ſordibus immergat, & invitos etiam ad ſcelera impellat.

Ex his autem apertiſſimè intelligitur, Deo eam, qua de agere inſtituimus, ſanctitatem revera ineſſe. Quanquam ea res probatione vix eget. Adeo enim id eſt rationi conſentaneum, ut ſi quis dicere auſit, Deum non eſſe ſanctum, id omnino dicere videatur, vel potiùs revera dicat, Deum non eſſe Deum. Quî enim is, unde omnis, quæ in natura cernitur, bonitas pendet, ipſe optimus non ſit? Optimus autem quî eſſe poſſit, niſi ſanctus juſtuſque ſit? Præterea, quî ſapientis nomen mereretur abſque juſtitia? Juſtitiæ enim illius, de qua agimus, eſt id velle atque agere, quod dignitati atque excellentiæ naturæ intelligentis eſt conſentaneum. Ut autem id fiat, & ſapientia omninò poſtulat.

Ex his autem, quid de ſanctitatis divinæ natura ſtatuendum ſit, haud difficulter intelligitur. Diximus enim ab initio, eam tum naturæ divinæ puritatem, tum eam inprimis voluntatis bonitatem complecti, quâ fiat, ut omnes divinæ actiones rectæ ſint. Poſſes fortaſſe definire, Naturalem ſeu neceſſariam Dei bonitatem. Analogiam cum ea habet aliquam honeſtas ac virtus humana. Et virtutum quidem nomen de Deo Petrus 1 Pet. 2. 9, uſurpare nihil eſt veritus: ſed ea voce non tantùm ſanctitatem ejus complectitur, ſed & alia admiranda ipſius attributa, imò & eorum opera, quibus effectum eſt, ut ex ignorantiæ tenebris, in lucem veritatis traduceremur. Qualia attributa ſunt, ſapientia, potentia, benignitas. Naturalem autem ſeu neceſſariam hanc Dei bonitatem eſſe dicimus, ut ab ea diſcernatur, quæ voluntaria potiùs ſeu libera eſt, & alio nomine benignitas dicitur. Et naturæ quidem divinæ puritas in eo conſiſtit, quòd nihil in eam cadat, quod aliqua ratione indecorum ſit, & labem aut maculam ei aliquam aſpergere poſſit. Quales ſunt actiones quædam hominum, vel penitus, vel aliqua etiam ex parte neceſſariæ, illis cum brutis communes. A quibus natura divina tam longè abeſt, quàm quod longiſſimè. Addi poteſt & illud, quod tamen ad voluntatis bonitatem propiùs pertinet; quòd nihil in natura ſit Dei, quod voluntatem ipſius ad quippiam pravum, iniquum, crudele incitet atque inclinet. Quin potiùs intellectus Dei, &, quæ ei ineſt, ſapientia, voluntatem ad id, quod rectum eſt, ſemper inclinat. Id enim quod rectum eſt ac conveniens, intellectus ſemper cernit, & ſequendum eſſe monſtrat. Voluntas autem divina intellectui, à quo pendet, ſeſe applicat, nec quicquam ei adverſum ſtatuit. Quare naturalis voluntatis divinæ bonitas in eo cernitur, quòd in id, quod rectum eſt, ſemper prona eſt, ab eo autem, quod pravum eſt, quod turpe & indecorum, abhorret. Unde porrò & ſingularum actionum, ſive internarum, ſive externarum à voluntate pendentium, manat rectitudo: ob quam Deus appellatur in Sacris Literis rectus, Pſal. 25. 8: XCII. 16, aut juſtus, Neh. 9. ỿ. 33: Jer. 12. 1: Dan. 9. 7, 14: Soph. 3. 5. Quamquam juſtitiæ nomen Deo tributum aliter quoque ſumitur, ut paulò pòſt dicetur. Hanc Dei rectitudinem ſive juſtitiam prædicat Moſes dum ait Deut. 32. 4: *Dei perfecta* (hoc eſt, recta) *ſunt opera, &* (Hebr. *quia*) *omnes viæ ejus judicium: Deus fidelis* (Hebr. *veritas*,) *& abſque ulla iniquitate, juſtus & rectus.* & David Pſal. XI. 8: *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit: æquitatem* (Hebr. *rectum*) *vidit vultus ejus*, hoc eſt, libenter aſpicere ſolet. Huc referuntur & illa ejuſdem, Pſal. 145. 17: *Juſtus eſt Dominus in omnibus viis ſuis*, hoc eſt, in omnibus ſuis actionibus; niſi cum doctis quibuſdam viris hæc verba de beneficentia divina ſumere malis. Quia ſequitur: *& miſericors in omnibus operibus ſuis.* Sic enim legitur in Hebræo, non verò, ut ex Græco Latinus interpres vertit, *ſanctus* in omnibus operibus ſuis. Solet autem *juſtitiæ* aut *juſti* nomen ad Deum relatum tum alibi, tum verò præcipuè in Pſalmis non rarò ita poni. vide inter alia Pſal. 5. 9: XXII. 32: XXXI. 2: XXXVI. 7, 11: XL. 10, 11: XLVIII. 11: LI. 16: LXIX. 28: LXXI. 2, 15, 16, 19, 24: LXXXVIII. 13: CXII. 9. ut dubites, utrùm de beneficentia, an verò de ea juſtitiæ parte accipiendum ſit, quæ in ſervandis promiſſis cernitur, & ſpeciali nomine fides ſeu fidelitas dicitur. Quia & res & locorum circumſtantiæ utrumque patiuntur. Interdum locorum circumſtantiæ id potiùs poſtulant, ut de beneficentia intelligatur. Unde & plurale nomen *juſtitiarum* pro beneficiis uſurpatum alicubi legas. 1 Sam. 12. 7. vid. Hebr. De beneficentia verò hîc non agimus, ſed de ea ſanctitatis parte, quę juſtitię nomen magis propriè meretur. Ea verò, ut notum eſt, duplici ratione ſumitur: laxiùs & ſtrictiùs. Laxiùs ſumta, univerſalis dicitur; ſtrictiùs, particularis. Univerſalis, ex ſacrarum literarum mente acceptæ, eſt omnia ea facere, quæ fieri jure debent, ſeu quæ fieri jus atque honeſtas ipſa poſtulat, uti contrà non facere ea, quæ fieri jus atque honeſtas prohibet. Itaque ad homines relata, univerſam illorum pietatem ambitu ſuo complectitur; ad Deum relata, omnem eam, quæ in actionibus ipſius cernitur, rectitudinem ac ſanctitatem. Particularis autem in illis tantùm rebus cernitur, in quibus jus alterius agitur. Eſt enim juſtitia particularis ea rectitudinis pars, quâ jus ſuum cuique tribuitur; ſeu quâ id præſtatur alteri, quod ei præſtari jure debet. De univerſali autem juſtitia Dei loquuntur illa ſacrarum literarum loca, quæ paulò ſuperiùs expreſſimus. Quare cum dictum ſit, univerſalis juſtitiæ eſſe, id omne facere, quod jus atque honeſtas fieri poſtulat; & contrà vitare atque omittere, quod jus atque honeſtas prohibet: conſiderandum eſt, quænam ea ſint, quæ vel fieri, vel omitti jus atque honeſtas requirit. Docuimus autem ſuprà, cùm de Poteſtate Dei egimus, jus illud, quod æquè latè atque honeſtas patêt, ex dignitate naturæ intelligentis æſtimandum eſſe. Quicquid enim ei nec per ſe, nec ob circumſtantiam aliquam adverſatur, id licitum eſſe; quicquid ab ea poſtulatur, ita eſſe juſtum atque honeſtum, ut fieri debeat: quicquid ei repugnat, injuſtum, illicitum, pravum ac turpe eſſe. Primùm ergo vi juſtitiæ ſuæ, quam univerſalem appellari diximus, omnia illa averſatur Deus, nec unquam vel vult, vel facit, quæ dignitati naturæ intelligentis, atque inprimis ſuæ, adverſentur. Deinde omnia illa vult ac facit, quæ dignitas illa ob circumſtantiam fortè aliquam poſtulat. Nam alioqui, ut Deus quippiam extra ſe agat, aut de rebus agendis decernat, naturæ ipſius dignitas ſimpliciter non poſtulat. At cùm liberrimæ voluntatis actus anteceſſit, fieri poteſt, ut naturæ dignitas aliquid poſtulet, quod actum illum conſequi jurè debeat. Ad prius autem juſtitiæ munus à nobis conſtitutum non tantùm pertinet, ne per ſeipſum quicquam pravi agat Deus, ſed etiam ne per alios faciat, aut ab iis factum approbet. Siquidem qui per alium facit quippiam, per ſe ipſum facere videtur: imò ſi is ſolus liberè agat, ille verò, per quem res prava perficitur, neceſſariò; omnis culpa penes eum eſt, qui per alium id facit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

facit. Quin & is, qui factum pravum, quà tale approbat, eóve delectatur, pravi quippiam facit. Pravus enim hîc ipſe voluntatis actus eſt, & nonnunquam deterior ipſo, quod approbatur, delicto. Quemadmodum cernitur ex eo, quod Paulus de hominibus impiis ſcribit ſub finem cap. I. ad Roman. ubi ita in Græco legitur: *qui cum jus Dei cognoviſſent, quòd qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolum ea faciunt, ſed & facientibus applaudunt*, ſeu eorum facta approbant, iiſque delectantur. Ubi tanquam aliquid gravius ac flagitioſius ponitur, mala facientibus applaudere, quàm mala facere. Nec injuriâ. Certam enim is prodit malitiam, qui, cum ipſius cæteroqui nihil interſit, peccatum deſignari; peccatum tamen alienum approbet. Cùm deſignari peccatum nonnunquam ex aliqua imbecillitate, aut valido affectuum impetu, ab occaſionibus & variis irritamentis excitato, ſine vera animi malitia poſſit. Quòd ſi ejus, qui approbat, interſit, delictum admiſſum eſſe; fieri quidem poteſt, ut non magis peccet, quàm is, qui deſignavit: ſed interim fieri non poteſt, quin approbando peccet. Quapropter omnes ejuſmodi à Deo, quem ſanctum, rectum ac juſtum eſſe novimus, removendæ ſunt actiones. Removenda ergo eſt à Deo omnis crudelitas, invidia omnis, omnis ἐπιχαιρεκακία, ſeu ex calamitatibus creaturarum innocentium delectatio, omnis ex earundem peccatis ac ſceleribus voluptas: ac porrò & decreta & actiones ejuſmodi, quæ illum aut ſceleribus hominum, aut eorum, utut innocentium, calamitatibus ac doloribus delectari oſtenderent, & maleficam quandam aut naturam, aut voluntatem arguerent. Neque verò fruſtra hæc à nobis dicuntur. Eò enim (proh dolor!) res devenit, ut homines Chriſtiani, & quidem non poſtremi nominis, hujuſmodi actiones, utut ſpecioſis nominibus palliatas, Deo attribuant: & cum injuſtitiæ Deum accuſare horreant, interim ea, quibus nihil excogitari poteſt injuſtius, ipſi adſcribere audeant. Quid enim faciunt aliud, qui ſtatuunt, Deum infinitam hominum multitudinem decreto immutabili, ab omni æternitate facto, æternis atque intolerandis cruciatibus, ſine ulla conditione, quæ in ipſorum arbitrio poſita ſit, deſtinaſſe, & porrò etiam in hunc finem condidiſſe? Et audent tamen illi aſſerere, id Deum feciſſe ad juſtitiæ ſuæ demonſtrationem, & porrò ad nominis ſui gloriam: cùm nulla major poſſit excogitari crudelitas; utpote quæ omnium, quotquot unquam vixerunt, tyrannorum crudelitatem infinitis modis ſuperet. Quod verò crudeliſſimum eſt, non poteſt non eſſe iniquiſſimum ac maximè pravum. Quòd ſi innocentem punire, aut nocentem ultra meritum plectere, injuſtum eſt; quid de eo cogitandum foret, qui & infinitam innocentum multitudinem, & infinitis ſeu æternùm duraturis cruciatibus, atque acerbiſſimis ſuppliciis ſponte ſua mactare ſimpliciter decreviſſet, & in eum illos finem condidiſſet? Itaque tantum abeſt, ut ea res ad Dei gloriam cedere poſſit, ut vix ulla poſſit major ſanctiſſimo ipſius nomini ignominia inuri. Neque verò hanc pravitatem, quam Deo tribuunt, excuſant, ſed etiam augent, dum ſtatuunt, eundem Deum ſimul etiam de iis decreviſſe, ut peccarent; nempe ut hoc pacto ſupplicia æterna mererentur; & ſic juſtè puniri poſſent. Cum in tanta neceſſitate, omnem voluntatis humanæ actum antecedente, & nullam hac in parte libertatem homini relinquente, omnis vera ceſſet hominis culpa, omne pœnæ meritum. Itaque nihil ſit aliud, quàm ut innocentibus duplicetur malum, & infinitæ calamitati probrum etiam ac turpitudo aliqua accedat, ac quibus perire neceſſe eſt, etiam virtutis adimatur ſolatium. Omnis autem, quæ hac in parte eſt, culpa, in Deum, omnis ſanctitatis fontem redundaret, qui liberè decreviſſet, ut, qui naturâ ſuâ poſſent eſſe à peccato immunes, omnino peccarent, & tot ubique deſignarentur ſcelera, à quorum etiam cogitatione viri honeſti animus refugit. Quàm longè verò ab his opinionum portentis abhorrent ſacræ literæ? Ezech. 18. 23, & d. Nam quòd ad priorem ſententiæ illius partem attinet; ipſe Deus teſtatur c. 33. 11, imò jurat, ſe ne impiorum quidem morte delectari, nedum ut innocentiſſimos etiam æternis ſuppliciis ſimplici atque immutabili decreto deſtinârit. Quod quàm longè à juſtitiæ divinæ ratione abſit, poſtea clariùs apparebit, cùm de particulari juſtitia agemus. Rectè Auctor libri Sapientiæ inter alia, Deum alloquens, ait: Sap. XI. 25, 27: *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti: nec enim odiens* (vel potiùs *odioſum*) *aliquid conſtituiſti aut feciſti.* & rurſus: *Parcis omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* Rectè idem ſcriptum reliquit c. 2. 10: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium. Creavit enim, ut eſſent, omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum* (Gr. *ſalutares ſunt ortus mundi,*) *& non eſt in illis medicamentum* (vel potiùs *venenum*) *exterminii* ſeu *perniciei.* Et hæc quidem dicta etiam illi verbis approbant, qui iis reipſa maximè adverſantur. Quomodo enim magis poſſet odiſſe Deus ea, quæ fecit, quàm ſi maximam nobiliſſimarum creaturarum in terris partem, ad æternos immenſoſque cruciatus immutabiliter deſtinaſſet, ac porrò condidiſſet? Quomodo mortem non feciſſet Deus, ſi de morte hominibus inferenda ſine ulla conditione decretum feciſſet? Quomodo ortus mundi ſalutares eſſent, & non venenum pernicioſiſſimum in iis lateret, ſi ea conditione hominum pars maxima fuiſſet condita, ut æternis ſuppliciis mactaretur, & ea evitare nullo modo poſſet? Hoc pacto non modò nullum illis Deus præſtitiſſet beneficium, cùm eos creavit, ſed pejus etiam in illos conſulere non potuiſſet. Itaque loco beneficii maleficium omnium maximum ea in re cerneremus. Neque verò amorem ab illis ullum exigere jure ſuo poſſet Deus, quos ad tantam infelicitatem, nullis lacrymis ſatis deplorandam, produxiſſet; nec ullam obedientiam ab iis, quos ante omnem inobedientiam immutabiliter ad pœnam deſtinaſſet longè majorem, quàm bonum illud fuerat, quod illis dederat. Quod ad alteram ſententiæ illius partem attinet, quâ ſtatuitur, Deum etiam, ut maxima hominum pars, imò omnes omnino peccarent, decreviſſe, & porrò etiam auxilium ſuum, quod ad evitandum peccatum prorſus ſit neceſſarium, ita iis ſubtrahere ſtatuiſſe, ut non poſſent non peccare; ut ſcilicet in aliis miſericordiæ, in aliis ſeveritatis ac juſtitiæ exercendæ materiam haberet; etiam illa longiſſimè à ſacrarum literarum mente abeſt. Siquidem Deum iniquitatem non velle, ac propterea, qui eam deſignant, averſari, odiſſe, eóſque punire ac perdere teſtantur. Qua de re vide, quæ inter alia dicat David Pſalmo 5. 5, 6, 7, 9. Non repetemus hîc illa, quæ ſuprà ex Jacobo docuimus, qui Deum neminem tentare, ſeu ad peccandum impellere docet; quia ipſemet à malis non tentetur, nulloque peccandi deſiderio tangatur. In quam ſententiam & Siracides c. 15. 11, & d. elegantiſſimè ſcribit: *Non dixeris, Per Deum abeſt* (Gr. defeci.) *Quæ enim odit, ne feceris. Ne dicas, ille me implanavit,* (hoc eſt, ſeduxit.) *non enim neceſſarii ſunt ei homines impii. Omne exerramentum* (ſeu abominabile, aut nefas) *erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio conſtituit* (Gr. fecit) *hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui.* [*Adjecit mandata & præcepta ſua.*] *Si volueris mandata ſervare,* (Gr. ſervabis) [*conſervabunt te,*] *&* [*in perpetuum*] *fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et quid multis opus? Satis ſit, quòd Deus ubique peccata prohibeat, ſeverè interdicat, homines omnes ab iis avocet. Abſit enim, ut Deo hypocriſin tribuamus, & quæ apertè prohibet, eum occultè, ut omnino fiant, velle putemus. Qua de re infrà.

Ea verò, quæ hucuſque diſputata ſunt, non impediunt, quò minùs Deus quædam decernat, quæ ſine creaturarum ipſarum pravitate perfici non poſſunt; ſi modò decreta ejuſmodi tacitam contineant conditionem, aut hypotheſin, extituros nempe homines, qui ob improbitatem ſponte ſua conceptam, aut vitium aliquod voluntarium, ad ea decreta exſequenda ſint apti, & veluti accincti. Sic enim nihil erit opus ut,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quicquam ad ipſam hominum pravitatem conferat Deus, aut quicquam tale faciat, unde eam in ipſorum animis naſci ſit neceſſe. Satis erit voluntariâ hominum malitiâ, aut vitio uti, eamque ad finem certum dirigere. Itaque culpa tota eſt creaturæ, decretum divinum, ſub certa hypotheſi aut conditione factum, exſequentis, non Dei. Culpa enim tota in eo eſt, quòd quis improbus ſponte (nam aliàs ne improbitas quidem foret) evadat, quòd vitium aliquod contrahat, aut conſilium pravum ſuſcipiat, & ſic talem ſeſe præſtet, ut occaſionibus, quæ ipſi objiciuntur, & incitamentis, eum ad peccandum impellentibus, reſiſtere jam non poſſit, vel vix ac ne vix quidem poſſit, præſertim auxilio divino deſtitutus. At homines ob ipſorum peccata auxilio ſuo deſtituere, & pravas eorum mentes ac conſilia in bonum finem dirigere, vitioſum non eſt: quare nec iſta decernere. Quicquid enim facere ſine vitio poteſt quiſpiam, poteſt & decernere. Huc pertinent divina decreta ac vaticinia de Chriſto per aliquem ex domeſticis prodendo, & à Judæis occidendo Joh. 13.18. XVII. 12. Actor. 2:23: & alia his ſimilia. Iis autem, quæ diximus, vicinum illud eſt, quòd Deus ſalvâ ſuâ ſanctitate ac juſtitiâ, poſſit homines improbos tradere in deſideriis eorum in immunditiam; tradere eos in reprobum ſenſum ſeu mentem, ut faciant ei, quæ non conveniunt Rom. 1.24, 26, 28. Eam enim ad rem nihil aliud ex Dei parte neceſſarium eſt, quàm ut homines improbitati ſponte ſuſceptæ relinquat, auxilium eis ſuum ſubtrahat, & repagula, quæ improbitatem ipſorum aliquo modo coërcere ac reprimere poſſent, tollat, & ſic ope ſua deſtitutos Satanæ fraudi ac libidini exponat. Magna enim conſuetudinis pravæ, magna occaſionis vis eſt, præſertim ſi hinc quidem Deus cupiditatem hominis non coërceat, illinc multæ invitent ac trahant illecebræ, vel etiam, ni pecces, ingens periculum ac damnum conſequuturum appareat. Tantò autem major earum rerum vis eſt, quòd eæ Satanæ aſtutiâ gubernentur, & ad earum vim occulti ejus impulſus accedant. Has difficultates eluctari animus jam ſponte ſua pravus non poteſt, vel vix ac ne vix quidem poteſt. Licèt enim non ſit naturâ ſuâ impoſſibile, hominem ſibi tantam vim inferre, ut animi improbitatem ſponte conceptam tunc deponat: eſt tamen adeò difficile, ut impoſſibile non immeritò poſſis dicere.

Ex quo etiam intelligitur, quomodo Deus homines malos indurare queat. Dico autem malos; quia nunquam quenquam niſi ſponte ſua malum aut contumacem induraſſe legitur. Præſertim cum induratio pœna quædam ſit; quanquam talis, quæ ad majorem ac graviorem ducat. Deus autem neminem, ut poſtea docebimus, punit innocentem; nedum ut impedire velit, quominus ille id faciat, quod ipſi gratiſſimum eſt, quódque ipſe præcepit. Qua in re induratio conſiſtit. Id enim tum demum facit Deus, cùm homo ipſi parere obſtinatè noluit tunc, cùm parere poſſet. Itaque cùm pœnam, & quidem gravem fuerit commeritus; dignus eſt, cui via eam effugiendi præcludatur. Quia verò Deus omnibus reſipiſcentibus & vitam emendantibus peccata condonat; ideò cùm pœnam diutiùs differre cogitat, aut ea homini ſupplicia infligere, quæ animi contumaciam frangere alias facile poſſent, & eum ad reſipiſcentiam adducere; eum indurat, & ſic viam illi, quominus ſupplicium effugiat, præcludit. Eſt nempe induratio inſtar vinculorum ac carceris cujuſdam, quo malefici ad ſupplicium veluti detinentur. Ad eam verò generatim loquendo nihil aliud requiritur, quàm ut omnia remedia homini ſubtrahat Deus, quibus animi contumacia ſponte contracta molliri poſſet, vel ſaltem ita illa moderetur, ne animi duritiem omnino frangant, permiſſa Satanæ, ut eam alat, aut etiam augeat, poteſtate. Nam ſi homines etiam tunc pervicaciam animi vel ſuſcipiunt, vel deponere nolunt, cùm à Deo invitantur, cùm auxilia illis ſubminiſtrantur, quibus flecti in melius poſſent; quid cogitamus fieri, cùm auxilio divino deſtituti, ubique animarum ſuarum hoſti patent? Neque verò neceſſe eſt Satanæ imperare, ut hominum contumaciam alat, ut eos in ſcelera impellat. Sua ſponte in id perpetuò excubat, divinæ gloriæ, humanæ ſalutis, ac porrò etiam pietatis perpetuus atque infenſiſſimus hoſtis. Vincula tantùm, quibus à Deo tenetur conſtrictus, illi aliquantùm laxari ſatis eſt. Interim tamen indurationis vis non eſt planè ineluctabilis, præſertim ſemper. conf. Rom. 9.22: X. 1, & d. XI. 14, 23. Cùm enim Deus homini mentem non eripit, nec naturalem arbitrii vim eidem eripit; ſed, cùm à malitia intùs jam ſit valde conſtricta, & deteriori parti veluti adſtricta, exterioribus eam vinculis, quæ malitiam ac contumaciam ſolvi non facilè patiuntur, adhuc magis conſtringit. Ideo vix ullæ ſunt illius ad bonum vires. Quòd ſi tamen, id quod proculdubio rariſſimè fit, diuturniore temporis ſpatio conceſſo, ſe aliquantùm à malitiæ nodo, adjumenti fortè aliquid exteriùs nacta, expedierit, divinæ voluntati conſentaneum eſt, ut indurationis quoque vis ceſſet. Hæc enim animi malitiam homini non ingenerat, ſed ſponte ſuſceptam ac voluntariam præſupponit, ſine illa vim ſuam amiſſura. Et ſanè dignum eſt Deo, contumaces ita conſtringere; ut non niſi per ſummas difficultates, & inuſitato, ut ita dicam, facinore pœnam evitare queant.

Intelligitur denique hinc, quomodo etiam aliàs peccata peccatis punire poſſit Deus, & talia hominibus, etiam non planè improbis, comminari, quæ ſine ſcelere ab iis fieri non poſſunt. Quale fuit illud, quod Chriſtus comminatus eſt Petro Matt. 26. 31, & d. eum ter ſeſe abnegaturum: cùm nimirum Domini ac Magiſtri verbis, auctoritate etiam antiqui vaticinii communitis, nimis audacter reſtitiſſet, & conſtantem præ cæteris omnibus erga Dominum in periculis fidem nimis audacter promiſiſſet, ac cæteris diſcipulis ejuſdem temeritatis veluti ſignum erexiſſet. Duo enim inprimis hîc ſunt obſervanda. Alterum eſt, ad eam rem non fuiſſe opus, voluntatem negandi Dominum animo Petri occulta quadam ratione inſtillari. Satis enim fuit, eum ope divina deſtitutum, imbecillitati ſuæ, cum nimia ſui fiducia conjunctæ, relinqui; & Satanæ vim atque aſtutiam, ipſum, ut Chriſtus monuerat, tentare volentis, non cohiberi. Nam ipſius ſimul temeritate; & Satanæ eâ utentis aſtutiâ factum eſt, ut in id præcipitium, unde delapſus eſt, deduceretur, & tanto tam graviter peccandi diſcrimini objiceretur. Imbecillitas autem effecit, ut ejuſdem Satanæ inſtinctu atque arte, objecta ei peccandi occaſione, periculi ſeſe undique oſtendentis metu perculſus, ſuccumberet. Ut autem divino auxilio hac in parte deſtitueretur, ſuâ illâ audaciâ ac confidentiâ commeritus fuerat; præſertim quia remedium illud uſurpare neglexerat, quo poterat ſeveritatem hujus comminationis mitigare, & pœnam hujuſmodi ac flagitium à ſe deprecari atque avertere. Nam ut alterum etiam addamus, quod hîc obſervandum eſſe diximus; quemadmodum multæ aliæ Dei comminationes, licèt ſimpliciter prolatæ, prorſus tamen abſolutæ ac irrevocabiles non ſunt; ita nec hoc decretum videtur fuiſſe abſolutum, ac penitus irrevocabile. Patet id ex eo, quòd Chriſtus etiam poſt illud tempus, Petrum nominatim unà cum Jacobo & Johanne ita monuit ib. ℣. 40. 41: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma.* Quorſum enim iſtud monuit, ſi fieri nulla ratione poterat, ut Petrus adverſus tentationem ſubſiſteret, & Dominum haud negaret? Itaque nihil eſt credibilius, nihil etiam rectitudini divinæ, cum ſumma benignitate conjunctæ, magis conſentaneum, quàm Deum id decretum mitigaturum fuiſſe, ſi iis, quæ adhibere poterat, remediis fuiſſet uſus, hoc eſt, ſi illa Domini comminatione aut prædictione audita, in ſe rediiſſet; ſi culpam deprecatus, Dominum etiam ipſum rogaſſet, ut pro ſe preces apud Deum interponeret; ſi ipſemet imbecillitatis ſuæ memor, ad Dei opem, à Domino præſertim monitus, ſupplex confugiſſet, eum aſſidue ardenterque rogâſſet, ne Satanæ tantum permitteret virium, ut ipſum vinceret, ſed ſuæ imbecillitati ſuccurreret; ſi denique temeritate ac nimiâ ſui fiduciâ depoſitâ, occaſioni & periculo peccandi ultro ſe offerre noluiſſet, imò eam quam diligentiſſimè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cavere ſtuduiſſet. Hæc cum facere neglexerit Petrus, in eum impegit ſcopulum, in quem ſe impegiſſe mox acerbè flevit.

Hucuſque de priori potiſſimùm juſtitiæ ſeu rectitudinis divinæ munere egimus, quod in eo cernitur, quòd nihil eorum agat Deus, quæ ſine pravitate fieri nequeunt. Sequitur ut poſterius quoque videamus, quod in eo conſiſtit, quòd omnia illa faciat Deus, quæ ſine pravitate omitti non poſſunt. Quanquam in eo quoque explicando ſubinde facienda eſt mentio eorum, quæ ſine pravitate fieri nequeunt. Actiones autem, in quibus iſtud juſtitiæ munus cernitur, triplices conſtitui poſſunt; unde inſigniores quædam emergunt juſtitiæ univerſalis partes. Vel enim facta ſunt, vel dicta, vel de alterutris decreta. In factis, & propter facta etiam in decretis, quæ de illis fiunt, juſtitia particularis inprimis cernitur: in dictis ac factis ſinceritas, quæ veritatem in ſe complectitur: in omnibus, ſed maximè in decretis, conſtantia. Dicimus autem, in factis juſtitiam particularem inprimis cerni, non ſolam. Nam ne de ſinceritate, itemque de conſtantia, nunc quicquam dicam; ſunt & alia quædam juſtitiæ univerſalis munia, in faciendo, non in omittendo poſita, quæ ad juſtitiam particularem non ita commodè revocari poſſint. Ut, quòd Deus, cum creaturas rationales produxerit, etiam id egerit, atque agat, ut dignitati ac præſtantiæ naturæ ſuæ convenienter viverent vivantque: licet interea poſſit creaturas ſpontè improbas deſerere, & ſuæ illas libidini conſtringendas tradere, quemadmodum ſuprà dictum eſt. Huc etiam pertinere videtur, pœnam decretam ab extremè improbis ac contumacibus exigere, & veniam illis non concedere. Hæc enim ad juſtitiam particularem propriè non pertinent: ſed ad eam, quæ id, quod rectum atque honeſtum eſt, ſimpliciter ſpectat. Particularis enim juſtitia ea eſt, ut ſuprà vidimus, quæ jus ſuum alteri tribuit. Tribuere autem non tantùm eum dicimus, qui quod alteri debet, reddit; ſed etiam, qui nihil præter jus faſque vel exigit ab altero, vel ei adimit. Adimi autem poſſunt non tantùm bona externa, fortunæ vulgò tributa, ut opes ac honores, ſed & vita ac valetudo, corporiſque integritas, pudicitia; ne de aliis nunc dicam, quæ extra nos ſunt poſita, ut ſunt uxor, liberi, eorum pudicitia, aut integritas. Hæc juſtitia quomodo in Deum cadat, & quatenus, porrò videndum eſt. Etenim arbitrari quiſpiam poſſet, nullam ei in Deo eſſe locum; quia creaturæ reſpectu creatoris nullum penitus jus eſſe videatur. Quare nec jus illis ſuum à Deo reddi poſſe; qua in re omnem juſtitiæ particularis vim conſiſtere diximus. Jus autem creaturæ reſpectu creatoris nullum penitus eſſe, inde quiſpiam collegerit, quòd creatura, quanta quanta eſt, Dei ſit, tanquam domini ac poſſeſſoris, ut ſuprà vidimus. Rei autem nullum eſſe videtur jus reſpectu domini. Quin nec reſpectu aliorum ei jus aliquod competere videtur, ſed domino. Unde, ſi ea lædatur à quopiam, non ipſi, ſed domino per ipſam injuria fieri cenſetur, ut de ſervis ſuprà vidimus. Itaque concludendum videtur, jus, quod Deus in creaturas, etiam ratione atque intellectu utentes habet, prorſus in infinitum exire, & etiamſi innocentiſſimum cruciatibus æternis, &, quantas natura ejus caperet, maximis ſubjiceret, eum tamen nullam creaturæ injuriam facturum. Et videri ſanè poſſunt huc ſpectare ea, quæ ſcribuntur ad Rom. cap. 9, atque inprimis illa, quæ de Eſavo & Jacobo leguntur, quorum illum hujus ſervituti ſubjeciſſe, eaque ratione odiſſe Deus dicitur, cùm neuter adhuc natus eſſet, neuter quicquam boni aut mali feciſſet: itemque illa, quòd Deus induret, quem velit: quodque poteſtatem habeat, ex eadem maſſâ, aliud quidem vas in honorem, aliud in ignominiam fingendi. Sed cum omnes ipſa rei veritate coacti fateantur, licet nonnulli non ſatis conſtanter, creaturæ pœnam à Deo infligi, ſalvâ ipſius juſtitiâ non poſſe, niſi ob aliquod delictum, (proprium, an alienum, nunc non definimus,) neceſſe eſt etiam eoſdem fateri, jus aliquod eſſe creaturæ reſpectu Dei, ſi non uſquequaque propriè ſic dictum, ſaltem id, quod per analogiam juri propriè dicto reſpondeat, & eandem reſpectu Dei vim habeat, quam jus propriè dictum habere alioqui ſolet. Nam ſi jus non habet Deus puniendi creaturam niſi ob aliquod delictum; jus aliquod habet creatura, ne puniatur à Deo, niſi ob aliquod delictum. Nempe ubi jus divinum reſpectu creaturæ, ut ita dicam, deſinit, ibi jus creaturæ reſpectu Dei incipit. Juris autem illius tum prima origo, tum incrementum à benignitate divina ita eſt, ut ipſius rei æquitate nitatur, vel potiùs in ea ipſa conſiſtat. Poſtquam enim Deus (id quod benignitatis fuit) intellectum nobis dedit atque arbitrium, & ſic tales effecit, ut inter nos & ipſum conjunctio ac ſocietas quædam eſſet, ut inter herum & ſervos; ſimul etiam id dedit, quod hujus conjunctionis eſt conſequens, nempe jus aliquod. Eandem autem conjunctionem cùm poſtea ex ſingulari benignitate auxit, fœdere nobiſcum conſtituto, ſimul & jus noſtrum auxit. Intelligendum enim eſt, jus cum ſocietate tam arcto colligatum eſſe vinculo, ut ubi ſocietatis vel umbra eſt, etiam juris ſit, & contrà *. Itaque quia aliqua eſt inter dominum & ſervum ſocietas, etiam jus inter utrumque eſt, licet non ita ab utraque parte plenum, ut inter pares aut liberos. Eſt namque jus, de quo agimus, id quod natura ſocietatis rerum intellectu præditarum poſtulat. Quemadmodum autem ſocietas eſt mutua, ita & jus: & ſi ſocietas eſt inæqualium, etiam in jure aliqua cernitur inæqualitas: ut in jure, quod inter dominum & ſervum intercedit; imò & quod inter patrem & liberos. Hujuſmodi autem eſt conjunctio & ſocietas, quæ inter Deum eſt & homines. Nam naturâ quidem ita Deo ſumus conjuncti, ut ſervi domino, quemadmodum antea dictum eſt: ſed ſingulari benignitate, ut filii patri, poſtquam jus adoptionis per Chriſtum ſumus conſequuti. Quod quidem jus licèt non efficiat, quominus ſervi Dei eatenus ſimus, quatenus ejus præceptis parere debemus; imò nos aliqua ratione magis ad parendum obſtringat: conditionem tamen noſtram cæteroqui ſupra ſervilem effert. Non eſt autem, quòd quiſquam ſocietatis nomen de conjunctione Dei & creaturarum intelligentium uſurpare horreat; cum ſacræ literæ de Chriſtianis piè viventibus expreſſe dicant 1 Joh. 1. 3, 6, 7, eos *ſocietatem*, arctiorem nimirum illam, qualis eſt inter patrem liberoſque chariſſimos, *cum Patre* habere; & Abrahamum aliquoties *Dei amicum* vocent 2 Paral. 20: 7: Eſa. 41. 8: Jacob. 2. 23. Quæ cum ita ſint, non eſt negandum, jus quoddam, & quidem mutuum, inter Deum & homines eſſe, quamquam, ut diximus, inæquale. Abſque comparatione enim majus eſt jus Dei reſpectu hominum, quàm hominum reſpectu Dei. Porrò autem, ut ad rationem in contrarium allatam accedamus, jus omne requirit, ut qui illud habet, aliqua ſaltem ratione liber ſit, & ſic ſuus, non alterius. Qui enim ipſemet ſuus nullo pacto eſt, jus etiam ſuum habere nequit; ſed quicquid illius eſſe dicitur, ejus eſt, cujus eſt & ipſe. Itaque ſi ſervus ita eſſet domini ac heri ſui, ut nulla prorſus ratione libertatis eſſet particeps, nullum planè ipſius jus eſſet, & quicquid ei tribueretur, id, habita ratione juris, domino tribueretur; quicquid adimeretur, domino adimeretur. Quare à domino nec injuria ei ulla inferri, nec juſtitia, quâ ſuum alteri tribuitur, erga eum exerceri poſſet: niſi dicere velis, poſſe eum ſibi ipſi facere injuriam, aut juſtitiam erga ſeipſum exercere. Atqui & ratio ipſa dictat, & ſacræ literæ docent, poſſe ſervo injuriam à domino fieri, & juſtitiam eam, de qua loquimur, erga eum exerceri. Unde Paulus monet Col. 4. 1, ut domini, quod juſtum & æquum eſt, ſervis præſtent. Patet id in promiſſionibus, quas domini ſervis proponunt. Etenim ſi ſervi nulla prorſus in re à jure ac poteſtate herorum ſuorum ſunt liberi; etiam ea, quæ illis ſunt à dominis promiſſa, in dominorum poteſtate atque arbitrio ſemper erunt poſita; nec magis illis debebuntur poſt promiſſionem factam, quàm antè. Quare non minùs illis negari poterunt, quàm tum, cùm nondum eſſent promiſſa. Id autem cum omnem promiſſionis

* vid. Ariſt. l. 8. Eth. Pacio cap. 11. & 13. & lib. 5. cap. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vim evertat; neceſſe eſt ſervos etiam reſpectu herorum ſuorum aliquatenus eſſe liberos. Et reſpectu quidem hominum facilè quiſpiam id conceſſerit. Facilè enim eſt credere, non eſſe hominem homini ita mancipatum, quin aliquo modo ſit ſuus. Sed durum fortè videbitur, ſi idem aliquatenus etiam dixerimus de creaturis reſpectu Creatoris. Verùm ſi id conſideraveris, quod modò de promiſſionibus diximus; videbis, idem etiam hîc ſtatuendum eſſe. Cæteroquin enim omnis promiſſionum divinarum ac fidelitatis ipſius vis ceſſabit; nullus erit fœderi inter Deum & homines locus. Neque enim fœdera cum iis percutiuntur, qui illis, cum quibus paciſcendum eſt, omnibus in rebus penitus ſunt mancipati. Saltem eo ipſo, quòd fœdus cum illis feritur, & certis conditionibus contrahitur, libertas iis aliqua datur, & ob contractum illum juſtitiæ ſuum cuique tribuenti fit locus. Quid, quòd etiam ſupplicia divina tollere neceſſe eſt, omni creaturæ libertate reſpectu Creatoris ſublata? Etenim ſi aliqua eſt pœna, quam meritò cuipiam infligit Deus, neceſſe eſt jus quoddam ex delicto creaturæ natum eſſe ad pœnam infligendam, quod ante delictum non extiterit. Quòd ſi jus ante delictum creaturæ non habuit Deus ad pœnam infligendam; eatenus ſaltem libera fuit creatura, ut pœnæ divinæ non eſſet ſubjecta: & aliquid habuit ſuum, quod ei, antequam peccaret, eripi à Deo quavis ratione non poterat. Ne illud nunc repetam, quod ſuprà diximus, jus Deo non fuiſſe, creaturas innocentes æternis atque intolerabilibus cruciatibus ſubjiciendi. Ex quo conſequitur, jus, quod Deus in creaturas habet, non exire ſimpliciter in infinitum; etſi in iis, quæ naturâ ſuâ licita ſunt, per ſe infinitum eſt. Ubi autem id quodammodo deſinit, ibi creaturæ libertas incipit, ut de jure ſuprà dictum eſt. Quam enim noxam Deus hominibus inferre jure nequit; eam ne inferat jus creaturarum ac libertas eſt. Etiamſi autem hæc ita ſe habeant, rectè nihilominus dicitur, nos totos, quanti quanti ſimus, eſſe Dei; & Deum in nos abſolutum dominium habere. Nos enim reſpectu omnium partium, & facultatum, quæ in nobis ſunt, Dei ſumus, & ſic ipſius dominio ſubjecti; unde porrò, ut eas omnes divinis uſibus mancipemus, jure obſtringimur. Et hactenus dominium Dei abſolutum eſt. Sed interim reſpectu certi uſus, noſtros nos eſſe voluit Deus, & in quandam libertatis partem nos produxit, eam nimirum, ſine qua ne illa quidem ſocietas inter ipſum & nos conſtare poſſet, quæ eſt inter herum & ſervos, & nec præmio vero ac ſtabili, nec pœnæ, locus eſſet. Hanc libertatem poſtea beneficio ſuo auxit, & tantò majorem fecit, quantò ampliora nobis promiſſa dedit. Omnium autem ampliſſima dedit per Chriſtum, per quem nos certa ratione è ſervorum ſtatu in filiorum libertatem traduxit, fœdere æterno nobiſcum conſtituto. Rom. 8. 15, & d. Gal. 4. 7. conf. & præced. à ℣. 2. & ℣. 22, & d. Unde facile ſolvitur objectio ſuperiùs propoſita. Etenim rei ſuæ nemo poteſt facere injuriam, quatenus ea ipſius eſt. Sed fieri tamen poteſt, ut, perſona, quæ eſt alieni juris, certæ rei aut uſûs reſpectu ſua ſit, non aliena; libera, non ſerva. Eatenus ergo & juris & injuriæ capax eſt. Id autem in omnibus locum habet, qui libertate voluntatis, quæ intellectum ſequitur, ſunt præditi, ſive aliarum creaturarum intelligentium, ſive Dei reſpectu; niſi peccatis ſuis commeruerint, ut omni libertate, omni jure ſuo excidant. Nititur quidem libertas ac jus noſtrum beneficio divino: ſed poſtquam ſemel datum eſt, non niſi voluntariâ noſtrâ culpâ eo privari poſſumus. De loco ad Rom. 9. quatenus huc ſpectare videatur, egimus ſuprà, cùm de poteſtate Dei loqueremur, & alibi ex parte agetur.*

Poſtquam ergo oſtendimus, jus nobis eſſe aliquod reſpectu Dei; facilè eſt intelligere, locum eſſe in Deo juſtitiæ, quæ ſuum cuique tribuat. Ejus duplex eſt effectus. Prior eſt, præter jus nihil creaturis imponere; poſterior, ea, ad quæ obtinenda creaturis jus aliquod ipſius fecit benignitas, illis præſtare. Prior effectus duabus potiſſimùm in rebus cernitur, nempe in præceptis, & pœnis. In præceptis, quatenus nullum honoris aut obſequii genus à creaturis exigit, quod ipſi non debeatur. In pœnis, quatenus nec præter nec ultra meritum quemquam punit. Deus enim ob juſtitiam ſuam, nec innocentem unquam punit, nec nocentem graviùs, quàm delicto eſt commeritus. Omne enim puniendi jus ex noxa, ſeu delicto oritur, quatenus id vitioſitate ſua alterum lædit. Itaque noxa & perſonam definit puniendam, & pœnæ magnitudinem. Ubi enim illa reperitur, ibi & pœna locum meritò habet; ubi illa non eſt, ibi nec pœna habere debet: & quantò gravior illa eſt, tantò & hæc gravior eſſe jure poteſt. Qui ergo culpæ nullo modo eſt particeps, quo jure pœnæ ſubjici poteſt? Innocenti ne iraſci quidem jure potes; nedum eundem punire. Afflictioni quidem ſubjicere etiam innocentem licet, abſoluto præſertim ipſius domino, ut ſuprà eſt explicatum; ſed afflictio latiùs patet, quàm pœna, & latiùs illius, quàm hujus jus extenditur. Neque verò eſt, quòd quis putet, Deum tum v. g. nocentes graviùs punire, quàm ſuis delictis ſunt commeriti, cùm liberos tum ob ipſorum, tum ob parentum impietatem punit. Nam Deus, cùm id facit, non majorem revera, quàm ipſi liberi commeriti fuerant, pœnam illis infligit: ſed eam pœnam, quam illi ſuis peccatis fuerant meriti, duplicem ob cauſſam, nempe tum ob propriam ipſorum, tum ob alienam culpam exigit; & exigit quidem ſeveriùs, quàm aliàs facturus fortaſſe fuerat. Quod dum facit, ſimul & parentes in liberis punit. Poſſet autem illis duobus, in quibus priorem particularis juſtitiæ effectum cerni diximus, addi & tertium, nempe quòd Deus ſibi addictos ſuprà vires tentari non permittat, ut paulò pòſt intelligetur, cùm de fidelitate agemus.

Poſterior effectus cernitur in præmiis ab eo conſtitutis perſolvendis, atque adeò in univerſum in promiſſis præſtandis: quod proprium fidei ſeu fidelitatis munus eſt. Eſt enim fidelitas propriè dicta, juſtitia, quæ in promiſſis implendis cernitur; quam eandem dictorum factorumque conſtantiam definiunt. De hac juſtitiæ parte loquitur Nehemias cap. 9. ℣. 8. ubi, cùm fœderis feciſſet mentionem, quod Deus cum Abrahamo pepigit, in quo poſteritati ipſius terram Palæſtinam promiſerit, addit: *& impleſti verba tua, quoniam juſtus es.* Diximus autem & ſuprà, *juſtitiæ* nomen ita non ratò in Pſalmis poni, ut dubites utrùm fidelitas, an benignitas deſignetur, poſſiſque ſine ſententiæ detrimento, vel hoc vel illud nomen pro juſtitiæ voce reponere. Apoſtolus ſanè Rom. 3. ℣. 3, & d. fidem, veritatem, juſtitiam Dei promiſcue ponit; & Johannes, cùm ait 1 Joh. 1. 9, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate;* alterum per alterum explicat, atque aliqua ratione illuſtrat; ita ut neceſſe ſit, vel juſtum illic nil ſignificare aliud, quàm fidelem; vel juſtitiam eatenus illic ſpectari, quatenus fidelitatem in ſe continet. Animadvertendum autem eſt, ſacras literas fidei nomen, etiam cùm de Deo loquuntur, ita latè extendere, ut illam Dei ſinceritatem ac conſtantiam complectatur, quâ fiat, ut non tantùm ea præſtet, quæ verè ac propriè promiſit, ſed quæcunque conſentanea ſunt ipſius favori ac gratiæ, cujus ſignificationem aliquam homini dedit. Quò pertinere videntur illa 1 Cor. 1. 9: x, 13: 1 Theſſ. 5. 24: qua de re infrà in veritatis ac ſinceritatis explicatione dicemus. Sacræ enim literæ & ſinceritatem & fidem propriè ſic dictam, etiam Veritatis nomine crebrò ſignificant. Et ſanè fides tum ad juſtitiam, tum ad veritatem ſpectat. Ad juſtitiam; quia dum promiſſis ſatiſfit, jus ſuum alteri tribuitur. Nam promiſſione jus acquiritur ei, cui quippiam eſt promiſſum; & promiſſor eo ipſo obligatur alteri, ejuſque debitor conſtituitur. Unde vulgò dicitur, omne promiſſum cadit in debitum. Ad veritatem autem ideò etiam ſpectat; quia dum promiſſio impletur, ejus veritas ſtabilitur, ſeu ipſa promiſſio, ut cum vulgo loquar, verificatur. Itaque veritatis etiam ſtudium impellit, ut promiſſa impleamus, aliàs pro mendacibus habendi. Sed magis tamen

* Volk. lib. 5. cap. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ad juſtitiam pertinet fidelitas, quàm ad veritatem, ſeu veritatis ſtudium. Veritatis enim eſt ita loqui, ut verba rebus conſentiant: Fidelitatis efficere, ut res conſentiant verbis. Itaque illa in ipſis dictis propriè cernitur, in factis conſequenter, hoc eſt, eatenus tantùm, quatenus ſine factis dictorum veritas conſtare non poteſt. Fidelitas autem primò ac propriè in factis occupatur, quanquam ad dicta promiſſáve relatis. Quare juſtitia potiùs appellanda eſt, ſed ad promiſſiones noſtras reſtricta; ſuâque naturâ circa omnia verſari poteſt, circa quæ juſtitia particularis. Nihil enim eſt, quod jurè facere poſſumus, non poſſimus etiam promittere. Ubi autem promiſſio locum habet, ibi & fides, & & cum fide juſtitia particularis. Juſtitiam ergo ſimul & fidelitatem ſuam exercet Deus, cùm ſecundùm promiſſa ſua varia hominibus beneficia præſtat, ut cùm ex ipſius præſcripto orantes exaudit, nos in pietatis curſu laborantes adjuvat, ſuprà vires tentari non permittit, reſipiſcentibus veniam concedit, fidei ac pietati præmia perſolvit.

Ita autem juſtus ac fidelis eſt Deus, ut non jus ſtrictum ſequatur, ſed æquitate utatur ſumma. Æquitatem enim hîc intelligimus, quæ rigori juris opponitur. Nam aliàs cum juſtitia eadem eſt. Itaque etiam ea facit Deus, quæ, ſi rigidiùs aliquantò agere vellet, facere non teneretur: adeò ut etiam ex benignitate aliquid hæc æquitas trahat. Quò pertinere omnino videntur illa D. Auctoris ad Hebræos cap. 6. 9, verba; qui cùm dixiſſet, ſe de illis meliora & ſaluti viciniora ſibi polliceri, ſubjicit ℣. 10: *Non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcacur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine* (Græce *in nomen*) *ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Satis enim ex his, quæ de illis in ſuperioribus dicuntur, apparet, Deum ſi aliquantò rigidiùs cum iis agere voluiſſet, eos repudiare meritò potuiſſe. Sed quia admodum ejus promiſſis conſentaneum eſt, iis parcere, aut reſipiſcendi ſaltem ſpacium ac facultatem concedere, qui charitatem ſingularem in fideles ac pios exercuerint: ideò juſtitiæ divinæ eſſe aſſerit, operis ac dilectionis ipſorum rationem habere, & eos, prout cæteroqui commeriti fuerant, propterea non abjicere penitus ac repudiare. Æquitatis hujus eædem in genere ſunt partes ſeu functiones, quæ & juſtitiæ particularis. Eſt enim revera juſtitia, ſed à ſtricto jure, ſeu rigore juris diſcedens, atque adeò benignitate quadam temperata. Itaque Deus præter id, quod juris temperamento conſentaneum eſt, nec quidquam nobis imponit, aut à nobis exigit; nec quidquam nobis denegat. Non denegare autem, largiri ac præſtare eſt.

Alteruter autem juſtitiæ & æquitatis divinæ effectus in judiciis ipſius apparet, & ſæpè quidem uterque. Gen. 18. 25. Pſal. 7. 12: IX. 5, 9: L. 6. Act. 17. 31. Rom. 2. 5, 6: III. 6. 2 Theſſ. 1. 5, 6. Heb. 2. 2. Apoc. 16. 5, 6, 7. Etenim judicando aut punit Deus, aut impunitatem concedit, aut etiam præmium. Cùm punit, juſtitiam exercet, quia non niſi merentem, nec ultra meritum punit. Cùm impunitatem alicui concedit, vel ideo id facit, quia is reverâ ſit innocens, ſaltem reſpectu certi alicujus facti, de quo judicium inſtituitur, vel quia ita promiſſa ipſius ferunt Illic juſtitiam exercet, quia præter jus nihil illi imponit, aut ab eo exigit: hîc quia jus, quod promittendo illi dedit, reddit. Quod poſterius etiam de præmiis ſtatuendum eſt, quæ Deus rectè agentibus perſolvit. Quanquam non negamus, etiam ſine promiſſo perſolvi præmium poſſe; id quod benignitatis revera eſt, non juſtitiæ divinæ. Siquidem meritum creaturæ propriè dictum reſpectu Dei nullum extat, ut cap. 22, docuimus. Maximè autem hi juſtitiæ divinæ effectus eluceſcent in univerſali illo ultimoque judicio, quod Deus per Chriſtum inſtituet. Quanquam non ſolius juſtitiæ particularis effectus tunc apparebunt, ſed & juſtitiæ in univerſum. Hoc enim eſt, quod dicitur Act. 17. 31, Deus judicaturus eſſe orbem in æquitate ſeu juſtitia. Quod quo pacto ſit futurum cap. 2. 5, & d. Rom. docetur. Cùm enim mentionem feciſſet Apoſtolus *diei iræ & revelationis juſti judicii Dei*, addit, *qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem, qui ſecundùm patientiam* (vel potiùs *perſeverantiam*) *boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt* (Græce *obtemperant*) *autem iniquitati, ira & indignatio: Tribulatio & anguſtia in* (vel *ſuper*) *omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm, & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Et in ſecunda ad Theſſalonicenſes Epiſtola c. 1. 3, cùm dixiſſet, eos tribulationes ſuſtinère *in exemplum* (vel *demonſtrationem*) *juſti judicii Dei, ut digni habeantur regno Dei, pro quo & patiantur*; ſubjungit: *ſi tamen* (Græcè *ſiquidem*) *juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cœlo*, & quæ ſequuntur. Juſtum autem erit illud Dei judicium, non tantùm quia nihil in eo fiet iniqui atque illiciti, ſed etiam quia ea facturus eſt Deus, quæ juſtitia ſeu rectitudo ipſius poſtulat*. Nempe quia & illos puniet, quos decreta ipſius puniri poſtulant, nullis præſertim, cur ea relaxentur, cauſſis extantibus: & contrà etiam præmia perſolvet iis, quibus ut perſolvantur, decreta ac promiſſa ipſius requirunt. Qua utraque in re univerſali juſtitiæ ita ſatisfiet, ut ſimul etiam exerceatur particularis, eo, quo ſuperiùs dictum eſt, modo.

Ex illis autem verbis, quæ ex Epiſtola ad Romanos citavimus, ſatis apparet, juſtitiam illam, quâ Deus in judicando ſit uſurus, inprimis excludere προσωποληψίαν, hoc eſt, acceptionem perſonarum, ſeu mavis facierum, ut Hebræi loquuntur. Eſt autem proſopolepſia vitium ejuſmodi, quo fit, ut in judicio, & porrò etiam in factis judicium conſequentibus, non ad ipſam rei æquitatem reſpicias, ſed ad alias perſonarum, quæ in judicium veniunt, qualitates ac circumſtantias, quæ ad rationem juris aut injuriæ nihil adferunt momenti. Sunt enim quædam perſonarum qualitates, quæ nonnunquam ad juris rationem non parùm pertinent, quæ proinde à judice, qui de facto aliquo rectè judicare vult, omnino attendendæ ſunt, ut, an aliquis rei, quæ erepta eſt, dominus fuerit necne; an is, qui læſus fuit ab altero, magiſtratus fuerit, an privatus, an pater, an alienus. Spectatur etiam in delinquentibus ætas, officium, & alia ſimilia, quæ factorum gravitatem vel augent, vel minuunt. Hæc ſi quis in ſententia de delictis ferenda reſpiciat, perſonam accipere non eſt dicendus: quia ipſum factorum meritum, & juris rationem reſpicit. Opponuntur autem inter ſe, ſecundùm cujuſque opus judicare aut reddere, & perſonas accipere. In aliis controverſiis fieri poteſt, ut eædem illæ qualitates ad juris rationem nihil faciant, ut ſi de emtione ac venditione aliiſve ſimilibus contractibus agatur, nihil id habere ſolet momenti, quòd hic ſit magiſtratus, ille privatus. Quare ſi ob id ipſum res, quæ privati ſit juris, adjudicetur alteri, quia ſit magiſtratus, & privato eripiatur, proſopolepſia hæc erit. Tales qualitates ferè ſunt, potentia, divitiæ, genus ac nobilitas, ſapientia, aliaque dignitatis ac honoris genera, amicitia, cognatio, quæ judici cum eo intercedit, de quo ſententia ferenda eſt, utilitas, quam ab eo percipit, &, ſi quæ ſunt his ſimilia, eorumque contraria. Hæc Deus in judicando non reſpicit, ſed ſecundùm uniuſcujuſque facta ſententiam fert, & præmia pœnáſve decernit. Quid, quòd ne tum quidem ad eas hominum qualitates attendit, cùm beneficia in eos confert, aut inter eos diſtribuit: licèt alioqui beneficiorum ratio ſit liberior, & lege videatur eſſe ſoluta. Patet id ex quibuſdam locis, in quibus proſopolepſia à Deo removetur; è quibus eſt ille Moſis Deut. 10. 17: Deus *perſonam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum.* Quod poſtremum ad beneficentiam divinam ſpectat. Ideo autem commemoratur, ut pateat, Deum ne hîc quidem perſonæ qualitatem, nempe gentem ac nationem reſpicere: quia non tantum Iſraëlitam, ſed & peregrinum amet atque alat. Ad idem proſopolepſiæ genus excludendum ſpectant & illa ipſius Dei verba ad

* vid. ſup. cap. 23.

Samuë-

Samuëlem, qui cùm ex Iſai filiis unum deberet ungere, & Eliabi formam ac proceritatem ſpectans cogitaret, hunc eſſe, quem Deus regem elegiſſet, ita ei dixit Deus 1 Sam. 16. 7: *Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ejus reſpicias, quoniam abjeci eum: nec juxta hominis intuitum ego judico. Homo enim videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Et ne alia nunc commemorem, pertinent huc inſignia illa Petri verba, quæ tunc protulit, cùm Ethnicis hominibus eſſet primùm Dei juſſu Euangelium annunciaturus Act. 10. 34, 35: *In veritate comperio, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Scilicet & beneficentia ad juſtitiæ naturam ac rationem ſeſe quodammodo accommodat, cujus etiam nomen eam in ſac. literis ſortiri vidimus. Etſi enim interdum nihil eſt neceſſe, ut qui beneficium in alium confert, aliquam extra ſe cauſſam in dando beneficio reſpiciat: conſentaneum tamen eſt, ut ſi quid tale ſpectare velit aut debeat, partim quidem indigentiam reſpiciat ejus, cui benefacere vult; partim eam illius dignitatem, quæ ex factis pendet; nonnunquam & aptitudinem quandam ad id perficiendum, cujus cauſſa beneficium datur. Homines quidem etiam conjunctionem, quæ illis cum aliis intercedit, ſæpè non immeritò ſpectant: ſed ea cauſſa in Deo, quatenus à dignitate factorum ſejuncta eſt, vix ullum habet locum. Dignitas autem illa, quæ in factis conſiſtit, juri illi, quod juſtitia particularis ſpectat, aliquo modo eſt analoga: quanquam non earundem planè eſt virium. Quia illa ad beneficium dandum per ſe neminem obſtringit: at jus obſtringit. Ad illam ergo Deus in beneficiis etiam dandis, ſi quicquam extra ſe ſpectet, attendit, & tum judicium, tum facta ſua attemperat. Dico, *ſi quicquam extra ſe ſpectet*: quia nec ſemper ad qualitates eorum, quibus benefaciendum eſt, reſpicit, nec reſpicere neceſſe habet; ſed libera ejus voluntas ad beneficium conferendum ſufficit, ut ex iis patet, quæ ſuprà de Poteſtate Dei diſſeruimus. Quinetiam cùm creaturas primùm produxit, & eo ipſo variis eas beneficiis ornavit, ad cauſſas ejuſmodi ne potuit quidem attendere. Unde nec proſopolepſiæ ea in parte eſt accuſandus. Hæc enim qualitates perſonarum ſemper æſtimat; quanquam non illas, quas debebat: Deum autem tunc qualitates perſonarum nullas reſpexiſſe dicimus.

Non obſtat autem iis, quæ hucuſque diximus, quòd Deus poſteritati Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, præ cæteris terræ nationibus peculiariter faverit; ſimiliter & Davidis poſteris præ cæteris Iſraëlitis, & quidem ob id ipſum, quòd ab iſtis majoribus eſſent progeniti. Diximus enim, proſopolepſiam eſſe, reſpicere eas perſonarum qualitates, quæ ad juris & æquitatis rationem nullum habent momentum. Atqui in illis, aliiſque hominum piorum poſteris, propagatio ad juris & æquitatis rationem pertinet; non quidem per ſe, ſed veluti per accidens. Neque verò etiam per ſe à Deo reſpicitur; ſed quia majorum pietatem etiam in poſteris remunerari æquum eſt, præſertim poſtquam promiſſio aliqua ea de re interceſſit. Interceſſit autem in Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Davidiſque poſteris: imò in omnibus, qui mandata Dei obſervant. Utrumque docent ſacræ literæ. Et ne ſpecialia promiſſa nunc commemorem, Patriarcharum illorum poſteritati data; omnium piorum liberis in milleſimam etiam generationem Deus ſe promiſit benefacturum Exod. 20. 6: Deut. 5. 10. Non eſt autem proſopoleptes, qui ex promiſſo, certæ nationi aut familiæ adſtricto, debitor factus, promiſſa illa exſolvit, & porrò ad familiam eo tempore reſpicit. Siquidem promiſſum exſolvi non poteſt, niſi ad familiam, cui id adſtriſtum eſt, reſpectu habito. Similis autem ratio eſt, cùm nulla quidem extat promiſſio, eadem tamen aut ſimilis eſt cauſſa, quæ ad promiſſionem etiam familiæ alicui nominatim faciendam impellere ſolet, hoc eſt, pietas parentum ac majorum. Non accuſantur principes aut magiſtratus proſopolepſias, qui ſive ob legem ea de re extantem, ſive nulla lege cogente, bene meritorum liberos, majoribus, quàm cæteros, beneficiis afficiunt, aut iis interdum parcunt, cum aliis in eodem delicti genere deprehenſis non parcant. Illud rectè reprehenditur, ſi nimium ſit inter illos & cæteros diſcrimen, aut licentiæ illis feneſtra hujuſmodi indulgentiâ aperiatur. Sed neutrum facit Deus. Habet enim illud diſcrimen, quod Deus inter piorum & impiorum liberos promiſſione ſua conſtituit, certos quoſdam limites, nec licentiæ relinquit locum. Nam & illi, ſi impiè agere pergant, pœnæ ſubjiciuntur; & hi ſi piè vixerint, præmiis à Deo afficiuntur: licèt illi in præmiis aliqua gaudeant prærogativâ; in pœnis autem mitiùs nonnunquam tractentur; niſi fortè aut ipſorum utilitati in pœna conſulatur, aut uberior divinæ voluntatis cognitio delicta eorum aggravet, & eos pœnæ reddat magis obnoxios. Nam ob illam etiam cauſſam, Iſraëlitæ olim citiùs nonnunquam puniebantur, ut teſtatur Auctor libri 2. Maccabæorum, cap. 6. 12, & d. ob hanc verò etiam graviùs ac ſeveriùs puniti ſunt, & aliquando punientur. Unde Paulus in loco cap. 2. ℣. 9, 10. Rom. ſuperiùs à nobis citato docet, præmium quidem pietatis, uti & pœnam impietatis, eſſe Judæo & Græco ſeu Ethnico commune; ſed utrumque tamen ad Judæos primùm ac potiori quodam jure ſpectare. Neutrum autem cum proſopolepſia quicquam conjunctum habere, imò prius illud ei planè etiam adverſari, oſtendit ratio ſubjecta: *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* ℣. 11. Tum demum acceptio perſonarum apud Deum foret, ſi Deus Judæos, licet impiè viventes, ob id ipſum, quòd Judæi ſint, hoc eſt, ex Patriarchis oriundi, circumciſi, Legis cognitione donati, pœnâ eximeret; Gentes contrà, utut piè viventes, à præmio excluderet, quia illa prærogativa deſtituantur. Sed id non facit Deus. Ad facta hominum, in ipſo præmio aut pœna decernenda revera attendit: non gentem aut natalium ſplendorem reſpicit; non circumciſionem aut præputium; non quicquid à virtute ac pietate hominis ſejungi poteſt. Unde Petrus quoque ait 1 Pet. 1. 17, Deum *ſine acceptione perſonarum judicare ſecundùm uniuſcujuſque opus.* Quod idem à Paulo Rom. 2. 12, & d. affirmari ſuprà vidimus. Cujus non tantùm illa, quæ ex eo recitavimus verba, ſed & cætera, quæ ſequuntur, conſideranda ſunt: in quibus docet, nec Gentibus ignorantiam Legis Moſaicæ, nec Judæis Legis cognitionem, ſi nihilominus peccaverint, ad impunitatem profuturam; nedum ut ſola generis prærogativa Judæos in impietate perſeverantes ſit à pœnis liberatura.

Satis, ni fallimur, de juſtitia particulari diximus. Sequitur nunc, ut de Sinceritate, &, quæ ſub ea continetur, Veritate dicamus. Sinceritas enim tum in verbis, tum in factis, quibus animi ſententiam ſignificare aliis volumus aut ſolemus, cernitur. Veritas propriè loquendo in verbis tantùm, & illis quidem ſolis, quibus aliquid ſive affirmando ſive negando pronunciamus atque aſſerimus. Quanquam Veritatis vox in ſac. lit. interdum & ſinceritatem ac fidem in ſe complectitur, & non fictam benevolentiam ſignificat: in iis præſertim locis, in quibus cum miſericordia jungitur, de quibus infrà. Eſt autem Sinceritas ea ſive virtus, ſive rectitudinis pars, quâ fit, ut quatenus rerum circumſtantiæ poſtulant, aliis ſignificemus id, quod revera ſentimus. Opponitur enim hypocriſi, & fraudi: quarum illa propriè affectum erga quempiam benevolum, vel aliud quippiam honeſti, verbis externâve ſpecie præfert, & perſuadere aliis conatur; cum tamen illum non habeas, hoc non præſtes. Hæc verò, nempe fraus, malum, quod injuſtè molitur, occultat; & ſæpe quidem cum hypocriſi jungitur: interdum altera ſejungitur ab altera. His ergo vitiis oppoſita ſinceritas curat atque efficit, ut inter ea, quæ intùs ſentimus, & exteriùs ſignificamus, convenientia ſit, & legitimus conſenſus. Non eſt autem conſenſus ille, ex honeſtatis lege in omnibus & perſonis & rebus planè uniuſmodi. Quin & ſignorum diverſitas aliquod parit in ſinceritatis ratione diſcrimen. Nam quod ad perſonas attinet; hominibus nonnunquam, cùm alia ratione vel ſuæ, vel alienæ ſecuritati, honeſtoque commodo conſulere non poſſunt, permittitur, ut contrarium

ejus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ejus, quod ſentiunt, dicant: cujus rei etiam in ſacris literis exempla extant. Exod. 1. 19. conf. cum præced. 1 Sam. 19. 14, 17. conf. cum ℣. 11, 12. & c. 20. 6, 28, 29: xx. 2. Non commemoro ea, in quibus homines hominibus ignoſcunt, licet à rigida veritatis lege diſcedant, cùm non uſquequaque ſeriò rem agunt, aut in blandimentis longiùs, quàm res ipſa cæteroqui fert, progrediuntur. Sed cum & ab iſtiuſmodi neceſſitate Deum immenſa ipſius potentia liberet; & à cæteris, quæ humanæ imbecillitatis atque imperfectionis ſunt propria, ſumma ipſius perfectio ac majeſtas; ideo illud quoque ab eo abeſt, quod ob neceſſitatem, vel ſaltem ob cauſſam aliquam ex humana imbecillitate aut imperfectione profectam, in hominibus toleratur, nonnunquam aliqua ex parte laudatur. Itaque nunquam Deus contrarium ejus, quod revera ſentit, teſtatur, h.e. nihil unquam vel dicit, vel facit, quod in alium ſenſum jure accipi nequeat, quàm in eum, qui menti ac ſententiæ ipſius repugnet. Quare cùm verba Dei ita ſunt comparata, ut aliter accipi nequeant, quàm ut videatur gratiam ſuam homini offerre, & aliquid ei promittere; omninò ſtatuendum eſt, eum revera velle hominem gratiâ ſuâ proſequi, & id, quod offert, ipſi præſtare, licet fortè ſub conditione aliqua, in hominis ipſius arbitrio poſita. Similiter etiam cùm comminatur, intelligendum eſt, eum velle punire, licet conditionem, aut etiam exceptionem aliquam fortè ſubintelligat, ut ſuperiùs eſt explicatum, cùm de poteſtate divina ageremus. Nam major aliquo modo promiſſionis, quàm comminationis vis eſt; & candor nonnunquam magis permittit, ut cùm minaris, exceptiones quaſdam ſubaudias, quæ comminationis vim aliquo modo infringant, quàm cùm quippiam promittis. Neque enim candoris eſt, promiſſionibus, præſertim liberrimè factis, quales ſunt divinæ omnes, quemquam ludificari, & ſpe vana, præſertim miſerum, lactare. Illud quidem fieri poteſt, ut Deus non ſatis clarè exprimat, quale aut quantum ſit illud bonum, quod illi præſtare velit: ſed in eo tamen hominem nequaquam deludit. Solet enim Deus ferè plus præſtare, quàm promiſit; nedum ut, cùm magnifica promittere omnino videtur, parum aut nihil præſtare cogitet. Hominum eſt vanorum, aut Satanæ, mendacii parentis, multa polliceri, & parum aut nihil præſtare; non Dei, qui ipſa eſt ſinceritas ac fides. Similiter autem, cùm verba divina ita ſunt comparata, ut omninò aliquid præcipere videatur; dubitandum non eſt, eum ſeriò velle, ut ii, quibus mandata illa proponi curat, iis pareant. Idque tantò magis, ſi pœnam illis, qui non paruerint, comminetur. Quamquam omnibus Dei mandatis pœnam tacitè appoſitam eſſe intelligendum eſt, cùm expreſſe non eſt addita; & tantò quidem majorem, quantò gravius eſt delictum, quod adverſus illa committitur. Pœnæ autem comminatio ſignum eſt voluntatis maximè ſeriæ, & certum argumentum, ex quo intelligatur, illum, qui mandato eam apponit, omnino velle ac cupere, ut præcepto ſuo pareatur ab iis, quibus id proponit. Maximè autem certum eſt hoc argumentum in Deo, cujus ſacroſanctam tremendamque majeſtatem non decet ludere aut jocari; nec ſinceritatem, in fraudem quemquam impellere, & pœnâ etiam eum, qui parere libenter vellet, implicare. Quare cùm generalia hominibus proponit præcepta, omnino etiam vult, hoc eſt, cupit ac deſiderat, ut illa ab omnibus generatim, quibus ea proponi curat, obſerventur: licet interea poteſtatem ſibi reſervare queat, eorum effectum in certis caſibus, juſtaſque ob cauſſas, aliquo modo impediendi. Nam cùm homines, cognitis illis legibus, contumaciter iis reluctantur, indurare eos poteſt, & media illis ac vires quodammodo ſubtrahere, mandatis illis parendi, & ſic pœnam, quæ tranſgreſſoribus eorum eſt propoſita, effugiendi. Eodem modo cùm ſpecialia ſeu ſingularia hominibus proponit mandata, vult ea etiam obſervari; licet interdum, ob peculiarem aliquam cauſſam, effectum eorum aliquò uſque impedire poſſit, & tum, cùm præcepta proponit, id jam habere decretum. Hoc autem propter quædam ſac. literarum loca dicimus, ex quibus colligi poſſe videatur, imò à quibuſdam omnino colligitur, Deum ea nonnullis præcepiſſe, quæ tamen ab iis fieri noluerit, quod poſtmodum ulteriùs ab iiſdem trahitur, & ad generalia etiam Dei præcepta extenditur, quaſi nimirum is potuerit præcepta hujuſmodi promulgare, licet jam omnino apud ſe conſtituiſſet, ut maxima eorum, quibus illa proponeret, hominum pars, ea non obſervaret, & obſervare non poſſet. Qua in re ſummam divinæ ſinceritati ac rectitudini faciunt injuriam. Loca verò, ex quibus tam abſurdam colligunt ſententiam, illa inprimis ſunt, ubi legimus, Gen. 22. 1, Deum Abrahamo præcepiſſe, ut filium ſuum Iſaacum offerret in holocauſtum: & Pharaoni, ut populum Iſraëliticum dimitteret; Exod. 2. 7, & d. cùm interea conſtituiſſet cor ipſius indurare, ne populum dimitteret. Atqui nequaquam concedendum eſt, Deum iſtic id præcepiſſe, quod planè noluerit fieri; & quicquam eſſe ab eo dictum, quod menti ipſius planè eſſet adverſum, licet eam conſultò non ſatis clarè expreſſerit. Nam quod ad præceptum Abrahamo datum attinet; non ſunt ita Dei verba comparata, ut omnino neceſſe ſit ſtatuere, Deum voluiſſe, ut Abrahamus effectu ipſo occideret filium, ac combureret. Cum ad eorum vim ſufficiat, voluiſſe Deum, ut is, quantum in ſe eſſet, filium in holocauſtum offerret, & omnia ad eam rem pertinentia faceret, niſi quatenus ab ipſomet Deo impediretur. Nam & is jure dicitur quippiam feciſſe, qui, quantum in ſe fuit, id fecit, nec quippiam, ut id perageretur, prætermiſit, etiamſi, ne rem penitus perficeret, fuerit impeditus. Neque verò neceſſe eſt exempla longè petere; cum hæc ipſa res, de qua diſputamus, exemplum nobis ſuppeditet. Etenim Deus ipſe apud Moſen teſtatur, Gen. 22. 18, Abrahamum *obedivisse voci ſuæ*. Quæ verò illa vox Dei fuit, cui Abrahamus obedivit? Nempe ut offerret filium in holocauſtum. Hoc ergo fecit Abrahamus, quod ipſi fuerat præceptum, quodque adeo Deus voluit ac ſenſit, cùm ei mandatum illud daret. Quare id ſenſit, quod dixit; licet obſcuriùs diceret. Confirmant idem D. Auctor Epiſt. ad Hebr. & Jacobus, qui ſimpliciter aſſerunt, Abrahamum *obtuliſſe* filium ſuum. Quo quidem verbo totum id complectuntur, quod apud Moſen dicit Deus, ut Abrahamus filium *offerat in holocauſtum*, ſeu, ut Hebræa propriè ſonant, eum *aſcendere faciat in aſcenſionem*. Neque enim oblatio in ſola mactatione conſiſtit, ſed potiùs in re mactationem conſequente, & hoc quidem loco in combuſtione. Omnia enim, quæ ad combuſtionem illam pertinerent, comparaverat Abrahamus, jamque in eo fuerat, ut filium lignis impoſitum jugularet, ac porrò cremaret. Quod ad Pharaonem attinet; revera etiam Deus voluit, ut is populum dimitteret; licet non ſtatim, quemadmodum verba præ ſe ferunt, id fieri vellet; ſed tùm demum, ubi ſuppliciis, quæ commeritus inuſitata crudelitate ac tyrannide fuerat, jam ferè eſſet confectus. Adde, quòd nihil prohibet, quominus dicamus, etiam hoc voluiſſe Deum, niſi quatenus malitia ipſius jamdudum contracta, & ſpontè ab eo ſuſcepta prohiberet. Neque enim Deus, cor ipſius indurando, malitiam aut contumaciam ei indidit, & voluntatem populum haudquaquam dimittendi inſeruit; ſed ſpontè ab eo ſuſceptam eatenus obfirmavit, ne vi ſuppliciorum, quibus frangi alioqui potuiſſet, ita laſſaretur, quin denuo ſeſe erigeret, & ſeſe Dei mandatis opponeret. Indignus enim erat, qui caſtigatione aliqua, utut durioſe, ad frugem revocaretur, & ſecuturis ſuppliciis hac ratione viam quodammodo præcluderet. Quòd ſi ſuſcepta animi malitia permiſiſſet, ut Pharao animum ad Deo parendum flecteret; divinæ voluntati conſentaneum fuiſſet, ut induratio, quæ voluntariam iſtam animi malitiam præſupponebat, vim ſuam amitteret. Quare ne ex hoc quidem exemplo colligi poteſt, Deum aliquid præcepiſſe, quod fieri planè noluerit. Unde porrò intelligitur, quàm iniquè ex hujuſmodi exemplis colligatur, Deum hominibus generatim ea præcipere, quæ à maxima

eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eorum parte obſervari nolit. Nam ne ea, quæ hucuſque dicta ſunt, repetamus; illud etiam ſatis liquet, hæc exempla inuſitata eſſe, & illi, quod inde concluditur, valde diſſimilia. Nam quod ad prius attinet; expreſſe ſcribitur, Deum tentaſſe Abrahamum, hoc eſt, inſigne atque adeò inſolitum quoddam fidei ac pietatis ejus experimentum capere voluiſſe. Hoc autem non ſemper facit Deus, cùm præcepta ſua proponit; imò eo ipſo, quòd generalia præcepta proponit, nunquam; niſi in alia vulgariori ſignificatione verbum tentandi accipias. Quo modo nos tentare dici poſſit Deus, quoties qualemcunque pietatis ac virtutis effectum ac documentum à nobis requirit. Quod ad poſterius attinet; itidem ſatis apparet, rem eſſe extraordinariam, & cauſſam habere peculiarem, quæ in hominibus plæriſque locum non habet, quibus Deus legem ſuam proponit. Neque enim ullum ejus rei extat indicium, quòd Deus eorum hominum, quibus leges ſuas proponi curat, animos induret, aut indurare abſque ulla conditione, in ipſorum arbitrio adhuc poſita, velit. Cogitandum eſt, Deo illic cum tyranno rem fuiſſe, qui ob inuſitatam, in infantes etiam innocentiſſimos crudelitatem, ob tyrannidem in populum innoxium exercitam, dignus fuerat, quem inuſitato quodam modo ulciſceretur. Adde, quòd nullam tum temporis gratiæ ac benevolentiæ erga Pharaonem ſignificationem dedit, nihil illi obtulit aut promiſit. At cùm populo Iſraëlitico v. g. præcepta daret, promiſſa ſimul addidit, & fœdus cum illis percuſſit. Cùm verò Chriſti prȩcepta promulgari curavit, inuſitati planè amoris erga genus humanum ſignificationem dedit, remiſſionem peccatorum ei obtulit, regnum cœlorum promiſit; filium pro iis morti impendit, ac fœdus cum illis feriit. Hæc certè non ſunt illius, qui homines ſimpliciter, ſeu abſque ulla conditione indurare velit; ſed potiùs ejus, qui loco cordis lapidei, cor carneum illis dare, & mentibus eorum leges ſuas inſcribere cupiat. Præterea diſſimilitudo eo ipſo ſe prodit, quòd præceptorum iſtorum ſpecialium ſignificationem ac ſententiam aliquo modo occultavit Deus; at hîc ſententiam præceptorum non occultat. Satis enim apparet, id omnino jubere præcepta, quod nos ex verborum vi, & rerum locorúmve circumſtantiis intelligimus, aut intelligere haud difficulter poſſumus. Quis namque dubitet, Dei præcepta v. g. poſtulare, ut ipſummet toto pectore diligamus, eum colamus ac revereamur; proximum perinde ac nos ipſos amemus, eíque non modò non malè faciamus, ſed potiùs pro virili benefaciamus; itemque ut ſobrii, caſti, patientes ſimus? Sententia ergò hîc ſatis plana eſt. Id tantùm quæritur, utrùm id revera fieri velit Deus nec ne, quod præcepta velle liquidò conſtat. Atque in illis exemplis id, quod verba obſcuriùs ſignificabant, fieri omnino voluit Deus: hîc ubi de verborum ſententia ſatis conſtat, dubitatur, utrùm id etiam velit Deus, quod eum jubere apertè cernimus? ubi obſcurior fuit, candidus nihilominus fuit: ubi apertus eſt, non erit? Denique in Abrahamo Deus non ita effectum mandati ſui vel impedivit, vel impedire conſtituit, quin is fidem ac pietatem ſuam abunde probare poſſet; ſecùs quàm in majori humani generis parte illi fieri putant, quibuſcum hîc nobis res eſt. In Pharaone quoque non virtutis actum revera, ſed coactionis potiùs effectum Deus impedivit. Id enim tantùm præcavit, ne Pharao plagis tam gravibus ad pœnitentiam quandam adactus, in ea conſtanter perſeveraret; néve id, quod vi expreſſum erat, ei aliquo modo prodeſſet. Quare firmum illud & inconcuſſum manet, quod aſſeruimus, nunquam Deum quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi nequeat, quàm in ſententiam menti ipſius adverſam, aut ab ea prorſus alienam. Et hic quidem primus eſt ac latiſſimè patens ſinceritatis ipſius effectus.

Porrò autem, ut ad alios, eoſque ſpecialiores ſinceritatis effectus veniamus; tum rerum ipſarum, circa quas ea occupari poſſit, tum ſignorum, quibus animi ſententia indicari aliis queat aut ſoleat, diſcrimen attendendum eſt. Quod ad rerum diſcrimen attinet; quarundam ea eſt ratio, ut quid de illis ſentiamus, ſalva ſinceritate occultare liceat, nonnunquam etiam omnino deceat; adeò ut etiam facere quædam conſultò poſſis, quæ ab animi tui ſententia cognoſcenda aliorum mentes veluti abducant; cùm nimirum non parum intereſt, ut res aliquo modo celetur, ut inferiùs apparebit. Quarundam verò rerum ea eſt ratio, ut, licet tuam de illis ſententiam aliqua ratione ſignificare velis, poſſis tamen non plenè ſignificare; quarundam denique ea, ut apertè, quid de iis ſentias aut ſtatuas, ſignificandum ſit, ita ut ea omnia vites, quæ meritò efficere poſſint, ut ii, cum quibus tibi res eſt, aliud te ſentire exiſtiment, aliud tu ſentias. Nam, ut de prioribus duobus rerum generibus nonnihil dicamus; facilè quivis cernit, nihil in eo contra ſinceritatem agere Deum, quòd non omnia ſua conſilia, vel hominibus, vel ipſis etiam angelis patefacit, ſed quædam diu occultat, ut de myſterio Euangelico, rebuſque ad illud pertinentibus, vid. Rom. 16. 25: Eph. 3. 5, 9, de die ultimi judicii, Matth. 24. 36, & aliis quibuſdam Dei decretis legimus. Apoc. 5. 13. Nihil etiam in eo adverſus ſinceritatis legem facit, quòd, cùm quædam prædicit, præſertim in futurum longiùs ſpectantia, obſcuriùs nonnunquam prædicit, aut ſub figuris quibuſdam ſpectanda proponit, ita ut non niſi ex parte aliqua intelligi poſſint, præſertim antequam ipſe eventus ea declaret atque in apertum producat. Talia non pauca apud Prophetas, & in Apocalypſi occurrunt. Sed, ut ad tertium rerum genus veniamus, quod præcipuè huc pertinet; nonnulla ſunt, in quibus, ut apertè agatur, ſinceritas poſtulat. Talia ſunt inprimis fœdera, & juramenta: quamquam juramenta etiam ad ſigna, quibus animi ſententiam aliis ſignificare ſoleamus, revocari non immeritò poſſunt. Sinceritas autem in utriſque ſingularis requiritur; quia & his & illis alteri cavetur; quamquam in fœderibus non ſoli; quódque fœdera pro ſanctiſſimo contractuum ſeu pactorum genere meritò habentur; & juramentum, quod religioſa conſtat affirmatione, omnium ſanctiſſimus eſt modus aliquid confirmandi, & alteri cavendi. Itaque ſi illis aliquid ſimulati aut ficti admiſcere liceret, nihil jam ſincerum, nihil ſanctum foret, nihil cui fidere tutò poſſes. Quare in utroque ita apertè agendum eſt, ut is, cum quo res eſt, quid ſentias, intelligere facilè poſſit. Nam eo ſenſu te verba tua accepiſſe, intelligendum eſt, quo eum intelligere, aut intellecturum eſſe cenſuiſti, cui juras, aut cum quo fœdus pangis. Unde facilè animadverti poteſt, Deum, cùm ad fœdera nobiſcum ferienda ſeſe demittit, juramentoq; ſe nobis obligat, non minùs ſincerè nobiſcum agere, quàm homines cum hominibus in fœderum pactione aut jurejurando debent; imò tantò magis, quantò eſt ſanctior, & ab omni fraude alienior. Cum enim, ut nobis tantò magis caveat, & ſpem noſtram reddat firmiorem, ad ſanctiſſima pactionum, aut confirmationum genera deſcendat; neceſſe eſt, ut illa etiam omnino obſervet, quæ pactorum illorum aut confirmationum ratio poſtulat, & ſine quibus illa vim ſuam genuinam eſſent amiſſura, nec plus roboris, quàm ſimplicia dicta, eſſent habitura. Aliàs fruſtra nobis fœdera, fruſtrà juramenta divina inculcarentur. Fruſtrà, ut alia nunc omittam, diceret divinus ille ad Hebr. cap. 6. 13, & d. ſcriptor eo, quem ſuperiùs alicubi ex parte citavimus loco: *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum, dicens: Niſi* (Gr. *Certè*) *benedicens benedicam te*, &c. *Homines enim per majorem ſui* (Gr. ſimpliciter *per majorem*) *jurant: & omnis controverſiæ eorum* (Gr. *illis*) *finis, ad confirmationem, eſt juramentum. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juramentum: ut per duas res immobiles,* (nempe promiſſionem, & juramentum promiſſioni additum) *in quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus*, &c. Quo quidem loco cum non ſimpliciter dicatur, *impoſſibile eſſe mentiri Deum*, licet id alioqui veriſſimum ſit; ſed in duabus iſtis rebus, nempe promiſſione & juramento, impoſſibile eſſe mentiri Deum;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deum; non ſine cauſſa viri quidam docti exiſtimant, aliquantò latiùs verbum *mentiri*, aut Græcum ψεύδεσθαι, quo utitur divinus auctor, extendi, quàm proprietas illius poſtulat, ita nimirum, ut etiam tacitam quandam exceptionem aut conditionem excludat, qua ceſſante eventus non ſequatur, atque ita ſpem noſtram fruſtretur; quia nimirum id non fiat, quod verba apertè præ ſe ferant. Hujuſmodi enim exceptiones, aut conditiones tacitas à juramenti religione excludi. Quicquid ſit; illud ex eo loco ſatis conſtat, non minùs ſanctum apud Deum juramentum eſſe, quàm apud homines; & ſi humana juramenta ſincera eſſe debeant, divina etiam omnino eſſe. Quare cùm Deus jurat, Ezech. 33. 11, v.g. ſe nolle mortem impii, ſed ut convertatur ac vivat; non dubitandum eſt, id Deum ſincerè velle, quod ſimplicitas verborum præ ſe fert. Similiter etiam, quia interventu mortis filii ſui fœdus cum genere humano percuſſit, in quo remiſſionem peccatorum omnibus hominibus, ſub conditione fidei ac reſipiſcentiæ offert, (ſic enim fœderis illius mediator, ejúſque miniſtri ac legati in orbem univerſum dimiſſi, ejus vice ac nomine teſtantur;) ſtatuendum etiam eſt, Deum omnino cupere, ut homines credant ac reſipiſcant, & ſic remiſſionem peccatorum conſequantur; tum demum juſtiſſimè ab hujus fœderis beneficio arcendi, ubi tantam benignitatem impiè contemſerint. Quamquam, ut ſuperiùs jam diximus, cætera quoque promiſſa ſimulationem excludunt. Quod etiam de præceptis dicendum eſt. Nam juramentis ac fœderibus, in quibus apertè ſit agendum, etiam præcepta ſunt adjungenda, præſertim ſi illi, qui ea non obſervaverit, pœna propterea ſit ſubeunda. In iis enim ita loquendum eſt, ut alter intelligere haud difficulter poſſit, quid ſibi faciendum ſit, præſertim ſi animum attendere velit, & eam, quam rei gravitas exigat, diligentiam adhibere, animumqúe ad obſequendum componere. Aliter enim ſi quis faciat, cauſſam conſultò videtur quæſiiſſe, etiam eum, qui libenter cæteroqui paruiſſet, pœnâ atque ſupplicio involvendi, quod effugere is alioqui potuiſſet. Id quod à ſinceritate prorſus alienum eſt, & à fraudis ac doli mali crimine vindicari non poteſt. Illud ſinceritati non repugnat, ſi in præcepto aliquid non exprimatur, cujus ignorantia ei, qui parere vult, nil noceat, ut in præcepto Abrahamo dato, de filio offerendo factum vidimus. Nihil etiam illud, ſi quippiam celetur eum, cujus animus ad parendum minimè compoſitus eſt, ſed ab obſequio adeo alienus, ut non niſi vi quadam ad illud pertrahi poſſit; quiqúe diuturna improbitate eſt commeritus, non ut ſpacium atque opportunitas ei detur obſequium aliquo modo probandi, ac pœnam effugiendi; ſed potiùs ut ea illi occaſio præcidatur, utqúe ad ſupplicium rapiatur. Quod poſterius in Pharaonis exemplo vidimus.

Jam ut ad ſignorum etiam diſcrimen veniamus, quibus animi ſententiam, conſilium, aut affectum aliis ſignificare poſſimus, aut ſoleamus; jam antea indicavimus, ea vel dicta eſſe, vel facta. Et de dictis quidem quid ſentiendum ſit, haud difficulter ex generali ſinceritatis divinæ effectu colligi poteſt. Nam cùm verba certam ex inſtituto ſignificationem, quamquam non ſemper unam habeant; ſintqúe adeò definitarum rerum inter homines ſymbola: ſinceritatis divinæ eſt, ut, cùm iſtis ſymbolis utitur, & omninò oſtendit, ſe hac ratione ſuam nobis ſententiam aperire velle, ita verbis utatur, prout linguæ, quâ loquitur, ratio fert; non verò ad eum modum illa tacitè accipiat, ut ab iis, qui audiunt, non poſſit non aut contraria menti ipſius ſententia, aut ab ea planè aliena concipi. Quod quidem fieret, ſi novas ac planè inuſitatas vocibus aut phraſibus ſignificationes inderet, deqúe iis homines, quibuſcum loquitur, non moneret. Nihil id ſanè foret aliud, quàm homines deludere, & cùm aliquid ſignificare illis videretur, nihil tamen ſignificare, aut in errorem eos conſultò inducere. Id quod à ſinceritate prorſus abhorret.

Quod ad facta attinet; ea duplicem ſignificandi vim habere poſſunt: vel naturalem, vel ex inſtituto; vel partim à natura, partim ex inſtituto. Naturalem ſignificandi vim habent facta, quatenus naturalem quendam cum rebus, quas indicant, nexum habent; qualis eſt v. g. inter cauſſas & effectus, aut inter res, quarum altera alteri adjuncta eſſe ſolet. Harum enim alia aliam arguit, quamquam non ſemper ſimiliter. Ex inſtituto autem ſignificant, quatenus vel communi conſuetudine, vel certarum perſonarum voluntate aut pacto ad quippiam deſignandum adhibentur. Naturaliter v. g. divina beneficia, præſertim ingentia, amorem ipſius erga eum, in quem conferuntur, ſignificant: uti & contrà ſupplicia gravia atque horrenda iram. Ex inſtituto autem illa, quæ ad fœdera quædam ſancienda Deus adhibuit, aut adhiberi voluit. Talis fuit tranſitus per partes victimarum diſſectarum; Gen. 15. 9, & d. & ỳ. 17, 18; quo ſigno uſus eſt Deus ad fœdus cum Abrahamo pangendum: quanquam & miraculum fuit adjunctum. Notant enim præter Hebræos alii quoque viri docti, tum ex iſto loco, tum ex Jerem. 34. 18, 19, hujuſmodi per partes victimarum diſſectarum tranſitu, fœdera confirmari ſolita fuiſſe. Talis fuit & aſperſio ſanguinis victimarum, quam Moſes, Exod. 24. 8: Hebr. 9. 18, & d, fœderis inter Deum & Iſraëlitas mediator, ab ipſomet Deo conſtitutus, ad id ſanciendum adhibuit. De utroque genere aliquid trahunt miracula, quibus Deus ea confirmare conſuevit, quæ hominibus annunciari curavit. De utroque etiam, ſed plus tamen de priori trahit Filii Dei traditio in mortem, quâ novum fœdus inter Deum & homines fuit ſancitum. Matth. 26. 28: Luc. 22. 20: Heb. 9. 15, & d. c. 10. 29: XIII. 20. Siquidem effectus eſt & argumentum certiſſimum divini erga nos adhuc impios amoris, ex quo remiſſio peccatorum, nobis in novo fœdere propoſita, pendet. Hoc pacto & *ſpiritus ſanctus in fideles Chriſti effuſus, arrhabo eſt hæreditatis noſtræ.* Epheſ. 1. 14.

Diſcrimine factorum, quod ex modo ſignificandi pendet, animadverſo, jam porrò diſpiciendum eſt, quo pacto ſinceritatis ſit, aut non ſit, his ſignis uti. Quod ergo ad facta attinet, quæ certam ex natura rei ſignificationem habent, ſive per ſe ac ſimpliciter, ſive ob certam circumſtantiam; in illis, quà talia ſunt, nullæ ſunt propriæ candoris ac ſinceritatis partes. Hæc enim ibi propriè locum habet, ubi per naturam & ſimulatio habere poſſet. Hæc autem in factis, quatenus certam ex natura ſignificationem habent, locum invenit nullum. Itaque nulla habita ratione ſinceritatis divinæ, cùm ex effectis ipſius evidentibus, cauſſa eorum neceſſaria, quæ in ipſo exiſtat, colligitur, in eo errari non poteſt. Quatenus autem facta, nec ex inſtituto ullam ſignificandi vim habent, nec ex natura rei planè certam, utut fortè probabilem; eatenus quidem ſinceritas in illis locum habet, ſed non adeo arctum. Neque enim ſinceritas ſemper jubet, ut id facias, quod animi ſententiæ ac conſilio magis appareat eſſe conſentaneum, & ad id alteri ſignificandum aptius. Imò ut ſuprà jam indicavimus, cùm juſta eſt atque idonea cauſſa, cur alterum conſilia tua celes, aut operam des, ne illi ea ex tuis factis veluti pelluceant; ſinceritas non vetat, quominùs conſultò quædam facias, quæ ſententiæ tuæ ſint in ſpeciem contraria, & ab ea cognoſcenda alterius animum quodammodo abducant. Hoc pacto Paulum nonnulla feciſſe apertè videmus. vid. Actor. 16. 3: XXI. 20, & d. 1 Cor. 9. 20, & d. & plura ex iis, quæ de ſe ipſe ſcribit, feciſſe colligimus, quæ ad ſententiam ipſius de libertate Chriſtiana apud Judæos aut Chriſtianos infirmiores occultandam facerent, & ab ea cognoſcenda illorum mentes abducerent. Nempe quia id ipſiſmet erat utile, & ad eorum ædificationem ſpectabat. Hinc idem & aliis in re ſimili præcipit. Rom. 14. 22: *Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo.* Loquitur enim de fide ea, quâ quis credat, licere ſibi uti rebus omnibus, quarum uſus non eſt à Chriſto interdictus, utut à Moſe aliquando prohibitus. Hanc fidem qui habet, eum monet, ut illam premat, ac ſibi ſervet, ita ut Deus tantùm illius ſit conſcius, ſi nimirum ejus patefactio infirmiores ſit offenſura. Quamquam & aliis in rebus, aliiſqúe de cauſſis videas, tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ipſum Chriſtum, Luc. 24. 28: add. Marc. 6. 48, tum alios viros ſanctos, d. l. Act. 16. & 21. & 1 Cor. 9: & nonnullos quidem ipſius Dei juſſu, 1 Sam. 16. 2. conf. ℣. 1, 3, & d. 3 Reg. 20. 38, aliud conſultò in factis præ ſe tuliſſe, quàm revera ſpectarent. Neque tamen quiſquam auſit dicere, eos quicquam adverſus candoris leges feciſſe. Unde jam aliquo modo colligere poſſumus, quid de divinis factis ſit ſtatuendum. Facit nempe Deus interdum quædam, quæ ſpeciem præ ſe ferant ſententiæ conſilio ipſius contrariæ; idque conſultò, ut vel fidei ac pietatis humanæ experimentum eo pacto capiat; vel homines impios ac perverſos judiciorum ſuorum, ut ita dicam, indagine cingat, eorumque caſſibus ita implicet, ut ad illa ſe duci vel non facilè, vel non niſi ſerò animadvertant. Nam quod ad prius attinet; ita nonnunquam cum ſuis agit, ac ſi eos non amaret, vel amare deſiiſſet, & eos exaudire, ac opem illis ferre nollet. Qua de re divinos viros cum eo quodammodo expoſtulare videas. vid. Num. XI. 11, & d. Pſal. 10. 1: XIII. 1, & d. XXII. 1: XXXI. 23: XLII. 10, & alibi. Quod ad poſterius attinet; cum impiis ita non raro agit, ac ſi eos punire nollet. Nam non modò ſupplicium differt, gravitate aliquando tarditatem compenſaturus; ſed ipſos etiam impios opibus, potentiâ, honoribus vult florere, & omnia illis ex animi ſententia fluere, ut ſe felices exiſtiment. vid. Pſal. 37. & 50. 21, 22: & 73. add. Matth. 24. 38. & d. 1 Theſſ. 5. 2, 3. Tum demum ex inopinato eos aggreditur, & eam ipſam, quâ ſe extulerant, fortunam eis in ruinam vertit. Qua quidem in re nec iniquè agit Deus: ſiquidem non niſi homines id abundè commeritos ita ulciſcitur: nec contra ſinceritatem quicquam facit. Neque enim impio revera ſignificat Deus, ſe eum, ſi ita vivere pergat, punire nolle. Sed impius ſupplicii dilationem, & indulgentiam divinam, quam in occaſionem reſipiſcentiæ vertere debebat, ſtultè interpretatur tanquam impunitatis ſignum, & in licentiam ac laqueum ſuâ planè culpâ vertit. Qui enim jus puniendi habet, non cavet ſonti, dum ſupplicium differt: quanquam illi nonnunquam reſipiſcendi, ac ſupplicium hoc pacto evitandi ſpacium largitur: ſed ſæpe etiam occaſionem ulciſcendi commodiorem expectat. Quare ſi is qui pœnam eſt commeritus, aliter hoc ejus factum interpretetur, in eoque fallatur, ſibi id imputare debet, & ſuam accuſare inſipientiam, fraudem punienti adſcribere jurè non poteſt. Idem ergo & de Deo cogitandum eſt; præſertim cùm indulgentia ipſius talem ſortiri ſoleat exitum, qualis illius eſt uſus; malum, ſi malus; ſi bonus, bonum. Veruntamen, quia Deus, dum homines perverſos punire vult, ſimili quodammodo ratione, quâ illi peccarunt, in illis ulciſcendis utitur; ideo à Davide, per metaphoram catachreſticam, cui antanaclaſis locum facit, & duritiem quodammodo demit, *cum perverſis perverti*, ſeu *perverſe agere* dicitur. Sic enim Deum alloquens ait: Pſal. 18 26, & d: *Cum ſancto ſanctus* (Hebr. *cum miſericorde miſericors*) *eris; & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus* (Hebr. *cum mundo mundus*) *eris; & cum perverſo perverteris*. Et rationem addit: *Quoniam tu populum humilem* (vel *afflictum*) *ſalvum facies, & oculos ſuperborum* (Hebr. *excelſos*) *humiliabis*. Significat nimirum Propheta, Deum talionis quodammodo jure cum hominibus agere, & planè dignam ipſorum factis mercedem illis perſolvere, ſive bona illa ſint, ſive mala. Itaque & in perverſis hominibus puniendis ratione ipſum uti, factis atque artibus illorum convenienti; ita ut ſi facta divina, illorum factis per ſe compares, non habita ratione juris ac honeſtatis, inter ea non exigua ſit ſimilitudo ac convenientia. Veruntamen ſi jus atque honeſtatem reſpicias, longè alia eſt horum & illorum ratio; ſiquidem non niſi commeritos ita tractat Deus. Itaque ſupplicia ab ipſo inflicta recta ſunt, utut perverſa aliquo modo videantur: illorum facta perverſa, utut fortè recta eſſe videantur.

Sed jam tempus eſt, ut de illis etiam Dei factis dicamus, quæ ex inſtituto aliquid ſignificant; & primò quidem de miraculis, quæ, ut diximus, aliquatenus naturalem ſignificandi vim habent, quanquam generalem, reſpectu eorum, quæ Dei nomine hominibus annunciantur. Nam cùm Deus ipſe revera miracula edit, taliaque facit, quæ omnem rerum aliarum vim ita ſuperant, ut ne dæmonum quidem aſtu aut viribus præſtari ulla ratione poſſint; ea pro certiſſimis ſententiæ ipſius argumentis ſunt habenda; & ſtatuendum, ea, quibus confirmandis adhibentur approbare Deum, &, ut à nobis recipiantur, velle. Cætera prodigia non ſemper ſunt certa divinæ ſententiæ indicia; cum ea interdum Deus non tam faciat, quàm fieri permittat; imò revera non faciat, ſed, ut à Satana fiant, concedat. Et in certis quidem caſibus, de quibus populus divinus eſt ab ipſo Deo præmonitus, pro ejuſmodi rebus prodigia ſunt habenda, per quas Deus populum ſuum tentet, aut orbem ingratum atque impium puniat. Atque huc pertinent illa, de quibus Moſes in Deuter. 13. cap. ℣. 1, & d, monet. Eódem & illa pertinent, quæ à Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis, & nominatim ab Antichriſto edenda eſſe, partim Chriſtus, partim Apoſtoli ejus prædixerunt. Matth. 24. 24, & d. 2 Theſſ. 2. 9. Quia enim prodigia hujuſmodi magnam vim habent ad animos hominum commovendos, & admodum probabile fit, ea divinitus edi ad id, quod dicitur, confirmandum; ideo divinæ ſinceritatis ac bonitatis eſt, ne permittere quidem, ut ea edantur, niſi in certis caſibus, & hominibus quidem antea præmonitis, ac ſatis præmunitis, ita ut non niſi ſuâ culpâ ſeduci queant.

Quod ad cætera Dei facta attinet, quæ aliquid ex inſtituto ſignificant; ut tranſitus ille in fœdere Abrahamico per partes victimarum diſſectas, non quà miraculoſus fuit, & generalem quandam ſignificandi ac dicta confirmandi vim habuit; ſed quatenus ſpeciatim ad ſanciendum fœdus ex humana conſuetudine fuit adhibitus; itemque ſanguinis aſperſio à Moſe facta; quo & baptiſmus Johannis referri poteſt, qui ablutionem à ſordibus peccatorum deſignavit, partim quidem ab hominibus per reſipiſcentiam, partim à Deo per remiſſionem peccatorum, perficiendam: in his ſinceritas divina non minùs, quàm in juramentis cernitur. Quia n. hujuſmodi ritus ideo ſunt inſtituti, ut plenam ac perfectam voluntatem, & ſincerum miniméque fucatum animi aſſenſum teſtentur; nullam in illis ſimulationem aut diſſimulationem ſinceritas admittit, ne talem quidem, qualis in verbis aliàs licitè nonnunquam uſurpatur. Certiorem enim ſignificationem ſigna hujuſmodi, quàm verba ſimpliciter prolata habere cenſentur. Ideo cùm verbis res jam teſtata conſtitutaque eſt, nihilominus ad pleniorem rei fidem, & uberiorem conſenſûs ſignificationem, facta hujuſmodi adhibentur; quæ proinde verbis vim addunt, eaque revocari non ampliùs patiuntur, & eo quidem ſenſu, quo intellecta fuiſſe cenſentur ab eo, cum quo res fuit. Quare ut dicta noſtra velut in ſummam colligamus; ſinceritatis divinæ eſt, nunquam quicquam dicere aut facere, quod aliter accipi jurè nequeat, quàm ut cum mente Dei pugnet; promiſſis aut ſignificatione benevolentiæ neminem ludificari; comminationibus fruſtrà non terrere; præceptis aliiſve dictis neminem in fraudem impellere; miracula non niſi ad verum confirmandum edere, & ne permittere quidem, ut prodigia ad mendacium confirmandum fiant, niſi in certis caſibus, populo ſuo ſatis jam præmonito; in fœderibus, eorumque confirmationibus, & in juramentis apertè agere, & id omnino velle, quod ex dictis ac factis ejus facilè intelligitur, ac probabiliter colligitur. Quòd ſi plura, quæ ſingula non vulgarem ſinceritatem poſtulant, aut etiam omnia concurrant, quid tum ſtatuendum eſſe cenſemus? Concurrunt autem plæraque in fœdere antiquo; omnia in novo, per Chriſtum nobiſcum pacto. Nam & præcepta in eo continentur ſanctiſſima, & promiſſa ampliſſima, toti mundo facta; miracula ſunt addita longè maxima & diviniſſima, & alia ſanciendo fœderi ſervientia, maximè mors unigeniti Filii Dei: quin & juramento promiſſa illi inſerta nituntur, ut ex iis intelligi poteſt, quæ ex Epiſt. ad Hebr. ſub finem leguntur, ſuperiùs à nobis ex parte citata. Nónne ergo ſinceriſſimè ac candidiſſimè in illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Deus agere cenſendus eſt? Quò majorem ſanctiſſimo ipſius numini faciunt injuriam, quin & ſpem generis humani ſubvertunt, qui aſſerere audent, eum, cùm per Euangelii præcones, fœderiſque novi miniſtros, expreſſis apertiſſimiſque verbis ſalutem hominibus generatim omnibus offert, & ſignificat, ſe velle ac cupere, ut omnes credant ac reſipiſcant, & ſic peccatorum remiſſionem ac vitam ſempiternam conſequantur; interea tamen ſimplici ac prorſus abſoluto decreto apud ſe ſtatuere, aut ab omni æternitate jam ſtatuiſſe, ut eorum plærique, quibus tantam gratiam offerri curat, nec reſipiſcant, nec porrò ſalutem conſequantur, ſed æternis ſuppliciis, etiam ob id ipſum, quòd non crediderint, mactentur. Unde duplicem illi voluntatem, revelatam & occultam, quarum illam ſigni, hanc beneplaciti quidam vocant, tribuunt: quarum illâ gratiam offerat, hac nolit, ut eam amplectaris, eaque potiaris. Adeò mira eſt beneplaciti ratio, quod tam noxios ac peſtiferos effectus pariat. Hoc autem dum illi faciunt, id Deo adſcribunt, quo nihil ipſius judicio eſt exſecrabilius ac deteſtabilius, dictuque magis horrendum, Pſal. 5. 7: LV. 24, nempe os linguamque fraudulentam, & hypocriſin ſeu ſimulationem ejuſmodi, quæ verbis blandiatur, gratiam offerat, benevolentiam omnibus ſignis teſtetur, animo interea perniciem machinetur. At David cùm conqueſtus eſſet, Pſal. 12. 1, & d. veraces ac candidos inter homines defeciſſe, quemque loqui vana cum proximo ſuo labiis doloſis, corde ac corde, ſeu duplici animo; addidiſſetque comminationem graviſſimam, *Diſperditurum Dominum univerſa labia doloſa*; paulò pòſt eloquia Domini verbis hominum fraudulentis opponens, *Eloquia*, inquit, *Domini eloquia caſta*: (ſeu *pura*) *argentum igne examinatum, probatum terræ*, (ſeu *excoctum in vaſe terreo*,) *purgatum ſeptulum* (ſeu *ſepties*.) ſignificans illis nihil fraudulentum, nihil fictum ac ſimulatum revera ſubeſſe. Sed de his ſatis.

Tempus enim jam eſt, ut de Veritate agamus. Ea Sinceritas ſeu candor eſt, qui in dictis cernitur, quatenus illis aliquid aſſeritur, ſive affirmando id fiat, ſive negando. Ejus eſt curare, ut verba cum re ipſa conſentiant, nec aliter loquaris, quàm rem ſeſe habere ſentis. Veritatem enim hoc loco non ſumimus pro ipſo conſenſu atque convenientia, ſive intellectûs, ſive dictorum noſtrorum cum re ipſa: ſed pro virtute, quæ veritatis dictorum noſtrorum veluti cuſtos eſt. Unde veritatis ſtudium appellatur, vulgò Veracitas. Quia verò cùm aliquid promittimus, verba noſtra vera eſſe non poſſunt, quin id ipſum præſtemus; ideo veritatis etiam eſt præſtare promiſſa. Itaque veritas quidem primò ac per ſe in dictis cernitur; conſequenter autem etiam in factis illis, ſine quibus veritas dictorum noſtrorum conſtare non poteſt, præſtandis. Unde, ut inferiùs intelligetur, in ſacris literis pro fide ſeu fidelitate non rarò ponitur, aut tam latè extenditur, ut eam quoque in ſe complectatur. Cum fides, ſi accuratiùs loqui velimus, ejus potiùs ſit effectus neceſſarius. Cum autem Veritatis, ut diximus, ſit, non aliter de re loqui, quàm eam ſe habere intelligis; neceſſe eſt, ut, quia verax eſt Deus, omnia ejus dicta cum re conſentiant: ſecùs quàm in hominibus contingit, utut alioqui veracibus. Ii enim cùm falli poſſint ipſi, poſſunt & falſum dicere, & tam conſtanter affirmare, quàm firmiter credunt. Itaque cùm homines veritatis amantes aliquid conſtanter aſſerunt, rectè quidem inde concludimus, eos ita ſentire: ſed non protinus, ita ſe rem habere; niſi tum, cùm res ita eſt comparata, ut niſi ita ſe haberet, eos fingere, ac fallere velle neceſſe foret. Itaque viri etiam boni mendacium dicere poſſunt, ſed non mentiri. Et neſcio quis dixit, Boni viri eſſe non mentiri, Sapientis mendacium non dicere. Diſtinguunt enim inter mentiri, & mendacium dicere, ut hoc latiùs pateat, illud anguſtiùs. Nam mentiri illum tantùm dicunt, qui aliter loquitur, quàm ſentit: mendacium dicere etiam illum, qui ita quidem loquitur, ut ſentit: ſed quia aliter ſentit, quàm res ſeſe habet, ideò & aliter loquitur, atque à rei veritate aberrat. Qui mentitur, fallere vult, quod boni viri non eſt: qui mendacium dicit, ſi fallere non vult, fallitur ipſe, quod non eſt Sapientis. Quanquam nulla in re falli, non hominis eſt ſapientis, ſed ſolius ſapientis Dei, & illius, cui Deus omnium rerum cognitionem dedit. Deus ergo nullo in ſermone à veritate abludit. Siquidem nec fallitur, ob ſummam ſapientiam: nec fallere vult, ob ſummam rectitudinem ac veracitatem. Hinc in ſacris literis toties ipſius veritas celebratur; & ipſemet alicubi hominibus, qui omnes ſint mendaces, (quia nimirum plerique eſſe ſoleant) eo nomine opponitur, quòd verax ſit. Rom. 3. 4. Hinc & ἀψευδὴς ſeu mentiri neſcius à Paulo dicitur, Tit. 1. 2, & pro magno ſcelere reputatur, ei fidem derogare, & mendacem eum facere. 1 Joh. 1. 10: 5. 10. Quodque D. Auctor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 6. 18, reſpectu certorum Dei dictorum pronunciavit, *impoſſibile eſſe mentiri Deum*, ſi vox *mentiendi* ſimpliciter accipiatur, ad omnia ejus dicta, ob cauſſam paulò antè allatam, extendi jurè poteſt ac debet. Quare ſive de rebus præteritis, ſive de præſentibus, ſive denique de futuris loquitur Deus, ſemper vera loquitur, eique ſine ulla hæſitatione credendum eſt. Etſi autem veritas Dei ad omnia ejus dicta pertinet, quibus aliquid aſſerit; ſacræ literæ tamen omnium creberrimè eam ad promiſſa ipſius referunt, & ſic fidelitatem ipſius hoc nomine comprehendunt. Res facilè patebit ſacrum codicem evolventi. In Pſalmis quidem, cùm Dei veritas celebratur, ad fidem ipſius potiſſimùm reſpicitur. vide inter alios Pſal. 89. & 119. Quanquam videtur interdum latiùs adhuc extendi, ut quicquid æquum rectumque eſt, complectatur: ut cùm Lex Domini, aut omnes viæ ejus veritas eſſe dicuntur. Pſal. 19. 10: CXIX. 86, 142, 151. add. Neh. 9. 33: Apoc. 15. 3: XVI. 7. Sed, ut diximus, fidem Dei potiſſimùm deſignare ſolet. Ideo Apoſtolus Rom. 3. 3, & d. promiſcue uſurpat veritatem, fidem, & juſtitiam Dei. Et cap. 15. 8, ait; *Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* (hoc eſt, circumciſorum, quatenus iis Euangelium annunciarit) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum*. Ubi quidem Veritatem Dei aliquo modo opponit Miſericordiæ, quæ Gentibus præſtita fuerit: nempe quia Judæis quidem expreſſe Deus Meſſiam promiſerat: unde veritas ac juſtitia, ut eum illis exhiberet, poſtulavit. Gentibus autem ſine expreſſa promiſſione poſtea revelavit, eandemque felicitatem, quam Judæis, obtulit, id quod meræ ac nullo modo debitæ benignitatis fuit. Sed in Pſalmis creberrimè Veritas cum Miſericordia conjungitur; quod & alibi fit, ſive de Deo, ſive de hominibus ſit ſermo. Partim quia etiam miſericordia in promiſſis præſtandis cernitur, quatenus ipſæ quoque promiſſiones ex mera gratia ac benignitate fuerant profectæ: partim quia veritas latiùs aliquantò extendi videtur, quàm in Apoſtoli verbis proximè citatis contingit. Significat enim ſinceram benevolentiam, ſeu mavis, ejuſmodi fidem ac ſinceritatem, quâ fiat, ut non tantùm ea præſtes alteri, quæ ei apertè promiſeris, ſed etiam quæcunque conſentanea ſint gratiæ ac favori, cujus illi ſignificationem aliquam dediſti; atque adeò quæcunque amicitiæ ac neceſſitudinis quodam jure alteri præſtari æquum videatur. Hoc modo ſervus Abrahami, cùm iter ſuum Dei favore proſperè ſucceſſiſſe cerneret, dicit, Gen. 24. 27, Deum *non abſtuliſſe miſericordiam & veritatem ſuam à domino ſuo*, nempe Abrahamo; quia id fecerit, quod & promiſſis ipſius, & favori, quem ei non ſemel declaraverat, eſſet conſentaneum. Simili autem loquendi formula utitur inferiùs, Bathuëlem & Labanem alloquens: *Si facitis*, inquit, ℣. 49, *miſericordiam & veritatem cum domino meo*. Quod ita viri docti explicant, ut dicant.* Hebraiſmum eſſe, quo humanitatem præſtare, & bona fide agere cum aliquo ſignificant. q. d. Quam obrem ſi liberaliter & ex animo daturi eſtis filiam veſtram filio heri mei. Si quis plura exempla deſiderat, Pſalmos adeat, in quibus ſat frequentia deprehendet. vide inter alia Pſal. 25. 10: XXXVI. 6: XL. 11, 12: LVII. 4, 11: LXI. 8: LXXXIV. 12: LXXXV. 11: LXXXIX. 34. Non

* vid. Bibl. magna Rob. Steph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

prætereunda autem videntur & Bileami verba de hac Dei veritate loquentia, quæ ita apud Moſen leguntur: Num. 23.19: *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* (Hebr. *ut eum pœniteat.*) *Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit?* Quomodo autem Deus ab omni mendacii crimine penitus abſit, etiamſi id, quod comminatus eſt, certas ob cauſſas poſtea non præſtet, partim ſuprà expoſuimus, cùm de Poteſtate Dei egimus, quæ in pœnis remittendis cernitur, partim in ſequentibus uberiùs declarabimus.

Veniendum enim tandem eſt ad explicationem divinæ conſtantiæ, cujus in Bileami verbis modò adductis fit mentio, dum negat Deum eſſe ſimilem filio hominis, ut mutetur. Eſt autem conſtantia virtus, quæ in tuendo animi propoſito cernitur. Quare & Dei conſtantia ea eſt rectitudinis ipſius pars, quam & virtutem appellare licet, quæ in tuendo propoſito conſervandiſque decretis cernitur: propter decreta autem etiam in dictis ac factis occupatur. Opponitur mutabilitati, levitati, ac inconſtantiæ. De ea loquitur & Samuël: 1 Sam. 15. 29: *Triumphator in Iſraël* (Hebr. *Iſraëlis*) *non parcet,* (Hebr. *non mentietur,*) *& pœnitudine non flectetur. Neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam.* Et ipſe Deus apud Malachiam cap. 3.6: *Ego Dominus* (ſeu *Jehova*) *& non mutor.* Hebraicè quidem eſt, *non muto*: ſed eodem ſenſu. Perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, non muto ſententiam, quemadmodum & viri docti * annotarunt. Huc & illa Apoſtoli pertinent: Rom. XI. 29: *Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei,* hoc eſt, Deum non pœnitet ſuorum donorum, nec, ſi cui gratiam obtulerit, verba ſua revocat. Interim tamen ſemper obſervandum eſt, quo pacto Deus quippiam decreverit, aut pronunciaverit, vel ſaltem dicta ſua intelligi voluerit; an cum conditione, an ſine conditione. Nam ſi ſine conditione quippiam decrevit, id ut omnino etiam eveniat, conſtantia ipſius poſtulat. Si cum conditione; non poſtulat conſtantia, ut res eveniat, conditione non extante, ſed tum demum, ſi hæc extiterit. Conſtantia enim non in parte aliqua decreti per ſe ſumta, ſed in toto decreto tuendo cernitur. Pars autem decreti conditionalis, eſt & conditio. Et etiamſi Deus nonnunquam, cùm decreta ſua enunciat, conditiones non apponat; non tamen protinus conditionem nullam vult ſubaudiri; quemadmodum jam ſuprà oſtendimus, de ea divinæ poteſtatis parte differentes, quæ in pœnis remittendis, relaxandiſque comminationibus cernitur. Exempla hac de re aperta extant de Abimelecho, Gen. 20. 3, & d, de Ezechia, 4 Reg. 20. 1, & d. Eſai. 38. 1, & d, de Ninivitis: Jon. 3. 4, 10: quorum illis mors ſimpliciter fuerat denunciata, his urbis ſubverſio quadrageſimo die ſecutura. Et tamen eventus non fuit ſubſecutus, ob cauſſas quaſdam, quæ Deum ad mitigandam aut tollendam comminationis vim flexerunt. Quid, quòd generalia etiam hac de re apud Prophetas Dei effata extant? Ita enim apud Jeremiam loquitur: cap. 18. 7, & d: *Repentè loquar adverſus gentem, & adverſus regnum, ut eradicem. Et deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit* (vel *converſa fuerit*) *gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam,* (vel potiùs, *adverſus quod locutus ſum;*) *agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem ei. Et ſubitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum ut faciam ei.* Unde eodem loco ℣. 11, dicit, ſe adverſus Iſraëlitas fingere malum, & cogitare cogitationes contra ipſos, & nihilominus à via ſua mala ipſos jubet reverti; ſignificans, illis adhuc ſpem veniæ ſupereſſe. Sic & apud Ezechiëlem cap. 33. 14, & d: *Si dixero juſto, quòd vita vivat* (Hebr. *vivet,*) *& confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem; omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate ſua, quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris; & egerit pœnitentiam* (vel *converſus fuerit*) *à peccato ſuo, feceritque judicium & juſtitiam,* &c. *vita vivet, & non morietur.* Ex quibus clariſſimè apparet, hujuſmodi ſive promiſſiones Dei, ſive comminationes, licet ſimpliciter prolatas, tamen cum tacita conditione, in futurum reſpiciente, intelligendas eſſe. Quare non evertit Deus decreta ſua, cùm conditione non extante, aut ceſſante, id non implet, quod ſub ea decreverat. Interim tamen cùm non implet, pœnitere eum illius dicitur, & ſic ſententiam quodamodo mutare cenſetur. Nempe quia id non ampliùs vult facere, quod facere, licet ſub conditione, conſtituerat, & in quod jam vehementer etiam propendebat. Sic olim vehementer in pœnam Iſraëlitarum inclinabat, cùm diceret Moſi, Exod. 32. 10: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* & nihilominus tamen precibus Moſis *placcatus fuit Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* ibid. ℣. 14. Enimverò conſtantis eſt perſiſtere in animi propoſito, niſi quid intervenerit, cujus ratio non immeritò haberi poſſit, quódque in aliam ſententiam flectere voluntatem jurè queat, & maximè in mitiorem. Hoc enim clementiæ eſt. Clementia autem conſtantiæ non adverſatur. Siquidem cum rectitudine penitus conſpirat. Iſtud inconſtantis eſt, vel id, quod ſimpliciter, & rectè quidem decreveris, reſcindere; vel nulla aut levi de cauſſa propoſitum mutare, in re præſertim magni momenti, utut tandem ſimplex de ea decretum non interceſſerit. Nihil iſtorum Deus unquam facit. Nam non tantùm conſtantiæ, ſed & ſapientiæ perfectæ laudem amitteret. Etenim qui aliquid iſtorum facit, vel non omnia novit tum, cùm quippiam ſibi proponit, quæ vel in hanc, vel in illam partem aliquid habere queant momenti; vel non ſatis ea expendit. Unde ea nunc majoris, nunc minoris ipſi videntur eſſe ponderis; ſiquidem à ſententia eum nunc deducant, à qua antea non abduxerant. Hoc verò ipſum aliquam ignorantiam arguit. Non enim totam rei rationem ſemper exactè novit, cui ea nunc majoris, nunc minoris eſſe videtur ponderis. Alterutra in parte errorem aliquem verſari neceſſe eſt. Cum ergo Deus ſit omniſcius ac perfectè ſapiens, talis mutabilitas in eum minimè cadit. Omnia in illius conſpectu ſunt, quæ aliquid habere poſſent ad rem, quam decernit, momenti. Itaque ſi ſimplex decretum facit, apparet, nullam unquam extituram cauſſam, quæ id mutare cogat. Unde nec unquam ob conſtantiam mutat. Si verò ſub conditione quippiam ſibi proponit; non niſi eas ob cauſſas mutat, quas evenire poſſe tum vidit, cùm decretum fecit, & quibus extantibus decretum vim ſuam habere noluit. Itaque nihilominus ſibi ſemper conſtat, &, licet ſententiam aliquà ratione mutet; non mutat tamen eatenus, quatenus eam immutabilem eſſe ab initio voluit, ſed quatenus voluit eſſe immutabilem.

Cùm autem Deus in propoſito, ut vidimus, conſtans ſit; neceſſe eſt etiam, eum in dictis & factis, quæ propoſiti ipſius effecta ſunt, aut teſtimonia, conſtantem eſſe. Cæteroquin ubi nullum adhuc decretum extat, & res liberæ ipſius poteſtati penitus eſt ſubjecta, Deus interdum ob id ipſum, ut liberrimam illam poteſtatem ſuam exſerat, aliter atque aliter agit. Nam nec eadem in omnes beneficia confert, eadémve menſurâ diſpenſat. Quamquam ita in illis progredi ſolet, ut ab imis ad ſumma tendat, niſi hominis malitia eum beneficentiæ curſum interrumpat. Similiter & leges quaſdam fert, quas poſtea abrogat. Sic leges ceremoniales populo Iſraëlitico, pueritiam adhuc veluti agenti, præfixit, ut ſub iis, tanquam ſub pædagogo, ad pubertatis annos, aut virilem etiam ætatem proficeret. vid. Gal. c. 3. 24, 25. & c. 4. 1, & d. Ab eodem igitur jam ad virilem ætatem progreſſo pædagogum hunc amovit, nec rudimentis, pueritiæ ejus convenientibus, mancipatum ampliùs voluit, ſed legibus his refixis in libertatem emiſit. Qua in re nulla Deo tribuenda eſt inconſtantia, ſed ſumma potiùs ſapientia, cum abſolutiſſima poteſtate conjuncta.

Poſtquam ergo de Sanctitate Dei ſatis videmur dixiſſe; reſtat, ut uſum ejus doctrinæ ſubjiciamus. Primùm autem plurimùm ea res pertinet ad amorem ac venerationem divini numinis in animis noſtris excitan-

dam

* Vid. Bibl. magna Rob. Stephani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dam atque alendam. Etenim vel amare Deum non ſatis poſſemus, vel non ita, uti dignus eſt, venerari, ſi eum aliqua pravitate laborare, aut ulla impuritatis labe contaminatum eſſe crederemus. Crudelitatis certè, iniquitatis, infidelitatis, fraudulentiæ opinio, omnem erga ipſum ex animis noſtris amorem facilè evelleret; ſimul autem & ſpem fiduciamque noſtram, quam in ipſo collocamus, perimeret. Hæc enim fide ac veritate Dei nititur.

Deinde ſanctitatis divinæ conſideratio, ut nos quoque ſanctitatem ſummo ſtudio ſectemur, efficit. Primò quia convenit ut Deum imitemur, Epheſ. 5. 1, nos præſertim, qui pro filiis ipſius nos gerimus, haberique volumus. Unde quemadmodum ſuprà ex parte vidimus, ſacræ literæ nos hortantur, ut ſancti ſimus, ſicut & Deus ſanctus eſt; Lev. XI. & 19. & 20. & 1 Pet. 1, ut in luce ambulemus, quemadmodum & ipſe in luce eſt, 1 Joh. 1. 7: ut, purificemus nos ipſos, ſicut ipſe purus eſt: ib. cap. III. 3: ut, cum ſciamus eum eſſe juſtum, norimus, eum demum ex eo genitum eſſe, qui juſtitiam faciat. ibid. cap. II. 29. Deinde quia ex tanta Dei ſanctitate facilè cernere eſt, Deum non modò nos ad peccata non impellere, ſed contrà ab iis nos penitus abſtractos velle. Jac. 1. 12, & d. Siquidem tanta Dei ſanctitas facit, ut impietatem in aliis vehementer oderit; pietatem contrà, & ob eam etiam homines illi deditos amet, iiſque delectetur. Unde conſequitur, non niſi hos communionem cum Deo habere, ſempiternâque felicitate potituros eſſe: d. l. 1 Joh. 1. 7, impios contrà, ni reſipuerint, ipſi perpetuò fore abominabiles, graviſſimaſque pœnas daturos. Pulcra hac de re ſunt Pſaltæ verba Pſal. 1. 7, 8, 9, quæ ita in Hebræo leguntur: *Dominus juſtum probat; & impium,* (ſeu *impium autem,*) *& eum, qui diligit iniquitatem, odit anima ejus. Pluet ſuper impium laqueos, ignem & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam juſtus Dominus, juſtitias diligit: rectum videbunt facies ejus,* hoc eſt, homines probos libenter reſpicit. Sed hac de re plura videbimus ibi, ubi de amore & odio, quo Deus homines proſequatur, agemus. inf. cap. 30. Quod autem de ſanctitate ac juſtitia Dei in univerſum dicimus, id etiam de ſingulis ejus partibus intelligendum eſt. Nempe cum Deus injuriam nemini faciat, nec nos facere debere. Cum perſonas non accipiat, nec nos fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum perſonarum acceptione habere debere, ut monet Jacobus cap. 2. 1, & d. Quod præceptum judicibus inprimis obſervandum eſſe ſac. literæ monent, Deut. 19. 15. Lev. 1. 17. Cùm fidelis ſit, verax, ac ſincerus, nos quoque tales eſſe debere, & porrò ab omni perfidia, mendacio, fraude, hypocriſi quàm longiſſimè abeſſe: & qui contrà fecerint, iis vindicem Dei iram metuendam eſſe. Quò accedit, quòd cum Deum non eſſe proſopolepten audiamus, ſed juſtum judicem, qui ſecundùm uniuſcujuſque opera cuique reddere & velit, & ſoleat; Rom. 2. 11, & d. conf. & præced. 1 Pet. 1. 17: add. Deut. 10. 16, & d. nobis omnino cogitandum eſt, in timore vitæ noſtræ tempus exigendum, & in bonorum operum ſtudio perſeverandum eſſe, ut coram ipſius tribunali conſiſtere aliquando poſſimus. Inſignitè etiam illis id expendendum eſt, qui cæteris eminent, ut dominis ac magiſtratibus, ne inferiores injuriâ aliquâ afficiant, cogitantes, ſe in cœlis habere judicem, apud quem nullus ſit perſonarum reſpectus. Epheſ. 6. 9, 10.

Tertiò vehementer prodeſt juſtitiæ divinæ conſideratio ad animi modeſtiam, ad obſequii, quod Deo debemus, promtitudinem, & malorum, quæ illius voluntate nobis immittuntur patientiam. Si enim Dei ſententiam juſtiſſimam ſemper eſſe cogitemus, fiet, ut adverſus eam ne hiſcere quidem ac mutire audeamus; ac porrò mandatis ejus ſine ulla tergiverſatione parendùm cenſeamus; quicquid nobis calamitatis impoſuerit, id, ni deprecari poſſimus, æquo animo feramus. ſimiliter autem & in aliis divina judicia factaque reprehendere, aut ullius ea iniquitatis inſimulare horreamus; ſcientes, nullam nec nobis, nec cuiquam ulla in re fieri à Deo injuriam. Itaque ſi ſententiæ divinæ æquitatem non ſatis capiamus, de noſtri potiùs judicii, quàm de divini æquitate dubitemus; & ignorantiam potiùs noſtram, aut culpam, ſive noſtram, ſive alienam, quæ ſæpè occulta eſt, non Deum accuſemus. De æquitate mandatorum divinorum vide inprimis Deut. 4. Pſal. 19. & Pſal. 119. De judiciis autem aliiſque ſententiis ac factis divinis, vide inter cætera, quæ apud Ezechiëlem leguntur cap. 18. & 33. & in libro Jobi non uno loco. Adde & illa, quæ medio ferè cap. 9. Rom. extant.

Abutuntur autem divinâ juſtitiâ, vel potiùs ejus rationem non ſatis intelligunt, quicunque arbitrantur; eâ impelli Deum ad quodvis delictum, ſive in eo ipſo, qui id commiſit, ſive in alio, qui vices ejus ſubeat, puniendum. Unde porrò concludunt, neceſſe omnino fuiſſe, ut Chriſtus juſtitiæ divinæ, pœnas omnium peccatorum noſtrorum perſolvendo, pleniſſimè ſatiſfaceret. Cum innocentem, qualis vel maximè Chriſtus fuit, punire, tum per ſe juſtitiæ planè adverſetur, tum propterea, quòd etiam divinis decretis atque effatis repugnat. Ezech. 18. 20. Qua de re alibi * in hoc opere agetur. Solent autem illi homines fere juſtitiam miſericordiæ opponere, & contrarios eis effectus tribuere; juſtitiæ quidem punire, miſericordiæ autem peccata condonare. Cùm ſacræ literæ non tantùm alteram alteri non opponant, ſed etiam remiſſionem peccatorum ac juſtificationem noſtram, aliaque miſericordiæ effecta, juſtitiæ divinæ adſcribant. Rom. 3. 25, 26. 1 Joh. 1 9. 2 Pet. 1. 1. Pſal. 31. 2: LXXI. 2, 19, & d. 24: LXXXIX. 17: CXLIII. 1. Nulla enim Dei actio, ſive puniat, ſive pœnam condonet, juſtitiâ vacare poteſt: licèt non ad quamvis actionem juſtitiæ vi impellatur: ſed ad illas tantùm, quæ ſine pravitate omitti non poſſent. Quales ſunt eæ, ad quas ſe aliqua ratione obſtrinxit. In quo numero eſt & remiſſio peccatorum reſipiſcentibus propoſita, & alia multa miſericordiæ effecta, quæ Deus vel ante Chriſtum, vel per Chriſtum demum hominibus promiſit.

Cap. XXVI.

De Beatitudine Dei.

POſtquam de perfectione tum intellectus divini, tum voluntatis propria diximus; ſequitur, ut de ea etiam loquamur, quæ ex omnibus, quæ hucuſque conſideravimus, Dei attributis neceſſariò reſultat. Ea verò eſt Beatitudo Dei. Dicitur autem Deus beatus ab Apoſtolo in priori ad Timotheum Epiſtola, primo & ultimo capite. 1 Tim. 1. 11: VI. 15, Primo quidem, dum Euangelium gloriæ ſeu glorioſum beati Dei commemorat; ultimo verò, dum ait, beatum illum ac ſolum Potentem, nempe Deum, oſtenſurum ſuis temporibus Chriſtum, ejúſve illuſtrem apparitionem. Utrobique autem ideo Deum hoc epitheto deſcribere videtur, ut eum non tantùm in ſeipſo beatum intelligamus, ſed etiam beatitatis noſtræ fontem eſſe cogitemus, quam in Euangelio quidem omnibus hominibus obtulit, in adventu autem Jeſu Chriſti piis reipſa largietur. Facilè verò cuivis patet, omnino neceſſarium eſſe, ut Deus ſit beatus. Etſi enim non inter omnes eruditos convenit, quanam in re beatitatis natura ſit collocanda; quamcunque tamen earum ſententiarum receperis, quæ non ſunt ab omnibus jamdudum exploſæ; agnoſcendum tibi erit, non modò beatum Deum, ſed & beatiſſimum eſſe. Sunt qui beatitudinem definiant, † ſecretis malis omnibus cumulatam bonorum omnium complexionem, ſeu ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum. Quamquam bona illa ſunt intelligenda omnia, quæ naturæ cuique intelligenti (in hanc enim ſolam beatitudo cadit) conveniant: ſiquidem alia Deo, alia angelis, alia hominibus conveniunt. Sunt rurſus alii, qui beatitatem in actione naturæ intelligentis optima ac perfectiſſima, eademque maximè ſtabili ac firma, putent conſiſtere. Sunt denique, qui in ea vitæ ſuavitate ſeu voluptate collocent,

* Vid. Volk. lib. 5. cap. 22. † Cic. Tuſcul. lib. 5. Boëth. 4. de Conſol. Philoſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quæ ſive ex cumulata bonorum aliorum complexione, ſive ex hujuſmodi actione, qualem modò diximus, naſcatur. Et harum quidem ſententiarum aliquam neceſſe eſt veriſſimam eſſe. Quamquam prima & ultima, quatenus hæc beatitatem in ea vitæ ſuavitate collocat, quæ ex cæterorum bonorum omnium complexione proficiſcatur, populari loquendi conſuetudini, quam ſacræ literæ ſequi ſolent, magis eſt conſentanea; nec altera ab altera multùm diſtat, ſed eódem tandem recidit. Sed quamcunque tandem harum ſententiarum admiſeris, neceſſe eſt, ut Deum beatiſſimum eſſe ſtatuas. Nam ſi primam ſpectes; & ab omni malorum contagione ſecretus eſt Deus; & bona ei adſunt omnia, quæ perfectiſſimæ naturæ intelligenti conveniant. Si alteram; actio intelligenti naturæ conveniens, primò quidem eſt intellectio ac contemplatio; tum actio inde manans, aut operis alicujus effectio. Et contemplatio quidem, quæ & in rebus diviniſſimis cernitur, & liquida claraque eſt, nec ullis errorum nebulis impedita, naturâ ſuâ inſpectâ, non immeritò principem obtinere locum cenſetur: licèt in humanis actio operíſve effectio neceſſitatis cauſſa illi non raro ſit prævertenda. Neque enim ſemper quæ per ſe omnium præſtantiſſima ſunt, tractare poſſumus: ſiquidem neceſſitas aliò nos vocat: pluribus autem ſimul intenti eſſe non poſſumus. At in Deo & perpetuò durare poteſt, duratque contemplatio, nec actione, operíſve effectione impeditur, verſaturque circa diviniſſima omnia. Quamquam nec aliorum cognitionem excludit, quæ vel ad operum effectionem, vel ad rerum procurationem ac gubernationem faciunt. Eadem autem liquidiſſima eſt ac clariſſima, omnique errore vacat. Si tertiam ex enumeratis ſententiis ſpectes, eâ quoque poſitâ Deum beatiſſimum eſſe, modò dicta evincunt. Siquidem vel ex infinito illo bonorum, quæ Deo inſunt, cumulo, vel ex actione illa præſtantiſſima, quam Deo propriam ac perpetuam eſſe diximus, perennem, nullaque vera dolorum admixtione perturbatam voluptatem manare neceſſe eſt. Jucundiſſimus illi ineſt ſui, ut ita dicam, ſenſus. Nihil ille in ſe, niſi valde bonum atque expetendum invenit; nihil etiam in actionibus ſuis reperit verè pœnitendum. Omnis ab illo abeſt mutationis in deterius metus; nullus illi timendus eſt hoſtis, qui ipſi nocere aut vim inferre queat: cum, quicunque ipſi adverſantur, toti in ipſius ſint manu, nec quicquam, niſi ipſo ſciente, cogitare, nihil, niſi illo permittente, facere, ac ne loco quidem movere ſe poſſunt; nedum ut Deo, cujus natura vim noxamque omnem repellit, nocere queant.

Neque verò dictis noſtris quicquam obſtat, quòd multa videat Deus fieri, quæ fieri nollet; quódque ſcriptura eum alicubi ob ſcelera hominum in corde ſuo contriſtatum eſſe, iratum autem ſæpiſſimè teſtetur; non ſemel etiam eum pœnituiſſe conſiliorum quorundam ſuorum referat; alicubi & metum quendam ei adſcribat, ut infrà docebimus, ubi de affectibus ipſi tributis agemus. Nam quominus illa, ut ita dicam, diſplicentia factorum humanorum, contra voluntatem ipſius ſuſceptorum, beatitudinem ipſius turbet, duo potiſſimùm obſtant: alterum eſt, quòd quicquid hujus eſt, ab immenſa bonorum in ipſo exiſtentium copiâ ac magnitudine obruatur, & non ſecùs ac gutta aquæ ingenti flammæ adſperſa, abſumatur atque evaneſcat. Alterum, quòd ea ipſa, quæ cæteroqui peſſima ſunt, & cum optima Dei voluntate maximè pugnantia, novit Deus ad nominis ſui gloriam, pro ſumma ſua ſapientia ac potentia, convertere. Itaque licet res ipſæ Deo per ſe ſint ingratæ ac minimè jucundæ; tamen ob finem, in quem ea dirigere ſemper & poteſt & ſolet, ejus, ut ita dicam, voluptati ſervire coguntur. Quòd verò & triſtitia, & ira, & pœnitentia, & metus in ſacris literis eidem adſcribuntur; tum improprietas vocibus ſubeſt, ut inferiùs cap 29, & ſeqq. dicetur; tum quicquid illis vocibus ſubeſt, quod cum earum proprietate conſentiat, id ejuſmodi eſt, ut beatitudinem perennemque Dei voluptatem non modò non intercipiat, aut abrumpat, ſed nec revera perturbet, ob cauſſas paulò antè explicatas. Quare ut breviter rem omnem complectamur; nihil quod ad ſummam perfectiſſimamque felicitatem pertineat, Deo deeſt. Siquidem tum mala ab eo abſunt omnia, nec quicquam ei revera nocere poteſt: tum ex adverſo bona ei adſunt immenſa, ſtabilia ac perpetua. Adde, quòd à nullo planè pendet, nullius opis, ut Apoſtolus in Actis docet, Actor. 17. 25, indigus: cùm ipſe potiùs omnibus omnia ſuppeditet. Quare verè αὐταρκὴς eſt, ac ſeipſo contentus, id quod beati tantùm eſſe, ſapientes docent; habetque in ſe illud, quod in beatiſſimo requiritur, ut, quemadmodum ille ait, * totus ſit aptus ex ſeſe, atque in ſe uno ſua ponat omnia.

His ita breviter explicatis, uſus hujus doctrinæ paucis itidem oſtendendus eſt; quanquam is per ſe facilè cuivis liquet. Nam primùm ad reverentiam numinis majorem in animis noſtris ſive excitandam, ſive fovendam facit, ſi eum beatiſſimum eſſe intelligamus. Minoris enim, quàm par eſt, à nobis fieret Deus, ſi eum miſerum vel jam eſſe, vel eſſe poſſe intelligeremus, & contemtibilior ipſius majeſtas in animis noſtris evaderet. Adde, quòd tantò majoris cogimur ipſius beneficia æſtimare, quantò rectiùs intelligimus, cum ſine nobis beatiſſimum & fuiſſe ſemper, & in omnem ævorum perennitatem eſſe potuiſſe, nullius externæ opis ad perfectiſſimam voluptatem indigum. Quin ex uberrimo illo, vel potiùs immenſo beatitudinis divinæ Oceano, omnem in nos felicitatem derivari; & quicquid nobis boni evenit, utut maximum ſit, & vota animi noſtri non impleat modò, ſed & ſuperet, id beatitudinis illius inexhauſtæ rivulum tantum eſſe in nos deductum.

Sed præterea conſideratione beatitatis divinæ ipſa beatitudinis noſtræ ſempiternæ ſpes fulcitur ac ſuſtentatur; quæ protinus concideret, niſi ipſummet Deum perpetuò felicem eſſe ac fore noſſemus. Quis enim ab eo, qui miſer ipſe eſſe poſſit, vel ſaltem non perpetuò felix, certam ſibi ac perennem felicitatem polliceri poſſit? Quare ut ab initio diximus, ideo Deum beatum eſſe prædicat Apoſtolus, ut inde & noſtræ eum beatitudinis fontem eſſe, vel eſſe ſaltem poſſe, intelligamus.

Cap. XXVII.

De Magnitudine, Immenſitate, & Omnipræſentia Dei.

SUbjungenda nunc eſt doctrina de magnitudine, atque immenſitate, Deo in ſacris literis attributa, quæ ex attributis ſuperiùs explicatis, atque imprimis ex potentia, poteſtate atque imperio, ac ſapientia, veluti reſultat, & ſummam tum ipſorum, tum operum ab illis profectorum amplitudinem ac perfectionem deſignat: quemadmodum patebit, ſi eos ſacrarum literarum locos aliquantò penitiùs inſpicias, quibus magnitudo, aut immenſitas Deo tribuitur. Et quia cum immenſitate aliquo modo cohæret omnipræſentia eidem tributa, de hac etiam nonnihil dicemus.

Quod ergo ad magnitudinem attinet; ea Deo ſat frequenter in ſacris literis adſcribitur. Paſſim enim magnus appellatur, ſive ſimpliciter, ſive comparatè, 1 Paral. 16. 23: Eſd. 5. 8: Job. 36. 26, & alibi ſæpè. ut cùm magnus ſupra omnes Deos dicitur; Exod. 18. 11: 2 Par. 2. 5: Pſal. 77. 14. aut cum adjectione aliqua, ut cùm magnus Rex, aut Deus vocatur; Pſal. 47. 3. aut cùm genus illius magnitudinis exprimitur, & qua in re cernatur, apertè indicatur. Deut. 7. 21: x. 17. Dicitur enim apud Nahumum cap. 1. 3 magnus *fortitudine* ſive *potentiâ*; quod etiam apud Jobum cap. 37. 23 extat, ubi ſimul vocatur *magnus judicio, ac multitudine juſtitiæ*: apud Jeremiam cap. 32. 19, autem *magnus conſilio, & multus* (ſive excellens) *opere*; in quo poſteriore magnitudo potentiæ ipſius comprehenditur. Etenim magnitudinis vox ad Deum relata, ex vulgari loquendi

* Cic. in Paradox.

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conſuetudine, eminentiam ſeu excellentiam ſignificat, & eam maximè, quæ vel in imperio, vel in potentia, & operibus inde profectis, conſiſtit. Deut 7.21: x. 17. 1 Par. 16.25. Neh. 1.5: IV. 14. Pſal. 47. 3: LXXXIX. 8. Dan. 9.4. Ob quam poſteriorem cauſſam libenter in eodem verborum contextu Deus magnus ſimul & terribilis dicitur. Eſt enim Deus terribilis potentiâ atque opere, præſertim ſi iratus vindictam ſumere velit. Siquidem David ait Pſal. 66. 3: *Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua, Domine: in multitudine virtutis tuæ* (ſeu *magnitudine potentiæ tuæ*) *mentientur* (hoc eſt, blandientur, & quaſi adulabuntur) *tibi inimici tui.* & iterum ibid. ℣. 5: *Venite & videte opera Dei: terribilis in conſiliis ſuis* (Hebr. *opere*) *ſuper filios hominum.* Nonnunquam autem & magnus & potens & terribilis ſimul appellatur, vel ut potentiæ voce magnitudo explicetur, vel ut hujus adjectione illa amplificetur, & magis inculcetur. Deut. 10. 17: Nehem. 9. 32. Eccleſ. 43. 31. Mitto alia, quibus itidem ſignificatur, magnitudinem Dei ad potentiam ipſius potiſſimùm referri.

Eſt autem hæc Dei magnitudo, ut ex iis intelligi poteſt, quæ de potentia ac poteſtate Dei, itemque de Sapientia ejus dicta ſunt, infinita, & incomprehenſibilis. Unde Pſaltes ait, Pſal. 145. 3: *Magnus Dominus & laudabilis nimis* (Hebr. *valde*:) *& magnitudinis ejus non eſt finis* (Hebr. *inveſtigatio,*) De magnitudine autem potentiæ, & operum admirabilium ab eo perfectorum Pſalten loqui, ſatis indicant ſequentia, ubi magnitudinem illam laudare pergit, & aliqua ratione explicat: *Generatio,* inquit, *& generatio laudabit* (Hebr. *Generatio generationi narrabit*) *opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt: magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur,* (Hebr. *decorem gloriæ magnificentiæ tuæ loquar,*) *& mirabilia tua narrabunt: & virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* quibus verbis & illa, quæ paulò inferiùs leguntur, aliquo modo reſpondent, cùm ait: *Gloriam regni tui dicent* (*Sancti tui,*) *& potentiam tuam loquentur.* Huc etiam reſpicitur Pſalmo ultimo, ℣. 2, cùm *multitudo magnitudinis* Deo tribuitur, & nos, prout illâ dignum eſt, Deum laudare jubemur. Poſſis ad hanc Dei immenſitatem jure etiam referre illa Jobi verba, quanquam de ſapientia Dei, quam perfectionem appellat, prolata, quæ quidem ita in Hebræo leguntur Job. XI. ℣. 7, 8, 9: *Num inveſtigationem Dei invenies? an uſque ad perfectionem omnipotentis invenies? altitudinibus cœli quid facies? profundior eſt inferno, quomodo cognoſces? longior eſt terrâ menſura ejus, & latior mari.* Non de ipſo autem Deo, ſed de re in ipſo exiſtente ſermonem eſſe, nomina & particulæ affixæ fœminini generis in Hebræo indicant. Dicitur enim *profunda* ab inferno, ſeu præ inferno, & *lata* à mari, ſeu præ mari; & cùm menſura ejus commemoratur, particula *ejus* itidem eſt fœminini generis.

Spectatur autem hæc immenſitas magnitudinis divinæ, partim in perfectione, ratione habita gradûs, partim in amplitudine ratione objectorum; quarum illam intenſivam licet appellare, hanc extenſivam. Atque hæc poſterior omni præſentiam illam in ſe complectitur, aut ex ſe parit, quæ Deo in ſacris literis tribuitur. Quia enim Dei & potentia & ſapientia ad res omnes extenditur, uti & poteſtas ſive imperium; ideò ubique præſens, omniaque numine ſuo complere dicitur. Nam cum in humanis inſpectio non niſi à præſente homine fieri ſoleat, & agentia cum illis, in quæ agunt, aliquo modo jungi neceſſe ſit; inde fit, ut verbis ab homine ad Deum tranſlatis, quæ Deus inſpicit, curat, & circa quæ actio ejus verſatur, illis adeſſe dicatur: quemadmodum & venire, vid. Pſal. 80. 3: XCVI. 13: XCVIII. 9: CI. 2: Eſa. 3. 14: XXX. 27: XXXV. 4: XXXVI. 17: XL. 10, & alibi, cùm ad opus aliquod, præſertim illuſtre, inter homines perficiendum veluti accedit. Maximè autem illis adeſſe rebus dicitur Deus, quas fovet, ſuſtentat, ac juvat. Hinc orti ſunt diverſi illi præſentiæ divinæ gradus, qui etiam vulgò ab iis explicantur, qui de Deo agunt. Nam generali ſua providentia omnibus adeſt rebus à ſe creatis; & in his inferioribus inprimis homini, qui & cæteris rebus eſt præſtantior, & majori indiget cura atque ope, ac majori quodammodo ſapientia gubernandus eſt. Deinde inter homines ſpecialiori & inſigniori quadam ratione adeſt populo ſuo, & inprimis iis, qui ſunt verè pii: Levit. 26. 11, 12: Deut. 23. 14: 2 Cor. 6. 16: Gen. 26. 3: XXXIX. 2, 3, 21, 23: Pſal. 145. 18: Eſa. 55. 6: adeò ut ad hunc tam perfectum præſentiæ divinæ modum habito reſpectu, impiis atque à ſe alienis non adeſſe, aut eos, ſi aliquando adfuerit, deſeruiſſe dicatur. Num. 14. 22: Joſ. 7. 12: 1 Sam. 26. 15: 2 Paral. 25. 5. Quamquam & à piis rogatur, ne ab ipſis diſcedat. Quin etiam cùm illis præſentem opem non fert, ſed in calamitates aliquas eos vel incidere, vel in iis hærere diutiùs patitur, receſſiſſe ab iis Deus, eóſque dereliquiſſe nonnunquam dicitur. Pſal. 22. 12: XXXV. 22: XXXVIII. 22. Quo pacto & homines dicuntur aliis aſſiſtere, aut contrà eos deſerere, cùm vel opem illis ferunt, vel ferre nolunt. Pſal. 10. 1: XXII. 1: Matth. 27. 46. Itaque & hîc iterum diverſi ſunt præſentiæ divinæ gradus aut modi, quorum alii latiùs patent, alii anguſtiùs, & alii alios præſtantiâ ſuperant. Inter cæteros autem, qui piis hominibus mortalem hîc vitam agentibus vel eſt, vel eſſe poteſt communis, is eſt omnium præſtantiſſimus, cùm per Spiritum ſanctum in quopiam habitat, & cum eo, ut pater cum filio, intimo charitatis affectu jungitur, de quo ſacræ literæ non uno loco diſſerunt. 1 Cor. 3. 16: XIV. 25: Eph. 2. 22: IV. 6: 1 Joh. 3. 24: & c. 4. 13. Denique perfectiſſima ratione Deus Chriſto ipſi olim adfuit, & in ipſo, licèt in terris degente, habitavit; de quo præſentiæ gradu loquitur Chriſtus, cùm ait, Patrem in ſe, & ſe in Patre eſſe, idque ex operibus ſuis ac dictis vult agnoſci. Qua de re vide Johannem cap. 10. 38: XIV. 10, 12, adde etiam verba Petri Act. 2. 22, 24: & 10. 38. Neque enim nunc vel locus eſt, vel animus iſta explicandi; quæ ideò tantùm attigimus, ut quæ de generali illo præſentiæ divinæ modo, & omnibus rebus creatis communi diximus, tantò faciliùs intelligerentur. De generali autem illo divinæ præſentiæ modo loquitur David loco ſuperiùs citato, cùm de Omniſcientia divina ageremus, qui quidem extat Pſalmo 139. ℣. 7, & d, illic inprimis, ubi ait: *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumſero alas auroræ, & habitavero in extremis maris, etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* In quibus Dei tum ſcientia, tum efficacia, quam ſpiritûs manûs, & dexteræ nomine complectitur, nullo loco excludi, ſed ad omnia penetrare ac pertingere dicitur. Quò docuimus etiam illa Dei apud Jeremiam cap. 23. 24, verba pertinere, quibus aſſerit, *ſe cœlum & terram implere.* Quemadmodum & alii viri * doctiſſimi animadverterunt, qui voluerunt illa, ſive Davidis, ſive Jeremiæ verba, de infinitate eſſentiæ divinæ, & per loca reſque omnes diffuſione accipi. Alii, licet hoc etiam fieri poſſe crediderint, ita tamen, ut modò diximus, accipi poſſe ſtatuerunt. In qua ſententia non poſtremi nominis Scholaſtici fuerunt. De eſſentiæ autem divinæ per omnia diffuſione Jeremiæ verba non loqui, illa ſunt indicio, quæ ibidem præcedunt: *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè?* quibus verbis docet, ſe non eſſe ejuſmodi Deum, qui è vicino tantùm cernere, aut operari, & vel juvare, vel punire queat; ſed talem, qui è longinquo etiam omnia præſtare poſſit. Quæ oratio ejus non eſt, qui ſignificare vult, ſe eſſentiæ ac perſonæ ſuæ ratione habita omnibus rebus præſentem adeſſe. Idem autem, quod duobus illis ſcripturæ locis intelligi diximus, ſignificat & Salomon, cùm ita Deum alloquitur: 3 Reg. 8. 17: *Ergóne putandum eſt verè,* (Hebr. *verúmne eſt,*) *quòd Deus habitet ſuper terram? Ecce cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* ſcilicet te non capiet. De immenſitate nimirum Dei, ratione efficaciæ, ſcientiæ, ac providentiæ loquitur. Nam cum templum id demum ſit, in quo numen habitet, ſaltem virtute ac providentiâ ſuâ, quâ

* Auguſt. Steuchus, Joh. Calvinus, Mart. Bucerus, Phil. Marnixius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fiat, ut iſtic ſeſe adorantes benignè reſpiciat, & opem ſuam implorantes exaudiat; videri poterat Salomon, extructo templo, in quo uno Deus optimus maximus perpetuò ſolennibus ritibus colendus eſſet, ejus virtutem & providentiam ei loco quodammodo includere voluiſſe. Itaque ut huic rei occurrat, & longè auguſtiùs ſe de Deo ſentire doceat, affirmat, eum, ratione nimirum virtutis ac providentiæ, ne ab ampliſſimis quidem cœlorum omnium ſpaciis comprehendi, nedum ut ejus, quod extruxerat, templi anguſtiis concludi poſſit. Interim tamen peculiari quadam ratione eum templo illi cupit eſſe intentum, & in eo ſingularem providentiæ ſuæ vim exſerere, ut ex ſequentibus intelligitur. Non longè ab his abeunt illa Dei apud Eſaiam verba: Eſa. 66. 1: *Cœlum ſedes mea*, (ſeu *ſolium meum*,) *terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ?* Ut enim magnitudinem atque amplitudinem potentiæ, imperii, & providentiæ ſuæ exprimat, quâ in cœlis reſidens, etiam ad terrena pertingat, ſibi tantam ſtaturæ molem per metaphoram tribuit, ut in cœlis tanquam ſolio ſedens, pedibus terram ſibi ſubjectam contingat. Regibus longas dicimus eſſe manus, quia illorum potentia longè protendatur. Non abſimili ratione ſtaturam corporis tam grandem, atque adeò immenſam ſibi tribuit Deus. Quia verò in cœlo reſidere paſſim dicitur, cui terra & loci & dignitatis ratione ſubjecta eſt; ut ad hanc etiam ſuam potentiam, imperium, ac providentiam protendi oſtendat, eam ſcabellum vocat, ad quod pedes ipſius porrigantur, & cui veluti inſiſtant. Ad hæc loquendi genera referendum eſt & illud Chriſti apud Matthæum, cùm dicit, Matth. 6. conf. ℣. 4, 6, 18, *Patrem noſtrum eſſe in abſcondito*, per *abſconditum* intelligens occultum, in quo oremus, locum. Pro eodem enim ſumit, *eſſe in abſcondito*, & *videre in abſcondito*, ut ex verborum inter ſe collatione apparet. Nec mirum; cùm eadem ſcriptura & de hominibus dicat, vel ipſos, vel ipſorum cor aut ſpiritum ibi eſſe, quò vel animo tantùm ac cogitatione reſpiciunt, vel eorum pertingit notitia. Sic in eodem apud Matthæum loco paulò pòſt ℣. 21, ait Chriſtus: *ubi eſt theſaurus tuus* (Gr. *veſter*,) *ibi eſt & cor tuum* (Gr. *veſtrum*.) Et Eliſæus olim, qui viderat ſpiritu Prophetico abſens, quid inter ſervum ipſius & Naämanum actum eſſet, ait: 4 Reg. 5. 16: *Nónne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui?* Idem autem ſenſus eſt verborum Hebræorum: *nónne cor meum ivit*, ſcilicet *tecum?* Sic & Paulus ait, 1 Cor. 5. 3, 4, ſe Corinthiis præſentem eſſe ſpiritu, & congregatum iri cum Corinthiis ſpiritum ſuum ſignificat. Similiter & ſpiritu Coloſſenſibus ſe adeſſe ait, Col. 2. 5, gaudentem & videntem (ſeu cum gaudio videntem) ordinem ipſorum, & firmamentum ejus, quæ ſit in Chriſto, fidei ipſorum. At longè rectiùs id de Deo dicitur, qui perfectiſſima ratione omnia, perſpicaci ſimul & efficaci ſua providentia pervadit, & in occultiſſima quæque penetrat. De hac denique præſentia divina, quæ divina ipſius virtute ac providentiâ continetur, loquitur & Paulus in Actis, cùm ait: *Deum non longè eſſe ab unoquoque noſtrûm. In ipſo enim*, inquit, *vivimus, & movemur, & ſumus. In ipſo* autem idem eſt hoc loco, quod per ipſum, ſeu ipſius efficaciâ, curâ, providentiâ. Indicant id ſequentia, quæ probationis cauſſa ſubjiciuntur: *ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus*, hoc eſt, à Deo originem trahimus, generiſque noſtri ortum ducimus. Quæ verba non docent, nos in ſubſtantiæ divinæ, ut ita dicam, amplitudine nos undique amplectente, moveri, vivere, & eſſe; ſed ejus virtute atque efficaciâ & extitiſſe, & porrò vitam ac movendi facultatem habere, ac tanquam prolem quandam ipſius, ejuſdem curâ ac providentiâ perpetuò foveri.

Hæc Dei immenſitas atque omnipræſentia ut omnium confeſſione eſt certiſſima, & ſacris literis teſtatiſſima: ita nobis creditu utiliſſima, & maximè neceſſaria: quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ ſuprà de omniſcientia Dei, itemque de omnipotentia, & infinita imperii ipſius amplitudine diximus. Nam & metum numinis quovis loco præſentis nobis ingenerat, & porrò ab omni peccato, quo ipſius oculos offendere poſſemus, nos avocat; & fiduciam noſtram, quam in ipſo collocavimus, fulcit ac ſuſtentat: ſiquidem ejus potentiam ac providentiam nuſpiam nobis deeſſe, nullam loci diſtantiam ipſius auxilium excludere, nec quicquam mali, niſi ipſo ſciente ac volente, ac ſimul etiam moderante, nobis contingere poſſe ſciamus. Ejus autem eſſentiam in quovis pulviſculo atque atomo totam latere, ac in locis quibuſvis ſpurciſſimis non minùs, quàm in auguſtiſſimo cœlorum domicilio extare, & porrò obſcœniſſimis etiam atque impuriſſimis actionibus planè mediam intervenire, & cum iis rebus intimè jungi, à quibus vel cogitatio abhorret; id de Deo ſanctiſſimo atque auguſtiſſimo omnino ſentiendum eſſe, & ſine certiſſima ſalutis jactura ignorari non poſſe, nondum ex ſacris literis diſcere potuimus. Nec eſt credibile, hoc eum de ſe credi juſſiſſe, qui olim ex Iſraëlitarum caſtris, quicquid fœdum eſſet, amoveri, & abſcondi præcipit, hac addita ratione: Num. 5: 2, 3. Deut. 23. 10: *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum tuorum, ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos.* ib. ℣. 14: *Sint itaque caſtra tua ſancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Ut taceam, eum aliàs quoque, cùm in angelis, aut per angelos apparuit, locum re impura ne contingi quidem voluiſſe. Exod. 3. 5, & d. XIX. 10, & d. Joſ. 5. 16. Quò minùs credibile eſt, glorioſiſſimam ipſius ſubſtantiam in medio impuriſſimarum rerum ac ſordium latere. Itaque ignoſcendum ſaltem iis eſt, qui ob ſummam Dei majeſtatem, ac venerationem numinis illius, iſta de eo cogitare non audent, & malunt ſimpliciùs, quàm à plæriſque Theologis fieri ſolet, & vulgari loquendi conſuetudini accommodatiùs accipere & credere id, quod toties tamque apertè inculcant ſacræ literæ: nempe Deum in cœlo, in alto, in excelſis eſſe aut habitare, Job. 16. 19: Pſal. 2. 4: CXIII. 6: CXV. 3: CXXIII. 1: Eccleſ. 5. 1: Dan. 2. 28: Matth. 5. 16, 45: VI. 1, 9: VII. 11, 21, & alibi ſæpè: Luc. 2. 14: XIX. 38. cœlum ipſius eſſe habitaculum, ſedem, domum; Deut. 26. 15: 3 Reg. 8. 30, 39, 43, 49: Pſal. 33. 14: CIII. 19: Eſai. 63. 15: LXVI. 1: Matth. 5. 34: XXIII. 22: Joh. 14. 2. è cœlo illum attendere, exaudire, reſpicere, dict. ll. Deuter. 26: 3 Reg. 8: ſæpius. Eſai. 63: 2 Paral. 7. 14: Pſal. 20. 7: LVII. 4: LXXX. 15: CII. 20: Thren. 3. 50. proſpicere ſuper filios hominum; Pſa. 14. ℣. 2: XXXIII. 13: CXIII. 6. eum inacceſſam lucem inhabitare; 1 Tim. 6. 16. in templis manufactis non habitare, 3 Reg. 8. 27: Eſai. 66. 1: Actor. 7. 49: XVII. 24. & ſi quæ ſunt his ſimilia, quibus habitaculi, & loci (nam & hac voce utuntur ſacri ſcriptores de Deo loquentes) 3 Reg. 8. 30, 39, 43, 49: Eſai. 18. 4: XXVI. 21: Oſe. 5. 15: Bar. 3. 24, 25. diſtantia ſignificatur, quâ Deus ab hominibus diſtinguatur. Pſal. 115. 16: Eccleſ. 5. 1: Eſai. 40. 22. Tantò autem minùs iſta ſententiæ ſimplicitas damnanda eſt, quòd ipſa quodammodo natura omnes terrarum populos monere videatur, ut in cœlis Deum quærant, aut eſſe intelligant, cum ipſi etiam barbari orantes in cœlum oculos, aut etiam manus attollant; quod idem & Davidem, & Salomonem, & alios, & ipſum denique Chriſtum feciſſe legimus. Pſal. 123. 1: 3 Reg. 8. 22, 54: Thren. 3. 41: Luc. 9. 16: Joh. 17. 1: vide etiam libros Macchab. paſſim. Unde & Hebræi veteres, & Philoſophi plærique, certè præſtantiſſimi, in cœlo Deum locarunt; quòd iſtic digniſſima Deo ſit ſedes, & locus incorruptibilitatis, quemadmodum viri * quidam doctiſſimi teſtimoniis eorum prolatis docuerunt; qui iidem ex Chriſtianorum quoque tum veterum, tum recentium ſcriptis ea collegerunt dicta, quæ vulgarem ſententiam de diffuſione eſſentiæ divinæ per res univerſas, vel penitùs refellunt, vel non parùm labefactant: quin & contradictiones varias, quæ in vulgari dogmate lateant, oſtenderunt. Primùm Deum infinitum eſſe, & nihilominus in minimo quovis

* Vid. Conradi Vorſtii Appendices ad 1. partem Reſponſ. ad Matth. Sladum: & Apolog. Exegeſ. cap. 16, & ſeqq.

pulviſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pulviſculo, aut ſpacio, quod oculorum etiam noſtrorum aciem fugiat, totum conſiſtere, totumq́ue puncti inſtar eſſe. Deinde Deum eidem rei ſimul & æqualem & inæqualem, infinities majorem, & minorem eſſe. Æqualem; quia in toto aliquo corpore ita exiſtat, ut nulla ſit ejus corporis pars, quæ Deo plena non ſit; nec viciſſim quicquam ſit eſſentiæ divinæ, quod in eo corpore non ſit. Hoc autem non eſſe niſi æqualium. Infinities rurſus majorem eſſe; quia ſit infinitus. Infinitum enim quovis finito infinities majus eſt. Minorem denique, quia in atomo etiam totus conſiſtat, & in minima quavis corporis particula, cujuſmodi vel innumeræ in eodem toto contineri poſſunt. Addi poteſt, Deum ſeipſo etiam fore & infinities majorem & minorem, & nihilominus æqualem: quia & totus in re minima exiſtat, & nihilominus ultra rem quamvis in infinitum pateat, & ſic ſeipſum totum infinities in ſe contineat. Æqualem nihilominus ſibi ipſi eſſe; ſiquidem idem ſeipſo nec majus nec minus eodem tempore eſſe poſſit. Ad hæc, Deum reſpectu ejuſdem planè rei, & ſecundùm eandem rei cujuſvis partem, totum extrà & intrà, ſuprà & infrà, antè & pòſt, ad dextram & ad ſiniſtram eſſe; imò non tantùm reſpectu aliarum rerum, verùm etiam reſpectu ſui ipſius: quæ omnia cùm oppoſita ſint, tacitam contradictionem in ſe continent. Præterea omnia corpora, licèt extra ſe invicem poſita, ac longiſſimè à ſe mutuò diſtantia, ſecundùm omnes tamen partes ſimul juncta eſſe. Jungentur enim ſecundùm omnes partes Deo indiviſibili: ac porrò etiam inter ſe jungentur ſecundùm omnes partes, ubicunq́ue illa res indiviſibilis exiſtit. Quæ enim eidem ſecundùm idem junguntur, etiam inter ſe junguntur. Quæ autem Deo junguntur, ſecundùm idem ei jungi neceſſe eſt, non ſecundùm diverſa membra ſeu partes. Siquidem tota toti jungantur. Hæc & alia ſi quis conciliare non poſſit, nec ab aliis conciliari poſſe credat; num tanquam impius damnabitur, utut cæteroqui Dei numen nuſpiam abeſſe credat, & ſe in ejus oculis perpetuò verſari, in ipſius manibus totum eſſe poſitum, firmiter ſibi perſuadeat, eaq́ue de cauſa ipſi confidat, eum reverentur colat, ei placere in omnibus ſtudeat? Qui hunc damnare auſit, is nondum ſe Deum & Chriſtum ſatis noſſe oſtenderit. Sed pergamus ad alia.

Cap. XXVIII.

De Benignitate ac Clementia Dei, & huic oppoſita Severitate.

VEniendum nunc eſt, ex ordine ſuperiùs cap. 24, conſtituto, ad illa Dei attributa, quæ ad Sapientiæ ac Sanctitatis normam ſeſe veluti attemperant; & primò quidem ad ea, quæ habituum nomina ſortiuntur, licet interdum & affectuum appellationes illis accommodentur. Ea verò ſunt, Benignitas, & quæ illius ambitu continetur, Clementia, & huic oppoſita Severitas. De quibus hoc capite ſimul agemus; quia oppoſita ſibi invicem lucis aliquid afferunt; nec facilè cognoſci poteſt, quouſque clementia extendatur, niſi cognoſcatur, qui ſint ſeveritatis veluti cancelli ac fines, intra quos ſeſe contineat; & contrà.

Quod ergo ad benignitatem attinet; ea in ſac. literis crebrò admodum Bonitatis nomine appellatur: atque adeò, licet alicubi ſanctitas quoque Dei, nomine bonitatis comprehendi queat; jurè tamen affirmari poteſt, ubicunque Deus in ſacris literis bonus prædicatur, benignitatem ejus comprehendi, frequentiùs ſolam deſignari: quamvis ea interim ſanctitatem veluti præſupponat. Nam nec verè benignus eſſe poſſet, niſi ſimul eſſet juſtus ac rectus. Hinc illud ſolenne in ſacris literis, ac præcipuè in Pſalmis: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſecula miſericordia ejus.* 1 Par. 16. 34. 2 Par. 7. 3. 1 Eſd. 3. 11. Pſal. 106. 1: CVII. 1: CXVIII. & alibi. vid. etiam 25. 7, & d. 34. 9. Ubi poſteriora verba explicatio ſunt priorum. Ex quibus illud quoque intelligitur, etiam Miſericordiæ nomine hoc Dei attributum venire. Licèt enim miſericordia affectûs ſit nomen; ſæpè tamen pro ipſa benignitate ſeu beneficentia ſumitur, ſive de Deo, ſive de hominibus efferatur, & non certum aliquem miſerendi actum, ſed potiùs miſerendi conſuetudinem conſtantemq́ue voluntatem ſignificat. Unde Deus miſericors eſſe dicitur, ejuſq́ue exemplo & nos miſericordes eſſe jubemur. Luc. 6. 36. Miſericors autem non dicitur, qui tantùm ſemel atque iterum miſeretur; ſed qui facile, qui frequenter conſtanterq́ue miſeretur. Licet autem ſuâ naturâ paulò anguſtius eſſe videatur miſericordiæ, quàm benignitatis nomen: quandoquidem miſericordia propriè exercetur erga miſeros atque afflictos tantùm, uti & nomen ipſum indicat; benignitas autem exerceri poteſt etiam erga eos, qui miſeri non ſunt, modò beneficii adhuc alicujus ſint capaces: tamen nonnunquam ita latè videtur extendi miſericordiæ vox, & univerſam benignitatem ambitu ſuo comprehendat. Hoc ſanè modò accipiendum videtur illud Pſalmi, Pſ. 145. 9, *Suavis* (vel, ut eſt in Hebræo, *bonus*) *Dominus univerſis, & miſerationis* (ſeu *miſericordiæ*) *ejus ſuper omnia opera ejus*, hoc eſt, Deus miſericordiam exerçet in omnia ſua opera, réſve omnes à ſe creatas. Ubi itidem poſteriora verba ſunt epexegeſis quædam priorum, & per miſericordias Domini, bonitas ſeu benignitas ejus explicatur. Similiter autem, & Gratiæ nomine Dei beneficentia deſignatur; vel ſaltem nihil impedit, quominus eo nomine, cùm Deo tribuitur, creberrimè intelligatur, & tunc quidem inprimis, cùm Deus Hebraicè Chanum, Exod. 22. 27: XXXIV. 6, 10. Neh. 9. 27. Pſal. 86. 15: CIII. 8: & alibi. q. d. gratioſus, &, ut nonnulli vocem vertunt, gratificus vocatur. Quia nimirum ad gratiam, favorem, ac benevolentiam hominibus præſtandam ſit valde propenſus, atque adeò eam libenter facileq́ue præſtet. Licet aliàs gratia quoque affectum propriè ſignificet. De quo genere divinorum attributorum capp. ſeqq. agetur. Vidimus ſuprà cap. 25, & Juſtitiæ & Veritatis nomine benignitatem appellari aut comprehendi. Sed de nominibus ſatis.

Quod ad rem ipſam attinet, Benignitas Deo in ſacris literis attributa, voluntaria eſt ad benefaciendum propenſio, ſeu conſtans benefaciendi voluntas, ac conſuetudo. Non ſemel enim, cùm Dei beneficentia, quocunque tandem dictorum nominum elata, commemoratur, non ſolùm ad benefaciendum propenſio, ſed & ipſa benefaciendi conſuetudo ſignificatur. Voluntariam autem propenſionem eſſe diximus: quia ea demum beneficentia vera eſt, ad quam non neceſſitas adigit, ſed quæ libera voluntate ſuſcipitur. Itaque licet benignitas naturæ divinæ admodum ſit conſentanea, eâque digniſſima: non támen ſimplici atque immutabili neceſſitate ei eſt alligata. Alioqui non poſſet non Deus benignè agere: nec unquam ira ac ſeveritas, quæ bonitati ſeu benignitati ejus apertè in ſacris literis opponitur, in illum caderet, aut in ullo ejus opere cerneretur. Neque enim naturalibus Dei proprietatibus quicquam poteſt in Deum cadere contrarium, aut in ullo ejus opere cerni. Sic cum ſapiens naturâ ſit Deus, nec inſipientia in illum cadere, aut inſipienter quicquam agere poteſt: cùm naturâ ſanctus juſtúſque, nulla impuritas, nullum injuſtitiæ genus in ipſo extare, aut in ullo ipſius opere verſari poteſt. Quòd ſi nonnulla, quæ benignitati repugnant, in eum nullo modo cadere poſſunt, ut invidia, crudelitas, ἐπιχαιρεκακία, ſeu lætitia ex innocentium malis profecta; non ideò non cadunt, quia cum beneficentia ſola pugnent; ſed quia ſimul cum ſanctitate. Sic quòd credentibus in Chriſtum non poteſt non dare vitam æternam; id propterea fit, quòd fides ac juſtitia ipſius poſtulet: quanquam ut ea id poſtularet, ex benignitate divina primò fuit profectum. Etſi autem voluntaria eſt hæc De benignitas, ac liberè ab ipſo ſuſcepta; conſtans tamen eſt: tum quia eâ frequentiùs libentiuſq́ue utitur Deus, quàm ira ac ſeveritate: unde longanimis, ſeu tardus ad iram, ſed multæ miſerationis eſſe prædicatur: Exod. 34. 6. Neh. 9. 17: Pſal. 86. 15: CIII. 8: CXLV. 8. Joël. 2. 13: Jon. 4. 2; tum quia, cùm ſemel aliquem benigni-

tate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tate proſequi inſtituit, eâ illum proſequi non deſinit, niſi is ſeipſum eâ indignum reddat.

Patet autem Dei benignitas latiſſimè, atque adeò in res omnes ſenſu aliquo præditas ſeſe diffundit. Siquidem, ut ſuprà vidimus, *miſericordiæ Domini ſuper omnia ejus opera* eſſe dicuntur à Pſalte, Pſal. 145. 9, qui aliquot locis inſignem ejus, tum in homines, tum in brutas animantes beneficentiam celebrat. *Tu* enim, inquit, Pſal. 36. 7, Deum alloquens, *homines & jumenta ſalvabis*, hoc eſt, conſervas, alis, tueris. Et Pſal. 145. 16: *tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*, ſeu *pro benigna tua voluntate*. vid. & Pſal. 104. 11, & d. Veruntamen præcipua in homines (ut de rebus inferioribus nunc tantùm loquamur) extat Dei benignitas, atque ad iis benefaciendum propenſio. Unde eam etiam peculiari φιλανθρωπίας nomine alicubi deſignat Apoſtolus. Tit. 3. 4. Neque enim ibi φιλανθρωπία ſimplicem quandam humanitatem ſeu comitatem ſignificat, ut aliàs apud Græcos ſolet, ſed vim majorem, & naturæ ſuæ propiorem habet. Significat autem propriè, ut notum eſt, amorem ſeu charitatem erga homines. Etiamſi autem amor affectus ſit, ac porrò φιλανθρωπία ad illud attributorum genus referendum videatur, quæ affectuum inſtar Deo inſunt: tamen quia conſtantem Dei erga homines benevolentiam, atque ad benefaciendum promtitudinem ſignificat, habitus cujuſdam inſtar eſt, & idem reipſa cum beneficentia, ſed ad certum objecti genus, nempe homines, reſtricta. Quanta autem illa ſit, quamque perfecta, ſatis explicuit Paulus eo ipſo, quo vocem illam de Deo uſurpavit, loco. Verum enim verò licèt benignus ſit Deus erga univerſos homines, atque adeò etiam erga malos, ut præter ſacras literas d. l. Pſal. 145. 9. Luc. 6. 35, etiam ipſa teſtatur experientia: nominatim tamen bonus ſeu benignus in pios ac fideles eſſe prædicatur: Pſal. 73. 1. Thren. 3. 25, non quòd in cæteros planè non ſit, ſed quòd in illos maximè. Nam & longè majora in pios, quàm in impios, conferre ſolet beneficia, ſi non terrena & ad corpus ſpectantia, ſaltem ſpiritualia & cœleſtia: & longè conſtantiùs illis, quàm his, benefacit. Nam impios, cùm ipſius benignitate ad frugem adduci ſe non patiuntur, tandem omnibus ſuis beneficiis excluſos, graviſſimè punit, & à facie ſua in æternum abjicit. Pios autem amare nunquam deſinit, eoſque poſt mortem etiam novit, nominibus ipſorum in vitæ librum relatis. Unde meritò ſacræ literæ, Rom. XI. 28, Deum bonitate in fideles, ſeveritate in infideles ac contumaces uti aſſerunt.

Ex dictis autem jam aliqua ex parte proprietates benignitatis divinæ apparent. Eſt enim ea primùm ampliſſima: cum ad omnes res creatas beneficii alicujus capaces, quales ſunt res ſenſu præditæ, extendatur; & reſpectu hominum ita univerſalis, ut nemo, niſi peccatis ſuis id fuerit commeritus, ab ea excludatur; & plærique non protinus, ſed diu tolerati, diu ad frugem vocati. Deinde & uberrima eſt: cum maxima donorum copia ſemper ab ea promanet. Ubertatem hanc divinæ benignitatis, cum ejus amplitudine conjunctam, tum alibi prædicat ſcriptura, tum Pſaltes non ſemel prædicat, atque inter alia pſalmo ſuprà notato 36. ℣. 6, & deinceps. ubi licet etiam *veritatis* ac *juſtitiæ* faciat mentionem; tamen & illis vocibus benignitatem aliqua ratione comprehendit. Quandoquidem fidem illam deſignat, quâ Deus promiſſa ſua, & quicquid illis eſt conſentaneum, præſtat, qua in re & benignitas ejus continetur. Adde, quòd, ut ſuprà c. 25 docuimus, & juſtitiæ vox beneficentiam nonnunquam denotat, & veritas ſinceram benevolentiam. Ita ergo ait: *Domine in cœlo* (ſeu *uſque ad cœlos*) *miſericordia tua, & veritas tua uſque ad nubes. Juſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa. Homines & jumenta ſalvabis*, (ſeu *ſervare ſoles*,) *filii autem* (Hebr. *& filii*) *hominum in tegmine* (Hebr. *umbrâ*) *alarum tuarum ſperabunt. Inebriantur ab ubertate* (Hebr. *pinguedine*) *domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* q. d. tanta eſt tua benignitas, tanta fides, quâ promiſſa tua, quæque iis ſunt conſentanea, præſtas, ut ad cœlos nubeſque pertingere videatur, & montes altiſſimos æquet; ita ubique eminet, ſeque conſpiciendam præbet: Opera providentiæ tuæ (hæc enim *judiciorum* divinorum nomine hoc loco cum viris quibuſdam doctis accipimus) tam ſunt multa, ut inſtar profundiſſimæ ſint abyſſi. Nam tu & homines & bruta conſervas, alis, ac tueris. & inprimis homines ſub tua tutela ſecuri ſunt, in eaque fiduciam ſuam tutò collocare queunt. Tu es inſtar locupletiſſimi patris familiâs, in cujus domo beata rerum eſt copia, quâ omnes fruuntur, omnes replentur: à te profluunt omnis generis beneficia, quibus vita noſtra exhilaratur. Nam à te uno manat vita, & quicquid ad illam conſervandam pertinet. Te opem nobis ferente, & beatitatis veluti radiis nos colluſtrante, diſcuſſis calamitatum ac curarum tenebris nebuliſque, læti ac beati vivimus. Et hæc quidem ratione terrenorum beneficiorum revera de benignitate divina dixit David. Quid nunc dicturus eſſet, poſtquam nos Deus ditavit omni benedictione ſpirituali in rebus cœleſtibus per Chriſtum? Epheſ. 3. 1. Itaque non mirum, in Sac. Literis Novi fœderis divitias benignitatis, aut gratiæ ejus non ſemel celebrari. Animadvertendum enim eſt, licet divina benignitas adeò ſit dives, eam tamen reſpectu diverſorum objectorum & temporum, diverſos habere effectus, graduum ratione inter ſe diſtinctos. Ratione objectorum; quia majoribus olim cumulavit beneficiis Iſraëlitas, quam Gentes extraneas: majoribus item cumulat pios, quàm impios; & inter pios iterum eos, qui virtutem majori ſtudio colunt. Quamquam liberrimæ Dei poteſtatis eſt, etiam inter pares diſcrimen facere, ut ſuperiùs eſt explicatum. Quò pertinet illud, quod Deus miſereatur, cujus vult miſereri. Exod. 33. 19. Rom. 9. 15, 16, 18. Ratione diverſorum temporum; quia major ipſius benignitas eluxit ſub Novo Fœdere, quàm ſub Veteri. Unde illud Johannis cap. 1. 16, 17. conf. ℣. 14: *De plenitudine* Sermonis, hoc eſt, Chriſti, qui plenus fuit gratiâ & veritate, *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* & illud Pauli: *non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia*, Rom. 6. 14, 15. & quòd idem alibi publicati Euangelii tempora ita deſcribit, Tit. 3. 4: *Cùm benignitas & humanitas* (vel potiùs *amor erga homines*) *apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Sic & reſpectu ejuſdem hominis diverſo tempore diverſa ſunt divinæ benignitatis effecta. Solet enim Deus, ut ſuprà etiam alicubi monuimus, à minoribus beneficiis ad majora progredi, niſi hunc beneficiorum curſum hominis peccata, & ingrati animi crimen impediat. Denique æterna eſt divina benignitas, tum univerſim conſiderata, tum in ſpecie, reſpectu piorum. Nam & in univerſum benignitate ſemper uſus eſt Deus, ex quo creaturæ extiterunt: ſiquidem nec exiſtere, nec conſervari ſine benignitate divina potuerunt: & porrò eâ utetur. Unde Miſericordia Dei nunc à ſeculo fuiſſe dicitur, Pſa. 25. 6. nunc in ſeculum. Pſal. 106. 1: CVII. 1: CXVIII. 1, 2, 3, 4, 29. Sed nominatim reſpectu piorum æterna dicitur à Davide, cùm ait Pſal. 103. 17: *Miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum, & juſtitia ejus* (hoc eſt, benignitas promiſſis ejus conſentanea, ſeu fides liberaliſſimè promiſſa præſtans) *ſuper filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.* Id autem veriſſimum eſt non tantùm generatim, quatenus nimirum Deus hominibus piis quovis tempore ſolitus eſt benefacere, ac porrò benefaciet; ſed ſigillatim de unoquoque eorum, qui in pietate ad extremum uſque ſpiritum perſeveraverint. Siquidem eorum etiam poſt mortem Deus eſt, ad immortalem eos vitam aliquando reſuſcitaturus.

Cernitur autem Dei benegnitas in omnibus cujuſcunque generis beneficiis, quæ rebus creatis impertit, ſive malum tantùm aliquod ab illis avertat, ſive inſuper boni aliquid in eos conferat. Sed tamen ea beneficentiæ pars, quæ cernitur in malis, & malis quidem commeritis

meritis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

meritis avertendis, ſpeciali nomine Manſuetudo aut Clementia dicitur. Manſuetudo enim eſt, quæ iram temperat; & Clementia quidem propriè manſuetudo eſt ſuperioris erga inferiorem, potentioris erga imbecilliorem. Tribuitur autem Deo in ſacris literis ira, hoc eſt, voluntas, ſeu (ſi ita de Deo loqui fas eſt) affectus puniendi. Ea ergo benignitatis divinæ pars, quæ iram illam vel exoriri, cùm meritò poſſet, non ſinit, vel eandem differt, vel jam exortam mitigat, aut penitus extinguit, manſuetudo eſt ac clementia, quæ Deo in ſacris literis tribuitur. Rom. 2. 4. Quanquam interdum generalius χρηστότητος ſeu benignitatis nomen retinet.

Intelligitur autem hinc, clementiæ divinæ effectum non eſſe uniuſmodi, ſed nunc prefectiorem ac pleniorem, nunc minùs perfectum. Præcipuus eſt, peccatorum remiſſio ſeu condonatio, hoc eſt, gratuita liberatio à reatu ac pœnis peccatorum. Minùs perfectus eſt, pœnarum mitigatio, aut dilatio. Et ea quidem manſuetudinis pars, quæ pœnam differt, & peccantes diu tolerat, ἀνοχὴ ſeu patientia ac tolerantia ſpeciali nomine dicitur: Rom. 2. 4: III. 26: IX. 22: appellatur & μακροθυμία. Quanquam hæc vox latiùs etiam extenditur, & univerſam Dei manſuetudinem ac clementiam interdum complectitur, reſpondetque illi Dei epitheto, quo ſacræ literæ Vet. Teſtamenti eum inſigniunt, Exod. 34. 7. Num. 14. 18. Pſal. 86. 15. CIII. 8. dum eum Hebraicè *erech appajim*, hoc eſt, *longum irarum*, ſeu ad iram tardum appellant. Siquidem & Græci interpretes τῷ μακροθύμῳ voce Hebræum illud Dei elogium exprimunt; uti & tum, cùm idem de hominibus effertur. Prov. 14. 29: XV. 18: XVI. 32. Id autem epitheton univerſam manſuetudinem complecti videtur. Cùm cæteroqui Græca μακροθυμίας vox nonnunquam à πραότητι in ſacris literis Gal. 5. 22, diſtinguatur, ita nimirum, ut μακροθυμίας ſeu longanimitatis officium ſit, iram diu cohibere atque differre, &, utut ſæpe diúque offendaris, non irritari tamen, aut ad vindictam progredi: πραότητος autem, nec graviter iraſci, & iram facilè deponere, placabilémque eſſe.

Utitur autem Deus priori clementiæ effectu, qui in remiſſione peccatorum cernitur, erga omnes, qui reſipiſcunt, & vitam ad normam divinorum mandatorum emendant, ut ex Sac. Literis cuivis liquet. vid. Jer. 31. 34, conf. cum anteced. Quamquam hæc Dei benignitas novo potiſſimùm fœdere eſt incluſa, & promiſſis illius comprehenſa. Hebr. 8. 12. conf. ℣. 6, & d. & cap. X. 16, 17. Matth. 12. 31, 32. Act. 13. 38, 39. Nam quæ ante Chriſtum de remiſſione peccatorum extiterunt promiſſiones, fœderi præſertim antiquo inſertæ, eæ non uno modo reſtrictæ fuerunt. Nam primùm ad ſolos Iſraëlitas revera pertinebant. Deinde de remiſſione pœnarum temporalium revera loquebantur: liberationem ab æterna pœna ita ſignificabant, ut ipſum fœdus antiquum ſignificabat novum, & populus Iſraëliticus Chriſtianum; atque adeo reſpectu illius temporis Deum ad pœnam iſtam ab hominibus auferendam non obligabant. vid. d. l. Act. 13. conf. Levit. 18. 29. conf. anteced. c. 20. 9, & d. 24. 15. & d. Num. 15. 30, & d. Deut. 27. 15, & d. Denique reſpectu peccatorum condonandorum limitatæ erant promiſſiones illæ, præſertim ſi habeatur ratio ſingulorum ex populo, non populi generatim conſiderati. Qua de re nunc non eſt fuſiùs dicendi locus. Apud Prophetas ampliores quodammodo extant promiſſiones: ſed in iis divinus ſpiritus ad novi fœderis tempora magis reſpexit. Quatenus autem eædem ad Veteris tempora ſpectant, ita ſunt accipiendæ, ut ſeveritatem quidem illius aliquatenus relaxent, ſed non penitus tollant, & ſic ipſam fœderis rationem evertant.

Quod ad poſteriorem clementiæ partem effectúmve attinet, qui in differendis pœnis cernitur; eo creberrimè quidem utitur Deus, hodie præſertim, ubi tam benignè cum genere humano agere ipſi placuit; nec tamen ſemper. Nam interdum divina vindicta ſat celeri gradu hominum flagitia conſequitur, nec reſipiſcentiam eorum expectat. Quamquam dubium non eſt, illos ipſos homines aliquando longanimitatem divinam in aliis delictis, utut minùs gravibus, fuiſſe expertos.

Animadvertendum autem eſt, cum clementiæ divinæ effectis alios beneficentiæ fructus creberrimè ſolere conjungi. Nam cùm pœnas aufert Deus, præſertim penitus, beneficia earum loco reponit. Quod in iis maximè conſpicitur, quibus ſub N. fœdere peccata condonantur. Nam in hoc quidem ſeculo, præter alia bona, ſpiritus ſancti donum illis largitur; in futuro autem, loco mortis ſempiternæ, vitam illis donabit immortalem, perpetuis gaudiis affluentem. Cùm verò differt pœnas, variis ſæpe modis illorum hominum, quibus parcit, reſipiſcentiam quærit; & iis quidem, qui veritatis agnoſcendæ occaſionem nondum habuerant, eam præbet: à cæteris, ſi nec veritatem nec animum reſipiſcendi abjecerint, & virtutibus quibuſdam ipſi valde gratis, ut charitati ac beneficentiæ, operam adhuc dent, eam non aufert, ſed eorum converſionem ac ſalutem curæ ſibi habet, præſertim ſi aliorum precibus juventur. Aliàs, ſi quis animum adverſus pietatem aut ipſam etiam veritatem obfirmet, ab ipſo quoque Deo indurari ſolet.

Hæc quò meliùs intelligantur, jam de Severitate quoque divina nobis eſt agendum. Reperitur autem Severitatis vox de Deo uſurpata in illo Epiſt. ad Rom. c. XI. 22 loco, quem ſuprà indicavimus, ubi ait Apoſtolus: *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem [Dei,] ſi permanſeris in bonitate.* Quamquam eo in loco ſeveritas non conſuetudinem ſeverè agendi, aut quippiam habitui analogum, ſed actum tantùm ſeveritatis certum denotat. Alibi autem nec ſeveritatis vocem de Deo uſurpatam, nec ipſum Severum fuiſſe appellatum, uſpiam animadvertimus. Nec mirum: cùm is demùm Severi nomen verè mereatur, qui pœnam libentiùs exigit, quàm condonat, & rarò aut vix quicquam de ſupplicio remittit. At Deus ad parcendum atque ignoſcendum, abſolutè loquendo longè propenſior eſt, quam ad puniendum; & rariſſimè, imò fortaſſe nunquam ſummo jure in ſuppliciis exigendis utitur. Unde ut ſuprà jam vidimus, non ſemel tardus ad iram, ſed multæ miſerationis eſſe dicitur, & punire ac perdere opus Dei alienum, ſervare ac benefacere proprium ipſius opus cenſendum eſt. Præſertim habita ratione populi ipſius, cum quo ipſi peculiare fœdus eſt. Quò non immeritò à viris quibuſdam doctiſſimis pertinere cenſentur illa Eſaiæ verba, cap. 28. 21, qui poſtquam populo graves pœnas Dei nomine denunciaſſet, addit: *ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum* (ſeu *alienum*) *eſt opus ejus ab eo.* q. d. Deus, ut opus ſibi proprium facere queat, facturus eſt opus alienum, hoc eſt, populum ſuum graviter puniet, ut eum hoc pacto ad frugem revocatum ſervare, ac variis beneficiis cumulare queat. Quin & illud indicat, quàm ad puniendum non ſit propenſus Deus, quod apud Jeremiam legitur in Threnis: cap. 3. 33: *Non humiliavit* (ſeu *afflixit*) *ex corde ſuo, & abjecit* (vel *nec dolore affecit*) *filios hominum.* q. d. non ſolet Deus homines ex animo affligere, ſed quodammodo invitus, & ipſorum peccatis coactus. Quamquam id ad populum divinum potiſſimùm pertinet, nec ita extendendum eſt, quin & illis ſac. ſcripturæ dictis locus relinquatur, qui aſſerunt, Deum hoſtium ſuorum vindictâ quodammodo gaudere, de quibus infrà cap. 3. 1, agetur. Ex quibus intelligitur, Deum quidem Severum ſimpliciter dici vix poſſe: interim tamen ſceleribus hominum ad ſeveritatem quandam adduci, atque adeo quodammodo adigi. Etenim nec ſanctitas, nec majeſtas ipſius uſquequaque fert, ut impunè mandata ipſius violentur; & ordinis communis ac publici boni ratio exemplum nonnunquam poſtulat: & denique ut poteſtatem ſuam, aut etiam vires ac potentiam declaret, nominique ſuo gloriam ac venerationem tantò majorem conciliet, conſentaneum eſt, ut jure ſuo, quod ad pœnam infligendam habet, utatur. Et hæc eſt cauſſa, cur ſacræ literæ ea etiam de ipſo pronuncient,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nuncient, quæ quandam ſeverè agendi conſuetudinem ſignificent, imò & conſtantem quodammodo puniendi voluntatem; ſed quæ ad certa ſive hominum peccantium, ſive ipſorum facinorum genera ſit reſtringenda. Huc referri poteſt id, quòd Deus ſæpe zelotes, ſeu æmulator dicitur; quamquam eam inprimis ob cauſſam, quòd æmulum honoriſque rivalem ferre nolit, & de idololatris vindictam ſumat, quemadmodum infrà explicabimus: veruntamen id ad affectum cæteros etiam peccatores puniendi, extendi jurè poteſt. Siquidem ita Deus in Decalogo loquitur, poſtquam falſorum Deorum atque imaginum cultum prohibuiſſet: Exod. 20. 5, 6. Deut. 5. 9, 10: *Quia ego ſum Dominus Deus tuus fortis* (vel *Deus*) *zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quamquam ſtatim, ut majorem in ſe benignitatem eſſe declaret, ſubjicit: *Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Pertinet huc & illud, quod apud Nahumum cap. 1. 2 legitur, qui pluribus ſeveritatem divinam deſcribens ait: *Deus æmulator, & ulciſcens Dominus, ulciſcens* (inquam) *Dominus, & habens furorem,* (Hebr. *dominus iræ:*) *ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe* (Hebr. *reſervans* ſcil. iram) *ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens* (ſeu *longanimis*,) *& magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem.* Ubi quidem clementiæ quoque divinæ non fuit oblitus, licet ſeveritatem præcipuè deſcribere vellet, de qua & in ſequentibus plura dicit. Quòd verò ultimo loco in verbis citatis ad ſeveritatem Dei deſcribendam ait, Deus *mundans non faciet innocentem,* quod in Hebræo eſt *innocentem faciendo non faciet innocentem,* vel *abſolvendo non abſolvet*; id etiam extat apud Moſen in illuſtri Exodi loco, cap. 34. 6, 7, ubi poſtquam Dei benignitas inprimis ac clementia his verbis fuiſſet deſcripta: *Dominator Domine,* (Hebr. utrobique eſt *Jehova*) *Deus, miſericors, & clemens, patiens* (ſeu *longanimis* aut *tardus ad iram,*) *& multæ miſerationis, ac verax* (ſeu *veritatis,*) *qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & ſcelera* (ſeu *prævaricationem,*) *& peccata;* additur, *nulluſque apud te per ſe innocens eſt,* (Hebr. *& innocentem faciendo non facies innocentem,* ſeu *abſolvendo non abſolves,*) *qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Eadem ferè leguntur & c. 14. ỳ. 18 Numer. Eorum autem verborum, quibus aſſeritur, Deum *abſolvendo non abſolvere,* quæ in Latina interpretatione tribus iſtis locis triplici modo verſa legas, ita rectè viri nonnulli docti explicant, quòd Deus impios, ſeu reſipiſcere neſcios, omninò non ſoleat abſolvere, ſed eos tandem aliquando ſit puniturus, etiamſi fortè ſupplicium diutiùs differat. Neque enim eſt, quòd quis putet, verba illa ſimpliciter eſſe accipienda, quia ſimpliciter ſint prolata; quaſi nimirum Deus neminem, qui nocens ſit, abſolvat. Quemadmodum enim in utroque loco apud Moſen ſimpliciter dicitur, *Deum auferre iniquitatem, & ſcelera, & peccata,* non addita ulla ſive conditione, ſive deſcriptione ejus hominum generis, à quo peccata auferre Deus ſoleat; quod etiam alibi in Sac. Lit. fieri videmus: vid. Mat. 12. 30, 31. 2 Cor. 5. 19: ita nec in illis verbis, de quibus nunc agimus, eos commemorat, quos Deus planè non abſolvat. Utrobique nempe ſubaudiendum relinquitur, tanquam aliunde ſatis notum, quinam illi ſint, à quibus Deus auferre ſoleat peccata: aut contrà illi, à quibus non auferat, quóſque omnino abſolvere non ſoleat. Docent autem & exempla, & alia divina teſtimonia, & ex parte ipſa ratio, Deum à reſipiſcentibus auferre peccata, ſeu peccatorum pœnas; ab iis autem, qui non reſipiſcunt, non auferre. Quòd ſi quis neutrobi limitationem aliquam admittere velit, omnino pugnantia loquentem faciet divinum ſpiritum, & ſibi iiſdem in locis contradicentem. Ad eandem autem Dei ſeveritatem deſignandam & illud pertinet, quòd à Davide Pſal: 94. 1 bis: *Deus ultionum,* à Jeremia cap. 51. 56: *Deus ultor,* ſeu, ut eſt in Hebræo, *Deus retributionum* appellatur; & à Moſe Deut. 4. 24, dicitur eſſe *ignis conſumens*; quod etiam ab Auctore Epiſtolæ ad Hebræos cap. 12. ult. repetitur, qui propterea monet, *ut ſerviamus placentes Deo cum metu* (Gr. *pudore*) *& reverentia* ſeu *timore.* Quemadmodum & Moſes ideo eum ignem conſumentem vocat, ne quis eum offendere atque irritare audeat. Non appellat autem ignem conſumentem ideo, quòd ſemper iraſcatur: nam id apertè ſac. literis repugnat: ſed quòd iraſci illis, qui ipſum offendunt, ſoleat, & ſæpe quidem graviter, ita ut eos ignis inſtar conſumat ac perdat, præſertim qui graviùs in ipſum peccant, ut paulò inferiùs explicabitur. Aliàs Deus potiùs charitas eſt, uti à Johanne appellatur, 1 Joh. 4. 16; maximè ſub Novo fœdere.

Severitatis autem divinæ primus atque ordinarius, ſeu mavis perpetuus effectus eſt ille, de quo & Moſen & Nahumum loqui ſuperiùs vidimus, nempe iis, qui non reſipiſcunt, veniam non concedere, ſed eos punire ac plectere, ſive in ipſorum perſonis, ſive in perſonis conjunctis, ut liberis aliiſque poſteris, ſive in utriſque. Alter effectus eſt, quòd nonnunquam peccatores, eorum reſipiſcentiâ non expectatâ, è medio tollit, & ſic omnem illis veniæ ſpem præcidit. Quo pacto non paucos olim Iſraëlitas, qui in deſerto, ipſius majeſtatem oculis ſubjectam non reveriti, ei obloqui, aliaque in ipſius conſpectu flagitia committere non horruerunt, in ipſis propè facinoribus oppreſſit ac perdidit. Num. XI. 33, conf. cum ỳ. 1, & ſeqq. & cap. XVI. toto. & cap. XXI. 5, & d. & cap. XXV. 1, & d. Quamquam nonnunquam homines contumaces non ſtatim quidem perdit, ſed tamen, ne pœnam effugiant, aut effugere facilè queant, eos indurat, & velut in vincula conjectos ad majorem pœnam aſſervat, ut ſuperiùs eſt à nobis explicatum. Quo referri poteſt & illa pœna, quam hominibus ad claram veritatis lucem oculos ſponte claudentibus, & ſalutis occaſionem negligentibus infligit, dum lumen illud veritatis aliqua ratione abdit, iiſque ſubtrahit, & Satanæ fraudibus eos exponit; ne fortè oculis videant, & corde intelligant, & convertantur, & Deus illos ſanet, ut ex Eſaia Chriſtus docet. Matth. 13. 14, & d. Eſa. 6. 9, & d. vid. & 2 Theſſ. 1. 10, & d. Itaque hic tertius eſt ſeveritatis effectus, ſecundo aliqua ratione contrarius, ſed eòdem tamen tendens. Quo quidem loco non ſunt prætereunda illa Moſis verba, quæ leguntur Deuteronomii c. 7. ỳ. 10. quæ videri poſſent tertio huic ſeveritatis divinæ effectui obſtare; ſed multò magis illi clementiæ divinæ parti, quæ in pœna differenda cernitur, ac longanimitatis ac patientiæ nomine propriè ſignificatur. Nam apud Veterem interpretem ad hunc modum d. l. legimus: *& reddens* (Deus) *odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, & ultrà non differat, protinus eis reſtituens quod merentur.* Sed primùm animadvertendum eſt, non de omnibus, qui quacunque ratione delinquunt, ſermonem hîc eſſe, ſed de iis tantùm, qui Deum oderunt. Ii autem Deum odiſſe cenſentur, qui pietatem oderunt, & nefariis ſeſe ſceleribus contaminant, præſertim ſi poſt perpetrata facinora, nullam doloris ac pœnitentiæ dent ſignificationem. Deinde pro vocibus *ſtatim* & *protinus*, in Hebræo legitur *ad faciem*; quod variè ab interpretibus accipitur. Significare autem poteſt, Deum ita hoſtium ſuorum impietatem ulciſci, ut ipſi pœnam manifeſtè cernant, aut prævidere facilè poſſint; quaſi ante ipſorum faciem, ante ipſos eorum oculos ſupplicium collocaret. Quòd verò legitur, eum *ultrà non differre*, quod in Hebræo eſt, *eum non tardaturum*; id non ſignificat, Deum, ſimul ac quiſpiam ſcelus aliquod commiſerit, eum ad ſupplicium rapere, ac perdere: ſed ultrà, quàm conveniat, ſupplicii tempus non prorogare, nec ita cunctari, ut non immeritò dici queat, hominem ſceleratum pœnam effugiſſe. Quod ſi quis verba hæc contulerit cum præcedentibus, & aliis apud Moſen in eandem ſententiam ſcriptis; haud difficulter animadvertet, ea nihil aliud revera ſignificare, quàm Deum punire iniquitatem patrum, qui ipſum oderunt, in tertiam & quartam generationem. Eſt enim hîc oppoſitio inter miſericordiam, quam Deus præſtet *diligentibus ſe, &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cuſtodientibus præcepta ſua, in mille generationes, & inter mercedem, quam Deus *reddat odientibus ſe ſtatim*, ſeu *ad faciem*: cum alibi miſericordiæ illi, quam Deus diligentibus ſe, in mille generationes præſtet, opponi ſoleat viſitatio iniquitatum patrum in filiis in tertiam & quartam generationem. Et rectè ſanè dici poteſt, Deum ad faciem reddere odientibus ſeſe, nec tardare, ſeu nimiùm differre pœnam, etiamſi ad tertiam, nonnunquam ad quartam uſque generationem, hoceſt, ad abnepotes, eam differat. Quia ad abnepotum conſpectum pertingere poteſt humana ætas, quam cauſſam fuiſſe cenſent viri doctiſſimi, cur Lex minas iſtas ultra abnepotes non extendat *. Quòd ſi nòn eò uſque provivunt; tamen ſupplicium non adeo multò pòſt ſecuturum metuere coguntur, idque non ſemel prævident; quod ipſis quoque haud leve ſupplicium eſt. Quòd ſi verba illa non prohibent, quominùs Deus ad tertiam aut quartam uſque generationem pœnam differat; nihil ea dictis noſtris, ſive de longanimitate, ſive de ſeveritate obſtant. Et his quidem tantò minùs, quòd quem Deus indurat, eum jam punire incipit, licet eum ad gravius adhuc ſupplicium reſervet. Denique quod à Moſe illorum temporum ratione habita dictum eſt, de pœnis non differendis, id non protinus ad Novi fœderis tempora trahendum eſt. Idque duplicem ob cauſſam: partim quidem, quia hæc gratiæ ac clementiæ tempora ſunt, illa potiùs ſeveritatis: partim verò, quia per Chriſtum demum patefactum eſt ultimum illud judicium, quod non de vivis tantùm, ſed etiam de mortuis habendum ſit. Itaque non mirum eſt, Deum nunc ita non rarò differre ſupplicia ſua, ut ſcelerati pœnam effugiſſe videantur, quam tamen in magno illo judicii die perſolvent. Olim autem, cùm non niſi temporalia ſupplicia Deus hominibus apertè comminaretur, aut infligere ſoleret, licet æternum interitum ſecum in impiis traherent; non ita conveniebat, ut Deus nimis diu pœnas differret.

Poteſt autem tribus hiſce, quos conſtituimus, ſeveritatis effectibus addi quartus, qui tamen cum clementiæ effectu conjunctus, eoque veluti temperatus eſt. Is verò eſt, quòd Deus nonnunquam iis, quibus graviſſimam peccatorum pœnam remiſit, aut remittere conſtituit, alias non leves pœnas infligit, ut vel ipſi, vel alii, vel utrique ſimul, majeſtatem ipſius magis revereri, & cum timore ac tremore ipſi ſervire diſcant; &, ſi quæ ignominiæ labes ipſorum peccatis fuit divino numini aſperſa, ea ipſorum pœnis eluatur. Quò pertinet inter alia Davidis exemplum: 2 Sam. 12. 14, & d. & c. 15, & tribus ſeqq. conf. cum c. 12. 11: pertinet etiam illorum, de quibus loquitur Paulus 1 Cor. XI. 30, & d. Sed in caſtigationibus hujuſmodi ſæpe plus clementiæ, quàm ſeveritatis, plus amoris, quàm iræ eſt. Unde ſacræ literæ ab amore eas proficiſci aſſerunt. vid. Prov. 3. 12: Hebr. 2. 6, & d. Apoc. 3. 19.

Ex dictis autem intelligi poteſt, ut clementiæ, ita & ſeveritatis divinæ effectus gradibus quibuſdam inter ſe diſtinctos eſſe. Et ad ſummum quidem hujus gradum, ad quem progredi jure ſuo poſſet, nunquam adſcendit Deus. Is verò eſt, nullum planè peccatum in quoquam impunitum dimittere. Hoc enim pacto clementia, quâ libentiùs utitur Deus, quàm ſeveritate, prorſus excluderetur. Reliqui ſunt cæteri ſeveritatis divinæ gradus, qui infrà illum ſubſiſtunt, & aliquod clementiæ temperamentum admittunt, alii magis, alii minùs. Differunt autem inter ſe, prout vel gravior eſt per ſe pœna, vel major eam ſubeundi neceſſitas. Ad gravitatem autem & temporis rationem hîc revocamus, quâ nunc intenditur pœna, nunc remittitur; quin etiam multitudinem eorum, quos ſupplicium comprehendit, aut paucitatem. Solet autem Deus eos graviùs punire, qui graviùs peccaverint: licet liberrimæ ipſius poteſtatis ſit, etiam inter eos, qui pœnam æquè ſunt commeriti, diſcrimen facere, & alium alio mitiùs tractare. Neque enim cuiquam facit injuriam, ſi ab illo quidem commeritas pœnas exigat, ab illo non exigat, vel haud paulò mitiores repetat, quàm commeritus fuerat.

Quamquam ſine peculiari ratione id Deus facere non ſolet. Cum verò gravitas delictorum non tantùm ex ipſa factorum natura ac qualitate æſtimetur, ſed etiam ex variis rerum circumſtantiis, atque inprimis ex animo, itemque ex cauſſis, quæ vel ad peccatum impellere, vel ab eo avocare quempiam poterant; ideo, ut de aliis taceam, iis etiam inprimis metuenda eſt divina ſeveritas, quibus uberior divinæ voluntatis notitia contigit, aut qui aliàs majoribus ſunt à Deo cumulati beneficiis. Plures enim cauſſas habent, quæ à peccando eos avocant. Similiter & illi, qui res ſanctiores tractant, & propiùs quodammodo ad Deum accedunt. Majori enim religione tractandæ ſunt res ſacræ, quàm profanæ; & ad divinum numen propiùs accedenti, majori utendum eſt erga illud reverentia, & cautè agendum, ne ab illo conſumaris. Docet hoc tum exemplum duorum Aaronis filiorum, igni divino extinctorum, Lev. 10. 1, & d, eò quòd auſi eſſent ignem alienum, ſeu vulgarem, in ſacrarium inferre, eóque thura adolere: tum Moſis verba, quæ ſuper ea re habuit ad Aaronem: ib. ℣. 3: *Hoc eſt quod loquutus eſt Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor.* Quod viri quidam * docti ita explicant: *Sanctus apparebo, q. d. ſumam pœnam de his, qui propinquiores ſunt mihi.* Quin & ipſe Moſes aliquod hujus rei exemplum præbet. Sed accuratior horum explicatio ad operum divinorum tractationem pertinet.

Illud nunc reſtat, ut uſum hujus doctrinæ paucis aperiamus. Eſt autem is longè maximus atque uberrimus. Benignitatis enim ac clementiæ divinæ notitiâ univerſa noſtra in Deum ſpes ac fiducia nititur: illâ ſubtractâ hanc corruere neceſſe eſt, præſertim in tanta noſtra, non modò naturæ vilitate, ſed etiam, ſi facta noſtra ſpectes, indignitate, tantáque peccatorum noſtrorum magnitudine ac multitudine. Solam, ut apparet, vilitatem naturæ noſtræ reſpiciens Pſaltes, exclamat Pſal. 8: *Quid eſt homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Ad facta autem noſtra oculum referens, Pſal. 130. 3: *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?* & alibi, *Ne intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Pſal. 143. 2. Quid ergo eſt, quod animos noſtros ad ullam beneficii divine ſpem erigat? quid eſt, quod miſeriam noſtram ſoletur, præter immenſam benignitatem, & ineffabilem Dei clementiam? Ex hac profluunt, hac nituntur omnes Dei promiſſiones, & maximè illæ, quæ ſunt omnium maximæ, nobis per Jeſum Chriſtum factæ, de remiſſione omnium peccatorum ſcelerumque noſtrorum, de vita æterna nobis danda. Subduc benignitatem ac clementiam divinam, concident; ſubduc nobis illius notitiam, ſpes noſtra protinus collabetur. Quæ cauſſa una eſt è præcipuis, cur toties in ſacris literis inculcetur celebreturque Dei benignitas ac clementia, &, quæ cum ea conjuncta ſunt, amor, gratia, ac miſericordia: adeò ut nullum aliud Dei attributum videatur commemorari frequentiùs; ipſeque Deus Moſi ſeſe aliqua ex parte videndum præbens, iſtis ſe potiſſimùm epithetis deſcribat, quæ ſummam ipſius benignitatem arguunt, Exod. 34. 6, 7, ut ſuprà vidimus. Adde, quòd nihil ſit, quod ad Deum amandum ac colendum, ad nomen ejus celebrandum, & laudes alacri animo lætoque ore prædicandas magis alliciat, vehementiuſque impellat, quam tantæ ipſius beneficentiæ, manſuetudinis ac clementiæ conſideratio. Quis enim tam benignum, tam clementem patrem non amet, non laudet? quis non colat ac veneretur? quis tam impius eſſe audeat, ut eum offendat, ac maleficia pro beneficiis ipſius innumeris atque immenſis reponat? Ut autem incitamento nobis eſt contemplatio divinæ benignitatis, ut ei gratias perpetuò agamus; ita etiam ad opem ejus perpetuò implorandam allicit. Quis enim adeò ſuæ felicitatis erit incurioſius, imò ei inimicus, ut tam largum, tam munificum patrem, tam liberaliter ſua nobis dona offerentem, non libenter adeat, &, cùm is precibus ſua munera impetrari velit ac cupiat, eum orare ceſſet?

* Vid. Hug. Grotium De jure belli & pacis lib. 2. cap. 21. paragr. 14.

* Vid. Bibl. Magna Rob. Stephani.

Facit etiam conſideratio divinæ benignitatis ad patientiam in nobis excitandam firmandamque. Ex ea enim liquet, nec plura gravioraque nobis imponere aut impoſiturum eſſe Deum, quàm vires noſtræ ferant, quod & fidem ejus aliqua ratione poſtulare ſuprà cap. 25, vidimus, & omnes calamitates ad lætum tandem exitum perducturum.

Præterea Dei exemplo monemur, ut & nos, qui illius filii eſſe cupimus, ejus benignitatem, lenitatem ac manſuetudinem imitemur. *Diligite*, inquit Chriſtus, Luc. 6. 35, & d: *inimicos veſtros: benefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos*: (ſeu, ut eſt apud Matthæum, cap. 5. 45, *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*) *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Sic & alibi Patris noſtri cœleſtis manſuetudinem ac clementiam in alienis delictis condonandis, vindictaque injuriarum prætermittenda, imitari jubemur. ib. c. 18. 22, & d. Eph. 4. ult. & c. 5. 1.

Magnam autem ſummæ atque inexhauſtæ benignitati divinæ faciunt injuriam, & præcipuum ejus in nos beneficium, quantum in ſe eſt, convellunt, qui contendunt, Deum non niſi pleniſſima accepta ſatiſfactione ac compenſatione, nobis peccata remittere; imò nullum peccatum, ne minimum quidem ita prætermittere, quin id vel in ipſo nocente, vel ſaltem in alio, puniat ac vindicet. Quod quidem nil aliud eſt, quàm ipſam peccatorum remiſſionem ſeu condonationem, ac porrò præcipuum benignitatis divinæ effectum in nos manantem, funditus tollere. Qua de re non eſt nunc fuſiùs dicendi locus.

Verùm ne contrà, quàm fieri debet, tanta Dei benignitate ac longanimitate ad peccandi licentiam ac ſecuritatem abutamur, eamque contemtui habeamus, divina nos ſeveritas monet. Hinc Apoſtolus: Rom. 2. 4, & d: *An*, inquit, *divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera illius.* Quò pertinent & illa, quæ ſuperiùs ex eadem epiſtola citavimus, cap. XI. 22, ubi monet Apoſtolus, ut Gentes ad Chriſtum converſæ, tum benignitatem, tum ſeveritatem Dei conſiderent; & illis dandam eſſe operam ſignificat, ut in benignitate perſeverent, eáve ne excidant. *Alioquin*, inquit, *& tu excideris.* Videndum nempe eſt ei, qui ſtare videtur, ne cadat, ut idem Apoſtolus monet. 1 Cor. 10. 12.

Cap. XXIX.

De illis, quæ affectuum inſtar Deo inſunt.

TRanſeundum nunc eſt ad illa Dei attributa, quæ ut actus quidam revera ſunt, ita & eorum nomina ſortiuntur. Ea verò ſunt voluntatis divinæ actus, in ipſo Deo reſidentes, ſeu actiones voluntatis immanentes, ut vocant. Nam etſi intellectûs quoque actus ſint immanentes: de iis tamen nihil ampliùs dicere neceſſe eſt. Quandoquidem quid de illis ſtatuendum ſit, ex tractatione de Intellectu & Sapientia Dei perſpici ſatis poteſt. Actus verò illi voluntatis divinæ, de quibus hîc nobis agendum eſt, duplicis ſunt generis. Alii enim affectuum ſimilitudinem inprimis referunt, eorumque nominibus in ſac. literis præcipuè deſignantur: alii decreta ſunt. Illi ſunt voluntatis divinæ, ut ita dicam, commotiones, præſertim vehementiores, ſeu actus ejuſmodi, quibus voluntas vehementiùs vel in objectum ſuum fertur, vel ab eo refugit atque abhorret; utut fortè res, ad quam affectus incitat, nondum ſit firmiter concluſa. Decreta verò ſunt ſententiæ à voluntate firmiter concluſæ, & pleno quodam aſſenſu comprobatæ. Affectus illi (ut eos nunc ſimpliciter hoc nomine appellemus) etiam iis in rebus locum habent, quas voluntas naturæ neceſſitate aut amplectitur, aut refugit: decreta propriè loquendo in iis tantùm, in quibus libertati aliquatenus ſaltem locus eſt. In illis magis patitur ſeu movetur voluntas, quam agit: in his agit potiùs, quàm patitur; ſtrictiùs nimirùm agendi verbo ſumto, ut non potentiæ tantùm, ſed & paſſioni opponatur. Nam aliàs etiam affectus diximus eſſe actus, verùm laxiùs ſumta voce, ita ut potentiæ tantùm, non paſſioni opponatur. Patitur autem voluntas vel à ſolo objecto, quia nimirum id per ſe vim habeat, voluntatem in hanc aut illam partem inclinandi, ut in odio atque ira cernitur; vel ab objecto quidem, at non ſolo: quia per ſe vim talem non habeat, ſed ob decretum antecedens, liberè factum; ut in gratiæ affectu videmus. Et in eo quidem rerum genere, in quo decreta revera locum habent, firmiora ſunt decreta, certioremque effectum habent, quàm ſimplices affectus. Affectuum enim vis decretis impediri ac penitus tolli poteſt: ut vis iræ, cùm decretum puniendi non eſt ſubſecutum, præſertim abſolutum: at decreti abſoluti vis tolli affectu nullo poteſt: ſed illud potiùs impedit, ne affectus ei quodammodo contrarius oriatur. Quin nullum planè decretum, ſi integrum ſumatur, hoc eſt, incluſa etiam conditione, quæ ei fortè ſubeſt, irritum fit, ut ſuprà declaravimus, cùm de conſtantia divina ageremus. Non arbitramur autem, ita decreta ab affectuum ratione abhorrere, ut nullam planè cum illis ſimilitudinem habeant, & interdum illorum nominibus non deſignentur aut comprehendantur. Siquidem & decreta quâdam voluntatis inclinatione ac propenſione conſtant. Omnis autem voluntatis propenſio cum affectibus ſimilitudinem habet; quamquam alia majorem, alia minorem. Itaque non fruſtrà antea illos voluntatis actus, quos decretis oppoſuimus, affectuum ſimilitudinem inprimis referre diximus; ſignificantes, & alios voluntatis actus, eos nimirum, qui decreta conſtituunt, eorum ſimilitudinem quandam referre. Adde, quòd decreta cum affectibus quibuſdam veluti coaleſcunt; ut decretum puniendi cum ira; decretum juvandi cum miſericordia. Ideo non mirum eſt, hujuſmodi decreta eorum affectuum nomina ſortiri, iiſvé comprehendi, quorum naturam ac rationem quodammodo æmulantur, aut cum quibus veluti coaleſcunt. Ex quibus etiam intelligi poteſt, cur benignitas ac clementia, charitatis, gratiæ, aut miſericordiæ nomina, quæ affectuum ſunt, ſortiantur; ut ſeveritas, iræ atque indignationis. Nempe quia iſta Dei attributa ex affectibus illis, & decretis eorum naturæ ac rationi conſentaneis, quamquam generalibus ac latè patentibus, conſtant.

Viſa differentiâ, quæ inter affectus & decreta Dei intercedit; ſequitur, ut utrorumque genera diſtinctiùs conſideremus, initio ab affectibus facto. Mirari autem nemo debet, nos ita abſolutè Affectûs nomen Deo tribuere; cum ſpecialia affectuum nomina illi in ſacris literis abſolutè tribui innumeris in locis omnes cernant. Eodem enim tropo, nempe metaphorâ, quam in hoc rerum genere ἀνθρωποπάθειαν appellari ſuprà non ſemel monuimus, actus illi divinæ voluntatis generale affectuum nomen ſortiri poſſunt, quo ſpecialia ſortiuntur: præſertim quia minùs in generali Affectûs voce videatur eſſe improprietatis, cùm ea ad Deum transfertur, quàm cùm ſpecialia illa iræ, imò furoris, pœnitentiæ, aliaque ſimilia nomina illi accommodantur; quod tamen toties faciunt ſacræ literæ. Satius quidem eſt propriè loqui, quàm impropriè, in accuratiori præſertim rerum explicatione: ſed cùm propria deſunt, quibus rotundè, ſeu abſque circumlocutione rem exprimere queas, impropiis uti nemo prohibet, præſertim ſi de improprietate apertè moneas, & veluti cum venia alienis vocibus, ut propriis, utaris. Itaque nil prohibebit, quominus illos, de quibus loquimur, voluntatis divinæ actus *affectus* jam porrò ſimpliciter nominemus. Interim illud non modò libenter agnoſcimus, ſed etiam ultrò monemus, non cadere in Deum perturbationes ejuſmodi, quales in hominum aut brutorum affectibus cerni ſolent; ſejungendaq; eſſe ab his voluntatis divinæ actibus omnia, quæcunque ſunt impura, quæcunq; terreni corporis concretionem, quæcunq; imperfectionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fectionem aut imbecillitatem reſipiunt: cætera, quæ in natura cernuntur affectuum illorum, quorum nomina Deo tribuuntur, eſſe relinquenda. Itaque ex natura affectuum humanorum, à quibus ipſe Dei ſpiritus ob analogiam ac ſimilitudinem voces ad Deum tranſfert, aliqua ratione æſtimanda nobis erit natura illorum, de quibus agimus, voluntatis divinæ actuum.

Sunt autem in nobis affectus commotiones quædam atque inclinationes appetitus, cui vim facultatemque analogam voluntas divina in ſe complectitur. Commotiones eſſe dicimus: quia etiam cùm de humanis affectibus loquimur, neceſſe habemus, ob vocum inopiam, metaphoricis uti propriorum loco, quæ porrò ad Deum eo, quo paulò antè diximus, modo linguæ noſtræ infantia tranſferre cogit. Unde & ſuprà diximus, Affectus illos Dei eſſe commotiones quaſdam divinæ voluntatis. Oriuntur autem affectus in nobis ex cognitione rei alicujus jucundæ vel injucundæ, gratæ vel ingratæ. Gratam enim amplectuntur ac perſequuntur; ingratam averſantur ac fugiunt. Unde alii affectus ſunt, qui rem jucundam perſequuntur, ut amor; alii qui injucundam refugiunt, ut odium; alii denique veluti ex utriſque ſunt miſti, ut ira, quæ ita injuriam ac contentum refugit, ut vindictam pœnamque appetat. Idem in genere de divinis illis affectibus eſt ſtatuendum; quanquam non eadem ſunt jucunda Deo, ac nobis. Appetitus enim noſter primò ac potiſſimùm in res ſenſibus corporeis gratas fertur, contrarias refugit. Ab harum autem rerum contagione puriſſima Dei natura penitus eſt ſegregata. Unde nec illarum deſiderio capitur; nec harum in illo fuga eſt; quia eum attingere non poſſunt. Quæ autem Deus ut grata amplectitur, ſæpè ita ſunt comparata, ut quicquid in illis eſt, quod Deo placere poſſit, facilè obrueretur magnitudine rerum ingratarum, quæ in iiſdem repeiuntur, niſi ſumma Dei benignitas, ſpontaneumque ipſius decretum, earum vim impediret atque extingueret, nullámque earum rationem habendam eſſe duceret. Id quod vel inprimis cernitur in Dei erga genus humanum, adhuc impium, amore, quo id in Chriſto fuit proſequutus. Ea enim, quæ in hominibus adhuc impiis dilexit Deus, non eorum meritis conſtiterunt, ſed ipſius Dei fuerunt beneficia; eorumque vim extinguere peccatorum noſtrorum multitudo ac magnitudo facilè poterat. Ut non immeritò dicere poſſis, amorem Dei homines ipſi gratos reddidiſſe, non reperiſſe.

Ex dictis autem & natura divinorum affectuum, & diſcrimen apparet. Satis enim liquet, eos nihil eſſe aliud, quàm actus ſeu commotiones quaſdam divinæ voluntatis, ex cognitione rei gratæ, vel ingratæ ortos, eam vel amplectentes, vel fugientes, vel partim amplectentes, partim fugientes. Nam in triplici differentia verſantur. Alii, ut dictum eſt, rem gratam atque jucundam amplectuntur perſequunturque, aut in ea veluti acquieſcunt; alii rem ingratam atque injucundam averſantur ac fugiunt; alii ex utroque genere quodammodo mixti ſunt, qui aliud quidem fugiunt, tanquam injucundum, aliud perſequuntur, tanquam jucundum. Primi generis ſunt amor, gratia, deſiderium, ſpes, lætitia. Circa bonum enim tantùm verſantur. Secundi generis ſunt odium, metus, dolor, ſeu triſtitia, pœnitentia. Nam & hæc per anthropopathiam Deo in ſacris literis tribui infrà videbimus. Tertii generis, quod mixtum eſſe diximus, ſunt miſericordia & ira, oppoſiti cæteroquin inter ſe affectus. Miſericordia enim ita malum alienum averſatur, ut ſublatum cupiat, & bonum afflicti quærat: ira autem ita offenſionem ab alio profectam averſatur, ut pœnam ejus, qui læſit, ac vindictam expetat.

Poteſt autem & aliud inter iſtos affectus diſcrimen animadverti. Etenim alii, licet circa res Deo gratas aut ingratas verſentur, ad alienum tamen bonum aut malum comparandum maximè ſpectant: alii circa bona aut mala eatenus potiſſimùm verſantur, quatenus ipſimet Deo grata aut ingrata accidunt: alii denique veluti medio loco ſunt poſiti, & nunc ad hoc, nunc ad illud genus magis inclinant. Primi generis ſunt charitas, gratia, & miſericordia, qui affectus ſunt benefici, & his contraria, odium ad perſonas relatum, & ira: qui duo affectus ad mala iis, qui merentur, imponenda impellunt. Secundi generis ſunt ſpes ac metus, lætitia & triſtitia. Tertii amor & odium generatim ſumtum, ita ut tam ad res, quàm ad perſonas referatur; itemque deſiderium; quin & pœnitentia, cùm pro affectu (neque enim hunc ſemper denotat) ponitur. Sed nos tertii ordinis affectus cum priorum duorum generum tractatione conjungemus; & primùm de amore, gratia, & miſericordia, eorúmque contrariis, odio & ira; deinde de deſiderio, ſpe, lætitia, eorúmque contrariis, metu, triſtitia, pœnitentia dicemus.

Cap. XXX.

De Amore, Gratia, & Miſericordia Dei; eorúmque contrariis, Odio & Ira.

INcipiamus igitur ab Amore. Hic enim affectus inter cæteros aliqua ratione eminet; & alios quidem ambitu ſuo complectitur, ut gratiam & miſericordiam; alios autem, licet contrarios, cùm objectum ipſi adverſum eſt, ex ſe quodammodo parit, ut odium & iram. Ideo enim mala odimus, & eorum auctoribus iraſcimur, quia bono, quod amamus, adverſantur, idque nobis eripiunt. Eſt autem amare, quippiam vehementiùs velle. Unde in ſacris literis Vet. Fœderis verbum *Chaphetz* pro *amare* ponitur, vid. Pſal. 18. 20: XXII. 9: XLI. 12: vid. & Matth. 27. 43, quod Latinus interpres ſimpliciter reddidit *Velle*; ſed tamen vehementiorem quandam voluntatis inclinationem ac propenſionem in rem quandam ſignificat, ita ut & deſiderium quoddam, & quandam delectationem, quæ ex ea capiatur, in ſe comprehendat. Nam & verbum illud Hebræum Deſiderandi, nonnunquam Delectationem capiendi ſignificationem habet: & quicquid amamus, id & cupimus, ac cum eo veluti uniri deſideramus, (unde à nonnullis amor definitur unionis deſiderium:) & in eo aliqua ratione acquieſcimus. Quicquid autem ejuſmodi eſt, id extare, &, quatenus ejus natura fert, ſalvum eſſe, ſive ejus ipſius, ſive noſtrâ, ſive ipſius ſimul ac noſtrâ cauſſa cupimus. Quare & amoris ea vis ac natura eſt.

Etſi verò Deus ſeipſum primò ac præcipuè amat: nam & quævis res ſenſu intellectúve prædita ſeipſam amat: & Deus, qui ſeipſum optimum eſſe novit, non poteſt non ſeipſum maximè amare: tamen non hic ille amor eſt, de quo nobis præcipuè agendum eſt. Quia nec de hoc amore, ſed de illo toties loquuntur ſacræ literæ, quo res alias, ac nominatim homines, Deus complectitur. Hic eſt, qui ad fiduciam in ipſo collocandam, ad ipſum amandum ac colendum nos vehementiſſimè impellit. Ac porrò hic eſt, qui de religione tractantibus inprimis eſt explicandus. Illius quidem amoris, quo ſeipſum complectitur Deus, effecta quædam in ſacris literis commemorantur. vid. Prov. 16. 4. Exod. 9. 16. Ezech. 36. 22, 23: quale illud inprimis eſt, quòd omnia propter ſeipſum facere, & in omnibus conſiliis operibúſque ſuis gloriam ſuam ſpectare dicitur; quin & illud, quòd nonnunquam zelum pro nomine ſuo ſancto aſſumit, ibid. cap. 39. 25, quodque hoſtes ſuos, ac nominis gloriæque ſuæ inimicos odit, & ſeverè ulciſcitur. Sed Deum tamen ſeipſum amare, expreſſis verbis alicubi pronunciatum eſſe, nondum animadvertimus.

Ut igitur de illo Dei amore loquamur, quo res extra ſe poſitas proſequitur; is præter ἀγάπης nomen, Joh. 17. 26. Rom. 5. 5, 8: VIII. 39. 1 Joh. 3. 16. & alibi: etiam εὐδοκίας voce aut verbis cognatis non ſemel in ſacris literis effertur, Matth. 3. 17: XII. 18: XVII. 5. Luc. 2. 14: pertinet huc aliquo modo & zeli nomen, quamquam ad iram potiùs deſignandam adhibetur, ut jam ſuprà ex parte diximus, de Severitate divina cap. 28, loquentes, partim inferiùs hoc cap. dicemus. Diximus autem, id cuivis amori, ac proinde etiam illi, quo Deus res alias complectitur, commune eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut & rem eam, in quam fertur, extare, ac prout ejus natura fert, ſalvam eſſe cupiat; & in ea quodammodo acquieſcat. Verùm non æqualiter ſemper utrumque denotatur, cùm Deus quippiam amare dicitur, ſive ipſum amandi aut diligendi verbum uſurpetur, ſive alia cognatæ ſignificationis. Interdum enim verbis hujuſmodi prius ex iſtis duobus, interdum poſterius magis ſignificatur; adeò ut duplex quodammodo earum vocum ſit uſus. Nam interdum id potiſſimùm ſignificatur, quòd Deo res aliqua placeat, ejuſque voluntati valdè ſit accommodata: interdum, quòd Deus creaturæ alicui bene cupiat; adeò ut poſteriori ſignificatione amor Dei nihil revera ſit aliud, quàm ipſius favor ac benevolentia. Et priorem quidem vocis vim exprimens divinus ſpiritus, rem aut perſonam aliquam Deo placere, probari, acceptam eſſe dicit, aut Deum in ea εὐδοκεῖν pronunciat. vid. Pſal. 51. 18. Prov. cap. XI. 20: XVI. 7. Oſe. 6. 6. Heb. 10. 5, 6, 7: & Pſal. 40. 7. Quanquam verbum εὐδοκεῖν nomenque illi conjugatum εὐδοκία, etiam ad benevolentiam Dei ſignificandam adhibetur. Fertur autem Dei amor priori modo ſumtus in quaſvis, ſive res, ſive perſonas, in quibus aliquid ineſt veri boni; licèt non rarò, cùm vox amoris, aut aliæ eandem vim habentes, in perfectiori quadam ſignificatione ponuntur, quædam tantùm res ac perſonæ à Deo amari, eíve placere dicantur, cæteris ab amore Dei excluſis; & illis quidem inprimis, in quibus tantæ exiſtunt odii cauſſæ, ut earum vim, quæ amorem Dei elicere aliàs poſſent, perimant, & ipſam porrò Dei erga ipſas charitatem extinguant. Qua de re nonnihil explicatiùs dicemus paulò inferiùs, ubi de amoris divini gradibus, itemque ibi, ubi de odio Dei diſſeremus. At poſteriori modo acceptus Dei amor, non in res quaſvis, licèt bonas, fertur, ſed in eas tantùm, quæ ſenſu ſunt præditæ; & maximè propriè in perſonas, quæ ſupra ſenſum intellectu quoque ſunt ornatæ. Hæ enim ſolæ favoris ac benevolentiæ alienæ ſunt capaces, ejuſque vim experiri, & fructum percipere queunt. Ex quibus facilè intelligi poteſt, Deum priori amoris genere, tum res omnes à ſe creatas, tum earum qualitates effectáque bona ac præclara per ſe proſequi. Per ſe, dico; quia interdum ob exſuperantes odii cauſſas, illas non amat ampliùs. Et de rebus quidem creatis non modò id teſtatur, ſed & demonſtrat Auctor libri Sapientiæ, cap. XI. 25, 26, dum ait: *Diligis* (Domine) *omnia quæ ſunt, & nil odiſti eorum, quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Conſentiunt his ea, quæ Moſes hiſtoriæ de creatione rerum primo Geneſ. capite ſubjicit: *Vidit* inquit, *Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Omne enim bonum cognitum per ſe amatur: & quantò melius eſſe cernitur, tantò magis. Quod ergo Deus valde bonum eſſe vidit, videtque, quomodo non etiam valde amaret? Similiter autem dubitare nemo poteſt, qui vel ſacras literas, vel ipſam rationem conſulit, Deum pietatem hominum factaque ſuæ voluntati conſentanea amare. Verùm iiſdem hominum factis Deum favere nemo niſi impropriè dixerit, uti & naturis ac ſubſtantiis inanimatis ſenſuque carentibus. Cernitur quidem etiam in amore rerum inanimatarum, itemque attributorum in creaturis extantium, ac factorum ab illis proficiſcentium, aliquid favori ac benevolentiæ ſimile; quemadmodum & verba Sapientiæ paulò ſuprà laudata indicant. Nam etiam res illas Deus extare, ac ſalvas eſſe cupit, ſaltem quatenus earum fert natura; nec niſi fortè majoris boni cauſſa eas tollit, aut impedit; nonnullas ne impedire quidem vult unquam, tanquam ſibi gratiſſimas. Id autem benevolentiæ cujuſdam inſtar eſt. Sed tamen vera ac propriè dicta benevolentia non niſi in illud exerceri poteſt, quod beneficii propriè capax eſt. Non eſt autem capax, niſi quod ſenſu eſt præditum; maximè propriè autem id demum, quod intellectum habet. Unde & aliud inter duplex illud amoris genus diſcrimen naſcitur. Nam prior ille amor ſimpliciter rei ipſius à Deo cognitæ naturam ſequi ſolet, in eoque libertas divinæ voluntatis vix ac ne vix quidem cernitur. At poſterior liberæ voluntatis divinæ effectus eſt, & ad benignitatem ejus revera pertinet. Et de hoc quidem poſteriori amore potiſſimùm nobis eſt agendum. Hunc enim nobis ſacræ literæ creberrimè inculcant, prædicant, commendant. De hoc loquitur Johannes, 1 Joh. 4. 8, cùm ait, *Deum charitatem eſſe.* Quod quidem nihil aliud eſt, quàm Deum charitate, ut ita dicam, pleniſſimum eſſe, hunc in illo affectum veluti dominari, & luculentiſſimis ab eo effectis ac documentis demonſtrari. Metonymia enim eſt, in qua attributum abſtractum, ut in ſcholis vocant, de ſuo ſubjecto emphaticè enunciatur, vel, quod eódem recidit, abſtractum *charitas* pro *charitate plenus* ponitur. Etſi enim nonnunquam abſque emphaſi, vel ſaltem exigua cum emphaſi, attributum abſtractum pro concreto ponitur, & de ſuo ſubjecto enunciatur: ut cùm *juſtitia* fieri in Chriſto dicimur, 2 Cor. 5. ult. hoc eſt, juſti, ſeu juſtificati; aut cùm *circumciſio* pro circumciſis, Rom. 3. 30: IV. 9: XV. 8, *præputium* pro præputiatis ponitur: Rom. 2. 26, 27: III. 30: IV. 9: nihilominus tamen ſæpè emphaſin non exiguam hoc loquendi genus habet, & ſignificat, eum, de quo certa quædam qualitas in abſtracto effertur, in ea valde excellere. Quo pacto de eodem Deo Johannes ait, 1 Joh. 1. 5, eum *eſſe lucem,* hoc eſt, lucidiſſimum ſeu ſanctiſſimum, ita ut ipſa lux, ſeu ſanctitas, dici meritò debeat. Sic & Chriſtus *Amen* hoc eſt, veritas dicitur, Apoc. 3. 14; quia ſit veraciſſimus, in promiſſionibus præſtandis fideliſſimus, atque ab omni mendacii, doli, ac infidelitatis labe prorſus immunis.

Hæc autem Dei charitas in eo conſiſtit, quòd is bona, atque adeò optima, aliis & velit, & præſtet. Ea enim amoris, quo perſonas complectimur, vis eſt atque natura, ut præter ipſam rationem Philoſophus * docuit. Habet autem hic Dei amor gradus varios. Alios enim magis amat Deus, alios minùs. Amat, verbi gratiâ, omnes homines, etiam impios, quatenus eos reſipiſcere, ac porrò vivere cupit. Qua de re ſacræ literæ clariſſimè teſtantur, ac inprimis Novi fœderis ſcripta. Amare autem eos ſolet Deus tam diu, donec contumaciâ ſuâ ejus iram odiumque ita provocent, ut eos perditos cupiat, & id, quod in illis ſolum amat, id nempe, quòd creavit, iis ereptum eat, quo pacto dicitur Deus odiſſe omnes operantes iniquitatem; Pſal. 5. 7: XI. 5; animam Dei odiſſe impium, & diligentem iniquitatem; odiſſe ſimiliter impium & impietatem ejus. Sap. 14. 9. Cum verò impietas ſuâ naturâ Deo ſit odio, & eum ad iram adverſus eos, qui illam exercent, exſtimulet; etiamſi is iram cohibere pro benigniſſima ſua voluntate ac clementia & poſſit, & diu ſoleat: liquet tamen, Deum magis amare eum, qui reipſa jam pius eſt, quàm eum, qui adhuc impius, licet eum Deus ferat, & reſipiſcentiam ejus adhuc expectet. Unde etiam ſacræ literæ de piis nominatim, atque adeò peculiari ratione affirmant, eos à Deo diligi, quaſi cæteri ab eo non diligantur; nempe quia minùs ab eo diliguntur, & quidem ita, ut quamdiu in hoc ſtatu verſantur, ipſi diſpliceant, &, ni ſe emendarint, certiſſimo interitui deſtinentur. Hinc Pſaltes: Pſal. 146. 9: *Dominus diligit juſtos* & Chriſtus, Joh. 14. 21: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et iterum: ib. ℣. 23: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum.* Et rurſus cap. 16. 17: *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quòd ego à Deo exivi.* Unde etiam monemur, Jud. ℣. 21, ut in Dei dilectione nos ipſos conſervemus, hoc eſt, curemus, ne Dei amore, quo nos complexus eſt, excidamus. Jam quod ad homines etiam pios attinet; non dubium eſt, alium alio magis à Deo amari, prout vel ipſe magis Deum amat, vel Deo in ipſum placet eſſe benigniori. Nil dicimus nunc de diſcrimine amoris Dei in homines & angelos. In quo quidem ex parte angeli nos antecellunt; ſed ex parte viciſſim à nobis ſuperantur. Unde Deo nominatim φιλανθρωπία hoc eſt, amor erga homines tribuitur. Tit. 2. 4. In eo quidem illi nos

* lib. 2. Rhet. c. 4.

ſuperant,

ſuperant, quòd priùs ac certiùs ſua felicitate ex divino favore perfruuntur, longeque præ nobis præſtantiorem adepti ſunt naturam. At nos illos viciſſim hac in parte vincimus, vel potiùs Dei amor erga nos amorem ipſius erga angelos vincit, quòd, cùm tot haberet, & adhuc habeat cauſſas, quæ meritò efficere poſſent, ut nos amore dignaretur nullo, ſed odio potiùs implacabili proſequeretur; amaverit tamen, atque adhuc conſtanter amet; ita quidem, ut viliſſimos homunciones, pulverem ac cinerem, atque aliquando inimicos ſuos, pares olim angelis, naturæ habita ratione, facere velit, & in ſolio Chriſti collocare. Luc. 20. 30: Apoc. 3. 21. Quis verò dubitare poteſt, ſupra omnes & angelos, & homines pios, diligi à Deo Chriſtum, quem ipſemet Filium ſuum dilectum, in quo benè ipſi complaceat, Matth. 3.17: XVII. 5, ſeu quo inſigniter delectetur, voce de cœlo bis repetita pronunciavit. Hac enim ratione illum non vulgaribus tantùm hominibus, ſed ipſis etiam Prophetis, licet excellentiſſimis, cæteriſque filiis ſuis prætulit, & quodammodo oppoſuit. Quod & Paulus fecit, dum eum *Filium dilectionis* Dei appellat, Col. 1. 13, aut etiam *Dilecti* nomine ſimpliciter deſignat, ut quidem Græca ipſius verba, in ea, quam ad Epheſios ſcripſit, Epiſtola Epheſ. 1. 6, teſtantur. Hinc & apud Eſaiam cap. 42. 1, ita eum ipſemet deſcribit ac commendat Deus, in illis, quæ apud Matthæum cap. 12: 18, repetuntur, verbis: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ.* Et quid multis opus? pleni ſunt ſacri libri teſtimoniis atque argumentis ſummi atque ardentiſſimi, quo Deus Chriſtum, complexus eſt, atque æternùm complectitur, amoris. Ex quo & illud profectum eſt, ut omnia, quæ ad humani generis ſalutem pertinent, in ipſius manu, cum ſumma ipſius gloria collocarit, ut ipſemet de ſe Chriſtus teſtatur. vide Joh. 3: 35: 5. 20, & d. Et ſi verum amamus, hæc præcipua eſt cauſa, cur unigenitus Dei Filius appelletur; qua de re Volk. lib. 5: cap. 12, diſſeretur.

Diverſitas autem hæc amoris divini, partim ex ipſo Deo liberrimaque ipſius voluntate ac decreto proficiſcitur, partim ex ratione objecti, in quod amor ille fertur. Nam quòd Deus angelos ita amavit, ut immortales crearet, homines autem ita, ut ante conditum mundum cœleſtem illis felicitatem deſtinaret, & poſtmodum in graviſſima innumeraque ſcelera prolapſos ad eandem vocaret, ſcelerum illis omnium veniam offerret, pro illis unigenitum ſuum filium morti atrociſſimæ ſubjiceret; quid præter benigniſſimam ejus voluntatem effecit? Quid item, ut Chriſtum aliquando naſciturum, jam ante conditum mundum diligeret, & ſupremam ei gloriam ac majeſtatem decerneret? Joh. 17. conf. ℣. 5, & 24. Sic, ut de aliis etiam ſpecialioris divini amoris generibus loquamur; quid erat cauſſæ, cur Deus olim, Eſavo ac Jacobo nondum natis, ac porrò nondum re ulla, ſive bona, ſive mala, ab illis deſignata, decerneret, ut major, nempe Eſavus, ipſiúſve poſteri Edomitæ, ſerviret minori, nempe Jacobo, ejúſve poſteris? Gen. 25. 23: Rom. 9. 10. quo quidem facto Deus ita dilexit Jacobum, ut præ ipſo Eſavum odiſſe videatur. Nulla certè alia ejus rei cauſſa, præter liberrimam Dei voluntatem extitit. Verùm quòd Deus pios præ impiis, quòd eos, qui cæteros virtute ſuperant, præ aliis amet, quodque angelos, qui in priſtina integritate perſtiterunt, conſtanti charitate proſequatur, illis, qui adverſus ipſum impiè rebelles extiterunt, è cœlo in tartara detruſis; ejus rei cauſſa impulſiva etiam extra Deum eſt, & in hominum angelorumque pietate conſiſtit. Quin & ipſe Chriſtus, quòd Dei præcepta ſervârit, in ipſius amore, quo cæteroqui fuerat præventus, permanſit. Unde ita diſcipulos alloquitur: Joh. 15. 9, 10: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Et alibi apud eundem ſcriptorem dixerat: cap. 10. 17: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam,* nempe pro ovibus meis. Hoc enim mandatum, ut paulò pòſt ſubjicit, acceperat à Patre ſuo. Eódem pertinent & illa: cap. 8. 29: *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum* (Græce additur *Pater*, particulâ & omiſſa) *quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.*

Poſſemus jam ab Amoris explicatione ad tractationem de Gratia rectà pergere, niſi paucula adhuc de Zelo Dei eſſent adjicienda, quo nonnunquam Amor Dei erga gloriam populumque ſuum ſignificatur, & amor quidem ejuſmodi, qui nec rivalem, nec rei amatæ inimicum ferre poſſit. Itaque Deus ob zelum ſuum, nec populum ſuum falſo alicui Deo adhærere, & amorem ac cultum ſibi debitum ad alium deferre patitur; nec eundem populum, ſi præſertim conſtanter Deum amaverit, eique uni adhæſerit, ab hoſtibus lædi ac violari permittit, aut, ſi aliquatenus permiſerit, id ſinit inultum. vid. Eſai. 9. 7: XXXVII. 32: Joël. 2. 18: Zach. 2. 14. VIII. 2. Significat ergo hæc vox ad hunc modum uſurpata, & amoris quandam vehementiam, & porrò etiam ejus effecta quædam, nempe odium aut iram in rivalem, vel rei amatæ hoſtem, ut non injuriâ ad mixtos affectus referri queat. Et ſanè quia ea voce crebriùs ira atque indignatio Dei exprimitur, quàm Amor; ideò ejus explicatio ad tractationem de Ira Dei magis pertinet.

His ad eum modum de Amore Dei explicatis, non multa nobis ſuperſunt de Gratia Dei dicenda. Siquidem ille Dei amor, quo ad benefaciendum impellitur, ſeu mavis, ſeipſum inclinat, nihil aliud eſt, quàm ipſius Gratia, ſeu favor ac benevolentia erga alios. Unde ſimplex amoris vox in ſacris literis de Deo uſurpata, creberrimè eundem reipſa affectum ſignificat, qui Gratiæ voce exprimi alibi ſolet. Eſt tamen aliqua in voce Gratiæ emphaſis, quæ in Amoris voce per ſe non cernitur. Nam ne illud nunc repetam, quòd Amoris vox per ſe latiùs patet, & ad res omnes, etiam inanimatas, tanquam ad objectum ſuum extenditur; Gratiæ nomen gratuitum affectum ac propenſionem in alios magis denotat, quàm vox Amoris. Itaque Gratiæ nomen evidentiùs excludit merita ejus, cui ea exhibetur, quàm vox Amoris. Quicquid enim ex gratia revera provenit, id gratis alteri præſtatur. Amor autem meritis etiam provocari conciliari poteſt. At gratia deſineret eſſe gratia, ſi meritis exprimeretur. Unde quod ex amore provenit, non ſemper beneficium propriè dictum eſt: quod ex gratia, beneficium ſemper eſt. Neque enim de ea loquimur gratia, quæ gratitudinis eſt, ſed quæ beneficentiæ. Nam Dei non eſt beneficiis obligari, ſed obligare: cum nullius rei indigus, omnibus ſuppeditet omnia. Ejus ergo gratia, ut diximus, merita creaturarum excludit. Hinc illa Apoſtoli Rom. 4. 4: *Ei qui operatur* (intellige perfectè) *merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Et illa cap. XI. 6: *Si gratiâ, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et iſta Epheſ. 2. 8, 9: *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, (& hoc non ex vobis: Dei [enim] donum eſt) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Quare gratia omnis amor quidam eſt: at non omnis amor gratia. Veruntamen quia amorem Dei, & ſumma, quæ inde in nos profluunt, bona, factis noſtris non meremur; amor Dei erga nos gratia eſt, ut gratia amor. Concurrit, inquam, hac in parte Amor ac Gratia, & reipſa idem ſunt; licèt interim vocum vis ſit diverſa, & altera per ſe laxior ſit alterâ. Etſi autem à gratia divina omnia in homines bona proficiſcuntur, etiam ea, quæ naturaliter nobis inſunt: ſacræ tamen literæ ea potiſſimùm bona, quæ ſuprà naturam nobis Deus concedit, & inprimis ſpiritualia ac cœleſtia, Gratiæ ipſius adſcribunt. Unde & vulgò apud Theologos bona naturæ & gratiæ diſtingui, & ſibi invicem quodammodo opponi ſolent. Quanta autem Dei ſit gratia, quàm perfecta, quàm conſtans, quàm dives, quàm late patens, maximè ſub Euangelio, ſub quo qui vivunt, ſub Gratia eſſe dicuntur, & iis, qui ſub Lege vixerunt, hac in parte opponuntur; ex Benignitatis explicatione, itemque ex iis, quæ de Amore divino paulò ſuperiùs diximus, intelligitur. vide inter alia inſignem charitatis, gratiæ, ac miſericordiæ divinæ, ſub N. Fœdere hominibus exhibitæ commendationem Eph. 2. ℣. 4. & d. Ibi enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& divitiæ miſericordiæ, & nimia, ut vetus habet interpres, ſeu ingens charitas, & abundantes divitiæ gratiæ Deo tribuuntur, & inſignia ejus effecta commemorantur. Quia verò Deus eâ tam libenter utitur, ſemperq; eſt uſus, & ad eam adeò eſt pronus; ideo Hebraicè *Channun* appellatur, quam vocem Latinè *Gratioſum* cum nonnullis poſſis reddere. Quanquam Latina vox eum, qui gratiâ apud alios valet, ſeu cui alii favent, ſignificat; Hebræa verò eum, qui gratiam aliis exhibet. Unde alii novâ voce *Gratificum* reddiderunt; alii rurſus beneficum, alii aliter, eâdem tamen ferè ſententiâ. Et ſanè licet Benefici vox Hebrææ non exactè reſpondeat: vim tamen ejus ſatis exprimit. Ob ejus, ut ita dicam, abundantiam, ac beneficiorum ab ea manantium ubertatem, Deus à Petro 1 Pet. 5. 10 appellatur *Deus omnis gratiæ* q. d. nullâ non gratiâ abundantem; vel, ut plærique verba illa accipiunt, omnis gratiæ ſeu beneficii auctorem. Solet enim *gratiæ* nomen, etiam cùm ad Deum refertur, in ſacris non ſemel pro dono ex gratia manante per metonymiam uſurpari; Rom. 1. 5: XII. 3: XV. 15. 2 Cor. 8. 1: IX. 8. Epheſ. 4. 7. χάρις nempe pro χαρίσματι. & apud Theologos vulgò Gratia nominatim ſumi conſuevit pro eo Dei beneficio, quo Deus in nobis fidem ac pietatem excitat, excitatamque conſervat. Sed de hac gratia hîc non eſt agendi locus; verùm de illius fonte.

A Gratia veniendum eſt ad Miſericordiam, quæ Deo innumeris propè locis tribuitur; Exod. 34. 6, 7. Neh. 9. 17. Pſal. 86. 15: CIII. 8, & d. CXLV. 8. Joël. 2. ℣. 13. Jon. 4. 2. &c, quia ea toties, tamque libenter, tum erga omnes homines, tum inprimis erga pios utitur, ideo Pater miſericordiarum appellatur, 2 Cor. 1. 3. & πολύσπλαγχνος ſeu multæ miſerationis, Jacob. 5. 11. ac dives miſericordiâ eſſe perhibetur; Epheſ. 2. 4. quin & viſcera miſericordiæ, Luc. 1. 78. & conturbatio ſeu commotio viſcerum, Jer. 31. 20. per ἀνθρωποπάθειαν, ſeu metotymiam cum metaphora concurrentem, ei tribuitur. Quia enim homines, cùm aliorum miſerentur, corde, quod viſcerum præcipuum eſt, commoventur, atque ad miſeriam aliorum ſublevandam impelluntur; ideò Deo quoque, cùm ad miſerias noſtras ſublevandas tollendaſque commovetur, viſcera tribuuntur miſerationis, ſeu miſericordiæ affectu commota. Non multùm autem is affectus in Deo à Gratia diſtat; imò miſericordia divina Gratia ipſius revera eſt; licet non omnis gratia viciſſim ſit miſericordia. Latiùs enim aliquantò Gratia patet, quàm Miſericordia, nempe magis propriè ſic dicta. Quod propterea addimus, quia ſuperiùs docuimus, Miſericordiam pro benignitate non ſemel in ſacris literis ſumi. Eo autem pacto accepta, gratiam quoque ita in ſe complectitur, ut non latiùs hæc, quàm illa pateat. Cæteroqui ſi miſericordia magis propriè ſumatur, ea non niſi erga miſeros ac calamitoſos, aut calamitati quodammodo vicinos, exerceri poteſt, uti eodem loco monuimus. At Gratia non minùs, quàm benignitas, in eos etiam exerceri poteſt, qui, utut miſeri non ſint, nec in miſeriam velut inclinati, beneficii tamen adhuc alicujus ſunt capaces. Quales ſunt etiam felices, modò eorum felicitas vel incrementum adhuc aliquod admittat, vel ad conſtantiam ac conſervationem ſui, alienam opem requirat. Ex quo diſcrimine alia quoque inter utrumque affectum, in hominibus præſertim, differentia oritur: quòd is, qui propriè loquendo miſeretur, alienâ miſeriâ ita afficiatur, ut ex alterius dolore, ſive oculis ſubjecto, ſive prævíſo, dolorem quendam capiat, quo porrò ad eum juvandum commovetur. At gratia poteſt etiam ab omni doloris ſenſu eſſe ſejuncta, imò cum ſumma voluptate eſſe conjuncta. Verùm hoc utriuſque affectus diſcrimen in Deo propriè non cernitur: cùm in Deum dolor propriè non cadat. Eſt tamen, ut capite ſequenti intelligetur, etiam huic aliquid in Deo analogum. Siquidem res aliæ Deo gratæ, aliæ ingratæ ſunt. Itaque nihil prohibet dicere, Deum etiam calamitatibus hominum, eorum præſertim, qui ſe coram ipſo demittunt, maximè autem eorum, qui vitæ pietatem ex animo colunt, tanquam ſibi injucundis aliquo modo affici, eáque ratione ad illos juvandos commoveri. Unde major quædam emphaſis in miſericordiæ, quàm in Gratiæ voce eſſe videtur, & vehementiorem illa, quàm hæc, affectum ac commotionem denotare. Unde Apoſtoli in votis ſuis, quæ Epiſtolis ſuis præmittunt, 1 Tim. 1. 2. 2 Tim. 2. 2. Tit. 1. 4. 2 Joh. ℣. 3. cæteroqui breviſſimis, nonnunquam gratiæ nomine non contenti, miſericordiam apponunt. Quòd enim eam ſæpius omittunt, id eam ob cauſſam faciunt, quòd ſub gratia contineatur: quòd interdum apponunt, emphaſeos cauſſa faciunt.

Illi autem, erga quos miſericordiâ commovetur Deus, homines inprimis ſunt; quibus quidem non tantùm aliunde calamitas impendere poteſt, ſed etiam, ſi jure ſuo uti velit, ab ipſomet Deo, cùm nimirum peccatis ac ſceleribus ſuis commeriti ſunt, ut ipſos puniat ac perdat. Itaque quòd Deus peccatores non punit, ſed ſupplicium differt, &, ſi reſipiſcant, penitus aufert, ac de jure ſuo hac in parte prorſus cedit, id miſericordiæ ipſius eſt effectus. Unde per viſcera miſericordiæ Dei remiſſionem peccatorum nos obtinuiſſe ſacræ literæ teſtantur. Luc. 1. 77, 78. Eph. 2. 4. Verùm quia ſtatim nobis pereundum eſſet, ſi Deus nos deſerere vellet, etiamſi tandem ad nos perdendos vires ſuas non converteret; ideo miſericordiæ Dei imputandum eſt, quicquid is nobis præſtat boni, quod ad nos ſuſtentandos, tuendos, & ab interitu vindicandos pertineat; & denique univerſa noſtra felicitas, quam per Chriſtum ſumus adepti. Quia non modò eâ digni non ſumus, ſed ejus contrarium planè ſumus commeriti, perniciem nempe ſempiternam. Itaque ſummo jure à tantæ beatitatis aditu arceri poſſemus, niſi Deus indignitatem noſtram ſuâ miſericordiâ ſublevaret.

Moneri hoc loco à nonnullis ſolet, quod ad diſtinctionem miſericordiæ pertinet, aliam eſſe ordinariam, quâ nimirum Deus perpetuò utatur; aliam extraordinariam, quâ non ſemper. Et illa quidem ea revera tantùm eſt, quæ generali Dei decreto aut promiſſo eſt alligata; hæc, quæ ex tali decreto aut promiſſo non fluit. Illâ, verbi gratiâ, Deus reſipiſcentibus peccata condonat, & vitam æternam in Chriſtum credentibus donat: hac homines peccatis adhuc immerſos ad reſipiſcentiam ſingulari aliqua ratione vocat atque impellit, qualis miſericordia Paulo inprimis fuit exhibita. Ad hoc miſericordiæ genus per ſe reſpiciunt & illa Dei verba: Rom. 9. 13: *Miſerebor, cujus miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor*, ſeu, ut in Exodo cap. 33. 19, vetus interpres hæc eadem Dei verba, ſententiâ clarè expreſſa, reddidit: *Miſerebor cujus voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Quanquam etiam ad ordinariam Dei miſericordiam hæc verba referri poſſunt, ſed ejus temporis reſpectu, quo nullo adhuc Dei decreto fuit fixa atque alligata. Similiter & illud hîc moneri poteſt, in miſericordia divina non minùs, quàm in amore, gradus quoſdam cerni, qui ex effectuum diverſitate inprimis animadverti poſſunt. Aliis enim majora, aliis minora beneficia ex Dei miſericordia conceduntur, adeò quidem, ut ii, qui minoribus perfruuntur, illis nonnunquam opponantur, quibus miſericordia exhibeatur. Sic Rom. 9. ℣. 22, 23, opponuntur vaſa iræ vaſis miſericordiæ; licet illa quoque Deus in multa longanimitate, quæ ſanè à miſericordia non poteſt penitus ſejungi, tuliſſe aut ferre dicatur. Sic & populus Judaicus ad Chriſtum nondum converſus, dicitur miſericordiam non conſecutus, & ſibi ad Chriſtum converſo, tanquam tum demum miſericordiam conſecuto, apud Petrum 1 Petr. 2. 10, opponitur; licet nec antè miſericordiâ divinâ penitus fuerit deſtitutus. Sed plenior harum rerum explicatio ad tractationem de operibus Dei pertinet. Illud, antequam hinc diſcedamus, memoriâ repetendum eſt, quod ſuprà monuimus, tum Gratiam, tum Miſericordiam Dei, non ſemper pro affectibus ſingularibuſque voluntatis ipſius actibus ſumi, ſed non raró etiam pro ipſa benignitate, hoc eſt, pro conſuetudine quadam aliis benefaciendi, eorumque miſerias ſublevandi, vel pro voluntaria quidem, ſed tamen conſtanti, ad alios, præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſertim miſeros, juvandos pronitate ac promtitudine.

Tranſeundum nunc eſt ad affectus his adverſos. Amori autem directè opponitur odium; gratiæ & miſericordiæ ira atque indignatio, quæ furoris nomine ſolet à vetere interprete Latino, Exod. 22. 24: XXXII. 10, 11: Num. XI. 10, 33: XXV. 4, & alibi ſæpiſſimè, & ab aliis ipſum ſecutis, exprimi. Facilè autem horum affectuum ingenium ex natura atque indole contrariorum, quos hucuſque conſideravimus, perſpici poteſt. Et ad odium quidem quod attinet; quemadmodum amor rem ſibi objectam, tanquam gratam amplectitur, eamque extare cupit: ita contrà odium rem objectam, ut ingratam averſatur atque abominatur, ac porrò ſublatam cupit. Nihil autem eſt, quod Deus per ſe abominetur, præter peccatum; propter peccatum autem abominatur etiam ipſos peccati auctores, illos præſertim, qui in eo contumaciter perſeverant. Unde ſacræ literæ pronunciant, Deum odiſſe omnes operantes iniquitatem; Pſal. 5. 7; animam ejus odiſſe impium, & diligentem iniquitatem; Pſal. XI. 5; eum odiſſe ſimiliter impium & impietatem ejus; Sap. 14. 9; impios ipſi abominabiles eſſe, aut fore. Levit. 26. 30: 3 Reg. 21. 26: Pſal. 14. 1: LIII. 2, & alibi. Et de peccatis quidem nominatim, quæ Deus oderit, vide quæ leguntur Deut. 16. 22: Prov. 6. 16: Jerem. 44. 4: Zach. 8. 17. Quibus adde & ea loca, quæ ſanè non pauca ſunt, ubi de iis peccatis ſermo eſt, quæ Deus *abominetur*. Inter alia plurima, vid. Lev. 18. 22, 26, 29: Deut. 12. 31: XIII. 14: XVII. 4: XVIII. 9, 12: XXIII. 18: XXV. 16: XXVII. 15: XXIX. 17. De hominibus autem, quos oderit Deus, itidem non pauca loquuntur ſcripturæ loca. Adeo autem peccatum atque impietatem odit Deus, ut non tantùm eorum auctores oderit, ſed odium hoc quodammodo derivetur in alia eorum facta, cæteroqui Deo non modò non adverſa, ſed ab eo etiam præcepta: Prov. 15. 8: XXI. 27: XXVIII. 29. Eſa. 1. 13, 14: nempe quia factis impiorum cæteris, utut per ſe non malis, imò ad honorem ipſius ſpectantibus, non ampliùs delectatur Deus; præſertim quia illis hypocriſis admixta eſt: & illa omitti mavult, quàm ab impiis ſibi præſtari. Nam aliàs res naturâ ſuâ non malas, & ob præceptum ipſius ad pietatem ſpectantes, odiſſe Deus non poteſt, ſed eas potiùs amat. Verùm amor ille cedit peccatis quod illis labem aliquam aſpergit, odio, ita ut propter peccatum etiam illa quodammodo ſublata Deus velit, id quod eſt illa odiſſe. Et ſi rem penitiùs conſideres, eo modo & impiorum perſonas odit Deus. Nam impios & quà impii ſunt, odit Deus; quod odium ab ipſius impietatis odio reipſa nihil differt: & quia impii ſunt, ideò etiam ipſas eorum perſonas odit eatenus, quatenus eas perditas cupit. Etſi enim impii, quà Dei creaturæ ſunt, boni ſint, ac porrò Deo non modò non diſpliceant, ſed & placeant: tamen amor erga impios, quà Dei creaturæ ſunt, odio eorum, quà impii ſunt, adeo cedit, ut eorum etiam perſonas propterea ſublatas ac perditas velit: qua in re odium adverſus ipſos conſiſtit.

Ab odio veniendum eſt ad iram, affectum illi adeò vicinum, ut interdum ab eo vix diſcernas. Id tamen primò inter utrumque intereſt, quòd odium etiam in facta fertur; imò Dei odium, uti vidimus, à factis incipit, & in illa primùm fertur; hinc ad perſonas, unde facta proficiſcuntur, progreditur. At ira in perſonas primò fertur, licet ex factorum odio proficiſcatur. Itaque odium factorum, iræ eſt cauſſa: ira rurſus, præſertim aliquo modo inveteraſcens in odium illud abit, quod in perſonas concipitur. Quæ cauſſa eſt, cur hujuſmodi odium ab ira diſcernere vix poſſis. Illud tamen intereſt, quòd iræ vox majorem ardentioremque videtur impetum ad pœnam de altero ſumendam ſignificare, quàm odium per ſe ſumtum. Quemadmodum autem ab ira quodammodo incipit odium illud, quod perſonas ipſas petit: ita in iram redire exireque ſolet, ac non niſi ſupplicio eorum expiari, qui id provocaverint; niſi eorum mutatione ac reſipiſcentiâ placetur.

Ex dictis autem facile intelligitur, quid ira ſit, nempe puniendi affectus; qui in Deo eſt propenſio, &, ut ita loquar, impetus voluntatis ad ſupplicium de nocente ſumendum. Unde porrò multis ſcripturæ locis pro ipſa pœna per metonymiam efficientis accipitur. Joh. 3. 36. Rom. 1. 18: II. 5, 8: III. 5: IV. 15: V. 9: XIII. 5: Epheſ. 5. 6: 1 Theſſ. 1. 10: II. 16. Semper n. pœnam ac vindictam ſpectat ira, etiamſi non ſemper reipſa exigat. Poteſt enim tum per ſeipſum Deus iræ ſuæ impetum ſiſtere, ac vim illius cohibere; tum reſipiſcentiâ eorum, qui ipſum irritaverant, & precibus ſive eorundem, ſive aliorum, placari ac mitigari. Cujus rei exempla non pauca nobis ſac. lit. ſuppeditant, quorum nonnulla ſunt à nobis ſup. cap. 23, annotata. Dicimus autem, iram divinam propenſionem eſſe ad ſupplicium, non de quovis, ſed de nocente ſumendum. Etſi enim hominum ira ſæpè etiam innocentes ad ſupplicium puſtulat; ſive quòd videantur læſiſſe; ſive quòd iis, qui læſerint, quacunque ratione conjuncti ſint: in Dei tamen iram id minimè cadit. Hæc enim injuſta eſſe nunquam poteſt. Ira autem, quæ innocentis ſupplicium poſtulat, naturâ ſuâ injuſta eſt. Quemadmodum ex iis intelligi poteſt, quæ ſuprà cap. 25, de juſtitia Dei, quatenus in pœnis infligendis cernitur, diſſeruimus. Quibus adde ea, quæ de poteſtate divina, quam ad pœnas infligendas habet, diximus cap. 23; ubi & illud explicuimus, quo pacto in iis, qui innocentes ſunt, nocentes puniri queant, atque adeò puniri à Deo ſoleant. Quibus animadverſis, haud magno negotio ea dilues, ex quibus quiſpiam fortaſſe concluſerit, iram divinam etiam in innocentes nonnunquam ferri, & eos ad pœnam ac ſupplicium rapere.

Iræ autem vehementiam ac intenſionem quandam deſignare ſolent, excandeſcentiæ, furoris, indignationis, & ſi quæ ſunt alia his ſimilia nomina, Deo etiam in ſacris literis attributa. In quibus, uti & in cæterorum affectuum nominibus Deo accommodandis, id obſervandum eſt, ut quicquid illa, ſi propriè ſumantur, vitii aut imperfectionis involvunt, id à Deo removeas, & non niſi id, quod, ut ita loquar, defæcatum ac purum eſt, Deo tribuas.

Ad iram autem divinam referendus eſt etiam zelus ſeu zelotypia, hoc eſt, æmulatio divina. Etſi enim zeli vox, ut ſuprà diximus, nonnunquam ſignificat ardentiorem quendam Dei erga gloriam, itemque erga populum ſuum amorem, rivalis etiam impatientem: ſæpiùs tamen iræ atque indignationis ſignificationem habet. Unde voces iræ, furoris, indignationis, non ſemel in eodem verborum contextu, cum nomine zeli veluti commutantur, atque ad eandem rem explicandam adhibentur. Num. 25. 11. Deut. 6. 11: XXIX. 20: XXXII. 21. Pſal. 79. 5. Ezech. 5. 33, & alibi. Soph. 3. 8. Et cùm Deus zelotes ſeu æmulator dicitur, Exod. 20. 6. Deut. 5. 9. Joſ. 24. 19. Nah. 1. 1, 2: non ſemel ejuſmodi adjiciuntur verba, quæ ſeveritatem divinam exprimant, ut ſuprà ex parte vidimus, de Severitate agentes; & alicubi pro eodem ſumuntur, Deum eſſe zelotem, & eſſe ignem conſumentem; Deut. 4. 24: & eodem ſenſu ignis zelo divino tribuitur, Ezech. 36. 5. Soph. 1. 18: III. 8: aut ipſe ille zelus ut ignis ardere Pſal. 79. 1. aut fumare dicitur; Deut. 29. 20, aut denique ignis iræ divinæ, & zelus Dei pro eodem ponuntur. Ezech. 38. 19. Etſi autem zelus divinus quamvis Dei iram atque indignationem vehementiorem ſignificare deprehenditur; eam tamen inprimis denotat, quæ ex illo Dei amore quodammodo naſcitur, quem eodem zeli nomine deſignari diximus: ea verò eſt, quâ Deus accenditur adverſus idololatras, eos præſertim, qui arcto cæteroqui fœdere Deo juncti, & illius unius culti adſtricti fuerant, aut adverſus populi ſui hoſtes. Nam idololatræ, ii præſertim, qui arctiori fœderis vinculo Deo juncti, & illius unius cultui adſtricti fuerant, dum falſos Deos aut ſimulachra colunt, æmulos ac rivales Deo conſtituunt, iiſque præter jus fas ſeſe adjungunt, & amorem ac cultum ſoli Deo debitum, quem unum ab illis poſtulat, ad alios transferunt, aut cum iis communicant. Qua in parte ipſi quoque perduelles ac gloriæ divinæ hoſtes evadunt. Amor autem ille divinus, qui zeli nomine deſignatur, nec rivalem, nec hoſtem rei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

adamatæ patitur. Itaque in iram erumpit eorum, qui rivalem Deo aliquem conſtituunt, aut hoſtes ſunt rei, ipſi inter cætera chariſſimæ, gloriæ nimirum, aut populi ipſius. Similis nimirum eſt hic amor illi, quo maritus uxorem proſequitur: unde & Sac. Literæ non ſemel hac ſimilitudine, cùm de Deo ejuſque populo ſermo eſt, utuntur: & cùm hic in idololatriam prolabitur, Deum ſimili quodam adverſus illum zelo ſeu irâ flagrare oſtendunt, quo maritus adverſus uxorem in adulterio deprehenſam. vid. inter alia Ezech. c. 16. totum, & nominatim ℣. 38, 43. & cap. 23. Itaque zelus hic iræ tantò eſt ardentior, quantò & amoris zelus flagrantior fuerat. Atque hæc eſt cauſſa, cur in illis potiſſimùm locis, ubi populus divinus ab idololatria avocatur, Deus zelotes, ſeu æmulator appelletur; ut ea ratione populus à tanto ſcelere abſterreatur, ſeveram Dei iram ac vindictam veritus. Patet id vel ex Decalogo, ubi poſtquam Deus prohibuiſſet, ne populus ipſius Deum alium coram ipſo haberet, & quaſi ante ipſius oculos rivalem adduceret, néve imaginem ullam vel facere vel colere auderet, addit Exod. 20. 5: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis* (vel *Deus*) *zelotes*, & quæ ſequuntur. Sic & alibi ait Moſes, ibid. 34. 14: *Noli adorare Deum alienum* (ſeu *alium.*) *Dominus, zelotes nomen ejus, Deus eſt æmulator.* quibus & alia tum apud eundem, tum apud alios ſcriptores ſacros reperies ſimilia: Deut. 4. 23, 24. VI. 14, 15. XXXII. 21. Joſ. 24. 19, conf. anteced. & ſeqq. Pſal. 78. ℣. 59. atque inter cætera vide, quæ leguntur apud Ezechiëlem cap. 8. ℣. 3, 5, de *Idolo zeli*, hoc eſt, de ſimulachro Deum ad zelum ſeu indignationem provocante.

Dici hîc non pauca poſſent de iræ divinæ magnitudine ac gravitate, ſed hac de re, quatenus ea ad explicationem attributorum divinorum pertinet, in tractatione de ſeveritate divina dictum eſt. Si quis tamen aliquid adhuc deſideret, videat inter alia propè innumera teſtimonia de ira divina loquentia, Deut. 32. 22, & d. & præter verba, quæ ex initio ferè cap. 1. Nahumi ſuperiùs de Severitate divina loquentes citavimus, ea quæ ſequuntur uſque ad finem ℣. 6. Adde his illa, ubi æternitas quædam iræ Dei adverſus quoſdam adſcribitur, ut adverſus Edomitas Malach. 1. 4: licet aliàs, ut eſt in Pſalmo, Pſal. 30. 6, *Momentum* (ſic eſt in Hebræo) *in indignatione ejus, & vita in voluntate* (ſeu *benevolentia*) *ejus. Ad veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia*, hoc eſt, ut viri docti explicant, Momentanea eſt illius ira, hoc eſt, breviſſimo tempore affligit: amor verò, quo nos proſequitur, per omnem vitam durat, ſi fortè ſub veſperum accidat flebile quiddam, illud manè in gaudium commutabitur. vid. Pſa. 103. 9. Sed hæc & ſimilia reſpectu populi divini, hominúmve Dei metuentium dicta ſunt. Aliàs reſpectu eorum, qui in peccatis ad extremum uſque perſeverant, æterna eſt Dei ira, præſertim habita ratione effectûs, nempe ſupplicii illius, quod impiis aliquando infliget Deus. Interea tamen tardior eſt Deus ad iram, quàm ad miſericordiam, ut ex Sac. Literis ſuprà cap. 28, docuimus, & omnibus notum eſt. & generatim loquendo, longè majores atque uberiores ſunt hujus, quàm illius effectus: ſimul & latiùs hæc, quàm illa patet. Etenim miſericordiam Dei ſuper omnia ipſius opera, beneficii nimirum alicujus capacia, eſſe ſeu exuberare vidimus. Pſal. 145. 9. quod licet de beneficentia ejus dictum, ad hunc tamen affectum, unde nomen traxit, rectè accommodatur. At ira Dei non adverſus omnia ipſius opera reipſa concitatur, licet fortè naturâ ita ſint comparata, ut peccare, & porrò iram Dei incurrere poſſint, vel etiam reipſa aliquando peccaverint.

Ex his etiam facilè intelligi poteſt, quid de amore & odio divino, quatenus in ipſas perſonas feruntur, ſentiendum ſit: ſiquidem miſericordia divina amor quidam eſt, & ira odium quoddam. Utut enim divinus recti atque honeſti amor, odio pravi par ſit; non par tamen eſt odium malorum hominum amori piorum, ſed ab amore ſuperatur. Et odio quidem creaturarum peccantium aliquo modo obſiſtit amor erga eaſdem, quà creaturæ Dei ſunt, & ſic boni rationem habent, odiique vim minuit: at amori piorum nullum ejuſmodi obſtat odium. Neque enim quicquam in nobis eſt naturale, quod oderit Deus. Vilitas quidem naturæ noſtræ efficere poſſet, ut contemtui eſſemus, at non ut odio. Sed præterea amor erga pios ac miſericordia benefici ſunt affectus; odium atque ira adverſus creaturas, aliis ſunt noxii. Benignitas autem, quàm ſeveritas, bonitati Dei naturali aliqua ratione vicinior eſt ac magis conſentanea. Quare non mirum, odium ab amore, iram à miſericordia divina vinci.

Atque hîc animadverti obiter poteſt, odium iſtud & iram divinam, nec ipſam Dei eſſentiam, nec naturalem in Deo qualitatem, quæ nimirum in illo planè neceſſariò ac perpetuò reſideat, eſſe. Siquidem nec ipſa Dei eſſentia, nec naturalis Dei qualitas ab altera ſuperari poteſt. Nec quicquam vel eſſentiæ divinæ, vel naturalibus Dei attributis poteſt eſſe in ipſo contrarium, quod illa perimat, ac ſecum conſiſtere vetet. At miſericordiæ ira contraria in Deo exiſtit, eamque circa idem objectum eodem tempore tollit. Quæ ratio evincit, nec odium Dei erga peccatores quoſvis naturalem eſſe Dei qualitatem. Siquidem huic quoque contrarius amor in Deo exiſtit. Aliter de amore ipſius recti, & pravi odio ſentiendum eſt. Id enim ad ſanctitatis ipſius naturam conſtituendam omnino pertinet, & alterum ab altero non modò non extinguitur, ſed ex amore recti, pravi odium neceſſariò proficiſcitur.

Subjiciendum nunc aliquid eſſet de hujus doctrinæ uſu. Verùm hic propè idem eſt cum eo, quem ex doctrina de Dei benignitate, ac oppoſita ei ſeveritate capimus. Siquidem amor Dei erga creaturas, ejuſdemque gratia & miſericordia, ad benignitatem; odium contrà, & ira adverſus eos, qui peccant, ad ſeveritatem ejus pertinent. Itaque quæ illic dicta ſunt, huc quoque transferantur. Illud addi poteſt de amore Dei erga pietatem ipſam, & odio adverſus impietatem; ut nos quoque Deum hac in parte imitemur, & pietatis amore ardentiſſimo flagremus, peccata autem omnia magno proſequamur odio, & ea quidem maximo, quæ ipſe quoque Deus maximè omnium abominatur. Præſertim quia pietatis amor, Dei erga nos ipſos amorem provocat atque alit; impietas contrà perimit, & odium Dei atque iram adverſum nos concitat. Infeliciſſimum autem eſſe neceſſe eſt, quem Deus odit. Deinde, ut quia Deus omnes quidem homines amat, ſed maximè pios; nos quoque omnes quidem amemus, ſed ſingulari ſtudio pios complectamur: impiorum autem conſortium vitemus; eos tamen interea, etiamſi hoſtes noſtri ſint, Dei exemplo diligamus, iiſque benefaciamus. Quin etiam cùm iram Dei adverſus alios accenſam videmus, eos inprimis, qui ad ipſius populum cæteroqui pertinent, eam precibus placare ſtudeamus.

Addi & illud poteſt, cùm videamus, Deum eos magis amare, qui pietatem impenſiùs colunt, contrà magis odiſſe eos, iiſque iraſci, qui impietati magis ſunt dediti; ſubinde nobis in pietatis ſtudio proficiendum eſſe, quò Dei etiam erga nos amor intendatur. Creſcente enim ipſius erga nos amore, creſcunt & beneficia, noſtraque felicitas.

Cap. XXXI.

De Deſiderio, Spe, ac Lætitia, eorúmque contrariis, Deo in ſacra ſcriptura tributis.

Veniendum nunc eſt ad alterius generis affectus in Deo exiſtentes, eos nempe, qui circa bona aut mala eatenus potiſſimùm verſantur, quatenus ea ipſimet Deo grata aut ingrata accidunt; itemque de iis, qui licet etiam ad aliena bona aut mala comparanda interdum ſpectent, ad hoc tamen genus ſæpiùs propiúſve accedunt.

Sunt autem affectus hujuſmodi, deſiderium, ſpes, lætitia, & his oppoſita, metus nimirum, dolor, & ſub eo comprehenſa pœnitentia. Pertinet quidem ab hoc genus etiam Amor & Odium, quatenus ad res magis, quàm ad perſonas referuntur, & à Gratia & Ira diſtinguuntur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

guuntur: ſed de his ſuperiori capite jam egimus. Facilè autem quivis perſpicit, illorum affectuum alios circa jucunda verſari, alios circa injucunda. Et eorum quidem, qui circa jucunda occupantur, iſtud eſt diſcrimen, quòd deſiderium ac ſpes circa bona abſentia, h.e. ea, quibus nondum potimur, ſi modò potituri unquam ſumus, occupantur: lætitia circa ea, quibus aliqua ſaltem ratione jam potimur, quæque vel reipſa adſunt, vel tanquam præſentia quodammodo à nobis conſiderantur. Deſiderium ac ſpes ad parandum bonum excitant: lætitia parto fruitur. Deſiderium rurſus ac ſpes inter ſe differunt, ut laxius & anguſtius, atque adeò ut genus & ſpecies. Spes enim omnis, ſi modò affectus, & non perſuaſionis potiùs de bono futuro ſignificationem habeat, eſt deſiderium quoddam; ſed non omne deſiderium ſpes eſt. Nam ſpes omnis futurorum bonorum eſt: deſiderium autem non tantùm in futurum, ſed aliquando etiam in præteritum reſpicit: ut cùm optamus, ut id factum fuiſſet, quod factum non fuit: cujuſmodi votum ac deſiderium etiam Deo tribuitur. Ita enim Pſalmo 81.14, in ipſo Hebræo textu legimus: *Utinam populus meus obtemperâſſet mihi, Iſraël in viis meis ambulaſſet!* & apud Eſaiam cap. 48. 18: *Utinam attendiſſes ad mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris.* Deinde deſiderium etiam rei incertæ eſt, imò illius, quam nunquam futuram novimus. Id quod vel ex eo apparet, quod jam diximus, nempe eam etiam ad præterita reſpicere, quæ cùm facta ſunt, infecta fieri nequeunt; ut nec contrà, quæ infecta, facta. At ſpes illius tantùm boni eſt, quod vel certò extiturum eſſe ſcimus, vel ſaltem probabiliter extiturum eſſe conjicimus. Imò interdum vix quicquam aliud ſpei nomen ſignificat, quàm perſuaſionem de bono aliquo futuro. Quod cùm ſit, deſiderium ſpei adjunctum eſt, non genus. Ac de ſimplici quidem deſiderio, in futurum tamen reſpiciente, loquuntur illa Dei apud Moſen de populo Iſraëlitico verba: Deut. 5. 29: *Quis det talem eos habere mentem,* (ſeu, *Utinam talem habeant mentem,*) *ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea in omni tempore, ut benè ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum!* & iterum: *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent!* quanquam nonnulli paulò aliter hæc verba vertunt. De hujuſmodi autem deſiderio etiam illa Dei verba cap. 32. 29, ſunt accipienda, quibus apud Ezechiëlem aſſerit, cap. 18. 23, 32. c. 33. 11: *ſe nolle mortem impii, ſed ut convertatur, & vivat:* præſertim cum in Hebræo verbum extet, quod *deſiderare* propriè ſignificat, & ita ab interpretibus aliis redditur. Similiter & illa Novi Teſtamenti loca, iſtis Dei verbis apud Prophetam extantibus gemina, in quibus affirmatur, 1 Tim. 2. 4. 1 Petr. 3. 9: *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Deum nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Neque enim *volendi* vox, aut contraria *nolendi,* ſemper voluntatis decretum, præſertim abſolutum ſignificat: ſed non raro ſolum deſiderium rei alicujus. Quo pacto & Græci interpretes Vet. Teſtamenti, in illo Ezechiëlis loco, verba, quæ ſimplicem *volendi* ſignificationem habent, pro *deſiderandi* verbo uſurparunt. & Chriſtus, cùm Hieroſolymitanam urbem ita alloquitur Matth. 23. 37: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* itemque dum Patrem ita in precibus ſuis affatur Joh. 17. 24: *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* Neque enim, ut quidam perperàm ſentiunt, *volendi* verbo decretum à ſe ſancitum exprimit, ut perinde ſit, ac ſi dixiſſet *ſtatuo,* aut *decerno.* Nam hoc non orantis fuiſſet: ſed potiùs jubentis ac præcipientis. Sed idem eſt, quod *cupio* ac *deſidero.* Hoc enim oranti convenit. Sed nihil opus eſt pluribus, cùm hæc verbi hujus ſignificatio ſatis ſit uſitata. vid: Matth. 7. 12: XV. 28: XIX. 30: XVII. 20, 21, 26, 32: XXVI. 39: Joh. 5. 6: XII. 21. Rom. 1. 13. XIII. 3. 1 Cor. 7. 7, 32: XIV. 5, 35, & alibi.

Tribuitur autem Deo deſiderium ac votum rerum hujuſmodi, quæ ipſi ſunt gratæ: quia eas, quod ad factum ipſum attinet, (juris enim alia eſt ratio) in arbitrio hominum poſitas eſſe, & porrò liberè, non neceſſariò ab illis præſtari voluit. Quare ut eæ præſtentur, non abſolutè decernit, ſed optat: ac porrò nec vim hominibus, ut ea faciant, adhibet; ſed eos variis modis ad illa invitat ac ducit, & in agendo adjuvat. Quamquam interdum extra ordinem aliquid ampliùs eum hac in parte facere non negamus. Atque hoc idem de ſpe, quam ſub deſiderio contineri diximus, intelligendum eſt. Nam & illa in rebus, quas Deus ex libera hominum voluntate proficiſci voluit, ipſi tribuitur. Tribuitur autem ea Deo ſub *expectandi* verbo apud Eſaiam 5. 2, 4, 7, ubi dicitur, Deum *expectaſſe,* ut vinea ab ipſo culta, h. e. populus Iſraëliticus variis beneficiis ab ipſo auctus, & ad pietatem multis modis veluti excultus ac præparatus, faceret uvas; quarum loco illa protulerit labruſcas: hoc eſt, ut ipſe Propheta rem poſtea explicat, *expectaſſe* Deum, *ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & juſtitiam, & ecce clamor.* Probabile enim nihilominus fuit, eventum divino conſilio, & fructum operæ reſponſurum. Qua de re ſuprà quoque dictum eſt, cùm de ſapientia divina ageremus. Eódem referri poteſt & ille Petri locus, 1 Pet. 3. 20, ubi ait, *Dei longanimitatem* (ita enim habent Græca) *ſemel expectaſſe in diebus Noë.* Intelligitur enim, Deum pro ſua longanimitate expectaſſe hominum reſipiſcentiam. Niſi quis velit verba illa de ſimplici potiùs deſiderio reſipiſcentiæ hominum, moram ac ſpacium illorum emendationi concedente, accipere. Non enim tam ſperaſſe videtur Deus hominum illorum reſipiſcentiam, tanquam probabilem, quàm ſimpliciter deſiderâſſe, ut rem ſibi gratam, & ſat diuturnum temporis ſpacium ei indulſiſſe.

Jam quod ad lætitiam ac gaudium attinet; id quoque non ſemel Deo in ſacris literis tribuitur: & gaudium quidem ejuſmodi, quod ex actionibus ſuis circa creaturas occupatis, aliiſve rebus extra ſe poſitis percipiat. Nam quod ad gaudium illud attinet, quod ex ſeipſo perpetuò capit Deus, quodque illi prorſus eſt naturale, de eo in explicatione beatitudinis divinæ diximus. Id autem, de quo nonc loquimur, externum & adventitium dicere poſſis, quo Deus ſine beatitatis ſuæ jactura aut imminutione carere poſſet, uti ante omnem creaturam caruit: imò cujus contrarium etiam quodammodo, ut paulò pòſt videbimus, in ipſum cadere poteſt. De hoc gaudio loquitur Moſes Deut. 28. 63, *Sicut antè lætatus eſt Dominus ſuper vos bene vobis faciens, voſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos atque ſubvertens.* Etſi enim Deus perditione atque interitu viventium nec per ſe delectetur, nec eam deſiderare ſoleat, præſertim cùm adhuc reſipiſcentiæ ſpes eſt reliqua: tamen cùm homines in impietate contumaciter perſeverant, &, moniti licèt ac caſtigati, redire ad frugem nolunt, eorum pœnam & deſiderat Deus, & eâ aliquo ſaltem modo delectatur, ac tantò quidem magis, quantò magis ipſi diſplicuerant ſcelera, quibus ipſum irritaverant, quantoque diutiùs ea tulerat. Unde & apud Eſaiam ita loquitur Eſa. 1. 24: *Heu conſolationem* (ſeu voluptatem) *capiam ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Et apud Ezechiël. cap. 5. 13: *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam* (hoc eſt, exſatiabo iram meam graviſſimis eorum ſuppliciis) *& conſolationem accipiam.* q. d. & ex hac vindicta voluptatem capiam *. Veruntamen longè magis delectatur Deus hominum felicitate, & ſuis, quæ in eos confert, beneficiis, ad quæ multò eſt pronior, quàm ad ſupplicia. Ac de hujuſmodi gaudio loquitur Moſes, cùm ait Deut. 30. 9: *Revertetur Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis* (Hebr. *ad bonum,*) *ſicut gaviſus eſt in patribus tuis:* hoc eſt, ut tibi cum gaudio benefaciat, ſeu tibi benefaciendo delectetur: quemadmodum cum lætitia quadam benefecit tuis majoribus, ſuis ipſius donis, ubertim in eos effuſis, delectatus. De eodem & Eſaias loquitur, Eſa. 62. 5, cùm Hieroſolymam ita affatur: *Gaudebit ſuper te Deus tuus,* nempe tibi benefaciendo, ſeu felicitate tua delectabitur. Et Deus ipſe c. 65. 19: *Exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in*

* Vide Bibl. Mag. Robert. Steph.

populo

populo meo. & apud Jeremiam cap. 32. 41: *Lætabor ſuper eos, cùm eis benefecero*, vel, ut eſt in ipſis fontibus, *ad benefaciendum eis.* Inſignis eſt etiam ille Davidis locus, qui extat Pſalmo 104. ubi ſermo eſt de gaudio, quod Deus ex operibus ſuis capiat, ſive per opera ipſius intelligas res ab ipſo creatas, ut alibi ſæpe, ſive actiones ac facta ipſius, circa creaturas occupata. Ita enim ait Pſaltes Pſal. 104. 31: *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*, vel (ut alii reddunt locum) *Lætetur Dominus in operibus ſuis*, ut ſit votum quoddam Prophetæ; præſertim cùm præceſſerit, ut quidem habet vulgata interpretatio Latina, quam non pauci ex recentioribus interpretibus hac in parte ſequuntur, *Sit gloria Domini in ſeculum.* Etiamſi autem non eodem prorſus modo votum hoc aut gratulatio Davidis accipiatur; eorum tamen ſententia vero videtur ſimillima, qui cenſent, id voluiſſe Pſalten dicere: Habet Dominus cauſſam, cur de operibus ſuis, utpote tam pulchris, tam affabrè factis, tam ſapienter inſtitutis gaudeat. Hoc ergo gaudio jure ſuo fruatur. Alludi enim hoc loco ad artifices, qui cùm opera ſua affabrè facta intuentur, & ea ſuæ intentioni reſpondere cernunt, gaudent. Simul etiam reſpici ad illa Moſis verba, in quibus omnino ad illum opificum morem alluditur, opera ſua jam confecta contemplantium: Gen. 1. ult: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Eſt ergo hoc votum Davidis prædicatio ac celebratio quædam operum divinorum, ipſiuſque adeò Dei opificis; ut ex gaudio, tanquam effectu, intelligatur cauſſa, nempe operum præſtantia. Verùm non tantùm ex ſuis operibus voluptatem percipit Deus, ſed etiam ex creaturarum factis voluntati ipſius conſentaneis, & quantò ea ſunt præſtantiora ac cum pietate conjunctiora, tantò majorem. Hinc dicuntur facta quædam eſſe ſacrificia illi accepta, quibus ille delectetur, eſſeque in odorem ſuaveolentiæ. Pſal. 50, 14, 15: LI. 19: Rom. 12. 1: Eph. 5. 2: Phil. 4. 18: Heb. 13. 15, 16: 1 Pet. 2. 5. quod etiam de ſacrificiis externis olim pronunciatum fuit: Gen. 8. 21. Lev. 1. 9, 13, 17, & alibi ſæpiſſimè: ſed majori jure alibi ad ſacrificia ſpiritualia accommodatur, utpote quæ & præſtantiora ſunt, & Deo longè gratiora. 1 Sam. 15. 32, 23. Eſai. 1. 16, 17. conf. cum præced. Jer. 7. 22, 23. Oſ. 6. 6. Quòd verò Deus hoſtes ſuos irridere alicubi dicitur, Pſal. 2. 4, id quidem, ſi vocem ſpectes huc pertinere videtur, ſed ſi rem ipſam inſpicias, huc non pertinet. Irriſio enim illa judicii revera eſt, non affectûs, & intellectûs, non voluntatis. Significat enim, Deum vanos ac ſtultos hoſtium ſuorum conatus ac molitiones videre aut judicare. Metomynia igitur eſt effecti, cum metaphora conjuncta: quia nimirum in hominibus ex hujuſmodi cognitione aut judicio riſus conſequi ſolet. Et hæc quidem de affectibus circa res Deo gratas verſantibus dicta ſufficiant.

Sequitur, ut de contrariis affectibus agamus, qui, ſi vocum proprietatem ſpectes, quoniam à natura Dei magis abhorrent, ideò ferè apertis verbis rariùs ei in ſacris literis tribuuntur, & in iis Deo accommodandis, ob ſummam ipſius potentiam, ſapientiam, beatitudinem, longiùs aliquantò à proprietate vocum recedere neceſſe eſt, quàm in aliis plæriſque affectuum nominibus, quæ ei in ſacris literis tribuuntur. Illos autem diximus eſſe, metum, & dolorem ſeu triſtitiam, ſub qua & pœnitentiæ affectus comprehenditur. Et quia de lætitia proximè diximus, cui dolor opponitur, ab hoc incipere placet. Etſi enim triſtitia propriè opponatur lætitiæ, dolor autem voluptati; in his tamen loquendi modis de Deo uſurpatis, non videntur ſacræ literæ vel voluptatem à lætitia, vel dolorem à triſtitia diſcernere. Illud certum eſt, lætitiam cum voluptate, triſtitiam cum dolore conjunctam eſſe. Quod igitur ad dolorem attinet; is uno tantùm, quantum hucuſque animadvertere potui, loco, in vulgata interpretatione, Deo expreſſe tribuitur; quo quidem & pœnitentia ei adſcribitur, & doloris adjecta mentione declaratur. Is autem locus extat Gen. 6. ℣. 5, 6, ubi dicit Moſes: *Videns autem Deus, quòd multa malitia eſſet hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore; pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi* &c. *pœnitet enim me feciſſe eos.* Apud recentiores quoſdam * interpretes & alibi homines dicuntur dolore affeciſſe Deum. Præterea aliis etiam verbis, dolor quidam ejus generis, quem Moſes expreſſit, alibi Pſal. 78. 40, Deo tribui videtur. Nam ne de pœnitentiæ voce ipſi accommodata nunc quicquam dicam, de qua mox agendum erit; illa quoque Dei verba huc referri poſſunt, quæ extant apud Eſaiam cap. 1. 14: *Calendas veſtras & ſolennitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens.* Illa enim demum moleſta ſunt, & in illis ſuſtinendis laboramus, quæ dolorem aliquem nobis afferunt: imò ipſa moleſtia dolor quidam eſt. Referri huc poſſunt & illa apud eundem Prophetam, ubi Deus gravibus ejuſdem populi ſceleribus commemoratis, ita, ſi Hebræa verba inſpicias, loquitur cap. 57. 6: *numquid ſuper his conſolationem accipiam?* q. d. num ego his delectari poſſum, & non potiùs ea mihi valde ſunt odioſa ac moleſta? Ex contrarii enim remotione, contrarium intelligendum eſt. Quam ob cauſſam vetus interpres ita reddidit ea verba: *numquid ſuper his non indignabor?* conſequens nempe poſuit loco antecedentis. Indignatio enim moleſtiæ ac doloris, quo ab aliis afficimur, effectus eſſe ſolet. Quid quòd jure dici poteſt, omnibus illis in locis ſcripturam id Deo tribuere, quod doloris ac moleſtiæ nomine alibi effert, quibus aſſerit, homines Deum exacerbâſſe, aut ea feciſſe, quæ diſplicerent aut mala apparerent in ipſius oculis. Pſal. 78. 40, 56: CVI. 33. vid. & Eſai. 3. 8: Hebr. Nam iſtiuſmodi diſplicentia, præſertim major ac vehementior, quæ mala jam facta cognitaque ſequitur, vel ipſamet dolor ac moleſtia quædam eſt, vel moleſtiam, ſive propriè, ſive impropriè dictam ſecum trahit. 2 Sam. XI. ℣. 27. 1 Paral. 21. 7. Eſai. 59. 15. Aliquantò aliter ſe res habet, quando factum aliquod mente tantùm conceptum, nondum verò perpetratum diſplicet. Ea enim diſplicentia vel judicii tantùm eſt, vel ſi voluntatis etiam atque affectus, ad odium potiùs, quàm ad dolorem pertinet. Illud autem vix monere ampliùs eſt opus, iſtum ſacris literis ita dictum dolorem, tantùm ex rebus extra ipſum Deum exiſtentibus, & ipſum, propriè loquendo, minimè attingentibus, oriri. Sublimior enim eſt Dei natura, quàm ut in ſeſe lædi ab ulla creatura poſſit. Itaque quicquid tandem per dolorem illum intelligatur, id tantùm ex rebus extra Deum evenientibus, quas in creaturarum arbitrio poſuit, deſiderio tamen ac intentioni ipſius ſunt adverſæ, naſcitur. Diximus autem jam ſuprà, improprietatem majorem in doloris, aliiſque ſimilibus vocibus Deo tributis agnoſcendam eſſe, & ita ſobriè hac de re tum ſentiendum, tum loquendum, ne quid ipſo indignum, & ſummæ ipſius beatitudini adverſum vel cogitetur, vel dicatur. Veruntamen & illud apparet, aliquid in Deo agnoſcendum eſſe ánalogum ei moleſtiæ, quam nos percipimus, non quidem ex rebus, quæ nos, aut corpus noſtrum reipſa attingunt ac lædunt, (nam ab hujuſmodi malis, ac porrò ab eorundem ſenſu Deum diximus eſſe remotiſſimum) ſed quæ extra nos eveniunt, & judicio, voluntati ac deſiderio noſtro adverſantur, & adverſantur quidem vehementer. Satis enim liquet, verbis illis ſcripturæ metaphoram ſubeſſe. Metaphora autem omnis ex rerum ſimilitudine oritur. Itaque cum dolor, moleſtia, exacerbatio, & ſimilia Deo tribuantur, neceſſe eſt aliquid illis rebus ſimile in Deo exiſtere. Tantò autem magis id ſtatuendum eſt, quia aliàs nec odii adverſus impietatem, nec iræ adverſus ejus auctores, analoga in Deo eſſent. Unde porrò ſequeretur, nec amoris erga pietatem & ejus cultores, nec miſericordiæ analogum in eodem eſſe. Eadem enim horum affectuum ratio eſt. Itaque tale numen fingeremus, quod eodem modo, vel potiùs nullo modo, erga pios & impios, erga rectè & pravè facta ſit affectum; & ſimiliter, ſive ores, ſive non ores, ſive id colas, ſive blaſphemes, animatum ſit. Quis verò iſta,

* vid. Interpretat. Junii & Tremellii.

niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

niſi qui ad Epicuræorum, aut Stoicorum ſaltem de Deo ſententiam accedere velit, credat? Quis credat, eodem planè modo Deum affectum fuiſſe, cùm unigenitus ac chariſſimus ipſius filius crudeliſſimè ab hominibus impiis tractaretur, conſpueretur, blaſphemaretur, ac cruci affixus inſultationes hoſtium acerbiſſimas audire cogeretur; & cùm poſtea à multis hominum millibus fuit religioſe adoratus, ac omni pietatis genere cultus? Certè iſta credere, eſſet religionem omnem penitus tollere. Tantum abeſt, ut religio hîc prætexi debeat, quominùs illa ſobriè de Deo cogitemus, & dicamus. Jam verò ſi amoris & odii, miſericordiæ & iræ analoga in Deo reperiuntur: quidni & illius affectûs, de quo nunc agimus? Nam nec odiſſe quiſquam poteſt, quod cùm evenit, nullam prorſus doloris ac moleſtiæ imaginem aut umbram ei affert; nec propterea iraſci, aut indignari, nec contrà amare aut deſiderare id, cujus contrarium ingratum ſui ſenſum ei præbet nullum: nec miſereri illius, cujus conditio nullo pacto injucunda eſt ei, qui miſereri debeat. Quare mediâ hic viâ incedendum eſt, & nec proprietas verborum contra Dei beatitudinem urgenda: nec beatitudo Dei ita urgenda, ut ne per metaphoram quidem, ex analogia ac ſimilitudine ortam, injucundum quendam rerum malarum extra ipſum extantium ſenſum, ei tribuere liceat, quem ſacræ literæ partim claris verbis, partim aliquantò tectiùs ipſi adſcribunt. Oſtendimus autem jam ſuprà breviter, cùm de beatitudine divina ageremus, quomodo ea, quæ in rebus creatis eveniunt, voluntati divinæ adverſa, beatitudinem illius non evertant, aut lædant. Quod ut tantò rectiùs intelligatur, illud adhuc addendum eſt, ſacras literas, cùm dolorem aut moleſtiam Deo tribuunt, vim atque effectum earum rerum, quæ Deo ingratæ eveniunt, per ſe conſiderare, non habita ratione rerum ipſi gratarum, quæ vel in ipſomet exiſtunt, vel extra eum eveniunt, & vim rerum ingratarum, & moleſtiam, quam parere poſſunt, aut tollunt, aut ita imminunt, ut perennem illam internamque Dei voluptatem impedire ac turbare meritò dici nequeant. Nam inter res illas, quæ extrà Deum eveniunt, ipſi ingratas, & inter eas, quæ in ipſo exiſtunt, ac perpetuam ipſi voluptatem pariunt, nulla eſt revera comparatio. Extra ipſum autem partim ea eveniunt, quæ ipſi ſunt gratiſſima, ut quæ à ſanctis angelis, & piis hominibus, & maximè, quæ à Chriſto horum omnium capite fiunt; partim ipſe ea facit, ex quibus voluptatem quandam, ut ſuprà vidimus, percipit: ita quidem, ut etiam res cæteroqui ſibi ingratiſſimas ad nominis ſui gloriam, ac porrò, ut ipſe de ſe loquitur, ad gaudium quoddam ſuum convertat.

His ita conſtitutis, ad pœnitentiæ Deo in ſacris literis attributæ explicationem veniendum eſt, quatenus quidem illa pro affectu quodam ſumitur. Id autem propterea addimus, quia non ſemel pœnitentiæ nomen ſimplicem conſilii aut voluntatis, circa res aut perſonas certas, mutationem quandam ſignificat, dilutiore metaphora, quàm cùm affectum deſignat. In eo enim tantùm ſimilitudo conſiſtit inter pœnitentiam propriè ſic dictam, & ſimplicem illam voluntatis mutationem, quòd quemadmodum is, quem conſilii aut facti prioris pœnitet, conſilium mutat, ita & Deus conſilium mutet. Quod quomodo ſalvâ conſtantiâ in ipſum cadere queat, ſuperiùs in ſanctitatis divinæ explicatione dictum eſt. Hoc autem modo accipitur Pœnitentiæ vox ad Deum relata, apud Jeremiam aliquoties, cap. 4. 28: XVIII. 8, 10: XX. 16: XXVI. 3, 13, 19. cúm vel pœnituiſſe Deum alicujus rei, aut fore ut pœniteat, vel contrà quarundam rerum ipſum non pœnituiſſe, aut fore, ut non pœniteat, dicitur. Ubique enim de mutatione conſilii ac ſententiæ divinæ, ratione habitâ effectûs, loquitur; & ſæpiùs quidem de mutatione in meliorem ſeu mitiorem partem, in quam Deus cæteroqui longè eſt pronior. Citatus fuit à nobis ſuprà, cùm de Conſtantia divina ageremus, locus ille nobilis è cap. 18. ℣. 7, & d. qui de pœnitentia Dei, ut ita dicam, ordinaria loquitur, quæ in eo conſiſtit, quòd is mala, quæ impiæ alicui genti comminatus fuerat, non immittat, ſi ea reſipuerit: contrà etiam, ſi quid ei boni promiſerit, non præſtet, ſi impiè ſe poſtea geſſerit. Quæ ſententia, aliis licet verbis elata, ad ſingulos etiam pios impioſque accommodata, extat apud Ezechiëlem c.33. Verùm & alia extant ſacrarum literarum loca, in quibus eadem vocis ſignificatio vel omnino admittenda eſt, vel ſaltem admitti jurè poteſt. vid. Ezech. 24. 14. in Hebr. 1 Sam. 15. 29. Pſal. 10. 4. CVI. 45. Rom. XI. 29. De ipſo autem pœnitentiæ affectu loquuntur duo inprimis loci, quorum alterum jam vidimus, illum nimirum ex 6 Geneſ. cap. ℣. 6, 8. ſuperiùs adductum, in quo bis aſſeritur Deum, viſa olim hominum malitiâ, pœnituiſſe, quòd feciſſet hominem. Ubi quidem ad pœnitentiæ affectum meliùs exprimendum addi vidimus, Deum dolore cordis interiùs tactum fuiſſe. Quod manifeſtè demonſtrat, de pœnitentiæ effectu ſermonem eſſe. Quamquam & res ipſa idem docet. Non enim conſilii alicujus in futurum ſpectantis, ſed facti illius, quod mutari jam ampliùs non poterat, Deum pœnituiſſe dicitur, nempe quòd hominem creaſſet. Non quidem quaſi aliquid mali in eo Deus commiſiſſet, aut imprudenter egiſſet: (abſit enim ut de Deo optimo ac ſapientiſſimo talia cogitemus:) ſed quòd factum hoc ipſius, licèt optimum ac ſapientiſſimum, hominum culpâ atque improbitate tam malè ceſſiſſet: quemadmodum explicatum eſt ſuprà, cùm de Sapientia Dei ageremus. Quo loco adduximus & aliud teſtimonium, de Dei pœnitentia loquens, ex libro priori Samuëlis, cap. 15. 11, 35, in quo bis aſſeritur, Deum pœnituiſſe, quòd Saulum regem conſtituiſſet Iſraëlitarum; propterea quòd Saulus mandata ipſius opere non impleviſſet; ac porrò eventus conſilio Dei, Saulum ad regium faſtigium evehentis, non reſpondiſſet. Neque enim per ſe facti hujus Deum pœnituit, (ſiquidem id per ſe bonum fuit;) ſed habita ratione eventûs ſequuti. Nam in ſuis factis, ut pote optimis, nihil reperit Deus per ſe pœnitendum; ſed ratione eventûs, quem ex arbitrio hominum pendere voluit, poteſt aliquid pœnitendum reperiri. Itaque pœnitentia illa, quatenus aliquid injucundum in ſe complectitur, per ſe oritur ex ſolis hominum factis, & eventis inde pendentibus; ex Dei autem ipſius factis non niſi per accidens. Facta enim Dei eatenus pœnitenda ipſi veniunt, quatenus indigna fuerunt eventu ſequuto, cui occaſionem aliquam, quanquam per accidens tantùm, præbuerunt. Unde facilè etiam intelligitur, quid ſit hic pœnitentiæ affectus Deo in ſacris literis tributus. Eſt enim affectio in Deo ingrata, (quam doloris nomine exprimi vidimus,) orta ex eo, quòd facta ſua optima, indigniſſimum ob alienam nempe culpam, eventum ſortiri cernat. Differentiam illius, quam ſpecificam vocant, qua ab aliis ejuſdem generis affectionibus diſtinguatur, faciliùs propriis verbis exprimere licet, quàm genus illius, præſertim proximum. Nam propriè quidem dictæ pœnitentiæ genus eſt dolor, ſeu mavis triſtitia. Sed hanc in Deum propriè non cadere jam diximus; verùm ejus tantùm analogum, cui commodum nomen ægrè reperias. Id ſi inveniri poſſit, præfixum differentiæ à nobis expreſſæ, definitionem pœnitentiæ accuratiorem effecerit.

Reſtat ut aliquid de metu dicamus; quę vox, uti & cęterę eandem ſignificationem habentes, quia prima fronte non niſi abſurdè Deo tribui videntur, (& revera quidem non niſi per analogiam quandam ei accommodantur) ideò non mirum, rariùs de Deo uſurpari. Et expreſſe quidem metus non niſi ſemel Deo, quantum hucuſq; animadvertere potui, tribuitur. Licèt ex eo loco, & ex rerum ſimilitudine, facilè intelligi poſſit, illum Dei affectum latiùs patere, & in Deo, ſine ullo vel potentiæ, vel beatitudinis, vel incorruptibilitatis, alteriúſve alicujus perfectionis detrimento, ſæpiſſimè exiſtere; imò ſapientiæ ipſius, quatenus circa creaturas verſatur in peccata pronas, effectum eſſe propè neceſſarium. Locus verò ille, in quo hic ei affectus apertè tribuitur, extat in Deuteronomio, ubi ita in Hebręo legimus: c.32.26,27: *Dixi diſpergam eos per angulos*, (vel *exterminabo eos*,) *ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum; niſi iram inimici timerem, ne fortè extraneè ſe gerant* (vel *ſuperbiant*) *hoſtes*

eorum.

eorum, ne fortè dicant; Manus noſtra excelſa, & non Jehova operatus eſt omnia. vid. Exod. 34. 12. quem conf. cum anteced. & ſeqq. & Num. 14. 13, & ſeqq. Deut. 9. ℣. 28. conf. cum præced. Ejus autem rei, quam his verbis exprimit, exempla habes inter alia apud ipſum Moſen Exod. 32. & Num. 14. ſi rationes conſideres, quibus Moſes Deum, ne populum Iſraëliticum ad internecionem uſque deleret, flexit ac permovit. quæ res ex parte in Deuteronomio repetitur. Ex eo autem loco apparet, affectum illum in Deo locum habere, quoties aliquid facit, aut contrà non facit, ut rem ſibi ingratam, ac deſiderio conſilióve ſuo adverſam, quam alioqui facilè evenire poſſe cernit, declinet atque avertat. Quia enim Deus hominibus (ne de ſpiritibus nunc quicquam dicam) arbitrium dedit voluntatemque liberam; fieri ſæpè poteſt, ut vel ipſi id deſignent, quod Dei voluntati ac deſiderio admodum eſt adverſum, vel cauſſam præbeant Deo, ut id faciat, quod aliàs facere non cuperet: quale eſt v. g. ipſas, ac inprimis populum ſuum, perdere ac delere. Quare ſæpè ei rei occurrit, & vel id facit, quod aliàs facere nollet; vel contrà non facit, quod aliàs facere vellet; quia videt, id, quod ipſius deſiderio adverſum eſt, facilè conſequuturum; illic quidem, niſi id faciat, quod aliàs omittere vellet; hic verò, niſi id omittat, quod aliàs facere vellet. Eſt ergo metus hic affectus futurum malum fugiens, ſeu ad rem ingratam ac deſiderio divino adverſam declinandam atque avertendam impellens. Atque huc referri poſſunt omnia illa loca, in quibus dicitur, Deum ipſum quippiam aut feciſſe, aut facere omiſiſſe, ne fortè hoc aut illud contingeret. Hæc enim verba, *ne forte*, cautionis ſunt ab hoc affectu manantis. Ipſe verò hic affectus à ſapientiæ ac futurorum eventuum præſcientia proficiſcitur; tantum abeſt, ut quicquam cum perfectione Dei pugnet. vid. Gen. 3. 22. Exod. 13. ℣. 17: XXXIII. 3: Eſai. 6. 10: XXVII. 3. XLVIII. 7, 8.

Quod ad uſum hujus doctrinæ attinet; primùm monemur, ut, quæ Deum per ſe deſiderare cernimus, eadem & nos deſideremus ac velimus; quibus lætatur, iis & nos lætemur; ſimiliter & quæ illi per ſe ſunt ingrata, ea nobis quoque ſint ingrata; quæ veluti veretur ac declinat, ea nos quoque fugiamus ac declinemus. Dico autem, quæ *per ſe* Deus aut deſiderat, aut contrà tanquam ingrata declinat. Quia interdum ob hominum impietatem, ut vidimus, etiam pœnas eorum deſiderat, & ne eas fortè effugiant, cavet, ac elabendi rimas illis obſtruit. Id quod ipſi, utpote Domino ac Rectori ſummo, convenit, ſed nos, etſi ea tanquam juſtiſſima probare debemus, non debemus tamen illis, præſertim per ſe, lætari, eàve optare. Cùm & aliud nos Chriſti ſpiritus, ac mandata doceant; & videamus, ipſum Chriſtum, viroſque ſanctos eorum interitu valde fuiſſe triſtatos, qui impietate ſua commeruerant, ut ultimum eorum ſupplicium Deus deſideraret, & in ipſorum perniciem veluti cum voluptate quadam incumberet: quin etiam precibus aliiſque modis curaſſe, ut iſtiuſmodi homines pœnas commeritas effugerent; Luc. 19. 41, & d. Exod. 32. 11, & d. 30. & d. Num. 14. 13, & d. cap. XVI. 45, & d. Deut. 9. 18, 25, & d. 1 Sam. 15. 11, 35: XVI. 1. vid. Jerem. multis locis, ac inprimis Threnos. Rom. 9. 2, 3: X. 1: XI. 14; adeò ut nonnulli unà cum illis, nonnulli pro illis perire, ac ſalutem ſuam devovere, parati fuerint. Nos enim, qui & ipſi homines ſumus, & graviter in Deum peccavimus, ejuſque iram provocavimus, hominum peccatorum ſalutem deſiderare, ac, quantum in nobis eſt, curare, eorum contrà interitum lugere, eum pro virili avertere, & ab illis deprecari debemus: cùm ſciamus, eum à Deo per ſe non deſiderari. Sed inprimis in id, quod à nobis deſiderat Deus, omni ſtudio debemus incumbere, eáque ratione efficere, ut tum factis noſtris delectetur Deus, tum ſalutem noſtram deſideret, & cum quadam lætitia nobis benefaciat. Venire nobis hîc debent in mentem illa, quæ Moſes aliquando ad populum Iſraëliticum eſt proloquutus, Deut. 10. 12, 13: *Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit* (vel *poſtulat*) *à te, niſi uti timeas Dominum tuum, ut ambules in omnibus* (ſic eſt in Hebræo) *viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: cuſtodiaſque mandata Domini,* &c. *ut bene ſit tibi.* Similiter & illa Michææ cap. 6. 8: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum* (vel *humiliter*) *ambulare cum Deo tuo.* Quin & illa ſacræ ſcripturæ loca, ſuperiùs à nobis annotata, de ſacrificiis, quibus Deus delectetur; itemque illa, in quibus Deo pietas ſacrificiis legalibus longè gratior eſſe affirmatur.

Præterea cum videamus, Deum hominum ſalutem deſiderare, & ne impii quidem morte, quamdiu quidem reſipiſcentiæ ſpes aliqua supereſt, delectari; hinc & ſummam Dei benignitatem ac clementiam æſtimare, & porrò ad nomen ejus celebrandum ac venerandum, ad eum amandum, ad fiduciam in eo collocandam incendi perpetuò debemus. Qua de re in explicatione benignitatis divinæ plura diximus. Veruntamen, quia videmus, Deum poſſe nihilominus hominis interitum, ſi impietate ſua id mereatur, deſiderare, & ejus pœnis delectari; ſeveritatem ejus metuere, & porrò eam omnibus modis declinare debemus: nec nobis immunitatem à ſupplicis, aut ſalutem, aliáque divina beneficia ex ipſius promiſſis polliceri, niſi conditiones, quas vel apertè, vel tacitè promiſſis ſuis adjunxit, præſtemus: cùm poſſit illum boni, quod nobis decrevit aut promiſit, conditione ceſſante, pœnitere. Quemadmodum nec tum, cùm ſupplicio noſtro jám imminet, penitus deſperare debemus, ſed quàmprimùm ad eum nos convertere, mores emendare, culpam deprecari: cum & mali decreti ipſum pœnitere poſſit ac ſoleat.

C a p. XXXII.

De Decretis Dei.

Reliquum nunc eſt, ut de Dei decretis agamus, quæ operibus ejus proxima ſunt, & quidam ad ea veluti gradus. Itaque ultimum inter attributa divina locum, & operum explicationi proximum habent. Attributis enim divinis eatenus accenſeri poſſunt, quatenus ipſi Deo inſunt, cùm ſint actiones, ut in ſcholis vocant, immanentes. In iis, &, qui ea antecedunt, intellectus divini actibus, Dei providentia, quatenus ea in ipſo reſidet, revera continetur. Quòd ſi quis ea omnino cum ipſorum operum explicatione jungendam putet, cum eo non multùm pugnabimus. Specialium ſanè decretorum explicatio, ad ſpecialem operum divinorum tractationem pertinet, aut in ea quodammodo continetur. Sæpe enim operis ratio, decreti divini, unde profluxit, rationem ſatis indicat, ut nihil ſit opus de eo ſeparatim dicere. Nos hoc loco generatim de decretis divinis agemus: quamquam exemplis ſpecialibus ad dicta noſtra declaranda uti cogemur. & quia de prædeſtinatione, & electione ad ſalutem, ac contraria huic reprobatione, à quibuſdam non pauca hoc loco diſputantur, nos ita generalem hanc decretorum divinorum explicationem moderabimur, ut illi quoque decretorum generi aliquantò plus lucis accedat.

Appellantur autem decreta non uno in ſacris literis nomine. Reperias enim primùm ipſum *decretorum* nomen, aut *decernendi* verbum de Deo uſurpatum. Eſai. 14. 27. Act. 4. 28. 3 Reg. 8. 61. Eph. 2. 15. Col 2. 14. Quanquam Decretorum nomen pro mandatis divinis nominatim ſumitur, voce generis ad ſpeciem tranſlata. Sunt enim & mandata Dei decreta quædam de iis, quæ ab hominibus, quanquam liberè, præſtari vult Deus. Et apud Paulum quidem ea Dei mandata Decretorum nomine intelliguntur, quæ leges poſitivæ appellari ſolent, ac naturalibus opponuntur: nempe leges Moſaicæ ceremoniales, quibus & judiciariæ ſeu forenſes addi poſſunt eæ, quæ non ideò fuerunt à Deo latæ, quia ipſa honeſti ratio illas neceſſariò exigeret; ſed quia certis de cauſſis ita ſummo rectori ac legiſlatori eas ferre placuit. Eſt enim apud Apoſtolum vox δογμάτων ſeu placitorum, ut alibi jam monuimus. Reperitur autem

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

non ſemel & *Conſilii* nomen de decretis divinis uſurpatum. Licèt enim conſilium propriè ſit de re quapiam deliberatio, mediorumque ad finem propoſitum pertinentium inquiſitio: ſumitur tamen non ſemel pro eo, quod deliberatione antegreſſa decretum eſt, atque adeo ſimpliciter pro animi propoſito. Huc pertinent illa Davidis: Pſal. 33. 11: *Conſilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.* Et illa Dei apud Eſaiam cap. 46. 10: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, ſeu ut eſt in Hebræo, *& omnem voluntatem meam faciam.* vid. etiam 5.19: XIV.26: XIX. 17: Prov. 19. 21. Et ſanè loco cap. 14.27, ſuperiùs ex eodem Propheta annotato, ubi Latinus interpres habet *decernendi* verbum, in Hebræo eſt vox *conſulendi*: quemadmodum & proximè præcedenti verſiculo, ad quem hic reſpicit, *conſilii* vocem pro *decreto* uſurpatam, tum in Hebræo fonte, tum in Latina verſione reperias. Ita enim illic legimus: *Hoc eſt conſilium, quod cogitavi* (Hebr. *quod decretum eſt*) *ſuper omnem terram; & hæc eſt manus extenta ſuper univerſas gentes. Dominus enim exercituum decrevit,* (Hebr. *conſuluit,*) *& quis poterit infirmare?* (Hebr. *quis irritum faciet?*) *& manus ejus extenta, & quis avertet* (vel *retrahet*) *eam?* Sic & in novo Teſtamento *conſilii* vox non ſemel pro decreto uſurpatur. Luc. 7. 30: Act. 2.23: IV. 28: XX.27: Epheſ. 1.11: Hebr. 6. 17: Jerem. 23.20. Dicuntur autem eadem Dei decreta cogitationes Dei, vel cogitationes cordis ejus; & nonnunquam eodem in loco conſilium Dei & cogitationes ejus inter ſe commutantur, ut vidimus in verbis Pſal. 33. paulò antè citatis: quod & alibi deprehendere licet. Mich. 4. 12. In Novo Teſtamento interdum vox *definiendi*, quæ Græcè eſt ὁρίζειν, uſurpatur, cùm de Dei decretis eſt ſermo. Luc. 22. 22: Act. 2. 23: X. 41: XVII. 31. Unde & προορίζειν eſt *antè decernere* ac conſtituere, Act. 4. 28, vel, ut interdum à Vetere interprete redditur, *prædeſtinare*. Rom. 8.29,30: 1 Cor. 2.7: Eph. 1.5,11, Eodem modo & verbum προγινώσκειν hoc eſt, *præcognoſcere*, Act. 2.23: 1 Petr. 1.2,20, & inde ducta vox προγνώσεως ſeu præcognitionis, nonnunquam uſurpatur; quanquam interdum ejuſmodi approbationem antea factam ſignificat, quæ à προορισμῷ ſeu prædeſtinatione diſtinguatur, ut fit Rom. 8. 29, fortè & cap. XI. 2. Sic & vox προθέσεως ſeu *propoſiti*, Rom. 8. 28: IX. 11, decretum Dei cum temporis anteceſſu denotare ſolet. Neque enim πρόθεσις de Deo uſurpata videtur ſimpliciter, ut vocis natura aliàs fert, de conſilio ac decreto, etiam recens, atque ut ita dicam, in arena capto, ſumi, ſed de eo, quod haud paulò antè conſtitutum ſit: Epheſ. cap. 1. ỳ. 9,11: III. 11: 2 Tim. 1. 9. quemadmodum & *prædeſtinationis* & *præcognitionis* nomina, cum quibus ea interdum conjungitur: Sed ne alia nunc congeram vocabula, præſertim ſpecialia, & de certis tantùm decretorum generibus uſurpata; omnium fortè creberrimè *Voluntatis* vox in hac ſignificatione occurrit. Etſi enim facultatis nomen eſſe videtur; tamen in ſacris literis rarò, aut vix uſpiam pro ipſa facultate volendi ſolet accipi, ſed pro volendi actu, ſeu pro eo, quod quiſpiam vult, ut monuimus tunc, cùm de Dei voluntate diſſereremus. Licèt autem voluntatis divinæ actus varii ſint: ſiquidem omnes illi affectus, quos proximis capitibus recenſuimus, actus ſunt voluntatis divinæ: uſus tamen obtinuit, ut illa Deus velle dicatur, quæ aliqua ratione approbat, amat, deſiderat, aut denique decernit ac conſtituit. Et ſanè in ſacris literis Veteris fœderis, cùm aliquid velle dicitur Deus, in Hebræo uſurpari conſuevit verbum *Chaphetz,* quod deſiderare, amare, & re aliqua delectari ſignificat: ita ut licet decernendi vim habeat, deſiderandi tamen ſignificationem non penitus amittat, ſed eam potiùs includat: quanquam deſiderium illud pro diverſitate rei ſubjectæ varium eſt. Simiter cùm voluntatis divinæ ſit mentio, vel *Chephetz,* vel *Ratzon,* quod beneplacitum ſignificat, poni ſolet. Sæpiùs autem in hac ſignificatione nomen *Voluntatis*, Pſal. 103. 21: Eſa. 44. 28: XLVI. 10: XLVIII. 14: LIII. 10: Matth. 26. 42: Joh. 5. 30: VI. 38, 39, 40: Rom. 9. 19: 1 Cor. 1. 1: Epheſ. 1.9: Apoc. 4. 11, quàm *Volendi* verbum occurrit. 1 Sam. 2. 25: Pſal. 115. 3: Eſa. 55. 11: Rom. 9.22: Col. 1. 27: 1 Pet. 3. 17. Quanquam eo nomine valde frequenter, non quicquid unquam decrevit decernitque Deus, intelligitur, ſed illa inprimis Dei decreta, quæ ipſius præceptis ac promiſſis, & quæ his opponuntur, comminationibus continentur; ac omnium creberrimè ea, quæ præceptis. Quis enim neſcit, *Dei voluntatem facere,* quod in ſacris literis Novi Fœderis non rarò occurrit, Pſal. 40. 9: CXLIII. 16: Matth. 7. 21: XII. 50: Joh. 4. 34: VII. 17: IX. 31: Hebr. 10.36: XIII. ỳ. 21: 1 Joh. 2. 17, eſſe Dei mandata exſequi, ſeu id facere, quod Deus fieri voluit ac præcepit? Cognitio autem voluntatis divinæ latiùs extenditur, & ea omnia nonnunquam complectitur, quæ Deus ſive mandatis, ſive promiſſis ſuis complexus eſt; imò & ea, quæ ad illa ſive credenda, ſive exſequenda ſpectant. Act. 22. 14. Col. 1. 9.

Jam ut ad rem ipſam veniamus, Decretum ſententia eſt à voluntate firmiter concluſa, ſeu pleno quodam voluntatis aſſenſu comprobata. Habet autem in illis tantùm revera locum, quæ Deo non ſunt prorſus naturalia, & omni ex parte neceſſaria, ſed aliqua ſaltem ratione liberę ipſius poteſtati ac voluntati ſubjecta. quod & vox Conſilii de decretis uſurpata docet. Conſilium enim ne per ſimilitudinem quidem atque analogiam dictum in iis locum habet, quæ prorſus ſunt naturalia ac neceſſaria, ſed in iis, quæ in arbitrio noſtro ſunt aliquo modo poſita. Itaque ſuprà vidimus Decretorum vocem ea nominatim Dei præcepta denotare, quæ poſitiva ſunt, & ex arbitrio divino pendent. His enim magis propriè nomen id convenit. Cæteris, quæ naturalia ſunt, vel non propriè, vel non niſi eatenus, quatenus & circa illa quidam liberæ voluntaris actus cernitur. Nam & ut ferri leges naturales poſſent, liberum voluntatis actum intervenire oportuit, ſine quo ne exiſtere quidem creaturæ potuiſſent; & in modo ea proponendi aut eorum obedientiam exigendi, aliquis eſt libertati locus. Intelligendum enim eſt, actum decernendi revera eſſe προαίρεσιν, quam barbarè, ſignificanter tamen, præelectionem vocant, Latiniùs propoſitum, aut conſilium: quanquam Conſilii vox metonymicè huc traducitur. Nam conſilium propriè dictum eſt proæreſeos antecedens. Siquidem conſilium deliberatio eſt, ſeu inquiſitio mediorum ad finem aptorum. Quod autem deliberatione concluſum eſt, id proæreſis approbat atque appetit; vel eo ipſo, quòd hoc approbat atque amplectitur, illud rejicit, concluſionem facit. Nam cùm res quædam inter ſe veluti certat, ut videndum ſit, utra fini ſit accommodatior, & alteri præferenda; deliberationis eſt, comparationem illam inſtituere; proæreſeos id, quod concluſum eſt, penitus approbare atque amplecti; vel etiam, ſi intellectus paritatem in utraque deprehendat, concluſionem quodammodo facere, & liberrima in alterutram partem inclinatione controverſiam veluti decidere. Quod cùm facit, decernit. Ubi autem à natura ita res deciſa eſt, ut omittere eam nulla prorſus ratione poſſis, aut unquam potueris, nulli nec deliberationi, nec proæreſi, atque adeò nec decreto locus eſt.

Quot autem ſint decretorum divinorum genera, partim ex diverſitate actuum voluntatis divinæ, partim ex varietate rerum ipſarum, ſive de quibus, ſive quas decernit Deus, partim ex decernendi modo potiſſimùm ęſtimandum eſt. Quanquam & aliæ adhuc differentiæ addi poſſunt, ab accidentariis quibuſdam circumſtantiis, ſive adjunctis petitæ, ut à temporis diſcrimine, itemque ab eorum, quæ decreta ſunt, vel occultatione, vel patefactione. Sed tres illi primi diſcriminum fontes à nobis conſtituti, omnium ſunt potiſſimi, & decretorum ipſorum naturam maximè attingunt.

Quod ergo ad primum diſcrimen attinet, quod ex diverſitate actuum voluntatis divinæ pendet; voluntatis cujuſvis eſt partim velle, ſeu rem objectam tanquam bonam amplecti, & eam quacunque ratione approbare; partim nolle. Unde decreta duplicis generis emergunt. Nonnulla enim decernuntur à Deo, ut fiant, ut creatio cœli & terræ; nonnulla ne fiant, v.g. ne ingrediantur in requiem Dei, qui non credunt. Heb. 3, & 4. Quamquam enim arbitrari quiſpiam poſſet, inter hæc duo medios eſſe illos voluntatis actus, quibus Deus aliquid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fieri permittit; revera tamen non ſunt, ſed ad poſterius potiſſimùm decretorum genus pertinent. Velle enim aliquid permittere, eſt, nolle impedire, quominus id fiat, ſeu nolle actionem ſuſcipere eam, quæ impedire queat vim cauſſarum, effectum aliquem molientium.

Quod deinde ad illam decretorum divinorum differentiam attinet, quæ ex diverſitate pendet earum rerum, de quibus aliquid ſtatuit, aut quas decernit Deus; vel de ſuis actionibus aliquid ſtatuit, vel de alienis: hoc eſt, vel decernit, ſeſe aliquid facturum, aut contrà non facturum, idque ſive per ſeipſum, ſive per alios; vel decernit, creaturas, liberè aliquid facere debere, aut non debere. Prioris generis decreta ſunt, de creando, & ad certum tempus conſervando ac gubernando mundo; de Chriſto exhibendo; de judicio ultimo adminiſtrando; de fidelibus ſervandis, infidelibus atque impiis ſempiterna morte plectendis; atque adeò omnia, quæ Dei promiſſis ac comminationibus continentur. Ea enim omnia, ſive per ſe, ſive per alios exſequi ſtatuit Deus. Poſterioris generis ſunt illa, quæ divinis mandatis, ſive generalibus, ſive ſpecialibus, ſive affirmantibus, ſive negantibus explicantur. Affirmantibus enim explicatur, quid Deus ab hominibus fieri velit; negantibus, quid ab iis fieri nolit. Quanquam enim velle iſtud, poſſis ad ſolum deſiderium referre, nolle autem ad deſiderii contrarium: tamen velle illud ac nolle, quod ad divina mandata pertinet, decretum divinum, quanquam non prorſus abſolutum, annexum habet, aut in ſe includit. Ita enim Deus vult mandata ſua obſervari, ut pœnæ illos eſſe obnoxios velit ac ſtatuat, qui non obſervant. Permiſſionum hîc nullam facimus mentionem; quia, ut antea jam indicavimus, ad illum divinorum decretorum ordinem pertinent, quæ circa ipſius Dei actiones verſantur. Siquidem permittere aliquid, eſt non impedire, ſive de jure ac facultate, ſive de facto loquaris.

Quòd verò tertio loco attinet ad decernendi modum; duplex hinc decretorum diſcrimen oritur. Primùm enim vel ſimpliciter atque abſolutè aliquid decernit Deus, vel cum conditione. Simpliciter olim decrevit Deus, mundum condere, ac gubernare. At non ſine conditione decrevit Deus homines ſervare; ſed ſi crediderint, & ita quidem crediderint, ut fidem ſuam vitæ pietate veluti animent, & in ea uſque ad finem vitæ conſtanter perſeverent. Et talia quidem Dei decreta non ſemel in ſcripturis reperiuntur, quæ, ipſa verborum formâ inſpectâ, conditionem adjunctam habent. Apud Moſen enim non pauca extant loca, ubi populo Iſraëlitico tum promiſſiones divinæ, tum comminationes, præmia ac pœnæ, proponuntur; illa, ſi Dei mandatis paruerit; hæ, ſi non paruerit. vide inter alia Lev. 26. 3, 14, 18, 21, 23, 27, & Deut. cap. XI. 13, 22, 27, 28: XXVIII. 1, 2, 9, 13, 15, 58: XXX. 1, 10, 17. vid. etiam 1 Sam. 12. 14, 15, 25: 2 Par. 15. 2: XXX. 9: Eſa. 1. 19. Jerem. 17. 24, 27: XVIII. 8: XXII. 4, 5. Talia fuerunt Dei decreta ac promiſſa Davidi olim ac Salomoni propoſita, de quibus in libris Regum eſt legere. 3 Reg. 3. 14: VI. 12: VIII. 25. Sic & in Novo fœdere legimus: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Rom. 8. 13: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* Rom. 10. 9: *Si commortui ſumus,* (nempe cum Chriſto,) *& convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi negaverimus, & ille negabit nos.* 2 Tim. 2. 11, 12. Quibus alia etiam apud ſacros Novi fœderis ſcriptores ſimilia reperies. Luc. 13. 3, 5, 9: Rom. 8. 17: XI. 12, 23: Gal. 5. 18: Heb. 3. 14: 1 Joh. 1. 7, 9: III. 21, 22: Verùm & illud, cùm de conſtantia Dei ageremus, oſtendimus, decreta Dei, ſive promiſſionibus ea contineantur, ſive comminationibus, interdum ſine conditione exprimi, quam tamen neceſſariò ſubintelligendam eſſe, tum ratio ipſa, tum eventus docet. Quandoquidem factis hominum, ad quos decreta illa pertinebant, mutatis, ipſa quoque decreta fuerunt mutata, ſeu mavis decretorum illorum effectus non fuit ſecutus. Atqui is ſequi omnino debuiſſet, ſi decreta illa prorſus fuiſſent abſoluta, nec tacitam conditionem habuiſſent adjunctam. Id enim Dei conſtantia, & in promiſſionibus fides ac juſtitia poſtulaſſet.

Addi hoc loco & illud poteſt, in promiſſionibus Dei generalibus, & ſimiliter etiam in comminationibus, quæ abſolutè efferuntur, in quibus nimirum ſubjecti loco ponuntur ii, qui conditionem vel boni alicujus adipiſcendi, vel pœnæ luendæ impleant, conditionem illam ſæpè ita eſſe intelligendam, ut perſeverantiam quoque in ſe includat. Nam cùm v. g. dicitur à Johanne cap. 3. 36: *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt* (vel *non obedit*) *Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum:* aut à Paulo Gal. 5. 21: *qui talia* (nempe opera carnis) *faciunt, regnum Dei non conſequentur;* utrobique perſeverantia includitur. Scimus enim, eum demum, qui ad finem uſque in fide perſeveraverit, ſalvum fore, qui verò fidem deſeruerit, periturum: Matth. 10. 22: XXIV. 13: Hebr. 10. 36, & d: & contrà eum, qui priſtina peccata ejuraverit, eorum veniam, regnumque adeò cœleſte conſequuturum eſſe. Id quod obſervandum eſt propter ea decreta aut promiſſa, quæ à nonnullis nimis laxè atque abſolutè ſumuntur. Ut cùm dicitur, Joh. 10. 28, oves Chriſti non perituras in æternum. Intelligitur enim, ſi ipſius oves eſſe perſeveraverint. Quòd ſi deſierint eſſe Chriſti oves, id quod in earum arbitrio eſt ſitum; cum Deus illis vim non faciat, nec invitas ad obſequium cogat; perire non tantùm poſſunt, ſed & certò perituræ ſunt. Habent autem hujuſmodi decreta vim conditionatorum, non modò quòd perſeverantiæ conditionem tacitè habent incluſam; ſed etiam ideò, quia res illa, in qua perſeverantia iſta cerni debet, conditio revera eſt. Itaque decreta hujuſmodi, licet abſolutè elata, in conditionata reſolvi facilè poſſunt. Si enim loco ſubjecti abſoluti, poſueris illarum perſonarum genus, quæ certa quadam qualitate aut actione nunc ſunt definitæ; deſcriptio illarum, conditionis loco apponenda erit. Ut ſi in verbis ex Johannis cap. 3, citatis, loco eorum, qui credunt in Dei filium, aut non credunt, homines poſueris; credere aut non credere in Dei filium, conditionis loco apponendum erit, ſub qua vel vita eos maneat, vel vitæ ſempiternæ jactura, æternaque Dei ira. Perinde enim eſt, ac ſi dictum eſſet: Quivis hominum, ſi in Filium Dei, & quidem uſque ad finem, crediderit, habebit vitam æternam; quivis verò hominum, ſi non crediderit, in eaque incredulitate perſeveraverit, vitam non videbit, ſed ira Dei ſuper ipſum manebit.

Eſt autem diſcrimen hoc decretorum divinorum, de quo hucuſque diſſeruimus, non exigui momenti. Etenim hinc fit, ut quædam Dei decreta neceſſariò ad exitum perducantur, quædam non neceſſariò. Abſoluta enim Dei decreta ſemper ac neceſſariò ad exitum perducuntur, ita conſtantiâ Dei, ut ſuprà jam monuimus, poſtulante. Et de his loquuntur illa ſacræ ſcripturæ loca, in quibus aſſeritur, Deum, quicquid vult, facere, ſeu ad exitum perducere. Inter quæ ſunt illa Pſaltæ inprimis: Pſal. 115. 3. (Latin. 113. 11.) *Deus noſter in cœlo: omnia, quæcunque voluit, fecit,* hoc eſt, quæcunque vult, aut voluerit, facit: de quibus verbis alibi jam diximus. Sic & illa Dei, ſuperiùs jam ex Eſaia citata: Eſa. 46. 10: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet,* vel, *& omnem voluntatem meam faciam.* Et illa ex eodem Propheta adducta: cap. 14. 27: *Dominus exercituum decrevit* (ſeu *conſuluit,*) *& quis poterit infirmare?* (ſeu *quis irritum faciet?*) quin & illa Apoſtoli, Rom. 9. 19, licet per modum objectionis cujuſdam ab eo prolata: *Voluntati ejus quis reſiſtet?* At illa Dei decreta, quæ conditionem aliquam habent annexam, & ad quorum exſequutionem Deus liberum voluntatis noſtræ actum vult intervenire, non ſemper ad exitum perducuntur; imò interdum in contrarium vertuntur. Hinc legimus apud Lucam cap. 7. 30, *Phariſæos & Legiſperitos conſilium Dei ſpreviſſe,* vel *irritum feciſſe* (eſt enim in Græco ἠθέτησαν) *in ſemetipſos,* quia nimirum baptizari à Johanne noluerint. Voluit enim Deus eos ad ſeſe per Johannem convertere, & porrò peccatis ipſorum deletis ad regnum cœleſte per Chriſtum perducere. Sed quia baptizari à Johanne, & hoc pacto doctrinæ ipſius initiari noluerunt, irritum hoc Dei conſilium, quod ad ipſos attinebat, fecerunt. Sic tum apud eundem ſcriptorem, Luc. 13. 34, tum apud Matthæum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

thæum, cap. 23. 36, ait Chriſtus, urbem Hieroſolymitanam alloquens, & conſtantem Dei, in incolumitate ac ſalute ejus quærenda, voluntatem ac ſtudium explicans: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Quibus alia quoque non pauca in ſacris literis occurrunt ſimilia. E quibus ſunt & illa, quæ ſuprà jam adduximus de Conſtantia Dei agentes. Oſtenſum enim eſt, Deum, quæ hominibus promittit, aut comminatur, moribus eorum mutatis, revocare; quin precibus interdum ſolis in mitiorem ſententiam flecti. Unde pœnitentiam ipſi non ſemel in ſacris literis tribui ſuperiori capite vidimus. His addi poſſunt illa Dei apud Moſen de populo Iſraëlitico Num. 14. 30: *Non intrabitis in terram, ſuper quam levavi manum meam,* (hoc eſt, juravi) *ut habitare vos facerem* (addit Hebræus codex *in ea,*) *præter Caleb filium Jephonæ, & Joſue filium Nun.* Licèt enim promiſſio illa juramento confirmata, de Iſraëlitis in terram Chananæam introducendis, non videatur per ſe illis ipſis Iſraëlitarum perſonis adſtricta fuiſſe, quas Deus terram illam non ingreſſuras in his verbis aſſerit; ſed Iſraëlitis abſolutè ſeu generatim conſideratis: ſatis tamen, tum ex his verbis, tum ex tota illa populi ex Ægypto educti hiſtoria apparet, voluiſſe Deum in his ipſis Iſraëlitis promiſſionis ac juramenti ſui fidem implere. Præſertim quia tempus certum ei rei conſtitutum à Deo jam olim fuerat; Gen. 15, 16, quod etſi laxiùs accipi poſſet, tamen jam tum Deo viſum eſt adveniſſe aut appetere, cùm per Moſen poplum ex Ægypto curaret educi. Interea tamen ſatis apparet, non ita ſtrictè id fuiſſe accipiendum, uti nec verba ipſa poſtulant, quominus poſſet Deus rem, ob ingratitudinem ac contumaciam populi, aliquò uſque differre, & quod populo generatim promiſerat, illis præſtare, qui eo beneficio minùs eſſent indigni. Idem de aliis non paucis Dei decretis ſtatuendum eſt; & inter alia de illo, quo Paulum Gal. 1. 13, conf ℣. 16: *ex utero matris ſegregaſſe* dicitur, nempe ad Evangelium, & quidem inter Gentes extraneas prædicandum. Quibus non abſimilia de Jeremia legimus, quem, ut initio Prophetiæ ipſius videre eſt, Deus ita allocutus ſcribitur Jer. 1. 5: *Priuſquam te formarem in utero, novi te:* (hoc eſt, ad munus propheticum obeundum te deſtinavi:) *& antequam exires de vulva, ſanctificavi te, & Prophetam in Gentibus dedi te**. Nam cum Paulus ipſemet aſſerat, 1 Tim. 1. 12, 13: ideò tantam ſe miſericordiam conſequutum eſſe, ut, licèt antea blaſphemus, & perſequutor, & contumelioſus fuiſſet, tamen à Chriſto fuerit ad miniſterium, hoc eſt, Apoſtolatus functionem adhibitus, *quia ignorans* iſta *fecerit in incredulitate*: facilè intelligi poteſt, ſi iſta tam gravia peccata ſciens prudens, contraque animi conſcientiam admiſiſſet, eum miſericordiam illam non fuiſſe conſequuturum. Et profectò indigniſſimus fuiſſet, non tantùm tam præſtanti tamque eximio munere, ſed etiam omni venia; utpote qui Spiritum ſanctum blaſphemaſſe dicendus eſſet. Ex quo porrò conſequitur, iſtud Dei decretum, de eo ad tam ſanctum munus adhibendo, quod ab utero matris de ipſo factum fuerat, omnino conditionem tacitam habuiſſe annexam, nempe, niſi ſe omni venia, ac porrò tam ſancto munere planè indignum redderet. Quod quidem feciſſet, ſi veritati agnitæ contumaciter reluctatus fuiſſet, & in gravibus peccatis contra animi ſui judicium perſeveraſſet, ac nefarium cum Chriſto, majeſtatem illi ſuam patefaciente, bellum gerere perrexiſſet. Iſtiuſmodi enim conditione nihil eſt æquius, nihil rectitudini ac ſanctitati divinæ magis conſentaneum; adeo quidem, ut eâ ſalvâ prætermitti non potuiſſe videatur; niſi dicere velis, Deum decreto ſuo voluntatis arbitrium Paulo hac in parte eripere conſtituiſſe, ita, ut ne poſſet quidem ſciens prudens iſta facere. Quod ipſum, ne alia nunc commemorem, verbis ipſius paulò antè citatis minimè eſt conſentaneum. Non enim ideò miſericordiam fuiſſet conſecutus, quia iſta ignorans fecerit in incredulitate, ſed ideo potiùs iſta ignorans tantùm, non verò ſciens feciſſet, quia tantâ illum Deus miſericordiâ immutabiliter decreviſſet proſequi. Adde, quod non obſcurè ſignificat Paulus, eatenus ſibi eam rem ad miſericordiam tantorumque peccatorum veniam profuiſſe, quatenus id culpæ gravitatem aliquo modo minuerit. Minùs enim gravia cenſentur, & porrò etiam faciliùs condonantur, quæ ignorantes, quàm quæ ſcientes perpetramus, etiamſi tandem ne ignorantia quidem omni prorſus culpâ vacet. Talia enim facta non neceſſariò ſunt veræ malitiæ animo conceptæ, nedum extremæ aut deploratæ, effecta atque documenta. Fieri enim poteſt, ut, ſi is, qui ignorans aliquid deliquit, rem probe ſciviſſet, id minimè fuiſſet facturus, virtutis amore ipſum revocante. Id quod in verbis illis tacitè de ſe ſignificat Paulus, & cætera ipſius facta ſatis oſtendunt. At ſi ne potuiſſet quidem ſciens prudens iſta committere, reſque ea neceſſitatis fuiſſet, voluntatis autem liberæ nullo modo; nihil id ad culpam minuendam feciſſet. Quî enim conſtat, ſi potuiſſet id ſciens prudens facere, quid fuiſſet facturus? quî conſtat, eum tam improbum futurum non fuiſſe, ut etiam ſciens prudens tantum nefas in ſe admitteret? Quare ſtatuendum potiùs eſt, decreto, quod de Paulo ad Apoſtolatus officium adhibendo, jam multò antè à Deo factum fuerat, illam, quam diximus, conditionem fuiſſe appoſitam. Similiter & de illo decreto ſtatuendum eſt, quod Deus de Prophetico munere Jeremiæ committendo, antequam is naſceretur, ſe feciſſe teſtatur. Atque hoc ad alia quoque ſimilia Dei decreta transferri poteſt, etiamſi ea abſoluta eſſe videantur. Memoriâ enim hîc id repetendum eſt, quod ſuprà alicubi commemoravimus, ſolere non raro abſolutè proferri ea, quæ tacitam habent annexam conditionem, quando plus quàm veriſimile eſt, eam conditionem extituram, etiamſi tandem non ſit prorſus neceſſaria, ſed ex libero eorum, ad quos decreta illa quoquomodo reſpiciunt, arbitrio aliqua ratione pendeant. Quantò autem magis veriſimile eſt eam extituram, tantò minùs eam exprimere eſt neceſſe.

Ut igitur ea, quæ de diſcrimine illo decretorum abſolutorum & conditionatorum dicere cœperamus, perſequamur; priora illa ad exitum ſemper deducuntur, & irrita nullo modo fieri poſſunt: cum in Deum nec inconſtantia cadat, quæ voluntatem mutare, nec virium imbecillitas, quæ voluntatis effectum impedire poſſet. At poſteriora non neceſſariò ad exitum perducuntur; quia ceſſare poteſt conditio illis appoſita, quam Deus ex creaturarum arbitrio pendere voluit. Quòd ergo ceſſat decretorum effectus, id non ex Dei parte, ſed ex creaturis proficiſcitur. Ex Dei enim parte decreta rata ſunt ac firma. Non dicimus autem, decreta conditionata ad exitum non perduci; ſed non perduci neceſſariò, niſi tum, cùm conditio impleta fuerit. Tunc enim in abſoluta migrant, aut ex conditionatis abſoluta naſcuntur. Conditionata enim, impletâ conditione, fiunt abſoluta. Quanquam & hîc diſcrimen aliquod animadverti poteſt inter decreta Dei promittentia & comminantia, ſeu mavis inter ipſas promiſſiones & minas. Nam promiſſiones quidem, ut alibi jam docuimus, conditione impletâ ad exitum ſemper ac neceſſariò perducuntur, quia jus alteri largiuntur; ſed comminationes vel non ſemper, vel non eodem prorſus modo, migrant quidem & comminationes conditionatæ in abſolutas; ſed interdum ratione potiùs juris, quod is, qui minatur, ad pœnam alteri infligendam habeat, quàm ratione actûs. Quamvis enim de actu ipſo puniendi comminationes videantur loqui: tamen non raro juris ipſius potiſſimùm habetur ratio. Cum videamus etiam poſt impletam conditionem, pœnæ remiſſioni aut relaxationi locum eſſe. Hoc modo accipienda eſt illa Dei comminatio primo homini propoſita: Gen. 2. 17: *In quocunque die comederis ex eo,* (ligno nimirum ſcientiæ boni & mali,) *morte morieris*; præſertim ſi de morte ſempiterna myſtico eam ſenſu accipias, ad quem Paulus Rom. 5. reſpicit. Nam & poſt impletam hujus decreti conditionem, habuit Deus jus pœnam decretam condonandi, & ſic comminationem iſtam vel remittendi penitus, vel relaxandi.

* Vid. Joh. Maldonatum in hunc locum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Auctor certè libri Sapientiæ affirmat, cap. 10. 1: Sapientiam Protoplaſtum *cuſtodiviſſe & eduxiſſe à delicto ſuo.* Quod quid eſt aliud, quàm Adamum ſapientiæ beneficio delicti ſui pœnam, in illa Dei comminatione propoſitam, effugiſſe. Quod idem videntur omnes Chriſtiani agnoſcere, qui fidem ac pietatem illi eam tribuunt, qua interveniente homines à Deo juſtificantur. Comminatio ergo illa Dei, magis de jure, quod ad mortem Adamo infligendam habiturus ſit, loquitur, quàm de ipſo actu mortem inferendi. Unde patet, jus potiùs abſolutum ex conditione impleta naſci: actum autem non protinus neceſſariò ſequi, ſed adhuc ex arbitrio Dei pendere: quamquam ita, ut, niſi ex parte creaturarum aliquid interveniat, quod effectum decretorum iſtiuſmodi veluti inhibeat, ut reſipiſcentia, deprecatio, vel illius, quem comminatio ſtringit, vel ſaltem aliorum, etiam ad exitum comminationes iſtiuſmodi ſemper perducantur.

Antequam autem ab hac decretorum divinorum diſtinctione ad cæteras tranſeamus; aliquid adhuc addendum eſt de ultima decretorum divinorum perfectione, &, ut ita dicam, ἀκμῆ. quæ tum demùm locum habet, cùm ea jam jam ſunt ad exitum perducenda, atque adeò jam perducuntur; quæ proinde locum habet tantùm in decretis abſolutis, ſive illa nullam unquam conditionem habuerint additam, ſive conditio jam ſit præſtita. Tunc enim, ut diximus, decreta Dei conditionata in abſoluta migrant, aut ea ex ſe pariunt. Cùm ergo jam tempus eorum implendorum adeſt, tum ut ea fiant, Deus ita rem apud ſe decernit, ut vim ſimul eam adhibeat atque exſerat, quâ ad ea perficienda eſt opus. Hoc non incommodè fortaſſe, peremtorium Dei decretum dicere poſſis, quod moram jam ampliùs nullam patiatur. Atque hic divinæ voluntatis actus, quem effectus protinus ſequitur, non ſemel verbum, aut ſermo Dei, aut etiam mandatum ejus appellatur, ductâ metaphorâ ab hominibus potentibus, qui cùm per miniſtros ſuos decreta ſua ferè exſequantur, jubendo, quæ volunt, obtinent, ut jam ſuprà cap. 22, diximus, de potentia Dei loquentes. Non dicimus autem, Verbum aut Sermonem Dei, aut Mandatum, ſemper hoc modo accipi. Quis enim neſcit, verbum aut ſermonem Dei pro doctrina ab ipſo profecta, & mandata pro præceptis ac legibus ab eo propoſitis, ſumi ſolere? Sed non ſemel his nominibus, aut verbis, dicendi vel jubendi ſignificationem habentibus, ultimum hunc voluntatis divinæ, operi jam imminentis aut incumbentis actum, &, ut ita dicam, impetum ſignificari, ſuprà dicto loco demonſtravimus. Teſtimoniis autem illic citatis poſſunt addi & iſta e Pſalmis Pſal. 107. 20: *Miſit* (Deus) *verbum ſuum, & ſanavit eos,* (nempe Iſraëlitas) *& eripuit eos de interitionibus* (vel *foveis*) *eorum.* Ubi quidem *mittere verbum ſuum*, nil eſſe aliud viri doctiſſimi animadverterunt, quàm mandare. Mandavit autem illa omnino volendo, ac vim efficaciamque ſimul adhibendo. Eodem modo & illa in iiſdem Pſalmis accipienda ſunt Pſ. 147. 15: *Emittit* (vel ſimpliciter *mittit*, nempe Deus) *eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus.* q. d. celerrimè id fit, quod Deus jubet, ac fieri omnino vult. Et rurſus ib. ℣. 18: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.* h. e. ſolo juſſu, ſeu efficaci voluntatis decreto, liquefacit nivem, pruinam, glaciem, de quibus paulò antè fuerat loquutus. Interdum autem, non quidem peremtorius hic tantùm atque efficaciſſimus divinæ voluntatis actus, ſermonis divini nomine ſignificari videtur; ſed decretum tamen ejuſmodi, cui hic tandem actus, tanquam perfectio quædam accedat. In quam ſententiam videtur accipiendus nobilis ille D. Auctoris Epiſtolæ ad Hebræos locus, cum ait Heb. 4. 12, 13: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior* (ſeu *penetrantior*) *omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem* (ſic eſt in Gr.) *animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis; & non eſt ulla creatura inviſibilis* (ſeu *non manifeſta*) *in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta oculis ejus, ad quem nobis eſt ſermo,* (ſeu *de quo nobis eſt ſermo.*) Loquutus enim fuerat eò uſque divinus Auctor de illo Dei decreto, quo ſtatuerit, & quidem juramento addito, non ingreſſuros incredulos ac rebelles in requiem ejus; Iſraëlitas quidem olim in terram Palæſtinam; nunc verò tum eoſdem, tum alios, in terram illam novam ac beatam, in qua juſtitia habitat. Metuendum ergo hoc Dei decretum juramento confirmatum docet. Dei enim verbum non intermori, atque ab eo revocari, ſed vivere: non vi atque effectu ſuo carere, ſed efficax eſſe, ob adjunctam Dei potentiam; non falli etiam aut errare, ſive in exſequendo, ſive in judicando, ob adjunctam Dei ſapientiam; cum nec tam occultum ſit quicquam in homine, ad quod non penetret, ſive vim & efficaciam, ſive cognitionem reſpicias; nec ulla prorſus res ſit, quæ ejus notitiam effugere queat. Nam per proſopopœiam ex metonymia ortam, tribuuntur quædam Dei decreto, quæ Deo, decreta ſua exſequenti, propriè conveniunt.

Sed jam tempus eſt, ut alterum quoque diſcrimen, quod ex decernendi modo ac forma naſci diximus, addamus. Id verò eſt, quòd alia Dei decreta, licet de eadem fortè re facta, ſint generalia, alia ſpecialia aut ſingularia. Generale eſt, Omnis qui credit in Dei filium, habet, ſeu certò habiturus eſt vitam æternam. Specialia ſunt, de Apoſtolis v. g. atque adeò de ſingulis hominibus, qui jam credunt, ac in fide perſeverant, vitâ æternâ donandis. Quanquam hoc diſcrimen etiam ex diverſitate ſubjectorum aliqua ratione pendet, de quibus Deus aliquid decernit. Generalis enim decreti ſubjectum generale eſt, ſpecialis ſpeciale aut ſingulare. Sunt autem hæc decreta ita inter ſe connexa, ut ex generalibus neceſſariò conſequantur ſpecialia, ſive ſimpliciter, ſi illa ſint abſoluta; ſive præſtitâ conditione, ſi eam habuerint annexam. Diſcrimen autem inter illa eſt non exiguum. Nam præter ſubjectorum diverſitatem accedit & illa, quòd in iis decretis, ad quorum exſequutionem neceſſe eſt conditionem aliquam in creaturarum arbitrio poſitam accedere, generalia quidem decreta poſſunt eſſe abſoluta, antequam conditio impleatur; at ſingularia decreta ſub illis quodammodo comprehenſa, non item. Nam poſtquam v. g. Deus decrevit, omnes in Chriſtum credentes vitâ æterna donare; ſemper atque abſolutè id ratum fuit, etiam antequam quiſquam eſſet, qui in Chriſtum crederet. At Petrum aut Paulum nominatim vi hujus decreti ſalvum fore, ſimpliciter atque abſolutè verum non fuit, antequam illi in Chriſtum crederent: ſed ſub hac tantùm conditione, ſi in Chriſtum, & quidem conſtanter crediderint. Ut autem hoc diſcrimen inter decreta divina agnoſcatur, non parùm refert; præſertim cùm de ratione agitur, quâ Deus homines vel æternæ ſaluti deſtinarit, aut deſtinet, vel contrà interitui ſempiterno addixerit, aut addicat. Etenim generale decretum, quale jam diximus, uti & ſpeciale ſub conditione factum, libertatem hominibus relinquit, conditionem propoſitam vel implendi, vel non implendi. At ſi decretum abſolutum de ſingulis nominatim ſit factum, antequam ii conditionem propoſitam impleverint, nullus ampliùs ei libertati locus relinquitur, ſed neceſſitas ſingulis imponitur conditionem propoſitam, ſi modò conditio ampliùs nominanda eſt, implendi. Unde ii, qui ſtatuunt, Deum jam ab omni æternitate de ſingulis hominibus nominatim ſervandis abſolutum feciſſe decretum, eum ſimiliter decreviſſe putant, ut iidem neceſſariò crederent. Siquidem neminem ad ſalutem ſine fide perducere, immutabili itidem decreto ſanxit. Et hoc quidem aliquanto eſſet tolerabilius, ſi in æternæ tantùm ſalutis ratione illa regnare ſtatueretur neceſſitas. Verùm illius dogmatis auctores etiam in re contraria idem ſtatuerunt, ut nimirum ſibi uſquequaque conſentirent. Quandoquidem volunt, Deum certos etiam homines, & longe quidem plures cæteris, æterno exitio nominatim atque abſolutè deſtinaſſe, antequam quicquam mali feciſſent. Unde porro conſequitur, cùm neminem Deus, niſi peccato atque impietate ſua commeritum, æterno interitui ſubjicere decreverit, Deum illis etiam neceſſitatem peccandi atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

que impiè vivendi impoſuiſſe. Quæ abſurda illi penitus evitant, qui generale quidem de credentibus ſervandis, non credentibus autem æternùm puniendis decretum, ante mundum conditum, adeoque ante ipſam fidem & incredulitatem hominum, ſimpliciter factum eſſe ſtatuunt: ſpecialia autem de his aut illis, ſive ſervandis, ſive damnandis, tum demum abſolutè fieri cenſent, poſtquam illi vel conſtanter crediderint, vel in incredulitate perſeveraverint.

Poſtquam illas decretorum divinorum differentias perſequuti ſumus, quæ naturam eorum propiùs attingunt; aliquid etiam de cæteris addamus, quæ ex circumſtantiis externis atque adventitiis pendent, & aliquem in rebus teſtimoniiſve ſacris uſum habent. Earum autem duas ſuprà memoravimus, quarum prior ex temporis differentia petitur. Etſi enim vulgò arbitrentur, decreta Dei temporis differentiam non admittere, ſed omnia ab æterno facta eſſe: tamen ne ea nunc repetamus, quæ hinc inde ſunt à nobis dicta, ad hanc ſententiam refutandam pertinentia; id ſolum ad eam convellendam ſufficeret, quòd ſacræ literæ ad oſtendendam ſingularèm, vel rerum, vel perſonarum quarundam præſtantiam, aut Dei erga has charitatem, aut denique inſignem nonnullarum rerum certitudinem, commemorant, de iis Deum jam olim, & quidem ante conditum mundum, decreta feciſſe. Ut tum de ſalute noſtra ſempiterna, Epheſ. 1. 4, & d. 2 Tim. 1. 9. add. 1 Cor. 2. 7, tum de Chriſto ſalutis noſtræ duce, Joh. 17. 24. conſ. & ỷ. 5. 1 Pet. 1. 20: & gloria ipſi deſtinata legimus. At hujuſmodi argumentum nullum eſſet, ſi id omnibus prorſus Dei decretis eſſet commune. Quod enim commune omnibus eſt, nullam peculiarem unius præ altero præſtantiam demonſtrat. Sed præterea id quoque ejus ſententiæ falſitam manifeſtè docet, quòd multa Dei decreta de iiſdem ſubjectis facta, uti & affectus, ex quibus ea manant, ſibi invicem adverſentur, & unum ab altero tollatur. Aliud enim ab amore manat, aliud ab odio; illud à gratia atque miſericordia, hoc ab ira; illud ad felicitatem hominis ſpectat, hoc ejus pœnam atque interitum poſtulat. Unde ſuprà vidimus, Deum dici pœnitere eorum, quæ de hominibus certis decreverit, ac ſententias à ſe latas, & apertè etiam promulgatas, mutatis hominum moribus, aut aliis quibuſdam rebus intervenientibus revocare. Non ergo eodem tempore omnia in Deo exiſtunt, adeoque nec ab omni æternitate ſimul extitere. Quare poſſumus ita Dei decreta diſtinguere, ut alia dicantur à Deo ante conditum mundum eſſe facta, ut de mundo ipſo condendo, conſervando, regendo, decretum de ſalute nobis per Chriſtum offerenda, & reipſa præſtanda; & ſi quæ his ſunt conjuncta: alia poſt conditum mundum, diverſis iterum temporum articulis, prout rerum ipſarum ratio, aut præſtantia poſtulare viſa fuit. Sed his differentiis perſequendis non immorabimur. Illud tantùm diſcrimen ex temporis ratione petitum hîc explicabimus, quamquam paucis, quod in decretis cernitur de eadem re factis, atque ita inter ſe nexis, ut unum ex altero quodammodo fluat. Illud autem eſt, quòd aliud Dei decretum dicatur antecedens, aliud conſequens: quam diſtinctionem vulgò Theologi tradunt, cùm de voluntate divina agunt, præſertim ea, quæ ad ſalutis noſtræ rationem ſpectat. Revera autem ad Dei decreta pertinet. Nam voluntas illa, ad quam diſtinctio hæc adhibetur, non ipſa volendi facultas eſt, ſed ejus actus, & actus quidem ille potiſſimùm, qui decretum propriè appellatur. Quanquam haud negaverimus, hanc diſtinctionem etiam affectibus illis accommodari poſſe, qui vel decreta illa pariunt, vel ad eorum exſequutionem requiruntur; nec tantùm poſſe, verum etiam debere. Habet autem hæc diſtinctio in illis tantùm decretis locum, ad quorum effectum neceſſe eſt actum aliquem creaturæ accedere. Qualia ſunt decreta de ſalute aut exitio hominum ſempiterno. Antecedens enim Dei voluntas ſive decretum illud eſt, quod actum illum creaturæ liberum, ad exſecutionem decreti pertinentem antecedit; conſequens, quod eundem conſequitur. Antecedere autem poteſt decretum vel generale, vel ſpeciale aut ſingulare. Et ſingulare quidem ſemper habet conditionem annexam. Generale autem poteſt etiam eſſe abſolutum: quanquam conditionati vim habere debet. Generale decretum in ſalutis noſtræ negotio eſt: Omnis, qui crediderit, ſervabitur: Omnis, qui non crediderit, condemnabitur. Quæ decreta quomodo conditionatorum vim habeant, ſuperiùs eſt explicatum. Speciale decretum antecedens eſt, Petrus, aut Paulus, ſi crediderit, ſervabitur: contrà, ſi non crediderit, condemnabitur. At conſequens decretum eſt: Petrus, vel Paulus, quia credidit, ſervabitur: Pilatus v. g. quia non credidit, condemnabitur. Inter quæ decreta, quantum interſit, & quatenus nihilominus ſit nexus, quivis facilè cernit. Ex antecedente enim decreto neceſſariò fluit conſequens, poſtquam conditio fuerit impleta. Itaque ex eo, quòd Deus decrevit, ut omnis credens ſervetur, neceſſariò ſequitur, Paulum quoque, quia credidit, ſervatum iri. Eadem ratio eſt & decreti ſpeciatim de Paulo ſervando ſub eadem conditione facti. Ex quo etiam intelligitur, ex qua cauſa pendet antecedens decretum, ex eadem pendere & conſequens; quamquam non ex ea ſola; ſed ex illa quidem, tanquam cauſſà primâ, ex conditione autem impleta, tanquam cauſſà mediâ, ſive ſecundâ. Omnis enim conditio, cùm præſtita eſt, fit cauſa inpulſiva decreti abſoluti, & porrò etiam effectûs ex eo manantis. Quanquam interim cauſſæ illius diverſa eſt ratio in promiſſis, & in comminationibus: in præmiis, & pœnis, pœnis, inquam, juſtis, quales ſunt divinæ. Nam conditio præſtita bonum promiſſum non ſemper meretur: imò noſtra opera præmia à Deo nobis deſtinata merentur nunquam: mala pœnam ſemper merentur. Illud denique repetendum, & aliquantò pluribus explicandum, quòd antecedens decretum vel prorſus ſit conditionatum, vel conditionati vim habeat: at conſequens decretum, quia præſtitam conditionem ſequitur, ſemper ſit, aliqua ſaltem ratione, abſolutum. Dico autem, *aliqua ſaltem ratione*; quia duobus modis dici poteſt, præſtitam eſſe conditionem in decreto poſitam. Prior imperfectior eſt; poſterior perfectior. Ille eſt, ſi ad certum tantùm tempus conditio ſit præſtita, nec præſtari adhuc deſierit, verùm conſtantia adhuc ac perſeverantia in ea præſtanda requiratur, qua ceſſante, ceſſet & decretum conſequens, ejuſque effectus. Hic verò eſt, ſi conditio penitus ſit præſtita atque abſoluta, ita ut nihil ampliùs in poſterum relinquatur præſtandum. Si priori modo præſtita ſit conditio; nondum penitus abſolutum eſt decretum, prout nec conditio: ſi poſteriori modo; penitus abſolutum eſt. Rationem enim, qua impletur conditio antecedenti decreto annexa, ſequitur ratio decreti conſequentis: ita ut ſi illa penitus ſit abſoluta, & hoc penitus ſit abſolutum; ſi nondum, & hoc nondum penitus ſit abſolutum, ſed aliqua ex parte ex futura conditione pendeat. Itaque quamdiu illi v. g. qui in Chriſtum revera credunt, adhuc vivunt, nondum penitus abſolutum eſt ſpeciale Dei de illis ſervandis decretum. Quia perſeverantia in fide uſque ad mortem requiritur; quâ ceſſante, ceſſat Dei de ſuprema illorum felicitate decretum. Qua de re vide, quæ ipſe de ſe Paulus ſcribat, tum in Epiſtola priori ad Corinthios, cap. 9. 27. tum in ea, quæ ad Philippenſes cap. 3. 11, & d. extat. At cùm illi in fide obdormierunt, fide, inquam, bonis operibus animata, jam in tuto eſt eorum ſalus, jam extra omnem dubitationis aut mutationis aleam eſt poſita, decreto Dei planè abſoluto illorum felicitatem firmante.

Hæc ſi obſerventur, & cum duabus proximè præcedentibus decretorum divinorum differentiis conjungantur; intelligetur diſcrimen inter prædeſtinationem hominum ad ſalutem, & electionem, illam nimirum, quæ firmior eſt ac perfectior, & non niſi verè in Chriſtum credentibus ac piè viventibus convenit. Prædeſtinatio enim, ut & ipſa vox quodammodò indicat, fidem ac pietatem hominum anteceſſit, electio eam demum conſequitur; atque adeò illa ante conditum mundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

facta eſt, hæc variis fit temporibus, prout & ipſi homines non eodem tempore credunt ac piè vivunt. Ad illam nullius hominum non tantùm meritis, ſed ne ullis quidem operibus, impulſus fuit Deus; ad hanc non quidem meritis operum, ſed operibus tamen ex fide manantibus impellitur. Illa generatim tantùm ab æterno fuit à Deo facta, electionis decretum de unoquoque pio fit nominatim; quanquam ex ſingularibus his decretis iterum univerſale quoddam colligitur. Illud decretum conditionati vim habuit: hoc abſolutum eſt, prout conditio vel penitus eſt præſtita, vel nondum. Electio enim hæc incipit, ſimul atque quis fidem ſuam pietate vera perficere atque animare incipit; ſed non niſi vitâ univerſa cum pietate exactâ, penitus abſolvitur. Itaque fide aut pietate intra metam illam extremam ceſſante, aut in ipſo fortè portu naufragium faciente, ceſſat & electio; non ceſſante interim, nec ulla ratione mutatâ prædeſtinatione. Denique electio ex prædeſtinatione, poſita conditione, quam illa poſtulavit, neceſſariò conſequitur: ita ut Electio ſit veluti concluſio, ex majore propoſitione, quam prædeſtinatio ponit, & minore, quam præbet hominum fides ac pietas, deducta. Prædeſtinationis enim decretum eſt: Omnem credentem ſervatum iri. Quòd autem Paulus v.g. credat, aſſumtio eſt. Unde concluſio ſequitur, Paulum ſervatum iri: quod quamdiu in decreto conſiſtit, electio eſt, quæ juſtificationem in ſe complectitur; cùm ad effectum perducitur, glorificatio eſt. Majorem, ut diximus, ſola Dei proponit gratia: minorem Dei gratia, & hominum voluntas ac probitas, per illam excitata, illique ſubſerviens. Quare & concluſio. Sed hæc obiter quodammodo, quanquam non abſque neceſſitate à nobis dicta ſunt.

Reſtat altera, quam ſuprà poſuimus, decretorum divinorum diſtinctio, ex accidentaria quadam eorum qualitate petita. Ea eſt, quòd decreta Dei vel occulta ſint, vel aliis, ac nominatim hominibus, patefacta. Quam diſtinctionem, ut cap.21, jam monuimus, Scholaſtici ita efferunt, ut decretum occultum voluntatem beneplaciti appellent; patefactum, voluntatem ſigni. Utuntur autem, præſertim nonnulli, hac diſtinctione illic inprimis, ubi id, quod Deus verbo ſuo, alióve ſigno externo declaravit, cum eo pugnare videtur, quod intra ſe revera vult. Qua de re ſuo loco jam diximus, & paulò inferiùs nonnihil dicemus. Verùm latiùs hæc diſtinctio extendi poteſt, & aliis etiam Dei decretis, quorum alia patefacta ſunt, alia à Deo celantur, vel nunc occulta, nunc manifeſta, accommodari. Sunt autem decreta quædam Dei, ipſis etiam angelis, licèt apud Deum in cœlo degentibus, & faciem ejus videntibus, occulta, aut aliquando fuerunt. Nam & rationem ſalutis noſtræ à Deo ante ſecula conſtitutam, vocationemque Gentium non ſatis ante Euangelii prædicationem patuiſſe angelis, liquet ex iis, quæ leguntur Eph.3. ℣. 8, 9, 10, ubi ait Apoſtolus, ſibi *datam hanc eſſe gratiam, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles,* (ſeu *imperveſtigabiles*) *divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti* (Græcè *quæ ſit communio myſterii,* hoc eſt, quanta ejus myſterii ſit amplitudo, tanta nimirum, ut omnibus terræ nationibus ſit commune,) *abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creavit* (additur in Græco *per Jeſum Chriſtum,*) *ut innoteſcat (nunc) principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſeculorum,* hoc eſt, multis antè ſeculis factam. Unde idem Apoſtolus, de myſterio pietatis, ſeu religionis Chriſtianæ loquens, ait, 1 Tim. 3. 10: *Deum viſum eſſe angelis,* intellige ratione hujus myſterii: ſeu voluntatis antea abſconditæ: ad quod myſterium vulgata interpretatio Latina, & Syriaca verſio verba hæc manifeſtè referunt. Sic & in Apocalypſi legimus, librum illum ſcriptum intùs & foris, ſignatumque ſigillis ſeptem, qui fuerit in dextra ſedentis ſuper thronum, Apoc. 5. 3: *neminem potuiſſe neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire, neque reſpicere* (vel *inſpicere*) *illum.* Manifeſtum autem eſt, per librum illum ſignificari recondita Dei de rebus futuris decreta, quæ poſtea in eadem Apocalyſi ſub certis imaginibus, & ſignorum verborumque involucris proponuntur, ut cuivis patebit ea legenti, quæ porrò in eodem & ſequenti capite de apertione ſigillorum ejus libri ſcribuntur.

Verùm in hac diſtinctione decretorum Dei, maximè hominum habenda eſt ratio, quibus vel patefecerit Deus decreta ſua, vel non patefecerit. Eſt autem hæc differentia ita comparata, ut non tantùm in diverſis Dei decretis cernatur, verùm etiam in iiſdem, ſed diverſo tempore. Nam eadem Dei decreta, quæ aliquando occulta fuerant, & hominibus haud patefacta, poſtea illis patefiunt; ut quidem factum videmus in decreto de ſalute humani generis; Rom.16.25,26. 1 Cor. 2. 7, & d. Epheſ. 1. 9. conf. cum antec. & ſeqq. 2 Tim. 1. 9, 10. Tit. 1. 2: tum nominatim in decreto de Gentibus extraneis ad communionem ſempiternæ felicitatis vocandis. Actor. 10, & XI. Epheſ. 3. 5, & d. add. Col. 1. 26, & d. Ut taceam, etiam reſpectu diverſorum hominum, idem Dei decretum, & occultum, & patefactum dici poſſe: quia his id aperuerit Deus, illis non aperuerit. Sic olim patefecit Deus multa Iſraëlitis, quæ Gentibus non promulgavit. Dicuntur autem decreta Dei, quæ aliquando fuerunt à Deo occultata, & humano ingenio abſque revelatione divina inveſtigari ac cognoſci non poſſunt, *myſteria,* ſeu ſecreta. Quanquam & res ipſæ à Deo conſtitutæ, ſed hóminibus occultæ, & doctrinæ, quibus illæ poſtmodum à divinis viris explicantur, myſteria appellantur. vid. l. d. Rom. 16. 1 Cor. 2. Epheſ. 1. & 3, & Col. 1. Sic univerſa ſalutis noſtræ ratio à Deo conſtituta, ſic vocatio Gentium, ſic fidelium in adventu Chriſti ſuperfuturorum, 1 Cor. 15. 51, ſine morte interveniente tranſmutatio à Deo decreta, & ſententiæ de iſtis rebus propoſitæ, myſteria in ſacris literis dicuntur. Solet autem Deus ideo quædam, licèt multo antè decreta occultare, quæ tamen aliquando hominibus revelare conſtituit, ne omnibus protinus patefacta eviléſcant, & pretium dignitatemque ſuam quodammodo perdant; tantoque manifeſtiùs appareat, quantopere Deus illos amet, quibus conſilia illa ſua patefecerit, quæ per tot ſecula celarit. Quædam autem ſunt, quæ nunquam patefacit Deus, antequam ad exitum perducat, vel obſcurioribus tantùm indiciis ſignificat, quorum vis nonniſi illis pellucet, qui oculos habent ad res divinas, & ad occultiora providentiæ divinæ veſtigia legenda ac perſcrutanda ſemper intentos. Et de hoc quidem utroque decretorum genere accipi poſſunt illa Prov. 25. 1, *Gloria Dei eſt celare verbum,* ſi modò ibi *verbum* pro re, quam Deus ipſe conſtituit, ſumatur, ut verba præ ſe ferunt. Tantò enim illuſtriora poſtmodum apparent Dei opera, jam antè ab eo decreta, tantoque efficaciùs ſapientiæ ac potentiæ divinæ radios, quibus circumfulgent, hominum oculis immittunt, quantò fuerant inopinatiora. Verùm alia multa decreta ſua Deus hominibus aperit, & maximè ea, ſine quibus obſequium ipſi debitum præſtari nequit. Hæc enim partim hominum mentibus inſculpſit, partim peculiari ratione diverſis temporum articulis, per quoſdam veluti gradus ab imis ad ſumma aſcendens, hominibus revelavit: donec tandem per Chriſtum ejuſque myſterium, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi, Col. 2. 3. ad illud faſtigium rem perduxit, ad quod mortalibus aditus patet: neque jam ampliùs nobiſcum tanquam cum ſervis agit, Joh. cap. 15. ℣. 15. (hi enim neſciunt, quid ipſorum agat dominus) ſed tanquam cum filiis atque amicis. Siquidem univerſum de felicitate noſtra ſempiterna conſilium nobis aperuit. Verùm & alia decreta ſua non pauca, tum olim per Prophetas, tum poſtea per Chriſtum ejuſque ſervos hominibus patefecit: quorum etiam præcipua, & ſcitu magis neceſſaria in ſacris literis deſcripta habemus: quanquam non omnia æquè clarè; prout nec omnium intelligentia nobis eſt æquè neceſſaria. Olim quidem, cùm Prophetiæ donum in populo Iſraëlitico vigeret, tum alia, de quibus conſulebatur Deus, tum generatim omnia ſolebat per Prophetas patefacere, quæ ad populum univerſum ſpe-

ctarent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ctarent, & de quibus eum præmoneri, ſalutis ipſius non parùm intereſſet. Ut cùm pœnam illi vellet inducere, præſertim graviorem, quam reſipiſcentia interveniente poſſet effugere: de quo rerum à Deo decretarum genere loquitur Amos, dum ait cap. 3. ℣. 7: *Non faciet Dominus verbum,* (hoc eſt, quicquam, ſeu rem ullam) *niſi revelaverit decretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.* Cæteroquin innumera ſunt Dei de his aut illis hominibus aut rebus decreta, (tot enim ſunt, quot ipſa Dei facta) quæ Deus nec olim Prophetis, nec cuiquam mortalium hodie aperit. Utpote quorum cognitio nec anguſtiâ mentium noſtrarum capi poteſt; nec ſi poſſet, foret neceſſaria; imò ſæpè ne utilis quidem: ne dicam, eam interdum vel noſtro in pietate profectui, vel ipſis divinis conſiliis obſtituram, quæ niſi occulta eſſent, eo ipſo irrita fieri poſſent. Quas duas ob cauſſas Deus ultimi judicii tempus nobis eſſe vult occultum, ut in id ſemper intenti, pietatem ſtudio non interrupto colamus, eaque ratione ad decretorium illum diem perpetuò nos comparemus, ſeu mavis parati ſimus; cæteros autem, qui impietate delectantur, dies ille ſecuros inveniat, ac nihil tale opinantes opprimat. Satis eſt nobis de re ipſa conſtare, etiamſi temporis articulum ignoremus: & ſufficere nobis debet, tum promiſſa Dei, uti & minas, tum mandata nobis eſſe propoſita, ut ſciamus, quid in univerſa vita ſequi, quid fugere debeamus, quid item à Deo ſperandum nobis ſit, quid metuendum. Hoc enim pacto *omnia nobis* (ut Petrus ait 2 Petr. 1. 3, 4,) *à divina potentia donata ſunt, quæcunque ad vitam & pietatem pertinent, per cognitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem; per quæ maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* (vel *donata ſunt.*) *ut per hæc efficiamur divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus* (vel *ubi effugerimus eam*) *quæ in mundo eſt concupiſcentiæ* (Gr. *in concupiſcentia* ſeu per concupiſcentiam) *corruptionem.* Itaque cogitandum nobis eſt illud Moſis ad Iſraëlitas: Deut. 29. 29: *Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta* (Hebr. *& revelata ſunt*) *nobis & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus univerſa verba Legis hujus.*

Quantopere autem illi fallantur, qui decreta Dei revelata, quæ illi voluntatem ſigni appellant, interdum pugnare cenſent cum occultis, quæ voluntatem beneplaciti vocant, jam antè, cùm de ſinceritate divina ageremus, docuimus. Contradictionem certè id dogma involvit. Nam vel id, quod voluntatem ſigni appellant, revera vult Deus; vel non vult. Si vult; contradictoria & ſe mutuò perimentia ſimul vult, v. g. Judam, cui unà cum aliis Apoſtolis gratiam ſuam obtulerit, æternùm ſervari, & non ſervari: quorum illud voluntate ſigni, hoc voluntate beneplaciti velle cenſetur. Si non vult; quomodo voluntas appellatur? Voluntas enim erit, & non erit.

Mirari autem hoc loco & illos cogimur, qui cùm tantam decretorum divinorum varietatem, quantam hucuſque vidimus, vel cernant, vel cernere haud difficulter poſſint, ſtatuere tamen non verentur, decreta Dei eſſe ipſam Dei eſſentiam, atque adeò, cùm illa eadem numero ſit, omnia Dei decreta reipſa idem eſſe. Qui quidem, ſi vim hujus dogmatis ſpectes, rationem decretorum divinorum penitus ignorare, imò ne ſeipſos quidem intelligere, meritò dici queunt. Cùm non uno modo contradictionem hac ſententia ſua involvant. Nam quid aliud eſt Dei decretum, quàm voluntatis, ipſiúſque adeò eſſentiæ divinæ effectus quidam? Quòd ſi Dei decreta ſunt ipſa Dei eſſentia; eſſentia Dei, ipſeque adeò Deus, erit effectus ſui ipſius; ſeipſo naturâ prior, & poſterior. Præterea eſſentia Dei non neceſſariò, ſed contingenter exiſtet: ſiquidem decretum omne liberæ voluntatis effectus eſt. Liberæ autem voluntatis effectus non eſt, qui prorſus neceſſariò exiſtit, ſed qui contingenter. Quòd ſi quis de omnibus Dei decretis id agnoſcere nolit, neceſſe tamen eſt, ut de quibuſdam agnoſcat, quæ ex voluntatis ipſius beneplacito atque arbitrio manaſſe in ſacris literis dicuntur; ut ſunt ea, quæ de ſalute noſtra facta ſunt. Satis autem ad hanc abſurditatem evincendam vel unum decretum eſſet: cùm illi de omnibus in univerſum ſentiant, ea ipſam Dei eſſentiam eſſe; & ratio, quâ ad id oſtendendum utuntur, ex ſimplicitate Dei ducta, in omnibus æquè valeat. Adde, quòd decreta divina in ipſa ratione ſeu eſſentia ſua includant reſpectum ad extra, ut loquuntur, ſeu ad creaturam aliquam. At eſſentia Dei abſoluta eſt, nullum ad creaturas reſpectum in ſeſe, ſeu in ratione ſua comprehendens. Aliàs tam neceſſariò exiſterent creaturæ, atque ipſe Deus; adeoque neceſſe fuiſſet, illas unà cum Deo ab omni æternitate exiſtere. Quod nil eſſet aliud, quàm creaturas non eſſe creaturas. Præterea natura Dei una eſt: decreta Dei infinita. Adhæc, decreta quædam, de eodem ſubjecto, quanquam diverſo tempore facta, inter ſe pugnant, & unum tollit alterum: cum alterum v. g. pœnam, alterum impunitatem ejuſdem, ſive hominis, ſive populi, alterum felicitatem, alterum infelicitatem atque interitum ſanciat, quemadmodum ſuprà apertiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis demonſtravimus. Taceo, quòd decreta exſecutioni jam penitus mandata, decreta eſſe definunt: ut decreta de mundo condendo, de diluvio orbi inducendo; Iſraëlitis ex Ægypto educendis; Chriſto in mundum mittendo, morti tradendo, exaltando. Dei autem eſſentia deſinere nulla poteſt ratione. Sed dices: ſi decreta Dei non ſunt ipſa Dei eſſentia; accidentia erunt. Nefas autem ſit, accidens in Deo ſtatuere. Compoſitus enim fuerit Deus ex eſſentia & accidente. Si compoſitus, ab alio erit compoſitus. Sic non à ſeipſo, non ab æterno extiterit: ſic Deus non fuerit Deus. Præterea ſi decreta Dei ſunt varia, ſi alia aliis ſuccedunt, & quidem prioribus nonnunquam contraria; Deus erit mutabilis. Abſit autem, ut Deum mutabilem ſtatuamus. Cùm ipſemet teſtetur, Deum ſe eſſe, non hominem, & non mutari. Quaſi dicat, Deum ſe non fore, ſi mutaretur. Hæc quantam vim habeant, breviter videamus. Primùm unde liquet, nefas eſſe, accidens ullum Deo tribuere? Quid enim? num ſacræ literæ id prohibent, & quidem tam apertè, ut religio id ſit vel cogitare? Ubi, quæſo, ejus rei vel leviſſimum extat indicium, ubi veſtigium? Imò verò qui talia, qualia nos decreta Dei eſſe volumus, accidentia in Deum cadere poſſe negat, is, ſi vim ſententiæ ſpectes, eum eſſe Deum negat. Quandoquidem liberam illi voluntatem, ac porrò imperium quoque, ob quod inprimis Deus dicitur, eripit. Si enim liberâ Deus voluntate præditus eſt, poteſt aliquid apud ſe ſtatuere, quod poterat etiam non ſtatuere. Actus ergo ille decernendi in ipſo exiſtens accidens erit. Siquidem accidens id omne eſt, quod ita alicui ineſt, ut poſſit etiam abeſſe citra ſubjecti corruptionem. Adde, quòd, cùm certa Dei decreta inter ſe contraria eſſe videamus, neceſſe eſt, ut Dei eſſentiam ſecum ipſa pugnantem conſtituant, & id, quod nos facere falſo exiſtimant, ipſi faciant, hoc eſt, Deum revera mutabilem, imò quovis homine, qui ad certum aliquod tempus naturam ſuam retinet eandem, mutabiliorem ſtatuant. Ne cætera, quæ paulò antè recenſuimus, abſurda nunc repetamus. Non cadunt quidem in Deum accidentia ejus generis, qualia in creaturas multa cadunt. Novas enim facultates non acquirit, nedum ut eas recipere poſſit qualitates, quæ ad imminuendam ipſius naturam ſummamque perfectionem ſpectare queant, quales creaturis etiam invitis accidunt multæ. Sed actus tamen liberæ voluntatis varios in ipſum ita cadere, ut ab eo poſſint abeſſe, & porrò etiam ab ejus natura atque eſſentia differant, tam ab omni abſurditate abeſt, quàm abeſt, eum voluntate libera eſſe præditum. At compoſitus erit Deus. Quî verò? Compoſitus, inquiunt, erit ex eſſentia & accidentibus. Quid? num ſubjectum accidentis, ex ſeipſo & accidente ſuo componitur? Homo quidem compoſitus eſt; at non ideò, quia præter eſſentiam ſuam etiam accidentia habeat: ſed quia partibus tum eſſentialibus, tum integrantibus conſtat. Ex eo enim tantùm componitur quippiam, ex quo tanquam parte quadam, ſive eſſentiali, ſive integrali conſtat. At nemo ex ſuo accidente conſtat. Aliàs enim id non ampliùs foret accidens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dens. Accidens enim eſt, quod ineſt non ut pars, & poteſt ab eo, cui ineſt, abeſſe, ut habet Philoſophi definitio. Quiſque non niſi ex ſua conſtat eſſentia. Hæc eum abſolvit integra integrum. Quòd ſi quid præter eſſentiam eum conſtitueret; jam id ipſum eſſentiale ipſi foret; ac porrò ſimul & eſſentiale, & non eſſentiale. Dices fortè, etſi Deus ſimpliciter ſumtus non ſit hac ratione futurus compoſitus; compoſitum tamen fore aliquod, ex Deo, & illius, ſive uno, ſive pluribus accidentibus. Ut *homo albus* compoſitum quoddam eſt ex homine abſolutè ſumto, ſeu ex natura hominis, & albedine, quod unum per accidens appellare ſolent. Sic ergo, inquies, & Deus hoc vel illud decernens, erit compoſitum quippiam, ex Deo ſimpliciter ſumto, & decernendi actu. At ſi in eo quippiam eſt abſurdi; nega, Deum eſſe creatorem; nega, patrem noſtrum eſſe; nega, pios amare, impios odiſſe; & ſi quæ ſunt ſimilia. Niſi enim dicere velis, idem eſſe, Deum eſſe, & creare, pios amare, impios odiſſe, cogeris hujuſmodi ex Deo & actu creandi, itemque ex eodem Deo & paterno erga nos affectu, odioque impiorum compoſitum agnoſcere. Itaque qui tam frivola urgent, vel ea, quæ minimè ſunt frivola, ſed in ſacris literis teſtatiſſima, & totius religionis ac pietatis fundamenta, ſubvertunt; vel verborum ſono ſeipſos magis, quàm alios, terrent falluntque. Concidit jam ſponte ſua id, quod tam infirmo fundamento ſuperſtruitur: Omne compoſitum ab alio componi. Deum ergo ab alio compoſitum; ac porrò non à ſeipſo, non ab æterno extitiſſe, concedendum fore. Deum enim compoſitum eſſe, oſtenſum non eſt. Ejuſmodi autem, ſi ita appellare libet, compoſitum ex ſubjecto & accidente, non ſemper aliud componens requirit: cùm ſubjectum libera voluntate præditum, & ſive novas qualitates, ut in hominibus accidit, acquirens, ſive varia apud ſe decernens, variiſque operibus incumbens, ſibi ipſi accidentia adjungat; & ſic huic inter ſe & accidentia compoſitioni ipſummet ſufficiat. Et quidem præter liberam Dei voluntatem nulla alia ſuperior requiritur efficiens, quæ faciat, ut Deus hæc aut illa apud ſeſe decernat; ipſamet ex ſeſe veluti fœcunda eſt ad parienda hujuſmodi decreta.

Ad ſecundam objectionem quod attinet; mutabilitas illa à Deo abeſt, quæ vel imperfectionem aliquam naturæ, vel inconſtantiam levitatemque voluntatis argueret. Et de hac poſteriori quidem vel ſolùm, vel potiſſimùm loquitur ſcriptura, cùm Deum mutari negat. Eam autem à Deo abeſſe, etiamſi quædam nunc decernat, quæ antea non decreverat, imò quorum contraria antè decreverat, ſatis oſtendimus, cùm de conſtantia divina ageremus. Et ſanè, ſi omnes agnoſcimus, Deum fœdus, quod olim per Moſen ſanxerat, novo percuſſo antiquaſſe, ac leges ceremoniales, quas per eundem tulerat, & quarum tranſgreſſionem ſeverè etiam ultus fuerat, per Chriſtum abrogaſſe, extraneos populos, quos olim à ſocietate fœderis excluſerat, nunc ad eam benigniſſimè invitaſſe; agnoſcere etiam cogimur, nihil ejuſmodi vel decretorum, vel actionum divinarum varietatem ac mutationem conſtantiæ divinæ detrahere, ac Deo minimè indignam eſſe. Quin potiùs liberrimæ hæc mutatio & voluntatis, & poteſtatis eſt; adde & ſapientiæ, quæ rebus mutatis ita conſilia mutet, ut ea illarum rationi attemperet. Niſi talis in Deo mutatio admittatur, fruſtrà aut iratum placas, aut cùm non iraſcitur, offendere metuis. Siquidem nec iratus placari, nec mitis ac placidus irritari poſſit. Omnis ergo precum vis, omnis religio divinique numinis metus hoc pacto tolletur. Quod verò ad alteram illam mutabilitatem attinet, quæ imperfectionem aliquam naturæ divinæ argueret; eam ne Deo hac ratione tribuamus, minimè verendum eſt. Siquidem omnis ea, de qua loquimur, varietas ac mutatio in actibus tantùm verſatur liberæ voluntatis. Qualitates enim facultateſque, ut jam antea diximus, nec novas acquirit, nec quas naturaliter habuit, unquam perdit, ſed quid dico perdit? ne minimam quidem earum mutationem ſentit, aut ſenſurus eſt unquam. Omnes, non minùs quàm ipſe, æternæ ſunt atque invariabiles; eædemque ad beatitudinem ſummam, atque ad omnem actionum perfectionem ſufficientiſſimæ.

His ad eum modum explicatis, pauca de uſu doctrinæ hujus addemus, qui quidem in univerſa religionis ratione latiſſimè patet. Omnia enim, quæ ad religionis naturam conſtituendam maximè pertinent, decretis divinis vel penitus nituntur, vel aliquam ſaltem ab illis vim accipiunt. Ad religionem enim præcepta inprimis & promiſſa, hiſque oppoſitæ comminationes pertinent. Præcepta autem, ſi ceremonialia ſint, qualia Moſaica fuerunt plurima, non niſi à decreto divino robur, hominesque obligandi vim accipiunt. Si ad morum honeſtatem pietatemque vitæ ſuâ naturâ pertineant; per ſe quidem nos obligant, ſed majorem inde vim capiunt, quòd Deus ea ita à nobis decrevit exigere, ut niſi ea obſervemus, non modò felicitate ſuprema nos velit excludere, ſed & graviſſimas nobis pœnas infligere. Promiſſa verò, præſertim tanta, unde niſi à Dei decretis? Ex his omnis eorum vis, omnis eorum certitudo pendet. Unde Paulus inprimis, cùm felicitatem noſtram explicat, ejuſque certitudinem nobis oſtendit, divina decreta, quibus ea nobis ſit deſtinata, diligenter inculcat; ut præter alia loca præcipuè in Epiſt. ad Romanos & ad Epheſios videre eſt. Rom. 8. 28, & d. Epheſ. 1. 4, & d. Similiter & comminationum vis decreto nititur. Quicquid vel ipſi Chriſto, vel nobis per ipſum contigit, id totum decretis divinis jam olim factis imputandum eſt. Imò nihil planè à Deo fit, aut fieri poteſt, quin aliquod in ipſo decretum ea de re antecedat. Quanquam non ſemper longè antecedit, ſed multa cum ipſis factis ita ſunt connexa, ut ſimul cogitentur ac fiant, & non tam tempore, quàm naturæ ordine, ut cauſſæ effectum, antecedant. Neque enim omnium ea eſt vel ratio, vel dignitas, ut longum temporis anteceſſum vel ferant, vel poſtulent. Itaque non mirum eſt, decretorum divinorum in univerſa Theologia creberrimam fieri mentionem. Cùm iis ſublatis omnia Dei opera, omnem religionem concidere ſit neceſſe. Ea verò, quæ de variis decretorum divinorum generibus ſunt à nobis dicta, quem in ſacra Theologia uſum habeant, ex ipſis dictis noſtris haud difficulter poteſt intelligi, ſiquidem exempla, quibus ea illuſtravimus, ex ſacris literis petita, ſatis, quis diſtinctionum illarum ſit uſus, unumquemque monere poſſunt.

Illud ergo ſupereſt, ut, cùm univerſam Chriſti religionem immotis Dei decretis ſuperſtructam, iiſque tum præcepta ſancita, tum promiſſa ac comminationes ſtabilitas eſſe videamus; promiſſis indubitatam fidem adhibeamus; minas pertimeſcamus; ac porrò præceptis pareamus, & ne latum quidem unguem ab illis unquam diſcedere audeamus. Siquidem quod ad promiſſa attinet, quæ non niſi ſub conditione obſervationis mandatorum facta ſunt, quàm conſtanti atque immutabili Dei decreto nitantur, tum aliunde, tum ex Auctore Epiſt. ad Hebr. cap. 6. 17, & d. ſuprà docuimus, qui ait, Deum *abundantiùs volentem oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuiſſe jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus* (Gr. *in quibus*) *impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum* (Gr. *validum*) *ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem* (ſeu *ingredientem*) *uſque ad interiora velaminis*, (hoc eſt, in ipſum cœlum) *ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, ſecùndum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum*. Contrà etiam comminationes divinæ, incredulis atque impiè viventibus per Chriſtum propoſitæ, de illis à cœleſti hæreditate excludendis, immutabili decreto jam olim ſunt ſancitæ, & perinde ac promiſſa, juramento confirmatæ. Nam ut in eadem ad Hebræos Epiſtola cap. 3. & 4, docetur, ex qua verba divini ſpiritus modò repetivimus, Deus juravit, Pſal. 95. 11, homines incredulos uon ingreſſuros in requiem ſuam, olim quidem in terrenam, nunc verò eos, qui per Chriſtum ad vitam æternam fuerant invitati, in cæleſtem. Quare, ut divinus ſpiritus ibidem monet, Hebr. 4. 11, 12, *feſtinemus ingredi in illam requiem: ut ne in id ipſum quis incidat incredulitatis exemplum*; (vel ut Græca habent, *ne in eodem quis cadat inobedientiæ exemplo.*) *Vivus enim eſt Dei ſermo & efficax.* Utut autem Deus differre videatur ea, quæ decrevit, nos tamen de fide nihil remittamus. Etenim *non mentietur*, ut inquit Propheta: Hab. 2. 3, 4: *ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo*, (vel ut cum Græcis interpretibus habet D. Auctor ad Hebræos cap. 10. 38, *ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ in eo:*) *juſtus autem in fide ſua vivet.* ib. verſ. 39. *Nos autem non ſumus ſubtractionis* [*filii*] *in perditionem: ſed fidei in acquiſitionem animæ.* Hac porrò fide nixi, Dei Chriſtique *mandatum ſervemus ſine macula, irreprehenſibiles, uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium; qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat innacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor & imperium ſempiternum. Amen.* 1 Tim. 6. 14, 15, 16.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

PRÆFATIO

in

ELEMENTA ETHICES

PETRUS MORSCOVIUS

à Morſcow Studioſæ Juventuti S.

VIno (ajunt) vendibili ſuſpenſa nihil opus eſt hæderâ. Nec opuſculum hoc, dilecti Muſarum alumni, ullum orationis lenocinium requirit: quod ut Phidiæ ſignum ſimul fuerit conſpectum approbatores inveniet facile, ſive rem ipſam, cui immoratur, conſideres, ſive modum, quo eam pertractat, intueare. Nam res quidem ipſa, cujus hîc prima proponuntur elementa, eſt illa omnium mater artium, animi medicina, donum, ut Plato ait, ut verò Cicero, inventum Deorum; Philoſophia moralis. Modus verò, quo vultus, ut ita dicam, ejus adumbratur, ejuſmodi, ut optandum eſſet, extare plures, qui eâdem viâ teneros ingenuæ pubis animos ad illam honeſtatis regiam dirigerent, & velut prehenſa manu ducerent. Nec enim intra limites theoreticæ illius (liceat mihi ſic illam vocare) praxeos conſiſtit, definitiones videlicet, & diviſiones ſolas ad practicæ methodi leges exactas, ut fecere nonnulli, qui eandem divam vigiliis ſuis in lucem produxerunt: ſed verè practicè, & ut moralem Philoſophum, id eſt, animi medicum decuit, ſanitatis ac morborum animi fontibus commonſtratis, quæ & illi quâ parandæ, quâ conſervandæ, & his pellendis faciunt, fideliter aperit & dilucidè perſequitur. Salutaria verò illa præcepta & animi medicamina non è trivio petit, & à pedariis ſenatoribus, aut proletariâ turbâ ſed ab ipſis illis Semonibus & Corypheis Philoſophorum. Quorum ipſorum oculi ſicubi connivent, aut cæcutiunt, (ut evenire neceſſe fuit, ideóque cùm veniâ errare licuit iis, qui naturali tantùm lumine gaudebant) videbis & hîc parcè quidem, ſed tamen quod Juventuti ſatis eſt, affundi lucem ab illo cæleſtium oraculorum ſole, qui omnes ignorantiæ tenebras fugat, & unamquanque rem in vero ſuoque vultu ſpectandam exhibet. Nempe ut Zeuxis Helenam Crotoniatis picturus, pulcherrimæ mulieris ideam ex optimis quibuſque exemplis collectam habebat in animo: ita vir incomparabilis Joannes Crellius auguſtam Ethicæ faciem juventuti effigiaturus, non unius aut alterius in ponendis ejus lineamentis judicio ſtetit, ſed quod in unoquoque illorum, qui ingenii ſui penicillo ipſam depinxerunt, eximium animadvertit, id hîc ſibi ponendum & ſub uno velut obtutu exhibendum cenſuit. Atque utinam ille ipſe libelli hujus editionem adornaſſet aut relegiſſet ſaltem, & recognoſcendo ſub incudem decumati judicii ſui revocaſſet omnia, fallor aut habuiſſent hîc tyrones illud, quod alibi fruſtra requiras: viam videlicet quæ ſine ambagibus duceret, & manuductorem, qui ad ipſa divinæ Ethices adyta ſine nauſeâ perduceret. Sed enim ille fætum hunc, quem ante multos annos effuderat veriùs, quàm enixus erat, vix pro ſuo agnovit; ut verò tolli curaret nullis amicorum precibus & perſuaſionibus adduci potuit; certe vitalem futurum, nunquam animo concepit. Cùm enim modeſtiæ ſimul & candoris vivum exemplar eſſet; & deproperata iſta ſibi propter incipientes, quorum ſpei tunc erat admotus, ac proinde non ita amuſſitata dicebat, ut delicatuli hujus ſeculi palato ſatis facere poſſent; nec eadem ſibi nunc penitus arridere, quæ tunc placuerunt omnia. Innuebat videlicet ſe nimis anxio pede tum Ariſtotelis orbitam preſſiſſe, qui uniuſcujuſque virtutis naturam in mediocritate poſitam cenſuit. Noſter autem id non ſemper ita habere ex divinis oraculis poſtmodum ſe comperiſſe aſſeverabat. Unde cùm, ut hoc ipſum, quale eſſet, penitus excuteret, ideóque reſumpto in manus libello, quæ nigrum theta mererentur induceret, alia vero relamberet, & exornaret, ſæpius inſtaremus; ille qui cupiebat omnibus eſſe omnia, hoc quidem facturum recepit, nunquam tamen quenquam, ut ſub ſuo nomine hoc opus lucem aſpiceret, effecturum ſpopondit. Verùm ille, qui ſuum ſupra nos negotium agit, hîc etiam ut, quod utrique non expectabamus, ex tranſverſo fieret effecit. Nam promiſſa quidem illius occupationes eccleſiaſticæ primùm, quibus diſtinebatur jugiter, mox verò mors inopina penitus intervertit: veſtra verò, Juvenes Nobiliſſimi, quam non vulgarem ad vos hinc redituram ſpondemus, utilitas effecit, ut quod vivente Crellio fieri nequibat, poſt illius obitum ſub ipſius nomine librum hunc ederemus, quò non abſolutus licet iſte fætus, parentis tamen ſui, quem aliquatenus referat titulo cenſeretur. Ut enim illius modeſtiæ fuit premere, quæ non uſquequaque à ſe videbat exaſciata: ita pietatis noſtræ à blattis & tineis vindicare, ſuiſque incunabulis aſſerere, quæ ſine ullo autoris, in quem poſt fata nil jam juris livor habere poteſt, intertrimento maximis juventutem publicè compendiis augere poſſunt. Quod ut tuendi noſtri ſcribimus, qui contra mentem autoris eruditi ſeculi hujus ſoli non ſumus exponere veriti ea, quæ perpetuis ille tenebris damnaverat; ita vitilitigatoribus illis oris obſtruendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtruendi, quibus nihil rectum videri ſolet, quod non ab ipſis proficiſcatur. Non Perſiis videlicet aut Senecis, Ciceronibuſvè, & Ambroſiis ſcripſit iſta Crellius: ſed hærenti in limine bonæ mentis juventæ, cui generoſior ſanguis ad regiam virtutis anhelat. Bonum factum igitur, ſi illi qui Perſii, Senecæ, Cicerones, Ambroſiique videri volunt, & multùm tinniunt, ne extremis quidem digitis attigerint iſta, quæ nihil ad ipſos; ne ubi genuinum in his fregerint, laureolam in muſtaceo quæſiviſſe dicantur. Nam veros illos Perſios, Cicerones, Ambroſios, Senecas juvabit cum Ageſilao repueraſcentem, & cùm Catone Læelioque conchis ejuſmodi luſitantem conſpicere Crellium. Vos verò liberalia pectora, quibus virent genua, fervet ſanguis, & generoſior ſpiritus in ſuo veroque vultu divam iſtam cognoſcere avet, eſtis autem adhuc inſtar tabulæ, ut ait Philoſophus, raſæ, in quâ permultum intereſt quid primitus inſcribatur, obviis ulnis & pectoribus hoc poſthumum munus accipite ab eo, qui veſtris ſemper incrementis favit, & vobis ad bonam frugem perducendis jugiter advigilavit. Iis autem, per quos ad manus veſtras defertur, quique talem vobis ducem & Myſtagogum ad honeſti ſacrarium offerunt, gratias agentes, ne inſtar heſperii draconis ſine ullo emolumento huic auro incubetis, elaborate. His chartis impalleſcite, has verſate manu diurnâ, verſate nocturnâ, ſub hoc pollice vultum ducite. Digna eſt enim materia ingeniis, quæ ſive corporis, ſive animi dotium nomine cœlo plurimum imputant, & ſpes ſuas ultra ſtolidæ plebeculæ vota mittunt: hîc invenire licet frugem illam Cleantheam; hinc petere

finem animo certum miſeriſque viatica canis:

hinc denique diſcere,

Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus & unde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper
Utile nummus habet, patriæ cariſque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus eſſe
Juſſit, & humanâ quâ parte locatus es in re.

Hæc enim ſunt ſumma ac præcipua Philoſophiæ moralis capita: hæc illa Helice, & Cynoſura, ad quam univerſus ad beatitudinis & tranquillæ mentis portum contendentibus curſus dirigendus eſt. Sed manum de tabula: ne artificioſæ orationis mangonio credulitati veſtræ illudere velle, aut Hecates tuguriolo Priami veſtibulum præſtruere videar. Longè infra libelli meritum prædicationem ſubſidere meam experimento cognoſcetis ipſi, niſi vobiſmet ipſis deeſſe & ſpei parentum, tutorum, & conſanguineorum veſtrorum decoquere malitis. Deus autem optimus Maximus, cui ſunt omnia mortalium curæ, pectora veſtra compleat ardore cognoſcendæ veræ ſapientiæ, & paterno favore ſuo ad Bonæ mentis Templum manu ducat, quo parentum votis & majorum decoribus ſuccreſcentes in viros olim Eccleſiæ, Patriæ, veſtris, vobiſque utiles & accomodos adoleſcatis. Valete, Krzeloviæ 28 Auguſti, Anno 1635.

ETHI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ETHICES,

ſeu

DOCTRINÆ DE MORIBUS

Prolegomena.

Quid eſt Ethica?

Ethica eſt diſciplina Practica, rationem humanæ felicitatis conſequendæ explicans.

Cur dicitur Ethica, ſive moralis diſciplina?

Quia mores hominum, hoc eſt, actiones virtutum & vitiorum explicat. Actiones quidem virtutum per ſe, vitiorum per accidens.

Quot ſunt Ethicæ partes?

Quatuor: Duæ Primariæ: & totidem Secundariæ.

Quæ ſunt Primariæ?

Prima eſt de ipſa Felicitate: altera de Virtute.

Quæ ſunt Secundariæ?

Prior de Voluptate: Poſterior de Amicitia.

PRIMA ETHICÆ PARS

De Felicitate ſeu Beatitudine humana.

Quid Felicitatis nomine intelligis?

Ultimum vitæ humanæ finem, ſeu ſummum ac perfectiſſimum hominis bonum.

Eſtné ultimus aliquis vitæ humanæ finis?

Eſt: quia ſi non eſſet, appetitio boni, quæ nobis eſt à natura inſita, in infinitum tenderet, & nuſpiam acquieſceret. Hoc verò abſurdum eſt, quia nobis fruſtrà eſſet à natura data, ſiquidem finem ſuum aſſequi nunquam poſſet; at natura nihil fruſtra facit.

Quid eſt ergo Felicitas?

Felicitas eſt actio animi ratione præditi, ſecundùm virtutem perfectiſſimam, in vita perfecta.

Qualis eſt Felicitas.

Jucundiſſima: honore digniſſima: αὐτάρκης, ſeu ſeipſa contenta, ita ut in ea hominis deſiderium acquieſcat.

Quæ ſunt ejus conſequendæ media?

Primum ac præcipuum eſt virtus ipſa: tum reliqua bona virtuti ſubſervientia, ſive interna, hoc eſt, bona animi & corporis, ſive externa quæ fortunæ vulgo dicuntur, & ſunt honores, amicitiæ, opes.

Quotuplex eſt humana Felicitas?

Duplex. *Theoretica* & *Practica.* Quarum illa mentis ſolius eſt, & in contemplatione ſeu exercitatione ſapientiæ conſiſtit: hæc appetitus eſt ratione conjuncti, atque in exercitatione virtutis moralis ſita eſt.

Suntné eæ prorſus pares?

Non: Nam *Theoretica* potior eſt, & vitæ humanæ finis ultimus. *Practica* verò vitæ tantùm civilis, quæ nonnunquam *humana* peculiari ratione dicitur.

SECUNDA ETHICÆ PARS

De Virtute.

Quot modis Virtutis nomen accipitur?

Tribus potiſſimum. 1. Latiſſimè pro cujuſvis rei affectione excellenti. Ea verò excellens eſt, quæ & ſubjectum ſuum & opus ejus perficit: qua ratione brutis quoque, aut inanimatis rebus virtutem tribuimus. 2. Strictè pro virtute humana ſtudio acquiſita. 3. Strictiſſimè pro virtute morum, quæ in actionibus honeſtis cernitur.

In qua ſignificatione Virtutis nomen hic accipitur?

In ſecunda: quia de ea agimus virtute, quæ felicitatis humanæ cauſa proxima eſt.

Quomodo definitur Virtus?

Virtus humana eſt habitus animi ratione præditi, eum perficiens & opus ejus bonum reddens.

Quotuplex eſt?

Duplex: Altera *intellectus*, altera *morum.*

Quæ hujus diſtinctionis eſt ratio?

Quia animus ratione præditus, qui ſubjectum virtutis eſt, duplex quodammodo eſt. Vel enim eſt per ſe ratione præditus, & eſt *intellectus*, ſive *mens.* Vel per accidens, & eſt *appetitus*, quatenus à ratione, in eodem homine ſibi conjuncta, regitur. Utraque facultas habitibus quibuſdam perficitur homini propriis, quos *virtutes* appellamus, quos inter ſe differre neceſſe eſt, quemadmodum & ſubjecta.

DE VIRTUTE MORALI.

Quid eſt Virtus Moralis?

Eſt habitus agendi cum conſilio, conſiſtens in medio quod ad nos, ratione recta definito.

Quid Vitium?

Habitus agendi cum conſilio, conſiſtens in extremo quod ad nos.

Quot ſunt partes tractationis de Virtute Morali?

Duæ: *Generalis* & *Specialis.* Illa de virtute morali in univerſum agit: hæc de ſingulis ejus ſpeciebus. Adjungetur velut appendicis loco tractatio de *Virtute Heroica & Imperfecta.*

Generalis tractatio in quot partes dividitur?

In quatuor. Nam primò agitur de cauſſis efficientibus virtutis: deinde de Materia circa quam, ſeu objecto. Sequetur Forma, quæ cùm in duobus conſiſtat, Mediocritate & Conſilio; tertio loco de mediocritate agemus: quarto de conſilio & cum eo conjunctis: nam de fine, qui eſt Felicitas, jam egimus.

DE VIRTUTE MORALI IN GENERE.

Caput I.

De Cauſis Efficientibus Virtutis.

Quot ſunt cauſæ Efficientes Virtutis?

Præter cauſas divinas, quas Theologus explicat; tria virtutem efficiunt; *Natura, Doctrina, & Exercitatio:* quæ cauſæ ſunt omnium habituum; licet diverſorum diverſæ.

Quid Natura confert ad Virtutem?

Duo confert: Primò *Facultatem*, ſeu *aptitudinem* ad virtutem recipiendam. Deinde *inclinationem* & *impetum*; quæ facultatis illius naturalis quædam perfectio eſt.

Inclinatio illa quotuplex eſt?

Duplex: Una *communis* & *vulgaris*, quæ in omnibus hominibus reperitur, & à ratione oritur, quæ honeſtatem, animi pulchritudinem, aliquo modo agnoſcit & amat, corporis affectu licet reluctante: nam hujus inclinatio illi ferè contraria eſt. Altera eſt *peculiaris*

& per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& perfectior, quæ iis tantùm ineſt, qui ſingulari naturæ bonitate ſunt præditi, & *generoſa indoles* dicitur. Hæc ex temperamento corporis oritur.

Quid Doctrina confert?

Primò Præcepta, quæ monſtrent, quid in quavis re ſequendum ſit, aut fugiendum, quæ hæc ipſa diſciplina Ethica, quoad rerum varietas patitur, explicat. Deinde varia ad virtutem amplectendam incitamenta proponit.

Quid Exercitatio?

Hæc ipſum virtutis habitum nobis inſerit. Omnis enim habitus uſu paratur. Et in hac potiſſimum nobis elaborandum eſt.

Quæ ſunt præcepta ei obſervanda, qui ſe ad virtutem exercet?

Ea ſunt duplicia: Generalia, quæ hoc loco ſunt tradenda; & ſpecialia, quæ in ſingularum virtutum explicatione ponentur.

Quæ ſunt præcepta generalia?

Præter ea, quæ ex ipſa virtutis definitione patent, hæc potiſſimum tradi poſſunt præcepta.

I. Ut divinum auxilium aſſiduis precibus impetretur: quamquam hoc præceptum Theologicum eſt.

II. Ut virtutis tum pulchritudo, tum inſignis fructus ſubinde conſideretur, & animo penitus infigatur. Inter fructus autem virtutis eminet futuræ vitæ præmium, de quo Theologus: in hoc autem ſeculo rectæ conſcientiæ gaudium. Contraria de vitiis ac ſceleribus cogitentur.

III. Ne mediocria tantum aut faciliora facta in virtute tibi proponas ſequenda; ſed ad ſummum ejus faſtigium ſemper aſpires: quod ni feceris, vix in extrema ejus parte hærebis.

IV. Ut occaſiones & irritamenta peccatorum, quoad licet, vitentur.

V. Ut animus tum, cum occaſionem peccandi, quam prævidet, vitare non poteſt, adverſus peccati vim & illecebras diligentiſſimè præmuniatur.

VI. Ut otium vitetur, & tum animus, tum corpus, inprimis verò animus honeſtis laboribus perpetuò exerceatur: inter animi verò labores eminet meditatio rerum divinarum, & liberalia ſtudia.

VII. Ut ab eo vitio, quod à virtute longiùs recedit, quodque voluptatem habet conjunctam majorem, aut ad quod naturâ ſumus proniores, diligentiùs caveatur, & in contrarium quodammodo flectatur animus, ut luctante hinc natura, illinc ſtudio in medio conſiſtatur. Suſpectum eſſe debet, quicquid appetitui vehementer placet.

VIII. Cum bonis verſandum; abſtinendum autem ab improborum conſortio. Eligendi inprimis ii, qui ab iis vitiis, in quibus tu hæreas, vel ad quæ ſis pronior, longè abſint.

IX. Proponenda virorum virtute clariſſimorum exempla, tum vetera, tum verò imprimis recentia, & ante oculos quotidie verſantia. Cavendum autem diligenter, ne unà cum virtutibus vitia quoque aliqua virorum bonorum imbibamus, aut facta aliqua vitioſa imitemur.

X. Cogitandum nos in oculis Dei ſemper verſari, cum omnibus noſtris dictis ac factis intereſſe, & mediis intervenire cogitationibus. Quin etiam eligendus vir gravis, & reverendus, quem nobis perpetuò teſtem aſſiſtere cogitemus, & in cujus conſpectu peccare horreamus.

XI. Admonitiones, & objurgationes amicorum aut ſeniorum, imò quorumvis æquo animo ſunt non admittendæ tantùm, verùm etiam precibus efflagitandæ: quin & inimicorum reprehenſionibus admoniti tantò diligentiùs à delictis cavere debemus. Adulatoribus non præbendæ aures, ſed ab iis, tanquam peſte, cavendum.

XII. Etiam illa, quæ levia videntur, cavenda ſunt, & ne licita quidem omnia, ſi vitiis aliquando videantur favere, facienda. Nam qui licita facit omnia, mox etiam ea faciet, quæ non licent.

XIII. Frequens & accuratum inſtituendum eſt factorum noſtrorum examen, in quo accuſatoris partes libenter ſuſcipiamus, defenſoris autem rarò: quod etiam tum faciendum eſt, cum abſque peculiari inquiſitione delicta noſtra animadvertimus. Ea enim nunquam ſunt extenuanda, aut elevanda, nec facilè deponenda eorum memoria, & animi, quem facti pœniteat, dolor. Quod ſi tamen quippiam rectè à nobis factum occurrerit, gratiis Deo actis gaudere & ad alia ſimilia facienda nos exſtimulare debemus.

XIV. Eodem pertinet, ut de nobis quàm modeſtiſſimè ſentiamus, nec tàm quo progreſſimus, quàm quouſque nobis adhuc ſit progrediendum, cogitemus. Laudati ob virtutem ne ſuperbiamus, nec aliis hâc in parte de nobis plus, quam nobis ipſis, credamus.

XV. Famæ tamen honeſtæ eſt cura habenda, quâ neglectâ negligi ſolent virtutes. Tanta autem in eâ re diligentia eſt adhibenda, ut non tantum peccata ipſa; ſed & ſpeciem peccatorum, quæ flagitii alicujus ſuſpicionem in aliorum animis de nobis excitare poſſent, vitemus. Intereà tamen cavendus eſt diligenter vitioſus pudor, & nimius offenſionis alienæ metus aut fuga, quæ interdum non minus virtuti nocet, quam impudentia & honeſtæ famæ neglectus. Sæpe enim aliorum vel voluntas, vel ſententia virtuti adverſatur, ita ut ei gratificari, ſuaque facta accommodare, non poſſit non eſſe vitioſum.

XVI. Denique cavendum, ne vel malorum fortuna & proſperi conſiliorum eventus, vel bonorum calamitates, & conſiliorum infelicitas à virtutis amore te ad vitia abripiant.

Quo tempore eſt inchoanda doctrina & exercitatio ad virtutem?

A teneris. Nam non tantum multum eſt, ut ait Poëta, à teneris aſſueſcere; ſed propè totum in eo ſitum eſt.

Quænam verò eſt rectæ inſtitutionis ratio ad virtutem?

Primò, ut ea pro ætatis ratione præſcribantur pueris & adoleſcentibus, quæ illis ipſis, qui ſe ad virtutem exercent, obſervanda eſſe diximus. Deinde ut ii, tum verbis, tum factis ad ea exequenda adducantur. Verbis quidem, ſi crebro admoneas ante factum: poſt factum vel laudes, vel reprehendas pro merito. Factis itidem dupliciter: primò exemplis, tùm præmiis aut pœnis.

Quibuſnam verò rectæ inſtitutionis cura incumbit?

Duplicis ſunt generis ii, qui eam curare debent: vel enim poteſtatem habent in eos, qui ſunt educandi; vel non habent. Qui habent vel *Magiſtratus* ſunt; vel *Privati.* Magiſtratus leges de rectâ pueritiæ & adoleſcentiæ inſtitutione ferre, & ut eæ ſerventur curare debent. Privatæ perſonæ duplices ſunt: vel enim *naturali* quodam *jure*; vel *aliena conceſſione* poteſtatem illam habent. Iſtæ ſunt in primis *Parentes,* quos ſequuntur alii conſanguinei ſeniores, ut *Patrui, Fratres natu majores,* & alii. Qui aliena conceſſione habent, ſunt *Tutores* ac *Præceptores.* Qui nullam habent poteſtatem, ſunt *cæteri amici.*

Quodnam verò ſignum eſt habitus virtutis jam comparati?

Si quis multis illecebris ad peccandum incitatus nihilominus honeſtum frequenter ſequatur, & exinde gaudium capiat.

CAP. II.

De Materia ſeu Objecto virtutis.

Quodnam virtutis Objectum eſt?

Virtutis objectum non unum eſt; ſed duplex: *Primarium & Secundarium.*

Primarium quotuplex eſt?

Iterum duplex: *Internum* quod eſt omnium præcipuum; & *externum.*

Quid eſt Internum?

Affectus.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quid eſt affectus?

Eſt commotio appetitus, orta ex voluptate aut dolore, ad rem vel perſequendam, vel fugiendam: *ut amor, odium, ſpes, metus, lætitia, triſtitia, gratitudo, ira,* & quæ his ſubjiciuntur ſpecies aut gradus.

Omneſné affectus ſunt verum virtutis Objectum?

Non: nam alii ſunt naturâ ſuâ mali; ut *invidia*, quæ eſt triſtitia ex alieno bono, quod tibi nihil noceat: ἐπιχαιρεκακία, ſeu *malevolentia*, quæ eſt lætitia ex alienis malis nullo tuo commodo: *audacia* ſeu *confidentia* propriè ſumta, & alii ſimiles. Alii non ſunt mali; ſed natura ſua indifferentes, qui pro ratione circumſtantiarum nunc boni, nunc mali fiunt: quales ſunt, affectuum genera paulo ante enumerata & multæ horum ſpecies.

Quodnam ergo affectuum genus materia eſt virtutis?

Eorum affectuum, qui natura ſua ſunt indifferentes & honeſtatis capaces. Cæteri virtuti non ſubjiciuntur; ſed opponuntur, tanquam actiones internæ vitioſæ.

An non eſt diſcrimen aliquod inter affectus qui naturâ ſuâ non ſunt omnino mali, quod ad honeſtatem ac turpitudinem attinet?

Eſt: Nam alii virtuti magis favent, alii vitio: unde illi plerunque in laude ponuntur, hi in vitio. Iſtius generis ſunt affectus benefici, *charitas, gratitudo*, & his ſimiles: hujus generis ſunt affectus malefici, *ira, odium,* & his cognati alii.

Quodnam eſt externum virtutis objectum primarium?

Actiones à corporis miniſterio profectæ.

Suntné omnes actiones externæ virtutis objectum?

Non: aliæ enim ſunt natura ſua malæ, ut *homicidium, adulterium, furtum, calumnia*: aliæ bonæ, ut εὐπραξία in genere; in ſpecie *beneficium*, δικαιοπράγημα, hoc eſt, *juſte factum*, quæ ipſo nomine bonitatem indicant: aliæ denique mediæ & indifferentes, quæ per ſe nec bonæ ſunt, nec malæ, ut *edere, bibere, loqui, pecuniam dare* aut *accipere*, & aliæ infinitæ. In his poſtremis virtus tanquam in objecto verſatur: cæteræ ſunt partim vitiorum, partim virtutum aut cauſæ efficientes, aut effecta.

Quodnam eſt virtutis ſecundarium objectum externum?

Res omnes, circa quas affectus & actiones externæ occupantur, & quibus excitantur.

Quænam inter res iſtas ſunt potiſſimæ?

Bona præter honeſtum omnia; ſed inprimis jucunda.

Cap: III.

De Mediocritate.

Quid vocas Mediocritatem ſive medium?

ID, quod inter plus & minus, ſeu nimium & parum interjectum eſt.

Quotuplex eſt illud medium?

Duplex: Alterum rei ipſius abſolutè ſumtæ, alterum rei ad alia relatæ.

Quodnam eſt medium rei ipſius abſolutè ſumtæ?

Quod ab utroque extremo æqualiter abeſt: itaque ubique & omnibus ſemper eſt idem; *qua ratione ſenarius numerus medius eſt inter binarium & denarium; ab utroque enim abeſt quaternario.*

Quodnam eſt medium rei ad alia relatæ?

Quod ita inter extrema interjectum eſt, ut iis, ad quæ refertur, conveniat & aptum ſit: & hoc non ubique, aut omnibus, aut ſemper eſt idem; ſed pro rerum diverſitate varium. Hoc medium ſectantur artes, *ut ſutor in conficiendo calceo, qui nec arctior, nec laxior ſit pede: ſartor in veſtitu: pictor in exprimendâ corporis formâ.*

Utra autem mediocritas ad virtutis formam pertinet?

Poſterior, quæ eſt rei ad alia, nempe ad nos, & ea, quæ vel in nobis, vel circa nos exiſtunt, relatæ, unde id medium *quod ad nos* dicitur. *Sic medium, in quo temperantia conſiſtit, varium eſt pro varietate perſonarum: neque enim,* verbi gratiâ, *tantum debet cibi aut potus ſumere vir doctus, & tenui corpore præditus, aut ægrotus, ſi temperantiam ſervare velit, quantum foſſor aut arator benè valens. Sic in liberalitate fit: nam plus dives largiri debet, quam qui eſt in re tenui; & egentiori, meliori, conjunctiori, plus dandum, quam ei, qui minus eget, minus bonus, aut conjunctus eſt.*

Quibus ergò in rebus cernitur iſtud medium, in quo conſiſtit virtus?

In obſervatione circumſtantiarum actionis uniuſcujuſque, ſeu decoro.

Quid circumſtantiarum nomine imtelligis?

Omnia iſta, quæ ad actionem concurrunt, & ex quibus ejus meritum æſtimatur.

Quænam eæ ſunt?

Vulgò ſeptem numerantur, & hoc verſiculo exprimuntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quid ſingulæ voces denotant?

Quis denotat cauſam efficientem principalem, cujus natura & ſtatus variaque adjuncta conſideranda ſunt. *Quid* tum genus actionis, tum objectum ſive materiam circà quam, ex qua genus actionis propius denominatur. *Ubi* locum. *Quibus auxiliis* cauſas medias ſeu inſtrumentales. *Cur* cauſas impulſivas & finales. *Quomodo* formam ſeu modum actionis. *Quando* tempus. Tertia ergò & ultima ad adjuncta pertinent actionis: cæteræ ad cauſas.

An is virtutis laude protinus privandus eſt, qui non omnes circumſtantias accuratiſſimè obſervaverit?

Non: ſed tum demum, ſi neglectus circumſtantiarum & receſſus à medio ſit major & notabilior. Quod enim parum diſtat, præſertim in actionibus humanis, quarum infinita eſt varietas, propè nihil diſtare videtur.

Quænam mediocritati huic opponuntur?

Duo extrema, ſeu *nimium & parum,* vel ut vulgò loquuntur, *exceſſus & defectus*, quæ ſunt vitioſa: Unde duo eidem virtuti ſolent opponi vitia. Quanquam juſtitiæ extrema non duo diſtincta conſtituunt vitia; ſed unius injuſtitiæ nomine comprehenduntur.

An utrumque extremorum ſeu vitiorum æquè ſolet cum medio ſeu virtute pugnare?

Non ſed alterum magis, alterum minus: & quidem nunc exceſſus, nunc defectus.

Quænam verò ſunt illa vitia, quæ magis aut minùs virtuti repugnant?

Id cognoſces, ſi cauſas, cur id fiat, audieris.

Quænam hujus rei eſt cauſa?

Ea duplex eſt: prima, quod affectus, in quo regendo cernitur virtus, vel naturâ ſuâ vehemens eſt, ut *libido & ira*, vel remiſſior, ut *fiducia in periculis*: ſi vehemens, virtuti magis repugnat exceſſus, quam defectus: ſi remiſſus, contrà. Nam cùm vehemens eſt affectus, virtutis opera potiſſimùm in frænando affectu cernitur, & ad id, quod parum eſt, quodammodo contendit: cùm remiſſus, in eo excitando laborat, & ad id, quod nimium eſt, aliquâ ratione accedit, itaque ibi exceſſus virtuti eſt amicior, hîc defectus. *Sic fortitudini ſimilior eſt audacia, quam timiditas, quia fiduciam in periculis inprimis regit. Manſuetudo propior eſt* τῇ ἀοργησίᾳ *ſeu lentitudini, quia iram, vehementem affectum, regit.*

Quænam altera eſt hujus rei cauſa?

Quod ad alia atque alia vitia procliviores eſſe ſoleamus, quod fit, vel quia vitium voluptatem majorem habet conjunctam, voluptatem autem naturâ amamus; vel quia ob temperamentum peculiare ad id ſumus proniores. Id verò, ad quod naturâ ſumus proniores, longiùs à virtute ſolet recedere, quia naturæ impetus longiùs nos provehere conſuevit, eique repugnare admodum eſt difficile.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. IV.

De Sponte & invitè facto, Voluntario, Deliberatione, Conſilio.

Sectio Prima.

Cur de ſponte & invitè facto, de voluntario & involuntario hic agitur?

PRimò, quia inde factorum ſive honeſtorum, ſive turpium merita inprimis æſtimantur, laus & reprehenſio, præmium & pœna conſtituitur. Deinde, quia conſilii ſeu proæreſeos natura ſine his plenè cognoſci non poteſt: quod etiam de deliberatione dictum volumus.

Quotuplicia ſunt facta hominum, quæ ipſius naturæ vi non perficiuntur?

Triplicia: quædam *ſponte* fiunt, quædam *invitè*, quædam *veluti mixta* ſunt, & partim *ſpontè*, partim *invitè* fiunt.

Quodnam eſt ſpontè factum?

Cujus principium in agente eſt, ſciente rerum circumſtantias; ſeu quod quis libenter facit.

Quando autem principium facti cenſetur eſſe in agente?

Cùm agens ipſe ſuopte motu ac impetu ad actionem accedit, aut ad eam aliquid confert, non ab aliis ſive rebus, ſive perſonis prorſus coactus; quod etiam tùm fit, cùm quis boni ſpe impulſus, aut ab altero admonitus quippiam facit, cùm poſſit etiam non facere.

Quid invitè factum?

Quod quis prorſus illibenter, ſeu contra animi ſententiam facit.

Invitè factum quotuplex eſt?

Duplex: vel enim vi fit, & dicitur *Violentum*: vel ignorantiâ, ſeu per ignorantiam.

Quodnam eſt violentum?

Cujus principium eſt extra, ſuopte motu ad actionem nil conferente eo, qui patitur aut agit. Ut, *cùm quis vento abripitur in eas partes, in quas minimè voluit, quanta potuit vi renitens*: aut, *cùm quis ab hominibus robuſtis, quibus reſiſtere non poteſt, conſtrictus, vel ad hoſtem, vel in carcerem defertur.*

Quodnam eſt invitè factum, quod fit per ignorantiam?

Quod proficiſcitur ex ignorantia non affectata circumſtantiæ alicujus, quam ſi noviſſemus, actionem haudquaquam ſuſcepiſſemus, & quâ cognitâ factum dolemus. Ut, *ſi quis patrem, aut fratrem hoſtilibus armis indutum, & ſibi in acie occurrentem interficiat, hoſtem eſſe arbitratus, quâ re cognitâ triſtetur.*

An non omnis ignorantia factum invitum & excuſabile reddit?

Non: ſed ea demum, quæ in definitione hâc à nobis eſt expreſſa.

Quotuplex ergò eſt ignorantia, quæ ad facta pertinet?

Duplex: alia *culpâ noſtrâ contracta* ſeu *affectata*, alia *à culpa noſtra ſejuncta.*

Quænam eſt culpâ noſtrâ contracta ſeu affectata?

Eſt ignoratio ejus, quod quis noſſe poterat & debebat, ita ut ejus negligentiâ & improbitate factum fuerit, ut neſciret. Et hæc *lata culpa* dicitur à Jureconſultis.

Quotuplex eſt?

Vel alicujus univerſalis, ut legis, cujus addiſcendæ occaſionem quiſpiam & cauſam habuit, & dicitur *ignorantia Juris*: Vel ignoratio circumſtantiæ alicujus ſingularis, quam quis noſſe debebat. Ut, *ſi quis in foro, aut platea, explodens ſclopetum, hominem trajiciat, & dicat ſe ignoraſſe quempiam præteriturum: id enim ſcire debebat, cùm veriſimile ſit in iſtiuſmodi locis homines verſari. His duobus modis ebrii ſæpe peccant, & ii, qui ſuâ malitiâ ſunt excæcati, ut rectum non videant.*

Quæ ignorantia non eſt culpâ noſtrâ contracta?

Cùm quis circumſtantiam facti neſcit, licèt eam diligentiam adhibuerit, quam viri boni & cordati ab ejus ætatis ac conditionis hominibus exigere ſolent.

Quarum verò circumſtantiarum ignoratio potiſſimùm ſpectatur?

Materiæ & Finis. Ex his enim factorum meritum potiſſimùm æſtimatur.

An omnis hujuſmodi ignorantia factum invitum & excuſabile reddit?

Non prorſus: ſed tum demùm, ſi re cognitâ dolor conſequatur. Nam quod quis facit invitus, illibenter & contra animi ſententiam facit. *Quare non prorſus invitus novercam lapide feriit, qui canem petiturus, cùm novercam læſiſſet, dixit: Euge ne ſic quidem malè.*

An verò ſponte facta cenſentur, ſi dolor non conſequatur?

Non: Sed ſunt veluti media: ratione tamen originis ad invitè facta propiùs accedunt; & diſcriminis cauſa dici poſſunt *non ſponte facta*, cætera *invitè facta.*

Quænam facta cenſentur mixta, hoc eſt, quæ partim ſpontè, partim invitè fiunt.

Quæ per ſe ipſa ſpectata mala cenſentur, ita ut ea libenter haud eſſes facturus, facis tamen vel majoris mali effugiendi, vel magni alicujus boni conſequendi cauſa. *Talis eſt jactura mercium in tempeſtate: Sectio & uſtio membri, vitæ tuendæ cauſſa: Perpeſſio tormentorum, & mortis, ob æternæ ſalutis præmium*: aut contrà, *abnegatio religionis, cruciatuum effugiendorum gratiâ.*

An ea ſponte factis potiùs debent accenſeri, an verò invitè factis?

Sponte factis potiùs: quia etſi ſimpliciter videntur invitè facta; tamen tùm, cùm geruntur, ob circumſtantiarum rationem ſponte fiunt, & ſunt expetenda, principiumque eorum eſt in agente, ſciente rerum circumſtantias: nam ipſe membra ad agendum movet, cùm poſſet non movere; aut non movet, cùm poſſet movere. Factum autem quodvis ex eo tempore, quo fit, & circumſtantiarum ratione potiſſimùm cenſeri debet.

Quotuplicia ſunt?

Quadruplicia: Quædam enim laudem merentur: quædam veniam aut commiſerationem: quædam vituperationem tantùm: quædam denique pœnam.

Quænam merentur laudem?

Cùm quis honeſti cauſſa gravia ſubit mala. *Huc referuntur Martyria: huc M. Reguli factum: & Anaxarchi, qui, ne ſecreta proderet, & in periculum vitæ amicos adduceret, à Tyranno flagellari ſuſtinuit.* Nonnunquam & ii laudantur, qui maximi emolumenti cauſſa malum, cum commodo tamen eo non comparandum, ſubeunt.

Quænam veniam aut commiſerationem?

Veniam merentur, cùm quis, ut commodum non leve conſequatur, aut malum grave effugiat, quidpiam facit etiam non ſatis decorum. *Quo pertinet Davidis factum, qui ut periculum effugeret, furere ſe ſimulavit.* Sed commiſerationem etiam meretur, cùm quis eo adigitur, ut ob majora mala, quæ immerenti impendebant, evitanda, cogatur alia non levia ſubire.

Quænam vituperationem tantùm?

Cùm quis aut emolumenti cauſa, aut levioris alicujus mali evitandi gratiâ, vel commoda majora relinquit, vel id facit, quod eum haudquaquam deceat; flagitioſum tamen non ſit. Ut *ſi quis lucri cauſa in foro ſaltet, aut, ne aliquot florenorum jacturam facere cogatur, verberari ſe ſuſtineat, aut hominem ſuperbum humiliter deprecari malit.*

Quænam verò pœnam?

Cùm quis, cujuſcunque tandem boni aut mali cauſa, aliquid committit, quod naturâ ſuâ ſit turpe aut flagitioſum, aut cum præceptis divinis pugnet. Ut, *ſi quis ſpe lucri aut honoris, aut metu mortis, religionem, aut patriam prodat, aliquem calumnietur, veneno tollat.* Extrema enim omnia potiùs ſunt ferenda, quàm tale quid admittendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sectio II.

De Voluntario.

An Voluntarium non idem eſt cum Spontaneo?

DUplici modo Voluntarium vulgo ſumitur: nunc late & impropriè, nunc ſtrictè ac propriè. Latè uſurpatur pro Spontaneo in univerſum. Strictè pro Spontaneo, quod fit ab homine ratione jam utente, de quo nobis nunc agendum eſt.

Quomodo ergo differt voluntarium ſtrictè ſumtum à ſpontaneo?

Ut ſpecies à ſuo genere: Spontaneum in bruta etiam & infantes cadit, cùm cognitio ſenſus & inclinatio appetitus ad id ſufficiat: ad Voluntarium uſus etiam rationis requiritur.

Quot modis ſumitur Voluntas, unde Voluntarium dicitur?

Duobus: nunc pro facultate, nunc pro actu.

Quid eſt Voluntas priori modo ſumta?

Appetitus rationis. Unde conſequitur, voluntatem, quæ actu eſt, nihil eſſe aliud, quàm hujus appetitus operationem, quæ duplex eſt: vel *inclinatio ad objectum*, vel *fuga*.

Quomodo appetitus vocem hic accipis?

Laxè, pro quavis facultate, quæ bonum cognitum amplecti, malum verò averſari poteſt. Nam aliàs ſtrictè ſumitur pro appetitu ſenſitivo tantùm, qui etiam brutis ineſt.

An non paulo pleniùs Voluntatis naturam explicare potes?

Voluntas eſt facultas, quæ id, quod ratio tanquam bonum apprehendit, perſequitur, quod tanquam malum, averſatur; &, ſi bono adjunctum ſit quippiam mali, id liberè vel amplectitur, vel reſpuit, inter duo etiam vel bona, vel mala delectum liberè inſtituit.

Quomodo libertas illa voluntatis appellatur?

Arbitrium.

Eſtne ejus in moribus vis aliqua?

Maxima. Ex eo enim, quod vel honeſtum aliis bonis cum turpitudine conjunctis liberè præferimus; vel contrà, illa honeſto anteponimus, virtus aut vitium, laus aut vituperatio, præmium aut pœna verè conſequitur, ſeu meritum factorum noſtrorum potiſſimùm æſtimatur.

An tamen eſt quippiam aliud, unde honeſtas & turpitudo æſtimatur?

Eſt: ipſorum etiam factorum per ſe conſideratorum natura. Sed ſi voluntas noſtra nullomodo conſentiat, ea nos verè non polluunt, aut improbos efficiunt, nec pœnæ prorſus obſtringunt, etiamſi per ſe ſint turpia: & contrà, honeſta facta nos viros bonos non efficiunt, nec laudem ullam aut præmium merentur, niſi voluntas concurrat.

Sectio III.

De Conſultatione.

Quid eſt Conſultatio?

EST inquiſitio mediorum ad finem quempiam conſequendum utilium.

Quis eſt Conſultationis modus & ordo?

Primùm omnium, finis certus proponendus eſt. Deinde de mediis agendum, ad finem propoſitum utilibus.

Quot ſunt in mediis ſpectanda?

Tria: *Primò*, quænam ea ſint: *Secundò*, an ſint in noſtra poteſtate: *Tertiò*, qua ratione iis ſit utendum.

Quænam in primo iterum ſunt conſideranda?

Itidem tria: *Primùm*, quænam ſint media cum fine propoſito proximè cohærentia, an unum, an plura: *Deinde*, ſi plura ſint, quodnam commodius: *Tertiò*, uno conſtituto videndum, an id aliis iterum mediis ſit parandum, & quibus; donec ad id veniatur, quod in promptu eſt ac nobis proximum, adeoque in deliberatione ultimum, in actione primum.

Quænam verò media dicis eſſe in noſtra poteſtate?

Quæ vel jam nobis adſunt, vel ſaltem parari à nobis quacunque tandem ratione poſſunt. Quodſi in poteſtate noſtra neutro modo ſint, conſultatio omittitur, & ad actionem non ſit progreſſus.

An verò iſta omnia ſemper ſunt in deliberatione excutienda?

Non ſemper; ſed tùm demum, cùm aliqua poteſt eſſe dubitatio, vel difficultas. De rebus enim manifeſtis nemo conſultat, niſi fortè inſaniat. Quodſi de rebus manifeſtis etiam deliberare velis, conſultatio in infinitum protrahetur, nec uſpiam conſiſtet, & prorſus erit irrita.

Poteſné Conſultationis modum exemplo illuſtrare?

Poſſum. *Tranquillitas*, verbi gratiâ, *Reipublicæ ſit finis; ad hanc obtinendam neceſſarium eſt, ut hoſtes, qui Reipublicæ imminent, ab ea avertantur: hoc medium eſt fini proximum; ſed nondum eſt ad manum. Duobus igitur modis hoc iterum parari poteſt; vel hoſtes vincendo, vel pacem cum illis componendo. Si commodius eſſe videatur pacem componere, legati, qui de pace agant, mittuntur, & modus, quo id perfici debeat, inquiritur. Atque hoc jam ſit medium in inquiſitione ultimum, in actione primum. Si verò bellum gerere placeat, quia id ſine ducibus, militibus, apparatu bellico, commeatu geri non poteſt, ideo hæc paranda decernuntur. Ad hæc rurſus pecuniâ eſt opus, ea vel ex vectigalibus, vel tributo indicto colligitur, vel mutuò ſumitur, aut ab amicis dono accipitur, vel pluribus ſimul modis, aut omnibus iſtis paratur. Quodſi unus modus ſit commodiſſimus, is eligitur: ſi plures, aut omnes, ii ſimul decernuntur. Quodſi medium occurrat, quod ſit impoſſibile,* verbi gratiâ, *vel pecunia, vel miles nullo modo parari poſſit, ceſſat deliberatio & ad actionem non ſit progreſſus. Si verò omnia ſuppetant, tum inquiritur, quomodo iſtis mediis quàm rectiſſimè uti, & victoriam, adeoque tranquillitatem* Reipub. *poſſis conſequi, & ab iis, quæ in deliberatione fuerunt poſtrema, actionis ſit initium, quæ in deliberatione prima, in iis actio ultimò acquieſcit.*

Sectio IV.

De Proæreſi ſeu Conſilio.

Quid eſt proæreſis?

EST appetitio ejus, quod antegreſſa deliberatione concluſum eſt.

Quodnam eſt ejus objectum?

Idem quod deliberationis, ratione tantum diſtinctum. Nam primò verſatur circa media, ſecundariò ſeu conſequenter circa finem, quemadmodum & deliberatio. Differentia in eo eſt, quod media, cùm nondum ſint certò conſtituta, deliberationis proprium ſunt objectum; cùm jam conſtituta, proæreſeos materia fiunt.

Quæ ſunt ipſius principia?

Principia Proæreſeos, quæ quidem in ipſo ſunt homine, duo conſtituit Ariſtoteles: *Rationem* & *Appetitum*, quæ inter ſe conſpirare debent, ita ut, quod ratio affirmat, appetitus cupiat: quòd illa negat, hîc fugiat. Addi tamen his duobus poteſt tertium principium, nempe *Voluntas libera*, quæ, ratione aliquo modo præeunte, in hanc aut illam partem ſe inclinat, & appetitum ſecum trahit.

Quotuplex eſt Proæreſis?

Duplex. Bona & mala. Bona quidem cum ratio id, quod rectum eſt, monſtrat, & appetitus ſequitur: mala ſi contra fiat. Illa virtutis; hæc vitiorum eſt.

Quo ſenſu ſupra dictum eſt virtutem eſſe habitum cum Proæreſi ſeu conſilio?

Non quod virtus ſemper deliberatione utatur, & ſic demum aliquid faciendum decernat: (interdum enim res adeo eſt manifeſta, viro præſertim prudenti, ut deliberatione non egeat: interdum temporis anguſtia deliberationem excludit, cùm ſubitò aliquid eſt faciendum:) Sed quod is, qui virtute præditus eſt, cùm res poſtulat, & tempus permittit, non niſi cum conſilio & deliberatione ad agendum accedat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

An laude aut vituperatione carent actiones, cùm Proæreſis non accedit?

Non. Satis eſt enim ad laudem, ut ſponte facias id, quod rectum eſt; ad vituperationem, ſi ſponte malum committas: Præclarior tamen ſolet fieri actio bona, mala verò deterior, cùm Proæreſis accedit, & vel virtutis habitum, vel vitii arguere, ſi ſit perfecta & conſtans.

Hactenus de Virtute Morali in genere.

DE SPECIEBUS VIRTUTIS MORALIS.

Virtutis moralis Diviſio.

Quotuplices ſunt virtutes morales, & ad civilem vitam pertinentes?

TRiplices: aliæ ad nos ipſos potiſſimùm reſpiciunt: aliæ ad alios: aliæ partim ad nos, partim ad alios, quas veluti medias medio etiam loco perſequemur.

Quænam ſunt illæ virtutes, quæ ad nos potiſſimùm reſpiciunt?

Quæ cupiditates eorum bonorum, quæ ad nos referuntur, & ab aliis *bona per accidens* dicuntur, regunt ac moderantur.

Quænam ſunt illa bona?

Voluptates corporis, honores, & divitiæ.

Quæ virtus verſatur circa voluptates corporis?

Temperantia.

Quæ circa honores?

Magnanimitas & *Modeſtia*. Illa circa honores magnos ac minimè vulgares: hæc circa vulgares & uſitatos.

Quæ circa divitias?

Divitiæ duplici modo conſiderantur: vel quatenus ad nos referuntur, & nobis oblatæ vel accipi, vel repudiari poſſunt: vel quatenus à nobis in aliorum uſus converti queunt. Priori modo conſideratæ *Magnanimitatis* ſunt objectum ſecundarium. Poſteriori modo ſpectatæ, quarum virtutum ſint materia, poſtea dicetur.

Quotuplices ſunt virtutes eæ, quæ partim ad nos, partim ad alios ſpectant?

Duplices: vel enim verſantur in malis, quæ nobis ab aliis vel inferuntur, vel imminent: vel in eo affectu coërcendo, qui aliis mala inferre jubet, hoc eſt, in *Ira*.

Quænam virtus verſatur in malis, quæ nobis ab aliis vel inferuntur, vel imminent?

Fortitudo & *Patientia*. Illa propriè in futuris: hæc in præſentibus malis cernitur.

Quænam verſatur in Ira?

Manſuetudo.

Quænam ſunt virtutes, quæ ad alios potiſſimùm reſpiciunt?

Quæ non tam affectus, quam actiones adverſus alios regunt ac moderantur.

Quotuplices ſunt?

Duplices: vel enim in tribuendo & alienis bonis procurandis conſiſtunt, & extra familiarem convictum poſſunt exerceri: vel in communicatione ſermonum & in familiari convictu regendo cernuntur.

Quotuplices ſunt illæ, quæ in alienis bonis curandis cernuntur?

Duplices: vel enim aliis tribuimus, quæ ipſorum ſunt: vel de noſtro illis largimur, operamvé noſtram præſtamus.

Quænam virtus verſatur in tribuendis alienis?

Juſtitia.

Quæ virtutes verſantur in tribuendo noſtro, operavé aliis præſtanda?

Beneficentia, quæ *Liberalitatem* in ſe complectitur & *Magnificentiam*. Illa in uſitatis ac vulgaribus ſumtibus, aut opera præſtanda verſatur; hæc in magnis & inuſitatis impenſis faciendis.

Quotuplices ſunt virtutes, quæ in convictu familiari verſantur?

Duplices ſtatuuntur ab Ariſtotele: Vel enim in ſermonibus ſeriis cernuntur: vel in jocoſis. Quod poſterius nos cum grano, ut ajunt, ſalis admittimus.

Quotuplices ſunt iterum virtutes, quæ in ſermonibus ſeriis verſantur?

Iterum duplices. Nam vel veritatem dictorum ſpectant: & hæc eſt *Veritas*: vel jucunditatem ac commodum, quod ad alios ex iis redundet, & dicitur *Amicitia*, vel *Humanitas*.

Quænam virtus verſatur circa ſermones jocoſos?

Urbanitas, quam nos, quatenus ab *Humanitate* ſejungitur, pro virtute non habemus.

Annon ſunt adhuc aliqui habitus laudabiles, qui virtutes appellari poſſunt?

Sunt aliqui; ſed ii vel ſub his continentur, tanquam ſpecies quædam ſub ſuis generibus; vel ad eos propter affinitatem reduci poſſunt, ut *Gratitudo*, cum pro habitu quodam ſumitur, partim ad *Juſtitiam*, partim ad *Beneficentiam* revocatur.

An omnes virtutes enumeratæ ſunt prorſus pares?

Non: quædam enim ſine flagitio omitti non poſſunt, ut *Juſtitia*, *Manſuetudo*, quæ crudelitati opponitur, *Caſtitas*, quæ *Temperantiæ* pars eſt. Aliæ non quidem ſine turpitudine, ſine ſcelere tamen ac flagitio, quod civiliter ita dicatur, ferè negliguntur. Dico *ferè*: quia nonnunquam fit, ut quædam earum officia negligere flagitioſum judicetur. Huc refertur *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Magnamitas*, *Humanitas*, *& aliæ*.

CAP. I.

De Temperantia.

Quid eſt Temperantia?

TEmperantia eſt Virtus circa voluptates belluinas guſtus & tactus, hoc eſt, circa voluptates cibi ac potus & venereas.

Quotuplex eſt?

Duplex. *Sobrietas* & *Caſtitas.*

Quid eſt Sobrietas?

Eſt temperantia in voluptatibus cibi ac potus.

Quotuplicia ſunt officia Sobrietatis?

Triplicia: quædam ad perfruitionem voluptatum iſtarum pertinent: quædam ad earum deſiderium: quædam denique ad dolorem ex earum abſentia ortum, quæ diſtributio etiam in officiis caſtitatis per ſe locum habet.

Quotuplicia ſunt ea, quæ ad perfruitionem voluptatum ex cibo & potu manantium pertinent?

Duplicia: quædam ſunt potiſſimùm ſpectanda: quædam ſecundariò.

Quæ ſunt potiſſimùm ſpectanda?

Quantitas & qualitas cibi ac potus.

Quid quantitatem vocas?

Copiam ac paucitatem.

Quid qualitatem?

Suavitatem, ejuſque contrarium: quò etiam precium revocamus.

Quodnam eſt præceptum primum in quantitate ac qualitate cibi ac potus obſervandum?

Ut tantum ſumas cibi ac potus, non amplius, taliquè utaris victu, qualem vitæ ac valetudinis tuæ ratio requirit, & vitæ genus laboreſque tui poſtulant. Cibus enim vitæ ac valetudini, hæc laboribus honeſtis ſervire debet. *Itaque alio victu pro conſtitutione corporis, pro ratione laborum uteris: alio cum æger es, alio cum ſanus; alio is, qui literas tractat, alio foſſor aut arator.*

Quod eſt ſecundum?

Ut caveas, ne cor (ut Servator noſter loquitur) cibo ac potu gravetur, hoc eſt, ne animus ad divinarum rerum meditationem, ad devotionem precum planè ineptus reddatur.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quod tertium?

Ne eo utaris victu, qui cupiditates voluptatum turpium facilè excitet, & ut Paulus loquitur, ne carnis curam geras ad concupiſcentias: quod præceptum juvenibus inprimis eſt obſervandum.

Annon jejunium huc etiam pertinet?

Pertinet. Nam ſi metuas, ne corpus luxuriet, aut ejus ſtimulos jam ſentias, ſatius eſt ei victum ad tempus ſubducere, ut rationi facilius pareat.

Quid in qualitate cibi ac potus potiſſimùm eſt obſervandum?

Ne rem familiarem, lautiori ac pretioſiori cibo utens, quam neceſſitas poſtulat, exhaurias, aut id, quod in pauperes conferre debebas, gulæ impendas, aut deſiderium voluptatum corporis delitiarum uſu irrites. Itaque cibi ac potus condimenta potiſſima ſint fames ac ſitis: ea quæ ſine fame cupiditatem edendi, ſine ſiti cupiditatem bibendi excitant, ægris permiſſa ſunt.

Quænam ſunt ſecundario in perfruitione iſtarum voluptatum ſpectanda?

Primò, ne multum temporis in cibo ac potu capiendo, utut alias videaris moderatè id facere, conteras. *Secundò*, ne tum, cum res magis neceſſariæ ſunt tractandæ, veluti cum ſacris operandum, ventrem cures. Sunt quidem & alia, ſed quia in illis rariùs peccatur, aut minus graviter, ea brevitatis cauſſa omittimus.

Quid in deſiderio iſtarum voluptatum, & dolore ex earum abſentia orto eſt obſervandum?

Id audies tum, cum Caſtitatis præcepta, quæ altera eſt Temperantiæ ſpecies, exponemus.

Quid eſt Caſtitas?

Eſt temperantia in voluptatibus venereis.

Quotuplicia ſunt hujus virtutis præcepta?

Duplicia, quædam per ſe ad eam pertinent, quædam quodammodo per accidens. Et illa quidem, quæ per ſe huc pertinent, triplicia eſſe jam monuimus: nam vel ad perfruitionem voluptatum; vel ad deſiderium, vel ad tædium ex earum abſentia ortum ſpectant.

Quid in perfruitione ſpectandum?

Ut ea legitimi matrimonii cancellis circumſcribatur, parciſſima ſit, ac verecundiſſima.

Quid in deſiderio?

Ne inhoneſtas voluptates unquam deſideres: honeſtas moderatè, ſuoque tempore & ætate.

Quot modis in inhoneſtarum voluptatum deſiderio peccari ſolet?

Duobus: Vel dum decernit quiſpiam, ſe iis potiturum; & occaſionem tantum expectat: vel non decernit quidem; animum tamen earum cogitatione titillat, quæ duo in omnium rerum inhoneſtarum cupiditatibus vitanda ſunt.

Quid ergo faciendum eſt; ſi rei turpis cogitatio obrepat?

Ea ſtatim excutienda eſt animo, & cogitatio aliò convertenda: quod ſi conſtanter velis, precibus ac meditationi rerum divinarum vaces, moderatione victus corpus coërceas, ſomnum atque otium vites, honeſtis ſtudiis ac laboribus occuperis, non difficulter aſſequeris.

Quænam per accidens quodammodo huc pertinent?

1. Ut oculi, aures, manus ſint continentes, hoc eſt, ne quid aſpiciatur, legatur, audiatur, attrectetur, quod iſtarum voluptatum deſiderium in nobis excitet.
2. Ut lingua etiam noſtra, & totius corporis geſtus & habitus ſit verecundus, ne in aliis turpium voluptatum cogitationem ac deſiderium excitemus.

Quænam hujus virtutis eſt perfectio?

Virginitas perpetua, hoc eſt, perpetua ab hoc voluptatum genere abſtinentia, corporis & animi puritatem ſervans: qualis in Domino Jeſu & Paulo fuit. Hanc qui capere poteſt capiat: an quis autem capere poſſit, in ætatis juvenilis flore cognoſcendum eſt.

Quænam ſunt extrema, ſeu vitia Temperantiæ oppoſita?

Intemperantia, & ἀναισθησία ſeu *ſtupor*.

Quid eſt Intemperantia?

Eſt vitium, quod in voluptatibus cibi ac potus, aut venereis modum ſuperat.

Quæ ſunt hujus ſpecies?

Duæ: *Ingluvies* ſive *Gula*; & *Libido* atque *Impuritas*: quarum illa Sobrietati; hæc Caſtitati adverſatur.

Quid eſt Ingluvies?

Eſt Intemperantia in cibo ac potu.

Quomodo dividitur?

In *Voracitatem*, & *Ebrietatem*. Illa ingluvies in cibo eſt; hæc in potu.

Quid eſt Libido?

Intemperantia in voluptatibus venereis.

An ſunt ejus ſpecies?

Sunt variæ: ſed de iis honeſtius tacemus, quàm loquimur.

Quid eſt ἀναισθησία ſeu ſtupor?

Eſt vitium in voluptatibus cibi ac potus & venereis modum deſerens: ſeu cum quadam naturæ injuriâ genium defraudans, & à neceſſariis etiam ac honeſtis voluptatibus abſtinens. Sed hoc adeò rarum eſt, ut nomen vulgò non invenerit, nec ſpecies ejus conſtituantur, licet ex contrariorum natura conſtitui facilè poſſint.

Utrum vitium eſt deterius, Intemperantia an Stupor?

Intemperantia. Ratio ex cap. 3. tract. de virtute in genere peti poteſt.

Cap. II.

De Magnanimitate.

Quot modis Magnanimitatis vox accipitur?

DUobus potiſſimùm: Latè & ſtrictè: *Latè*, pro ea virtute, quæ in deſpicientia rerum humanarum & vitæ ipſius cernitur. Quæ deſpicientia facit, ut etiam res arduas ac difficiles ſuſcipias. *Strictè*, pro ea virtute, quæ in deſpicientia bonorum ac malorum externorum, præſertim magnorum ſpectatur.

Quæ verò ſunt externa illa bona, aut mala, circa quæ Magnanimitas ſtrictiùs ſumta verſatur?

Bona quidem ſunt *Honores* & *Divitiæ*: Mala verò iis contraria, *Ignominia*, & *Paupertas*, *opumque jactura*.

Quid verò Honorum nomine intelligis?

Non tantum nudam alienæ de dignitate noſtra opinionis ſignificationem, ſive in verbis, ſive in geſtibus conſiſtentem, ſed magiſtratus quoque & imperia, & ſi quæ ſunt alia his ſimilia, quæ ad dignitatem cujuſque ſpectant.

Quænam ſunt præcepta Magnanimitatis laxiùs ſumtæ?

I. Ne magnanimus bonum ullum, præter Immortalitatem, Sapientiam ac Virtutem magni faciat, nec, niſi qua neceſſe eſt, appetat, aut in eo parando retinendóque anxiè laboret.

II. Hinc conſequitur alterum, ut animo ſemper tranquillo, ac conſtanti ſit, fortunæ ac perturbationi nulli cedat, nec ſecundis efferatur, nec adverſis animo frangatur, nec nimis confidat propter temeritatem, nec deſperet propter ignaviam.

III. Ut gerat res magnas, vehementer utiles, præſertim publicè, laboris ac periculi plenas.

Num ſuperſunt etiam alia ejuſdem virtutis officia?

Sunt quidem & alia, ſed ea partim in Magnanimitatis ſtrictius ſumtæ; partim in Fortitudinis explicatione tradentur. Hæ enim duæ virtutes illius quædam partes ſunt; quanquam eadem Magnanimitas ex aliis etiam virtutibus multa ſumit, imò quicquid ferè in quavis virtute maximè ſplendet, id illa ſibi decerpit. Quare ea ex ſingularum virtutum tractatione petantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quænam verò ſunt præcepta Magnanimitatis ſtrictiùs ſumtæ?

Ea ſunt duplicia, prout & illius ſtratum ſeu objectum: alia enim ad Honorem & Ignominiam; alia ad Divitias earumque contrarium ſpectant.

Quænam ergo ad Honores & Ignominiam ſpectant?

I. Operam dare debet Magnanimus, ut ab omnibus, ſed maximè à viris prudentibus ac virtute præſtantibus laudari ac honorari ſit dignus: quod quidem fiet, ſi quam præclariſſima ſemper ſuſcipiat.

II. Honores, quibus dignus eſt, ac magiſtratus, quibus par eſſe poteſt quærere, aut oblatos admittere tunc debet, cum videt, eos ſibi ad res eximias, atque inprimis ad bonorum defenſionem fore adjumento; cæteroquin eos ſpernere potiùs debet.

III. Ignominiam etiam contemnat, cùm ſciat, eâ ſe immeritò affici, & ſpretam tandem exoleſcere: calumnias tamen, quæ fidem fortè apud alios invenire, & famam ejus lædere poſſent, tum verbis, tum factis refutet.

IV. Non moveatur rumoribus imperitorum, ac multo minus improborum, ut honeſtatem negligat, aut in publica peccet commoda, Fabii exemplo, ut de eo cecinit Ennius:

Unus cunctando Romanam reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Quænam in opum aut bonorum jactura Magnanimo ſunt obſervanda?

I. Pecuniam non amet, oblatamque vel repudiet, ſi id quæri videat, ut aliis fiat obnoxius: vel beneficentiæ potiſſimùm cauſſa capiat.

II. In paupertate bonorumvé jactura ne ſit querulus, nec, niſi neceſſitate quadam compulſus, aliorum opem imploret.

Quæ ſunt vitia Magnanimitati oppoſita?

Potiſſimùm quidem *Puſillanimitas*; ſed opponitur tamen etiam *nimia quædam animi elatio*, quæ partim in *Superbia*; partim in *Audacia* conſiſtit. De quibus duobus poſterioribus in ſequentium virtutum explicatione agetur: illa enim *Modeſtiæ* magis proprie opponitur; hæc *Fortitudini*.

Quid eſt Puſillanimitas?

Eſt vitium ea, quæ contemni debent, majoris æſtimans, & ardua ob metum quendam refugiens. Ejus pars quædam eſt *Ignavia* ſeu *Timiditas*, de qua in Fortitudinis explicatione.

Cap. III.
De Modeſtia.

Quid eſt Modeſtia?

EST virtus, quæ honoris cupiditatem moderatur.

Quo pacto ea differt à Magnanimitate?

Eo, quod *Magnanimitas* dignitatem ſuam, ſuaſque vires aliqua ratione æſtimat, & honores, præſertim vulgares, tanquam infra ſuam dignitatem poſitos, contemnit: quos verò ambit aut admittit, eos vel non ſupra dignitatem, vel non ſupra vires ſuas æſtimat. At *Modeſtia* indignitatem ſuam ac vilitatem potiùs conſiderat, & propterea laudis ac honoris cupiditati fræna injicit.

Annon ergo duarum iſtarum virtutum officia ſeſe mutuò perdunt?

Non: Nam ſi dignitas atque indignitas quædam, ſeu vilitas in eodem homine concurrere poſſunt, ab eodem etiam homine æſtimari non modo poſſunt, ſed & debent: quiſque enim ſe ipſum noſſe debet. Et dignitas quidem conſideranda eſt, ne ſe quiſpiam ad res indignas abjiciat, aut à rebus præclaris ob animi abjectionem refugiat: vilitas autem atque indignitas, ne ſe nimium elevet.

Quæ ergo ſunt modeſtiæ officia?

I. Ne quis ſe majoribus dignum honoribus judicet, quam revera dignus ſit: quod maximè tum ei cavendum eſt, cum ab aliis laudatur.

II. Ne eos honóres ac laudes, quibus dignus eſt, cupidè perſequatur.

III. Ne alios debito honore ac laude ulla ex parte fraudet.

IV. Ne nimium vel in cultu corporis, vel in reliquo apparatu ſplendorem ſectetur.

Quibus autem modis primum conſequitur homo modeſtus?

Iſtis: 1. Ne bona, quibus honor deferri ſolet, ſibi arroget, quibus planè caret. 2. Ne, ſi quæ habet, majora eſſe ſibi perſuadeat, quam revera ſunt. 3. Ne ea, quibus eſt ornatus, majori honore digna cenſeat, quam revera ſunt. 4. Denique ne ea ſibi potiſſimùm imputet, & quæ Deo, nonnunquam ſecundùm Deum etiam aliis adſcribenda ſunt, ſuæ induſtriæ, virtuti, ingenio adſcribat, atque ad ſuam potiſſimùm laudem referat.

Quot modis conſequitur alterum?

Iſtis: 1. Ne ſe ipſum laudet, aut ab aliis laudari ac honorari ſe velle ſignificet, & ejus rei anſam aliquam præbeat. Hoc autem inter alia obliqua via à nonnullis fit, dum ſe ipſos vituperant, ſuaſvé laudes doteſque extenuant: ii enim, qui id audiunt, ne videantur eorum vituperationem approbare, eoſvé parvi pendere, coguntur dicta illorum aliquo modo refellere, & aliquid ad ipſorum laudem dicere.

2. Si quis tamen interdum honor ſit vel quærendus, vel admittendus, ne nimium exultet, & ſe eo nimium capi, ac laude ſuâ titillari aliqua ratione ſignificet. Sed ideò tantùm id ſe facere oſtendat, ut occaſionem habeat, res præclaras ſuſcipiendi ac perficiendi, quemadmodum in magnanimitatis præceptis dictum eſt: vel quia benevolentiâ aliorum erga ſe, cujus indicium eſt honor ipſi delatus & honeſtum ipſius præconium, delectetur.

Quomodo verò tertium conſequitur homo modeſtus?

1. Si neminem præ ſe contemnat, utut aliàs vilem atque abjectum; & in omnibus hominibus Dei, quam gerunt, ſuſpiciat ac veneretur imaginem. Quod ſi aliis præterea dotibus ſint ornati, eas ſe in iis & agnoſcere & colere pro cujuſque dignitate oſtendat.

2. Ut eos inprimis colat, quorum operâ illa, quibus præditus eſt, bona fuerit conſecutus, & ad eorum laudem ea libenter referat. Cùm verò omnia à Deo primùm profluant, ejuſque benignitati ſint imputanda, ad ejus maximè laudem atque honorem omnia ea ſunt convertenda, iſque quam demiſſiſſimè eſt venerandus.

3. Ad omne officii genus etiam vile & abjectum aliis, præſertim Chriſtianæ religionis vinculo ipſi devinctis, paratus eſſe debet, cùm res atque uſus poſtulat.

4. Denique promtè debet obſequi iis, & ſingulari quodam honoris genere proſequi, ſub quorum eſt poteſtate. Sumus autem omnes primùm ſub poteſtate ſupremi numinis; plerique ſub imperio magiſtratus; liberi ſub parentum; ſervi ſub dominorum; diſcipuli ſub præceptorum ſuorum regimine.

Quomodo ultimum conſequitur modeſtus?

Si non modo aliis ejuſdem ordinis ac conditionis hominibus ſplendidiùs ſeſe ac ſumptuoſiùs non ornet; ſed etiam aliquantò viliùs; niſi gravis quædam cauſſa eò compellat, ut majorem quendam apparatum, ac cultum corporis ſplendidiorem quærat. Quam ad rem utile eſt, proponere ſibi exemplum virorum ejuſdem ordinis gravium ac honoratorum, Modeſtia ac Frugalitate reliquos ſuperantium.

Quænam ſunt vitia Modeſtiæ oppoſita?

Potiſſimum quidem *Superbia* atque *Arrogantia*, quæ *Jactantiam* vel ſub ſe complectitur, vel ex ſe parit. Deinde *Nimia animi abjectio* ſeu *vilitas*, quam Latini *Humilitatem* vocant; licet ea vox pro *Modeſtia* hodiè uſurpetur. Hæc quia ad Puſillanimitatem ferè pertinet, ideo non eſt neceſſe, de ea plura dicere, præſertim quia ferè eſt rarior.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quid verò eſt Superbia?

Vitium in appetendis honoribus modum ſuperans.

Quot autem modis illud committitur?

Totidem, quot exercetur *Modeſtia*, ex cujus officiis facilè de Superbiæ ingenio judicari poteſt.

Cap. IV.

De Fortitudine & Patientiâ.

Quot modis Fortitudinis vox accipitur?

DUobus: primò propriè, in qua ſignificatione nos mox definiemus. Deinde impropriè, pro quavis affectione, quæ Fortitudini propriè diſtæ ſit ſimilis, & in quovis ſive periculo, ſive malo intrepidè ſuſtinendo verſetur.

Quid eſt Fortitudo preprie dicta?

Eſt virtus, quæ in morte pulcherrima, & periculis ejus impendentibus cernitur.

Quæ eſt illa Mors pulcherrima?

Chriſtianis ea eſt mors pulcherrima, idque verè, quæ pietatis cauſa ſubitur. Politicis, iis præſertim, qui à Chriſtiana religione alieni ſunt, *Mors bellica.* Unde duplex quodammodo oritur Fortitudo: *Chriſtiana*, quæ verè hoc nomen meretur, & *Politica*, quæ virtutis nomen hodiè vix ſuſtinet.

Quæ eſt mors pietatis cauſa ſuſcepta?

Eſt ea, cùm, niſi mortem ſubire velis, vel veritas foret prodenda, vel quippiam aliud adverſus divina mandata committendum: vel cum pro aliis, fratribus præſertim, anima ponitur, hoc eſt, ideò mors ejuſvè diſcrimen ſubitur, ut eorum vitæ, vel æternæ, vel temporariæ conſulatur.

Annon ſunt alia etiam pericula & mala, in quibus perferendis Fortitudo verſatur?

Sunt: nempe ea omnia, quæ eundem ad finem ſpectant, id eſt, ad pietatem ac juſtitiam tuendam, eaque, morte nominatâ, tacitè comprehenduntur. Qui enim mortem adire juſtitiæ cauſa non horret, multo facilius cætera mala propter eandem ſpernet.

Quomodo diſtinguitur Fortitudo?

In duas veluti partes: *Fortitudinem* ſtrictiùs ſumtam, & *Patientiam*. Illa in periculis mortis pulcherrimæ, aliorumque malorum ſimilium, verſatur: hæc in ipſa illa morte, aut malis perferendis: illa metum ac fiduciam regit: hæc triſtitiam.

Quæ ſunt præcepta ad Fortitudinem Chriſtianam ſpectantia?

I. Ne ad pericula, evidentia præſertim, ac gravia properes: ſed diligenter conſideres, an ea ſit adire neceſſe: tunc autem neceſſe eſt, ſi non poſſis diſcrimen effugere, niſi aliquod præceptum divinum violes.

II. Animus ita muniendus eſt, ne periculorum magnitudine frangaris, ſed ut, quantum ejus fieri poteſt, & rei fert natura, intrepidus ſis ac conſtans, nec quicquam indignum te admittas, nihil effæminatum aut dicas, aut facias, quod etiam in ipſa malorum perpeſſione obſervandum eſt; imò etiam opera danda, ut cum gaudio quodam mala omnia juſtitiæ cauſa perferas.

III. Cum de æterna aliorum ſalute agitur, vitæ, ſi ita res exigat, minimè parcendum eſt. Sed cum de temporia aliorum vitâ conſervanda agitur, diſcrimen conſtituendum eſt inter fratres, hoc eſt, eos, qui Chriſtianæ religionis ſocietate nobiſcum ſunt juncti, & alienos. Pro alienis ut Chriſtianus homo vitam divinæ gloriæ conſecratam perdat, non eſt neceſſe, imò ne decet quidem: alia multa pro iis impendere, facere, ac perpeti non ſolum licet, ſed etiam decet, præſertim ſi homines ſint non improbi, aut certe ſi non videantur inſanabiles. Pro fratris vitâ temporiâ noſtra tum in diſcrimen adducenda eſt, cum illius vita divinæ gloriæ, aliorumque ſaluti vel utilior eſt, vel æque utilis atque noſtra: vel ſi videamus, aut ipſum vitæ hujus amore inductum, aut ejus neceſſarios, uxorem præſertim ac liberos ab ipſo deſertos, facillimè aliquid facturos, quod æternum illis afferat interitum. Nam tum cenſendum eſt, æternam aliorum ſalutem agi, licet per accidens tantum.

IV. Sic nec, ut fratrem, aut quemvis alium tali commodo augeamus, quod ad vitæ conſervationem haudquaquam ſit neceſſarium; etiamſi tandem ſit inſigne, decet hominem Chriſtianum vitam ſuam in præſens conjicere periculum: ſed tum demum, cùm ſalus aliorum ſimul agitur, aut res illa ad divinam gloriam inſigniter promovendam pertinet.

V. Quam ob cauſam mortis diſcrimen adeundum eſſe diximus, ob eandem multò magis alia ſunt pericula ſubeunda, aut damna doloreſque perferendi. Quod ſi de aliis commodis, fratrum præſertim, augendis agatur, hoc ſemper ſpectetur, num ad alios ex tuo periculo boni plus, quàm ad te damni ſit rediturum. Majus enim damnum propter minus incommodum incurrere velle ſtultum eſt.

VI. Quod ad alia ſive pericula, ſive mala attinet, in quæ non ob juſtitiam, ſed aliam quamcunque cauſam, ſive humanam improbitatem, ſive divinam caſtigationem, ſive denique caſum aliquem incurrimus, ea etiam moderatè ferre debet vir fortis, nec committere, ut ab animi tranquillitate deducatur, aut quicquam per impatientiam dicat, aut faciat, quod vel in Deum, vel in alios ſit injurium, vel animo virili indignum. Nam etſi in his propriè non verſetur fortitudo, efficit tamen, ut etiam in aliis rectè te geras.

Quæ præcepta Fortitudinis politicæ ſeu bellicæ tradi poſſunt?

I. Ut bellum juſtè ſuſcipiatur. Juſtè autem ſuſcipi ſtatuunt, cum injurias, eaſque graves vel à nobis, vel à noſtris, hoc eſt, patria, parentibus, uxore, liberis, cognatis, amicis aliter depellere non licet, & ab iis ſuſcipitur, quibus vindicandi aut defendendi legitima eſt poteſtas. Omnia enim priùs tentanda eſſe monent, quàm ad arma deveniatur, & ei, qui vindicandi legitimam poteſtatem non habet, muſſitandam potius vel ferendam eſſe injuriam, quàm vi repellendam.

II. Ut juſtè etiam geratur. Ad quod *Primùm* pertinere putant, ut bellum juſto tempore indicatur. *Deinde*, ne quis dolo malo, aut perfidia utatur in hoſtem, ne item venenis.

III. Ut in periculis adeundis tum prudentia adhibeatur, tum animi conſtantia, & vitæ, ſi ita res exigat, non parcatur.

IV. Ne ſæviatur in victos, eos præſertim, qui ſe fidei tuæ permiſerunt: inermi vis ne inferatur, & ubique detur opera, ne ad innocentes calamitas belli perveniat.

Quæ ſunt vitia Fortitudini oppoſita?

Audacia, & *Timiditas*, ſeu *Ignavia*.

Quid eſt Audacia?

Eſt vitium in pericula temerè ſeſe conjiciens.

Quid Ignavia?

Vitium in metu modum ſuperans, aut pericula nimium fugiens.

Annon miſcentur aliquo modo iſta vitia?

Miſcentur: nam nonnulli ſunt ante pericula, aut etiam inter initia periculorum feroces, in ipſis animum deſpondent, qui Græcis dicuntur θρασύδειλοι. Ad hoc genus etiam illi pertinent, qui ſibi ipſis manus violentas inferunt: nam audaces videntur, quod mortem non horreant; timidi, quod id ob impatientiam, aut metum cruciatuum, ignominiæ, aliorumque malorum faciant.

Cap. V.

De Manſuetudine & Clementia.

Quid eſt Manſuetudo?

EST virtus, quæ in ira moderanda cernitur.

Quid eſt Ira?

Eſt cupiditas reponendi doloris orta ex opinione injuriæ.

An manſuetudo etiam non verſatur circa vindictam?

Verſatur: nam dum circa iram verſatur, verſatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

etiam in ejus effectu proprio, is autem eſt Vindicta. Nam dolor ille, quo iratus affici vult eum, qui videtur læſiſſe injuriâ, vindicta eſt, latè hoc nomine extenſo, ut quamvis pænam etiam à legitima poteſtate inflictam comprehendat.

Quæ ſunt præcepta Manſuetudinis generalia?

I. Ne unquam innocenti, licet fortaſſe cum eo, qui te tuoſvé læſit, conjuncto iraſcaris, & tanquam injuriæ participem atque affinem tractare cupias. Quare nec patri innocenti propter filium, nec contra iraſci debes.

II. Ne unquam adeo efferaris ira, ut eum, qui te revera læſit, puniendum ſtatuas, aut re ipſa punias, eum tantum in finem, ut ipſi malè ſit, & tu cupiditatem tuam exſaties, ſive pœna illa delicto ſit par, ſive minus. Hæc enim eſt vindicta ſtrictiùs ſumta, quæ in Sacris Literis prohibetur, & ejus cupiditas eſt ira illa, quæ in peccatorum graviſſimorum numero reponitur.

III. Ut tardè animo commovearis, ac diu moleſtias & injurias feras, nec ad pænam properes, quod vox μακροθυμίας, hoc eſt, *Longanimitatis* indicat, quâ virtus hæc in Sacris Literis inſignitur.

IV. Ut ſi contingat aliquandò te commoveri, ne graviter iraſcaris, ſed iram facilè deponas, tum per te ipſum, tum multo magis, ſi alterum delicti pœniteat, & is culpam deprecetur, id quod Græcè πραότητος, ſeu *Lenitatis* ac *Placabilitatis* nomen poſtulat.

V. Ut ei etiam, qui læſerat, benefacere ſtudeas, ei comem tum in vultu, tum in verbis te præbeas, & ejus injurias beneficiis vincas: id quod χρηστότητος nomine exprimitur.

Quotuplex eſt Manſuetudo?

Duplex: vel enim eſt privati erga quemcunque: vel ejus, qui aliquod imperii ac poteſtatis genus habet in alterum. Illa generale tantum Manſuetudinis nomen retinet: hæc ſpeciali nomine *Clementia* dicitur.

Quid eſt clementia?

Eſt lenitas ſuperioris erga inferiorem, ſeu manſuétudo ejus, qui regit, in eum, qui poteſtati ejus ſubjectus eſt. Regit autem in univerſo Deus: in Republica Magiſtratus: in bello Imperator: in familiâ Pater, ſeu Herus.

Quotuplicia ſunt Clementiæ præcepta?

Duplicia: quædam ad pœnæ *remiſſionem* pertinent; quædam ad moderatam pœnarum *inflictionem*.

Quænam ſunt in condonatione pœnæ ſpectanda?

I. Spectandum eſt ipſius delicti genus, ſeu peccati per ſe conſiderati gravitas, aut levitas. Levioribus enim facilius dari poteſt venia, quàm gravioribus, cæteris paribus.

II. Spectandum eſt, an ex imprudentia aut imbecillitate quadam hominibus familiari delicta fuerint profecta: qua in re ætatis, judicii, virium, occaſionis, avocamentorum & irritamentorum, quæ nunc majora ſunt, nunc minora, diligens habenda eſt ratio. Imprudentia enim & imbecillitas delictum elevant, aut mitigant.

III. Spectanda eſt ante acta vita: nam qui rariùs ac minùs graviter peccarunt, iis vel condonanda eſt culpa, vel mitiùs cum iis agendum.

IV. Ratio habenda eſt reſipiſcentiæ, ac doloris factum conſequentis: nam ii, qui graviter dolent factum, contumaces non ſunt, & dolor illis inſtar pœnæ eſt.

Quæ ſunt præcepta clementiæ in pœnarum inflictione ſpectanda?

I. Ut non niſi eos punias, qui meriti ſunt, nec ultra meritum: quod præceptum etiam ad Juſtitiam pertinet.

II. Ut non niſi eos punias, qui vel contumaces ſunt ac refractarii: vel aliis ad facinora fuerunt autores: vel impunitate deteriores poſſunt fieri: vel quorum impunitate alii corrumpi poſſent: vel denique cùm invidioſum foret punienti, illis prorſus ignoſcere, aliis pœnæ ſubjectis. Potiſſimum autem puniendi ſunt contumaces, & anteſignani ſcelerum, qui imperium aut leges contemnunt, ordinem bonum in ſocietate turbant & diſciplinæ nervum convellunt. Contumacia autem vel proditur apertè, contemtu imperii, qui verbis aut factis declaratur; vel ex his potiſſimùm indiciis colligitur: 1. ex eo, quod quis idem delictum ſæpiùs, præſertim monitus, iteret. 2. quod ſciens prudens ſpretis admonitionibus, minis, caſtigationibus præcedentibus, multiſque aliis, quæ eum à peccato dehortari poſſunt, aliquid admittat, præſertim grave, ac ſæpiùs idem repetat. 3. quod dolor & reſipiſcentia delictum, etiam poſt admonitiones & objurgationes, non conſequatur.

III. In pœnâ infligenda obſervandum eſt, ne is, qui punit, alterius pœna per ſe delectetur, aut ullam ex ea ſe capere voluptatem oſtendat. Ideoque ſi fieri commodè poſſit, per alium eam potiùs, quam per ſe ipſum exequatur, ac ne ſpectet quidem.

IV. Acerbitas ac contumelia, quam coërcendorum delictorum ratio non omninò poſtulat, abſit à pœna; quod fiet, ſi ea infra delicti meritum ſubſiſtat, & ei, qui pœnam ſuſtinet, non inſultetur adhuc & illudatur.

V. Caveatur, ne eo uſque progrediatur ſupplicii ſeveritas, ut is, qui punitur, vel corrigi amplius nequeat, vel neceſſariis ſupereſſe laboribus non poſſit.

VI. Cùm multi ſimul peccarunt, danda eſt opera, ut pœna ad paucos, metus verò ad omnes perveniat: quod fiet, ſi facinorum autores & anteſignani potiſſimùm puniantur.

VII. Ne caſtigatione irritentur eorum animi, qui eam ſuſtinent: quod fiet, ſi prius verbis oſtenderis, eos juſtè puniri, ac moderationem in ipſa pœna adhibeas: nec enim iraſcimur, cùm juſtè nos aliquid pati arbitramur; ſed cùm injuſtè, aut graviùs, quàm conveniebat.

VIII. Ne privatam ex pœna utilitatem videaris quærere: quod tamen aliquatenus licet, cùm is, qui punit, eſt pars læſa, & id agit, ne in poſterum lædatur.

Quotuplicia ſunt præcepta Manſuetudinis, quâ uti debent ii, qui in alios imperium non habent?

Duplicia: quædam enim uſurpanda ſunt adverſus ſuperiores, quædam adverſus pares.

Quomodo ſe gerere debet Manſuetus adverſus ſuperiores?

Pręter generalia Manſuetudinis præcepta, hoc I. obſervet, ne, ſi forte injuriam inferre cogitent, vi illis reſiſtat: ſed vel jure ſe tueatur, vel precibus, tum ſuis, tum alienis injuriam avertat, vel fuga aliavé honeſta arte declinet, vel tandem, ſi declinare non poſſit, patienter ferat.

II. Illatam jam injuriam ne vindicet, ſed ſi poſſit, reſtitutionem damni requirat, & de futura ſecuritate, atque ab injuriis immunitate ſibi caveri curet.

III. Ne irâ facilè commoveatur erga ſuperiores, etiam eâ, quæ in pares aut inferiores licita eſt. Inprimis verò parentibus, aut iis, qui parentum loco ſunt, quique plurimis ipſum beneficiis cumularunt, iraſci caveat.

IV. Adverſus Principes, etiam alienos, majori utatur iræ continentia, quàm adverſus alios quoſvis.

Quomodo ſe gerere debet Manſuetus erga pares?

Hîc diſtinguendum eſt tempus ante injuriam, & poſt injuriam illatam.

I. Ante injuriam illatam, ubi res patitur, jure potius, quam vi agendum eſt, & declinanda potius injuria, quàm durioribus modis repellenda.

II. Si aliter tutus eſſe nequeas, & res ita ferat, magiſtratus auxilium adverſus eum, qui injuriam inferre conatur, implorare licet, ut vi etiam coërceat hominem, imò in quibuſdam injuriæ generibus decet. Cavendum tamen eſt, ne vindicaſſe te jam videaris, & ne forte gravius malum, aut ei par, quod tu fuiſſes perpeſſurus, incurrat is, quem ad magiſtratum defers.

III. Si magiſtratus opem implorare res non permittat, injuria tamen cogitata ſit intolerabilis, defenſio legitima eſt adhibenda, in quâ tamen omnis vindictæ cupiditas, de qua ſuperius actum, cavenda eſt, & id tantum agendum, ut injuriam à te tuiſque avertas.

Poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Poſt injuriam illatam I. Reſtitutionem damni legitimis modis etiam per magiſtratum licet requirere, ſi modo caveatur, ne is, qui læſit, pœnam ejuſmodi ſimul incurrat, quæ vindictæ ſit loco.

II. Pœnam læſus poſtulare non debet, niſi emendandi ejus cauſſa, qui peccavit, aut ſecuritatis publicæ privatæque gratia, iis præterea obſervatis, quæ de pœnarum inflictione ſupra docuimus.

Quæ ſunt vitia Manſuetudini oppoſita?

Iracundia, ſub quâ *Crudelitas* continetur, & Αοργησία ſeu *Lentitudo.*

Quid eſt Iracundia?

Eſt vitium in irâ modum ſuperans. Cùm autem de irâ loquimur, ſimul etiam vindictam, quæ illius proprius eſt affectus, intelligimus.

Quibus modis committitur hoc vitium?

Quinque potiſſimùm modis. 1. Cùm quis iraſcitur iis, quibus non debet; ut *Parentibus*. 2. Cum ob eas cauſas, ob quas non debet: ut, *cum quis ab amicis monetur.* 3. Cum graviùs aut diutiùs iraſcitur, quam debet. 4. Cum ſeſe vindicat, ſive verbis, ſive factis, eo vindictæ genere, quod vitioſum eſſe docuimus. Et hîc propriè locum habet *Crudelitas*. 5. tandem cùm loci, aut rei, quæ agitur aut perſonarum, quæ adſunt, non habetur ratio: ut *cùm quis in templo, cùm res divina peragitur, aut præſentibus viris magnis aliiſvé, quos revereri debemus, irâ, præſertim vehementiori, effervescat, & affectum indiciis externis prodat.*

Quot ſunt Iracundorum hominum genera?

Duo potiſſimum: Primum eorum, qui quamvis ob cauſam, quibuſvis celerius & vehementius iraſcuntur, quàm oportet; verum celeriter iraſci deſinunt, & iram non celant, ſed ſtatim veluti effundunt: inter quos illi, qui celerrimè & vehementiſſimè iraſcuntur, ἀκρόχολοι dicuntur, quaſi flavâ bile perciti.

Alterum genus eorum eſt, qui vehementer iraſcuntur, & ægrè deſinunt iraſci, ac propemodum ſunt implacabiles. Atque hi iterum ſunt duplicis generis: Quidam enim ferè juſtis tantum de cauſis iraſcuntur, ſed iram premunt vindictæ occaſionem expectantes; nonnunquam tamen longinquitate temporis injuriæ memoriam delent: & hi dicuntur πικροὶ, acerbi. Quidam verò quibuſvis de cauſis graviſſimè iraſcuntur, iram diu alunt, & non niſi vindicta ſedari ſolent; & hi ſunt omnium peſſimi, dicunturque ἄγριοι feri, ſævi, atroces, immanes.

Quotuplices ſunt Iracundiæ cauſæ?

Duplices. Internæ & Externæ. Internæ tres: *Temperamentum*, quale eſt cholericorum: *Imbecillitas*, & *Conſuetudo*. Externæ ſunt omnia, quæ contemtum noſtri arguunt, aut deſideriis noſtris, præſertim vehementioribus, obſtant.

Quæ ſunt iracundiæ remedia?

I. Ut cogites, quantopere ipſe in Deum peccaveris, & quantum tibi ab ipſo, vel condonatum ſit, vel condonari velis. Quam enim veniam à Deo expectat homo, eam homini denegare non debet.

II. Ut cogites, nunquid ipſe in alios deliqueris, aut delinquere poſſis, adeoque imbecillitatem tuam agnoſcens in alios ne ſævias, & quam in altero deſideras æquitatem, eâ ipſe adverſus alios utaris.

III. Ut iræ turpitudinem, & graviſſima, quæ inde partim ad te, partim ad alios redundare poſſint, mala, ſæpiſſimè conſideres. Mala autem illa partim ad animum pertinent, partim ad corpus; partim privata ſunt, partim publica.

IV. Ut conſideres & laudabile, & utile ſæpe eſſe, non iraſci, nec vindicare injurias. Nam quemadmodum jactatur ſenarius ille: *Veterem ferendo injuriam invites novam*; ita non repudiandus ille: *Veterem ferendo injuriam vites novam.* Præſertim cùm res eſt cum hominibus non plane improbis, qui lenitate noſtrâ emolliri, & emendari nonnunquam poſſunt: & etiamſi invites injuriam novam, laus tamen apud cordatos, præmium apud Deum manet.

V. Ut expendas levitatem cauſarum, quæ iram nonnunquam excitant. Frivolis enim ſæpe & inanibus turbamur.

VI. Ne quicquam bonorum caducorum, quæ ab aliis eripi tibi poſſent, nimis appetas, aut ſperes, aut de iis retinendis nimis ſis anxius: minus enim iraſceris, ſi iis excidas.

VII. Ut fugias irarum occaſiones, & cauſas, quas potes præcidas. Itaque inprimis ſunt vitanda colloquia cum hominibus contentioſis, moroſis, ſuperbis.

VIII. Ut, ſi forte irâ efferaris, moram adhibeas, antequam quicquam loquaris, aut facias, aut ad caſtigandum accedas. Quod ſi placet Athenodori conſilium Auguſto datum, alphabetum prius animo percurras: vel potius precationem dominicam, in quâ vindictæ remedium præter moram reperies efficaciſſimum. Præterea etiam poſt primum iræ impetum danda eſt opera, ut oblivione, quam injuriarum remedium eſſe vetus aſſerit verbum, offenſas ſepelias.

IX. Conſideres tum dicta, tum facta ſapientum ac piorum virorum, quæ iram frænari poſſe, ac debere oſtendunt. Sententiæ autem plurimæ, & exempla huc pertinentia tum in ſacrâ, tum in profanâ hiſtoria extant.

X. Socrates ſpeculum iræ remedium eſſe dixit. Iræ enim deformitatem in facie apparentem quemque ab ea dehortaturum putavit. Poſſunt etiam quædam ex medicinâ peti, cum iracundia ex temperamento pendet: inprimis autem fugiendus eſt cibus ac potus, qui nimium calefacit. *Hactenus de iracundia altero Manſuetudinis extremo.*

Quid eſt Lentitudo?

Eſt vitium in irâ modum deſerens. Sed hoc ita rarum eſt, ut vulgo nomen non invenerit, & committitur tum, cùm quis graviſſimis ſceleribus nihil commovetur, nec ad ea coërcenda animi quodam impetu fertûr. Oritur enim ira interdum à recta ratione, ut in Domino Jeſu apparet, de quo conſulenda eſt ſacra hiſtoria.

Utrum extremum eſt deterius?

Hoc quidem facilè eſt videre. Iracundiam enim deteriorem eſſe patet, 1. Quia Ira, cui habenas laxat, eſt affectus vehementior. 2. Quia ad eam natura ſumus proniores. 3. Quia frequentior. 4. Quia damnoſior & ſocietati humanæ infeſtior.

Cap. VI.

De Juſtitia.

Sectio Prima.

Diſtinguitur Juſtitia in Univerſalem & Particularem.

Univerſalis explicatur.

Quid Juſtitiæ vox in Politicis ſignificat?

Virtutem, quâ præſtamus ea, quæ alteri debentur. *Deberi autem dico illa, ad quæ facienda quiſpiam ita eſt obſtrictus, ut, ſi ea non præſtet, civili jure adverſus eum agi poſſit.*

Quotuplex eſt?

Duplex. Univerſalis & Particularis.

Quid eſt Juſtitia Univerſalis?

Virtus omnia ea præſtans, quæ legibus à vera prudentia profectis ſunt conſtituta. Eſt ergo nihil aliud, quam virtutis perfectæ uſus, quatenus ad alterum ſpectat, cùm legibus à prudentiâ verâ profectis omnium virtutum officia, quæ ad ſocietatem civilem conſervandam ſpectant, præſcribantur.

Quid eſt Lex?

Præceptio quædam generalis à legitima poteſtate propoſita: ſeu, Sententia communis aliquid vel jubens, vel vetans, obligans aut ad obedientiam, aut ad pœnam. Nam quæ de rebus ſingularibus feruntur, *decreta, plebiſcita* aut *pſephiſmata*, non leges propriè dicuntur.

Quotuplices ſunt Leges?

Duplices, ut jam apparuit: *Jubentes & Vetantes*; vel ut alii loquuntur *affirmantes & negantes*. Illæ facienda docent; hæ omittenda. Illæ tum demum ſunt obſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

obſervandæ, cum earum exercendarum eſt occaſio: hæ ſemper.

Nonne eſt alia adhuc Legum diviſio?

Eſt, quod aliæ ſint *Naturales*, aliæ *Poſitivæ*. Quæ diviſio intelligetur paulò poſt, cùm de diviſione Juris agetur.

An Juſtitiæ duo opponuntur diſtincta vitia, quemadmodum cæteris virtutibus?

Non: ſed unum tantum nempe *Injuſtitia*, quæ duo veluti extrema in ſe complectitur. Nam quocunque modo adverſus leges peccetur, ſive per audaciam, ſive per timiditatem, ſive per profuſionem, ſive per avaritiam, injuſtum illud admittitur, quod cum Juſtitia univerſali pugnat. Eodem modo etiam Juſtitiæ particulari una tantum opponitur Injuſtitia.

Quid eſt ergo Injuſtitia illa, quæ Juſtitiæ univerſali opponitur?

Vitium ea non præſtans, quæ legibus à verâ prudentiâ profectis ſunt conſtituta. Unde Græcis παρανομία dicitur, & qui eâ laborat παράνομος.

An poteſt quis ſimul omni genere Injuſtitiæ laborare?

Non poteſt: cum vitia quædam, eorumque actiones magis inter ſe diſſideant, quàm repugnant virtutibus vitia.

Sectio Secunda.

De Jure.

Quot modis Juris nomen accipitur?

DUobus: vel pro facultate ac licentia agendi, quæ Græcis ἐξουσία dicitur, *quâ ratione jus mihi eſt, rem meam vendendi, donandi, repetendi*: vel pro obligatione ſeu obſtrictione ad aliquid præſtandum, præſertim alteri, *qua ratione jure adigor ad reddendum debitum*. Unde etiam Juſtum dupliciter ſumitur, vel pro eo, quod rectè & honeſtè fieri poteſt: vel pro eo, quod omnino fieri debet, ſeu, ut fiat æquum eſt. Hoc loco de Jure in poſteriori ſignificatione accepto inprimis agemus, cum ab eo Juſtitia dicatur.

Quotuplex eſt Jus?

Duplex: aliud *Politicum* ſeu *Civile*; aliud *Oeconomicum* ſeu *domeſticum*. Iſtud proprie ac ſimpliciter *Jus* dicitur: hoc ſecundum analogiam & ſimilitudinem quandam.

Quid eſt Jus Politicum?

Quod eſt hominum liberorum ſocietatem civilem inter ſe colentium. Liberos appello eos, qui ſunt ſui arbitrii, non alieni dominii ac poteſtatis. *Qua ratione excluduntur ſervi, & filii non emancipati, imò & uxor ſub viri poteſtate conſtituta.*

Quotuplex eſt jus Politicum ſeu Civile?

Duplex. *Naturale* & *Poſitivum*.

Quodnam dicitur Naturale?

Quod naturalis ratio omninò jubet, nec ab arbitrio hominum pendet, ita ut vel fieri, vel omitti pro eorum voluntare rectè poſſit. Itaque apud omnes rectè ſentientes omni tempore, ac loco idem eſt. Sub hoc comprehenditur *Jus naturale* à Jure conſultis dictum, anguſtè ſumto vocabulo pro eo Jure, in quo cum brutis aliquo modo convenit homini: & *Jus gentium*, quod omnibus hominibus tantum commune eſt. *Tale eſt, non occidendum innocentem: nulli rem ſuam eripiendam.*

Quodnam dicitur Poſitivum?

Quod ab hominum arbitrio pendet, & ob Reipublicæ utilitatem à legitimo magiſtratu ſancitur. Itaque antequam ſanciatur lege, ἀδιάφορον, ſeu *Indifferens* eſt, & vel fieri, vel omitti poteſt: poſtquam ſtatutum eſt, ἀδιάφορον eſſe deſinit. Et hoc non apud omnes eſt idem, ſed pro diverſitate Rerumpublicarum, temporum, locorum, ac hominum diverſum. Hoc à Jure conſultis *Civile*, ſtrictè hac voce acceptâ, dicitur. *Tale eſt illud* v.g. *Polonorum, ne nobilis in vincula conjiciatur, niſi jure fuerit victus.*

Jus Domeſticum quid eſt?

Quod illis, qui eandem familiam conſtituunt, intercedit.

Quotuplex iſt?

Duplex, pro duplici perſonarum, quæ familiam conſtituunt, diſcrimine. Aliæ enim pares inter ſe cenſentur eſſe, ut *Fratres* ſub patriâ poteſtate conſtituti, & *Servi*: aliæ impares, quarum alia alteri eſt ſubjecta. Itaque aliud jus inter pares verſatur, aliud inter impares.

Quotuplex eſt Jus domeſticum, quod imparibus intercedit?

Triplex: *Uxorium*, *Patrium*, *Herile*. Uxorium eſt, quod conjugibus intercedit. Patrium, quod inter parentes & liberos verſatur. Herile, quod inter Dominum & Servum. Nomine autem *Domini* etiam *Dominam*: nomine *Servi* etiam *Ancillam* comprehendimus. Quibus Jus per analogiam ſic dictum convenit, quia omnibus naturalis arbitrii vis competit, & actionum ſuarum aliquo modo ſunt domini, & nonnihil habere videntur ſuum, quod illis non rectè quavis de cauſa eripiatur: unde ſocietas & mutua quædam obligatio illis intercedit.

Cur non eſt jus propriè dictum inter Maritum & Uxorem, Parentes & liberos?

Quia conjuges veluti unum corpus ſunt, ut & parentes cum liberis, qui pars quædam ſunt parentum. At Jus propriè non eſt eidem adverſus ſe ipſum, ſed adverſus alterum, quemadmodum & injuria: nemo enim proprie ſibi ipſi facit injuriam.

Cur verò non eſt Jus propriè dictum inter Dominum & ſervum?

Quia ſervus eſt quædam res domini, ſeu inſtrumentum heri animatum. At nemini jus intercedit cum re ſuâ, quemadmodum nec rem ſuam quiſquam poteſt injuriâ afficere.

Quodnam autem iſtorum Jurium ad Jus propriè dictum proximè accedit?

Maritale ſeu Uxorium: major enim eſt æqualitas inter maritum & uxorem, quam inter cæteras perſonas impares: & cum uterque aliquo modo in domo imperet, ſui videntur arbitrii. Verum quia uxor marito ſubeſt, ideo juris ratio hîc à proprietate diſcedit. *Hæc de jure abſtractè ſumto.*

Quænam ſunt concreta à Jure deducta?

Juſtum, *Juſtum factum*, & *Juſtè factum*.

Quomodo hæc à ſe mutuò differunt?

Juſtum dicitur aliquid etiam antequam fiat: *Juſtum factum* tum demum, cùm re ipſa peractum eſt: *Juſtè factum* denique, quod ſponte factum eſt; & hoc, ſi conſilium acceſſerit, juſtitiæ habitum arguit. Itaque Juſtum latius patet, quam Juſtum factum, & hoc latius, quàm Juſtè factum, cum juſtum factum eſſe poſſit involuntarium.

Quæ hîc opponuntur?

Juri opponitur *Nefas*: Juſto, *injuſtum*: Juſtè facto, *Injuſtè factum*, quod propriè dicitur *Injuria*, &, ſi conſilium acceſſerit, injuſtitiæ arguit habitum.

Sectio Tertia.

De Æquo Bono & Æquitate.

Quid eſt Æquum Bonum?

Eſt juris legibus comprehenſi moderatio & correctio quædam.

Cur verò correctione juris legalis opus eſt?

Quia leges generalioribus verbis concipi ſolent, cùm tamen de eo tantum, quod ut plurimum obtinet, loquantur. Quare ſi caſus aliquis incidat, ubi circumſtantiarum ratio ſuadet, ut à generali legis præſcripto diſcedatur, quod ipſe etiam legiſlator vellet, ſi adeſſet, defectus legis, quæ caſum illum expreſſe non exceperat, corrigendus eſt, & ſententia legiſlatoris, non verba legis ſpectanda.

Cedò aliquod hujus rei exemplum?

Sit, verbi gratiâ, *lex*, *ut Homicida capite plectatur*: accidat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

accidat autem, ut quis per ignorantiam non aſſectatam aliquem occidat; non debent hic legis verba ſpectari, ſed ſententia legiſlatoris, qui eos demum voluit capite plecti, qui ſponte quempiam occidiſſent. Quare cædes per imprudentiam admiſſa eſt excipienda, & abſolvendus is, qui eam admiſerat.

Eſtné Æquum Bonum à Jure prorſus diverſum?

Non: ſed tantum à jure legibus comprehenſo, & quidem eo, quod emendatione quadam eget, quod *Jus ſtrictum*, interdum etiam *Jus ſummum* appellatur; de quo accipiendum eſt illud vulgatum: *ſummum jus, ſumma injuria.* Itaque æquum bonum, ſtrictum jus corrigens maximè jus eſt.

Quid eſt æquitas?

Eſt Juſtitia, quæ jus legibus comprehenſum moderatur, ac corrigit, eaque ex parte cum benignitate magnam habet cognationem, cùm de jure ſuo libenter cedat, nec rigidè id perſequatur.

Quid ei opponitur?

Iniquitas & rigor, qui de verbis ac jure ſcripto nihil remittit, etiamſi circumſtantiarum ratio aliud poſtulet.

Sectio Quarta.

De Juſtitia Particulari in genere.

Quid eſt Juſtitia particularis?

Eſt virtus in bonis externis, quæ alteri debentur, tribuendis æqualitatem analogicam ſervans.

Quæ ſunt bona illa externa?

Honores & *Pecuniæ.* Pecuniæ autem nomine omnia ea, quæ pecuniâ æſtimari ſolent, complectimur, ſive ſint res corporales, hoc eſt, quæ tangi poſſunt, ut *fundus, domus, mancipium, veſtis:* ſive incorporales, quæ tangi non poſſunt, ut *labores* & *operæ*, quæ pecunia locari ac redimi ſolent, *uſus ædium*, aut *alterius cujuſpiam rei.*

An juſtitia hæc non verſatur etiam in horum bonorum contrariis?

Verſatur: ſed ſecundariò; nos autem in definitione tantum primarii, ad quod ſecundarium reducitur, fecimus mentionem.

Quid vocas Æqualitatem analogicam?

Æqualitatem compoſitam, ſeu in quatuor minimum terminis conſiſtentem, quæ *æqualitas rationum* dici ſolet.

Quid vocas Terminum?

Rem quamvis, quæ in comparationem cum altera venit: *qualis eſt*, verbi gratiâ, *Epiſcopus, Paſtor, Eccleſia, Grex.*

Quid Rationem?

Duorum terminorum ſeu rerum inter ſe reſpectum ac comparationem: ut *reſpectum, qui eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam; itemque inter Paſtorem & Gregem.* Quod ſi reſpectus ſeu comparationes diverſarum rerum inter ſe ſint ſimiles, convenientia illa *Analogia* dicitur: & ſi æqualitas aliqua ibi locum habet, (quod fit, ubi comparatio eſt quantitatis, ſive propriè, ſive impropriè dictæ) *Æqualitas analogica* vocatur. Ut in hac comparatione; *quemadmodum ſe habent 2. ad 4. ita 3. ad 6. Nam utrobique eſt ratio dupla. Quaternarius enim eſt duplum binarii, ut ſenarius ternarii.*

Eſtné ergo alia adhuc æqualitas præter analogicam?

Eſt, nempe ſimplex, quæ in duabus etiam rebus locum habet, eandem quantitatem, qualemcunque tandem, habentibus. Sic *decempeda decempedæ æqualis eſt, binarius binario.*

Quotuplex eſt æqualitas analogica?

Duplex: *Disjuncta* & *Conjuncta.* Disjuncta, cùm omnes termini, inter quos verſatur comparatio, ſunt ſeparati; ut 2. 4. 3. 6. Conjuncta, ubi unus terminus bis ſumitur, & duabus rationibus eſt communis, adeo ut actu ſit unum, poteſtate duo. Ut, ſi dicam: *quemadmodum ſe habent 2. ad 4. ita 4. ad 8. quaternarius numerus communis eſt utrique rationi, ac licet unus ſit, re ipſa duorum tamen vicem obtinet: itaque analogia eſt conjuncta.*

Qualis analogia in Juſtitia particulari locum obtinet?

Disjuncta. Nam Juſtitia hæc ſemper verſatur inter duas minimùm perſonas diſtinctas, & res duas diſtinctas. Inter perſonas diſtinctas: quia Juſtitia omnis eſt adverſus alterum. Inter res diſtinctas: quia minimùm res duæ requiruntur, quæ inter ſe aliquo modo exæquandæ ſunt, & diſtinctis perſonis applicandæ, quemadmodum ex diſtributione & permutatione rerum poſtea intelligetur.

Cur verò dicis Juſtitiam hanc minimùm inter duas perſonas & duas res verſari?

Quia & perſonæ & res, inter quas verſatur Juſtitia, poſſunt eſſe longè plures. Ut, *cùm ſingulis militibus in toto exercitu præmium aut prædæ portio eſt tribuenda.*

Quid eſt Juſtitia particularis?

Vitium in bonis externis, quæ alteri debentur, tribuendis æqualitatem analogicam non ſervans. Eo qui laborat πλεονέκτης dicitur, quaſi eum dicas, qui plus habeat, quàm alter, ſeu quàm analogia poſtulat. Nam qui injuriam facit alteri, plus habere cenſetur, qui injuriam paſſus eſt, minus; illi aliquid acceſſiſſe, huic deceſſiſſe cenſetur. Ideò juſtitia hîc interjecta æqualitas eſt: medium enim inter plus & minus æquale eſt.

Annon interdum is, qui injuriam facit, minus habet, qui patitur plus, nempe de oneribus & malis?

Habet: ſed nihilominus etiam tum plus habere dicendus eſt is, qui facit, minus is, qui patitur injuriam, nempe de bonis. Nam minus malum majoris boni habet rationem; majus contra malum minoris boni. Πλεονέκτης autem ideò dicitur is, qui facit injuriam, quod de bonis plus capiat, non quod de malo.

Sectio Quinta.

Juſtitiæ Particularis diviſio.

Explicatio Diſtributivæ, quæ prima eſt illius ſpecies.

Quotuplex eſt Juſtitia Particularis?

Duplex: altera *Diſtributiva*; altera ea, quæ in contractibus verſatur, quæ vel eſt *Commutativa*, vel *Correctiva*, ut ſuo loco dicetur.

Quomodo à ſe invicem diſtinguuntur?

Duobus modis: partim materiæ ratione, partim formæ.

Quomodo ratione materiæ?

Quod Diſtributiva in bonis aut oneribus communibus cernitur; altera illa in bonis ſingulorum, ſeu privatis.

Quomodo ratione formæ?

Quod Diſtributiva dignitatem ac conditionem perſonarum ſpectat, & diviſionem ad eam accommodat; ea verò, quæ in contractibus, dignitatem perſonarum non ſpectat, niſi fortè per accidens; ſed perſonas tanquam æquales ſumens, res ipſas etiam ad æqualitatem redigere conatur. Docti ita hoc diſcrimen efferunt: quod diſtributiva Juſtitia *Analogiam Geometricam* obſervet; ea, quæ in contractibus, *Arithmeticam.*

Quæ hinc diſtributivæ Juſtitiæ colligitur definitio?

Quòd ſit Juſtitia in diviſione rerum proportionem geometricam ſervans: ſeu, Juſtitia ad dignitatem perſonarum partitionem bonorum aut onerum accommodans.

Quænam eſt illa dignitas perſonarum in diſtributione ſpectanda?

Cauſa juſta, ob quam aliquis, vel de communibus bonis participare, vel partem communium onerum ferre debeat. Sic *in præmiis dividendis virtus ac labor cujuſque ſpectatur: in mulctis delictum; in honoribus publicis nonnunquam etiam nobilitas aut cenſus conſideratur: in*

lucro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

lucro communi nunc labor, nunc magnitudo pecuniæ, quam quis in ſocietatem attulerit; in contributionibus ac oneribus civitatis, facultates uniuſcujuſque & commoda, quæ quis in civitate percipit.

Declara hoc exemplo?

Sint, verbi gratiâ, *ſpolia dividenda inter Ulyſſem, Patroclum, & Achillem: dignitas, quæ ſpectanda eſt in hac diſtributione, eſt fortitudo in prælio oſtenſa, ponatur autem Patroclus duplo fortior Ulyſſe, Achilles triplo: ergo Juſtitia diſtributiva requirit, ut ſpolia, quæ Patroclo dantur, ſint duplo pretioſiora iis, quæ Ulyſſi obveniunt, ea vero, quæ Achilli, triplo præſtantiora.* Sic, *ſi mercatorum unus in ſocietatem contulerit decem florenorum millia, alter duo: lucrum commune ſit mille ducentorum florenorum: priori de lucro debentur mille floreni, poſteriori ducenti. Nam quæ ratio duorum millium ad decem millia, eadem eſt ratio ducentorum ad mille; ratio utrobique eſt quintupla.* Sic, *in contributione civium, ſi is, qui ſex millia poſſidet, dat florenos ſexaginta; is, qui mille poſſidet, dare debet decem; utrobique eſt ratio ſextupla.* Ex quibus facilè apparet, quid ſit Juſtitia, quæ in diſtributione cernitur.

Sectio Sexta.

De Juſtitia

Quæ in Contractibus cernitur,

hoc eſt,

Commutativa & Correctiva.

Quid Contractûs nomine hoc loco intelligis?

ACtionem omnem, ex qua alter alteri ad quidpiam præſtandum ſive in præſens, ſive in futurum obſtringitur.

Quotuplices ſunt ejuſmodi contractus?

Duplices: Voluntarii & Involuntarii.

Qui dicuntur Voluntarii?

Qui utriuſque partis contrahentium conſenſu, ac voluntate conſtant: ut *venditio* & *emptio, mutuum, commodatum, depoſitum, locatio & conductio, fidejuſſio.*

Quinam dicuntur Involuntarii?

Qui altera parte invita oriuntur, ſuntque omnis generis injuriæ: Atque hi iterum ſunt duplices: vel enim clandeſtini ſunt, ut *furtum, adulterium, veneficium, ſervi alieni corruptio, falſum teſtimonium*: vel aperti ac violenti, ut *verbera, vincula, debilitatio, cædes manifeſta, rapina, contumelia.* Involuntarium enim duplex eſt, alterum *per ignorantiam fit*, alterum *vi.*

Quomodo appellatur ea Juſtitia, quæ in Contractibus voluntariis cernitur?

Commutativa.

Quomodo ea, quæ in Contractibus Involuntariis?

Correctiva ſeu Emendativa. Unde definitiones utriuſque facilè colligi poſſunt, adjuncto ad objectum genere.

Quod eſt officium Juſtitiæ Commutativæ?

Ut res, quæ inter ſe permutandæ ſunt, exæquentur, ratione pretii: deinde fiat permutatio, ita ut hic rem illius capiat, ille hujus. v. gr. *ſi agricola frumentum habeat, ſutor ocreas, velintque inter ſe permutationem juſtam inſtituere, priùs æſtimatio tum frumenti, tum ocrearum eſt inſtituenda, ac pretium exæquandum; &, ſi conſtet, duo paria ocrearum reſpondere pretio unius modii frumenti, agricola unum frumenti modium dare debet, & viciſſim à ſutore duo paria ocrearum accipere, vel id, quod tantundem valeat.* Nihil autem refert, ſive in præſens det, ſive in futurum altero conſentiente promittat. Promiſſum enim, donec tempus exhibitioni præſtitum advenerit, loco rei eſt.

Quænam eſt menſura ea, quâ rerum pretia ſunt definienda?

Ea duplex eſt. Altera Naturalis: altera hominum arbitrio conſtituta.

Quænam eſt Naturalis?

Indigentia, quæ eſt defectus rei alicujus utilis. Unde apparet, duo ad indigentiam requiri, adeoque in rerum pretiis conſtituendis eſſe conſideranda: Primò carentiam ſeu abſentiam rei, ad quam etiam raritas ſpectat, quæ rerum pretia ſæpe mirum in modum auget, ut *in gemmis accidit*: deinde uſum, qui quò major eſt, tantò majus eſſe ſolet rei pretium, in defectu pari. In uſu autem ſpectanda eſt neceſſitas, commoditas, jucunditas, dignitas.

Quænam eſt menſura arbitrio hominum conſtituta?

Nummus, qui naturalis menſuræ, ſcilicet indigentiæ, veluti vicarius eſt.

Quotuplex ergò eſt nummi in permutationibus uſus?

Duplex. Primus, ut rerum pretia definiat. Alter, ut in rerum ipſarum, quibus alter contrahentium indiget, locum ſubeat, ne permutatio impediatur, quemadmodum apud veteres ante nummum inventum ſæpe accidit, cùm res tantum rebus permutarentur. Nam ſi ego quidem re tua egeam, nihil vero habeam, quo tu indigeas, ceſſabit permutatio, niſi ego nummum ſubſtituero in locum rei, qua tu indigeas, quem ſi dederis ei, qui ea re abundat, eam poſſis conſequi. Interea verò dum id fiat, ſponſoris loco eſt nummus, qui tibi certum faciat fore, ut id conſequaris, quo tibi ſit opus. *Hactenus de officio Juſtitiæ Commutativæ.*

Quodnam eſt officium Juſtitiæ Correctivæ?

Inæqualitatem, quæ ex injuria inter lædentem & læſum orta fuerit, ad æqualitatem, quæ ante injuriam fuerat, quoad ejus fieri poteſt, revocare.

Quænam eſt Inæqualitas illa ex injuria orta?

Quod is, qui fecit injuriam, plus, qui paſſus eſt, minus habere cenſetur, cùm à Judice æſtimatur, iſtud quidem lucrum, hoc verò damnum appellatur.

Quomodo verò Judex hanc inæqualitatem emendat?

Dum ei, qui fecit injuriam, lucrum detrahit, & ei, qui paſſus eſt, reddit: quod fit vel reſtitutione rei ablatæ, ut *in furto, aut bonis vi raptis, aut in famæ violatione: nam qui calumnia famam læſit alterius, veri profeſſione reſarcire jubetur id, quod de dignitate ipſius detraxerat.* Vel fit alio quodam compenſationis aut ſatiſfactionis genere, atque adeo etiam interdum corporali pœna ſonti inflicta, qua partis læſæ honor ac jus ſanciatur, ejuſque ſecuritati conſulatur. Sic *qui vulneravit, cogitur ſolvere impendia in curationem facta, & operarum intertrimentum: cædes cæde ſæpe vindicatur, aut etiam mulcta cognatis, ad quos injuria pertinet, ſolvitur; nonnunquam carcer additur.*

An judex perſonarum ipſarum conditionem ſpectare debet?

Non, niſi eatenus, quatenus perſonarum conditio vel injuriæ, vel pœnæ gravitatem augere aut minuere poteſt, quod inprimis tum fit, cùm honoris, aut ignominiæ & contumeliæ habetur ratio. Verbi gratiâ, *gravius eſt delictum, ſi quis magiſtratum percutiat, quam ſi privatum: gravius ſi parentem, quàm ſi alienum: & in multis aliis.* Sic, *gravior eſt pœna, ſi is, qui in ſumma dignitate fuit conſtitutus, virgis cædatur publicè & infamiâ notetur, quàm ſi alius quiſpiam obſcurus admodum & ignobilis*: gravior, inquam, eſt, quod ad ignominiæ rationem attinet. Cæteroquin judex perſonas ipſas, inter quas verſatur injuria, tanquam æquales ſumit, & ipſius tantum lucri aut damni differentiam, ad quam nonnunquam perſonarum conditio aliquid facit, intuetur, eamque ad æqualitatem priſtinam reducere conatur.

Quid eſt Injuſtitia his oppoſita?

Eſt ea, quæ in contractibus ab hac æqualitate recedit. In voluntariis quidem, cum pretium iniquum eſt, & vel majus vel minus merce: vel etiam cum alter & mercem capit, & pretium retinet, alter nihil. In involuntariis autem, cum compenſatio injuriæ vel major, vel minor à judice conſtituitur, vel ei non redditur, cui debetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. VII.

De Beneficentia & Liberalitate.

Quid eſt Beneficentia?

EST virtus aliena commoda jure civili non cogente curans.

Quot ſunt illius officia?

Duo: Dare beneficium, & Reddere: prius tamen Beneficentiæ magis cenſetur proprium: poſterius Gratitudinis, quæ ex Beneficentia & Æquitate veluti conflata eſt.

Quænam in dando beneficio ſunt conſideranda?

1. Quem in finem des. 2. cui des. 3. quid, & quantum des. 4. quomodo des. 5. quomodo dato beneficio te gerere debeas.

Quis beneficiorum debet eſſe finis?

Finis, quem Ethica proponit, eſt honeſtum ipſum & rectæ conſcientiæ gaudium: quibus Theologus addit Dei gloriam, animæ ſalutem, & aliorum divinorum munerum impetrationem. Itaque gloriolæ & lucelli pupiditas à beneficentia eſt arcenda.

Quænam in illis ſunt ſpectanda, quibus dandum eſt beneficium?

Eorum Indigentia, Mores, & Conjunctio, quæ nobis cum illis intercedit.

Quid & quantum dare debes?

Hoc partim ex iis, quæ modo diximus, hoc eſt, Indigentia ejus, cui dandum eſt, Moribus, & Conjunctione; tum ex noſtris facultatibus ac viribus æſtimandum eſt. Itaque primùm curandum, ut ea habeat alter, quæ ſunt neceſſaria & quorum abſentia cruciat: tum ea, quæ ad commoditatem & jucunditatem quandam vitæ pertinent. Quo loco cavendum, ne roganti & urgenti id demus, quod ipſi foret noxium, ut *irato ferrum, febricitanti aquam frigidam, aut vinum.* Deinde plus dandum eſt egentiori, meliori, conjunctiori: quâ in re prudentia eſt opus, cum iſta videantur inter ſe certare; ut cùm is, qui minus indiget, eſt melior, aut is, qui melior, minus conjunctus. Nam pro circumſtantiarum diverſitate & cauſarum, quæ ad beneficentiam impellunt, ratione, nunc huic potius ſuccurrendum eſt, aut plus dandum, nunc illi. Denique quod ad vires atque facultates ejus, qui dat beneficium, attinet, plus præſtare debet, qui plus poteſt; plus dare poteſt dives, quam pauper, cæteris paribus: qua de re infrà non nihil, cum de liberalitate ſpeciatim agemus, dicetur.

Quo verò modo dare debes beneficium?

Ut alacriter des, atque ita prorſus, ut velles accipere. Quo pertinet *Primò*, ne expectes, dum rogeris; ſed ipſe neceſſitatem alterius inquiras, & ubi deſiderari opem tuam vides, eidem ſuccuras. *Deinde*, ſi contingat, te rogari, plura rogantis verba intercidas, ne videaris velle rogari; ſed certior factus ſtatim promittas, facturumque te, antequam interpellareris, ipſa feſtinatione approbes. *Tertiò*, promiſſum ne differas, donec denuò rogeris. Nihil æquè amarum, quam diu pendere, nihil fere moleſtius, quam id rogare, quod impetraveras. *Quartò*, ut vultu hilari, non ſevero, non ſuperbo, nec ſermone aſpero beneficii gratiam corrumpas, nec quicquam ei triſte miſceas: etiam ſi quid erit, de quo monere velis, aliud tempus eligas, niſi res ipſa id prorſus poſtulet. *Denique* ut clam potius des beneficium, quam apertè, præſertim cum alterius infirmitati, egeſtati, ignominiæ ſuccurris, in quibus nonnunquam etiam is ipſe, in quem confertur beneficium, fallendus eſt, & ejus pudori conſulendum. Apertè autem dari poſſunt ea beneficia, quæ accipientibus ſunt honorifica.

Quænam dato jam beneficio ſunt conſideranda?

I. Ne patiaris tibi gratias agi, præſertim prolixè, imò minus te præſtitiſſe, quam alter fuerat meritus, aſſeras, aut etiam eundem laudes, quod tuo beneficio uti voluerit. 2. Ut, quantum in te eſt, obliviſcaris dati beneficii. 3. Ne id etiam libenter commemores, nec facile cuiquam exprobres, niſi forte ingrato, aut ei, cui commemorationem beneficiorum ad emendationem ac virtutem profuturam arbitreris. 4. Ne compenſationem exigas, niſi neceſſitas prorſus poſtulet. 5. Non tam doleas, ſi indigno forte dediſti, quam ſi digno non dediſti.

Quot ſunt Gratitudinis, quam vocant, officia?

Tria: Gratiam habere: Gratiam agere: & Gratiam referre: Primum animo perficitur: Secundum verbis: Tertium re ipſa.

Quid in ſingulis officiis obſervandum eſt?

I. Ut habeas gratiam, neceſſe eſt, ut memor ſis beneficii, & referre cupias.

II. In gratiis agendis cavendum eſt, ne aut vilipendere videaris beneficium, aut nimis extollendo in adulationis ſuſpicionem incidas: iſtud in magnis potiſſimum beneficiis; hoc in parvis eſt vitandum.

III. In reddendis beneficiis danda eſt opera, ut majori etiam menſurâ, ſi poſſis, majorique alacritate reddas, præſertim cum magis neceſſarium ſit reddendi, quam dandi beneficii officium. Qui enim reddit, accepto beneficio ad reddendum obligatus eſt: qui prior dat, non obſtrictus eſt: Itaque illud juſtitia propemodum exigit: hoc liberalis voluntas. Deinde delectus in beneficiis acceptis habendus eſt, & ei plus reddendum, qui aut plus aut libentius dedit: non enim tantum munus ipſum, ſed animus dantis præcipuè ſpectandus eſt. Nonnunquam tamen magis egenti plus dandum eſt, ac promptiùs ſubveniendum.

Quid Gratitudini opponitur?

Ingratitudo, quæ in eo, quod parum eſt, peccat, & vel gratias non agit bene merito, vel gratiam non habet, vel non refert, cum poſſit, vel ægrè ac multo cum murmure, vel longè minori menſurâ reddit: quod vitium meritò omnibus eſt inviſum, & ſingularis cujuſdam improbitatis cenſetur indicium. Unde illud vetus: *Omnia mala dixeris, ingratum ſi dixeris.* Alterum extremum, quod in exceſſu peccat, quia in mundo locum vix invenit, ideò nec nomen. Subjici autem poteſt Profuſioni, de qua poſtea. *Hactenus generalià Beneficentiæ officia vidimus.*

Quotuplex eſt Beneficentia?

Duplex: Nam vel operâ benefit alteri, vel pecunia. *Operæ* nomine non tantum labores, ſed & conſilium, & quamcunque actionem, quæ alteri proſit, præter pecuniæ dationem, complectimur. *Pecuniæ* vero nomine intelligimus tum nummum, tum res omnes nummo æſtimatas, quæ dari aut donari cuipiam poſſint: donari autem poſſunt eæ, quæ ante donationem ſunt, & poſt eam manent. Prior Beneficentia ſpeciale nomen adepta non eſt, ſola generis appellatione contenta. Poſterior *Liberalitas* propriè dicitur, cum in ſumtibus uſitatis ac mediocribus cernitur; licet hoc etiam nomen ad univerſum benignitatis genus nonnunquam transferatur.

Quænam ſunt prioris Beneficentiæ præcepta?

Præter generalia ſuperius tradita. I. obſervandum, ne forte dum prodes aliis, aliis noceas, & contra æquitatem aliquid facias.

II. Ut temeritatem vites, &, quantum ejus fieri poteſt, caveas, ne dum gratificaris aliis, grave aliorum odium ac periculum tibi accerſas, quod tum ferè accidit, cum operam noſtram alicujus præſtamus adverſario. Interdum tamen etiam capitis periculum eſt adeundum pro altero: quod quando ſit neceſſe, in doctrinâ de fortitudine diximus.

III. Oppreſſos à potentioribus, ſi poſſis, juvare honeſtum ducas.

IV. Quod ſine tuo detrimento præſtare potes omnibus, nemini negandum eſt: ut conſilium fidele, quod accipienti eſt utile, danti non moleſtum, præſertim ſi res deliberatione diuturna non indigeat. Huc pertinet illud Ennii, quod eſt apud Ciceronem:

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit
Ut nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Quod enim in una re dictum eſt ab Ennio, id tranſferri debet ad omnes, quæ ei ſunt ſimiles, qualis eſt

admonitio ad virtutem, inſtitutio in divina veritate, quam qui docet alterum, lumen ei de lumine accendit ſuo, ita tamen, ut nihilominus ipſi luceat.

V. Cum alia omnibus proſint, alia multis, alia paucis aut uni, præferenda ſunt ea, quæ omnibus aut multis proſunt: niſi forte in re ipſa magna ſit differentia *Honeſtius eſt*, verbi gratiâ, *civitatem integram ſervare, quam privatum aliquem. Satius tamen eſt, virum bonum ſervare, quam civitatem exiguo aliquo bono aut commodo augere.*

Quotuplex eſt Liberalitatis officium?

Duplex: Primarium & Secundarium. Primarium eſt datio ſeu largitio pecuniæ. Secundarium iterum duplex eſt: acceptio pecuniæ, & ejuſdem cuſtodia. Acceptio quidem, quia niſi accipias, dare non potes, & niſi honeſtè accipias, honeſte dare non potes. Cuſtodia etiam pertinet; quia cum liberalitas in mediocritate ſit poſita, non ſemper, nec omnibus, nec omnia dare debes, ſed interdum etiam ſervare & cuſtodire in uſus meliores ac magis neceſſarios. Nos de acceptione & cuſtodia, quæ dationem antecedunt, priori loco agemus.

Quid in accipienda pecunia eſt obſervandum?

I. Ne forte, ut aliis des, ſumas, unde aut qua ratione non oportet, hoc eſt, ne aliena vel vi, vel fraude ad te pertrahas; vel illiberalem ac ſordidum quæſtum facias. Qualis eſt *lenonum, cauponum, agyrtarum, circulatorum, ac fœneratorum*, de quibus infra; ſed ſumas ex tuis bonis ſive prædiis, ſive hæreditate aut donatione aliquâ ad te tranſlatis, ſive honeſto labore partis.

II. Ut in accipiendo avaritiæ tum crimen, tum ſuſpicionem vites. Quo pertinet 1. Ne unquam quærendæ pecuniæ ita incumbas, ut ea cura animum à cæleſtibus ad terrena avocet, à pietatis ac religionis exercitatione diſtineat, aut etiam ut plus, quàm tibi ſit opus, aſſervare ac cuſtodire velis, qua de re paulo poſt dicemus explicatiùs. 2. Huc pertinet, ne in exigendis debitis ſive à ſubditis tuis, ſive ab alienis ſis acerbus ac rigidus, ſed facilis ac benignus, qui de jure tuo, præſertim ſi egeſtatem debitoris cernas, libenter concedas, lites etiam forenſes tuorum repetendorum cauſa, quantum licet, fugias. Denique ne ſis petax, nec à quovis beneficium libenter accipias: utrumque enim ſordidum eſt ac putidum.

Quid in Cuſtodia pecuniæ eſt obſervandum?

I. Cura eſt adhibenda aliqua, ne fons Liberalitatis exhauriatur, & ne tandem tibi ipſi, aut tuis, quos deſerere nefas eſt, deſis.

II. Modus eſt adhibendus, ne in avaritiam incidas.

Quis eſt modus in cuſtodienda pecunia obſervandus?

Tria ſunt obſervanda, ut modum adhibeas: 1. Ne animum pecuniæ adjicias & ejus amore à religione ac divinarum rerum curâ patiaris avocari, neve opibus confidas, ac in illis potius, quam in Deo ſpem reponas. 2. Ut finem reſpicias, cujus gratia pecuniam ſive quæris, ſive aſſervas. De tertio, quod ad modum cuſtodiendæ pecuniæ pertineat, dicemus poſtea.

Quis eſt finis pecuniæ quærendæ aut aſſervandæ?

Is duplex eſt: alter ad nos reſpicit; alter ad alios. Noſtri autem nomine non modo noſtras ipſorum perſonas intelligimus, verum etiam totam familiam, cujus alendæ & ſuſtentandæ cura nobis incumbit.

Quis eſt finis pecuniæ, qui ad nos reſpicit?

Ut habeamus ea, quæ ad vitam ac valetudinem conſervandam ſunt neceſſaria: tum ea, quæ ad illas actiones obeundas requiruntur, ob quas vita nobis data eſt: denique ut habeamus, quæ ad vitæ commoditatem, ac civilem quandam honeſtatem ſpectant, ut tum moleſtias, tum contemtum, quantum licet, evitemus. Itaque primùm victu, cultuque corporis & habitatione, quâ nos noſtraque ab injuriis tum aëris, tum hominum improborum defendamus, eſt opus: cùm iis vitæ ac valetudinis conſervatio omnino indiget. 2. Opus eſt inſtrumentis ad illud vitæ genus, quod colimus, quod ipſum debet eſſe honeſtum ac generi humano utile, exercendum, atque ad vitæ ſubſidia paranda, neceſſariis. Sic, *Viro docto libris, agricolæ inſtrumentis ruſticis, medico aliis eſt opus*, & ſic in cæteris. 3. Ad commoditatem ac civilem honeſtatem aliquid, præter ea, quæ ad vitam ac valetudinem tuendam omnino ſunt neceſſaria, requiritur. Requiruntur autem ea, quæ ad quandam vitæ jucunditatem, itemque ea, quæ ad gravitatem dignitatemque ſpectant, quorum abſentia non conficit quidem omnino, ſed affligit ac dejicit, aut contumeliis obnoxios reddit. Quæcunque ad hunc finem pertinent, illa honeſtis rationibus quærere & cuſtodire licet, obſervatis iis, quæ paulò ante diximus, & mox dicturi ſumus.

Quis eſt finis pecuniæ ad alios ſpectans?

Ut aliis proſimus, & eorum uſibus ſerviamus, qui finis beneficentiæ ac liberalitatis eſt proprius, & qui hanc ob cauſam pecuniam cuſtodit, nihil peccat, modò adhibeat prudentiam, quæ largitionem futuram præſentem eamque neceſſariam omittat, aut ne id, quod aliorum cauſa ſe putat cuſtodire, pecuniæ amore captus ſibi tandem ſervet.

Quodnam eſt tertium ad modum pecuniæ cuſtodiendæ pertinens?

Ne pecuniam tuis uſibus quæſitam in tempus longum ac diuturnum aſſerves, & eum terminum tibi præfigas, ad quem te perventurum meritò dubitari queat, aut ad caſum valde malum nummos colligas; præſertim ſi videas, ea tibi adeſſe ſubſidia, ut interea, dum tempus illud adveniat, denuo parare poſſis ea, quæ tibi tunc futura ſint neceſſaria: ſed aſſerves pecuniam in tempus mox ſequuturum, quod propemodum jam inſtare dici queat, & ad quod uſque te victurum valde ſit credibile, maximè ſi non perinde certum ſit, te, ſi res partas è manibus dimiſeris, interea ea recuperaturum, quæ tum ſint futura neceſſaria. *Hæc inprimis ſunt obſervanda in ſubſidiis pro ſenectute, morbis, ſuſtentatione uxoris, aut liberorum poſt mortem parandis; in dote filiarum, patrimonio cæterorum liberorum quærendo ac relinquendo.*

Quid eſt in danda pecunia obſervandum?

Id ex generalibus beneficentiæ præceptis, juncto eo, quod de pecuniæ cuſtodiendæ modo paulo ante diximus, patet. Hoc inter alia cavendum eſt, ne ob largitionem inconſideratam fiat, ut iis, quibus maximè obſtrictus es, ſufficere nequeas, *ut uxori, parentibus, liberis, aut etiam creditoribus, quibus non ſolvere debita injuſtum eſt*; ac tandem ne tibi ipſi deſis. In quo poſtremo tamen obſervandum eſt, ſi contingat, ut vel ei, quem deſerere honeſtas vetat, carendum ſit rebus ad vitam conſervandam neceſſariis, vel tibi iis, quæ ad commoditatem ac civilem quandam honeſtatem ſpectant, ſatius eſſe, ut tu his careas, quam ille iſtis: imò ſi vel tibi, vel ei, pro quo vitam ponere honeſtum eſt, carendum ſit rebus omninò ad vitam neceſſariis, ſatius eſt, te deſtitui, quam illum: hâc enim ratione vitam pro illo revera pones. Cavendum & illud eſt, ne forte pecuniam, quam aliàs extrudere ob vitium aliquod illius non poteras, in liberalitatem convertas: qua tamen in re non ſemel peccatur.

Annon huc etiam pertinet Hoſpitalitas?

Pertinet: Eſt enim Liberalitas, quæ in honeſtis exulibus, aliiſque peregrinis & pauperibus lare menſaque excipiendis cernitur.

Quænam ſunt vitia Beneficentiæ oppoſita?

Vitia, quæ beneficentiæ generatim ſumtæ exactè opponuntur, ſuis nominibus fere carent: quemadmodum & ea, quæ opponuntur ei Beneficentiæ ſpeciei, quæ operâ ſuccurrit alteri.

Quodnam tamen eſt vitium iſtud, quod in exceſſu adverſus Beneficentiam generatim peccat?

Temeritas in aliis juvandis: quæ admittitur, cùm quis alterius juvandi cauſa vel id aggreditur, quod perficere nullo poteſt pacto; vel ſine juſta cauſa in diſcrimen, aut damnum ſe ſuoſque conjicit, alioſve offendit; vel denique alienis ſe ingerit negotiis tum, cum ejus opera nequaquam deſideratur, nec grata futura eſt iis, quos juvare cupit; quæ vitii hujus pars πολυπραγμοσύνη dicitur.

Quodnam

Quodnam eſt id, quod in defectu peccat?

Improbitas illa, quæ vel tum, cum poſſit, alteri non ſuccurrit; vel ei etiam nocere ſtudet, nocetvé; vel denique malis ejus delectatur, bonis triſtatur. Prima hujus vitii ſpecies *Immiſericordia* dici poteſt, altera *Malevolentia*, tertia *Invidia*; quanquam hæc affectuum potiùs ſunt nomina, quàm habituum cum improbitate tamen junctorum. Et hæc, quæ de vitiis Beneficentiæ generatim ſumtæ oppoſitis diximus, ſufficere poſſunt ad ea quoque intelligenda, quæ beneficentiæ illi, quæ fit opera, opponuntur.

Quænam ſunt vitia Liberalitati ſtrictè ſumtæ oppoſita?

Avaritia, cujus ſpecies eſt *Inhoſpitalitas*; & *Profuſio*.

Quid eſt Avaritia?

Eſt vitium, quod in quærenda & cuſtodienda pecunia modum ſuperat, in danda deficit.

An neceſſe eſt quemvis avarum & in quærenda & in cuſtodienda pecunia ſimul peccare?

Non: ſed alterutrum ad conſtituendam avaritiam ſufficit; maximè poſterius.

An in defectu magis peccat avaritia, an verò in exceſſu?

In defectu magis: quia in datione, quæ magis propria eſt liberalitatis actio, deficit.

Annon Fœneratores avaris ſunt accenſendi?

Sunt: Nam in quærenda accipiendavé pecunia modum ſuperant.

Quoſnam vero Fœneratores hic appellas?

Qui uſuram extorquent, hoc eſt, fructum de pecuniis creditis cum oppreſſione ſeu damno aliorum.

Quorumnam hic damnum & oppreſſio ſpectanda eſt?

Primò ipſius debitoris, deinde etiam aliorum. Debitoris quidem ipſius, cum ex pecunia ſibi credita non poteſt tantum capere commodi, ut perſolutâ creditori uſurâ ullum capere poſſit fructum induſtriâ ſuâ dignum, etiamſi diligentiam adhibeat, quantam poteſt ac debet maximam, quin etiam tum, cum res non meliores, ſed neceſſarias tantum quærit, adeò ut ei creditor donare potius aliquid, quam fœnus ab eo debeat extorquere. Alterum vero damnum & oppreſſio tum cernitur, cum debitor, ut, tum detrimentum ipſe non patiatur, ſed juſtum capiat laboris ſui præmium, tum fœnus creditori perſolvat, cogitur quodammodo in alios eſſe iniquus, & merces v. g. majoris vendere, quàm vendendæ fuerant, unde rerum pretia augentur, & in publicum bonum peccatur.

Quinam avaritiæ maximè ſunt obnoxii?

Senes, tum ob imbecillitatem, cui ſubſidia quærunt: tum ob uſum, qui docuit, quam gravis ſit egeſtas, quam neceſſarius nummus, quam difficulter paretur, quam facilè amittatur.

Quid eſt Profuſio?

Vitium in danda pecunia modum ſuperans.

Utrum vitium eſt deterius, avaritia an profuſio?

Avaritia: 1. quia inſanabilior; nam cum ætate creſcit, ipſo remedio exaſperatur, naturæ noſtræ, quæ in commoda ſua valde propendet, eſt amicior: Profuſionem, adoleſcentium fere vitium, ætas & egeſtas coercet. 2. à liberalitate abeſt longius quam profuſio: hæc enim libenter largitur, id quod in liberalitate eſt primum. 3. prodigus aliis prodeſt; avarus ne ſibi quidem. 4. avari ignobilioris ſunt animi; generoſioris prodigi.

Cap. VIII.

De Magnificentia.

Quid eſt Magnificentia?

VIrtus in magnis ſumptibus occupata.

Quotuplices ſunt ſumptus illi magni?

Duplices: alii ſunt in res ſacras, alii in humanas, ſeu mavis profanas. Iſti ſunt, quicunque ad religionis promotionem ſpectant: ut, *qui impenduntur in eos, qui Theologiam docent, aut diſcunt, in libros ædeſque ſacras, & ſi quæ ſunt ſimilia.* In res humanas fiunt ſumptus vel publicè, vel privatim. Publicè, qui ad Reipub. commodum aut ornamentum pertinent, idque vel pacis, vel belli tempore: ut, *in ſcholas, noſodochia, Xenodochia, gerontodochia, curias, muros, aquæductus,* &c. *Itemque virorum de Repub. benemeritorum præmia.* Privatim qui fiunt ſumtus, vel ad alios magis reſpiciunt, vel ad nos ipſos: ad alios, cùm hoſpites vel multos, vel magnos excipimus, & hoſpitalibus muneribus ornatos dimittimus: ad nos, qui ad cultum corporis & apparatum domeſticum pertinent. In utroque genere iterum alii ſunt rari & inſoliti, in quibus magis conatur excellere magnificus, ut *in nuptiis*, aut *funeribus*: alii frequentiores.

Quomodo in his ſumptibus ſe gerit Magnificus?

I. Neceſſaria primùm parat Magnificus, tum demùm utilia. Neceſſariis autem illa etiam annumeranda ſunt, quæ conſuetudo publica cum honeſtate non pugnans ita firmavit, ut ſine dedecore omitti non poſſint.

II. Divina præfert humanis, privatis publica, diuturnum ac perpetuum fructum habentia iis, quæ fugacia: niſi forte temporum ratio aliud exigat.

III. Privatim dignitatem ſervat vitæ conditioni ac ordini convenientem, ita tamen ne magis neceſſaria virtutum officia, nempe ea, quæ ad juſtitiam, aut liberalitatem pertinent, omittantur.

IV. Invidiam, quæ Magnificentiæ comes eſſe poteſt, modeſtia & obvia humanitate declinat.

V. Opum ſuarum diligentem habet rationem, quod illi cum liberalitate commune eſt, à qua virtute Magnificentia gradu potiùs, quàm ſpecie diſtincta videtur.

Quoſnam hæc virtus maximè decet?

Nobiles, potentes, ac claros viros, & quibus relicta potiùs res eſt, quàm labore parta.

Quæ ſunt vitia Magnificentiæ oppoſita?

Ea nominibus propriis apud Latinos ferè carent. Alterum eorum *Inſolentia in ſumptibus* dici poteſt; alterum *Sordes*.

Quid eſt Inſolentia in ſumptibus?

Vitium in magnis impenſis modum ſuperans.

Admittitur tùm, cùm vel ſumptus magni fiunt, ubi planè non eſt opus; vel majores, quàm opus eſſet, aut neglectis magis neceſſariis, minùs neceſſarii fiunt, vel oſtentationis tantùm cauſâ pecunia profunditur.

Quid Sordes appellas?

Vitium modum deſerens tùm, cùm magni ſumptus ſunt faciendi.

Cap. IX.

De Veritate, ſeu Veritatis ſtudio,

ubi etiam

De Taciturnitate.

Quid eſt Veritatis ſtudium?

VIrtus, quæ dictorum cum rebus, conſenſum prudenter obſervat.

Hæc Virtus, quatenus ad promiſſa juramentaque refertur, *Fidem* in ſe complectitur; quatenus in ſermonibus noſtris ſive bonis, ſive malis verſatur, *Sinceritatem* & *Candorem*.

Quænam illius ſunt officia?

I. Danda eſt opera, ut, quantum ejus licet, ſermones noſtri rebus ſemper conſentiant, maximè in rebus ad religionem pertinentibus, in juramentis, in promiſſis, atque adeò in omnibus, ubi mendacium noſtrum nocere alteri poſſet, qua in re fidem, quam dictorum factorumque conſtantiam definiunt, & juſtitiæ fundamentum eſſe rectè aſſerunt, cerni diximus.

II. Si civili mendacio periculum ab altero avertere, aut inſigni eum commodo augere poſſis, eo uti convenit, obſervatis iis, quæ in primo præcepto diximus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mus, nempe ut nec præter neceſſitatem, nec in rebus ad religionem pertinentibus, nec in juramentis mendacium verſetur, nec cum aliorum injuria ſit conjunctum. Sic, *Obſtetrices olim juſſæ infantes Iſraëliticos enecare, Pharaonem mendacio eluſerunt, cujus facti præmium à Deo retulerunt.* Cùm de nobis ſolis agitur, parciùs hujuſmodi mendaciis eſt utendum, quàm cùm de aliis: nam quod aliorum utilitati datur, facilius nos excuſat, quàm quod noſtræ.

III. Si quis fortè juraverit, aut ſine jurejurando promiſerit id ſe facturum, quod cum honeſtate revera pugnat, juramentum aut promiſſum damnandum ac deplorandum eſt: non autem, ut verus eſſe videatur, denuò peccandum. Cedit enim veritas dictorum factorumque honeſtati, quando inter utramque lis eſt.

IV. Cùm de bonis noſtris ſermo eſt, licet nonnulla reticere ac diſſimulare, aut verbis modeſtè elevare, ita tamen, ne ipſa diſſimulatione alienas de te laudes provocare velle videaris, præſertim ſi res, quam diſſimulas, nimis ſit manifeſta. Semetipſum tum demum laudare licet, idque cum ſignificatione modeſtiæ, cùm adverſariorum calumniæ & obtrectationes nos eò impellunt, quo tempore etiam oſtendendum eſt, nos invitos ad laudes noſtras commemorandas adigi: licet etiam tum dona ſua enumerare, cùm eorum commemoratio non tàm ad noſtram laudem, quàm ad eorum pertinet gloriam, qui illorum in nobis fuerunt auctores: tandem & ſenioribus nonnunquam licet, ut juniores ſuo exemplo ad virtutem hortentur, ſuos labores præclaraque facta enumerare. Aliàs laudes ſuas, licet veriſſimas, prædicare putidiſſimum & odioſiſſimum eſt.

V. Delicta erroreſque noſtros aliavé mala fateri tum eſt neceſſe, cùm eorum diſſimulatio aut negatio poſſet nos vel mendaces, fraudulentos, impudentes; vel ſaltem pertinaces, contentioſos, ambitioſos arguere; vel alios etiam corrumpere & non leviter offendere: quod tùm inprimis fit, cùm quis res manifeſtas ab aliis convictus fateri non vult. Atque in his rebus inprimis *Candor, Sinceritas, Simplciitas* ſpectatur, quemadmodum etiam in bonis noſtris modeſtè agnoſcendis aut profitendis.

Quænam ſunt vitia virtuti huic oppoſita?

Mentiendi libido, ſub qua *Perfidia* continetur, quæ Fidei adverſatur, & *nimia in dicendo Simplicitas*, ſive *Sinceritas*, quæ imprudentiam potiùs, quàm improbitatem arguit: iſtud vitium in defectu peccat, hoc in exceſſu. Candori ſpeciatim quæ opponantur, poſtea dicemus.

Quid eſt Mentiendi libido?

Eſt vitium ejuſmodi, quo quis vel in aliorum fraudem ac detrimentum, contra animi ſui ſententiam loqui, vel ex levitate quadam ſciens prudens mendacia ſua aliis obtrudere amat, etiamſi nihil ad illos mali, ad ſe nihil boni redundet. Qui hoc vitio laborat, is demum mendax jure dicitur.

Idemné eſt Mendacium dicere & Mentiri?

Non: *Mendacium dicere* cenſetur, qui falſum dicit imprudens: *Mentiri* autem is demum, qui ſciens prudens falſum aliis obtrudit, præſertim ſi id ad illorum fraudem aut ludibrium pertineat.

Quid eſt Perfidia?

Mentiendi libido in juramentis & quibuſvis promiſſis. Ejus actus dicitur *Dolus malus*, ſub quo continetur *Perjurium*.

Quid eſt Dolus malus?

Cum aliud dictum, aliud cogitatum, aut actum eſt in alterius damnum.

Quid eſt Perjurium?

Dolus malus in juramento, hoc eſt, in affirmatione religioſa. Ita enim juramentum definitur à Cicerone. Quanquam etiam paulò latiùs Perjurium extendi poteſt, ut omne mendacium in juramento, licet ad detrimentum alterius minimè pertineat, & ab imprudente etiam fuerit profectum, complectatur.

Quot modis committitur Perjurium?

Cum res præteritæ aut præſentes juramento confirmantur, uno tantum modo committitur, nempe cùm falſum aſſeritur: at cum de futuris agitur, duobus contingere poteſt modis. Unus eſt, cùm is, qui jurat, id facere tum non cogitat, ad quod jurejurando ſe adſtringit: alter cum is, licet tum, cum juraret, in animo haberet id facere, poſtea tamen id non præſtat, culpâ aliquâ ſuâ interveniente.

An ambiguitate verborum uti licet in juramentis ad fallendum eum, qui juramentum exigit?

Haudquaquam; ſed ſincere ac candidè agendum eſt tum, cum Deus teſtis ac vindex fraudis advocatur. Itaque perjurii crimen non effugies, etiamſi id, quod juraſti, eo ſenſu præſtiteris, quem tibi ipſi reſervaras, neglecto eo, in quem aut nolebas, aut probè noras, juramenti verba accipere eum, cui jurabas. Nam cùm juramentum in illius utilitatem primò ſit comparatum, cui juratur, ut habeat, cui tuto innitatur, non verò in utilitatem jurantis, niſi per accidens, eo ſenſu accipienda ſunt juramenti verba, in quem illum accipere conſtat, non hunc.

Quid vocas nimiam in dicendo Simplicitatem ſeu Sinceritatem?

Vitium eorum, qui cum damno aut periculo, ſive ſuo, ſive alieno, quicquid verum eſſe putant, eloquuntur, præſertim interrogati, licet rem diſſimulare, vel honeſtè negare poſſent. Ut, *ſi quis latentem alicubi hominem, eumque fortaſſe planè innoxium, à perſequente hoſte interrogatus prodat, & in diſcrimen vitæ adducat, quem tamen ibi latere honeſtiſſimè negaret*: Sic, *ſi quis delictum alterius, quod tegere juberet charitas, vel etiam ſuum aut ſuorum domeſticorum, quod honeſtius occuleret, nulla neceſſitate compulſus evulget.*

Quæ vitia Candori ſpeciatim opponuntur?

Arrogantia ſeu *jactantia*, & *Diſſimulandi ſtudium*, quod Græcis *Ironia* dicitur.

Quid eſt Arrogantia?

Eſt vitium in bonis noſtris prædicandis modum excedens. Committitur tum, cum quis ea, quæ laude digna eſſe putat, ſibi tribuit, quæ vel plane in ipſo non ſunt, vel minora, quam verbis jactat, vel denique cum intempeſtivè ea, quæ revera habet, commemorat, & de illis gloriatur. Quod vitium nunc ſuperbiæ fructus eſt, nunc avaritiæ, ut in iis, qui, ut quæſtum faciant, multa de ſe falſo jactant; ut *Sophiſtæ, agyrtæ, & alii ejus farinæ homines.*

Quid eſt Diſſimulandi ſtudium ſeu Ironia?

Vitium eorum, qui bona, quæ habent, vel prorſus ſe habere negant, vel nimis extenuant.

Vitium hoc nonnunquam ex ambitione naſcitur eique ſubſervit: nam qui nimis affectatè ſua extenuant, eo ipſo majora ſibi ineſſe bona credi volunt, & aliis occaſionem laudandi ſeſe præbent.

Quid eſt Taciturnitas?

Virtus modum in oratione ſervans; ſeu, Virtus in lingua frænanda occupata.

Quæ ſunt illius præcepta?

I. Ut ſecreta tum tua, tum aliena ſtudioſe celes, idque etiam tum, cum vix quicquam videtur eſſe periculi. Hæc res ad conſilia perquam eſt neceſſaria. Unde Taciturnitas prudentiæ nervus dicitur.

II. Ut non niſi utilia loquaris, quæ jucunditate ita temperanda ſunt, ut ab honeſtate tamen nihil deflectas.

III. Ut tempeſtiva loquaris, hoc eſt, ea, quæ perſonis, loco, tempori ſint accommodata.

IV. Brevitati orationis, quantum res quidem & auditorum fert ingenium deſideriumvé, ſtudeas.

Quæ ſunt vitia Taciturnitati oppoſita?

Garrulitas & *Moroſitas*, ſeu *nimia ſermonis parcitas*.

Quid eſt Garrulitas?

Vitium in dicendo modum excedens.

Quod admittitur, cum quis ſecreta effutit, inutilia, intempeſtiva loquitur, aut denique verboſior eſt, quam res & auditorum fert voluntas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quid eſt nimia ſermonis parcitas?

Vitium in dicendo modum deſerens.

Quot fit, cum quis ne tempeſtiva quidem, aliiſvé utilia vult loqui, aut, cum res vel auditorum ingenium prolixiorem orationem poſtularet, verborum nimis eſt parcus. Deterius autem Garrulitatis eſt vitium, quia frequentius ac magis noxium.

Cap. X.

De Humanitate ſeu Comitate, quam Ariſtoteles Amicitiam appellat.

Quid eſt Humanitas?

VIrtus in civili converſatione ad ſeriam aliorum voluptatem ſermones factaque externa accommodans: ſeu, Virtus, quæ in ſermonibus factiſque externis utiliter aliis placere ſtudet.

Quot ſunt ejus officia?

I. Id agit Humanus, ut quantum honeſtas, & vera aliorum utilitas patitur, nemini ſit moleſtus, ſed omnibus jucundus.

II. Aliorum rectè facta, ubi commodum videt, libenter laudat. Commodum autem tum inprimis eſt, cum vel ei, qui laudatur, ad ſimilia majoravé conanda, vel aliis ad æmulandum prodeſſe poteſt approbatio. Intempeſtivas laudes, aut aſſentationis ſpecimen præbentes vitat.

III. Si quæ in aliis reprehenſione digna videt, ita vituperare ſtudet, ut reprehenſionis adſperitatem dexteritate quadam, & verborum lenitate, quantam res ipſa, & ejus, qui objurgandus eſt, patitur utilitas, emolliat. Quod ſi mali gravitas acriorem medicinam poſtulat, futuram potius eorum, quos monet, utilitatem, honeſtamque jucunditatem, quam præſentem voluptatem quærendam ſtatuit.

IV. Ad emolliendam reprehenſionis duritiem, dat operam, ut alter ſentiat, ſeſe ab ipſo amàri, & reprehenſionem ab animo ſibi optimè cupiente proficiſci, eum reprehenſione ac criminatione non delectari, ſed invitum eò adigi, & vicem ſuam dolere: contemtûs ſuſpicionem diligenter vitat: à convitiis abſtinet, nec delictum nimis exaggerat: alterum ex imprudentia potius, quàm ſtudio peccaſſe mavult credere & dicere, niſi forte res ipſa contrarium loquatur, & emendationis ratio aliud poſtulet: communicatione criminis libenter utitur, & ſibi quodammodo verbis tribuit, quod in altero reprehendit: nonnunquam non directè, ſed veluti aliud agens amici vitium tangit, aut veluti joco rem maximè ſeriam agit.

V. Decorum ubique obſervat, &, quid cuique perſonæ conveniat, diligenter expendit; aliter cum patre, aliter cum filio, aliter cum fratre, aliter cum notis, aliter cum ignotis agit.

VI. In monendo temporis opportunitatem captat, nec tum quemquam facile reprehendit, cùm animus ejus alias ob cauſas turbatus eſt ita, ut vix videatur reprehenſionem patienter laturus. Quodſi tamen periculum ſit in mora, etiam, cùm non ſatis eſt opportunum, monet, ne forte monitioni poſtmodum nullus ſit locus.

VII. De lana caprina non rixatur, nec pertinaciter ſua defendit, ſed aliis libenter, ubi honeſtè licet, cedit: contentioſa voce non utitur: viciſſitudinem ſermonis in colloquiis ſervat, nec, quaſi in ſuam poſſeſſionem veniſſet, aliis dicendi licentiam adimit: alienos ſermones non interturbat: nec ad primum quodque verbum, quid alter voluerit dicere, divinat, aut reſponſionem, antequam is ſermonem finierit, orditur.

VIII. Mœſtos ſolatur, dubios ac vacillantes erigit, & animum illis inſpirat.

IX. Vultu non triſtem ac nimis ſeverum, ſed ſerenum potiùs ac permiſta gravitate blandum, adituque non difficilem ſe præbet: libenter ſalutat.

Quæ ſunt extrema Humanitati oppoſita?

Ex una parte virtuti huic opponitur *Nimium aliis placendi ſtudium*, ſub quo *Adulatio* continetur; quod eorum eſt vitium, qui emolumenti ſui cauſa in omnibus placere aliis volunt, & omnia eorum dicta factaque laudant. Ex altera parte virtuti huic opponitur *Inhumanitas* ac *Moroſitas*, & *Contentionis ſtudium*, item *Conviciandi*, *Calumniandi* & *Obtrectandi libido*.

Quid eſt Inhumanitas ſeu Moroſitas?

Vitium eorum, qui non curant, ut aliis ſint jucundi; ſed eorum dicta factaque libentiùs, aut aſperioribus, quàm opus eſſet, verbis reprehendunt, vultu triſtes, aditu difficiles.

Quid Contentionis ſtudium?

Vitium eorum, qui aliis quavis in re libenter contradicunt, de re levi acriùs, iracundiùs, & altiori voce diſputant, ſua pertinaciter defendunt, nec, licèt victi, de ſententia facilè diſcedunt, aut ſe victos fatentur.

Quid Convicium?

Crimen quodvis ignominiæ cauſa alteri objectum.

Quid Calumnia?

Crimen gravius alicui falſo impactum.

Quid Obtrectatio?

Sermo clandeſtinus ad famam alterius minuendam comparatus.

Utrum extremum huic virtuti oppoſitum eſt deterius?

Simpliciter quidem deterius eſt id, quod in defectu peccat: per accidens autem nonnunquam id deterius eſt, quod in exceſſu peccat, nempe Adulatio, ad eorum, qui laudantur, detrimentum ac morum corruptionem comparata, quæ moroſitate, imò & contentionis ſtudio eſt deterior.

Cap. XI.

De Urbanitate.

Quid eſt Urbanitas?

ARiſtoteli virtus eſt in jocis: nobis Habitus dextrè jocandi: qui quatenus ad riſum tantùm excitandum valet, vitioſus eſt, docentibus ſacris literis, quæ non tantùm ſermones obſcænos, & ſcurrilitatem, ſed & εὐτραπελίαν prohibent: quatenus verò ſerii quippiam feſtivitate ſermonis ab omni obſcænitate ſejuncta condit, verbiſque in ſpeciem jocoſis mixtam voluptati utilitatem audientibus affert, raró ac tempeſtivè adhibetur, Comitatis ſeu Humanitatis quædam eſt particula, eaque ratione haud videtur reprehendenda.

Quotuplex Urbanitatis eſt officium?

Duplex: alterum dicendi, alterum audiendi jocos: ſed iſtud potius eſt.

Quid in dicendis jocis eſt obſervandum?

Id paulò antè dictum eſt: nempe ut impietas & obſcænitas omnis abſit; ut ſeria & utilia jocis ſubſint; ut tempeſtivè ac raro adhibeantur.

Quid requiritur, ut tempeſtivè adhibeantur?

I. Ne tum uſurpentur, cum de rebus gravibus ſeriò, & intentis animis agitur: inprimis autem cùm de rebus divinis, & ad religionem pertinentibus ſermo eſt, itemque in calamitatibus, ſive publicis, ſive privatis, ſive noſtris, ſive alienis: niſi forte ad eos, qui lugent, exhilarandos maximè opportuna feſtivius quippiam dicendi ſe offerat occaſio: quod etiam in politicis negotiis, licet gravibus, nonnunquam accidit.

II. Privatim potius, quam publicè, inter paucos potius ac notos, quam inter plures & ignotos utendum eſt jocis: nec in parentes, magiſtratus, alioſque viros graves ac magnos, quos revereri debemus, dicteria ſunt jacienda.

III. Diligenter cavenda eſt offenſio, & eorum, qui joco petuntur, ſpectandum ingenium: quod ſi irritari facile poſſunt, temperandum eſt à ſalibus, qui ipſos mordere aliqua ratione poſſint. Tales autem inprimis ſunt homines potentes, iracundi, ſuperbi, qui ſe ab omnibus laudari ac magnifieri poſtulant.

IV. Perſonæ, quas præ cæteris gravitas decet, vel ob ætatem, vel ob muneris dignitatem, præ cæteris etiam à jocis abſtinere debent. Tales autem ſunt ii inprimis, qui res divinas tractant. Nam joci, niſi valdè ſint opportuni ac rari, niſi item aliquid ſerii aut ingenioſi contineant, de gravitate & auctoritate nonnihil detrahunt.

V. Sine effuſo riſu & cachinis proferantur, ut nihilominus decorum & gravitas quædam obſervetur.

VI. Caveatur, ne verborum feſtivitas rem ſeriam efficiat ludicram. Itaque alterum admoniturus de re ſeria, joco uti non debes, niſi forte id commodius præſtare non poſſis, ne vel propter id ipſum monita tua ſpernantur.

Quid in audiendis jocis eſt obſervandum?

Ne ea libenter audias, quæ honeſtè non diceres: obſcœna tibi auditu eſſe injucunda, nunc vultu, nunc verbis quoque oſtendas: cæteris æquiorem te præbeas.

Quæ ſunt vitia Urbanitati oppoſita?

Ab Ariſtotele duo conſtituuntur: *Scurrilitas*; & *Ruſticitas ab omni joco abſtinens*. Sed hoc poſterius, niſi ad Moroſitatem accedat, vitium haudquaquam eſt, & immerito Ruſticitas appellatur, cum potius ad divinam & heroicam quandam gravitatem pertineat, qualis in Domino Jeſu fuit. Scurrilitas verò re ipſa vitium eſt.

Quid eſt Scurrilitas?

Vitium in jocis modum ſuperans, eſtque eorum hominum, qui poſthabita honeſti aut decori cura ferè in omnibus, aut in iis, in quibus haud decet, riſum captant, nec, modò ridiculi ſint, magnopere laborant, ne quem forte ſalibus ſuis offendant; quin ne ſibi quidem ipſis nonnunquam parcunt.

An differentia quædam eſt inter ſcurriles ſermones?

Eſt: alii enim etiam obſcœni ſunt, & ad audientium mores corrumpendos ſunt comparati, & hi omnium ſunt deterrimi: alii vani tantum ac leves: alii ſalſi ac paulò mordaciores, qui Scommata dicuntur: alii ingenioſi & innoxii, ſed frequentiores, quam ut hominem gravem deceant: quanquam vulgo Scurriles haud dici ſolent.

Cap. XII.

De Decoro in rebus externis; tum de Decoro, quod ex diverſitate naturæ, ſexus, ætatis, conditionis oritur?

Quibus rebus abſolvitur Decorum iſtud, quod in externis cernitur?

GRavitate, & Civili morum elegantia.

Quid appellas Gravitatem?

Dignitatem quandam, & conſtantiam in vultu, motu ac geſtu corporis, ſermone & veſtitu.

Explica hanc dignitatem in ſingulis?

Vultus virum gravem is decet, qui ſolet eſſe hominis ſeria agentis, ita tamen ne triſtis ſit aut tetricus. Motus debet eſſe æqualis, non varius, non concitatus, niſi res moram non ferat, itemque flexus corporis, omniumque membrorum virilis, non effæminatus, non hiſtrionicus, ita tardus, ut ignaviam tamen non arguat. Sermo ſit ſedatus, ſtabilis, tardior paulò, non volubilis, non acutus, non contentioſus, non jactabundus: quanquam & veritatis ac taciturnitatis ſtudium non parum ad gravitatem in ſermone pertinet. Veſtitus non varietate colorum aut affectato quodam ſplendore ſit inſignis, nec juvenilem levitatem præ ſe ferat. Viros certe ac ſenes, & eos, qui divina tractant, niger color, aut ad nigrum paulo propiùs accedens, niſi conſuetudo aliud poſtulet, toga promiſſior, mundicies frugalior decet.

Quid Gravitati opponitur?

In exceſſu quidem *affectata* quædam *Severitas* & *Supercilium*: in defectu autem *Levitas*, quam ex contrarii naturâ facilè intelliges.

Annon Choreæ quoque profanæ ad levitatem pertinent?

Pertinent: unde quo quiſque eſt gravior, tanto magis ab iis abhorret: *quod in univerſis etiam populis cernere licet: Nam Græci, quia leviores erant, ſaltare non indecorum putabant: at Romani, quia graviores erant, ſaltationem in probris habebant.* Hinc etiam quo quemque major decet gravitas, tantò magis dedecet ſaltatio, ut, *ſenes, & eos, qui res divinas tractant, aut munus in Republica amplum ſuſtinent*. Sed levitate pejor eſt intemperantia & libido, cui ferè choreæ ſubſerviunt.

Quidnam obſervandum eſt iis, qui civili morum elegantiæ ſtudent?

I. Sequenda eſt regionis ac loci cujuſque conſuetudo. II. Et exemplum eorum, qui prudentum inprimis judicio elegantioribus cenſentur moribus. III. Quicquid vitii alicujus ſpeciem præbere, aut ſuſpicionem in aliorum animis excitare poteſt, id ſtudioſe cavendum eſt. IV. Utendum verecundia. V. Omnia illa vitanda ſunt, quorum aſpectus aut cogitatio moleſta eſſe poteſt; quin etiam ea, quæ rei alicujus fœdæ memoriam excitare queunt. VI. Quicquid molle & effæminatum, id cavendum, viro inprimis. VII. Mundicies corporis ac veſtitus ſequenda, non odioſa & exquiſita nimis, ſed quæ abſit à ruſtica negligentia, & diſſolutum hominem non arguat. VIII. Benevolentiæ aut honoris, quo alios proſequimur, ſigna uſu recepta non ſunt negligenda, ſed ita, ne in iis videamur nimii. Alia multa, quæ pro diverſitate loci, temporis, perſonarum, ac rerum obſervanda ſunt, videantur apud eos, qui de Civilitate morum, aut de civili converſatione ſcripſerunt: quanquam plurima uſu ipſo aliorumque exemplis ſunt diſcenda.

Quid morum elegantiæ opponitur?

Ruſticitas in defectu: in exceſſu autem *Superſtitioſa* aut *Ridicula civilitatis affectatio.*

Quâ in re ſitum eſt decorum illud, quod ex diverſitate naturæ, ſexus, ætatis, conditionis oritur?

In eo, ut quiſque in actionibus id ſequatur, quod ingenio ſuo non vitioſo, ſexui, ætati ac vitæ ſtatui convenit.

Quomodo ex diverſitate naturæ diverſitas quoque decori naſcitur.

Natura pro varietate temperamenti ad varia nos vitæ genera, variaſque virtutes aut vitia pronos facit: quod vitioſum eſt, id corrigendum eſt: quod bonum quiſque nactus eſt à natura ſibi maximè proprium ac peculiare, id ſi ſtudio excolat, eum maximè decebit. Atque ut de diverſis vitæ generibus, ad quæ nos naturæ impetus rapit, taceamus, in virtutibus quoque id apparet: alii enim ad ſeveritatem, gravitatem, magnanimitatem à natura ſunt facti: alii ad lenitatem, humanitatem, ac modeſtiam majorem, ita ut nec illi horum facilitatem, nec hi illorum gravitatem imitari uſquequaque poſſint, nec omnino deceat, licet utrique & graves ſint, & modeſti, ſed alia atque alia ratione.

Quænam virilem ſexum decent, & quæ fœmineum?

Virilem ſexum major decet animus. Ejus enim ſexus eſt diſcrimina adire pro bonis, Rempublicam gubernare, foris rem parare, itinera ſuſcipere, cum aliis contrahere, erudire alios, ſermonem habere ad populum, ad quæ omnia major requiritur animi præſentia. Fœminas major decet modeſtia, & verecundia; earum fortitudo ab audaciâ longiùs debet diſcedere, quàm virorum; domi potius rem à viris partam cuſtodire, quàm foris verſari, aut itinera ſuſcipere; aliis potius parêre, quàm imperare; tacere potius & audire, quàm loqui debent.

Quænam verò hanc illamvé ætatem decent?

Juniores major decet modeſtia & verecundia; ſeniores major gravitas & ſeveritas: illi rectè monentibus libenter parêre; hi rectè præcipere, & exemplo ad omnem honeſtatem cæteris præire debent. Juvenes ac viri labores qui majores corporis vires poſtulant, ſuſcipere, ſenes conſilio alios inſtruere: his corporis labores minui, animi exercitationes etiam augeri (ſenectutem decrepitam excipio) ſolent.

Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quænam in diverſis vitæ generibus decent?

Hæc quia propè ſunt innumera, ideò prolixum eſſet ſingula perſequi. Sunt in Eccleſia, in Republica, in Schola, in Domo, varia munera dignitate inter ſe diſcrepantia, quorum officia partim peculiaribus libris ſunt deſcripta, ut *Principis*, *Conſiliarii*, *Eccleſiaſtæ &c.* alia ipſo uſu, monitis prudentum, & eorum, qui cujuſque vitæ generis maximè ſunt gnari, diſcenda veniunt: omnia verò ex fine cujuſque vitæ generis ac muneris inprimis æſtimanda ſunt. Finis enim eſt, qui media definit.

Hactenus de Virtute morum perfecta & communi.

Cap. XIII.

De Virtute Heroica.

Quid eſt Virtus Heroica?

Virtus morum adeò excellens, ut, qui eam habet, communem humanæ naturæ conditionem videatur ſupergredi.

Unde ea cognoſcitur?

Inde, quòd quis ea præſtare ſoleat, quæ in virtutum actionibus maximè ſunt ardua, & quæ ne ii quidem, qui communiter viri boni dicuntur, facere ſolent.

Quibus ex cauſis oritur?

Tribus potiſſimùm: ſingulari naturæ bonitate, aſſuetudine, cui ſapientiæ ſtudium ſubſervit, & divini ſpiritus afflatu: quæ cauſæ vel omnes ſimul concurrunt, vel duæ, aut una potiſſimùm virtutem heroicam producit. Adjuvant autem & promovent etiam externa, nempe res admodum ſecundæ; vel admodum adverſæ aut periculoſæ; hæ occaſionem illius exercendæ præbent, illæ etiam inſtrumenta.

Quomodo dividitur?

Quanquam ex cauſis efficientibus diviſio aliqua peti poteſt, tamen & hæc illius tradi poteſt diſtributio, quòd ea vel ſit excellentia & perfectio omnium virtutum moralium, vel quarundam, vel unius tantùm. Prima illa in Chriſto, tum in Paulo, cæteriſque divinis viris ac Chriſtianis enituit, pro ratione muneris, aut ſtatus uniuſcujuſque, nunc clariùs nunc obſcuriùs. Quod ad certas virtutes attinet, in quibus heroicus animus inprimis cernitur, inter eas primum locum obtinet Magnanimitas, cui Fortitudo & Patientia eſt adjungenda: ſequitur Temperantia & Caſtitas ſingularis, tum Juſtitia, Beneficentia, Manſuetudo ac Clementia, præſertim cùm magnæ ſunt vitiorum contrariorum occaſiones & irritamenta.

Quid Virtuti Heroicæ opponitur?

Feritas ſeu *Immanitas.*

Quid eſt Feritas ſeu Immanitas?

Vitioſitas adeò fæda, ut excuſſa ratione hominem ad pecudes abjiciat. Id fit, cùm quis ea committit flagitia, quæ plerique, licèt aliàs improbi & vitioſi vitare ſolent, & à quibus humana natura prorſus videtur abhorrere.

Quibus ex cauſis oritur?

Naturâ depravatâ, caſu, morbo, conſuetudine, aut pœna divina peccatum conſequente. Ea, quæ ex conſuetudine aut pœna divina peccatum conſequente oritur, vitium morale eſt propriè ſic dictum, & communi vitio deterius: cætera feritatis genera alio quodam modo vitia dicuntur, & commiſeratione potius, quàm vituperatione, aut pœna digna ſunt, præſertim ſi nulla eorum, qui illis laborant, culpa intervenerit, quæ in morbis aliiſvé caſibus nonnunquam deprehenditur.

Quomodo dividitur?

Præter eam diviſionem, quæ ex cauſis petitur, hæc quoque tradi poteſt: quòd alia ſit vitiorum omnium, quæ in eundem hominem ſimul cadere poſſunt, exceſſus quidam: vel quorundam, aut unius tantùm; ut impietatis, intemperantiæ, atque inprimis libidinis, tum crudelitatis, injuſtitiæ, timiditatis.

Cap. XIV.

De Virtutibus Imperfectis, *atque in ſpecie,* De Continentia.

Quid ſunt Virtutes Imperfectæ?

Diſpoſitiones, ſeu gradus quidam ad virtutes perfectas.

Quot ſunt?

Tot, quot ipſæ virtutes perfectæ: ſed cæteras propemodum in ſe complectuntur hæ duæ, *Continentia* & *Tolerantia*, quæ circa voluptatem & dolorem, eorumque cupiditatem ac fugam verſantur: hæc verò per omnia virtutum objecta ſunt diffuſa. Itaque de duabus his virtutum imperfectarum ſpeciebus nobis inſignitè agendum eſt.

Quid eſt Continentia?

Continentia eſt virtus imperfecta circa voluptates eas, quæ habent nimium, ſeu quarum exceſſus vituperatur.

Annon omnium voluptatum eſt nimium, ſeu exceſſus vituperatione dignus?

Non: Nemo enim jure eum reprehenderit, qui ex actionibus honeſtis, ex ſpe ac guſtu immortalitatis, ex rerum divinarum contemplatione, voluptatem capiat maximam, eamque vehementiſſimè appetat.

Quotuplices ſunt voluptates quæ habent nimium?

Duplices: aliæ ſunt genere ipſo neceſſariæ, nempe *quæ ex cibo & potu percipiuntur; itemque eæ, quæ ad propagationem ſobolis pertinent, circa quas verſatur Temperantia*: aliæ non neceſſariæ, expetendæ tamen, ſi modus adhibeatur: ut *eæ, quæ ex honore, lucro, victoria, manant, itemque voluptates aurium, oculorum, narium; quædam etiam tactus, ut ex frictionibus perceptæ, & ſimiles*. Ex qua diviſione ipſius etiam Continentiæ diviſio naſcitur.

Quotuplex ergo eſt Continentia?

Duplex: alia ſimpliciter ſic dicta; alia cum adjectione, ſeu appoſitione objecti, in quo verſetur. Illa in neceſſariis verſatur voluptatibus; hæc in non neceſſariis. Eadem quoque *Incontinentiæ* ſeu *Intempecantiæ* eſt diſtributio.

Quid eſt Continentia ſimpliciter ſic dicta?

Virtus imperfecta in voluptatibus neceſſariis occupata, vel temperantia imperfecta: Unde vulgo Continentiam & Temperantiam inter ſe confundunt. Itaque Continentiæ præcepta ex doctrina de Temperantia petenda ſunt.

Qua in re Continens & Temperans diſcrepant?

Quod in homine continente cupiditates adhuc ſint vehementes, & cum recta ratione acriter contendant, licet vel ſemper, vel plerumque ab ea vincantur. At in temperante cupidicates non ſunt acres, ſed moderatæ, & rationi libenter parent. Itaque continenti voluptates turpes allubeſcere ſolent, adeò ut ægrè ſibi ab illis temperet: temperanti non item.

Quid eſt Incontinentia ſimpliciter ſic dicta?

Vitium imperfectum in voluptatibus neceſſariis modum ſuperans: ſeu, intemperantia imperfecta.

Quomodo inter ſe differunt Incontinens & Intemperans?

Quod Intemperans jam perſuaſus eſt, voluptates turpes eſſe perſequendas, corrupto rectæ rationis de rebus honeſtis & inhoneſtis judicio. At Impotens ſalvum habet rectæ rationis judicium de rebus honeſtis ac turpibus, ideoque contra animi ſui ſententiam turpes voluptates à cupiditate victus perſequitur.

Poteſtné aliquis ſciens peccare?

Poteſt: nam cùm rei turpi aliquid eſt admixtum boni, qualecunque illud ſit, poteſt voluntas libera eam vel repudiare propter turpitudinem, vel amplecti propter admixtum bonum, ut in doctrina de voluntate dictum eſt. Eſt tamen iſta ſcientia, contra quam quis peccat, in affectus & rationis pugna non prorſus libera, & liquida, ſed aliqua ratione impedita, & turbata, maximè tum, cum decretum de cupiditate implenda jam factum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quid de Continentia & Incontinentia cum adjectione ſtatuendum eſt?

Idem quod de ea, quæ ſimpliciter ita dicitur, obſervato tantum diſcrimine, quòd in objecto conſiſtit. Eſt enim Continentia hæc virtus imperfecta in voluptatibus non neceſſariis, per ſe tamen expetendis, occupata. Incontinentia ei oppoſita, vitium imperfectum in iiſdem voluptatibus modum excedens.

An non alia adhuc Incontinentiæ in univerſum reſtat diviſio?

Reſtat: alia enim Temeraria dicitur, alia Imbecillis. Temeraria eſt eorum, qui nulla antegreſſa præmeditatione de voluptate ſpernenda, ab eâ adveniente vincuntur, *quales ſunt ii, qui celeres & vehementes habent motus*. Imbecillis eorum eſt, qui diligenter præmuniti adverſus voluptatem ab eâ nihilominùs vincuntur.

Cap. XV.

De Tolerantia.

Quid eſt Tolerantia?

Virtus imperfecta, quâ dolores non ſine magna rationis & appetitus lucta ſuperamus.

Quæ ſunt Tolerantiæ præcepta?

Ea in doctrina de Fortitudine & Patientia, à qua gradu tantum differt, tradita ſunt. Nam quod eſt Continentia reſpectu Temperantiæ, id eſt Tolerantia reſpectu Patientiæ, adeo ut definiri etiam poſſit, Patientia inchoata.

Quid ei opponitur?

Mollities.

Quid eſt Mollities?

Vitium inperfectum, quo doloribus, quos pleriqúe non difficulter ſuperant, contra rationis judicium ſuccumbimus.

Annon ii quoque molles ſunt cenſendi, qui exquiſitiſſimis doloribus ſuccumbunt?

Non: quanquam dum ſuccumbunt, cum non deberent, ad mollitiem inclinant.

An ii molles ſunt cenſendi, qui ob naturæ imbecillitatem, morbum aut caſum, quædam non ſuſtinent, quæ alii facilè?

Non: Sed ſi iis ſuccumbant, quibus alii eodem imbecillitatis genere laborantes facilè ſunt ſuperiores. Sic *non protinus ſunt accuſandæ fœminæ, ſi ab iis vincantur doloribus, quos viri facilè ſuperant, ſed ſi eos non ferant, quos aliæ mulieres paulò conſtantiores facilè ſuſtinent.*

Finis doctrinæ de Virtute Morali.

SECUNDA PARS
Tractationis de Virtute
quæ agit
DE VIRTUTE INTELLECTUS.

Caput I.

Definitio & Diviſio Virtutis Intellectûs.

Quid eſt Virtus Intellectus?

Habitus mentis, quo verum concipimus. Græci rotundiùs ἕξιν ἀληθευτικὴν definiunt.

Quot ſunt virtutes Intellectus?

Quinque: Ars, Prudentia, Intelligentia, Scientia, Sapientia.

Quomodo inter ſe diſtinguuntur?

Objectis. Nam objecta, circa quæ verſantur, vel ſunt neceſſaria, vel contingentia. Neceſſaria iterum ſunt quodammodo triplicia: Principia, Concluſiones ex illis deductæ, & Utraque inter ſe juncta. Circa Principia ſola verſatur *Intelligentia*; circa Concluſiones ex iis deductas *Scientia*; circa Utraque ſimul *Sapientia*. Contingentia ſunt duplicia: vel enim planè ſunt incerta, nec ſub hominis arbitrium cadunt, qualia ſunt ea, quæ à caſu ac fortuna pendent, & circa hæc nullus verſatur habitus, ſed opinio tantum: vel ad aliquam certitudinem revocari poſſunt, & ſub hominis arbitrium cadunt. Et hæc iterum ſunt duplicia: vel enim ad actionem ac mores pertinent, vel ad effectionem, ſeu operis alicujus productionem: Circa priora verſatur *Prudentia*, circa poſteriora *Ars*.

Annon alia quadam ratione diſtingui poſſunt hi habitus?

Poſſunt finibus. Alii enim ſunt *Contemplativi*, quorum finis per ſe eſt ipſa cognitio, & hi tres ſunt, *Sapientia, Intelligentia, Scientia*: Alii *Practici*, hoc eſt, quorum finis eſt præter cognitionem Actio honeſta, & eſt *Prudentia*: Alii *Effectivi*, quorum finis eſt operis alicujus productio, & eſt *Ars*. Nos in iis explicandis ab eo incipiemus, qui dignitate poſtremus eſt, & cæteris ſubſervit.

Caput II.

De Arte.

Quot modis Artis vocabulum accipi ſolet?

Tribus potiſſimùm: vel enim ita latè ſumitur, ut omnes honeſtas diſciplinas ac ſcientias in ſe complectatur, vel pro præceptis alicujus artis ac diſciplinæ: vel denique pro virtute Intellectus, quæ verſatur circa opus aliquod efficiendum, quo modo hîc accipimus.

Quomodo ab Ariſtotele definitur Ars?

Habitus mentis ad aliquid cum recta ratione efficiendum comparatus: ſeu, Virtus mentis effectiva.

Quotuplices ſunt artes?

Duplices: aliæ ſunt Certæ, quæ certa ratione finem ſuum ſemper aſſequuntur, ut *Grammatica, Analytica, Geometria illa, quæ in agris dimetiendis* occupatur, *Arithmetica, quam practicam appellare licet*: aliæ ſunt Stochaſticæ, quæ pro diverſitate circumſtantiarum alia atque alia ratione finem ſuum conſequuntur, aut etiam licet omnia adhibuerint media, finem interdum propter impedimenta artis vim ſuperantia non aſſequuntur, ut *Rhetorica, Medicina, Nautica, Militaris*: non enim ſemper perſuadet Rhetor, licet optimus; nec ſemper medicus ſanat. Prioris generis artes conſultatione non egent: hæ egent, & prudentiæ opem deſiderant.

Annon & alia eſt Artium diſtinctio?

Eſt: nam aliæ in ipſo artifice opus ſuum producunt, ut *Logica*, quæ in artificis mente format argumenta: aliæ extra artificem, quod inprimis faciunt *Mechanicæ*. Diſtinguuntur aliàs artes fine, & materiâ, ſeu objecto, in quod formam artificialem introducere laborant. Sed hæc perſequi non eſt noſtri inſtituti.

Quid Arti opponitur?

Inertia, non ea, quæ deſidiam ſignificat; ſed ea, quæ eſt vel privatio artis, vel habitus ei contrarius, qui definitur: Habitus falſa ratione aliquid efficiens.

Cap.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. III.

De Prudentia.

Quid Prudentiæ nomine intelligis?

HAbitum recte conſultandi: vel, Virtutem intellectus in conſiliis occupatam.

Quotuplex eſt?

Duplex: alia ſimpliciter ſic dicta: alia ſecundùm quid, ſeu hâc illâvé in re. Illa univerſæ vitæ rationem moderatur; hæc, in certis tantùm rebus ad vitæ rationem pertinentibus occupatur, ut *in iis, quæ ad valetudinem, robur augendum, agrum rectè colendum pertinent*: iſta huic præeſt; hæc illi ſubſervit. Nobis de priori potiſſimùm erit ſermo.

Quomodo definis Prudentiam ſimpliciter ſic dictam?

Prudentia eſt virtus mentis actiones totius vitæ dirigens.

Quænam Prudentiæ ſunt officia?

I. Verum totius vitæ finem, & apta ad eum conſequendum media noſſe.

II. Singularum actionum circumſtantias examinare, & exinde facta ipſa moderari.

III. Inter duo, pluravé bona aut mala delectum rectè inſtituere.

IV. Conſilia recta invenire, inventa tegere, & quanta licet celeritate exequi. Et in hoc quidem poſtremo maxima prudentiæ vis cernitur, adeò ut cætera ejus officia ad hoc unum revocari quodammodo poſſint.

Quænam ad rectum conſilium requiruntur?

I. Ut honeſtus præfigatur finis.

II. Ut tum honeſta, tum commoda ad eum inveniantur media: quam ad rem mora, ſi res ipſa ferat, in deliberando adhibenda eſt.

Quænam ad Prudentiam comparandam ſunt neceſſaria?

I. Ingenii acumen ac judicii bonitas.

II. Experientia, in qua robur prudentiæ eſt longè maximum.

III. Doctrina inprimis politica, quâ Ethicam complectimur, & hiſtoriarum cognitio: quanquam doctrina, ſi cætera omnia adſint, nonnunquam abeſſe poteſt, ſed ita, ut nonnihil prudentiæ faſtigio decedat.

IV. Virtutis atque inprimis temperantiæ ſtudium: hæc enim prudentiæ eſt cuſtos & altrix.

Quotuplex eſt Prudentia?

Prudentia ſimpliciter ſic dicta una revera eſt, ſed pro diverſitate materiæ, in qua occupatur, quodammodo fit multiplex. Prudentia enim vel in privatis tantùm noſtris negotiis & actionibus cernitur, vel in aliorum etiam. Prior, generali nomine prudentiæ contenta eſt. Poſterior iterum duplex eſt; vel enim in Reipub. negotiis verſatur; vel totius alicujus familiæ commodis conſulit: illa *Politica*, hæc *Oeconomica* dicitur.

Quodnam eſt Prudentiæ Politicæ officium?

Totius Reipub. felicitati proſpicere. Quod fit, cùm curat, ut virtus ac pietas ab omnibus colatur, ſapientiæ ſtudia floreant, tranquillitas ſit ac pax tum extra, tum intra mœnia, & copia rerum ad vitam commodè ac liberaliter traducendam neceſſariarum.

Quotuplex eſt Prudentia Politica?

Duplex: Altera circa univerſalia occupatur, & dicitur *Nomothetica*, ſeu *legum ferendarum ſcientia*: altera verò circa ſingularia negotia, & hæc generale prudentiæ politicæ nomen ſibi tanquam proprium vulgò aſſumit, eaque iterum duplex eſt: *Judiciaria*, quæ in litibus dirimendis, ac cauſis diſceptandis verſatur; & *Conſultatrix*, quæ in deliberationibus publicis cernitur.

Quodnam Oeconomicæ Prudentiæ eſt officium?

Prudentiæ civili inſervire, & quæ illa publicè curat, privatim exequi: ad virtutem, religionem, & ſi licet, ſapientiam quoque domeſticos inſtituere, proſperitati eorundem, & commoditati vitæ proſpicere.

Annon σύνεσις etiam, quam Latini intelligentiam vocant, ad prudentiam pertinet?

Pertinet: Eſt enim nihil aliud, quàm Prudentia de iis judicans, quæ ab aliis ſunt conſtituta.

Annon εὐγνωμοσύνη etiam huc pertinet?

Pertinet: Eſt enim judicium rectum viri æquum bonum amantis. Quale verò illud ſit, ex doctrina de æquo bono cognoſci poteſt.

Quid Prudentiæ opponitur?

Imprudentia, vel ut privatio, vel ut contrarium. Si ut contrarium, definietur Habitus mentis actiones totius vitæ malè inſtituens. Ad hanc *Aſtutia* pertinet, quæ apta quidem media ad finem aſſequendum invenit, ſed vel inhoneſtum finem ſibi præfigit; vel inhoneſtis ad eum contendit mediis, vel utrumque ſimul facit.

Cap. IV.

De Intelligentia.

Quot modis ſumitur Intelligentia ſeu Intellectus?

DUobus potiſſimùm: vel pro facultate naturali, qua intelligimus: vel pro habitu quodam mentis noſtræ, in qua ſignificatione hoc loco nomen iſtud accipimus.

Quomodo definitur?

Virtus mentis in ſcientiarum principiis occupata: vel, Habitus animi ratione præditi, quo ſcientiarum principia cognoſcuntur.

Quid vocas ſcientiarum principia?

Propoſitiones naturâ clariſſimas, quibus cætera, quæ in ſcientiis traduntur, tanquam fundamentis ſuperſtruuntur, quæ per cauſas proprias demonſtrari ampliùs nequeunt.

Quomodo autem iſta principia cognoſcuntur & probantur?

Modi, quibus primò colliguntur principia, ſunt duo: *Inductio ſingularium, & Collectio ex effectis*: his etiam modis, cùm in dubium vocantur, probari ſolent in ſcientiis: quibus adde *Deductionem ad impoſſibile, & rationes communes, quas Ariſtoteles vocat Logicas.* Quæ non ex mediis cuilibet quæſtioni propriis, ſed generalioribus, & ad alias etiam quæſtiones probandas aptis deducuntur. Sed generatim loquendo, omnium aptiſſimi ſunt ad principia probanda duo hi modi: *Inductio, & Deductio ad impoſſibile.*

Quid intelligentiæ opponitur?

Quod ei proprie opponitur, caret nomine; dici autem poteſt, *Ignorantia principiorum.*

Cap. V.

De Scientia.

Quot modis ſumitur vox Scientiæ?

TRibus potiſſimùm: *primò* latiſſimè, pro quavis cognitione, præſertim certa ſive ſingularium, ſive univerſalium. *Secundò* paulò ſtrictiùs, pro cognitione certa univerſalium, atque inprimis neceſſariorum, qua ratione intelligentiam & ſapientiam, imò & artem in ſe complectitur. *Tertiò* ſtrictiſſimè, pro cognitione certa concluſionum, quæ per cauſas proprias habetur. Et hæc ſignificatio eſt hujus loci.

Annon alia adhuc ſubeſt huic voci ambiguitas?

Subeſt, & quidem duplex: nam *primò* ſumitur vel pro habitu ſciendi, qui etiam eſt in dormiente, vel pro actu. *Deinde* vel pro cognitione unius tantùm concluſionis, vel pro notitia plurium concluſionum ad idem rerum genus pertinentium, & unum diſciplinæ corpus ſeu ſyſtema conſtituentium, ut eſt *Phyſica, Aſtrologia, Arithmetica, Geometria.* Hoc loco ponitur pro habitu, qui complectitur cognitionem multarum concluſionum ad idem rerum genus pertinentium.

Quomodo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quomodo definitur Scientia?

Habitus demonſtrativus, ſeu demonſtratione comparatus.

Quænam in quavis Scientia conſiderantur?

Hæc tria: Subjectum, Principium & Affectiones ſubjecti propriæ. Principia autem intellige tum ea, quæ ſubjectum conſtituunt, quæ ſunt res ſimplices, & appellantur *Principia conſtitutionis*, tum propoſitiones per ſe claras, ex quibus affectiones propriæ de ſubjecto demonſtrantur, quæ appellantur *Principia cognitionis*; hæc primò ſub intelligentiam cadunt, ejus beneficio ſcientiis inſeruntur, quæ ſine illa conſiſtere non poſſunt. *Sic in Phyſicis tractatur de corpore naturali, de principiis & affectionibus ejus propriis tum generalibus, tum ſpecialibus, deſcendendo à genere uſque ad ſpecies infimas: Corpori naturali in genere generalia accommodantur tum principia, tum affectiones, ſpeciebus ejus ſpecialia.* Sed de his plenius agitur in Analyticis, ubi de Demonſtratione tractatur.

Quid Scientiæ opponitur?

Ignorantia, præſertim concluſionum neceſſariarum.

Quotuplex eſt ignorantia?

Duplex: altera negationis, altera pravæ diſpoſitionis: quæ diviſio non tantum in ignorantia Scientiæ ſtrictè ſumtæ oppoſita, ſed & in quavis alia locum habet.

Quid appellas ignorantiam negationis?

Meram abſentiam, ſeu privationem ſcientiæ in eo, qui ſcire per naturam poteſt: *qualis eſt in ruſtico Metaphyſicæ*, aut *Mathematicæ ignoratio.*

Quid vocas ignorantiam pravæ diſpoſitionis?

Errorem ſeu falſam perſuaſionem: *qualis eſt in Turcis aut hæreticis ignorantia veræ religionis.*

CAP. VI.

De Sapientia.

Quot modis Sapientiæ vox ſumitur?

TRibus: vel pro prudentia, *qua ratione Lælius aut Cato Sapientes ſunt dicti*: vel pro excellentia & perfectione cujuſvis artis, *qua ratione architectus, pictor, aut ſtatuarius excellens, à Græcis dicitur Sapiens*: vel denique pro omnium ſcientiarum faſtigio & perfectione; quomodo hic accipitur.

Quid eſt Sapientia?

Virtus intellectus, quâ tum principia rerum univerſarum, tum ea, quæ ex principiis pendent, cognoſcuntur.

Quodnam diſciplinæ genus hoc nomine intelligitur?

Vel Metaphyſica, quæ ſapientia, Philoſophia prima, item Theologia ſolet ab Ariſtotele appellari, quæ de Ente ut ens eſt in univerſum, & ejus affectionibus communibus agit, maximè autem de Ente primo, quòd cæterorum omnium principium eſt; id verò eſt Deus optimus maximus. Vel intelligi poteſt univerſa Philoſophia, quæ olim Sapientia dicta eſt, à Pythagora verò modeſtiæ cauſa Philoſophia ſeu amor ac ſtudium Sapientiæ, quod Sapientiæ nomen ſoli Deo videretur competere.

Utra virtus eſt præſtantior, Sapientia an Prudentia?

Sapientia naturâ ſuâ præſtantior eſt: cum prudentia illius cauſa imperet, & curet, ut ea in civitate habeat locum: prudentia tamen magis eſt neceſſaria.

Quid Sapientiæ opponitur?

Inſipientia, quæ eſt ignoratio principiorum communium, & rerum, quæ inde pendent.

Finis ſecundæ partis Ethicæ, quæ eſt de Virtute Intellectus.

TERTIA PARS ETHICES

De Voluptate.

Quid eſt Voluptas?

VOluptas eſt perfectio functionum facultatis cognoſcentis.

Quænam eſt facultas cognoſcens?

Quæ percipit ac judicat objectum ſuum; eſtque duplex: *Senſus*, & *Mens* ſeu *Ratio.* Unde patet, ea tantum voluptatis eſſe capacia, quæ vel utraque hac facultate, vel alterutra ſunt prædita: nempe *Deus*, *angeli*, *homines*, *bruta.*

Quibus in rebus perfectio iſta functionum conſiſtit?

Duabus in rebus: quarum prior ad facultatem cognoſcentem pertinet, poſterior ad ejus objectum. Nam *primò* requiritur, ut facultas cognoſcens ſit benè ſecundum naturam affecta, & in actione ipſa non impediatur. *Secundo*, ut objectum cognitum benè ſe habeat, & cum facultate cognoſcente, ejuſque inſtrumento egregiè conſentiat.

Quæ eſt prima Voluptatis diviſio?

Voluptas alia eſt ſimpliciter & abſolutè talis: alia verò per accidens, ſeu huic, aut illi tantum. Simpliciter dicta voluptas ea eſt, quæ illis videtur talis, qui ſecundum naturam benè ſunt affecti. Et ratione quidem mentis bene ſunt affecti viri ſapientes, & virtute præditi: ſecundum corpus ii, qui rectè valent. Voluptates per accidens illæ ſunt, quæ tales videntur iis, qui vitio aliquo laborant, ſive animi, ſive corporis; *tales ſunt voluptates improborum, ægrotorum aut melancholicorum, quibus ea ſæpe jucunda ſunt, à quibus boni aut ſani maximè abhorrent.* Definitio antea tradita prioris generis voluptates revera deſcribit: poſterioribus non niſi ex parte convenit.

Quæ eſt ſecunda diviſio?

Voluptates aliæ ſunt mentis, aliæ ſenſuum, quæ etiam corporis dicuntur, quia ſenſus in corpore aliquo modo reſident, & corporeis inſtrumentis operationes ſuas abſolvunt. Utræque iterum tot habent genera, quot genera ſunt actionum, ſive mentis, ſive ſenſuum. Diverſarum enim actionum diverſa eſt perfectio, adeoque & voluptas.

Quæ eſt tertia diviſio?

Voluptates aliæ ſunt honeſtæ, aliæ turpes, aliæ neutræ ſeu ἀδιάφοροι, hoc eſt, quæ per ſe nec turpes ſunt, nec honeſtæ. Honeſtæ voluptates ſunt, quæ ex actionibus honeſtis percipiuntur: turpes quæ ex turpibus; neutræ quæ ex neutris.

Quæ eſt quarta diviſio?

Voluptates aliæ ſunt puriores, aliæ impuriores, ut & actiones. Puriores illæ ſunt, quæ corporeum contactum rei, quæ voluptatem excitat, vel plane non requirunt, vel minus requirunt: impuriores, quæ magis. *Sic purior eſt mentis voluptas, quam ſenſuum, & inter voluptates ſenſuum puriores ſunt eæ, quæ oculis, auribus naribus percipiuntur, quam quæ guſtu & tactu.*

Cur voluptates guſtus & tactus, licet impuriores, tantoperè vulgus appetit, relictis voluptatibus mentis?

Triplex hujus rei eſt cauſa 1. quia voluptates guſtus & tactus ſolet antecedere dolor quidam, ex defectu naturæ ortus, qui cùm nobis admodum ſit moleſtus, vehemens iſtarum voluptatum deſiderium excitat. Voluptates enim iſtæ inſtar medicinæ cujuſdam ſunt, quæ dolorem iſtum mitigant, aut tollunt, & quo majores ſunt, tanto magis: mali autem ſenſus medicinæ deſiderium excitat & ſtimulat. Voluptatum animi alia eſt ratio; eas enim non antecedit naturę defectus, adeoque nec moleſtia, & vehemens aliquod iſtarum voluptatum deſiderium ex dolore natum. 2. quod voluptates corporis hominibus ſint notiores ac familiariores: iis enim ab ineunte ætate utimur: mentis voluptates veras nonniſi longo demum tempore guſtamus. Veriſimilius autem eſt notiora vulgus appetere, quam ignotiora. 3. quia ad ſolidas animi voluptates non niſi multis laboribus pervenitur: voluptates corporis obviæ ſunt. Laborem autem omnes fugimus.

Finis tractationis de Voluptate.

QUARTA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

QUARTA PARS ETHICES De Amicitia.

Quot ſunt partes tractationis de Amicitiâ?

QUatuor: In prima agitur de ejus neceſſitate & uſu. In ſecunda definitio & variæ ejus diviſiones traduntur. In teria præcepta de amicitia exponuntur. In quarta quæſtiones quædam de Amicitia enodantur.

CAP. I.

De Uſu & neceſſitate Amicitiæ.

Quam latè patet Amicitiæ neceſſitas & utilitas?

AMicitia tum privatim, tum publicè utilis eſt & neceſſaria, & privatim quidem in utraque fortuna, & quavis ætate.

Cur neceſſaria eſt Amicitia in ſecunda fortuna?

Duplici de cauſâ. 1. quia ſine amicitia fructus bonorum propemodum perit, Beneficentia, inquam, & Jucunditas. Beneficentia, quia ea in amicos maximè & honeſtiſſimè exercetur. Jucunditas, quia nullius boni ſine ſocio jucunda poſſeſſio, & in maximis opibus colloquia amicorum deſideramus. 2. quia cuſtodia & defenſione bonorum eſt opus, idque tanto magis, quanto ea ſunt majora: nam tanto plures habent inſidiatores: at ægrè cuſtoditur, quod multis placet. Quis verò tua cuſtodire volet, niſi amicus?

Cur neceſſaria eſt amicitia in adverſa fortuna?

Propter ſolatium & auxilium.

Cur in infantia & pueritia opus eſt amicitia?

Propter educationem. Ætas enim hæc auxilii maximè eſt indiga: qua de cauſa naturæ architectus tantum parentibus erga prolem indidit amorem, ut per tot curas ac moleſtias hæc ætas ad maturitatem perduceretur.

Cur adoleſcentibus & juvenibus opus eſt amicitia?

Ut ab amicis artibus ingenuis, & moribus honeſtis imbuantur, atque à vitiorum illecebris, quibus inprimis capitur hæc ætas revocentur, & ſicubi exorbitare incipiant, inviam reducantur. Eſt enim in hâc ætate magna judicii imbecillitas, rerum imperitia, affectuum vehementia.)

Cur viris opus eſt amicitia?

Opus eſt tum ad cognitionem rerum, tum ad actionem; & in actione quidem tum ad conſilia ineunda, tum ad ea exequenda. Nam plus vident oculi, quam oculus, nec mediocre telum ad res gerendas eſt amicorum benevolentia.

Cur ſenibus?

Quia ſenes ob corporis imbecillitatem neque ſe ipſos ſatis curare, neque alias res, quæ corporis robur poſtulant, obire commodè queunt, ideoque amicis indigent, quorum operâ id conſequantur, quod per ſe ipſi non poſſunt.

Cur publicè opus eſt amicitiâ?

Quia concordia eſt vinculum, ac fulcrum Reipublicæ, fundamentum ſecuritatis communis, quæ efficit, ut alii ab aliorum injuriis abſtineant, eorum commoda promoveant, communibus hoſtibus reſiſtant, ad præclara facinora ſe mutuò adjuvent, ſine hâc non modo non florere, ſed ne ſtare quidem poteſt civitas. *Concordiâ* enim *res parvæ creſcunt; diſcordiâ maximæ dilabuntur.*

Annon habes aliud adhuc ſignum neceſſitatis & utilitatis amicitiæ?

Habeo: quod natura ipſa non modo hominibus, ſed & brutis conjunctionis & convictus deſiderium altiſſimè inſevit. Nihil autem fruſtra facit natura, & admodum neceſſarium eſſe oportet, ad quod tantos nobis infixit ſtimulos.

CAP. II.

Amicitiæ definitio & diviſiones.

Sectio I.

Quid eſt Amicitia?

AMicitia eſt benevolentia mutua & manifeſta, quâ alter alteri ipſius cauſa bonum cupit.

Annon omnis benevolentia eſt amicitia?

Non: Eſt enim quædam benevolentia non mutua, quædam non manifeſta alteri, quædam planè otioſa, hoc eſt, non conjuncta cum deſiderio convictus, cum cupiditate gratificandi alteri, quorum utrumque in vera amicitia reperitur.

Unde amicitia oritur?

Ex eo, quod alter in altero vel re ipſa deprehendit, vel eſſe credit ejuſmodi bonum, quod amore ac benevolentia dignum ſit, & arctiorem cum eo nexum ac conjunctionem poſtulet. Hæc enim perſuaſio impetum, quem natura nobis ad amicitiam indidit, excitat & promovet.

Sectio Secunda.

Quæ eſt prima diviſio Amicitiæ?

AMicitia alia *per ſe eſt*, alia *per accidens*. Illa ex bonis per ſe oritur, hoc eſt, ex Virtute, quo nomine non modo moralem, ſed & mentis virtutem complectimur, licet illam magis: hæc ex bonis per accidens, hoc eſt, Utilitate, ac Voluptate. Unde amicitia per accidens iterum efficitur duplex: alia enim ex Utilitate eſt, alia ex Voluptate. Adeò ut in univerſum tria poſſint conſtitui amicitiæ genera: *Amicitia ex Honeſtate, ex Jucunditate, ex Utilitate.*

Suntne hæc amicitiæ genera inter ſe paria?

Non: prior enim ac potior eſt amicitia per ſe, quàm ea, quæ per accidens: & iſti quidem magis amicitiæ definitio competit, huic minus. Nam is, qui virtutis cauſa amat alterum, eum verè ipſius cauſa amat: qui verò voluptatis, aut utilitatis gratiâ, non tam ipſius, quàm ſui cauſa eum amat. Virtus enim eſt bonum illius, qui eam habet, proprium, & in ipſum vertitur; at utilitas & jucunditas, de qua loquimur, refertur aliò, nempe ad eum, qui illius conſequendæ cauſa alterum amat. Itaque amicitiæ genus eſt *ab uno*, quod non æqualiter, ſed ſecundùm magis ac minus de ſuis ſpeciebus prædicatur.

Quæ ſunt differentiæ inter amicitiam per ſe, & eam, quæ eſt per accidens?

Præter eas, quæ ex ipſa earum natura cuivis patent, nempe quod ea, quæ per ſe eſt, in viros tantum bonos cadat, quæ per accidens, in quoſvis; illa inventu ſit perrara, hæc paſſim obvia; illa multitudinem amicorum vix admittat, hæc ferat; præter has, inquam, differentias iſtæ quoque tradi poſſunt: 1. Quod ea, quæ per ſe, ſit ſtabilis, quæ per accidens, inſtabilis: illa enim virtute, tanquam ſtabili nititur fundamento, hæc fugacibus bonis. 2. In amicitia, quæ eſt ex virtute, neuter amicorum ullum deſiderat bonorum genus, quæ ab amicis expetuntur, eſt enim virtuti conjuncta ſemper jucunditas & utilitas: at in vulgaribus amicitiis hæc bonorum genera diſtingui poſſunt ac ſolent. 3. Amicitia ex virtute longa periclitatione indiget, antequam penitùs coaleſcat: diverſa vulgarium eſt ratio, maximè illius, quæ ex voluptate. 4. Illa tum criminationibus & querelis, tum ſiniſtris ſuſpicionibus vacat, quia neuter amicorum injuriam facit alteri, & cum alter alterum probè novit, ſiniſtrè de illo non ſuſpicatur; alia eſt amicitiarum vulgarium ratio. 5. Homines potentes & opulenti amicitiam ex virtute rarò colunt, ex voluptate & utilitate libenter.

Quomodo inter ſe differunt amicitiæ per accidens?

1. Eam, quæ ex utilitate, ſenes libenter colunt; eam, quæ ex voluptate, juvenes & viri juvenibus ſimiles. 2. Illa convictum non magnoperè deſiderat; hæc maximè:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

maximè : nam in convictu inprimis voluptatem ex amicis capimus. 3. Amicitia ex voluptate ferventior quidem eſt, ſed inſtabilior, niſi forte alter alterius mores paulatim imbiberit: nam & voluptas fere fugacior eſt, & juvenes, in quos cadit, inconſtantiores.

Sectio Tertia.

Quæ eſt ſecunda amicitiæ diviſio?

AMicitia alia eſt *ſimplex*, alia *miſta*: ſeu mavis, alia *ſimilium*, alia *diſſimilium.*

Quæ eſt amicitia ſimplex, ſeu ſimilium?

Eſt eorum, qui idem boni genus in amicitia quærunt, hoc eſt, eorum, quorum uterque vel virtutem, vel utilitatem, vel voluptatem ejuſdem generis ſpectat: *talis eſt amicitia compotorum* v.g. *aut colluſorum.*

Quæ eſt amicitia miſta, ſeu diſſimilium?

Cùm diverſi generis bona ſpectantur ab amicis; ut cum alter lucrum quærit, alter voluptatem: ſic *paraſiti, citharædi, caupones lucrum ſolent quærere; ii, qui eos affectantur, voluptatem.* Fieri etiam poteſt, ut alter alterius generis voluptatem, aut commodum quærat: ſic *princeps potentiam quærit, miles illius ſtipendium.*

Sectio Quarta.

Quæ eſt tertia Amicitiæ diviſio?

AMicitia alia eſt *parium*, alia *imparium*: illa *æqualitatis*, hæc *excellentiæ amicitia* dicitur.

Quæ eſt Amicitia parium?

Eorum, qui conditione vitæ ac dignitate, cauſiſque amicitiæ inter ſe ſunt æquales: ut *cùm amici virtute pares ſunt, aut utilitate, aut jucunditate, nec dignitate multùm diſcrepant.*

Quæ eſt amicitia imparium?

Eſt eorum, quorum alter alterum vitæ conditione ac dignitate, aut amicitiæ cauſa ſuperat: *qualis amicitia eſt inter magiſtratum & ſubditos.*

Quot ſunt genera amicitiæ imparium?

Tot, quot ſunt ipſius excellentiæ, quâ amicorum alter alteri præſtat. *Alia eſt præſtantia patris, qui ſuperat filium, alia mariti præ uxore, alia magiſtratus præ ſubdito, alia præceptoris præ diſcipulo: itaque alia quoque, atque alia inter eos eſt amicitia, & diverſis officiis colenda.*

Sectio Quinta.

Quæ eſt quarta amicitiæ diviſio?

AMicitia alia eſt *Politica* ſeu *civilis*, alia *domeſtica*: utraque rurſus vel *parium*, vel *imparium*. Imparium illa eſt, quæ ſuperioribus cum inferioribus intercedit: parium, quæ vel his, vel illis ſolis.

Quot ſunt genera amicitiæ civilis, quæ eſt inter impares?

Tot, quot ſunt genera, ſeu formæ Reipublicæ, ſeu adminiſtrationis civilis, in quibus aliquid juris eſt inferiori adverſus ſuperiorem.

Quotuplices ſunt Reipublicæ formæ?

Duplices: *Rectæ* & *Pravæ.*

Quot ſunt Rectæ?

Tres, quæ quidem ſunt ſimplices, ex quibus aliæ miſcentur. 1. *Regnum*, ſeu *Monarchia*, ubi unus publici boni cauſa imperat. 2. *Ariſtocratia*, ubi plures virtute ac prudentia excellentes. 3. *Democratia*, quæ generali Reipublicæ nomine appellatur, ubi omnes, qui certum habent cenſum, & imperio non ſunt indigni. Prima ſua natura optima eſt: hanc bonitate ſequitur ſecunda: tertia etiam dignitate poſtrema eſt.

Quot ſunt pravæ?

Itidem tres: 1. *Tyrannis*, quæ regno opponitur: 2. *Oligarchia*, quæ Ariſtocratiæ: 3. *Popularis ſtatus*, qui Democratiæ. In prima unus ſui commodi cauſa imperat: in ſecunda pauci potentiores opibus aut nobilitate prævalentes: in tertia omnes ingenui promiſcuè, etiam ſordidiſſimi & imperitiſſimi. Prima peſſima eſt, ſecunda minus mala, tertia inter malas optima.

Quænam domeſticæ adminiſtrationis genera rectis rerumpublicarum formis reſpondent?

Patris in liberos poteſtas regno reſpondet: Ariſtocratiæ mariti & uxoris imperium conjunctum: Democratiæ fratrum ſocietas, qui nonnihil in familiam juris & auctoritatis habent: quod ſi unus ex fratribus ætate, & auctoritate cæteris multum antecellat, ejus in fratres poteſtas patriæ ſimilis eſt.

Quæ ſocietates in domo pravis Rerumpublicarum formis reſpondent?

Tyrannidi duplex regiminis genus reſpondet: alterum vitioſum; alterum genere ipſo rectum: iſtud eſt durum & illiberale patris in liberos imperium; hoc verò ejuſdem imperium in mancipia. Oligarchiæ aliquo modo reſpondet ille ſtatus, cùm vel maritus uxoris etiam officia ad ſe trahit, & vix ullam imperii partem ei relinquit: vel uxor ſuperba mariti partes ſibi ſumit, & eum imperio vel prorſus, vel magnam partem excludit. Populari denique ſtatui reſpondet ἀναρχία; quæ cernitur in familiis domino carentibus, aut dominum quidem habentibus, ſed autoritate deſtitutum, ubi omnes imperant, nemo paret, niſi qui vult.

An in omnibus his tum civilis, tum domeſticæ adminiſtrationis formis amicitia locum habet?

In rectis magna eſt ſuperiorum cum inferioribus amicitia, in pravis exigua, interdum nulla, prout jus quoque & communitas. Hæc enim duo cum amicitia pari quodammodo paſſu ambulant; ubi enim eorum unum eſt, cætera quoque vel ſunt, vel eſſe poſſunt. Idem ſtatuendum eſt de amicitia, quæ eſt ipſorum imperantium inter ſe, cùm ii ſunt plures.

Quot ſunt genera amicitiæ, quæ inferioribus ipſis inter ſe mutuò intercedit?

Varia pro varietate ſocietatum, quas vel cives, vel ejuſdem familiæ membra inter ſe colunt: ad civiles pertinent, *tribus, centuriæ, collegia artificum, ſocietates mercatorum, publicanorum*, & ſi quæ ſunt ſimiles, quarum aliæ magis cenſendæ ſunt publicæ, aliæ privatæ magis. Domeſticæ, ſunt ſocietas fratrum, ac ſororum inter ſe ætate non multùm diſcrepantium, itemque ſervorum.

Annon alia adhuc domeſticæ amicitiæ poteſt tradi diſtinctio?

Poteſt; alia enim naturalis eſt, & dicitur *Conſanguinitas* ſeu *Propinquitas*; alia conſenſu ac voluntate hominum conſtat.

Quinam ſunt gradus amicitiæ naturalis?

Primus eſt parentum & liberorum conjunctio, quæ cæterarum hujus generis amicitiarum origo eſt & caput, & in hac amor mutuus maximè viget, ita tamen ut parentes magis ament liberos, quàm hi illos. Secundus eſt fratrum conjunctio. Tertius cognatorum præter fratres omnium, avi cum nepotibus, patrui aut avunculi cum fratrum ac ſororum liberis, fratrum patruelium, conſobrinorum, & aliorum, quos inter ſe nectit eadem ſtrips, idemque auctor generis, unde etiam illis amicitia naturalis vel major, vel minor eſt, quo à communi ſtirpe vel propiùs, vel longiùs abſunt: propiùs inter ſe cohærent fratrum duorum filii, quàm nepotes; auctor enim idem avus eſt, à quo illi propiùs abſunt, hi longiùs.

Quotuplex eſt amicitia domeſtica, quæ mutuò conſenſu conſtat?

Duplex: alia enim ad naturalem propiùs accedit; ut *conjugum & affinitate junctorum, ubi etiam naturæ quoddam intercedit vinculum*: alia longiùs ab ea recedit; ut *conjunctio domini cum ſervo, item ſodalium, aut ſervorum inter ſe.*

Sectio Sexta.

Quæ eſt quinta amicitiæ diviſio?

AMicitia alia habitu & poſſeſſione tantùm conſtat, alia etiam uſu.

Quænam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quænam amicitia habitu tantùm eſt, quæ etiam uſu?

Habitu ea conſtat amicitia, quæ in amicorum animis latet, convictu vero & mutuis officiis non colitur: Uſu, quæ ipſo ſe prodit opere, convictu, & officiorum viciſſitudine exercetur. Illa inter abſentes ferè eſt, hæc inter præſentes; nonnunquam tamen inter abſentes etiam reperitur, cùm per literas aut per legatos crebrius inter ſe colloquuntur, & alter alterius commodis ſervit: quod ſi non fiat, paulatim ipſa deletur amicitia.

Cap. III.

Præcepta de Amicitia.

Sectio Prima.

Quotuplicia ſunt præcepta de Amicitia?

TRiplicia: quædam enim ſunt de ea contrahenda, quædam de ea conſervanda, & colenda, quædam denique de eadem, ſi opus ſit, diſſolvenda. Tradenda autem inprimis ſunt præcepta de amicitia ex virtute, quæ verè hoc nomen meretur, eaque ad vulgares, quatenus licet, ſunt accommodanda: & primò quidem de ea, quæ eſt parium, tum de ea, quæ imparium, agendum eſt.

Quænam ſunt præcepta de ineunda vera amicitia?

Primum, ne cuivis manum injicias, ſed probè mores ejus ac fidem explores, cum quo arctiorem vis contrahere amicitiam. Unde ajunt, *multos ſalis modios eſſe comedendos, donec amicitia hæc penitus coaleſcat.*

Quibus in rebus fides amicorum eſt ſpectanda?

In ſecretis tegendis, in pecuniis & honoribus amici cauſa negligendis, & maximè in adverſis. *Amicus* enim *certus in re incerta cernitur.*

Qua verò ratione ea eſt exploranda?

Omnium tutiſſima via eſt, ut inquiras, quomodo illi adverſus amicos ſuos ſeſe geſſerint, aut adhuc gerant. Nam tales illos erga te fore ſpes eſt, quales erga alios fuerunt.

Quod eſt ſecundum de contrahenda amicitia præceptum?

Ut tot tibi accerſas amicos, (intellige intimos) quot unà tecum atque inter ſe familiaritatem colere commodè poſſunt, & libenter vellent, & quorum uſibus inſervire queas: utrumque enim horum jus amicitiæ veræ poſtulat. Amicorum vulgarium, cum quibus adeò familiariter vivere non eſt opus, major poteſt eſſe numerus.

Sectio Secunda.

Quænam ſunt præcepta de amicitia colenda & conſervanda?

PRimum eſt, ut in amore tum fervor ſit, tum conſtantia, & magnus voluntatum conſenſus.

Qua in re amoris ſervor cernitur?

In eo *primùm*, ut alter alteri optima quæque cupiat, non ſecus ac ſibi ipſi, & ut ea conſequatur amicus, ſedulam det operam. *Deinde* in eo, ut alter alterius rebus ſecundis æquè lætetur ac ſuis, adverſis æquè triſtetur.

Qua in re voluntatum conſenſus?

Primò in eo, ut alter alterius ſtudiis non libenter adverſetur, ſed obſequatur potiùs, quando honeſtè licet, & iiſdem delectari ſe oſtendat, vel ſaltem ea haudquaquam improbare. *Secundò*, ut ſententias ejus & conſilia non carpat, ſed vel approbet, vel ſi licet, iis cedat, vel ita modeſtè ac civiliter repugnet, ut flectere potius amicum conetur, quàm vi aliò rapere; non acerbè, non ambitioſe, ac pertinaciter ſua defendat. *Tertiò*, ut amicus diſſentientem aliqua in re amicum æquo ferat animo.

Quod ſecundum de amicitia colenda præceptum?

Ut officiorum ſit viciſſitudo & paritas, quantum quidem res amicorum ferunt: magis enim voluntas ſpectanda eſt, quàm res ipſa, ſi facultas majora præſtandi deſit. Obſervabitur autem hîc præceptum, ſi talis in amicum ſit quiſque, qualem eſſe vellet amicum in ſeipſum.

Quænam ſunt officia quæ amicus amico debet?

Ea ex doctrina de Beneficentia inprimis ſunt petenda, referunturque ad hæc duo, ad Conſilium & Auxilium, quod partim in malis avertendis, partim in bonis & utilibus parandis cernitur. Maximum autem, quod amicus amico debet, eſt, ut animam pro ipſo ponere, ſeu vitam in diſcrimen adducere non dubitet: qua de re videatur doctrina de Fortitudine.

Quo tempore maximè deſideratur amicorum officium?

Tempore adverſo: tum enim promptiſſimè amicò ſuccurrendum eſt, iſque ſolatio erigendus, conſilio inſtruendus, operâ juvandus eſt, & periculorum malorumque ſocietas non defugiendâ.

Quænam hic cautio eſt adhibenda?

Prima eſt, ne vel amici cauſâ peccemus, &, quicquid ille petierit, faciendum putemus; vel etiam rogemus amicum, ut noſtri juvandi cauſâ peccet. Honeſta tum petenda ſunt ab amicis, tum eorum cauſa facienda. Poſſunt autem nonnulla fieri amicorum cauſâ honeſtè, quæ noſtri ipſorum cauſa non ſatis honeſtè faceremus; ut *ſuperbo alicui Tyranno humiliter ſupplicare pro amico vir magnus poteſt, pro ſe ipſo non ſatis decorè.* 2. Cavendum, ne præpoſtero amici amore aut deſiderio impulſi, virtutibus aut commodis ejus obſtemus, quod ii faciunt, qui egregia eorum facinora, quia periculoſa ſint, & laboris ac moleſtiæ plena, aut neceſſaria eorum itinera, quia ipſi abſentiam eorum ferre nequeunt, impedire conantur, id quod non virorum prudentium, ſed mulierum eſt.

Quod tertium eſt de colenda amicitia præceptum?

Ut libenter cum amicis converſemur, & colloquamur, ſi præſentes ſint, coràm; ſi abſentes, per literas aut legatos.

Quomodo in amicis vel accerſendis vel adeundis nos gerere debemus?

Quod ad accerſendos amicos attinet. I. ad res noſtras lætas eos libenter ac promptè debemus advocare, ad triſtes inviti ac cunctanter. II. tum etiam eoſdem advocare debemus, cùm ii parva moleſtia ſuſcepta prodeſſe nobis multum poſſunt: tum enim eos non accerſere, eſſet illorum fidei admodum diffidere.

Quod ad amicos adeundos attinet. I. in rebus eorum adverſis eos ultrò ac promtè adire debemus, nec expectare dum vocemur. II. florentibus ipſorum rebus beneficii accipiendi cauſa cunctanter, eos aliqua in re juvandi cauſa promtè debemus adire.

Quænam in familiari convictu, & colloquiis ſunt obſervanda?

Ea in virtutum homileticarum præceptis fere ſunt expoſita. I. enim requiritur in ſermonibus veritas, candor ac fides: fucus & ſimulatio amicitiæ inimica ſunt. II. requiritur taciturnitas, præſertim in ſecretis tegendis, ſermonibus ac factis amicorum non eliminandis, qua re fiat, ut amicus cum amico adeò audacter poſſit loqui, atque ſecum ipſo. III. requiritur comitas, quæ ſuavitatem in convictu ſectetur, amicum ſoletur, vacillantem erigat, admoneat etiam, ſi ſit opus: qua de re comitatis videantur præcepta. IV. morum requiritur ſuavitas & elegantia quædam, vitandaque eſt ruſticitas & ſordes hominibus politioribus graves.

Quod eſt quartum de colenda amicitia præceptum?

Ne ſiniſtris de amico ſuſpicionibus indulgeamus, & ejus virtuti ac fidei temerè diffidamus: non quælibet ejus facta dictavé, quæ incauto fortè exciderunt, in crimen trahamus, aut ad contemptum noſtri pertinere arbitremur; ſed æquitatem adhibeamus in judicando, & in meliorem potiùs partem dicta & facta amici accipiamus.

Quod eſt quintum?

Ne criminationes ac querelas de amicis facilè admit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

admittamus; ſed eorum, præſertim abſentium, famam ſummo ſtudio ac fide contra calumnias defendamus, ipſi quoque amicos non criminemur, nec facilè apud quenquam de iis conqueramur. Si quid erit, de quo eos velimus admonitos, id faciamus ſecretò, laudemus palàm.

Quod eſt ſextum?

Si quos amicus habeat nævos, quos corrigere non poſſimus, non tamen tantos, ut amicitiam noſtram debeant dirimere, eos æquiori feramus animo; ejus in nos delictis facilè ignoſcamus; diſſimulemus ea, quæ ſalva honeſtate diſſimulare poſſumus, nec ei facile talia exprobremus. Quod præceptum iis inprimis eſt obſervandum, qui cum hominibus iracundioribus aut moroſioribus verſantur.

Quod ſeptimum?

Ne reprehenſiones amicorum, admonitioneſque ſpernamus, monentibus nunquam ſuccenſeamus, rectè monentibus pareamus, conſilia ſalutaria tum quæramus apud amicos prudentiores, tum libenter accipiamus.

Quod octavum?

Ut amicis convenientem exhibeamus honorem, eos etiam nobiſmetipſis præferre & in honoris ſignificatione prævenire ſtudeamus; omnia, quæ contemptum ipſorum arguere poſſint, diligenter vitemus. Vitanda tamen eſt nimis anxia ceremoniarum, ut vocant, ſuperſtitio, dandaque potius opera, ut in vultu, voce, ac geſtu familiaritatis ac fiduciæ erga amicos ſigna extent.

Sectio Tertia.

Quæ ſunt præcepta de vulgaribus amicitiis colendis?

DE voluptatis amicitia vix opus eſt ullum tradere præceptum. Ea conſervanda eſt convictu, ac crebra converſatione, in qua amicus ex amico eam capiat voluptatem, quam quærit.

In amicitia utilitatis hæc ſunt obſervanda.

I. Ut in accipiendis beneficiis cautus ſis, & ſi vel non poſſis, vel nolis ea compenſare, non facilè à quovis accipias, etiamſi tandem is, qui offert, hoſtimentum expectare non videatur. Fallunt enim ſæpè ii, qui hamata offerunt munera liberalitatis ſpecie, & dum maximè id agunt, ut aliquid recipiant, deſiderium ſuum maximè diſſimulant, qui tamen, niſi remuneres, graviter ſolent conqueri.

II. Si accipere beneficium placeat ab eo, quem remunerationem ſpectare ſuſpicaris, de compenſatione ſtatim cogites, & eo ipſo tempore, cum accipis, promittas.

III. Tantum reddas, quantum acceperis, & compenſationem nimis diu ne differas, nec extorqueri à te patiaris.

Cuinam æſtimatio beneficii eſt relinquenda?

Ei, qui accepit, niſi forte is, qui largitur certam veluti mercedem ſtatim ſtipuletur. Aliàs qui abſque conditione dat beneficium, ejus judicio & fidei rem totam videtur permittere.

Quid in æſtimatione beneficii eſt ſpectandum?

1. Utilitas. 2. neceſſitas. 3. quo tempore acceperis. 4. an ab alio etiam potueris accipere, an vero ab eo ſolo, qui dedit.

Quando æſtimatio eſt facienda?

Vel tum, cum beneficium nondum eſt acceptum; vel tum, cum id adhuc recens eſt, & fructus ejus maximè ſentitur. Aliàs iniqua ſæpe fieret æſtimatio, cum beneficiorum gratia cum tempore ferè exoleſcat, & plerique majoris ea faciant, quibus indigent, & quæ adhuc expectant, quam quæ jam acceperunt, præſertim dudum.

Sectio Quarta.

Audivi de Amicitia parium; quid in amicitia imparium eſt obſervandum?

UT juſta ſit amoris, honoris, & officiorum proportio.

Qua in re proportio iſta cernitur?

Hoc ut intelligas, tum ſuperiorum erga inferiores, tum inferiorum erga ſuperiores officium conſiderandum eſt.

Quod eſt officium ſuperiorum erga inferiores?

I. Ut ii, qui opibus antecellunt, aut alio aliquo bonorum genere, quod in inferiorum amicorum commodum convertere poſſint, plus utilitatis in eos conferant, minus ab iis poſtulent.

II. Ut ii, qui dignitate antecellunt, ſeſe ad inferiores quodammodo demittant, comitate, facilitate, modeſtiaque ſua eos erigant, non verò ſupercilio ſuo ac nimia gravitate à ſe abſterreant: breviter; magis id agant, ut ab amicis amentur, quàm ut timeantur & colantur. Qua tamen in re ſtatus uniuſcujuſque conſiderandus eſt, & conſulendum imperii, ſi quod eſt, dignitati & auctoritati.

III. Ut iidem dignitatem ſuam cum amicis, præſertim iis, quos virtus aut ſapientia ſibi conciliavit, quodammodo communicent, & eos apud alios reddant honoratiores.

Quod eſt officium inferiorum erga ſuperiores?

I. Ne ſuperioribus invideant.

II. Ut eos, qui virtute, ſapientiâ, aut alio aliquo dignitatis genere antecellunt, honorent ac colant, non verò ob familiaritatem, aut ob eorum modeſtiam ac humanitatem contemnant, & iis ſeſe prorſus æquent: ſed cum illorum facultate certent modeſtiâ, & quanto magis illi ſe demittunt, tantò magis eos ſuſpiciant ac colant.

III. Ut iis, qui aliquid in ſe poteſtatis habent, obſequium præſtent, & quanto major ea eſt poteſtas, tantò magis.

IV. Ut eos, qui beneficentia, aut aliquo alio virtutis genere ſunt ſuperiores, magis ament, quam ſe ab iis amari poſtulent.

V. Si contingat, ut ii, qui beneficiis ſuis ipſos devinxerunt, aliquando ipſorum operam ac beneficia viciſſim deſiderent, iis libentiſſimè gratificentur, & eorum merita remunerare ſtudeant.

Quid hinc de officio liberorum erga parentes colligis?

Liberi parentibus debent. I. maximum inter mortales amorem ac benevolentiam. II. honorem ac reverentiam ſummam. III. obſequium potiſſimum. IV. curam ac victum, ſi parentes ſibi ipſis proſpicere nequeant: qua in re eouſque progrediendum eſt liberis, ut ipſi malint egere, quam parentes rebus neceſſariis deſtitui. Sacræ literæ hæc omnia uno honoris nomine complectuntur.

An in omnibus prorſus obediendum eſt parentibus?

Non, ſed in iis, quæ cum honeſtate non pugnant: ac præterea cum de re agitur, cujus non ſatis gnari ſunt parentes, peritiorum ac prudentiorum judicium ſequi poſſunt liberi, ſed ita, ut quam modeſtiſſimè à parentum judicio diſcedant, non verò ita agant, ut imperitiæ parentum illudere, vel auctoritatem ſpernere videantur. Quod ſi tamen parens, is præſertim è cujus poteſtate nondum exieris, omninò urgeat, ut ſuum potius ſequaris conſilium, ita ut gravis ſit ſequutura offenſio, niſi ei morem geras, ex ejus autem conſilio non ſit magnum aut irreparibile damnum ad te rediturum, in commoda tua potius peccare debes, quam parentis ſpernere voluntatem.

An quivis honores patri potius, quam alii alicui ſunt deferendi?

Non, ſed ii tantum, qui ei conveniunt. Aliàs honores ac munera ſive in Republica, ſive in Eccleſia dignioribus potius ſunt deferenda & peritioribus, qui ea majori cum fructu poſſint obire, nec committendum, ut privatus amor publicis commodis obſtet.

Quid diſcipuli debent præceptoribus fidelibus?

Similia iis, quæ parentibus debent liberi, habita tamen ratione meritorum, quæ in nos contulerint. Digna eſt Ariſtotele vox: *Deo, parentibus ac præceptoribus dignum perſolvi præmium non poſſe, tribui tamen id debere, quod poſſimus, maximè honorem.* Ii enim ſunt, qui

maxima

maxima in nos conferunt beneficia: Parentes ut vivamus; præceptores unà cum illis ut benè ac feliciter vivamus, curant; utrumque autem per illos præſtat Deus.

Annon officia etiam ſubditorum erga magiſtratus, ſervorum erga Dominos, uxorum erga maritos, & contra horum erga illos huc pertinent?

Pertinent: Sed ea obſervato uniuſcujuſque ſtatu ex generalibus præceptis paulò ante traditis colligi poſſunt. Quis autem ſit uniuſcujuſque ſtatus in Politica & Oeconomica, quibus Theologia quædam addit, explicatur.

Quid ex præceptis de amicitiâ colenda hucuſque traditis colligi poteſt?

Cauſæ, quæ amicitiam aut conſervant, aut corrumpunt. Ea enim, quæ hactenus præcepimus, ſi ab utraque parte obſerventur, amicitiam conſervant; ſi omittantur, labefactant, aut penitus abolent. In univerſum autem peſtes amicitiæ ſunt avaritia, ambitio, & contemtus amicorum ob fortunæ proſperitatem, perfidia, diffidentia, ſimulatio, iracundia, moroſitas, ſilentium nimis diuturnum.

Sectio Quinta.

Quid eſt obſervandum in amicitia diſſolvenda?

PRimò cauſa, ob quam ea ſit dirimenda; deinde modus.

Quam ob cauſam amicitia jure diſſolvitur?

Cùm ea non amplius habet amicus, aut præſtare non vult, ob quæ amicitia inter nos & illum conſtabat, & ea, quæ antea præſtitit, tantam vim non habent, ut iis etiam ceſſantibus nos ei nihilominus devincti eſſe debeamus: qualia ſunt parentum, aliorumque in nos merita. Juſtiſſima autem cauſa eſt, quando amicus, cum quo noſtra nos conjunxit voluntas, à virtute ad inſanabilem deſciſcit improbitatem; nam tum ab ejus familiaritate abſtinendum eſt, tum ne ei evadamus ſimiles, tum ne videamur. Parentum & aliorum benemeritorum, itemque eorum, qui imperium aliquod in nos habent, quod ex arbitrio noſtro non pendeat, amicitiæ penitus renunciare nunquam poſſumus.

An aliàs nunquam diſſolvi poteſt amicitia?

Interdum ipſa amicitia ſponte ſua ceſſat, cùm inter amicos vel ob locorum diſtantiam, vel ob nimiam dignitatis ac conditionis diſcrepantiam non poteſt coli familiaritas, ut, *ſi condiſcipulorum alter ſordido vitæ generi ſeſe addicat, alter ad ſummos honores perveniat.*

Quis eſt modus diſſolvendi amicitiam?

I. Obſervandum eſt, ne protinus amicum, etiam in vitium aliquod prolapſum, deſeras, ſed tam diu in eo ad frugem revocando labores, donec tandem videas, jam eſſe conclamatum.

II. Si vel ob locorum diſtantiam, vel ob dignitatis diſcrimen diſſolvatur amicitia, priſtinæ tamen conjunctionis memoria retinenda eſt, & favore ſaltem ac benevolentia majore proſequendus eſt amicus noſter vetus, quam ignotus aliquis.

III. Cavendum eſt, ne amicum perfidè videamur deſeruiſſe: quod accidit, ſi amicum in rebus ejus adverſis, cùm aliàs operam noſtram non injuria videatur poſtulare, deſeramus.

C A P. IV.

Quæſtionum de Amicitia Explicatio.

Q U Æ S T I O I.

Utrum ſimilitudo, an verò diſſimilitudo magis conciliat amicitias?

SImilitudo magis: nam ea per ſe, ac naturâ ſuâ conjungendi vim habet. Unde vulgò dicitur: *ſimilis ſimili gaudet; graculus graculo aſſidet; æqualis æqualem amat.* Diſſimilitudo per accidens tantùm conjungit, quatenus nempe contingit, ut ii, qui diſſimiles inter ſe ſunt, vel mutuis commodis ac honoribus non obſtant; vel etiam facilius ſibi mutuò ea præſtare poſſunt, quæ uterque deſiderat. Nam aliàs cùm eorum, qui idem forte artificii genus tractant, alter alterius laudi, honori, aut commodis obſtat, vel alteri id præſtare non poteſt, quo is eget, ſimilitudo vim quandam ad disjungendas amicitias habet; hinc iſta: *figulus figulum odit, cantor cantori invidet.*

Q U Æ S T I O II.

An benemeritò potius, quàm viro bono ſuccurrendum eſt, ſi utrique nequeas?

Generatim loquendo, benemerito potiùs, quàm viro bono: interdum tamen, circumſtantiis ita poſtulantibus, contrà faciendum eſt. Iſtud patet, quia debita reddenda potius ſunt creditoribus, quàm alteri, licet viro bono, donandum: at benemerito debetur remuneratio. Hoc patet, quia contingere poteſt, ut vir bonus in longè graviori periculo ſit conſtitutus, quàm benemeritus, & Eccleſiæ vel Reipublic. longè ſit utilior, & præterea alio tempore liceat beneficium compenſare benemerito: tum enim honeſtas ſuadet, ut viro bono potius ſuccurras, quàm bene merito. Quemadmodum enim non quovis tempore reddendum eſt debitum, ſed ſuo; ita & beneficium.

Q U Æ S T I O III.

An amicorum inimicis nos quoque inimici eſſe debemus?

Non: nam & Chriſtiana id prohibet pietas, & ratio diſſuadet: (1.) quid ſi enim alter ille ſit innocens, aut de me optimè meritus? (2.) pari ratione deberem etiam eum odiſſe, qui cum altero fortè amico meo inimicitias exercet, & ſic utrique vel ob unius odium eſſet valedicendum. (3.) Quin potius in utriuſque amicitia perſeverare debeo, ut eos tantò faciliùs in gratiam reducam, ut delinquentes corrigam, quæ res Reipub. nonnunquam valde utilis eſt, imò neceſſaria. At qui cum altero conſpirat adverſus alterum, aditum ſibi ad eum reconciliandum intercludit. Denique neceſſitas interdum cogit in inimici tui amicitia perſeverare, ut ſi is ſit pater, magiſtratus, conjux, dominus, aut alius, cui renunciare non liceat.

Sed quomodo ſe gerere debet is, qui cum amici ſui inimico amicitiam colit?

Non debet adverſus alterum conſpirare, ſed ejus potius cauſam apud inimicum agere, & eum in gratiam cum altero reducere.

Q U Æ S T I O IV.

An vir bonus ſeipſum maximè debet amare?

Partim debet, partim non debet, pro diverſo genere amoris, quo quis ſeipſum complecti poteſt.

Quotuplex ergo eſt amor ſui?

Duplex: alter honeſtus eſt, vulgo ferè ignotus; alter inhoneſtus, ſed vulgò notiſſimus.

Quinam eſt amor ſui honeſtus?

Cum quis bona verà, hoc eſt, ſapientiam, virtutem, ipſamque immortalitatem, & ſi quæ ſunt alia cæleſtia divinaque munera, ſibi vehementer optat, eaque parare magna animi contentione laborat: bona vulgaria aliis potius relinquit, cum honeſtè poteſt, quam ſibi ſumit. Hoc qui facit, is mentem, cujus bona præcipuè quærit, adeoque ſeipſum verè amat. Quiſque enim id maximè eſt, quod in ipſo eſt præſtantiſſimum, & qui iſtud amat, ſe revera amat. Hoc amoris genere vir bonus ſeipſum maximè amare debet.

Quis eſt amor ſui vitioſus?

Cùm quis neglectis veris ac ſolidis bonis, vulgaria & evanida, honores, pecunias, voluptates corporis ſectatur, & in iis potiora ſibi vindicat: qui amor corporis eſt, non mentis, & vix philautias nomen meretur, quod tamen vulgò ſolus obtinet, quia ſolus fere notus eſt. Hoc amoris genere non debet ſeipſum maximè complecti vir bonus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Anon cum amore ſui pugnat pro aliis vitam ponere?

Cum poſteriori pugnat, ſed non cum priori, quem verum ſui amorem diximus; imò cum hoc maximè conſentit: nam qui iſtud facit, vitam quidem prodigit, ſed id, quod honeſtiſſimum ac præclariſſimum eſt, ſibi ſumit, & brevem quidem, ſed magnam voluptatem, quam ex tam inſigni facinore capit, diuturnę, ſed exiguę pręfert; brevem, ſed honeſtiſſimam vitam anteponit longę ac minus glorioſę; denique quod omnium maximum eſt, & ex religione Chriſtiana petitum, immortalem vitam mortalis jactura quodammodo redimit, & ad ſupremam gloriam aditum ſibi patefacit, qua de re explicatiùs Theologia agit. Idem ferè dicendum eſt de eo, qui vulgaria bona aliis honeſtè relinquit, aut minorem ſibi eorum partem vindicat.

Quæstio V.

An etiam amicitia quædam poteſt eſſe unicuique ſecum?

Poteſt, ſed impropriè dicta, quę tamen veluti norma quædam eſſe debet amicitię verę.

Qua in re conſiſtit?

In his quatuor. I. ut quis ſeipſum maximè velit eſſe ſalvum & incolumem, præſertim ejus partis ratione, quę eſt omnium pręſtantiſſima. II. ut bona vera ſibi & cupiat & tribuat maximè. III. ut ſibi ipſi maximè conſentiat, & ante facta & poſt facta. Ante facta, ne ſecum ipſe in conſiliis luctetur, certante hinc ratione, illinc appetitu, & nunc hoc, nunc illa vincente. Poſt facta, ne id, quod antea probârat, poſtea improbet, & cupiditas fortè gaudeat, ratio doleat. IV. ut ſecum libenter vivat, hoc eſt, animum, conſilia, factaque ſua recognoſcere, & ſecum expendere non horreat, imò magnam ex ea re capiat voluptatem, quia & facta & conſilia ſint honeſta & laude digna. Hæc omnia in vera amicitia locum habent. *Amicus* enim *eſt alter idem.* Itaque quemadmodum quiſque erga ſe ipſum affectus eſt, ita erga amicum eſſe debet.

In quoſnam hæc amicitia cadit?

In viros bonos, & quidem quo meliores fuerint, tanto magis: in cæteros non niſi eatenus, quatenus aliquid cum viris bonis habent commune: in extremè improbos vix ullo pacto. Itaque amicitia etiam, quæ viro bono eſt ſecum ipſo, norma eſſe debet veræ amicitiæ, ſeu ejus, quæ cum altero virtutis cauſſa colitur.

Cur in extremè improbos non cadit?

1. Quia cum in ſe inveniant id, quod maximè eſt odio dignum, quodque eos perpetuò excruciat, nempe graviſſima atque immania ſcelera, vita illis moleſta eſt, ſeque ipſos ſupereſſe non admodum cupiunt, imò ſæpè mortem optant, aut ſemetipſos è medio tollunt. 2. vera bona ſibi non parant. 3. à ſe ipſis ſæpè maximè diſſident, & id, quod modo cupiêre, mox repudiant; nonnunquam alia vellent, alia faciunt, & ea, quæ perniccioſa eſſe cernunt, propter voluptatem perſequuntur; cum flagitia ſua expleverunt, cupiditas lætatur, ratio, poſtquam aliquantulum evigilârit, dolet: cum ea impediuntur, contra accidit, modo aliquid judicii de rebus honeſtis ac inhoneſtis ſuperſit. 4. Secum ipſis verſari horrent, cùm nihil in ſe inveniant jucundum; contrà verò terreat memoria præteritorum, metus futurorum. Pœnitentiâ nempe & dolore pleni ſunt improbi, eoſque conſcientia diris atque æternis cruciatibus torquet. Unde compotorum & colluſorum ferè quærunt conſortium, ut tempus fallant, & conſcientiæ convitia minus audiant, temulentiaque vim illius obruant: quærunt quidem aliquando ſolitudinem, ſed quam diu ferre nequeunt, & quæ eos perpetuis tormentis lancinat ac conficit.

Quæstio VI.

Cur benemeriti vehementius amare ſolent eos quibus benè fecerunt, quam contra hi illos?

1. Quia is, in quem beneficium confertur, majorem verioremque voluptatem affert bene merito, quàm contrà hic illi. Nam qui beneficium dat, honeſtum conſequitur, qui accipit utile tantum: at honeſtum amabilius eſt utili, & ſolidiorem conſtantioremque affert voluptatem. 2. Quia beneficium dare difficilius eſt, quam accipere: at quæ majori labore conſtant, chariora ſunt, quam quæ exiguo, aut nullo. *Quâ de cauſa ii, qui divitias labore ſuo pepererunt, vehementius eas amant, quam quibus res ab aliis relicta eſt. Hinc etiam matres vehementius amant liberos, quam patres, quod illis maximo conſtent dolore.* 3. Ex naturâ petita eſt: quia quiſque videtur magis opus ſuum amare, quam opificem opus, ſi ſenſu ſit præditum: nempe quia opus argumentum eſt vitæ opificis ſui, & ingenii ipſius quædam veluti imago, in qua ſe ipſum contempletur. *Unde Poëtæ carmina ſua amant, non ſecus, ac parentes liberos ſuos.* 4. Quia is, qui beneficium dedit creditoris eſt inſtar, qui accepit debitoris: at creditor magis vult ſalvum eſſe debitorem, quàm contra hic illum; ille, ut ſuum recipiat; hic, ne reddere cogatur. Sed hæc ratio ad illos tantum pertinet, qui utilitatem vel ſolam, vel maximè in amicitia quærunt.

An eædem ſunt cauſæ cur parentes magis amare ſoleant liberos, quam contra hi illos?

Maximè huc pertinent ſecunda & tertia, prima minus: ultima non niſi in improbis liberis locum habet. Sed iſtis hæ quoque addi poſſunt: 1. Quod liberi pars quædam ſunt parentum, non parentes liberorum; vel ut Rutheni dicere ſolent: quia ſanguis parentum in liberis eſt, non liberorum in parentibus. Non eſt autem dubium, quin eum vehementius ames, qui pars tui eſt, tuuſque ſanguis, quam eum, qui non eſt. 2. Quia parentes certius nôrunt liberos ſuos, quam contra hi illos. 3. Quia amor parentum erga liberos ab ipſo eorum ortu incipit, & ipſo augetur uſu: at liberorum amor tum demum incipit, cum parentes eorumque in ſe amorem ac beneficia agnoſcere poſſunt.

Quæstio VII.

Cur convictus amicorum ad morum ſimilitudinem efficiendam tantum habet robur?

1. Quia quiſque ea ſtudia, eaſque actiones, quibus maximè delectatur, in convictu cum amico exercere, & eum tum exemplo, tum perſuaſionibus ad eaſdem pertrahere ſolet. Eſt enim convictus conjunctio quædam ac communicatio vitæ, ſeu actionum iſtarum, quas libentiſſimè exercemus, & propter quas vitam putamus expetendam. *Itaque ii, qui potu delectantur, cum amicis compotare; qui aleâ, ludere; qui armis, pugnare; qui venatione, feras ſectari; qui literis, diſputare ſolent.* Quare ſi amicus rebus honeſtis delectetur, virum bonum te efficiet, ſi turpibus imbrobum.

2. Adde quod hominis ingenium ad imitandum admodum eſt proclive: ſolemus autem eos inprimis imitari, quos amamus, & quorum exempla crebriùs ante oculos verſantur. Tales verò ſunt amici, cum quibus familiaritatem quotidiè colimus. Quanquam verò tum ad virtutem, tum ad vitium magnam vim habent crebri cum amicis congreſſus; majorem tamen habent ad vitium quam ad virtutem. Vitium enim in proclivi eſt, imò in præcipitio: virtus in arduo; poteſtque hîc illud uſurpari poëtæ:

——— *Facilis deſcenſus Averni:*
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt.

FINIS ETHICORUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ETHICA ARISTOTELICA,

Ad Sacrarum Literarum normam emendata.

PARS PRIMA, DE BEATITUDINE.

Caput I.

Prolegomena de natura & ſtudio Ethicæ.

ETHICA eſt diſciplina practica, rationem humanæ felicitatis conſequendæ explicans. Dicitur autem Ethica, ſive moralis diſciplina, quia *mores* hominum, hoc eſt, actiones virtutum & vitiorum, explicat: actiones quidem virtutum, quæ ſunt potiſſimum felicitatis adipiſcendæ medium, per ſe, vitiorum vero per accidens.

Partes Ethicæ ab Ariſtotele conſtitutæ ſunt *quatuor*. *Prima eſt de Felicitate*, ſeu *ſummo bono*, atque *ultimo vitæ humanæ fine*. *Secunda de Virtute*, cujus ope bonum hoc potiſſimum aſſequimur. *Tertia de Voluptate*, quæ partim felicitatis comes eſt, partim virtutis objectum, ſive ſubjectum. *Quarta de Amicitia*, quæ & ipſa felicitatis comes eſt, & virtuti conjunctiſſima, atque ad totam hominum vitam maximum habet momentum. Priores duæ ſunt principes ſeu primariæ, duæ verò poſteriores ſunt ſecundariæ, & priorum cauſâ, ad quas referuntur, additæ.

Ordo hujus diſciplinæ eſt *reſolutivus*: progreditur enim à fine, hoc eſt, felicitate, ad media, nempe virtutes, & cætera ad virtutem pertinentia. Ratio docendi eſt minus exquiſita, ob materiæ in qua verſatur inconſtantiam. Actiones enim humanæ, ſeu honeſta & inhoneſta, de quibus hîc inprimis agitur, ob varietatem circumſtantiarum mire variant.

Germanus hujus diſciplinæ *auditor* eſt is, qui aliquam habet actionum humanarum experientiam & uſum; & partim educatione, partim ſtudio & aſſuefactione laſcivientes in animo cupidicates aliqua ratione jam repreſſit & compoſuit. Alias enim vel ea de quibus hîc agitur non plene percipiet, nec de iis recte ob imperitiam judicabit; vel ſine fructu, obſtante affectuum vi atque impetu, ea audiet, nec finem hujus doctrinæ aſſequetur, qui non eſt cognitio ſed actio.

Cap. II.

An ſit Beatitudo.

PRima Ethicæ pars de *Felicitate* ſeu *Beatitudine* humana tractat. *Beatitudinis* autem nomine intelligimus ultimum vitæ humanæ finem, ſeu ſummum ac perfectiſſimum hominis bonum.

De *Beatitudine* hæc quatuor potiſſimum explicanda ſunt: 1. *An ſit*. 2. *Quid ſit*. Ubi etiam, veluti in tranſitu, quotuplex ſit dicetur. 3. *Qualis ſit*, ſeu quæ ipſius adjuncta. 4. *Unde ſit*, ſeu à quibus cauſis proficiſcatur. Quibus abſolutis, appendicis loco nonnulla de iis quæ Beatitudini opponuntur, adjicientur.

Quod ad primum attinet; ut oſtendatur eſſe Beatitudinem, ſeu poſſe hominem ad Beatitudinem pervenire, (alias fruſtra de ejus conſequendæ ratione diſputaretur, & doctrina hæc foret prorſus inutilis:) ante omnia ſciendum eſt, *ſummum hominis bonum*, quod felicitas dicitur, & *ultimum vitæ humanæ finem*, *idem eſſe*. Nam cum *Bonum* in genere & *Finis* inter ſe convertantur, ſeu re ipſa idem ſint, certe etiam ſummum bonum, & ſummus ſive optimus finis idem erunt. Optimus autem finis eſt ultimus, qui propter ſeipſum tantum, nunquam vero propter aliud expetitur. Cui fini quo quidque ſua natura eſt propius, tanto eſt melius, ſeu majus bonum.

Hoc ita conſtituto, *primò* probandum eſt eſſe in humanis rebus bonum ſeu finem. *Deinde* inter bona ſeu fines gradus dari, & alia aliis antecellere. *Tertiò*, inter ea dari ultimum, ſive optimum & excellentiſſimum, quo omnia reliqua referantur: quod eſt illud ipſum quod quærimus, hoc eſt Beatitudo.

1. Eſſe bonum in rebus humanis patet ex eo, quod omnes artes omneſque actiones hominum finis alicujus gratia ſuſcipiantur, eumque appetant: ut medicina ſanitatem, ars militaris victoriam. At quicquid ab aliquo appetitur id bonum eſt, ſive verum ſive apparens: cum *Bonum* à veteribus definitum ſit, *Quod omnia appetunt*.

2. Reperiri autem in bonis ſive finibus gradus quoſdam, & alios aliis eſſe præſtantiores, ex ipſarum artium ſive facultatum, quæ ad illos fines adſpirant, differentia patet. *Primò* enim ſunt artes ſeu facultates aliæ principes ſeu architectonicæ, quæ imperant aliis, & earum operâ utuntur: aliæ vero ſunt adminiſtræ & famulæ, quæ prioribus ſerviunt. Architectonica v. gr. eſt Politica, ſeu Prudentia quæ Rempublicam gubernat & regit. Hæc enim Imperatoriæ arti, Oratoriæ quæ cauſas civiles tractat, & Oeconomicæ aliiſque artibus præeſt, & quænam in civitate locum habere, quæ minus, ac quouſque progredi debeant, præſcribit, earumque operâ ad Reipublicæ ſalutem utitur: hæ vero artes illius ſunt miniſtræ & famulæ. Quia vero præſtantiores ſunt artes Architectonicæ quam adminiſtræ, fines quoque illarum ad quos referuntur in eodem diſcrimine verſari eſt neceſſe, & artium principum pręſtantiores, miniſtrarum viliores eſſe, & hos ad illos referri eorumque inſtrumenta eſſe. *Secundò*, Ut inter ipſas adminiſtras artes eſt magnum, quod ad dignitatem attinet, diſcrimen, & alię aliis rurſus inſerviunt, & à pręſtantiſſima arte longius aut propius abſunt; ita etiam inter earum fines idem diſcrimen erit. Sic ars fręni-factoria ſervit equeſtri; hęc enim illius operâ & inſtrumentis ab ea confectis utitur: equeſtris militari & imperatorię: hęc Politicę, quę de ſumma rerum agit. Quare equeſtris finis melior ac potior eſt fine fręni-factorię, & militaris ſeu imperatorię potior fine equeſtris. *Tertiò*, In artibus illis quarum finis eſt non actio tantum, ſed & opus actione illa perfectum, opus melius eſt actione. In diverſis autem artibus ſecus ſe res habet. Nam ejus artis finis eſt melior quę in actione conquieſcit, quam quæ opus aliquod conficit, ſi cętera ſint paria. Ut equeſtris cujus finis proprius & internus eſt actio, eſt melior quam fręni-factoria, cujus finis eſt opus; & finis artis gubernatorię quam naupegicę; illius enim finis proprius actio eſt, hujus opus.

3. Dari in finibus adeoque etiam in bonis ultimum ac præſtantiſſimum, patet ex eo, quod ſi omnia propter aliud expeterentur, nec eſſet aliquis ultimus finis qui tantum propter ſe, nunquam vero propter aliud expeteretur, res progrederetur in infinitum, & appetitus noſter qui in bonum fertur, finem ſuum non aſſequeretur, cum infinitam finium ſeriem tranſire non poſſit. At appetitus ille naturalis eſt: à natura autem nihil fruſtra nobis eſt ingeneratum. Quin ne bonum quidem ullum naturâ eſſet. Omnes enim intermedii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fines, boni rationem habent propter finem ultimum, ad quem referuntur, & qui per ſe naturam boni habet, non aliunde. Quod ſi ergo nullus eſſet ultimus finis, nullum eſſet in humanis bonum: quod eſt contra id quod à principio probavimus, & quod omnium hominum teſtimonio eſt manifeſtum. Cum ergo probaverimus eſſe ultimum in rebus humanis finem, probatum etiam eſt eſſe ſummum hominis bonum, cum hæc eadem eſſe docuerimus.

Cap. III.

Quid ſit Beatitudo.

UT naturam & eſſentiam beatitudinis rectius cognoſcamus, primum ſententias de beatitudine falſas eaſque potiſſimas refutabimus, tum veram de ea ſententiam aperiemus: ſeu primum *quid non ſit felicitas*, tum *quid reipſa ſit* explicabimus.

Sententiæ falſæ de Felicitate, quæ quidem inter cæteras eminent, (non enim de omnibus agimus, cum prope ſint infinitæ) ſunt partim *vulgi*, & eorum qui vulgi hac in parte judicium ſequuntur, partim *hominum politiorum & eruditorum.* Vulgi duæ ſunt opiniones: vel enim in voluptate corporis, vel in divitiis felicitatem conſtituunt.

Voluptatem corporis non eſſe ſummum hominis bonum ex eo patet, quod etiam brutis & hominibus viliſſimis ſit communis. Præterea ad deteriorem tantum hominis partem pertineat, hoc eſt, ad corpus; ad animum vero ſeu mentem minime, cum hujus etiam operationes ſæpe impediat. Horum autem nihil de ſummo hominis bono, quod illi proprium eſt, dici poteſt.

Divitias non eſſe ſummum bonum ex eo patet, quod ſint ex rerum utilium genere, ac proinde ſua natura alterius cauſa comparentur. At ſummum bonum propter ſe tantum expetitur. Præterea divitiæ vi ac fraudibus comparari poſſunt, beatitudo minime. Nec hominem reddunt revera bonum, beatitudo reddit: quæ tertia ratio etiam voluptati corporis communis eſt.

Hominum politiorum & melius vulgo ſentientium duo ſunt genera. Quidam enim in rebus agendis maxime verſantur, qui *politici* aut *practici* dicuntur; quidam *contemplationi* ſunt cumprimis dediti. Illorum ſententia eſt duplex: alii enim in honore ſummum bonum collocant: alii (& hi propius ad veritatem accedunt) in ipſo virtutis habitu.

Honorem non eſſe ſummum bonum patet, primo quod honor non ſit revera in poteſtate illius qui honoratur, ſed ejus qui honorem exhibet, à cujus arbitrio pendet: unde vulgo ajunt, honorem non tam eſſe honorati quam honorantis. At beatitudo proprium eſt hominis bonum, & in beati poteſtate ſitum, ipſique, ut ita loquar, internum. Deinde ex eo quod honor à politicis propter aliud expetitur, nempe ut ſuam de ſe ſuaque virtute opinionem confirment. Hinc ab hominibus prudentibus, laudatis ac probis, & quibus ipſi noti ſunt, & virtutis cauſa honorari gaudent. At expeti alterius rei gratia, à ſummi boni natura eſt alienum. Ex ſecunda ratione oritur tertia, quod virtus honore melior, beatitudine nihil. Quod argumentum etiam ad ſuperiores ſententias pertinet.

Virtutis habitum, ab actionibus honeſtis, quæ ex illo proficiſcuntur, diſtinctum, non eſſe ſummum bonum, probatur primum eò, quod habitus virtutis actionum cauſa paretur; beatitudo nullius. Secundò, quod virtutis habitus, rei natura inſpecta, poſſit reperiri in homine qui per totam vitam dormiat, aut maximis & graviſſimis calamitatibus opprimatur. Utrumque horum à beatitudine eſt alienum.

Reſtat ſententia Philoſophorum, qui contemplationi ſunt maxime dediti, atque inprimis Platonicorum, qui *Ideam bonorum*; hoc eſt, exemplar perfectiſſimum, in quo omnium bonorum natura maximè reſplendeat, & ex quo bona omnia ſint quodammodo expreſſa, in divina mente exiſtens, hanc, inquam, ideam ſummum bonum eſſe ſtatuerunt. At 1. nec iſtæ Ideæ revera exſtant. 2. nec ſi eſſent, aliqua eſſet communis omnium bonorum Idea, cum unum non ſit bonorum genus, ſed toto genere ſeu Categoria multa differant, ut mens & virtus: nec una eorum omnium ſcientia, nec æqualiter ſint bona, ſed ſecundum prius & poſterius, magis & minus dicantur: quæ ab Ideæ communis natura abhorrent. 3. Tandem etiam, licet exſtaret communis aliqua boni Idea, in ea tamen felicitas non conſiſteret, cum ea non ſit bonum ejuſmodi quod ab homine parari & actione acquiri poſſit: quale eſt ſummum hoc quod quærimus bonum.

Beatitudinis humanæ definitio duplex tradi poteſt: *una imperfectior*, conſtans genere remotiori, differentia formali latiori, & ſubjecto, quod materiale vocant, quodque reliquarum partium latitudinem ad certam ſpeciem reſtringit: *altera perfectior*, quæ genus proximum, differentiam ſpecificam, ac veram beatitudinis cauſam, id quod ad perfectam accidentium definitionem requiritur, explicat.

Prior definitio rurſus non uno modo tradi poteſt, quia genus duplici ratione, differentia variis exprimi poteſt: ita tamen ut prope idem maneat ſenſus, & ab uno omnes proficiſcantur reliqui. Genus conſtitui poteſt vel Bonum, vel Finis. Subjectum homo eſt, vel, ſi placet, vita humana. Differentia eſt Summum, ſi boni nomen loco generis ponas: ſi finem conſtituas vox Ultimi accommodatior eſt. Eſt ergo *primus* Felicitatem definiendi modus, ex quo cæteri ducuntur, quod ſit, Bonum hominis ſummum. *Secundus*, quod ſit, Finis hominis ſive vitæ humanæ ultimus: qui modus ex priori deducitur. Diximus enim antea, finem ultimum & ſummum bonum idem eſſe. Ex ſecundo ſequitur *tertius*, quod Felicitas ſit finis ſeu bonum hominis propter quod reliqua omnia expetuntur, ipſum vero propter ſe ſolum. Hæc enim eſt finis ultimi definitio. Hinc ducitur *quartus*, quod ſit, Bonum hominis perfectiſſimum. Nam cum triplicia ſint bona, quædam quæ ſemper propter alia expetuntur, ut inſtrumenta, opes omniaque utilia; alia quæ & propter ſe ipſa expetuntur & propter alia, ut virtus, eruditio, valetudo, ſenſuum integritas, & nonnullæ voluptates, quæ, etiamſi nihil aliud inde proveniret boni, expetendæ tamen eſſent, cum ſint affectiones quædam optimæ, & perfectiones ſui ſubjecti, & naturam aliqua ratione expleant, expetimus tamen etiam beatitatis cauſa; quædam denique propter ſe tantum: primi quidem generis bona ſunt imperfecta, ſecundi perfecta, tertii perfectiſſima, cum omnem boni rationem in ſeipſis incluſam gerant, nec aliunde expectent. In his autem eſt beatitudo, ut ex definitione tertia patet. Eſt autem felicitas bonum perfectiſſimum, habita ratione ſubjecti & generis ſui. Perfectum enim eſt, quatenus humanorum bonorum, in quorum cenſu eſt felicitas, natura & ingenium patitur: habetque perfectio hæc quandam, ut loquuntur, latitudinem, nec omnem acceſſionem aut decrementum, modo ne ſit inſigne, prorſus refugit, ut mox clarius patebit. *Quintus* modus ex proximo naſcitur, quod ſit, Bonum hominis maxime expetendum. Quo enim quidque eſt perfectius, tanto eſt magis expetendum. Quod ergo bonum omnium eſt perfectiſſimum, id etiam maxime expetendum eſt. Intelligendum autem id eſt de Beatitudine, ſi ſola reliquis hominis bonis opponatur. Nam ſi cum aliis bonis, quæ ab ea poſſunt abeſſe, conjungatur, ſeipſam ſolam & ab iis ſejunctam ſuperabit, & magis erit expetenda. Sic gemma aureo inſerta annulo, ſeipſa ſola præſtat, ac ſplendidior eſt & magis expetenda. Id quod etiam ad perfectionem aliquo modo transferendum eſt. *Sextus* & ultimus modus eſt, quod ſit, Bonum homini per ſe ſufficiens; ſeu quod, à cæteris licet ſejunctum, vitam reddat optabilem, & hominis deſiderium expleat ac ſiſtat. Patet hoc ex ſuperioribus. Qui enim bonum ſummum, perfectiſſimum ac maxime expetendum, quique ultimum vitæ finem adeptus eſt, is deſiderium ſuum ſiſtit, ei vita hanc ipſam ob cauſam eſt optabilis, huic bonum hoc ſufficit. Sufficit autem quatenus deſiderium hominis hac vita terminatur, & in bona quæ naturali quadam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ratione ξ ac via contingere mortalibus poſſunt, fertur. Alias deſiderium hominis nil niſi Dei Opt. Max. conſpectus, cum immortali vita conjunctus, explet: quod bonum naturalibus viribus conſequi nemo poteſt, nec in hanc vitam cadit: ejus tamen aliquam umbram aut ſimulacrum natura homini etiam mortali conceſſit, id quod nos hoc loco quærimus.

Definitio Beatitudinis perfectior ab Ariſtotele conſtituitur, quod ſit, *Actio animi ratione præditi, ſecundum virtutem perfectiſſimam, in vita perfecta.* Quam per partes explicare & confirmare operæ pretium eſt. *Genus eſt actio ſeu operatio*; actionis voce late accepta, ut omnem muneris functionem complectatur: alias enim ſæpe contemplationi & ποίησις ſeu effectioni opponitur, & tanquam media interjicitur. Theoria enim ſeu contemplatio in cognitione ſola ſua natura acquieſcit: actio ſeu πρᾶξις præter cognitionem aliam quandam muneris functionem requirit, & hîc conſiſtit: effectio vero, præter cognitionem & actionem inde naſcentem, opus aliquod ſpectat, & ad illud tota refertur. Sed actio ſeu ἐνέργεια hoc loco uſurpata, genus horum omnium eſt, eaque ſuo ambitu complectitur. Intelligenda autem eſt operatio non una aliqua ſeu ſingularis, ſed continuata & ſæpius repetita, ut clarius ex ultima definitionis parte patebit.

Eſſe autem *Beatitudinem actionem* inde apparet, quod quarumcunque rerum eſt aliqua operatio propria, earum bonum in operatione illa conſiſtit. Operatio enim illa eſt earum rerum finis: finis autem bonum eſt. Hujus vero eſſe aliquam operationem propriam quis audeat negare? Nihil enim otioſum natura produxit, ſed cuilibet, pro viribus quas largita eſt, munus aliquod attribuit. Quî ergo hominis, operum naturæ diviniſſimi, non ſit aliquod proprium munus ſeu functio, illius viribus ac facultatibus quas à natura accepit accommodata? Quod ſi hominis, qua accidentariis veſtitus eſt habitibus & facultatibus, v. gr. qua pictor, ſartor, ſutor, eſt aliquod opus proprium, nonne erit etiam qua homo & qua ſubſtantia? Si partium hominis eſt certa & propria operatio, ut oculorum, aurium, manuum, pedum, quidni etiam hominis totius. Rationem aliam qua genus hoc beatitudinis confirmetur videbimus infra.

Differentiæ in hac definitione ponuntur *tres*, quarum *una materialis* dici poteſt, quia ducta eſt à ſubjecto, quod tamen etiam efficientis cauſæ rationem habere poteſt, ut in accidentibus ſæpiſſime accidit: *reliquæ duæ* magis ſunt *formales*. Subjectum eſt anima ratione prædita. Hæc autem duplex eſt: vel enim per ſe eſt prædita ratione, quæ mens & intellectus dicitur: vel per accidens, quatenus menti adjuncta ab illa regitur eique paret; & hac ratione appetitus etiam hominis, rationis aliquo modo eſt particeps. Utraque, ut infra patebit, beatitudinis humanæ eſt ſubjectum; quanquam illa magis, quia eſt præſtantior. Præſtantior enim eſt quæ imperat quam quæ paret, quæ conſilio eſt prædita quam quæ caret.

Hæc definitionis pars; *Operatio* vel *affectio hominis propria & præſtantiſſima*, qualis eſt beatitudo, debet homini convenire ſecundum eam partem quæ ipſi eſt propria & omnium præſtantiſſima. Corpus enim, & quæ cum corpore conjuncta ſunt, anima vegetativa & ſenſitiva (cum qua etiam appetitus quatenus à ratione plane abjunctus eſt computatur) brutis eſt communis, illa etiam plantis: utraque vero ratione, quæ ſola ex animi facultatibus reliqua eſt, indignior. Quare non in illis, ſed in ratione, ſedem figit felicitas.

Reliquæ ſunt duæ differentiæ, quæ magis cenſentur formales; quarum tamen prior ad efficientem cauſam referri poteſt. Ea eſt, *Secundum virtutem perfectiſſimam.* Per virtutem hoc loco intelligimus affectionem excellentem, hoc eſt, ejuſmodi quæ & ſubjectum ſuum aliqua ratione perficiat, & opus illius reddat bonum atque eximium: quemadmodum virtus oculi & ipſum oculum & opus illius bonum reddit: virtus equi & equum ipſum bonum efficit, & idoneum reddit ad curſum, ad geſtandum feſſorem, ad ſuſtinendos hoſtes. Subjectum autem illud de quo hoc loco agimus eſt homo, vel (ſi mavis) animus hominis. Ex quo patet cur beatitudo dicatur actio ſecundum virtutem: ſiquidem ea eſt actio quædam optima ac præſtantiſſima. Iſtiuſmodi autem actionem nonniſi à virtute quadam ſui ſubjecti proficiſci, ex virtutis deſcriptione modo tradita patet. Sic Citharædi opus illud dicimus bonum atque eximium, quod à virtute ſeu affectione optima Citharædi, quatenus Citharædus eſt, proficiſcitur.

Cum autem virtus hominis propria, de qua hoc loco ſermo eſt, ſit duplex, altera quæ in illa animæ parte ſedem fixit quæ rationis per ſe eſt particeps, altera in illa quæ per accidens, ſeu appetitu; quarum illa *virtus intellectus* dici ſolet, hæc *morum*, cui præeſt prudentia: utrique conſentanea actio, ſi cætera quæ adjungemus adſint, felicitas cenſenda eſt: quarum altera *theoretica* ſeu *contemplativa* dici poteſt, altera *practica* ſeu *activa* vel *civilis*. *Theoretica* eſt mentis ſolius, & in contemplatione ſeu exercitatione ſapientiæ conſiſtit: *Practica* appetitus eſt rationi conjuncti, atque in exercitatione virtutis moralis ſita eſt. Illa potior eſt, & vitæ humanæ finis ultimus: hæc vero vitæ tantum civilis, quæ nonnunquam humana peculiari ratione dicitur. Quas inter ſe comparat Ariſtoteles extremo Ethicorum, oſtenditque theoreticam majori jure felicitatis nomen ſibi vendicare quam practicam: quæ tamen & ipſa non eſt omnino ab hujus nominis ſocietate excludenda, cum eatenus, quatenus homo, civilis ſocietatis, ad quam natura factus eſt, quoddam veluti eſt membrum, & mentem habet cum appetitu corporis colligatam, ea ultimum quippiam ſit, nec tota ad contemplativam illam beatitatem referatur, niſi quatenus affectus domat, & ne menti nebulas offundant, eamque à cognitione rerum divinarum abſtrahant, curat. Sed hæc nunc tantum delibanda ſunt: plenius tum demum intelligentur, ubi virtutum perfectiorem & diſtinctiorem aſſecuti fuerimus cognitionem: qua de cauſſa ultimo ſecundæ partis capiti ſunt à nobis reſervata.

Hinc duplici ratione intelligi poteſt vox *perfectiſſimæ virtutis*, in definitione beatitudinis poſita. Si enim de practica felicitate ſermo ſit, per virtutem perfectiſſimam intelligemus vel omnium virtutum moralium complexum, non tantum leniorum, quæ in vulgus etiam aliqua ratione cadunt, ut temperantiæ, modeſtiæ, manſuetudinis, juſtitiæ; verum etiam excellentiſſimarum, qualis eſt inter alias magnanimitas, quæ in perfectos demum viros cadit. Poteſt autem *virtutum omnium complexus* pro una propemodum virtute cenſeri, quæ objectorum tantum ratione differat, vel ſaltem intelligi poteſt *prudentia*, quæ virtutes morales omnes regit & conſilio inſtruit, nec ſine iis conſiſtere unquam poteſt. Si vero de theoretica felicitate ſit ſermo, per virtutem perfectiſſimam intelligemus inprimis *ſapientiam*, quæ in cognitione rerum diviniſſimarum occupatur, & reliquarum mentis virtutum caput eſt & princeps, atque ex intellectu & ſcientia, quæ etiam inter cæteras excellunt, quodammodo eſt conflata. Nam ars quæ opus ſpectat, felicitate mentis indignior eſt, prudentia ad civilem vitam ſpectat. Nulla autem alia virtus mentis præter has eſt reliqua.

Quod autem beatitudo ſit ſecundum virtutem perfectiſſimam patet; quia cum ſit actio optima & præſtantiſſima, non ſecundum quamvis, ſed ſecundum præſtantiſſimam atque optimam virtutem eſſe debet.

Reſtat alia differentia formalis, eademque ultima definitionis ſumi boni pars, *in vita perfecta.* Per vitam autem perfectam intelligimus diuturnam, eamque virtutis perfectiſſimæ capacem. Id autem ſibi volunt hæc verba reliquis addita, actionem hanc virtuti perfectiſſimæ conſentaneam, quæ beatitudinis nomen mereatur, debere per vitam perfectam continuari & veluti extendi, ſeu longo & diuturno tempore exerceri. Nec injuria. Unus enim dies aut una hirundo, ut vulgatum monet proverbium, ver non facit: nec unus dies aut exiguum tempus felicem: ſed ex longo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

temporis tractu, è vitæ prope totius curſu, felicitas æſtimanda eſt. Quod ſi diuturnitas hæc deeſſet beatitudini, multum ejus perfectioni decederet. Unumquodque enim tanto ſolet eſſe perfectius quanto eſt ſtabilius ac diuturnius, ſi cætera ſint paria. Felicitas autem, ut ſupra vidimus, eſt bonum hominis perfectiſſimum.

Hactenus per partes explicuimus & probavimus Beatitudinis definitionem: generatim verò eandem ita demonſtramus. 1. Bonum omnium honeſtiſſimum, eſt etiam omnium optimum, adeoque ſummum. At actio animi ratione præditi, ſecundum virtutem perfectiſſimam, in vita perfecta, eſt bonum omnium honeſtiſſimum. Ergo, &c. Major probatur: Quia cum duplicia ſint bona, partim abſolute ac ſimpliciter dicta, partim comparate; illa quidem honeſta ſunt; hæc partim jucunda, partim honorata, partim utilia: inter omnia autem excellunt honeſta, tanquam abſolute & ſimpliciter bona. Quare quo quidque eſt honeſtius, tanto eſt melius, & quod omnium honeſtiſſimum, id etiam eſt omnium optimum. Minor ita oſtenditur: Honeſta ſunt virtutes & actiones iiſdem conſentaneæ: actiones vero ipſis virtutum habitibus præſtantiores ſunt, cum omnis virtutis laus in actione cernatur, & habitus actionum cauſâ comparentur. Inter actiones autem virtutum illæ præſtantiores ſunt ac perfectiores, quæ à virtute perfectiore proficiſcuntur, & ſunt diuturniores. At actio à nobis deſcripta eſt ſecundum virtutem perfectiſſimam, & in vita perfecta, ac proinde diuturna. Quare inter honeſtas actiones erit omnium perfectiſſima ſeu honeſtiſſima, in eaque ſummum bonum conſiſtet.

2. Bonum animi præſtantiſſimum, eſt etiam optimum adeoque ſummum. At actio à nobis deſcripta eſt bonum animi præſtantiſſimum. Ergo, &c. Major probatur: Quia cum duplicia ſint bona, alia in nobis ſita, alia extra nos ſita, & interna rurſus ſint duplicia, partim animi, partim corporis; omnium conſenſu animi bona inter reliqua excellunt, cum ſint præſtantiſſimæ hujus partis perfectiones. Quare quod inter illa eſt præſtantiſſimum, id etiam erit omnium optimum. Minor probatur: Quia inter animi bona excellunt virtutes; inter virtutes autem ea quæ eſt perfectiſſima, præſertim ſi non tantum habitu & poſſeſſione conſtet, verum etiam uſu & exercitatione. Virtus autem ejuſmodi, quæ reipſa perfecto vitæ tempore colatur, ab actione ea in qua beatitudinem collocavimus reipſa nihil differt. Et ſane rationi conſentaneum eſt, ut beatitudo actioni & exercitationi potius quam habitui virtutis deferatur; cum & in ludis Olympicis non robuſtiſſimo cuique corona donetur, ſed certanti ſolum & robur ſuum factis ipſis probanti.

Ex hac definitione patet, quid ſentiendum ſit de illa Solonis ſententia, quæ ſtatuit neminem in hac vita dici poſſe beatum, ſed poſt mortem demum. Sive enim intelligebat Solon in mortuos demum, quatenus mortui revera ſunt, felicitatem cadere, fallebatur: cum felicitas ſit actio ſecundum virtutem perfectiſſimam: ejuſmodi autem actio, quî in mortuos cadat, inſtrumentis virtutum exercendarum & viribus omnibus deſtitutos? Sive dicebat non poſſe affirmari de quoquam eum fuiſſe beatum, niſi poſt mortem, itidem fallebatur. Si enim ubi beatus eſſe deſiit dici poteſt fuiſſe beatus, quî ſit quod tum, cum revera beatus eſt, beatus dici non poſſit; cum orationis de re præterita elatæ veritas, ex hujus quam de re pręſenti loquitur veritate pendeat? Sic, ſi vere dici poteſt aliquem fuiſſe divitem, cum dives eſſe deſiit, multo magis tum dicere poſſum eum eſſe divitem, cum revera eſt. Fatendum tamen eſt, eum demum abſolute beatum dici poſſe, (beatum tamen ut hominem ac mortalem) qui uſque ad finem vitę in eodem perfecto ſtatu perſeverarit, & mortem anteactę vitę convenientem obierit. Eſt enim duplex beatitatis perfectio, altera (ut cum Scholaſticis loquar) intenſiva, altera extenſiva: illam ex naturę ipſius & actionum in quibus ſita eſt pręſtantia ac dignitate, ſemota diuturnitatis, quę in definitione non fuerat comprehenſa, ratione ęſtimamus; hanc ex diuturnitate & duratione uſque ad ultimum vitę terminum. Et hac poſteriori inprimis ratione, aliquid illi accedere poſſe, quod illam plane abſolvat, non negamus.

Cap. IV.

Qualis ſit Beatitudo, ſeu Quæ illius adjuncta: ubi etiam quædam de illius inſtrumentis.

Beatitudinem in genere bonorum honeſtorum collocavimus. Ejus *adjuncta* ſunt reliqua bonorum genera, nempe *jucunda, ad honorem pertinentia, & utilia*; quibus adde *conſtantiam*. Hoc enim ad αὐτάρκειαν illam beatitudinis pertinet. Nam id bonum vere αὐταρκὲς & ſeipſo contentum eſt, ad vitamque optabilem reddendam per ſe ſufficit, quod omnium reliquorum bonorum cum honeſtate, quæ inter reliqua omnia principatum obtinet, conſpirantium cumulum in ſe complectitur, eſtque conſtans, non varium ac mutabile. Eſt ergo beatitudo bonorum omnium ſuaviſſimum, honore tum digniſſimum tum cumulatiſſimum, utilium denique bonorum copia, quantum ſatis eſt, inſtructum. Nec credendum eſt Delphico Epigrammati, quod Juſtitiam quidem honeſtiſſimum, valetudinem optimum, re deſiderata potiri ſuaviſſimum eſſe pronuntiat. Omnia enim hæc beatitudini ineſſe partim ſuperius oſtendimus, partim nunc demonſtrabimus. *Voluptatis* autem nomine, quæ beatitudinem comitetur, animi potiſſimum tranquillitatem & rectæ conſcientiæ gaudium intelligimus.

Primò, *Beatitudinem eſſe bonum ſuaviſſimum*, & cum ſumma animi voluptate ita confuſum, ut ab ea vix diſtingui queat, ita probatur. 1. Actio perfectima facultatis præſtantiſſimæ, & optime ſecundum naturam affectæ, eſt omnium ſuaviſſima. Talis autem actio eſt beatitudo, ut ex ejus definitione liquet. Eſt enim actio ſecundum virtutem perfectiſſimam, & quidem diuturna; quæ actio non poteſt non eſſe perfectiſſima. Eſt deinde actio animi ratione præditi, quæ facultas eſt omnium præſtantiſſima, & cum ſit prædita virtute perfectiſſima, optime ſecundum naturam eſt affecta. Major patet ex definitione voluptatis Ariſtotelica, quam lib. 7. Ethic. tradit, quod *Voluptas* ſit operatio perfecta facultatis optime ſecundum naturam affectæ: vel, Operatio non impedita habitus cum natura conſentientis. Quæ omnia inſunt actioni à nobis deſcriptæ, & quidem perfectiſſime, cum ipſa quoque ſit omnium perfectiſſima. 2. Beatitudo eſt bonum honeſtiſſimum: quare etiam ſuaviſſimum poſſidenti. Conſequentia probatur: Quia voluptas per reliqua omnia bonorum genera diffunditur, & quo quidque majus eſt, & à poſſidente majus eſſe creditur, tanto eſt ſuavius. Bonum autem honeſtiſſimum, ut ante vidimus, eſt omnium maximum, & à poſſidente non poteſt non agnoſci, & pro bonorum præſtantiſſimo haberi. Quare omnium quoque eſt ſuaviſſimum: præſertim cum honeſtatis laudem amittat actio, qua is à quo proficiſcitur non delectatur, ut è virtutis doctrina fiet manifeſtum. Ex quo cum prima ratione juncto cernere licet, non abſurde facturum eum, qui voluptatem animi in natura beatiudinis incluſam, & in ejus definitione tacite comprehenſam dixerit. 3. Quicunque amans aut ſtudioſus eſt alicujus rei, ille etiam ex ea voluptatem percipit, & quo amantior eſt tanto majorem. Vir autem beatus cum ſit virtute perfectiſſima præditus, illius ut ſit amantiſſimus neceſſe eſt. Quare beatus virtute ſua ejuſque actione diuturna maxime delectabitur.

Secundò, *Beatitudinem eſſe honore digniſſimam* patet: Quia eſt bonum inter humana omnia præſtantiſſimum ac prope divinum, ad quod reliqua omnia tanquam ad finem referuntur. Talia autem bona ſunt honore digniſſima. Præterea, Honor conſtanti virtutis actioni, præſertim virtutis perfectæ, ſummo jure debetur, ejuſque præmium, licet impar, proprium tamen eſt,

& inter

& inter ea quæ ab hominibus in nos proficiſci poſſunt maximum. Propter rationem priorem notandum eſt, *bona alia* cenſeri *laudabilia*, cum quibus conjungi poſſunt ea quæ encomio celebrantur, *alia honorabilia*. *Laudabilia* proprie ſunt affectiones quæ ad quippiam aliud ſunt utiles, ſeu ad munus aliquod encomio ac celebratione dignum, (ipſa enim facta ſingula & facinora præclara encomio proprie digna cenſentur :) aptos nos reddunt. Et hæ propter functiones illas, ad quas referuntur, laudantur : ut virtus, robur, celeritas corporis. Ipſa vero v. gr. fortia facta, aut à liberalitate profecta, encomio ornare ſolemus, quemadmodum etiam pugnas athletarum. *Honorabilia* vero cenſentur bona quæ non referuntur ad alia, ſed alia potius ad ipſa, quæque adeo inter cætera principatum obtinent, & aliquomodo ſunt divina. Sic Deum ejuſque bona honore digna judicamus : ſic beatum ipſamque beatitudinem. Quia ad Deum & ad beatitudinem omnia referuntur cætera : ad Deum omnia abſolute, ad beatitudinem humana. Deus inter omnia, beatus inter homines eminet. Beatitudinem autem honoribus etiam eſſe cumulatiſſimam, mox videbimus, ubi de utilium bonorum copia dicemus. Nam & honores, licet ex accidente, in utilium bonorum cenſum tranſcribuntur.

Tertiò, *Beatitudinem eſſe inſtructam utilium bonorum copia*, liquet ex eo quod, partim inſtrumentis variis opus eſt ad virtutem perfectiſſimam perfecto vitæ tempore colendam, partim ornamentis. Utrumque præſtat bonorum utilium copia, quorum abſentia aut tollit beatitudinem, aut obſcurat. Unde diſcrimen illorum bonorum, quatenus ad beatitudinem referuntur, exſurgit. Nam quæ inſtrumenta ſunt, magis ſunt neceſſaria quam quæ tantum ornamenta: quanquam plurima ſunt quæ & inſtrumenta & ornamenta cenſeri ſimul debeant. In horum autem bonorum copia conſtituenda & explicanda, inprimis felicitatis civilis, de qua in Ethicis potiſſimum agitur, rationem habebimus.

Hæc igitur *bona* vel *in nobis ſita* ſunt, vel *extra nos*. Quæ *in nobis ſita* ſunt, vel *animi* ſunt vel *corporis* : & utraque, præſertim animi bona, vel *à natura nobis* ſunt *inſita*, vel *acquiſita*.

Bona animi à natura inſita, ſunt ingenii judiciique bonitas, & indoles generoſa atque ad virtutem excitata. Illa non modo ad ſapientiam contemplativamque felicitatem eſt opus, (quanquam ad hanc fortaſſe maxime) verum etiam ad exactam prudentiam, cujus ſummum eſt in felicitate civili robur. Hæc vero ad virtutem morum, præſertim perfectam, magnum habet momentum. Hi enim magnanimi, hi fortes, hi ad res magnas pro Republica, patria, amicis gerendas apti evadunt, quibus natura erectam ad virtutem inſevit indolem.

Acquiſita vero *animi bona*, ad felicitatem civilem non parum conferentia, ſunt, diſciplinarum honeſtarum, atque in primis Ethicæ, Politicæ, ac Juris cognitio. Adde etiam linguarum, quarum in civilibus negotiis tractandis non exiguus ſit uſus, peritiam & expeditam facultatem. Ex quibus inter ſe junctis, accedente rerum uſu, & exercitatione dicendi, naſcitur eloquentia, quæ eſt prudentia copioſe & eleganter loquens. Hæc quantum ad civilem felicitatem faciant difficile dictu eſt. *Ethica diſciplina* ad virtutem colendam : *Politica* ad rempublicam bene gerendam, ad conſilia ſalutaria danda utiliſſima eſt. *Juris cognitio* ad cauſas recte dijudicandas, ad te tuoſque conſilio in rebus controverſis inſtruendos, ad ipſamque juſtitiam colendam prodeſt. *Eloquentiæ* viribus ſeditiones reprimere, ſalutaria conſilia principibus aut civibus perſuadere, noxia refellere, bonos viros, amicos, teque adeo ipſum contra adverſarios defendere, improbos terrere ac reprimere; cæterorum animos tibi ac Reipublicæ conciliare, & ad pacem colendam movere potes, benevolentiam denique omnium tibi parare, qua nihil eſt ad res magnas gerendas validius, nullum vitæ ac fortunarum majus præſidium. Ex quibus patet hæc bona magno etiam eſſe felicitati ornamento.

Bona corporis huc aliqua ratione pertinentia ſunt *valetudo ſecunda*, *ſenſuum ac membrorum integritas* : quibus rebus deſtitutus aut non poteris, aut non facile poteris labores neceſſarios periculaque, pro Republica aut pro amicis ſuſcipere. Quare ſi morbus adeo difficilis quempiam infeſtet, ut virtutis perfectiſſimæ exercitationem ad non exiguum temporis ſpatium impediat, felicitatem quoque ipſam impediet aut abrumpet. Idem ſtatuendum eſt de membrorum mutilatione aut ſenſuum defectu : quæ alias etiam ſplendorem beatitudinis obſcurant. Valet etiam aliquid ad civilem felicitatem *formæ dignitas*, & *majeſtas in vultu elucens*. Hæc enim ad benevolentiam aliorum conciliandam valet, ut vel Pompeji, ex inviſo parente nati, exemplum docet. *Gratior eſt pulcro veniens in corpore virtus* : æſtimaturque ex forma animus, qui non raro lineamentis reſpondet. Unde quoſdam Indorum populos formæ dignitatem in mandandis imperiis ſequi ſolitos in Politicis ſcribit Ariſtoteles.

Bonorum externorum alia ad *amicitias* pertinent, alia ad *honores*, alia ad *divitias*. Ad *amicitiam* referimus tum eos quos natura nobiſcum junxit, tum eos quos voluntas noſtra, quam interdum caſns aut neceſſitas adjuvat. Natura nobiſcum conjunxit parentes, liberos, cognatos; voluntas reliquos amicos, cum quibus aut virtus, aut honeſta voluptas, aut utilitas nos copulavit. Medio quodam modo ſe habent quos matrimonium & affinitas connexuit. Hi omnes, præſertim ſi probi ſint, tum adjumento ſunt beato ad res bene gerendas, tum ornamento, tum voluptati. Propinqui vero & ſanguine juncti, ſi improbi ſunt, cum naturæ vinculum rumpi non poſſit, magno ſunt ad felicitatem impedimento, præſertim quo propius nos attingunt. Turbat etiam felicitatem liberorum proborum, amicorum ac propinquorum optimorum fatum aut calamitas : non perimit tamen, niſi virtutis perfectiſſimæ actionem ad tempus non exiguum impediat.

Ad *honores* pertinent, tum ea quæ à parentibus in nos hæreditario quodam jure tranſeunt, & ut reliquis antecellamus efficiunt; tum quæ noſtra operâ parantur. A parentibus in nos tranſit in primis *nobilitas*, quæ eſt generis quædam præſtantia atque excellentia. Hæc blanda eſt conciliatricula ſui, ut eam vocat Cicero; cum hominum favor, qui parentum virtutem aut opes eſt ſecutus, in liberos quoque facile derivetur : præſertim cum fortes creari fortibus & bonis putentur, nec ſoboles parenti diſſimilis fore credatur. Atque hinc nobilitas quoque ad honores aditum parat; qui quantam vim ad felicitatem civilem habeant partim jam vidimus, partim mox videbimus. Quanquam autem non eſt neceſſe, ut quivis qui ad beatitudinem adſpirat nobili & illuſtri ſit loco natus; cum multi virtutibus in familias ſuas primi intulerint nobilitatem & ampliſſimos honores; difficultatem tamen ad felicitatem civilem contendenti humilis ortus, niſi aliis bonis compenſetur, parit. Infamia vero generis, niſi aliorum bonorum cumulo obruatur, ad eam aditum fere præcludit. Bona vero ad honorem pertinentia, aliquo noſtro ſtudio aut operâ parta, ſunt *honeſta fama*, *gloria*, *honores ac magiſtratus*, qui à principibus aut aliis viris magnis, aut denique populi conſenſu nobis deferuntur. Quæ omia ad felicitatem civilem ideo pertinent, quia ad res præclaras gerendas, & occaſionem prębent, & ſæpe ſunt adjumento : eandem quoque ornant. Sequuntur vero hæc bona felicitatem haud invita : quia perfectiſſimam virtutem etiam ii qui non ſequuntur vident, viſam mirantur ac colunt, præſertim cum inſignia ab ea in omnes proficiſcantur beneficia.

Quod ad *divitias* attinet, quarum nomine tum pecuniam, tum ea omnia quæ pecunia ſolent æſtimari complectimur, illæ tum ad vitam liberaliter & cum dignitate traducendam, tum ad domeſticos alendos, propinquos & amicos juvandos, munificentiam in omnes exercendam, patriæ denique commoda amplificanda ſunt neceſſariæ; ac proinde ad ipſam etiam civilem felicitatem. Neque tamen Crœſi divitiis eſt opus, aut immenſa pecuniæ atque opum vi. Omnium enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

enim inſtrumentorum magnitudo certa ac definita eſt, quam ſi tranſeas, jam non juvabunt, ſed oneri erunt. Divitiæ autem inſtrumenta ſunt. Et ſane præclara poteſt gerere etiam is qui terræ mariſque dominus non ſit, ſed moderatis ſit inſtructus opibus. Nec munificentia noſtra in infinitum eſt extendenda, & ad omnes etiam amicorum amicos, niſi parce ac ut res ferunt, derivanda.

Modus vero tum *divitiarum*, tum *amicorum*, tum denique *bonorum corporis*, ab Ariſtotele conſtituitur, ad finem Eudemiorum: ut neque ob inopiam, neque ob copiam à Dei cultu & contemplatione avocet, ſed potius ad Dei contemplationem faciat. Quicquid excedit id nimium atque adeo malum cenſendum eſt. Quod ſane multo magis de vita hominis in contemplatione verſantis intelligendum eſt, quæ multo paucioribus indiget inſtrumentis, quam is qui civilibus negotiis implicatur. Requiruntur enim ad contemplationem inprimis animi bona, ad ſapientiam aliqua ratione conducentia, corporis valetudo ac ſenſuum integritas ea quæ meditationibus aſſiduis ſufficiat: externorum bonorum copia tanta quæ nec obruat animum ac diſtineat, nec cruciet atque egeſtate concidere patiatur. Modus vero ille bonorum dictorum maxime homini Chriſtiano eſt ſervandus.

Ex hactenus dictis ſententiæ noſtræ de ſummo bono veritas patet. Quicquid enim viri docti, quos à vero uſquequaque aberraſſe veriſimile non eſt, imo & vulgus pro ſummo bono habet, id in eo in quo nos felicitatem collocamus aliqua ratione reperitur. Eſſe autem beatitudinem bonum conſtans, (quæ conſtantia à diuturnitate, cujus in definitione facta eſt mentio, aliquantulum differt) ex eo patet quod virtute perfectiſſima nitatur. Quicquid autem tam firmo nititur fundamento, id varium ac mutabile eſſe non poteſt. Qua de re poſtea nonnihil.

Cap. V.

Unde Beatitudo ſit, ſeu, Quæ illius cauſæ efficientes.

CAuſæ Beatitudinis, eæque potiſſimæ, (nam de inſtrumentis jam egimus) ſunt *duplices*: una quæ eſt *prima*, ſed *remotior*: reliquæ *ſecundæ*, *propiores* tamen, quarum tractatio ad Ethicam proprie pertinet.

Cauſa prima & remota eſt Deus Optimus Maximus. Nam ſi Deus ullius boni eſt auctor, ut certe eſt, multo magis erit auctor felicitatis, quæ bonorum omnium eſt præſtantiſſimum. Dum autem Deum nominamus, ſimul etiam naturam, atque alia peculiaria beneficia, ab ipſo in nos profecta, computamus. Verum hujus cauſæ conſideratio ad ſublimiorem diſciplinam pertinet.

Cauſæ ſecundæ ac propiores ſunt ipſa *virtus* & *exercitatio* qua virtus paratur. Illud ex definitione Felicitatis patet, ubi ea dicta eſt actio ſecundum virtutem perfectiſſimam: ejuſmodi autem actio à virtute perfectiſſima proficiſcitur. Quod de exercitatione dictum eſt, id ex doctrina virtutis clarum fiet.

Dices: Si Deo non adſcribetur in ſolidum beatitudo noſtra, non erit divinum bonum, nec commune. Quia ſi demum hominum ſtudio acquirendum eſt, paucis poterit contingere: ſi à Deo ipſo diſtribueretur, non in paucos diſpenſaretur. At beatitudo quia bonum eſt maximum, debet etiam maxime diffundi, & latiſſime patere. Ad primum reſpondeo: Divinum nihilominus futurum, quia ſit omnium humanorum bonorum præſtantiſſimum ac perfectiſſimum. Ea enim quæ inter bona eminent divina appellamus. Qui autem perfectiſſimæ virtutis exercitatio ejuſque veluti præmium non erit præſtantiſſimum? Ad ſecundum: Commune quoque bonum erit; non quod omnibus reipſa aut plurimis obtigerit; maxima enim bona rariora ſolent eſſe; ſed quod omnibus qui ad virtutem non ſunt prorſus manci ac plumbei contingere poſſit. Atque hæc communitas bonorum maxime ſufficit.

Fortunæ inter cauſas Felicitatis veras nullum relinquimus locum. Eſt enim fortuna viliſſimum cauſæ genus: viliſſimæ vero cauſæ effectus præſtantiſſimus; qualis eſt beatitudo, tribuendus non eſt. Præterea Politici in eo maxime laborant, ut honeſtis legibus & inſtitutis cives ſuos beatos efficiant. At quod ex fortunæ arbitrio pendet, de eo fruſtra laboratur.

Cap. VI.

De iis quæ Beatitudini opponuntur.

BEatitudini duo potiſſimum *opponuntur*, alterum perfecte, alterum imperfecte. Perfecte, *miſeria*: imperfecte, *medius quidam inter miſeriam & felicitatem ſtatus*.

Miſeria, ut ex contrario apparet, eſt ſtatus ac conditio illius hominis qui flagitioſe vivit, diuturno præſertim tempore, & in gravibus calamitatibus. Qui ſi miſeriam ſuam novit, dirioribus conſcientiæ cruciatibus lancinatur, quam ſi in Phalaridis tauro torqueretur. Si non ſentit, rationem exuit, & in brutum ac ſtipitem degeneravit. Eum ſequitur ſæpiſſime infamia, & hominum odium, aliaque mala. Ad hanc non opus eſt vitiis omnibus: ſufficit unum, præſertim perfectum ac grave, ut injuſtitia, crudelitas, avaritia, intemperantia. Quanquam ne omnia quidem ſcelera in unum concurrere poſſint, cum nonnulla magis inter ſe pugnent quam cum virtute. Malorum magna diſcordia: bonorum verorum ſumma concordia eſt.

Status inter felicitatem & miſeriam medius multiplex eſt, non ſecus ac colores inter album & nigrum medii, & nunc *propius ad felicitatem*, nunc *propius ad miſeriam* accedit, prout plura ac majora bona vel mala, aut abſunt aut adſunt.

Proxime ad felicitatem accedit eorum vita, qui virtutis quidem perfectæ habitu ſunt præditi, verum inſtrumentis ad eam exercendam deſtituuntur, aut etiam gravibus ac diuturnis malis premuntur, (nam levia nullum hîc habent robur) quos nemo facile beatos dixerit. Ad hunc ſtatum beatus delabi poteſt, ad miſeriam nunquam. Nunquam enim fieri poſſe videtur ut is, qui perfecta virtute eſt præditus, eamque perfectæ vitæ tempore exercuit, improbitatis habitum contrahat. Nam virtus, præſertim perfectiſſima, habitus eſt admodum firmus, & alte impreſſus animo, quique adeo non facile excutitur, nec oblivione, ut ſcientiæ, quæ tamen alias ſtabiliſſimæ cenſentur, aut deſuetudine, ut artes, deleri poſſe videtur; cum à viro perfecte bono, quoad ejus fieri poteſt, etiam in ipſis graviſſimis calamitatibus exerceatur. Manet enim, ut Seneca inquit, vir fortis in ſtatu; & quicquid evenit in ſuum colorem trahit: omnia adverſa exercitationes putat, eaque in occaſionem virtutis vertit. Et quemadmodum imperator bonus exercitu, qui ad manum eſt, utitur bellicoſiſſime, ſutor bonus ex corio quod ſuppetit calceum facit, quoad ejus fieri poteſt optimum ac pulcherrimum; ita & vir bonus omnes fortunæ caſus quam rectiſſime fert, & in iis ex perſonæ ſuæ dignitate ſe gerit, &, quantum res ipſa patitur, agit præclariſſima. Unde etiam fit ut non quivis caſus, licet alias gravis & acerbus, eum de beatitudinis faſtigio deturbet, nec leves, licet frequentiores; ideoque nec mutabilis ſit beatitudo, nec ex fortunæ arbitrio pendeat, cum ob virtutem & prudentiam ſuam iis tam dextre uti, & virtutis ſplendorem ex iis quærere norit.

Status ad miſeriam proxime accedens eſt eorum qui vitioſos habitus nondum contraxerunt, diatheſin tamen ſeu dipoſitionem ad eos habent, ut ſunt incontinentes, molles atque alii, qui inter honeſtatis amorem ac turpitudinem fluctuant, prope tamen vitiorum æſtu abſorbentur; maxime ſi aliorum malorum, vel ad corpus, vel ad famam, vel ad fortunas pertinentium cumulus accedat. Quanquam nonnunquam etiam bonorum externorum copia miſeriores efficit homines, quo plura habent vitiorum & alimenta & inſtrumenta. Ex quibus de reliquis quoque medii ſtatus gradibus judicium fieri poteſt.

ETHI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ETHICÆ

PARS SECUNDA, DE VIRTUTE.

Caput I.

Virtutis humanæ definitio, & illius in intellectualem & moralem diviſio, &c.

TRibus potiſſimum modis accipitur nomen *Virtutis*: 1. *Latiſſime*, pro cujuſvis rei affectione excellenti. Ea vero excellens eſt, quæ & ſubjectum ſuum & opus ejus perficit: qua ratione brutis quoque aut inanimatis rebus virtutem tribuimus. 2. *Stricte*, pro virtute humana, ſtudio acquiſita. 3. *Strictiſſime*, pro virtute morum quæ in actionibus honeſtis cernitur. In ſecunda autem ſignificatione in principio hujus tractationis accipitur à nobis nomen virtutis, nempe de ea quæ hominis propria eſt, & quam ſibi ſtudio comparare poteſt: quia de ea virtute agimus quæ Felicitatis humanæ cauſa proxima eſt.

Virtus hæc humana generatim conſiderata definiri poteſt, Habitus animi ratione præditi, eum perficiens, & opus ejus bonum reddens.

Illius duæ primariæ ſunt ſpecies. Eſt enim altera *virtus intellectus*, altera *morum*: quarum illa rationem, hæc appetitum perficit. Ratio ſeu fundamentum hujus diſtinctionis eſt, quod *animus ratione præditus*, qui ſubjectum virtutis eſt, *duplex* ſit quodammodo. Vel enim per ſe rationis eſt particeps, & dicitur *intellectus* ſive *mens*. Vel per accidens, & eſt *appetitus*, quatenus à ratione, in eodem homine ſibi conjuncta, regitur, ejuſque imperio parere poteſt & debet. Utraque igitur facultas habitibus quibuſdam perficitur homini propriis, quos *virtutes* appellamus, quas inter ſe differre neceſſe eſt quemadmodum & ſubjecta quibus inſunt.

In duas ergo partes tota hæc de virtute tractatio dividetur. *Primò* enim agemus de *Virtute Morali*, præcipuo felicitatis civilis ſeu practicæ inſtrumento. *Secundò*, de *virtute dianoëtica* ſeu *intellectuali*, cui felicitas contemplativa innititur.

Virtus moralis eſt habitus agendi cum conſilio, conſiſtens in medio quod ad nos, ratione recta definito.

Vitium (de quo etiam aliquid eſt attingendum, ut ex contrarii ingenio virtutis natura tanto clarius eluceſcat) eſt habitus agendi cum conſilio, conſiſtens in extremo quod ad nos.

Partes tractationis de virtute morali erunt *duæ*, *generalis* nempe, & *ſpecialis*. Illa de virtute morali in univerſum aget: hæc de ſingulis ejus ſpeciebus. Adjungetur velut appendicis loco tractatio de *virtute Heroica*, & de *virtute imperfecta*.

Generalis tractatio in quatuor partes ſubdividetur. Nam primo agetur *de cauſis efficientibus virtutis*. Deinde *de materia circa quam*, ſeu objecto. Sequetur *Forma*, quæ cum in duobus conſiſtat, Mediocritate & Conſilio; tertio loco *de Mediocritate* agemus: quarto *de Conſilio* & cum eo conjunctis. Nam de fine, qui eſt Felicitas, jam egimus.

Cap. II.

De Genere virtutis, nempe Habitu.

ANtequam ad primum membrum de cauſis virtutis efficientibus accedamus, neceſſe eſt explicare cur virtutem definierimus per Habitum, quod non exiguam ſequenti tractationi lucem afferet.

Vox *Habitus* paulo ſtrictius accipi ſolet à Philoſophis, laxius vero à vulgo, & ab ipſis etiam Theologis, communem loquendi conſuetudinem ſequentibus. Philoſophi enim habitum accipiunt pro qualitate actionibus iteratis penitus infixa, & ad ſummum perducta. Vulgus vero habituum nomine dignatur etiam *diatheſes ſeu diſpoſitiones* ad perfectionem propius accedentes, licet nondum conſummatas; imo ipſam quoque *conſuetudinem* agendi, ſeu frequentationem actionis, habitum appellat: ita ut habitum virtutis, v. gr. nominent vulgo conſuetudinem recte idque ex animo agendi: vitioſum habitum, conſuetudinem male agendi. Conſuetudinem autem ex eo, quod quis ut plurimum ſeu frequentiſſime facit, æſtimant; præſertim tum cum datur peccandi occaſio. Nos quia de perfecta virtute agimus, in priori ſignificatione, quæ Philoſophis uſitatior eſt, vocem hanc accipiemus. Cum enim res accuratius definiuntur, recte id quod in ſuo genere perfectum eſt ſumitur. Ex eo enim tanquam menſura quadam, cæterorum quæ ad illud aſpirant, & illius ſibi nomen uſurpant, natura vel præſtantia, prout ab illo propius vel longius abſunt, æſtimari poteſt.

Virtutem autem *eſſe habitum* ex eo patet, quod cum tria tantum ſint in appetitu, quem virtutis moralis ſedem conſtituimus, *Facultas*, *Affectus* & *Habitus*, virtus nec facultas ſit nec affectus: unde habitum eſſe relinquitur. *Facultatem* vero appello, qua ſumus apti natura, ut vel voluptate moveamur ad rem jucundam perſequendam, vel dolore ad rem moleſtam fugiendam. *Affectum* vero, ipſam facultatis hujus ſeu appetitus commotionem & concitationem, ortam vel à voluptate vel à dolore. *Habitum* denique, qui quidem in appetitu habeat locum, continuationem quandam appetitus conſuetudine comparatam, qua ſæpius aut rarius, vehementius aut remiſſius in eandem prorumpat affectionem.

Virtutem autem *non eſſe facultatem*, *nec affectum* probatur 1. Quia nec ex facultate, nec ex affectu ſimpliciter conſiderato boni aut mali cenſemur, laudamur aut vituperamur: ex virtute contra. De facultate res eſt manifeſta. Nemo enim laudatur vel vituperatur, bonus aut malus cenſetur, ex eo quod lætari aut dolere, iraſci aut amare poſſit. De ipſo affectu res ſimiliter patet. Non enim ex eo quiſpiam bonus aut malus, laude vel reprehenſione dignus cenſetur, quod amet aut iraſcatur: ſed quod v. gr. non iraſcatur juſtam ob cauſam, vel vehementius aut diutius quam oportet, vel cui non oportet, reprehenditur. Si vero ob inſigne ſcelus, ita ut decet, iraſcatur, reprehenſione non cenſetur dignus. Ita etiam in amore cæteriſque affectibus ſe res habet, in quibus modus tantum vel laudari vel vituperari ſolet, non vero ipſa animi commotio per ſe ac ſimpliciter conſiderata.

Dices: Eſſe quoſdam affectus ob quos laudemur aut vituperemur, boni aut mali cenſeamur, quoſque ſub virtutum aut vitiorum numero, non vulgus modo, ſed etiam ſacræ literæ, complectantur: quales ſunt charitas, miſericordia, & alii nonnulli affectus in ſacris literis ſummopere commendati: contra ira, invidia, æmulatio, aliique ſimiles affectus inter vitia numerantur, & improbos efficiunt homines. Reſpondendum eſt iſta vocabula, & his ſimilia, cum vel in laude ponuntur, vel vitio dantur, non ſignificare affectus ſolos, ac per ſe conſideratos, ſed vel ad mediocritatem redactos, ac virtute (ut ita dicam) informatos, vel in extremo aliquo conſtitutos: nec tam illos ipſos affectus, quam mediocritatem in qua conſiſtunt,

laudari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

laudari, aut exceſſum & defectum vituperari. Sacræ enim literæ vulgarem loquendi conſuetudinem ſequuntur ea in parte. Vulgo autem virtutes quaſdam, vel actiones, præſertim internas, ex virtutibus illis profectas, affectuum ipſorum, quos virtutes illæ regunt, nomine appellant: quemadmodum etiam vitia quædam, & vitioſas actiones, præſertim internas.

2. Quia facultas illa, ut ante dictum, naturâ nobis ineſt: imo ipſe quoque affectus & commotio, præſente objecto, naturæ vi erumpit. At virtus naturâ ipſa nobis non ineſt, nec illius vi abſque noſtro ſtudio exoritur.

3. Virtus nonniſi cum conſilio eſt, ut ex definitione patet. Ad facultatem autem conſilium nihil pertinet: affectus etiam ipſe abſque conſilio poteſt oriri.

Virtutem non ineſſe nobis natura, ſed potius ſtudio & exercitatione parari, patet 1. Ex ipſo nomine virtutum moralium. Dicuntur enim *morales*, quod more & conſuetudine parentur; quemadmodum etiam Græcis ἠθικαὶ, exigua tranſmutatione facta, à voce ἔθος, quæ morem & conſuetudinem ſignificat, appellantur. 2. Quia ea quæ natura conſtant, aliter quam eſt à natura comparatum aſſuefieri non poſſunt: quemadmodum lapis qui natura deorſum fertur, aſſuefieri non poteſt ut ſurſum ſuopte motu feratur, etiamſi millies ſurſum jaciendo velis aſſuefacere: nec ignis unquam ſponte deorſum feretur. At homo & ad virtutem & ad vitia poteſt aſſuefieri. 3. In iis quæ naturâ inſunt, facultas actiones antecedit. Non enim eo quod ſæpe vidimus & audivimus, videndi & audiendi facultatem adepti ſumus: ſed contra, iſtam facultatem à natura adepti, ea continuo utimur. At virtutes conſequimur, virtutum prius functi muneribus, ut etiam in artibus accidit quas exercendo paramus. Sic ſuum cuique tribuendo, juſtitiam; dolores & pericula ſuſtinendo, fortitudinem; gulam & libidinem coërcendo, temperantiam adipiſcimur. Atque in univerſum ex bonis actionibus virtutes, ex malis vitia proficiſcuntur. 4. Quia legumlatores prudentes virtutis officia civibus præſcribunt, eamque illis ingenerare nituntur. De naturalibus autem, ut v. gr. edere, bibere, nobis nullæ feruntur leges, ſed iis quæ ſtudio noſtro perfici poſſunt.

Non eſt ergo virtus naturâ inſita nobis, ſed ſtudio & exercitatione paratur. Unde novum oritur argumentum ad genus virtutis probandum. Omnis namque qualitas exercitatione parata, animoque infixa, habitus eſt. At hujuſmodi affectionem eſſe virtutem jam vidimus.

Cap. III.

De cauſis efficientibus virtutis.

Etſi autem virtus non ineſt nobis natura, non tamen ineſt præter naturam, nec à cauſis illius efficientibus natura eſt excludenda. Virtutem enim, præter cauſas divinas, quas Theologus explicat, tria potiſſimum efficiunt, *Natura*, *Doctrina*, & *Exercitatio*: quæ cauſæ ſunt omnium habituum, licet diverſorum diverſæ.

Natura ad virtutem duo confert: Primò *facultatem* ſeu *aptitudinem* ad virtutem recipiendam: alias enim virtutem nunquam aſſequeremur. Deinde ὁρμὴν quandam ſeu *impetum* & *inclinationem*, quæ facultatis illius naturalis quædam perfectio eſt. Hæc autem *inclinatio* duplex eſt: Una *communis* & *vulgaris*, quæ in omnibus hominibus reperitur, & à ratione oritur, quæ honeſtatem, animi pulcritudinem, aliquo modo agnoſcit & amat, corporis affectu licet reluctante: nam hujus inclinatio illi fere contraria eſt. Altera eſt *peculiaris* & *perfectior*, quæ iis tantum ineſt qui ſingulari naturæ bonitate ſunt præditi, & *generoſa indoles* dicitur; qua qui præditi ſunt, eos ad virtutem natos factoſque dicimus. Quod ad priorem attinet, eam nobis innaſci vel ex eo patet, quod cuilibet rei à natura quædam ὁρμὴ ſeu impetus atque inclinatio, quam appetitum naturalem vocant, ingeneretur, ut quidque finem, cujus gratia eſt productum, tanto facilius conſequatur, nec bono ſuo fruſtretur. Cum vero duabus partibus conſtet homo, animo atque corpore, cui ſenſum & appetitum natura adjunxit; impetum hunc ratione animi, ſeu mentis & intellectus, non vero ratione appetitus nobis innaſci dicimus. Conſiſtit autem hic impetus in eo, quod menti à natura iſtiuſmodi inſitum eſt lumen, & quædam veluti acies, ut honeſtum ab inhoneſto, uſu præſertim aliquo accedente, diſcernere poſſit; & illud quidem natura amet & perſequendum ſtatuat, licet alias cum dolore, ignominia, aut damno aliquo conjunctum; hoc vero fugiendum cenſeat, licet vel voluptatem, vel honorem, vel commodum aliquod afferat. Eſt enim honeſtum quoddam in animo & actionibus pulcrum & decorum, inhoneſtum vero turpe & indecorum: & mens naturali quadam acie pulcrum & decorum à turpi & deformi dignoſcere poteſt, & illud natura ſua amat, ac niſi vi aliqua contraria abripiatur reipſa perſequitur, à turpi vero ac deformi abhorret ac refugit. Quod ad illum impetum attinet, qui generoſa indole præditis innaſcitur, is egregio quodam nititur corporis temperamento, quod mores animi ſæpe ſequuntur.

Verum quia nec mens noſtra naturæ vi omnia honeſti officia pervidere, præſertim perfecta, poteſt, nec ea ſemper, obſtantibus affectibus & cupiditatibus corporis, ex ſenſu jucundorum & moleſtorum enaſcentibus, ſequi; ideo ipſi ſuccurrit *Doctrina*, cui ſecundum in cauſis efficientibus virtutis locum tribuimus. Hæc primo tradit præcepta quæ monſtrent quid in quavis re ſequendum ſit aut fugiendum; quæ hæc ipſa diſciplina Ethica, quoad rerum varietas patitur, explicat. Deinde varia ad virtutem amplectendam incitamenta proponit.

Tandem accedit *Exercitatio*, quæ ipſum virtutis habitum nobis inſerit. Omnis enim habitus uſu paratur. Et in hac potiſſimum nobis elaborandum eſt.

Præcepta autem ei obſervanda qui ſe ad virtutem exercet ſunt *duplicia*, alia *generalia*, alia *ſpecialia*. Generalia hoc loco proponemus, & ſpecialia ſingularum virtutum tractationi reſervabimus.

Præcepta ergo *generalia*, præter ea quæ ex ipſa virtutis definitione patent, hæc potiſſimum tradi poſſunt.

Primum: Ut divinum auxilium, quo novæ ad virtutem colendam vires impetrantur, aſſiduis precibus imploretur. Quanquam hoc præceptum Theologicum eſt.

Secundum: Ut virtutis tum pulcritudo, tum inſignis fructus ſubinde conſideretur, & animo penitus infigatur. Inter fructus autem virtutis eminet vitæ futuræ præmium, de quo Theologus. In hoc autem ſeculo, rectæ conſcientiæ gaudium. Contraria de vitiis ac ſceleribus cogitentur.

Tertium: Ne mediocria tantum aut faciliora facta in virtute tibi proponas ſequenda; ſed ad ſummum ejus faſtigium ſemper adſpires: quod ni feceris, vix in extrema ejus parte hærebis.

Quartum: Ut in actionibus noſtris ſemper ſequamur medium, ab eo vero quod nimium aut parum eſt abhorreamus. Nam cum habitus ſequantur actiones, hoc eſt, quales præceſſerunt actiones, tales etiam inde naſcantur habitus, & contra; ſequitur ut actiones quibus virtutis habitus parari debet medium teneant: cum ipſa quoque virtus, ut ex ipſius definitione patet, in medio conſiſtat. Quod ſi vel id quod nimium, vel id quod parum eſt ſequaris, non virtus, ſed vitium virtuti contrarium inde emerget. Non ſecus atque in valetudine accidit: hæc enim moderatis exercitationibus, moderato cibo ac potu efficitur, augetur & conſervatur: minuitur contra & frangitur, tum nimiis & immoderatis, tum remiſſioribus & paucioribus quam par erat exercitationibus, itemque cibi ac potus tum copia nimia, tum inopia & defectu. Eodem modo in virtutibus moralibus ſe res habet. Qui enim v. gr. omnia extimeſcit pericula timidus, qui omnia ſubit audax, qui mediam inter hos ſequitur viam fortis evadit. Sic qui voluptatibus corporis nimium indulget intemperans,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perans, qui nimium abhorret etiam à licitis (quales tamen rari admodum, & minori quam intemperantes reprehenſione digni) ἀναίσθητος & ſenſu propemodum carens, qui medium ſervat temperans efficitur. Sed de hac mediocritate infra accuratius agemus. Verum quia difficile eſt aſſequi medium, (quemadmodum medium circuli reperire non cujuſvis eſt, ſed rerum Geometricarum probe periti) & alias notum eſt difficilia eſſe quæ ſunt pulcra, nihil autem pulcrius eſt virtute, adeoque etiam mediocritate in qua virtus conſiſtit, ideo ratio aliqua invenienda eſt qua hæc difficultas minuatur, & medium iſtud facilius attingatur.

Quintum igitur præceptum huic fini inſerviens erit: Ut ab eo vitio quod magis virtuti adverſatur longius diſcedamus, & in contrarium nos quodammodo flectamus. Unum autem vitiorum eidem virtuti oppoſitorum, magis ab ea diſcedere, & vehementius cum ea pugnare infra docebitur. Ratio præcepti eſt: quia hoc pacto futurum eſt ut quam minimis vitiis obnoxii ſimus, atque minima de malis, ut vulgo dicitur; cum malorum minima, majoribus comparata, bonorum quodammodo rationem habeant: atque hac ratione paulatim propius ad medium ſeu virtutem accedemus.

Sextum præceptum ex quinto naſcitur: Quia enim vitiorum alterum vel ſua natura, vel ob noſtram in illud pronitatem, vel etiam ob utramque cauſam magis eſt noxium, & à virtute longius recedit; ideo non tantum conſiderandum eſt quod vitium natura ſua acrius cum virtute pugnet, verum etiam in primis videndum in quod vitium ſimus propenſiores, & ut ab eo longius nos abducamus opera danda. Hac enim ratione fiet, ut ſi ſtudio & conatu noſtro in contrarium nos magis flexerimus, naturâ aut conſuetudine inveterata ex altera parte nos ad ſe trahente, tandem in medio conſiſtamus. Quemadmodum hortulani arbores diſtortas aut pronas cum adhuc ſunt teneræ in contrarium flectunt, ut deinde impetu ſuo redeuntes in rectum aſſurgant, & medium inter naturam & vim obtineant.

Septimum: Quia vero ad vitium ſolemus eſſe proniores quod majorem affert voluptatem: (eſt enim voluptas pronitatis illius partim *cauſa*, partim *effectus*, & quidam veluti comes: *cauſa* quidem, quia voluptas cum naturæ amica ſit ad ſe invitat & rapit, dolor aſperitate ſua naturam lædit & abſterret: *effectus* vero, quia ad quod proclives ſumus, ſive conſuetudine ſive natura, eo ob id ipſum delectari ſolemus.) idcirco maxime fugienda eſt voluptas, & ea vitia quæ vel natura ſua majorem habent cum voluptate conjunctionem, vel ſaltem nobis ſunt jucundiora. Et hac in parte imitandi ſunt ſeniores Trojani, qui licet Helenam pulcherrimam & Deabus ſimilem faterentur, nihilominus ne patriæ noxia eſſet ablegandam cenſuerunt: ita nos voluptatem, licet nobis allubeſcentem, & boni naturam fallaciter imitantem, debemus reſpuere. Hanc enim ſi fugerimus, & ad ea quæ nobis ſunt injucundiora nos flexerimus, minor erit nobis peccandi cauſa, hac eſca malorum ſublata; & non longe à medio abludemus.

Octavum hinc naſcitur: Quia inter omnia vitia maximam cum voluptate conjunctionem habet intemperantia, quæ gulam, ebrietatem, libidinem complectitur; ideo hæc inprimis fugienda eſt, præſertim juvenibus in hanc ſponte pronis. Viget enim in his corpus & in eo reſidentes ſenſus, in primis guſtus & tactus, quibus ab ineunte ætate utimur crebrius: qui ubi voluptatum aliquem guſtum perceperint, vehementes ſui in animo juvenili (qui fervidus eſt, imprudens, & in vitium flecti cereus) cupiditates excitant. Eſt autem hoc vitium, non modo ob cauſam jam dictam, iis qui ſe in virtutis ſtudio exercent fugiendum, ſed etiam ideo quod menti nebulas offundat, nec eam ſobriæ cogitationi vacare permittat, nullumque prudentiæ locum relinquat. Quemadmodum enim σωφροσύνη, ut vox ipſa indicat, σώζει τὴν φρόνησιν, hoc eſt, ſervat prudentiam, & mentis bonæ tum mater tum cuſtos eſt: ita contra intemperantia imprudentiæ & temeritatis, ut in ebrioſis & amantibus liquet, quorum illi imprudentiæ & temeritati indiderunt temulentiæ nomen, hi amentes vulgo dicuntur. At prudentia ad virtutem colendam opus eſt.

Nonum hinc exſurgit præceptum: Ut effugias illam intemperantiæ partem quæ fœdior eſt, hoc eſt libidinem, & cupiditates quæ ad eam impellunt, & quicquid eſt cogitationum impurarum; vitanda eſt primo altera illa pars intemperantiæ quæ in cibo & potu verſatur, gula & ebrietas: hæc enim cupiditatum malarum alimentum aut fomes eſt: & ita quidem fugienda eſt juveni, ut etiam ad ſatietatem non comedat aut bibat: id enim ni fecerit, cupiditates difficulter effugiet aut excutiet. Quin etiam abſtinentia nonnunquam à cibo, qua corporis luxuriantis vis reprimatur, adhibenda. Deinde fugiendum eſt otium: nam qui nihil agunt male agere diſcunt: cum animus ſit irrequietus, & ubi ad honeſta non ducitur in mala fertur. Sumus enim, inquit Comicus, omnes proni à labore ad libidinem, hoc eſt voluptatem, maxime vero juvenes. Et quia otii quædam eſt ſpecies ſomnus, fugienda eſt immoderata quies, quæ, ut vulgaris monet verſiculus, *Vitiis alimenta miniſtrat.* Atque etiam hîc obſervandum eſt illud idem quod de cibo & potu diximus, ne ſcilicet ad ſatietatem, ut ita loquar, dormias. Ad hæc omnia pertinet divinum illud Sacrarum literarum præceptum, *ne carnis curam habeamus ad concupiſcentias*, Rom. XIII. 14. hoc eſt, ne ita corpus curemus ut cupiditates in eo naſcantur aut foveantur.

Decimum: Quia vero otium fugiendum eſſe diximus iis qui ad virtutem adſpirant, juvenibus præſertim, adeoque labores amplectendos eſſe eo ipſo docuimus, quibuſnam laboribus incumbendum ſit videndum eſt. Hi vero cum duplices ſint, corporis & animi, in utriſque hoc generatim obſervandum eſt, ut honeſti ſint, & ad virtutem etiam aliqua ratione conferant. Quare corporis quidem labores ii potiſſimum ſunt ſuſcipiendi, qui non modo ſanitatem conſervent, aut aliud aliquod commodum honeſtum pariant, verum etiam corpus ad omnem futurorum laborum patientiam durent, & ſi quid forte, ut virtutem colas, & vel divinæ gloriæ, vel aliorum commodis inſervias, ſuſcipiendum aut ferendum ſit aſperius, moleſtiis par eſſe poſſis. Inter animi vero labores in primis colloco ſtudia, tum divina, tum humana, quæ ad virtutem aliqua ratione ducunt. Divina (quæ accuratius explicare Theologi eſt) ſunt hæc: Sacrarum literarum & librorum qui res divinas ſolide tractant, lectio; immortalitatis beatæ & aliorum divinorum præmiorum quæ virtutem comitantur, deinde pœnarum quæ flagitia ſequuntur, meditatio. Ad humana refero, tum omnium liberalium diſciplinarum, tum in primis Ethices & hiſtoriæ ſtudium; quarum illa præceptis, hæc exemplis te inſtruet, & ad virtutis amorem vitiique odium exſtimulabit.

Undecimum: Et quia longum eſt iter per præcepta, breve & efficax per exempla, inter exempla rurſus magis illa movent quæ in oculis perpetuo verſantur, quam quæ tantum audiuntur aut leguntur, & rurſus ab iis quos amamus & quibuſcum perpetuo vivimus diſcimus facilius, quam ab iis quos vel non amamus, vel cum quibus nobis nulla intercedit familiaritas. Amor enim quo ipſos complectimur ipſorum etiam mores nobis commendat; conſuetudo quoque ipſa vel non advertentibus aliquid affricat; colloquia, quæ moribus fere conveniunt (quibus enim quiſquam delectatur aut occupatur de iis libenter loquitur) eoſdem paulatim inſtillant, & quemadmodum ſi mala ſint bonos mores corrumpunt, ita ſi ſint honeſta emendant. Itaque primum ex omni memoria ſeligendi ſunt optimi viri, quorum virtus in illuſtri ſit poſita loco, quos imiteris, &, ſi unus tibi non ſufficiat, plures ſunt proponendi, & ea virtus in qua quiſque excelluit (alia enim in alio virtus eminet) ex reliquarum numero veluti excerpenda, & cum aliorum hominum excellentibus virtutibus conjungenda, donec univerſarum

Z virtutum

virtutum nexum habueris; atque ut eas reipſa exprimas ſedulo danda eſt opera. Quanquam Chriſtianis, ſolius Chriſti, qui abſolutum eſt omnium virtutum exemplar, vita ſufficit. Cui adjungi poteſt vita Apoſtolorum, tanquam ex illo exemplari ducta. quæ exempla, maxime Chriſti, multas ob cauſas inter reliqua omnia eminent, & inſignem in animis noſtris vim habent. Deinde ex iis qui vivunt, viri ii quorum virtus & integritas maxime ſpectata eſt & auctoritas magna, ſunt ſectandi, dandaque opera ut in ipſorum notitiam & familiaritatem te inſinues, atque ipſorum tum ſermonibus tum vitæ interſis, ut quod in ipſorum ſermonibus didiceris in ipſorum vita ſtatim conſpicias: quin etiam ut tua ab illis vita obſervetur, & ſicubi exorbitaveris in viam revoceris. *Magna pars peccatorum tollitur*, (inquit Seneca Epiſt. XI.) *ſi teſtis peccaturis aſſiſtat*; præſertim gravis & venerandus, & à quo amari ſummopere deſideras. Hîc autem diligenter tibi cavendum ne una cum virtutibus vitia quoque aliqua virorum bonorum imbibas, aut facta aliqua vitioſa imiteris. Poſtremo eos quoque tibi adſciſcas ſodales qui moribus ſunt quam probatiſſimis, & à quibus melior fieri poſſis. quam ad rem utilis erit honeſta quoque æmulatio, & ſine invidia inter alios virtutis gloria eminendi cupiditas. Eligendi autem inprimis ii, qui ab iis vitiis, in quibus tu hæreas, vel ad quæ ſis pronior, longe abſint: & omnino abſtinendum ab improborum conſortio.

Duodecimum: Prodeſt etiam illud in virtutis ſtudio ſeſe exercentibus, præſertim cum ſoli ſunt, & ab eorum oculis ſemoti quorum auctoritas pudorem iis incutere eoſque à peccatis abſtrahere poſſet, ut aliquem virum morum ſanctitate inſignem, quemque admodum revereantur, animo ſibi conſtituant cuſtodem, omnia tanquam illo inſpectante faciant, nec quicquam facere audeant quod illi putarint diſplicere; atque ita ejus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciant. Nam qui ſic aliquem veretur, ut ad memoriam quoque ejus & cogitationem ſeſe componat atque ordinet, is cito erit verendus. Pudore enim quodam & reverentia iſtius viri quicquid eſt turpe fugiet, virtutem vero amplectetur. Hoc præceptum tradit Seneca, ex Epicuro, Epiſt. XI. Verum iſtud longe erit ad te in officio continendum validius, ſi Deum illum ſanctiſſimum omnibus tuis dictis & factis intereſſe, & mediis etiam cogitationibus intervenire tibi firmiter perſuaſeris, & ad illius nutum te componere ſemper fueris anniſus.

Decimum tertium: Admonitiones & objurgationes amicorum aut ſeniorum, imo quorumvis, æquo animo non tantum ſunt admittendæ, verum etiam precibus efflagitandæ: quin & inimicorum reprehenſionibus admoniti tanto diligentius à delictis cavere debemus. Adulatoribus non præbendæ aures, ſed ab iis tanquam peſte cavendum.

Decimum quartum: In primis autem illud obſervandum eſt, ut peccandi occaſiones & irritamenta, quoad licet, vites. Has enim qui vitat, peccata ipſa vitat. Quod ſi eas vitare non poſſis, animus adverſus peccati ſeductionem diligentiſſime præmuniendus & obfirmandus eſt: ita enim ejus illecebræ minorem in animo tuo vim habebunt.

Decimum quintum ſuppeditat iſtud Poëtæ:

Principiis obſta, ſero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.

Decimum ſextum præbet illud Hippocratis: *Nihil parvum, nihil contemnendum.* Ea enim ſæpe quæ mole ſunt exigua, virtute ſunt maxima, ut Philoſophus ait de principiis: & mala, ſpecie parva, magnam aliorum ſeriem ſecum trahunt. Atque hoc adeo eſt obſervandum, ut ne ea quidem omnia quæ licita ſunt, præſertim ſi carni ejuſque affectibus magis videantur favere, tibi permittas. Nam, ut ille ait, qui facit omnia quæ licent, mox etiam faciet ea quæ non licent.

Decimum ſeptimum: Quotidie accuratum inſtituendum eſt factorum noſtrorum examen, in quo accuſatoris partes libenter ſuſcipiamus, defenſoris autem raro. Quod etiam tum faciendum eſt cum abſque peculiari inquiſitione delicta noſtra animadvertimus. Ea enim nunquam ſunt extenuanda aut elevanda, nec facile deponenda eorum memoria, & animi, quem facti pœniteat, dolor. Quod ſi tamen quippiam recte à nobis factum occurrerit, gratiis Deo actis gaudere, & ad alia ſimilia facienda nos exſtimulare debemus. Præceptum hoc tradidit Pythagoras in aureis carminibus, inquiens:

E ſomno primum evigilans, cum ſtrata relinquis,
Diſponas animo luce expedienda futura.
Quando adimit rebus veniens nox atra colorem,
Ne prius admittas per dulcia lumina ſomnum,
Singula quam elapſi ter volveris acta diei.
Nunquid deliqui? quid geſſi in tempore, quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?

Decimum octavum: Ut de nobis quam modeſtiſſime ſentiamus, nec tam quo progreſſi ſimus, quam quouſque nobis adhuc ſit progrediendum, cogitemus. Nihil enim adeo progreſſibus in virtute obſtat atque arrogantia & opinio ſui: cum nemo eò pervenire contendat, quò ſe jam putat perveniſſe. Laudati etiam ob virtutem ne ſuperbiamus: nec aliis hac in parte de nobis plus, quam nobis ipſis, credamus.

Decimum nonum: Famæ tamen honeſtæ cura eſt habenda, qua neglecta negligi ſolent virtutes. Tanta autem in ea re diligentia eſt adhibenda, ut non tantum peccata ipſa, ſed & ſpeciem peccatorum, quæ flagitii alicujus ſuſpicionem in aliorum animis de nobis excitare poſſent, vitemus. Interea tamen cavendus eſt diligenter vitioſus pudor, & nimius offenſionis alienæ metus aut fuga, quæ interdum non minus virtuti nocet quam impudentia, & honeſtæ famæ neglectus. Sæpe enim aliorum vel voluntas, vel ſententia, virtuti adverſatur, ita ut ei gratificari ſuaque facta accommodare, non poſſit non eſſe vitioſum.

Vigeſimum. Denique cavendum, ve vel malorum fortuna, & proſperi conſiliorum eventus, vel bonorum calamitates, & conſiliorum infelicitas, à virtutis amore ad vitia nos abripiant.

A teneris autem inchoanda eſt doctrina & exercitatio ad virtutem. Nam non tantum, ut ait Poëta, *à teneris aſſueſcere multum eſt*: ſed prope totum in eo ſitum eſt. Tenera enim omnia facilime finguntur, & quicquid huic ætati quæ mollis eſt impreſſeris, id cum ipſa ætate indureſcet. Notum eſt illud Horatii:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Ea vero eſt rectæ inſtitutionis ratio ad virtutem; Primò, ut ea pro ætatis ratione præſcribantur pueris & adoleſcentibus, quæ illis ipſis qui ſe ad virtutem exercent obſervanda eſſe diximus. Deinde ut ii, tum *verbis*, tum *factis*, ad ea exſequenda adducantur. *Verbis* quidem, ſi crebro admoneas ante factum: poſt factum vel laudes, vel reprehendas pro merito. *Factis* itidem dupliciter: primo exemplis, tum præmiis aut pœnis.

Duplicis autem generis ſunt ii quibus rectæ inſtitutionis cura incumbit: vel enim poteſtatem habent in eos qui ſunt educandi; vel non habent. Qui habent, vel *magiſtratus* ſunt, vel *privati*. *Magiſtratus* leges de recta pueritiæ & adoleſcentiæ inſtitutione ferre, & ut eæ ſerventur curare debent. *Privatæ perſonæ* duplices ſunt: vel enim *naturali* quodam *jure*, vel *aliena conceſſione* poteſtatem illam habent. Iſtæ ſunt inprimis *parentes*: quos ſequuntur alii conſanguinei ſeniores, ut *patrui*, *fratres natu majores*, & alii. Qui aliena conceſſione habent, ſunt *tutores* ac *præceptores*. Qui nullam habent poteſtatem, ſunt *cæteri amici*.

Poſtquam vidimus exercitatione virtutem parari, & actiones virtuti conſentaneas ejus habitum antecedere debere; explicanda breviter eſt *differentia inter actiones virtutis habitum præcedentes, & eundem conſequentes*; ac ſignum quoddam conſtituendum, ex quo cognoſcere poſſimus nos virtutis habitum jam eſſe conſecutos: ne quis actiones quæ ad habitum virtutis parandum pertinent, & ex eo fluunt, temere confun-

dat

dat: aut ex eo, quod quis faciat ea quæ virtuti ſunt conſentanea, habitum virtutis protinus colligat.

Differunt ergo actiones habitum virtutis conſequentes, ab antecedentibus, *perfectione*. Perfectiores enim ſunt illæ quæ ſequuntur, imperfectiores quæ antecedunt. *Perfectio* iſtarum in eo conſiſtit, ut facile ſeu expedite agas, ut jucunde, ut conſtanter. Facilitas ex ipſa natura habitus pendet. Eſt enim habitus facultas quædam perfecta, uſu comparata, ſeu natura uſu ita confirmata, ut ad aliquid agendum ſis promptus. Jucunditas & conſtantia potiſſimum oritur ex natura & forma virtutis, quæ proæreſin ſeu conſilium firmum recte agendi requirit, ut ex definitione ipſius apparet. Talis autem proæreſis locum ibi non habet, ubi, oblata occaſione, conſtanter aut jucunde non agit.

Hinc jam etiam *ſignum habitus comparati* apparet. Nam ſi iſta tria in aliquo alio, vel in teipſo deprehendas, habitum jam perfectum adeſſe concludere licebit. Quanquam ſola jucunditas pro indicio & argumento habitus acquiſiti eſſe poteſt. Ubi enim hæc eſt, ibi facilitas & conſtantia haud aberit. Nam ubi difficultas, (difficultas, inquam, ex parte noſtri, non in re ipſa) ibi moleſtia; & unde voluptas oritur, id occaſionibus oblatis libenter facimus, præſertim ſi nobis non ſit difficile. Contrarium accidit ante habitum, & quidem tanto magis quo longius ab habitus perfectione abes. Jucunditas autem ſeu voluptas, quæ certum ſit habitus comparati argumentum, exinde debet æſtimari, ſi quis multis illecebris ad peccatum invitatus, neglecta etiam hominum invidia, odiis, aut adverſitatibus, nihilominus gaudeat ſe recte agere aut egiſſe, omniaque alia honeſtati poſtponat; præſertim ſi id ſæpe faciat. Hoc enim arguet firmum recte agendi conſilium & proæreſin: hæc vero conſummatum virtutis habitum. Alias ſi quis gaudeat rectè factis, ex quibus laudem & gloriam aliaque ab hominibus præmia ſperat, aut etiam tum cum non multis aut magnis auctoramentis ad vitia vocatur, non inde perfectus virtutis habitus colligi poterit.

Atque hinc patet differentia quædam virtutis ab aliis habitibus, atque ab ipſis artibus; quod ipſa operis præſtantia ſatis ſit ad artis habitum probandum: (nec enim neceſſe eſt artificem certa ratione eſſe affectum in opere producendo, hoc eſt, non requiritur ut quis jucunde aut cum proæreſi opus perficiat, aut conſtanter inſtitutum ſuum urgeat.) Sed in virtutibus id non ſufficit. Non enim ipſam tantum actionem per ſe rectam & laudabilem eſſe oportet, ſi habitum virtutis inde velis colligere: ſed requiritur etiam ut is, qui eam exercet, certa ratione ſit in actione perficienda affectus, hoc eſt, cum conſilio & jucunde agat.

Cap. IV.

De Materia ſeu objecto Virtutis, & præcipue de Affectibus.

V*Irtutis objectum*, non unum eſt, ſed duplex; *Primarium* & *Secundarium*.

Primarium iterum duplex eſt: *Internum*, quod eſt omnium præcipuum: & *externum*.

Internum ſunt partim *affectus*, partim *voluptas* & *dolor*. *Affectus* eſt commotio appetitus, orta ex voluptate aut dolore, ad rem vel perſequendam vel fugiendam: ut *amor*, *odium*, *ſpes*, *metus*, *lætitia*, *triſtitia*, *gratitudo*, *ira*, & quæ his ſubjiciuntur ſpecies aut gradus.

Affectus vero eſſe potiſſimum virtutis objectum inde patet: quod virtus moralis (ut antea docuimus) ſit affectio optima appetitus, quæ tum ipſum appetitum, tum proprium ejus opus perficere & bonum reddere debeat, & quidem appetitum tanquam ſubjectum, opus vero ipſius tanquam objectum proprium. Opus autem ſeu functio propria appetitus, eſt affectus, ut ex definitione liquet. Atque hoc ne ii quidem ignoraſſe videntur, qui virtutes nihil aliud eſſe crediderunt quam affectuum vacuitates. Quanquam ii longius quam par erat ſunt progreſſi. Non enim affectus penitus exſcindere, ſed quicquid in iis nimium eſt amputare & accidere, eoſque ad mediocritatem redigere, virtutis officium eſt.

De affectibus dicturi, primum eorum veras atque *eſſentiales differentias* ſive formas inveſtigabimus: deinde etiam *differentias accidentarias*, quatenus ii ſub virtutem cadunt, eique vel amici ſunt, vel adverſi.

Quod ad priorem diviſionem attinet, cum affectus omnes, ut ex definitione patet, ex voluptate & dolore oriantur, & vel ad jucunditatem perſequendam, vel ad moleſtiam fugiendam nos moveant, patet affectus in duplici eſſe differentia. Alii enim ſunt propenſiones quædam appetitus ad ſuum objectum, tanquam jucundum & ſibi accommodatum: alii vero receſſus quidam ab eodem objecto, tanquam moleſto, & non conveniente facultati appetenti. Iſtos omnes nonnulli *amoris* nomine, hos *odii* complectuntur, nominibus ſpecierum ad genus tranſlatis. Odium enim & amor ſpecies certas iſtorum affectuum denotant, ut mox audiemus.

Horum duorum generum iterum multæ ſunt ſpecies: & utriuſque quidem latiſſime patentes poſſunt notari: ita ut in univerſum ſint octo.

Prioris generis quatuor ſunt ſpecies, nimirum *amor*, *ſpes*, *gaudium*, *gratitudo*. Hoc ut melius intelligamus iſtud ponendum eſt: Appetitum quidem ipſum, ſeu facultatem in qua ſunt affectus, ſenſum ſequi, ut in animalibus eſt perſpicuum: actum vero hujus facultatis, ſeu affectum, in brutis quidem à ſolo ſenſu excitari, in homine vero & à ſenſu & à ratione, interveniente phantaſia, cui tum ſenſus tum ratio imaginem ac ſpeciem quandam boni aut mali, jucundi aut moleſti, ad quam appetitus excitatur, imprimit. Sunt enim in homine affectus quidam, qui in brutis non cernuntur, propterea quod ii ex conjunctione appetitus cum ratione oriantur, ut eſt pudor, cupiditas honoris, libertatis, victoriæ, potentiæ, adde etiam commodorum his inſervientium; quorum affectuum vix veſtigia reperias aliqua in brutis, in homine vero ſunt & vulgares & vehementes.

Oritur ergo *affectus* hoc modo; ut primo facultas cognoſcens, quæ eſt partim ſenſus, partim ratio, objectum ſuum percipiat & cognoſcat (ignoti enim nulla nec cupido, nec fuga) ejuſque ſpeciem quandam phantaſiæ objiciat atque imprimat. Quod ſi res illa ſenſui aut rationi videatur accommodata, afferatque voluptatem, excitatur in appetitu *Amor*, qui eſt appetitus unionis, ſeu cupiditas ejuſmodi, qua re illa, quam nobis convenire & voluptati eſſe cognovimus, perfrui expetimus. Quod ſi illud præſens non ſit, exoritur *Spes*, quæ futuri boni expectatio eſt ſeu deſiderium. Quod ſi ea aliquando potiamur & fruamur, emergit *Gaudium*, quod eſt commotio appetitus cum voluptate, nata ex apparente adeptione boni. Quod ſi rem quam cupiit alicujus opera acquiſierit, affectio quædam innaſcitur, qua illi à quo beneficium accepimus gratiam referre cogitamus, & à nonnullis *Gratitudo* nominatur.

Poſterioris generis ſpecies itidem ſunt quatuor, prioribus illis ex adverſo reſpondentes: *odium*, *metus*, *triſtitia*, *ira*. Nam quemadmodum cum objiceretur phantaſiæ ſpecies boni aut jucundi, appetitus id amabat, ſperabat, re poſſeſſa gaudebat, adjutori gratiam referri volebat: ita cum rei moleſtæ ac malæ ſpecies objicitur, appetitus illam odio proſequitur ac fugit, ne eveniat ſibi metuit, præſente triſtatur, iraſcitur ei per quem evenerit. Hæc autem ita definiri poſſunt. *Odium* eſt appetitus amovendi aliquam rem, ſeu fuga quædam ejus rei, quam nobis moleſtam aut minime convenientem eſſe arbitramur. *Metus* eſt futuri mali expectatio. *Triſtitia* eſt commotio animi, orta ex apparente mali perceptione. *Ira* eſt appetitio reponendi doloris, ob apparentem contemptum vel noſtri, vel alicujus ex iis quibus faveamus, minime convenientem.

Eædem autem prope affectiones, quæ in propriis, in aliorum etiam, qui nobis aliqua ratione conjun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cti ſunt, bonis aut malis apparent, & tanto magis quo ſunt conjunctiores & magis nobiſcum uniti, & quanto nos magis illis favemus. Amore enim proſequimur, non tantum ea quæ nobis ſunt voluptati, ſed etiam quę amicis, aut iis quibus quacunque de cauſa favemus, eaque illis eventura interdum ſperamus, & evenientibus gaudemus, ſæpe etiam iis gratias agimus quorum ope illa evenerint. Contra, quæ iis detrimentum & dolorem minantur amoliri cupimus, metuimus eventura, &, ſi accidant, triſtamur, iis denique quorum culpa evenerint iraſcimur. Conjunctio enim illa facit, ut prope nobiſmet ipſis videantur evenire quæ illis eveniunt. Quod ſi illi ipſi, quibus ea obveniunt, nobis ſint inviſi, aut non admodum chari, ſæpe contrarii affectus oriuntur, in bonis triſtitia, in malis lætitia; quod quantum eis accedit, tantum prope nobis aut noſtris decedere; quantum decedit, tantum fere nobis aut noſtris accedere videatur: quanquam hi affectus, ut infra audiemus, mali ſunt.

In his autem omnibus obſervandum eſt, affectus illos, quos ex apparentia ſeu opinione boni atque jucundi naſci diximus, oriri etiam ex eo quod malo atque moleſto carere liceat; & contra, qui ex opinione mali, etiam ex carentia boni deſiderati. Nam carere bono malum eſt, & malo liberari bonum eſt. Unde fit ut horum affectuum alii aliis annectantur & commiſceantur, ut ex deſperatione boni quod ſummo pere appetiveris, oritur triſtitia, multo vero magis ex amiſſione. Iraſcimur etiam ei à quo rei jucundæ poſſeſſione depellimur.

Ex his affectuum generibus multi deſcendunt alii, qui vel objecti ratione, vel intenſione & remiſſione, vel effectis à ſe mutuo diſtinguuntur, & generum jam enumeratorum partim ſpecies ſunt, partim cognata. Ex iis non paucos definit Cicero, lib. 4. Tuſcul. quæſt. ex Stoicorum ſententia: quanquam ſumma genera affectuum paulo alia, & numero pauciora conſtituit, quam nos fecimus: quorum nonnullos tantum attingemus inſtituto noſtro ſervientes.

Amori & gratitudini cognatus eſt *Favor* ſeu *benevolentia*: eſtque inclinatio animi ad bonum alterius, ex amore nata. Spei ſubjecta eſt *Fiducia*, quæ eſt ſpes quædam firma, in re aliqua collocata. Cognata etiam eſt *Audacia*, quæ eſt motus quidam animi, contra ea quæ terrorem incutiendi vim habent aſſurgentis. Ad gaudium pertinet ἐπιχαιρεκακία, quam Latini malevolentiam appellant, quæ eſt gaudium ex alieno malo, ſine ſuo emolumento. Metui præter alios affectus ſubjectus eſt *Pudor*, qui eſt metus reprehenſionis quem rubor ſequitur. Conjuncta etiam eſt *Deſperatio*, quæ eſt commotio appetitus cum dolore conjuncta, ex apparente rei expetitæ impoſſibilitate. Vel, ut Cicero definit, Ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum. Quæ definitio à priori differt, quod illa ad certas tantum res, hæc ad univerſum vitæ ſtatum pertinet. Triſtitia ad aliena bona vel mala relata in varios affectus diducitur. Ex bonis alienis naſcitur *Invidia*, ſive *Invidentia*, *Æmulatio*, *Nemeſis* ſeu *Indignatio*, & *zelotypia*, quam *obtrectationem* Cicero vertit. *Invidentia* eſt ægritudo ſeu commotio cum dolore conjuncta, nata ex alienis bonis, quæ ſibi nihil noceant. *Æmulatio* (non ea quæ eſt imitatio virtutis) eſt commotio cum dolore conjuncta, quod bonis quæ concupieris alter potiatur, ipſe careas. Differt ab invidia, quod invidus non tam doleat quod ipſe non habeat, quam quod habeat alter: æmulus contra, non tam quod alter habeat, quam quod ipſe careat. *Nemeſis* ſeu *indignatio* eſt commotio cum dolore conjuncta, nata ex eo quod res ſecundæ contingant aliis præter meritum. Quanquam Latinum vocabulum etiam illum affectum notare poteſt, quo quis dolet alios præter meritum cum adverſa fortuna conflictari. *Zelotypia* ſeu *obtrectatio* eſt commotio cum dolore conjuncta, nata ex eo quod alter quoque potiatur eo quod ipſe concupiveris. Dolor, vel potius commotio cum dolore, nata ex alienis malis, dicitur *Miſericordia*. Iræ etiam præter alios affectus conjunctum eſt *odium* ſtrictiſſime dictum, *inimicitia*, *diſcordia*. *Odium* iſtud definitur ira inveterata. Differt ab odio antea dicto, quod illud potiſſimum in rem malam fertur, atque etiam in univerſum genus: hoc in perſonam certam, unde mala vel in nos vel in eos quibus favemus proficiſcuntur. Illud ſubitum eſſe poteſt & momentaneum; hoc conſtans. *Inimicitia* eſt ira ulciſcendi tempus obſervans. *Diſcordia* eſt ira acerbior intimo odio & corde concepta. Reliqua apud Ciceronem, Scaligerum & alios videri poſſunt.

His expeditis ad alteram differentiam affectuum eſt accedendum, & conſiderandum quomodo ad virtutem ſe habeant. Sunt igitur affectus in duplici differentia. Alii enim ſunt natura ſua mali, alii non ſunt. Et natura quidem ſua non ſunt mali affectus illi generaliſſimi, ſi ſimpliciter ſumantur, nec ad certa ſubjecta reſtringantur: ſed quædam eorum ſpecies, quarum nonnullæ ipſo nomine vitioſitatem indicant. Atque hi ſub virtutem non cadunt, ſeu non ſunt verum virtutis objectum; ſed ei adverſantur, & improbos aut vitioſos conſtituunt eos in quibus pertinaciter hærent, cum ſint affectus cum vitioſitate complicati. Tales ſunt ἐπιχαιρεκακία ſeu *malevolentia*, invidia, *impudentia*, & alii affectus qui in eo quod nimium eſt conſiſtunt, ut eſt *audacia* ſeu *confidentia* proprie ſumpta; *jactatio*, ſeu lætitia geſtiens & ſe efferens inſolentius; *pavor*, qui eſt metus mentem loco movens; *formido*, metus permanens; *deſperatio*, ex Cicerone definita; *excandeſcentia*, ſeu ira vehemens, & alii affectus non pauci. Hi enim quia modum ſuperant ſub virtutem non cadunt: nec enim medium in extremo eſt. Virtus autem eſt medium; id quod modum ſuperat, extremum. In Chriſtiana etiam religione omne *odium* ſtricte acceptum, quod in homines fertur, omnis *inimicitia* & *diſcordia* ex parte noſtri vitioſa judicantur.

Reliqui affectus ſub virtutis imperium cadunt. Atque hi rurſus *in triplici ſunt diſcrimine*. Alii enim *virtutis* ſunt *amici*, & cum ea quodam modo conſpirant: alii vero ſolent eſſe *refractarii*, & vitio magis favent: alii fere prorſus *medii*. Illi ſunt qui nos ad facta egregia, atque inprimis ad benefaciendum alteri impellunt: unde interdum virtutum nomine cenſentur. Hi ſunt qui contrarium faciunt: unde etiam pro vitiis cenſentur, & ſimpliciter in vituperatione poni ſolent.

Ex iſtorum numero ſunt inprimis *Amor in alios*, ſive *Charitas*, quæ quatenus Deum, aut parentes, aut ſanguine junctos reſpicit, *pietas* dicitur: atque in univerſum *Benevolentia* & *favor*, *Miſericordia*; item *Gratitudo*: quæ partim in ſacris literis, partim in communi ſermone inter præcipuas virtutes numerantur: præſertim quia affectus hi vulgo notiores ſunt, quam virtutes à quibus reguntur, & quibus revera imputandum eſt quicquid ab his affectibus proficiſcitur laudabile. Reguntur autem à virtute, ut tum in illa objecta ferantur in quæ ferri debent, tum etiam ut modum decentem ſervent. Poteſt enim alias *amor* in mala ferri, & in diligendis improbis eò uſque progredi, ut vel eorum conſuetudine gaudeat, vel iis ad mala ſit adjumento. Et *miſericordia* interdum in parcendo modum poteſt excedere, ita ut ei ipſi noceat cui parcitur; & *gratitudo*, ut velis etiam in malis obſequi benefactori. Quapropter quando hi affectus laudantur, ſemper intelligendum eſt eos laudari eatenus, quatenus modum à ratione vel doctrina ſapientiæ præſcriptum obſervant. Idem etiam intelligendum eſt quando *ſpes* commendatur. Sumitur enim ſtricte pro ſpe ſummi boni à Deo promiſſi, quemadmodum & *fiducia*. Affectibus his virtuti faventibus annumerari poteſt *pudor*, quo à turpibus factis avocamur.

Alii vero affectus, atque inprimis *Ira*, vel *cupiditas voluptatum corporis*, *ac emolumentorum*, magis vitio favent, cum ad malefaciendum impellant. Poteſt tamen etiam *ira* ratione regi, & ad coërcitionem delictorum conferre, ſi modum non excedat. Eadem in Servatore noſtro aliquando nata legitur, & à peccato ſejungi poſſe in ſacris literis docetur. Si vero eo uſque progrediatur ut ulciſci te conſtituas, & par pari

referre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

referre, jam vitioſa eſt: quod quia plerumque fieri ſolet, ſæpe ira ſimpliciter pro hujuſmodi ira ſumitur, & inter vitia vel peccata numeratur. Poteſt etiam *cupiditas voluptatum & commodorum* regi ratione, ita ut non ulterius provehatur quam vitæ & valetudinis ratio poſtulat. Sed quia plerumque modum excedit, ſimpliciter in vitio poni ſolet.

Alii affectus, ut cupiditas honoris, libertatis, ſpes generatim ſumpta, metus, fiducia & audacia, (non ea quæ alias temeritas dicitur) medio prope modo ſe habent, & pro objectorum, circumſtantiarum, vehementiæ ratione, nunc laudantur, nunc vituperantur: quanquam ſi naturam illorum inſpicias, meliores illi videantur qui ad bonum feruntur, quam qui à malo tantum abhorrent.

Ex quibus omnibus illud quoque patet, quod antea innuimus, non recte cenſuiſſe Stoicos, omnes affectus eſſe genere ipſo vitioſos & penitus à viro bono abeſſe debere; cum nonnulli ad virtutem multum conferant, eique valde ſint affines. Patet etiam ex eo, quod natura nobis optimo conſilio propenſionem ad eos inſeverit. Pertinent enim ad conſervationem naturæ noſtræ, atque inprimis corporis, cujus mineſtirio mens indiget. Aliis enim affectibus ea, quæ ad naturam conſervandam apta ſunt, qualia ſunt jucunda, & eorum efficientia, hoc eſt, emolumenta ſeu commoda, appetimus: aliis ab iis refugimus quæ moleſta ſunt & noxia, naturamque aliqua ratione deſtruere poſſunt. Illi ad cupiditatem; hi ad iraſcendi facultatem (in has enim veluti partes appetitus dividitur) pertinent: quanquam hæc diviſio ab aliis aliter accipitur.

Hactenus de affectibus. Sequuntur *voluptas & dolor,* quæ partim ſunt cauſæ efficientes affectuum, partim comites, partim denique effectus. Quod ſint cauſæ efficientes affectuum, id ex definitione noſtra patet: quod comites & effectus ex Ariſtotelica, licet minus accurata, 2. Ethic. cap. 3. & 2. Rhetor. cap. 1. quæ eſt, quod affectus ſit commotio appetitus, quam ſequatur voluptas & dolor. Quin ex ipſo etiam ſenſu. Voluptatem autem & dolorem eſſe virtutis objectum quoddam, inde probatur primo, quod eæ individuo nexu ſint colligatæ cum affectibus, circa quos vidimus virtutem præcipue occupari. Deinde quod virtutis ſit cum iis luctari, in iiſque coërcendis & reprimendis inſudare quæ ad flagitia alliciunt, ab honeſto vero nos avocant. Hujuſmodi autem ſunt voluptas & dolor. Nam plerique ſuas actiones ex voluptate & dolore, quorum illa naturæ amica, hic inimicus eſt, moderantur; & eas quidem ſuſcipiunt quæ voluptatem adjunctam habent, illas vero fugiunt quæ dolorem pariunt. Rebus vero turpibus aliqua ſolet adjuncta eſſe voluptas quæ eas condiat: honeſta vero dura ſunt atque aſpera. Atque hæc cauſa eſt cur plerique ad iſtas cæco impetu ferantur, has vero fugiant. Hæc etiam cauſa eſt cur per voluptatem & dolorem medicinam delictis adhibeamus. Nam cum voluptas ad flagitia vocat, pœnâ quæ dolorem adferat ab iis avocamus: cum dolor ab honeſtis actionibus abducit, præmio propoſito quod voluptatem afferat ad eas hortamur: non ſecus atque in medicina fit, ubi contraria contrariis curantur. Unde apparet voluptatem & dolorem in moribus fingendis magnam vim habere, & rectiſſime Platonem dixiſſe, hoc præcipuum eſſe in recta puerorum inſtitutione, ut doceantur quibus rebus gaudere, quibus item dolere debeant; adeoque virtutem merito in his moderandis occupari. Eſt & tertia ratio quæ idem oſtendit. Virtutis eſt in rebus expetendis & fugiendis recte ſe gerere. At in harum numero inprimis eſt voluptas & dolor, quæ per reliqua bonorum & malorum genera diffuſa ſunt, & cum iis connexa. Tanto autem magis in regenda voluptate debet occupari virtus, quod ea ſit expugnatu difficilima, utpote quæ à pueris nobis inſeritur, & perpetuo uſu commendatur. Iſta de voluptate & dolore, quatenus virtutis objecta ſunt, hoc loco delibaſſe ſufficiat: copioſiorem tractationem tertiæ Ethicæ parti reſervantes, quæ tota in iis explicandis inſumitur.

Externum virtutis objectum primarium ſunt *actiones à corporis miniſterio profectæ:* quæ etiam cum affectibus connexæ ſunt, utpote ex iis erumpentes, (impellit enim affectus ad rem perſequendam vel fugiendam, quod in actionibus ſit) ſive eæ adhuc in animo aliqua ratione lateant, ſive externæ ſint, & obſequio membrorum corporis, ſeu motu inſtrumentorum perficiantur. Actiones enim hæ pro varietate affectuum variant & ipſæ. In his autem moderandis nemo eſt qui virtutem occupari neſciat. Sed omnes *actiones externæ* non ſunt virtutis objectum. Aliæ enim ſunt *natura ſua malæ,* ut homicidium, adulterium, furtum, calumnia: aliæ *bonæ,* ut εὐπραξία in genere, in ſpecie beneficinm, δικαιοπράγημα ſeu juſte factum, quæ ipſo nomine bonitatem indicant: aliæ denique *mediæ,* & ἀδιάφοροι ſeu indifferentes, quæ per ſe nec bonæ ſunt nec malæ, ut edere, bibere, loqui, pecuniam dare aut accipere, & aliæ infinitæ. Primi generis actiones ſub virtutem proprie non cadunt: neque enim in re vitioſa virtus reperiri, nec in extremo medium poteſt. Secundi generis, effecta potius ſunt virtutis, quam objecta. Tertii generis actiones proprie ſunt virtutis objecta, in quibus regendis & moderandis virtutis opera inſumitur, non ſecus atque de affectibus dictum eſt.

Virtutis ſecundarium objectum externum ſunt res omnes, circa quas affectus & actiones externæ occupantur, & quibus excitantur. Et objecta quidem iſta ſunt *bona per accidens dicta,* jucundum præſertim, deinde honoratum & utile; & mala his contraria, atque in primis injucundum & moleſtum. Nam hæc per ſe affectus concitant, ut ex definitione tradita apparet: propter hæc reliqua fere omnia, quæ latiſſime patent, atque in utilibus & honoratis eorumque contrariis reperiuntur, (omne enim utile & honoratum opinanti jucundum eſt, contrarium moleſtum:) non viceverſa. Circa hæc etiam verſantur actiones ad humanam vitam ſpectantes, & eorum cauſa alia agimus, alia omittimus.

Dum autem hæc bona eorumque contraria in virtutis materiam cadunt, ſimul etiam *res* aut *perſonæ,* in quibus hæc bona aut mala reperiuntur, aut à quibus in nos proficiſcuntur, aut in quas à nobis conferuntur, ſub virtutem aliqua ratione cadunt, ut ex liberalitate, juſtitia aliiſque patet: adeo ut quam late patet humana vita, tam late quoque pateat virtutis moralis materia.

Ex quibus iſtud quoque in tranſitu animadverti poteſt, *virtutem eſſe rem difficilimam.* Quid enim difficilius quam in omnibus rebus, in quibus vita humana occupatur, recte ſe gerere? quid difficilius quam affectus regere & domare? quid difficilius quam voluptatem expugnare? Difficile eſt, ſecundum Heraclitum, iram vincere: ſecundum Ariſtotelem, difficilius vincere voluptatem. Sed amat virtus invicta laborem, & eo ipſo pulcrius eſt quia magno ſibi conſtat honeſtum.

CAP. V.

De Mediocritate.

EXplicato virtutis genere, cauſis efficientibus, & materia, nunc ad *formam* ipſius accedendum eſt. Ea in duabus conſiſtit rebus, quarum in definitione facta eſt mentio, *Mediocritate* ac *Conſilio* ſeu προαιρέσις. De illa hoc capite agemus, de hoc ſequentibus. De Mediocritate autem ita agemus, ut ſimul etiam extremorum medio oppoſitorum, in quibus vitia conſiſtunt, rationem ac naturam delibemus. Docebimus autem primum, *virtutem in mediocritate conſiſtere;* quæ generatim ſumpta definiri poteſt, Id quod inter plus & minus, ſeu nimium & parum interjectum eſt, deinde diſtinctius ea de re agentes, eam *in mediocritate quæ ad nos refertur* ſitam eſſe demonſtrabimus.

Prius hac ratione docetur: Omnis habitus bonus, cujus materia plus, majus, minus, æquale, ſeu (ſi mavis) nimium, parum & mediocre admittit, in mediocritate conſiſtit. At ejuſmodi habitus eſt virtus.

Major non modo auctoritate probari poteſt, ſed & ratione. Auctoritate; quod Theognis ait, πάντων μέσ' ἄριστα, hoc eſt, *omnium optima eſſe media*, additque hac ratione virtutem parari. Et Phocylides: πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί: id eſt, *Omnium modus optimus, exceſſus vero mali.* Quibus ſuccinit Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Ratione verò, primum, quod medium ſit unum ac definitum, extrema vero, ſeu id quod plus aut minus, infinita ac multiplicia. Bonum autem ex Pythagoreorum ſententia in rerum definitarum non indefinitarum eſt numero. Deinde exemplo artium, quæ mediocritatem in operibus ſuis ſervant. Unde opera quæ ſcite & affabre facta eſſe ſignificare volumus, hac potiſſimum ratione commendare ſolemus, nihil illis neque detrahi, neque addi poſſe: quaſi nimium & parum omnem operis atque artis perfectionem ac bonitatem labefactet ac corrumpat, mediocritas autem conſervet. Ex quo novum quodammodo argumentum, ad ipſam principem quæſtionem probandam, naſcitur: Si enim artes in operum ſuorum effectione medium ſectantur, virtus quoque idem ſectabitur ac ſervabit, & multo quidem magis quam artes, cum virtus artibus ſit accuratior & exquiſitior. Minor vero ſyllogiſmi principalis hoc modo confirmatur: quia dictum eſt antea virtutem verſari in affectibus & actionibus, tanquam in ſtrato ac materia. At in affectibus & actionibus plus, majus, minus, & æquale, ſeu nimium, parum, & mediocre reperitur, tum ratione graduum, tum ratione temporis. Habent enim & affectus & actiones gradus quoſdam, & nunc remiſſiores, nunc vehementiores eſſe, nunc medio veluti modo ſe habere poſſunt; & nunc diutius durant, nunc minus diu. Res eſt manifeſta in ira, & ex ea naſcente pœna. Potes enim & remiſſior ac languidior eſſe in ira, & modum ſupergredi, & medium in utraque ſervare. Sic in cupiditate cibi ac potus, ipſoque cibo ac potu ſumendo. De tempore ſeu duratione res etiam eſt manifeſta. Quod autem virtus ſit habitus bonus, quod in eadem aſſumptione ponitur, id probatione non eget.

Secunda ratio eſt hæc, quam etiam paulo ante attigimus, Quod virtus ſit uniformis ac conſtans, non multiplex & ſecum ipſa diſſidens, ut vitia. Nam, ut recte vetus Poëta: Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί: *Boni quidem uno modo, mali vero multis modis eſſe poſſumus.* At ſi in extremis, ſeu in eo quod plus eſt aut parum (nam quicquid eſt extra medium extremum dicimus) verſaretur, varia eſſet ac multiplex, & nonnunquam à ſe δὶς διὰ πασῶν diſſideret: quemadmodum vitia, ut avaritia & profuſio, audacia & ignavia inter ſe diſſident. In medio autem conſiſtens, uniformis erit ac conſtans, non vaga & multiplex. Ergo in medio conſiſtit, non in extremis.

Tertiò, poteſt & hoc afferri ejus rei indicium, quod virtus omnium ore difficilis dicatur: difficilia enim quæ pulcra. Nihil autem virtute pulcrius. At ſi in eo quod modum ſuperat verſaretur, aut in eo quod infra modum ſubſiſtit, aut in utroque, non foret difficilis. Sed ſi in medio conſtituatur, difficultatis cauſa ſtatim patet. Nam quemadmodum in circulo invenire medium non eſt cujuſvis, ſed ejus demum qui in Mathematicis diſciplinis eſt exercitatus: at punctum in circulo extra centrum conſtituere eſt cujuſvis: & ut ſcopum ferire difficile eſt, abludere & aberrare facilimum: ita medium in quo virtus conſiſtit ſervare difficile eſt, ab eo abludere cujuſvis. Quare in medio conſiſtet virtus.

Verum cum *medium* ſit *duplex*, alterum *relatum ad rem ipſam*, ſeu rei ipſius abſolute ſumptæ, alterum *relatum ad nos*, ſeu rei ad alia relatæ; in quo medio conſiſtat virtus nunc diſpiciendum eſt. *Medium rei ipſius abſolute ſumtæ* eſt, quod ab utroque extremo æqualiter abeſt; itaque eodem ſemper modo ſe habet, & ubique atque omnibus unum idemque eſt: qua ratione ſenarius numerus medius eſt inter binarium & denarium; ab utroque enim abeſt quaternario. Et hoc proportionem ſervat Arithmeticam, quæ diſtantiam tantum unius numeri aut rei ab alia conſiderat: ut in propoſito exemplo, quemadmodum ſe habent ſex ad duo, ita etiam ad decem: diſtantia enim utrobique eſt eadem. *Medium rei ad alia relatæ* eſt, quod ita inter extrema interjectum eſt, ut iis, ad quæ refertur, conveniat & aptum ſit: & hoc non ubique, aut omnibus, aut ſemper eſt idem; ſed pro rerum diverſitate varium: & proportionem ſervat Geometricam; quale eſt v. gr. ſi tantum largiaris quantum alterius egeſtas requirit, facultates tuæ permittunt, &c. Hoc medium ſectantur artes, ut ſutor in conficiendo calceo, qui nec arctior, nec laxior ſit pede; ſartor in veſtitu; pictor in exprimenda corporis forma: ſed in primis στοχαστικαὶ ſeu conjecturales, quæ prudentiam & conſultationem magis deſiderant, finemque ſuum non ſemper aſſequuntur, ut eſt Medicina, ars dicendi, militaris, gymnaſtica. Sic Medicus v. gr. ſi duas rhabarbari dragmas exhibere parum eſt, decem vero nimium, non protinus ſex exhibet; ſed medicamenti quantitatem ſeu δόσιν quam vocant, ad morbi naturam ac gravitatem, ad ægroti vires corporiſque conſtitutionem accommodat. Unde fit, ut quod uni nimium eſt, alteri parum ſit; quod huic remedium, alteri ſæpe ſit venenum. Sic etiam Aleipta qui Athletis diætam præſcribit, ſi duas libras carnis in ſingulos dies comedere parum cenſeat, decem nimium, non ſtatim ſex præſcribet; cum tyroni etiam tantum comeſſe nimium ſit, Miloni, qui pugno occiſum bovem una die comediſſe dicitur, adhuc poſſit eſſe parum: ſed ad corporis vaſtitatem ac vires, ad exercitationes & labores, victus rationes accommodabit.

In hac mediocritate conſiſtere virtutem, non in illa, tum exemplis doceri poteſt, tum ratione. Exemplis: quia medium in quo temperantia conſiſtit non omnibus idem eſt, ſed multis modis variat pro varietate perſonarum. Nam ſi v. gr. is qui literis incumbit, & tenui eſt corpore, aut ægrotus, tantum cibi & potus vellet ſumere, quantum foſſor aut arator, modum excederet; ſi hic tantum quantum ille, infra modum ſubſiſteret. Quare hîc conſtitutionis corporis & laborum habenda eſt ratio. Sic liberalitatis medium non omnibus idem eſt. Nam plus ditiores, minus tenuioris fortunæ homines largiri debent: adeo ut ſi tantum vellet largiri is qui mille florenos poſſidet, quantum is qui viginti millia erogare debet, prodigus videretur: ſi hic tantum quantum ille, avarus. Sic plus illi qui magis eget, qui probior eſt, qui nobis conjunctior, debemus, quam iis quibus hæc minus inſunt. Idem in aliis quoque virtutibus obtinet.

Ratione vero idem oſtenditur: Quia honeſtum nihil aliud eſt, quam decorum quod in affectibus & actionibus cernatur. Decorum autem pro perſonarum, temporum, locorum, & cæterarum circumſtantiarum ratione variat: aliud decet ſenem, aliud juvenem: aliud in templo, aliud in privatis ædibus: aliud in rebus adverſis, aliud in lætis: alius ſermo decet aliuſque affectus quando cum patre res eſt, alius quando cum liberis, aut ſervo, aut alieno, & ſic in cæteris. Quare honeſtum non poteſt in medio rei ipſius abſolute ſumptæ conſiſtere, ſed in medio rei ad alia relatæ conſiſtit. Nam ſi in illo conſiſteret, unum atque idem eſſet omnibus, ut antea dictum eſt; hoc vero pro diverſitate circumſtantiarum varietatem admittit.

Hujus autem ipſius rei cauſa paulo altius repetenda eſt: unde altera ratio poteſt elici ad eandem ſententiam probandam. Omne pulcrum ac decorum in ordine quodam conveniente, &, ut ita dicam, harmonia rerum diverſarum conſiſtit. Ordine enim nihil mirabilius, nihil homini, ſapienti præſertim, qui ſolus eum intelligit, gratius. Sic corporis pulcritudo, non tam in egregio partium corporis colore ac magnitudine conſiſtit, quam in convenienti earum ordine atque inter ſe conſenſu ac proportione: unde pulcritudo etiam varia eſt; &, licet multis modis inter ſe ſæpe diſcrepent homines, pulcri tamen cenſentur, quod omnia in eorum corporibus apte inter ſe conſpirent. At ubi

unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

unum membrum vel magnitudine, vel colore, vel poſitu à cæteris nimis diſcrepat, deformitas oritur. Sic ſuavitas concentus Muſici, non aliunde quam ex proportione diverſarum vocum oritur. Sic in Comœdiis aut Tragœdiis id decorum aut pulcrum dicimus, quod perſonæ ac loco convenienter vel fit, vel dicitur, licet alias rem ipſam per ſe minime laudemus. Quare cum honeſtum quoque ſit pulcritudo quædam animi ac morum, unde Græcis τὸ καλὸν & honeſtum & pulcrum eſt, neceſſe eſt id in apto quodam omnium rerum, quæ ad affectus aut actiones noſtras pertineant, ordine ac conſenſu conſiſtere. Cum vero res illæ, quæ vel affectus noſtros excitant, vel circa quas verſantur, itemque circumſtantiæ actionum, quæ ad earum meritum æſtimandum magnam vim habent, variæ ſint ac multiplices, neceſſe etiam eſt honeſtum iſtud alio atque alio tempore variare, atque ita in mediocritate, non abſoluta illa, ſed quæ ad alia refertur, conſiſtere.

Quod ut adhuc rectius intelligatur, ſciendum eſt *honeſtum dupliciter dici*: aliud enim eſt *honeſtum genere ipſo*, quod tamen poſſit à quopiam fieri non honeſte; & cum per ſe conſideratum ſit laudabile, poſſit tamen ob quaſdam circumſtantias ſingulares ab agente non obſervatas, in eo vituperari, vel potius is ipſe qui actionis illius eſt auctor. Aliud vero eſt *honeſtum* perfectiori quadam ratione, *quod* non tantum genere ipſo, ſeu per ſe conſideratum, honeſtum eſt; verum etiam *ab agente honeſte fit*, hoc eſt, obſervatis omnibus circumſtantiis, quæ circa ſingulares actiones occurrunt, & in iis vim aliquam habent. Atque hoc non tantum per ſe laudabile eſt, verum etiam in ipſo auctore laudatur, ſeu is ipſe qui illius eſt auctor ob id laudatur. Prioris generis eſt, egenti ſuccurrere: quod tamen fieri poteſt non honeſte ac ſine laude: ut ſi quis id faciat coactus, aut cum contumelia ejus cui largitur, aut gloriolæ captandæ cauſa, aut ut eum, cui largitur, ad res turpes ſibi habeat obnoxium. Tum enim, licet actio in ſe conſiderata ſit honeſta, poteſt tamen is à quo proficiſcitur vituperari. Sic ſecundum æquitatem judicare, & innocentem abſolvere, honeſtum eſt per ſe: quod ſi id fiat ſpe lucri tantum, aut ab invito, turpitudinis labes huic facto adſpergitur, fitque inhoneſte. Idem in cæterarum quoque virtutum actionibus obtinet. Honeſtum poſteriori modo acceptum, prius iſtud in ſe includit, ſed non contra. Utriuſque autem honeſti ratio ac natura in ordine ac conſenſu quodam apto conſiſtit. Sed prius illud ex eo ſolo oritur, quod id excellentiæ naturæ noſtræ, qua belluas ſuperamus, & fini vitæ noſtræ, ob quem à natura ſumus producti, ſit conveniens. Qua eadem prope in re Cicero lib. 1. Offic. decori rationem, quatenus id æque late patet atque ipſum honeſtum, conſtituit: quanquam is decorum ab honeſto ratione diſtinguit; quod Ariſtoteles non facit.

Cum vero *finis vitæ noſtræ partim ad nos ipſos referatur, partim ad alios*, hinc diverſa honeſtorum genera oriuntur. *Finis vitæ noſtræ qui ad nos ipſos refertur*, ſeu qui inter bona noſtra eſt ultimus, eſt operatio propria mentis, cui omnis intemperies affectuum, qui illam operationem ſua natura impediunt, obſtat, & eorum potiſſimum quos temperantia regit, quæ bonæ mentis mater eſt, & ex eo nominatur quod σώζει τὴν φρένα, hoc eſt, mentem, ſeu mentis incolumitatem ſervat. Unde interdum eas virtutes, quæ affectus mentis incolumitati obſtantes regunt, uno temperantiæ verbo complectimur; licet aliæ quoque virtutes, ſi accurate loqui velimus, huc pertineant. Quicquid ergo pertinet ad moderationem iſtorum affectuum, id genere ipſo honeſtum eſt. *Finis vitæ noſtræ qui ad alios refertur duplex eſt*, vel enim *ad Deum ſpectat*, vel *ad homines*.

Nam cum Deus ſit prima noſtri felicitatiſque noſtræ cauſa, eſt etiam ultimus vitæ noſtræ & actionum finis. Omnis enim operis gloria ad opificem ſummum referri debet; & quicquid præſtare poteſt opus, id totum auctori ſuo merito ſervit. Deinde cum Deus totum hominum genus, tum tacito naturæ inſtinctu, tum rationis & orationis communitate ita inter ſe conjunxerit, ut unum veluti corpus ex hominibus omnibus, tanquam ex membris quibuſdam, conſtitui voluerit, alios aliorum commodis non modo non obſtare, ſed & conſulere voluit, atque ita totius corporis incolumitatem ac ſalutem tueri & augere; quæ concidit, ubi membra ſibi invicem nocent, & alterum alterius ſaluti non ſtudet: unde Cicero homines hominum cauſa productos aſſerit. Incolumitati autem & ſaluti humani generis ſtudemus, dum nemini commodi noſtri cauſa detrahimus; ſed contra, partim præſtantioribus, partim magis nobiſcum conjunctis, partim magis laborantibus membris ſuccurrimus.

Ex duplici hoc fine alia *duo honeſti genera* oriuntur, *alterum ad Deum ſpectans*, quod pietatis ac religionis nomine complectimur, quod omnem cultum, fidem, obſequium, amorem, quem Deo præſtare poſſumus, continet: de quo imprimis Theologus, Ethicus vix quicquam: *alterum ad homines relatum*, quod nonnulli juſtitiæ nomine inſigniunt; cujus appellatione etiam beneficentiam, &, ſi quid aliud eſt quod hominibus præſtari honeſtum eſt, complectuntur. Quanquam hæc tria, quæ conſtituimus, honeſtorum genera, admodum inter ſe ſunt conjuncta, ita ut alterum alteri opem ferat & conjuret amice, pietas certe ſine cæteris nulla eſt. Quæcunque igitur ejuſmodi ſunt, ut ad horum finium aliquem per ſe ac natura ſua referantur, ea genere honeſta ac laudabilia ſunt: quæ repugnant, ea natura ſua inhoneſta ſunt ac turpia: quæ natura ſua ad iſtos fines nec referuntur, nec iis repugnant, ἀδιάφορα per ſe ſunt, & prout eſt hominis animus, aut aliarum circumſtantiarum ratio, ita nunc honeſta, nunc turpia fiunt: dicuntur tamen honeſta, quatenus non ſunt inhoneſta: & hæc ſunt v. gr. quæ ad voluptates corporis, commoda, honoreſque nonnullos pertinent. Nam cum mens indigeat corporis opera, neceſſe eſt ei tantum largiri, quantum ad illius incolumitatem, ſine qua menti ſervire, ejuſque imperia exſequi non poteſt, requiritur. Hæc de iis quæ genere ipſo honeſta ſunt.

Ut autem *aliquid* etiam *honeſte fiat*, neceſſe eſt non tantum rem ipſam ejuſmodi eſſe, ſed etiam aliarum *circumſtantiarum*, quæ pro hominum, temporum ac locorum ratione admodum variant, pulcrum obſervari ordinem, ac harmoniam quandam accedere: ſic enim demum honeſti natura complebitur: *Circumſtantiæ hæ ſunt, quis agat, quam ob cauſam, quo inſtrumento, in quid agat, ſeu circa quid verſetur, quomodo agat, quem ob finem, quo loco & tempore.* Priores tres ad cauſam efficientem pertinent, & prima quidem ad principalem, ſecunda ad impulſivam, tertia ad inſtrumentalem, quarta ad materiam ſeu objectum, quinta ad formam, ſexta ad finem, reliquæ duæ ad adjuncta, quæ magis proprie circumſtantiæ appellantur. Vulgo hoc verſiculo ſolent exprimi:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Ubi quis omnes has circumſtantias obſervaverit, & quod ſingulæ requirunt reipſa fecerit, mediocritatem in qua virtus conſiſtit eſt adeptus.

Notandum vero inprimis eſt *medium, in quo virtus conſiſtit*, non ita exquiſite ſumendum eſſe, ut quiſquis non omnes circumſtantias accuratiſſime obſervaverit, & vel parum ab eo quod rectum eſt deflexerit, ſtatim vitioſus cenſeatur, & virtutis omnem laudem perdat. Quod enim parum diſtat, præſertim in actionibus humanis, quarum infinita eſt varietas, id fere perinde eſt ac ſi nihil diſtaret. Quare qui paululum tantum abludit à medio exquiſite ſumpto, is nihilominus medium ſervare dicendus eſt: qui vero longius diſcedit, & circumſtantias aliquas notabiles negligit, is demum virtute excidit. Unde in vulgari loquendi ratione, qui propius ad medium accedit, quam ad extrema, virtute dicitur præditus: qui contra, vitioſus. Sic v. gr. qui longius abeſt à perfecta avaritia, quam à perfecta liberalitate, liberalis; qui contra, avarus appellatur. Patet autem id ex eo, quod videmus plures viros bonos, cum in eadem re, iiſdem circumſtantiis manentibus verſantur, paulo aliter atque aliter ſe gerere, & omnes tamen laudari, licet ſæpe alius magis, alius minus; quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

videlicet vel propius ſcopum attigit, vel longius abluſit. Quod ſatis indicat medium, in quo cernitur virtus, non eſſe puncti inſtar, ſed aliquam habere latitudinem.

Nihil vero obſtat iis, quæ hactenus diſputavimus, quod virtus non ſit mediocre bonum, ſed valde excellens, adeoque ἐν ἀκρότητι & ſummo prope faſtigio conſtituta. Nam ſi bonitatem & excellentiam virtutis ſpectes, in ſummo ſeu extremo ea eſt poſita. Sed ſi affectus & actiones, in quibus verſatur, reſpicias, in iis mediocritatem, prout circumſtantiæ poſtulant, ſervare virtutem aſſerimus. Neque enim in affectibus & actionibus nimis remiſſus eſt vir bonus, neque eas nimium intendit, ſed eas temperat ac moderatur pro ratione circumſtantiarum: quod dum facit, eo ipſo ad bonorum faſtigium adſpirat.

Sed dices: Non ſemper eſſe virtutis in affectibus & actionibus mediocritatem ſequi; ſed interdum eos, quoad ejus fieri poteſt, intendi debere, cum vel objectum affectuum, vel finis actionum, id requirit. Nam cum virtutis ſit affectus & actiones ad circumſtantiarum rationem accommodare; ſi circumſtantiæ, inter quas etiam materiam ſive objectum, & finem reponimus, exigunt ut eæ ſummopere intendantur, id facere virtutis erit. At Deus, v.gr. & immortalitas, ſunt bona maxima, maximeque amanda atque expetenda: quare illa maximo & intenſiſſimo amore ac deſiderio proſequi debemus, nec ea in re mediocritatem ſectari. Reſpondendum eſt: etiamſi amor ille, quo Deum proſequi debemus, & deſiderium, quo in immortalitatem ferimur, poſſit dici ſummum, propterea quod admodum debeat eſſe intenſum; non tamen eſſe ejuſmodi, ut non poſſit ulla ratione adhuc augeri & intendi, cum naturæ noſtræ pernicie, aut neglectu quodam earum rerum, quæ non ſunt prorſus negligendæ. Eſt enim amor ille, quem Deus à nobis requirit, & quem deſiderat noſtra felicitas, ita temperatus, ut patiatur nos vacare, tum officiis quæ præſtanda ſunt aliis, tum iis rebus quibus vita noſtra indiget. Quare ſi quis in affectu hoc, & actionibus inde prodeuntibus, eo progrederetur, ut naturæ ſuæ tantam inferret vim, ut quod libenter facit diu facere non poſſet, aut alia vitæ officia prorſus negligeret, is modum ſupergrederetur. Sic ſi quis ſeſe alicubi abdere vellet, & omnibus neglectis in ſolius immortalitatis contemplatione perpetuo defigi, aut nihil prorſus aliud vel facere vel cogitare vellet, quam orare, quod Euchetas quoſdam olim ajunt voluiſſe; quanquam hæc alias ſancta ſunt, & diligentiſſime facienda, modum tamen non ſervaret. Præterea in actionibus externis ex amore aut reverentia numinis prodeuntibus modus tranſiri poteſt. Sic ſuperſtitio in reverentia numinis inepte peccat, & modum aliqua ratione ſuperat. Quanquam cum ea poteſt etiam impietas, quæ in defectu peccat, conjungi. Neque enim in omnibus modum ſuperat, aut in cæteris modo ſervato, in uno atque altero negligit, ſed ſæpe in multis deficit. Sed quia medium hujus virtutis, ad id quod nimium eſt accedit propius, quam ad id quod parum eſt, idque ſuperare difficile eſt, niſi externis in rebus, ideo rarius in illo, quam in hoc peccatur: atque inde fit, ut id fere ignoretur, puteturque virtus ipſa prorſus in extremo ſive ſummo, ſi affectuum vim ſpectes, conſiſtere.

Quia de medio in quo virtus cernitur, ſatis dictum eſt, reſtat ut de *extremis* in quibus vitia cernuntur, pauca dicamus, eaque tum inter ſe, tum etiam cum medio conferamus. *Extrema* igitur *virtuti oppoſita duo ſunt; alterum in eo quod nimium eſt peccat; alterum in eo quod parum*. Medium enim hoc in quo virtus eſt ſita, diximus eſſe æquale, & in proportione geometrica cerni: æquale autem omne verſatur inter plus & minus, ſeu inter exceſſum & defectum. Hinc fit, ut virtus cum uno extremo collata ad alterum videatur accedere, v.g. fortitudo cum ignavia collata, videtur audacia: cum hac collata, videtur timiditati ſimilis. Sic liberalis cum avaro collatus, prodigus; cum prodigo, avarus videtur. Nam æquale cum minori comparatum majus eſt, cum majori minus. Extrema vero, ſi affectuum & actionum vim, intenſionem & remiſſionem ſpectes, magis inter ſe pugnant, quam cum virtute. Longius enim diſtant inter ſe extrema quam medium. Sed ſi vitioſitatem ipſam ſeu pravitatem, quæ in extremis cernitur, reſpicias, in medio vero bonitatem & excellentiam, magis cum virtute pugnant, inter ſe vero aliqua ratione conveniunt. Nam bonitatis ratione virtutem non in medio, ſed in extremo, poſitam aſſeruimus. Quare hac in parte virtus utrique vitio conjunctim ſumto, tanquam extremum extremo opponetur.

Verum vitia eidem virtuti oppoſita, non æque cum illa pugnant, aut ab illa æqualiter diſtant, ſed alterum altero illi eſt infeſtius; nunc id quod modum ſuperat, nunc id quod eum deſerit. Id autem duabus potiſſimum de cauſis contingit: Altera ex ipſa natura virtutis ac vitiorum oppoſitorum pendet; altera ex nobis. Illa eſt, quod affectus, in quibus verſatur virtus, vel natura ſua vehementes ſunt, ut libido & ira; vel remiſſiores, ut fiducia in periculis. Cum in illis verſatur, vis ipſius in cohibendo & frænando potiſſimum cernitur; idcircoque propius ad illud extremum quod parum eſt, quam ad illud quod nimium eſt, accedit. Sic manſuetudo magis accedit ad τὴν ἀοργησίαν, ſeu lentitudinem, quam ad excandeſcentiam; quia in ira, vehementi affectu regendo cernitur. Cum vero virtus in iis verſatur affectibus, qui ſua natura ſunt remiſſiores, tum eos augere & incitare potiſſimum virtutis eſt opus; atque adeo ad id, quod nimium eſt, magis accedit, ab eo quod parum eſt, recedit longius. Sic fortitudo, quia fiduciam in periculis inprimis regit, quæ ſolet eſſe ſua natura remiſſior, ſimilior eſt audaciæ quam timiditati. Poſterior cauſa ex nobis ipſis eſt. Nam ad quæ vitia procliviores aliquo modo ſumus natura, ea cum medio magis pugnare ſolent, quam ea ad quæ minus ſumus propenſi. Longius enim nos ille naturæ impetus provehit, quam progreſſuri eſſemus, ſi nos natura aliquantum retraheret. Quare cum natura ſimus omnes ad voluptates propenſi, ideo proniores ſumus ad intemperantiam quam ad ἀναισθησίαν, abſtinentiam ſeu ſtuporem. Quod idem in cæteris quoque eſt obſervandum, ut quo majorem aliquo ex vitio voluptatem capit quiſque, ſive id fiat ob communem omnium naturam, ſive ob peculiarem cujuſque conſtitutionem ac temperamentum, tanto ad id pronior eſſe cenſendus ſit. Unde alius ad iram, alius ad lentitudinem cenſendus eſt pronior, alius ad audaciam, alius ad timiditatem, alius ad avaritiam, ad profuſionem alius; quia alius hoc, alius alio magis delectatur: quæ delectatio ſi naturalis ſit, naturalem quoque inclinationem & proclivitatem arguit. Hæ autem duæ cauſæ, quia nonnunquam inter ſe pugnant, ideo altera vim alterius interdum infringit ac reprimit, & tum medium facilius eſt attingere; ut ſi quis ad profuſionem potius, quam ad avaritiam, ad duritiem vitæ, quam ad intemperantiam, ad lentitudinem potius, quam ad iracundiam ſit pronus. Dum enim hinc quidem natura vitii, hinc verò hominis natura, eum retinet & ad ſe trahit, prope in medio conſiſtere neceſſe eſt. Quanquam majorem vim tum temporis habere videtur naturæ inclinatio, quam ipſius rei natura, cum illa ſit homini propior & interior. Quare cum hac magis tum eſt luctandum, quam cum illa. Qua de re in præceptis parandæ virtutis dictum eſt.

NB. *Auctor ab amicis interpellatus, de hoc Ethices compendio in lucem edendo, dicebat ſe in eo nimis anxio pede Ariſtotelis orbitam preſſiſſe, qui uniuſcujuſque virtuti naturam in mediocritate poſitam cenſuit: id vero non ſemper ita habere, ſe poſtmodum ex divinis oraculis comperiſſe.*

Cap. VI.

De ſponte ac invite factis.

Reſtat, ut de προαιρέσει ſeu *Conſilio* dicamus, in qua, Mediocritati juncta, *formam virtutis* conſtituimus.

mus. Duabus enim ex rebus conſtat προαίρεσις, ut poſtea docebimus, recta deliberatione mentis, & aſſenſu firmo appetitus ſeu voluntatis, quo ea approbat, & ad ea agenda impellitur, quæ ratio conſultatione adhita concluſit. Utrumque ad virtutem eſt neceſſarium: prius; quod cum facta omnia ad circumſtantiarum rationem ſint accommodanda, eæ vero ſint multiplices, nec ſemper obſervatu faciles, deliberatio recta ut antecedat neceſſe eſt; modo tempus permittat. Id niſi fiat, temeraria virtus erit, & ſæpe à recto deflectet; id quod virtutis non eſt. Poſterius vero; quia tum demum virtutem quis eſt aſſecutus, cum appetitus rationem audit, & cum non invitus, nec cum lucta, ſed amore honeſti ad agendum impellitur, & alacriter officium exſequitur. Nam in vero amore honeſti virtutis perfectio conſiſtit.

Verum cum omne προαιρετόν, hoc eſt quod ſub conſilium cadit, ſit etiam ἑκούσιον, hoc eſt *ſponte factum* ſeu *voluntarium*, quanquam non contra, adeo ut προαιρέσεως cognitio incognito ſponte facto ſit futura difficilior, ideo de eo etiam nobis eſt agendum. Quanquam etiam alia eſt cauſa, cur de ſponte & invite factis hîc ſit agendum; quia hæc ipſa etiam per ſe, non accedente deliberatione, magnam in moribus & factis vim habent, & tum legiſlatoribus, tum judicibus, omnibuſque in univerſum rectoribus, imo & privatis hominibus, ad merita factorum æſtimanda, ad præmia, & pœnas conſtituendas, aut etiam veniam concedendam ſunt neceſſaria. Nam ea demum quæ ſponte fiunt, ſi quidem bona ſunt, laudem merentur ac præmia; ſi mala, vituperationem ac pœnam; quæ ab invitis, nunc veniam, nunc etiam commiſerationem. Ratio eſt, quia is demum laudem ac præmia meretur, qui facti revera auctor eſt, & ex amore virtutis id facit. At is demum revera auctor facti eſt, ſeu ei demum factum eſt imputandum, iſque amore virtutis, id quod honeſtum eſt feciſſe dicendus eſt, qui id ſponte fecit. Sic contra is demum vituperatione ac pœna dignus eſt, qui facti inhoneſti revera auctor eſt, & eo delectatus eſt, cum fecit: hæc enim quædam improbitas eſt, quæ odio eſt digniſſima. At hic eſt, qui ſponte quippiam facit; & quo majori cum alacritate, tanto magis. Qui vero invitus quid agit, is non eſt revera facti auctor, ſed vel vis externa, vel ignorantia; nec ex eo amor vel virtutis vel improbitatis colligi poteſt. Quare ſi quid fecit mali, venia dignus eſt; ſi quicquam etiam mali paſſus eſt ipſe, commiſeratione. Agendum ergo eſt hac de re in Ethicis, quæ Politicorum pars ſunt; cum nihil eorum, quod ad merita factorum noſtrorum pertinet, intactum nobis ſit relinquendum; ſed diligenter etiam explicandum.

Quia vero id, quod ab homine ſponte fit, id voluntarium proprie dicitur, quod ab invito involuntarium, ideo de *voluntate* quoque agendum eſt. Præterea cum προαίρεσις *conſultationem* ſeu *deliberationem* neceſſario poſtulet, de hac quoque tractandum eſt. Et quia τὸ ἑκούσιον latius patet quam voluntarium, proprie dictum, & voluntarium quam τὸ προαιρετόν; itaque à ſponte facto & ejus contrario, hoc eſt, invite facto, eſt ordiendum; deinde agendum de voluntate; tum de conſultatione; tandem de ipſa προαιρέσει.

Facta noſtra, quæ ſunt in noſtra poteſtate, quæ quidem non ſunt prorſus naturalia, & ad mores nihil pertinent, qualia ſunt fames, ſitis, cibi concoctio, &c. de quibus nos hoc loco non agimus, vel ſunt *ſpontanea* vel *invite facta*, vel quodammodo *media* ſeu *mixta*, id eſt partim ſponte, partim invite admiſſa.

Sponte factum eſt, cujus principium in agente eſt, ſciente rerum circumſtantias; ſeu, quod quis libenter facit. Principium autem facti tum cenſetur eſſe in agente, cum agens ipſe ſuopte motu ac impetu ad actionem accedit, aut ad eam aliquid confert, non ab aliis ſive rebus ſive perſonis prorſus coactus: quod etiam tum fit, cum quis boni ſpe impulſus, aut ab altero admonitus quippiam facit, cum poſſit etiam non facere.

Invite factum eſt, quod quis prorſus illibenter, ſeu contra animi ſententiam facit. Hoc autem *duplex eſt*: vel enim *vi fit*, & dicitur *violentum*: vel *ignorantia*, ſeu *per ignorantiam*. *Vi factum* ſeu *violentum*, illud eſt, cujus principium eſt extra, & quidem ejuſmodi, ut is qui agit aut patitur, nihil ei præſtet adjumenti, ſecundum proprium motum & impetum. Per principium intelligimus cauſam efficientem ſeu moventem. Volumus autem eum, qui agit aut patitur, nihil ad eam conferre ſubſidii. Nam etiamſi quis vel à monitore ac ſuaſore impulſus, vel ſuavitate rei illectus, quippiam faciat, non tamen vi coactus id feciſſe dicetur, quia ipſe quoque aſſenſum præbuit, ipſeque membra ad actionem impulit ac movit. Exemplum violenti facti eſt, ſi quis vento abreptus in eam regionem deferatur, quam minime voluit, quanta potuit vi renitens: aut cum quis ab hominibus robuſtis conſtringitur, & ad hoſtes vel in carcerem defertur, aut ante idolum proſternitur.

Invite factum quod fit *per ignorantiam*, eſt quod proficiſcitur ex ignorantia non affectata circumſtantiæ alicujus ſingularis, circa actionem occurrentis, quam ſi noviſſemus minime id facturi fuiſſemus, adeo ut dolor, ubi rem cognovimus, ſequatur. Ut ſi quis patrem aut fratrem hoſtilibus armis indutum, & ſibi in acie occurrentem interficiat, hoſtem eſſe arbitratus, qua re cognita triſtetur. Sed ut hoc rectius intelligatur, ſciendum eſt aliud eſſe, *ignorantem facere* quippiam; aliud, *per ignorantiam*: illud latius patet, hoc anguſtius. Omnis enim, qui per ignorantiam agit, agit ignorans; ſed non contra; nec omnis qui ignorans peccat, invite id feciſſe dicendus eſt, nec protinus veniam meretur: nam ebrii quoque & iracundi multa ſæpe agunt ignorantes, imo omnes improbi aliquo modo ignorantes peccant, quos tamen nemo excuſaverit, cum ipſi ſuæ ignorantiæ ſint cauſa. Unde Pittacus, unus ex Græciæ ſapientibus, legem tulit, ut ebrii, ſi quem pulſaſſent, graviori pœna quam ſobrii plecterentur, tanquam qui bis peccaſſent, nec ignorantia quam ſua culpa contraxiſſent excuſarentur; qua tamen in re utilitatis cauſa longius eſt progreſſus quam par erat. Ignorantes nempe agunt omnes, qui dum agunt, aliquid ad actionem pertinens ignorant, qualecunque illud ſit, & quamcunque tandem ob cauſam id ignorent. Per ignorantiam vero atque adeo invite agere, ii demum dicendi ſunt, quos ipſa ignorantia ad factum hoc deduxit, & ut peccarent effecit, cum ipſi hujus ignorantiæ cauſa non eſſent: breviter, quando ipſa ignorantia eſt prima facti cauſa.

Duplex enim conſtitui poteſt *ignorantia*; alia *culpa noſtra contracta*, alia vero *à culpa noſtra ſejuncta*. Illa *ignorantia juris* vel *lata culpa* à Jureconſultis dicitur; & eſt ignoratio ejus, quod quis intelligere poterat & debebat; adeo ut negligentia ejus tantum ſupina aut improbitate factum fuerit ut neſciret; quæ ignorantia tanto gravior eſt, quo quis plures habuit cauſas, occaſionemque majorem, ut id ſciret atque intelligeret. Quod ſi exiguam habuit occaſionem ejus rei cognoſcendæ, aliqua ex parte excuſatur, ac pœna per æquitatem aut mitigatur aut tollitur: ut ſi peregrini legem aut mores civitati proprios non protinus ſciant, & aliqua in re delinquant, antea in ea urbe non verſati, vel non diu verſati. Sic iis qui ætatem in caſtris exegerunt, ignorantia quædam juris civilis conceditur.

Illa rurſus duplex eſt; vel enim *ignoratur univerſale aliquod*, v. g. lex aliqua, quam omnes ſcire poterant & debebant; qualis eſt ignorantia juris naturalis, quæ neminem prorſus excuſat; ignorantia legum divinarum, quarum addiſcendarum quis habuit occaſionem; ignorantia legum Reipub. in qua aliquis vivit. Vel ignoratur, non quidem univerſale aliquod, ſed *ignoratur, quidnam inter duas res propoſitas melius, aut utilius, aut quem ob finem aliquid ſit agendum*, cum tamen quivis id ſcire & poſſit & debeat. Hæc ab Ariſtotele dicitur ignorantia ἐν τῇ προαιρέσει, id eſt, qua quis in electione bonorum errat, utile hoc v. g. aut jucundum honeſto putans eſſe præferendum; quæ non reddit

facta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

facta invita, ſed improbitatis eſt cauſa. Huc etiam pertinet ignoratio circumſtantiæ alicujus ſingularis, quam quis noſſe debebat: ut ſi quis in foro aut platea explodens ſclopetum, hominem trajiciat, & dicat ſe ignoraſſe quempiam præteriturum. Id enim ſcire debebat, cum veriſimile ſit in iſtiuſmodi locis homines verſari. His duobus modis ebrii ſæpe peccant, & ii qui ſua malitia ſunt excœcati, ut rectum non videant. Quiſquis alterutra harum ignorantia laborat, is ignorans quidem peccare dicitur, ſi quid agat mali, ſed non per ignorantiam: non enim ignorantia eſt prima peccati cauſa, ſed ipſe homo, qui eam ſua culpa contraxit.

Illa vero *ignorantia, quæ culpa noſtrâ contracta non eſt*, eſt ea, qua ſingularium actionum circumſtantiam vel unam vel plures ignoramus, nullam noſtram ob culpam aut negligentiam: quod fiet cum diligentiam & cautionem in facto aliquo adhibuerimus, quam plerique omnes, ejuſmodi in rebus adhibere ſolent: ſeu quod idem eſt, ſi ignorantia ſit ejuſmodi, ut in virum etiam bonum & mediocri prudentia inſtructum cadere potuerit. Quanquam ætatis hîc etiam eſt excuſatio, & imbecillitas judicii nonnullos excuſat. Qua ratione leges Romanæ conſtituunt, ut ſi infans aut furioſus hominem occiderit, lege Cornelia, de Sicariis ſeu homicidis, non teneantur: cum alterum innocentia conſilii tueatur, alterum facti infelicitas excuſet. Dig. ad Leg. Cornel. de Sicar. L. infans. Id quod aliqua ratione etiam ad eos transferendum, qui vel ob ſtupiditatem ingenii, vel aliam ob cauſam, quæ ab illorum culpa non ſit profecta, quippiam ignorant. Quæ ab hac ignorantia proficiſcuntur facta, illa demum per ignorantiam facta dicuntur.

Verum *facta ex hujuſmodi ignorantia profecta*, iterum *ſunt duplicia; vel* enim *ea conſequitur dolor & pœnitentia, vel non conſequitur*. Prioris generis facta dici debent ἀκούσια, id eſt invite facta, & veniam merentur. Poſterioris vero generis non item; quamquam ne ἑκούσια quidem, ſeu ſponte facta dici poſſunt, cum ratione originis ad invite facta propius accedant. Appellentur igitur οὐχ ἑκούσια, id eſt Non ſponte facta, voce inter ἑκούσια & ἀκούσια veluti media. Melius enim eſt, ut cum ab utriſque differant, diverſum etiam nomen habeant, ad confuſionem evitandam. Exemplum prioris generis eſt in Dejanira apud Sophoclem, quæ vehementer dolebat, quod imprudens Herculem maritum ſuum tunica veneno delibuta interemiſſet: & in Oedipo apud eundem Poëtam, qui graviſſime matris nuptias, & patris cædem, quæ utraque per ignorantiam admiſerat, doluit. Poſterioris vero generis exemplum eſt in Tiberio, qui hoſpitem ſuum Rhodium imprudens quæſtioni ſubjecit, poſtea agnitum etiam interfecit: itemque in illo, qui cum forte conjecto in canem lapide novercam læſiſſet imprudens, *Euge*, inquit, *& hoc non male.*

Poſtquam ergo docuimus, eam demum ignorantiam, quæ eſt rerum vel circumſtantiarum ſingularium circa actiones occurrentium, factum vel invitum vel ſaltem οὐχ ἑκούσιον conſtituere, hujus ignorantiæ modi, qui varii ſunt, conſiderandi reſtant. Hi vero ex varietate circumſtantiarum ipſarum, quæ ignorantur, pendent. Quæ & quot ſint actionum circumſtantiæ, ſuperiori capite explicuimus. Verum non omnes eæ poſſunt ignorari, niſi quis forte inſaniat. Quomodo enim ignorare poteſt is, qui agit, primam circumſtantiam, nimirum quis agat, cum nemo ſeipſum ignoret. Ignorare autem quiſpiam poteſt, 1. *quid agat*: quod accidit illis, qui res ſecretas, & minime vulgandas, in vulgus efferunt, aut alicui aperiunt, ignorantes eas eſſe occultandas: quemadmodum Poëta Æſchylus multa in ſuis Tragœdiis de ſacris Eleuſiniis, quæ nefas erat enunciare, publicarat; eamque ob cauſam in periculum capitis venerat: tandem vero, quia ignoraverat ea eſſe occulta aut ſecreta, abſolutus eſt ab Areopagitis. Heraclides Ponticus, lib. 1. de Homero. Sic ſi quis oſtenſurus alicui ſclopetum, interea ejaculetur imprudens, & iſtum interficiat, ignorat quid faciat.

2. Ignorare quis poteſt *circa quid verſetur*, ſeu in quid agat: qua ignorantia inducta Merope Polybii Regis Corinthiorum uxor, quæ filium alterum interfecit, alterum interficere voluit, arbitrata eum eſſe ſicarium & hoſtem ſuum. Huc pertinent Oedipi cum matre nuptiæ & patris cædes. Sic nonnunquam in bello aliquis amicum, aut fratrem, hoſtem eſſe arbitratus, occidit.

3. *Quo inſtrumento*: ut ſi quis alterum petat haſta; quam putet eſſe obtuſo mucrone, cum ſit acuto: aut jactu lapidis aliquem vulneret, cum non putarit eſſe lapidem, ſed pumicem.

4. *Cujus rei cauſa*, ſeu quem ob finem: ut ſi medicus valetudinis cauſa propinet pharmacum, aut venam ſecet, eoque fiat ut is moriatur. Hac ignorantia Dejanira peccavit in maritum, & Lucretium uxor ſuſtulit, pomo ipſi dato, quod putarat eſſe philtrum, cum in eo lateret venenum: quanquam hîc ignorantia etiam inſtrumenti concurrit; ac præterea in toto hoc genere, non tam finis ipſe, quam effectus, qui finem intentum ſecuturus ſit, ignoratur; quem ſi ſecuturum ſciviſſemus, id quod fecimus, haud fuiſſemus facturi.

5. *Quo modo*: ut ſi quis aliquem leviter contingere volens, graviter pulſet, aut paululum impellere volens, evertat.

6. Locus ignorari poteſt, ſacerne ſit an profanus.

7. Tempus, ut ſitne dies feſtus, an profeſtus.

Inter has vero *circumſtantias, & factorum attributa, duo ſunt inſigniora*; quorumque adeo ignorantia, nulla agentis culpa contracta, magis excuſat, nempe *materia* & *finis*. Ratio illius eſt, quia facta pleraque ex materia ſeu ſtrato diſtingui & nomen ſortiri ſolent: ſic parricidium à cæde, ſacrilegium, & peculatus, à furto diſtinguitur. Hujus vero ratio eſt; quia in omni facto maximum in fine poſitum eſt momentum, ita ut ſæpenumero non tam quæratur quid factum ſit, quam quo animo & fine. Sic in legibus Romanis non tam quæritur, an quis telum aliquot habuerit, quam quo fine id habuerit, ut Cicero pro Milone docet.

Hæc vero facta per ignorantiam admiſſa, vel fiunt inopinato & præter rationem, & dicuntur ἀτυχήματα, fraudes fortuitæ; ut ſi quis ſub vepribus jacentem hominem è longinquo putet eſſe feram, & globo trajiciat. Alia non quidem præter rationem, ſed tamen abſque malo animo fiunt; ut cum quis alterum emendare volens, præter opinionem gravius percutit, aut cum eo luſurus, eum dejicit, ex quo caſu ille moritur; & hæc vocantur ἁμαρτήματα, peccata vel errata.

Poſtquam vidimus, quæ ſint ſponte & invite facta, nunc de *mixtis* agendum. Ubi duo conſideranda: Primum, ad quodnam genus pertineant ea, quæ vel majoris mali effugiendi, vel majoris boni conſequendi cauſa fiunt, quæ ſimpliciter & per ſe nemo niſi inſanus fecerit. Alterum eſt, quò pertineant ea, quæ pulchritudine aliqua rei incenſi, itemque ea quæ ira aut alio aliquo affectu impulſi admittimus, an ad invite facta, ut nonnulli arbitrati ſunt, an vero ad ſponte facta.

Quod ad primam quæſtionem attinet, ea primum exemplis illuſtranda eſt, deinde diſſolvenda. Quia vero quæſtio eſt bipartita, ideo & exempla duûm ſunt generum; quædam enim fiunt ut majus aliquod malum effugiatur, ad quale facti genus adigere voluerunt Socratem triginta tyranni, qui uxoris & liberorum morte propoſita eum voluerunt cogere, ut innocentem Leonem quendam morte condemnaret, ſed efficere non potuerunt. Similia etiam ſunt ea, ad quæ tyranni cruciatibus acerbiſſimis propoſitis adigere voluerunt Chriſtianos, quibus infiniti fuerunt ſuperiores, alii etiam ſuccubuerunt. Huc etiam pertinent jacturæ, quæ fiunt à nautis in magnis tempeſtatibus, vitæ redimendæ cauſa. Quædam fiunt majoris boni conſequendi, & vel ſibi, vel aliis parandi cauſſa. Tale fuit Zopyri factum, qui ut Dario Regi ſuo Babylonem recuperaret, aures & nares ſibi amputavit, ſeque verberibus fœdavit, ad Babylonios fallendos; ut Juſtinus & Plutarchus ſcriptis prodiderunt. Tale factum Ulyſſis, qui explorandæ Trojæ cauſa, & recuperandæ domus ſuæ, tuendæque uxoris adverſus procos, ruſtici

amictu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

amictu uti, aliaque indigna ſubire non recuſavit. Homerus Odyſſ. 4. & 17.

Ad quæſtionem igitur reſpondens Ariſtoteles dicit hujuſmodi facta neque ſimpliciter, hoc eſt, non habita ratione circumſtantiarum, ἑκούσια ſeu ſpontanea, neque prorſus invite facta eſſe, ſed medio quodam modo ſe habere, eſſeque *actiones mixtas*: propius tamen ad ſponte facta accedere.

Quod ſimpliciter & per ſe conſiderata non ſint ἑκούσια ſeu voluntaria, ex eo patet, quia nemo per ſe niſi amens, damnum capere, cruciatibus ſe ſubjicere velit, & nemo niſi prorſus improbus turpitudinem manifeſtam in ſe admittere ſuſtineat. Quare ſi conſiderentur per ſe & abſolute, abſque tempore periculoſo, ἀκούσια ſunt dicenda.

Quod non ſint prorſus invite facta patet, 1. Quia nec per ignorantiam fiunt, nec violenta ſunt. Iſtud manifeſtum eſt; hoc probatur: quia in violentis actionibus, is qui agit aut patitur ex ſe nihil adjumenti ad actionem conferre debet. At qui, v. g. merces in mare projicit, aut membra ſua mutilat, is non parum adjumenti ad actionem confert, & ipſe membra, quibus actio perficitur, movet. Sunt ergo hæ actiones mixtæ, & partim voluntariæ, partim involuntariæ.

Quod vero propius accedant ad voluntaria, quàm ad involuntaria, (unde alia ratio naſcetur, ex qua patebit ea non eſſe ſimpliciter invita) probatur; quia actiones ex eo tempore potiſſimum ſunt æſtimandæ quo geruntur, ita ut ſi tum ſint voluntariæ, voluntariæ potius quam involuntariæ cenſeantur: ſi tum temporis involuntariæ, contra. Nam ex circumſtantiis actionum, quæ variis temporibus variæ ſunt, facta maxime judicanda ſunt. Atqui tum temporis cum eæ fiunt ſunt voluntariæ & ſpontaneæ: videntur enim tum expetendæ iis qui agunt. Nam nautis videtur eſſe ſatius merces perdere, quam vitam, & aliis ſatius eſſe videtur, vitam amittere, quam honeſtatem deſerere. Malum enim minus majori collatum, bonum atque adeo expetendum videtur. Quæ autem quis agit ideo quod ei videantur expetenda, ea voluntaria tum ſunt. Deinde quia oſtenſum eſt, principium movendarum partium earum, quæ ſunt actionis inſtrumenta, in ipſo agente eſſe: hoc autem, ſi ſcientia accedat, actionem magis voluntariam efficit.

His ita in genere de *mixtis* his *factis*, quæ ſunt propemodum media inter voluntaria & involuntaria explicatis, nunc ea diſtinguenda ſunt in certa quædam genera. *Sunt* autem *ea quadruplicia. Alia* enim *laudem merentur, alia vituperationem, alia veniam, alia denique pœnam.*

1. *Laudem merentur ii*, qui ob rem aliquam præclaram & memorabilem aſſequendam, honeſtatemve tuendam, vel ob graviſſimum aliquod malum evitandum, graviſſima detrimenta capiunt, aut cruciatus diros ſubeunt. Hujus generis ſunt tum Chriſti, tum Apoſtolorum, aliorumque Chriſtianorum ac martyrum mortes, quas veritatis ac juſtitiæ cauſa, & vel aliis vel ſibi infinitum bonum eo pacto paraturi, ſuſtinuerunt. Huc retulerunt veteres Zopyri & Ulyſſis facta, de quibus antea: huc Marci Reguli factum, qui cum Reipub. cauſa, captivos pro ſe reddendos hoſtibus diſſuaſiſſet, quia fidem ſuam hoſti obſtrinxerat, ejus ſervandæ cauſa, ad exquiſitiſſima tormenta Carthaginem rediit; de quo Cic. lib. 3. Off. huc Junii Bruti factum, qui cum ipſius liberi de Tarquiniis in urbem revocandis agerent, libertatis, quam Tarquinio ejecto urbi dederat, conſervandæ gratia, eos virgis cæſos ſecuri percuſſit. Sic Zeno ne ſecreta forte proderet, linguam ſibi abſcidit dentibus, & in Dionyſium tyrannum expuit. Et Anaxarchus, ne amicos proderet, à Nicocreonte tyranno flagellari ſuſtinuit. Nonnunquam & ii laudantur, qui maximi emolumenti cauſa, malum, cum commodo tamen non comparandum, ſubeunt.

2. *Vituperationem merentur*, cum quis vel propter minoris momenti bonum conſequendum, vel propter minoris momenti malum effugiendum, turpe quid committit. Romanis turpe erat, habitum Romanum abjicere, & pallium, quod Græcorum erat, ſumere. Hoc fecerat Rabirius, qui pecuniæ perſequendæ cauſa Alexandriæ pallium ſumſerat, licet eum Cicero aliqua ratione excuſet. Tale eſſet, ſi cui teſtamento ſit legatum, ea conditione ut in foro ſaltet, media luce, quod & per ſe hominis levis ac prope inſani eſſet, & Romanis olim prope flagitioſum, ut ex oratione pro Muræna patet. Item ſi quis ne aliquot florenorum jacturam facere cogatur, verberari ſe publice ſuſtineat.

3. *Veniam & excuſationem merentur*, qui turpe quid faciunt, modo id natura turpe non ſit, ſubacti graviſſimis tormentis & cruciatibus, quibus ferendis humana natura ſit impar: aut metu maximorum malorum, quæ longe ſunt graviora eo, quod ipſis faciendum eſt, ſi ea velint effugere. Sic veniam meritus eſt Pub. Rutilius Rufus, qui ut Mithridatis Regis crudelitatem effugeret, veſtem mutavit ſumto pallio, teſte Cicerone pro C. Rabirio Poſtumo. Huc referri poteſt Davidis factum, qui, ut mortem effugeret, furere ſe ſimulavit. Sed commiſerationem etiam meretur, cum quis eò adigitur, ut ob majora mala, quæ immerenti impendebant, cogatur alia non levia ſubire.

4. *Pœnam merentur*, qui aliquid quod natura ſit turpe aut flagitioſum admittunt, cujuſcunque tandem mali effugiendi, aut boni conſequendi cauſa. Ut ſi quis cruciatuum, exilii, carceris, verberum, direptionis bonorum effugiendæ cauſa, religionem abneget, aut patriam prodat, aut ut ſe defendat, aut patrem vindicet, parricidium admittat. Extrema enim omnia potius ferenda ſunt, & mors acerbiſſima ſubeunda, quam tale quid perpetrandum. Quod in omnibus quæcunque cum mandatis Chriſti vere pugnant, locum habet.

In hujus autem generis rebus duplex occurrit difficultas: prima in eligendo; altera in eo quod recte conſtitueris exſequendo. Sæpe enim difficile eſt, quidnam potius ſit eligendum, propter varietatem circumſtantiarum, quæ in ſingulis actionibus occufrunt, & earum rationem mutant, ſed adhuc longe difficilius eſt, in eo quod recte decreveris, perſeverare. Nam ea quæ expectantur, plerumque admodum moleſta ſunt ac gravia; ea vero ad quæ facienda adigimur, turpia. Atque hinc vel laus vel vituperatio contingit, quod quis vel in iis, quæ recte conſtituerit, perſeveret; vel contra, aut in eligendo culpa ſua erret, aut à recto animi decreto, dolore aut damno abduci ſe patiatur. Iſtud enim laudabile eſt; hæc vituperationem merentur.

Quod ad alteram quæſtionem attinet, ea duas habet partes; prior eſt an res jucundæ, quæ extra nos ſunt, cogendi vim habeant, adeoque actiones eæ, quas iis impulſi ſuſcipimus, violentæ ſint dicendæ. Poſterior eſt, an affectus, qui in nobis ſunt, & ad actiones nos impellunt, eas efficiant violentas.

Ratio prioris partis hæc à quibuſdam afferri ſolebat: quia jucunda extra nos ſint, noſque ad agendum impellant: violentum autem illud eſſe factum, cujus principium ſit extra nos. Verum negativa quæſtionis pars verior eſt. Ratio qua contraria ſententia nititur, fallax eſt: quia non omne id, cujus principium eſt extra nos, violentum eſt; alias omnia facta noſtra violenta eſſent, cum omnium noſtrarum actionum cauſæ aliquæ impulſivæ procatarcticæ ſint extra nos. Sed id demum violentum eſt, cujus principium ita eſt extra nos, ut nos ipſi ad actionem nihil conferamus adjumenti. Quare 1. argumentum in adverſarios retorquemus: Quod violentum eſt, ad id nos ipſi nihil conferimus. Atqui ad ea quæ pulchritudine ac jucunditate rei impulſi facimus, nos ipſi multum conferimus: ea enim appetimus, ac membra ad ea perſequenda movemus. Quare non ſunt violenta; nec invite facta, cum certum ſit, ea per ignorantiam non fieri. 2. Ratio contra eandem ſententiam eſt; quia quæ vi adacti atque inviti facimus, ea cum dolore & moleſtia facimus. At quæ pulchritudine rei impulſi facimus, ea facimus cum voluptate. Quare violenta atque invite facta non ſunt. 3. Si honeſta, licet externa aliqua cauſa moti, ſponte facimus, ut illi fatentur, contra quos diſputamus, qui honeſta ſibi libenter adſcribunt, nec

invitos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

invitos ea ſe feciſſe agnoſcere volunt; etiam turpia, quæ pulchritudine rei illecti facimus, ſponte à nobis fiunt: par enim utrorumque eſt ratio.

Ad alteram quæſtionis partem itidem negative reſpondemus. Ratio prima eſt: quia ſi ea, quæ cupiditate, ira, aliove affectu impulſi facimus, inviti faceremus, & pueri, & bruta, omnia invite facerent, quia omnia affectu aliquo impulſi faciunt. At non omnia faciunt invite; quod manifeſtum eſt ex eo, quod ad alia ſponte ruunt ac feruntur, ad alia vero adigi ea neceſſe eſt. 2. Hoc idem probant rationes, quas pro reſponſione ad priorem quæſtionis partem confirmandam attulimus. Nam ad has actiones, quæ ex affectibus proficiſcuntur, nos multa, imo prope omnia, conferimus: deinde jucundæ ſunt: quorum neutrum eſt invite factorum. Demum honeſte multa fiunt aliquo affectu impellente, quæ iſti, cum quibus diſputamus, violenta dicere verentur.

Cap. VII.

De voluntate & arbitrio humano.

A Spontaneo, tanquam generaliori, ad *voluntarium*, quod ſpecialius eſt, deſcendimus. Neque enim *Spontaneum* & *voluntarium*, proprie ſic dictum, idem ſunt. Iſtud in bruta, & infantes etiam cadit: hoc in eos tantum qui ratione utuntur. Ad Spontaneum enim cognitio quæ ſenſu fit, & appetitus ſufficiunt; ſenſus vero & appetitus, eorumque operatio brutis & infantibus etiam communis eſt. Ad voluntarium etiam uſus rationis requiritur. Voluntas autem, unde voluntarium dicitur, duobus ſumitur modis: nunc pro facultate, nunc pro actu. Voluntas priori modo ſumpta eſt appetitus rationalis, hoc eſt, qui in id quod ratio bonum judicat fertur. Appetitus vero vox hîc accipitur laxe, pro quavis facultate quæ bonum cognitum amplecti, & malum averſari poteſt. Nam alias ſtricte ſumitur pro appetitu ſenſitivo tantum, qui eſt ſedes affectuum, & ſenſum ſolum conſequitur, unde etiam brutis ineſt.

Plenius autem natura voluntatis explicari poteſt, ſi dicatur eſſe, Facultas quæ id, quod ratio tanquam bonum apprehendit, perſequitur; quod tanquam malum, averſatur: &, ſi bono adjunctum ſit quippiam mali, id libere vel amplectitur vel reſpuit, inter duo etiam vel bona, vel mala delectum libere inſtituit. Et hæc libertas voluntatis, *arbitrium* vocatur. Quod vero eſt appetitus ſtricte acceptus reſpectu ſenſus, id eſt voluntas reſpectu mentis & intellectus: quemadmodum ille ſenſum ſequitur, & ab eo excitatur, ita hæc à mente.

Quia vero ratio non tantum, ea bona, quæ ipſius naturæ ſunt convenientia, cognoſcit & æſtimat, ſed etiam ea, quæ ſenſui corporis: ideo voluntas in utraque ferri poteſt. Eſt enim ratio ſenſui præfecta, ejuſque miniſterio utitur, ideoque ejus curam viciſſim gerere debet, & ea cognoſcere, quæ requirit ac poſtulat, & ejus deſideriis nunc ſatiſfacere, cum niſi ſatiſfieret, ejus vis langueſceret, nec menti operam ſuam præſtare poſſet, nunc repugnare, quia ſi obſequeretur propriam vim mentis impediret. Cum enim una facultas nimis valet ac viget, cæterarum vis languidior eſſe ſolet. Quare mens non ſemper corporis deſiderio ſatiſfacere debet, cum ad ſe omnia referre debeat, & eatenus tantum ei indulgere, quatenus ſibi inſervit, cum ipſa domina ſit. Verum quia non ſemper tantundem largiri debet corpori, ſed nunc plus, nunc minus, neque illud eſt definitum natura, ſed prudentiæ mentis relinquitur, quæ æſtimatis rerum circumſtantiis, nunc plus, nunc minus, prout res poſtulat ei debet tribuere. Quæ facultas menti tribui non potuit, quin ſimul illud quoque ei tribuatur, ut poſſet etiam nimium aut parum tribuere, qua in re errare ſolet. Et quia ratio nonnunquam ea quæ vere bona ſunt talia etiam eſſe judicat, interdum ſenſuum & affectuum vi præpedita contra cenſet; hinc fit ut voluntas nunc in vera bona, nunc in ea quæ talia eſſe videntur feratur, & nunc vera bona falſis aut longe vilioribus præferenda ſtatuat, nunc contra. Voluntatis igitur objectum, ſeu τὸ βουλητὸν ſimpliciter, eſt verum bonum. Huic autem & illi βουλητὸν, eſt apparens bonum. In viro autem bono ea convenire ſolent. Quia enim vir bonus animo bene affectus eſt, ideo quod ipſi bonum videtur, & in quod illius voluntas fertur, id vel ſemper vel plerumque, ſaltem vere & natura ſua bonum eſt. In improbis hæc diſcrepant, cum animi morbo laborent. Eadem enim ratione, id quod ſano homini ſuave aut amarum videtur, etiam natura ſua tale eſt: quod ægroto ſuave, id nonnunquam natura ſua amarum eſt; aut quod amarum ſuave eſt. Regula enim, ex qua rem unamquamque æſtimare debemus, eſt is, qui bene ſecundum naturam eſt affectus, non vero is qui male. In iis quidem quæ ad corpus pertinent, is qui ſano eſt corpore; in iis vero quæ ad animum, vir bonus & ſapiens; virtus enim & ſapientia, ſanitas mentis eſt.

Sciendum autem eſt, tantam eſſe voluntatis vim, ut licet ſemper cognitionem intellectus ſequatur, & id demum, quod ratio bonum eſſe videt, appetat; tamen, poſtquam illi & veri boni & apparentis ſpecies aliqua à ratione objecta eſt, vel in hoc vel in illud inclinet, & vel genuinam rationis vim excitet, atque ut cum appetitu pugnet efficiat, vel ut ea languidior fit, & appetitui cedat. Etiamſi quis videat hoc ſimpliciter eſſe melius; poteſt tamen id quod ſecundum quid eſt bonum, ſeu relate, nempe commodum aut voluptatem ei præferre, & contra. Nam in aliis quoque rebus non raro accidit, ut dubitetur, an id quod ſimpliciter melius eſt ſit præferendum, an vero id quod huic aut illi. Eadem vis arbitrii non tantum ſpectatur, cum ſimpliciter bonum cum apparente pugnat, ſed etiam cum ex pluribus utilibus aut jucundis eſt aliquid eligendum.

Actio autem intellectus duplex ſtatui poteſt; altera præcedit voluntatis actum, altera ſequitur. Illa eſt cum ſpeciem boni concipit, qua voluntas movetur; hæc cum à voluntate ad bonum ſeſe inclinante excitatur, ut bonum iſtud melius conſideret, & rationes ejus potiundi excogitet. Hæc actio ſolet eſſe intenſior illâ. Sic ſenſus ſpeciem ſenſibilem prius cognoſcit; ſi ſibi conveniat, appetitus excitatur; hic rurſus ſenſum acriorem, & muneri ſuo magis incumbentem reddit. Eſt enim partim natura partim inſtitutione & doctrina honeſti quædam ſpecies menti impreſſa, idque ea bonum eſſe cernit: contra etiam ſenſus & appetitus, bona ſibi allubeſcentia rationi commendat & obtrudit: unde pugna illa appetitus & rationis oritur. Dicitur pugna appetitus & rationis, licet in intellectu abſolvatur: quia ex altera parte ſenſus, & cum eo junctus appetitus, rationi bonum ſibi placitum obtrudit, & illius ſpeciem ei imprimit: ex altera parte genuina vis rationis ſpeciem ſibi impreſſam opponit cupiditati appetitus: & ſpeciem alteram expellere conatur, donec vel hæc vel illa vincat. Quanquam ipſa ratio non tantum bonum ſibi cognitum percipit, ſed etiam bona aliena, hoc eſt bona corporis ac ſenſus, eaque cum genuino ſuo bono comparat; & quia cum corpore admodum colligata eſt, & ejus opera utitur, ideoque ejus curam ſuſcipere debet, utrum præferendum ſit alteri deliberat. Hic voluntas veluti arbitra eſt, & nunc in hanc, nunc in illam partem ſe inclinat; idque eſt arbitrium humanum, unde omnis virtutis ac vitiorum ratio, omne factorum meritum pendet. Nam nunc voluntas bonum naturæ rationis ac mentis conſentaneum ſequitur: quod cum conſtanter facit, rationis vim genuinam excitat, & ut contra appetitum diſputet, eum refutet ac premat, efficit. Quæ vis tanta eſt, ut etiamſi appetitus nonnunquam fere viciſſe videatur, & veri boni ſpeciem in mente obſcurarit & propemodum extinxerit, tamen voluntas fugientem illam boni veri ſpeciem iterum apprehendat, ad eamque plenius cognoſcendam rationem excitet, & ut ejus vi appetitum tandem vincat, efficiat. Interdum vero voluntas ſpeciem bonorum corporis, ſibi à ratione oſtenſam, ſequitur, & in eam partem

propen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

propendet, unde genuina mentis vis langueſcit, & appetitui non tantum cedit, ſed etiam inſervit, dum rationes excogitat & invenit, quibus corporis deſideriis poſſit ſatiſfieri; licet interdum ſua conſilia aliqua ex parte damnet. Unde illud, *video meliora proboque, deteriora ſequor.* Quia non omnis honeſti ſpecies in improbis, niſi prorſus deploratis extinguitur. In hoc improbitas, in illo virtus conſiſtit: illud laudem ac præmium meretur, hoc vituperationem & pœnam.

Hujuſmodi vero vim voluntatis ſeu arbitrii nobis ineſſe, primum experientia unumquemque docere poteſt. Quiſque enim in ſe, dum luctam appetitus & rationis ſentit, experitur ſe nunc vincere appetitum, quia vim ſibi faciat, idque interdum etiam tum, cum jam fere victa eſſet ratio: nunc vero rationem vinci ab appetitu; licet, ſi vim ſibi facere vellet, impetum appetitus frangere ſe poſſe videat. Quò illud etiam pertinet, quod plerumque difficile nobis appetitui repugnare, & voluptates, commoda, honores, cum honeſtas repugnat, ſpernere: contrarium autem à nobis facile fieri poſſet. Annon enim exinde arbitrii noſtri vis apparet? Quomodo enim antea effecit, ut cum utrumque facere poſſemus, id tamen quod difficilius eſt faciamus, quam quia in nobis eſt poteſtas eligendi ex contrariis quod libet, ſeu arbitrium?

Sed deinde id ipſum comprobant etiam teſtimonia, & praxis perpetua omnium legiſlatorum ac gubernatorum, omnium denique, qui cum ratione alios regunt. Omnes enim diſcrimen aliquod conſtituunt inter eos, qui voluntarie quippiam fecerunt, ſive boni ſive mali, & eos, qui vel vi, vel ignorantia. Nam eos quidem, qui ſponte ac voluntate ſua aliquid boni fecerunt, laude aut præmiis afficiunt; qui mali aliquid, vituperatione vel pœna: de iis vero qui inviti quippiam fecerunt, aliter ſtatuunt. Quod diſcrimen vanum eſſet, niſi in nobis eſſet ea voluntatis & arbitrii vis, quam diximus. Omnia enim neceſſario aut caſu faceremus, quæcunque facimus; & vel natura, vel aliquid extra nos exiſtens, eſſet actionum noſtrarum omnium cauſa: ideoque non nobis eſſet imputandum, & vel laudi vel vitio dandum, ſi quid recte aut ſecus faceremus.

Docet etiam praxis reliquorum omnium hominum, cum iis res eſt cum aliis. Nam cum arbitrantur ab aliis ſe ſponte læſos, graviſſime iraſcuntur. Cum autem vel per ſe credunt, vel edocentur, ab iis id non eſſe ſponte factum, iram deponere ſolent. Sic cum boni quippiam ab aliis in ipſos confertur, eos amare, & gratum adverſus illos animum ſervare ſolent: ſed ubi reſciſcunt, aut alias ſibi perſuadent, id ab invitis factum, beneficia illa & eos à quibus profecta ſunt, non tanti ſolent æſtimare. Natura ſcilicet ipſa, quæ iram & gratitudinem nobis inſevit, diſcrimen inter voluntarium ac involuntarium eſſe docuit, nec omnia à nobis, vel neceſſario, vel caſu fieri oſtendit. Voluntas per ſe finis eſt, mediorum vero propter finem. Voluntas etiam in impoſſibilia ferri poteſt, ut ſi quis cuperet eſſe angelus, aut Deum etiam in corpore videre vellet. Hæc enim, præſertim naturaliter, impoſſibilia ſunt: ſub voluntatem tamen cadunt, quia ratio ea ut bona concipit: verum cum ea impoſſibilia eſſe ſciuntur, actio voluntatis non eſt perfecta, nec ad decretum de ea re etiam perſequenda aut efficienda ferendum progreditur; ſed eſt tantum deſiderium quoddam, quod exprimere ſolemus verbis, *cuperem, vellem*, hoc eſt, cupio, volo.

Cap. VIII.

De Conſultatione.

Quia προαίρεσις *conſultationem* neceſſario poſtulat (dicitur enim quaſi πρὸ ἑτέρων αἵρεσις, præ aliis electio: unum autem præ aliis ſine deliberatione quadam eligi non poteſt) ideo de hac nobis agendum eſt, qui προαιρέσεως naturam inquirimus. De *Conſultatione* autem duo ſunt conſideranda: 1. *materia* ſeu *objectum*: 2. *forma*, ſeu conſultandi modus.

Objectum, ſeu *materiam conſultationis* non omne id hoc loco ſtatuimus, de quo quærere ſolemus: quærere enim ſolemus de omnibus; & omnis quidem deliberatio eſt quæſtio, ſed non contra. Neque id omne deliberationis objectum ſtatuimus, de quo homines inſani ac ſtulti deliberant; (nihil enim hac etiam ratione foret, quod ſub deliberationem non caderet, cum ſtulti de omnibus deliberare ſoleant:) ſed de quo ſana mente præditi conſultant.

Hoc quale ſit diviſione indagandum eſt. 1. Rerum aliæ ſunt æternæ & immutabiles; aliæ caducæ, & mutabiles. Illæ ſunt, quæ eædem ſemper permanent neceſſario, nec ulla ex parte mutantur: qualis eſt Deus, & res aliæ ſempiternæ: item concluſiones & axiomata Mathematica, v. g. bis duo eſſe quatuor. Hæ, quæ oriuntur & occidunt. De illis non eſt deliberatio, ſed de his tantum.

2. Verum non de omnibus, quæ mutabilia ſunt eſt deliberatio: alia enim horum à natura fiunt, alia à caſu & fortuna, alia à mente & arbitrio humano pendent. Naturalia iterum duplicia ſunt, vel enim eodem ſemper modo fiunt, licet ratione ſingularium partium varient, ut ortus & occaſus ſiderum, qui licet particularium temporum ratione varii ſint, habent tamen periodos & circumvolutiones, quæ integræ eodem ſemper modo recurrunt: item ſolſtitium, bruma, hyems, æſtas, &c. alia non ſemper eodem modo contingunt, ut ſiccitates, tonitrua, imbres. De neutris deliberatio inſtituitur. Nec de iis, quæ à caſu & fortuna pendent, ut de theſauri inventione. Relinquuntur ergo ea, quæ ſub hominum cadunt arbitrium, & à mente proficiſcuntur.

3. Verum & hæc duplicia ſunt: quædam enim ad nos pertinent, & per nos effici poſſunt, quædam ad nos nihil pertinent, nec in noſtra ſunt poteſtate. De his non deliberamus: (quis enim ſanus deliberat in Polonia, quomodo Chinenſes ſuam Rempub. adminiſtrare debeant? &, ſi quis forte de rebus ad ſe nihil pertinentibus aliqua ratione conſultet, fingit etiam mente eam rem ad ſe pertinere, & in ſua eſſe poteſtate, atque ita cogitat; ſi eo loco eſſem, quid facturus eſſem? adeo ut ſemper deliberatio de rebus ad nos pertinentibus eſſe cenſeatur.) Sed deliberatio eſt de illis, quæ ad nos pertinent, & per nos effici poſſunt, ſeu in noſtra ſunt poteſtate. Ad nos autem pertinere judicamus etiam res amicorum: & quæ per alios efficere poſſumus, ea in noſtra poteſtate eſſe, & per nos fieri poſſe cenſentur: principium enim actionis in nobis eſt. De his ſolis deliberationem à ſanis ſuſcipi manifeſtum eſt. Ex quo patet, cur ea, quæ vel à neceſſitate proficiſcuntur, qualia ſunt æterna, vel à natura, vel à fortuna, vel denique ab aliis tota pendent, à deliberationis materia removerimus.

4. Ea quæ à nobis fiunt, vel ſunt certa, & eodem ſemper modo à nobis fiunt, & eundem ſolent habere eventum; vel ſunt aliqua ex parte incerta, nec eodem ſemper modo fiunt, aut eundem ſemper eventum habent. Ad illud genus pertinent ea, quæ traduntur in artibus & diſciplinis exquiſitis, quas ἀκριβεῖς vocant, qualis eſt Geometria, Arithmetica, Grammatica, Analytica; ad hoc ea quæ in artibus ſtochaſticis ſeu conjecturalibus, quales ſunt Medicina, Rhetorica, gubernatoria. Iſtæ enim artes certis præceptis conſtant, & generatim loquendo eodem ſemper modo opera ſua abſolvunt; hæ non item. Itaque cum ſcientiæ ſint certiores artibus, in illis minus eſt deliberationi locus, quam in artibus. Et rurſus quo ars quæque eſt incertior, tanto magis deliberationem admittit aut requirit. Eſt enim conſultatio de iis, quæ ut plurimum hoc illove modo fieri debent, licet incertus ſit eventus, & non omnia ſint prorſus definita. Quæ cauſa eſt, cur alias conſilium adhibere ſoleamus, nobiſmet ipſis diffidentes, ac metuentes, ne in iſta rerum varietate & eventuum incertitudine aliquid noſtram ſcientiam effugiat, aut minus recte ac commode conſtituatur. Utrumque autem iſtud in conjecturalibus artibus accidit: nam nec prorſus certæ ſunt, (hinc enim ſtochaſticæ, quaſi ad ſcopum collineantes, & conjecturales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dicuntur,) nec prorſus incertę,ſed ea pręſcribentes quę ut plurimum ita debent fieri; alias artes non eſſent. Omnis enim ars præcepta vel perpetua, vel plerumque obſervanda tradit.

5. Ea quæ à nobis proficiſcuntur, vel fines ſunt, vel media ad finem. De illis non deliberamus, ſed de his. Non enim deliberant, verbi gratia, medicus, an ſanare velit; nec Orator, an perſuadere; nec Politicus, an beatam efficere civitatem; nec quiſquam alius de fine conſultat; ſed, ut in ſecunda tractationis parte clarius patebit, fine poſito media inquirit.

6. Quæ ſpectanda ſunt in mediis, alia ſub ipſum ſenſum cadunt, & comperta nobis ſunt; alia non item. De illis non eſt deliberatio. Quis enim deliberat an hæc ſit pecunia, aut gladius, aut panis, cum omnia hæc ſenſui ſint manifeſta? quod ſi ejus generis res ſub deliberationem caderent, res progrederetur in infinitum. Ubi enim ſiſteres, ſi etiam de manifeſtiſſimis ambigeres?

Hactenus de objecto deliberationis ſeu materia: nunc *de forma ac modo*. Cum autem conſultatio nihil ſit aliud, quam inquiſitio mediorum ad finem quempiam aſſequendum utilium, patet primò omnium in Conſultatione finem certum ponendum eſſe, cum mediorum ratio omnis ex fine pendeat. Deinde de mediis ipſis eſt agendum. In mediis autem ipſis tria ſunt conſideranda: 1. quænam ea ſint. 2. an ea ſint in noſtra poteſtate. 3. qua ratione iis ſit utendum.

Quod ad primum attinet, tria iterum in eo ſunt conſideranda. *Primò*, quænam ſint media cum fine propoſito proxime cohærentia, an unum tantum ſit, an vero plura: ſeu, quod idem eſt, an una tantum ſit ratio finem aſſequendi, an vero plures. *Deinde*, ſi plura ſint media, id quod facilius & commodius eſt eligendum. *Tertiò*, uno medio conſtituto & electo, videndum an id aliis iterum mediis parandum, vel ſecus. Si non ſit aliis mediis parandum ceſſat deliberatio. Si aliis,tum iterum eodem modo deliberatio eſt inſtruenda, quemadmodum ab initio factum erat, (medium enim fini propius, fit finis aliorum, quæ à fine ultimo longius abſunt) donec ad ultimum perveneris, quod jam aliis mediis parandum non ſit, ſed in actione ſit primum. Et hæc eſt analyſis ſeu reſolutio quædam. Reſolvitur enim finis in media, & inſtrumenta, donec ad ultimum perveniatur. In actione autem contrario modo proceditur, nam à mediis ad finem tenditur, quæ compoſitio quædam eſt, & quod in deliberatione fuerat ultimum, in actione fit primum.

Quod ad alterum attinet: in ſingulis mediis conſiderandum eſt, *an ea ſint in noſtra poteſtate*, hoc eſt, vel jam ſint ad manum, vel ſaltem parari à nobis quacunque tandem ratione poſſint. Si enim aliquod medium occurrerit, quod nullo pacto in noſtra ſit poteſtate,vel ita paratu difficile, ut ſatius ſit finem propoſitum ſpernere, quam iſtud parare, tum aliud medium eſt inquirendum ad iſtum finem parandum aptum.Quod ſi nullum ſit, vel itidem in poteſtate noſtra non ſit, ceſſat deliberatio & actio. Si ſuppetant media, relinquitur inquirendus mediorum uſus, præſertim ſi ſit in eo aliqua difficultas aut dubitatio.

Exemplo res fiet manifeſtior. *Tranquillitas Reipublicæ eſt finis gubernatori propoſitus*. Ad hanc obtinendam, neceſſarium eſt ut hoſtes, qui Reipublicæ imminent, ab ea avertantur. Hoc medium eſt fini proximum: ſed nondum eſt ad manum. Duobus igitur modis hoc iterum parari poteſt, vel hoſtes vincendo, vel pacem cum illis componendo. Si commodius eſſe videatur pacem componere, legati qui de pace agant mittuntur, & modus quo id perfici debeat inquiritur. Atque hoc jam ſit medium in inquiſitione ultimum: ab eo fit actionis initium, poſtea pax conſtituitur, tum hoſtis à Republica arcetur, tandem Reipublicæ tranquillitas conſequitur. Si vero bellum gerere placeat, quia id ſine ducibus, militibus, apparatu bellico, commeatu geri non poteſt, ideo hæc paranda decernuntur. Ad hæc rurſus pecunia eſt opus. Ea vel ex vectigalibus, vel tributo indicto colligitur, vel mutuo ſumitur, vel ab amicis dono accipitur, vel pluribus ſimul modis, aut omnibus iſtis paratur. Quod ſi unus modus ſit commodiſſimus, is eligitur: ſi plures, aut omnes, ii ſimul decernuntur. Quod ſi medium occurrat quod ſit impoſſibile, verbi gratia, vel pecunia, vel miles nullo modo parari poſſit, ceſſat deliberatio, & ad actionem non ſit progreſſus. Si vero omnia ſuppetant, tum inquiritur quomodo iſtis mediis quam rectiſſime uti, & victoriam, adeoque tranquillitatem Reipublicæ poſſis conſequi: & ab iis quæ in deliberatione fuerunt poſtrema, actionis fit initium: quæ in deliberatione prima, in iis actio ultimo acquieſcit.

Cap. IX.

De προαιρέσεως ſeu conſilio.

Προαίρεσιν Latini *Conſilium* vocare ſolent, licet hæc vox pro ipſa etiam deliberatione uſurpetur: barbari *præelectionem* κατὰ πόδα reddunt. Ejus naturam, quæ ad virtutis eſſentiam plene percipiendam imprimis eſt neceſſaria, evoluturi, primum de concreto, quod προαιρετὸν appellamus, ſeu de objecto circa quod occupatur, quædam dicemus: concreta enim ſolent nobis eſſe clariora. Deinde de abſtracto, ſeu de ipſa προαιρέσει, quæ iſto cognito facile percipietur. Tandem paucis falſas de ea ſententias, quarum refutatio utilitatem aliquam afferre poteſt, refellemus.

Quod ad προαιρετὸν, ſeu id de quo conſilium capitur, attinet, ejus genus eſt ἑκούσιον, hoc eſt ſpontaneum: quod enim conſulto fit, id etiam ſponte fieri dicimus, ſed non contra. Nam ſpontaneum etiam in belluas & infantes cadit: conſilium vero minime. Et quædam ſpontanea fiunt ſubito, ſine præmeditatione; ut ſi in amici inſperato advenientis amplexum ſubito ruam; aut præter opinionem percutientem, ſubito repercutiam. At quæ cum προαιρέσει ſeu conſulto fiunt, non contingunt ſubito. Genere inveſtigato, jam etiam differentia eſt inveſtiganda. Differentia autem ex nomine patet. Diximus enim προαιρετὸν eſſe, quod πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν, præ aliis eligendum; id quod ſine conſultatione non fit. Eſt ergo omne προαιρετὸν, etiam βουλευτὸν, hoc eſt, tale quod ſub deliberationem cadat. Verum differentia quædam inter hæc eſt. Re conveniunt, ratione ac definitione differunt. Quanquam hoc ad illius eſſentiam complendam aliqua ratione pertinet. Nam τὸ βουλευτὸν, hoc eſt, id circa quod verſatur deliberatio, nondum eſt deciſum ac definitum: προαιρετὸν vero, ſeu id quod ſub Conſilium reipſa cadit, eſt jam deciſum ac definitum. Quare τὸ προαιρετὸν ſemper præſupponit, ut loquuntur, τὸ βουλευτὸν, non contra: licet omnis colſultatio ad προαίρεσιν ſeu Conſilium tendat. Ubi enim deſinit conſultatio, ibi incipit conſilium ſeu προαίρεσις, quæ appetitum etiam requirit, poteſt ergo ita definiri προαιρετὸν, ἑκούσιον προβεβουλευμένον, hoc eſt ſpontaneum, quod antegreſſa eſt deliberatio: vel hoc pacto, βουλευτὸν ὀρεκτικὸν, hoc eſt id quod ſub deliberationem cadit & appetitur; quod enim ſponte fit, id etiam appetitur.

Hinc jam facile eſt colligere, ipſius προαιρέσεως definitionem. Eſt enim ea ὄρεξις βουλευτική, appetitus cum conſultatione antegreſſa: ſeu, appetitio ejus quod antegreſſa deliberatione concluſum eſt. Unde patet diſcrimen inter conſultationem & Conſilium. Quod ex eo etiam confirmatur, atque adeo definitio ipſa roboratur, quod tum conſultatio eſt, ubi adhuc dubitatur, qua ratione ad finem propoſitum perveniri poſſit, & media ad eum aſſequendum inquiruntur. At tum nondum eſt προαίρεσις. Nam tum demum eſt προαίρεσις cum jam eligitur unum, & in re inventa animus acquieſcit, & agendi principium ad ſe refert; quod fit re per deliberationem jam concluſa. Unde patet ad conſultationem appetitum quoque accedere debere, ut natura προαιρέσεως abſolvatur. Quanquam ad hoc docendum id ſufficit, quod omne προαιρετὸν, etiam ἑκούσιον eſſe docuimus.

Principia proæreſeos, quæ quidem in ipſo ſunt homine,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mine, duo conſtituit Ariſtoteles; *Rationem* & *Appetitum*: quæ inter ſe conſpirare debent, ita ut quod ratio affirmat, appetitus cupiat; quod illa negat, hic fugiat. Addi tamen his duobus poteſt tertium principium, nempe *voluntas libera*, quæ ratione aliquo modo præeunte, in hanc aut illam partem ſe inclinat, & appetitum ſecum trahit. Inde fit ut Proæreſis altera ſit bona, altera mala: bona quidem cum ratio id quod rectum eſt monſtrat, & appetitus ſequitur: mala vero ſi contra fiat. Illa virtutis, hæc vitiorum eſt.

Quia vero προαιρέσεως cognitionem ideo potiſſimum inquirimus, ut virtutis definitionem ac naturam melius intelligamus, id hoc loco non eſt prætereundum, cum *virtus* dicitur habitus προαιρετικὸς, ſeu cum conſilio ac prælectione conjunctus, non ſic eſſe intelligendum quaſi virtus ſemper deliberatione utatur, & ſic demum aliquid faciendum decernat: (interdum res eſt adeo manifeſta, præſertim viro prudenti, ut deliberatione non egeat; interdum temporis anguſtia deliberationem excludit, cum ſubito aliquid eſt faciendum.) Sed quod is qui virtute præditus eſt, cum res poſtulat & tempus permittit, non niſi cum conſilio & deliberatione ad agendum accedat. Quare non putandum eſt laude aut vituperatione carere actiones cum proæreſis non accedit. Satis enim eſt ad laudem, ut ſponte facias id quod rectum eſt; ad vituperationem, ſi ſponte malum committas. Præclarior tamen ſolet fieri actio bona, mala vero deterior, cum proæreſis accedit; & vel virtutis habitum, vel vitii, arguere, ſi ſit perfecta & conſtans.

Quod ad falſas de προαιρέσει ſententias attinet, eæ quinque ſunt potiſſimum: alii enim putarunt, προαίρεσιν idem eſſe cum *ſpontaneo*, alii cum *ira*, alii cum *cupiditate*, alii cum *voluntate*, alii denique cum *opinione*. *Primam* ſententiam tum refutavimus, cum ſpontaneum latius patere docuimus, quam προαίρεσιν.

Secunda, ex eo refutatur, 1. quod ira quo major eſt, eo magis conſilio ſeu προαιρέσει obſtat. At idem ſibi ipſi non obſtat. 2. Quia ſi ea quę cupiditate fiunt, non fiunt conſilio, ut mox docebimus, multo minus ea quę ira. Nam hæc magis eſt inimica conſilio. 3. Quia ira etiam belluis eſt communis, conſilium non item.

Quæ ratio etiam ad *tertiam* ſententiam, nempe de cupiditate eſt transferenda; quam non eſſe idem cum conſilio, eo inſuper probatur, quod in continente & incontinente conſilium cum cupiditate pugnet; & ille quidem agat ſecundum conſilium, non ſecundum cupiditatem, hic vero contra. Quanquam conſilium in continente imperfectum eſt. Perfecta enim προαίρεσις, perfecti eſt habitus: ſed iſtæ diſpoſitiones tantum ſunt. At ſi hæc unum eſſent, qui cupiditate ageret, ageret etiam conſilio, & contra.

Quarta ſententia eo refutatur, 1. quod voluntas ſit etiam impoſſibilium. Sic optare ac velle quis poteſt immortalitatem, licet eam ſibi contingere non poſſe putet: optare quis poteſt ut brevi momento ad amicum ſuum tranſvolare poſſit, licet id fieri non poſſe norit. At προαίρεσις eſt tantum poſſibilium; quia eorum demum eſt etiam conſultatio: at eadem ſunt conſultationis & conſilii objecta, ut ex ſuperioribus patet. 2. Voluntas eſt etiam eorum, quæ per alios geruntur, nec à nobis ullo pacto fiunt: ſic aliquis vult hunc potius ex athletis, aut exercitibus vincere, quam illum, cum neutri quicquam conferat. At proæreſis, ut & conſultatio, tantum eorum eſt, quæ per nos fiunt. 3. Quia voluntas primo finem ſpectat, media tantum conſequenter: proæreſis autem primo media, finem conſequenter, quemadmodum & deliberatio: volumus enim v. gratia beati fieri, ſed non capimus conſilium de beatitudine.

Quod ad *ultimam* ſententiam attinet, ea duplex eſt: vel enim ſtatuitur, proæreſin eſſe idem cum *opinione* in univerſum, vel cum opinione quadam. Prius refutatur: 1. Ex eo quod opinio eſt de omnibus rebus, æternis & caducis, impoſſibilibus & poſſibilibus, alienis & noſtris. At proæreſis non de omnibus eſt, ſed de his tantum. 2. Quia opinio per verum & falſum diſtinguitur: conſilium per bonum & malum. Poſterius, 1. eo refellitur, quia ex conſilio bono aut malo vel boni vel mali dicimur, ex opinione non item. 2. Quia proæreſis in rebus expetendis & fugiendis cernitur; opinio in natura, vi & attributis rerum comprehendendis. 3. Quia laus proæreſeos in honeſtate ſita eſt, laus opinionis in veritate, hoc eſt mentis cum re ipſa conſenſu. 4. Quia proæreſis inprimis eſt de rebus cognitis & exploratis: opinio potius de incertis, & nondum ſatis exploratis. 5. Multi recte de rebus opinantur, ſed malo conſilio utuntur, affectu aut animi depravati vitio abrepti, quemadmodum Medea meliora videbat & probabat, deteriora ſequebatur. Hactenus de virtute morali in genere.

Cap. X.

Virtutis Moralis diviſio.

ANtequam ad diviſionem ipſam virtutis in ſuas ſpecies accedamus, monendum eſt nos de iis virtutibus hîc agere quæ prorſus ſunt humanæ, nec ad Deum per ſe ac proprie referuntur, qualis eſt pietas ſeu religio, ſed vel ad nos ipſos, vel ad alios homines. Hæ enim quia natura duce à nobis cognoſcuntur, à Philoſopho eoque circa humana verſante occupantur, ſive à Politico explicantur, ac morales magis proprie appellantur. Illæ, cum ex divina revelatione inprimis pendeant, à Theologo tractantur. Quanquam etiam moralium iſtarum virtutum perfectio, ex divina revelatione demum innotuit; cum ea nonniſi immortalitate oſtenſa & aditu hominibus ad eam facto, cognoſci revera potuerint. Naturæ autem ope ad cognitionem immortalitatis, quam nos adipiſci poſſimus, pervenire nullo pacto poſſumus, ſed id totum ex divina pendet patefactione. Multæ autem virtutes morales longe perfectius coli poſſunt ab eo, qui immortalitatis ſpem habet, quam qui ea caret.

Virtutes autem morales ſunt *triplices*. *Aliæ ad nos ipſos primo & per ſe referuntur*, & in affectibus, quatenus nos potiſſimum reſpiciunt, moderandis verſantur: *aliæ* vero *primo reſpiciunt alios*, & licet in affectibus etiam moderandis occupentur, magis tamen in actionibus adverſus alios cernuntur: *aliæ* denique *propemodum mediæ ſunt, & partim ad nos, partim ad alios referuntur*. Nos has medias medio etiam loco perſequemur.

Primi generis ſunt eæ virtutes, quæ cupiditati eorum bonorum, quæ ad nos referuntur, & ab aliis bona per accidens dicuntur, moderantur. Bona vero illa ſunt, voluptates corporis, honores, divitiæ. Circa voluptatem corporis verſatur *temperantia*: circa honores *magnanimitas* & *modeſtia*; illa in magnis ac minime vulgaribus honoribus, hæc in vulgaribus & mediocribus verſatur. Quod ad divitias; eæ duplici modo conſiderantur: vel quatenus ad nos referuntur, & nobis oblatæ vel accipi, vel repudiari poſſunt: vel quatenus à nobis in aliorum uſus converti queunt. Priori modo conſideratæ *Magnanimitatis* objectum ſunt ſecundarium. Poſteriori modo ſpectatæ, quarum virtutum ſint materia poſtea dicetur.

Secundi generis virtutes, hoc eſt, eæ quas medias eſſe, & partim ad nos, partim ad alios referri diximus, ſunt duplices. Vel enim verſantur in malis, quæ nobis ab aliis aut inferuntur, aut imminent: vel in eo affectu coërcendo, qui aliis mala inferre jubet, hoc eſt, in *Ira*. Virtus quæ verſatur in malis, quæ nobis ab aliis vel inferuntur, vel imminent, eſt tum *Fortitudo*, tum *Patientia*. Illa proprie in futuris: hęc in pręſentibus malis cernitur. Ea quæ verſatur in Ira eſt *Manſuetudo*.

Tertii generis virtutes, ſeu, quæ ad alios potiſſimum reſpiciunt, non tam affectus quam actiones adverſus alios regunt ac moderantur. Et ſunt itidem duplices; vel enim in tribuendo, & alienis bonis procurandis conſiſtunt, & etiam extra familiarem convictum exerceri poſſunt, licet non extra ſocietatem civilem, vel in communicatione ſermonum, & familiari con-

victu regendo potiſſimum cernuntur. Illæ quæ in alienis bonis curandis verſantur iterum ſunt duplices; vel enim aliis tribuimus, quæ ipſorum ſunt, vel de noſtro aliquid illis largimur, aut præſtamus. Illa *Juſtitia* eſt; hæc *Beneficentia*, quæ *Liberalitatem* in ſe complectitur & *Magnificentiam*. Illa in uſitatis ac vulgaribus ſumptibus, aut opera præſtanda verſatur: hæc in magnis & inuſitatis impenſis faciendis.

Quæ in communicatione ſermonum ac convictu, eæ *homileticæ* dicuntur, duplices ſtatuuntur ab Ariſtotele: vel enim verſantur in ſermonibus feriis, vel in jocoſis, & ad animi remiſſionem pertinentibus. Quod poſterius nos cum grano, ut ajunt, ſalis admittimus. Priores iterum duplices ſunt; vel enim in dictis noſtris veritatem ſpectamus, vel jucunditatem ac commodum, quod ad alios inde manet: illa *Veracitas*, hæc *Amicitia*, vel *Humanitas* appellatur. Virtus quæ in jocoſis ſermonibus verſatur eſt *urbanitas*: quam nos, quatenus ab *humanitate* ſejungitur, pro virtute non habemus. Has eo ordine perſequemur, quo à nobis nunc ſunt propoſitæ. Et adjiciemus quædam de *Decoro* eo, quod in ſingulis ætatibus, ſexu, genere vitæ diverſo obſervandum eſt, & quod virtutum officia aliqua ratione variat.

Antequam vero ad ipſam harum virtutum tractationem accedamus, quædam præmonenda ſunt. *Primum* ad diſtinctionem & conjunctionem harum virtutum pertinet, quod hæ virtutes non ita inter ſe differant, quin nonnullæ tum in objecto, tum in officiis quibuſdam inter ſe aliquo modo conveniant. Verum objecta illa aliter ſub hanc, aliter ſub illam virtutem cadunt; & officia uni virtuti primo ac proprie, alteri conſequenter ac minus proprie conveniunt. Altera enim virtus altera ſæpe nititur, ut de juſtitia præſertim univerſali, quæ ex cæteris reſultat, dicemus.

Secundum monitum ad numeri hujus perfectionem rectius intelligendam pertinet. Præter virtutes enumeratas, ſi proprie ac ſtricte accipiantur, eſſe etiam alios quoſdam habitus atque affectus laudabiles, qui virtutum nomine inſigniri ſoleant; ſed ii ſunt minus præſtantes, & virtutibus à nobis conſtitutis ita cognati, ut ad eas reduci poſſint, & illarum nomine comprehendi. Sic temperantiæ cognatæ eæ affectiones, quæ modum ſervant in ſomno, in voluptatibus olfactus, viſus, auditus, quæ etiam temperantiæ nomine poſſunt comprehendi. Fortitudinem veram æmulantur quidam habitus, qui ejus nomen etiam aſſumunt, de quibus infra. *Gratitudo* quæ affectus eſt potius quam virtus, juſtitiam æmulatur, & partim ad eam reduci poteſt, partim ad beneficentiam. Virtutes ergo à nobis conſtitutæ ſunt inſtar ſtirpium; cæteræ affectiones, ſunt illarum veluti rami & virgulta.

Tertium monitum ad dignitatem virtutum enumeratarum pertinet: has virtutes non eſſe prorſus pares, nec vitia illis oppoſita æque gravia. Quędam enim virtutes ſunt ejuſmodi, ut illis ſine flagitio & ſcelere (qṳale vulgo intelligimus, & à magiſtratu puniri ſolet,) carere non poſſimus; qualis eſt *juſtitia*, quę niſi ſervetur, læditur humana ſocietas graviſſime; itemque *manſuetudo*, quæ crudelitati opponitur: *caſtitas*, quæ ſub temperantia continetur, & belluinas quaſdam ac fœdas admodum cupiditates, natura noſtra admodum indignas, compeſcit. Alię non quidem ſine turpitudine, ſine ſcelere tamen ac flagitio, quod civiliter ita dicatur, fere negliguntur. Dico *fere*: quia nonnunquam fit, ut quædam earum officia negligere flagitioſum judicetur. Huc refertur *liberalitas*, *humanitas*, *urbanitas*, & aliæ nonnullæ. Avarum enim (niſi idem etiam aliis ſua eripiat) in communi ſermone ſceleſtum non dicimus, nec inhumanum, nec inurbanum, nec iracundum quidem, niſi ad injurias ipſas progrediatur.

Quartum monitum ad modum virtutes illas tractandi pertinet: primo ipſius virtutis naturam explicabimus, deinde & vitiorum etiam oppoſitorum. De virtute ipſa duo docebimus, primo materiam ſeu objectum ejus inveſtigabimus, deinde formam ſeu rationem, qua in objecto ſuo verſari debeat, hoc eſt, officia virtutis cujuſlibet enumerabimus. Explicabimus autem hæc ex Ariſtotelis potiſſimum mente: deinde ſi qua in re à divina veritate ac pietate Chriſtiana abſuit, annotabimus.

Cap. XI.

De Temperantia.

ANtequam de re ipſa dicamus, primum de nomine σωφροσύνης, quo Græci hanc virtutem inſigniunt, ſciendum eſt id duobus potiſſimum modis accipi; interdum pro modeſtia & moderatione quadam quæ per omnes vitæ partes porrigitur: interdum anguſtius pro ea virtute quæ corporis voluptatibus adhibet modum; de qua nobis hoc loco ſermo eſt. Dicta autem eſt σωφροσύνη, quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν. Nihil enim eſt prudentiæ magis adverſum quam intemperantia.

Quod ad rem attinet, *Temperantia* eſt virtus circa voluptates belluinas guſtus & tactus, hoc eſt, circa voluptates cibi & potus, atque venereas occupata.

Objectum temperantiæ primum in genere conſtituendum eſt, deinde diſtinctius explicandum. Generaliter loquendo *ejus objectum eſt duplex*; unum *primarium*, alterum *ſecundarium*. *Primarium eſt voluptas*; *ſecundarium*, *moleſtia* ſeu *dolor*. *Moleſtia* autem eatenus tantum temperantiæ materia eſt, quatenus temperans carere ſe voluptatibus, illicitis præſertim, non ægre fert; intemperans ægre. Aliàs dolor & moleſtia per ſe ac proprie patientiæ & fortitudinis materia eſt. Patet autem ex eo voluptatem eſſe potiſſimum temperantiæ objectum, dolorem vero tantum conſequenter, quia etiam intemperantia magis in voluptate, quam in dolore cernitur. Extrema autem cum medio, ſive virtute ſibi oppoſita, in eodem ſubjecto verſantur.

Ut igitur proprium & adæquatum temperantiæ objectum inveſtigemus, *voluptas* eſt diſtinguenda. Aliæ voluptates ſunt animi, aliæ corporis, hoc eſt, ſenſuum corporis. Illius generis ſunt voluptates ex contemplatione, actione honeſta, honore ac gloria perceptæ; quo etiam voluptas ex fabularum narratione, ex jocis & ſimilibus referuntur, in quibus non corpus ſed animus revera afficitur, licet ſenſuum opera interveniat. Verum hæ non ſunt temperantiæ objectum. Nam qui eas vel moderate vel immoderate ſectantur, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur, niſi forte per quandam Metaphoram. Quemadmodum autem non omnes voluptates ad temperantiam revera pertinent, ita nec moleſtiæ omnes. Relinquitur ergo *temperantiam in voluptatibus corporeis verſari*. *Voluptates* autem *corporis* iterum *duplices* ſunt: *quædam* enim *ſunt hominis propriæ*, quædam homini cum cæteris animantibus communes. Illius generis ſunt voluptates oculorum, aurium & odoratus. Nec enim pulchritudinem rerum aut actionum, cujus conſpectus voluptatem parit, bruta ſentiunt. Hæc enim in ordine & proportione conſiſtit: ordinem ſolus homo intelligit. Suavitatem etiam ſonorum, quæ itidem in ordine & proportione ſita eſt, ſolus homo ſentit. Odoribus unguentorum, ſuffimentorum, roſarum aliarumque rerum ſimilium, ſolus homo per ſe capitur. Bruta vero per accidens tantum, quatenus nimirum inde ſpem concipiunt voluptatum guſtus aut tactus. Sic canis viſa, vel audita, vel odoratu percepta fera gaudet, non per ſe, ſed quia ſe nactum arbitratur quod comedat. Etiamſi autem in his voluptatibus & tenere liceat medium, & ab eo aberrari poſſit, nihilominus tamen ex iis nec temperans, nec intemperans proprie quiſquam dici poteſt; improprie poteſt. Ideoque affectio ſeu habitus in iis mediocritatem ſervans, temperantiæ cognatus eſt, & ad eam reducitur. Ex eventu autem eæ quoque voluptates ad temperantiam proprie dictam pertinent, quatenus eæ voluptatum homini cum belluis communium memoriam, aut ſpem, aut cupiditatem excitant: nam ea ratione eas etiam cum belluis communes eſſe diximus. Quare jure intemperans & libidinoſus cenſetur, qui picturis aut ſermo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſermonibus obſcœnis delectatur. Obſoniorum etiam odore nimium delectari, aut delectari etiam tum cum fames non urget, eorum tantum eſt, qui gulæ & abdomini ſerviunt. *Voluptates homini cum belluis communes* ſunt eæ, quæ *guſtu* & *tactu* percipiuntur. Rurſus *tactus voluptates, magis ad temperantiæ materiam pertinent, quam guſtatus*. Ratio eſt, quia intemperantes (horum autem idem eſt objectum quod temperantium) magis tactu eſculentorum & poculentorum delectantur, quam guſtatu. Id quod duplici argumento probatur: 1. Quia intemperantes magna copia ſeſe obruere ſolent; at copia judicium de ſaporibus, in quibus percipiendis guſtatus occupatur, opprimitur. Probatur hoc à contrario. Nam qui exacte de ſaporibus judicare cupiunt, parce ea quibus inſunt accipiunt. Exemplo ſunt ii, qui vina aut obſonia probare, eorumque ſapores explorare volunt. Hi enim libare tantum aut pitiſſare ſolent. 2. Quia Philoxenus quidam, nobilis helluo, collum ſibi optavit, collo gruis longius, quod cibum ac potum in tranſitu moraretur; quo ſignificavit, tactu alimenti non guſtatu ſe potiſſimum delectari. Nam ſi guſtu admodum delectatus eſſet, linguam trium cubitorum ſibi optaſſet non collum oblongius: lingua enim guſtus inſtrumentum eſt, collum tactu tantum valet. Ex quo illud obiter notari poteſt, cur voluptates in quibus temperantia verſatur, imprimis cenſeantur belluinæ, earumque perfruitio nimia habeatur adeo turpis. Cauſa eſt quia guſtus & tactus, maxime vero tactus, omnibus animantibus communis eſt, adeoque voluptates quæ tactu percipiuntur, homini, non qua homo, ſed qua animal eſt conveniunt, & à dignitate hominis propria quam longiſſime abſunt; quod in voluptatibus aliorum ſenſuum locum non habet. Hæ enim homini magis ſunt propriæ, atque adeo eum minus dedecent.

Verum ut adhuc magis conſtringatur temperantiæ materia, ipſæ *tactus voluptates* iterum ſunt *diſtinguendæ*. Aliæ enim ex tactu per totum corpus diffuſo percipiuntur, aliæ ex tactu eo, qui in certis eſt corporis partibus, lingua, gula, & iis, quas honeſte nominare non licet. Illæ priores magis ingenuæ ſunt & liberales, ideoque in iis temperantia proprie dicta non verſatur, niſi per accidens: ſed in his poſterioribus vere occupatur, utpote quæ belluinæ ſunt. Cum autem dicimus temperantiam proprie dictam, verſari in voluptatibus tactus, non negamus eandem verſari etiam in cupiditatibus iſtarum voluptatum coërcendis, imo id tacite aſſerimus. Diximus enim antea virtutem moralem in affectibus maxime occupari: talis autem eſt etiam amor ſeu deſiderium voluptatum.

Hactenus de materia, ſequitur ut *de forma* dicamus. Ut autem diſtinctius de ea loquamur, ſciendum eſt, temperantiam in duas virtutes diſtingui, *ſobrietatem* & *caſtitatem*: quanquam prior plerumque communé temperantiæ nomen retinere ſoleat, & nomen ſobrietatis ſtrictius fere accipiatur, ita ut potiſſimum opponatur ebrietati, & voracitati rarius. Hîc etiam ſubtilis quædam vocis temperantiæ ambiguitas notari poteſt. Vel enim ſignificat totum id quod ex ſobrietate & caſtitate conſtituitur, ita ut is demum ſit temperans qui utramque ſimul habet: vel de utraque ſeorſim dicitur. Priori modo temperantia totum eſt, ſobrietas & caſtitas partes quædam. Poſteriori modo genus eſt temperantia, iſtæ vero ſunt ſpecies. Diſtinctio autem hæc temperantiæ ſumitur ab objecto. Voluptates illæ circa quas verſatur, ſunt duplices; vel enim ſunt guſtus & tactus ſimul, vel tactus ſolius. Illæ ſunt quæ lingua & gula percipiuntur, uno verbo voluptates ex cibo & potu perceptæ: hæ vero ſunt partium inhoneſtarum. Circa illas verſatur ſobrietas; circa has caſtitas.

Quia vero duplex objectum temperantiæ eſſe diximus, potiſſimum quidem ac primarium voluptatem, ſecundarium dolorem & moleſtiam; itaque præcepta harum virtutum duplicia erunt, quædam ad voluptatem, quædam ad dolorem ſpectabunt. De voluptate præcepta rurſus duplicia erunt; quædam pertinebunt ad ipſam voluptatum perfruitionem, & delectationem quæ exinde capitur: quædam ad earum cupiditatem ac cogitationem: cujus rei ratio ex dictis patet.

De *ſobrietate, quæ eſt temperantia in voluptatibus cibi ac potus*, priori loco agendum eſt. Ex hac enim caſtitas imprimis pendet; quemadmodum contra ex ingluvie & intemperantia libido. Unde illud: *ſine Cerere & Libero friget Venus*. Primo ergo dicemus de ipſa cibi & potus, & voluptatum, quæ exinde capiuntur, perfruitione. Secundò, de earum deſiderio & voluptate. Tertiò, de dolore qui ex earum abſentia naſcitur.

In ipſo cibi ac potus uſu, ſeu in perfruitione voluptatum ex cibo & potu manantium, quædam primo ac potiſſimum ſunt ſpectanda, quædam ſecundario. Primo ſpectanda ſunt duo: *quantitas* & *qualitas cibi ac potus*; & illa quidem magis quam hæc, cum in illa peccari ſoleat gravius, & tactus voluptatem magis reſpiciat quam guſtatus, in qua temperantiam potiſſimum verſari diximus. *Quantitatem* autem voco copiam & paucitatem; *qualitatem* appello ſuavitatem ac delicias cibi ac potus, & iis contraria; cum qua computo etiam pretium, cum delicatiora fere ſoleant eſſe pretioſiora; quanquam interdum ob palati diverſitatem huic aut illi viliora aut ſuaviora.

Præcepta quædam ad quantitatem & qualitatem communiter ſpectant, quædam ſunt peculiaria huic vel illi. *Primum*: In quantitate & qualitate ſimul quid obſervandum ſit, finis proprius cibi ac potus oſtendit. Finis eſt conſervatio vitæ ac valetudinis, & virium corporis. Vires autem corporis laboris gratia datæ ſunt. Quicquid ergo ad hunc finem eſt neceſſarium, id tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis ſumere licet ac decet. Atque hoc præceptum generale eſt.

Unde ſequitur *alterum* ſpecialius. Quia corporis conſtitutio ac valetudinis ratio varia eſt; alius enim validiore, alius imbecilliore, alius vaſtiore, alius tenuiore corpore eſt præditus; præterea vitæ genera varia ſunt, variique labores quos quiſque tractat, alii graviores, qui majori corporis robore indigent, alii leviores, qui vel minorem corporis niſum, aut mentis potiſſimum agitationem requirunt: quiſque victus modum ad conſtitutionem corporis, valetudinis rationem ac labores ſuos attemperabit; ita ut qui largiore cibo aut potu indiget, plus ſumat, qui tenuiore, minus; qui firmiore eſt corpore, & gravioribus ſe laboribus exercet, cibis plerumque vilioribus ſit contentus, qui imbecilliori aut ægro eſt corpore, aut ingenii potius vires, quam corporis exercet, paulo lautiori, minus tamen copioſe utatur. Medium enim hîc, ut alibi monuimus, quod ad nos, non rei ipſius, ſectandum eſt, &, ſi vir doctus tantum, quantum foſſor aut arator, aut faber lignarius comedere velit, intemperans; ſi ruſticus benevalens, viri docti aut ægri victu uti plerumque velit, delicatus ac guloſus merito cenſeatur.

Tertium præceptum: quia ex copia cibi ac potus, & ex delicato magis, quam vili, naſcuntur cupiditates voluptatum turpium, cavendum imprimis eſt ne vel illis cibis utamur, præſertim crebrius, qui illas in nobis excitant, vel augent & vehementius ſtimulant; in primis juvenibus qui ad illas ſunt proniores. Quare vino & aromatibus, aliiſque calidioribus cibi aut potus generibus, parciſſime eſt utendum; iis præſertim in quibus calor jam abundat, itemque iis qui humorum copiam pariunt. Idque adeo eſt neceſſarium, ut ſatius ſit & cum detrimento quodam valetudinis, ſubducere corpori cibum, quam pati ut copia luxuriet. Quò pertinet illud quod ſupra alicubi ex Apoſtolo adduximus, non eſſe carnis curam habendam ut naſcantur concupiſcentiæ: intelligit enim potiſſimum cupiditates voluptatum turpium. Atque huc etiam *jejunium* pertinet; hoc eſt, abſtinentia à cibo & potu ad tempus, præter ſolitum, quia corpus interdum eſt coërcendum, ut rationi facilius pareat.

Quod *ad quantitatem ſolam cibi ac potus* attinet, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

modum in ea legitimum obſerves *duo* ſunt *obſervanda*. *Primum* atque præcipuum eſt, ne tantum ſumas unquam ut ratio turbetur, aut, quemadmodum ſacræ literæ loquuntur, ut cor gravetur, & ad meditationem rerum divinarum ac honeſtarum, ad religionem ac devotionem precum ineptum reddatur. Sanctitatem enim & libertatem mentis tueri officium eſt temperantiæ. Atque id in potu qui inebriandi vim habet imprimis obſervandum eſt. *Alterum* eſt; ut cum appetitu aliquo cibi, licet exiguo, qui valetudinem non labefactet, aut labores neceſſarios impediat, à menſa ſurgere diſcas.

Quod *ad qualitatem cibi ac potus* ejuſque pretium attinet, cavendum eſt, ne ſine neceſſitate eo genere cibi aut potus utaris, quod etiam non eſurientem aut ſitientem ad ſe poſſit allicere: tum ne voluptatum corporis amor paulatim tibi inſideat; tum ne ad peccata eo allectus in quantitate modum ſuperes: condimenta potiſſima tibi ſint fames & ſitis; (ea tamen quæ ſine fame cupiditatem edendi, & ſine ſiti cupiditatem bibendi excitant, ægris permiſſa ſunt;) tum, ne rem familiarem exhaurias; tum ne id quod in pauperes & opis tuæ egentes conferre deberes ſine neceſſitate conſumas. Quare ſi viliorem victum valetudo tua ferat, lautiori vix unquam uti debes, ut aliorum neceſſitatibus tanto commodius ſufficere poſſis. Dico autem vix unquam, quia interdum cum hoſpites vel amicos convivio excipis, nuptias paras, aut parentalia celebras, præter ſolitum aliquid ſumptibus adjici, & lautior victus adhiberi poteſt. Sed & convivia hæc frugalia eſſe, & luxu carere debent, cavendumque ne id quod aliis divina lege & honeſtatis jure debetur, inutiliter prodigatur. Luxus autem tum ex facultatibus ejus qui epulas inſtruit, tum ex multitudine & dignitate hoſpitum, ac neceſſitate aut cauſa eorum convocandorum, æſtimari debet. Atque in his non parum valet conſuetudo ſua natura non inhoneſta, nec cum legibus divinis pugnans. Ea autem ita ſequenda eſt, ut ab eo, quod nimium eſt, longius recedamus, & conſuetudinem ea in parte libentius ſequamur, quæ eſt moderatior. Hactenus de quantitate ac qualitate cibi & potus, quam potiſſimum obſervandam eſſe docuimus.

Sequuntur ea quæ ſunt veluti ſecundaria, nempe *tempus* & *locus*. De *tempore* duo ſunt ſpectanda: *Primum* ad longitudinem temporis pertinet, ne multum temporis in cibo & potu, licet non affatim ſumendo, conſumas, & horas, quæ laboribus neceſſariis impendi deberent, edendo & bibendo conteras: ut faciunt illi, qui pitiſſando & libando cum ſodalibus, aut ſoli, quod tamen fit rarius, medios prope dies aut noctes conſumunt, & ſubinde palatum ſuavitate cibi aut potus titillant. *Alterum* ad conditionem & qualitatem, ut ita dicam, temporis pertinet; ne eo tempore cibum ſumas, cum res magis neceſſariæ ſunt tractandæ, ſacræ conciones audiendæ, conſilia conferenda, ſtudiis aliiſve laboribus incumbendum. Hæc enim nonniſi urgens neceſſitas excuſat. Quò etiam pertinet, ne convivia potiſſimum tempore luctus publici inſtituantur, omninoque id, quod intempeſtivum eſt, quoad ejus fieri poteſt vitandum. Ex his enim amantiores voluptatum quam par eſt, imo nonnunquam luxurioſi merito cenſemur. Quod ad *locum* attinet, in receſſu potius, atque in ædibus, quam in propatulo edendum ac bibendum eſt: qua in re quia minus peccari ſolet, minus etiam de ea eſt dicendum. Hactenus de ipſo uſu ac perfruitione voluptatum ad guſtum & tactum ſimul pertinentium dictum eſt.

Quod ad earum *deſiderium* attinet, obſervandum eſt, ne voluptates eas, quibus perfrui non licet, deſideres, cæteras non nimium: nam ne parum deſideres, natura plerumque docet, ſanos præſertim. Deinde quod ad *dolorem* ex abſentia iſtarum voluptatum attinet, in eo ita ſe gerere debet vir temperans, ut inhoneſtas ac nimias abeſſe nunquam doleat, honeſtas admodum moderate. De vitiis huic temperantiæ parti oppoſitis poſtea agemus.

Quod ad *caſtitatem* attinet, ea eſt temperantia, in voluptatibus venereis, ſeu virtus quæ mediocritatem ſervat in voluptatibus tactus ſolius, & quidem partium earum quas natura generationi dicavit. Caſtitas dicitur, quia ad puritatem maxime pertinet: quemadmodum vitio contrario nil eſt impurius. Caſtum autem eſt quod purum eſt.

Præcepta mediocritatem hujus virtutis explicantia ſunt duplicia: quædam ad naturam hujus virtutis per ſe pertinent; quædam per accidens. Quæ per ſe huc pertinent, quemadmodum ſuperioris virtutis officia, partim ad ipſam voluptatum perfruitionem pertinent, partim ad cupiditatem ac deſiderium, cui etiam memoriam adjungemus; partim denique ad dolorem ſeu tædium ex ipſarum abſentia perceptum.

Quod ad *uſum iſtarum voluptatum* attinet, ille debet eſſe parciſſimus, ac verecundiſſimus; iſque univerſus, legitimo ac pudico matrimonii uſu circumſcribitur: quod natura ob procreationem & educationem ſobolis, atque adeo ad conſervationem humani generis inſtituit. Matrimonium autem certæ ætatis eſt, & quoad ejus fieri poteſt ad juventutem accedere debet: nihilque aliud eſt in eo quærendum, præter ſobolis propagationem, quamque ut peccandi occaſio conjugibus præcidatur. Totum autem hoc voluptatum genus natura ipſa occuluit, & tenebris dicavit; deque iis minimum ſcire velle, minimumque loqui caſtitatis eſt ac pudoris.

Hujus virtutis perfectio eſt *virginitas perpetua*, ſeu perpetua ab hoc voluptatum genere, etiam alias non inhoneſtarum, abſtinentia; modo animi etiam adſit puritas. Quam etſi nemini omnino imperat Deus, decet tamen eos ſectari quibus vires ad id præſtandum conceſſæ ſunt. Unde Chriſtus ait: *qui capere poteſt, capiat*. Et hanc ſervavit Chriſtus Dominus noſter, Paulus Apoſtolorum princeps, qui eandem etiam conjugio præfert, & ſanctiorem hunc vitæ ſtatum ac puriorem, & ad perpetuum Deo ſerviendi ſtudium aptiorem aſſerit. Cæteris dicit, *melius eſt nubere quam uri*. Eſt ergo cælibatus verus ſeu virginitas perpetua, per ſe ac ſua natura præſtantior conjugio: huic vero aut illi utilius eſt matrimonium. Quis vero ad perpetuam illam caſtitatem vires habeat, in ætatis juvenilis ac virilis flore cognoſci poteſt.

Quod ad *deſiderium* attinet, obſervandum eſt, ne inhoneſtas voluptates unquam deſideres; honeſtas moderate, ſuoque tempore & ætate. Duobus autem modis in voluptatum inhoneſtarum deſiderio peccari ſolet. Vel dum decernit quiſpiam ſe iis potiturum, & occaſionem tantum expectat: vel non decernit quidem, animum tamen earum cogitatione titillat: quæ duo in omnium rerum inhoneſtarum cupiditatibus vitanda ſunt: præſertim juvenibus, quorum deſideria in illa ætate vegeta acriora eſſe ſolent. Nihil enim magis inquinat aut polluit animum hac cogitatione ac cupiditate: quemadmodum ipſum corpus nihil magis inquinat ipſa voluptate. Unde ille ſolus qui libidini indulget, in proprium corpus peccare κατ' ἐξοχὴν dicitur, & ignominia illud afficere. Si ergo rei turpis cogitatio obrepat, ea ſtatim excutienda eſt animo, & cogitatio alio vertenda. Quod ſi conſtanter velis, & precibus ac meditationi rerum divinarum vaces, moderatione victus corpus coërceas, ſomnum atque otium vites, honeſtis ſtudiis ac laboribus occuperis, non difficulter aſſequeris.

Quod ad *memoriam* attinet, danda eſt opera ut etiam licitarum voluptatum memoria, quoad ejus fieri poteſt, deleatur, multo verò magis turpium. Animus enim purus ac illibatus eſſe debet, & ſi quis ulla in re artem oblivionis ſibi cum Themiſtocle optare deberet, hîc ſane optanda eſſet. *Dolor* ex abſentia voluptatum inhoneſtarum nullus in animo caſto oriri debet, honeſtarum moderatus.

Per accidens ad hanc virtutem pertinet, 1. ut oculi, aures, & manus ſint continentes, hoc eſt, ne quid aſpiciatur, legatur, audiatur, attrectetur, quod iſtarum voluptatum deſiderium in nobis excitet. 2. Ut lingua etiam noſtra, & totius corporis geſtus & habitus ſit verecun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

recundus, ne in aliis turpium voluptatum cogitationem ac deſiderium excitemus. Nam quod de pietate dicitur, eam etiam vultu ſæpe lædi, id de caſtitate quoque dici poteſt. Unde Chriſtus etiam aſpectum fœminæ ad concupiſcendam eam prohibet. Atque huc etiam pertinent illa de eruendo oculo, amputanda manu, ſi cui ſint ſcandalo, hoc eſt, ad peccatum occaſionem præbeant. Quanquam quod de manu dicitur ad tactum pertinet. Vitanda autem ſunt in aſpectu, ſermonibus noſtris cum aliis, & alienis audiendis, quibus adeo etiam lectionem librorum, ac tandem tactu, & corporis totius geſtu, ne quicquam fiat, dicatur, videatur, audiatur, quod vel in nobis vel in aliis voluptatum iſtiuſmodi deſiderium excitare, alere atque augere, vel memoriam refricare poſſit, aut quod indicio ſit iſtarum voluptatum amore nos teneri. Vitandi præterea congreſſus, colloquia, & aſpectus iſtarum perſonarum, in quibus ſunt aliquæ ad voluptates illecebræ, ut formæ pulchritudo, ne vel aliud agenti cogitatio improba obrepat.

Quod ad *vitia* attinet, ea, ut in omni virtute accidit, *duplicia* ſunt: quædam in eo quod nimium, quædam in eo quod parum eſt, peccant. Et ea quidem quæ in exceſſu peccant, quia frequentiſſima ſunt, tum generale nomen, tum ſpecialia ſunt adepta. In genere ergo ὑπερβολὴ temperantiæ oppoſita, dicitur *intemperantia*: quæ & in voluptatibus ipſis, & in earum cupiditatibus, & doloribus ex earum abſentia perceptis, modum ſuperat; imo cum perpetuo dolore eſt conjuncta, licet nunc majore, nunc minore. Cupiditas enim voluptatis in intemperante infinita eſt, nec unquam plane expletur. Non expleta autem cupiditas dolorem conjunctum habet. Et hoc vitium, menti ac rationi adverſum, eſt inprimis reprimendum.

Quod ad ſpecies attinet, ei quidem parti quæ ſobrietas dicitur, & in cibo ac potu modum ſervat, opponitur *gula* & *ingluvies*; ad quam comeſſationes pertinent. Rurſum mediocritati, quæ in cibo ſolo verſatur adverſa eſt *voracitas*: ei quæ in potu, *ebrietas*; ſive illa belluina, ſive ea quæ paulo ſubtilior eſt, & in iis reperitur, qui ad inſaniam non progrediuntur, potu tamen crebriori aut copioſiori plus quam par eſt delectantur.

Ei vero temperantiæ quæ caſtitas dicitur opponitur omnis generis *libido*, omniſque adeo voluptas venerea, quæ extra legitimum, pudicum ac moderatum matrimonii uſum eſt. Dico moderatum ac pudicum; quia in matrimonio etiam peccari poteſt. Ejus genera ſunt varia, quæ pro ratione perſonarum nunc flagitioſiora, nunc minus flagitioſa ſunt, & varia nomina ſunt adepta, de quibus nec cogitare quidem placet, nedum loqui; & ad hæc reſpiciens Paulus ait, quæ occulte fiunt inter homines à veritate Dei alienos, de iis etiam loqui turpe eſſe. Hoc tamen ex ſuperioribus repetere operæ pretium eſt; ſi ullum aliud vitii genus, hoc certe vel inprimis animo committi poſſe; idque duplici ratione: vel ſi decreta fiant in mente de voluptate illicita perfruenda, etiamſi tandem effectus non ſequatur, vel ſi abſque ejuſmodi decreto animus illarum voluptatum cogitatione ſe oblectet. Primus enim voluptatum impetus, qui ab objecto nobis, etiam aliud agentibus, excitari poteſt, ſi protinus reprimatur, & omnis cogitatio de hac re confeſtim ejiciatur, nondum imputatur, aut animum per ſe polluit. Quanquam etiam ab his cogitationibus prope ſemper vacuus eſſe poteſt animus, qui aſſiduo melioribus rebus eſt intentus, maxime qui divina tractat, & cæteris caſtitatis adjumentis, quæ ſupra expoſuimus, utitur, omneſque malorum occaſiones ſtudioſe fugit: quod ſane omnes facere decet.

Quod ad alterum extremum temperantiæ oppoſitum attinet, & in eo quod parum eſt peccat, id adeo rarum eſt ut ne nomen quidem invenerit. Dici tamen poteſt *ſtupor*, ſeu ἀναισθησία. Qui enim nullis prorſus guſtus & tactus voluptatibus tangitur, aut iis quibus cæteri fere omnes delectantur, non capitur, ſenſu carere videtur. Quanquam fortaſſe rectius *nimia abſtinentia* dici poteſt: cum fieri poſſit ut quis in eo quod parum eſt peccet, & tamen capiatur voluptatum neceſſariarum ſenſu; verum propter cauſam quamcumque genium ſuum nimis defraudet; ita ut etiam laboribus neceſſariis ſupereſſe non poſſit. Eſt tamen hoc vitium ſua natura minus turpe quam intemperantia. Magis enim recedit à natura belluina, magis à voluptate corporis, & ad id minus prona eſt natura noſtra: quibus de cauſis etiam eſt rarius. Eſt tamen eo nomine reprehendendum, quod cum Deus animum illigatum voluerit corpori ejuſque opera mens utatur, nec muneri ſuo ſine ejus opera imcumbere poſſit, divinæ voluntati repugnat, & in mentem quoque ſuam, adeoque ſeipſum eſt injurius; nec finem ſuum aſſequitur, qui nimis corpus macerat, & ne conceſſas quidem & neceſſarias voluptates ei indulget. Debemus enim corpore tanquam mancipio uti, cui dominus victum & amictum corporis largiatur, ut laboribus neceſſariis ſufficere poſſit, & nec copia luxuriet, nec ob penuriam concidat. Debemus tamen ad hoc extremum, tanquam minus vitioſum, nos deflectere, & operam dare ut Deo & Angelis, qui ab his voluptatibus plane ſunt illibati, reddamur quam ſimilimi.

Imo ab iis voluptatibus, in quibus caſtitas verſatur, in univerſum abſtinere, non modo caſtitati non adverſatur, ſed ſuprema eſt caſtitas, & viro divino digniſſima, hodie præſertim, ubi haudquaquam verendum eſt ne humanum genus ob unius aut alterius abſtinentiam intereat. Hæc enim voluptas neceſſitati revera conceſſa eſt, quæ nulla eſt hodie in cælibe, atque ei cui continentiæ donum à Deo eſt conceſſum. In cæteris poteſt fortaſſe in eo etiam quod parum eſt peccari, ſed, quod ad ipſorum perſonam attinet, revera non eſt parum.

CAP. XII.

De Magnanimitate.

MAgnanimitas & *modeſtia*, de quibus deinceps nobis agendum eſt, ſunt virtutes gradu potius quam ſpecie diſtinctæ, præſertim ſi magnanimitas ſtricte ac proprie accipiatur. Non enim eodem prorſus modo *magnanimitatis* vox uſurpatur: nam vel late accipitur, vel ſtricte. *Late*, ut ſignificet eam virtutem quæ in deſpicientia rerum humanarum & vitæ ipſius cernitur; deſpicientia, inquam, tali quæ à recta ratione proficiſcatur: & faciat ut etiam res arduas ac difficiles ſuſcipias. Et hæc virtus præter magnanimitatem ſtricte acceptam, temperantiam quoque ac fortitudinem complectitur, & earum veluti perfectio & excellentia quædam eſt: quarum illa voluptates, quas vulgus avide expetit, contemnit; hæc etiam vitam ac dolores, ubi uſus exigit. Et hæc ſane poſterior cum magnanimitate, de qua agimus, magnam habet cognationem: unde etiam quædam officia, ad eam pertinentia, hæc virtus ſingulari quadam ratione ſibi vendicat. *Stricte* vero accipitur, pro ea virtute quæ in *rebus externis* iiſque *magnis* cernitur, cum recta ratione vel appetendis vel ſpernendis. Quod in externis cernatur patet. Eam in animi bonis non verſari certum eſt: nec enim ea deſpicere aut moderate amplecti virtutis eſt. Non in iis quæ ipſi corpori adhærent, qualia ſunt bona naturalia, ut robur, forma; neque enim quenquam ex eo magnanimum dicimus quod hæc in ſe aut deſpiciat, aut appetat: aut adventitia, quales ſunt voluptates; hæ enim proprie ſunt temperantiæ objectum. Reſtant ergo externæ, eæque magnæ. Ratio petitur à vulgari quadam Magnanimi definitione, quæ eſt, quod magnanimus is ſit qui rebus magnis dignum ſe judicat, & iis revera dignus eſt. Quæ definitio ſatis indicat, eam in rebus externis cerni, cum rebus externis proprie digni aut indigni dicamur. Deinde etiam illud probat magnanimum in rebus magnis cerni, non in parvis: quia ſi in parvis verſaretur, vel ex eo diceretur magnanimus quod ea appeteret, vel quod ea ſperneret, vel ex utroque. At neutrum magni eſt animi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Res autem *illæ externæ* ſunt vel *bonæ* vel *malæ*: in bonis primo, in malis ſecundario verſatur. Bona autem illa ſunt duplicia, *honor* & *divitiæ*. Mala vero iis contraria, *Ignominia*, & *Paupertas*, *opumque jactura*. In honoribus magis proprie verſatur magnanimitas quam in divitiis; quia honores genere ipſo ſunt majores divitiis, & hæ propter illos fere ſolent expeti. At in magnis magnanimitas, ut vidimus, verſatur, & quo quidque eſt majus, in eo tanto magis verſatur.

Honorem eſſe bonorum externorum maximum, ex his patet: 1. Quia eum Deo deferimus, ſi quid haberemus majus, illud potius delaturi. 2. Quia à principibus ac viris maximis magis quam alia externa bona appetitur, & Politici ad hunc fere ſua ſtudia & labores referunt. 3. Quia factorum præclariſſimorum hoc ſolet eſſe præmium. 4. Quia pecuniæ honorum cauſa expetuntur. Probatur hoc etiam ex natura extremorum huic virtuti oppoſitorum. Nam & puſillanimus & ſuperbus in honoribus verſantur. Extremorum autem & virtutis idem eſt objectum. Verum quia honores ſunt vel parvi vel magni, in illis cernitur modeſtus proprie, in his magnanimus, ut ex dictis patet; qui differunt, ut formoſus, & bellus ſeu venuſtus. Formoſitas enim in magno cernitur corpore; qui bellus homo eſt, puſillus homo eſt, ait Martialis.

Et hæc eſt *magnanimitas proprie & ſtrictiſſime dicta*; virtus quæ in magnis honoribus verſatur. Cum honoribus autem computamus etiam famam bonam, ac laudem quæ honeſte facta ſequitur, & gloriam quæ laudis quædam eſt perfectio ac ſplendor: & quia cum magiſtratibus ac imperiis honores ſunt conjuncti, unde etiam honores appellantur, hæc quoque cum honoribus conjungimus. Secundarium ejus objectum ſunt ignominia & divitiæ magnæ, & iis oppoſita damna, atque adeo omnis fortunæ ſtatus. Hæc de materia.

Sequuntur præcepta, formam hujus virtutis ſeu mediocritatem, quæ circa hæc objecta, tum animo, tum in actionibus ſervari debet explicantia. Poſſunt autem generatim tria potiſſima magnanimi officia conſtitui, ex quibus cætera fere fluunt, quatenus ad ea cognatæ virtutes aliquid etiam conferunt, ut jam diximus. Magnanimitas enim ex aliis etiam virtutibus multa ſumit, imo quicquid fere in quavis virtute maxime ſplendet, id ea ſibi decerpit. *Primum præceptum* eſt: quod magnanimus res humanas omnes, præter animi bona, Sapientiam ac virtutem, contemnat, cum ratione tamen; nec in iis parandis aut retinendis admodum laboret. Unde conſequitur *alterum*; eum etiam eſſe animo maxime tranquillo ac conſtanti, nec ulli ſive homini, ſive fortunæ, ſive perturbationi ſuccumbere, & nec rebus ſecundis efferri, nec adverſis animo frangi; idque agere, ut idem ſemper ſit vultus, ut de Socrate accepimus. *Tertium*: Quod gerat res magnas & vehementer utiles, præſertim publice, laboris ac periculi plenas. In quorum poſteriori ſplendor hujus virtutis conſiſtit & utilitas; in priore cauſa & origo.

Cætera præcepta ſunt duplicia: vel enim ad hanc virtutem per ſe ac proprie pertinent, vel ratione earum virtutum quæ ad magnanimitatem conſtituendam ſingulari ratione ſpectant, & ſine quibus dignitas ſervari, & animi magnitudo declarari non poteſt, ei conveniunt. Quæ officia proprie pertinent ad hanc virtutem, ea vel ratione primarii, vel ratione ſecundarii objecti ei conveniunt. *Principale objectum* diximus eſſe *honores magnos*. De his quædam generatim ſunt obſervanda, quædam ſpeciatim. Quod ad honores magnos generatim attinet, illi vel à viris magnis, hoc eſt, ſingulari virtute ac prudentia præditis proficiſcuntur, vel ab imperitis hominibus aut improbis. Hi poſteriores genere tantum ipſo, ac per ſe conſiderati, magni ſunt; illi etiam ratione cauſæ efficientis, adeoque vere magni ſunt. Hinc præcepta diverſa naſcuntur.

Primum: magnanimum ſedulam dare operam, ut à viris cordatis atque optimis honorari dignus ſit: imo etiam moderate honorem illum appetere, non per ſe tamen, ſed propter aliud; & delato illo honore, moderate etiam gaudere. Præceptum hoc tripartitum eſt. Primæ partis ratio eſt; quia dare operam ut dignus ſis, qui à prudentibus ac bonis honoreris, eſt dare operam ut ſis optimus, & quam honeſtiſſima ac præclariſſima agas; quod eſt magnanimi maxime proprium; cum nemo honores magnos à viris cordatis ac bonis mereri poſſit, niſi virtute ac facinoribus præclaris. Eſt enim honos ſignum opinionis, de illius, qui colitur, bonitate, atque inprimis beneficentia, in animis colentium conceptæ. Viri autem prudentes non ſolent ſigna iſta, præſertim inſignia ac præclara, ſuæ de alterius bonitate opinionis oſtendere, niſi ita ſe rem habere deprehenderint. Duarum reliquarum iſtius præcepti partium, hoc eſt, cur magnanimus appetat illos honores moderate & delatis moderate gaudeat, ratio eſt; 1: quia honor ille eſt teſtimonium quoddam ipſius virtutis, ex quo colligere poteſt ſua facta bonis ac prudentibus approbari, adeoque recta eſſe & honeſta. At noſtrum de factis noſtris judicium approbari ac confirmari à viris bonis & prudentibus jucundum eſt. Unde Hector ille apud Poëtam: *gaudeo pater me laudari à te laudato viro*. 2. Quia honor ille ſignum eſt amoris atque benevolentiæ virorum illorum magnorum adverſus ipſum. Non poteſt enim fieri ut viri prudentes ac boni de alicujus bonitate præclare ſentiant, quin eundem etiam ament eiq; bene cupiant. Adeo enim virtus eſt ſui amans, ut vir bonus eum etiam in quo eſt ſignificatio quædam virtutis, amet. At benevolentiam & amorem bonorum virorum, tum per ſe expetimus naturę inſtinctu, quę nos ad conjunctionem cum aliis, præſertim cum bonis, finxit; tum propter inſignes utilitates, quæ exinde manant: qua de re agitur in tractatione de amicitia. 3. Quia hi honores auctoritatem illi apud alios conciliare, & ad multas res præclaras perficiendas, ad recta conſilia aliis perſuadenda & exſequenda poſſunt eſſe adjumento. Cur autem non debeat effuſe aut per ſe illis delectari, ratio eſt, quia hoc eſſet ejus qui bona externa magnifaceret. At bona omnia externa contemnere magnanimitatis eſſe diximus. Deinde quia is qui per ſe appetit honores illos magnos, aut delatis effuſe lætatur, eo ipſo vel ambitioſus ac ſuperbus eſt, vel ambitioſus ac ſuperbus evadit. Ambitio autem & ſuperbia vitium eſt magnanimitati oppoſitum, quod menti eripit libertatem, pro qua omnis eſt viris vere magnanimis contentio.

Secundum præceptum ad honores pertinens, ſed ex Chriſtiana religione petitum eſt: quod etſi ob virtutem honorari ſe gaudeat magnanimus, non tamen eò progrediatur arrogantiæ ut eam ſuis viribus imputet, ſed Dei benignitati quicquid recte geſtum eſt acceptum referat, & coram eo quam maxime ſe demittat, eique gloriam omnem reddat. Gloria enim omnis referri debet ad auctorem factorum: primus vero auctor eſt Deus.

Tertium: etiamſi appetat aliquo modo laudes bonorum virorum, aut ab his honorari ſe aliquo modo gaudeat, tamen ut laudetur aut honoretur non poſtulat; nec anſam aliam ad laudes ſuas prædicandas, præter honeſta facta, præbet, nec honores ſibi dignos forte non delatos ægre fert, aut ægre ſe ferre ullo pacto oſtendit. Valde enim putidum, & homine magno ac cordato, qualis eſt magnanimus, indignum eſt, poſtulare ut lauderis & honoreris, & non niſi ejus qui honores magni facit, eoſque avide venatur; quod à magnanimo diximus eſſe alienum. Imo honores exacti & emendicati vix honores ſunt dicendi, cum ex iis conſtare non poſſit, eum qui illos exhibet, ideo facere quod de illius bonitate recte ſentiat; quod eſt honoris veri proprium, & à magnanimo inprimis quærendum eſt; ſed ex iis tantum qui ſponte deferuntur.

Quartum: eandem ob cauſam nec ſe ipſum libenter laudat, nec alios libenter vituperat, nec ex aliorum ignominia gloriam quærit.

Quintum: etiamſi maximis honoribus afficiatur magnanimus, non tamen ideo alios præ ſe ſpernit ac contemnit, licet id concedere videatur Ariſtoteles, ſed ſingulis convenientem tribuit honorem, & quicquid in illis boni videt, id agnoſcit & æſtimat; atque

iis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

in omnibus Dei imaginem veneratur, & non tam cogitat quid ipſe conſecutus ſit boni, quam unde ſit conſecutus, & quem in finem; nempe à Deo, idque in gloriæ ipſius & ſalutis humanæ uſum. In aliis ſi quid deſideret, non tam quid conſecuti non ſint, quam quid conſequi ex Dei benignitate poſſint, & quam arcte eum Deus cum illis conjunxerit, quantum illis prodeſſe datur conſiderat. Atque huc pertinet illud ſapientum monitum; ut, quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſummiſſius: & hæc regia eſt ad veram laudem, & principatum, ipſamque immortalitatem via.

Sextum: Unde etiam hoc conſequitur, virum magnanimum in verbis eſſe comem, in vultu mixtam gravitati humanitatem oſtendere, in congreſſu & aditu facilem, affabilem ac minime moroſum eſſe, nec adeuntes à ſe repellere, aut ad ſermones aut facta ruſticiora protinus ſupercilium adducere. Hæc enim ſuperbi ſunt, & ejus qui odium populi ſibi concitare non veretur, (eſt enim odioſa ſuperbia, iis præſertim qui ſe contemni putant) aut parum curat ut benevolentia omnium muniatur, quod magnanimus haud facit.

Septimum: Gravitate tamen cum viris magnis aliqua ratione certat, quia hoc ipſo dignum eſt; non tamen vanæ gloriolæ captandæ, ſed dignitatis ſervandæ cauſa. Cum inferioribus contendere ſe indignum putat: perinde enim eſt ac ſi robuſtus aliquis Athleta, vires ſuas oſtentaturus, cum puero aut imbecilli aliquo homine decertare vellet; ſervat tamen apud inferiores etiam gravitatem, ne forte auctoritas ipſius vileſcat, maxime apud eos, quos regere debet.

Octavum: Ad aliorum arbitrium, præſertim ubi de honeſtate agitur, non vivit, nec aliis adulatur: id enim ſervile eſt, nec virtuti, ac dignitati ejus conſentaneum. In cæteris libenter aliis indulget, præſertim amicis aut infirmioribus, ubi id ſine dedecore aliquo fieri poteſt.

Nonum: Quod ad honores vulgi, & hominum improborum, attinet, illos contemnit; magis tamen improborum quam vulgi. Nam improborum honores, niſi forte conſtet eos quoque virtutis ſpecie duci ad illos exhibendos, ignominiæ eſſe videntur, cum improbis placere, fere ſit probis diſplicere. Hominum etiam imperitorum, quia judicio non ducuntur, & ex opinione multa, ex veritate pauca judicant, honores ſpernendos putat, cum nullum ſolidum de virtute ſua teſtimonium exinde petere poſſit. Interim tamen ſi tota multitudo, aut major vulgi pars, in eo honorando conſentiat, præſertim conſtanter, eo propterea aliquantum gaudet, quod ſe hominum benevolentia cinctum videt, eaque res illi ejuſque ſermonibus auctoritatem conciliare, & ad res magnas præclare agendas auxilio, & adverſus pericula præſidio eſſe poſſit. Et hac de cauſa etiam ea nonnunquam facit, quæ ad benevolentiam civium parandam pertinent. Præterea ex judicio univerſorum nonnunquam teſtimonium peti poteſt: nam vocem populi, vocem Dei vulgo dicunt; & virtus lumen ſuum fere omnium mentibus immittit, ita ut etiam ii qui eam non ſequuntur, videant, ut teſtatur Seneca.

Decimum: Hinc fit ut ſi vel honeſtas ſit negligenda, & in publica commoda peccandum, vel in dedecus aliquod apud imperitos illi ſit incurrendum, anteponat honeſtatem & utilitatem publicam ſermonibus vulgi aut improborum. Quomodo Fabius ille Maximus apud Ennium:

Unus cunctando Romanam reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem:
Unde magiſque magiſque viri nunc gloria claret.

quam in rem peccarunt Callicratidas & Cleombrotus Lacedæmonii: de quibus vide Ciceronem, lib. 1. Officiorum. Nonnulli enim dolores contemnunt, invidiæ ſuccumbunt, & famæ jacturam facere nullam volunt. At magnanimus nulli ſuccumbit invidiæ, ignominiæ, nulli homini; & mavult viri boni officio reipſa fungi, quam bonus videri.

Undecimum: Ut ſpeciatim quædam dicamus de fama bona, eam minime negligit magnanimus. Negligere enim quid quiſque de ſe ſentiat diſſoluti eſt hominis: & contemtu famæ contemnuntur ipſæ virtutes, itaque etiam ut vulgo bene audiat curat magnanimus.

Duodecimum: Quod ad magiſtratum & imperia attinet, ea propterea interdum ambit magnanimus, aut oblata accipit, ut majores habeat rerum gerendarum, aut magnanimitatis oſtendendæ occaſiones, & ut tum omnibus publice, tum imprimis viris bonis præſidio eſſe poſſit; tum etiam ut ipſe adverſus injurias ſit munitior. Sed magis alios quam ſe ipſum reſpicit. Itaque ſi videat ab aliis Rempublicam bene geri, ipſe magiſtratus facile negligit: propter labores ac difficultatem, aut metum repulſæ, eos non fugit. In magiſtratu autem gerendo magnanimitatem imprimis declarabit; ſi nec honoribus oblatis efferatur, nec eorum cupiditate tranſverſum rapiatur, nec principatum affectet; (quod vitium facile magnis magis innaſcitur:) aut aliorum conſiliis ſalutaribus ne inferior putetur, ſe opponat: (nonnulli enim conſiliis, licet ſalutaribus, quia illis prius in mentem non venerant, contentioſe ſe opponunt:) nec lucrum appetat, ac ſe corrumpi patiatur: nullo labore ac periculo ab honeſto & à publicis commodis avocari ſe patiatur, & bonum publicum ſibi in actionibus propoſitum habeat, modo id virtute ſalva conſequi poſſit.

Decimumtertium: Quia vero in Magiſtratu gerendo magnarum rerum exercendarum occaſionem imprimis eſſe diximus, magnas autem res ac glorioſas gerere eſt magnanimi, videndum eſt, quid præcipue ſit in illis conſiderandum. Ea ſunt imprimis duo: 1. Quam honeſtæ ſint atque utiles. 2. Quam habeas efficiendi facultatem. In quo iterum conſiderandum, ne aut temere deſperes propter ignaviam, aut nimis confidas propter cupiditatem, & ſic aliquando accidat, ut dicere cogaris, non putaram. Hoc vero utrumque aſſequi potes, ſi antequam rem aggrediaris diligenter ac mature deliberes. Hactenus de honore, quod eſt potiſſimum hujus virtutis objectum.

Sequuntur præcepta, quæ docent quomodo magnanimus circa ſecundaria objecta ſe gerere debeat; quorum objectorum primum eſt ignominia honori oppoſita. 1. Circa ignominiam ita ſe gerit magnanimus, ut eam contemnat, quia novit ea ſe immerito affici, cum ſit vir optimus & honore digniſſimus. 2. Unde conſequitur eum etiam vulgaria convitia & maledicta ſpernere; præſertim cum ſpreta exoleſcant, vindicata agnita videantur, ut ait Tacitus: quanquam ipſo contemptu, interdum etiam beneficiis, vindicantur; quemadmodum Periclem olim feciſſe legimus. Grave eſt enim maledicis, ſe ſuave dicta contemni, nec ſe aliorum patientiam aut virtutem expugnare poſſe. 3. Interim tamen calumnias quæ illius famam lædere, & fidem forte apud homines non omnino improbos, ſed imperitos, invenire poſſent, tum verbis tum factis refutat. Famam enim honeſtam, ut diximus, negligere, diſſoluti eſt hominis, non magnanimi.

Alterum ex ſecundariis objectis eſt fortuna, tam ſecunda quam adverſa, divitiæ ac damna. Quid in his generatim obſervandum ſit magnanimo, in primo generali præcepto diximus; nempe eum neque efferri debere ſecundis, nec frangi adverſis, ſed æquabilitatem in vita ſervare. Nam qui honores magnos & ignominiam non magni facit, quæ tamen ſunt externorum bonorum aut malorum maxima, ille etiam facile cætera ſpernet.

Quod ad pecunias ſpeciatim attinet; 1. eas non amat magnanimus, ſed vel ſpernit ac repudiat, præſertim cum id quæri videt, ut iis, qui offerunt, ſit obnoxius, quod ſe indignum arbitratur: vel ſi habet, in alios, amicos præſertim, & egentes, largiſſime ac promptiſſime confert. Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quam amare pecunias: nihil magnificentius quam ſi non habeas contemnere, ſi habeas ad beneficentiam liberalitatemque conferre, ut ait Cicero. Quod præceptum ratione liberalitatis ac magnificentiæ, quæ magnanimitatem imprimis decet, ei convenit; ut & ſequentia. 2. Non tamen prorſus ſpernit

divitias,

divitias, ſed moderate curat, ut in alios tanto liberalior eſſe, & amicos facilius juvare, & alias res præclaras gerere queat. Itaque interdum, amicorum potiſſimum cauſa, magna Principum munera accipit. 3. Quod ſi ab aliquo beneficium accipiat, operam dat, ut cumulatiore menſura reddat, ut is, qui prior dedit, ipſi obſtrictus eſſe videatur. Beneficium enim dare ſuperioris eſt, accipere inferioris. Non vult autem magnanimus eſſe hac in parte inferior. 4. Hinc fit, ut etiam non libenter petat beneficium; nec, ſi damnum aliquod patiatur ſit querulus, & roget ut id ſibi ab aliis reſtituatur, nec in univerſum aliorum auxilium imploret, niſi coactus. Nam ſi accipere beneficium inferioris eſt, ſi eſt libertatem vendere, multo magis petere. At libertatem ſuam tueri, magnanimi eſt. Etſi autem non facile à pudore ſuo impetret, ut alios roget; pro amico tamen, ejuſve ſalute, id facit libentius.

Atque hoc officium ad res adverſas etiam pertinet, de quibus adhuc aliquot notanda ſunt *præcepta ſpecialia*, quæ partim *ratione fortitudinis*, partim *ratione manſuetudinis*, magnanimo conveniunt. Ratione fortitudinis, 1. quod magna pericula fere tantum adeat, nec ſine gravi cauſa & neceſſitate. Nil enim ſtultius eſt, quam periculis ſe offerre ſine cauſa. Itaque magnanimus imitatur in adeundis periculis conſuetudinem medicorum, qui leviter ægrotantes, leviter curant: gravioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibent. In tranquillo enim tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt; ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione, ſapientis: eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni, quam addubitata mali. 2. Promptior eſt ad ſua pericula, quam ad communia. 3. Libentius tamen pro aliorum commodis, quam pro ſuis ea adit. 4. In periculis ſeſe dignis vitæ non parcit, nec timiditatis edit ſignum, omninoque in calamitatibus generoſum animum retinet.

Ratione manſuetudinis, quod inimicis ſuis non iraſcatur graviter, nec injuriarum memoriam diu retineat, nec pœnas exigere ſoleat; nil enim magno animo dignius eſt, placabilitate, atque clementia.

Reſtant adhuc *alia officia*, quæ aliarum virtutum ratione ei conveniunt, & inprimis *in civili converſatione, ſermonibus ac factis* ſunt obſervanda. Quo etiam aliqua ratione pertinuit præceptum 4, 5, 6, 7, 8, in honoribus obſervandum. Quibus adjiciantur hæc: 1. Quod aperte amet magnanimus, & aperte oſtendat, quinam ipſi diſpliceant: non vero clam illos odit, (quanquam ne aperte quidem odiſſe concedit Chriſtiana pietas, quod Ariſtoteles magnanimo permittit) nec iis invidet, aut mordet, minimeque callidus, aut inſidioſus eſt: hoc enim abjecti & anguſti eſt animi, ac ſibi diffidentis. 2. Libere loquitur, & aliorum vitam, ubi opus eſt, reprehendit: hoc enim ejus eſt, qui neminem metuit, quod eſt magnanimi. Hæc ratione ejus virtutis, quæ humanitas vel Amicitia dicitur, magnanimo conveniunt. 3. In ſermonibus verax eſt, ſimplex & apertus: quanquam interdum, ubi prudentia exigit, conſilia ſua diſſimulat. Hoc ad veritatem per ſe ſpectat.

Ratione geſtuum ac vocis, 1. tardo gradu incedit, nec modo feſtinat, modo lente incedit. Iſtud enim gravitatis majoris eſt; hoc hominis inconſtantis, aut rerum ſuarum nimium ſatagentis eſſe videtur, licet id non ſit omnino certum. 2. voce etiam gravi utitur; quanquam hoc naturæ potius eſt, quam arbitrii noſtri. 3. vox illius non eſt varia, non modo lenta, modo volubilis, modo ſubmiſſa, modo clamoſa: nec unquam contendentis ac rixantis ſpeciem præbet; id enim mulierum eſt, & eorum, qui rem aliquam magni faciunt.

Hinc coronidis loco *conſectaria* quædam deduci poſſunt. *Primum*: magnanimum eſſe virum optimum, & in ſe habere quicquid in quavis virtute magnum & excellens eſt. Contemnit enim res humanas, præter animi bona, omnes; at qui hæc omnia contemnit, is juſtiſſimus eſt; cum is qui bona & mala externa contemnit, nullam habeat cauſam injuriam inferendi, imo cauſam maximan, cur juſte vivat. Eſt fortiſſimus, ut vidimus, & pericula magno animo ſuſtinet, honeſti cauſa; cum etiam vitam præ honeſto ſpernat. Eſt temperantiſſimus. Nil enim magis ſervile eſt, & à magno animo alienum, quam ad voluptates corporis ſe abjicere, & belluinis ſervire cupiditatibus: præterquam quod non eſt conſentaneum, qui metu non frangitur, quod eſt magnanimi, eum frangi à cupiditate, ut ait Cicero. Liberalitatem etiam libentiſſime colit, qui divitias contemnit; & manſuetudinem, qui injurias & contumelias. Idem de cæteris virtutibus, quæ has principes libenter ſequuntur, eſt judicandum. Atque hoc ex eo etiam patet, quod honoribus magnis à ſummis viris profectis ſit digniſſimus. Digniſſimus autem iis eſſe non poteſt, niſi ſit omni virtute excultus. Unde ſequitur *ſecundum corollarium*: hanc virtutem eſſe cæterarum ornamentum, faſtigium, & apicem. Hinc *tertium*: eam eſſe acquiſitu difficillimam.

Vitia magnanimitati oppoſita ſunt potiſſimum quidem *Puſillanimitas*. Sed opponitur tamen etiam *nimia quædam animi elatio*, quæ partim in *ſuperbia*, partim in *audacia* conſiſtit. De quibus duobus poſterioribus in ſequentium virtutum explicatione agetur. Illa enim *modeſtiæ* magis proprie opponitur; hæc *fortitudini*. Eſt autem *Puſillanimitas* vitium ea quæ contemni debent majora æſtimans, & ardua ob metum quendam refugiens. Ejus pars quædam eſt *ignavia* ſeu *timiditas*, de qua in Fortitudinis explicatione.

Cap. XIII.

Do Modeſtia.

Modeſtia, quæ vulgo *Humilitas* appellatur, quanquam non ſatis ex uſu Latinorum, qui hac voce Puſillanimitatem denotant, eſt virtus quæ honoris cupiditatem moderatur.

Ea hoc pacto à Magnanimitate differt, quod *Magnanimitas* dignitatem ſuam, ſuaſque vires aliqua ratione æſtimat, & honores, præſertim vulgares, tanquam infra ſuam dignitatem poſitos, contemnit: quos vero ambit aut admittit, eos vel non ſupra dignitatem, vel non ſupra vires ſuas æſtimat. At *Modeſtia* indignitatem ſuam ac vilitatem potius conſiderat, & propterea laudis ac honoris cupiditati fræna injicit.

Iſtarum tamen duarum virtutum officia non propterea ſeſe mutuo perimunt. Nam ſi dignitas atque indignitas quædam ſeu vilitas in eodem homine concurrere poſſunt, ab eodem etiam homine æſtimari non modo poſſunt, ſed & debent: quiſque enim ſeipſum noſſe debet. Et dignitas quidem conſideranda eſt, ne ſe quiſpiam ad res indignas abjiciat, aut à rebus præclaris ob animi abjectionem refugiat: vilitas autem atque indignitas, ne ſe nimium elevet.

Modeſtiæ præcipua *officia* ſunt hæc ſequentia: I. Nequis ſe majoribus dignum honoribus judicet, quam revera dignus ſit: quod maxime tum ei cavendum eſt cum ab aliis laudatur. II. Ne eos honores ac laudes, quibus dignus eſt, cupide perſequatur. III. Ne alios debito honore ac laude ulla ex parte fraudet. IV. Ne nimium vel in cultu corporis, vel in reliquo apparatu, ſplendorem ſectetur.

Primum iſtis modis conſequitur homo modeſtus: 1. Ne bona, quibus honor deferri ſolet, ſibi arroget, quibus plane caret. 2. Ne, ſi quæ habet, majora eſſe ſibi perſuadeat, quam revera ſunt. 3. Ne ea quibus eſt ornatus, majori honore digna cenſeat, quam revera ſunt. 4. denique, Ne ea ſibi potiſſimum imputet, & quæ Deo, nonnunquam ſecundùm Deum etiam aliis adſcribenda ſunt, ſuæ induſtriæ, virtuti, ingenio adſcribat, atque ad ſuam potiſſimum laudem referat.

Secundum conſequitur iſtis: 1. Ne ſeipſum laudet, aut ab aliis laudari ac honorari ſe velle ſignificet, & ejus rei anſam aliquam præbeat. Hoc autem à nonnullis obliqua inter alia fit via, dum ſeipſos vituperant, ſuaſve laudes doteſque extenuant: ii enim qui id audiunt, ne videantur eorum vituperationem approbare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

probare, eoſve parvi pendere, coguntur dicta illorum aliquo modo refellere, & aliquid ad ipſorum laudem dicere. 2. Si quis tamen interdum honor ſit vel quærendus, vel admittendus, ne nimium exſultet, & ſe eo nimium capi, ac laude ſua titillari aliqua ratione ſignificet. Sed ideo tantum id ſe facere oſtendat, ut occaſionem habeat res præclaras ſuſcipiendi ac perficiendi; quemadmodum in magnanimitatis præceptis dictum eſt: vel quia benevolentia aliorum erga ſe, cujus indicium eſt honor ipſi delatus & honeſtum ipſius præconium, delectetur.

Tertium conſequitur iſtis homo modeſtus: 1. Si neminem præ ſe contemnat, utut alias vilem atque abjectum; & in omnibus hominibus, Dei quam gerunt ſuſpiciat ac veneretur imaginem. Quod ſi aliis præterea dotibus ſint ornati, eas ſe in iis & agnoſcere & colere pro cujuſque dignitate oſtendat. 2. Ut eos inprimis colat, quorum operâ illa, quibus præditus eſt, bona fuerit conſecutus, & ad eorum laudem ea libenter referat. Cum vero omnia à Deo primum profluant, ejuſque benignitati ſint imputanda, ad ejus maxime laudem atque honorem omnia ea ſunt convertenda, iſque quam demiſiſſime eſt venerandus. 3. Ad omne officii genus etiam vile & abjectum, aliis, præſertim Chriſtianæ religionis vinculo ipſi devinctis, paratus eſſe debet, cum res atque uſus poſtulat. 4. Denique, Prompte debet obſequi iis, & ſingulari quodam honoris genere proſequi, ſub quorum eſt poteſtate. Sumus autem omnes primum ſub poteſtate ſupremi Numinis; plerique ſub imperio magiſtratus; liberi ſub parentum; ſervi ſub dominorum; diſcipuli ſub præceptorum ſuorum regimine.

Quartum denique conſequitur hac ratione; Si non modo aliis ejuſdem ordinis ac conditionis hominibus ſplendidius ſe ſe ac ſumptuoſius non ornet, ſed etiam aliquanto vilius; niſi gravis quædam cauſa eò compellat, ut majorem quendam apparatum, ac cultum corporis ſplendidiorem quærat. Quam ad rem utile eſt, proponere ſibi exemplum virorum ejuſdem ordinis gravium ac honoratorum, Modeſtia ac Frugalitate reliquos ſuperantium.

Hæc de medio: ſequuntur extrema: quorum illud quod in exceſſu peccat, eſt *ſuperbia* atque *arrogantia*, quæ *jactantiam* vel ſub ſe complectitur, vel ex ſe parit: item *ambitio*. quanquam hæc vox affectum ipſum, hoc eſt, cupiditatem honoris nimiam, magis quam habitum exprimit. Quod in defectu, eſt *nimia animi abjectio*, ſeu *vilitas*, quam Latini *humilitatem* vocant; licet ea vox pro *modeſtia* hodie uſurpetur. *Superbia* eſt vitium in appetendis honoribus modum ſuperans. Ejus eſt majoribus ſe dignum honoribus judicare, quam revera dignus ſis, aut eos, quibus ſis dignus, nimium appetere. Dignum autem ſe judicare poteſt quiſpiam majoribus honoribus quam revera dignus ſit, vel quia ea ſibi tribuit bona honore digna, quibus prorſus careat, ut ſi quis rudis ſit admodum, & ſe tamen putet eruditum; vel quia majora ſibi aſſumit, quam reipſa ſunt, vel quia hæc ipſa, quæ habet bona, majori honore digna judicat, quam digna ſunt, vel denique quia ea bona ſuæ induſtriæ & dignitati, non ejus à quo profecta ſunt benignitati imputat, ac propterea non ad illius, ſed ad ſuam ea gloriam refert.

Superbia hæc in animo primo latet, dein factis, ſermonibus ac verbis jactabundis, vultu atque oculis, geſtuum inſolentia, ac cultu corporis ſplendido proditur, ac inprimis in converſatione cum aliis conſpicitur. Nam vel his omnibus, vel quibuſdam, ambitionem ſuam & honorum cupiditatem produnt ſuperbi. Sunt autem ut Ariſtoteles aſſerit, omnes ſuperbi ſtolidi, cum ex vana ſui opinione vitium hoc oriatur.

Effectus ipſius partim in ipſis ſuperbis conſpiciuntur, partim in aliis. In ipſis ſuperbis, præter alios effectus ſequitur *iracundia*. Ira enim ex opinione contemptus oritur. At ii, qui nimium ſibi tribuunt, facilime ſe contemni putant. Nam cum ipſi magnis ſe honoribus dignos judicent, eoſque etiam tribui ſibi vehementius cupiant, alii vero ea, quæ ipſi ſibi arrogant, in illis non deprehendant, atque adeo honores, quos ſperaverant, non exhibeant, contemni ſe arbitrantur. Eadem cauſa eſt, cur aſſentatoribus, qui ſe illis ſerviliter ſubmittunt, eoſque ſe venerari ac maximi facere oſtendunt, delectentur. De *jactantia*, quæ in ſermonibus cernitur, alibi agemus: nam & hanc ſuperbiæ prolem eſſe jam indicavimus. Apud alios vero ſuperbiam ſequitur *odium*. Nihil enim eſt vel Deo, cui debetur gloria, quam ſibi ſuperbi ſumunt, vel hominibus etiam odioſius ſuperbia. Alios enim præ ſe contemnunt; contemni autem grave eſt: quia omnibus eminendi ſtudium à natura eſt inditum. Atque hinc caſus plærumque ſuperbiam ſequitur. Odit Deus omne ſuperbum.

Alta ruunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

Facile enim eſt eum *ruere*, qui nec Dei, nec hominum amore eſt munitus. Et hic effectus ſuperioribus addatur. Sæpe tamen etiam *ridiculi* fiunt *ſuperbi*, cum ſe putidius venditant, & jactant, & honores undecunque venantur, & tumore tantum non rumpuntur, ac in veſtitu aliiſque externis inſolentius ſe gerunt, unde major adhuc contemptus oritur.

De altero extremo, quod eſt *Nimia animi abjectio* ſeu *vilitas*, non eſt neceſſe multa dicere: tum quia fere eſt rarior, tum quia ad Puſillanimitatem magnam partem pertinet. Ejus eſt indignum ſe judicare omnibus honoribus, licet his dignus ſis; dignus, inquam, humano quodam more: (nam alias ſi originem bonorum, quæ habemus, reſpiciamus, omnes iis indigni ſumus, ſolus Deus dignus eſt:) aut etiam eos appetere deceat; vel longe minoribus ſe dignum judicare, quam dignus ſis, eoſve appetere: id quod vel ex metu quodam & animi nimia abjectione oritur, ſeu ignavia, mollicie, & impatientia quadam periculorum, aut ignominiæ, ac repulſæ. Peccat autem hic: 1. quod apud alios animi male ſibi conſcii, & occulto aliquo inteſtinoque vitio laborantis, ac proinde honoribus indigni, ſuſpicionem ſibi conflet. 2. Quod ſe contra oraculi præceptum non videatur noſſe, ſed quibus ſit bonis dignus ignorare. 3. Quia hac ratione occaſiones res præclaras gerendi, & aliis benefaciendi ſæpe omittit; & non tantum in ſe quem iis quibus dignus eſt præmiis ſpoliat, ſed etiam in alios non raro eſt injurius.

Deterior tamen eſt ſuperbus, quam is qui animo eſt nimis abjecto, contra quam ſentit Ariſtoteles: 1. Quia natura ad ſuperbiam fere ſumus proniores. Natura enim nobis quoddam eminendi, & alios ſuperandi ſtudium, quod ſi ratione regatur, & temperetur, ad præclaras res gerendas magno eſt incitamento, inſevit. At vitia illa deteriora eſſe ſolent, & à medio longius diſcedere, ad quæ ſumus natura proniores. Accedit 2. quod ſuperbia voluptatem habet conjunctam: omnes enim delectamur & capimur honore ac laude: nimia vero animi abjectio ab hac voluptate abeſt. At quæ voluptatem habent conjunctam, illa ſolent eſſe deteriora, & longius à recto diſcedere. 3. Quia ſuperbia crebrior eſt, & non tantum in divitibus, ſed ſæpe in pauperibus reperitur. Sæpe ſub viliſſima tunica, purpureus ac regius latet animus, ut in Lacedæmoniis evenit. 4. Quia odioſior eſt & Deo & hominibus. 5. Quia ſtolidior eſt: puſillanimitas cauta eſſe videtur & prudentiam æmulatur, unde oritur. 6. Quia temere res magnas aggreditur. Arrogat enim ſibi omnia, & maxime imperia & magiſtratus, quibus magni ſunt conjuncti honores, ambit. Et quia ſtolidam diximus eſſe ſuperbiam, omnia miſcet, & inſtar Phaëtontis Reipublicæ habenas nacta, & ſe & Rempubl. evertit, & magnis excidit auſis. Puſillanimus cum honores illos non ambiat, peccandi tam graviter occaſionem non habet, nec adeo nocere poteſt.

Cap. XIV.

De Fortitudine & Patientia,

SEquitur nunc *Fortitudo*, quæ cum animi magnitudine magnam habet conjunctionem: quia ad fortitudinem

titudinem requiritur contemtus rerum humanarum & ipſius vitæ; requiritur etiam, ut res magnas & arduas ſuſcipere velis, quod utrumque eſt magnanimitatis.

Fortitudo autem *duplici ratione ſumitur*, latius & ſtrictius: *latius*, cum etiam *patientiam* complectitur; quod fit, cum eam virtutem ſignificat, quæ in malis tum præſentibus, tum futuris cernitur: *ſtrictius*, cum à patientia diſtinguitur, & eam ſignificat virtutem, quæ in malis adhuc impendentibus, ſeu periculis, tantum occupatur, non vero in malis præſentibus: nam virtus quæ mala doloreſque præſentes ſuſtinet, proprie *patientia* dicitur. Vel poteſt dici Fortitudinem diſtingui in duas veluti partes, *Fortitudinem* nempe ſtrictius ſumptam, & *Patientiam*. Illa in periculis mortis pulcherrimæ, aliorumque malorum ſimilium, verſatur: hæc in ipſa illa morte aut malis perferendis. Illa metum ac fiduciam regit: hæc triſtitiam. Mors autem pulcherrima Chriſtianis eſt ea quæ pietatis cauſa ſubitur: Politicis, iis præſertim qui à Chriſtiana religione alieni ſunt, *Mors bellica*.

Rurſus quia *fortitudo* nunc proprie, nunc metaphorice accipitur, videndum eſt, quænam ſit vera & proprie dicta fortitudo; ex quo ipſo ſimul apparebit, quænam per ſimilitudinem ita dicatur.

Proprie dicta Fortitudo eſt virtus quæ in morte pulcherrima, & periculis ejus impendentibus, cernitur. *Improprie dicta* eſt quævis affectio, quæ fortitudini proprie dictæ ſit ſimilis, & in quovis ſive periculo, ſive malo, intrepide ſuſtinendo verſetur. Diſtinguitur autem Fortitudo proprie dicta, ab iis habitibus, qui per ſimilitudinem ita dicuntur, partim materia, partim forma, partim utraque.

Sed quia *Fortitudo* proprie dicta iterum duplex conſtitui poteſt, altera *politica*, altera *Chriſtiana*, quarum illam Ariſtoteles, hanc ſacræ literæ deſcripſerunt, de hac magis nobis agendum eſt, quam de illa; cum politica iſta virtutis nomen ab eo tempore amiſerit, ex quo immortalitas omnibus hominibus peræque eſt patefacta, & inter omnes concordia hac ratione conſtituta eſt, ac cæleſtis patriæ cives homines ſunt effecti. Olim, cum non niſi in terris patriam ac hæreditatem haberent homines, ita, ut ſumma eorum felicitas, Reipublicæ felicitate, rerumque omnium abundantia niteretur, politica illa fortitudo locum tuebatur aliquem inter virtutes: non primum tamen hominum ſapientum judicio: quia ad necem hominum eſt comparata, &, ſi concordia, ſi juſtitia, ubique obtineret, prorſus nullum habitura eſſet locum.

Fortitudo hæc duplex, in materia & forma partim convenit, partim diſcrepat. De materia priori loco agemus. *Verſatur* ergo *fortitudo* omnis generatim tum *in fiducia ac metu*, tanquam objecto interno, tum in iis, quæ metum nobis incutiunt, aut incutiendi vim habent, tanquam in objecto externo. Nam in his, & metus & fiducia cernuntur, quanquam contraria ratione. *Fiducia* enim in rebus formidoloſis bene ſperare jubet, & audacter rem aggreditur; *metus* ingenium eſt contrarium. Verſatur quidem etiam in illis, quæ fiduciam afferunt, ſed minus, quam in formidoloſis. Omnes enim eum fortiorem judicamus, qui in formidoloſis imperterritum ſe præbet, quam qui in contrariis. Sunt autem res quas metuimus, uno verbo mala. Definitur enim metus, expectatio mali. Quare *mala objectum ſunt fortitudinis*: verum non omnia. Nam quædam mala metuere honeſtum eſt, non metuere turpe: ut infamiam metuere hominis eſt probi & verecundi; non metuere, impudentis. At circa hæc non verſatur fortiudo, ſed circa illa tantum, quæ non metuere honeſtum eſſe poteſt: qualia ſunt ea, quæ nec natura ſua à vitiis naſcuntur, qualis eſt infamia, nec noſtra culpa ſunt contracta. Sed nec circa hæc omnia verſatur proprie dicta fortitudo. In horum enim numero eſſe poſſunt paupertas, morbus, ab amicis ſolitudo. At qui hæc non metuunt, non niſi per metaphoram fortes dicuntur: cum fieri poſſit, ut qui hæc non metuunt, ut prodigi, qui paupertatem non videntur metuere, in morte ſubeunda aut ſuſtinenda ſint ignavi. At qui mortem ſubire non ſuſtinent, fortes proprie non ſunt. Præterea in iis fortitudo verſatur, ex quibus, ſi quis ea metuat, appellatur timidus. At fieri poteſt, ut quis metuat contumeliam in liberos & uxorem, invidiam, & ſimilia; nec tamen jure dicatur ignavus ac timidus. Non dicitur etiam fortis is, qui flagra non metuit. Quare non in omnibus malis verſatur fortitudo, ſed in maximis. Ratio eſt: quia fortis eſt malorum ac periculorum tolerantiſſimus; ac ſumma illa tolerantia, non niſi in maximis malis ac periculis cernitur. Omnium autem rerum terribilium formidoloſiſſima mors eſt. Eſt enim ultima linea rerum, omniumque terminus, cum mortuus nihil amplius nec boni nec mali ſentiat. Quare in morte ejuſque periculis ſuſcipiendis, verſatur fortitudo. Quod ſi autem mortem magno animo ſuſcipit, multo magis cætera mala & pericula, quæ minora ſunt, & abſque turpitudine contemni poſſunt, ſpernet, &, ſi opus fuerit, ſuſcipiet. Quanquam autem in omni mortis genere ita ut dignum eſt, ſe gerit vir fortis; tamen non in quovis mortis genere proprie verſatur fortitudo. Nec enim proprie cernitur fortitudo in morte quæ in naufragio aut morbis obitur; ſed in mortis genere, omnium pulcherrimo & præclariſſimo: quale non eſt mors in naufragio aut morbis, quæ invitis prorſus accidit.

Et hactenus convenit iis qui Politicam fortitudinem deſcribunt, cum iis qui Chriſtianam, ratione objecti. Utrique enim in pulcherrimo mortis genere eam verſari dicunt: verum, in eo diſcrepant, quodnam ſit illud *pulcherrimum mortis genus*. Ariſtoteles id ſtatuit, quod in bellis pugnando ſubitur; quanquam non videtur excludere mortem quæ in pace pro Republica ac virtute ſubitur. Sacræ literæ mortem quæ juſtitiæ cauſa, hoc eſt, ut Dei mandatis per Chriſtum traditis obſequaris, ſuſcipitur. Mors bellica à politicis cenſetur pulcherrima, ideoque politica fortitudo in ea verſatur: mors quæ juſtitiæ cauſa ſuſcipitur, Dei judicio eſt pulcherrima, ideoque Chriſtiana fortituda in ea occupatur. Iſtud probat Ariſtoteles hac ratione: quia honores maximi, tum à liberis Rebuſpublicis, tum à regibus, ſolent decerni iis qui in bello occubuerint. Hoc nos probamus, quia præmium longe maximum & gloria cæleſtis à Deo decreta eſt iis, qui mortem juſtitiæ cauſa ſuſceperint. Eſt ergo fortitudo virtus illa, quæ in morte pulcherrima, & periculis impendentibus, quæ mortem iſtiuſmodi afferre poſſunt, cernitur. Politica quidem in morte bellica, & bellicis periculis, quæ non ſimpliciter ſunt pulcherrima, ſed à politicis præclariſſima cenſentur: Chriſtiana vero in morte ac periculis, quæ juſtitiæ cauſa ſuſcipiuntur; quæ ipſius Dei judicio adeoque re ipſa ſunt omnium pulcherrima. Unde patet definitionem atque adeo nomen fortitudinis magis convenire Chriſtianæ quam Politicæ, imo illi vere & proprie, huic improprie.

Hujus vero triplex iterum conſtitui poteſt genus: aut enim *veritatis divinæ* cauſa ſuſcipitur, cum vel abneganda turpiterve prodenda, & reticenda veritas divina, vel mortis ſubeundum eſt diſcrimen: aut *pietatis cauſa*, hoc eſt, cum vel mors ſubeunda, vel aliquid contra divina præcepta faciendum; vel denique *pro aliis*, præſertim fratribus, hoc eſt, illorum vitæ vel æternæ vel temporariæ cauſa ſubitur. Sub hac autem fortitudine comprehenduntur etiam ea òmnia pericula & mala, quæ eundem ad finem ſpectant, id eſt, ad pietatem ac juſtitiam tuendam, eaque nominata tacite intelliguntur. Qui enim mortem juſtitiæ cauſa adire non horret, multo facilius cætera mala propter eandem ſpernet. Ac præterea cum morte illa plucherrima computamus etiam eos cruciatus, qui nonnunquam mortem ſuperare videntur, aut propemodum æquare: in his enim patientia ac fortitudo non minus quam in ipſa morte verſatur.

Cætera etiam mortis genera, mala & pericula, quæ honeſte ſuſcipi poſſunt, ab hac virtute non prorſus excludimus, ſed minus propriam, & veluti ſecundariam ejus materiam ſtatuimus. Addendum & illud, Fortitudinem magis cerni in periculis repentinis, quam in

prævisis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

prævisis: illa enim præmeditationem & præparationem animi, quæ in prævisis locum habet, non admittunt: itaque eorum qui illa ſuſtinent conſtantia, ex fortitudinis habitu potius quam aliunde proficiſci videtur. Hactenus de materia.

Sequitur, ut de *Forma* agamus, & mediocritatem in hoc objecto ſervandam præceptis explicemus. Inprimis quod ad Fortitudinem Chriſtianam attinet, ea præcepta pertinent partim ad objectum hujus virtutis proprium, partim ad minus proprium. Quæ ad objectum proprium, partim in periculo mortis ſuſcipiendo, partim in perpeſſione ipſa ſunt obſervanda. Illa ad *Fortitudinem ſtricte ſumptam*; hæc ad *patientiam* ſunt referenda.

Primum præceptum eſt generale, ad periculum mortis ſuſcipiendum pertinens: ut videas an ſit aliqua ex illis cauſis, ob quas Chriſtiano homini evidens mortis diſcrimen adeundum diximus: nam alias ob cauſas, quæ commoda vel noſtra vel aliena reſpiciunt, quæ cum gloria divina aut æterna hominum ſalute non ſunt conjuncta, nec ad vitam producendam neceſſario pertinent, indignum eſt hominem Chriſtianum vitam, rem inter terrena bona longe præſtantiſſimam, in diſcrimen præſens vocare; cum cætera omnia vitæ, non vita cæterorum cauſa ſit comparata: ac præterea vita noſtra tum divinæ gloriæ, tum aliorum noſtrique ipſorum ſaluti poteſt ſervire, cum quibus rebus omnia commoda, quantumvis maxima, ne comparari quidem poſſunt.

Secundum ſpecialius eſt, cum de vita temporaria aliorum ſervanda agitur, diſcrimen eſt conſtituendum inter Fratres, hoc eſt, homines religionis ſocietate nobiſcum junctos, & alienos. Pro temporaria fratrum vita, ſi ſalus eorum ſimul non periclitetur, tum noſtra vita in evidens diſcrimen eſt adducenda, cum eorum vita divinæ gloriæ, & aliorum ſaluti, vel æque utilis eſt atque noſtra, vel utilior. Sed ſi noſtra vita longe ſit gloriæ divinæ & humanæ ſaluti (qui duo ſunt potiſſimi vitæ noſtræ fines) utilior, animus quidem is eſſe debet in te, ut libenter tuo periculo alterius vitam redimeres, niſi iſtæ tam graves cauſæ obſtarent; verum ut reipſa facias, cauſæ iſtæ, quæ vita hac temporaria longe ſunt graviores, diſſuadent. Interim quicquid alias pretioſum habetur, quo ſine certa vitæ jactura, aut vocationis tuæ, quæ ad gloriam divinam ſpectet, magno neglectu carere potes, propter fratris iſtius vitam, cum morte commutare debes. Quod ad alienos attinet, ut pro eorum vita temporaria tuam ponas, non eſt committendum; cum fieri non poſſit, ut vita hominis à fraternitate noſtra alieni gloriæ divinæ & aliorum ſaluti, quæ res omnibus ſunt præferendæ, ſit utilior, aut æque utilis ſit, atque tua.

Tertium: Id quod jam antea inuimus obſervandum eſt, ut ſi per ſe quidem de terrenis commodis agatur, interim tamen ea commoda ita ſint comparata, ut ſine illis gloria divina promoveri, aut aliquibus in locis retineri nequeat, aut multorum piorum res in anguſtum deducuntur, ut metus ſit, ne infirmiores hoc pacto à veritate ac pietate deficiant, ac pereant, ſi eorum parandorum ſpes ſit evidens, grave propterea periculum ſuſcipere homine Chriſtiano dignum eſt. Idem ſtatuendum eſt, ſi de fratris alicujus vita temporaria, aut aliquo inſigni commodo agatur, quo ille carere ægre poſſit, & cujus deſiderio verendum eſt, ne à pietate deſciſcat ac pereat. Nam etſi hęc per ſe ipſa conſiderata vilia ſint, & vita ipſa noſtra minora, tamen quia cum gloria divina & humana ſalute ſunt conjuncta, illi prę ponderant, & perinde eſt, ac ſi de gloria divina ac ſalute humana per ſe ageretur.

Quartum: Ad pericula iſta pręſertim evidentia properandum non eſt, nec martyrii gloria affectanda: hoc enim eſſet amare periculum, & Deum tentare: ſed expectandum eſt dum neceſſitas urgeat, dum Deus velit. Non eſt enim ſine juſſu imperatoris noſtri ex ſtatione, in qua nos collocavit, exeundum. Tum autem neceſſitas urget, tum imperator jubet, cum eò res devenit, ut vel omnino mors ſit adeunda, vel aliquid contra conſcientiam Deique mandata faciendum. Itaque prius omnes ſunt tentandæ viæ, quibus periculum evites, quouſque conſcientia Deique mandata, quibus conſcientia informari ac regi debet, permittunt. Quod ſi exitus non pateat, intrepide eſt adeundum periculum. Atque huc pertinet divinum Servatoris noſtri præceptum Apoſtolis datum: ***Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, ſimplices ſicut columbæ.*** Prudentia ſerpentina ad declinanda pericula pertinet: ſimplicitas columbina, ad incorruptum pietatis ſtudium, & apertam veritatis profeſſionem; ſi quis mortis aliorumve malorum metu ab ea nos conetur abſterrere. Hinc Dominus Jeſus legatis ſuis præcepit, ut infeſtati una in urbe, fugerent in aliam; id quod & Paulus fecit: quæ tamen fuga quando capeſſenda ex ſuperioribus patet pręceptis. Nam ſi aliorum ſalus ob fugam tuam periclitatura ſit, ea capeſſenda non eſt; ſed dum de te ipſo tantum agitur.

Quintum: In ipſa mortis, vel potius cruciatuum & malorum, quæ mortem ſecum tractura videntur, aut cum morte ſunt comparanda, perpeſſione, animus patientia firmandus eſt, ne quid te indignum, & effæminatum, dicas aut facias, imo ne cogites quidem, ſi in præcepta divina pugnent, omnemque vindictæ cupiditatem ex animo ejicias.

Sextum: Danda eſt etiam opera, ut cùm gaudio quodam, quantum quidem rei natura fert, iſta mala excipiantur: quod in ſuo etiam forti Ariſtoteles requirit, idque ob hanc unam cauſam, quia honeſtiſſimum ſit, pericula & dolores perferre. Sed huic cauſæ, in Chriſtianis, accedit alia potior, ſpes cæleſtis gloriæ, ſpes divini auxilii. Dico autem quantum natura rei fert, quia ex doloribus corporis ad animum quoque dolorem manare, qui corpori eſt affixus, & ejus gaudium turbare, mirum non eſt. Ad quem dolorem & illud accedit, quod ipſius vita & incolumitas plurimis poſſit admodum eſſe utilis; cujus rei cogitatio eum non leviter movet.

Hactenus quomodo ſe vir Chriſtianus Fortitudine præditus, in proprio ac vero ſuo objecto gerere debeat, dictum eſt. De minus proprio duo erunt præcepta. *Primum*: Quod de morte præclariſſima & periculis ejus ſubeundis dictum, ad alia etiam mala, & eorum ſubeundorum pericula, eaſdem ob cauſas adeunda transferendum eſt. Cujus enim rei cauſa mors omnium malorum maximum ſubeunda, eaſdem ob cauſas cætera etiam mala, multo magis ſunt ſufferenda: ita tamen ut omnis abſit temeritas. In quo eſt obſervandum, ut ſi propter alios te tuave diſcrimini objicias, ſemper plus ad eos redeat boni, quam ad te ex tuo periculo poſſit pervenire mali.

Secundum: Quod ad alia mortis, periculorum, aut malorum genera attinet, in quæ non ob juſtitiam, ſed aliam quamcunque cauſam, ſive humanam improbitatem, ſive divinam caſtigationem, ſive denique caſum aliquem incurrimus, ea quoad ejus fieri poteſt declinanda ſunt. Si tamen declinari non poſſunt, itidem æquo animo ſunt excipienda, cogitandumque te ita eſſe natum, ut quod cuique contingit, tibi contingere poſſit, & cavendum ne ob impatientiam Deo obloquaris, vel adverſus eos, qui iſtorum malorum ſunt cauſa, vindictæ ardeas cupiditate, vel aliquid facias aut dicas te indignum, aut muliebri fletu & ejulatu mollitiem tuam prodas, aut earum rerum jactura, quas accepiſti perituras, nimium te excrucies, ſed ſolam virtutem cæleſtiaque bona ſtabilia credas, iiſque te ſoleris unice, cæteras curas in Deum rejicias.

Hîc duæ cautiones ſunt adhibendæ: 1. eſt, non protinus fortitudinis laude privandum eum, qui ad mortis aliorumque malorum conſpectum exhorreſcit, aut ſeſe eam moleſtius ferre oſtendit, modò eam ſuſtineat, nec quicquam Deo adverſum ac ſe indignum admittat. Nec enim truncus eſt vir fortis, & ſenſu deſtitutus; ſed mala nimium non metuit & æquo animo excipit: ut homo tamen, id eſt moderate, metuit, & moderate ſuſtinet. 2. Nec eum eſſe hujus virtutis laude privandum, qui ea quæ ſupra vires ſunt hominum,

quæque omnes metuunt, aut à quibus natura abhorret, metuit, ut fulmina, incendia, ruinas, terræ motus, &c.

Quæ ad hanc patientiam & fortitudinem in nobis excitandum faciant, latius explicantur in ſancta Theologia, quædam tamen adminicula præbent nobis Philoſophorum libri, imprimis Seneca, Epictetus, & alii. Non parum huc facit conſideratio inconſtantiæ rerum humanarum, & exempla quotidiana vanitatis fortunæ, exempla etiam eorum, qui magno animo res adverſas tulerunt.

Quod ad Fortitudinem politicam ſeu bellicam attinet, de ea parum nos laboramus. In ea requiritur, *Primò*: Ut bellum juſte ſuſcipiatur. Juſte autem ſuſcipi ſtatuunt, cum injurias eaſque graves, vel à nobis vel à noſtris, hoc eſt patria, parentibus, uxore, liberis, cognatis, amicis aliter depellere non licet: & ab iis ſuſcipitur quibus vindicandi aut defendendi legitima eſt poteſtas. Omnia enim prius tentanda eſſe monent, quam ad arma deveniatur: & ei, qui vindicandi legitimam poteſtatem non habet muſſitandam potius vel ferendam eſſe injuriam, quam vi repellendam.

Secundò: Ut juſte etiam geratur. Ad quod 1. pertinere putant, ut bellum juſto tempore indicatur. 2. Ne quis dolo malo, aut perfidia utatur in hoſtem, ne item venenis.

Tertiò: Ut in periculis adeundis tum prudentia adhibeatur, tum animi conſtantia; & vitæ, ſi ita res exigat, non parcatur.

Quartò: Ne ſæviatur in victos, eos præſertim qui ſe fidei tuæ permiſerunt: inermi vis ne inferatur, & ubique detur opera, ne ad innocentes calamitas belli perveniat.

Sed quamvis hæc omnia in bellis obſervarentur, (quod rariſſime aut potius nunquam fit) nulla tamen ſatis juſta cauſa eſt, quæ hodie ad cædem, præſertim tot hominum, excitare quenquam debeat, nec is qui res humanas contemſit, tanti eas faciet, ut propter eas pacis vinculum rumpere velit; quam rem infinita mala ſequuntur. *Nulla ſalus bello.* Unde etiam Ethnici pacem iniquiſſimam juſtiſſimo bello præferendam eſſe putarunt. Si quid inhoneſti eveniat, morietur potius vir fortis, & magnanimus, quam committet ut propter ſe tot animæ pereant. Adeo enim liber eſt homo, ut ad inhoneſtum factum, niſi ipſe aſſentiatur, cogi nulla ratione poſſit. Taceo ancipites bellorum exitus. Non raro majora damna patiuntur qui bellum gerunt, quam ea conſequantur, ob quæ bellum ſuſceperunt, imo raro aliter accidit. Non repeto Dei mandata, quæ diligere hoſtes jubent. Acuta vero charitas, quæ eum quem diligere debet prorſus perdit; non illud movet, cæleſtis patriæ nos eſſe cives, hoſpites in terra ac peregrinos, non indigenas, bona noſtra alibi eſſe, quæ hic habemus, uſui non mancipio data; adeo ut etiam facilis ſit jactura, modo rectam retineamus conſcientiam, quam invitis eripere nemo poteſt,

Hæc de medio, ſequitur ut de extremis agamus. *Extrema* licet etiam ſubtilius ſecari poſſint pro duplici virtutis objecto, nempe metu & fiducia, quæ plane inter ſe ſunt contraria, tamen duo recte conſtituuntur, *audacia*, & *timiditas*, ſeu *ignavia*. *Audacia* in fiducia modum ſuperat, in metu deſerit; & definiri poteſt, vitium in pericula temere ſeſe conjiciens. *Ignavia* contra in metu modum ſuperat, in fiducia deſerit; & definitur, vitium in metu modum ſuperans, aut pericula nimium fugiens.

Utriuſque natura ex virtutis oppoſitæ ingenio facile colligi poteſt: qui enim tum cum opus non eſt periculis ſe objicere ſolet, *audax* eſt; qui tum, cum opus eſt, id facere negligit ob metum, & in rebus adverſis animo plane dejicitur, *ignavus*. Miſcentur tamen aliqua ratione hæc vitia. Nam nonnulli animo timidi, verbis aut factis quibuſdam audaciam præ ſe ferunt. Hi Græcis eleganter θρασύδειλοι appellantur. Solent hi plerumque oſtentatores eſſe ac jactabundi, ante pericula feroces, in periculis languidi & ignavi; contra quam fortes, qui ante pericula jactabundi non ſunt, ſed quieti & cunctabundi, in periculo animoſi & ſtrenui.

Hujus autem θρασυδειλίας, ſeu ignavæ audaciæ, quæ fortitudinem, fucata quadam ſpecie æmulatur, ſex genera Ariſtoteles conſtituit; quæ omnia perſequi non eſt animus. Tantum primum genus eſt conſiderandum. Eſt autem eorum, qui ſibi ipſis, quacunque tandem de cauſa, mortem conſciſcunt. Nam hujuſmodi homines quamvis audaces eſſe videantur, in eo quod mortem non horrent, tamen facto ſuo docent, ſe doloribus & calamitatibus, ob quas mortem ſibi conſciſcunt, ferendis impares eſſe; quod fracti & abjecti atque effæminati potius, quam fortis eſt animi. Recte Ovidius:

Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Quod attinet ad comparationem iſtorum vitiorum; licet difficile ſæpe ſit videre, audaciane an ignavia ſit deterior, propter damna quæ utramque ſequuntur; natura tamen rei inſpecta deterior eſt timiditas. Fortitudinis enim eſt potius intrepide pericula ſubire, quam ea ſubterfugere aut metuere, adeoque audacia illi magis eſt cognata, quam ignavia; quarum illa ſubit intrepide pericula, hæc fugit. Qua de cauſa etiam audaces vulgo fortes audiunt, timidi non item; & audacia, ſi prudentia accedat, in fortitudinem facile migrat, ignavia non item; illa laudem aliquam meretur, hæc nullam, niſi à prorſus ignavis, qui alienam culpam elevantes, ſibi patrocinium quærunt, & timiditatem, cautionis ac prudentiæ nomine palliant. Deinde ad ignaviam plerique hominum proniores. Fæminæ enim pleræque, & quicunque muliebres gerunt animos, in hanc inclinant, ideoque ea etiam eſt crebrior; quæ autem ſunt ejuſmodi, ea deteriora cenſentur. Præterea audacia majoris eſt animi; ignavia humilis & fracti: illa res majores aggreditur, hæc omittit. Quod ad damna attinet, majora ſæpe dat, & ſibi, & aliis ignavia, quam audacia, licet nonnunquam contra eveniat.

Non omittenda etiam videtur comparatio inter fortitudinem & temperantiam, ignaviam & intemperantiam. Fortitudo temperantiâ eſt laudabilior & illuſtrior, quia difficilior: difficilior, quia cum dolore & moleſtia maxime eſt conjuncta, & id, quod habet clariſſimum, & ſine quo cætera terrena bona nulla ſunt, in diſcrimen adducit: à temperantia, quæ voluptates, non omnes, ſed nimias tantum ſpernit, hæc moleſtia, præſertim tanta, longe abeſt. Difficiliora autem honeſtiora & majori laude digna cenſentur.

Quod ad intemperantiam & ignaviam attinet, licet majori bono majus malum opponi ſoleat, tamen Ariſtoteles ſtatuit, intemperantiam eſſe deteriorem ignavia, & majori reprehenſione dignam. Ratio una eſt, quia intemperantia ſit magis voluntaria quam ignavia; cujus ratio duplex. 1. Quia voluptas, in qua occupatur intemperantia, & quam appetit, eſt optabile quiddam; dolor, in quo timidus cernitur, fugiendum. At quorum objectum magis eſt expetendum, ea magis ſunt voluntaria, quam quorum objectum eſt fugiendum. Nam res expetendæ, utpote amicæ, & familiares naturæ noſtræ, ſenſum ſui minus acrem efficiunt: fugiendæ vero, utpote à quibus natura abhorret, acriorem. Itaque hæc majori vi & veluti neceſſitate ad ſui fugam compellunt naturam noſtram, quam illa ad ſui amorem & appetitionem. In quibus autem minor eſt vis, ea cum fiunt magis ſunt voluntaria. 2. Quia dolor ignaviæ objectum mentem de ſua ſede magis deturbat, & conſilium eripit, quam voluptas. Has autem res ob quas homines de poteſtate exeunt, minus voluntarias eſſe patet, cum ad voluntarium ſcientia requiratur, quæ nulla aut minor eſt in iis, quorum mens eſt prorſus turbata, quam in quibus contrarium accidit.

Altera ratio priori non abſimilis: quia temperantiæ habitum facilius eſt comparare, quam fortitudinis, ſeu facilius eſt aſſueſcere domandis voluptatibus, quod temperantiæ eſt, quam perferendis periculis & doloribus maximis, quod fortitudinis. At vitioſius eſt, non aſſueſcere virtuti faciliori, quam difficiliori.

Facilius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Facilius autem eſſe illud, quam hoc, duplici ratione probatur. 1. Quia voluptates iſtæ, in quibus temperantia, frequentiores ſunt, quam pericula & dolores, in quibus fortitudo. Quare temperantiæ exercendæ occaſio eſt frequentior, quam fortitudinis. Quorum autem occaſio frequentior, ea facilius addiſcuntur. 2. Quia voluptates domare periculo caret: contraria eſt fortitudinis ratio. Eſt tamen hoc loco diſcrimen obſervandum inter ignaviam & intemperantiam, quod ad voluntarii rationem attinet. Nam actiones quidem ipſæ, ex quibus ignaviæ habitus naſcitur, ſunt minus voluntariæ, quam ipſe habitus. Actiones enim ipſæ ſunt cum dolore conjunctæ, habitus vero ipſe dolore caret. Sed in intemperantia contrarium accidit. Actiones enim ejus quia cum voluptate ſunt conjunctæ, magis ſunt voluntariæ, quam habitus ipſe: hic enim voluptate caret.

Cap. XV.

De Manſuetudine & Clementia.

Fortitudinem recte ſequitur *Manſuetudo*, quæ illius quoddam frænum eſt: quia niſi iræ ſecundum manſuetudinis præſcriptum modereris, fortitudo in temeritatem inconſultam abibit, nec pro honeſtate pericula ſuſcipiet, ſed ut vindictæ cupiditatem expleat, quod à vera fortitudine eſt alienum.

Manſuetudo eſt virtus quæ in ira moderanda cernitur. *Ira* vero eſt cupiditas reponendi doloris, orta ex opinione injuriæ.

Eſt ergo *Manſuetudinis objectum* ſeu materia *Ira*: quo nomine complectimur etiam *odium*, quæ eſt ira inveterata, & inimicitias, ac diſcordiam, quatenus ea in nobis ipſis ſita eſt. Hæ enim ſunt ſpecies, vel potius gradus quidam iræ. Hoc ergo objectum eſt Manſuetudinis primum atque internum. Externum, & veluti ſecundarium, ſunt iræ effecta; quorum potiſſimum eſt ac proprium *vindicta*, ſive verbis, ſive factis peragatur. Circa quam etiam juſtitia verſatur, quatenus proportio & æqualitas inter delictum & vindictam ſeu pœnam eſt ſervanda. Manſuetudo circa illius appetitionem ſimpliciter, quam vel reprimit, vel minuit, ac temperat, adeoque etiam circa vindictam occupatur. Ideo autem vindictam proprium iræ effectum ſtatuimus, quia diximus iram eſſe cupiditatem reponendi doloris: hic dolor ſi reipſa reponatur, vindicta eſt. Unde alii iram affectum puniendi, eodem ſenſu definiunt; & Cicero, libidinem ſeu cupiditatem puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria.

Verum ut tum materiam hanc manſuetudinis rectius intelligamus, tum officia mediocritatem hujus virtutis ac formam explicantia commodius tradere poſſimus, aperienda eſt ambiguitas tum vocis iræ, tum vindictæ. Utrumque enim vocabulum nunc late, nunc ſtricte accipitur. Et ut à *vindicta* incipiamus, ea primum ſignificat omnem dolorem, quem quis reponit, ſeu incommodum, quo alterum afficit, ob acceptam ab eo injuriam, aut contemptum, ſive ſui, ſive alterius alicujus perſonæ, ſecum aliqua ratione conjunctæ, aut ſibi gratæ; ita ut caſtigationem etiam, licet moderatam, & quæ ad alterum emendandum pertineat, comprehendat. Interdum ſignificat iſtiuſmodi dolorem, aut incommodum, in quo id tantum ſpectatur, ut alteri male ſit, & ita animus noſter vindictæ illius cupiditate ardens, expleatur, ſive illud incommodum ſit par ei, quod ipſe tuliſti, ſive minus; ut ſi ei, qui oculum tibi excluſit, cures viciſſim oculum erui, aut ſaltem dentem excuti, quod eſt levius.

Ira itidem primo late extenditur, & pro qualibet cupiditate reponendi doloris accipitur, etiamſi tandem eo velit eſſe contenta, ut alterum facti pœniteat, & ſe dolere oſtendat, aut in caſtigatione, quæ alteri ſit utilis, acquieſcat. Deinde ſtricte ſumitur, pro cupiditate vindictæ poſteriori modo acceptæ. Verum etiam hæc ira duplex eſt, & veluti duos habet gradus, quorum alter imperfectior eſt, alter perfectior. Prior eſt, primus appetitus impetus, dolorem iſtum reponere ſuadens, etiamſi ratio non aſſentiatur, & vindictam illam reipſa repetendam non ſtatuat ac decernat, nec vindictæ illius cogitatione & imaginatione ſe oblectet. Poſterior eſt ira confirmatior, cui etiam ratio jam aſſentitur, & vel decretum de vindicta expetenda facit, vel in ipſa vindicta, veluti præſentem ſe ponens, ea cogitatione ſe oblectat. *Eſt enim vindicta malum vita jucundius ipſa*, ut vetus habet verſus à Græcis profectus.

Hæc *ira* poſteriori modo ſumpta, quemadmodum & *vindicta*, cujus eſt cupiditas, καθ' ἐξοχὴν ira aut vindicta appellatur, quia perfectione in ſuo genere eminet. In hac poſteriori ſignificatione accepta ira aut vindicta, non amplius objectum aut materia manſuetudinis, ſed ejus contrarium, ſeu actus iracundiæ, qui vitioſus eſt, dici debet. Jam enim exceſſum, ſeu id quod nimium eſt, complectitur. At in nimio mediocritas non eſt, nec in extremo medium. Extremum enim & medium opponuntur. Unde hæc ira & vindicta *carnis opera* in ſacris literis nominantur. Ira & vindicta, in lata ſignificatione accepta, virtutis hujus ſunt objectum, quia & nimium & parum & mediocre recipiunt. In eodem autem ſtrato medium & extrema verſantur. Non eſſe autem iram in univerſum vitioſam, ſed mediocritatis eſſe capacem, & virtutis imperio ſubjici poſſe, ſupra cum de affectibus egimus, eſt demonſtratum. Idem eſt ſtatuendum de vindicta late ſumpta, quæ ad repellenda noxia, & ad alios, præſertim eos qui nobis regendi ſunt traditi, emendandos, & ad frugem revocandos, eſt prope neceſſaria, & à Deo quoque, ſine perturbatione tamen, exercetur, à quo ad homines pervenit exemplum, ut ait Lactantius; qui videri poteſt in libro de Ira Dei. Hæc de materia hujus virtutis.

Nunc de *forma* eſt agendum, ſeu de mediocritate, quæ circa hoc objectum eſt ſervanda, quæ patebit, præſcriptis hujus virtutis officiis. De iis autem primo agemus generatim, poſtea paulo ſpecialius. Quod ſit generale hujus virtutis officium, tum circa iram, quæ eſt affectus in animo latens, tum circa vindictam, quæ eſt actio ex ira erumpens, ex iis, quæ jam diximus, facile patet. *Primo*: Ne unquam innocenti, licet fortaſſe cum eo, qui te tuoſve læſit, conjuncto iraſcaris, & tanquam injuriæ participem atque affinem tractare cupias. Quare nec patri innocenti propter filium, nec contra iraſci debes. *Secundo*: nunquam te ſinas abripi, vel ad iram ſtricte, & in perfectiori ſignificatione ſumptam, vel ad vindictam ſtricte ſumptam, ſive verbis, ſive aliis modis peragatur: ſeu, nunquam adeo efferaris ira, ut eum qui te læſit puniendum ſtatuas, aut re ipſa punias, eum tantum in finem ut ipſi male ſit, & tu cupiditatem tuam exſaties, ſive pœna illa delicto ſit par, ſive minor.

Sed quia præter illam quam diximus iram ac vindictam, ſunt etiam alia iræ ac vindictæ genera, in quibus peccari poteſt, ideo aliæ adhuc quædam hujus virtutis proprietates, ad illius perfectionem pertinentes, ſunt obſervandæ, quæ triplici vocabulo, in ſacris præſertim literis, ſolent exprimi. Ea ſunt μακροθυμία, πραότης, χρηστότης, Latine *longanimitas*, *lenitas* ſeu manſuetudo, & *benignitas*: quæ ſingula univerſam quidem hanc virtutem complecti poſſunt, ſed eorum quodlibet certam illius proprietatem magis exprimit, quæ tamen maxime ſunt obſervandæ adverſus eos, qui diviniori amicitia & ſocietate nobiſcum ſunt juncti.

1. *Longanimitas* requirit, ut quis tarde animo commoveatur, ac diu injurias ac moleſtias ferat, nec ad pœnam properet. 2. *Lenitas* duas proprietates complectitur, quarum prior eſt, ut ſi contingat aliquando ira commoveri, ne graviter aut vehementer iraſcaris; poſterior, ut illam facile deponas, ac remittas; tum per te ipſum, tum vero multo magis, ſi alterum delictorum pœniteat, ſi culpam deprecetur; quod poſterius placabilitatis nomine ſolemus exprimere. Hoc longanimitatis vocabulo non ita exprimitur: poteſt enim aliquis tarde iraſci, & tamen graviter ac diu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Unde illud, *læſa ſæpius patientia fit furor.* Sed facile tamen eſt eſſe etiam lenem, ſi ſis longanimus, & diu noris ferre injuriam aut moleſtiam. 3. Benignitas requirit, ut ei qui offendit, etiam benefacere ſtudeas, & non tantum non ulciſci cogites, aut ab eo animum geras prorſus alienum, ſed etiam ejus ſalutem quæras; ejus correctioni ſtudeas, ei humanum, comem, ac facilem, tum in vultu, tum in verbis te præbeas, eique, ubi opus eſt, benigna ſuccurrere dextra & opem ferre non detrectes, ejuſque injurias, aut etiam pertinaciam bonitate vincas. Hoc nec longanimitatis, nec lenitatis vocabulo ita aperte exprimitur. Quomodo autem quamfacilime hæc conſequi, & iram domare poſſis, infra docebimus, ubi remedia quædam iræ ponemus. Hæc de manſuetudine in genere dicta ſunto.

Ut in ſpecie de manſuetudine agamus, diſtinguenda ſunt ſubjecta, in quæ cadit manſuetudo. Nam vel aliquid regiminis & imperii in eos habent, quibus iraſcendi eſt occaſio, vel non habent: ſeu, manſuetudo vel eſt ſuperioris erga inferiorem, ac ſibi obnoxium; vel eſt paris erga parem, aut etiam inferioris erga ſuperiorem. Hæc poſterior commune *manſuetudinis* nomen retinet: prior ſpeciali nomine *clementia* appellatur. Unde à Latinis clementia definitur, *lenitas ſuperioris erga inferiorem*; à Græcis, πραότης τοῦ ἄρχοντος, ſeu manſuetudo Rectoris. Rectoris nomine omnem eum intelligimus, qui qualecunque imperium aut dominium in alios habet & exercet. Talis eſt in Univerſo Deus, in Republica magiſtratus, in bello Imperator, in domo paterfamilias, qui partim ingenuis in domo imperat, partim ſervis. Servorum reſpectu herus aut dominus dicitur. Ingenui ſunt uxor & liberi, aut qui liberorum ſunt inſtar. Illius maritus, horum pater eſt. Parentis vices in regimine gerunt tutores, propinqui & amici paterni, & in ſchola præceptor. Hi omnes puniendi & caſtigandi jus habent, ac poteſtatem, alii majorem, alii minorem, pro ratione imperii ac regiminis quod habent. Quo autem majus eſt cujuſque imperium, & gravius puniendi poteſtas, tanto magis clementiæ nomen ejus manſuetudini tribuitur. Unde quia præceptorum ac tutorum poteſtas maxime eſt limitata, & vicaria tantum paternæ, manſuetudo illorum vel in pupillos, vel in diſcipulos clementia vix dici debet. Maxime autem Dei manſuetudini competit, cujus poteſtas eſt maxima & ſumma: tum ſummo in qualibet Republica magiſtratui, tum inferioribus, & ſic deinceps.

Primo ergo de clementia Rectoris dicendum eſt, ſed generatim tantum: ſpeciatim ea perſequi, majoris eſt operæ, nec noſtri inſtituti. De Dei clementia nihil dicimus, qui ipſe ſibi lex eſt, & leges non accipit, ſed dat. Qualis autem ea ſit, ex ſacris literis eſt cognoſcendum. Quod ad humanam clementiam attinet; quia ipſi etiam Rectores duplici ratione conſiderari poſſunt, partim reſpectu eorum, quibus præſunt, partim reſpectu aliorum, in quos nullum habent imperium, ut Princeps reſpectu alterius Principis, aut alienorum ſubditorum; hoc poſteriori modo conſiderati, privatorum quodammodo perſonam induunt, & clementiam non exercent proprie, niſi forte magnum ſit inter eos, & alios, qui offendere viſi ſunt, dignitatis diſcrimen. Quare hac ratione privatorum leges quodammodo ſequuntur. Dico quodammodo; quia quatenus iis privatim læſis imperii dignitas & poteſtas eorum aliqua ratione minuitur, quam tamen ſartam tectam, etiam ad ordinem communitatis cui præſunt conſervandum, multum intereſt, eatenus paulo alia eſt eorum ratio.

Cum conſiderantur qua Rectores, duplicia ipſis ſunt obſervanda *clementiæ* præcepta: quorum altera ad *pœnæ remiſſionem* pertinent; altera ad moderatam *pœnarum inflictionem.* In condonatione pœnæ ad hæc ſequentia attendere debent.

1. Spectandum eſt ipſius delicti genus, ſeu peccati per ſe conſiderati gravitas, aut levitas. Levioribus enim facilius dari poteſt venia, quam gravioribus, cæteris paribus.

2. Spectandum eſt, an ex imprudentia aut imbecillitate quadam, hominibus familiari, delicta fuerint profecta. Qua in re ætatis, judicii, virium, occaſionis, avocamentorum & irritamentorum, quæ nunc majora ſunt, nunc minora, diligens habenda eſt ratio. Imprudentia enim & imbecillitas, delictum elevant aut migitant.

3. Spectanda eſt anteacta vita. Nam qui rarius & minus graviter peccarunt, iis vel condonanda eſt culpa, vel ſaltem mitius cum iis quam cum aliis eſt agendum.

4. Ratio habenda eſt reſipiſcentiæ, ac doloris factum conſequentis. Nam ii qui graviter dolent factum, contumaces non ſunt, & dolor illis inſtar pœnæ eſt. Obſervandum tamen eſt, ne impunitate, ut fit, vel is ipſe qui deliquit, vel alii fiant deteriores.

Præcepta clementiæ in pœnarum inflictione Rectori ſpectanda, hæc ſunt. 1. Ut nonniſi eos puniat, qui meriti ſunt, nec ultra meritum. Quod præceptum etiam ad juſtitiam pertinet.

2. Ut non niſi eos puniat, qui vel contumaces ſunt ac refractarii: vel aliis ad facinora fuerunt auctores: vel impunitate deteriores poſſunt fieri: vel quorum impunitate alii corrumpi poſſent: vel denique cum invidioſum foret punienti, illis prorſus ignoſcere, aliis pœnæ ſubjectis. Potiſſimum autem puniendi ſunt contumaces, & anteſignani ſcelerum, qui imperium aut leges contemnunt, ordinem bonum in ſocietate turbant, & diſciplinæ nervum convellunt. Contumacia autem vel proditur aperte, contemtu imperii, qui verbis aut factis declaratur: vel ex his potiſſimum indiciis colligitur. 1. ex eo, quod quis idem delictum ſæpius, præſertim monitus, iteret. 2. Quod ſciens prudens, ſpretis admonitionibus, minis, caſtigationibus præcedentibus, multiſque aliis quæ eum à peccato dehortari poſſunt, aliquid admittat, præſertim grave, ac ſæpius idem repetat. 3. Quod dolor & reſipiſcentia delictum, etiam poſt admonitiones & objurgationes, non conſequatur.

3. In pœna infligenda obſervandum eſt, ne is, qui punit, alterius pœna per ſe delectetur, aut ullam ex ea ſe capere voluptatem oſtendat. Dico *per ſe*: quia ſi vel is ipſe, qui caſtigatus eſt, vel alii inde corrigantur, pœna per accidens gaudere poteſt. Ideoque, ſi fieri commode poſſit, per alium eam potius quam per ſe ipſum exſequatur, ac ne ſpectet quidem.

4. Acerbitas ac contumelia, quam coërcendorum delictorum ratio non omnino poſtulat, abſit à pœna. Quod fiet, ſi ea infra delicti meritum ſubſiſtat; (quod in gravioribus pœnarum generibus ſemper eſt obſervandum,) & ei, qui pœnam ſuſtinet, non inſultetur adhuc & illudatur: id enim grave eſt admodum, & ab humanitate alienum.

5. In pœna non eſt eouſque progrediendum, ut is, qui punitur, corrigi amplius, aut neceſſariis laboribus ſupereſſe nequeat. Et in univerſum, magis νουθεσίᾳ, hoc eſt, caſtigatione, quam παραδείγματι, hoc eſt, exemplo eſt utendum.

6. Danda eſt etiam opera, ut cum multi ſimul peccarunt, metus ad omnes perveniat, pœna ad paucos; præſertim ſi ea ſit gravis, aut difficilis. Sæpe enim multitudinem punire eſt difficile. Puniendi autem ii ſunt potiſſimum, qui facinoris fuerunt auctores, ac hortatores; cum reliquis agendum mitius.

7. Non ſunt, quoad ejus fieri poteſt, animi pœna irritandi, ne fiant deteriores qui eam ſuſtinent. Hoc autem fiet, ſi prius verbis oſtenderis eos juſte puniri. Nec enim iraſcimur, cum quid juſte pati nos credimus, ſed cum injuſte, aut gravius quam conveniebat, ut ex iræ definitione patet. vide Ariſtotelem 2 Rhet. cap. 3.

8. Etiam huc pertinet, ne Rector in pœna, ſui, aut privatæ utilitatis, habeat rationem, ſed vel totius communitatis, cui præeſt, vel ejus, qui caſtigatur. Sui eatenus tantum rationem habere debet, quatenus, niſi ipſius auctoritas ſalva ſit, ordo in communitate facile ſit collapſurus. Herus tamen, aut paterfamilias,

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

etiam utilitatis & rei familiaris, quæ alias concideret, rationem in puniendis ſervis ac domeſticis habere poteſt.

Quod ad eos attinet, qui imperium in alios non habent, ii duplici ratione manſuetudine poſſunt uti, vel erga ſuperiores ac Rectores ſuos, vel erga pares, aut eos quibus nullo modo ſunt ſubjecti, licet tandem ſint dignitate ſuperiores.

Adverſus ſuperiores præter generalia jam tradita præcepta, hæc etiam manſuetus obſervet. 1. Ne, ſi forte injuriam inferre cogitent, vi illis unquam reſiſtat; ſed vel jure ſe tueatur, vel precibus, tum ſuis, tum alienis, injuriam avertat; vel fuga aliave honeſta arte declinet; vel tandem ſi omnibus mediis adhibitis declinare non poſſit, patienter ferat. 2. Illatam jam injuriam ne vindicet; ſed ſi poſſit, reſtitutionem damni legitimis mediis requirat, & de futura ſecuritate, atque ab injuriis immunitate caveri ſibi poſtulet. 3. Ne ira facile commoveatur erga ſuperiores, etiam ea, quæ in pares aut inferiores licita eſt, eamque nec ſermonibus, nec vultu præferat. Sed in Magiſtratibus omnibuſque ſuperioribus, ſupremi Numinis, quæ in iis nunc clarius, nunc obſcurius, pro imperii ac poteſtatis gradu relucet, imaginem revereatur. In primis vero parentibus, aut iis, qui parentum loco ſunt, quique plurimis ipſum beneficiis cumularunt, iraſci caveat. Unde Cicero pro Cluent. Non modo reticere parentum injuriam, ſed etiam æquo animo ferre oportet. Et pro Sexto Roſcio Amer. dicit, pietatem in parentes ſæpe vultu lædi. 4. Tandem & hoc peculiariter notandum eſt, quando cum iis agitur qui imperium habent, præſertim magnum, licet non in nos ipſos, ut majori adverſus illos, cum de injuriis agitur, utamur reverentia, quam adverſus privatos quoſcunque. Nam in alieno etiam Principe divini imperii imago eſt ſuſpicienda.

Quod ad pares attinet, ne in manſuetudinem peccetur duplex tempus eſt obſervandum, nempe ante injuriam, & poſt illatam injuriam.

Ante injuriam illatam, 1. Ubi res patitur, jure potius, quam vi agendum eſt, & declinanda potius injuria, quam durioribus modis repellenda. 2. Si aliter tutus eſſe nequeas, & res ita ferat, Magiſtratus auxilium adverſus eum, qui injuriam inferre conatur, implorare licet, ut vi etiam coërceat hominem, & impediat ne injuriam inferat, imo in quibuſdam injuriæ generibus decet. Cavendum tamen eſt, ne vindicaſſe te jam videaris, & ne forte gravius malum, aut etiam ei par, quod tu fuiſſes perpeſſurus, incurrat is, quem ad magiſtratum defers. Nihil enim hic quæri debet aliud, quam ut ab injuria ſis liber, aut etiam alii, quibus idem eſſet metuendum, niſi improbi coërcerentur. 3. Si Magiſtratus opem implorare locus aut tempus non permittat, injuria tamen cogitata ſit intolerabilis, ad eam arcendam poſſumus etiam iis modis uti, qui aliquid violenti, aut duritiei contineant; ea tamen ratione, qua modo dictum eſt, ut longe minus ad illum, qui injuriam vult facere, mali redeat, quam ex ejus facto ad nos rediiſſet, & ipſe interim nec ad correctionem, nec ad victum labore parandum reddatur inutilis. Qui enim id facit, is vel par pari refert, vel id quod injuria, quam metuebat, gravius eſt, & vel vitam aufert, vel id quod ad vitam producendam quodammodo pertinet.

Poſt injuriam illatam, 1. Reſtitutionem damni legitimis modis, etiam per Magiſtratum, licet requirere: ſi modo caveatur, ne is, qui læſit, pœnam ejuſmodi ſimul incurrat, quæ vindictæ ſit loco: quod faciunt illi, qui id tantum quærunt, ut ei, qui injuriam intulit, viciſſim ſit male. 2. Pœnam læſus poſtulare non debet, niſi emendandi ejus cauſa, qui peccavit, aut ſecuritatis publicæ privatæque gratia; iis præterea obſervatis, quæ de pœnarum inflictione ſupra docuimus. Id tamen à Magiſtratu potius fieri debet, aut ſaltem ab aliis privatis, quam ab ipſo læſo, ne vindictæ cupidus eſſe videatur, aut etiam revera ſit, ſuoque affectui publicæ utilitatis ſtudium prætexat, ut fere accidit.

Hæc de medio. Sequuntur *extrema*, quorum illud, quod nimium eſt, *iracundia* dicitur; &, ſi in ipſa etiam vindicta modum, ut fere fit, ubi vires adſunt, ſuperet, *immanitas* ac *crudelitas* appellatur. Eſt autem iracundia vitium, in ira modum ſuperans. Quod quinque potiſſimum modis committitur. 1. Cum quis iraſcitur iis quibus non debet, ut parentibus, aut aliis, qui ſingulari ratione benefecerunt. 2. Cum iraſcitur eas ob cauſas ob quas non debet, quod fit cum vel nullæ ſunt cauſæ juſtæ, ut cum quis recte reprehenſus aut caſtigatus, ab iis qui ejus rei poteſtatem habent, iraſcitur; vel cauſæ ſunt leviores, quod contingit iis qui muſcis prætervolantibus, aut ſomnum impedientibus, rebuſque inanimis iraſcuntur. 3. Cum quis gravius aut diutius, quam par eſt, iraſcitur. 4. Cum ſe ſe vindicat, eo vindictæ genere quod ſupra diximus etiam per ſe illicitum. Et hic proprie locum habet *Crudelitas*. Solent autem iracundi non tantum factis, ſed etiam verbis contumelioſis ac convitiis, maxime ii, qui ſunt imbecilliores, ut mulieres, ſe ſe ulciſci. 5. Locus etiam & tempus, & perſonæ quæ adſunt, aliquid hîc habent ponderis. Turpius enim eſt in templo, verbi gratia, cum res ſacra tractatur, iraſci, quam alibi, & publice magis quam privatim, & in convivio aut præſentibus viris magnis, aliiſve, quos revereri debemus, magis quam cum facta eorum, qui nobis ſubſunt, examinantur, ac judicantur.

Vix autem fieri poteſt, ut in uno omnes hujus vitii modi concurrant. Malum enim ejuſmodi, qualis eſt nimia ira, quæ furor brevis recte dicitur, & ab inſania, ut Cato dicebat, tempore tantum diſtinguitur, per ſe perdendi & interimendi vim habet, cum ſit cum dolore conjuncta, & quanto major eſt ira, tanto major ſit dolor: dolor autem naturæ inimicus eſt, & eam deſtruit: unde videmus, in graves ſæpe & acutos morbos incidere iracundos. Quod ſi quævis iracundia tantam vim habet, certe ſi omnis illius vis in eodem homine concurrat, & omnibus modis nimia ſit, prorſus fuerit intolerabilis.

Iracundorum quatuor ab Ariſtotele conſtituuntur genera: quanquam plura conſtitui poſſunt; ſed iſta inter cætera eminent. *Primi generis* communi nomine *Iracundi* appellantur, qui quamvis ob cauſam, & quibuſvis, tum celerius quam oportet, tum gravius & vehementius iraſcuntur; verum celeriter etiam iraſci deſinunt: quod fit quia illi iram non celant, aut continent ſed effundunt ſtatim, & veluti foras ejiciunt; id quod in his hominibus optimum eſt. *Secundum genus* conſtituunt ii, qui ἀκρόχολοι Græcis appellantur, quaſi flava bile ſeu felle admodum perciti; (flavæ enim bilis copia iracundos reddit) qui non modo quibuſvis, quaſvis ob cauſas, celeriter ac vehementer iraſcuntur, ſed celerrime ac vehementiſſime inardeſcunt. Sed & horum ira celerius deferveſcit. *Tertium genus* conſtituunt ii, qui πικροὶ, acerbi, dicuntur, qui ſunt implacabiles, & ægre deſinunt iraſci. Iram enim non ut priores, ſtatim effundunt, ſed comprimunt ac continent. Unde iſtiuſmodi homines, tum ſibi tum aliis ſunt moleſtiſſimi. Hujus autem rei hæc eſt cauſa, quia illi non niſi vindicta, aut oblivione injuriæ iram deponunt. Atqui ad vindictæ occaſionem, aut ad concoctionem injuriæ per oblivionem, longiori eſt opus tempore. Si dixeris amicorum ſuaſionibus ac conſiliis eos placari poſſe, falleris: homines enim ejuſmodi tectæ & reconditæ ſunt naturæ, nec priorum more iram in fronte ſcriptam gerunt, ſed eam occultant, vindictæ occaſionem quærentes. *Quartum genus* faciunt χαλεποὶ, difficiles ſeu ἄγριοι, feri, ſævi, atroces atque immanes, qui ex tribus prioribus propemodum ſunt conflati. Quibuſvis enim de cauſis iraſcuntur, & graviter, ut primi & ſecundi, & diutius quam oportet, ac difficillime placantur, ut tertii, & non niſi vindicta ſedantur. Diuturnitate differunt à primis & ſecundis: à tertiis eo, quod illorum ira ex cauſa idonea fere naſcitur, & interdum temporis longinquitate concoquitur. Horum autem immanium ira ex quavis cauſa oritur, nec niſi vindicta ſedari poteſt. Et hi ſunt omnium peſſimi.

Cauſæ autem *iræ* ſunt duplices, internæ & externæ. *Internæ* ſunt tres: 1. *Temperamentum* ac diſpoſitio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

corporis, tum naturalis, tum accerſita: ita calidi ac ſicci natura & bilioſi facile iraſcuntur; & ebrii, & qui eſuriunt, aut ſitiunt, aut diu vigilarunt. 2. Eſt *imbecillitas*, ut videre eſt in ſenibus, mulieribus, pueris, ægrotis, & convaleſcere incipientibus. 3. *Conſuetudo*, quæ maximam vim habet. *Externæ* cauſæ ſunt, omnia quæ contemptum aliquem noſtri, aut eorum, qui nobis ſunt conjuncti, aut quibus aliqua ratione favemus, præ ſe ferunt: ſuntque omnes injuriæ ac contumeliæ, & omnia quæ deſideriis noſtris, præſertim vehementioribus, obſtant. Unde, ut ait Plutarchus, avarus maxime iraſcitur œconomo rem familiarem negligentius curanti, & delicatus ac guloſus coquo, & gloriæ cupidus contumelia afficienti, &c. Unde etiam brutis aut inanimatis iraſcimur, cum cupiditati noſtræ obſtant, ut equo tardiori, cum properare, & calamo malo, cum ſcribere, & muſcis obſtrepentibus, cum dormire volumus.

Iracundiæ remedia ſunt; *primum* ac præcipuum, ut cogites, quantopere ipſe in Deum deliqueris, & quantum tibi ab ipſo ſit condonatum, aut condonari tibi velis. Indignus enim eſt miſericordia divina, qui homo homini eam negat.

Secundum: Ut cogites, numquid ipſe tale quid in alios deliqueris, aut delinquere poſſis, adeoque imbecillitatem tuam agnoſcens, non tantopere in lapſos ſævias. Æquum enim eſt, ut qui ſibi velit ignoſci, ignoſcat aliis; & quod ſibi nolit fieri, alteri ne fecerit; atque ab altero expectet, alteri quod fecerit. Æquumque eſt, ut quod quiſque juris in alterum conſtituerit, eo ipſe utatur.

Tertium: Utile eſt, quam ſæpiſſime, cum animo pacato ſumus, de iræ turpitudine, & graviſſimis, quæ ex ea, vel ad nos vel ad alios redeunt damnis & incommodis, cogitare. Ex ea autem oriuntur rixæ, contumeliæ, injuriæ, inimicitiæ, cædes, bella, familiarum, civitatum, regnorum interitus, ac vaſtationes. Quicquid amicitia parit boni, vel nobis vel aliis, id ira perdit. Vide Senec. de Ira lib. 1. c. 2. eamque æternus conſequitur interitus. Contra cogitandum, quam honeſtum ac glorioſum ſit, non iraſci, & patienter ferre injurias. Nihil pulchrius eſt, inquit Philemon, quam conviciantem ferre. Nam conviciator, ſeipſum conviciatur, cum is quem conviciatur, id non agnoſcit.

Quartum: Conſiderare, quam ſæpe ſit utilius ignoſcere, quam ulciſci, partim nobis, partim aliis. Nobis; quia non ſemper eſt verum illud, *Veterem ferendo injuriam, invitas novam*; imo ulciſcendo, ſæpe provocas, ferendo autem, & beneficium ſuperaddendo ei occurris, cum hominem tibi devincis; atque ita, *veterem ferendo injuriam vitas novam*. Hinc ſacræ literæ; *Quis eſt qui vobis ſit incommodaturus, ſi bonum ſtrenue ſectemini?* quod tamen apud eos, qui non ſunt prorſus improbi ac degeneres, adeoque bonitate vinci poſſunt, locum habet: hinc monemur, ne malum pro malo reddamus, ſed potius bono vincamus malum. Et hoc ulciſcendi diviniſſimum genus nobis eædem ſacræ literæ monſtrant, ut eſurienti inimico cibum, ſitienti potum præbeamus: hoc pacto futurum, ut ea res illum vehementer urat, ac pudefaciat. Quod ſi ſecus accidat, apud Deum tamen nos manet præmium. Patet ex dictis, etiam aliis eſſe id utile, non modo quod damnum non ſentiunt, ſed etiam quod conſtanti noſtra lenitate pudefieri ac vinci poſſunt, & virtutem noſtram admirari, ejuſque cauſam quæ eſt divina veritas indagare, noſque ipſos amare incipientes, ad frugem reduci queunt. Huc ex profanis etiam adduci poteſt exemplum Lycurgi, qui juvenem eum, qui oculum ipſi effoderat, ſibi deditum, humaniſſime tractavit, & non modo ſibi devinxit, ſed etiam optimum virum effecit; qua de re Plutarchus in ejus vita.

Quintum: Conſiderare levitatem cauſarum, quæ nonnunquam iram excitant. Frivolis enim & inanibus turbamur. Taurum, inquit Seneca, color rubicundus excitat, ad umbras aſpis exurgit, urſos leoneſque mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternantur ad minima. Idem inquietis ac ſtolidis ingeniis evenit, rerum ſuſpicione feriuntur.

Sextum: Nihil externorum & caducorum bonorum, quæ ab aliis eripi nobis poſſunt, nimis appetere; nihil nimis ſperare, nihil nimis amare, & de eo retinendo anxium eſſe. Qui enim aliquid non admodum deſiderat, nec ſperat, etiamſi eo excidat, non tantopere dolet, aut iis per quos id factum eſt iraſcitur: eodem modo ſi quis non nimis rem amet, aut de ea retinenda laboret.

Septimum: Fugiendæ ſunt irarum occaſiones, & cauſæ præcidendæ, iis præſertim, qui id quod modo diximus, nondum ſatis didicerunt. Auguſtus vaſa vitrea, affabre facta, dono ſibi data, cum metueret, ne ſi à ſervis aliquando frangerentur, iis vehementius iraſceretur, juſſit comminui. Quanquam ſatius fuiſſet, animum ita componere, ne rei jactura tantopere doleret, vel ea amico minus iracundo dare, aut alteri cuipiam, qui in commodum ſuum potuiſſet redigere. Fugiendi etiam ſunt, qui nos ad iram poſſunt invitare, ut contentioſi, moroſi, ſuperbi, agreſtes & ſimiles.

Octavum: Mora eſt adhibenda, antequam ad caſtigandum, imo ſi te affectus vehementior imprudentem occupaverit, etiam antequam ad loquendum aut judicandum accedas. Ad pœnitendum properat, qui iratus quippiam facit. Quæ enim iratus facit, peccat, dixit olim Menander. *Ira viri juſticiam Dei non operatur*, dixit Jacobus. Itaque & ad loquendum & ad iram nos vult eſſe tardos. Iram tempus minuit. Auguſto conſilium datum eſt ab Athenodoro Philoſopho, ut Alphabetum Græcum iratus, antequam quid proloqueretur, memoria repeteret. Chriſtiano dicere poſſes ut precationem dominicam mente percurrat. Non enim mora tantum intercedet, quæ iram franget aliquantulum, ſed etiam id occurret, quod vindictæ cupiditatem delere ex animo poſſit. Verum etiam poſt illud tempus, quo iræ impetus aliquantum reſedit, danda eſt opera, ut injuriæ memoriam obliteres, & veſtigia etiam illius & ſigna, quoad ejus fieri poteſt, deleas. Nam in univerſum verum eſt vetus illud verbum, *injuriarum remedium eſt oblivio*. Turpe autem eſt expectare, donec ipſum tempus oblivionem inducat. Virtute enim fieri debet, quod tempus etiam ſtultis & iracundis concedit.

Nonum: Conſideranda exempla magnorum virorum, & dicta ſapientum, quæ iram frænari poſſe ac debere oſtendunt. Dicta ſapientum ubique occurrunt. Inter alia innumera eſt illud Horatii:

Ira furor brevis eſt: animum rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Exempla partim ex ſacris peti poſſunt, partim ex profanis. Inter ſacra excellit Chriſti exemplum, qui in cruce pendens, & maxima tormenta ſuſtinens, pro iis, qui ipſum cruci affixerant, oravit. Quem ſecutus eſt Stephanus protomartyr, & alii Apoſtoli. Ex profanis antea recenſuimus exemplum Lycurgi. Socrates percutienti non eſt iratus, & amicis ut eum in jus vocaret monentibus, reſpondit: An ſi equus aut mulus me calce percuſſiſſet, ei iraſcerer? Quanquam hæc ratio Socratis non apud omnes valet. Multi enim equis aut mulis iraſcuntur, ut antea dictum. Pericles non eſt indignatus convicianti, ſed eum comiter à ſervo domum juſſit deduci. Philippus cum liberius in eum invectus eſſet Demochares Athenienſium legatus, nil commotus, dixit: Ite, annunciate Athenienſibus, multo ſuperbiores eſſe qui iſta dicunt, quam qui impune dicta audiunt. Antigonus ducibus & militibus ipſum audientem conviciantibus: Longe, inquit, diſcedite, ne vos Rex audiat. Idem: Maledicite Antigono, ſed tamen bene precamini ei qui vos audivit. Cato tulit, cum ei cauſam agenti Lentulus in os mediamque frontem, quantum potuit attracta pingui ſaliva, inſpuit. Cæſar ignovit iis, qui contra ſe arma tulerant. Et Catullo, qui verſibus in eum ſcriptis vehementer læſerat.

Decimum: Socrates remedium iræ ſpeculum dixit. Iræ enim deformitatem in facie apparentem ab ea nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dehortaturam putavit: monet enim quemque aſpectus ſui. Sic Minervam tibias inflantem, cum ſuam in aqua imaginem, & tumentium buccarum deformitatem vidiſſet, tibias ajunt abjeciſſe. Verum id remedium nec ubivis locum habet, nec niſi ad iram nimium exæſtuantem ſpectare videtur; in qua, ut ait Seneca, flagrant ac micant oculi, multus in ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli; & quæ ſequuntur: libr. 1 de Ira: ac præterea, qui eo animo, ut iram ponat, ſpeculum quærit ac inſpicit, jam non videtur iratus, vel ſaltem in ipſo ira tam vehemens jam reſedit. Poſſunt etiam quædam ex medicina peti, cum iracundia ex temperamento pendet: inprimis autem fugiendus eſt cibus ac potus qui nimium calefacit. Hæc de iracundia, altero Manſuetudinis extremo, quod in exceſſu peccat.

Sequitur alterum extremum, quod in defectu; quod quia rariſſimum eſt, nomen vulgo non invenit. Ariſtoteles ἀοργησίαν vocat; q. d. iræ vacuitatem, nos *lentitudinem* appellare poſſumus, quæ eſt vitium in ira modum deſerens. In eo enim qui ejuſmodi vitio laborat, lentius, quam virum honeſti amantem & generoſi pectoris deceat, animus attollitur, aut ira ea, quam prope neceſſariam, ad recti ordinis conſervationem diximus, incitatur, adeoque nec admodum curat, ut caſtigatione aut pœna flagitiis occurrat, aut injurias à ſe & ſuis, licet jure poſſet, depellat: id quod eſt hominum ingenii ſervilis & abjecti. Talis foret, qui cum homines improbi omnia in Republica per ſummum ſcelus miſcerent, aut ſervus aliquis ipſius uxorem liberoſque violaret, ac denique occideret, homines improbiſſimi optimos bonis omnibus per ſummam injuriam exuerent, eos omnibus modis inſectarentur, vita tandem per ſummos cruciatus privarent, ſine animi commotione hæc poſſet aſpicere. Unde patet nonnunquam ipſum honeſtatis amorem iræ cauſam eſſe, & eam non tantum noſtri ipſorum injuriarum ſenſu, ſed nonnunquam à ratione excitari, Dei mandatis violatis, aut viris bonis injuriâ affectis. Talis fuit aliquando ira in Domino Jeſu, qui cum inimicorum ſuorum obſtinatam animi malitiam & pertinaciam, qua ducti verum fateri nolebant, cerneret, eos cum ira aſpexiſſe dicitur. In Deum enim erant injurii.

Audit interdum ira rationem, ſed ſæpe parum attendit. Similis enim eſt, ut ait Ariſtoteles, canibus, qui cum aliquis fores pulſat ſtatim latrant, non cognito prius an amicus ac domeſticus ſit is, qui pulſat, necne. Similis etiam ſervulis præproperis, qui priuſquam domini mandata penitus exaudierint, & ejus mentem recte perceperint, ad ea exſequenda proſiliunt, & ſæpe poſtmodum peccant, nec ea quæ juſſi erant, agunt, ſed alia. Sic ira, ubi ratio dixerit, te contumelia aut injuria affectum, ſtatim excitatur, & ad vindictæ cupiditatem appetitus proſilit, non ſecus atque ſi ratio etiam dixiſſet, injuriam illam eſſe vindicandam, quod tamen nondum dixerat. Sæpe etiam cum res noſtras non ex animi voluntate offendimus, aliquid ablatum aut confractum videmus, iraſcimur; vel ſervum vel hominem alienum ea abſtuliſſe, aut data opera aliquid contuſum credentes: at ubi cognoſcimus, vel caſu quid fractum, vel ab amico chariſſimo, aut eo qui re illa valde indigebat, eam ablatam, ira deferveſcit. Ex quo tamen ipſo patet, à ratione poſſe regi iram, cum re à ratione recte cognita reſideat. Et omnino ubi ratio prorſus perſuadet, nos nil præter meritum aut decorum paſſos, etiamſi paſſi ſimus graviſſima, non excitatur. Hæc de extremo altero.

Nunc ea inter ſe ſunt comparanda. *Iracundia* magis *manſuetudini* adverſatur, quam *lentitudo*. Ratio, cum de Mediocritate ageremus in genere, eſt allata: 1. quia ira eſt affectus ſua natura vehemens, & magis reprimendus, quam excitandus. Quare manſuetudinis eſt, ab eo quod nimium eſt, magis recedere, propius accedere ad id, quod parum eſt. 2. Quia natura ſumus ad eam proniores. 3. Unde ſequitur, eam etiam eſſe frequentiorem. 4. Quia eſt damnoſior, & ſocietati humanæ infeſtior. Certe cum iracundis tertii ac quarti generis nulla vera aut conſtans vitæ ſocietas & communio ſervari poteſt.

Cap. XVI.

De Juſtitia tum univerſali tum particulari.

Juſtitiæ vox in Politicis ſignificat virtutem, qua præſtamus ea quæ alteri debentur. Deberi autem dico illa, ad quæ facienda quiſpiam ita eſt obſtrictus, ut, ſi ea non præſtet, civili jure adverſus eum agi poſſit. Sed ut diſtinctius de ea agamus, obſervandum eſt vocem hanc *Juſtitiæ* veluti mediam inter homonyma & ſynonyma naturam obtinere, & de utriſque aliquid participare: qualia Ariſtoteles homonyma vicina vocat, ad differentiam eorum, quorum ſignificationes longiſſime à ſe mutuo diſtant, ita ut à quovis dignoſci facile poſſint; quale eſt Taurus, quod nunc animal brutum, nunc Philoſophum, nunc montem, nunc aſtrum ſignificat, quæ longe à ſe mutuo diſtant. *Homonyma* eſt juſtitiæ vox, quia nunc totum, nunc partem quandam denotat. Nunc enim virtutem univerſam, quatenus ad alterum refertur, ſignificat, quam *juſtitiam univerſalem* appellamus: nunc virtutem, quæ æqualitatem in fortunæ bonis vel diſtribuendis vel commutandis ſervat; quam *juſtitiam particularem* appellamus. *Synonyma* quodam modo eſt: quia utraque ſignificatio juſtitiæ in communi quadam natura aut ratione convenit. Utraque enim eſt virtus adverſus alterum, ſeu virtus ſuum cuique tribuens; Univerſalis quidem ſimpliciter, Particularis vero in certis tantum rebus. Talis homonymia vel ſynonymia non raró concurrit, ut cum eodem nomine & genus & ſpeciem, vel ſpeciem & individuum nominamus. Diſpoſitionem ſeu diatheſin interdum habitus genus facimus, & pro quavis qualitate actionibus contracta ponimus, ſive perfecta ſit, ſive imperfecta: interdum habitui opponimus, & pro qualitate nondum plene contracta ponimus. Anthropos commune omnium hominum nomen eſt: ſed quidam athleta, qui Olympia vicerat, hoc nomine peculiariter fuit appellatus. Cognatorum nomen generale eſt, & tum iis, qui per virilis ſexus cognationem conjunguntur, qui alias ſpecialius agnati appellantur, tum iis, qui per fæminas colligantur, convenit: interdum tamen ſpecialiter iis, qui per fæminei ſexus conſanguinitatem junguntur, tribuitur.

Duplicem autem hanc eſſe Juſtitiæ ſignificationem, ex contraria voce *injuſtitiæ* patet. Contrariorum vero eadem ratio eſſe ſolet. Partim enim *injuſtus* dicitur qui legibus non paret, adeoque nec alteri ſuum tribuit: partim is ſpeciatim qui ſibi plus, quam par eſt ſumit, nec æqualitatem ſervat; quorum ille latius extenditur, quam hic: quicunque enim æqualitatem non ſervat, legibus etiam non obtemperat, ſed non contra. Ille Græcis παράνομος, hic πλεονέκτης dicitur. Quod ſi injuſtus iſtis duobus modis dicitur, Juſtus etiam partim is erit, qui legibus obtemperat, partim is, qui ſervat æqualitatem. Si autem Juſtus duobus modis dicitur, etiam juſtitia. Eadem enim vocis abſtractæ & concretæ, eadem habitus & ejus qui habitu eſt prædıtus, ratio eſt. Eſſe autem *Paranomiam* à *Pleonexia* diſtinctam, patet: quia ſi plane eſſent eadem, quicquid referretur ad unum, etiam ad alterum referretur. At omnia vitiorum omnium facta, quæ ad alterum pertinent, referuntur ad Paranomiam, non omnia ad Pleonexiam; quia non omnis, qui aliquid in leges committit per ignaviam, libidinem, iracundiam, plus ſibi ſumit, imo ſæpe multum impendit ac perdit, ac proinde Pleonectes dici non poteſt. Accedit, quod licet cæteros omnes, qui aliquid adverſus leges committunt, injuſtos dicamus, peculiari tamen ratione eos hoc nomine inſignire ſoleamus, qui aliis non tribuunt ea bona externa, quæ illis debentur, ſed plus, quam ſibi debeatur, de communibus bonis ſumunt, aut alios quacunque ratione defraudant; id quod πλεονεξίας eſt. Unde apparet peculiari ratione pleonexiam injuſtitiæ nomen ſibi vendicare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sed dilata in poſtriorem locum juſtitiæ particularis, quæ Pleonexiæ opponitur, tractatione, de *Univerſali juſtitia* nunc eſt agendum. Ea eſt virtus omnia ea præſtans quæ legibus à vera prudentia profectis ſunt conſtituta. Itaque non quibuſvis indiſcriminatim legibus obtemperare tenetur, ſed iis ſolum quæ à vera prudentia, quæ à recto honeſtoque nunquam diſcedit, ſunt profectæ. Legibus enim inhoneſta præcipientibus obtemperare minime juſtum eſt. Cum vero leges à prudentia profectæ omnia virtutum officia, quæ ſpectant ad alios, ſive publice, ſive privatim, complectantur; (leges enim tum incolumitatem totius Reipublicæ, & eorum quibus Reipublicæ ſalus maxime nititur, quales ſunt magiſtratus, tum etiam privatorum ſecuritatem & incolumitatem ſancire ac munire conantur:) ideo Juſtitia univerſalis, omnia, quæ alteri jure debentur, præſtat, & omnes virtutes quodammodo complectitur, imo cum virtute univerſa re eſt eadem, ratione tantum differt: quatenus enim habitus quidam eſt & animi perfectio, virtus dicitur: quatenus ad alterum refertur, juſtitia. Hinc Theognis dixit:

Juſtitia in ſe ſe virtutem amplectitur omnem.

Præſcribere autem leges à Prudentia profectas, non unius, ſed omnium virtutum officia, patet. Nam & temperantiæ officia præſcribunt, ne quis adulterium committat, ne mulieri vim inferat: Fortitudinis, ne ſtationem, in qua ab imperatore eſt collocatus deſerat, aut eos, quos defendere debet prodat: manſuetudinis, ne quem ira percitus convicietur, verberet, aut occidat: modeſtiæ ne cui honores, quibus is dignus eſt, eripiat: liberalitatis, ne ſuos quibus natura devinctus eſt, ope ſua deſtituat; & ſic in cæteris.

Leges iſtæ ſunt duplices, aliæ *jubentes*, aliæ *vetantes*: vel ut alii loquuntur, *Affirmantes* & *Negantes*. Illæ facienda docent; hæ omittenda. Illæ tum demum ſunt obſervandæ, cum earum exercendarum eſt occaſio; hæ ſemper. Et hoc inter utraſque diſcrimen diligenter obſervandum eſt. Actiones enim virtutum tum exerceri poſſunt & debent, cum eſt occaſio: turpia quandocunque committuntur ſunt turpia, nec ad id occaſio requiritur; imo turpius eſt ea committere cum certa occaſio non eſt, quam cum ſe ultro offert. Præſcribunt autem leges non tantum ea, quæ natura ipſa & rationis lumen facere jubet, ſed etiam, quæ utilitatis ratio pro ſtatu cujuſque Reipublicæ exigit: illud *jus naturale*, hoc *poſitivum* dici ſolet. De quo infra plura. De ſingulis hujus virtutis officiis non eſt opus peculiariter diſſerere. Patent enim ex ſingularum particularium virtutum officiis, ex quibus excerpenda ſunt ea, quæ ad alterum referuntur; hæc enim ſola huc pertinent. Cætera, quæ ad perfectionem illius ipſius ſubjecti, in quo virtus eſt, ſpectant, ipſi virtuti per ſe ſunt attribuenda. Hac eadem de cauſa nihil de objecto hujus virtutis diximus. Id enim ex ſingulis virtutibus, cum quibus juſtitia hæc eadem eſt, patet, ſimul junctis.

Ex his quæ dicta ſunt, quædam hujus virtutis proprietates deduci poſſunt. 1. Juſtitiam hanc eſſe virtutum omnium prȩſtantiſſimam, cum virtutum omnium decus in ſe complectatur. Unde nec lucifer, nec heſperus adeo pulcher eſſe dicitur, atque juſtitia; quod de hac juſtitia univerſali accipiendum eſt, non de particulari. 2. Eam eſſe perfectam, quia perfectæ virtutis uſum, quatenus ad alterum refertur, complectitur. 3. Eam eſſe alienum bonum, quod etiam de particulari juſtitia & de liberalitate dici poteſt. Aliorum enim commoda procurat, & quæ alteri debentur eidem præſtat. 4. Eam eſſe admodum difficilem, quia difficilis eſt alienarum rerum cura, ut ait Cicero. Unde nonnulli adverſus ſeipſos recte ſe gerunt, adverſus alios non item. Eadem de cauſa Magiſtratum gerere difficile eſt, quia adverſus alterum eſt. Ideoque Bias dixit: *Magiſtratus virum oſtendit*: quod ad omnia munia, quæ ad alios ſpectant, referri poteſt.

Ex his patet etiam, quid ſit *Injuſtitia univerſalis*, ſive Paranomia; nempe vitium illud, quod legibus à vera prudentia profectis non obtemperat; ſeu, quod non præſtat, id quod alteri debet officium. Id autem fit partim prætermittendo ea, quæ leges jubent, ſeu honeſta; partim patrando ea, quæ leges vetant, hoc eſt, turpia. Illa *peccata omiſſionis*, hæc *commiſſionis* dicuntur. Omnia hujus injuſtitiæ facta injuriarum nomine veniunt, & in iis corrigendis verſatur Juſtitia Correctiva. Cum vero duobus modis fiat injuria, vel vi, vel fraude, utraque quidem homine indigna eſt, ſed fraus odio digna eſt majori. Nam, ut ait Cicero, totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id tamen agunt, ut viri boni eſſe videantur.

Opponitur autem juſtitiæ tum univerſali, tum particulari unum tantum vitium *Injuſtitia*: non vero ut aliis virtutibus, duo vitia, ut re, ita etiam nominibus diſtincta. Verum Injuſtitia illa utrumque extremum comprehendit. Quod quomodo in particulari Juſtitia accidat, poſtea videbimus. In Paranomia id eam ob cauſam accidit, quia omnia omnium vitiorum facta, quæ adverſus alterum ſunt, legibus vetantur, adeoque iis repugnant, ſive in exceſſu, ſive in defectu peccent. Quare tam is, qui in defectu, quam is, qui in exceſſu peccat, adverſus legem Paranomos atque adeo injuſtus erit. Nam quocunque modo adverſus leges peccetur, ſive per audaciam, ſive per timiditatem, ſive per profuſionem, ſive per avaritiam, injuſtum illud admittitur, quod cum Juſtitia univerſali pugnat. Sic legibus repugnat, & omne fugere periculum patriæ cauſa, & ſe alioſque temere periculo objicere. Qui iſtud facit, in defectu, qui fortitudini opponitur, peccat; qui hoc, in exceſſu. Uterque autem injuſtus eſt, quia leges tranſgreditur. Tranſgredi autem leges injuſtum eſt. Ratio hujus rei etiam ex eo patet, quod quemadmodum juſtitia univerſalis quæ legibus obtemperat, eadem eſt reipſa cum virtute univerſa; ita injuſtitia illi oppoſita, ſeu Paranomia, eadem eſt cum vitio univerſo. Virtuti autem univerſæ vitium tantum univerſum opponitur: quod rurſus duplex eſt: nam vel in exceſſu, vel in defecta peccat: ita etiam injuſtitia ſeu Paranomia ſola juſtitiæ univerſali opponitur, ſed poſtea in duo extrema diſtinguitur. Quorum alterum in eo, quod nimium eſt, alterum in eo quod parum eſt peccat; quod rurſus in variis objectis varium eſt.

Ex his patet: 1. non poſſe quenquam ſimul omni injuſtitiæ genere laborare, ita ut earum habitibus ſit infectus, cum vitia quædam, quæ injuſtitiæ nomine comprehenduntur, ſibi invicem tam repugnent, quam quæ maxime; alia in defectu, alia in exceſſu. Dico autem ita laborare non poſſe, ut eorum habitibus ſit infectus, quia quominus quis vitiorum oppoſitorum actus diverſo tempore exerceat, nunc timide, nunc temere ſe gerat, nunc parce, nunc profuſe vivat, nihil repugnat.

2. Patet Paranomiam hanc magis generis rationem habere, quam totius, ad eam enim ſufficit vel unius vitii habitus, qui ſe ad alterum porrigat. Juſtitiam autem univerſalem magis rationem habere totius: quia ad eam non ſufficit, unum tantum virtutis ad alterum ſeſe proferentis genus exercere, ſed requiruntur omnes, adeo ut una deficiente, juſtitia quoque ceſſet.

Juſtitiam particularem præter Univerſalem eſſe docuimus antea. Ea eſt virtus in bonis externis, quæ alteri debentur, tribuendis æqualitatem analogicam ſervans. Sed ut illius natura melius intelligatur, eadem via & ratione, qua in aliis explicandis uſi ſumus, ea nobis evolvenda eſt.

Objectum proprium ejus diximus eſſe, tum corpus ipſum, ejuſque integritatem, tum Bona externa, quæ fortunæ dicuntur, hoc eſt, honores & commoda, quatenus quidem alieni juris ſunt. Commodorum nomine, non modo pecunias intelligimus, ſed etiam omnia externa, quæ pecunia æſtimari ſolent, quæ ad commoditatem vitæ aliqua ratione pertinent: ſive ſint *res corporales*, hoc eſt, quæ tangi poſſunt, ut fundus, domus, mancipium, veſtis: ſive *incorporales*, quæ tangi non poſſunt, ut labores & operæ, quæ pecunia locari ac redimi ſolent, uſus ædium aut alterius cujuſcunque rei. Hoc autem proprium eſſe objectum hujus virtu-

tis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tis patet: quia in iis proprie verſatur hæc virtus quæ dare aut tribuere alteri poſſumus, & de quibus quæri poteſt, meane ſint an tua, ſeu an ad me ſpectare debeant, an vero ad te. Hæc autem ſunt externa, non interna. Deinde in iis proprie verſatur hæc virtus, de quibus plus & minus accipere potes, & plus quidem accipere velle injuſtum non eſt. At hoc in externis accidit. De virtute, ſcientia, robore, forma, quæ bona ſunt interna, partim corporis, partim animi, plus accipere aut habere velle injuſtum nemo cenſet, ſed de honoribus plus accipere velle, quam debeatur, injuſtum cenſetur.

Secundarium hujus juſtitiæ objectum, ſunt horum bonorum contraria. Sed nos in definitione tantum primarii, ad quod ſecundarium reducitur, fecimus mentionem.

Quod ad *formam* hujus virtutis attinent, ea eſt *æqualitas*. Nam cum ea verſetur inter plus & minus, æqualitatem ut ſervet neceſſe eſt. Nihil enim inter plus & minus interjectum eſt, quam æquale, quod ab utroque recedit. Patet id ex communi hominum loquendi conſuetudine, qui id, quod æquale eſt, juſtum dicunt, quod inæquale injuſtum.

Verum *æqualitas duplex* eſt; altera *ſimplex*, altera *compoſita*, quam *analogiam* ſeu *proportionem* vocant. *Simplex æqualitas* etiam eſſe poteſt inter duo, ut cum ternarium ternario, ſolidum ſolido, cubitum cubito dico æqualem. *Compoſita* requirit plures, ut vocant, terminos, ſeu plures res, (rei nomine latius accepto, ut perſonas etiam complectatur) inter quas verſetur comparatio, & quidem ad minimum quatuor; ſive termini illi inter ſe prorſus ſint diſtincti, adeoque actu quatuor, vel actu tantum tres, poteſtate quatuor, quia unus vicem duorum ſuſtinet ac bis ſumitur. Quæ habet quatuor terminos actu, illa *disjuncta* dicitur, quæ tres tantum, *continua*. Ut ſi dicam, quemadmodum ſe habent duo ad quatuor, ita tria ad ſex, erit proportio diſjuncta: ſed ſi dicam, ut ſe habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo, erit continua. Definitur autem *analogia* ſeu *proportio*, ſimilitudo rationum. *Ratio* autem eſt ſcheſis ſeu collatio duorum terminorum inter ſe. *Terminus* eſt res quævis quæ in comparationem cum altera venit. Quando ergo duæ ſcheſes inter ſe ſunt ſimiles, Analogia eſt. Exempli cauſa, ſint quatuor termini, Epiſcopus, paſtor, Eccleſia, grex. Hinc primum rationes facio duas. Ratio una eſt: Relatio inter paſtorem & gregem. Ratio altera: Relatio inter Epiſcopum & Eccleſiam; & quia rationes ſunt ſimiles (quemadmodum enim paſtor regit & curat gregem, partim ſalutaria miniſtrando, partim noxia depellendo, ita etiam regit & curat Epiſcopus Eccleſiam.) Hinc oritur analogia talis; quemadmodum ſe habet Paſtor ad gregem, ita Epiſcopus ad Eccleſiam, & contra. Et hæc quidem proportio eſt disjuncta, quia ſunt quatuor termini actu disjuncti. Continua eſt, ubi unus terminus eſt conjunctus ſeu communis utrique rationi. Ex. gratia: quemadmodum ſe habet Ulyſſes ad Diomedem, ita Diomedes ad Achillem. Ponamus enim duplo fortiorem fuiſſe Diomedem Ulyſſe, & Achillem Diomede. Hîc Diomedes bis ponitur, & duorum terminorum vicem gerit. Hæc accommodemus ad rem noſtram. Æqualitas, quam juſtitia particularis obſervat, non eſt ſimplex, ſed analogica: non enim inter duo tantum verſatur, hoc eſt, inter res tantum, verum etiam inter perſonas: nec enim res per ſe ſolæ ſpectantur, ſed perſonis etiam certis applicantur. Verſatur igitur ſemper ad minimum inter quatuor terminos: perſonas duas; & res duas. Perſonas quidem, quia juſtum, de quo agimus, ſemper eſt adverſus alterum, ſeu alteri cuipiam perſonæ debetur. Quare ad minimum duæ requiruntur perſonæ. Res vero, quia in rebus ſpectari debet æqualitas, ut jam dictum eſt. Æqualitas autem ſemper eſt ad minimum in duobus. Dico autem ad minimum, quia nil prohibet, in diſtributione, verbi gratia pręmiorum, & plures perſonas, & plures eſſe res. Ut, cum ſingulis militibus in toto exercitu pręmium aut prędę portio eſt tribuenda. Eſt autem hîc proportio diſjuncta, quia etiam perſonæ diſtinctæ, & res diſtinctæ ſunt, nec res tribuenda cum perſonis, quibus jus ſuum tribui debet, eadem eſſe poteſt, niſi forte per accidens.

Injuſtitia particularis eſt vitium in bonis externis, quæ alteri debentur, tribuendis, æqualitatem analogicam non ſervans. Id autem facit, cum ſibi plus, alteri minus tribuit, vel ſi aliena forte bona diſtribuat, alteri plus, alteri minus, quam æqualitas illa requirebat, tribuit. Itaque unum tantum vitium eſt, quod juſtitiæ huic opponatur, ſed id utrumque extremorum complectitur, hoc eſt, & plus, & minus: ſed reſpectu ſui plus, reſpectu alterius minus. Quod etiam intelligendum eſt, cum forte inter duos verſans alteri ſponte plus, quam par eſt, alteri minus tribuit. Vel enim id facit pretio corruptus, aut ſpe pretii aut emolumenti. Quare dum alteri plus tribuit, lucri cauſa, ſibi ipſe plus videtur ſumere: vel id facit in gratiam amici: amico autem plus tribuens, ſibi plus tribuere videtur, cum amicus ſit alter ipſe: quanquam & hic vir injuſtus emolumentum aliquod quærit, & ſperat amicum ſibi viciſſim gratificaturum: injuſti enim, qui ſunt pleonectæ, non niſi utilitatis cauſa amicitias probare ſolent.

Iſtorum duorum extremorum alterum, nempe plus ſibi ſumere, aut de alieno alteri tribuere, eſt injuriam facere, minus habere eſt injuriam pati. Illud autem hoc deterius eſt, licet vulgus contra ſentiat. Iſtud enim inhoneſtum eſt, hoc tantum damnoſum; Inhoneſtum autem pejus eſt damnoſo tantum. Objiciet aliquis injuſtum hunc non ſemper plus ſibi ſumere: quia de damnis minus participare vult. Reſpondendum eſt: eum etiam tum plus cenſeri ſibi ſumpſiſſe. Nam qui de malis minus ſibi ſumit, is plus boni ſibi ſumere videtur. Minus enim malum cum majore comparatum melius eſſe cenſetur: quia magis expetendum; quod autem expetendum eſt, id bonum eſt, & quod magis, majus.

Verum *particularis* illa *juſtitia duplex* eſt: alia enim verſatur in diſtribuendis bonis communibus, ut honore aut commodis; alia in contractibus occupatur, *contractus* voce latiſſime ſumpta; quatenus ſignificat actionem omnem, ex qua alter alteri ad quidpiam præſtandum, ſive in præſens, ſive in futurum, obſtringitur. Illa *Diſtributiva* appellatur; hæc vel *Correctiva*, vel *Commutativa*, nominibus ſpecierum ad genus tranſlatis; quæ duæ ſpecies etiam formis differunt.

Poſterior hæc Juſtitia, quæ in contractibus verſatur, iterum eſt duplex, prout etiam ipſi *contractus* in quibus cernitur, *ſunt duplices*. Alii enim ſunt *voluntarii*, qui utriuſque partis contrahentium voluntate conſiſtunt, ut venditio, emtio, mutuum, fidejuſſio, commodatum, depoſitum, locatio, conductio; & hæc juſtitiæ pars proprie *commutativa juſtitia* dicitur. Alii ſunt *inviti*, ad quos conſtituendos non utriuſque partis voluntas concurrit, ſed altera invita oritur, & hi ſunt omnis generis injuriæ & maleficia. Atque in his verſans juſtitia *Emendativa* ſeu *Correctiva* dicitur. Contractus autem hi involuntarii ſunt duplices: vel enim *clandeſtini* ſunt, ut furtum, adulterium, veneficium, ſervi alieni corruptio, per inſidias allata nex, falſum teſtimonium: vel *aperti* ac *violenti*; ut verbera, vincula, mors aperte illata, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia. Ratio hujus diviſionis patet ex diviſione involuntariorum. Alia enim per ignorantiam fiunt, alia vi, quæ violenta dicuntur. Quare contractus inviti, vel clandeſtini ſunt, qui nobis ignorantibus fiunt, vel aperta vi, qui violenti dicuntur. Ubi eſt obſervandum injurias cum juſtitia univerſali quidem pugnare, ſed correctionem earum juſtitiæ particularis eſſe.

His explicatis jam prima particularis juſtitiæ ſpecies, quæ *diſtributiva* dicitur, eſt explicanda. De *objecto* ejus jam diximus. Quia vero diſtributio inter eos demum locum habet, qui aliquid habent commune, (non diſtribuitur enim inter plures, niſi quod commune eſt) commune autem nihil inter ſe habent, quibus non eſt aliqua ſocietas: quæcunque iis, qui ſocietatem aliquam inter ſe colunt, poſſunt eſſe communia in bonis externis, ea ſub hanc virtutem cadunt. Verum

notan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

notandum hic eſt, idem quod in diſtribuendis bonis obſervandum, id etiam in colligendis nonnunquam ſumptibus obſervari & poſſe, & debere. Ut ſi cives communes ſumptus facere debeant, juſtum eſt, ut qui commodis Reipub. magis fruuntur plus pendant, quam qui minus.

Quod ad *formam* attinet, ea quidem eſt æqualitas in proportione conſiſtens: verum cum duplex ſit proportio, Geometrica & Arithmetica, illam Juſtitia diſtributiva obſervat, hanc ea quæ verſatur in contractibus. Geometrica proportio eſt, cum non requiritur, ut unus terminus ſit ſimpliciter æqualis alteri, ſed ſola rationum ſpectatur ſimilitudo. At hoc contingit in diſtributione juſtitiæ. Neque enim requiritur ut perſona perſonæ, res rei ſit ſimpliciter æqualis; cum una perſona poſſit eſſe dignior, digniori autem plus tribuendum, indigniori minus: ſed ut quemadmodum ſe habet perſona ad perſonam, ita res ad rem. Spectat ergo dignitatem & indignitatem: dignitas autem nunc ex virtute, meritis, laboribus, nunc ex doctrina, nunc ex nobilitate, nunc, ut inter mercatores fit, qui ſocietatem inter ſe contraxerunt, ex ſumptibus, quos quiſque fecit: indignitas ex contrariis pendet. Cum colligendi ſunt communes ſumptus, cauſa cur quiſque ad ſumptus illos obligetur eſt conſideranda: ut participatio communium utilitatum, vel majores divitiæ, & qui potior eſt ratione cauſæ, plus etiam conferre debet.

Hinc *Juſtitiæ diſtributivæ* talis *definitio* colligi poteſt; quod ſit juſtitia in diviſione rerum proportionem geometricam ſervans: ſeu, Juſtitia ad dignitatem perſonarum partitionem bonorum aut onerum accommodans. Dignitas autem illa eſt cauſa aliqua juſta, ob quam aliquis, vel de communibus bonis participare, vel partem communium onerum ferre debeat.

Exemplum juſtitiæ diſtributivæ eſt: Sint ſpolia dividenda inter Ulyſſem, Patroclum & Achillem. Dignitas quæ ſpectanda eſt in hac diſtributione, eſt fortitudo in prælio oſtenſa. Ponatur autem Patroclus duplo fortior Ulyſſe, Achilles triplo: ergo Juſtitia diſtributiva requirit, ut ſpolia quæ Patroclo dantur, ſint duplo pretioſiora iis, quæ Ulyſſi obveniunt; ea vero quæ Achilli, triplo præſtantiora. Sic, ſi mercatorum unus in ſocietatem contulerit decem florenorum millia, alter duo: lucrum commune ſit mille ducentorum florenorum: priori de lucro debentur mille floreni, poſteriori ducenti. Nam quæ ratio duorum millium ad decem millia, eadem eſt ratio ducentorum ad mille: ratio utrobique eſt quintupla. Quod ſi lucrum æqualiter velles dividere, injuſte ageres, & hinc lites & controverſiæ oriri ſolent. Sic etiam in conferendis pecuniis, ſi inæquales æqualia conferre debent, querelæ oriuntur. Quare in contributione civium, ſi is, qui ſex millia poſſidet, dat florenos ſexaginta; is, qui mille poſſidet, dare debet decem: utrobique eſt ratio ſextupla. Ubi tamen ſæpe animadvertendum eſt, an ii, qui verbi gratia ditiores eſſe videntur, non tamen æqualem portionem aut etiam minus contribuere debeant, quia cætera, quæ hic momentum aliquod habent, non ſint paria; quod in omni comparatione eſt ſpectandum. Fieri enim poteſt, ut is, qui ditior eſt, tamen plures habeat, quos alere cogatur, & multa alias cogatur impendere: is, qui aliquanto minus habet, longe etiam minus facere cogatur impenſarum, & ſic plura interdum ad communes ſumptus conferre poſſit: quo loco æquitas ſtricto juri ſuccurrit; qua de re alibi.

Ex his facile patet, quid ſit *Injuſtitia in diſtribuendo*; nempe quæ ab hac proportione recedit, nec eandem in præmiis aut rebus diſtribuendis ſervat rationem ac differentiam, quæ eſt ipſius dignitatis.

Juſtitiam Diſtributivam ſequitur ea quæ circa contractus verſatur, & eſt tum *Commutativa* tum *Correctiva*. De qua antequam agam obſervandum eſt has duas juſtitiæ particularis ſpecies duobus modis à ſe invicem diſtingui: partim materiæ ratione, partim formæ. 1. Materiæ ratione, quod Diſtributiva in bonis aut oneribus communibus cernitur: Ea quæ ad contractus pertinet, in bonis ſingulorum ſeu privatis. 2. Ratione formæ, quod Diſtributiva dignitatem ac conditionem perſonarum ſpectat, & diviſionem ad eam accommodat: Ea vero quæ in contractibus dignitatem perſonarum non ſpectat, niſi forte per accidens; ſed perſonas tanquam æquales ſumens, res ipſas etiam ad æqualitatem redigere conatur: ad perſonas vero non attendit, niſi tum, ubi rei aut facti meritum, earum dignitate mutatur. Unde ſequitur tertium diſcrimen, quod illa *proportionem Geometricam* obſervat, hæc *Arithmeticam*, & quidem ejuſmodi, quæ his tantum duobus à ſimplice æqualitate differt; 1. Quod Analogia hæc in quatuor terminis cernitur, perſonis duabus & rebus duabus: neceſſe eſt enim res perſonis applicari & attribui: æqualitas ſimplex in duobus ſolum cerni poteſt. 2. Deinde quod in hac analogia non requiritur, præſertim ſemper, ut res ejuſdem ſpeciei, eodem numero & quantitate cum altera commutetur, quæ eſſet ſimpliciſſima æqualitas, ſed ſufficit, ut res pretio alteri reſpondens, pro ea reponatur. Sed hæc æqualitas, ſimplici, quod ad uſum attinet, qui hic ſolus ſpectatur, æquipollet. Dico autem non ſemper id requiri: quia nonnunquam requiritur ut eadem prorſus res, eodemque numero & quantitate, quæ in pretio vim aliquam habeat, reddatur, ut in depoſito: interdum ejuſdem ſpeciei ac quantitatis, ut frumenti modius pro modio; aureus nummus unus pro altero.

Ex his apparet, non eſſe ſemper neceſſe ut in contractibus & permutationibus rerum (nam de diſtributione res eſt manifeſta) obſervetur *jus talionis* Pythagoricæ, quod à ſimpliciſſima æqualitate recedere vetat, & idem ſpecie, eodem numero & quantitate, reponere jubet. Nam primum id aliquo modo *impoſſibile* eſt, vel *impoſſibili vicinum* atque *abſurdum*. Horatius Cocles ſolus imminentium hoſtium vim ſuſtinuit. Cajus Mutius manum ſuam combuſſit & admiratione virtutis ſuæ, Regem illis temporibus potentiſſimum & infenſiſſimum populo Romano pacem facere coëgit. Codrus & Decii pro patria ſe devoverunt. Si his premium ex jure illo talionis reddere velis, quomodo id conſequeris? Liberavit te aliquis lethali morbo laborantem, alius à piratis redemit; ſi jus talionis obſervare velis, oportebit quidem illum ægrotare, te vero medicum fieri, & qua ille fortuna in te curando uſus eſt, eandem in ipſo curando experiri: hunc autem in piratarum manus venire, ut eum redimere poſſis. Præceptor te erudiit, tu illum viciſſim erudire cogeris, & in ea quidem re, in qua ille te erudiit. Si quis alterius filiam violaverit, ipſe plane orbus liberis, aut uxorem alienam celebs, jus talionis nullum habet per naturam rei locum: deinde etiamſi uxorem & filiam haberet, id tamen inhoneſtum eſſet. Sic ſi quis falſum teſtimonium in te diceret, inhoneſtum foret eundem viciſſim calumniari. *Injuſtum* etiam eſſet atque inhoneſtum, eum qui ignorans ac præter animi voluntatem te læſerit, ſponte ac dedita opera eodem incommodo afficere: nam ut tu talionem ignorans obſerves, fieri non poteſt. *Iniquum* etiam fuiſſet ſi Cæſar militi, qui ei in Hiſpania ſiti confecto aquam, periculo ſalutis ſuæ petitam, in galea attulerat, plenam tantum aquæ galeam reddidiſſet: aut ſi Darius ei qui fugienti ac eſurienti ipſi panem cibarium dederat, tantundem poſtea reddidiſſet; iniquum, inquam, hoc eſſet in eum qui prior quippiam fecerat. Interdum iniquum eſt jus talionis, cum is qui prior quippiam mali fecit, idem ab altero poſtea perpetitur: ex. gratia, Si ſubditus Magiſtratui aut regi ſuo colaphum impingeret, non ſatis fuerit viciſſim ei colaphum impingi, ſed alia ſuperaddenda fuerit pœna: contra ſi magiſtratus aut parens civi aut filio colaphum, etiamſi injuria tandem id faciat, impegerit, non protinus tamen eſt repercutiendus. Tandem etiam, id *inutile* ſæpe atque adeo *injuſtum* foret. Quid enim eſt opus tritici modium cum tritici modio eodem tempore commutare, ſi ſit æque bonum utrumque? quid lacopus cum lacte, ovum cum ovo? Hinc fit ut inter artifices qui ejuſdem ſpeciei ac valoris opera conficiunt, non fit frequens permutatio, & tanto quidem minor,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quo opera ſunt ſibi ſimiliora. Quod ſi talionis jus obſervandum eſſet, ceſſaret omnium rerum permutatio, adeoque omnis ſocietas civilis, quæ rerum permutatione & communicatione continetur. Nam civitas non conſtat ex medico & medico, ſed ex medico & agricola; hoc eſt, non conſtat ex hominibus ejuſdem vitæ generis, & artificii, ſed variorum. Variorum autem artificum varia ſunt opera, quæ inter ſe permutari eſt neceſſe, ſi ſocietas inter illos vigere debeat. Non eſt ergo ſimplex æqualitas quam talionis nomine appellant, niſi vel pactum vel obligatio interceſſerit, vel lex aliqua, & quidem recta ac honeſta, hoc jus in certis rebus ſanxerit. Ut lex Moſaica ſancit, ut reddas oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Et leges 12 tabularum: *ſi membrum rupit meum, ex pacto talio eſt.* In quo tamen ſemper obſervandum eſt, an ſciens, an ex ignorantia mera, an conſulto & cogitato, an perturbatione aliqua repentina incitatus læſerit. Quæ ex ignorantia proficiſcuntur, veniam merentur; quæ ex perturbatione, levius ſunt punienda. Ex eodem jure eſt illud apud Juriſconſultos celebre: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, eo ipſe utatur:* & illud vulgare; *ab altero expectes alteri quod feceris.* Quod tamen tum demum æquum eſt, ſi nulla ſit tanta inter perſonas differentia, quæ juris inæqualitatem poſtulet: qualis differentia eſt inter magiſtratum & privatos, patrem & filium, dominum & ſervum, virum aliquem ſummum & hominem viliſſimum; nam tum ex perſona aliquo modo æſtimationem recipit factum, & non retinetur prorſus ſimplex æqualitas, præſertim quod ad injurias attinet.

Verumtamen ſi per talionem nihil aliud intelligas, quam mutuam quandam ſive boni ſive mali perpeſſionem, & rerum permutationem, omnino talio ad juſtitiam commutativam pertinet, & in civitate neceſſaria eſt. Nam vel boni quid patimur, vel mali ab aliis: ſi mali compenſatio prohibeatur, civitas ſerva erit: ſi boni, ingrata. At non fruſtra veteres Gratiarum templa in celebrioribus urbium locis extruere ſoliti ſunt; quo ipſo monuerunt inter cives officiorum & operarum viciſſitudinem debere eſſe. Nihil enim tam proprium eſt gratiæ, quam officium pro officio, prompta & cumulatiori, ſi fieri poſſit, menſura retribuere.

Hæc de Juſtitia in contractibus verſante, in genere dicta ſufficiant. Species ejus duas antea conſtituimus, alteram in contractibus voluntariis verſantem, quæ proprio nomine *commutativa* dicitur; alteram in contractibus invitis ſeu injuriis, quæ *Correctiva.* De illa prius agemus, ejuſque officium explicabimus. *Commutativæ juſtitiæ* officium eſt, ut res quæ permutandæ ſunt, prius exæquentur ratione pretii; deinde fiat permutatio, ita ut hic rem illius capiat, ille hujus. Verbi gratia, ſi agricola frumentum habeat, ſutor ocreas, velintque inter ſe permutationem juſtam inſtituere; prius æſtimatio tum frumenti tum ocrearum eſt facienda, & pretium exæquandum: &, ſi conſtet duo paria ocrearum reſpondere pretio unius modii frumenti, agricola unum frumenti modium dare debet, & viciſſim à ſutore duo paria ocrearum accipere, vel id quod tantumdem valeat. Perinde autem eſt, ſive in præſens det alter alteri, ſive in futurum promittat. Promiſſum enim, dum tempus exhibitioni præſtitutum adveniat, loco rei eſt. Rerum autem permutandarum nomine etiam operas ac labores, qui in alterius gratiam & qualecunque commodum fieri poſſunt, & rerum uſum intelligimus. Sic qui mercenarium conducit aut tabellarium, laborem ejus æſtimare debet, & pretium ei æquare; ac tum demum ille huic laborem præſtare debet, & pretium ab eo viciſſim accipere. Si quis equum conducat, aut domum, debet ejus uſum æſtimare, & pretium æquum reddere.

Verum cum res permutandæ ſæpe ſint inter ſe valde diſpares, genere, numero, quantitate; quæritur qua ratione inter ſe exæquari ratione pretii poſſint? Nam ad hoc, ut exæquentur res inter ſe, requiritur ut ſint comparabiles: ut autem comparari poſſint inter ſe, opus eſt communi aliqua menſura, quæ res permutandas metiatur & æſtimet. Quare quæ ſit hæc *menſura communis* quæritur. Hæc vero *duplex* eſt: *naturalis* una; altera *hominum ingenio excogitata*, illius prioris veluti vicaria. *Naturalis menſura* eſt *Indigentia*, quæ eſt defectus rei alicujus utilis. Ea quo major minorve eſt, eo quoque res pluris minoriſve habetur. Et hæc etiam nos ad permutationem inſtituendam impellit: ut ſi frumento egeat locus quiſpiam aut regio, vino abundet, majoris erit frumentum quam vinum. Ad indigentiam autem duo requiruntur; primum ut res ipſa uſum aliquem ac fructum quem appetamus nobis præbere poſſit. Nam re inutili non dicimur indigere. Deinde ut illa careamus. Utraque res pretium rerum mutat. In uſu ſpectatur potiſſimum neceſſitas, commoditas, (quo nomine voluptatem quoque complectimur,) dignitas; addi poteſt etiam communitas: quorum enim uſus latius ſe extendit, ea pretioſiora ſunt. Singula ex his pretium augent, quo ſunt majora; ſi minora, minuunt, cæteris paribus. Dico, *cæteris paribus*; quia interdum id quod eſt magis neceſſarium, vilioris eſt pretii, quia ad dignitatem non pertinet, aut minus pertinet. Ea enim quæ ad commoditatem aut dignitatem pertinent, fere ſolent eſſe pretioſiora: quanquam id ob copiam aut paucitatem ſeu penuriam rei videtur accidere. Nam quæ prorſus ſunt ad vitam neceſſaria, quæ ſane genere pauca ſunt, (paucis enim natura contenta eſt) eorum copiam fere majorem produxit natura; aut eorum conficiendorum ratio eſt facilior, quam eorum quæ ad commoditatem ac dignitatem; qualia ſunt ſuppellectilia pretioſiora, ædes amplæ, magnificæ, & ſimilia. Ad carentiam, ut ita loquar, pertinet raritas, quæ pretia ſemper vehementer auget; *quæ rara cara.* Et hanc ob cauſam ea quæ majori labore, periculo, artificio parantur, cariora ſunt, quia rariora. Gemmis raritas ſeu paucitas pretium facit maximum. Facit quidem id uſus, ſed paucitas magis. Eadem fere dignitatem conciliat.

Indigentiam autem hanc, tum cauſam quandam permutationis, tum rerum permutandarum menſuram eſſe, patet ex eo, quia ſi nemo ulla re indigeret, nulla fieret permutatio: &, ſi ſint duo quorum alter alterius re nullo pacto indigeat, nulla inter illos fit permutatio. Ego non indigeo lance alterius, alter non indiget meis libris. Ergo non fit inter nos permutatio. Quod ſi etiam alter indigeat alterius re, ſed non ſimiliter, non eodem modo fit permutatio. Nam qui majore inopia premitur, deſcendere cogetur ad conditiones ejus qui ita eget, ut tamen carere poſſit. Indigentia igitur eſt vera & naturalis rerum omnium quæ permutantur menſura, quæ omnia continet, ut ait Ariſtoteles. Quia enim alter alterius re indiget, ideo hominum coaluit & conſervatur ſocietas; quæ aut non iniretur, aut diſſolveretur, ſi nulla ratione homo egeret homine, neque ad utilitatem, neque ad jucunditatem. Sed natura cum vellet omnes inter ſe neceſſitudine quadam colligatos tenere, ita rem totam temperavit, ut neque quiſquam ita copioſus ſit ac locuples, qui tenuiorum opera carere, neque quiſquam ita egenus, qui non aliquem ſui uſum præbere abundantiſſimis poſſit.

Hactenus de naturali rerum omnium permutandarum menſura: Altera rerum permutandarum *menſura ab hominibus excogitata*, illius prioris veluti vicaria, eſt *nummus*. Nummis enim res omnes, de quibus contractus inſtituimus, metiri & æſtimare ſolemus. Nummum autem non natura conſtare, ſed lege & hominum inſtituto, etiam Græcum ipſum nomen docet. Dicitur enim νόμισμα quia νόμῳ, hoc eſt, lege & hominum inſtituto, non natura conſtet, imo & nummi appellatio, à νόμῳ, ducta videtur. Et hæc eſt cauſa cur nummi valor ac pretium hominum arbitrio mutetur, ſive edicto magiſtratuum, ſive tacito conſenſu populi, ita ut vel pluris minoriſve ſit, vel nullius amplius valoris. Qua ratione Lycurgus Spartæ inutiles reddidit lege omnes aureos & argenteos nummos, ferreorum uſu inſtituto. At quæ naturalia ſunt, hominum arbitrio variari, præſertim tam facile, aut penitus tolli nequeunt.

Duplex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Duplex autem *nummi in permutationibus uſus* eſt; *alter* is quem diximus, ut rerum pretia definiat, & ſic eas inter ſe comparabiles reddat. Nam ut poſſis pecora pro domo parare, neceſſe eſt utraque æſtimare. Hoc vero commode fieri poteſt, ſi nummo utrorumque precium æſtimaveris. Conſtet, v. gr. domus florenis trecentis, ſinguli boves florenis decem: quare ut juſta inſtituatur permutatio, triginta boves pro domo ſunt dandi: hi enim domus precium æquabunt. *Alter uſus nummi* eſt, ut in rerum ipſarum quæ permutandæ ſunt, & quibus alter indiget, ſubeat locum. Niſi enim id fiat, permutationem ſæpe ceſſare neceſſe eſt, factumque fuit procul dubio apud veteres, antequam inventus eſſet nummus. Tum enim res tantum permutabantur rebus; v. g. pro pecoribus arma, pro frumento vaſa ac ſuppellectilia dabantur. Ceſſaturam autem ſæpenumero permutationem, ſi nummus abſit, patet. Fieri enim ſæpe poteſt, ut ego quidem re tua egeam, ego vero nihil habeam, quo tu ſimiliter indigeas. Itaque ne impediatur permutatio, nummus ſubſtituitur in locum rei, qua alter indigeat; ſi quidem is nummo iſto viciſſim ſibi parare poteſt rem qua indigeat, ei quam alteri vendiderat precio æqualem; & nummus interea veluti eſt ſponſor, qui certum fecerat eum viciſſim conſecuturum id, quo indigeat, vel ab eo cum quo permutationem inſtituerat, ſi ea re abundet, vel ab alio, ſi ei eundem nummum ſponſorem dederit. Quod ut tanto commodius fiat, rerum precia, quoad ejus fieri poteſt, in Republica conſtituta eſſe debent.

Dices nummi uſum hoc habere incommodum, ut dum ego eum expendam, & aliquid vel à te, qui eum mihi dederas, vel ab alio emam, ejus precium decreſcere poſſit, & ſic ego minus conſequar, quam accepturus fuiſſem, ſi rem pro re mihi dediſſes. Reſpondeo, nummi precium & æſtimationem, conſtantiorem eſſe ſolere, quam rerum ipſarum, quarum precia in dies fere mutantur: ne de eo nunc dicam, quod nummorum valor fere augeatur, adeoque ei qui accipit, non tantopere noceat. Quod ſi aliquod hîc per accidens eſt incommodum, id abunde penſatur eo commodo, quod ad omnes homines, ex permutatione ea quæ nummo interveniente fit, redundat. Nam præter id, quod modo diximus, id habet commodi nummus, quod ad itinera facienda, ad merces varias alibi permutandas, longe ſit commodior. Quis aut poſſet, aut vellet tantum ſecum deferre frumenti, aut boves tot ſecum deducere, ut Germaniam, Italiam, Galliam peragrare, & aliquamdiu etiam ibi vivere permutatione rerum iſtarum poſſit?

Ea quæ hactenus docuimus, de æqualitate invenienda, in emptione, venditione, locatione & conductione, potiſſimum obſervanda ſunt. Nam in depoſito, v.g. mutuo, commodato, rei æqualitas ſatis definita eſt; imo interdum res una tantum eſt, diverſo tamen modo conſiderata. Hæc de Juſtitia commutativa.

Injuſtitia ei contraria eſt, quæ ab hac æqualitate, quam obſervandam diximus, recedit; quod fit, cum alter plus habet, alter minus: Ut cum precium, quod pro merce datur, ea vel majus, vel minus eſt; vel alter & mercem, & pecuniam ſimul habet, alter neutrum.

Quod ad *Correctivam Juſtitiam* attinet, quæ in contractibus invitis ſeu injuriis verſatur, ejus officium eſt injurias corrigere, ſeu æqualitatem, quæ inter eum qui intulit, & eum qui paſſus eſt injuriam, orta eſt, tollere, & ad æqualitatem, quæ ante injuriam fuerat, quoad ejus fieri poteſt, revocare. Æqualitas hæc, ut antea diximus, Analogica eſt, & quidem Arithmetica. Qualis autem eſſe debeat ex contraria inæqualitate, quæ corrigenda eſt, intelligi poteſt. Duo illi, quorum alter intulit injuriam, alter paſſus eſt, inter ſe ſunt inæquales ratione hujus contractus involuntarii: (nam an alias inter ſe ſint æquales, aut inæquales, hîc per ſe non ſpectatur) is enim qui injuriam intulit plus habere cenſetur, qui vero paſſus eſt cenſetur habere minus, adeoque hic eſt inæqualitas. Id quod plus eſt, lucrum vocamus; quod minus, damnum. Quanquam enim non ſemper is qui intulit injuriam, proprie loquendo aliquid lucretur, ut ſi quis alterum percutiat, aut convicietur, aut occidat; tamen quia alteri quippiam videtur deceſſiſſe, qui paſſus eſt injuriam, & quidem ejus cauſa qui intulit, huic quippiam videtur acceſſiſſe; quod cum æſtimatur à judice, lucrum appellari poteſt, & ejus contrarium damnum, ſimilitudine ducta à voluntariis contractibus. Nam qui in iis plus adipiſcitur quam dederat, lucrari dicitur; qui minus, damnum pati.

Hanc inæqualitatem corrigere vult judex, & ei qui injuriam intulit lucrum detrahit, atque ei adjicit qui damnum paſſus eſt, ita ut denuo exæquetur alteri, quemadmodum ante injuriam æqualis fuerat. Detrahit autem alteri lucrum, & adjicit ei qui damnum paſſus eſt; vel proprie, ut cum rem injuria ablatam reddere jubet, aut injuriam ac contumeliam pecunia æſtimat, quam is qui læſit reddat parti læſæ; ut ſi is qui vulneravit jubeatur alteri ſolvere tum omnia impendia in curationem facta, tum operarum intertrimentum; (quo propemodum reduci poteſt ea injuriæ correctio, cum is qui mendacio læſit famam alterius, veri profeſſione reſarcire jubetur, id quod de dignitate ipſius delibavit:) vel plane improprie, ut cum pœna corporalis infligitur ei, qui injuriam intulerat; quod fit ob læſum, cujus jus, dignitas atque honor ea ratione ſancitur, & contumelia quæ in injuria fuerat vindicatur: ideò ei acceſſiſſe cenſetur, atque ita æqualitas, quatenus natura rei patiebatur, reſtituta.

Æqualitas ergo ea, quæ ante contractum inter partes contrahentes, ſeu lædentem ac læſum fuerat, eſt inſtar menſuræ ſeu regulæ, ad quam æqualitas, quæ à judice poſt injuriam factam reducitur, quoad ejus licet, accommodanda eſt; hæc vero medii rationem habet inter plus & minus, inter lucrum & damnum: quod ſi reipſa reduci non poteſt, id quod ei per analogiam reſpondet quæritur, ut in pœnis corporalibus accidit, & quod alteri præter hanc acceſſit per injuriam, id eſt detrahendum, & adjiciendum ei cui deceſſerat.

Juſtitia igitur hæc rem ipſam per ſe ſpectat, hoc eſt lucrum & damnum, perſonas per ſe ponit tanquam æquales. Dico per ſe; quia per accidens perſonarum etiam differentia conſideratur, nempe propter res ipſas. Perſonarum enim dignitas aut vilitas, nonnunquam injuriæ ipſius rationem mutat. Sic v. gr. gravius eſt delictum, ſi quis magiſtratum percutiat, quam ſi privatum: gravius ſi parentem quam ſi alienum: & ita in multis aliis: præſertim ſi injuria quæ magiſtratui aut parenti infertur contumeliam habeat conjunctam. Quod propterea dico, quia levis injuria ſubditi in magiſtratum, non protinus par eſt graviſſimæ injuriæ magiſtratus in ſubditum; ſed gravior eſt injuria ſi ſubditus percutiat magiſtratum, quam ſi magiſtratus ſubditum. Sic, gravior eſt pœna, ſi is, qui in ſumma dignitate fuit conſtitutus, virgis cædatur publice, & infamia notetur, quam ſi alius quiſpiam obſcurus admodum & ignobilis: gravior, inquam, eſt, quod ad ignominiæ rationem attinet. Verum hæc differentia jam ad rem ipſam ſpectat; ad perſonas ipſas, quibus applicanda eſt æqualitas rerum, per accidens tantum. Obſervandum eſt autem in maleficiis non ſemper eſſe certam perſonam læſam, quam pœnæ creditorem appellare licet, quemadmodum reus eſt pœnæ debitor. Sæpe enim tota Reſpublica partis offenſæ vicem ſuſtinet, Reipublicæ autem jus magiſtratus potiſſimum perſequi debet, cui Reipublicæ cura eſt commiſſa.

Hinc elici poteſt *juſtitiæ correctivæ* definitio. Eſt enim Juſtitia in contractibus involuntariis, ſeu mavis, injuriis verſans: vel, Virtus quæ analogiam arithmeticam ſervat in contractibus involuntariis.

Injuſtitiæ natura contraria eſt: Ea enim vel majoris æſtimat quam par eſt vel minoris; & (ut ad pœnam hoc transferamus) vel graviorem infligit pœnam vel leviorem. Si majoris æſtimet, aut graviorem pœnam infligat, injuriam facit reo: ſi minoris, aut leviorem pœnam infligat, injuriam facit parti læſæ, niſi illa conſentiat & de jure ſuo cedat: de jure enim ſuo cedere cuivis licet quantumlibet, niſi forte per accidens honeſtas diſſuadeat.

C A P.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. XVII.

De Jure: Item de æquitate & æquo-bono.

QUia *juſtitia à jure*, non modo quoad vocem deducitur, ſed etiam reipſa dependet, de eo quoque agendum eſt, ut juſtitiæ naturam plene intelligamus. Videtur autem *jus* duplici modo ſumi, vel enim ſignificat ἐξουσίαν, hoc eſt poteſtatem, facultatem ac licentiam aliquid agendi; qua ratione jus mihi eſt rem meam vendendi, donandi, permutandi: vel ſignificat obligationem ſeu obſtrictionem quandam ad aliquid præſtandum, præſertim alteri; qua ratione jure ad reddendum depoſitum aut debitum adigor. Unde etiam *juſtum*, quatenus ad facta refertur, & à jure differt, tanquam concretum à ſuo abſtracto, (nam cum de perſonis dicitur, ejus abſtractum eſt juſtitia, quæ non factorum revera ſed perſonarum eſt affectio) duplici ratione dicitur, vel pro eo quod facere licet, ſeu quod recte & honeſte fieri poteſt, quemadmodum exigere debitum; vel pro eo quod omnino fieri debet, ſeu ut fiat æquum eſt, quale eſt debitum ſolvere creditori. Hoc loco cum de jure & juſto agimus, in poſteriori potiſſimum ſignificatione voces has accipimus, licet ea quæ dicturi ſumus, ad priorem quoque aliqua ratione poſſint accommodari.

Jus autem hoc univerſum ex materia poteſt conſtitui triplex: vel enim *in acquirendo*, vel *in conſervando*, vel *in alienando* conſiſtit. Sed aliam adhuc diviſionem tradit Ariſtoteles. Jus enim vel proprie & abſolute ita dicitur, vel ſecundum analogiam & ſimilitudinem: iſtud *politicum* ſeu *civile* ab Ariſtotele dicitur; hoc *œconomicum* ſeu *domeſticum*. *Politicum* ſive *civile* definitur, id quod eſt hominum liberorum ſocietatem civilem inter ſe colentium. Liberos appello eos, qui ſunt ſui arbitrii, non alieni dominii ac poteſtatis. Qua ratione excluduntur ſervi, & filii non emancipati, imo & uxor ſub viri poteſtate conſtituta. Quia vero ſocietas hujuſmodi hominum perfecta eſt *civitas*, quæ ſufficientem rerum omnium copiam habet, & inter hos qui ejuſdem Reipublicæ cives ſunt contractus ac obligationes omnium frequentiſſime intercedunt, ideo *jus* ſimpliciter & abſolute dictum *civile* appellatur, licet etiam alienigenis & diverſarum nationum hominibus, quibus aliquod intercedit commercium, jus ſimpliciter dictum adverſus ſe mutuo eſſe poſſit. Unde patet jus hoc civile κατ' ἐξοχὴν dici, quia jus civile in hoc genere emineat. Jus autem proprie dictum inter eos eſſe quos diximus, ex eo patet, quod inter eos jus ſit abſolute dictum, quibus etiam leges communes: leges autem communes iſtis hominibus eſſe ſolent qui ſunt liberi ac ſui arbitrii, & ſocietatem vitæ inter ſe colunt.

Jus hoc *civile* iterum duplex eſt: aliud *naturale*, aliud *poſitivum* ſeu *legitimum*. *Jus naturale* eſt quod naturalis ratio omnino jubet, nec ab arbitrio & inſtituto hominum pendet, ſed à natura ortum ducit; ideoque apud omnes recte ſentientes omni tempore ac loco idem eſt. *Poſitivum* autem ſeu *legitimum* eſt illud quod ab arbitrio & inſtituto hominum pendet, & ob Reipublicæ utilitatem à legitimo magiſtratu ſancitur. Itaque priuſquam ſanciatur lege, ἀδιάφορον & *indifferens* eſt, hoc eſt, vel ſervari vel non ſervari poteſt: poſtquam autem ſancitum eſt, ἀδιάφορον eſſe deſinit. Atque hoc iterum duplex eſt: vel enim eſt *commune* ſeu *univerſale*, quod ad omnes cives pertinet; vel *ſpeciale* aut *ſingulare*, ad certas perſonas certaque negotia reſtrictum. Illud legibus proprie dictis comprehenditur. Eſt enim *Lex* proprie dicta, præceptio quædam generalis à legitima poteſtate ſancita, obligans vel ad obedientiam vel ad pœnam. Specialiora vero jura dicuntur ψηφίσματα, privilegia; qualia erant ea quæ plebiſcitis populi Romani ſtatuebantur, de provinciis aut imperiis huic aut illi mandandis, de frumento agriſve dividendis. Communia jura perpetua cenſentur; hæc tempore limitantur.

Differt autem jus naturale à poſitivo, quod illud apud omnes gentes ac Reſpublicas, vel ſaltem pleraſque, eandem vim habet, eſtque conſtans & immutabile; hoc vero pro varietate Rerumpublicarum varium, & in eadem etiam Republica non ſemper idem; cum ejus conſtituendi cauſa ſit Reipublicæ utilitas, quæ pro hominum, locorum, ac temporum varietate, nunc hoc, nunc illud poſtulat. Eſt autem jus tanto melius quanto melior Reipublicæ forma.

Neque vero eſt quod quis hîc objiciat omnia jura poſitiva eſſe videri, & ab hominum arbitrio pendere; quia tanta ſit juris varietas, ut nihil videatur eſſe immutabile, cum naturalia prorſus cenſeantur immutabilia: quemadmodum, quia igni naturale eſt urere, æque urit apud nos & apud Scythas & Indos. Dicimus enim primo, non omnia jura mutari. Nam cædem eorum qui eadem ſocietate continentur, nec injuſte nos læſerint, rapinas & ſimiles injurias omnis Reſpublica prohibet, & obedientiam illis qui præſunt præſtare jubet. Deinde non omnia naturalia prorſus ſunt immutabilia, ſed aliquam varietatem admittunt. Sic naturaliter eſt dextra manus valentior ſiniſtra, & ad labores aptior; inveniuntur tamen ambidextri, qui utraque manu æque commode utuntur, aut etiam quibus ſiniſtra eſt dextra robuſtior. Quemadmodum autem pauci ſunt quibus ſiniſtra manus eſt robuſtior dextra, ita etiam paucæ ſunt Reſpublicæ quæ naturalia prorſus jura pervertunt, neque tanta eſt in iis varietas, quanta in poſitivo jure, quod ex Reipublicæ utilitate, quæ multis modis variat, ducitur, & non ſecus ac menſuræ rerum multiplex eſt.

Antequam ulterius progrediamur, non inutile fuerit uſitatam apud Juriſconſultos diviſionem juris proprie dicti cum hac Ariſtotelica conferre, præſertim quia aliter juriſconſulti, aliter Ariſtoteles vocibus quibuſdam in diviſione illa tradenda utuntur. *Tripartitum* autem *jus* conſtituunt, juriſconſulti, *naturale*, *gentium*, & *civile*. *Naturale* id eſt, quod brutis cum homine commune eſt; quanquam hominum tantum reſpectu jus vocatur, in brutis non jus, ſed naturalis inſtinctus ſeu impetus appellatur. Huc refertur cuſtodia & defenſio vitæ, libertatis naturalis, rerum partarum; conjunctio maris & fæminæ, liberorum procreatio & educatio. *Jus gentium* eſt, quod ratio naturalis inter homines conſtituit, ideoque brutis non eſt commune. Huc pertinent jura quæ in contractibus ab omnibus obſervanda ſtatuuntur. Contractus enim in bruta non cadunt: huc reverentia parentum, ac cognati ſanguinis: huc legatorum jura pertinent, qui ſemper inviolabiles ſunt habiti. *Civile* denique *jus* eſt quod quævis Reſpublica ſibi conſtituit, ut jus Romanum, quod etiam κατ' ἐξοχὴν civile appellatur, Jus Polonicum, Magdeburgenſe, &c. Hoc jus ad utilitatem Reipublicæ comparatum eſt, & à naturali tamen jure & gentium aliqua ratione deductum eſt. Unde jura quæ ad publicum Reipublicæ Statum pertinent, prope omnia civilia ſunt ac poſitiva, quia ad formam Politiæ accommodantur; jura privatorum magis ex jure naturali & gentium petuntur.

Tripartita hæc juris diviſio orta eſt ex triplici ſtatu, ac conditione hominis: vel enim conſideratur ut animal, vel ut homo, vel denique ut homo politicus ſeu civilis. Quatenus animal, jus naturale ei convenit: quatenus homo, jus gentium, quatenus Politicus, jus civile. Sed Ariſtoteles priora duo membra ad unum revocavit, hoc eſt, ad jus naturale. Nam revera tum id quod homini eſt commune cum brutis, tum id quod naturalis ratio inter homines conſtituit, naturale eſt; differt tantum, quod illud commune ſit, ac late quoad rem ipſam pateat, hoc hominis ſit proprium, & ſtrictius. Interdum etiam difficile eſt ea diſcernere; dubium enim eſt an ad jus naturale dictum, an vero ad jus gentium pertineant, illæ juris regulæ. Jure naturæ æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem; & ſecundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi quem ſequuntur incommoda. Quod Ariſtoteles legitimum vocat, id Juriſconſulti civile; quam vocem Ariſtoteles tam late extendit, ut triplex illud jus à Juriſconſultis conſtitutum complectatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Hactenus de jure proprie & abſolute ſic dicto egimus, nunc ad illud veniendum eſt, quod per Analogiam ſeu ſimilitudinem ita dicitur, & eſt *Oeconomicum ſeu domeſticum*, quod inter eos qui eandem familiam conſtituunt verſatur. Eſt autem *duplex* potiſſimum; vel enim eſt inter eos qui inter ſe *pares* in domo cenſentur, nec ſibi mutuo ſubjecti, vel inter *impares*. Iſtud inter fratres & ſorores ſub patria poteſtate exiſtentes, præſertim ſi non longe à ſe ætate diſtent: aliquo modo etiam inter ſervos eſſe poteſt. Hoc *triplex* eſt; *Uxorium*, *Patrium*, *Herile*. *Uxorium* eſt, quod marito competit adverſus uxorem. *Patrium*, quod parentibus adverſus liberos. *Herile*, quod hero aut heræ adverſus ſervos, omniaque mancipia, & vice verſa. Non enim tantùm eſt jus ſuperiori adverſus inferiorem, ſed etiam inferiori adverſus ſuperiorem.

Hoc autem *jus non eſſe proprie dictum* patet: nam quod ad eos attinet qui pares cenſentur, iis nullum proprie dictum jus convenit, quia nec ipſi ſunt ſui juris ac arbitrii, ſed ejus cui ſubſunt, vel Patris vel heri. Quare jus illorum ad Parentem aut herum ſpectat, qui de eo ſtatuere pro arbitrio poteſt. Quod ad eos qui impares cenſentur attinet; nec inter eos verum jus eſt, ut nec injuria: inter maritum quidem & uxorem, parentem & liberos, propter ſummam conjunctionem, ob quam veluti unum cenſentur, maritum enim & uxorem unum corpus conſtituere S. literæ docent. Liberi nondum emancipati & à parentibus ſeparati, eorum partes ac membra cenſentur. At eidem adverſus ſuum corpus ac membra nullum jus, nec injuria proprie dicta: nemo enim proprie ſibi facit injuriam. Quod ad dominum & ſervum attinet, quia ſervus res ſeu κτῆμα domini eſt, non poteſt proprie dictum inter eos jus eſſe, nec injuria. Jus enim & injuria non eſt inter poſſeſſorem & rem poſſeſſam; alias domino adverſus ſe ipſum jus eſſet, aut injuria, cum res poſſeſſa cum poſſeſſore computetur. Eſt quidem poſſeſſori ſeu domino jus quoddam in rem ſuam, hoc eſt poteſtas de ea pro arbitrio ſtatuendi, ſed non jus adverſus illam, ita ut, proprie loquendo, mutua poſſit eſſe inter rem & poſſeſſorem obligatio ad aliquid præſtandum. Eſt & alia ratio cur inter eos non ſit jus proprie dictum; quia nec lex inter eos eſt, ſed aliquid legi analogum; qualis autem lex tale jus, cum lex deſcriptio quædam ſit juris. Jus tamen eſt aliquod, quia etiam eſt mutua quædam obligatio. Ubi ergo hæc, ibi & jus eſt. Inter omnia autem hæc jura, ad jus proprie dictum proxime accedit maritale ſeu uxorium; quia ibi major libertas, major æqualitas, & uterque conjux imperium ac poteſtatem quandam habet; maritus maxime in filios & ſervos, uxor imprimis in filias & ancillas. Quamquam altero abſente, aut officium non faciente, alteruter utriuſque officium peragere ſolet. Verum quia uxor marito ſubeſt, ideo juris ratio hîc à proprietate diſcedit. Longiſſime autem à jure vero abeſt herile, ob cauſam antea dictam. Eſt tamen aliqua ratione hero jus adverſus ſervum, quatenus ſervus eſt naturali arbitrio præditus, quemadmodum eatenus etiam amicitia eſt & ſocietas; hæc vero æque late patent, ſocietas ſeu communitas, amicitia, jus: ubi unum habet locum, ibi etiam alterum, & contra. Ratio autem hæc eſt cur domino & ſervo jus eſſe poſſit; quia ſervitus non in totum hominem prorſus deſcendit; melior pars natura ſua libera eſt: nec omnia jubere domini poſſunt, nec in omnibus parere ſervi coguntur, niſi velint. Quare eatenus obligatio oritur ſervi adverſus Dominum, ad facienda imperata, & viciſſim domini adverſus ſervum ad ſuppeditanda ei vitæ neceſſaria, hoc eſt, victum & cultum. Reliqua medio quodam modo ſe habent, vel ob libertatem, vel ob æqualitatem, & majorem minoremve obligationem. magis eſt obligatus filio pater, quam mancipio herus: major autem eſt inter liberos æqualitas, quam inter parentem & liberos, dominum & ſervum. Servi quidem inter ſe æquales ſunt, ſed libertas deeſt.

A jure *juſtum* deduci diximus, quod quotuplex ſit jam docuimus: unde etiam quotuplex ſit juſtum conſtat. *Juſtum* autem ſimpliciter dictum differt à *juſto facto*. Juſtum enim ſimpliciter dicitur aliquid etiam antequam fiat, licet ad factum reſpiciat; at juſtum factum reipſa factum eſt: quod ſi ſponte fiat dicitur etiam, *juſte factum*, &, ſi conſilium acceſſerit, *juſtitiæ habituum* arguit. Juſtum autem factum ab ignorante vel invito fieri poteſt. Juſtum ergo ſimpliciter latius patet quam juſtum factum, & juſtum factum quam juſte factum. Quod enim juſte factum eſt, eſt etiam juſtum factum, & juſtum factum, eſt etiam juſtum ſimpliciter, ſed non contra.

Quod ad contrarium attinet, *juri* opponitur *nefas*. (Vocabulum enim abſtractum quod juri accurate opponatur vix apparet; utimur autem ſæpe injuſti aut injuriæ vocibus.) *Juſto* opponitur *injuſtum*, juſto facto, *factum injuſtum*, quod ſi fiat ſponte, dicitur *injuria* ſeu *injuſte factum*, cum fit præmeditate ac conſulto *injuſtitiæ habitum* arguit. Injuſtum factum ſine conſilio, imo etiam ab invito aut ignorante committi poteſt, nec habitum injuſtitiæ protinus ſecum trahit.

Æquitatis vox ambigua eſt, quanquam homonymia eſt ἐκ τῶν ἐγγὺς, hoc eſt ex earum numero quarum ſignificationes ſunt vicinæ. Nonnunquam ſumitur pro juſtitia ſimpliciter, præſertim particulari, quam in æqualitate conſiſtere diximus: æquitas enim & æqualitas cognatæ ſunt. Interdum ſumitur pro habitu qui Græcis ἐπιείκεια dicitur; eaque ex parte cum benignitate magnam habet cognationem, cum de jure ſuo libenter cedat, nec rigide id perſequatur. Opponitur ei *iniquitas* & *rigor*, quemadmodum & æquum-bonum opponitur juri ſtricto ſive rigori juris, qui de verbis ac jure ſcripto nihil remittit, etiamſi circumſtantiarum ratio aliud poſtulet.

Ex æqui autem boni natura æquitatis natura facile patebit, in qua ſignificatione vocem hanc accipimus. *Æquum-bonum* nec idem eſt prorſus cum jure, nec prorſus ab eo differt. Unde quod æquum-bonum eſt, etiam juſtum dicimus: quod oſtendit æquum-bonum ſub jure aliquo modo contineri. Interdum æquum-bonum præferimus juri, nempe ſtricto; ex quo apparet id non eſſe idem prorſus cum jure. Continetur ergo æquum-bonum ſub jure in univerſum ſumto: differt autem à jure legibus comprehenſo, eſtque nihil aliud quam *juris legibus comprehenſi* (ſive ſcriptæ ſint leges, ſive non ſcriptæ, quanquam in ſcriptis ſæpius accidit) *moderatio & correctio quædam.*

Cur autem jus legibus comprehenſum correctione opus habeat, adeoque æquo-bono locus relinquatur, in cauſa eſt legum proprietas. Ea vero eſt, quod leges generalibus verbis concipi ſoleant, nec ad ſingulares perſonas aut actiones deſcendant; alias in infinitum legum numerus creſceret, ob infinitam perſonarum ac negotiorum varietatem, adeoque leges, cum ſcientia comprehendi non poſſent, redderentur inutiles. Hinc Ulpianus ait: *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Et Julianus: *Neque leges, neque ſenatus conſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus quicunque inciderint comprehendantur; ſed ſufficit, ea quæ plerumque incidunt contineri.* Hinc patet non raro fieri poſſe ut lex, generalibus verbis concepta, ut plurimum tantum obtineat, non vero ſemper & ubique, adeoque in hoc aut illo negotio obſervari non debeat: quod cum accidit, jus legis verbis comprehenſum corrigendum ac moderandum eſt. Jus ipſis legis verbis comprehenſum, cum contra mentem ac voluntatem legiſlatoris urgetur, jus ſtrictum, juris rigor, jus ſummum dicitur, & de hoc accipiendum eſt illud vulgare, *Summum jus ſumma injuria.* Huic juri opponitur æquum-bonum, quod eſt ejus correctio, eique præfertur. Æquitas autem eſt juſtitia illa, quæ jus legibus comprehenſum moderatur; qui habitus judicum & arbitrorum fere proprius eſt: quanquam & legiſlatoribus, & illis convenire poteſt, de quorum jure agitur. Ad hanc æquitatem pertinent iſtæ ſententiæ Juriſconſultorum. Celſi: *Benignius leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur.* Et illa Modeſtini: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter*

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem. Et illa Ulpiani: *ſemper in obſcuris id quod minimum eſt ſequimur.* Cajus: *ſemper in dubiis benigniora præferenda ſunt.* Paulus: *in pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt.* Exemplo res fiet manifeſtior. Lex ſit, ut ſi quis depoſitum non reddiderit, mulctam ſolvat. Sit quiſpiam qui furioſo aut irato gladium depoſitum non reddiderit; hic caſus verbis quidem legis, ſed non ſententia fuerat comprehenſus, & legiſlator ipſe, ſi adeſſet, eum exciperet. Quare cum hac in parte lex aliqua ratione peccet, quia id quod plerumque tantum obtinet, generalibus verbis concepit, hunc legis defectum æquitas judicis corrigit, & eum qui depoſitum furioſo aut irato negarat, abſolvit. Quod ſi quis verba legis urgeat, & mulctam ſolvere omnino jubeat, juris rigorem ſequitur, & ab æquitate ac juſtitia diſcedit. Sit etiam lex, ut Homicida capite plectatur: accidat autem ut quis per ignorantiam non affectatam aliquem occidat; non debent hîc legis verba ſpectari, ſed ſententia Legiſlatoris, qui eos demum voluit capite plecti, qui ſponte quempiam occidiſſent. Quare cædes per imprudentiam admiſſa eſt excipienda, & abſolvendus is qui eam admiſerat. Atque hac in parte Jus ſcriptum aut lege comprehenſum, ſimile dicitur eſſe Lesbiorum plumbeæ regulæ, qua in ædificando utebantur, ut ſi forte lapidum aſperitas non pateretur, ut ad regulam rectam accommodarentur, regula ad lapides accommodari poſſet. Sic negotia quidem plerumque ad jus legitimum ſunt accommodata: at ubi negotiorum ratio non patitur, jus ad negotia eſt accommodandum.

Diſtinguenda eſt autem hoc loco *interpretatio* vel mitigatio legis κατ' ἐπιείκειαν ſeu æquitatem, à *Relaxatione* legis, quam *diſpenſationem* vocant, quæ eſt cum legis manentis obligatio circa certas perſonas aut res tollitur. Nam cum æquitas adhibetur, perſona aut res, de qua agitur, verbis tantum legis, non autem ſententia, fuerat comprehenſa, adeoque reus vere non obligabatur. At cum relaxatur lex, non modo verbis, ſed & ſententia legis, perſona aut res comprehendebatur. Utrinque lex manet & tamen reus abſolvitur, aliter quam fit in abrogatione aut derogatione, aut obrogatione. *Abrogatio* enim legis tum fit, cum lex prorſus tollitur, & neminem amplius obligare declaratur. *Derogatio*, cum pars legis tollitur. *Obrogatio*, cum lex contraria fertur. Quibus contraria ſunt *Rogatio* & *ſubrogatio*; quarum illa eſt cum lex fertur, hæc cum aliquid legi additur.

Ex his autem facile patere poteſt quis ſit *æquus*; is nempe qui non ſit rigidus juris, in ſua præſertim cauſa, interpres, nec in deteriorem partem propendeat; ſed de jure ſuo libenter remittat, etiamſi legis rigorem prætendere poſſit.

Cap. XVIII.

Quæſtiones nonnullæ ad Juſtitiæ & Injuſtitiæ naturam pertinentes explicantur.

PRima quæſtio eſt: *An quicunque jus ſuum obtinet; ſponte obtineat, necne?* qua de re dubitatur, quia ii etiam qui juſtum perferunt ſupplicium, jus ſuum videntur obtinere, qui tamen inviti id patiuntur. Sed nos dicimus, generatim omnes, qui jus ſuum obtinent, ſponte ac libenter obtinere; quia id eſt in bonorum utilium, & quidem cum honeſtate convenientium, numero. Hujuſmodi vero bona generatim omnes libenter obtinemus. Hinc patet dubitationis ſolutio: aliud eſt juſtum aliquid perpeti, aliud jus ſuum obtinere: iſtud latius patet, hoc anguſtius. Nam iſtud etiam in malis perpetiendis locum habet, hoc in bonis tantum. Bonorum autem nomine etiam minus malum intelligimus. Quare qui punitur, non obtinet jus ſuum, ſed tantum rem juſtam perpetitur. Nec is qui juſte alterum punit, ei jus ſuum tribuit, ſed jus ſuum exigit, aut tribuit læſo. Neque enim pœna debetur ei qui læſit, ſed læſo; alias læſus non poſſet pœnam jure condonare reo, ſed reus illam exigere cogeretur, quod eſt abſurdum. Nemo enim de alieno jure niſi ipſius permiſſu remittere poteſt; ſed quiſque jus ſuum exigit, & de eo pro arbitrio ſtatuit.

Secunda quæſtio eſt: *An volenti poſſit fieri injuria?* Negatur. Quia hoc ipſo injuria revera eſſe deſineret. Nam eo ipſo dum hic vult damnum perpeti ab altero, de jure ſuo remittit, & ſic alter nihil revera contra jus ipſius facit. Per accidens tamen fieri poteſt, ut alter injuriam faciat, ſi ipſi de voluntate ejus, cui nocet, nihil conſtet, imo credat, eum minime conſenſurum; nam tum perinde eſt, ac ſi nolenti damnum inferret. Verum hæc non ſimpliciter injuria eſt, ſed tantum reſpectu inferentis. Sed objicitur: poteſt noceri volenti; ut interdum volenti amico poteſt auferri pecunia, aut veſtis, &c. Interdum etiam verbera poſſunt infligi volenti, cum is oſtentare cupit patientiam ſuam, eaque poſſunt fieri à ſciente prudente. At injuria nihil aliud videtur eſſe quam damnum alteri à ſciente prudente illatum. Verum hoc negatur: non enim omne damnum, quod alteri infertur à ſciente prudente, eſt injuria; ſed tum demum, cum nolenti infertur. Hoc tantum ex ratione adducta conſequitur, aliquem poſſe volentem injuſti aliquid pati, at non injuriam. Latius patet perpeti aliquid injuſti, quam perpeti injuriam, ſi proprie velimus loqui. Nam ad hoc, ut aliquis quippiam patiatur injuſti, ſatis eſt, ei præter æqualitatis aut analogiæ rationem aliquid detrahi, eique noceri. Ad injuriam autem præter hoc requiritur: 1. Ut is qui facit injuriam, ſponte & nocendi animo damnum inferat; quæ conditio deeſt, cum à rebus inanimatis damnum nolenti infertur; imo etiam cum à brutis, quæ non dicuntur proprie feciſſe injuriam, ſed pauperiem damnumve dediſſe, aut denique cum ab homine ignorante atque invito prorſus damnum infertur. Diximus enim alibi, injuriam inferre nonniſi volentis eſſe. Ubi autem nemo eſt qui facit, nemo etiam eſt qui patitur injuriam. 2. Requiritur, ut is, qui damnum patitur, nolens patiatur.

Tertia quæſtio eſt: *An quiſpiam ſibi ipſi poſſit facere injuriam?* Id negatur. 1. Quia idem ſimul & velle & nolle rem eandem cenſeri deberet. Diximus, enim, eum demum inferre injuriam, qui volens damnum infert; eum autem demum injuriam pati, qui nolens patiatur: hîc autem, ubi idem eſt qui facit, & qui patitur injuriam, idem ſimul & volens & nolens ejuſdem rei reſpectu dicendus erit, quod eſt abſurdum. Quanquam hoc ipſum etiam per ſe abſurdum eſt, volenti fieri injuriam, quod ex hac ſententia conſequitur. Contrarium enim modo demonſtravimus. Injuriæ verum principium ſemper externum eſt. 2. Quia idem ſimul & lucrum habere & damnum pati ejuſdem actionis reſpectu cenſeretur: lucrum quatenus infert, damnum quatenus patitur injuriam. Nam qui infert injuriam, is lucrari, ſeu plus habere, qui injuriam patitur, damno affici, ſeu minus habere cenſetur: quod enim huic decedit illius culpa, illi ſtatuitur accedere. At iſta nemo non abſurda eſſe videt. 3. Jus ſuum nemo ſibi ipſi eripere aut violare poteſt, cum de eo ſtatuendi arbitrium habeat: alias jus non foret. At qui injuriam facit cuipiam, jus illius violat, & quantum in ſe eſt eripit. Sibi ergo nemo facere poteſt injuriam. 4. Nemo poteſt rem ſuam furari, ſeipſum calumniari, uxorem ſuam adulterare. Idem de cæteris injuriæ ſpeciebus eſt ſtatuendum.

Sed objicitur eum, qui ſeipſum interficit, injuriam facere. Argumento eſt, quod ignominia notatur, atque adeo etiam poſt mortem punitur; non puniretur autem niſi feciſſet injuriam. Cui vero fecit, niſi ſibi ipſi, quem damno affecit, cum ſeipſum vita, re præſtantiſſima, præter fas privarit? Sed reſpondemus; hominem iſtum rem quidem injuſtam in ſeipſum perpetraſſe, non tamen ſibi ipſi injuriam revera intuliſſe, ſed Reipublicæ, cujus membrum fuit, quæ etiam pęnas jure ſuo exigit, quas non exigeret, ſi ſibi ipſi tantum intuliſſet injuriam: quę enim cauſa jus ipſius perſequendi,

& quidem cum ipſius ignominia? Injuriam autem infert Reipublicæ, partim quod illam invitam membro ſuo ſpoliat: ipſe enim Reipub. fuerat membrum. Suorum membrorum vitæque nemo dominus eſt privatus. Quod ſi dignus erat pœna, Reipublicæ hoc relinquere debebat, quæ jus de ſuis membris ſtatuendi, & cives puniendi ſibi comparavit: partim etiam quod ignominia eam affecit: partim denique quod exemplum peccandi præbuit, & leges civitatis, ſeu, quæ inſtar legum eſt, conſuetudinem violavit. quanquam ne lex quidem expectanda eſt, cum rei turpitudo factum improbat.

Objicitur etiam, prodigum, verbi gratia, ſponte ſibi ipſi nocere, ac proinde ſibi videri facere injuriam. Et Glaucum, cum pro æneis Diomedis armis aurea ipſi dediſſet, injuriam ſibi ipſi feciſſe. Reſpondeo: qui ſponte ſibi nocet, aliquid injuſti patitur, ſed non injuriam: iſtud latius eſt, hoc anguſtius, adeoque ex illo hoc protinus inferri non poteſt.

Quarta quæſtio eſt: *An is qui plus tribuit, an vero is, qui plus accipit, faciat injuriam?* Diſtinguendum hic eſt. Nam is qui tribuit, vel rem ſibi cum alio partitur, vel res alienas tanquam arbiter aut judex diſtribuit. Si rem ſibi cum alio communem diſtribuat, & ſibi ipſi plus quam æquum erat ſciens vindicet, injuriam procul dubio facit alteri; ſi vero alteri plus tribuit, ſibi minus, injuriam non facit, neque etiam is qui accipit. Qui plus tribuit, ideo injuriam non facit, 1. quia quicquid alteri concedit lucri, id de ſuo largitur, & ſibi ipſi adimit; ſibi autem nemo facit injuriam; & cuique de ſuo jure cedere licet, quantum libet, nempe per ſe: dico per ſe, quia per accidens fieri poteſt ut non liceat, v. gr. ſi, niſi jus ſuum perſequatur, & ſuum capiat, vel familiam, quam honeſte deſerere non poteſt, alere, vel amiciſſimos juvare, vel creditoribus ſuis ſatiſfacere non poteſt. 2. exinde patet, eum qui plus alteri tribuit, injuriam non facere; quia hoc plerunque ſolent facere homines æqui ac modeſti, iniqui vero ac injuſti, haudquaquam. 3. adde quod qui id faciunt, laudem mereri ſoleant, & hac ratione damnum, quod ſponte patiuntur, quodammodo compenſent. Quantum enim de commodis perdunt, tantum de honeſtate & gloria illis accedit. Sæpe etiam amicos ſibi hac ratione parant. Hæc autem bona illis longe ſunt potiora. Injuriam autem faciendo nemo laudem meretur. Eum vero qui plus accipit, non facere injuriam ex eo patet: Primo, quia à volente accipit, & quidem eo, qui rem donandi & alienandi liberam habet poteſtatem. Deinde quia ipſe actionis non eſt auctor, ſed is qui tribuit: injuriæ vero is eſt auctor, qui facit, non is qui patitur, niſi per accidens.

Si vero is qui plus alteri tribuit, rem alienam partiatur inter ſocios, ſiquidem id faciat ſciens ac prudens, injuriam facit: nonnunquam etiam is, qui accipit. Tribuentem facere injuriam patet: quia ſponte alteri ſocio præter jus faſque eripit id quod illi debebatur. Dices: atqui ipſe nihil accipit inde, quare nec injuriam facit. Nam qui injuriam facit, is dicitur pleonectes, & plus habere cenſetur: qui vero nihil accipit, cum plus habere dici nequit. Reſpondeo; eum, qui ſciens prudens alteri plus, alteri minus tribuit, etiamſi de iis ipſis rebus, quas diſtribuit, nihil capiat; poſſe tamen dici plus cepiſſe quam debebat; nam vel ab altero pecunia aut ſpe fuit corruptus, aut mercedem prior fuit pactus, aut ſaltem alterius gratiam ea ratione captat, aut denique odium ſuum adverſus alterum, cui minus tribuit, explet, & ſeſe ulciſcitur. Quicquid horum facit, quia præter jus facit, plus cenſetur accepiſſe, ac perinde eſt, atque ſi partem aliquam de bonis alienis, quæ diſtribuere debebat, ſibi reipſa vindicaſſet. Is vero qui plus accipit, tum revera cenſetur facere injuriam, cum eum qui diſtribuit, quacunque ratione impellit ac movet, ut ſibi plus quam alteri tribuat, aut etiam, cum injuriam alteri manifeſte fieri cernit, nec tamen eam, cum poſſit, corrigere ſtudet, nam tum etiam ipſe actionis cenſetur auctor, & ſponte ſua id quod alteri debebatur capit.

Ultima quæſtio eſt: ***Utrum inter duo juſtitiæ extrema, quæ ſunt Injuriam facere & accipere, quæ utraque mala eſſe conſtat, ſit deterius?*** Vulgus enim fere à ſapientibus & bonis viris diſcrepat. Quia enim illud cum lucro, hoc cum damno conjunctum eſt, ideo hoc deterius vulgo cenſetur. Sed rectius ſentiunt viri boni ac ſapientes, deterius eſſe injuriam facere, quam eandem perpeti, quia illud turpe eſt, hoc tantum damnoſum. Deterius autem eſt id, quod turpe eſt, quam quod damnoſum tantum: quemadmodum contra majus bonum eſt honeſtum, quam utile. Majori autem bono majus malum eſt oppoſitum.

CAP. XIX.

De Beneficentia & Liberalitate. Ubi etiam de Gratitudine vulgo dicta.

B*Eneficentiæ* & *Liberalitatis* vox idem revera ſignificat, & æque late patet. Nonnunquam tamen Beneficentiæ nomen latius, Liberalitatis ſtrictius ſumitur. Beneficentia eſt virtus illa, ut ipſa vox indicat, quæ commoda & emolumenta alterius curat, jure civili non cogente, ſive id fiat conſilio, ſive opera, ſive pecunia aliiſve rebus quæ pecunia æſtimantur. Liberalitas autem interdum ſtrictius ſumitur pro ea tantum virtute, quæ donando alteri benefacit. Donamus autem ea, quæ accipi proprie poſſunt, hoc eſt, pecunias & res quæ pecunia æſtimantur, qua donatione ſemper aliquid danti decedit ac perit. Et hac poſteriore ſignificatione accepit Ariſtoteles vocem ἐλευθεριότητος ſeu liberalitatis. Nam in his iiſdem rebus etiam avaritia & profuſio, quæ duo vitia liberalitati huic opponuntur, cernitur. Cui illud quoque addendum eſt, quod liberalitas hæc Ariſtotelica in parvis aut mediocribus tantum ſumptibus, non vero magnis & cum ſplendore aliquo conjunctis, verſatur; nam quæ in his poſterioribus occupata eſt virtus, magnificentia dicitur; de qua agemus in ſequentibus.

Nos primum de *Liberalitate* agemus, quam Ariſtoteles deſcripſit, quæque vulgo hoc nomen magis ſortitur: quanquam non pauca præcepta etiam illi Beneficentiæ, quæ fit conſilio aut opera, erunt communia. Poſtea ſi quid peculiariter in hac beneficentia, quæ opera fit, erit obſervandum, illud quoque adjiciemus.

De objecto Liberalitatis jam diximus: eſt enim *pecunia mediocris*. Pecuniæ autem nomine tum numum, tum omnes res, quæ numo æſtimari ſolent, complectimur.

Circa pecuniam autem *duplex* occurrit *liberalitatis munus*: alterum *primarium*, alterum *ſecundarium*. *Primarium eſt dare* ſeu *elargiri*, & quidem in uſus alienos, non ſuos. *Secundarium accipere* & *cuſtodire*; quod ex parte ad juſtitiam etiam pertinet, ſine qua hæc virtus exerceri non poteſt. Nihil liberale, inquit Cicero, quod non etiam juſtum. Ad liberalitatem aliquo modo pertinere accipere & cuſtodire, hoc eſt in accipiendo & cuſtodiendo rectè ſe gerere, patet: quia niſi accipias, & cuſtodias, largiri diu non poteris, exhauſto liberalitatis fonte. Largitio enim fundum non habet. Niſi etiam recte atque honeſte accipias ac cuſtodias, honeſte largiri non poteris. Vitioſam acceptionem, ait Cicero, non ſequitur honeſta datio. Magis autem liberalitatem in dando cerni, quam in accipiendo, adeoque iſtud primarium, hoc ſecundarium eſſe ipſius munus patet: 1. Quia Liberalitas in uſu pecuniarum cernitur; uſus vero pecuniarum magis in dando, quam in accipiendo conſiſtit, in cuſtodiendo nullo modo. Acceptio autem veluti κτῆσις quædam eſt, ſeu poſſeſſionis ac cuſtodiæ initium. 2. Quia Liberalitatis proprium munus eſt beneficio afficere, non affici, niſi per accidens. At dare alteri eſt beneficio afficere; accipere, eſt affici beneficio, cujus conſequens eſt cuſtodia. 3. Qui recte largitur honeſte agit, ac laudem eo ipſo meretur: qui recte accipit aut cuſtodit, tantum turpitudinem effugit, & ſatis habet ſi reprehen-

ſionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſionem evitet. At illud virtutis potius eſt, quam hoc. 4. Adde, quod danti gratia haberi debet; ne recte quidem accipienti aut cuſtodienti gratia habetur; cum tamen gratiarum actio ad beneficentiam & liberalitatem maxime pertineat. 5. Facilius eſt recte accipere, quam ſua largiri aliis. At virtus, ac proinde etiam liberalitas, in difficilioribus magis verſatur. 6. Quia ii qui largiuntur libenter, propter id ipſum amantur, non vero qui accipiunt & cuſtodiunt. Liberales autem ob ſuas actiones, maxime amari ſolent. Denique vulgus etiam hominum id approbat: nam Liberales vocat qui largiuntur; qui vero tantum recte accipiunt & cuſtodiunt, dum id faciunt juſte agere dicuntur.

Verum quia acceptio & cuſtodia pecuniæ præcedit, & primo omnium Liberali viro ſpectanda eſt, quædam de ea præmittemus præcepta. Quod ad acceptionem attinet. 1. Ne ſumas unde non oportet. Quod præceptum duo potiſſimum complectitur; unum eſt, ne aliena, vel vi, vel fraude ad te pertrahas. De alieno largiri liberalis non eſt, ſed injuſti. Unde hæc præcepti hujus pars ad juſtitiam per ſe pertinet, ad Liberalitatem per accidens. Alterum, ne turpem atque illiberalem quæſtum facias. Hoc enim ſordidi eſt, ac pecuniam magni facientis, qualis non eſt liberalis, qui mavult pecunia carere, quam turpiter eam acquirere. Talis fere ſolet eſſe quæſtus eorum, qui alienis ſerviunt voluptatibus, ut lenonum, cauponum, agyrtarum, item eorum qui viliſſima miniſteria obeunt, aut adulando alios emungunt pecunia. Huc etiam Veſpaſiani ſordes referri poſſunt, qui ex lotio Romæ pecuniam collegit. Huc etiam fænus, quod S. literæ prohibent, referendum eſt; de quo infra. Sumat ergo liberalis de ſuis reditibus, aut labore honeſto paret pecuniam, quam aliis largiatur. 2. Præceptum eſt: ut *avaritiæ* tum crimen, tum ſuſpicionem vites. Ad quod illud inprimis pertinet, ne unquam quærendæ pecuniæ ita incumbas, ut ea cura animum à cœleſtibus ad terrena avocet, à pietatis ac religionis exercitatione diſtineat, aut etiam ut plus, quam tibi ſit opus, aſſervare ac cuſtodire velis: qua de re paulo poſt dicemus explicatius. Deinde ne ſis petax, nec à quovis libenter beneficium accipias. Qui enim libenter petunt, præſertim à quibuſlibet, ii, niſi forte ſint in re nimis tenui, ut ſua ope ſuſtentare ſe nequeant, vel avari ſunt, vel avaris vicini. Nam liberalis eſt ad dandum quam accipiendum proclivior: avarus contra. Denique ne in exigendis debitis ſis acerbus, ſed in contractibus omnibus facilis, & de tuo jure, præſertim ſi debitor ſit egenus, libenter concedas: à litibus, quibus tua repetas, quantum licet adhorreas. Vix enim avaritiæ & tenacitatis ſuſpicionem vitare poſſunt qui contra faciunt. Quanquam hoc preceptum ad dationem etiam pertinet: nam de jure ſuo cedere, eſt dare & largiri aliis.

In cuſtodienda pecunia obſervandum eſt, 1. ut tuarum rerum curam geras, ſed moderatam. Cura ideo habenda eſt rei familiaris, quia eam ſinere dilabi, hominis diſſoluti eſt, & ejus, qui ut diu liberalis eſſe poſſit, non curat. At neutrum hominis eſt liberalis. Moderata autem ideo habenda eſt; nam qui nimis curant, nimis etiam amant pecuniam: quod avarorum eſt: Viri autem pii eſt cavere ne animum pecuniæ adjiciat, & ejus amore à religione ac rerum divinarum cura ſe patiatur avocari, neve opibus confidat, ac in illis potius quam in Deo ſpem reponat. 2. Ut conſideres quantum pecuniæ cuſtodire debeas.

Quod ut intelligatur, conſiderandum eſt, *quærendæ & conſervandæ pecuniæ duplicem eſſe finem.* Vel enim noſtri cauſa quærimus, ac cuſtodimus, vel aliorum gratia. Cum nos appellamus, noſtros etiam domeſticos, uxorem, liberos, & cæteros, quorum alendorum & curandorum officium nobis incumbit, intelligimus. Cum alios nominamus, eos intelligimus, quibus eodem modo devincti non ſumus. Major autem cautio eſt adhibenda tum, cum noſmet ipſos, hoc eſt, noſtros uſus ac commoda in quærendo & cuſtodiendo ſpectamus, ut quantum quærere & conſervare liceat norimus. Hoc autem optime perſpicietur ex fine pecuniarum ad nos noſtroſque uſus relato. Nam ex fine, omnium inſtrumentorum rerumque utilium (in quorum numero eſt pecunia) ratio ac modus pendet. Finis ille eſt, ut habeamus ea quæ ad vitam ac valetudinem conſervandam ſunt neceſſaria: tum ea quæ ad illas actiones obeundas requiruntur, ob quas vita nobis data eſt: denique ut habeamus quæ ad vitæ commoditatem ac civilem quandam honeſtatem ſpectant, ut tum moleſtias, tum contemtum, quantum licet, evitemus. Itaque 1. victu, cultuque corporis, & habitatione, qua nos noſtraque ab injuriis tum aëris, tum hominum improborum defendamus, eſt opus: cum iis vitæ ac valetudinis conſervatio omnino indigeat. 2. Opus eſt inſtrumentis ad illud vitæ genus quod colimus (quod ipſum debet eſſe honeſtum & generi humano utile) exercendum, atque ad vitæ ſubſidia paranda neceſſariis. Sic viro docto libris, agricolæ inſtrumentis ruſticis, medico aliis eſt opus, & ſic in cæteris. 3. Ad commoditatem ac civilem honeſtatem aliquid, præter ea quæ ad vitam ac valetudinem tuendam omnino ſunt neceſſaria, requiritur. Requiruntur autem ea, quæ ad quandam vitæ jucunditatem, itemque ea quæ ad gravitatem dignitatemque ſpectant; quorum abſentia non conficit quidem omnino, ſed affligit ac dejicit, aut contumeliis obnoxios reddit, impeditque ne pro vitæ conditione, aut ætatis vel muneris ratione, contemtum evitare, & conjunctum cum gravitate decorum ſervare poſſis. Quæcunque ad hunc finem pertinent tum nobis ipſis tum noſtris parare licet, & pecuniam eum in finem quærere: nec quærere tantum, ſed & aſſervare. Nec enim in diem vivere homo Chriſtianus debet, ſed eam, quam Deus ipſe monſtrat, prudentiam ſequi. Deus enim non in ſingulos dies fruges producit, quas quotidie abſumamus, ſed in integrum largitur annum: ſatis indicans ea, quæ ſemel ipſius benignitate parta ſunt, aliquouſque aſſervanda eſſe. Nec enim quotidie eadem eſt occaſio aut facultas res neceſſarias parandi; ſed ea ex ratione temporum, virium noſtrarum, aliorumque inſtrumentorum pendet. Interim cavere debes, ne pecuniam tuis uſibus quæſitam in tempus longum ac diuturnum aſſerves, & eum terminum tibi præfigas, ad quem te perventurum merito dubitari queat, aut ad caſum valde malum nummos colligas: præſertim ſi videas, ea tibi adeſſe ſubſidia, ut interea dum tempus illud adveniat, denuo parare poſſis ea quæ tibi tunc futura ſint neceſſaria: ſed aſſerves pecuniam in tempus mox ſecuturum, quod propemodum jam inſtare dici queat, & ad quod uſque te victurum valde ſit credibile, maxime ſi non perinde certum ſit, te, ſi res partas è manibus dimiſeris, interea ea recuperaturum, quæ tum ſint futura neceſſaria. Hæc imprimis ſunt obſervanda in ſubſidiis pro ſenectute, morbis, ſuſtentatione uxoris, aut liberorum, poſt mortem parandis, in dote filiarum, patrimonio cæterorum liberorum quærendo ac relinquendo. Si vero ſe occaſiones urgentiores offerant, ea in uſus gloriæ divinæ conferendi, vel pauperum, & longe minus ad te ex eorum jactura rediturum ſit damni, quam ad alios, ſi iis non largiaris; ea cuſtodire, contra liberalitatis perfectæ officium eſt. Ex quo fit, ut ſi uſus exigat, non tantum bonorum noſtrorum fructum, quem redituum nomine appellamus, erogare debeamus, ſed etiam de illis ipſis bonis imminutio ſit facienda. Quin etiam, ſi accidat, ut is qui tibi admodum ſit conjunctus, & quem deſerere ſit nefas, neceſſariis ad vitam rebus indigeat, ſatius eſt, ut tu minus commode vivas, & aliquid de utilitatibus tuis, alias licitis, detrahas, quam eum perire ſinas. Quia vero fit, ut raro ejuſmodi deſint occaſiones, non facile eſt Liberalem diteſcere. Quod etiam Ariſtoteles pronunciat, addita cauſa, quod plura largiri ſoleat, quam ſibi reſervare; (intellige de iis, quæ neceſſariis vitæ uſibus ſuperſunt;) & in conquirendis aut cuſtodiendis opibus exiguum ponat ſtudium. Unde vulgo fortuna cæca audit, quod bonis præteritis, malis largiri opes ſoleat, quia liberales diteſcere non ſoleant, qui opibus ſint digniſſimi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Hactenus de pecunia quam noſtros in uſus quærimus & cuſtodimus. Quod ad alios attinet, hic eſt proprius beneficentiæ & liberalitatis finis, ut iis proſimus, & eorum uſibus ſerviamus: & qui hanc ob cauſam pecuniam parat ac cuſtodit, nihil peccat, tantumque in eo ipſi licet, quantum fervens religionis ſtudium permittit, & quantum ſuadet prudentia. Qua tamen in re facilis eſt lapſus in avaritiam. Fieri enim poteſt, ut cum pecunia amor ejus creſcat, & quod in alienos uſus parare te putas, tibi poſtea reſerves, aut cum præſentes ſint benefaciendi occaſiones, in futurum tempus rem male differas. Hactenus de accipiendo & cuſtodiendo actum, nunc de dando agendum eſt.

Quod ad *dationem* ſeu *largitionem* attinet, *ea duplex eſt*, quemadmodum etiam beneficium in univerſum. Nam *vel priores damus beneficium, vel acceptum reddimus*; prius magis ad beneficentiam ac liberalitatem pertinet, quam poſterius; licet poſterius ſit magis neceſſarium, quam prius. Nam ad reddendum beneficium, ſi poſſis, plane obligatus es, & improbus cenſeris, ſi non reddas; quia videtur injuſtum; injuſti autem ſunt improbi. At dare beneficium in noſtra eſt ſitum poteſtate, nec pręcedit obligatio ejuſmodi. Unde nemo injuſtum dixerit aut improbum, qui beneficium negarit, quia indebitum: ſed illiberalem tantum, avarum, parcum, tenacem aut ſordidum. Loquimur autem de improbitate aut injuſtitia civili. Nam alias ſi juſtitiam perfectam ſpectes, quam ſacræ præſcribunt literæ, avarus etiam injuſtus eſt & improbus; quod enim jure divino & honeſtatis alteri debetur, per vim detinet.

In dando beneficio quovis, ſive pecunia id fiat, ſive opera, hæ potiſſimum circumſtantiæ ſunt obſervandæ. 1. Quem in finem des. 2. Quibus des. 3. Quid & quantum des. 4. Quomodo des: quo etiam locum & tempus referimus. 5. Tandem, quomodo dato beneficio te gerere debeas.

De *fine*, quia in actione primum eſt præfigendus, *primò* agendum eſt. Finis autem, quemadmodum in omni virtute, debet eſſe honeſtum ipſum, cui debet convenire finis beneficii propior, atque interior. Nam ſi pecuniam des alteri, quo ille genio indulgere poſſit, aut inſtrumenta paret quibus aliis noceat, jam ab honeſto diſceditur. Honeſto conjunctum eſt rectæ conſcientiæ gaudium. Quibus Theologus addit Dei gloriam, animæ ſalutem, & aliorum divinorum munerum impetrationem. Itaque hoc fine excludimus honoris ac gloriolæ, itemque lucri cupiditatem. Gloriam enim quærere beneficiis, ambitioſum eſt; lucrum, non liberalis, ſed avari, quorum beneficia ſolent eſſe hamata, quæ plus petunt, quam dant. Quod ſi tamen contingat ut largiendo alteri id agas, ut honeſta viciſſim utilitas ad te redeat, ſine turpitudine quidem id facere potes; verum hæc voluntas, quæ tuum ſpectat commodum, non proprie eſt benefica. Hæc enim alterius tantum utilitatem in dando ſpectat. Et factum hoc tuum in creditum ſeu mutuum quodammodo tranſit, oriturque veluti contractus quidam inter te & alterum; præſertim ſi is intelligat, quorſum detur.

Secundò: Ut iis des beneficium, quibus decet, tria potiſſimum ſunt conſideranda, *Indigentia, Mores, Conjunctio vitæ* quæ nobis cum illis intercedat. Quæ tria etiam ſunt cauſæ ad beneficentiam impellentes, ſuntque diligenter inter ſe conferendæ, ut appareat tum cui largiri debeas, tum quantum. Magna enim eſt in illis varietas. Interdum major eſt indigentia, interdum minor; quemadmodum etiam probitas, aut conjunctio. Præterea alio tempore hujus, alio alterius major eſt vis ad beneficentiam exercendam, & altera alterius vim infringit, ſi inter ſe aliquomodo pugnent; v. gr. ſi hic quidem magis indigeat, ille vero vel probior ſit, vel mihi conjunctior; ſed altera conjuncta alteri ejus vim auget.

Indigentia autem primo ac proprie eſt ſpectanda; ad hanc enim explendam beneficium dari ſolet ac debet. Ea vero non eſt uniuſmodi: vel enim neceſſaria alicui deſunt, vel ea tantum, quæ ad commodiorem vivendi rationem pertinent: ſeu, ut Cicero loquitur, ii qui indigent, vel calamitate premuntur, vel res meliores quærunt, nullis rebus ſuis adverſis. Ex iſtorum numero ſunt, qui in ſumma rerum inopia verſantur, & victum ac cultum, vel ob corporis imbecillitatem, vel quemcunque alium caſum, ſibi ac ſuis parare nequeunt, vel captivi ſunt, vel exules. Propenſior autem debet eſſe voluntas in calamitoſos, quam in eos qui res meliores quærunt. Quod ſi certe digni fuerint calamitate, ne tum quidem prorſus deſerendi ſunt, ſed ita ut nec bonis deſit, nec ipſi prorſus pereant. At vulgo contrarium fieri videmus; nam, ut ait Cicero, à quo plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt.

Quod ad mores attinet, ille potius adjuvandus eſt, qui melior, quam qui deterior, cæteris paribus. Dico, cæteris paribus, quia interdum is qui melior eſt, longe minus indiget, quam is, qui virtute vincitur, & quia hic forte conjunctior, ut parentes, aut uxor, nonnunquam etiam liberi; his magis dandum eſt, quam illi Alias contra faciendum eſſe ratio ſuadet: partim quia dignior eſt beneficio, qui melior, & hominum ſocietati utilior; partim quia gratior eſſe ſolet, quanquam non tam hoc, quam illud liberali ſpectandum eſt. Hinc illud eſt, quod vulgo dicunt, ſe in beneficiis collocandis mores hominum non fortunas ſequi; ſed dicunt, non faciunt. Cum virtute autem morum conjungi etiam poteſt ſapientia & eruditio, itemque artificium generi humano utile.

Quod ad *conjunctionem* attinet, ejus non unum eſt genus, & gradus ſunt varii; unde fit, ut nonnunquam difficile ſit judicare, quid cuique aut quantum ſit tribuendum. Duo autem præcipua ejus poſſunt conſtitui genera; vel enim *conjunctio* illa *prorſus humana* eſt, vel aliqua *ratione divina*, quam ſpiritualem appellare ſolemus. Iſtius varii ſunt gradus: prima ac maxime propinqua eſt cognatio mariti & uxoris, tum liberorum cum parentibus, tum cognatorum; quorum iterum varii ſunt gradus, alii propiores, remotiores alii: hos ſequuntur affinitate juncti. Et hæc conjunctionum genera magna ex parte ſunt naturalia; quanquam conjugum & affinium conjunctio non parum habet voluntarii. Sequitur conjunctio amicorum, qui voluntate inter ſe ſunt juncti: ſocietas eorum, qui in eadem familia vivunt; item vicinorum eorum, qui ejuſdem ſunt tribus, aut collegii, aut ordinis, aut civitatis ac Reipublicæ, ejuſdem nationis ac linguæ: denique naturalis eſt omnium hominum inter ſe conjunctio. *Divina* illa *& ſpiritualis conjunctio* eſt hominum Chriſtianorum, qui divinæ veritatis & pietatis vinculo inter ſe colligantur, ad eandem felicitatem contendunt, eundem Deum ac Dominum habent, ejuſdem Reipublicæ cœleſtis cives ſunt. Quanquam inter hos alii aliis iterum ſunt conjunctiores, ut qui uno in loco habitant, aut eodem funguntur in Eccleſia officio, eadem ſtudia tractant, aut ſi quid aliud eſt, quod unum cum altero magis conjungere ſolet. Conjungitur enim ſocietas humana cum hac divina. Jam quo propior aut major eſt neceſſitudo, aut quo plura arctioraque conjunctionis genera concurrunt, tanto plus cuique debetur. Plurimum autem beneficia debent ſibi mutuo conjuges; quamquam ea magis videntur debita, quam beneficia; tum liberi parentibus, & viciſſim. Sequuntur amici, maxime ii, qui Chriſtianam ac divinam inter ſe colunt amicitiam, tum etiam ad cæteros liberalitas pro conjunctionis gradu ſe porrigit.

Tertiò: Quid & quantum ſit tribuendum, partim ex indigentia, dignitate & conjunctione, partim ex tuarum facultatum modo, partim denique ex eo æſtimandum eſt, quid is cui dandum eſt, ſine te conſequi poſſit, aut etiam non poſſit. *Quod ad res dandas* attinet, *primo omnium dandæ ſunt neceſſariæ*, quarum abſentia cruciat; tum eæ quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem quandam pertinent, ſi res noſtræ id ferant. *Quod ad quantitatem* attinet, *Nec plus eſt dandum, quam res familiaris ferat, nec minus. Non plus*, quia hoc pacto fons beneficentiæ celerius exhaurietur, & benignitate tolletur benignitas. Quid autem ſtultius eſt, ut ait Cicero,

cero,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cero, quam quod libenter facias, curare ut id diutius facere non poſſis? non debet liberalitas nepotari, ut cum Seneca loquar. Adde quod hac ratione fiat, ut iis quibus maxime debes, & quos deſtituere turpe eſt, deſis, nec eorum neceſſitatibus ſufficere queas, ut uxori, parentibus, liberis, domeſticis, aut etiam ut creditoribus tuis, aut aliis, quibus jure obſtrictus es, ſolvere non poſſis. Satius autem eſt ei non dare, cui jure ipſo nihil debetur, quam iis non dare, quibus debetur. Solet etiam plerunque fieri, ut qui in alios ſunt effuſi, in alios nimis ſint rigidi, aut injurii; quod contra beneficentiam eſt. *Non etiam minus eſt dandum*, quam res tuæ ferunt, & indigentia aliena poſtulat: id enim reſtricti eſt, ac tenacis, non liberalis. Quouſque autem liberalis hac in parte progredi debeat, patet ex iis, quæ ſupra de cuſtodia pecuniæ dicta ſunt. Denique, plus illi dandum eſt, qui ſine te minus poteſt conſequi, quam qui plus poteſt: quia indigentia ejus, quatenus ad te refertur, minor eſt: illi autem qui minus indiget minus eſt dandum. Hoc etiam in materia beneficii cavendum eſt, *ne id quod alteri foret noxium largiaris*, etiamſi quam maxime roget & urgeat; quemadmodum frigidam negamus ægris, ſibi iratis ferrum. Utilitas enim ejus, cui benefieri debet, non voluntas eſt ſpectanda. Sæpe autem fit, ut quidam affectu aliquo impediti, aut ſpecie utilitatis decepti, quid utile ſit non videant: at cum ſubſedit cupiditas, deteſtantur pernicioſorum munerum auctores. Exorari in perniciem rogantium, inquit Seneca, ſæva bonitas eſt.

Quartò: Quod ad dandi modum attinet: *Animo debes dare prompto & hilari*; atque ut ait Seneca: ſic des quemadmodum velles accipere. Huc pertinet *primum* ne expectes dum rogeris, ſi egeſtatem alterius ſentias; imo etiam inquiras, & divines ejus voluntatem. Moleſtum enim verbum eſt, homini ingenuo, & generoſi animi oneroſum, & demiſſo vultu dicendum, Rogo: ut ait idem Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 2. Hujus facienda eſt gratia amico. Suffunditur enim rubore, dum eo adigitur. Itaque qui hoc tormentum ei remittit, multiplicat munus ſuum. Non tulit gratis, qui cum rogaſſet accepit. Nulla enim res carius conſtat, quam quæ precibus emitur. *Deinde* ſi contingat ut rogeris, plura rogantis verba intercidas, ne rogari velle videaris, ſed certior factus ſtatim promittas, facturumque te antequam etiam interpellareris, ipſa feſtinatione approbes. *Tertiò*, promiſſum ne differas, nec expectes donec denuo rogeris: nihil enim eſt acerbius, quam ubi quod impetraſti rogandum eſt; nihil æque amarum, quam diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt, præcidi ſpem ſuam, quam trahi. Gratiſſima ſunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla fuit mora, niſi in accipientis verecundia. Primum eſt antecedere preces cujuſque, proximum ſtatim ſequi; qui cito dat, bis dat, ajunt vulgo. Tantum gratiæ demis, quantum moræ adjicis. *Quartò*: ut vultu etiam hilari, non gravi ac ſevero, non ſuperbo, adductiſque ſuperciliis lingua aſpera beneficium largiaris, ſed blandis etiam verbis beneficio addas gratiam. Nam cum alias homini ingenuo, ac erecti animi, grave ſit beneficium accipere, quia eo ipſo ſe ſubmittere cogitur, & libertatem videtur vendere, tum graviſſimum eſt, ſi contumelia videatur muneri adjici; eaque res omnem beneficii gratiam perdit, & facit, ut malit alter te non dediſſe. Hinc Gratiæ ab antiquis pingebantur vultu hilari ac læto, quod eo vultu dari debeant beneficia. Dementia eſt, inquit Seneca, inſerere contumeliam meritis. Non ſunt exaſperanda beneficia, nec quicquam illis triſte miſcendum. Etiamſi quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito. *Quintò*: Clam potius dandum, quam aperte, tum ne amicum pudefacere, tum ne gloriolam ex beneficio quærere videare. Imo interdum & ipſe qui juvatur, fallendus eſt ut habeat, nec à quo acceperit ſciat: quod Arceſilaus amico inutiliter verecundo & egenti feciſſe dicitur. Atque hoc faciendum in illis potiſſimum beneficiis, quæ infirmitati, egeſtati, ignominiæ occurrunt, quæ nota debet eſſe iis ſolis, quibus proſunt. Illa palam dari poſſunt, quæ conſequi glorioſum eſt, & notitia fiunt pulchriora. Sed hæc potiſſimum ſunt munera à principibus in alios collata.

Quintò: conſideranda ſunt ea, quæ beneficium ſubſequi debent. Hîc 1. cavendum eſt, ne multis tibi patiaris agi gratias; & minus te præſtitiſſe, quam ille fuerit dignus aſſeras; aut etiam eum laudes, quod tuo beneficio uti voluerit. Nam & hoc beneficio addit pretium & voluptatem. Quam dulce, quam pretioſum eſt, inquit Seneca, ſi gratias ſibi agi non eſt paſſus, qui dedit. Contra ſi facias, ambitioſus videberis, aut invitus dediſſe beneficium. 2. Ut quantum in te eſt, obliviſcaris beneficii. Qui præſtiterint, inquit Seneca, obliviſcantur; pertinax ſit memoria debentium. Et alibi: Alter ſtatim obliviſci debet dati, alter accepti beneficii nunquam. Itaque exigere etiam non debet compenſationem. Nemo, inquit Seneca, beneficia in calendario ſcribit, alioqui in formam crediti tranſeunt. Nunquam vir bonus cogitat de recipiendo, niſi admonitus à reddente. 3. Ne beneficia iſta ipſi facile commemores, aut prædices. Nam hoc eſt eorum, qui exinde gloriam quærunt; ac præterea pudori eorum, quibus datum eſt, hoc pacto non conſulitur. Nec etiam beneficia facile exprobrare debes, niſi forte notabilis ſit admodum ingratitudo, aut ſub tua ſit poteſtate is, cui beneficium præſtitiſti. Nam exprobratio pudore ſuffundit eum, cui benefactum eſt, & videtur quædam remunerationis exactio. 4. Ne compenſationem exigas, niſi neceſſitas prorſus poſtulet. 5. Magis dolere debes, ſi cui non dederis, cui dandum fuerat, quam ſi cui forte dederis, cui dandum non fuerit. Satius eſt indignis dare, quam dignis deeſſe.

Hoc coronidis loco adjicimus, liberaliores eſſe ſolere, quibus eſt res relicta, non parta labore. Nam illi, quia inopiam non ſunt experti, eam minus metuunt, ac libenter largiuntur. Hi vero quia labore acquiſiverunt divitias, eas magis amant, tanquam opus ſuum: cuique opus ſuum aſt charum, ut Poëtis.

Hactenus de dando beneficio, nunc de reddendo agendum eſt. Virtus autem illa quæ in reddendo beneficio cernitur, vulgo *Gratitudo*, quanquam non ſatis Latine, Latinius Gratus animus dicitur; licet hæc verba affectum magis, quam habitum notare videantur. Nullum autem officium, ut ait Cicero, referenda gratia magis neceſſarium eſt. Unde ingrati animi crimen inter magna ſolet reponi vitia. Omnia mala dixeris, ingratum ſi dixeris, jam olim eſt dictum. Immemorem beneficii omnes oderunt, tum ii qui dederunt, aut dare poſſunt, tum tenuiores, qui beneficia ab aliis expectant. Nam, ut ait Cicero, eam injuriam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri, eumque qui id faciat, communem hoſtem tenuiorum putant.

Triplex eſt autem *Gratitudinis munus*, gratiam habere, gratias agere, & gratiam referre. Primum animo perficitur, alterum verbis, tertium reipſa. Primum & ultimum ſunt potiora.

Habet autem *gratiam*, qui beneficii eſt memor, & reddere cupit; quod qui facit, eo ipſo quodam modo reddidit. Reddidit beneficium, inquit Seneca, qui libenter debet. Et Cicero; pecuniam qui habet non reddidit, qui reddidit non habet: gratiam autem, & qui retulit habet, & qui habet retulit.

De *gratiarum actione* nil eſt opus dicere aliud, quam turpe eſſe beneficium verbis non fateri. Ubi cavendum, ne aut vilipendere videaris beneficium, aut nimis extollendo in adulationis ſuſpicionem incidas. Illud in magnis potiſſimum beneficiis: hoc in parvis eſt vitandum.

In reddendo autem beneficio, præter alia quæ de dando dicta ſunt, hoc 1. eſt obſervandum, ut, ſi poſſis, majori menſura & majori alacritate reddas; præſertim cum magis neceſſarium ſit reddendi, quam dandi beneficii officium. Qui enim reddit, accepto beneficio ad reddendum obligatus eſt: qui prior dat, non obſtrictus eſt. Itaque illud juſtitia propemodum exigit; hoc liberalis voluntas. Quod ſi ea quæ acceperis utenda,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

majore menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus, quidnam provocati beneficio facere debemus? annon imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? &, ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Cicero lib. 1. Offic. Hanc ob cauſam ex veteribus alii duas fecerunt Gratias, unam Hegemona, quaſi dicas principem ac ducem, quæ beneficio primum dando præſit; alteram Auxo, ab augendo; quia ei qui beneficium accepit, omni ope ſit conandum, ut illud auctius cumulatiuſque reddat. Alii autem tres fecerunt, unam quæ beneficium mereatur, duas quæ beneficium referant. 2. Delectus in acceptis beneficiis eſt habendus. Nam ei plus reddendum, qui plus aut libentius dedit. Etenim, non tantum munus ipſum, ſed animus dantis, idque potiſſimum, eſt ſpectandus. Nonnunquam, inquit Seneca, lib. 1. de Benef. cap. 2. magis nos obligat, qui parva dedit magnifice: qui regum opes æquavit animo, qui exiguum tribuit, ſed libenter; qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpicit: qui non voluntatem tantum juvandi habuit, ſed cupiditatem; qui accipere ſe putavit beneficium, cum daret; qui dedit, tanquam non recepturus, recepit tanquam non dediſſet; qui occaſionem qua prodeſſet & occupavit & quæſivit. Contra ingrata ſunt, licet re ac ſpecie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt. Multoque gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Habenda tamen etiam eſt ratio egeſtatis. Nam qui magis eget, illi, cæteris paribus, magis & citius reddendum eſt.

Huic parti liberalitatis opponitur *ingratitudo*, quæ in defectu peccat: & vel gratias non agit bene merito, vel gratiam non habet, vel non refert cum poſſit; vel ægre ac multo cum murmure; vel longe minori menſura reddit. Quod vitium merito omnibus eſt inviſum, & ſingularis cujuſdam improbitatis cenſetur indicium. Unde illud vetus: *Omnia mala dixeris, ingratum ſi dixeris.* Alterum extremum, quod in exceſſu peccat, quia in mundo locum vix invenit, ideo nec nomen. Ad profuſionem tamen, de qua poſtea, referri poteſt, ſi pecunia fiat remuneratio. Hæc de liberalitate quæ in pecuniis dandis cernitur.

Sequuntur ejus extrema. *Avaritia* & *profuſio*; illa in defectu magis peccat, quam in exceſſu, hæc contra. Dico magis, quia avaritia aliqua ratione etiam in exceſſu peccat, profuſio interdum etiam in defectu. Nam cum duplex circa pecuniam verſetur actio, acceptio (cum qua cuſtodiam computamus) & datio; in dando quidem deficit avarus, in accipiendo autem & cuſtodiendo ſuperat modum. Prodigus in dando modum ſuperat, in accipiendo interdum deſerit; interdum, inquam, non ſemper, quia nonnunquam etiam multum accipit, ut habeat, quod profundat. Verum quia datio eſt potior quam acceptio & cuſtodia, & in illa uſus pecuniarum vere conſiſtit, non in hac, (unde illam magis ad liberalitatem pertinere diximus quam hanc) hinc fit, ut avaritia potius dicatur in defectu peccare, quam in exceſſu. Profuſio contra magis in exceſſu, quam in defectu. A potiori enim fit denominatio.

Avaritia ergo eſt vitium, quod in quærenda & cuſtodienda pecunia modum ſuperat, in danda deficit. Ejus natura maxime ex iis eluceſcit, quæ de modo aut magnitudine pecuniæ quærendæ ac cuſtodiendæ dicta ſunt. Sunt autem *duo* potiſſimum *avarorum genera*; nam quidam aliena non appetunt, ſed tantum in dando ſunt reſtricti, quærendæ & aſſervandæ pecuniæ nimis intenti. Hi ſolent appellari ſordidi, parci, Eucl，iones. Aliena autem non appetunt aut rapiunt, vel metu infamiæ, vel metu damni. Vix enim fieri poteſt, ut qui aliena rapiunt, de ſuis etiam non periclitentur, ſive à privatis hominibus, ſive à magiſtratu. Quidam autem ſunt, qui in accipiendo etiam modum ſuperant, & unde poſſunt, lucrum captant, etiam minimum, aut cum infamia; cujuſmodi ſunt, qui illiberales præſtant operas, atque ob vile lucellum indigna facere aut pati non erubeſcunt. Huc pertinent lenones, aleatores, fæneratores, fures, graſſatores.

Per *fæneratores* eos intelligimus, qui extorquent de rebus creditis aut commodatis fructum, qui *uſura* appellatur, cum oppreſſione ſeu damno aliorum. *Damnum* autem illud redundat, vel in debitorem, vel in alios. In debitorem, ſi v. g. ex pecunia ſibi credita non poſſit tantum capere commodum, ut & creditori fructum reddere, & inde etiam res ſuas meliores facere poſſit, etiamſi curam quam decet adhibeat. Atque his illi debent accenſeri, qui uſuram capiunt ab iis quibus donare deberent, & qui non res meliores quærunt, ſed neceſſarias. Ad alios redit damnum, ſi debitor, ut tum ſuis, tum creditoris commodis ſatiſfaciat, cogatur quodam modo in alios eſſe iniquus, & merces v. gr. majoris vendere, quam vendendæ fuerant; unde rerum pretia augentur, & in publicum bonum peccatur.

Avaritiæ autem vitium, prioris præſertim generis, in ſenes libentius cadit, *partim* propter infirmitatem, quam explere cupiunt, & ob quam laboribus ſupereſſe non poſſunt. Hinc enim libenter recondunt, ne illis aliquando deſit; & quo minus viæ ſupereſt, tanto plus quærunt viatici. *Partim*, quia longo uſu didicerunt, quid valeat numus, quanto labore paretur, quam facile perdatur, & quam gravis ſit egeſtas, ideoque illam magis fugiunt. Juvenes contra viribus ſuis confidunt, de futuro non ſunt ſolliciti, paupertatem quam non ſunt experti minus metuunt. Sed & fæminæ hoc vitio magis laborant, quam viri, propter imbecillitatem & timiditatem. Unde quidam dixit: miraculum eſt videre fæminam liberalem. Atque hinc etiam Ariſtoteles vult, ut viri, qui audacia & robore valent, foris rem parent, mulieres domi cuſtodiant. Quia enim timidiores ſunt, diligentius aſſervant.

Profuſio eſt vitium in danda pecunia modum ſuperans. Ea non tantum in donando, ſed ſimpliciter in dando & ſumtu nimio faciendo cernitur, etiamſi forte in voluptates ſuas aut luxum pecuniam impendat. Qui hoc vitio laborat Græcis dicitur ἄσωτος, quaſi eum dicas, qui ſibi interitum afferat, aut ſalutem vitamque ſuam ipſe perdat. Rem enim ſuam perdit prodigus, qua vita & incolumitas quodam modo nititur. Duobus autem modis dividi poſſunt *prodigi*; *per ſe & per accidens*. *Per ſe*, dum alii ſtatuuntur, qui in dando tantum excedunt modum, alii qui etiam in accipiendo. Illorum profuſio non poteſt eſſe diuturna, cum opes fundum habeant, largitio non habeat; atque iſti inopia tandem corrigi ſolent; hi vero etiam injuſti eſſe ſolent, ut habeant unde largiantur: quemadmodum Sylla & Cæſar, qui, ut haberent unde darent, rapuerunt aliena: & hi ſunt deteriores. *Per accidens* ita dividuntur, quod alii ſint ſimul intemperantes ac luxurioſi, quod fere accidit; (unde Græcis ἄσωτος prodigum & luxurioſum denotat:) alii iſto vitio carent, & hi poſteriores prioribus ſunt meliores ac ſanabiliores. Prodigos autem vulgo ſequuntur *paraſiti* & aſſentatores, quibus illi libenter largiuntur. Nam in dando partim voluptatem ſequi ſolent, partim gloriolam aut laudem. Ad utrumque ſerviunt paraſiti, qui illorum voluptatibus & auribus obſequuntur, laudanda non laudanda approbant.

Quod ad comparationem vitiorum iſtorum attinet, avaritia deterior eſt profuſione ſola, ſi ipſorum tantum vitiorum naturam inſpicias. 1. Quia avaritia prope inſanabilis eſt, profuſio ſanabilior. Cujus rei ratio quadruplex; una quod profuſio in adoleſcentes plærunque cadit, qui vel diſciplina emendari poſſunt, vel ipſi confirmato cum ętate judicio, vitio illi renunciant. At avaritia in ſenes libenter cadit, quæ ętas correctionem vix admittit. Imo avaritia cum ſenectute creſcit. Si in juvenem cadat avaritia, is ignobilis admodum eſt animi, nec quicquam fere boni de illo ſperari poteſt. Altera ratio eſt, quia profuſio rem familiarem exhaurit, qua exhauſta egeſtas ſequitur, quæ juvenes prodigos ad frugalitatem redire docet. Avaritiæ alia eſt ratio, qua paratur copia non inopia. Reliquæ duæ rationes patebunt ex ſequentibus. 2. Quia avaritia naturæ noſtræ magis eſt cognata; cum natura in commoda noſtra ſimus propenſi, aliis largiendo, noſmet ipſos commodis

noſtris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

noſtris privamus, à qua re natura ſumus alieniores. At quæ naturæ noſtræ ſunt cognatiora, ea ſunt inſanabiliora, atque adeo deteriora. 3. Quia profuſio majorem habet cum liberalitate cognationem quam avaritia, & facilius ad eam revocari poteſt. Nam & prodigus ad dandum pronus eſt; dare autem liberalitatis potiſſimum eſt munus. Avari potius eſt accipere & cuſtodire; at hoc ſecundarium tantum liberalitatis eſt officium. At quod in re potiori cum liberalitate convenit, ei eſt affinius, & facilius ad eam reduci poteſt, quam quod in ſecundario tantum munere cum ea convenientiam habet aliquam. 4. Quod prodigus, licet ſtulte rem ſuam profundat, non malæ tamen videatur eſſe indolis: avarus autem humili & ignobili videtur eſſe animo. Nam generoſi eſt animi libenter largiri: & timidi ac parvi, in corradendo & cuſtodiendo anxie occupari. 5. Quia prodigus aliis prodeſt, avarus ne ſibi quidem. Avarus & parcus tantum poſt mortem proſunt. Avari genium ſuum defraudant, & in pœnam ſuam vivunt. Unde quidam; ſi quid avaro imprecari velis, optare debes, ut diu vivat. Qua de re infinita apud omnis generis auctores occurrunt loca.

Ad Liberalitatem, de qua hactenus diximus, revocari poteſt, *hoſpitalitàs*, ea nimirum quæ in peregrinos, & honeſtos exules exercetur, dum lare menſaque excipiuntur. Ei contraria eſt *inhoſpitalitas*, quæ eſt avaritiæ ſpecies & ſoboles.

Abſoluta ea beneficentiæ parte, quæ in pecuniis dandis cernitur, nunc de ea nonnihil eſt dicendum, quæ fit opera, priorique haud eſt indignior, imo, ſi Ciceroni credimus, etiam honeſtior, quæque patet latius, & pluribus poteſt prodeſſe. *Operâ* autem dicimus aliquem prodeſſe, non tantum cum labor accedit aliquis, qui membrorum externorum perficitur obſequio, ſed etiam cum conſilium damus, cum pro altero preces, autoritatemque noſtram interponimus. Hîc 1. ſpectandum eſt, ne quid unquam contra æquitatem faciamus, & ne ut aliis gratificemur, noceamus aliis. Nil enim beneficum, quod non juſtum. 2. Ut temeritatem vitemus, & quantum ejus fieri poteſt, caveamus, ne dum gratificamur aliis, ſine juſta cauſa, aliorum grave odium, aut periculum nobis accerſamus: quod fieri ſolet, cum adverſario alterius ſuccurritur. 3. Honeſtiſſimum tamen eſt, juvare oppreſſos à potentioribus, idque, cum opus eſt, etiam cum vitæ diſcrimine: quod quando ſit adeundum in doctrina de fortitudine diximus. 4. Quod ſine tuo detrimento præſtare potes omnibus, nemini negandum eſt. Ut conſilium fidele, quod accipienti utile eſt, danti non moleſtum; præſertim cum diuturna deliberatione non eſt opus, nec aliis magis neceſſariis negotiis objicitur eo pacto impedimentum. Habet enim tum locum iſtud Ennii, quod apud Ciceronem legitur:

Homo qui erranti comiter monſtrat viam;
Quaſi lumen de lumine accendat, facit
Ut nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Quod enim in una re dictum eſt ab Ennio, id transferri ad omnes debet, quæ ſine detrimento dari aut commodari poſſunt. Huc etiam pertinet, ut alios libenter erudias, moneas, veritatem divinam edoceas: quod etiam Chriſtiano homini eſt factu neceſſarium, ſi poſſit & occaſio ſe offerat. Nam tum maxime erranti monſtras viam, & velut lumen de lumine accendis, & cum illum docueris, nihilominus eadem noſti, nec quicquam tibi inde decedit, imo etiam fructus laboris accedit. 5. Cum quædam omnibus proſint, quædam paucis, aut uni, ea præferenda ſunt, quæ omnibus proſunt, iis quæ paucis aut uni, niſi forte rei ipſius magna ſit differentia. Honeſtius eſt, v. gr. civitatem integram ſervare, quam privatum aliquem. Sed alias ſatius eſt virum bonum ſervare, quam exiguo aliquo commodo aut lucro civitatem augere.

Cætera quæ ad hanc beneficentiam exercendam pertinent, ex liberalitatis præceptis peti poſſunt. Nam & hîc finis eſt præfigendus honeſtum; deinde habendum eſt diſcrimen inter eos, quibus benefieri debet, & ſpectanda indigentia, conjunctio, dignitas. Præterea eo modo dandum eſt quo decet, & ea, quæ beneficium conſequi debere diximus, obſervanda ſunt. Gratitudinis eadem eſt ratio, quæ huc etiam extenditur.

Huic parti beneficentiæ quæ opponuntur propriis nominibus fere carent. In defectu peccat improbitas illa, quæ vel cum poteſt alteri non ſuccurrit; vel ei etiam nocere ſtudet, nocetve, idque aut corpori, aut honori ac famæ, aut commodis; (quod iterum multis fit modis, qui omnes ad injuſtitiam referri poſſunt; cum qua vitium hoc conjunctum eſt:) vel denique cum malis ejus delectatur, bonis triſtatur. Prima hujus vitii ſpecies *Immiſericordia* & durities animi dici poteſt, altera *Malevolentia*, tertia *Invidia*: quanquam hæc affectuum potius ſunt nomina, quam habituum, cum improbitate tamen junctorum. Immiſericordia illa cernitur cum quis aut in alienis malis ad juvandum non movetur, aut commoda aliena, cum poſſit non auget & promovet, aut invitus, aut ſui tantum commodi cauſa id facit.

In exceſſu quod peccat vitium vix habet generale nomen: poteſt tamen huc referri *temeritas in aliis juvandis*, cum quis alterius juvandi ſtudio vel id aggreditur quod perficere non poteſt, vel ſine juſta cauſa in diſcrimen aut damnum ſe ſuoſque conjicit, alioſve offendit. Itemque eorum *præpoſtera benignitas*, qui ut alios juvent, aliis nocent: quo loco miſcetur hoc extremum cum contrario. Referri etiam huc poteſt, πολυπραγμοσύνη, cum quis ſeſe ingerit rebus, nihil ad ſe pertinentibus, non poſtulantibus iis, ad quos eæ ſpectant. Deterius tamen eſt prius vitium, quam poſterius. Iſtud enim magis eſt ad nocendum comparatum, quam hoc. Iſtud improborum eſt; hoc ſæpe imprudentium tantum.

Cap. XX.

De Magnificentia.

M*Agnificentia* eſt virtus in magnis ſumptibus occupata. Ea à Liberalitate, gradu potius quam ſpecie videtur differre. Nam quod liberalitas præſtat in ſumtibus parvis, aut mediocribus, & prope quotidianis, hoc Magnificentia, ut ipſum nomen indicat, præſtat in magnis & raris: quale diſcrimen etiam inter Modeſtiam & Magnanimitatem conſtituimus. Quanquam etiam ſumtus viri magnifici mediocres cenſeri debent; non habita ratione impenſæ ipſius, ſed ratione circumſtantiarum. Liberalitas fere in quoſvis cadit: Magnificentia in opulentos tantum ac nobiles claroſque viros, & quibus relicta potius res eſt quam labore parta. Hæc quia nec omnium eſt hominum, nec temporum, nec ita neceſſària, ut liberalitas, ideo pauciora de ea ſunt dicenda.

Diſtinguenda autem ſunt inprimis *impenſarum genera*, quæ magnifico, ſi ita res ferat, ſunt facienda. Impenſæ iſtæ magnæ vel fiunt in res ſacras, vel in humanas, ſeu mavis profanas. In ſacras, cum vel magnis ſumtibus ſuſtentantur, qui res ſacras obeunt, & Theologiam aut docent, aut diſcunt; cum ſumtus ad libros de rebus divinis agentes typis vulgandos, itinera veritatis promovendæ cauſa ſuſcipienda, ædes ſacras, in quibus ad verbum divinum audiendum populus confluere poſſit, extruendas ſuppeditantur; & ſi quæ ſunt ſimilia. In res humanas fiunt ſumtus vel publice, vel privatim: publice, cum vel ſtipendiis magnis aluntur, qui civitatem recte inſtituant, ac regant; (quo pertinent, tum ii qui civilia negotia tractant, tum ii qui diſciplinas arteſque liberales publice docent, tum ii qui eaſdem diſcunt;) vel aliis civitas commodis augetur, veluti agro, piſcinis, vectigalibus, vel ædificia aliaque parantur opera, quorum vel in pace, vel in bello uſus eſt. Quorum in pace etiam uſus eſt, iis vel egeſtati, infirmitati, imbecillitati aliorum conſulitur: (quo pertinent Xenodochia, in quibus hoſpites ac peregrini pauperes, noſodochia in quibus ægroti, gerontodochia, in quibus ſenes aluntur, ii præſertim, qui ſumtu ipſi deſtituuntur;) vel etiam ad commoditatem negotiorum, & ornamentum civitatis pertinent,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut curiæ, ſcholarum ædificia, porticus ad agendos conventus civiles aut commercia, aquæductus, publica horologia, campanæ, & ſi quæ ſunt ſimilia. Ad bellum potiſſimum pertinent portæ, muri, valla, eaque quibus ſe aliqua ratione defendere licet. Privati ſumtus magni, vel fiunt aliorum cauſa tantum, vel aliquo modo noſtri ipſorum gratia. Qui aliorum cauſa fiunt, vel fiunt tum, cum viris de nobis aut de Republica bene meritis præmia perſolvuntur; vel in hoſpitibus aut multis, aut magnis, cum dignitate excipiendis, hoſpitalibuſque muneribus cernuntur. Qui nos magis reſpiciunt, vel raro accidunt, aut etiam ſemel tantum in vita, ut quæ ad nuptiarum aut funerum ſolennitatem pertinent; vel ad domum cultumque noſtrum & apparatum quotidianum ſpectant. Huc ædes, ſuppellex, veſtes, famulitium, equi, aliaque ejus generis referuntur. Hæc de materia magnificentiæ.

In his omnibus decorum ita ſervabit Magnificus, 1. ut neceſſaria primum paret, tum demum utilia. Neceſſariis autem illa etiam annumeramus, quæ conſuetudo cum honeſtate non pugnans ita firmavit, ut ſine dedecore omitti non poſſint. 2. Deinde ut divina præferat humanis, privatis publica, diuturna, & perpetuum fructum habentia, iis, quæ ſunt fugacia & caduca: qua tamen in re tempora rerumque circumſtantiæ vim non exiguam habent. 3. In privatis eam ſervet dignitatem, quæ vitæ conditioni ſit conveniens: ſed ita ne magis neceſſaria virtutum officia omittantur. Nam qui nimis dignitati ſuæ conſulunt, ii in egenos ſæpe ſunt reſtrictiores; quo nihil eſt à magnificentia alienius. Nemo enim liberalior in egenos eſſe debet magnifico. 4. Habere autem debet etiam diligentem opum ſuarum rationem: quod illi cum liberalitate commune eſt. 5. Invidiæ, quæ magnificentiam libenter ſequitur, non ſuccumbat, aut cum honeſtatis neglectu cedat, ſed modeſtiæ & humanitatis laude occurrat. Cætera quæ hîc dici poſſent ex doctrina de liberalitate petantur: multa enim ex iis huc pertinent. Multa alia leguntur apud Ariſtotelem & Ciceronem; ſed ea, quia exiguum habent uſum, libenter prætermittimus.

Extremum iſtud quod in exceſſu peccat, Græcis dicitur βαναυσία, aut ἀπειροκαλία; Latinis dici poteſt *inſolentia in ſumtibus*. Ea eſt vitium in magnis impenſis modum ſuperans. Id autem committitur, cum vel ſumtus fiunt, ubi plane non eſt opus, vel majores quam opus eſſet, vel neglectis magis neceſſariis, minus neceſſariæ fiunt impenſæ, vel oſtentationis tantum cauſa pecunia profunditur. Alterum extremum, quod in defectu peccat, Græcis μικροπρέπεια dicitur, Latinis *ſordes* appellari poſſunt. Eſtque vitium modum deferens tum, cum magni ſumptus ſunt faciendi. Quod admittunt ii qui minores quam opus eſſet, ſumtus facere ſolent, aut etiamſi interdum magnos feciſſe ſumtus videri queant, tamen parva aliqua in re ſordidos ſe produnt, dum id maxime agunt, ut quam minimos faciant; præterea lenti ſunt, gemebundi, ac queruli, ſemperque ſe majores feciſſe impenſas quam oporteat exiſtimant.

CAP. XXI.

De Veritate, ſeu Veritatis ſtudio: item de Taciturnitate.

SEquuntur jam virtutes homileticæ, quæ in convictu ac conſuetudine familiari verſantur. Inter eas principem locum obtinet *Veritatis ſtudium*, quæ eſt virtus dictorum cum rebus conſenſum prudenter obſervans. Hæc virtus, quatenus ad promiſſa juramentaque refertur, *Fidem* in ſe complectitur: quatenus in ſermonibus noſtris ſive bonis ſive malis verſatur, *Candorem*, *Sinceritatem* & *Simplicitatem*.

Fides eſt dictorum conventorumque conſtantia, ſeu promiſſorum veritas. Vera autem tum demum reipſa exiſtunt promiſſa, cum fit id quod dictum eſt: atque hinc Stoici Fidem dictam putant. Ea eſt juſtitiæ quæ in contractibus voluntariis cernitur fundamentum. Juſtitiæ enim eſt alteri jus ſuum tribuere, & quod ei debetur exſolvere. At cum quis alteri quippiam promittit, ei cui promittit jus aliquod acquiritur ad rem promiſſam repetendam, & is qui promittit fit illius debitor. Unde vulgo dicitur, *omne promiſſum cadit in debitum*. Quare cum fides adigat ad promiſſa exhibenda, eo ipſo ad juſtitiam colendam ſeu alteri jus ſuum reddendum impellit. Diverſa eſt ratio in minis: neq; enim fides alicujus laborat, qui quod minatus eſt non præſtat; quia minis nullum jus alteri acquiritur: ſed ſi aliquod jus eſt, id illius eſt qui minatur, de quo illi licet remittere quantum vult, niſi alias honeſtas diſſuadeat, aut alterius etiam interſit ne minæ remittantur. Ex dictis patet, Fidem duas virtutes quodammodo complecti, veracitatem & juſtitiam commutativam; licet vox ipſa priorem magis videatur notare: unde veritatis in ejus definitione expreſſe facta eſt mentio, Juſtitiæ nonniſi tacite.

Candor, *ſinceritas* & *ſimplicitas* tum locum habent, cum ea aperte dicimus à quibus proferendis vel commodi aut exiſtimationis noſtræ ſtudium, vel metus offenſionis aut periculi nos avocare poſſet.

Harum virtutum officia ſunt ea quæ ſequuntur: 1. Danda eſt opera, ut, quantum ejus licet, ſermones noſtri rebus ſemper conſentiant, maxime in rebus ad religionem pertinentibus, in promiſſis, in juramentis, atque adeo in omnibus, ubi mendacium noſtrum nocere alteri poſſet: qua in re fidem cerni diximus.

2. Si civili mendacio periculum ab altero avertere, aut inſigni eum commodo augere poſſis, eo uti non videtur illicitum: obſervatis tamen iis, quæ in primo præcepto diximus, nempe ut nec præter neceſſitatem, nec in rebus ad religionem pertinentibus, nec in juramentis mendacium verſetur, nec cum aliorum injuria ſit conjunctum. Sic, obſtetrices olim juſſæ infantes Iſraëliticos enecare, Pharaonem mendacio eluſerunt: cujus facti præmium à Deo retulerunt. Cum de nobis ſolis agitur, parcius hujuſmodi mendaciis eſt utendum, quam cum de aliis: ne vel commoda noſtra nimis amare, vel mendaces eſſe videamur, vel etiam utilitatis noſtræ amor longius nos provehat, & fraudulentos ac perfidos efficiat. Multa faciunt viri boni aliorum cauſa, quæ ſui cauſa facere non admodum decet: illud enim virtuti tribuitur, hoc utilitati noſtræ: at non perinde hæc excuſat atque illa.

3. Si quis forte juraverit, aut ſine juramento promiſerit id ſe facturum, quod cum honeſtate revera pugnat, v. gr. homicidium aut furtum, juramentum aut promiſſum damnandum ac deplorandum eſt: non autem, ut verus eſſe videatur, denuo peccandum. Cedit enim veritas dictorum factorumque honeſtati, quando inter utramque lis eſt.

4. Ne tum quidem præſtanda ſunt promiſſa, cum ſunt illi ipſi, cui promittitur, futura noxia: quale fuit promiſſum Phœbi Phaëthonti filio datum, quod ipſi attulit exitium, ut eſt apud Poëtas. Vide Ciceronem, Offic. lib. 1. & 3.

5. Adde, ſi rerum ac factorum circumſtantiæ admodum mutentur: v. gr. ſi promiſeris te cuipiam advocatum in rem præſentem venturum, atque interim audiatur, vel uxorem, vel filium tuum, vel quempiam alium de vita periclitaturum, niſi ei ſtatim ſuccurras, non eſt contra fidem, promiſſa non ſervare. Qui enim promittit, is de ejuſmodi caſibus vel non cogitat cum promittit, quos ſi præſciviſſet non promiſiſſet, aut eos aperte excepiſſet: vel ſi ei venerunt in mentem, nec tamen ita ut eos eventuros metueret, unde factum ut eos expreſſe non exceperit, tacite tamen excipiendos cenſuit: quia ipſa æquitas ſuadeat, ne ob levius alterius incommodum, patiamur eos, quibus maxime devincti ſumus, incurrere in longe majus. Neque vero tum fidem fregiſſe aut fefelliſſe dicendi ſumus; quia promittentis voluntas & ſententia ſpectanda eſt. At cum promittimus, ut homines promittimus, qui nec omnia quæ eveniunt prævidere, nec omnia præcavere poſſumus. Itaque quæ præter ſpem eveniunt, pro exceptis ſunt habenda. Atque hîc, ut jam monuimus,

æqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

æquitas etiam habet locum; & is cui promiſſum erat, etiamſi verba promiſſionis obligent promiſſorem, ſententia tamen eundem non obligari putare debet.

6. Fides in primis ſervanda eſt in *Juramentis*, quæ maxime promittentem obſtringunt, & immutabilis voluntatis ſunt ſigna, ſi adhibeantur iis quæ nos facturos dicimus. Eſt enim juramentum, teſte Cicerone, *aſſertio religioſa*, qua fit, ut ſi id, quod facturos nos dicimus, non præſtemus, ſi poſſimus, & honeſte quidem poſſimus, iram Numinis nobis imprecemur. Talis obligatio cum interceſſerit, præſtanda ſunt promiſſa, etiamſi graviſſimum incommodum ſis incurſurus, ſi ille caſus non cenſeatur aperte exceptus: quod ex conſenſu hominum communi, aut conſuetudine cui lex non repugnat, æſtimandum eſt. Fidem autem, etiam hoſti ſervandam eſſe, conſenſus ſapientum comprobat: idque M. Reguli exemplum ſatis docet. Qua de re vide Ciceronem Offic. libro 1. & 2.

7. Cum de bonis noſtris ſermo eſt, licet nonnulla reticere aut diſſimulare, aut verbis modeſte elevare: ita tamen ne ipſa diſſimulatione alienas de te laudes provocare velle videaris, præſertim ſi res, quam diſſimulas, nimis ſit manifeſta. Semetipſum tum demum laudare licet, idque cum ſignificatione modeſtiæ, cum adverſariorum calumniæ & obtrectationes nos eo impellunt: quo tempore etiam oſtendendum eſt; nos invitos ad laudes noſtras commemorandas adigi. Licet etiam tum dona ſua enumerare, cum eorum commemoratio non tam ad noſtram laudem, quam ad eorum pertinet gloriam, qui illorum in nobis fuerunt auctores; ſed ita ne nos ſimul extollere velle videamur. Tandem & ſenioribus nonnunquam licet, ut juniores ſuo exemplo ad virtutem hortentur, ſuos labores præclaraque facta enumerare. Alias laudes ſuas, licet veriſſimas, prædicare putidiſſimum & odioſiſſimum eſt.

8. Delicta erroreſque noſtros aliave mala fateri tum eſt neceſſe, cum eorum diſſimulatio aut negatio, poſſet nos vel mendaces, fraudulentos, impudentes; vel ſaltem pertinaces, contentioſos, ambitioſos arguere; vel alios etiam corrumpere & non leviter offendere: quod tum in primis fit, cum quis res manifeſtas ab aliis convictus fateri non vult. Atque in his præcipue rebus *Candor*, *Sinceritas*, *Simplicitas* ſpectatur; quemadmodum etiam in bonis noſtris modeſtè agnoſcendis aut profitendis. Dum autem modeſtiæ facimus mentionem, ſignificamus eum qui virtute hac præditus eſt, ad id quod parum eſt propius accedere debere, quam ad id quod nimium, & ſua potius bona extenuare quam augere; quia id magis modeſtiæ ſit conſentaneum, & paulo civilius.

Vitia huic virtuti oppoſita ſunt, *Mentiendi libido*, ſub qua *Perfidia* continetur, quæ Fidei adverſatur: & *Nimia in dicendo Simplicitas* ſive *Sinceritas*, quæ imprudentiam potius quam improbitatem arguit. Iſtud vitium in defectu peccat, hoc in exceſſu. Candori ſpeciatim quæ opponantur, poſtea dicemus.

Mentiendi libido eſt vitium ejuſmodi, quo quis vel in aliorum fraudem ac detrimentum, contra animi ſui ſententiam loqui, vel ex levitate quadam ſciens prudens mendacia ſua aliis obtrudere amat, etiamſi nihil ad illos mali, ad ſe nihil boni redundet. Qui hoc vitio laborat, is demum *mendax* jure dicitur. Obſervandum autem eſt non idem prorſus eſſe *Mendacium dicere*, & *Mentiri*. Is enim *Mendacium dicere* cenſetur qui falſum dicit imprudens: *Mentiri* autem is demum qui ſciens prudens falſum aliis obtrudit, præſertim ſi id ad illorum fraudem aut ludibrium pertineat. Hinc illud, viri boni eſſe non mentiri, Philoſophi ne mendacium quidem dicere: quia viri boni ſit non fallere, ſed Philoſophi etiam non falli.

Perfidia eſt mentiendi libido in juramentis & quibuſvis promiſſis. Ejus actus dicitur *Dolus malus*, ſub quo continetur *Perjurium*. *Dolus malus* eſt cum aliud dictum, aliud cogitatum, aut actum eſt, in alterius damnum. *Perjurium* eſt dolus malus in *Juramento*, h.e. in affirmatione religioſa. Quanquam etiam paulo latius Perjurium extendi poteſt, ut omne mendacium in juramento, licet ad detrimentum alterius minime pertineat, & ab imprudente etiam fuerit profectum, complectatur.

Multis autem modis committitur *Perjurium*. In rebus quidem præteritis aut præſentibus, quæ juramento confirmantur, uno id tantum modo contingit, nempe cum falſum aſſeritur: at cum de futuris agitur, *duobus* contingere poteſt *modis*. *Unus* eſt, cum is qui jurat, id facere tum non cogitat, ad quod jurejurando ſe adſtringit. *Alter* cum is, licet tum cum juraret, in animo haberet id facere, poſtea tamen id non præſtat, culpa aliqua ſua interveniente.

Imo neque *ambiguitate verborum* unquam uti licet in Juramentis, ad fallendum eum qui juramentum exigit: ſed ſincere & candide tum maxime agendum eſt, cum Deus teſtis ac vindex fraudis advocatur. Itaque Perjurii crimen non effugies, etiamſi id quod juraſti eo ſenſu præſtiteris, quem tibi ipſi reſervaras, neglecto eo, in quem aut nolebas, aut probe noras, juramenti verba accipere eum, cui jurabas. Nam cum juramentum in illius utilitatem primo ſit comparatum, cui juratur, ut habeat cui tuto innitatur, non vero in utilitatem jurantis, niſi per accidens, eo ſenſu accipienda ſunt juramenti verba, in quem illum ipſa accipere conſtat, non in hunc. Quod ſi velles eum, cui promittis, illam animadvertere & accipere verborum tuorum interpretationem, ſecundum quam tu promiſſi verba præſtare vis, jam eum non deciperes, animadverſa ambiguitate.

Præter hæc, Mentiendi libido adhuc alia habet diſcrimina, nominaque peculiaria, pro rerum ac circumſtantiarum diverſitate. 1. Vel enim in rebus ad Religionem ac mores ſpectantibus iſtud vitium verſatur, & ad alios corrumpendos pertinet, non habita honoris, ſive divini ſive humani, ratione: vel cernitur in alio rerum genere. Qui in prioribus ſtudio mentiuntur *ſeductores corruptoreſque* appellantur: quanquam corruptela etiam in factis conſiſtit. Atque his *falſi Prophetæ*, & ii qui *hæreſes* diſſeminant ſunt annumerandi. Qui in poſterioribus, vel ſui commodi cauſa id faciunt, ut *agyrtæ*, & alii qui magnarum rerum ſcientiam profitentur, iique *veteratores* ac *deceptores* appellantur: &, ſi fallaces addant ratiunculas, quæ eruditionis ſpeciem habeant, *Sophiſtæ*: ſi nullum ob commodum, ſed levitate quadam ducti id faciunt, *vani* ſimpliciter appellantur, & commune mendacium nomen obtinent.

2. In ſermonibus, præſertim falſis, vel honor aut exiſtimatio alterius læditur, vel minus. Cum læditur falſo, aut eo tantum animo ut alteri noceatur, vel ſaltem ut is moleſtia doloreque afficiatur, vitium ipſum *Maledicentia* appellatur, actus vero *Maledictum* ac *convitium*. Nihil enim aliud eſt convitium, niſi crimen alteri ignominiæ cauſa objectum. Læditur autem vel honor divinus, idque partim tum, cum in ipſum Deum maledictum conjicitur; partim cum in divinum aliquem virum, ut Apoſtolos, Prophetas, aut rem quæ prorſus divina ſit, ita ut illa contumelia in ipſum Deum manifeſte redundet: & tum actus ejuſmodi vitioſus & impius *Blaſphemia* dicitur, ſtricte ſumta voce, cum alias ea omni maledicto ſit communis. Hominum fama & exiſtimatio læditur varie, licet non omnes modi propria habeant nomina. Quæ habeant ex diviſione convitiorum patet. Nam 1. vel ipſe alteri objicis crimen aliquod, vel alteri objicienti ſubſervis ſermone; quod cum falſo fit *Falſum teſtimonium* appellatur. 2. Vel id eo ſciente facis quem lædis, vel eo inſcio coram aliis. Cum eo inſcio coram aliis *Obtrectatio* dicitur, quæ eſt ſermo clandeſtinus ad famam alterius minuendam comparatus. Et, ſi apud eos id fiat, qui vindicare eundem poſſunt, & ei de quo ſermo eſt nocere, qua de re obtrectatori conſtet, *Sycophantia* & *delatio* dicitur: quanquam hoc vitio is etiam dicitur laborare, qui vera crimina, quæ tegere debebat, libenter ſui alicujus commodi cauſa defert. 3. vel gravius eſt crimen quod objicitur alteri, vel levius & vix æſtimandum. Si gravius, ac falſum, *Calumnia* vocatur. Ad hæc etiam vitia pertinet *Malignitas*, ac aliena facta dictave carpendi ſtudium; quod oſtenditur ea aliqua ratione minuendo, aut nonnunquam etiam malitioſe laudando: quanquam iſtud alio referri poteſt.

Nimia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Nimia in dicendo Sinceritas, ſeu *Simplicitas*, eſt vitium eorum qui cum damno & periculo, ſive ſuo, ſive alieno, quicquid verum eſſe putant eloquuntur, præſertim interrogati, licet rem diſſimulare vel etiam honeſte negare poſſent. Ut, ſi quis latentem alicubi hominem, eumque fortaſſe plane innoxium, à perſequente hoſte interrogatus, prodat, & in diſcrimen vitæ adducat, quem tamen ibi latere ſine culpa negare poſſet. Sic ſi quis delictum alterius, quod tegere juberet charitas, vel etiam ſuum aut ſuorum domeſticorum, quod honeſtius occuleret, nulla neceſſitate compulſus evulget.

Candori ſpeciatim opponuntur *Arrogantia* ſeu *Jactantia*, Græce ἀλαζονεία, & *Diſſimulandi ſtudium*, *quod* Græcis Εἰρωνεία dicitur. *Arrogantia* eſt vitium in bonis noſtris prædicandis modum excedens. Committitur tum, cum quis ea quæ laude digna eſſe putat, ſibi tribuit, etiamſi in ipſo plane non ſint, vel ſaltem minora quam verbis jactat: item cum intempeſtive ea quæ revera habet commemorat, & de illis gloriatur. Quod vitium nunc ſuperbiæ fructus eſt, cum quis gloriolæ tantum cauſa iſta facit: nunc avaritiæ, ut in iis qui, ut quæſtum faciant, multa de ſe falſo jactant. Ad hoc genus pertinent *Sophiſtæ* qui ſapientiam, *Agyrtæ* qui medicinam, *vates* qui rerum occultarum aut futurarum ſcientiam ſibi arrogant.

Diſſimulandi ſtudium, ſeu *Ironia* eſt vitium eorum qui bona quæ habent, vel prorſus ſe habere negant, vel nimis extenuant. Sunt autem & hi duplices: alii enim res magnas & honore dignas diſſimulant, qui vulgo politiores habentur, quia id jactationis evitandæ cauſa faciant: alii res parvas & vulgares, qui rideri & contemni ſolent. Et hoc vitium nonnunquam ex ambitione naſcitur eique ſubſervit. Nam qui nimis affectate ſua extenuant, eo ipſo majora ſibi ineſſe bona credi volunt, & aliis occaſionem laudandi ſe ſe præbent, atque ita obliquo itinere ſuam quærunt gloriam.

Veritatis ſtudio propter affinitatem ſubjungimus *Taciturnitatem*, quæ eſt virtus modum in oratione ſervans: ſeu, virtus in lingua frænanda occupata.

Illius præcepta ſunt: 1. Ut ſecreta, tum tua, tum aliena, ſtudioſe celes, idque etiam tum, cum vix quicquam videtur eſſe periculi. Hæc res ad conſilia perquam eſt neceſſaria: unde Taciturnitas prudentiæ nervus dicitur. 2. Ut non niſi utilia loquaris, quæ jucunditate ita temperanda ſunt, ut ab honeſtate tamen nihil deflectas. 3. Ut tempeſtiva loquaris, hoc eſt ea quæ perſonis, loco, tempori ſunt accommodata. 4. Brevitati orationis, quantum res quidem & auditorum fert ingenium deſideriumve, ſtudeas.

Vitia Taciturnitati oppoſita ſunt *Garrulitas* & *Moroſitas*, ſeu *Nimia ſermonis parcitas*. *Garrulitas* eſt vitium in dicendo modum excedens. Quod admittitur cum quis ſecreta effutit, inutilia, intempeſtiva loquitur, aut denique verboſior eſt quam res & auditorum fert voluntas. *Nimia ſermonis parcitas* eſt vitium in dicendo modum deſerens. Quod fit, cum quis ne tempeſtiva quidem, aliiſve utilia vult loqui; aut, cum res vel auditorum ingenium prolixiorem orationem poſtularet, verborum nimis eſt parcus. Deterius autem eſt Garrulitatis vitium, quia frequentius ac magis noxium.

CAP. XXII.

De Humanitate, ſeu Comitate.

HUmanitas, quæ Amicitia, ob ſimilitudinem quæ ei intercedit cum Amicitia, dicitur ab Ariſtotele, eſt virtus in civili converſatione ad ſeriam aliorum voluptatem ſermones factaque externa accommodans. Seu, virtus quæ in ſermonibus factiſque externis utiliter aliis placere ſtudet.

Varia ſunt ejus officia. 1. Id agit humanus, ut quantum honeſtas, & vera aliorum utilitas patitur, nemini ſit moleſtus, ſed omnibus jucundus. 2. Aliorum recte facta, ubi commodum videt, libenter laudat. Commodum autem tum in primis eſt, cum approbatio vel ei qui laudatur ad ſimilia majorave conanda, vel aliis ad æmulandum poteſt prodeſſe, nemini vero nocere, aut ſaltem longe plus utilitatis quam incommodi afferre: (laudes enim alios inflant ac deteriores reddunt, aliis calcar addunt.) Intempeſtivas laudes, aut aſſentationis ſpecimen præbentes, vitat.

3. Si quæ in aliis reprehenſione digna videt, ita vituperare ſtudet, ut reprehenſionis aſperitatem dexteritate quadam & verborum lenitate, quantam res ipſa, & ejus, qui objurgandus eſt, patitur utilitas, emolliat. Quod ſi mali gravitas acriorem medicinam poſtulat, futuram potius eorum, quos monet, utilitatem, honeſtamque jucunditatem, quam præſentem voluptatem quærendam ſtatuit. Fieri enim ſæpe poteſt, ut is, quem nunc aliqua ratione offendit aut contriſtat, quia ejus cupiditatibus, ſtultis forte ac noxiis, obſtat, poſtea, ubi affectus deferbuerit, & judicio libero rem expenderit, gaudeat vehementer, & gratias ei agat, quod ſibi obſtiterit. Quam voluptatem vir bonus offenſiuncula aliqua libenter redimet: nec nimis uſurpabit illud, Obſequium amicos, veritas odium parit: ſed potius cum Cicerone, lib. de Amic. dicet, Moleſta eſt veritas, &c. ſed obſequium multo moleſtius, quod, peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit.

4. Ad emolliendam reprehenſionis duritiem, dat operam ut alter ſentiat, ſe ſe ab ipſo amari, & reprehenſionem ab animo ſibi optime cupiente proficiſci, eum reprehenſione ac criminatione non delectari, ſed invitum eo adigi, & vicem ſuam dolere: contemptus ſuſpicionem diligenter vitat: à convitiis abſtinet, nec delictum nimis exaggerat, aut aculeatis in reprehendendo utitur verbis: alterum ex imprudentia potius, quam ſtudio, peccaſſe mavult credere & dicere, niſi forte res ipſa contrarium loquatur, & emendationis ratio aliud poſtulet: communicatione criminis libenter utitur, & ſibi quodammodo verbis tribuit, quod in altero reprehendit: nonnunquam non directe, ſed veluti aliud agens, amici vitium tangit, aut veluti joco rem maxime ſeriam agit.

5. Decorum ubique obſervat, &, quid cuique perſonæ conveniat, diligenter expendit: aliter cum patre, aliter cum filio, aliter cum fratre, aliter cum notis, aliter cum ignotis agit.

6. In monendo temporis opportunitatem captat, nec tum facile quemquam reprehendit, cum animus ejus alias ob cauſas turbatus eſt ita, ut vix videatur reprehenſionem patienter laturus. Quod ſi tamen periculum ſit in mora, etiam, cum non ſatis eſt opportunum, monet, ne forte monitioni poſtmodum nullus ſit locus.

7. De lana caprina non rixatur, nec pertinaciter ſua defendit, ſed aliis libenter, ubi honeſte licet, cedit: contentioſa voce non utitur: viciſſitudinem ſermonis in colloquiis ſervat, nec, quaſi in ſuam poſſeſſionem veniſſet, aliis dicendi licentiam adimit: alienos ſermones non interturbat: nec ad primum quodque verbum, quid alter voluerit dicere, divinat, aut reſponſionem, antequam is ſermonem finierit, orditur.

8. Mœſtos ſolatur, dubios ac vacillantes erigit, & animum illis inſpirat.

9. Vultu non triſtem ac nimis ſeverum, ſed ſerenum potius, ac permiſta gravitate blandum, adituque non difficilem ſe præbet: libenter ſalutat.

Extrema Humanitati oppoſita ex una parte ſunt, *nimium aliis placendi ſtudium*. Sub quo *Adulatio* continetur, quod eorum eſt vitium, qui emolumenti ſui cauſa in omnibus placere aliis volunt, ideoque omnia indiſcriminatim, laudanda, non laudanda probant, & cum alter ait ajunt, cum negat negant, atque ut Poëta ait, nutum divitis horrent, ejus iterant voces, & verba cadentia tollunt. Vide Horat. Epiſt. lib. 1. ad Lollium, 18. Qui vero lucri cauſa id non faciunt: ſed tantum offenſionis evitandæ, & aliorum benevolentiam ſibi conciliandi gratia modum tranſeunt, ἄρεσκοι dicuntur, quia nimis placere ſtudent.

Ex altera parte virtuti huic opponitur *Inhumanitas* ac *Moroſitas*, & *Contentionis ſtudium*; item *Conviciandi*, *Calumniandi* & *Obtrectandi libido*. *Inhumanitas* ſeu *Moroſitas* vitium eſt eorum qui non curant ut aliis ſint jucundi: ſed eorum dicta factaque libentius, aut aſpe-

rioribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rioribus quam opus eſſet verbis reprehendunt, vultu triſtes, aditu difficiles. *Contentionis ſtudium* eſt vitium eorum, qui aliis quavis in re libenter contradicunt, de re levi acrius, iracundius & altiori voce diſputant, ſua pertinaciter defendunt, nec, licet victi, de ſententia facile diſcedunt, aut ſe victos fatentur. De aliis tribus vitiis præcedenti capite actum eſt.

Moroſi iſti & contentioſi, blandis illis, qui ἄρεσκοι dicuntur, ſunt deteriores, & longius à medio recedunt, quod ſuavitatem convictus ſectatur; niſi forte per accidens, cum res eſt ejuſmodi, ut in ea morem gerere alteri, aut non reprehendere, ſit turpiſſimum. Adulatoribus tamen videntur meliores, quia hi ſimul avari ac ſordidi, aut injuſti eſſe ſolent, præterea ſervilis & abjecti admodum animi, corruptores adoleſcentium locupletiorum ac generoſorum; quod genus hominum admodum eſt peſtiferum, & omnium odio dignum.

Cap. XXIII.

De Urbanitate.

HÆret in virtutum extremo *urbanitas*, & vix quidem hæret. Nam cum perfecta virtute conciliari vix poteſt. Itaque ei non ſuo merito hîc locum damus, ſed quia Ariſtoteles una cum aliis eam virtutem fecit, videndum eſt, àn ſit Urbanitas aliqua quam uſurpare vir pius poſſit. Definitur ab illo, Virtus in jocis. Nobis vero eſt habitus dextre jocandi. Ea dicitur Græcis εὐτραπελία, propterea quod urbani ſint veluti εὔτροποι, hoc eſt, flexibiles & celeres animi motus habeant. Urbanitatis *objectum* eſt *jocus*, qui ſeriis opponitur ſermonibus: *forma* eſt, in iis modum tenere, & dexteritate quadam uti. Verum ex objecto ſatis patet, urbanitatem, niſi quatenus ad comitatem ſeu humanitatem referri poteſt, & ſerii quippiam feſtivitate ſermonis ab omni obſœnitate ſejuncta condit, verbiſque in ſpeciem jocoſis mixtam voluptati utilitatem audientibus affert, hominem vere pium haud decere. Unde Paulus expreſſe non tantum turpiloquium, ſeu ſermones obſcœnos, & ſcurrilitatem, verum etiam εὐτραπελίαν prohibet: Eph. 5. ỷ. 4. & Chriſtianos haud decere aſſerit. Quod ut recte intelligatur, ſciendum eſt jocos alios (& hi quidem vere ac proprie ſic dicuntur) tantum ad riſum & cachinnos eſſe compoſitos, & nullam afferre audientibus utilitatem; vel aliquid habere ſerii. Interdum enim joco admoneri alter poteſt, quem ſevero ore admonere vix liceret. Itaque quadam feſtivitate verborum oratio conditur, ut facilius in animum influat, & offenſionis minus, plus utilitatis pariat. Hujuſmodi jocus, ſi modo ita eſt appellandus, ſi tempeſtive adhibeatur, non videtur prorſus repudiandus. Ut autem tempeſtive adhibeatur, conſideranda ſunt tempus ac locus, res de qua agitur, perſonæ in quas, & à quibus proficiſcitur dicterium, denique modus.

1. Igitur ne tum uſurpentur, cum de rebus gravibus ſerio & intentis animis agitur: in primis autem cum de rebus divinis, & ad religionem pertinentibus, ſermo eſt: itemque in calamitatibus, ſive publicis, ſive privatis, ſive noſtris, ſive alienis: niſi forte ad eos qui lugent exhilarandos, maxime opportuna feſtivius quippiam dicendi ſe offerat occaſio. Quod etiam in politicis negotiis, licet gravibus, nonnunquam accidit.

2. Privatim potius, quam publice, inter paucos potius ac notos, quam inter plures & ignotos utendum eſt jocis: nec in parentes, magiſtratus, alioſque viros graves ac magnos, quos revereri debemus, dicteria ſunt jacienda.

3. Diligenter cavenda eſt offenſio, & eorum qui joco petuntur ſpectandum ingenium: quod ſi irritatu ſint faciles, temperandum eſt à ſalibus, qui ipſos mordere aliqua ratione poſſint. Nam, ut quidam ait, Joci qui vel minimum ex vero trahunt acrem ſui memoriam relinquunt. Nec apud omnes ridendo verum dicere licet: quales in primis ſunt homines potentes, iracundi, ſuperbi, qui ſe ab omnibus laudari ac magnifieri poſtulant. Alii qui paulo hilariores ſunt, in ſe feſtive dicta ferre poſſunt.

4. Perſonæ, quas præ cæteris gravitas decet, vel ob ætatem, vel ob muneris dignitatem, præ cæteris etiam à jocis abſtinere debent. Tales autem ſunt ii inprimis qui res divinas tractant. Nam joci, niſi valde ſint opportuni ac rari, niſi item aliquid ſerii aut ingenioſi contineant, de gravitate & auctoritate nonnihil detrahunt. Certe quo quis religioſior eſt, eo magis ab iis debet abſtinere.

5. Rari in univerſum ſint joci.

6. Sine effuſo riſu & cachinnis proferantur, ut nihilominus decorum & gravitas quædam obſervetur.

7. Caveatur ne verborum feſtivitas rem ſeriam efficiat ludicram. Itaque alterum admoniturus de re ſeria, joco uti non debes, niſi forte id commodius præſtare non poſſis, ne vel propter id ipſum monita tua ſpernantur.

Verum hęc omnia ad Comitatem pertinere poſſunt. Præter hujuſmodi joco-ſeria vix quicquam eſt quod liceat. Dicta ingenioſa & acuta, aut alias feſtiva, ab omni obſcœnitate ac ſcurrilitate ſejuncta, ad remiſſionem quandam animi & voluptatem pertinentia, raro & tempeſtive adhibita, non quidem laudem merentur, ſed ſatis eſt, ſi venia cenſeantur digna.

Hactenus de potiſſimo Urbanitatis officio egimus, quod in dicendis jocis conſiſtit: Sequitur illud, quod in audiendis cernitur, quod eſt ſecundarium. Non libenter autem audit ea urbanus, quæ honeſte non diceret; paulo tamen patientior eſt in audiendo, quam ad dicendum promptior. Obſcœna ſibi auditu moleſta eſſe, aut verbis aut vultu oſtendit. Nam quæ quis libenter audit, ab iis etiam faciendis abhorrere non videtur; at vir bonus non tantum turpitudinem rei ſed etiam ſuſpicionem vitare debet. In cæteris æquiorem ſe præbet.

Quod ad *extrema* attinet, id quod *in exceſſu* peccat, dicitur *ſcurrilitas, dicacitas*; vitium in jocis modum ſuperans. Eſtque eorum hominum qui poſthabita honeſti aut decori cura, fere in omnibus, aut iis ubi haud decet, riſum captant, nec, modo ridiculi ſint, magnopere laborant, ne quem ſalibus ſuis offendant. Quin ne ſibi quidem ipſis nonnunquam parcunt, ut riſum moveant aliis. Differentia tamen quædam eſt inter ſcurriles ſermones: alii enim etiam obſcœni ſunt, & ad audientium mores corrumpendos ſunt comparati; & hi omnium ſunt deterrimi. Alii vani tantum ac leves. Alii ſalſi ac paulo mordaciores, qui *Scommata* dicuntur. Alii ingenioſi & innoxii, ſed frequentiores, quam ut hominem gravem deceant: quanquam vulgo ſcurriles haud dici ſolent.

Alterum extremum conſtituitur ab Ariſtotele *Ruſticitas* ab omni joco abſtinens. Sed niſi id ad *Moroſitatem* accedat, vitium haudquaquam eſt, & immerito Ruſticitas appellatur; cum potius ad divinam & heroicam gravitatem pertineat, qualis in Domino Jeſu fuit. Unde facile perſpicitur, quid de extremorum comparatione inter ſe ſit ſentiendum.

Cap. XXIV.

De decoro in rebus externis; tum, quod ex diverſitate naturæ, ſexus, ætatis, conditionis, oritur.

PErtinet etiam ad Virum bonum in externis *decorum* obſervare; quo ſpectant Gravitas, & Civilis morum elegantia; quæ duo ſunt veluti ornamenta & condimenta quædam virtutis.

Gravitas eſt dignitas quædam & conſtantia, in vultu, motu ac geſtu corporis, ſermone & veſtitu. *Vultus* virum gravem is decet, qui ſolet eſſe hominis ſeria agentis, ita tamen ne triſtis ſit aut tetricus. *Motus* debet eſſe æqualis, non varius, non concitatus, niſi res moram non ferat: itemque *flexus corporis* omniumque membrorum virilis, non effœminatus, non hiſtrionicus; ita tardus, ut ignaviam tamen non arguat. *Sermo* ſit ſedatus, ſtabilis, tardior paulo, non volubilis, non acutus, non contentioſus, non jactabundus. Quanquam & veritatis ac taciturnitatis ſtudium non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

parum ad gravitatem in ſermone pertinet. *Veſtitus* non varietate colorum aut affectato quodam ſplendore ſit inſignis, nec juvenilem levitatem præ ſe ferat. Viros certe ac ſenes, & eos qui divina tractant, niger color, aut ad nigrum paulo propius accedens, niſi conſuetudo aliud poſtulet, toga promiſſior, mundicies frugalior decet. Gravitas autem illa major eſſe debet in ſene quam in juvene, major in matrona quam in juvencula, major in eo qui divina tractat quam qui humana, qui publicum in civitate munus ſuſtinet quam qui privatus eſt, in domino quam in ſervo. Iſta enim omnia vim non exiguam hac in re habent.

Gravitati in exceſſu opponitur *affectata* quædam *ſeveritas* & *ſupercilium*: in defectu autem *levitas*: quæ ex contrarii natura facile intelliges.

Ad levitatem præter alia multa etiam *profanæ choreæ* pertinent. Quanquam cum ſaltatio plærunque ex intemperantia, & ex luxuria quadam animi ac corporis oriatur, ac cupiditatibus voluptatum turpium ſubſerviat, ad intemperantiam tanquam ejus fructus reduci poteſt. Unde Cicero pro Muræna: Nemo fere ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit: neque in ſolitudine, neque in convivio moderato & honeſto. Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum delitiarum comes eſt extrema ſaltatio. Et ſubjungit, Catonem alloquens qui hoc crimen Murenę objecerat: Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum; relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino eſſe non poteſt. Nullum turpe convivium, non amor, non comeſſatio, non libido, non ſumtus oſtenditur, &c. & poſtea ſaltationem umbram luxuriæ vocat. Sed etiamſi tandem luxuria hæc abſit, quanquam raro abeſt, tamen levitas in choreis cernitur. Unde quo quiſque eſt gravior, tanto magis ab iis abhorret. Græci quia leves erant, ideo ſaltare apud eos inhoneſtum non erat. Romani quia graviores, ſaltationem in probris ponebant. Hinc etiam, quo quemque major decet gravitas, tanto minus decet ſaltatio, ut ſenes, & eos, qui res divinas tractant, qui munus in Repub. amplum ſuſtinent.

Quod ad *civilem morum elegantiam* attinet, quæ obſervat decorum illud, quo neglecto non improbi, ſed inciviles ac ruſtici dicimur, in ea 1. Sequenda eſt regionis ac loci cujuſque conſuetudo. 2. & eorum, qui prudentum in primis judicio elegantioribus cenſentur moribus, exemplum. 3. Quicquid vitii alicujus ſpeciem præbere, aut ſuſpicionem in aliorum animis excitare poteſt, id ſtudioſe cavendum eſt. 4. Utendum verecundia. 5. Omnia illa amovenda, quorum aſpectus, cogitatio, memoria, moleſta eſſe poteſt; quin etiam ea, quæ rei alicujus turpis memoriam excitare, aut ejus ſpeciem animis objicere poſſunt. 6. Quicquid molle & effœminatum eſt, id cavendum, viro in primis. 7. Mundicies corporis ſequenda, non odioſa & exquiſita nimis, ſed quæ abſit à ruſtica negligentia, & diſſolutum hominem non arguat. 8. Benevolentiæ aut honoris, quo alios proſequimur, ſigna uſu recepta, non ſunt negligenda: ſed ita, ne in iis videamur nimii. Alia multa, quæ pro diverſitate loci, temporis, perſonarum ac rerum obſervanda ſunt, videantur apud eos, qui de civili converſatione, aut civilitate morum ſcripſerunt: quanquam plurima uſu ipſo aliorumque exemplis ſunt diſcenda. Morum elegantiæ opponitur in defectu *Ruſticitas*: in exceſſu autem *Superſtitioſa* aut *ridicula civilitatis affectatio*.

Ut autem decorum in omnibus actionibus obſervetur, etiam in iis, unde honeſtas & turpitudo vitæ æſtimatur, diligenter obſervanda eſt propria cujuſque perſona, quam ei, vel natura, vel conſilium, vel caſus tribuit, ſeu quæ ex conſtitutione naturæ, ſexu, ætate, conditione oritur. Decorum enim in eo cernitur, ut id, quod cujuſque perſonæ convenit, fiat. Obſervandum autem eſt, duplici quodammodo nos indutos eſſe perſona, quarum una communis eſt, ex eo quod omnes participes ſumus rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis: altera autem, quæ proprie ſingulis eſt tributa. A priori honeſtum in univerſum ducitur, & contra hanc nihil unquam eſt committendum; ab altera manat decorum iſtud, quod huic aut illi proprium eſt, de quo hic loquimur. Id enim maxime quemque decet, quod eſt cujuſque ſuum maxime, ut ait Cicero. Hoc autem decorum nunquam cum priori pugnare debet. Unde ſi nonnunquam quippiam videatur naturæ aut conditioni cujuſque propriæ convenire, quod ab excellentia naturæ humanæ in univerſum diſcedat, id minime eſt amplectendum.

Quod ad *naturam* attinet, ea quemadmodum in corporibus, ita etiam in animis, magnam parit ab ipſo ortu varietatem. Nam temperamentum corporis varium, variæ ſequuntur animorum inclinationes ac motus, quibus alius in hanc aut illam virtutem aut vitium eſt pronior, ad hoc aut illud vitæ genus ac ſtudium magis propendet. Quod vitioſum eſt, id corrigi ſtudio, quoad ejus fieri poteſt, debet. Quod vero bonum eſt, id tuendum eſt cuique maxime, & ſummo ſtudio excolendum. Id enim non tantum decebit maxime, ſed etiam feliciſſime omnium ſuccedet. Qua de re eleganter Cicero, lib. 1. Offic. Admodum, inquit, tuenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam univerſam nihil contendamus: ea tamen conſervata propriam naturam ſequamur. Ut etiamſi ſint alia graviora, atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo quia nihil decet, invita ut ajunt Minerva, id eſt adverſante & repugnante natura. Omnino ſi quicquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam æqualitas univerſę vitę, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Hoc autem licet Cicero ad vitæ genus eligendum maxime videatur accommodare, tamen ad mores etiam pertinet. Alii enim ad quandam ſeveritatem, gravitatem, magnanimitatem ſunt à natura facti: alii ad lenitatem, humanitatem, ac modeſtiam majorem; ita ut nec illi horum facilitatem, nec hi illorum gravitatem imitari uſquequaque poſſint, nec omnino deceat; licet utrique & graves ſint & modeſti, ſed alia atque alia ratione. Idem in fortitudine accidit; alius enim magis contemnit pericula, alius magis cavet. Idem in prudentia apparet; alius enim prudens quidem eſt, ſed apertior, alius majore quadam utitur ſolertia, & tectius rem agit; neuter indecore, quia naturam quiſque ſuam ſequitur non vitioſam. Quo loco tamen id etiam obſervandum eſt, quod itidem monet Cicero: Si aliquando, inquit, neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea ſi non decore, at quam minime indecore facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, ut bona quę nobis data non ſunt ſequamur, quam ut vitia fugiamus. Quod tamen ad vitæ genera, functiones ac munera magis pertinet; ſed ad virtutes etiam accommodari poteſt; quia nonnunquam tempora, aut munera, vel ſeveritatem, vel lenitatem majorem requirunt, vel fiduciam majorem, vel cautam quandam fortitudinem timiditati propiorem.

Quod ad *ſexus* diſcrimen attinet; *virilem ſexum* major decet animus; & decora quædam audacia, ut in meliorem partem hanc vocem ſumamus. Ejus enim ſexus eſt pericula adire pro bonis, Rempub. gubernarę, foris rem parare, itinera ſuſcipere, cum aliis contrahere, erudire alios, ſermonem ad populum habere: ad quæ omnia major requiritur animi præſentia. *Fœminas* major decet modeſtia, ac verecundia. Earum fortitudo (nam nec hæc eſt fœminis prorſus adimenda) ab audacia longius debet diſcedere, quam virorum: domi potius rem à viris partam cuſtodire, quam foris verſari, aut itinera & pericula ſuſcipere debent, aliis potius parere quam imperare, tacere potius & audire quam loqui.

Quod ad *ætatem* attinet, *juniores* major decet modeſtia & verecundia, *ſeniores* major gravitas & ſeveritas: illi recte monentibus libenter parere, hi recte præcipere & exemplo ad omnem honeſtatem junioribus

præire

præire debent. *Juvenes* ac *viri* labores, qui viribus corporis majoribus indigent, ſuſcipere: *ſenes* conſilio alios inſtruere: his labores corporis minui, animi exercitationes etiam augeri (ſenectutem decrepitam excipio) ſolent. Unde illud natum; Haſtæ juvenum, conſilia ſenum.

Quod ad *vitæ genera*, *ſtatumque* attinet, quia iſta ſunt prope innumera, nimis prolixum eſſet ſingula perſequi. Sunt in *Eccleſia*, ſunt in *Republica*, in *Schola*, in *Domo*, varia munera, dignitate ac præſtantia inter ſe diſcrepantia; quorum officia partim peculiaribus libris ſunt deſcripta ab aliis: ut Principis in Republica, Conſiliarii & aliorum; Paſtoris ac Doctoris in Eccleſia, &c. Alia ipſo uſu, monitis prudentium, ac ſeniorum, eorumque qui cujuſque vitæ generis maxime ſunt gnari, addiſcenda ſunt. Omnia vero ex fine cujuſque vitæ generis ac muneris inprimis ſunt æſtimanda. Finis enim eſt qui media definit.

Eorum autem alia ad virtutes ſuperius à nobis explicatas pertinent, inprimis illas, quæ ſunt adverſus alterum, atque inter has maxime ad juſtitiam, quæ id quod alteri debet præſtat; alia ad decorum externum ſpectant.

Cap. XXV.

De Virtute Heroica, & ejus contrario, Feritate.

POſtquam virtutem morum communem explicuimus, conſequens eſt ut de *virtute heroica*, ſeu divina, nonnihil dicamus. Non eſt autem virtus heroica unum quoddam genus, niſi ſecundum analogiam & ſimilitudinem. Habent enim ejus ſpecies inter ſe magnam convenientiam, ob quam unum etiam nomen ſortiuntur, & propemodum una definitione poſſunt explicari, quæ tamen ad aliam atque aliam ſpeciem applicata paulo aliter accipienda eſt. Eſt ergo *virtus Heroica*, virtus quædam morum adeo excellens, ut qui eam habet, communem naturæ humanæ conditionem videatur ſupergredi. Ea autem inde cognoſcitur, quod quis ea præſtare ſoleat, quæ in virtutum actionibus ſunt maxime ardua & difficilia, & humanas vires quodammodo ſuperant, ita ut ne ii quidem, qui communiter viri boni dicuntur, ea præſtare ſoleant.

Ejus *tres* potiſſimum conſtitui poſſunt *ſpecies*: quædam enim aſſuetudine potiſſimum paratur, & hæc ſub genere virtutis moralis antea à nobis explicatæ continetur, gradu tantum perfectionis à cæteris ejuſdem generis virtutibus, non vero ſpecie differens. Quædam vero ex aliis potius cauſſis oritur, & parum admodum ac prope nihil exercitationi imputat; & hæc per ſimilitudinem quandam virtus moralis dicitur, cum habitus revera non ſit, ſed habitibus virtutum moralium ſimilia præſtet, & actionum ratione cum ea conveniat. Quædam denique veluti media eſt, & in ea exercitatio cum aliis cauſis quodammodo certat. Ex quo apparet id, quod diximus, virtutem heroicam genus eſſe unum per analogiam tantum, non vero Synonymum, cum prima & ſecunda ejus ſpecies ſub diverſis generibus proximis contineantur, convenientiam inter ſe habentibus, ultima de utriſque participet; & definitionem ejus ad diverſas ſpecies accommodatam aliter atque aliter accipi.

Quod ad *primam* virtutis heroicæ *ſpeciem* attinet, quæ *exercitatione* potiſſimum *paratur*, ea multum juvatur doctrina & ſapientia, ea præſertim quam divinæ nobis tradunt literæ, quæ futuræ vitæ præmium virtuti proponit, & perfectæ virtutis officia exemplaque oſtendit. Habet tamen vim non exiguam etiam humana ſapientia, quam Philoſophiam appellamus. Nam ea prudentiam virtutum oculum perficit, cauſſas virtutis ſequendæ penitius perſpicit, ingenium ad omnes caſus ac conſilia reddit expeditius. Præterea cum miram quandam habeat voluptatem, quæ illos qui eam paululum guſtarunt ad ſe allicit, eoſdem etiam virtuti præparat: ſiquidem magnam affectuum moderationem ac tranquillitatem deſiderat, quod potiſſimum virtutis opus eſt; & rerum humanarum ac fluxarum contemtum quendam parit, in quo heroica virtus maxime cernitur. Itaque hac virtute præter Chriſtianos, qui ea cæteros omnes antecellere & poſſunt & ſolent, Philoſophi Ethnici inprimis fuerunt clari, ut Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Zeno, & alii, maxime ex Stoicis. His adjunge viros in Repub. magnos, ut Ariſtidem, Lycurgum, Epaminondam, Fabricium, Camillum, Regulum, Æmilium, alios, qui reſpectu cęterorum gentilium heroica virtute prẹditi fuiſſe cenſendi ſunt, cum ea prẹſtiterint quę plerique prẹſtare vix potuerunt, certe non prẹſtiterunt etiam ii qui boni viri dicebantur: & ſine futurę vitę ſpe, tanta eos prẹſtare potuiſſe mirum eſt. Heroica vero virtute inprimis excelluerunt inter Ethnicos, ſi à Philoſophis diſcedas, Romani & Spartani.

Quod ad *alteram ſpeciem* attinet, *ea duplici* potiſſimum *ex cauſa oritur*, *natura* & *diviniore* quodam *ſpiritu*: idque vel ab alterutra cauſa ſeorſim, vel ab utraque conjunctis. Dico potiſſimum, quia nonnunquam aliqua accedit exercitatio, quæ vel naturam juvet, vel ſpiritui illi cæleſti ſubſerviat: juvant etiam alia externa, ut poſtea dicemus. *Natura*, princeps heroicæ virtutis cauſa eſt in iis, qui indole generoſa & heroica ſunt prædití, & nil niſi ſublimia ſpirant, ad eaque magno quodam impetu ſponte ſua rapiuntur, & omnia impedimenta ſumma vi perrumpunt. Qui tamen naturæ impetus, niſi ratione regatur, & uſu confirmetur, ſæpe graviter impingit, & magis admirandus eſt quam laudandus, plus ſplendoris habet, quam meriti, ob quem ſplendorem, qui in rebus arduis admodum, & vulgo inacceſſis eſt, heroicæ aut divinæ virtutis nomen aſſumit. Hujus generis homines ſæpe magnis laborant vitiis, quibus virtutes ſuas compenſant. Pertinet enim huc illud Platonis: Excellentia ingenia magna producunt vitia, vel, ut ipſe loquitur, αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι τὰς κακίας. Ad hoc genus referendi ſunt illi veterum heroes, poëtarum carminibus celebrati, ut Hercules, Theſeus, Hector, forte & Alexander magnus, præſertim antequam ſe vitiis permiſiſſet. Quorum quidem virtus, pro eo tempore laudem meretur aliquam: verum inter heroas, ſi ex rei potius veritate, quam vulgi opinione judicas, & pretium potius quam ſpeciem rerum æſtimas, poſtremum locum obtinent; cum bellica fortitudine, quæ ad necem hominum eſt comparata, maxime excelluerint; ſi Chriſtianam religionem ſpectes, inter heroas nullum inventuri locum, niſi ad ejus præſcriptum vitam ſuam componerent; quod de cæteris etiam omnibus judicandum eſt. Quod ad eos attinet, qui *divini ſpiritus* vi ea perfecerunt, quæ humanas vires ſuperant, ii potiſſimum ſub N. Fœdere extiterunt, præſertim in Eccleſiæ naſcentis, & hoc ſeculo renaſcentis primordiis. Inter illos ordinem ducit Servator noſter, omnis virtutis perfectiſſimum exemplar: quanquam illi optimam etiam naturam contigiſſe nullum eſt dubium. Hunc ſequuntur Apoſtoli ac Prophetæ, & alii divini viri, qui divino ſpiritu pleni ea fecerunt, aut tolerarunt, quæ non ſine admiratione legas. Ante Chriſtum Prophetæ, & inprimis prophetarum maximus Moſes, Elias, Jeremias, & major prophetis Johannes, cui cum naturę bonitate divinus ſpiritus à primo ortu fuit donatus: huc Joſue, David & alii ſunt referendi. Quanquam in his omnibus acceſſit aliqua vel exercitatio vel conſuetudo, ad divini ſpiritus aut naturæ impetum.

Quod ad *tertiam ſpeciem* attinet, in qua cum exercitatione, vel naturæ impetus, vel divini ſpiritus afflatus ad virtutem certat, eo pertinent tum Ethnici nonnulli, ut Cato, qui natura factus ad gravitatem, conſtantiam, magnanimitatem, eam exercitatione ac diſciplinis roboravit & auxit. Pertinent eo & alii non pauci, præſertim inter Spartanos aut Romanos, qui ſublime nacti ingenium, id uſu ad virtutem eximiam excoluerunt, ac perduxerunt. Pertinent etiam inter Chriſtianos viri multi pietate excellentes, qui divini numinis afflatu majore aguntur, aut indolem prę aliis ad virtutem excitatam nacti, eam ſtrenue ſequuntur, & Chriſti cauſa graviſſimos cruciatus & mortes acerbiſſimas lęti perferunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Ex dictis ſatis conſtat, *quibus ex cauſis heroica virtus potiſſimum oriatur*; nempe *natura*, *exercitatione*, (cui hîc *ſapientiam*, quæ ei facem præfert, adjungimus) & *divini ſpiritus afflatu.* Sed his accedunt alia externa, quæ iſtis ſubſerviunt, & vel occaſionem virtuti heroicæ exercendæ præbent, vel ejus ſunt inſtrumenta. Ea vero ſunt vel res admodum ſecundæ, vel admodum adverſæ, aut ſaltem periculoſæ. Ad res admodum ſecundas pertinent opes magnæ, & imperia, item victoriæ, in quibus inſignis eſt occaſio magnanimitatem, & rerum humarum contemtum, beneficentiam eximiam, clementiam admiratione dignam exſerendi. In magnis adverſitatibus, aut periculis, ſive noſtris, ſive amicorum, exſeri poteſt fortitudo, ac patientia, quæ magnanimitatis veluti partes quædam ſunt.

Poteſt & *alia virtutis heroicæ* tradi *diviſio*; quod ea vel ſit *excellentia omnium virtutum moralium*, vel *quarundam*, vel *unius tantum*. Prima illa in Chriſto omnium perfectiſſime enituit; enituit deinde in Apoſtolis, poſt Spiritum Sanctum cœlitus acceptum; præterea in aliis divinis viris ac Chriſtianis, pro ratione ſtatus ac conditione uniuſcujuſque, nunc clarius nunc obſcurius. His adde divinos quoſdam viros, ſub antiquo Fœdere, qui hac virtute inclaruerunt, quantum ejus temporis ratio ferebat. Quod ad certas virtutes attinet, in quibus heroicus animus inprimis cernitur, inter eas primum locum obtinet magnanimitas, cui fortitudinem ac patientiam adjunge; ſequitur temperantia & caſtitas ſingularis, præſertim cum adſunt occaſiones & irritamenta voluptatum. Difficilimum enim eſt cum voluptate ac dolore pugnare. Virtus autem heroica in arduis & difficilibus verſatur. Cernitur præterea in juſticia & æquitate ſingulari, præſertim eorum qui poſſent impune multis graves facere injurias, ut Principes ac Magiſtratus & judices. Cernitur denique in Beneficentia, in manſuetudine ac clementia, cum ingentes ſunt irarum cauſæ, & magna puniendi facultas.

Quod ad *Feritatem* ſeu *immanitatem* attinet, virtuti heroicæ oppoſitam, ea eſt vitioſitas adeo fœda, ut excuſſa plane ratione hominem ad pecudes abjiciat; qua de cauſa etiam Feritas dicitur. Id fit cum quis ea committit flagitia, quæ plerique etiam improbi ac vitioſi vitant, & à quibus humanitas prorſus videtur abhorrere.

Ea itidem vel *aſſuetudine* potiſſimum paratur, vel ab aliis cauſis inprimis pendet, vel denique tum ab aſſuetudine, tum aliis cauſis ſimul. Quod ad *primam ſpeciem* attinet; *conſuetudo* illa, vel eſt toti alicui populo communis, adeoque & ipſa feritas inde nata, vel certis hominibus peculiaris. Ad prius genus pertinet immanitas quorundam populorum circa Pontum, qui Achæi & Heniochi dicebantur, quorum alii crudis, alii humanis carnibus veſcebantur, alii denique ſuos ipſorum liberos, alternis in conviviis epulandos apponebant. Huc Anthropophagi in Braſilia referendi ſunt; quin & Scythæ, qui prope crudis carnibus, ac morticinis veſcuntur equorum: quanquam in his natura etiam diuturna conſuetudine aliquo modo depravata eſt. Ad poſterius genus pertinet Catilina, Sylla, Tiberius, Caligula, Nero, Vitellius, Domitianus, Heliogabalus, & alia monſtra, ut Phalaris, Mezentius, quorum in vulgus nota eſt immanis crudelitas, aut infandæ libidines, aut inexplebilis ingluvies, aut plura ſimul ingentia vitia. Huc etiam Liſoviorum quorundam militum pertinet immanitas.

Quod ad *ſecundam ſpeciem* attinet, ea vel à *corrupta natura* eſt, vel à *morbo* aut *furore*, quem adverſi nonnunquam caſus concitant. Ex vitioſa natura profecta eſt illorum populorum feritas, qui in ſeptemtrione habitant, brutis quam hominibus ſimiliores, & illorum qui cum ventis aut fluctibus pugnare ſunt ſoliti: hinc etiam immanitas cujuſdam fæminæ, quæ gravidis mulieribus ſanguinolentos fætus exſectos devoravit. Ad hanc pertinet etiam quorundam timiditas naturalis. Qualis fuit ejus, qui muris ſtridorem exhorruit. Ex morbo & melancholia, ſeu furore quæ oriantur, ſatis notum eſt. Ex morbo oriuntur deſideria eorum, qui carbones, argillam, cretam, ſimiliaque comeſſe cupiunt. Ex furore factum eſt, ut quidam matrem immolatam, quidam conſervi jecur exſectum comederit. Oritur etiam nonnunquam ex melancholia timiditas incredibilis, ut illius qui galea tectus prodiit, metuens ne cœlum rueret.

Quod ad *tertiam ſpeciem* attinet, ea iterum duplex eſt; vel enim ex *natura & conſuetudine* quæ eam conſequitur, naſcitur; vel ex *conſuetudine & pœna divina* illam conſequente. Ad prius genus eorum pertinet crudelitas, qui natura facti atroces, eam conſuetudine augent. Ad poſterius ii, qui ob ſua ſcelera indurantur à Deo, & in reprobam acti mentem, ingentibus flagitiis prope infra pecudes abjiciuntur, de quibus inprimis agit Paulus Rom. 1. Huc etiam referri debet Saulis exemplum, qui ob peccata ſua furiis fuit agitatus; quo furore, qui tamen perpetuus non fuit, correptus, Davidem haſta voluit trajicere, alias etiam filium, Davidem ad necem toties quæſivit, ſacerdotes Dei occidi juſſit, tandem deſperatione coactus gladio incubuit.

Quod ad *alteram immanitatis diviſionem* attinet, non poteſt quidem ea ita dividi, ut virtus ipſa; ut alia ſit omnium vitiorum ſimul junctorum, alia quorundam. Nam quædam vitia inter ſe magis quam cum virtute pugnant, & conjungi nunquam poſſunt in eodem homine. Poteſt tamen ita dividi, ut ea vel plurium ſit vitiorum ſimul junctorum quædam perfectio, ſi modo in malis eſt perfectio, vel in uno. Reperitur autem potiſſimum (ut de impietate, quæ, omni numinis reverentia poſita, in Dei contumeliam multa vel dicit, vel facit, nunc nihil dicam, cum de pietate, & ejus contrario agere ſit Theologi) in intemperantia, atque inprimis in libidine: tum in crudelitate, injuſtitia, timiditate. Ea immanitas, quæ aſſuetudine paratur, vitio communi deterior eſt, & majori digna pœna: quæ à natura, aut morbo, fortuitaque melancholia, terribilior quidem, &, ſi facta ipſa per ſe conſideres, deterior communi vitio: ſi vero animum ac conſilium, ex quo delictorum meritum æſtimatur, contra ſtatuendum eſt. Vitii enim nos ſumus cauſa, quemadmodum & immanitatis, quæ ex aſſuetudine: quæ verò ex natura aut morbo, à culpa noſtra ſejuncta eſt. Itaque commiſeratione potius, quam odio ac pœna, eſt digna.

Cap. XXVI.

De Virtutibus imperfectis, Continentia & Tolerantia.

HActenus de virtutibus perfectis: ſequuntur *imperfectæ* ſeu *inchoatæ*, quæ ad perfectas quidam veluti ſunt gradus ac diſpoſitiones. Licet autem cujuſlibet virtutis ſit aliqua diſpoſitio, ac proinde tot ſint virtutum imperfectarum ſpecies, quot numerantur perfectarum, tamen inter alias hujus generis diatheſes eminent *Continentia* & *Tolerantia*, ad quas reliquæ etiam humanarum virtutum, & ad religionem non pertinentium, initia aliquomodo revocari poſſunt. Verſantur enim circa *voluptatem* ac *dolorem*, & ejus vel cupiditati vel fugæ moderantur. Voluptas autem & dolor per omnia virtutum objecta ſunt diffuſa, omneſque affectus & actiones, in quibus virtus cernitur, comitantur. Quare quæ affectiones voluptati & dolori moderantur, in omnium virtutum objectis quodammodo verſantur, & earum ſunt quædam initia. Hujus ergo tractationis de virtutibus imperfectis *duæ* erunt *partes*; in prima de *continentia*, & ejus contrario *Incontinentia* ſeu *Impotentia* dicetur; in altera de *Tolerantia*, & ei adverſa *Mollicie*.

Continentia eſt virtus imperfecta, circa voluptates eas quarum exceſſus vituperatur: ſeu affectio animi quæ moderatur iſtis voluptatibus, quę habent nimium.

Quod ut intelligatur, primo de *objecto* agendum eſt. *Continentiam & Incontinentiam in voluptatibus verſari*, vulgo etiam notum eſt; unde cum Temperantia & Intemperantia fere confundi ſolent. *Voluptates* autem conſtitui poſſunt *triplices*: aliæ *nimium non habent*, ſeu nemo in iis vel appetendis, vel perfruendis modum excedere, & eo nomine merito reprehendi poteſt.

Tales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Tales ſunt voluptates ex actionibus honeſtis, & contemplatione rerum divinarum percepte,quas qui maxime appetit, maxime laudatur. Alię ſunt voluptates,quę *genere ipſo vitioſæ* ſunt, & mediocritatem non admittunt, ut voluptates belluinæ, quæ humanæ naturæ metas egrediuntur, in quibus immanitas cernitur. Aliæ denique his veluti *interjectæ*, genere ipſo non ſunt reprehendendæ, exceſſum tamen, defectum,& mediocritatem admittunt; nunc laudantur, vel ſaltem reprehenſione carent, nunc vituperantur. In his poſtremis verſatur Continentia & Incontinentia; quarum illa modum ſervat, hæc modum ſuperat. Affectio ea quæ deficit, quia rariſſima eſt, nomen non habet.

Hæ voluptates iterum ſunt *duplices*, unde duplex Continentia & Impotentia exſurgit; aliæ enim ſunt genere ipſo *neceſſariæ*, aliæ *non neceſſariæ*, per ſe tamen expetendæ, ſi modus in iis ſervetur. Priores ſunt illæ voluptates guſtus & tactus, in quibus Temperantia & Intemperantia cernitur,ſeu voluptates cibi ac potus, & venereæ; quarum illæ ad conſervationem ac perfectionem individuorum ſingulorum, hæ ad aliorum individuorum propagationem, ac ſpeciei univerſæ conſervationem ſunt neceſſariæ. Poſteriores ſunt voluptates quæ v. gr. ex honore, lucro, victoria, rebuſque ſimilibus capiuntur, item voluptates aurium, oculorum, narium, quædam etiam tactus,ut ex frictionibus perceptæ, & ſimiles. In prioribus verſatur Continentia & Impotentia ſimpliciter & abſolute ſic dicta. In poſterioribus Continentia & Impotentia cum adjectione, ſeu appoſitione objecti in quo verſetur, v. gr. honoris, lucri, iræ, &c. quanquam nonnunquam apud Latinos Continentiæ nomen, de hac etiam poſteriori ſimpliciter effertur, ut cum Continentia avaritiæ opponitur, & de Continentia lucri accipitur. Priori ſpeciei & nomen & definitio Continentiæ potiori jure tribuitur, quam poſteriori, deque ea nobis potiſſimum ſermo eſt. Ratio autem cur illa potius ſit & dicatur Continentia, eſt quia Continentia & Impotentia ſimpliciter ac proprie ſic dicta nil eſt aliud,quam Temperantia & Intemperantia imperfecta; unde vulgo, quod hac in parte ſacræ literæ ſequuntur, inter ſe confundi ſolent. Temperantia autem & Intemperantia proprie dicta, in voluptatibus cibi ac potus & venereis cernuntur: in aliis improprie. Quare proprie & ſimpliciter dicta continentia & incontinentia in iiſdem cernitur: in aliis ea, quæ ob ſimilitudinem ita dicitur, ſeu cum adjectione. Ex quo apparet Continentiam & incontinentiam genus eſſe analogum, non univocum.

Forma continentiæ re quodammodo eſt eadem cum forma temperantiæ, ſed perfectione diſtat. Nam eandem, quam *temperans* in voluptatibus ſervat mediocritatem, ſectatur *continens*, & quod ad facta externa attinet, aſſequitur; ſed quod ad affectuum ſeu cupiditatum ipſarum moderationem attinet, ab eo non parum abeſt. Nam in Continente cupiditates adhuc ſunt vehementes, & cum ratione recta acriter decertant; vincuntur tamen, vel ſemper, vel plerunque ſaltem. At in homine temperante cupiditates voluptatum non ſunt acres, ſed moderatæ, & rationi libenter parent. Illi voluptates turpes admodum allubeſcunt, adeo ut ægre ſibi ab illis temperet: huic non item. Ex quo patet 1. Continentem nondum eſſe vere ac perfecte prudentem, quia perfecta prudentia, ſine perfecta temperantia non eſt: hæc enim bonæ mentis mater eſt & altrix; cupiditates validæ menti nebulas offundunt, & conſilia turbant, quod in vere prudentem non cadit. Quod ſi Continentia cum vera prudentia conſiſtere in eodem homine non poteſt, multo minus Impotentia, in qua ratio à cupiditate vincitur, eique parere cogitur. Utraque tamen cum ſolertia poteſt eſſe conjuncta, quæ in Continente inchoata eſt prudentia, in Impotente vafricies. Patet 2 ex dictis, perfectam proæreſin nec in Continentem, nec in Impotentem cadere; quod illa conſtantem appetitus cum ratione conſenſum, & mentem conſilio in ipſa actione liberam deſideret, id quod in Continentem & Impotentem non cadit.

Ex his etiam patet *Incontinentiam* cum *Intemperantia* ratione formæ partim convenire, partim ab ea diſcrepare, quemadmodum Continentia à Temperantia. *Convenientia* in eo eſt, quod utraque nimium in voluptatibus ſequitur. *Differentia* eſt, quod Intemperans ita faciendum eſſe ſit perſuaſus, Impotens non item, ſed contra animi ſententiam cupiditatum vi abripiatur, voluptates turpes ſectetur. Nam ille vero ac perfecto laborat vitio, hic nondum. Verum autem vitium corrumpit agendi principium, ſeu judicium de rebus honeſtis ac turpibus, opiniones cum honeſtate pugnantes menti inſcribendo: quemadmodum contra virtus mentis vim conſervat incolumem, & leges etiam inſcribit honeſtati conſentaneas, ac tuetur. Itaque intemperans ſimilis eſt urbi, quæ & malas habet leges, & iis utitur: Incontinens autem urbi quæ bonas quidem habet leges, ſed iis non utitur, quod Athenienſibus quidam olim objecit. Nam id quidem quod rectum eſt novit Incontinens, ſed non facit ob affectus. Ex quo *alterum* conſequitur *diſcrimen*, quod intemperans peccet cum προαιρέσεως & conſilio vero, incontinens non item. Iſtud enim veri eſt vitii; quemadmodum contra virtutis cum conſilio facere honeſta. Incontinens igitur ſimilis eſt illi, qui cum injuſtus non ſit, nec conſilio injurias inferat, injuſta tamen agit ob perturbationem; & Mileſiis qui, cum ſtulti non eſſent, multa tamen ſtulta faciebant, ut ait Demodocus. Similiter enim incontinens facit ea, quæ intemperans, ſed non eodem modo,nec enim vere intemperans eſt aut vitioſus. Hinc *tertium* etiam patet *diſcrimen*, quod Incontinens non quibuſlibet, ſed validis demum cupiditatibus ad peccandum abripiatur, renitente iis ratione, ac cum iis acriter certante: at intemperans, quia perſuaſus eſt nimiis eſſe perfruendum voluptatibus, etiam levi cupiditate ad flagitia impellitur. Hinc etiam *quartum*; quod intemperantia ſit occultior, & inſidiatrix; incontinentia non ſit, vel minus. Unde quivis perſpicit intemperantiam longe eſſe deteriorem incontinentia, & intemperantem inſanabiliorem, cum intemperantem facti non pœniteat, incontinentem pœniteat: intemperantia vitium ſit perpetuum, incontinentia interruptum, quod patitur aliquod bonæ mentis velut inter-regnum.

Verum hoc loco non levis oritur difficultas, *quomodo incontinens contra animi ſententiam peccare poſſit*, & eas voluptates, quas turpes eſſe ac fugiendas perſuaſus eſt, nihilominus perſequi. Hîc primum diſtinguenda eſt, tum ſcientia, ſeu perſuaſio, (nam ſcientiam hoc loco à perſuaſione non diſtinguimus) tum diverſi temporum articuli. 1. Igitur *ſcientia* alia eſt *habitu*, alia *uſu*: ſeu, alia *actu primo*, alia *ſecundo*. Habitu ſive actu primo ſcientia eſt in dormiente, aut aliud agente: uſu ſeu actu ſecundo, eſt in eo, qui de re quam novit cogitat, eamque animo volvit. 2. Utraque iterum vel eſt *univerſalis* alicujus, vel *particularis*: ut, omne turpe eſſe fugiendum; &, hoc eſſe turpe, aut fugiendum. 3. Scientia alia eſt ſoluta, libera, nullaque ratione impedita, aut parum admodum turbata; alia impedita, turbata, & prope extincta: illa eſſe ſolet in ſobriis ac ſiccis, nullo affectu officiente: hæc in ebriis, amantibus, iratis, aliove affectu occupatis. In utraque dantur gradus, alia enim eſt liberior ac liquidior, alia magis impedita & turbata. Quod ad temporum articulos attinet, id triplex conſtitui poteſt; aliud tempus eſt ante & poſt affectum; aliud tum cum affectus cum cupiditate adhuc luctatur; aliud, cum poſt luctam res jam eſt concluſa, & ad factum ſit progreſſus, aut in ipſo facto jam verſatur incontinens. Hæc ad rem ipſam accommodemus.

Ante & poſt affectum incontinens non modo habitu, ſed & uſu ſcire poteſt, idque liberrime, tum univerſale, tum particulare, ad honeſtam actionem pertinens; nempe, &, Omne turpe eſſe fugiendum, &, Hoc eſſe turpe ac fugiendum. In affectus & rationis lucta, ſcientia hæc incontinentis eſt turbata, cupiditate ac ſenſu docente, id quod ratio turpe eſſe judicat, eſſe jucundum. Unde pugnat cum cupiditate ratio, utrum actio hæc ob turpitudinem ſit fugienda, an propter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

jucunditatem ſuſcipienda; ſeu, utrum honeſtum jucundo ſit præferendum, an contra. Tandem voluntas hominis liberrima litem dirimit, ac ſententiam fert & vel huic vel illi parti aſſentitur: aſſentitur autem in Impotente appetitui. Concluſione ac decreto jam facto, ſcientia illa propoſitionis minoris, nempe, hoc factum eſſe turpe, vel prorſus uſu non eſt, ſed tantum habitu, vel ita obſcura & turbata, ut longe liquidior ac validior ſit ſententia illa, quam appetitus rationi obtruſerat, nempe hoc eſſe jucundum, adeoque ſequendum.

Peccat igitur incontinens, primo contra ſcientiam illam univerſalem, quam menti habet inſcriptam, omne turpe eſſe fugiendum, quam propoſitionem poteſt tum actu habere cognitam, quanquam non ſemper ea ſcientia eſt liquida, ſed & ipſa aliqua ratione turbata. Deinde contra ſcientiam particularis propoſitionis, hoc eſt minoris, & concluſionis, quam tum vel habitu tantum habet cognitam cum peccat, vel admodum impeditam ac conſtrictam: & contra hanc quidem maxime peccat. Hoc autem modo aliquem peccare contra id, quod faciendum eſſe novit, non eſt abſurdum. Ut vero quiſpiam & univerſalem propoſitionem ſeu majorem, quam recta ratio conſtituit, & particularem ſeu minorem, itidem à recta ratione proficiſcentem, actu ſimul habeat cognitam, idque liquido ac libere, & tamen contra faciat, fieri nulla ratione poteſt. His enim præmiſſis poſitis, neceſſario ſequitur concluſio, &, niſi quid externum impediat, actio: hæc enim concluſio, proxima eſt actionis cauſſa. Quod autem interdum pulchras de honeſto ſententias Incontinentes, cum cupiditas jam fervet, jactent, id non eſt ſignum liquidæ in illis ſcientiæ, præſertim quod ad particularem propoſitionem attinet. Ferme enim perinde faciunt, ut ebrii, qui interdum graviſſimas philoſophorum ſententias recitant, quas parum expendunt; aut ut hiſtriones, qui itidem in ſcena inſignes poëtarum ſententias parum intellectas recitant; aut ut pueri, qui ex auctore aliquo gravi penſum præceptori reddunt. Quomodo autem incontinens ſatiata cupiditate redeat ad ſcientiam liberam ac ſolutam propoſitionis particularis, nempe hoc eſſe turpe ac fugiendum, quam cupiditas oppreſſerat, & quodammodo excuſſerat, poteſt intelligi ex ebrio aut dormiente, quorum ille crapula exhalata ad mentem ſobriam, & ſcientiam rerum liquidam redit; hic ſomno expulſo ea novit actu, quę dormiens habitu tantum ſciebat. Scientia enim illa habitu ſeu actu primo tam in incontinente, quam in ebrioſo & dormiente remanſerat, ſed conſtricta fuerat cupiditate, ebrietate, ſomno; ſolutis his vinculis, redit libera, qualis ante cupiditatem, ebrietatem, ſomnum, fuerat, ſi modo homo animum ad eam attendat. Sic aqua calefacta, quia ſua natura frigiga eſt, & habitu ipſo frigus retinet, ſi ab igne amoveatur, & principium refrigerationis fuerit nacta ab aëre ambiente, poſtea ſponte ſua ad frigus actu redit, & frigidior fit ipſo aëre ambiente.

Hæc de incontinentia in genere. Quod ad *ſpecies* attinet, non tantum *Incontinentia* eſt alia *ſimpliciter dicta*, alia *cum additione*, ut explicatum eſt; verum etiam utraque rurſus eſt *duplex*: altera enim *temeritas*, ſeu temeraria; alia *imbecillitas*; ſeu imbecillis dicitur. Priori genere laborant ii, qui nulla præmeditatione de certa aliqua voluptate ſpernenda antegreſſa, ab ea adveniente reluctantes abripiuntur; atque hujuſmodi fere ſolent eſſe cholerici & melancholici, quorum illi acuta bile, hi atra laborant; & hi quidem ob motuum vehementiam ac pertinaciam, illi ob eorundem velocitatem, phantaſmata ſeu ſpecies voluptatum oblatas facile ſequuntur. Poſteriori genere laborant, qui nondum præſente voluptate ſecum ipſi diſputant, & rectæ rationis auſpiciis eam non ſequendam eſſe conſtituunt; poſtea tamen præſentibus cupiditatibus fracti, à ſententia deſciſcunt, & voluptati ſuccumbunt. Hos merito imbecilles appellamus, cum ne præmeditati quidem, & aliqua ratione adverſus voluptatem præmuniti, ejus impetum ſuſtineant. Habet enim pręmeditatio illa vim magnam ad impetum illum impune ſuſtinendum ac frangendum. Tela præviſa minus nocent: & ii, qui ſe ipſi antea titillaverunt, aliis poſtea titillantibus minus moventur. Quod ſi ergo hi ita præmuniti adverſis voluptatem, nihilominus ſuccumbunt, apparet eos valde eſſe imbecillos, idque ſua culpa, (nemo enim eſt, qui impetum affectuum, præſertim præmeditatus, vincere non valeat, ſi conſtanter velit.) quod ſi tam acres aut pertinaces haberent niſiones, ac cupiditates, ut temerarii illi, gravius longe peccarent quam illi. Ex quo apparet, temerarios minus eſſe malos.

Quod ad comparationem incontinentiæ ſimpliciciter dictæ, & ejus quæ ἐκ προθέσεως, attinet: illa magis vituperatur, quam hæc. Voluptates enim iſtæ, in quibus Continentia ſimpliciter dicta verſatur, belluinæ quodammodo ſunt, & homine non ſatis dignæ: hæ verò in quibus altera Continentia, magis ſunt humanę. Et ne quis incontinentiam iræ hic objiciat, tanquam turpiorem inpotentia cupiditatum ſeu voluptatum corporis, in quibus temperantia, id negandum eſt. 1. Quia ira nonnihil rationis habet, eamque audit, licet negligenter, & tanquam præteriens, ut in tractatione de manſuetudine vidimus. At cupiditas cum ratione conjuncta non eſt, ſed ab appetitu tota oritur. 2. Quia iræ magis venia habetur quam cupiditati: illam præ ſe ferre aut fateri, etſi acrior eſſe videatur quam decet, non videtur adeo turpe: at in cupiditate, præſertim voluptatum venerearum, contra accidit. 3. Cupiditas eſt occultior, inſidioſior, ac fraudulentior, quam ira. Unde poëtæ Venerem δολοπλόκον, ſeu dolos nectentem vocant, & zonam dolis ac fraudibus turgidam illi tribuunt: ira eſt apertior. At quæ fraudulentiora ſunt, deteriora ſunt.

Quod eſt Continentia & Incontinentia ſimpliciter dicta, reſpectu Temperantiæ & Intemperantiæ, id eſt *Tolerantia* & *Mollities* reſpectu Patientiæ & Impatientiæ; quam ſub Fortitudine & Ignavia latius ſumpta comprehendi, alibi docuimus. Iſtæ enim affectiones in voluptatibus, hæ in doloribus ac moleſtiis corporis verſantur. Eſt ergo *Tolerantia*, Patientia inchoata, ſeu ejuſmodi animi diſpoſitio, qua dolores non ſine magna rationis & appetitus lucta ſuperamus. *Mollities* contra, quæ etiam uſitatis doloribus, quos plerique facile ſuperant, contra rationis judicium ſuccumbit. Nam qui exquiſitiſſimis doloribus ſuccumbunt, licet non parum luctentur, ii molles non ſunt cenſendi. Sic Philocteta, qui in Theodectæ poëtæ tragœdia, ob graviſſimos ex ſerpentum ictu dolores continere ſe non potuit; quin lamentaretur, mollis non fuit dicendus. Quanquam hi ad deteriorem habitum nihilominus inclinant, cum ſuccumbant dolori, quo ſuperiores eſſe debebant. Excludimus etiam hic eos dolores, qui aliis admodum tolerabiles, aliis ob morbum imbecillitatemque corporis, aut naturæ pravitatem ſunt intolerabiles. Nec fœmina ſtatim mollis eſt dicenda, ſi ea non ſuſtineat, quæ viris ſuſtinere facile eſt, cum natura ſint imbecilliores fæminæ: ſed illa demum mollis eſt dicenda, quæ eas non poteſt ſuſtinere moleſtias, quas aliæ pleræque fæminæ facile tolerant.

Ad molles referrendi ſunt ii, qui adeo ſunt delicati, ut lacernam in humeros rejiciant, ne ex ea attollenda moleſtiam capiant. Huc Criſpinus apud Juvenalem pertinet, qui digitos demtis aureis annulis conſudantes ob gemmarum pondera, in aërem jactando refrigerabat. Item Mynderides Chius, qui conquerebatur ſe læſum quod folio roſæ duplicato incubuiſſet. Et Perſæ, qui pulvinaria fulmentis lectorum ſubſternebant, ne decumbentibus aſperius reniterentur, ſed mollius cederent. Cætera quæ huc pertinent, partim ex doctrina de Patientia & Fortitudine, & ejus contrariis, partim ex doctrina de Continentia & Impotentia peti poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. XXVII.

De Virtute intellectus in genere.

V*Irtus intellectus* eſt habitus mentis, quo verum concipimus; quod Græci rotundius efferunt, dum ἕξιν ἀληθευτικὴν appellant. Recte autem definitam eſſe virtutem intellectus, veritatis mentione facta, inde patet, quod virtus omnis opus ſubjecti ſui bonum facere debet. Opus mentis ſeu intellectus eſt cognoſcere: cognitionis vero bonitas in veritate conſiſtit; veritatem autem partim componendo, partim disjungendo, ſeu affirmando, & negando aſſequitur: quibus duo in voluntate & appetitu reſpondent; affirmationi quidem perſecutio, negationi autem fuga. Et quod eſt menti veritas, id voluntati & appetitui bonum: quod ibi falſitas, hîc malum. Ex his apparet *vitia intellectus* eſſe habitus mentis, quibus falſum concipimus.

Virtutes intellectus ſunt quinque: *ars, prudentia, intelligentia, ſcientia, ſapientia*. Diſtinguuntur autem objectis. Nam *objecta mentis*, atque adeo etiam harum virtutum, vel ſunt neceſſaria, vel contingentia. *Neceſſaria* iterum ſunt quodammodo triplicia: vel enim ſunt principia, hoc eſt, propoſitiones per ſe manifeſtæ, quæ à priori, ut loquuntur, demonſtrari non poſſunt; ut totum eſſe majus ſuis partibus; vel ſunt concluſiones ex principiis deductæ; vel denique concluſiones principiis junctæ. Circa principia ſola, cernitur intelligentia: circa concluſiones ex iis deductas, ſcientia: circa utraque ſimul, ſapientia. *Contigentia* ſunt duplicia: vel enim plane ſunt incerta, nec ſub hominis arbitrium cadunt, qualia ſunt ea, quæ à caſu & fortuna pendent: & circa hæc nullus verſatur habitus, ſed tantum opinio aut ſuſpicio quædam: alia ſunt, quæ ſub hominis ſunt poteſtate, & ejus opera conſilioque perfici aut impediri poſſunt; & hæc iterum ſunt duplicia: aut enim ſunt πρακτὰ, hoc eſt ad actionem pertinentia, in quibus ipſa εὐπραξία finis eſt; alia ποιητὰ, hoc eſt ad effectionem pertinentia, quorum finis non eſt ipſa operatio, ſed opus, vel finis poſt operationem relictus. Circa priora verſatur prudentia; circa poſteriora ars, quæ eſt omnium infima inter virtutes mentis.

Nam prout *fines* ſunt vel præſtantiores vel indigniores, ita & habitus ipſi. *Contemplatio* quæ ſibi ipſi finis eſt, operationum mentis eſt præſtantiſſima. Hanc ſequitur *actio*, quæ ad illam aliquo modo refertur, licet etiam per ſe expeti poſſit. Ultimum locum occupat *opus*, quod ſemper actioni ſubſervit, & propter eam expetitur. Ad opus refertur ars; ad actionem prudentia; ad contemplationem tres reliqui habitus, inter quos excellit ſapientia; hanc dignitate ſequitur intelligentia; ab hac pendet ſcientia.

Ex hac triplici operatione intellectus, *diſtinctio ipſius intellectus* ſeu mentis, quæ iſtorum habituum ſubjectum eſt, peti poteſt. Alius enim *intellectus* dicitur *Contemplativus*, alius *practicus*, alius *effectivus*: qui inter ſe non reipſa, ſed ratione tantum diſtinguuntur. Non enim partes aut ſpecies ſunt intellectus, ſed diverſæ vires, ad contemplandum, agendum, opus efficiendum, quæ dignitate inter ſe differunt, ut ipſæ operationes ac fines. Poſſunt autem ad duos revocari: mens enim vel eſt ἐπιστημονικὴ, quæ verſatur circa naturalia tantum, quæ eadem eſt cum intellectu contemplativo; hæc dicitur etiam λογιστικὴ: vel βουλευτικὴ, conſultatrix, quæ verſatur circa contingentia tantum: quæ eadem Practicus intellectus dicitur, latius extenſo vocabulo, ut etiam effectivum in ſe comprehendat. Cui dominatur practicus, & ad ſe tanquam finem dirigit. Ille prior in operatione ſua, hoc eſt, cognitione, tanquam fine, ſua natura acquieſcit: hic ſua natura ſpectat aliud, hoc eſt, cognitionem refert ad actionem, vel ad opus.

Cap. XXVIII.

De Arte.

A*Rs* varias quidem habet ſignificationes: & inter alias ſumitur adeo late, ut etiam ſcientiam, quæ hoc loco ab arte diſtinguitur, complectatur: interdum etiam pro præceptis tantum artis aut diſciplinæ alicujus. Et hoc ſenſu definitur à Luciano, corpus præceptorum menti per exercitationem inſcriptorum, ad finem aliquem in vita utilem. Hoc loco ſumitur pro ea virtute intellectus, quæ verſatur circa opus aliquod efficiendum. *Definitur* ab Ariſtotele hoc modo: *Ars eſt habitus recta ratione aliquid efficiens*. Cum vero artem dicimus eſſe virtutem intellectus, id non ita volumus accipi, ac ſi ſolus intellectus eſſet illius ſubjectum: ſubjectum enim eſt potius homo ipſe; verum potiſſimum ratione intellectus, & quidem effectivi. Concurrit tamen aliqua ratione etiam corpus, maxime in quibuſdam. Aliæ enim *artes*, agitatione *mentis* fere ſola peraguntur; aliæ *corporis* etiam aptitudinem, non naturalem tantum, ſed etiam uſu acquiſitam requirunt. Ad prius genus pertinent imprimis artes liberales, ut Logica, Rhetorica, Poëtica, Grammatica: quanquam etiam linguam, præſertim tres poſteriores, informant. Ad poſterius genus pertinent artes Mechanicæ, ut ſartoria, ſutoria, & quæ iis ſunt ſimiles, ut ars Cithariſtica, gladiatoria. Verum quia in omnibus his artibus corpus mentis ductum ſequitur, & mens certis præceptis, ſive ab alio acceptis, ſive uſu collectis inſtructa, corpus regit, ideo etiam ad intellectum hac quidem in parte reducuntur; minus tamen ad intellectum pertinent quam aliæ.

Artes aliæ ſunt *certæ*, quæ certa quadam ratione finem ſuum perpetuo aſſequuntur, non vero nunc hoc, nunc illo modo: qualis eſt Grammatica, Geometria illa quæ in agris metiendis cernitur, Arithmetica Practica, item Analytica, quæ pars eſt Logicæ; & hæ conſultatione non utuntur. Aliæ ſunt *ſtochaſticæ*, quæ pro diverſitate circumſtantiarum alia atque alia ratione finem ſuum aſſequuntur, aut non ſemper aſſequuntur, & prudentia quadam ac conſultatione egent, ut Dialectica, quæ alia eſt pars Logicæ, Rhetorica, Medicina, Nautica. Non enim eodem ſemper modo perſuadet orator, aut ſanat medicus; atque ita in artibus ſtochaſticis omnibus.

Artes opus ſuum efficiunt, vel *in artifice*, ut Logica, dum format argumenta in mente ipſius artificis; quanquam ea dum diſputat, etiam in aliis vel opinionem, vel fidem, vel ſcientiam parit: vel *extra artificem*, quod inprimis faciunt mechanicæ.

Opera artium, præſertim mechanicarum, cum naturæ operibus ſimilitudinem habent, & interdum quidem magnam. Sed diſcrimen eſt, quod cauſa eorum quæ arte fiunt, qua quidem ſunt talia, (nam materia arte factorum, ſi ea ſint corporea, eſt corpus aliquod naturale) eſt in artifice: naturalium autem, extra artificem, & principium motus in ſe ipſis habent.

Arti opponitur *inertia*. Non ea quæ deſidiam ſignificat, ſed vel privatio artis, quæ deſidiæ eſt effectus, vel artis contrarium. Ita hæc definitur: Habitus falſa ratione aliquid efficiens.

Cap. XXIX.

De Prudentia.

P*Rudentiæ* nomine intelligimus habitum recte conſultandi: ſeu virtutem intellectus in conſiliis occupatam. Ea ſequitur artem, tum quia arti præeſt; tum quia ſubjectum & objectum genere idem eſt, ut ſupra patuit; tum quia in ſola cognitione non acquieſcunt iſti habitus: conſultationis etiam ratione aliquo modo inter ſe conveniunt.

Duplici autem *modo prudentia* dicitur, vel *ſimpliciter*, vel *ſecundum* quid, id eſt, hac aut illa in re. Conveniunt in eo quod utraque recte conſulit. Diſcrepant rurſus, quod illa univerſæ vitæ rationi proſpicit: hæc in certis tantum rebus ad vitæ commoditatem ſpectantibus recte conſulit: ut in iis quæ ad valetudinem comparandam, robur augendum, agrum recte colendum pertinent. Iſta huic præeſt; hæc iſti ſubſervit. Nobis autem de priori potiſſimum ſermo eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Prudentia ſimpliciter dicta, eſt virtus mentis actiones totius vitæ dirigens. Actionis autem nomen ſtricte ſumimus, quatenus ad mores pertinet, & ab effectione diſtinguitur. Verſatur quidem hæc prudentia aliquo modo circa res recte efficiendas; ſed per accidens, quatenus nimirum opera artium ad actionem ſpectant; circa actiones vero per ſe.

Ejus officia ſunt: 1. Univerſalia vitæ recte inſtituendæ præcepta, atque adeo verum totius vitæ finem, & apta ad eum aſſequendum media noſſe. 2. Singularium actionum circumſtantias examinare, & quid quævis poſtulet conſiderare, & exinde facta ipſa moderari. 3. Inter duo plurave bona aut mala delectum recte inſtituere. 4. Conſilia recta invenire, inventa tegere, & quanta licet celeritate exſequi. Rectoque fine conſtituto media recta, & ad eum conſequendum utilia, invenire & accommodare. Quia enim prudentia practica eſt, ad ſingularia deſcendit, non vero in univerſalibus tantum hæret. Quemadmodum medicina non tantum noſſe debet, quæ febricitanti ſalubria ſint in univerſum, ſed etiam quæ huic aut illi, eaque illi ſanando adhibere debet.

Ex dictis patet maximam prudentiæ vim eſſe *recte conſultare*. Nam etſi nonnunquam de finibus agat, & delectum bonorum inſtituat, circa media tamen reipſa verſatur, ac conſultat: quia fines particulares actionum ſingularium, reſpectu finis ultimi totius vitæ, habent rationem mediorum; ideoque in illis locum habet conſultatio & delectus, cum alius alio ſit utilior ad ultimum vitæ finem, ſeu beatitatem. Hanc prudentiæ vim Græci εὐβουλίαν vocant, quæ definitur, Rectitudo conſilii, vel vis quædam, qua deliberationes recte diriguntur. Quid autem ſit conſilium & in quibus verſetur, ſuo loco eſt explicatum: unde etiam quod ſit prudentiæ objectum cognoſci poteſt.

Rectitudo autem conſilii in tribus conſiſtit; *primò* ut honeſtus præfigatur finis, *deinde* ut tum commodis, tum honeſtis mediis ad eum contendatur. Si vel finis, vel media ab honeſtate diſcedant, etiamſi tandem hæc ad finem conſequendum ſint commoda & utilia, rectum conſilium non eſt, & vis ea, unde tale conſilium proficiſcitur, *aſtutia*, *vafrities*, & *calliditas* eſt, non prudentia. Quod ſi etiam media non ſint apta fini aſſequendo, imprudentiæ eſt ea eligere. *Tertiò* requiritur, ut pro rerum pondere ac neceſſitate, nunc mora in conſultando adhibeatur, nunc celeriter res decernatur. Si enim res ſit gravis ac difficilis, & moram patiatur, deliberandum eſt diu. Si vero non patiatur, omnis mora præcidenda eſt.

Diximus autem vim prudentiæ non ſolam, ſed maximam, eſſe conſultare: quia nonnunquam ſubito quippiam agendum eſt, ubi res ipſa conſultationem non patitur; aut res ejuſmodi eſt, quæ apud cordatum deliberatione non egeat. In iis ergo omnibus prudentia lumen præfert, & qua ratione quidque agendum ſit, ſubito monſtrat; præſertim cum diuturna exercitatio prudentem ad recte agendum reddat expeditum.

Ad prudentiam comparandam requiritur primum *ingenii acumen, ac judicii bonitas*, ea quæ à Græcis δεινότης dicitur; & eſt vis quædam à natura nobis inſita, qua ea quæ ad actionum ſcopum propoſitum pertinent, acute cernuntur. Cum hac conjungi poteſt εὐστοχία, quæ vis eſt naturalis celerrime quippiam conjiciendi. Sed hæc vis ingenii, niſi virtus accedat, admodum eſt noxia, eſtque inſtar gladii in manu furioſi. migrat enim in calliditatem, & rationes, quibus vitiis ſervire poſſis, excogitat.

Præter naturam vim habet magnam *doctrina* & *exercitatio*. *Doctrina* animum expolit, & rerum variarum cognitione implet; inprimis verò doctrina Politica, id eſt, Ethica completa, & hiſtoria. Illa enim præcepta vitæ recte inſtituendæ univerſalia præſtat; hæc exempla ſingularia; adeo ut propemodum vice experientiæ ſit, ideoque in conſultationibus utiliſſima. Omnium enim rerum eſt veluti quidam circulus, & ſemper eadem in mundo agitur comœdia, mutatis tantum perſonis. Quare qui novit, quid olim, aut quibus de cauſis factum ſit, quæ conſilia quos exceperint eventus, facilius ſibi ſuiſque conſulere poteſt.

Exercitatio duo largitur; primum *Experientiam* rerum, quæ maximum ad prudentiam comparandam robur habet: non ſecus atque in medicina accidit. Nam quemadmodum medico non ſufficit univerſaliter noſſe morborum naturam & cauſſas, eorumque depellendorum modum: ſed experientia etiam ei diſcendum eſt, quid huic aut illi proſit; imo felicius ille curat morbos, qui univerſalium cognitione deſtitutus, uſu diuturno didicit, quomodo huic aut illi medendum, quam qui præcepta artis univerſalia tantum tenet, ſed experientiam non habet: ita etiam hîc accidit. Melius enim ille conſulere novit rebus tum ſuis tum alienis, qui rerum uſum habet, quam qui univerſalia Politices præcepta didicit, uſu autem deſtituitur. Rectius vero adhuc conſulit, qui experientiam cum univerſalium præceptorum cognitione conjunxerit. Ratio autem cur experientia tantum roboris ad prudentiam comparandam habeat, eſt, quia prudentia eſt habitus ad agendum comparatus, ut ex definitione patet; actio autem in ſingularibus revera cernitur. Qui ergo in ſingularibus eſt exercitatior, prudentis munere rectius fungetur. Eadem ratio in Medicina & artibus locum habet; quia etiam effectio ad quam ars refertur, eſt in ſingularibus. Magis vero in prudentia valet, quia circumſtantiarum ratio ac varietas, quam conſiderare prudentis eſt, in ſingularibus potiſſimum cernitur. Atque hæc cauſa eſt, cur Juvenes Mathematici fieri poſſint inſignes, prudentes non item, præſertim perfecte. Iſta enim cognitio in univerſalibus maxime cernitur, & mentis agitatione perficitur, nec experientia opus habet ſingulari: contra fit in prudentia. Experientia vero longo tempore habet opus. Quare ſenes prudentia clarent, & eorum conſilia inprimis laudantur. Hinc ii, qui Reipub. conſulendi munus ſuſtinent, Senatores dicuntur à ſenio, quod ſenes potiſſimum ad eam rem legantur: apud Romanos Patres Conſcripti dicebantur. Quam ob cauſam etiam monet Ariſtoteles, ut ſenum & multo rerum uſu præditorum virorum dictis, etiamſi ab illis non demonſtrentur, non minorem prope fidem adhibeamus, quam concluſionibus apodicticis. Uſu enim longo oculum ſibi compararunt, quo rerum agendarum principia, ſeu qua ratione quidque agendum ſit, acutiſſime cernunt.

Alterùm quod exercitatio præſtat ad prudentiam, eſt *virtus moralis*, quæ mutuam prudentiæ præbet operam. Prudentia facem virtuti præfert, & monſtrat quid ſit agendum; virtus moralis id exſequitur, hæc ut velis id, quod honeſtum eſt, ſequi, facit: illa, qua ratione aſſequi poſſis, monſtrat. Virtus moralis affectus coërcet, & mentem conſilio liberam præſtat; inprimis autem temperantia, ut alibi eſt oſtenſum. Quare nec virtus perfecta ſine prudentia, nec hæc ſine illa, quatenus quidem ea in affectuum moderatione cernitur, conſiſtere poteſt.

Hactenus de prudentia in genere; nunc ejus *ſpecies* quaſdam, vel potius *diverſa officia* conſideremus. Una enim eſt prudentia ſimpliciter ſic dicta, ac perfecta; ſed pro diverſitate materiæ in qua cernitur, varia habet officia, & varia ſortitur nomina. Prudentia enim vel privatis tantum unius hominis rebus conſulit, vel plurium. Prior illa generale prudentiæ nomen obtinuit. Poſterior duplex eſt: vel enim Reipublicæ conſulit, vel alicui familiæ: iſta *Politica* dicitur, hæc *Oeconomica*. *Prudentia Politica* iterum duplex eſt: altera eſt univerſalium, ſeu legum ferendarum ſcientia, quæ *nomothetica* dicitur: nomine generali ad ſpeciem potiorem tranſlato: nam legum nomen κατ' ἐξοχὴν publicis legibus tribuitur, licet etiam ſint leges privatæ ad familiam pertinentes; & nomothetica quædam privata, ut docet Ariſtoteles, 10 Ethic. ult. Ad Nomotheticam pertinent etiam cætera quæ in Politicis traduntur, ad civitatis felicitatem procurandam pertinentia: qualia ſunt curare ut virtus ac pietas ab omnibus colatur, ſapientiæ ſtudia floreant, tranquillitas ſit ac pax, tum extra, tum intra mœnia, & copia rerum ad vitam commode

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mode ac liberaliter traducendam neceſſariarum. Atque hæc eſt *architectonica*, quia præcipit & imperat aliis omnibus, quemadmodum Architectus cæteris operariis quid agendum ſit monſtrat, ipſe manum operi non admoliens. Altera prudentia in rebus publicis occupata, eſt *circa ſingularia negotia*, ut circa pſephiſmata, ſeu decreta ſingularia, & privilegia certarum perſonarum. Hæc priori illi, nempe Nomotheticæ, ſubſervit, ejuſque imperium exſequitur. Et hæc generis nomen obtinuit, diciturque Politica prudentia: propterea quod ii qui πολιτεύονται, ſeu civitates adminiſtrant, in hac potiſſimum occupentur. Eſt autem duplex: vel δικαστικὴ, quæ judicum eſt propria, & in cauſis ac litibus dirimendis cernitur; vel βουλευτικὴ, ſeu conſultatrix, quæ in deliberationibus publicis occupatur, & ſenatorum eſt potiſſimum. Verum hæc, ut diximus, prudentiæ perfectæ potius munera ſunt ac functiones diverſæ, quam ſpecies. Prudentem enim in univerſum eum eſſe diximus, qui toti vitæ rationi recte proſpicit. Hoc vero in eum non cadit, qui privatis tantum rebus conſulit, & non etiam publicis. Arctiſſime enim res privatæ cum publicis ſunt connexæ; hæ illas complectuntur: illæ rurſus has fulciunt. Reſpubl. incolumis, ait Livius, & privatas res facile ſalvas præſtat: & publica quis prodendo, ſua nequicquam ſervat. Non etiam prudens ſimpliciter & in univerſum erit, qui leges ſolum ferre, judicare autem aut conſulere de rebus ſingulis non poſſit. Contra etiam manca erit hæc politica prudentia ſine univerſalium cognitione.

Oeconomicæ prudentiæ officium eſt, prudentiæ civili inſervire, & quæ illa publice curat, privatim exſequi: ad virtutem, religionem, &, ſi licet, ſapientiam quoque domeſticos inſtituere, proſperitati eorundem, & commoditati vitæ proſpicere.

Antequam hinc abeamus, pauca quædam de *affectionibus*, quibuſdam *prudentiæ* cognatis, aut ejus veluti facultatibus peculiaribus dicenda ſunt. Sunt autem potiſſimum duæ: una eſt σύνεσις, quam intelligentiæ nomine Latine reddimus, quæ tamen diſtincta eſt ab intelligentia illa, de qua cap. ſeq. agemus. Altera eſt εὐγνωμοσύνη.

Σύνεσις eſt facultas uſu comparata, de iis, quæ ab aliis conſtituta ſunt, recte judicandi. Verſatur igitur in iiſdem in quibus prudentia, ſed alia ratione. Illa conſtituit; hæc eadem, ſed ab alio conſtituta, dijudicat. Ea nunquam abeſt à prudentia. Qui enim recte de ſingulis novit decernere, novit etiam de alienis recte judicare. Sed fortaſſe non vice verſa. Facilius enim eſt de alienis recte judicare, quam recte quippiam conſtituere. De pictura an elegans ſit, de ſuavitate cantus, & aliis artificum operibus, facilius eſt judicare recte, quam eadem efficere.

Εὐγνωμοσύνη eſt particula quædam prudentiæ. Eſt enim rectum judicium viri æquum-bonum amantis. Qui eo utuntur faciles ſunt ad ignoſcendum, & de jure ſuo libenter remittunt. Quæ res ex doctrina de Æquo-bono intelligi poteſt.

Prudentiæ opponitur *Imprudentia*, vel ut privatio, vel ut contrarium. Si ut contrarium, definitur, Habitus mentis, actiones vitæ male inſtituens. Ad hanc pertinet *Aſtutia*, de qua ſupra, quæ apta quidem media ad finem aſſequendum invenit, ſed vel inhoneſtum ſibi finem præfigit, vel inhoneſtis ad eum contendit mediis, vel utrumque ſimul facit.

CAP. XXX.

De Intelligentia.

INtelligentiam hanc Ariſtoteles νοῦν, hoc eſt, mentem, ſeu intellectum, vocat, appellatione ambigua. Mens enim alias ſubjectum ipſum hujus habitus denotat, nempe rationem, ſeu facultatem naturalem qua intelligimus. Itaque nos ut hanc ambiguitatem aliquo modo evitaremus, *intelligentiam* appellavimus. Nihil autem eſt aliud, quam, Habitus animi ratione prædití, quo ſcientiarum principia cognoſcuntur. Nam circa ea non verſatur ars aut prudentia: cum ſint neceſſaria: ars autem & prudentia circa contingentia tantum eſt. Non etiam ſcientia, ſtricte ſic dicta: hæc enim eſt circa concluſiones, quæ per cauſas demonſtrari poſſunt: & principia ſcientiarum eo modo demonſtrari non poſſunt, alias res abiret in infinitum, & principia eſſe deſinerent, ſiquidem iis eſſet aliquid prius in eodem genere.

Principia enim *ſcientiarum* ſunt propoſitiones natura clariſſimæ, quibus cætera, quæ in ſcientiis traduntur, tanquam fundamentis ſuperſtruuntur, quæ per cauſas proprias demonſtrari amplius nequeunt. Modi autem quibus iſta principia primo colliguntur ſunt duo, *Inductio ſingularium*, & *collectio ex effectis*. His etiam modis, cum in dubium vocantur, probari ſolent in ſcientiis. Quibus adde *deductionem ad impoſſibile*, & *rationes communes*, quas Ariſtoteles *Logicas* vocat: quæ non ex mediis cuilibet quæſtioni propriis, ſed generalioribus, & ad alias etiam quæſtiones probandas aptis deducuntur. Sed generatim loquendo, omnium aptiſſimi ſunt ad principia probanda duo hi modi; *Inductio*, cujus principium eſt ſenſus, à quo mens ſingularium cognitionem accipit, & univerſalia in iis latentia elicit, ſejunctis iis quæ ſingulis individuis aut quibuſdam ſunt peculiaria: & *Deductio ad impoſſibile*. Reſtat adhuc ſapientia, quæ cognoſcit quidem etiam principia, ſed ea non ſunt proprium & adæquatum ejus ſubjectum, & quod ea cognoſcat, id facit beneficio intelligentiæ hujus, quam veluti partem quandam includit.

Id quod huic intelligentiæ proprie opponitur, nomine caret; ſed dici poteſt *ignorantia principiorum*. De ignorantia vero agetur capite ſequenti.

CAP. XXXI.

De Scientia.

SCientiæ vox ambigua eſt: potiſſimum autem tribus modis ſumitur: *primo* latiſſime, pro cognitione quavis, præſertim certa, ſive ſingularium, ſive univerſalium. *Deinde* paulo ſtrictius, pro cognitione certa rerum univerſalium, atque in primis neceſſariarum: qua ratione intelligentiam & ſapientiam, imò & artem complectitur. *Tertio* ſtrictiſſime, pro cognitione certa concluſionum, quæ per cauſas demonſtrantur. Et hæc ſignificatio hujus eſt loci. Quanquam & alia eſt, & quidem duplex, hujus vocis ambiguitas, quæ in omnibus his ſignificationibus cernitur. Nam vel ſumitur pro habitu ſciendi, qui etiam eſt in dormiente, vel pro actu. Præterea vel ſumitur pro cognitione unius tantum concluſionis, vel pro cognitione plurium concluſionum, ad idem rerum genus pertinentium, & unum diſciplinæ corpus ſeu ſyſtema conſtituentium, ut eſt Phyſica, Aſtrologia, Arithmetica, Geometria. Hoc loco ſumitur pro habitu, qui complectitur cognitionem plurium concluſionum ad idem rerum genus pertinentium. *Definitur* ab Ariſtotele, habitus demonſtrativus, ſeu demonſtratione comparatus.

In ea ſpectantur tria, *ſubjectum, principia*, & *affectiones ſubjecti propriæ*. Principia autem intelligo tum ea, quæ ſubjectum conſtituunt, quæ ſunt res ſimplices, & appellantur *Principia conſtitutionis*: tum ea, ex quibus affectiones demonſtrantur, & ſunt propoſitiones per ſe claræ, ſeu axiomata, quæ principia illa ſubjectum conſtituentia, maxime formam, in ſe comprehendunt, quæ vocantur *principia cognitionis*. Quanquam principia hæc primo ſub intelligentiam cadunt, ſub ſcientiam conſequenter. Hæc enim primo circa concluſiones verſatur. Verum quia etiam eas demonſtrat, per principia, ideo conſequenter de principiis agit. Unde patet cum ſcientia ſemper conjunctam intelligentiam, quæ principia primo & per ſe cognoſcit. Sic in Phyſicis, tractatur de corpore naturali, ejus principiis, & affectionibus generalibus, & ſpecialibus, deſcendendo à genere, uſque ad ſpecies infimas. Corpori naturali in genere generalia accommodantur tum principia, tum affectiones, ſpeciebus ejus ſpecialia. Sed

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de his accuratius agitur in doctrina Analytica, ſive de demonſtratione.

Scientiæ opponitur partim *opinio* tanquam imperfectum: quæ eſt vel infirma perſuaſio de re certiſſima, at nulla firma ratione ſuffulta, vel firma perſuaſio de re incerta aut falſa. Partim *ignorantia*, præſertim concluſionum neceſſariarum: quæ opponitur iterum vel ut privatio, vel ut contrarium. Eſt enim *duplex ignorantia*, altera *negationis*, altera *pravæ diſpoſitionis*: quæ diviſio non tantum in Ignorantia ſcientiæ ſtricte ſumptæ oppoſita, ſed & in quavis alia locum habet. *Ignorantia negationis* eſt mera negatio ſeu abſentia ſcientiæ in eo, qui ſcire per naturam poteſt: qualis eſt in ruſtico Metaphyſicæ aut Mathematicæ ignoratio. *Ignorantia pravæ diſpoſitionis* eſt quæ loco veræ cognitionis errorem ponit: qualis eſt in hæreticis ignorantia veræ religionis.

Cap. XXXII.
De Sapientia.

SApientiæ vox itidem ambigua eſt: interdum enim pro prudentia ſumitur: qua ratione Lælius aut Cato dictus eſt ſapiens: interdum pro ἀκριβεία ſeu excellentia & perfectione cujuſque artis, etiam ignobilioris; qua ratione Græci excellentes pictores, ſtatuarios, Poëtas, ſapientes vocant; interdum denique, pro omnium ſcientiarum faſtigio & perfectione, quomodo hic accipitur.

Eſt autem nihil aliud, quam Habitus ex Intelligentia & ſcientia quaſi conflatus: ſeu habitus, quo tum principia rerum univerſarum, quod eſt mentis, quam ea quæ ex principiis demonſtrantur, quod eſt ſcientiæ, cognoſcuntur. Unde dicitur ſcientia veluti caput habens: quia mentem etiam, unde totius ſcientiæ robur pendet, complectitur. Dicitur autem eſſe ſcientiarum accuratiſſima & perfectiſſima, communiſſima item, & rerum præſtantiſſimarum atque honoratiſſimarum, qualis eſt Deus Opt. Max. & aliæ res divinæ. Nobiliſſimæ enim ſcientiæ præſtantiſſimum debet eſſe ſubjectum. Eſſe autem ſapientiam ſcientiarum nobiliſſimam ac præſtantiſſimam patet: quia etiam tum cum ad artes tranſfertur, id quod præſtantiſſimum eſt denotat.

Per hanc intelligi poteſt, vel *Metaphyſica*, quæ Philoſophia prima, item Theologia, & Sapientia ab Ariſtotele ſolet appellari, item ſcientia univerſalis, quæ agit de Ente ut Ens eſt in univerſum, & ejus affectionibus communibus: quanquam ea maxime ſpectat in Ente primo, unde cætera habent, quod ſint Entia. Id vero eſt Deus Opt. Max. Et hæc ſcientia reliquis omnibus quodammodo tanquam fundamentum ſubſternitur. Omnes enim de Ente aliquo tractant, & entis naturam ejuſque affectiones tanquam notas ponunt. Vel poteſt intelligi *univerſa Philoſophia*, quæ olim ſapientia fuit dicta, à Pythagora vero, modeſtiæ cauſa, Philoſophia, ſeu amor ac ſtudium ſapientiæ: quod nemo ſapiens videatur dicendus præter Deum.

Huic opponitur *inſipientia*, quæ eſt ignoratio principiorum communium, & rerum, quæ inde pendent. Quanquam inſipientia vel ſtultitia ſæpe pro imprudentia etiam ſumitur, quemadmodum & ſapientiæ nomen pro prudentia.

De principatu autem *ſapientiæ* ac *prudentiæ* dubitatur. Quidam enim prudentiam ſapientiæ præferunt, ideo quod illa imperet in civitate, hæc non item: nobilior autem eſſe videatur ea, quæ imperium exerceat, quam quæ eo careat. Sed reſpondendum eſt, non ſemper eam facultatem, quæ imperat, eſſe nobiliorem quavis alia, ſed ei demum cui imperat, non vero illi, cujus gratia imperat. Apparet id ex eo, quod nec ea diſciplina, quæ cultum divinum tradit, imperat in civitate, ſed prudentia; nec tamen hæc illa eſt nobilior. Nempe quia prudentia non ſapientiæ nec religioni imperat, ſed ſapientiæ & religionis gratiâ. Curat enim ut ea in civitate locum habeat; itaque ei miniſtrat. Nobilius autem eſt id, cujus gratia quid fit, quam id quod ejus gratia fit, hoc eſt finis mediis eſt nobilior.

Hoc ut adhuc rectius intelligatur, & ſimul doctrina de felicitate humana abſolvatur, cujus gratia de virtutibus actum eſt, inſtituenda hoc loco videtur comparatio præſtantiæ inter Felicitatem Practicam, quam præſtant virtutes morales, quibus præeſt & imperat prudentia, & inter Theoreticam, quę eſt Exercitatio ſapientię in vita perfecta.

Cap. XXXIII.
Comparatio Felicitatis Theoreticæ & Practicæ.

DIximus in prima Ethices parte, duplicem eſſe Felicitatem, atque adeo duplicem vitæ humanæ finem ultimum. Sed id non ita eſt accipiendum, quaſi uterque ſit ſimpliciter ultimus, ſed alter ſimpliciter, & in univerſum, alter ſecundum quid. Non enim poſſunt unius rei ſecundum naturam plures eſſe fines ſimpliciter ultimi, ac ſibi minime ſubordinati. Quia ut ait Ariſtoteles, lib. 1. Politic. cap. 2. *Nihil natura facit tale, qualem fabri ærarii gladium Delphicum*, (qui erat & ad mactandas hoſtias, & ad feriendum hoſtem comparatus:) *ſed unum ad unum. Sic enim optime unumquodque inſtrumentum perficitur, ſi non multis operibus, ſed uni deſerviat.* Quare ſi homo à natura fuit optime perfectus, finis illi ultimo præfixus nonniſi unus eſt: adeoque vel Contemplatio ad Actionem, vel hæc ad illam, tanquam finem refertur. Non refertur autem præſtantius ad deterius, ſed contra.

Præſtat vero *Contemplatio* Actioni natura ſua. Dico *natura ſua*, quia per accidens contra fieri nil prohibet. Dictum probamus: 1. Quia Comtemplatio eſt operatio partis præſtantiſſimæ hominis, & circa diviniſſimum objectum. Præſtantior autem eſt actio, quæ eſt præſtantioris partis, & objecti. Prius probatur: quia Comtemplatio mentis eſt operatio: mente vero nihil in homine eſt præſtantius; tum quia mens cæteris omnibus imperat, tum quia ſola divinarum rerum notitiam habet. Poſterius patet ex doctrina de Sapientia, quam circa diviniſſima omnium verſari dictum eſt. Contemplatio vero eſt uſus & exercitatio ſapientiæ. Actio autem virtutum moralium, cui præeſt prudentia, magnam partem etiam ab appetitu pendet, quæ indignior eſt animæ facultas, & menti naturâ paret: deinde circa humana tantum, & à noſtro arbitrio pendentia, verſatur, non circa divina.

2. Quia bonorum omnium eſt jucundiſſimum. Quó vero bonum eſt majus, tanto jucundius. Quare quod jucundiſſimum eſt, id optimum eſſe oportet. Eſt autem Contemplatio omnium jucundiſſima, tum ratione perfectionis voluptatis iſtius, tum ratione conſtantiæ. Ratione perfectionis: quia, ut dictum eſt, facultatis eſt præſtantiſſimæ & optime affectæ, hoc eſt mentis ſapientia præditæ, & diviniſſimi objecti. Voluptas autem quævis tanto perfectior eſt, quo eſt præſtantioris facultatis, & melius affectæ, & nobilioris objecti. Ratione conſtantiæ: quia etiam ipſa contemplatio, quæ voluptate ſua nunquam caret, eſt omnium conſtantiſſima; longe ſane conſtantior eſſe poteſt, quam Actio. Nam illa aliena ope, inſtrumentorum apparatu, viribus corporis, minus indiget, nec ex occaſione revera pendet; ideoque durare diutius poteſt, imo & ſolet, ob voluptatem quam ſecum habet conjunctam. Actionis diverſa eſt ratio, ut ſtatim patebit.

3. Vita contemplativa eſt αὐταρκεςέρα, hoc eſt, ſeipſa magis contenta, & alienæ opis minus indiga, quam Practica. Eſt autem αὐτάρκεια Beatitatis proprium; & cui magis convenit, ei beatitatis ratio magis competit. Contemplativam vitam ſibi ipſi magis ſufficere, patet: nam Sapiens ad operationem ſuam, partim aliorum hominum ope non indiget, aut minus indiget, cum poſſit etiam ſolus contemplari, & quo ſapientior eſt tanto magis: partim bonorum externorum apparatum non deſiderat. Dico *ad operationem ſuam*: quia Sapiens, qua homo eſt, & civilis ſocietatis membrum, indiget rebus ad vitam ſuſtentandam, & ſocietatem humanam juvandam neceſſariis, & aliorum hominum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

num ope; ſed non ad ipſius ſapientiæ exercitationem. At exercitatio virtutis moralis his omnibus eget, & quo ſplendidior eſt, tanto magis. Nam aut cum aliis aut adverſus alios exercentur fere virtutes omnes, & præterea copiam bonorum externorum poſtulant, ut magnificentia, liberalitas; quin & temperantia, licet maxime videtur ad nos ipſos referri, externis indiget, & in bonorum omnium affluentia magis ſeſe exſerit.

4. Contemplatio ſua natura non refertur alio: Actio alio refertur. Iſtud patet: quia verſatur circa æterna & divina, quæ fieri à nobis non poſſunt, nec eorum cognitio per ſe aliquid agere nos jubet, licet à nobis ad actionem referri poſſit: ut Dei cognitio ad religionem: aſtrologia ad agriculturam, & alia: phyſica ad medicinam. Actio virtutis moralis alio refertur: vel enim affectus & cupiditates animi edomant virtutes, vel actiones externas: illæ ad internam animi quietem referuntur, & menti etiam præſtant; hæ vero quietem civilem & externam curant, fortitudo inprimis ab hoſte externo, extra mœnia; juſtitia potiſſimum intra mœnia. Otium vero iſtud quorſum refertur? non ſane ad inertiam, aut ad ſomnum, non ad voluptates corporis, virtutibus longe inferiores: ſed ad operationem quieti ſimilem. Hæc vero eſt rerum divinarum Contemplatio. Servit ergo Actio Contemplationi.

5. Huic conſentit & illud: quod Beatitudo in quiete potius conſiſtit, quam in labore & turbulentis negotiis. Negotia enim hæc tractamus, ut quieſcamus, & illa nonniſi ob neceſſitatem ſuſcipimus. Quietem vero liberalem per ſe amamus. At vita Practica eſt laborioſa & turbulenta. Laborioſæ enim ſunt actiones omnium excellentiſſimæ, ut civiles & bellicæ. Contemplatio vero eſt quies quædam liberalis, ſeu negotioſum quoddam ac jucundum otium.

Hinc patet *Actionem* non eſſe ſimpliciter finem vitæ ultimum, ſed tantum bonorum ad vitam civilem pertinentium, quæ nonnunquam peculiari ratione humana dicitur, & opponitur vitæ divinæ, quæ homini eatenus convenit, quatenus divinum quiddam in ipſo eſt, quod tamen ipſum maxime homo eſt, & vita ſecundum id traducta, maxime humana: ſi hominem à præſtantiſſima ejus parte inprimis cenſeas.

Neque vero inde ſequitur, nos interdum contemplatione intermiſſa actioni totis viribus incumbere non debere, quod non videatur decere, præſtantioribus neglectis, minus præſtantia tractare. Nam etſi ſimpliciter ac per ſe contemplatio actione præſtantior eſt: tamen per accidens, ſeu ob certas cauſſas, hoc illove tempore, actio contemplationi eſt præponenda: idque ob neceſſitatem quandam, quam nobis vel natura ipſa, vel Deus naturæ auctor impoſuit. Is enim nos ad officia temperantiæ, ad beneficentiæ & juſtitiæ munera, ad pietatem & religionem erga ſeipſum, partim natura, partim præceptis obſtrinxit. Natura enim iis uti cogimur, in quibus temperantia verſari debet; deinde naturalis eſt hominum inter ſe conjunctio, unde juſtitia & liberalitas: naturalis denique conjunctio inter homines & Deum, parentem auctoremque ſuum, unde pietas item ac religio naſcitur. Quanquam hæc beneficiis divinis in hominum genus collatis, ejuſque fæderibus cum homine pactis, incrementum ceperunt. Nil ergo mirum, ſi Contemplatione, licet ſua natura præſtantiore, ſæpius relicta, actioni vacamus. Nemo enim neſcit, ſæpe rebus ita exigentibus, melioribus ac dignioribus curis relictis, aliis longe vilioribus atque indignioribus incumbendum eſſe. Adde quod contemplatio, quæ in hanc vitam cadit, admodum imperfecta eſt, reſtatque adhuc alia longe divinior, quæ eſt futuræ vitæ, ad quam per actionem virtutis contendimus. Ibi enim Deum ipſum uti eſt contemplabimur, idque ſine ullo impedimento, in omnem ævorum perennitatem. Non eſt ergo mirum, ſi imperfectiorem contemplationem nonnunquam relinquimus, propter perfectiorem, & actioni virtutis damus operam, per quam ad eam aſpirare licet. Ex quo ipſo Contemplationis principatus & eminentia præ actione apparet.

ETHICÆ

PARS TERTIA,

Quæ eſt

DE VOLUPTATE.

CAPUT I.

Voluptatis definitio & natura.

DE *Voluptate* non ideo tantum agimus in Doctrina de moribus, quod ea cum beatitate arctiſſime ſit conjuncta, & virtutis objectum quoddam ſit, ut in partitione Ethices diximus: verum etiam ideo, quod ea una cum ſuo contrario, nempe *dolore*, maximam vim ad mores fingendos, & vel ad virtutem, vel ad vitium flectendos habeat. Nam cum actionibus noſtris omnibus vel voluptas, vel dolor ſit admiſtus, imo eidem etiam actioni poſſit utrumque adjungi, ratione diverſarum partium aut facultatum; & cum voluptatem natura perſequamur, à dolore vero refugiamus: hinc fit, ut ad actiones vel ſuſcipiendas vel omittendas; qua in re honeſtas aut turpitudo vitæ cernitur, voluptate & dolore moveamur: & qui gaudet, quibus gaudere debet, dolet quibus dolere oportet: (qua in re Plato rectam inſtitutionem ſitam eſſe olim dixit:) is vir bonus evadat; qui contra, malus. Hinc etiam ii qui pueros, tum bonis literis, tum moribus honeſtis, informandos ſuſcipiunt, eos dolore & voluptate, tanquam gubernaculis quibuſdam, regunt, & ad officium faciendum impellunt: certi hæc duo in actionibus humanis vim habere maximam. De voluptate autem hoc loco in genere agimus, non corporis tantum, ſed etiam animi: licet illa vulgo, quia notior eſt & frequentior, voluptatis nomen prope ſoli ſibi vindicarit.

De Voluptate tria agemus: 1. Ejus definitionem & naturam explicabimus. 2. Diviſiones ejus trademus. 3. Controverſias ac quæſtiones quaſdam circa voluptatem occurrentes expediemus.

Voluptas eſt perfectio functionum facultatis cognoſcentis. Facultas cognoſcens eſt ea quæ percipit ac judicat ſuum objectum: eſtque duplex tantum, *ſenſus*, & *mens* ſeu *ratio*. Unde patet ea tantum voluptatis eſſe capacia, quæ his facultatibus, vel utriſque vel alterutra ſunt prædita. Utraque præditus eſt homo: bruta ſolo ſenſu: Deus & beatæ mentes intellectu. Quanquam in angelis aliquid ſenſui analogum fortaſſe eſt.

Perfectio illa functionum ſeu operationem in duobus conſiſtit: 1. Requiritur ut facultas ipſa ſit bene ſecundum naturam affecta, & in actione ipſa non impedita reique intenta. 2. Ut objectum quoque cognitum

bene

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

bene ſe habeat, & cum facultate cognoſcente ejuſque inſtrumento egregie conſentiat; quod enim diſcrepat, dolorem movet. Unde etiam apparet, quænam voluptas ſit omnium maxima: nempe cum facultas cognoſcens eſt optima, optimeque ſecundum naturam affecta, rei maxime intenta, & rei omnium, quæ ſub eam cadunt optimæ. Talis eſt contemplatio Dei, maxime futuræ vitæ.

Ex quo apparet non omnem voluptatem eſſe repletionem naturæ indigentis, qua ea ad priſtinum ſtatum redeat, ut volebat Plato. Nam præſtantiores voluptates omnes, ſunt naturæ jam perfectæ, & optime ſe habentis; ut voluptates mentis, imo & aurium, oculorum & narium pleræque, itemque eæ quæ ex memoria præteritorum, ac ſpe futurorum hauriuntur, quæ quo natura eſt integrior, tanto ſunt majores; & expetuntur, etſi nulla indigentia, & ex ea natus dolor fuerit antegreſſus. Tantum voluptates guſtus & tactus, quæ ſunt omnium infimæ & impuriſſimæ, & fere per accidens tantum expetendæ, fiunt per repletionem quandam naturæ indigentis, & tanto majores ſunt, quo major defectus ac dolor fuerit antegreſſus. Unde fames ac ſitis, quæ ſunt deſideria cibi ac potus, cum dolore quodam ex indigentia nato, ſunt maxima ciborum condimenta, quibus ceſſantibus, voluptas cibi ac potus, vel nulla eſt, vel languet: ſic etiam aliæ quædam belluinæ voluptates, tanto majores ſunt, quo majus ac moleſtius deſiderium anteceſſerit, quo reſidente voluptas etiam ceſſat, & faſtidium ſuccedit. Quanquam ne hæ quidem voluptates repletiones naturæ ſunt; ſed tum cum repletur natura, abſterſo dolore, exoriuntur ac fiunt: eaſque non tam id quod languet ac defectum patitur, quam quod naturam adhuc retinet integram, ſentit; quod in medicamentorum etiam voluptatibus accidit. Animal enim aut homo eas percipit ipſo ſenſu, ſive anima, quæ in ſeipſa integra eſt, & nec defectum indigentiamque partium, nec repletionem patitur, cum hæ corporis tantum ſint affectiones. Sed inſtrumenta quædam aut media, per quæ fit ſenſio, debilitata ſunt, & reſtitutione in integrum egent. Eſt ergo repletio illa cauſa voluptatis, non voluptas, quemadmodum indigentia doloris cauſſa, non dolor.

Cap. II.

Voluptatis Diviſiones.

VOluptates inter ſe ſpecie differunt, quemadmodum & ipſæ actiones, quarum ſunt perfectiones. Diverſarum enim ſpecie rerum, diverſæ ſunt ſpecie perfectiones. Alia perfectio eſt hominis, alia equi: alia ſtatuæ, alia ſecuris, & ſic in cæteris. Quæ cauſa eſt cur voluptates aliæ aliis ſint impedimento, quod non fieret, ſi omnes ejuſdem eſſent ſpeciei.

Prima voluptatis diviſio eſt, quod alia eſt *ſimpliciter & abſolute* talis: alia vero *per accidens*, ſeu huic aut illi tantum. *Simpliciter & per ſe dicta voluptas* ea eſt, quæ illis videtur talis, qui ſecundum naturam bene ſunt affecti. Et ratione quidem mentis bene ſunt affecti viri ſapientes & virtute præditi: ſecundum corpus ii, qui recte valent. *Voluptates per accidens* illæ ſunt quæ tales videntur iis, qui vitio aliquo laborant, ſive animi, ſive corporis. Tales ſunt voluptates improborum, ægrotorum aut melancholicorum, quibus ea ſæpe jucunda ſunt, à quibus boni aut ſani maxime abhorrent. Definitio antea tradita prioris generis voluptates revera deſcribit: poſterioribus non niſi ex parte convenit.

Secunda eſt, quod *voluptates* aliæ ſunt *mentis*, aliæ *ſenſuum*, quæ etiam *corporis* dicuntur, quia ſenſus in corpore aliquo modo reſident, & corporeis inſtrumentis operationes ſuas abſolvunt. Illæ homini cum Deo ac mentibus beatis ſunt communes, hæ cum brutis: itaque illæ divinæ, hæ terrenæ. Mentis voluptates iterum inter ſe differunt. Aliæ enim ex contemplatione percipiuntur, aliæ ex actione, aliæ denique ex effectione: tot enim ſunt ſpecies operationum intellectus. Voluptates ſenſuum in tot ſpecies diſtribuuntur, quot ſunt ſenſus: ſenſus autem externi ſunt quinque: quorum ſingulorum operationes iterum ſpecie differentes, vel pro ratione objectorum, vel pro ratione partium, per quas perficiuntur, diverſas etiam ſpecie pariunt voluptates. Externorum ſenſuum voluptates imitantur etiam voluptates internorum, eandemque fere diviſionem recipiunt.

Tertia eſt, quod *voluptates* aliæ ſint *propriæ*, (intellige certæ actionum ſpeciei) aliæ *alienæ*. *Propria* voluptas eſt, quæ ex ipſa illa actione, cujus eſt perfectio, & cui propria dicitur, manat: *aliena* quæ ex alia. Sic aurium voluptas auditioni propria eſt, oculorum viſioni, mentis, cogitationi, & ſic deinceps. Voluptas guſtus eſt aliena viſioni, vel auditioni, vel cogitationi. Dignoſcuntur autem effectis: nam *voluptates propriæ* actionem promovent ac perficiunt, (quo enim quiſque majorem ex actione aliqua voluptatem capit, tanto magis ei ſolet incumbere:) *alienæ* vero impediunt. Diſtrahit enim voluptas aliena animum in diverſa, & pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, ut vulgo ajunt, imo ſi voluptas aliena voluptatem propriam longe ſuperet, hanc quodammodo expellit, & ab actione, à qua manat, animum avocat. Sic ſi quis tibiarum ſono magis delectetur, quam lectione aut meditatione, ſimulatque tubæ ſonum audierit, lectione aut meditatione miſſa ad illum convertit animum. Habentque fere eandem vim voluptates alienæ, quam habent dolores proprii: nam & illæ & hi actiones impediunt, aut abrumpunt: quanquam hi magis, quam illæ, & hi per ſe, illæ per accidens.

Quarta eſt, quod voluptatum aliæ ſunt *honeſtæ*, aliæ *turpes*, aliæ *neutræ*, ſeu ἀδιάφοροι, hoc eſt, per ſe nec honeſtæ nec turpes: quemadmodum & actiones, quarum ſunt perfectiones, in tali ſunt differentia. Quare ſi actio eſt honeſta, etiam voluptas, quæ exinde fluit; ſi turpis, etiam voluptas: ſi neutra, itidem. Nam ſi cupiditates propter objecta ſua vel honeſtæ ſunt, vel turpes, vel neutræ, (cupiditas enim rei honeſtæ, honeſta eſt, & ſic in cæteris) multo magis voluptates ex actionibus ipſis honeſtæ, turpes, aut mediæ cenſentur. Nam voluptates ſunt conjunctiores actionibus, quarum ſunt perfectiones, quam cupiditates ſuis objectis; quia objecta à cupiditatibus tempore, & eſſentia, nonnunquam ſubjectis ſunt diſtincta. At voluptates nec tempore, nec ſubjectis ſunt unquam diſtinctæ ab actionibus ſuis, & eſſentia ita conjunctæ, ut propemodum eædem videantur, & vix mentis acie diſcerni queant. Eſt autem obſervandum, voluptates quaſdam corporis, ſi referantur ad proprium ſuum ſubjectum, aut eam facultatem, à qua percipiuntur, videri bonas, quia eam perficiant: ſi vero ad ſuperiorem præſtantioremque facultatem, hoc eſt mentem, referantur, cujus functiones impediunt, vitioſas evadere. Unde voluptates corporis multas in belluis non reprehendimus, quia ratione carent, nec in iis quippiam faciunt natura ſua indignum: eædem in homine, qui ratione vitam gubernare debet, reprehenduntur, aut etiam pœna dignæ judicantur. Præterea ipſæ nonnunquam voluptates per ſe conſideratæ, non ſunt vitioſæ, ſed eatenus tantum, quatenus ab iis rebus proficiſcuntur, à quibus non debent; ut ſi quis voluptatem alias moderatam, ex cibo furtim ablato capiat, aut voluptatem ex adulterio, qua in conjugio frui liceret. Quemadmodum convaleſcere bonum eſt, ſed non artibus magicis, aut ſanguine infantum, quam medicinam elephantiaſi ſuæ curandæ quæſiſſe dicitur quidam Rex Galliæ.

Quinta eſt, *Voluptates* aliæ ſunt *puriores*, aliæ *impuriores*: ut & actiones. *Puriores* illæ ſunt, quæ corporeum contactum rei, quæ voluptatem excitat, vel plane non requirunt, vel minus requirunt. *Impuriores* quæ magis. Sic purior eſt mentis voluptas quam ſenſuum, & rurſus inter voluptates ſenſuum puriores ſunt eæ quæ oculis, auribus, & naribus percipiuntur, quam quæ guſtu & tactu. Hi enim duo ſenſus corporis inſtrumentis, corporeoque contactu rerum jucundarum maxime indigent: paulo minus olfactus: adhuc minus audi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

auditus; omnium forte minime viſus. Voluptates puriores, præſertim mentis, nimium non habent, quod per ſe ſit turpe & inhoneſtum; dolore etiam ſua natura non ſunt permiſtæ; & rerum per ſe jucundarum. Contrarium impurioribus accidit.

Sexta, Voluptates aliæ ſunt *humanæ*, ſeu hominis propriæ: aliæ *belluinæ*. Et hæ iterum multiplices, pro animalium differentia. Quælibet enim animalium ſpecies propriam quandam habet & peculiarem operationem, ſecundum id quod in eo præſtantiſſimum eſt, hoc eſt ſecundum ſenſum. At pro differentia operationum ſenſus, ipſæ quoque earum perfectiones ſeu voluptates differunt.

Cap. III.

Quæſtiones nonnullæ de Voluptate.

QUæſtiones de voluptate non unius ſunt generis. Vel enim quæritur de earum bonitate & malitia, adeoque etiam de earum appetitione ac fuga. Bonum enim omne, qua bonum, expetibile eſt; malum fugiendum. Vel quæritur de earum conſtantia & inconſtantia: unitate aut varietate: tandem de medio inter voluptatem ac dolorem ſtatu. Quod ad primum genus attinet: *Primo* quæritur, *An voluptas omnis ſit bona, nec ne.* Ut recte reſpondeatur, diſtinguendum eſt *Bonum*. Nam id vel late ſumitur, pro omni eo, quod quocunque modo expeti poteſt. Expeti autem poteſt aliquid vel per ſe, vel per accidens; vel abſolute, vel ab hoc aut illo. Illud bonum per ſe eſt, hoc per accidens: iſtud ſimpliciter bonum, hoc huic aut illi. Vel ſumitur vox boni καθ' ἐξοχὴν pro eo quod honeſtum eſt. Si in lata ſignificatione accipiatur *Bonum*; omnis voluptas eſt bona, alia quidem per ſe, alia per accidens; alia ſimpliciter, alia huic aut illi: ut patet ex prima ejus diviſione, quam tradidimus cap. 2. Si vero ſtricte ſumatur *Bonum*, pro honeſto; non omnis voluptas bona eſt; ut diviſione quarta ejuſdem cap. 2. patuit. Voluptatem omnem aliquo modo bonam eſſe tum ex ejus definitione liquet, cum ſit quædam actionum facultatis cognoſcentis perfectio, præſertim ea, quæ eſt per ſe, & ſimpliciter dicta: hæc vero perfectio eſt expetibilis: partim ex contrario: omnis enim dolor aliquo modo eſt fugiendus. Dico aliquo modo, quia nunc per ſe fugiendus eſt, nunc per accidens. Quod vero voluptas à ſapientibus nonnunquam in univerſum videtur reprehendi, id accipiendum eſt de voluptatibus corporis, & quidem immoderatis, quibus vulgus teneri ſolet, quæque ideo nomen voluptatis tanquam proprium nonnunquam ſibi vindicant, licet aliæ ſint longe illis præſtantiores.

Hoc loco non omittendum eſt, fuiſſe quoſdam, qui aſſeruerunt omnem voluptatem eſſe malam, non quod ita ſentirent, ſed quod id ad vitam hominum recte inſtituendam utilius putarunt. Nam cum plerique voluptatem plus æquo ament, putarunt fore, ut ſi docerentur, eam prorſus eſſe malam, ab ejus nimio ſtudio revocarentur, eamque moderate perſequerentur. Nam qui ab uno extremorum ad mediocritatem revocare conatur aliquem, ei danda eſt opera, ut eum prius ad alterum extremum flectat, ut alibi docuimus. Verum iſti non recta via rem optimam ſunt aggreſſi, & valde errarunt, dum mendacio rem hanc confectum iri crediderunt. Fieri enim non potuit, quin ipſi, tum naturæ inſtinctu, tum ex animi ſui ſententia, aliquam voluptatem perſequi deprehenderentur. Quo facto ſuæ aſſertioni fidem derogarunt apud eos, quos à voluptatis amore voluerunt abducere. Nam in moribus & affectibus plus valent facta quam ſermones, & exempla quam præcepta; præſertim cum ſermones naturæ ac ſenſibus repugnant, exempla vero naturæ vi adjuvantur, ut hoc loco accidit. Quinetiam majus inde periculum conſequi neceſſe eſt. Nam cum vulgus neſciat diſtinguere, ubi viderit eum, qui voluptatem omnem vituperavit, aliquam tamen perſequi, promiſcue voluptates ſectabitur, non illam tantum, quam alter ille expetiverit, ſed & alias, eaſque turpes ac inhoneſtas, ad quas plerique ſunt proni. Satius ergo eſt, tum alias, tum in doctrina de moribus, veritatem ſequi, & dicta factis comprobare. Tunc enim maximam reperiunt fidem, & ſic vehementius ad eà exſequenda homines impellunt. Libentius enim ea præſtamus, quæ facienda eſſe credimus.

Secundò quæritur: *An voluptas ſit ſummum bonum.* Reſpondemus, cum voluptas ſit duplex, alia ſenſuum, alia mentis, illam nullo pacto eſſe ſummum bonum, ut partis 1. cap. 3 docuimus; licet moderata & honeſta cum felicitate conjungi poſſit, imo aliquo modo debeat. Voluptatem vero mentis eam, quæ ex præſtantiſſima actione percipitur, non quidem univerſam eſſe felicitatem, ſed partem ejus eſſentialem ac potiorem eſſe dicimus. Beatitas enim eſt actio animi ratione præditi, ſecundum virtutem perfectiſſimam: talis autem actio eſt perfectiſſima: perfectio illius actionis ſumma, maxima voluptas eſt, ut ex cap. 1. patet. Hæc vero voluptas, quam naturæ felicitatis inſertam dicimus, eſt ea quæ ex contemplatione divini numinis hauritur, ut alibi docuimus. Ex quibus patet, admodum falli eos, qui omnem voluptatem malam ac turpem judicant. Si enim ita ſe res haberet, non modo voluptas beatitatis pars non eſſet, ſed nec conjungi cum ea ullo modo poſſet.

Tertiò quæritur: *Cur plerique homines voluptatem corporis tantopere expetant, licet voluptates mentis longe illis ſint præſtantiores; & quodammodo ſummum hominis bonum, ad quod tacito naturæ impetu ducuntur.* Cauſa hujus rei eſt duplex: Prima, quia voluptates corporis, eas nempe quas vulgus maxime appetit, hoc eſt, guſtus, & tactus certarum partium, ſolet antecedere dolor quidam, ob naturæ defectum, adeoque moleſtum quoddam deſiderium; moleſtia vero iſta voluptatibus illis, tanquam medicina quadam, expellitur, & quo majores ſunt, tanto magis; quæ contrariorum eſt indoles. At mali ſenſus medicinæ deſiderium excitat & ſtimulat, cum omnes homines natura dolorem fugiant, ab eoque liberari vehementer cupiant. Voluptatum animi alia eſt ratio, quas non antecedit defectus naturæ, adeoque nec dolor ac moleſtia quædam exinde nata, itaque non mirum eſt vulgus ad illas tanto impetu non ferri, cum medicina hac non videatur indigere. Secunda cauſa eſt: quod voluptates corporis hominibus ſint notiores ac familiariores; quod vel inde apparet, quod earum ſitim ſibi ultro accerſant, quod non viderentur facturi, ſi nobiliores illis eſſent notiores. Cauſa vero hujus rei eſt manifeſta: nam cum ſenſu primo utamur, omniſque noſtra cognitio ab eo incipiat, ſenſuum voluptates notiores eſſe oportet, quam mentis. Cui adde, quod ab ineunte ætate ſenſus ſolus viget, & guſtus ac tactus voluptatibus prope ſolis à pueritia utimur, iiſque aſſueſcimus: mens nonniſi longo tempore, velut è diuturno ſomno experrecta, munere ſuo fungitur. At quibus diutius aſſuevimus, ea nobis ſolent ipſo uſu reddi jucundiora. Unde ea cuique jucunda eſſe ſolent, quæ cum habitu ejus conſentiunt; injucunda, quæ contra. Poteſt & tertia addi cauſa, quod ad voluptates animi ſolidas, nonniſi multis laboribus ſuſceptis pervenitur, multiſque eæ difficultatibus ſunt ſeptæ: at voluptates corporis fere ſunt in promptu. A labore vero omnes ſumus proni ad otium & ad libidinem. Interea tamen jure dici poteſt, omnes homines ad voluptates animi tacito naturæ inſtinctu duci, & eas perſequi, niſi difficultate impediantur. Natura enim, ut ait Philoſophus atteſtante Cicerone, ſcire deſiderant homines, & cum à rebus aliis vacant, avent aliquid audire, & rebus novis, imo & fabulis, ſæpe gaudent, etiamſi nil inde utilitatis ad illos ſit perventurum; nempe imaginem ſaltem ſui boni conſequuntur, cum ipſum non poſſint, nec id ſatis intelligant.

Quod ad alterum quæſtionum genus attinet: *Primo* quæritur, *quæ voluptates ſint ſtabiles, quæ inſtabiles.* In genere reſpondetur, tum voluptates eſſe ſtabiles, cum & facultas cognoſcens bene affecta permanet, & de cognoſcendi ſtudio nihil remittit, ipſumque objectum

non ſit deterius. Hæ enim ſunt voluptatis cauſæ proximæ; cauſis autem proximis manentibus iiſdem, idem manet effectus. Hinc (ut in ſpecie de quæſtione propoſita dicamus aliquid) patet Dei Opt. Max. voluptatem eſſe perpetuam. Intellectus enim divinus æque ſemper eſt perfectus, nec unquam defatigatur, & objectum ejus princeps ſemper manet idem. Hoc ipſum & de voluptatibus angelorum & beatorum olim hominum eſt dicendum. Humanæ vero voluptates inconſtantes ſunt, & vel plane ceſſant, vel langueſcunt. Ceſſant, quia actiones etiam humanæ, quarum perfectio eſt voluptas, quieſcunt. Solent enim defatigari homines: unde vires labore fractas alterna requie coguntur reficere. Quæ cauſa eſt, cur ne mentis quidem voluptates ſint perpetuæ, licet diviniſſimæ: indigent enim aliquo modo corporis opera, quod, dum mens ſuo muneri incumbit, ſuis caret voluptatibus, & diuturnis meditationibus exhauritur. Itaque tandem menti parere renuit, & ſibi etiam aliquid indulgere cogit: quod dum fit, animi voluptates vel deſinunt, vel languent. Langueſcunt vero voluptates, quia intentio ſenſus aut rationis in rem objectam, remittere ac langueſcere ſolet, aut res ipſæ, vel facultatis cognoſcentis præſtantia minuitur. Hinc patet cur res novæ, jucundæ ſoleant eſſe, obſoletæ non item, vel minus: nam ſenſus vel mens cognoſcendi avida, in rem novam acrius intenditur, in obſoletam minus.

Secundò, quæritur: *An una unius ſpeciei ſit voluptas, nec ne.* Reſpondendum eſt, unius ſpeciei varias eſſe poſſe voluptates, ſed unam tantum eſſe præſtantiſſimam ac maxime propriam: quia etiam una eſt cujuſque ſpeciei operatio perfectiſſima, eaque maxime propria. Cæteræ voluptates poſſunt eſſe multiplices, pro multitudine facultatum cognoſcentium, & varietate operationum iſtarum facultatum. Varietate autem tum facultatum iſtarum, tum operationum, cætera omnia homo ſuperat. Nam non tantum omnibus ſenſibus, tum externis, tum internis, eſt præditus, quod illi eſt commune cum brutis, quorum tamen plæraque ſenſuum præſtantia ſuperat; ſed etiam mente, qua vincit omnia bruta, & ad Deum beatoſque ſpiritus accedit, qui ſenſibus externis deſtituti, eorum etiam voluptatibus carent. Quem defectum, ſi modo ita eſt nominandus, compenſant, divinioris voluptatis perfectione. Ac præterea ſingulorum ſenſuum ac mentis humanæ, variæ iterum ac multiplices ſunt operationes, quæ voluptate perfici poſſunt.

Tertiò quæritur: *Cur homines rebus tam diſcrepantibus delectentur, & quam hic potiſſimum ſequitur voluptatem, alter vel contemnat, vel aliis poſtponat, & vice verſa. Trahit enim quemque ſua voluptas, ut poëta ait.* Cauſa partim à natura, partim ab aſſuetudine petenda eſt. Aliud enim eſt hujus, aliud alterius temperamentum, diverſumque ingenium, & naturæ inſtinctus. Sic videmus in aliis dominari ſanguineum, aliis cholericum, aliis melancholicum, aliis phlegmaticum: quod in ciborum voluptatibus apparet; alius enim dulcibus impenſius delectatur, alius acribus, aut ſalſis. Huc etiam referendi ſunt morbi & varii caſus, qui temperamenti mutandi vim habent aliquam. Alteram cauſam eſſe diximus aſſuetudinem. Quæ enim ſæpius factitavimus, ea fere in naturam abeunt, & nobis redduntur amica. Et quia ſæpe homines aſſuetudine depravantur, hinc fit, ut voluptates eorum non ſint natura ſua jucundæ, ſed huic aut illi tantum, aut etiam prorſus improbæ ac vitioſæ.

Quod ad medium inter voluptatem & dolorem ſtatum attinet, qui Græcis ἀλυπία, Latinis indolentia dici poteſt, quæritur, *cur eum potius non ſectentur homines, præſertim quod ad corpus attinet, quam voluptatem, cum voluptas corporis vitiorum ſit illecebra.* Reſpondet Ariſtoteles, indolentiam iſtam in vita locum non habere. 1. Ex parte doloris. 2. Ex parte voluptatum. Ex parte doloris; quia actiones tum hominum, tum cæterorum animantium, ſine quibus ipſa vix cogitari poſſunt, moleſtiam qualemcunque conjunctam habent, ut vel ex ſenſuum muneribus, quæ dolore non vacare in Phyſicis traditur, fit perſpicuum. Eſt enim illis labor aliquis, licet nunc major, nunc minor, conjunctus. Unde intentio ſenſus diuturna, etiam in rem jucundam, dolorem affert quendam; inſtrumentum enim labore fatigatur. Nec refert, quod dolor ille à nobis minus ſentitur. Id enim eo fit, quia à voluptate, quæ ſecundum aliam quandam partem, quæ actione perficitur, advenit, facile obruitur, ipſaque conſuetudine minus ſentitur.

Ex parte autem voluptatum non ſemper indolentia illa admittitur: 1. Quia adoleſcentes ob corporis augmentum, quod ætati illi convenit, multum alimenti deſiderant, cujus ſumtio voluptatem aliquam neceſſario annexam habet: imo ipſa adoleſcentia per ſe videtur jucunda, quemadmodum ſenectus triſtis vulgo dicitur. Deinde Melancholici ea corporis ſunt conſtitutione, ut ſubinde voluptatibus indigeant, quibus tanquam medicamentis quibuſdam expellatur dolor, ex triſti humorum acrimonia natus, quæ ingentem in ipſis voluptatum ſitim excitat. Ex qua avida voluptatum ſiti homines in graviſſimum intemperantiæ crimen ſæpiſſime incidunt. Hæc de voluptate.

ETHICÆ PARS QUARTA,

Quæ eſt

DE AMICITIA.

Caput I.

De uſu & neceſſitate Amicitiæ.

CUr de Amicitia in Ethicis tractetur, ab ipſo eorum initio dictum eſt. Verum quia inibi dictum eſt, eam ad totam hominum vitam maximum habere momentum, operæ pretium eſt id hoc loco clarum facere, ejuſque neceſſitatem utilitatemque oſtendere. Ea vero exinde patet, quod *amicitia* non modo *privatim* unicuique ſit *neceſſaria*, ſed & *publice*: & privatim quidem *in utraque fortuna*, & *quavis ætate*, ut recte dictum ſit à Cicerone, Non aqua, non igni, pluribus nos uti locis, quam amicitia; &, ſolem è mundo tollere videri, qui amicitiam è vita tollunt.

In ſecunda fortuna opus eſt amicis, duabus potiſſimum de cauſis. 1. Quia ſine iis fructus bonorum propemodum perit, beneficentia, inquam, & jucunditas. Illa, quia in amicos maxime & honeſtiſſime exercetur: hæc, quia nullius boni ſine ſocio jucunda poſſeſſio, & in maximis opibus colloquia ac convictum amicorum deſideramus. 2. Quia opus eſt, cuſtodia & defenſione bonorum. Quo enim majores ſunt opes, tanto plures habent inſidiatores, tantoque ægrius cuſtodiuntur. Ægre enim cuſtoditur, quod multis placet. At quis fidelius cuſtodiet ea, quam amicus?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

In adverſa fortuna opus eſſe amicis nemo neſcit, idque tum ſolatii, tum perfugii & auxilii gratia. Complexus eſt hæc Cicero eleganter, dum inquit: Cui poteſt eſſe vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquieſcat? Quid dulcius, quam habere, quo cum omnia audeas ſit loqui, ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque ac tu ipſe gauderet? Adverſas vero res ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas gravius, etiam quam tu ferret.

In omni porro *ætate* neceſſariam eſſe amicitiam patet. Nam ut ab ipſis ordiamur incunabulis, *In infantia* opus eſt nobis amicitia vel amore parentum propter educationem. Ætas enim hæc tenera maxime auxilii indiget. Unde ſingulari Dei providentia ϛοργὴν ſeu amorem parentibus in prolem natura ipſa inſevit, ut per tot curas ac moleſtias, tenera & omnium rerum egena ætas ad maturitatem perduceretur: qui amor non tantum in hominibus, ſed & in brutis adverſus ſobolem cernitur.

Quod ad *pueritiam* & *adoleſcentiam* attinet, ei etiam amicis maxime eſt opus, propter imbecillitatem judicii, affectuum vehementiam, & rerum imperitiam, ut erudiantur artibus ingenuis, moribus imbuantur honeſtis, revocentur à vitiorum illecebris, quibus inprimis capiuntur, & ſicubi exorbitare cæperint, moneantur atque in viam revocentur.

Viri etiam opus habent amicis, tum ad cognitionem rerum, tum ad actionem. Et in actionibus quidem, tum ad conſilia ineunda, tum ad eadem exequenda. Nam primum plus vident oculi, quam oculus, ut vulgo dicitur. Deinde ad res gerendas non mediocre telum eſt amicorum benevolentia. Unde Cicero: Virtutum amicitia adjutrix à natura data eſt, non vitiorum comes, ut quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt pervenire, conjuncta & ſociata cum altera perveniret.

Quod ad *ſenes* attinet, ii quia ob corporis imbecillitatem, neque ſe, neque ſua curare, neque alias res, quæ corporis robur aliquod requirunt, obire commode queunt, amicis indigent, quorum opera id conſequantur, quod per ſe ipſi non poſſunt. Hactenus privatim utilem eſſe amicitiam docuimus.

Publice utilem eſſe amicitiam, inde perſpicitur, quod ea ceu vinculo civitates contineantur, quin etiam ad florem, felicitatemque ſuam perducantur; dum efficit ut alii aliorum commoda promoveant, ad pręclara facinora ſe mutuo adjuvent, communibus hoſtibus reſiſtant. Unde legum latores tantopere laborant, ut concordes reddant cives, & prope magis, quam ut juſti ſint. Quia ſi omnes in ſe amice agant, juſtitiam adverſus ſe mutuo etiam colent. Qui vero juſti ſunt, amicitia adhuc indigent. Deinde hoc ipſum à contrario probatur: quia diſcordia civitates funditus evertuntur. Unde extremum civitatis malum jure dicitur à Tacito & Cicerone. Quæ domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti?

Sed præterea amicitiæ vis ac neceſſitas inde perſpicitur: quod omnibus non modo hominibus, ſed & brutis, *natura* conjunctionis deſiderium inſevit. Nihil autem fruſtra facit natura. Hinc homo homini amicus eſt natura: quod in peregrinantium erroribus manifeſte cernitur: conſpectus enim hominis erranti eſt jucundiſſimus: & qui non eſt plane efferus, etiam ignotum in viam ſolet reducere. Hinc etiam omnes homines natura docente, eos qui ſunt ad amicitiam aptiores, in eaque conſtantiores, vehementer laudant. Ortus ergo amicitiæ eſt à natura, quam adjuvat conſuetudo, & alia; de quibus poſtea.

Hoc autem ordine doctrinam de Amicitia explicabimus: 1. Definitionem ejus proponemus. 2. Diviſiones ejus varias afferemus, & ſimul nonnulla de ſingularum amicitiæ ſpecierum cauſſis efficientibus, & ſubjectis dicemus. 3. Præcepta de amicitia trademus. 4. Queſtiones quaſdam de amicitia enodabimus. 5. Veluti appendicis loco de iis quæ amicitiæ ſunt cognata, nonnihil dicemus.

CAP. II.

De Amicitiæ definitione.

AMicitia eſt benevolentia mutua & manifeſta, qua alter alteri ipſius cauſa bonum cupit.

Etſi autem ſine benevolentia nulla poſſit eſſe amicitia, *non* tamen *omnis benevolentia eſt amicitia.* Eſt enim quædam benevolentia non mutua; quædam non manifeſta alteri; quædam denique plane otioſa, hoc eſt, non conjuncta cum deſiderio convictus, cum cupiditate gratificandi alteri; quorum utrumque in vera amicitia requiritur.

Ex eo vero oritur amicitia, quod alter in altero vel re ipſa deprehendit, vel eſſe credit ejuſmodi bonum, quod amore ac benevolentia dignum ſit, & arctiorem cum eo nexum ac conjunctionem poſtulet. Hæc enim perſuaſio impetum, quem natura nobis ad amicitiam indidit, excitat & promovet.

CAP. III.

De Amicitia per ſe & per accidens.

AMicitia duplex eſt *per ſe* & *per accidens*. Illa ex bonis per ſe oritur, hoc eſt ex virtute, quo nomine non modò moralem, ſed & mentis virtutem complectimur, licet illam magis: hæc ex bonis per accidens, hoc eſt, ex utili & jucundo. Unde amicitia per accidens iterum efficitur duplex, nimirum ea quæ ex *jucunditate*, & ea quæ ex *utilitate*; ita ut tres in univerſum amicitiæ ſpecies poſſint conſtitui, nempe Amicitia ex honeſtate, ex jucunditate, & ex utilitate.

Hoc ut rectius intelligatur, 1. Obſervandum eſt, amorem omnem oriri ex boni alicujus cognitione vel opinione. Bonum enim qua tale amabile eſt, &, ſi cognoſcatur, ſive credatur ineſſe alicui, reipſa etiam amatur: & quo majus eſſe creditur, tanto magis: ſive revera ſit bonum, ſive minus; ſive ſimpliciter dictum, ſive comparate, huic aut illi. Unde vero amor oritur, inde etiam amicitia. Amor enim partim amicitiæ cauſſa eſt, partim effectus: hæc habitus cujuſdam inſtar eſt; ille actus eſt & affectus. Itaque cum bona alia ſimpliciter & per ſe ſint talia, alia comparate & per accidens; apparet etiam amorem, atque adeo amicitiam in duplici illo eſſe diſcrimine. Pro objecti enim ratione, affectus etiam & habitus differunt. Sunt autem bona illa, amoris & amicitiæ partim objecta, partim cauſæ efficientes. 2. Obſervandum eſt, Amicitiam non eſſe genus univocum, quod æqualiter iſtis ſuis ſpeciebus conveniat, ſed commune ab uno, ſive genus ex ordine, quod primum de amicitia per ſe dicitur; ſecundario de ea quæ per accidens. Prius enim eſt, quod per ſe, quam quod per accidens: & illud magis tale eſt, hoc minus. Itaque etiam definitio Amicitiæ, illi magis quam huic convenit. Nam is qui virtutis cauſa amat alterum, eum vere amat ipſius cauſa: qui vero voluptatis aut utilitatis cauſſa, alterum non tam amat ipſius cauſſa, quam ſui. Nam virtus eſt bonum illius, qui illam habet proprium, & ad ipſum primo refertur: jucunditas vero & utilitas illa, de qua loquimur, refertur alio, nimirum ad amicum, qui eam ab altero expectat, & ejus conſequendæ gratia illum colit.

Diviſione hac conſtituta videndum eſt, in quo hæc amicitiæ genera potiſſimum diſcrepent. *Differentia amicitiæ per ſe*, ab ea quæ *per accidens*, eſt *multiplex.* 1. Ex ipſa earum natura ſatis patet. Nimirum quod illa tantum in bonos viros cadit: hæc vero etiam in malos, quia in eos etiam cadit voluptas & utilitas quæ eam pariunt. 2. Quod amicitia per ſe eſt conſtans: ea quæ per accidens inſtabilis. Hanc inſtabilem eſſe patet, quia ipſa etiam bona, quibus nititur, hoc eſt, voluptas & utilitas, fluxa ſunt, inſtabilia, ac pro hominum, temporum, locorum ratione varia. Ubi autem fundamentum inſtabile, ibi etiam id, quod ei ſuperſtruitur. Amicitiam vero per ſe ſtabilem eſſe, probatur. *Prima ratio*: quia virtus qua amicitia hæc nititur, ipſa quoque eſt conſtantiſſima. Cæterarum rationum ſin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gulæ, ſingulas iterum amicitiæ veræ notas nobis ſuppeditant, quibus à vulgaribus amicitiis diſcernatur. *Secunda* igitur *ratio*, & *nota tertia* eſt; quod in amicitia ex virtute neuter amicorum quicquam deſiderat eorum, quæ ab amicis expetuntur, & quorum abſentia amicitiam dirimere ac concutere ſolet. Nam præter virtutem etiam jucunditas inſignis, & utilitas adeſt. Hæc vero ſunt, quæ in amicis deſideramus bona. Nam virtus honeſtæque actiones viris bonis non poſſunt non eſſe jucundæ, cum quiſque delectetur actionibus, quæ ſuis ſunt ſimiles, & cum habitu ſuo congruunt. Deinde viri boni, non tantum in ſe ſunt boni, ſed etiam in alios, hoc eſt, iis ſunt utiles, maxime amicis. In vulgaribus amicitiis bonorum genera diſtincta ſunt, nec omnia in unam conveniunt. *Tertia ratio*, & *quarta nota* eſt; quod amicitia illa longa periclitatione & experientia opus habet, & quemadmodum non facile coit, ita nec facile dirimitur. Multi enim modii ſalis ſimul edendi ſunt, ut amicitiæ hujus munus ſit expletum. Idque propterea, quod non niſi longo uſu cognoſci poſſit, an alter ſit revera vir bonus nec ne. Virtus enim ſimulari poteſt, imo & frequentiſſime ſolet. Vulgares amicitiæ facile coëunt, nec longa habent opus periclitatione, maxime ea quæ ex voluptate, ut ex juvenum amicitia apparet. *Quarta ratio*, ac *quinta nota*; quod amicitia per ſe non eſt obnoxia criminationibus ac querelis de neglecto officio, aut injuriis illatis. Nam cum uterque vir bonus ſit, neuter alteri facit injuriam; ac cum alter alterum probe habeat cognitum, ſiniſtre de altero non ſuſpicatur, nec criminationibus delectatur. Contra fit in aliis amicitiis, quæ etiam in improbos cadunt, & eos qui ſe mutuo nondum penitus norunt.

Præter hæc diſcrimina eſt etiam *ſextum*; nempe quod amicitia ex virtute inventu ſit perrara: ea quæ per accidens, vulgaris & uſitata. Ratio eſt, quia virtus unde illa oritur rara eſt: ac præterea convictus etiam exploratio diuturna requiritur: quæ omnia non ita facile conjuncta reperiuntur. At bona per accipens, nempe voluptas & utilitas, paſſim ſunt obvia, & ad amicitias ex his bonis ortas periclitatio diuturna non adeo requiritur; ad eam quæ ex utilitate, ne convictu quidem adeo eſt opus. *Septimum diſcrimen*; quod idem plures poſſit habere amicos ex voluptate & jucunditate, ex virtute vix poſſit; intellige perfecte. Probatur hoc iiſdem rationibus, quibus ſuperius diſcrimen; 1.

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

2. Quia conſuetudo & periclitatio diuturna ad eam requiritur, quæ propter varietatem hominum, genera vitæ diverſa, diſtantiam locorum, aliave impedimenta per quam difficilis eſt. 3. Quia unus idemque ob diverſas naturas multis vehementer vix placere poteſt: quod tamen in hac amicitia eſt neceſſarium. 4. Quia quæ præſtantiſſima & excellentia multa eſſe non ſolent, ſed præſtantiſſima fere unica ſunt. Talis autem eſt hæc amicitia. 5. Quia vehementer idem plures amare non poteſt. Nam ut fluvius in varios rivos deductus fluet tenuior: ita amor in plures diſtractus. 6. Sępe eveniret, ut idem ſimul & vehementer lætis amici rebus gaudere, & triſtibus alterius dolere deberet. Poſſunt enim eodem tempore diverſis contraria accidere. 7. tandem quia tum opera, tum ope, ac pecunia, juvandi ſunt amici. At multis unus ſufficere non poteſt, cum plures poſſint eodem tempore, opera opeque mea diverſis in rebus egere. Imperfectiori tamen ratione poteſt idem pluribus eſſe amicus ex virtute, quando contingit multos eſſe bonos, ex quibus tamen fere unus aut alter eligitur, quem præ cæteris amemus ac colamus.

Octavum diſcrimen eſt; quod homines potentes amicitiam ex virtute raro colant, ex utilitate vero ac voluptate libenter. Ratio illius eſt, quia ſi amicitiam ex honeſtate cum aliis colerent, quantum imperio antecellunt, tantum etiam virtute præſtare deberent amicis ſuis. Hoc enim niſi fiat, æqualitas analogica ſeu proportio, quæ inter amicos ex honeſtate obſervanda eſt, ſervari non poſſet. At ut Principes quantum imperio tantum virtute præſtent aliis, id rariſſimum eſt. Utilitatis autem amicitiam libenter colunt, quia iis indigent qui eorum negotia diligenter tractent, opes illorum curent, augeant, cuſtodiant; ſiquidem his illorum potentia nititur. Voluptatis etiam ideo, quia ad hanc fere ſuas referunt opes & potentiam, cum omnes homines voluptatem natura appetant. Sed quia ſolidam voluptatem fere ignorant, ideo non eam quæ ex virtute, aut cognitione rerum divinarum petitur, ſed eam, quæ ex jocis ac ſalibus proficiſcitur, itemque voluptatem corporis unice ſectantur. Hæc *de differentia inter amicitiam per ſe*, & eam quæ *per accidens*. Quo loco tamen obſervandum eſt, amicitiam hanc, quæ eſt per accidens, poſſe fieri ſtabilem, & quodammodo in eam migrare quæ per ſe eſt, nimirum ſi ob diuturnam conſuetudinem alter alterius mores imbiberit, & amare cæperit. Tum enim etiam ſublata illa voluptate aut utilitate, quæ illos inter ſe primum conciliarat, amicitia nihilominus conſtare poterit. Hoc autem potiſſimum contingit in ea, quæ eſt ex voluptate. Nam hæc convictum inprimis requirit: convictus morum ſimilitudinem parit, & eorum amorem ſæpe in altero excitat, cum alia in eodem placent.

Quod attinet ad *differentiam amicitiarum vulgarium, ſeu per accidens, inter ſe*: *Prima* eſt, quod amicitia quæ commodum ſpectat, in ſenibus potiſſimum reperiatur: quæ ex jucunditate, in juvenibus potius, ac viris qui juvenilibus ſunt moribus. Senes enim voluptatem fere ſpernunt: unde etiam triſtes audiunt; ſed propter imbecillitatem virium, rerum uſum futororumque metum, lucro maxime inhiant. Juvenes quia corpore ſunt vegeto, & vehementibus jactantur affectibus, voluptates inprimis conſectantur; lucrum, tum propter virium fiduciam, tum propter rerum imperitiam, futurorumque incuriam, non adeo appetunt, niſi forte animi ſint ignobilioris. *Secunda* differentia ex priori oritur; quod amicitia ex utilitate convictum non adeo deſiderat: cum convictus jucunditate ac voluptate alatur, ad quam ineptiores ſunt illi, qui lucro inhiant, cum triſtiores fere eſſe ſoleant. At voluptas ex amicis in convictu maxime percipitur: ideoque amicitia ex voluptate convictum imprimis deſiderat; id quod in adoleſcentibus & juvenibus, amatoribus, colluſoribus, compotoribus, qui hanc amicitiam voluptuariam colunt, apparet. *Tertia*: voluptatis amicitia, niſi ob convictum alter alterius mores imbiberit, & adamaverit, ſolet eſſe inſtabilior, quam ea quæ ex utilitate. Nam & voluptas præſens mirifice variat, pro ætatis ratione: & adoleſcentes, in quos hæc amicitia maxime cadit, inconſtantiores ſunt ſenibus, qui amicitiam utilem fere colunt. Fervet quidem amicitia adoleſcentium, ſed diu non durat. *Quarta*: Quod homines divites, qui ſe beatos jam putant, quales ſunt inprimis ii, quibus res relicta eſt, non labore parta, magis ſectantur amicitiam quæ eſt ex voluptate; tenuioris fortunæ homines eam potius quæ ex utili. Hoc patet: quia hi emolumentis magis indigent. Illud 1. quia ea quæ ex utilitate amicitia, ſordidior eſſe videtur, & homine divite indignior, quam ea quæ ex voluptate. 2. Quia locupletes iſti moleſtias inprimis fugiunt, adeoque voluptatibus, quibus eas depellant, ſe inprimis tradunt; quod adeo verum eſt, ut etiam viros bonos, ſi ipſis moleſti ſint, fugiant, & amicos facetos, aut compotores, colluſoreſque illis anteponant. Qua tamen in parte graviter errant, quod viri boni, ſi eorum familiaritate uterentur, eos vera & liquida voluptate perfuſuri eſſent.

Cap. IV.

De Amicitia ſimplice & miſta.

SEcunda diviſio amicitiæ eſt, quod alia ſit *Simplex*, alia *miſta*; ſeu mavis, alia *Similium*, alia *diſſimilium*. *Simplex*, ſeu ſimilium eſt, cum uterque amicus idem bonum tum genere tum ſpecie ſpectat: hoc eſt, uterque vel virtutem, vel utilitatem, vel voluptatem ejuſdem ſpeciei in amicitia quærit. Sic compotores, colluſoreſque eandem ſpecie voluptatem in amicitia quærunt.

Miſta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Miſta, ſeu diſſimilium eſt, cum diverſi generis aut ſpeciei bona quæruntur ab amicis: ut cum alter lucrum quærit, alter voluptatem. Sic citharœdi, paraſiti, ſcurræ, lucrum ſolent quærere; ii quos affectantur, voluptatem. Fieri etiam poteſt, ut alter alterius generis voluptatem aut lucrum quærat, licet in boni genere conveniant. Sic amicitia utilitatis eſt inter principem & militem: ille potentiam quærit, hiç ſtipendium.

Cap. V.

De Amicitia parium & imparium.

TErtia Amicitiæ diviſio: Alia eſt amicitia *parium*, alia *imparium*: illa *æqualitatis*, hæc *excellentiæ* amicitia dicitur. *Amicitia parium* eſt eorum, qui dignitate ac conditione vitæ, at inprimis quod ad amicitiæ cauſas, inter ſe ſunt æquales: ut cum amici virtute pares ſunt, aut utilitate, aut jucunditate; nec dignitate multum diſcrepant. *Amicitia imparium* eſt eorum, quorum alter alterum aliqua harum rerum antecellit: qualis amicitia eſt inter Magiſtratum & ſubditos. Imparitas autem illa non debet eſſe nimia, ſed talis, ut juſtam patiatur in amicorum officiis proportionem. Ubi enim nimia eſt diſtantia, ibi vel nulla eſt, vel imbecillis admodum amicitia. Amicitia enim æqualitatem potius amat, quam inæqualitatem. Hinc Regibus cum plebejis, optimis ſapientiſſimiſque viris cum hominibus nauci, amicitia aut nulla, aut exigua eſſe ſolet.

Hæc autem *imparium amicitia dividitur* iterum *bifariam*: 1. pro generibus excellentiæ, qua amicorum alteri alter præſtat. Alia enim eſt præſtantia patris qua ſuperat filium, alia mariti præ uxore, alia magiſtratus præ ſubdito, alia præceptoris præ diſcipulo. Itaque alia quoque eſt amicitia inter patrem & filium, alia inter maritum & uxorem, alia cæterorum. 2. Singula hæc genera iterum ſubdividuntur. Alia enim eſt quodammodo amicitia ſuperioris erga inferiorem, alia contra inferioris erga ſuperiorem. Nam & cauſſæ amandi ſunt aliæ, & alia officia. Aliam cauſam amoris habet filius, aliam pater; aliud hujus, aliud illius eſt officium. Sed hæc rationis tantum eſt diſtinctio.

Cap. VI.

De Amicitia Civili & Domeſtica.

QUarta Amicitiæ diviſio: Amicitia alia eſt *Civilis*, alia *Domeſtica*. Ratio hujus diviſionis eſt, quia etiam Communitas ſive ſocietas, & jus, aliud eſt Civile, aliud Domeſticum. At Communitas, jus, & amicitia pari paſſu ambulant, & ubi unum locum habet, ibi cætera etiam. Jus enim in communitate ſitum eſſe alibi docuimus. Communitas autem cum amicitia maximam habet cognationem: cum ſocios omnes, v. gr. commilitones, ſive in bello, ſive in ſchola, ſocios in mercatura, una navigantes, ſodaleſque, amicos ſoleamus appellare: amicorumque omnia eſſe communia dicantur. Hinc ubi major communitas, ibi major etiam amicitia, & jus; ubi minor communitas, ibi minus juris, & amicitiæ. Sunt enim nonnullis omnia, quæ ſalva honeſtate communicari poſſunt, communia, aliis quædam tantum, eaque nunc pauciora, nunc plura; & quo plura ſunt communia, tanto major amicitia, quo pauciora, tanto minor eſt. Idem de jure cenſendum eſſe ex ejus contrario, hoc eſt injuriis, apparet. Nam pro communitate & amicitia majori, etiam injuriæ majores ſunt. Gravius eſt enim defraudare ſodalem quam civem, lædere fratrem quam alienum, verberare patrem quam quemvis alium.

Hoc ita conſtituto videnda ſunt genera ſocietatis tum Politicæ ſeu Civilis, tum OEconomicæ ſeu Domeſticæ: inde enim diverſa etiam amicitiæ genera patebunt. Utraque autem ſocietas *duplex* eſt, alia *parium*, alia *imparium*. *Parium* eſt, vel eorum qui præſunt, inter ſe mutuo; vel eorum qui parent. *Imparium* eſt; ſuperiorum cum inferioribus. Hanc poſteriorem priori loco explicabimus. Quod ut rectius fiat, primo videnda ſunt diverſa Rerumpublicarum genera, ſiquidem pro eorum diſcrimine, differunt etiam ipſæ parentium & imperantium ſocietates ac amicitiæ. Deinde etiam videndum eſt, quę ſocietatum domeſticarum ſint genera civilibus reſpondẽtia. Habent enim inter ſe analogiam.

Genera ſeu *formæ Reipublicæ* ſunt *duplices*, aliç *Rectæ*, aliç *Pravæ*. *Rectæ* ſunt, ubi meliores ac prudentiores, non privatæ utilitatis, ſed publici boni cauſa imperant, & id agunt, ut civitas ſit feliciſſima. Feliciſſima autem eſt, cum eſt bonis moribus prædita, ſufficiente rerum copia inſtructa, & tranquillitate ad religionem & ſapientiam colendam gaudet. *Pravæ* Reipublicæ formæ ſunt, cum ii qui præſunt, ſuæ utilitatis, non publici boni, & parentium felicitatis gratia imperant.

Sunt autem *Rectæ Reipublicæ formæ tres, tres itidem pravæ*, iſtis ex adverſo conſtitutæ. Loquimur autem de ſimplicibus Rerumpublicarum formis tantum: nam mixtæ ex ſimplicibus longe plures ſunt. *Rectæ* ac probatæ *Reipublicæ formæ* ſunt: *Regnum*, ſeu Monarchia, *Ariſtocratia*, ſeu Optimatium ſtatus, & *Timocratia*, quæ ultima generali Reipublicæ nomine inſigniri ſolet. *Regnum* eſt, cum unus publici boni cauſſa imperat: *Ariſtocratia*, ſeu Optimatium ſtatus, cum plures qui virtute ac prudentia cæteris antecellunt: *Timocratia*, cum omnes qui certum cenſum habent, & imperio non ſunt indigni, per vices imperant. His opponuntur *tres pravarum Rerumpublicarum formæ*: *Tyrannis*, quæ regno opponitur: *Oligarchia*, quæ Ariſtocratiæ; &, *Popularis ſtatus*, qui Timocratiæ. *Tyrannis* eſt, cum unus ſui commodi cauſſa imperat; *Oligarchia*, cum pauciores, qui vel nobilitate, vel potentia atque opibus pręvalent; *Popularis ſtatus*, cum omnes ingenui promiſcue, etiam ſordidiſſimi, viliſſimi, & imperitiſſimi, ad Reipublicæ gubernacula admoventur, aut de rebus communibus conſulendi ac ſtatuendi poteſtatem habent.

Rectarum Reipublicæ formarum optima eſt Regnum, in quo unitas imperii eſt maxima, & divinæ Poteſtatis ſimilitudo. Unus enim, & quidem optimus ac ſapientiſſimus, præſidet Univerſo. Loquimur autem de eo, quod per ſe & ſimpliciter, non de eo quod per accidens, vel comparate huic aut illi regioni eſt melius. Nam in quibuſdam Regionibus & Rebuſpublicis, ob ingenia hominum libertatem admodum amantia, aut unius defectum, qui cæteros omnes virtute & Sapientia multum ſuperet, tanquam Deus quidam inter homines, melior eſt alia Reipublicæ forma. Regnum ſequitur Ariſtocratia. Infimum locum habet Timocratia. Contra, Tyrannis eſt peſſima Reipublicæ forma: Optimo enim peſſimum opponitur. Minus mala eſt Oligarchia. Popularis ſtatus inter malas Reipublicæ formas eſt optima.

Harum omnium Reipublicæ formarum, tum Rectarum tum pravarum, ſimulachra in *domo* reperire licet. *Regno* reſpondet Patris in liberos imperium: Ariſtocratiæ Mariti & uxoris imperium conjunctum. Timocratiæ ſeu Reipublicæ fratrum ſocietas, qui nonnihil auctoritatis in familiam obtinent. Et Regio quidem paternum reſpondere imperium, patet; quia unus liberis, eorum utilitatis cauſa, imperat, quemadmodum rex ſubditis. Probatur etiam auctoritate Homeri, qui Jovem Regem Deorum & hominum, eorundem etiam Patrem appellat; quaſi Rex patri ſit ſimilimus. Cum paternò autem computamus etiam imperium avi in nepotes, & eorum omnium qui parentum ſunt loco, ut patruorum, tutorum, &c. *Poteſtati optimatium* mariti & uxoris ſocietatem reſpondere itidem liquet: quia plures, idque pro dignitate ac virtute imperant liberis, eorum utilitatis gratia. Maritus enim tum omnibus, tum inprimis filiis & ſervis imperat, uxor filiabus & ancillis, cæteris marito abſente, aut aliis occupato. Quanquam cum maritus etiam uxori imperet, ejuſque ſit caput, Monarchiæ ſeu Regno etiam ſimile eſt hoc imperium. Fratrum vero ſocietatem *Reipublicæ* reſpondere inde perſpicitur, quod ætate tantum demta, in cæteris omnibus fratres ſint pares,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quod quidem ad jus attinet, quod tanquam unius parentis liberi habent: quæ paritas inter cives in Republica inprimis locum habet. Quod ſi tamen fratrum alter alterum ætate multum ſuperet, tum vero non tam fraterna, quam paterna eſt ſocietas. Nam ex fratribus ſenior, junioribus patris loco eſt. Unde fratres natu grandiores, impuberum tutores conſtitui quibuſdam in locis ſolent.

Deflexionibus vero à Rectis Rerumpublicarum formis itidem quædam domeſticæ adminiſtrationis genera reſpondent. Et *Tyrannidi* quidem duplex opponitur regiminis genus, alterum vitioſum, alterum genere ipſo legitimum & rectum, pro diverſa patris familias relatione. Nam 1. liberorum ratione tyrannus fit, cum iis tanquam ſervis utitur, non liberaliter educandos & inſtituendos curat, ſed iis lucri tantum cauſa, ad illiberales operas abutitur; aut etiam nimis duriter illos tractat. Et hoc eſt vitioſum imperii genus. 2. Reſpectu ſervorum quodammodo tyrannus eſt, (tyranni nomine late extenſo, ut omne herile imperium complectatur, etiam lenius:) quatenus ſuæ utilitatis cauſa potiſſimum illis imperat. Servus enim inſtrumentum eſt animatum domini. Inſtrumentum autem ejus cauſa eſt comparatum, cujus eſt proprium. Itaque licet ſervus etiam utilitati participet, tamen ejus bonum refertur ad utilitatem heri, tanquam ad finem ſuum. Et hoc imperii genus, cum non eſt nimis durum aut crudele, legitimum eſt, ſi alias ſervus juſtis modis ſit acquiſitus; potiſſimum autem tum, cum ſervo melius eſt alteri parere, quam ſibimet conſulere. *Oligarchiæ* reſpondet ille ſtatus, cum vel maritus omnia etiam uxoris officia ad ſe trahit, & vix ullam imperii partem ei relinquit: vel contra uxor dote aut forma forte inflata, mariti partes ſibi ſumit, & eum imperio, vel prorſus, vel magna ex parte excludit. *Populari* denique *ſtatui* reſpondet ἀναρχία, quæ cernitur in familiis domino carentibus, aut dominum quidem habentibus, ſed auctoritate deſtitutum, ubi omnes imperant, nemo paret, niſi qui vult.

Quod ad amicitiam in his Rerumpublicarum formis attinet, ea magis locum habet in laudatis formis, quam in vitioſis: quia ibi etiam magis locum habet jus & communitas. Quod idem dicendum eſt de ſocietatibus domeſticis. Imo in tyrannide & herili imperio minime locum habet amicitia, & vix ullum jus, quia nec communitas. Hero tamen cum ſervo, non qua ſervus, ſed qua homo eſt, naturali arbitrio præditus, & actionum ſuarum dominus, amicitia & jus quoddam intercedere poteſt. Amicitiam paulo magis admittit Oligarchia, magis adhuc popularis ſtatus, quod ad vitioſas formas attinet. Et hæ amicitiæ ſunt inter impares.

Quod ad amicitias eas attinet, quæ inter pares ſunt, hoc eſt eos, quorum alter alterius poteſtati non eſt ſubjectus, primo de *civilibus* dicendum eſt, tum de *domeſticis*. Quod ad *civiles* attinet, eæ partim ſunt inter ipſos imperantes, partim inter parentes; quo nomine etiam magiſtratus intelligimus, quatenus & ipſi privatarum perſonarum rationem habent, & privatim amicitas colunt. In regno ac tyrannide, quia unus tantum imperat, amicitia imperantium inter ſe nulla eſſe poteſt; in Ariſtocratia magna eſt; quemadmodum etiam in Democratia. In Oligarchia parum eſt amicitiæ. Valet enim hic illud poëtæ:

Nulla fides regni ſociis: omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

& quod olim Alexander Dario reſpondiſſe fertur: Mundum duos ſoles ferre non poſſe, nec Imperium duos Principes. Inde Oligarchia maxime omnium eſt obnoxia bellis civilibus. Probant id exempla Romanorum. Marii & Syllæ, Cæſaris & Pompeji, itemque Triumvirorum, Auguſti, Antonii, & Lepidi. In populari ſtatu paulo major eſſe poteſt amicitia. Ubi enim imperium omnium eſt, ſingulorum minor eſt potentia, minor ambitio, quæ Pirncipes in Oligarchia inter ſe collidit.

Quod ad parentium, ſeu civium ipſorum amicitias attinet, illæ iterum ſunt multiplices, pro multitudine ſocietatum, quæ ſunt in civitate, quarum aliæ ad publicas accedunt propius, aliæ ad privatas. Huc pertinent tribus, collegia artificum, ſocietates commilitonum, mercatorum, publicanorum, aliaque ſodalitia. Ad illas referri etiam debet hoſpitalitas, licet ſit cum peregrinis, quæ per ſe eſt amicitia utilitatis.

Quod attinet ad amicitias *Domeſticas*, quæ ſunt inter pares, illæ fere ſunt, inter eos tantum qui ſubſunt, ut inter fratres ipſos ætate non multum diſpares, tum inter ſervos, quorum uni in alios imperium non eſt commiſſum: nam tum unus domini rationem habet, & ejus perſonam ſuſtinet. Quod de fratribus & ſervis dictum eſt, id de ſororibus etiam & ancillis intelligendum eſt. Illa amicitia quæ eſt inter Maritum & Uxorem, licet aliquo modo ſit imparium, ad paritatem tamen accedit propius.

Poteſt & alia amicitiæ, præſertim domeſticæ, tradi diviſio. *Amicitia* enim alia eſt *naturalis*, quæ dicitur *conſanguinitas* & *Propinquitas*: quædam arbitrio hominum ſuſcipitur, ac conſenſu & pacto quodam conſtat. Hujus poſterioris generis aliæ ad naturales propius accedunt, ut mariti & uxoris conjunctio, itemque affinitates: aliæ longius abſunt, ut conjunctio Domini cum ſervo, ſervorum inter ſe, item ſodalium ac ſociorum aliorum; licet ea ratione omnis amicitia ortum ſuum à natura habeat, quod natura ad eam impellat.

Quod ad naturalem amicitiam ſeu conſanguinitatem attinet, ejus *primus gradus* eſt Parentum & liberorum conjunctio, quę reliquarum hujus generis amicitiarum origo eſt & caput, & in qua mutuus amor maxime omnium eſt conſpicuus; hoc tamen diſcrimine, quod parentes magis ament liberos, quam liberi parentes. Ratio hujus rei, 1. eſt petita à natura: quia liberi magis ſunt parentum, eorumve magis proprii, quam parentes liberorum: quiſque autem id magis amat, quod magis eſt ſuum. Illud probatur: quia pars magis eſt totius, quam totum partium: liberi autem veluti pars ſunt parentum, cum ex eorum ſanguine ſint creti. Hanc rationem ſatis ingenioſe efferunt Rutheni, dum ajunt, ideo parentes magis amare liberos, quam liberi ament parentes, quia ſanguis parentum ſit in liberis, non viciſſim liberorum in parentibus. Quare parentes dum liberos amant, magis amant ſeipſos, quam hi dum illos amant. Sunt enim liberi veluti alteri parentes. Eodem pertinet, quod liberi parentum veluti opus ſint: opus autem magis eſt proprium auctoris, vel opificis, quam opifex ſui operis, & magis etiam illud amat, quam opus auctorem, ſi ſenſu ſit præditum. 2. Ratio eſt; quod parentes certius norint liberos ſuos, præſertim matres, quam liberi parentes. Notitia autem ad amorem excitandum plurimum valet. 3. Quia amor parentum erga liberos ab ipſo eorum ortu incipit, & ipſo augetur uſu: at liberorum amor tum demum incipit, cum per ætatem parentes eorumque in ſe amorem ac beneficia agnoſcere poſſunt.

Secundus amicitiæ naturalis *gradus*, eſt fratrum & ſororum conjunctio; cujus amicitiæ cauſæ ſunt quatuor. 1. Quod ex iiſdem parentibus, & ex eadem, ut dicitur, ſtirpe & ſanguine ſint orti. Itaque cum omnes fratres veluti alteri ſint parentes, inter ſe quoque iidem quodammodo ſunt, cum quæ uni tertio ſunt eadem, inter ſe ſint eadem. 2. Cauſa eſt, rerum inter ipſos communitas. 3. Convictus, & educationis, atque adeo etiam morum ſimilitudo. 4. Ætas non multum diverſa. At æqualis æqualem amare, proverbio dicitur.

Tertius amicitiæ cognatorum *gradus* eſt, præter fratres germanos omnium; ut avi cum nepotibus, patrui aut avunculi cum fratrum ac ſororum liberis, fratrum patruelium, conſobrinorum, & aliorum, quibus amoris cauſa eſt, auctor & ſtirps eadem generis. Unde & amor vel major vel minor eſt, quo propinquitas ab auctore ſuo, qui cognatos inter ſe connectit, vel propius vel longius abeſt. Propius inter ſe cohærent fratrum duorum filii quam nepotes. Auctor enim enim idem eſt avus, à quo illi propius abſunt, hi longius. Quod ſi morum accedat ſimilitudo, & alia, quæ amicitias jungere ſolent, tanto major erit illorum inter ſe conjun-

ctio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ctio. Hæ vero omnes amicitiæ, naturales inprimis, voluptate & utilitate continentur.

Quod ad conjugum amicitiam attinet; quæ ad naturalem prope accedit, finis ejus ac cauſa una eſt, propagatio ſobolis, quæ homini cum brutis eſt communis. Deinde acquiſitio ac conſervatio earum rerum, quæ ad vitam commodius degendam pertinent: unde diverſa ſolent eſſe mariti & uxoris munera, ut alter alterius commodis tanto rectius inſervire poſſit. Atque hic finis belluis fere eſt incognitus. Eſt ergo amicitia conjugum, amicitia voluptatis & utilitatis. Stabilior autem reddi ſolet, ſi virtus & morum ſimilitudo accedat, cui adde prolem. Liberi enim bonum ſunt conjugum commune, & utriſque chariſſimum, ideoque validiſſimum quo inter ſe jungantur vinculum. Qua de cauſa etiam crebriora inter ſteriles divortia.

Cap. VII.

De Amicitia habituali & uſuali.

Quarta amicitiæ diviſio: Amicitia alia *habitu* & poſſeſſione tantum conſtat, alia etiam *uſu*. *Habitu* ea conſtat amicitia, quæ in amicorum animis latet; convictu vero, & mutuis officiis non colitur. *Uſu*, quæ ipſo opere ſe prodit, convictu & officiorum viciſſitudine exercetur. *Illa* inter abſentes magis eſt; *hæc* inter præſentes potius: nonnunquam tamen inter abſentes etiam eſt, cum per literas aut legatos inter ſe crebrius agunt, & alter alterius uſibus frequenter inſervit. Quod ſi hæc abſint, paulatim amicitia ipſa aboletur; hinc communi proverbio multæ amicitiæ ſilentio perire dicuntur. Hactenus de variis amicitiæ diviſionibus.

Cap. VIII.

Præcepta de Amicitia.

Triplicia ſunt *præcepta de Amicitia*. Quædam enim ſunt *de ea contrahenda*: quædam *de ea conſervanda*: quædam denique *de* eadem, ſi opus ſit, *diſſolvenda*. Tradenda autem inprimis ſunt præcepta de amicitia ex virtute, quæ vere hoc nomen meretur, eaque ad vulgares, quatenus licet, ſunt accommodanda: & primo quidem de ea, quæ eſt *parium*, tum de ea quæ *imparium*, agendum eſt.

Præcepta *de ineunda vera amicitia* ſunt hæc duo. *Primum*: Ne cuivis manum injicias, ſed probe mores ejus ac fidem explores, cum quo arctiorem vis contrahere amicitiam. Unde ajunt, *Multos ſalis modios ſimul eſſe edendos, donec amicitia hæc penitus coaleſcat*. Spectatur vero amicorum fides in ſecretis, in pecuniis & honoribus, ſed maxime in adverſis. *Amicus* enim *certus in re incerta cernitur*. Qui ergo ſecreta amici celare novit; qui pecunias & honores ejus cauſa contemnit; qui denique eum in adverſis non deſerit, is fidus cenſendus eſt, & hunc tuto amicum potes aſciſcere. Omnium vero tutiſſima amicos explorandi ratio eſt, ut inquiras, quomodo illi adverſus amicos ſuos ſe geſſerint, aut adhuc gerant. Talem, inquit Iſocrates, erga te fore ſperes amicum, qualis erga alios fuit. Exploratio hæc ad amicitiæ ſtabilitatem multum facit: quia quem exploraſti, ei non diffides, non metues, nec male de eo ſuſpicaberis, non facile conquereris, nec aliorum de ipſo querelas facile admittes. Quæ res quantum in amicitia firmanda roboris habeat, ex contrario facile diſces. Vide hac de re multa pulcherrime dicta apud Ciceronem, in lib. de Amicit. Eam adhibeamus diligentiam in amicitiis comparandis, ut ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odiſſe poſſimus. Item: Scipio, cujus omnis ſermo erat de amicitia, querebatur quod omnibus in rebus homines diligentiores eſſent; capras & oves quot quiſque haberet dicere poſſe, amicos quot haberet non poſſe dicere: & in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes eſſe; nec habere quaſi ſigna quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei, judicarent, &c. Lege etiam Senecam, Epiſt. 3.

Secundum præceptum: Ut tot tibi accerſas amicos, (intellige intimos) quot una tecum atque inter ſe familiaritatem colere commode poſſint, & libenter vellent; & quorum uſibus inſervire queas. Utrumque enim horum jus amicitiæ veræ poſtulat. Amicorum vulgarium, cum quibus adeo familiariter vivere non eſt opus, major poteſt eſſe numerus.

Præcepta *de amicitia colenda & conſervanda* ſunt hæc ſequentia. *Primum*: Ut in amore tum fervor ſit, tum conſtantia, & magnus voluntatum conſenſus. Amoris fervor in eo *primum* cernitur, ut alter alteri optima quæque cupiat, non ſecus ac ſibi ipſi, & ut ea conſequatur amicus, ſedulam det operam. *Deinde* in eo, ut alter alterius rebus ſecundis æque læterur ac ſuis, adverſis æque triſtetur. Hanc autem ad rem maximam vim habet in religione conſenſus. Voluntatum vero conſenſus *primo* in eo conſpicitur, ut alter alterius ſtudiis non libenter adverſetur, ſed obſequatur potius, quando honeſte licet, & iiſdem delectari ſe oſtendat, vel ſaltem ea haudquaquam improbare. *Secundò*, ut ſententias ejus & conſilia non carpat, ſed vel approbet, vel (ſi licet) iis cedat, vel ita modeſte ac civiliter repugnet, ut flectere potius amicum conetur, quam vi alio rapere; non acerbe, non ambitioſe, ac pertinaciter ſua defendat. *Tertiò*, ut amicus diſſentientem aliqua in re amicum æquo ferat animo.

Secundum: Ut officiorum ſit viciſſitudo & paritas, quantum quidem res amicorum ferunt. Magis enim voluntas ſpectanda eſt, quam res ipſa, ſi facultas majora præſtandi deſit. Obſervabitur autem ſic hoc præceptum, ſi talis in amicum ſit quiſque, qualem vellet eſſe amicum in ſeipſum. Quænam autem amicus officia amico debeat, ex doctrina de Beneficentia in primis ſunt petenda, referunturque ad hæc duo, ad Conſilium & ad Auxilium, quod partim in malis avertendis, partim in bonis & utilibus parandis cernitur. Maximum autem, quod amicus amico debet, eſt, ut animam pro ipſo ponere, ſeu vitam in diſcrimen adducere non dubitet. Qua de re videatur doctrina de Fortitudine. Amicorum autem officium maxime deſideratur tempore adverſo. Tum enim promptiſſime amico ſuccurrendum eſt, iſque ſolatio erigendus, conſilio inſtruendus, opera juvandus eſt, & periculorum malorumque ſocietas non defugienda. Sed cautio hîc duplex eſt adhibenda. 1. Ne vel amici cauſa peccemus, & quicquid ille petierit, faciendum putemus; vel etiam rogemus amicum, ut noſtri juvandi cauſa peccet. Honeſta tum petenda ſunt ab amicis, tum eorum cauſa facienda. Poſſunt autem nonnulla fieri amicorum cauſa honeſtè, quæ noſtri ipſorum cauſa non ſatis honeſtè faceremus: ut ſuperbo alicui Tyranno humiliter ſupplicare pro amico vir magnus poteſt, pro ſe ipſo non ſatis decore. 2. Cavendum, ne præpoſtero amici amore aut deſiderio impulſi, virtutibus aut commodis ejus obſtemus: quod ii faciunt, qui egregia eorum facinora, quia periculoſa ſunt, & laboris ac moleſtiæ plena, aut neceſſaria eorum itinera, quia ipſi abſentiam eorum ferre nequeunt, impedire conantur: id quod non virorum prudentium, ſed mulierum eſt.

Tertium: Ut libenter cum amicis converſemur, & colloquamur, ſi præſentes ſint, coram; ſi abſentes, per literas aut legatos. In amicis autem tum accerſendis, tum adeundis, quo modo nos gerere debeamus, vide cap. ſeqq. quæſt. 13. Quæ *in familiari convictu & colloquiis* obſervanda ſunt, ea in virtutum homileticarum præceptis pleraque jam fuerunt expoſita. 1. Enim requiritur in ſermonibus veritas, candor, ac fides: fucus & ſimulatio amicitiæ inimica ſunt. 2. Requiritur taciturnitas, præſertim in ſecretis tegendis, ſermonibus ac factis amicorum non eliminandis; qua re fiat ut amicus cum amico adeo audacter poſſit loqui, atque ſecum ipſo. 3. Requiritur comitas, quæ ſuavitatem in convictu ſectetur, amicum ſoletur, vacillantem erigat, admoneat etiam ſi ſit opus. Qua de re comitatis videantur præcepta. Ex quibus illud in primis notandum, ne ita amicis placere velimus, ut ad eorum delicta plane

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conniveamus, ſed ea quæ ferenda non ſunt, nunc acrius ac liberius, nunc lenius ac tectius reprehendamus. 4. Requiritur morum ſuavitas & elegantia quædam, vitandaque eſt ruſticitas & ſordes, hominibus politioribus graves.

Quartum: Ne ſiniſtris de amico ſuſpicionibus indulgeamus, & ejus virtuti ac fidei temere diffidamus. *Nam*, inquit Seneca, Epiſt. 3. *multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis jus peccandi ſuſpicando fecerunt.* Non quælibet amici facta dictave, quæ incauto forte exciderunt, in crimen trahamus, aut ad contemptum noſtri pertinere exiſtimemus; ſed æquitatem adhibeamus in judicando, & in meliorem potius partem dicta & facta amici accipiamus.

Quintum: Ne criminationes aut querelas de amicis facile admittamus; ſed eorum, præſertim abſentium, famam ſummo ſtudio ac fide contra calumnias defendamus; ipſi quoque amicos non criminemur, nec facile apud quenquam de iis conqueramur. Si quid erit, de quo eos velimus admonitos, illud vulgatum obſervemus, *Secreto amicos admone, lauda palam.*

Sextum: Si quos amicus habeat nævos, quos corrigere non poſſimus, non tamen tantos, ut amicitiam noſtram debeant dirimere, eos æquiori feramus animo; ejus in nos delictis facile ignoſcamus; diſſimulemus ea, quæ ſalva honeſtate diſſimulare poſſumus, nec ei facile talia exprobremus. Quod præceptum iis in primis eſt obſervandum, qui cum hominibus iracundioribus aut moroſioribus verſantur.

Septimum: Ne reprehenſiones amicorum admonitioneſque ſpernamus, monentibus nunquam ſuccenſeamus, recte monentibus pareamus, conſilia ſalutaria tum quæramus apud amicos prudentiores, tum libenter accipiamus.

Octavum: Ut amicis convenientem exhibeamus honorem, eos etiam nobiſmet ipſis præferre, & in honoris ſignificatione prævenire ſtudeamus; omnia, quæ contemptum ipſorum arguere poſſint, diligenter vitemus. Vitanda eſt tamen nimis anxia ceremoniarum, ut vocant, ſuperſtitio, dandaque potius opera, ut in vultu, voce, ac geſtu, familiaritatis ac fiduciæ erga amicos ſigna extent.

Quod ad *vulgares amicitias* attinet, ſciendum eſt de *voluptatis amicitia* vix opus eſſe ullum tradere præceptum. Eam convictus, & quæ in eo quæritur voluptas, alit: quod ſi alterutrum horum abſit, diſſolvitur. Jucundus autem alter alteri eſſe deſinit, vel cum in altero voluptatis cupiditas exſatiata aut extincta eſt, vel cum alter voluptatem quam amicus deſiderabat, præſtare amplius vel non vult, vel non poteſt. Dico voluptatum quam alter deſiderabat; quia interdum hæc quoque diſſidiorum in hac amicitia cauſa eſt, quod amici voluptatem aſſequuntur quidem, ſed non eam quam expectarant. Qui enim aliud conſequitur, quam quod expectarat, nihil conſecuto eſt ſimilis. Clarior fiet res exemplo citharœdi cujuſdam, qui cum præmium cantus magnum à Dionyſio promiſſum repeteret, reſponſum à tyranno tulit, ſe pro voluptate cantus, præmii magni voluptatem retribuiſſe.

In *amicitia utilitatis* hæc ſunt obſervanda. 1. Ut in accipiendis beneficiis cautus ſis, &, ſi vel non poſſis, vel nolis, ea compenſare, non facile à quovis accipias, etiamſi tandem is, qui offert, hoſtimentum expectare non videatur. Fallunt enim ſæpe ii, qui hamata offerunt munera liberalitatis ſpecie, & dum maxime id agunt, ut aliquid recipiant, deſiderium ſuum maxime diſſimulant, quia iſtud honeſtum ac glorioſum eſſe vident: ſed utilitas illis honeſtate eſt potior, & niſi remuneres, graviter ſolent conqueri.

2. Si accipere beneficium placeat ab eo, quem remunerationem ſpectare ſuſpicaris, de compenſatione ſtatim cogites, & eo ipſo tempore, cum accipis, promittas.

3. Tantum reddas quantum acceperis, & compenſationem nimis diu ne differas, nec extorqueri à te patiaris. Ei vero qui accepit æſtimatio beneficii eſt relinquenda, utpote qui optime novit quam utile ſibi ſit beneficium; niſi forte is, qui largitur, certam veluti mercedem ſtatim ſtipuletur. Alias qui abſque conditione dat beneficium, ejus qui accipit judicio & fidei rem totam videtur permittere. Unde etiam judicia iſtis de rebus fieri non ſolent, quod arbitraria debeat eſſe retributio, non coacta. In æſtimatione autem beneficii ſpectanda eſt, 1. Utilitas. 2. Neceſſitas. 3. Quo tempore acceperis. 4. An ab alio etiam potueris accipere, an vero ab eo ſolo qui dedit. Æſtimatio vero hæc facienda eſt, vel tum, cum beneficium nondum eſt acceptum; vel tum, cum id adhuc recens eſt, & fructus ejus maxime ſentitur. Alias iniqua ſæpe fieret æſtimatio, cum apud homines beneficiorum gratia cum tempore fere exoleſcat, & plerique majoris ea faciant, quibus indigent, & quæ adhuc expectant, quam quæ jam acceperunt, præſertim dudum.

Hæc de amicitia parium: nunc de *amicitia imparium* agere oportet. In ea generatim hoc eſt obſervandum, ut juſta ſit amoris, honoris & officiorum analogia ſeu proportio. Ad hanc autem analogiam requiritur ut is, qui, quod ad cauſas amicitiæ attinet, ſuperior eſt, magis ametur ac honoretur, quam qui inferior. Honor enim, cum aliud non ſuppetat, virtutis & beneficentiæ proprium eſſe cenſetur præmium. Sed ut melius intelligatur qua in re proportio iſta conſiſtat, tum ſuperiorum erga inferiores, tum inferiorum erga ſuperiores officium conſiderandum eſt.

Superiorum erga inferiores officium eſt, 1. Ut ii, qui opibus antecellunt, aut alio aliquo bonorum genere, quod in inferiorum amicorum commodum convertere poſſint, plus utilitatis in eos conferant, minus ab iis poſtulent. 2. Ut ii qui dignitate antecellunt, ſi ſe ad inferiores quodammodo demittant, comitate, facilitate, modeſtiaque ſua eos erigant, non vero ſupercilio ſuo ac nimia gravitate à ſe abſterreant: breviter, magis id agant, ut ab amicis amentur, quam ut timeantur & colantur. Qua tamen in re ſtatus uniuſcujuſque conſiderandus eſt, & conſulendum imperii, ſi quod eſt, dignitati & auctoritati. 3. Ut iidem dignitatem ſuam cum amicis, præſertim iis, quos virtus aut ſapientia ſibi conciliavit, quodammodo communicent, & eos apud alios reddant honoratiores.

Officium *inferiorum erga ſuperiores* eſt, 1. Ne ſuperioribus invideant. 2. Ut eos qui virtute, ſapientia, aut alio aliquo dignitatis genere antecellunt, honorent ac colant; non vero ob familiaritatem, aut ob eorum modeſtiam ac humanitatem contemnant, & iis ſeſe prorſus æquent: ſed cum illorum facilitate certent modeſtia, & quanto magis illi ſe demittunt, tanto magis eos ſuſpiciant ac colant. 3. Ut iis qui aliquid in ſe poteſtatis habent, obſequium præſtent, & quanto major ea eſt poteſtas, tanto magis. 4. Ut eos qui beneficentia, aut aliquo alio virtutis genere ſunt ſuperiores, magis ament, quam ſe ab iis amari poſtulent. 5. Si contingat ut ii, qui beneficiis ſuis eos devinxerunt, aliquando ipſorum operam ac beneficia viciſſim deſiderent, iis libentiſſime gratificentur, & eorum merita remunerare ſtudeant.

Hinc de *liberorum erga parentes* officio colligo: Liberos parentibus debere. 1. Maximum inter mortales amorem ac benevolentiam. 2. Honorem ac reverentiam ſummam. 3. Obſequium promptiſſimum. 4. Curam ac victum, ſi parentes ſibi ipſis proſpicere nequeant. Qua in re eouſque progrediendum eſt liberis, ut ipſi malint egere, quam parentes rebus neceſſariis deſtitui. Sacræ literæ hæc omnia uno honoris nomine complectuntur.

In omnibus autem prorſus non tenentur liberi obedire parentibus, ſed in iis quæ cum honeſtate non pugnant; ac præterea cum de re agitur, cujus non ſatis gnari ſunt parentes, peritiorum ac prudentiorum judicium ſequi poſſunt liberi: ſed ita, ut quam modeſtiſſime à parentum judicio diſcedant; non vero ita agant, ut imperitiæ parentum illudere, vel auctoritatem ſpernere videantur. Quod ſi tamen parens, is præſertim, ex cujus poteſtate nondum exieris, omnino urgeat, ut ſuum potius ſequaris conſilium, ita ut gravis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſecutura ſit offenſio, niſi ei morem geras, ex ejus autem conſilio non ſit magnum aut irreparabile damnum ad te rediturum, in commoda potius tua peccare debes, quam parentis ſpernere voluntatem.

Nec quivis etiam honores patri potius, quam alii alicui, ſunt deferendi, ſed ii tantum, qui ei conveniunt. Aliàs honores ac munera, ſive in Republica, ſive in Eccleſia, dignioribus potius ſunt deferenda & peritioribus, qui ea majori cum fructu poſſint obire; nec committendum, ut privatus amor publicis commodis obſtet.

Diſcipuli debent *præceptoribus* fidelibus, ſimilia iis, quæ parentibus debent liberi, habita tamen ratione meritorum, quæ in nos contulerint. Digna eſt Ariſtotele vox; *Deo, parentibus, ac præceptoribus, dignum perſolvi præmium non poſſe, tribui tamen debere, quod poſſimus, maxime honorem.* Ii enim ſunt, qui maxima in nos conferunt beneficia: Parentes ut vivamus: præceptores una cum illis, ut bene ac feliciter vivamus, curant: utrumque autem per illos præſtat Deus.

Huc etiam pertinent officia ſubditorum erga magiſtratus, ſervorum erga dominos, uxorum erga maritos, & contra horum erga illos. Sed ea, obſervato uniuſcujuſque ſtatu, ex generalibus præceptis, paulo ante traditis, colligi poſſunt. Quis autem ſit uniuſcujuſque ſtatus, in Politica & Oeconomica, quibus Theologia quædam addit, explicatur.

Cæterum, ex præceptis de amicitia colenda hucuſque traditis colligi poſſunt *cauſæ quæ amicitiam aut conſervant, aut corrumpunt.* Ea enim, quæ hactenus præcepimus, ſi ab utraque parte obſerventur, amicitiam conſervant: ſi omittantur, labefactant, aut penitus abolent. In univerſum autem peſtes amicitiæ ſunt avaritia, ambitio, & contemptus amicorum ob fortunæ proſperitatem, perfidia, diffidentia, ſimulatio, iracundia, moroſitas, ſilentium nimis diuturnum.

In *amicitia diſſolvenda* duo ſunt obſervanda, primo *cauſa ob quam ea ſit dirimenda*: deinde *modus*. *Cauſa ob quam amicitia jure diſſolvitur*, eſt, cum ea non amplius habet amicus, aut præſtare non vult, ob quæ amicitia inter nos & illum conſtabat; & ea, quæ antea præſtitit, tantam vim non habent, ut iis etiam ceſſantibus nos ei nihilominus devincti eſſe debeamus; qualia ſunt parentum aliorumque in nos merita. Juſtiſſima autem cauſa eſt, quando amicus, cum quo noſtra nos conjunxit voluntas, à virtute ad inſanabilem deſciſcit improbitatem. Nam tunc ab ejus familiaritate abſtinendum eſt, tum ne ei evadamus ſimiles, tum ne videamur. Quanquam hoc ipſum ad eam rem ſufficit quod virtutem, ob quam amabatur, perdiderit. Parentum, & aliorum benemeritorum, itemque eorum, qui imperium aliquod in nos habent, quod ex arbitrio noſtro non pendeat, amicitiæ penitus renunciare nunquam poſſumus.

Interdum etiam *ipſa amicitia ſponte ſua ceſſat*, cum inter amicos, vel ob locorum diſtantiam, vel ob nimiam dignitatis ac conditionis diſcrepantiam, non poteſt coli familiaritas; ut, ſi condiſcipulorum alter ſordido vitæ generi ſe ſe addicat, alter ad ſummos honores perveniat.

Modus diſſolvendi amicitiam hic eſt. 1. Obſervandum, ne protinus amicum, etiam in vitium aliquod prolapſum, deſeras; ſed tamdiu in eo ad frugem revocando labores, donec tandem videas jam eſſe conclamatum. Quamdiu ergo emendationis ſpem aliquam facit, tamdiu amicitiæ vinculum videtur non eſſe abrumpendum. Nam ſi amicos in corporis morbis deſerere non oportet, ſed potius de eorum ſanitate laborare, multo magis id in animi morbis faciendum eſt. 2. Si vel ob locorum diſtantiam, vel ob dignitatis diſcrimen, diſſolvatur amicitia, priſtinæ tamen conjunctionis memoria retinenda eſt, & favore ſaltem ac benevolentia majore proſequendus eſt amicus noſter vetus, quam ignotus aliquis. 3. Cavendum eſt, ne amicum perfide videamur deſeruiſſe: quod accidit, ſi amicum in rebus ejus adverſis, cum alias operam noſtram non injuria videatur poſtulare, deſeramus.

CAP. IX.

Quæſtionum de Amicitia explicatio.

PRima Quæſtio eſt: *Utrum ſimilitudo, an diſſimilitudo, majorem vim ad conciliandas amicitias habeat?* Prior pars quæſtionis eo confirmatur, quod ſimilis ſimili gaudere, graculus graculo aſſidere, æqualis æqualem amare vulgo dici ſolet. Poſterior eo, quod itidem vulgari proverbio dicitur figulus figulum odiſſe, cantor cantori invidere, ut eſt apud Heſiodum. Reſpondendum eſt; per ſe ſimilitudinem vim habere majorem ad amicitias jungendas, diſſimilitudinem ad disjungendas: quod res ipſa, & proverbia priori loco adducta ſatis probant: per accidens tamen interdum contra fieri; idque duplicem ob cauſam. Prima eſt, quia ſimilitudo interdum obſtat alterius commodis, aut laudi atque honori. Et hæc cauſa eſt, cur figulus figulum oderit, cantor cantori invidere ſoleat. Nam qui eandem artem exercent, ſæpe ſibi mutuo obſtant, & lucrum præripiunt, aut laudem. Altera cauſa eſt, quod ſimilitudo nonnunquam obſtat, quominus alter ab eo ipſo, cui ſimilis eſt, id poſſit conſequi, quo indiget. Unde Ariſtoteles dicit, civitatem non conſtare ex agricola & agricola, ſed ex medico v. g. & agricola, hoc eſt, diverſi generis artificibus, ut ita rerum permutatio, & commercium eſſe poſſit. Hoc enim tum habet locum, cum eo, quo alter caret, abundat alter, & viciſſim alter, habet, quo ille careat. At id fit cum diverſi ſunt artifices, non unius generis. Itaque amicitia utilitatis inter diſſimiles fere eſt. Nam doctus indocto utilis eſt, dives pauperi; quorum ille hujus re indiget, hic illius. Poteſt enim viciſſim indoctus docto, pauper diviti operam ſuam præſtare. Quod autem de ſimilitudine, & diſſimilitudine diximus, id etiam transferendum ad æqualitatem & inæqualitatem. Illa enim majorem vim per ſe habet ad amicitiam, quam hæc. Unde Pythagoras amicitiam æqualitatem dixit. Inde eſt, quod cum inæqualitas nimia eſt, amicitia diſſolvi ſoleat.

Secunda quæſtio: *An pater quavis in re ſit præferendus aliis, & ei potius parendum, quam cuipiam alii?* ℞. Non. Sed in iis tantum quæ illi conveniunt, & quorum ille eſt gnarus. Nec enim v. gr. pater in muneribus mandandis eſt præferendus iis, qui longe rectius, & majori cum utilitate, aut Eccleſiæ, aut Reipublicæ, eadem poſſunt gerere. Nec magis æger filius parere debet patri, quam medico. Duo autem ſunt tribuenda omnino parentibus. 1. Honor conveniens, iſque major patri, quam mâtri. Ad honorem autem illum, etiam obſequium conveniens pertinet. 2. Victus, ſi ſit opus: idque adeo ſancte obſervandum eſt, ut ſatius ſit filium egere quam parentes. Filius enim ſeipſum totum ſecundum Deum debet parentibus, qui genuerunt, aluerunt, recte inſtituendum curarunt.

Tertia quæſtio: *An benemerito potius, quam bono viro ſit ſuccurrendum, ſi utrique nequeas?* ℞. Generatim loquendo, benemerito potius eſſe ſuccurrendum, quam bono viro, ſi utrique nequeas: interdum tamen, circumſtantiis rei ita ſuadentibus, contra fieri oportere. Prius probatur: quia generatim loquendo debitum potius eſt reddendum, quam donandum alteri. At benemerito debetur remuneratio. Poſterius; quia contingere poteſt, ut vir bonus in longe graviori periculo ſit conſtitutus, quam benemeritus, & Reipublicæ longe ſit utilior, quam alter; quin etiam, ut alia ratione benemerito liceat compenſare beneficium. Tum enim honeſtas ſuadet, ut bono viro potius ſuccurras, quam benemerito. Sic nec quovis tempore creditori potius reddendum eſt debitum, quam alteri dandum: ſed ſuo tempore.

Quarta quæſtio eſt: *An amicorum inimicis, nos quoque inimici eſſe debeamus.* Hæc quæſtio apud Chriſtianos difficultatem non habet, quibus neminem odiſſe, cum nemine inimicitias exercere fas eſt. Sed ne in politicis quidem id probandum eſt, ut cui ſuccenſet amicus, ei ego etiam ſuccenſeam. 1. Enim injuſtum eſſe

id

id poteſt; quia is forte innocens eſt, & me nulla in re læſit; imo contra, de me optime eſt meritus. 2. Pari ratione deberem iſtum amicum odiſſe, qui meum amicum oderit, præſertim ſi non ſatis juſta de cauſa id faciat; & ſic vel ob unum amici delictum, utriuſque amicitiæ foret renunciandum. 3. In utriuſque amicitia perſeverare potius debeo, ut tanto facilius eos inter ſe reconciliem, & delinquentem tanto liberius monere poſſim, & ad meliorem mentem revocare: quæ res Reipublicæ nonnunquam valde utilis eſt, imo neceſſaria. At qui cum altero conſpirat adverſus alterum, aditum ſibi ad eum reconciliandum intercludit. 4. Interdum neceſſitas cogit, ut in amicitia inimici tui perſeverem; ut ſi is ſit pater, magiſtratus, herus, aut alius quiſpiam, cujus amicitiæ renunciare non liceat, aut qui mihi valde nocere poſſet, ſi me odiſſet. Licet ergo amicitiam colere cum amici inimico, ſed ſine incommodo alterius, & ſine conſpiratione adverſus ipſum: imo alterius cauſa apud alterum, quantum ejus fieri poteſt, ſemper agenda eſt, & reconciliatio quærenda.

Quinta quæſtio: *An amico tanta optare debeamus boba, ut ſi ea conſequatur, amicitiæ inter nos & illum uſus videatur ceſſaturus?* Quidam enim, inter quos Ariſtoteles, dubitant; quia non ſit utile privare ſeipſum amico, & amicitiæ finem quodammodo optare. ℞. Etſi utilitas diſſuadeat, honeſtatem tamen jubere, ut amicis optemus, & quantum in nobis eſt procuremus bona omnium maxima. Hoc enim eſt charitatis ac beneficentiæ: invidiæ ea impedire velle. Eſt autem honeſtas præferenda utilitati. Accedit, quod ſæpe fiat, ut amicus ad majorem dignitatis gradum evectus, nobis nihilominus proſit, imo longe magis quam antea. Idem ſtatuendum eſt de eo, cum amicis commodi ſui gratia eſt à nobis diſcedendum. Qui enim itinera iſta impedire vult ob nimium amicorum deſiderium, is in eos parum juſtus eſt, ut ait Cicero in Lælio.

Sexta quæſtio: *An vir bonus ſeipſum maxime amare debeat, nec ne?* Affirmativa quæſtionis pars vulgo dicitur recepta; ita enim dicere ſolent: Proximus ſum egomet mihi: Genu ſura propius. Negativa quæſtionis pars etiam vulgo videtur probari. Vulgo enim Philautia ſeu amor ſui reprehendi ſolet, tum ambitionis ac ſuperbiæ, tum injuſtitiæ nomine. Qui enim ſeipſum vehementer amat, omnia ad ſuum commodum & honorem revocare ſolet, & aliis quantum poteſt detrahere. Reſpondendum eſt per diſtinctionem. *Duplex* enim eſt *amor ſui*, alter *vitioſus*, alter *laudabilis*. Ille eſt cum quis in bonis vulgarioribus, honoribus, nimirum, divitiis, ac voluptatibus corporis potiora ſibi tribuit, alios defraudat. Quod qui facit, is appetitui corporis indulget, & non meliorem ſed deteriorem ſui partem amat, & ambitioſus, injuſtus, atque intemperans evadit. Hæc ſignificatio vulgo eſt tritiſſima, & prope ſola pleriſque nota: quia vulgus etiam iſta bona fere ſola novit, in quibus hæc philautia cernitur. In hac ſignificatione negativa quæſtionis pars eſt vera. Laudabilis autem amor ſui eſt, cum quis bonis veris, hoc eſt, ſapientia, virtute, immortalitate, cæteris cupit antecellere, adeoque mentem, diviniorem ſui partem, maxime vult eſſe incolumem. Et hic demum amor ſui verus eſt, & ſolus nomen hoc meretur. Is enim ſeipſum vere amat, qui præſtantiſſimam ſui partem, quæ ipſum maxime conſtituit, amat, & non fugitiva, ſed vera ac ſolida bona ſibi ipſi cupit ac parat. Atque in hac ſignificatione, quæ vulgo ignota eſt, affirmans quæſtionis pars vera eſt, & maxime optandum, ut omnes hoc amoris genere ſeipſos maxime proſequantur. Ita enim fieret, ut omnes certatim quam honeſtiſſime agerent, & non tantum ſibi, ſed aliis omnibus eſſent utiles, alii aliis honores, & divitias, de quibus vulgares animæ digladiari inter ſe ſolent, libenter concederent, imo etiam vitam pro amicis ponere non dubitarent. Neque enim id amori ſui repugnat, ſed maxime eſt conſentaneum. Nam qui bona iſta vulgaria amicis relinquit, ſibi honeſtatem, quæ illis longiſſime præſtat, ſumit. Qui vero mortis diſcrimen pro amicis adit, is brevem quidem, ſed magnæ voluptatis, ex tam præclaro facinor uſum, diuturnæ quidem, ſed exiguæ, voluptatis perfruitioni antepoñit. Deinde brevem, ſed honeſtiſſimam ac glorioſiſſimam vitam, anteponit longæ, ſed obſcuræ ac minus honeſtæ. Denique unum pulchrum & memorabile facinus multis vilibus actionibus antefert. Adde id, quod omnium maximum eſt, ex Chriſtiana religione petitum, quod ad immortalitatem & ſupremam gloriam ſibi gradum ſtruit, & aditum patefacit. Quare cum tanta ſibi bona, mortem pro aliis oppetendo paret, ſeipſum tum maxime diligit, licet ratione viliorum bonorum habita, alios magis quam ſeipſum diligere videatur.

Septima quæſtio eſt: *An etiam amicitia quædam eſſe poſſit unicuique ſecum?* Poteſt: ſed improprie dicta; quæ tamen norma quædam eſſe debet amicitiæ veræ, qua alios proſequimur. Qua autem in re illa conſiſtat, dicetur capite ultimo.

Octava quæſtio eſt: *Cur benemeriti vehementius amare ſoleant eos, quibus benefecerunt, quam contra hi illos?* 1. cauſa è natura eſt deprompta; quia is, qui beneficio eſt affectus, opus quoddam eſt benemeriti. Cuique autem artifici opus ſuum magis charum eſt, quam ipſe eſſet futurus operi, ſi animatum eſſet. Probatur id exemplo poëtarum, qui verſus ſuos eo fere amant modo, quo parentes amare ſolent ſuos liberos, qui ſane eſt maximus. Deinde ratione, quia opus eſt veluti imago ingenii illius, qui effecit, & argumentum manifeſtiſſimum, ex quo perſpicit ſe eſſe ac vivere, cum ſit effectus actionis, hæc vero ipſa propemodum vita. At cuique imago ingenii ſui eſt jucundiſſima, itemque illud, ex quo ſe vere eſſe ac vivere manifeſtiſſime perſpicit. 2. Cauſa eſt, quia is, in quem beneficium confertur, majorem verioremque voluptatem affert ei, qui confert beneficium, quam contra hic illi. Is autem magis amari ſolet, qui majorem verioremque voluptatem affert, quam qui minorem. Iſtud probatur duplici ratione: 1. Quia is, qui dat beneficium, honeſtum conſequitur; qui accipit, utile tantum: at honeſtum amabilius & jucundius eſt quam utile. Hinc naſcitur ratio ſecunda: quod voluptas ejus, qui dat beneficium, ſit diuturnior, honeſtas enim ſuam pulchritudinem perpetuo retinet, & memoriam habet jucundiſſimam; utilitas cito flacceſcit. 3. Cauſa eſt: quia beneficium dare difficilius eſt, quam accipere. At quæ majori labore conſtant, chariora ſunt, quam quæ minori aut nullo. Exemplo poſſunt eſſe illi, qui divitias ſuo labore pepererunt: illi enim magis eas amant, quam quibus eæ ex hæreditate obvenerunt: deinde matres, quæ prolem ardentius amant, quam patres, quod majori labore illis conſtent liberi, quam patribus. Eſt & 4. cauſa, ſed quæ ad illos ſolos pertinet, qui utilitatem tantum quærunt. Ea eſt, quod creditor magis ſalvum eſſe vult debitorem, quam debitor creditorem; ille, ut recipiat mutuum; hic, ne reddere cogatur. At qui dedit beneficium, creditor quidam eſt, qui accepit debitor.

Nona quæſtio eſt: *An beatus amicis opus habeat?* Quidam enim ideo dubitant, quia beatus omnibus rebus abundet, ſitque αὐταρκὴς: amici autem ideo tantum videantur comparati, ut quod per nos ipſi non poſſimus conſequi, id per amicos conſequamur; habeamuſque in rebus adverſis perfugium. Unde Euripides in Oreſte: *Amicos in calamitatibus decet amicis prodeſſe. Numen cum bona largitur, quid amicis eſt opus?* Sed nos contrariam ſententiam defendimus. 1. Propter id ipſum, quod beatus ſit αὐταρκὴς, & omnium bonorum copia inſtructus. Nam inter bona iſta, non poſtremum locum obtinent amici: imo inter omnia externa primum. Quare qui beato amicos detrahit, is αὐτάρκειαν, ipſamque felicitatem perfectam adimit. 2. Quia beato opus eſt iis, cum quibus res præclariſſimas gerat, & contempletur; quæ per ſeipſum, vel non poſſet, vel difficulter poſſet gerere, aut cognoſcere. At hi laborum ſocii, ſunt amici, vel ſoli, vel maxime. 3. Quia beatus, utpote vir liberalis ac magnificus, eos requirit, in quos beneficia plurima conferat: hi vero ſunt inprimis amici. 4. Quia beatus eſt etiam animal civile, cui ſolitudo ingrata eſt, convictus frequens cum bonis jucundus; qui vero convictum frequentem cum aliis deſiderat, amicos deſiderat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quod ad rationem adverſariorum attinet, conſequentia nulla eſt; Vir bonus omnibus bonis affluit: Ergo non indiget amicis. Imo contrarium potius inde concluditur, ut ratio prima docuit. Deinde negandum eſt, amicos tantum comparari ob indigentiam & diverſitatem fortunæ. Quæruntur enim etiam ideo, ut nos illis benefaciamus, eorum conſpectu ac colloquiis etiam in ſecundis rebus perfruamur: imo, ut Cicero docet in Lælio, Amici propter ſe ſunt expetendi, & amor eorum etiam per ſe nobis eſt jucundus, etiamſi nil ad nos inde redundet commodi. Unde in beneficiis non tam res quæ datur, quam amor, unde illa ſunt profecta, gratus eſſe ſolet. Nempe quia amicitiæ ortus, non ab indigentia tantum eſt, ſed multo magis à natura, quæ illius deſiderium nobis inſevit.

Decima quæſtio eſt: *Utrum in ſecundis rebus, an vero in adverſis, magis ſit opus amicis?* ℞. In adverſis magis eſſe neceſſarios amicos propter perfugium, ſolatium, ſubſidium. In ſecundis tamen magis honeſtos, ut habeas in quos beneficia conferas, & cum quibus de præclariſſimis rebus loquaris, conſultes, & eaſdem ſuſcipias ac geras.

Undecima quæſtio: *An quam plurimi ſint parandi amici, an vero eorum certus debeat eſſe numerus?* Prius ideo alicui probari poſſet, quia amici in bonorum præſtantiſſimorum ſunt cenſu. At bonorum inſignium maxima videtur expetenda & quærenda copia, non vero ponendus aliquis terminus. Verum cum de amicis non plane vulgaribus loquamur, ſed de iis, cum quibus arcta nobis intercedat conjunctio & conſuetudo, poſterior quæſtionis pars eſt admittenda, & quod de hoſpitalitate dicitur, *Ne ſis multorum, ne ſis quoque nullius hoſpes*; idem etiam ad amicitiam transferendum eſt. Rem ita ſe habere patebit, ſi per ſingula amicitiæ genera eamus. De *amicitia ex virtute* docuimus ſupra cap. 3. Rationibus ibi allatis has adde. 1. Quia tot oportet eſſe amicos, ut cum iis commode vivere, ac familiaritatem colere poſſis. At cum multis ita vivere difficile, ac prope impoſſibile eſt. 2. Quia omnes eos, qui tibi ſunt amici, etiam inter ſe amicos eſſe oportet. Nam cum tecum omnes convictum colere oporteat, etiam inter ſe neceſſe eſt convivere, atque adeo inter ſe amicos eſſe. At difficile eſt, ac propemodum impoſſibile, multos reperire, qui non minus inter ſe, quam tecum amicitiam colant. 3. Experientia ipſa docet, ſodales, inter quos arctior eſt neceſſitudo, eſſe paucos: & amicitias, ſive Poëtarum, ſive aliorum auctorum ſcriptis celebratas, inter duos conſtitiſſe, ut inter Oreſtem ac Pyladen, Theſea & Pirithoum, Damonem & Pythiam, ſive Phintiam, Epaminondam & Pelopidam, Scipionem & Lælium. De *amicitia utilitatis*, etiamſi ibi major multitudo reperiri poſſit, idem tamen eſt ſtatuendum. Hæc enim requirit, ut alter alterius commodis inſerviat, & ejus negotiis implicetur. At nimis laborioſum eſt, multorum inſervire commodis, & beatitati impedimento eſt, multorum implicari negotiis, cum ea meliorem vitæ partem ac prope totam ætatem ſibi vindicet. Adde quod, ut ait Plutarchus, ſi ex multis roget unus ad cœnam, alius ad funus, alius ut in foro adſis advocatus, alius ad nuptias, alius ad iter, alius denique alio, alius pecuniam roget, alius veſtem, &c. omnes eodem tempore, par omnibus eſſe non poſſis. *Amicitia* etiam *voluptatis* multitudinem ſpernit. Nam quemadmodum ad ſuavitatem ciborum, non opus eſt multis condimentis, imo nimia eorum copia cibum reddit ingratiorem, ita ad voluptatem non opus eſt multis amicis, imo major eorum copia propemodum impedit. Hinc veteres de convivis, qui ea in parte amici voluptatis ſunt, dicere ſunt ſoliti, eos nec debere eſſe pauciores Gratiis, nec plures Muſis, hoc eſt, nec infra ternarium numerum ſubſiſtere, nec novenarium ſupergredi. Nam ſi pauciores ſint, taciturnum fore convivium: ſi plures, turbulentum. Dices: quinam ergo eſt modus ac terminus, intra quem amicorum numerus debet ſubſiſtere? ℞. Etiamſi certus numerus definiri non poſſit, terminum tamen eſſe commoditatem convictus, ac familiaris converſationis: quot enim commode ſimul vivere poſſunt, tot ſunt aſciſcendi amici. Nec obſtat iis, quæ diximus, quod nonnulli videantur, valde multis eſſe amici. Nam amicitia illa, quæ civilis tantum eſt, valde eſt tenuis ac diluta. Quemadmodum enim vini pauxillum in aquæ cadum defuſum evaneſcit, & ſenſu vix percipitur: ita vis amoris in multos diſtracta, diluitur. Itaque ii qui omnium amici creduntur, nullius revera ſunt.

Duodecima quæſtio eſt: *Cur amici amicorum convictum tantopere expetant?* 1 cauſa eſt, quia jucundum eſt, videre ac ſentire amicum eſſe ac vivere. Nam amicus verus ita eſt animatus adverſus amicum, ut adverſus ſeipſum, cum amicus ſit alter idem. Cuique autem jucundum eſt, ſentire ſe eſſe ac vivere. Quare idem in amico ſentire, eidem eſt jucundum. At in convictu id manifeſtiſſime ſentitur. 2. Quia amicorum colloquia, quæ nos vel erudiunt, vel meliores reddunt, vel ſolantur, vel conſilium ſuppeditant, jucundiſſima ſunt: hæc autem in convictu demum locum habent. 3. Quia ſæpe accidit, ut amicus noſtris bonis facilius frui poſſit in convictu, quam ſi à nobis abſit; at amicis benefacere jucundum eſt. 4. Quia in convictu amicorum virtutem, amoris erga nos varia indicia, quæ nobis ſunt jucundiſſima, facile deprehendimus. His adde multa officia, quæ nobis ab amicis in convictu præſtantur, quæ ab abſentibus forte non præſtarentur. Ex his etiam facile colligi poteſt, cur præſentia amicorum in afflictis rebus noſtris levamen doloris afferat. 1. Quia ſolantur, & doloris cauſas minuunt, animum à triſtibus cogitationibus avocant, ad ea quæ amicis norunt jucunda, ſpem melioris fortunæ faciunt. Deinde cum ipſi quoque noſtri cauſa doleant, veluti doloris partem in ſe recipiunt. Ideo autem illorum συμπάθεια dolorem noſtrum minuit, quia amorem illorum erga nos exinde perſpicimus: amor vero illorum jucundiſſimus eſt. Quod autem voluptatem nobis affert, dolorem noſtrum minuit. Denique quia id ipſum dolorem mitigat, quod habeas hominem, præſertim fidum, in cujus ſinu dolorem tuum effundas, & te veluti exoneres. Qua de cauſa ii, qui in gravi luctu verſantur, cum hominem non habent, nonnunquam res inanimes alloquuntur, & Soli v. gr. lunæ, aſtris dolorem ſuum teſtantur. Compreſſus enim ac retentus dolor eſt gravior, explicatus, & in alterum veluti transfuſus, fit levior. Quo loco tamen monendum, præſentiam amicorum in calamitatibus aliqua ex parte eſſe injucundam. Moleſtum enim eſt, videre amicum noſtris calamitatibus triſtari. Omnes enim cavent, ne amicis ſuis doloris cauſam præbeant, ſed ut iis ſint oblectamento diligenter curant, præſertim ſi ſint viri graves ac magnanimi, qui cum ipſi ad lachrymas non ſint proni, ne alios quidem lachrymantes libenter admittunt aut ſuſtinent. Sed mulierculæ, & viri mulierum ſimiles, quia ipſi ad lachrymas ſunt propenſi, gaudent collachrymantibus, & una ſuſpiria ducentibus, atque eos qui ipſis condolent, tanquam amicos amant.

Decimatertia quæſtio: *Quomodo nos in utraque fortuna, tum in accerſendis, tum in adeundis amicis gerere debeamus?* De *accerſendis* amicis duo potiſſimum præcepta ſunt notanda. 1. Ut amicos ad res noſtras lætas libenter ac prompte advocemus, ad triſtes lente ac cunctanter. Prior hujus præcepti pars probatur; quia illud eſt de amico bene mereri: bene vero mereri de altero debes libenter ac promte, quia honeſtum. Poſterior pars: quia amicum quam minimum participem malorum facere decet. Unde Euripides in Oreſte; *Satis eſt me eſſe in calamitate ac dolore: Non eſt quod alius mea cauſſa quoque doleat.* Atqui ad adverſas res vocare amicum, eſt eum participem malorum ſuorum facere. Unde ſuperius diximus, viros fortes cavere, ne amici ſui cauſa doleant, mulierculas & viros effœminatos contra: nos autem illorum non vero horum ſimiles eſſe debemus. 2. Ut tum potiſſimum advocemus amicos, cum ipſi parva moleſtia ſuſcepta prodeſſe nobis multum poſſunt. Nam tum amicorum opera uti nolle, & imprudentis eſt, & amicis diffidentis. De *adeundis*

amicis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

amicis 1. eſt præceptum: Ut amicos in rebus adverſis poſitos ultro adeamus, nec expectemus dum vocemur. Id enim amici proprium eſt ſolari mœſtos, ſuccurrere afflictis. Ultro autem id eſt faciendum, quia id utrique amicorum eſt & honeſtius & jucundius. Honeſtius adeunti, atque adeo etiam jucundius, quo majori promptitudine officium præſtiterit. Quod enim facere decet id tanto fit honeſtius, quanto alacrius. Honeſtius ei qui convenitur; quod amico moleſtus non fuerit, eum ad res adverſas vocando, licet ejus opera indigeret: jucundius etiam, quia rogare non fuerit coactus, & pudore, quem ex ejuſmodi precibus capere ſolemus, caruerit. Moleſtum enim verbum eſt, & demiſſo vultu dicendum, *Rogo*. 2. Præceptum: Amicos florentibus ipſorum rebus, beneficii accipiendi cauſſa cunctanter, eos aliqua in re juvandi gratia prompte adire debemus. Hoc, quia honeſtum eſt; iſtud, quia non ſatis decorum ambire beneficia. Quo loco tamen hæc eſt adhibenda cautio, ne beneficia ab amicis oblata præfracte repudiemus, iis etiam urgentibus, ne ſuſpicari cogantur, vel alieno nos eſſe à ſe animo, vel ſuum à nobis beneficium contemni; quod ipſum inhumanum eſt, & amicis admodum grave.

Decimaquarta atque ultima quæſtio eſt: *Cur convictus ad morum ſimilitudinem tantam vim habeat?* ℞. Quia quiſque ea ſtudia, eaſque actiones, quibus maxime delectatur, cum amico in convictu ſolet exercere, adeoque amicum quoque ad eaſdem ſecum, tum exemplo, tum perſuaſionibus pertrahere. Quare ſi is rebus honeſtis maxime delectetur, bonum virum efficiet amicum, ſi turpibus, improbum. Unde Theognis: A bonis bona diſces; ſi vero malis miſcearis, perdes eam quam habes mentem. Solere autem quemque cum amico ea in convictu tractare, quibus maxime delectatur, patet. Nam convictus eſt vitæ quædam conjunctio & communicatio; vitæ, inquam, illius quæ actu eſt, non quæ poteſtate. Vita vero iſta in actionibus conſiſtit, iis præſertim quas libentiſſime exercemus, & quarum cauſa vitam illam, quæ poteſtate eſt, putamus expetendam. Eſt enim vita tum animalium, tum vero inprimis hominis propria, alia poteſtate tantum, qualis eſt dormientium; alia actu, quæ in brutis quidem conſiſtit in exercitatione ſenſuum, in homine vero in exercitatione mentis, & eorum munerum functione, quæ inde pendent, quæ ſunt contemplatio, actio, effectio. Hujus vitæ conjunctio convictus eſt, qui in brutis definitur loci & voluptatum guſtus ac tactus communione, in hominibus etiam ratiocinationis, colloquiorum, aliarumque actionum homini propriarum communitate. Quanquam convictus eorum hominum, qui belluinis ducuntur cupiditatibus, fere belluinus eſt, qui humanis, humanus. Hinc ii, qui potu delectantur, cum amicis compotare; qui alea, ludere; qui armis, pugnare; qui venatione feras ſectari; qui literis, diſputare ſolent: atque in univerſum, quo quiſque maxime capitur, id cum amico una facere amat. Cauſſæ hactenus dictæ hanc etiam adde; quod hominis ingenium ad imitandum eſt admodum proclive, ut in Poëticis docet Ariſtoteles: ſolemus autem eos inprimis imitari, quos amamus ac laudamus, & quorum exempla crebrius ante oculos verſantur. Tales vero ſunt amici cum quibus familiariter verſamur. Improbi vero improbis facilime redduntur ſimiles, tum quod mobiles ſint admodum, & *mutentur ut luna*, quemadmodum ait Propheta, adeoque facile in alienos mores tranſeant; tum quod vitium in declivi, imo in præcipiti ſit poſitum; virtus in arduo: poteſtque hîc uſurpari illud Poëtæ:

Facilis deſenſus Averni:
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt.

Hæc de quæſtionibus circa amicitiam.

Cap. X.

De Benevolentia.

SEquuntur ea quæ Amicitiæ ſunt cognata, nempe Benevolentia, concordia & Philautia. *Benevolentia* eſt propenſio animi alteri bona cupientis. *Ea duplex* eſt: altera *perfecta*, altera *imperfecta*. Prior illa ſi ſit mutua, & nota utrique parti, eadem eſt cum amicitia. Poſterior vero gradus tantum eſt ad amicitiam, & ab ea differt, quemadmodum diſpoſitio ab habitu. Amicitia enim habitus cujuſdam inſtar eſt; benevolentia imperfecta, diſpoſitionis. Hæc poſterior, quia ſpeciali nomine caret, interdum benevolentiæ nomen ſibi ſoli ſumit, & ab amicitia diſtinguitur: quemadmodum diſpoſitionis vox, licet interdum ita late extendatur, ut habitum in ſe comprehendat, nonnunquam tamen ei opponitur, ut imperfectum perfecto. De hac benevolentia nobis hic agendum eſt. Nam quid de perfecta illa ſit ſentiendum, ex tractatione de amicitia conſtare poteſt.

Ea *differt ab amicitia* tribus potiſſimum de cauſis. 1. Quia eſſe poteſt adverſus homines parum admodum notos, & vix viſos, imo etiam adverſus mortuos, aut ad nos nihil pertinentes; quod in lectione hiſtoriarum vel auditione ſæpe experimur, dum v. gr. nonnunquam mallemus vincere Pompejûm quam Cæſarem; noſtræ gentis hominem quam alienum; probum aliquem virum, quam improbum, nihil ad nos pertinentem. At amicitiam tantum cum viventibus, & hominibus nobis bene notis, atque ad nos pertinentibus, colimus. 2. Quia benevolentia hæc obſcura eſſe poteſt, & prorſus ignota ei cui bene cupimus; amicitia non item. 3. Quia poteſt eſſe etiam non mutua, amicitia vero non.

Ab amore etiam, ſeu *amatione, differt*, præſertim ſi amoris nomen in propria & perfectiore quadam ſignificatione accipiatur; duabus de cauſſis. 1. Quia benevolentia hæc, nec contentionem ſeu ardens ſtudium alterum juvandi conjunctum habet, nec deſiderium cum eo vivendi, aut cum eo pericula adeundi; quæ tamen omnia amori inſunt. 2. Quia amor hic plerunque tempore indiget; benevolentia ſæpiſſime ſubito oritur; in ludis v. gr. ſpectatores ſæpe pugili huic aut illi ſubito favent, & eum vincere cupiunt, quem tamen adjuvare non magnopere curant. Eſt ergo benevolentia hæc veluti otioſus quidam amor, & in verum amorem temporis aliquo tractu & conſuetudine interveniente migrat; quod tum fit, cum is qui bene cupit alteri, ejus præſentiam vehementer deſiderat, eum adjuvare magno ſtudio curat, & pro eo pericula ſubire non recuſat. In amicitiam denique migrat, cum hæc fiunt mutuo, & manifeſte. Vera autem benevolentia in ea tantum amicitia locum habet, quæ virtutis cauſſa contrahitur, non in ea quæ utilitatis aut voluptatis. Nam qui utilitatis aut voluptatis cauſſa alteri bene cupit, non tam illi quam ſibi ipſi bona cupit, & ſeipſum ea in re per ſe ac primo reſpicit, alterum ſecundario & per accidens, nimirum quatenus ſibi utilis aut jucundus eſt.

Cap. XI.

De Concordia.

COncordiæ quoque *vox* nunc *late accipitur*, nunc *ſtricte*. *Late*, ut omnem amicitiam complectatur, vel ſaltem in omni amicitia locum habeat, præſertim virtutis, & conſiſtit in voluntatis & conſiliorum conſenſu. *Stricte*, cum ab amicitia diſtinguitur, & totis Rebuſpublicis proprie tribuitur. Definitur ab Ariſtotele, *Amicitia civilis*, hoc eſt conſenſus civium in rebus iis, quæ ad commodum totius Reipub. pertinent, & in eorum poteſtate ſunt poſitæ. Conſenſus autem requiritur ejuſmodi, ut cives non tantum velint idem abſolute, ſed etiam definite huic aut illi perſonæ. v. g. ſi cives quidem omnes regem habere velint, ſed in perſona,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſona, cui munus regium mandandum ſit, diſſideant, non concordes, ſed diſcordes dicendi ſunt.

Concordia hæc in bonos fere ſolos cadit. Hi enim quia honeſtum omnibus aliis rebus anteponunt, & non ſuum emolumentum, ſed bonum publicum quærunt, inter ſe facile conveniunt; improbi, qui ſui emolumenti cauſa faciunt omnia, & inſtar Euripi fluunt refluuntque, ideo concordes eſſe vel prorſus non poſſunt, vel diu non poſſunt.

Ex his apparet concordiam hanc non eſſe eandem cum ὁμοδοξίᾳ ſeu ὁμογνωμοσύνῃ, hoc eſt, cum conſenſione in quacunque re, ut in artibus ac ſcientiis. Concordia enim ad actionem ſpectat, & non in mente tantum, ſed & multo magis in affectu ac voluntate conſiſtit. Deinde concordia tantum inter notos eſt, & quidem ejuſdem Reipublicæ cives: conſenſus ille etiam inter ignotos & alieniſſimos.

CAP. XII.

De Philautia, ſeu Amicitia quæ homini eſt adverſus ſeipſum.

A*Micitia proprie dicta* inter diverſos eſt: *improprie dicta* cuique adverſus ſeipſum eſt, niſi forte extreme ſit improbus. Nam cum veræ amicitiæ hæc vulgo dicantur eſſe propria; 1. ut amicus amicum cupiat eſſe ſalvum & incolumem; 2. ut ipſi ea quæ vere bona eſſe putet, cupiat & tribuat, ipſius tantum amici non ſui cauſſa; 3. ut cum ipſo conſentiat, eadem velit ac nolit, iiſdem lætetur ac doleat; 4. denique, ut cum ipſo libenter verſetur ac vivat; hæc omnia in charitate, quæ cuique ſecum eſt, inſunt. Quare & amicitia quædam cuique ſecum eſt.

Hæc amicitia viro bono maxime convenit. Nam *primò* ſeipſum maxime vult eſſe ſalvum; ſiquidem mentis incolumitati, quæ totam prope hominis naturam & vim in ſe continet, adeoque ipſe propemodum homo eſt, potiſſimum ſtudet; quanquam & corporis ſaluti conſulit quantum eſt opus. *Deinde* bona vera, hoc eſt ſapientiam & virtutem, ſibi & cupit & tribuit maxime: & hæc ſui cauſa facit. *Tertiò*, ſibi ipſi maxime conſentit vir bonus. Nam in expetendis bonis, & fugiendis malis, ratio fert ſententiam, appetitus jam ſubactus ei libenter aſſentitur, non vero, ut fit in incontinente, reluctatur. Eadem etiam ſunt illi læta, eadem triſtia, non vero alio tempore alia. Cum eum factorum non pœniteat, nec conſilium recte facit ſi mutet. Secum *denique* libenter vivit, hoc eſt ſolus eſſe, & ſecum ipſo, ut ita dicam, colloqui, ſuum animum factaque explorare minime horret. Id enim ipſi jucundum eſt, tum propter memoriam præteritorum, quæ cum honeſta fuerint, magnam & liquidam pariunt voluptatem; tum propter ſpem bonam futurorum, quam ipſa etiam recta conſcientia præſtat.

Hæc amicitia quæ cuique eſt ſecum, *norma* eſſe debet amicitiæ veræ; cum enim amicus ſit alter ipſe, ita adverſus eum debemus eſſe affecti, ut adverſus nos ipſos. Unde ii qui alios vehementer amant, dicere ſolent, ſe illos ita amare ut ſemet ipſos. Exemplum autem non à quovis capiendum eſt, ſed à viro bono, & prudente, qui actionum eſſe debet veluti canon ac regula. Quare quæ in amicitia viri boni adverſus ſeipſum reperiri diximus, eadem ad amicitiam veram ac proprie dictam ſunt transferenda. Quemadmodum vero vir bonus ſolus ſibi ipſi vere amicus eſt, ita etiam ſolus aliis vere amicus eſt.

Quod ad cæteros homines attinet, ii in duplici ſunt differentia; vel enim *leviter* duntaxat, vel *extreme* ſunt *improbi*. Priores iſti aliquam ſecum ipſis amicitiam colere poſſunt, & ſic etiam cum aliis, quatenus aliquid adhuc in ſe habent boni, & cum viris bonis conveniunt. Poſteriores vero nec ſibi ipſis, nec aliis ſunt amici. Nam 1. qui extreme ſunt improbi, & multorum ac gravium ſcelerum ſibi ſunt conſcii, vivere & ſupereſſe ſe non vehementer cupiunt, imo illis vita moleſta eſt, ſeque ipſi è medio non raro tollere cogitant, aut etiam tollunt. 2. Vera bona, etſi forte ea videant, & ſibi profutura arbitrentur, propter ignaviam aut improbitatem non ſuſcipiunt. 3. Sibi ipſis non conſentiunt, nec ante nec poſt facta, præſertim conſtanter. Ante facta: quia alia ſæpe vellent, ſed nihilominus alia faciunt, & ea quæ pernicioſa futura prævident, propter voluptatem perſequuntur. Poſt facta, non iiſdem lætantur ac dolent. Nam cum eorum flagitia impediuntur, cupiditas dolet, ratio lætatur; cum conſequuti ſunt, quæ volunt, tandem aliquando conſcientiæ judicio convicti facinora ſua damnant ac deteſtantur. Pœnitentia nempe ac dolore pleni ſunt improbi, cum nihil in ſe reperiant amabile, & nec memoria præteritorum, nec ſpes futurorum gaudio aliquo animos eorum perfundat. Unde tandem fit, ut & ſolitudo & frequentia ipſis juxta moleſta ſit.

Quare cum improborum conditio ſit miſerrima, bonorum vita jucundiſſima, & bonæ ſpei ſemper plena; fugienda eſt improbitas, & ſectanda virtus, quæ cum ipſa ſui videatur eſſe pulcherrima merces, præmium tamen longe majus in cœlis repoſitum habet, quod ſacra nobis Theologia monſtrat, cui quicquid ex philoſophia didicimus hactenus, ancillari ac ſubſervire volumus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ETHICA CHRISTIANA,

Seu

Explicatio Virtutum & Vitiorum, quorum in Sacris Literis fit mentio.

LIBER PRIMUS,

Qui eſt

De Virtute Chriſtiana in Genere, & de Virtutibus Mentis.

CAP. I.

De Virtute Chriſtiana in genere.

VIrtus Chriſtiana eſt habitus animi, ad hominis perfectionem in Chriſti doctrina deſcriptum ſpectans.

Hæc definitio ut rectius intelligatur, primum omnium de ipſo definito, ſeu de nomine, quo id à nobis eſt expreſſum, nonnihil dicendum eſt. Expreſſimus autem id duabus vocibus, quæ ſimul junctæ pro uno hîc habentur nomine. Vox prior, nempe *Virtutis*, quæ Græcè eſt ἀρετὴ, tribus potiſſimum modis ſumitur in Sacris Literis: primum pro qualitate quadam excellenti, ſeu perfectionem quandam ejus, de quo agitur, ſubjecti in ſeſe continente. Quo pacto ipſi etiam Deo Virtutes adſcribuntur à Petro 1 Epiſt. 2. ℣. 9. per quas intelligendæ ſunt inſignes illæ Dei proprietates, quas in univerſo ſalutis noſtræ negotio exeruit. Deinde ſumitur ſtrictius, pro Virtute morum, quę ſignificatio ſub ſuperiori, tanquam ſpecies ſub genere ſuo, continetur; non tamen proximo, ſed remotiori, ut poſtea patebit melius. In hac ſignificatione ponitur ea vox Philip. 4. 8. & 2 Pet. 1. 3. Tertiò ſtrictiſſimè ea vox ſumitur pro fortitudine, quæ ſignificatio apud prophanos Autores ſatis eſt frequens; ſed in Sacris Literis ſemel tantum videtur occurrere, nempe 2 Pet. 1. 5, cum ait: *Subminiſtrate in fide veſtra virtutem*, id eſt, cum fide virtutem hanc conjungite, &, ut ita loquar, expromite. Neque enim veriſimile eſt, eo loco virtutem vel in prima ſignificatione, quod cuivis per ſe patet, vel in ſecunda accipi; quod poſterius ex eo apparet, quòd Apoſtolus virtutem ſatis apertè à cæteris, quæ ſequuntur, nempe cognitione, continentia, patientia ſeu perſeverantia, pietate ac charitate diſtinguit. At verò Virtus in ſecunda notione ſumta, cæteras, præter cognitionem, virtutes omnes in ſe complectitur. Non deſunt quidam, qui alio modo Virtutis nomen iſto in loco accipiunt, arbitrantes, Petrum ibi per Virtutem quidem intelligere Virtutem morum, ſed non fortitudinem nominatim; verùm alias etiam Virtutes; eas nempe, à quibus Viri boni vulgo appellantur, quæ nondum tamen prorſus ſint Chriſtianæ ſeu Chriſtianorum propriæ, aut eorum ſaltem, qui Deum propius norunt, ſed in alios etiam homines, qui honeſtè ex rationis inſtinctu vivunt, cadunt. Sed probabilior eſt altera illa, quam proximo loco commemoravimus, ſententia. Etenim cùm uſitata ſit apud Græcos anguſtiſſima illa nominis hujus ſignificatio: facile fieri potuit, ut Petrus ea hoc loco uteretur; & nihil propè convenientius ab ipſo dici potuit. Nam cum primo loco collocaſſet Fidem, hoc eſt, aſſenſum Euangelio Chriſti adhibitum, conveniens inſtituto illius fuit, ut ſtatim ei adjungeret eam Virtutem, quæ fidei illius veluti cuſtos eſt. Ea autem eſt fortitudo Chriſtiana, quæ facit, ut nullum ſit periculi, nullum calamitatis ac mortis denique genus, quod doctrinæ illius cauſa adire detrectes. Quam Virtutem in illis ſtatim requirit Chriſtus, qui diſcipuli ſui fieri velint, ut apparet ex Matth. 16. 24. & ſeqq. & Luc. 14. 26, & deinceps. Huic rurſus rectè ſubjungitur cognitio, quia ei, qui doctrinam Chriſti eſt amplexus, in eaque conſtanter, quicquid immineat periculi, perſeverare decrevit, in ejus cognitione proficiendum eſt. At verò ejus ſignificationis, quæ inter ſecundam & tertiam, veluti media, interjecta ſit, quamque alii voci iſti hoc loco tribuunt, nec exemplum facile illi oſtenderint, nec facile etiam probaverint, eam huic loco congruere; quum Apoſtolus Virtutis nomine, ubi vult eam fidei adjungi, ac veluti ſuperſtrui, Chriſtianam aliquam ac fidelium propriam Virtutem videatur intelligere, & quidem unam aliquam nominatim, quemadmodum cætera vocabula, quæ tribus his verſiculis connectuntur, non verò plures ſimul junctas. Sed ſuo tamen hîc utatur quiſque judicio.

Jam verò ex tribus his ſignificationibus hactenus explicatis, prima huic loco, ubi de Virtute Chriſtiana in genere agimus, maximè congruit; ſecunda & tertia ſtrictiores ſunt, & ad ſpecialem Virtutis Chriſtianæ tractationem, hoc eſt, ad explicationem Virtutis moralis, ut unicuique liquet, referendæ ſunt. Diximus autem ex tribus ſignificationibus à nobis explicatis, primam huic loco maximè congruere, non verò ſimpliciter maximè convenire. Eſt enim alia adhuc inter primam illam & ſecundam ſignificationem interjecta ejus vocis notio, cujus mihi tamen nullum adhuc in Sacris Literis occurrit exemplum. Ea verò eſt, qua uſus eſt Ariſtoteles in Ethicis, ubi Virtutis nomen accipit pro Virtute hominis propria, ſeu ejuſmodi qualitate, quæ hominis animum, aut etiam actiones inde prodeuntes, perficiat; quam poſtea diſtinguit in Virtutem mentis & morum. Et hæc quidem ſignificatio huic loco noſtro omnium eſt aptiſſima Verum non multum refert, ſive hanc ſumas, ſive primam à nobis conſtitutam, quæ illâ eſt laxior; quandoquidem amplitudinem ejus vox *Chriſtiana*, quam adjecimus, ita reſtringit, ut non niſi illa queat intelligi, quam Ariſtoteles Virtutis nomine comprehendit. Vox enim ea qualitates omnes excludit, licèt aliàs præclaras, quæ ad hominem Chriſtianum, & quidem quatenus Chriſtianus eſt, nil pertinent. Itaque non modo excluduntur qualitates eæ, quæ ſunt præter Virtutes ab Ariſtotele in Ethicis ſic dictas, hoc eſt, eas omnes, quæ vel virtutes atque habitus mentis boni, vel virtutes morum appellari queant: ſed etiam quædam Virtutes mentis, ab Ariſtotele ſic appellatæ, voce iſta *Chriſtiana* à nobis ſejunguntur, quales ſunt artes & ſcientiæ generatim omnes, & Prudentia Civilis, & circa terrena tantum occupata. Quanquam quædam Scientiarum, & aliqua etiam prudentiæ civilis particula ad Chriſtiani hominis perfectionem, & ſic ad Virtutem quoque Chriſtianam ſpectat. Hæc de definito.

Quod ad definitionem attinet Virtutis Chriſtianæ, primò vox occurrit *Habitus*, per quam intelligimus qualitatem acquiſitam, firmiterque impreſſam; acquiſitam autem ſtudio ac labore, præcedente tamen divina ope atque auxilio. Loquimur enim de iſtis virtutibus, quæ magis propriè ſic dicuntur, ſuntque non certorum tantum hominum, ſed generatim omnium Chriſtianorum; quanquam in alio rurſus poſſunt eſſe perfectiores, in alio imperfectiores. Hoc autem propterea monemus, quia in nonnullis Chriſtianis, præ-

ſertim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

JOHANNIS CRELLII FRANCI

ETHICA CHRISTIANA,

SEU

Explicatio Virtutum & Vitiorum, quorum in Sacris Literis fit mentio.

Præfixa eſt Ejuſdem

ETHICA ARISTOTELICA, ad Sacrarum Literarum normam emendata.

IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſertim in primitiva Eccleſia, reperta fuerunt quædam dona divinitus illis infuſa, & vel nullo vel exiguo illorum labore comparata, ſimilia nonnullis Virtutibus Chriſtianis, de quibus acturi ſumus: qualis fuit ſapientia Apoſtolorum, & reliquorum etiam in Eccleſia virorum inſignium. De quibus tamen viris quid ſentiendum ſit, intelligetur eatenus, quatenus virtutes eorum cum illis animi habitibus ac virtutibus Chriſtianis, de quibus agere nobis decretum eſt, conveniunt. Cùm verò diximus nos intelligere qualitatem firmiter impreſſam, ſeu fixam ac roboratam; non adeò arctis Habitus vocem cancellis circumdamus, quin διάθεσιν, ſeu diſpoſitionem aliquantò perfectiorem, & habitui jam abſoluto propiorem hoc nomine comprehendere liceat: ne quis forte putet nos, Philoſophorum more, qualitatem non niſi ad ſummum jam perductam, & perfectam planè, habitus nomine comprehendere. Nos enim cum vulgo magis, cùm Theologica tractamus, loquimur, & popularius, quam Philoſophi ſolent, vocabula uſurpamus. Sed hac de re monebitur adhuc nonnihil in tractatione de virtute voluntatis ſeu morum, ubi plus refert id meminiſſe.

Deinde occurrit in hac definitione vox *animi*, qua facultates illas intelligimus hominis, quæ ſunt illius propriæ, & quibus à belluis diſtinguitur, hoc eſt, mentem ſeu rationem & voluntatem; quanquam interea nil prohibet quo minus habitus illi, de quibus loquimur, veluti ſecundariò ac conſequenter alias etiam hominis facultates aut poteſtates, ut appetitum corporis, ipſumque adeò corpus occupent, & aliquomodo informent, quemadmodum de virtutibus voluntatis ſeu morum ſuo loco apparebit.

Denique quod attinet ad *perfectionem hominis in Chriſti doctrina deſcriptam*, cujus in hac definitione noſtra fit mentio, ea tota conſiſtit in eo, ut & optima intelligamus animoque penitus comprehendamus, & velimus eadem, ac denique faciamus; velimus inquam & faciamus, quatenus ea ſub arbitrium & voluntatem noſtram cadunt. Cæteroquin plura ſunt, quæ intelligere debemus, quàm quæ velle aut facere poſſumus: qualia ſunt inter alia multa, ea quæ de Dei proprietatibus ſcire debemus, aut de Dei operibus. Optima verò illa ſunt, quæcunque ad ſalutem ſempiternam ſpectant, & ad eam aliquid afferunt momenti, quatenus ea ſunt ejuſmodi. Hæc de Virtutis Chriſtianæ definitione. Vitium ei contrarium eſt habitus animi cum doctrina Chriſti pugnans.

Virtus autem Chriſtiana triplex eſt: alia Mentis: alia Voluntatis ſeu morum: alia denique Mixta, hoc eſt, partim mentis, partim voluntatis. Nos harum poſtremarum tractationem, cum priorum duarum explicatione ita conjungemus, ut eo quamque poſtremi generis virtutem referamus, quo natura ejus magis videtur inclinare.

CAP. II.

De Virtutibus Mentis, & primum quidem de Scientia.

VIrtus Mentis (de Chriſtiana ſemper loquimur) eſt habitus animi, quo cognoſcimus, dijudicamus, aſſenſuve noſtro comprobamus ea, quę ad Chriſtianam religionem ac pietatem pertinent. Eſt autem duplex: nam vel in cognoſcendo ac dijudicando propriè verſatur; vel in aſſenſu iis, quę cognovimus, adhibendo. Prioris generis iterum duæ ſunt, ſcil. Scientia & Prudentia. Poſterioris itidem duæ, Fides nempe, & Spes. Nos à priori genere initium facientes, de Scientia hoc Cap. agemus; ac primò quidem de vocibus, quibus hæc Virtus in Sacris Literis efferatur, deinde de ipſa re dicemus. Voces quibus hæc virtus in ſacris literis effertur, quinque potiſſimum occurrunt; quarum tamen tres priores crebrius ad eam ſignificandam adhibentur, poſteriores duæ rarius, & fortaſſe ſemel tantum. Prima vox eſt ea ipſa, quam hactenus uſurpavimus, nempe Scientia ſeu mavis Cognitio; Secunda Sapientia; Tertia Intelligentia; quarta Prudentia; quinta Senſus.

Quod ad primam vocem attinet, quæ eſt Scientia ſeu Cognitio, ea Græcè eſt γνῶσις. Nam etſi Scientia Græcis propriè eſt ἐπιστήμη: ea tamen vox in Sacris Literis Novi Fœderis non occurrit, licèt verbum unde deducitur, nempe ἐπίστασθαι non raro occurrat, ſemel etiam nomen concretum, quod vocant, ſeu adjectivum inde deductum ἐπιστήμων, id eſt, ſciens ſeu ſcientia præditus, apud Jacob. 3. 13. & quidem ea ſignificatione, quæ hujus loci eſt propria, licèt fieri queat, ut Prudentiam Scientiæ adjunctam quodammodo in ſe complectatur. Sed vox γνῶσις aut compoſita ἐπίγνωσις, quæ utraque prorìè cognitionem ſignificat, crebro in Sacris Literis uſurpatur, & pro nomine ἐπιστήμης reponitur: quam ob cauſam nos unius tantum nominis fecimus mentionem, commemorantes Scientiam ſeu cognitionem. Etſi autem γνώσεως vox ſeu Cognitionis, proprie actum cognoſcendi ſignificet, non habitum; tamen pro habitu non ſemel uſurpatur, ut ex ſequentibus fiet manifeſtum. Sed animadvertendum eſt, duplicem eſſe potiſſimum ejus ſignificationem, cum de virtute Chriſtiana uſurpatur: altera hujus loci magis propria eſt, cum ſumitur pro notitia atque intelligentia rerum ad Chriſtianam religionem pertinentium: altera cum accipitur pro Prudentia, quam à ſcientia jam diſtinximus. Poſterioris ſignificationis exempla videbimus cap. ſequenti, ubi de Prudentia agemus. Quod ad priorem ſignificationem attinet, ea iterum duplex quodam-modo eſt: vel enim ſignificat generalem quandam, ſeu mavis totalem rerum ad religionem Chriſtianam pertinentium notitiam, quanquam nunc exactiorem ac perfectiorem, nunc minus exactam, omnia tamen ad ſalutem neceſſaria complectentem; vel particularem, quam vocant, ſcientiam, hoc eſt notitiam hujus aut illius dogmatis ad religionem Chriſtianam pertinentis. Prioris ſignificationis exempla habes 1 Cor. 1. 5. & cap. 12. 8. quibus in locis de dono quodam ſpirituali ſermo eſt, ſed non ſine ſtudio aliquo comparato. His addatur 2 Cor. XI. 6. Epheſ. 1. 17. 2 Pet. 1. ỳ. 2 & 8. quanquam in tribus hiſce poſterioribus locis objectum illius Cognitionis ſeu Scientiæ eſt expreſſum, cum in prioribus abſolutè nomen hoc ponatur. Poſterioris ſignificationis exemplum extat 1 Cor. 8. ỳ. 1, 7, 10, 11, ubi pro cognitione, præſertim paulo exactiore, libertatis Chriſtianæ, earumve rerum, quæ ad illam rectè percipiendam pertinent, ſumitur; unde nonnullis, qui tamen Chriſtiani cenſentur, ac fratres dicuntur, apertè eo in loco adimitur: quanquam ỳ. 1. præſertim poſteriori loco poſitum hoc nomen potes latius extendere, ita ut etiam aliarum rerum ad religionem ſpectantium notitiam ambitu ſuo complectatur. Non commemoramus autem hoc loco eam vocis hujus ſignificationem, quæ vel prorſus eſt Metonymica, vel & Metonymica ſimul & Synecdochica, cùm nimirum cognitio Dei aut Chriſti, vel voluntatis divinæ ſumitur pro illius effectu, nempe pietate, divinæque voluntatis exequutione, vel ſimul cognitionem illam propriè dictam, & hunc ejus effectum complectitur: qua de re infra nonnihil monebimus. Hæc de prima voce.

Sequitur altera, nempe σοφία, quæ vox duplicem potiſſimùm ſignificationem, cum virtutem Chriſtianam ſignificat, habet. Prima hujus loci propria eſt, cum ſumitur pro Scientia rerum ad ſalutem pertinentium, quo pacto ſumitur 1 Cor. 1. 30. cap. 2. 6, 7. (licèt in his duobus locis ſecundi Capitis, ſapientia illa ſumitur pro objectis ſeu rebus, quas ſapientia illa ſeu Scientia complectitur) ad Epheſ. 1. 8. & 17. ad Col. 1. 9. & 28. & alibi. Quanquam interdum Prudentiam quoque Chriſtianam una complecti videtur, ut apud Jacob. cap. 3. 13. 17. Secunda hujus vocis ſignificatio eſt, cum pro Prudentia Chriſtiana, quæ ex Sapientia ſeu Scientia illa, magna ex parte pendet, accipitur, quomodo ſumitur Rom. 16. 19. Epheſ. 5. 15. Coloſſ. 4. 5. qua de re infra in tractatione de Prudentia dicemus. Pro prudentia etiam, ſed civili magis, ac rerum ad hanc vitam pertinentium ſumitur hæc vox,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

1 Cor. 6. 5. ubi de ea loquitur Apoſtolus Sapientia, quæ cernitur in controverſiis de rebus hujus vitæ, quæ inter fratres exoriuntur, dijudicandis. Poſſis duabus his ſignificationibus propemodum addere Tertiam, quæ reperitur 1 Cor. 12. 8. ubi enumerantur dona ſpiritualia, & primo loco collocatur Sapientiæ ſermo, qui à ſermone Cognitionis diſtinguitur; ſed nil prohibet, quominus hæc ſignificatio ad primam revocetur, & excellentem quandam ſapientiam, qualis Apoſtolorum fuit, quæ nullo illis labore conſtitit, deſignet.

Tertiam vocem diximus eſſe σύνεσιν ſeu intelligentiam, quæ in hac ſignificatione uſurpatur ad Coloſſ. 1. 9. & cap. 2. 2. adde etiam Epheſ. 3. 4. & cap. 5. 17. ubi verbum eſt, unde intelligentia deducitur, quod etiam alibi, cum de rebus ſacris agitur, uſurpari ſolet. Significat autem imprimis intelligentiam rerum, quæ ab alio proponuntur, & eorum quandam dijudicationem.

Quarta vox φρόνησις ſeu Prudentia, quæ pro ſcientia rerum divinarum ſemel uſurpata legitur, ad Epheſ. 1. 8. ubi Sapientia & Prudentia tanquam Synonyma conjunguntur. Neque enim ibi de prudentia propriè ſic dicta, quæ in conſultando cernatur, & actiones pro circumſtantia rerum dirigere norit, quæ aliàs eſt propria hujus vocabuli vis, ſermo inſtituitur.

Quinta vox eſt αἴσθησις ſeu ſenſus, quæ pro ejuſmodi rerum ad religionem ſpectantium intelligentia, ut verum à falſis rectè poſſis diſcernere, itemque præſtantiora à minus præſtantibus, uſurpatur Philip. 1. 9, ubi cum ἐπιγνώσει ſeu cognitione conjungitur. Confer hunc locum cum ℣. 10. Hæc de vocibus.

Quod ad rem ipſam attinet, Scientia hæc ſeu ſapientia, de qua agimus, eſt illa mentis Virtus, qua res ad ſalutem noſtram ſpectantes cognoſcimus, quemadmodum ex iis, quæ hactenus de voce diximus, patet. Quæ definitio ut rectius intelligatur, de objecto hujus virtutis, quod differentiæ ſpecificæ loco poſuimus, aliquid dicendum eſt. Id autem conſtituimus, res ad ſalutem noſtram ſpectantes. Eæ verò ſunt, primò res omnes, quæ in ipſo Fœdere Novo, quod Deus per Chriſtum nobiſcum pepigit, continentur, nempe præcepta ac promiſſa divina, tum ea quæ ad utrorumque intelligentiam pleniorem, & ad fidem quidem promiſſorum divinorum nobis faciendam, ad nos autem ut præcepta exſequamur, adducendos quippiam faciunt. Quarum rerum aliæ vel ſimpliciter ſunt ad ſalutem ſcitu neceſſariæ, aliæ non quidem neceſſariæ ſimpliciter, ſed tamen utiles; quanquam interdum poteſt fieri, ut id quod ſimpliciter neceſſarium non eſt, interdum per accidens fiat neceſſarium, nempe quia id, quod prorſus neceſſarium eſt, ſine eo vel intelligere, vel præſtare, aut conſequi non poſſumus.

Simpliciter autem neceſſaria ſunt illa, ſine quorum cognitione nullo modo fieri poteſt, ut divina mandata per Chriſtum nobis propoſita exſequamur. Quia verò fieri non poteſt, ut divina mandata exſequamur, quin ſimul etiam promiſſa ejus diviniſſima, quæ Novo Fœdere nobiſcum pactus eſt, habeamus cognita, & ea quæ ad fidem illorum nobis inſerendam omnino requiruntur: ideo eorum quoque cognitio prorſus eſt neceſſaria. Rurſus quia nec divina mandata exſequi, nec promiſſis fidem adhibere poſſumus, eaque intelligere, quæ ad eam rem prorſus ſunt neceſſaria, niſi quædam de Deo ejuſque proprietatibus atque operibus, itemque de Chriſto, ejuſque munere ac muneris functione intelligamus ac norimus; ideo hæc quoque cognitu ſunt neceſſaria: Eatenus, inquam, ſimpliciter & abſolute ſunt neceſſaria, quatenus ſine illorum cognitione nullo pacto omnia divina præcepta in Novo Fœdere exſequi poſſumus. Quod propterea dicimus, quia cæteroqui multa ſunt ac propè infinita, quæ de rebus à nobis commemoratis ſciri poſſunt, quæ tamen non ſunt ſimpliciter ſcitu ad ſalutem neceſſaria. Unde fit, ut Chriſtiani homines, in cognitione Dei rerumque divinarum, & ad ſalutem ſuam pertinentium progredi ſemper & poſſint & debeant: quemadmodum & vota & monita præceptaque Apoſtolica docent, ad eos etiam directa, qui jam ſalutarem cognitionem Dei habebant. Vide inter alia Epheſ. 1. 17 & ſeqq. cap. 3. 18 & ſeqq. ad Hebr. 5. 12 & ſeqq. Phil. 1. 9. & 10. Coloſſ. 1. 10. cap. 2. 2. 1 Tim. 4. 13 & ſeqq. 2 Petr. ult. ℣. 18. Eatenus autem fieri poteſt, ut id quod abſolute ſcitu neceſſarium non eſt, neceſſarium tamen fiat, quatenus nonnunquam contingit, ut niſi tale aliquid intelligat, non intellecturus ſit illud, quod ei cognitu prorſus eſt neceſſarium. v. g. non eſt ſimpliciter atque abſolute neceſſarium, ut quis exactè intelligat verba inſtitutionis Euchariſtiæ Dominicæ, *Hoc eſt corpus meum*; & eum verborum iſtorum ſenſum teneat, quem nos amplectimur: ſed ſi contingat, ut quis adoraturus ſit panem Euchariſticum, nec intellecturus, ab ejuſmodi cultu ſibi prorſus abſtinendum eſſe, niſi etiam verum iſtorum verborum ſenſum teneat, animuſque ipſius in alia aliqua explicatione quæ diverſa ſit ab illa, quæ apud Pontificios urgetur, acquieſcat, ei neceſſarium ſit illud, quod ſcitu neceſſarium non eſt; hoc eſt, neceſſe eſt, ut intelligat verum iſtorum verborum ſenſum. Idem in aliis multis contingere poteſt.

Verum enim verò Objectum quod vocant, ſeu Materia circa quam Scientia hæc verſatur, non eodem modo in S. L. efferri ſolet, nec iis verbis, quibus in eo exprimendo uſi ſumus. Solet autem divinus Spiritus in eo exprimendo fere Synecdocha quadam uti. Ad proprietatem proximè videtur accedere ille modus loquendi, cum de cognitione voluntatis divinæ fit mentio, quemadmodum contingit Coloſſ. 1. 9. Longius ab ea recedit illa loquendi formula, cum cognitio Dei commemoratur, quod fit inter alia Epheſ. 1. ℣. 17. quanquam idem eſt utrobique ſenſus, cum, ut Epiſtolæ hæ duæ, ita etiam nominatim duo hæc loca, ſint inter ſe parallela, ut cuivis ea inſpicienti & conferenti inter ſe patebit. Eadem phraſis extat apud Johan. non uno loco; quanquam interdum loco Dei, Patrem reponit, ut 1 Joh. 2. 13. Similia occurrunt in Vet. Teſtamento, ubi Deus vel Dominus pro objecto cognitionis vel Scientiæ rerum divinarum ponitur. Nonnunquam Chriſtus tantum commemoratur, ut Epheſ. 4. 20, ubi eſt diſcere Chriſtum. & 2 Pet. 1. 8. cap. 2. ℣. 20. cap. 3. ℣. 18. quibus locis adde apud Johan. iſta, 1 Epiſtola cap. 2. ℣. 3, 4, 13, ubi loco Chriſti eſt *ille qui fuit ab initio*, id eſt, qui ab ipſo Euangelii initio ad illud uſque tempus, & ſic quoque porro ſalutem humani generis curavit atque adminiſtravit: cap. 3. ℣. 6. Interdum Chriſto aliquid additur, quod tamen ad ipſum pertineat, & ſine quo Chriſtus ita, ut ſcientia illa ſit ſalutaris, cognoſci nequaquam poſſit, ut Philip. 3. 10. ubi cognitioni Chriſti melius explicandæ additur *cognitio potentiæ reſurrectionis ipſius, & communionis paſſionum ipſius*; quanquam ea cognitio non tam mentis eſt, quam opere ipſo perficitur, & re ipſa ſentitur. Nonnunquam Deus & Chriſtus ſimul conjunguntur, ut Johan. 17. 3. cum quo loco conjungi aliquo modo poſſunt verba Pauli, poſter. ad Cor. 4. 6: ubi mentio fit *cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti*. Hæ omnes phraſes, & ſi quæ ſunt ſimiles, idem revera ſignificant. Nam ut de illis adhuc nonnihil dicamus, per voluntatem Dei in Novo Fœdere ea intelligitur, quam per Jeſum Chriſtum patefecit, quæ omnium eſt perfectiſſima, & comprehendit in ſe tum promiſſa divina tum præcepta; quorum illa Deus nobis vult præſtare, hæc à nobis præſtari. Quanquam nonnunquam voluntas Dei peculiariter pro præceptis ſolis ponitur; quo pacto dicimur voluntatem Dei facere, vel non facere. Quia verò voluntas illa Dei cognoſci non poteſt, quin ſimul ipſe quoque Deus ac Chriſtus cognoſcatur eo, quo ſupra dictum eſt, pacto; ideo cognitio divinæ voluntatis, veluti conſequenter cognitionem Dei & Chriſti, quatenus ea à cognitione divinæ voluntatis ſtrictius ſumtæ diſtingui poteſt, comprehendit. Dico autem, quatenus iſta aliquomodo diſtingui poſſunt; quia cæteroqui cognitio Dei ac Chriſti, maximè in cognitione voluntatis divinę per Chriſtum patefactę, hoc eſt, & promiſſorum & præceptorum conſiſtit: quæ cauſa eſt, cur cognitio Dei, ut ſupra vidimus, alibi expli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

explicetur per cognitionem voluntatis Dei; quod idem etiam de cognitione Chriſti cenſendum eſt, quæ in locis ſuperius commemoratis idem valet, quod cognitio Dei, eamque in ſe penitus comprehendit, quemadmodum etiam viciſſim cognitio Dei ſub Novo Fœdere, (nam Veteris alia eſt ratio) cognitionem Chriſti in ſe comprehendit. Neque enim quiſquam hodie Deum noſſe poteſt, niſi per Jeſum Chriſtum, ejuſque ſanctiſſimam diſciplinam, ita ut in tenebris ignorantiæ omnes ii verſari cenſendi ſint, quotquot Chriſti doctrinam non cognoverunt, eique fidem non adhibuerunt; quemadmodum inter alia Novi Fœderis ſcripta vel imprimis docet Euangelica hiſtoria à Joanne deſcripta. Contra autem qui Chriſtum novit, is Deum etiam novit, unde ipſe Dominus Jeſus in eadem hiſtoria ait cap. 14. 7: *Si noviſſetis me, & Patrem meum cognoviſſetis;* & paulò poſt, cum Philippus inquireret, ut Chriſtus ſibi aliiſque condiſcipulis oſtenderet Patrem, ait: *Tantum temporis vobiſcum ſum, & non cognoſti me Philippe? Qui novit me, novit etiam meum patrem.* Nempe *in Chriſto* ejuſque ſanctiſſima diſciplina *habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, id eſt, quicquid de Deo ejuſque voluntate nobis ſciendum eſt, id totum in eo expreſſe & reipſa eſt, nec per umbras tantum continetur; ita ut non ſit opus ad Legem vel Philoſophiam confugere, ut Deum rectius inde pleniuſque cognoſcas. Quare cum nonnunquam non ſolius Dei aut Chriſti, ſed utriuſque ſimul juncti cognitio commemoratur, tanquam via ad æternam vitam ducens, ut Joh. 17 fieri videmus; id eam ob cauſam contingit, ut tantò melius res explicetur, atque intelligatur non quamvis Dei cognitionem ad ſalutem æternam ſufficere, ſed eam demum, quæ nobis contingit per Jeſum Chriſtum, quem ille in mundum miſit, ut nobis ipſum ejuſque voluntatem enarraret, quæque adeò cognitio, ipſius Chriſti cognitionem in ſe comprehendat. Atque hoc ipſum Paulus vult, cum mentionem facit *cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti*, 2 Cor. 4. 6. ideſt notitiæ rerum ſplendidiſſimarum atque illuſtriſſimarum, quæ in Deo quidem primum reſident ac refulgent, ſed ab eo Chriſto communicatæ in ejus veluti facie relucent, quæ nobis oſtenſa noſtros quoque animos illuminat. Deum enim ibi conſiderat inſtar ſplendidiſſimi Solis, quem cum recta intueri nequeamus, ut nihilominus tamen eum cognoſcamus, Chriſtus nobis ſpectandus, qui Dei illius, ut ſupra ℣. 4 dixerat, imaginem gerens, quique Deum intuendo, & de facie ad faciem, ut ſcriptura loqui ſolet, videndo, ipſe quoque illuminatus eſt: & ut Moſes olim cum Deum vel Angelum Dei perſonam ſuſtinentem, intueretur, velut ab ejus ſplendore fulgorem ipſe mutuatus eſt, hoc eſt, facies ejus reddita eſt ſplendida ſeu glorioſa; ita Chriſti quoque facies, ut Paulum hîc ſequamur, ſplendida facta eſt, qui ſplendor nobis quoque recta ipſius faciem, & retecta facie intuentibus communicatur: 2 Cor. 3, ℣. ult. id eſt notitiam rerum ſalutarium & in Deo veluti relucentium, quam Deus Chriſto communicavit nobis patefaciendam, participamus, cum ad ipſius doctrinam percipiendam nos convertimus. Hæc ergo cognitio, tum Dei tum Chriſti notitiam in ſe complectitur. Poteſt autem cognitio Dei & Chriſti, ſi utraque ſtrictius ſumatur, diſtingui. Sive enim utriuſque naturam, ac proprietates, ſive voluntatem, ſive denique functiones aut opera conſideres, quæ à nobis ſint cognoſcenda; ſemper aliquam inter Deum & Chriſtum differentiam, & aliqua etiam ex parte valde magnam reperies. Quanquam quædam etiam ſunt utrique communia, & inter opera nonnulla prorſus eadem, in quibus nempe Deo Chriſtus penitus fuit aut eſt ſubordinatus; ita ut Deus per ipſum Chriſtum, Chriſtus autem nomine Dei ea edidiſſe ac peregiſſe, vel adhuc peragere aut aliquando peracturus eſſe cenſeatur. Quæ vero nominatim ea ſint, quæ vel de Deo, vel de Chriſto nobis ſunt cognoſcenda, ea explicare hujus loci non eſt, ubi non de rebus ipſis, circa quas Scientia verſatur nobis explicare conſtitutum eſt, (id enim eſſet univerſam Theologiam explicare velle) ſed ſcientiam, quæ circa res illas verſetur; quam tamen explicare non potuimus, niſi ſimul generalem quandam objecti illius deſcriptionem traderemus, cum ex objecto natura iſtiuſmodi habituum ſit æſtimanda. Speciatim ergo iſta explicare illius ipſius eſt ſcientiæ, non verò tractationis de Scientia.

Illud adhuc, quod ad phraſes à nobis ſupra commemoratas attinet, addendum videtur. Solent nonnunquam Sacri ſcriptores, cum de cognitione ſeu ſcientia hac rerum divinarum loquuntur, atque imprimis cum majorem profectum in ea hominibus Chriſto ſacris optant, certas quaſdam doctrinæ Chriſti partes, ſeu res, in quibus ea occupetur exprimere, quas penitius atque exactius ab illis cognoſci velint. Sic Paulus ad Epheſios ſcribens & majorem illis rerum divinarum notitiam optans, cap. 1. ℣. 16 & ſeqq. nominatim commemorat præſtantiam illius boni, ad quod ſint vocati, & eminentiſſimæ divinæ potentiæ magnitudinem, quam in ſalute illis danda ſit exerturus, & cujus ſpecimen in Chriſto reſuſcitando atque exaltando jam edidit, cum ea re certitudo promiſſæ ſalutis maximè nitatur. Cap. 3 ſimile votum explicans, commemorat amplitudinem religionis Chriſtianæ vel gratiæ divinæ in ea comprehenſæ, & charitatem Chriſti, quam ab illis cupiat comprehendi atque intelligi ℣. 18, 19. Nempe quia his in rebus plurimum eſt ſitum ad fidei & Chriſtianæ pietatis ſtudium atque conſtantiam, eaque re vel imprimis videbantur Epheſii indigere. Sed, ut diximus, hæc & alia ſimilia perſequi noſtri non eſt inſtituti.

Antequam autem à generali Scientiæ tractatione ad ſpecialem accedamus, paucula quædam dicenda ſunt de proprietatibus, vel, ſi mavis, differentiis hujus Scientiæ, de qua agimus, qua diſtinguitur à ſcientia prophana ac carnali, vel ab ea, quæ Scientiæ nomen falſo ementitur, cum huic interim Scientiæ, quæ nomen hoc verè meretur, adverſetur. Appellatur autem primò *Spiritualis* apud Paulum Col. 1. 9. Opponiturque carnali atque animali. Appellatur autem Spiritualis, duplicem potiſſimum ob cauſam; primò quòd à Spiritu divino ortum ſuum ducat, quemadmodum patet inter alia ex cap. 2 Prioris epiſtolæ ad Corinthios, ubi prolixe ea de re agit. Deinde quòd circa Spiritualia verſetur vel occupetur, non verò circa carnalia, & ad terrenam animalemque vitam ſpectantia. Unde id porrò conſequitur, ut non carnalem, ſed Spiritualem hominem efficiat, ſeu ad ſpiritualia bona conſequenda, ſpiritualemque vitæ rationem ineundam ducat. Deinde etiam eadem appellatur *ſapientia deſuper*, ſeu de Cœlis *deſcendens*, opponiturque ea in parte ſapientiæ terrenæ, animali ac dæmoniacæ, de qua infra dicemus; ut facile appareat, ideo eam dici de cœlo deſcendere, quia à Deo, qui in cœlis habitat, proficiſcitur, & circa cœleſtia ac ſpiritualia occupatur, & ad cœleſtem quandam vitæ rationem inſtruit: quanquam hæ duæ poſteriores cauſſæ veluti conſequenter iſto attributo continentur: primum autem primo & apertè. Poſſet hîc nonnihil adhuc diſſeri de effectis hujus Scientiæ, quæ in hominibus, quos occupavit, parit: ſed de iis commodior erit diſſerendi locus, cum de illa Scientiæ ſpecie dicemus, quam efficacem appellabimus.

Hæc de Scientia generatim dicta ſunto. Sequitur ut eam veluti in certas ſpecies diſtinguamus. Etſi autem ſupra diximus, ſignificationes hujus vocabuli explicantes, Scientiam diſtingui in Generalem ſeu mavis Totalem, & Particularem ſive Specialem, quarum illa generatim omnia ad religionem Chriſtianam pertinentia, atque imprimis ea, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, comprehendat; hæc verò partem tantum iſtarum rerum, ſeu caput aliquod doctrinæ Chriſtianæ, ſive unum ſive plura, non tamen omnia: tamen, quia nos de generali illa hoc loco potiſſimum ſermonem inſtituimus, in hac diſtinctione nobis non eſt acquieſcendum, ſed ad alias progrediendum, quæ ut ſpeciali iſti ſeu particulari Scientiæ aliquomodo poſſint eſſe communes, ad generalem magis ſint accommodandæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Diſtinctio autem duplex potiſſimum hîc eſt nobis attendenda, quarum prior hæc eſt, quòd Scientia hæc alia ſit exactior ſeu perfectior, alia minus exacta, minuſque perfecta. Exactior ſeu perfectior illa eſt, qua vel plura animo comprehenſa tenemus, vel ea, quæ tenemus, accuratius ac penitius intelligimus ac percipimus. Etſi enim is quoque, qui penitius rem aliquam intelligit plura quoque videatur intelligere, quam is, qui minus accuratè minuſque exacte, nempe quia plura rei attributa vel plures ejus partes animo comprehendit, quam alter: tamen vulgo iſta diſtinguere ſolemus, & alium quidem multa ſcire, alium verò multum, ſeu alium plura, alium melius ac plenius cognoſcere atque intelligere ſtatuimus; adeò ut fieri poſſit, ut is, qui melius rem intelligit, pauciora cæteroqui ſciat, nempe quia alter confuſe quidem plura habet cognita, alter verò ea quæ tenet diſtinctius percepit atque animo comprehendit. Ex his facile eſt intelligere, quænam ſit Scientia minus exacta minuſque perfecta, ea nempe, qua vel pauciora, vel minus accurate ea, quæ tenemus, habemus cognita. Cujuſmodi Scientiam illi habent, qui rudimenta tantum Chriſtianæ religionis, ad ſalutem tamen conſequendam ſufficientia, tenent, quæ Autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 6 initio, appellat *ſermonem initii Chriſti*, id eſt, ſermonem Chriſti, ut ita dicam, initialem, ſeu mavis tyrocinia ac prima rudimenta doctrinæ Chriſtianæ, cui opponit eodem loco perfectionem, & capite præcedente ℣. 13. ſermonem juſtitiæ, id eſt, ſermonem perfectionis ſeu perfectum: quod utrumque metaphorice ita effert, ut illum quidem lactis nomine, hunc verò ſolidi cibi voce deſcribat. Cui loco plane eſt ſimilis ille Pauli 1 Cor. 3. ubi ait, ſe Corinthios lacte potaſſe, non verò cibo, nempe ſolido, nutriviſſe, tanquam nimirum infantes, ac recens adhuc in Chriſto natos: illis enim lac convenit non ſolidus cibus, quemadmodum Autor quoque idem divinus loco dicto ait. Et rudimentorum quidem iſtorum exempla præcipua proponit divinus Autor eodem in loco cap. 6. ℣. 1, 2. De quibus alius eſt dicendi locus. Ad ſolidum autem cibum pertinet inter alia doctrina iſta de Sacerdotali Chriſti munere comparato cum Sacerdotio Melchiſedeci, quem Autor iſte in hac epiſtola ſatis fuſe perſequitur. Ipſe enim hanc tractationem ingreſſurus ait, ſibi de eo eſſe ſermonem multum, & ad interpretandum explicandumque difficilem, habita ratione ſegnitiei iſtorum, ad quos ſcribit; eaque occaſione diſcrimen iſtud ſermonis Chriſti perfecti, & ſermonis initii explicat; ex quo diſcrimen ſcientiæ quoque exactioris & minus exactæ eatenus petitur, quatenus illa plura, hæc pauciora ambitu ſuo complectitur. Sed ad exactiorem Scientiam rerum divinarum, ſeu pleniorem earundem intelligentiam ac cognitionem referenda ſunt potiſſimum ea, quæ ſupra adduximus ex loco Epiſtolæ ad Epheſios, ubi Apoſtolus majorem illis rerum quarundam divinarum maximi in religione momenti cognitionem optat. Nam præſtantiam boni nobis promiſſi, ac eminentiſſimam illam Dei potentiam, qua & Chriſtum reſuſcitavit, & nos reſuſcitaturus eſt, & cætera, quæ ſupra recenſuimus, penitus ignorare nullo modo poterant, cum ſine his ne Chriſtiani quidem eſſe poſſent, ſed minus accuratè ea perceperant, aut non ita, quemadmodum fieri poterat ac debebat, expenderant. Huc referri poſſunt etiam ea loca, in quibus Chriſtus iis promittit, qui in ſermone ipſius permanſerint, aut iis, qui præcepta ipſius ſervaverint, fore ut cognoſcant veritatem, id eſt plenius ac perfectius cognoſcant: Joh. 8. 32. Et ſe revelaturum iis ſemetipſum, apud eundem Joh. cap. 14. ℣. 21. Quanquam ſi proprietates illius veritatis, id eſt doctrinæ Chriſti ſalutaris reſpicias, non tantum melius ac plenius, ſed & plura iidem erant cogerituri; ita ut poſſis in his locis utrumque perfectionis modum intelligere. Idem ſtatuendum eſt de loco ad Coloſſ. 1. 9 & 10, atque aliis, quæ ſupra recenſuimus, cum oſtenderemus progreſſum in cognitione rerum divinarum ſuaderi aut optari fidelibus à Chriſti Apoſtolis. Videtur autem perfectior illa cognitio nonnunquam verbo videndi apud Joh. efferri, ut in priori Epiſtola cap. 3. 6, ubi ait: *Omnis qui peccat non vidit eum*, nempe Chriſtum, *neque cognovit eum*. Nam etſi ſtatui poteſt, Joannem per verbum cognoſcendi poſteriori loco poſitum explicare prius, nempe verbum videndi, quaſi dicat, non vidit Deum, id eſt eum non cognovit; (Nam quod in particula copulativa *Et* accidere ſolet, id videtur etiam in particula *neque* quæ aliquo modo quoque poſteriora cum prioribus copulat, contingere, ut nimirum explicet rem, retenta interim negatione; idem enim eſt *Neque* quod *& non*) tamen non videtur alienum eſſe à Joannis mente ſtatuere, voluiſſe ipſum pleniorem quandam Chriſti notitiam exprimere verbo videndi, quam cognoſcendi, licet utrobique, ut infra dicetur, efficaciorem ſcientiam intelligat: quaſi dixiſſet, qui peccat, ſeu in peccato hæret, non modo Chriſtum plenè ac perfectè non cognovit, ſed ne ſimpliciter quidem Chriſtum cognoviſſe cenſendus eſt; ſeu notitia iſta rerum ad Chriſtianam religionem ſpectantium, quæ in ipſo quodam modo eſt, Scientiæ nomen ſimpliciter non meretur. Cujus rei cauſa poſtmodum intelligetur.

Nunc enim tempus eſt, ut ad poſteriorem Scientiæ diviſionem accedamus, quæ quidem eſt ejuſmodi, quòd alia Scientia ſit efficax; alia inefficax. Efficax illa eſt, quæ adeò firmiter, adeò altè in animos hominum deſcendit, ut eos ad omnis generis pietatem adigat. Inefficax illa eſt, quæ hunc effectum ex ſeſe non parit. Efficax autem ea Scientia tum eſt, cum & res à ſe cognitas expendit diligenter, ita ut ea non in memoriæ receſſu tantum lateant, ſed aſſidua meditatione exerceantur, & animo agitentur: & plenam rebus à ſe cognitis fidem adhibet, nec de iis dubitat aut hæſitat: De iis inquam potiſſimum, quæ ad ſalutem creditu ſunt prorſus neceſſaria. Ex quibus conſtat, quęnam Scientia ex adverſo ſit inefficax; ea nempe, cum quis aut res à ſe perceptas non expendit, animoque ſubinde recolit, atque imprimis cum bonorum ſibi promiſſorum præſtantiam non æſtimat, aut cum quis iiſdem fidem plenam firmamque non adhibet. Etſi autem hoc poſterius non tam ad ſcientiam ſtricte ſumtam pertinet, quam ad fidem, quam nos in hac tractatione à ſcientia diſtinguimus; tamen & ſacræ literæ cognitionis aut ſcientiæ nomine fidem ſeu aſſenſum rebus cognitis adhibitum complectuntur, & vocis natura idem non modo admittit, ſed propemodum etiam poſtulat. Is enim demum vere ſcire quippiam dicendus eſt, cui penitus perſuaſum eſt, ita ſe rem habere, ut animo comprehendit. At fieri etiam non poteſt, quin ſi quis rem reique argumenta exacte norit, & ſimul diligenter expendat, aſſidueque animo volvat, quin ei fidem, ſi ea vera ſit, ut hîc accidit, adhibeat. Quod autem diximus in ſacris literis nomine cognitionis aut ſcientiæ, etiam aſſenſum rebus cognitis præbitum ſeu fidem comprehendi; id partim ex iis patebit, quæ mox de cognitione ſeu ſcientia efficaci dicemus; partim ex eo liquet quod Paulus de rebus ἀδιαφόροις diſſerens, id quod Rom. cap. 14. fidem appellat, in loco 1 Cor. 8, ſcientiæ ſeu cognitionis nomine effert. Quod autem in hoc ſcientiæ nomine contingit, cum ſpecialiter ſumitur, ſeu particularem rei alicujus notitiam ſignificat, id fieri etiam poteſt tum, cum de generali ſcientia ſumitur. Iſtud adhuc antequam exempla proferamus cognitionis tum efficacis, tum inefficacis, animadvertendum eſt, fieri ſæpe poſſe, ut ſcientia ea, quæ inefficax eſt, cæteroqui ſit exactior & perfectior, quam ea quæ ſit efficax. Unde in aliis plus conſcientiæ quam ſcientiæ, in aliis plus ſcientiæ quam conſcientiæ eſſe dicimus. Poteſt enim quiſpiam & plura noſſe, quæ ad religionem ſpectent, & illa exactius intelligere, accuratiuſque de illis diſſerere, quam alius quiſpiam; cum interea tamen pietate huic poſteriori non parum cedat, imo ea pietate, quæ Chriſtiani hominis eſt progria, penitus careat. Id tamen fit ideo, quia revera promiſſis divinis fidem non adhibet; vel quia ſimpliciter illis non credit, ſed de illis dubitat; vel quia non credit adeò eſſe præſtantia, ut propterea ſibi vim

facere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

facere tantam debeat, quanta ad colendam veram pietatem eſt neceſſaria. Id quod rurſus eam ob cauſam ſolet contingere, quòd animus rerum terrenarum amore ſit occupatus, ut non ſatis poſſit vel potius nolit ſeſe attollere in conſiderationem excellentiæ & certitudinis promiſſorum iſtorum, aut ſi id aliqua ex parte faciat, non tamen tangatur ſatis promiſſorum iſtorum amore, deque eorum veritate penitus convincatur. At contra alius, licèt rudior alioqui, de divinis promiſſis nil dubitat, de eorumque præſtantia ac ſuavitate ſumma ita eſt perſuaſus, ut nil non ſibi faciendum putet, quo iis potiatur. Interea tamen quia vel minus valet ingenio, minuſque eſt in literarum ſtudiis verſatus, aut in ſacris etiam rebus exercitatus; ideo alteri illi, qui ingenio, doctrina, atque exercitatione ipſum ſuperat, aut diutius etiam in rebus ſacris verſatus eſt, cognitione rerum divinarum cedit, ſeu minus perfecta earum rerum cognitione præditus eſt. Sed alioqui ſi utrique ſint pares iis quas diximus rebus, facilius longiuſque in ſcientia hac progredietur is, qui pietate eſt ſuperior, tum quod divino auxilio magis perfruitur, tum quod avidius ea diſcet, quæ tantopere adamavit, meliuſque hærent animo, in quibus quiſpiam omnes ſuas curas defixit.

Jam ut ad exempla veniamus Scientiæ utriuſque: primum ad efficacem cognitionem ſeu ſcientiam illa omnia loca pertinent, in quibus eos Deum aut Chriſtum noſſe negatur, qui ſecundum voluntatem ejus non vivant: qualia ſunt iſta: ad Tit. 1. ℣. 16. 1 Joh. 2. ℣. 3, 4: cap. 3. 6: cap. 4. 7, 8. Epheſ. 3. 11. ubi loco cognitionis eſt verbum videndi. Cum quibus locis etiam conjungi poteſt ille apud eundem Johan. 1. epiſt. cap. 2. ℣. 9 & ſeqq. ubi is, qui fratrem ſuum oderit, negatur eſſe in luce, ſed in tenebris verſari dicitur. Occurrunt hujus ſignificationis exempla non pauca apud Johannem in hiſtoria Euangelica, ut cap. 8. 55. cap. 10. 14. & 17. ℣. 3. in nobili iſto loco: *Hæc eſt vita æterna*, id eſt via ad vitam æternam ducens, ſeu eam aſſequendi ratio, *ut cognoſcant te* (Patrem) *ſolum verum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Neque enim in nuda illa aut inefficaci cognitione Dei aut Chriſti, vita æterna ſeu ratio conſequendæ vitæ æternæ ſita eſt; ſed in ea, quæ ſit per pietatem efficax. Quibus exemplis addi poteſt inſignis apud Danielem locus cap. XI. 32, item ℣. 35. ubi de eruditis ſermo eſt, qui iidem ſunt cum illis ſcientibus.

Specialia quædam Scientiæ ſeu ſapientiæ effecta habes apud Jacob. cap. 3. 17. quanquam inter illa generale quippiam videtur, cum ait: *illa autem quæ deſuper eſt ſapientia, primum quidem pura eſt,* (id eſt ab impuris cupiditatibus aut ſceleribus eſt immunis, ſeu hominem, in quo eſt, immunem reddit) *deinde pacifica, æqua,* (ſeu æquitatis ſtudioſa non rigida) *perſuaſibilis,* (id eſt quę ſibi aliquid perſuaderi patitur, non verò pertinax eſt ac præfracta, ac præfractum aut contumacem hominem eſſe ſinit) *plena miſericordiæ, fiduciæ, & fructuum bonorum,* (nempe ex miſericordia illa proficiſcentium) *non dijudicans,* (hoc eſt, perſonarum diſcrimen non ſpectans: ſed eodem modo cum omnibus in eadem cauſa agens) *& abſque hypocriſi*, ſeu ſimulatione. De quibus effectibus agetur in tractatione de virtute Morali.

Quod ad Sientiam inefficacem attinet, ejus exempla adducere vix eſt neceſſe, cum vulgo eam tribuamus omnibus, qui Chriſtianam religionem animo perceptam ſunt amplexi, etiamſi ſecundùm eam non vivant: quomodo Paulus quoque ad Cor. ſcribens cap. 1. prioris epiſtolæ, ait illos eſſe ditatos omni ſcientia, cum tamen in iis adeò multa reprehendat, ut generatim loquendo vix dici queat, eos efficaci illa ſcientia fuiſſe præditos: nec ſane ad eam eo loco Paulus reſpicit, ſed ſimpliciter notitiam atque intelligentiam rerum divinarum intelligit; quanquam nil prohibet, quominus ea fuerit in quibuſdam efficax. Huc pertinet etiam illud in eadem Epiſtola cap. 8, ubi ait ſcientiam inflare. Itemque cap. 13, ubi ait: *Si habuero prophetiam & tenuero omnia myſteria, & omnem cognitionem, &c. charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Hujus generis notitia eſt ea, de qua loquitur Paulus ad Rom. 1. ℣. 18 & ſeqq. in quibus inter alia ait, homines illos, de quibus loquitur, *cum cognoviſſent Deum, non tamen ut Deum glorificaſſe, eive gratias egiſſe:* ſed, ut ſequentia docent, in idololatriam nefandam fuiſſe prolapſos. Vide etiam cap. 2 ejuſdem Epiſt. ubi ℣. 18 & ſeqq. Judæo tribuit cognitionem voluntatis divinæ, & nihilominus tamen gravia adverſus eandem ſcelera peccataque ipſi objicit. Huc, ut alia non pauca omittam, pertinent illa apud Lucam cap. 12. 47, de ſervo, qui cum voluntatem Domini ſui norit, non tamen ſeſe ad eam exequendam comparaverit, eamque ob cauſam pluribus aut gravioribus plagis ſit mulctandus. Cum quo loco conferendus eſt ille Jacob. cap. 4. ſub ipſum finem: *Ei qui ſcit facere bonum, & non facit, ei* inquam *peccatum eſt*; ſeu is verè peccati reus eſt, ſuppliciumque meretur.

Ex his facile intelligi poteſt, quid ſit ignorantia ſcientiæ illi oppoſita. Ea verò duplex eſt, alia ſimplex, quæ ſecundum negationem à Philoſophis dicitur; alia, quæ ſecundum pravam diſpoſitionem. Illa eſt mera tantum ſcientiæ privatio, quæ nullam interim ea de re, cujus veritatem ignorat, falſam opinionem ponit. Hæc verò ea eſt, quæ errorem loco veritatis tenet, adeoque ſcientiæ opponitur non ut privatio habitui, ſed ut contrarium contrario. Ac talis ignorantia eſt, v.g. in hæreticis, aut apoſtatis, de rebus ad religionem pertinentibus. Fieri autem vix poteſt, ut in iis qui rationis uſu jam ſunt præditi, quique aliquid de Numine ac religione audiverunt, ſi veritatem divinam non teneant, non ſit error aliquis veritati contrarius, & ſic ignorantia hæc poſterior, ut in hominibus Ethnicis. Quod ad particularia dogmata attinet, poteſt in multis eſſe ſimplex ignorantia, quia de re quapiam nunquam ne cognoverint quidem, ita ut nec veram, nec falſam de ea opinionem conceperint.

Sed eſt alia adhuc ignorantię diſtinctio, nempe quòd alia ſit affectata, alia non affectata. Affectata eſt, quæ hominis ipſius culpa, id eſt vel negligentia, vel improbitate etiam ac malitia contrahitur. Non affectata ea eſt, quæ à culpa noſtra, præſertim notabili, ſejuncta eſt. Illa locum habet in iis, quibus Deus ſeipſum patefecit, & occaſionem præbuit agnoſcendi ſui ſuæque voluntatis, qui tamen eum cognoſcere noluerunt. Qualem ignorantiam tribuit Paulus iis, de quibus loquitur dicto ſuperius loco ad Rom. 1. cum inter alia inquit, *eos non probaſſe, ut Deum haberent in cognitione*, ſeu Deum haberent cognitum. Talis etiam ignorantia fuit Judæorum, qui Deum ac Chriſtum non cognoverunt, ut apud Johannem non uno in loco legimus. Tanto autem hæc ignorantia eſt deterior, & graviori pœna digna, quanto quis plura majoraque habuit ad ſcientiam rerum divinarum adipiſcendam adjumenta, quantoque longius à veritate ſalutari abfuerit. Quam ob cauſam Paulus ait 2 Theſſ. 1. 8, *Chriſtum igne flammante vindicaturum in eos, qui Deum non noverint*; nempe quia de iis loquitur, qui cum per Euangelii prædicationem agnoſcere poſſent Deum, agnoſcere tamen eum, religionemque Chriſtianam amplecti noluerint, ſed in priſtinis ſuis erroribus hærere maluerint. Vide de affectata hac ignorantia nobilem illum locum apud Joannem cap. 3. 19 & ſeqq. itemque poſteriori ad Timoth. 4. 3, 4. Quia verò ſuperius diximus, Scientiam, cujus contraria nunc exquirimus, etiam ſapientiam ac intelligentiam in Sacris Literis appellari; Sapientiæ autem opponitur ſtultitia ſeu inſipientia, Græce ἀφροσύνη & ἀσύνεσις, (unde ἄφρονες & ἀσύνετοι dicuntur, qui iidem nonnunquam ἄσοφοι & ἀνόητοι appellantur) ideo hæc quoque Scientiæ huic opponuntur. Verumtamen quia hæc vocabula in S. l. ſæpius prudentiæ opponuntur, vel ſaltem habitui cuidam animi, qui utrique huic virtuti, id eſt tum Scientiæ tum prudentiæ Chriſtianæ ſubſervit, de quo ſeqq. cap. nonnihil dicturi ſumus; ideo horum verborum explicationem ad illum uſque locum differemus. Et hæc quidem de iis quæ Scientiæ opponuntur.

Sed ſupereſt alius adhuc habitus Scientiæ illi aliquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

modo ſimilis, qui tamen illi, ſaltem indirectè, opponitur; nempe Sapientia hujus mundi, ſive ſapientia ſecundum carnem, quæ interdum etiam ſimplici ſapientiæ aut intelligentiæ nomine effertur, propterea quòd vulgo ita appellari ſoleat. Verum ea non eodem prorſus modo videtur accipi. Nam vel ſumitur pro eruditione ac multijuga doctrina, quæ ſapientiæ nomine vulgo venit: vel pro prudentia quadam, quæ circa res hujus vitæ occupetur, vel etiam pro utraque ſimul. Et utraque quidem per ſe, & ſua natura cum ſcientia iſta rerum divinarum, de qua hactenus egimus, non pugnat: ſed cum ea in eodem homine conſiſtere poteſt; imò etiam ei egrigiè ſubſervit, ſiquis ea cum modo uti norit ac velit. Verùm quia fere ſolet fieri, ut homines, qui ſapientia illa ſecundum carnem ſunt præditi, iſta ſcientia inflati à Chriſto diſcere nolint, dedignati divinum hunc Magiſtrum, cum ipſi ſeſe duces ac Magiſtros aliorum profiteantur; ii etiam, qui prudentia civili valent, rebus hujus mundi dediti nimium atque immerſi ad cœleſtia illa bona animum non attollant: hinc fit, ut ſapientia illa, quatenus cum ignorantia rerum divinarum conjuncta eſt, ſapientiæ ſeu ſcientiæ veræ opponatur: quatenus verò ſibi peſſimè conſulit, dum omnia ſua conſilia ad felicitatem quandam terrenam refert, & ſic nil niſi terrena ſpirat, poſthabitis cœleſtibus, eatenus prudentiæ Chriſtianæ adverſetur, eique plurimum etiam obeſſe atque obſtare ſoleat, quemadmodum & divitiæ, quæ pleroſque à ſalute avertunt, & difficilem illis ad ſempiternum Dei regnum aditum præſtant, cum tamen ſi quis divitiis rectè utatur, gradum ſibi egregium ad vitam ſempiternam poſſit ſtruere, ut inter alia indicat Paulus 1 Tim. 6, ſub finem. Hoc ergo vitium, quod ſapientia hujus mundi tam libenter ſecum trahere ſolet, nonnunquam hoc ipſo nomine comprehenditur, & ſic ſapientiæ cœleſti opponitur: Contra autem ſtultitia atque inſipientia in laude ponitur, & cum cœleſti ſapientia egregiè conſpirare ſtatuitur. Hinc Chriſtus Matth. 11. ℣. 25, gratias agit Patri ſuo, *quod occultaverit iſta*, nempe, quæ ipſe mundo tum temporis promulgabat, *à ſapientibus & intelligentibus, & revelarit ea infantibus* ſeu inſipientibus, id eſt, ita ea compararit, ut haud facile agnoſcantur ac recipiantur ab iis, qui ſapientes ac prudentes vulgo habentur; ſed potius ab iis, qui præ iſtis inſipientes ac ſtulti videri queant, quanquam alias judicio haudquaquam ſunt deſtituti, quique quia nec ſapientiæ opinione tument, nec curis terrenis ſunt immerſi, nec de acquirendis honoribus, opibus, aut voluptatibus admodum ſunt ſoliciti, ideo pro imprudentibus haberi ſolent. Hinc Paulus 1 Cor. 1. 19. oſtendit, Deum per Euangelii prædicationem ſuſtuliſſe atque aboleviſſe ſapientiam & intelligentiam intelligentium, imo ſtultam reddidiſſe ſapientiam hujus mundi; cujus rei cauſam ibidem exponit. Nempe quia iſtiuſmodi rationem ſupremæ felicitatis conſequendæ præſcripſit, & in Chriſto nobis oſtendit, quæ ſapientiæ iſti adverſatur, quam illa ſtultam judicat. Unde fit, ut qui ſapientiam iſtam mundanam ſequuntur, eo ipſo ſtulti fiant, quia id quod ad felicitatem ſupremam ſpectat, qua in re ſumma eſt ſapientia, non agnoſcunt, nec recipiunt ac ſequuntur; ita ut non tantum illorum ſapientia nil illis proſit, ſed etiam in ſtultitiam ſummam fuerit commutata. Quod enim doctrinæ cœleſtique ſapientiæ adverſatur, &, ne eam agnoſcas, efficit, ſtultitia certè ſumma eſt. Quam ob cauſam infra ait Apoſtolus, non multos ſapientes ſecundum carnem eſſe à Deo electos, ſed ſtulta hujus mundi eum elegiſſe, ut ſapientes confundat. Et cap. 3. ait ℣. 18 & ſeqq. *Si quis videtur ſapiens eſſe inter vos in hoc ſeculo, ſtultus fiat, ut fiat ſapiens. Nam ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum enim eſt: Qui capit ſapientes in aſtutia ſua.* Et rurſus, *Cognoſcit Dominus cogitationes ſapientium, quòd ſint vanæ.* Intelligit autem Apoſtolus his omnibus in locis, tum eruditionem ſeu philoſophiam, (nam cap. 1. potiſſimum philoſophos notat, qui apud Græcos magna erant in exiſtimatione, unde ait Græcos ſapientiam quærere) tum prudentiam illam civilem, quam ſpuriam potius, quam veram. Vera enim prudentia Civilis ita ſua conſilia gubernat, & res omnes moderatur, ut ſaluti ſempiternæ non modo non obſtent, ſed etiam eidem ſubſerviant, & ſicubi cum ea conciliari nequeant, illi cedant. Sed Apoſtolus, ut diximus, cum ſapientiam illam opponit Chriſtianæ ac cæleſti, defectum ſimul aut vitium illi ſapientiæ adhærens comprehendit. Quanquam cum ibidem dicit, paucos ſecundum carnem ſapientes eſſe electos, ſapientiam nudam atque à vitio iſto ſegregatam conſiderat. Quemadmodum enim in multis aliis vocabulis accedit, præſertim in Sacris Literis, ut quemadmodum Philoſophi loquuntur, dicantur ſecundùm additionem ſeu detractionem, id eſt, ut nunc tantum propriam ſuam, vel ſaltem primariam ſignificationem retineant, ab effectis aut adjunctis ſuis abſtractam, nunc verò cum eadem, effecta quoque vel adjuncta ejus rei, quæ primario ea voce ſignificatur, comprehendant: ita etiam in hac voce ſapientiæ, ſeu ſapientiæ hujus mundi aut ſecundum carnem, uſu venit. Primaria enim ſignificatio ac magis propria, eadem eſt ſemper; verum nunc ei additur effectus, qui illi libenter adhæret, nunc detrahitur. Quod idem de Scientiæ vocabulo, itemque fidei, quod utrumque nunc pietatem in ſe comprehendit, nunc ab ea plane diſtinguitur, dici debet, quemadmodum etiam infra, ubi de Fide agemus, monebitur. Ad hoc autem ſapientiæ mundanæ genus pertinet etiam illa, quam Jacobus cap. 3. 15 terrenam vocat, animalem, & dæmoniacam; quam illis tribuit, qui cum ſapientes ſibi videantur, & rerum divinarum non ſint plane imperiti, ſpiritu tamen lenitatis ac manſuetudinis, ſpiritu pacis ac charitatis nón ſunt præditi: ſed contrà amarulento quodam zelo atque invidia flagrant adverſus alios, ſuntque contentioſi, ac pacem inter fideles turbant. Vocat autem eam ſapientiam terrenam, quòd nil niſi terrenum ſpiret; unde invidia ac contentionis ſtudium naſcitur, quemadmodum ipſe indicat infrà, initio cap. 4, cum ait: *Unde bella & pugnæ inter vos? nonne inde, ex voluptatibus veſtris, quæ militant in membris veſtris? Cupitis & non habetis; invidetis & æmulamini, & non poteſtis conſequi: pugnatis & belligeratis,* & quæ ſequuntur. Quia verò ea ſapientia nihil, niſi terrenum, ſpirat, ideo etiam veluti in terra naſcitur, atque inde propemodum ortum ducit, & eam quoque ob cauſam terrena dicitur, eique opponitur, quæ deſuper, hoc eſt è cœlis deſcendit. Animalis verò ideo appellatur, tum quia ab hominibus ſpiritu divino deſtitutis, & in vita hac, quam cum brutis communem ducimus, penitus occupatis proficiſcitur: tum quia ad animalem hanc vitam tota ſpectat, eique eſt accommodata. Denique & dæmoniaca vocatur, quòd & dæmonem habeat auctorem, & ejus voluntati egregiè congruat ac ſubſerviat.

Cap. III.

De Prudentia.

De Prudentia acturi primum vocabula, quibus ea in Sacris Literis effertur, enumerabimus, &, quantum neceſſe erit, explicabimus: poſtea rem ipſam enucleare conabimur, quemadmodum ſuperiori quoque capite, cum in Scientiæ explicatione verſaremur, egimus. Occurrunt autem tria potiſſimum nomina, quibus hęc virtus effertur. Primum eſt hoc ipſum Prudentiæ nomen; alterum Sapientiæ; tertium Scientiæ ſeu cognitionis.

Quod ad primum attinet, nempe Prudentiæ, hoc ipſum quidem in ſignificatione, quæ hujus loci eſt propria, non reperitur, niſi forte Luc. 1. 17. quanquam eo loco poteſt ſumi pro animo, mente ac voluntate, quemadmodum & verbum φρονεῖν in Sacris Literis non ſignificat revera ſapere aut providere aliquid; ſed aliquid, ut ita dicam, ſpirare, cupere, atque in id vehementer inclinare propenſumque eſſe; quomodo ſumitur, cum dicitur quiſpiam φρονεῖν τὰ ἐπίγεια, φρονεῖν τὰ τῆς σαρκὸς, hoc eſt ſpirare terrena, aut ſpirare ea,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ea, quæ ſunt carnis: & φρόνημα τῆς σαρκὸς & τοῦ πνεύματος, eſt deſiderium, propenſio & ductus quidam impulſuſque carnis aut ſpiritus. Quare, ut diximus, non mirum eſt, ſi φρόνησις eodem modo accipiatur. Reperitur præter illum Lucæ locum vocabulum φρονήσεως adhuc ſemel in ſacris literis Novi Fœderis, nempe ad Eph. I. v. 8. Verum jam ſupra diximus capite præcedenti, φρόνησιν pro ſcientia rerum divinarum ibi accipi, adeò ut nullum certum habeamus in ſacris literis Novi fœderis locum, ubi vox prudentiæ, quam abſtractam Logici appellant, eo modo accipiatur, quomodo aliàs apud bonos auctores, ac vulgo quoque uſurpatur. Sed vox concreta Prudens, Græcè φρόνιμος, non ſemel in ſignificatione uſitata ac propria ſumitur in ſacris literis: ubi quanquam aliquando de prudentia tantum humanâ ac civili ſermo eſt; interim tamen non obſcurè indicatur, eandem prudentiam in rebus ad ſalutem neceſſariis aut ſpectantibus adhiberi à nobis debere. Vide Matth. 7. 24. cap. 10. 16. cap. 24. 45. cum quo loco confer illum Luc. 12. 42. Matth. 25. v. 2. & ſeqq. Luc. cap. 16. v. 8. Reperitur idem vocabulum in bonam partem ſumtum, 1 Cor. 10. 15: ubi tamen non tam pro prudentia hac, quam pro rerum intelligentia ac judicio quodam ponitur, quo fit ut rectam de re nobis propoſita ſententiam feramus: etiamſi ea cæteroqui ad ſcientiam ſtricte ſumtam pertineat. Ait enim ibi Paulus, *tanquam prudentibus dico; judicate ipſi, quod dico: Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Alibi in deteriorem partem ſumitur, nempe pro opinione ſui, & faſtu quodam, quo animus turget; propterea quòd prudentia, vel potius prudentiæ nimia opinio ac perſuaſio, animos inflare ſolet: ſed tum vox hæc non ſimpliciter uſurpari ſolet; ſed ei quippiam adjici, quod vitioſitatem iſtam deſignet, ut cum Apoſtolus monet, ne ſimus prudentes apud noſmetipſos: Rom. XI. 25. & XII. v. 16. Sed de his plus ſatis.

Alterum vocabulum diximus eſſe Sapientiæ. De cujus vocis ſignificationibus ita diximus cap. ſuperiori, ut eam, quæ hujus loci eſt propria, huc etiam reſervaremus nobis explicandam: contenti teſtimonia tantum ſacrarum literarum annotaſſe, in quibus ſignificatio iſta locum habet. Ea verò ſunt, Rom. 16. 19. Epheſ. 5. v. 15. & Coloſſ. 4. 5. Nam in primo quidem loco de ea agitur mentis virtute, qua homines probi aliàs animi atque ad virtutem ſequacis uti debent, ne à veteratoribus forte ſeducantur, & in errorem pernicioſum inducantur: in reliquis verò duobus locis de eo agitur, ut quam cautiſſimè verſemur cum hominibus extraneis, atque à religione Chriſtiana alienis, & ſingulari in illis tractandis utamur dexteritate. Quibus de rebus infra dicemus, ubi naturam ipſius prudentiæ evolventes, præcepta illius ſeu officia explicabimus.

Tertium vocabulum diximus eſſe γνῶσιν id eſt cognitionem ſeu ſcientiam. Uſurpatur autem pro prudentia & dexteritate quadam, 1 Pet. 3. 7, ubi jubentur viri habitare cum uxoribus ſecundum ſcientiam, ſeu ſcienter ac prudenter. Eadem ſignificatio vocis γνώσεως exſtare videtur 2 Cor. 6. 6. Nam cum duæ tantum ejus vocis ſignificationes ſint, quæ ibi locum habere poſſe videantur, quarum altera cognitio eſt rerum divinarum, altera prudentia; prior illa non ita loco congruit, ut poſterior. Apoſtolus enim eo loco ſuas virtutes, quibus ſeipſum, munere ſuo fungens, commendaverit hominibus, enumerat. At cognitio myſteriorum divinorum, non tam virtus Apoſtoli, quam Dei donum cenſendum eſt. Adde quòd nulla erat cauſa, cur Apoſtolus Scientiam illam in medio virtutum moralium, & ad actiones pertinentium collocarit. At ſi prudentiam intelligas, rectè id ab eo factum eſt, & merito illis virtutibus præpoſita, quæ ad alios propriè ſpectant, tanquam earum oculus, qui provideat, quo pacto cum aliis ſit agendum. Nam cum in omni vita prudentia maximè eſt neceſſaria, tum verò imprimis, quando nobis res eſt cum aliis. Eſt adhuc tertius locus, in quo eadem ſignificatio admitti poteſt, quanquam id non eſt neceſſe. Is verò extat 2 Pet. 1. 6. ubi vox cognitionis rectè quidem pro ſcientia, præſertim exactiore, rerum divinarum poteſt accipi; quaſi dicere voluerit Petrus: Poſtquam fidei doctrinæ Chriſtianæ adhibitæ virtutem, hoc eſt fortitudinem ac conſtantiam adjunxeris, ulterius etiam tendendum eſſe in ejuſdem doctrinæ ac religionis cognitione, atque in ea in dies magis atque magis progrediendum: creſcente autem cognitione addendam eſſe continentiam, ut à rebus etiam licitis aliorum cauſa abſtineas, ne cognitione iſta tua rudiorem infirmioremque fratrem perdas. Verùm, ut diximus, nil prohibet, quo minus prudentiam cognitionis illius nomine intelligas, quæ virtutem ſeu fortitudinem proximè commemoratam regat ac moderetur: Cui porro addenda eſt continentia, ut quemadmodum adverſus res duras atque aſperas animum corroboraviſti, ita etiam adverſus voluptates eundem obfirmes. Et hæc de vocabulis vel vocibus, quibus prudentia in ſacris literis exprimitur, dicta ſufficiant.

Quod ad rem ipſam attinet, Prudentia Chriſtiana eſt virtus mentis, quâ quis tum ſibi, tum aliis in rebus ad ſalutem ſempiternam ſpectantibus rectè conſulere, actiones vitæ pro circumſtantiarum ratione moderari, & de rebus ſub actionem cadentibus probè judicare novit. Quanquam enim hæ actiones omnes, quas prudentiæ nunc tribuimus, judicandi verbo poſſint efferri, ſolemus tamen ſæpè judicii nomen ſtrictius ſumere, atque ita à conſultatione diſcernere. Rurſus etiam, licet recta conſultatio ita latè poſſit extendi, ut etiam gubernationem illam actionum pro circumſtantiarum ratione inſtitutam in ſe complecti queat; ſolemus tamen vulgo ſtrictius conſulendi verbum ſumere, ita ut ab iſta gubernatione actionum ſeu moderatione diſtinguatur. Quapropter nunc triplex iſtud prudentiæ officium conſideremus.

Quod ad primum attinet, quod eſſe diximus, tum ſibi, tum aliis in rebus ad ſalutem ſpectantibus conſulere, id duplex iterum eſt, prout & ſcopus ille, qui conſilio eſt proximus, & media ad illum pertinentia ſunt duplicia. Conſultatio enim nihil eſt aliud, quam inveſtigatio mediorum ad finem propoſitum aſſequendum utilium: quapropter prout vel finis vel media ſunt diverſa, ita etiam conſultatio eſt diverſa. Jam verò alius eſt univerſalis, ſeu totius vitæ finis, ad quem omnes Chriſtiani hominis actiones dirigi debent, nempe ſalus ſempiterna: alii particulares & huic ultimo ſubordinati, ſeu ei ſive per ſe, ſive per accidens ſubſervientes, ad quos particularia etiam ſeu ſpecialia media requiruntur. De utriſque is, qui prudentia Chriſtiana eſt præditus, rectè conſulere novit. Et de priori quidem ſimpliciter: de poſteriori vero nunc magis, nunc minus, prout majori minorive prudentia eſt inſtructus. Nam primum homo Chriſtianus ſalutem ac felicitatem ſempiternam pro totius vitæ fine ſibi proponit, & media ad illum adipiſcendum neceſſaria atque utilia inquirit, nempe fidem in Chriſtum ac pietatem, quæ illius fidei ſpiritus eſt atque anima, & cui immortalis vitæ præmium à Deo eſt propoſitum. Qua in parte plane adverſatur ſapientiæ illi ſecundum carnem, quæ felicitatem terrenam pro vitæ ſcopo ſibi præfigit, & ad eam omnia ſua conſilia dirigit, quemadmodum ſuperiori capite diximus. De hac prudentiæ parte ſeu officio vide Matt. 7. 24. & cap. 25. 2 & ſeqq. & Lucæ 16. 18: quibus in locis oſtenditur, qua prudentia uti debeant homines, ut ſempiterna felicitate aliquando potiantur. Sed hæc Chriſtianæ prudentiæ pars prope nil à ſcientia rerum ad Chriſtianam religionem pertinentium differt, vel ſaltem ita ab ea proficiſcitur, ut qui ſcientiam illam habet, habet inquam verè, ita ut rebus intellectis aſſentiatur, is etiam hanc prudentiæ partem teneat; cum ignorare haudquaquam poſſit is, qui religionem Chriſtianam didicit, quæ ſit ſumma hominis felicitas, & quænam ſit ejus aſſequendæ ratio; quod generatim quidem dictum ſcientia intelligit ac comprehendit, prudentia verò ad ſeipſam accommodat, ac ſibi ipſi conſectandum proponit. Atque hæc ſola eſſe videtur hac in parte in-

ter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ter Scientiam & prudentiam differentia. Unde illud porrò conſequitur, quòd prudentia actioni ſit propior, quam ſcientia. Verum diſcrimen illud non ſemper eſſe attendendum Sacræ Literæ docent, quæ id totum, ut ſupra vidimus, ſcientiæ ſolent attribuere. Quod ad alteram officii illius partem attinet, cum varii ſint ſcopi vitæ noſtræ particulares, nec uniuſmodi media, quæ ad illos ducunt, & pro varietate ſcoporum ferè varia; ideo hæc officii illius pars multiplex eſt, & patet latiſſimè, eaque vel imprimis eſt prudentiæ propria. Nam in iſta rerum varietate, atque inde proficiſcente difficultate, cum non ſemper, quid potiſſimum ſeligas, quid potiſſimum ſequaris, quid fugias, appareat, prudentiæ vis maxima conſpicitur. Verum hanc quoque prudentiæ partem magna ex parte nobis præſtat rerum divinarum Scientia, quæ quoad ejus fieri poteſt, generatim quid ſequendum, quidve fugiendum ſit, monſtrat; quippe quæ ad infima ferè rerum genera deſcendat, & exempla, quæ ſequamur, valde illuſtria proponat, ita ut ſi modo communi ſenſu uti, & exercitationem quandam adhibere velis, non poſſis hac prudentiæ parte deſtitui. Et rectè huc etiam accommodari poteſt illud Johannis, *Unctio vos docet omnia:* 1 Joh. 2. ℣. 27. Unctio nempe illa ſpiritualis, qua Chriſtiani homines ſunt præditi. Quod ſi tamen interdum ob rei difficultatem ſapientia cui deſit; petenda eſt illa, ut Jacobus quoque monet, *à Deo, qui omnibus ſimpliciter dat, & non exprobrat, & dabitur ipſi.*

Idem prorſus ſtatuendum eſt de altero, quod conſtituimus, prudentiæ officio, nempe ut actiones vitæ pro ratione circumſtantiarum moderari noris; hoc eſt, ut actionis rationem ac modum accommodes & fini ad quem ſpectare debes, & cauſis impellentibus, & perſonis, loco, tempori. Hoc enim partim ſcientia rerum divinarum, ac nominatim notitia præceptorum divinorum docet; partim communis ratio & experientia quædam, quæ cuivis homini, ſi velit, poteſt contingere.

Idem denique ſtatuendum eſt de tertio prudentiæ officio, nempe ut de rebus ſub actionem cadentibus rectè judicare noris, quatenus quidem id eſt neceſſarium. Quod ſi cuipiam rerum divinarum notitia ſit major, uſus item & experientia multiplex, addo etiam eruditio ac doctrina; tum in cæteris hujus prudentiæ partibus, tum imprimis etiam in hac magis excellet. Animadvertendum autem eſt prudentiam hanc Chriſtianam, partem quandam prudentiæ, quam humanam appellare diſcriminis cauſa poſſis, de qua in Ethicis diſputant Philoſophi, in ſeſe comprehendere. Neque enim religio Chriſtiana, & prudentia inde profecta, humanam illam prorſus abolet, ſed dirigit ac moderatur, & ut ab ultimo vitæ ſcopo non modo non abducat, verum etiam ad eum collimet, eique ſubſerviat, efficit: quemadmodum etiam ſcientiæ philoſophicæ, rerum divinarum ſcientiæ egregiè ancillantur. Itaque videmus, eos, qui humanis diſciplinis rectè norunt uti, plus etiam in rebus divinis proficere poſſe. Idem fit in prudentia humana, ſi ea ſe regi à divina ſapientia patiatur: quod melius adhuc patebit, cum ſpecialia quædam prudentiæ hujus officia expendemus, ad quæ nunc accedemus. Declarabimus autem primum & ſecundum prudentiæ officium, tanquam homini Chriſtiano maximè neceſſarium; cum quo tertium, quatenus ipſum quoque neceſſarium cenſendum eſt, quodam modo concurrit.

Primum ergo prudentiæ præceptum eſt, ut Chriſtianus homo pericula ſaluti ſuæ imminentia diligenter circumſpiciat, &, quantum ejus fieri poteſt, declinet: quod ſi nulla honeſta ratione declinare ea poſſit, tempeſtivè ſeſe adverſus illa armet, atque ita comparet, ne iis ingruentibus de pietate ac ſalute dejiciatur. Quo pertinent multa ſacrarum literarum loca, in quibus vigilare, & nobis cavere jubemur; quod ipſum etſi ad diligentiam ac vigilantiam Chriſtiani hominis pertinere videatur, pertinet tamen etiam ad prudentiam. Hujus enim eſt providere, ac proſpicere: illius, nempe vigilantiæ ac diligentiæ, exſequi ac præſtare. Cavendum autem eſt nobis Primò, ne in errorem ſeducamur, maximè ab illis, qui fallendi artibus pollent. Unde Dominus Jeſus Matth. 7 diſcipulis ſuis præcipit ut à Pſeudo-prophetis ſibi caveant; & cap. 24 iterum diligenter monet, ut videant, ne quis ipſos ſeducat: & Paulus Rom. 16, cum monuiſſet eos, *ut ſpectarent*, id eſt, tanquam hoſtes attentè è ſpecula obſervarent *eos, qui diſſenſiones & ſcandala excitant*, adjuti nempe blandiloquentia, qua decipere ſoleant animos hominum cæteroqui minimè malorum, quales etiam ipſos eſſe teſtatur, utpote quorum obedientia, hoc eſt, animus ad obediendum promptus & ſequax, ad omnes emanarit: his, inquam dictis, adjungit, *Gaudeo igitur, quod ad vos attinet, ſed volo vos ſapientes eſſe ad bonum, ſimplices verò ad malum;* quaſi dicat, gaudeo quidem, quod animo ad parendum admodum prompto ſitis præditi, ſed cupio à vobis huic animi promptitudini adjungi prudentiam, ut quod rectum eſt, ſemper ſequamini: Contra verò, quod ad malum attinet, ita vos ſimplices eſſe cupio, itaque vos gerere, tanquam nullam male agendi artem noritis. Ex quo apparet, hac cautione ac prudentia vel imprimis eſſe opus hominibus non malis, nec pervicacibus, qui facile patiuntur ſe ad id, quod rectum eſſe docentur, ſequendum adduci, ne quis hac illorum facilitate ad eos in errorem ſeducendos abutatur. Multa alia Apoſtolorum monita huc pertinentia, quæ cuivis ſunt obvia, hic omitto; vix enim ulla eſt Apoſtolica Epiſtola, in qua hujuſmodi monita non occurrant. Deinde cavendum eſt etiam homini Chriſtiano, ne voluptatibus earumque illecebris decipiatur capiaturque. Facile enim in animum hominis ſe inſinuant res terrenæ, earumque cupiditas homines excæcat. Unde Apoſtolus ad Eph. 4. ℣. 22, *cupiditates deceptionis*, id eſt deceptrices ac fallaces vocat, quia ita hominem decipiant ac menti nebulas offundant, ne flagitii turpitudinem videat, donec id perpetraverit. Huc etiam pertinet illud Domini Jeſu dictum, ubi deceptionem divitiis tribuit, Mat. 13. 22. Hinc ipſe apud Lucam 21. ℣. 34 monet, præceptum hoc prudentiæ ſimul ac vigilantiæ complectens: *Attendite vobis ipſis, ne fortè graventur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis ad vitam* vel victum pertinentibus, *& ſubito immineat vobis dies illa.*

Denique cavendum eſt imprimis ab illis diaboli inſultibus, cum non modo minis, ſed etiam tormentis variiſque cruciatibus, omniſque generis injuriis fidem noſtram, & ſæpe quidem inſidioſè oppugnat; ut ita tempeſtivè comparemus arma illa ſpiritualia, quò poſſimus adverſus inſidioſos illius inſultus conſiſtere, ut monet Paulus Epheſ. 6. Atque ut ſemper vigilemus, circumſpicientes hoſtem noſtrum circumeuntem, ac rugientem inſtar Leonis rugientis & prædæ inhiantis, & quærentem, quem devoret, ut monet Petrus 1 Epiſtola cap. 5. 8. Hoc ergo primum præceptum, idque tripartitum, prudentię eſt ſimul ac vigilantię, quæ ex prudentia ac diligentia eſt conflata, ut ſuo loco dicemus.

Alterum præceptum generale, quod ad duo priora prudentiæ officia pertinet, eſt, ut cum quis quippiam aggreditur, quod ad ſalutem ipſius ſpectat, ſeu quod ad eam conſequendam prorſus ſit neceſſarium, ſeu quod vehementer utile ac Deo gratum, ubi tamen ſimul ipſius commodum aut incommodum ſecundum carnem, ſeu ad vitam hanc ſpectans, agatur, operam det ſedulam, ut nec ullam officii ac pietatis partem prætermittat, & incommodum tamen iſtud aut periculum evitet; præſertim ſi facile fieri queat, ut alios quoque una ſecum eodem periculo aut incommodo involvat. Neque enim ita duriter nobiſcum agere voluit Deus, ut nullam prorſus hujus vitæ, nullam etiam commodorum ad hanc vitam pertinentium rationem à nobis haberi conceſſerit, ſi modo ea cum honeſtate atque pietate conciliari poſſunt. Itaque ſi ſimul & officio noſtro ſatiſfacere queamus, ita ut nil contra divina præcepta peccemus, & ſimul tamen vitæ noſtræ parcere, ac rebus ad vitam hanc neceſſariis nos non defraudare, id non modo facere licet, ſed etiam decet, ut ita divinæ gloriæ aliorumque ſaluti & diu-

tius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tius ſervire & commodius poſſimus. Fit enim nonnunquam temerario quodam & inconſulto fervore, ut quis ſeſe in diſcrimen abſque neceſſitate conjiciat, aut inconſideratè facultates ſuas prodigat, ac nonnunquam non tantum ſibi, ſed & aliis, præſertim domeſticis, vehementer noceat, ſe atque illos una variis implicet difficultatibus ac moleſtiis, &, ut Deo minus commodè ſerviant, efficiat: cùm potius optandum ſit, ut quod libenter facias diu facere poſſis. Atque hoc præceptum, ut jam innuimus, tum imprimis locum habet, cum periculum aliquod vel ob veritatis profeſſionem, vel ob ejuſdem propagationem, aut fratris alicujus ſalutem eſt adeundum, itemque in beneficentia; ut alia quædam taceam, quæ ad Dei cultum & aſſiduum rerum ſacrarum ſtudium aliquomodo ſpectant, in quibus primo quidem curandum eſt, ut fervidi ſimus, quod ipſum quoque prudentiæ verè Chriſtianæ eſt; ſed interim tamen non eſt ab eadem prudentia, imò ne à fervore quidem alienum, ut cures, quo id quam diutiſſimè, quemadmodum dictum eſt, facere poſſis: Cavendaque diligenter eſt ambitio, quæ fervorem quendam ementitur, vel eum imitatur. Verum tamen ſimul etiam hîc eſt cavendum, ne prudentia hæc in aſtutiam vertatur, & ne vitæ aut commodorum noſtrorum cauſa aliqua officii pars prætermittatur. Nam ſicubi fiat, ut non poſſis officio pietatis & vitæ commodiſque tuis ſimul conſulere; illud omnino ſequendum eſt; hæc verò ob ſempiternam illam vitam, atque immortalia bona, libenter etiam prodigenda. Itaque Dei metus ac ſingularis virtutis ſalutiſque ſempiternæ amor animo penitus infixus eſſe debet, & prudentiæ inſtar ſcòpi immobilis præfixus, à quo commodorum terrenorum cauſa nunquam abludere velit: ſed tum demum ea retinere, cum ab illo nos non avertunt. Quod ſi nihilominus hæreas, jam ſupra diximus, Deum eſſe orandum, ut prudentiam tibi impertiat, ac præterea in eam partem inclinandum eſt, quæ ſalutis rationi eſt accommodatior, eaque in parte tutior; ab eo verò, quod carni gratum eſt, magis recedendum. Id enim, cum res dubia eſt, ſuſpectum nobis magis eſſe debet. Veræ enim prudentiæ eſt, tutiora conſilia ſequi; adeoque Chriſtianæ prudentiæ eſt, in prudentiam humanam nonnunquam peccare.

Hoc præceptum aliqua ex parte fiet clarius, cum ſpecialiora adhuc quædam ſubjungemus, ad quæ nunc progredimur. Animadvertendum enim eſt, etiamſi prudentiæ ubique ſit locus, & nulla vitæ actio ea carere queat, præſertim in qua aliquid eſt ſitum; maximè tamen tum eam requiri, cum nobis res eſt ac negotium cum aliis. Negotium autem nobis eſt cum aliis, vel quatenus illos regimus, vel quatenus aliàs cum illis verſamur, colloquimur, aut alia quædam tractamus negotia. Quod ad regimen attinet, nemini dubium eſt, quin in eo ſingularis requiratur prudentia, quæ pro regiminis forma varia eſt. Id tamen generatim dici poteſt: Prudentiæ, quæ in regendo cernitur, eſſe ut & ſcopum regiminis ſui ſemper ante oculos ſibi collocet; qui quidem eſſe debet ejuſmodi, ut cum virtute ac pietate conſentiat, imo etiam ei, quoad fieri poteſt, ſubſerviat: Deinde ut cognito eorum, quibus præeſt, ingenio, ac, quid illi facere, quid præſtare poſſint, perſpecto; ſcopo illi ſimul atque eorum ingenio præcipiantur quam accommodatiſſima, & nunc minæ, nunc promiſſa, nunc laus aut vituperatio, nunc præmia etiam & pœnæ, quoad regiminis ratio permittit, adhibeantur, & ſic ſeveritas cum humanitate miſceatur, ut ad ea quæ præcipiuntur perficienda, ii quibus præſumus quam facillime adducantur, iis autem, quæ noxam aliquam communitati iſti, quæ regitur, adferre poſſunt, tempeſtivè occurratur. Jam verò quia alia eſt Eccleſiaſtici regiminis forma, alia Civilis, aut domeſtica, ideo etiam aliqua ex parte alia eſt ejus prudentia qui Eccleſiæ præeſt, alia illius qui Reip. aut domui; quanquam illæ prudentiæ ſpecies aliquomodo inter ſeſe ſunt analogæ, & alia aliam juvare non parum poteſt. Unde regendæ Eccleſiæ quæ Dei domus eſt, non vult adhiberi Apoſtolus eum, qui domum ſuam non benè regat: 1 Tim. 3. 5. quanquam in hujuſmodi homine forte non tam prudentia, quam diligentia ac ſtudium deeſt. Ne de eo nunc quicquam dicam, quòd ii, qui Eccleſiæ præſunt, non poteſtatem & imperium in eos habent, quibus præſunt, ſed autoritatem tantum; contrà quàm in aliis regiminis formis accidit. Unde etiamſi cætera ſint paria, & par utrobique eorum, qui ſubſunt multitudo, major in Eccleſia, tanquam libera, moderanda ac gubernanda requiritur prudentia, quàm in aliis ſocietatibus, ubi cogi homines & adigi vi ad officium poſſunt. Sed de his ſpeciatim explicare non eſt hujus loci. Quatenus autem ea prudentia Chriſtianum, ut ita dicam, ipſum attingit, ſeu ad pietatem tuendam ſpectat, explicabitur à nobis infra in ſpecialibus Chriſtianorum hominum officiis. Cætera ad Politicam, ſub qua Ethicam quoque diſciplinam complectimur, aut ad Oeconomicam facultatem ſpectant.

Quod ad ea prudentiæ præcepta attinet, quæ tunc ſunt obſervanda, quando cum aliis quibuſcunque hominibus verſamur, aut cum iis colloquimur: Primum illud eſt, ut magnum habeamus perſonarum delectum, & diligenter circumſpiciamus, cui nos concredere, quem contra cavere ac fugere debeamus; ne forte in periculum nos temerè conjiciamus, & ab eo, quem amicum credimus, circumveniamur atque prodamur. Quod preceptum diſcipulis quoque ſuis tradidit Dominus Jeſus, Matth. cap. 10, ubi ait ℣. 16: *Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum; ſitis ergo prudentes, ut ſerpentes, & ſimplices, in columbæ. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos ut conſeſſus*, & quæ ſequuntur. Sunt enim Chriſtiani homines inviſi impiis, qui inſtar luporum illis inhiant, præſertim cum eos videant & paucos & inermes, manſuetos præterea, ac injuriarum patientes. Quare diligenter circumſpicere debent, & inſtar ſerpentum vitam caputque ſuum munire, ita tamen ut ſi nulla ſit honeſta fugiendi periculum ratio, inſtar columbarum ſint ſimplices, nec per fraudem homine Chriſtiano indignam diſcrimen effugere conentur. Docuit idem Chriſtus ſuo exemplo. Ita enim de eo ſcriptum legimus apud Joannem, cap. 2. ℣. 23, 24: quòd cum multi in ipſius nomen credidiſſent, miraculis illius conſpectis, ipſe tamen ſe illis non crediderit, propterea quòd illos noſſet. Vidit nempe ita illos eſſe comparatos, ut non difficulter ad ipſum prodendum perdendumque poſſent induci: quam rem ille, dum tempus ei deſtinatum adveniret, diligenter declinavit. Similiter monuit Timotheum Apoſtolus, 2 Epiſtola ad eum ſcripta cap. 4. ℣. 15, ut ab Alexandro ærario ſibi caveret, qui ipſi quoque, ut ſuperiori verſiculo ſcriptum eſt, multa exhibuerat mala, quin etiam vehementer ſermonibus ipſius reſtiterat. Suntque hîc etiam illi fugiendi, qui fratrum nomine ſeſe commendantes, alienæ vitæ inſidiantur. Commemorat enim Apoſtolus 2 Cor. XI. 26, inter alia quæ adierit pericula, etiam ea quæ à falſis fratribus ſibi fuerint creata.

Patet ergo hoc præceptum quam latiſſimè, & alia quoque ſpecialiora ambitu ſuo comprehendit; quorum primum ad amicorum delectum pertinet, eſtque à Siracide cap. 6, his verbis deſcriptum: *Fac benevolos habeas multos; ac unum de mille conſiliarium. Amicum paraturus experimento probatum para, nec ejus fidei temerè te committas. Nam eſt amicus, ſuo ſerviens tempori, qui in tempore calamitatis non permanebit. Eſt item amicus, qui in inimicum ita convertitur, ut per rixam opprobrium tuum proferat. Eſt etiam amicus menſæ particeps, qui in die afflictionis tuæ te derelinquet. Secundis rebus tuis erit ſicut tu, atque in domeſticos tuos ſumma utetur libertate. Quodſi fueris afflictus, erit contra te, & à facie tua ſe abſcondet.* Quibus tamen verbis Siracides non prohibet, quo minus vel ipſe ſis multis amicus, id eſt alios ſincerè, candidè ac conſtanter diligas, (id enim factu eſt neceſſarium) ſed ne multos habeas amicos intimæ admiſſionis, quibus omnia ſecreta animi tui pateant, nullum conſilium clauſum ſecretumque ſit. Eodem pertinet alterum præceptum ſpeciale,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quod ſtatim à Siracide ſubjungitur. *Inimicos tuos devita, & ab amicis tuis*, puta nondum probè cognitis, & penitus exploratis, *cave tibi*. Cui adjungi poteſt illud Salom. Prov. 25. 9, 10: *Cauſſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum alteri ne reveles; ne forte probris afficiat te audiens, & infamia tua non avertatur*: quanquam malunt ibi alii ita legere; *Secretum alterius ne reveles*. Certe utrumque diligenter obſervandum eſt, tum ne facile ſecretum tuum alteri aperias: tum ne facile ſecretum ab altero tibi concreditum effutias ac divulges. Quibus de rebus alia quædam hinc inde cum apud Salomonem tum apud Siracidem leges.

Tertium præceptum ſpeciale, ſub illo generali comprehenſum, (tunc obſervandum cum de rebus divinis cum illis colloqui volumus, qui earum ſunt adhuc ignari, & veritatem ſalutarem illis perſuadere conamur) eſt, ut delectum quendam inſtituamus, & eos imprimis deligamus, apud quos veriſimile ſit nos fruſtra operam non poſituros: Contra verò fugiamus eos, quos ad eam recipiendam, præſertim ob morum feritatem vel turpitudinem ac ſpurcitiem, ineptos videmus; ne & operam perdamus, & veritatem ſanctiſſimam contemptui, noſmetipſos temerè periculo objiciamus. Et ad priorem quidem hujus præcepti ſpecialis partem referri poſſunt illa Chriſti verba, quæ extant apud Matth. cap. 10. 11, ubi Chriſtus diſcipulos ad prædicandum Cœlorum regnum mittens, præcipit, *in quamcunque urbem aut vicum fueritis ingreſſi, requirite quiſnam in illa illove ſit dignus*, nempe ut apud eum divertatis, eique potiſſimum Euangelium prædicetis, & beneficia illa quæ præſtare poteſtis, præſtetis. Eum autem digniorem eſſe quivis videt, qui eſt melior, & virtute ac pietate, quæ quidem in hominem Euangelicæ veritatis expertem cadere poteſt, præſtantior. Ad poſteriorem autem hujus præcepti partem pertinet illud Chriſti præceptum, quod apud eundem Matth. extat cap. 7. 6, ubi ait, *ne detis ſanctum canibus, neque projiciatis margaritas veſtras ante porcos*; addita hac ratione, *ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi diſcerpant vos*. Per ſanctum & per margaritas ſanctiſſimam pretioſiſſimamque veritatem intelligens, quam non vult obtrudi hominibus, qui canum aut porcorum ſint inſtar, hoc eſt, & turpiter ac flagitioſe vivant, & in rabiem facile converti queant, & tum veritatem iſtam impiè proculcare, tum iis qui eam offerunt nocere. Interim tamen non quivis, ut ex hac ipſa canum ac porcorum deſcriptione conſtat, qui in peccato aliquo quantumvis gravi hæret, in hoc numero ac cenſu eſt habendus, cui nefas ſit tam pretioſum Theſaurum offerre: alioqui enim & ipſe Chriſtus, qui cum peccatoribus & publicanis crebro fuit verſatus, & ad peccatores vocandos miſſum ſe eſſe aſſeruit, & Apoſtoli, qui ejuſdem generis hominibus Euangelium annunciarunt, graviter eſſent reprehendendi. Sunt enim nonnulli, qui licet in peccato aliquo, & quidem ſatis gravi, hæreant, interim tamen non ſunt efferato ac improbo & perverſo prorſus animo, poſſuntque monita ſalutaria patienter ferre, & illius manum, qui morbis illorum ſanandis medicinam adhibere velit, admittere. Talibus igitur tantum abeſt, ut doctrina cœleſtis non ſit explicanda, ut ſtudioſe etiam ſint ambiendi ac quærendi, quemadmodum Chriſtus fecit. Nec raro evenit, quemadmodum olim inter Judæos factum videmus, ut hi tales promptiori vel alacriori divinam veritatem recipiant animo, quam ii, qui cæteroqui honeſtiores probioreſque videntur. Qua de re vide Matth. 21. 28. & ſeqq. Animadvertendum etiam illud eſt, hoc non pertinere ad publicam Euangelii prædicationem, ad quam omnes, qui modo volunt, cujuſcunque ſint generis, quibuſcunque moribus, admittuntur; ſed ad illam quæ magis eſt privata, aut certarum perſonarum cauſa nominatim inſtituitur, ita ut appareat illas imprimis quæri, & iis ſalutarem veritatem offerri.

Secundum præceptum, iis imprimis obſervandum qui cum aliis de rebus divinis colloqui, aut officii eos commonere volunt, eſt, ut temporis opportunitatem diligenter obſervent ac captent. Quanquam enim nonnunquam, præſertim Paſtoribus, illud eſt obſervandum quod Timotheum monet Apoſtolus, 2 Epiſt. 4. 2, ut inſtent tempeſtivè, intempeſtivè, cum nimirum veremur, ne omnis impoſterum id præſtandi, & quod volumus efficiendi occaſio pereat; tamen generatim loquendo illud Apoſtoli monitum nobis ſpectandum eſt, cùm ait tempus nos debere redimere, hoc eſt, occaſionem & opportunitatem, quæ ſe nobis offert, diligenter captare, & cum damno etiam aliquo & jactura commodorum noſtrorum illam arripere: Epheſ. 5. 16. & Col. 4. 5. Quo utroque loco prudentiam eam nobis commendat, qua utendum ſit, quando nobis cum extraneis & à veritate adhuc alienis res eſt. Ita enim in priori loco, cum jam monuiſſet antè, Chriſtianos homines debere etiam reprehendere & arguere impia hominum in ignorantia divinæ voluntatis verſantium opera; ita porro præcipit: *Videte igitur quomodo accuratè ambuletis, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus*, (ſeu opportunitatem) *quia dies mali ſunt*, (hoc eſt, quia tempus ab hominibus plerumque malis rebus tranſigitur, ita ut non facile ſeſe oportunitas offerat eos arguendi & officii commonefaciendi, vel etiam quia periculoſa ſunt tempora & bonis adverſa, ut cautè hîc ſit agendum, ne crabrones, quod dicitur, irrites.) *Quapropter*, addit adhuc Apoſtolus, *ne ſitis imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Domini*. In poſteriori autem loco ita ait: *In ſapientia* (id eſt ſapienter, ſeu prudenter) *ambulate cum iis* (ſive erga eos) *qui ſunt foris*, (ſive ab Eccleſia alieni) *tempus redimentes*. Rationem autem hujus præcepti jam Apoſtolus in priori loco attulit, & nos verba ejus ex parte aliqua illuſtrantes uberius explicuimus. Quanquam ratio facile ex ultimo iſtorum ſpecialium præceptorum, quæ ſub primo illo, quod ante tradidimus continetùr, facile patet. Nam ſi non debemus margaritas objicere porcis aut ſanctum canibus, certè eo tempore, cùm homines, licet cæteroqui non prorſus mali atque improbi, canum tamen & porcorum ſunt ſimiles, de rebus ſanctiſſimis cum iis agere non debemus, ne & res tam pretioſas contemtui, & noſipſos periculo abſque neceſſitate, nulloque cum fructu objiciamus. Verum, uti jam monuimus, præceptum hoc per ſe conſideratum longè patet latius: ubique enim in oportunitate multum eſt ſitum, & plurimum prodeſt, ſuo rem quamque facere tempore; quemadmodum alieno eandem facere, ſæpè etiam nocet. Itaque idem etiam obſervandum eſt, cum negotium eſt cum fratribus, cumque ii monendi ſunt, imo etiam cum quidvis aliud tractamus; eſtque memoria tenendum illud, quod apud Eccleſiaſten legitur cap. 3, ab initio: *Omnia tempus habent, & tempus eſt omni voluntati* (ſeu inſtituto & propoſito) *ſub cœlo*; quod poſtea multis exemplis explicat. Certè vel primum eſt prudentiæ officium, vel inter prima, occaſionem & videre & non prætermittere.

Tertium præceptum in congreſſibus cum aliis vel imprimis obſervandum, eſt ut conſideres, quid, vel quo pacto dicas, hoc eſt, ut & honeſta utiliaque, ſeu, ut Apoſtolus loquitur, ad ædificationem alterius pertinentia, dicas; & ſimul ad captum aliorum, & perſonam, locum, tempus accommodate. Nec enim omnibus omnia, nec quovis loco aut tempore conveniunt, licèt per ſe utilia atque honeſta. At verò *verbum dictum in tempore ſuo*, ut ait Salomon Proverb. 25. 11, *eſt inſtar aureorum malorum in vaſculis ſeu thecis argenteis*. Hoc præceptum ad colloquia cum extraneis habita accommodatum tradit Apoſtolus, loco paulo ante commemorato, ad Col. 4. 6, cum ait: *Sermo veſter ſemper ſit cum gratia* (id eſt gratus & acceptus) *ſale conditus*, (ſale nempe prudentiæ, qui & ſuavem & ſalubrem eum reddat audientibus,) *ut ſciatis quo pacto oporteat vos unicuique reſpondere*: hoc eſt, ut ſcienter & prudenter perſonarum rationi, itemque ſingulorum ſermoni reſponſionem veſtram attemperetis. Itaque ſi de rebus divinis velis colloqui, id quidem debes ſpectare, ut ea quæ illis quibuſcum ſermo

tibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tibi eſt, maximè videntur neceſſaria, proponas: ſed ſi id conſequi non ſtatim poſſis, & ſubverearis ne eos à colloquiis tuis abſterreas, id, quod proximum eſt, in medium debes afferre, & id, quod Paulus rectè præcipit, uſurpare, ut inde incipias dicere, unde alii facilius diſcunt. Quare non facile debes in primo ſtatim congreſſu in illa involare dogmata, niſi forte ab aliis provocatus, quæ apud eos ſunt ſacroſancta, ſed per gradus quoſdam eò aſcendere: Λογομαχίας item, & contentiones de rebus non magni momenti vitare, & ab omni verborum aſperitate ita abſtinere, ut nec in perſonas, nec etiam in ipſam rem aut ſententiam, quam ii adorent, acerbius quippiam dicas: v. gr. ne dogma ipſum protinus impium, monſtroſum, portentoſum, aut contra etiam ridiculum, ineptum, ſtultum dicas. Hæc enim irritare adverſarium facile poſſunt, & vel à colloquio penitus abſterrere, vel omnem ejus fructum impedire; præſertim cum ſibi ipſi tacitè vel impietatem vel ſtultitiam objici cernat, qui ejuſmodi dogma foveat & admiretur. Itaque etiam cum abſurda ex ſententia adverſarii deducimus, quod facere alioqui & licet & ſæpe decet, caute agendum eſt, ne eundem irritemus, aut etiam ne videamur illi hoc ipſum tribuere, quod ex ejus ſententia ſequitur: ac præterea non niſi per apertam aliquam conſequentiam, quam ipſi conſiderandam proponamus, abſurda illa ſunt educenda. Cæteroqui præſtat categoricè, ut in Schola loquuntur, ſeu directè teſtimoniis Scripturæ aut rationibus aliis opinionem adverſarii impetere; eo habito reſpectu, ut cum balbis, ut ita loquar, balbutiamus; aliter cum doctis, aliter cum indoctis, quatenus ipſa res vel poſtulat vel admittit, agamus. Quanquam optima ſunt ea argumenta, & maximè quærenda proponendaque, quæ utrique hominum generi conveniunt, ſuntque quam clariſſima ac breviſſima. Fit enim ſæpè ut ſimul doctos & indoctos habeamus auditores, quibus utriſque eſt ſatiſfaciendum. Simul etiam hoc obſervandum eſt, quantum cauſa ipſa permittit, ne pertinaces aut contentioſi videamur. Itaque quod largiri, aut prætermittere nos poſſe abſque veritatis & piæ cauſæ defenſionis jactura cernimus, id relinquamus; contenti nonnunquam id leviter indicaſſe, ut adverſarius æquitatem noſtram & facilitatem videat. Homines etiam modeſti, qui convicti aut progredi diſputando amplius non valentes tacent, quanquam interim verum fateri nolint, non ſunt ita urgendi, ut omnino verum fateantur, ſed illorum id relinquendum conſcientiæ; niſi forte propter reliquos auditores id omnino videatur eſſe neceſſarium, ut vel fateantur verum, vel ſaltem ſe progredi non poſſe, apertè agnoſcant. Danda eſt enim opera, ne victoriam ac triumphum quærere videamur. Cum ambitioſis autem, qui gloriam ac victoriam quærunt, cautius pauloque rigidius eſt agendum, ne fortaſſis apud alios de nobis triumphare queant; quanquam cæteroqui, ſi modo gloria divina nullum ſit apud alios paſſura detrimentum, cum hujuſmodi hominibus penitus eſt fugienda diſputatio; cujus vix alius eſſe poſſit finis, quam rixa & hominum auram popularem captantium irritatio, aut vana quædam jactatio. Ad hoc præceptum illud quoque monitum Apoſtoli afferri poteſt ad Rom. 14. 22, *Tu fidem habes, apud temetipſum habe coram Deo*: De ea animi perſuaſione loquens, qua quis credit id, quod revera licitum eſt, licitum etiam eſſe. Ubi enim non eſt neceſſe ſententiam noſtram ea de re proferre, eam ſatius eſt tegere: quod ad alia quoque extendi poteſt, quæ apud imperitos aut infirmos prolata, plus obeſſe poſſunt quam prodeſſe. Veritas quidem nunquam eſt neganda, ne minima quidem ex parte: ſed non omne tamen id, quod verum eſt, ſemper & ubique dicendum. Qua de re infra dicentur plura, ubi de confeſſione agetur. Hæc de duobus prioribus prudentiæ officiis, in definitione ipſius expreſſis, dicta ſunto. De tertio, quod ad judicandum pertinet, quod ſapientiæ adſcribitur priori ad Corinth. 6. 5, ibi dicemus, ubi de Seniorum in Eccleſia officio diſſeremus. Hæc de Prudentia.

Sequitur ut de contrario agamus: quod duplex quodam modo eſt, quemadmodum etiam virtutibus moralibus, cum quibus prudentia maximam habet cognationem, duo vitia ſolent opponi, ſeu, ut loquuntur, extrema duo, quorum alterum in eo quod parum eſt peccat, alterum in eo quod nimium. Eodem, inquam, modo, Prudentiæ duo opponuntur vitia ſeu extrema: quorum alterum in eo poſſis dicere, quod parum eſt, peccare, alterum in eo quod nimium: quanquam etiam dicere poſſes, utrumque in eo, quod parum eſt, peccare. Unde utrumque imprudentiæ nomine comprehendi poteſt, quæ eſt prudentiæ defectus: conſiſtitque in eo, quòd vel rectus actionibus noſtris ſcopus non ſit præfixus, vel quòd rectis mediis ad eum non contendamus, nec actiones noſtras circumſtantiis rerum accommodemus. Scopus autem intelligendus eſt tum vitæ univerſæ, tum ſingularum etiam actionum proprius. Utrumque hoc in eo, quod parum eſt, ſeu in defectu videtur laborare. Verumtamen cum duplici ratione hac in parte poſſit peccari; vel enim fine aliquo ad vitam hanc terrenam utili propoſito, aptis quidem & accommodatis ad eum aſſequendum mediis contenditur, verum aut finis ille aut media illa non ſunt honeſta ac cum pietate conſentanea, (id quod ſemper fit, cum mundi bona pro hujus vitæ fine conſtituuntur:) vel media ad finem eliguntur haudquaquam apta, qualiſcunque tandem ille finis ſit. Prior illa facultas media iſta inveniendi ad finem propoſitum idonea, aſtutia rectè dicitur, & propemodum in eo, quod nimium eſt, peccare videtur. Id verò animi vitium, quo poſterius contingit, imprudentiæ nomine ſtrictius ſumtæ, uſitatè appellatur. Et aſtutiæ quidem fit mentio 1 Cor. 3. 19: quo eodem loco & ſtultitia appellatur; & ad Epheſ. 4. 14. Quibus adde locum 2 Cor. 12. 16, qui à multis non fuit ſatis intellectus. Putarunt enim ibi Paulum honeſtam quandam aſtutiam ſibi tribuere, qua uſus fuerit in Corinthiis ad veritatem perducendis, cum ait: *Sed exiſtens aſtutus, dolo vos cepi*; non animadvertentes Paulum eo loco objectionem quandam, quam poſtea diluât, proponere, quaſi dicat; objiciet forte aliquis, me quidem ipſum non emunxiſſe quenquam veſtrum pecunia, ſed aſtutia quadam vos circum veniſſe, nempe alios ſubornando, qui vos expilarent, & mecum poſtea prædam partirentur, vel eam ad me referrent, & interea à vobis non animadverteretur, ad me lucrum iſtud redire, vel à me rem totam arte quadam inſtructam eſſe. Itaque hoc quoque refutans ſubjungit: *Num per quemquam iſtorum, quos miſi ad vos, quæſtui vos habui?* & quæ ſequuntur. Quaſi dicat; non uſus ſum hac fraude, cum neminem ad vos miſerim, qui vos argento emungeret: quod poſtea declarat exemplo Titi, & alterius cujuſdam fratris, quos ad ipſos miſerat, qui nil tale fecerint. Quare conſtat nil ad rem facere, quod alii de aſtutia Pauli hîc diſſeruêre: qua de re monuit etiam Beza in poſtrema editione. Cernitur autem aſtutia, quemadmodum & hæc & alia loca indicant, in fraudibus ac dolis nectendis, quibus alterum ita coneris circumvenire, ne fraudem is animadvertat, quinetiam amicum aut virum bonum interea te judicet. Eadem hæc æſtutia etiam dicitur ſapientia carnalis 2 Cor. 1. ℣. 12, opponiturque ſimplicitati & ſinceritati Dei, hoc eſt, divinæ voluntati conſentaneæ. Eandem ſtultitiam quoque dici, jam ante monuimus; licet idem nomen cæteroqui magis videatur convenire illi imprudentiæ, quæ aſtutiæ opponitur. Huc etiam pertinet ſapientia hujus ſeculi, quatenus quidem prudentiæ opponitur, & circa agenda propriè occupatur quemadmodum apparet ex dicto ſuperius loco, 1 Cor. 3. 18, 19; ubi ſapientia hujus mundi ſtultitia eſſe apud Deum dicitur, & poſtea aſtutia non obſcurè appellatur, & vana eſſe dicitur; ita ut Apoſtolus aſſerat, eum qui ſapiens eſſe videatur, inter Chriſtianos in hoc ſeculo ſtultum fieri debere, ut fiat ſapiens; nempe quia ſapientiæ & prudentiæ Chriſtianæ, quæ hoc nomen verè meretur, ſapientia iſta adverſatur, quemadmodum ſuperiori capite docuimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quæ igitur hac de re ibi dicta ſunt, hîc memoria repeti poſſunt.

Illa vero imprudentia, quæ ab aſtutia diſtinguitur, dicitur in Sacris literis inſipientia aut ſtulticia, Græce ἀφροσύνη, unde ἄφρονες, qui iidem ἄσοφοι appellantur. Et de voce quidem ἀφροσύνης, & ἀφρόνων habes exempla non pauca 2 Cor. XI. & 12: quo loco Paulus non quidem ex ſua ipſiuſque veritatis, ſed aliorum qui iſta lecturi eſſent, (maximè adverſariorum ſententia) ἀφροσύνην ſibi tribuit, quia nimirum de ſe tantopere glorietur, id quod alias hominum deſipientium eſſe videtur: ſed ibidem tamen excuſatur, ſummâ rei neceſſitate & utilitate, quæ ad Corinthios eſſet inde manatura. Neceſſe enim erat Apoſtolo, auctoritatem ſuam aſſerere, ne, ea apud Corinthios convulſa, ſimul etiam ſalutaris doctrina, quam ipſis tradiderat, labefactaretur. Vide etiam de eadem voce Luc. 12. 20: Rom. 2. 20: Epheſ. 5. 17: & 1 Petr. 2. 15. Quibus in locis vel de imprudentia, quæ in judicando cernitur, vel de ea, quæ in actionibus non rectè conſtituendis conſpicitur, ſermo eſt. Quanquam paulo poſt videbimus, aliam etiam, iſti tamen cognatam, ejus vocis in ſacris literis eſſe ſignificationem. Vox autem ἄσοφοι in hac ſignificatione reperitur ad Epheſ. 5. 15: de qua jam ſupra egimus. Spectant huc illi, qui pueri fiunt mente ſeu intelligentia, & opponuntur iis, qui mente ſunt perfecti ſeu adulti, 1 Cor. 14. 20. Poſſunt etiam huc referri ἀσύνετοι iſti, qui commemorantur Rom. 1. 31, itemque ἀνόητοι, hoc eſt, ſocordes & inconſiderati, aut (ut alii reddunt) ſtulti Luc. 24. 25, & alibi locorum. Sed de iis paulo explicatius mox dicemus. Diximus enim ſupra, nos acturos de habitu quodam animi, ſeu, ut diſtinctius rem explicemus, voluntatis, qui utrique mentis virtuti hactenus à nobis explicatæ, hoc eſt, & ſapientiæ & prudentiæ ſubſerviat, ad quem nunc ſtatim accedemus.

Cap. IV.

Appendix tractationis de virtutibus intellectus, quæ eſt de Sapientiæ ac Prudentiæ ſtudio.

HAbitus hic, de quo nobis ſermo eſt, proprie quidem pertinet ad tractationem virtutum voluntatis ſeu morum; ſed propter ſummam cum virtutibus mentis affinitatem, ob quam etiam fit, ut ex earum tractatione lucem accipiat, & illi viciſſim afferat, hoc ſtatim loco eum explicabimus. Et ut de voce primum dicamus, non videtur unum aliquod habitus ille certumque habere nomen, quod tamen illius non deeſt contrario. Nam ἀσυνεσία rectiſſimè videtur dici; unde ἀσύνετοι. Neque enim vox illa ſimpliciter defectum videtur ſignificare ſapientiæ aut ſcientiæ, ſed potius defectum ſtudii res rectè conſiderandi, perpendendi ac cognoſcendi, & voluntariam, ut ita dicam, inſaniam aut ſtultitiam. Si quis ex contrario rem æſtimans velit habitum laudabilem vitio illi oppoſitum appellare σύνεσιν, per nos id facere licet; quamvis ea vox aliàs naturalem aut acquiſitam etiam judicii acrimoniam, vel ipſum Scientiæ ac Sapientiæ habitum ſignificare ſoleat: quod poſterius ſupra cap. 2 expendimus. Vide de hac voce Marc. 12. 33, ubi pro mente & intelligentia naturali uſurpatur; Luc. 12. 47. & 1 Cor. 1. 19: ubi de habitu ſcientiæ aut prudentiæ humanæ effertur; ad Epheſ. 3. 4. & 2 Tim. 2. 7: ubi mentis perſpicientiam divinitus conceſſam ſignificat: quanquam prior locus ipſum quoque ſcientiæ habitum ſignificare poteſt, de quo vocem eam accipi jam monuimus, & cap. 2 exemplis prolatis oſtendimus.

Sed ne vocem diu moremur, vocemus ſane iſtum habitum ſtudium cognoſcendi ſeu intelligendi. Eſtque, ut quivis jam ex appellatione hac perſpicere poteſt, ejuſmodi habitus animi, quo fit, ut velis ea cognoſcere ac proſpicere, quæ Chriſtianum hominem cognoſcere ac proſpicere deceat. Nam habitum hunc ſui naturâ latius patentem, ad ea, quæ Chriſtianam religionem ac pietatem quocunque modo reſpiciunt, coarctamus. Illius ergo eſt efficere, ut animum intendas tum, cum aliquid divinitus cognoſcendum proponitur, idque diligenter conſideres, ac ſi quid inde ſit animadvertendum, ac tibi colligendum, quod in poſterum ſit uſui, quodque vel ſcitu vel factu ſit neceſſarium, id animadvertas: nequaquam vero oculos ad apertum veritatis lumen claudas, aut ad id conniveas. Qua de re poſtea, ubi de contrario agemus. Deinde ut etiam ea, quæ ad actionem rectè inſtituendam pertinent, animadvertas, ne forte aut tibi ipſi aut aliis ob inconſultam temeritatem ac ſocordiam noceas: quorum hoc imprudentiæ eſt, ſeu mavis prudentiæ obeſt, illud vero ſcientiæ ſeu ſapientiæ. Et quia res in contrario eſt manifeſtior, ejuſque crebra eſt in ſacris literis mentio, ideo ad illud ſtatim accedemus.

Primum ergo quod attinet ad ἀσυνεσίαν illam, quæ in eo cernitur, quod quiſpiam non intelligat, quod intelligere facile poterat, aut à recta ſententia de rebus divinis temerè diſcedat, & nullo ea in re utatur judicio, ea tribuitur ad Roman. 1, illis, qui cum Deum cognoviſſent, in fœdam idololatriam ſunt prolapſi, & majeſtatem Dei incorruptibilis cum imagine rerum corruptibilium commutarunt. vide ℣. 21, ubi legitur quod obtenebratum fuerit inſipiens eorum cor, & poſtea dicitur, quod ſtulti facti fuerint; & antea, quòd vani ſint facti in cogitationibus ſuis. Hujuſmodi ἀσυνεσία tribuitur Iſraëlitis à Moſe, Deut. 29. ℣. 2. & ſeqq. ubi cum oſtendiſſet ipſos tot miracula à Deo edita vidiſſe, addidit; *& non dedit vobis Dominus cor intelligens*, & quæ ſequuntur; quaſi dicat, etiamſi hæc omnia vidiſtis, tamen id Deus in vobis nondum effecit, aut efficere in vobis potuit, ut ea intelligeretis, & animum his ita adverteretis, ut ei penitus confidere & parere velletis. Pertinet huc etiam illa ἀσυνεσία, quam Chriſtus diſcipulis ſuis tribuit Matth. 15. 16 & ſeqq. quo eodem verbo utitur eadem de re loquens, Marc. 7. 18. vide etiam cap. 8. 17, & 21. quanquam non in omnibus iſtis locis ipſe habitus, ſed illius actus aut effectus commemoratur. Pertinent huc etiam illa loca, in quibus illi, qui animum divinis verbis aut factis non adhibent, & tardi ſunt ad rem, quæ proponitur intelligendam, aut etiam credendam, ἀνόητοι dicuntur, ut Luc. 24. ℣. 25: ubi Chriſtus diſcipulis Emauntem euntibus ait: *O ſtulti*, vel, ſi ita mavis, inconſiderati, *& tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ.* Sic Paulus Galatas amentes vel inconſideratos, eodem verbo uſus, appellat, quòd ita temerè deſciviſſent à veritate doctrinæ Apoſtolicæ, ad errorem, ſeu doctrinam de juſtificatione per fidem accuratè docti, eamque amplexi, doctrinam de juſtificatione per opera legis adipiſcenda recepiſſent, ad Gal. 3. 1 & 3. Iidem homines & ἄφρονες inſipientes ac imprudentes dicuntur. vide Luc. cap. XI. ℣. 40. Rom. 2. 20. & 1 Cor. 15. 36. Et hæc quidem de illa ἀσυνεσία, quæ in eo ſpectatur, quod quis non conſideret, neque intelligat, videatque ea, quæ ipſi erant intelligenda.

Reſtat ea, quæ in factis potiſſimum cernitur, & prudentiæ magis propriè adverſatur, tum quidem imprimis cum res eſt cum aliis. Omnia enim vocabula, quæ hactenus recenſuimus, de illa reperiuntur uſurpata. Nam quod attinet ad ἀσυνέτους, ii hoc modo ſumuntur, ad Rom. 1. 31: ubi ii ponuntur inter eos, qui morali aliquo vitio ſunt contaminati, atque imprimis tali, quod cum juſtitia pugnet, vel ad alterum ſpectet, ut cuivis locum inſpicienti patet, ſed maximè ei, qui ordinem ac diſpoſitionem totius iſtius loci, à ℣. 18. uſque ad finem cap. conſideraverit. Videntur ergo illi homines eo loco ἀσύνετοι dici, qui nullo in rebus agendis utuntur judicio, ac nominatim tum, quando cum aliis res eſt, quique nil penſi habent, ſive illis commodent ſive incommodent, ſive honeſtè ſe erga illos gerant ſive minus, non ſecus ac ſi mente ſeu intelligentia eſſent deſtitui. Ejuſdem vitii actus appellatur etiam ἄνοια, Luc. 6. 11: ubi eſt ſermo de illo mentis furore atque inſania, quam ira parit. Dicitur enim ibi quòd Chriſti adverſarii viſo ejus miraculo, &

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ab illo pudefacti, repleti fuerint amentia, & collocuti ſint inter ſe, quidnam ipſi facerent. Sic etiam ii, qui vitio hoc laborant, & iſto aut ſimili modo crebro inſaniunt, appellantur ἀνόητοι ſeu inſipientes ac ſtulti: Tit. 3. 3. ubi de iis vitiis imprimis eſt ſermo, quæ opponuntur manſuetudini Chriſtianæ, qua in civili converſatione eſt opus, quæque ad tranquillitatem vitæ eſt valde neceſſaria. Quare ea intelligitur ſtultitia, quæ in homines iracundos cadere ſolet, quâ fit ut nil penſi habeas, quicquid fiat, aut futurum ſit, utrum alios atque adeò etiam ipſos Magiſtratus ſis offenſurus nec ne, & tranquillitatem civilem turbaturus, quin etiam teipſum in diſcrimen temerè conjecturus. Eandem ἀσυνεσίαν deſignare ſolet etiam vox ἀφροσύνης, illam inquam, quæ in actionibus rectè inſtituendis cernitur, & quæ id providere non vult, quod providendum erat. Sic ἄφρων ſeu inſipiens appellatur iſte dives apud Lucam cap. 12. 20, qui, collecto in multos annos victu, nil aliud quam de voluptatibus cogitabat; non providens fore, aut ſaltem fieri poſſe, ut vel ea ipſa nocte anima ipſi eriperetur, & ſic bona ipſius in alienas manus pervenirent. Dubium eſt, quid ἀφροσύνη apud Marcum ſignificet cap. 7. 22: ubi inter hominis vitia collocatur, quæ ipſum polluant, atque ex corde proficiſcantur. Pendeo animi duas inter ſententias, quarum altera eſt, ut ἀφροσύνη ſignificet iſtam imprudentiam, quæ ſive ex ira ſive ex alio aliquo affectu naſci ſolet, quamque ſupra vidimus ἄνοιαν ſeu amentiam appellari, ut eos, qui ea laborant, ἀνοήτους vel etiam ἀσυνέτους. Hæc enim verè ex corde naſcitur, & hominem fœdè polluit ac contaminat. Altera eſt, ut voluntariam quandam, quæ in actionibus externis aut ſermonibus cernatur, ſignificet inſaniam, ſimulatamve quandam ſtultitiam, qua fiat, ut riſum tantum captes, quæque & petulantiæ eſt effectus, & diſſolutæ vitæ indicium; ut ita opponatur τῇ ὑπερηφανίᾳ, id eſt, ſuperbiæ, atque illi imprimis, quæ ex rebus ſeu ſignis externis apparet, & veluti in oculos incurrit, quæ proximè ante fuerat nominata. Fortaſſe tamen prior ſententia potior eſt. Sed, quemadmodum ante non obſcurè indicavimus, poſſis hæc omnia vitia partim quidem ad ignorantiam ſcientiæ oppoſitam, partim ad imprudentiam referre: ideo tamen hæc diſtinximus ab illis, quia aliquid magis voluntarium ſæpè ſignificant, ſeu vitium morale potius, quam mentis. Et ſanè ignorantia & imprudentia in iis, qui ſcientiam ac prudentiam Chriſtianam acquirere poſſent, vitia ſunt, non mentis tantum, ſed etiam voluntatis; illius quidem per ſe, hujus verò per accidens. Unde etiam non ſemel in ſacris literis tantopere reprehenduntur, & pœnæ iis, qui Deum ignorent, graviſſimæ proponuntur. Atque de his hactenus.

Cap. V.

De Fide.

Fidei nomen non eodem modo ſumitur: nunc enim laxius, nunc ſtrictius; nunc in perfectiori ſignificatione, nunc in imperfectiori uſurpatur. Ut jam omittamus ſignificationes eas, quæ vel ad virtutem voluntatis ſeu morum ſpectant, vel ad virtutem prorſus non ſpectant. Sumitur enim interdum pro fidelitate, quæ virtus morum eſt, interdum pro dono ſpirituali, quod fidem ſeu aſſenſum Euangelio adhibitum olim conſequi ſolebat; de quibus hoc loco nihil eſt nobis dicendum. Quod ergo ad illas ſignificationes attinet, quæ huc magis propriè ſpectant, Primò latiſſimè ſumitur vox fidei, pro aſſenſu mentis, quo amplectimur ea, quæ à Deo nobis ſunt revelata. Hæc fides etiam in illis locum habet, quæ oculis cernuntur, aut ita manifeſtè deprehenduntur, ut nullus apud hominem communi ſenſu præditum dubitationi queat eſſe locus: quomodo Thomas credidit Chriſtum reſurrexiſſe, quemadmodum & cæteri Apoſtoli, poſtquam Dominum Jeſum redivivum oculis ſuis aſpexerunt, aut multi alii, cum hoc, tum Chriſti mortem, quam oculis uſurparant, peractam ſtatuerunt. Deinde ſtrictius ſumitur pro aſſenſu iis adhibito, quæ à Deo revelata oculis non cernuntur; quemadmodum credimus, Deum creaſſe hunc mundum. Et in hac poſteriori, quia aliquis dubitationi, licèt injuſtæ, poteſt eſſe locus, aliquid voluntarii videtur accedere, & ſic fides hæc aliquid eſſe mixtum, & partim ad mentem partim ad voluntatem pertinere; quæ miſtio in quibuſdam ejus ſpeciebus magis apparebit. Attamen ſecundum proprietatem vocis, magis ad mentem pertinet. Utraque hæc fides, maximè poſterior, duplex eſt. Vel enim eſt Particularis, vel, ut ita dicam, Totalis. Particularis eſt qua quis unum aliquid, quod à Deo ſit revelatum, vel etiam aliqua tantum, credit.

Hæc verò iterum duplex eſt, vel Imperfectior, vel Perfectior. Imperfectior eſt perſuaſio firma de re aliqua à Deo revelata, quæ ſecum aſſenſum reliquis omnibus adhibendum, pietatemque neceſſariò non trahit. Talis eſt fides illa, de qua Jacobus ait, eam etiam in dæmones cadere; qua videlicet quis credit, Deum eſſe unum, aut ſimpliciter Deum eſſe, aut eſſe immortalem, omnipotentem, ſapientem, creaſſe cœlum & terram; Chriſtum extitiſſe, aut mortuum eſſe. Ad fidem hanc particularem referenda eſt etiam fides ea, de qua Paulus Rom. 14. ℣. 22, 23: qua quis certo perſuaſum habet, id quod facit Dei voluntati conſentaneum eſſe; opponiturque dubitationi, qua quis hæſitat in rebus etiam licitis, num eæ revera licitæ ſint, nec ne? ſine hac fide quicquid fit peccatum eſt. Perfectior eſt, quæ per ſe quidem particularis eſt, ſua tamen vi omnia ſecum trahit, quæ ad ſalutem creditu ſunt neceſſaria, & pietatem in iis, ad quos ea pertinent, ex ſe parit. Hæc iterum in duplici eſt differentia: nam vel cum pietate immediatè cohæret, & ejus proxima eſt cauſa efficiens; vel mediatè, adeoque eſt cauſa ejus remotior.

Prioris generis eſt ea, quam deſcribit auctor Epiſtolæ ad Hebr. c. XI. ℣. 6: *Oportet enim accedentem ad Deum credere, Deum eum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum, qui ipſum quærunt.* Itemque aſſenſus firmus promiſſis divinis, vel rebus ſperandis adhibitus; quam fidem idem auctor eodem cap. ℣. 1 definierat ὑπόστασιν, *ſeu ſubſtantiam rerum ſperandarum*, hoc eſt, tam firmam de rebus ſperandis perſuaſionem, ut eas perinde credas, atque ſi jam exſtarent, & oculis eſſent ſubjectæ. Quanquam enim divinus auctor ad fidei deſcriptionem adjecit adhuc alia verba, quæ prioribus latius patent, & fidei naturam complent, dum ait, ἔλεγχος *ſeu demonſtratio rerum, quæ non videntur*, hoc eſt, tam firma perſuaſio de iis quæ oculis non ſunt ſubjecta, ut non ſecus ea credas quam ſi firmiſſimam de iis demonſtrationem haberes, quâ ita de eorum veritate convincaris, ut non poſſis non aſſentiri: quamvis, inquam, hanc etiam particulam adjecerit Auctor, tamen quia id, quod ad res ſperandas pertinet, atque eo quod ſequitur ſpecialius eſt, primò ac ſeparatim expreſſit; indicare proculdubio voluit, fidem primò ac potiſſimum circa res ſperandas verſari: nempe quia earum ad pietatem in nobis excitandam, & ſic ad id, ut Deo placeamus, vis eſt maxima: quod vel ex verbis ℣. 6 à nobis adductis patere poteſt. Diximus autem hoc poſterius latius patere priori, quia omnis quidem res ſperanda eſt ejuſmodi, quæ non videatur, ſaltem eatenus, quatenus ei, qui ſperat, contingere debet; ſed non contra, omne id quod non videtur res ſperanda eſt. Eſt enim, ut paulo poſt ſubjungit auctor, inter res quæ non videntur, & fide ſunt apprehendendæ, etiam creatio ſeculorum juſſu Dei peracta, itemque illud quod ℣. 6 primo loco eſt expreſſum, nempe Deum eſſe. Omnia nempe, ſive præſentia, ſive præterita, ſive denique futura, ſive mala ſive bona, ſi ſenſibus non ſubjiciuntur, in earum ſunt numero quæ non videri dicuntur. At res ſperandæ non niſi futuræ ſunt, & quidem bonæ ac deſiderabiles.

Poſterioris generis eſt illa fides, qua credimus Chriſtum à Deo eſſe excitatum à mortuis: Rom. 10. 9. aut Jeſum eſſe Chriſtum: 1 Joh. 5. 1. aut eſſe filium Dei, cap. 4. 15; licet ibi confeſſionis fiat mentio, quæ ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

men à fide, unde ea naſcitur, ſeparanda non eſt: ut & cap. 5. ℣. 5: ubi ipſum fidei nomen eſt. Huic enim fidei ſalus, aut id, quod eandem vim habet, itemque pietas ad ſalutem conſequendam neceſſaria, in locis citatis ſatis apertè tribuitur, nempe quia is, qui id verum eſſe credit, hujus fidei vi adigitur, ad univerſam doctrinam tum inquirendam, tum amplectendam, tum denique exſequendam; & ſic ad fidem iſtam, cui ſoli ex parte noſtri juſtificatio adſcribitur, in Chriſto Deoque collocandam.

Hæc fides eo etiam à priori, cujus proximè fecimus mentionem, diſtinguitur; quod hæc fidei ac religionis Chriſtianæ ſit propria, illa fidei in univerſum, etiam ejus, quæ ante Novum fœdus locum habuit. Quamquam illa etiam perfectiſſima ratione ſumpta, Chriſtianæ religionis poteſt cenſeri propria. Nam vita æterna eſt remuneratio eorum, qui Deum quærunt, perfectiſſima, rerumque ſperandarum princeps.

Hoc autem loco duo ſunt obſervanda, quæ pertinent ad illud rectè intelligendum, quod diximus, fidem hanc particularem, quæ ſit perfectior, pietatem neceſſariò ſecum trahere. Nam id primò de illis tantum intelligendum eſt, ad quos ea, quæ credunt, verè ac propriè ſpectant; nempe de hominibus, non de Dæmonibus, in quos ea fides per ſe conſiderata cadit, aut cadere poteſt. Credunt enim iidem Deum eſſe, & remuneratorem eſſe eorum, qui ipſum quærunt; & certò norunt, eum vitam æternam daturum ſibi obedientibus. Norunt etiam Jeſum reſurrexiſſe à mortuis, & eſſe Chriſtum Deique filium. Verumtamen quia ad illos promiſſum præmium aut religio Chriſtiana nihil pertinet, ideo in iis pietas ex ea fide non naſcitur.

Deinde fidem iſtam, quæ in ipſis hominibus pietatem debet parere, non debere eſſe otioſam, & in receſſu tantum memoriæ latentem, ſed, ut ita loquar, vegetam, & animo firmiter impreſſam, quæ te nunquam ſui patiatur oblviſci, & diligenti meditatione exerceatur, animoque volvatur. Nam otioſa illa, revera etiam otioſa eſt, & ſine pietate conſiſtere poteſt. In priore iſta, quæ eſt ἐνεργουμένη, plurimum voluntatis cernitur; in hac parum aut nihil. Hactenus de fide Particulari.

Totalis fides eſt, qua firmiter credimus, ea omnia, quæ nobis Deus revelavit, ad religionem quodam-modo ſpectantia, atque imprimis ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. De hac videtur accipiendum illud Apoſtoli: *Infirmum in fide recipite*, Rom. 14. 1. Fidem enim is habet, quatenus omnia ad ſalutem neceſſaria credit, & ſic religioni Chriſtianæ generatim aſſentitur: infirmus tamen eſt, quatenus adhuc hæret in rebus quibuſdam ad ſalutem non prorſus neceſſariis, in religione tamen Chriſtiana comprehenſis, qualis eſt rerum adiaphorarum & per ſe mediarum uſus. Hæc itidem ſi exerceatur, pietatem neceſſariò ſecum trahit in iis, ad quos ſalus pertinet, & virtutis atque habitus nomen meretur.

Hæc autem fides tum Totalis, tum Particularis, quam perfectiorem appellavimus, duobus modis conſiderari poteſt, vel ſola, vel cum ſuis effectis conjuncta; adeoque duplex iterum oritur fidei ſignificatio, altera propria, altera figurata, in qua Metonymia cum Synecdoche concurrit. De priori jam ſatis dictum, eaque intelligitur 1 Cor. 13: ubi fides à ſpe & charitate diſtinguitur. Poſterior, quæ ad voluntatem æquè aut etiam magis, quam ad mentem pertinet; eſt fiducia in Deum, aut etiam Chriſtum collocata, quæ eſt aſſenſus firmus Dei promiſſis adhibitus, cum vehementi deſiderio conjunctus. Itaque hæc fides ſpem quoque in ſe complectitur.

Hæc iterum vel ſola fidei aut fiduciæ nomine intelligitur, vel itidem cum proprio ſuo effectu, nempe pietate, quam nonnunquam ſacræ literæ charitatis voce totam complectuntur, conjuncta. Priori modo ſumitur ibi, ubi à charitate tanquam effectu ſuo diſtinguitur, ut Gal. 5. 5. & 1 Joh. 3. 23. Poſteriori modo in iis locis omnibus, ubi fidei ſoli, aut operibus legis oppoſitæ juſtificatio adſcribitur, ut in Epiſtolis Paulinis.

Tres nempe ſunt ſignificationes fidei perfectioris: quarum alia ex alia veluti naſcitur, ita ut qui fidem in poſtrema iſtarum acceptionum ſumptam habet, reliquas etiam habeat: earumque poſterior priori ſemper eſt perfectior ac plenior, prioremque tanquam partem aliquam in ſe complectitur. Nam primò pro aſſenſu tantum firmo ac perfectiori, qui in mente conſiſtit, divinis potiſſimum promiſſis adhibito ſumitur, ut in dicto loco 1 Cor. 13. & Heb. XI. 1. Deinde ſumitur pro aſſenſu illo, cum deſiderio rerum promiſſarum conjuncto, & ſic ſpem tanquam partem quandam in ſe continet, ut in locis Gal. 5. & Joh. 3. modo notatis. Denique ſumitur pro aſſenſu ac deſiderio rerum à Deo promiſſarum, cum obedientia mandatorum, ſine qua promiſſa deſiderata conſequi non licet, conjuncto, & ſic charitatem quoque & pietatem univerſam in ſe complectitur, ut in locis pleriſque Epiſt. ad Romanos & Galatas ubi de juſtificationis ratione diſputatur. Nam ſacræ literæ nunc explicatius ac diſtinctius loquuntur, nunc brevius ac paulo confuſius: illo modo cum loquuntur, vocibus magis utuntur propriè, cum hoc, magis impropriè, & id ſæpè voce aliqua includunt, quod aliàs apertè ab ea diſtinguunt, quod etiam infra, ubi de Pœnitentia agemus, apparebit.

Ex dictis autem facile cuivis conſtare poteſt, quidnam ſit fides illa, per quam juſtificamur, ſeu quæ ex parte noſtri proxima eſt atque unica juſtificationis cauſa; nempe, Spes firma promiſſorum divinorum per Chriſtum in ipſum Deum collocata, obedientiam mandatorum ejus ex ſeſe pariens, ſeu mavis fiducia per Chriſtum in Deum collocata, pietatem ejus præceptis ex ſeſe conſentaneam gignens. Poteſt enim fiducia propriè ſumta, pro genere fidei juſtificantis poni, pro forma verò & complemento, atque (ut Jacobus loquitur) animâ fidei, obedientia præceptorum Chriſti, quam fiducia iſta ad perfectionem ſuam deducta ex ſeſe pariat. Nam obedientia iſta partim fidei forma, atque adeò eſſentialis pars præcipua dici poteſt, partim effectum, ſed in aliam atque aliam ſignificationem accepta. Forma ac pars fidei eſt, ultimâ ſignificatione ex tribus antea commemoratis acceptæ. Effectum rurſus eſt fidei, in ſecunda primaque ex tribus illis ſignificationibus ſumtæ. Definitio autem hæc fidei à nobis tradita, propria eſt ejus, quæ ſub Novo fœdere ad ſalutem requiritur: generalior erit, quæ in omnia ſecula cadat, ſi Chriſti nomen ſuſtuleris, quod inter noſtram & veterum fidem differentiam conſtituit.

Sunt autem aliquot illius proprietates, quarum aliæ illius perfectionem, aliæ imperfectionem, quæ in eam cadere poteſt, arguunt. Quæ ad perfectionem ejus pertinent, quatuor ſunt potiſſimum. Primum, quòd ea Deo promittenti in iis quoque aſſentiatur, & quidem firmiter, quæ creditu ſunt difficillima: qualia ſunt ea, quæ non modo nec ipſa apparent, nec eorum cauſæ certæ ac naturales; ſed etiam ea, quibus natura videtur repugnare, ita ut per naturam impoſſibilia ſint cenſenda: quale eſt quòd nos poſt mortem reviviſcere & cœleſtibus gaudiis potiri debeamus; & ea, quæ Abraham olim credidit, ſibi ſenio jam ferè confecto ex Sara ſterili ac vetula naſcituram prolem, & exinde progeniem ſibi orituram inſtar ſtellarum cœli & arenæ maris numeroſam; & illud, quod non tam promiſerat Deus, quam ex ejuſdem promiſſo, adjuncto illius mandato de occidendo Iſaaco, elici poterat, Deum poſſe etiam mortuos excitare, & ſic Iſaacum ubi occiſus eſſet, in vitam revocare.

Altera proprietas eſt ad fidei perfectionem pertinens, quòd ea adeò debeat amare ac deſiderare res à Deo promiſſas, & favorem ejus ambire, ut nihil ſit tam difficile, quod Deo præcipiente abnuas, etſi tandem videatur aliquomodo cum promiſſis divinis pugnare, & ſpem eorum intercipere: quale fuit illud, quod de Iſaaco occidendo & offerendo à Deo mandatum, atque ab Abrahamo ſuſceptum, &, quantum in ipſo erat, peractum fuit. Tale quoque eſt, ut nos ſupremæ felicitatis cauſa, omnis generis contumelias, tormenta, morteſque nefandas ſubire non recuſemus, & ſi quæ ſunt alia in pietate difficillima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Tertia eſt, ut promiſſorum divinorum exhibitionem conſtanter & patienter expectes, nec, quia Deus protinus ea non præſtet, fidem abjicias. Quo pertinet illud Prophetæ: *Qui credit, ne feſtinet.* Eſai. 28. 16: quod idem in Abrahamo credentium Patre laudat divinus auctor Heb. 6. 15: ubi hanc in fide conſtantiam ac durationem, μακροθυμίαν ſeu longanimitatem appellat. De eadem loquitur Jacob. cap. 5. ℣. 7, 8.

Quarta eſt, quod ea confeſſionem quoque oris exprimat, nec patiatur, ut quod animo credis, ubi loqui opus eſt, reticeas. Qua de re Paulus 2 Cor. 4. ℣. 13. quod idem oſtenditur Rom. 10. 9, 10, 11. ubi confeſſio à fide verſiculo 9 & 10 diſtincta, ℣. 11 fidei nomine comprehenditur. Hæc de proprietatibus fidei quæ perfectionem ejus arguunt.

Imperfectionem verò ejus ea proprietas oſtendit, ob quam operibus legis, ſeu omni ex parte perfectis opponitur. Fides enim obedientiam quidem in ſe continet, non tamen uſquequaque perfectam, præſertim in omnibus, in quibus exiſtit, nec in omnibus æqualem, ſed in diverſis diverſam, pro ratione adjumentorum vel impedimentorum, quæ quiſque ad pietatem habet. Plus enim efficit Spes immortalis vitæ, quæ prima eſt illius fidei pars, in eo, qui à natura ad virtutem factus eſt, & indole præditus eximia, qui deinde honeſtè educatus, bonis literis imbutus, exemplis ante oculos poſitis excitatus, qui ſacras literas ab ineunte fere ætate didicit, & tale vitæ genus ſequitur quod ad rerum divinarum ſtudium ſit aptiſſimum, amicos præterea habeat viros bonos, qui ipſum moneant, voce & exemplo ad pietatem ei calcar addant, paucos autem, qui contrarium ſuadeant, occaſiones ad peccandum habet rariores, pauca, quæ tranquillitatem animi turbent, & ſi quæ ſunt ſimilia: plus, inquam, in hoc efficit Spes immortalitatis, quam in eo, in quo contraria ſunt, vel omnia, vel ex his plura, vel ſaltem aliqua eorum, quæ iſti adſunt. Itaque cum hæc inter ſe variè miſceantur, variam etiam ex ſe pietatem producit ſpes iſta, quam fides ſalvifica in ſe continet.

Obſervandum autem eſt, fidem, quæ Dei aut Chriſti verbis adhibetur, & fiduciam in Deo aut Chriſto collocatam; aliquo modo, tum re ipſa tum loquendi formulis, inter ſe diſtingui; nonnunquam tamen, propter utriuſque concurſum ac conjunctionem, confundi, aut alteram pro altera poni. Quod ad diſcrimen illud attinet, quod in reipſa cernitur, illud duplex eſt: alterum quòd fiducia in Deum aut Chriſtum collocata, ad bona aliqua, quæ à Deo ſperentur, propriè pertineat. At fides utriuſque verbis adhibita, etiam in minis, & aliis quibuſcumque aſſertionibus, ſive de rebus futuris, ſive de præſentibus aut præteritis, atque ad nos etiam nihil pertinentibus, non minus quam in promiſſis verſatur. Alterum diſcrimen eſt, quod fiducia in Deum collocari poſſit, etiamſi is nil promittat, nec quicquam verbis conceptis aſſerat; conſiderata tantum Dei tum potentia, tum bonitate, quæ ex ejus effectis pateat. At credere Deo vel Chriſto nemo poteſt, niſi aliquid affirmanti. Ex quo iſtud obiter notari volumus, nos cùm ſupra in definitione fidei illius, quam fiduciam appellari diximus, promiſſorum fecimus mentionem, quaſi nulla ſit fiducia, niſi ea promiſſo aliquo divino nitatur, expreſſe ad Novum fœdus potiſſimum reſpexiſſe, & ejus habuiſſe rationem quod omnium creberrimè fieri ſolet. Nam vel nemo, vel pauci admodum ex iis, quorum fides in Deum laudatur, extiterunt, qui promiſſo aliquo Dei, quo ſpes eorum niteretur, caruerint. Et ratio id etiam ſatis apertè videtur docere. Nam cum fidei magnum debeat eſſe ad obedientiam Deo præſtandam robur, vix fides tantas habere poteſt vires, niſi firmo ac ſolido fundamento, quale promiſſio divina eſt, non noſtra tantum opinione & deſiderio quodam fulciatur. Nihilominus tamen, ſi quis hujus rei rationem habere velit, is in generaliſſima fidei ſeu fiduciæ deſcriptione nullam promiſſorum divinorum mentionem facere debet, ſed tantum bonorum quæ à Deo ſperentur, ſive id ob promiſſum ipſius fiat, ſive aliam ob cauſam.

Quod ad alterum diſcrimen inter iſta duo attinet, quod in loquendi formulis cernitur, illud eſt, quod cum de aſſenſu tantum ſermo eſt, iſque verbo credendi effertur, ſcriptura dicere ſoleat, aliquem credere Deo & Chriſto: nonnunquam etiam in ea ſignificatione ponitur fides Chriſti; quanquam etiam fiduciam in Chriſtum, vel ſaltem in Deum, quam Chriſtus docuerit, ſignificare deprehendatur. Quando autem fiduciam in Deum aut Chriſtum vult exprimere, dicere ſolet, quempiam credere in Deum aut in Chriſtum, vel in Deo aut Chriſto. Ita ergo iſta duo inter ſe diſtinguuntur. Confunduntur tamen inter ſe, præſertim in literis Novi Teſtamenti, eò quod nemo revera Deo aut Chriſto credere, & verbis illius, in quibus ſibi obedientibus æternam promittit vitam, fidem adhibere poſſit, quin etiam Deo & Chriſto confidat: propterea quod bonum iſtud Chriſti verbis expreſſum ac promiſſum, nimium ſit deſiderabile, adeò ut à prudente ſciente haudquaquam contemni poſſit. Ubi autem deſiderium boni, cum aſſenſu promiſſioni firmiter adhibito concurrit, fiducia eſt. Contra etiam fiducia in Deum & Chriſtum collocata, non aliunde revera, quam ex aſſenſu ejus verbis præſtito proficiſcitur; ita ut quiſquis in Deum aut Chriſtum credit, is Deo quoque aut Chriſto credat, & contra. Hinc videmus ei, qui Deo credit, non minus quam illi qui in Deum credat, æternam vitam promitti, ut Joh. 5. 24. Quo pertinet etiam locus aliquoties in Novo Fœdere citatus: ***Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.*** Confer imprimis inter ſe ℣. 3, & 5, cap. 4 ad Rom. nam ℣. 5 uſurpatur phraſis credere in Deum. Contra non ſemel ubi de Chriſti doctrinæ receptione & aſſenſu illi præſtita agitur, verba iſta, præſertim apud Johan. Euangeliſtam, habentur, quòd homines aliqui in Deum crediderint, propterea quòd ea vis eſſet doctrinæ Chriſti, ut, qui eam reciperet, omnino etiam illi confidere, & in eum credere deberet, etiamſi fortaſſis id re ipſa non faceret, eò quod etiam ejus verbis fidem plene non adhiberet, tanquam nondum plene perceptis & vi eorum expenſa, ſed generatim tantum ejus doctrinam approbaret, & à Deo profectam crederet.

Valde autem probabile eſt in ſacris literis Novi fœderis ſæpiſſimè, cum fides commendatur, aſſenſum firmum Chriſti doctrinæ præſtitum intelligi, nec ſemper ita accuratè ſumi, quemadmodum à Paulo ſumitur iis in locis, ubi fidem operibus legis opponit. Et fortaſſis ne ab ipſo quidem Paulo ea ἀκρίβεια ſemper obſervatur; ſed nonnunquam & ipſe fidem pro aſſenſu firmo doctrinæ Chriſti adhibito uſurpare videtur, propterea quod eadem tandem utriuſque vis ſit, & ubi aſſenſus ille firmus reperitur, ibi quoque fiducia iſta reperiatur. Similis cauſa eſſe videtur, cur Jacobus cap. 2, de vi fidei in ſalutis noſtræ negotio agens, aſſenſum rebus divinis, atque imprimis promiſſionibus ejus adhibitum, cum fiducia in Deum collocata confundat. Nam de aſſenſu quidem iſto loqui Jacobum ex ℣. 19 ſatis apparet: fiduciam tamen in Deum ab illo deſignari, exemplum Abrahami, quod poſtea ſubjungit, oſtendit. Quanquam in illis quoque verbis, quæ ex Geneſi de Abrahamo citantur, quibus ejus erga Deum fiducia exprimitur, eſt phraſis Deo credendi, quæ propriè aſſenſum tantum ſignificat, cum in Hebræo ſit phraſis credendi in Deum aut in Deo, quæ fiduciam magis ſignificat; adeò ut Græca interpretatio videatur rem utramque quodammodo confundere, id quod ipſe quoque Jacobus hac in parte eſt ſequutus. Jure autem facere id poterat Jacobus, tum propter cauſam jam dictam, tum etiam propterea, quia aſſenſus hujus, præſertim doctrinæ Chriſti adhibiti, & fiduciæ, hac in parte eadem vis eſt. Nam non minus fiducia per ſe conſiderata, ab operibus ſejuncta eſt, & ſejungi etiam re ipſa poteſt; quàm aſſenſus doctrinæ Chriſti præſtitus. Quod ſi dicas fiduciam firmam ac ſolidam, pietatem ſecum neceſſariò trahere, idem de aſſenſu firmo ac ſolido, qui doctrinæ Chriſti adhibetur, jure dicitur. Quod verò Jacobus ibi fidei ſoli nunc juſtificationem adimit, nunc fidei nulla alia re adjecta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

jecta adſcribit, imprimis tum cum Abrahami adducit exemplum; in eo nulla eſt contradictio. Nam priori loco fidem ſecundum ſeipſam, hoc eſt, ſine operibus conſiderat, ut ipſemet aperte aſſerit ℣. 17 & 20. quomodo non modo aſſenſus doctrinæ Chriſti adhibitus, ſed ne fiducia quidem in illum collocata, ad juſtificationem ac ſalutem ſufficit; poſteriori vero loco fidem eandem cum operibus conjunctam, & ſic complementum ſuum habentem conſiderat, ut ipſemet apertè indicat ℣. 22 & 23. Subeſt tamen aliqua ſignificationis in voce Fidei diverſitas; non tantum reſpectuum ſeu conſiderationis diſtinctio. Nam poſteriori loco fidem ſumit Jacobus in tertia ſignificatione à nobis ſupra conſtituta, quæ omnium eſt perfectiſſima; priori verò loco in prima aut ſecunda. Non ita curavit autem Jacobus iſtam ambiguitatem, quin ſibi licere ſtatueret, ab una ad alteram tranſire, ac ſi eadem eſſet utrobique vocabuli vis, & tantum reſpectu ſeu ratione adjunctorum, fides priori loco poſita à poſteriore diſtingueretur: nempe quia hæc homonymia ex earum eſt genere, quæ dicuntur ab Ariſtotele ἐγγὺς ſeu propinquæ, ubi nimirum parum admodum ſignificationes differunt, & vox communis de ſuis ſignificatis συνωνύμως propemodum dici videtur, quemadmodum hoc in loco accidit. Nam id, quod fidei voce in utraque ſignificatione propriè denotatur, idem eſt, nempe fiducia in Deum collocata, vel aſſenſus promiſſis divinis adhibitus: tantum in eo differentia eſt, quod ad fidei propriè dictæ eſſentiam & naturam conſtituendam non pertinet, ſed ejus effectus eſt; hoc eſt, ratione bonorum operum; quæ tamen ſi fidei nomine includantur, diverſam ſignificationem ejus vocis conſtituunt ab ea, quæ plane eſt propria, & opera iſta in ſe non includit.

Hactenus de fiducia in Deum, & Chriſtum abſolutè conſiderata ſimpliciterque ita dicta egimus, quam licet totalem nominare. Sequitur, ut eam quoque conſideremus, quæ ad certam materiam, in qua quis Deo aut Chriſto confidat, aut certum attributum Dei, de quo quiſpiam plenè ſit perſuaſus, ſit reſtricta, quam poſſis particularem, aut ſecundum quid dictam appellare. Hujus generis eſt ea, quam Chriſtus ſolitus eſt poſtulare ab iis, qui ſe ſuoſve ſanari, aut à gravi aliquo morbo liberari cuperent; nempe ut crederent, id ipſum poſſe præſtare. Hujuſmodi fides videtur etiam fuiſſe quorundam, qui commemorantur Heb. XI. imprimis vero ℣. 30. 31. & ſeqq. uſque ad medium 35. Quanquam nonnulla ibi poſita, ad fidem quoque iſtam abſolutam, per quam tum temporis homines juſtificabantur, referri poſſunt. Huc pertinet etiam fiducia illa, qua quis credit, poſſe Deum ſibi aliquid boni tribuere, licet id non promiſerit, qua fide opus eſt omnino in precibus, quibus quis hujus generis bonum à Deo petit, & cupit obtinere. Quanquam etiam adjungenda eſt iſti fidei perſuaſio de Dei bonitate, ac voluntate id, quod quis petit, præſtandi, ſi id cum Dei decreto aliquo, & vera noſtra utilitate non pugnet. Et huc fortaſſe referri poteſt fides iſta, quam Jacobus in orantibus requirit, quæ pro diverſitate rerum, quæ petuntur, propemodum etiam diverſa, & nunc perfectior, nunc imperfectior eſt. Perfectior, ſi quis petat id, quod Deus promiſit. Nam tum temporis non modo credendum eſt, Deum poſſe id præſtare, ſed etiam velle, ſi modo is, qui petit, ea re dignus, ſeu in eorum numero ſit, quibus Deus illud bonum promiſit. Si verò promiſſum non ſit, ſufficit ea fides, quam diximus. Quanquam fieri poteſt, ut Jacobus fidei nomine, (ut etiam apud ipſum alibi factum videmus, ut cap. 2. tum ab initio, tum à ℣. 14 & ſeqq. aſſenſum Chriſti doctrinæ præſtitum intellexerit,) adeò ut velit eum, qui aliquid à Deo obtinere cupiat, in religione eſſe conſtantem, non verò in hanc aut illam partem fluctuare. Nam quo minus ea verba de illa fiducia accipias, qua quis ſibi perſuadeat, Deum poſſe ac velle præſtare, atque adeò ſe impetraturum totum id quod petat, id obſtat quod videatur eum hominem ponere, qui ſine iſta fide, quam in orante requirit, preces ad Deum fundat, & nihilominus ſibi perſuadeat, ſe impetraturum eſſe, id quod petit; qualis non videtur eſſe, qui vel de potentia vel voluntate Dei dubitet. Nam Jacobus eum hominem ſua opinione & ſpe falli docet, ac proinde in eo ſpem de impetratione divini auxilii ponit. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod nimis videretur duriter de homine eo, qui in precibus ſuis aliquo modo hæſitet, judicare, cum ait, eum hominem duplicis eſſe animi, inconſtantem in omnibus viis ſuis: præſertim ſi is in certa tantum re, & quidem magis de voluntate erga ſe Dei, quam de potentia dubitet, & fortaſſe etiam promiſſa Dei non habeat ante oculos, ut cenſeri poſſit Deum mendacii arguere. Sed id jure dici poteſt de eo, qui de religionis veluti ſumma dubitet, & ſecum quodam modo depugnet. Adde quòd ſenſus hic ſuperioribus, adeoque ſcopo Jacobi admodum conveniat. Loqui enim cœperat de eo, qui ſapientia, tum, cum illi propter religionem patiendum eſt, indiget. In hoc requirit Jacobus, ut cum fide petat, hoc eſt, ut animo ſuo ſapientiam hanc à Deo impetraturus firmiter decernat & conſtituat, ſe uſque ad finem Chriſtianæ religioni adhæſurum, & ſic de ea nihil dubitet. Hac fide poſita, tum demum Deum oret, ut ſibi ſapientiam largiatur, quo hoc ea, qua Chriſtianum decet, ratione præſtare queat, & in afflictionibus ita ſe gerere, ne ipſius patientia ullo defectu laboret.

Fidei perfectio generatim dicitur πληροφορία, hoc eſt, certa plenaque perſuaſio, & ab omni dubitatione ſejuncta. Hujus ſpecies, quæ interdum generis etiam nomen obtinet, & πληροφορίας voce ſimpliciter ſumta ſignificatur, eſt παῤῥησία, cum non pro libertate loquendi ſumitur, ſed pro re aliqua, quæ in animo noſtro tota exiſtit. Nam ea nihil aliud eſſe videtur, quam fiducia in Deum perfecta, hoc eſt, ejuſmodi de Dei erga ſe amore perſuaſio, ut quis iræ divinæ ac pœnarum ejus ſecurus, quicquid veri boni à benigniſſimo Deo in homines proficiſci ſolet, aut poteſt, id ab eo petere ac ſperare audeat. Diſcrimen inter hanc παῤῥησίαν & fiduciam ſimpliciter dictam, ex eo apparet, quod fiducia ſimpliciter ſumpta non modo ſequatur noſtram pietatem, vel pietatis noſtræ perſuaſionem, verum etiam antecedat, ejuſque ſit cauſa. Hæc verò παῤῥησία pietatem & officium noſtrum erga Deum, vel ſaltem perſuaſionem de eo præſtito, revera conſequatur, non antecedat: quod docet locus ille 1 Joan 3. 21: *Si cor noſtrum nos non condemnat, παῤῥησίαν habemus ad Deum, & quum quid petierimus, &c.* Vide etiam cap. 4. 17. & cap. 5. 14.

Quæritur hîc, cur Sacræ novi fœderis literæ, & imprimis Apoſtolus Paulus, in deſcriptione conditionis, quæ ex parte noſtri ad ſalutem requiritur, nomine Fidei uti ſoleant. Reſpondeo: Hujus rei duplex potiſſimum videtur eſſe cauſa. Prima eſt, ut iſtius conditionis exprimatutur facilitas. Ea verò duplex iterum hoc vocabulo indicatur: Primò, quia facile eſt credere id ad quod fides hæc reſpicit, & ex quo pietas, quæ hoc nomine comprehenditur, neceſſariò naſcitur: nempe hominem mortalem ex mortuis reſurgere, atque in cœlum aſcendere poſſe, imò etiam re ipſa reſurrecturum, atque in beatas ſedes migraturum eſſe, ſi Deo paruerit. Id enim Chriſti ex mortuis reſuſcitatione, atque in cœlos aſcenſione, quarum rerum fides apertiſſimis documentis nobis eſt facta, manifeſtè fuit comprobatum. Hoc verò ſi credatur firmiter, pietatem illam quam Deus à nobis poſtulat, neceſſariò in nobis efficit, ut inter alia docet nobilis ille Joannis locus, 1 Epiſt. cap. 3. ℣. 3: *Et quiſquis habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt.* Et hæc quidem cauſa cur fidei nomine conditio nobis à Deo impoſita exprimi ſoleat, intelligi poteſt ex cap. 10 ad Roman. ℣. 6 & ſeqq. ubi Apoſtolus oſtendere volens facilitatem juſtificationis Euangelicæ præ juſtificatione legali, poſtquam dixiſſet ℣. 5: *Moſes enim ſcribit juſtitiam quæ eſt ex lege, quòd qui fecerit ea, &c.* ſubjungit: *Illa verò quæ ex fide eſt juſtitia ita dicit, Ne dicas in corde tuo, &c. Sed quid dicit? Prope te verbum eſt in ore tuo & in corde tuo, &c.* Quaſi dicat: Illa quidem juſtitia ex lege du-

ram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ram ac difficilem requirit conditionem, nempe ut ea perfectè præſtes quæ lex præſcribit. At juſtitia illa fidei longè facilior eſt, nec tam duram conditionem poſtulat: Nihil enim aliud requirit, quàm ut firmiter credas hominem poſſe aſcendere in cælum, & ubi in abyſſum deſcenderit inde poſſe reverti. Atque id Chriſti in cœlum aſcenſione, ejuſque morte & ex ea reſuſcitatione adeò manifeſtè eſt demonſtratum, ut ſi quis negare velit, perinde faciat ac ſi Chriſtum è cœlis vellet deducere, & negare vel ipſum eſſe mortuum, vel ex morte rediiſſe. Sed id ita manifeſtum eſt, ut Deus hoc veluti animis & cordibus noſtris inſeruiſſe videatur ut id credamus, & in ore noſtro poſuiſſe ut id fateamur. Quare cùm ea tam ſint manifeſta, ex quibus evidenter pendet veritas eorum ad quæ fides noſtra primò reſpicit, & ex quibus pietas neceſſariò naſcitur, ut facillimum ſit ea credere, ſequitur etiam ipſam noſtram fidem & pietatem eſſe facilem. Cùm enim facile eſt id unde alia neceſſariò pendent, etiam cætera omnia ſunt facilia. Hæc prima eſt iſtius facilitatis ratio. Altera eſt: quia hæc vox indicat Deum non parem ab omnibus requirere pietatem, ſed tantam quantam fides, hoc eſt, certa promiſſorum ipſius ſpes in eo collocata in unoquoque efficere queat: Non efficit autem illa ſpes parem in omnibus pietatem & virtutis perfectionem. Nam cùm alii ſint ad pietatem proniores aptioreſve, alii minus, aliiſque plura pauciorave objiciantur ad eam impedimenta, inde fit ut eadem beatæ immortalitatis ſpes ex promiſſis divinis in ipſorum animis concepta, non parem prorſus ſanctitatem pariat. Etenim eos qui ſunt aptiores ad altiorem virtutis gradum deducit, quàm eos qui minus ſunt apti: interim tamen omnes eò uſque deducit ut non ſecundum carnem ſed ſecundùm ſpiritum ambulent. Atque hæc inſignis eſt differentia inter operum conditionem & fidei. Qui enim opera poſtulat, hoc eſt perfectam voluntatis divinæ ac per totam vitam continuatam obedientiam, is parem ab omnibus poſtulat pietatem. Itaque rectè hac in parte fides operibus opponitur. Hæc de facilitate, quæ prima eſt cauſa cur Fidei nomine in hoc negotio tam libenter utantur Sacræ Literæ. Sequitur altera hujus rei cauſa, quæ eſt ut indicetur hoc nomine eam obedientiam quam nos Deo præſtamus, & quæ fidei voce includitur, ſuâ vi non mereri juſtificationem. Eamque non tam opus eſſe noſtrum, quàm Dei, qui eam magnitudine promiſſorum, quibus indigna eſt omnis noſtra obedientia, quæque adeò nonniſi ex mira Dei benignitate nobis offeruntur, in nobis excitaverit: contrà quam fit in operibus, quibus tantam vim adſcribit Paulus, ut ei qui illis ſit inſtructus, merces ex debito ſit tribuenda, non gratuitò imputanda. Illa enim talia eſſe debent, ut non tam Dei auxilio, quàm ipſius hominis ſtudio atque opera perficiantur, & ipſius virtuti potiſſimum debeant adſcribi. Nam quam aliàs vim habebunt merendi apud Deum juſtificationem? Nemo enim, ipſe Deus potiſſimum, quod in alio efficit id juſtitiæ vi remunerari tenetur: cùm nemo ad remunerandum ſuum opus, licèt per alium perfectum, jure obligetur. Quam ob cauſam Deus, cùm ab hominibus vellet exigere iſtiuſmodi pietatem in ſua lege, quæ vi ſua juſtificationem mereretur, non tantùm perfectam ab illis requiſivit præceptorum ſuorum obedientiam, verùm etiam nulla ejuſmodi promiſſa propoſuit, quæ vim haberent adigendi homines ad eam pietatem præſtandam, neque etiam axilium Spiritus ſui iiſdem promiſit fœderéque incluſit; ſed eos ſuis viribus, ut ita dicam, relinquere voluit, ut ſuo ſtudio ac virtute ad tantam ſanctitatis perfectionem eniterentur. Atque hæc etiam videtur eſſe cauſa, cur hæc obedientia nomine operum ſimpliciter elato, aut voce legis interdum addita, ſignificetur. Non enim ideò id tantùm fieri videtur, quia opera ea ſunt perfecta, ut ea ratione ſecundùm excellentiam ita queant appellari, verùm etiam quia revera opera ſint, hoc eſt hominum labore ac ſtudio perfecta. At verò cùm pietatem quam Deo præſtamus Fidei nomine exprimimus, ideò nempe quia ea ex fide omnino pendeat, ut ex ea neceſſariò omnino proficiſcitur, eo ipſo ſignificamus eorum quæ fide apprehendimus, hoc eſt promiſſorum, tantam vim fuiſſe ut eam in nobis propter præſtantiam & certitudinem ſuam parerent: adeoque pietatem iſtam Deo tanquam primo ac potiſſimo autori, à cujus benignitate ea promiſſa ſint profecta, eſſe adſcribendam. Patet enim non tantùm illa promiſſa fuiſſe talia ut pietatem noſtram æquarent, verùm etiam longè ſuperarent; ſiquidem nos ad tam arduum pietatis opus excitare, & illud in nobis imbecillitate carnis circumdatis perficere potuerint. Tertia poteſt inſuper cauſa addi, cur Fidei nomine in hoc negotio utatur Spiritus Sanctus libenter: quia ideò Deus imprimis pietate noſtra, quæ hac voce includitur, delectatur, quòd in ea ipſum ſemper reſpiciamus, ab eo toti pendeamus, atque ita quò ille nos ducit trahi nos patiamur: id quod fidei ſeu fiduciæ nomine ſignificatur.

Sequitur ut Fidei oppoſita, ſeu extrema, ut loquuntur, conſideremus. Quod ergo attinet ad fidem generaliſſime ſumptam, ei opponuntur duo extrema; alterum in defectu peccans, alterum in exceſſu. In defectu duo opponuntur, quorum alterum perfectum eſt, alterum imperfectum. Imperfectum eſt dubitatio ſeu hæſitatio de rebus divinitus patefactis, & ad religionem quodam modo pertinentibus. De qua loquitur Jacobus in loco paulo ante explicato, cap. 1. & hæc quidem videtur eſſe dubitatio, ut ita dicam univerſalis, quæ totum corpus Chriſtianæ religionis ſpectat. Pertinet huc deinde dubitatio illa, de qua Paulus Rom. 14. quæ particularis eſt, & tantum ad res certas, quæ Chriſtianam religionem ſpectant, refertur; quæ per ſe quidem ſalutem non evertit, ſi tamen cum factis conjungatur, ita ut quis dubitet, num id quod facit, ſibi facere etiam per Dei præcepta liceat, damnat & ſalutem evertit; ut tum ex hoc loco, tum ex ſimili 1 Cor. 8 patet. Hæc appellatur infirmitas in fide.

Perfectum verò vitium fidei oppoſitum, quod in defectu peccat, eſt incredulitas. Eſt autem incredulitas ejuſmodi vitium animi, quo quis occaſionem ad veritatem cæleſtem habens, ei tamen non aſſentitur, vel aſſentiri non vult. Unde apparet hoc voluntatis potiſſimum eſſe vitium, quod propriè ἀπιστία vel ἀπείθεια dicitur; quæ vox contumaciam quandam & inobedientiam, ſeu imperſuaſibilitatem, ut ita dicam, ſignificat. Poteſt quidem etiam ἀπιστία ſumi pro ſimplici negatione, ſeu privatione atque abſentia fidei, quæ in eum etiam cadere poteſt, qui veritatis cognoſcendæ nullam habet occaſionem; eſtque ea intellectus quidam defectus, ſed pro vitio tamen cenſeri non debet, niſi quis id ipſum meritus ſit, ut ea ratione puniretur. Quanquam ne tum quidem pro vero vitio, ſed pro ejus conſequente, aut pœna haberi debet. Quod ſi quis tamen eam ἀπιστίαν (quanquam eam fortaſſe ſacræ literæ hoc nomine non comprehendunt) huc referre volet, ei dicendum eſt, duplex eſſe vitium illud, quod fidei opponatur, & in defectu peccet; quorum alterum opponatur ut fidei contrarium, cum ſit aliquid, ut loquuntur poſitivum; alterum ut fidei privatio, in eo nempe homine, qui aliàs ad fidem ſeu aſſenſum veritati adhibendum ſit aptus.

Eſt autem ea ἀπιστία ſeu incredulitas duplex: altera antecedit aſſenſum, imo eum omnino excludit; altera conſequitur. Illa eſt, cum quis veritati cui nunquam fuerat aſſenſus, ejus tamen cognoſcendæ & approbandæ cauſas habens, non vult aſſentiri: hæc eſt, cum quis veritati, cui fuerat aſſenſus, aſſentiri porrò deſinit. Hoc poſterius ſi fiat, vel in veritate univerſa, vel in parte ejus præcipua, unde tota religionis vis pendeat, ἀποστασία dicitur: ſi in alia aliqua veritatis parte, quæ ſalutem quidem convellat, non omnem tamen religionem, omneſve religionis ſeu veritatis partes ſecum trahat, non quidem hæreſis ipſa eſt, ſed hæreſeωs tamen cauſa. Hæreſis enim ipſa paci paciſve ſtudio opponitur, ut ſuo loco videbimus.

Quod ad alterum fidei extremum attinet, quod in exceſſu peccat, nempe credulitatem nimiam, ea nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſt aliud, quam facilitas quædam cuivis de religione doctrinæ aſſentiendi, quæ inconſtantiam etiam ac levitatem in religione habet conjunctam; de qua loquitur Paulus Epheſ. 4. 14. Huc fortaſſe pertinet illud vitium, quod in mulierculis quibuſdam notat Paulus, quæ ſemper diſcunt, & tamen ad cognitionem veritatis pervenire non poſſunt: niſi quis malit hoc à quovis aut quidvis diſcendi ſtudium, eſſe vitium credulitatem hanc antecedens. Hæc credulitas Rom. 16. 19, comprehenditur nomine obedientiæ, quanquam non ſola. Nam nomen obedientiæ generalius eſt, & aliquid denotat, quod per ſe nec bonum ſit nec malum, imo bonum potius quàm malum, ſi per ſe conſideretur: fiat autem bonum, ſi à prudentia regatur, & in bonum finem convertatur, nempe ad veritatis cognitionem, & ei præſtandum obſequium; malum vero, ſi quis per imprudentiam id in malum finem convertat, hoc eſt, ad aures mendacio præbendas, aut in malis præſtandum alicui obſequium. Hæc de extremis generaliter.

Quod ad extrema fiduciæ propriè oppoſita attinet, ea itidem ſunt duplicia, & vel in eo, quod parum eſt, vel in eo, quod nimium, peccant. In eo quod parum eſt peccat diffidentia: in eo quod nimium, confidentia. Diffidentia vel plena eſt, quæ omnem in Deo fiduciam excludit, vel imperfecta, quæ aliquid habet fiduciæ, aliquid diffidentiæ. Illa, quia perfecta, generale nomen obtinet, tanquam ſibi proprium; hæc dicitur ὀλιγοπιστία ſeu fides exigua, quæ aliquouſque Deo & Chriſto confidit, ſed non plene; idque duplici nomine vel ratione, vel quia in certa aliqua re Deo prorſus non confidit, ut ſi quis in egeſtate conſtitutus de victu ita deſperet, ut Deum ſibi, ſi opus ſit, res neceſſarias ſubminiſtraturum plane non confidat; vel confidat quidem Deo in re aliqua, ſed non penitus, & aliquo modo hæſitet, & labaſcat; qualis fuit illa hæſitatio Petri, cum in mari ad Chriſtum iturus, animadverſo vehementi vento, jam metuere inceperat, & ſic de auxilio Dei diffidere. Ad hanc diffidentiam, Moyſis quoque factum aut oratio ſpectat, quæ ipſius dubitationem quandam de aqua è petra elicienda, licèt ea res à Deo juſſa eſſet, arguebat.

Confidentia eſt quædam de Dei erga ſe benignitate fiducia, qua quis temerè vel ſalutem æternam, vel aliquod bonum aut auxilium extraordinarium ab ipſo ſperat; cujus inter alia effectus eſt, quum quis abſque vera neceſſitate gravique & juſta cauſa, periculo ſe committit; quod vitium tentatio Dei appellari ſolet. Quanquam hæc latius patet, deque ea nobis erit dicendum, cum de vitiis agemus, quæ fidei in Deum, quatenus ea pietatis in ipſum pars cenſenda eſt, opponuntur. Videtur autem hoc extremum cum παῤῥησίᾳ quandam nimietatem deſignare.

CAP. VI.

De Spe.

SPei vox duplici modo, ut alibi, ita & in ſacris literis accipitur. Primum ita, ut à fiducia aut nihil aut parum videatur differre; & definitur *expectatio futuri boni,* cui addi etiam poteſt, *à Deo aut Chriſto conſequendi.* Complectitur hæc expectatio duo inprimis; Primò certitudinem quandam vel ejuſmodi perſuaſionem, ut credas, te aliquod bonum & imprimis ſalutem conſequuturum, vel ſaltem conſequi poſſe: Deinde deſiderium iſtius boni. Differentia autem inter ſpem hanc & fiduciam, quæ ſane exigua eſſe videtur, duplex poteſt conſtitui. Prior eſt, quod fiducia aſſenſum ſeu perſuaſionem de bono futuro primò videtur ſignificare, deſiderium ejuſdem conſequenter. Eſt enim vox Spei propriè affectus nomen, & quidem circa bonum occupati, (hîc autem deſiderium eſt, cum nondum res adeſt:) conſenſus verò & perſuaſio in mente conſiſtit, adeoque affectus non eſt. Poſterior differentia eſt, quod fiduciæ nomen referatur ad perſonam, cui illa innitatur & à qua bonum aliquod profecturum credat. At ſpei vox ſua natura talem perſonam non denotat, ſed ſimpliciter tantum ad bonum futurum ſpectat, idque ad nos refert.

Hæc Spes duplex eſt: altera Perfectior: altera Imperfectior; idque duplici ratione, nam perfectio & imperfectio illa, vel ſpectatur in ipſa ſpei eſſentia, vel in ejus cauſis efficientibus. Atque, ut de hac poſteriore ratione aliquid dicamus, ſpes alia apertis nititur fundamentis, hoc eſt, expreſſis Dei promiſſis, eorumque confirmationibus, hunc ipſum ad finem à Deo propoſitis, ut ſpem in hominibus ingeneret certi alicujus boni: alia conjecturis quibuſdam tantum, ut conſideratione divinæ potentiæ & bonitatis, vel exemplis tantum quibuſdam, vel ejuſdem generis, vel ſimilibus tantum, ex quibus certum atque immotum argumentum, quod idem te ſperare jubeat, peti non poteſt. Illa prior interdum Emphaticè dicitur Spes in Deo, ut Actor. 24. 15. 1 Pet. 1. 21. & Joh. 3. 3. Poſterior tantum exſpectationis nomine nonnunquam denotatur, & Spei in Deum opponitur, ut in loco dicto Actor. 24. ubi tamen notandum eſt vocem ſpei, licèt ſemel tantum poſitam, diverſimode tamen accipi, & priori loco propriè, poſteriori verò, ubi Relativum *quam* ejus loco ponitur, impropriè ſeu metaphoricè accipi pro re ſperata. Quod idem fieri videtur Heb. 6. 18, 19: quanquam contraria ratione. Nam, ut Piſcatori placet, ſpes in ℣. 18 rem ſperatam ſignificat, & in ℣. 19, ubi relativum ponitur, ſpem propriè dictam. Eadem ſignificationis diverſitas in hac voce bis poſita extat Rom. 8. 24. Dicimus autem hanc ſpei differentiam cerni in cauſis efficientibus, non in ipſa eſſentiâ ſpei; quia interdum fieri poteſt, ut is, qui pauciores aut minus firmas habet ſperandi cauſas, æquè firmiter aut etiam firmius ſperet, quam is qui plures habet, aut ſolidiores: idque accidit vel ob hujus vel ob illius imprudentiam, aut hujus poſterioris negligentiam. Imprudentia enim in alio quidem efficit, ut rationes ſuas ſolidiores eſſe putet, quam revera ſint: in alio, ut infirmiores eſſe credat. Interim tamen veriſimile eſt, illum qui plus habet cauſarum ad ſpem concipiendam, plus etiam ſperare, qui minus, etiam minus; imo ſi cætera omnia ſint paria, id eſt prorſus neceſſarium.

Atque ut ad alteram illam rationem perfectionis & imperfectionis Spei jam accedamus, ea itidem duplici modo conſiderari poteſt. Nam partim poſito eodem hominum ſtatu, & iiſdem ſperandi cauſis, nunc major ac plenior, nunc minor poteſt eſſe ſpes, idque vel ratione certitudinis, quam quis de boni futuri conſequutione concipit, vel ratione deſiderii, quod in ea comprehendi diximus, & id vel in diverſis hominibus, vel in eodem, ſed diverſo tempore: partim diverſo hominum ſtatu poſito. Spes enim alia officium & pietatem hominis antecedit, & ſic à conditione futura pendet: alia pietatem & officium noſtrum conſequitur, & ſic conditionem ad bonum aliquod, præſertim æternum, neceſſariam, jam præſentem ponit. Illa reſpectu hujus poſterioris imperfectior eſt, licèt in ſuo genere perfecta eſſe poſſit, ut apparet ex 1 Petr. cap. 1. ℣. 13. Quanquam perfectio iſta, de qua Petrus fortaſſè loquitur, in perpetua & conſtanti duratione conſiſtit; unde nova quædam ponitur inter ſpem perfectam & imperfectam ratione durationis diſtinctio. De poſteriori autem loquitur Paulus Rom. 5, cum ait: *Probationem* illam, quæ ex patientia afflictionum capiatur, ſpem parere, cum tamen certum ſit, ſpem patientiam iſtorum malorum & antecedere, & ad patientiam nos impellere. Hæc ſpes eadem videtur eſſe cum παῤῥησίᾳ, de qua antea diximus, & in loco Heb. 6. 11, nominari πληροφορία τῆς ἐλπίδος. Prior ergo iſta ſpes, quæ imperfectior eſt, conjuncta eſſe poteſt cum aliqua dubitatione de ſalute æterna, aut aliis pietatis præmiis adipiſcendis, nempe ex parte noſtri, non verò ex parte Dei. Nam dubitatio, quæ Deum reſpicit ipſum, & vel potentiæ vel bonitati ejus aut etiam conſtantiæ in ſervandis promiſſis, aliquid detrahit, ſpei opponitur, & in vitio plane habenda eſt, tantum abeſt, ut cum ſpe, de qua loquimur, conjungi poſſit. Sed ex parte noſtri dubitatio ſuboriri poteſt, interdum etiam valde

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de ſalutaris, de officio noſtro erga Deum, & præſtatione earum conditionum, quibus opus eſt ad ſalutem conſequendam, & porro etiam de ipſa ſalute noſtra; idque non tantum ante pietatem à nobis præſtitam, ſed etiam in ipſo pietatis curſu, aut poſt illius curriculum abſolutum; præſertim ſi defectum aliquem pietatis noſtræ, revera advertamus; qui quò major eſt, tantò majorem dubitationem de ſalute noſtra excitare poteſt, in iis maximè, à quibus jure major pietatis perfectio videtur exigi, quales ſunt ii, qui præ cæteris eximiam habent veritatis notitiam, & multa ad pietatem adjumenta, aut à quibus ipſa ratio abſolutiorem quandam vitæ integritatem videtur exigere, quales ſunt Paſtores & Miniſtri. Interea tamen hæc quoque dubitatio differentiam quandam habet, & interdum recta eſt ac laudabilis, interdum vitioſa. Recta eſt, cum oritur ex recto veroque de factis noſtris ad Novi fœderis normam collatis judicio. Vitioſa, cum ex erroneo & vitioſo; ut ſi quis eam pietatem non putet ſufficere ad ſalutem, quæ tamen revera ex vi Novi fœderis ſufficiat, quales ſunt ii, qui ob unum aut alterum lapſum, aut facta quædam à decore aut perfectione ſanctitatis Chriſtianæ diſcedentia, à ſcandalo tamen ſejuncta, de ſalute ſua dubitant; aut ſi quis putet ſe in aliquo vitio hæſiſſe, quod damnationem afferat, cum tamen non hæſerit revera, vel quia facta ipſius verè in conſuetudinem non abierint, vel quia vitioſa plane non fuerint judicata. Nam ſi tum vitioſa eſſe judicaſſet, ex ejus judicio ipſamet vitioſa evaſiſſent, licet per ſe talia non eſſent; ut conſtat ex iis quæ Paulus diſputat, de fide & dubitatione illi oppoſita, ad finem cap. 14 ad Rom. Cujus rei cauſa explicabitur tum, cum de conſcientia agemus. Eſt ergo vitioſa hæc dubitatio, & quæ non cadit in illos, qui verè piè vivunt ex doctrina Novi Fœderis, & hanc ipſam doctrinam benè habent & exactè cognitam, & de factorum ſuorum ratione, quæ ex circumſtantiis nonnunquam pendent, rectè judicare norunt. Interim tamen ejuſmodi non eſt, quæ hominem damnet, & ſæpè eſt majoris ſtudii ac diligentiæ in officio faciendo cauſa.

Poteſt autem ſpes illa, quæ pietatem conſequitur, duplex iterum conſtitui: altera ex rei ipſius natura quodammodo fluit; altera plane ſupra naturam eſt. Illa pendet ex conſideratione promiſſorum divinorum, & pietatis noſtræ cum Novi Fœderis norma collatæ, etiamſi Deus nihil præterea cœlitus in animos pietate præditorum hominum immittat, ſeu ſpiritum ſuum ſingularem, atque ab Euangelio diſtinctum, non adjungat. Hæc autem à ſingulari aliquo dono ſeu ſpiritu divino, qui ob pietatem homini donetur, & ipſius animum gaudio quodam cœleſti impleat, pendet. Prior illa Spes pietatis effectum eſt, præmium tamen propriè dici non meretur. Poſterior & effectus eſt quidam, licèt non naturalis, & præmium pietatis. Prior illa ſpes hac poſteriori magis eſt neceſſaria; hæc viciſſim illâ eſt perfectior & magis deſiderabilis.

Hactenus de priori ſpei ſignificatione diximus, quæ à fiducia vix diſcerni poteſt: ſequitur altera ſignificatio, quæ prioris illius tantum pars quædam eſt, & ſic fiduciæ etiam. A fide autem illa, quæ in aſſenſu poſita eſt, tanquam effectus à ſua cauſa diſcernitur; eſtq; nil aliud, quam deſiderium boni futuri, cujus potiundi rationem, vel ex Dei promiſſo, vel ex conſideratione ejus potentiæ & bonitatis, vel exemplorum quorundam habeas. Quod poſterius ideo adjiciendum eſt, licet id ad cauſſam ſpei efficientem pertineat, quia niſi deſiderium iſtud adjunctum habeat, aut, ut loquuntur, præſupponat animi inductionem & perſuaſionem, ſaltem de poſſibilitate, & probabilitate boni iſtius ſub conditione, quæ ei ſit adjuncta, potiundi, ſpes dici non meretur. Hoc modo videtur 1 Cor. 13 accipi, ℣ ult.

Sequuntur extrema ſeu vitia Spei oppoſita, quorum illud, quod in defectu peccat, duplex eſt: alterum perfectum; alterum imperfectum. Illud deſperatio eſt; hoc dubitatio; quanquam non omnis, ut poſtea dicetur. Deſperatio iterum duplex conſtitui poteſt, altera Totalis, ut ita dicam, cum quis omnem de gratia divina, adeoque de ſalute adipiſcenda ſpem abjicit: & hæc iſto nomine ſimpliciter ſumpto, in communi ſermone fere ſemper intelligitur. Eſt autem ea nunc magis, nunc minus vitioſa. Magis vitioſa, ſi quis Dei potentiam & virtutem in ſervandis promiſſis, voluntatiſque conſtantiam neget, indeque deſperationis cauſam petat. Minus vitioſa, horrenda tamen, quando quis ſcelerum ſuorum cogitatione ad deſperationem eam adigitur, ſeque in eorum numero collocare cogitur, quibus Deus non modo ſalutem æternam, gratiamque ſuam non promiſerit, ſed etiam negarit, vel expreſſis verbis, vel ſatis apertis documentis; vel ſaltem ob graves cauſas perinde ſtatuendum ſit ac ſi apertè negaſſet. Talis eſt, verbi gratia, deſperatio, quam Dominus Jeſus in adventu ſuo, hominum, nempe impiorum, animos occupaturam prædicit. Alterum deſperationis genus particulare eſt, cum quiſpiam in certa aliqua re, aut periculo, de auxilio divino, quod ſperare jure poterat, vel ſaltem non prorſus deſperare, ſpem prorſus abjicit, etiam Dei habita ratione. Talis erat, verbi gratia, deſperatio iſtius militiæ Ducis, qui Eliſæo magnam annonæ vilitatem poſtridie, poſt ſummam annonæ caritatem ac famem, nomine Dei pollicenti, dixerat, *Etſi Dominus faceret feneſtras in cœlo, nunquid hoc futurum eſſet?* 2 Reg. 7. 2. Huc etiam referri poteſt deſperatio illa Iſraëlitarum, qui in captivitate Babylonica ſpem liberationis ex ea calamitate, licèt à Deo promiſſam, abjecerunt; quod arguunt iſta illorum verba apud Ezechiel. cap. 37. 11. *Aruerunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, abſciſſi ſumus.*

Quod ad dubitationem attinet, quod alterum eſt vitium, in defectu peccans, licèt imperfectius, ea non omnis pertinet huc, cum ſuperius dixerimus, dubitationem aliquam de ſalute noſtra non modo non vitioſam, ſed etiam rectam & ſalutarem eſſe; quænam autem illa ſit, jam dictum eſt, nempe cum de nobis ipſis dubitamus, & quidem juſta de cauſa, num officium noſtrum ad ſalutem conſequendam neceſſarium præſtiterimus, vel etiam porro præſtituri ſimus. Vitioſa autem duplex eſt: altera ex parte Dei, qua nimirum vel potentia vel voluntas Dei, promiſſionibus ipſius expreſſa, adeoque veritas ipſius ac fides in ſervandis promiſſis, in dubium vocatur. Altera ex parte noſtri, quæ ex erroneo de factis noſtris judicio (nam & hæc addi poteſt) ex doctrina Novi fœderis non rectè percepta oritur; de qua jam ſupra ſatis dictum.

Hactenus de extremo ſeu vitio Spei oppoſito dictum eſt, quod in defectu peccat. Alterum quod in exceſſu peccat, proprio nomine carere videtur: dici autem poteſt ſpes immoderata aut nimia; eaque vel in ſalutis negotio, vel in aliis rebus cernitur. In ſalutis negotio duplici ratione, vel quia quiſpiam ſibi ſalutem polliceatur, etſi verè pius non ſit, vel quia quis, utut tandem verè pius ſit & in eo ſtatu jam verſetur, in quo ſi moreretur, ſalutem ſit omnino adepturus, tamen in futurum nimis audacter de ſalute ſua ſperet, putetque in eo ſe ſtatu verſari, ut jam nullo pacto ſalute queat excidere, imbecillitatis ſuæ immemor. In aliis negotiis cernitur, ſi quis ejuſmodi bonum à Deo certus expectet, quod ei non promiſerit, cum interim nulla extet cauſa juſta, quæ id etiam citra promiſſum, certo tamen ſperare jubeat. Quanquam hæc ſpes, ſi bonum illud ſit admodum deſiderabile, & per ſe laudabile, atque ad gloriam divinam vel ſalutem ſive tuam ſive alienam valde pertineat, minus eſt reprehendenda; modo ea non ſit ſuperba: qualis foret, ſi quis nunc Apoſtolica dona, aut Prophetarum præcipuorum propria, ſibi à Deo poſtularet; quæ ſpes videretur eſſe hominis aliquomodo arrogantis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

LIBER SECUNDUS,

Qui eſt

DE VIRTUTIBUS VOLUNTATIS IN GENERE.

Caput I.

De Virtutibus voluntatis ſeu morum.

TRactatio de virtute, quæ voluntatis propria eſt, duplex eſt. Altera Generalis; altera Specialis. Generalis iterum quodam modo duplex: nam de virtute ea primum agendum eſt, ut de genere ſingularum virtutum, quod de iis ſingulis ſeparatim prædicari queat: Deinde ut de toto aliquo, quod ex ſingulis virtutibus, tanquam partibus, conflatum eſt, adeoque de ſingulis virtutibus ſeparatim prædicari nequit, hoc eſt de complexu omnium virtutum, ſimul junctarum, quæ ſanctitas aut pietas dicitur. Quod ad priorem tractandi modum attinet, primo definitio virtutis Moralis tradenda eſt: deinde quædam generalia ad naturam ejus, & vitii ei contrarii cognoſcendam pertinentia. Definitio conſtitui poteſt vel exactior & magis Philoſophica, vel rudior, uſui tamen accommodatior. Paulo exactior eſt; Virtus moralis eſt habitus voluntatis agendi cum conſilio, conſiſtens in mediocritate, quoad nos, præceptis Chriſti monſtrantibus, prudentia definita; ſeu mavis, quæ à prudentia, cognitione doctrinæ Chriſti inſtructa, definita ſit. Rudior hæc tradi poteſt, Virtus moralis eſt habitus voluntatis, ſecundum Chriſti præcepta agendi, vel conſuetudo vivendi ex præſcripto Chriſti. Ex his facile etiam poteſt colligi definitio vitii, & accuratior quidem hujuſmodi: Vitium eſt habitus voluntatis agendi cum conſilio, conſiſtens in extremo, quoad nos, Chriſti præceptis adverſante. Rudior hujuſmodi: Vitium eſt habitus voluntatis contra Chriſti præcepta agendi, ſeu conſuetudo vivendi Chriſti præceptis adverſa.

Capita rerum ad virtutis Moralis & vitii naturam rectius percipiendam pertinentium erunt tria. Primum de Cauſa Virtutis efficiente. Secundum de ſubjecto, nempe de voluntate. Tertium de forma. Nam de fine qui eſt felicitas, noſtri inſtituti hoc loco non eſt differere. De Materia ſeu objecto ſatis dictum eſt in Ethicis.

Quod ad Cauſas efficientes attinet, de iis etiam in Ethicis actum eſt, unde ea quæ hoc loco à nobis omittuntur peti poſſunt. Hîc enim ea tantum attingemus, quæ ibi commodè explicari non poterant, utpote ad Theologiam propriè ſpectantia; quanquam ibi quoque nonnulla attigimus huc pertinentia, quæ nunc repetere non placet. Duo autem potiſſimum hoc loco erunt adjicienda iis, quæ iſtic ſunt explicata. Primum, tribus iſtis cauſis virtutis Moralis efficientibus, quę quidem ſunt proximæ atque internæ (nam de externis neque ibi dictum eſt, neque hoc loco dicere eſt opus, quales ſunt Deus, Chriſtus, & ii quorum opera is utitur in nobis ad virtutis ſtudium adducendis) adjicienda eſt quarta, nempe divinus ſpiritus, ſeu vis quædam cœleſtis mentibus noſtris à Deo peculiariter infuſa, & nos ad virtutem colendam aptiores reddens, atque ad eam impellens. Ejus autem duplex potiſſimum vis eſt, ad virtutem nobis ingenerandam. Primò quatenus mentem noſtram illuſtrat, & conſequenter voluntatem ad recte agendum impellit. Deinde quatenus voluntatem immediatè, ut loquuntur, incitat, & alacritatem ad virtutem exercendam ei addit. Prior illa vis iterum duplex conſtitui poteſt. Nam vel pietatis officia nobis clarius oſtendit, & virtutis pulchritudinem nobis conſpiciendam præbet, vel pietatis fructum. Prius præſtat, dum vel generalia Chriſti præcepta, & naturam virtutum Chriſtianarum atque officia melius aperit; vel prudentia quadam & conſilio in factis ſingularibus, pręſertim dubiis & difficilioribus, quam ut noſmetipſi expedire nos poſſimus, inſtruit. Atque ad hoc utrumque pertinere videtur illud Joan. 1 Epiſt. 2: *Unctio vos docet de omnibus*. Quanquam ibi unctio fortaſſe non pro ſpiritu divino tantum, ſed pro ſpiritu cum doctrina Euangelica conjuncto, accipienda eſt. Poſterius præſtat divinus ſpiritus, dum vel præmia pietati à Deo propoſita commendat, vel ipſum rectæ conſcientiæ gaudium ante oculos ponit. Iſtud efficit, dum partim eorum præſtantiam, partim eorum certitudinem demonſtrat. Poſterior ſpiritus divini vis, quæ ad voluntatem immediatè ſpectat, eſt dum ardorem quemdam hominibus ingenerat, affectuum violentiam voluntati rectæ adverſantium reprimit, & ſegnitiem tollit, noſque ſtimulis quibuſdam ad virtutem excitat, ita ut nihil videatur tam eſſe arduum aut laborioſum, quod aſſequi nequeamus aut etiam nolimus. Qua in re iterum ſunt aliqui perfectionum gradus. Ultimus ac ſummus ille eſſe videtur, quum voluptas quædam divina ac cœleſtis, & futuræ felicitatis fere propria, animis noſtris illapſa, ſuavitate ſua omnes virtutis actiones perfundit, adeò ut voluntas ſumma cum alacritate illis incumbat, nec quicquam in illis aſperum ſentiat. Sed hoc poſterius proculdubio rarius contingit: ſiquidem ea voluptas & ardor, non ſtudio revera noſtro, ſed divinitus excitatus, difficultatem virtutis, & ſic illius, ut ita dicam, meritum tollit. Prior illa divini ſpiritus vis, atque ad virtutem nobis inſerendam efficacia, cum doctrina, quam alteram virtutis efficientem cauſam in Ethicis conſtituimus, quodammodo conjungenda eſt: altera peculiaris eſt, & ei quodammodo reſpondens, quam natura generoſis animis inſevit, ab ea tamen ita diſtincta, ut illa generationis, hæc regenerationis ſit propria.

Alterum quod explicationi de cauſis efficientibus virtutis in Ethicis traditæ adjiciendum diximus, ad exercitium, quo virtutis habitum comparare debemus, ſpectat. Nam præceptis quæ ea de re loco dicto tradidimus, hæc quoque addi poſſunt, quæ Theologiæ magis videntur eſſe propria, & ad cautionem quandam ſpectant. Quorum primum eſt, ne quis gratiam divinam, quæ in remitendis peccatis cernitur, nimis latè extendat, & ſic latiorem ad cœlum viam, quam in ſacris literis nobis deſcripta eſt, ſibi patere arbitretur, ſed potius perfectionem illam pietatis in ſacris literis nobis præcepram cogitet, ſibique perſuadeat, ſe, niſi ad eam quam poteſt proximè accedat, æternam felicitatem non adepturum. Atque huc illud quoque pertinet, ne quis ob ſingularia aliqua divinæ miſericordiæ peccatoribus exhibitæ exempla, quale eſt latronis unà cum Chriſto cruci affixi, idem protinus ſibi eventurum polliceatur: partim ideo, quod legibus, non exemplis ſtandum ſit, & nihil certi ex ejuſmodi exemplis de nobis ipſis concludi poſſit, ſi in eodem ſtatu verſemur: partim quod ferè diverſa ſoleat eſſe noſtra & illorum conditio, ut in exemplo iſto propoſito accidit. Nam alia eſt ratio eorum, qui virtutis non modo cognoſcendæ, ſed etiam exſequendæ occaſionem longe ante mortem habent: alia eorum, qui non niſi paulo ante mortem: quo in numero, quantum ex hiſtoria ſacra ſcire licet, hic latrò fuit. Ne quicquam nunc de eo dicamus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mus, quod ſingulare virtutis ſpecimen ab eo fuerit editum, cum Chriſtum in ipſa cruce inſtar malefici pendentem pro Chriſto Deiquę filio agnovit, & ejus opem in re omnium maxima, nempe ſuprema felicitate imploravit. Exempla ejuſmodi, ut Auguſtinus, ni fallor, rectè dixit, non imitationis ſunt, ſed conſolationis, hoc eſt, non iis ſerviunt, qui ſponte ſua iſtorum hominum malefacta ſpe veniæ, quæ illis contigit, imitari velint. Itaque qui ſponte ſua illos homines imitatur, is ſibi aditum ad eam veniam, in cujus ſpem peccat, eo ipſo præcludit.

Secundum ne omnia ea facta, quæ in viris vel ante legem, vel ſub lege piis & Deo charis videmus, imitari velimus, cum alia fuerit eorum temporum atque hominum conditio, alia noſtra, qui ſub Novo fœdere vivimus. Illis multa fuerunt conceſſa, quæ nobis prohibita: multa ab illis non exacta, quæ à nobis poſtulantur. Quin ne omnia quidem Chriſti & Apoſtolorum facta, quæ illis ob autoritatem muneris ſui, & ſapientiam, quæ illos hac in parte errare non patiebatur, licita erant, imitanda nobis ſunt, qui & ſapientia iſta divina & auctoritate caremus: & hac in parte jure illud quoque uſurpari poteſt, Non exemplis ſed legibus eſſe ſtandum; &, Duo cum faciunt idem, non eſſe idem. Multò autem minus imitandi ſunt piorum lapſus, qui in ſacris notati, ut Petri ſimulatio, & paroxyſmus iſte inter Paulum & Barnabam. Quanquam enim fortaſſe non prorſus liqueat, uter hac in parte peccaſſe cenſendus ſit: diſceſſus tamen alterius ab altero, arguit ab altero peccatum eſſe.

Tertium, ne vitæ correctionem procraſtinemus, &, ut ſolet, ad ſenectutem aut tempus morti vicinum differamus: qua re nihil eſt turpius aut periculoſius; partim quod multa intervenire poſſint, quominus iſtud in longum tempus prolatum reſipiſcentiæ conſilium exſequaris, vel vita vel reſipiſcentiæ occaſione ac facultate tibi erepta; partim quòd in extremo illo actu vitæ & veluti termino, reſipiſcentia vera locum vix habeat, ſed dolor tantum ex neglecta reſipiſcentiæ occaſione ac tempore natus.

Huic Præcepto quartum adjungi poteſt, ut vitæ tuæ brevitatem ſubinde cogites, & incertum vitæ exitum ac terminum. Nam ne illud quidem novimus; quid ſerus vehat veſper, nedum ut craſtinum certo nobis polliceamur. Quo pertinet iſtud Sapientis: *Memor ſis noviſſimorum tuorum, & nunquam peccabis*: Eccleſiaſt. 7. 40. & illud Jacobi de brevitate vitæ, ad finem cap. 4. Et hactenus de cauſis efficientibus virtutis.

Sequitur alterum caput eorum, quæ ad virtutis naturam declarandam explicanda diximus, nempe de Subjecto Virtutis, quod voluntatem conſtituimus, ſecus quam in Ethicis noſtris factum eſt. Ibi enim, Ariſtotelem ſecuti, appetitum potius rationi adjunctum pro Subjecto virtutis poſuimus; quod etſi non malè dictum eſt, non tamen ſatis accuratè. Nam voluntas primarium eſt virtutis ſubjectum, appetitus ſecundarium. Illud enim virtutis proprium ſubjectum eſt, in quo probitas aut improbitas ſeu malitia primò reſidet: ea enim in re virtutis & vitii natura revera conſiſtit. Atqui ea in voluntate primò reſidet. Nam in eo conſiſtit revera improbitas, non quod appetitus ad malum aliquod propendeat, & nos rapiat; ſed quòd voluntas, cognita per rationem rei turpitudine, in illam inclinet, & appetitui hac in parte aſſentiatur. Contra verò probitas in eo cernitur, quod voluntas etiam contra appetitum decernat, & id, quod ratio rectum eſſe demonſtrat, ſequatur. Patet id inſuper ex eo, quòd ibi virtutis aut vitii ratio primò conſiſtit, ubi eſt libertas agendi aut ſtatuendi; non verò ubi neceſſitas tantum regnat. Nam ut virtutis & rectè factorum, ita & vitii & vitioſarum actionum ratio in eo conſiſtit, quod quis liberè vel in id, quod rectum eſt, vel in id, quod pravum, inclinat. Quod ſi neceſſariò id fieret, nec virtutis nomen mereretur, nec peccatum aut vitioſum factum cenſeri deberet aut poſſet. Hinc cùm plures ad unam & eandem actionem concurrunt, quorum alii ab aliis in agendo pendent, penes illum culpam fuiſſe dicimus, qui ſponte ſua aliquid ad actionem contulit; quales ſunt imprimis ii, qui primi ſunt ſuaſores & auctores facinoris: cæteris verò eatenus flagitium illud imputamus, quatenus non prorſus coacti, operam ſuam ad illud contulerunt, cumque aliter poſſent, alienæ ſuaſioni, aut etiam minis paruerunt. Quod ſi verò illi verè & propriè fuerint coacti, ita ut ipſi proprio impetu nil plane ad actionem contulerint, quemadmodum fieret, ſi quis robuſtior, manu mea apprehenſa, alteri infligeret alapam, me pro viribus reſiſtente, tum eos culpâ vacare dicimus. Quod ergo in diverſis hominibus, ipſa natura duce, omnes deprehendunt, id etiam ad diverſas in eodem homine facultates transferendum eſt, ut penes eam propriè dicatur hærere culpa, & contra eſſe virtutis laus, quæ liberè per ſe agit, & penes quam eſt decernendi arbitrium. At ea penes voluntatem eſt, non penes appetitum, qui per ſe non liberè, ſed neceſſariò agit, tanquam alienarum facultatum ſervus naturâ. Unde bruta, in quibus appetitus maximè viget, minimum habent libertatis. Reſtat ergo ut in voluntate primò reſideat virtus aut vitium, ſecundariò in appetitu, & facultatibus iis, quibus appetitus imperat. Fieri enim non poteſt, quin voluntas virtuti incumbens, & appetitum ſubinde moderans, ei qualitatem quandam imprimat, ita ut jam voluntati ac rationi parere aſſueſcat, adeóque etiam facile ſe regi patiatur. Hinc quia voluntas propriè dicta in brutis non eſt, in illa etiam nec virtus, nec vitium aut delictum propriè dictum cadit; cadit tamen impropriè & per analogiam dictum. Quod ut rectius percipiamus, animadvertendum eſt, voluntatem eſſe ejuſmodi facultatem, quæ rationem propriè conſequatur: virtutem rurſus & vitium ibi locum habere, ubi propriè dicta eſt voluntas: ibi denique præmium & pœnam veram, ubi virtus aut vitium. Quia ergo homo inter animantia ſolus ratione propriè dicta præditus eſt, in illum etiam ſolum tum voluntas, tum virtus & vitium, tum denique præmium & pœna cadit. In bruta tamen animalia cadit aliquid ſingulis iſtorum analogum, in ea præſertim, quæ ſunt perfectiora, & diſciplinæ alicujus capaciora. Eſt enim in illis primùm aliqua facultas rationi reſpondens, quam nonnulli rationem inferiorem vocant, qua non de rebus modo jucundis, ac utilibus quodammodo ratiocinantur, & de ratione illorum adipiſcendorum diſpiciunt; ſed etiam viam ſibi à Deo præſcriptam, ſeu rectam quandam vivendi rationem naturæ ſuæ conſentaneam, quæ honeſtati analoga eſt, agnoſcunt. Inde ſequitur facultas altera, voluntati quodam modo reſpondens, in qua nonnihil eſt libertatis. Hinc aliquid etiam virtuti & vitio ſimile, ſeu rectè & pravè factum: quorum illud eſt, cum bruta naturæ ſuæ ductum ſequuntur, hoc cum à naturali via exorbitant. Unde tandem etiam aliquid præmio aut pœnæ, & huic quidem maximè ſimile. Unde beſtias etiam à Deo punitas, aut pœnas certas lege illis conſtitutas, cernimus: qua de re legatur Socinus in Anti-Puccio. Quemadmodum ergo rationem humanam κατ᾽ ἐξοχὴν, & propriè hoc nomine appellamus, & brutis eam adimimus (dicimus enim irrationalia ſeu ratione carentia) ita & cætera omnia. Rurſus quemadmodum impropriè & per analogiam rationem brutis tribuimus, ita & cætera omnia. Supereſt Tertium caput ex iis, quæ de virtute generatim tractanda ſuſcepimus, nempe de Forma: ubi tria imprimis agenda. Primum eſt de genere virtutis, nempe de Habitu: (nam accidentium genera ad formam reducunt Philoſophi:) Secundum de agendi conſilio: Tertium de norma interna ac proxima, tum conſilii ſeu προαιρέσεως, tum actionum omnium, quæ nihil aliud eſt, quam Conſcientia.

Quod ad primum attinet, habitum hoc loco non ita ſtrictè ſumimus, ut faciunt Philoſophi, qui eam tantum facultatem ac qualitatem exercitatione comparatam hoc nomine deſignant, quæ ſit perfecta atque ad ſummum deducta; qua fit, ut quis facile, jucunde ac conſtanter agat: ſed paulo latius extendimus, ut eam quoque diſpoſitionem, quæ ad habitum propriè ſumptum proximè accedit, hoc nomine complectamur;

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ad quam ſufficit ejuſmodi qualitas animi, qua fit ut plerumque ſaltem, ſeu ut plurimum, ſi non ſemper, id, quod rectum eſt, & præceptis Chriſti conſentaneum, agamus. Malumus autem habitus nomine potius in definitione uti, quam diſpoſitionis; quia diſpoſitionis nomen nimis laxum eſt,& de initio etiam quodam virtutis, & qualitate valde imperfecta prædicari poteſt. At cum habitum dicimus, imperfectam jam diſpoſitionem excludimus, & eo modo deſignamus tantummodo qualitatem illam perfectam, quæ hoc nomen propriè meretur, & eam diſpoſitionem, quæ ad habitum perfectum proximè accedit, & in communi ſermone habitus nomen ſortitur. Hoc idem in altera illa definitione conſuetudinis nomine expreſſimus, quæ eſt crebro iterata ac repetita actio, tum, cum ejus exercendæ eſt occaſio, ita ut longè ſæpius actionem illam exerceas, quam omittas. Dico autem, dum occaſio eſt, nam non protinus is vitio v. g. aliquo carere cenſendus eſt, aut virtute contraria præditus, qui ſæpius actionem vitioſam omittit, quàm exercet; nempe quia frequentius accidit, ut nulla ſit ejus occaſio, quàm ut ſit aliqua: Sed ſi tum, cum & occaſio & incitamenta ad peccandum præſto ſunt, frequenter ac plurimum à peccato abſtineat. Differentia autem inter hoc & ſuperius genus, adeoque etiam inter definitionem rudiorem & accuratiorem eſt, quod habitus qualitatem internam, & facultatem ſeu actum primum, ut loquuntur; conſuetudo autem ipſam continuationem & frequentationem actionum denotet. Quanquam actiones aliæ externæ ſunt, ut ſermones, & alia facta quæ nonnunquam actiones ſtrictè appellantur, à ſermonibus diſtinctæ: aliæ internæ, hoc eſt, cogitationes & decreta animi. Itaque etiamſi tandem cogitationes in actum externum non erumpant, ſi nimirum quacunque de cauſa impediantur, etiam in illis conſuetudo, & ſic vel virtus vel vitium locum habere poteſt: qua de re inferius alicubi dicendum erit explicatius. Atque hoc loco occaſio eſſet differendi, de diverſis tum virtutum, tum vitiorum gradibus, & habituum diſcrimine ratione perfectionis: verum commodior erit ea de re dicendi locus inferius, ubi de virtutum omnium complexu, ſeu de charitate generatim dicta, agemus.

Quod attinet ad agendi conſilium, id nihil eſt aliud, quam decretum animi ſeu voluntatis, à ſciente prudente factum, de actione aliqua ſuſcipienda: quod quo perfectius eſt, tanto meliores etiam ſunt actiones, ſi ſua natura rectæ ſint; & contra etiam tanto pejores & improbiores, ſi ſua natura pravæ. Duo enim ad rectè ſeu honeſtè factum conſtituendum concurrere debent, quemadmodum etiam contra ad male factum: Primò ut ipſa actio, per ſe conſiderata, ſit vel recta vel prava: Deinde ut conſilium etiam ſeu decretum animi facto conſentaneum accedat. v. g. rectum factum eſt, res per ſe neceſſarias ſubminiſtrare pauperi & egenti. At id demum rectè fit, ſi recto conſilio atque intentione, ſi non gloriolæ v. g. fiat cauſa, ſi non ab invito. Contra etiam inhoneſtum eſt per ſe, occidere patrem; ſed ſi id ab ignorante fiat, aut ab eo, qui à cauſa aliqua externa movetur, ipſo nil penitus voluntarii ad actionem conferente, inhoneſtè non fit, nec ei jurè imputari poteſt, præſertim ſi dolor tanto malo dignus conſequatur. Unde autem utrumque hoc, hoc eſt, tam rectitudo aut etiam pravitas facti, quàm conſilium, ejuſque pravitas aut rectitudo ſit æſtimanda, in Ethicis eſt dictum.

Hoc loco tantum illud expendendum eſt, quod ad meritum factorum, præſertim pravorum, cognoſcendum pertinet, quænam peccata, per malitiam admiſſa cenſeri debeant, quæ verò minus. Hoc ut cognoſcatur, repetenda eſt factorum diſtinctio à nobis in Ethicis tradita: quòd alia ſint prorſus voluntaria, alia prorſus involuntaria; alia denique media, quæ ipſa in magno verſantur diſcrimine, prout vel ad voluntaria, vel ad involuntaria propius accedunt. Voluntaria ſunt, quæ à ſciente, prudente, libenter fiunt, ſeu cum quadam voluptate ac delectatione. Involuntaria prorſus, quæ illibenter, idque vel per ignorantiam nulla penitus culpa noſtra contractam, vel per vim cui prorſus reſiſtere non poſſumus. Prioris generis facta ſi prava ſunt, per malitiam admiſſa dici debent, præſertim ſi eorum turpitudo nimis ſit manifeſta, & facile fuerit ab illis abſtinere. Poſterioris generis facta, etiamſi per ſe gravia ſint, tamen pro peccatis non imputantur: quod enim caveri non poteſt, id infelicitati, non culpæ aut vitio tribuendum eſt.

Reſtant media, & veluti mixta ex voluntario & involuntario. Ea verò duplicis ſunt generis. Vel enim ex ignorantia aliqua, vel ex imbecillitate noſtra proficiſcuntur, ſicque vel cum iis, quæ per ignorantiam facta ſunt, vel cum iis, quæ per vim, aliquid habent commune, atque adeò involuntarii quippiam participant. Ignorantia autem illa eſt duplex; Juris vel facti. Juris, ut cum quis legem aliquam divinam, præſertim difficiliorem cognitu, ignorat: idque vel ſimpliciter, vel in certo aliquo negotio. Simpliciter, ut ſi quis neſciat vindictam, etiam per magiſtratum repetitam, homini Chriſtiano eſſe interdictam; qualis ignorantia generale nomen obtinet, & ſimpliciter error vel ignorantia appellatur. Et ad hanc pertinere videtur ignorantia ſervi illius, qui voluntatem domini ignoraſſe dicitur, & digna plagis fecerit, ſed paucis tamen. In certo aliquo negotio, ut cum Joannes, qui proculdubio norat neminem præter Deum & Chriſtum adorandum eſſe, Angelum tamen bis voluit hoc honore afficere. Quo etiam Cornelii factum, Petrum adorare volentis, referendum eſt. Et hæc ignorantia propriè dicitur.

Ignorantia facti eſt, quum quis circumſtantiarum aliquam, quæ ad actionem rectè inſtituendam momentum aliquod habebat, ignorat, & ſic in agendo delinquit. Qua ratione Paulus ait ſe neſciviſſe eum, quem durioribus verbis exceperat, ſummum Sacerdotem eſſe. Abimelechi quoque Saram matrimonio jungere ſibi volentis, quod ipſe Deus ab eo in ſimplicitate cordis factum eſſe teſtatur, delictum huc pertinet. Quin & Lothi inceſtus: quanquam hic gravius peccavit. Et hæc propriè per imprudentiam facta dicuntur. Prudentiæ enim eſt & imprudentiæ, circa factorum ſingulorum circumſtantias verſari. Hujuſmodi facta ad voluntaria propius accedunt, quantò facilius fuit rem, quam ignorabas cognoſcere, & quantò minor cognito errore, dolor conſequitur. Nam quod factum placet, id, antequam fieret, placuiſſe cenſeri debet, & ſic voluntariè propemodum factum. Contrà autem, quo difficilius fuit, rem cognoſcere, facilius autem errare, homini etiam circumſpecto, & in actionibus cauto; tanto minus cenſeri debet voluntarium. At in omnibus iſtis exemplis à nobis commemoratis potuiſſet ab eo, qui ſummam diligentiam & cautionem adhibuiſſet, error vitari. Unde videmus, quædam ex iſtis digna plagis reputata, & pœnis aliquibus vindicata, ut de ſervo iſto per ignorantiam peccante, & de Abimelecho legimus: quod nullo modo dictum factumve fuiſſet, ſi error aut ignorantia nulla ratione potuiſſet evitari. Iniquum enim eſt eum plectere, qui non potuit non facere, id quod fecit. Interim tamen quia facilior hîc fuit lapſus, & aliquæ ignorantiæ cauſæ, ita ut difficilius error poſſet evitari, facti gravitatem haud parum minuit, & ei veniam aliquam conciliat ignorantia, nec patitur, ut id per malitiam factum fuiſſe cenſeri debeat. Et ne quis id ibi tantum habere locum putet, ubi non juris ſed facti ſolius eſt ignorantia, Paulus quoque ait, ſe cum blaſphemus & contumelioſus & Eccleſiæ perſecutor fuiſſet, miſericordiam fuiſſe conſecutum, quia id ignorans fecerit in incredulitate: 1 Tim. 1. 13. Quæ ignorantia non tantum facti erat, ſed etiam juris. Et tamen idem teſtatur Actor. 23. 1, bona conſcientia ſemper ſe coram Deo verſatum, quæ cum malitia maximè pugnat. Quapropter videmus hujuſmodi ignorantiam factum excuſare, ejuſque gravitatem minuere, & veniæ facilius conſequendæ cauſam quandam eſſe; atque efficere, quo minus facta aliqua ex mera malitia profecta cenſeri debeant: licet interim Deus jure potuiſſet Paulo miſericordiam ſuam non exhibere, præſertim tantam quantam exhibuit, niſi

forte

forte ſponte ſua ſe ad Deum convertiſſet; quo facto gratia divina nihilominus eguiſſet, ut nunc quoque eguit.

Quod ad imbecillitatem attinet, delicta ex illa proficiſci dicuntur, quum quis iis rebus ſuccumbit, quas ſuperare difficile eſt, & quibus plerique homines ſuccumbere ſolent. Fit autem id duplici ratione. Primum cum vehemens aliquis affectus, a re externa excitatus, à recto curſu quempiam abripit, præſertim ſi magna ſit rei illius externæ, quæ affectum concitat, vis, aut homo aliàs ad eum affectum proclivior, & præterea ex improviſo aliquid obtingat, ut conſilium expedire per temporis brevitatem, & affectui reſiſtere non facile queas. Talia ſunt interdum facta ex ira, aut timore, aut dolore nimio profecta. Deinde cum nimis laborioſum & arduum videtur quippiam, idque vel per ſe, vel habita ratione conſtantiæ. Per ſe, cum v. g. reſiſtendum eſt hominum potentum iniquitati, aut veritas in conſpectu adverſariorum & cum periculo profitenda, aut res chariſſimæ veritatis cauſa relinquendæ. Ratione conſtantiæ, cum in ſingulis quidem factis non eſt magna difficultas; eſt tamen in conſtantia & perſeverantia, cum homines plerique à labore ad otium & ignaviam ſint procliviores, & arduum admodum ſit, eundem in vita curſum ac tenorem ſemper ſervare. Quo pacto difficile eſt ſine intermiſſione orare; cum orare ſimpliciter non ſit arduum. Sic etiam homini aliàs manſueto difficile, nunquam præter decorum iraſci; etiamſi alioqui non iraſci ipſi videatur facile; & ſic de cæteris quoque judicandum. Et huc quoque incuria hominibus pleriſque familiaris, in rebus præſertim, quæ minoris videntur eſſe momenti, referri poteſt, cum ea ignaviæ quædam pars ſit. Horum quoque factorum gravitatem, imbecillitas virium noſtrarum, quas ad pietatem habemus, minuit, ita ut ex mera malitia profecta dici non debeant, & veniam conſequi ſoleant aut poſſint, idque tanto facilius, quanto difficilius fuit ſibi à peccato cavere, & difficultatem quæ in virtute erat ſuperare.

Ex his jam colligi poteſt, quinam habitus, ſeu conſuetudo vitioſa, veram malitiam ſecum habeat conjunctam, quæ verò minus. Conjunctam habet illa, cum quis plane voluntariè prava ut plurimum, aut etiam ſemper facit: Non habet conjunctam, cum ſecus. Interim tamen quo propius facta alicujus habitus ad prorſus voluntaria accedunt, tantò major habitui ineſt improbitas. Quod ſi facta media ſeu mixta à plane voluntariis parum abſint, nihil abeſſe videntur, & ſic habitus quoque cum vera malitia conjunctus dici debet, vel potius ipſa malitia eſſe: qualis habitus ſeu agendi conſuetudo peccatum ad mortem dici videtur 1 Johan. 5. Quæ vero aliquam ignorantiam aut imbecillitatem habent conjunctam, ea dici videntur peccatum non ad mortem.

Reliquum eſt ut de Conſcientia, quam Deus internam & proximam conſiliorum & actionum noſtrarum normam ac regulam eſſe voluit, & quendam officii noſtri veluti exactorem ac judicem, agamus. Duplex enim conſiliorum & actionum noſtrarum omnium ad mores pertinentium norma eſſe debet: altera Principalis, quæ ſemper recta eſt, Chriſti doctrina: altera ſecundaria & ad eam directa. Illa externa eſt, & à conſiliis noſtris remotior: hæc propinqua & interna, quæ tum demum recta eſt, quando cum priore iſta uſquequaque convenit: habetque ſe res perinde, atque ſi magiſtratus publice certam aliquam rerum menſuram, veluti ulnam, aut decempedam, aut pondo, proponat, ad quam menſuræ omnes privatæ conformari debeant; qua menſura publica nemo quicquam rerum earum, quæ venduntur aut emuntur, metiatur, ſed tantummodo, menſura ſua privata ad eam conformata, illâ poſtmodum res ſingulas metiatur, & rectè quidem, ſi menſura illa privata publicæ uſquequaque ſit conformis, malè vero ſi non ſit. Sic Deus legem ſuam in doctrina Chriſti publicè omnibus propoſuit, tanquam conſiliorum & actionum omnium normam, qua ipſa nemo revera uti poteſt, niſi quatenus conſcientia uniuſcujuſque, quæ inſtar privatæ normæ eſt, qua conſilia & actiones noſtras proximè metimur, eam agnoſcit. Rectè autem privata hac noſtra norma utimur, in metiendis conſiliis & actionibus, ſi normæ divinæ omni ex parte ſit congrua; male verò ſi minus. Quemadmodum autem publicæ menſuræ à magiſtratu propoſitæ, pro varietate temporum, uſu ita exigente, poſſunt eſſe variæ, & nunc exactiores, nunc minus exactæ; ita etiam in norma divina actionum noſtrarum contingit. Nam ante Chriſtum, temporum ratione id exigente, ea fuit imperfectior, & rurſus paulò exactior ſub Veteri fœdere, minus exacta ante illud fœdus, exactiſſima autem ſub Novo fœdere, hoc eſt ipſa doctrina Chriſti. Quemadmodum porro privatæ menſuræ eſſe poſſunt ante publicas, aut, publicis extantibus, ad eas tamen quacunque de cauſa non conformari, ſed privato hominum judicio conſtitui: ita etiam conſcientia extare potuit ante legem ſeu normam divinam, &, lege iſta propoſita, nihilominus ad illam non conformari, ſed ratione uniuſcujuſq; aut conſenſu multorum conſtitui. Quemadmodum denique ibi, ubi publica illa menſura à magiſtratu propoſita non habetur, privatis tantum utimur, & ſatius tamen eſt, eas extare, & in uſu communi verſari, quàm nullam plane; nec fieri poteſt, ut privatæ ab ea, quam magiſtratus vel propoſuit, vel propoſiturus eſſet, plane diſcrepent, licèt nunc propius nunc longius ab ea recedant; & jure poteſt Magiſtratus venditorem punire, quod ſua ipſius menſura in re metienda & vendenda non fuerit uſus, etſi tandem ea à publica fuerit diverſa, ſiquidem ipſemet ſibi veluti hanc legem ſua voluntate fixit, ut ſua iſta norma ac menſura utatur. Ita etiàm, lege divina vel non extante, vel non recepta cognitave, ſua quiſque conſcientia, tanquam privata menſura, in actionibus uti debet, nec poteſt ea in univerſum, niſi jam conſcientia eſſe deſinat, & rationis lumen, honeſti ac turpis diſcrimen, à natura mentibus noſtris inſculptum prorſus extinguatur, à lege divina recedere: ac Deus hominem quemvis poteſt punire, quòd conſcientiæ ſuæ judicio non ſteterit, ejuſque dictamine in actionibus ſuis moderandis non fuerit uſus, & legem ſuam, quam partim natura, partim voluntas ipſius conſtituit, ipſemet non ſervarit. Quo pertinere videtur locus Rom. 2. 15.

Animadvertendum autem eſt, normam conſcientiæ noſtræ non unam eſſe, ſed duplicem potiſſimum, ita ut una ab altera pendeat. Norma altera eſt lex divina hominibus patefacta, & hodie quidem, quæ in doctrina Chriſti eſt propoſita. Sed hujus normæ iterum altera norma eſt, eaque pro diverſitate legum duplex. Aliæ enim leges ſunt, quæ ipſa rei natura, ac ratione certa perpetuaque nituntur, quas naturales poſſis appellare, ob cauſam allatam, non propterea quod omnibus naturaliter ſint notæ: aliæ poſitivæ, in quarum numero Ceremoniales, quæ non tam ex ipſa natura pendent, & certa perpetuaque ratione nituntur, quam voluntate Legum-latoris, nempe Dei. Qua de cauſa dogmata ſive placita appellantur. Priorum ergo legúm norma eſt ipſa natura, quæ aliquo modo etiam abſque revelatione divina hominibus nota eſt, & ſic leges etiam illæ, quæ inde pendent. Hujus autem generis ſunt omnia ferè Chriſti præcepta, quorum norma eſt excellentia naturæ noſtræ, qua à brutis diſtinguimur, relata ad finem illum, quem nobis Deus vel naturaliter, vel ſupra naturæ noſtræ curſum præfixit, & ad quem impetum quendam & inclinationem à primo ortu nobis inſevit. Itaque conſcientia noſtra aliquo modo etiam abſque revelatione, ad eam normam, quæ divinis mandatis ſit conſentanea, conformari poteſt, imo omnino conformatur, niſi quis à natura ſua prorſus degeneret: & hinc conſcientiæ vis in iis etiam hominibus eſt, quibus revelatio non contigit. Quod ad leges poſitivas attinet, eas non niſi caſu poteſt conſequi homo ſine revelatione divinæ voluntatis, quæ per ſe nos latet, atque imprimis leges Ceremoniales, quæ minimum habere videntur è naturali. Aliæ enim ad uſum communem comparatæ, ad naturam propius accedunt, & ſponte noſtra facilius cognoſcuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sed jam tempus eſt ut quid ſit Conſcientia & quotuplex videamus.

Quod ut tantò rectius præſtemus, vocis notatio ſeu Etymologia conſideranda eſt. Conſcientia igitur ſi vocis originem ſpectes, ſignificat ſcientiam ac notitiam alicujus rei, quam cum alio communem habeas: quo pacto nemo propriè ſibimetipſi alicujus rei dicitur eſſe conſcius, ſed tantum alteri. Verumtamen quia unus idemque homo duplici ratione conſiderari poteſt, & ſic à ſemetipſo quodam-modo diſtingui, (aliter enim conſideratur, quatenus quippiam facit aut decernit; aliter quatenus de ſuo facto aut decreto judicat, aut illud memoria tenet; quorum illud voluntatis eſt propriè, hoc rationis ac memoriæ;) ideo uſus obtinuit, ut quiſpiam ſibimetipſi alicujus rei conſcius eſſe dicatur, & conſcientiæ nomen uſurpetur pro judicio cujuſque hominis proprio de ſuis ipſius factis. Nec dubitamus hanc quoque ſignificationem propriam appellare. Similitudine res fiet manifeſtior. Voluntas noſtra inſtar judicis eſt, diverſas partes inter ſe diſceptantes audientis; aut inſtar ejus, qui ipſe conſilii inops, alios in conſilium adhibet, ut tandem certi aliquid concludat, quod ſibi faciendum ſit. Ea pars, quæ argumentis utitur ex legibus & ratione virtutis depromptis, & iis in ſuam ſententiam judicem vel conſultorem pertrahere conatur, & aliquo modo etiam trahit, conſcientiæ inſtar eſt. Illa pars quæ argumentis utitur ex utilitate, aut jucunditate, aut honore petitis, inſtar appetitus eſt. Jam ſi fiat, ut utraque pars conciliari poſſit, nil fit contra conſcientiam. At ſi non poſſint conciliari, tum judex aut conſultor, vel ſecundum eam partem fert ſententiam, quæ leges ac honeſtatis rationes urget, vel eam quæ mundi bona & ad appetitum pertinentia. Prius ſi fiat, ſecundum conſcientiam decernitur; ſi poſterius contra conſcientiam. Verum quia fieri poteſt, ut utraque pars leges urgeat, & ipſa honeſtate ſe defendat, tum dubius judex manebit, & inſtar dubitantis conſcientiæ erit; &, ſi rectè ſe gerere velit, non debet litem decidere, ſed ſuſpendere ſententiam, veterique formula dicere, ſibi non liquere. Quod ſi nihilominus litem decernat, re adhuc dubia: non poteſt id ſine injuria alterius partis facere; ſiquidem hoc præjudicium quoddam eſt, aut perſonarum acceptio, cum cauſis aut rationibus exiſtentibus æqualibus, inæqualis tamen fertur ſententia. Sic etiam, ſi voluntas, dubitante conſcientia, & in alterutram partem rationes firmas afferente, aliquid decernat, id ſine violatione aliqua honeſti, quæ in altera parte cernitur, contra quam ſententia fertur, fieri non poteſt.

Jam quod attinet ad ſignificationem hujus vocis, quæ hujus loci propria eſt, ea non una eſt, ſed multiplex. Sumitur autem nunc propriè, nunc impropriè. Et propriè iterum vel laxè vel ſtrictè. Proprie & laxè accipitur pro judicio de factorum noſtrorum qualitate ac merito, hoc eſt, de eorum vel rectitudine ac bonitate, vel pravitate ac malitia, atque inde etiam de eorum dignitate, ad laudem vel vituperationem, præmium vel pœnam relata, quam meritum appellamus. Poſſes eam, ita quoque definire, manente eadem ſententia: Conſcientia eſt judicium de factis noſtris moraliter conſideratis. Moraliter autem conſiderantur, ratione rectitudinis & pravitatis, & meriti inde pendentis. Judicium autem illud in approbatione conſiſtit, adeoque non eſt nuda rationis & intellectus ſententia, ſed ejuſmodi, quæ voluntatis quendam aſſenſum & inclinationem eo propendentem, quo intellectus ducit, ſecum trahat.

Strictè ac propriè ſumitur conſcientia, pro judicio iſtiuſmodi, quale jam deſcripſimus, facta noſtra conſequente. Nam conſcientia latè ſumpta, tum antecedit & comitatur facta noſtra, tum ea ſubſequitur. Verum quia ejus vis poſt factum major eſſe ſolet, quam ante factum, aut in ipſo facto, ideo κατ' ἐξοχὴν conſcientia dicitur judicium de factorum noſtrorum præteritorum merito. Nam ante factum, aut facti conſilium ac decretum, aut in ipſo facto, judicium rationis non ita eſt liquidum ac validum, affectibus nebulam menti objicientibus, & eam turbantibus, voluntatemque in ſuas partes trahere nitentibus. At ubi factum præteriit, affectuum violentia cedere & paulatim deferveſcere ſolet; quo facto ratio tanto majorem vim habet, & animum ac voluntatem noſtram penitus occupat, ac vel voluptate vel dolore afficit, ac ſpe bona implet, vel metu percellit. Patet id imprimis in malefactis. Nam cum ad ea affectus aliquis voluntatem abripuerit, contra rationis dictamen ſeu judicium, ſeu contra conſcientiam, poſtquam jam commiſſo delicto ſatiata eſt cupiditas & affectus, hic quidem langueſcit aut etiam penitus cedit, at ratio ante ſpreta, vim ſuam tum recipit, & voluntatem ſeu cor hominis, quod cupiditati paruerat, ſententia ſua ferit ac percellit, ac graviſſimè reprehendit. Unde acerrimus in animis, præſertim non corruptis, immo etiam in corruptiſſimis, cum ſcelerum turpitudo nimis eſt manifeſta, conſequitur dolor aut cruciatus, & ſupplicii metus.

Hinc jam impropriæ vocis ſignificationes oriuntur. Quia enim hoc judicium de factis antecedentibus eorum memoriam habet conjunctam, & nunc voluptatem, nunc dolorem, nunc ſpem, nunc metum parit, hoc nomine ipſam etiam voluptatem, aut memoriam, aut dolorem, ſpem ac metum conſequentem, unà cum ipſo de factis noſtris judicio, nonnunquam comprehendimus. Qua de cauſa nonnulli aſſerunt conſcientiam tum accuſatoris, tum defenſoris, tum teſtis, tum judicis, tum denique executoris ſententiæ, & in malis quoque carnificis partes agere. Deinde ipſum quoque ſubjectum hujus conſcientiæ, ſeu facultas animæ, in qua hoc judicium ac voluptas & dolor illud conſequens, reſidet, Conſcientiæ nomine ſignificamus interdum, ut cum Paulus ait, 1 Cor. 8. 12, illos qui libertatis ſuæ intempeſtivo uſu infirmos ad aliquod factum adigunt, de quo tamen dubitant, num ſibi id liceat nec ne, verberare & percutere infirmam conſcientiam eorum, & conſcientiam illorum hoc pacto pollui: ℣. 7. Sic dicimus etiam conſcientiam alicujus excruciari, pro eo, quod dicendum fuerat, animum alicujus conſcientiæ vi ac ſtimulis excruciari. Hæc de Conſcientiæ natura.

Quod ad Diviſionem attinet, ea vel ex forma modoque loquendi, vel ex re ipſa petitur. Prior, quæ diſtinctionis potius, quam diviſionis nomen meretur, eſt, quod conſcientia interdum ſimpliciter efferatur, interdum cum adjectione, expreſſo nempe eo, ad quem conſcientia reſpicit, quem revereatur & offendere metuat. Tales loquendi modi duo potiſſimum occurrunt, nempe conſcientia Dei: 1 Petr. 2. 19 & ſeqq. & conſcientia Idoli: 1 Cor. 8. 7. Quarum illa in laude, hæc in vitio ponitur: vel (ſi mavis) prior illa recta eſt, hæc erronea. De priori loquendi modo nil opus eſt addere: de poſteriori conſtat ex loci citati circumſtantiis, & maximè ex oppoſitione. Nam conſcientia idoli opponitur conſcientiæ illi, cujus antea facta fuerat mentio eodem verſu, explicata à ℣. 4 & ſeqq. nempe quòd idolum nihil ſit in mundo. Unde conſequitur ea etiam, quæ idolis offeruntur, per ſe non diſtingui ab aliis vulgaribus cibis, nec ideo, quia illis oblata fuerint, pollui, ita ut illis homini Chriſtiano veſci non liceat. Quare conſcientia idoli tale erat animi judicium, quòd idolum ſit aliquid, id eſt, vim poteſtatemque divinam habeat, ob quam illud ſit reverendum, non irritandum, adeoque idolothyta polluant, ut iis jam veſci non liceat his, qui illius cultum aliàs abjecerint. Poſſunt huc referri illa Apoſtoli verba Actor. 24. 16. ubi de in-offenſa conſcientia apud Deum & homines agit.

Quod ad rem ipſam attinet, duplex tradi poteſt Conſcientiæ diviſio, prout ipſa etiam duplici modo conſiderari poteſt. Nam conſcientia vel conſideratur reſpectu normæ ſuæ, cui conformis eſſe debet: vel reſpectu factorum, circa quæ occupatur, & quæ ipſimet conſcientiæ tanquam normæ ſuæ conformia eſſe debent. Priori modo conſiderata vel verax eſt & recta conſcientia; vel erronea & prava; vel denique media ſeu

dubia,

dubia, quam Paulus infirmam vocat. Verax & recta eſt, cum normæ ſuæ eſt congrua: Erronea ac prava, cum ſecus. Dubia cum adhuc ambigit, ac inter duas ſententias pendet, neutram firmiter amplexa. Nam etiamſi vocis conſcientiæ naturæ repugnare videatur, eam eſſe erroneam, aut etiam dubiam ac fluctuantem: cum ſcientia unde nomen componitur, notitiam veram, certam ac conſtantem ſignificet; unde nonnulli judicium de noſtris factis, aut etiam de faciendis erroneum, non conſcientiam, ſed coignorantiam potius dicendam putarunt; tamen uſus hîc potius, qui infra confirmabitur, quam vocis natura ſpectanda eſt, ſtatuendumque à potiori factam eſſe denominationem. Negari enim non poteſt, judicium rectum ac minime fallax de factis noſtris, conſcientiæ nomen, ſi vocis naturam & originem ſpectes, magis mereri, & hujuſmodi judicium ac conſcientiam, præ cæteris, quæ eodem nomine appellantur, excellere, non tantum natura ſua, verum etiam eo, quod ſoleat eſſe frequentius, atque inde ad alia etiam de factis noſtris judicia, ſive erronea ſive etiam dubia atque incerta traductum eſſe: ita ut Scientiæ nomen in voce compoſita conſcientiæ nil aliud denotet, quàm ſcientiam, perſuaſionem, inductionemve animi, qualiſcunque ea ſit, ſive vera, ſive falſa, ſive certa, ſive incerta; præſertim cum vis ejus rei, quam conſcientiæ nomine denotamus, ſi generatim conſideretur, non in veritate ſententiæ, ſed in ſcientia aut perſuaſione de factorum noſtrorum qualitate ſimpliciter conſiſtat. Quare, ut concludamus, ſi vocis originem ſpectes, impropriè dicetur conſcientia, quæ vel erronea eſt vel incerta: ſed ſi uſum & intentionem illorum, qui vocem hanc vulgo uſurpant reſpicias, non minus propriè, quam ea quæ recta eſt. Adde quòd ſcientia iſta, quæ nomine conſcientiæ includitur, poſſit per ſe intelligi de memoria, atque adeò notitia certi alicujus facti noſtri, quod à nobis profectum, non poſſimus ignorare, licèt in judicio de illo facto errare queamus: quemadmodum etiam propriè dicimus, quempiam eſſe conſcium alicujus facti, aut conſilii, non quòd in judicio de eo non erret, ſed quòd ab eo ſciat illud aut cogitatum aut ſuſceptum. Atque hoc tanto magis admittendum eſt, quòd conſcientiæ vocem ſoleamus uſurpare de judicio facta noſtra conſequente, adeóque cum certa eorum memoria conjuncto. Atqui tam poſſumus meminiſſe factorum noſtrorum, de quibus male judicamus, quam eorum, de quibus rectè.

Poſteriori modo conſiderata conſcientia, quatenus nimirum refertur ad conſilia aut facta noſtra, quæ illi conformia eſſe debent, ea iterum duplex eſt, vel enim approbat facta noſtra ac conſilia, vel vituperat ſeu improbat. Si approbat, conſcientia dicitur eſſe bona, aut pura: & facta conſiliaque noſtra profecta ex conſcientia dicuntur. Si improbat, mala, interdum cauteriata, 1 Tim. 4. 2. vel potius homines ipſi reſpectu conſcientiæ cauteriati, quia non ſecus ac maleficis in fronte inuri ſolent ſtigmata, ita iſtorum hominum conſcientiæ nota quædam maleficii ſit impreſſa; quia ipſa illorum conſcientia eos coarguat, ipſos falſa aliis tradere. Facta verò à tali conſcientia improbata, malâ conſcientiâ vel contra conſcientiam, præſertim ſi conſcientia conſtanter ac penitus ea repudiet, admiſſa dicuntur. Eſt enim intelligendum malam illam conſcientiam duplicem eſſe. Nam vel perfectè mala eſt, vel imperfectè. Perfectè, cum prorſus improbat voluntatis decretum, aut actionem à nobis profectam, nec dubitat, quin ea ſit mala: imperfectè, cum dubitat, adeóque ex parte tantum improbat, licèt hujus etiam tanta vis ſit, ut omnia facta inde profecta, mala cenſeri debeant, & pro peccatis habenda, etiamſi per ſe mala non ſint, imo etiam bona. Utraque autem, hoc eſt, tum mala, tum bona conſcientia conſtitui poteſt duplex; altera ut actus, altera ut habitus, vel ſaltem ut habitum conſequens. Et hæc poſterior iterum varia eſt, prout habitus ſive virtutum ſive vitiorum ſunt perfectiores, & propterea vel refertur conſcientia ad ſingulos habitus ſeorſim ſumptos, vel ad omnes ſimul junctos. Unde interdum per excellentiam conſcientia bona dicitur, & ejus interrogatio in Deum, dicitur eſſe baptiſmus ille, per quem ſervamur. Quæ interrogatio bonæ conſcientiæ in Deum duplici modo poteſt accipi. Nam interrogatio iſta in Deum, vel cauſa eſt efficiens bonæ conſcientiæ, vel effectus. Cauſa efficiens, ſi ſumatur pro ſtipulatione quadam cum Deo, quæ nobis intercedit, ſeu pactum ac fœdus, quod cum ipſo certis conditionibus inimus. Nobis enim Deus immortalitatem promittit, nos contra Deo pietatem & ſalvam bonamque conſcientiam, quæ cum illa in iis, qui veritatem bene norunt, individuo nexu cohæret. Nam ſtipulatio eſt interrogatio quædam, qua alteram partem ad quippiam nobis præſtandum obligamus, & ſic contractum quendam cum illo inimus. Interrogatio autem in aliquem, qua phraſi utitur Petrus Hebraica conſuetudine, idem poteſt ſignificare quod interrogare aliquem, ſeu ab aliquo ſtipulari. Dicunt enim Hebræi *ſchaal belohim* interrogavit in Deum aut in Deo, pro interrogavit Deum. Qua de re videatur Beza in hoc Petri loco. Quare hic erit ſenſus verborum Petri; Baptiſmus nos ſervat, hoc eſt, non ablutio ſordium corporis, ſed pactum iſtud, quod cum Deo inimus, conſcientiam noſtram ab omnibus ſordibus corporis repurgans: quod quidem pactum per reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti confirmatum eſt, per quam eam ſumimus fiduciam, ut à Deo audeamus ſtipulari, eumque ad vitam æternam nobis dandam quodam modo obligare, ſi conſcientiam integram ſalvamque ei præſtiterimus. Effectus autem erit bonæ conſcientiæ, ſi ſumatur pro ea animi fiducia, quam nobis largitur bona conſcientia, qua audemus à Deo jam perfectiori quadam ratione ſtipulari, & ad promiſſum nobis præmium exhibendum illum obligare: quaſi ita dicamus; Annon jam nobis dabis, ô Deus, illam felicitatem, quam piis omnibus promiſiſti, & reſurrectione Jeſu Chriſti confirmaſti: quandoquidem nos ſanctè vivendo integram rectamque conſcientiam ſervaverimus? Probabilem reddit hanc expoſitionem collatio hujus loci cum verbis Joh. 1 Epiſt. cap. 3: *Si cor noſtrum nos non condemnet, fiduciam* (Græce παῤῥησία eſt, ſeu loquendi quædam audacia, quæ interrogationi huic in Deum rectè reſpondet) *habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Nec obſtat, quod hæc interrogatio conſequens quoddam ſit illius ablutionis ſpiritualis, per quam ſervari nos ait Petrus. Nam interdum per Metonymiam cauſa de effectu, aut contra effectus de cauſa prædicari ſolet. Ut Epheſ. 2. 14, 15: ubi inimicitia inter Judæos & gentes prædicatur de medio pariete ſepimenti, hoc eſt, de lege Ceremoniali, qua duo iſti populi inter ſe diſpeſcebantur. Maluit autem Petrus hoc pacto loqui, quàm ablutionis ſpiritualis facere mentionem expreſſam; quia hoc pacto egregiè explicuit, quouſque in iſta ablutione ſpirituali progrediendum ſit ei, qui ſervari velit; nempe eouſque, ut hanc, quam diximus, fiduciam ex rectâ conſcientiâ in animo ſuo naſci ſentiat. Interim tamen nec ablutionis mentionem, tacitè quidem, ſed non admodum obſcurè facere neglexit, cum bonæ conſcientiæ fecit mentionem, quæ nulla eſt niſi ablutis animi ſordibus. Unde pietas, in qua ablutio iſta revera conſiſtit, dicitur purgatio conſcientiæ noſtræ ab operibus mortuis ſeu mortiferis: Heb. 9. 14: aut aſperſio cordium à conſcientia mala: Heb. 10. 22. Quanquam ibi iſta aſperſio cordium à conſcientia mala, pietatis tantum pars conſtituitur, nempe ea, quæ in animo latet, quæ quidem eſt princeps & fundamentum externæ, quæ exprimitur illis verbis, *Et abluti corpus aquâ purâ.*

Ad hæc melius intelligenda, difficultates quædam, quæ circa ea occurrunt, ſunt expediendæ. Primum igitur de iſta, quam conſtituimus, conſcientia bona, quæritur; An omne judicium de noſtris factis, ſi ea approbet, atque honeſta judicet ac licita, conſcientiæ bonæ nomen mereatur, nec ne? Dubitationis cauſa eſt, quia, ut ſupra diximus, conſcientia noſtra ſeu judicium de factis noſtris interdum errare poteſt, quum nempe

normæ ſuæ, qualis eſt doctrina Chriſti, non eſt conſentanea, & ſic, quod illicitum eſt, pro licito & honeſto habere poteſt. At ea conſcientia quæ inhoneſtum & illicitum, pro honeſto & licito habet ac approbat, bona conſcientia dici poſſe non videtur. Quod tum per ſe manifeſtum eſt (ſiquidem tale judicium malum videtur; idem autem bonum & malum eſſe nequit) Tum exinde videtur patere, quòd ſacræ literæ ſatis indicent, ad ſalutem conſequendam, adeoque etiam ad veram ſanctitatem, ſine qua Deum nemo videre poteſt, ſufficere, ut quis bonam habeat conſcientiam. At ſi bona quoque conſcientia ea ſit habenda, quæ in judicando erret, idque nonnunquam graviſſimè: ea ad iſtum finem haudquaquam ſufficiet. Poterit enim locum habere etiam in iis, qui in graviſſimis peccatis hærent, & in iis uſque ad finem perſeverant, quales ſunt aut eſſe poſſunt idololatræ, qui non tantum licitum, ſed etiam ad ſalutem neceſſarium ac Deo perquam gratum eſſe putant id, quod totum eſt idololatricum, ut in Pontificiis hodie cernimus. Reſpondendum eſt, ut in aliis actionibus contingere videmus, ut aliæ ſimpliciter dicantur bonæ, aliæ ſecundum quid; ita etjam de conſcientia ſtatui poſſe. Alia enim ſimpliciter eſt bona, alia ſecundum quid; illa eſt, cum quis non tantum conſilium factumve ſuum approbat, ſed etiam rectè approbat, eaque in re non fallitur: hæc quæ approbat tantum, ſive rectè ſive male; dicitur autem bona, quia jucunda eſt, & conſiliis factiſve noſtris favet, non verò eſt adverſa. Qua ratione dicere ſolemus, quempiam de aliquo bene ſentire, quia illum virum eſſe bonum arbitretur, non quod in eo non fallatur. Sic ergo conſcientia bona dicitur, quòd de facto aut conſilio noſtro bene ſentiat, non quòd rectè. Qua de cauſa etiam dici poſſet, eam non bene ſentire, quemadmodum etiam de eo, qui de altero benè ſentiens fallitur. Nam quatenus fallitur, non benè ſentit: neque quicquam prohibet, unum & idem diverſo reſpectu bonum & malum dicere. Quapropter ſimpliciter bona conſcientia, conſilia etiam & facta ſimpliciter bona parit, eaque ad ſalutem, ſi in omnibus ſit ejuſmodi, ſufficit, veramque ſanctitatem habet conjunctam. Ea verò, quæ eſt ſecundum quid bona, non ſimpliciter bona facta parit, ſed tantummodo ſecundum quid, vel potius non tam bona facta parit per ſe, quam malorum factorum gravitatem minuit, aut efficit ut ea quæ per ſe recta non ſunt, per accidens non fiant mala. Quamobrem dicere poſſumus ſacras literas quum bonæ conſcientiæ tantam vim quantam diximus, tribuunt, ſimpliciter bonam intelligere, non eam quæ ſecundum quid, de qua poſteriori nos locuti ſumus, quum eam conſcientiam bonam diximus, quæ facta & conſilia noſtra approbet. Verum tamen ſi rem penitus paulo conſideraverimus, apparebit ſacras literas, imò etiam communem loquendi uſum, quem illæ, ut in aliis, ita hîc quoque ſunt ſequutæ, rectitudinem & veritatem judicii de factis noſtris non includere bonæ conſcientiæ nomine, niſi per accidens; ſed tantum approbationem veram plenamque factorum & cogitationum noſtrarum, etiamſi tandem fieri queat, ut ea in re fallamur. Unde interdum, cum ſententia noſtra de re aliqua pronunciata ab aliis reprehenditur, tanquam veritati non conſentanea aut iniqua, dicere ſolemus, nos ex bona conſcientia vel pro bona conſcientia judicaſſe; & interdum, licet judices ea de re diverſas atque pugnantes ferant ſententias, quod etiam inter homines valde pios contingit, non audemus dicere quenquam ex mala conſcientia ſententiam pronunciaſſe; ſed potius, ſi eos pro bonis viris habemus, dicimus eos ſecundum bonam conſcientiam judicaſſe, ſed tamen aliquos errore lapſos; aperte indicantes, ibi conſcientiam bonam habere locum, ubi error ſit & ignorantia. Sic, ut ad ſacras literas quoque veniamus, Paulus apertè affirmat, ſe omni bona conſcientia ſe geſſiſſe erga Deum uſque ad eum diem, quo hæc pronunciabat. Actor. 23. 1. Et 2 Tim. 1. 3, ſe à progenitoribus ſervire Deo in bona conſcientia; licet Pauli conſcientia in quibuſdam rebus maximi momenti adeo graviter erraverit, ut etiam ſe peccatorum primum dicere auſus fuerit, quia nimirum Chriſtum ejuſque Eccleſiam fuerit perſequutus, & contumelioſe eam tractarit, atque in Chriſtum fuerit blaſphemus. Ex quo illud etiam apparet, quod ſupra aſſeruimus, conſcientiam quoque ibi eſſe poſſe, ubi ignorantia eſt & error, ſcientiam verò non, ſi propriè loqui velimus. Unde ipſe quoque, ut alibi notavimus, ait, ob id ipſum etiam ſe miſericordiam conſequutum, quia ignorans fecerit in incredulitate. Quare cum alibi ſacræ literæ aſſerunt, bonam conſcientiam ad ſalutem æternam ſufficere, & ſanctitatem veram ab ea abeſſe non poſſe: intelligendum eſt, id dici reſpectu eorum hominum, qui doctrinam Chriſti bene habent cognitam, & ſic quæ rectè, quæ malefacta, optimè norunt diſcernere, ſuaque etiam facta ad normam doctrinæ Chriſti diligenter exigunt. Itaque rectitudo iſta judicii voce bonæ conſcientiæ non includitur, ſed ejus reſpectu per accidens eſt, & in locis, ad quæ reſpicimus, præſupponitur.

Secundò, de eadem, quam conſtituimus, conſcientia quæritur; An ea ſemper ſit ſequenda, nec-ne? Cauſa dubitationis; quia, quemadmodum diximus, ea errare poteſt, & quidem graviſſimè, & peccatum aliquod licitum judicare, imo neceſſarium. Attamen ſequendam eſſe id docet, quod ea proxima ac propinqua factorum omnium norma ſit, ab ipſo Deo eum in finem conſtituta: &, ut paulo inferius docebimus, nullum factum rectum eſſe poteſt, & Deo probari, etſi ſua natura bonum ſit, ſi conſcientiæ repugnet, imo etiam, ſi hæſitante conſcientia tantum fiat. Nos affirmamus, conſcientiam quidem ſemper eſſe ſequendam; verum tamen dandam etiam eſſe operam, ut conſcientia ſit recta, & normæ ſuæ per omnia congrua; nec committendum, ut per noſtram negligentiam errorem de rebus faciendis concipiamus. Nam aliàs peccatum evitari non poteſt, ſive ſequaris conſcientiam, ſive non ſequaris: quæ hominis conditio eſt miſerrima. Nam ſi ſequaris; rem admittes per ſe malam, & Dei voluntati ac præceptis adverſam; idque tua culpa, ſiquidem errorem evitare potuiſſes, ſi eâ, quam ea in re adhibere debuiſſes, uſus fuiſſes diligentiâ. Qua de cauſa etiam Dominus Jeſus monet, ut videamus, ac diligenter attendamus, quid, aut quomodo audiamus: Marc. 4. 24: Luc. 8. 18. Si non ſequaris; itidem à norma factorum noſtrorum ab ipſo Deo conſtituta diſcedis; & haud ſcio, an gravius etiam pecces, cum hinc animi, illinc facti illius pravitas certet ac malitia. At ex animo magis, quam ex ipſa factorum natura per ſe conſiderata illa à Deo viriſque cordatis æſtimari ſolet.

Ex his aliquomodo jam patet, ſolutio ejus dubitationis, quæ de mala conſcientia ex dictis oritur. Quæritur enim quî fiat, cur omnia facta, quæ contra conſcientiam admittuntur, mala cenſeri debeant, cum tamen conſcientia ea in parte falli poſſit, & id improbare, quod probandum eſt, vel ſaltem non improbandum. Cauſa enim jam explicata eſt: quia nimirum facta ejuſmodi à norma ſua naturali, atque ab ipſo Deo mentibus noſtris inſita diſcedunt. At quod à norma ſua diſcedit, rectum non eſt. Confirmatur id verbis Pauli: *Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt:* Rom. 14. ỳ. 23. At quicquid eſt contra conſcientiam, non eſt ex fide, imò contra fidem. Nam id non eſſe ex fide à Paulo dicitur, quod non proficiſcitur ex animi perſuaſione firma, quod ea res ſit licita, & voluntati Dei conformis. At quicquid eſt contra conſcientiam, id eſt contra illam perſuaſionem: ſiquidem conſcientia hæc, de qua agimus, omnino dictat homini id, quod facit aut ſuſcipit, illicitum eſſe, ac divinæ voluntati repugnare; imò illa ipſa animi perſuaſio conſcientia eſt. Quapropter quicquid fit contra conſcientiam, contra fidem fit, adeóque peccatum eſt. Idem comprobant etiam ea verba, quæ eodem loco apud Paulum habentur: *Quiſquis autem dubitat ſi ederit* (nempe num ea res quam facit licita ſit, nec-ne) condemnatus eſt. Unde apparet id pro peccato habendum eſſe, quod dubi-

tante

tante tantùm conſcientia fiat. Quanto ergo magis illud pro peccato habendum erit, quod plane adverſus judicium conſcientiæ fit, & cui illa penitus repugnat? Apparet igitur, conſcientiam normam quandam eſſe factorum noſtrorum, & nihil rectum eſſe poſſe, quod ab ea recedit, utut illa nonnunquam erret, quemadmodum in illis rebus, de quibus Paulus loquitur, fieri poteſt. Probatur id etiam ratione. Iſtud eſt factorum noſtrorum norma perpetua, quod ſi ſequamur, probi, ſi non ſequamur, improbi cenſeri debemus. At talis eſt conſcientia noſtra. Nam eatenus probi cenſemur, quatenus virtutem à nobis cognitam amamus, contra vitium aut turpe, prout à nobis cognitum, odimus. Atqui utrumque horum facimus eatenus, quatenus conſcientiam vel ſequimur, vel non ſequimur. Nam quatenus ſequimur, eatenus virtutem ſeu honeſtatem, quatenus quidem eam cognoſcimus, amamus & colimus: quatenus non ſequimur, eam averſamur, & contrà vitium ſeu turpè amamus: cum conſcientia noſtra nihil aliud ſit, quam ſpecies quædam honeſtatis aut turpitudinis, ſeu ejus cognitio mentibus noſtris impreſſa, & cum actionibus noſtris & conſiliis collata. Quare quatenus conſcientiam ſequimur, honeſtatem amamus & colimus: cum non ſequimur, eam averſamur, & vitium amamus, & ſic probi aut improbi cenſemur; licet poſtea in natura rei ſeu ſubjecto erremus; qui error ſi noſtra culpa ſit contractus, factum ipſum non excuſat, ac proinde peccatum nobis jure imputari poteſt; ſi verò noſtra culpa aut negligentia non fuerit contractus (quod tum fit, cum illud adhibitum eſt à nobis ſtudium, eaque cautio ac diligentia, qualem tum rei magnitudo poſtulat, tum viri prudentes in eodem rerum genere adhibere ſolent) error ille factum excuſat. Quare concludimus, conſcientiam noſtram eſſe normam, à qua abſque peccato recedere non poſſis.

Si dicas, normam illam inflexam ac pravam eſſe, ac proinde non ſequendam, ſed potius hujus ipſius normæ normam, quæ nunquam non poſſit eſſe recta, hoc eſt, verbum divinum, aut ipſam rei naturam, unde omnis virtutum ratio pendet; Non animadvertis, id contradictionem quandam involvere, & præſtitu difficile eſſe. Nam is, cujus conſcientia errare dicitur, vel reipſa ſcit, quænam ſit verbi divini ea de re, de qua agitur, ſententia, vel neſcit. Si ſcit, quomodo ejus conſcientia errat? ſi neſcit, quomodo is verbum divinum eo ipſo tempore ſequi poteſt? Inſtabis; neutrum faciendum eſſe, hoc eſt, nec conſcientiam, nec verbum divinum ſequendum eſſe. At primum hoc quoque tacitè involvit contradictionem. Nam actionem, quam conſcientia approbat, imò facere jubet, vel ſuſcipere eſt neceſſe, vel omittere. Si ſuſcipias, ſequeris conſcientiam: ſi omittas, vel temere id facis & ſine ulla juſta cauſa, vel verbum divinum ea in re ſequeris. Deinde, ut ſimul rationem iſtam, ob quam conſcientiam ſemper ſequendam eſſe antea docuimus, confirmemus, ſi nemo poteſt amare honeſtum ac virtutem, ac contra odiſſe vitium ac peccatum, niſi quatenus conſcientia aliquid honeſtum aut inhoneſtum, virtutem aut vitium eſſe dictet; ſemper dictamen conſcientiæ eſt ſequendum, niſi dicas interdum licere, honeſtum ac virtutem non amare, vitium ac inhoneſtum non odiſſe. At iſtud veriſſimum eſſe inde conſtat. quod vel nec virtutem amare, nec vitium odiſſe quiſpiam poſſit, niſi quatenus illud cognoſcit. Ignoti enim, ut nulla cupido, ita nec amor, nec odium eſt. At cognitio iſta honeſti aut inhoneſti, virtutis ac vitii, à conſcientia reipſa non differt. Nihil enim aliud eſt conſcientia, quam cognitio honeſti aut inhoneſti, virtutis aut vitii ad noſtra conſilia relata; qua fit, ut ea vel approbemus, vel reprobemus. Quapropter qui negat conſcientiam ſemper eſſe ſequendam, & contra eam interdum faciendum ait; is tacitè jubet, ut virtus, quatenus à nobis agnoſcitur, non ametur, & contra id fiat, idque à nobis ametur, quod pravum eſſe ac vitioſum judicamus; quod nihil aliud eſt, quam univerſam virtutis rationem evertere. Quod ſi ſuſpendendam eſſe actionem dicas tantiſper, donec verum agnoſcatur; primo jam diximus, id fieri non poſſe, cum conſcientia jubet omnino aliquid facere, nec quidquam dubitat, quin id rectum ſit, ac tale, ut fieri prorſus debeat. Talem enim conſcientiam nunc ponimus, quæ nihil dubitet. Deinde ſi dicas, in tali caſu ſuſpendendam eſſe actionem; neceſſe eſt ut dicas eam ſemper eſſe ſuſpendendam, etiamſi tandem recti aliquid ſuadeat conſcientia, & certò ſit perſuaſa, ita fieri debere. Nam par utrobique eſt ratio. Si dicas, diverſam eſſe rationem; quia ibi conſcientia male ſuadeat, hic benè: Reſpondeo, jam ex ſuperioribus patere, hoc diſcrimen hîc nullius eſſe momenti; ſiquidem iſte, quem hîc ponimus, illud neſciat, & æquè firma ſit apud ipſum perſuaſio falſa, atque vera. Quare ille non poteſt ullo pacto, quia res ipſa ſit mala, actionem nunc ſuſpendere, & rurſus aliàs quia bona ſit, actionem ſuſcipere. Itaque vel ſemper eſt ſequenda conſcientia, vel nunquam ſequenda, vel ſaltem temerè nunc ſequenda, nunc deſerenda. Quia verò res videtur paulo difficilior, & nonnihil habere difficultatis, (quemadmodum nec nos diffitemur, eum qui conſcientiam mala ſuadentem ſequatur, peccare) ſimilitudine res illuſtranda eſt. Uxori bonæ hoc omnino perſuaſum eſſe debet, ut maritum ſuum verum conjugali amore ſemper proſequatur, nec præterea alium eo amoris genere. Amare autem non poteſt, niſi eundem agnoſcat. Ponamus nunc aliquem eſſe, qui uxori alienæ perſuadeat penitus, ſe illius eſſe verum maritum, quemadmodum in Galliis ſuperiori ſeculo contigiſſe legimus, ita ut ea nihil dubitet, quin is ſit verus ſuus maritus, cum tamen revera non ſit: non poteſt non facere uxor, ſalva iſta regula, de marito, ut decet, amando, quin eum hominem eo pacto amet, quamdiu ita perſuaſa eſt: ut, qui ſecus faciendum eſſe dicit, eum neceſſe ſit perſuadere iſti fæminæ, ut nolit maritum ſuum verum amare, ita ut decet, & ſic ut graviſſimè in conjugalia præcepta peccet. Committet quidem fæmina iſta, dum ſuppoſititium maritum pro vero admittit, id, quod natura ſua turpe eſt: ſed id effugere non poteſt perſuaſione iſta poſita. Quapropter ut illa tandem à peccato liberetur, id unicum tantum reſtat, ut oſtendatur, hunc non eſſe verum maritum, non verò illud ei perſuadendum eſt, ut eum quem pro marito penitus agnoſcit, non amet. Sic etiam ſi conſcientia alicujus dictet, omnino quippiam eſſe faciendum, non eſt ab illo exigendum, ut quamdiu ita ſentit, illud non faciat; ſed curandum eſt, ne ita ſentiat; ſiquidem, hypotheſi iſta poſita, actio omnino ſequi debet. Quare non conſequentia, ut ita dicam, ſed hypotheſis tollenda & evertenda eſt. Quanquam in quibuſdam, præſertim rebus civiliter etiam inhoneſtis aut noxiis, vì aliquis cohiberi poteſt, ne agat; quod cum fit, conſcientia ipſius nihilominus ſalva eſſe poteſt, nec propterea læditur: cum conſilium agendi, ſeu voluntas conſummatiſſima illi relinquatur, & effectus tantum impediatur. Id autem cum fit, conſummata voluntas pro facto apud Deum eſt, quod illi homini ſufficere poteſt. Idque tanto magis videtur ſtatuendum, quòd conſcientia in hujuſmodi rebus errans, id, quod turpe eſt, honeſtum & neceſſarium factu eſſe judicans, vix poſſit in eum cadere, qui ſana mente præditus eſt. Hujuſmodi autem hominum facta, externa vi quadam cohiberi, quanquam rei ipſi & ſaluti conveniente, jure poſſunt.

Si quæras quanam in re iſtiuſmodi hominis peccatum, ſive peccati ratio verè conſiſtat: num in ipſo facto, num in errore iſto conſcientiæ, an in re alia quapiam? Reſpondendum eſt; Primò ac propriè peccatum conſiſtere in negligentia ipſius, aut etiam improbitate quadam, (nam & hoc contingere poteſt) qua factum eſt, ut hic errorem tantum contraheret; quæ negligentia tanto major cenſenda eſt, quanto res ſeu factum ipſum eſt turpius, quantoque manifeſtior eſt ejus turpitudo, ac proinde etiam cognitu facilior. Nam negligentia noſtra, culpa lata vocatur, quæ tanto major eſt, quanto facilior eſt res in qua verſatur. Quapropter ipſius quoque facti natura in rationem peccati venit, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

in cauſa eſt, cur illi homini delictum imputari, & nunc gravior, nunc minus gravis pœna conſtitui queat, quatenus nempe negligentiæ & erroris inde conſequuti gravitatem arguit; aliàs peccati ratio nonniſi conſequenter in ipſo facto eſt; quemadmodum in ſuperiori exemplo delicti, quod uxor decepta committit, ratio non tam in eo eſt, quòd eum, quem pro vero marito habet, conjugali amore proſequatur, quàm quòd eam diligentiam, quam in cognoſcendo marito adhibere debebat, & in re tanti momenti magnam eſſe oportebat, forte non adhibuerit: nam ſi adhibuit eam, & tamen errorem ſuum cognoſcere non potuit, ipſa extra culpam eſt: & licèt factum ipſum, quod errorem conſequitur, natura ſua turpe ſit, tamen ab æquo judice peccatum ei nequaquam imputari poteſt, præſertim ſi agnito errore rem vehementer doleat, quemadmodum ex iis conſtat, quæ de peccatis per ignorantiam admiſſis, tum in Ethicis, tum in ſuperioribus docuimus. Et hinc etiam ratio colligi poteſt, cur Deus olim Abimelechum punire cœperit, quod Saram Abrahami uxorem ſibi matrimonio junxerat, & domum deduxerat, licèt is ab Abrahamo ipſo Saram ſororem ſuam dicente, ipſaque adeò Sara illum fratrem ſuum appellante, fuerit deceptus, & Deus ipſemet teſtetur, eum in ſimplicitate cordis ſui, ac proinde per errorem merum id feciſſe. Nempe quia pulchritudine formæ illectus, & libidinis aut cupiditatis impatientia quadam excæcatus, rem tantam diligenter non inquiſiviſſet, & ſic culpa ſua in errorem illum incidiſſet: præſertim cum non deeſſent aliæ cauſæ, quæ, ſi animum paulum intendiſſet, eum monere poterant, Abrahamum ob metum aliquem non audere apertè profiteri, eam ſuam uxorem eſſe. Nam an Abimelecho id non poterat in mentem venire, aut iis qui circa ipſum erant, ſi conſilium ea in re cum iis iniiſſet, quod Abrahamo in mentem venerat?

Ex iis autem, quæ hactenus diximus, tres aliæ naſcuntur quæſtiones difficillimæ. Prima eſt, Utrum gravius peccet is, cujus conſcientia eo, quo diximus, pacto erret, ſi contra Dei præcepta conſcientiæ ductum ſequatur; an verò contra, ſi Dei præceptum contra conſcientiæ dictamen? Reſpondendum videtur, ſiquidem ex animo noſtra facta potiſſimum æſtimantur, & gravius illud delictum eſt, quod improbiore animo committitur, levius illud, quod ſinceriore; ſaltem generatim loquendo gravius peccari, ſi contra conſcientiam peccetur, quam ſi contra præſcriptum Dei non cognitum. Unde videmus, Deum peccata per ſe & ſua natura graviſſima facile nonnunquam condonare, quia ex ignorantia fuerint profecta, ut in Pauli exemplo ſupra patuit: contra verò non facile remittere, ſed ſeverè etiam punire leviora per ſe peccata, ſed animo malo, aut contra conſcientiam admiſſa. Imo illud etiam ſupra vidimus, quod à Paulo apertiſſimè dicitur, tum Rom. 14. tum 1 Cor. 8. ea etiam pro peccatis à Deo imputari, quæ per ſe ſuaque natura plane ſint licita, nec quicquam mali in ſe contineant, ſi contra conſcientiam aut dubitante tantum conſcientia fiant; ita ut iſtiuſmodi homo, ſi in habitu aliquo ejus rei hæreat, condemnatus & in æternum periturus eſſe dicatur. Unde apparet, peccatorum gravitatem, magis ex animo, quàm ex rei ipſius, quæ fiat, natura cenſeri, & ſic majorem conſcientiæ, quàm præcepti divini non cogniti, cum quo factum aliquod ſua natura pugnet, hac in parte vim eſſe: ſiquidem conſcientia facto alicui ſive firmiter, ſive languidè repugnans, illud ſtatim malum reddit, & ut id à Deo jurè imputari queat, atque adeò ſi in habitum abeat, etiam ſub novo fœdere ad pœnam æternam imputetur, efficit. Contra verò natura ipſa facti per ſe mali non ſemper hanc vim habet, ut factum illud jurè imputari queat: immo ſi nulla animi malitia accedat, nulláque adeo culpa ac negligentia, per quam ignoratio ſit contracta, ipſa natura rei nunquam eam vim habet, ut id nobis ab æquo judice, qualis eſt Deus, imputari queat; quemadmodum vel ex Lege Moſis apparet, de homicidio per ignorantiam admiſſo. Et ratio quoque hujus rei patet, quæ licèt etiam ex ſuperioribus colligi poſſit dictis, tamen & hoc adjicimus: Dei majeſtatem vehementius ab hominibus lædi, ſi quis contra conſcientiam agat, quàm ſi faciat contra præceptum ejus non cognitum. Nam cum quis contra conſcientiam agit, ſi is alioquin Deum agnovit, tum contra id agit, quod Deo ſummo rerum Domino gratum & acceptum eſſe arbitratur, adeoque perſuaſum habet, ſe id facere, quod Deo vehementer diſpliceat. At qui id facit, is apertiſſimè ſuum erga Deum odium prodit. Quomodo enim magis quiſpiam odiſſe Deum poteſt, quàm ſi id ſciens prudens faciat, de quo perſuaſiſſimum habet, id eſſe Deo ingratum, eique valde diſplicere? At contra non poteſt dici, eum odiſſe Deum, niſi forte per accidens, qui contra præceptum ejus non cognitum peccat, utut id faciat, quod alioquin Deo vehementer diſplicet. Nam rem ignotam, ut ſupra diximus, nec amare, nec odiſſe poſſumus, niſi per accidens. Eatenus tantum hîc odium Dei locum habere poteſt, quatenus præceptum divinum, cum poſſemus, agnoſcere neglеximus, & ſic agnoſcere noluimus. Quod tamen odium non poteſt eſſe tantum, quàntum illud eſt, cum contra conſcientiam agitur. Nam ſi eſſet apertum odium, tum eſſet adverſus præceptum cognitum. Quanquam ad odium Dei perfectum firma etiam requiritur cognitio.

Secunda quæſtio, quæ ex dictis oritur, hæc eſt; Quid igitur ſtatuendum eſt de iis, qui conſcientiam in graviſſima re errantem ſequuntur, putantque ſe tum, cum id faciunt, quòd Dei præceptis adverſatur, rem Deo gratiſſimam facere, quales ſunt hodie ex Pontificiis non pauci, & fortaſſe generatim omnes, dum ſimulachra colunt, & talia, quorum cultus lege Dei prohibitus eſt, in iis præſertim locis, ubi non facile controverſia hac de re cietur? Reſpondendum eſt, eos vel occaſionem habuiſſe ad errorem ſuum agnoſcendum, vel non habuiſſe: ſeu illis Deum hac in parte ſuam voluntatem vel revelaſſe, vel non revelaſſe. Si Deus hanc illis revelavit, adeoque occaſionem agnoſcendi errorem præbuit: proculdubio inexcuſabiles ſunt, & jure à Deo puniri queunt. Ita enim Paulus Rom. 1 argumentatur; Homines, qui Deum non colunt, ut Deo dignum eſt, inexcuſabiles ſunt, quia Deus illis cognitionem ſui revelavit; imò in eorum numero èos habet Paulus, qui Deum cognoverint. Patet id etiam ex eo, quod Dominus Jeſus diſcipulis ſuis apud Johannem cap. 16. ℣. 2, prædixit fore, ut quicunque eos occiderit, putet ſe cultum & honorem exhibere Deo, idque propter nomen ejus, quia nec ipſum nec Patrem ejus norunt: quod de Judæis incredulis dictum eſſe, res ſatis monet. At illi graviſſimè & ſummo jure ſunt propterea à Deo & Chriſto puniti, ut ex multis ſacrarum literarum locis patet. Pertinet huc etiam illud Petri Actor. 3, dum ait: Judæos per ignorantiam Chriſtum occidiſſe: & tamen hoc illis pro graviſſimo ſcelere objicitur, cujus remiſſionem à Deo impetrare debeant. Teſtatur etiam Paulus, Rom. 10, Judæos illos, qui in incredulitate perſeverabant, zelum Dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam: & tamen totus ille locus, & tum antecedens, tum ſubſequens caput apertè oſtendit, eos in tanto diſcrimine verſatos, ut etiam fuerint à Deo indurati, ac pœnæ æternæ deſtinati, quanquam fortaſſis nondum prorſus immutabiliter. Id verò propterea potiſſimum, quia ut inferius in eodem cap. docet Paulus, Judæi doctrinam Euangelii audiverant, & ſic occaſionem in Chriſtum credendi habuerant. Mitto alia, quæ hoc loco afferri poſſent. Iſta enim ſufficiant. Quod ad eos attinet, quibus Deus occaſionem eam non dedit, nec voluntatem ſuam hac in parte revelavit, (ſi modo id in idololatria & ſimilibus peccatis locum habere poteſt, ubi ſe rei indignitas ac turpitudo ipſis oculis ſponte ſua ingerit; cum ipſa ratio unumquemque docere queat, non debere hominem, qui viva eſt Dei omnibus rebus imperantis imago, adorare rem ſe longe inferiorem, & inanimatam; idque pro Deo colere, quod ipſe deglutiat, quod mus arrodat, quod putredo conſumat:) diſtinctio videtur

adhibenda. Nam vel error conſcientiæ in iis rebus verſatur, quæ verum Dei aut Chriſti cultum ac pietatem penitus evertunt, & cum ratione etiam ſana pugnant, qualis eſt idololatria, homicidium & perſecutio eorum, qui veritatem profitentur, aut etiam in quibuſdam errant: vel in re aliqua minoris momenti, ita ut error ejuſmodi maximam potiſſimamque religionis ac pietatis partem non evertat, ſed cum ea poſſit conſiſtere; qualis v.g. eſt error de defenſione privata, uſque ad illationem lethi, adverſus eum qui vitam ac fortunas noſtras per injuriam invadit, aut ob religionem nos inſectatur, quum nullum in nos legitimum habeat imperium; aut error de maleficis ſupplicio ſub lege conſtituto afficiendis, & ſi quæ ſunt hujus generis, quæ rationi aliàs non videntur repugnare, imò ei admodum videntur conſentanea. Quod ad priores attinet, de iis idem videtur ſtatuendum, quod de illis, quibus Deus Euangelium ſuum planè non revelavit. Nam perinde eſt, ſive veritatem Euangelii planè non habeas cognitam, ſive talem Euangelii partem, ſine qua cætera omnia nullam ad ſalutem vim habent, adeoque ex vi Novi Fœderis ad ſalutem ſufficere haudquaquam poſſunt. Quemadmodum ergo iſti, quibus Euangelica veritas planè non eſt revelata, ex vi Novi fœderis ſervari non poſſunt: ita nec hi, de quibus agimus. Interim tamen eorum interitus hac quidem in parte, niſi aliis in peccatis, ut fieri prope ſemper ſolet, hæſerint, non pœnæ divinæ rationem habet, ſed naturalis mortalitatis conſequens eſt, quod prohibere Deus nullo jure tenetur, cum non promiſerit. Licet tamen Deo facere hac in parte, quod vult, atque adeò aliquid mitius ſtatuere: nec id omnino repugnat ipſius juſtitiæ & rectitudini, cum in ejuſmodi hominibus vera animi improbitas, atque adverſus eum contumacia non fuerit. Quod ad poſterioris generis homines attinet, ſi illi cæteroquin pietatem præſtent, & præcepta Dei cognita, magno ſtudio exſequantur: probabile eſt omnino, eos vi Novi Fœderis, ſecundum æqnitatem quandam ſumpti, à Deo Chriſtóque ſervatum iri, licèt aliàs, ſi rigide agere velit Deus, eos ſalute poſſit excludere: quia, ſi ſtrictè ſumantur Novi fœderis promiſſa, ea ad illos non ſpectant, ſed ad eos tantum, qui omnia Chriſti præcepta cognoverint & exſequuti fuerint: qua ratione idem de illis foret ſtatuendum, quod de prioris generis hominibus diximus. Qua de re videantur ea, quæ de loco Joh. 5. ℣. 21, alibi diſputavimus.

Tertiò quæritur quid de illis ſtatuendum, quos Deus in reprobum egit ſenſum, & ita excæcavit ob propriam ipſorum culpam ac malitiam, ut jam id, quod rectum eſt, amplius non videant, vel ſaltem tum, cum opus eſſet, non videant; unde fit, ut malitiæ ſponte jam contractæ, ac cupiditatis ſoluto vinculo, in omne nefas ruant: an illi jam amplius peccare cenſendi ſunt, nec-ne, poſtquam ita à Deo fuerunt puniti? Reſpondendum eſt illos omnino adhuc peccare, quatenus non modo res ipſa, quam patrant, natura ſua mala eſt; verum etiam quatenus ipſorum culpa factum eſt, ut judicium rationis illis eriperetur, & ſic nullas amplius vires haberent ad reſiſtendum cupiditati; ac denique quatenus facta iſtiuſmodi erumpunt ex improbitate iſta voluntatis, quam antea ſponte ſua contraxerant, quæ factis iſtis peſſimis antea quidem ſponte, nunc verò etiam neceſſariò delectatur. Culpa enim & peccati ipſius ratio maximè conſiſtit in iis, quæ libere antea facta fuerant; in iis, quæ poſtea neceſſariò, conſequenter ferè tantum. Dico ferè; quia rei ipſius natura cum iis, quæ ante fuerunt facta, etiam conjungenda eſt, eaque culpæ gravitatem auget. Interim tamen quatenus ea neceſſariò poſtea fiunt, pœnæ potius rationem habent, quam culpæ; ea, quæ præceſſerunt, culpæ, non pœnæ. Eodem modo Ariſtoteles quoque ſentire videtur, dum 3 Ethic. docet initia quædam vitiorum in noſtra eſſe poteſtate, ac actiones ante contractum habitum, nempe perfectum, (cum quo conjunctus eſt reprobus ſenſus, ſeu ratio depravata, quæ id, quod turpe eſt, ſequendum judicet, quia jucundum ſit aut utile) liberas eſſe ac plane voluntarias. Eas vero, quæ ſequuntur habitum jam perfectum, poſita tamen occaſione ac facultate peccandi, eſſe neceſſarias; atque ſimiliter ſe rem habere, atque ſi quis lapidem è montis alicujus vertice ſemel impellat, ac deorſum protrudat. Etiamſi enim eum poſtea revocare non poſſis, ejuſque lapſus ſit neceſſarius: totus tamen ille lapidis motus, donec quieſcat, in tuo arbitrio cenſeri debet, quia ejus rei initium in tua fuerat poteſtate, poteraſque impellere vel non impellere; cætera enim primum pulſum facilè conſequentur. Verumtamen nos diſcrimen aliquod ponendum putamus inter eos, quibus reprobum ſenſum tribuimus.

Reprobus autem ſenſus generatim loquendo nihil eſt aliud, quam pravum & perverſum de rebus faciendis aut non faciendis judicium; quod ideo reprobum dicitur, quod nemini ſano aut cordato probari poteſt, aut debet. Contrahitur autem interdum prorſus naturaliter, crebra nimirum agendi conſuetudine, præſertim ſi natura vitioſa eam imbrobitatem adjuverit, acceſſerit mala educatio, malorum exempla plurima, pravum conſortium, occaſiones ad virtutem colendam exiguæ; quibus rebus fit, ut perfectum vitii vel unius, vel plurium habitum quiſpiam contrahat; de quo habitu loquitur Ariſtoteles. Hic autem ubi eſt, ibi perverſum de rebus ad illud vitii genus pertinentibus eſt judicium, cùm in cæteris id poſſit eſſe ſanum, niſi quatenus errorem unum aut plures de rebus certis conceptos alii plerumque errores conſequuntur. De hoc hominum genere loquitur Paulus Epheſ. 4. 17, 18, 19. Interdum partim naturaliter, partim ob judicium divinum reprobus ille ſenſus, ſeu pravum ac perverſum de rebus honeſtis aut inhoneſtis oritur judicium, cum nimirum homines partim ſua ſponte à veritate cœleſti ac pietate ſeſe avertunt, partim Deus illis efficaciam erroris mittit, ut credant mendacio, & hac ratione etiam rectum de rebus agendis judicium, amittunt. Quo pertinet partim locus Rom. 1. partim 2 Theſſ. 2. ℣. 10, 11, 12. Hoc autem Deus potiſſimum ea ratione videtur efficere, quòd hujuſmodi hominibus veritatem cognoſcendi, aut in illa perſeverandi occaſionem, & adjumenta adimit. Deinde cùm permittit, ut homines paſſim variis fallaciis doctrinam veritatis corrumpant, & pro veritate mendacium illis obtrudant. Permittit præterea, ut Satanas hujus mundi doctoribus falſis & prophetis magno ſit adjumento, falſa miracula, & ſi quæ ſunt ſimilia, ad errores ſtabiliendos adjungat, vel etiam, ut his ipſis hominibus peſtiferas ſententias inſpiret, & impias in illis cogitationes, ad quas jam proni ſunt, excitet, & occaſiones varias ad varia etiam ſcelera ſubminiſtret, & ſic illos, quia nihil ejus viribus hac in parte reſiſtit, ſed omnia ſunt ad ejus nutum compoſita, captivos ad ſuam voluntatem ducat. Nam ad hoc, ut dici queat Deum tradere aliquem in reprobum ſenſum, imò etiam mittere alicui efficaciam erroris, hæc, quæ diximus, ſufficiunt. Nam tradere dicitur Deus aliquem in manus hoſtium, quum ipſum deſtituit, & vires ei ad reſiſtendum adimit; contra autem hoſtibus in eam rem intentis permittit, ut id, quod volunt, exſequantur. Mittere autem efficaciam erroris jure dici poteſt propter eaſdem cauſas; quia nimirum ipſius voluntate in hominis pœnam iſtud fit, non verò caſu; licet non eodem pacto, quo mittit beneficia, præſertim ſpiritualia. Neque enim decet Deum ita hominibus mittere errorem, quemadmodum veritatem mittit; ſed eo pacto, quo de Achabo per prophetas falſos, his autem per ſpiritum quendam, Dei voluntate ac permiſſu illos ſeducentem, deceptis, legimus. Haud negaverim tamen, poſſe ipſummet Deum judicium & rationem homini improbo adimere & eripere. Nam cur non liceat Deo id, quod ſuum eſt, quodque inſigne beneficium continet, ab eo, qui peſſimè dono iſto abutitur, repetere, & eum ſuæ cupiditati ac improbitati relinquere penitus: breviter, eum ex homine ratione prædito brutum efficere, ſiquidem ipſe, cum homo eſſet, brutum eſſe voluit, imò etiam infra belluas ſeſe abjecit; & hoc pacto ipſius improbitatem palam traducere, & eam

omnium oculis exponere? Hoc enim haudquaquam de Deo optimo ſtatuendum eſt, eum improbitatem quæ in homine nondum extet, eidem indere; ſed tantummodo eam, quam jam paratam in ipſo invenit, relinquere: eripere autem ea, quæ paululum adhuc illam refrænare, vel metu alicujus pœnæ, vel pudore poterant, ut deinde, effractis repagulis, improbitas, quæ ſeſe tamen aliqua ratione tegere poterat, & hominum ſaltem oculos effugere, apertis poſtea factis ſeſe prodat. Quare quicquid hac in parte improbitatis & malitiæ eſt, id totum eſt hominis: quod autem reditus ad reſipiſcentiam illi non pateat, hoc judicium eſt Dei, qui perinde tum ferre poteſt, hominem in omnium libidinum genere volutari, quam quum brutum aliquod in ſimilibus libidinibus aut voluptatibus ſe volutat. Nam hic ipſe jam, ut diximus, bellua eſt; ſed humana facie. Non eſt autem veriſimile, Deum ordinarie aut etiam frequenter hoc poſtremo uti modo, quum prior ſufficiat; præſertim cum de ejuſmodi hominibus, in quibus reprobus quidam ſenſus extare videtur, aut etiam quos Deus ipſe roprobum in ſenſum tradiſſe dicitur, legamus, iis aliquem reſipiſcentiæ locum reſtare. Confer 2 capitis ad Roman. initium per aliquot verſiculos, cum 2. Tim. c. 2. ỷ. 25, 26.

Sed jam conſiderandum eſt, An in hujuſmodi hominibus conſcientia ſit aliqua, nec-ne? Reſpondendum eſt, hujuſmodi homines duplicis generis cenſeri poſſe. Vel enim ita in illis extinctum eſt rationis lumen, ut inter honeſtum & turpe diſcrimen non agnoſcant, adeoque nec putent honeſtum eſſe ſequendum, turpe fugiendum; illud laudem, hoc vituperium & pœnam mereri; unde fit, ut, quicquid tandem agant, ab animo ſuo non arguantur: vel adhuc tale inter honeſtum & turpe diſcrimen agnoſcunt, verum errant in eo, quòd illud, quod turpe eſt, honeſtum eſſe putent, & ſequendum, & contra. Priores illi, quatenus tales ſunt, conſcientiam non amplius habent. Dico quatenus tales ſunt: nam illi iterum duplices conſtitui poſſunt: Vel enim in univerſum de omnibus rebus ita ſentiunt, ut nullum honeſti vel inhoneſti diſcrimen, in illis agnoſcant: vel in quibuſdam tantum. Illud naturaliter vix fieri poſſe videtur, cum neceſſe ſit rationis vim planè extingui, ſi illud contingere debeat. Unde videmus, etiam hominum monſtra, Nerones, Caligulas, Domitianos, atrocitate ſcelerum ſuorum tandem perculſos ac vehementer perterritos fuiſſe. Nam etiamſi, affectu aliquo illorum menti, jam aliàs prope cæcæ, caliginem offundente, illi diſcrimen iſtud fortaſſe non agnoverint; & ſic abſque horrore ſcelera iſta perfecerint, quia obſcurum admodum in illis fuit & invalidum rationis lumen, & de rebus faciendis judicium; tamen poſtea recedente affectu, clarius evaſit lumen illud rationis propemodum extinctum, eoſque accuſavit: præſertim cum aliquid extrinſecus apparens, aut etiam divinitus mentibus illorum immiſſus terror, ut inſomnia, oſtenta, fulminum jactus, aliaque ſimilia acceſſerunt, & dormientem conſcientiam excitarunt. Qua de cauſa ait Ariſtoteles, malos ac ſceleratos pœnitentia plenos eſſe, & ſeipſos exhorreſcere, ac conſcientiam fugere, vitam denique odiſſe. Quod ſi tamen aliqui ſint, in quibus diſcrimen honeſti & inhoneſti penitus ſit extinctum; in iis ne conſcientiam quidem eſſe, dici debet: in cæteris etiam eatenus conſcientia non eſt, quatenus illud idem extinctum eſt. Diximus autem antea, poſſe in quibuſdam rebus judicium illud ſalvum eſſe, cum in aliis ſit deletum, vel ſaltem ad tempus aliquod ſepultum: poteſt enim ſemel obrutum iterum excitari, præſertim externis quibuſdam rebus, aut adjumentis accedentibus. Poſteriores vero illi, quorum judicium eatenus tantum pravum eſt, quatenus honeſtum pro turpi habent, & contra; licet interea honeſtum amplectendum, turpe fugiendum eſſe cenſeant, quales v. g. olim & hodie ſunt idololatræ, aut in certis gravibuſque rebus Turcæ, Judæique: in illis conſcientia eſt, ſed prava, & male informata, quemadmodum ſuperius eſt explicatum. Unde illi, cum omittunt id, quod faciendum eſſe judicarunt, ſeipſos reprehendunt, & accuſant; contrà facta ſua probant, ſi judicio ſuo ſint conſentanea.

Supereſt quæſtio de verbis Apoſtoli: *Quicquid non eſt ex fide peccatum eſt*, &, *qui dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt.* Rom. 14. 23. Quæritur enim, quî fiat quòd ea, quæ dubitante conſcientia admittuntur, pro peccatis ſint habenda omnia? Cauſa autem ex iis colligi poteſt, quæ ſupra de male conſcientiæ vi in conſtituendis peccatis diximus. Ratio enim ſimilis eſt. Nam qui aliquid facit, de quo tamen dubitat, an id rectum ſit, ac Dei voluntati virtutique congruum, nec-ne; is non ita Deum metuit ac veretur, nec virtutem etiam ita amat, ut decet: præſertim ſi ita res comparata ſit, ut is, qui actionem ſuſcipit, de ea nón dubitet, quin eam liceat ſalva virtute Deique metu omittere; ſed tantum dubitet, an liceat eam ſuſciperè. Nam qui Deum verè metuit ac reveretur, is non modo cavet, ne id committat, quod planè novit Dei voluntati adverſari, ſed etiam ne id, quod vel ſuſpicatur, ejus voluntati eſſe adverſum, ſi ejus ſuſpicionis cauſas aliquas, eaſque non leves habeat. Quod ſi ergo quiſpiam dubitante conſcientia audet aliquid facere, is Deum verè non metuit. Eodem modo nec virtutem verè amat, qui audet id admittere, quod ſuſpicatur, aut aliquo modo credit virtuti eſſe adverſum. Jam verò diximus, facta noſtra ex animo potiſſimum æſtiſtari, & Deum imprimis reſpicere, num ſe virtutemque verè amemus, an ſecus. Innuimus autem, dubitationem illam non ſemper eſſe uniuſmodi. Nam interdum dubitatur tantum, utrum altera contradictionis pars ſit licita, nec-ne. De altera nihil dubitatur, quin ſit licita. v. g. non dubitatur, quin liceat abſtinere à cibis ſub lege vetitis; ſed dubium eſt, an liceat illis veſci. Aut non dubitat aliquis, quin liceat dierum diſcrimen obſervare, ſed dubitat, an negligere liceat. Hîc ſemper in eam partem eſt concedendum, quæ dubitatione caret. Interdum de utraque parte dubitatur, quemadmodum in poſteriori exemplo contingere poteſt de dierum diſcrimine, ut etiam de Circumciſione, quia in utramque partem ſunt rationes. Sic dubitare poſſit aliquis, an maleficos ſupplicio capitis afficere liceat nec ne: & ſive id faciat, ſive non; metuat, ne Deum offendat. Hîc vel rationes utriuſque partis videntur æquè eſſe validæ: vel alterius partis validiores argumentis alterius. Poſterius ſi contingat, facile eſt videre, in quam partem ſit inclinandum. Quanquam nihilominus aliquid facto huic deeſt, quod non ſine ſcrupulo conſcientiæ ſuſcipiatur; &, ſi negligentia noſtra factum ſit, ut in factis noſtris dubitare cogamur, vitio & peccato aliquo ea non prorſus vacant; & ſi nulla ratione fieri poteſt, ut factum tantiſper ſuſpendatur, donec omnis tibi ſcrupulus eximatur, id omnino faciendum eſt. Idem multo magis ſtatuendum eſt, cum argumenta utriuſque partis videntur ejuſdem eſſe ponderis, & ſic non conſtat, in quam partem ſit inclinandum: præſertim ſi rationes utrinque pugnantes ex ſacris literis ſint petitæ, nec altera ſpiritui faveat, altera carni tantum. Nam hoc poſterius ſi fiat, jam hoc ipſo poſterioris partis argumenta invalidiora cenſeri debent; cum veriſimilius ſit, eam conſcientiam doctrinæ Chriſti magis eſſe conſentaneam, quæ ſpiritui magis favet, quam quæ carni, niſi quid aliud planè cogat contrarium ſtatuere. Etenim doctrina Chriſti carni noſtræ parum favet, nec caro noſtra illi: ſed ſpiritui illa revera ſervit tota, & ſpiritus illi. Quod ſi autem rationes utriuſque patris è divinis literis ſint petitæ ac depromptæ, & divinis etiam mandatis videantur niti, ſi quidem actionem ſuſcipias reluctante etiam ex altera parte conſcientia, itidem peccato res non vacabit; præſertim ſi culpa tua contigerit, ut ita dubites. Quod ſi ſuſpendi poſſit actio, ſuſpendenda omnino eſt, & quemadmodum Moyſes olim in re dubia conſuluit Dominum, ita hîc idem quoque conſulendus eſt, & precibus impetranda ſapientia, qua quis indiget, ab eo, qui largitur omnibus ſimpliciter, & non exprobrat: Jac. 1. 5. nec dubitandum, quin, ſi homo aliàs revera ſit pius, & preces ardenter atque cum

fide

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fide ad Deum in hoc caſu fundat, Deus ei ſapientiam ſit largiturus, & occaſionem aliquam ei ſubminiſtraturus, veritatem quæſtionis, in qua hæret, agnoſcendi, &, quid ex ſacris literis de ea ſit ſtatuendum, concludendi.

Cap. II.

De complexu omnium virtutum moralium, ſeu de Sanctitate generatim ſumpta, & primum de ejus Fundamento.

SEquitur nunc altera pars Tractationis generalis de Virtute Morali, ubi nobis complexus Virtutum iſtarum ſimul junctarum, quæ Sanctitas aut Pietas dicitur, conſiderandus venit. In tria autem membra Tractatio hæc diſtinguetur. In primo agemus de fundamento aliquo, & initio iſtius Sanctitatis: In ſecundo de tranſitu à vitiis ſeu impietate ad pietatem: In Tertio de ipſa Sanctitate.

Quod ergo ad primum hujus Tractationis membrum attinet, fundamentum Sanctitatis eſt animi probitas. Eſt autem probitas illa nihil aliud, quam honeſti amor, ſeu voluntaria animi ad virtutis ſtudium inclinatio. Quemadmodum contra improbitas eſt virtutis odium, aut vitiorum amor, ſeu mavis voluntaria animi à virtutis ſtudio averſio. Ut utramque rectius intelligamus: Primo cauſæ efficientes utriuſque expediendæ ſunt: Deinde conſiderandi & explicandi ii loquendi modi, quibus ſacræ literæ vel probitatem, vel improbitatem animi exprimunt: & denique, quotuplex ea ſit, videndum eſt.

Quod ad cauſas efficientes attinet, eæ duplices ſunt: altera proxima eſt & immediata, eaque potiſſima; reliquæ ſunt remotiores, quæ proximam illam aliquomodo impellunt, & inclinant. Proxima eſt ipſa voluntas, ſeu arbitrium noſtrum, cujus ea eſt vis ac poteſtas, ut, in quam velit partem, libere ſeſe inclinet, & honeſtum cognitum vel amet, vel averſetur. Etiamſi enim voluntas nequaquam in alteram partem ſeſe flectat ſine aliqua cauſa impellente, ſeu irritante aut alliciente; nullius tamen cauſæ, quæ voluntatem irritet, tanta eſt vis, ut eam neceſſariò flectat, & eò impellat, quo vult, niſi forte nihil ei ex altera parte obſtet. Itaque voluntas ad amorem ſeu virtutis ſeu vitiorum tale quippiam de ſuo adjicit, quod à cauſis voluntatis impulſivis ipſa non accepit, & cujus cauſa ſuperior reddi nullo pacto poteſt. Quod niſi concedatur, omnis virtutis & vitiorum, omnis benefactorum & peccatorum ratio, omne meritum, omnis denique pœna & præmium evertitur. Nam ſi voluntas neceſſariò tantum movetur, quantum cauſæ impulſivæ eam movent, & ſemper eò flectitur, quo cauſa impulſiva eam conatur trahere; tum voluntas nihil agit libere, ſed omnia neceſſariò, & facta noſtra in noſtra poteſtate non ſunt, ſed omnia aliunde pendent; exempli gratia, vel à ratione vel ab appetitu, rationis autem conceptus, vel impetus appetitus à ſenſu & objectis: nec errorem hîc ſponte noſtra evitare poterimus, quia non voluntas illa regit ac movet, ſed illa voluntatem. Talem autem eſſe noſtræ voluntatis vim ſeu facultatem, etiamſi à priori, ut loquuntur, demonſtrare ſit difficile, cum ſpiritus ſeu animi noſtri eſſentiam fere ignoremus, & nonniſi ex effectis cognoſcamus: tamen à poſteriori ſeu effectis oſtendi haud difficulter poteſt. Ratio autem jam aliquomodo indicata eſt. Diximus enim, niſi hujuſmodi vis voluntatis concedatur, omnem virtutis & vitiorum, omnem rectè factorum & delictorum rationem, omne meritum, omne præmium ac pœnam perituram. At omnium populorum perpetuus conſenſus hæc omnia extare docet: ille vero conſenſus à nemine, præſertim in doctrina Morali, rejici poteſt, cum nonniſi à natura potuerit ortum trahere. Nám quæ à natura ortum non trahunt, in illis mirum in modum hominum ſententiæ, non tantum diverſis temporibus, ſed etiam iiſdem diſcrepant: imò ſæpè unus idemque homo à ſeipſo diverſo tempore diſſentit; naturæ autem vis firma eſt ac ſtabilis. Et rectè alicubi ait Ariſtoteles, ſi quis conſenſum omnium repudiare velit, ille in contrarium nil poterit probabilius. Sed præterea videmus ſatis aperte, naturam unumquemque docere, actiones quaſdam in noſtra eſſe poteſtate, ita ut, ſi velimus, eas ſuſcipere, aut etiam ab iis abſtinere queamus. Nam cum aliquid mali ab aliquo perpetimur, etſi forte ab initio ei iraſcamur, tamen poſtea iraſci deſinimus, ſi videamus eum non ſponte id feciſſe: ob quam cauſam videmus omnes etiam indoctos hac excuſatione ſolere uti, cum ajunt ſe non libenter id feciſſe, aut ignoraſſe ſe quippiam, & ſic per ignorantiam deliquiſſe, vel ab alia quapiam re aut perſona coactos: & quo id magis eſt nobis perſpicuum, tanto facilius ignoſcimus; contra tanto gravius iraſcimur, quanto magis putamus factum illud fuiſſe voluntarium. At ſi omnia facimus neceſſariò, nil libere, nec ullum factum noſtrum revera eſt in noſtra poteſtate; ceſſat hoc diſcrimen univerſum, quod tamen natura unumquenque docuit. Eodem ſpectat, quòd defectus & vitia quædam morboſque corporis, nunc reprehendimus in aliquo, & ei propterea inſultamus, nunc non reprehendimus, imò improbum illum judicamus, qui morbos illos aut vitia alicui exprobret: & viciſſim etiam viros cordatiores, imò etiam alios, nunc morbi alicujus vehementer pudet, nunc minus pudet. Nam ſi vitium aliquod corporis, vel naturale nobis ſit, vel caſu aliquo contigerit, abſque noſtra culpa; ejus nos vel plane non pudet, vel non admodum, & improbus is judicatur, qui id nobis exprobret; ut ſi quis alicui cæcitatem, aut oculorum lippitudinem, aut ſimile aliquod vitium objiciat. Sed ſi culpa noſtra vitium aut morbum aliquem contraxiſſe deprehendamur, tum noſmet ipſos vehementer ejus rei pudet, & alii abſque improbitatis nomine id nobis objicere cenſentur; ut ſi quis per ebrietatem lippitudinem aut cæcitatem contraxerit, aut per libidinem veneream luem, aut podagram vel quippiam ſimile. Hæc rudes quoque & indocti norunt omnes, ita ut natura id unicuique dictaſſe deprehendatur, & ſic manifeſtum diſcrimen ipſa conſtituerit inter voluntaria & involuntaria, & quædam culpa noſtra contingere, quædam culpa vacare oſtenderit. Amplius, ſi voluntas noſtra non eſt libera, ſed neceſſariò agit, non poteſt fieri, quin ea vel ſemper, vel ſaltem plerumque id, quod melius eſt, agat. Neceſſitas enim illa perpetua, non aliunde niſi à natura pendet. At natura in unoquoque genere id ſemper ſpectat, quod melius eſt, & ſemper etiam, niſi caſu impediatur, id revera conſequitur; contra autem id fugit, quod malum ac pravum eſt. Quod ſi tamen caſu impediatur, quo minus id aſſequatur quod petit ac ſpectat, id rarius fit. Caſus enim eſt in illis, quæ raro fiunt: quæ verò ſemper aut plerumque fiunt, non amplius caſu fieri dicuntur, ut docet Ariſtoteles in 2 Phyſic. Sequeretur ergo, Si neceſſitas voluntatis noſtræ ſit à natura, natura autem ſemper id ſpectat, quod melius eſt, id, quod pravum, nunquam; idque etiam vel ſemper vel plerumque, vel ut plurimum conſequitur: aut omnes homines, aut ſaltem pleroſque bonos eſſe, & probos. Videmus enim in rebus naturalibus omnibus, quæ neceſſariò agunt, ea ſemper ad bonum finem aliquem tendere, & eundem etiam, niſi impediantur, conſequi. Quî ergo fieri poſſit, ut in homine, qui operum naturalium, ſaltem corruptibilium, eſt præſtantiſſimum, contrarium contingeret; ſi neceſſitas agendi illi natura fuiſſet inſita? Videmus etiam in ipſo homine, actiones naturales & neceſſarias, cum natura ipſius ſalva eſt & integra, omnes eſſe bonas & rectas; quales ſunt actiones ſenſuum per ſe conſideratæ, actiones animæ vegetativæ, hoc eſt, eæ quæ ad nutritionem & incrementum corporis pertinent, aut ad generationem & ſpecierum conſervationem, itemque eæ, quæ ad facultatem locomotivam; & denique eæ, quæ ex ratione & intellectu naturaliter proficiſcuntur. Quapropter ſi eadem eſſet ratio voluntatis, idem ibi quoque contingeret. At videmus pleroſque homines, idque omnibus ſeculis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

culis, fuiſſe & eſſe malos, idque in poſterum quoque futurum metuimus. Quare non eſt talis voluntatis noſtræ neceſſitas, ſed libertas, qua poſita, omnia illa, quæ fieri videmus, non ſine cauſa, ut loquuntur, rationabiliter contingere apparebit. Hæc ratio multo majorem vim habet, ſi id ponas, quod in Theologia principii locum habet, Deum homines idque liberè produxiſſe. Nam quî fieri poſſet, ut Deus eos homines produxerit, qui plerique omnes omnibus ſeculis neceſſariò mali eſſe cogerentur? Certè qui id ſtatuit, is Deum negat eſſe Deum. Nam vel aliter facere non potuit, vel noluit. Si non potuit, ſummæ id fuit impotentiæ; ſi noluit, malitiæ: quorum utrumvis ſi de Deo dicas, Deum eſſe negaveris. Præterea, ut cum iis ſolis agamus, qui Deum eſſe credunt, hoc eſt ejuſmodi numen, quod ſupremum in omnia habet imperium, adeoque & voluntatem liberam, ita ut pro arbitrio ea gubernet ac regat: niſi illi voluntatem hominis liberam ſtatuant, ita ut poſſit etiam contra id, quod ratio melius eſſe docuerit, ſtatuere ac decernere; multò magis voluntatis libertatem cogentur Deo adimere, cum minor hac in parte videatur eſſe cauſa libertatis iſtius in Deo, quam in homine. Nam cùm in homine ſint duæ facultates ſæpiſſimè inter ſe pugnantes, ratio & appetitus, quarum illa id, quod honeſtum eſt, ſuadet, hæc id, quod jucundum & ſenſibus gratum, &, ſi quid cum jucundo eſt admodum conjunctum, (utile intellige) quod cum honeſto non rarò, imò frequentiſſimè pugnat; non mirum eſt, voluntatem veluti in medio poſitam, nunc huc, nunc illuc flecti, & nunc id, quod ratio melius eſſe dictarit, nunc id, quod deterius, ſeu quod appetitus ſuadet, ſequatur. At in Deo diverſitas iſta, aut contrarietas facultatum, in quarum medio voluntas ſit poſita, non cernitur, & Deus id, quod rectum eſt, ſemper ſequitur. Interea tamen cum id, quod rectum eſt, interdum variet, licet fortaſſe alterum præ altero aliquid habeat, cum oppoſita vix unquam inter ſe ſint paria; hîc libertas Dei ſeu voluntas ipſius cernitur, quia eligere ipſi tum licet, quod vult; præſertim cum etiam id, quod per ſe deterius, vel minus præſtans eſt, poſſit in optimum finem convertere. Ex quo patet fundamentum hujus libertatis primò in ratione & intellectu conſiſtere, qui contraria poſſit quodam-modo concipere, eaque inter ſe conferre. Jam quia Deus nil intellectu ſuo ita concipere poteſt, ut approbet, niſi id rectum ſit; hinc fit, ut ipſius voluntas, etiamſi ſit libera, tamen nunquam non poſſit eſſe recta. At in homine contra evenit, cujus intellectui & rationi appetitus aliquid imprimit; & ſic id, quod malum, ſæpe ſuadet, licet ratio per ſeipſam in iis, qui non ſunt prorſus depravati, non niſi id ſuadeat, quod rectum eſt. Unde voluntas, quæ ex ratione pendet, nunc id quod rectum eſt, nunc id, quod pravum; & inter recta, nunc id, quod melius, nunc id, quod minus bonum eſt, ſequitur & decernit. Ex quibus jam cauſa hujus facultatis, quæ in voluntate noſtra eſt, vel potius ipſa eſt voluntas, cernitur. Pendet nempe ea à ratione, & intellectu: unde ea, quæ ratione prorſus deſtituuntur, arbitrio etiam & voluntate prorſus carent: quæ aliquid habent rationi analogum, etiam id habent, quod voluntati aliquomodo reſpondet: qua de re ſupra alicubi diſtum eſt.

Hæc ideo paulo fuſius differere libuit, ut appareret tum quæ cauſa ſit voluntatis, ſeu arbitrii & libertatis noſtræ, tum etiam, quanta ea ſit, & quouſque extendatur; nempe eo uſque, ut poſſit voluntas etiam id eligere, quod ratio deterius, ſeu minus bonum eſſe cernit. Quod poſterius ut fiat dilucidius, hoc quoque addendum eſt, voluntatem nunquam non ſequi & appetere bonum aliquod, ſed non ſemper id, quod eſt melius. Unde illud vulgare: Video meliora proboque, Deteriora ſequor. Cujus dicti veritatem communis omnium conſenſus, & tam vulgaris uſus approbat. Quod ſi ratio ita judicet, quippiam eſſe bonum, ut in ejus oppoſito ſeu contrario nil reperiat boni, ſed id penitus malum eſſe judicet: voluntas id neceſſariò appetet & ſequetur, à contrario autem neceſſariò abhorrebit. Sed tale nihil eſt præter felicitatem & ſummum bonum, aut bonum, quà bonum eſt, cujus contrarium ſemper malum eſt: cætera omnia, ſeu bona ſpeciatim ſumta, ita ſunt bona, ut aliquid tamen mali, licet forte per accidens tantum, iis adhæreat, ita ut eorum contrarium ſeu oppoſitum habeat aliquid in ſe boni, licèt nonnunquam id bonum ſuo contrario longè ſit inferius. Cernitur id ſtatim in proximo ac præſtantiſſimo felicitatis conſequendæ medio ac inſtrumento, nempe virtute, quæ per ſe admodum eſt bona, cum ſit honeſta, honeſtum vero inter bona noſtra eminet: verum ei aliquid adhæret mali, quod quidem bono iſti non eſt æquiparandum, ſed tamen nos vehementer percellit, nempe labor cum dolore conjunctus, ſæpè multa incommoda, nonnunquam contumeliæ: quorum malorum contraria cum oppoſito virtutis, nempe vitio, aut virtutis neglectu, ſunt conjuncta. Unde vitium per ſe malum & inhoneſtum aliquam boni rationem ſortitur. Hîc jam libertas noſtræ voluntatis, & arbitrii noſtri cernitur vis. Nam quia utrumque contrariorum boni rationem habet, licet bona iſta inter ſe non ſint æqualia; voluntas nunc in hanc, nunc in illam partem inclinare ac flectere ſe poteſt, &, ſi quidem in partem meliorem, probè rectèque facit, &, ſi conſtans ſit, habitus oritur, qui Probitas dicitur: ſi in deteriorem, quæ turpis eſt, prava eſt illa actio, quæ ſi conſtans ſit & in habitum degeneret, Improbitas eſt. Unde jam apparent ea, quæ de probitate & improbitate dicere & aſſerere ſolemus; nempe hominem probum rationis dictamen ſequi, improbum appetitum; illum præferre honeſtum rebus corpori jucundis, utilibus, aut honorem aliquem, & gloriam, licet vanam, afferentibus; hunc contra hæc vulgaria bona illi, & quæ cum virtute conjuncta eſt ex Dei voluntate immortalitati, quæ futuri ſeculi propria eſt: cùm bona iſta vulgaria præſentia ſint, vel ſaltem hujus ſeculi propria. Unde aſſerimus probum hominem futura bona præferre præſentibus, improbum præſentia futuris.

Ex his illud jam patet, probum quidem per ſe etiam virtutem amare; quanquam & propter aliud eam amare poteſt, nempe propter immortalitatem, aut alios fructus è virtute, ſeu naturaliter, ſeu divino beneficio manantes, qualis eſt rectæ conſcientiæ gaudium, Dei Spiritus, aliaque munera ipſius: improbum verò vitium ipſum non amare per ſe, nec virtutem odiſſe, niſi per accidens, quatenus nempe vitio adhærent iſta bona vulgaria, virtuti eorum contraria. Neque enim quiſquam turpe & deforme, qua tale eſt, aut tale eſſe credit, amat, ſed quatenus ei aliquid videtur adhærere pulchri; unde nonnulli deformes amant, quia ipſis pulchræ videntur: at pulchrum, qua pulchrum eſt, amatur per ſe, amari etiam propter aliud debet aut poteſt. At virtus ſeu honeſtum pulchritudo quædam eſt animi, vitium deformitas & turpitudo, quemadmodum etiam appellatur. Unde apud Græcos quoque καλὸν tum pulchrum, tum honeſtum ſignificat; quorum alterum animi eſt, alterum corporis. Quapropter illud quidem per ſe amabile eſt; hoc verò non niſi per accidens. Neque verò quidquam prohibet, quo minus idem ſit & per ſe, & propter aliud amabile, atque ideò utramque ob cauſam ametur. Nam ipſe quoque Ariſtoteles Ethic. 1, bona omnia in tria diſtribuit genera, nempe in ea, quæ propter ſe tantum ſunt amabilia, ſeu expetibilia, ut ille loquitur, qualis reverà eſt ſola felicitas ſeu ſummum bonum: deinde in ea, quæ & propter ſe, & propter aliud ſunt expetibilia, quo in numero ponit virtutis habitum, (nos & actiones virtutis) & voluptates quaſdam, quæ etſi nulla inde proveniret utilitas, expeterentur tamen: & denique in ea, quæ tantum propter alia ſunt expetibilia, qualia ſunt inſtrumenta & pecuniæ ſua natura. Neceſſe eſt autem eum, qui probi ſit animi, virtutem etiam propter ſeipſam amare: aliàs probus revera non eſſet, & ipſius virtus hoc nomen revera non mereretur.

Verum tamen, quia in pleriſque hominibus, ne dicam omnibus, amor hic virtutis nudæ imbecillior eſt, quàm ut hominem ad eam re ipſa colendam, & factis

conſtan-

conſtanter exprimendam adigere queat; ideo Deus adjecit Virtuti præmium, ut ejus deſiderio virtutem redderet amabiliorem,& ſic hominem ad ejus ſtudium excitaret atque adigeret. Et tamen ita Deus hanc rem temperavit, ut nemo certam iſtius præmii ſpem concipere poſſet, niſi virtutem per ſe aliquomodo amaret, & deſiderium iſtius præmii atque amor amorem virtutis per ſe conſideratæ non extingueret; ita ut altera ex parte imbecillitati humanæ ſuccurreretur, altera vero ex parte virtuti ſua conſtaret integritas, & ejus, ut ita dicam, meritum non prorſus periret, eſſetque præmio locus, ut in contrario pœnæ. Nam cum perfectæ virtutis præmium in hac vita eſſe non poſſet; ſiquidem perfecta virtus in morte ipſa ſubeunda cernitur, ejuſque officium eſt, omnium hujus vitæ bonorum jacturam juſtitiæ cauſa non detrectare; ac præterea præmium virtutis perfectæ, & Deo agonotheta dignum tale eſſe oporteret, quod deſiderium hominis, naturâ ipſi inſitum plane expleret: non poterat id non eſſe æternum, & à doloribus ſejunctum, animique voluptatibus ſolidis affluens, inter quas jucundiſſimus Dei aſpectus ac contemplatio locum obtinet primum. Nam quodcunque præter hoc conſtituas virtuti perfectæ præmium, id deſiderium hominis naturale, quod fruſtra illi inſitum non eſt, ſatiare atque explere penitus nequit. Etenim cum boni deſiderium infinitum ſit; niſi æternum homini bonum proponas, id illius deſiderium explere nequit. Omne finitum intellectus noſter, & ſic etiam voluntas, deſiderium tranſit, & defectum boni aliquando deſituri ſentit, ac dolet, cum nullum poſſimus cogitare tempus, quo nobis benè eſſe non cupiamus. Æternum autem bonum deſiderium noſtrum & ſatiat,& ſuperat. Nam quicquid ab intellectu capitur, reipſa finitum eſt. Quod autem prætera ſupereſt, infinitum eſt. Verumtamen ipſa æternitas non ſufficit, niſi præterea ſit jucunda, nec jucunda ſimpliciter, niſi etiam jucundiſſima, nempe pro naturæ noſtræ conditione. Jucundiſſima autem illa demum eſt,quæ Dei ipſius conſpectum habet conjunctum. Nam ea demum vita eſt jucundiſſima, quæ occupatur in actione præſtantiſſimæ noſtræ partis excellentiſſima.Præſtantiſſima autem noſtri pars eſt, mens & intellectus. Hujus porro actio excellentiſſima eſt contemplatio, quæ per ſe eſt expetibilis: & contemplatio ea rurſus excellentiſſima eſt, quæ eſt objecti optimi non impedita: objectum autem illud eſt non niſi Deus. Tale ergo præmium Deus & ſe digniſſimum, quia infinitum & maximum eſt, ut ipſe maximus & tempore virtuteque infinitus, & deſiderio noſtro naturali convenientiſſimum cum virtuti propoſuiſſet: ſi talem ejus fidem hominibus feciſſet, ut illorum nemo de eo dubitare potuiſſet, qua ratione nemo dubitat, an bis duo ſint quatuor, & ſi quæ ſint ſimilia: omnes etiam Deo paruiſſent, & ſic nulla improbitas potuiſſet eſſe tanta, quin ad virtutis ſtudium pertraheretur, ſicque nulla fuiſſet vis amoris erga virtutem per ſe conſideratam; quod tamen ad virtutis meritum omnino requiritur. Nam eorum, quæ virtuti opponuntur, & peccata vitiaque nobis reddunt amabilia, hoc eſt, bonorum vulgarium, quibus nos virtus plerumque ſolet privare, cum tanto ejus præmio collatorum, nulla plane vis fuiſſet, nec ullò pacto potuiſſent à virtutis ſtudio hominem avocare: quia finitorum bonorum, ad infinitum bonum collatorum nulla eſt proportio, nec illa quidquam adverſus infinitum bonum poſſunt, ſi æquè certò cognoſcantur. Quare ut probitati & amori virtutis per ſe conſideratæ locus aliquis relinqueretur, Deus, non quidem de magnitudine & præſtantia ipſius præmii, quicquam detraxit, (infinitum enim fuiſſet detrahendum, ſiquidem niſi de infinito infinitum demas, nunquam erit finitum) ſed certitudinem & perſpicuitatem cognitionis iſtius præmii minuit, ut aliquis dubitationi eſſet locus; quam tamen dubitationem, vel tolleret, vel ſaltem compenſaret amor ille virtutis per ſe conſideratæ, quem probitatem appellamus, contra verò augeret odium virtutis, & animi ab honeſti ſtudio abalienatio. nam quod libenter volumus, id libenter etiam credimus: & contra, quod gravate volumus, gravatè quoque credimus. Quare cum immortalitas ſit bonum valde optabile ac deſiderabile, ſi quis præterea ipſam virtutem amet, facile adducetur, ut credat, tantum præmium perfectæ atque eximiæ virtuti eſſe propoſitum. Quod ſi quis autem virtutem non amet, etiamſi immortalitas illi videatur optabilis; tamen non facilè credet, Deum virtuti, quam ipſe parvi pendit, tantum propoſuiſſe præmium. Cui hæſitationi ac incredulitati locum fecit Deus, dum aliquid ſemper evidentiæ argumentorum, quibus promiſſio iſta confirmatur, deeſſe voluit; ſi ſecus feciſſet, omnem ei dubitationi aut incredulitati aditum atque occaſionem præcluſiſſet. Qua de re amplius videri poteſt Socinus, cùm in libello de autoritate S. Sacræ, tum in diſcurſu de cauſis fideï, tum in Libro de Servatore, & alibi.

Exoriuntur autem hoc loco duæ difficultates, quarum prior eſt, quod, etiamſi virtuti ac probitati aliquis hîc relinquatur locus, ubi tantum ei propoſitum eſt præmium, quantum diximus; tamen ejus vis ac meritum aliquomodo imminuatur, quum perfectior excellentiorque videatur eſſe virtus, quæ propter ſeipſam tantum colitur, quam quæ magna ex parte ob tam inſigne præmium exercetur. Perfectior enim virtus eſt, cum ea, ſeu honeſtum ipſum magis amatur, & reipſa colitur, quam cùm propter aliud, præſertim magna ex parte. Itaque virtus Philoſophorum, v. gr. perfectior fuiſſet cenſenda virtute Chriſtianorum, quæ tamen reliquorum omnium virtutem multis partibus ſuperare debet. Reſpondendum videtur primò, præmii ſpem non omnino prohibere, quo minus quis virtutem ipſam propter ſeipſam tantum amet & colat, ſi nimirum ſit eo animo, ut etiamſi tandem hoc præmium non extaret, nihilominus tamen vellet Deo per omnia parere; quale exemplum in Paulo habemus, qui optaſſet, anathema fieri pro fratribus ſuis, &, ſi id ullo modo fieri potuiſſet, ſuæ ſalutis jactura illorum ſalutem redimere: & ejuſmodi homines potuerunt reperiri plures. Qui magno & excellenti ſunt animo inter Chriſtianos idem velle debent, aut etiam volunt. Deinde etiamſi virtutis perfectioni aliquid hac in parte videatur decedere, ſi quis magna ex parte ob immortalitatis præmium virtutem colat, fortaſſe non culturus reipſa, ſi præmium hoc tolleretur: altera tamen ex parte multum perfectioni virtutis accedit, poſita hujus præmii ſpe, deeſſe autem ſolet iis, qui ea ſpe carent, quales fuerunt Philoſophi. Nam primum multum alacritati in virtutis exercitatione decedit, ſi voluptatem ex ſpe præmii proficiſcentem à virtute per ſe tam aſpera removeas. Deinde videmus nullum Philoſophorum omnes virtutis partes expleviſſe, quæ tamen ab iis, qui præmio iſto alliciuntur, explentur. At ſatius eſt, omnes virtutis partes, ſeu mavis, genera, explere, & cum animi alacritate exercere, quam virtutem quidem propter ſe amare, ſed abſque illa alacritate, & cum quarundam illius partium neglectu aut violatione. Denique, ſi concedatur, talem aliquem eſſe, qui virtutem tantum propter ſe colat, ita ut etiam ſumma cum alacritate omnia ejus munera exſequatur; ea virtus humanam naturam & conditionem ſuperabit, eritque adeo rara, ut ejus exempli cauſſa non ſit reliquis hominibus omnibus, qui ad virtutem natura facti, atque adeò producti ſunt, virtutis præmium denegandum, aut non proponendum, & ſic virtutis exercendæ occaſio quodam modo eripienda. Etenim naturæ noſtræ conditionem ideo videtur ſuperare tanta perfectio, quia ab ipſa natura, ut ſuperius diximus, inſitum eſt nobis utilitatis alicujus & quidem honeſtæ ac perpetuæ felicitatis deſiderium; & non tantum appetitui, ſed etiam rationi aliqua ex parte repugnat, vitam hanc ponere, nulla ſpe melioris, & ſic felicitatem præſentem, quæ aliàs honeſtati eſt congrua, ut ea, quæ ex virtutis exercitatione aut rerum divinarum contemplatione petitur, ſponte ſua contemnere ac projicere, nulla ſpe alterius. Id tamen virtus perfecta, ſi futuræ vitæ præmium removeas, nihilominus requireret, ut

Phi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Philoſophi etiam docuerunt. Quamobrem, ne Deus videretur aliquid poſtulare ſupra naturæ noſtræ conditionem, imò etiam contra naturalem inſtinctum, non tantum appetitus, ſed etiam rationis, & ut omnem excuſationem illis præriperet, qui virtutem perfectam colere nollent, & omnibus planè hominibus ſufficientem ad virtutem colendam cauſam daret; præmium futuræ vitæ omnibus propoſuit. At quis non videt, longe ſatius eſſe, ut omnes omnino homines, licet alioqui imbecilli, perfectam virtutem colere poſſent, etiamſi ſummo iſtius perfectionis faſtigio aliquid deeſſet: quam aut unus tantum aut alter virtutem perfectam omnibuſque ſuis numeris abſolutam exerceret? Compenſat nempe abunde infinita eorum, qui Chriſtianam virtutem colunt, multitudo, exiguum iſtum perfectionis defectum, qui ob præmii ſpem exiſtit. Eadem revera, ſi quis rem penſiculatius conſideret, cauſa fuit, cur Deus noluerit homines ex operibus legis juſtificare, & ad ſalutem perducere; nempe propter ſummam ejus difficultatem, quam exhaurire homines vix ac ne vix quidem potuiſſent. Qua de cauſa ea res impoſſibilis in S. L. perhibetur, non quod ſimpliciter eſſet impoſſibilis, (quomodo enim Deus aliàs juſtiſſimus, eam præcipere, & pœnam illis, qui eam non fecerint minari, aut infligere potuiſſet?) ſed quod admodum eſſet ardua & difficilis, ut vires humanas ſuperare, atque ad impoſſibilitatem ſimpliciter dictam proximè accedere cenſeri poſſet. Adde quod Dei benignitas, qui imbecillitatem humanam in virtutis ſtudio neglexiſſet, admodum fuiſſet imminuta, & valde obſcurata; & utut tandem illis paucis, qui perfectiſſimam illam virtutem coluiſſent, immortalitatis præmium dediſſet, ejus tamen hac in parte gratia & beneficentia vix apparuiſſet. Voluit autem Deus, eumque adeò, qui opulentiſſimus eſt, maximopere decuit, ut homines ipſi plurimum deberent, imò ipſius benignitati omnia imputarent, & ab ipſo in virtutis ſtudio toti penderent, ac denique maxima factorum noſtrorum gloria in ipſum tanquam verum auctorem redundaret. Qui enim primus eſt alicujus rei autor, & primas ſibi in ea partes vendicat, ad eum etiam maxima gloria redundare debet, tanquam ad ultimum actionis ſcopum ac finem. At vero Deus, cum ſummus ſit, ac gloria digniſſimus, ſuæ gloriæ cauſa facit omnia, ac proinde etiam ea, quæ ad id conſequendum maximè faciunt.

Altera difficultas eſt, quod, cum contendamus, rationes eas, quibus immortalitatis promiſſio confirmatur, ita eſſe comparatas, ut aliquis dubitationi ſit locus, rectè facere videantur illi, qui de promiſſo illo dubitant, quales diximus eſſe improbos: Contra vero imprudenter facere ii, qui certam & immotam ex iſtiuſmodi rationibus immortalitatis ſpem concipiunt; id quod probos facere aſſeruimus. Nec enim probitas animi ullam vim habere debet ad majorem fidei certitudinem; cum probitas illa nil roboris argumentis iſtis videatur addere, quibus fides noſtra inniti debet. Reſpondendum eſt, nos, cum concedimus eſſe aliquem dubitationi locum in argumentis iis, quibus immortalitatis promiſſio nititur, intelligere, iniquam eſſe & injuſtam dubitationem, ac talem, quæ in cordatum ac prudentem virum, ſeu eum, quem Philoſophus πεπαιδευμένον vocat, cadere haud quaquam debeat. Is enim talem argumentorum certitudinem, firmitatem & evidentiam debet requirere, eaque contentus eſſe, qualem materia, de qua agitur, admittit. Quod ſi ergo materia, de qua agitur, talis ſit, in qua demonſtrationes mathematicæ, quæ ex omni parte firmæ, nec ulli exceptioni obnoxiæ ſint, locum non habeant; habeant autem locum ita probabiles rationes, ut ad neceſſarias quàm proxime accedant: is utique prudenter non facit, ſed admodum imprudenter, & ἀπαιδεύτως ſeu ineruditè & ineptè, qui, his contemptis & ſpretis, illas deſiderat; præſertim ſi fides quoque vel potius ſcientia tam certa atque immota ab eo non exigatur, qui his poſterioribus rationibus aſſentiri, eaſque admittere debet, qualis requiritur ab illo, cui prioris generis argumenta proponuntur, ſed talis, qualis ad eum finem, ad quem diſciplina aut diſputatio aliqua refertur, ſufficiat. Hujus autem generis ſunt illæ res, quæ in diſciplinis Practicis, & ad mores actioneſque humanas pertinentibus, ad quas Theologia quoque ſpectat, traduntur; hoc eſt, mores hominum & totum religionis negotium. Unde Ariſtoteles primo Ethicor. non uno in loco, quin & 2 & 5, de moribus agens, non ſemel docet, iſtam ἀκρίβειαν ſeu accurationem, firmitatem roburque argumentorum, quod in aliis diſciplinis locum habet, in doctrina de moribus exigi non debere; quia materia ſubjecta id non patiatur: aitque τοῦ πεπαιδευμένου ſeu eruditi ac cordati eſſe talia argumenta exigere in unaquaque diſciplina, qualia materia, quæ tractatur, admittit, & proinde inepte facere & eum, qui probabiles argumentationes Rhetorum in Mathematico approbet, & eum, qui in Rhetore Mathematicas demonſtrationes deſideret. Quocirca in religionis quoque negotio tales argumentationes ſunt admittendæ, & quidem in promiſſionibus præmiorum à Deo propoſitorum, ob cauſam ſuperius explicatam. Et licet hîc dubitationi ejuſmodi ſit locus, ut poſſit quis in ſpeciem rationes ejuſmodi, tanquam minus evidentes aut neceſſarias, repudiare; tamen id revera imprudenter fit.

Quod ut adhuc rectius intelligatur, diſtinguenda eſt vox dubitationis, ut inde appareat, quænam hîc locum habere queat, nec-ne. Dubitatio propriè & exactè ſumpta, definitur à Philoſopho, rationum ſeu argumentorum æqualitas; rationum, inquam, in contrarium pugnantium: quanquam hæc æqualitas dubitationis potius cauſa eſt. Dubitatio verò ipſa eſt incertitudo ſeu infirmitas ſententiæ, quam quis de re aliqua habeat, qua fit ut quis nunc in hanc, nunc in illam inclinet, & nullibi pedem firmiter ponat. Quod ſi ab æqualitate rationum diſcedatur, ita ut alterius partis rationes videantur eſſe firmiores, quam partis contrariæ; dubitatio quædam locum habere poteſt quidem, ſed imperfectior: & quo longius ab æqualitate rationum diſceditur, ſeu quo magis videtur eſſe pondus rationum inæquale, tanto etiam eſt imperfectior dubitatio, & tanto propius ad certitudinem acceditur ſententiæ. Jam ſi rationes aliquæ ad neceſſarias accedant proximè, tum etiam dubitationi minimum eſt loci, & in animo ejus, qui rationes illas novit, oriri debet ejuſmodi perſuaſio & fides, quæ proximè ad ſummam ſcientiæ certitudinem, qualem in Mathematicis locum habere diximus, accedat; eaque tum ſufficere debet, nec eſt neceſſe, ut quis ad ſummum certitudinis faſtigium perveniat, utut inde imprudens quiſpiam occaſionem arripere queat de re vehementer dubitandi. Tales autem ſunt rationes eæ, quibus firmitas promiſſorum divinorum de immortalitate piis danda nititur: & talis etiam perſuaſionis ſeu fidei noſtræ firmitas & certitudo, quæ ut ad ſummum proximè accedat, licet illi nonnihil deſit, ſufficit. At homines improbi arrepta inde occaſione (occaſione dico, quia cauſa vera eſt nulla, ut infra oſtendetur) non tantum ad eam fidei certitudinem non accedunt; ſed longiſſimè etiam ab ea recedunt. Nam vix ad illum uſque gradum perveniunt, ad quem pervenire ii debent, quibus rationes in utramque partem certantes videntur eſſe æquales, aut non multo firmiores eæ, quæ meliorem partem ſuadent. Unde vel plane non credunt, immortalitatem piis datum iri, adeoque etiam id nonnunquam vehementer oppugnant, vel ſaltem magis in eam partem inclinant, vel in æquilibrio prorſus ſunt poſiti, aut ita languidè aſſentiuntur, ut ea illorum fides ad virtutem reipſa colendam haudquaquam ſufficiat. Unde jam apparet, eorum fidem ac perſuaſionem argumentorum ipſorum robori non reſpondere, nec juſtam cum illis habere proportionem; quæ tamen in unoquoque cordato jure requiratur. Quod ſi haberent fidem argumentorum ponderi ex æquo reſpondentem, hæc illorum fides talis eſſet, ut etiamſi illi ad ſummam certitudinem aliquid deeſſet, ea tamen ſufficeret ad eam pietatem præſtandam, quam Deus à nobis neceſſariò requirit. Nam boni promiſſi magnitudo, atque inde natum

illius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

illius deſiderium, facilè hac in parte compenſat id, quod certitudini perſuaſionis videtur deeſſe. Qua de re videatur Socinus in libro de autoritate ſacræ ſcripturæ.

Cur autem improbi ad eam certitudinem non perveniant, ad quam pervenire debebant, cauſa eſt hæc, quia eorum improbitas obſtat, quo minus robur iſtorum argumentorum, quæ immortalitatis promiſſionem confirmant, cernere queant; non ſecus atque oculi ſuffuſi humore, caligantes & laborantes lumen non ita clarè cernunt, ii verò multo minus, quibus glaucoma eſt obductum. Imò improbis aliquod in contrarium naſcitur argumentum, quanquam fallax, quod in probis oriri non poteſt. Nam quia illi Virtutem oderunt, vel ſaltem parvi pendunt, haudquaquam illis ſit veriſimile, Deum tantum tamque immenſum præmium virtuti propoſuiſſe. Neceſſe eſt enim, rem illam eſſe præſtantiſſimam ac præclariſſimam, & ſic valde amabilem, cui præmium omnium maximum à Deo ſit propoſitum. At contra probi animi hominibus, qui virtutem æſtimare norunt eamque amant, id facile perſuadetur; præſertim ſi virtutem perfectam ejuſque pulchritudinem ſummamque difficultatem plenius cognoſcant, & ſimul conſiderent, Deum ipſum ſanctiſſimum, & pietate nihil ipſi gratius eſſe. Ex quo apparet, probitatem animi, & fidei certitudini, & robori argumentorum, quibus immortalitas confirmatur, multum adjicere; quatenus nimirum facit, ut homines, in quibus exiſtit, argumentorum robur, cernere queant, & id in hoc perſpicere negotio, quod improbi perſpicere nequeunt; adeoque non eorum ſimplicitati, ac imprudentiæ, multo vero minus ſtultitiæ imputandum eſſe, quod illi promiſſionibus divinis longè firmius credant, quàm improbi: quemadmodum non eſt imputandum ſimplicitati aut imprudentiæ ſtultitiæve hominis, qui ſanis oculis ſit præditus, quòd firmiorem de coloribus aut de pictura aliqua ſententiam concipiat, aut judicium ferat, quam lippus aut cæcus aliquis, cùm ita rei natura ferat. At non ſecus res ſe habet in mente, quæ internus eſt hominis oculus: affectuum enim intemperantia & improbitas glaucoma illi objicit, & cæcitatem inducit, ut præter experientiam Ariſtoteles quoque docet, imprimis lib. 6 & 7 Ethic. à quo vitio probitas mentem hominis liberat. Itaque cùm probus melius videat, quàm improbus, ſtatuendum eſt, eum, dum argumentis immortalitatem confirmantibus firmiter credit, prudenter facere; improbum autem, dum non credit prorſus, aut dubitat, imprudentur imò ſtultè. Similiter ſe res hîc habet, ac ſi vir aliquis probatæ fidei aliis pro exiguo labore magnum promitteret præmium, quod illum præſtare poſſe animadvertamus: ubi nemo eum imprudentem dixerit, qui promiſſis illius fidem habens, laborem eum protinus ſuſcipiat, etiamſi quis dicere queat, fieri poſſe, ut homo is ejuſve voluntas mutetur, fieri etiam poſſe, ut id, quod nunc præſtare poſſe videtur, poſtmodum præſtare nequeat; etiamſi nunc ejus rei cauſa non appareat, exempla tamen, & inconſtantiam mutabilitatemque rerum humanarum docere id non eſſe impoſſibile. Immò quis imprudentem eum non arbitretur, qui præmii tanti, quod illi aliàs videtur deſiderabile, adipiſcendi cauſa laborem illum ſuſcipere nolit: & de promiſſionis iſtius fide ideo dubitet, quia apodicticæ prorſuſque neceſſariæ rationes afferri nequeant? Nemo enim cordatus ac prudens talia argumenta in hoc rerum genere deſiderat. Et, ſi ejuſmodi rationes in rebus humanis eſſent exigendæ, nil præclarum atque arduum ſuſcipiendum eſſet, aut nonniſi à ſtultis & imprudentibus ſuſciperetur; quia omnium rerum humanarum, præſertim arduarum & difficilium, ea eſt conditio, ut earum eventus non ſit prorſus immutabilis. Hoc multo magis ad Deum referendum eſt, infinitum bonum pro exiguo, ſi cum iſto præmio comparetur, labore, & prope dixerim nullo promittentem: de cujus fide in ſervandis promiſſis & potentia nemo dubitare poteſt, ſed dubitare duntaxat quis poſſet, num is quippiam promiſerit. Quod ſi autem rationes ſint, licet non prorſus neceſſariæ, neceſſariis tamen proximæ, & valde probabiles, imò probabiliores illis, quibus adducimur, ut viro integræ fidei, eique potenti, ſi quid promittat, fidem habeamus; annon multo magis æquè is prudens cenſebitur, qui promiſſis divinis fidem habeat, & eorum ſpe laborem injunctum libens ſuſcipiat; contra vero imprudens ac ſtultus is, qui id facere renuat, & rationes illas apodicticas non eſſe cauſetur. Imò tum, cum nobis vir bonus aliquid promittit, quem id, quod pollicetur, præſtare poſſe videamus; exceptiones illæ, quæ dubitationem movere poſſent, vix ſuccurrunt, & perinde à nobis agitur, ac ſi prorſus non eſſent. Ita etiam multo magis in noſtro negotio agendum eſt: præſertim cum nonnunquam etiam ſine ullo alterius promiſſo, adeò certo de alicujus voluntate, ac beneficio ab eo impetrando perſuaſi ſimus, ſi eum nobis alioquin amicum judicemus, & id, quod deſideramus, præſtare poſſe animadvertamus, ut impoſſibile nobis eſſe videatur, eum nobis id negaturum. At vir probus & virtutis amans facillimè ſibi perſuadet, Deum vehementer amare viros bonos, & rigidos virtutis cuſtodes, quod etiam Philoſophi docuerant: de potentia autem conferendi beneficium, licet maximum, nulla eſt dubitandi cauſa; ac proinde vel abſque promiſſione præmii, quantumvis maximi, facillimè ſibi perſuadeat, Deum id piis, adeoque etiam ſibi, ſi virtutem ſtrenuè ſectetur, largiturum.

Egimus hactenus de proxima potiſſimaque probitatis cauſa, ex qua ejus natura & vis maximè elucet. Reſtat ut reliquas etiam videamus, quæ ſunt remotiores & impulſivæ, ſeu irritantes, non autem neceſſariò agentes. Inter eas primo loco collocandus eſt naturæ inſtinctus ad virtutem, qui homini cuivis ratione mentis eſt ingeneratus; unde poſteà, uſu accedente & ratione vim ſuam exerente, cognitio quædam honeſti & turpis, atque ita conſcientia oritur, quæ voluntatem ad virtutem allicit, & quantum in ſe eſt, trahere conatur. Naturalis autem ille inſtinctus, nunc minor eſt, nunc major, atque excellentior, ob corporis etiam conſtitutionem, qui bona indoles appellatur, cujus hic magna eſt vis, præſertim in certis Virtutibus. Huc accedit ſecundo loco bona à pueris educatio, & recta inſtitutio, in reliquam etiam ætatem durans. Ad hanc pertinent præcepta Virtutis, admonitiones crebræ, reprehenſiones, aut etiam contra laus, item præmia & pœnæ. Hanc tertio loco ſequuntur exempla bonorum, & cum iiſdem culta amicitia & familiaritas. Denique experimenta quædam & eventus, qui lætos Virtutis ſucceſſus, triſtes autem vitiorum ac ſcelerum exitus eſſe docent. Horum contraria ſunt improbitatis cauſæ, eaque vel omnia, vel ex his aliqua, & quo plura, tanto magis; quemadmodum etiam contra ad probitatem in animis hominum excitandam, non omnia ſemper concurrunt, ſed aliqua. Primum autem illud probitatis adjumentum, nempe naturæ impetus ad Virtutem omnibus communis, nemini deeſſe poteſt, idque efficit, ne quis improbus prorſus ſit excuſabilis, cum id ſolum poſſit ad probitatem aliquam nobis ingenerandam ſufficere, licet difficilius, quam ſi cætera quoque adſint adjumenta. Nam cum cætera prope omnia non à nobis pendeant, ſed aliunde; ſi primi eadem eſſet ratio, fieri poſſet, ut improbitas nonnunquam eſſet excuſabilis, ſiquidem hoc pacto contingere poſſet, ut quis omnibus iis adjumentis deſtitueretur, quæ ad probitatem animi comparandam pertinent. Immeritò enim culpatur qui id non habet, quod parare in ipſius poteſtate non fuerit.

Abſolvimus primum caput Tractationis de Probitate ejuſque contrario. Sequitur alterum, de modis loquendi, quibus ſcriptura utramque exprimere & deſcribere ſolet. Et improbitas quidem in ſacris literis ſignificatur, dum malitia itemque ἐπίνοια ſeu improbum conſilium cordis, & fel amaritudinis, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vinculum injuſtitiæ appellatur, Act. 8. 21, 22, 23. aut cor malum ſeu improbum: Heb. 3. ỷ. 2. Forte etiam huc pertinebit locus Rom. 2. 5. Probitatis autem ipſius nomen in ſacris literis, quod ſciam, non extat, imò fortaſſe nullum vocabulum abſtractum, ut in Scholis loquuntur, quod ei æquipolleat. Sed in concreto homines probi, improbique variis modis deſcribuntur, qui prope omnes relationem quandam probitatis ad rem quampiam aut perſonam denotant, non verò abſolutè ejus naturam explicant. Poſſunt autem illi reduci ad duo capita. Nam ii vel generaliores ſunt ac laxiores, vel ſpecialiores ac ſtrictiores. Prioris generis ſunt ii, qui ad omnia tempora, omneſque virtutes indiſtinctè ſpectant. Poſterioris generis ii, qui ad certa tempora temporumque circumſtantias ſpectant, aut inclinationem ad unum aliquod virtutis vitiive genus, unde reliqua facile proficiſcantur, ſignificant.

Inter prioris generis modos ordinem videtur ducere ille, cum probi dicuntur *eſſe ex Deo*, ſi in imperfectiori, vel ſaltem laxiori ſignificatione ea phraſis accipiatur. Nam interdum ſtrictè ſumitur de iis, qui ſunt ex Deo, ejuſque Spiritu ac virtute regenerati, ita ut perinde ſit, ex Deo eſſe, atque ex Deo natum; id quod non niſi de hominibus verè piis dici poteſt. Vide 1 Joh. 3. 9, 10. & cap. 5. 19, quibus addi poteſt Epiſt. 3. ỷ. 11. Ideo autem probi hoc pacto deſcribuntur, partim quia Deus ejus probitatis eſt in iis autor, idque tum quia naturam eam dedit ad virtutis ſtudium, nos eo, quo diximus, modo trahentem, tum quia reliquorum etiam ad virtutem adjumentorum autor eſt, eáque nobis ſuppeditat; unde jure quicquid à nobis fit boni, aut in nobis exiſtit, Deo aſcribi ſolet: partim vero quia homines probi habent aliquid cum Deo commune, & ejus naturam atque proprietates quodammodo participant. Quare hic loquendi modus tum cauſam efficientem, tum qualitatem quandam probitatis, quæ in ſimilitudine cum Deo ejuſque proprietatibus conſiſtit, denotat. Apparet id ex contrario loquendi modo, quo homines improbi deſcribuntur apud Johannem, apud quem ferè ſolum illa loquendi ratio extat, nempe *eſſe ex patre diabolo*, quod Dominus Jeſus ita explicat, dum addit; *& deſideria ejus vultis facere*; idque poſtea declarat expreſſis certis peccatis, nempe homicidio & mendacio, in quibus Judæi, quos alloquebatur Chriſtus, Satanam imitari voluerunt, & ſic ejus deſiderio & compulſui obſequi: Johan. 8. 44 & ſeqq. Idem paulo ſuperius expreſſerat Dominus Jeſus, dum ait: *Vos, quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*; & iterum ỷ. 41: *vos facitis opera patris veſtri*; quaſi dicat, ſequimini vos exemplum & juſſum Satanæ, qui vobis autor eſt ad homicidium perpetrandum, & malitiam hanc in vobis excitat.

Alter loquendi modus priori illi ſimilis eſt, cum probi homines dicuntur *Filii Dei*: Johan. XI. 52: nempe quia ex eo ſint quodammodo geniti. Quanquam mihi veriſimilius ſit, eos ideo Dei filios dici, quia apti ſint, ut Dei filii, quales ſub Novo fœdere exiſtunt, evadant, hoc eſt, cum ratione vitæ Deo fiant ſimiles, tum ab eo inſtar filiorum amentur, & hæredes immortalis vitæ conſtituantur, ita ut hæc appellatio hominum proborum pertineat ad ſecundum genus deſcriptionum, quæ ad certum tempus ſunt reſtrictæ, nimirum Novi fœderis. Quo pacto etiam oves Chriſti iidem dicuntur. Quod ſi tamen priorem interpretationem ſequi malis, opponetur hæc deſcriptio iſti improborum appellationi, qua illi filii iſtius mali, aut filii Belial dicuntur. Iſtud Matth. 13. 38: hoc 1 Reg. 21. 20.

Tertius loquendi modus, quo probi homines deſcribuntur, eſt is, qui ex contrario colligitur Matth. 15. 13. dum ii appellantur *Plantæ, quas Pater Domini Jeſu plantavit*; hoc eſt, homines ejuſmodi, quos Deus optimus maximus ratione animi ac morum tanquam hortulanus aliquis finxerit, & pro ſuo arbitrio ac voluntate formaverit; qui tamen loquendi modus minus videtur eſſe prægnans illo priori, cum videatur tantum cauſam efficientem iſtius probitatis exprimere. At prior ille, licet alicui ſecus videri queat, non minus qualitatem probitatis, quæ in altero illo tacitè tantum comprehenditur, quam cauſam efficientem declarat. Nam ex Deo eſſe, non tantum Deum habere autorem, ſed etiam ejus naturam participare, & ei ita eſſe ſimilem, ac ſi ex eo ſatus, ejuſque veluti progenies & pars aliqua eſſet, ſignificat.

Quartus homines probos deſcribendi modus eſt Johan. 7. 17, dum ii eſſe dicuntur, *qui voluntatem ejus, qui Chriſtum miſit, facere volunt*; qui modus poſterius illud, quod in primo comprehenſum diximus, potiſſimum exprimit; nempe voluntatem, Dei voluntati conſentaneam, & paratam ad Dei præcepta exſequenda. Quanquam hic modus inter ſpeciales, & ad certum tempus reſtrictos numerari poteſt.

Quintus modus eſt, dum ii dicuntur *cognoſcere Deum*, ut 1 Johan. 4. 6, 7, licet cognitio iſta Dei ſit imperfecta: Qua de re vide commentarium Socini in illum Joannis locum. Vide etiam Johan. 5. 37. ubi Dominus prolixioribus verbis idem explicat, dum ait ad Judæos; *Neque vocem ejus*, hoc eſt, patris mei, *audiſtis unquam, neque formam ipſius vidiſtis*; unde conſequitur, ỷ. 38, & *ſermonem ipſius non habetis manentem in vobis*: cum quo confer cap. 8. ỷ. 38.

Sextus eſt, dum ii dicuntur *dilectionem Dei habere in ſe*, & contra improbi *non habere*: Johan. 5. 42: nempe quia illi iſtis rebus delectantur, quæ Deo ſunt gratæ, hi non item.

Reſtant adhuc aliquot modi generales, quibus improbitas præſertim inſignior, vel potius homines ea laborantes deſcribuntur. Ut cum dicuntur *progenies viperarum*, quia quemadmodum viperæ venenatiſſimum & nocentiſſimum ſunt ſerpentum genus; ita etiam illi ſunt peſſimi ac nocentiſſimi. Deinde cum iidem dicuntur *canes*, & *porci*, qui non tantum doctrinam ſalutarem non recipiunt; ſed etiam eam pedibus planè conculcant, & eos inſectantur ac lædere conantur, qui eam illis explicant ac tradunt. Denique (quanquam id inter poſteriores iſtos modos primo loco collocari debebat) dicuntur homines improbi *de mundo eſſe*, ut Johan. 15 & 17. & 1 Johan. 4. Significatur autem, hujuſmodi homines nihil aliud quam hunc mundum ſeu præſens hoc ſeculum ejuſque bona ſperare ac ſapere. Fortaſſe huc pertinet *Spiritus hujus mundi*, quem quis acceperit aut non acceperit, de quo 1 Cor. 2. qui eſt Spiritus ille, qui nil niſi mundana dictat, & rationem, qua illis potiri poſſis, oſtendit. Et hi quidem nobis nunc ſuccurrunt generales loquendi modi, quibus probi vel improbi in ſacris literis deſcribuntur.

Videndi ſunt ſpeciales ac ſtrictiores. Eos autem duplices antea conſtituimus: alii enim probitatem aut improbitatem ad certum aliquod vel virtutis vel vitii genus reſtringunt; alii ad certa tempora temporumque circumſtantias. Prioris generis ſunt, cum probi homines dicuntur *eſſe ex Veritate*, ut Johan. 18, quia nimirum Veritatem ament, eaque delectentur, aut ad illam recipiendam admodum ſint apti. Sed deinde, quod attinet ad improbitatem, illi, qui ea laborant, dicuntur eſſe ex contentione ſeu contentioſi, quaſi ex ipſa contentione compoſitos natoſve dicas. Dicuntur etiam ii eſſe, qui gloriam alii ab aliis accipiant ſeu quærant, gloriam autem apud ſolum Deum non quærant Johan. 5. 44. aut qui magis diligunt gloriam hominum, quam gloriam Dei: cap. 12. 33. Poſterioris generis ſunt primum, cum illi dicuntur *oves Chriſti*; quæ appellatio, ut quivis videt, non eſt accommodata omnibus temporibus, ſed tantum temporibus Novi fœderis. Cauſa appellationis eſt, quia illi ob animi ſimplicitatem ac ſingularem modeſtiam manſuetudinemque, apti ſunt, ut Chriſtum paſtorem ſuum agnoſcere, ejuſque ductum ſequi, in Eccleſiam tanquam ovile ejus aggregari, & ſic verè ipſi parentes ſub ejus tutelâ à luporum laniatu tuti eſſe, paſcua denique ſalutaria, & vitam eamque copioſam invenire ipſius ope queant. Deinde,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de, dum iidem *Chriſti populus*, quem is alicubi habeat, dicuntur; cujus appellationis eadem eſt cauſa, quæ prioris, nempe quia apti ſunt ob animi ſinceritatem, ut Chriſti populus fiant. Tertio, dicuntur *dari*, aut *dati eſſe Chriſto à Deo*; quæ appellatio tantum revera probi animi hominibus competit, cum Deus eos per Euangelii doctrinam, & præſtantiſſima pietatis præmia ipſis propoſita ad Chriſtum trahit, & ſic ejus curæ ac tutelæ fideique commendat, ut ſalutem ipſorum ad exitum perducat. Confer inter ſe ℣. 37. cap. 6 Johan. cum ℣. 44 & ſeqq. ubi iidem dicuntur *trahi à patre*, qui Chriſtum miſerit, nempe quia promiſſis divinis pietati promiſſis animos illorum virtutis amantes ad Chriſti doctrinam amplectendam alliciat, & trahat. Dicuntur iidem *docti Dei*, vel, ut alii volunt, docibiles; quia nimirum audiunt à Patre & diſcunt, hoc eſt divinam vocem licet aliquomodo obſcuriorem audiant & agnoſcant, & ab eo, cum non humano ſed ſuo eoque peculiari modo homines voluntatem ſuam edocet, diſcunt. Qua de re alibi dictum eſt. Ex effectu ergo denotatur cauſa: conſequens enim probitatis eſt, Chriſti curæ eo, quo diximus, pacto committi ac tradi. Eadem ratione (qui inter hos modos quartus eſt) dicuntur ii *ordinati eſſe ad vitam æternam*. Qua de re videatur Socinus in Prælect. cap. 12. & de Servatore, parte 4, cap. 12. cujus dictis hoc addere libet: in verbis illis, quæ compoſita ſunt ex verbo τάττειν, quo utitur Lucas eo, quem reſpicimus, loco, paſſivè elatis, reciprocam habere ſignificationem frequentiſſimè locum; quemadmodum apparet in verbo ὑποτάττεσθαι & ἀντιτάττεσθαι: ita ut nec abſurdum videri debeat, idem etiam in voce τεταγμένοι, qua Lucas utitur, accidere; ut ſenſus ſit, quotquot ſeipſos ordinarunt ad vitam æternam; præſertim cum id apud Hebræos imprimis in verbis conjugationis Niphal creberrimè accidat. Quanquam nihil prohibet, quo minus ea ordinatio ad Deum, tanquam cauſam agentem, referatur; quæ tamen ordinatio ad probitatem animi in iis hominibus, de quibus ſermo eſt, reſpexerit. Quin eadem de cauſa probi dicuntur *non longe abeſſe à regno Dei*: Marc. 12 34, itemque ii *qui ſervantur*, vel qui ſervandi ſunt. Act. 2. 47: 1 Cor. 1. 18: 2 Cor. 2. 15: Apoc. 21. 24. nam etiam hoc modo vox σωζόμενοι accipi poteſt: ſiquidem participia paſſiva, præſentia aut præterita, interdum pro nominibus verbalibus neceſſitatem quandam ſignificantibus, qualem apud Latinos participia paſſiva futuri temporis denotant, ponuntur. Contra improbi deſcribuntur per eos, *qui pereunt*, aut perire debent: 1 Cor. 1. 18: 2 Cor. 2. 15. Sextò probi homines dicuntur *infantes*, improbi autem *ſapientes & intelligentes*: Matth. XI. 25. nempe quod illi, contemptis præſentibus, quæ hominibus hujus mundi certa eſſe videntur, futura ſectentur, & ſic inſtar infantium ſtulti ab illis judicentur; hi verò contrà agant, & ſapienter facere judicentur. Quapropter per ſapientes & intelligentes deſignantur ſapientes hujus mundi, ut eos appellat Apoſtolus 1 Cor. 4. Per infantes autem ſtulti in hoc ſeculo. Quanquam hoc etiam modo infantium nomen explicari poteſt optimè, eodem manente ſenſu, quod ii ſint infantes, qui ſimplices ſunt ac ſinceri, ac à malitia alieni, quique res hujus mundi nonniſi eatenus quærunt ac deſiderant, quatenus opus habent; copiam aut abundantiam non neceſſariam haud deſiderant. Unde illi, qui ſapientes & intelligentes dicuntur, accipiendi erunt pro hominibus aſtutis ac fraudulentis, quibus conſilium ad res etiam malas abundat, quique non contenti rebus neceſſariis, copiam & abundantiam hujus mundi deſiderant & quærunt. Verumtamen nihil prohibet, quo minus ibi ſapientiæ & intelligentiæ nomen ſignificet qualitatem aliquam per ſe non malam, ſed bonam potius; verum ejuſmodi, cum qua improbitas libenter ſoleat eſſe conjuncta: unde fit, ut plerique ea qualitate præditi Euangelii doctrinam reſpuant: hi verò, qui eorum reſpectu infantes dici queunt, quod ſapientia & intelligentia non adeò videantur valere, quia probiores ſunt, Euangelium libentius recipiant. Qua de cauſa non illis Euangelium dicitur revelari à Deo, ſed his. Eodem pacto dicitur Deus non multos elegiſſe *ſapientes ſecundum carnem*, non multos nobiles: ſed ſtultos hujus mundi; 1 Cor. 1. 26. quia Chriſti doctrina his eſt accommodatior, eorumque animus ferè probior. Ponitur autem eo in loco ſapientia ſecundum carnem, non pro re mala, ſed tantum pro re non ad Spiritum, ſed ad hanc vitam & bona temporaria pertinente: qua de re dictum eſt in tractatione de prudentia. Sic etiam Deus dicitur elegiſſe *pauperes hujus mundi*, divites fide, & hæredes illius regni. Jacob. cap. 2. ℣. 5. hoc eſt, ut eſſent divites fide, & hæredes illius regni; quaſi non etiam elegerit divites: quia Euangelii ratio paupertati eſt accommodatior, quam divitiis. Unde Dominus Jeſus ſuo modo id impoſſibile dicit, divitem ingredi in regnum Cœlorum, quod plerique divitiis ſuis confidant; licet nec divitiæ per ſe malæ ſint, nec omnes divites pereant. Quare idem de ſapientibus & intelligentibus ſentiendum, qui vel erunt prudentes, ut qui ſuis aliorumve commodis optimè norint proſpicere, vel aliàs eruditi & ſapientiæ nomine clari. Iidem etiam *filii inobedientiæ & contumaces* ſeu inobedientes dicuntur: illud Epheſ. 2. 2. hoc 1 Petr. 2. 8. Ad hoc genus poſſunt referri aliquomodo illa loca, in quibus dicitur, *Deum* certorum hominum *cor tetigiſſe*, cum aliorum cor non fuerit tactum; ut 1 Sam. 10. ad finem: aut *Dominum cor* alicujus *aperuiſſe*. Actor. 16. 14. Ubi per effectum quendam probitas animi iſtorum hominum, de quibus ſermo eſt, tacitè indicatur: Qua de re vide Socin. prælect. cap. 12.

Supereſt Tertium membrum tractationis de probitate & improbitate, in quo diſtinctio utriuſque affectionis explicanda eſt. Præter diſtinctionem autem eam, quæ ex diverſitate graduum, ſeu intenſione & remiſſione petitur, qua probitas & improbitas nunc major, nunc minor eſt; (amor enim & odium, ut cæterarum rerum, ita etiam virtutis & vitii, in quo probitas improbitaſque conſiſtit, gradus admittit) duplex præterea diſtinctio tradi poteſt. Quanquam illa etiam ad graduum diverſitatem, ſeu ad perfectionis & imperfectionis rationem reduci queat. Nam ut de probitate primum loquamur, alia probitas animi efficax eſt, alia inefficax. Illa eſt, cum amor Virtutis tantus eſt, ut morum etiam integritas, & externarum actionum honeſtas inde conſequatur: hæc verò, quæ cum morum corruptione, & vitiorum quorundam habitibus, licet non perfectis, præſertim peccatorum cum ipſa natura non vehementer pugnantium, conſiſtit. Prior illa tum in Judæis quibuſdam fuit, tum in quibuſdam Ethnicis, non tantum iis qui veri Dei cognitionem ſeu notitiam habuerunt, ſed etiam iis, qui ea caruerunt. Quanquam enim vix auſim affirmare, ullum fuiſſe Ethnicorum, qui ſaltem in divini cultus ratione graviſſimè non peccarit; interea tamen reliqua illorum vita honeſta eſſe potuit, & virtuti, quatenus eam cognitam habebant, conſentanea. Quæ morum integritas, licet, ſi exactè ad virtutis normam exigatur, hoc nomen non mereatur; tamen ſi cum aliorum ejuſdem generis ac conditionis hominum vita conferatur, integritatis nomen ſortiri poteſt. Cauſa autem, cur interdum probitas effectu ac fructu ſuo careat, videatur apud Socin. in diſcurſu de cauſis Fidei.

Hæc eadem diviſio non poteſt ſatis commodè improbitati accommodari, niſi quatenus improbitas interdum tegitur, interdum (& id quidem creberrimè) in apertum prodit, & factis ipſis ſeſe exerit. Nam cum improbitas, quæ tegitur, integritatem quandam morum externè ſimulet; non poteſt ea res diu latere. Nullum enim ſimulatum diuturnum. Unde Chriſtus Phariſæis, licet illis hypocriſin imprimis objiciat, & quidem ſæpiſſime, varia tamen etiam peccata, eaque gravia, in externis factis conſiſtentia, exprobrat, & falſos prophetas, qui ovinis pellibus, ſeu ſimulata pietate malitiam ſuam palliare ſtudent, ex fructibus tamen cognoſcendos eſſe docet. De probitate autem ea, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

efficacem eſſe diximus, & improbitate ei oppoſita, intelligendus eſt locus Johan. 3. 19, 20, 21. Etenim ex altera quidem parte probitatem animi cum morum integritate conjunctam intelligi, ſatis indicat phraſis, *qui facit veritatem*; quæ tamen non tantum factorum externorum honeſtatem ſignificat, ſed talem etiam, quæ ex animo ſincero & candido naſcatur. Cui addi poteſt, quod de hujus generis hominibus dicatur, eos ad lucem venire, idque propterea, ut eorum opera appareant, quæ vel quia in Deo, hoc eſt, Deo autore, & convenienter illius voluntati ſint perfecta: quæ ſatis indicant vitæ honeſtatem ex ſincero virtutis ſtudio profectam. Sic etiam in altera parte, cùm fit mentio eorum, quorum opera ſunt mala, aut qui mala agunt, improbitas animi ac morum ſimul intelligenda eſt. Etenim cum operum malorum fit mentio, ea utrobique intelligenda ſunt facta, quæ ex animo ipſis ſimili erumpunt, nempe ex malo; vel quia vox *mali* operibus addita id poſtulat, vel quia vox operum id ſignificat. Nam quemadmodum ea demum opera cenſenda ſunt bona, quæ bono fiunt animo & conſilio; ita ea demum revera ſunt mala, quæ etiam ſua natura ſunt mala, & ſponte fiunt: præſertim cum voces Græcæ πονηρὰ & φαῦλα voci operum additæ emphaſin quandam habeant, & non quamvis, ſed veram malitiam, quæ in aliqua re cernitur, denotent. Sed ipſa etiam vox operis, molitionem quandam ſignificare poteſt, & id quod conſulto ac ſtudio fit. Quod ſi quis tamen per eos, qui mala agunt, velit generatim omnes ſignificare, quorum facta non conveniunt virtutis normæ, ſive ab animo improbo proficiſcantur, ſive minus, tum verba Chriſti generatim ſunt accipienda tantum, non verò prorſus univerſe. Neque enim prorſus omnes, qui mala agunt, lucem oderunt, ad eamque non veniunt: quum plerique Chriſtianorum, ſive ex Ethnicis ſive ex Judæis oriundi, ante veritatis cognitionem tales fuerint, ut res ipſa, & Epiſtolæ Apoſtolicæ ſatis docent. Verumtamen quia cum operibus malis plerumque improbitas aliqua, ſi non perfecta, ſaltem imperfecta, conjuncta eſt, ideo Dominus Jeſus generatim ait: *Omnis enim qui mala agit, odit lucem.* Notum enim eſt vocem *Omnis*, tum in communi ſermone, tum in ſacris literis non ſemel eo pacto accipi, ut exceptioni tamen ſit locus: & ſatis eſt ad ejus vim, ut de pleriſque id verum ſit, quod de omnibus effertur. Verum nobis magis placet prior explicatio, præſertim quia ex illis verbis, in quibus cauſa explicatur, cur ii qui mala faciunt, oderint lucem, & ad eam non veniant, nempe ne convincantur, ſeu coarguantur eorum opera, ſatis apparet, eos homines ſua opera valde amare, & nolle ea reprehendi & in apertum produci, eamque ob cauſam lucem ſeu doctrinam veritatis, quæ illa redarguat, odiſſe; quæ omnia improbitatem animi arguunt. Adde quòd iis, qui male faciunt, opponuntur ii, qui faciunt veritatem, quod cum externorum factorum integritate animi quoque ſinceritatem videtur ſignificare: q. d. qui ſincerè, candidè integreque agunt. Unde veriſimile fit, in contrario ſeu altero oppoſitionis membro, animum haud ſincerum & minime ſimplicem ac candidum cum ipſorum operum externorum improbitate conjungendum.

Deinde alia animi probitas conjuncta eſt cum Dei ejuſque voluntatis notitia, licet imperfecta; alia ab ea ſejuncta. Eodem modo & improbitas. Prior illa, ſi cætera ſint partia, hac poſteriori major ac perfectior eſt. De priori probitate & improbitate omnia ea loca ſunt accipienda, in quibus de Judæis, aut iis, qui notitiam Dei ab illis hauſerant, quales ex paganis fuerint προσήλυτοι, aut alii, qui eam religionem magna ex parte amplectebantur, agitur. Huc pertinet v. g. probitas Nathanaëlis, quam verbis his exprimit Dominus Jeſus: *Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt*: Joh. 1. 48. tum etiam Apoſtolorum, quos non eſſe ex mundo, & à Patre ſibi datos, teſtatur Chriſtus Joh. 15 & 17. ut alia exempla jam prætereamus. Huc inter Ethnicos, notitiam tamen Dei jam habentes, pertinet imprimis Cornelius, ejuſque domus, de quo in Actis cap. 10. Quin etiam locus Johannis paulo ante examinatus, ad hujus generis homines revera pertinet. De Lydia idem ſtatuendum videtur. Nam verba ea, quæ de ea Act. 16 ſcribuntur, omnino ſignificant, eam verum Deum noviſſe: quin illud quoque mihi fit veriſimile, eam ſi non genere, ſaltem religione Judæam fuiſſe. De poſteriori probitate aut improbitate ſermo eſt, ubi de Paganis, quos Paulus ſine Deo in mundo fuiſſe aſſerit, agitur; inter quos tamen & oves Chriſti ejuſque populus latebat. Etſi autem ſupra dictum eſt, probitatem animi generaliter ſic dictam deſcribi per cognitionem Dei, quaſi nimirum nemo probus eſſe poſſit, niſi qui Dei notitiam habeat: tamen id ei, quod nunc aſſerimus, nihil obſtat, cum hoc loco de cognitione Dei propriè ſic dicta loquamur; ibi de impropria. De qua re vide Socin. in commen. in Epiſt. 1 Joh. c. 4. 6. ubi hanc rem fuſe perſequitur.

Cap. III.

De Tranſitu à vitiis ad virtutem & pietatem.

HActenus de fundamento pietatis, & veluti primo ejus initio egimus: nunc ad ipſius Sanctitatis explicationem accedendum eſt. Verum cum ea duplici ratione in ſacris literis exprimatur, vel ita, ut ſimul indicetur tranſitus à vitiis, in quibus quis antea hæſerit, ſeu ab impietate ad pietatem; vel abſolutè ita, ut non indicetur, eum, qui ſanctitatem virtutemque colat, antea in peccato aliquo hæſiſſe, atque illud poſtea depoſuiſſe, ſed ſimpliciter tantum pietatis natura exprimatur: Nos prius agemus de priori Sanctitatis explicandæ ratione, & ad eam reducemus eos quoque dicendi modos, in quibus vel de mutatione ac tranſitu hominis à ceremoniali Dei cultu ad ſpiritualem, vel à naturali ſtatu ac conditione ad ſpiritualem, agitur.

Poſſunt autem omnes illi modi loquendi, qui nobis nunc ſuccurrunt 30 & aliquot numero, ad duo genera reduci. Nam vel uno ſimplicique vocabulo, vel ſaltem, iſtiuſmodi termino, qui unius vocis vim habere cenſendus eſt, tranſitus iſte ſignificatur: vel pluribus vocibus & phraſi integra, eaque nonnunquam duplici. Utrique autem vel pleniores ſunt, & rem totam explicant: vel minus pleni. Illi ſunt, qui non tantum depoſitionem peccatorum, aut rerum peccatis ſimilium; ſed etiam virtutum contrariarum exercitationem ſimul comprehendunt. Hi vero ſunt, qui tantum peccatorum depoſitionem ſignificant, licet tacitè quoque & conſequenter exercitatio virtutum, quæ depoſitionem peccatorum comitatur, in iis comprehenſa cenſeri poſſit.

Quod ad ſimplicia vocabula attinet, primo loco occurrit vox *Pœnitentiæ* vel potius reſipiſcentiæ, quæ Græcè eſt μετάνοια, & propriè ſignificat animi in melius mutationem, eamque ejuſmodi, quæ actionum quoque in melius mutationem ſecum trahat. Eſt enim μετανοεῖν poſt factum ſapere. Animadvertendum eſt autem, reſipiſcentiam ibi verè locum habere, ubi eſt alicujus peccati habitus, & animus, ſi non penitus, ſaltem aliqua ratione à virtute averſus, ita ut virtuti cognitæ ſerio non incumbat, nec eam factis ipſis exprimat, ſed contra potius appetitui ſe regendum permittat, utut aliàs amor virtutis in eo non prorſus ſit extinctus. Itaque ſi quis ſemel tantum aut iterum ex imbecillitate aut incogitantia aliqua labatur; dolor quidem aliquis factum conſequi poteſt ac debet, & nonnulla fortaſſis animi ad majus pietatis ſtudium vel mutatio vel incitatio; ea tamen reſipiſcentiæ nomine in ſacris literis vix inſignitur, cum ea inſigniorem tantum animi mutationem, qualem jam diximus, ſignificare ſoleat. Qua de cauſa etiam nonnulli à Chriſto tales perhibentur, qui reſipiſcentiâ non indigeant: Luc. 15. 7. At ejuſmodi nulli ſunt, aux vix ac ne vix quidem, qui aliquando ſaltem non labantur, & ſic nonnunquam, ubi ſe recollegerint, ex factis ſuis dolorem non capiant. Extat quidem aliud adhuc vocabu-

lum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

lum huic vicinum in ſacris literis, nempe, μεταμέλεια, quod ſignificat dolorem quendam, qui pravum aliquod factum conſequatur: ſed duobus tamen modis μεταμέλεια hæc à μετανοίᾳ diſtinguitur. Illa enim latius patet, & in eos etiam cadit, qui vere non reſipiſcunt; qualis fuit Judas, de quo ſcribitur Matth. 27. 3, quod eum facti ſui, ſeu proditionis domini Jeſu pœnituerit; ubi Græcè eſt vox μεταμεληθεὶς. Quanquam ſi hæc μεταμέλεια ſit conſtans, moderata tamen, &, ut Paulus de dolore loquitur, ſecundum Deum; tum pœnitentiam veram operatur, modo ei rei tempus ſit ac ſpacium. Μεταμέλεσθαι Matth. 21. 32, vel eandem vim habet cum voce μετανοεῖν, vel ſaltem in ea ſignificatione ponitur, quæ μετάνοιαν vel reſipiſcentiam ſecum trahat. Quod ſi vocis Latinæ Pœnitentiæ vim propriam ſpectes, eadem illius eſt. Itaque vocem μετανοίας melius reddideris *reſipiſcentiam*, ut à doctioribus interpretibus factum videmus, quam pœnitentiam. Tranſlata tamen vox eſt ad hoc negotium, quia pœnitentia ac dolor triſtitiaque animi ex pravis factis antea commiſſis concepta, veræ reſipiſcentiæ, ut modo indicavimus, cauſa eſt; quemadmodum ex loco Pauli, ad quem modo reſpeximus, 2 Cor. 7. ℣. 9 & 10. apparet; & ejus quoddam eſt initium, eamque neceſſariò ſecum trahit, ſi cætera quæ paulo ante indicavimus, accedant, hoc eſt, ſi ſit conſtans, moderata, & ſecundum Deum, & ſpatium concedatur homini ad vitæ rationem mutandam. Ex quibus alterum jam μεταμελείας & μετανοίας diſcrimen apparet: nempe quod illa cauſam, hæc effectum notet.

Pœnitentiæ ergo initium eſt agnoſcere delicta ſua, eorumque gravitatem, & quæ hanc comitatur divinam iram & pœnam, quam ea fuerint merita. Hinc conſequitur dolor animi & triſtitia, quæ ſi recta ſit, parit eam animi mutationem, ut jam penitus apud te decernas, facta in melius mutare, & divinis præceptis parere. Quod animi decretum ſi firmum ac plenum ſit, effectu ſuo nunquam caret, accedente præſertim eo auxilio, quod Deus hujuſmodi hominibus ſuppeditare ſolet.

Reſipiſcentia autem primò decretum iſtud animi firmum ſignificat, conſequenter vitæ mutationem, quæ inde naſcitur; unde diverſitas ſignificationis hujus vocis in ſacris literis oritur. Nonnunquam enim plane propriè accipitur, & pro animi tantum mutatione in melius ſumitur, & ſic à factis externis Dei voluntati conſentaneis diſtinguitur, tanquam ſuis fructibus ſeu effectis: cujus rei exemplum habes Matth. 3. 8: Act. 26. 20. Interdum vero per Synecdochicam quandam Metonymiam effectum una cum ſua cauſa complectitur, hoc eſt, tum animi, tum factorum mutationem in melius: quod fit in omnibus iſtis locis, ubi reſipiſcentiæ ſimpliciter fit mentio, nec à vitæ morumque integritate diſtinguitur; cujus rei exempla paſſim ſunt obvia.

Eſt autem reſipiſcentia hæc duplex: altera imperfectior, perfectior altera. Illa eſt, cum talis animi & factorum mutatio ſignificatur, quæ rationis naturalis dictamini, & legi tantum Moſaicæ ſit conſentanea, quæ à fide Euangelio habenda, vel à fide in Chriſtum diſtinguitur. Talem pœnitentiam prædicavit Johannes, & ipſe quoque Chriſtus ab initio, cum monuit, ut homines pœnitentiam agerent, & crederent Euangelio. Quin etiam diſcipuli Chriſti, ab illo in terris adhùc verſante ad Judæos miſſi, ut videre eſt Marc. 6. 12. Huc etiam pertinet dictum Petri Act. 2. ℣. 38. & Pauli Act. 20. 21. quo loco pœnitentia ad Deum, fides autem ad Chriſtum propriè refertur; nempe quia homines illi, qui reſipiſcere tum jubebantur, vel omnes, vel ſaltem plerique, factis ſuis non Chriſtum, ſed Deùm ipſum offenderant. Eodem etiam referenda ſunt illa loca, in quibus agitur de iis, qui pœnitentia non egent, ſi conſideretur, quorum hominum reſpectu Chriſtus ea verba potulerit, nempe eorum qui tum, cum hæc proferrentur, extabant, aut extare poterant. Nam aliàs verba ipſa ſua natura latius patent, & hodie etiam ad eos extendi poſſunt, qui ſecundùm doctrinam Chriſti piè vivunt, ab ineunte præſertim ætate. Hæc vero, hoc eſt, perfectior pœnitentia eſt, quæ doctrinæ Chriſti univerſæ eſt conſentanea, & omne virtutis genus à Chriſto præſcriptum in ſeſe complectitur, ac totum id comprehendit, quod ex parte noſtri ad ſalutem conſequendam eſt neceſſarium. Unde etiam fidei mentio ei non adjicitur; quippe quæ in ea tacitè contineatur, aut, ut loquuntur, præſupponatur. Hoc modo ſumitur Luc. ult. 47, ubi totius Euangelii ſumma comprehenditur prædicatione pœnitentiæ & remiſſione peccatorum: quarum illa omnia Novi Fœd. præcepta, & ſic univerſum Chriſtianorum officium, hæc promiſſa complectitur. Idem etiam cenſendum eſt de Act. 5. 31, ubi totam ſalutis noſtræ rationem, ad quam perficiendam Dominus Jeſus eſt exaltatus, iſtis duobus complectitur Petrus, quibus eandem in loco dicto Dominus Jeſus ipſe fuerat complexus. Reſipiſcentiæ opponitur cor reſipiſcere neſcium, aut ſimpliciter non reſipiſcere, quod quid ſit ex dictis ſatis conſtat.

Secundo loco occurrit inter vocabula ſimplicia, quibus tranſitus à vitio ad virtutem ſignificatur *converſionis* vox, cujus eadem, quæ reſipiſcentiæ revera vis eſt. Itaque quæ de hac diximus, eadem ad converſionem, niſi quatenus Etymologia diſtinctæ ſunt, tranſferenda ſunt. Significat autem vox converſionis antegreſſam aliquam à Deo, ad quem converti dicimur, averſionem, aut à re alia, quæ hac in parte eandem vim habeat. Solet autem libenter in ſacris literis huic voci adjici, quod vel ſignificet terminum, ut loquuntur, ad quem, vel terminum à quo, vel utrumque ſimul. Sic dicuntur homines converti ad Deum, quod in ſacris literis eſt frequentiſſimum, & nonnunquam ab idolis vel rebus vanis, ut Actor. 14. 15, ad Deum viventem ac verum; vel ad Dominum, 2 Cor. 3. 16: per quem Dominus Jeſus intelligitur; vel à tenebris ad lucem, Actor. 26. 18. Oppoſitum converſionis eſt averſio, vel cordis receſſio à Deo.

Tertio loco poni poteſt vox καταλλαγῆς, hoc eſt, conciliationis, ſeu, ut ſacræ literæ fere loquuntur, *reconciliationis*, quæ pro converſione ad Deum apud Paulum ſumitur. Significat autem odii, quod adverſus Deum antea conceperamus, ſeu inimicitiæ depoſitionem; quam neceſſariò conſequitur amor erga Deum, & ſic ſtabilis ac firma cum ipſo amicitia, & conjunctio. Opponuntur autem reconciliati inimicis, putà Dei, Rom. 5 ſeu iis, qui alienati fuerant, atque inimici mente in operibus malis: Col. 1. Unde apparet, reconciliationem contra, depoſitionem iſtius inimicitiæ, vel amicitiam cum Deo initam, & animi ad Deum in operibus bonis converſionem, ſignificare. Animadvertendum eſt autem hoc loco primum, illam inimicitiam adverſus Deum, & alienationem ab eo, quæ reconciliationem antecedit, non ita eſſe intelligendam, quaſi ii, quibus illa tribuitur, verè Deum cognitum oderint, aut quaſi hic fuerit illorum animus: ſed tantummodo ſignificatur vis factorum & operum ipſorum, quæ talia fuerint, qualia ab inimicis Dei proficiſcuntur; quemadmodum ſimiliter aliqui dicuntur irridere Deum, provocare Dominum, & ſi quæ ſunt ſimilia. Nam verum Dei odium nonniſi in improbiſſimis locum habere poteſt: at reconciliatio in eos, qui probo ſunt animo, cadit. Et hac de cauſa Apoſtolus dicto loco Col. 1, cum alienationis & inimicitiæ mentis feciſſet mentionem, ſeipſum veluti explicans addit, *in operibus malis*. Et ſane ſi quis conſideret, quorum hominum reſpectu Paulus iſta verba protulerit, facile intelliget, odium iſtud, aut alienationem mentis, ita eſſe accipienda ut diximus. Nam de Ethnicis loquitur, qui Deum antea non habebant cognitum, itaque verè & propriè odiſſe eum non poterant.

Deinde duplex etiam ſignificatio hujus vocis conſtitui poteſt, quemadmodum de pœnitentia ſupra diximus. Nam nunc in imperfectiori ſignificatione ponitur, nunc in perfectiori. Imperfectior ſignificatio eſt, cum à ſanctitate vitæ diſtinguitur, eaque reconciliationis finis conſtituitur; ut fit dicto loco Col. 1: ubi ait, *Nunc autem reconciliavit*, &c. *ut eſſetis ſancti*

& irreprehenſibiles & inculpati in conſpectu ejus, hoc eſt, Dei. Quare reconciliatio tum temporis ſumetur pro ea animi noſtri mutatione, ut jam apud nos decernamus, ac firmiter concludamus, nos, abjectis malis operibus, veritatem colere, & bona opera præſtare velle: cujus mutationis finis eſt ipſa vitæ ſanctitas. Perfectior ſignificatio eſt, cum ſanctitas vitæ reconciliationis nomine includitur, quod omnibus in locis fieri videtur, ubi de reconciliatione ſimpliciter ſermo eſt, eaque à vitæ ſanctitate non diſtincta. Imprimis autem huc pertinere videtur locus 2 Cor. 5, ubi Paulus ipſosmet Corinthios hortatur, ut Deo reconcilientur; qui tamen proculdubio animum magna ſaltem ex parte ad pietatem compoſuerant. Vult tamen Paulus, ut reconcilientur Deo, quia nimirum nondum omnia opera mala depoſuerant, ut ex utraque Epiſtola ſatis conſtat. Unde cupit Paulus, ut, omnibus operibus malis depoſitis, ſeſe hoc pacto ad Deum convertant, & opera ipſi grata præſtent; id quod eſt veram cum Deo amicitiam colere. Huc etiam pertinet locus Rom. 5: ubi reconciliati & juſtificati inter ſe permutantur: non quod proprietas vocum ſit eadem, ſed quod omnes reconciliati in eo ſtatu verſentur, ut à Deo vi Novi Fœderis juſtificentur. Qua de cauſa iiſdem etiam tribuitur, quod in vita Chriſti ſint ſervandi: & mox etiam cauſa, cur gloriari in Deo per Jeſum Chriſtum jure poſſimus, non obſcure affertur hæc, quod per eum nunc reconciliationem, puta cum Deo, accepimus.

Cujus loci occaſione videtur id quoque animadvertendum, quod inter ea quæ propoſuimus tertium eſt, quod etiamſi iſta reconciliatio nos primò reſpiciat, & ſignificet nos odium erga Deum depoſuiſſe, non verò Deum erga nos, (qua de cauſa nos Deo reconciliari, non Deus nobis, in ſacris literis perpetuo dicitur, imo Deo ipſi tanquam agenti reconciliatio noſtra adſcribitur, & alia quædam adjiciuntur, unde id, quod diximus, ſatis ſit manifeſtum; qua de re non eſt hìc uberius differendi locus:) tamne ſecundario vocem iſtam Deum etiam ipſum reſpicere, præſertim abſtractè poſitam, & ſignificare etiam ex parte Dei amicitiam jam inter nos & ipſum conſtitutam, & ex ipſius parte eam jam penitus ratam ac firmam eſſe; quin etiam majori jam favore Deum nos ad ſe converſos complecti, quam antea. Nam etſi ira in Deo adverſus nos, cum reconciliationem noſtram quæreret, non fuit; tamen duo adhuc aberant, quæ ad plenum perfectumque ejus adverſus nos favorem requirebantur. Alterum eſt, quod minus nos amabat, quam poſt reconciliationem amat, ipſa rei natura ita ferente. Magis enim is qui ſapit amat amicos, & ſibi obſequentes, quam inimicos, & ſibi non parentes: nec quiſquam ſane dubitat, quin Deus nos magis amet, poſtquam ab impietate reipſa receſſimus, quam tum amabat, cum in ipſa adhuc hæreremus. Alterum eſt, quod favor ille Dei in iram graviſſimam mutari poterat, imo non erat futurus ſtabilis, niſi nos ab impietate ad pietatem converteremur. Itaque ut Dei favor erga nos eſſet perpetuus, conditio ex parte noſtri ea, quam modo expreſſimus, requirebatur, qua poſita amicitia noſtra ex parte Dei jam plane ſit immutabilis, & effectum ſuum, qui ſalus noſtra eſt, habet. Hæc utraque favoris divini erga nos perfectio ac complementum videtur includi voce καταλλαγῆς in loco ad Roman. 5. Nam aliàs non eſſet hæc cauſa ſeu ratio admodum firma, quam Apoſtolus affert ad oſtendendum nos in Deo per Chriſtum gloriari, hoc eſt, gloriari Deum eſſe noſtrum; quia per Chriſtum reconciliationem accepimus, niſi hæc reconciliatio favorem etiam Dei erga nos complecteretur, & ſic ſignificaret pactum ac fœdus inter nos & Deum initum, & amicitiam ſtabilem ac firmam ex utraque parte conſtitutam. Quod ut adhuc planius fiat, conſiderandum eſt vocis reconciliationis hanc ſolere eſſe vim, ut ſignificet conſtitutionem amicitiæ inter eos, qui fuerunt diſcordes, & quorum vel uterque animo fuerit alieno, & iram adverſus alterum aut odium foverit, vel alter tantum: & licet reconciliatio eum potiſſimum reſpiciat, aut in eo occupetur, qui odium adverſus alterum geſſerat; unde ei neceſſariò paſſivè ſolet tribui, iſque alteri dicitur reconciliatus; tamen ſi reconciliatio illa ſit plena, vel de utraque parte communiter efferatur, quod ſit, cum dicuntur duo inter ſe reconciliati, id quoque complectitur, quicquid etiam ex altera parte ad amicitiam plenam perfectamque deerat. Id autem in hoc ad Rom. loco fieri, illud quoque videtur ſuadere, quod nos dicamur reconciliationem accepiſſe. At id, quod nos tantum ipſi præſtamus, & à nobis proficiſcitur, vix poſſumus dici accepiſſe, niſi forte per aliquem verborum circuitum id explicare velis. Idem intelligendum eſſe videtur de loco c. XI ejuſdem Epiſt. ℣. 15, ubi itidem vox καταλλαγῆς abſtracte ponitur, licet cum adjectione vocis mundi: opponitur enim ibi reconciliatio mundi abjectioni Judæorum, & hæc iterum opponitur aſſumtioni eorundem, vel receptioni in gratiam. Ex quo apparet reconciliationem mundi, quæ non ſecus atque aſſumtio opponitur iſti rejectioni, ſignificare receptionem mundi in gratiam, à Deo factam, ſeu amicitiam non tantum ex parte noſtri, ſed etiam ex parte Dei conſtitutam. Ne de eo nunc quicquam dicamus, quod Rom. 5, ubi reconciliationis noſtræ cum Deo ſit mentio, meminerit etiam Paulus ſanguinis Chriſti, per quem iſta reconciliatio facta fuerit, quemadmodum & ad Col. 1: ubi de reconciliatione, nempe Cœleſtium & terreſtrium agitur; quod ideo fieri arbitramur, quia ad percuſſionem fœderum, quæ ſanguine ſolebant ſanciri, alludatur. Quare reconciliatio erit fœderis inter nos & Deum pactio quædam. Ea vero non tantum ex parte noſtri, ſed etiam ex Dei parte, firmam amicitiæ ſtipulationem & conſtitutionem requirit; licet ea ex parte Dei ante noſtram ad eum converſionem magna ex parte, immo prorſus rata jam fuerit: quatenus id ratum eſſe dici poteſt, quod conditionem aliquam ab altera parte præſtandam requirit, quæ nondum fuerit præſtita. Tandem hoc quoque adjici poteſt, vocem καταλλαγῆς rectius reddi conciliationem, quam reconciliationem, ſi modo linguæ Latinæ uſus id permittit. Nam reconciliationis vox videtur id innuere, eos, qui dicuntur reconciliari, ante aliquando fuiſſe conciliatos, ſeu amicitiæ vinculo inter ſe conjunctos: quod Greca vox καταλλαγῆς non ſignificat. Ea enim locum habet, ſive præceſſerit aliquando amicitia inimicitiam, ſive minus. De oppoſitis jam diximus.

Quarto loco collocari poteſt *Renovatio*, quanquam ea vox raro ſine adjectione aliqua ponitur; idque nonnunquam expreſſa cauſa efficiente, ut cum dicitur renovatio Spiritus Sancti: Tit. 3. nonnunquam ſubjecto, in quo iſta renovatio cernatur, quæ eſt mens aut ſpiritus mentis, ut eſt Rom. 12. 2. Epheſ. 4. 23. Renovatio Spiritus Sancti dicitur, quia vi illius Spiritus Sancti, qui in fideles olim ubertim effuſus eſt ad Euangelium comfirmandum, peracta eſt; licet mediatè, nempe ipſa Euangelica doctrina interveniente, cui Spiritus ille robur addidit, effecitque ut homines illam amplecterentur, & ſic animum, voluntatem, omneſque actiones immutarent. Licet autem hodie iſte Spiritus Sanctus, præſertim eo modo, ut ab ipſo initio factum eſt, cum renovatio fieri debet, non detur credentibus; præſertim generatim: tamen adhuc Spiritus illius vis durat, & regeneratio iſta nihilominus renovatio Spiritus Sancti dici poteſt. Dicitur autem renovatio mentis, aut ſpiritus mentis, non quod in mente ſola, ſed quod in ea primo cernatur, quam ubi penitus occupavit, voluntas etiam ei ſe accommodat, & ſic quoque ipſa una cum actionibus renovatur, & alia fit, quam antea fuerat. Hinc Paulus dicto loco Rom. 12 vult, ut tranſformemur, puta ratione morum, & diſſimiles huic ſeculo fiamus, renovatione mentis noſtræ, idque declarans addit, *ad hoc, ut probetis*, vel, ſi mavis, *ita ut probetis quænam voluntas Dei illa bona & placens & perfecta*; quod primo mentis eſt, conſequenter voluntatis. Nam δοκιμασία illa ſive probatio, non tantum in inquiſitione, ſed etiam in rei inventæ approbatione conſiſtit: illud primo ſignificatur, hoc conſequenter; quod non ſemel in verbo δοκιμάζειν accidit. Quare poteſt hoc loco renovatio men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

mentis, pro medio quodam & cauſa tranſformationis totius vitæ ſumi. Idem fortaſſe dicendum eſt de loco ad Epheſ. ubi jubemur renovari Spiritu mentis noſtrę, cui poſtea ſubjicitur indutio Novi hominis. Sed non ſatis conſtat eo loco, quid per ſpiritum mentis noſtræ intelligi debeat. Veriſimile eſt autem, eum ſumi uſitato loquendi Sacrarum literarum more, pro ſpiritu eo, qui ſit mens, ut ſic pro intellectu ponatur. Non deſunt tamen, qui mentem iſtam pro voluntate accipiant, præſertim cum etiam carni νοῦς ſeu mens tribuatur Col. 2. 18; ubi appetitum, aut affectum carnalem intelligere poſſumus, ita ut Spiritus iſte ſumatur pro impetu iſto & commotione quadam voluntatis. Sed prior explicatio plenior videtur. Vox autem complexa *Renovatio mentis* admodum eſt vicina voci μετανοίας, quam diximus ſignificare mutationem quandam animi in melius, & proprie ſumtam, ab ipſis operibus inde manantibus diſtingui, quemadmodum hîc de renovatione mentis dici poſſe aſſeruimus.

Quintò occurrit vox *creaturæ*, aut novæ creaturæ: quarum illa Rom.8.19 & ſeqq. Epheſ.2.10. & cap. 3.9. In capite vero 2 Eph. etiam vox ποιήματος ſeu facturæ, aut operis eodem ſenſu ponitur. Iis adjungi poteſt locus Epheſ. 4. 24, ubi de creatione novi hominis ſecundum Deum in juſtitia & ſanctitate veritatis ſermo eſt: & Jacob. 1. 18; qui tamen locus controverſus eſt, propterea quod ibi ſit vox κτισμάτων: cum tamen alibi Scriptura ſacra non ſoleat loqui de nova creatura in plurali numero; ſed in ſingulari. Sed hæc ratio non ita eſt valida, ut non liceat ibi novam creaturam intelligere. Cauſa autem, cur alibi ſacra ſcriptura cum nomine creaturæ utitur, in ſingulari numero loquatur, hæc eſt, quod ibi ſit vox κτίσεως, quæ ipſam creationem, ſeu creationis actum ſignificat, non verò rem creatam; licet poſtea per Metonymiam de creationis ſubjecto, ſeu rebus creatis ſumatur. Poteſt autem ea commodè collectivè uſurpari, ita ut omnes à Deo reformati, ſeu denuo creati, ſingulari voce κτίσεως commodè poſſint intelligi. At vox κτίσμα, quæ rem unamquamque creatam proprie ſignificat, illum uſum non admittit. Itaque etiamſi tandem de nova creatura accipiatur, pluralis potius numerus videtur fuiſſe adhibendus. Quod ſi ſinguli dicimur creati in Chriſto, ut habetur in dicto loco Epheſ. 2, idque propter novam illam creationem; cur non etiam poſſimus dici κτίσματα ejuſdem creationis reſpectu? Sed quicquid ſit, loca cætera hîc ſufficere poſſunt. Novæ autem creaturæ nomen extat 2 Cor. 5. 17. & Gal. 6. 15. Quanquam ibi concretive, ut loquuntur, hîc abſtractive. Opponitur autem ea creatio, partim priſtinæ noſtræ vivendi rationi ſeu impietati: partim cultui divino Legali & Ceremoniali & ad carnem pertinenti: quod poſterius fit in utroque iſto loco. Quanquam locus ad Corinthios alteram quoque oppoſitionem admittit; qua de re alibi dictum. Prius autem ſatis aperte fit in locis Epiſt. ad Eph. ſupra commemoratis, atque imprimis cap. 2. & 4. Itaque nova creatura ſignificat novam, eamque ſpiritualem cultus divini rationem, & novam eamque ſpiritualem & perfectam rationem vivendi, quæ in vera ſolidaque ſanctitate & juſtitia conſiſtit.

Sextum etiam ex hujuſmodi vocabulis conſtitui poteſt *Regeneratio*, quæ, ut per ſe ſatis liquet, iteratam generationem ſignificat, eamque in hoc negotio ſpiritualem, quum prior fuiſſet carnalis ſeu naturalis. Quare regeneratio ejuſmodi ſignificat hîc mutationem, qua quis ex carnali ſpiritualis evadat. *Carnalis* autem quiſpiam dici poteſt duplici ratione, quarum altera latior eſt, & per ſeipſam imperfectior; altera ſtrictior & plenior. Illa eſt, quum quis ideo carnalis, vel potius, ut Dominus Jeſus in hoc negotio apud Joh. 3. 6, loquitur, caro dicitur, quia ad res carni gratas propendeat, eas quærat, & niſi impetus ille divinitus coërceatur, quod per regenerationem iſtam, de qua agimus, fit, nihil revera aliud, quam carnalia ſapiat, & in iis ſit occupatus, quæ eadem vocis *animalis hominis* videtur eſſe ſignificatio. Is enim animalis dicitur, qui nullam aliam, quam vitam hanc animalem, ſeu cum brutis nobis magna ex parte communem agit, & ad eam omnes ſuas cogitationes refert, vitæ ſpiritualis expers, vel quia eâ meliorem vitæ rationem non novit, vel quia non deſiderat. Hæc vero eſt, cum quis variis in peccatis ac ſceleribus, à quibus tamen naturæ ipſius vi, ſeipſum continere poterat, hæret. Regeneratio utramque, ut ita dicam, carnalitatem tollit: poſteriorem quidem omnino: priorem vero eatenus, quatenus impetum illum carnis, & appetitus nobis innati coërcet, melioris vitæ & præſtantiorum bonorum deſiderio menti infixo; unde etiam alia vitæ ratio conſequitur, ita ut qui antea carnalia tantum quærebat & ſpirabat, poſtea Cœleſtia ſpiritualiaque ſpiret & re ipſa ſequatur. Priori carnalitati opponi regenerationem ſatis liquet, ex loco Johannis jam laudato; poſteriori vero ex loco Tit. 3, ubi lavacri regenerationis, hoc eſt, lavacri ejus, quod ſit regeneratio, mentio fit, idque opponitur iſtis peccatis & ſceleribus, quorum paulo ante ℣. 3, Paulus fecerat mentionem. Quanquam id & ex priori loco facile deduci poteſt. Nam ſi regeneratio illam prius à nobis deſcriptam carnalitatem tollit; multo magis hanc quæ deterior eſt, & quæ ſine priori conſiſtere nuſpiam poteſt.

Dicitur autem regeneratio iſta fieri ex ſemine incorruptibili, per ſermonem Dei viventem & manentem in æternum, qui eſt verbum Euangelii, ut Petrus explicat. Semen autem illud etiamſi videatur diſtingui à ſermone iſto Dei vivente, propterea quod non dicat nos Petrus regenerari, ut ex ſemine incorruptibili; ita etiam ex ſermone Dei: tamen ſi quis rem penitius conſideret, videbit hæc per appoſitionem dici, & idem eſſe ſemen illud incorruptibile, & ſermonem illum Dei viventem & manentem in æternum. Nam nulla alia de cauſa Petrus ita hoc loco ſermonem illum commendat à perpetuitate ſeu duratione in æternum, quam quia velit oſtendere jure ſe dixiſſe, ſemen illud, ex quo regenerati ſimus, incorruptibile eſſe; nempe quia ſermo ille Dei vivus, qui illud ipſum Dei ſemen ſit, in æternum duret, atque ita ſit incorruptibilis. Nec obſtat diverſitas particularum *ex* & *per*; nam eæ inter ſe quoque commutantur Rom. 3. 30. Idem aliis verbis dicitur apud Jacobum cap. 1. 18. Quod ſi quis tamen omnino velit, ſemen illud & ſermonem differre, dicere poterit ſemen eſſe ſpem vitæ immortalis, per verbum Dei vivens & æternum animis noſtris inſertum. Nam in promiſſis vis iſtius ſeminis, quemadmodum & æternitas ſermonis Euangelici, potiſſimum conſiſtit; unde etiam ſupra eodem capite dicitur Deus nos regeneraſſe ad ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti; nempe quia Jeſu Chriſti reſurrectio promiſſorum nobis in Euangelio patefactorum perfectiſſima eſt confirmatio, adeoque illis vim & robur addit. Duriori quadam Metaphora utitur Chriſtus, dum apud Johannem ait, nos debere naſci ex aqua & ſpiritu. Nam ex aqua nemo dicitur generari. Videtur autem ſtudio uſus eſſe hac eleganti duritie, partim ut Nicodemum doceret, ſe de proprie dicta generatione hominis non loqui, quod is antea non intellexerat, ſiquidem nemo hominum propriè ex aqua generatur; (quanquam eſt aliqua inter hominis ſemen & aquam ſimilitudo:) partim ut oſtenderet, eam regenerationem, de qua loquatur, potiſſimum conſiſtere in ablutione & repurgatione quadam à ſordibus, adeoque eam rem, de qua regenerari debeamus, aquæ inſtar eſſe debere, ut ita nos repurgare queat. Verum ne quis aquam hîc intelligeret naturalem ac terreſtrem, quâ ſordes corporis ablui ſolent, addidit explicandi cauſa vocem ſpiritus; qua poſtea ſola uſus eſt, ut oſtenderet, aquam illam ſpiritualem eſſe debere, quæ ſpirituales ſordes eluat, adeoque ablutionem iſtam in regeneratione ſpirituali, ſeu animi repurgatione, indeque etiam corporis, quod ad actiones attinet, conſiſtere.

Quemadmodum autem in ſuperioribus non ſemel vidimus, vocabula nunc in pleniore, nunc in imperfectiore quadam ſignificatione uſurpari; ita etiam in hoc verbo contigit. Nam regeneratio interdum animi tantum ſignificat mutationem, quæ regenerationis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perfectæ prima pars eſt, ex qua factorum etiam mutatio conſequitur. Unde Petrus in ſuperiori loco ad finem cap. 1 non obſcurè nos ad pietatem, atque imprimis ad fraternam charitatem colendam hortatur; quia ſimus regenerati ex ſemine incorruptibili. Quin etiam ℣. 3, regenerationem videtur omnibus Chriſtianis tribuere; cum tamen non omnes plene ſint regenerati. Nam primo beneficia Dei in nos collata commemorat; inde poſtea cohortationem ad pietatis ſtudium infert. Interdum vero regeneratio videtur plene ſumi, pro ipſa quoque factorum noſtrorum mutatione in melius. Quanquam primo animi mutationem ſemper videtur ſignificare, ut in loco iſto ad Tit. 3. Significationis autem hujus diverſitas imprimis cernitur in verbo regenerandi, ejuſve participiis. Nam verba activa & paſſiva iis reſpondentia, ut viri docti notant, interdum effectum plenum & verum actionis complectuntur, interdum intra vim & efficaciam conſiſtunt, aut ſaltem initium effectus, non vero effectum plenum comprehendunt, hoc eſt, curam tantum, laborem & operam agentis circa rem aliquam denotant, licet eventus & fructus laboris impediatur. Quod idem in verbo reconciliandi alicubi notari poteſt, ut cum Deus dicitur mundum reconciliaſſe ſibi per Chriſtum, non imputans illis peccata. Sic etiam interdum dicitur Deus nos regenuiſſe per reſurrectionem Chriſti, aut genuiſſe verbo veritatis, aut de nobis dicitur, quod adhuc plus eſſe videtur, nos eſſe regeneratos ex ſemine incorruptibili, quia Deus ex ſua parte omnia fecerit, quæ ad eam rem perficiendam ſunt neceſſaria, & in nobis aliquis ſaltem ejus rei effectus apparuerit, nempe receptio veritatis, & ſpes quædam immortalitatis, indeque natus pietatis amor, & ad ſanctitatem vitæ inclinatio quædam ac ſtudium. Quod idcirco hoc loco addendum videtur, quia etſi conſuetudo loquendi ferat, ut aliquid tribuatur rei cuipiam, in qua effectus nullus appareat, ſed tantum cura & labor agentis circa rem illam; tamen regenerationem non videmus tribui iis, qui veritatem non ſint amplexi, & pietatem Chriſtianam non profeſſi, ſed iis tantum, in quibus regenerationis exſtiterint principia. Quod etiam de verbo reconciliandi paſſive uſurpato dici poteſt; quod iis tantum videtur tribui, in quibus aliquod reconciliationis à Deo factæ initium appareat.

Cum regeneratione conjungenda etiam eſt *generatio ex Deo*, cum ea à regeneratione nihil differat, niſi quod cum ex Deo generati eſſe dicimur, qualitas quædam iſtius regenerationis notatur, nempe ſimilitudo, quæ inter nos & Deum intercedere debeat, ſi de nobis jure dicendum ſit, nos ex Deo generatos eſſe. De qua vide apud Johan. 1. Epiſt. cap. 2. ℣. ult. Matt. 5. circa finem. Deinde illa quoque differentia addi poteſt, quod apertius ſignificetur ea phraſi cauſa efficiens iſtius generationis, quæ Deus ſit, & quippiam à Deo in nos profectum, quod ſeminis ſit inſtar, quodque naturam, ut ita dicam, Dei naturæ ſimilem, proprietateſque Dei proprietatibus conſentaneas nobis largiatur. Quod ſi quis rectè animadvertat, videbit iſto loquendi modo primo ſignificari quippiam interius, quod Deus in nobis effecerit, quodque ſeminis divini ſit inſtar, atque inde natam voluntatis noſtræ mutationem. Unde Johan. cap. 3 dixit, eos, qui nati ſunt ex Deo, non peccare, quia ſemen Dei in ipſis maneat; & non poſſe peccare, quia ex Deo nati ſint. Ubi videtur Johannes pro cauſa pietatis, ſeu à peccato abſtinentiæ ponere, eſſe natum ex Deo, & pro eodem ponere, ſemen Dei in aliquo manere, & eum ex Deo natum eſſe: niſi quis ita poſteriora verba malit accipere, ac ſi Johannes diceret; hæc ipſa inter ſe è diametro pugnare, ſeu, ut nos loquimur, contradictoria eſſe, aut ſaltem contraria, peccare & eſſe ex Deo natum. Quemadmodum dicere poſſumus, contraria eſſe, ex Deo eſſe natum, & Deo ratione morum & actionum eſſe diſſimilem. Diſſimilis autem Deo eſt, qui peccat, ſeu in peccato hæret.

Septimo huc referenda eſt *Circumciſio*, quæ interdum ſimpliciter effertur, interdum cum adjectione quadam. Simpliciter, ut cum dicitur, quanquam in concreto, Phil. 3. 3: *Nos ſumus circumciſio*, hoc eſt, circumciſi, ſeu circumciſione ſpirituali, tanquam ſigno quodam notati: itemque cum Col. 2. 11 circumciſionis non manu factæ fit mentio. Cum adjectione vero, ut cum ibidem circumciſio Chriſti dicitur, aut cum dicitur circumciſio cordis in ſpiritu, non litera. Cujus circumciſionis cordis, abſque illis, *in ſpiritu & litera*, fit etiam mentio in Lege & Prophetis, quanquam integra phraſi expreſſa: Deuteron. 10. 16. & 30. 6. Jerem. 4. 4. Huc etiam referri debet phraſis integra, quæ in ſacris literis Novi fœderis extat, dum dicimur in Chriſto circumciſi circumciſione non manu facta, dicto loco ad Coloſſ. Quid autem ſit iſta circumciſio, explicuit Paulus eodem loco, cum addidit, *in exutione corporis peccatorum carnis*. Corpus peccatorum carnis accipit pro ipſiſmet peccatis carnalibus; corpus enim rei pro ſubſtantia rei, præſertim integra, phraſi Hebraica poni ſolet. Exutio vero pro depoſitione & abjectione ponitur; alluſione tamen quadam facta, ad indumenti alicujus vel tegumenti depoſitionem, & ſic etiam ad circumciſionem, in qua id, quod certam corporis partem tegit cordi aliquo modo reſpondentem, quodque pro impuro ſub lege habebatur, nempe præputium reſcinditur atque detrahitur; quæ detractio quædam exutio eſt. Et hæc videtur eſſe cauſa una, cur depoſitio iſta omnium peccatorum carnalium, circumciſio dicatur; quia nimirum peccatorum corpus, & veluti complexus, nos, veluti veſtimentum quoddam, cingit, eſtque res impura ac omnino recidenda & abjicienda, non ſecus ac præputium ſub lege. Eadem de cauſa cordis circumciſio in ſacris literis commemoratur, quod peccata cor imprimis occupent, & undique veluti complectantur, adeoque inde potiſſimum ſunt recidenda. Quo pertinet ſimilitudo iſta inter cor eamque partem, quam præputium alias tegit. Altera cauſa, cur depoſitio peccati circumciſionis nomine ſignificetur eſt, quod quemadmodum circumciſio ſignum erat populi divini, ſub vetere fœdere, & indicabat, eum qui hanc notam gereret, ad fœdus illud cum Abrahamo percuſſum pertinere: ita depoſitio peccatorum carnalium, omnium eſt certiſſimum ſignum populi divini ſub Novo fœdere; & in quo ea apparet, is ad Novum fœdus ejuſque promiſſa vere pertinet. In ſpiritu autem dicitur fieri, non litera, quia per Euangelii doctrinam ea peragi poteſt, atque adeo etiam peragitur: non per legem ceremonialem. Illa enim ad animam penetrat, & eam reformandi vim habet: hæc vero eo non pertinet, & ad corpus tantum ſpectat, & circa illud occupatur. Dicitur autem circumciſio non manu facta, ad differentiam veteris illius & carnalis, quæ manu perficiebatur, ideóque vilior longe erat hac noſtra: nam quod manu peragi poteſt, id ut ſpirituale non eſt, ita nec eſt admodum præſtans. Unde non manu factum eſſe, in ſacris literis in laude ſemper ponitur: ut quum futurum noſtrum corpus dicitur domus non manu facta, & tabernaculum, per quod, & ſanctuarium, in quod Chriſtus ingreſſus eſt, non manu factum: 2 Cor. 5. 1. Hebr. 9. 11, 24.

Octava ſequitur vox *Baptiſmi*, itemque *lavacrum regenerationis*, & *lavacrum aquæ in verbo*, quæ ſignificant ablutionem quandam, non ſordium corporis, ſed animi, ut Petrus explicat 1 Epiſt. cap. 3: de quo loco ſupra etiam dictum eſt, ubi explicuimus, quid Petrus intelligat per interrogationem bonæ conſcientię, quam per baptiſmum denotare ſe ait. Cur aquæ hîc fiat mentio, ſatis oſtenſum eſt in loco Johan. 3. Ex iiſdem etiam intelligi poteſt, cur Tit. 3. 5 dicatur lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, vel potius renovatio Spiritus Sancti. Nam vox ἀνακαινώσεως videtur pendere ex particula διὰ; ita ut per accuſativum, non vero per genitivum ſit reddenda, & cum voce lavacri, non vero cum voce regenerationis conjungenda; quaſi dicat, per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti. Quanquam aliàs eodem res recidit, ſive per genitivum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſive per accuſativum vertas. Nam genitivi illi, voci lavacri adjuncti per Hebraiſmum, rei ſubſtantiam explicant; quaſi dicat, lavacrum id, quod eſt regeneratio, & renovatio à Spiritu ſancto profecta. At cum lavacrum aquæ dicitur Epheſ. 5. 26, genitivus ſubjectus cauſam efficientem mediam, ſeu inſtrumentalem denotat; q. d. lavacrum quod aqua perficitur, per verbum, ſcilicet Euangelicum. Ad hoc etiam caput referenda eſt phraſis dealbandi veſtimenta ſua in ſanguine Agni: Apoc. 7. 14: ubi per veſtimenta intelliguntur actiones vitæ. Dicuntur autem dealbari in ſanguine, eleganti quadam duritie, quæ paradoxon quoddam videtur inducere. Sanguine enim non dealbantur ſed maculantur veſtes: verum hîc contra accidit, quia vi ſanguinis Chriſti à peccatis ad ſanctitatis ſtudium adducimur.

Hactenus de ſimplicibus vocabulis egimus: nunc de integris phraſibus, quibus tranſitus ille à vitiis ad virtutem ſignificatur, agendum eſt. Et quia ultimo loco poſuimus baptiſmum & lavacrum: hîc incipiemus ab iis phraſibus, quæ ablutionem quandam, aut purgationem ſignificant. Primo igitur occurrit phraſis duplex, quæ tamen purgationem à peccatis tantum ſignificat, ad Heb. 10. 22, 23; *Aſpergi cordibus à conſcientia mala*, &, *ablui corpore aqua pura*. Ubi duæ partes purgationis ſeu liberationis à peccatis conſtituuntur, altera ab internis, altera ab externis. Et interna quidem peccata videntur deſcribi ab effectu, dum conſcientiæ malæ nomine ſignificantur, quia nimirum exterius ea quidem non apparent, nec corpus, ut ita dicam, inquinant, ſed conſcientiam tamen gravant & malam efficiunt. Utrobique autem alluditur ad Ceremonias legales, per quas legales quædam impuritates ſeu carnis inquinationes partim aſperſione, partim ablutione corporis ſeu baptiſmatis expiabantur. Qua de re videri poteſt hic autor, ſupra cap. 9: De aſperſione quidem ℣. 13: ubi imprimis videtur reſpici ad id, de quo Num. 19 legitur, quod quidem attinet ad cinerem vitulæ aſpergentem pollutos, qui ſanctificet ad carnis puritatem; idque huc revera pertinet, ut paulo poſt videbimus. De ablutione vero ſeu baptiſmatibus vide ℣. 10, & apud Moyſen variis in locis. Vide etiam Pſal. 51, 9: *Aſperges me hyſſopo & mundabor; lavabis me, & præ nive dealbabor*.

Secunda phraſis eſt, ubi *purificationis* fit mentio, quæ quidem ad varia refertur. Interdum ad noſmetipſos, ut cum dicit Joh. 1 Epiſt. cap. 3. 3: *Qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſeipſum, ſicut ille* (hoc eſt, Deus) *purus eſt*. Et Paulus 2 Cor. 7. 1. ubi duplex occurrit phraſis, quarum altera depoſitionem peccati, altera virtutis contrariæ ſtudium exprimit; cum vult, ut *purgemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*, hoc eſt, tam externo, quàm interno peccato, *perficientes ſanctimoniam in timore Dei*. Interdum peccatores jubentur *purificare manus*, & ii, qui duplicis ſunt animi, hoc eſt, inconſtantes, ſeu partim Deo partim mundo adhærentes, eumque amantes, *ſanctificare corda*. Jac. 4. 8. Manus autem ideò commemorantur, quia manibus potiſſimum opera actioneſque varias ſolemus perficere. Itaque mundare manus, eſt munda præſtare opera actioneſque ſuas; quod etiam in ſacris literis Vet. Fœderis occurrit. Corda autem ſanctificari aut purificari debent, quum amor hujus mundi ea aliqua ſaltem ex parte occupavit. Interdum *animas noſtras purificare* dicimur, ut 1 Pet. 1. 22. Referri etiam huc poteſt *purificatio conſcientiæ ab operibus mortuis*, ſeu mortiferis, *ad ſerviendum Deo viventi*; de qua Heb. 9. 14. Licet enim ea poſſit ſumi de liberatione à reatu peccatorum, quæ mortem ſub lege omnino afferre ſolebant, quæque conſcientiam vehementiſſime gravabant, eaque ſanguini Chriſti eo loco tribuatur: nihilominus de re aliqua, quæ ad noſtrum officium pertineat, & ſanguinis quidem Chriſti vi, noſtro tamen labore perficiatur, eam accipi poſſe ac debere docuit Socinus, parte ſecunda lib. de Servatore, cap. 14.

Tertio referri huc poſſunt ea loca, ubi *peccata deponere* jubemur. Quo pertinet primo locus Jacobi cap. 1. 21: ubi jubet, ut abjiciamus omnes ſordes, & abundantiam, vel, ut alii malunt, excrementum malitiæ, hoc eſt, excrementum illud, quod eſt malitia. Quod ſi περισσείαν velis ſumere pro abundantia & copia; tum ita hæc verba erunt accipienda, ac ſi dixiſſet Jacobus, malitiam iſtam abundantem. Nam interdum ſubſtantivum, cui genitivus ſubjungitur, per adjectivum eſt reſolvendum, cum aliàs contra fieri ſoleat: idque tum in Hebræa lingua, tum in Latina quoque non ſemel accidit. Inter alia habes exemplum 2 Cor. 4. 17: ubi *momentanea levitas afflictionis*, idem eſt ac afflictio levis ac momentanea. Deinde huc pertinent illa Pauli Rom. 13. 12: *Deponamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die decore ambulemus*. Ubi per opera tenebrarum intelligit Apoſtolus opera quæ tenebris conveniunt, & quæ in cœca ignorantiæ nocte aliquomodo fieri poterant; in luce vero, hoc eſt, poſt adeptionem veritatis Euangelicæ, haudquaquam. Per arma autem lucis intelligit opera ejuſmodi, quæ luce ſeu cognitione veritatis ſint digna, quæ inſtar veſtitus alicujus jubet induere. Nam arma pro habitu & externo corporis cultu videtur ſumere, alluſione facta ad hominum honeſtorum conſuetudinem, qui interdiu honeſtiore corporis cultu uti ſolent, cum noctu quivis aut etiam nullus deceat. Unde vult, ut decore ambulemus, tanquam in die, hoc eſt, quemadmodum homines interdiu, ſeu in publico imprimis verſantes, decori in rebus externis, atque etiam in habitu ac veſtitu rationem habere ſolent: ita etiam nos, quibus dies illuxit, ſeu veritatis divinæ jubar affulſit, decori veri, quod in virtute conſiſtit, diligentem rationem habere debemus, & veritati cæleſti convenienter vivere. Denique huc pertinet illud Apoſtoli, Epheſ. 4. 22. 24: Ubi vult, ut deponamus ſecundum priorem converſationem veterem hominem; de quibus verbis vide explicationem variorum locorum Socini. Cur vero mores actioneſque noſtræ, & ea animi qualitas, unde illæ manant, hominis nomine ſignificentur, dicetur infra hoc cap. num. 10. part. 4.

Quarto huc referri poſſunt ea loca, in quibus *induendi* & *exuendi* verbum eſt, vel utrumque ſimul. Huc primo referimus locum ei, de quo paulo ante diximus, ſimilem, Col. 3. ℣. 9 & 10; ubi jubemur exuere veterem hominem cum ipſius actionibus, & induere novum, qui renovatur in cognitionem ſecundum imaginem ejus, qui condidit illum. Quo loco, quia vetus homo ab actionibus diſtinguitur, tanquam cauſa à ſuis effectis, homo ille vetus qualitatem quandam animi malam ſignificabit, hoc eſt, deſiderium illud peccandi, & vim appetitus tantam, ut mentem etiam in ſuum obſequium trahat, & ita efficiat, ut actiones etiam vitæ, ſaltem plerumque malæ ſint. Quapropter idem è contrario ſtatuendum de novo homine. Cùm autem dicitur eum, hoc eſt, hominem novum renovari; ſimilis loquendi ratio eſt, ac ſi dicerem de veſte alba, eam dealbari aut elui aqua pura. Neceſſe eſt enim hæc poſteriora verba de veſte alba intelligi, non quatenus illa jam alba ſit, ſed qua ſimpliciter veſtis eſt, quæ dealbari queat, hoc eſt, ut Scholaſtici loquuntur, neceſſe eſt veſtem accipere non formaliter, ſed materialiter, vel ſi placet, non quatenus ea actu talis eſt, ſed potentia. Difficultatem autem non exiguam pariunt verba εἰς ἐπίγνωσιν, præſertim cum ſubjungantur illa, *ſecundum imaginem ejus, qui condidit illum*, in quibus forma & exemplar novi iſtius hominis, ad quod ipſe conformari debeat, exprimitur. Dubium enim eſt, qualis cognitio hîc intelligenda ſit, an ea, quæ præcedit novi hominis formam, an ea quæ ſequitur. Prius videtur conſiſtere non poſſe, quia illa cognitio finis quidam ſtatuitur innovationis hominis novi, nec poſterius eſt admodum veroſimile. Cùm enim ſubjungantur verba iſta *ſecundum imaginem*: non eſt veriſimile, de tali cognitione ſermonem eſſe, quæ hominem novum jam formatum, hoc eſt, imagini ejus, qui illum creavit vere reſpondentem, ſequatur. Dicendum videtur, etiamſi verba εἰς ἐπίγνωσιν videan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

videantur finem notare, non tamen de fine accipienda eſſe, ſed potius de cauſa aliqua inſtrumentali, & efficiente proxima. Poteſt enim particula εἰς, quæ aliàs *in* ſignificat, verti *quoad*, ut vulgo loquimur, ſive *quod attinet ad.* Ejus exemplum habes Epheſ. 3. 16, ubi *in interiorem hominem* (ita enim Græca ſonant) ſignificant, quod ad interiorem hominem attinet. & cap. 4. 15: *Creſcere in ipſum*, hoc eſt Chriſtum, eſt creſcere quod ad Chriſtum attinet, ſeu ratione religionis ejus. Illa autem vox *quoad* poteſt etiam cauſam quandam denotare, quemadmodum & vox κατ', quæ in Græco ei reſpondet. Quare perinde erit, ac ſi dictum fuiſſet, ſecundum cognitionem. Deinde, cum particula εἰς non raro in ſacris literis pro ἐν ponatur, ἐν vero pro *per* uſitatiſſimo Hebraiſmo ſumatur; nihil videtur repugnare, quo minus εἰς etiam pro *per* ſumatur, præſertim cum in Hebraiſmo locutiones iſtæ *in cognitionem*, & *in cognitione* nihil differant, poſſitque ea locutio vel pro fine, vel pro cauſa media promiſcue accipi, prout circumſtantiæ loci exegerint, aut permiſerint. Ratio autem cur malimus hæc verba pro cauſa quadam iſtius renovationis efficiente accipere, una jam eſt expoſita. Altera vero peti poteſt ex collatione ejus loci cum illo ad Epheſ. cap. 4. 22, 23, 24: ubi cùm Paulus tranſire vellet à depoſitione veteris hominis ad indutionem novi, prius facit mentionem renovationis ſpiritus mentis noſtræ, quæ novi hominis indutionem præcedat, quæ cognitionem divinæ voluntatis, & ſic quoque mutationem quandam cogitationum in melius videtur ſignificare, quæ novi hominis cauſa quædam eſt, aut quoddam illius initium. Poteſt etiam in loco ad Col. illa cognitio ſumi, una cum ſuo effectu, quem in animo parit: hoc eſt, ut meliores cogitationes ſumantur, & rectus actionum noſtrarum finis proponatur, ad quem eas unicè dirigamus. Deinde referenda huc eſt exutio corporis peccatorum, de qua ſupra dictum eſt ſatis, cum de circumciſione ageremus. Denique huc refertur phraſis Induendi Chriſtum, quæ exutioni illi peccatorum quodam modo opponitur, quæ extat Rom. 13. ℣. ult. Gal. 3. 27. Quanquam ibi non de re ipſa, ſed de rei profeſſione agitur. Sumitur autem ibi Chriſtus Metonymicè pro religione & ratione vivendi à Chriſto præſcripta & tradita: addere etiam licet, in ipſius perſona atque exemplo oſtenſa. Quanquam in loco ad Rom. ubi Paulus eos, qui Chriſti doctrinam jam fuerant amplexi, ad Chriſtum induendum hortatur, ratio vivendi à Chriſto præſcripta tantum videtur intelligi. Paulo latius ſumi videtur in loco ad Gal. ubi fortaſſe non tantum ipſa Chriſti religio, aut ratio vivendi in ea præſcripta; ſed etiam felix ille ſtatus & conditio hominis eam conſequens, & in ea nobis propoſita intelligi poteſt: nempe quod illi homines jam in ſtatu filiorum Dei verſentur & ad hæreditatem futurorum bonorum pertineant, ut collatio ℣. 27, cum præced. videtur docere.

Quinto occurrit phraſis duplex, nempe *recedere à malo, & facere bonum.* 1 Pet. 3. ℣. 11. & Pſal. 34, quæ per ſe eſt ſatis facilis ac perſpicua.

Sexto *abnegare impietatem & mundanas concupiſcentias, & ſobrie vivere in hoc ſeculo*: Tit. 2. 12. Abnegare autem impietatem eſt, nolle amplius cum ea quicquam habere commune, & ita ſe gerere, ut appareat, eam nihil ad ipſum pertinere. Per impietatem autem externa facta, præſertim gravia, quæ ſcelerum aut flagitiorum nomine appellamus, intelliguntur. Impietas enim non quodvis peccatum, aut peccati etiam habitus appellatur; ſed talis demum, qui apertum quendam Dei contemptum ſpiret. Per concupiſcentias autem mundanas, non tantum affectus & deſideria rerum carni gratarum intelligenda videntur; ſed etiam facta externa, quibus deſideria illa explentur: ab humanitate tamen non abhorrentia, quibus plerique homines, qui melioris vitæ cognitione ac ſpe deſtituuntur, indulgere ſolent. Quo pertinet amor hujus mundi, & eorum quæ ſunt in mundo; de quibus Johan. 1 Epiſt. cap. 2. Simili ratione vox cupiditatum 1 Pet. 1. 14, videtur accipi, & cupiditatum carnalium, cap. 2. ℣. 11. Qua de re diximus alibi ad locum illum cap. 1. Petri. De virtutibus autem oppoſitis, ſobrietate, juſtitia & pietate dicetur infra, in ſpeciali virtutum Chriſtianarum Tractatione.

Septimo, *liberari à peccato, & ſervum ſe præbere Deo:* Rom. 6. 22. præterea *ſumere jugum Chriſti*, Matth. XI. Itemque *præbere membra ſua arma juſtitiæ Deo*: Rom. 6. ℣. 13. Quanquam enim ea per ſe poſſint ſignificare, non tranſitum à vitio ad virtutem, ſed ipſum ſanctitatis ſtudium abſolutè conſideratum: quia tamen in iſto loco additur particula *nunc*, & ſignificatur apertè, iſtos, de quibus agitur, anteà præbuiſſe membra ſua ſerva impuritati, & iniquitati ad iniquitatem, ſcil. patrandam; cenſeri poteſt tranſitum quoque à vitiis ad virtutem iſtis verbis contineri. Huc etiam ſpectat liberatio à lege peccati, Rom. 8. 1. itemque juſtificatio à peccato, Rom. 6. 7. Lex autem tum ſumitur pro imperio & dominio, quod juris & legis vim quandam habet. Qua de cauſa juſtificari ab eo dicimur, hoc eſt, à jure & imperio ejus liberari atque eximi.

Octavo, *appropinquare Deo*: Jacob. 4. ℣. 8. Cum quo fortaſſis conjungi poteſt phraſis *accedendi ad Deum*, Heb. XI. ℣. 6. Dico fortaſſis, quia accedere ad Deum, poteſt ſumi, pro iſtius conſequente ſeu effectu, ita ut idem ſit, atque placere Deo: pro quo verbo in eodem verſu anteà poſito ea phraſis videtur poni. Appropinquare autem Deo idem eſt, quod ad Deum ſe convertere, & cum ab eo anteà fueris vitæ ratione alienus, & ſic ab eo remotus, ad ejus amorem, & vitæ illi gratæ ſtudium animum penitus adjicere. Solent enim ii, qui animo ſunt ab aliquo alieno, ejus congreſſum aut conſpectum fugere; qui vero amico ſunt animo, eundem quærere ſolent.

Nono, *evigilare è ſomno*: Rom. 13. 11. & Epheſ. 5. ℣. 14. ubi eſt, *excitare*, ſeu ſurge, *qui dormis*. Nam ſomnus ille nihil eſt aliud, quàm ſomnus quidam ſuavis peccatorum, quo quis in ignorantiæ nocte fuerit oppreſſus. Nam vita in peccato traducta ſomno videtur comparari, partim quia, quemadmodum ii, qui dormiunt, noctu dormiunt, ut Paulus loquitur, vel ſaltem ſomnus nocte eſt convenientiſſimus, ita peccata iſta in tenebris ignorantiæ divinæ voluntatis maxime locum habent: partim quia ſtuporem quendam vita iſta mentibus hominum inducit, ut nihil eorum, quæ ad religionem ac pietatem pertinent, vere ſentiant; quemadmodum ſomnus ſenſus noſtros detinet, & veluti ſtuporem quendam iis inducit, ut vel nihil, vel parum admodum ſentiant: partim denique, quia ea vita ſomni inſtar ſuavis eſt, & cum ignavia quadam conjuncta, cum peccare ſit facile, ut contrà virtutem colere, laborioſum ac difficile. Hinc jam facile apparet, quid ſit evigilare, aut excitari è ſomno; nempe vitam hujuſmodi relinquere, & luce veritatis affulgente jam ad laborem ſeſe accingere, & ea facere quæ interdiu, ſeu tum, cum veritas nobis innotuit, agere dignum eſt. Poteſt fortaſſe huc referri etiam illud 1 Cor. 15. 34: *Evigilate juſte, & nolite peccare.* Quanquam evigilare ibi eſt animum ad conſiderationem & cogitationem veritatis excitare, non vero ſomnolenter & perfunctoriè res ſacras tractare. Vox autem juſtè poteſt ſumi pro verè ac perfecte. Injuſtum enim pro non vero interdum ponitur; ut mammona injuſtus, pro divitiis non veris ac perfectis, cui opponuntur bona vera: Luc. 16. 11. Sic Johan. 7. 18 injuſtitia pro mendacio ſeu falſitate. Sic Hebr. 5. 13, Sermo juſtitiæ pro ſermone perfecto, qui opponitur lacti, ſeu doctrinæ imperfectæ aut rudimentis: qua ratione dicimus, juſtam ætatem, juſtam ſtaturam, juſtam magnitudinem, pro vera & conveniente. Alii finem putant denotari iſto adverbio; quaſi dictum eſſet, ad juſtitiam; unde per antitheſin ſequatur, *& non peccate*.

Decimo huc referendæ ſunt phraſes omnes, quæ paſſionem quandam, aut mortem, quam ratione carnis, aut peccatorum ſuſcipiamus ſignificant. Quarum prima eſt, *Pati in carne*: 1 Pet. 4. 1. de qua diximus in explicatione iſtius loci.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Secunda eſt, *crucifigere carnem cum affectibus & concupiſcentiis*. Ubi caro vel pro omnibus carnis operibus ſumitur, ita ut particula illa *cum* non ſignificet conjungi hîc res diverſi generis, ſed tantum cum genere conjungi ſpecies certas, quas fortaſſe putaret quiſpiam eſſe hîc excipiendas: quemadmodum ſi quis diceret, omnes homines, qui Chriſto non paruerint, unà cum Regibus & Imperatoribus perituros, non ſignificaret Reges & Imperatores non eſſe homines, ſed tantum, eos tum non iri exceptum; contra quam alicui poſſit videri. Vel caro ſumitur pro carnalitate ſeu qualitate animi, unde actus illi peccatorum, ſive externi, ſive interni erumpunt; quæ parum quidem ab appetitu differre videtur, differt tamen, quia ab appetitu ſejungi poteſt, & qualitas eſt acquiſita, hoc eſt, vis & potentia appetitus ſupra rationem, & ejus veluti imperium: unde fit, ut actiones etiam appetitum, non vero rationem ſequantur. Sequuntur autem actiones ductum ejus, quod prævalet. Breviter caro illa eſt appetitus non coërcitus, nec ratione, aut Dei ſpiritu repreſſus. Quod ſi reprimatur, jam crucifigi caro dicitur, propterea quod id non ſine ſumma moleſtia & dolore accidit, qualis eſt eorum, qui cruce acuta ſuffiguntur. Itaque idem eſt caro poſteriori modo accepta, quod vetus homo ab actionibus ſuis diſtinctus; de quo vide ſupra inter ea loca, in quibus exuendi verbum habetur. Quod ad paſſiones ſeu affectus & concupiſcentias attinet, ea cum carne proxime conjunguntur, ſuntque commotiones appetitus non refrænati ac repreſſi. Poſſunt autem vel pro iiſdem accipi paſſiones & cupiditates: vel prius illud generalius eſt; hoc ſpecialius. Nam concupiſcentia proprie verſatur circa res ſuaves, & deſiderium ſui ſubjecti atque amorem ſignificat. At affectus ſeu paſſiones nonnullæ circa res ingratas atque inſuaves verſantur, & ab objecto ſuo abhorrent, ut ira, odium, & ſi quæ ſunt ſimiles. Quanquam iræ objectum duplex eſt: alterum injuria & dolor, à quo abhorret: alterum vindicta, quam appetit. Hi autem affectus, ἐπιθυμίαι in communi ſermone, aut apud Philoſophos appellari non ſolent: ſed παθήματα potius dicuntur. Subjunguntur autem ἐπιθυμίαι ſeu concupiſcentiæ affectibus, quia latius patent quam eæ, ſed propemodum difficilius vincuntur propter voluptatem, quæ ſenſibus noſtris animiſque blande irrepit, & ſe inſinuat ita, ut eam pauci audeant repellere, & ſic deſideria ſua vincere.

Tertia eſt *crucifixio veteris hominis noſtri*; de quo Rom. 6.6. Quanquam vox illa, quatenus ad nos refertur, (nam refertur etiam ad Chriſtum, cum quo hac in parte ſimilitudinem quandam habere debemus, cum ſit in Græco verbum συνεσταυρώθη) q.d. crucifixus una cum Chriſto, intra vim & efficaciam videtur conſiſtere, quaſi dictum ſit; quum Chriſtus crucifixus eſt, id ſimul factum eſſe, unde veteris noſtræ vivendi conſuetudinis abolitio, quæ ſimilitudinem quandam cum crucifixione habet, conſequatur. Similis, non tamen eadem loquendi ratio, nec eodem plane ſenſu prolata extat Gal. 2. ỷ. 19: ubi Paulus de ſe dicit, ſe cum Chriſto eſſe crucifixum, hoc eſt, Chriſto cruci affixo, cauſam ſibi eſſe datam ſufficientem, cur legi, ut antea dixerat, moreretur, ſeu eam deſereret, & ad eam præſtandam ſe non amplius obligatum profiteretur: ita ut & ſimilitudo quædam inter id, quod Chriſto contigit, & id, quod Paulo, ſignificetur, & ſimul indicetur, illud hujus fuiſſe cauſam. Quod & infra in nonnullis locis videbimus, ubi dicitur, nos cum Chriſto eſſe mortuos, aut etiam cum illo vivificandos, vel vivificatos aut reſuſcitatos. Sed magis pertinet huc locus ejuſdem Epiſt. cap. 6. 14: *Mihi mundus eſt crucifixus & ego mundo*, hoc eſt, ego nihil cum mundo habeo commune, imo is mihi redditus eſt execrabilis, ut ii, qui cruci affiguntur, abominabiles nobis eſſe ſolent, & contra etjam mundus nihil mecum vult habere commune, meque averſatur atque abominatur.

Quarta eſt, Rom. 8. 13. Ubi jubemur *ſpiritu*, nempe Euangelii, *actiones corporis mortificare*, ſeu occidere: itemque illa Col. 3. 5, ubi jubemur *mortificare membra noſtra ſuper terra*, hoc eſt, varia peccata, quæ ibi commemorantur, quæ ſunt inſtar membrorum noſtrorum, quæ recidere perinde videtur difficile ac doloris plenum, atque ſi membra noſtra deberemus reſcindere. Dicuntur autem ea peccata membra noſtra ſuper terra, eodem pacto, quo vitæ noſtræ ratio priſtina homo noſter vetus dicitur. Quippe ex actionibus in Theologia hominem æſtimare debemus. Ubi ergo ratio actionum, aut mentis qualitas, unde eæ naſcuntur, vetus eſt, ibi vetus eſt homo: ubi nova, ibi novus. Habet autem homo iſte ſua veluti membra, quæ membris corporis noſtri, per quæ perficiuntur, & in quibus habitant, aliquomodo reſpondent, membris, inquam, terrenis terramque ſpirantibus.

Quinta, *abolitio corporis peccati*, hoc eſt, ipſius peccati extinctio; de qua Rom. 6. 6. Nam de voce corporis hoc modo accepta dictum eſt ſupra, cum de exutione corporis peccatorum carnis egimus.

Sexta, quæ duplex eſt: *Mortuum eſſe peccato, Viventem autem Deo*: Rom. 6. 11: Hoc eſt, ita eſſe liberum à peccati imperio, ut nil amplius illi tecum ſit rei, nec quicquam tibi præcipere poſſit: (Nam imperium noſtrum in mortuos ceſſat:) Contra vero vivere ad nutum & gloriam Dei. Eodem ſpectat phraſis, quæ ỷ. 2. extat, *Mortui ſumus peccato*: quamquam de profeſſione potius rei, quam de re ipſa verba illa ſunt accipienda: vel ſaltem de ſtatu & conditione hominum Chriſtianorum, quæ talis eſt, ut peccato omnino mori debeant.

Septima, *mortuum eſſe cum Chriſto*, nempe peccato & priſtinæ vivendi conſuetudini: Rom. 6. 8. aut ſimpliciter mortuum eſſe: Col. 3. 3. Quanquam uterque locus itidem de rei profeſſione videtur accipiendus. Et 2 Cor. 5. 15, in verbis illis: *ergo omnes mortui ſunt*, hoc eſt, omnes homines ſibi mori debent. Nam de jure, non de facto loquitur, ut ſequentia verba ſatis indicant: ſimiliter atque illa ỷ. 17, *vetera præterierunt, ecce autem omnia facta ſunt nova*, non de facto ſeu eventu, ſed de jure atque conſilio Dei loquuntur. Quid autem ſit mori ſibi, vel ſimpliciter mortuum eſſe, ut hîc loquitur Apoſtolus, paulo poſt explicabitur. Huc etiam reduci poteſt locus ejuſdem Epiſt. cap. 2. 20: *Mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi*; hoc eſt, à legibus ceremonialibus, quæ rudimentorum inſtar erant, quibus mundus à Deo ad religionem exercitabatur, & religioni perfectæ paulatim præparabatur, vel etiam, quibus ipſe mundus ſponte ſua occupabatur, alphabetum tantum religionis tractans. Itaque hac phraſi non quidem tranſitus à vitio ad virtutem, ſed à cultu divino & religione imperfecta ad perfectam ſignificatur. Quaſi dicat; liberati jam eſtis à jugo ceremoniarum iſtarum, ita ut jam nihil cum iis debeatis habere commune, nec leges iſtiuſmodi vos ſtringere debeant. Significatur autem iſta phraſi ſimilitudo quædam inter nos, & Chriſtum ratione mortis, & ſimul etiam indicatur mortem Chriſti cauſam eſſe, cur nos ab elementis mundi moreremur. Nam quia Chriſtus morte ſua religionem novam, eamque prorſus ſpiritualem ſanxit, eaque ratione religionem Judaicam & cultum Ceremonialem abrogavit; hinc fit, ut nos ab elementis iſtis, ſeu ceremonialibus legibus liberaremur. Videntur autem verba iſta *ab elementis mundi*, non ad Chriſtum, ſed ad nos tantum referenda; niſi quis dicere velit Chriſtum, qui etiam antea legi ceremoniali fuerit ſubditus, per mortem ab ejus jugo jam fuiſſe liberatum. Sed prius magis placet.

Octava phraſis eſt duplex, *Non amplius nobis ipſis vivere, ſed illi, qui pro nobis eſt mortuus, & reſurrexit*: 2 Cor. 5. 14. Sibi ipſi autem vivere eſt pro arbitrio, aut placito ſuo vivere, ſibi ipſi ſuiſque cupiditatibus vacare atque indulgere: eſtque ea phraſis aptior ad ſignificandum vitæ noſtræ actiones cupiditatibus noſtris conſentaneas & carni gratas. Verumtamen ſi loci circumſtantias ſpectes, videbis ſignificari rationem Deum colendi, cui antea aſſueverimus, & quam adamaverimus, etiamſi ab ipſo Deo fuerit tradita, ſi ea nihilominus à Deo fuerit abrogata. Nam qui tum tempo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

temporis religionem ejuſmodi ſectatur, is ea in parte ſibi vivit, non Deo; non hujus, ſed ſuæ voluntati atque deſiderio obſequitur. Quapropter contra is dicetur mori ſibi, (quo verbo proxime ante fuerat uſus Apoſtolus) quum quis & priſtinam vitæ rationem cupiditatibus ſuis accommodatam, & religionem priſtinam ſibique adamatam, quam Deus jam abrogavit, deſerere voluerit. Vivere autem ei, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, eſt eam cultus divini & vitæ rationem ſequi, quam Chriſtus præſcripſit, & morte ac reſurrectione ſua confirmavit & ſanxit; adeoque ejus voluntati ac nutui, obtemperare & vitam ſuam totam conſecrare. Eodem referri poteſt illud Gal. 2: *Non amplius ego vivo, ſed vivit in me Chriſtus*, hoc eſt, non pro arbitrio meo aut priſtinæ religionis ratione vivo, ſed pro Chriſti arbitrio, & ex ejus præſcripto Deum colo, ac vitam meam inſtituo: vel breviter; in me non priſtina viget religio, ſed Chriſtiana tantum.

Undecimo, *Reſurgere ex mortuis*: Epheſ. 5. 14. Mortui autem hoc loco dicuntur ii, qui in peccatis ſunt mortui, ſeu mortui ratione religionis & pietatis vitæ; quia nimirum ut mortui nihil agunt prorſus, ita illi quoque nihil agunt in certo rerum genere, hoc eſt, in iis quæ ad religionem & cultum divinum pertinent, quæ ſola à Deo ſpectantur, & in Theologia conſiderari debent. Quare reſurgere à mortuis eſt talem eſſe deſinere, & vitam ſpiritualem recipere, ita ut jam agas ea, vel ſaltem agere queas, quæ ad cultum divinum pertinent, ac Deo ſunt grata. Huc etiam pertinet phraſis *ſimul excitatum eſſe*, vel *reſurrexiſſe cum Chriſto*: Col. 3. 1. & cap. 2. ℣. 12: ubi tamen de profeſſione potiſſimum rei ſermo eſt. Item Epheſ. 2. 6: ubi tamen fortaſſe de adeptione ſpei futuræ reſurrectionis, ſeu mavis de reſurrectione vera, quatenus eam ſpe conſecuti ſumus agitur, cujus & cauſa, & ſimilitudo indicatur. Significatur enim, Chriſto reſuſcitato, & in vitam eamque novam ac cœleſtem revocato, nos quoque ſimili ratione in vitam eamque ſpiritualem ac cœleſtem eſſe revocatos, ſeu id factum eſſe, unde reſuſcitatio noſtra ſpiritualis ad novitatem vitæ conſequitur. Nam idem de hac phraſi intelligendum eſt, quod ſupra diximus, de verbis *crucifixum eſſe cum Chriſto*, aut *cum Chriſto mortuum*. Huc etiam reduci poſſunt loca illa, in quibus dicimur *vivificati fuiſſe cum Chriſto*: Epheſ. 2. 5. & Col. 2. ℣. 13. ubi aperte iſta vivificatio opponitur morti in delictis, & præputio carnis noſtræ.

Duodecimo, phraſis eſt plane ſingularis, qua utitur Paulus Rom. 7. 4, *Fieri alteri illi qui ex mortuis eſt reſuſcitatus*: hoc eſt, Chriſto tanquam marito ſubjici, & ei veluti nubere; quod nihil eſt aliud, quam ejus religionem recipere, & præceptorum ejus jugum in ſe ſuſcipere, eique ſe regendum præbere; idque eo animo, ut ipſi perpetuo & indiſſolubili nexu adhæreas, & uſque ad mortem eum non deſeras, non ſecus ac uxor eſt marito ſubjecta uſque ad mortem, eique perpetuo adhæreſcere debet.

CAP. IV.

De Sanctitate abſolute conſiderata: ac primum de habitu Sanctitatis, ſeu nominibus, quibus in Sacris Literis deſcribitur.

SAnctitas eſt complexus omnium virtutum Chriſtianarum ad mores pertinentium: ſeu mavis, Habitus aut conſuetudo agendi ſecundum Chriſti præcepta: vel ſi placet, Obſervatio mandatorum Dei aut Chriſti. Tractatio autem hæc in quatuor membra diſtinguetur. Primò enim de ipſo Sanctitatis habitu, ſeu vocibus, quibus in ſacris literis exprimitur, agemus: Deinde de habitus illius actionibus ſeu operibus: Tertio de Gradibus ejuſdem: Et denique de proprietatibus.

Voces, quibus Sanctitatis habitus in ſacris literis deſcribitur, ſunt duplices: Quædam enim non modo concrete, verum etiam abſtracte efferuntur: quædam tantum ſunt concretæ. Priores iterum duplicis ſunt generis; vel enim magis ſunt propriæ, vel minus propriæ, aut etiam plane figuratæ. Magis propriæ occurrunt quatuor.

Prima eſt vox ipſa *Sanctitatis*, quæ Græcè eſt ἁγιωσύνη vel ἁγιότης, itemq; ſanctificatio, quę Gręcè eſt ἁγιασμὸς qua voce utitur autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 12. 14. Quin etiam Paulus 1 Theſſ. 4. 3. quanquam ibi ſpeciatim poteſt ſumi pro caſtitate, ut verſus quartus ubi eadem vox repetitur, videtur indicare. Indicat autem Sanctitatis vox ſegregationem quandam à rebus vulgaribus & impuris, & quandam cum Deo conjunctionem, & in ejus veluti uſus conſecrationem. Opponuntur enim ſancta impuris imprimis: at quia ea, quæ communia ſunt ac vulgaria, ob uſum vulgarem cenſentur impura, qua de cauſa communia in ſacris literis pro pollutis & impuris ſumuntur, ideò ſanctificatio vulgaribus quoque rebus opponitur. Verùm ſi perfectiorem adhuc hujus vocis ſignificationem, quæ huc ſpectat conſideremus, videbimus illa imprimis dici ſanctificari, quæ Deo conſecrantur, & illius uſibus ita addicuntur, ut jam inter vulgaria cenſeri, aut ad uſus communes adhiberi nequeant. Deus enim quia eſt à rebus vulgaribus & impuris maximè ſegregatus, ideò perfectiſſima ratione ſanctus dicitur; & quo quis ad Deum accedit propius, tanto etiam ſanctior, & res quæ ad ipſum propriè ſpectant, ſanctæ dicuntur. Ex hoc autem jam ratio patere poteſt, cur ſanctificatio interdum ſpeciatim ſumatur pro caſtitate, & libidinibus peculiari ratione opponatur; nempe quia libidines inter omnia voluptatum genera, imo propemodum inter omnia peccata, maximè videntur impuræ, & hominem inquinare & polluere. Unde etiam interdum ſimpliciter per vocem impuritatis aut impurarum voluptatum, iſtud voluptatum genus ſignificamus: cujus rei ratio ex ipſa natura patet, de qua fortaſſis aliquid ſuo loco dicetur. Quare Sanctitas, quæ impuritati opponitur, illis etiam peculiari quadam ratione rectè opponitur, aut pro virtute contraria ſumitur.

Secunda vox, quæ huc pertinet, eſt *obedientia*, quæ ſimpliciter poſita, pro obedientia Deo aut Chriſto aut mandatis ſive hujus ſive illius præſtanda ponitur, ut 1 Petr. 1. ℣. 1.

Tertia eſt, *cultus noſter rationalis*, ut Paulus loquitur Rom. 12. ℣. 1. Quanquam hanc deſcriptionem liceret etiam referre inter eas ſanctitatis deſcriptiones, quæ aliqua ex parte figuratæ ſunt, nempe Synecdochicas: cultus enim ille peculiariter videtur Deum aut Chriſtum reſpicere, & religionem, quæ certa ſanctitatis pars eſt ad Deum propriè ſpectans, ſignificare. Verùm quia omnis generis virtute & pietate Deus colitur, ipſéque Apoſtolus latiſſimè extendit hanc vocem dicto loco, ideò ad generales has ſanctitatis deſcriptiones referri poteſt. Dicitur autem cultus iſte rationalis, ad differentiam legalis ſeu Ceremonialis, vel quia totus ratione nitatur, eaque certa, firma ac perpetua, non vero ex placito tantum inſtituentis, quales erant leges Ceremoniales, quæ inde dogmata dicebantur, pendeat; vel quia ratione ſive animo potiſſimum, non vero corpore perficiatur.

Quarta vox eſt *innocentia*. Quanquam ea vix abſtractè in ſacris literis Novi Fœderis uſpiam ponitur, ſed ejus tantum vocabulum concretum. Licet autem *innocens*, ſi primam originem ſpectes, eum tantum ſignificet, qui alteri non nocet, adeò ut hæc vox videatur ſua natura ſpecialior, & inter Synecdochicas referenda: tamen uſus jam pridem obtinuit, ut innocentes dicerentur, qui ab omni ſcelere ſunt immunes, & ſanctè atque innocenter ſeu inculpatè vivunt. Quanquam ea vox non prorſus homonymia caret: nam interdum ſignificat eos, qui ideò non peccant, quia non poſſunt; qua ratione infantes dicuntur innocentes: interdum eos, qui non peccant, quia nolunt, licet poſſint: præterea interdum non tam immunitatem à peccato, quàm à reatu, qui peccatum conſequi ſolet, ſignificat, ut quum quis dicit innocens ſum à ſanguine; quemadmodum etiam is contra nocens dicitur, qui reus eſt: denique interdum ſimpliciter accipitur, ſeu generatim de integritate vitæ univerſæ, interdum ad

certum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

certum negotium reſtringitur. Sed nos hîc eam pro integritate vitæ univerſæ accipimus.

Minus propriæ ſeu figuratæ deſcriptiones Sanctitatis triplicis ſunt generis. Vel enim ſunt Synecdochicæ, in quibus aut genus pro ſpecie, aut contra ponitur: vel Metonymicæ, in quibus cauſa pro effectu ſumitur: vel denique Metaphoricæ, quæ per ſimilitudinem rem explicant.

Synecdochicas voces duplices conſtituimus. Nam vel genus ſanctitatis pro ſpecie ponitur, vel ſanctitatis ſpecies aut pars pro genere aut toto. Prioris generis voces ſunt, Primo *perfectio* & *integritas*. Eſt enim ſanctitas perfectionis & integritatis certa ſpecies, cùm perfectio ipſa ſit varia, non tantum animi, ſed etiam corporis; & animi alia, quæ ad ſcientiam pertinet, alia, quæ ad vitam aut mores. Quæ poſterior κατ' ἐξοχὴν perfectionis nomen meretur, & hæc appellationis hujus ratio eſt. De hac vide in literis Novi fœderis Matth. cap. 5, ad finem. Jacob. 1. 4: quo loco ei opponitur defectus in aliqua re, hoc eſt, in aliqua pietatis parte: quanquam utrobique ad certam aliquam virtutem maximè reſpicitur; illic ad dilectionem inimici, hîc ad patientiam perfectam. Huc etiam refer locum 1 Theſſ. 5. ℣. 23. ubi optat Paulus Theſſalonicenſibus, ut eos Deus ſanctificet ὁλοτελεῖς ſeu omni ex parte perfectos, & totus illorum ſpiritus & anima & corpus inculpatè, &c. conſervetur. De quo loco infra fortaſſis alicubi. Hujus etiam generis ex nonnullorum ſententia, eſt vox ἀφθαρσίας vel ἀδιαφθορίας, hoc eſt incorruptionis ſeu incorruptibilitatis, quæ opponitur corruptioni morum ac vitæ; eſtque voci integritatis admodum ſimilis, & itidem κατ' ἐξοχὴν huc transfertur. Hoc modo nonnulli accipiunt verba illa Eph. 6. 24: *Qui diligunt Jeſum Chriſtum in incorruptione*. Quanquam alii aliter. Fortaſſis ii optimè interpretantur, qui perfectionem, eamque conſtantem, amoris in Dominum Jeſum eo loco intelligunt; ita ut ea vox qualitatem quandam, & affectionem pietatis, non pietatem ipſam per ſe notet. Extat eadem vox ἀφθαρσίας in quibuſdam exemplaribus Tit. 2. 7; & in hac ſignificatione accipienda eſt: Sed ab aliis tamen non paucis abeſt. Extat autem ibidem vox ἀδιαφθορίας; verum ea pro integritate doctrinæ accipienda videtur, & conjungenda cum verbis præcedentibus *in doctrina*: quemadmodum à nonnullis interpretibus factum. 1 Pet. 3. 4 τὸ ἄφθαρτον Neutrum pro ſubſtantivo ponitur, & ſumitur in ea ſignificatione, quam in loco ad Epheſ. nobis probari diximus. Itaque nullum certum ac firmum habemus exemplum, quo probetur vocem iſtam integritatem morum ſignificare. Vox autem contraria *Corruptionis*, & verbum etiam *Corrumpendi*, morum corruptionem videtur ſignificare: & huc videtur ſpectare locus 2 Pet. 1. 4, licet alii de interitu æterno vocem eam ibi accipiant. Sed verbum *Corrumpendi* eſt 1 Cor. 15. 33: Epheſ. 4. 22. itemque Apocal. XI. 18. & 19. ℣. 2. quin etiam Gen. 6. 11. 12. in quibus locis de corruptione morum eſt ſermo. Unde interdum etiam vox morum aut vitæ, hoc eſt, rationis vivendi eſt addita. Uſurpatur etiam pro mentis quadam perverſitate, eaque depravatione, quæ per errores fit: ut 1 Tim. 6. 5. & 2 Cor. XI. 3: 2 Tim. 3. 8.

Poſterioris generis voces, ubi ſpecies virtutis pro genere, vel pars ſanctitatis pro tota ponitur, ſunt triplices ex triplici virtutum differentia. Prima eſt vox *Pietatis*, quæ propriè denotat eam virtutem, quæ Deum reſpicit, & cultum ei dignum præſtat: breviter amorem & reverentiam Numinis; quanquam etiam ſignificat amorem & reverentiam erga parentes, & eos qui parentum loco ſunt; cujus ſignificationis exemplum extat in verbo εὐσεβεῖν 1 Tim. 5. 4. Transfertur autem hæc vox ad omnis generis ſanctitatem, quia nemo Deum vere amare, colere, ac, ut dignum eſt, venerari poteſt, niſi omnis generis virtutem ab eo præſcriptam præſtet. Pietatis contrarium eſt impietas, de cujus vocis ſignificatione ſuprà jam aliquid dictum eſt, occaſione loci Tit. 2. 12. & infra ſuo loco iterum dicetur.

Secundi generis voces duæ occurrunt: prima *Juſtitia*, quæ propriè eam denotat virtutem, qua hominibus aliis ea tribuimus, quæ ipſorum ſunt. Itaque ſemper ad alterum ſpectat: nempe proximum. Verum quia juſtitia duplex conſtituitur, altera Univerſalis, altera Particularis: quarum illa eſt obſervatio legum, in qua omnium virtutum officia, quæ ad alterum, ſeu ad communem utilitatem ſpectant, proponuntur; hæc vero hujus tantum pars eſt: à priore iſta ſignificatione eam, de qua nos hîc loquimur, tractam eſſe cenſendum eſt; ita ut ſanctitas ideo juſtitiæ nomine indigitetur, quia ea ſit obſervatio legum divinarum, atque, ut ita dicam, jurium ſeu δικαιωμάτων, quemadmodum leges divinæ dicuntur. Juſtitiæ huic opponitur injuſtitia aut iniquitas, Græce ἀδικία & ἀνομία: quanquam hæc poſterior vox neutro iſtorum vocabulorum Latinorum ſatis commodè exprimitur. Nam ἀνομία contemptum quendam legis, &, ſi ita liceret loqui, exlegitatem ſignificat, ideóque à Johan. Epiſt. 1. cap. 3. 4, ad peccati gravitatem exaggerandam ponitur; ut ſatis pateat errare illos, qui arbitrantur ea voce tantum legis tranſgreſſionem ſignificari. Qua de re videatur Socinus in dictum locum. Contemptus autem ille legum duplici modo intelligi poteſt: vel propriè, vel impropriè. Propriè, cùm quis legem Dei cognitam, ita ſpernit, ut ſciens prudens adverſus eam delinquat, nil penſi habens, quicquid illa dicat. Improprie vero, cùm quis ita ſe gerit, quemadmodum is qui legem contemnit, nempe cum eam tranſgredi pergit, quacunque tandem de cauſa, etſi eam aliàs magnifaciat, nec ejus mens atque intentio ſit legem ſpernere ac proculcare. Itaque in hoc poſteriore contemptu tantum vis factorum per ſe conſideratur, non animus: In priori etiam animus. Johannes autem dicto loco videtur latè vocem hanc accipere, ita ut utramque hanc ſpeciem ea complectatur. Quod ad vocem ἀδικίας ſeu injuſtitiæ attinet, ea in hac ſignificatione uſurpatur inter alia cap. 5 ejuſdem Epiſt. ℣. 17. & 1 Cor. 13. 6. & 2 Theſſ. 2. 10. utraque autem vox non ſimplicem actum ſignificare videtur, ſed habitum peccati niſi fortaſſe actus ſit ejuſmodi, qui apertum Dei & ejus legis contemptum verè complectatur, & ſic cum vero Dei metu non poſſit conſiſtere.

Altera hujus generis vox eſt *Bonitas*, quæ Græcè eſt χρηστότης, quæ extat apud Paulum Rom. 3. 12. ex Pſal. 14. 2. ubi in Græca interpretatione pro voce *Tob* quæ bonum ſignificat, habes χρηστότητα, licet eadem alibi in voce ſimili, nempe Pſal. 53. 4 habeat τὸ ἀγαθὸν. Quare ſi Hebraicam veritatem ſpectes, hæc deſcriptio ſanctitatis inter ea reponenda eſt, in quibus genus κατ' ἐξοχὴν de certa ſpecie dicitur, vel etiam, ſi mavis, inter proprias; niſi quod vox Hebræa concreta eſt, ſubſtantive tamen uſurpata. Hinc dicuntur viri boni: cujus rei exemplum habes Luc. 23. 50. de Joſepho Arimathæo; ubi eodem ſenſu dicitur vir bonus vel juſtus: & Act. XI. 24. de Barnaba, ubi Græcè eſt utrobique vox ἀγαθὸς, non vero χρηστὸς. At ſi vocem Græcam reſpicias, vox eſt ſpecialis, & certam virtutem ſignificat, quæ benignitas aliàs dicitur. Quia enim benignitas inter alias virtutes ſingulari ratione excellit, ideò pro bonitate ſeu pietate in univerſum ſumpta eſt; præſertim cùm etiam vox Hebraica interdum ſignificet id, quod aliis eſt utile: vox autem χρηστότης ab eo nomine deducta eſt, quod utile eſt. Qua de re infra in ſpeciali virtutum explicatione. Bonitati, ſi ex Hebraicæ vocis vi ejus ſignificationem æſtimemus, opponitur malitia & improbitas latè ſumpta, Græcè κακία & πονηρία: 1 Cor. 5. 7. ubi tamen eam opponit Sinceritati & Veritati: ſed hujus eandem cum bonitate vim eſſe, mox oſtendemus. Dico autem, ſi latè ſumatur: quia aliàs voces hæ ſpeciatim ſumuntur, & tum juſtitiæ, tum etiam bonitati, ſeu beneficentiæ opponuntur. Qua de re itidem infra ſuo loco.

Tertii generis voces itidem ſunt duæ; *Veritas* & *Sinceritas*, loco paulo ante dicto: Quanquam aliàs quoque hoc modo veritas accipitur, ut infra in eadem Epiſt. cap. 13. 6. ubi injuſtitiæ opponitur. Vox autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sinceritatis, quanquam in concreto elata, ejuſmodi ſignificationem habet Philip. 1. 10. Significat autem utraque vox proprie candorem quendam à fraude & dolo ſejunctum, ſeu ſinceritatem, in qua nil ſit fucatum, nihil mali admiſtum; & poſterior quidem animi, prior autem ſermonis. Quanquam illæ, ut hoc loco, ita & alibi non ſemel, cùm ſtrictius ſumuntur, inter ſe confunduntur. De quo in ſpeciali virtutum explicatione. Hinc jam patet, cur ſanctitas univerſa his nominibus inſigniatur: nempe quia univerſa ſincera eſt, & ab omni fraude, dolo & malitiæ admiſtione libera, atque immunis. Quæ ratio egregiè convenit Metaphoræ azymorum, qua ibi utitur Apoſtolus, quia iis nihil eſt fermenti, nihil acidi admiſtum; ſed toti illi panes ſinceri ſunt ac ſuaves, & veteris fermenti, quod impuritatem quandam habere videtur, penitus expertes. Ubi id quoque obiter notandum eſt, verba hæc Apoſtoli non tantum ad ſingulos Chriſtianos ſpectare, quatenus nihil malitiæ animis illorum debet eſſe permiſtum: ſed etiam ad univerſam Eccleſiam, quatenus ea permittere non debet, ut aliquis in ea verſetur, qui in peccato aliquo hæreat; qua de re ibi propriè eſt ſermo.

Sequuntur voces Metonymicæ, in quibus cauſa pro effectu ponitur, eæque iterum ſunt duplices: vel enim Synecdochen quandam ſimul habent conjunctam, vel non habent. Atque ut à poſteriori faciamus initium, huc pertinet *cognitio Dei*, aut *Chriſti*, vel utriuſque ſimul juncti, quemadmodum ſanè in ſacris literis Novi fœderis cognitione unius horum nominata, cognitio quoque alterius ſimul includitur, quum quicunque novit Chriſtum & Patrem noverit: Johan. 8. 19. & 14. ℣. 7 & 9. & contra, nemo novit Deum, niſi etiam Chriſtum noverit; ut apparet ex eodem loco ℣. 6. Matth. XI. 27. & Johan. 1. 18. Vocatur autem pietas cognitio Dei aut Chriſti, quia ſi cognitio illa vera ſit ac perfecta, pietatem omnino ex ſeſe pariat. Qua de re vide Socinum in Scrupulis. Quæ autem ſit iſta cognitio perfecta, ſuprà Cap. 1 à nobis eſt explicatum.

Prioris generis quæ etiam Metonymicæ & Synecdochicæ ſimul ſunt extant imprimis tres. Prima eſt *Fides*, cùm in perfectiſſima ſignificatione ſumitur. Cur autem hoc nomine ſanctitas univerſa, ſub Novo Fœdere præſertim, ſoleat exprimi, partim ſuprà dictum eſt, cùm de fide ageremus, partim alibi ſeparatim eſt explicatum, idque huc transferendum eſt.

Secunda eſt *Charitas Dei & Chriſti*. De charitate Dei vide 1 Johan. 5. 3. De charitate Chriſti Johan. 14. ℣. 15, 21, 23, 24. Quanquam in his locis non dilectionis aut charitatis nomen extat, ſed diligendi verbum. Ideo autem obſervatio mandatorum Dei & Chriſti dilectionis ipſius nomine ſignificatur, quia dilectio illa nos adigit ad mandata ejus obſervanda. Eſt enim dilectio in cauſa, ut ea libenter velimus facere, atque adeò etiam faciamus, quæ ſcimus ei eſſe grata, quem verè diligimus & amamus. At ſanctitate, ſeu obſervatione mandatorum Dei, quæ voluntatis divinæ nomine in ſacris literis ſimpliciter denotantur, quid ei gratius? Dicimus autem Synecdochen hîc quoque eſſe, quia dilectio Dei & Chriſti, etiamſi propriè affectum denotet, tamen inter virtutes voluntatis præcipuas in ſacris literis numeratur, & ſanctitatis univerſæ pars eſt prima.

Tertia hujus generis appellatio eſt, *Timor Domini*, vel *Dei*, ut ſatis notum eſt, præſertim ex literis veteris Fœderis. Quanquam etiam in Novo ejuſmodi loquendi forma occurrit. Ratio appellationis eſt, quia ſi quis Deum verè timeat ac revereatur, is non audebit ullum ipſius mandatum violare, & ipſius iram hoc pacto provocare; cum ſciat, quantus ſit ille Deus, & quam potens, quantoperè is ſanctitatem amet, quantum ei præmium, quantam ſceleribus pœnam conſtituerit. De horum contrario ſuo loco.

Reliquæ ſunt appellationes Metaphoricæ, quarum Prima, quæ ad proprietatem propius accedit, eſt *puritas ſeu mundities manuum*, de qua vide Gen. 20. 5. & 2 Samuël. 22. 21. Job. 22. 30. Pſal. 18. 21. Quibus ſimilis locus reperitur etiam 1 Tim. 2. 8, ubi puræ manus commemorantur. Quanquam ea manuum puritas, interdum non ſanctitatem ſeu innocentiam in univerſum ſignificat, ſed innocentiam ad certum tempus reſtrictam, ut vel ex nonnullis locorum à nobis adductorum patet. Manus autem pro operibus ſumuntur per Metonymiam, de qua dictum eſt ſuperiori Cap. ubi de ſanctificatione vel purificatione manuum apud Jacobum loquuti ſumus. Reperitur autem vox concreta puri in hac ſignificatione etiam in Novo Teſtamento: ut Johan. 13. 10, 11. & cap. 15. 3. & Tit. 1. 15. ubi dicitur *puris omnia eſſe pura, pollutis autem & incredulis nihil eſſe purum, ſed pollutam eſſe eorum & mentem & conſcientiam*, hoc eſt, iis, qui per veritatis cognitionem ab omni peccatorum labe fuerint repurgati, omnia, quæ natura ſua ſint licita, ſeu adiaphora, ut vocant, licita eſſe, ita ut conſcientiæ ratione ab illis abſtinere nullo modo debeant. Sed iis, qui ſceleribus ſunt inquinati, & fidem Euangelicæ veritati adhibere nolint, nihil iſtarum rerum eſſe purum aut licitum, non quidem per ſe, ſed per accidens, quatenus nimirum Deus uſum earum iis permiſit, qui cognoverunt veritatem, 1 Tim. 4. 4: quam iſti homines averſantur, ut hoc loco ad Tit. dicitur ℣. 14. unde etiam fit, ut in ſceleribus perſeverent, eorumque mens erroribus peſtiferis, & conſcientia ſcelerum cognitione & memoria polluatur. Simili ratione indicatur 1 Cor. 7. 14, liberos illorum qui ab infidelibus generantur impuros eſſe, non vero ſanctos, &, ſi ſanctificari debeat matrimonii uſus, neceſſe eſſe, ut alteruter conjugum ſit fidelis. Puritas ſive mundities hæc interdum ad certum ſubjectum reſtringitur: ut Act. 18. 6. & 20. 26. Huc etiam poteſt referri puritas cordis, de qua Prov. 22. 11. & Matth. 5. 8: ubi vox concreta eſt. Niſi quis malit puritatem hîc ſumere pro animi ſinceritate ſeu probitate. Quanquam rectius eſt, ut eam pro ſanctitate animi ab omnibus vitioſis affectibus & cogitationibus repurgati ſumamus, quæ verè ſanctitatis nomen meretur: cum habitus ipſe, de quo nunc loquimur, in animo propriè reſideat.

Cæteræ appellationes Metaphoricæ quæ nunc ſuccurrunt, longius à proprietate recedunt. Inter eas Primò collocari poteſt vox *Lucis*, ut 1 Johan. 1. 7. ubi in luce jubemur ambulare, ut Deus eſt in luce. Dicitur autem ſanctitas lux, partim quia eſt res pura & ſplendida ac mirum in modum fulgens, non ſecus ac lux clariſſima, (qua in parte metaphora eſt:) partim vero, quia ex luce, hoc eſt, veritatis divinæ notitia, quæ paſſim in ſacris literis hoc nomine appellatur, proficiſcitur. Qua de re vide Socinum Comm. in 1 Johan. Epiſtol. Atqui hac poſteriori ratione vox hæc eſt Metonymica. Huc etiam reduci poteſt locus Matth. 5. 14: ubi diſcipuli Chriſti dicuntur *lux mundi* ratione ſanctitatis ſeu bonorum operum, quibus lucere coram hominibus debeant, præſertim cum ipſa etjam lucis vox ibidem abſtractè ponatur in verbis, *ſic luceat lux veſtra*; licet antea per Metonymiam adjuncti, ſeu in concreto ſumta, de ſubjecto ſuo fuerit prædicata: quod etiam in loco Johan. antea citato contigit, ubi nunc ipſe Deus lux dicitur, nunc in luce eſſe. Idem alibi, tum in hac lucis voce, quum pro notitia rerum divinarum ſumitur, tum in aliis contingit, ut Epheſ. 5. ℣. 8, & in voce *Salis*: Marc. 9. 49 & 50. & 1 Johan. 4. ℣. 7, 8, 9, 10, 11: in voce charitatis. Eodem referendus eſt locus ad Philipp. 2. 15, ubi dicuntur Chriſtiani lucere, tanquam lucernæ, in mundo. Quanquam id ratione doctrinæ intelligi poteſt, quum ſtatim ſequatur, ſermonem vitæ ſuſtinentes, vel potius prætendentes; non ſecus atque è Pharo accenſæ faces navigantibus in alto quaſi prætenduntur, ut iis conſtare poſſit in quem portum appellere debeant. Ita enim Euangelii doctrina, tanquam fax aliqua, à Chriſtianis eſt cæteris hominibus prætendenda, ut videant, quo curſum vitæ dirigere debeant, ut in ſalutis portum appellant.

Secundo huc referenda eſt vox *veſtimentorum*, quæ ſimpliciter pro ſanctitate ponitur, ut Apocal. 16. 15. vide etiam cap. 3. ℣. 18. Ut enim veſtimenta tegunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gunt nuditatem noſtram, & prohibent, ne ſi quid eſt in corpore noſtro turpe & pudendum, aliorum oculis appareat: ita etiam ſanctitas nos contegit, & ornat coram Dei & Chriſti oculis, nec patitur apparere præterita noſtra peccata. Unde ibidem additur, ne nudus appareas, & videatur turpitudo tua. Interdum vox veſtimentorum latius ſumitur pro operibus & moribus quibuſcumque, aut quacunque vitæ ratione, ſive recta illa ſit ſive prava: Unde poſtea ad deſignandam ſanctitatem aliqua vox adjicitur, aut verbum aliquod, quod veſtimenta iſta reſtringat; ut cum dicuntur veſtimenta alba, Apocal. 3. 18. id eſt, pura ac ſplendida; aut aliqui perhibentur non polluiſſe veſtimenta ſua, hoc eſt, ſceleribus aliquibus vitam ſuam non polluiſſe; eodem cap. ℣. 4.

Tertio huc referenda eſt *Stola* illa *alba*, de qua Apoc. 7. ℣. 9: per quam pietas ſignificatur. Solet enim, ut ſuprà vidimus, ubi de exutione & indutione vitii aut virtutis egimus, vitæ ac morum ſanctitas veſtimento alicui comparari. Hoc autem loco Stolæ ſpeciatim fit mentio, quia illa prolixa eſt, & corpus totum plane contegit, ut ſanctitatis intelligatur perfectio. Alba autem dicitur, ut puritas ejus ſignificetur, cùm inter colores albus ſit puriſſimus; quippe qui luci reſpondeat, quemadmodum nigredo tenebris. Unde etiam conſequitur, ut quemadmodum in albo colore maculæ quamvis exiguæ facilius apparent: (nam contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt: albedo autem puriſſima eſt, macula impuritas quædam:) ita etiam in ſanctitate eximia nævi, licèt exigui, facilius animadvertantur. Quò tamen an reſpexerit divinus Spiritus, non facilè affirmaverim.

Quarto, ſimilis eſt Metaphora, cum Sanctitas vel juſta opera ſanctorum dicuntur *Byſſinum*, ſubaudi veſtimentum aut aliquid ſimile: Apoc. 19. 8. ubi tamen additur, purum & ſplendidum. Vocat autem βύσσινον eo in loco, quia alludit ad indumenta & ornatum muliebrem, maximè nuptiarum tempore. Loquitur verò de Nuptiis Agni, & de præparatione vel ornatu uxoris vel ſponſæ ejus ad iſtas Nuptias; qui in eo collocatur, quod ei datum ſit, ut indueretur Byſſino puro & ſplendido. Solent enim fœminæ delectari imprimis lineis indumentis, iiſque optimis ac præſtantiſſimis; & tum temporis præcipuè, cùm ſe maximè volunt ornare. At Byſſinum inter omnia lineorum indumentorum genera excellit. Quapropter eo verbo indicatur præſtantia pietatis, & ſignificatur, non ſecus ea homines ornari, quam fœminas aut ſponſas ornat Byſſinum. Deinde etiam ob eam cauſam Byſſinum commemorat, quod color candidiſſimus ac puriſſimus in lineis potiſſimum veſtimentis locum habeat, & in illis etiam maximè deſideretur: unde puritatis & ſplendoris mentio ſtatim adjicitur. Vocatur autem purum, quod à peccati ſordibus pietas aliena & immunis eſſe debeat; ſaltem ita, ut habitus nullus inſit, aut quippiam tale, quod ejus vim habeat. Splendidum dicitur, quòd ſanctitas & ſit & revera appareat, ſaltem pleriſque, res præclariſſima, & ſua pulchritudine omnium animos feriat atque alliciat. Nam virtus, ut ait Seneca, omnium mentibus lumen ſuum immittit, etiam illi, qui non ſequuntur, vident. Loco vocis *ſplendidi* infra ponitur ℣. 14. vox *albi*: quia ſplendor is ex albedine ſeu candore ſummo pendet, ita ut hæ voces pro iiſdem ponantur. Quanquam nonnulli volunt ibi per Byſſinum album & purum immortalitatem eſſe intelligendam, cum ea quoque veſtimentorum candidorum nomine ſignificetur ſup. cap. 3. 5.

Quinto referri poteſt huc *aurum igni exploratum*: Apoc. 3. 18; quo nomine intelligitur pietas minimè fucata aut adulterina, ſed vera ac ſolida, eóque ſignificatur Sanctitatis præſtantia & ſplendor ſeu dignitas, quum aurum metallorum omnium ſit præſtantiſſimum ac ſplendidiſſimum, ac præterea homines efficiat divites; ad quam cauſam hîc potiſſimum reſpicitur, cùm adduntur iſta verba, *ut dives fias*; quæ opponuntur paupertati ℣. præcedenti. Opponuntur autem eo in loco ſanctitati plura ſimul: nempe ærumna, miſeria, tum, ut jam diximus, paupertas, & præterea nuditas. Nam quod ad cæcitatem attinet, per eam intelligi poteſt imprimis ignorantia ſui ipſius: ſeipſam enim Eccleſia illa non norat, cum ſe putaret à pietate ſatis inſtructam, atque adeo etiam beatam ac felicem, quum tamen minimè eſſet; unde Dominus Jeſus monet, ut collyrio ungat oculos ſuos, ut videat. Quod ſi tamen malis cæcitatem iſtam accipere de divinæ voluntatis ignorantia, non admodum repugnabimus, præſertim cum ignorantia illa ſui ipſius hinc oriri potuerit. Non abſimilis Metaphora eſt apud Eſaiam cap. 1. 22. ubi ii, qui boni ſunt, vel etiam optimi, ac vitæ ratione puriſſimi, dicuntur *argentum*, quod itidem inter metalla valde eſt præſtans & purum. Huic opponitur ſcoria, quæ impura eſt, & repurgamentum metallorum, quod ab illis ſecerni ſolet, ut pura fiant. Subjungitur ibidem & alia Metaphora, in qua merum & dilutum inter ſe opponuntur, quorum illud ſincerum eſt, hoc vitiatum. Sed hujus generis plurima reperiet is qui in veteris fœderis lectione verſabitur, quæ omnia perſequi inſtituti noſtri ratio non fert.

Sexto occurrit *via & porta anguſta*, cui lata opponitur. Via appellatur ratio vivendi, cum quod quemadmodum via ad certum locum nos ducit, ita illa ad certum ſcopum ac finem, recta quidem ad bonum, prava ad malum: tum quod quemadmodum in via ſemper pergendum eſt, & ulterius progrediendum, ita etiam in vivendi ratione accidit, quum aliæ vitæ actiones prætereant, aliæ ſuccedant. Anguſta autem via dicitur vita pia, quia in ea minimum licet, & exorbitare facile eſt: contra vita impia, via lata dicitur, quia omnia in ea licent, nec facile quiſpiam poteſt aberrare. Anguſta etiam porta dicitur, quod in arctum nos cogat, ac ita premat ut non ſine labore & difficultate quadam per illam ad vitam penetrare queamus: ſiquidem omnia, quæ carni ſunt grata, nobis adimit, & variis malis ac doloribus ob juſtitiam nos ſubjicit. Contra portæ latæ inſtar eſt vita impia, in qua caro noſtra minimè premitur, ſed libere per omne voluptatum genus vagari poteſt.

Hactenus voces abſtractæ, quibus Sanctitas exprimitur, ex quibus tamen concretæ quædam fluunt, quibus homines ſancti denotantur. Sequitur, ut videamus ea, quæ in concreto tantum ſolent efferri in hac ſignificatione Sanctitatis. Inter hæc primo loco occurrit vox *Immaculati*, Græcè ἄσπιλος: 2 Pet. 3. 14. pro qua Eph. 5. 27, ponitur *non habere maculam aut rugam*. Res ipſa facilis eſt. Significatur immunitas ab omni peccati labe, quæ deformitatem aliquam inducere queat. Qua de cauſa etiam rugæ fit mentio in loco ad Eph. quia hîc agitur de pulchritudine Eccleſiæ, tanquam ſponſæ Chriſti. Nam in ſponſa etiam rugæ diſplicere ſolent, & formæ pulchritudinem minuere; licet aliàs minus ſit rugam habere, quam maculam. Significare autem voluit Paulus, Eccleſiam Chriſti non tantum ab enormibus ſceleribus liberam eſſe debere, ſed etiam ab illis, quæ leviora alias & ſunt & cenſentur, & nonnunquam etiam haudquaquam curantur, ut rugæ in fronte aut facie; præſertim cùm adhuc addat, aut quid hujuſmodi, hoc eſt ſi quid eſt præterea, quod Chriſti Eccleſiam deformare queat & illi minus ſit decorum. Quid voci huic immaculatorum opponatur, quivis per ſe facile videt: nempe, pollutum, maculatum eſſe: quin & vox abſtracta labes & macula, quæ interdum de hominibus quibuſdam dicitur, ut 1 Pet. 2. 13. & Jud. ℣. 12. non tam per Metonymiam adjuncti, quaſi nimirum ipſi ſint maculati & labe aſperſi, licèt id alias verum ſit; ſed potius per Metaphoram tantum, & reſpectu aliorum. Dicitur autem de falſis doctoribus, qui in ἀγάπαις, ſeu conviviis Chriſtianorum, ex charitate erga fratres, præſertim pauperes, inſtitutis, convivantur egregiè, & abſque metu & pudore ſeipſos paſcunt; qui hoc ſuo facto totum convivium dehoneſtant, & conſeſſui univerſo maculam quandam aſpergunt, eumque infamem reddunt.

Succedit vox *Irreprehenſibilis*, quæ prioris eſt conſequens, Græcè ἄμωμος, vel ἀμώμητος, aut ἄμεμπτος:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſignificat enim eum, qui reprehendi, putà jure, non poteſt. At reprehendi jure non poteſt, qui omni labe vitæ caret. Unde in loco ad Epheſ. modo citato, opponitur verbis illis, Non habere maculam aut rugam aut quid hujuſmodi, Eſſe ſanctum & irreprehenſibilem. Et Petrus loco itidem ſuprà notato, 2 Epiſt. 3. 14, poſt vocem immaculati ſubjungit irreprehenſibiles. Contrario ordine hæc verba conjungit, de Chriſto tanquam de agno agens, 1 Epiſt. 1. 19: ubi non naturalem ordinem rei, ſed gradum potius ſequitur; quaſi dicat, non tantum ab hominibus reprehendi non potuit, ſed etiam reipſa fuit immaculatus. Quanquam etiam aliter ea verba poſſunt accipi, ita ut diverſa ſit horum verborum ſignificatio & ſpecialior, & vox ἀμώμου ſignificet immunitatem à vitio aliquo graviori, qualis olim in victima eſſe poterat morbus, claudicatio, & ſi quid erat ſimile: vox autem ἀσπίλου immunitatem à levioribus peccatis & maculis, quales olim in pecudibus erant maculæ quædam externæ in oculos incurrentes, quæ etiamſi vires ipſas & membra naturalia non labefactarent, tamen deformitatem quandam inducerent; ut ſi nota aliqua eſſet fœdior inuſta, aut aliquid ejuſmodi. Similis etiam vox ἀνεπίληπτος, qua utitur Paulus 1 Tim. 3. 2. quæ ſignificat eum, qui reprehenſionem aut objurgationem non meretur. Sic etiam vox ἀνέγκλητος, quæ proprie ſignificat eum, qui accuſari & in jus vocari non poſſit: itaque propriè non valet prorſus tantundem, quantum voces ſuperiores, ſed tantum immunitatem à delictis gravioribus; uſurpatur tamen ſenſu eodem, quo vox ἄμωμος aut ἀμώμητος. Conferantur loci 1 Cor. 1. 8. & Col. 1. 22; in quorum poſteriori extat vox ἀμώμους & ἀνεγκλήτους, cum iis, in quibus vox etiam ἀμώμητος & ſimiles de omnibus piis efferuntur.

Reſtant voces quæ ἄπταιστος & ἀπρόσκοπος, hoc eſt, *inoffenſus*: quarum illa extat apud Judam ℣. 24: hæc verò ad Philipp. 1. ℣. 10. ſumpta Metaphora ab iis qui in ſtadio, aut etiam alio quocunque loco currunt, ita ut uſque ad calcem extremumque viæ ſuæ terminum nunquam impingant, pedemque offendant, & ſic abſque impedimento & remora curſum ſuum abſolvant.

Etſi autem harum omnium vocum ea ſit vis, ut omnem planè labem, culpam, reprehenſionem, offenſionem, aut lapſum excludant, etiam eum, qui in habitum non abit; earum tamen ſignificatio locorum circumſtantiis & materiæ ſubjectæ accommodanda eſt, & ex analogia Novi fœderis cùm de ſalutis noſtræ negotio agitur, & id exprimitur quod ad ſalutem ex parte noſtri omnino eſt neceſſarium, reſtringenda. Quanquam in votis Apoſtolicis, in quibus omnium frequentiſſimè occurrunt, poſſunt eæ in perfecta & plane propria ſignificatione accipi. Solemus enim cùm aliquid optamus id fere optare, quod in aliquo genere eſt præſtantiſſimum atque optimum: præſertim ſi id ſimpliciter bonum ſit, quemadmodum in eo genere, de quo agimus, eſt ſanctitas perfectiſſima. Intelligi enim poteſt, Apoſtolos in iſtis votis non tam voluiſſe exprimere, quod ad ſalutem prorſus ſit neceſſarium, quam quod utiliſſimum, & ad eam rem accommodatiſſimum, ad quod ipſi quoque fideles perpetuo adſpirare debeant. Idem ſtatui poteſt de loco ad Epheſ. 5: ubi finis exprimitur, ad quem Chriſtus ſe pro Eccleſia tradiderit. Solent autem ſapientes id ſibi pro fine proponere, quod in ſuo genere eſt optimum ac perfectiſſimum, etiamſi ſummus ille gradus non ſemper ſit prorſus neceſſarius, nec eum illi ſemper attingant, eo interea contenti, quod illi eſt proximum. Sed cum de Chriſto voces ejuſmodi efferuntur, in perfectiſſima ſignificatione accipi poſſunt ac debent, quum aliunde ſatis conſtet, & ſubjecti ipſius ratio ſatis doceat eam ſignificationem hîc habere locum. Cùm denique de Epiſcopis aut diaconis dicitur, illos debere eſſe ἀνεγκλήτους & ἀνεπιλήπτους, voces eæ itidem pro materiæ ſubjectæ ratione accipiendæ ſunt, & intelligendum, ejuſmodi culpas ac crimina hîc excludi, quæ facile impedire queant fructum laborum, quos Epiſcopus circa alios ſuſcipit, ſeu quæ efficiant, ne is, ut loquuntur, eccleſiam ædificet, aut quæ fidem & integritatem Diaconi in dubium vocare queant.

Pii etiam deſcribuntur nomine *ſpiritualium*, imprimis Gal. 6. ℣. 1: propterea quod ſpiritu Dei ſunt imbuti, eo ſe duci ac regi patiantur, iſque imperium in illis obtineat, & carne ſit ſuperior. Spiritum autem Dei illum hîc potiſſimum intelligimus, qui omnibus veris Chriſtianis eſt communis, nempe Euangelii notitiam firmam ac ſolidam ſpiritui ac menti noſtræ inſertam, quæ cum ſpiritu noſtro in actionibus noſtris moderandis vires ſuas conjungit. Addi tamen poſſunt alia quoque Spiritus divini dona, quæ Euangelio confirmando olim hodiéve adhibentur. Extat eadem ſpiritualium appellatio carnalibus oppoſita 1 Cor. 3. 1. & 2. 15: ubi animali homini opponitur. Spectat autem ea primo ad illuſtrationem mentis, conſequenter demum ad voluntatem & actiones. Quia enim Euangelium præſtantiſſima nobis offert, ſub pietatis conditione conſequenda; ubi illius notitia hominis mentem penitus occupavit, etiam voluntatem in ſuas partes trahit, & hominem pietatis ſtudio ob ſpem boni infiniti totum mancipat, ac carnem ſeu appetitus vim reprimit, atque una cum affectibus ac concupiſcentiis crucifigit: quo eodem pacto cognitioni Dei, ut ſuprà vidimus, pietas tribuitur, imo iſto pacto deſcribitur. Eodem ſenſu ſumitur phraſis *Eſſe in ſpiritu*, Rom. 8. 9. cui ibidem opponitur eſſe in carne: ſignificat enim imperio Spiritus teneri, & eo veluti conſtrictum eſſe, cujus contrarium de contraria phraſi eſt intelligendum. Quod imperium ſeu vis, potentia ac robur ſpiritus, legis nomine ſignificatur, ſupra ℣. 2. cum ait, *Lex ſpiritus vitæ*, (hoc eſt, vitalis ſeu vivificantis) *in Chriſto Jeſu liberavit me à lege* (hoc eſt, potentia ac imperio) *peccati & mortis*. Similem locutionem vide Cap. 7 ℣. 21, 23, ubi de lege mentis & membrorum ſeu appetitus in corpore habitantis; & ℣. 25, ubi de lege peccati. Opponitur autem, ut diximus, vox ſpiritualis, partim *animali*, partim *carnali*, quæ duo propemodum eodem recidunt: differunt autem inter ſe, partim quòd hoc poſterius priori pateat latius; partim quòd illud cauſam potius denotet, hoc effectum, adeóque hoc illius ſit conſequens. Vox enim *animalis* primo ad cognitionem pertinet, conſequenter ad voluntatem vel actiones; carnalis autem contra. Animalis enim is eſt, in quo anima (quæ à ſpiritu & mente nonnunquam diſtinguitur, & rationem inferiorem, quam appetitus propriè ſequitur, ſignificat) maxime viget, & ſupremum veluti imperium obtinet, cui cæteræ animæ latius ſumtæ facultates ſerviant. Ea vero de hac vita animali, & cum brutis ferè communi, deque commodis ac utilitatibus ad eam pertinentibus, itemque de voluptatibus ac honoribus mundanis conſultat, eoque omnes cogitationes refert: quæ cum carni & appetitui ſint gratiſſima, homo quoque idem carnalis fit, hoc eſt, talis, in quo caro & appetitus corporis imprimis regnet. Breviter animalis eſt, qui animalem hanc ac terrenam vitam tantum ſapit ac ſpirat, de ſpirituali aut Cœleſti nihil cogitans: ea enim demum à ſpiritu divino revelatur, ac perficitur. Unde quia ſpiritus Euangelicus hujus vitæ commoda homini eripit, & duriſſimam ad cœlum viam præſcribit, animali homini ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia videntur, eaque capere non poteſt. Vide Jacob. 3. 15: ubi ſapientiæ deſuper venienti, opponitur terrena, animalis, diabolica: & Judæ ℣. 19, ubi conjunguntur iſta, *Animales, ſpiritum non habentes*. Hinc ii qui vitæ æternæ ſpem aliquam conceperunt, licet nondum ita validam, ut carnem prorſus ſubjugarint, interim adhuc in peccatis aliquibus hærent, & appetitui parent, quia ſpiritus aliquo modo ſunt participes, non animales, ſed carnales appellantur. 1 Cor. 3. 13: ubi, cum antea cap. 2, animalem oppoſuiſſet ſpirituali, ſtatim carnalem opponit. Verum-tamen poſſent iidem animales quoque ſuo modo appellari.

Referri huc poſſunt ea loca, in quibus Chriſtiani homines *Sacerdotes & reges*, vel *ſacerdotium regale* appellantur. Quæ verba licet dignitatem ſingularem Chriſtia-

norum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

norum deſignent: tamen eorum etiam officium, quod partim in offerendis per Chriſtum hoſtiis ſpiritualibus, partim in vincendis & ſubjugandis hoſtibus Spiritualibus conſiſtit, complectuntur. Non commemoravit autem Petrus regiam & ſacerdotalem dignitatem ſeparatim, ſed conjunxit, (quod etiam fecit Moyſes Exod. 19; ex quo Petrus hanc particulam, ut etiam illam, *gens ſancta*, mutuatus eſt: quanquam ibi contra eſt *regnum ſacerdotale*, eodem manente ſenſu;) propterea quod indicare voluit, eos non vulgares eſſe ſacerdotes, ſed regios, qui inter omnes dignitate excellunt. Alludit enim ad morem ævi priſci, de quo eſt etiam apud Ariſtotelem in Politicis, quo reges ſimul etiam ſacerdotali munere fungebantur, & ſacrificia quædam ſolemnia ad totius regni ſalutem, & populi incolumitatem pertinentia peragebant: quod etiam Romæ olim factum ſub regibus; unde poſtea iis exactis, ne ſacrificia illa ceſſarent, Rex ſacrorum eſt conſtitutus. Hujus rei exemplum habemus in Melchiſedeco, & Chriſto ejus antitypo, qui rex & ſacerdos ſimul eſt. Ejus autem dignitati noſtra quoque, qui ejuſdem ſumus cum illo generis, licet illo, hoc præſertim tempore, longe inferiores, per analogiam egregie reſpondet; cum etiam nos non vulgares, ſed regii ſacerdotes ſimus, qui ſacrificia ad totius divini populi, imo totius mundi incolumitatem Deo offerimus: quanquam ea ex Chriſti ſacrificio efficaciam ſuam habent, & tantum præſtant, in quantum ſacerdos noſter ſummus, per quem ea offerimus Deo, à nobis permotus, vim eorum intendit.

Atque ut de hoſtiis vel ſacrificiis ſpiritualibus non nihil dicamus, primo omnia ea recte facta, vel ſanctitas univerſa hoſtiæ nomine appellatur, ut Rom. 12. ỳ. 1. Sed deinde ea peculiariter hoſtiæ nomen ſortiuntur, quæ aliquomodo inter bona opera excellunt; & cum hoſtiis propriè dictis majorem habent ſimilitudinem, vel quia Deo immediatè offeruntur, vel quia aliâs Deo ſunt gratiſſima, & ad gratiam ipſius impetrandam ſingularem vim habent. Huc primum referendæ ſunt laudes & gratiarum actiones, quæ Deo magis proprie offeruntur, & peculiari quadam, apertaque ratione ad ipſius honorem ſpectant: itemque preces ſeu invocatio nominis divini. Qua de re vide Pſal. 50. 14, 15; ubi & laudis & invocationis fit mentio: Et Heb. 13. 15; ubi invocationis quidem nulla fit mentio, ſed tantum laudis & confeſſionis labiorum, quod attinet ad illas hoſtias, quæ ad ipſum Deum per ſe ſpectant. Huc poteſt referri locus Malach. 1. ỳ. 11: ubi ſermo eſt de oblatione, quæ Deo in omnibus gentibus, omnique in loco ſit offerenda. Quanquam nihil prohibet, quominus univerſa bona opera ibi intelligantur. Videtur tamen prius loco accommodatius. Secundò huc pertinent opera charitatis & beneficentiæ. Nam Paulus Epheſ. 5. 2, traditionem Chriſti in mortem, ex ipſius in nos charitate profectam, vocat *victimam Deo in odorem ſuaveolentiæ*. Quibus fere verbis utitur etiam in commendando Philippenſium facto, qui ſubſidium ſibi miſerant Romam, Philip. 4. 18: & autor ad Heb. dicto loco, beneficentiam cum laude divini numinis conjungens ait, *hujuſmodi victimis delectari Deum*. Denique Spiritus fractus, cor fractum & contritum, ſacrificium Dei appellatur, quod ille non ſpernat: Pſal. 51. 19. ubi obſervandum eſt, tum in hoc Pſa. 51 loco, tum in ſuperioribus ex veteri fœdere citatis, hoc eſt, Pſal. 50, & Malach. 1, ſacrificia hæc legalia ſpiritualibus opponi, iiſque ea præferri; adeo ut legalia iſta & corporalia plane videantur ſperni ac contemni: nempe quia Deus illa ſemper quæſivit, licet ea carnali populo, &, ut ita dicam, infantibus ſub comminatione pœnæ non præceperit, niſi quædam aut certi temporis; ita ut loca iſta magis ad novum fœdus, quam ad antiquum pertineant: ut ſane locus Malachiæ, qui de re futura agit; & locus ſimilis Pſal. 40. 7, & ſequentibus, quem Autor Epiſt. ad Heb. ad Novum fœdus trahit, & ad Chriſti ſacrificium accommodat, licet etiam legis ſectatoribus aliquomodo aptari queat. Reſpondent autem hoſtiæ hæ partim Euchariſticis, partim expiatoriis; in quæ genera ſacrificia Veteris Fœderis fuerunt diſtributa; prima voce latius paulo extenſa, ita ut ea omnia ſacrificia ejus complexu comprehendantur, quæ non ad expiationem delicti alicujus impetrandam offerebantur, ſed verè ad Dei honorem ſpectabant. Nam ſacrificiis iſtis noſtris partim Deum colimus & honoramus, partim etiam peccatorum noſtrorum remiſſionem ab ipſo obtinemus. Nam cum univerſa ſanctitas, tum imprimis ea opera, quæ hoſtiarum nomen κατ' ἐξοχὴν ſortiuntur, conditiones quædam ſunt à Deo nobis impoſitæ, quibus intervenientibus perfectam peccatorum remiſſionem, quæ in liberatione à pœna conſiſtit, conſequi debeamus. Et ſane facile eſſet oſtendere, his ſingulis interdum remiſſionem peccatorum adſcribi: adſcribitur enim pœnitentiæ, quæ ſi vera & perfecta ſit, ſanctitatem in ſe complectitur: precibus etiam remiſſionem delictorum noſtrorum impetramus & obtinemus: miſericordiæ & eleemoſynæ idem adſcribitur: adde etiam ſpiritui dejecto, fracto & ſeſe coram Deo humilianti. Quo pertinet locus Pſal. 51 ante adductus, ubi cum David dixiſſet, Deum non delectari ſacrificio, alias id ſe daturum, nec holocauſtum velle (intellige ratione peccati illius, quod David admiſerat, nempe homicidii & adulterii; quod ſacrificiis legalibus expiari nullo modo poterat, ſed mortis pœnam omnino merebatur) addit poſtea, *Sacrificia Deo ſunt ſpiritus fractus, cor fractum & contritum, ô Deus non deſpicies*. Quaſi dicat, cum hîc nihil apud te poſſint ſacrificia externa, quibus alias peccata ſolent expiari; animum humilem, factum ſuum dolentem, ac te deprecantem tibi offeram, quo te placem, & ſic delicti mei veniam impetrem. Habent autem ex his nonnulla eam etiam vim, ut peccatorum quorundam pœnas, præſertim temporarias, quas Deus ſalvo fœdere ſuo, nobis poſſet infligere, à nobis avertant, præſertim ſi ea abundent, & non ſint vulgaria; qua de re alibi dictum.

Sexto vocantur Chriſtiani conjunctim ſumti, ratione officii ſui, *domus ſpiritualis*, *templum*, aut *domus*, aut *habitaculum* Dei; ſinguli autem ſeparatim, *lapides vivi*. Domus quidem, aut templum; partim quia Deus in Chriſtianis per Spiritum ſuum habitet, ut explicatur 1 Cor. 3. 16: cum quo confer cap. 6. 19. Adde locum 2 Cor. 6. 16: quanquam ibi modus hic ſpecialis, quod per Spiritum Deus in nobis habitet non exprimitur, ſed tantum præſentia favoris & gratiæ divinæ generatim indicatur: partim vero, quia in Chriſtianorum cœtu ac ſocietate hoſtiæ Deo ſint offerendæ, nec ullæ ipſi ſint gratæ, niſi à Chriſtianis proficiſcantur. Ad quam poſteriorem cauſam Petrus potiſſimum videtur reſpicere 1 Epiſt. 2. 5. In utraque cauſa alluſio eſt ad Templum aut Tabernaculum Vetus, in quo Deus habitare dicebatur, & nullæ hoſtiæ illi erant gratæ, quæ extra illum locum ipſi offerebantur. Dicuntur autem Chriſtiani domus ſpiritualis, ad differentiam materialis ac ſenſibilis. Epheſ. 2. ỳ. ultimo dicuntur Chriſtiani habitaculum Dei in ſpiritu: ubi ſpiritus ille vel de Dei vel de noſtro ſpiritu intelligi poteſt. Nam & Deus ratione Spiritus ſui in nobis præcipue habitat, & nos ratione ſpiritus ſeu animi noſtri Dei habitaculum ſumus; qua de cauſa in loco Petri Spiritualis domus vocamur. Lapides autem dicuntur ſinguli Chriſtiani, quia ſunt partes domus ſpiritualis, & debent quidem eſſe ſolidæ ac firmæ: vivi autem, ut diſtinguantur à lapidibus inanimatis, & nullam vim ac operationem ad cultum Deo exhibendum habentibus, quales erant ii, ex quibus Templum Hieroſolymitanum erat conſtructum.

Septimo dicuntur homines pii *Virgines*: Apoc. 14. ỳ. 4: & 2 Cor. XI. 2: ubi de tota Corinthiorum Eccleſia, non quidem qualis revera erat, ſed qualem Paulus eſſe cupiebat, Virginis caſtæ nomen uſurpatur. Ait enim ſe præparaſſe, & veluti deſponſaſſe illos uni viro, puta Chriſto; hoc eſt, perpetuum & indiſſolubile vinculum, quod matrimonii inſtar ſit, inter eos & Chriſtum inſtituiſſe, eo conſilio, ut ipſos tanquam virginem quandã caſtam ac minime corruptam

Chriſto reipſa ſiſteret, & in ipſius veluti domum deduceret. Sponſalia enim prima nuptias ſolent præcedere; Nuptiæ autem noſtræ in adventu Domini noſtri perfectæ futuræ ſunt. Virginis autem ſimplici nomine, eam intelligere fere ſolemus, quæ ſit incorrupta, caſta & pura. Itaque hac appellatione ſingulorum Chriſtianorum quædam puritas & integritas ſignificatur, utpote qui nullis ſceleribus ſe contaminare, nec cum Satana aut mundo ſocietatem inire, & adulterium veluti quoddam committere debent. Quo videtur reſpicere Jacob. 4. 4. Quanquam enim verba iſtic proprie poſſunt accipi, videtur tamen loco eſſe conſentaneum, ut hoc adulterium intelligatur de ſocietate atque amicitia cum mundo, cui qui adhæret, is amicitiam & veluti connubium, quod cum Deo contraxit, violat, ejuſque inimicus conſtituitur. In loco vero Apocalypſeos potiſſimum videtur intelligenda immunitas ab idololatria, quæ apud Prophetas non ſemel ſcortatio, aut adulterium dicitur. Videtur enim ſignificari eos, de quibus agitur, in idololatriam, quam Antichriſtus invexerit, non conſenſiſſe. Quanquam ratio hujus ſimilitudinis, ſeu Metaphoræ, aliquantum eſt immutata. Nam in veteri fœdere ii, qui idololatriam committunt, fæminis comparantur, aut uxoribus, quæ alieno concubitu thorum matrimonialem violent; & conſideratur Deus, cui adhæreſcere, & quem unum colere populus Iſraëliticus debuerit; tanquam maritus, idola verò tanquam adulteri. At hoc loco virginum vox de iis effertur, qui maſculorum inſtar conſiderantur, quemadmodum vulgo etiam interdum de juvenibus aliquibus dicere ſolemus, eos adhuc eſſe virgines, quia concubitum cum muliere aliqua nunquam ſunt experti: unde hîc etiam præceſſit, eos ſe non inquinaſſe cum mulieribus, per quas intelligi poſſunt idola, aut illi, qui idolorum cultum urgebant; præſertim cum Antichriſtus aut ejus regnum meretrix in eodem libro appelletur, & dicatur, cum ea ſcortatos eſſe Reges terræ.

Octavo dicuntur omnes Chriſtiani ratione officii ſui *Primitiæ Deo & Agno*, quia, ut primitiæ olim univerſæ Deo erant conſecratæ, nec in prophanum uſum conferri debebant, ſed partim in ſacrificia, partim in Sacerdotum ipſorum, qui Dei cultui toti vacabant, utilitatem; ita etiam Chriſtiani homines toti debent Deo eſſe conſecrati, & univerſa illorum vita in divini nominis honorem converti, nec unquam prophanari; & diſtinguuntur hoc pacto Chriſtiani à prophano hominum vulgo, quemadmodum primitiæ olim à cæteris frugibus, aut aliis rebus, quæ Deo non erant ſacræ, ſed in communes prophanoſque uſus poterant adhiberi.

Cap. V.

De actionibus ad Sanctitatem pertinentibus.

Actiones ad Sanctitatem pertinentes, quæ bona opera appellantur, ſunt eæ omnes, quæ cum Dei Chriſtique præceptis congruunt. Congruunt autem tum eæ omnes, quæ ſunt expreſſe in iis præſcriptæ, tum eæ, quæ per analogiam aut aliam legitimam quandam conſequentiam ex iis deducuntur, ita ut non ſecus atque illæ præceptæ cenſeri debeant. Quanquam enim in bonorum operum deſcriptione non eſt omnino neceſſe mentionem facere præceptorum aliquorum, cum ſit adhuc alia quædam, eaque natura ſua prior bonorum operum norma, ex qua ipſa Dei Chriſtique præcepta pendent; (unde ſatis eſt ad bonum opus conſtituendum, ut actio normæ iſti conveniat, etiamſi quis tandem præcepti alicujus divini rationem revera non habeat, vel quia id non norit, vel quia tum in mentem non venerit:) tamen quia novimus præcepta Dei hominibus propoſita ita eſſe comparata, ut omnia bona opera hominibus quavis ætate præſtitu neceſſaria complectantur, & hodie per Chriſtum omnia in univerſum ſanctitatis officia nobis eſſe præſcripta, vel expreſſe, vel ita, ut pro expreſſis haberi debeant; jure poſuimus in bonorum operum deſcriptione normæ hujus facere mentionem. Nam ſive quis ad eam proprie reſpiciat, ſive minus; nihilominus tamen ſi actio aliqua debeat eſſe bona, & ſanctitati conſentanea, neceſſe eſt etiam omnino, ut Dei præceptis, iiſque hodie per Chriſtum traditis ſit conſentanea.

Eſt autem bonorum operum nomen ex eorum numero, quæ ſecundum magis & minus dicuntur, ideoque etiam definitio noſtra eandem differentiam admittit. Nam bona opera dupliciter poſſunt dici, vel quia honeſtas omnino exigat, ut illa fiant; vel quia non prohibeat. Sed priora magis, & nonnunquam ſola, bonorum operum nomen ſortiuntur; poſteriora vero adiaphora cenſentur, cum ſalva honeſtate ac pietate ea liceat omittere. Eodem pacto definitio quoque bonorum operum eſt comparata, cum actio aliqua duplici modo poſſit congruere cum divinis mandatis; vel quia in-ibi ſit præcepta, vel quia non prohibita. At in explicatione ad prius illud genus bonorum operum, quæ vere & proprie hoc nomen ſortiantur, reſpeximus.

Poteſt autem priorum iſtorum operum, quæ præcepta cenſeri debent, aliqua tradi diſtinctio; alia enim ſimpliciter & omnino ſunt præcepta omnibus, alia non quidem ſimpliciter, ſed ita tamen, ut ſatis indicetur in præceptis Chriſti, vel ex iis colligi queat, ea vehementer decere, imo nonnunquam pro circumſtantiarum ratione eſſe neceſſaria. Talis eſt Cælibatus perpetuus, (caſtitati enim eſt ex parte conſentaneus) jejunium, munus in Eccleſia docendi eamve regendi, & ſi quæ ſunt his ſimilia. De quibus ſuo loco ſeparatim Deo dante agetur. Priora illa ſine ſalutis jactura à nemine omitti poſſunt: Poſteriora tum poſſunt, cum ratio circumſtantiarum ea neceſſaria non reddit; reddit autem neceſſaria, cum circumſtantiæ ita ſunt comparatæ, ut non poſſint omitti, quin ſimul aliquod Dei præceptum, quod neceſſario ſit ſervandum violetur: quod itidem ſuo loco explicabitur.

Ex his facile jam conſtare poteſt, quid ſint mala opera? omnia nimirum, quæ præceptis Dei Chriſtique adverſantur. Solent autem ea appellari peccata, quod à ſua norma aberrent. Quanquam vox peccandi in ſacris literis ambigua eſt, & nonnunquam habitum ſeu conſuetudinem peccandi, nonnunquam actum, de quo hîc nobis ſermo eſt, ſignificat. De priori ſignificatione agetur infra hac ſectione, ubi de conſuetudine peccandi.

Quod ad diviſionem attinet, opera tùm bona tùm mala duobus modis diſtingui queunt. Primo enim diſtinguuntur in Interna & Externa. Quanquam non prorſus eadem bonorum & malorum operum hac in parte ratio. Opera bona interna, ſunt cogitationes & decreta animi, etiamſi opere ipſo ob impedimentum aliquod, aut occaſionis defectum non exerceantur. Non eſt autem ſtatuendum, quamlibet cogitationem, licet per ſe bonam, pro bono opere apud Deum cenſeri, ita ut perinde ſit apud Deum, atque ſi quis reipſa id præſtitiſſet; ſed tum demum, cum per eum, qui boni quippiam cogitat, & omnino molitur ac decernit, nullo modo ſtat, quo minus iſtud, quod cogitavit, reipſa exſequatur; ita ut omiſſio ejus operis non ipſi, ſed tantum rebus extra ipſum poſitis, aut in ejus poteſtate non exiſtentibus tribuenda ſit, hoc eſt vel defectui occaſionis, & adjumentorum neceſſariorum, aut impedimentis facto obſtantibus, & quidem iis, quæ tollere vel non poſſumus, vel non licet. Poſſumus ejus rei exemplum capere ex facto Abrahami, qui quantum in ſe erat filium Deo ſuum obtulit, etiamſi re ipſa non obtulerit: nec Deus voluntate ejus prima, quam apud ſe decrevit, Deo jubenti ea in re parere, contentus fuit, ſed voluit ut is & iter eum in finem ſuſciperet, & aram exſtrueret, filium ligatum ei imponeret, & accepto cultro jugulo ipſius intentaret; tum demum impedimentum objecit, (non quidem ejuſmodi quod vincere non poſſet Abraham, ſed quod non liceret) cum per Angelum juſſit eum à cæde abſtinere. Poſſunt quidem etiam illæ cogitationes, quæ eo perfectionis non perveniunt, bonæ dici, ſed

operum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

operum nomen & vim vere non merentur, atque ideo etiam eandem apud Deum dignitatem, & ut ita loquar, meritum non obtinent. At malorum operum internorum, hoc eſt, cogitationum atque affectuum alia eſt ratio. Nam non tantum eæ cogitationes malæ atque improbæ pro operibus malis cenſeri, ſeu peccata nominari queunt, quibus nil niſi exſequendi facultas ac poteſtas deeſt: ſed etiam illæ, quæ utut ad verum decretum non perveniunt, foventur tamen animo, ita ut homo iis delectetur, ac titilletur; quod tum fit, cum homo ſeſe cogitatione veluti in ipſo opere ponit, & voluptatem quandam percipit ei ſimilem, quam ex actione ipſa mala conſequeretur. Nam ejuſmodi cogitatio animum jam polluit & inquinat: quæ autem animum revera inquinant ac polluunt, ea mala ſunt cenſenda, cum ſciamus, etiam amorem rerum malarum à Deo prohibitum eſſe; præſertim cum Deus cor hominis imprimis deſideret, idque ſolum ſibi vindicet, nec ferat homines δίψυχους, qui partim Deum, & ea quæ illi grata ſunt, amant, partim mundum aut ea quæ ſunt hujus mundi, aut aliàs Deo adverſa, ut ex Jacob. 4. 4. conſtat. Unde inter ea, quæ hominem polluunt, & coram Deo inquinant, primo loco ponuntur Matth. 15. 19, cogitationes. Habet autem id locum tum in omnibus peccatorum generibus, tum imprimis in omnibus iis, quæ voluptatem quandam ſingularem habent adjunctam, & maxime in libidinibus; quia totum id voluptatum genus, etiamſi aliquomodo ſit licitum ob naturalem quendam finem in vita utilem, tamen impuritatis ſemper aliquid habet; qua de re itidem ſuo loco. Hinc ergo fit, ut ea cogitatio imprimis videatur animum polluere.

Cauſa autem iſtius diverſitatis inter interna opera bona & mala hæc eſt, quod ad bonum plura requirantur, quam ad malum. Illud enim ſua natura conſideratum reſpectu hujus perfectum eſt; hoc imperfectum. Atqui ad perfectum multa requiruntur; imperfectum etiam ex unius rei defectu oritur. Adde quod omnes ſapientes, imo & vulgus fatetur, difficile eſſe honeſtum ac virtutem, (omne enim pulchrum difficile;) contra verò vitium aut turpe ferè eſſe facile. At ſi cogitationes quævis bonæ, quæ ad firmum decretum non perveniunt quale jam deſcripſimus, pro operibus bonis cenſerentur, honeſta non admodum eſſent difficilia; cum ipſa natura & virtutis pulchritudo à nobis cognita, cogitationes bonas, & vota iſta, ut ſic dixerim, ignava, facile in nobis excitare queat. Unde videmus, etiam eos, qui in peccatis aliquibus hærent, ſæpe virtutem laudare, & amorem aliquem etiam ejus fovere animo; nempe quia vel natura, vel inſtitutio, aut quippiam huic ſimile, eum amorem in illis excitarit; qui non niſi in valde depravatis ceſſat. Unde jam altera cauſa poteſt elici, cur cogitationes bonæ, niſi ad eam perfectionem veniant, ut per nos minimè ſtet, quo minus effectum ſuum ſortiantur, pro operibus non ſint habendæ, nec eandem vim apud Deum habeant, quia illæ non tam noſtro ſtudio & labori, quam ipſi naturæ, & adjumentis externis, quæ ad virtutem ſumus conſequuti, ſunt imputandæ. At id, quod rationem boni-operis habere debet, opus etiam eſt ut labori noſtro non exigua ex parte adſcribatur. At contra cogitationes malæ, quas diximus, jure nobis imputantur, quod ab illis ratio, quæ imperium in nobis habere debet, utpote pars præſtantiſſima & conſilio prædita, nos avocet: præſertim cum non omnes prorſus cogitationes, licet aliquo modo malæ, & veluti fomites atque initia iſtarum cogitationum, quas pro operibus haberi diximus, nobis à Deo imputentur. Æquiſſime enim nobiſcum agit Deus, & id, quod naturale eſt, & naturali proximum, & vix in noſtra poteſtate, pro peccato non imputat; qualia ſunt principia cogitationum malarum, quæ nonnunquam vi objecti, ſive jucundi ſive injucundi & moleſti, in nobis excitantur, & conſequenter etiam primi affectuum impetus & commotiones, qui cogitationem ſequuntur, propterea quod naturale quodammodo eſt, ut pro ratione objecti cogitatio & motus etiam aliquis in voluntate & appetitu excitetur: Unde illud, *Objecta movent ſenſus*: modo quis primos illos motus non ita latè extendat, ut vulgo ſolent, qui primos motus vocant etiam illos, qui jam in ſuo genere ſunt conſummati, & ſæpiſſimè effectum habent; ut cùm quis ita iraſcitur, ut jam convicietur, clamet, verberet, aut ſaltem mente propemodum dejiciatur. Nam primos impetus nos tantum illos vocamus, qui adhuc ſunt imbecilli, vel ſaltem ita comparati, ut voluntas nondum illis fuerit aſſenſa, licet aliquomodo alliciatur, & ſic illam nullus actus vitioſus conſequatur. Et huc pertinet locus ille Jacob. 1. 14, 15; ubi ait, *quemvis tentari, à propria cupidicate pertractum & ineſcatum, poſtea cupiditatem, ubi conceperit, parere peccatum, peccatum autem perfectum ſeu conſummatum parere mortem*; ubi initium & progreſſus peccati egregie depingitur. Initium ejus, ſeu origo ac cauſa interna & propria eſt cupiditas, quæ ex cogitatione aliqua de re jucunda aut etiam injucunda (nam cupiditatis nomen tam late extendendum eſt, ut omnem appetitus agitationem, & affectum amplectatur, etiam eum, qui circa objectum ingratum verſatur: Sed Jacobus cupiditatis, in qua res eſt manifeſtior, facit mentionem) oritur. Hæc nondum peccatum eſt, ſed peccatum dicitur concipere; quia ſi ulterius progrediatur, & vim majorem acquirat, ita ut voluntatem in ſuum aſſenſum verè pertrahat, concipit peccatum, quod in animo fovetur, &, quo diutius fovetur, eo magis perficitur, non ſecus atque conceptus fœtus in utero, donec perficiatur. Abſolvi autem & perfici non tum demum eſt cenſendum, cum ipſo actu externo ſeſe exſerit, & inſtar fœtus in lucem prodit. Nam quemadmodum fœtus perfectus eſſe poteſt, etiamſi in lucem non prodierit; ita etiam peccatum. Unde Jacobus partui non comparat opus ipſum peccati externum, ſed potiùs generationem mortis, quę peccati eſt effectum: utitur enim verbo ἀποκύειν, quod uſurpatur de ipſo pariendi, & fœtum in lucem edendi actu. At cum de peccato pariendo agit, utitur voce τίκτειν, quæ licet eandem poſſit habere vim, quam habet vox ἀποκύειν, tamen latius patere videtur, ita ut & generationem illam internam, & ipſam, ut ita dicam, editionem fœtus in lucem ſignificare queat: ut hoc modo indicaret, duplici modo peccatum exiſtere poſſe, primo in animo, cum generatur, tum exterius, cum opere ipſo deſignatur. At vox ἀποκύειν priorem ſignificationem non admittit. Diximus autem, iſtos primos affectuum motus vix eſſe in noſtra poteſtate; quia aliquo tamen modo ſunt; unde alii magis, alii minus, alii tardius, alii celerius, imo iidem etiam diverſo reſpectu ac tempore aliter atque aliter moventur: ut cum homo eſt temperantior, devotior, & rebus ſacris aliiſque honeſtis laboribus magis intentus, tum vel plane non movetur objectis cupiditatum, vel ſaltem longe minus, vel tardius, quam alias movebatur. Itaque etiamſi eos motus Deus pro peccatis vere non imputet; habent tamen, ſi ſint crebriores, & à minore etiam objecti vi creantur, aliquid indecori, & à ſumma ſanctitatis perfectione recedunt. Unde is, qui perfectioni ſtudet, imo etiam omnis, qui ab habitibus peccatorum vult eſſe tutior, ab iis quoque ſibi cavere debet, & ita corpus ſuum contundere ac domare, ut ad omnem propemodum voluptatum illicitarum ſenſum ſtupeat, quantum quidem natura humana id fert.

Quod ad externa opera attinet, in iis quoque inter bona & mala opera aliqua differentia eſt. Nam ea demum opera externa vere cenſentur bona, & præmio aliquo apud Deum digna, ſeu ad præmium aliquod conſequendum aliquid momenti afferunt, quæ ex animo etiam & conſilio recto proficiſcuntur. Quod ſi vel ab invito fiant, vel ab ignorante, vel alio, quam deceat, conſilio aut ſcopo, ea vere bona non ſunt, nec Deo ita probantur, ut ea in conſiderationem meriti, ut ita dicam, veniant; imo ſi malus ſit animus, & conſcientia ea non approbet, vel etiam de iis dubitet, ea, quæ per ſe bona ſunt, per accidens mala fiunt, & pro peccatis ſunt habenda. At mala opera, etiamſi tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dem bono aliquo fiant conſilio, mala tamen cenſentur, & homini à Deo imputantur. Quin etiam ea illi imputantur, & pro malis cenſentur, quæ ab ignorante fiunt, qui ignorantiam illam ſua culpa & negligentia contraxit. Adde etiam illa, quæ fiunt ab iis, qui propemodum coguntur, ut ſi quis comminatione ſupplicii ad Idololatriam, aut aliquod ſimile facinus, & qualecunque verum peccatum, patiatur ſeſe adduci; quale factum contra ſi eſſet laudabile, à Deo pro bono opere non haberetur, nec apud homines cordatos laudi daretur. Quanquam non eſt negandum aliquid gravitati facti decedere, ſi aut bonus honeſtuſque finis actioni proponatur, aut ignorantia & vis aliqua accedat; & quo majora hæc ſunt, tanto etiam plus gravitati factorum decedit, ſi cætera ſint paria.

Hæc diviſio bonorum & malorum operum bipartita, poteſt per ſubdiviſionem alterius membri fieri tripartita, idque duplici ratione, vel ut externa opera in duo membra dividantur. Nempe in ſermones & facta, ut interdum faciunt ſacræ literæ, ut Col. 3. 17: ubi vox *faciendi* pro genere quodam ponitur, pro ſpeciebus *ſermo & opus*; nulla autem fit cogitationum ſeu actionum internarum mentio; nempe quia cum ſermonibus cogitationes quoque de ſermone, cum aliis operibus ſeu factis cogitationes & decreta de iis computantur, (quæ nova eſt quædam operum bonorum & malorum diſtinctio, per ſe ad externas tantum actiones pertinens, conſequenter vel tacite ad cogitationes etiam:) vel ut internæ actiones pro diverſitate ſubjecti in duo membra diſtinguantur. Nam cum duplicia ſint operum bonorum & malorum ſubjecta, internum & externum, quorum hoc corpus eſt, illud anima; ut eam jam latius cum Philoſophis extendamus, & mentem una cum appetitu & ratione inferiori eo nomine complectamur; rurſus anima ejuſque facultas ſit duplex, altera, qua à brutis diſtinguimur, nempe mens & intellectus, quæ in ſacris literis interdum ſpiritus nomine peculiariter deſignatur; altera, quæ nobis cum brutis communis eſt, nempe ratio inferior & appetitus, quæ in ſacris literis interdum peculiariter dicitur anima ſeu ψυχὴ, unde ψυχικὸς ſeu animalis: Hinc internæ actiones fiunt duplices: aliæ enim in mente cernuntur ſeu Spiritu, aliæ in anima ſtrictè ſecundum ſacrarum literarum uſum communem ſumpta, hoc eſt, ratione inferiori ſeu appetitu. Quanquam actiones illæ, quæ in mente ſeu Spiritu cernuntur, per ſe non ad virtutes morum, de quibus hîc nobis ſermo eſt, ſed ad virtutes mentis, ut per ſe patet, ſpectant; niſi quis ſpiritus nomine etiam voluntatem, quæ mentis eſt conſequens, complectatur, quod in eo, quem ſtatim adducemus loco, ſtatui poteſt. Is eſt 1 Theſ. 5. 23, ubi Paulus optat Theſſalonicenſibus, *ut totus illorum ſpiritus & anima & corpus inculpatè in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervetur.* Conſervatur autem ſpiritus integer inculpate, cum veritatem Chriſtianæ religionis, quantum ad veram pietatem ſatis eſt, complectitur, & firmiter retinet, errorem vero nullum, præſertim pietati noxium, admittit. Anima vero, cum affectus quoque & cupiditates omnes ſpiritui ac rationi cognitione veritatis imbutæ, & ad honeſtum ducenti parent. Corpus denique, cum actiones externæ voluntati divinæ ſunt conſentaneæ: id quod inde naſcitur, ſi anima cum ſpiritu veritate cœleſti confirmato penitus conſpiret. Diximus autem, poſſe ſpiritus nomine etiam voluntatem ſignificari, propterea quod ea nec animæ, nec corporis nomine comprehendatur, cum tamen ejus mentio, ubi de ſanctitatis perfectione agitur, nullo pacto queat omitti, cum in ea primo virtutis & vitii, honeſtatis & turpitudinis ratio reſideat. Ne de eo nunc quicquam dicamus, quod vox inculpatè, quæ hoc loco æquè ad ſpiritum atque animam & corpus refertur, morum potius vitia quam mentis excludat; præſertim cum addatur, *In adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*; ubi per ſe virtutes voluntatis ac morum conſiderabuntur, mentis autem non niſi per accidens; hoc eſt quatenus noſtra voluntate factum eſt, ut veritatem vel agnoſceremus, vel non agnoſceremus, & in errore aut perſeveraremus, aut in eum denuò incideremus. Jungimus autem (ut hoc quoque obiter addamus) particulam illam, *in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti* cum voce ἀμέμπτως, inculpate ſeu irreprehenſibiliter, non cum verbo τηρηθείη ſeu conſervetur. Neque enim tum temporis opus erit, ut conſervetur totus noſter ſpiritus, & anima, & corpus irreprehenſibiliter, vel ſaltem hoc minimè opus eſt optare. Hæc enim ad judicium Domini Jeſu afferenda ſunt, & ſi tum extent, nil opus eſt voto, ut conſerventur; ne de eo nunc quicquam dicam, quod corpus, de quo loquitur Apoſtolus, tunc ceſſare debeat. Loquitur enim dè corpore animali ſeu ψυχικῷ. Quare ſenſus eſt; Opto, ut ſpiritus veſter &c. conſervetur irreprehenſibiliter, non tantum coram hominibus, aut judicio humano, ſed etiam coram ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ipſius judicio, ſeu, ut Dominus Jeſus etiam ad judicium adveniens vos irreprehenſibiles judicet. Quod ſi velis particulam ἐν pro εἰς eſſe poſitam, ut ſignificet uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, tunc poteſt illa particula cum verbo *conſervetur* conjungi, idque eo pacto intelligi quo Epheſii cap. 4. 30, dicuntur Spiritu eſſe obſignati, in diem, hoc eſt, uſque in diem redemptionis. Cui loco reſpondet cap. 1. 14; nempe quia uſque ad vitæ finem in iis durare debuit. At finis vitæ uniuſcujuſque cum adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti propemodum immediatè conjungitur; qua de re alibi dictum.

Poteſt adhuc alia animæ latius ſumptæ, ſeu facultatum internarum, in quibus virtuti aut vitio, bonis aut malis operibus eſt locus, tradi diviſio, eaque tripartita: quæ ſi ſubjectum quoque externum adjungas, jam diviſio ſubjecti bonorum operum in univerſum, & ſic etiam ipſorum bonorum operum diviſio evadet quadripartita. Colligi autem poteſt ea diviſio ex locis Matth. 22. 37: Luc. 10. 27; ubi diſtinguitur ſubjectum amoris, (quod idem univerſarum voluntaris virtutum ſubjectum conſtitui poteſt; præſertim cum dilectio Dei nonnunquam omnes virtutes complectatur;) ſeu mavis inſtrumenta, per quæ dilectio iſta re ipſa exercetur, citatis eam in rem Moyſis verbis, licet non eodem prorſus modo, ſenſu tamen eodem. Nam apud Matthæum recenſentur tantum tria, quæ abſque dubitatione, interna ſunt omnia, nempe cor, cui affectus videntur tribuendi, ita ut perinde ſit, atque ſi dixiſſes appetitus, vel ſi mavis voluntas: deinde anima, per quam videtur ſignificari ratio inferior, de utilibus & jucundis corporis cogitans atque agens: denique διάνοια ſeu mens atque intelligentia, quæ non tantum de vulgaribus bonis, ſed etiam de honeſto ac turpi, & aliis, quorum bruta aut plane non, aut vix ſunt capacia, cogitat ac conſultat: cum qua voluntas propriè ſic dicta, niſi eam cordis nomine velis complecti, conjungi debet. Apud Lucam autem interjicitur ante mentionem intelligentiæ vox virium ſeu roboris, per quam intelligi poteſt corporis robur ac vires; quod ad Dei amorem, vel exſequutionem eorum, quæ ei grata ſunt, in qua charitatis illius vis maxime conſiſtit, convertendum eſt. Quomodo autem hæc ſint ad Dei amorem convertenda, id explicare hujus loci non eſt, ſed infra, Deo dante, dicetur, ubi virtutes ad Deum propriè ſpectantes enucleabuntur.

Deinde opera tum bona, tum mala poſſunt diſtingui in ea, quæ habitum ſanctitatis ac virtutis, vel contra vitii antecedunt, & ea, quæ ſequuntur. Priora in ſuo genere ſolent eſſe imperfectiora, & non ſine lucta fieri: hæc vero perfectiora, & vel nulla, vel exigua cum lucta ac difficultate fiunt. Nam non mirum videri debet, nos in malis operibus quoque luctam aliquam ponere, ſiquidem conſcientia vel ratio, cum nondum eſt plane depravata, & appetitui penitus ſubjugata, cum eo luctari ſolet: unde nonnunquam non ſine gravi conſcientiæ vulnere malis, & maximè iis, qui mali demum fieri incipiunt, accidit; quæ lucta poſtea, ubi conſuetudo accedit, minuitur. Verum major plerumque ſolet eſſe in bonis operibus lucta, cum habitus virtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tis nondum eſt comparatus: propterea quod bona opera difficiliora ſunt malis. Non eſt autem hoc loco diſſimulandum, diſcriminis hujus non ſemper haberi rationem in Theologia, præſertim cum habitum tam pro qualitate animi interna, quàm pro conſuetudine benè vel malè agendi ſumamus, & eum ſanctitate præditum eſſe dicamus, qui ut plurimum, quod Dei præceptis eſt conſentaneum, facit, & ad perfectionem pro viribus adſpirat. Quod ſi nihilominus in agendi quoque conſuetudine huic diſcrimini locum eſſe velimus, ſtatuendum eſt actiones priores poſterioribus eſſe difficiliores, ſi aliàs Circumſtantiæ actionis & adjumenta vel impedimenta virtutis aut vitii ſint paria, & perfectiores eſſe poſteriores, ſi idem ſtudium vel conatus adhibeatur. Nam alias, ſi de ſtudio aliquid remittatur, poſſunt eſſe imperfectiores prioribus.

Tradidimus hactenus diviſiones bonis & malis operibus communes, reſtat ut de aliis quibuſdam diſtinctionibus quæ malis operibus ſeu peccatis videntur eſſe propriæ, non nihil dicamus. Earum prima eſt hujuſmodi, quod peccata alia dicantur Omiſſionis, alia Commiſſionis. Peccata omiſſionis ſunt, quum bonum, quod à Deo præceptum eſt, non fit, & quidem tum, cum ejus exercendi eſt occaſio & facultas. Commiſſionis autem, cum malum quod à Deo eſt prohibitum, fit, ſive ſit, occaſio, ſive non ſit. Quod propterea addimus, quia præcepta Dei, quæ vocamus affirmativa, hoc eſt, quæ jubent aliquid, tum obſtringunt, cum eſt facultas & occaſio: negativa vero ſeu prohibentia ſemper obligant, & nunquam iis licet non parere. Hæc diſtinctio poteſt etiam aliquomodo bonis operibus, licet id vulgo non fiat, accommodari. Nam bona etiam opera alia dici poſſunt Omiſſionis, alia Exſequutionis, ut ita dicam: quorum illa ſunt, cum malum, quod à Deo prohibitum eſt, non committitur tum, cum eſt occaſio, præſertim valde commoda, & incitamenta ad eam rem magna aut varia. Tale eſt, cum quis ob metum mortis & variorum ſuppliciorum ante oculos verſantium, aut in mediis cruciatibus veritatem divinam abnegare non vult, aut idololatriam committere. Huc pertinet caſtitas Joſephi, & alia hujus generis infinita. Exſequutionis verò ſunt illa, quum bonum quod à Deo præceptum eſt, fit, ut cum quis Deum verum, ut par eſt, colit & invocat, cum aliis benefacit, cum animam pro fratribus ponit, & his ſimilia.

Secunda diviſio peccatorum eſt, quod alia ſint Mortalia, alia Venialia. Mortalia illa ſunt, quibus mortis æternæ pœna ſub Novo fœdere eſt propoſita, ita ut, quamdiu quis in aliquo eorum hæret, ſalutis æternæ ſpem ex vi Fœderis habere non poſſit. Qualia ſunt omnia opera carnis à Paulo Gal. 5 enumerata, & iis ſimilia, ut ipſe expreſſe addit. Sic etiam ea, quæ recenſentur Matth. 5. Marc. 7. Rom. 1. 1 Cor. 6. 1 Tim. 2. 2 Tim. 3. ad Tit. 3. ℣. 2, 3. 1 Pet. 2. 1. & 1 Pet. 4. & Apoc. 21. 8. Epheſ. 4: & alibi. Venialia ea ſunt, quæ ſalutem æternam non omnino ex vi Novi Fœderis eripiunt, ſeu mortem æternam per ſe non afferunt, licet Deus poſſit aliis pœnis ea nonnunquam plectere; quemadmodum ſermones putridos, ademtione Spiritus ſui, ut indicatur Epheſ. 4. Dico autem, Salutem æternam non omnino eripere, aut mortis æternæ pœnam *per ſe* non afferre: quia per accidens, hoc eſt, propter certas quaſdam circumſtantias, quæ nonnunquam abeſſe poſſunt, ſalutem etiam eripere queunt; nempe cum ſimul aliud aliquod Dei mandatum violatur, cujus obſervatio ad ſalutem æternam omnino ſit neceſſaria: ut ſi charitas verbi gratia ſimul vere violetur, & ſcandalum aliis præbeatur, unde ii pereant: ut ſi verbi divini præco ſoleat ludere alea, aut jocis nimium delectetur, aut alia quadam ratione levem ſeſe præbere ſoleat, unde fiat, ut alii à veritate aut pietate reſiliant, aut eam non recipiant, & ſequantur; præſertim ſi is id animadvertere facile potuerit, aut ab aliis fuerit admonitus. Nam, quemadmodum Paulus de rebus per ſe plane adiaphoris ait, eum, qui fratrem ſuum uſu ciborum quorundam intempeſtivo contriſtet, & ſcandalum ei præbeat, non amplius ſecundum charitatem vivere, (nempe quia opus Dei perdit, ſeu quia cibo ſuo eum perdit, pro quo Chriſtus mortuus eſt, Rom. 14. 15, 20. & 1 Cor. 8. 11, 12; Ubi etiam dicitur, eos qui ſcandalum infirmis fratribus præbent, dum in eos peccant, in Chriſtum peccare:) ita multo magis ſentiendum eſt de rebus per ſe illicitis & indecoris, atque à Chriſtianæ pietatis perfectione alienis. Quin ne illud quidem audemus aſſerere, Deum eum hominem vi Novi Fœderis morte æterna plectere non poſſe, qui in pluribus ejuſmodi peccatis, præſertim gravioribus hæreat; (ſunt enim inter ea gradus, & alia magis, alia minus ſunt indecora: alia carnis operibus ſunt viciniora, alia minus:) & licet ſæpius admoneatur, ut ab iis deſiſtat, tamen id non faciat, ſed potius in iis ſibi indulgeat: cum iſtiuſmodi homo vere religioſus ac Deum, ut par eſt, metuens vix cenſeri poſſit, ſed potius contemptum aliquem Dei ſpirare, præſertim ſi videat, ejuſmodi facta eſſe in ſacris literis prohibita, aut aliàs colligere facile queat, imo etiam vel per ſe, vel ab aliis monitus perſpiciat, ea Deo Chriſtoque diſplicere, ita ut hujuſmodi peccata iis, de quibus modo diximus, accenſeri jure queant: quia tum temporis tale Dei mandatum violatur, cujus tranſgreſſores ſervari ex Novi Fœderis vi non poſſunt; quale eſt de Dei metu & vera religioſitate, ſeu, ut interdum loquuntur ſacræ literæ, pietate. Dicimus autem hæc peccata per ſe eſſe venialia, non quod nulla pœna propter ea hominibus à Deo infligi ſoleat, cujus rei contrarium jam affirmavimus; multò verò minus, quod nullam pœnam mereantur: ſed quod pœnam veram quæ peccatoribus in Novo Fœdere eſt propoſita, hoc eſt, mortem æternam propterea Deus non infligat: quemadmodum ſub Vetere Fœdere poterant ea dici venialia, quibus mortis pœna, puta violentæ, non infligebatur; contra autem mortalia, quibus ea eſſet propoſita. Unde interdum Deus dicitur peccatum alicujus tranſtuliſſe ſeu abſtuliſſe, quod nihil eſt aliud, quam veniam ei dediſſe, quum mortis pœnam, quam is peccato ſuo fuerat commeritus, abſtulit, etiamſi alia pœnarum genera, eaque ſatis gravia ipſi infligeret, quemadmodum de Davide legimus 2 Sam. 12. 13. Quare idem quoque ad Novum fœdus per analogiam tranſferri poteſt, ut, cui peccato mortis æternæ pœna non ſit omnino propoſita, id veniale dicatur: cùm poſſit ſimpliciter dici, eum peccatorum ſuorum veniam eſſe conſequutum, à quo mors æterna auferatur, cuique vita æterna donetur. Nam quæcunque alia pœna huic homini infligatur, ea reſpectu æternæ pro nulla cenſenda eſt, & ejus gravitas, cum confertur cum felicitate, quæ ei contingit, evaneſcit. Hujus generis ſunt ut jam ſuperius indicavimus, omnia, quæ cum decoro, & cum gravitate hominis Chriſtiani pugnant, quales ſunt, ſermones feſtivi, & ad riſum tantum excitandum comparati, itemque ineptiam aut ſtultitiam quandam pre ſe ferentes. Huc ſpectat prohibitio Apoſtoli ad Eph. 4. 29. & 5. 4: ubi ſermones putridos, itemque εὐτραπελίαν ſeu urbanitatem, & μωρολογίαν ſeu ſtulti-loquium vetat, itemque αἰσχρολογίαν ſeu turpiloquium, per quod intelligi poteſt non obſcænitas, ſeu impuritas ſermonum, qui cum caſtitate & pudore pugnent, ſed ſermones de aliis rebus, à quibus conſpectus aut alius aliquis ſenſus abhorret, (ut ſunt quædam naturalia,) habiti. Nam alias obſcænitas & impuritas ſermonum jure ad opera carnis, ſeu ad peccata mortalia refertur. At de iſtis, de quibus diximus, Apoſtolus tantum affirmat, quod non deceant, ſed potius gratiarum actio, aut ſermones ii, qui ad ædificationem neceſſariam faciunt.

Objici hoc loco poteſt id, quod dicitur à Chriſto Matth. 12. 36: *homines de quocunque verbo otioſo reddituros rationem in die judicii*; hoc eſt, propter tale verbum pœnas daturos. Nam quia homines non ſint habituri, quo verbum otioſum apud Deum excuſent tum, cum illis reddenda erit ratio, nihil aliud reſtat, quam ut propterea damnentur & puniantur. Quia vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dies judicii, ut alibi, ita etiam hoc loco κατ' ἐξοχὴν de die ultimi judicii omnino videtur accipiendus, præſertim cum & præcedentia & ſequentia idem arguant; in illo autem judicio, non temporaria aliqua, ſed æterna pœna peccatoribus eſt infligenda: inde conſequitur, otioſum verbum inter mortalia peccata eſſe reponendum. Otioſum autem Verbum proprie illud eſt, quod nullam habet utilitatem, nec quicquam vel ad Dei gloriam, vel ad proximi ſalutem facit. Verum ea verba vel de jure tantum loquuntur, non de facto, vel otioſum verbum reſtringendum eſt, & illud tantum intelligendum eſt, ex quo malitia hominis colligi poteſt, ob quam homo jure condemnatur. Quod videntur verba præcedentia, & ſequentia comprobare. Præcedunt enim illa: *Bonus homo è bono theſauro cordis profert bona, & malus homo ex malo theſauro profert mala:* Sequuntur autem illa: *Ex ſermonibus enim tuis condemnaberis, & ex ſermonibus tuis juſtificaberis*, nempe quia ex ſermonibus pietas & impietas, bonitas aut malitia cordis poteſt argui. Neque enim huic poſteriori interpretationi obſtat vox ἀργὸν ſeu otioſum, quod non videtur rem aliquam malam aut improbam ſignificare, ſed ſolum-modo inutilem. Nam voces illi ſimiles interdum ſignificationem ejuſmodi recipiunt, ita ut plus intelligendum ſit, quam dicatur; ut cum ad Epheſ. 5 opera tenebrarum dicuntur ἄκαρπα ſeu infructuoſa, quæ non tantum verum aliquem fructum & utilitatem non afferunt, ſed etiam malorum omnium maximum, mortem æternam. Sic vana converſatio 1 Pet. 1. 18, pro improba vita, ut ex ſuperioribus patet, ſumitur. Huc pertinet etiam vanitas mentis Epheſ. 4. 17: de qua etiam ſermo eſt Rom. 1. 21: ubi intelligenda eſt ſumma quædam mentis depravatio, & corruptio. Quare cum ἀργὸν ſeu otioſum eandem alias ſignificationem habeat; nil prohibet, quo minus eandem vim admittat quoque, & plus ſit intelligendum, quàm dici videatur. Sed ſi quis hoc admittere nolit, priorem ſignificationem ſequi poterit, quam analogia novi fœderis & ſumma Dei benignitas in eo comprehenſa exigit; præſertim cum dominus Jeſus de quolibet verbo otioſo, & ſic de ſingulis actibus loquatur, cum tamen ex Euangelii doctrina ſatis liqueat, hominibus Deum longe etiam graviores actus pro ſua benignitate condonare. Hujus etiam generis ſunt luſus variorum generum, maxime ii quos plerique cordati antiquitus etiam reprehenderunt, ut aleæ, itemque choreæ ex libidine aliqua non profectæ, & à ſcandalo ſejunctæ, aliique geſtus & facta externa levitatem aliquam arguentia, aut devotionem prohibentia, aut tempus rebus melioribus dicandum perdentia. Huc etiam poteſt referri exceſſus aliquis mediocritatis in veſtitu, qui tamen nec à ſuperbia proficiſcatur nec eam pariat, & charitatem erga eos, qui videntur contemptibiliores, non minuat, & præterea ſcandalum verum ſecum non trahat. Eodem etiam leviores quædam in voluptatibus per ſe licitis, in pecuniis colligendis, in honoribus aucupandis, & affectibus quibuſdam exceſſus, ut & in bonis operibus defectus quidam leviores referri poſſunt. Nam Deus pro ſumma ſua bonitate non videtur id, quod parum à medio illo diſtat, quod ab eo præſcriptum eſt, pro vero vitio, ſeu pro mortali peccato reputare; ſed potius ut benigni & æqui ſolent, id, quod parum differt, pro eo cenſere, quod nihil differat; præſertim in iis rebus, ad quarum vel exceſſum vel defectum natura noſtra admodum eſt prona; alias de omnium hominum ſalute videretur eſſe actum, cum vix quiſquam reperiatur, imo jure dixerim nemo, in quo non ſaltem aliquem hujuſmodi defectum deprehendere liceat. Circumſtantiarum rationem, ut ſupra diximus, Deus hîc pro ſua juſtitia & æquitate habebit.

Eadem diviſio è contrario poteſt aliquomodo accommodari bonis operibus, quorum alia ſimpliciter ſunt ad ſalutem neceſſaria, alia non ſimpliciter, ſed per accidens, utilia tamen ſemper ſunt. Et hujus poſterioris generis ſunt ea omnia, quæ venialia peccata excludunt, & ea, de quibus ſupra etiam diximus, quæ non ſunt ſimpliciter præcepta, vehementer tamen decent. Quando autem ea ſint ad ſalutem etiam neceſſaria, ex dictis facile colligi poteſt.

Intelligendum autem eſt (ut ſimul tertiam quandam diviſionem peccatorum tradamus) non idem eſſe peccatum hoc, quod mortale vocamus, cum eo, quod Johannes 1 Epiſt. 5. 16. vocat peccatum ad mortem, & contra veniale, cum eo quod ibidem peccatum non ad mortem dicitur. Nam poteſt eſſe peccatum aliquod mortale, quod tamen non ſit ad mortem; eo nimirum pacto, quo Johannes ea verba accipit. Quanquam omne peccatum ad mortem eſt etiam mortale. Contra etiam peccatum poteſt eſſe aliquod non ad mortem, quod tamen non ſit veniale. Nam Johannes ait, omnem injuſtitiam, quæ ſane peccatum veniale non eſt, eſſe peccatum, ſed non ad mortem. Peccatum ergo ad mortem illud demum dicitur, quod omnino mortem ſecum trahit, & ex vi Novi fœderis remiſſionem non habet: nempe quia Deus ejuſmodi homini ordinariè ex vi Novi fœderis reſipiſcentiæ facultatem adimit; qualis eſt Apoſtaſia, & id, quod Apoſtaſias vim habet, quale eſt, cum quis cum aperto quodam legis divinæ contemptu peccatum aliquod committit, in eóque hæret, ita ut id ex pura puta malitia proficiſcatur. Nam illa peccata omnium graviſſima ſunt, quæ divinam Majeſtatem directè, ut ita dicam, oppugnant & violant: quod tum quoque fit, cùm quis ſciens prudens, non imbecillitate aliqua abreptus, legem, quam divinam eſſe novit, tranſgreditur, præſertim ſi ipſius peccati turpitudo ſit magna & manifeſta. Utrique autem, hoc eſt Apoſtatæ, & hujuſmodi homines contumaces, jure divini fœderis gratia excidunt, in quo reſipiſcentiæ datur occaſio & facultas omnibus: quia utrique fœdus contemnunt, & abjiciunt, iſti quidem directè atque in univerſum, hi vero indirecte, ut ita dicam, aut in certa aliqua parte, cujus tamen eadem, quæ aliarum partium, eſt ratio. Sed tamen valde mihi ſit veriſimile, de Apoſtaſia loquutum eſſe Johannem, cum videamus à Chriſto remiſſionem omnium peccatorum hominibus proponi, excepta ſola blaſphemia Spiritus, cujus ſpecies eſt apoſtaſia, quæ ſola locum videtur habere hac in parte in iis, de quibus loquitur Johannes, qui fratres nominantur, quia nimirum aliquando fuerint: cumque Johannes apertè dicat: *Omnem injuſtitiam eſſe peccatum, & peccatum eſſe non ad mortem*, per injuſtiam omne vitium aut peccatum morum ſignificans. Quare ſi nihilominus peccatum aliquod, ad mores proprie pertinens, & à blaſphemia ſpiritus ſua natura ſejunctum, cenſeri debeat eſſe ad mortem; id tum fieri cenſendum eſt, cum illud conjunctum eſt cum ſimili Dei contemptu & malitia, qualis in blaſphemia Spiritus reperitur. Sed de hac re diximus etiam in explicatione loci Heb. 6. Hinc jam facile intelligi poteſt, quod ſit peccatum non ad mortem, nempe tale peccatum, quod mortem neceſſario ſecum non trahat, nempe quia reſipiſcentiæ datur locus. Nam alias ſi paulo aliter verba hæc ſumamus, poterit idem peccatum dici ad mortem, quia mortis æternæ pœna in Novo fœdere ei eſt propoſita, ita ut quam diu quiſpiam in eo hæret, ſalutem æternam conſequi non poſſit. Nam Johannes de eo loquitur, quod ſimpliciter tale eſt; nos in poſterioribus verbis de eo, quod ex hypotheſi; nempe ſi quis in peccato hæreat, cum tamen poſſit etiam non perſeverare. At apud Johannem indicatur hanc hypotheſin inibi jam tanquam certam & immutabilem ex vi Novi Fœderis poni debere, hoc eſt hominem, qui peccatum ad mortem deſignet, ob divinum judicium non poſſe reſipiſcere. Contrarium de contrario intelligendum eſt.

Reſtat adhuc diſtinctio quædam tum bonorum, tum malorum operum, quæ non tam rei, quam rationis eſſe videtur; unde etiam & verborum & phraſium, quibus ea efferuntur, oritur diſtinctio. Nam vel ſingula mala bonáve opera ſeu actiones conſiderantur, vel plura inter ſe concatenata: hoc eſt, ut clare loquamur, conſuetudo agendi, quæ in bonis actionibus potiſſimum æſtimanda eſt ex occaſione, & is conſuetudinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tudinem rectè agendi habere cenſendus eſt, qui, cum occaſio recte faciendi adeſt, recte facit, & contra, occaſio male faciendi cum adeſt, male tamen non facit. Nam ſi quis tum temporis tantummodo abſtineat à malis actionibus, cum occaſio aut facultas peccandi abeſt, cum vero adeſt, vel ſemper vel plerumque patitur ſe abripi, etiamſi tandem frequentius contingat, ut occaſio aut facultas abſit, quam adſit, & ſic iſte homo ſi abſolute rem conſideremus, crebrius non peccet, quam peccet; tamen non eſt ille liber à conſuetudine peccandi, ſiquidem pro occaſionum ratione crebrius peccat, quam non peccat. Sed quod ad actiones malas attinet, quas peccata commiſſionis appellamus, non modo is conſuetudinem male agendi habere cenſendus eſt, qui, cum occaſio eſt, vel plerumque vel ſemper male agit, ſed etiam is, & quidem multo magis, qui tum, cum occaſio non eſt, peccat, & ipſe ſibi occaſionem facit. Quod etiam ad contrarium, hoc eſt, opera quæ exſequutionis vocavimus, transferri poteſt. Nam is procul dubio conſuetudinem rectè agendi habet, qui vel nullam rectè agendi occaſionem, vel rariſſimè elabi patitur. Verum-tamen is adhuc perfectius id præſtat, qui non modo, cùm occaſio ultrò ſe offert, rectè agit, verùm etiam occaſionem ipſe parat, & ſic etiam tum boni aliquid præſtat, cum ſine peccato vero id prætermittere poſſet, quemadmodum in beneficiis conferendis non raro accidit, imprimis autem in illis virtutum generibus, quæ ubique fere ac ſemper locum habent, quarumque occaſio non tam aliunde accipienda, quam à nobis ipſis facienda eſt, ut in precatione & gratiarum actione, aut aliarum rerum ſacrarum tractatione contingit. Habent enim hæc ſæpe occaſiones, quæ aliunde obveniunt; Sed ſæpe etiam occaſiones quærendæ ſunt & faciendæ. Dictis hoc etiam addi poteſt; non tantum illi peccandi conſuetudinem, ſeu mavis peccati habitum tribuendum eſſe, qui ejuſdem generis, aut, ut Logici loqui conſueverunt, ſpeciei peccatum ſæpe iterat, ſed ei quoque, qui diverſorum licet peccatorum actus inter ſe nectit, ita ut jure dici queat, eum ut plurimum peccare. Neque enim refert, quo pacto peccare ſoleas, ſi nihilominus ſoleas: nec minus ſacræ literæ eum à ſalute excludunt, qui peccat ſimpliciter, ut ex Epiſtola Johannis patet, quam qui in certo aliquo vitii genere, v. g. ebrioſitate, aut invidia hæret. Honeſtas ac ſanctitas unum quippiam eſt, ſeu totum ex variis partibus conflatum, quod in quamcunque virtutem pecces, ſemper violatur, ſive in unam ſemper impingas, ſive in plures. v. g. Si quis hodie patrem matremve verberet, cras occidat aliquem aut vulneret, alio tempore adulterium, rurſus alio furtum admittat, alio item falſum teſtetur, alio idola colat, alio falſo juret aut temerè, alio convicietur aut jurgia cieat, aliaque ſimilia patret, quis hunc non dicat peccare, ſeu in peccato hærere? annon is æque graviter, aut etiam longe gravius peccaret, quam ſi in uno aliquo peccati genere, v. g. ebrioſitate, aut iracundia, invidia, æmulatione, rixis hæreret? Denique hoc quoque advertendum eſt, ad conſuetudinem peccandi, quæ ad hominem regni Cœleſtis poſſeſſione excludendum valeat, in gravioribus ſceleribus pauciores actus ſufficere, immo in quibuſdam enormibus ſceleribus, unum actum habitus inſtar eſſe, ſi deſtinatò admittatur, cum iſtiuſmodi actus hominem ſtatim denominent, ut qui cædem admiſit conſultò homicida appellatur, quod forte innuit Paulus 1 Tim. 1. 9, 10.

Diſtinctione hac explicata, nunc conſideranda ſunt verba & phraſes, quibus partim ſingula rectè aut malè facta, partim conſuetudo rectè aut male agendi, partim etiam utraque in ſacris literis exprimi ſolent. Quod ad illa verba attinet, quæ de ſingulis etiam actionibus bonis aut malis poſſunt prædicari, primo loco occurrit vox *Bonorum operum*, & contra *operum malorum*: Ubi bonum & malum de honeſto & inhoneſto ſeu turpi accipiendum eſt. Interdum tamen bona opera ſumi videntur in ſacris literis pro operibus ex charitate & beneficentia manantibus. Quo referri poteſt locus 1 Tim. 6. 18: in quo vult Paulus, ut divites in hoc ſeculo benefaciant, & divites ſint in operibus bonis: ubi de beneficentia ſermonem eſſe omnes intelligunt. Idem videtur ſtatui poſſe de loco ejuſdem Epiſt. cap. 5. ꝟ. 10: ubi de vidua eligenda agitur, & primo dicitur, ut in operibus bonis teſtimonium habeat, & tamen ad finem ꝟ. additur, *ſi omne opus bonum fuerit ſectata*; ubi in alterutro loco videtur ſpecialius boni operis nomen ſumendum. Veriſimilius autem eſt generalius ea priori loco ſumi: unde poſtea ſubjunguntur ſpecialia beneficentiæ opera, enutritio liberorum, hoſpitum receptio, lotio pedum Sanctorum, ſubminiſtratio rerum neceſſariarum iis, quorum res eſt anguſta. Simili etiam ratione videntur ſumi *fructus boni* apud Jacob. 4. 17. Eadem opera bona dicuntur *opera juſtitiæ*, ut ad Tit. 3. 5. Item *fructus juſtitiæ*, Phil. 1. 11. Contra mala dicuntur *opera infructuoſa tenebrarum*, Epheſ. 5. Infructuoſa quidem, quia veram utilitatem non afferunt, ſed potius damnum omnium maximum: plus enim intelligendum hîc eſt, quam exprimitur. Tenebrarum autem opera dicuntur, quod partim ab ignorantia divinæ voluntatis proficiſci ſoleant, partim quod in ignorantia illa aliquomodo locum habent; in luce vero Euangelii minime. Eadem etiam dicuntur *actiones corporis*, Rom. 8. 13. nempe quia ab appetitu, qui in corpore reſidet, proficiſcuntur, & vel in corpore, vel per corpus exercentur. Recte facta etiam dicuntur δικαιώματα τῶν ἁγίων, hoc eſt juſtè facta ſeu juſta opera ſanctorum; vulgo juſtificationes, ſed non ſatis, rectè. Nam δικαίωμα ſumitur quidem interdum pro juſtificatione, ſeu pro abſolutione ejuſmodi, qua quis juſtus pronunciatur, aut eo pacto tractatur, quo juſtus tractari meretur, Rom. 5. 16. & cap. 8. 4: Interdum vero pro jure à Deo poſito, ſeu lege, ut Luc. 1. 6. Rom. 2. 26. ubi ponuntur τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου, (quo tamen loco nihil prohibet, opera ipſa hoc nomine in lege præſcripta intelligere: aliàs præcepta in lege comprehenſa intelligenda fuerint.) Sumitur tamen apud bonos autores etiam pro juſte facto. Qua de re paulo poſt nonnihil dicetur.

Hactenus vidimus ea vocabula, quibus ſingula rectè aut male facta denotari in ſacris literis ſolent: ſubjungemus nunc ea, quibus non modo ſingula facta, verum etiam habitus ſeu conſuetudines recte, aut male agendi ſignificantur. Huc poſſunt referri primum *fructus ſpiritus* ſic dicti, quod ex ſpiritu Euangelico proficiſcantur, ejuſque ductu & impulſu fiant. Eadem appellatio in ſingulari numero poſita Epheſ. 5. 9. univerſam pietatem complectitur. Opponuntur his fructibus ſpiritus *opera carnis*, hoc eſt, ea opera, quæ ex appetitu in carne reſidente, & vim ſuam habente proficiſcuntur, & carni ſunt grata, ac per eam vel in ea excercentur. Quo loco & habitus & actiones eo nomine comprehenduntur. Hujus generis etiam eſt, quod quidem ad malas actiones attinet, vox *peccati*, quæ interdum actiones ſingulas, interdum conſuetudinem peccandi ſeu habitum ſignificat, ut apud Johannem fere accidit; quod vel ex eo apparet, quod Johannes dicat, peccatum eſſe ἀνομίαν, quæ vox habitum potius quam actionem ſignificat, imo proprie non niſi habitum. Quod idem de verbo quoque peccandi, tum apud Johannem, tum alibi in Novo Teſtamento intelligendum eſt; utramque enim ſignificationem habere deprehenditur. Deinde huc referri poteſt vox *juſtitiæ Dei*, quæ de univerſa pietate interdum ſumitur, ut Matth. 6. 33: Sed apud Jacob. cap. 1. 20. videtur etiam de actionibus uſurpari, & abſtractum pro concreto ſumi, hoc eſt, pro opere juſto. Cur autem juſtitia Dei dicatur, res nota eſt: nempe quia à Deo ſit præſcripta, eique ſingulari ratione probetur.

Sed nunc ad conſuetudinem rectè agendi accedendum eſt: ea vero partim ſimplicibus effertur terminis, partim integris phraſibus. Et termini illi ſimplices interdum vel nomina ſunt vel verba. Nomina pleraque ea ſunt, quæ in plurali quidem numero poſita, de actionibus ſingularibus in ſacris literis efferuntur, in ſingulari autem numero complexum quendam bono-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rum operum ſignificant. Hoc modo ſumitur *Opus bonum* Rom. 2. 7. *Opus Dei* Joh. 6. 29. Quanquam ibi fides opus iſtud Dei appellatur. *Opus Domini* 1 Cor. 15, ultimo, licet alibi opus Chriſti pro peculiari aliquo opere ad Chriſtum pertinente, aut ipſi grato ſumatur. Nam de prædicatione quidem Euangelii ſumitur opus Domini, ejuſdem Epiſt. 16. 10. pro labore autem & itinere in negotio Chriſti ſuſcepto opus Chriſti ponitur Phil. 2. ℣. 30. Eodem pacto vidimus ſupra uſurpari fructum ſpiritus Epheſ. 5. Eodem etiam modo uſurpatur vox δικαιώματος, hoc eſt, juſte facti, Rom. 5. 18. ubi univerſa Chriſti ſanctitas ſeu obedientia dicitur δικαίωμα, & opponitur τῷ παραπτώματι, ſeu delicto Adami. Cauſa autem, cur de omnibus operibus pietatis tanquam de uno loquantur ſacræ literæ, hæc eſt, quod eo modo ſignificant, omnia illa ad unum quoddam corpus pertinere, & unum ſine altero mancum atque imperfectum eſſe. Singularum autem harum vocum ratio ex ſuperioribus jam patet. Hac occaſione poſſumus etiam non nihil dicere de voce *operum*, quæ interdum ſimpliciter poſita, interdum adjecto *legis* nomine, ſignificant opera uſquequaque perfecta, hoc eſt, per totam vitam ita continuata, ut nihil prorſus iis deſit, & uſquequaque legi divinæ, reſpondeant, ac præterea ex ipſo hominis ſtudio ac labore proficiſcantur; id enim proprietas vocis ἔργων ſeu operum indicat. His, ut notum eſt, opponitur fides, de qua ſuperius dictum.

Hactenus nomina vidimus, quibus conſuetudo rectè aut malè agendi exprimitur; ſequuntur verba ſimplicia. Huc pertinet vox ἀγαθοποιεῖν, 3 Joh. 11; cui opponitur κακοποιεῖν male facere; licet ea vox compoſita ſit, & integræ phraſeos ſit inſtar. Item *ſanctificari*, quæ puritatem actionum ſignificat, eique opponitur *ſordeſcere*, quod ſignificat impurum eſſe aut fieri, Apoc. 22. 11. Pertinet huc etiam vox δικαιοῦσθαι, hoc eſt, ut vulgo vertunt juſtificari, (rectius juſte agere) cui opponitur injuſte agere. Præterea verbum *peccare* & *non peccare*; quanquam id etiam actum unicum interdum ſignificat. Item *vincere*, intellige omnes hoſtes, quicunque pietati obſtant. Sic ſumitur non ſemel in Apoc. præſertim cap. 2. & 3. Eſt etiam cap. 21. 7. de qua voce plura infra, ubi de integris phraſibus agemus. Nonnunquam vox *tranſgredi* elliptice ponitur pro male agere, ſeu tranſgredi mandata Dei aut Chriſti, ut 2 Johan. 9. niſi quis ibi malit tranſgreſſionem ſumere pro Apoſtaſia ſeu defectione à Chriſtiana religione, ut circumſtantiæ videntur indicare.

Ad phraſes integras jam accedemus, quarum aliæ ſunt magis propriæ, aliæ minus. Inter eas, quæ ſunt magis propriæ occurrunt primò illæ, in quibus eſt, vox *obſervationis*, aut alia aliqua ſimilis. Obſervare mandata, aut ſermonem Dei vel Chriſti, itemque cuſtodire ea mandata vel ſermonem, cuſtodire legem aut juſtificationes legis. Rom. 2. 26. Quibus opponitur, tranſgredi mandata aut legem Dei. Item ſervare Chriſti opera uſque ad finem, Apocal. cap. 2. ℣. 26.

Secundò illæ, in quibus *obedientiæ* fit mentio, ut obedire Deo aut Chriſto. Heb. 5. 9. obedire Euangelio, aut veritati; & contra non obedire 2 Theſſ. 1. 1 Pet. 4. 17. Rom. 2. 8. Item obedire fidei, id eſt doctrinæ de fide. Acto. 6. 7. Quanquam hæc etiam de receptione doctrinæ Euangelicæ intelligi poſſunt. Huc refer etiam locum 2 Cor. 9. 13. ubi ſermo eſt de ſubjectione confeſſionis Corinthiorum in Euangelium Chriſti, hoc eſt de teſtata eorum ſubjectione ſeu obedientia, quam omnes fateantur, Chriſto præſtita. Itemque illum, quem priori loco commemorare debuiſſemus, Rom. 6. 17, *obedivıſtis ex animo, in quam traditi eſtis formam doctrinæ*, hoc eſt, obedivıſtis illi formæ doctrinę, ad quam eſtis adducti.

Tertio occurrunt eæ phraſes, in quibus eſt verbum *faciendi*. Quo pertinet facere voluntatem Dei aut Patris; cui opppnitur voluntatem Gentium operari, vel perficere. 1 Pet. 4. ℣. 3. Item facere voluntatem carnis & cogitationum, hoc eſt, ea, quæ carni & cogitationibus carnalibus libebant Epheſ. cap. 2. ℣. 3. Facere legem, Rom. 2. 25. Factorem eſſe ſermonis, Jacob. 1. ℣. 22, 23. Facere ea, quæ ſunt Deo grata, 1 Joh. 3. ℣. 22. Facere bonitatem aut bonum; cui opponitur facere malum, 1 Pet. 3. & alibi. Facere juſtitiam, 1 Joh. 3. 8: & contra facere peccatum aut iniquitatem, Joh. 3. 4. Facere veritatem, Joh. 3. ℣. 21. Quanquam eadem verba 1 Joh. 1. ℣. 6. ſignificant ſincerè & candidè loqui aut agere. Quod idem ſignificatur, dum dicitur, in aliquo eſſe veritatem, ibid. ℣. 8. niſi quis malit ita hoc accipere, ac ſi dictum eſſet, veritatem ipſam non tenemus aut non novimus. Facere omnia in nomine Jeſu: Col. 3. ℣. 12: hoc eſt, omnia ad præſcriptum Domini Jeſu facere. Nam nomen Jeſu pro ipſo Jeſu ſumi videtur, ut in aliis quoque accidit. *In* autem pro *per* ponitur, & ſignificat primo quidem cauſam efficientem, ſed conſequenter etiam modum rei, qui à Jeſu Chriſto ſit traditus. Facere omnia ad Dei gloriam: 1 Cor. 10. ℣. 31. Quod ea potiſſimum ratione fit, cum actiones noſtræ, ædificationi ſerviunt omnium, nemini ſcandalum præbent. Opponitur his etiam facere opera carnis Gal. 5. 21.

Quarto occurrunt eæ phraſes, in quibus eſt vox *ſerviendi*. Quo pertinet ſervire Deo, & ſervire Chriſto, ſervire juſtitiæ: Contra ſervire injuſtitiæ & iniquitati: Rom. 6. Servum eſſe peccati, & peccatum alicui dominari, aut peccatum regnare in mortali alicujus corpore, ita ut quis obediat illi in illius, hoc eſt, corporis cupiditatibus, hoc eſt, in iis, quæ corpus concupiſcit, ſeu per corporis, aut appetitus in corpore habitantis cupiditates. Quamquam hæc magis ſunt Metaphorica. Servire in novitate Spiritus, & non in vetuſtate literæ, hoc eſt Deum colere, & ejus mandatis obſequi vi ſpiritus iſtius Euangelii, qui novus eſt & ſecundùm iſtum ſpiritum, non vero vi literæ, hoc eſt, legis, quæ vetus eſt, aut ſecundùm legem. Cur Euangelium ſpiritus dicatur notum eſt. Lex autem litera dicitur eam ob cauſam, 1. Quia ejùs pars potiſſima literis fuerit à Deo expreſſa, & deſcripta in tabulis lapideis, non vero ſpiritus vi animis hominum impreſſa. 2. Quia (id quod ex priori pendet) lex exterius quidem, quid faciendum eſſet, ante oculos poſuit, ad animum vero non penetravit, & illum ad obſequendum adegit, contra quàm Euangelium facit.

Quinto. *Sanctum in omni converſatione eſſe* vel fieri. 1 Petr. 1. ℣. 15.

Sexto. *Sectari ſanctitatem*, vel ſanctificationem. Hebr. 12. ℣. 14.

Septimo, Sectatorem eſſe bonorum operum, ad Tit. 2. ℣. 14: ubi Græcè eſt vox ζηλωτὴς, quod ſingularem favorem & ſtudium in bonis operibus præſtandis ſignificat. Quanquam etiam vocis ſectandi, quæ eſt in loco ad Heb. eadem reipſa vis eſt. Significat enim ejuſmodi ſanctitatis ſtudium, ut etiamſi quodammodo fugere videatur, nos tamen incitato curſu eam inſequamur, & comprehendamus.

Octavo, *Procurare bona coram Deo & hominibus*; hoc eſt, ſumma cum diligentia ac ſtudio, tum profiteri, tum facere ea, quæ & Dei & hominum judicio recta ſint & honeſta: 2 Cor. 8. 21. Cui aliquo modo reſpondet ille locus Rom. 12. 17: *Procurantes bona coram omnibus hominibus*; ſed hîc minus dicitur, quam ibi.

Nono, *Abhorrere à malo, & tenacem eſſe boni*: Rom. cap. 12. ℣. 9. Quanquam hæc ad charitatem ab Apoſtolo accommodantur, ita ut malum pro eo, quod alteri nocet, bonum pro eo, quod alteri utile & gratum eſt, ſit accipiendum. Verba autem ſingularem perfectionem & diligentiam tum in vitando malo, tum in ſectando bono exprimunt, præſertim cum vox, quæ redditur tenacem eſſe, ſignificet agglutinatum eſſe.

Decimo referri huc poſſunt ea, in quibus apertè *perfectionis*, quæ in ſanctitate cernatur, fit mentio, ut cum dicitur perficere nos debere ſanctitatem in timore Dei: 2 Cor. 7. 1. perfici in omni opere bono: Hebr. 13. 21. quod ſignificat defectum aliquem præceſſiſſe, ſeu rem antea non fuiſſe omnibus partibus abſolutam. Eſt enim in Græco vox καταρτίζειν, quæ extat etiam in ſignificatione ſimili 2 Cor. 13. ℣. 11. & 1 Petr. 5. 10.

Unde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Undecimo, Prioribus ſimilia ſunt illa loca, in quibus *abundantia* quædam *bonorum operum* exprimitur. Huc pertinet repleri operibus juſtitiæ, quæ per Jeſum Chriſtum, hoc eſt, ex præſcripto Jeſu Chriſti ſunt aut fiunt; Philipp. 1. 11. In omni opere bono fructum facere: Col. 1. 10. de quo infra ſuo loco. Abundare in opere domini ſemper; 1 Cor. 15. ultimo, quæ vox abundandi ad eandem materiam refertur 1 Theſſ. 4. 1. Impletum eſſe in omni voluntate Dei ſeu completum ac perfectum eſſe. Col. 4. 11. in omni, hoc eſt, quoad omnem voluntatem. Jam autem pro eodem videtur ſumi vox τέλειοι & πεπληρωμένοι. Senſus autem eſt, eſſe perfectum ratione eorum omnium, quæ Deus à nobis fieri vult.

Duodecimo huc pertinent loca ea, in quibus eſt vox *vivendi*; cujus generis ſunt illa, *piè vivere in Chriſto Jeſu*, 2 Tim. 3. 12. ubi vox volendi, quæ interjicitur, vel ſignificat ipſum quoque actum, quemadmodum cum dicimus: Qui vult in bellum proficiſci, cum neceſſe eſt varia pericula ſubire; ubi non de eo, qui velit tantum proficiſci, reipſa tamen non proficiſcatur, ſed de ipſo actu loquimur, qui libera voluntate fuerit ſuſceptus; vel propriè ſumitur pro ſtudio tantùm & voluntate pietatem à Chriſto præſcriptam colendi; quaſi dicat Apoſtolus, eos etiam, qui jam id agunt, ut pie in Chriſto vivant, perſequutionem paſſuros, imo hos fortaſſe crebrius, propterea quod Satanas initiis pietatis adhuc infirmioribus conetur occurrere, & homines calamitatibus à propoſito deterrere. Vivere Deo, vivere Chriſto, hoc eſt, ad Dei Chriſtique voluntatem & honorem; quibus opponitur vivere ſibi, de quibus loquendi formulis aliquid actum eſt ſupra, ubi de tranſitu à vitiis ad pietatem diſſeruimus. Item vivere cupiditatibus hominum, 1 Pet. 4. 2. Item alienatum eſſe à vita Dei: Epheſ. 4. 18. hoc eſt, ab ea vivendi ratione, quæ à Deo eſt præſcripta, eique vehementer probatur. Nam phraſis hæc animi alienationem, & veluti odium quoddam adverſus vitam iſtam ſignificat. Unde non eſt veriſimile, hîc vitam immortalem ſignificari, niſi quis effectum pro cauſa collocatum dicat, quia nimirum hic effectus eſt impietatis, ut quis alienus ſimul ſit ab immortalitate, quam Deus tum ipſe vivit, tum hominibus promiſit; non quod is, de quo hæc dicuntur ita cogitet, ſed quòd hæc factorum ipſius vis ſit. *Vivere in aliquo Chriſtum*, hoc eſt, Chriſtianam religionem in aliquo vigere, & omnes ejus actiones regere ac gubernare: Gal. 2. ℣. 20. Itemque *in fide vivere filii Dei*, hoc eſt cum fide, ſeu convenienter fidei, ita ut in ſingulis actionibus fides in Dominum Jeſum cernatur. Sunt autem hæ phraſes ſua natura generales, & pietatem univerſam comprehendere poſſunt: verumtamen à Paulo ſtrictius videntur ſumi: & prior quidem accommodari ad ea, quæ cultum divinum & religionem propriè ſpectant; poſterior vero ad actiones vitæ, quam in carne degimus, & communem cum omnibus hominibus habemus. Nihil tamen prohibet, quominus prior illa à Paulo generaliter ſumpta cenſeatur, poſterior vero per ſe itidem generalis, ad certum actionum genus fuerit accommodata; q. d. Paulus, non amplius ego pro meo arbitrio vivo, aut Deum colo, ſed omnes meæ actiones ſunt Chriſtianæ religioni conformes, ita ut ipſe Chriſtus videatur tantum in me vivere. Quod ſi quis dicat me vitam hanc carnalem vivere, & eas actiones exercere, quæ ad corpus ſpectant, ſuntque impiis etiam communes, dico me in his quoque ex præſcripto Chriſti me gerere, & in omnibus Chriſtianæ religionis normam ſequi. Huic opponitur ipſummet hominem vivere; quod de ſe Paulus negat, dum ait: *Non amplius ego vivo*, de quo vide ſupra in tranſitu à vitiis ad virtutem. Similis loquendi ratio eſt illa ejuſdem Apoſtoli, Phil. 1. 21: *Mihi vivere Chriſtus*; hoc eſt, tota mea vita, nulla alia in re occupatur, quam in iis, quæ ad Chriſtum, ejuſque religionem pertinent. Unde poſtea ait ſi ſibi contingat vivere in carne, id ſibi fructum fore operis, hoc eſt, ſe inde habiturum fructum adhuc aliquem, qui in labore vel opere conſiſtat, nempe quia adhuc multa ſit facturus egregia ad Chriſti honorem pertinentia. Vivere Spiritu: Gal. 5. 25. Quanquam ibi vivere Spiritu videtur ſignificare cauſam internam pietatis illius, quæ in ipſis factis & operibus cernitur, hoc eſt, vim iſtam ſpiritus Euangelici, qui ita nos occupavit, ut jam imperium in animis noſtris obtineat, & nos veluti informarit, & vitam ſpiritualem tribuerit, quemadmodum anima corpus informat, illud regit & vitam ei largitur ac vires ad aliquid agendum. Diſtinguitur enim iſtud vivere ſpiritu, ab eo quod eſt ambulare vel incedere ſpiritu; de quo mox agemus, tanquam antecedens à ſuo conſequente, ac præterea pro profeſſione potius vitæ iſtius ſpiritualis, quam pro ipſa vita ſumi videtur; quaſi dicat, ſi profitemur nos ſpiritu vivere, eoque informatos eſſe, eodem etiam actiones vitæ noſtræ gubernemus.

Decimo tertio, Referri huc poſſunt omnia ea loca, in quibus de aliquo vel *imitando*, vel *non imitando* eſt ſermo; quanquam non ubique ipſa imitationis vox extat. Huc pertinet primo locus Pauli Epheſ. 5. 1. *Eſtote imitatotes Dei*: quanquam Paulus ad certum virtutum genus, nempe benignitatem ac miſericordiam, quæ in condonatione offenſarum cernitur, in his verbis reſpicit. Non commemoramus nunc ea loca, in quibus jubemur eſſe perfecti, ut Pater noſter cœleſtis perfectus eſt: ut ſecundum eum, qui vocavit nos ſanctum, ipſi quoque ſancti in omni converſatione ſimus; ut ambulemus in luce, ſicut Deus eſt in luce; quia hæc partim jam ſuperius commemorata ſunt in voce ſanctitatis aut perfectionis, & paulo ante num. 6. partim paulo poſt commemorabuntur. Imitatorem eſſe Chriſti aut Dei 1 Cor. XI. ℣. 1. & 1 Theſſ. 1. 6. Quanquam imitatio illa utrobique ad certum genus eſt reſtricta. Nam in priori loco agitur de eo, ut aliis placeamus, & indulgeamus in rebus licitis, & ea quæ aliàs nobis ſunt ingrata ac moleſta, ædificationis & ſalutis alienæ cauſa ſuſcipiamus. De quo Chriſti exemplo agitur etiam Rom. 15. 3. & Phil. 2. 5. & ſequentibus. In poſteriori autem ad patientiam reſpicitur. Ad hanc imitationem Chriſti pertinent ea loca, in quibus eſt ſermo de Chriſto ſequendo, ut Johan. 12. 26; quanquam hîc quoque de patientia, quæ in ipſa anima ſeu vita hac pendenda cernatur, ſermo eſt. Quo videntur pertinere illa quoque loca, ubi jubemur crucem tollere & ſequi Chriſtum. Quanquam in loco Matth. 16. 24, cum primo loco dicitur: *Si quis vult poſt me venire*; ubi itidem de imitatione videtur eſſe ſermo, (quo pacto ea phraſis uſurpatur Luc. 14. 27,) non de imitatione vitæ Chriſti ſermo eſſe videtur, ſed potius de receptione doctrinæ Chriſti, & ſuſceptione religionis, quam ipſe tradiderit; quaſi dicat Chriſtus: Si quis vult me in doctrina & religione ſequi ducem & mihi adhærere. At eadem phraſis ſequendi Chriſtum, propriè videtur ſumi Matth. 19. 27, 28: ubi Petrus dicit, ſe reliquiſſe omnia, & Chriſtum ſequutos; quód poſterius Chriſtus quoque ipſe illis tribuit. Senſus enim eſſe videtur, Apoſtolos reipſa ſeu corpore Chriſtum fuiſſe comitatos, eumque affectatos, quanquam diſcendi cauſa ſeu religionis ſtudio. Eſt ergo ſignificatio ibi propria, ſed ad certum finem reſtricta. Verum ad imitationem Chriſti, & quidem generalem referendus eſt ille locus Apoc. 14. 4, de piis; ubi dicitur quod ſequantur Agnum, quocunque ierit: hoc eſt, in omnibus actionibus eum imitentur. Ire enim ſeu ambulare de omnibus vitæ actionibus uſurpari ſolet, ut mox indicabimus. Huc etiam ſpectant loca illa, in quibus de imitatione Eccleſiarum Judaicarum, 1 Theſſ. 2. 14. item Pauli vel aliorum bonorum agitur, ut in duobus locis jam antea commemoratis 1 Cor. XI: 1. & 1 Theſſ. 1. 6: ubi ſe cum Chriſto aliquo modo conjungit Paulus; quæ loca quomodo ſint intelligenda jam dictum eſt, & Phil. 3. 17. ubi vult, ut Philippenſes ſimul, hoc eſt, omnes inter ſe juncti, imitatores ipſius fiant. Huc etiam referendi ſunt loci, in quibus de aliis bonis imitandis, aut actionibus honeſtis exprimendis agitur. Huc pertinet locus Johan. Epiſt. 3. ℣. 11: *ne imiteris malum, ſed bonum.*

Referri etiam huc poteſt Heb. 13.7 locus ubi vult, ut Hebræi iſti imitentur fidem Ducum ſuorum: quanquam fides ibi ſumitur pro aſſenſu conſtanti, quem illi Chriſtianæ religioni adhibuerint, & mortibus etiam ſuis obſignarint. Sunt & alia non pauca loca, ubi aliorum exempla nobis proponuntur imitanda; ſed illa ferè ſunt ſpecialia. Exemplum tamen Abrahami, cujus fides nobis imitanda proponitur, generalius cenſeri debet; cum quo conjungi poſſunt omnes ii quorum fides toto cap. Heb. XI, nobis ſectanda proponitur.

Antequam ad imitationis hujus, in qua pietatis exercitatio conſiſtit, contrarium accedamus, aliquid de imitationis natura, & ſeparatim etiam de imitatione Dei, Chriſti, & Apoſtolorum dicemus explicatius. *Imitari alterum*, eſt id agere ut alteri fias aliqua in re ſimilis, ſeu alterius exemplum ſequi. Requirit enim primum imitatio, ut alterius exemplum tibi proponas, & id etiam eo uſque ſequaris, ut ei eſſe ſimilis jure dici queas, etiamſi par non ſis. Non excludit quidem imitatio paritatem, ſed non poſtulat etiam neceſſariò; quanquam ſtudium quoddam & conatum ejus rei comprehendit. Nam imitatio hoc poſtulat, ut velis quoad fieri poteſt, proximè ad eum, quem tibi imitandum propoſuiſti, accedere. At is proximus eſt ſimpliciter qui par eſt. Quapropter is imitari Deum, Chriſtum, Apoſtolos aut alios pios jure dicetur, qui cum id agat, ut iis fiat quam ſimillimus, & ſi id fieri poſſet, etiam par, id ſtudio ſuo conſequatur, ut etiamſi par non evadat, ſimilis tamen ſit, idque ratione vitæ ſeu actionum, adeò ut non ſit nimia quædam inter illum & iſtos in vita diſcrepantia, qualis eſſet, ſi in habitu aliquo vitioſo hæreret ac perſeveraret, vel etiam ſciens prudens flagitium aliquod admitteret, quod in hominem pietatis amantem non cadit. Itaque imitatio iſta, de qua loquimur, omnium virtutum habitus, & conatum perfectionis ſummæ, quæ in hominem cadat, complectitur. Qui conatus tum demum effectum ſuum habet, cum cætera quoque adjumenta adſunt, & tempus juſtum ad eam rem ſuppetit. Facile autem jam quivis intelligit imitationem hanc, de qua agimus, ad virtutem tantum & pietatem referri, non vero ad facta aliqua miraculoſa, & nobis imitatu impoſſibilia, quale eſt jejunium dierum quadraginta.

Præterea obſervandum eſt, prudentiam quandam in iſta imitatione eſſe adhibendam. Imitandi enim nobis ſunt Deus, Chriſtus, Apoſtoli, aliique divini viri, non in eo, in quo à nobis ob conditionis & dignitatis rationem diſcrepant, & multum nos ſuperant, ſed in eo, in quo nos illis ſimiles ſumus, & ſtatus ac conditionis nobis cum illis intercedit Analogia. Nam ea, quæ Deo & Chriſto ob imperium ſummum & autoritatem, quam in omnia habet, licent, imò etiam eum decent, quæque, ut ab eo fiant, æquitas poſtulat, non protinus nobis privatis licent, quemadmodum nec idem licet ſubdito, quod Magiſtratui. Quod ſi tamen nos quoque imperium aliquod habeamus à Deo nobis conceſſum, jam per analogiam id, quod Deus facit, imitari poſſumus; ſed non ultra proportionis illius limites, aut terminos nobis à Deo præfixos, quemadmodum in pœnis, verbi gratia, accidit. Is enim, qui alicui imperat, eumque regit, eundem quoque punire poteſt. At eum punire non licet, quamvis nos offenderit, in quem imperium non habemus: & eatenus Deum imitari debemus, quatenus is quoque, ut privatim offenſus conſideratur, qui quia nobis debitum noſtrum grande remittit, nos quoque aliis debita remittere debemus. Sic Chriſto adhuc in terris agenti, ob primitias regni atque imperii ſibi à Deo deſtinati, quas jam tum habebat, licuit pro autoritate ſua graviſſime invehi in homines improbos; licuit etiam Apoſtolis, quibus (ut quidem de Paulo expreſſe legimus) poteſtas quædam contumaces puniendi reipſa fuit à Chriſto conceſſa; multo ergo magis duris verbis alios caſtigandi, præſertim cum ea in re, nec Chriſtus, nec Apoſtoli ob Spiritus divini & ſapientiæ cæleſtis, qua donati erant, vim, errare poſſent. At eadem nobis, qui autoritate ſeu poteſtate illa, itemque ſapientia tanta deſtituti ſumus, non protinus licent; ſed iis, qui Eccleſiam regunt, quia muneris & conditionis aliqua eſt ſimilitudo, ſimile etiam quippiam licet, ſed levius tamen, ac mitius, cum ipſa quoque autoritas ſit minor, hoc eſt, licet objurgare, & quidem interdum ſeverè, ut Tito præcipit Paulus. Quapropter ne illud quidem Chriſti factum, qui ementes & vendentes è templo ejecit, & alia quædam huc pertinentia fecit, nobis imitari licet, cum id ex autoritate Chriſti ſingulari pependerit. Unde Phariſæi quæſiverunt ex illo, qua autoritate hæc fecerit; qua in re non ideo peccarunt, quod autoritatem eamque divinam ad hanc rem poſtularent oſtendi, ſed quòd qualis, aut unde eſſet ejus poteſtas ſeu autoritas, quærerent; cùm apertiſſima documenta haberent, ex quibus conſtare illis poterat, divinitus hanc ipſi autoritatem conceſſam; & hoc, non illud in ſua reſponſione reprehendit tacite Chriſtus. Quare ut rem hanc concludamus, eatenus imitandæ ſunt perſonæ illæ, quas diximus, quatenus vel prorſus eadem illorum & noſtri eſt ratio, vel analoga. Si eadem, idem etiam prorſus, iiſdem poſitis circumſtantiis, facere debemus, quod illi fecerunt: Si analoga, etiam id quod analogum eſt, eorum factis. Quanquam hoc etiam dici poteſt, totum id, quod in illis nobis proponitur imitandum, alias vel expreſſe nobis eſſe mandatum, vel ſaltem tacite, hoc eſt, ita ut ex aliis Chriſti & Apoſtolorum ejus exemplis, vel dictis, recte concludi poſſit, id à nobis fieri debere. Etſi autem hæc imitatio ad ſanctitatem univerſam extendi queat, atque adeò etiam in ſacris literis extendatur; habita tamen ratione naturæ & ſtatus tum illius, qui nobis imitandus proponitur, tum noſtri, qui eum imitari jubemur: (nam alias non omnes virtutes nobis cum Deo ſunt communes, niſi per analogiam id fieri dicas, ut in Temperantia accidit, quæ in Deo nulla eſt revera, cum nulla in eo corporis voluptas, circa quam temperantia omnis occupatur, habeat locum; nec niſi eatenus hîc Deum imitamur, quatenus à voluptatibus non neceſſariis abſtinemus, & ſic, prout noſtra natura fert, Deo ſimiles evadimus:) tamen in ſingulis his ſpirituales aliquæ virtutes imprimis nobis proponuntur imitandæ, & in Deo quidem charitas, tum erga omnes, tum erga hoſtes ſeu malos, ac miſericordia, quæ ad charitatem reduci poteſt, in remittendis peccatis; in Chriſto tum charitas, tum humilitas ac manſuetudo, tum patientia. Ad charitatem autem, & humilitatem, & patientiam referimus etiam illud, de quo ſuprà Pauli adduximus locum, quod ſibi non placuerit, ſed potius aliorum utilitatis & ſalutis gratia opprobria, cruciatus, ac mortem denique cruentam, atque ignominioſam ſubierit. In Paulo quæ nobis ſeparatim atque expreſſe proponuntur imitanda, partim ex ſuperioribus conſtant locis, 1 Cor. XI. 1. cum quo conjungenda ſunt omnia, quæ partim cap. 9: partim 10 ejuſdem Epiſtolæ in eadem materia de ſe ſcripſit Apoſtolus: partim ex ipſius verbis Act. 20. 34, 35. & 2 Theſſ. 3. 7: ubi de eo ait, quod nemini fuerit gravis, ſed victum ſuis ſibi manibus pararit. Sunt quidem adhuc alia, quæ partim in Chriſto, partim in Apoſtolo nobis ſunt imitanda, eaque maximi momenti, ſparſim in ſacris literis expreſſa; ſed de iis nuſpiam apertè legimus, illa nobis eſſe imitanda, ſatis tamen clarum eſt, ea nobis imitanda omnino eſſe.

Huic imitationi Dei, Chriſti, & aliorum piorum, opponitur *conformari huic ſeculo*: Rom. 12: hoc eſt, hominibus hujus mundi, qui hujus ſeculi nomine ideo appellantur, partim quòd majorem hujus mundi ſeu humani generis partem conſtituant, partim quòd omnis illorum ſpes & felicitas hoc ſæculo terminetur. Item ambulare, ſicut cæteræ gentes ambulant. Item conformari priſtinis in ignorantia concupiſcentiis: 1 Pet. 1. ℣. 14. quæ verba imitationi ſanctitatis divinæ aperte opponuntur. Eſt autem locutio

Meto-

Metonymica. Nam concupiſcentiæ ponuntur pro iis, qui concupiſcentiis indulgent. Quare ſenſus eſt; ne ſitis vobis-met ipſis ſimiles ratione cupiditatum, quibus antea, cum in ignoratione divinæ voluntatis verſaremini, parebatis. Similis eſt locutio Metonymica in illis Pauli ad Philip. 3. 10 verbis, ubi optat Paulus conformari morti Chriſti, hoc eſt, Chriſto conformari ratione mortis cruentæ & ignominioſæ. Quid autem per concupiſcentias apud Petrum intelligendum ſit, jam ſuperius à nobis explicatum eſt.

Hactenus eas recenſuimus phraſes, quæ vel plane ſunt propriæ vel ad proprietatem accedunt propius, quanquam earum occaſione poſuimus nonnullas quæ impropriæ ſunt. Sequitur nunc, ut improprias perſequamur. Priore autem loco ponemus Metonymicas, quæ plus videntur habere proprietatis: poſteriore Metaphoricas. Metonymicas autem illas imprimis intelligimus, in quibus vel cauſa pro effectu, vel effectus pro cauſa ponitur. Huc propriè pertinent phraſes illæ, in quibus eſt verbum *probandi*; ut cum monemur, ut probemus, quod ſit acceptum domino, hoc eſt, poſt factam inquiſitionem aut explorationem, tum animo, tum verbis ipſis approbemus. Epheſ. 5. 10. ubi eſt Metonymia efficientis. Nam vox δοκιμάζειν, præſertim additis verbis, *quod ſit*, explorationem propriè ſignificat, talem tamen, quam approbatio quædam ſequatur, quæ ipſa quoque animi propriè eſt, impropriè & conſequenter in factis etiam conſiſtit. Quod ſi quis tamen nolit id ad actiones referri, ei dicendum erit, cauſam tantum pietatis, quæ in externis factis cernatur, illis verbis exprimi. Similis eſt ille locus Rom. 12. 2: *Probate quæ ſit voluntas Dei illa bona & perfecta*: Quæ verba ſignificare poſſunt modum & perfectionem quandam renovationis mentis, ad quam ibi hortatur Apoſtolus, quæ pietatis in externis actionibus apparentis cauſa eſt; ut apparet etiam ex loco ſimili Epheſ. 4. ℣. 23. Simili ratione accipienda videntur illa Phil. 1. 10: *Ad hoc, ut probetis vos* τὰ διαφέροντα hoc eſt, excellentia ſeu præſtantia, quæ ſunt ea, quæ comprehenduntur in voluntate illa Dei bona, ac perfecta. Neque enim, ut nonnullis placet, τὰ διαφέροντα pro iis ponuntur quæ diſcrepant, ſcilicet à Dei voluntate & virtute: cum ejus rei, à qua illa diſcrepare debeant, nondum facta fuerit mentio. His adde phraſin *probandi opus ſuum*, Gal. 6. 4: ubi *probare* eſt probatum reddere, ut interpretes nonnulli verterunt, ſeu tale facere, ut approbari jure mereatur; ubi ex cauſſa effectus intelligitur. Ita autem eſſe accipienda hæc verba, non verò de exploratione aliqua factorum ſuorum, ex iis, quæ ſequuntur, patet. Subjicitur enim; *& tunc in ſemetipſo gloriationem habebit, & non in alio*, hoc eſt, tum poterit ſimpliciter de ſeipſo & abſolutè gloriari, quod ejuſmodi ſit, qualis eſſe debeat, non verò tantum comparatè ſeu reſpectu aliorum, hoc eſt, quòd aliis ſit melior, vel potius minus malus. Denique *probare ſeipſum*, 1 Cor. XI. 28: quod eodem modo poteſt accipi, quo phraſin proximam explicandam eſſe diximus, hoc eſt, pro ſeipſum probatum reddere. Nihil tamen prohibet, quo minus tantùm pietatis conſequens hîc intelligatur, hoc eſt, approbatio ſui ipſius, poſt accuratam factorum ſuorum explorationem & diſquiſitionem. Nam approbationem ſaltem ſui ipſius his verbis comprehendi, ex eo apparet, quod hæc verba opponantur indignitati illi, cum qua quis bibat aut edat, nempe de pane & poculo Domini, ut apparet ex collatione ℣. 28 & 29. At etiamſi quis ſeipſum exploret, non tamen protinus indignè non comedit, niſi etiam ſeipſum approbet. At permittit Paulus, imo jubet, ut quicunque ſeipſum probarit, de pane illo edat, & de poculo bibat.

Secundo huc referri poteſt phraſis *quærendi Deum*, hoc eſt, favorem ejus ambiendi, quæ & Metaphorica eſt, & Metonymica. Nam Metaphora eſt in voce *quærendi*, quæ de corporeis rebus propriè dicitur, quæ, ubi ſint, neſcitur. Metonymia autem cauſæ efficientis, quia deſiderium favoris divini ad pietatem nos impellit, vel, ſi placet, effectus, quia is, qui pietatem colit, etiamſi tandem hoc animo non intenderet, ut Deum habeat propitium, tamen id facit, unde favor divinus conſequatur, ita ut perinde ſit facere cenſendus, ac ſi hoc ipſo fine pietatem coleret. Quo pacto nonnulli explicant Act. 17. 27: quanquam etiam priori modo explicari poteſt, & fortaſſe rectius. Vide Eſa. 55. 6, 7. Heb. XI. 6.

Tertio ſimilis priori eſt phraſis *placendi Deo* aut *Chriſto*: 1 Theſſ. 4. 1: ubi de Deo agitur. 2 Cor. 5. 9: ubi de Chriſto. Sunt & alia his ſimilia, ſed quæ alio loco à nobis collocantur, ut *ſervire Deo* εὐαρέστως, hoc eſt, acceptè, ſeu ut bene placeas Deo, Heb. 12. ult. Item *facere Deo grata*: 1 Joh. 3. 22. cum quo loco conferendus eſt ille de Chriſto, Johan. 8. 29. Utrobique eſt nomen ἀρεστὰ, quod ſignificat ea, quæ placent. Huic opponitur *placere hominibus*, ut apparet 1 Theſſ. 2. 4. & Gal. 1. 10. Quanquam in his locis Paulus ad officium ſuum ſeu Euangelii prædicationem potiſſimum reſpicit. Referri etiam huc poteſt illud quod in ſervis reprehenditur Epheſ. 6. 6: nempe ſi *ad oculum ſerviant*, ut qui hominibus placere ſtudeant, id quod ſincero, & ex animo, placendi Deo ſtudio opponi poteſt. *Placere ſibi*; ſed ea phraſis pro ſpeciali vitio uſurpari ſolet, nempe cum quis cum ſcandalo aliorum, aut ſalutis detrimento ſibi etiam in rebus licitis indulget.

Quarto. *Habitare in Deo* vel *Chriſto*, ſeu *eſſe* vel *manere in ipſo*: eſtque locutio partim Metonymica partim Metaphorica. Metaphora ſatis patet; metonymia inferius explicabitur. Non eodem autem modo ubique accipitur. Generalis quidem ſignificatio eadem eſt, nempe conſtans & arctiſſima cum altero conjunctio. Nam arctius cum altero conjungi nemo poteſt, quam ſi in eo habitare aut eſſe dici poſſit. Sed hæc noſtri cum Deo aut Chriſto conjunctio nunc ad noſtrum officium ſpectat, nunc ad noſtram felicitatem. Quod ad officium noſtrum attinet, duplici ratione phraſis illa accipi iterum poteſt: vel enim accipitur pro conſtantia in religione Chriſtiana ſeu doctrina Chriſti, qua fit ut quis Chriſto adhæreſcere, & cum illo arctè admodum conjunctus eſſe dici queat; vel pro pietate in univerſum, qua fit ut quis ex ſua parte omnia ea præſtet, quæ ad ipſius cum Deo aut Chriſto conjunctionem requiruntur. Et de conſtantia quidem in Chriſtiana religione ſeu doctrina Chriſti accipiendi ſunt loci Johan. 15. Fortaſſis etiam locus 1 Johan. 2. 27: quanquam eum ad officium noſtrum referri poſſe ſequens verſiculus videtur indicare. Ad univerſum autem officium noſtrum referri poſſunt illa Johan. 6. 56. & 1 Johan. 5. 6. cap. 3. 6. & 24. cap. 4. 13, 15, 16. In quorum nonnullis hæc duo ſimul ponuntur, quod aliquis in Deo & Chriſto ſit vel maneat, & contra quod Deus & Chriſtus in ipſo: illud ad officium noſtrum, hoc ad felicitatem poteſt referri; q. d. eum qui id facit, de quo ſermo eſt, ea facere omnia, quæ ex ipſius parte ad conjunctionem cum Deo & Chriſto pertinent, & contra Deum ratione amoris ei eſſe conjunctiſſimum & ſummo favore eum complecti. Quanquam interdum nihil videtur prohibere, quo minus prior quoque phraſis felicitatem noſtram deſignet, & conjunctionem ſeu amicitiam cum Deo aut Chriſto, quæ pietatem conſequitur exprimat, & ſic eadem revera vis ſit phraſeos, manendi in Deo & Chriſto, quæ eſt illius cum dicitur, Deus aut Chriſtus manere aut eſſe in aliquo. Potuit enim divinus ſpiritus duplici uti phraſi ad rem expoliendam, & cum quadam elegantia clarius explicandam & exprimendam. Nam ad felicitatem noſtram exprimendam uſurpari verba manendi in Deo aut Chriſto, apparet ex verbis 1 Johan. 2. 24. ubi dicitur, *Si in vobis manſerit, quod ab initio audiſtis, etiam vos in filio & Patre manebitis.* Similis eſt huic & clarior phraſis *manendi in dilectione Chriſti*, quæ de officio noſtro uſurpatur, Johan. 15. 9: Ubi Dominus Jeſus monet diſcipulos, ut maneant in ipſius dilectione; licet eadem phraſi ſtatim in ſequentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

verbis magis propriè uſus, tantum conſequens pietatis, hoc eſt, permanſionem in favore & benevolentia, qua ipſe hominem complectatur, exprimat: quemadmodum pietatis ipſius Chriſti in Deum conſequens hoc erat, quod in charitate Patris ſui maneret. Nam cum phraſis manere in charitate Chriſti, de officio noſtro ſumitur, Metonymicè uſurpatur, & effectus pro cauſa ponitur; quaſi dicat Chriſtus, id agite unde in amore meo perſeveretis: id autem eſt, ut ſequens verſus explicat, ut præcepta ipſius obſervent. Similis Metonymia etiam in phraſi manendi in Deo aut Chriſto ſtatui poteſt, cum ea de officio noſtro univerſo uſurpatur; ita ut conſequens ſeu effectus, pro cauſa efficiente ſeu antecedente ponatur; niſi quis malit efficientem cauſam, hoc eſt, perfectionem in religione aut doctrina Chriſti, vel amorem erga Deum vel Chriſtum, pro effectu ſeu pietate, quæ inde conſequitur, poſitam ſtatuere, aut affirmare, phraſin hanc eſſe Synecdochicam, in qua genus, hoc eſt, conjunctio arcta, licet Metaphoricè explicata, pro ſpecie ponatur, hoc eſt pro conjunctione ea, quæ in amore aut ſanctitate conſiſtat.

Quinto, *Habere bonam conſcientiam*, quod pietatis eſt conſequens: 1 Tim. 1. 19. Quo etiam referri poteſt interrogatio bonæ conſcientiæ in Deum, de qua egimus ſuprà.

Sexto, *Firmam reddere vocationem & electionem ſuam*: 2 Petr. 1. ℣. 10: hoc eſt, bonis operibus id efficere, ut vocatio & electio divina ad ſalutem, plane ſit rata etjam ex parte noſtri, & ſic effectum ac finem ſuum ſortiatur. Nam vox firma, non de certitudine ſpei noſtræ, quæ in animo noſtro ſit, ſed de certitudine ipſius rei ibi eſt accipienda, quæ in eo conſiſtit, ut ea mutari jure nequeat, & ſic fructu ſuo & eventu carere: quemadmodum promiſſionem dicimus firmam aut ratam, quæ non mutetur aut mutari jure nequeat. Quomodo loquitur Paulus Rom. 4. 16. Cui vicinum eſt ejuſdem Epiſt. cap. 15. 8: *ad confirmandas* ſeu ratificandas *promiſſiones patrum*, hoc eſt, reipſa implendas, & ad oſtendendum, illas ratas ac firmas eſſe. Nam conſequens ſeu effectus pro antecedente ponitur. Eodem modo uſurpatur vox firmus, Heb. 2. ℣. 2: ubi de lege dicitur quòd facta fuerit firma, hoc eſt, vim ſuam habuerit; quod ſtatim explicatur dum oſtenditur, omnem tranſgreſſionem & inobedientiam accepiſſe juſtam mercedis retributionem.

Septimo, vicina ſuperiori ſunt illa; *apprehendere vitam æternam*; hoc eſt, illi veluti manum injicere, & firmiter comprehendere, 1 Tim. 6. ℣. 12. Hîc conſequens item pro antecedente ponitur. Nam qui pietatem colit, is eo ipſo brabeum vitæ æternæ comprehendit. Unde ea phraſis infra eodem capite ℣. 19, pro pietatis conſequente ponitur, & ſic magis propriè uſurpatur. Quanquam Metaphora etiam cum Metonymia hic concurrunt. Similis eſt hæc loquendi ratio illi, qua idem Apoſtolus utitur Phil. 3. 12: ubi ad eos alludens, qui in ſtadio currunt & metam aut brabeum protenſum & veluti porrectum tandem apprehendunt, ſe quoque idem facere in pietatis curriculo docet. Sic operari ſalutem ſuam cum timore & tremore, hoc eſt, ea, quæ ad ſalutem conſequendam pertinent, anxie & ſollicite, magnoque cum ſtudio & diligentia curare atque agere; qua de re infra, ubi de Sanctitatis proprietatibus agemus, nonnihil dicendum erit.

Octavo, *Glorificare Deum ſpiritu & corpore ſuo*, 1 Cor. 6. 20. hoc eſt, tum animum, tum corpus ita Deo conſecrare, ut ea ad honorem & gloriam ejus tota convertas, non verò iis ad flagitium aliquod perpetrandum etiam abutaris, quale eſt ſcortatio, à qua ibi Apoſtolus dehortatur. Huc referri poteſt illud ejuſdem Epiſtolæ cap. 10: *Omnia facere ad gloriam Dei*; de quo ſuperius.

Hactenus de Metonymicis phraſibus potiſſimum egimus; ſequitur ut Metaphoricas conſideremus. 1. Frequentiſſimæ autem omnium ſunt illæ, in quibus extat verbum *ambulandi*, quod ſupra alicubi diximus ſignificare actiones totius vitæ, ex Hebraica loquendi conſuetudine. Ei autem verbo varia adjunguntur vocabula, quæ illud ad pietatem reſtringant, & oſtendant vitæ actiones Dei voluntati conſentaneas, eaque ad proprietatem nunc magis, nunc minus accedunt. Magis autem accedunt illa: Primo, *ambulare ſecundum mandata Patris*: 2 Johan. ℣. 6, aut, in mandato: ibidem ℣. 7. Ambulare in omnibus præceptis & juſtificationibus Domini irreprehenſibiliter & inculpatè, Luc. 1. 6. Secundo, *Ambulare in bonis operibus*, quæ Deus præparavit, Epheſ. 2. 10. Dicitur autem ea Deus præparaſſe, quia ea in ſe antea veluti formavit, aut viæ cujuſdam inſtar ſtravit ac nobis propoſuit, ut in iis ambulemus. Huic opponitur ambulare in peccatis: eodem cap. ℣. 2. Tertio, *Ambulare in veritate*: 2 Johannis ℣. 4. & 3 Johannis, ℣. 3, 4. Veritatem enim pro pietate in univerſum ſumi, ſupra jam vidimus. Quarto, *Ambulare ſecundum Spiritum*, itemque ambulare Spiritu, Rom. cap. 8. Gal. cap. 5. hoc eſt, ad Spiritus Euangelici, qui animos noſtros occupavit, ductum, actiones vitæ dirigere, eique in omnibus obſequi; cui opponitur ſecundum carnem ambulare, hoc eſt, ſecundum vim & imperium appetitus, qui mente ſit in homine robuſtior. Quinto, ut jam accedamus ad ea, quæ à proprietate recedunt longius: *Ambulare* ſeu incedere *regulà novæ creaturæ*, Gal. 6: hoc eſt, ita ſe gerere, ut nova illa vivendi ratio per Chriſtum nobis præſcripta, poſtulat. Sexto, *Ambulare in luce*, 1 Johan. 1. 7. De luce autem ſupra dictum eſt. Ambulare autem in luce hîc ſignificare videtur, ita vivere, ut lux pietatis undique circumfulgeat; quaſi dicat, in media luce vel cum luce. Ei opponitur ambulare in tenebris, ℣. 6: hoc eſt, ita ut undique tenebræ impietatis ſint denſæ, teque veluti circumdent, & ambiant. Septimo, *Ambulare ut filium lucis*, Eph. 5. 8. hoc eſt, ita ut eum decet, qui cognitionis divinæ voluntatis eſt particeps. Octavo, *Ambulare cum Deo*: Gen. 5. 24. & cap. 6. 9. ubi Græci Interpretes utrobique habent εὐηρέστησε τῷ θεῷ, benè placuit Deo; quod etiam Autor Epiſt. ad Heb. XI. 5, de Enocho, de quo prior Geneſeos locus agit, uſurpavit, ita ut ex his conſtare queat, quæ ſit vis hujus phraſeωs. Quanquam ſi rem penitus conſideraverimus, potius rei conſequens, quam prima ac propria phraſeωs vis fuit ab interpretibus Græcis, quos autor ad Hebræos ſequutus eſt, expreſſa. Nam propria ejus vis eſſe videtur, Enochum v. g. aut Noachum amicitiam quandam cum Deo coluiſſe, & ea ſemper egiſſe, quæ illi eſſent grata; vel, ut alii volunt, ita ſe geſſiſſe, ut cogitaret, ſe in conſpectu Dei ſemper verſari, & ſic ea tantum faceret, quæ Deo eſſent accepta, ita ut *cum Deo* illis ſit idem, quod coram Deo, aut in conſpectu Dei, cum is qui cum aliquo ambulat, in ipſius oculis verſetur, & ipſum factorum ſuorum habeat inſpectorem atque arbitrum. Atque hoc veriſimile aliquomodo facit alius loquendi modus huic ſimilis: *Ambulare coram Deo*, quod Abrahamo præcipitur Gen. 17. 1. & cap. 24. 8 ei tribuitur; ubi in Græco eſt εὐαρεστεῖν ἐνώπιον Θεοῦ, vel ἐναντίον τοῦ Θεοῦ. Huc referre etiam licet phraſin *Ambulare digne Deo*, hoc eſt, prout convenit Deo, ejuſque honori eſt conſentaneum: 1 Theſſ. 2. 12. Item, ambulare digne Domino, hoc eſt Chriſto, Col. 1. ℣. 10. Nono, *Ambulare dignè vocatione ſua*: Epheſ. 4. ℣. 1. Decimo, *In timore incolatus ſui tempus tranſigere*; 1 Pet. 1. 17: ubi in Græco eſt pro tranſigere ἀναστραφῆναι, quod ſignificat verſari, & ſic ambulationem quandam denotat. Vox παροικίας videtur ad illos, ad quos ſcribit Petrus, propriè referri, ſiquidem illi erant advenæ ſeu incolæ regionum exterarum, non verò patriæ ſuæ: cap. 1. ℣. 1. Unde eos cap. 2. 11, admonet tanquam advenas & incolas, & monet ut converſationem habeant inter gentes honeſtam. Nam advenas in regione peregrina cautius verſari oportet, & diligentem vitæ rationem habere; præſertim ſi quis habitet inter homines impios, & cognitionis divinæ expertes, quales tunc erant gentes; partim quod facilius ab eorum conſortio corrumpi poſſunt, partim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quòd facilius in iis animadvertitur & carpitur, ſi quid reprehenſione eſt dignum, cum aliena vitia magis ſoleamus notare, quam noſtra: aliena autem imprimis, quæ non tantum in aliis perſonis, ſed etiam in alienigenis extant. Vulgò tamen ita accipitur, ut ad omnes homines accommodari queat, quia in terris veluti peregrinentur, & non hîc, ſed in cœlis habeant patriam ſuam: Hebr. XI. ℣. 13, & ſeqq. Verba autem *in timore*, vel accipi poſſunt ſimpliciter pro anxietate aut metu pœnæ, vel ita ut perinde ſit, ac ſi dictum fuiſſet, cum metu Dei. Res enim eodem recidit.

Undecimo, *honeſtè verſari in omnibus*: Hebr. 13. 18. Quanquam ibi inſerta eſt vox *volentes*, ad modeſtiam autoris exprimendam, qua etiam uſus eſt in proxime præcedentibus, ubi non ſimpliciter dixit, ſe habere bonam conſcientiam, ſed *ſe confidere bonam conſcientiam ſe habere*. His opponi poteſt *Ambulare ſecundum ſeculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aëris*, Epheſ. 2. ℣. 2: hoc eſt, convenienter hominibus hujus mundi & voluntati diaboli, qui eſt princeps eorum, qui in aëre imperant. Nam ſeculum mundi hujus videtur ſumi pro ſeculo hoc, quod eſt mundus, hoc eſt, homines mundani. Item *Ambulare ut reliquæ gentes*: eadem Epiſt. cap. 4. ℣. 17. Opponi etiam poteſt illud Philipp. 3. 18: *Multi ambulant, quos ſæpè dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti*. Quanquam oratio eſt imperfecta & ἀναπόδοτος, mutata conſtructione. Videtur enim ita eſſe ſupplenda ex ſequentibus: Multi enim ambulant, ut inimici crucis Chriſti, hoc eſt, qui illud oderunt, quod mors Chriſti, quam in cruce perpeſſus eſt, docet, & ſecum affert. Nempe ſpiritualem ac cœleſtem Deum colendi rationem, quæ morte Chriſti ſancita eſt, & afflictionum & mortis denique diræ ac ignominioſæ, qualis eſt crucis, perpeſſionem, ad quam omnes, qui Chriſti volunt eſſe diſcipuli, paratos eſſe debere, Chriſti tanquam ducis & magiſtri exemplum oſtendit. Opponi denique poteſt verbum *declinandi*, nempe à recta via: Rom. 3. 12. & Pſal. 14. 4. Itemque eſſe inſtar ovis errantis, & declinaſſe in viam ſuam: Eſa. 53. ℣. 6. & ex parte 1 Pet. 2. 25. id eſt vixiſſe, ſeu vivere, ut cuique placui, aut libuit. Simile quippiam eſt Matth. 9. 36. ubi de Iſraëlitis dicitur, quod ſint diſſipati ac disjecti, quaſi oves non habentes paſtorem. Quanquam priori loco eſt verbum ἐκλελυμένοι, quod defatigatos ſignificat. Verum tamen eo loco non tam impietas eorum ſignificatur, quam infelix ille, in quo verſabantur, ſtatus; unde errores etiam in vita & interitus conſequebatur, quod nimirum illis carerent, qui illos ad rectam vitæ rationem revocarent, & certam ad æternam felicitatem viam docerent.

II. Ad Metaphoricas phraſes refertur illa πολιτεύεσθαι (ſeu inſtar civis ſe gerere) *dignè Evangelio*: Phil. 1. 27. Nam πολιτεύεσθαι eſt vel munus Civile obire, vel officium boni civis facere: Unde id ad Chriſtiani hominis officium, qui in cœleſti Repub. officio ſuo fungitur, refertur. Eodem verbo utitur de ſeſe Paulus, non tantum reſpectu ejus temporis, quo Chriſtianus fuerat, ſed etiam ejus quod anteceſſerat: Actor. 23. ℣. 1. ubi ait: *Ego omni conſcientia bona* πεπολίτευμαι τῷ θεῷ, id eſt officium boni civis præſtiti Deo, non ſecus ac civis bonus magiſtratui ac principi: vel vox *Deo* ſignificat finem *cui*, quaſi dicat ad Dei honorem vel laudem, vel ad Dei nutum, vel præſcriptum.

III. *Præbere corpus ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo*, hoc eſt, ſemetipſum totum Deo conſecrare, ſeu mavis, ipſum quoque corpus ratione actionum, ita ut nil per illud à nobis fiat, aut exerceatur, niſi quod Deo gratum eſt. Corporis nomine vel per Hebraiſmum utitur pro re ipſa, ut ſupra alicubi diximus, vel per Synecdochen partem pro toto collocat, idque ideo, ut tanto concinnius ad veteris Fœderis victimas alludat, in quibus pecudum mactatarum corpora Deo offerebantur. Quanquam cum hac Synecdoche in voce *corporis* conjuncta eſt etiam Metonymia ſubjecti pro adjuncto. Neque enim corpus ipſum per ſe conſideratur; ſed potius actiones corporis, fiunt victima Deo grata. Qualis Metonymia eſt etiam Epheſ. 5. 2. ubi dicitur, *Chriſtum dediſſe ſeipſum oblationem & victimam Deo*; non quod is ipſe per ſe conſideratus, pro victima ibi habeatur; ſed quod actio hæc ipſa tradendi ſeipſum pro nobis, verè fuerit oblatio & victima Deo. Ubi tamen Paulus hoc pacto loqui maluit, quam iſto quem nos innuimus, ut itidem eſſet elegantior ad victimas legales alluſio. Simili etiam ratione loquitur idem Apoſtolus ad Philipp. 4. 18. vide etiam 1 Tim. 2. 6: ubi Metonymia hæc eſt apertiſſima. Non enim ipſe Chriſtus pro omnibus datus redemptionis pretium, eſt teſtimonium; ſed hæc ipſa actio teſtimonium ſeu argumentum eſt divinæ erga homines benevolentiæ. Huic illud adjungi poteſt Pet. 1. Epiſt. cap. 2. 5: *Offerre ſpirituales hoſtias, acceptas Deo per Jeſum Chriſtum*. Per has hoſtias quid ſit intelligendùm ſupra fuſe dictum eſt. Spirituales autem dicuntur ad diſtinctionem corporalium, quemadmodum apud Paulum dicto loco Rom. 12, hoſtia ſeu victima viva, ad differentiam cæſæ ac mortuæ.

IV. *Certamen bonum certare*: 2 Tim. 4. ℣. 7. quæ phraſis difficultatem pietatis, utpote cujus tot ſint hoſtes, qui eam oppugnent, & cum quibus nobis perpetuo luctandum ſit, exprimit. Quanquam hîc vox certaminis non tantum ad pugnam ſeu luctam referri poteſt, ſed etiam ad omnia certaminum genera, qualia erant olim in Olympicis ludis, ad quos etiam alluſit idem Paulus 1 Cor. 9: ubi ℣. 25 uſurpat vocem ἀγωνίζεσθαι ſeu certandi, cum tamen ad eos potiſſimum ibi reſpiciat, qui curſu certant, licet poſtea ad pugiles etiam alludat. Bonum autem certamen, pro honeſto & pulchro, & valde præclaro uſurpatur; quaſi dicat, non vulgare aliquod certamen, quale vulgo pro glorioſo ac pulchro haberi ſolet, ſed verè præclarum, imo præclariſſimum. Simile eſt illud 1 Tim. 1. 18: *Militare bonam militiam*, ubi ad pugnas hoſtiles peculiariter alluditur, & refertur non tantum ad pietatem, quæ omnibus Chriſtianis ſit communis, ſed etiam ad ſtrenuam muneris Eccleſiaſtici functionum, de qua ibi videtur eſſe ſermo. Huc etiam pertinet: *Certare bonum fidei certamen*: 1 Tim. 6. 12: hoc eſt, in eo ſtrenuè laborare, multis etiam propoſitis periculis, ut fidem, quam multi oppugnant, retineas. Itaque fortaſſe ad conſtantiam in fide ſeu religione Chriſtiana id proprie pertinet. Referri etiam poteſt ad hoc genus vocabulorum *currendi* vocabulum, nempe in ſtadio pietatis; præſertim eo addito, ut quis comprehendat, nempe metam aut præmium, vel ut non in incertum: 1 Cor. 9. 24, 26. &, *decurrere propoſitum ſibi certamen* ſeu ſtadium, in quo quis cum altero curſu certet: Heb. 12. 1. Denique *curſum conſummare*: 2 Tim. 4. ℣. 7.

V. Referri huc etiam debent loca iſta, in quibus *Victoriæ* fit mentio. Ponitur autem interdum in hac ſignificatione vox vincendi ſimpliciter, ut ſupra vidimus; interdum additur is, quem vincere debemus. Is vero eſt vel mundus: ut 1 Johan. 5. ℣. 4. vel malignus, hoc eſt, diabolus; ibid. cap. 2. ℣. 13. Fit autem illud, cum quis omnia illa impedimenta, quæ vel mundus vel Satanas alicui objicit, quominus pietatem colat, ſuperat, nec ſe ab illis patitur à pietate avocari. Ea autem ſunt partim promiſſa quædam ſeu res jucundæ, partim minæ ac variorum generum calamitates & afflictiones, partim denique falſæ ac peſtiferæ doctrinæ.

VI. *Reſiſtere diabolo*: Jacob. 4. 7: hoc eſt, illius conatibus, quibus nos à Deo & ejus pietate avellere conatur, fortiter ſeſe opponere, nec locum illis ullum apud ſe dare.

VII. *Non attingi à maligno*, hoc eſt, diabolo: 1 Johan. 5. 18: hoc eſt, ita à Satanæ aſſultibus & fraudibus eſſe liberum, ut, quod vulgo ajunt, ne digitulo quidem te attingat, nedum ut te veluti captivum teneat, & quolibet te deducat atque impellat. Concurrit hîc cum Metaphora Metonymia: cauſa enim pro effectu ponitur; peccati enim cauſa eſt attingi aut comprehendi à maligno, quemadmodum con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

trarii contrarium. Ei opponitur à Johanne, *In illo maligno poſitum eſſe*, ſeu jacere, hoc eſt, ita ei adhærere, ut te ferat & trahat quo libet, non ſecus ac ſi te ſibi impoſitum circumferret.

VIII. *Lucere lucem alicujus coram hominibus*: Matth. 5. ỷ. 16. Quod ad pietatem in externis actionibus apparentem & hominum oculis expoſitam pertinere, ſatis liquet. Quo etiam poteſt referri illud Pauli Philipp. 2. ỷ. 15: ubi de Philippenſibus affirmat, eos lucere tanquam luminaria in mundo. Quanquam id vel ad profeſſionem veritatis, vel ad officium potius, quam ad factum eorum referendum videtur; præſertim cum ſtatim ſequatur veluti explicationis cauſa, *Sermonem vitæ ſuſtinentes*, vel *protendentes*; ac præterea hæc ratio afferatur à Paulo, cur debeant pietatem vitæ ſectari, ut ex præcedentibus apparet.

IX. *Seminare in Spiritum*: Gal. 6. 8. Cui opponitur *ſeminare in carnem ſuam*. Quanquam eæ phraſes peculiari quadam ratione poſſunt intelligi de ſumptibus, qui vel in res carnales, vel in ſpirituales fiunt, ut ex ſcopo Apoſtoli apparet. Ita tamen hæc ab Apoſtolo efferuntur, ut ſeminare in ſpiritum omnis generis pietatem, ſeminare in carnem quodvis vitium, quod interitum afferat, complectatur, licet interim ad ſumptus illos inſigniter reſpiciat.

X. *Fructum ferre Deo*: Rom. 7. 4: hoc eſt, opera ea proferre & exercere, quæ Deo ſunt grata, & ad honorem ipſius pertinent. Itemque *in omni opere bono fructum ferre*: Col. 1. 10: quæ phraſis ad proprietatem magis accedit; hoc eſt fructum ferre eum, qui in omni bono opere conſiſtat, ita ut particula *in* rei ſubſtantiam declaret. Opponitur his *inutilem eſſe vel fieri*: Rom. 3. 12. & Pſal. 14. ỷ. 4: Quanquam in Hebræo paulo aliter habetur, nempe computruerunt; quaſi dicat, nihil boni, quod Deo probetur, aut gratum ſit, faciunt, ſed potius quæ ei vehementer diſplicent. Non admodum diſſimile eſt illud Tit. 1. ỷ. ult. *ad omne opus bonum reprobi*, ſeu ita inepti, ut jure hac in parte repudiari, & ab eo negotio repelli debeant: quemadmodum contra aliquis dicitur ad omne opus bonum perfectè inſtructus: 2 Tim. 3. verſu ult. Quanquam hic locus de præparatione potius ad pietatem, quam de ipſa pietate loquitur. Nec deſunt, qui opus bonum hoc loco de operibus miniſterii aut functionis Eccleſiaſticæ accipiendum putent: præſertim cum hæc tantum dicantur de homine Dei, per quem is propriè videtur intelligi, qui Deo totus eſt idque ſingulari quadam ratione conſecratus, & ipſius ſervitio penitus addictus, ita ut nullis vulgaribus aut prophanis laboribus vacet, ſed tantum ea tractet, quæ ad Deum pertinent. Quomodo Timotheum hominem Dei appellat Paulus Epiſt. 1. cap. 6. 11. Senſus hic ſuperioribus ſatis eſt conveniens. Nihil tamen prohibet, quo minus latius etiam extendatur, & opus bonum ad alias etiam actiones pietati conſentaneas extendatur.

XI. *Præeſſe bonis operibus*; Tit. 3. 8. & 14. Metaphora ſumpta ab iis, qui alicui operi præſunt, & illud urgent ac curant, ut quam rectiſſimè fiat. Neque enim hîc ſermo eſt de ſtudio cæteros bonis operibus vincendi, cum vox illa προΐστασθαι non referatur ad perſonas quibus aliquis præſit, aut, ut nonnulli reddiderunt, præſtet, ſed ad ipſa bona opera, quibus aliquis ſit veluti præfectus. Videntur autem bona opera in loco poſteriori ſumi ſpeciatim, pro benefactis ſeu charitatis operibus; unde additur *ad neceſſarios uſus*, hoc eſt, cum alii fideles re quapiam aut aliorum opera egent. Præceperat enim ỷ. 13, ut Zenam & Apollo diligenter deduceret, vel à ſe dimitteret, ne quid illis deſit: quam ad rem hortationem ỷ. 13 accommodat.

XII. *Non inquinaſſe veſtimenta ſua*: Apoc. 3. 4. Quid per veſtimenta hîc ſit intelligendum ſupra alicubi indicavimus; quid ſit inquinare veſtimenta ſua per ſe ſatis liquet.

Cap. VI.

De Gradibus Pietatis.

GRadus pietatis conſtitui poſſunt varii, imprimis ratione conſtantiæ & alacritatis, quam quis in ea colenda præſtet. Conſtantiam vero appellamus eam, quæ cernitur in continuatione factorum virtuti conſentaneorum, quæ vel nullis vel paucis peccatorum actibus interrumpitur. Nam cum non tantum eum ſanctum & pium tum ſacræ literæ, præſertim Novi fœderis, tum communis loquendi modus appellet, qui nunquam quidquam deliquit, ſed etiam eum, qui ut plurimum ea præſtat, quæ virtuti ac pietati ſunt conſentanea, utut nonnunquam ex infirmitate, aut errore vel incogitantia aliqua labatur. Hinc fit, ut diverſi gradus pietatis conſtitui poſſint, ratione actuum, qui nunc paucioribus, nunc crebrioribus lapſibus interpunguntur, adeoque perfectior ea eſt pietas, quam vel nulli vel pauciſſimi lapſus ac peccata interpungunt, imperfectior vero illa, quam plures.

Alacritatem autem illam intelligimus, cum quis voluptatem in actionibus ſentit; quæ quidem inde proficiſcitur, quod caro & appetitus ita ſit domitus, ut vel nulla vel exigua cum lucta à ſpiritu vinci ſoleat, & ſic non magna in exercenda virtute cernatur difficultas. Certum autem eſt, alios alacrius ac facilius, alios minus alacriter majorique cum difficultate & lucta carnem domare, & à peccatis abſtinere, contraque virtutem colere. Verum quia hæc ferè conjuncta eſſe ſolent, ut qui alacrius minoreque cum difficultate virtutem colit, ſoleat etiam colere conſtantius, & minus crebro in eam delinquere, cum facilitas & voluptas conſtantiam ſoleat imprimis excitare; & contra, qui laborioſius & majori cum lucta eandem exercent, minus quoque conſtanter eandem ſoleant colere, (licèt non diffiteamur, interdum contra fieri poſſe, ut qui laborioſius rem aliquam exercet, exerceat etiam conſtantius:) ideo iidem quoque gradus pietatis, tum ratione conſtantiæ, tum ratione alacritatis conſtitui poſſunt. Conſtitui autem poſſunt tres potiſſimum: quemadmodum & in pietatis contrario; de quibus diſſeruit etiam Socinus in diſputat. de 7 cap. ad Roman. pag. 50. & ſeqq. eos nos hîc breviter repetemus, initio facto ab eo, qui eſt infimus.

Primus igitur atque infimus ſanctitatis gradus eſt eorum, qui ut plurimum quidem ea, quæ divinis præceptis ſunt conſentanea præſtant, à peccatis verò abſtiſtent; verum tamen non ſine gravi lucta & difficultate, propterea quòd, licèt ſpiritus in iis carne & appetitu ſit ſuperior, tamen caro nondum penitus ſit domita, & habitus virtutis, in perfectiori quadam ſignificatione acceptus, in qua à Philoſophis accipi ſolet, nondum penitus ſit comparatus. Qua de cauſa etiam iidem crebrius labuntur, vel quod appetitus validiſſima aliqua arma aliunde nonnunquam adipiſcatur, nempe incitamenta & irritamenta affectuum externa, vel quod error, aut incogitantia aliqua obrepat, quæ ipſa quoque ſæpè ab affectuum vehementia ortum trahit.

Secundus gradus eorum eſt, qui habitum virtutis perfectum ſunt conſequuti, & ita carnem perdomuerunt, ut vel nullam vel exiguam difficultatem in agendo experiantur; unde fit, ut conſtantius etiam virtutem ac pietatem colant, qualem imprimis Paulum fuiſſe ex ipſius dictis ſatis conſtat, quemadmodum docet Socinus in eadem diſputatione. Sed alios quoque ejuſmodi eſſe poſſe ex ſacris literis ipſaque experientia haud difficulter probari poteſt: & vel inde patebit, quod mox videbimus & oſtendemus, ſuperiorem adhuc pietatis gradum exiſtere poſſe. Quanquam vel hoc ſufficit, quod Johan. 1 Epiſt. cap. 5. ỷ. 3 ait; *Præcepta Dei gravia non eſſe*; & ipſe Chriſtus Mattth. cap. XI. ỷ. 30, *jugum ſuum ſuave, & onus ſuum leve eſſe* affirmat; intellige iis, qui ſpe immortalis vitæ firma fulciuntur & nituntur, eoque pacto ex Deo ſunt nati: ii enim ut Johannes ibi addit mundum vincunt, idque per

fidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

fidem, quæ robur illis inſpirat. At qui mundum vincit, hoc eſt omnia ea ſuperat, quæ mundus illi objicit, ut à pietate illum avocet vel abſterreat, ſive illa jucunda ſint ſive aſpera, ei facile eſt mandata Dei ſervare, imo eo ipſo jam ſervat; ſuave ipſi, inquam, eſt jugum Chriſti & onus leve.

Tertius igitur ac ſupremus gradus pietatis eſt eorum, qui alacerrime virtutis ſtudio incumbentes, eò pervenerunt, ut jam per aliquod tempus, idque non exiguum, adverſus divina præcepta nihil prorſus delinquant. Ad hunc gradum omnes Chriſtianos, qui ad cœlum collimant, aſpirare oportet ſemper; quem ſi non aſſequantur, in ſecundo ſaltem aut primo conſiſtere neceſſe eſt: habetque hîc locum iſtud Ciceronis: Prima ſequentem honeſtum eſt in ſecundis aut tertiis conſiſtere. Adſpirandum autem eſſe ad ſupremum hunc gradum omnibus, qui ſervari velint, inde patet, quod omnes fatentur, nemini Chriſtianorum licere ſtudio aut conſulto peccare, cùm id nihil ſit aliud, quam peccare per malitiam. At niſi ſingulos quis peccatorum actus vitare conetur, quod nihil eſt aliud, quàm ad ſupremum pietatis gradum adſpirare, conſulto peccabit, ſiquidem ne conatus quidem eſt actum aliquem peccati vitare. Graviſſima autem ſunt pondere ſuo peccata, licet alias genere ſuo leviora, quæ conſulto, aut per malitiam admittuntur: & ſolet Deus nonnunquam facilius remittere graviora peccata, per fragilitatem aut ignorantiam admiſſa, quam levia per malitiam. Patet id etiam exinde, quod, ut ſequenti capite docebimus, ſtudium & diligentia ſumma in pietate colenda nobis præcipitur. At niſi quis ſingulos peccatorum actus vitare conetur, & ſic ad ſupremum pietatis gradum adſpiret; is eam diligentiam non adhibet, quam poterat, vel debebat. Præterea cum in ſacris literis Deus ipſe ac Chriſtus, cujus ſanctitas eſt ſumma, & omni ex parte perfecta, nobis imitandus proponatur, jubeamurque ſancti eſſe, ut Deus ſanctus eſt, perfecti eſſe, ut Pater noſter perfectus eſt, ambulare in luce, ut Deus eſt in luce; ambulare etiam ut Chriſtus ambulavit, eumque ſequi: certè ad ſummam perfectionem adſpirandum eſt ei, qui hæc ſacrarum literarum præcepta ſciens volens violare, & ſic æternum perire nolit. Nam tum ipſa hæc, quæ nunc innuimus ſacrarum literarum loca, ſatis indicant, iſtum perfectionis conatum à nobis requiri, tum ratio ipſa id oſtendit quoque. Nam qui aliquem imitari debet, ei danda eſt opera, ut ei evadat quam ſimilimus. Quapropter ſi Deus & Chriſtus nobis imitandus eſt, ut certè eſt; conandum nobis eſt omnino, ut ei evadamus quam ſimilimi; quod nihil eſt aliud, quàm conari, ut ſimus quam perfectiſſimi. Quare ad ſupremum ſanctitatis gradum conatus ſaltem afferendus eſt; ad cæteros autem, atque imprimis ad infimum omnino cuivis Chriſtiano eſt perveniendum, niſi ſalutis æternæ jacturam facere velit. Iſtuc enim niſi pervenerit, ſecundum ſpiritum ambulare, præcepta Dei ſervare, & ſanctus eſſe dici non poteſt. At ſine his nemo Deum videre, à condemnatione liberari, & regnum cœleſte ingredi poteſt.

Verum quia plerique hodie, vel ſaltem magna Chriſtianorum pars negant exiſtere hunc ultimum perfectionis gradum, id nobis demonſtrandum eſt. Patet autem id primum ex iis, quæ jam diximus, nempe adſpirandum nobis eſſe ad hunc pietatis gradum. Atqui ad ea, quæ nullo pacto fieri poſſunt, nemo adſpirat, aut adſpirare debet. Fruſtra enim id fieret; fruſtra autem ſuſcipere aliquid ſapientis non eſt. Præterea ſi non poſſemus illum pietatis gradum aſſequi, neceſſe eſſet, nos aliquando peccare. At nunquam eſt neceſſe peccare; alioqui peccatum non eſſet peccatum. Peccatum enim omne liberè admittitur: ſi neceſſarium eſt, non amplius eſt peccatum. At quod prorſus neceſſarium eſt, id pœnam non meretur, nec cuiquam jure imputari poteſt, nec Deus æquitatis amantiſſimus unquam id facit. At vero lapſus, qui piis interdum obrepunt, peccata eſſe, & iis imputari, ſi Deus jure ſuo uti velit, poſſe; id oſtendit, quòd remiſſionem eorum à Deo petant; ac petere debeant, quemadmodum omnes fatentur. Cujus autem remiſſio impetranda eſt, id imputari jure poterat. Poterunt ergo ab his etiam paucis lapſibus pii abſtinere, & ſic non peccare; quod id ipſum eſt, quod quærimus. Amplius, cùm quotidie oremus Deum, ut ipſius voluntas in terra fiat, quemadmodum fit in cœlis, nempe ab Angelis, qua in re ſumma pietatis perfectio conſiſtit; ſtatuendum omnino eſt, poſſe nos ita perficere Dei voluntatem, quemadmodum perficiunt Angeli; &, ſi eum conatum adhibeamus, quem Deus à nobis requirit, & ita ardenter, ut opus eſt, Deum oremus, id nos omnino conſequuturos. Nam vel fruſtra Deum ea in parte oraremus, & ſic quoque fruſtra Dominus Jeſus nobis eam orandi particulam præſcripſiſſet: vel id Deus in nobis efficere, ut poteſt, ita etiam vult. Quod ſi id non aſſequamur; in cauſa eſt languor & remiſſio, vel in conatu & ſtudio noſtro, vel in precibus. Quo accedit, quod Johannes ait: 1 Epiſt. 5. ℣. 14, quicquid petierimus ſecundum voluntatem Dei, id nos accepturos. At quid magis eſt ſecundum voluntatem Dei, quam ut omni ex parte ſimus ſancti, & id faciamus ſemper, quod ipſi gratum eſt? imo hæc ipſa Dei voluntas eſt. Porrò, ut alia mittamus, oſtendunt id etiam vota Apoſtolica, quæ ſummam hanc perfectionem piis optant, quæ vana forent, niſi ea perfectio exiſtere poſſet, & non tantum uni aut alteri, ſed etiam integris Eccleſiis contingere. Inter cætera autem eminet locus Pauli 1 ad Theſſ. 5. 23, ubi ait: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos*, ſeu *integrè perfectos, & integer veſter ſpiritus & anima & corpus irreprehenſibiliter in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* Cui loco conjunge, alios ſimiles, partim hac ipſa Epiſt. cap. 3. ℣. ult. & Epiſt. 2. cap. 2. ℣. 17. partim ad Philipp. 1. 10, 11: *ut ſitis puri & inoffenſi*, &c. Col. 1. 10: *ut ambuletis vos ſicut Domino dignum eſt, cui per omnia placeatis, omnis operis boni fructum proferentes*, &c. & illud ad Hebr. ult. ℣. 21: *Deus pacis compingat vos in omni opere bono, ad faciendam voluntatem ejus, faciens in vobis, quod placeat coram ſe, per Jeſum Chriſtum.* Quanquam enim non negaverimus, quemadmodum etiam ſupra alicubi indicavimus, poſſe iſta verba ita accipi, ut habitus peccatorum fere tantum, aut ea peccata, quæ habituum ſint loco, excludantur: quia tamen verba iſta adeò ſunt emphatica & prægnantia, nec ulla eſt ſatis juſta cauſa, cur ab eorum proprietate diſcedamus, & vim eorum imminuamus, ſtatuendum potius eſt, Apoſtolum id iſtis verbis complexum eſſe, quod in iſto genere eſt perfectiſſimum. Sed, ut diximus, de hoc ſupra dictum eſt; id quod neceſſitatem quidem non arguit iſtius perfectionis, poſſibilitatem tamen oſtendit; quod nobis hoc loco ſufficit. Denique niſi id admittatur, ſtatuendum erit, divinum illum ſpiritum, eaque adjumenta, quæ nobis ad pietatem colendam per Chriſtum ſuppeditavit Deus, adeò eſſe imbecillia & invalida, ut, quantumcunque conemur, non poſſimus tamen peccatum devincere, atque in nobis extinguere; quod ſine magna divini Spiritus ignominia, atque adeò in ipſum Deum injuria, affirmari non poteſt. Neque ſane ulla juſta oſtendi poteſt cauſa, cur cum Deus omnino vellet, ut jugum peccati excuteremus, & ſanctè in hoc ſeculo viveremus, & nobis adjumenta ad eam rem perficiendam ſubminiſtraret; noluerit tamen tantum opis nobis ferre, ut ab omni prorſus peccato abſtinere, & ſanctitatem quam perfectiſſimam colere poſſimus. Quocirca ſtatuendum potius eſt, & ad omnem pietatem extendendum id, quod Johannes de re certa aſſerit, 1 Epiſt. cap. 4. ℣. 4: *Vos ex Deo eſtis, filii, & viciſtis eos*, nempe Pſeudoprophetas; *quia major eſt is, qui in vobis eſt, quam is, qui in mundo*; major, inquam, eſt Deus, ejuſque Spiritus in vobis habitans, quàm vel mundus, vel, qui in mundo eſt, Satan, vel caro noſtra: ac proinde, quemadmodum illi, ad quos ſcribit Johannes, propter eum, qui in ipſis habitabat, Satana majorem ac potentiorem, Satanæ ſervos mundano ſpiritu præditos vicerant; ita etiam nos propter

eundem penitus vincere poſſumus carnem, mundum, ac Satanam. Quod vero nonnulli ajunt, Deum ideo peccatorum reliquias in nobis extare velle, ne ſuperbiamus, quam perverſa ac præpoſtera ſit iſta ſuperbiæ à nobis depellendæ ratio, ſatis docuit Socinus in ea, quam ſuperius laudavimus, Diſputatione. Quaſi vero Deus, ne peccemus, iſto modo peccare nos velit; aut quaſi, ſi Deus in nobis omne peccatum extingueret, non ſimul etiam ſuperbiam, quæ certè peccatum eſt graviſſimum, penitus extingueret. Sed hæc ibi fuſius explicata videantur.

His tribus Sanctitatis gradibus, tres quoque habitus contrarii, atque impietatis, ſeu mavis conſuetudinis peccandi, opponuntur.

Primus gradus, inter malos optimus, & pietati proximus, eſt eorum qui plerumque quidem ea, quæ mala ſunt, perpetrant, & à carne vincuntur; verumtamen non ſine lucta appetitus ac rationis, indeque conſequente conſcientiæ vulnere. Unde fit, ut poſt factum nonnunquam vehementer doleant, ſuaque delicta deplorent; quod in iis accidit, qui divinæ voluntatis, ejus præſertim, quæ per Chriſtum eſt revelata, non exiguam habent notitiam, & omnem pudorem Deique metum non prorſus exuerunt. Atque hi nondum perfectum vitii habitum contraxerunt. Ad hoc genus pertinent ii, quos Paulus ſub ſua perſona deſcribit in poſteriore parte cap. 7. ad Rom. Quanquam de iis ibi loquitur, qui ſub lege conſtituti, Euangelii gratiæ adhuc ſunt expertes: quos quidem carnales adhuc eſſe, & ſub peccatum venundatos, & non ea facere, quæ velint, ſed quæ nolint, ac lege Dei ſecundum interiorem hominem ſeu mentem delectari, quomodo autem perficiant eam, non invenire, aſſerit. Hujus generis homines ſunt etiam ii, qui inter Ethnicos & voluntatis divinæ ignaros, honeſtatis tamen fuerunt amantes aliquò pacto; quos Ariſtoteles vocat incontinentes & impotentes, quemadmodum contra ii, qui in infimo pietatis gradu ſubſiſtunt, Ariſtoteli continentes dicuntur.

Secundus, iſque deterior, vitioſitatis gradus eſt, cum quis propemodum abſque lucta vitiis indulget, & perfectum vel unius, vel plurium habitum contraxit; unde fit ut dolorem conſcientiæ non admodum acrem ſentiat; in eo præſertim peccatorum genere, in quo hæret, licèt alioqui non adeo ſit malus aut ſceleratus. Vitium enim mentem, & principia honeſtatis in eo rerum genere, jam ferè penitus corrupit atque extinxit.

Ultimus denique gradus eſt eorum, qui dies noctesque nihil aliud agunt, quam ut cupiditatibus ſuis indulgeant, eaſque exerceant, & in omnibus ſcelerum generibus ſine pudore ac metu volutentur: in quibus jam diſcrimen honeſti ac turpis univerſum extinctum eſt, vel ſaltem exigua tantum illius extant veſtigia, quæ in enormibus tantum ſceleribus, & ab humanitate alienis ſeſe exſerunt, & furiis quibuſdam animum exagitant. De quo hominum genere loquitur Paulus ad Eph. 4. 19: ubi de gentibus à veritate alienis ait, quod *poſtquam dedoluerint*, hoc eſt, conſcientiæ metum & dolorem plane abjecerint, *ſeipſos tradiderint laſciviæ, ad operationem omnis impietatis, cum aviditate.*

Hactenus unam perſequuti ſumus rationem, qua gradus pietatis diverſi conſtitui poſſunt, quæ quidem imprimis videtur obſervatu neceſſaria: reſtat tamen alia quoque, quæ ex ſtudio hominis una ex parte pendet, ſed ex altera parte non minus pendet ex pietatis adjumentis & virtutum exercendarum occaſionibus ac inſtrumentis, quæ uni largius obveniunt quam alteri. Unde etiam alter illuſtriora virtutis ſuæ dare debet documenta, quam alter, etiamſi tandem alter æquè laboret, & idem ſit illius, ut ita dicam, meritum; ſed virtus ejus eſt obſcurior & minus fructuoſa, proptera quod iis adjumentis aut occaſionibus deſtituatur, quibus alter melius eſt inſtructus. Huc videtur reſpicere Chriſtus in ſimilitudine ſeu parabola iſta de Talentorum inter ſervos ſuos ab eodem Domino diſtributorum diverſitate, Matth. 25. 24 & ſeqq. ubi dicitur, dominum iſtum, ſervis ſuis, alii quidem quinque, alii duo, alii unum tantum dediſſe; quod illum feciſſe intelligendum eſt ſecundum proportionem virium, & pro facultate ac aptitudine cujuſlibet ad quæſtum faciendum. Idem docetur apud Lucam, licet ibi de ſingulis tantum minis ſit ſermo, qua ille quidem X minas, iſte vero V fuerit lucratus; nempe pro diverſitate virium & occaſionis. Nam qui in illuſtri loco aliquo eſt conſtitutus, ſive in Republica, ſive in Eccleſia, habetque plurimas virtutis exercendæ occaſiones aut inſtrumenta, illum etiam plurima oportet præſtare. Cui parcius hæc ſuppetunt, ab eo quoque minus repetetur. Nam ut alibi apud Lucam, cap. 12. ℣. 48, de re alia loquitur Chriſtus, *cui multum datum eſt, ab eo multum repetetur.* Sic Rex aliquis aut Princeps, ſi virtutem ac pietatem vere colit, infinitis partibus plura poteſt præſtare, quam aliquis infimæ ſortis homo, v. g. agricola, aut Civis. Eccleſiæ paſtor etiam longè plura poterit, præſertim ſi ſit divinis donis inſtructior, quam plebejus aliquis ex auditoribus, & ſic de cæteris etiam judicandum. Nam ſi divina veritas incidat in hominem doctum, diſertum, rebus gerendis aptum; divitem etiam; ſi is virtutem ex animo colat, longè illuſtrior etiam erit illius virtus, quam ejus qui his viribus eſt deſtitutus, etiamſi eandem veritatem perſpectam habeat, & virtutem pro viribus colat. Neque enim ſtatuendum eſt, cum Chriſtus apud Matthæum de diverſo talentorum numero loquitur, eum tantum de diverſitate donorum ſpiritualium ac cœleſtium loqui, quæ quo copioſiora ſunt, tanto etiam plus debeant lucri & quæſtus afferre domino: Sed ſtatuendum eſt, per talenta iſta intelligi poſſe eandem etiam rem, nempe divinæ veritatis notitiam, ſed cum diverſis dotibus, & virtutis exercendæ, aut gloriæ divinæ promovendæ adjumentis conjunctam. Nam ſi ea cum inſigniori donorum diverſorum, quæ ad virtutem & pietatem aliquid afferunt momenti, copia jungatur, quinque talentorum vim habet; ſi cum minore, quatuor, aut trium aut duorum: ſi cum minima, unius. Unde, ut apud Lucam jam vidimus, unius tantum minæ, quam ſinguli ſervi acceperint, fit mentio. Hinc ergo jam prope infiniti poſſunt conſtitui pietaris gradus: cum infinita ſint iſtarum rerum, quæ ad pietatem perficiendam pertinent, genera. Haud ſcio, an Chriſtus quoque in iſta parabola de ſeminante huc reſpexerit; ubi de ſemine agens, quod in bonam terram ſparſum fuerit, Matth. 13. 23 ait: *hic eſt qui ſermonem audit, & intelligit, qui utique fructum fert, & facit, alius quidem centena, alius verò ſexagena, alius verò tricena.* Nam licet fortaſſè poſſit hic locus referri etiam ad priorem iſtam graduum pietatis diſtinctionen; longe tamen commodius huc refertur. Nam non videtur inter gradus iſtos, quos primo loco conſtituimus, eadem eſſe proportio, quæ hoc loco à Chriſto inſtituitur. Neque videntur ii, qui per aliquod tempus ab omni peccato ſunt immunes, adeò ſuperare eos, qui in inferioribus gradibus ſunt conſtituti, ut reſpectu eorum centupli habeant rationem, illi vero tantum ſexagecupli aut trigecupli; quemadmodum nec illud, quod paulo ante ex cap. 25 Matth. & Luc. 16 attulimus, ubi proportio eſt quintupla, aut etiam decupla; ſed ad hanc poſteriorem graduum diſtinctionem optime accommodari, & major etiam diſtinctio conſtitui poterit, propterea quod adjumentorum ad pietatis aut gloriæ divinæ promotionem pertinentium ſit interdum valde magna inæqualitas, unde etiam fructuum proportionata, ut loquuntur, naſcitur inæqualitas. Hoc poſterius diſcrimen graduum pietatis admodum eſt neceſſarium, ne quis putet ſibi ſufficere, ut operum ipſorum & fructuum ratione, infimum quemque inter Chriſti diſcipulos, qui verè pius dici queat, & regnum cœlorum ſit adepturus, æquet, aut paululum etiam ſuperet: ſed ſtatuat, Deum æquiſſimum judicem ſecundum proportionem & analogiam, in qua juſtitia conſiſtit, judicaturum, & tales fructus ab

uno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

uno quoque repetiturum, qui ſint viribus ad virtutem aut res cœleſtes curandas tractandaſque pares. Quod iis, qui opibus pollent, imprimis eſt inculcandum, ne illi in erogandis pecuniis ſimplicem æqualitatem ſpectare, ſeu tantundem in gloriæ divinæ, vel in pauperum uſus, erogare ſatis ſibi ducant, quantum ii, qui ſunt pauperiores, ſed pro facultatum modo agant: Quod Paulus quoque inculcat poſteriore ad Corinth. cap. 8. verſiculo 12.

Quod in genere hactenus diximus, id etiam ſpeciatim ad certas virtutes transferendum eſt. Nam etiamſi omnes omnium virtutum habitibus debent eſſe exculti, ad quas quidem exercendas ullas habent occaſiones, cum in cæteris animus ſufficiat: fit tamen plærumque, ut alius alia virtute inter cæteros emineat, idque ferè ea de cauſa, quod natura ſit ad eam aptus. Unde inter duos pluréſve liberales, unus tamen aliquis eſt liberalior, inter humanos humanior, inter graves gravior, inter temperantes temperantior, inter devotos ac religioſos devotior ac religioſior. Unde fit, ut nonnulli una quidem virtute vincant alios, alii verò viciſſim ſuperentur ab aliis. Inter eos autem is eſt excellentiſſimus, qui & in excellentiſſimis virtutibus, quæ præcipuam in ſacris literis laudem habent, (qualis eſt v. g. ardor erga gloriam divinam, charitas erga proximos, conſtantia in afflictionibus,) & in pluribus eminet. Minus excellit is, qui vel in minus excellentibus, vel in paucioribus.

Denique gradus quoque pietatis conſtitui poſſunt ratione temporis ac durationis. Alius ab ineunte ætate ſeu pueritia prima, ex quo rationis uſum adeptus eſt, Deo uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſervivit: alius in adoleſcentia ſeu pubertate demum cœpit: alius in virili ætate: alius demum in ſenectute & ultimo veluti actu. Alius item vitioſo aliquo à pietate diſceſſu curſum hunc interrupit: alius minimè. Quorum illud Dominus Jeſus indicavit aliquomodo parabola iſta, quæ extat Matth. 20, de operariis diverſo tempore conductis, eodem tamen præmio affectis. Atque ex triplici hac ratione graduum, quos conſtituimus, pietatis varia poteſt oriri mixtio, cum alius diutius Deo potuerit ſervire, alius alacrius, alius in pluribus virtutibus excelluerit, alius in paucioribus, & ſic in cæteris.

Ex dictis colligi poteſt, duplicem imprimis conſtitui poſſe pietatis perfectionem: alteram, ut cum Schola loquamur, intenſivam: alteram Extenſivam. Quarum illa in gradibus pietatis, nulla temporis habita ratione cernitur; hæc in duratione & conſtantia quadam conſiſtit. Prior illa eſt, cum quis eo uſque progreſſus eſt, ut jam per tempus aliquod nunquam peccet; præſertim ſi alias virtus ipſius ob adjumentorum ad eam exercendam præſtantiam & copiam ſit valde eximia & illuſtris. Hæc enim perfectionis ratio ex duabus prioribus, quas conſtituimus inter ſanctitatis gradus, diſtinctionibus, & maximè ex prima oritur. Poſterior eſt, cum quis in ſanctitate vera uſque ad extremum vitæ terminum perſiſtit, & ſic pietatis curriculum uſque ad calcem decurrit. Ad priorem perfectionem reſpexit Chriſtus in verbis ultimis cap. 5. Matth. ſuperius citatis: quin etiam Paulus loco ſupra citato, priore ad Theſſ. 5. 23. quanquam altera quoque in iiſdem comprehenſa cenſeri poteſt, maximè ſi verba illa, *in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ita accipias, ac ſi dictum eſſet, uſque in adventum, &c. ἐν pro εἰς, quod tamen rarius accidit, uſurpato. Quicquid de hoc ſit, ea comprehenditur in voce ſervandi, cujus hæc vis eſt, ut Deus eos in ea perfectione & ſtatu tam felici conſtanter tueatur. Haud neſcimus, poſſe hæc loca de pietate ſimpliciter accipi, cum ipſa quoque pietas ſimpliciter ſumpta, licet ad ſummum faſtigium non perveniat, perfectio quædam ſit: Unde etiam integritatis ac perfectionis nomine eam in ſacris literis exprimi ſuperius docuimus. Verum tamen illud quoque ibidem notavimus, poſſe, vel etiam debere loca hujuſmodi de perfecta quadam ſanctitate, quæ ad faſtigium ſuum pervenerit, accipi. Poſterior perfectio intelligitur in illuſtri illo Pauli loco Philipp. 3. 12, cum ait, *ſe nondum eſſe perfectum*: quod non ita eſt intelligendum, quaſi Paulo tum temporis ad ſummam pietatis perfectionem aliquid defuerit, ſi eam per ſe, nulla habita ratione temporis, conſideres; ſed quod nondum ad curriculi ſui calcem ac terminum pervenerit, in quo qui conſtitutus eſt, ei nil amplius ſalutis cauſa eſt laborandum aut faciendum, ſed id tantum reſtat, ut præmium ſibi propoſitum accipiat, immò id propemodum in manu jam tenet. Nam mors demum uniuſcujuſque curſui hunc pietatis imponit terminum, ante quem nemini licet conquieſcere, nec quiſquam βραβείῳ iſto potietur, qui, antequam metam iſtam attingat, de labore aut pietate ſua remittat, & ſe jam ſatis ſalutis ſuæ cauſſa feciſſe putet. Alludit enim hoc loco Paulus ad eos, qui in ſtadio currunt, qui niſi ad metam perveniant, nondum conſummati ea in parte, ſeu ad finem perducti (ita enim etiam reddi poteſt vox τετελείωμαι, qua utitur Paulus) dici queunt, nec βραβεῖον adipiſcuntur. Quapropter ita licet locum hunc paraphraſi quadam explicare; Non prædico hæc ideo de me, (nempe quantum Chriſti ſalutiſque cauſa perdiderim) quaſi jam propter hoc ipſum metam curriculi apprehenderim, & ipſum præmium propoſitum veluti in manu teneam, aut quod jam ad finem hujus curriculi pervenerim: imo verò ego adhuc perſequor illud præmium, & ſtrenuè curro, ſi quo pacto illud poſſim apprehendere. Alibi cum jam morti vicinus eſſet Paulus, jamque nihil reſtaret aliud, quam ut eam Chriſti cauſa ſuſtineret, ita ut in curriculi ſui termino, tum ratione divini conſilii, tum ratione animi ſui decreti eſſet conſtitutus, ait *ſe curſum conſumaſſe*: 2 Tim. 4. 7. Præceſſerat enim, quod ad confirmationem eorum, quæ diximus, pertinet: *Ego jam libor*, ſeu offeror, *& tempus meæ migrationis inſtat*. Quare poſtea de conſummatione curſus tanquam de re præſenti loquitur

CAP. VII.

De proprietatibus quibuſdam pietatis.

PRoprietates Sanctitattis conſtitui poſſunt variæ: ſed earum, quas hoc loco explicare conſtituimus, quæ ad noſtrum officium pertinent, primam conſtituere poſſumus diligentiam, de qua Petrus imprimis Epiſt. 2. cap. 1. 5. & 10. quæ in partes quaſdam diviſa, plures nobis proprietates exhibet.

Ejus pars prima eſt Cautio ſeu Vigilantia, quæ ſecuritatem omnem excludit, ſeu ſomnum quendam ſpiritualem, & non ſemel nobis à Chriſto commendatur, atque imprimis tum, cum de præparatione noſtri ad ipſius adventum agit. Exempla vide Matth. 24. 42. & ſeqq. & cap. 25, ab initio uſque ad finem ℣. 13. & in locis ſimilibus apud Lucam cap. 12. 35. & ſeqq. item cap. 21. 34. itemque 1 Theſſ. 5, ab initio, & 1 Pet. 1. 13. & cap. 4. 7. Apoc. 3. 2, 3. Cernitur autem ea imprimis in vitandis peccatis, eorumque periculis. Unde toties monemur in ſacris literis, ut videamus ſeu caveamus nobis, v. g. ne corda noſtra graventur crapula & ebrietate & aliis rebus ſimilibus. Quæ cautio, quia præcipuè oritur ex metu pœnarum divinarum, atque imprimis interitus æterni; ideò metus quoque & timor, qui non ſemel ſtudio pietatis adjungitur, huc referri poteſt. Eò pertinet illud Pauli ad Philipp. 2. ubi vult, ut *cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur*, hoc eſt, ſolicitè & anxiè, verentes ne alicubi impingamus, & ſalute prorſus excidamus, ac Deum graviter offendamus. Quo pacto idem Paulus ſervis præcipit, ad Epheſ. 6. 5, ut dominis ſuis ſecundum carnem obediant cum timore & tremore, hoc eſt, ſtudioſè, ſolicitè, verentes necubi officio ſuo malè fungantur, & dominos ſuos offendant. Similem phraſin reperies de Corinthiis, in poſteriore Epiſt. ad eos ſcripta, cap. 7. 15. Et illud Petri, 1 Epiſt. cap. 1. 17. ubi monet, ut incolatus ſui tempus tranſigant cum timore ii, ad quos ſcribit, certi, Deum ci-

tra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tra perſonarum reſpectum judicare ſecundum cujuſque opus. Huc etiam referendus eſt locus Pauli, 2 Cor. 7. 1: ubi vult ut ſanctitatem perficiamus in timore Dei. Et ille Autoris Epiſt. ad Hebr. cap. 2. ad finem: ubi vult, ut ſerviamus acceptè Deo cum pudore & timore, ſcientes Deum eſſe ignem conſumentem: ubi cum timore pudorem etiam conjungit divinus Autor, qui affectus eſt tenerior, & Chriſtiano homine, imo etiam quovis bonæ indolis dignior. Duo nempe conſtituit autor divinus peccati retinacula, & veluti ſufflamina, pudorem & timorem; quibus duabus rebus omne malum natura perfudit, ut, niſi fallor, Tertullianus alibi pronunciavit. Pudor eſt metus quidam ſiniſtræ in alieno animo de ſe opinionis, vel opinionis ejuſmodi, unde alter ille minoris nos facere incipiat. Hic in noſtro hoc negotio præſtat, ut quis nihil audeat in conſpectu Dei ſanctiſſimi, in cujus oculis ſe ſemper verſari cogitat, vel facere, vel dicere, vel denique cogitare, quod Deum offendat, & eum à ſeſe aliquo modo alienet, efficiatque, ut illi minus jam ſit ipſe gratus. Quo pacto erubeſcunt juvenes coram vultu virorum magnorum ac gravium, ii præſertim quorum frons eſt tenera. Verum quia pudoris non ſemper tanta vis eſt, ut affectuum violentiæ reſiſtere poſſit; ideo alterum peccandi repagulum & obicem adjicit divinus autor, metum, nempe pœnæ & ſupplicii divini, qui in animis etiam contumacioribus vim non exiguam habere, & licentiæ eorum frænum injicere poteſt. Ad hunc id potiſſimum reſpicit, quod dicti ſui confirmandi cauſa adjicit idem Autor: *Etenim Deus noſter ignis eſt conſumens*: q. d. ſi vos pudor in officio non continebit, nec tantum in vobis habebit virium, ut Deo, quemadmodum illi gratum eſt, ſerviatis; metus ſaltem iræ divinæ, & ſuppliciorum inde proficiſcentium vos contineat, & ad officium faciendum adigat. Ad hanc cautionem illud quoque Johannis pertinet: 2 Epiſt. ℣. 8: *Videte vos ipſos*, hoc eſt, vobiſmet ipſis cavete, *ne perdamus, quod operati ſumus, ſed mercedem plenam accipiamus*. Et illud Pauli 1 Cor. 10. 12: *Qui videtur ſtare, videat ne cadat*. Quo de loco quæri poteſt, quomodo eos ut videant ne cadant moneat, non qui revera ſtant, ſed qui videntur ſtare, cum tamen ii jam videantur cecidiſſe; & his talibus non illud ſit curandum, ne cadant, ſed potius, ut ſurgant; contra autem illis, qui revera ſtant, id agendum ſit, ne cadant. Verum animadvertendum eſt, medium quippiam eſſe inter ſtationem, ut ita dicam, & caſum, ſeu lapſum; nec protinus eum, qui revera non ſtat, lapſum jam eſſe aut cecidiſſe; ſed fieri poſſe, ut tantummodo in ruinam inclinet, & in lapſum ſit pronus, qui tamen ſibi videatur egregiè ſtare. Atque hi imprimis ea re opus habent, ut ſibi à lapſu ac ruina caveant, ſiquidem ei ſunt maximè vicini & periculo proximi. Sunt autem imprimis ii, qui videntur ſtare ſibi, nec tamen revera ſtant, qui variis divinis beneficiis fruuntur, aut antea illis fuere potiti; unde colligere veriſimiliter poſſunt, ſe in gratia apud Deum eſſe, ſeu ſe bono eſſe loco, & in felici poſitos conditione: (id quod ſtandi vocabulo ſignificatur, quemadmodum idem etiam uſurpatur 2 Cor. 1. ℣. ult) interim tamen indignos ſeſe præbent tantis divinis beneficiis, & eam ipſam ob cauſam, quod tantam erga ſe divinam benignitatem experiantur, ſecuri fiunt; unde lapſui ac ruinæ, hoc eſt, ſuppliciis divinis & extremæ infelicitati ſunt proximi; in quam, niſi ſibi diligenter caveant, mox incident. Tales fuerunt Iſraelitæ olim, quorum exemplum ſuperius Apoſtolus Corinthiis propoſuerat, & quorum occaſione hæc, de quibus agimus, verba poſtea ſubjunxit, cum in eodem ſtatu verſarentur etiam Corinthii. Nil de eo nunc dico, quòd particula illa δοκεῖ, ſeu videtur, interdum in ſacris literis non de opinione falſa, ſed de ſuperba tantum uſurpetur, puta cum quis in re aliqua admodum ſibi placet & ea intumeſcit ſeſéque effert: quo pacto videtur uſurpari hæc vox ſupra eadem Epiſtola cap. 8. 2. & Matth. 3. 9.

Sed, ut ad inſtitutum redeamus, duplicem ob cauſam metus ille, de quo agimus, & ſolicitudo è pietate noſtra oriri debet aut poteſt. Primum ideò, quia fieri poteſt, ut aliquid nobis deſit, quod ad ſalutem nobis ſit neceſſarium, vel ut ſaltem tale aliquid admittamus, quod, etiamſi ſalutem nobis non prorſus eripiat, poſſit tamen nos divinis ſuppliciis aliis reddere obnoxios. Deinde ideò quia fieri poteſt, niſi ſedulo nobis caveamus, ut à pietate deſciſcamus ſicque in æternum pereamus: qua de re non pauca ſacrarum literarum loca loquuntur. Vide inter alia Ezech. 33. 12, 13.

Neque verò iis, quæ hactenus de timore, qui ſanctitatis univerſæ proprietas quædam eſt, diximus, obſtat id quod ait Zacharias; *ut ſine timore, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviremus ipſi*, nempe Deo, *in ſanctitate & juſtitia coram eo per omnes dies vitæ noſtræ*: Ubi voces *ſine timore* (Græcè ἀφόβως) conjungi debere cum verbo *ſerviendi* ſatis eſt manifeſtum. Nam primum hîc non eſt ſermo de timore Dei revera, præſertim ſi is ſpectetur verborum ſenſus, quem Zacharias tum temporis videtur intellexiſſe; ſed metus inimicorum ſeu hoſtium populi divini, in quorum manu antea fuerat, & quos perpetuo cogebatur metuere. Verumtamen ſi verba hæc ad ſpirituales hoſtes referantur, ut quidem ex mente Spiritus divini per Zachariam loquentis faciendum eſt; inter eos ſupplicia quoque divina, atque imprimis mors æterna collocanda eſt; quarum rerum metus videtur idem eſſe cum timore iſto, de quo hactenus ſumus loquuti, ſeu cum timore ipſius divini numinis; quandoquidem metuere pœnas divinas eſt ipſum Deum metuere; ideòque alio modo reſpondendum eſt, diſtinctione metus ſeu timoris adhibita. Eſt ergo in iſtis Zachariæ verbis ejuſmodi intelligendus inimicorum metus, ut, quicquid tu facias, nihilominus tamen ab iis ſecurus eſſe nequeas, quemadmodum tum fit, cum quis in eorum prorſus eſt manu, nec extricare ſe inde poteſt. At talis erat hominum ante Chriſtum ſtatus, ut in iſtis Zachariæ verbis indicatur. De eodem loquitur autor Epiſt. ad Hebr. cap. 2. 15. At poſt Chriſtum exhibitum longe aliter futurum erat, hoſtibus populi divini ita devictis, ut nemo illos jam metuere cogatur, aut illorum violentiam experiri, niſi quis ultro victas det manus. Unde jure dici poteſt, metum eum, qui in nobis exiſtere debet, primo non eſſe hoſtium, ſed noſtrimet ipſorum, cum noſmetipſos primum cogamur metuere, ne forte ad hoſtes deſciſcamus, & in illorum tranſeamus caſtra; unde poſtmodum toti ſimus in eorum poteſtate, quæ ſane duriſſima: illum verò, de quo Zacharias loquitur, primum circa hoſtes ipſos verſari. Is, quem nos intelligimus, officii noſtri pars eſt; hic infelicitatis aut pœnæ: ille, ne in hoſtium poteſtatem perveniamus, efficit; hic eorum eſt, qui in eam jam inciderunt: ille tranquillitatis conſcientiæ cuſtos eſt; hic hoſtis, ſiquidem eam perpetuo turbat. Ei opponitur fiducia illa, de qua loquitur Chriſtus Johan. 16. 33. & Paulus Rom. 8. 38, 39.

Hæc prima eſt diligentiæ & ſtudii circa pietatem pars; altera eſt labor, qui in difficilimis etiam pietatis operibus non ſuccumbit oneri, ſed potius contra nititur, & pulchrius eſſe cogitat, quoties magno ſibi conſtat honeſtum; ac propterea conatum perfectionis ac ſtudium proficiendi in pietate complectitur. Unde tota pietas interdum laboris nomine videtur deſcribi, ut 1 Cor. 15. ℣. ult. niſi quis non tam ipſam pietatem, quam laborem circa ipſam colendam, iſto nomine, ut quidem propriè ſonat, intelligi velit; id quod inſtituto noſtro adhuc magis ſerviet. Commemoratur etiam labor in hoc negotio Apoc. 2. 2, 3: quanquam ibi illi potiſſimum labores intelligi poſſunt, qui ab Angelo Eccleſiæ illius, divinæ gloriæ pietatiſque promotioni fuerant impenſi. Commemoratur etiam labor charitatis cap. 6. ad Heb. ℣. 10. quia hæc virtus imprimis labore indiget. Hac de cauſa pietas certamini ac pugnæ in ſacris literis comparatur, ut ſuo loco videbimus. Et Dominus Jeſus apud Lucam cap. 13. 24. vult, ut *luctemur*, ſeu ſumma vi nitamur

ingredi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ingredi per anguſtam portam. Hujus laboris cauſa impulſiva procatarctica eſt difficultas, ut antea innuimus, quæ in virtute colenda cernitur. Nam licet pietas, ut ſuperiori capite vidimus, facilis ac ſuavis cenſeri debeat, ſi conſideretur magnitudo præmii, quod eam comitatur, cujus ſpecies omnia perrumpit impedimenta, nil illi durum, nil aſperum eſt; tamen ſi ea per ſe conſideretur, & ad carnem noſtram & affectus in ea habitantes referatur, ea valdè dura & aſpera eſt, præſertim tum, cum externa virtuti objiciuntur impedimenta, & ſi carni quædam valida arma ſuppeditantur, ſive à rebus jucundis, quæ peccatum comitantur, & ad illud nos ſolicitant; ſive ab injucundis & moleſtis, quæ pietatem, ut umbra corpus ſequuntur, imprimis tum cum juſtitię cauſa affligimur, & tormentis ſubjicimur.

Cum labore hoc tertio loco conjungi poteſt fervor & alacritas quædam. Nam etſi hæc non videntur omnibus prorſus, qui pietatem tamen colunt, eſſe communia, ſed iis tantum, qui perfectum ſanctitatis habitum compararunt, quique in agendo non magnam difficultatem ac luctam experiuntur: tamen in omnibus Chriſtianis, etiam in iis, qui in infimo ſanctitatis gradu ſunt conſtituti, fervor & alacritas aliqua reperiri debet. Nam nec frigidos nec tepidos nos eſſe oportet. De frigidis omnes fatentur. At de tepidis aſſerit Dominus Jeſus Apoc. 3. ℣. 16. ſe eos evomiturum ex ore ſuo, eoſque ferre non poſſe: quemadmodum tepida ventriculus noſter non ita facile continet, ſed ea nauſeabundus evomit. Quapropter fervidos, ut ibidem vult Dominus Jeſus, eos eſſe oportet, qui in favore Chriſti permanere cupiunt, & ab illo rejici & planè repelli nolunt. Fervidi autem cenſeri poſſunt omnes ii, qui ſincerè Domino Jeſu & veræ pietati adhærent, non vero duplicis ſunt animi, ut eos vocat Jacobus cap. 1. 8. & cap. 4. 8: qui de fide ipſa ambigunt, & nunc illam conſtanter retinendam putant, nunc iterum de illa dubitare incipiunt, aut non ſatis candidè, ingenuè aut animoſè eam profitentur; quo Jacobus cap. 1 reſpicit: Vel partim Deum amant, partim mundum hunc, & hos duos inimicos ita inter ſe conciliare ſtudent, ut amorem ſuum animámque adeò ſuam inter utrumque partiri velint: quo reſpicit idem Jacobus cap. 4. Hi enim omnes tepidi ſunt, & à Domino Jeſu ferri non poſſunt: quemadmodum & ii, qui in primis virtutum rudimentis ſibi putant conquieſcendum, &, quia non ſunt planè impii, & apertè ſcelerati, ideò ſe ſatis officio functos, ſatis divites opinantur. Qui frigidis ideò potiſſimum ſunt deteriores, quod, ut fervidi fiant, non facilè effici poſſit; cum frigidus, in peccato aliquo, quod ipſe ſatis novit, hærens, cum morbum ſuum agnôvit, facilius impelli queat, ut illi quærat remedium, & à frigore ad fervorem concitato ſtudio progrediatur. Nam aliàs tepor per ſe conſideratus, frigore melior cenſeri debet, cum fervori ſit propior; nec reprehenditur ſi conſideretur tanquam via ad fervorem, non tanquam viæ terminus; quod poſterius obtinet in tepidis. Poſſunt tamen frigidi etiam pro illis accipi, qui Dominum Jeſum prorſus ignorant. Quod ſi admittatur; jam eam quoque ob cauſam tepidi illis cenſebuntur deteriores, quod minus gravia cenſeantur eorum peccata, licèt per ſe ſint graviſſima, qui in ignorantia veritatis verſantur, quam eorum (licèt aliàs paulo leviora) qui doctrinam veritatis habent cognitam. Fervorem, de quo loquimur, requirit ab omnibus Chriſtianis, cum Chriſtus ipſe Matth. 5. 6: ubi beatos prædicat eos, *qui eſuriunt ac ſitiunt juſtitiam*; quibus verbis ardentiſſimum ſtudium pietatis ac deſiderium, quale eſt cibi ac potus, quum eſurimus ac ſitimus, exprimit; tum apertius adhuc Paulus Rom. 12. ℣. 11. Ubi tamen fervor ille vel ad charitatem erga fratres, vel ad gloriæ divinæ promotionem imprimis ab Apoſtolo referri videtur. Nam etſi fervor in univerſa ſanctitate cernatur; maximè tamen in certis quibuſdam virtutibus locum habet, aut habere debet, & quidem in iis, in quibus amor ac deſiderium quoddam continetur. Itaque fervor primo locum habet in amore erga Deum & ipſius gloriam, & ſic quoque in precibus; ubi & gloriæ divinæ, & noſtri aliorumve hominum boni deſiderium, fervorem excitare poteſt. Quò pertinet ardor in repurganda à vitiis & ſcandalis Eccleſia, aut in veritate divina promovenda ac pietate propaganda; ubi ſimul etiam charitas erga proximum cernitur, in qua ſecundo fervor ille locum habet, ſive de alterius æterna ſalute agatur, ſive de alia aliqua re, quæ ad inſigne ejus commodum pertineat; atque imprimis tum, cum periculum magnum alicui imminet. Cernitur etiam in noſtræ ipſorum ſalutis deſiderio, atque in periculis juſtitiæ cauſa adeundis, circa quæ etiam imprimis commendatur alacritas ſeu gaudium, licèt res ipſa videatur illi maximè obſtare. Vide, inter alia, ejus rei præcepta Matth. 5. 12. ad Col. 1. 11. Jacob. 1. 2. & 1 Pet. 1. ℣. 6. & cap. 4. 13. Cujus rei exemplum habemus in Apoſtolis Act. 5. 41. Et in Paulo Act. 20. 24: ubi univerſum pietatis ſuæ curſum cum gaudio ſe peregiſſe prædicat. In beneficentia autem & liberalitate alacritatem idem imprimis commendat 2 Cor. 9. 7. Malus eſt miles, inquit Seneca, qui ducem ſuum gemens ſequitur: ſic malus eſt miles Chriſti, qui eum gemens ac triſtis ſequitur; imò revera non ſequitur. Unde ſacræ literæ etiam volunt, ut gloriemur de ſpe noſtra & felicitate, quam adepti ſumus, ad Heb. 3. 6. Quin etiam ejuſmodi ſtatum Chriſtianorum eſſe, teſtatur Paulus Rom. 5. 3, ut de afflictionibus quoque glorientur; quod reipſa etiam exemplo ſuo oſtendit 2 Cor. 12. 5.

Ultimo loco, tanquam diligentiæ pars quædam adjungi poteſt conſtantia: nam nulla vera eſt ſine conſtantia diligentia. Conſtantia autem hîc requiritur ejuſmodi, ut quis uſque ad ultimum vitæ finem perduret, quicquid etiam ei contingat adverſi. Unde illud apud Matth. 10. 22: *Qui perſeveraverit uſque ad finem hic ſalvus erit.* Et in Apoc. 2. ℣. 26: *Qui vicerit & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo ei auctoritatem in Gentes.* Quin etiam iſtud eodem cap. ℣. 10: *Sis fidelis uſque ad mortem.* Nam fidelitas iſta conſtantiam quoque ſingularem in eo, quod ſemel Chriſto ſpopondimus, præſtando complectitur. Qua de re non pauca in ſacris literis hinc inde habentur, atque inter alia etiam apud Autorem Epiſt. ad Heb. vide imprimis cap. 10. 35 & ſeqq. & cap. 12. 15. Hac de re diximus nonnihil antea, cum de ſanctitatis perfectione, quam extenſivam appellavimus, egimus, & dicetur infra in ſpeciali virtutum tractatione, ubi de Conſtantia vel patientia agemus. Nam licet hæ ſanctitatis proprietates quædam ſint, poſſunt tamen etiam partes conſtitui.

Hactenus de prima egimus ſanctitatis proprietate, quam tamen vidimus ita eſſe fœcundam, ut plures ex ſe pariat alias. Alia proprietas conſtitui poteſt perfectio: quo nomine vidimus ſanctitatem deſcribi, quanquam nonnunquam non omnis ſanctitas, ſed ea demum, quæ in ſuo genere eminet, hac voce videtur ſignificari. Verumtamen omnis ſanctitas, quæ quidem ad ſalutem æternam vi Novi F. ſufficiat, ſuo modo perfecta eſt, non modo ratione durationis, ut modo explicuimus, verum etiam eo, quòd omnium virtutum habitus in ſe neceſſario complectatur: omnium, inquam, quarum exercendarum occaſionem & facultatem quis habeat; adeóque omnium vitiorum contrariorum habitus excludat. At præterea, licèt habitus virtutum iſtarum non ſit neceſſe omni ex parte eſſe perfectos, perfectio tamen quædam in iis requiritur; nempe ut quis plerumque ſaltem, cum occaſio eſt ejus exercendæ, eam opere compleat, & contra, cum peccatorum occaſio eſt, ſeſe ab iis cohibeat; denique ad ſummam earum perfectionem ita adſpiret, ut quicquid intervenerit lapſuum, id non conſilio, ſed vel imbecillitati virium, vel ignorantiæ atque errori imputari queat. Quæ omnia ex ſuperioribus intelligi poſſunt: pendétque hæc proprietas ex ſuperiori, nempe ex diligentia.

Tertia proprietas eſt, quòd Sanctitas hæc tota ſit Spiritua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Spiritualis, non verò Ceremonialis & externa. Nam etſi Cœnæ quoque Dominicæ celebratio, quæ Ceremonialis eſt, in ea comprehenditur: tamen ea nihil prohibet, quominus Sanctitas univerſa Spiritualis dici queat, cum à potiori denominatio fieri ſoleat: quod hîc imprimis locum habet, ubi unum tantum eſt ceremoniale, cætera vero omnia, quæ ſunt numero admodum multa, &, ſi ad infimas ſpecies deſcendere velis, prope infinita, ſpiritualia. Præterea id, quod in Cœna Dominica eſt potiſſimum, nempe gratiarum actio pro Chriſti morte, ſpirituale eſt; id autem, quod vere eſt ceremoniale atque externum, valde eſt ſimplex; adeò ut in tanto rerum ad ſalutem pertinentium cumulo ac multitudine vix animadvertatur. Spiritualem autem hanc ſanctitatem vocamus, non quòd ea ad externa opera, quæ per corpus exercentur non pertineat: (id enim infinitis ſacrarum literarum locis refellitur, in quibus externa opera partim prohibentur, ut cædes, adulteria, libidines variæ, furta, rapinæ, blaſphemiæ, idolorum cultus externus; partim præcipiuntur, ut beneficentiæ ſeu miſericordiæ opera, de quibus Matth. 25. & alibi, laudes divinæ ac gratiarum actiones, & ſi qua ſint hujus generis opera bona:) ſed quòd ea in ſpiritu ſeu animo ac corde noſtro primo ac propriè reſideat, atque inde primum naſcatur; &, ſi quæ ſunt externa opera ad eam ſpectantia, inde tota proficiſcantur, &, niſi ex animo erumpant, vana ſint atque irrita. Nam quemadmodum Dominus Jeſus de iis loquens quæ hominem polluunt, ea demum eſſe dicit ejuſmodi, quæ ex corde egrediantur, aut, ut per quandam κατάχρησιν vel Synecdochen loquitur, ex ore: Matth. 15. 18 & ſeqq. Marc. 7. 18 & ſeqq. ita etiam de bonis operibus, quæ hominem conſtituunt ſanctum, ſtatuendum eſt, ea ex corde enaſci debere. Si ſecus ſe res habeat, formam tantum & ſpeciem pietatis præ ſe ferunt, ſed vis ejus non ſuberit, ac hyprocriſeως illis nota inuretur. Hanc proprietatem pietatis Chriſtianæ notat Paulus ad Gal. 5. 5; ubi ait: *nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus*; ſpiritum carni ac ceremoniis opponens, fidem operibus legis. & ad Philipp. 3. ℣. 3: *Nos enim ſumus circumciſio*, (id eſt, populus Dei circumciſus circumciſione ſpirituali, de qua Col. 2. 11.) *qui ſpiritu Deo ſervimus, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne confidimus*. Eandem expreſſit Chriſtus, de cultu divino, ſeu ea ſanctitatis parte quæ ad Deum propriè pertinet, loquens, Johan. 4. 23, 24: *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*: in ſpiritu, inquam, non in carne ſeu ceremoniis; quam ad rem pertinebat certus cultus divinus, & ſolennis locus, de quo ibi diſputabatur, ut apparet ex ℣. 20, 21: in veritate, non in umbris ac rebus imperfectis. Cujus rei cauſam hanc affert imprimis Dominus Jeſus, quod Deus, ut vulgaris fert interpretatio, ſpiritus ſit, ſeu ſpiritualis quædam ſit eſſentia, quæ cum rebus craſſis atque ad carnem ullo pacto pertinentibus, nihil habet commercii. Quare etiam iis rebus, quæ ad carnem ſpectant, non delectatur per ſe ac propriè; ſed iis, quæ vel ipſo ſpiritu peraguntur, vel ab eo, ſi facultas & occaſio ſit, virtutis natura cogente, neceſſariò proficiſcuntur, quod ratione duce vidit Autor vulgarium verſiculorum, qui Catoni adſcribuntur; quorum hoc eſt initium;

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè pura ſit mente colendus.

Hac de cauſa Deus cultum hunc ſpiritualem ſemper quæſivit, etiam ſub Vetere Fœdere, ubi ceremonialem tamen magna ex parte præſcripſerat, & innumera prope de eo præcepta tradiderat, ut vel ex Pſalmo 50 unicuique patere poteſt, ubi, quemadmodum & alibi apud Prophetas, ita loquitur Deus, ac ſi plane ceremonialem iſtum repudiaret, contra verò ſolum deſideraret ſpiritualem; nempe quia hunc maximè deſiderabat, illum vero tanquam ſolidæ pietatis progymnaſma ac tyrocinium ad tempus certum populo carnali, rudi adhuc atque infanti, à quo ſpiritualis atque perfectus præſtari nondum poterat, præſcripſerat. At ſub Novo fœdere, poſtquam virilis ſucceſſit ætas, & virilia quoque, id eſt cœleſtia, æterna, ac ſpiritualia promiſſa fuerunt à Deo propoſita, ſpiritualis quoque cultus ac obedientia ab ipſo fuit præſcripta. Cur verò Deus nihilominus ſpirituali huic cultui voluerit Ceremoniam ſeu ritum Cœnæ Dominicæ annecti, cauſa prope eadem eſt, quam afferre ſolemus, cur Deus olim Decalogo, qui maxima ex parte præcepta moralia continet, & præſtantiſſima totius Moſaicæ legis pars eſt, unam voluerit interſerere Ceremoniam de celebrando Sabbato. Cauſam enim eſſe arbitramur hanc, quod voluerit Deus Decalogi quoque, atque adeò totius legis, cujus ille pars erat præſtantiſſima, imperfectionem denotare, adeóque ſignificare, legem Moſaicam aliquando ceſſaturam. Nullum enim imperfectum eſt perpetuum. Similiter etiam dicere poſſumus, ſanctiſſima Chriſti præcepta, ſeu ſanctitatem in iis præſcriptam, licèt in ſuo genere ſit perfectiſſima, id eſt tam excellens & præſtans, ut natura humana majoris perfectionis in hac mortalitate vix ſit capax, (unde fit ut ea præcepta, quemadmodum & univerſum Euangelium, ſint futura æterna, tamque diu duratura, quam diu præſens ſeculum durabit:) tamen ſi ea ſanctitas conferatur cum illa, quæ in futuro ſeculo habebit locum, (qualis nunc beatorum eſt Angelorum, ipſiuſque Chriſti,) imperfecta eſt cenſenda. Nam nec imbecillitas iſta, & fragilitas carnis, quæ multorum cauſa eſt lapſuum, nec ignorantia, quæ nobis hîc interdum obrepit, illic habebit locum, nec voluptates corporis, quæ nobis cum belluis ſunt communes, & quarum interdum nos pœnitet ac pudet, quæ nobis hîc ab illo conceſſæ ſunt, ibi extabunt, aut, ſi quæ ſunt actiones aliæ vilitatis noſtræ argumenta, quibus ſanctitatis noſtræ filum quodammodo interrumpitur, & pulchritudo fœdatur. Et ſanè Cœnæ Dominicæ ritus, qui edendo & bibendo perficitur, imbecillitatis noſtræ tum naturalis ac corporeæ, tum ſpiritualis, quæ cibo quodam ſpirituali, cujus ibi quædam eſt adumbratio, fulcienda ſit, argumentum præbet; & ſic, ubi Dominus advenerit, & imbecillitatem iſtam utramque deleverit, ceſſatura eſt; atque una omne id, quod in vita noſtra adhuc eſt corporis hujus craſſi, terreni atque carnalis proprium: tumque demum id, quod verè perfectum eſt, ac ſpirituale totum, ſuccedet. Cur verò hunc ritum potius, quàm alium, Dominus Jeſus inſtituerit, inferius, Deo dante, ubi de Cœna Domini agetur, commodior erit dicendi locus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

LIBER TERTIUS,

Qui eſt

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUÆ DEUM RESPICIUNT.

Caput I.

De Virtutibus moralibus in ſpecie, ſeu Pietatis partibus.

NOn uno modo pietas, ejuſque officia, in ſacris literis dividuntur. Interdum enim duæ generales & valdè late patentes ejus conſtituuntur partes, nempe abſtinere à malo, & facere bonum: cujus rei inter alia teſtimonium habes Pſal. 34. 15. & ex eo 1 Pet. 3. ℣. 11. Quam eandem diſtinctionem inter charitatis opera tradit Paulus Rom. cap. 10. ℣. 9. Sed hæc diviſio ad diſtinctiorem ac ſpecialiorem virtutis ac pietatis cognitionem non ſufficit, cum ejus membra nimis ſint generalia, & per omne virtutis genus diffuſa.

Eſt & alia pietatis & officiorum ex ea manantium diviſio, ſed illa quoque nimis laxa, ex ſubjecto petita: alia enim pietatis pars in animo conſiſtit ſeu ſpiritu, alia in corpore cernitur, ſeu (quod perinde eſt) alia interna eſt, alia externa. Illa cogitationibus & affectibus in animo latentibus moderatur: hæc ſermonibus & factis externis. Hæc diſtinctio indicatur, 1 Cor. 6. ℣. ult. ubi vult Paulus, *ut glorificemus Deum in corpore & in ſpiritu*: hoc eſt, ut externas actiones, quæ per corpus exercentur, & internas, quæ ipſo ſpiritu perficiuntur, ad gloriam Dei referamus. Idem indicatur, 2 Cor. 7. 1. ubi de pietatis contrario, hoc eſt, pollutione ſeu peccati labe, diſtinctio iſta uſurpatur, & aliud inquinamentum carnis ſeu corporis, aliud ſpiritus dicitur: unde idem de contrario, ſeu ipſa ſanctimonia, quæ in bono agendo verſatur, colligere promptum eſt. Nam (ut hoc quoque hîc obiter notemus) illa pietatis pars, quæ in eo, quod bonum atque honeſtum eſt, agendo cernitur, hoc loco peculiariter ſanctimonia vocatur, & à repurgatione peccatorum diſtinguitur. Cui rei alibi quoque non abſimilia licet deprehendere. Eandem diſtinctionem tradit autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 10. 22, 23: ubi ad Ceremonias legales & aſperſiones ablutionéſque, quibus uti oportebat eos, qui ritè ſacris perfungi, & loca Deo conſecrata adire volebant alludens, vult, ut nos quoque accedamus (nempe ad Sacerdotem noſtrum magnum, & templum ipſius) *cum vero corde*, hoc eſt, ſincero, & ab omni malitia, fraude, ſimulatione ac perverſitate immuni atque illibato, *cum plena cirtitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua pura*, hoc eſt, expurgati ratione animi ab iis ſceleribus, quæ conſcientiam imprimis polluunt ac lædunt, tum etiam repurgati à peccatis externis, quæ per corpus perficiuntur. Eandem diſtinctionem colligere poſſumus ex loco, 1 Theſſal. cap. 5. ℣. 23: quanquam ibi partitio eſt tripartita, cum non tantum ſpiritus, ſed etiam animæ fiat mentio, & denique corporis, quæ omnia ſine reprehenſione, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervari cupit Paulus: nempe quia ibi non tantum ad virtutes morum, ſed etiam ad virtutes mentis à Paulo reſpicitur: quæ poſteriores in ſpiritu, qui ab anima ſtrictius ſumpta diſtinguitur, hoc eſt, mente & intelligentia propriè locum habent, cum virtutes morum magis propriè in anima & corpore reſideant. Quanquam ſi ſpiritus nomine etiam voluntatem, quæ mentis & rationis ſuperioris eſt conſectarium & veluti παράφυσις, complecti velis; etiam virtus morum in ſpiritu locum habebit, cum ibi ſit omnis virtutis prima ac propria ſedes, adeóque nec ad animam ſtrictè ſumptam ſpectat: quales ſunt virtutes eæ, quæ circa cœleſtia ac divina, & ſi quæ ſunt alia ſub ſenſum minimè cadentia, occupantur, ut eſt fiducia in Deum propriè ac per ſe ſumpta, ſpes immortalis vitæ, Charitas Dei & Chriſti per ſe itidem conſiderata, (nam ſi latius extendatur, ita ut effecta quoque illius ſimul comprehendantur, etiam ad animam & corpus pertinet,) Amor honeſti, ſtudium res divinas cognoſcendi, & ſi quæ ſunt ſimilia. Hoc ergo pacto tripartita erit virtutis diviſio ex ſubjecto petita, prioris diſtinctionis ſecundo membro in duas partes diſtributo: alia enim pietatis pars, vel virtus in ſpiritu conſiſtet, alia in animo, alia denique in corpore.

Tertio hæc quoque innuitur in ſacris literis officiorum pietatis diſtinctio, quod ea partim in ſermone, partim in factis conſiſtant. Ita enim nonnunquam univerſæ vitæ noſtræ actiones diſtinguuntur, ut Col. 3. 17. Jacob. 2. 12: ubi tamen animadvertendum eſt, cogitationes quoque eas, quæ factorum rationem apud Deum habent, cum ſermonibus aut factis eſſe conjungendas, & inter hæc duo veluti eſſe partiendas, ita ut cogitationes quidem & decreta animi de ſermonibus, cum ſermonibus ipſis; cogitationes autem de factis, cum factis computentur. Sed ſi quis velit cogitationes à ſermonibus ipſis & factis ſejungere, is ex bipartita hac diſtinctione facere poterit tripartitam; ita ut pietas partim in cogitationibus, partim in ſermonibus, partim in factis ipſis cerni dicatur. Hæ diſtinctiones omnes utiles quidem ſunt, ſed nobis nondum ſufficiunt, qui eam quærimus diſtinctionem, quæ ſimul & uſui ac conſuetudini loquendi communi ſit accommodata, & ad ſpecialem & maximè diſtinctam virtutum cognitionem, nos deducat, cum diſtinctiones hactenus traditæ omnes ita ſint comparatæ, ut propemodum per omnia virtutum genera, quemadmodum de prima jam diximus, diffundantur; cum plerarúmque virtutum ea ſit natura, ut partim in animo conſiſtant, partim ſermonibus & factis ſeſe exerant. Quanquam interim non negamus alias magis in animo conquieſcere, alias magis in ſermonibus cerni, alias denique magis in opere. Iſtud certum eſt, ab iſtis virtutibus, quæ in ſermonibus aut factis externis omninò conſiſtunt, animum nunquam abeſſe poſſe aut debere, (utut tandem aliqua ſit virtutis pars, quæ animo ſolo abſque ſermone aut opere ullo perfici queat:) aliàs enim non virtus ea foret, ſed inanis tantum virtutis imago & ſimulachrum.

Reſtat ergo, ut aliam virtutis diviſionem, quæ inſtituto noſtro ſit accommodatior, indagemus. Ea vero hujuſmodi tradi poteſt, ab objecto imprimis petita. Virtutes aliæ ad nos primo referuntur, aliæ ad alias perſonas; aliæ denique partim ad nos, partim ad alios. Et quia eæ, quas medio loco poſuimus, videntur inter alias excellere, ideò eas primo loco nunc collocabimus, & poſtea etiam, Domino adjuvante, perſequemur. Eæ vero iterum ſunt duplices, cum ipſæ quoque perſonæ, ad quas referuntur, duplicis ſint generis: aliæ enim divinæ ſunt ac cœleſtes; aliæ humanæ ac terreſtres. Cœleſtes ſunt imprimis Deus ac Chriſtus; nam quod ad Angelos attinet, vix ullum pietatis officium, præſertim generale ac perpetuum, quod ad ipſos propriè ſpectet, in ſacris literis expreſſe præſcribitur. Quanquam id ſatis liquet, charitatem iis inſignem à nobis deberi, & reverentiam etiam quandam, de qua dicendum erit infra, ubi de divino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cultu agetur. Verum, ut diximus, id nobis in ſacris literis apertè præceptum non eſt, & veriſimile eſt ſacras literas, præſertim veteris fœderis, charitatem, quam Angelis debeamus, cum charitate erga ipſum Deum, & hodie ſub novo fœdere etiam erga Chriſtum, cujus ſunt ſervi præſtantiſſimi, conjungere; cum nemo poſſit Deum aut Chriſtum amare, quin ſimul etiam hos tam præſtantes & tam charos ipſius ſervos diligat; præſertim ſi cogitet, magna per eorum miniſteria Deum Chriſtumque nobis beneficia præſtare. Quod ad Spiritus malos attinet, eorumque ducem Satanam, ſeu diabolum, ſunt quidem nonnulla nobis in ſacris literis præſcripta ſanctitatis officia, quæ circa ipſum tanquam hoſtem noſtrum verſantur: ſed ea per reliqua virtutum officia ferè diſperſa ſunt. Dicemus tamen nonnihil, Deo volente, de iis, quæ videntur maximè à cæteris ſanctitatis partibus diſtincta eſſe, ſeparatim, in prima tractationis hujus ſpecialis, ad quam paulò pòſt accedemus parte. Ubi enim de pietate in Deum; ibi etiam agendum eſt de eo, quomodo adverſus ipſius hoſtem nos gerere debeamus.

Præter divinas cœleſteſque perſonas reſtant humanæ, quas quidem proximorum nomine vulgo complectuntur. Sub lege videntur pietatis officia omnia, ıibi à Deo præſcripta, ad duo hæc capita primi membri, quæ nunc conſtituimus, fuiſſe relata, nempe ad dilectionem Dei & proximi; quemadmodum ſatis apparet, tum ex diſtinctione Tabularum legalium, quarum prior ad Deum, poſterior ad proximum ſpectabat: tum ex locis, qui ex Veteri fœdere citantur in Novo, imprimis Matth. 22. 36. & ſeqq. ubi in duobus præceptis, de charitate Dei & proximi, dicitur tota lex & prophetæ pendere; itemque Luc. 10. 26, 27. Nam officia illa, quæ primò & per ſe ad nos ipſos ſpectant, pertinentque ad moderationem cupiditatum rerum terrenarum, earundemque perfruitionem, ea nonniſi eatenus fuerunt à Deo præcepta, præſertim ſub comminatione pœnæ, quatenus vel cultum divinum aliàs in lege præſcriptum impediebant, vel proximo nocebant; quemadmodum parentibus luxus liberorum oberat, aut avaritia alicujus cum fraude & injuria, aut libido cum violatione alieni thori, aliis erat noxia. Cæteroquin enim ea à Deo hominibus permiſſa, imo etiam pro præmio aliquo pietatis conſtituta, ac præbita fuerunt: niſi forte talia eſſent, à quibus ipſa natura prorſus abhorret, ita ut etiamſi tandem nulla fuiſſet lex divina lata, tamen ipſa humanitas ab iis abſtinere doceret: qualia nonnulla recenſentur Lev. 20. ob quæ etiam Deus gentes, quæ terram Chanaan vel Palæſtinam antea incoluerunt, licèt leges ea de re expreſſas à Deo ſibi latas non haberent, exterminavit, ut apparet ex ℣. 23. At ſub Novo fœdere tertiùm quoque officii genus acceſſit, quod ad nos propriè refertur, etiamſi tandem ab injuria omni, aut cultus divini neglectu, rerum contrariarum uſus ſit ſejunctus. Unde Paulus ad Tit. 2, diviſionem quandam pietatis nobis tradens, tria ejus membra conſtituit, temperantiam, juſtitiam & pietatem, quarum prima ad nos ipſos propriè ſpectat, ſecunda ad proximum, tertia denique ad Deum: in quibus enumerandis ab infimis ad ſumma adſcendit, & id, quod dignitate eminet, ultimo loco collocat, contra quam nos facere inſtituimus. Quanquam verò Paulus, ſi voces ab ipſo poſitæ propriè ſumantur, non videatur omnia prorſus officia virtutum eſſe complexus, præſertim quod ad duo priora attinet, cum non omnia virtutum officia quæ ad nos, aut ad proximum ſpectant, temperantiæ aut juſtitiæ nomine comprehendi videantur, &, ſi nihil aliud deſiderari poſſet, ſaltem patientia ac fortitudo, quæ ſane una ex virtutibus eſt præcipuis, deſit: tamen ea diſtinctio ad id, quod Paulus ajebat, ſatis erat accommodata; & nos, licèt aliam videamur tradidiſſe ſanctitatis univerſæ diviſionem, ex iſta tamen, quam Paulus tradidit, noſtram excerpſimus. Nam ſatis manifeſtè Paulus tria officiorum genera, & ſic etiam tres pietatis partes conſtituit, quarum alia ad nos ipſos, alia ad proximum, alia ad Deum referatur. Quæ eadem membra nos quoque habemus, licèt paulo accuratius & Logicorum regulis accommodatius, agere volentes, unum adhuc membrum ex tribus hìs conflatum addiderimus; nempe earum virtutum, quæ partim ad nos ipſos, partim ad alias perſonas, hoc eſt, vel ad Deum vel ad proximum, vel ad utroſque referuntur. Neque tamen cenſendi ſumus Paulum accuſare velle. Nam Paulus, quemadmodum & cæteri Apoſtoli, cum ad populum & rudes fere, ac literarum expertes homines ſcriberent, popularius agere ſoliti ſunt, & ita loqui, præſertim in præſcribendis officiis pietatis, ut ab omnibus facile intelligi poſſint. Itaque ἀκρίβειαν iſtam & ſubtilitatem in docendo & explicando non fuerunt ſectati, veritate ipſa & utilitate contenti; etiamſi fortè aliquid, ſi accuratius res examinaretur, deſiderari poſſit, tamquam non ſufficienter, & omni ex parte explicatum. Interim tamen nihil prohibet, quo minus nos re & materia ipſa ab Apoſtolis accepta, eam accuratius poſtea digeramus, & Logicorum regulis, quibus omne id, quod verè dici poteſt, conſentaneum eſt, conformemus. Sumſit nempe Paulus ea officiorum genera ſibi eo loco enumeranda, quæ per univerſam vitam ſunt diffuſa, & quolibet tempore locum habent. Ex quo genere non eſt ea patientia, quam ſacræ literæ adeò crebro nobis inculcant, adeóque hîc à Paulo non fuit commemorata. Quanquam non ignoramus eſſe nonnullos, qui eam pietatis nomine comprehenſam velint: quod amplectetur qui volet. Quod ad ea attinet quæ recenſere volui, ſumſit ea Paulus quæ in quolibet genere maximè eminent, ſuntque vulgo etiam nota, præſertim quod ad priora duo ab ipſo conſtituta genera pertinet, temperantiam nempe & juſtitiam. Quanquam quod ad juſtitiam attinet, ea à multis ita latè extenditur, ut etiam charitatem & beneficentiam in ſe complectatur; quod abſurdi habet nihil, imo etiam ſpeciem quandam probabilitatis, vel eam ob cauſam, quod beneficentia nonnunquam juſtitiæ nomine in ſacris literis veniat, ideóque in concionante hoc facile admitti poteſt, ut tam latè ibi vocem accipiat. Mihi tamen dubium eſt, an Paulus eò reſpexerit, & ſignificationes juſtitiæ aliàs diſtinctas hîc conjunxerit, cum nemini abſcurum ſit, quin propria & uſitata ſignificatio locum hîc habeat. Videtur enim Paulus reſpexiſſe ad id, quod de ſervis ſuprà dixerat ℣. 10: quorum occaſione poſtea pietatis officia explicantur. Extant quidem utriuſque ſignificationis in ſacris literis exempla; verum, quod ſciam, non conjunctim, ſed ſeparatim; contra quam hîc ſtatuendum eſſet, ſi juſtitiæ nomen charitatem etiam complecti deberet. Quanquam hoc quoque addi poteſt, juſtitiam in ſignificatione minus uſitata non pro charitate in univerſum, ſed pro beneficentia & liberalitate ſumi ſolere. Sed de hoc uniuſcujuſque liberum ſit judicium. Illud videtur certum eſſe, vocem temperantiæ non omne officii genus, quod ad nos ſpectet, complecti. Nam etiamſi vox σωφροσύνης, à qua adverbium σωφρόνως, quo utitur Paulus, deducitur, vel cujus id ſaltem eſt conjugatum, moderationem quamvis poſſit denotare, & ad moleſtiam quoque ſeu moderatum alicujus de ſe ſenſum transferri queat, ut apparet ex verbo σωφρονεῖν Rom. 12. 3, in hac ſignificatione poſito; tamen omnes, quos ſciam, interpretes hoc loco eam virtutem notari volunt, quæ in voluptatibus corporis moderandis verſatur: &, quemadmodum de voce juſtitiæ antea diximus, non eſt veriſimile, Paulum, cum temperantiam propriè dictam omninò vellet hac voce exprimere, alteram quoque ſignificationem cum hac conjunxiſſe aut confudiſſe. Sed & hîc ſuo quiſque utatur judicio.

Ex horum autem, quæ nunc diximus, occaſione, libet etiam novam quandam virtutis & pietatis diſtinctionem ſubjungere: nam pietas & virtus partim in agendo cernitur, partim in patiendo: quod in ſacris literis fieri quoque animadvertitur. Eſt enim iſta pietatis pars, quæ in patiendo cernitur, à cæteris ſingulari quadam ratione ſejuncta. Unde Paulus Rom. 8. ab

initio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

initio, uſque ad ℣. 17 partem alteram (cui loco addi debet totum cap. 6 & initium 7, uſque ad ℣. 7, cum quo initium capitis octavi cohæret,) pietatem nobis commendans, eamque iſto potiſſimum modo deſcribens, ut non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulemus, aut ut corpus mortuum ſit propter peccatum, ſpiritus autem vivat propter juſtitiam, vel ut non ſecundùm carnem vivamus, ſed ſpiritu actiones corporis mortificemus, vel denique ſpiritu Dei ducamur & regamur: (quæ phraſes nullum non pietatis genus videntur comprehendere:) nullam tamen patientiæ, quam in afflictionibus Chriſti cauſa ſuſtinendis præſtare debeamus, fecit mentionem; ſed ultimo demum verſu 17, tanquam rem novam, ſeu novam hæreditatis cœleſtis adipiſcendæ conditionem adjungit. Eodem reſpicitur in deſcriptione populi iſtius, qui coram throno, hoc eſt, Deo in throno ſedente, & coram Agno ſtare à Johanne viſus eſt cap. 7 Apoc. ℣. 9. Dicuntur enim illi fuiſſe induti ſtolas albas, & habuiſſe palmas in manibus ſuis: ubi prioribus quidem verbis puritas & innocentia vitæ ſignificatur; poſterioribus verò victoria, quam per patientiam de hoſtibus retulerunt. Quæ eadem infra, ubi ea deſcriptio aliquomodo explicatur, ſic efferuntur: *Hi ſunt, qui venerunt ex afflictione magna,* (patientia indicatur) *& laverunt ſtolas ſuas & dealbaverunt in ſanguine Agni.* Prioris generis virtutes, quæ in agendo cernuntur, eo modo, quo nos ſuprà fecimus, diſtingui poſſunt, ut nimirum aliæ referantur ad Deum, aliæ ad proximum, aliæ ad nos ipſos: aliæ denique partim ad nos, partim ad alios. Verum nos patientiam quoque in harum numero virtutum collocamus, & ad ea referimus, quæ ad nos ipſos per ſe ſpectant. Itaque hanc diviſionem in ſequentibus ſequuturi ſumus; ubi id præmonuerimus, non eſſe virtutes has ita inter ſe diſtinctas, ut nunquam plane inter ſe concurrant, aut officia aliqua ad plura genera nequeant referri. Fit enim interdum, ut virtus aliqua per ſe quidem ad certum aliquod objectum referatur, ſed tamen per accidens etiam ad aliquam aliam perſonam. Sic nullum eſt officii genus, quod non aliquo modo ad Deum etiam ſpectet; unde etiam ſanctitas univerſa pietatis nomine, quæ ad Deum propriè refertur, comprehenditur, aut charitatis, vel timoris divini appellationem ſortitur. Viciſſim etiam omnia virtutum genera ad nos etiam aliquo modo ſpectant, ſaltem eatenus, quatenus ad ſummum noſtrum bonum referuntur, & nos ipſos perficiunt; atque affectus turbulentos componunt, & animo conſcientiæque tranquillitatem pariunt. Præterea eæ, quæ ad nos propriè ſpectant, poſſunt certa quadam ratione ad alios referri, ut ſi ex gula & luxu noſtro ad alios redundet incommodum, ut quidem fit ſæpiſſimè: unde in Rebuſpublicis benè conſtitutis leges ſumptuariæ. Qua de cauſa Ariſtoteles ait, Juſtitiam univerſalem, quæ tota per ſe refertur ad alium, omnium virtutum officia, adeóque etiam Temperantiæ & cæterarum virtutum ad nos relatarum munera præſcribere. Caſtitas etiam per ſe ad nos refertur; ſed interdum etiam ad alios, quatenus ab adulterio, aut alia aliqua libidine in alios irrumpente abſtinet, aut exemplo peſſimo aliis non nocet, atque ad voluptates impuras iis non eſt incitamento.

Ita nempe inter ſe connexæ ſunt virtutes omnes, ut una ab altera ſejungi vix queat. Unde toties in ſacris literis ſingularibus quibuſdam virtutibus æterna ſalus, aut id, quod eam vim habet, adſcribitur; cum tamen certum ſit, omnes virtutes ad ſalutem eſſe neceſſarias; cum contrà vel unius vitii habitus, ſeu opus carnis, ut appellat Paulus, ad damnationem ſufficiat. Exempla autem ejus rei, quam diximus, abunde ſuppeditat prima pars cap. 5 Matth. Creberrimè tamen omnium adſcribitur ſalus charitati ac beneficentiæ, vel miſericordiæ ejúſve effectibus, qualis eſt inter alios facilitas in condonandis offenſis; præterea patientiæ, & conſtantiæ in afflictionibus, quibus adde modeſtiam ſeu humilitatem. Cujus rei cauſa eſt, quam innuimus, quod una virtus facile ſecum alteram trahat; ac præterea ſermonis elegantia id nonnunquam exigit, & ſtudium unam aliquam virtutem vel virtutis opus ſingulariter commendandi, & iis, ad quos ſermo eſt, inculcandi: v. g. cum exaltatio humilianti vel demittenti ſe promittitur, aut primatus ei qui omnium fuerit infimus aut poſtremus, aut copioſe ſerenti meſſis futura, eáque copioſa, aut miſericordiam exhibenti miſericordia, peccata remittenti peccatorum remiſſio. Imò ſi id quod res eſt dicere velimus, ſanctitas & pietas, ut ſuprà quoque alicubi innuimus, unum quippiam eſt, quod reſpectu diverſorum objectorum partes ſortitur diverſas, & variarum virtutum nomen ſortitur. Unde fieri non poteſt, quin is, qui unam virtutem plenè ac ſolidè poſſidet, cæteras etiam omnes, quas quidem cognitas habet, & quarum exercendarum tum occaſio, tam inſtrumenta & facultas ei ſuppetit, habeat & exerceat. Nam ſi unam aliquam, licèt cognitam, non amplectatur, aut non exerceat, licet queat; apparet eum cæteras, quas exercere videtur, non verè habere, cum non amore honeſti aut ſalutis æternæ (ut hoc quoque addatur) eas exerceat, ſed aliam potius aliquam ob cauſam. Nam ſi amore honeſti aut ſalutis ſuæ id faceret; illam quoque, quam non exercet (ſiquidem hujus eadem eſt prorſus ratio, quæ cæterarum) omninò exerceret. Quare dum virtutem unam violat, ſanctitatis univerſæ fit reus, ea plane ratione, qua Jacobus ait: *eum, qui univerſam legem obſervet, impingat autem,* ſeu labatur *in uno, factum eſſe omnium reum,* cap. 2. 10: rationem hanc afferens, *quia qui dixerit, Ne mœcheris, dixerit etiam, Ne occidas.* Quaſi dicat, quia omnium legum divinarum eadem eſt ratio, eadem autoritas, & qui unam iſtarum violat, & ſciens prudens tranſgreditur (nam de hoc eſt ſermo, licet vox πταίσῃ videatur de lapſu aliquo loqui leviore; contrarium docentibus loci circumſtantiis ac ratione ipſa:) is eo facto omnium autoritatem convellit ac ſpernit, nec videtur ideò cæteras ſervare, quia earum autoritatem tantam eſſe arbitretur, ut violare eas ſit nefas, ſed quia adverſus eas non ita peccare libeat. Cur enim aliàs non obſervaret & illam, quam violat legem, cum eadem ſit illius quæ cæterarum eſt, autoritas; ſiquidem ab eodem legiſlatore eſt lata, à quo cæteræ omnes ſuam autoritatem habent? Quod ſi illi ita liberet peccare adverſus cæteras leges, atque hanc unam, quam violat; æquè facilè id videretur facturus. Diximus autem exertè, ſi is virtutem aliquam cognitam habeat, & præterea occaſionem quoque ac facultatem ad eam exercendam, præſertim parem illi, quam ad cæteras habet; quia ſi quod horum deſit, fieri poteſt, ut quis virtutem unam habeat aut etiam plures, una tamen aliqua reipſa careat; ut ſi quis neſciat, quid in defenſione privata aut bello ſit faciendum, aut ſi quis beneficentiæ occaſiones non habeat. Sed ſacræ literæ cum nexum iſtum virtutum præſupponunt, præſupponunt etiam cognitionem earum, & facultatem eas cognoſcendi & exercendi. Hæc ideò præmonere voluimus, ne quis miretur officia quarundam virtutum, quæ certis cancellis à nobis circumſcribuntur, limites ſuos quaſi tranſire, & cum alterius virtutis officio conjungi. Nam interdum virtus aliqua generatim & abſolutè conſiderata, ad unum aliquod objectum refertur; ſed poſtea ſpecialius ratione certorum officiorum conſiderata, ad plura objecta ſpectat.

Ut autem pietatis officia, quæ hactenus diſtinximus, tanto commodius perſequamur, in certa quædam capita tractationem totam diſtinguemus. Nam primo ea perſequemur officia, quæ ad omnes Chriſtianos in univerſum ſpectant, adeóque communia appellari queunt: deinde ea, quæ certis perſonarum generibus, ſtatu ac conditione ac qualitate inter ſe aliqua diſtinctis, ſunt propria ac peculiaria, quæ reſpectu iſtorum poterunt cenſeri ſpecialia. Prioris generis officia iterum erunt duplicia, vel enim omnibus ſunt communia ſeparatim ſumptis, hoc eſt, à quolibet Chriſtiano ſingulatim debent exerceri: vel omnibus aut pluribus junctis, hoc eſt, toti alicui Eccleſiæ ac communioni.

In prioribus iterum ita progrediemur, ut primo ea tradamus, quæ genere ſuo omnibus ſimpliciter & per ſe ſunt ad ſalutem neceſſaria: deinde ea, quæ ſecundùm quid, aut per accidens; quæ poſteriora iterum inter ſe diſcrepant. Nam quædam ſua natura ad virtutem accedunt propius, pertinéntque ad ejus perfectionem ac decorum: quædam per ſe ſuáque natura nihil habent cum virtute commune, ſed planè ſunt libera atque adiaphora, quorum tamen uſus per accidens poteſt ad virtutis rationem ſpectare, & nunc neceſſarius eſt, nunc contrà neceſſariò omittendus. Quare capita ſecuturæ tractationis (quanquam iterum à nobis dividenda) hæc erunt latiſſimè patentia. Primum de iis, quæ genere ipſo ſunt ad ſalutem neceſſaria. Secundum de iis, quæ ad virtutis perfectionem aut decorum ſpectant, eorúmque contrariis. Tertium de rerum mediarum ſeu adiaphorarum uſu. Quartum de officiis ad totam eccleſiam ſpectantibus. Quintum de officiis certarum perſonarum ad Eccleſiam pertinentium. In primo autem capite potiſſimum diviſionem officiorum ſuperius traditam ſervabimus, ita ut primò ea explicemus, quæ ad Deum primo & per ſe ſpectant: deinde de iis, quæ ad proximum; tertio, de iis quæ ad nos ipſos; quartò de iis, quæ partim ad nos, partim ad alios.

Cap. II.

De pietate, ſeu de virtutibus atque officiis ad Deum propriè ſpectantibus.

CUm ſuperius ex loco Pauli ad Tit. 2. 12. oſtenderimus, illam ſanctitatis partem, quæ ad Deum propriè ſpectat, pietatem dici; de ea nobis primo loco agendum venit. Initium autem explicationis ducendum eſt à voce, quæ non unam habet ſignificationem, quam ita diſtinguere licet, ut aliam quidem generalem dicamus, aliam ſpecialem. Quanquam ſpecialis magis videtur eſſe propriè dicta, ut à qua generalis fluxerit, ut ſuperius in deſcriptionibus pietatis in univerſum indicavimus. Generalis illa ſeu laxior, iterum duplex eſt. Nam vel ſumitur pro ſanctitate in univerſum, ut dicto loco innuimus, ubi cauſa eſt explicata hujus ſignificationis: vel pro religione Chriſtiana, ſeu doctrina Chriſti religionem illam comprehendente; cujus exemplum videtur extare 1 Tim. 3. 16, ubi *magnum* dicitur eſſe *pietatis*, hoc eſt, religionis Chriſtianæ, *myſterium*; quæ ſignificatio à priore fluxit, eſtque Metonymica. Quia enim Chriſtiana religio pietatem, eámque perfectiſſimam præſcribit ac tradit, (unde etiam appellatur *doctrina, quæ eſt ſecundum pietatem*, cap. 6. ejuſdem Epiſt. ỳ. 3. &, *veritas, quæ ſecundum pietatem eſt*, Tit. 1. 1.) hinc ipſa quoque pietas appellatur. Eadem ſignificatione poteſt accipi hæc vox eadem Epiſt. cap. 6. 5: ubi ait homines iſtos corruptos, de quibus ſermo eſt, *arbitrari, pietatem eſſe quæſtum*; hoc eſt, religionem Chriſti ſeu doctrinam ejúſque tractationem ac prædicationem eſſe rationem quandam quæſtus faciendi, ſeu quærendi lucri. Quanquam, ut jam indicavimus, non tam ipſa doctrina Chriſti per ſe conſiderata, quam ejus tractatio, & earum rerum externa quædam exercitatio, pietatis nomine hoc loco videtur exprimi: quo pertinent labores & occupationes Paſtorum & Eccleſiæ doctorum, quos religionis negotium tractare dicimus, quod in ea re toti verſentur, idque unum agant vel ſaltem agere debeant. Quod ad ſpecialem ſignificationem attinet, ea iterum duplex eſt: Primò enim ſignificat reverentiam ſeu cultum divini numinis, ſeu mavis virtutem numen divinum ritè colendi, quæ hujus loci eſt propria: à qua ſignificationes iſtæ generales fluxerunt, propterea quòd nemo Deum ritè colere queat, quin univerſâ vitâ ſanctitatem ſectetur, & ſic quoque eam amplectatur religionem atque doctrinam, in qua ea eſt præſcripta: cujus ſignificationis exemplum præter locum Tit. 2, ſupra notatum, habes in Epiſt. Pauli ad Tim. 6. 11: ubi inter virtutes ſpeciales recenſetur pietas. Et 2 Pet. 1. 6, 7: ubi itidem pro virtute ſpeciali ponitur. Altera ſignificatio ſpecialis eſt, cum ſumitur pro amore & reverentia, quam debemus ſanguini propinquo, ſeu conſanguineis noſtris, atque imprimis majoribus, ut Parentibus, avis, & qui his ſunt proximi: cujus ſignificationis exemplum quoddam habemus apud eundem Paulum 1 Tim. 5. 4, in verbo εὐσεβεῖν, hoc eſt pietatem colere. Vult enim ibi Paulus, ut *ſi quæ vidua habeat liberos aut prognatos ſive nepotes, diſcant* (intellige liberi aut nepotes illi) *primum propriam domum adminiſtrare*, vel *pietate proſequi, & vicem rependere progenitoribus*. Verba poſteriora priora explicant. Nam eo potiſſimum pacto erga parentes aut progenitores ab aliis pietas exercetur, iique à nepotibus & liberis honorantur ac coluntur, cum vices rependuntur majoribus, & quod illi liberis educandis alendiſque impenderunt, laborum aut ſumptuum, id majoribus ac parentibus, cum ii viciſſim illorum ope indigent, redditur: quam ἀντιπελαργίαν Græci eleganter vocant. Nam honoris nomine curam iſtam, quam parentibus præſtemus, neceſſaria illis ſuppeditando, in præcepto Decalogi quinto de honorandis parentibus comprehendi; docent verba Chriſti Matt. 15. 4 & ſeqq. Qua de re, Domino dante, agetur in ſpecialibus ſeu certarum perſonarum officiis. Ab hac ſignificatione alia quoque laxior apud bonos autores deducitur. Nam amor quoque in patriam, aut alios, quibus ſingulari quadam ratione obſtricti ac devincti ſumus, ut ſunt magiſtratus boni, aut ii, qui parentum loco nobis ſunt, ut præceptores, tutores, aliique benefactores, pietas appellatur. Poſſumus autem ſignificationes ſpeciales ad unam ferè reducere, ſi dicamus pietatem ſignificare amorem, reverentiam ac cultum iis exhibendum, quibus natura ſumus obſtricti, quique in nos imperium habent naturaliter, atque imprimis tale, quod ab ipſorum in nos beneficio pendet. Quo in genere primò omnium eſt Deus, cujus quanti quanti ſumus, toti ſumus; & cujus in nos ſupremum abſolutúmque eſt imperium, inde ortum, quòd ab eo primum ſimus profecti, & quicquid eſt bonorum, inde acceperimus. Secundo loco parentes, per quos à Deo ſumus vitam conſequuti, educati atque inſtituti; quos ſequuntur alii qui parentum loco ſunt. Ad hos proximè accedunt Magiſtratus boni: ob naturæ etiam conjunctionem alii propinqui, quanquam non eadem ratione, cum non omnium in nos ſit imperium. Cujus rei occaſione, antequam ad inſtitutum noſtrum redeamus, illud obiter eſt notandum, nullam eſſe virtutem aut officium Deo à nobis præſtandum, cui non ſit aliquod ſimile aut analogum inter ea, quæ ad proximum noſtrum, præſertim verò eos, qui in hoc genere eminent, propriè ſpectant. Cum enim inter ipſum Deum & homines quædam ſit analogia & proportio, ea ſanè maxima apparet in iis, qui imperium & poteſtatem aliquam in nos habent, præſertim beneficam admodum aut à beneficiis ortam; & quò majorem ac pleniorem habent poteſtatem, tantò major quoque inter ipſos & Deum reſpectu noſtri eſt ſimilitudo, atque exinde pendens virtutum quoque & officiorum, quæ illis ſint exhibenda, analogia tantò major eſt. Itaque quemâdmodum Deo à nobis debetur pietas, ita etiam parentibus ac magiſtratibus ſummis: quemadmodum illi amor & charitas ſingularis, ita etiam his in ſuo genere ſingularis; ut illi honor, cultus atque adoratio, ita etiam his; quanquam illi divinus, hic civilis ac humanus. Quemadmodum illi fides & invocatio: ita his aliquid, quod per proportionem iſtis rebus reſpondeat, quanquam certis terminis circumcluſum. Nam quia Deus in hoc genere analogo primum eſt, ut loquuntur, analogatum, & genere proprio diverſum: eò etiam officia illa, quæ Deo & hominibus tribuuntur, ad Deum primo ac perfectiſſima ratione ſpectant, ſuntque genere ipſo quodam modo diſtincta ab iis, quæ hominibus tribuuntur.

Sed jam ad rem ipſam accedendum eſt. Diximus autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

autem pietatis nomen hoc loco ea ſignificatione eſſe accipiendum, quam inter ſpeciales priori loco commemoravimus, quæ eſt, quòd pietas ſit rectus divini numinis cultus, ſeu virtus Deum ritè colendi. Quam ad rem duo requiruntur, primò ut honor is exhibeatur divino numini, qui ejus majeſtati ac ſupremo imperio, cæteriſque proprietatibus, quæ huc pertinent, ac ſummæ in nos benignitati ſit conveniens: deinde ut illi ſoli exhibeatur. Quod utrumque complexus eſt Deus primo Decalogi præcepto, præſertim ſi id conjungatur cum exordio & veluti aditu ad ea præcepta, qui ad primum iſtud & ſimul ad ſecundum & tertium maxime propriè ſpectat. Ita enim ait Deus: *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, è domo ſervitutis. Non erunt tibi Dii alieni coram me.* Nam primum vult Deus, ſe haberi pro vero ſummóque Deo, qui tum temporis beneficium longe maximum præſtiterat ei populo, cui leges dabat. Deinde non vult alios pro diis haberi; qua in re hoc etiam omninò continetur, ut ipſe quidem convenienti honore afficiatur, eóque cultu, quem Deo exhibendum eſſe ipſa dictat ratio, alii verò nulli præter ſe exhibeatur. Prius quidem illud primo ac potiſſimum pietatis nomine ſignificatur; poſterius autem, licèt ad eam ſit omnino neceſſarium, veluti conſequenter. Unde de iis, quæ ad illud prius rectè intelligendum pertinent, potiſſimum eſt agendum. Verùm quia cultus is Deo conveniens nihil aliud eſt quam adoratio, & ſi quæ ſunt adorationis effecta & conſequentia; ideò ad eum locum hæc differemus, ubi de adoratione agetur. Iſtud hoc loco commemorandum videtur, idem quod pietatis nomine hac in parte complectimur, religionis quoque nomine efferri, quæ Græcis eſt θρησκεία, de qua loquitur Jacobus cap. 1. ℣. 26, 26. Nam etſi ibi religio videtur ſumi latius, ita ut etiam ea complectatur officia, quæ vel ad proximum, vel ad nos ipſos ſpectant; tamen ſi rem paulo penitius conſideremus, aliter ſe res habet. Nam religioſum eum intelligit Jacobus, quem vulgo quoque ita appellare ſolent, in quo ſingularis quædam appareat devotio, & divini numinis reverentia. Quod enim ait ℣. 27 Jacobus, *religionem puram & impollutam coram Deo & Patre, hanc eſſe, viſitare orphanos & viduas in afflictione ipſorum, & immaculatum ſe ipſum conſervare à mundo*, id non ita eſt accipiendum, ac ſi Jacobus naturam & eſſentiam religionis vellet exprimere; (nam aliàs nullo modo potuiſſet Jacobus ea officia prætermittere, quæ ad Deum primo ac propriè referuntur, quorum tamen nullam prorſus fecit mentionem, cum omnes norint religionem primo ac propriè ad Deum ſpectare, conſequenter tantum aut ratione effectuum ad nos aut alios:) ſed ſtatuendum eſt, eum hîc effectus proprios de ſua cauſa, quod nec alibi in ſacris literis inuſitatum eſt, efferre; qui cum adſunt, tum demum religio pura eſt, & ab omni macula immunis, ac talis, quæ vana nequaquam ſit. Quare hic eſt ſenſus, ac ſi dixiſſet Jacobus, Religionis puræ atque immaculatæ hic eſt effectus, viſitare viduas, &c. Sic ad Rom. 1. 12 itidem effectus de ſua cauſa prædicatur, cum tamen videatur, Paulum omninò rem ipſam, ejúſque naturam explicare voluiſſe, cum ait: *Hoc verò eſt ſimul conſolari*, quaſi dicat, cujus rei (nempe ſi ad vos adveniens communicâro vobis ſpirituale donum, ad veſtri confirmationem) hic erit fructus, ut gaudium utrique conſequamur apud vos, propter communem utrinque fidem, ego ob veſtram, vos ob meam. Nam quo minùs hîc donum ſpirituale, quod Paulus Romanis ſit traditurus explicet, id prohibet, quod gaudium hoc æquè ad Paulum ſpectabat, & fortaſſe magis, quàm ad Romanos. Contra etiam cauſa de effectu apertè prædicatur 1 Cor. 9. 18: *Quæ mihi ergo merces?* hoc eſt, quæ ergo mercedis eſt cauſa, unde ea mihi proveniet? quam cauſam ipſe ſubjungit: *Ut euangelizans gratuitum conſtituam euangelium*, &c. Vide etiam 2 Cor. 1. 12: *Gloriatio enim noſtra hæc eſt*, &c. Conſtitutum igitur ſit, apud Jacobum per religionem eam intelligi partem ſanctitatis, quæ ad Deum propriè ſpectat, & in reverentia divini numinis conſiſtit; quam non ſatis quidem Latinè, ſed tamen ſignificanter, religioſitatem libet appellare. Eadem quoque dicitur Græcis εὐλάβεια, Unde homines εὐλαβεῖς, ſeu religioſi appellantur Luc. 2. 35: ubi de Simeone eſt ſermo. Et Act. 2. 5. & cap. 8. 2. Quanquam ea vox interdum metum ſimpliciter videtur denotare, aut etiam id quod metuitur. Et de metu quidem divini Numinis, aut pœnarum inde proficiſcentium uſurpatur Heb. 12. 28. pro eo quod metuitur Heb. 5. 7: ubi dicitur *Dominum Jeſum fuiſſe exauditum à metu*, hoc eſt, ab eo, quod metuebat, ſive à morte, à qua ut liberaretur, *in diebus carnis ſuæ preces & ſupplicationes obtulerat ei, qui eum ſervare poterat à morte; idque cum clamore valido & lachrymis*; ut idem author proximè ante dixerat. Non deſunt tamen, qui iſto loco voce εὐλαβείας pietatem Domini Jeſu in Deum, & reverentiam, quam ipſi ſemper exhibuerit, denotari putent, ita ut ſenſus verborum ſit, Dominum Jeſum, fuiſſe in eo quod orabat exauditum à Deo, ob pietatem ſuam & reverentiam, qua Patrem ſemper proſecutus fuerit. Nam præpoſitio ἀπὸ non ſemel cauſam efficientem impulſivam ſignificat, & quidem cum voce non abſimili metus, ut cum dicitur ἀπὸ φόβου à metu, vel propter metum, Matth. 28. 4. aut ἀπὸ χαρᾶς ob gaudium, Actor. 12. 14.

Pietatis hujus ſeu religionis pars, ſeu mavis proprietas & perfectio quædam eſt *devotio*, quam ita vulgo appellamus, ut cum dicimus, aliquem devotè verbum Dei audire, aut orare, aut gratias agere, aut de rebus divinis loqui, ſumitúrque vel pro habitu quodam, vel pro ipſa actione, quemadmodum & ipſum devoti nomen. Sed quia actio ipſa habitu notior eſt; idcircò primum de illa dicendum eſt, unde facilè deinde patebit, quid ſit habitus eo nominè deſignatus. Eſt ergo devotio ejuſmodi commotio, atque, ut ita dicam, compoſitio animi, atque inde etiam actionum quarundam externarum, qua quis res divinas reverenter tractat, & eum induit affectum, quem ipſæ poſtulant, habita præſertim ratione ſtatus ac conditionis, in quo ipſe verſetur. Hinc devotè eum dicimus audire verbum divinum, qui ita attentè ac reverenter audit, ut ſummi Dei oracula merentur; ac præterea nunc, ubi res exigit, gaudio diffluit, nunc metu, præſertim ſuorum ſibi peccatorum conſcius, percellitur, vel triſtatur, & vel ob hunc affectum vel illum, hoc eſt, triſtitiam vel gaudium in lacrymas ſolvitur. Illum etiam devotè dicimus orare, qui ardenter id facit, atque ita, quemadmodum & deſiderium ejus boni, quod petit, & Dei majeſtas, à quo petit, poſtulat; quod deſiderium nonnunquam etiam lacrymas prolicit, maximè cum deprecatione nobis utendum ſentimus. Eodem pacto etiam in gratiarum actione, ubi quod in precibus deſiderium boni petiti efficit, præſtat gaudium ex bono, quo potiti ſumus, perceptum. Sic etiam dicimus loqui quempiam devotè, aut concionari, cum magna ipſius in ſermone, vultu, affectúque apparet numinis reverentia, & ardor cuilibet ſermonis parti conveniens, qui ad res diverſas applicatus, diverſos item ciet affectus. Opponitur huic devotioni omnis in hujuſmodi rebus levitas & neglectus contemptuſque: ex quo apparet, quempiam divina non ſecus tractare atque prophana, humana, atque vulgaria. Hac de re dicemus infrà, ubi de Invocatione Dei, ſeu precibus.

Sed nunc ad alterum illud accedendum eſt, quod pietatis nomine comprehendi diximus, quodque in primo Decalogi præcepto expreſſum eſt apertè, nempe ne deos alienos habeamus coram illo vero ac ſummo. Ubi primum id, quod in plurali numero de alienis diis dicitur, per Synecdochen quandam, vel, ſi mavis, diſtributivè eſt accipiendum, ut non tantum plures dii alieni, qui ſimul à nobis agnoſcantur, aut colantur, hîc à Deo prohibeantur, ſed etiam ſinguli dii alieni. Omnes enim fatentur, præceptum hoc divinum violari, ſi vel unus aliquis deus alienus, vel falſus, præter unum illum Deum habea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tur & colatur. Immo ſi Hebræa verba propius inſpicias, agnoſces cum Druſio rectius ea ſic verti, *Non erit tibi Deus alienus coram me.* Deus autem alienus is cenſendus eſt, quiſquis pro Deo colitur, cum interea nullum divinum in nos habeat imperium, nec Deo, quantus quantus eſt, ſit ſubordinatus, ita ut honor ei exhibitus totus in Dei gloriam, rei natura ſic ferente, redundet; ſive is habeatur pro ſummo Deo, ſive minus, hoc eſt, pro Deo ejuſmodi, qui aliunde dependeat & alicui in poteſtate & imperio ſit ſubordinatus. Unde conſtat, his verbis excludi minimè Dominum Jeſum hodie, qui ad dexteram Dei collocatus, & Rex populi divini conſtitutus eſt, omni poteſtate in cœlo atque in terra ipſi data, omnibuſque rebus ſive in cœlo ſive in terra pedibus ipſius ſubjectis, & nomine ſupra omne nomen ipſi donato, & omni judicio ipſi conceſſo; cum is in imperio ſuo totus a Deo pendeat, & omnis cultus exhibitus ipſi in gloriam Dei Patris redundet. Quod poſterius apertè ſatis docet Paulus ad Philipp. 2. 11. Qua de cauſa ut nos Chriſti, ita etiam Chriſtus Dei eſſe dicitur: Deus autem contrà, ipſius Deus ac caput. Conſtat etiam olim his verbis minimè excluſos fuiſſe Angelos, præſertim Dei nomine cum hominibus agentes, imò ipſius etiam nomen, ita uſurpantes ac perſonam ſuſtinentes, ac ſi ipſemet Deus loqueretur: quemadmodum inter alia conſtat ex hiſtoria de Angelo, qui Moſi apparuit in deſerto, qui de ſe ait: Exod. 3. 6, *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Et rurſus: ꝟ. 7. *Videndo vidi afflictionem populi mei.* Nec quidquam peccavit tum temporis quiſpiam, cum Angelo exhibuit hujuſmodi honorem, ſoli Deo aliàs debitum, cum is honor ipſi Deo hoc pacto exhiberetur. Qua de re infrà, ubi de adoratione agemus, nonnihil dicetur explicatius. Nunquam ſcilicet ea fuit hujuſmodi verborum vis, ut ii per illa ab honore atque cultu excluderentur, quos Deus ipſe Deos conſtituerat, & ſic etiam honoris ac cultus ſui participes reddiderat; niſi fortè per accidens, quatenus nemo talis extabat. Ex quo intelligi poteſt, cur Deus olim populo ſuo præceperit, ut idolis aut idololatris Babyloniis cultum idolorum ſuorum ſuadentibus hæc objicerent; *Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ ſub cœlis iſtis:* Jerem. 10. 11: nempe quia tum temporis nemo extabat præter eum, qui cœlum & terram crearat, qui pro Deo eſſet habendus & colendus: & ſi quis exſtitiſſet, is, quia cum Deo illo, qui cœlum & terram creaverat, fuiſſet hac in parte unum, & cum eo computandus tanquam illi ſubordinatus, eo dicto non fuiſſet comprehenſus. Dictum enim hoc ad eos pertinet deos, quibus divinitas aut imperium in homines divinum tribuitur, cum tamen à Deo ſummo id non acceperint, neque etiam accepiſſe cenſeantur. His enim jure objicitur quod cœlum & terram non creaverint. Nam cum divina poteſtas in homines inde primò pendeat, quod is, cui imperium illud ac poteſtas divinitáſque per ſe competat, cœlum ac terram, omniáque in illis comprehenſa creaverit, atque eam ob cauſam tanquam opifex in ſuum opificium jus habeat: neceſſe eſt, ut quiſquis imperium præſertim divinum in homines habet, is vel cœlum & terram ipſe creaverit, præſertim ſi ejus imperium ſtatuatur independens: vel ſi dependens eſſe dicatur, ab eo id acceperit, qui cœlum & terram creavit. Quod ſi neutrum ſit, falſus Deus eſt is & alienus. Non objicitur autem in loco iſto Jeremiæ, Babyloniorum diis, quod à creatore cœli & terræ divinam poteſtatem non acceperint, ſed tantum quod cœlum & terram non creaverint, propterea quod prius illud in conceſſo eſſet, nec quiſquam Babyloniorum diceret ſuos illos Deos à creatore cœli & terræ divinitatem ſuam habuiſſe; &, ſi dixiſſet, id tanquam falſum repudiari ac refelli facilè potuiſſet. Apparet etiam hinc cur Paulus hoc criminis loco objiciat Galatis, quamquam jam præteriti, quod aliquando cum Deum non noſſent, *ſervierint iis, qui naturâ dii non eſſent*: Gal. 4. 8. nempe quia antea nemo erat, nec quiſquam Galatis illis erat cognitus, quamdiu verum illum Deum ignorabant, qui verus eſſet Deus, niſi ſimul etiam natura Deus eſſet, ac proinde quiſquis tum temporis eum colebat, præſertim per ſe & perpetuo, qui Deus natura non eſſet, is falſum Deum colebat. Quanquam non deſunt, qui vocem *naturâ* opinioni tantum putant opponi, & idem ſignificare, quod verè; quo pacto etiam nonnulli viri docti, etiam inter adverſarios noſtros, explicant iſtud ad Epheſ. 2. 3: *Et eramus natura filii iræ.* Sed de alienis diis in explicatione contrarii pietatis, hoc eſt, in tractatione de impietate diſſeretur; nunc id conſtitutum ſit, Chriſtum hoc nomine non comprehendi, ac ne Angelos quidem olim, cum Dei nomen & auctoritatem, Dei voluntate ac juſſu uſurparent; multo minus alias, cum in ſua perſona agentes, præſertim ſub Novo fœdere, iſta autoritate non fuerunt uſi, licèt Dii appellarentur, hodiéque appellari mereantur. Nec ipſi Magiſtratus, qui ab ipſo Deo dii appellati ſunt, & ipſius filii, quorum omnis poteſtas à Deo eſt. Breviter; non ſunt dii alieni reſpectu Dei, illi quorum ratione *Deus Deorum* in ſacris literis appellatur. Eorum autem Deus eſt, quorum eſt rector & benefactor, & quibus ipſe imperium dedit. Cum verò Deus dicit: *Ne habeas Deos alienos coram me*, ſeu *in conſpectu meo*; per ultima iſta verba non tam videtur aliquid præcepto iſti addere, quam gravitatem ac turpitudinem iſtius facti, quod prohibet, aliquo modo notare: quaſi dicat, ne in conſpectum meum producas mihi æmulum aut rivalem, quo facto me irrites & ad indignationem provoces: vel ſimpliciter, ne audeas me, qui omnia video, ſpectante, Deum alienum colere. Quo ipſo etiam tacitè innuitur, indignum eſſe hoc facinus, & nullo modo admittendum, cum Deus, qui nullo modo falli poteſt, id nulla ratione ferre poſſit: quæ interpretatio à priori parum differt. Sunt qui iſta verba ita accipiant, ac ſi dictum eſſet, *præter me*: quam interpretationem an verba iſta ferant, mihi quidem dubium eſt, cum exemplum ſignificationis hujus nullum meminerim. Quod ſi aliquod ſit, ea facilè admitti poteſt. Quanquam res ipſa jam fuit expreſſa voce alienorum deorum.

Hactenus de pietate tanquam de medio egimus: nunc de extremis ſeu vitiis oppoſitis agendum eſt, quorum alterum in eo, quod parum eſt, alterum in eo, quod nimium, peccat, quorum illud impietas, hoc ſuperſtitio dicitur. Quæ tamen vitia non ita inter ſe diſtincta ſunt, quin ſæpius inter ſe miſceantur, ac conjungantur; quemadmodum olim Ethnici generatim loquendo & impii erant & ſuperſtitioſi. Quod idem etiam in idololatris animadvertere licet, quin etiam in Turcis & Judæis, qui in Chriſtum ſunt impii, ac conſequenter in ipſum quoque Deum. Eſtque ſæpè ſuperſtitio impietatis cauſa, ut vel ex Plutarchi libello de ſuperſtitione conſtat: quemadmodum etiam contra impietas illa, quæ numen tamen aliquod agnoſcit, ſuperſtitionem aliquomodo parit, ſaltem in rebus quibuſdam, & ceremoniis externis, ut quanto minus pietatis eſt, tanto plus ſit ſpeciei ac fuci, qui impietatem tegat. Utrumque autem vitium primò in iis cernitur, quæ directè ac propriè ad Deum Chriſtumque ſpectant: conſequenter etiam in aliis, quæ vel ad proximum, vel ad nos, vel ad utroſque referuntur, quemadmodum etiam in contraria pietate accidit.

Atque ut primum de impietate loquamur, quæ ſuperſtitione ſola ac per ſe conſiderata gravior eſt, ea nihil aliud eſt, quam vitium eorum, qui vera numinis reverentia non tenentur, ſeu cultum convenientem Deo præſtare nolunt. Dico autem, qui nolunt, quia non ii qui Deo non præſtant cultum, cum non poſſint, ſed qui, cum poſſint, nolunt, impii propriè dicuntur. Id verò ſcelus duplex eſt; alterum adverſus primam pietatis partem, alterum adverſus alteram peccat: hoc eſt, alii cultum Deo vero convenientem non præſtant, nulla habita ratione ejus, quod ſoli aut non ſoli præſtent; alii ſoli non præſtant, ſed alienos quoque Deos habent. Priores illi duplicis ſunt generis: vel enim ideò Deo vero cultum convenientem non præſtant, quia eum non agnoſcunt aut agnoſcere nolunt: vel

licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

licèt agnoverint, tamen majeſtatem ipſius contemnunt, nec, ut par eſt, eum reverentur. Illi qui Deum verum non agnoſcunt, à Paulo appellantur ἄθεοι, licet aliàs vox hæc ſtrictius uſurpari ſoleat, ut mox dicemus. Nam quiſquis verum Deum non agnoſcit, nec habet, is jure atheus dicitur, licet etiam infinitos agnoſcat deos falſos: quales fuerunt olim Epheſii, adeóque alii omnes Ethnici ipſis ſimiles, quos ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ, id eſt, atheos ſeu ſine Deo in mundo appellat Paulus, Epheſ. 2. 13. Verumtamen hi iterum duplicis ſunt generis; vel enim nullum plane Deum agnoſcunt; vel agnoſcunt quidem aliquem, aut etiam aliquos, ſed falſos atque imaginarios, aut etiam Deo plane contrarios. Priores iſti propriè ac ſtrictè apud prophanos autores etiam dicuntur ἄθεοι. Qui quidem iterum in duas claſſes diſpeſci poſſunt. Eorum enim alii nullam plane agnoſcunt ſubſtantiam incorruptibilem, atque æternam beatámque, quæ ſupra rerum viſibilium naturam emineat, & à materiæ craſſioris concretione ſit ſejuncta; alii licèt talem aliquam agnoſcant, aut etiam plures, tamen omnem rerum humanarum curam ac providentiam, & ſingularium ſeu individuorum, & rerum, quæ vel ab illis fiunt, vel illis contingunt, inſpectionem eis prorſus adimunt, & ſic omnem revera religionem ac pietatem evertunt; quo in numero fuerunt olim Epicurei, quin etiam Philoſophorum princeps Ariſtoteles. Licèt enim hic ſubſtantiam quandam æternam, intelligentem, ac perpetuo beatam, à qua cœlum & natura pendeat agnoſcat: ei tamen cognitionem rerum extra ipſam poſitarum, & ſic omnem de rebus ſingulis curam ac providentiam adimit, & ſuam tantum ipſius contemplationem illi relinquit, vel potius hanc ipſam contemplationem eam eſſe dicit; atque in ea ſimplicem tantum vult regnare neceſſitatem, ita ut in ea diverſitas decretorum, cogitationum atque actionum voluntatis nullum habeat locum, atque in univerſum quicquid ad praxin pertinet. Nam utut vult cœlum ac naturam ab ea ſubſtantia pendere; non tamen ut à cauſa efficiente, ſed ut à fine & bono, quod cum ſit immobile, cætera moveat, ea pendere cenſet. Qua de re videatur lib. 12 Metaphyſ. imprimis cap. 9. De hujuſmodi etiam impiis loquitur David non ſemel in Pſalmis, atque inter alios Pſal. 10. ubi, cum de impio dixiſſet, omnes ejus cogitationes eſſe, *non eſſe Deum*: ℣. 4. inferiùs ℣. 11 de eodem ait, in corde ſuo eum dicere, *oblitus eſt, occultavit faciem ſuam, ne videat in ſeculum*: quaſi dicat, Deus nullam habet curam earum rerum quæ ab hominibus geruntur. Ex quo apparet, iſtum, de quo ſermo eſt, agnoſcere numen aliquod, ſed quod, cùm rerum humanarum cura non tangatur, & ſic imperium in homines non exerceat, Deus revera non ſit. Dei enim nomen poteſtatis eſt & imperii. De ejuſdem generis hominibus vide etiam Pſalmum 73. 11. & 94. 7. & ſeqq. Poſterioris verò generis fuerunt omnes generatim Ethnici, & hodie quoque populi nonnulli, qui falſos tantùm deos coluerunt aut colunt, imò etiam ipſius Dei hoſtes capitales dæmonas, ut teſtatur Paulus 1 Cor. 10. 20. quò pertinent etiam ii, qui cum venefici ſint, & Magicis artibus dediti, dæmonibus ſacrificant, aut alios iis cultus impios exhibent; de quibus inferius dicetur ad finem hujus tractationis, ubi de vitiis pietati oppoſitis, & inter alia de Magicis artibus ac veneficiis agemus. De iſta verò Ethnicorum impietate nonnihil dicemus paulò pòſt, ubi de multitudine deorum agetur. Hactenus de iis qui verum Deum non agnoſcunt.

Quod ad eos attinet, qui cùm verum Deum aliquo ſaltem pacto agnoſcant, eum tamen convenienti honore non afficiunt; ii ſunt, qui aliàs prophani appellantur, Græcè βέβηλοι, itemque ἀνόσιοι ſeu nefarii: 1 Tim. 1. 9. qui majeſtatis divinæ contemptum quendam ſpirant, & eum nunc verbis, nunc factis teſtantur, licet eum nonnunquam etiam diſſimulent; iidem res ſacras vel plane negligunt, vel irreverenter ſeu irreligioſe ac contemptim tractant, non ſecus atque res prophanas; nonnunquam etiam rident & ludibrio habent. Quo in numero ſunt illi, de quibus loquitur David Pſal. 1. 1. & 2 Pet. 3. 3. Judæ ℣. 18, ubi de iſtis irriſoribus dicitur, quòd ſecundum ſuas ipſorum cupiditates ambulent impietatum, hoc eſt admodum impias, nullo Dei metu ac reverentia coërcitas. Et quia ab hoc vitio cætera quoque graviora ſcelera, præſertim ex mera malitia admiſſa, proficiſcuntur, ideo etiam impietatis nomine efferuntur, ut ad Tit. 2. 12: ubi impietas à concupiſcentiis mundanis diſtinguitur. Nam ſunt nonnullæ cupiditates, ac peccata etiam inde manantia, omnibus prope hominibus uſitata & familiaria, in quibus tam apertus Dei contemptus non apparet; eſtque etiam in illis aliquis fragilitati humanæ locus; unde impietatis nomine propriè non deſignantur. De his impiis, ut ut aliquo modo Deum eſſe credant, tamen quia cognitio & fides illa admodum eſt imbecillis & imperfecta; (nam ſi Deum verè eſſe crederent, hoc eſt, ſupremum rerum omnium moderatorem, qui ſibi omnes parere vult; nullo modo ſcelera ea, quæ nemo ignorare poteſt numini hujuſmodi diſplicere, cùm ipſa quoque naturalis ratio ea turpia eſſe agnoſcat, committere auderent:) ideò iſtis jure objicitur, eos Deum negare, vel non credere Deum eſſe. Quo pacto Paulus Tit. 1. ℣. 16 de hoc hominum genere ait, *eos confiteri, ſe Deum noſſe, ſed operibus negare, cum ſint abominandi & rebelles, ſeu immorigeri, atque ad omne opus bonum rejectanei*. Et hi quidem ſunt, qui adverſus primam pietatis partem per ſe peccant.

Quod ad illos attinet, qui adverſus poſteriorem pietatis partem peccant, hoc eſt, qui alienos deos unà cum vero Deo habent ac colunt, ii iterum duplicis ſunt generis: Vel enim apertè deos plures agnoſcunt, ac profitentur, vel id quidem apertè non profitentur, re tamen & facto ipſo plures deos habent. Prioris generis fuerunt ſæpè Iſraëlitæ, qui unà cum vero Deo alios quoque deos habuerunt, ut inter alios ii, qui tempore Eliæ Baal & Jehovam ſimul habuerunt. Unde illis Elias objicit, quod claudicent in duas cogitationes ſeu partes, monétque eos, ut ſi Jehova eſt Deus eum ſequantur; ſi Baal, hunc. Tales etiam imprimis fuerunt gentes illæ, quas Rex Aſſyriæ in Regno Samariæ collocavit, qui & Deum verum coluerunt, & ſimul tamen deos ſuos, ut habetur 4 Reg. 17. 28 & ſeqq. atque imprimis ℣. 33. & 41. Quin etiam ii, qui in regno Judæ ante excidium Urbis, & captivitatem Babylonicam habitarunt; qui diis etiam gentilibus, & Reginæ cœli ſeu Soli ſacrificabant, & in honorem Molochi crudeliſſimè liberos ſuos comburebant. Qua de re Prophetæ paſſim graviſſimè conqueruntur.

Duplici autem modo deorum pluralitas ſtatui poteſt: vel ita, ut plures ſtatuantur eſſe omnino pares, atque in imperio à ſe invicem non dependentes, ac ſibi minimè ſubordinati: vel ut plures dii, aut etiam unus aliquis præter illum verum Deum, habeatur, qui, licèt vero Deo ſubordinatus ſtatuatur, revera tamen non ſit, nec divinum imperium habeat, ob quod cultum & honorem divinum mereatur. Atque ut de πολυθεΐα ſeu multitudine deorum in univerſum loquamur, hoc eſt, non de ea tantum, in qua verus Deus includitur, ſed etiam de ea, in qua minimè comprehenditur, qualis olim plerorúmque fuit Ethnicorum: duplici potiſſimum modo iſta deorum pluralitas peccat, tum quòd falſos deos agnoſcat, tum quod plures independentes. Priori modo peccarunt Ethnici circa ſingulos deos ſuos, ſive ſupremos ſive infimos, ſive majorum ſive minorum gentium eos ſtatuerent; cum nemo eorum Deus eſſet, nec ullam divini imperii partem haberet: poſteriori verò modo impiè erraverunt, cùm tres ſtatuerunt, præſertim poſt Saturnum regno ejectum, inter quos totius univerſi imperium fuerit diſtributum, & quorum unus in alterius regno nullam habuerit poteſtatem, nempe Jovem, qui in cœlis imperet, Neptunum qui in mari, Plutonem qui in inferno. Quæ impietas unde orta ſit, videri poteſt apud Lactantium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Hoc autem loco ſatis difficilis oritur quæſtio, quid ſtatuendum ſit de iis, qui tres perſonas Divinitatis, quarum una quælibet ſit ſummus ille Deus, ſtatuunt, & iiſdem etiam diſtinctè cultum exhibent, eas adorant & invocant. Nam etiamſi illi ſtatuant, eas eſſe ejuſdem eſſentiæ individuæ ac ſingularis, tamen cum perſonas dicunt eſſe diſtinctas, & diſtinctas etiam actiones illis tribuunt, quæ eſſentias numero diverſas omnino requirant, quales ſunt, quod alia quidem fuerit generans, alia generata, alia mittens, alia miſſa, alia de cælo deſcenderit & carnem aſſumpſerit, alia non item, ut de aliis quibuſdam taceam: videntur omnino tres Deos ſummos & ſibi minimè ſubordinatos ſtatuere, licet id verbis non agnoſcant. Deinde quamvis concedatur, eos quodammodo ſubordinatas ſibi invicem iſtas perſonas ſtatuere, & earum duas à tertia dependentes; tamen non apparet quo pacto à crimine pluralitatis deorum liberari queant, & illis objici non debeat, quod eatenus deos ſibi finxerint, quatenus ſecundam Divinitatis perſonam & tertiam à Patris perſona diſtinctam excogitarunt, & eaſdem ſibi colendas ſtatuerunt. Atqui hactenus ea eſt noſtrarum Eccleſiarum ſententia, errorem de Trinitate perſonarum in uno Deo, ſalutem per ſe non adimere, poſſeque eos qui Trinitatem colunt, ſi cæteroquin præcepta omnia Chriſti ſervent, ſalutem conſequi. At ſi illi Deos haberent fictitios ac colerent, præſertim ſummos, vi Novi Fœderis ſervari nullo pacto poſſent. Hic nodus cum penitus, noſtro quidem judicio, ſolvi nequeat, hoc eſt, cum non poſſint ita excuſari Trinitatis patroni & tutores, ut non aliquo modo iſtius criminis de Deorum multitudine ſint affines; diſtinctione quadam utendum eſt. Nam aut verè & perfectè quis plures Deos agnoſcit eoſque minime ſibi ſubordinatos, vel etiam falſos; aut imperfectiori ratione quadam, quam ſi rigidè urgere velis, deprehendas eam vi ſua præceptum divinum, de alienis aut pluribus diis non habendis aut colendis, convellere; præſertim cum per legitimam conſequentiam, exinde concludi queat, omnino plures eſſe deos. Atque hoc poſterius illud eſt, quod noſtri ajunt, ſententiam iſtam de perſonarum Trinitate, gloriam illius unius Dei vehementer obſcurare. Poteſt nempe præceptum aliquod vel directè ac perfecta quadam ratione violari, vel imperfectiori, ac quodammodo indirectè. Et prior quidem illa violandi ratio, à regno Dei, ſecundum divina decreta ſub Novo Fœdere expreſſa, omnino excludit: poſterior vero, niſi ea ita ſit comparata, ut ſimul aliquod aliud Dei præceptum directè petat, ſi ex ignorantia atque errore quodam excuſabili proficiſcatur, propter ſummam Novi Fœderis æquitatem & Dei benignitatem in eo revelatam, veniam videtur à Deo conſequi; licet Deus, ſi rigidè jus ſuum perſequi vellet, propter eam quoque hominem damnare jure poſſet. Dico autem ſi ab errore quodam excuſabili proficiſcatur; quia ſi quis erroris ſui agnoſcendi occaſionem habeat, præſertim egregiam, error illum hîc minimè excuſat, ſed potius accuſat, tanquam veritatis & gloriæ divinæ contemptorem, præſertim in re gravis momenti. Quare ut ad rem noſtram propius accedamus, concedimus quidem, Trinitatis cultores aliquo modo in crimen πολυθείας incidere, non tamen prorſus aut perfecta ratione. Quomodo incidant partim ex ſuperioribus colligi poteſt, partim alibi à noſtris oſtenditur. Cur vero eos dicamus non perfectè in hoc crimen incidere, cauſam quidem ſupra innuimus, ſed tamen plenius ea res explicanda eſt. Primo ergo ideo pluralitatem Deorum non ſunt cenſendi inferre perfectè, tum quod ipſi (licèt falſo) ſtatuant, tres iſtas perſonas eſſe unius numero atque individuæ eſſentiæ, inter perſonas autem illas, & quidem primo loco collocent eam quæ verus ac ſummus eſt Deus, cui etiam prærogativam quandam præ cæteris tribuunt; tum quod ſi rem ipſam ſpectemus, Chriſtus Deo in imperio revera ſubordinatus ſit, eatenus, cum Deo unum; Spiritus vero ſanctus utrique inſit, Deo quidem primum, conſequenter etiam Chriſto, qui à Deo illius factus eſt particeps. Quare cum illi tam arctam iſtarum perſonarum ſtatuant conjunctionem, quæ ſua vi tanta eſt, ut perſonarum iſtarum diverſitatem omnino excludat, (unde à noſtris oſtenditur dogma Trinitatis contradictionem involvere,) ac ſi rei veritatem ſpectes, arctiſſimus ſit inter illas perſonas atque res nexus; pluralitas illa Deorum, quæ in ipſa ſententia eorum continetur, perfecta non eſt. Deinde quod attinet ad illud, quod illi tres ſummos videantur ſtatuere Deos, id ipſum quoque non perfectè ab ipſis ſtatuitur, tum propter ea quæ modo diximus, tum propterea, quod Patri tamen ſemper prærogativam tribuant, cum eum divinitatis fontem ac principium, nonnulli etiam cauſam vocent, eique tribuant, quod cum nec à quopiam ſit genitus, nec proceſſerit, ipſe Filium genuerit, & eſſentiam divinam ei communicaverit; ab ipſoque & Filio, vel ut Græci, ab ipſo per Filium Spiritus ſanctus procedat, quodque ipſi hanc præ reliquis perſonis autoritatem tribuant, quod cum hi mitti poſſint atque adeo etiam fuerint miſſi, ſolus Pater minimè mitti queat. Iſtud adhuc expediendum reſtat, quomodo tamen fictitios Deos non colant, cum ſecundam & tertiam perſonam, quarum utramque ſummum Deum eſſe volunt, revera confinxerint, & eaſdem tamen divino cultu afficiant. Hic, ut diximus ante, non poſſunt omni ex parte ab hoc crimine liberari; ſed mitigatur tamen delicti gravitas, eo quod (ut de perſonis illis diſtinctè agamus) ſecundam illam divinitatis perſonam, à Chriſto, quem adorandum ac colendum eſſe ex ſacris litteris novimus, non diſtinguant, neque ita ſoleant vel preces vel gratiarum actiones ad Chriſtum dirigere, ut perſonam iſtam ſecundam, ab humanitate iſta vel Chriſto homine, ſejunctam, ac ſeparatim ſumptam, ſolummodo colant, ſed Chriſtum totum θεάνθρωπον, ut illi loquuntur; præſertim cum ea quæ de Chriſto Chriſtiani omnes didicerunt, nempe quod is homo fuerit, in terris fuerit verſatus, prædicarit Euangelium, mortuus fuerit, reſurrexerit, & ad Dei dexteram conſederit, hominis Chriſti conceptum ac cogitationem firmius animis imprimant, quam ſpecies aliqua aut conceptus divinæ iſtius perſonæ, à ſenſibus noſtris planè remotæ inhærere queat. Unde fit, ut cum ad Chriſtum, vel ſi cum illis loqui velimus, ſecundam divinitatis perſonam, animum attollere, eique cultum exhibere volunt, vix poſſint homine Chriſto præterito, ad ſolam illam divinam naturam, ſeu perſonam ab humanitate diſtinctam, honorem iſtum ac cultum referre. Quod ad Spiritum ſanctum attinet, ad quem paucæ admodum, & in veteribus precationum formulis vix ullæ diriguntur preces; cum is virtus ſit Dei altiſſimi, & in perfecta ſignificatione ſumptus, in ipſo Deo naturaliter reſideat; proinde qui eum invocant, perinde faciunt, ac ſi quis miſericordiam Dei, aut intellectum, ſeu mavis ſapientiam ipſius coleret, eamque perſonam aliquam (quam illi mirificè etiam definiunt, & modum quendam divinæ eſſentiæ eſſe volunt) eſſe arbitraretur. Ineptè quis proculdubio ageret, & non rectè in honore Regi alicui exhibendo ſe gereret, qui animum Regis, aut facultatem aliquam in ipſo reſidentem, verbi gratia intellectum aut voluntatem, perſonam aliquam in ipſo eſſe crederet, eamque cultu ac veneratione proſequeretur ſingulari. Sed tamen dici vix poſſet, niſi admodum rigide ageretur, eum aliquem alium præter Regem ſuum colere, aut duos Reges adorare. Ita ſe res habet de iis qui Spiritum ſanctum adorant & invocant. Itaque ut rem concludamus, quamvis criminis hujus & peccati affines videantur ii qui Trinitatem colunt, cum tamen erroris ſui, præſertim hodie, ubi veritas divina nondum omnibus innotuit, non exiguas habeant cauſas; nempe conſenſum orbis Chriſtiani propè univerſum, & tot Eccleſiæ doctorum multorumque ſæculorum ſententias, itemque locorum quorumdam Scripturæ ſacræ obſcuritatem, quos erroris diuturnitas difficiliores reddidit; error hic, niſi aliud aliquod peccatum accedat, non videtur illos ſalute æterna privaturus; ſaltem nobis non licet eos condemnare, quos Dominus aperte non

damna-

damnavit, ſed cogitandum nobis eſt, alienum ſervum à nobis non eſſe judicandum, cum Domino ſuo ſtare aut cadere, qui pro æquiſſimo ſuo judicio, ſententiam de illo feret.

Hactenus de iis egimus, qui apertè deos plures introducunt; nunc de iis agendum eſt, qui licèt id verbis diffiteantur, re ipſa tamen ac facto hoc ſcelus deſignant. Atque hoc faciunt omnes ii, qui plures perſonas conſtituunt, inter quas rerum humanarum cura atque adminiſtratio ſit diviſa, ideóque ad eos preces ſuas, licèt abſentes, & in cœlo, ut ipſi ſtatuunt, poſitos, unde nulla naturali ratione preces hominum, præſertim animo conceptas, intelligere queunt, dirigunt, eóſque cum animi fiducia, cultu ac veneratione invocant, &, ut ipſi fatentur, iis non civiliter, ſed religioſe ſerviunt, ac cætera, quæ illi tantum debentur, qui verè Deus eſt, præſtant & exhibent honorum genera: nempe dum templa iis exſtruunt ac dedicant, aras erigunt, ſtatuas ponunt, ante quas in genua procidunt, cereos incendunt, ſuffitus faciunt, eaſdem interdum cum pompa circumferunt, Sacerdotes etiam certos iis dicant, dies feſtos, quibus ii celebrentur ſacrant, &, ſi quæ ſunt hujus generis. Qua de re, ſi quis velit, conſulat Comment. Muſculi in Pſal. 16.4: ubi oſtendit, quomodo olim gentes, & hodie Pontificii, deos tutelares conſtituant varios, quique huic rerum generi olim hodiéque ſint præfecti. Imprimis autem huc pertinet, quod iidem, qui hodiè hujus criminis ſunt rei, Mariam reginam cœli, Dominam uni Deo ſecundam, & quæ ſolium ſuum ſupra Dei, hoc eſt, filii thronum collocarit, dicere non verentur, & in cultu atque honore cum uno Deo conjungunt. Unde iſtud apud illos, præſertim Jeſuitas, frequens: Laus Deo & beatæ Mariæ Virgini: quanquam Ignatius jam quoque cœpit adjungi. Neque verò refert, quod illi deos hos non appellent. Quid enim refert, ſi voce quidem abſtineas, rem tamen ipſam tribuas? At qui divinam alicui poteſtatem & humana omni majorem tribuit, eúmque non civiliter, ſed religioſe ea de cauſa colendum exiſtimat, & in neceſſitatibus variis, ad quæ non niſi divina potentia pertingit, invocat; is rem ipſam Dei nomine, quod nomen poteſtatis ac dignitatis eſt, nonnunquam etiam beneficentiæ, deſignatam ei tribuit. An putamus, minus peccaturos fuiſſe Ethnicos, ſi deos iſtos ſuos hoc quidem nomine non appellaſſent: ſed, quemadmodum iſti faciunt, Sanctos tantum ac beatos appellaſſent, interim tamen eundem cultum iſtis, quem Deo, tribuiſſent & poteſtatem adſcripſiſſent. Non minus is in Regem ſuum peccat, qui etiamſi regiam appellationem alteri non tribuat, eam tamen poteſtatem ei tribuit, & eo cultu ipſum proſequitur, qui non niſi Regi competit. Nec minus uxor peccat, quæ, licèt adulterum pro marito non habeat, eúmque maritum non nominet, non ſecus tamen cum illo ac cum marito conſueſcit. Quod exemplum tanto libentius nunc uſurpamus, quod cultus alienorum deorum & idololatria, in ſacris literis frequentiſſimè adulterio & ſcortationi comparetur. Quanquam non deſunt inter Pontificios, qui eos quoque deos appellari ex ſacris literis docere conentur; editúſque eſt libellus ante annos non multos, idque ſuperiorum permiſſu, à viro inter Pontificios erudito, qui pleraque fere elogia, quæ in ſacris literis de Deo efferuntur, de Sanctis efferri aſſeruit, atque inter alia etiam deorum nomine eos efferri contendit. Minus certè eſt Dei nomen, quod magiſtratibus quoque terrenis competit, alicui tribuere, quàm quæ ſanctis ſuis adſcribunt Pontificii. Illud quoque nihil obſtat, quo minus erga ſanctos idololatria, committatur, quod eos ſtatuunt à Deo ſummo dependentes: nam Ethnici quoque deos pleroſque ſuos ſtatuerunt à Jove dependentes. Neque eſt, quod objiciant, Sanctos à nobis blaſphemari, cum dicimus, eos ab iſtis pro falſis diis haberi. Neque enim de ſanctis per ſe conſideratis hoc dicimus, ſed de talibus quales ab illis finguntur, nec magis blaſphemi hîc cenſendi ſumus, quàm is foret, qui ſi quiſpiam eò inſaniæ progrederetur, ut ſanctum aliquem ſtatueret eſſe ſummum Deum, vel ſaltem, qualem Chriſtum eſſe ex ſacris literis didicimus, diceret, eum falſum deum habere. Neque enim hac ratione ipſe ille ſanctus petitur, ſed falſa atque impia de ipſo hominis opinio. Nullo autem pacto ab hoc crimine liberare ſe poterunt Pontificii, niſi oſtenderint Sanctos iſtos, non modo vivere hodie atque in cœlis degere, ſed etiam tanta poteſtate atque ſapientia ſeu humanarum rerum ſcientia eſſe donatos, & curam illis earundem rerum commiſſam; quod quidem probabunt nunquam. Quin etiam non admodum eſſet difficilè oſtendere, ſanctos iſtos actu ipſo hodie nequaquam vivere; unde univerſa iſta, quæ hoc fundamento nituntur, penitus corruunt. Quanquam eo quoque conceſſo, nihil iſtorum probari poteſt, firmúmque manet iſtud Pauli; *Etſi ſint multi, qui dicuntur dii, ſive in cœlo, ſive in terra, quemadmodum dii ſunt multi, & domini multi, nobis tamen unum eſſe Deum Patrem, ex quo omnia, & nos in ipſum, & unum Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia, & nos per ipſum.* Item illud, *Chriſtum caput eſſe Eccleſiæ, quæ ſit ipſius corpus, omnia in omnibus implentis.* Ubi verò fit mentio illius quoque dominæ, quæ uni ſit ſecunda Deo, Mater gratiæ? ubi aliorum dominorum ac deorum, per quos Deus dona ſua in nos effundat, & per quos ipſe viciſſim ſit colendus? Evolvatur univerſus ſacrarum literarum codex, nihil tale deprehendetur; cum tamen hujus rei, utpote ad divinum cultum ſpectantis, atque imprimis Mariæ Virginis, cujus tanta eſt apud eos veneratio, ac cujus auxilio iſti nihil non adſcribunt, mentio prætermitti ſine ſacrilegio non poſſet. Mirum certè eſt, cum Paulus Timotheum coram Deo, Chriſto & electis Angelis obteſtatur, quòd loco Angelorum, aut unà cum ipſis ſaltem beatæ virginis mentionem non fecerit. Sed hæc perſequi prolixius piget, & id ipſum ad errorem iſtum impietatis damnandum ſufficit, quod illi, qui ſanctis tantam majeſtatem aſtruunt, nullum hujus rei apertum argumentum proferre poſſint. Nam in hujuſmodi rebus neceſſe eſt non tantum nil poſſe contra afferri, quod ſententiam de alicujus divina quadam majeſtate convellat, ſed omninò etiam requiritur, ut iſtius rei apertiſſima & omni exceptione majora extent argumenta. Sed de hac re nonnihil adhuc dicendum erit infrà, ubi de Idololatria dicetur.

Hactenus de impietate, altero pietatis extremo, egimus, à quo antequam ad ſuperſtitionem tranſeamus, hoc prius monendum eſt, illos qui unà cum vero Deo deos alienos colunt, eatenus in defectu, ut loquuntur, peccare, quatenus dum alienos deos colunt, ſimul divinæ majeſtati ac honori multum detrahunt, unde patet hoc membrum poſſe ad prius aliquomodo revocari, hoc eſt ad illud impiorum genus, qui Deo convenientem cultum non tribuunt. Nam qui alienos deos colit, is partem aliquam divinæ poteſtatis detractam ipſis adſcribit, & cultus quoque divini partem à Deo ad ipſos tranſfert, & ſic, quod Deo propriè debebatur, ei adimit: quemadmodum uxor, dum alium præter matrium admittit, amoris ſui partem in eum tranſfert, & fidem conjugalem violat, cum maritus eam ſibi totam jure ſuo vindicet. Aliàs enim iſti in eo, quod nimium eſt, ut ſuprà quoque indicavimus, peccant, dum eos quoque colunt, quos colere non debebant.

Ex quo apparet, ſuperſtitionem poſſe conſtitui duplicem, alteram, quæ cum impietate ſit conjuncta, & ab ea ſeparari non poſſit; alteram, quæ ſit disjuncta, vel ſaltem disjungi queat, de qua nobis potiſſimum hoc loco erit dicendum. Quare ut ad rem nunc accedamus, duplici modo ſuperſtitionis nomen ſumitur; quorum alter paulo laxior eſt, alter aliquanto ſtrictior. Prior eſt, cum ſuperſtitio ſumitur pro nimio quodam atque inepto, ac vano Dei cultu. Poſterior cum ſumitur pro nimis anxio ac vano numinis divini metu, qui inde oritur, quod numen, quod eſſe creditur ac colitur, iis quoque rebus offendi ac irritari creditur, quibus tamen minime offenditur. Quæ

duo

duo fere ſolent inter ſe eſſe conjuncta; & hoc poſterius prioris fere ſolet eſſe cauſa; cum ſæpè ineptus Dei cultus inde oriatur, quod is eo cultus genere delectari, ejuſdem omiſſione credatur offendi. Sed de hoc poſteriori agendum nonnihil erit in ſequentibus, ubi de Dei timore agetur, cùm hujus revera ſit extremum.

Quod ergo ad priorem ſuperſtitionis ſignificationem attinet, quæ hujus loci eſt propria, ad eam omnia referri poſſunt, rituum & ceremoniarum genera, quæ à Deo non ſunt præcepta, & quæ Deo probari nulla certa ratione deprehendi poteſt. Quod poſterius ideò addimus, ne quis putet, ea omnia, quæ à Deo præcepta non ſunt, ſuperſtitioſa cenſenda eſſe. Neque enim ſuperſtitioſum fuit, nec Deo ingratum, quod David olim templum Deo erigendum conſtituit, & apud ſe decrevit; licèt poſtea à Deo id illi fuerit interdictum. Nam & cultus iſtius legalis ratio, quæ majeſtatem quandam externam, & certum quendam locum requirebat, id videbatur exigere ab eo, qui id præſtare poſſet; & David ſolo divinæ gloriæ ſtudio id animo agitaverat, & quicquid hîc fuit Dei voluntati adverſum, id à ſingulari quadam circumſtantia, cujus vim David tum temporis ignorabat, pendebat: cæteroquin factum id Deo vehementer fuiſſe probatum, ex eo patet, quod Deus præmii loco id ei promiſerit, fore, ut poſteri ipſius perpetuo regno potirentur, ut legimus 2 Sam. 7. & 1 Paral. 18. Et Nathan etiam, antequam oraculum à Deo accepiſſet, licèt Propheta eſſet ſingularis, & voluntatis divinæ bene gnarus, id omninò approbarat. Sic nec illud videtur ex ſingulari Dei præcepto profectum, quod Cantorum ordines ad Dei laudes celebrandas idem David conſtituerit. 1 Paral. 7. 31. Sic nec hodiè præſcriptum eſt, ut quis cœlibem vitam agat, & perpetuam ſervet, ut loquuntur, virginitatem, & tamen ea res, non tantum ſuperſtitionis nomen non meretur, ſed etiam laudem, Deóque proculdubio eſt grata, ut ex 1 Cor. 7. ℣. 1 patet. Sic nec jejunium præceptum eſt, & alia his ſimilia, quæ tamen à ſuperſtitione abſunt. Ea vero, licèt non ſunt à Deo præcepta, à ſuperſtitione tamen abeſſe judicanda ſunt, quæ natura ſua cum virtute aliqua nobis præſcripta conjunctionem habent aliquam, & ad ejus perfectionem quampiam pertinent, quemadmodum cœlibatus ille purus ac perpetuus cum caſtitate, jejunium cum ſobrietate, (ut alia nunc omittamus) quia iſtis duabus rebus adjuvari poſſunt pietatis officia, de quibus ſuo loco. Huc etiam imprimis pertinet, quod aliquis Epiſcopatum aut Diaconatum, licèt non ſit adeò urgens neceſſitas, ambiat, modo ad eam rem aliàs ſit aptus; cum id partim ex ſtudio gloriæ divinæ, partim ex amore erga fratres oriatur. Sic nec cætera, quæ ad publicum Eccleſiæ, decentemque ordinem, & externam, ut loquuntur, πολιτείαν ſpectant, certo præcepto præfinita ſunt; qualis eſt certorum locorum aut temporum deſignatio, quando aut ubi commodiſſimè res divinæ publicè tractari queant; quò imprimis pertinet diei Dominici obſervatio, quem ſacris Chriſtianorum conventibus loco Sabbathi Judaici jam olim in Eccleſia Apoſtolica dicatum fuiſſe, ex nonnullis Novi fœderis locis conſtat: ut ſunt 1 Cor. 16. 2. Actor. 20. 7. cum quibus junge Apoc. 1. 10. quod ob Dominicæ reſurrectionis, quæ in eam diem incidit, & regenerationis ac novæ cujuſdam vitæ initium ac ſpeciem quandam attulit, memoriam factum eſſe videtur: & ſi quæ ſunt hujus generis. Sed ſuperſtitioſi ſunt omnes ritus ac Ceremoniæ, quæ à Deo nec expreſſe nec tacitè præceptæ, nullam etiam cum virtutum officiis ac præceptis à Deo propoſitis natura ſua habent conjunctionem. Tales olim erant ablutiones iſtæ variæ à Phariſæis ſeu populi ſenioribus conſtitutæ, omneſque illæ traditiones hominum, de quibus ex Prophetis ait Chriſtus, Matt. 15. 9: *Fruſtra me colunt mandantis hominum.* Hodie verò huc pertinent omnes Ceremoniæ legales, quæ per Chriſtum ſunt abrogatæ, niſi forte quippiam ædificationis communis cauſa ad tempus fiat, quemadmodum olim Apoſtoli uſum ſuffocatorum & idolothytorum prohibuerunt, ut legimus Act. 15. & 1 Cor. 10. Quod Paulus quoque ſuo exemplo comprobavit, ut in Actis legimus, cum Timotheum circumcidit, cum votum fecit, & caput raſit, & ſacrificia poſtea obtulit, votum perſoluturus, & ubique locorum Judæis factus eſt Judæus, quemadmodum de ſe fatetur 1 Corinth. 9. 20. Cæteroquin omnia iſta ſuperſtitioſa ſunt. Ejus generis quoque ſunt plæræque, quæ hodie inter Pontificios vigent, Ceremoniæ & ritus in templis, quales ſunt varii geſtus, ſuffitus, cereorum & lampadum uſus in medio Sole, apparatus varii, variáque ornamenta tum hominum, tum rerum, quæ ad cultum divinum adhibentur, campanarum conſecratio, unctio, pulſus, & crepitus tintinabulorum, delectus ciborum, qui tamen jejunii nomine venditatur, veſtimentorum varietas, & ſexcenta alia, quæ & meminiſſe & referre piget. De quibus conſulat, cui otium eſt, eos, qui vel inter Pontificios de Ceremoniis, ac ritibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, vel inter Pontificios verſati ſunt. Eſt autem diſcrimen, inter ritus ſuperſtitioſos animadvertendum. Nam alii ad Idololatriam proxime accedunt, vel etiam prorſus ſunt idololatrici: alii vani tantum ſunt atque inepti. Prioris generis illi ſunt primum, qui ad Divorum aut imaginum cultum ullo modo pertinent: deinde illi, in quibus rebus materiatis ac nullam divinam virtutem in ſe habentibus, divina tamen virtus ac efficacia adſcribitur; unde etiam fit, ut res ejuſmodi cum ſingulari veneratione uſurpentur, ac tractentur, quod ipſum verè idololatricum eſt. Tale eſt, quod aquæ conſecratæ vis à dæmonis fraudibus & injuriis cuſtodiendi, multáque mala depellendi: aquæ baptiſmatis vis regenerandi; herbis quibuſdam conſecratis itidem vis vel dæmonas fugandi, vel morbos quoſdam depellendi adſcribitur. Quod idem de cereis quoque conſecratis, aliiſve rebus quæ contactu rei alicujus ſacræ ipſæ quoque fuerint conſecratæ, atque imprimis de Sanctorum reliquiis, Agniſque Dei ſtatuendum eſt.

Poſterioris generis ſuperſtitioſi ritus iterum duplices ſunt: alii enim plus habent vanitatis, ac ſuperſtitionis; alii aliquantò minùs. Prioris generis ſunt, interceſſiones pro mortuis, etiamſi ea ſejungas, quæ hîc occurrunt idololatrica: (nam eatenus ad prius genus hæ ceremoniæ pertinent) cui ſimilis fuit eorum ſuperſtitio, de quibus non modo noſtro, ſed etiam multorum aliorum doctiſſimorum virorum judicio loquitur Paulus 1 Cor. 15. 29: *qui pro mortuis baptizabantur*; hoc eſt, ut verba ipſa per ſe ſonant, bono mortuorum. Nam ut nonnulli quoque ex Patribus, quos vocant, aſſerunt, apparet fuiſſe nonnullos etiam inter ipſos Corinthios, magni aliàs nominis, qui putarent, ſi qui ſine baptiſmo deceſſiſſent, qui tamen Chriſtianam religionem fuiſſent amplexi, quia eo pacto, qui tum temporis in Eccleſia receptus erat, Chriſti nomen non eſſent profeſſi, iis ad ſalutem baptiſmi omiſſionem vel omninò obfuturam, vel obeſſe facilè poſſe. Itaque ne illi forte perirent, illorum loco & nomine baptizabantur, idque illorum bono cedere exiſtimabant. Nam etiamſi multæ ab aliis afferantur interpretationes; tamen illæ verbis accommodari nequeunt, nec ipſi ullum iſtius ſignificationis verborum *pro mortuis*, quam obtendunt, afferunt exemplum: id quod primi contra eos argumenti loco eſt. Deinde ſi de re aliqua omnibus Chriſtianis communi ac recta laudandaque loqueretur Apoſtolus: non diceret, *quid facient illi, qui baptizantur pro mortuis?* de certis tantum hominibus loquens, & ſe ſuique ſimiles homines apertè ab iis diſtinguens; cùm tamen ipſe quoque Apoſtolus fuerit aquâ baptizatus. Addi etiam poteſt, id quod notavit Joſephus Scaliger, Apoſtolum non ſimpliciter dicere, ὑπὲρ νεκρῶν, quaſi de mortuis indefinitè loqueretur, ſed ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ut certos mortuos à ſe denotari ſignificet. Id quod cæteris interpretationibus parum convenit, ſed noſtræ rectiſſimè. Quod vero objicitur primum, abſurdum eſſe, ſtatuere Apoſtolum ex vano & ſuperſtitioſo ritu argumentum tantæ rei, nempe reſurrectionis, petiiſſe:

deinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

deinde veriſimile non videri, Apoſtolum hujus erroris reprehenſionem fuiſſe intermiſſurum: ad prius reſpondendum eſt, argumenta, ut Ariſtoteles quoque tradit, duplicia eſſe, quorum alia vocantur πρὸς πρᾶγμα, ad rem; alia πρὸς ἄνθρωπον, ad hominem: quorum illa cùm ex rei ipſius veritate petita ſint, ſemper, & apud omnes locum habere debent: hæc verò poſteriora non apud omnes, ſed apud eum tantum, cum quo negotium eſt, quem vel proprio jugulamus gladio, cum uno ejus errore confutamus alterum, vel eorum hominum illum autoritate premimus, quibus ille multum tribuit, ut cum Pontificios Patrum autoritate urgemus, & illa quoque objicimus quæ nos ipſi non agnoſcimus, quemadmodum omnes fere ſolent, qui cum adverſariis diſputant. Ad hoc poſterius argumentorum genus, à quo ſapientiſſimi quique atque doctiſſimi nequaquam abhorrent, cum ejus ad perſuadendum vis ſit maxima, & interdum etiam major, quam argumentorum ſua natura ſolidiſſimorum, hoc argumentum referendum eſt: veriſimile nempe eſt iſtorum hominum, quos notat Apoſtolus, magnam apud Corinthios fuiſſe autoritatem & ſapientiæ exiſtimationem. Præterea etiam argumentum πρὸς πρᾶγμα poteſt deduci ex ſententia falſa, ut ſæpiſſimè facit Ariſtoteles, atque inter alia Ethic. I. ubi ſuam de beatitudine ſententiam ex variis Philoſophorum, iiſque erroneis opinionibus confirmat. Nam cum magni aliqui & acuti viri quippiam conſtanter affirmant, aut etiam faciunt, licèt erroneum, non eſt veriſimile, eos ſine omni ratione & cauſa, ac prorſus temere id facere: &, ut Ariſtoteles dicto loco ait, non eſt veriſimile eos aberrare tota via, ſed potius in una ſaltem parte, aut in plæriſque veritatem attingere; itaque erroris illius cauſa ac fundamentum, quod ipſum per ſe verum eſſe probabile eſt, ac prope neceſſarium, eruendum eſt. Id ad locum præſentem transferamus. Illi, qui pro mortuis baptizabantur, hoc imprimis fundamentum & cauſam facti ſui habebant, quod mortui reſurrecturi eſſent; nam niſi id pro re certiſſima habuiſſent, ineptiſſimi fuiſſent omnium, qui illorum loco atque ita commodi atque ſalutis ipſorum cauſa baptizari voluiſſent. Cum ergo hoc pro re certiſſima habuerint, non ſit autem veriſimile, eos in re tanta, ob egregiam aliàs ſapientiam, quæ illis vel inerat, vel ſaltem ineſſe credebatur, erraſſe; rectè concludit Paulus, neceſſe eſſe, ut reſurrectio ponatur. Et tale etiam fuiſſe Pauli argumentum aliquo modo indicat ipſe loquendi modus: *Quid facient, qui baptizantur*, &c. q. d. ineptiſſimè iſti fecerint, & temerè, nulláque de cauſa; cum tamen cauſam illos aliquam ſaltem probabilem habere, pluſquam credibile ſit. Ad poſterius reſpondendum, nil fuiſſe neceſſe, ut hoc loco, ubi factum hoc in argumentum reſurrectionis volebat adducere, idque breviter ac ſtrictim, expreſſè atque apertè hoc reprehenderet Apoſtolus; præſertim cum error ipſe per ſe adeò non eſſet pernicioſus. Interea tamen ipſo loquendi modo, dum factum à ſe removet, & certis tantum hominibus tribuit, tacitè videtur improbare, quod hoc loco ipſi ſufficiebat. Sed ad inſtitutum nunc redeamus.

Alia ſunt ſuperſtitionum genera, quæ hominibus religioſis ac devotis, & cæteroquin valdè piis, ſed imbecilliori judicio præditis, facilè adhærent; qualis eſt nimia in veſtitu, v. g. aut aliis rebus externis demiſſio, qua contemptui quis, interdum abſque neceſſitate ſeipſum exponit: quin etiam obſervatio rerum quarundam externarum, quæ plerunque quidem obſervandæ ſunt, interdum tamen urgenti neceſſitati cedere debent: ut ſi quis putaret, ſibi etiam in acerrimo frigore, cum valetudinis jactura, caput inter orandum vel concionandum aut etiam inter auſcultandum religioſè apertum ſemper habendum eſſe. Qua in re tamen ædificationi aliorum eſt conſulendum: alioquin id hîc uſurpari poteſt libertatis, quod olim in Sabbato fuit permiſſum à Deo, & à Chriſto etiam diſcipulis conceſſum, ut nimirum ea licerent, quæ ad valetudinis conſervationem, aut ad præſens malum vel damnum gravius depellendum facerent. Tale erat quòd Apoſtoli Sabbato per ſegetem ſpatiantes ſpicas vellebant, & manibus terebant. Tale, quod licebat ſabbato bovem etiam ſolvere aut jumentum, & potum deducere, aut delapſum in puteum inde extrahere, ægroto inſervire, medicamentum parare vel ſumere, præſertim in præſenti diſcrimine; itémque contra hoſtium incurſum ſeſe defendere, quod olim non audentes Judæi Sabbato, ab hoſtibus miſerrimè fuerunt trucidati, ut in libro Machab. I cap. 2. legimus, quam ſuperſtitionem cæteri ob præſentiſſimum malum, & interitus diſcrimen abjecerunt. Nam quod Dominus Jeſus de Sabbato dicat, *illud factum* ſeu inſtitutum *eſſe propter hominem, non hominem propter Sabbatum*, excuſans illud diſcipulorum factum, de quo ante diximus, Marc. 2. 27: id ipſum quoque de cæteris hujuſmodi ceremoniis & rebus ad externum decorum pertinentibus dicendum eſt. Nam quod dè capitis apertione, cujus occaſione hæc nunc diſputamus, præcipit Paulus, id imprimis pertinet ad dignitatem virorum declarandam & aliqua ratione tuendam, eaque eſt cauſa, cur id Paulus præſcripſerit, ut apparet ex I Cor. XI. 4. & ſeqq. At majus damnum eſt, valetudinem perdere, quam dignitatis ſuæ in externis factis rationem non habere, præſertim cum eam aliis modis tueri liceat, & damnum iſtud ſeu valetudinis jactura rebus ac ſtudiis divinis, aut alioquin valde præclaris, atque vehementer utilibus obſtet, aut etiam interdum prorſus ea impediat. At ineptum eſſet ob rei externæ & minoris momenti obſervationem efficere, ut ea cogaris prætermittere, quæ maximi ſunt momenti, & ad ſpiritum verúmque Dei cultum propriè pertinent. Atque hoc, quod nunc diximus, patet latiſſimè, & ad ea omnia extendendum eſt, in quibus prudentiæ aliquis poteſt eſſe locus. Interdum quippe ad tempus aliquid omittere præſtat, ne poſtea ſæpius, aut cum magis neceſſe eſt, idem omittere cogaris, aut ejuſmodi impliceris difficultatibus, quæ non modo incommodorum variorum, ſed ſæpè etiam peccatorum multorum ac ſcandalorum exiſtunt cauſæ. Quò pertinet etiam inconſiderata benignitas aut hoſpitalitas, aut tractatio rerum quarundam ad religionem alioquin pertinentium. Quanquam rurſus illud quoque fatendum eſt, prudentiam hanc pietate ac candido in divinam gloriam ſtudio, regi ac gubernari debere, cùm pars hæc maxima ſit prudentiæ, pietatem præcipuè colere, & ea facere, unde Deo evadas quam acceptiſſimus, & ſatius ſit, ſi medium exactè tenere nequeas, in illám partem inclinare, quæ pietati eſt convenientior, quam in eam, quæ longius ab ea recedere videtur, ſed prudentiæ tamen, quæ commodis etiam noſtris conſulit, eſt conjunctior. Sed, ut ille dixit, *Media omnium optima*. Superſtitio vero imprimis occupare ſolet animos probos, & ad pietatem pronos, ſed imbecilliori judicio præditos. Nam quia ſuperſtitio pietatis æmula eſt, & eam falſa ſpe ementitur, ideo ii qui pietatem amant, ſed ea judicii firmitate non ſunt præditi, ut veram, ſolidam, virilémque pietatem à falſa & fucata diſtinguant, facilimè in ſuperſtitionem incidunt, præſertim cum ea ſit verâ pietate facilior, ſiquidem in externis imprimis conſiſtit. Eſtque hujus pars quædam forma illa pietatis, de qua Paulus 2 Timoth. 3. ℣. 5. Hinc fit, ut mulierculæ, quia judicio ſunt infirmiore, & inani ſpe facilius decipiuntur, ad ſuperſtitionem viris ſoleant eſſe proniores. Unde etiam fabulæ, quæ ſuperſtitionem aliquam ſapiunt, aniles dicuntur: I Epiſt. ad Tim. 4. 7. Rectè nempe dixit Lactantius, ad religionem opus eſſe & probitate & judicio. Judicium enim ſine probitate mater eſt atheiſmi & impietatis, probitas ſine judicio ſuperſtitionis.

Antequam ad ſpecialiorem & magis diſtinctam pietatis ejúſque partium declarationem accedamus, unum adhuc imprimis commemorandum eſt impietatis ſimul & ſuperſtitionis genus, quod ſeveriſſimè olim à Deo, nec minùs ſub Novo fœdere prohibitum, nempe veneficium, & quæcunque hoc nomine comprehendi queunt, aut ſceleri huic vicina ſunt, &

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cum eo in ſacris literis conjungi ſolent. Reponitur autem illud inter opera carnis ad Gal. 5.20. & inter ſceleratos, quibus aditus ad civitatem illam novam Jeruſalem intercluditur, & quorum pars eſt in ſtagno ardente igni & ſulphure, recenſentur venefici: Apoc. 21.8. & 22.15. Nam etiamſi in loco ad Galat. veneficium poſſit etiam accipi pro eo ſcelere, cum quis venenum alicui miſcet ac præbet; tamen veriſimilius eſt incantandi artem, ſeu Magiam, ut vocant, hoc nomine ſignificari. Unde ſtatim Idololatriæ ſubjungitur, tanquam rei admodum vicinæ, & quæ cum cultu divino directè pugnet, quemadmodum iſta. Eſt enim veneficium, cum quis dæmonis ope aliquid perfici curat, etiamſi tandem illud per ſe conſideratum bonum ſit, & hominibus utile; qualis eſt morborum ſanatio, aut rerum occultarum vel futurarum detectio. Ideò autem hoc loco ſcelus hoc commemorandum putavimus, quia cum non uni pietatis parti adverſetur, (adverſatur enim & amori, qui Deo debetur, & fiduciæ in illum collocandæ, tum honori & adorationi divini numinis, ejuſdémque invocationi:) ſatius eſt illud pietati in univerſum, quam uni alicui parti opponere. Pugnat autem veneficium cum amore divini numinis, quia veneficus cum ejus hoſte conſpirat, & ſocietatem quandam colit; quum is, qui Deum vere amat, non poſſit non odiſſe eum, qui perpetuus Dei hoſtis eſt, itaque eum fugere, ut nihil prorſus cum eo velit ſibi eſſe negotii. Cum fiducia autem erga Deum pugnat, id, quod à Deo petendum eſt, à Satana ſperare, aut impetrare, ad ejúſque potius, quam ad divinam opem confugere, & ei hunc honorem habere, ut ab eo auxilium quæratur. Unde apparet etiam quomodo id pugnet cum divini numinis honore & invocatione; quod tum adhuc fit apertius, cum malis iſtis ſpiritibus ſacrificia fiunt execranda, aut invocatur nomen illorum precibus conceptis. Nam duplex eſt impietas illa, altera quæ apertè Satanæ ope utitur, altera quæ tacitè aut occultè. Ad quam poſteriorem (nam de priori nihil attinet dicere, nec eam ſcrutari etiam placet) hoc quoque pertinet, cum in morbis ſanandis aut aliis rebus ſimilibus, certa quædam verba, aut formulæ loquendi, in quibus vis aliqua ſita eſſe creditur, concipiuntur, aut certa quædam ſigna ac geſtus adhibentur, vel characteres pinguntur, ſculpuntur, aut funduntur, aut alia, in quibus nulla naturalis ad rem quampiam perficiendam vis eſt, malorum amuleta appenduntur. Eodem etiam pertinet fuſio metallorum quorundam ſub certis quibuſdam ſignis, aut lunaris curſus periodis, & præſertim nocturno tempore. Quibus rebus poſtea mirabiles ac ſupernaturales adſcribuntur vires, ut eſt cognitio rerum longiſſimè diſſitarum ſeu divinatio, vel immunitas à ſclopetorum ictibus, & ſi quæ ſunt ſimilia. Nam etiamſi in his nulla fiat malorum ſpirituum invocatio, tacitè tamen ii in auxilium vocantur, vel adhibentur; ſuntque hæc prima majoris impietatis veluti rudimenta & auctoramenta, quibus dæmon homines ſuperſtitione ſemel illectos paulatim ad majora deducit, & ad apertam impietatem gradum quendam iis ſtruit. Quod ut appareat, inquiramus aliquantulum, quo pacto iſta tam miranda opera iis, quos diximus, modis perfici queant. Quod ſi nulla, niſi dæmonis, ope & virtute; habebimus id quod volumus, nempe tacite Satanam in auxilium adhiberi, & hunc Magiæ primum eſſe gradum, & veneficii quoddam genus. Id vero, quod diximus, hinc fiet manifeſtum. Res iſtæ, quæ ad ſanationes, vel alia miranda opera præſtanda adhibentur, vel naturali virtute iſta præſtant, vel ſupernaturali. Non naturali; quia nulla verba, nulli characteres & virtutes, nec earum rerum, quibus imprimuntur, materia, naturalem hanc vim habent, nec iſta duo ſimul conjuncta. Nam verborum, figurarum, quantitatum, & ſi quæ ſunt ſimilia, nulla eſt per ſe vis & efficacitas. Quod ſi eſſet aliqua: ea vel in eo cerneretur, quod ſenſum aut imaginationem noſtram moveant, quòd hîc nullum habet locum, aut quod materiam, in qua per ſe aliqua vis ſit, diſponant ad effectum aliquem producendum, quod hîc itidem locum non habet. Quæ enim, v.g. vis eſt plumbi, cui certa aliqua nota impreſſa eſt, ad hominem aut pecus ejus rei ignarum, ab ictibus ſclopetorum tuendum? Quæ vis metallorum ad res longiſſime diſſitas perſpiciendas, aut inibi legendas? Reſtat ergo, ut ſupernaturali virtute id fiat. Ea vero aut divina eſt, cum qua etiam angelicam conjungimus, vel diabolica: nihil enim præter hæc excogitari poteſt. Non divina: cùm quòd Deus nuſpiam opem ſuam talibus rebus obſtrinxerit aut promiſerit; cum tamen hanc rem adeò ſalutarem non fuiſſet occultaturus: tùm quod ea impiis potius, quam piis contingant, pii verò omnes ab iis tantoperè abhorreant, nec quicquam tale audeant facere. Atqui piis talia auxilia imprimis contingerent, ſi à divino numine hæc penderent. Ac præterea cum ea revera miraculoſa ſint, cur ea Deus abſque iſtis nugis potius, precibus piorum permotus, non faceret, quam cum illis; ſiquidem naturalis vis hîc ſit nulla, præſertim cum id ipſius majeſtati ſit convenientius, ne fortè res hæc rerum naturalium virtuti adſcribatur? Denique quid Deo opus eſt characteribus, quid certis conceptiſque verbis, à quibus ne minimum quidem diſcedere liceat, & in quibus ſi erres, res tota fiat irrita? quid certo eoque nocturno tempore? nonne hæc ipſa magiam ſapiunt, eamque ſatis apertè probant; præſertim cum vel ex ſacris literis ſatis apertum ſit, aſtrorum obſervationem & imprimis Lunæ cum magia magnam habere cognationem, & tempus nocturnum ei maximè conveniens & opportunum, ut in quo Princeps tenebrarum vim ſuam maximè exercet? Reſtat ergo, ut dæmonis & malorum ſpirituum ope res illæ fiant, id quod illud ipſum eſt, quod nobis probandum ſumſimus. Quapropter omnia iſta homini Chriſtiano vitanda ſunt, quæ talem ſuperſtitionem reſipiunt, omniáque debent illis eſſe ſuſpecta, in quibus preculæ quædam non intellectæ murmurantur, characteres pinguntur, aut ceremoniæ adhibentur ſuperſtitioſæ, aut alia fiunt, in quibus nulla ratione naturalis & perpetua certáque vis eſt aliquam rem perficiendi.

Ad veneficos autem referimus etiam Pythones, Ariolos atque Augures, qui etiam plerumque cum dæmoniis commercium habent, & ab iis occulta reſciſcunt; quin etiam omnes aruſpices, divinatores, & alios hujus generis homines, qui ex variis rebus, quæ naturaliter ſæpè, aut forte fortuna accidunt, rerum futurarum captant omina, eáque ſuperſtitioſè obſervant: cum quibus Aſtrologi etiam, qui divinationibus, quas ex aſtris petunt, etiam de rebus, quæ naturali ratione non fiunt, nec ex aſtris revera pendent, ſed vel à Deo vel ab hominum arbitrio ſunt, ſunt dediti. Qua de re vide Levit. 19.31. & cap. 20.6. ubi non tantum ipſa hæc ars prohibetur, ſed etiam interdicitur, ne quiſquam eam profeſſos conſulere audeat; cum is ejuſdem impietatis jure cenſeatur reus, cujus ipſe Pytho & Aruſpex; nempe quòd dæmonis ope utatur, licèt per alium, aut ea quæ ſolius Dei ſunt, hoc eſt futurorum cognitionem, curioſè atque impiè inquirat; aſſeritque ibi Deus, *ſe faciem ſuam oppoſiturum adverſus animam illam, quæ ſe verterit ad Pythones & Aruſpices ad fornicandum poſt eos, & ſe exterminaturum animam illam ex medio populi ſui*. Quare conſilium quoque ab iſto hominum genere petitum ad impietatis genus, de quo agimus reducendum eſt. Eodem pertinent verba Deut. 18.10: ubi ait Moyſes, *non invenietur in te qui tranſire faciat filium ſuum aut filiam ſuam per ignem, divinans divinationes, præſtigiator & Augur, neque maleficus, neque incantator, neque interrogans Pythona, neque magus, ϑερατόσκοπος, neque quærens à mortuis. Abominatio enim Domini eſt, quicunque facit hæc, & propter abominationes iſtas Dominus Deus tuus ejicit illas* (nempe gentes) *à facie tua*.

Apud Eſa. 47.13. non obſcurè quoque reprehenduntur Aſtrologi quos vocant, judiciarii, præſertim qui contra veritatem, quam ex divino verbo petere poterant, impios quoque ſpe futuræ felicitatis ſolantur, & iis non ſecus atque incantantoribus ſuppliciorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ciorum divinorum minæ proponuntur. Nam ita dixerat ℣. 12: *Sta nunc cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi forte poſſis proficere, ſi forte robores te.* Poſtea ſubjungit ℣. 13: *Fatigata es multitudine conſiliorum tuorum, ſtent nunc & ſervent te ſpeculantes cœlum, qui contemplantur ſtellas, quique cognoſcere faciunt ſecundum menſes, ab iis, quæ ventura ſunt ſuper te.* Ac denique ſubjungitur: *Ecce erunt tanquam ſtipula, ignis comburet eos*, & quæ ſequuntur. Apud Jeremiam autem cap. 10: non tantum hujuſmodi curioſitatem Aſtrologorum ipſorum, ſed aliorum quoque ſuperſtitionem, qui iſtis aliquid tribuunt, prohibet Deus, cum ait Propheta ℣. 2: *Sic dixit Jehova: viam gentium ne cognoſcatis, & à ſignis cœli ne conſternemini, quia conſternantur gentes ab eis; quoniam ſtatuta populorum vanitas ſunt.* Ex quo apparet, Aſtrologiam iſtam, quæ hodie quoque à Chriſtianis exercetur, quatenus futura prædicit, atque imprimis ea, quæ non ſunt prorſus naturalia, fugiendam eſſe, aut valdè ſobriè in ea verſandum, ne ea, quæ divinis conſiliis ac decretis, aut hominum vel probitati vel malitiæ, aut aliis eorum conſiliis aut factis verè debent attribui, aſtris adſcribantur, & divina quædam illis revera poteſtas tribuatur, aut effectorum contingentium neceſſitas ab iis pendere credatur. Nam vel arbitrium humanum nullum eſt, & ſic nulla quoque religio, nulla virtus, nec peccatum, cujus contrarium ſatis apertè demonſtravimus: vel ſtatuendum eſt, aſtra in ipſum hominis animum ac voluntatem vim, præſertim cogentem, nullam habere, nec iis revera adſcribi debere, quod ab homine vel boni vel mali fit. Quod ſi tamen ulla eſt vis aſtrorum, ea per accidens tantum ad animum pertingit, & ut vulgo quoque loquuntur, inclinat tantum, non neceſſitat. Nam quia aſtra in corpus humanum vim aliquam habent, & ad ejus temperamentum & conſtitutionem aliquomodo immutandam plurimum poſſunt; temperamenti autem varietatem, variæ quoque in animo ſolent ſequi inclinationes & affectus, vel potius affectuum pronitas: hinc fit ut ex aſtris aliquid ad animos hominum manare queat; & cùm pauciores ſint, qui corporis affectibus non obſequuntur, veriſimiliter aliquid de futuris eventibus, niſi naturæ curſum Deus impediat, aut homines ipſi inclinationi aſtrorum repugnent, colligi poteſt. Ex quo fit, ut de illis timidè admodum ſit loquendum; imo longe ſatius eſt, nil de iis aſſerere, neque etiam ea curioſius ſcrutari, præſertim cum ſacrarum literarum loca huic arti non obſcurè adverſari videantur. Et certè ars hæc ſuperſtitioni aut etiam impietati & atheiſmo magnam interdum præbet occaſionem, cum ubi ſemel invaſerit animos ſuperſtitioſa opinio, ſtare loco neſciat, ſed ulterius plerumque progrediatur. Ubi verò quis eò progreſſus fuerit, ut vel omnia vel pleraque, quæ hominibus contingunt, adſcribere audeat aſtris, paulatim animus ipſius à Deo avertitur, & tandem omnia fatali cuidam neceſſitati, quæ ab aſtris pendeat imputat. Unde religio omnis convellitur, & facilè eò devenitur, ut nullum aliud ſuperius numen agnoſcatur, aut etiam plane otioſum eſſe credatur, ut quod rebus humanis perpetuò non provideat, ſiquidem omnia rerum eventa ex aſtris jam pendeant, quorum ordo ſemel conſtitutus perpetuò manet, ut jam nulla peculiari providentia ſit opus.

Addere etiam hîc licet, ſomniis quoque parcè eſſe credendum, & cavendum diligenter, ne nimia hîc credulitate utentes in incredulitatem ſeu diffidentiam de Dei providentia, qui hæc omnia gubernet ac moderetur, incidamus, vel etiam arbitremur ea, quæ ex arbitrio noſtro pendent, in arbitrio noſtro amplius non eſſe. Nam & ſomnia multa vana prorſus, imò plæraque talia ſunt, & alia, quæ veri quippiam habent, non ſemper talia ſunt, ut res ipſas eſſe nuncient: ſed nonnunquam ea tantum, quæ probabile eſt futura, & quorum cauſæ jam quædam, quæ tamen impediri à re alia poſſent, extant; pauciſſima vero ſunt, quæ res certo ac neceſſario futuras ſignificent. Ariſtoteles ea breviter diſtinguit, dum ait, ſomniorum, quæ ſignificationem aliquam habeant, alia eſſe, quæ denuncient τὰ ἐσόμενα, alia, quæ τὰ μέλλοντα, quorum illa certo futura ſunt, hæc probabiliter.

Idem etiam de Chiromantia ſtatuendum, ex qua parcè admodum judicandum: &, ſi quæ ſunt, ea potius ad corpus, quàm ad animum ſpectant, quemadmodum de Aſtris dicebamus: immò huic etiam minus hac in parte videtur tribuendum, quam aſtris, cum iſtorum lineamentorum, aut varietatis, quæ in illis apparet, poſſint tales eſſe cauſæ, quæ valde exiguum habeant in vita humana humaniſque actionibus robur. Phyſiognomiæ aliquanto plus videtur tribuendum, quatenus non ipſi revera mores & facta hominis tribuuntur, ſed tantùm inclinationes ad hoc aut illud affectuum, virtutum aut vitiorum genus, aut corporis conſtitutio veriſimiliter ex ea colliguntur; cum naturalis quædam inter ſigna externa, & res, quæ inde colliguntur, nexus oſtendi poſſit; quia nimirum & ſigna iſta & inclinationes ab iiſdem cauſis, ſive proximis ſive remotis pendeant, vel etiam ipſa ſigna ex inclinationibus proficiſcantur. Verumtamen poſſe quempiam inclinationi iſti naturali repugnare, & cum vitioſa ſit præditus indole, virtutem tamen colere, tum communis experientia, tum Socratis exemplum docet; de quo Cicero. Interim & hic modus adhibendus eſt, & fugienda illa incommoda, quæ ſupra recenſuimus, ubi de Aſtrologia egimus.

Antequam hinc abeamus, quærere libet, an *ſorte* interdum uti liceat, & ea ratione res occultas inveſtigare, aut divinam de aliqua re voluntatem explorare? Dicendum videtur, cum varia ſoleant eſſe ſortium genera, & plæraque quidem per ſe ſuperſtitioſa, alia etiam, in quibus invocatio ſanctorum aut adjuratio per eorum nomen, quibus hic cultus minimè debetur, adhiberi ſolet, immò in quibus etiam diaboli, ut quidem ex iis quæ narrantur videre licet, intervenit operatio; ea omnia illicita eſſe, ex iis ſatis conſtare poteſt, quæ hactenus de rebus ſimilibus diximus. Unus tantum videtur eſſe caſus, cujus exemplum quoddam habemus in Actis, ubi allectus eſt ſorte in numerum Apoſtolorum Matthias, invocato prius Domini nomine, ubi modus etiam proponitur ſimpliciſſimus, atque ab omni ſuperſtitione remotiſſimus, in quo nihil aliud quæritur, quam ut indicium quoddam haberi poſſit ejus rei, de qua dubitatur. Caſus autem is eſſe videtur, cum gloria divina in negotio aliquo agitur, & re dubia, rationibus jam diu multumque perpenſis, nihil tamem certi concludi poteſt, utrinque certantibus iis cauſis, quæ ad gloriam divinam ſpectent; & nihilominus tamen aliquid certi eſt concludendum. Nam in rebus exigui momenti, indignum eſt majeſtate divina, velle eam non ſecus atque amicum aliquem ac familiarem in conſilium adhibere peculiari ratione; præſertim cum ratio ipſa ac prudentia humana poſſit nodum ſolvere, & ſi domi nobis conſilium non ſit, aliunde id peti poſſit. Immò eſt hoc aliquomodo Deum tentare, ſi quis in iis rebus, quæ ſunt ordinaria quadam ratione expediendæ, extraordinarium & inuſitatum Dei conſilium & factum aliquod requirere hodie velit, poſtquam prophetiæ quæ olim extabant, & oracula, de quibus in ſacris literis veteris fœderis legimus, ceſſarunt. Idem etiam de aliis rebus, quæ ad carnem tantum ſpectant, ſpiritum vero ac ſalutem hominis, aut divinam gloriam haud quaquam attingunt, judicandum eſt: omnia enim iſta viliora ſunt, quam ut Deus ſuper iis extraordinario quodam modo voluntatem ſuam revelare hominibus debeat. Orare quidem Deum licet, ut & in illis ea nobis conſilia ſuggerat, quæ omnium ſint optima; ſed ut illud faciat inuſitata quadam ratione, id non eſt dignum ipſius majeſtate. Et homines illi honorem ipſius videntur proſtituere, qui id efflagitant; præſertim cum facilè fieri queat, ut Deus multas ob cauſas voluntatem ſuam tali modo aperire nolit: maximè cum id nuſpiam promiſerit, immò interdum cauſas habeat magnas, cur nobis nolit omnia ex animi ſententia fluere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quare ſi nihilominus homines ſortes capiant, & ſe de divina voluntate per eas edoctos credant, re poſtmodum non benè ſuccedente, facilè fieri poteſt, ut tandem ludibrio Dei ſapientia, potentia, providentiáque exponatur, aut ipſe ab hominibus accuſetur, tanquam qui malè conſuluerit, aut aliàs tantum temere omnia geri credantur. Sed præterea ne in divinis quidem rebus ſorte exploranda eſt Dei voluntas, niſi ubi prius omnia cætera tentata, & omnia in ſummo Dei timore, ſepoſitis humanis affectibus, qui ſæpè judicio humano nebulas offundunt, in omnes partes verſata ac deliberata fuerint, nec tamen exitus inveniri potuerit, ac præterea res omninò exigat, ut ſtatim aliquid certi concludatur. Nam ſi quis ideò tantum putet Deum ſorte jacta conſulendum, ut ipſe laborem, qui in deliberando & rem diligenter expendendo impendendus eſt, effugiat, & ſic deſidiæ tantum ſuæ quærat compendium, is haudquaquam rectè ſe gereret, immò Deum tentaſſe jure diceretur, utpote qui uſitata via, & ab ipſo Deo naturaliter præſcripta atque oſtenſa, in eo negotio relicta atque deſerta, inuſitatum quippiam à Deo poſtularet. Deinde ſi res moram ferat, ne ſic quidem inuſitati quippiam tentandum eſt: fieri enim poteſt, ut quod hodierna diſquiſitione nondum patuit, poſtea, ſi diligentius rem expendas, tibi pateat; unde interdum dicere ſolemus, tempus ſuppeditaturum conſilium; &, poſteriores cogitationes eſſe ſapientiores. Quapropter orandus eſt Deus, ut velit ea, quæ conſuevit ratione, conſilia nobis ſalutaria ſuggerere. Quod ſi tandem omnia illa concurrant, quæ requiri diximus, magno Dei cum metu, invocato ipſius nomine, ad ſortes accedendum erit, ſemota, ut diximus, omni ſuperſtitionis ſpecie; præſertim cum præter Apoſtolorum exemplum, quod paulo ante adduximus, nihil occurrat aliud, unde doceamur, iſta ratione uti nos poſſe. Nam (ut hoc quoque addamus) ibi quidem neceſſe erat omninò Dei ſententiam explorare, ubi de demandanda cuipiam Apoſtolici muneris functione agebatur, cum Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti ſolius eſſet, corde hominis inſpecto legatum tanto muneri aptum deligere; at noſtrorum negotiorum alia plærunque eſt ratio. Itaque tanto minus ex iſto exemplo colligere licet. Si quid tamen inde colligi poteſt, id à nobis hactenus eſt explicatum.

Cap. III.

De partibus pietatis: & primo quidem de fiducia in Deum & Chriſtum.

PArtes pietatis duplicis ſunt generis; quædam enim patent latiſſimè, & nonnunquam tam latè extenduntur, ut totam pietatem, ac conſequenter etiam totam ſanctitatem in univerſum complectantur; ſua tamen natura accommodatiores ſunt ad unam aliquam pietatis partem peculiariter ac inſignitè deſignandam: quædam verò anguſtiores ſunt, in quas cæteræ dividuntur. Utræque iterum duplicis ſunt generis: nam vel merè ad nominis divini gloriam ſpectant, vel ſimul etiam ad nos noſtrumque aliquod bonum, vel etiam malum per ſe referuntur, quæ propterea mixtæ cenſeri poſſunt, liceretque eas referre ad ultimum officiorum genus, hoc eſt, eorum quæ partim ad nos, partim ad alias perſonas ſpectant. Verumtamen quia à pleriſque huc referri ſolent, & numerari inter officia, quæ ad Deum propriè ſpectant, tum quia id, quod ad Deum propriè pertinet, in his officiis, aut virtutibus eminet: licebit hîc fortaſſe nobis illa perſequi; nam aliàs illa, quæ prioris ſunt generis, hoc eſt, quæ in ſolidum ad Dei gloriam referuntur, verè ac propriè hujus ſunt loci. Et illius quidem generis ſunt amor & charitas erga Deum, & honor, quo nomine omne genus cultus, qui Deo exhibetur, & quicquid ad illius laudem verè pertinet, complectimur: quæ duo ita inter ſe ſunt conjuncta, ut honor ex amore fluat, & ſine illo revera ſit nullus; iſte contra invalidus, niſi hic ſubſequatur. Poſterioris vero generis ſunt ex laxioribus quidem partibus, fides, in ea præſertim ſignificatione ſumpta, qua ſignificat fiduciam in Deo aut Chriſto collocatam, cum qua hac in parte ſpem quoque, quatenus eandem revera cum illa vim habet conjungimus. Deinde timor Dei, qui ad prius partium genus paulo accedit propius, & hac in parte videtur eſſe ſimplicior. Ex ſtrictioribus verò & anguſtioribus invocatio & precatio. Non facimus autem hoc loco virtutum aliquarum mentionem, ſeu habituum; ſed vel affectuum, vel actionum tantum vel externarum vel internarum: quia virtutes particulares, quæ in rebus enumeratis cernuntur, nominibus propriis carent, & ob id ipſum vel affectuum vel actionum nomine ſæpè exprimuntur. Unde illud quoque hîc notari poteſt, voces has plæraſque nunc propriè pro ipſis affectibus aut actionibus ſumi, nunc minus propriè pro habitibus, vel harum rerum conſuetudine & continua exercitatione. Ex dictis autem jam colligi aliquo modo poteſt, quid ſit pietas illa, de qua ſuperius verba fecimus. Nam qui has pietatis partes hactenus enumeratas cognitas habet, is ipſam quoque pietatis naturam habet perſpectam; eo tamen obſervato diſcrimine, quod jam inter illas conſtituimus. Nam cum pietas propriè Deum ipſum, ejúſque honorem ac venerationem cum amore conjunctam reſpiciat: illæ quoque partes ad pietatem pertinent, quas huc ſpectare propriè diximus: cæteræ vero vel minus propriè vel eatenus tantum, quatenus ipſæ quoque huc ſuo modo referuntur. Pertinent, inquam, ad pietatem primò amor & honor: timor verò, fides, ac invocatio eatenus, quatenus in iis quoque vel honoris divini, vel amoris ineſt ſignificatio; quod poſterius in fide & invocatione maximè cernitur, in timore obſcurius ac minus propriè; prius in omnibus.

Etſi verò methodi ratio poſtulare videatur, ut ab illis partibus incipiatur, quæ ſunt ſimpliciores, & ad Deum Chriſtumque ejúſque venerationem in ſolidum referuntur: quia tamen fides, licèt magis ſit mixta, cæterarum veluti quoddam fundamentum eſt, ac præterea à plæriſque Theologis inter virtutes primo loco ſolet collocari; ideò ab illa nobis quoque hîc erit incipiendum. Sed quia naturam ejus ſatis fuſe tum explicuimus cùm de virtutibus intellectus ageremus, propterea quod prima ejus ſignificatio, unde cæteræ ortum trahunt ac veluti pendent, ad intellectum revera pertinet: ideò nunc explicatione eſſentiæ illius prætermiſſa, eatenus tantum de illa dicemus, quatenus ea ad pietatem pertinet, & venerationem quandam divini nominis complectitur. Deinde addemus aliquid de tentatione Dei, quam fidei opponi diximus, cujus tractationem ad hunc locum reſervavimus; quòd ea imprimis cum pietate in Deum pugnet, eámque vehementer offendat. Diximus autem paulo ſuperius, huc potiſſimum pertinere eam fidei ſignificationem, qua pro fiducia in Deo aut Chriſto collocata ſumitur; potiſſimum, inquam, (non ſolum) quia ea etiam huc pertinet, quæ prioris iſtius ſolet eſſe cauſa, ac fundamentum, quæque nihil aliud eſt, quam aſſenſus iis, quæ divinitus ſunt revelata, adhibitus. Et primum quidem eatenus ad pietatem hæc utraque fidei ſignificatio pertinet, quatenus is, qui eam habet, veritatis ac fidei laudem Deo tribuit. Quanquam ea ratio primo pertinet ad imperfectiorem illam fidei ſignificationem, quæ aſſenſum rebus divinitus revelatis adhibitum denotat, ad perfectiorem verò, quæ fiduciam deſignat, non niſi conſequenter, quatenus nimirum ea aſſenſum quoque illum in ſe complectitur, & aſſenſum quidem verbis aliquibus aut promiſſis Dei nomine propoſitis præſtitum. Quod propterea dico, quia, ut ſuo loco diximus, fiducia quoque in Deo collocari poteſt, etiamſi nihil à Deo verbis aſſertum aut promiſſum fuerit, & ſic quoque aſſenſus ille, quem intelligimus, non acceſſerit. Verum generatim loquendo, fiducia omnis in Deo aut Chriſto collocata, ex verbis aut promiſſis Dei, quibus aſſenſum præbemus, oritur. Hanc, quam expoſuimus, rationem colligere poſſumus, cum ex illo Johan. loco, cap. 3. 33: ubi primo quidem de aſſenſu

verbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

verbis Chriſti habito, ſed conſequenter etiam de fiducia exinde nata loquens, ait: *Qui recipit ipſius teſtimonium, obſignavit, quod Deus verax eſt*, & rationem addit, *Nam quem miſit Deus, verba Dei loquitur*: tum ex altero ejuſdem Apoſtoli, 1 Epiſt. 5. 10: ubi de contrario fidei loquens, ait: *Qui non credit Deo, mendacem facit eum; quod non credidit in teſtimonium, quod teſtatus eſt Deus de filio ſuo.* Deinde quod ad perfectiorem fidei ſignificationem attinet, hoc eſt, fiduciam in Deo aut Chriſto collocatam; eatenus ea ad pietatem ſpectat, quatenus is, qui eam habet, & ſummæ potentiæ & ſummæ bonitatis laudem Deo tribuit: ſiquidem is credit, Deum & velle & poſſe præſtare ea, quæ ipſe vehementiſſimè deſiderat, & quorum ſpem firmam animo concepit: hoc autem ipſum honoris divini pars eſt magna. Denique eatenus etiam fides ad pietatem pertinet, quatenus ea amoris erga tam benignum numen, unde felicitas ſuprema pendet, & venerationis ex tantæ potentiæ conſideratione ortæ cauſa eſt; quin etiam cauſa cæterorum omnium, quæcunque Deo grata eſſe novimus, & quorum obſervationem credimus eſſe neceſſariam, ad id, quod à Deo expectamus, obtinendum. Ex quibus jam facilè apparet, quo pacto divini nominis honorem & gloriam violet incredulitas ac diffidentia, vel dubitatio de divinis promiſſis, aut deſperatio exinde orta.

His ita explicatis jam ad tentationem Dei nobis eſt accedendum, quæ licèt timori quoque divini nominis adverſetur, tamen primo ac per ſe fidei in Deum collocatæ repugnat. Ac licèt vulgo pro ejuſmodi ſoleat accipi vitio, quod in eo, quod nimium eſt, peccet, & audaciam quandam de inuſitato divini auxilii ac providentiæ genere benè ſperandi complectatur, quæ ſi Latinorum potius autorum, quàm communem Theologorum uſum ſpectemus, fiduciæ nomen magis propriè meretur; tamen ſi tum vim vocis, tum locos ſacrarum literarum, in quibus tentationis Dei, quâ nempe homines Deum tentant, fit mentio, penitius inſpiciamus, comperiemus eam ad incredulitatem ac diffidentiam majori ex parte rectius reduci, vel ſaltem ex ea ortum ducere. Eſt enim tentare, periculum alicujus rei facere, aut experimentum capere, id quod dubitantis potius eſt, & ambigentis, quam nimium fidentis. Cùm vero tentare Deum aut Chriſtum, aut, quod eodem recidit, Dei ſpiritum, in vitio ponatur in ſacris literis; apparet, tentationem Dei hanc eſſe, cum quis ejus rei, quæ in ipſo exiſtat, experimentum vult capere, cujus periculum facere non deberet. Id verò duplici fit ratione, vel quia res illa ſat multis argumentis eſt demonſtrata, ita ut de ea dubitare ſit nefas, vel quia eam Deus velit eſſe occultam, ita ut eam anxiè ſcrutari nimis ſit audax. Ac de priori quidem tentationis genere, quod omnium patet latiſſimè, poſtea paulo fuſius diſſeretur; idque totum ad diffidentiam ac incredulitatem, præſertim ſi id apertè committatur, reducendum eſt. Poſterius vero, cujus non ita multa videntur in ſacris literis extare exempla, tum imprimis admittitur, quum quis in occultiora Dei conſilia, ſive apertè, ſive tacitè inquirit, cum potius patienter eorum vel revelationem, vel eventum expectare deberet. Cujus rei exemplum videtur aliquod in libris quidem Apocryphis extare, ad ſignificationem tamen phraſeos hujus atque aliorum ſatis idoneis. In libro Judith cap. 8, Judith objicit civibus ſuis, qui decreverant urbem hoſtibus dedere, niſi intra quinque dies Deus opem ferret, quòd Deum tentaverant, ℣. 11. eumque in diſquiſitionem vocaverant, cum tamen ipſius conſilium cognoſcere haudquaquam poſſent, quemadmodum in ſeqq. verbis porro docetur. Hoc verò tentationis genus audaciam quandam ſpirat, & cum timore ac reverentia Dei pugnat; quanquam itidem ex diffidentia & incredulitate oriri poteſt, quemadmodum in exemplo propoſito contigiſſe videtur.

Sed, ut ad prius genus redeamus, quod latiſſimè diximus patere, illud eſt, cum quis v. g. de Dei circa ſe providentia, omnipotentia, ſapientia, cujus jam evidentia habet argumenta, dubitat; quo pacto Iſraëlitæ olim in deſerto ſæpè tentarunt Deum, ut mox videbimus: vel cum quis de voluntate Dei in certa aliqua re, quam aliundè ſatis poteſt habere exploratam, ambigit: aut denique patientiam Dei aut Chriſti nulla habita ratione minarum ipſius, aut iræ pœnarúmque, quarum exempla varia ante oculos ſunt poſita, irritat, & ita ſe gerit, ac ſi experiri vellet, num Deus ſe ſit puniturus, nec ne? num tantam licentiam atque contumaciam impunè ſit paſſurus abire, aut ſecus? Duplici autem modo peccatum hoc admitti poteſt: vel apertè ac manifeſtè, ita ut quis diffidentiam ſuam ne verbis quidem profiteri vereatur, quemadmodum Iſraëlitæ olim fecerunt: vel tacitè, factorum ipſorum vi inſpecta, etiamſi conſilium hominum longè ſit aliud. Prioris generis fuit tentatio Iſraëlitarum, qua tentaverunt Deum, de qua legimus Exod. 17, à ℣. 2. uſque ad ℣. 7: in cujus fine explicatur, quænam ſit iſta tentatio, dum ait: *Vocavit nomen illius loci Maſſa*, hoc eſt, tentatio, *& Meriba*, id eſt, lis, *propter jurgium filiorum Iſraël, & quod tentaſſent Jehovam dicendo: Eſtne Jehova in medio noſtri, annon?* quibus verbis apertè indicant, ſe adhuc dubitare, an Deus ſibi ſit præſens, & ſeſe hactenus ex Ægypto deductos curet, ſibique provideat; cùm tamen tot haberent ejus rei documenta, ut mirum cenſeri queat, potuiſſe inveniri homines in eo populo, qui de ea re dubitarent. Eſtque horum verborum vel hic ſenſus: Quis novit an Jehova ſit nobis præſens, an verò minus? Vel, hac demum ratione comperiemus, ſitne Jehova nobis præſens, an verò minus. Quod utrumque eodem, quod ad noſtrum negotium attinet, recidit. Eandem tentationem commemorat Moyſes Deut. 6. 16. ubi ait: *Non tentabitis Jehovam Deum veſtrum, quemadmodum tentaſtis in Maſſa*, hoc eſt, in illo loco, qui ab hoc populi facto nomen accepit tentationis. Quorum verborum partem primam mutato numero plurali in ſingularem, quemadmadum etiam fit in Græca interpretatione, citat Chriſtus Matth. 4. 7. ubi diabolus aſtutè admodum Chriſtum in hoc vitium impellere conabatur, idque agebat, ut Chriſtus, in periculum temerè ſe præcipitando, argumentum quæreret divinæ erga ſe charitatis ac providentiæ, atque ita exploraret, num verè filius Dei eſſet, ipſique ita charus, ut filius eſſe ſolet Patri: qua de re ipſi jam ſatis aliunde conſtabat. Atque huc imprimis videtur reſpexiſſe Dominus Jeſus, verba iſta Moyſis citando. Non abnuerim tamen, alia adhuc ratione locum hunc accipi poſſe, nempe ut alterum genus tentationis divinæ, quod ſupra conſtituimus, à Domino Jeſu intelligatur. Quæ quidem ratio accommodatior eſt illi ſenſui, quem vulgo ſequuntur. Fieri enim poteſt, ut tentare Deum eo loco ex Domini Jeſu mente ſit, temerè in periculum ſe conjiciendo, ita ſeſe gerere, ac ſi divinæ erga te charitatis experimentum velles capere, tanquam de ea adhuc dubius atque incertus; non quod hoc ipſo conſilio id facias, ſed quod vis ipſius facti ſit hujuſmodi. Sed de priori iſto Deum tentandi modo, de quo agere cœpimus, loquitur etiam Deus Num. 14. 11, 22. in quorum priore ita ait Deus; *Quouſque non credent mihi*, nempe populus Iſraël, *in omnibus ſignis, quæ feci in medio ejus?* In poſteriori vero: *Omnes illi, qui viderunt gloriam meam, & ſigna mea, quæ feci in Ægypto, & deſerto, & tentaverunt me jam decem vicibus.* Ex quorum verſiculorum collatione ſatis patet, ideò dici populum tentaſſe Deum, quia, licèt opera miranda, eáque plurima in eorum conſpectu feciſſet Deus, tamen Deo non crediderunt, nec firmam in eo ſpem & fiduciam collocarunt. Quod ſatis patet ex ipſorum oratione, qua tantatio illa continetur, ita enim ajunt ℣. 2, & ſeqq. *Utinam mortui eſſemus in Ægypto*, &c. *Et quare Jehova introducit nos in terram hanc?* &c. Unde eos compeſcentes Joſua & Caleb inter alia ita loquuntur: *Neque timeatis populum terræ hujus; quia veluti panis noſter ſunt, receſſit protectio eorum ab eis, & Jehova eſt nobiſcum. Ne igitur timeatis illos*: ℣. 9. Unde Pſalm. 78 de tentationibus iſtiuſmodi loquens divinus Spiritus, quibus populus Iſraël tentavit Deum, ita ait ℣. 18 & ſeqq. *Et tentaverunt Deum in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

corde ſuo, petendo cibum animæ ſuæ; & loquunti ſunt contra Deum, ac dixerunt, numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? ecce percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Nunquid etiam panem poterit dare? num apparabit carnem populo ſuo? Ideò audivit Deus, & iratus eſt, &c. *quod non crediſſent Deo, nec ſperaſſent in ſalute ejus.* & ℣. 41: *Tentaverunt Deum, & ſanctum Iſraëlis limitaverunt,* (hoc eſt, virtutem ejus quaſi quibuſdam terminis circumſcripſerunt, quaſi non omnia poſſet:) *non ſunt recordati manus ejus,* &c. Ita enumeratis variis miraculis, quæ Deus inter illos patraverat, ex quibus plenam de Dei omnipotentia, & erga ſe cura fiduciam accipere poterant, ait: *attamen tentaverunt & exacerbaverunt Deum:* ℣. 56. Ex quibus locis ſatis patet, tentationem Dei ad diffidentiam & incredulitatem reduci poſſe ac debere, & in eo, quod parum eſt, peccare. Eodem pertinent iſta verba Regis Achas, Eſa. 7. qui cum juſſus eſſet ſignum quodcunque capere à Deo, quo edoceretur de veritate eorum, quæ Propheta ipſi Dei nomine denunciaſſet, ita reſpondit, *Non petam, nec tentabo Jehovam:* quaſi diceret, adeò id, quod nomine Dei mihi promittis, certum eſt, ut ſignum & argumentum ejus rei à Deo petere ſit ipſum tentare. Quanquam, ut viri docti cenſent, & verba Eſaiæ, quæ ſtatim ſubjiciuntur, indicant, per Ironiam iſta protulit Achas: omninò enim de iis, quæ Propheta dixerat, deſperabat. Quare iſta ridens dixit; Non capiam experimentum divinorum dictorum; intellige, quia iſta omnia ſunt vaniſſima, & factu impoſſibilia. Itaque poſtea Eſaias conqueritur de Regis incredulitate atque adeò impietate, qui iſta diffidentia & deſperatione ſua laborem imponat Deo ipſi, ut ſignum aliquod, quo fidem dictis ſuis conciliet, ipſemet proponat. Huc etiam ſpectant iſti loci, in quibus dicitur quoſdam tentaſſe Chriſtum, poſtulando ab ipſo ſignum è cœlo, ut Matth. 16. 1. & Luc. XI. ℣. 16.

Ad poſteriorem autem modum tentandi Deum, in quo non conſilium agentis, ſed actionis ipſius vis ſpectatur, pertinere videtur locus Actor. 15. 10, ubi ait Petrus: *Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatis jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos potuimus portare?* q. d. cum non acquieſcitis in Dei voluntate apertè comprobata, & quodam modo conamini explorare, nunquid adhuc aliud Deus à ſervis ſuis poſtulet, præter fidem in Dominum Jeſum. Attulerat enim jam Petrus ſatis manifeſtum ejus rei documentum, quòd Deus ab hominibus paganis nihil aliud quam fidem in Dominum Jeſum Chriſtum requirat, nempe id quod Deus fecerat in Cornelii domo: ℣. 7, 8, 9. Unde concludit, non eſſe tentandum Deum, & voluntatem ejus hac in parte veluti dubiam atque incertam eſſe explorandam; quod ipſum diffidentiæ atque incredulitatis argumentum eſt. Poteſt tamen fortaſſe hic quoque eſſe ſenſus verborum Petri, quaſi dixerit: Quid patientiam Dei tentatis, aut (quod eodem recidit) ita vos geritis, ac ſi periculum facere velletis, num is impunè ſit laturus, nec ne, quod contra ipſius majeſtatem audeatis imponere jugum diſcipulis? De quo tentandi genere ſermo eſſe videtur 1 Cor. 10. 9: ubi ait Apoſtolus: *Neque tentemus Chriſtum,* hoc eſt, ne patientiam ipſius veluti exploremus, ejus nomen profitendo, & interea tamen pro libitu noſtro vivendo. De eodem tentandi genere accipitur à quibuſdam interpretibus locus Malach. 3. 15: ubi verba impiorum referens ait: *Nunc ergo beatos dicimus ſuperbos, etiam ædificantur facientes impietatem; præterea tentant Deum & liberantur:* ubi Græci interpretes: *Reſtiterunt Deo & ſervati ſunt.* Sed nihil tamen videtur prohibere, quo minùs ita hæc verba ſumantur, ac ſi dictum eſſet, in pericula ſe temerè præcipitant, veluti inuſitata providentiæ Dei argumenta quærentes, & tamen ſalvi evadunt. Qui modus tentandi ad alterum iſtum, quem ſupra conſtituimus, & de quo agere hîc cœpimus, itidem pertinet, ex eóque orta eſt vulgaris iſta de tentatione Dei ſententia, ut paulò pòſt explicatius dicemus. Huc etiam referendus eſt locus Actor. 5. 9: ubi Petrus inquit ad Sapphiram Ananiæ uxorem, *Quid, quod convenit inter vos, tentare ſpiritum Domini?* hoc eſt, explorare, num Spiritus Domini, qui in nobis habitare certiſſimis documentis deprehenditur, fraudem hanc veſtram ſit animadverſurus: non quod hoc revera illorum fuerit conſilium atque intententio; ſed quod ea vis facti eſſet. Illi enim ſperabant fore, ut hæc illorum fraus & hypocriſis lateret, nec ab Apoſtolis, licet divino ſpiritu præditis, deprehenderetur. Unde ſupra ipſum Ananiam alloquens, & ejuſdem facti turpitudinem exprimens, ita loquutus fuerat Petrus; *Quare implevit Satanas cor tuum, ut falleres ſpiritum Sanctum,* (hoc eſt fallere conareris:) quanquam ne hic quidem illius erat animus, qui ita agebat, ac ſi cum vulgaribus hominibus ſibi res eſſet. Unde Petrus illum poſtea monet, rei gravitatem, prout merebatur, exprimens: *non mentitus es hominibus, ſed Deo;* hoc eſt, quod nos fallere mendacio conatus es, id non tam in noſtram, quam in ipſius Dei redundat contumeliam atque injuriam, propterea quod Dei ſpiritum fallere ac decipere conatus fueris.

Ex his ſatis jam conſtare poteſt, tentare Deum per ſe incredulitatis eſſe ac diffidentiæ: ſed tamen per accidens nonnunquam nimiæ cujuſdam fiduciæ ac temeritatis. Unde vulgaris illa, de qua ſupra diximus, ſententia nata eſt, & hactenus veri aliquid habet; ſed, ut ex dictis liquet, id tantum in poſteriori tentationis divinæ genere contingit, in quo non conſilium agentis, ſed actionis vis ſpectatur: unde fit, ut duo iſta fidei & fiduciæ in Deum ac Chriſtum extrema concurrant, & aliquo modo miſceantur. Nam ſi conſilium agentis ſpectetur, nimiùm eſſe poteſt confidentium; ſi actionis vis, ex qua tentationis nomen facto ipſi tribuitur, incredulitas ac diffidentia. Quare unum de altero per accidens tantum dicitur; quia nimirum utrumque de eodem facto, ſed diverſa ratione effertur.

Alterum fidei, ſeu fiduciæ extremum tum exiſtit, cum quis ibi divinum auxilium aut benignitatem ſperat, ubi ſperare minimè debebat; vel quia ea re plane indignus eſt, vel quia Deus id haudquaquam promiſit, nec ulla eſt juſta cauſa, cur quis præter ipſius promiſſum id ſibi polliceri audeat aut queat. Potentiæ quidem & veritati divinæ vix quiſquam poteſt confidere nimium, ſiquidem ea infinita eſt; niſi quatenus quis illas Dei proprietates ad ea extendit ad quæ non debet; quod de veritate potiſſimum dicimus: ſed de benignitate divina & lenitate poteſt quis nimium ſibi polliceri, quod hodie propè totus orbis Chriſtianus facit: quod vitium timori quoque divini nominis opponitur, & audaciæ nimiæ ac confidentiæ jure accenſetur.

Antequam hinc abeamus, quærere libet, utrum ſit deterius, an nimium Deo confidere, an parum? Reſponderi poteſt, per ſe gravius eſſe parum confidere, quam nimium, ſi æqualis aliàs ſit à medio diſceſſus. Nam id extremum melius, vel potius minus malum, quod natura ſua virtuti eſt vicinius. At vicinior eſt nimia fiducia veræ fidei in Deum aut Chriſtum, quam incredulitas ac diffidentia. Ac præterea incredulitas, divinæ potentiæ & ſapientiæ adeóque honori aut bonitati per ſe derogat: nimia fiducia per ſe nihil derogat, ſed nimiùm aliqua ex parte tribuit. Addimus autem limitationem duplicem; alteram quidem, quod per ſe extrema iſta à nobis conſiderentur; alteram verò, ut æqualis ſit utriuſque extremi à medio diſceſſus. Nam quod ad priorem attinet, fieri poteſt, ut per accidens nimia fiducia ſeu confidentia ſit incredulitate deterior, ſi, v. g. ex ſuperbia proficiſcatur, & nimia ſui æſtimatione; unde fiat, ut quis nimium ſibi de divino auxilio polliceatur, dignum ſe eo eſſe putans: vel ſi confidentia iſta unius vel plurium ſalutem æternam in diſcrimen conjiciat, ac denique peſſumdet. Poſteriorem verò conditionem ſeu limitationem ideò adjecimus, quia fieri poteſt, ut exceſſus interdum nimis ſit magnus, defectus verò exiguus; unde fit, ut nimium Deo confidere tum ſit deterius, quam de fiducia vera aliquid remittere.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. IV.

De charitate in Deum.

SEquitur altera pietatis pars, quæ per ſe tota ad Deum ſpectat, nempe charitas Dei ſive in Deum, cum quo Chriſtum etiam conjungimus. Quanquam ea non uno modo in ſacris literis accipitur. Interdum enim ſumitur latiſſimè pro ſanctitate in univerſum: unde Johan. 1 Epiſt. cap. 5. 3. inquit: *hanc eſſe charitatem Dei*, ſeu in Deum, *ut mandata ipſius ſervemus*: quod idem affirmarat cap. 2. ℣. 5, ubi inquit: *qui ſervaverit ſermonem ipſius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*; nam hîc quoque charitas Dei paſſivè accipitur, hoc eſt, pro charitate qua Deum diligimus. Idem de charitate & dilectione ſui affirmat Chriſtus Johan. 14. ℣. 21. cum quo conjunge ℣. 15. 23, 24. Hinc charitati in Deum ſalus veluti in ſolidum adſcribitur, quod ad nos attinet: Rom. 8. 28. & 1 Cor. 2. 9. Vide etiam Exod. 20. 6. ubi eodem ſenſu ponitur, diligere Deum, & cuſtodire præcepta ejus. Et Deut. XI. 1. item 30. 16. Interdum verò ſtrictius paulo ſumitur, ita tamen laxè, ut omnia erga Deum præcepta & officia complectatur, & ſic non pietatis, quam explicamus pars ſit, ſed eadem cum illa. Quo pacto ſumitur in iis locis, in quibus lex univerſa dilectione & Dei & proximi contineri dicitur; qua de re ſupra nonnihil in diviſione ſanctitatis. Tertio ſtrictiſſimè, ac maximè propriè ſumitur pro affectu eo, quo deſideramus, ut ea tum à nobis, tum ab aliis fiant, quæ Deo ſunt gratiſſima. Quemadmodum enim amor erga alium in univerſum conſideratus, eſt affectus ejuſmodi, quo ea cupimus, quæ alteri ſunt bona; unde fit etiam, ut ſi amor ille ſit intenſus & fervens, pro viribus id ipſum conemur efficere, idque unicè agamus, ut is, quem diligimus, rebus ſibi gratis & utilibus potiatur: ita etiam charitas ſeu amor erga Deum ea unicè deſiderat, quæ Deo, ut ita dicamus, ſunt bona, hoc eſt grata atque jucunda; qualia ſunt omnia illa, quæ honorem ipſi afferunt, aut aliàs voluntati ipſius ſunt conſentanea. Nam cæteroqui omnem bonorum plenitudinem ad ſummam beatitatem pertinentium Deus in ſe complectitur, eáque in ſe ipſo habet, non aliunde adipiſcitur; circa quæ amor ſeu charitas noſtra erga Deum non verſatur, niſi eatenus, quatenus gaudemus, Deum adeò beatum eſſe: quod ſi quis tanti eſſe putet, poterit etiam definitioni charitatis Dei à nobis traditæ inſerere; ita ut charitas Dei ſit affectus ille, quo ea, quæ Deo ipſi bona ſunt cupimus, hoc eſt, vel adeſſe gaudemus, vel, ut contingant, deſideramus: in quo poſteriori, quo cupiendi verbum magis ſpectat, charitas noſtra erga Deum, quam ſacræ literæ nobis commendant magis ſpectatur. Prior enim illa charitatis hujus pars magis otioſa eſt; poſterior ad pietatem efficax. De hac accipiendus videtur locus 1 Johan. 4. 19. & ſeqq. *Nos diligimus eum*, &c. Atque ex hac ſignificatione reliquæ ſunt ortæ, ut vel ex dictis conſtare poteſt. Quia enim dilectionis eſt, ſeu charitatis in Deum, ex animo cupere ea, quæ Deo ſunt grata, inter quæ primum locum obtinent ea, quæ ad ipſius cultum & honorem præcipuè ſpectant: hinc fit, ut charitatis divinæ nomine comprehendantur per quandam Metonymiam Synecdochicam ea pietatis officia, quæ in Deum per ſe vertuntur, quæ ſecunda eſt à nobis tradita hujus vocis ſignificatio. Verumtamen quia ea quoque ſunt Deo grata atque accepta, quæ Deus hominibus ſervanda præſcripſit, hoc eſt, omnis generis virtutes ac rectè facta; hinc fit, ut illa quoque omnia dilectionis divinæ nomine comprehendantur, & nonnunquam inſignitè ea pietatis officia, quæ inter alia certa ratione eminent, licèt alioqui per ſe ad Deum ejuſque gloriam non ſpectent; qualis eſt charitas ejuſmodi erga proximum ejuſque ſalutem, ut quis etiam in rebus licitis ipſi indulgeat, & eum ſcientia inflatus haudquaquam contemnat, quò reſpicit locus 1 Cor. 8. 3. itémque patientia & conſtantia in perferendis afflictionibus ob juſtitiam, quo reſpicit Jacob. cap. 1. 12: ubi de dilectione Domini (per quem ibi Dominus Jeſus rectè intelligitur) ſermo eſt; quanquam iſta conſtantia multum quoque gloriæ divinæ promovendæ facit.

Requirit autem Scriptura, ut Deum non qualicumque ratione, aut remiſſe amemus; ſed ut eum diligamus ex toto corde, tota anima, & totis viribus: Deut. 6. 5. & Matth. 22. 37. ubi loco virium ponitur mens ſeu cogitatio; quibus verbis nil aliud, quam ſumma iſtius amoris intenſio & efficacia ſignificatur. Et Marci 12. 33: ubi & intelligentiæ, & totius roboris fit mentio. Non ſatis autem liquet, utrum iſta omnia, quæ diverſis vocibus, licèt ad eundem ſcripturæ ſacræ locum reſpiciatur, efferuntur, reipſa inter ſe differant, an verò rem unam & eandem denotent; præſertim cum, ut in locis his vidimus, quædam appareat in verbis Moyſis repetendis varietas, quæ cum in re ipſa nihil mutet, colligi poteſt, quæ verbis Moyſis adjiciuntur, aut pro aliis apud eum extantibus reponuntur, eundem cum illis habere ſenſum. Quod ſi quædam à ſe invicem nonnihil differant, veriſimile eſt nullam iſtorum eſſe, quæ quidem alicujus momenti ſit, differentiam. Si enim inter ſe differrent, conſentaneum eſſet omnia inter ſe differre, ſuadente id orationis elegantia & concinnitate. Verumtamen licèt ſenſus verborum iſtorum omnium præcipuus unus eſſe videatur, & idem: negari tamen non poteſt, ſingulas iſtarum vocum aliquid habere proprium, & quippiam denotare expreſſius, quod in cæteris apertè non exprimatur. Qua de cauſa iſta videntur ita à Moyſe atque etiam à Chriſto coacervata, ne quiſpiam arbitraretur aliquid in nobis eſſe poſſe, quod licèt ad amorem divini nominis vim aliquam habeat, ad eum tamen non ſit penitus convertendum; ſed potius cogitet, quicquid in nobis ſit, quod in Dei amorem conſpirare poſſit, quocunque tandem nomine appelletur, id totum in eam rem atque uſum converti debere. Differentia autem conſtitui poteſt hujuſmodi, ut cor ſumatur pro voluntate, ut nonnulli ſentiunt, anima pro appetitu ſeu affectuum ſede, mens verò pro ratione, quam vocant ſuperiore, ſeu intellectu, vires denique pro viribus corporis, quæ in facultate locomotiva imprimis cernuntur; quanquam in loco Matthæi virium nulla eſt mentio, ſed pro iis mens eſt repoſita; apud Marcum verò utrumque diſtinctè collocatur. Vel etiam cor ſimul pro voluntate & appetitu ſeu affectuum ſede, anima pro ratione, quam vocant, inferiore, vires verò non pro diſtincta aliqua facultate, ſed pro cæterarum facultatum jam commemoratarum robore, & ſummo veluti gradu, ad rem ultimo loco tanto magis inculcandam, collocatæ cenſeri poſſunt. Mens enim ſeu intelligentia uno tantum modo videtur accipi poſſe. Sed, ut antea diximus, apud Moyſen veriſimilius eſt, cor & animam pro eodem ſumi, & complecti tum rationem, tum voluntatem atque appetitum: vires autem, ut ultimo loco explicavimus, harum facultatum intenſionem quandam, aut robur denotare. Videmus enim alibi quoque in ſacris literis duo iſta pro eadem re poni, & mentem imprimis denotare, ut cum Joſua dicit cap. 23. 14: *Cognoſcite ergo in toto corde veſtro & in tota anima veſtra, quod non cecidit verbum unum ex omnibus verbis iſtis bonis, quæ loquutus eſt Jehova Deus veſter ſuper vos.* Illud quoque ſuadere videtur, vocem virium non eſſe accipiendam pro viribus corporis, partim quod duriuſculum ſit, Deum à nobis diligi totis corporis viribus, licèt ſenſus aliquis ſubeſſe poſſit per ſe verus; partim quod eo omiſſo Dominus Jeſus apud Matthæum cap. vigeſimo ſecundo, ut ſupra monuimus, vocem mentis, quæ à viribus corporis nimis longe abeſt, pro illa reponat.

Oritur autem hæc erga Deum charitas imprimis ex conſideratione divinæ erga nos charitatis, & beneficiorum inde manantium. Quod indicavit Johannes 1 Epiſt. 4. 10, 11: ubi ait, *Dilecti, in hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Dilecti, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere. Quanquam aliàs res eſt ſatis manifeſta. Eſt quidem alia etiam cauſa, quæ nos permovere poteſt, ad Deum diligendum; ſed non ita vulgaris, aut apud omnes ita efficax: nempe conſideratio illius Dei bonitatis, quæ in ipſius natura, ac univerſis proprietatibus cernitur, ob quam à Philoſophis ipſum bonum & pulchrum dicitur: ipſum autem bonum & pulchrum, quà tale eſt, amabile eſt. Sed, ut jam monuimus, hæc vulgus Chriſtianorum, etiam piorum, non ita conſiderat, ideóque in ſacris literis, quæ popularius nobiſcum agunt, & ad captum etiam vulgi, cum de rebus ad pietatem adeò neceſſariis loquantur, accommodatius, ejus nuſpiam fortaſſe fit mentio. Id verò, quod de Dei in nos charitate & beneficiis inde in nos manantibus diximus, Theologiæ univerſæ maximè eſt conſentaneum. Illud quoque addi hîc poteſt, antequam ad oppoſita charitati erga Deum vitia tranſeamus, ejus hoc quoque eſſe ingenium, ut arctiſſimam noſtri cum Deo conjunctionem deſideret. Definitur enim à quibuſdam amor generatim conſideratus, unionis deſiderium. Quare amoris quoque ſeu charitatis in Deum eadem erit ratio, poterítque id inſeri definitioni ſuperius à nobis traditæ; quanquam id, quod ibi expreſſimus, videtur eſſe potius, ejúſque major in ſacris literis habetur ratio.

Charitati erga Deum & Chriſtum opponitur odium erga Deum, vel inimicitia cum Deo, vel, quod paulo mollius eſſe videtur, non diligere Deum; licet id ipſum pro odio quodam reputari queat, imò etiam, ut ex locis paulò pòſt adducendis patebit, inimicitiæ cum Deo, nomine deſignetur. Sumitur autem partim latius, partim ſtrictius. Latius, cum omnes ii Deum dicuntur vel odiſſe, vel non diligere, qui ipſius mandatis, licèt cognitis, non parent, ſeu, quod eodem recidit, iis rebus non delectantur, quibus delectatur Deus, ſed potius eorum contrariis. Quo pertinet locus Exod. 20. 5. & huic parallellus Deut. 5. 9. ubi Deus dicit, *ſe viſitaturum iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, eorum, qui ipſum oderunt: Et contrà, facturum miſericordiam millibus diligentibus ſeſe & cuſtodientibus præcepta ſua:* Ubi, quemadmodum idem eſt, ut quivis facilè videt, diligere Deum, & cuſtodire præcepta ipſius, ita quoque contra idem eſt, odiſſe Deum, & præcepta ipſius non cuſtodire: Non quod ea ſemper ſit illorum, qui Dei præcepta non ſervant, mens, quæ nonnunquam longè alia eſt; ſed quod ea ſit vis factorum, cum perinde ſe gerant, atque ii, qui Deum oderunt, & hoſtilitatem quandam adverſus eum ſpirant; ſiquidem ea faciunt, idque conſtanter, quæ Dei voluntati ac deſiderio maximè repugnare non ignorant. Eodem ſenſu impii, atque ad Deum nondum converſi, dicuntur *inimici*: Rom. 5. 10: nempe Dei, & *alienati atque inimici mente in operibus malis*: Col. 1. 21. Huc reſpicit quoque Paulus Rom. 8. 7. ubi ait, *ſtudium* ſeu deſiderium *carnis*, hoc eſt, id quod molitur & ſpirat caro, *inimicitiam eſſe adverſus Deum*; & rationem affert, *quia Dei legi non ſubjiciatur, ſiquidem nec poſſit.* Inimicum ergo Deo eſt, quicquid cum lege ipſius pugnat, & qui id facere pergit, is inimicitiam cum Deo gerit. Huc quoque pertinet locus Jacobi 4. 4. ubi ait: *adulteri & adulteræ, an neſcitis quod amicitia mundi inimicitia Dei eſt.* Quanquam illa inimicitia Dei, non tantum accipi poteſt de inimicitia ſeu odio adverſus Deum, ſed etiam de inimicitia Dei adverſus hujuſmodi hominem, poteſtque ſane eo loco utrumque intelligi. Sed priori ſenſui favet quoque Johannis 1 Epiſt. cap. 2 locus, ubi ait ℣. 15: *in eo qui diligit mundum non eſſe charitatem Patris*, hoc eſt, charitatem erga Patrem, quod in ſequentibus probatur; unde ei opponitur ℣. 17, *facere voluntatem Dei.* Ex quorum locorum collatione id patet, quod ante aſſeruimus, non diligere Deum, & inimicitias cum eo gerere pro eodem poni; quemadmodum etiam apud Johannem, non diligere fratrem & odiſſe fratrem: Epiſt. 1. cap. 3. 14, 15. Strictius verò ſumitur odium Dei pro odio quodam religionis ac reverentiæ divini numinis. Sunt autem nonnulli hoſtes, vel religionis in univerſum, vel religionis ac cultus veri Dei, quibus nonnunquam ægrè eſt, aliquid audire, vel vivere quod ad honorem divini numinis ſpectet; unde inter ſpecialia peccata ac ſcelera, ſeu eos, qui illis ſint polluti, collocantur Dei oſores: Rom. 1. 30. Idem videtur notari vitium 2 Tim. 3. 4: ubi inter ſcelera ſatis gravia hoc quoque recenſetur, & poſterioribus temporibus paſſim exstiturum prædicitur, quòd *futuri ſint homines magis voluptatis amantes, quam Dei*, hoc eſt, ſtudioſius ſectaturi voluptatem, quam religionem, ventri magis ſervituri, quam Deo; unde rectè ſequitur, *habentes formam pietatis*, hoc eſt, religionis, *ſed qui vim ipſius negaverunt.* Quanquam poteſt etiam latius locus hic extendi, ita ut vitium hoc, quod eo loco notatur, ad priorem potius ſignificationem ſit referendum. Huc videntur pertinere inimici Domini, quorum mentio fit in verbis Nathanis 2 Sam. 12. 14: ubi ait ad David, *Verumtamen quia blaſphemando blaſphemare feciſti inimicos Domini in hoc negotio, etiam filius, qui natus eſt tibi, moriendo morietur.* Neque enim omnes in univerſum, qui mandata Dei tranſgrediuntur, hic intelligi queunt; ſed ii, qui ipſum quoque Deum audent blaſphemare, quales nonniſi valdè ſunt impii. Blaſphemia autem, quæ hoc loco intelligitur, ut hoc obiter notemus, hæc futura erat, quod dicturi fuiſſent inimici Domini, eùm conſtituiſſe Regem improbiſſimum populo ſuo, adeóque turpiter in hoc conſilio aberraſſe. Ad hoc genus reduci debent omnes illi, qui Chriſtianam religionem oderunt, eámque exterminatam penitus cupiunt; unde etiam fit, ut ejus ſectatores inſectentur. Nam ii quidem Chriſtum apertè oderunt, patrémque ejus, de quibus loquitur Chriſtus Johan. 15. 23, 24. ubi ait: *Qui me odit, etiam patrem meum odit. Si opera non feciſſem inter ipſos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. At nunc & viderunt & oderunt tamen me & Patrem meum*, & quæ ſequuntur. Ex prioribus autem hujus loci verbis, in quibus Chriſtus aſſerit, eum qui ipſum oderit, odiſſe etiam ipſius Patrem, ſatis apparet diverſam eſſe rationem odii, quod adverſus ipſum ſuſcipiatur, & illius, quod adverſus patrem: illud nempe apertum eſſe & directè petere ipſum, hoc verò minùs apertum, & prioris illius veluti conſequens, eaque in parte indirectum. Nam alias ſi utriuſque eadem fuiſſet ratio: nil fuiſſet opus, unum ex altero deducere. Huc etiam pertinent adverſarii Dei & Chriſti, quorum fit mentio Heb. 10. 27. quo in numero ii imprimis collocantur, qui Chriſtianam religionem agnitam abjiciunt. Atque hæc altera odii in Deum ſignificatio, propriè opponitur ſecundæ charitatis erga Deum ſignificationi à nobis ſuperius conſtitutæ, & ſic pietati in univerſum adverſatur. Poſſet etiam tertia conſtitui, quæ tertiæ quoque ac ſtrictiſſimæ charitatis divinæ ſignificationi, quæ hujus loci maximè propria eſt, verè opponitur, quæque cauſam eorum, quæ in duabus prioribus ſignificationibus comprehenduntur, continet, quæ nil eſt aliud, quam quædam, ut ita loquamur, abhorrentia à Deo, iiſque rebus, quas ipſi gratas eſſe conſtat. Quæ tamen ipſa quoque duplex eſt: vel enim quis conſultò abhorret à Deo, aut iis, quæ Deo grata eſſe conſtat, id quod ſummæ eſt impietatis; vel alio quidem conſilio, affectibus & cupiditatibus hominum tranſverſum abripientibus, ſed tamen re ac facto ipſo. Quod poſterius ſæpiſſimè locum habet, tum in prima adverſus Deum odii ſignificatione, ut unicuique ſatis patet, tum in ſecunda, cum quis indirectè & conſequenter Deum odit, quemadmodum olim Judæi, cum Chriſtum ejúſque ſanctiſſimam religionem cane pejus & angue oderant.

Alterum extremum charitati oppoſitum quod in exceſſu peccat non addimus; quia vel nullum eſt, vel ſuperſtitionis nomine, de qua ſupra, comprehenditur.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. V.

De Timore Dei.

TImoris Dei totidem ſunt ſignificationes, quot amoris ſeu charitatis. Primò enim latiſſime ſumitur pro univerſa ſanctitate; de qua ſignificatione actum eſt ibi, ubi appellationes enumeravimus, quibus ſanctitas univerſa deſcribitur. Ejus exempla paſſim extant. Inde Timor & dilectio Dei inter ſe nonnunquam, & cum obſervatione mandatorum divinorum conjunguntur, ac pro iiſdem revera ſumuntur. Vide Deut. 10. 12: ubi ait Moyſes: *Nunc ergo Iſraël, quid Jehova Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & tota anima tua, cuſtodiendo præcepta Jehovæ & ſtatuta, quæ ego præcipio tibi hodiè*. Deinde ſumitur paulo ſtrictius pro cultu divini numinis, cujus ſignificatio videtur extare eodem ℣. 20: ubi ait Moyſes: *Jehovam Deum tuum timebis, illi ſervies, illique adhærebis, & per nomen ejus jurabis*. Quæ eadem verba extant quoque ſuperius cap. 6. 13. Nam præterquam quod ipſe locus ſatis oſtendit, ita verbum timendi ibi eſſe accipiendum, oſtendit id Chriſtus Matth. 4. 10. Luc. 4. 8. qui verba hæc Moyſis citans, pro voce *timendi* ponit *adorandi* verbum, dum ait: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies*. Ejuſdem ſignificationis locum habes eodem libro, cap. 32. 17. Eodem modo ſumitur Jonæ 1. 9. ubi ait, *Hebræus ſum, & Jehovam Deum cœli timeo*, hoc eſt, ut doctiſſimi etiam interpretes notant, *colo*. Simili modo ſumitur 2 Reg. 17. ℣. 25, 32, 33. ubi dicitur, gentes in regionem Samariæ ab Aſſyriæ Rege poſt Iſraëlitas in captivitatem abductos, tranſlatas, principio non timuiſſe Jehovam, poſtea verò à Sacerdote quodam edoctos timuiſſe Jehovam, ſed nihilominus tamen ſerviiſſe alienis diis. Unde etiam ſtatim poſtea ℣. 34, cum jam bis fuiſſet affirmatum, eos timuiſſe Jehovam, negatur tamen, eos timuiſſe Jehovam, propterea quod eum verè & perfecte non timerent, ac mandata ejus non obſervarent; quæ prima eſt timoris Domini ſignificatio. Unde explicationis cauſa poſtquam dictum eſſet, eos non timere Jehovam, ſtatim ſubjicitur, *Neque faciunt ſecundùm legem & præceptum, quod præcepit Deus filiis Jacob*. Nam inter alia præcepta hoc quoque fuit, ut ℣. ſeqq. 35 ſubjicitur: *non timebitis deos alienos, nec adorabitis eos, nec ſervietis eis, nec immolabitis eis, ſed Jehovæ, qui eduxit vos è terra Ægypti; hunc timebitis, & hunc adorabitis, huicque ſacrificabitis*. Ubi iterum bis hac ſignificatione timor Dei aut deorum ponitur, quemadmodum etiam ℣. 37, 38, 39. Tertio denique ſtrictiſſimè & maximè propriè ſumitur timor, pro metu, quem divinæ majeſtatis ac poteſtatis conſideratio efficit; quo fit, ut ipſius iram ac pœnam, quæ inde conſequitur, veritus, eum offendere, aut quicquam ipſius voluntati adverſum deſignare non audeas. Oritur enim timor hîc ex conſideratione Dominii & ſupremæ majeſtatis vel poteſtatis, quam Deus in nos habet, & eorum, quæ poteſtas hæc ſecum neceſſariò trahit, vel potius in ſe complectitur. Ea verò ſunt jus & facultas tum præcipiendi, tum etiam ſi contumax ſis, cogendi atque adeò puniendi. Imperium enim nullum eſt, niſi etiam ſit jus & facultas, quin etiam vires ad cogendum ſufficientes; in coactione autem ultimum pœna eſt. Indicavit autem hanc cauſam ipſe Deus apud Malach. cap. 1. 6. ubi ait: *Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum*, ſcil. ſuum honorat, aut timet. *Quod ſi pater ego ſum, ubi eſt honor mei? & ſi Dominus ſum, ubi eſt timor mei?* Sub poteſtatis autem atque imperii nomine potentiam quoque ac vires ad imperium hoc adminiſtrandum atque ad cogendum ſufficientes, ut ex dictis patet, complectimur. Unde argumenta quædam divinæ potentiæ manifeſta, timorem quoque divini nominis hominum animis non ſemel incuſſere, aut incutiunt; præſertim cum ex illis facilè colligere queant, ſe impune minimè laturos, ſi quid adverſus Dei majeſtatem voluntatémque commiſerint; ſiquidem tantum ſit Dei robur, cui reſiſtere nemo poſſit. Sed imprimis etiam pænarum exempla idem efficiunt: unde legimus Exod. 14. ad finem; poſtquam Iſraëlitæ viderunt Ægyptios in mari ſuffocatos, & potentiam iſtam, ſeu, ut divinus ſpiritus loquitur, manum magnam, quam fecit Deus in Ægypto, timuiſſe eos Jehovam. & cap. ſeq. ℣. 16, ita legimus: *Cadet ſuper eos*, hoc eſt, principes Edom, & robuſtos Moab, & habitatores Canaan, *terror & pavor: ad magnitudinem brachii tui tacebunt tanquam lapis*, &c. Simile quippiam legimus 1 Sam. 12. 18: ubi cum portentum quoddam edidiſſet Deus, quo comprobaret orationem Samuëlis, peccatum populo exprobrantis, quod feciſſent ſibi Regem; additur, *univerſum populum vehementer timuiſſe Jehovam & Samuëlem*. Atque ex hac poſtrema timoris divini ſignificatione priores duæ fluunt. Nam, quia homines agnita ſuprema Dei poteſtate iram ejus ac pœnas inde manantes metuunt; hinc fit, ut eum colant ac revereantur, ne ejus odium irámve incurrant, ſed potius eum habeant propitium; quin & eum in finem omnia ejus mandata ſtudioſe obſervant ac exſequuntur. Hujus autem poſtremæ ſignificationis timoris, ſed ad Chriſtum relati, habemus exemplum 2 Cor. 5. 11. ubi cum dixiſſet Paulus: *Omnes nos comparere oportere coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſque ea, quæ per corpus egit, ſive bonum, ſive malum*; addit: *Scientes ergo timorem Domini hominibus ſuademus*; hoc eſt, cum ſciamus Dominum eſſe timendum, propterea quod ipſi ratio factorum omnium noſtrorum ſit reddenda, iſque ſit unicuique juſtam operum mercedem perſoluturus. Eodem modo timor Domini videtur accipiendus Act. 9. 31: ubi de Eccleſiis illius temporis dicitur, quod ambulaverint, vel perrexerint timore Domini; ubi cum in Græco ſit voci *Domini* appoſitus articulus, rectè Dominus Jeſus intelligitur; præſertim cum apud Lucam iſtud diſcrimen in voce Domini ratione articuli ſatis diligenter obſervetur. Cur autem Chriſtus ſit timendus non ſecus, atque ipſe Deus, ex dictis ſatis patet; cum ipſi omne judicium datum ſit, omnéſque pœnæ divinæ, quemadmodum & præmia, in ipſius manu & poteſtate poſitæ ſint.

Eſt autem duplex Dei Timor: uterque quidem rectus, ſed alter tamen altero melior; quorum ille ſub vetere imprimis fœdere, vi illius inſpecta, habuit locum; hic verò imprimis ſub Novo Fœdere. Prior ille ſervilis eſt, & mancipiorum magis proprius; hic verò, ut loquuntur, filialis, ſeu ejuſmodi qui liberos decet. Ille inde oritur, quod quis Deum, tanquam ſeverum ac rigidum Dominum conſiderat, qui cum dura admodum præceperit, & minas præceptis addiderit ſeveras, rigidè quoque ſit officium exacturus, & graves pœnas impoſiturus iis, qui vel ſemel adverſus legem ipſius, præſertim graviter, peccaverint, etiamſi alias perpetuò mandatis ejus fuerint obſequentes. Nam talem nobis antiquum fœdus deſcribit Deum: ſi quidem ibi expreſſe minatur Deus, maledictum eum fore, quiſquis non perſeveraverit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat. Extant etiam quædam exempla pœnarum ob unum tantummodo delictum, rigidiſſimè exactarum; ut ob ligna Sabbatho collecta, aut anathema ſublatum. Unde Auctor Epiſt. ad Heb. cap. 2. ait, *omnem tranſgreſſionem*, nempe legis, *& inobedientiam, accepiſſe juſtam*, ſeu vindicem, *mercedis retributionem*. In quibuſdam etiam delictis expreſſis verbis cavetur, ne quis delinquentis miſereatur, etiamſi alioquin ſit chariſſimus, ut in alienorum deorum cultu: quò reſpicit idem Auctor Epiſt. ad Heb. cap. 10, dum ait; *Si quis repudiaverit legem Moyſis* (repudiabat autem, quiſquis deos alienos colebat, & ad eos colendos quempiam ſolicitabat) *eum ſine miſericordia duobus aut tribus teſtibus mori*. De hoc timore loquitur Paulus, Rom. 8. 15, ubi ait: *Nam non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*. Tempus nimirum Euangelii cum tempore legis confert, cum ait nos non accepiſſe iterum ſpiritum ſervitutis in timorem, indicátque antea homines ejuſmodi ſpiritum accepiſſe; quod de nullo alio, quam de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

legis tempore poteſt accipi, cum ipſa lex hunc affectum atque animum, qui ibi ſpiritus nomine intelligitur, indebat hominibus, quibus imponebatur, ut in ſervorum ac mancipiorum ſtatu verſaretur, adeóque tanquàm mancipia, Deum ut ſeverum quendam Dominum, qui multa dura præciperet, præcepta ſeveriſſimè exigeret, minarum plurimum, promiſſorum parum proponeret, metuere cogerentur. Nam illud quoque, quod de promiſſorum tenuitate ac humilitate diximus, ad ſtatum hunc mancipiorum conſtituendum, atque adeò ad timorem ſervilem in hominum animis augendum pertinebat.

At alter ille timor, quem filialem vocant, moderatior eſt, propterea quod conſideratione divinæ erga ſe bonitatis, quæ planè paterna eſt, temperetur; iſque eſt eorum maximè proprius, qui ad Novum fœdus pertinent. Nam cum Deus nobis adoptionis ſpiritum dederit, in quo clamamus Abba pater, ſeu qui nos certos reddit, nos eſſe Dei filios, & ſic quoque hæredes; ceſſat jam ille nimius metus ac terror, qui ſub lege animum hominum occupabat, Deum non ut benignum patrem, ſed ut ſeverum Dominum conſiderantium, quemadmodum Paulus ſatis indicat verbis paulo ante citatis. Sed non ceſſat tamen planè omnis timor ac metus, ſiquidem filii quoque patrem coguntur metuere, quandoquidem & pater punire poteſt, & denique exhæreditare contumaces ac degeneres filios; imò plerique patres caſtigare filios ſuos ſolent. Qua de re vide ad Heb. cap. 12. Qua autem in re ſita ſit iſta paterna benignitas, quæ metum iſtum Dei ſervilem nobis eximit, ex contrario ſatis patet; ſiquidem quemadmodum ſub lege dura Deus præcepit, ita in Euangelio æqua & facilia, præſertim ſi non tam ipſorum præceptorum aut officiorum naturam, quam modum ea præſtandi conſideres: quemadmodum deinde plus minarum in lege fuit, quam promiſſorum; ita ſub Euangelio plus promiſſorum & quidem diviniſſimorum, quam minarum: ſub utroque autem comprehenditur ſumma Dei clementia, quæ remiſſione peccatorum continetur, & facilitas in exigendis officii noſtri rationibus. Atque hoc intelligitur iis in locis, ubi gratia legi opponitur, Johan. 1. 17. Rom. 6. 14, 15. Pertinet autem hic timor primo quidem ac præcipuè ad eos, qui revera ſunt Dei filii, quales quidam in hoc ſeculo exiſtere poſſunt: deinceps vero ad eos, qui in eo verſantur ſtatu, ut Dei filii eſſe queant, & divinum fœdus adhuc ad eos pertineat; licèt ejus nondum actu ipſo ac perfectè, quatenus id in hoc ſeculum cadit, ſint participes. Atque hi ſunt ii omnes, quibus ex vi Novi fœderis ad pœnitentiam patet aditus; licèt horum poſteriorum timor, ſi modo ſtatum ſuum & diſcrimen, in quo verſantur, intelligunt, ad ſervilem accedit propius, ſiquidem ſe eos adhuc agnoſcunt, ad quos paterna benignitas nondum reipſa pertineat, ſed potius ira. Atque hinc nova ſeſe offert timoris diſtinctio. Nam vel metuitur pœna, cui habita vi fœderis divini, ſub quo quis exiſtit, jam ſit obnoxius; quia nimirum conditiones fœderis non præſtiterit; vel cui obnoxius fieri poſſit, ſi officium facere deſinat. Prior ille eorum eſt, qui fœderis conditiones, ut ex dictis ſatis liquet, non ſervant, & ſic reipſa in fœdere non ſunt. Hic vero eorum, qui contrario ſunt loco. Et hic poſterior magis ad officium noſtrum pertinet, quam prior. Prior infelicitatis potius eſt ac neceſſitatis, quam officii; quanquam interdum etiam ad noſtrum officium pertinet, vel ſaltem ad illud præſtandum homines impellit. Nam ipſe quoque duplex conſtitui poteſt: nam vel conjunctus eſt ille metus cum aliqua adhuc ſpe gratiæ divinæ impetrandæ, vel cum ejus deſperatione. Prior ille poteſt eſſe ſalutaris; poſterior non exigua pars ſupplicii divini eſt, & quemadmodum de triſtitia mundi loquitur Paulus, mortem parit. Atque hic ad ſervilem jure optimo refertur, etiamſi tandem hoc tempore, ubi gratia regnat, in quopiam exiſtat.

Timori Dei, in defectu opponitur non timere Deum, ſeu non eſſe timorem Dei ante oculos alicujus, ut loquitur David, ex eóque Paulus, Rom. 3. 18: quod quid ſit, ex dictis ſatis intelligitur. Eſt enim nihil aliud, quam majeſtatis atque imperii divini nullam habere rationem, & ſic iram pœnámque ejus, vel in univerſum, vel in certo aliquo negotio non metuere, etiamſi contra ipſius mandata facias eúmque offendas. Quò pertinent imprimis loca ea, in quibus homines dicuntur Deum irritare aut etiam Chriſtum; quanquam id non de conſilio, ſed de eventu & vi factorum intelligendum ſit. Qua de re vide inter alia hæc Scripturæ loca, Deut. 4. 25. & cap. 9. 7, 18. & cap. 31. 29. & cap. 32. 16. 19. 21. De Chriſto autem extat locus 1 Cor. 10. 22, ubi ait Paulus, *Num ad iram provocamus Dominum? num fortiores ipſo ſumus?* Imprimis autem illi Deum aut Chriſtum irritant, vel ad æmulationem provocant, qui cum hoſtibus ipſius conſpirant, aut cultum, quem illi debent, aliis deferunt. Unde Deus poſtquam in Decalogo de idololatria vitanda præcepta dediſſet, ait: *Ego enim Jehova Deus tuus, Deus zelotes*, hoc eſt, qui rivalem ferre nequaquam poſſum, aut qui contumeliis aut ignominia facilè ad iram commoveor. Atque huc Paulus quoque dicto loco epiſt. ad Corinth. reſpicit, ubi ab idolothytis veſcendis Corinthios avocat, & inter alia ita proximè ante verba ſuperius citata loquitur; *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Ferre enim id Dominus non poteſt ut te ipſius ſervum & cultorem profitearis, & nihilominus id facias, quod communionem cum dæmonibus ipſius hoſtibus arguat. Etiamſi autem, ut diximus, irritatio hæc non ad conſilium, ſed ad eventum & factorum vim referenda eſt; nihilominus tamen ad defectum timoris Dei aut Chriſti, ſeu timoris illius partem pertinet, & exinde manat. Si enim illius iram verè metueres, non irritares.

Huc deinde pertinet murmurare adverſus Deum, & de illo ſive tacitè, ſive apertè conqueri, ut ſit ab hominibus impatientibus, qui iniquè ſecum agi putant cum res illis non pro libitù fluunt. Quod vitium etiamſi ad contumeliam divinam pertineat, & ſic honori ipſius adverſetur; tamen quia ex audacia quadam adverſus divinam majeſtatem inſurgendi erumpit, rectè timori divini nominis opponitur. Neque enim mirum eſt, cum partes pietatis arctè ſint inter ſe copulatæ, unum aliquod peccatum nonnunquam cum pluribus pugnare. Huc pertinent exempla populi Iſraël adverſus Moyſen ducem ſuum à Deo ſibi datum, aut Aaronem murmurantis; quod murmur propriè ad ſe pertinere Deus ipſe nonnunquam teſtatur, aut Moyſi aſſerit. Qua de re vide Exod. 16. 7, 8. quem confer cum ℣. 1, 2, 3. Et Num. 14. 27. quem confer cum ℣. 2. & cap. 16. 11. quod repetit Paulus 1 Cor. 10. 10, licet non expreſſa perſona, adverſus quam murmuratum fuerit. In quibus locis, ut diximus, ſermo eſt de murmure, quod non quidem directè, ſed tantum indirectè aut obliquè adverſus Deum inſtitutum fuerat. Huc etiam pertinent contentiones cum Deo, à quibus avocat Eſa. 45. 9. & Paulus ad Rom. 9. ℣. 20, 21, 22. Ex quibus verbis apparet, eos, qui cum Deo contendere & liberrima ejus decreta carpere audent, ſupremam Dei in ſe poteſtatem minimè agnoſcere ac revereri. Referri etiam huc poteſt illuſio ac irriſio Dei, cujus mentionem facit Paulus Galat. 6. 7. ubi itidem non de conſilio, ſed de vi factorum eſt ſermo. Quanquam id etiam ad contumeliam, quæ honori divino repugnet, reduci poteſt. Hujus etiam generis eſt rebellio adverſus Deum, cujus in ſacris literis non ſemel fit mentio: atque inter alia Num. 14. 9. & cap. 20. 10. & cap. 26. 9. Deut. 9. 7, 24. Referri etiam huc poteſt abuſus gratiæ & benignitatis divinæ, & contemptus benignitatis, patientiæ, & longanimitatis divinæ, duritieſque animi, ac cor pœnitere neſcium, de quo ad Rom. 2. 4, 5. Licèt enim generalius quoque pateat hoc poſterius, cum pœnitentiæ in univerſum opponatur; eatenus tamen huc pertinet, quatenus is, qui ita ſe gerit, iram divinam, quam ſibi, ut ibi Paulus loquitur, theſaurizat, non metuit. De

abuſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

abuſu autem divinæ benignitatis loquitur Judas ℣. 4. ubi ait, *impios quoſdam Dei noſtri gloriam tranſferre ad luxuriam*: quod ne fiat monet quoque Paulus Rom. 6. initio: ubi concurrit ſimul nimia quædam fiducia, quæ fidei ſeu fiduciæ veræ opponitur, ut ſuperius, ubi de fiduciæ extremis egimus, diximus. Vicinus abuſui benignitatis divinæ eſt etiam contemptus, & vilipendium beneficiorum ipſius; de quo Autor Epiſt. ad Hebr. 12. ubi prophanos vocat eos, qui id faciunt, quod olim Eſau, qui pro unico cibo vendidit jus primogenituræ ſuæ: ℣. 16. Id autem, quod iſti primogenituræ in nobis reſpondet, eſt jus adoptionis, atque etiam hæreditatis divinæ adeundæ: quanquam aliàs beneficia divina longe patent latius, adeóque etiam eorundem contemptus. Quod verò de Eſavo divinus auctor ſcribit, id repetiit ex cap. 25 Geneſ. ℣. 31 & ſeqq. Atque huc ſpectant exempla eorum omnium, qui gratiam divinam per euangelium ſibi oblatam repudiarunt; quales fuerunt olim Judæi, qui propter hanc cauſſam contemptores appellantur in prophetæ verbis, quæ repetuntur à Paulo, & ad eos accommodantur Act. 13. 41. Nec multum diſſimili ratione de iiſdem loquitur Chriſtus in parabola de vocatis ad nuptias, Matth. 22. 5, ubi neglectus verbum eſt. In ſpecie verò Judæis, ad quos loco ſuperiori Act. 13 orationem habuerat Paulus, hoc crimen ab eo objicitur dicto cap. ℣. 46, ubi ait, eos ſermonem Dei repellere, & ſeipſos indignos æterna vita judicare.

Alterum extremum timori divini numinis oppoſitum, quod in eo, quod nimium eſt, peccat, eſt ſuperſtitio ſtrictè & propriè ſumpta; unde apud Græcos δεισιδαιμονία, quaſi metus dæmonii (dæmonium enim pro numine ſumitur) dicitur: quæ vox extat Act. 17. 22. & cap. 25. 19. Quanquam non deſunt, qui in priori loco vocem hanc per ſe nolunt in vitio eſſe poſitam, niſi quatenus per comparativum nimium ſeu exceſſus ſignificatur. Poſteriori vero loco latius ea vox extenditur, ut ſuperſtitionem omnem generatim ſignificet. Eſt autem ejuſmodi ſuperſtitio vitium tale, cum quis iram divinam tum metuit, cum non eſt metuenda, vel majorem, quam revera metuenda eſt; quod fit, cùm quis putat illis Deum offendi, quæ minimè eum offendunt, nec peccata revera ſunt, vel etiam minimis & animadverſione divina indignis, eum putat graviter iraſci, & crudelia ſupplicia ibi expectat, ubi leviora conſtituit divina benignitas. Quæ ſuperſtitio quo modo pietati ſit noxia, docuit Plutarchus in libello, quem ſupra quoque citavimus, de ſuperſtitione: eaque concurrit cum diffidentia de Deo, de qua ſuo loco actum.

Cap. VI.

De Honore Dei.

SEquitur nunc, ut de Honore divini numinis agamus, qui propemodum univerſam pietatem ſeu religionem in Deum complectitur. Nam religionem cultum eſſe dicimus divini numinis; cultus autem ab honore nihil revera differt: & ſanè pro pietate ac religione in Deum honor divini numinis accipi videtur à Chriſto, Johan. 8. 49, dicente, *Honoro Patrem meum.* Eſt autem honor ille duplex: alter internus, alter externus, qui licèt eodem nomine deſignetur, tamen non eandem prorſus definitionem ſortitur. Internus honor nihil aliud eſt, quam obſervantia & reverentia divini numinis, ex conſideratione majeſtatis illius, ac ſummæ erga nos beneficentiæ orta, qua veneratione fit, ut ejus ſupra nos ſublimitatem cognoſcentes, coram eo nos humillimè demittamus, eámque animi noſtri demiſſionem, quibus poſſumus modis, atque obſequio teſtemur. Externus honor eſt ſignum externæ noſtræ erga Deum obſervantiæ ſeu venerationis ac demiſſionis. Rem ita ſe habere, quod quidem ad naturam honoris divini pertinet, ſatis patet ex natura honoris in univerſum, qui in eadem eſt differentia, & alius internus eſt, alius externus. Internus obſervantia; externus obſervantiæ ſignum. Quanquam ſignum nunc verum eſt, nunc fallax; unde etiam honor externus, nunc verus eſt, nunc fucatus.

Quod ad cauſſam honoris illius attinet, etiam illa videtur ſatis manifeſta. Nam, ut Philoſophi tradunt, honor naſcitur ex perſuaſione de excellenti illius, qui colendus eſt, præſtantia, ſed imprimis ex præſtantia ejuſmodi, unde beneficia vel in nos, vel in alios nobis quodammodo junctos aut charos proficiſcuntur, vel ſaltem proficiſci haud difficulter poſſunt. Quam cauſam ipſe Deus ſatis clarè expreſſit apud Malach. 1. 6. quem locum ſupra quoque laudavimus, ubi ait: *Filius honorat patrem, quod ſi pater ego ſum, ubi honor meus?* ubi ideò potiſſimum ſibi Deus honorem docet deferendum, quia ſit Pater. Patris autem appellatio imprimis amoris, benevolentiæ ac beneficentiæ eſt; ſed eſt tamen etiam poteſtatis: habet enim pater poteſtatem eámque magnam in liberos, ſed maximam ſupremus. Quare duas imprimis honoris divini cauſas ſtatuimus; poteſtatem ac majeſtatem Dei ſupremam, ſeu divinum in omnia imperium; & ſummam ipſius in omnes, atque imprimis ſibi obſequentes, beneficentiam. Cum priori autem cauſa merito computamus omnes, quas in Deo admiramur ac veneramur, proprietates, quæ ſi in illo non exiſterent, Deus ille ſummus non eſſet. Qualis eſt imprimis ſapientia, & potentia ſive robur; quin etiam juſtitia atque immortalitas. Sunt autem hæ cauſæ ita inter ſe comparatæ, ut poteſtas illa ſuprema vel ſola ad honorem Deo exhibendum ſufficiat; eo tamen addito, quòd poteſtas ea, non ſit noxia tantum ac malefica, præſertim ita, ut aliter facere non poſſit. Nam poteſtatem maleficam, qua talis eſt, non veneramur aut honoramus, ſed metuimus tantum. Quod ſi eos interdum honoramus, qui malefici potius ſunt, ut Tyrannos; id ideò tantum facimus, quia eorum ſævitiam avertere nos poſſe, vel ſaltem mitigare (quod ipſum beneficii loco cujuſdam eſt) ſperamus. Unde apparet, poteſtatem quidem ſupremam Dei, eſſe honoris Deo exhibendi cauſam, etiamſi tanta Dei beneficentia ac benignitas non accederet; ſed tamen non ita conſideratam, ut nulla beneficentiæ habeatur ratio. Beneficentia autem, præſertim tanta, quanta vel nobis vel aliis creaturis contingit, ſola per ſe poſſet ad honorem Deo exhibendum ſufficere; verum ea reipſa à poteſtate ea, quam diximus, ſejungi non poteſt. Honor autem divinus ſive internus ſive externus, adorationis nomine in ſacris literis creberrime ſolet efferri. Eſt autem adorare in ſacris literis nihil aliud, quam corpus & animam alicui reverenter inclinare, & coram eo venerabunde procumbere. Vox quidem Hebræa & Græca, qua ſacræ literæ adorationem exprimunt, proprie corporis tantum incurvationem & proſtrationem, quæ honoris alicui exhibendi cauſa fiat, ſignificat, ſed per Metonymiam quandam etiam ad animum refertur; unde Angelis quoque reſpectu Dei & Chriſti tribuitur: ut in illo Pſalm. 97 loco, ℣. 7, quem ad Chriſtum accommodat Autor Epiſt. ad Hebr. 1. 6. propterea quod Deum Chriſtúmque propter ſupremam ejus in ſe poteſtatem ac majeſtatem venerentur, ſeque coram eo humilimè demittant, ad omnia ejus juſſa exſequenda parati. Uſurpatur autem adorandi vox non ſemel de honore civili, qui hominibus, præſertim magnis, quales ſunt imprimis Reges & principes, corporis inclinatione ac proſtratione defertur; quo pacto uſurpatur Gen. 18. 2. & cap. 19. 1. ubi licèt Abraham & Loth angelos adoraverint, tamen, ut tum ex locis ipſis, tum ex verbis Auctoris Epiſt. ad Heb. cap. 13. 2, ſatis conſtat, ignorarunt illi adhuc, eos eſſe Angelos. Videatur etiam locus ejuſdem libri, cap. 23. 7. & 12: ubi Abraham populo terræ Chananeæ adorationis honorem exhibuit. Exempla alia habes 2 Sam. 1. 2. cap. 9. ℣. 6. cap. 14. 33. cap. 18. 28. cap. 24. 20. & 2 Regum 1. 16. & 23. in quibus David adoratus dicitur. 1 Sam. 20. 41, ubi Jonathan à Davide. 2 Reg. cap. 4. ℣. 37, ubi Eliſæus à Sunamitide. Sed aliàs creberrimè uſurpatur, de cultu, ut vocant, religioſo,

qui

qui Deo, & nunc quoque Chriſto, olim etiam ante Chriſtum Angelis perſonam Dei ſuſtinentibus rectè exhibebatur, aut & nunc angelis, aut aliis quibuſdam perſonis aut rebus, ſed non rectè, exhibetur. Eſt autem adoratio ſeu cultus aut honor religioſus, qui eo nomine cuipiam exhibetur, quod poteſtatem quandam in nos habeat beneficam humanâ majorem, aut ſaltem res & perſona ſit cum eo, qui hanc poteſtatem revera habet, ita conjuncta, ut propterea cultus illius ac venerationis jure debeat eſſe particeps.

Duplici enim modo tum honor in univerſum, tum adoratio ea, de qua loquimur, perſonæ aut rei alicui convenire, atque adeò etiam reipſa exhiberi poteſt: vel per ſe, vel per accidens, ſeu mavis, propter aliud. Per ſe illi, qui ipſemet poteſtatem religioſo cultu dignam, hoc eſt, humana majorem habet: per accidens verò ſeu propter aliud, rei, quæ per ſe quidem iſta poteſtate careat, & ſic quoque per ſe veneratione iſta ſit indigna, ſed tamen cum eo, qui poteſtate iſta ſit præditus, & ſic venerationem per ſe mereatur, ſit valdè conjuncta, & quandam ad eum relationem habeat, ob quam illi quoque cultus ſit deferendus aliquomodo, qui ad eum redundet, qui per ſe honorem iſtum mereatur. Quo pacto Pſal. 132. 7 dicitur, ut eſt in Hebræo, *Adorabimus ſcabellum pedum ejus*, hoc eſt, Dei, ſeu illi nos incurvabimus. ubi, ut & Pſal. 99. 5, per ſcabellum pedum Dei rectè intelligunt viri docti Arcam fœderis, de cujus tranſlatione in templum à Salomone exædificatum totus Pſalmus loquitur, & in quo ea ipſius Dei nomen videtur ſortiri, propter ſummam, quam habebat cum ipſo conjunctionem. Ipſe enim Deus ibi habitare, & ibi orantes exaudire, indéque auxilium mittere dicebatur, & ubi ea reponebatur, ibi nomen Dei poſitum in ſacris literis perhibetur. Ita enim accipiunt viri doctiſſimi iſtud quod toties in ſacris literis dicitur de loco, quem Deus elegerit, ut ponat nomen ſuum ibi, & ibi habitet. Qua de re, qui volet, videat Biblia magna Roberti Stephani, Deut. 12. 5. Unde etiam adeò religioſe arca iſta tractanda erat, ut non temere, nec ſine veneratione à quovis eſſet aſpicienda, aut tangenda. Qua de cauſa puniti fuere Bethſemitæ, quod introſpexiſſent in arcam; de quo 1 Sam. 6. 19. Unde ipſi Bethſemitæ, 50 millibus virorum & 70 ea de cauſa mortuis, dixerunt, *Quis poterit ſtare coram Jehova Deo iſto, & ad quem aſcendet à nobis?* hoc eſt, ad quem arca iſta, quæ hîc Jehovæ nomine propter conjunctionem cum eo deſignatur, transferetur? Quanquam non deſunt, qui templum potius per ſcabellum pedum Dei intelligendum putent, quod itidem adorationis Dei particeps fiebat: propterea quod id (quod ultimo loco de ſcabello pedum Dei dicitur) ſanctum erat, ob Dei ſingularem & ei loco veluti propriam præſentiam. Qua de cauſa etiam eodem Pſal. 99. ℣. ult. dicitur, *adorate*, vel *incurvate vos monti ſanctitatis ejus*; ubi mons intelligitur, in quo templum erat poſitum. Unde Pſal. 138. 2 dicitur, *Adorabo* vel *incurvabo me verſus templum ſanctitatis tuæ*; quo pacto & de Daniele legimus, eum ter quotidie flexiſſe genua ſua verſus Jeruſalem, ubi nimirum Templum antea fuerat, in quo adorandum erat.

Sed ut ad eos redeamus, quibus per ſe cultus & adoratio debetur; inter eos iterum differentia eſt. Vel enim ſupremum & independens habent imperium, qui quidem ſolus tantum eſt Deus Pater D. N. Jeſu Chriſti: vel dependens, ſeu ab alio ſibi conceſſum. Illi omni ex parte ſummus debetur honos; his vero tantus, quantum eſt imperium: quod ſi ſummo proximum, proximus etiam ſummo, & genere, imo etiam ſpecie idem, gradu tamen aliquomodo diſtinctus; ſi vero longius à ſummo recedat, honos quoque longius recedet. Et imperio quidem Dei ſupremo proximum eſt Chriſti imperium, qui ad dextram Dei collocatus, & nomen ſupra omne nomen, ac tantam tamque latè patentem judicandi poteſtatem adeptus eſt, ut Pater neminem dicatur judicare, ſed ipſi omne judicium dediſſe: apertéque indicatur à Paulo 1 Cor. 15. 28, eum hodie nondum ſubjectum Deo, ſed olim demum ſubjiciendum. Præterea eo quoque eminet divinum Chriſti imperium, quod æternum illud ſit, ut Angelus dicit apud Lucam cap. 1. 33, & finem non habiturum; nempe quam diu regnum ſuper domum Jacob haberi poterit, & præſens hîc rerum ſtatus durabit: durabit autem tam diu, quam diu mundus, & quam diu ultimus adhuc Chriſti inimicus mors delenda ſupererit. Qua de cauſa ab omnibus ita honorandus eſt filius, ut Pater: Joh. 5. 23. & omne genu ipſi flectendum eſt, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, Philipp. 2. 10: id quod adorationem graphicè depingit. Ea tantum differentia eſt inter Chriſti & Dei adorationem, quod Dei adoratio non referatur alio, ſed in illo tanquam ultimo ſcopo acquieſcat: Chriſti autem adoratio & gloria pertineat ad gloriam Dei Patris, ut dicto loco ſubjicit Paulus. Unde etiam Autor Epiſt. ad Hebr. 1. 6, locum de Deo ipſo elatum Pſalm. 97. 7, ut ſuprà monuimus, ad Chriſtum retulit; quia nimirum Angeli per ipſum Chriſtum, ſeu ipſi Chriſto honorem exhibendo, eúmque adorando, Deum eſſent adoraturi: quam adorationem civilem non eſſe, ſed religioſam, per ſe quiſque videt. Ejus adorationis Chriſtus in terris adhuc verſans fuit particeps, vel propter divinam, quam poſtea habiturus erat, poteſtatem, vel propter poteſtatis Regiæ, quam poſtmodum accepit pleniſſimam, primitias, ac beneficam potentiam, quam jam tum habuit, cùm in terris verſaretur, ob quam Deus quoque fuit dictus, Johan. 1. 1. Filius Dei, Johan. 10. 36. ac in Dei forma exiſtere, Deóque par eſſe: Philipp. 2. 6. Ob poteſtatem regiam, quam nondum ullo pacto haberet, ſed quæ ipſi deſtinata fuerat, adoratus fuit à Magis, Matth. 2. 11. Sed propter primitias poteſtatis regiæ ac potentiam beneficam, cap. 8. 2. cap. 9. 18. cap. 14. 33. cap 15. 22. cap. 28. 9, 17. Marci 3. 11. cap. 5. 6. Luc. 24. 52. Johan. 9. 38.

Quod ad eos attinet, qui poteſtatem aliquam in homines habuerunt, divina tamen longè inferiorem, & ad breve tempus durantem, ii fuerunt Angeli, præſertim tum, quando cum ſingulari poteſtate ad certum aliquod negotium exſequendum fuerunt miſſi; qualis fuit Angelus ille, qui miſſus fuit à Deo ad Iſraëliticum populum in Chanaan terram deducendum: de quo Deus monet populum, Exod. 23. 21: *Cave à facie ejus, & obtempera voci ejus, ne exacerbes eum; neque enim parcet prævaricationi veſtræ, nomen meum in ipſo eſt*, &c. qui videtur fuiſſe is, quem adoravit Joſua, ut legimus in libro ipſius cap. 5. 14, eíque dixit, ſe eſſe *principem exercituum Domini*, & qui poſtea juſſit exuere calceos Joſuam, quia locus in quo ſtet ſanctus ſit, Angeli nimirum tam præſtantis præſentia conſecratus, quod ipſum quoque divini cujuſdam honoris genus fuit. Et vel hic idem vel alius ei ſimilis fuit is, qui idem requiſivit à Moyſe Exod. 3. 5. qui perſonam Dei ibi ſuſtinuit, & ejus nomine fuit locutus, præſertim cum Stephanus Actor. 7. 36 indicare videatur, eundem hunc Angelum fuiſſe, qui quadraginta annos in deſerto cum populo fuerit commoratus, & per illos annos varia ediderit miracula; de quibus in libro Moyſis legere eſt. Exemplum etiam Angeli adorati à Bileam extat Num. 22. 31. Poteſt aliquo modo etiam huc referri locus Jud. 13. 20. Quanquam ibi non ſatis apparet, an Angelum ipſum adoraverint, an verò ſimpliciter Deum; quorum illud tamen eſt veriſimilius. Hodie autem poſtquam Chriſtus homo ſuper illos evectus, eorum caput & Dominus evaſit, & homines una cum Chriſto ita ſunt à Deo elevati, ut aliquando Angelis debeant evadere pares, ut eſt apud Lucam capite 20. 36, imo in Chriſti Throno, coram quo illi nunc venerabundi, tanquam miniſtri adſtant, conſidere; Angeli honorem iſtum ab hominibus non amplius admittunt, cum priſtina in homines poteſtate careant, eorúmque ſe conſervos eſſe agnoſcant, ut apparet ex Apocal. cap. 19. 10. cui adjunge cap. 22. 9. qua de re infra nonnihil nobis erit dicendum, ubi de vitiis ſeu extremis Dei vero cultui oppo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſitis agemus. Interim tamen non auſim prorſus negare, Angelos quoque hodie, ſi ipſius Chriſti perſonam ſuſtineant, eamque, quatenus fieri poteſt, repræſentent, & ita loquantur, atque ſi ipſe eſſet præſens, quemadmodum Dei perſonam ſolebant referre, (hodie enim, poſtquam Chriſtus Rex populi divini ipſorumque Angelorum evaſit, nunquam Dei ipſius perſonam ſuſtinent) adorari poſſe, & eum honorem Dominum Jeſum ſibimet ipſi delatum imputare. Neque enim tum revera Angeli ipſius perſona, qua talis, colitur, ſed Domini Jeſu, quam ille ſuſtinet, ac repræſentat: perſona vero Angeli, nonniſi per accidens: quemadmodum qui olim Angelum colebat, qui Dei perſonam ſuſtineret, Deum ipſum verè colebat ac per ſe; Angeli verò perſonam tantùm per accidens. Et quidem tale quippiam videtur de Johanne legi Apoc. cap. 1. 17. quanquam locus etiam paulo aliter poteſt accipi; cum tamen idem Angelus, ubi in ſua ſeſe exhibuit perſona, prohibuerit infra locis ſupra notatis, ne is coram ſeſe procideret. Ex quibus hoc quoque deduci poteſt, duplici ratione Angelos ab hominibus coli & adorari potuiſſe, atque adeò fuiſſe adoratos: vel per ſe, propter poteſtatem aliquam vel autoritatem ſibi à Deo ad certum aliquod tempus conceſſam, etiamſi in ſua, ut loquuntur, perſona hominibus apparuerint: vel per accidens, cum Dei Chriſtíve perſonam verbis factíſque repræſentarunt.

Sumitur autem adorationis vox, etiam cum pro religioſo cultu accipitur, nunc latius, nunc ſtrictius. Nam interdum pro univerſo cultu divino, præſertim publico & ſolenni ſumitur: interdum ſimpliciter pro iſta vel animi, vel corporis coram Deo proſtratione, qua honor ipſi exhibeatur. Priori modo ſumitur Johan. 4. 20. & ſeqq. in iſto Chriſti cum muliere Samaritana colloquio, in quo de loco adorationis, nempe ſolemnis & publicæ, ad quam ſacrificiorum aliorúmque munerum Deo conſecratorum oblatio, ut & aliæ quædam ceremoniæ, pertinebant, diſputatur. Quo eodem modo ſumitur Act. 8. 27. ubi de Eunucho iſto dicitur, eum veniſſe adoraturum Hieroſolymam, id eſt, ut publicum cultum & ceremonias, quas alibi obire non licebat, perageret. Nam cæteroqui coram Deo ſe proſternere, & cultum illi exhibere extra Hieroſolymam quoque licebat. Quanquam non deſunt ex Rabbinis, qui extra Templi pomœria totius corporis proſtrationem, quæ adorationis nomine proprie ſignificatur, illicitam fuiſſe arbitrentur. Nam (ut hoc quoque addamus) licet is quoque adorare Deum rectè dicatur, qui vel genua coram eo flectit, vel genua inclinat, ut honorem illi exhibeat; tamen propria verbi ſignificatio in Hebræo atque Græco aliquid amplius requirit, nempe totius corporis proſtrationem atque abjectionem. Unde viri docti triplicem corporis geſtum, quo honor Deo exhibeatur expreſſum putant, Pſal. 95. 6. ubi ait Pſaltes: *Venite proſternamur*, ſeu *adoremus, & inclinemus caput, genua flectamus coram Jehova, qui fecit nos*, prout nonnulli vertunt: ubi adoratio ab inclinatione capitis, & genu flexione diſtinguitur. Ex quibus aliquo modo patet, cur ſuperius dixerimus adorationem poſſe etiam haberi pro parte, quanquam præcipua, cultus & honoris divini. Nam licèt adoratio, præſertim interna, à nulla parte cultus divini abeſſe queat, tamen ſi magis propriè vocem hanc ſumamus, & ſi tantum ad animum eam referre velis, non complectitur omnia cultus divini præſertim externi genera, ſeu, ut cum logicis loquamur, non prædicatur de iis, ut genus de ſpeciebus. Nam (ne de eo nunc quicquam dicamus, quod invocatio non ſit adorationis vera ſpecies) ne laudes quidem, præſertim omnes, aut Pſalmi, qui in honorem divini nominis cantantur, veræ illius ſunt ſpecies, ſed effecta potius aut adjuncta; licet nil horum ſine adoratione peragi debeat, imò fortaſſis ne poſſit quidem, præſertim ſi ex animo proficiſcantur, non verò temere & abſque animi devotione prophano quodam more fiant. Idem honor divinus effertur quoque in ſacris literis *ſerviendi* verbo, quod in Hebræo non eſt unicum, & redditur nunc ab interpretibus Græcis λατρεύειν, & quidem frequentius, ut inter alia in Decalogi præceptis ipſis, Exod. 20. ℣. 5: nunc vero voce δουλεύειν, ut 1 Sam. 7. 3, 4. ubi ait Samuël ad Iſraëlitas; *Auferte è medio veſtri deos alienos, & Aſtarot, & præparate cor veſtrum Jehovæ, & ei ſoli ſervite*, &c. *Abſtulerunt ergo filii Iſraëlis Baälim, & Aſtarot, & Jehovæ ſoli ſervierunt.* Et 1 Reg. ult. ℣. ult. de Achazo & Ochozia, *ſervivitque Baäli & adoravit illum*: in quibus locis ſerviendi vox eſt. Idem apparet ex literis Novi fœderis. Nam Paulus Gal. 4. 8 falſum deorum cultum, quem, antequam Deum cognoviſſent, exercuerunt, Galatis objiciens, ait eos tum, *cum Deum non cognoviſſent, ſerviiſſe iis, qui non eſſent naturâ dii*: ubi in Græco eſt ἐδουλεύσατε. De ejuſmodi autem generis peccato loquens Rom. 1. 25, ait de idololatris, eos ſerviiſſe creaturæ præter creatorem, ubi eſt in Græco ἐλάτρευσαν. Confer etiam loca Rom. 1. 9. & 16. 18. Inſpiciatur etiam 1 Theſſ. 1. 9, ubi itidem de divino cultu uſurpatur vox δουλεύειν & τὸ ſervire Deo, Idololatriæ opponitur.

Unde ſatis apparet, nugatoriam illam eſſe inter λατρείαν, & δουλείαν, imò etiam ὑπερδουλείαν diſtinctionem, cum nec in Hebræo, unde præceptum de non ſerviendo aliis ſive perſonis ſive rebus, præter quam uni Deo, primum fluxit, ulla ſit in voce differentia, nec in verbis Græcis, ut nunc vidimus, & utrumque cultum ſeu honorem Dei ſignificet, nempe tum cum cultus ille religioſus eſt, non civilis aut prophanus. Oſtendit etiam Valla in cap. 4. Matth. apud Græcos idem eſſe λατρεύειν & δουλεύειν, & illud quoque de ſervitio humano, non ſecus ac δουλεύειν, apud bonos autores uſurpari; cujus rei exemplum eſt apud Xenophontem in Κυροπαιδείᾳ. Adde quod ſi diſtinctio aliqua ſit adhibenda inter voces iſtas, majus quippiam foret δουλεύειν, quàm λατρεύειν. Nam hoc apud eos cultum denotat: at illud ſervire. At majus eſt alicui ſervire, quam eum colere; & facilius quiſpiam adduceretur ad id, ut quempiam colat, quam ut ei ſerviat. Quod ſi dicant λατρείαν, cultum religioſum, & quidem eum, qui ſoli Deo debeatur ſignificare, δουλείαν verò non item, & ſic iſtud quippiam eſſe majus, quam ſit hoc poſterius, jam id nos antè falſum eſſe oſtendimus, ubi exempla produximus in quibus δουλεύειν quoque de eo cultu, qui ſoli Deo debeatur, uſurpetur; ut ita id, quod dicunt, ipſorum tantum figmento & vana opinione nitatur, nullo autem pacto vi vocum ipſarum, in qua tamen illi aliquod robur collocant. Nam ſi nullum in ea eſt robur, quid iſta diſtinctione vocum Græcarum eſt opus, cum Latinam vocem promptum ſit diſtinguere? Ne de eo nunc quicquam dicamus, (quo de, ubi de contrariis virtuti, de qua agimus, diſſeremus) ea fuiſſe Synodi cujuſdam de imaginibus colendis decreta, quæ verè divinum cultum eis deferendum aſſerant. Hæc autem, quæ modo diximus, ad diſtinctionem Pontificiorum inter δουλείαν & λατρείαν refellendam, de vi ipſarum vocum, quatenus ad religioſum cultum applicantur, ut ſatis liquet, accipienda ſunt. Nam aliàs haud difficulter fatemur, diſtinctionem quandam inter eas ſtatui poſſe; ſed talem quæ Pontificios nil juvet. Nam quantum ex literis N. Fœderis & Græca veteris Teſtamenti interpretatione nobis hactenus conſtare poteſt; vox δουλεύειν ad prophanum quoque genus ſervitii, ut etiam vulgo fit, ſæpe accommodatur: vox verò λατρεύειν quia non ita uſitata eſt, ut illa prior, ejúſque conjugata, atque imprimis vox δούλη, tantum de divino ſeu religioſo cultu, divinóque ſervitio uſurpatur, ac propter eam (quantum videre nunc poſſumus) cauſam, crebrius ab interpretibus Græcis adhibetur ad Hebrææ vocis *Abhad* vim exprimendam, quam verbum δουλεύειν, ut diſtinctio quædam inter humana & divina, inter ſacra & prophana ſervitia conſtet. Ex quo patet vocem δουλεύειν, eo pacto latius patere, quam vocem λατρεύειν: ſed illud haudquaquam inde poteſt elici, nec ullo vel minimo indicio ex ſacris literis probari poteſt, vocem δουλεύειν. ſi à latiſſima, quam nunc attigimus, in anguſtum

coga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cogatur, & ad religioſum ſeu ſacrum tantum ſervitium reſtringatur, à verbo λατρεύειν ullo pacto differre.

Sed futilitas iſtius diſtinctionis adhuc patebit magis, ubi naturam iſtius ſervitii explicuerimus, quam ad rem nunc accedimus. Ejus verò, ut par eſt, initium ab homonymica iſtius vocabuli ſumemus diſtinctione. Nam ſervire Deo, ut ſuo loco videbimus, ſumitur interdum latiſſimè, pro obtemperatione legibus, & mandatis ipſius præſtita: quæ ſignificatio laxior eſt, quam ut huc pertineat, quanquam ut inferius dicemus, eſt aliquid in ea, quòd, licet videatur latiſſimè patere, propriè tamen ad cultum divinum ac pietatem eam, de qua agimus, ſpectat. In hac ſignificatione ponitur ſæpè vox λατρεύειν, ut Luc. 1. 74. Heb. 12. 28. licet etiam reſpectu Dei uſurpetur vox δουλεύειν Matth. 6. 24. Interdum verò ſtrictius ſumitur pro ea officii noſtri parte, quam Deo propriè exhibemus, quæque in ſolidum ad honorem ejus ſpectat, & cum ſola nonnunquam ponitur, ac de cultu divino accipitur, adorationem etiam in ſe includit. Quod ipſum quoque locum habere videtur Deut. 6. 13: ubi dicitur, *Dominum Deum tuum timebis & illi ſervies*, vel *illi ſoli* (ut eſt in Græco, & citatur Matt. 4. 10.) *ſervies*: vide etiam locum ſuprà notatum, 1 Sam. 7. 3, 4. Verumtamen ſi proprietatem vocis penitius conſideres, apparebit diſtinctionem quandam inter adorationem & ſervitium conſtitui poſſe; ita ut adoratio ſignificet noſtram coram Deo demiſſionem, quæ in animo quidem reſidet, ſed corporis dejectione exterius ſignificatur: ſerviendi autem verbum omnia complectatur opera externa, in quibus labor aliquis, aut ſumptus etiam cernitur, quibus numen coli aut delectari poſſe nobis perſuadeamus; qualis eſt ſacrificiorum, aliorúmque munerum oblatio, incenſio odoramentorum, aut candelarum, libationes, exſtructio templorum, altarium poſitio, aut ſtatuarum, (quanquam hæ à Deo ſunt prohibitæ) earumque circumgeſtatio, & ſi quod eſt aliud operæ genus, quod in ſacris adhiberi ſolet, & ad honorem numinis exerceri. Hæc enim ſervitium magis redolent. De cujus generis cultu quanquam idololatrico loquitur Paulus Actor. 17. 25; ubi ait, *Deum manibus hominum non coli, alicujus rei egentem.* Ubi Græcè eſt θεραπεύειν, quod uſurpatur imprimis de ſervis, qui dominorum uſibus ipſorum operâ indigentium inſerviunt, qui inde θεράποντες dicti ſunt. Quanquam ſimile quippiam de cultu ac ſacrificiis à ſeipſo præſcriptis pronunciat ipſe Deus, Pſal. 50. ℣. 8 & ſeqq. vide 2 Sam. 15. 8: ubi Abſolon id, quod dixerat, ſe redditurum votum Domino, paulò pòſt exprimit verbis *ſerviendi Domino*. Iſta autem perſolutio votorum in immolatione victimarum conſiſtebat, quod aliquo modo ex ℣. 12 conſtat; quanquam aliàs quoque res eſt manifeſta. Sic ad Hebr. 9. 9. vox λατρεύειν, quæ in dicto quoque loco 2 Sam. extat in Græca interpretatione, & *ſervire* ſignificat, ut ſuprà explicuimus, de ſacrificiorum oblatione ſumitur. Poſſunt etiam huc referri cantiones ſacræ, & quicquid eſt hoſtiarum ſpiritualium, quibus numen rectè colitur. Quare ſervitium ab adoratione tanquam effectus à ſua cauſa diſtingui poteſt, itáque licet accipere ipſius Decalogi verba, ubi Deus prohibet, ne quis imagines adoret, aut illis ſerviat. Neque enim minus olim in Deum ejúſque verum cultum peccabat, qui ſimulachro alicui ſacrificaret, aut adoleret thura, aut aram poneret, vel quippiam ei præſtaret ſimile, quod vel Deus ſibi juſſiſſet præſtari, vel Ethnici ſimulachris aut diis ſuis præſtarent, quam qui coram idolo proſterneretur & illud adoraret.

Sed de honoris & ſervitii Deo præſtandi partibus aut generibus poſtea dicetur explicatius. Nunc, antequam illa perſequamur, de vitiis aut peccatis, quæ honori divini numinis recto ac legitimo, in genere adverſantur, ſed iis tamen, quæ in illos quoque cadunt, qui verum Deum agnoſcunt, licèt ejus majeſtatem forte non expendant, aut voluntatem ipſius minus vel cognitam habeant vel conſiderent, agemus. Etſi verò omne vitium virtuti oppoſitum, vel in exceſſu, vel in defectu peccet; unde vulgo quoque duo extrema eidem virtuti ſolent opponi; tamen non eſt neceſſe, ut unumquodque vitium alterutro tantummodo peccet: ſed fieri poteſt, ut in utroque ſimul, quanquam diverſa ratione, idem peccet vitium; quod hîc quoque accidit. Unde duplicia poſſunt conſtitui vitia, quemadmodum aliis virtutibus aut rectè factis, ita etiam legitimo Dei cultui oppoſita, quædam ſimplicia, quæ in alterutro tantum extremo delinquunt, quædam mixta, ex utroque extremo. Simplicium extremorum alterum in eo, quod nimium eſt peccat, alterum in eo, quod parum: & iſtud quidem, quod in exceſſu adverſus legitimum Dei honorem peccat, nomen proprium habere non videtur, ſed generali ſuperſtitionis nomine comprehenditur. Committitur autem tum imprimis, cum quis etiam iis rebus Deum colere inſtituit, quibus eum delectari minimè conſtet, imo quas eum ſublatas velle, vel certo argumento, vel ſaltem indicio aliquo liqueat: ut ſi quis hodie victimas Deo cædere vellet, aut, ut hodie fit, magnifico templorum ornatu, variorum muſicorum inſtrumentorum concentu, ſuffimentorum aut candelarum incenſione, campanarum ſonitu, & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi, colat, vel potius colere velit, de quibus rectiſſime uſurpatur illud Chriſti Matth. 15: *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum.* Et licèt horum nonnulla olim fuerunt ab ipſo Deo ſub lege inſtituta, vel ſaltem poſtmodum approbata: tamen novimus jam vetera illa præteriiſſe, & omnia facta eſſe nova. Quin etiam ex ratione cultus divini, ſub novo fœdere, qui in ſpiritu & veritate peragi debet, ſatis conſtat Deum externa iſta hodie ſuſtuliſſe, & à populo Chriſtiano exulare velle. Ad hoc genus referri poteſt delectus ciborum certis diebus inſtituendus, qui jejunii nomine vulgo audit, & qui pars cultus divini habetur; & ſexcenta alia variæ religionis genera huc ſpectant. Poteſt autem hoc extremum, quod in exceſſu, ut loquuntur, peccat, cum eo jungi ac quodam modo miſceri, quod in defectu; imò ſæpiſſimè miſcetur: nam & cum negligentia ſumma in vero Dei honore, & cum idololatria conjungi facilimè poteſt, & hodie quoque conjungitur; quod ſimiliter ſuprà notavimus, ubi de ſuperſtitione & impietate in genere egimus. Hæc de altero extremo dicta nunc ſufficiant.

Quod ad alterum extremum attinet quod in defectu ſolo peccat, illud eſt, cum ei, cui divinus debetur honor, is, quo dignus eſt, negatur, aut non defertur. Quod iterum duplex conſtitui poteſt: alterum enim medio opponitur tanquam privatio, alterum tanquam contrarium. Illud eſt, cum quis tantummodo honorem divinum negat ei cui negandus non eſſet: hoc vero, cum quis contumelias inſuper addit; ne de iis nunc quicquam dicamus, qui ideò Deo aut Chriſto cultum non deferunt, quia illum non norunt prorſus vel ſaltem hodie exiſtere negant, quemadmodum de Chriſto Judęi ſentiunt. Duplex poteſt conſtitui hoc vitium: vel enim quiſpiam, cui cultum divinum & honorem divinum ſeu religioſum deberi arbitratur, non defert tamen ob malitiam; vel etiam non deferendum eſſe credit honorem ac cultum divinum ei, cui revera debetur: quorum prius tantum ad Deum & Chriſtum pariter pertinere poteſt, poſterius in Chriſto ſolo locum habet. Nam ſi quis Deum colendum eſſe negaret, eum merito illis accenſeremus, qui Deum eſſe negarent. Quod etſi de Chriſto quoque, præſertim qua Chriſtus eſt, jure dicere poſſumus; tamen res non eſt hominibus tam aperta. Peccant ergo primum in eo, quod parum eſt, illi omnes, quicunque Deum & Chriſtum ea ratione, quam ipſe præſcripſit, & ſibi gratam eſſe oſtendit, non colunt, &, quibus poſſunt, laudibus non efferunt, aut obſequiis demerentur, nec eo id ſtudio & fervore faciunt, quo debebant. Deinde illi in eo, quod parum eſt, peccant, quicunque Chriſto religioſam adorationem & cultum ſuperius à nobis deſcriptum denegant, eúmque, ut regem ſuum cœleſtem, non reverentur, ac, ut ſervos ejus humiles decet, coram eo ſe non demittunt ac proſternunt, & cætera, quæ hujus ſunt generis, atque ad laudem

& hono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& honorem ejus ſpectant, ipſi ereptum eunt; in quibus tamen gradus ſunt aliqui. Nonnulli enim paulo plus honoris ei concedunt, alii minus, prout ei plus poteſtatis aut auctoritatis in Eccleſiam & circa eandem curæ relinquunt, aut contra; breviter, prout propius aut longius abſunt ab iis, qui verè intelligunt, quid ſit Jeſum eſſe Chriſtum. Quod attinet ad poſterius vitium, quod honoris loco contumeliis afficit eum, qui honore divino dignus eſt, id intelligere eſt facile. Admittitur autem vel verbis vel factis: verbis, ut in blaſphemia, de qua infra, ubi de honoris divini partibus: factis, cum quis id committit, quod apertum numinis contemptum ſpiret, ſive id hoc ipſo fiat conſilio, ſive minus: quanquam longe gravius eſt conſulto id facere, & animo contumelioſo, quam ſi alio quidem conſilio, re tamen ipſa id fiat. Ad quod poſterius illud etiam referri poteſt, quod ſupra Timori divini numinis oppoſuimus, cum quis Deum irridet: Gal. 6. quia nimirum quiſpiam ſummis ac planè cœleſtibus beneficiis perfrui velit, nec tamen tantum vel ſumptuum, vel laboris impendere ſuſtineat, quantum præſtare par eſſet: aut præmium quidem pietati à Deo conſtitutum adipiſci velit, nolit tamen pietatem iſtam colere. Contumeliæ autem, qua Chriſtus afficitur, (ne de ea nunc quicquam dicamus, qua in terris degens affectus eſt) fit mentio ab autore Epiſt. ad Hebr. cap. 6. 10: dum eos, qui poſt agnitam veritatem relabuntur, ait *denuo ſibimet ipſis filium Dei crucifigere, & ignominiæ publicè exponere*: itémque de iis, qui poſt agnitam veritatem ſponte peccant, ſeu à Chriſtiana religione deficiunt, (quod noſtra ſententia à priori iſto non multum differt) affirmat Hebr. 10. 29. eos *filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti communem ducere, in quo fuerant ſanctificati, & ſpiritum gratiæ contumelia afficere.* Committitur autem hoc peccatum, ſive quis directè ipſum Deum aut Chriſtum, hoc eſt, eorum perſonas petat, ſive aliquid ipſorum, ſeu rem adeò ipſis conjunctam, ut ejus contumelia in ipſius Dei ac Chriſti contumeliam apertè redundet, qualis eſt ſanguis fœderis, qui ad Chriſtum maxime proprie, conſequenter etiam ad Deum pertinet, & ſpiritus gratiæ, qui ad utrumque, adeò ut neutrum horum contumelioſè tractari queat, quin ſimul ipſe quoque Deus aut Chriſtus contumelia afficiatur.

Hactenus de ſimplicibus vitiis legitimo divini numinis cultui adverſantibus; ſequitur illud vitii genus, quod Mixtum appellavimus, quod partim in eo, quod parum eſt, peccat, partim in eo, quod nimium. In eo quod nimium, ideo quod vel ei defert cultum religioſum ac divinum, cui minimè deferendus eſt, vel majorem tribuit quam debetur: in eo quod parum eſt, eatenus, quatenus id, quod alteri tribuit præter dignitatem, ei detrahit, cui verè debebatur; nempe Deo, aut interdum etiam Chriſto. Nam quando cultus defertur, cui non debetur, honor Dei & Chriſti, cui debetur, minuitur, & ei quippiam detrahitur. Cum verò ei, cui debetur honor, defertur nimius, nempe cum Chriſtus tanquam ſummus Deus colitur, Patri, qui ſummus eſt ſolus & ex ſe ipſo Deus, honoris aliquid eripitur, atque in alterum transfertur. Unde apparet, reſpectu unius in eo peccari, quod nimium eſt, reſpectu alterius in eo, quod parum.

Satis autem jam conſtare poteſt ex iis, quæ hactenus diximus, Mixtum hoc vitium duplicis eſſe generis; alterum, cum ei religioſus ſeu divinus cultus exhibetur, cui haudquaquam deferendus eſt; alterum cùm ei, cui debetur quidem divinus cultus, nimius tamen defertur. Prius vitii genus communi nomine appellari ſolet idololatria; licèt alias hæc vox, ſi propriè ſumatur, ſit anguſtior. Nam idololatria ſi vocis naturam ſpectes, cultum ſimulachrorum ſeu imaginum, ſive plurium ſive unius ſignificat; at non omnia, quibus divinus cultus aut religioſus non rectè defertur, ſimulachra ſunt aut imagines, ut poſtea ſatis patebit. Quanquam aliâs ex hiſtoria ſatis conſtat, animalia etiam quædam, præſertim ab Ægyptiis, imo etiam allia & cæpas fuiſſe cultas, & apud veteres Litvanos ventum cum ſibilo ingruentem: ne alia nunc ineptiſſima religioſi cultus genera commemoremus. Verumtamen in ſacris literis Novi fœderis, ubi inter peccata ſæpè commemoratur Idololatria, nulla facta mentione ejus deorum cultus qui ſine imaginibus perageretur, dubium non eſt, quin idololatriæ nomine omne illud cultus religioſi genus comprehendatur, quod ei defertur, cui non eſt deferendum. Quin etiam ipſam Polytheiam, ſeu ſententiam de deorum multitudine, &, quæ inde conſequitur, eorundem religionem ac metum, hoc nomine comprehenſum crediderim inter alia 1 Cor. 6. 9. Gal. cap. 5. 20. & alibi. Fortaſſè huc etiam alluditur ad Epheſ. 5. 5. ubi *avarus, idololatra* dicitur, qui pecuniam numinis inſtar cujuſdam colit, eique ſervit, atque confidit. Idem etiam intelligitur 1 Theſſ. 1. 9; ubi dicitur, eos *ad Deum ab idolis eſſe converſos, ut ſerviant Deo viventi & vero*: dubium enim eſſe non videtur, quin idolorum nomine ſimul etiam ii comprehendantur, qui idolis iſtis exprimebantur, dii nempe Ethnici fictitii atque imaginarii. Cauſſa vero hujus rei, cur & idoli & idololatriæ nomen tam latè extendatur, duplex eſſe videtur. Prior, quod ii, qui olim vitio hoc laborabant, nempe Ethnici, fictos tantum deos, non vero ullo modo exiſtentes, per imagines colebant, ac proinde, cum præter imaginem nihil reipſa exſtaret, omnis revera cultus in imagine vel ſimulachro conquieſcebat, adeòque nil præter lignum & lapidem colebatur. Qua de cauſa etiam Paulus 1 Cor. 8. 4. & 10. 19 ait, idolum nihil eſſe in mundo, ſeu nihil prorſus habere divinitatis aut eximii, cum præter materiam & formam figurámque corpoream nil haberet. Quod ſi qui tamen erant, ad quos poſſet ille cultus aliquo modo referri, illi nulli alii, quam dæmones erant, ut addit Paulus dicto loco cap. 10. 20. Eaque de cauſa apud Prophetam & alibi in literis Veteris fœderis idololatris objicitur, quòd lignum lapideſque colant, licèt ipſorum alia eſſet mens atque intentio, ut inferius videbimus. Altera cauſa hæc eſſe videtur, quod ii, qui cultum alicui deferunt, cui deferre minimè debebant, in eáque re perſiſtunt, vix unquam aliter vel feciſſe leguntur, vel adhuc faciunt, quam ut ſimul ſimulachrorum vel imaginum cultum inducant, & hoc pacto eos, quos ſibi colendos propoſuerunt, colere conantur. Nam neſcio quo pacto cum ſemel ſuperſtitio à vero Dei cultu deflexit, & ſibi numen aliquod colendum confinxit animo, id etiam cupiat oculis ipſis ſubjici & forma certa effingi. Qua de re nonnihil poſtea. Conſtitutum ergo nunc ſit, idololatriam tam latè extendi, ut omnia iſta peccata comprehendat, quæ tum adverſus primum præceptum ſtrictè ſumptum de diis alienis non habendis, tum adverſus ſecundum de imaginibus non habendis nec colendis, pugnant. Quapropter primum aliquid dicemus de idololatria hac late ſumpta & iſtis ejus ſpeciebus, quæ ad eandem ſtrictius ſumptam commodè reduci non poſſint, tum demum de idololatria ſtrictè ac propriè ſic dicta.

Ac ne nunc quicquam dicamus de vetere illa Ethnicorum idololatria: illa tantum nunc excutiemus genera, quæ hodie in Chriſtiano orbe vigent. Primo autem loco rectè hîc collocatur cultus panis Euchariſtici ſeu hoſtiæ, quam vocant, ſacramentalis, quam cultu divino ſeu cultu λατρείας ſe venerari non diffitentur Pontificii. At cultum hujuſmodi deferre ad eam rem, quæ Deus non ſit, nec divina poteſtate prædita, idololatricum eſſe, iidem quoque fatentur, imò urgent. Non eſſe verò panem hunc Deum, aut rem divina poteſtate aut imperio præditam, adeò eſt manifeſtum, ut cæci & ſenſibus deſtituti ii rectè cenſeri queant, qui id negent. Nam panem eum eſſe, viſus, tactus & guſtus teſtantur, idque non in hoc aut illo tantum, qui, quod ſenſu minus acri polleat, falli poſſit, ſed in omnibus hominibus, quotquot illum intuentur, contrectant, aut guſtant, idque perpetuo, ne quis putet ullum hîc errori eſſe locum: & quicunque falli ſenſus hîc aſſerit, is omnem ſacris concionibus, omnem miraculis divinis fidem adimit ac tollit, cum

in iis ſæpè unus tantum ſenſus, v. g. vel auditus, vel viſus locum habuerit, idque brevi tantum tempore, & non in omnibus, ſed quibuſdam tantum hominibus, qui vel ſpectatores vel auditores fuerunt. Ipſa denique reſuſcitatio Chriſti vocatur in dubium, quæ duorum tantum ſenſuum teſtimonio, nempe viſu & tactu, (auditui enim hîc parum tribuendum eſt, nec hic ad fidem huic rei habendam ab Apoſtolis citatur) comprobata maximè fuit, ut apparet ex ult. cap. Lucæ, & Johan. 20. At hîc guſtus, qui ſi non certior in hac re tactu ac viſu, ſaltem æquè certus eſt, duobus illis accedit. Johannes in 1 Epiſt. cap. 1. fidem dictis ſuis de verbo vitæ conciliare volens ait: ſe ea ſcribere, quæ audiverit, contemplatus fuerit, & manibus contrectaverit, quaſi nullum deſit certitudinis argumentum. At hîc vel eadem ſunt, vel certiora. Quæ omnia non ideò adducimus, quaſi nullum aliud hujus ſententiæ reſtet argumentum; quæ tamen ſunt non pauca, (de quibus alibi agitur) ſed ut fœditatem hujus peccati & ſupinam hominum negligentiam, quæ illos inexcuſabiles apud Deum reddat, oſtendamus. Quò accedit, quod ipſimet videant atque experiantur, panem iſtum dentibus conteri, deglutiri, & reliquorum ciborum inſtar in ventrem demitti, à muribus arrodi, ac conſumi, &, ſi caſus ita ferat, igni comburi, & in cineres redigi: ut jure mirari poſſimus ſummam hominum cæcitatem, præſertim eorum, qui primi in hoc peccatum inciderunt, aut de errore nunc admoniti reſipiſcere nolunt. Neque verò illos ab hoc idololatriæ crimine liberat hæc opinio, quòd panis ille Deus ſit, vel ſaltem Deo ſummo perſonaliter unitum corpus; ſed potius vehementer accuſat, qui Deum in tam vilem materiam includant, imo tranſforment. Quod ſi graviſſimè olim Deus punivit eos, qui mutarunt gloriam incorruptibilis Dei ſimilitudine corruptibilis hominis, & ii omnes, quotquot Deum imagine aliqua repræſentare ſtuduerunt, duriter reprehenſi ſunt; quanto ſeſe putamus obſtringere ſcelere eos, qui ipſum Deum, aut ſaltem quod in ipſius perſona ſit divinitatis supremæ ipſius particeps, & ob eam cauſam λατρεία dignum, in materiam viliſſimam tranſmutant, & non ſimile, ſed idem eſſe dicunt.

Simile quippiam huic peccato, quanquam gravitate impar, committunt inter Euangelicos ii, qui ideò cum genuflexione panem Euchariſtiæ accipiunt, quòd Chriſtum ibi ſubſtantialiter præſentem & cum pane ſacramentaliter unitum arbitrentur: fieri enim non poteſt, quin hoc pacto ipſe quoque panis, quem Chriſtus Deus noſter unione corporis ſui dignetur, & eo pacto divinam quandam ac cœleſtem virtutem in hominum animis exerat, majori, quam oporteat, in pretio habeatur, & hujus venerationis, quæ Chriſto in ipſo præſenti exhibeatur, aliquo modo fiat particeps. Et ſane ſi vera eſſet illorum de ſacramentali hac unione, & divina quadam efficacia, quæ in hac actione per Chriſtum in aut cum pane exeratur, ſententia, nil dubitamus aſſerere, quin panis ille, æquè ac olim arca fœderis, imò etiam multo magis, poſſet vel etiam deberet adorari. Sed quia illi nec in ipſum panem adorationis actum dirigunt aut dirigere ſe ajunt, nec vim ſuæ ſententiæ ſatis percipiunt, ipſum quidem idololatriæ crimen eis hac in parte impingere non audemus; ſed tamen ei aliquid valde ſimile admittere eos dicimus, quemadmodum paulo ante oſtenſum eſt. Suntque iſtæ veteris hoſtiæ cultus, quem ſub papatu olim exercuerant, reliquiæ.

Secundo loco ad Idololatriam latius ſumptam referri debet cultus, qui ſanctis mortuis, atque imprimis Mariæ, quam cœli Reginam & Matrem gratiæ appellant, defertur: quod fit, cum genua illis flectuntur, & alia fiunt, quæ ſuprà enumeravimus, cum de ea deorum pluralitate egimus, quæ non quidem verbis expreſſis, ſed re ipſa tamen indicatur; quæ inde repetenda ſunt. Nam primo ſi oſtendatur, ut quidem non eſt difficile, eos nunc non vivere; nullum eſt dubium, quin ipſi Pontificii faſſuri ſint, iis nullo modo cultum illum, quem δουλείας vocant, eſſe deferendum. Quare quicunque illis defert cultum, is in illud Dei præceptum peccabit, quod de vero ac legitimo cultu religioſo agit. Nam adverſus aliquod Dei præceptum is peccare cenſendus erit, qui in religioſum Dei cultum peccat. At iſta, quæ huc pertinent, illi includunt primo & ſecundo Dei præcepto, quod illi pro eodem habent: qui vero in hæc duo præcepta peccant, ab illis pro idololatris habentur; quemadmodum pro idololatra ab illis haberetur, qui imaginem aliquam coleret, ex ipſorum ſententia non venerandam, & religioſo cultu non afficiendam, cujuſmodi ſunt imagines gentium, aut imagines profanæ, vel etiam hominum ſacrorum, antequam eæ conſecrentur. Secunda ratio hæc eſt; Angelis quoque, ut poſtea videbimus, cum ſuam ipſorum perſonam ſuſtinent, hodie communis. Quicunque cultum ſoli Deo aut Chriſto debitum, ad aliam rem aut perſonam tranſfert, is idololatra eſt eo, quo diximus, ſenſu. At quicunque eo pacto Sanctos hodie colunt, quo Pontificii, ii cultum ſoli Deo Chriſtoque debitum ad alios tranſferunt. Quapropter idololatræ ſunt. Minor patet: Quicunque religioſe aliquem adorat, is cultum ei defert, qui ſoli Deo Chriſtóque debetur. Hoc verò faciunt Pontificii: nam nec adorare ſe diffitentur Sanctos, quanquam λατρείαν eam eſſe negent, & religioſo ac ſacro quodam modo, non civili ſeu prophano, ſe id facere aſſerunt. Major probatur ex ſermone Angeli, quo Johannem à ſe religioſe adorando avocat, locis ſuprà notatis Apocal. 19. 10. & 22. 9. ubi poſtquam monuiſſet Johannem, qui ceciderat ad pedes ipſius ut illum adoraret, ne id faceret, & rationem ejus rei attuliſſet, addit, *Deum adora:* vel, ut alii habent, *Jeſum adora:* ſatis oſtendens honorem hunc, quem ſibi deferre voluerit Johannes, eſſe ejuſmodi cultum, qui ſoli Deo Chriſtoque debeatur. Atqui is nihil aliud erat quam religioſa adoratio, ſine omni opinione ejus rei, quod ille Angelus eſſet vel Deus ille ſummus, vel Chriſtus, ut ipſi fatentur Pontificii. Quare hoc ipſum, quod quis quempiam religioſe adorat, etiamſi non eo illum nomine adoret, quod is Deus ſit ſummus aut Chriſtus, divinus cultus eſt. At ut res tanto manifeſtius appareat, ita agamus. Cultus hic, quem Angelus vult Deo aut Chriſto deferri, eſt cultus λατρείας. At cultus, quem Johannes Angelo deferre voluit, eſt cultus ejuſmodi, quem Angelus vult deferri Deo aut Chriſto. Ergo is eſt cultus λατρείας. Quinam verò is cultus fuerit, jam dictum eſt; nempe tantummodo religioſa adoratio. Cum ergo hic cultus λατρεία ſit, ſoli Deo debetur; &, ipſis fatentibus Pontificiis, ſi cui deferatur alteri, præſertim conſtanter, idololatria admittitur. Quid quod illud, quod Pontificii Sanctis ſuis hodiè præſtant, longè ſit majus & divinius quam id, quod Johannes præſtare voluit Angelo? Primò quod Pontificii Sanctis ſuis, quos infinito intervallo à ſe disjunctos arbitrantur, adeò ut ad eos, utpote quos in cœlis exiſtere arbitrantur, nulla naturali ratione honoris illius notitia pervenire poſſit, honorem tamen exhibeant, & eos hujus cultus arbitros & inſpectores nihilominus arbitrentur; id quod numinis aut divinitatis eſt proprium. Eo quippe pacto adoratio civilis & religioſa ac verè divina imprimis diſtinguitur. Altera cauſa eſt, quod eoſdem Sanctos propter poteſtatem aliquam illis à Deo communicatam, & curam rerum humanarum, quam tam longo intervallo diſſiti nulla naturali ratione interveniente, gerant atque exerceant, colant, non ſecus atque Ethnici deos tutelares ſummo Jovi ſubjectos: id quod itidem divinum cultum ab humano imprimis diſtinguit. At neutrum fecit Johannes. Nam & præſentem adoravit, & non ob poteſtatem aliquam, præſertim perpetuam, quam is licet in terris exiſtens hîc in terris exerceret, ſed tantum ob lætiſſima illa nova, quæ ipſi Angeli opera innotuerunt, affectu quodam ſubito abreptus, colere voluit, ut poſtea videbimus, ubi de Angelorum adoratione nonnihil adhuc dicemus. Ex quibus nova ratio poteſt extrui, ad probandum Pontificios hac in parte idolatriam exercere. Nam qui, ut jam ſupra diximus, latriam ei exhibet,

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

qui Deus revera non eſt, is ex ipſorum ſententia idololatriam committit. At illi id faciunt. Nam qui iſtiuſmodi cultum alicui exhibet, qualem olim Ethnici Mercurio v g. aut Marti, aut Veneri, & cæteris diis, ſub imperio Jovis conſtitutis, is latriæ cultum ei exhibet. Hinc enim Pontificii Ethnicos Idololatras vocant propter λατρείαν exhibitam falſis diis. At tantum honorem exhibent Pontificii ſuis Sanctis, ut oſtenſum eſt. Atque hîc iterum repeti volumus ea, quæ ſupra diximus de modis, quibus Ethnici deos ſuos olim colebant, qui ſimilimi ſunt iis, quibus Pontificii ſuos Sanctos hodie colunt.

Tertio loco huc referri debet Veneratio reliquiarum quas vocant, atque imprimis crucis Chriſti, cujus tamen tot jactari fragmenta compertum eſt, ut navi onerandæ ſufficerent. Nam has religioſe à ſe Pontificii coli non negant. Nam & in genua ante eas, ac præſertim ante crucem, quam vocant, Chriſti procidunt, capita iis religioſe aperiunt, eas deoſculantur, ac divinam quandam efficaciam illis, tum ad ſalutem conferendam, tum ad liberandum è variis periculis, adſcribunt, & fiduciam quandam in illis collocant: quæ omnia non ſane leviora ſunt eo honoris genere, quo olim Iſraëlitæ affecerunt ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, cui adolebant thura, 2 Reg. 18. 4, non certè quod eum vel vivere vel Deum eſſe arbitrarentur, ſed quod olim ipſius aſpectu interveniente homines à Deo ſervarentur à morſu ſerpentum, atque in vita conſervati fuiſſent. Quam eandem ferè cauſam afferunt Pontificii, cur adeò religioſe reliquias illas venerentur; cum tamen nondum conſtet, per eas miracula aliqua eſſe edita, cum non omnes ii, quorum reliquiæ aſſervantur miracula ediderint, & quia multæ ſunt, credibile ſit pleraſque eas, ſi non omnes, commentitias eſſe, & à Pontificiis demum conſecratas, (quod ne ipſi quidem diffitentur) ac denique ſi quid per res iſtas contigiſſet olim miraculoſi, id jam pridem ceſſaverit. Neque enim omnium oſſa adeò ſunt felicia ut Elizei, quæ iſti nimis inepte inculcant. Jam vero cum ſatis conſtet, Ezechiam Regem ideo ſerpentem iſtum æneum confregiſſe, quod idololatria in eo odoramentis colendo admitteretur; idem certe ſtatuendum eſt de cultu reliquiarum, etiamſi tandem omnes eſſent ejuſmodi, per quas miracula olim fuiſſent edita. Sed mirum eſt, quod cum homines illi vivi, quorum vel certè ſimilium reliquiæ hodie tam religioſe oſtentantur, & coluntur, qui miracula diviniſſima eaque creberrima edebant, ſeſe eo pacto coli non fuerint paſſi, ut de Petro legimus Actor. 10. 26, illorum mortuorum oſſa, in quibus nulla ejuſmodi vis eſt, poſt tot ſecula, à quibus virtus illa ceſſavit, tam ſanctè colantur.

Quarto loco, ut à rebus vel mortuis vel inanimatis ad vivas tranſeamus, pertinet huc adoratio Angelorum in ſua perſona conſideratorum religioſa, & ſi quid ſine adoratione non perficitur, ut invocatio, hymni, aræ & ſimilia, atque imprimis ſolennis illa precatio, quæ in templis peragitur, atque ad Angelos, quos nil conſtat tunc adeſſe, immò qui in cœlis eſſe credi tum queunt, dirigitur, & maxime cum nominatim Angelus aliquis ut Michaël, cui videmus templa atque aras dedicatas, aut Gabriël colitur & oratione compellatur, ea opinione, quod poteſtatem quandam adhuc in homines exerceant. Hunc vero cultum idololatriæ nomine cenſendum eſſe, ex iis conſtare poteſt, quæ ſupra diximus de ſanctorum invocatione. Nam excepto primo argumento, quod eo potiſſimum nititur, quod Sancti iſti nunc non vivant, cætera huc jure referri poſſunt, imo eorum unum ex eo loco petitum eſt, ubi Angelus adorari ſe non patitur. Quo loco (ut res tota melius intelligatur) tria adhuc nobis dicenda ſunt, quorum nonnulla ſupra dicturos nos promiſimus. Primùm nonnihil adhuc dicendum reſtat de cauſa, cur hodie Angeli iſtum cultum ab hominibus ſibi delatum non admittant, quem olim admiſerunt, atque adeò cur is non ſit illis à nobis deferendus. Deinde quæ tamen cauſa fuerit, cur Johannes Angelum adorare voluerit, & quo pacto tantus error in eum cadere potuerit, ac quanta cenſenda ſit facti illius gravitas, præſertim cum nimis abſurdum videatur Johannem idololatriam admiſiſſe. Tertio explicandum eſt, annon tandem honor & veneratio aliqua Angelis ſit exhibenda. Cum enim hominibus, præſertim magnis, honorem inſignem exhibeamus: conſentaneum videtur, eum multo magis Angelis, qui multò ſunt digniores, exhibendum eſſe.

Quod ad primum attinet, cauſa jam ſupra ſatis explicata eſt; nempe quod olim domini quodam modo illi, præſertim ad certum tempus, aut in certis negotiis, eſſent hominum, vel ſaltem in certis negotiis dignitate ſupra homines ita elati, ut dominorum & quidem cœleſtium inſtar eſſent habendi ac venerandi. Nunc vero poſtquam ad parem felicitatem homines cum Angelis ſunt vocati, & humana natura ſupra ipſos Angelos conſtituta eſt, ita ut homo dominus ſit illorum ac caput, quem illi adorent: conſervos ſe noſtros cenſent, ac proinde adorationis cultum, qui Dominis tantum cœleſtibus debetur ab eis, qui eorum ſunt ſervi, à nobis non admittunt, atque imprimis ab illis, qui dignitate muneris inter Chriſtianos excellunt, quales olim fuerunt Apoſtoli & Prophetæ, iiſque alii non longe diſpares. Indicavit hoc ſatis Angelus locis ſupra non ſemel citatis, in quibus id, quod nunc demum indicavimus, ſupra à nobis prætermiſſum, obſervandum eſt, quod ſe conſervum vocet Johannis & fratrum ipſius, qui habeant teſtimonium Jeſu, hoc eſt, Prophetarum, ut cap. 22. 9. expreſſe ait, & in cap. quoque 19. 10, poſtmodum explicat cum ait: *Teſtimonium enim Jeſu eſt Spiritus prophetiæ*; quæ verba non proximè præcedentium, quæ ſunt *Deum adora*, ſed remotiorum reddunt rationem, vel potius ea explicant, in quibus teſtimonii Jeſu facta fuerat mentio. Vocat enim teſtimonium Jeſu Spiritum prophetiæ, atque adeò indicat, ſe per eos fratres, qui teſtimonium Jeſu haberent, prophetas intellexiſſe, vel eos, qui ſpiritu prophetiæ erant repleti, qualis ipſe Johannes erat. Eſt autem quædam Metonymia in verbis illis, & cauſa de effectu prædicatur. Neque enim teſtimonium Jeſu eſt ipſe Spiritus prophetiæ, ſed ejus effectus, hic vero illius cauſa. Teſtimonium autem Jeſu videtur accipi pro teſtimonio, quod & à Jeſu Chriſto ſit demandatum, & ad ipſum referatur totum, hoc eſt, quod circa eum tanquam objectum ſuum occupetur, & circa ea, quæ ad ipſum ſpectant, ac denique ad ipſum, ſeu ipſius gloriam tanquam ad finem referatur. Nil enim prohibet, quo minus pluribus de cauſis hoc teſtimonium dicatur eſſe Jeſu. Non deſunt autem, qui ordinem verborum inverſum eſſe putent, & teſtimonium Jeſu prædicatum, Spiritum autem prophetiæ ſubjectum eſſe, arbitrentur, adeò ut effectus prædicetur de cauſa. Sed, ut redeamus ad id, quod de his verbis dicere inſtitueramus, in loco cap. 22. 9. non tantum Prophetæ commemorantur, ſed etiam cæteri pii ſeu Chriſtiani homines, qui deſcribuntur illis verbis: *Et illorum, qui ſervant ſermones libri hujus*. Quæ deſcriptio latior eſt & generalior quam vox Prophetarum; unde etiam Prophetarum voci poſtponitur, tanquam aliquid vulgarius, & præterea tale, quod ſequentibus etiam ſeculis, imo his potiſſimum locum eſſet habiturum. Quod ideò monemus, ne quis dicat rationem hanc Angeli efficere quidem, ne à Prophetis exhibeatur Angelis adorationis cultus, ſed non etiam illud, ne à Chriſtianis vulgaribus deferatur; nam & illorum & horum conſervi illi ſunt. Imò extra negotium, aut munus ejuſmodi, quod huic Angelo tum temporis erat impoſitum, Johanni futura annunciandi, in quo major erat inter ipſum & Johannem cæteróſque Prophetas conjunctio, ſeu horum cum ipſo; non minus aliorum piorum, quam Apoſtolorum & Prophetarum conſervi ſunt. Itaque quod Prophetas ibi potiſſimum commemorat, & ſe eorum conſervum imprimis profitetur, id propterea videtur facere, quod tum temporis peculiaris illi contigiſſet autoritas & dignitas, & ob eam ipſam Johannes ei cultum deferre voluiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quare ut indicaret, ſe ne ob hanc quidem cauſam adorari voluiſſe, præſertim à Johanne, qui Apoſtolus ac Propheta eſſet, primo loco ſe conſervum Johannis & Prophetarum dicit, &, dum rationem affert, ob quam Johannes adorare ſe non deberet, ſimul etiam rationem illam diluit, quæ Johannem ad id faciendum adduxerat, de qua paulo poſt nonnihil. Agnoſcunt hoc diſcrimen inter tempus Novi fœderis quod à Chriſto exaltato perfectè incepit, & illud, quod anteceſſit, ipſi quoque Pontificii; quanquam cauſam iſtius rei ſuæ ſententiæ accommodatius explicant. Nam Franciſcus Ribera Jeſuita doctiſſimus, in Comment. ſuis in Apocal. ad locum cap. 19. tum ipſe hanc ſententiam approbat, tum ejus autorem citat Gregorium, qui Homil. 8. in Euang. inter alia ita ſcripſerit, *Quid eſt, quod ante Redemptoris adventum adorantur ab hominibus* (ſcil. Angeli) *& tacent, poſtmodum vero adorari refugiunt? niſi quod naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſuper ſe aſſumptam aſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt: nec jam ſub ſe velut infirmam contemnere auſi ſunt, quam ſuper ſe videlicet in cœli Rege venerantur.* Et addit Ribera, *Gregorium ſequuntur Gloſſa, & Anzbertus & Haymo & Rupertus & alii nonnulli, nec immerito.* Eadem ſententia etiam Joan. Ludovici Granatenſis celeberrimi Theologi in ipſius Homiliis. Addit præterea Ribera ad cauſam illam, quam Gregorius attulerat, id, quod ex verbis ipſius Angeli colligitur, noluiſſe Angelum adorari ſe, quoniam præter dignitatem, quæ hominibus acceſſit, aſſumente (ut ille loquitur) filio Dei eorum naturam, hæc quoque magna eſt, miniſtros eſſe eos Chriſti, & Prophetas, & Euangelicæ doctrinæ nuncios, tum etiam propter hanc doctrinam vexari ab inimicis Chriſti, quod poſtea latius deducit.

Sequitur nunc, ut videamus id, quod ſecundo loco dicendum propoſuimus, cur Johannes nihilominus Angelum adorare voluerit, præſertim tunc, & non antea, ac præterea etiam tum, cum jam fuiſſet ſemel ab Angelo prohibitus? Cauſa cur adorare eum voluerit, antea jam generatim fuit expreſſa; ſed ut diſtinctius rem explicemus, & oſtendamus, cur tum, & non antea id facere voluerit, hæc eſſe videtur ab eodem Ribera explicata, quia nimirum Johannes delectatus lætiſſima prophetia, quam ex Angelo audiverat de nuptiis agni, & felicitate eorum, qui ad eas ſunt vocati, gaudio repentino abreptus, & reverentia quadam iſtius nuncii perculſus, in terram ceciderit, & quaſi gratias agens pro nuncio tam grato adorare eum voluerit; quo pacto Abraham audita promiſſione de filio ſibi naſcituro, Gen. 17. 16, præ lætitia, & venerandi ſtudio in faciem cecidit, & Manoa pater Samſonis, ejuſque uxor, Jud. 13. 20, partim ex lætitia, partim ex terrore. Idem cap. quoque ultimo ubi denuo id facere conatus eſt Johannes, intelligi debere animadvertet, quicunque caput ab ipſo initio legerit uſque ad ℣. 8. ubi ait: *Et cum audivi & vidi* (nempe iſta, quæ de piorum felicitate ſupra illi fuerant oſtenſa) *cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendebat.* Ex quo conſtare poteſt, hanc incogitantiam quandam fuiſſe Johannis, ex repentino affectu qui mentem ipſius obſcuraret, ex rerum viſarum ſplendore qui oculos mentis perſtrinxerat, ut non omnia ita diligenter expenderet, ortam. Nam certe ſi hæc incogitantia Johannis non fuiſſet, nullo pacto poſſe fieri videtur, ut jam ſemel ab Angelo tam ſeverè monitus, eodem relaberetur, & id, quod Angelus vetuiſſet, facere tamen conaretur. Nihil autem prohibet, quo minus incogitantia talis in certo aliquo facto in tam divinos viros caderet, eo præſertim accedente, quod non multo ante adorari deſiiſſent Angeli, & fortaſſe nullum adhuc expreſſum ea de re mandatum Dei aut cultus hujus prohibiti exemplum extaret, præſertim in caſu tali, qualis tum erat, ubi Angelus peculiari legatione Dei nomine ad Johannem fungebatur. Adde quod Johannes ab Angelo monitus proculdubio ſtatim ſeipſum revocarit, & voci ipſius paruerit, ita ut actus hic adorationis non fuerit prorſus completus, ſed vix conceptus. Adde quòd longè levius ſit, Angelum præſentem, qui ſe conſpiciendum præbeat, & majeſtate quadam ſingulari tum refulgeat, adorare, ſeſe coram ipſo proſternendo, quam non viſo ac longiſſimè diſſito fortaſſe, atque adeò in cœlis ipſis exiſtenti hunc honorem deferre, quod ſupra diximus, imprimis divinum cultum ab humano diſtinguere, licet non ſolum. Quibus omnibus collectis, nimis durus & iniquus ille foret, qui ex eo, quod nos in Angelorum cultu idololatriam objiciamus Pontificiis eamque ex his Apocal. locis doceamus, concludere velit, Johannem ipſum idololatram fuiſſe, quod nomen habitus, non actionis eſt; aut ſi actionis, ejus tantum, quæ à ſciente prudente, non vero repentino affectu & incogitantia quadam abrepto committatur, & denique aliquo modo ſit completa; quorum nil in Johannem tum temporis cecidit.

Reſtat ut id, quod tertio loco propoſuimus expediamus, nempe an nihilominus reverentia aliqua & honor Angelis ſit exhibendus: quod ratio ſupra allata videtur poſtulare? Reſpondendum eſt, per ſe illis reverentiam eam deberi, quæ dignitati tàm præſtantium creaturarum par ſit eaque digna, eo tamen conſiderato, quod, licet ſint tam excellentes ſpiritus, nihilominus noſtri ſint conſervi & una nobiſcum Deo Chriſtoque pareant. Quapropter quemadmodum reveremur viros graves, pios, & ſingulari virtute præditos, ita ut non audeamus quicquam coram eorum oculis deſignare, aut ipſis audientibus loqui, quod eos offendat, aut iis diſpliceat, & illorum erga nos amorem minuat; idem quoque multo magis tribuendum eſt Angelis, cum vel reipſa ſunt nobis præſentes, vel ſaltem præſentes eſſe arbitramur aut ſuſpicamur. Quod imprimis fit in publicis piorum conventibus, aut aliis ſacris eorundem congreſſibus, quin etiam aliàs, ubi peculiaris quædam cauſſa eorum præſentiam videtur ſecundum Chriſti promiſſa aut benignitatem exigere. Atque huc pertinere omnino videtur illud Apoſtoli, dum ait: 1 Cor. XI. 10, *Mulierem debere habere in capite poteſtatem*, hoc eſt, velamen, quod ſignum ſit poteſtatis ſuperioris, ſub qua fœmina ſit poſita, *propter Angelos*, quaſi ejus rei arbitros & inſpectores. De eo enim loquitur, quid fieri debeat in publicis Chriſtianorum conventibus, ubi res ſacræ tractantur, & vel verbum divinum annunciatur, vel preces concipiuntur, indicans Angelis quoque hunc eſſe habendum honorem, ne quicquam indecori in cœtu animadvertant, quod illis meritò diſpliceat: præſertim cum valdè mihi ſit veriſimile, Angelos tum temporis Dei Chriſtique nomine, qui ſe in medio hujuſmodi conventuum fore teſtatur, multa præſtare poſſe, quæ non ſolum ad corporis defenſionem pertineant, ſed etiam ad animæ ſalutem momentum aliquod afferant, & contra etiam in delicta quędam certis rationibus animadvertere poſſe: qua de re nunc non eſt latior diſſerendi locus. Iſtud etiam huc pertinet, quod Paulus, 1 Tim. 5. 21. poſtquam Timotheo præcepta quædam propoſuiſſet in Eccleſia ab ipſo obſervanda, eum obteſtatur, non tantum coram Deo & Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed etiam coram electis Angelis, ut illa cuſtodiat, ſine præjudicio, nihil faciens ſecundum inclinationem, ſeu in alteram partem inclinando; quaſi nimirum etiam Angelos harum rerum teſtes & arbitros ea in parte revereri & metuere debeat. Quod ſi illi præſentes ſeſe nobis exhiberent, aliquod etiam aliud proculdubio honoris genus, quod homini quoque nulli, utut ſupra nos poteſtate & imperio prædito, exhibemus, iis deferri haud dubie poſſet: ſed adoratio tamen, præſertim religioſa, nullo modo; niſi forte ipſius Chriſti perſonam referrent & repræſentarent. Addi hoc quoque poteſt, eos per accidens tantum cultus iſtius fore participes, qui Chriſto cujus nomine illi ſint præſentes, deferretur; quanquam hoc in medio facile relinquimus, propterea quod illi, qui tum temporis Chriſtum colit, etiam in mentem venire oporteat de Angelis Chriſti nomine ſibi præſentibus.

Quinto huc referri jure poteſt cultus qui Pontifici,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

non tanquam principi terreno, & multas ditiones tenenti, ſed tanquam Chriſti vicario, & ſummam in terris, etiam in rebus ſpiritualibus, poteſtatem habenti, qui leges, quæ conſcientiam hominis obſtringant, alias figere, alias refigere ſeu relaxare, ſeu, ut vocant, diſpenſare, qui pœnis divinis alios eximere, alios obſtringere etiam poſt mortem, & neſcio quæ alia facere queat, defertur. Honor etiam ipſe, qui Pontifici exhibetur, omni civili honore videtur eſſe major, quandoquidem etiam à ſummis imperatoribus humiliter venit colendus, & omnibus, etiam ſub vitæ periculo coram illo, cum ſublimis ab hominibus geſtatur, in terram procidendum, qui honor nulli vel maximo principi, præſertim perpetuo, vel ab omnibus, habetur. Quinetiam cum muneri ſuo initiatur, & in templum primo infertur, in ipſa ara collocatur, & colendus proponitur, ut alia jam taceam, quæ apud alios legere licet, quæ non honorem civilem ſed religioſum ſpirant, &, ſi non ſuperiorem ei, certè parem, quem Johannes Angelo voluit deferre, qui ſi alicui præter Deum & Chriſtum deferatur idololatricus eſt, ut ſupra docuimus. Longe certe major eſt, præſertim ſi circumſtantias quaſdam conſideres, eo honore, quem Petrus ſibi à Cornelio delatum repudiavit, addita ratione, *Et ego ipſe homo ſum*; q.d. cultus hic humano major eſt, adeóque mea dignitate ſuperior. Qui autem humano major, is religioſus revera eſt, atque adeò divinus, cum jam conſtet, Angelos cum hominibus, præſertim talibus, qualis erat Petrus, hac in parte pari paſſu ambulare. Quod exemplum tanto magis ad rem noſtram facit, quod iſti ſucceſſores Petri ſe jactent, &, quicquid habent autoritatis aut poteſtatis, ratione muneris ſui Pontificii, id totum à Chriſto primo in Petrum fuiſſe collatum, atque inde in ſe ſucceſſores ejus derivatum prætendant. Itaque quem honorem Petrus reſpuit, & ſua dignitate majorem aſſeruit, eum eodem modo Pontifices repudiare deberent. Sed quid dico eodem modo? multò potius magis, cùm à Petro tam longè diſtent quam qui longiſſimè, & cum ejus munere atque autoritate nil habeant commune; qua de re non eſt hîc fuſius diſſerendi locus. Nonnulla quæ ad hanc idololatriam generatim ſumptam ſpectant, videbimus infra, ubi de honoris divini partibus agemus, atque imprimis tum, ubi de juramento, de prædicatione divini numinis, & de invocatione tractabitur.

Sequitur, ut de Idololatria ſtrictè ſumpta, ac ſpeciatim ſic dicta, agamus. Id vero ea ratione atque ordine, ut primo de eo agamus peccato, quod gradus quidam atque aditus eſt ad hoc ipſum vitium: Deinde de vitio ipſomet, cum utrumque hoc in ſecundo decalogi præcepto, quod idololatriæ vere oppoſitum eſt, comprehendatur.

Quod ad illud attinet: id eſt ipſius idoli ſeu imaginis ac ſimulachri confectio & fabricatio, & ſi quæ ſunt alia his ſimilia, quæ ad imaginum collocationem, ornatum, conſecrationem denique ſpectant. Imaginem autem intelligimus ſive ſculptam, ſive pictam rei alicujus, quæ vel ſacra ſit, vel ſacra habeatur, vel denique etiamſi nullius rei ſacræ ſit, tamen ipſamet poſtea ſacra habeatur, & cum quadam reverentia ac veneratione tractetur. Qua de cauſa Deus olim prohibuit in ſecundo decalogi præcepto, non modo ne adorentur, vel colantur imagines, ſed etiam ne fiant, & quidem imagines quarumcunque rerum, ſive in cœlo ſive in terra, ſive in aquis exiſtentium, nempe in quemcunque uſum ſacrum. Prohibet autem Deus non tantum ſculptile, ſeu ſtatuam alicujus rei formam exhibentem, ſed etiam ſimilitudinem, per quam picturæ quoque omnes intelliguntur: ne quis Græcorum putet effugium valere, qui non quidem ſculptas, ſed pictas habent imagines, eaſque religioſius, vel potius ſuperſtitioſius, quam aliæ gentes ſigna ſua ſeu ſtatuas, colunt. Dicimus autem in uſus ſacros prohibitam fuiſſe imaginum confectionem, quia in prophanum atque communem in vita humana uſum, ſalvo iſto Dei præcepto, licet, ſi modo inde nulla occaſio ad venerationem imaginum oriatur. Qua de cauſa Judæi, poſtquam idololatriæ nuncium remiſerunt, prorſus ab imaginibus non tantum ſacris, verum etiam prophanis, ſibi ſtudioſe caverunt. Poteſt autem imaginum eſſe uſus in medicina, cum aut partes humani corporis, aut animalia quædam aut herbæ pinguntur: in Geographia item, ut jam taceam Hiſtorias præſertim prophanas, quæ pictura poſſunt exprimi, & ſi quæ ſint hiſtoriis paria.

Etſi vero omnium imaginum aut ſculptilium confectio, quæ venerationem aliquam adipiſci poſſent, fuerit à Deo prohibita: tamen imprimis cautum fuit, ne ulla Deo imago poneretur, partim quòd divinitas nulla imagine poſſit exprimi, aut cuicúnque rei aſſimilari: ſiquidem omnia, quæcunque excogitari aut effingi ab hominibus poſſunt, ſunt ipſius majeſtate infinitis partibus viliora, adeò ut majeſtas divina proſtituatur, & contemptui exponatur, ſi ei imago ponatur, partim quòd cum Deus ſit ejuſmodi, ut ſumma veneratione ſit digniſſimus, facilime fieri poteſt, atque adeò plerúmque ita fit, ut Dei quoque imago, quæ eum veluti oculis ipſis ſubjiciat, adoretur & colatur. Quanquam ipſa quoque figura corporis, vultus & membrorum ſimilitudo, ornatus item ſplendidior, ac in loco ſacro collocatio, facile ei venerationem quandam conciliat, & ſimplicium animos ita faſcinat, ut aliquid ei credatur ineſſe virtutis, ac divinitatis. Qua de cauſa Deus olim, cum legem ferret, & poſtea iſti populo ſingulari ratione præſens adeſſet, nullam tamen ſui exhibuit ſpeciem aut imaginem; ne forte populus ille ad idololatriam valde pronus, imaginem aliquam iſtius ſpeciei ſibi exhibitæ ſimilitudinem fingeret, ut expreſſè monet Deut. 4. 12, 15. & ſeqq. Etiamſi vero (ut hoc quoque obiter notemus) poſt, ut apud Danielem legimus cap. 7. & in Apoc. 4. Deus ſub imagine quadam ſe repræſentavit, non ſequitur tamen, jam licuiſſe imagines fabricare ipſius Dei. Neque enim ſequitur, quia Deus ideo nullam imaginem oſtendit populo, ne ipſe quoque populus aliquam fabricaret, ideo poſtquam Deus aliquam oſtendit quibuſdam divinis viris, licere aliquam ponere. Uno medio ſublato non ſtatim tollitur finis; ut ſi quis pater filio nullum planè præbeat vinum, ne forte inebrietur, non ſequitur, ſi poſtea præbeat, eum jam permittere filio, ut inebrietur: poſſuntque infinita alia hujus rei exempla afferri, quæ conſequutionem iſtam doceant illegitimam. Docendum eſſet, Deum præceptum iſtud ſuum, quod olim dederat, ſuſtuliſſe. Adde quod tantum prophetis ac divinis viris, ab omni ſimulachrorum fictione aut cultu abhorrentibus, ſeipſum aliquomodo videndum exhibuerit Deus, non vero toti populo, de quo loquitur Moſes. Et licet poſtea ejus rei notitia ad populum quoque pervenerit, minor eſt tamen rerum auditarum aut lectarum, quam viſarum vis; ac præterea longe majus eſt inter imagines ab hominibus fictas, & inter ſpeciem iſtam, qua ſe Deus exhibuit, diſcrimen. Nam & longè major ejus ſpeciei fuit majeſtas, & rerum etiam circa illam oſtenſarum, ac præterea actiones quædam ejus plane vitales, ſeu propriæ ſubſtantiæ alicujus anima & intellectu præditæ, apparuerunt. Quin etiam Angelus aliquis iſtam imaginem ſuſtinere ac repræſentare potuit; ut proinde indigniſſimæ ſint ſtatuæ ac imagines, quæ cum iſtiuſmodi rebus viſis conferantur. Et non dubitamus aſſerere, potuiſſe iſtam, ſi ita loqui licet, Dei imaginem vivam, à divinis iſtis viris viſam, adorari, non ſecus, ac ſi ipſum Deum viderent; quod de imaginibus iſtis fictis ipſi nullo modo concedunt. Sed ut ad cauſas redeamus imaginum iſtarum prohibitarum; Primam exprimit Deus apud Eſai. cap. 40. ℣. 18. & 25. quanquam etiam cætera, quæ antecedunt & conſequuntur, legenda ſunt. Et Paulus Act. 17. 29. Pertinere autem id ad contumeliam divini numinis atque ad contemptum majeſtatis ipſius in hominum animos inducendum, facile colligitur ex loco Rom. 1. 23. ubi de ſimulachrorum iſtiuſmodi auctoribus ait, *eos mutaſſe gloriam incorruptibilis Dei, ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis,*

& volatilium, & quadrupedum & reptilium. Unde Auguſt. lib. 4. de Civitat. Dei cap. 9. & 31. Varronis teſtimonium citat hujuſmodi, atque id approbat: qui primi deorum ſimulachra induxerunt, eos & metum ademiſſe, & errorem addidiſſe. Nam qui talem Deum ſibi animo fingit, qualem in imagine cernit, (quorſum enim alias fingitur?) ei multum timoris & reverentiæ divini numinis decedit, cum vilitatem iſtius materiæ facilimè ad ipſum quoque Deum, quem ei ſimilem eſſe ſibi imaginatur, transfert. Quod ad alteram cauſam attinet, eam ratio ipſa & experientia ſatis comprobat, eamque attigit Auguſt. Epiſt. 4. ubi ait: *Et idola quidem omni ſenſu carere quis dubitat? Verum tamen cum his locantur ſedibus, honorabili ſublimitate, ut à precantibus & immolantibus intendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quanquam inſenſata, ac exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur; accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus divinus impenditur.* Idem in Pſal. 114. *Hoc facit, & quodammodo extorquet illa figura membrorum, ut animus in corpore vivens magis arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimilimum videt.* Ac paulò pòſt; *plus valent ſimulachra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent, quam ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant.* Ex quibus patet & vanitas excuſationis Pontificiæ, qui ajunt, imagines eſſe laicorum biblia; ſiquidem plus erroris, & quidem pernicioſi, pariunt, quam docent. Et rectè poteſt illis regeri iſtud Jerem. 10. 8: ubi ait, *lignum eſſe doctrinam vanitatis.* Eſt iſtud Habac. 2. 18: *Sculptile docet mendacium.* Ac præterea non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Iſtis coloribus depingendus eſt Chriſtus v. g. crucifixus qui hodie pingitur, quibus olim Paulus eum depinxerat inter Galatas, cum ait cap. 3. 1. illis ante oculos Jeſum fuiſſe depictum, inter ipſos crucifixum, hoc eſt, ita clare negotium hoc fuiſſe inter illos explicatum, ut rem ita manifeſtè cernere poſſent, ac ſi inter ipſoſmet Chriſtus cruci affixus fuiſſet. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Hæ etiam proculdubio fuerunt cauſæ, cur Deus, cum populo iſti rudi ac carnali, miniméque adſueto ut mente tantum Dei conciperet præſentiam, aliquo modo gratificaturus, ſuæ præſentiæ viſibile conſtituere vellet Symbolum, non imaginem aliquam, ſed arcam, quam nemo credere poterat cum Deo habere ſimilitudinem aliquam, aut aliquid habere in ſeſe animæ ac ſpiritus, ejus præſentiæ Symbolum eſſe voluerit. Et licet Cherubinos ſuper ipſa conſtitui juſſerit, tamen arcam longè illis potiorem fuiſſe omnibus conſtabat; ac præterea cum iſti alati eſſent, quod illis potius convenit, qui è loco in locum celeriter volant, aut miniſteria aliqua obire intelliguntur, non credebantur Dei ipſius imaginem referre, ſed potius Dei miniſtrorum, quibus ille ad mandata ſua exſequenda uteretur, & in quorum medio ipſe tanquam princeps habitaret. Adde quod duo ſupra eandem arcam fuerunt collocati, cum tamen Deum unum eſſe Iſraëlitis ſatis conſtaret, ipſeque Deus id in lege verbis expreſſis fuiſſet teſtatus: ac denique ab eorum aſpectu, præſertim ubi tabernaculum erat fixum, populus ſub movebatur, cum nemini niſi ſummo Pontifici, idque ſemel tantum in anno, in templi adyta, ubi Cherubim cum arca erant, penetrare liceret. Ex quibus (ut hoc quoque obiter addamus,) aliqua jam ex parte patet, nullam eſſe rationem Pontificiorum, inde imagines ſuas defendentium, præſertim ſi de Dei aut Chriſti loquamur ſimulachris, aut etiam aliis quibuſcunque publicè omnium oculis expoſitis. Quibus addatur illud, aliud eſſe imagines aliquas fingere Deo jubente, aliud ſuo arbitrio ac ſponte: nobis enim Deus fixit legem, non ſibi. Eædem rationes aliquo modo ad Chriſtum accommodandæ ſunt, præſertim qualis is eſt hodie, poſtquam in cœlos aſcendit, & ad dexteram Dei collocatus eſt ſupra omnem principatum ac poteſtatem & virtutem, &c. Nam nec imagine nunc ulla exprimi poteſt, & majeſtati ipſius multum detrahitur, atque adeò etiam metus & reverentia ipſius minuitur, ac præterea, (id quod ad quamvis ejus imaginem transferendum eſt) ipſis imaginibus hoc pacto facile quædam divinitatis opinio & religioſa veneratio conciliatur. Poſterior quoque ratio locum habet in imaginibus omnium iſtarum perſonarum, quæ colendæ ſive vulgò ſive à quocunque alio, qui imaginibus iſtis utitur, cenſentur: quin etiam transferenda ad omnes imagines perſonarum, quæ cum Deo ſingularem quandam conjunctionem, vel reipſa habent, vel habere creduntur, quales ſunt Angeli, Apoſtoli, aliique ſancti homines. Unde olim in Concilio Elibertino, can. 36 tale extat decretum: *Placuit in templo non haberi picturas; ne, quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur.* Quod autem de picturis dicitur, id certe non minus in ſtatuis locum habet. Locus autem, ut ſuprà quoque in Auguſtini verbis vidimus multum imaginibus conciliat venerationis, ac religionis cujuſdam. Itaque earum in locis ſacris collocationem & ornatum, & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ hominum, ſimpliciorum præſertim, & omnium omnino infirmiori judicio præditorum, oculos atque animos facile perſtringere poſſunt, & eos ad quendam cultum flectere, cum ipſarum imaginum ſacrarum & religioſarum effectione conjungimus: multo vero magis conſecrationem iſtam, quæ certis ceremoniis perficitur; unde imago antè quodam modo prophana, ſacra creditur, & talis conſtituitur, coram qua procumbere, preces fundere, & Deum vel quemcunque alium adorare liceat: qualis ritus apud Pontificios, quemadmodum olim apud Ethnicos, locum adhuc habet. Mitto cætera apud quoſdam uſitata, qui à Pontificia Eccleſia ſe ſegregarunt, quos peccato hîc prorſus vacare, dicere nullo modo poſſumus, licèt venerationem imaginibus non exhibeant. Ex utut excuſabilior ſit nonnullorum hac in parte error & peccatum; ii tamen, qui hac de re ſæpius moniti, cùm poſſent, non tantum tollendas non curant imagines, quas repererunt in templis à Pontificiis extructis, ſed veteres etiam reſtaurant, exornant, novas pingi aut poni curant, (qua in re nonniſi carni ac ſenſibus corporis noſtri, non vero ſpiritui ſervitur) culpa non vacant.

Hactenus de aditu ad ipſam Idololatriam, in prima ſecundi præcepti in Decalogo comprehenſi parte, prohibito; nunc de ipſa idololatria, quæ in ſecunda ejuſdem præcepti parte prohibetur, & rebus quibuſdam ei vicinis, agendum eſt. Prohibetur autem iſtis verbis: *Non adorabis ea* (hoc eſt ſculptilia ſeu imagines) *neque coles ea*; ſeu, quod perinde eſt; *non incurvabis te iis, neque iis ſervies.* Quid autem hoc utrumque ſit, jam ſuperius ſatis eſt explicatum. Dicitur autem idololatria ab eo, quod poſteriori loco eſt expreſſum, nempe à ſervitio; ſiquidem λατρεία ſervitium eſt, ut ſuo loco oſtenſum. Et verbum Hebraicum, quo Deus utitur, apertè comprobat idem eſſe idoloduliam atque idololatriam. Unde apparet Pontificios ſeipſos idololatriæ convincere, & ſimul tamen contradictoria loqui, dum ſimulachris duliam ſeſe exhibere fatentur, & tamen idololatriam ſe committere negant. Et licet diſtinctionis iſtius vanitatem ſupra jam ſatis excuſſerimus, tamen nunc iterum, ut res tanto fiat clarior, nonnihil dicemus. Illud hoc loco conſtat, δουλείαν hanc, quam imaginibus deferunt, religioſam eſſe, non vero civilem aliquem honorem. Quanquam ne hic quidem imaginibus eſſet deferendus, tanquam rei homine, qui viva imago Dei eſt, longè inferiori. λατρεία quoque religioſus cultus ac honor eſt. Quid ergo hîc λατρείαν illi vocant, & quid δουλείαν, aut quanam re ea putant eſſe diſtincta? an forte eo, quòd λατρεία ſit cultus, qui ea opinione rei alicui defertur, quod ea ſit ipſemet Deus, aut Deus ille altiſſimus? Hîc ne id repetamus, quod ſupra ad hujus rei enodationem diximus, cultum, quem Angelo Johannes voluit exhibere, quem tamen ipſummet Deum haudquaquam credebat, λατρείαν fuiſſe; iſtud nunc dicimus, nec olim Iſraëlitas, quibus idololatria objicitur, imo ne ipſos quidem Ethnicos, quibus tamen idololatria graviſſima objicitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

citur, atque exprobratur, niſi fortaſſis rudem admodum plebeculam excipias, cujus errores ne ſibi quidem imputari doctores Pontificii vellent, ea opinione coluiſſe imagines, ut crederent, eos eſſe deos eſſentia & natura, aut ipſoſmet deos quorum nomina ſortiebantur. Nam quod ad Iſraëlitas attinet, (ut alia nunc mittam, quæ ad hujus rei probationem afferuntur) cum nunc in deſerto dicerent de ſuis imaginibus, *Iſti ſunt dii tui, ô Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti,* Exod. 32. ℣. 4. & 8: Nunc Jeroboam cum vitulos conſtituiſſet duobus in locis, idem de illis pronunciaret: *Ecce dii tui, ô Iſraël, qui eduxerunt de terra Ægypti:* 1 Reg. 12. 28: nullo pacto fieri potuit, ut ii crediderint, vitulos illos eſſe hos ipſos deos aut Deum, qui ipſos ex Ægypto, eduxerat; niſi dicas tot myriadas hominum communi ſenſu tum fuiſſe deſtitutas, & plane rationem omnem exuiſſe, quæ crediderint, id quod modo conflatum viderant, ex Ægypto tamen ipſas eduxiſſe; quod vel aliquot antè ſeptimanis, vel etiam ſeculis factum fuerat. Apparet igitur alia quadam vulgari aut magis populari ratione imagines eſſe ſortitas nomina earum rerum, quarum imagines eſſe credebantur; quod quidem hoc loco dii ſunt vel Deus. De qua ratione poſtea nonnihil dicemus. Quod ad Ethnicos attinet, ne illi quidem ſuas imagines ipſoſmet deos eſſe credebant, ſed eos tantum referre ac repræſentare. Quod primum inde apparet, quod unius numero Dei, v.g. Jovis aut Martis, aut Mercurii, aut Neptuni, Plutonis, Herculis, & cæterorum multas diverſis in locis habebant imagines, cum nihilominus tamen conſtanter unum eſſe crederent, qui tot imaginibus diverſis in locis coleretur: deinde quod imagines ſæpe mutarunt, & nunc auream, nunc argenteam in aliarum locum ſubſtituerunt, & viderunt etiam quaſdam imagines in cinerem redactas: quorum ſine dubio nil in ipſum Deum, cujus illa eſſet imago cadere putarunt. Quin hoc ipſum id ſatis arguit, quod dicebatur ſtatua Jovi, aut Neptuno, aut Herculi, aut Veneri poni, hoc eſt, in honorem illorum; licet interea ipſorum deorum nomen imaginibus inderent, quod in omnibus imaginibus uſitatum eſt. Cum enim v.g. Cæſaris aut Pompeji imaginem alicui oſtendimus, dicimus hunc eſſe Cæſarem, hunc Pompejum: ipſi quoque Pontificii interdum ita loquuntur de imaginibus, hunc eſſe Chriſtum crucifixum, hanc Mariam, Petrum, Paulum, & ſic in cæteris. Itaque vel inter Ethnicos ſummi idololatræ hoc crimine liberandi ſunt, vel fatendum, non hanc eſſe idololatriam, cum quis imaginem ideo colit, quod putet eam eſſe ipſumet Deum.

Dicent hanc demum eſſe λατρείαν, cum quis rem eam, quam colit, vel ipſum Deum eſſe credit, vel ſaltem aliquo modo Dei participem, ita ut Deus illi cenſeri poſſit eſſe quodammodo incorporatus, id quod Ethnici de ſuis idolis crediderint, eamque ob cauſam ea deorum ipſorum nomine appellarint. Reſpondemus, Primum jam à nobis oſtenſum eſſe ſuperius, non hanc ſolam eſſe λατρείαν, ſed omnem religioſam adorationem & cultum; quod vel exinde apparet, quod ſi quis Ethnicorum credidiſſet (quemadmodum quidem fuerunt haud dubie plurimi) illa Deorum ſimulachra nihil aliud, quam imagines eorum eſſe, & eos aliquo modo repræſentare; & nihilominus tamen eundem illis exhibuiſſet cultum, quem alii, licet diverſa opinione, &, quemadmodum faciunt Pontificii, ante illas procubuiſſet, ſuffitum feciſſet, preces concepiſſet, vultu ad eas verſo; annon eo ipſo idololatriam admiſiſſe eum ipſimet dicturi ſint Pontificii? ſi dicant; habemus id quod volumus, hoc quoque cultus genus λατρείαν eſſe. Deinde idem ex eo apparet, quod Deus, ne populus in idololatriam incideret, nullam, ut ſuperius vidimus, ſui formam aut imaginem in monte Sina illi oſtenderit, ne formam illam poſtmodum ſimulachro aliquo exprimerent, & in eo Deum venerari vellent. At ſi id feciſſent; non protinus illud ipſum ſimulachrum credidiſſent eſſe ſummum Deum, imo contrarium potius credidiſſent: neque etiam Deum iſti imagini incorporatum: ſed eatenus tantum peccaſſent, quatenus & Deum imagine aliqua conati fuiſſent exprimere, (id quod ad prius peccati genus, de quo paulo ante egimus, pertinet) &, ſi cultus & veneratio acceſſiſſet, putaſſent, ſe honorem imagini exhibendo, ipſimet exhibere Deo. Apparet ergo, hoc ipſum idololatricum eſſe, cum imagini cultus religioſus defertur, ea de cauſa, quod hæc Dei alicujus ſit imago, & hoc pacto ipſemet ille Deus honore iſto afficiatur, quod eſt illud ipſum, quod faciunt Pontificii. Secundo loco illud reſpondemus, eandem incorporationem, quam Ethnicis illi tribuunt, ipſos quoque in ſuis ſimulachris agnoſcere. Neque enim Ethnici crediderunt, ipſam ſubſtantiam aut perſonam deorum in imaginibus iſtis contineri, præſertim perpetuo, aut in iſtis imaginibus habitare; ſed tantum virtute quadam ſua ibi præſentes adeſſe, ſupplicantes aut offerentes exaudire, honorem ibi ſibi delatum agnoſcere, & nonnunquam etiam miracula quædam ibi edere. Nam, crediderunt illi, deos illos ſuos ratione eſſentiæ ſive perſonæ ſuæ, vel in cœlo habitare (quod quidem crediderunt de pleriſque) vel in mari, vel in inferno: interdum, & quidem rarius è cœlis deſcendere, ut de Jove & Mercurio crediderunt Lyſtrenſes, Act. 14. 11, 12. Quanquam alias Jovem tanquam cœleſtium deorum Regem in cœlis reſidere, & aliorum inferiorum deorum opera in rebus perficiendis uti putarunt. Adde quod crediderunt ipſaſmet deorum perſonas eodem tempore uno tantum in loco verſari, cum tamen ejuſdem Dei imagines diverſis in regionibus haberent, imo in eadem etiam urbe aut regione pluribus in delubris. Reſtat ergo ut crediderint, deos virtute quadam & ſingulari efficacia præſentes in imaginibus fuiſſe: quo pacto in arca fœderis Deus olim præſens eſſe ſolebat. Jam vero an eadem ratione in imaginibus non credunt Pontificii ſuos Sanctos, aut etiam ipſum Deum aut Chriſtum eſſe præſentes? Nam miracula per iſtas imagines, aut circa illas edi variis in locis jactant: quin etiam alias quaſdam actiones; ut quod alios quidem blando vultu contueantur, alios averſentur. Cur cum domi, aut ſaltem in ſuis templis, habeant imagines ſimiles, itinera ſuſcipiunt ad certas quaſdam imagines, niſi quod ibi credunt Deum aut ſanctos peculiari ratione præſentes, ac precantes exaudire? Cur imagines, licet eandem figuram habentes, non antea putant adorandas ac colendas, quàm fuerint à Sacerdote conſecratæ? Cur imagines ejuſmodi Chriſti crucifixi in nonnullis locis ponunt, præſertim in feſto Paſchæ, ex quibus cruor quidam manet, qui ſingulari quadam veneratione à plebe ſuſcipitur, & adverſus certa mala præſens eſſe remedium creditur? Præterea, etiamſi illa miraculorum, & aliarum rerum miraculis ſimilium opinio, quam de imaginibus certis conceperunt, & hactenus conſtantiſſime defendunt, abeſſet: tamen id ipſum, ad id, quod volumus, efficiendum ſatis eſt, quod coram imaginibus vultu & oratione ad eas converſa preces ita concipiant, ac ſi eo pacto & gratiorem deferant Deo aut Sancto alicui honorem, & iſtic loci, potius, quam alibi ſeſe exauditum iri ſit veriſimile. Nam majorem aliquam Numinis præſentiam in imaginibus vulgaribus apud Ethnicos fuiſſe creditam, non modo probari non poteſt, verum etiam aperte falſum eſt. Nam nec illi, circa quaſlibet imagines miracula fieri credebant, ſed, quemadmodum & Pontificii faciunt, quibuſdam tantum in locis, quæ propterea ſanctiora habebantur, & è longinquis interdum locis viſebantur: nec eadem reverentia privatas Larium v.g. imagines, qua publicas honorabant, licet coram ſimulachro precari mallent, quam alio aliquo in loco, ea divinitatis aut numinis præſentia contenti, quàm à Pontificiis agnoſci diximus.

Ex his (ut illud quoque hoc loco addamus) intelligi poteſt, cur Iſraëlitæ olim, cum Moyſen in monte morari viderent, Aaroni dixerint, Exod. 32. 1: *Surge, fac nobis deos, qui præcedant nos*; addita ratione; *Huic enim Moyſi, viro qui eduxit nos è terra Ægypti, neſcimus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quid acciderit; q. d. cum hactenus in Moyſe, ſeu per Moyſen Deus noſter nobis fuerit præſens, & eo pacto ex Ægypto nos eduxerit, tanquam dux noſter nos præcedens; nunc vero neſciamus, quid Moyſi fiat: ſubſtitue in illius locum imaginem, in qua Deus præſens aliquo modo exhibeatur, & porro dux itineris noſtri ſit. Unde poſtea dixere, hos eſſe deos; qui ipſos ex Ægypto eduxerint: id nempe quod antea in Moyſe fuerat, putarunt in ſimulachrum tranſire poſſe. At vero ipſa Dei eſſentia aut perſona in Moyſe non extiterat, neque id Iſraëlitæ credebant: ſed virtutem tantum per ipſum exertam fuiſſe viderant, & certis argumentis deprehenderant. Quapropter cum poſtea imaginem illi ſubrogandam putarunt, non hoc voluerunt, ut ipſa Dei eſſentia & perſona iſti imagini incorporaretur: ſed ut potentia & favore ſuo ibi peculiari ratione eſſet præſens, & in ea ducem ſe populo porro quoque præberet. Difficulter enim populus ille carnalis credere poterat, Deum alicui auxilio ſuo præſentem eſſe, niſi corporeum & viſibile aliquod præſentiæ hujus haberet ſymbolum, in quo oculos ſuos defigeret. Cui imbecillitati aliquo ſaltem modo ſuccurrit poſtea Deus, cum non imaginem quidem, ſed arcam ejus rei ſymbolum eſſe voluit, quam tamen (plerumque ſaltem) ab oculis hominum ſubmotam eſſe voluit, ut populus paulatim animum à ſenſibus abducere, & oculis mentis Deum contemplari, atque intus conceptum, licet abſentem, venerari diſceret. Itaque poſtquam iſtis rudimentis ſeu mundi elementis, ut Paulus ea vocat, carnalis ille populus per multa ſecula ad verum & ſpiritualem cultum fuit exercitatus: etiam illud corporeum præſentiæ Dei ſymbolum, certo loco poſitum, fuit ſublatum, ut jam Deum non amplius in templi adytis, ſed in cœlis, quorum illa erant typus & imago, quæreremus, qui quovis in loco favore ac potentia ſua præſens eſſe queat, & precantes exaudire, atque opem iſtis ferre poſſit ac ſoleat. Exinde etiam intelligi poteſt, cur Jeroboamus, cum populum retinere vellet, ne quotannis Hieroſolyma ſtatis temporibus colendi Dei cauſa adiret, & ſic tandem ad obſequium domus Davidicæ rediret, alia id ratione commodius efficere ſe non poſſe arbitratus ſit, quam ſi imagines poneret, de quibus populo perſuaſum, ſe iis honorem exhibendo Deum colere, atque in iis (ut hoc quoque addamus) Deum ſingulari ratione eſſe præſentem, quemadmodum Hieroſolymis eſſet in arca fœderis. Nam cum populo perſuaſum eſſet, Deum in arca fœderis, quo Dei favor & auxilium populo promittebatur, eſſe peculiari ratione præſentem, & eo in loco rectiſſime coli, ac ſupplices audire; eandem præſentiæ numinis opinionem vitulis ſuis, licet diverſis in locis exiſtentibus, conciliare neceſſe habuit. Quam ad rem eos habuit faciles, tum quod alias ad Idololatriam, ut pote carnales & ſenſibus adſueti, eſſent admodum proni, & conſuetudine omnium vicinarum gentium ad ejuſdem vitii ſocietatem invitarentur; tum quod hac ratione difficultas & ſumptus itineris tam loginqui, præſertim longius diſſitis, minueretur.

Ex dictis illud quoque perſpicitur, cur idololatria proprie dicta opus carnis appelletur. Nam partim ideò id fit, quia carnalis noſter ſenſus, aut ratio corporis ſenſibus nimis addicta ac devincta, difficulter ad cœlum attollitur, & numen oculis nullo modo apparens contuetur, præſertim firmiter ac conſtanter, idque veneratur, ei confidit, ad illud, tanquam præſens, preces dirigit, ſpe atque fide certa, eas preces ab eo exaudiri; itaque libenter numen rei alicui terrenæ affingit, & oculorum hîc ſubſidium quærit, inque imaginem ſenſus ſuos defigit, ut numen præſens eſſe, & verba ſua exaudire credere queat: partim vero ideo, quod imaginum forma, ſplendor, atque ornatus oculos capiat, atque ita carni ſit gratior: quæ utraque ratio in avaritia, ſeu, ut Johannes vocat, cupiditate oculorum, quæ idololatria appellatur, licet per Metaphoram, locum quoque habet. Aliam etiam idololatriæ cauſam, quæ ad carnem revera ſpectat, vide lib. Sapient. cap. 14. 14. & ſeqq. quæ tamen non videtur fuiſſe omnium prima. Quod ad idololatriam latius ſumptam attinet, quæ quidem nunquam fortaſſe ſine idololatria ſtrictius ſumpta fuit exercita: illa quoque carni magis favet, quæ cum ad diffidentiam de divino auxilio longe ſit pronior (ſiquidem nec Deum viſibilem facile concipit) pluribus auxiliis niti cupit, ac propterea multos ſibi quærit opitulatores ac deos auxiliares, & eos quidem imprimis, quos aliquo modo homines fuiſſe liquet, & de quorum erga alios benignitate & caritate quicquam conſtitit aut conſtare videtur. Inde enim nata eſt tanta deorum multitudo, quos pleroſque omnes homines aliquando fuiſſe ſatis docuerunt Eccleſiaſtici ſcriptores, atque imprimis Lactantius ex Euhemero. Sed quia ne his quidem, niſi aliquo modo viſis, caro ſeu carnalis ratio fidit; ideo certis imaginibus eoſdem exprimit. Qua de cauſa diximus iſtiuſmodi Idololatriam ſine idololatria ſtrictè ac ſpeciatim ſumpta fortaſſe nunquam fuiſſe exercitam.

Iſtud ſuperioribus adhuc addendum eſt, ex quo apparet, Deum nolle, ut homo imagini cuiquam ullo pacto cultum & honorem deferat, ne ea quidem opinione, quod Deo ipſi hoc pacto honorem ſit delaturus, quicquid alias etiam de imaginibus illis ſentiat: iſtud vero eſt, quod omnes illæ res, ex quibus imagines conficiuntur, longiſſime ab hominis dignitate recedant, & illius uſibus etiam viliſſimis ſint deſtinatæ, ac nullam prorſus divinitatis, quæ in imperio & poteſtate conſiſtit, gerant imaginem: homo vero & illarum rerum ſit dominus, qui illis pro arbitrio utatur, ad quos velit uſus, & viva quædam Dei ſit imago, ad ſimilitudinem ipſius creatus, qui omnibus rebus, præſertim terreſtribus, pro arbitrio imperet, & veluti deus quidam ſit terrenus, ut aliunde ſatis notum eſt. Quam dignitatem ab eo ſervari conſtanter, ac externis etiam factis oſtendi vult Deus; qua de cauſa Paulus 1 Cor. XI ait: *virum non debere caput tegere*, nempe cum orat aut prophetat, *quia ſit imago & gloria Dei*, & ſi ſecus faciat, caput eum ſuum dehoneſtare. Si conferatur apertio capitis cum adoratione imaginum, atque ante eas proſtratione religioſa: quis non videt, longe magis hominem tum temporis, de dignitate ſua ſe dejicere, & ſic Dei relucentem imaginem violare, & humi plane proſternere, cum ipſe vera Dei ac viva imago exiſtens, id colit tanquam imaginem Dei, quod nullam cum illo ſimilitudinem habet, & ſeſe eſt multo indignius, aut certè imaginem rei mortuæ, & Deo ipſo, cujus ipſe imaginem gerit vivam, longè inferioris, & quicquid tandem illud ſit quod repræſentetur, imago tamen eſt viliſſima? Quapropter adverſus rectam rationem, cui Dei præcepta uſquequaque ſunt conſentanea, peccat, & dignitatem ſuam quam Deus tueri nos vult, & qua violata ipſiuſmet ſimul majeſtas violatur, proſtituit ac conculcat, qui ſe coram imagine proſternit, & eum illi cultum exhibet, quem homini exhibere nefas putaret, nempe cultum religioſum; quo ipſo imaginem aliquam mortuam ſupra omnes mortales dignitate evehit, & multo magis Deum eſſe quam ullus etiam magiſtratus dici queat, qui tamen ab ipſo Deo hoc nomine nobilitatur, ipſo facto agnoſcit; ut merito (quicquid alias de ſimulachris ſentiat) ei objici queat, illud ab ipſo pro Deo haberi. Rectè pronunciavit Lactantius: Si ſenſum haberent imagines illæ, & opificem ſuum poſſent agnoſcere, eas ſponte ſua ipſum adoraturas, qui formam tam præſtantem ſibi dediſſet. Quanto ergo majus eſt dedecus, opificem coram opere ſuo procumbere? Ex quibus apparet, etiamſi tandem omnes imagines illæ, quæ apud Pontificios coluntur, verarum eſſent rerum, & veræ, quod quidem ad externam attinet ſpeciem; eas tamen haudquaquam ab homine colendas eſſe. Sed præterea ne veræ quidem ſunt multæ. Nam nec Dei, nec Angelorum, nec Chriſti qualis nunc eſt in cœlis regnans, nec Sanctorum, ſi in cœlis nunc viverent, ullæ veræ poſſent eſſe imagines. Attamen tales nonnullæ ponuntur, aut ponendæ eſſent; ſi quidem

cate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eatenus etiam Sancti cenſentur eſſe adorandi, quod poſt mortem in cœlis degant apud Deum, & tanta ſint apud eum in gratia, ut eorum preces pro nobis ſint ratæ, & curam noſtri, qui in terris degimus, ſuſcipiant: quibus mortalibus adhuc exiſtentibus, (mortalium autem tantum corporum figura quædam exhiberi poteſt) nec tantus honor delatus, nec ubi forte delatus eſt, ab iis admiſſus fuit. Adde quod Sanctos nunc in cœlis vivere, erroneum eſſe ſupra diximus. Non commemoramus autem, nihil conſtare, imagines, quæ paſſim habentur, ſimiles eſſe iis perſonis, quæ pinguntur aut exprimi dicuntur; præſertim earum, quæ multis ante ſeculis, quam imagines in Eccleſiam introducerentur, vixerunt; cum nullum extet indicium imagines earum aut fuiſſe olim expreſſas, aut poſtea tàm diligenter aſſervatas; imo contrarium potius pro certo habendum ſit, & tanto quidem magis, quanto ab omni idololatria fuerunt primi Chriſtianæ religionis tum profeſſores, præſertim ex Judæis, alieniores. De imaginum autem cultu videri etiam poteſt Calvinus in Inſtitutionibus, in explicatione ſecundi præcepti, ubi ſect. 39, cap. 3. oſtendit, cultum plane divinum imaginibus à Patribus in Synodo quadam decretum fuiſſe.

Hactenus de vera & perfecta idololatria egimus: reſtat ut aliquid dicamus de iis quæ aliquid habent illi vicinum. Ex eorum autem numero Primum eſt, ſi quis imaginibus iſtis ſacris paulo magis, vel etiam aliquantum delectatur, nec, quantum in ſe eſt, eas fugit, aut, ubi id commodè fieri poteſt, tollendas curat. Nam huc rectè extendi poſſunt verba Johannis, in quibus monet fugienda eſſe ſimulachra; in quibus quidem ipſa idololatria proprie dicta potiſſimum prohibetur; ſed tamen verba ita ſunt concepta, ut ipſa quoque ſimulachra & imagines, earúmque conſpectum & tractationem, præſertim quæ aliquid habeat delectationis, vitandam eſſe docere videantur. Cauſa ſupra ſatis eſt explicata, quòd facile infirmi animi opinionem aliquam concipiant de virtute quadam in imaginibus reſidente, & cum idololatria carnis ſit opus, apparet hominem facile ad peccatum iſtud, niſi ab occaſionibus ſibi caveat, protrahi poſſe, cum ad vitia ferè ſimus proniores, quam ad contrarias virtutes, & ipſa quoque experientia plus ſatis teſtetur, omnibus prope ſeculis homines in vitium illud prolapſos, imo univerſum orbem aliquando diutiſſimè ſcelere hoc conflictatum, & non tantum Judæos olim, ſed Chriſtianum quoque orbem per tot ſecula huic peccato fuiſſe atque eſſe deditos. Cum autem inter alias idololatriæ occaſiones & argumenta, ſit quoque aſpectus imaginum crebrior & cum voluptate conjunctus; ei, qui idololatriam fugit, hic quoque aſpectus fugiendus eſt. Quapropter dicere quoque poſſis ſolam quidem idololatriæ fugam in iſtis Joannis verbis fuiſſe præceptam, ſed tamen fugam perfectam, quæ non tantum poſtulat, ut ab ipſo ſcelere abſtineas, verum etiam ut, quantum in te eſt, vites ſceleris occaſiones. Neque dictis noſtris obſtat Pauli exemplum, qui Athenis contemplatus fuerat ſacra iſtius civitatis, & invenerat aram ignoto Deo inſcriptam ac dedicatam, ubi proculdubio imagines quoque multas vidit. Nam primo certiſſimum eſt, Paulum iſtis imaginibus, nullo modo fuiſſe delectatum, ſed potius ab iis longiſſimè abhorruiſſe; &, ſi modo credendum eſt, eum data opera ſacra iſta ſpectaſſe, & non potius aliud agentem in iſta incidiſſe, ideo ea contemplatum, ut haberet tanto plura ac majora ad ſuperſtitionem & impietatem illorum redarguendam argumenta atque occaſiones, ut ex parte factum eſſe vidimus. Deinde cogitandum eſt, longè robuſtiori & obfirmatiori adverſus idololatriam fuiſſe animo Paulum, quam plerique ſint alii ex Chriſtianorum vulgo, nec tantopere metuendas, & ſic quoque vitandas illi fuiſſe idololatriæ occaſiones, quemadmodum aliis ſunt vitandæ plæriſque, qui facilius ad vitium illud flecti poſſunt. In iis nempe, quæ ſua natura à peccato ſejungi poſſunt, irritamenta tamen ſunt ad peccata, plus licet validioribus, quam infirmis, nec, cum duo faciunt idem, prorſus idem eſt. Sed præterea, ut jam antea innuimus, fieri poteſt, ut urbem perambulans Paulus, atque adeò aliud agens iſta videret; præſertim cum aræ ac ſtatuæ, ut hodie quoque in iis locis, ubi magis viget idololatria, videre eſt, potuerint ſub dio in ipſis plateis ac vicis eſſe poſitæ.

Eodem etiam pertinet, ſi quis libenter ſacris iſtis idololatricis interſit, & aliquod conſenſus & approbationis, aut venerationis ſignum edat. Quo loco non videtur prætermittendum iſtud, quod ab iis, qui licere ſibi arbitrantur, ſacris idololatricis intereſſe, imo etjam ſimulare ſe quoque eorundem eſſe participes, objici ſolet ex 2 Reg. 5. 18, 19; ubi Naäman Syrus, qui promiſerat ſe nullum amplius diis alienis ſacrificium oblaturum, ſed tantummodo Jehovæ, poſtea tamen rogat, ut Deus parcat ſibi, ſi domino ſuo ingrediente ædem Rimmon, ut ibi adoret, & innitente ipſius manui, ipſe quoque adoraverit ſeu incurvaverit ſe in eadem æde: cui Elizæus Propheta reſpondit, *vade in pace*, veluti factum hoc approbans vel ſaltem non improbans. Reſpondemus verò, ex illis verbis haudquaquam colligi poſſe, id, quod Naäman ſe facturum ait, revera fuiſſe licitum, & ab omni peccato ſejunctum; multo minus id vel tum Judæo alicui, vel Chriſtiano hodie homini, quem omnium longiſſimè ab omni idololatria abeſſe oportet, licuiſſe aut licere. Nam nihil amplius ex iſtis verbis, etiamſi liberalius agamus, concludi poteſt, quam Elizæum ſignificaſſe, Deum hoc Naämani factum non ulturum, ac pœna aliqua vindicaturum, quod ſolum quoque Naäman rogaverat. Nam id tantum oravit, ut ſibi Jehova parceret, ſeu pœnam ea de cauſa non infligeret, quemadmodum bis in eodem ℣. 18 loquitur. Quo ipſo ſatis indicat, rem hanc aliàs haud uſque adeo licere, aut convenire, ei qui Jehovam ſolum pro vero Deo agnoverit, & impoſterum ſibi colendum propoſuerit; cum ipſa ratio ei ſatis dictaret, non decere hujuſmodi hominem ſacrorum impiorum, ſi modo ſacra ſunt, ſeſe ullo pacto facere participem: ita ut hæc Naämani oratio ad id, quod volumus, confirmandum potius faciat, & oſtendat, ipſa rei natura ita ferente, factum hoc cum vero & perfecto Dei cultu pugnare. Potuit autem facile fieri, ut Deus factum aliquod, præſertim in tali homine, non puniret, quod tamen alias haud eſſet rectum, ac ipſi diſpliceret: cum videamus Deum ipſi quoque Iſraëlitico populo multa permiſiſſe, & vel non prohibuiſſe, vel pœnam nullam illis conſtituiſſe, quæ tamen alias prava eſſent, quæque hodie nobis à Chriſto ſunt prohibita; qualia nonnulla recenſentur Matth. cap. 5. ut taceam ebrietatem, quæ ab aliorum injuria, aut neglectu cæterorum Dei præceptorum eſſet ſejuncta; quæ tamen ipſa per ſe vitioſa eſt, & cum temperantia pugnat. Prohibuit olim Deus, ne Rex multas uxores duceret: Deut. 17. 17: & tamen multitudinem uxorum non exiguam tulit in Davide, imo ipſemet aliqua ex parte copiam ejus rei illi fecit: 2 Sam. 12. 8. Sed multo majorem toleravit in Salomone ejus filio, & tantum abeſt, ut eos propterea puniverit, ut ne reprehendiſſe quidem legatur, licet ea res ſanctitati perfectæ ac puritati non ſit conſentanea. Idem ergo dicere licet de hoc Naämani facto. Nam cum is homo Ethnicus eſſet, ad quem lex Moſaica ejuſque promiſſa proprie non pertinerent, ac præterea verſaretur in medio idololatrarum, & conjunctiſſimus ac chariſſimus eſſet Regi, à quo opes & fortunæ ejus pendebant, quas vix majores ſperare poterat, etiamſi legem penitus fuiſſet amplexus, mirum non eſt, Deum tam ſevere cum eo non fuiſſe acturum, ut propterea eum puniret, quod aliquid gratiæ Regis ſui daret, cum interea Jehovam ſolum coleret. Legimus 2 Reg. 17, Deum, cum ab initio immiſiſſet leones in novos Samariæ incolas, ab Aſſyriæ rege eò traductos, qui illos dilaniarent, atque occiderent, propterea quòd non timerent ſeu colerent Jehovam, poſtea illis peperciſſe, cum ipſum quoque colere cœpiſſent, licet interea ſuis diis, quos ante coluerant, ſervire pergerent. Multo igitur magis Naämani parcere poterat; præſertim cùm is non diceret, ſe ipſum Rimmonem deum

Syrorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Syrorum falſum adorare velle, ſed tantum in ipſius templo adoraturum. Poterat autem interea verum Iſraëlis Deum adorare: atque hunc in uſum nonnulli putant eum curaſſe auferri de terra Iſraëlis tantum, quantum par mulorum ferre poterat, ut legimus dicto cap. 2 Reg. 17, ut illi in eodem templo ſtratæ incumberet, & ſic Iſraëlis Deum, cujus terræ incumberet, adorare ſe profiteretur. Sed longe alia erat olim ratio Judæi, qui lege Moſis prorſus erat obſtrictus, & in ea natione, ubi verus Dei cultus vigebat, vel ſaltem omnino debebat vigere, vivebat: longè etiam alia Chriſtianorum hominum, quibus non terrena, ſed cœleſtia atque æterna pietatis præmia ſunt promiſſa, ob quæ non tantum Naamanis, ſed cujuſvis etiam maximi Regis opes pro nihilo ducendæ ſunt: ita ut iis nihil obſtare debeat, quominus omnem idololatriæ ſpeciem ac ſimulationem fugiant; quantam vim legis promiſſa non habebant. Paulus ſane, cum de re ejuſmodi loquitur, quæ tacitæ eſſet profeſſionis inſtar communionis cujuſdam cum idolis aut idololatris, ſatis indicat apertè, eos, qui id facere audeant, irritare dominum, & ejus iram provocare: 1 Cor. 10. 22.

Huc quoque ſpectat comeſtio idolothytorum, præſertim ſi fieret in locis ſacris ſeu deorum delubris, cum ea res videretur aliquo modo ad cultum deorum, quibus victimæ eſſent oblatæ, pertinere; quemadmodum olim comeſtio victimarum coram Domino, atque in loco ſacro. Unde etiam Paulus ab eo peccato Corinthios avocans in 1 Epiſt. cap. 10, aſſerit eos qui id faciunt, participes fieri dæmoniorum, quibus à gentibus victimas mactari atque offerri aſſeverat, nempe quia ea comeſtione teſtarentur, ſe ejuſdem cultus ac ſacrorum participes; quemadmodum Iſraëlitæ ſecundum carnem, comedentes victimas, participes fiebant aræ atque adeò ſacrorum, ad quæ ara iſta pertinebat. vide ℣. 18. dicti cap. & ſeqq. Fugam autem hujus rei vocat Apoſtolus fugam idololatriæ, ℣. 14, ubi ab eo peccato Corinthios dehortari incipit, & uſque ad Capitis finem rem perſequitur. Quanquam idem alio quoque nomine poſtea reprehendit, nempe quia id aliis, ſive à Chriſtiana religione alienis, ſive infirmis fratribus, ſcandalum præbeat; quod idem facit in eandem ad eoſdem Epiſtola cap. 8: ubi expreſſe ſcandalum infirmorum fratrum cavendum monet. Sed nos hoc loco non agimus de hoc facto, quatenus ſcandalum præbet, ſed quatenus ipſum habet aliquid idololatricum. Idem reprehenditur quoque in Apocalypſi cap. 2. 14, 20. quanquam non ſatis conſtat, quo nomine id poſteriori loco reprehendatur. Nam priori loco tanquam irritamentum, & aditum ad idololatriam reprehendi, ſatis eſt manifeſtum. utroque fortaſſe nomine culpatur, quemadmodum & Actor. 15. 20, 29. & cap. 21. 25.

Habet etiam aliquid idololatriæ vicinum, ſi quis, etiamſi imagines non amplius colat, neque etiam alias aliquas ſive res ſive perſonas, quæ colendæ non ſunt; iis tamen virtutem adhuc, ſeu vim ſive ad male ſive ad benè faciendum tribuat, & ſic eas adhuc aliquomodo metuat, eaſque vereatur offendere: qualis ſententia in illis adhuc hærere poteſt, qui ab idololatria recens receſſerunt; qualis & olim fuit in illis, quos Paulus negat habere eam cognitionem, quam tamen omnes in Chriſto paulo adultiores habent, *nihil eſſe idolum in mundo*, hoc eſt, nil eſſe eximium ſeu nulla id virtute præditum, *nullumque alium eſſe Deum niſi unum; ſed habere adhuc conſcientiam idoli*, hoc eſt, conſcientiam ejuſmodi, quæ idolum reſpiciat, idque revereatur, & ejus metu aliquo tangatur. Qua ratione conſcientia Dei apud Petrum ſumitur, 1 Epiſt. 2. 19.

Cap. VII.

De Honoris Divini partibus ac ſpeciebus.

Quanquam jam antea duas veluti partes honoris divini conſtituerimus, cum alium diximus Internum, alium Externum; tamen utriuſque diverſa quædam genera ſibi aliquomodo reſpondentia conſtitui poſſunt; eo præſertim animadverſo, quod externus honor ſine interno coram Deo ſit nullus, internus verò ſine externo ſit ſæpè gratiſſimus; quamvis ſit major atque amplior, ſi externus quoque accedat, & cor cum lingua aut aliis corporis partibus, quibus cultus ille abſolvitur, conſentiat. Notum eſt iſtud Eſaiæ à Domino Jeſu citatum: *Appropinquavit populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis honoraverunt me, cor autem ejus longè receſſit à me*: Eſa. 29. 13. & Matth. 15. 8.

Poſſunt autem tres conſtitui utriuſque honoris partes: Prima eſt adoratio ſtricte ſumta: altera ſervitium iterum ſtrictè acceptum: ac denique prædicatio divini numinis, & quæ his in animo reſpondent.

Adoratio ſtrictè ſumta conſiſtit, ut ſupra vidimus, in animi & corporis coram numine demiſſione. Nam interna illa adoratio tum fit, cum quis cognita divina majeſtate, ac ſuprema poteſtate, cum ſumma etiam beneficentia conjuncta, ſuam cum illa humilitatem contendit, ideoque illam, quantum poteſt, veneratur, admiratur ac reveretur. Externa cum quis in faciem procidit, à ut ſaltem totum corpus inclinat, quin etiam (licet hic geſtus ab adoratione interdum diſtinguatur) in genua procumbit, aut caput inflectit, vel aperit, vel coram Dei majeſtate aſſurgit; quæ omnia ſunt ſatis obvia.

Servitium verò aliquid amplius continet, & ex adoratione interna naſcitur, & ipſum quidem in actionibus & opere externo (ſi proprie loquamur) conſiſtit: Verum tamen ei in animo reſpondet parendi & ſerviendi voluntas; quæ licet latiſſimè pateat, & per omnia virtutum genera ſit diffuſa, cum nullum ſit virtutis opus, quo Deo non præſtetur officium, ſiquidem omnia ſunt à Deo præcepta: tamen per ſe ſuaque natura huc pertinet, ad alia vero virtutum genera per accidens. Accidit enim virtutibus cæteris, eas eſſe à Deo mandatas: accidit, inquam, ſi vera earum natura ſpectetur. Quid, quod videmus etiam nonnunquam re ipſa virtutes ab hoc obſequio numini præſtando ſejungi? nam quicunque ſunt, vel fuerunt, qui Deum cognitum non habuerunt, virtutem tamen ob ipſius pulchritudinem forte coluerunt, ii obſequium ea in re Deo præſtiterunt nullum; niſi forte figuratè loqui velis, ob naturæ legem unicuique fixam. Sed quod ad eos attinet, qui virtutes ideo colunt, quia à Deo ſunt præceptæ, in eorum actionibus omnibus Dei præceptis conſentaneis aliquid exſtat, quod ad pietatem ſeu cultum Divini Numinis propriè ſpectet. Unde etiam hujus obſequii contrarium, nempe rebellio & tranſgreſſio præceptorum Dei, cum peccato divinationis & idololatriæ confertur à Samuële, 1 Sam. cap. 15. 23. Sed hoc ſervitium ſive opere ſive animo perfectum, de quo hactenus locuti ſumus, generalius eſt. Eſt quoque aliud ſpecialius, quod magis propriè videatur huc ſpectare. Id verò ſub lege fuit varium, ubi rebus externis quam plurimis, ut ſacrificiis, muneribus, aliiſque ceremoniis Deo ſerviebatur. Hodie ad pauciora reductum eſt, nempe cum quis in illis elaborat, aut ſumptus ad ea confert, quæ ad gloriam divinam ſpectant; quanquam ea vix unquam à charitate erga homines ſejuncta eſſe poſſunt. Huc pertinent miniſteria publica, & functionis eccleſiaſticæ, & quicquid fit in Eccleſia, quod quidem cum labore ſit conjunctum aliquo, ad gloriam divini numinis pertinens. Quo pacto olim Apoſtolus Deo ſe ſervire in Euangelio prædicando aſſeruit, Rom. 1. 8. Et Prophetæ ac doctores in Eccleſia Antiochena miniſtraſſe domino leguntur: Actor. 13. 2. Eodem ſpectant ſumptus, qui fiunt in alendis verbi divini præconibus, veritate divinis libris in publicum editis ſpargenda, ædibus ſacris ubi res divinæ peraguntur exſtruendis, itineribus ob divinam gloriam ſuſcipiendis, & hujus generis aliis, de quibus fortaſſe alibi commodiore loco diſſeremus. Ex iſtis autem, quæ attulimus, exemplis, ſatis patet ea eſſe cum charitate erga alios conjuncta, cum ſaluti humanæ procurandæ omnia ſint deſtinata, ac reipſa etiam ſerviant; nonnunquam etiam neceſſitati cuidam, & commoditati, quæ ad corpus ſpectet, pareant: & ea quidem, quæ poſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

poſterioris ſunt generis, per ſe ſuaque natura ad cultum divinum non pertinent, qualis eſt ſumtus in alimoniam præconum verbi divini, aut ædes ſacras, ſed tantum per accidens, quatenus nimirum eo animo fiunt, ut gloria inde ad Deum Chriſtumque redeat; alias opera ipſa hominum uſibus per ſe inſerviunt, & ad charitatem potius referuntur. Quod ſi quæ ſunt, quæ cum ſpirituali Dei cultu, qui ſub Novo fœdere hominum generi præſcriptus eſt, nihil habeant conjunctum, nec rei natura ita ferente, in gloriæ divinæ uſus cedant, illa hodie ſuperſtitioſa cenſenda ſunt, & in eo quod nimium eſt peccant. Quæ autem horum ſint contraria, ſeu in eo, quod parum eſt, delinquant, per ſe ſatis eſt manifeſtum. Pertinet enim huc tum omiſſio eorum, quibus Deo ſerviri poteſt, tum id omne, quod contumaciam adverſus Deum ſpirat. Qua de re ſupra, in iis quæ timori Dei opponi diximus.

Reſtat tertia honoris divini pars, quæ in prædicatione quadam numinis conſiſtit: quæ quia non pauca in ſe complectitur, ideo de ea paulo fuſius dicendum. Prædicationis autem nomine tum id, quod vox hæc propriè ſignificat, complectimur, tum id, quod ei in animo reſpondet. Eſt autem prædicatio divini numinis nihil aliud, quam ſermo aut oratio ad honorem divinum pertinens. Ejus autem non unum eſt genus, ſed præcipua ſunt, 1. Confeſſio ſeu profeſſio nominis tum Dei tum Chriſti. 2. Juramentum per ejuſdem nomen factum, non quidem quà juratur ſimpliciter, ſed quatenus Deus aut Chriſtus invocatur teſtis. 3. Præterea laudes magis propriè ſic dictæ, ſub quibus comprehendimus gratiarum actionem. 4. Et denique invocatio, quæ tamen aliquid habet peculiare; unde ei etiam peculiarem tractationem dicabimus.

Quod ad Confeſſionem attinet, per eam, ut quivis facile perſpicit, nonniſi animi & ſententiæ de re aliqua ad religionem ſpectante declarationem ſeu ſermonem intelligimus. Nam aliarum rerum confeſſio ad aliud virtutis genus, nempe ad candorem & ſinceritatem ſpectat. Verum tamen ipſa quoque illa confeſſio, quæ circa ſacra tantum verſatur, duplex conſtitui poteſt: altera patet latiſſimè, altera anguſtior eſt, & ad honorem divini numinis ſpectat. Illa eſt, cum quis de quavis re ad religionis negotium ſpectante animi ſui ſententiam verbis exprimit, ac profitetur: hæc vero, cum quis veri Dei ac Chriſti cultorem ac ſervum ſeſe eſſe ſermone teſtatur. Id autem duplici ratione fit: vel enim quiſpiam expreſſe, ac nominatim Dei ac Chriſti nomen, majeſtatem, atque imperium, quod variis nominibus, aut etiam integris phraſibus deſcribi poteſt, profitetur: vel confiterur id, ex quo ſtatim pateat; eum, qui id faciat, imperium illud agnoſcere; ut ſi quis olim ſe dixiſſet Judæum, aut Judaicæ religioni addictum, vel hodie ſe Chriſtianum eſſe profiteatur, præſertim ſi jam ſatis notum ſit, quid Chriſtiani omnes vulgo de Deo Chriſtoque ſentiant. Ex quo ſatis apparet, confeſſionem hanc ad Dei aut Chriſti honorem pertinere; quanquam ſecluſo etiam eo; quod tam magnifice de Deo aut Chriſto religio Chriſtiana, cujus nobis potiſſimum hîc eſt habenda ratio, ſentiat, nihilominus tamen confeſſio religionis Chriſtianæ, ſeu alterius alicujus rei, quæ eandem vim habeat, ut eſt Euangelium, ad Dei Chriſtique honorem ſpectat; ſiquidem ea ratione declaratur veram eſſe eam religionem, aut doctrinam, quæ Deum aut Chriſtum habeat autorem. Quod idem in particularium quoque ſententiarum confeſſione locum habet, ſi quis ideo eas profiteatur, quia eas Dei Chriſtique verbis teſtatas ac confirmatas cenſeat, ac multo magis ſi eas putet ad Dei Chriſtique gloriam per ſe quoque pertinere. Quæ hactenus diximus eo ſpectant, ut oſtendamus, quo pacto confeſſio ea, quam hîc intelligimus, ad divini numinis gloriam ſpectet, & pro parte divini honoris ſit habenda. Verum, ut res tota fiat planior, confeſſio hæc diſtinctius eſt explicanda, & deinde oſtendendum, quando aut ubi ea ſit neceſſaria.

Primum ut intelligatur, illud ponendum eſt, confeſſionem Symbolum quoddam eſſe ac teſſeram, qua ab aliis diſtinguamur: ſiquidem nunquam ita beatus fuit orbis, ut in vera religione, ac ejuſdem profeſſione omnes convenirent. Differentia autem vel laxior, ac pluribus communis eſt, vel anguſtior & pauciorum propria. Eodem modo & confeſſio, quæ religionum conſtituit differentiam. Ac ne nimis altè rem repetamus, & laxiores quaſdam differentias, quæ religionem ſpectent, enumeremus: Prima nobis eſto, confeſſio unius veri Dei; quæ Chriſtianis hominibus cum Judæis aliiſque hominibus communis eſt, de qua nihil attinet plura dicere. Altera eſt ea, quæ Chriſtianos homines ab aliis omnibus, etiam Judæis atque Turcis, diſtinguit. Ea vero eſt profeſſio Chriſti, ejuſque religionis ac doctrinæ, cujus hanc ſummam & veluti formulam conſtituunt ſacri ſcriptores, ut quis profiteatur, Jeſum eſſe Dominum, vel Chriſtum, vel Dei filium: quæ tria pro iiſdem in ſacris literis ſumuntur, (præſertim ſi vox filii Dei in perfectiſſima ſignificatione accipiatur) omneque divinum in omnia, atque imprimis in Eccleſiam imperium, quod in cœlis reſidens adminiſtrat, deſignant. Quod quo rectius quiſpiam agnoſcit, tanto etiam Chriſtiani nomine eſt dignior; quanto minus, tanto etiam minus. Ita vero cuique, qui Chriſtianus dici velit, id agnoſcendum eſt, ut Chriſto vere confidere, & in eo ſpem ſuam collocare, æternamque ab eo vitam expectare, eum adorare ſeu honorare ut ipſum Chriſti Patrem, & genua ei flectere, eum revereri, ac, ne pœnas ejus incurrat, metuere, eaque de cauſa religionem ejus conſtanter retinere ac profiteri, & ejus omnibus mandatis obſequi jure dici queat, ac denique ſanguinem ſuum pro ipſius nomine profundere nihil dubitet. Quod ſi tantum Chriſto non tribuat, eum, ſi ſtrictè, & ex apertis Novi fœderis dictis agere velimus, Chriſtiani hominis nomen nondum mereri ſtatuendum eſt; licet imperfectiori aliqua ratione vel ſignificatione id illi competere poſſit. Quod an alicui ad ſalutem prodeſſe queat, nobis quibus jura Novi fœderis relaxare non licet, pronunciare, præſertim indubitate, non licet: relaxare autem ſua jura & quandam æquitatem in judicando adhibere licet Deo, ac Chriſto, cui omne judicium eſt traditum, & qui vivificat quos vult, & in cujus manu videtur poſitum, ut infirmiorem etiam fidem, ſi modo infirmitas illa non malitiæ, aut pertinaciæ, aut concepto in Chriſti gloriam odio alicui, ſed judicii imbecillitati & aliis ſimilibus cauſis imputanda ſit, recipiat. Et probabile eſt, mitius cum iis actum iri, qui cum antea vel penitus ignoraverint Chriſtum, vel de divina ejus majeſtate parum, aut prope nil audiverunt, eam demum poſtea incipiunt agnoſcere, & pro temporis, occaſionis, & ingenii ratione in ea cognoſcenda proficiunt, & Chriſtum verè atque ex animo amant, ejus mandatis parere ſtudent, etiamſi in agnitione imperii & divinitatis Chriſti nondum planè ſint adulti, & ad ſupremum quendam gradum pervenerint; quam cum iis, qui cum antea divinitatem hanc agnoverint, poſtea ab ejus agnitione, aut ab ejus profeſſione relabuntur, vel eam profiteri non audent, aut ob pertinaciam quandam animi, ac tectum quoddam gloriæ Chriſti odium, eam non agnoſcunt. Sed, ut antea indicavimus, hæc ipſa quoque à nobis timidiuſculè dicuntur. Quod vero antea diximus de ſumma confeſſionis, quam Chriſtiani homines edere debeant, & qua veluti nota & teſſera ab aliis debeant dignoſci; patet ex locis Rom. 10. 9. 1 Cor. 12. 3. & 1 Johan. 4. 2, 3. Quibus adjungi poſſunt illa cap. 5. ý. 1. & 5. licet ibi non confeſſionis, ſed fidei fiat mentio: jure tamen huc referuntur, quod in iis comprehenditur ſumma quædam eorum, quæ de Chriſti divinitate ac majeſtate credere oporteat. At eadem debet eſſe confeſſio oris, quæ fides cordis, ac eadem utriúſque ſumma. Nam licet Paulus dicto loco ad Rom. 10. 9, videatur illa diſtinguere, ita ut fides circa reſurrectionem Chriſti, confeſſio circa ejuſdem dominium propriè verſetur: tamen re ipſa idem

idem ſignificare voluit, licet diverſis id verbis, idque cum emphaſi aliqua expreſſerit. Nam reſuſcitatio Chriſti tam latè extendenda eſt, ut dominium quoque, quod reſurrectionem propriè dictam conſequutum eſt, in ſe comprehendat: quemadmodum in multis aliis fit ſacrarum literarum locis. Nam certè non plus profitendum eſt ore, quam corde credendum, cum confeſſio tantum cogitationum cordis character, & aperta debeat eſſe declaratio. Differentia autem inter iſtas locutiones ea eſt, quòd prior apertius indicat, quantus ſit Dominus Jeſus, & quanta præditus majeſtate: poſterior vero, quo pacto, & cujus ope aut viribus tantus evaſerit, nempe per reſurrectionem, & quidem à Deo, cui ea expreſſe adſcribitur, factam: qua de re nunc non eſt prolixior agendi locus. Adjunximus autem ad ipſius Chriſti profeſſionem, profeſſionem quoque religionis ejus aut doctrinæ ab eo traditæ; ſiquidem ipſemet Chriſtus de confeſſione hac agens, apud Marcum 8, ſub finem, non tantum commemorat ſeipſum, verum etiam ſermones ſuos, quorum neminem pudere debeat, in generatione hac adultera & peccatrice. Nam cum conſtet Dominum Jeſum religionem ac doctrinam certam hominibus tradidiſſe, quam omnes amplecti, atque ex ejuſdem præſcripto Deum colere debeant: nemo pro Chriſtiano habendus, & Chriſtum pro Domino ſuo profiteri dicendus eſt, qui eam quoque doctrinam, licet fortaſſis nondum ſatis cognitam, non profiteatur, & generatim ſaltem veram eſſe, quandoquidem ſingulas ejus partes forte nondum agnovit, non agnoſcat. Eodem pertinet παῤῥησία iſta, ſeu loquendi fiducia & gloriatio ſpei, ſi velimus eſſe domus Chriſti, ut monet Auctor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 3. 6. Παῤῥησία autem opponitur imprimis ſilentio, quod ex metu aliquo proficiſcitur, & tum revera locum habet, cum quippiam eſt, quod à loquendo nos abſterrere poſſit. Gloriatio vero vilipendio quodammodo eſt oppoſita, & arguit, eum, à quo proficiſcitur, rem illam, de qua gloriatur, magni facere, eáque vehementer gaudere, & beatum ſe propterea judicare. De παῤῥησία idem auctor loquitur cap. 10. 35. Poteſt huc etiam referri locus cap. 4. 14, ubi vult, ut teneamus confeſſionem: quanquam vox confeſſionis pro religione Chriſtiana ſimpliciter accipi poteſt, quemadmodum ſumi videtur in eadem epiſtola cap. 3. 1, eam ob cauſſam, quod eadem ab illis, qui eam receperunt, ſit retinenda; qua ratione nihilominus locus is, quem attulimus, ad rem noſtram probandam pertinet.

Hactenus de confeſſione egimus omnibus Chriſtianis communi, licet non ab omnibus rectè intelligatur: ſequitur, ut videamus tertio loco differentias confeſſionum, quæ ipſos iterum Chriſtianos à ſe invicem diſtinguunt. Eæ vero ſunt conſiſtuntque in confeſſione rei ſive unius, ſive plurium ad Chriſtianam religionem pertinentium, in quibus ipſi Chriſtiani inter ſe diſcrepant. Eæ verò ſunt in duplici diſcrimine; quædam enim ad ſalutem ſunt creditu aut factu neceſſariæ: quædam tantum utiles. Neceſſaria autem iterum duplicia conſtitui poſſunt: vel enim omnibus, ac ſimpliciter ad ſalutem ſunt neceſſaria, vel ſecundum quid, ut loquuntur. Illa ſunt, quibus nemo carere poſſit, quin ſimul vera in Chriſtum fide careat, & tale Dei ac Chriſti præceptum tranſgrediatur, quod carnis opus eſſe, & hominem cœleſtis regni hæreditate excludere ſacræ literæ ſat manifeſtè doceant. Hæc verò ſunt iis vicina & valdè propinqua, quorum ignorantia talia ex ſe parit peccata, quæ ex ſingulari quadam Dei æquitate ac benignitata videntur veniam aliquam poſſe, Novo fœdere non prorſus reluctante, conſequi; ſi quis non ſua culpa ac negligentia, præſertim notabili, in eorum verſetur ignorantia; ſed quia vel occaſione, vel ingenio ad eam rem neceſſario ſit deſtitutus, aut aliis quibuſdam de cauſis ab ipſius culpa ſejunctis impediatur, qualis eſt conſenſus omnium, & magnorum virorum autoritas, antiquitas item, & his ſimilia. Priori rerum genere diſtinguuntur à Pontificiis ii, qui ab illis diſceſſerunt, ut ex iis, quæ ſuperioribus capitibus diſſeruimus, ſatis liquet. Poſteriori vero diſcriminantur ab aliis quibuſdam Chriſtiani nominis Eccleſiis. Nam apud Lutheranos quædam fieri, quæ cum idololatria ſunt conjuncta, & à Deo prohibita, jam ſupra oſtendimus. Apud eos etiam è Calvini ſchola, qui de prædeſtinatione hominum certorum ad damnationem, atque adeò etiam ad peccatum, apertius ac craſſius loquuntur, id, quod ad blaſphemiam nominis divini ac contumeliam ſpectat, locum habere, poſtea dicemus; ut alia jam taceamus, quæ in hujuſmodi Eccleſiis permittuntur aut defenduntur, præceptis Chriſti non ſatis conſentanea. A Pontificiis igitur certis quibuſdam notis, quæ confeſſionem religionis noſtræ contineant, diſtinguimur: & ſic etiam ab aliis, idque vel ipſa ſententiarum noſtrarum ſive plurium ſive unius alicujus, præſertim inſignioris, commemoratione, vel aliis confeſſionis noſtræ teſſeris, quibus vulgo à cæteris Chriſtianis diſcriminamur. Quod ad utiles res attinet, earum confeſſio licet diſtinctionem quandam inter ejuſdem eccleſiæ membra parere poſſit, ſi in iis non omnes inter ſe conſentiant; fit tamen non raro, ut hominum ſive errore quodam, ſive pertinacia, pro neceſſariis habeantur, & ſic tandem Eccleſiarum membra à ſe mutuo divellantur, quæ tamen propterea haudquaquam divelli deberent. Qua de re ibi Deo volente agemus explicatius, ubi de pacis & concordiæ ſtudio agemus.

Hactenus de confeſſionis generibus egimus; ſequitur ut de ejus neceſſitate aliquid dicamus & explicemus, ubi & quando ea ſit adhibenda. Primum itaque nemo dubitare poteſt, quin confeſſio nominis Dei ac Chriſti ſit omnino neceſſaria: & licet de Deo fortaſſe nullum expreſſum exſtet præceptum, tamen adeò res eſt manifeſta, ut propter hoc ipſum præceptum extet nullum. Quivis ſane videt, ea, quæ alias nobis præcepta ſunt, præſertim ad Dei gloriam directè pertinentia, à nobis præſtari non poſſe, niſi nos veros Dei cultores eſſe variis modis teſtemur. De Chriſto autem, (cujus nomen ſi confitendum eſt, ut certè eſt; æquè aut etiam multo magis ipſius Dei nomen confitendum eſt) de eo, inquam, confitendo ſuperius adduximus teſtimonia, atque imprimis illud ad Rom. 10, quod vim præcepti habere unicuique patet, & Marc. 8. ℣. ult. Cui loco nunc addatur Matth. 10. 32, 33. Luc. 12. 8, 9. in quibus confeſſioni præmium omnium maximum, ſecus facienti aut Chriſtum neganti pœna quoque maxima proponitur. Sed quia apud Marcum ſermonum quoque Chriſti fit mentio, & non minus negatio eorum, quam ipſius Chriſti, damnatur; tum Euangelium Chriſti univerſum, tum ejus etiam partes, quas quidem habeat cognitas, confitendæ ſunt, quanquam diverſa ratione. Neque enim ſemper, ubi tota Chriſtiana religio, vel ejus ſumma profitenda eſt, ſingulæ ejus partes ſunt exprimendæ; ſed tum demum, cum quis de iis nominatim interrogatur, & eſt alioqui reſpondendi neceſſitas.

Sed jam illud ſecundo loco conſiderandum eſt, quando confeſſio ea, quam diximus, ſit neceſſaria. Neceſſaria autem eſt tum, cum vel divinus honor, vel aliorum ſalus aut ædificatio id poſtulat: ſeu cum confeſſionis hujus omiſſio honori divino aut ſaluti aliorum ſit obfutura. Id vero tum fit, cum quis de fide aut religione aut profeſſione ſua interrogatur; præſertim ab iis, qui aliquam in nos habent poteſtatem, quales ſunt Magiſtratus aut parentes; imo etiam cum populus, aut viri graves, aut alii, qui diſcere à nobis quippiam aut vellent aut poſſent, noſtrum in religione ſenſum requirunt. Tum enim locum habet illud Petri præceptum, *ut ſimus parati ſemper ad defenſionem omni, qui poſtulat nos rationem de ſpe quæ in nobis eſt*: 1 Pet. 3. 15. Quanquam defenſio aliquid eſt amplius quam confeſſio. Nam ſi quis tum temporis confeſſionem edere nollet, eo honore, qui ad Deum inde redire poſſet, eum privaret, alios etiam utilitate, ſi qui forte eſſent, qui inde aliquid diſcere & ad veritatis cognitionem pertrahi, vel etiam in ea confirmari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſive ſermone, ſive etiam hoc conſtantiæ exemplo poſſent: imo facile fieri poſſet, ut quis crederetur de religione, de qua interrogatur, vel dubitare, vel etiam falſum plane credere; quod & in Dei Chriſtique contumeliam, & in aliorum detrimentum verti poſſet, cum alii quidem ab ea cognoſcenda, alii ab ea cognita averti, eorumque fides vehementer labefactari hoc pacto queat. Eſt enim ſignum vel nullius, vel infirmæ admodum fidei, eandem, ubi occaſio eſt & cauſa eam profitendi non levis, non profiteri: neque enim reprimi & coërceri pectoris anguſtiis tum poteſt ſpiritus fidei, quin ſeſe in ipſa diffundat ora, atque in apertum erumpat. Qua de re inter proprietates fidei diximus, & ad eam rem teſtimonia ex ſacris literis adduximus. Major autem adhuc eſt reſpondendi neceſſitas, cum de alicujus religione aut profeſſione vel jam paſſim conſtat, vel ſuſpicio aliqua eſt, de qua ei, qui interrogatur, quippiam conſtet. Præterea tum quoque confitendi imponitur neceſſitas, vertiturque ea in re Dei gloria & aliorum ſalus, cum vera religio, quam quis ſequitur, periclitatur, & metus eſt, ne vel infirmiores ab ea avertantur, vel conſtantia eorum labefactetur, vel denique alii ab ejus agnitione abſterreantur, & adverſariorum augeatur ferocia. Atque imprimis ii tum temporis eam religionem aperte profiteri debent, qui eam quoque poſſunt defendere; quanquam interdum etiam ſimpliciorum profeſſio, zelus ac conſtantia in veritate profitenda, etiam abſque exquiſitiori ſcientia multum valet ad vindicandam & aſſerendam religionis veritatem, animoſque hominum ad eam amplectendam vel retinendam incitandos.

Hæc ut fiant liquidiora dubitationes quædam diſcutiendæ ſunt. Primo hîc quæritur, cur mihi de religione interrogato, tacere non liceat, non interrogato liceat? Reſpondemus, quia cum præceptum de confeſſione edenda ſit affirmativum, id non ſemper obſtringat, ſed tum demum, cum ejus eſt exſequendi occaſio, quæ ubi abeſt, neminem obſtringit, adeoque nihil adverſus illud admittitur, etiamſi tum temporis quiſpiam confeſſionem non edat. At occaſio tum eſt, cum quis interrogatur, præſertim ab iis, quos antea enumeravimus: at cum quis non interrogatur, non ſemper eſt occaſio. Dicimus non ſemper: quia interdum eſſe docuimus. Itaque ne illud quidem ſimpliciter concedendum eſt, non interrogato licere tacere. Si enim ſit confitendi vera occaſio, ſeu juſta ac legitima cauſa; etiamſi à nemine interrogaris, confeſſio eſt edenda. Quod ut manifeſtius fiat, illud conſiderandum eſt, ſilentium ejus, qui juſtam habet confitendi cauſam, pro negatione jure accipi poſſe, ſeu (quod perinde eſt) non immeritò inde colligi, iſtum, qui ſilet, ejus rei, de qua interrogatur, pudere; quo verbo in hoc negotio Chriſtus utitur. At ſilentium ejus, cui nulla eſt juſta ſententiam expromendi cauſa, haudquaquam: quod in aliis ſimilibus rebus animadvertere licet. Nam ex eo, quod nunc nihil dicam vel de patria, natalibus, aut cognatis meis, cum nulla ſit occaſio, nec quiſquam me interroget, nemo jure colligere poteſt, me id, quod verum eſt, negare, aut ejus rei me pudere: ſed probabilius id colligeretur, ſi ab aliquo præſertim amico, aut viro gravi, aut Magiſtratu interrogatus, reſpondere nollem.

Ex his facile quoque reſponderi poteſt ad id, quod ſecundo loco quæri poſſit: Cur illi minus tacere liceat, de religione interrogato, de cujus religione vel paſſim conſtat, vel ſaltem ſuſpicio eſt, quam ipſe non ignoret; nempe quia notabilius foret ejus ſilentium, & ad negationem, aut pudorem iſtum, de quo Chriſtus loquitur, pudendum, facilius traheretur, aptiuſque eſſet ad aliorum fidem & conſtantiam convellendam, aut profectum eorum in veritatis agnitione impediendum. Magis enim movemur ad audiendam confeſſionem ejus, de quo aliquam jam opinionem aut ſpem concepimus; & ſilentium aut negatio ejus alios magis percellit & contriſtat, qui ſibi de ipſius conſtantia aliquid fuerunt polliciti, & contra ferociores reddit veritatis adverſarios, & in errore magis confirmat; ſiquidem is vel idem ſentire, vel de contraria ſententia dubitare videatur.

Tertio quæritur; Quid illi faciendum ſit, qui vel aliquantum adhuc dubitet, vel ad religionem ſuam defendendam non ſatis ſit inſtructus? Reſpondemus, hoc ipſum nihilominus, ubi juſta eſt cauſa, dicendum eſſe: hoc eſt, illi, qui dubitat, dicendum, ſe dubitare; illi qui certo perſuaſus eſt, hoc ipſum quoque ſatendum, & ſimul etiam, ſi aliter fieri nequeat, ſatenda ruditas atque inſcitia. Interea tamen quia firma iſta perſuaſio certis niti debet fundamentis, ea ipſa firmiter illi ſunt retinenda, & ſtrophæ ac rationes adverſariorum, quibus fraudem ſubeſſe ex contrariæ veritatis evidentia novit, mittendæ, nec facile committendum, ut diſputationibus iſtiuſmodi ſeſe implicet, ſed curandum, ne evidentia ſententiæ ſuæ argumenta ſibi extorqueri patiatur, eaq; unicè urgeat, ac præterea eam à Deo poſtulet ſapientiam, de qua Jacobus loquitur cap. 1. ℣. 5. præſertim ſi veritatis cauſa ipſi ſit aliquid proferendum, certus Deum eam ipſi non denegaturum, quemadmodum ibidem Jacobus docet. Interim facile concedimus hujuſmodi hominibus, ſi non interrogentur de ſuo in religione ſenſu, interdum licere tacere, ubi iis, qui & in cognitione veritatis ſunt confirmati, & ad ejus defenſionem inſtructi, ſilere minimè convenit. Imo etiam nonnunquam hoc ipſum cavere licet, ne interrogentur, ubi verentur, ne ob imperitiam ſuam poſtmodum veritatem prodant, aut aliis ridendam aut traducendam propinent: ſiquidem confeſſio veritati commendandæ atque ornandæ, ac gloriæ divinæ promovendæ deſtinata eſt, non vero minuendæ aut dedecore afficiendæ. Quæ tamen ratio tantum virium non habet, ut illis tacere prorſus liceat, ubi loquendi eſt quædam neceſſitas, cum ſi non verbis, ſaltem patientia, conſtantia, atque adeò etiam ſanguine ſuo veritatem inſigniter commendare atque aſtruere, & divinum honorem aſſerere queant.

Quarto quæritur, quid faciendum ſit homini Chriſtiano, ſi quis eum interroget de profeſſione ipſius, qui nec ullum habeat jus ad confeſſionem ab eo extorquendum, nec diſcendi cauſa quærat; ſed potiùs ideò, ut eum periculis objiciat, peſſimis etiam modis tractet? Nam de iis, qui legitimum in nos imperium ac poteſtatem habent, aut ab iiſdem delegati ſunt ad nos interrogandos, vel diſcendi cauſa quærunt, jam diximus. Reſpondemus negandam veritatem nunquam eſſe, nec quicquam dicendum aut faciendum, quod ad ejus autoritatem minuendam pertineat, aut honorem divini nominis violet; licere tamen homini Chriſtiano, ſi nullam ſperet ex confeſſione ſua veram utilitatem ad gloriam divinam aut aliorum ſalutem manaturam, reſponſionem ad interrogationem ejuſmodi hominis mali negare, vel ea cauſa addita, quod ad rationem illi reddendam non ſimus obſtricti, vel ſermone alio converſo, & ſic ictum declinare. Quem in finem ſi quis ſermone uteretur ancipiti, ſed (ut ſemper dicimus) qui gloriæ divinæ, ac veritatis honori per ſe nil deroget, illum quo pacto damnem aut reprehendam, non invenio. Nam cur ſine utilitatis ſpe periculo ſeſe homo Chriſtianus objiciat? id ſane foret prorſus temerarium. Sed nullum tamen periculum tantum eſſe debet, ut aliquid mali faciat, & vel veritatem neget aut ejuret, vel in eam ipſumque Dei Chriſtique nomen fiat blaſphemus: poteſtque huc jure accommodari illud Chriſti, Matth. 10. 16: ubi cum dixiſſet, ſe Apoſtolos ſuos tanquam oves in medio luporum mittere, addidit: *Sitis ergo prudentes, ut ſerpentes, & ſimplices, ut columbæ*; Prudentiam in evitandis periculis, ſimplicitatem autem in veritate profitenda, ubi ejus eſt neceſſitas, ſed eâ haudquaquam negandâ, maximis licet periculis ac tormentis propoſitis, commendans: quorum illud etiam quæ ſubjicit verba, volunt; *cavete autem ab hominibus.* Accommodari quoque huc queunt illa cap. 7. 6. ubi ait: *Ne detis ſanctum canibus, neque projiciatis margaritas porcis*, addita ratione, *ne qua conculcent eas pedibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſuis, & converſi diſcerpant vos: per canes & porcos illud hominum genus, de quo loquimur, intelligens, præſertim ſi alias prophani appareant: per margaritas autem, aut ſanctum, ſacratiſſimam Euangelii doctrinam, cum qua ejus etiam profeſſio conjungenda eſt, ſignificans. Cauſas autem affert duas, partim contemptum tam ſanctæ rei, partim verò ipſorum diſcipulorum periculum ac perniciem. Eædem quoque cauſæ hic locum habent.

Quinto quæritur, an neceſſarium ſit profiteri ea, quæ ad ſalutem non prorſus, ſed aliquo tantum modo neceſſaria, aut etiam utilia tantum diximus; qualia ſunt ea, quibus noſtræ Eccleſiæ ab aliis diſtinguuntur, quæ à Pontificia tamen diſceſſerunt, præſertim ſi ipſius vitæ periculum cuipiam ſit metuendum? Reſpondemus quod ad priora attinet, ea, cum vera eſt ejus rei occaſio, de qua ſupra dictum eſt, omnino profitenda eſſe, etiam cum vitæ periculo: quanquam prudentia, quam alibi ſacræ literæ non tantum permittunt, verum etiam præcipiunt, adhibita, quæ hîc magis locum habet, quam in iis, quæ omnino & ſimpliciter ad ſalutem ſunt neceſſaria. Nam profeſſionis neceſſitas magna ex parte rei ipſius neceſſitatem ſequitur; ut ita quo quidque eſt magis neceſſarium ad ſalutem, tanto magis id ſit profitendum; quanto minus, tanto etiam minus. Unde etiam fit, ut ſi contingat quòd ſententia aliqua, quæ per ſe tantum utilis eſt, per accidens aut propter aliud fiat neceſſaria, itidem ſit proferenda: quod tum poteſt accidere, cum ob ejus ignorationem inciditur in errorem, qui fidem ac pietatem aut aliquam ejus partem evertit; quemadmodum ſæpè contingere poteſt, cum errorum ſit quædam catena, & (ut vulgo dicitur,) error ab initio parvus, in fine fiat magnus, aut uno dato abſurdo ſequantur alia infinita. Atque (ut paulo diſtinctius ac ſpecialius de priore parte confeſſionis dicamus) illud ex iis, quæ alibi dicta ſunt à nobis, conſtare poteſt, iis ſententiis, quæ noſtras Eccleſias ab aliis diſtinguunt, ignoratis, gloriam illius unius Dei, imo etiam verum ipſius Chriſti honorem, & alias quaſdam pietatis partes vehementer convelli, ita etiam ut ſententiæ contrariæ non poſſint ab omni peccato prorſus abeſſe, &, ſi Deus rigide hac in parte cum illis agere vellet, poſſet etiam ſalvo Novo fœdere præmio vitæ æternæ eos privare. Atqui promotione gloriæ divinæ & veræ pietatis, atque inde pendentis humanæ ſalutis, & certæ minimeque fallacis tanti boni ſpei, omnia poſtponenda eſſe, & vitam etiam millies, ſi id fieri poſſet, ponendam, tanto præſertim pietatis præmio nobis conſtituto, neminem non faſſurum arbitror, qui Chriſtianus dici meretur. Idem de iis quoque ſtatuendum eſt, (ut jam ad poſteriorem quæſtionis partem accedamus propius) quæ utilia tantum eſſe per ſe diximus, tum cum utilia eſſe videmus; quod propterea addimus, quia interdum per accidens fieri poteſt, ut non tantum non ſint utilia, ſed etiam quibuſdam infirmis valde noxia. Quo tempore ea non quidem negare, & diſertis verbis vel falſa pronunciare vel ejurare, ſed tegere tamen ac ſilentio premere licet. Quo pertinent imprimis ſententiæ de rebus adiaphoris ſeu licitis, & ſi quæ ſunt, quæ nonniſi paucis & in pietate confirmatis aut ſingulari judicio præditis eſſe uſui poſſint: quorum nonnulla ab ipſo divino quoque Spiritu, vel involucris quibuſdam teguntur, vel diſertis verbis non exprimuntur. Atquè huc pertinet illud Apoſtoli Rom. 14. 22: *Tu fidem habes? apud temetipſum habe coram Deo*; hoc eſt, intus eam preme, ut præter te ipſum nemini niſi Deo pateat: non vero eam jacta, aut revela hominibus, præſertim infirmis. Nam (ut ſupra diximus) confeſſio hominum ædificationi & ſaluti, atque imprimis honori divino ſervire debet; non vero horum contrariis. Quanquam incidere tempus aliquod poteſt, ubi talia in apertum quoque proferre non tantum liceat, verum etiam ſit neceſſe; ut cum aliorum fides aut conſcientiæ earum ignoratione turbantur aut labefactantur. Quemadmodum olim contigit in eccleſiis gentium; qua de re legimus Act. 15. Hoc quoque hîc addere placet, in ſententiis his, præſertim de libertate Chriſtiana, melius tegendis, & ſcandalis evitandis, licere interdum quædam facere, unde quiſpiam non abſurde colligere queat, quempiam libertatem iſtam non agnoſcere. Quo pacto Paulus Judæis quoque & ſub lege exiſtentibus factus eſt ut Judæus, & ut is qui ſub lege: 1 Cor. 9. 20. eumque in finem tum Apoſtoli ipſi conſuluerunt, tum ipſe conſilium iſtud ſequutus eſt, ut cum aliis quibuſdam, qui voto eſſent obſtricti, purificaretur, & ſumptum illis impenderet, ut à ſe averteret opinionem Judæorum, qui crediderant, quod ἀποστασίαν à Lege doceret Judæos inter gentes diſperſos: Act. 21. 20. & ſeqq. Ex quo colligi poteſt, ſimile quippiam etiam in ſermone fieri poſſe, ad offenſionem & ſcandalum avertendum aut cavendum. Dico ſimile quippiam, ne quis putet, licere diſerte contrarium profiteri, ſed tantum tale quippiam dici poſſe, unde non quidem neceſſario contrariam ſententiam ab aliquo foveri, colligi queat, ſed tamen non improbabiliter: quemadmodum etiam ex ejuſmodi factis, quæ adhiberi poſſe diximus. Quod propterea dicimus, quia ex verbis fere plus concludi poteſt, niſi quis cautè agat, quàm ex factis.

Sed hîc nova nobis ſuboritur quæſtio, quæ eſt numero Sexta: Liceatne verborum ambiguitate confeſſionis ingenuæ & apertæ, neceſſitatem evitare, præſertim tum, cum agitur de rebus non ſimpliciter, & omnino ad ſalutem neceſſariis? Reſpondendum eſt primum, cum occaſio eſt veritatem iſtarum ſententiarum profitendi juſta & legitima, nullo modo id licere, quemadmodum ex ſuperioribus ſatis conſtat. Deinde diſtinctionem eſſe adhibendam inter verba, aut ſermones ambiguos quibus quis utatur, tum inter modum, quo quis illis utatur, ac denique perſonas, ad quas ſermo dirigitur. Quod ad verba aut ſermones ambiguos attinet, illi vel ita ſunt conformati, ut æquè vel etiam magis veritati faveant, quam falſitati, ſeu æque, aut etiam magis verum admittant ſenſum, quam falſum; vel contra falſo magis ſerviunt, & quidem ita ut nonniſi duriter admodum veram ſententiam admittant. Prioris generis ea fere ſunt, quæ vel in ipſis ſacris literis habentur, vel ex iis aliquomodo deprompta ſunt, aut ſaltem iis non repugnant, licet vulgo non rectè intelligantur, & ferè ad falſam aliquam ſententiam trahantur. Poſterioris generis ſunt pleræque loquendi formulæ, extra ſacras literas excogitatæ, quibus adverſarii noſtri ſententias ſuas noſtris contrarias exprimere ſolent. Prioris generis formulis tum, cum veritatem aperte profitendi non eſt juſta cauſa & vera occaſio, poteſt eſſe locus; præſertim ſi vel ex ſacris literis reipſa ſint depromptæ, vel iis conſentaneæ: cæteris autem quanto magis errori favere videntur, tanto parcius eſt utendum, ne veritas divina, quæ neganda nunquam eſt, negari videatur. Unde jam patet, quid de poſterioris generis formulis ſit ſentiendum, quæ cum per ſe ita ſint comparatæ, ut omnino videantur falſam ſententiam, licet ab aliis vera credatur, continere, & eo etiam pacto ab omnibus generatim accipiantur, jure ab aliis in negatæ veritatis argumentum trahuntur, vel pro confeſſione ſententiæ illius, quam ipſe tamen falſam arbitratur, habentur; niſi forte aliquo pacto explicentur, & in meliorem quendam ſenſum, qui cum veritate conſentiat, trahantur; quod ubi fit, jam naturam priſtinam exuunt, & in priorem ordinem migrant. Verba enim valent ut numi, quibus publica nota impreſſa eſt, neque ex privato tuo ſenſu, ſed vel ex bonorum & ſapientum autoritate, quales hîc potiſſimum ſunt Sacri ſcriptores, vel ex communi loquendi uſu & conſuetudine æſtimanda. Quare ſi neutra veram aliquam ſententiam verbis, quæ tu ambigua facis, ſubeſſe doceat, vel ſaltem nonniſi duriter admodum, de quo alii vix cogitare queant: nil te juvat, quod tu alium tibi ſenſum fingas. Nam poteſt quis veritatem negare, etiam tum, cum verbis utitur alias veriſſimis, ſi nihilominus velit, ut alter, cum quo loquitur, in-

telli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

telligat, id illum ſentire, quod tamen falſum eſſe credit. Verba ipſa tantum ſymbola ſunt, quæ tantum valent, quantum alterum volumus intelligere, & animi noſtri ſenſa concipere. Cum autem veritatem divinam negare, etiam in aliqua ejus parte, præſertim ejuſmodi, quæ ad gloriam Dei ac pietatem pertineat, ſit per ſe malum; non eſt iſtis formulis, ne bonum quidem in finem, eo, quo jam diximus, pacto utendum. Quo accedit, quod vix fieri poſſit, quin conſcientia hominis paulo tenerior iſtiuſmodi verbis à ſe prolatis triſtetur ac lædatur; cujus tamen maxima eſt habenda ratio. Adde quòd candoris jactura graviſſima eſt, cum ea virtus ſingularem apud omnes laudem mereatur, & peſſimè ii audiant, qui in rebus divinis iſtiuſmodi ambiguitatibus aliis fucum feciſſe deprehenduntur: præſertim ſi ii ſint Euangelii doctores, aut alias rebus divinis ſemper occupentur, quos candor & ſinceritas maxime omnium decet. In iis enim ſpecies quoque alicujus fraudis inviſa eſt. Quam ob cauſam non eſt facile committendum, ut quis aliis quoque phraſibus, quæ ambiguæ ſunt, crebro utatur, niſi explicatione quadam adhibita, aut niſi ea ipſa in ſacris literis extent, vel alias ejus, qui loquitur, ſententia pateat. Dicimus autem *crebrò* non utendum ejuſmodi verbis, nec *facilè* ſeu temerè id committendum: quia raro id facere, & gravem ob cauſam, quæ gloriam divinam aut proximi ſalutem ſpectet, fortaſſe etiam aliquod noſtrum inſigne bonum, ſi verba ea non ſint nimis periculoſa, & veritati apertè derogantia, candorem, & ſinceritatem hominis Chriſtiani non violat, quemadmodum fit, cum id conſtanter aut crebro fit, aut levem ob cauſam, aut ſolius noſtri commodi & quietis gratia. Mendacium quoddam, tum exempla quæ in ſacris literis extant, tum ratio, tum ſapientum conſenſus interdum permittit, alieni præſertim commodi cauſa; unde officioſum vulgo appellatur, idque candori & veritatis ſtudio verè non adverſatur. Interim tamen crebrò admodum, aut leves ob cauſas illo uti non licet; quod ſi fieret, virtus modo dicta omnino læderetur, ac multò magis, ſi mendacium iſtud circa res divinas verſaretur, in quibus multo minus licet, quam in prophanis. Itaque ne ædificationis quidem, quam nonnulli prætexunt, cauſa, licere videtur, vel conſtanter, ſeu firmiter iſtiuſmodi uti ambiguitatibus, quas in falſum ac veritati divinæ adverſantem ſenſum ab auditoribus, quemadmodum paſſim & vulgo, accipi novimus: multo minus iis loquendi formulis utendum, quæ vix ac ne vix quidem verum admittere ſenſum queant, & ideo ab aliis ſunt excogitatæ, ut ſententiam exprimant eam, quæ veritati divinæ adverſatur. Quin nec illud facile credendum eſt, niſi apertiſſimæ ſint in contrarium rationes, plus te profecturum in veritate ſupprimenda, & ambiguitatibus iſtiuſmodi tegenda, quam ſi eam candidè ac apertè profitearis. Nam ſi apertè agas, primo multorum hominum, de quibus tu ne cogitaras quidem, animi poſſunt excitari ad veritatis inquiſitionem, de qua ſi tacuiſſes, ii nunquam fuiſſent cogitaturi. Deinde ipſe quoque candor profeſſorum veritatis etiam ejus hoſtibus placet; præſertim ſi cum modeſtia aliiſque virtutibus ſit conjunctus; ipſaque ea ſinceritas & παῤῥησία in profitenda veritate, quæ ex fidei πληροφορίᾳ naſcitur, conſtantiaque ac malorum fortè imminentium aut jam incumbentium patientia, magnam veritati autoritatem apud homines non prorſus improbos conciliat, &, quos argumenta nonnunquam non potuerunt flectere, ei reddit amicos, ut tum ſacræ literæ tum experientia teſtatur. Quod ſi quis adhuc veritatem defendendi, tum facultatem, tum occaſionem ac locum habeat; tanto adhuc amplius publica profeſſione illi conciliare poterit autoritatis. Multum profecit veritatis promotioni Eraſmus: ſed quantum putamus eum fuiſſe profecturum, ſi idem fuiſſet in illo animus & candor, cum manſuetudine tamen conjunctus, qui fuit in Luthero? qui licet eruditione & rerum divinarum notitia Eraſmo eſſet inferior, & præterea iracundia cauſam ſuam corrumperet; longè tamen plus aperta ejus doctrinæ, quam pro vera habebat, ut etiam magna ex parte erat, profeſſione præſtitit, quam Eraſmus, quem ædificationis cujuſdam opinio retardavit, & eruditionis tantæ fructum propemodum abſtulit atque intervertit. Veritas lucis eſt filia, maximè divinæ, quæ ipſamet lux eſt: odit ea tenebras, lucem amat, & ſinceritatem, cum ipſa ſit ſinceriſſima: & fraudem, cum ſit ἄδολος (ut de ea loquitur Petrus 1 epiſt. 2. 2.) averſatur. Nihil de eo nunc dicemus, quod facile hîc quiſpiam ſeipſum decipere poſſit, dum gloriæ divinæ & ædificationis velum timori ſuo prætexit, & quod ipſe periculi effugiendi cauſa facit, id illius ſe cauſa facere, vel ſibi vel aliis perſuadere conetur. Tacemus etiam, quod dum aliorum ædificationi conſulis, aliorum fidem & conſcientiam, qui exemplum tuum forte ſequuti, iiſdem ambiguitatibus, ſed nec eadem dexteritate, nec eadem fide utuntur, & conſcientiam ſuam hoc pacto vulnerant, labefactes & evertas. Quod tanto magis eſt verendum, quanto tu videris major & dignior, cujus facta alii æmulentur.

Hactenus formulas iſtas diſtinximus; nunc ad alterum veniendum eſt, & diſtinguendus etiam modus, quo quis iis utatur; quanquam de eo jam jam aliquid dictum eſt, quod repetere nihil eſt opus. Illud tantum animadvertendum eſt, uſui formularum ambiguarum loquendi vel addi juramentum aliquod, aut quidpiam juramento affine, quod candidi & ſinceri ſermonis ſit indicium, vel nihil tale addi. Iſtud fit, cum Deus aut conſcientia appellatur teſtis, aut coram toto mundo ſe id quiſpiam, quod loquitur, profiteri aſſerit, vel manus ſubſcriptione cauſam ſeu confeſſionem aliquam univerſam, in qua tamen falſa docentur, præſertim magni momenti, comprobat, nulla de erroribus ibi latentibus proteſtatione addita. Hoc cum fit, omnis ſermonis ambiguitas, quæ ideo adhibeatur, ne alii id, quod verum eſt, animadvertant, ſed potius contrariam veritati ſententiam de eo qui jurat, aut proteſtatur, concipiant, vitanda eſt. Nam juramenta, & ſi quæ ſunt iis vicina, adhibentur ideo, ut alteri caveatur, cujus cauſa juramentum ſuſcipitur, adeoque verba juramenti in eum ſenſum accipiuntur, non in quem jurans ea capit, ſed in quem ſenſum is, qui jurat, novit accipere eum, cui jurat; præſertim ſi is, qui jurat, velit, ut ita ſua verba ab eo accipiantur: quemadmodum hîc accidit, ubi id ambiguitatibus iſtis quæritur, ne vera noſtra ſententia pateat, ſed alia potius diverſa ab aliis concipiatur. Niſi enim id vellemus, cur ambiguitatibus iſtis uteremur? Itaque is, qui ita jurat, falſum ſciens jurare, atque ita perjurium admittere jure cenſendus eſt. Quod ſi uſpiam ſincerè ac candide agendum, certè hîc agendum eſt, cum nullum ſit ſermonis genus, nec ullus modus vel ab hominibus inventus, vel à Deo ipſo hominibus oſtenſus, quo naturaliter veritatem in animis hominum latentem eruere poſſint, aut debeant, præter juramentum, & eos loquendi modos, qui ei ſunt ſimiles. Quod ſi hîc ambiguitatibus verum tegere, & falſum etiam aliis perſuadere licet, præſertim in rebus divinis; nullibi non licebit. Ædificationis, ut nonnulli loquuntur, cauſa licebit ſcilicet mentiri, pejerare, & quid non? ſed, ut jam diximus, ſi aliter veritas divina, quam his modis, promoveri non poteſt, ne promoveri quidem amat. Neque enim vult cum accerrimo ſuo hoſte mendacio perjurioque conjungi. Quod ſi quis ambiguas loquendi formulas prius explicet, & veram, quæ in illis contineri poſſit, ſententiam exprimat, quam juramento atque atteſtatione ſingulari ſit confirmaturus; jam non amplius cenſendæ ſunt ambiguæ, & ſi alii falſam ſententiam ex jurantis verbis concipiant, id non illi, ſed ipſis eſt imputandum. Atque hoc omnino videtur etiam faciendum in iis loquendi formulis, quæ in ſacris literis quidem habentur, ſed tamen in falſam ſententiam vulgo trahuntur, & quidem ab iis etiam ipſis, quorum cauſa juratur; niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

forte hoc ipſum tantum in quæſtionem vocetur, an is, qui jurare debet, illis verbis ſimpliciter fidem adhibeat nec ne; non vero de certa aliqua ſententia, quæ in illis verbis contineri videatur, quæque ſit inter jurantem, & eos quibus juramento cavendum eſt, controverſa, ſit dubitatio. Quapropter cenſendum eſt, ubi ad juramentum veniendum eſt, jam eſſe juſtam ac legitimam cauſam veritatem profitendi: ſi non ſit, ne juramentum quidem legitimum eſſe, ſed inter ea numerandum, quæ Matth. 5 Chriſtus prohibet, etiamſi alias verum foret.

Denique diſtinguendæ ſunt etiam perſonæ, cum quibus alicui ſit ſermo. Nam eæ vel autoritatem ac legitimam aliquam poteſtatem in nos habent, ita ut nos ad ea omnia, quæ à peccato ſejuncta ſunt, mandato ſuo adigere poſſint: vel nulla ſunt ejuſmodi autoritate præditæ. Cum illis longè eſt agendum ſincerius ac candidius, quam cum aliis, cæteris tamen paribus: quod ideò addimus, quia nonnunquam cauſa eſſe poteſt, cur æquè nobis cum aliis aut apertè ſit loquendum, ac cum iis, qui poteſtatem in nos habent; quales ſunt magiſtratus, parentes, & qui parentum loco ſunt. Nam facile quivis videt, gravius eſſe, iſtiuſmodi hominibus aliqua ambiguitate imponere, quam aliis. Quod ſi quis putet, ſe conſcientiæ cauſa quippiam non debere ipſis magiſtratibus dicere, adeò ut ea in re non ſit obſtrictus magiſtratui parere, nec poſſit alia aliqua legitima ratione ejus quæſtionem evitare; in eam potius partem inclinet, ut ferat aliquid, quam ut ambiguitate in rebus præſertim maximi momenti effugiat; niſi forte tale quippiam videatur, quod ipſe divinus ſpiritus texerit, aut tegendum cenſuerit; qua de re ſupra: aut hærere ſe potius ea in re profiteatur, quam certi quippiam aſſerat, & quantum in ſe eſt ſcandalo, quod inde videatur oriri poſſe, occurrat; cætera Deo committat. Neque enim ſemper in noſtra eſt manu, ut ſcandalum & offenſionem aliorum evitemus: imo id interdum nequaquam eſſe curandum, ſi veritas aliter ſalva eſſe nequeat, tum Chriſtus exemplo ſuo docuit, Matth. 15. 12. & ſeqq. cum tamen Phariſæi viderentur potiſſimum offendi verbis Chriſti, de libertate qua homines in cibis capiendis uti poſſent: tum etiam Paulus, ut apparet ex Epiſt. ad Gal. 2. ℣. 3. 4, 5. immo etiam ℣. 14: ubi Petrum, qui ſcandalum imprudentius, & cum quadam veritatis & libertatis Euangelicæ jactura vitare conatus fuerat, reprehendit. Multo ergo magis ea παῤῥησίᾳ utendum videtur, ubi de rebus non adiaphoris, ſed per ſe aut bonis aut malis agitur. Poſſent hîc etiam diſtingui illæ ipſæ perſonæ, quæ loquuntur, à quibus vel major candor jure quodam expectatur, vel minor. Sed de hoc jam ſupra nonnihil. Alia etiam, quæ hîc in conſiderationem venire poſſent, ob varietatem circumſtantiarum generali oratione comprehendi vix poſſunt, & uniuſcujuſque prudentiæ, quæ timore divini numinis regatur, relinquenda ſunt: quæ tamen quantum momenti habere poſſint, iis, quæ hactenus diximus, conſideratis, haud difficulter homini cordato patebit. Et, ut Johannes ait 1 Epiſt. 2. 27: *Unctio vos*, aut quemque Chriſtianum *docebit omnia*; præſertim cum Deum cum fide oraverit, & ſapientiam ſibi neceſſariam, ut ex Jacobo ſupra monuimus, petierit.

Hactenus egimus de Medio: ſequitur, ut de extremis agamus. Illa verò, ut alibi quoque vidimus contingere, peccant vel in eo quod parum, vel in eo quod nimium, vel in utroque ſimul, quanquam diverſa ratione. In eo, quod parum, peccant ii, quos, ut Chriſtus loquitur, ipſius aut ſermonum ipſius pudet. Ii vero duplicis ſunt generis; vel enim tum, cum juſta eſt profitendi cauſa, tacent, ac confeſſionem ſubterfugiunt; ſuntque in eorum numero, de quibus dicit autor divinus ad Hebr. cap. 10. ℣. ultimis duobus, ex propheta Habacuc 2. quod *ſeſe ſubducant, quibus anima Dei non delectatur*, (quanquam dictum Autoris latius etiam patet, atque ad ſecundum etiam genus, quod ſtatim addemus, extendi debet:) Vel etiam Chriſtum aut ſanctam ejus religionem partemve aliquam ipſius negant, & conceptis verbis, eam ſe non agnoſcere, dicunt; utut deinde ambiguitate aliqua ludant, quemadmodum eſt explicatum. Atque ad hos magis pertinent Chriſti verba, illis apud Marcum, quæ paulo ante adduximus, reſpondentia, Matth. 10. 33. & Luc. 12. 9. licet illi quoque, pro negantibus jure poſſint haberi, qui Chriſtum, cum opus eſſet, non profitentur; ita ut dici poſſit, ipſos Chriſti aut ſermonum ejus pudere. Dubium autem eſt, in iſto Lucæ loco, utrum Dominus Jeſus, cum ℣. 10. addit, *cuivis, qui dixerit ſermonem in filium hominis, remiſſum iri; illi autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non iri remiſſum*; voluerit ſuperiora confirmare, & ſic cauſam reddere, cur ſe dixerit, eum, qui ipſum negaverit coram hominibus, abnegaturum quoque coram Angelis Dei, ſeu à futura felicitate, quæ iis dabitur, quorum nomen Dominus Jeſus coram Angelis tum temporis confitebitur, excluſum iri: quia nimirum omnes illi, qui ipſum negaverint, in Spiritum Sanctum ſint blaſphematuri, quod peccatum nullam inveniat remiſſionem: an vero diſcrimen aliquod conſtituere voluerit Dominus Jeſus inter illos, qui ipſum negaverint, & oſtendere, aliquos ipſum negando ſimul Spiritum ſanctum blaſphemare, qui nullam ſint inventuri remiſſionem, alios vero tantum in ipſius perſonam eſſe blaſphemos aut injurios, qui invenire poſſint remiſſionem: atque interim tamen voluerit indicare abnegationem ipſius, de qua locutus fuerit, valdè conjunctam eſſe cum blaſphemia in Spiritum ſanctum, quæ remiſſionem nullam habeat, adeóque monere, ut caverent ſibi omnes ne ipſum negarent. Difficile quidem dictu eſt, utrum dominus Jeſus dicere voluerit; ſed tamen rem paulo diligentius expendentibus probabilius videtur poſterius. Nam etiam illi ſermones adverſus filium hominis, negationem Chriſti in ſe complectuntur, aut cum ea ſunt conjuncti. Nam ſi quis v. g. dicat, cum Judæis, Dominum Jeſum eſſe aut fuiſſe comedonem aut bibonem, amicum publicanorum, & peccatorum, aut Samaritanum, qui ſunt ſermones in filium hominis; is ſimul Chriſtum negat, præſertim ſi eum pro ipſo Chriſto aut pro vero Propheta agnoverit; quod ideò addimus, quia negatio iſta Chriſti in eos potiſſimum videtur cadere, qui eum agnoverunt, atque in eum crediderunt. Atqui Dominus Jeſus ſat aperte hujus generis ſermones diſtinguit à blaſphemia in Spiritum ſanctum, & illos remiſſum iri aſſerit, hanc negat. Deinde quia fieri poteſt, ut quis, dum Chriſtum aut ejus veritatem negat, nihil aliud dicat, quam ſe illum aut hanc non agnoſcere, aut in illum non credere, quod etſi ad ignominiam veritatis, quæ in Spiritus divini cedit ignominiam, pertineat, tamen non ita apertè in ejus tendit ignominiam; nam alias illi quoque ſermones in filium hominis eodem trahi poſſent, cum ex illis conſequatur, ſpiritum illum ſingularem ac diviniſſimum, qui in Chriſto fuit, talem non fuiſſe. Verumtamen ſi quis Chriſtum aut veritatem ejus doctrinæ agnoverit, atque à divino ſpiritu profectam ac confirmatam probe noverit; vix ac ne vix quidem fieri poteſt, ut is Chriſtum ejuſque ſermones neget, quin ſimul in Spiritum ſanctum blaſphemus evadat. Nam præterquam quod hoc ipſum in Spiritum ſanctum ſatis ſit contumelioſum, dicere doctrinam eam eſſe falſam, quam tamen is, qui id dicat, à Spiritu illo profectam norit; fieri etiam vix poteſt, quin, ut fidem faciat aliis, ſe ſerio Chriſtum ejuſque doctrinam non agnoſcere, ſed ab ea eſſe alienum, tale quid dicat, quod apertam illius doctrinæ ac divini ſpiritus, unde ea manarit, contumeliam ſpiret; præſertim cum ex falſitate iſta ſtatim ſit conſequuturum, eam à dæmone profectam, quod ipſum in Spiritum ſanctum, ſi id verbis proferatur, blaſphemum eſt. Atque hac de cauſa autor divinus Hebr. 10, de iis loquens, qui veritatem agnitam deſerunt, atque ab ea deficiunt, ait *eos Spiritum gratiæ contumelia afficere*: unde etiam iis certiſſimum ac maximè horrendum minatur ſupplicium atque interitum. Et paulo ante dixerat, *non amplius re-*

ſtare

ſtare pro peccatis hoſtiam, hoc eſt, ipſius Chriſti ſacrificium ad hujuſmodi peccati expiationem, multo minus aliud aliquid, prodeſſe, eoſque ex vi divini fœderis remiſſionem peccatorum ſuorum conſequi non poſſe; quod illud idem eſt ſupplicium, quod blaſphemiæ in Spiritum ſanctum proponit Chriſtus. Unde apparere videtur, idem quoque peccatum eſſe, ſeu ejuſdem plane generis ac valoris; quandoquidem Chriſtus apud Matth. 12. 31 ſatis apertè indicat, nullum aliud eſſe, præter blaſphemiam Spiritus, peccatum ejuſmodi, quod remiſſionem non ſit conſequuturum. Quare ſi quod peccatum eſt, quod remiſſionem habeat nullam, quam alia tamen habeant; id blaſphemiam eſſe Spiritus, ſeu in Spiritum ſanctum, ſeu cum ea computandum.

Dicitur autem hæc Chriſti abnegatio, ſi conſtans ſit, ita ut quis poſtmodum non Chriſtianam, ſed aliam aliquam religionem amplectatur, ἀποστασία. Quanquam hoc vitium alias fidei opponitur, & defectionem ab ea ſignificat, ut ſuo loco diximus. Sed quia fidei ſymbolum confeſſio eſt, & ex hac illa ab hominibus æſtimatur, & contra etiam ex abnegatione defectio à fide: ideo ea vox ad abnegationem quoque fidei traducitur. Quanquam vox ipſa per ſe generalior eſt, & nulla habita ratione fidei in animo latentis, de eo uſurpatur jure ac merito, qui profeſſionem Chriſtianæ religionis deſerit; & ſic, quod ad ſermones & facta quædam externa, ex quibus religio alicujus æſtimari ſolet, attinet; illam abjicit, & ad aliam tranſit, ac deficit: id quod jure dicitur ἀποστασία, etiamſi tandem animo Chriſtum utcumque agnoſcat, & doctrinam ejus retineat. Eadem vox etiam uſurpari ſolet de iis, qui non quidem Chriſtum, & ejus religionem ſimpliciter negant, & ab ea deficiunt; ſed cum Chriſti nomen ac religionem adhuc profiteantur, à vera tamen & ſalutari Chriſti religione ad aliam, quæ falſo ſibi hoc nomen ſumit, & erroribus noxiis & ſalutis viam pervertentibus ſcatet, deficiunt. Eo pacto Paulus objicit Galatis, qui licet à Chriſto penitus deficere haudquaquam cogitarent, legem tamen Moyſis ejuſque ceremonias cum Chriſto conciliare ac conjungere meditabantur, eos transferri ab eo, qui ipſos in gratia vocaverit, Chriſto: Gal. 1. 6. (is enim verborum ſenſus eſt, ut Eraſmus & alii animadverterunt: non verò de defectione ab eo, qui in gratia Chriſti eos vocaverit, qui vix alius foret, quam ipſe Apoſtolus, ſermo eſt) quod ἀποστασίαν ſatis arguit. Sic Paulus ἀποστασίας nomine denotat defectionem à pietate doctrinæ Chriſti, ad errores tetros ac pernicioſos, quos Antichriſtus eſſet invecturus in orbem Chriſtianum, 2 ad Theſſ. 2. 3. Qua de re loquitur etiam 1 Tim. 4. 1. ubi defectionis à fide expreſſa eſt mentio, licet profeſſio nominis Chriſtiani non fuerit ab Anti-Chriſto ſimpliciter ſublata. Quod autem de fide dicitur, id etiam de ejus profeſſione, aut ejus contrario hac in parte rectè dici poteſt; hoc eſt, ſi defectio iſta à veritate ad errores, quæ fiat animo, ἀποστασία dici poteſt, etiam abnegatio veritatis & profeſſio errorum contrariorum, quos Anti-Chriſtus invexit in orbem, ἀποστασία jure dicetur. Injuria autem ἀποστασία (niſi latiſſimè hæc vox ſumatur, & receſſum quendam ſignificet à re aliqua, qui nihil etiam habeat vitii, imo in laude ſit ponendus) nobis objicitur, qui à pontificia aut aliis Eccleſiis ideo diſceſſimus, quia earum errores ac vitia cognoverimus, & ad Eccleſiam puriorem tranſivimus. Vox enim hæc, cum alicui ita objicitur, imo fortaſſe ſemper, tranſitum ſignificat, à meliori parte ad deteriorem, vel à vero ad falſum, à pietate ad impietatem, adeoque diſceſſionem prorſus illegitimam ac deteſtabilem. Sed de his plus ſatis.

Sequitur ut videamus, quinam in eo, quod nimium eſt, peccent? Ii vero ſunt, qui ibi confeſſionem fidei edunt, ubi nihil eſt opus, imo ubi opus eſſet non edere, vel quia temerè, ac tum ſine neceſſitate, tum ſine ſpe fructus & emolumenti melioris aut inſignioris, periculis ſeſe objiciunt, & dum ſinceritati columbinæ, vel potius audaciæ nimium indulgent, prudentiæ à Chriſto permiſſæ aut præceptæ obliviſcuntur: vel quia intempeſtiva profeſſione adverſarios turbant; & vel in alios innocentes hoc modo concitant, vel eos, quos lucrari Domino fortaſſe potuiſſent, ea ratione avertunt, atque abſterrent: vel denique quia fidem ſuam, quam apud ſeipſos coram Deo habere debebant, in apertum proferendo, infirmos, & earum rerum nondum capaces, offendunt, & ſcandalum aliquod illis ponunt, aut Eccleſiam turbant, aut ſchiſmati alicui occaſionem præbent.

Reſtant ii, qui in utroque modo videntur peccare; tum in eo, quod nimium eſt, tum in eo, quod parum. Ii verò ſunt, qui, ut Paulus loquitur, 1 Cor. 3. 21, *in hominibus gloriantur*, & eos æmulantur, qui olim dicebant: *Ego quidem ſum Pauli, ego vero Apollo, ego autem Cephæ*; qui Eccleſiæ miniſtros aut ſervos ſalutis ſuæ, pro religionis ducibus ac autoribus, & quibuſdam eccleſiæ capitibus hac profeſſione venditant, & eorum ſe quodammodo ſervos conſtituunt, cum tamen Chriſtianorum ſint omnia, etiam Paulus, & Apollo aliique divini præcones; Chriſtiani verò tantum ſint Chriſti, atque adeò etiam Dei, cujus ipſe quoque Chriſtus eſt. Hac in parte peccant imprimis Pontificii, qui Papam Dominum ſuum, idque religionis ratione, agnoſcunt atque appellant, & caput Eccleſiæ in terris unicum, cujus dictis è cathedra prolatis omnibus ſit ſtandum, & qui poteſtatem habeat leges figendi, atque alias refigendi aut relaxandi ac diſpenſandi, quod nihil eſt aliud, quam ipſum facere Deum, & ſuper omne id extollere, quod in terris ullo pacto colendum eſt. Deinde peccant hac in parte ii, qui Lutheranos ſeipſos appellant, & eo pacto appellari gaudent. Nam licet illi dicant diſcriminis cauſa hoc à ſe fieri; tamen ea excuſatio nullius momenti eſt, cum diſcrimen iſtud alia ratione exprimi & poſſit & debeat, non vero ea ratione, ut id Luthero tribuatur, quod olim Paulo, aut Apollo, aut Petro tribuebatur à Corinthiis, Paulus autem tribuendum negat. Neque enim Corinthii erant vel ita ſtupidi, vel adeò malè in Chriſtiana religione inſtituti, ut putarent, iſtos ſuos doctores, à quibus ſeſe denominabant, eſſe Chriſto pares, aut primos religionis iſtius duces ac præcones: ſed tantum ea ratione ab aliis ſeſe diſtinguebant, & eo gloriabantur, ſe à tantis viris edoctos. Verum Paulus docet, quæ ſit hujus ſermonis vis, ut nempe ſignificet eum, qui ita loquitur, illum cujus ſe eſſe dicit, facere præcipuum religionis ducem, & id illi tribuere, quod Chriſti ſit proprium. Lutherani certè & Luthero, dum hac appellatione utuntur, honorem egregium ſe habere non diffitentur, & eo indicant, ſe eum in religione ſequi ducem, licet à Chriſto excitatum, quod Corinthios quoque de ſuis doctoribus credidiſſe liquet, ac propterea ab aliis, qui Chriſtum æquè, imo etiam rectius quam ipſi profitentur ac colunt, hoc pacto ſe ſejungunt, & Eccleſiarum ſectionem inducunt, ſeſeque non obſcure aliis hoc pacto præferunt: Quod ejus plane generis eſt, cujus illud Corinthiorum. Diximus autem hoc ex utroque extremo aliquid trahere: ex eo quidem quod nimium, quia præter Chriſtum ipſumque Deum, aliis quoque nomina ſua dicant, & ſic plures, quam oportebat, religionis duces confitentur, ſi non conſilio, ſaltem facto ipſo: ex eo autem, quod parum, quia, dum id faciunt, ſimul Chriſto aliquid derogant, & honorem illi proprium cum aliis communicant, aut (quod Pontificii potiſſimum faciunt, ſi rem non verba ſpectes) fere totum transferunt.

CAP. VIII.

De Juramento.

Sequitur ut de Juramento nonnihil dicamus, quod inter partes honoris divini, qui ſermone imprimis perficitur, ſecundo loco collocamus. Eſt autem jurare propriè, ſanctè ac religioſe aliquid affirmare, præſertim numine ſive aperte ſive tacitè invocato,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cato, tanquam veritatis teſte ac vindice. Interdum tamen per Synecdochen quandam latius extenditur, & pro vero numinis cultu aut aperta ejus profeſſione ſumitur: Cujus rei exemplum habes Eſa. 19. 18: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes labio Canaän, & jurantes per Dominum exercituum.* Et cap. 65. 16: *Qui benedicit ſe, benedicet ſe in Deo Amen: & qui jurat, jurabit in Deo Amen.* Quanquam hîc proprie ſumi poteſt. Sic Jerem. 12. 16: *Et erit, ſi diſcendo didicerint vias populi mei, ad jurandum in nomine meo, vivens Dominus, ſicut docuerunt populum meum jurare in Bahal, & ædificabuntur in medio populi mei.* Cujus rei hæc eſt ratio, quia per ejus demum nomen, quem tanquam numen colimus quoddam jurare ſolemus. Quid vero ſit juramentum, & quotuplex, videri poteſt apud Socinum in explicatione cap. 5 Matt. ad ỳ. 34. & ſeqq.

Quanquam vero de eo nonnihil diximus ſuperius, qua ratione juramentum ad divinum cultum ſpectet; tamen hoc loco aliquid dicendum eſt explicatius. Diximus vero, non eatenus divinum honorem cerni, quatenus ſimpliciter juratur, cum in eo ſæpius potius cernatur, quod non juretur: ſed quod, dum Dei aut Chriſti nomen interponitur, ei adſcribitur, quod rei, de qua agitur, veritatem, licèt hominibus aliis præter jurantem omnibus, aut pleriſque incognitam, penitus perſpectam & cognitam habeat, ejuſque ſit futurus vindex & ulturus jurantem, ſi mentiatur. Itaque hac illi in re, tum ſapientiæ ſummæ, tum ſanctitatis, quæ mendacium oderit, tum potentiæ, quæ in vindicando cernitur, laus tribuitur: quæ omnia ſi perfecta ſint & immutabilia, ut quidem hîc eſſe oportet, nonniſi in numen aliquod cultu ac veneratione digniſſimum cadunt. Præterea in eo quoque honor divinus cernitur, (qui tamen intus potius latet, quam verbis exprimitur) cum quis juraturus horreſcit vel minimum dicere mendacium, vel ulla ex parte fallere eum, cujus cauſa juratur, metu ac reverentia numinis adductus. Denique in eo quoque honor habetur numini, cum de rebus levibus, & non neceſſariis, aut futuris, in quibus errori poteſt eſſe locus, ſi contingentia ſint (quanquam hoc ad ſecundam, quam modo attulimus, rationem referri poteſt) juramentum non ſuſcipitur; ſed tantum in rebus gravibus, in quibus Deum advocare teſtem, majeſtate ipſius non eſt indignum: qua de re Socinus dicto loco. Non commemoramus autem id, quod alias notum eſt, non minus Chriſti, quam Dei nomen in juramentis licere interponere: ſiquidem is etiam occulta tenebrarum, & abditas cordis cogitationes novit, & cum ſit veraciſſimus & ſanctiſſimus, fraudis ac mendacii ſummus eſt oſor, nec oſor tantum, ſed & vindex ac judex, ſiquidem illi omne judicium à Patre eſt traditum. Hæc de medio dicta ſufficiant.

Quod ad extrema attinet, ea, ut alibi, duplicis ſunt generis. In eo, quod parum eſt, peccatur ab iis, qui nullo prorſus modo, ne in rebus quidem graviſſimis, audent jurare; qui tamen ea in parte honorem divini numinis non lædunt, niſi forte per accidens, quatenus ea quoque juramentis abnuunt confirmare, quæ ſi credantur, gloriæ divinæ prodeſſe, ſi non credantur obeſſe queunt, ſuntque talia ut juramento ſtabiliri queant ac debeant. Cæteroquin homines iſti, qui reverentia majeſtatis divinæ juramenta prætermittunt, in ſe potius, ac nonnunquam etiam in alios, ac denique rei ipſius, de qua agitur, ratione, quemadmodum explicuimus, quam in Deum ſunt injurii. De quo errore itidem videri poſſunt alii.

Quod ad alterum extremum attinet, quod in eo peccat, quod nimium eſt, (quanquam ſi honoris divini rationem ſpectes, ei plurimum detrahat, & ſic potius in defectu quam in exceſſu laboret) id duplicis eſt generis. Vel enim ideo peccatur, quia ejus nomen invocatur in juramento, qui minime eſt appellandus: vel quia res, de qua agitur vel juratur, ejuſmodi non eſt, ut ad eam confirmandam juramentum debeat adhiberi. Quod ad prius attinet, extat Dei mandatum Deut. 6. 13. & repetitur cap. 10. ỳ. 20: *per Dei nomen eſſe jurandum*; quod omnes agnoſcunt, ita eſſe intelligendum, ut falſi dii omnes excludantur; quemadmodum etiam præcedentia verba intelligenda eſſe, ipſe Chriſtus docuit, ea citans apud Matthæum & Lucam, utrobique cap. 4. Nam cum hîc ſcriptum ſit, *Dominum Deum tuum timebis*, (*adorabis* habet Chriſtus) *& ipſum coles*; Chriſtus habet expreſſe addita particula excluſiva, *& illi ſoli ſervies.* Quapropter cum additur, *& per nomen ejus jurabis*, intelligendum eſt hoc dici, *& per illius ſolius nomen jurabis*: præſertim cum ſtatim ſequatur cap. 6. 14: *Non ambulabitis poſt deos alienos, è diis populorum, qui in circuitibus veſtris*: quæ per appoſitionem prioribus ſubnectuntur. Particulam autem hanc excluſivam, quam ſubaudiendam diximus, non excludere Chriſtum, Deo in imperio ita conjunctum & ſubordinatum, ut unum cum ipſo dici queat, ex iis poteſt intelligi, quæ de adoratione ac cultu divino in genere ſupra diſſeruimus. Præter mandatum iſtud in Deuteronomio expreſſum, extat & alterum, quanquam generalius patere poteſt, Exod. 23. 13. ubi ait Deus, *neque nomen aliorum deorum memorabitis; non audietur in ore tuo*; ubi vetus interpres habet, *& per nomen externorum deorum non jurabitis.* Etſi vero non eſt neceſſe adeò anguſtè ſumere verba, cum poſſint latius extendi, ac ſi dictum eſſet, non tantum non coletis alienos Deos, ſed ne ullam quidem mentionem eorum facietis, quemadmodum in Bibliis magnis Roberti Stephani habetur, certum tamen eſt, imprimis juramentum, in quo nomen aliorum Deorum interponitur, iſtis verbis prohiberi. Vide etiam Eſa. 45. 23. Et Jerem. 5. 7. Ubi Deus pœnam comminatur populo, *quia*, inquit, *filii tui reliquerunt me, & juraverunt per eos, qui non ſunt Deus.*

Atque huc referenda ſunt juramenta, quæ hodie fiunt, Sanctorum noimine invocato, quos eo ipſo, dum (ut illi arbitrantur) in cœlo abſentes, invocant rerum ignotarum teſtes, ac vindices ordinarios, (ut ita dicamus) pro diis ac numinibus habent ac colunt; ſiquidem, ut ſupra diximus, jurare per alicujus nomen eſt eum tanquam numen aut Deum colere, vel ſaltem ejuſmodi cultum profiteri. Qua de cauſa tantopere prohibuit Deus, ne per aliorum deorum nomen juraretur. Aliquid huic vicinum committitur, cum non quidem perſona aliqua in juramento commemoratur: ſed res tamen aliqua, quæ vulgo religioſa veneratione quadam & cultu digna cenſetur, quæ tamen eo haud quaquam digna eſt; ut cum quis per imaginem aliquam jurat, qualis eſt imago Chriſti crucifixi, aut per ipſam crucem materialem. Dico materialem: quia ſi quis per Chriſti crucem, hoc eſt, mortem crucis juraret, quæ res eſt ſanctiſſima & ad Chriſtum verè pertinens, hujus criminis non cenſeretur reus: quemadmodum etiam ſi quis per Euangelium aut Dei verbum juret, non intelligens librum aliquem, quatenus is charta aut literarum notis ac figuris conſtat, ſed ſimpliciter Euangelii doctrinam, ſive ea ſermone proferatur, ſive literis exprimatur, ſive in animis hominum hæreat. Ea enim res vere eſt ſancta: &, quemadmodum Chriſtus docet, templo, aut ara, aut Hieroſolymis commemoratis religioſe quippiam aſſeri, atque adeò jurari, eamque affirmandi rationem non eſſe parvi pendendam, ſed potius perjurium aliquod admitti, ſi quis eo pacto fallat: ita etiam de hujuſmodi loquendi formulis, cum per Euangelium v. g. aut per mortem Chriſti cruentam ſeu vulnera juratur, ſtatuendum eſt. Facile autem animadvertitur, quo pacto honor divinus lædatur, ſi ejus commemoretur nomen, aut etiam ea res tanquam divina interponatur, quæ divina non ſit; quia honor & cultus ſoli numini debitus, ad aliam ſive perſonam ſive rem transfertur, quanquam nunc apertius, nunc minus apertè, & idololatria latius ſumta committatur.

Explicuimus hactenus propriè modum ejus vitii, quod in exceſſu peccat, qui eſt, cum ejus in juramento nomen interponitur, qui veritatis teſtis ac vindex non eſt invocandus: ſequitur poſterior; qui eſt, cum ipſa res, de qua religioſe quippiam venit affirmandum,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vel potius affirmari deberet, non eſt ejus modi, ut juramento ſit confirmanda; qui modus iterum eſt duplex. Vel enim falſum foret id, quod juramento confirmatur; vel res eſt aut levior ſaltem, aut incertior, quam ut adeò ſacroſanctè debeat affirmari, & Deus in teſtimonium ejus vocari: & illum quidem modum perjurii nomine complectimur. Id vero iterum admittitur duplici ratione: aut enim id, quod falſum jam eſt, atque conſtat ei, qui jurat, jurejurando confirmatur; quod in præteritis, & jam re ipſa præſentibus revera locum habet: vel licet nondum dici queat, id eſſe falſum, quod juratur, tamen poſtea fit falſum, ut ſi quis juramento confirmet, ſe aliquid facturum, idque tum dicat ex animo, ſed poſtea tamen juramentum non præſtet, poſitis iis conditionibus, quas vel expreſſit aperte, vel tacite ſaltem poſuiſſe præſumendus eſt; ita ut animum, quem jurans habebat, poſtea mutarit. Quod ideò addimus, quia ſi quis de re futura juret, & interim jam tum animum non habeat, eam reipſa præſtandi, priori iſto modo pejerare cenſendus eſt, & id, quod falſum tum eſſe novit aut arbitratur, juramento confirmare. Addimus etiam, illum demum perjurum fieri, qui poſitis iis conditionibus, quas vel expreſſe addidit, vel tacitè ſaltem poſuiſſe præſumendus eſt, id, quod juravit ſerio ſeu ex animo, poſtmodum non præſtet: quia quale juramentum eſt, talis etiam eſt obligatio ad illud opere complendum; ſi ſimplex & abſque ulla conditione, ſimpliciter etiam obſtringit: ſi conditionatum, etiam ſub conditione obligat. Videntur autem quædam eſſe, quæ nonnunquam non exprimimus, ſed ſubaudire ſolemus, niſi forte temerè & ex affectu aliquo, non vero ex judicio rationis (quod hîc vehementer cavendum eſt) juramentum erumpat: v. g. ſubaudiri poteſt nonnunquam conditio ea, ſi vixero, ſi eas vires ac facultates habuero, quas me habiturum, eſt veriſimile. Nam ſi homo Chriſtianus etiam in aliis aſſeverationibus, in futurum ſpectantibus, hanc conditionem, Si Deus voluerit, &, Si vixerimus, adhibere debet, quemadmodum Jacobus monet: multo magis eam adhibere debet in juramentis, & tam religioſis aſſertionibus. Quanquam (ut poſtea dicemus) de futuris contingentibus homo Chriſtianus jurare nunquam debet, niſi forte de animo ſuo, quem tum temporis habeat ad rem eam, ſi vires & vita ſuppetant, perficiendam; quo ipſo de re præſenti juratur.

Non eſt autem is quoque ſimpliciter pro perjuro habendus, qui id non præſtat, quod Dei voluntati videt manifeſtè repugnare, vel ſaltem majores habet cauſſas, cur credat, id Dei voluntati repugnare, quam cur non credat, licet id juramento confirmaverit; ſive tum ſciverit, eam rem divinis mandatis fuiſſe adverſam, quemadmodum ii nonnunquam jurant, qui ira aut alio affectu laborant, ſive id tum ignoraverit, ſi modo tunc, cum præſtandi tempus eſſet, ideo non faciat, quia Dei metu & reverentia prohibeatur. Eatenus aliquo modo perjurii crimen ei poteſt objici, quatenus nihilominus id, quod falſum erat futurum, aut fieri etiam debebat, juramento ſeſe facturum ſtipulatus eſt: ſed tamen multo magis eatenus peccare cenſendus eſt, quatenus rem malam ac juramento indignam Dei confirmavit teſtimonio, & autoritate; de quo poſtea demum in altera hujus modi ſpecie agemus. Quod ſi quis rem malam ſe facturum ſciens prudens juret, & poſtea aliam ob cauſam, quam ob Dei metum mutet, bis peccat, & quod malè juraverit, & quod non eo, quo debuit, modo juramentum præſtiterit, utrobique in Dei majeſtatem injurius.

Ad eas autem res, quæ cum Dei voluntate pugnant, eas quoque referimus, quæ ei ipſi nociruræ eſſent, præſertim inſigniter ac per ſe, cui juramentum eſt præſtitum, & poſtea foret exſolvendum: pugnat enim id cum charitate, licet is tandem lubens illud malum eſſet incurſurus. Quod ſi leve admodum eſſet futurum damnum, quod alter eſſet incurſurus, & ei perſuaderi non poſſet, ut te juramenti religione abſolveret; præſtandum potius juramentum, quam omittendum. Quanquam etiam aliàs, ſi grave ſit futurum alterius damnum, danda eſt opera, ut alteri, cujus res agitur, id perſuadeas: ac præterea non tantum opinione, ſed certis ac firmis utendum eſt hîc fundamentis; ne forte tuæ potius utilitatis, quam ipſius honeſti ac religionis, ipſiuſque adeò Dei, rationem habuiſſe videaris. Hæc de eo juramenti genere, in quo id quod falſum eſt, aut falſum eſt futurum, juratur: quod perjurii nomine complecti ſolemus.

Sequitur alterum genus juramenti illiciti, quod in iis verſatur rebus, quæ indigniores ſunt, aut incertiores, quam ut divino teſtimonio comprobari debeant. Ex quo jam apparet, hoc quoque juramenti genus duplex conſtitui poſſe, pro materia duplici in qua verſatur: in quarum altera ſpectatur indignitas quædam rei, in altera incertitudo. Indignitas duplex eſt: vel enim res eæ, quas quiſpiam juramento ſe facturum ſpondeat, malæ ſunt, ac divinæ voluntati adverſæ, quæ etiam poſt juramentum reſcindi debent: (neque enim juramentum quicquam valere debet ad peccatum perpetrandum; nec reverentia numinis ſeipſam debet evertere: everteret autem ſeipſam, ſi ideo nobis in Deum peccandum eſſet, quia per ipſius nomen juraſſemus, & ſic ipſius majeſtatem violare nollemus. Dolendum potius eſt, & deprecandus Deùs, quòd in re mala juraveris, & ſic, quod male ac temerè factum erat, corrigendum potius, quam peccatum peccato addendum.) vel non quidem per ſe malæ ſunt, ſed tamen leviores, atque adeò indigniores, quam ut ſupremum numen in teſtimonium ad eas advocetur, & ſic majeſtas ejus veluti proſtituatur. Nam ne homines quidem quoſvis audemus ad res quaſvis advocare teſtes, ſed dignitatis eorum habendam eſſe rationem arbitramur. Quanto ergo major habenda eſt ratio majeſtatis divinæ, quæ omni humana infinitis partibus eſt major? Leviores autem res ſunt, quam ut quis earum confirmandarum cauſſa Dei nomen interponat, cum vel nihil vel parum intereſt, ut eæ veræ credantur, ſeu (ut apertius rem explicemus) cùm nulla nobis neceſſitas imponitur, ut juremus. Neceſſitatem autem appello, non ſimplicem, ſed vim ejuſmodi, quam effugere vix ac ne vix quidem, aut nonniſi magno cum detrimento poſſis: v. g. ſi vita ſive tua ſive alterius, vel id, quod cum vita pari propemodum paſſu ambulat, fama ſive tua ſive alterius cujuſquam agatur, in qua ſimul gloria divina poſſit agi, quam tu tamen juramento & quidem veriſſimo redimere queas, eo omiſſo nequeas; (nam alioquin ſi eo quoque neglecto idem præſtare poſſis, nulla eſt jurandi neceſſitas:) res digna eſſe videtur, cujus cauſa juramentum ſuſcipiatur. Idem ſtatuendum eſt de commodis ejuſmodi, quæ habita ratione facultatum tuarum, aut cujuſpiam alterius ſint inſignia, atque adeò ejuſmodi, ut quiſpiam ſine iis vitam ſuam ægrè tueri, aut etiam longè minus gloriæ divinæ aut aliorum utilitatibus, quas tamen curare æquum eſt, inſervire queat; præſertim ſi juſtus ſit metus, ne alii facilitate hominis Chriſtiani, à juramentis tantopere abhorrentis, ut malit commodis ſuis cedere, quam jurare, abuſi, eundem poſtea variis calumniis tentent, & ita paulatim facultates ipſius carpant, aut majora etiam in ipſum moliantur: qui tamen metus, niſi ejus graviſſima ſint & valdè evidentia argumenta, non debet quenquam adigere, ut in re non magni momenti juret, ſi nihil aliud quam emolumentum ipſius agatur. Nam reſtabit adhuc tempus, juramento ſe poſtmodum purgandi, & à falſis criminationibus vindicandi. Nihil autem de eo nunc dico, quod interdum contingere poteſt, ut leve quidem detrimentum ſit paſſurus, qui juramentum præſtare neglexerit; ſed interea tamen fama ipſius laborare poſſit graviſſime; ut ſi quis viro honeſto objiciat, eum unum aut alterum aureum furto ſurripuiſſe, aut alias per vim eripuiſſe, aut detinuiſſe. Tum vero non commodi ſed famæ tuendæ cauſſa jurandum eſt, & interdum propè magis, quam ſi de ingenti aliquo commodo ageretur; cum videatur turpius eſſe, in re tam levi fidem ac honeſtatem violare, quam in re ea, in qua majus eſt peccato pretium. Contingit autem ferè, ut, cum de com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

modis agitur, & quidem ita ut non niſi juramento decidi controverſia queat, ſimul etiam fama laboret alterutrius partis, ſæpè etiam utriuſque: unius, quaſi per calumniam petat; alterius, quaſi fraudulenter ac per injuriam detineat. Itaque tum imprimis conſiderandum eſt, quid fama honeſta poſtulet; imo etiam generatim loquendo magis, quam quid emolumentorum ratio requirat. Neceſſitas autem hæc, de qua hactenus diximus, ex rei ipſius, qua de agitur, natura & circumſtantiis pendet. Alia poteſt eſſe neceſſitas, quæ nonniſi à violentia ejus proficiſcatur, qui juramentum imponit: & magiſtratui hac in parte quidem plus licet, aliis minus; licet interdum plus poſſint. Magiſtratui, qui ſerio rem quampiam agit, & pro eo jure, quod in te habet, jusjurandum tibi imponit, modo res non ſit prorſus indigna, ad quam Deus advocetur teſtis, parendum eſt; ſi non poſſis vel precibus, vel alia quapiam legitima ratione juramentum hoc effugere; etiamſi tandem res, de qua agitur, tibi videatur eſſe levior, quam ut tua ipſius cauſa, abſque imperio magiſtratus eſſet, jurare velles. Cæteris hominibus minus videtur obſequendum in rebus hujuſmodi, & incommodum potius aliquod ſuſtinendum, idque non leve, quam ut in re per ſe levi, in qua nec tua nec aliorum admodum interſit veritatem tam ſanctè confirmari, juramentum adhibeas. Sed hæc in genere definire non eſt facile, cum ex circumſtantiis potius ſint æſtimanda. Qua in re prudentia hominis Chriſtiani, timori numinis divini conjuncta, maxime cernitur. Hæc de indignitate materiæ.

Ad incertitudinem quod attinet; ea duplex eſt. Vel enim incertitudo eſt in notitia noſtra; vel in ipſius rei natura: hoc eſt, vel nos non ſatis habemus rem exploratam, vel res ejuſmodi eſt, ut ne poſſit quidem certo haberi explorata, nec ſub indubitatam cadat notitiam. Iſtud in rebus præteritis, aut jam extantibus locum habet; hoc in futuris contingentibus, iis præſertim, quæ non ſunt poſita in noſtro arbitrio ac poteſtate. De neutris jurandum eſt, cum juramentum ſit conſtantiſſimum aſſeverandi genus, adeóque nonniſi in iis adhibendum, quæ certa prorſus & explorata habemus, quod in neutro fit iſtorum. Interim tamen, cum de rebus incertis agitur, poteſt aliquid haberi certi. Nam poſſet v. g. quiſpiam de re incerta ita loqui, atque adeò ita jurare, non quidem rem eſſe certam, aut certo ſe ſcire, ita rem ſeſe habere; ſed quantum meminiſſe poſſum, aut ita ſibi viſum atque adhuc videri. Nam hoc ipſum jam certum eſſe poteſt, ſe tantum meminiſſe, & hoc ita ipſi videri. Quod attinet ad futura contingentia, ea præſertim, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, de iis non eſſe jurandum, nimis videtur manifeſtum, tum ex juramenti natura & ſanctitate, tum ex ſevera Chriſti Servatoris interdictione. Quod ad ea attinet, quæ in noſtra ſunt poteſtate, ea iterum duplicia ſunt: vel enim animum tantum & voluntatem conatumque noſtrum ſpectant, & intra hunc ſubſiſtunt terminum: vel ipſum etiam effectum & opus, ad quod conatus noſter tendit, complectuntur. Poſteriora non ſunt penitus in noſtra poteſtate, ſed in Dei imprimis, qui hæc pro ſuo arbitrio gubernat, & nunc promovet, nunc impedit, tum deinde etiam in aliorum hominum arbitrio, & occaſione, & facultatibus poſita ſunt. De his igitur non eſt jurandum propter cauſas jam dictas. Priora, quæ intra conatum noſtrum ſubſiſtunt, an juramento confirmari queant, dubitari poteſt: præſertim ſi Magiſtratus v. g. juſſerit, & res ſit magni momenti, ut cum juramentum fidelitatis exigitur, cui ſimile quippiam adhibetur in ſolemnibus ſtipulationum formulis, quibus alter conjugum alteri fidem obligare conſuevit? Reſpondendum eſt, cum res in noſtra poteſtate ſita eſt, eaque honeſta eſt, & quiſpiam ad eam juramento confirmandam non temerè, ſed neceſſitate quadam coactus accedit, ſi quis non ſibi revera fidat, ſed Deum invocet, ut ſibi largiatur conſilii conſtantiam, & efficiendi vires; in ipſo quidem juramento per ſe peccatum committi non videri; ſed in eo periculum revera eſſe, ne quis id, quod juravit, præſtet, & in eo, quem ſtipulatus eſt, animo non perſeveret, & ſic judicium divinum ſibi accerſat. Quod videtur indicaſſe Jacobus, cum juramentum omne prohibens, hanc cauſam addit, (ſi lectionem tum Veteris Latini, Syrique interpretis, tum quorumdam Græcorum exemplarium ſequamur,) ne in judicium incidatis, Græcè ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε: pro quo in vulgaribus codicibus Græcis habetur ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. Lectionem autem priorem poſteriori præferendam crediderim, tum quia planior eſt, tum quia magis & validius à juramento abſterret; &, ut aliæ cauſæ abſint, ob quas jurandum non eſſe diximus, hæc cauſa ubique locum habere poteſt, adeóque eſt generalis. Judicium enim pro pæna & damnatione quadam accipiendum fuerit, quod conſequitur, ſi vel temerè, vel falſum juraveris. Itaque (ut ad rem redeamus) etiam hîc ſatius eſſe videtur, niſi neceſſitas, ut diximus, incumbat gravis, non jurare, licet res videatur in poteſtate tua ſita: quia varius & mutabilis eſt hominum animus, & multa ejus conſtantiam excutere queunt. Quod ſi jurandum tamen eſt, id potiſſimum, quod tum præſens eſt, juramento aſſerendum eſt: nempe eo nos eſſe animo, idque conſtanter ac ſerio agere velle, ut impoſterum id agamus, quod à nobis exigitur; ita ut ſi contra faciamus, nos ipſos jam dignos pronunciemus, qui vel à Deo, vel ab aliis, qui pœnam violatæ fidei à nobis exigere queunt, puniamur.

Iſtud autem hîc memoria repetendum eſt, quod ſuperius alicubi indicavimus de confeſſione differentes; in juramentis non eſſe ludendum ambiguitatibus, nec credendum, te perjurii crimen effugere poſſe, ſi eum, cujus cauſa juramentum præſtatur, verbis dubiis poſſis eludere, & alio ipſemet ſenſu verba tua accipere, alio alteri obtrudere. Nam cum juramenti hæc ſit natura, atque in eum finem ſuſcipiatur, ut alteri fiat fides, eique caveatur, verum id eſſe quod aſſeritur: eo etiam ſenſu juramenti verba ſunt accipienda, quo tu vis accipere eum, cui rem juramento conaris perſuadere. Itaque ſi tu verba eo ſenſu, quem alteri conaris obtrudere, falſa eſſe putas, aut præſtare non vis, dum nihilominus Dei nomen interponis, falſum ſciens prudens juras, atque adeo perjurus evadis.

Hactenus de juramentis egimus, quatenus à nobis ipſis ſuſcipiuntur: dicendum eſt etiam nonnihil de iiſdem, quatenus à nobis jurandi quædam neceſſitas imponitur aliis; quanquam res ex ſuperioribus ferè patet. Nam quibus in rebus nobis ipſis jurare non licet, ad eaſdem juramento confirmandas cæteros non debemus adigere. Interea tamen ſi ſpes ſit, fore, ut quis juramenti religione adigatur ad verum fatendum, & præſtandum id, quod jure ab illo poſtulamus: poteſt quis hoc pacto, ut in judiciis nonnunquam fit, terreri, ut juramentum ei præſtandum imponatur. Quod ſi tamen quiſpiam ita videat obſtinatum adverſarium, atque adeò impium, ut pejerare malit, quam verum fateri; ſatius eſt, juramentum ei remittere, quam ad reipſa pejerandum, & lingua etiam Dei nomen prophanandum porro impellere; cum & res ipſa per ſe ſit deteſtabilis, & nullum ex ea emolumentum. Eodem pertinet, nequis eum facile impellat ad juramentum præſtandum, qui quidem à perjurio videtur alias abhorrere; ſed, eam fortaſſis pietatis conſtantiam non habet, ut malit verum fateri non juratus, quam non pejerare; quia nimirum magnum paſſurus ſit detrimentum, ſi verum fateatur; ita ut valdè ſit verendum, ne metus tanti damni, aut magna ſpes commodi eum ad perjurium adigat, cum pauci ſint, qui contemnere iſta norint. Itaque in univerſum ſatius eſt, aliis argumentis potius reum convincere, quam ad jurandum cogere, quod à prudentibus quoque magiſtratibus obſervari ſolet.

Quæri hoc loco poſſit, quid homini Chriſtiano ſit faciendum, cui juramentum (quemadmodum legibus hujus regni conſtitutum eſt) non imponatur ſoli; ſed ita, ut alios quoque ea in re habeat ſocios, cum interim (id enim hîc ponimus) ipſe quidem de veritate

ritate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ritate rei, qua de agatur, planè ſit certus; alii verò haudquaquam. Id quidem optandum foret ne quis hujuſmodi aſciſcere cogeretur ſibi ſocios, & ſtatuendum eſt, niſi valde magna cogat neceſſitas, juramentum potius omittendum eſſe, quam his ſociis ſuſcipiendum, etiamſi alias res non indigna videatur, quæ juramento confirmetur. Verumtamen ſi aliter fieri haudquaquam poſſit, reſque ſit maximi momenti, & ſic inevitabilis quædam neceſſitas; danda eſt homini Chriſtiano opera, ut id, quod cæteri una cum ipſo juramento ſunt confirmaturi, quibus poteſt argumentis & rationibus eis perſuadeat, & fidem ipſis ejus rei faciat, ut illi ſalva & illæſa conſcientia nihilominus, ſi quam modo habent, jurare poſſint. Sed ſi Chriſtianus homo dubitet nihilominus, utrum id ſibi liceat nec ne, generalem jam ſupra vidimus regulam, *quicquid eſt ſine fide, id eſſe peccatum.* Itaque quodvis potius detrimentum & incommodum ei eſt ſuſtinendum, quam ut hoc pacto juret & conſcientiam offendat: ſed Deo potius res committenda, quem non eſt veriſimile hominem ita ſui reverentem deſerturum, ut ut nihilominus aliquid ei ſit patiendum.

Affinitatem quandam habet cum impoſitione juramenti ab altero præſtandi adjuratio, quam alii non recte cum illa confundunt. Nam cum legunt Græcam vocem ἐπιορκίζειν, perinde eam accipiunt, ac ſi is cui hæc actio tribuitur diceret, juramento id mihi confirma; quam ſententiam confutavit Socinus in Diſputatione cum Palæologo, 1 parte, pag. 136 & ſeqq. Eſt autem adjuratio illa nihil aliud, quam obteſtatio aliqua ſancta ac religioſa, quæ fieri ſolet, aut perſonæ aut rei nomine interpoſito, cujus nomen etiam in juramento adhibere ſolemus; qua quidem obteſtatione alterum quodammodo obligare aut adigere volumus, ut reverentia quadam aut charitate rei aut perſonæ, cujus nomen interponitur, impulſus, id dicat aut faciat, quod ab eo requirimus. Itaque adjuratio eſt veluti fictio quædam juramenti, ſeu ſermo à nobis quidem profectus, ſed quo propemodum ita putamus obligari poſſe eum, quem cogere volumus, atque ſi ipſe juraſſet. Hujuſmodi etiam adjurandi formulis non eſt temerè utendum, præſertim tum, cum ad verum fatendum adigere volumus, eum qui ſine pudore aut ignominia aliqua aut damno, nec poſſit fateri verum, nec negare ſe verum dicturum. Nam ſi is non audeat apertè obteſtationi iſti refragari, ſed aliquomodo eam agnoſcat, & velut ea conditione, qua illi confeſſio veritatis imponitur, eam ſe profiteri præ ſe ferat, juraſſe propemodum cenſendus eſt, & ſanctius rem aſſeveraſſe, quam in vulgaribus loquendi modis fieri ſoleat. Unde etiam fit, ut, ſi mentiatur, conſcientia ipſius, ſi callum non obduxerit, & ad ictus hujuſmodi non obſtupuerit, vulneretur. Quin etiam ſi quiſpiam tantum rogetur, ut quippiam præſtare velit, niſi res ſit magna, & præterea ejuſmodi, ut alterius videantur eſſe partes atque officium, eam præſtare, non ſunt facile obteſtationes illæ Sanctæ ac religioſæ adhibendæ, ne vel alter contra judicium animi ſui quippiam cogatur facere, aut ſi facere neglexerit, videatur ejus ſive perſonæ ſive rei, per quam facta eſt obteſtatio, minus amans, & minori ejus reverentia teneri; quod vel exiſtimationi illius apud alios obeſſe, vel ejus etiam ipſius conſcientiam lædere poſtea poteſt.

Quod ad eos attinet, quibus permovendis obteſtationes ſeu adjurationes adhibentur, eos ſi quidem id facere nolunt, quod rogantur, decet teſtari, ſe hac obteſtatione non obligari; &, ſi res exigat, cauſam etiam afferre aliquam, ob quam ad id præſtandum non obſtringantur: niſi forte temere, aut levi aliqua de cauſa, aut ex more, de quo conſtet omnibus, obteſtatio hujuſmodi ab altero fuerit adhibita, & non ſit valdè metuendum, ne quiſpiam ob hujus obteſtationis neglectum offendatur. Alias convenit aliqua ratione profiteri, perſonam aut rem illam, quæ in obteſtatione fuerit expreſſa, non contemni, etiamſi id, quod quis roget, non fiat: nam ſi quis prorſus taceat, contrarium quiſpiam, qui id audiat aut videat, de eo ſuſpicari poſſit.

Cap. IX.

De laudibus & præconiis divinis.

SUccedunt nunc inter honoris divini partes tertio loco laudes aut præconia; quo nomine omnia ea comprehendimus dicta, quibus Deo aliquid inſigne aut præſtans tribuitur, aut de eo prædicatur: id autem fit, ſive quis inſignem aliquam Dei proprietatem, (quanquam nulla non inſignis eſt) ſive attributum aliquod, præſertim quod vel ad majeſtatem Dei, vel ad ipſius erga nos beneficentiam ſpectat, ſeu denique factum aliquod Dei oratione celebret. v.g. ſi quis Dei potentiam, ſapientiam, æternitatem, quæ inter alias Dei ſunt proprietates, aut ipſius miſericordiam, aut ſedem ipſius ſublimem, ac majeſtati ipſius convenientem, quæ attributa potius, quam proprietates nominari poſſunt, quanquam poſterius etiam pro aliqua proprietate haberi poteſt) prædicet. Quod ad Dei facta attinet, eo nomine omnes Dei effectus, ſive in ipſo adhuc lateant, aut aliquo modo latuerint, qualia ſunt decreta ipſius, ſive ad effectum perducta fuerint, complectimur. Ea vero duplicia ſunt: nam vel benefica ſunt, vel certa ratione noxia, licet ſua natura recta ac juſta. Utraque quidem laude digna ſunt ob id ipſum, quia recta ſunt ac juſta: (quo pacto pœnæ ac judicia divina in ſacris literis nonnunquam celebrantur, quemadmodum fit in Apoc. 16. ℣. 5 & 7. in quorum priori introducitur Angelus loquens.) Sed tamen ea, quæ ſunt benefica, ſua natura laudes magis provocare ſolent, præſertim ſi ſint inſignia: ea enim non tantum recta ſunt, & ſic in ſeſe bona, ſed etiam bona aliis. Rurſus autem ea, quæ ſunt benefica, vel nos ipſos, qui ea prædicamus, aliquo modo obligant & devinciunt, vel ad nos proprie ac revera nihil pertinent. Poſterioris generis ea ſunt, quæ hominibus ad nos nihil pertinentibus, & quidem jam olim contigerunt: v.g. quod Deus huic aut illi populo, vel homini pepercerit; quò etiam referri poſſunt inſignia iſta Dei benefacta in populum Iſraëliticum non ſemel collata, ut quod in Ægypto omnia illorum primogenita cuſtodiverit, & ædes illorum tranſilierit, quod beneficium poſtea perpetuis temporibus ab hoc populo voluit celebrari, & ſi quæ ſunt his ſimilia. His factis divinis laus ſimplex ac prædicatio tribuitur; ſed quod ad illa attinet, quæ nos aliquo modo obligant & Deo devinciunt, illis etiam gratiarum actio debetur. Eſt enim gratiarum actio prædicatio beneficii, quod quis aliqua ratione ad ſe pertinere arbitratur, etiamſi tandem in ipſummet non ſit collatum, ſed in alium, cum quo ipſe conjunctus ſit, ſi non alio, ſaltem ipſius naturæ ac humanitatis vinculo; quo pacto homines Chriſtiani pro omnibus hominibus gratias agere debent, quemadmodum docet Paulus 1 Tim. 2. 1. Eſt enim gratiarum actio inſtar ſolutionis & compenſationis cujuſdam, ſed quæ verbis tantum, non re peragatur: ſolutio autem & compenſatio quoddam debitum & obligationem antegreſſam poſtulat. Obligamur autem illis beneficiis, quæ ad nos ipſos proprie ac directè ſpectant; &, quò ea ſunt majora, tanto magis: tum deinde iis, quæ conferuntur in perſonas nobis conjunctas; & quò conjunctiores illæ ſunt, tanto magis, cæteris paribus, quod in omni comparatorum genere ponendum eſt. Obligari autem nos beneficiis in alios etiam collatis, ex eo ſatis patet, quod gaudere quoque ſoleamus, imo etiam debeamus, cum aliis benefit, & contra dolere, ſi malè. Ubi autem aliquid gaudii aut doloris noſtri intereſt, ibi etiam obligari poſſumus.

Ex dictis autem jam ſatis patet, pro quibus beneficiis magis ſint agendæ gratiæ, aut diutius: ſiquidem duo iſta imprimis ſunt notanda, magnitudo beneficii, & is, in quem eſt collatum, qui, ſi diverſus eſt à nobis ipſis, vel propinquior eſt vel remotior. Ad magnitudinem autem beneficii rectè æſtimandam non id tantum pertinet, quid ſit illud, quod in quempiam ſit collatum: ſed etiam quam fuerit eo dignus aut indignus, & quo tempore, quo fine, ac fructu,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quo denique pacto id fuerit præſtitum: nam ab his rebus id magnum ſæpè capit pondus. Jam vero nemo dubitat, quin ea beneficia, quæ ſpiritualia ſunt & cœleſtia, atque ad æternam noſtram felicitatem ſpectant, omnium ſint maxima, & inter ea quidem primum ipſe finis ſeu felicitas nobis oblata, in qua remiſſio peccatorum perfecta continetur, tum media ad hunc finem pertinentia, ſive ea extra nos per ſe ſint poſita, ſive in nobis exiſtant: quorum illa ſunt imprimis annunciatio ſalutis, & promulgatio viæ ad eam ducentis, tum confirmationes additæ, atque imprimis eæ, quæ ſingularem Dei ac Chriſti erga nos amorem arguunt, qualis eſt Chriſti mors, reſurrectio & exaltatio, & nonnulla hujus effecta ad veritatis cœleſtis patefactionem pertinentia. Hæc vero, quæ in nobis ſunt, ſiquidem ab iis rebus, quas recenſuimus, prorſus pendeant, ut cognitio veritatis inde nata, cum illis ſunt computanda, ſed alia ſunt adhuc peculiaria, ut divini Spiritus dona. Sed hæc nunc accuratè perſequi, non eſt hujus loci, quemadmodum nec illa, quæ ad hanc vitam propriè pertinent.

Quod ad perſonas attinet nobis aliqua ratione conjunctas, quæ cum beneficiis afficiuntur, nos ipſi quoque ad gratiarum actionem Deo præſtandam obligamur: primo quidem ii, qui ſpiritu nobis ſunt conjuncti occurrunt; inter quos iterum nobis poſſunt eſſe conjunctiores, vel quod ejuſdem cætus particularis ſint membra, vel quod in eodem munere ſacro collegæ; deinde ii, qui ſecundum carnem nobis ſunt conjuncti, ubi varii iterum occurrunt gradus. In utroque autem genere illi eminent, qui quamplurimis proſunt aut prodeſſe poſſunt; illic quidem eccleſiarum rectores, doctores patronique, & alii eccleſiæ vehementer utiles; hîc verò publicè quidem magiſtratus, privatim verò parentes, & ſi qui ſunt vel his vel illis ſimiles, aut ad eos accedunt propius, in quos cum beneficium à Deo confertur, utilitas ac fructus inde redire poteſt, & redire etiam ſæpiſſimè ſolet ad plurimos. Itaque pro illis imprimis agendæ ſunt Deo gratiæ. Sic Paulus Corinthios monet, pro ſeſe gratias agendas eſſe Deo, propterea quòd ipſum eripuiſſet, ex præſenti mortis diſcrimine, cujus rei fructus ad ipſos quoque redundarit: 2 Cor. 1. 11: quem cum præcedentibus confer. Pro Regibus etiam & magiſtratibus nominatim gratias publicè agendas eſſe idem monet loco ſuperius citato 1 Tim. 2. 2.

Poſſunt autem laudes divinæ prædicari, vel oratione ſimplici, vel cum cantu aliquo conjuncta. Quanquam hæc diſtinctio, non tantum ad laudes divini numinis ſtrictè ſumtas pertinet; ſed etiam ad univerſum orationis genus, quod ad honorem divini numinis ſpectat, juramentis forte exceptis; cum & in precibus cantus nonnunquam ſoleat adhiberi, & in iis, quæ ad confeſſionem nominis Dei aut Chriſti pertinent, imo etiam quæ ad nos erudiendos potiſſimum ſpectant, quod vel ex Pſalmis Davidis liquet. Sed quod ad poſterius attinet, videtur id etiam probari illis Pauli verbis ad Col. 3. 16: ubi præcipit, ut ſermo Chriſti habitet in nobis copioſe in omni ſapientia, ut doceamus & erudiamus nos pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus, in gratia canentes in corde noſtro Domino. Cui reſpondet ille ad Epheſ. 5. 19: ubi vult, ut loquamur nobis invicem pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus, canentes & pſallentes in corde noſtro Domino. Quanquam interdum una & eadem opera & erudiri poteſt alter, & laudes Deo cani. Verumtamen etiamſi latius porrigatur cantus in ſacris adhibitus, atque etiam ad preces & confeſſionem edendam, & ad alios erudiendos; tamen magis proprius eſt laudis & gratiarum actionis; quod ipſemet Paulus videtur indicare locis dictis, ubi ſtatim gratiarum actionem conjungit, cum ait, *gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Deo & Patri*: dicto loco ad Epheſ. 5. 20. quod aliis verbis habet etiam loco alio ad Col. 3. 17. Quanquàm præterea verba iſta, *in gratia*, quæ cum cantione conjunguntur ℣. 16, poſſunt ita accipi, ac ſi dictum eſſet cum gratiarum actione, vel (ſi mavis) cum gratitudine; licet etiam ita queant ſumi, ac ſi dictum fuiſſet, cum gratia, ſeu gratè, aut cum ſuavitate quadam, quæ tamen ſuavitas non tam in voce, quam in animo ſit ſpectanda. Sed præterea inde quoque id patet, quod cantus lætioris fere ſit animi indicium: at lætitia magis convenit laudi & gratiarum actioni, quam vel precibus, (quæ ſunt hominis magis ſolliciti, & deſiderio rei potiundæ anxii & afflicti, aut ſaltem indigentis) vel confeſſioni. Indicavit hoc Jacobus cap. 5. Epiſt. ſuæ, ℣. 13, ubi ait: *Affligitur quiſpiam inter vos? oret. Hilari quiſpiam eſt animo? canat.* Quaſi afflictioni propria ſit precatio, hilaritati cantus: quia illa magis convenit illi; hæc vero huic. Idem etiam indicavit Paulus loco ante dicto ad Epheſ. 5. ubi ineptis ebriorum hominum moribus, & inconditis cantionibus, cantiones ſpirituales videtur opponere, & monet ut quemadmodum illi vino ebrii ob hilaritatem in cantum ora reſolvunt, ita Chriſtiani homines repleti ſpiritu, ſeu ſpirituali quodam impetu ſeu affectu, læta voce hymnos Deo canant. vide ℣. 17, 18. Etiamſi autem cantus ipſe vel ſimplex eſſe poſſit, vel cum aliquo inſtrumento muſico conjunctus, (illum enim hîc non commemoramus, ubi ſine voce ac ſine mente ſonus tantum exhibetur inſtrumentis muſicis, præſertim in publica Eccleſia, cum cultus noſter rationalis ſit ac ſpiritualis, cum quo ſonus ſine mente nihil habet conjunctum.) tamen convenientius eſt Chriſtianæ religionis ſimplicitati ac puritati, & ſpirituali Deum colendi rationi, quæ ab externis & valde quæſitis & operoſis ornamentis & quibuſcunque aliis, quæ ipſe animi impetus per ſe non ſuggerit, abhorret, & iis quodammodo polluitur: convenientius ei, inquam, eſt, ut abſque illis Deo canantur laudes, quam cum illis, præſertim in publicis piorum conventibus. Nam præter cauſas jam allatas, illud quoque contingit, quod ii, qui inſtrumenta iſta tractant, dum modulorum ſuavitati & artificio ſunt intenti, mentes vix poſſunt ad Dei laudes attendere, imo interdum vix cogitare quicquam ea de re poſſunt; ut ii, qui pulſant organa & fiſtulas inflant, aut quippiam ſimile tractant. Præterea cum plerumque minus religioſi, imo interdum prophani eſſe ſoleant, qui has artes exercent, indignum videtur eſſe, eos ad laudes Deo canendas adhibere. Ut taceam abuſus varios qui vix ac ne vix quidem caveri poſſunt, ubi mos ille invaleſcit; quod tamen, etiamſi tandem eſſet aliquis inſtrumentorum iſtorum, in quibuſdam ad devotionem excitandis uſus, eum abundè compenſaret. Sed facile eſt animadvertere, plurium aures ſono titillari, quam animos ad religionem excitari. Quapropter loco inſtrumentorum illorum, quibus cantus ſuavitas conciliatur, adhibendum eſt aliud organon, unde omnis cantionum noſtrarum & gratiarum actionis ſuavitas proficiſcitur, qua Dei aures oblectantur, quod Paulus adhibendum monet, nempe cor. Nam cum dixiſſet allegato jam ſuperius loco Epheſ. 5. 19, ut loquamur nobis invicem pſalmis, hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, addit, *canentes & pſallentes in corde veſtro Domino*; priori voce cantum ſimplicem, poſteriori duplicem quodammodo exprimens, & cor cum inſtrumento muſico eleganter comparans. (Pſallere enim eſt & voce viva canere, & ſimul inſtrumentum aliquod muſicum pulſare.) quaſi dicat, nos debere voce canere, & ſimul cor ipſum tangere; unde ſuaviſſimus oriatur concentus, & modulatio Deo gratiſſima. Vult autem Paulus, ut cantiones illæ ſint ſpirituales, hoc eſt, non prophanæ, non carnales, quales v. g. ſunt hominum ebriorum: ſed religioſæ & rebus divinis plenæ, ac conſentaneæ ſpiritui Euangelico, qui nihil terrenum, nihil carnale ſapit. Itaque cantiones ejuſmodi potiſſimum etiam inſtituendæ ſunt, præſertim publicæ, de rebus ſpiritualibus; ſed interdum tamen (quia hoc ipſum etiam ſpiritui divino conſentaneum eſt, ut pro omnibus rebus Deo gratias agamus,) de beneficiis ad hanc vitam pertinentibus, præſertim inſignioribus.

Iſtud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Iſtud adhuc addi poteſt ſuperioribus, quod quidem pertinet ad ea, pro quibus Deo ſunt agendæ gratiæ, quod non tantum ea, quæ ſua natura ſunt læta & jucunda, gratiarum actionem mereantur: ſed etiam ea, quæ per ſe ſunt triſtia, præſertim ſi ob juſtitiam aut Domini Jeſu nomen nobis contingant. Nam ea quoque in beneficiis divinis habenda ſunt: qua de cauſa à Paulo dicitur Phil. 1. ℣. 29, donatum iis eſſe pro Chriſto, non tantum ut in ipſum credant, verum etiam ut pro ipſo patiantur: quandoquidem omnia, hoc eſt, etjam triſtia, cooperantur in bonum diligentibus Deum: Rom. 8. 28: Quod qua ratione fiat, explicatum eſt ab eodem Apoſtolo partim cap. 5. ejuſdem Epiſtolæ, ℣. 3. & ſeqq. ubi oſtendit, cur in afflictionibus glorietur ipſe & alii veri Chriſtiani: partim vero 2 Corinth. 4. ℣. 17, 18. Res eò redit, quod afflictiones iſtæ partim ad ſpem non vanam immortalis vitæ, partim ad eam ipſam vitam nobis parandam, & à Deo obtinendam vim magnam habeant. Addatur etiam locus Jacob. 1. ℣. 2, 3. ubi cum monuiſſet nos omne gaudium arbitrari debere, hoc eſt, pro ſummo gaudio habere, quum inciderimus in varias ubique tentationes, cauſam reddit, *quia probatio fidei veſtræ*, hoc eſt, ipſa oppreſſio, per quam exploratur fides veſtra, *operatur patientiam*: quod etiam Paulus dixerat loco dicto Rom. 5, pluribus additis gradibus, per quos ab afflictionibus ad ſpem certam & indubitatam ſalutis deducamur. Unde Chriſtus gaudere diſcipulos ſuos jubet, & exultare, ſi perſequutionem juſtitiæ cauſa patiantur, cauſam afferens, quæ in dicto loco 2 Cor. 4. potiſſimum explicatur, quia merces illorum magna ſit in cœlis. Videatur etiam Petri 1 Epiſt. 1. ℣. 6: ubi eadem cauſa affertur. Et cap. 4. 13. 14: ubi additur alia quædam ratio, *quia ille gloriæ, & ille Dei Spiritus ſuper ipſos patientes requieſcat*, nempe quia eo potiſſimum tempore ille glorioſiſſimus Dei Spiritus ipſis adſit, & vim ſuam in illis exerat. Quod Paulus quoque videtur oſtendere cap. 8. ad Rom. ℣. 26. ubi cum de patientia & afflictione noſtra dixiſſet; quonam pacto Deus nos fulciat oſtendere volens, & ad ſuperiora, ubi de Dei Spiritu ejuſque vi agere cœperat, quodam modo rediens, addit, *Similiter autem & Spiritus una adjuvat infirmitates noſtras: nam illud quod precaturi ſumus, quemadmodum oportet, neſcimus*; hoc eſt, neſciremus, afflictionum intellige vehementia perturbati; *ſed ipſe Spiritus intercedit pro nobis gemitibus ineffabilibus*: (hoc eſt quod ipſi præſtare non poſſemus efficit, & in nobis gemitus excitat, quos tamen lingua exprimere non poſſumus, ita ut ipſe pro nobis preces concipere videatur) *qui vero ſcrutatur corda, novit, quinam ſit ſenſus Spiritus, quod ſecundum Deum intercedat pro ſanctis.* q. d. etiamſi quis tum temporis gemitus iſtos verbis explicare nequeat, & non tam ipſemet, quam ſpiritus videatur orare, mente alioqui turbata, (opponuntur enim alias *mente orare*, &, *Spiritu orare*, 1 Cor. 14. 14. 15.) tamen Deus novit, quid iſtud cordis deſiderium & gemitus à ſpiritu excitati ſibi velint, quandoquidem ille cordis receſſus ſcrutatur: videt autem iſtud deſiderium ipſius voluntati plane conſentaneum, quale non poteſt fieri irritum. Cum ergo tantos fructus videantur afferre afflictiones ob juſtitiam vel Chriſti nomen toleratæ; rectè etiam addidit Petrus eodem loco cap. 4, debere eos, qui hoc nomine patiantur, glorificare Deum hac in parte, atque adeò (cujus rei cauſa nos hæc omnia diſputamus) gratias eidem agere: ℣. 16. Addit autem eodem loco aliam adhuc rationem Petrus, quæ quomodo ad rem faciat non ſatis patet, *quia tempus eſt*, ait, *ut incipiat judicium Dei à domo Dei. Si autem primo à vobis, quis finis eorum qui non obediunt Euangelio Dei?* Videtur autem hæc ratio ad illa tempora, atque ad eos homines, ad quos ſcribebat Petrus (ſcripſit autem ad eos, qui genere Judæi erant, idque, quantum conjicere licet, non multo ante Urbis Hieroſolymitanæ & totius gentis excidium,) proprie pertinere; quod quidem ad Apoſtoli mentem ſpectat; licet ad alia quoque tempora alioſque homines accommodari queat: eaque eſſe hujuſmodi: Debetis hoc interpretari pro Dei beneficio, quod nunc potius affligamini, ubi tempus eſt afflictionis populi divini & Deo chari, quam ſi ad extrema tempora reſervaremini, ubi punientur graviſſime homines ii, ex veſtra præſertim gente, qui Euangelium Dei contumaciter repudiarunt; quod ſupplicium longè erit graviſſimum. Prædixerat enim Chriſtus Luc. 21, ubi recenſet ſigna anteceſſura Urbis illius excidium, aut gentis interitum, ante illa omnia fore, ut conjicerent [nempe Judæi increduli] in ipſos diſcipulos ſuas manus, & perſequerentur eos, tradentes in Synagogas & cuſtodias, ductos ad reges & præſides pro nomine ſuo; quod ipſis ſit abiturum in teſtimonium: ℣. 12. 13. Nam ut tanto majores haberent cauſas ii, qui adhuc eſſent ex ea gente ſanabiles, reſipiſcendi & Euangelium recipiendi, ipſe autem Deus, eos qui reſipiſcere, & Euangelium amplecti nollent, graviſſimè puniendi; voluit Deus prius conſtantia & patientia Chriſtianorum, tum vulgarium, tum etiam imprimis Apoſtolorum, doctrinam hanc penitus ſancire & confirmare, ut hoc tum Chriſtianis atque Apoſtolis imprimis, tum impiis cederet in teſtimonium; quo illi quidem innoxios ſe eſſe oſtenderent; hi verò inexcuſabiles redderentur: quia illi revelaſſent, & ſanguine ſuo aſſeruiſſent, hi audiviſſent veritatem ſibi apertè annunciatam. Quapropter qui eo tempore, quo Deus nondum verè puniebat iſtum populum, ſed id tantum faciebat, per quod aditum ſibi ad pœnam muniebat, ex Judaico genere affligebantur, & quidem tanquam Chriſtiani, illi gaudere poterant quod ad pœnam veram, & horrendum judicium Dei non eſſent reſervati, licet aliquid paterentur judicio aut pœnæ ſecuturæ ſimile; quod ipſum tamen paterentur tanquam ii, qui ad Dei domum verè pertinent, quibus res iſta tandem ceſſura ſit in ſalutem, licet humano judicio aliter videatur. Tanto autem libentius hunc ſenſum ſequor, quod Petrus videatur omnino reſpexiſſe atque alluſiſſe ad verba Domini Jeſu, apud eundem Lucam extantia cap. 23. ubi ſimilis eſt planè argumentatio ei, qua Petrus hîc utitur, qua Dominus Jeſus oſtendit, longè majorem calamitatem manere Hieroſolymitanos, adeoque mulieres quodammodo illas ipſas, ſeu earum ſimiles ejuſdemque gentis, quæ tum temporis afflictam Domini Jeſu conditionem deplorabant, quam ea eſſet, quam ipſemet tum temporis perferebat. Poſtquam enim dixiſſet ℣. 28; *Filiæ Hieruſalem, ne ploretis ſuper me, ſed ſuper voſmetipſas plorate, & ſuper liberos veſtros: quia ecce venient dies, in quibus dicent, beatæ ſteriles*, &c. addit ℣. 31: *quia ſi in humido ligno hoc faciunt, in ſicco quid fiet?* quaſi dicat, ſi ego innocentiſſimus, ipſeque Dei filius, qui, ſi quiſquam alius, videbar debuiſſe eſſe ab hujuſmodi afflictione ac morte immunis, tanta tamen patior: quidnam paſſuri ſunt nocentiſſimi, & cum Deo per ſummam impietatem bellum contumaciter gerentes? Similem eſſe Petri argumentationem per ſe quivis perſpicit. Nec quidquam refert, quod obſcurius videatur de judicio iſto, quod Deus in gentem Judaicam ſit exerciturus, loqui Apoſtolus. Nam hoc ipſum quoque commeritus erat hic populus, ut minus aperte jam hac de re divini viri loquerentur: quod etiam videtur fieri cap. 3. ejuſdem Epiſtolæ, ſub finem, ubi itidem difficilis eſt Petri locus. Quin etiam divinus Autor Heb. 10. 25, generalibus admodum verbis rem eandem indicat potius, quam apertè explicat: & videmus ſimili quadam ratione Dominum Jeſum, hoc eſt, obſcurè atque per parabolas aliquas indicaſſe rejectionem gentis Judaicæ, & gratiæ divinæ ab eis tranſlationem. Ut igitur ad propoſitum revertamur, pro hujuſmodi afflictionibus gratiæ ſunt agendæ Deo; quin etiam pro aliis, quæ commodi alicujus noſtri cauſa nobis à Deo imponuntur, quales ſunt caſtigationes, quæ quam ſint utiles, præſertim ad ſalutem noſtram, oſtendit Paulus 1 Cor. 11. ℣. 32: ſed fuſius Autor divinus Epiſt. ad Hebr. cap. 12. initio facto à ℣. 5, quo loco etiam

de-

demonſtrat eas à divino erga nos amore manare: at quidquid eſt hujuſmodi, id gratiarum actionem jure meretur, ſiquidem beneficium eſt. Atque ad hujuſmodi res etiam extendendum eſt illud Apoſtoli monitum Epheſ. 5.20: ubi monet, *ut gratias agamus ſemper pro omnibus*. Sunt etiam, qui huc referant locum 1 Theſſ. 5. 18: ubi ait Apoſtolus, *in omni gratias agite*: quaſi dictum eſſet in omni re ſeu de omni re. Sed veriſimilius eſt ibi ſubaudiendam vocem temporis; q. d. in omni tempore gratias agite. Nam ſimiliter in præcedentibus admonitionibus duabus, imo etiam tribus, notam univerſalitatis ad tempus retulerat, aut etiam ipſius tantum perpetuitatis mentionem fecerat. Dixerat enim ℣.26, *Semper gaudete*. ℣.27, *ſine intermiſſione orate*. Et ante etiam ℣. 15, *ſemper bonum ſectemini*. Quanquam poſtea etiam notam Univerſalitatis refert ad ſubjecta, erga quæ debeat iſta beneficentia noſtra exerceri.

Atque hìc obſervetur ſimul proprietas quædam hujus virtutis ſeu partis pietatis, quæ in gratiis agendis cernitur, ut nimirum omni tempore, ſeu ſubinde, & quam frequentiſſimè Deo agamus gratias, & quidem pro omnibus: quæ eadem proprietas eſt etiam precum, ut inferius, ubi de iis agemus, conſtabit. Quo loco etiam nonnihil de hac proprietate ſeu conſtantia dicetur explicatius: unde ſimul conſtabit, quid de perpetuitate, aut conſtantia in gratiarum actione ſit ſtatuendum.

Antequam ad hujus virtutis contraria abeamus, illud adhuc paucis monendum videtur, laudem divini Numinis aliis quoque nominibus appellari ſolere in ſacris literis: Inter quæ eſt *Confeſſio*, cujus hæc ſignificatio non ſemel occurrit in Pſalmis, ejuſque rei exemplum affert Paulus Rom. 15.9: & ad Heb.13.15. Confeſſio autem eam ob cauſam videtur appellari, quia laudatione iſta confiteamur beneficia in nos collata à Deo; vel, ſi latius id placet extendere, quia confiteamur vel profiteamur ea, quæ in Deo agnovimus præconio ac celebratione digna: & liceret fortaſſe pro confeſſionis voce uſurpare profeſſionem ſeu annunciationem quandam, quia profeſſionis etiam ſignificationem voces tum Hebrææ, tum Græcæ videntur pati. Ex eodem ad Hebr. loco patet laudem Dei etiam vocari *fructum labiorum* & *ſacrificium*; quanquam explicationis cauſa additur vox laudationis. Ita enim ait D. Autor, *per ipſum*, hoc eſt, per Chriſtum, *offeramus ſacrificium laudis ſemper Deo*, hoc eſt, *fructum labiorum confitentium nomini ipſius*. Videtur autem, cum fructum labiorum nominat, alludere ad primitias, aut alios terræ fructus, qui olim Deo ſolebant conſecrari & offerri. Cur autem victimam appellet, vel ſacrificium, res eſt ſatis manifeſta. Vocatur etiam *benedictio*: quod ſæpè fit in Pſalmis. Eandem vocem hoc ſignificatu habes Apoc. 5. 12. Luc. 1. 64. quo pertinent omnia iſta loca, in quibus dicitur *benedictus*, ſcil. ſit, *Dominus Deus Iſraël*; vel, *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, vel de Deo enunciatur, eum eſſe benedictum. Exempla habes Lucæ 1. 68. 1 Cor. 1. 3. Epheſ. 1. 3. 1 Pet. 1. 2. in quibus locis votum eſt, & ſubaudienda vocula *ſit*. Rom. 1. 25. 2 Cor. XI. 31. ubi aſſeritur, Deum eſſe benedictum in ſecula. Atque hinc interdum nomen *benedicti* ſimpliciter poſitum pro Deo uſurpatur, ut fit Mar. 14. 61: nempe quia id de Deo κατ' ἐξοχὴν. & ratione omnium perfectiſſima dicitur. Sed tribuitur tamen etiam Chriſto ad dexteram Dei collocato, & ſic divini ipſius ſolii participi: Rom. 9. 5. ubi ſecundum vulgarem diſtinctionem, quæ nobis quoque magis probatur, Chriſtus dicitur ſuper omnes vel omnia Deus benedictus in ſecula; cui loco adde alium ex cap. Apoc. 5. antea citatum; ubi primò agno ſeparatim ℣. 12, tum eidem cum eo, qui in throno ſedet conjuncto, ℣. 13, tribuitur partim ab hominibus, partim ab aliis quoque creaturis benedictio. Eſt autem obſervandum in iſtis locis, ubi Deus dicitur benedictus, & in dicto loco Rom. 9: ubi de Chriſto idem enunciatur, eſſe Græcè vocem εὐλογητοῦ, non vero εὐλογημένου, quæ itidem Latine benedictus reddi poteſt, ſed quæ tamen non habet ſignificationem eam, quam ſolent habere apud Latinos participia paſſiva futuri temporis, ut quandam neceſſitatem deſignent, qualem vim habet prior vox illa τοῦ εὐλογητοῦ. Quanquam participium εὐλογημένος in Novi fœderis ſcriptis, fortaſſe vix uſpiam ſumitur pro eo, cui laudes ſint redditæ, ſed pro eo, cui favor & benignitas divina fuerit exhibita. Quo pacto Maria dicitur *benedicta in mulieribus*, ſeu inter mulieres, Luc. 1. 28, 42. & de Chriſto Hieroſolyma ingrediente clamat populus, Matth. 21. 9: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: ubi, ut præcedentia & ſequentia docent, in quibus fauſta precatur Chriſto populus, intelligitur, Chriſtum favorem ſingularem à Deo conſequutum eſſe, vel ut in imperii ſui, quod mox ſucceſſurum ſperabat, adminiſtratione experiretur, populum optaſſe. Etiamſi autem qualiſcunque divini Numinis laudatio, benedictio dici queat, tamen imprimis gratiarum actio ea voce ſolet exprimi: unde quod Matth. 14. 19. & Mar. 6. 41. & cap. 8. 7. dicitur, Dominum Jeſum, cum miraculum iſtud in multiplicandis panibus ac piſcibus editurus eſſet, reſpexiſſe in cœlum & benedixiſſe; id Matth. 15. 36. & Marc. 8. ℣. 6, partim in ſimili, partim in eadem hiſtoria, dicitur, eum gratias egiſſe; quemadmodum etiam apud Johannem cap. 6. 11, 23 fit: quæ ſignificatio, aliquantulum tamen aucta, & ſic quodammodo perfectior reddita, videtur quoque locum habere in Epiſt. 1 Cor. 10. 16. ubi ait Apoſtolus, *Poculum benedictionis, quod benedicimus*, ubi viri docti non injuria gratiarum actionem, quæ poculo iſto ſumpto peragatur intelligendam ſtatuunt; idque veriſimile facit id, quod de Chriſto legimus apud Matth. 26. 26. in nonnullis exemplaribus, & 27, eum accepto pane, & deinde etiam poculo gratias egiſſe: ſed adhuc magis id probabile reddunt verba Marc. 14. 22: ubi cum dictum fuiſſet, Dominum Jeſum accepto pane benedixiſſe, quod Matthæus ut vidimus, & Lucas capite 22. 19 dixerat, eum gratias egiſſe, poſtea cum de poculo loquitur, ipſemet habet Chriſtum gratias egiſſe, ℣. 23. Verumtamen non videtur hæc ipſa ſignificatio loco Pauli ſufficere; quandoquidem ibi expreſſe dicitur, nos poculum, ſeu mavis latinius dicere in dativo, poculo benedicere: cum tamen nemo dicturus ſit, nos ipſi poculo gratias agere. Quapropter etiamſi non ſit neceſſe dicere, gratiarum actionem benedictionis voce ibi prorſus non comprehendi; tamen omnino videtur ſtatuendum, aliquid adhuc iſti ſignificationi addendum, ita ut benedicere eo in loco ſit per gratiarum actionem veluti ſanctificare, & à vulgari uſu ſegregatum, ſancto uſui conſecrare. Nam hæc quoque, quam cum gratiarum actione conjungimus, ſignificatio verbi *benedicendi*, in ſacris literis locum videtur habere, quanquam ſeparatim: ut cum dicitur Gen. 2. 3, *Deum ſanctificaſſe diem ſeptimum, & ei benedixiſſe*; quod utrumque idem videtur ſignificare. Sunt, qui paulo aliter hanc vocem interpretantur, ſenſu tamen eodem remanente; inter quos eſt OEcumenius, qui verbum εὐλογοῦμεν ita reddit, ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, hoc eſt, quod cum laude & gratiarum actione adornamus ſeu conſecramus. Iſta vero, quam in Pauli verbis eſſe arbitramur, verbi benedicendi ſignificatio, videtur extare etiam 1 Samuëlis 9. 13; ubi dicitur Samuëlem benedicturum eſſe ſacrificio, poſtea demum comeſturos eos, qui eſſent invitati: ubi Græce eſt, εὐλογεῖν τὴν θυσίαν, quod viri docti ita explicant, eum gratias acturum fuiſſe pro hoſtia pacifica, ſeu gratias agendo eam conſecraturum. Idem fieri ſtatuendum eſt Lucæ 9. 16: ubi dicitur, Dominum Jeſum benedixiſſe panibus: quod ut ſupra vidimus apud alios Euangeliſtas ita effertur, ut Dominus Jeſus ſimpliciter tantum dicatur vel benedixiſſe vel gratias egiſſe. Res enim ipſa nihilominus ſatis ſic eſt expreſſa, licet non addatur, actionem hanc gratias agendi, vel benedicendi, in panes (ut ita loquar) tetendiſſe, & circa illos tanquam objectum quoddam fuiſſe verſatam; imo

potius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

potius cenſeri queat, actionem iſtam ad panes vix poſſe applicari, propterea quod non dicamur gratias agere panibus, & vox benedicendi abſolute elata ita poſſit accipi, ac ſi dictum fuiſſet, Chriſtum benedixiſſe Deo. Nam conſecratio iſta, & ut Paulus de cibis aliàs loquitur, ſanctificatio, 1 Timoth. 4. 5, eſt tantum conſequens quoddam iſtius gratiarum actionis & benedictionis, quæ in Deum ipſum recta ſpectat & tendit.

Sed quæri hîc poſſet, qualiſnam gratiarum actio nomine benedictionis apud Paulum ſit intelligenda, an ea, qua pro ipſo poculo Deo agimus gratias; an vero illa, qua gratias agimus Deo pro morte Chriſti? neque enim id uſquequaque liquet. Prius inde videtur probari, quod Dominus Jeſus in hujus ſacræ ceremoniæ inſtitutione, cum benedixiſſe & gratias egiſſe dicitur, proculdubio non pro ſua morte, ſed pro pane, & pro poculo, ſeu eo quod in poculo continebatur, gratias egerit, quemadmodum patresfamilias alias apud Hebræos ſolebant. Unde paulo ante apud Lucam cap. 22. 17 dicitur, eum accepto poculo gratias egiſſe: poculum autem iſtud non illud fuit, quod poſtea alteram Euchariſtiæ partem continens diſcipulis dedit: nàm de eo ſeparatim poſtea agitur ỳ. 20. & expreſſe additur, Dominum Jeſum id feciſſe, poſtquam cænaſſet, ad differentiam prioris, quo in ipſa cœna fuerat uſus, aliam quandam ceremoniam in populo Judaico olim uſitatam obiens, de qua videatur Scalig. in lib. de emendat. temporum ſexto. Jam verò veriſimile ſit, eandem benedictionem vel ejuſdem generis apud Paulum eſſe intelligendam, quam Chriſtum in eodem ritu uſurpaſſe conſtat, quod nos ſupra quodammodo pro conceſſo ſumſimus. Sed ex altera parte illud videtur obſtare, quod cum Paulus per poculum benedictionis, quod benedicimus, ſingulare illud poculum, quod in Euchariſtia uſurpant Chriſtiani, deſignare voluerit, non videatur ab ea gratiarum actione id deſcribere, & ea veluti inſignire voluiſſe, quæ aliis etiam poculis eſſet communis; qualis ea eſt, quam Chriſtus anteà quoque uſurpaverat, qua pro ipſo poculo aut potu laudes Deo dicuntur. Quod ſi Paulus ſingularem aliquam benedictionem, aut gratiarum actionem hîc voluit denotare, nulla ea poteſt eſſe alia, quam qua pro morte Chriſti tum Deo, tum ipſi Chriſto gratiæ aguntur; quæ gratiarum actio hujus ritus eſt propria, & hoc poculum ab omnibus aliis vulgaribus diſtinguit. Quanquam autem reſponderi ad hanc rationem poſſet, Paulum nihilominus hac appellatione poculum hoc à cæteris omnibus diſtinxiſſe, quia hîc loquatur de poculo, cui Chriſtiani omnes, qua tales ſunt, benedicant, atque id gratias pro eo agendo conſécrent: tamen major eſſe vis iſtius rationis videtur, quam ut hac reſponſione prorſus tollatur; cum non ſit veriſimile, Paulum, cum poculum benedictionis nominat, ejus benedictionis eſſe oblitum, quæ hîc eſt præcipua, & huic poculo maxime propria. Quo accedit, quod poculo hanc imprimis denominationem addat, non vero pani, quem tantum frangi ait; cum tamen vulgaris illa gratiarum actio non minus ad panem pertineat, quam ad poculum. Videtur enim Paulus alluſiſſe ad poculum gratulatorium apud Hebræos etiam uſitatum, quod Pſalmo 116. 13 *poculum ſalutum* dicitur, quo in conviviis gratulatoriis, poſt ſingulare aliquod auxilium ac beneficium à Deo acceptum, gratias Deo agebant, & ſalutem illi acceptum referebant: qua de re videatur Vatablus dicto loco. Simili ratione, cum poculum hoc ſacrum ſumimus, Deo ac Chriſto ſalutem noſtram ſanguine Chriſti partam acceptum ferimus; ita ut hoc poculum verè ſit gratulatorium, &, ut ita loquamur, benedictorium. Hæc alluſio quia in pane locum non habebat, ideo benedictionis ibi non eſt facta mentio. Quemadmodum etiam, cum apud eundem Paulum & Lucam poculum dicitur Novum Teſtamentum in Chriſti ſanguine, licet res ipſa ad primam quoque hujus ritus partem pertineat, tamen propter alluſionem quandam de poculo, ſeu altera hujus ritus parte peculiariter enunciatur, quia nimirum in ea ſanguis fuſus Chriſti commemoratur, quo Novum fœdus ſancitum elegantius dicitur, quia Vetus fœdus ſanguine quoque fuerat ſancitum; unde de eo dixerat Moyſes, *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit vobiſcum*, aut *mandavit ad vos Deus*; Exod. 24. 8. & Heb. 9. 20. Ut igitur teſtamenti appellatio, ita & benedictionis, poculo propter alluſionem certam peculiariter accommodatur: at ſi benedictio hîc intelligeretur vulgaris, ea non minus de pane, quam de poculo, fuiſſet enuncianda. Hæc difficultas ita tolli poſſe videtur, ut dicamus, Paulum non de vulgari quadam benedictione, quæ vulgaribus etiam cibis & potui ſit communis, eſſe loquutum, ſed de ea, quæ huic ritui eſt peculiaris, quæ tamen vulgari iſti aliquomodo reſpondeat. Nam partim ejuſdem plane cum ea eſt generis, cum utraque ſub gratiarum actione, tanquàm genere Synonymo, contineatur, partim ei eſt analoga, tum ratione objecti, hoc eſt, ejus, pro quo gratiæ aguntur, tum ratione effectus, nempe conſecrationis. Nam quemadmodum in vulgari iſta gratiarum actione, qua cibi conſecrantur, gratiæ Deo aguntur, quod cibum aut etiam potum ſuppeditaverit ad terrenam hanc animalemque vitam ſuſtentandam: ita in iſta peculiari ac ſolenni gratiarum actione laudes Deo ac Chriſto dicuntur, quòd cibum ac potum ſuppeditaverit ſpiritualem, quo animæ noſtræ alantur ac ſuſtententur in vita ſpirituali, quam æterna vita conſequatur. Is autem eſt caro & ſanguis Chriſti, quemadmodum ipſe Chriſtus teſtatur Johan. 6. Etſi enim neque per panem neque per poculum, aut id quod in poculo continetur, re ipſa nobis cibus aut potus ille ſpiritualis exhibeatur; tamen per ea, quæ exhibentur, repræſentatur, totuſque ritus eò pertinet, ut gratiæ Deo ac Chriſto, quemadmodum jam diximus, agantur. Quod ad conſecrationem attinèt, ſimilis quoque eſt ratio, ſeu (ut diximus) analogia quædam inter hanc & illam benedictionem. Nam quemadmodum vulgari iſta gratiarum actione conſecratur cibus & potus ad communem hujus vitæ uſum, eaque interveniente fit ut cibus ac potus, qui alias nobis foret illicitus, & reſpectu noſtri, ut ita dicam, impurus (quo pacto impuris omnia ſunt impura, quemadmodum Paulus teſtatur) nobis fiat licitus: ita etiam iſta ſingulari gratiarum actione poculum hoc, quemadmodum & panis, ad ſanctum hunc & minime vulgarem aut communem uſum conſecratur, ita ut eo jam hominibus Chriſtianis liceat uti, quo uti haud aliàs liceret, quum nihil id foret aliud quam indigne edere & bibere, hoc eſt, non ita, quemadmodum decet, & negotio huic convenit. Uſus autem ille eſt profeſſio quædam ejus rei, quod corporis & ſanguinis Chriſti ſimus participes, & eum ex illis fructum percipiamus, ratione vitæ ſpiritualis, quem alias ex cibo & potu ſolemus percipere, quoad vitam hanc animalem & terrenam. Etiamſi ergo iſta gratiarum actio propriè non tendat in poculum, ſeu in id, quod in poculo continetur, tanquam in objectum ſuum, pro quo gratiæ agantur; tendit tamen aliquo modo, quatenus id, quod in poculo continetur, eſt ſymbolum externum, repræſentans id, pro quo gratiæ aguntur. Unde fit, ut poculum quoque illud hujuſmodi gratiarum actione conſecretur, quemadmodum vulgari gratiarum actione conſecratur etiam poculum aliquod, ſeu potus vulgaris, ut & cibus. Atque hinc reſponſio patere poteſt ad rationem in contrarium allatam, qua probari poſſe videbatur, vulgarem tantum gratiarum actionem his verbis eſſe intelligendam: quia Dominus Jeſus in hujus ſacræ Ceremoniæ inſtitutione iſtiuſmodi gratiarum actione fuerit uſus; conſentaneum autem ſit, eandem à Paulo intelligi, qua ipſe Chriſtus in hoc negotio fuerit uſus. Nam etiamſi tandem concedas, illam gratiarum actionem, qua uſus fuerit Chriſtus, vulgarem fuiſſe, ſeu ejuſmodi, quæ in aliis quoque cibi aut potus generibus à piis adhiberi ſoleret; quin etiam Paulum, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

benedictionis mentionem feciſſet, ad eam benedictionem Domini Jeſu reſpexiſſe: non tamen eſt neceſſe, ut utraque ejuſdem prorſus fuerit generis, ſeu (ut magis propriè loquamur) ſpeciei, &, ut illa vulgaris extiterit, ita & hæc, quam Paulus memorat. Nam ſatis eſt, ut hæc illi ſit analoga, & in illius locum ſucceſſerit. Quod enim diverſa aliquo modo fuerit, id diverſitati tum temporum, tum perſonarum, quæ gratiarum actione in hoc ritu vel uſæ fuerint, vel utantur, eſt adſcribendum. Temporum diverſitati ideo: quia tum temporis, cum Dominus Jeſus ritum hunc inſtitueret, nondum beneficium iſtud, quod hoc ritu celebrandum eſt, reipſa erat hominibus à Deo & Chriſto præſtitum; contra ac ſe res habebat tum, cum Paulus ad Corinthios ſcriberet. Itaque non mirum eſt, ſi Dominus Jeſus in prima hujus ritus iſtitutione vulgariori quadam gratiarum actione cenſeatur eſſe uſus, aliam vero intellexerit Paulus, licet ad illam reſpiceret, propter cauſam ſuperius explicatam; nempe convenientiam utriuſque, & alterius hujus in prioris locum ſubſtitutionem. Perſonarum autem diverſitati ideo diſcrepantia illa imputanda eſt: quia ibi quidem Chriſtus, qui non particeps hujus beneficii, quod in hoc ritu gratiarum actione celebrandum eſt, ſed ejus ipſius autor eſſe debebat, idque in diſcipulos conferre, gratias dicitur egiſſe: hîc vero gratiarum actio tribuitur ipſis Chriſti fidelibus, qui hujus beneficii facti ſunt participes. Itaque non mirum foret, ſi Chriſtus quidem pro eo gratias non egiſſet, hi vero agere omnino cenſendi ſint: & ſic in Chriſti verbis id non cenſeretur expreſſum; in Pauli autem verbis expreſſum omnino ſtatueretur. Id, quod in prima ritus hujus inſtitutione factum eſt, non tam eſt exſequutio ejus ipſius, quod revera ac potiſſimum in poſterum voluit obſervari Chriſtus, quam ejus rei repræſentatio & exemplum, quantum quidem illud tempus requirebat. Itaque quæ jam tum verè peragi poterant, eadem cum illis, quæ in poſterum erant facienda, tum facta ſunt; quæ vero nondum re ipſa fieri poterant, ea tum fuerant aliquomodo adumbrata, res ipſa in ſequens tempus dilata fuit. Sed deinde non eſt prorſus certum, Chriſtum vulgari gratiarum actione fuiſſe tum temporis uſum, & non etiam tali aliqua divini nominis celebratione, quæ huic ritui ſit magis propria, cum Chriſtus non ſuo, ſed diſcipulorum nomine revera gratias ageret: ipſe enim eo poculo non utebatur. Quare gratias Deo agere poterat, eo etiam nomine, quod illos ſingularis cujuſdam beneficii, hoc eſt, perfectiſſimi animæ cibi & potus vellet facere participes. Quapropter ut rem hanc tandem concludamus, poteſt apud Paulum benedictionis nomen vel pro ſola gratiarum actione ſumi, nondum habita ratione conſecrationis poculi ipſius, quæ inde proficiſcatur, quæ in ſequentibus demum verbis *quod benedicimus* exprimatur: vel ipſa etiam conſecratio benedictionis nomine comprehendi poteſt, & ſic effectus cum ſua cauſa eadem voce includi, ut in verbis Pauli quædam ſit repetitio, quam ἐπιμονὴν Græci vocant. Priori modo hic erit ſenſus, poculum illud euchariſticum, quod eo pacto conſecramus, & ad ſanctiſſimum hunc uſum veluti paramus ſeu aptamus, &c. Poſteriori modo hæc erit ſententia, poculum benedictum, quod gratiarum actione benedicimus aut conſecramus. Sed prior ſenſus videtur paulo concinnior: nec quicquam prohibet, in verbo benedicendi aliquanto plus intelligi, quam in ſimplici benedictionis nomine, imo conveniens eſt, ut poſteriora verba prioribus nonnihil addant; præſertim cum vox benedictionis priori loco poſita ita efferatur, ut non ſignificetur actionem iſtam circa poculum tanquam objectum ſuum occupari, & actionem hanc in ipſum veluti tranſire, id quod benedicendi verbum ad poculum poſtea relatum indicat, cum poſſit poculum inſtrumenti cujuſdam etiam habere rationem; quaſi dictum eſſet, poculum, quo adhibito aut uſurpato, gratiæ aguntur.

Hactenus de benedictionis voce. Reperiri fortaſſe queunt & alia quædam vocabula, quibus laus ſeu prædicatio divini nominis efferatur, inter quæ eſt etiam *gloria*, hoc eſt, illuſtris quædam & pervagata divini nominis celebratio: verum quia iſtorum vis cuivis ſatis nota eſt, ea hîc vel anxie conquirere, vel explicare putamus ſupervacaneum eſſe.

Supereſt igitur, ut ad extrema huic pietatis parti oppoſita tranſeamus. Licet autem duplex etiam hîc extremum conſtitui poſſit, tamen id, quod in exceſſu peccat, minus hîc patet: propterea quod nemo videatur Deum aut Chriſtum poſſe nimium laudare, cum iis, quæ in Deo laudanda ſunt, nil poſſit excogitari majus aut ſublimius. Verumtamen poteſt hîc etiam aliquid fieri nimium, idque vel ratione rerum, quæ Deo attribuuntur, vel ratione modi. Ratione rerum, ſi aliquid Deo attribuatur, quod ei tribuendum non ſit. Nam etiamſi majora iis, quæ Deo ſunt adſcribenda, ei adſcribi nequeant, adſcribi tamen ei poſſunt plura. Quod idem & de Chriſto dici debet; cui etiam aliquid amplius, quam revera adſcribendum eſt, adſcribi poteſt, & ſolet. Nam Deo quædam ſolent attribui proprietates, vel attributa, & in ipſius laudem prædicari, quæ tamen in ipſo non ſunt: cujus rei exempla quædam ſuppeditat Carmen Julii Cæſaris Scaligeri in laudem Dei compoſitum, in fine Exercitationum contra Cardanum. Poſſunt etiam ei quædam attribui, imo & ſolent beneficia, quæ tamen tribuenda ei non ſunt, & quibus commode caremus: quemadmodum & alia quædam facta. Quo pacto hodie Deo gratiæ aguntur, quod filium ſuum incarnari voluerit, & alia non pauca. Chriſto etiam quædam ſublimia, quæ ad ipſius naturam pertineant; tum etiam facta atque beneficia quæ ei non competunt, adſcribi ſolent. Nam vulgo ei tribuitur, quod ſit altiſſimus ille atque ab omni æternitate exiſtens Deus, quodque cœlum & terram crearit, & ab initio rerum conditarum omnia conſervarit, & rexerit, & ſi quæ huc ſunt pertinentia; eoque nomine ipſi nonnunquam gratiæ aguntur, aliaque tum facta tum beneficia, quæ tamen ei non competunt. Inter ipſius quoque beneficia commemoratur, quod naturam humanam aſſumere voluerit, quod pro peccatis noſtris juſtitiæ divinæ ſatiſfecerit, totumque id quod debebamus perſolverit, & Patrem iratum placarit, quod carnem & ſanguinem ſuum nobis in Euchariſtia, in hunc finem edendum & bibendum dederit, ut fides noſtra hac actione confirmaretur & peccatorum remiſſionem conſequeremur. Et, ſi quæ ſunt alia iſtis ſimilia. Quod ad modum laudandi attinet, aliquid hîc poteſt eſſe nimium, ſi vel in multitudine verborum, aliquod momentum collocetur, vel quippiam aliud adhibeatur ſuperſtitioſum, aut quod ſpiritum Euangelicum non ſapiat. Sed de hoc extremo minus nobis eſt laborandum, quod ii facile effugient, qui veritatem habent cognitam.

Ad alterum extremum veniendum eſt, quod in defectu peccat; quod quidem duplex eſt, quemadmodum in aliis quoque contingit: vel enim privativum tantum eſt, vel etiam poſitivum; hoc eſt, vel tantum laudes & gratiarum actionem Deo debitam omittit, vel id etjam, quod laudibus eſt contrarium de Deo dicit. Et prius quidem illud generale nomen non habet: habet tamen ſpeciale. Ea enim vitii illius pars, quæ gratiarum actioni opponitur, ingratitudinis nomine continetur, de qua ſermo eſt Luc. 6. ℣. 35: ubi dicitur Deus eſſe benignus ſuper ingratos & malos: quanquam ingratitudo iſta non tantum in verbis conſiſtit, ſed etiam, & quidem multo magis, in factis; & non tantum cernitur in iis omittendis, quæ ad Dei laudem atque honorem pertinent, ſed etiam in committendis iis, quæ ad ipſius ſpectant contumeliam. Sed ſpeciatim de ingratitudine iſta, quæ in omittenda gratiarum actione conſiſtit loquitur Paulus, Rom. 1. 21: ubi accuſat homines, qui cum Deum cognoviſſent, non tanquam Deum glorificarint, aut gratias ei egerint. Hujus autem vitii natura ſatis ex natura virtutis, cui opponitur, patet; ſiquidem quod hujus eſt facere, illius eſt omittere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quod ad alterum extremum attinet, cum loco celebrationis nominis divini contumelioſa in Deum verba jaciuntur, id vitium blaſphemia nuncupatur: quanquam hæc vox actionis nomen eſt, non habitus, & latius patet, quam ut huic tantum pietatis parti opponatur. Nam blaſphemia proprie eſt quodvis convitium, ſeu dictum contumelioſum, quod famam alterius lædit. Eſt enim dicta βλασφημία Græcis, quaſi βλάπτουσα τὴν φήμην, eoque pacto non ſemel uſurpatur in ſacris literis, ubi de convitiis, quibus homines appetantur, accipitur. Vide inter alia Epheſ. 4. 31. 2 Tim. 3. 2. Tit. 3. 2. 1 Pet. 4. 4. Κατ' ἐξοχὴν tamen transfertur ad contumeliam divini nominis, quæ verbis peragitur, quibus aliquid Deo ignominioſum adſcribitur; propterea quod hæc blaſphemia inter omnia convitiorum genera eminet, cum nullum ſit eo gravius. Etiamſi autem ea tantum blaſphemia videtur nomen hoc vere mereri, quæ à ſciente ac prudente proficiſcitur, ſeu ab eo qui illum, in quem convicium jaciat, benè habeat cognitum, ſaltem eatenus, ut probe norit, eum iſta contumelia eſſe indignum; tribuitur tamen etiam illi, qui ignorans contumelioſi quippiam de Deo aut Chriſto dicit. Quo pacto Paulus 1 Tim. 1. 13. ſe dicit antea fuiſſe *blaſphemum*, cum tamen addat, *ſe hæc feciſſe ignorantem in incredulitate*, quia facti potius ipſius, quam animi & conſilii habet rationem. Nam quocunque animo in alterum aliquid dicas contumelioſi, blaſphemia eſt, ſi rem ipſam per ſe ſpectes, & vim vocis ſimpliciter conſideres; quia nihilominus famæ alterius, rei ipſius natura inſpecta, noces; præſertim ſi tuæ ignorantiæ aliquomodo ſis cauſa, & culpa tua quadam factum fuerit, ut eum, cui conviciaris, non agnoſcas, quemadmodum Paulo contigiſſe non eſt negandum. Nam quam occaſionem habuerunt tum plærique in Judaica gente ad Chriſtum agnoſcendum, eam Paulus quoque habuit, extante adhuc recenti tum doctrinæ, tum miraculorum ipſius Chriſti memoria, & ante oculos verſantibus, tum Apoſtolis, tum aliis Chriſti diſcipulis, tum ſanctitate, tum ſapientia, tum virtute miraculorum edendorum ſtupenda claris ac celebribus. Qua de cauſa ignorantia hæc, &, quæ eam ſunt conſecuta peccata, Paulo imputari merito poterant. Quod ipſe Paulus eo loco ſatis indicat, dum & ſeſe peccatorum primum fuiſſe, & ſuperabundaſſe in ſeſe gratiam Chriſti, & in ſe primo omnium manſuetudinem oſtendiſſe Chriſtum, ad exemplum eorum, qui in ipſum credituri eſſent, confirmat. Adde, quod ne animus quidem nocendi à Paulo abfuit revera; ſed abfuit tantum cognitio dignitatis ejus perſonæ, aut religionis, quam blaſphemaverat, quæ res improbitatis quidem & malitiæ multum demit facto, ſed non tamen animum nocendi cnpidum tollit. Nam etiam in maxima nocendi cupiditate, poteſt tamen eſſe non adeo magna improbitas. Itaque ſi proprietatem vocis blaſphemiæ ſpectes, eam ſibi jure, & abſque figura potuit tribuere Paulus. Verumtamen uſus obtinuit, ut is blaſphemus diceretur, qui rem eam, cui oratione detrahit, aut crimen aliquod impingit, ſatis habeat cognitam, eamque norit contumelia iſta eſſe indignam; neque id ſine cauſa. Nam magis nocere velle videtur alicujus gloriæ is, qui cum alicujus ſive perſonæ ſive rei dignitatem atque præſtantiam habeat cognitam, nihilominus eam dedecore & contumelia audet afficere, quam is, qui dignitatem atque præſtantiam ejus ignorat: cum fieri poſſit, ut, ſi eam haberet cognitam, ab ea conviciis appetenda ſeſe contineret, quod imprimis notandum videtur ob blaſphemiam in Spiritum Sanctum, cujus tanta dicitur eſſe gravitas, ut neque in hoc, neque in futuro ſeculo remittatur; quod mirum admodum videri deberet, niſi conſtaret, blaſphemiam iſtam eam demum revera eſſe, quæ à ſciente prudente proficiſcatur, & ſic inſignis cujuſdam malitiæ & improbitatis ſit argumentum.

Explicata generatim hujus vocis, & vitii ipſius etiam eo nomine deſignati natura, videndum nunc eſt, quot modis illud committatur. Poteſt autem duplex imprimis tradi ejus diſtinctio: altera ex rebus, in quibus blaſphemia, cum oratione effertur, conſiſtit: altera ex objecto, in quod blaſphemia tendit, ſeu modo, quo Deus aut Chriſtus contumelia afficitur. Quod ad priorem diſtinctionem attinet, primo loco ponendum eſt, blaſphemiam hanc, de qua agimus, cum divino cultui adverſetur, proprie ad Deum & Chriſtum ſpectare; ſiquidem præter hunc utrumque nemo cultu divino eſt dignus aut afficiendus; atque adeò nemo etiam alius hoc blaſphemiæ genere, de quo nunc agimus, lædi proprie, ac per ſe poteſt. Blaſphematur autem Deus aut Chriſtus, cum vel id Deo aut Chriſto detrahitur, quod in eo omnes debent agnoſcere, & de eo profiteri, quicunque ſervari volunt, vel contrarium etiam eorum, vel alicujus ex iſtis ipſi apertè adſcribitur: quorum poſterius eſt aliquanto gravius & craſſius; quanquam ex illo hoc conſequitur, & licet verbis non exprimatur, tamen reipſa intelligitur. Nam parum diſtant iſta, negare aliquem eſſe ſapientem, & eundem dicere vel inſipientem vel ſtultum; quod idem de cæteris cogitari facile poteſt, quæ ad Deum aut Chriſtum ne exempli quidem cauſa referre volumus. Quod ad poſteriorem diſtinctionem attinet: blaſphemia duplex eſt. Vel enim directè & aperte Deum aut Chriſtum petit: vel indirectè. Prius quomodo fiat, ſatis eſt manifeſtum; fit enim tum, cum Dei nomen quocunque modo elatum aut deſcriptum exprimitur, & ei quippiam contumelioſi attribuitur, vel glorioſum, quod tribuendum erat, detrahitur: quod idem de Chriſto intelligendum eſt. Indirectè vero, cum vel res vel perſona aliqua Deo aut Chriſto arctè conjuncta ejuſmodi afficitur contumelia, ſeu convitio appetitur, quod in Dei ſpectet ignominiam: quò pertinet imprimis blaſphemia Spiritus Sancti; de qua ſatis dictum eſt à Socino, in 1 Joh. 5. Pertinet etiam huc blaſphemia doctrinæ Chriſti, ſeu religionis Chriſtianæ, de qua Paulus ad Tit. 2. 5. Quò poteſt referri ejuſdem Apoſtoli locus Rom. 14. 16: quanquam ibi per bonum noſtrum intelligi poteſt libertas Chriſtiana. Hujus generis erat blaſphemia illa, quam Stephano objiciebant ipſius adverſarii, Act. 6. 13. objiciebant enim illi blaſphemiam contra Sanctum iſtum locum, nempe Hieroſolyma, & templum, & contra legem. Atque hæc exempla ſunt ejus blaſphemiæ quæ in rem aliquam divinam directè & immediatè, ſed per eam conſequenter in Deum & Chriſtum tendit. Exempla ejus blaſphemiæ, quæ directè in perſonam aliquam fertur Deo ac Chriſto conjunctam, per cujus (ut ita dicam) latus ipſe Deus ac Chriſtus petatur, ſunt, cum quis Apoſtolos, habita præſertim ratione muneris, quod gerebant, ac doctrinæ quam prædicabant, blaſphemat: cujus rei exemplum extat Rom. 3. 8. quin & Act. 13. 45. Nam ſi quæ contumelia in ipſorum tantum perſonam ſpectabat propriam, ea alterius eſt generis; quemadmodum etiam ea, quæ in filium hominis, qua talis erat, olim conjiciebatur, hoc eſt, non habita ratione divinitatis illius, quæ in ipſo conſpiciebatur, quam Chriſtus condonatum iri ait: cujus rei exemplum habes Matth. XI. 19, & alibi. Utriuſque ſimul conjunctæ, hoc eſt, ubi & res & perſonæ ſimul conjunguntur, habes exemplum Apoc. 13. 6: ubi non obſcurè indicatur, illam quoque eſſe blaſphemiam in Deum, qua tabernaculum illius, & illi, qui in cœlo habitant, blaſphemantur.

Cap. X.

De Euchariſtia ſpeciatim ſic dicta, hoc eſt, de Cœnæ Dominicæ ritu, ad celebrationem mortis Chriſti inſtituto.

ETſi hactenus de gratiarum actione, quæ eſt laudis divinæ ſpecies quædam, tum in genere ſatis ſit dictum, tum etiam quædam illius ſpecies, imo inſigniores omnes enumeratæ, &, quantum ſatis videbatur, pertractatæ à nobis fuerint: tamen peculiarem quandam tractationem *Euchariſtiæ*, quæ ſpeciatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ita ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus appellatur, dicendum putavimus: non tantum ideo, quod inter alia ſacræ gratiarum actionis genera videatur quodammodo eminere, ob excellentiam beneficii quod per eam celebratur; ſed etiam ob peculiarem illius modum, quo à cæteris diſtinguitur omnibus. Nam quod ad prius attinet, ideo cenſeri poteſt beneficium hoc, quod in Cœna Domini celebratur, inter alia omnia eminere: quod omnium maximum ſit divinæ erga nos charitatis, quemadmodum & ipſius Chriſti erga nos amoris argumentum. Nam etſi remiſſio peccatorum, & vita æterna nobis à Deo donanda majus ſit bonum, quàm mors Chriſti, quæ illius cauſſa eſt ſuſcepta: tamen major eſt charitatis divinæ vis, quemadmodum & Chriſti: dum ille quidem unigenitum filium ſuum, quo nil illi erat, neque in cœlo, neque in terra charius; hic verò ſeipſum, ſuamque ipſius animam, & ut Scripturæ ſacræ loquuntur, unicam, pro nobis adhuc impiis & inimicis ſuis impendit. In beneficiis autem non tantum ipſius boni excellentia, ſed etiam animus, unde id proficiſcitur, & benignitatis magnitudo ſpectari ſolet; & hæc interdum ad gratiarum actionem non minus nos exſtimulare ſolet ac debet, quam illa. Itaque etiamſi alia beneficia majoris cujuſdam boni & commodi rationem habeant: tamen ab hoc beneficio charitatis magnitudine ſuperantur. Adde, quod hoc beneficium, quod in Chriſti morte noſtri cauſa ſuſcepta, cernitur, illa, quæ diximus, beneficia, quæ ſunt omnium maxima in ſeſe aliquo modo comprehendat: ita ut, dum pro morte Chriſti, cum ipſi, tum Deo patri ipſius agimus gratias, ſimul etiam gratias agamus pro remiſſione peccatorum, & æterna ſalute, quam ea ratione nobis partam eſſe voluit. Neque enim propterea Chriſti mors beneficii in nos collati rationem habet, quod ſimpliciter ſuſcepta fuerit, ſed quod ſummo noſtro bono ſuſcepta fuerit, hoc eſt in remiſſionem peccatorum, ut Chriſtus ipſe in verbis inſtitutionis Cœnæ ſignificat, adeoque etiam ad vitam æternam, quam illa vel in ſe comprehendit, vel neceſſario ſecum trahit nobis parandam; adeo ut jure dicere poſſis, dum pro morte Chriſti Deo gratias agimus, nos ei gratias agere pro omnibus beneficiis Novi Fœderis maxime propriis, & à Deo in nos collatis, quorum complementum quoddam, & veluti apex & faſtigium mors Chriſti fuerit; qua nominata cætera quoque aliquo modo indicantur, cæteris autem nominatis, illa non protinus. Atque hac de cauſa hic ritus appellatur Novum Teſtamentum ſive fœdus: quanquam id de una tantum parte, hoc eſt, de poculo aut bibitione ex poculo aperte pronunciatur apud Lucam capite 22. & Paulum 1 Cor. XI. Teſtamentum vero ſive fœdus novum ideo appellatur, quia ſit ſolennis ritus, quo omnes Chriſtiani in perpetuum profiteri debeant, ſe ad Novum fœdus pertinere, & ſic ſimul beneficia divina in eo comprehenſa æſtimare, atque extollere; quæ omnia explicantur alibi. Atque hæc, quam diximus, vera eſt cauſa, cur Chriſtus hoc unum beneficium ritu ſolenni ac perpetuo inſignitè celebrari voluerit; quam alteram cauſam eſſe indicavimus, ob quam huic ſpeciei gratiarum actionis peculiarem tractatum putaverimus dicandum. Nam modus hujus gratiarum actionis eſt ab omnibus aliis, qui in Novo fœdere nobis præſcripti ſunt, diverſus: ſiquidem hic ſolus externo quodam ritu ac ceremonia eſt inſignitus, & cum ea conjunctus; imo ipſa gratiarum actio in eo ipſo ritu, ſi animus accedat, qualem hoc tantum Dei Chriſtique beneficium poſtulat, hoc eſt hujus tanti beneficii memor & gratus, revera conſiſtit. Nam ea gratiarum actio, quæ hujus ritus eſt maximè propria, non tam verbis peragitur, ut aliæ gratiarum actiones, quam facto externo, quod tamen ex animo ſincero & devotè tantum beneficium æſtimante proficiſcatur.

Duplici autem modo pro morte Chriſti gratiæ Deo agi poſſunt: propriè vel impropriè: quorum illud verbis fit, hoc factis aliquibus externis, peculiarem quandam ad iſtud beneficium relationem habentibus. Illud Cœnæ Dominicæ non eſt prorſus proprium, ſed alias ſæpiſſime, cum publicè tum privatim faciendum eſt: hoc vero, quod peragitur ritu externo, mortem Chriſti, & ejus etiam fructum, ac modum denique quo fructum ejus percipiamus, adumbrante & repræſentante, hujus ipſius Euchariſtiæ, de qua agimus, eſt verè proprium; ita ut, etiamſi nemo prorſus in iſtius ceremoniæ celebratione verbis conceptis Deo ac Chriſto gratias ageret, (quod tamen neque fieri ſolet, neque etiam decet;) tamen Euchariſtia hæc eſſet dicenda, ſi Chriſti diſcipuli ex ipſius inſtituto panem fractum una comederent & ex poculo biberent; modo eorum intentio & conſilium alias foret manifeſtum. Nam eo ipſo, dum panem fractum comedunt, & è poculo bibunt, mortem Chriſti cruentam, ad quam repræſentandam iſta adhiberi conſtat, celebrant, & ſe inſigni per eam beneficio affectos eſſe hoc ipſo facto profitentur; ſiquidem eo ipſo oſtendunt, corpus Chriſti fractum, ſeu mavis truculentam illam Chriſti mortem & corporis ejus cruciatum, ſibi eſſe inſtar panis cujuſdam cœleſtis, ſanguinem etiam fuſum, ſibi eſſe inſtar potus, quo anima ac ſpiritus eorum non ſecus reficiantur ac alantur ad vitam tum piam, tum immortalem, atque corpora noſtra ſoleant refici & ali cibo ac potu, ad vitam hanc temporalem & terrenam producendam. Et hæc eſt illa annunciatio ſeu commemoratio mortis Domini, quam Chriſtus ac Paulus ritus hujus finem aut effectum ſtatuunt: hoc enim facto prædicant Chriſti diſcipuli (licet taciti) mortis Chriſti beneficium, & non quidem ſibi demum, ſed omnium potius hominum memoriæ infigunt: qua de re videatur Socinus in libello de Cœna Domini. Talis etiam fuit annunciatio à Deo Iſraëlitis olim, cum eos ex Ægypto educere vellet, exhibita in ritu iſto, qui Paſcha ſolet appellari: ubi tamen nullus ſermo erat præceptus, ſed nuda tantum ceremonia, quæ poſtea quærentibus ritus hujus myſterium explicari poterat, ac debebat.

Poſtquam jam vidimus, quid, & qualis ſit illa gratiarum actio, quæ Cœnæ Dominicæ eſt propria ac plane peculiaris: nunc porro videndum eſt, quo pacto ea à ſingulis ſit peragenda. Dico à ſingulis: quia, ſi quod eſt circa hanc rem omnium ſimul junctorum officium, id explicabitur, Deo dante, alibi, ubi de univerſæ Eccleſiæ officio agemus. Poſſunt autem omnia, quæ huc pertinent, Chriſtiani hominis officia eo uno comprehendi, quod Paulus dixit, ut quis digne de pane illo comedat & de poculo iſto bibat; hoc eſt, ita quemadmodum convenit & decet, & prout finis hujus actionis, & inſtituti ratio poſtulat ac requirit: quod latius patet, quam ſi dicas, eum ipſum, qui ritum hunc celebrare velit cum aliis, debere eſſe ea re dignum; id quod Paulus non aſſerit, præſertim apertè. Eatenus enim tantum requiritur, ut quis aliquo modo ſit ea re dignus, quatenus niſi talis ſit, dignè etiam ritum hunc obire non poteſt. Itaque apud Apoſtolum vox ἀξίως ſeu digne, non loquitur revera de dignitate perſonæ ad Domini menſam accedentis; ſed potius de dignitate rei ipſius ea, quam τὸ πρέπον appellare ſolemus, quod æſtimatur ex rerum ipſarum ac finium, tum cæterarum circumſtantiarum ratione. Et hîc quidem ex duobus iſtis imprimis τὸ πρέπον eſt æſtimandum, nempe ex fine & objecto.

Finis eſt quodam modo triplex: quanquam primus eſt omnium potiſſimus, cæteri magis ſecundarii, ſed imprimis ultimus. Primus eſt annunciatio illa mortis Domini: alter eſt profeſſio Novi fœderis, quod morte Chriſti eſt ſancitum: tertius profeſſio conjunctionis illius, quam cum illis omnibus habeamus, qui corporis & ſanguinis Chriſti, adeoque & Novi fœderis una nobiſcum ſunt participes, & de eodem pane una nobiſcum edentes, & ex eodem poculo bibentes, eam ſocietatem nobiſcum profitentur; quod poſtremum Paulus explicuit 1 Cor. 10. 16, 17. Hi fines inter ſe ſunt apti, & ex primo cæteri duo pendent, eoque nominato iſti tacitè intelliguntur; eo præſertim juncto, quod non ſinguli Chriſtiani ſeparatim, ſed

potius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

potius omnes, qui commode poſſunt, junctim hanc ceremoniam obire debeant; id quod propter ceremoniæ hujus finem tertium dicimus. Objectum autem ceremoniæ illius non tam eſt ipſe panis, aut potus in poculo contentus, quam id, quod illis repræſentatur, nempe corpus & ſanguis Chriſti, ac beneficium illud Dei Chriſtique per ea nobis exhibitum, ac conſequenter Novum etiam fœdus per ea obſignatum, ac denique myſticum corpus Chriſti nempe Eccleſia, quod ipſius veluti ſanguine potatur, hoc eſt illius per fidem factum eſt particeps.

Ut igitur diſtinctius rem explicemus; Primo requiritur ad gratiarum hanc actionem ritè peragendam, ut religioſe ac devote ab unoquoque expendatur & æſtimetur tantum hoc Dei & Chriſti beneficium, quod nobis præſtitit; dum ille quidem chariſſimum filium, hic vero ſeipſum pro nobis in tam diram & cruentam infamemque adeo mortem tradidit, & eo pacto novum atque æternum fœdus, ex quo perfecta peccatorum remiſſio & æterna noſtra felicitas pendet, ſanxit & conſtituit. Deinde, ut hac meditatione excitatus, Deum ac Chriſtum religioſe pro hoc tanto beneficio veneretur, & ſeſe animumque ſuum coram illo humiliter proſternat, & quod corpore non præſtat, id devota mente perficiat. Atque in hac re juncta cum externa comeſtione panis, & ex poculo bibitione, tota illa gratiarum actio, vel celebratio mortis Chriſti, quæ hujus ceremoniæ eſt maximè propria, vere peragitur. Addi tamen poſſunt externa quædam, ſed ab omni vel ſuperſtitione, vel affectatione, vel ſimulatione ſejuncta, externorum factorum devotio, & totius corporis ad religionem compoſitio; nihil enim à devotione alienum in externis factis cerni debet.

Et hoc quidem unum eſt genus officiorum, ad hanc rem, de qua agimus, imprimis neceſſarium; alterum officiorum genus eo comprehenditur, ut id, quod hac ceremonia profiteris, & te habere, aut facere teſtaris, reipſa etiam habeas faciaſque. Quid autem illud ſit, ex dictis ſatis colligi poteſt. Sunt enim duo revera: alterum ut corporis & ſanguinis Chriſti, atque adeò etiam Novi Fœderis reipſa ſis particeps: (hæc enim duo primo profitemur; quanquam illud, quam hoc apertius:) alterum, ut eos, cum quibus de eodem pane participas, tanquam ejuſdem corporis membra æſtimes ac diligas; hoc enim nos etiam ea ceremonia profiteri diximus. Ad prius illud requiritur, ut carnem Chriſti ita comederis, & ſanguinem ipſius ita biberis, ut fidem eam habeas, per quam ſervari in æternum poſſis, atque adeò Novi Fœderis promiſſa ad te pertineant. Hoc autem duplici videtur fieri poſſe ratione: altera perfectior eſt: altera imperfectior. Illa eſt, cum quis eam fidem habet, per quam vi Novi fœderis, ſi eo in ſtatu perſeveret, omnino ſit ſervandus: quod fit, cum non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum ambulat: & hunc quidem dicimus verè eſſe dignum, quatenus quidem homines digni eſſe poſſunt, ut ad menſam Domini accedant; quanquam ſacras literas non ita loqui diximus. Hæc verò eſt, cum quis fidem quidem in Dominum Jeſum habet, ſed imperfectam adhuc, vel potius imbecillem, ita ut hactenus quidem ea nondum præſtiterit omnia, quæ ex vi Novi Fœderis ad ſalutem ſunt neceſſaria; habeat tamen eam, cujus vim ſi ſequi velit, & ſtudium laboremque adjungere, omnino ſit præſtiturus ea omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: qualis fides eſt eorum, qui novitii adhuc ſunt nominis Chriſti profeſſores, & nunc primum ei incipiunt ſervire; aut licet jam aliquandiu in Eccleſia Chriſti vixerint, tamen nondum prorſus excuſſerunt peccatorum jugum, in eo tamen ſunt, ut excutiant; præſertim cum tempus reſipiſcendi ex Dei ac Chriſti benignitate nondum præterierit; ac præterea ſi quæ ſint eorum peccata, ea vel non ſunt ita manifeſta, vel non tam crebra, aut tam gravia, ut à communione piorum excludi propterea debeant. Hi aliquo tamen modo videntur profiteri, poſſe ſe corporis & ſanguinis Chriſti, Novique fœderis eſſe participes, cum fidem, & eam aliquo modo ſalvificam ex Chriſti morte hauſerint, & Novum fœdus ad illos pertineat, quanquam ratione nondum perfecta. Hi ſi eo animo ac conſilio ad menſam Domini accedant, ut apud ſe penitus conſtituant, ſe impoſterum omnino velle peccati jugum excutere; videntur poſſe non indignè, ſi cætera etiam quæ requirimus adſint, accedere, & judicia etiam Dei effugere, ſi animi ſui decretum, & veluti promiſſum, quo ſe Deo ac Chriſto obſtrinxerunt, poſtmodum exſequantur: ita ut ex poſt facto vim quandam & dignitatem factum antegreſſum capiat. At ſi ne poſtea quidem ita ſe geſſerint, ut illorum poſtulat profeſſio, nihil obſtat, quominus prorſus indigne acceſſiſſe cenſeantur, & ejus rei luant pœnas. Quod ad alterum officiorum huc ſpectantium genus attinet, nihil eſt opus amplius dicere; cum id per ſe ſatis pateat.

Reſtat tertium officiorum genus ad Euchariſtiam ritè celebrandam pertinens. Illud vero eſt, ut circa illud tempus, quo una cum aliis ſacram hanc ceremoniam celebrare cogitas, aut reipſa celebras, ita te geras, quemadmodum rebus tam ſanctis, quarum ibi fit commemoratio & celebratio, dignum eſt, nec illotis, quod dicitur, manibus, vel potius animo illoto, res tam ſacras tractes; quod qui facit, is, ut Paulus ait, reus eſt corporis & ſanguinis Domini, cum corpus Domini non dijudicet; hoc eſt, non diſcernat eum cibum, qui corpus Domini repræſentat, ab aliis vulgaribus cibis; eodem modo nec potum, qui ſanguinem Domini repræſentat, ab aliis vulgaribus potus generibus, neque ejus excellentiam præ aliis æſtimet, eumque illis præferat. Hæc enim vis eſt verbi διακρίνειν, quo utitur Paulus, ut docet alius in eadem Epiſtola locus cap. 4. 7. qui conferendus eſt cum præcedentibus. Is verò id facit, qui ita ad hunc cibum & potum ſumendum accedit, ut ad alios vulgares cibos, eoque pacto vilipendit res tam ſacras, in quibus non tam id, quod oculis cernitur, & manibus palpatur, ſpectandum & æſtimandum eſt, quam id, quod per ea repræſentatur ac celebratur, ex quo res illæ viſibiles quandam veluti dignitatem ſortiuntur. Qua de cauſa Paulus, ne quis res iſtas vili pendat, & in eo leviter ſe peccare exiſtimet, affirmat, hoc peccatum tendere in ipſum corpus, & ſanguinem Domini; non quod hominis iſtius, qui religioſe ad ſacrum hunc ritum accedit, hic ſit animus ſeu intentio & conſilium, ſed quod ea ſit facti vis & natura, etiamſi is interea id non cogitet. Nam ſi cogitaret, adhuc gravius in eo peccaret; quemadmodum is, qui regis, aut principis alicujus imaginem in ipſius contumeliam pede conculcaret, aut laceraret, aut configeret. Hæc autem, quæ corpus & ſanguinem Domini adumbrant, eorum ſunt quædam imagines, & quidem ex ipſius inſtituto, quas ob hunc ipſum uſum violare & vilipendere non licet. Quod propterea addimus, ne quis id trahat ad imagines Dei, aut Chriſti, aut aliarum rerum ſacrarum, quæ non modo non ſunt ex inſtituto Domini, ſed etiam contra Dei aut Chriſti inſtitutum; quas qui tollit, non ut contumeliam Deo aut Chriſto faciat, ſed potius ut eam tollat, is hujus peccati haudquaquam eſt cenſendus reus. Sed hoc obiter.

Ut igitur ad rem ipſam, quam cœperamus, revertamur, & partes iſtius officii, quod ultimo loco collocavimus, explicemus: triplex hîc tempus ſpectandum eſt, ad quod officium iſtud extenditur, cum quod Sacram hanc Synaxin proximè vel non longe antecedit, tum, quo ipſa hæc ceremonia peragitur, tum denique id quod proximè conſequitur. Debent autem hæc omnia tempora eſſe vacua delicto aliquo, præſertim manifeſto; &, quo propius eſt tempus illud ipſi ceremoniæ, tanto magis. Nam etiamſi omne tempus debeat vacare omni delicto, hæc ipſa tamen ceremonia tam ſancta non vulgarem religionem poſtulat, & ſua natura id exigit, ut a peccato quàm maximè ſit tempus illud vacuum, cum religio ac devotio cum eo conciliari nequeat. Nam quod attinet ad tempus antecedens & conſequens, id reſpectu Cœnæ Domi-

nicæ eatenus debet vacare delicto, quatenus illud indicio eſſe poſſet, quempiam animo irreligioſo, & non ſatis pio vel accedere vel acceſſiſſe ad Domini menſam, præſertim ſi ex eo ſcandalum aliquod naſci poſſet. Nam à peccato aliquo veluti recentem ad hanc tam ſacram ceremoniam accedere, hominis eſt parum religioſi, & Deum ac Chriſtum non ita, ut decet, metuentis. Ab hac etiam ceremonia Sacra recentem, mox in peccatum aliquod ruere, itidem hominis eſt irreligioſi, in quo vix videtur viva fuiſſe tum devotio ac religio, cum ad menſam Domini accederet, alias eam adhuc ſpiraret, nec tam facile ex animo ejus elabi vel excuti poſſet. Non enim ſubito pietatis fervor extingui ſolet, ſed paulatim deferveſcere. Itaque delicti ſive paulo antegreſſi, ſive mox ſubſequuti, infamia ad ipſum etiam Cœnæ Dominicæ actum tam propè conjunctum, & ſive ſubſequutum, ſive antegreſſum, videtur redundare. Qua in re tum longinquitas aut brevitas temporis, tum etiam ipſorum delictorum natura, cùm in ſeipſis, tum ratione aliorum hominum, ſeu ratione ſcandali conſideratorum, ſpectanda eſt. Nam leviorum delictorum & à ſcandalo ſejunctorum turpitudo & infamia non longè manat. Itaque etſi non admodum longum fuerit tempus, quod Synaxin anteceſſerit; tamen delictum iſtiuſmodi per ſe vitiare actionem illam non poteſt: ſed tum demum, ſi nimis breve tempus interceſſerit: ut ſi quis paulo ante rixatus fuerit, aut, ut adoleſcentes petulantiores ſolent, modò luſerit, & protinus advolet ad ſacram Synaxin. Nam & ea, quæ alias tantum indecora ſunt, & ab religionis hujus perfectione abhorrentia, actionem religionis vitiant, & de dignitate illius aliquid delibant. Quod ſi magna ſint delicta, etiamſi unica tantum fuerint ſeu ſingularia, atque imprimis ſi cum ſcandalo quodam fuerint conjuncta, in longum etiam tempus infamiam ſuam mittunt; ſed imprimis in tempus ſequens; in tempus vero antecedens non admodum longum. Et hæc eſt differentia inter tempus antecedens & conſequens, quod ad negotium noſtrum attinet. Cavendum igitur eſt, ne peccata aliqua vel antegrediantur hunc actum, vel ſequantur: imo illa etiam ad tempus aliquod omittenda, quæ non ſpiritum, ſed carnem potius ſapiunt, & cum religione non ſatis bene conveniunt, etiamſi alio ea tempore liceant, vel ſaltem minus dedeceant, qua in re peccatur à pleriſque, qui poſt hanc ſacram ceremoniam profanos ſermones & res ſtatim tractant, idque nulla urgente neceſſitate: quod licet ad vitium huic pietatis parti contrarium pertineat, tamen hîc etiam commemorari potuit, quia hoc officium in evitandis peccatis, aut rebus indecoris magna ex parte cernitur. Quod ad ipſum Cœnæ Dominicæ tempus attinet, in quo ſi quid peccetur, aut minus decore fiat, id actionem hanc manifeſtius vitiat & deformat: cavenda ſunt ea omnia, quæ à re tam ſacra ſunt aliena, atque imprimis illa, quæ cum ea prorſus pugnant. Qua in re peccabant Corinthii, quorum nonnulli ebrii ceremoniam hanc ſacram peragebant, aut ſchiſmatis edebant ſigna, alioſque contemnebant, cum partim quiſque ſeorſim cum ſuis Cœnam ſacram perageret, partim publicè epularetur, & ſic eos pudefaceret, qui tales cibos afferre non poterant; quemadmodum conſtat ex 1 Cor. XI. 18, 20. & ſeqq. Ea, quæ hactenus enumeravimus, officia, propriè ac per ſe ad ſacram hanc ceremoniam ſeu Euchariſtiam pertinent, atque imprimis ea, quæ primo ac ſecundo loco tradidimus.

Reſtat adhuc unum officium, quod non per ſe ac proxime eò ſpectat, ſed propter ea, quæ hactenus enumeravimus, eſt comparatum, & ideo ad Euchariſtiam requiritur, quia illa, quæ recenſuimus hactenus, ſine eo præſtari non poſſunt. Illud autem eſt probatio, ſeu dijudicatio ſui ipſius, quemadmodum docet Paulus dicto ſæpius loco 1 Cor. XI. 28, 31. Quanquam ita verba iſta poſſunt accipi, ut hæc probatio vel dijudicatio ſui ipſius, non tam ſit medium ad cætera officia comparatum, & illis veluti ſubſerviens, quam caput quoddam, ad quod cætera omnia reduci debeant. Nam duplici modo poteſt accipi id quod Paulus dicit, quod *quiſque ſeipſum debeat probare*, aut, ut infra loquitur, *dijudicare*, ſi velit ad Domini menſam accedere: primum ita, ut ſignificet explorationem ſui ipſius factorumve ſuorum, cum conſequente approbatione; vel ut ſignificet tantam in vita univerſa, iiſque imprimis factis, quæ ad Euchariſtiam rite celebrandam pertinent, moderandis, cautionem & diligentiam, qua fiat, ut ea conſcientia tua approbet, & recta eſſe judicet. Prior ſignificatio aliquomodo magis eſt propria. Quanquam eatenus Metonymia cum ſignificatione propria concurrit, quatenus non tantum exploratio, & examinatio quædam factorum iſto verbo ſignificari ponitur, ſed etiam approbatio eorundem, inquiſitionem illam conſequens, & quidem non quamvis. Poſterior vero ſignificatio prorſus videtur Metonymica, & per cauſam intelligi effectum. Nam exploratio iſta factorum diligens, facit ut illa ſint recta, & (ut ita dicam) accurata, divinæque voluntati conſentanea, & à conſcientia noſtra tandem approbentur. Prior illa ſignificatio videtur habere locum Rom. 12. 2. Quanquam conſtructio eſt paulo alia, ſed ita comparata, ut ſi ibi poſſit habere locum, multo magis in eo, de quo agimus, loco. Vult enim ibi Paulus, ut ita transformemur in renovatione mentis noſtræ, ut probemus, quænam ſit illa Dei voluntas bona, & beneplacens, & perfecta. Ubi conſentientibus interpretibus, non id tantum vult Paulus, ut in id inquiramus, quænam ſit illa voluntas Dei bona; ſed etiam ut quæſitam & inventam tum animo, tum factis probemus; licet locutio ipſa prius tantum illud videatur ſignificare. Similis eſt locus Epheſ. 5. 10, quem confer cum ℣. 17. Eſt igitur in illis Synecdochica quædam Metonymia, in qua una cum inquiſitione, quæ iſto verbo proprie ſignificatur, comprehenditur etiam rei inventio, & cognitio, & approbatio. Inquiſitio enim iſta, quæ eo verbo denotatur, in eo revera occupatur, ut conſtet, utrum res aliqua proba ſit, nec ne. Alius locus eſt in Epiſt. ad Roman. cap 14. 22. ubi ait Paulus: *Beatus, qui non judicat ſeipſum in eo* (quod) *probat*: ubi ejuſmodi eſt phraſis, qualis in loco noſtro. Nam utrobique aliquid probari, vel probandum eſſe dicitur; non vero, ut in duobus, quæ attulimus, locis ſermo eſt de probando, quidnam ſit aliquid: id quod per ſe nil niſi explorationem & inquiſitionem rei denotare videtur, cùm prius illud etiam approbationem denotare poſſit, quemadmodum & Latina phraſis, qua Græcam expreſſimus. Et ſane hic videtur eſſe ſenſus iſtius loci ad Roman. Beatus eſt ille, qui ſeſe in eo non damnat, dum rem aliquam per ſeſe indifferentem ac liberam, tanquam rectam, facto ipſo approbat, ſeu uſurpat, ſeu quæ res illi allubeſcit. Unde per oppoſitionem ſequitur, *qui vero dijudicat, ſi comederit, damnatus eſt*. q. d. at is contra infelix eſt, qui, cum aliquid patitur ſibi allubeſcere, idque uſurpat, & ipſo facto approbat, id tamen facit reluctante conſcientia, & factum damnante; quod ſpeciatim in comeſtione ciborum, tanquam in exemplo, exprimit Apoſtolus. Itaque ſi ſimilem velis eſſe in noſtro ad Corinthios loco verbi hujus ſignificationem, ſignificabitur, hominem eum, qui ad Domini menſam accedere velit, debere diligenter in ſe, factaque ſua inquirere, & rigidum eorum examen inſtituere; &, ſi ſeſe tum approbet, & conſcientiæ ſuæ judicio abſolvat, ita uti talem ſe eſſe judicet, qualem novum fœdus requirit, tum demum ad menſam Domini accedat. Qualem autem eum eſſe deceat, qui ad Novum fœdus pertineat, jam ſupra diximus. Enimvero non ſignificare verbum iſtud nudam tantum in facta noſtra inquiſitionem, ſed etiam id, quod ejus debet eſſe conſequens, nempe eorundem approbationem: id indicat, quod Paulus non obſcurè docet, ei, qui ſeipſum probaverit, jam licere ad menſam Domini accedere, imo etiam eum id omnino facere debere, tanquam eum, qui dignè id ſit facturus. Nam poſtquam dixiſſet, eum qui indignè id fecerit, reum fore corporis & ſanguinis Domini, addit, *probet autem homo*, (hoc eſt, quiſque) *ſeipſum, & ita ex pane edat &*

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ex poculo bibat. Ita, hoc eſt, ubi ſe probaverit, quaſi certum ſit, eum non amplius id indignè facturum. At fieri poſſet, ut quis poſt diligentem factorum ſuorum examinationem improbum ſe eſſe deprehenderet, &, ſi nihil amplius conſequeretur, nihilo magis dignè ad menſam Domini accederet, quam abſque inquiſitione iſta acceſſiſſet. Itaque non ſimplex exploratio, ſed quæ cum approbatione ſit conjuncta (nam hunc potius effectum, quam alium quemcunque, tanquam admodum conjunctum, hîc ſimul intelligendum eſſe, ipſa verbi proprietas à nobis ſupra tradita indicat) hîc fuerit accipienda: tum enim rectè locutus cenſebitur Paulus. Nam qui, poſtquam facta ſua ad Lydium verbi divini, & conſcientiæ ſuæ lapidem examinaverit, ea probata rectaque deprehenderit, is quo minus ad menſam Domini accedat, nihil obſtat, imo ut id faciat, præceptum Domini ſuadet. Idem poſtulat etiam verbum *dijudicandi*, quod infra pro verbo *probandi* reponit Apoſtolus, ℣. 21. ubi ait, *ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non judicaremur*, hoc eſt, non puniremur. At ſi verbo dijudicandi nuda factorum noſtrorum examinatio intelligeretur, nulla conſequuta eorum approbatione, dictum Apoſtoli ſuſtineri non poſſet. Neque enim protinus, qui in ſua facta inquirit, non punitur; imo interdum multo magis punitur, quod cum ſua facta improba eſſe deprehendat, ea tamen non emendaverit, nec emendet. At ſi approbationem eorundem factorum iſto verbo comprehenſam intellexeris, rectè ſeſe verba Apoſtoli habebunt. Nam etſi quis dicere poſſet, falli poſſe eum in judicando, qui ſeipſum habita diligenti inquiſitione approbaverit, quia vel quædam ſua facta, vel etiam Dei præcepta latere ipſum poſſent: tamen Paulus jure ponere potuit, iſtiuſmodi hominem ea in re non ita falli, quin vi Novi Fœderis à pœnis divinis immunis eſſe debeat, qui ſeipſum eo pacto, quo diximus, hoc eſt, præcedente factorum ſuorum diligenti examinatione, ad præceptorum divinorum normam approbaverit. Ponit enim Apoſtolus eos, de quibus loquitur, ita comparatos, ut doctrinam Chriſti, ejuſque præcepta probe habeant cognita: hujuſmodi autem hominem ſi diligenter facta ſua examinaverit, non videntur latere poſſe ea, quæ ipſum, vi Novi fœderis ſtante, divinis ſuppliciis obnoxium reddant; ſed ſi quæ ſunt ejus peccata, quæ ipſum lateant, ea talia eſſe oportet, ut vi novi fœderis omnino deleantur. Quo pacto Johannes etiam dixit 1 Epiſt. cap. 3. 21: *ſi cor noſtrum nos non condemnat, habemus fiduciam ad Deum; &, quicquid petierimus, accipiemus à Deo, quia præcepta ejus ſervamus, &, quæ grata ſunt coram illo, facimus:* ubi etiam pro conceſſo ſumitur, eos, de quibus ſermo eſt, hoc eſt, homines religionem Chriſtianam ſincerè profitentes, in iſto de ſe judicio non falli; qua de re videatur Socinus ad iſtum locum. Hoc ergo pacto ſi ſumatur Pauli dictum, de probatione & dijudicatione ſui ipſius, quæ Cœnæ Dominicæ uſum antecedere debeat; ea res cujuſdam medii inſtar erit, ſubſerviens cæteris officiis, ad legitimum ſacræ hujus ceremoniæ uſum neceſſariis. Quod ad alteram iſtorum verborum ſignificationem attinet, ea videtur etiam reperiri apud eundem Paulum ad Gal. 6. 4. ubi vult, ut quiſque opus ſuum probet, additque, *& tunc in ſeipſum gloriationem habebit, & non in alterum*, hoc eſt, de ſeipſo ſimpliciter gloriari poterit, non vero reſpectu tantum alterius; hoc eſt, ideo quia alium quempiam pietate ſuperare, & iis carere peccatis videatur, quibus alter ſit implicatus. Primum autem manifeſtum eſſe videtur, hoc loco non ſignificari ſimplicem tantum factorum ſuorum explorationem: nam hujus non hic protinus effectus eſt, quem Paulus ei ſimpliciter attribuit; nempe ut quis in ſeipſo gloriationem habeat: ſed ſæpè etiam, imo longè frequentius contrarius. Sæpè enim fit, ut homines facta ſua ad examen revocantes ea improbent, & ſic animos remittant; tantum abeſt, ut gloriandi materiam inde habeant. Deinde cum adhuc duæ ejuſdem verbi ſignificationes ſint reliquæ, altera illa, de qua fuſe hactenus differuimus; altera ea, quam præter illam diximus reſtare: videndum nunc eſt utra ſit hoc in loco præferenda. Non videtur autem ſatis quadrare huic loco ea ſignificatio, de qua hactenus differuimus, ut probatio explorationem ſignificet cum approbatione ſequente; quia Paulus hoc loco non tam videtur loqui de eo, quid actiones vitæ conſequi debeat, quam quo pacto eæ ipſæ ſint inſtituendæ, & ea peccata, quæ in altero reprehendimus, evitanda. Patet id, cum ex collatione hujus verſiculi cum fine verſiculi primi, *conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*: quod idem cum iſto videtur eſſe, ut quiſque ſuum ipſius opus probet: & cum verſu ſequenti: ubi hujus ratio quædam redditur, *quilibet enim proprium onus portabit*; q. d. ideo debes opus tuum probatum reddere, & non tantum alterum reſpicere, quia quiſque ſuo periculo peccat, ille ſuo, tu tuo: ac proinde ſi non ita te geras ut decet, quocunque tandem pacto vivat alter, tu pœnas dabis, alterius culpa te non excuſabit; quæ ratio apta eſt ad id probandum, quod altera iſtius verbi ſignificatio, quam huic loco convenire volumus, poſtulat, nempe ut quis opus ſuum probatum efficiat, itaque ſe gerat, ut id tum Dei, tum conſcientiæ judicio rectum eſſe deprehendatur. Hoc pacto ſi in iſto ad Corint. loco idem verbum accipiatur, probatio hæc omnia illa, quæ ſuperius enumeravimus, officia in ſe comprehendet. Significabit enim, ea nos cautione ad ſacrum hunc cibum atque potum accedere debere, ut nos in omnibus, quæ ad officium noſtrum pertinent, probatos reddamus: eritque in hoc ipſo Metonymia vel efficientis, vel effecti. Efficientis quidem, quatenus eo verbo exploratio quædam ſignificatur, quæ facta etiam ipſa accurata probaque efficiat; cautionem enim, & diligentiam in hominibus excitat, ex qua facta evadunt divinis præceptis conformia. Effecti verò, quatenus etiam approbatio interdum iſto verbo ſignificatur, quæ oritur ex factis ad divinorum præceptorum normam exactis ac conformatis, quod idem de dijudicatione dicendum eſt. Eſt autem probabilis quædam ratio, quæ ſuadeat, ut hoc potius modo quam illo verbum hoc accipiatur, eaque duplex: Altera, quod exploratio hæc, quam approbatio debet conſequi, videatur actum hunc ſacrum aliquandiu præcedere debere, ac non tam referri ad hanc ipſam actionem Cœnæ Dominicæ, quam generatim ad actiones totius vitæ præcedentis. Fieri autem poteſt, ut quis acta totius vitæ præcedentis approbet, & tamen poſtea non ita ſe gerat in ipſo Cœnæ Dominicæ actu, quemadmodum conveniret, & ſic indignè id faciat: cum tamen Paulus, ut ſuperius diximus, indicare omnino videatur, eum, qui ſeipſum probet, ab hoc crimine immunem eſſe aut fore, eamque rem, non tantum ad alias vitæ actiones, ſed etiam ad id, ut quis ſeſe in Cœnæ Dominicæ ritu recte gerat, pertinere. Altera cauſa eſt, quod dijudicatio iſta, quam probationis loco poſtea reponit Apoſtolus, non videatur de inquiſitione factorum, quam approbatio conſequatur, accipienda; ſed de ipſorum factorum conformatione ejuſmodi, ut ea probari mereantur. Indicat enim Apoſtolus, eam dijudicationem conſequuturum, ut à pœnis judiciiſque divinis ſimus immunes. Hoc autem non tàm iſtius inquiſitionis, aut approbationis noſtræ, quam ipſius factorum noſtrorum pietatis eſt conſequens.

Hoc autem loco quæri poteſt, utrum is, qui ſeipſum probatum non invenerit, (ponamus enim nunc, prioris vocis ſignificationem hîc eſſe retinendam;) nihilominus ad menſam Domini accedere debeat, nec ne? Nam ſive accedat, ſive non accedat, peccare omnino videtur. Si accedat, ideo quia peccat in præceptum Apoſtoli, qui ea demum conditione nos ritum hunc ſacrum vult obire, ſi nos probaverimus, indicans fore alias, ut indignè comedamus & bibamus, & ſic in corpus ſanguinemque Domini peccemus, & ejus rei pœnas demus. Si non accedat; peccat in Domini Jeſu præceptum, qui vult, ut omnes in perpetuum Chriſtiani ritum hunc, cum nempe ejus eſt occaſio, obeant. Reſpondemus, eum quidem, qui probatum ſeſe non invenerit ea ratione, qua omnino vult Apoſtolus, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

is qui ad menſam Domini acceſſurus eſt, ſe ipſum probatum deprehenderit, ad menſam Domini non debere accedere, & præceptum Domini Jeſu, eo poſito, ad iſtum hominem non ſpectare, tanquam ad indignum ſacra hac ceremonia, & ad Dei Chriſtique gloriam, ad quam hic ritus ſpectat, ineptum; cum neceſſe ſit, eum hominem labem quandam aſpergere rebus his ſacris quæ ibi commemorantur, quarum ſeſe participem eſſe hac ceremonia fateretur, & ſic etiam ipſius Dei ac Chriſti nomini. Verumtamen ut res tota fiat manifeſtior, diſtinguendum hîc eſt. Nam is, qui ſeſe probatum non invenerit, vel poteſt adhuc efficere, ut ita nihilominus ſit probatus, quemadmodum hæc ceremonia omnino poſtulat, qua de re ſuperius dictum eſt: vel non poteſt id amplius efficere. Si poteſt; omnino id facere debet, & ſic ad menſam Domini accedere, obſtringiturque præcepto Domini. Id autem facere poſſunt omnes ii, qui hactenus quidem non ita ſe geſſerunt, quemadmodum oportet, ſed quorum tamen delicta non ita ſunt manifeſta, ut labem quandam aſpergere Sacræ huic ceremoniæ, ipſique divino nomini poſſint, ſuaque peccata agnoſcunt, itaque animum mutant, ut ea prorſus deteſtentur, id apud ſe firmiter ſtatuentes, quod omnino velint ea impoſterum excutere. Nam dum ita apud ſe ſtatuunt, & animum ad omnem religionem & pietatem prorſus componunt, ita ut in iis nil deſit, quod ad veram pietatem impoſterum colendam neceſſario pertineat; eo ipſo ſe ita probatos reddunt, ut ſuperius eſt explicatum. Iſti vero, qui id non poſſunt efficere, nulli videntur eſſe alii, quam quorum peccata extant notoria: quorum infamiam nondum temporis aliqua longinquitas, aut aliqua Eccleſiæ cenſura veluti delevit aut detrivit; quibus addi poſſunt etiam illi, quorum inſignis aliqua impietas, licèt occulta, ritum hunc exiguo tempore anteceſſit, à qua reſpirare illorum conſcientia nondum poteſt, eoque reformidat ea uſurpare, quæ iis maxime conveniunt, qui maximè ſint pii. Et hoc quidem poſterius ipſorum privatorum conſcientiæ relictum eſt, cum cæteris iſta vulnera ſint ignota. Prius, etiam Eccleſiæ hominumque piorum judicio ſubjacet, quorum intereſt cavere, ne quis forte ſacram hanc Ceremoniam polluat, & tum gloriæ divinæ, tum ſibimetipſi noceat. Eſtque id pœnæ cujuſdam loco, non judicari dignum ea re, quæ Chriſtianis veris generatim omnibus præſcripta eſt: ſiquidem eo ipſo indignus aliquo modo judicatur, qui mortis Chriſti, & fœderis novi, quod per eam eſt ſancitum, ſit particeps, quandoquidem arcetur à ſymbolis iſtis, quibus id apertè profiteatur. Itaque nullam hîc inveniunt excuſationem illi, qui dum in peccato aliquo, eoque occulto hærent, & quia ſibi vim facere nolunt, ut iſtud prorſus excutiant, & nondum animum adverſus illud prorſus obfirmarunt, ideo à menſa Domini ſponte ſua abſtinent, veluti judicia Domini hoc pacto declinaturi, cum ea in re bis peccent: primum, quod peccatum iſtud adhuc aliquo modo fovent, nec verè atque ex animo reſipiſcunt: deinde, quod eo ipſo ſponte ſibi viam ad ſacram Domini menſam præcludunt, & ſic in cauſa ſunt ipſimet, cur præceptum hoc Domini non obſervent. Eſt quidem hoc verum, quod poſito animo adhuc polluto, & à peccatis nondum ita, ut dictum eſt, libero, non liceat nec deceat ad ſacram hanc menſam accedere; ſed inde non ſequitur, eum hominem non peccare in eo quod ad menſam Domini non aſſideat, quatenus ipſius culpa factum eſt, ut jam aſſidere non poſſit, & cum ſciret ſibi eſſe ex præcepto Domini ad menſam ejus accedendum, non curavit tamen, ut id in ſe haberet, ſine quo accedere non poſſet; qui contemptus eſt hujus Chriſti præcepti. Verum enimvero difficultas hæc facile tolletur, ſi probandi aut dijudicandi verbum in poſteriore, quam conſtituimus, ſignificatione accipiamus, & id tantum velle dicamus Apoſtolum, ut homo probatum ſeipſum præſtet, itaque ſe gerat, quemadmodum hac ſacra Ceremonia dignum eſt; id quod in cujuſvis manu eſt, niſi tum, cum quippiam præceſſit, quod pro temporis ratione non permittat, ut quis ita ſit probatus, ut jam digne poſſit de pane illo ſancto comedere, & è poculo bibere: quid vero illud ſit, paulo ante dictum eſt.

Poſtquam de hoc Chriſtianorum hominum officio, quantum inſtituti noſtri fert ratio, ſatis dictum eſt; reſtat, ut de contrariis agamus. Sunt autem illa, ut alibi quoque contingere vidimus, duplicia: vel Simplicia, vel ex contrariis veluti Miſta. Illa ſunt, quæ vel in eo, quod nimium eſt, ſimpliciter peccant, vel in eo tantum quod parum. In eo, quod nimium, peccant ii, qui varias ſacro huic ritui addunt ſuperſtitiones, aut tremendum quoddam fingunt myſterium, & diviniſſima quæque Dei ac Chriſti beneficia ex ea petunt, atque expectant: unde etiam plerorumque animi terrore quodam implentur, dum ad ſacram hanc menſam accedunt; quæ omnia hoc loco perſequi, non eſt animus, præſertim cum apud diverſos ſint diverſa, & ex eo imprimis pendeant, quod non rectè intelligatur, quidnam ſit illud quod exhibeatur ceremoniam hanc uſurpantibus, cujus rei declaratio ad noſtrum inſtitutum non pertinet. In eo, quod parum eſt, peccant ii, qui vel ſemper hanc ceremoniam omittunt, vel ſaltem tum, cum omittere haudquaquam deberent. Et priores quidem duplicis ſunt generis; alii enim vel putant hanc ceremoniam prorſus non eſſe neceſſariam, aut hodie non uſurpandam; vel etiamſi ita minimè ſentiant, tamen vel ob peccata aliqua ſua in quibus hærent, vel ob ſupinam aliquam negligentiam, ad ſacram hanc menſam nunquam vel raro accedunt.

Mixtum eſt illorum peccatum ex contrariis, qui accedunt quidem, ſed non ita, ut dignum eſt. Nam quatenus indignè id faciunt, ceremoniæ huic ſacræ, ejuſque religioni multum detrahunt, & id quidem potiſſimum ab iis peccatur; ſed tamen cenſeri aliquo modo poſſent, etiam in eo, quod nimium eſt, peccare, quatenus poſita re ea, quæ eos ea ceremonia indignos reddat, nihilominus ad eam accedunt; ſed (ut jam innuimus) magis hoc eorum peccatum ad id, quod parum eſt, referri debet. Mixtus etiam eorum error, & ſimul etiam delictum ab errore profectum, cenſeri debet, qui privatim ægris ſingulis ſacra iſta ſymbola vel petentibus exhibent, vel alicubi nolentibus etiam obtrudunt: qua in re multum religioni & dignitati hujus ceremoniæ detrahunt, cum interim ex alia parte nimium illi adſcribant per errorem. Taceo alia, quæ hîc occurrunt. Ferè enim fit apud alios, ut aliquid ex hac ceremonia detrahatur, aliquid rurſus addatur; quanquam quoſdam eſſe non negamus, qui, quod attinet ad ipſum ritum externum, nihil faciunt, quod à Domini inſtitutione ſit alienum. Ea, quæ hactenus enumeravimus, peccata aut errores, per ſe cum hoc ſacro inſtituto pugnant. Illud per accidens pugnat, quod Apoſtolus commemorat 1 Cor. 10: quod quidam cum hoc ritu teſtarentur, ſe corporis & ſanguinis Domini, adeoque & religionis Chriſtianæ eſſe participes, & populi Chriſtiani membra, interea tamen alienis ſacris intererant, & ea faciebant quæ illorum participes ipſos eſſe arguere poterant; adeo ut & poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum, & menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum participes eſſe velle cenſeri poſſent: id quod Paulus ait, nullo modo eſſe poſſe, id eſt, nullo modo licere, idque eſſe Deum irritare, ſeu ejus iram pœnamque provocare.

Cap. XI.

De invocatione Divini nominis, ſeu de Precatione.

RESTAT ultima pietatis pars, quam mixtam eſſe diximus, Invocatio nempe Divini nominis, ſeu Precatio; quæ licet inter partes divini honoris numerari potuerit, tamen ideo à cæteris eſt ſejuncta, quod aliquid habeat peculiare, & ab aliis diverſum. Nam non tantum ad divinum honorem ſpectat, ſed etiam manifeſtè atque apertè ad noſtrum aliquod bonum refertur, quod ea ratione velimus impetrare: quod

ſi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſi non eſſet, nec invocationi huic quidem eſſet locus.

Non uno autem modo in ſacris literis ſumitur vox Invocationis, ad Deum relata. Nam interdum ſumitur generatim pro cultu divino, præſertim publico ac ſolenni: cujus ſignificationis exempla habes Gen. 4. 26. (quanquam hunc locum alii aliter interpretantur.) cap. 12. 8. cap. 13. 4. cap. 21. 33. Pſal. 14. 4. & 53. 5. quibus duobus locis, Non invocare Deum, aut nomen Domini, pro impietatis nota ponitur. Vide etiam Eſaiæ 43. 22. Jerem. 10. ℣. ult. Atque hoc pacto invocatio non pars pietatis eſt, ſed univerſæ pietatis exercitatio, præſertim publica & ſolennis. Videtur autem inde fluxiſſe hæc ſignificatio, quod invocatio inter reliquas pietatis partes ſit frequentior, eaque ratione cæteris emineat, cum ipſa neceſſitas nos impellere ſoleat, ut eum, quem pro Deo habemus ac colimus, invocemus, ac auxilium ejus imploremus; ita ut qui inter homines quempiam non invocet, is eum pro Deo ſuo habere cenſendus non ſit, præſertim ſi aliunde auxilium idem impetrare ſe poſſe non credat. Eſt alia huic vicina admodum ſignificatio, cum invocare Deum aut Dei nomen, vel (ut ſacræ literæ frequenter loquuntur) in nomine Domini, ſumitur pro celebrare & laudibus extollere nomen divinum; cujus rei exemplum habes Pſalmo 105. 1. & Pſal. 116. 13. & 17. habes etiam hujus ſignificationis exemplum Deut. 32. 3. Eſai. 12. 4. Sed & hæc ſignificatio paulò laxior eſt, quam pro hoc loco; ſi modo cenſendum ſit etiam implorationem divini auxilii hac ſignificatione comprehendi. Nam ſi non comprehendatur, tum ab hoc loco aliena eſt, & ad laudes divinas, de quibus paulo ante egimus, revera pertinet. Denique invocare nomen alicujus, eſt opem ipſius implorare: atque hæc ſignificatio hujus loci eſt propria. Quare invocationem, de qua agimus, definire implorationem divini auxilii poſſumus: quæ eadem precatio ſeu boni alicujus à Deo petitio dicitur. Quanquam & precationis vox interdum latius, interdum ſtrictius ſumitur. Latius, cum etiam gratiarum actionem complectitur: cujus rei exemplum habes Lucæ 18. 10, 11. Actor. 3. 1. & cap. 16. 13. vide etiam Phil. 1. 3, 4. quod propterea fit, quia cum precatione proprie ſic dicta fere ſolet gratiarum actio conjungi, & contra. Strictius autem & proprie ſumitur, cum pro petitione boni alicujus ſumitur. Imploratur autem divinum auxilium duplici ratione: vel enim immediatè ab ipſo Deo aliquid petitur, vel mediatè, cum à Chriſto petitur, & ſic per ipſum à Deo: qua de re quia ab aliis ſatis eſt diſputatum, nos hoc loco nihil amplius dicemus. Intelligendum autem eſt, eam demum invocationem & precationem verè huc pertinere, & pro pietatis ac cultus divini parte habendam eſſe, quæ ad eum dirigitur, qui ita procul abſit, ut nulla naturali ratione poſſit id quod tu ab eo poſtulas, intelligere, aut id quod cupis, præſtare, ſed eâ quæ naturam omnem ſuperet, adeoque prorſus ſit divina: quo pacto Chriſtus propriè, ac vere cœpit invocari, ex quo ad dexteram Dei conſedit, omnemque in cœlo & in terra poteſtatem adeptus eſt.

Nunc porro alia, quæ ad invocationem divini nominis rite peragendam pertinent, conſideremus. Inter ea verò quæ huc ſpectant, primo loco eſſet expediendum quinam ſit invocandus, aut ſaltem invocari poſſit. Sed quia hoc caput, jam ab aliis ſatis fuſe eſt tractatum, nos illud hîc relinquimus. Sequuntur alia à nobis excutienda, eaque potiſſimum tria: Primo, quænam ſint petenda & pro quibus: Secundo, qualis is eſſe debeat, qui petere velit ita ut decet: & denique, qua ratione debeat petere.

Quod ad primum caput attinet, id brevibus verbis indicavit Johannes 1 Epiſt cap. 5. ℣. 14. ubi ait: *hæc eſt fiducia, quam habemus apud ipſum*, nempe Deum, *quod ſi quid petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Ea nempe petenda ſunt, quæ ſunt ſecundum voluntatem Dei. Secundum autem voluntatem Dei non tantum illa eſſe cenſenda ſunt, quæ ipſemet Deus jam ſponte ſua vult; (alias ſequeretur, nos non poſſe orare Deum, ut aliquid, quod non vult, velit, &, cùm punire jam vult, pœnam avertat, & decretum aliquod ſuum, quod tamen non prorſus ſit immutabile, mutet:) ſed omnia iſta, quæ cum Dei voluntate in novo fœdere patefacta conſentiunt, & ab ea non abhorrent: qualia ſunt tum illa, quæ in Novo Fœdere nobis promiſit, tum alia, quæ, licet non promiſerit, tamen præſtare poteſt, & interdum ſolet, nec quicquam eſt, quod prohibeat, quo minus illa petere liceat. Quapropter dicere poſſumus, poſito interim eo, quod occultum aliquod Dei decretum, quod prorſus ſit immutabile, non obſtet, ea omnia eſſe ſecundum Dei voluntatem, quæ nos convenienter Novo Fœderi ſeu doctrinæ Chriſti petere poſſumus. Convenienter autem Novo fœderi ea imprimis petuntur, quæ ad Dei gloriam, noſtramque ſalutem omnino ſunt neceſſaria: tum ea, quæ ad eam rem vehementer conducunt, ſed ita, ut non evertant ſalutis noſtræ rationem, quam Deus nobis præſcripſit, aut ſibi in nobis ad æternam ſalutem perducendis ſervandam propoſuit. Quod propterea addimus, quia poſſet aliquis tale donum ſpirituale à Deo petere, quod quidem vehementer videretur conducere ad ſalutem, ſi rei ipſius per ſe ſpectetur natura, interim tamen adverſetur iſti Dei conſilio & rationi, quam in nobis ad ſalutem deducendis ſibi ſervandam propoſuit. Poſſet enim fieri, ut meritum fidei, quemadmodum loqui conſuevimus, vel in nobis, vel in aliis exſtingueret, & vim quandam nobis vel aliis faceret, ac neceſſitatem quandam imponeret credendi aut pietatis opera præſtandi, quæ cum voluntario iſto, & libero credendi & Deo parendi ſtudio (quod meritum fidei appellamus, quodque Deus imprimis deſiderat) pugnat. Vult enim Deus, ut ii demum ſalutem conſequantur, quorum vera eniteſcit virtus & pietas: in iis autem eniteſcit, qui liberè parent, & non coactè. Itaque ejuſmodi petitio, quæ donum flagitaret hujuſmodi, quod meritum fidei everteret, non eſſet congrua doctrinæ Novi Fœderis. Denique ea quoque convenienter doſtrinæ Novi Fœderis, ſeu divinæ voluntati in eo nobis patefactæ petuntur, quæ, licèt per ſe ipſa ad ſalutem non pertineant, ei tamen non modo non repugnant, ſed etiam aliqua ratione ſubſerviunt, quanquam nunc magis, nunc minus; qualia ſunt, ea quæ ad hanc temporariam vitam ſpectant, præſertim quando ſunt ad eam tutandam neceſſaria, aut interdum ad gloriæ divinæ promotionem non parum faciunt. Qua de re mox aliquid dicemus explicatius. Ideo autem diximus, hæc omnina convenienter Novo Fœderi peti à Deo, quia de omnibus his dici poteſt, ea aliquo modo in Novo Fœdere eſſe promiſſa, licet alia minus alia magis: quodque autem tanto magis, quanto propius ad ſalutem pertinet, & ad eam eſt neceſſarium. Itaque illa, quæ primo loco commemoravimus, ſimpliciter ſunt promiſſa; propterea quòd ſimpliciter ſint ad ſalutem neceſſària: quæ ſecundo loco, aliquo modo etiam ſunt promiſſa iis, qui pie vixerint, & in precibus fuerint aſſidui, ſi non apertè, ſaltem tacitè; cum jurè dici queat, ea voluntati divinæ in Novo Fœdere patefactæ eſſe conſentanea, cum Novi Fœderis ratio univerſa ad Dei gloriam, noſtramque æternam ſalutem ſpectet; ad quem utrumque finem iſta vehementer conducunt. Denique rerum quoque ad hanc vitam pertinentium extat quædam in Novo Fœdere promiſſio, ut apparet in fine cap. Matth. 6: ſed ea promiſſio omnium poſtrema eſt in Novo Fœdere, & non admodum late extendenda: propterea quod iſtarum rerum abundantia, & perpetua earum affluentia, vel ſaltem quieta & tranquilla, licet moderata alias, perfruitio virtutes iſtas, quas Deus à nobis poſtulat, impedire ſoleat. Nam & luxuriare ſolent animi rebus plerumque ſecundis, &, ut non luxuriarent, tamen patientia omnium malorum, inter quæ etiam fames & egeſtas, aliæque graviſſimæ afflictiones, & mortis denique acerbiſſimæ & ignominioſiſſimæ tolerantia (quæ virtus eſt omnium ſplendidiſſima) non patitur, ut hac vita & rebus ad eam commode tutandam, & abſque moleſtia tranſigendam

dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dam pertinentibus, perpetuo perfrui poſſimus: adeoque nec ſimpliciter illa nobis ſunt promiſſa, ſed ſalva interim ratione ea, quam nobis ad ſalutem conſequendam in Novo Fœdere Deus præſcripſit, ſeu, ſalvis iis virtutibus, quas Deus nobis in Novo Fœdere præcepit. Unde, cum Dominus Jeſus promiſiſſet ei, qui propter ipſum aut propter Euangelium reliquerit domos aut fratres, aut ſorores, &c. centuplum tantum in hoc ſeculo domorum, fratrum, ſororum & cæterorum: addit *cum perſequutione*, hoc eſt, ita ut nihilominus tamen perſequutionem patiatur, ſeu ſalva interim perſequutionis ac patientiæ conditione, quam mei diſcipuli ſubire debent: licet centupla iſta merces & retributio, non tantum de terrenis, & ad corpus pertinentibus bonis, ſed etiam, & multo quidem magis, de ſpiritualibus, quæ in hac vita homini pio conceduntur, intelligenda ſit. Quandoquidem ergo iſta omnia, quæ enumeravimus, vel ſimpliciter, vel aliquo modo piis ſunt in Novo Fœdere promiſſa: jure de iis omnibus dicere poſſumus, ea eſſe ſecundum Dei voluntatem. Verum quia non omnia ſimpliciter ſunt promiſſa, ſed quædam ſimpliciter, quædam aliquo modo tantum, quanquam omnia ſub pietatis conditione: ideo etiam quædam ſimpliciter ſecundum Dei voluntatem eſſe dici poſſunt, quædam ſecundum quid, vel quodam modo tantum. Unde etiam diverſo modo ea petere poſſumus ac debemus, alia ſimpliciter, alia ſecundum quid, ſi ita Deo videatur: qua de re poſtea, ubi de precandi modo agemus. Licet autem ea, quæ hactenus enumeravimus, quatenus à Deo promiſſa ſunt, magis propriè ſecundum voluntatem Dei eſſe dicuntur; non tamen de his ſolis id dici poteſt; ſed (ut ante quoque innuimus) de iis quoque omnibus, quæ à divina voluntate nobis revelata, non abhorrent eique prorſus non adverſantur, ſeu tale aliquid non ſunt, quod vel ſit indignum Deo dare, vel nobis petere. Indignum autem nobis eſſet petere id, quod præceptis Dei nobis præſcriptis adverſatur; ut ſi quis petere vellet, ut Deus hoſtem ſuum ulciſceretur: quod facere quidem Deus poteſt, in eoque nihil eſt ipſo Deo indignum, ſed Chriſtianis non convenit id petere. Deo indignum eſt illud, quod vel cum aliqua ipſius proprietate, vel cum decreto ipſius immutabili pugnat. Addo *immutabili*; quia ſunt quædam decreta, vel effata Dei, comminationem continentia, quæ non ſunt prorſus immutabilia; cujus exempla non pauca nobis ſuppeditant ſacræ literæ, ut ex hiſtoria Achabi, Ezechiæ, Ninivitarum patet; idque expreſſe docet ipſe Deus Jerem. 18.7, & ſeqq. Nam etſi decreta ejuſmodi ſimpliciter efferuntur, non tamen prorſus ſimpliciter intelliguntur, ſed ſalvo relaxationis jure; niſi forte aliqua immutabilitatis nota ſit appoſita, qualis eſt juramentum, quod videmus adhibitum à Deo decreto de illis in requiem ſuam non admittendis, qui non crediderint, ut apparet ex Epiſt. ad Hebr. 3. & 4. De vi autem juramenti vide ibidem cap. 6. 17, 18. Itaque ſi non appareat nota aliqua, immutabilitatis decreti ac voluntatis divinæ, licet orare Deum, ut tale decretum mutet: idque apparet feciſſe Paulum, cùm pro Judæis ad ſalutem, ipſius precatio fuit ad Deum, ut ait ipſemet Rom. 10. 1: de Judæis loquens generatim, quales tum erant; quos tamen Deum jam tum rejeciſſe, & induraſſe, tum cap. 9, tum. 11, ſatis aperte docet. Interim tamen, cum decretum aliquod apparet, quod valde ſit æquum, & divinæ ſapientiæ conſentaneum; valdè moderate & cautè orandum eſt, ut Deus illud mutare velit, ne quis videatur cum Deo velle pugnare, & ſuperbè agere. Non eſt ergo neceſſarium ſimpliciter, ut id, quod à Deo petere velis, ſit ab ipſo quacunque tandem ratione promiſſum; ſed ad id, ut certam ſpem concipere poſſis, te illud impetraturum, quod petis, id requiritur, ut id aliquo modo ſit promiſſum, & ſic perfectiori quadam ratione ſit ſecundum Dei voluntatem, hoc eſt, non eatenus tantum, quatenus ab ea non abhorret, ſed etiam eatenus, quatenus cum ea verè conſentit, aut ex ea fluit. Et hoc videtur velle Johannes loco ſuperius adducto, ubi ſpem faciens iis ad quos ſcribit, illos obtenturos quod petierint, verba iſta pronunciavit: *quod ſi quid petierimus ſecundum voluntatem Dei, nos exaudiet.* Itaque licet ſuperius hæc verba adduxerimus, tanquam rem aliquam ad iſtam petitionem neceſſariam, ſive conditionem, ſine qua petere non liceat; id tamen non ideo fecimus, quaſi hic ſit omnino illorum verborum proprius ſenſus; ſed quia huc etiam accommodari poſſit. Quapropter duplici ſenſu ea cenſemus poſſe capi, quorum alter laxior, alter ſtrictior: ille loci (ut nobis nunc quidem apparet) minus proprius: alter magis. Prior eſt, cum omnia ſecundum Dei voluntatem eſſe dicuntur, quia ab ea non abhorrent prorſus, habita ratione revelationis divinitus nobis factæ: poſterior eſt, cum ea demum ſecundum voluntatem Dei eſſe dicuntur, quæ non tantum ab ea non abhorrent, ſed etiam cum ea ſunt verè conſentanea, & ex ea pendent. Illo modo conditionem quandam explicant petitionis faciendæ; hoc modo conditionem rei certo à Deo impetrandæ. Dico certò, habita ratione modi, quo res quæque à Deo promiſſa eſt: nam alias ea, quæ ſunt ſecundi, & multo magis, quæ ſunt tertii generis, ſi ſimpliciter ſumantur, & extra illos limites, quos Deus ſuis promiſſis ea in parte circumdedit, extendantur; non obtinentur certo à Deo. At ſi non longius extendantur, quam Deus illa extendit, nullum plane eſt dubium, quin ea ſimus à Deo obtenturi: nam eatenus nullum etiam Dei decretum peculiare obſtare illis poteſt, quo minus ea Deus præſtet, cum Deus ſibi contrarius eſſe nequeat, nec quicquam ſtatuere aut facere promiſſis ſuis contrarium, cum id fides & juſtitia ejus requirat: quandoquidem promiſſo jus acquiritur ei, cui facta eſt promiſſio. At ſi res illæ ſumantur ſimpliciter, non habita ratione limitum à Deo circumſcriptorum, poſſunt peculiaria quædam Dei præcepta, ac conſilia & decreta obſtare.

Quæ hactenus diximus, ea potiſſimum intelleximus reſpectu eorum ipſorum qui orant: verumtamen eadem quoque referenda ſunt ad alios, pro quibus orare debemus. Ii autem ſunt in duplici differentia. Vel enim ſunt homines verè pii, & tales, ad quos Novi fœderis promiſſa re ipſa ſpectent: vel nondum ſunt tales. Si prioris ſunt generis, ea, quæ diximus, ſimpliciter ſunt ad eos accommodanda: ſi poſterioris, tanto magis, aut minus ad eos ſunt accommodanda, quanto propius aut longius à prioribus abſunt, niſi quatenus promiſſa aliqua extant, ad ipſos quoque pertinentia; quemadmodum ſane promiſſa ſub Novo fœdere extant, de hominibus omnibus in gratiam recipiendis, eo tamen modo, quo promiſſum eſt, & quo Deo dignum fuit, aut pro ipſius ſapientia viſum. Certa enim conditio nihilominus, vel apertè, vel tacitè eſt addita, nempe niſi homines gratiæ tempus neglexerint; &, ſi dum *hodie* vocatur, (hoc eſt, quamdiu durat tempus illud, quo in requiem Dei licet ingredi) non fuerint refractarii & contumaces. Id enim ſi fecerint, promiſſio illa divina ad ipſos revera non pertinet, niſi tum, ubi vindictæ tempora fuerint impleta; quæ tamen ipſa à Deo aliquomodo contrahi & reſtringi, piorum præſertim precibus accedentibus, itaque temperari poſſunt, ut, licet hominibus aliquibus, & populis generatim non fiat aditus ad perfectam Dei gratiam, ſeu illuſtris aliqua occaſio non concedatur omnibus generatim, ad ea omnia cognoſcenda & facienda quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria: nihilominus tamen non pauci ex eo genere, cæteris forte probiores, excipiantur, & ob piorum preces communi pœna eximantur. Ad cætera quod attinet, quæ pii pro ſe ipſis impetrare poſſunt à Deo, ea vel non poſſunt aliis, quamdiu in impietate perſeverant, impetrare, aut à Deo petere; quale eſt ſingulare aliquod Spiritus Sancti donum: vel ſi quid eſt, quod petere vel impetrare poſſint, id non tam proprie conſentaneum eſt Dei voluntati nobis revelatæ, quam ab ea non abhorrens: quale eſt illud, ut Deus varia ſua judicia etiam temporaria ab iis avertat: quæ preces tanto majorem vim habebunt, ſi ipſorum etiam piorum interſit, alios eſſe ſalvos,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut in publicis accidit ſuppliciis, & ad univerſam aliquam Rempublicam & communitatem pertinentibus, ut bello, peſtilentia, fame: quo pacto Deus olim juſſit per Prophetam, ut populus in captivitatem abductus oraret pro pace Babylonis, quoniam in pace illius ipſis quoque pax eſſet futura: Hierem. 29. 7. Ad id autem, ut petere poſſimus, ſufficit, id non abhorrere à Dei voluntate nobis revelata; imo interdum, ubi nullam certam ſpem habemus, nos impetraturos id, quod petimus, non modo orare poſſumus, ſed etiam debemus, charitate, quam aliis debemus, ita ſuadente; modo ita nos geramus, ut Dei ultimæ voluntati noſtram voluntatem ſimus ſubjecturi, & æquo animo laturi, quicquid ille tandem decreverit, aut fecerit. Sic debemus orare pro omnibus hominibus, & imprimis pro regibus, & iis qui ſunt cum imperio omnibus; itemque pro inimicis, quibus id imprimis optare debemus, ne illos Deus puniat, ſed potius convertat; quomodo Dominus Jeſus & Stephanus pro ſuis interfectoribus orarunt; cum tamen ſæpè contingere poſſit, ut id non impetrent pii, quod petunt; imo nonnunquam, cum ii valde ſunt improbi, qui pios perſequuntur, longe veriſimilius eſt ipſos id, quod orant, non impetraturos; quanquam ſæpe etiam impetrant, imo id quod Dei decretis non adverſatur, proculdubio impetrant. At non alia tamen ratione debent etiam pii petere, quam quatenus ea, quæ flagitant, decretis divinis, quæ plane ſunt fixa, non adverſantur; ſive id illis verbis exprimant, ſive minus: qua de re poſtea adhuc nonnihil.

In iis autem, quæ hactenus enumeravimus, licet hominum ipſorum potiſſimum haberemus rationem, quemadmodum ſane videtur petitionis ratio requirere: tamen ſimul ea includi volumus, quæ ad Dei gloriam pertinent, quæ ita cum hominum ipſorum commodis eſt conjuncta, præſertim quatenus ea ab hominibus petitur, ut quod ad illam conducit, idem quoque ſemper aliquid afferat hominibus, vel omnibus vel ſaltem aliquibus, utile aut ſalutare; licet interim fieri queat, ut nonnullis ſit noxium. Quanquam id, quod noxium eſt, per ſe nunquam ab hominibus Chriſtianis petitur: ab hominibus Chriſtianis, inquam, quibus vindictæ cupiditas interdicta eſt, quæ ſub lege non erat prohibita, præſertim adverſus extraneos, & populi Iſraëlitici hoſtes. Quod ſi tamen velis ea, quæ ad divinam gloriam ſpectant, ab iis ſejungere, quæ ad ipſorum hominum ſalutem & commodum aliquod propriè pertinent, quemadmodum fieri videtur in precatione Dominica, ubi priores petitiones videntur ſpectare ad divinam gloriam, poſteriores ad ipſorum hominum emolumentum ac ſalutem: tum duplicis generis poſſunt conſtitui ea, quæ ab hominibus Chriſtianis peti poſſunt: alia enim ad Dei gloriam propriè pertinebunt; alia ad ipſorum hominum emolumentum; idque vel ſpirituale, vel terrenum: & ſpirituale iterum vel hujus, vel futuri ſeculi. Ea vero, quæ ad homines pertinent; vel ſpectant ad ipſos orantes, vel ad alios, eoſque vel fideles, vel infideles, ſive vel pios, vel impios.

Illud, antequam ad alterum tractationis caput accedamus, obſervandum eſt, quod ea, quæ à Deo precibus impetrare vel volumus, vel debemus, duplicis ſint generis: alia enim ſunt ejuſmodi, ut illa perpetuo flagitare debeamus, licet non omnia ſimul & eodem temporis articulo commemorentur; quæ complexus eſt Dominus Jeſus eâ precatione, quam diſcipulis ſuis præſcripſit: alia ex occaſionibus potius, & variis rerum circumſtantiis pendent: quarum alia ſunt ejuſmodi, ut peti itidem omnino debeant; quædam vero, ut poſſint. Illa ſunt quæ vel ad Dei gloriam, vel ad hominum ſalutem, ſive noſtram, ſive alienam vehementer pertinent; interdum etiam illa, quæ pertinent ad bonum aliquod hujus vitæ alteri alicui impetrandum: quia ſi hoc negligatur, præſertim ſi vel illius preces, quibus nos urget, & officium hoc à nobis poſtulat, vel illius calamitas & indigentia, eo etiam tacente, id à nobis requirat; ſimul etiam charitas ipſa violatur. Hujus vero generis ſunt imprimis ea, quæ ad noſtrum aliquod terrenum bonum pertinent, aut etiam alienum, ſed quod non admodum neceſſarium. Obſervandæ autem ſunt diligenter cauſæ, ob quas bonum aliquod terrenum petatur. Nam ſi hujuſmodi res ſimul ad ſpiritum, animæque ſalutem, aut Dei gloriam non parum pertineat: major id rogandi neceſſitas nobis imponitur, quam cum ea cauſſa abeſt.

Sequitur nunc alterum tractationis noſtræ caput, in quo videndum nobis eſt, qualis ille eſſe debeat, qui orat? Quæ quidem quæſtio duas habet partes. Nam vel id tantum quæritur, qualis is eſſe debeat, cui orare liceat, & aliquo ſaltem modo conveniat? vel quæritur, & id quidem potiſſimum, qualis ille eſſe debeat, qui ſpem certam velit concipere, ſe impetraturum id quod petit, ſi id cæteroquin ſit ſecundum Dei voluntatem? Quod ad prius attinet, res videtur eſſe ſatis manifeſta. Nihil enim videtur aliud requiri, quam ut is, qui orare vult, ſincerè ſaltem cum Deo agat, & ex animo velit ipſi placere, adeoque, ſi quid ſciat divinæ voluntati eſſe adverſum, quod hactenus admiſerit, id impoſterum velit vitare. Itaque etiam quis Deum orare poteſt, qui peccati jugum hactenus nondum excuſſerit, imo etiam in graviſſima ſcelera fuerit prolapſus, cum videamus Deum interdum hujuſmodi etiam hominum coram ſe demiſſionem non ſpreviſſe; quemadmodum de Iſraëlitis, qui Deum peccatis ſuis irritaverant, de Achabo, de Ninivitis legimus; quod idem de precibus cenſendum eſſe, quæ ab ejuſmodi demiſſione vix unquam abſunt, aut abeſſe poſſunt, facile eſt intelligere. Sed animo ſcelus aliquod anhelante ad Deum accedere, aut Deum orare, id demum hominis eſt, qui frontem exuerit, & numinis reverentiam poſuerit, præſertim ſi id probe norit, peccatum illud reipſa tale eſſe, adeoque divino numini non poſſe non diſplicere. Quod ad poſterius attinet, res itidem non eſt ex ſacris literis obſcura. Docet enim Johannes 1 Epiſt. cap. 3. circa finem, ad id ut certi eſſe poſſimus, nos accepturos quicquid à Deo petierimus, requiri, ut cor noſtrum nos non condemnet; quam ad rem requiritur, ut Dei mandata obſervemus. Verba ſunt ſatis nota, eaque conferantur cum loco cap. 5. ℣. 14. Idem probatur ex ſermone illius, qui cœcus fuerat natus, qui extat apud eundem ſcriptorem, cap. 9. Euangel. ℣. 31. Idem patet ex dicto Jacobi cap. 5. 16, ubi ait, *Multum valere precationem juſti intenſam*: quo non obſcurè indicat, ejus, qui juſtus non ſit, orationem parum valere. Adde his illa Pſal. 34, quæ citantur à Petro 1 Epiſt. cap. 3. 12: *Aures Domini ſunt in preces juſtorum; facies autem*, hoc eſt, vultus ſeverus *ſuper facientes malum*. Occurrunt his in ſacris literis hîc illic non pauca ſimilia, quibus indicatur, apud Deum non quorumvis preces valere, ſed tantum juſtorum ac piorum, quæ quidem tum in Pſalmis, tum in Prophetis reperire licet. Hoc idem etiam videtur velle Apoſtolus, cum vult, ut manus puras ad Deum elevent pii, ſine ira & contentione: 1 Tim. 2. 8. Quanquam id eò etiam pertinere videatur, ut quis recte precari ſimpliciter poſſit, de quo priori loco diximus: non vero tantum ad id, ut quis id impetret, quod petit. Neque enim decet accedere ad Deum animo irato, & contentionis ſtudio adhuc ferventi. Simile quippiam leges apud Eſaiam cap. 1. 15. ubi ait Deus; *Cum extendetis manus veſtras, occultabo oculos meos à vobis: etiam, cum multiplicabitis orationem, non audiam: nam manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt*: quod de illis intelligendum eſt, qui facinoribus iſtis perpetratis non reſipuerunt, nec ſcelerum horum pænitentia ſeria ducuntur, & ſic demum ad Deum accedunt. Unde Deus poſtea monet eos ut à ſceleribus iſtis deſiſtant, promittens fore, ut eorum peccata prorſus deleantur, & ipſi felices evadant. Requiritur ergo (ut diximus) ad id, ut quis ſperare poſſit, ſe impetraturum id quod petit, pietas ac vitæ ſanctitas; ſed tamen ſunt nonnullæ pietatis partes, quæ imprimis videntur eſſe neceſſariæ ad id ut à Deo impetres, quod petis. Altera eſt, ut offenſas aliorum condones, & omnem vindictæ cupiditatem ex animo

ejicias;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ejicias: altera, ut ſi quem ipſe offendiſti, eum antea, quantum in te eſt, reconcilies. Dico, quantum in te eſt; quia interdum id non ſtatim fieri poteſt, aut alter offenſam condonare non vult. Prius iſtud præcipitur imprimis Matth. 6, ſtatim poſt explicatam à Chriſto precationis à ſe præſcriptæ formulam, ℣. 14, 15. Hoc verò ab eodem præcipitur cap. 5. Matth. ℣. 23. & ſeqq. quanquam prius iſtud, quatenus poſtulat, ne actu ipſo vindictæ cupiditate flagremus tum, cum precamur, (quod Pauli verba videntur præcipuè velle,) poſſis etiam referre ad tertium Tractationis noſtræ caput, ubi dicetur, qualis eſſe debeat precatio, aut quomodo nos in ea gerere debeamus. Diximus autem, eatenus id ad tertium caput referri poſſe, quatenus poſtulat, ne tum, cum precamur, vindictam actu ipſo expetamus, aut animus à contentione aut ira ferveat; quia alioqui fieri poteſt, ut quis offenſam non condonet, de qua tamen inter precandum haudquaquam cogitet, ſed alio tantum tempore. Quatenus autem id, quod antea explicuimus, etiam ad hanc vindictæ cupiditatem excludendam ſpectat, eatenus id ipſius precantis conditio, non precationis eſt.

Reſtat Tertium, quod nobis explicandum propoſuimus, nempe qualis ipſa debeat eſſe precatio. Videtur autem non una ex Sacris literis colligi poſſe precationis conditio, quæ eam Deo gratam efficiat. Prima eſſe videtur, quam Jacobus poſtulat, cap. 1. ℣. 6. & ſeqq. ut petamus in fide ſeu cum fide: præſertim ſi id eo pacto accipiatur, quo vulgo ſolet fieri, nempe ut ea fides referatur ad id, quod petitur, & nihil ſit aliud, quam firma quædam perſuaſio de Dei potentia & benignitate, ob quam futurum ſit, ut vel omnino id impetres, quod petis, vel ſaltem tum, ſi id tibi ſit futurum utile, aut aliis aliquibus Dei conſiliis & decretis non repugnet. De quali fide loquitur etiam Chriſtus apud Matthæum cap. 21. ℣. 21. & 22. ubi cum dixiſſet diſcipulis: *Si habueritis fidem, & non dubitaveritis, non ſolum hoc, quod factum eſt ficui, facietis, ſed etiamſi monti huic dixeritis, tollitor, & projicitor in mare, fiet*: addit poſtea, *& omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis*, hoc eſt, ſi credideritis vos ea obtenturos, ut ex verbis iiſdem à Marco deſcriptis apertius apparet, quæ extant cap. XI. 24: ubi ita ea efferuntur; *omnia, quæ orantes petitis, credite, quod accipietis*, hoc eſt, certo accepturi ſitis, *& erit vobis*. Hujuſmodi etiam fidem intelligere videtur idem, quem antea citavimus, Jacobus, cap. 5. 15: ubi cum præcepiſſet, ut, ſi quis ægrotaret inter Chriſtianos, advocaret ſeniores Eccleſiæ ut orent ſuper ipſo, ungentes ipſum oleo in nomine Domini: addit poſtea, *& precatio fidei*, hoc eſt, cum fide conjuncta, *ſervabit laborantem, & eriget illum Dominus*, & quæ ſequuntur. Videtur enim velle, ut ii, qui oraturi ſunt Dominum, firmam ſpem concipiant fore, ut exaudiantur. Verumtamen cum, ut ſupra vidimus, non eadem ſit ratio omnium eorum, quæ à Deo petimus, & alia quidem ſint à Deo promiſſa, alia vero non, & illa iterum vel ſimpliciter promiſſa ſint, vel aliquo tantum modo; neceſſe eſt, ut fides iſta non ubique æqualiter in omnibus precationibus locum habeat, ſed pro diverſitate eorum, quæ petuntur, diverſimode. Id quidem omnibus precationibus debet eſſe commune, ut credas Deum id præſtare poſſe quod petis, eundemque admodum benignum eſſe, quæ benignitas ſpem tibi faciat aliquam, fore ut non fruſtra id facias; ſed ut tibi etiam perſuadeas, Deum omnino velle id tibi præſtare, quod petis, adeoque etiam reipſa præſtiturum, id non ubique locum habet, ſed in iis tantum, quæ ſimpliciter & abſolutè Deus promiſit ſuis; in cæteris tanto magis aut minus, quanto propius vel longius ab iſtorum, quæ abſolutè promiſſa ſunt, conditione & natura abſunt. Quæ omnia ex ſuperioribus ſatis poſſunt intelligi. Verumtamen alia quoque poteſt eſſe vocis fidei in priori Jacobi loco ſignificatio, eâ, quam antea explicuimus, paulò laxior; nempe ut ſignificet firmam de veritate Chriſtianæ religionis perſuaſionem: qua de re ſatis dictum eſt à nobis in tractatione de Fide, unde ea petantur, quæ hîc nobis dicenda forent: quo pacto ſi fidem accipere velis, ea non tantum precationis, ſed etiam ipſius precantis erit conditio quædam. Si quis plura de hac conditione deſiderat, videat Socini Comment. in 1 Epiſt. Johannis.

Altera precum conditio conſtitui poteſt, ut eæ ſint fervidæ; id quod ſignificavit Jacobus cap. 5. cum dixit, multum valere precationem juſti efficacem, ſeu, ut eſt in Græco, ἐνεργουμένη, hoc eſt, cum quadam virium & animi contentione, & quodam modo laborioſe peractam: quod fit, cùm animus in eo eſt totus, ut Deum exoret, & vehemens eſt rei, quæ petitur, deſiderium; qualis precatio fuit Eliæ, cujus exemplum ſtatim ſubjicit Jacobus; quod ex geſtu ipſius colligi videtur, de quo vide 1 Reg. 18. 42. Talis etiam fuit Moyſis oratio pro Iſraële, qui, ut ipſe de ſe ait Deuter. 9. 18, ſeſe proſtraverat coram Domino, & quadraginta dies noctesque jejunaverat, ut veniam impetraret populo qui peccaverat: qui fervor ex eo inſuper colligi poteſt, quòd Deum oraverit, ut ſe deleret, ex libro, quem ſcripſiſſet, potius, quàm ut populum deleret quemadmodum Deus fuerat minatus. Tales proculdubio fuerunt etiam Domini Jeſu precationes omnes, cum legamus, Luc. 6. 12, eum quoque pernoctaſſe in precatione Dei. Et expreſſe etiam de ipſo legitur, Lucæ 22. ℣. 24, in iſto veluti agone, quem ſuſtinuit in horto Gethſemane, eum intenſius fuiſſe precatum; additurque, *ſudorem ejus fuiſſe inſtar grumorum ſanguinis in terram deſcendentium*. Similia deprehendas etiam à Davide de ſe dicta. Eundem fervorem videtur ſignificaſſe Paulus, cum monuit Epheſios cap. 6. 18, ut *orarent in Spiritu*, hoc eſt, cum quadam Spiritus & animi commotione; niſi malis ibi per Spiritum intelligere Spiritum Sanctum, in quo Judas vult, ut oremus, ut eſt apud ipſum ℣. 20; ubi per Spiritum Sanctum intelligere videtur illam animi affectionem, qua is per Euangelii cognitionem imbuitur, præſertim cum ea vim & efficaciam ſuam reipſa in nobis exerit, & nos ſingulari quadam ratione conſecrat ſanctoſque efficit. Nam etſi ea affectio, ſi naturam ipſius ſpectes, ſemper ſit ſancta; tamen eam appellationem non tam videtur ſortiri, quia ipſa in ſeſe ſancta ſit; ſed ideo potius, quia ſanctos nos efficiat. Jam vero Euangelium, aut ejus cognitio animis noſtris inſerta, licet ſemper eos, in quibus exiſtit, aliqua ratione ſanctificet; non tamen ſemper ſingulari & perfecta quadam ratione id præſtat; ſed tum demum, cum motus quoſdam ſpirituales ac cœleſtes, & divinæ voluntati uſquequaque conſentaneos in nobis efficit, & nos propius Deo adjungit. Id verò inter alias rationes, ea quoque præſtat, quod accedente aliquo noſtro ſtudio, fervorem in precibus in nobis excitat, & facit, ut animi noſtri à terrenis curis prorſus abſtracti, ad Deum eleventur, & nihil aliud quam ipſum cogitent, & ab eo toti pendeant, ejuſque auxilium ardentiſſimè deſiderent. Itaque dum id fit, in Spiritu ſancto, vel per Spiritum ſanctum precari dici poſſumus. Hunc eundem fervorem ſignificavit Paulus, dum utitur voce certandi in precibus, quemadmodum legitur Rom. 15. 30. Nihil enim aliud ea voce ſignificat, quam animi contentionem, & conatum, quem ea in re adhibere debeant. Ita enim ea vox nonnunquam ſumi ſolet: ut in illis Domini Jeſu verbis, quæ extant apud Lucam 13. 24: *Certate ingredi per anguſtam portam*, hoc eſt, ſummo ſtudio id agite ut ingrediamini.

Tertia precum conditio eſt conſtantia. Ea vero duplici ratione conſiderari poteſt. Vel enim cernitur in eadem re, quam à Deo velimus impetrare; vel licet ſint res diverſæ, quas precamur, tamen in ipſa precatione adhibetur conſtantia atque aſſiduitas, quam conſtantiæ nomine comprehendimus. Prior illa conſtantia eſt, quum quis unam eandemque rem, quam quidem voluntati Dei conſentaneam, ſibi autem vel aliis vehementer utilem ac neceſſariam eſſe omnino putet, urget, & tamdiu à Deo flagitat, donec impetret: qualis conſtantia nobis exprimitur à Domino Jeſu in exemplo viduæ, quæ tamdiu impium iſtum judicem urſit,

& preci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& precibus fatigavit, donec id impetraret, quod vellet, hoc eſt, ut ſeſe ab adverſarii injuria vindicaret, ut legimus Lucæ 18. Itaque cum exemplum illud ideo attulerit Dominus Jeſus, quemadmodum ab ipſo initio capitis monet Lucas, ut noſſemus, ſemper oportere orare, & non defatigari; apparet, id nobis præcipi, quod antea diximus. Diximus autem, tam diu nos cœptam precationem urgere debere, donec impetremus, ſalvo interim eo, quod itidem addidimus, ut nobis juſtas ob cauſas perſuaſum ſit, rem eſſe Dei voluntati conſentaneam; quod propterea monemus, quia interdum eventus ipſe docere poteſt, rem eam talem non fuiſſe, ſed aliter Deum decreviſſe; ubi res ipſa unumquemque monet, à precibus iſtis deſiſtendum eſſe. Verum ſi id contingat, neceſſe eſt rem illam non fuiſſe ex illarum numero, quas Deus ſimpliciter promiſit; aut eam non iſto modo fuiſſe à Deo petitam, quo fuerit promiſſa, etiamſi certo modo promiſſa fuiſſe ponatur.

Quod ad alteràm conſtantiam, ſeu mavis conſtantiæ partem attinet, quæ in precibus ádhibenda eſt, ea nihil revera aliud eſt, quam aſſiduitas & diligentia in precibus ad Deum ſive iiſdem ſive diverſis fundendis, eaque requirit, ut quam creberrimè ac frequentiſſimè Deo ſupplices, idque partim ea ratione, ut, cæteris curis, aut laboribus ad tempus prorſus ſepoſitis, hoc unum agas, ut Deum ores, tum ut labores, quanquam è manibus non ſepoſitos, ſuſpiriis ac votis creberrimis veluti interpungas: quam ad rem animo devoto, & à rebus terrenis abducto eſt opus. Nam animus, quem terrenæ curæ premunt, & ad terram affigunt, ad preces difficulter erigitur, cum in iis, ſi ritè fieri debeant, animus ſit ad Deum elevandus, & in eo uno, quantum humana fert imbecillitas, defigendus. Imprimis autem hanc precum aſſiduitatem in nobis efficere poterit ardens deſiderium tum divinæ gloriæ, tum noſtræ atque alienæ ſalutis: id enim conquieſcere nos non facile patietur, quin ſubinde Deum oremus, ut tum hanc, tum illam promoveat, accedentibus præſertim aliunde occaſionibus; quanquam & alias cauſæ precandi nunquam homini devoto deerunt. De hac precandi aſſiduitate aut conſtantia loquitur Paulus 1 Theſſ. 5. 17: ubi monet, ut *ſine intermiſſione precemur*; ubi vix monere eſt opus, vocem ἀδιαλείπτως, ſeu ſine intermiſſione, non ita eſſe accipiendam, ut ſignificet nullum prorſus temporis punctum homini vigilanti effluere debere, quin oret: nam ea res intentas aliis omnibus rebus cogitationes impediret. Neque enim omnino ſimul & orare Deum, & aliud cogitare, præſertim ſerio poſſumus: ſed diverſi ſunt temporum articuli quibus utrumque fit; cum natura noſtra non permittat, ut uno eodemque tempore duo diverſa acta mediteris; quod tamen faciendum eſſet, ſi eodem momento & orare Deum, & aliud cogitare velles, cum neceſſe ſit id meditari ſerio, quod oras: ſed tamen celeriter unius rei cogitationem meditatio alia ſubſequi poteſt, eamque ita diſtinguere, ut tamen non turbet, aut prorſus abrumpat. Quare vocem, *indeſinenter*, vulgari quadam ratione accipere neceſſe eſt, quo pacto eam ſumimus, cum dicimus aliquem ſine intermiſſione legere, aut ſcribere, aut ſtudere, cum tamen neceſſe ſit aliquando interjungere; quanquam ob materiæ diverſitatem iterum poſſit aliqua ſignificationis oſtendi diverſitas in precibus, & iis, de quibus modo diximus, rebus. Simili ratione dicit Apoſtolus Rom. 9. 2. ſe dolorem perpetuum ſeu indeſinentem, (eſt enim in Græco vox ἀδιάλειπτον, de qua nunc agimus) habere in corde ſuo, ex gentis ſuæ rejectione, atque interitu; cum tamen nequaquam ſit veriſimile, dolorem iſtum ſemper actu ipſo in Apoſtoli animo viguiſſe, & eum momordiſſe. Nam aliarum rerum cogitationes, & gaudia præſertim magna aliunde percepta, immo & dolores alii, hujus rei memoriam, & inde natum dolorem ex animo ad tempus ejecerunt; ſed quia tamen ſubinde redibat iſte dolor, nec unquam penitus poterat extingui, ſed redintegrabatur in dies, inde ita loquitur Apoſtolus. Simili ratione dicit idem Apoſtolus in eadem ad Roman. Epiſtola, ſe indeſinenter mentionem eorum facere, intellige, in precibus. Nam preces interdum quaſdam fudit Apoſtolus ad Deum, ut vel ex ejus Epiſtolis videre eſt, in quibus nulla Romanorum mentio. Quod enim creberrime ab Apoſtolo fiebat, imo tum ſemper, quoties id commodè ab eo fieri poterat, non omittebat; id à ſe indeſinenter fieri, aut fieri ſemper, rectè potuit dicere. De hac eadem conſtantia in precibus loquitur idem Apoſtolus Rom. 12. 12: ubi monet, ut in precibus perſeveremus; ubi tali utitur voce, quæ indicat quandam laboris tolerantiam & patientiam ad eam rem requiri. Ea enim eſt vis vocis προσκαρτεροῦντες. Sed imprimis eam perſeverantiam in precibus inculcat ad Epheſ. 6. 18. ubi monet, ut *per omnem precationem & orationem precemur ſemper in omni tempore in ſpiritu, & ad id ipſum vigilemus in omni perſeverantia & precatione pro omnibus ſanctis.* Ubi vix apparet, quo pacto ea, quæ Apoſtolus conjungit, diſtingui queant. Et ſane ſi rem ipſam ſpectes, nihil aliud quam ſummam in precibus tum aſſiduitatem tum contentionem ſeu fervorem ſpiritus hîc inculcat. Nam cum id primum monet Apoſtolus, ut per omnem precationem & orationem orent, vult ne quicquam omittant eorum, quæ precantes adhibere decet, ut impetrent id, quod petunt, & propemodum in varias ſe formas vertant, ut Deum hac ratione ad auxilium ferendum permoveant. Nam vox *omnis* hoc loco vel ſignificat idem, quod totum, ut alibi ſæpè, licet vox *totius* aliàs non ſatis videatur concinne huc accommodari: quemadmodum etiam poſtea, cum dicit, *in omni perſeverantia*, vox *omnis* pro tota vel perfecta uſurpatur; ut etiam cum dicimus apud Latinos, omni ſtudio, diligentia, labore, cum tamen non rectè, hoc eſt, ſecundum linguæ uſum dicatur, cum toto ſtudio, tota diligentia, toto labore: vel proprie quidem uſurpatur, & quaſvis precandi formas, ac veluti genera ſignificat; quod tamen non ita propriè & abſque figura, hîc ſumendum erit, ſed potius Metonymicè, ut effectus poſitus cenſeatur pro cauſa. Quia enim ſtudium obtinendi id, quod volumus, varietatem quandam precandi ſæpè ſolet parere, cum videamus eos, qui inſtantiſſime aliquid petunt, nec ulla ratione repulſam ferre volunt, in omnes ſe formas vertere, & nullas non cauſas afferre, nunc hanc, nunc illam, donec tandem id obtineant, quod volunt: ita etiam Apoſtolus dicere potuit, per omnem precationem & orationem nos orare debere, vel omnes precandi modos ac formas nos adhibere debere, cum id revera dicere velit, nos ſummo ſtudio rogare debere, tanquam omnino id impetrare cupientes, quod petimus, quemadmodum illi faciunt, qui nullo modo repulſam pati volunt. Quomodo autem inter ſe differant precatio, & oratio, Græcè προσευχὴ & δέησις, inferius à nobis dicetur. Cúm porro Apoſtolus non contentus dixiſſe, orandum eſſe omni tempore, addat adhuc, *& in hoc ipſum vigilantes in omni perſeverantia*: apparet, eum aliquid amplius in ſequentibus exprimere voluiſſe, quam in præcedentibus dixerat; præſertim cum non continuo hæc illis ſubjecerit, veluti explicandi cauſa, ſed interjecerit verba, *in ſpiritu*. Intelligendum igitur eſt, licet verba iſta, *in omni tempore*, poſſint totum id complecti, quod in ſequentibus ab Apoſtolo comprehenditur & exprimitur, (quo pacto ea ſumſit Chriſtus in nobili illo loco Lucæ 21. 36.) tamen cum ea hîc inter ſe diſtinguantur, apparet priora iſta minus in ſe complecti, quam alias, ſi ea ſola eſſent poſita, fuiſſent comprehenſura. Dictum enim eſt alibi, ſacras literas, cum conciſe loquuntur, verbis aliquibus id ſæpè comprehendere, quod alias, cum loquuntur explicatius, ab iis diſtinguitur. Quapropter hoc loco verba iſta, *in omni tempore*, id tantum ſignificabunt, quandocunque ſpatium aut occaſio ſit precandi, debere preces ad Deum fundi, eaſque ſubinde eſſe repetendas. Veruntamen id nondum in ſe comprehendent, ut cæteris etiam occupationibus noſtris, vel etiam ipſi quieti, quam corpori dare ſolemus, tempus aliquod

ſtudio decerpere debeamus, ut id ad preces convertamus, & in eo etiam ipſo conſtantia ac perſeverantia ſumma utamur. Utitur autem vigiliarum nomine, vel ut vigilantiam ſignificet animi, quæ opponitur temulentiæ, oſcitantiæ, ac ſecuritati, vel (quod propius videtur ad rem pertinere,) ut ſimul & animi & corporis vigilantiam, quatenus eam naturæ noſtræ fert imbecillitas, in precibus inculcet: quanquam ſimul etiam vacuitas, & immunitas ab aliis curis, quæ animum præpediunt, & à precibus abſtrahunt, ea voce comprehendi poteſt. Nam licet vigilantia ſomno tantum, aut ſomnolentiæ videatur opponi: tamen nihil prohibet, quo minus alienis quoque curis opponatur; vel propterea quod eorum eadem in hoc negotio vis ſit, vel quod indicet Apoſtolus, ſomno imprimis demi debere, quod precibus debetur. Vult autem id ipſum quoque fieri cum omni perſeverantia, ſeu conſtantiſſimè. Quare perſeverantia hæc referenda eſt ad vigilantiam iſtam in precibus adhibendam, quam proxime commemoraverat. Quod denique ſubjungit, *& precatione pro omnibus Sanctis & pro me*; à ſpecie ad genus deſcendit, quod quidem attinet ad objectum precum. Nam cum antea monuiſſet generatim, tanta eſſe utendum diligentia in precibus; monet etiam ſpeciatim, pro omnibus Sanctis & pro ſe orandum eſſe; præſertim quia id, quod generatim dixerat, eo tantum videri poterat ſpectare, ut Epheſii pro ſe ipſis orarent; ut ſane imprimis ſpectat, quemadmodum ſuperiora, cum quibus cohærent, oſtendunt. Sed loco hoc nunc omiſſo, Chriſti quoque verba ſuperius alicubi à nobis commemorata, quæ extant Luc. 21. 26, conſideranda ſunt, in quibus monet, ut *vigilemus omni tempore orantes, ut digni habeamur, qui effugiamus iſta omnia, quæ futura ſunt, & conſiſtamus coram filio hominis*. Quanquam enim verba iſta, *omni tempore*, ita ſint poſita, ut poſſint etiam ad verbum *vigilate*, quod præceſſit, referri; tamen in eo interpretes plærique conſpirant, ut ea potius cum verbo orandi, quod ſequitur, quam cum præcedenti vigilandi, connectant: ac præterea etiamſi cum præcedente verbo cohærerent, tamen conſequenter etiam ad orationem pertinerent. Nos interim, licet concedamus, aliquo modo & ad poſteriorem conſtantiæ in precibus adhibendæ rationem ea trahi poſſe; cenſemus tamen ad priorem vigilantiæ ea potius pertinere. Verba enim illa, quæ ſequuntur, *ut digni habeamini qui effugiatis*, &c. Non finem tantum, ſed objectum etiam precum ſignificant, adeò ut Dominus Jeſus velit, nos id ipſum perpetuis precibus flagitare à Deo debere, ut a ſuppliciis in adventu Chriſti ſuper impios effundendis liberemur, & coram ipſius tribunali conſiſtamus, nec cadamus cauſa, ſed ſententiam pro nobis ferri audiamus. Illud adhuc pro conſtantia in precibus poteſt adjici, eam non tantum in precibus diverſo tempore repetendis, ſed etiam in iiſdem aliquando cerni poſſe. Poteſt enim quiſpiam nunc diutius, nunc minus diu orare. Ea autem conſtantia ſeu perſeverantia, fervore & alacritate quadam, quam inter precandum ſentiamus, determinanda, & veluti circumſcribenda eſt, vel etiam noſtro rei potiundæ ſtudio ac deſiderio, quod non patitur nos à precibus avelli. Tam diu enim preces vel producendæ ſunt omnino, vel ſaltem produci rectè poſſunt, quam diu fervor ille & alacritas ſentitur, aut deſiderium illud noſtrum nos urget. Quanquam interdum etiam nos invitos, & deſides ac ſegnes ad orandum excitare, & veluti cogere debemus, & quantum in nobis eſt dare operam, ut orando fervorem acquiramus, & languentem ſpiritum excitemus. Alioqui ſatius eſt, ſæpius orare cum majori fervore, quam diutius cum minori. Vis enim maxima precum in fervore eſt, non in prolixitate, aut temporis diuturnitate. Hæc ſine illo parum poteſt, aut nihil: ille etiam ſine hac multum. Quod ſi tamen utrumque conjungatur; non eſt dubium, quin pondus habitura ſit majus oratio. Videtur id aliquo modo ſignificare Scriptura, dum refert, tum, cum Iſraëlitæ pugnarent cum Amalecitis, contigiſſe, ut cum elevaret Moyſes manum ſuam, nempe inter orandum, ſuperiores in pugna fuiſſe Iſraëlitas; cum vero eam demitteret, Amalecitas. Nam per iſtam elevationem manuum, cordis deſignatur elevatio: unde etiam aliquo modo oritur. Cum ergo animus excitatus veluti aſſurgit, vim habent preces; cum jacet, vi ſua carent. Et hæc quidem adjicienda ſunt iis, quæ ſupra diximus de ſecunda conditione & qualitate precum, nempe fervore. Diuturnitatem etiam in precibus, ſi fervor adſit, eſſe laudabilem, ſatis oſtendit Chriſtus, cujus in precibus perſeverantis ſupra vidimus exemplum: quæ tum etiam videtur adhibenda, cum urgentior aliqua eſt neceſſitas, quemadmodum factum videmus à Sanctis tum, cum Petrus in carcere detineretur, mox ad ſupplicium rapiendus, ut apparet ex Act. 12. 5. & 12. Quanquam eæ ipſæ quoque preces aliquo modo interrumpi poſſunt, ad quas tamen quam primum redeas, ita ut uno ferè tractu videantur abſolvi.

Pro quarta quadam orationis rectè inſtituendæ proprietate haberi poteſt breviloquium, quatenus βαττολογίαν, ut eam Chriſtus vocat, & inanem verborum prolixitatem, aut repetitionem excludit: quemadmodum conſtat ex cap. 6. Matt. ℣. 3 & ſeqq. Ideo autem diximus quatenus βαττολογίαν excludit; quia alias prolixæ eſſe poſſunt preces, modo ſimul ſint fervidæ, & verba non in ore ſed in pectore naſcantur, & inde linguæ ſuggerantur; quinetiam eadem res repeti in iiſdem precibus, præſertim privatis, poteſt, ubi vehemens deſiderium id nobis exprimit: qua de re nonnihil adhuc dicetur, ubi de vitiis huic pietatis parti oppoſitis agemus.

Denique pro ſingulari quadam precum conditione & ornamento haberi poteſt, ſingularis demiſſio, quæ ſupplicibus maximè convenit, eaque imprimis animi, corporis vero tum, cum id tempus, aut locus vel exigit, vel permittit. Nam & affectatio fugienda eſt, & hypocriſeos ſuſpicio, ad quam evitandam interdum etiam premenda aut tegenda ſunt animi devoti aut demiſſi ſigna: quam ad rem prudentia eſt opus. Nam perinde dedecet, & nimia eſſe devotionis iſtius ſigna vel indicia, & nulla. Circumſtantiarum ratio iis modum præſcribere poteſt aut debet.

Hactenus de invocatione divini nominis in genere egimus: nunc nonnihil etiam de ejus ſpeciebus dicendum eſt. Eæ autem diſtingui poſſunt triplici potiſſimum ratione: Primum ab objecto; deinde à forma, ſeu modo quo concipiuntur: denique à loco. Quod ad primam rationem attinet, ea ipſa rurſus triplex conſtitui poteſt, pro ratione objecti triplicis: nam & is precum objectum eſt, qui rogatur, & id, quod rogatur, & is, pro quo oratur. Quanquam hæc duo poſteriora finis etiam rationem habent. Iſtud etiam eſt τέλος οὗ, finis cujus; hic τέλος ᾧ, finis cui. Quod ad primum attinet, vel ad ipſum Deum preces diriguntur, vel ad ipſum etiam Chriſtum, & ad hunc quidem directè & immediatè, ad Deum autem mediatè: de qua differentia quia à Socino peculiaribus diſputationibus non pauca ſunt dicta, nos nunc nihil amplius dicemus. Quod ad alterum attinet, omiſſis aliis diſtinctionibus, quæ ex ſuperioribus colligi poſſunt, hæc nunc tantummodo videtur attingenda, quam voces Græcæ nobis ſuppeditant, de precibus in ſacris literis uſurpatæ: quod aliæ quidem eo pertineant ut aliquid impetremus boni, aliæ vero eò ut avertatur à nobis aliquid mali. Prioris generis precatio propriè dicitur προσευχή: poſterior δέησις. Iſta enim ſignificare videtur, aliquid adhuc optari, nempe boni, hæc verò metui aliquid mali, quod cupiamus averruncari: quanquam voces iſtæ ſæpè confunduntur, nec adeò ſcrupuloſe iſta differentia à Sacris ſcriptoribus attenditur. Quod ad tertium attinet: vel pro nobis ipſis oramus, vel pro aliis: illa precationis nomen retinet; hæc propriè dicitur ἔντευξις ſeu interpellatio, aut, ut vulgo loquimur, interceſſio: qua utitur Paulus proprie 1 Timoth. 2. 1. Hæc de ea precum diſtinctione, quæ ab objecto petitur, dicta ſufficiant.

Quod ad eam attinet, quæ ex forma ſumitur, ea itidem varia conſtitui poſſet; ſed aliis miſſis, hæc impri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

imprimis tradi poteſt, quod alia ſit directè concepta, alia indirectè; hoc eſt, vel eum ipſum verè ac propriè alloquimur, à quo quippiam deſideramus aut petimus; vel non alloquimur propriè, ſed votum tantum quoddam concipimus, & aliquid ab eo optamus, probè interim ſcientes, eum deſiderium iſtud noſtrum videre, ac ſperantes illum voto iſto vel permotum iri, vel ſaltem permoveri poſſe, ut id nobis largiatur, quod vovemus. Directæ precationis formula eſt à Domino Jeſu nobis præſcripta, eaque ad Deum ipſum directè ſpectans. Directè etiam invocavit Dominum Jeſum Stephanus, ut legimus Actor. 7. Indirectæ precationes ſunt vota iſta Apoſtolica, cum gratiam & pacem à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto, vel gratiam Domini Jeſu Chriſti, vel ſimile quippiam precatur. Tales ſunt etiam illæ 1 Theſſ. 3. 11. & ſeqq. cap. 5. 23. 2 Theſſ. 2. 16. cap. 3. ℣. 5. ubi à Deo & Chriſto, vel utroque ſimul, vel alterutro ſeorſim, optat quædam fidelibus Apoſtolus. Diximus autem tum demum hæc vota pro precibus eſſe habenda ſi is qui ea concipit, ſciat eum à quo optat quippiam, id audire, & ſic eum permovere velit, ut id faciat. Nam alias ſimplex tantum votum erit; non verò precatio, aut invocatio.

Ad tertium denique diſcrimen quod attinet, quod ex loco petitur, illud eſt, quod aliæ preces publicæ ſint, aliæ privatæ. Cui ſimile eſt illud, quod alias ſoli concipimus, alias cum aliis: quod tamen diſcrimen etiam privatarum poteſt eſſe precum. Privatas (quantum ejus fieri poteſt) occultandas eſſe, Chriſtus ſatis monet cap. 6. Matth. Itaque publicè atque apertè quempiam orare ſolum, hypocritarum eſt; quemadmodum ex loco dicto patet.

Hactenus de Medio egimus: ſequitur, ut de Extremis quoque nonnihil dicamus. Ea vero, ut in aliis contingere vidimus, vel ſunt Simplicia, vel Mixta. Quod ad ſimplicium illud attinet, quod in eo peccat quod parum eſt, illud itidem duplex conſtitui poteſt. Nam vel preces quiſpiam prorſus omittit, aut (quod hîc fere perinde eſt) plæraque, vel aliquid eorum omittit, quæ rectè precantum facere oportet: & hoc quidem poſterius varium eſſe poteſt: vel enim quiſpiam ad eum preces non vult dirigere, adeoque etiam non dirigit, cum opus eſt, ad quem eas dirigere non tantum poterat, verum etiam interdum, ſaltem certas quaſdam ob cauſas, debebat: (ut ſi quis Chriſtum invocare nolit, cum cæteri fideles ad eum preces ſuas dirigunt, aut alias ædificatio id poſtulat, vel ipſe ſpiritus id alicui ſuggerit, ac dictat:) vel id quiſpiam in precibus omittit, aut perfunctoriè tantum attingit, quod in precibus magnopere urgendum eſt: (ut ſi quis, rebus ad ſalutem pertinentibus omiſſis, ea tantum, quæ ad carnem ſpectant, urgeat; præſertim plerumque, aut tum cum nulla eſt cauſa, cur nominatim tantum terrena petantur:) vel non puras manus attollit ad Deum; vel aliud quippiam negligit eorum, quæ in precibus obſervanda eſſe docuimus. In eo, quod nimium eſt, peccant βαττόλογοι iſti, de quibus Chriſtus Matth. 6. & ii, qui quovis loco apertè, aut ſi non quovis, ſaltem publicè, ſoli tamen orant, ut ab aliis id animadvertatur; qua de re Chriſtus ibidem. Quanquam vix fieri poteſt, ut iidem non ſimul in defectu peccent: plærumque enim illi homines abſque fervore orant, & ſine mente dant ſonum, aut etiam gloriolam aliquam ſectantur; quibus hypocriſin ibidem Chriſtus objicit.

Quod ad illud attinet vitium, quod ex duobus veluti extremis mixtum eſt; id duplex potiſſimum eſt. Nam vel ejus anxilium imploratur, cujus implorandum non eſt: vel id petitur, quod petendum non eſt, ita ut ab eo, qui id petit, peccetur. Utrobique modus exceditur in precando; ſed utrobique tamen aliquo modo etiam peccatur in eo, quod parum eſt: quia utrobique honor ejus, cui invocatio verè competit, minuitur, & vel ad alium tranſfertur, cui non competebat, aut ei non defertur illibatus, cui competebat. Prius illud iterum duplex eſt: alterum quidem extremæ impietatis, nempe invocatio dæmonum, qua comprehendimus omnem implorationem auxilii ſpirituum iſtorum, ſive directè fiat, ſive indirectè: alterum eſt invocatio ſanctorum mortuorum, aut alioquin diſſitorum, ita ut naturali ratione preces noſtras audire, aut opem ferre nobis nequeant; qua in re divinus cultus conſiſtit, prout dictum eſt ſupra, cum de Idololatria egimus. Poſterius genus conſtituunt execrationes, in quibus vindicta aliqua à Deo petitur. Poſſis etiam ad mixtum hoc genus referre voces eas, quas execrationes etiam vulgo appellamus, cum vel diaboli nomen orationi temerè interponitur, vel rei alicujus ſacræ, aut quæ pro ſacra habetur, quæ eo uſu prophanatur. Nam ſi originem hujus conſuetudinis ſpectes, ea eſt, quod interpoſitione iſtorum verborum voluerint homines, cum ominoſum aliquid vel audirent, vel viderent, vel dicerent, à ſe aut aliis illud deprecari, & eo inſtar amuleti cujuſdam uti; quanquam conſuetudo peſſima longius progreſſa eſt, ita ut ad aliud quoddam peccati genus videatur pertinere. Nam vel in eo peccatur, quod ea ſint frequentius in ore à quibus adhorrere quàm maximè decet: quale eſt imprimis diaboli, Dei hoſtis, nomen: vel quod res ſacræ & religioſe commemorandæ, uſu iſto prophanentur & contaminentur, ita ut ad blaſphemiam aliquo momo accedatur.

LIBER QUARTUS,

Qui eſt

De virtutibus atque officiis ad proximum ſpectantibus, & ad nos ipſos.

CAPUT I.

De virtutibus atque officiis ad proximum ſpectantibus, in genere.

ABſolvimus hactenus primam pietatis partem, ad Deum proprie ſpectantem, quam pietatis nomine ſolemus efferre; ſequitur altera, quæ ad proximum ſpectat. Proximi nomine, vulgarem apud Theologos loquendi uſum ſequuti, omnes homines intelligimus: cum alias ſacræ literæ non ita loqui ſoleant: ſed potius proximum, ut ipſa vox ſonat, vel, ut vox Græca, propinquum, aut Hebræa, amicum vel ſocium, opponere conſueverint alienis ac remotis, atque imprimis inimicis, ut apparet Matth. 5. 43. Unde ſub lege Iſraëlitæ proximus erat is, qui ejuſdem eſſet gentis, cui opponebatur hoſtis, aut ſaltem extraneus. Sub Euangelio ii peculiariter proximi appellantur, qui ſunt ejuſdem nobiſcum religionis participes, cum ii nobis ſint conjunctiſſimi ſpiritu, eundem Deum Patrem, Dominum, eandem felicitatis æternæ ſpem, idem baptiſma habentes, ut Paulus docet Eph. 4. Quo eodem cap. ℣. 25, hac ſignificatione nomine proximi utitur, cum ait: *Depoſito mendacio loquimini veritatem quiſque cum proximo ſuo*: quod apparet ex ratione ſubjecta, *quia* (inquit) *ſumus alii aliorum membra.* Nam talis conjunctio hominum, qualis eſt inter ejuſdem corporis membra, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſolet ab Apoſtolo tribui niſi hominibus Chriſtianis, ut vel ex eodem capite apparet, ỷ. 16. cum quo loco conferendus eſt ille Rom. 12. 4. & 1 Cor. 12. 12 & ſeqq. Eandem ſignificationem aliquo modo ſequutus eſt Chriſtus in parabola iſta Luc. 10: ubi explicat, quis ſit proximus. Dixi aliquo modo: aliquanto enim latius videtur extendere vocem eam, quanquam ea potiſſimum mente, ut oſtendat nationis diſcrimen jam non amplius impedire, quo minus quis alterius ſit proximus, & poſſit etiam Samaritanus proximus eſſe Judæo, & contra. Interea tamen cum quærat ỷ. 36, quiſnam iſtorum trium, quos commemoraverat, fuiſſet proximus ei qui inciderat inter latrones; eo ipſo oſtendit, proximum actu ipſo non quemvis eſſe, ſed eum qui alteri ſit amicus. Quod agnoſcens Legiſperitus ille, cum quo Domino Jeſu ſermo erat, reſpondit, eum fuiſſe homini iſti proximum, qui miſericordiam cum ipſo feciſſet, ſeu adeò cum eo benignè egiſſet, ut ibi eſt deſcriptum. Poteſt nempe, hodie præſertim, quivis cuivis eſſe proximus, ex uſu ſacrarum literarum accepta voce, etiamſi non quivis ſit actu. Et Chriſtiani quidem homines, quantum in ſe eſt, cuivis debent eſſe proximi, licet illis vice verſa non ſint, ſed potius alieni atque adverſi. Si quis plura hac de re velit, conſulat Socinum in explicat. capitis 5. Matthæi.

Ea vero Sanctitatis pars, quæ ad proximum, hoc eſt, quemvis hominum, cum quibus eſt aliquid negotii, ſpectat, etſi nullum habet commune nomen, quo accuratè atque exactè deſignetur, ſolet tamen in ſacris literis vel juſtitiæ, vel charitatis nomine interdum efferri, nomine partis ad totum traducto; quanquam in poſteriori etiam Metonymia quædam eſſe poſſit. Nam juſtitia cum charitate conjuncta hanc ſanctitatis partem & officia, quæ proximo debemus complectitur. Sed quia juſtitia in hoc genere vulgo ferè eſt notior, & eo charitatem ſuperat, quod officia ejus ſint neceſſaria & omnibus communia, cum charitatis officia non pauca non poſſint eſſe communia omnibus; ideo juſtitia interdum videtur pro toto hoc officiorum genere poni, quemadmodum docuimus fieri in verbis Pauli Tit. 2. 12: tum, cum de ſanctitatis diviſione ageremus. Quod ſi quis tam longè juſtitiæ nomen extenderet, ut beneficentiam quoque complecteretur, quam Hebraica conſuetudine interdum deſignat; paulo commodior ea vox foret, ad totum hoc officiorum genus exprimendum, quanquam nondum prorſus. Nam præter beneficentiam iſtam, quæ peculiariter hoc nomine ſolet denotari, ſunt etiam alia charitatis officia proximo debita. Charitatis autem nomen ideo aptius eſt ad hoc genus officiorum ac virtutem exprimendam, quod ea ſine juſtitia conſiſtere nullo modo queat. Neque enim charitatem exercet, qui injuriam alteri facit; cum hæc alteri noceat, illa nocumenta avertere, & prodeſſe omnibus curet. Abſtinere autem ab omni injuria eſt juſtitiam colere: quiſquis enim id facit, jus ſuum alteri tribuit. Quare charitas neceſſario juſtitiam ſecum habet conjunctam, ſeu eam, ut loquuntur, præſupponit tanquam fundamentum quoddam. Itaque cum charitatem nominas, per Metonymiam quandam ſimul etiam juſtitiam deſignare potes. Indicavit id Paulus, dum ad Rom. 13. 8, 9. itemque Gal. 5. 14, affirmat, eum qui diligit alterum, legem impleviſſe; & totam legem in uno illo ſermone compleri, vel ſummatim comprehendi: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*: id quod paulo plenius diducit dicto ad Rom. loco; & denique ea ratione, qua nos paulo ſuperius uſi ſumus, confirmat, dum ait ỷ. 10: *Charitas proximo malum non operatur*, ſeu infert: *completio ergo legis charitas*; per legem enim, ut cuivis facile apparet, intelligit eam legis partem, quæ ad proximum ſpectat: qua de re vide Comment. Socini in 1 Johan. cap. 5. 2. Cum vero ea legis pars tota ad juſtitiam erga proximum colendum propriè pertineat, juſtitiæ autem ratio in eo contineatur, ne quid alteri mali facias; (nam ſimul ac jus ſuum alteri non tribuis, ei mali quippiam infers:) ut oſtenderet Apoſtolus charitatem in ſe complecti omnium iſtorum mandatorum divinorum executionem, ſatis habuit dicere, charitatem nihil mali inferre proximo. Neque tamen inde concludendum eſt, charitatem nihil amplius efficere, quàm ne malum inferas proximo; nam charitatis præterea eſt, benefacere tum, cum jure ad id faciendum non adigaris. verum id Apoſtolus non commemoravit, propterea quòd id ad ipſius ſcopum, quem omnino intendebat nil pertineret. Quanquam hoc etiam dici poteſt, eam charitatem, quæ in lege Moſaica fuit præcepta, ſi ſenſum hiſtoricum ſeu literalem, quem vocant, ſpectes, in eò potiſſimum fuiſſe poſitam, ne malum inferretur proximo, & ſic omni ex parte juſtitia coleretur. Atque huc maximè ſpectant verba iſta legis de charitate nobiliſſima: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: licet ea ſenſu paulo reconditiori, & eâ in parte myſtico, longe latius extendi queant, ita ut perfecta charitatis præcepta à Chriſto nobis præſcripta iis comprehendi queant, ne illo quidem excepto, quo animam jubemur ponere pro fratribus: qua de re nunc non eſt fuſius dicendi locus.

Ad rem igitur noſtram redeuntes, dicimus, charitatis, præſertim perfectæ ſeu Euangelicæ, ambitu poſſe comprehendi omnia officia, quæ Chriſtiani homines debent aliis: id quod facile quivis animadvertere poterit ex deſcriptione charitatis apud Paulum 1 Cor. 13. & aliis Scripturæ locis, ubi charitatis officia exprimuntur. Quiſquis enim ea præſtat omnia, ei nihil deeſt eorum, quæ proximo ſive divina ſive humana lege à nobis debentur. Idem, imo etiam aliquid adhuc amplius ſignificavit Paulus Gal. 5: dum ait, *In Chriſto nil valere, niſi fidem, quæ per charitatem ſit efficax*; quaſi fidei illius, quam ibi intelligit, nullus ſit alius effectus ad ſanctitatem opere ipſo colendam pertinens, præter charitatem. Quod idem ſignificavit Johannes 1 Epiſt. cap. 3. ỷ. 23: cum ait *hoc eſſe præceptum ipſius*, hoc eſt Dei, *ut credamus nomini filii ipſius Jeſu Chriſti, & diligamus alii alios, quemadmodum dedit præceptum nobis*. Cum quibus ſententiis etiam illud Apoſtoli dictum conjungendum eſt 1 Cor. 13. ỷ. ult. ubi virtutes eas enumerans, quæ Chriſtianum hominem conſtituant, præter fidem & ſpem nullam aliam commemorat quam charitatem. Charitatis autem nomen ſimplex vix uſpiam aliter uſurpatur; quam de charitate in proximum, præſertim apud hunc Apoſtolum; quanquam ſuperiora Apoſtoli verba, in quibus ea charitas deſcribitur, id ſatis faciunt manifeſtum. Voluit ergo Apoſtolus eo ſignificare, omnia quæ alteri ex divino mandato debemus officia, charitatis ambitu comprehendi: ſed (ut antea innuimus) illud præterea voluit indicare, eum, qui charitatem hanc habet, etiam reliqua pietatis officia, ſive illa proprie pertineant ad Deum, ſive ad nos ipſos, exſequi: id quod Johannes etiam ſignificavit 1 Epiſt. cap. 5. ỷ. 2 & 3. & cap. 4. 20. ubi oſtendit neminem poſſe diligere fratrem, quin ſimul Deum diligat, & ſic ipſius mandata obſervet; propterea quòd non aliunde verus hic amor erga fratres proficiſci poſſit, quam ex amore erga Deum; hic autem amor mandatorum ipſius exequutionem neceſſario requirit. Unde jam nil opus amplius eſt oſtendere, eum, qui veram charitatem habet, ea præſtare officia, quæ ad nos ipſos propriè ſpectant; ſiquidem hæc in obſervatione mandatorum divinorum ex charitate Dei fluente continentur. Quanquam illud adhuc addi poſſit, charitatem ipſam erga fratres requirere, ſi modo ea perfecta eſſe debeat, ut moderationem adhibeamus in iis omnibus, quæ ad nos ipſos referuntur, & mundum non diligamus: in quo ferè ſolo id totum continetur, quod ad nos ipſos propriè ſpectat. Qui enim iſtarum rerum amore tenetur, non omnia fratris cauſa ſuſcipiet, quæ ſuſcipere charitas jubet. Quapropter poſſemus hanc Sanctitatis partem, quæ ad proximum ſua natura refertur, charitatis nomine ſatis commode inſcribere, eo tantum animadverſo, quod ea juſtitiam tanquam fundamentum quoddam præſupponat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ponat, & ſic aliquo modo in ſe complectatur; quanquam in eo ipſa proprie cernitur, quod ſupra id, quod juſtitia à nobis omnino exigit, proximo præſtamus boni. Unde, ut poſtea videbimus, duo iterum membra hujus alterius Sanctitatis univerſæ partis naſcentur.

Et hæc quidem de appellatione hujus partis dicta ſufficiant: in quibus jam fere continentur ea, quæ de officiis hujus partis generatim dici poſſent, ac deberent. Ea enim his duobus continentur, quorum alterum eſt, jus ſuum alteri tribuere, ſeu ea, quæ jure alteri debentur præſtare: alterum verò, tum etiam cum jure non cogeris, ejus emolumenta pro viribus curare: breviter, alterum non lædere, & eidem benigne facere; quorum illud juſtitiæ eſt, hoc charitatis. Quia verò ſpeciatim hæc à nobis poſtea explicabuntur, ideo plura hîc non addimus, ſed, ubi pauca de extremis generatim conſideratis, quæ huic ſanctitatis parti opponuntur, dixerimus, ad ipſas ſpecies vel potius membra hujus partis deſcendemus.

Etſi autem hîc quoque duo poſſint animo concipi extrema, huic ſanctitatis parti oppoſita, quorum alterum in eo quod nimium eſt peccet, alterum in eo quod parum; tamen prius illud & adeò rarum eſt, reſpectu præſertim alterius, & per ſe adeò leve, ut ejus vix ſit habenda ratio. Plærique enim, minus præſtant aliis quàm deberent: quod ſi plus faciant, in eo reprehenſionem vix merentur, niſi forte per accidens; quatenus nimirum aliis nimium benefaciendo, efficiunt ne aliis, quibus itidem aut ſuum reddendum, aut benefaciendum erat, id præſtare queant, aut etiam nimium ſunt in ſe duri, & dum ita inſerviunt aut largiuntur aliis, neceſſitate vera non urgente, efficiunt ut ipſi non habeant unde commode vivant; ac poſtea meliores labores atque opera, difficultatibus parandi victus impliciti, omittere coguntur. Et hic quidem exceſſus, poſterius ex iſtis duobus officiis à nobis antea conſtitutis fere tantum reſpicit. Nam quod ad prius attinet, in eo ſuperari modus revera nequit, cum nemini poſſis jus ſuum nimium tribuere: eatenus tantum poteſt peccari ratione exceſſus circa jus ſuum alteri tribuendum, quatenus credi poteſt id alteri tribui, quod ei revera non debeatur, & ſic ei plus tribui, quam revera tribuendum ſit: in quo licet error ſit aliquis, non tamen protinus ullum eſt peccatum. Et præſtat ſane, ne injuriam facias alteri, ut modum aliqua ex parte ſuperes, quam ut intra illum ſubſiſtas. Sed in charitatis effectis poteſt eſſe aliquid nimium: verum ejus ratio in genere vix eſt habenda.

Quod ergo ad alterum attinet extremum, quod in eo verſatur quod parum eſt; id generatim nihil eſt aliud, quam nocere alteri, cum nocere non deberes, atque adeo etiam velle nocere, idque animo moliri. Fieri autem poteſt ut non debeas nocere, vel juſtitia, vel charitate prohibente. Prius eſt ſatis manifeſtum; poſterius propterea dicimus, quia interdum vindictam, præſertim per magiſtratum, poſſes repetere, aut damni reſtitutionem cum ſummo alterius damno ac detrimento; quam exigere, non juſtitia ſed charitas vetat. Itaque nos nocumentum illud generatim hîc accipimus, & toti illi pietatis parti, quæ ad proximum ſpectat opponimus. Videtur autem hoc vitium in ſacris literis interdum deſignari nomine κακίας ſeu malitiæ, nomine generali ad ſpeciem traducto, itemque πονηρίας, quod itidem malitiam denotat, & generaliter ſumi de omnibus vitiis ſæpe ſolet, ſed ſi vocis originem atque Etymologiam ſpectes, huc proprie videtur pertinere. Derivatur enim à voce πόνος, quæ laborem & moleſtiam, atque interdum cruciatum, ſignificare ſolet; adeò, ut is propriè ſit πονηρὸς, qui moleſtiam alteri exhibet, eumque affligit. Qua de cauſa Dominus Jeſus apud Matthæum cap. 5. 39, cum ait *non eſſe reſiſtendum malo*, utitur voce τῷ πονηρῷ, cum ſignificans, qui moleſtiam aut injuriam infert. Non enim in genere neutro, ſed in maſculino vox τῷ πονηρῷ, accipienda eſt, ut Socinus eo loco docuit: & præterea etiamſi in neutro eſſet legenda, tamen non quodvis malum, v. g. peccatum, eſſet intelligendum, ſed incommodum tantum aut damnum, moleſtia atque injuria, quæ nobis ab altero inferatur. Eandem etiam ob cauſam Satanas in ſacris literis nomine τοῦ πονηροῦ κατ' ἐξοχὴν deſignatur, quod hominibus nocere ſatagat, in eoque ſi totus. Quapropter vox πονηρίας, huic, de quo agimus, vitio ſatis eſt apta. Quod ad vocem κακίας attinet, ea licet, ut diximus, ſit generalis, non male tamen huc accommodatur, quia etiam τὸ κακὸν, unde ea fluit, nonnunquam ſpeciatim ſumitur pro eo, quod alteri malum eſt, & incommodum ſeu detrimentum affert: quo pacto vetamur malum pro malo reddere, ſed potius bono vincere malum, Rom. 12. 17. & ult. & 1 Theſſ. 5. 15. quibus in locis eſt vox κακοῦ, cum de malo agitur: quod idem alibi quoque non ſemel deprehendes. Quapropter etiam κακία rectè poteſt ſumi pro eo animi vitio, quod alteri nocere ſtudet, ſeu ad incommodandum alteri eſt comparatum. Sed jam videndum eſt, ubinam hac ſignificatione voces iſtæ in ſacris literis uſurpentur. Quod ergo ad vocem κακίας attinet, primus occurrit locus Rom. 1. 29. ubi alia quidem exemplaria vocem hanc ſtatim ſubjungunt nomini ἀδικίᾳ, alia demum quarto loco ponunt, & avaritiæ ſubjiciunt; quæ poſteriora ſi ſequaris, nullum eſt dubium, quin ſpecialem vox hæc ſignificationem ibi habeat, & ſic non malitiam in univerſum, ſed certi generis malitiam deſignet. Quanquam enim idem videtur ſtatuendum, ſi priorum exemplarium lectionem recipias, quæ nomen hoc injuſtitiæ mentioni proxime ſubjungunt; non deſunt tamen, qui id ibi generaliorem habere ſignificationem arbitrentur: quod ſi admittendum eſt, malitia vix videbitur ſignificare id, quo de nunc agimus, vitium, puta ei pietatis parti, quam proximo debemus, oppoſitum, ſed multo magis omnia vitia, quæ vel ad Deum vel ad proximum ſpectant, quorum ſpecies nonnullæ poſtea ab Apoſtolo recenſentur; niſi quis forte injuſtitiæ nomen latiſſimè accipiat pro quovis vitii aut peccati genere, cui malitia tanquam ſpecies ſubjiciatur. Verumtamen cum nos arbitremur, poſſe vocem malitiæ, ſpecialem hanc ſignificationem habere, præſertim ſi in medio ſpecialium vitiorum collocata ab Apoſtolo cenſeatur; illud tantum conſiderandum reſtat, cur Apoſtolus nihilominus πονηρίαν quoque inter hæc vitia collocarit, idque non ut genus vitiorum, ſed, quemadmodum res indicat, ut ſpeciem: at ſi ſpecialiter ſumatur, idem videtur ſignificare, quod κακία. Hîc nobis duplici reſponſione eſt utendum, quarum altera eſt, eam vocem non in omnibus exemplaribus legi; qua de re conſulatur Beza: quod ſi admittatur, nihil prorſus erit opus, ab ea quam hactenus conſtituimus ſignificatione in voce κακίας diſcedere. Sed ſi lectio iſta recipiatur, altera nobis utendum eſt reſponſione: Utramque vocem, hoc eſt, tum κακίας, tum πονηρίας aliquo modo reſtringendam eſſe, & paulo anguſtius, quam hactenus fecimus, accipiendam; ita ut non quidem ſpecies duas hujus, de quo nunc agimus, vitii ſignificent, ſed partes potius duas, vitium illud conſtituentes, & totum id ambitu ſuo comprehendentes. Nam vox κακίας ſignificare poteſt vitium internum atque in animo latens, cum officio, quod proximo debemus, pugnans: ita, inquam, latens in animo, ut actus ſuos ibi potiſſimum exerat, ad injurias autem præſertim graviores & notabiliores non erumpat, quod poſſis dicere malevolentiam aut malignitatem. Πονηρία vero potius ſignificabit vitium in externis actionibus conſiſtens, & injurias alteri ac damna inferens. Huc enim magis vocis illius natura inclinat, ut ex ſuperius dictis patet. Qua de cauſa Mar. 7. 22, πονηρίαι pro maleficiis, quæ à magiſtratu etiam puniri & coerceri ſolent, ſumuntur, quæ licet forte ſua natura ad aliud vitii genus pertineant, ſunt tamen etiam adverſus alterum, quatenus eis læſio quædam ſeu offenſa aliorum adhæret. Itaque hæ πονηρίαι cum pro factis ipſis uſurpentur, ſunt effecta quædam hujus πονηρίας propria. Alter locus, ubi per κακίαν hujus generis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vitium intelligitur, eſt ad Epheſ. cap. 4. 31. ubi monet Paulus, ut *omnis amarulentia, & excandeſcentia, & ira, & clamor, & blaſphemia tollatur à nobis, cum omni malitia*; quibus vitiis poſtea opponit eas; quæ ad charitatem revera pertinent virtutes. Nam etſi vox iſta de quovis malitiæ genere poſſit accipi; tamen loco eſt convenientius, ut ad hoc, de quo agimus, genus reſtringatur, quod ex tertio, quem adducemus, loco ſatis conſtabit. Videtur enim Paulus hac voce imprimis complexus eſſe vindictam, & eam quidem imprimis, quæ non verbis, ſed re ipſa peragatur. Nam cum expreſſiſſet primum affectus, qui cupiditatem vindictæ in ſe continent, deinde etiam ſermones vindictam ſpirantes, reſtabat ut Apoſtolus etiam facta ex vindictæ cupiditate prodeuntia, in quibus ultio vel imprimis conſiſtit, commemoraret, & ea vitanda eſſe moneret. Hoc autem poſterius nullo alio vocabulo expreſſit, quam κακίας. Itaque vel nominatim facta ex ira prodeuntia, & aliis noxia hac voce intellexerit Apoſtolus, (quo pacto ea vox iterum aliquanto ſpecialius erit accipienda, quam primum conſtituimus;) vel hæc una cum aliis etiam ſermonibus, imo & affectibus, quæ ibi commemorantur, aliiſque ſimilibus ambitu ſuo complectitur; quaſi dixiſſet Apoſtolus, tollantur iſta à vobis una cum alio quovis hujus malitiæ genere: quo pacto poterit ſervari ea ſignificatio quam primum conſtituimus, quæque totum id vitii genus complectitur, quod virtuti in proximum exercendæ repugnet. Hanc autem vocis κακίας in loco ad Epheſios ſignificationem, ſatis apertè comprobat locus ad Col. 3. 8: ubi eandem admonitionem tradens Apoſtolus ita loquitur; *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, excandeſcentiam, malitiam,* (Græcè κακίαν) *blaſphemiam, turpiloquium ex ore veſtro.* Manifeſtè κακίαν inter ſpeciala vitia ad proximi offenſionem ſpectantia ponit, vindictam ejuſque cupiditatem altius in animo defixam, & diutius hærentem eo verbo ſignificans. Locum autem hunc illi ad Epheſios eſſe parallelum nemo negabit, qui ipſas epiſtolas inter ſe parallelas eſſe noverit, & verba cum verbis contulerit. Et hic quidem tertius eſt locus, in quo ea κακίας, quam conſtituimus, ſignificatio locum habet. Quartus, qui huc pertinere videatur, locus occurrit apud Petrum 1 Epiſt. cap. 2. ubi Petrus à vitiis charitati imprimis oppoſitis nos dehortans, monet, ut deponamus omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes obloquutiones; ubi licet itidem, ut in ſuperioribus, poſſit quis prorſus omne vitii genus malitiæ nomine comprehendere, tamen loci circumſtantiæ veriſimile faciunt, genus propius horum vitiorum ſubjectorum, nomine illo exprimi. Et hi quidem ſunt loci, in quibus eam κακίας ſignificationem deprehendere hactenus licuit. De voce πονηρίας nulli nobis nunc occurrunt loci præter eos, quos ſupra adduximus, in quibus aut vox abſtracta aut concreta reperitur. Quare nihil eſt opus quicquam hîc amplius addere; niſi forte velis huc referre locum Matth. 22. 18, ubi dicitur Dominus Jeſus cognoviſſe malitiam eorum, qui ipſum tentabant, quæ videtur accipienda eſſe de animo nocendi cupido. Eos enim ita voluiſſe Dominum Jeſum implicare, & capere in oratione, ut eum poſtea ad magiſtratum deferre, & ſic in periculum adducere poſſent, tum ex verbis Euangeliſtæ ſuperioribus, tum vero apertius ex verbis Lucæ 20. 20 conſtat, qui ait, eos voluiſſe ipſum *in oratione capere, ut ipſum traderent magiſtratui, & poteſtati præſidis.* Quanquam Lucas paulo alio utitur vocabulo, dum πανουργίαν ſeu aſtutiam vocat, quam πονηρίαν Matthæus: ſed ea aſtutia in eo imprimis cernebatur, quod inſidias ſtruerent innocentiſſimo. Itaque licet hunc locum accenſere iis, ubi ſpecialior πονηρίας ſignificatio extet.

Hactenus de vitio hoc, quod ei pietatis parti opponitur, quæ ad alios proprie ſpectat, generatim egimus; reliquum eſſet, ut vel ſpecies ejus aliquas, vel effecta huc pertinentia recenſeremus. Verum quia illa in ſpecialiori eorum tractatione, quæ ad officium in proximum pertinent, explicabimus, ideo hîc eo labore ſuperſedemus. Illud tantum monemus, eſſe quædam peccata, quæ in proximum committuntur, quæ ſua natura, aut generaliter accepta, nec cum juſtitia ſola, nec cum charitate ſola pugnant, ſed nunc cum hac, nunc cum illa; quorum explicatio huc videtur propriè pertinere, quia hic de eo eſt ſermo, quod juſtitiæ & charitati, aut utriuſque earum contrariis eſt commune. Talia autem ſunt illa mala, aut damna, quæ alteri nunc injuriâ inferre poſſumus, nunc etiam jurè ac merito, quæ tamen ne inferamus, charitas prohibet: quod poſterius fit, cum vindictam hujuſmodi proximus meretur, nullaque illi fieret injuria, ſi nos eam perſequeremur. Ejuſmodi autem ſunt cædes, verbera, vincula, & alia damna abſolutè ſumta; ſed de pleriſque nos agemus, in explicatione injuſtitiæ.

CAP. II.

De juſtitia.

HActenus in genere egimus de officiis ad alios homines ſpectantibus; ſequitur ut in ſpecie de iis agamus. Conſtitui autem poſſunt duplicia: vel enim humano more debentur aliis; vel non debentur ejuſmodi jure, ſed ex quadam benignitate & affectus propenſione erga illos proficiſcuntur. Prioribus tribuimu sjus alienum illis, quorum id eſt proprium: poſterioribus id, quod noſtri eſt juris, illis præſtamus. Illa ad juſtitiam ſtrictè ſumptam pertinent; hæc ad charitatem ab illa diſtinctam: quanquam nonnulla ſunt, quæ de utraque participant, ita ut poſſit tertium genus, quod aliqua ratione mixtum ſit, duobus illis adjici. Sed ea nos ibi tractabimus, quo magis inclinant; hoc eſt, quæ ad juſtitiam propius accedunt, cum juſtitia conjungemus; quæ ad charitatem, cum charitate. Hujus generis ſunt v. g. æquitas paulo laxius ſumpta, quam cum juſtitia conjungemus; & gratitudo, quam cum charitate.

De juſtitia ipſa quid ſit, & quotuplex, aut qua in re conſiſtat, ſatis dictum èſt in Ethicis noſtris: itaque ea hîc non repetemus. Duo tantum hîc monemus. Primum eſt de ambiguitate vocis Juſtitiæ. Nam ne de eo nunc quicquam dicamus, quod Juſtitiæ nomen interdum ſignificet Juſtificationem, aut Juſtitiæ præmium, & eas tantum ſignificationes commemoremus, quæ ad virtutem & pietatem ipſam ſpectant: Primum interdum ſignificat pietatem & probitatem univerſam; de qua ſignificatione dictum eſt ſuo loco. Deinde ſumitur pro ea virtute, quæ omnia officia ad proximum ſpectantia complectitur, de qua ſignificatione actum eſt paulo ante. Tertio pro virtute hac, de qua nunc agimus, à charitate diſtincta; quæ ſignificatio vulgo ſatis nota eſt: quanquam in ſacris literis novi fœderis vox Juſtitiæ abſtracta haud temere in hac ſignificatione reperietur: niſi huc fortaſſe pertinere velis locum Epheſ. 5. 9, ubi Juſtitia ponitur inter beneficentiam, ſeu mavis bonitatem, & veritatem. Niſi enim velis omnia iſta vocabula tria idem ſignificare; juſtitiæ vox in ſtrictiore hac ſignificatione erit accipienda, & vox Bonitatis de beneficentia, Juſtitiæ de virtute ſuum cuique tribuente, Veritatis de ſinceritate & candore erit intelligenda. Conjugata hujus nominis hîc illic occurrunt, ut *Juſtum* neutro genere poſitum Coloſſ. 4. 1; ubi Paulus monet, ut domini juſtum & æqualitatem præſtent ſervis, hoc eſt, id, quod juſtum & æquum eſt. *Juſtè*, in iſto ad Tit. 2 loco, de quo ſuperius actum eſt; cum quo poſſis conjungere alium ejuſdem Apoſtoli 1 Theſſal. 2. 10, ubi Apoſtolus ait, ſe *ſanctè, & juſtè, & inculpatè* apud Theſſalonicenſes *vixiſſe*; ubi ſi velis diverſam ſignificationem vocibus iſtis tribuere, vox Juſtè ad proximum erit referenda. Quanquam duo hæc loca poſſunt etiam ad antecedentem ſignificationem, quæ paulo laxior eſt, referri. Quartò, Juſtitia interdum etiam ſignificat fidem ſeu conſtantiam ac veritatem in ſervandis promiſſis; de qua ſignificatione videatur Socinus par. 1. de Servatore cap. 1. quanquam poſſis hanc ſignificationem ad priorem referre, & ſtatuere, juſtitiam

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

non ſpeciatim ſignificare fidem in ſervandis promiſſis, ſed eam tantum complecti, tanquam totum ſuam partem, ita ut juſtitia ſignificet virtutem jus ſuum tribuentem alteri; ac proinde cùm promiſſo jus quoddam acquiſitum ſit alteri, juſtitia hæc jam requirit, ut promiſſum præſtes, quod dum facis, fidem etiam ſervas. Similis aliquo modo, diverſa tamen, vocis hujus ſignificatio eſt, cùm pro veracitate ponitur, aut etiam una cum integritate morum ſermonis veritatem complectitur. Quo pacto videtur accipienda hæc vox Matth. 5. 10. & 20; qua de re videatur Socinus. Hinc injuſtitia veritati opponitur Joan. 7. 18. Poſſis etiam, ut nonnulli faciunt, aliam conſtituere hujus vocis ſignificationem, illi, quæ hujus loci eſt propria, admodum vicinam, cum ſumitur pro æquitate quadam ſingulari, de qua poſtea agemus. Et huc queas referre locum iſtum ad Coloſſ. 3. 1 paulo ante à nobis citatum; ſed ſatius eſt, ſignificationes has tres ultimas conjungere, & unam ex iis conſtituere. Denique ſignificat vox juſtitiæ interdum etiam benificentiam; de qua ſignificatione itidem dicto loco Socinus, & nos fortaſſis dicemus alibi. Alterum eſt, hanc virtutem aut ejus opera interdum etiam vocari in ſacris literis *judicium*, ut Matth. 23. 23. ubi Dominus Jeſus objicit Scribis & Phariſæis, quod cm ſerint graviora legis, *judicium, miſericordiam, & fidem*; per *judicium* ſignificans ipſam juſtitiam, vel, ſi mavis, jus, vel id, quod juſtum eſt, quæ ſignificatio in ſacris literis Novi fœderis non ſemel occurrit. Sæpe enim reperias *facere judicium*, pro, juſtitiam exercere.

Nunc ad contrarium veniendum eſt, hoc eſt ad injuſtitiam. De qua non repetimus ea quæ in Ethicis dicta ſunt: nonnulla tamen quæ ad ſacras literas paulo propius pertinent attingemus. Primum vox injuſtitiæ in hac ſignificatione accipi ſolet à viris doctis Rom. 1. 18. ubi Apoſtolus ait: *revelari iram Dei è cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum*: ubi impietatem ſtrictè accipiunt de ea, quæ ad Deum propriè refertur, injuſtitiam de ea, quæ ad proximum: ita ut impietas ſit, per quam fit, ut id, quod Deo debetur, non tribuatur, per injuſtitiam vero id, quod hominibus. Quanquam ita latè ibi ſumi poteſt hoc vocabulum, ut etiam beneficentiæ & charitatis, quam præſertim ratio ipſa dictat aliis eſſe præſtandam, contrarium complectatur. In eodem poſtea verſiculo injuſtitiæ voce utrumque iſtud, quod ante duobus vocabulis erat comprehenſum, effertur. At ſignificatio illa ſtrictior reperitur eodem quoque cap. infra ℣. 29: ubi videtur pro genere poni quodam eorum vitiorum, quæ adverſus proximum committuntur, ibidem enumeratorum. Conjugata vocis ἀδικίας ſeu injuſtitiæ, quæ in ſacris literis occurrunt, quale eſt ἀδικέω & ἀδίκημα, nil habent difficultatis. Iſtud adhuc de voce ἀδικίας addi poteſt, eam nonnunquam ſumi pro nomine ἀδίκημα, hoc eſt, pro injuria, 2 Cor. 12. 13: quemadmodum etiam juſtitia pro juſtè factis ſumi videtur, ut cum Jacobus dicit cap. 1. 20, *iram viri juſtitiam Dei non operari*, hoc eſt, id quod juſtum eſt, à Deo nobis præſcriptum, ipſique placens. Juſtitia enim Dei ita hìc ſumitur, ut alibi opus Dei, Johan. 6 29: opus Domini, 1 Cor. 15. ult. pro opere, quod Deus, aut Dominus præſcripſerit, ipſique vehementer probetur. Sic pax Dei, Col 3. 15. cum ſumatur pro concordia, quæ inter ipſos fideles eſſe debet, ut ſequentia innuunt, dum addit; *ad quam vocati eſtis in uno corpore*. Simplicitas & ſinceritas Dei, pro ſimplicitate & ſinceritate animi, quæ Deo ipſi probetur: vel, ut alii volunt, coram ipſo Deo: 2 Cor. 1. 12.

Poſtquam de voce injuſtitiæ, quæ habitum propriè denotat, diximus, differendum etiam eſt nonnihil de factis ex injuſtitia manantibus, ſeu de injuriis. Ea Matth. 5. 44, comprehenduntur voce ἐπηρεασμοῦ, quæ hoſtilem quandam infeſtationem ſignificare ſolet: quanquam apud Petrum 1 Epiſt. 3. 16. calumniam ſignificat, ut circumſtantiæ loci indicant. Verum Matth. 5. de aliis etiam hoſtilibus factis intelligenda eſſe videtur. Non deſunt tamen viri docti, inter quos, niſi me fallit memoria, Caſaubonus, qui & iſtis calumniam tantum ea voce velint denotari. Quare cætera hoſtilia facta verbo perſequutionis, quod ſubjungitur, comprehendentur, ita ut duo injuriarum genera à Chriſto commemorentur, quæ verbis fiant, & quæ factis: quæ verbis, calumniæ ſunt, quæ factis, perſequutiones. Quod ſi quis objiciat Dominum Jeſum jam antea commemoraſſe verba injurioſa, cum execrationis ſeparatim fecit mentionem: reſponderi poteſt execrationes iſtas vix haberi ſolere pro injuriis propriè dictis, licet ſint animi malevoli indicia, cum per ea nihil cuiquam videatur detrahi, neque de fama, neque de bonis, neque de vita, niſi forte per accidens: unde niſi quid ſubſit aliud, nemo propterea in jus vocatur. Ex his jam aliquo modo patet, quid de altero vocabulo, nempe de perſequutione, ſit ſentiendum, cujus triplex vis eſſe ſolet; Prima eſt, cum ſumitur pro injuria & nocumento qualicunque, quod cuipiam ab altero infertur; quomodo non ſemel accipitur cum de afflictionibus ſermo eſt, quas Chriſtiani ob juſtitiam patiuntur; ut fit 2 Tim. 3. 12. ut alia loca prætereamus. Secundo, paulo ſtrictius ſumitur pro factis injurioſis & afflictionibus, quæ non verbis, ſed reipſâ peraguntur: quomodo ſtatim poſt iſta Matth. 5. 10 verba, Dominus Jeſus id, quod antea generatim voce perſequutionis complexus fuerat, ſpecialius explicans verbum hoc accipit, cum ait: *Beati eſtis cum vos convitiis affecerint & perſequuti fuerint, & mentientes dixerint quodvis verbum malum adverſus vos*. ubi perſequutio à verbis injurioſis manifeſtè diſtinguitur. verſu 44 ambiguum eſt, utrum ne hoc, an illo modo ſit ſumendum. Nam ſi vox ἐπηρεάζειν ſumatur latè, pro quavis injuria, idem de voce διώκειν erit ſtatuendum, ita ut eadem res duabus vocibus ſignificetur; quod ſacris literis non eſt inuſitatum. Sed ſi pro calumnia ſumatur ἐπηρεασμὸς, vox perſequutionis ſpecialius erit ſumenda, ut ſuperius eſt explicatum. Tertio denique perſequutio videtur ſumi pro ejectione in exilium, aut etiam ejuſmodi infeſtatione hoſtili, qua fiat ut non poſſis tuto in certo aliquo loco conſiſtere: quomodo videtur ſumenda hæc vox Rom. 8. 35. ubi inter alia malorum genera, quæ Chriſtianis propter veritatem incumbant, tanquam quippiam ſpeciale ponitur διωγμὸς ſeu perſequutio. Quanquam ſunt, qui adhuc aliam ſpecialem ſignificationem huic voci tribuunt, & quidem in loco ſuperius commemorato Matth. 5. 10. ajunt enim injurias hìc ſignificari, quibus ii nocentes magiſtratus autoritate afficiantur, cum ad judicum tribunalia pertrahuntur: verbum enim hoc forenſe eſſe. Vide Bezam hoc loco.

Porro facta ex injuſtitia manantia diſtingui poſſunt ratione objectorum. Nam cum omnis injuria damnum inferat alteri, vel ad inferendum comparata ſit; damnum autem, quod ab alio nobis infertur, vel ad corpus ſpectet, vel ad bona externa, nempe honores aut facultates: injuria etiam omnis vel corpori nocet, vel honori, vel facultatibus, ſeu rebus iis quæ proprio nomine utiles dicuntur; quanquam fieri poſſit, ut ad voluptatem quandam parandam ſint comparatæ. Quod ad injurias eas attinet, quæ corpori inferuntur, primo loco occurrit cædes, quæ commemoratur inter peccata, tum alibi tum etiam Matth. 15. 19. ad Rom. 1. 29. ad Gal. 5. 21. Videntur autem ſacræ literæ his locis, & aliis plæriſque cædem accipere, ut vulgo ſolent, pro cæde injuſta, etiamſi injuria aliqua ab eo, qui fuerit occiſus, occidenti antea fuerit illata, qua is irritatus eum peremerit: quales cædes lex Moſaica prohibuit præcepto ſexto, quod repetitur Matth. 5. 21. Sed latius extenditur vox concreta homicidæ 1 Joan. cap. 3. 15: ubi dicitur, eum, qui oderit fratrem ſuum, eſſe homicidam; ubi *homicidam eſſe* ſignificare videtur inſtar homicidæ haberi apud Deum, & ejuſdem pœnæ reum eſſe, vel (quod eodem propemodum recidit) homicidæ eſſe ſimilem: qua ratione fere dicitur dicto loco Matth. 5. 28, eum qui aſpexerit mulierem aut uxorem alienam ad concupiſcendum eam, jam adulteraſſe in corde ſuo.

Sub cæde continetur Patricidium & Matricidium, quod ratione perſonæ cui cædes infertur, ut patet, ab aliis cædibus vulgaribus diſtinguitur: cujus peccati fit mentio 1 Timoth. 1. 9. Quanquam voces ita ſunt comparatæ, ut poſſint etiam latius extendi, & reddi *patrum & matrum percuſſoribus*, ita ut ad eos quoque extendantur, qui non occidunt, ſed cædunt tantum parentem alterutrum. Veriſimilius tamen eſt de ipſis parricidis eſſe ſermonem, præſertim cum poſtea ſequatur *homicidis*: & percuſſores interdum pro iis ſumuntur, qui non ſimpliciter cædunt, ſed occidunt. Cædi vicina ſunt vulnera, mutilatio membrorum, verbera, vincula; de quibus nil eſt opus dicere. Illud non videtur prætermittendum, quod ad corpus pertinet & ab his modo commemoratis diverſum eſt, plagium, cujus itidem eſt mentio dicto loco 1 Tim. 1 ℣. 10: ubi Græcè eſt ἀνδραποδισταῖς, plagiariis: ii vero ſunt, qui homines furantur, præſertim liberos, eoſque vendunt, aut in ſervitutum tradunt. Plagio ſimiles ſunt raptus alii quicunque. Huc etiam pertinet perſequutio, vel in exilium actio, de qua ſupra. Hæc de corporalibus.

Quod ad illas attinet injurias, quæ honorem ſeu famam noſtram lædunt: huc primum pertinet ὕβρις ſeu contumelia, quæ generale quippiam eſt, & tum verbis, tum factis peragi poteſt: & ſignificat ejuſmodi honoris noſtri læſionem, quæ à ſciente prudente proficiſcatur, & delectationem quandam ejus, qui lædit, videatur habere conjunctam. Hoc pacto Paulus dicit ſe antea fuiſſe contumelioſum, 1 Tim. 1. 13. & contra, ſe contumeliam paſſum, 1 Theſſ. 2. ℣. 2. Non longe diſcedit ab hac voce verbum ἀτιμάζειν, quod occurrit Joan. 8. 49. Act. 5. 41. & Jacob. 2. 6. Affinis contumeliæ eſt contemptus ille, de quo Chriſtus Matth. 18. 10. qui non in ſimplici quadam deſpicientia aut vilipendio alterius conſiſtit, ſed potius in factis injurioſis, ſeu mavis, pro contemptu ejuſmodi ſumitur, unde fiat, ut injuria afficiatur alter, etiamſi ipſe per ſe in animo tantum lateat; ea enim de re ibi eſt ſermo. Ad hujus etiam generis injurias, quæ famam lædunt alterius, pertinent eæ quæ verbis fiunt, quales ſunt calumniæ, & convitia. Et calumniæ quidem ſunt falſa crimina cuipiam objecta, quæ quatenus ſimpliciter falſa ſunt, ad mendacium pertinent, & veracitati opponuntur; quatenus vero lædunt alium, eatenus ad injuſtitiam ſpectant. Hujus vitii non ſemel fit mentio in ſacris literis. Indicatur autem 1 Tim. 3. 11, fœminas eſſe huic vitio obnoxias, ſiquidem præcipit ibi Paulus, ut uxores, intellige Diaconorum & Epiſcoporum, (nam ad utraſque videtur id referri, licet Diaconorum proximè fiat mentio, Epiſcoporum ſuperius) ab hoc vitio ſint alienæ. Ad calumniam videtur etiam pertinere obtrectatio, quæ illius quædam ſpecies eſt. Nam calumnia poteſt etiam eſſe aperta, & coram objici ei, cujus fama hoc pacto petitur: obtrectatio autem eo fit abſente, ut non male definire eam poſſis, ſermonem, qui ad famam abſentis lædendam ſit comparatus: quanquam non deſint, qui arbitrentur longius etiam extendi poſſe hoc obtrectationis vitium, ita ut etiam vera crimina, ad abſentis famam ex malevolentia quadam lædendam comparata, ambitu ſuo complectatur: qua ratione cum charitate potius pugnabit, quam cum juſtitia. Ad obtrectatores referendi ſunt, ψιθυρισταί, ſeu ſuſurrones, de quibus ſermo eſt Rom. 1. 30: qui ſiniſtros de aliis ſermones aliorum auribus veluti inſuſurrant, aut clam inſtillant. Huc etiam pertinent falſa teſtimonia, quibus falſum aliquod crimen confirmatur, vel id, quod pro crimine aliquo habetur. Quod propterea addimus, quia poſſunt eſſe quædam falſa teſtimonia, quæ non famam, ſed bona tantum hominis, aut quippiam aliud petant; ut ſi quis in alterius gratiam dicat, huic aut illi legatum eſſe tantum aut tantum, & falſum teſtamentum teſtimonio ſuo confirmet, eaque ratione fiat, ut hæres rem, quam ille legatam dicit, cogatur præſtare; qualia teſtimonia pro diverſitate objecti ad diverſa injuriarium genera referenda erunt. Quod ad convitia attinet, ea ſunt dicteria in contumeliam alterius prolata, eaque potiſſimum falſa, ſed interdum etiam vera; at quia ex animo malevolo, aut ira concitato erumpunt, & ideo proferuntur, ut alteri res doleat, ideo & hæc pro injuria quadam rectè habentur. Differunt autem convitia à calumniis: Primò, quòd calumnia ſemper crimen aliquod continet, convitium non ſemper. Nam poteſt quis convitiari alteri, cum illi vitium aliquod corporis, aut aliquam aliam calamitatem objicit, ut cum quis vel luſcum vel cœcum quem ex ira vocat, aut hominem non magna in re mendicum. Deinde calumnia eſt ſermo de eo, cui crimen impingitur ad alium, vel ſaltem ita elatus, ut alii audiant, aut reſciſcant. At convitium poteſt dirigi ad eum ipſum, qui convitio petitur, etiamſi nemo id ſit reſciturus. Tertio, qui calumniatur, fidem vult adhiberi ſermoni ſuo ab altero: at qui convitiatur non ſemper; neque enim v. g. ii qui ſpurii convitium jacit in alterum, protinus credi vult eum illegitime natum. Denique calumnia non ſemper naſcitur ex ira & vera adverſus alterum malevolentia, ſed ſæpè ex cupiditate lucri: id quod tamen in convitiis obtinet. Porrò convitia in Græca lingua non ſemel voce βλασφημίας efferuntur, de cujus vocis ambiguitate quadam diximus ſupra, cum de blaſphemia in Deum ageremus; alias λοιδορίαι vocantur.

Reſtant eæ injuriæ, quæ in facultates aliorum tendunt; quarum quidem genera poſſunt plura conſtitui; ſed duo latiſſime patent, nempe ἁρπαγμὸς ſeu raptio & extorſio bonorum violenta, & furtum; quarum illa aperta eſt, hoc clandeſtinum. Illius inter alia fit mentio ad Cor. 1. Epiſt. 6. 10, ubi nominantur rapaces, qui diſtinguuntur (ut etiam in communi fit ſermone) à furibus; ejuſque exemplum eſt illud de quo Matth. 5. 40. De furto, quod ſolet definiri à Juris Conſultis, contrectatio rei alienæ, utilitatis capiendæ cauſa, invito domino, nihil eſt opus amplius dicere: quanquam crediderim ſacras literas magis populariter hoc nomen ſumere, ut non quamvis ejuſmodi contrectationem complectatur, ſed talem, ubi quis rem alienam omnino aufert; ita ut ſit ablatio rei alienæ clandeſtina, invito domino. Ablationem autem talem intelligo, ut is qui aufert, rem illam revera domino reſtituere nolit, nec capiat tanquam eam, quam dominus ſibi ſive apertè ſive tacite conceſſiſſet, ita ut re cognita id indigne non ſit laturus. Hujus ſpecies eſt ſacrilegium, hoc eſt, (ut notum eſt) furtum rei ſacræ ſeu Deo conſecratæ: cujus fit mentio Rom. 2. 22. Huc etiam referri poſſent variæ fraudes, quibus alii circumveniunt alios, lucri faciendi cauſa: ſed de iis nonnihil dici poteſt, ubi de fide agemus. Nam fraudes iſtæ, bonæ fidei proprie adverſantur; quamquam alias, objectum ſi ſpectes, ad hæc injuriarum genera, de quibus hactenus egimus, referri poſſunt.

Cap. III.

De Æquitate.

ÆQuitas, de qua hoc loco nobis agendum eſt, Græcis dicitur ἐπιείκεια: quanquam vox ambigua eſt. Sumitur enim interdum pro manſuetudine, ut 2 Corinth. 10. ℣. 1: vel pro æquanimitate ſive moderatione quadam animi in ferendis adverſis; quò pertinere videtur locus ad Phil. 4. 5. quamquam non deſunt, qui pro æquitate, de qua nunc acturi ſumus, eam vocem loco hoc accipiunt. Æquitas autem hæc, de qua agimus, virtus eſt, rigorem juris mitigans, ſeu (quod eodem recidit,) juſtitia benignitate quadam temperata: in qua ſignificatione videtur accipiendum nomen ἐπιεικὴς apud Jacobum cap. 3. ℣. 17. Ejus eſt, jure tuo ita uti, ut, ſi verearis ne injuriam alteri facias, etiam de eo cedas, quod non ſine juris ſpecie ac prætextu tibi vindicare poſſes. Suntque generatim duo ejus munera: primum ne tunc, cum aliquid exigis ab altero, ſive tuo ipſius, ſive publico nomine, nimis acriter urgeas eum, à quo id exigis, cum circumſtantiæ quædam aut rationes juſtæ ſunt, quæ

ſuadeant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſuadeant ut acrimoniam juris temperes, adeò ut malis minus exigere, quam jure ſevero exigere poſſis, iiſque contentus qualicunque ſatiſfactione. Alterum eſt, ut ſi à te quippiam requiratur ac poſtuletur, etiamſi te ſpecie quadam juris ſingulari defendere poſſis, ſi tamen nihilominus cauſas videas graves ac juſtas, cur jure iſto, quod prætendere poſſis, uti non debeas, eo cædas, & id facias, quod rationes illæ ſuadent. Prioris exemplum eſt, ſi quis qui legis alicujus verba, aut conſuetudinem, aut verba contractus quem cum altero inierit, in ſuum commodum allegare poſſit, malit tamen ſententiam ſive legis, ſive contractus, aut rationem communis conſuetudinis, ob circumſtantiam aliquam peculiarem, ſequi, & ita commodo ſuo cedere. Exempli gratia, dederit quis aureos Ungaricos 100, ſexcentorum florenorum vulgarium precio, ea conditione, ut ipſi intra biduum pro credito reddat 600 florenos: cum uterque ignoret fore, ut precium aureorum tam cito decreſcat: interea fiat, ut tribus aut quatuor florenis lege publica æſtimentur aurei ſinguli, adeò ut alter ille non poſſit eos ſex florenorum aut paulo minori pretio exponere. Hîc igitur poſſet quidem ille qui aureos mutuo dederat, urgere contractus verba, & ſic pro centum aureis ſexcentos florenos, aut (quod eodem recidit) ducentos aureos repoſcere. Sed quum id nimis iniquum foret, æquitas ſuadet, vel recipere tot aureos, quot dederas, vel pro circumſtantiarum ratione damnum partiri. Sed plura exempla peti poſſunt ex Ethicis noſtris, ubi rem hanc fuſius ſumus perſequuti. Hoc tantum addimus hoc loco, in judicio Eccleſiaſtico ſæpe hac æquitate eſſe utendum; &, cum non poſſunt adigi ii, qui deliquerunt quippiam, eò ut omnia faciant quæ deceret facere, ad delictum iſtud, (ut ita dicam) expiandum ac corrigendum, contenti ſimus eo, ſi id quod potiſſimum eſt præſtetur, & imbecillitatis humanæ habeamus rationem, ne, dum ad vivum omnia reſecare volumus, eum ipſum perdamus, quem cupimus ſanatum. Et de hac æquitate imprimis videtur loqui Jacobus dicto loco cap. 3, eamque ſubjungere pacis ſtudio, ad quod omnia ea pertinent, quæ poſt vocem *pacifica*, enumerantur ſapientiæ cœleſtis attributa, quemadmodum ex ℣. 18 conſtare poteſt, ubi ea omnia pacis nomine complectitur: eſtque ea omnino neceſſaria ad vitandas contentiones, à quibus nos Jacobus eo loco dehortatur. Poſterioris autem muneris æquitatis exemplum eſto, ſi quis immunitate aliqua gaudeat, neque ſit obſtrictus onera una cum iis inter quos habitat ſuſtinere: ſi tamen neceſſitas aliqua ſingularis ingruat, ad quam depellendam communibus viribus ſit opus, æquitas ſuadet, ut tu quoque, qui privilegio te quodam defendere poſſes, partem ejus oneris ſuſcipias, præſertim ſi ad te quoque commodum inde ſit redundaturum, aut minus ſint ſuffecturi periculo depellendo alii, niſi tu quoque iis te adjungas, eoſque ſubleves. Ex his facile colligi poteſt, quid ſit iniquitas huic virtuti contraria, de qua nihil opus eſt amplius addere. Si quid his deeſt, id ex Ethicis petatur.

Antequam aliò hinc abeamus, unum adhuc vitium ſpeciale juſtitiæ ei aut æquitati, quæ in judicando verſatur, imprimis oppoſitum explicandum eſt, quod ſuperius à nobis tractari poterat, antequam ad æquitatem tranſiremus: id vero eſt acceptio perſonarum, ſeu mavis facierum, Græcis προσωποληψίας; utroque autem illo, quem diximus modo, Latinè reddi poteſt vocabulum Græcum, & poſterior quidem modus Hebraicæ phraſi, qua vitium hoc exprimitur, eſt convenientior. Hebræi enim dicere ſolent, Accipere facies vel faciem; vide Levit. 19. 15: vel (quæ phraſis paululum ab illa differt,) cognoſcere facies, Deut. 1. 17. & cap. 16. 19. Eſt autem προσωποληψία vitium ejuſmodi, quo quis non ſecundum ipſam rem & cauſam, ut in ſe eſt, ſed juxta externam qualitatem judicat, prout quis v. g. amicus aut inimicus, dives vel pauper, nobilis vel ignobilis, doctus vel indoctus, potens aut contra infirmus, viduus aut pupillus eſt, & ſi quæ ſunt ſimilia.

Ideo autem hæc dicitur acceptio facierum, quia cum facies maxime pateat in corpore humano, & oculis ſit ſubjecta: ideo ejus appellatione omnia patentia, & exterius quodam modo apparentia, ſeu mavis perſonalia, puta amicitia, opulentia, potentia, doctrina & id genus alia, eorumque contraria intelliguntur; quomodo 1 Sam. 16. 7 Deus dicit Samueli, *ne reſpicias in faciem ejus: nam homo videt ea, quæ præ oculis, Deus autem intuetur cor*: quæ prope omnia habes annotata in Bibliis magnis Roberti Stephani ad ℣. 17. cap. 1. Deut. Quare ſi quis in ſimili plane cauſa diverſum ferat judicium, ob certam diverſarum perſonarum qualitatem, ad cauſæ meritum nil pertinentem, is faciem accipere, aut perſonam hominis reſpicere dicitur. Hoc vitium nominatim etiam reprehendit Jacobus cap. 2. 1: ubi monet, *ne in acceptionibus perſonarum habeamus fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ*: hoc eſt, ne cum religione ſanctiſſima Jeſu Chriſti Domini noſtri glorioſi, habeamus conjunctam acceptionem perſonarum. Id quod poſtea illuſtrat divitis & pauperis exemplo, quorum ille quia ſplendide ſit veſtitus, & annulum geſtet aureum, jubeatur egregiè & honeſto in loco conſidere: hic verò quia ſordida ſit amictus veſte, jubeatur vel ſtare contemptim alicubi, vel ad ſcabellum alterius ſedere; quæ res cum ignominia pauperum eſt conjuncta, quos tamen Dominus Jeſus in Novo fœdere aliquo modo ſupra divites extulit. Itaque licet hîc nullum judicium videatur inſtitui, nihilominus tamen Jacobus ait, illos, qui ita divitem pauperi præferunt, factos eſſe judices cogitationum malarum, hoc eſt, tales judices, qui male cogitaverint, ſeu malum intra ſe judicium tulerint. Ubi tamen animadvertendum eſt, non eſſe veriſimile, Jacobum ſimpliciter prohibere, ne honeſtior locus in Eccleſia concedatur diviti, quam pauperi, modo id fiat ſine contemptu pauperis, qui exprimitur illis ipſis, quibus Jacobus utitur, verbis, dum per Mimeſin quandam iſtorum Proſopoleptarum verba exprimens inſit: *& dicatis illi* ſubintellige diviti, *tu ſede hic pulchre; pauperi vero dicatis, tu ſta ibi, aut ſede hic ſub ſcabello meo.* Adde etiam prohibere Jacobum, ne honeſtior concedatur locus diviti ideo revera aut primo, quia dives ſit, atque adeò pauperi, quia pauper ſit, negetur: ſed ſi quid tale forte fiat, id nonniſi eam ob cauſam fiat, ne ſine cauſa dives ille offendatur, aut irritetur, quia contra communem hominum morem, qui honor ſine aliorum injuria exhiberi ipſi poteſt, ei in Eccleſia denegetur. Neque enim probabile eſt Jacobum id prorſus ex Eccleſia tollere, quod alias communi uſu receptum eſt, & nullam alterius ignominiam aut contumeliam redolet; quale eſt hoc, ut illi, qui vulgo honorari ſolet, honeſtior in Eccleſia locus concedatur, abſque alterius tamen contemptu. Quanquam diligenter cavendum eſt, ne in hoc peccatum incidamus, & contra Jacobi præceptum agamus; adeoque ſi tale quid contingat, rogandus eſt potius pauperior, ut alteri loco cedere velit, non tanquam per ſe digniori, ſed ut ne vel offendatur, niſi hic ipſi honos haberetur, vel alii etiam, qui ruſticitati aut contemptui cuidam virorum potentium id eſſent imputaturi. Illud etiam addi poteſt, Jacobum generatim tantum locutum eſſe, nec conſideraſſe hîc diſcretionem ſubditorum aut magiſtratuum; ſed eos, qui in Eccleſiam veniunt, divites & pauperes conſideraſſe tanquam cæteroqui pares: nam alioqui magiſtratui etiam alieno, hoc eſt, qui in alios, non vero in nos habent imperium aliquod, honor eſt exhibendus major, quam aliis, eiſque & aſſurgendum, & de loco cedendum. Quanquam id uniuſcujuſque modeſtiæ relinquendum eſt: quiſque enim id ſui officii cenſere debet, adeo ut alienum juſſum non exſpectet. Etiamſi autem omnium maximè ſit cavendum, ne ita abducamur ab æquitate in judiciis, ut ditiori, nobiliori, potentiori, & cæteris eximia aliqua dote ornatis gratificemur, & pro illis ſententiam feramus: interdum tamen etiam contrarium eſt cavendum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dum, nec committendum, ut quia perſona aliqua ſit favorabilis, ut loquuntur, v. g. pauper, vidua, aut pupilla, ideo alteri parti faciamus injuriam. Ideo Deus etiam prohibuit, faciem pauperis ſuſcipere, dicto loco Levit. 19. ỷ. 15. Decet quidem, magis propemodum habere rationem perſonarum favorabilium, quæ ſeipſas tueri vix poſſunt, & quas veriſimilius eſt, injurias pati, quam facere: non eſt tamen hîc longius progrediendum, quam ipſa æquitatis ratio poſtulat. Illud adhuc addi poteſt, Jacobum προσωποληψίαν opponere charitati in proximum, quam lex illa poſtulat: *Dilige proximum tuum, ſicut teipſum*, ut apparet ex ỷ. 8 & 9 cap. 2, inter ſe collatis. Sed Jacobus charitatis vocem ibi late accipit, ita ut ea omnia in ſe complectatur officia, quæ in ſecunda, quam vocant, decalogi tabula comprehenduntur, atque ad proximum pertinent; quæ eadem juſtitiæ vi illi debentur; ita ut nos nihil contra Jacobi ſententiam faciamus, qui juſtitiæ vitium hoc opponimus. Interim tamen haud negamus, poſſe προσωποληψίαν etiam ibi habere locum, ubi non juſtitiæ ſtrictè ſumptæ, ſed charitatis exercenda ſunt opera. Nam ſi quis v. g. alium fratrem diligat, & beneficentiam in illum exerceat, quia ejuſdem ſit gentis, alium vero, in quo eadem ſit charitatis aut beneficentiæ exercendæ cauſa, non diligat quemadmodum opus eſt, προσωποληψία quædam eſt. Nam etiam charitas & beneficentia aliquo modo juſtitiæ eſt analoga, & quemadmodum jus eſt aliquod proprie dictum, quod alter ſuo jure à nobis exigit, ita etiam eſt quoddam charitatis jus per ſimilitudinem dictum, quo alter alteri obſtringitur ad beneficentiæ officia præſtanda; quod jus ſi negligas ob qualitates perſonarum, quæ vel nullum hîc pondus habere debent, vel non tantum quantum tu eſſe vis; προσωποληψία hîc erit, non quidem eatenus, quatenus alteri plus tribuitur, quam tribuendum erat, ſed quatenus alteri minus, quam tribui debebat. Quidnam vero ſit illud jus, aut unde oriatur, in beneficentiæ explicatione dicetur.

Cap. IV.

De Fide, ſeu fidelitate.

AD juſtitiam pertinet etiam fides, unde fideles ſeu fidi appellamur, in eum ſenſum acceptis his vocibus, in quem boni latinitatis autores eas accipiunt; aliter enim non ſemel ſumuntur in ſacris literis, præſertim Novi fœderis, atque inde in ſacra noſtra Theologia, ubi fideles ſolemus creberrime accipere pro iis, qui in Jeſum Chriſtum credunt, aut credere ſe profitentur. Quanquam hæc quóque ſignificatio vocis fidei, quam hîc intelligimus, iterum in plures diſpeſcitur, quæ vix una aliqua definitione comprehendi poſſunt. Quod ſi tamen communis eſt aliqua definitio, hæc fere erit, quod fides, ſeu fidelitas ſit juſtitia in promiſſis ſive apertis, ſive tacitis. Tacita autem promiſſa vocamus, cum quis vultu aut geſtu oſtendit, ſe aliquid facturum, aut alias ita ſe gerit, ut colligi inde poſſit, eum aliquid in ſe recipere, aut & munus atque officium in ſe ſuſcipit aliquod, cujus vi poſtmodum adigatur ad aliquid faciendum, etiamſi id expreſſe ſe facturum nunquam dixerit. De fide hac loquitur Chriſtus Matth. 23. 23. & Paulus ad Gal. 5. 22.

Primum igitur fidès cernitur in iis, quæ quis apertè promiſit, quemadmodum notum eſt, eaque de re nos diximus in Ethicis: unde reliqua quæ hîc dicenda forent petantur. Deinde (ut ad ea veniamus, quæ interdum tacitam tantum quandam habent pollicitationem, quanquam ſæpe etiam apertam) fidelitas cernitur in rebus, quæ alicui ſunt concreditæ aut commiſſæ, ut in pecuniis aut rebus ſimilibus: quo pacto Paulus dicit requiri in œconomis, ut fidelis quiſpiam reperiatur: 1 Corinth. 4. 2. quanquam id poſtea etiam ad ſuum munus ſeu œconomiam ac diſpenſationem myſteriorum Dei accommodat. Hæc vero fidelitas in eo conſiſtit, ne quis eum, qui rem ſuam illi concredidit, contra, quam ille ſperat, & eum facturum confidit, defraudet: ſed vel integrum illi reſervet aut reſtituat; cum ita res exigit: vel in eos uſus convertat, in quos converti vult ille, qui rem ipſius fidei commiſit. Et hoc poſteriori modo imprimis Apoſtolus fidelitatem iſtam œconomorum ad ſe accommodat loco dicto ad Corinth. Eatenus enim in myſteriis illis fideliter gerere ſe debebat, quatenus ei incumbebat, myſteria iſta ex voluntate Domini, qui ea ipſi concrediderat, liberaliter (ut ita dicam) diſpenſare ac publicare, & nulli ea in re labori aut operæ parcere. Hoc pacto vult Paulus in 1 Tim. 3. 11, uxores Diaconorum fideles eſſe in omnibus. Quia enim Diaconis pecuniæ publicè collectæ ab Eccleſia committuntur, non parum intereſt, non tantum ipſos, ſed & uxores ipſorum eſſe in omnibus fideles, ne quid inde ſubtrahant. Sic ſervorum fides in eo etiam magna ex parte cernitur, ut oſtendit Paulus Tit. 2. 10. ubi jubet, ne quid intervertant, ſed omnem bonam fidem oſtendant. Quia enim neceſſe eſt ſervis multa committi, nec omnia ita in ædibus cuſtodiri queunt, quin ſervus, ſi velit, poſſit aliquid intervertere: ideo hac in parte fidei, ſeu fidelitati eorum relinquitur locus, ne tum, cum ipſis aliquid creditur, ſubtrahere aliquid velint, & ſpem herorum, aut aliorum de ſe conceptam fallere: quanquam alias etiam latius eorum fides extendi poteſt, ita ut in eo quoque cernatur, quod, quanta poſſunt, cura ac diligentia labores & negotia ſibi commiſſa exſequantur. Nam, ut hoc quoque nunc addamus, fidelis is dicitur, qui officium ſibi commendatum exſequitur, & in eo ſpem aliorum de ſe conceptam non fallit; ſi modo, ut hîc ponimus, id ita illi commiſſum ſit, ut id etiam in ſe receperit, aut recipere omnino debuerit. Hoc pacto dicuntur ſervi iſti fideles, quibus dominus minas, aut talenta illa concrediderat, ipſi vero quæſtum non exiguum fecerant domino: Matth. 25. 21, 23. Luc. 19. 17. Ubi fides opponitur negligentiæ illius ſervi, qui defoderat talentum ſeu minam domini, apud Matthæum dicto loco ỷ. 26. Hoc pacto de ipſo Domino Jeſu dicitur, eum fidelem ſacerdotem eſſe in iis quæ ad Deum, Hebr. 2. 17. & cap. 3. 2 dicitur fidelem eum eſſe ei, qui fecerit ipſum, hoc eſt, munus legati & Sacerdotis ipſi impoſuerit, quemadmodum & Moſes in tota domo ejus, hoc eſt, Dei. Et de Paulo 1 Tim. 1. 12 quod Deus eum fidelem judicaverit, cum poneret eum in miniſterium, quam fidem ait etiam ſe ſervaſſe 2 Tim. 4. 8. Cernitur etiam fidelitas in eo, ne quis alterum deſtituat aut deſerat ſibi confidentem, poſtquam auxilii ſui ſpem ipſi jam fecit: quo pacto amicus amico fidelis eſt, cum eum in adverſis non deſerit. Simili quadam ratione de ipſo Deo dici videtur reſpectu noſtri, quod ſit fidelis; non tantum eatenus, quatenus id ſit præſtiturus, quod apertiſſime pollicitus eſt; ſed etiam quatenus nos in difficultatibus ac periculis non eſt deſtituturus, nec permiſſurus, ut ob imbecillitatem noſtram opprimamur, & ſic in tam ſalebroſo ad ſalutem itinere, quod ipſius ope confiſi ſumus ingreſſi, defetiſcamur. Huc pertinere videtur ille locus 1 Cor. 10. 13, ubi Paulus ait: *Fidelis autem Deus, qui non permittet, vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis vos ſufferre*: & 1 Theſſal. 5. 24. ubi poſtquam precatus eſſet Apoſtolus, ut Deus ipſos totos ſanctificet, & inculpatos in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet, ſpem facere volens ipſis, fore, ut id Deus faciat, addit: *fidelis, qui vocat vos, qui etiam faciet*. Quanquam enim dici poteſt, Deum auxilium ſuum hac in parte nobis pollicitum eſſe: tamen quia Apoſtolus hîc vocationis facit mentionem, cujus vi Deus, ſi fidelis eſſe velit, quodammodo obſtringatur ad id faciendum; vocatio verò iſta per ſe nihil aliud videtur ſignificare, quàm invitationem (ut ita loquar) ad ſalutem & media eo ducentia, Apoſtolus potius ad tacitam quandam pollicitationem, quæ ex hujuſmodi vocatione ſeu invitatione eliciatur, reſpexiſſe cenſeri poteſt. Nam qui aliquem ad rem tantam invitat, videtur etiam velle eum hac in re, ſi ipſe ſuis viribus eam perficere nequeat, adjuvare; ſi qui-

dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dem oſtendit ſe cupere, ut is bonum hoc conſequatur. Quibus locis addatur etiam ille 1 Corinth. 1. 9: *Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis in communionem filii ipſius Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Huc etiam aliquo modo pertinet illud in Apoc. 2. 10: *Sis fidelis uſque ad mortem*: ubi conſtantia quædam voce fidelitatis comprehendi videtur, quaſi dicat Dominus Jeſus, conſtans permane in mea, ut ita dicam, amicitia, qua mihi obſtrictus es, vel fidem, quam mihi ſèmel ſpopondiſti, conſtanter ſerva, nec ab ea te deterreri patere.

Fidelitati opponitur perfidia, hoc eſt, ejuſmodi vitium, quo quis promiſſa, ſive aperta ſive tacita non præſtet; cujus effectus eſt fraus ſeu dolus, hoc eſt, inventum occultum ad damnum alteri inferendum, ſeu circumventio alterius, quæ prohibetur inter alia à Petro 1 Epiſt. 2. ℣. 1. Fitque ſæpius verbis: unde illa locutio, cum de Domino Jeſu dicitur quod in ore ejus non ſit inventus dolus: Eſai. 53. 9. 1 Pet. 2. 22. & de ipſius ſectatoribus Apoc. 14. 5: hoc eſt, quod nullam fraudem cuipiam ſtruxerint, aut ſtruant verbis: & ſignificatur his verbis ſingularis quædam innocentia, cum pauci ſint, qui verbis ſaltem alteri non noceant, &, cum occultè poſſint, eum hac ratione non circumveniant. Verum fit fraus aut dolus etiam factis, quemadmodum apparet inter alia ex illis Apoſtoli verbis 2 Cor. 12, 16. ubi nonnulli arbitrantur, Paulum ſibi ipſi aſtutiam & dolum tribuere, cum inquit, *ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*: de quibus ſupra cap. 3. libri 1 egimus. Iſtud adhuc monendum eſt, fraudem etiam referri poſſe ad aſtutiam, quæ opponitur prudentiæ. Nam quatenus ab ea conſiliorum ratione, quæ honeſtum ſemper finem ſpectat, & honeſtis ad eum finem mediis contendit, ſimpliciter deflectit, aſtutia eſt: ſed quatenus nocet alteri, ſimul ad injuſtitiam & perfidiam ſpectat.

Ad peccata cum fide pugnantia jure etiam referri poteſt proditio: quanquam hoc vocabulum apud Latinos ambiguum eſt. Nam proditio ſumitur vel pro deſertione amici, cum is eſſet adjuvandus, ut qui auxilio tuo nitatur, idque à te expectet: quo pacto proditores ſolent appellari, qui ad hoſtes in acie tranſeunt, aut alias commilitones ſuos deſerunt, in hoſtium præſertim gratiam. Deinde illi dicuntur proditores, qui id, quod nocere cuipiam poteſt, ad nociturum deferunt, præſertim clam, cum potius rem tegere ac diſſimulare deberent; ut qui ad hoſtes, quæ in adverſis caſtris, aut in urbe obſeſſa geruntur, deferunt; unde tanto facilius adverſæ parti nocere hoſtis queat. Huc etiam referri poſſunt, qui non boni publici amore, ſed lucri, aut quæſtus ſui tantum cauſa, ea quæ ab aliis delinquuntur, ad magiſtratus deferre ſolent, alias id haudquaquam facturi; qui, ſi id alio fine, & ratione etiam ea quæ viros bonos decet, facerent, non pro proditoribus, ſed pro bonis civibus habendi eſſent, præſertim tum, cum id bonum commune exigit, & malo medicina adhiberi poteſt: in quorum poſteriorum numero ii ſunt, qui gloriæ divinæ vindicandæ, aut ſalutis alicujus redimendæ cauſa, aliorum delicta detegunt iis, quos malis iſtis mederi poſſe arbitrantur, alias ea potius occultaturi, &, ſi ipſimet vulnera ſanare tecta poſſent, aliis ea non revelaturi. Utrumque illud proditionis genus in Juda concurrit, & utrumque ad perfidiam aut fraudes pertinet; cum utriuſque rei ſub amicorum ſpecie fallant, & id, quod vultu aut geſtu verbiſque præ ſe ferunt aut pollicentur, opere haudquaquam præſtent, idque in aliorum detrimentum. Quanquam poſterius etiam taciturnitati opponitur, & quatenus ſimpliciter modum in ſermone excedit, ad garrulitatem refertur; ſed quatenus alios fraudulenter lædit, huc ſpectat. Hoc autem vitium nominatim commemoratur inter alia 2 Tim. 3. 4. Huc etiam referri poteſt iſta traditio, cujus fit mentio Matth. 24. 10. ubi indicatur, eos, qui à veritate ſint defecturi, alios magiſtratui poſtea proditūros, aut ad eum delaturos. Nam & cap. 26. 16, *tradere* ponitur pro *prodere*, ubi de Juda ſermo eſt: unde quidam interpretes utrobique verbum prodendi habent. Quanquam crediderim aliquid amplius in vocabulo tradendi comprehendi, hoc eſt, non tantum detectionem rei alicujus peculiaris, & oſtenſionem oportunitatis, qua quis alteri nocere poſſit; ſed etiam exhibitionem quandam alterius in manum ejus, qui illi nocere cupit, & eum comprehenſum habere deſiderat.

Cap. V.

De Charitate.

Abſolvimus hactenus unam eorum officiorum partem, quæ ad proximum ſpectant, quam juſtitiæ nomine complexi ſumus; ſequitur altera, quam Charitatis nomine comprehendere poſſumus. Quanquam enim ſupra diximus, charitatis nomine nonnunquam ſacras literas totum iſtud complecti, quicquid proximo à nobis eſt præſtandum; hoc tamen loco eam magis proprie ſumimus pro ea virtute, qua id quod proximo, jure communi non debemus, affectu tamen benigno impulſi tribuimus. Animadvertendum tamen eſt, charitatem, de qua hîc nobis agendum eſt, duobus iterum modis in ſacris literis ſumi. Interdum enim ſumitur proprie de benigno illo affectu, ſeu mavis habitu ac virtute tantum, unde officia iſta indebita promanant: interdum etiam ipſa officia ambitu ſuo complectitur. Quare dicere poſſis, nunc fontem tantum officiorum, nunc una cum fonte rivulos quoque illos, ſeu officia ex illo manantia hoc nomine comprehendi. Et poſterius quidem fit in omnibus iſtis locis, in quibus charitatis nomine omnia, præter fidem, aut etiam ſpem, pietatis officia comprehenduntur, quanquam laxius alias charitatis nomen ibi accipitur: priori autem modo accipitur ad Gal. 5. 22: ubi inter fructus ſpiritus primo loco commemorat Apoſtolus charitatem, tanquam cæterorum plerorumque, qui ſubjiciuntur, fontem. Et ad Col. 3: ubi cum alias virtutes ad proximum ſpectantes Apoſtolus ℣. 12 & 13 recenſuiſſet, addit ℣. 14, *Super omnia autem hæc charitatem* ſcil. induite, *quæ eſt vinculum perfectionis*. Et 1 Tim. 6. 11: ubi aliarum virtutum ſpecialium numero charitatem interſerit. Huc pertinent alia non pauca loca, in quibus *diligendi* verbum de animi affectu accipitur. Quod ergo ad priorem illam ſignificationem attinet, charitas definiri poteſt benignus erga alterum affectus, ſeu affectus, quo alteri optima quæque cupimus, & præſtare pro virili annitimur. Quanquam dicere poſſis charitatem in ſacris literis nobis commendatam, ſumi pro quadam affectione & habitu, ob quem fiat, ut in alterius commoda propendeamus, & eum pro viribus juvare in iis vel adipiſcendis, vel conſervandis cupiamus. Sæpe enim charitatem erga alios exercere dicimur, cum affectus cæteroqui vel ab ea re abhorret, vel ſaltem non propendet, ita ut animus affectui imperare cogatur ad præſtanda alteri officia: ut cum ab altero graviſſimè offenſi iræ moderamur, & à vindicta abſtinemus omni, non affectus inclinatione, ſed voluntatis decreto. Poteſt enim ille voluntatis actus ſive motus, charitas ſive amor appellari per ſimilitudinem, quæ ei cum amore proprie dicto intercedit: quod propterea imprimis monemus, ne teneræ conſcientiæ turbentur propterea, quod in charitatis officiis exercendis, præſertim quibuſdam, eum affectus impetum non ſentiunt, quem ſentire alias ſolemus, cum ad eum juvandum accedimus, quem impendio amamus. Nam modo ex animo, & non ſimulate alteri benefaciant, non ſpe commodi, aut gloriolæ aucupandæ cauſa, ſed Dei præcipientis reverentia adducti; charitatis nomen illis haudquaquam eſt denegandum. Interim danda eſt opera, ut quantum rei ipſius fert natura, alacriter idem faciant, & affectum illum verè in ſeſe excitent, qui charitatis nomen meretur, & unde appellationem hanc virtus, de qua agimus, accepit, atque imprimis erga fratres, ac ſpirituali nobiſcum vinculo colligatos: id

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

enim requirunt ſacræ literæ, ut poſtea dicemus, ubi de fraterna charitate agemus. Cum vero diximus, charitatem eſſe affectum, vel virtutem, animique affectionem, quá alteri optima quæque cupîmus; illud etiam complecti volumus, quod charitas gaudeat rebus proximi ſecundis, & contra adverſis doleat. Qui enim optima quæque cupit alteri, is etiam lætatur, ſi iis fuerit potitus, & contrariis triſtatur. Hæc de priori ſignificatione charitatis in genere dicta ſufficiant.

Quod ad alteram attinet, quæ officia quoque ex hoc fonte profluentia in ſeſe complectitur, de ea mihi nihil eſt dicendum aliud, quam ut officia illa breviter percenſeamus. Quia vero nobis poſtea ea diſtinctius erunt explicanda, ubi de ſpecialibus quibuſdam virtutibus ex charitate manantibus dicemus, ideo hîc generatim ea tantum adjungemus. Ea vero ex definitione ſatis patent. Primum ergo eſt, alterius bonum & felicitatem deſiderare, mala atque imprimis interitum & infelicitatem averſari. Secundùm, rebus illius ſecundis lætari, adverſis triſtari, res autem ſecundas & adverſas non ad carnem tantum, & ad terrenam hanc vitam refero; ſed etiam ad ſpiritum. Unde ſequitur Tertium, ut pro bonis ipſi à Deo conceſſis autori huic iſtorum bonorum gratias agas: & Quartum, ut eum, cui optima quæque cupis, quantum in te eſt, juves; in malis quidem, ſive jam præſentibus, ſive imminentibus, avertendis, in bonis autem ſive parandis ſive conſervandis. Juvare autem poſſumus alterum, partim precibus apud Deum, partim doctrina & conſilio, partim re atque opera. De precibus dictum eſt alibi: doctrinam & conſilium, conjungo, illam ad cognitionem rerum, præſertim ſacrarum, atque ad animæ ſalutem pertinentium; hoc vero ad prudentiam referens. Itaque proximus ſi aliquid ignorat, erudiendus eſt; ſi errat, in viam revocandus; ſi ſtimulis ad virtutem eget, adhortandus; ſi peccat, monendus & corrigendus eſt, ſi ſibi ipſi ſatis proſpicere in rebus ad hanc vitam pertinentibus nequit, ſalutare ei conſilium ſuppeditandum. Rem atque operam cum dico, primo ſumptum & impenſam omnem complector, qua egeſtati, imbecillitati, periculo ipſius ſuccurritur, aut emolumentis ipſius ſive ad animum, ſive ad corpus pertinentibus proſpicitur: deinde labores etiam corporis, quo nomine & itinera veniunt ac pericula, in quibus eò uſque progrediendum eſt, præſertim cum de fratris ſalute agitur, ut animam etiam pro eo ponas; qua de re ſtatim explicatius dicendi locus erit. Hæc de Charitate in genere.

Sequitur, ut de ea in ſpecie nonnihil dicamus. Diſtinguitur autem charitas imprimis ratione Objecti, in quod tendit, hoc eſt pro diverſitate hominum, quibus charitatem debemus: qui quidem duplici potiſſimum ratione, quæ ad inſtitutum noſtrum pertineat, diſtingui poſſunt. Prior eſt, quod alii fratres ſint noſtri in Chriſto, alii non ſint, ſeu (quod eodem recidit) alii domeſtici fidei, alii extranei. Fratres aut domeſtici fidei hîc omnes illi intelliguntur, qui ſalutarem veritatem tenent, quorum hoc ſymbolum conſtituit Johannes, quod credant Jeſum eſſe Chriſtum: 1 Joh. 5. 11: hoc eſt credere ſe & verbis & factis externis teſtentur. His omnibus ſingularem quendam, ſeu fraternum debemus amorem, qui haudquaquam vulgaris eſt: & φιλαδελφίας nomine in ſacris literis inſignitur, ut ad Rom. 12. 10. 2 Pet. 1. 7. Ejus natura ex charitatis generatim dictæ ingenio ſatis poteſt perſpici, eo tantum obſervato, quod intenſior eſſe debeat, & ardentior quam ſit ea, quam quibuſvis hominibus debeamus. Itaque omnia iſta, quæ ſupra charitati attribuimus, in fraterna charitate debent eſſe eximia, tum quod attinet ad ipſum affectum, tum quod attinet ad effecta. In affectu enim ardor quidam ſingularis requiritur, quod exprimit Apoſtolus dicto loco Rom. 12: dum vult, ut fraterna charitate alii in alios ſimus φιλόστοργοι, hoc eſt, ita fratres amemus, quemadmodum fratres germani naturali quadam inclinatione in ſe mutuo ſolent eſſe propenſi; ita ut, quod ibi præſtat humana generatio, idem in nobis præſtet regeneratio, ſimilemque affectum in nobis inſerat. Requirit autem iſte amor, unionis & conjunctionis arctioris deſiderium, ita ut nemini revera iſta φιλαδελφία tribui poſſit, niſi is conſortio piorum, ſeu Eccleſiæ inſeri gaudeat, & in ea cupiat perennare; & hoc fortaſſe imprimis voluit ſignificare divinus Autor ad Hebræos initio cap. 13, cum ait: *Fraterna charitas maneat.* Dico imprimis; quia alia quoque ad hanc charitatem pertinentia procul dubio complexus eſt. Deinde ad hunc affectum requiritur ſingulare quoddam deſiderium ſalutis eorum, quos pro fratribus agnoſcimus, quemadmodum res ipſa ſatis manifeſte docet: quin etiam συμπάθεια quædam in illorum malis; de qua loquitur Petrus 1 Epiſt. cap. 3. ℣. 8: ubi licet eam à φιλαδελφίᾳ aliquo modo diſcernat, cum ea tamen conjungit. Cætera etiam omnia, quæ ſupra charitati tribuimus, quomodo fraternæ charitati conveniant, facile eſt intelligere. Nam in juvando fratre promptiores eſſe debemus, quam in aliis, cæteris tamen paribus. Quod propterea addo, quia interdum major eſt neceſſitas ſubveniendi extraneis, quam fratribus, quod illi vel magis noſtra opera indigeant quam hi, vel quod peculiari aliqua ratione illis ſumus obſtricti, v. g. parentibus aut aliis benefactoribus: cæteroqui valet illud Pauli: Gal. 6. 10: *Bonum operamini*, vel beneficentiam exercete *erga omnes, ſed maximè erga domeſticos fidei*; quam beneficentiam etiam commendat Johannes, imprimis cap. 3. 17. & ſeqq. Preces etiam ardentius & crebrius ſunt fundendæ pro fratribus, quam pro alienis. Atque (ut alia mittam) hoc imprimis charitatem fraternam à dilectione aliorum diſcernit, quod pro fratre animam expreſſe jubeamur ponere, 1 Johan. 3. ℣. 16: quod qua ratione ſit intelligendum, & quando revera locum habeat, explicuit Socinus eo loco. Quanquam vero, ut ibidem habes explicatum, fieri queat, ut etiam pro extraneo animam debeas ponere: tamen id expreſſe nuſpiam præceptum eſt; quod ipſum indicat, magis id deberi fratri, quam aliis. Deinde id tum demum faciendum eſt, vel ſaltem tum fere tantum, cum ſpes eſt, extraneum, ſi ego mortis diſcrimen adeam, fratrem futurum, & hoc meum periculum ipſi ad ſalutem vel profuturum, vel prodeſſe facile poſſe. Dixi autem, vel tum fere tantum; quia interdum fieri poteſt, ut pro alio quoque ſit ponenda anima, ut pro magiſtratu aliquo, homineque publice atque imprimis Eccleſiæ valde utili. Sed de his, quæ propemodum per accidens ſunt, fuſius differere non placet. Quod ſi quid eſt adhuc, quod fratribus peculiariter debeatur, & ex noſtra erga illos proficiſci debeat charitate; id poſtea dicetur, ubi charitatis rivulos indagabimus.

Quod ad charitatem eam attinet, quam extraneis debemus, ea ſincera quidem eſſe debet, & efficax, ſed tamen gradu infra charitatem fraternam ſubſiſtit: tanto autem debet eſſe intenſior, quanto quiſque illorum eſt melior, & ad virtutem divinam recipiendam aptior. Cum enim omnium intenſiſſimè inter homines amare debeamus fratres, & veritatis divinæ profeſſores, præſertim eos, qui inter cæteros pietate eminent; quo quiſque cæterorum ad hos accedit propius, aut longius abeſt, tanto plus minuſve amoris ipſi debetur. Duo autem videntur eſſe imprimis, quæ illis debemus: unum eſt ſalutis ipſorum æternæ ſtudium, & ſi quæ ad hoc requiruntur: alterum, beneficentia in ipſorum egeſtate. De precibus, quas omnibus debeamus, jam ſuprà dictum eſt. Extranei autem homines rurſus in duo genera diſtingui poſſunt; nam vel inimici noſtri ſunt, & hoſtili adverſus nos animo; vel inimici non ſunt, ſed aut amici, aut ſaltem inter amicos & inimicos veluti medii. Etiamſi enim contingere poteſt, ut inter eos, qui ſalutarem doctrinam tenent, ſimile nonnunquam reperiatur diſcrimen, & alii alios diligant, alii etiam oderint; tamen quia minus id locum habet in iis, qui ejuſdem ſanctiſſimæ religionis ſunt participes, partim etiam quia ſi in odio adverſus alios perſiſtant, fratres jam eſſe reipſa deſinunt, & in bene conſtituta Eccleſia ferri haud debent; ideo hoc nomen extraneis peculia-

riter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

riter accommodamus. Quatenus tamen inimicitiæ in fratres etiam cadunt, eatenus etiam eadem iis aptanda ſunt, quæ de inimicorum dilectione ſtatim dicturi ſumus. Quid illis debeamus, qui non ſunt inimici, ex eo, quod proxime dictum eſt, intelligi poteſt. Inimicis autem quid peculiariter debeamus, docuit Chriſtus, imprimis Matth. 5. circa finem, & Socinus ad eum locum: quibus verbis adde illum Rom. 12, itidem circa finem. Eſtque breviter, abſtinentia à vindicta, & contraria benignitas, quæ requirit, ut bene illis precemur, Deum pro iis oremus, egentibus ſubveniamus; quæ licet etiam aliis certa ratione præſtari debeant, tamen peculiari quadam ratione, & majori ferè diligentia præſtanda ſunt illis, quos odio noſtri flagrare ſcimus, aut re ipſa experti ſumus, ut ita teſtemur quam longè ab omni vindictæ cupiditate abſimus, & ad Deum, qui inimicis ſuis benefacit, quam proximè accedamus. Atque huc referri poteſt exemplum Chriſti & Stephani pro interfectoribus ſuis orantium, & Pauli, qui ait ſe, vel etiam ſuos collegas, conviciis appetitos, benedicere ſeu bene precari.

Hactenus de priori diviſione eorum, quibus charitatem debemus: ſequitur altera, quæ eſt, quod cum aliis naturali quodam vinculo ſimus conjuncti, cum aliis minimè. Naturale autem vinculum appello conſanguinitatem, cui affine eſt conjugii & affinitatis. Quibuſcum hoc pacto copulati ſumus, iis peculiarem etiam præ cæteris amorem debemus, atque imprimis progenitoribus, aut iis qui propè pari paſſu cum iis ambulant, quales ſunt patrui, avunculi, amitæ, materteræ. Erga hos charitas peculiari nomine ſolet appellari pietas, quemadmodum ibi diximus, ubi de pietate in Deum agere cæpimus, eamque in rem citavimus locum Pauli 1 Tim. 5.4. ubi etiam charitatis hujus officium quoddam exprimit Apoſtolus, cum vult, ut liberi aut nepotes viduæ Chriſtianæ eam alant, & ſic pietatem erga propriam ſuam familiam exerceant, ac vices reddant progenitoribus; addens, hoc eſſe bonum, atque præclarum, & acceptum coram Deo: & inferius addit, *ſi quis autem propriorum, & maximè domeſticorum curam non habet*, ſeu eis non proſpicit, *fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Sed hac de re fortaſſe nonnihil ibi dicendum erit, ubi certorum ordinum in Eccleſia officia ſpecialia, Deo dante, perſequemur, ubi etiam de officiis parentum erga liberos, & conjugum inter ſe agendum erit. Iſtud etiam hîc addi poteſt, Magiſtratibus, præſertim bonis, ſingularem deberi amorem, & ſimilem ei, quem parentibus. Eodem modo & aliis viris virtute & ſapientia præſtantibus, & publico utilibus. Sed de his dicta ſufficiant.

Antequam ad alias virtutes aut officia, quæ ex charitate manant, progrediamur, prius de charitatis contrario nonnihil dicemus, tum etiam de miſericordia quæ charitati admodum eſt affinis, & propemodum eadem. Charitati contrarium eſt Odium, cujus natura ex charitatis ingenio æſtimari facile poteſt. Quemadmodum enim charitas eſt affectus quidam benignus; ita Odium affectus in alterius malum pronus, & hoc pacto maleficus, ſeu ejuſmodi affectus, quo quis alteri male cupiat. Odium vero nobis hominum quorumvis eſt interdictum. Nam amicum odiſſe, aut ſaltem non inimicum, ipſa natura ſeu ratio ſana prohibet; inimicum vero doctrina Chriſti. Et Johannis quidem ſententiâ, fratrem odiſſe eſt homicidam eſſe: 1 Johan. 3. ℣. 15. Cæteras odii ſpecies, quæ ex diverſitate tantum objecti oriuntur, quam in charitatis explicatione perſequuti ſumus, fuſius hîc diducere nihil eſt opus. Animadvertendum autem eſt, etiamſi Non diligere haberi poſſit pro re laxiori, quam eſt odium, cum omnis quidem, qui odit, non diligat, non verò contra: vel poſſit haberi pro re media inter odium & dilectionem; tamen Johannem, cum de fratre loquitur, pro eodem ſumere, non diligere, & odiſſe, vel quia ea inter ſe ſunt connexa, vel quia eandem vim habent ad homines damnandos, vel denique quia per remotionem contrarii contrarium voluit deſcribere. Ita enim ait 1 Epiſt. cap. 3. 14: *Qui non diligit fratrem, manet in morte.* Quod aliquo modo probaturus ſubjicit: *Omnis, qui non diligit fratrem, homicida eſt; Et noſtis, quod omnis homicida non habet vitam in ſe manentem.* Huc referendi ſunt etiam illi, quos Apoſtolus 2 Tim. 3. 3. vocat ἀφιλαγάθους, qui bonos non amant; ita enim malo interpretari, quam qui bona non ament. Videtur enim peculiare quoddam vitium nominare voluiſſe, quod in perſonam potius fertur, quam in rem, quemadmodum & cætera vitia, quibus hoc inſerit medium. Viri boni, ut antea diximus, peculiarem merentur amorem. At ſunt nonnulli, qui cum ipſi virtutis rationem habeant exiguam, viros etiam virtute excellentes non ament, imo etiam iis injurias inferant, ac denique (quod Apoſtolus ſtatim ſubjungit) proditores illorum evadant, quod Chriſtus prædicit ſuis Matth. 10. ℣. 21, 22. & cap. 24. ℣. 9, 10. Et hæc quidem pro ſpeciebus quibuſdam haberi poſſunt, quæ ex diverſitate objectorum oriuntur; odium, inquam, fratrum, & odium virorum bonorum, vel amoris erga utroſque defectus.

His adde ἀστοργίαν, quæ charitati in ſanguine junctos opponitur. στοργὴ enim, ut notum eſt, naturalem amorem ſeu charitatem in conſanguineos notat; quare ἄστοργοι ſunt, qui hac charitate carent; quorum fit mentio Rom. 1. 31. & 2 Tim. 3. 3. Etſi enim omnes homines charitate proſequi debemus, præſertim peculiari aliqua ratione nobiſcum conjunctos: tamen quia præter ſpiritualem conjunctionem nulla eſt, aut eſſe debet arctior ac ſanctior, quam ea, quæ eſt ſanguinis, quam ipſa natura conciliavit; ideo erga conſanguineos major in nobis exſiſtere debet amor. Ac proinde etiam majora ac cumulatiora officia, quæ charitas præſtare illis jubet. Quapropter non exiguum reputandum eſt vitium, eſſe ἄστοργον. Tales ſunt v. g. qui parentes aut fratres alioſve conſanguineos in egeſtate deſtituunt ac negligunt, quod non raro contingit iis, qui ex humili loco emerſerunt ad honores; quos pudere ſolet progenitorum inferioris conditionis atque ordinis; unde accidit, ut eos etiam deſerant.

Eſt & alia odii ſpecies, quæ gradu, & diuturnitate imprimis, ab odio generatim dicto diſcernitur, nempe inimicitia; quæ, cum mutua eſt, magis propriè ad diſcordiam, quæ paci opponitur, referenda eſt; ſed cum in uno exiſtit, magis propriè ad odium hoc, quod charitati ſimpliciter opponimus, referendum videtur; quanquam nihilominus paci adverſatur. Eſt autem inimicitia hæc odium erga alterum inveteratum, occaſionem nocendi expectans: & de hoc loquitur Paulus ad Gal. 5. 20: inter opera carnis illud recenſens; ubi tamen, quemadmodum quivis per ſe facile intelligere poteſt, cùm illud intelligitur odium quod mutuum eſt, tum illud quod non eſt mutuum; nam ſimpliciter inimicum ſeu hoſtilem adverſus alium animum eo nomine intelligit. Ad inimicitiam autem hanc illud quoque rectè poteſt referri, quod charitati inter cætera adverſari ait Paulus, cum de ea diſſerens 1 Cor. 13. ℣. 5, ait: *Charitas non cogitat malum.* Etſi enim ea verba ita quoque accipi poſſunt, ut ſignificent, charitatem non ferre, ut de altero malè ſuſpiceris, nempe cum nulla ſunt ejus rei firma argumenta: tamen longe veriſimilius eſt, ita ea verba eſſe accipienda, ac ſi dictum eſſet, charitatem non ferre, ut malum proximo moliaris, aut inferre cogites; quemadmodum alii quoque docti viri animadverterunt. Et recte id Paulus ſubjunxit illis verbis: *Charitas non irritatur*, ſeu *vehementer iraſcitur alteri.* Vult enim ſignificare, charitatem non ferre, ut vel iræ affectu abreptus alteri malum inferas, vel mali inferendi cogitationem animo foveas, & occaſionem damni inferendi quæras; quorum hoc deterius eſt, & majoris cujuſdam improbitatis, quam illud. Sunt quidam, qui non quidem capto conſilio, & meditato nocent, ſed affectu repentino abrepti: ſunt alii, qui conſilio potius, & præmeditato id faciunt: quod poſterius, in iis de quibus agimus verbis, à charitate videtur removere Apoſtolus. De altero iſtorum verborum ſenſu infra nonnihil erit dicendi locus, ubi illum charitatis

ritatis effectum explicabimus, quod omnia credat.

Charitati etiam opponitur Invidia, quæ eſt dolor ex alienis bonis. Nam cum charitatis ſit, gaudere alienis bonis, ut res ipſa ſatis monet; odii cujuſdam eſt, dolere alienis bonis, præſertim ſi ea ipſa tibi nihil noceant. Nam ſi tibi aliena bona noceant, dolor ex iis perceptus ad invidiam revera non pertinet, ſed vel ira eſt, & indignatio, vel impatientia, ſi modum aliqua ratione ſupergrediatur. Recenſetur autem invidia inter peccata gravia & carnis opera, Rom. 1.29, & ad Gal. 5.21. Invidiæ etiam affinis eſt, & quidem ejus propemodum ſpecies æmulatio, Græcis ζῆλος, quæ ad Gal. 5 peculiariter recenſetur, & ab invidia diſtinguitur ℣. 20. & à charitate removetur 1 Cor. 13.4. Eſt autem æmulatio eminendi inter alios ſtudium cum invidia quadam conjunctum. Itaque ex honoris quadam cupiditate naſcitur, & in eo cernitur, quod quis ferre non poſſit vel parem, vel ſuperiorem. Itaque ſi quem videt emergere, atque dotibus aliquibus excellere, & in pretio eſſe; ne ſuo lumini officiat, ejus profectibus obſtare, eumque premere conatur, aut, ſi id conſequi nequeat, ſive metu aliquo ſive pudore prohibitus, premit altum corde dolorem, idque illi ægre eſt. Atque hoc vitium magnos alioqui animos inſidet, & viros doctos non raro inſequitur. Nam ſcientia id fere habet, ut animos inflet, quod & Paulus indicat, de ſcientia quadam rerum ad religionem pertinentium loquens, & experientia ſatis teſtatur. Itaque eminere atque excellere ii fere cupiunt, &, cum aliorum laudem & honorem ſibi officere putent, dolore conficiuntur. Atque huc etiam referri poteſt zelus ille amarus, de quo Jacobus loquitur cap. 3. 14. niſi forte malis hîc intelligere zelum & fervorem quendam in religione, (nam alias zeli vox per ſe in laude nonnunquam ponitur) ſed qui fervor non ſit manſuetudinis, lenitatis & charitatis ſpiritu temperatus, & dulcedine quadam perfuſus, verum amarulentia quadam, & alios inſectandi & aſpere reprehendendi ſtudio, tanquam felle quodam tinctus. Unde contentionis ſtudium ſtatim illi adjicit Jacobus. Et ſane hic poſterior ſenſus loco egregiè convenit; quanquam nec prior ab eo eſt alienus. Etenim eos imprimis reprehendit Jacobus, qui cum ſibi ſapientes eſſe viderentur, & divinarum rerum ſatis periti, aliorum magiſtri eſſe amabant, & magiſtrali quadam autoritate illorum vitam moderari præſumebant; cum interim linguam frænare neſcirent, & rixis potius & contentionibus omnia implerent, quam ut aliorum vulnera ſanarent. Erat igitur in illis fervor ad divinam quidem gloriam quodam modo ſpectans, (religionis enim & divinæ gloriæ, humanæque ſalutis negotium ſibi agere videbantur:) ſed cum charitatis & pacis rationem non haberent, non erat fervor hic ita temperatus, quemadmodum par erat. Sed, ut diximus, alter quoque ille ſenſus à vero non abhorret. Solet enim inter illos, qui magiſterium ſibi in alios arrogant, & doctorum autoritatem uſurpant, oriri ferè æmulatio cum acerbitate quadam animi & odio, quod ipſum quoque πικρία nominatur, conjuncta. Atque hic locus nos monet, ut de illa quoque amarulentia dicamus, de qua Paulus ad Eph. 4. 31: ubi eam diſtinguit ab indignatione & ira; per eam, ut videtur, intelligens acerbitatem quandam odii, ſeu animum ab altero ita alienum, ut nocendi cupiditatem diutius foveat. Dicitur autem amarulentia, vel quia in cauſa eſt, ut te amarum præbeas alteri atque inſuavem, vel quia is ipſe, qui iſtum affectum fovet, dolorem aliquem ſimul ſentit, ac tacitè mordetur, dum alteri ob offenſionis alicujus opinionem malum cupit. Quomodo ab indignatione & ira diſtinguatur, alibi dicemus, nempe in manſuetudinis explicatione. Sed de his hactenus. Si quæ præterea ſunt, quæ charitati opponantur, ut ſane ſuperſunt non pauca, ea, quum de effectis quibuſdam charitatis loquemur, recenſebuntur.

Cap. VI.

De Miſericordia.

CHaritati affinis eſt Miſericordia, & prope eadem: unde in ſacris literis nonnunquam videntur confundi, & miſericordia pro charitate reponi, ut in illis Chriſti verbis apud Matth. 23. 23: ubi Phariſæis objicit, quod omiſerint graviora legis, nempe *judicium*, hoc eſt, juſtitiam, *& miſericordiam, & fidem*: Ubi per miſericordiam procul dubio Charitatem in lege præceptam intelligit, quæ eadem intelligenda videtur in illis Prophetæ verbis apud eundem Matthæum cap. 9. ℣. 13 citatis: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*: & cap. 10 Lucæ: ubi, cum de charitate in proximum cæpiſſet agere Dominus Jeſus, occaſione ejus de miſericordia loquitur, ut apparet ex reſponſione Legiſperiti ad interrogationem Chriſti, quæ continetur ℣. 33: *qui fecit miſericordiam cum ipſo.* Vide etiam Jacob. 2. 13: quem confer cum ſuperioribus. Differt autem miſericordia à charitate, eo, quod hæc latius patet, illa anguſtior eſt. Nam miſericordia (ut ipſa vox indicat) erga eos tantum commovetur, qui miſeri vel ſunt, vel eſſe poſſunt; charitas etiam erga beatiſſimos exerceri poteſt. Quare miſericordiam poſſes definire charitatem erga eos, qui malis aliquibus ſunt obnoxii; vel, affectum quo bene cupimus iis qui malo aliquo premuntur; malo, inquam, ſive jam præſenti, ſive imminenti atque impendenti. Nam etſi tum imprimis miſericordia commoveamur, cum jam miſerum quem eſſe cernimus; tamen etiam tum hic affectus ſolet excitari, cum illam miſeriam animo proſpicimus, etiamſi tandem is, de quo agitur, eam prorſus ignoret; quia illam jam propemodum præſentem intuemur. Itaque miſericordia proprie dicta eſt conjuncta cum dolore ex alienis malis, ſive præſentibus, ſive futuris. Verumtamen, ut antea de charitate diximus, eam non ſemper propriè loquendo affectum eſſe, ſed vel habitum, quo id, quod alias charitate impulſi facimus, præſtamus, vel voluntatis actum affectui illi ſimilem atque analogum, qui charitas proprie dicitur: ita etiam nunc de miſericordia dicimus, eam ſumi cùm pro habitu & affectione quadam animi, tum etiam pro voluntatis actu, quo impulſi id præſtamus, quod miſericordia propriè dicta præſtare jubet. Atque, ut adhuc nonnihil de differentia inter miſericordiam & charitatem addamus, charitatis eſt gaudere aliorum felicitate & eam conſervatam auctamque, cupere: quod tamen miſericordiæ non eſt.

Officia miſericordiæ quænam ſint, ex iis, quæ de charitate diximus, ſatis patet, conſiderata tantum ea differentia, quam inter utramque conſtituimus. Quæcunque enim charitatis officia locum habent in alterius calamitate, quæ vel præſens eſt, vel imminet; ea omnia pertinent ad miſericordiam. Sed duo imprimis ſunt miſericordiæ officia: Alterum, parcere tum cum nocere poſſes, præſertim jure, non quidem ob metum aliquem, ſed quod alterius malo afficiaris: alterum, juvare calamitoſum & benignè facere. Quod utrumque complexus eſt Chriſtus in illis apud Lucam verbis cap. 6. 36: *Eſtote miſericordes, quemadmodum & Pater veſter miſericors eſt*; ubi ſi quis ad ſuperiora attendat, videbit, ſermonem imprimis eſſe de benignitate in hoſtes exercenda, tum cum opem noſtram poſtulant, & nos injuriarum vindicandarum occaſionem haberemus. Utrumque enim officium tum concurrit: nam dum benignè hoſti facimus, ſimul etiam parcimus & ignoſcimus. Quanquam prius illud officium, quod eſt parcere atque ignoſcere, etiam ad manſuetudinem ac lenitatem pertinet, cujus eſt proprium cupiditati vindictæ moderari, eamque cohibere; alterum ad benignitatem, ſeu beneficentiam pertinet, de qua inferius nobis erit dicendum. Miſericordiam autem illam, quæ cernitur in parcendo, egregie nobis depinxit Chriſtus in illa parabola, quæ extat apud Matthæum, cap. 18. quanquam longanimitatis etiam vocabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vocabulum ibi à Domino Jeſu uſurpatum videmus, quæ lenitatis quædam perfectio eſt & conſtantia. Alterum vero officium, quod in benignitate erga calamitoſos excercenda conſiſtit, expreſſit idem Dominus Jeſus Lucæ 10, exemplo Samaritani, qui miſericordiam (ut ibi legimus) exercuerat erga proximum, quanquam diverſi generis hominem, hoc eſt, Judæum: id enim Chriſtus indicare voluiſſe videtur. Ubi notandi etiam ſunt gradus, quibus hic affectus excitatus ad faſtigium ſummum progreditur, & munus ſuum exercet. Nam primum ipſe affectus, qui miſericordiæ nomen ſortitur, exprimitur ỷ. 33. in verbo ἐσπλαγχνίσθη, quod ſignificat viſceribus ſeu præcordiis intimoque affectu commoveri. Sequuntur poſtea fructus, ſeu effectus iſtius affectus, quorum primus eſt quod ad eum qui in latrones inciderat, & ab iis prope lethaliter vulneratus fuerat, acceſſerit, & obligarit vulnera, affuſo vino & oleo. Secundum, quod illum impoſuerit jumento ſuo, & deduxerit in publicum diverſorium. Tertium, quod curam illic ipſius egerit, vel habuerit. Quartum, quod diſceſſurus quoque illius curam hoſpiti ita commiſerit, ut ſumptum nihilominus impenderet, & reliquum etiam polliceretur; adeo ut, quantum in ſe erat, nil omitteret eorum, quæ ad miſerum iſtum hominem recreandum, & priſtinæ valetudini reſtituendum pertinerent. Ad hanc virtutem illud pertinet, de quo Apoſtolus ad Epheſ. 4. ỷ. ult. ubi monet, ut ſimus εὔσπλαγχνοι hoc eſt, viſceribus, ſeu affectu intimo, ac miſericordia tacite commoveamur; idque imprimis opponit vindictæ cupiditati: de quo eodem loquitur ad Coloſſ. 3. 12: ubi monet, ut *induamus viſcera miſericordiarum.* Eodem verbò, quo Paulus ad Epheſios, utitur etiam Petrus 1 Epiſt. 3. 8. Affinis illi eſt συμπάθεια, quam ibidem commemorat Apoſtolus, & quam charitati tribuit Paulus 1 Cor. 12. 26. Eſt ergo συμπάθεια, quam barbare quidem, ſed ſignificanter condolentiam appellamus, dolor ortus ex alieno dolore; vel, ægritudo ac moleſtia ex alienis malis, quæ vel miſericordia jam eſt, vel eam provocat & excitat, & eorum eſt, qui facile etiam miſericordia commoventur. Debet autem imprimis habere locum inter fratres, ad quos uterque locus à nobis citatus reſpicit, quandoquidem ii, ut Pauli verba docent, ſunt inſtar unius corporis membra, inter ſe compacta & conglutinata, ita ut ab aliis ad alia dolor quidam manare ſoleat vel debeat.

Miſericordiæ opponitur immiſericordia: quod vitium commemoratur Rom. 1. ỷ. 31, inter ea, quæ morte digna ſint ex ſanctione divina. Eſtque nihil aliud, quam alienis malis nihil commoveri ad juvandum: quod fit, cum quis vel non parcit, cum parcendum eſſet, ſed acerbius in alterum conſulit; vel cum alterum afflictum videt, ei non ſuccurrit, ſed, ut Johannes loquitur 1 Epiſt. 3. 17, *viſcera ſua claudit ab ipſo*, hoc eſt, non commovetur affectu benigno ad opem illi ferendam. Quales illi ſunt, de quibus ibi Johannes ait; qui, cum habeant *vitam*, h.e. victum mundi, ſeu rerum ad hanc vitam pertinentium copiam, vident egere fratrem ſuum, nec tamen illi neceſſaria ſuppeditant.

Ad immiſericordes pertinent etiam crudeles; quod vitium non tam in eo cernitur, quòd benignè alteri non facias, quam quòd illius malis animum ſaties. Eſt enim crudelitas vitium ejuſmodi, quo fit, ut alterius malis delecteris, eique nocere quam maxime cupias. Eſt ergo crudelitas immiſericordiæ gradus ſummus, adeoque omnis quidem crudelis eſt immiſericors; ſed non contra. Idem autem vitium poſſes non incommode manſuetudini opponere, & ad iracundiam referre, niſi quod nonnulli conſuetudine quadam alienorum malorum callum quendam contraxerunt, ut jam ad alienorum malorum ſenſum ſtupeant, atque ita non tam ira incenſi aliis noceant, vel negligant à malis imminentibus eos liberare, quam quod iſta jam vilipendant.

Cap. VII.

De virtutibus atque officiis ex charitate manantibus.

Ut officia, aut virtutes ex charitate manantes tanto commodius perſequi poſſimus, in certas claſſes eas prius redigemus. Poſſunt igitur virtutes illæ, aut officia conſtitui duplicia. Nam verſantur in bonis aut malis, quæ vel jam cernimus, in proximis noſtris, vel quæ à nobis in eos proficiſci poſſent: omnia enim circa bona vel mala aliena revera verſantur, quemadmodum & ipſa charitas. Prioris generis officia paulo poſt declarabimus, eaque continentur 1 Cor. 13. 6, 7. Poſſet etiam huc referri miſericordia, de qua jam ſuperius egimus: quæ tamen ita circa mala aliena, quæ vel præſentia jam cernimus, aut ſaltem ineſſe aut fore ſuſpicamur, verſatur, ut ſimul ad mala illa avertenda, aut bona præſtanda incitetur; adeo ut de utroque virtutum iſtarum genere participet. Quod ad poſterioris generis virtutes attinet, eæ vel prohibent tantum, ne aliis mala inferamus, vel etiam jubent, ut boni aliquid alteri præſtemus, vel denique utrumque præſtant, quatenus id ad vitæ conjunctionem pertinet. Mala alteri inferre prohibent manſuetudo & longanimitas. Boni autem aliquid jubent præſtare gaudium, benignitas ſeu comitas, & beneficentia; quarum illæ honeſtam aliquam voluptatem, hæc verò utilitatem quærit. Et priores quidem illæ, quæ voluptatem, ita inter ſe iterum diſtinguuntur, ut prior illa id quærat, ut alter ex honeſtate ac pietate factorum noſtrorum, etiam extra convictum noſtrum cum illo, voluptatem capiat: hæc verò ut ex noſtris cum ipſo intercedentibus ſive factis ſive colloquiis, quæ in convictu communi interveniunt, & ad ipſum propriè pertinent, delectationem aliquam ſentiat. Virtus autem illa, quæ partim mala aliis inferre prohibet, partim etiam boni aliquid illis præſtare jubet, quatenus utrumque ad vitæ conjunctionem ſpectat, pax in ſacris literis appellatur, quæ pacis ſtudium alias, ſi clarius loqui velis, appellanda foret. Sunt quidem & alia quædam, quæ ex charitate manare videntur, præter ea, quæ enumeravimus; qualis eſt candor aut veracitas, quatenus illa ad aliena commoda aut incommoda refertur, (quanquam etiam ad juſtitiam aliquo modo pertinet;) & coram aliis demiſſio quædam, quæ partim alios contemnere, aut honorem illis convenientem denegare vetat, partim & ad obſequia officiorum viliſſima præſtanda aliis, nos præparat: attamen quia virtutes illæ per ſe latius patent, ideo eas alio commodiore loco explicabimus, nempe tum, cum eas virtutes tractandas ſuſcipiemus, quæ partim ad nos, partim ad alios ſpectant.

Bona illa, vel mala, quæ in proximo cernimus, & aliquo modo prævidere poſſumus, duplicis ſunt generis: vel enim ad honeſtatem aut turpitudinem pertinent, vel ad utilitatem qualemcunque ejuſque contrarium. Utilitatis autem ambitu etiam vitam ipſam, valetudinem, honores, & ſi quæ ſunt alia quæ proſperitatis, aut ſecundæ fortunæ nomine venire ſolent, comprehendimus. Quod ad prioris generis officia attinet, primum de iis agemus, quæ circa bona propriè verſantur: deinde de iis, quæ circa mala. Bona autem illa vel certa ſunt, atque à nobis liquido deprehenduntur, vel aliquomodo incerta. Si certa ſint, id noſtri imprimis eſt officii, ut de iis proximo congratulemur, & gaudeamus ei bona iſta obveniſſe. Atque huc pertinent illa, quæ Paulus de charitate commemorat 1 Cor. 13: quod charitas congaudeat veritati, cui opponitur gaudere ſuper injuſtitia; quibus de rebus infra dictum eſt. Si aliquo modo bona iſta incerta ſint, tum vel præſentia cenſentur vel futura; ſi præſentia, circa ea verſatur officium illud quod ỷ. 7 in deſcriptione charitatis ponit Paulus, nempe quod charitas omnia credat, hoc eſt, fratri aliquid boni de ſe aſſerenti, & ſeſe defendenti, aut à crimine aliquo modo purganti, fidem adhibeat, modo fidei aliquis ſit locus. Eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

autem fidei locus, cum in contrarium non extant evidentia argumenta, & (quæ hoc nomine comprehendimus) teſtimonia hominum fide dignorum, in quibus acquieſcere ſacræ literæ jubent. Etiamſi autem frater certis argumentis id, quod dicit, non comprobet, ejus tamen aſſertioni credendum eſt, charitate ita poſtulante. Quem enim amamus, de eo etiam bene ſentire debemus aut ſolemus, & non facile aliquid ſiniſtri de illo ſuſpicamur: qua de re poſtea nonnihil adhuc dicemus, ubi de malis agemus, & horum officiorum contrariis. Huc etiam jure referri poteſt id, quod Jacobus inter alios proprios ſapientiæ cœleſtis effectus collocat, cum ait: eam eſſe εὐπειθῆ, quaſi dicas facile perſuaſibilem, c. 3. 17. Nam etſi vox illa ſignificare quoque poſſit obſequentem, atque ad parendum facilem, cum nimirum aliquid agendum eſt honeſti, aut res aliis utilis; tamen adhuc magis ei, quod intendit Jacobus, accommodum eſt, ut eo modo accipiatur, quo paulo ante diximus. Videtur enim ejuſmodi virtutem intellexiſſe, quæ iis imprimis ſit neceſſaria, qui aliorum mores inſpiciunt, & de iis judicium ferunt, eoſque corrigere laborant, quos imprimis tales eſſe oportet, ut non ſint nimium ad credendum difficiles, & ita duri, ut cum ſemel de fratre ſententiam ſiniſtram conceperunt, aut aliquid de eo ſiniſtri audiverunt, non patiantur ſe de ſententia, quantumcunque ille ſe purget, quicquid de innocentia ſua teſtetur, deduci, & delatori ita utramque præbent aurem, ut neutram alteri parti reſervent; quæ res ut à charitate aliena eſt, ita aliorum animos facile poteſt offendere, & turbas aliquas dare. Huic ergo pertinaciæ opponitur εὐπείθεια, quæ efficit, ut facile tibi patiaris perſuaderi id, quod ad fratris excuſationem pertineat, & in mitiorem partem libenter inclines. Quanquam illud etiam addi poteſt, verba Apoſtoli 1 Cor. 13 non tantum ibi locum habere, cum frater aliquid de ſeſe aſſerit; ſed etiam, cum quacunque tandem ratione aliquid de ſeſe teſtatur, & vultu ac geſtu aliiſque actionibus ea ſignificat, quæ, ſi in ipſo extent, ſint laudabilia. Et hæc quidem de præſentibus. Quod ad futura attinet, ſi ea ſint per ſe aliquo modo incerta, ad ea pertinet illud charitatis officium, quod ſtatim ſubjicit Apoſtolus, cum ait: *Charitas omnia ſperat*; quod quid ſit, & quam latè extendendum, ex hactenus dictis facile conſtare poteſt. Quæ enim de præſentibus diximus, ea ad futura quoque ſunt transferenda, ad quæ ſpes hæc refertur: quanquam hoc quoque addi poteſt, ſpem hanc ibi quoque locum habere, ubi alter nihil de ſe pollicetur. Nam cum aliquem interdum à pietate exorbitare videmus, ſi eum impenſe diligamus, non facile ſpem de illius reſipiſcentia abjicimus; ſed nobis perſuademus, fore, ut ad frugem redeat, ac mores corrigat, etiamſi ille nihil forte hac in parte promiſerit: quanquam multo magis ea ſpes fovenda & concipienda eſt tum, cum id ſe is facturum profitetur, & nulla apparent in contrarium indicia. Atque hac re opus eſt iis imprimis, qui Eccleſiæ præſunt eamque regunt, ne ſi ſpem de aliquo propere abjecerint, ejus etiam lucrifaciendi, aut emendandi curam deponant, eumque tanquam deploratum ex Eccleſia ejiciant. Hactenus de bonis, quæ quidem ad honeſtatem pertinent.

Quod ad mala attinet, ea itidem vel certa jam ſunt, vel aliquo modo incerta. Si certa, primum dolere debemus, ea eſſe à quopiam admiſſa; quo poſſis referre illud, quod ſupra diximus, charitatem non gaudere ſuper injuſtitia, ſi quidem illud non gaudere, dolorem etiam ex injuſtitia conceptum comprehendere queat: deinde ea, quantum in nobis eſt, & aliis expedit, tegere. Atque huc non pauci referunt illud Apoſtoli 1 Cor. 13. 7. πάντα στέγει, ſcilicet charitas: ubi verbum στέγειν ſolet etiam reddi *tegere*, cum vox στέγη tectum etiam ſignificet. Quare charitas omnia tegit, puta, nævos omnes ac lapſus proximi, & denique quicquid in nobiſmet ipſis occultari, & aliis tacitum eſſe vellemus, hoc eſt, quicquid detectum nobis ignominiam, aut damnum afferre, aut exiſtimationem apud alios noſtram minuere poſſit. Ubi tamen hæc eſt adhibenda cautio, ne ita alienos nævos tegamus, ut dum famæ hac in parte alienæ conſulimus, ſaluti ipſius male conſulamus, & eum in peccato aliquo hærere patiamur. Quare ſi videamus eum, qui peccavit, vel ſponte ſua ſeſe emendaturum, vel à nobis monitum, ad frugem impoſterum rediturum, nec alterius alicujus operam eſſe neceſſariam: tegendum eſt ipſius delictum, ſive unum, ſive plura. Quod ſi vero metuamus, ne in peccato pergat, aut ad ingenium redeat, niſi aliorum accedat admonitio vel autoritas, aut nos ad eum corrigendum videamus non ſatis idoneos; hominibus fidis vulnera iſta, quanquam clam, detegenda ſunt, qui manſuetudinis ac lenitatis ſpiritu medicinam illis adhibeant. Dixi autem fidos eſſe adhibendos ac taciturnos, ut etiam tum, cum detegimus vulnera, nihilominus, quantum fieri poteſt, ea tegamus & occultemus. Quin etiam inter homines fidos ii ſunt imprimis eligendi, apud quos quam minimum nocere poſſit ei, qui peccavit, nævorum iſtiuſmodi aut lapſuum cognitio, ſeu qui animum ab eo propterea non ſunt alienaturi, eumve contempturi. Adverſus hæc peccant tum obtrectatores, tum ſuſurrones ac delatores, de quibus alio loco ſupra diximus: quorum vitium, cum innocentes diffamant aut deferunt, cum juſtitia proprie dicta pugnat; cum nocentes præter neceſſitatem, cum charitate. Deinde illud quoque cavendum eſt, ne dum unius vitia tegimus, interea alios exemplo patiamur corrumpi, aut permittamus, ut aliud aliquod detrimentum ad alios redeat. Itaque interdum præmonendi ſunt illi, quibus minatur quiſpiam, aut malum aliquod molitur, ſi res non videatur eſſe vana aut ſpernenda. Quanquam dum id facimus, utrique parti, quantum in nobis eſt, conſulere debemus, & cavere, ne alteram quoque partem irritemus, & cum eo, qui forte minatus fuerat, committamus.

Quod ſi incerta ſint mala, duo ſunt imprimis obſervanda, primo ne ſimus ſuſpicaces; id quod charitati etiam adverſatur: (quo nonnulli referunt illud Apoſtoli, loco jam ſæpè citato ℣. 5. quod charitas non cogitet malum; quanquam nos ſupra alium verborum ſenſum iſti prætulimus.) Ubi tamen non prohibet prudentia & cautio aliqua, ut cum mali ſe alicujus produnt indicia, ei ſummo ſtudio occurramus; præſertim ſi res ſit ejuſmodi, quæ occultari diligenter, & nonniſi ex conjecturis fere colligi ſoleat: quanquam iterum diligenter eſt cavendum, ne nimium ſuſpicioni indulgeamus; & ſatius eſt, mitius omnia interpretari, quam durius; de quo ſtatim dicemus. Secundo obſervandum eſt, ut omnia, quoad ejus fieri poteſt, in meliorem partem trahamus, & ea, quæ ullo pacto excuſari poſſunt, tum apud nos ipſos, tum apud alios excuſemus; quanquam hæc etiam æquitatis quædam pars eſt. Huic officio adverſatur malignitas, hoc eſt, omnia, aut pleraque in deteriorem partem rapiendi ſtudium, & veluti iniquitas quædam in ſententia de factis alienis, quæ ſi non laudem, ſaltem veniam merentur, & excuſari non injuria poſſunt, ferenda, quæ Græcè ſolet dici κακοήθεια, quæ vox malitiam quandam morum, vel malos mores ſignificat, & extat Rom. 1. 29, eamque viri nonnulli docti malignitatem reddiderunt, & pro eo, quod modo explicuimus, vitio poſitam eſſe ſcripſerunt. Quod ſi tamen malis latius extendere, aut magis propriè de morum perverſitate accipere; intelligenda erit illa imprimis morum perverſitas, quæ in convictu communi cernitur, & aliis, cum quibus quis verſatur, moleſta eſt atque intolerabilis; quod itidem nonnulli ſentiunt interpretes. Huc pertinet etiam ſtudium alios damnandi, quod reprehendit Chriſtus Matth. 7. & Jacobus cap. 4: de quo tamen nos ſupra aliquid egimus. Referri huc etiam poſſunt γογγυσταί, ſeu murmuratores, de quibus Judas agit ℣. 16. videntur enim hîc illi intelligi, qui de aliorum in ſe amore & beneficentia, ſeu mavis officii neglectu, libenter conqueruntur, & eos in ſe duriores & minus beneficos dictitare ſolent.

Quod attinet ad ea bona vel mala, quæ emolumenti aut incommodi nomine complecti poſſumus, ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ea pertinet iſtud, quod Paulus explicat Rom. 12, ut gaudeamus cum gaudentibus, & fleamus cum flentibus: quod poſtea explicabimus.

Sunt adhuc alia quædam vitia, quæ charitati videntur oppoſita, quanquam aliquo modo mixta ex mentis & voluntatis vitiis: quibus opponi etiam poſſunt virtutes quædam ex charitate manantes, ſed itidem mixtæ, quæque non ad aliquam ex illis, quas enumeravimus, peculiariter referendæ ſunt, cum in plures diffundantur. Huc poteſt referri vitium eorum, quos Apoſtolus vocat Rom. 1. 31 ἀσυνέτους, hoc eſt, intelligentiæ ac mentis expertes; quod etiam nomine ἀφροσύνης ſeu amentiæ poteſt intelligi Mar. 7. 21. Adde etiam προπέτειαν ſeu temeritatem quandam præcipitem: unde προπετεῖς ſeu præcipites 2 Timoth. 3. 4. Nam licet amentia illa ſimpliciter opponi queat ſapientiæ ſeu prudentiæ; tamen quia probabile eſt, in locis citatis ejuſmodi intelligi amentiam, qua fiat, ut in negotiis, quæ nobis cum aliis intercedant, ita nos geramus, ac ſi rationis eſſemus expertes, & inconſulte alios offendamus, non expendentes, quid honeſtas poſtulet, quid alteri ſit gratum, aut contra, quid eum jure offendere poſſit, ideo charitati quoque, & ex parte juſtitiæ opponi poteſt. Temeritas etiam illa præceps nihil aliud eſſe videtur, quam affectata quædam imprudentia, qua quis ad nocendum alteri temerè properet, & inconſulto, ſciens tamen & prudens, damnum ei inferat. Sunt enim nonnulli qui mora tamen quadam utuntur, & conſilium adhibent: ſed alii præcipites ad omnia feruntur, & in quemvis ſtatim irruunt. Hoc vitium ab illa amentia parum differt: niſi quòd hæc temeritas deterior ſit, & audaciam quandam ſingulatem amentiæ addat: eſtque ad omne facinus prompta, cum amentia illa poſſit eſſe lentior, ac minus noxia.

Sed ut tandem ad primi generis officiorum explicationem accedamus, quod diximus eſſe *non gaudere ſuper injuſtitia, ſed congaudere veritati*, animadvertendum eſt verba illa Apoſtoli non uno modo explicari poſſe. Primus ſenſus, quem nos maximè probamus, hic eſt, ne gaudeamus aut delectemur fratrum noſtrorum lapſibus aut peccatis, ſed potius illorum integritate & ſinceritate. Sunt enim nonnulli, qui quod aliis male cupiant, gaudeant eos in peccata aliqua incidere, ut ita male apud omnes audiant, & hac ratione deprimantur, aut etiam in diſcrimen aliquod, aut calamitatem incidant, ipſi contrà eorum comparatione meliores videantur illiſque præferantur, & contra, etiam, ſi quid benè ab illis fiat, quod honeſtum nomen illis laudemque conciliet, indoleant, eamque illis gloriam invideant. At charitati contrarium eſt hoc ingenium. Illa enim efficit, ut aliorum virtute ſummopere delecteris, contra vero vehementer doleas, ſi illi mali aliquid perpetrent, & tum ſibi perniciem hoc pacto accerſant, tum aliis exemplo noceant, & offendiculum ponant. Vocem injuſtitiæ, qua utitur Paulus, hunc ſenſum pati, nullum eſt dubium. Nam ut juſtitia pro omnis generis virtute ac pietate in ſacris literis frequenter ponitur; ita contra injuſtitia pro quovis peccati aut vitioſitatis genere. Sed obſtare videtur vox veritatis, quæ ſtrictior eſt ſua natura, quam ut hunc ſenſum patiatur. Verumtamen reperias in eadem ad Corinthios Epiſtola cap. 5. 8, veritatem pro ſinceritate quadam & integritate animi ac vitæ poſitam, & malitiæ atque improbitati oppoſitam; cum inquit Apoſtolus, *ne feſtum agamus in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis ac veritatis*. Veritas enim cum ſinceritate magnam habet conjunctionem. Sinceritas autem de vitæ puritate & integritate, cui nihil admiſtum ſit turpitudinis, eleganter uſurpari poteſt. Quare nihil videtur prohibere, quominus veritas quoque de eadem integritate vitæ uſurpetur. Cum verò certum ſit, in loco noſtro veritatem opponi injuſtitiæ, & neceſſe ſit vel injuſtitiam reſtringere atque mendacium tantum per hanc vocem intelligere, vel contra veritatem latius extendere, & pro juſtitia eam accipere; ſatius eſſe videtur, hanc vocem extendere latius, quam illam reſtringere, præſertim cum res ipſa & officii natura, quod exprimere voluit Paulus, id patiatur. Nam, ut vox συγχαίρειν ſeu congaudendi ſignificat, ſermo hîc eſt de gaudio, quod ex alieno bono ad veritatem ſpectante capiamus. Cur ergo non malimus Apoſtolum id dixiſſe quod generale eſt, quam id quod ſpeciale, hoc eſt, de lætitia illa eſſe locutum, quam percipimus ex quibuſvis rectè factis, quam ex certis tantum? Verumtamen quia hæ rationes probabiles tantum ſunt, poſſis etiam vocem injuſtitiæ reſtringere ad mendacium. Hoc pacto enim ſumi apparet vocem injuſtitiæ Johan. 7: ubi ait Dominus Jeſus; *Qui vero quærit gloriam ejus, qui ipſum miſit, is verax eſt, & injuſtitia in ipſo non eſt*, hoc eſt, mendacium, aut fraus, aut deceptio. Itaque ſenſus erit, charitatem non gaudere, ſed potius dolere (hoc enim etiam intelligendum eſt in his Apoſtoli verbis) ſi alii alios fraudibus circumveniant & decipiant, ſed potius cum candidè agunt & veritatem quiſque cum altero loquitur. Eſt adhuc tertius ſenſus, cui tamen minus favet verbum συγχαίρειν, alias tamen rei ſatis conveniens, iſque hujuſmodi, quod charitas non patiatur, ut gaudeas, ſi quid injuſtè committas in alium, aut eum fraude mendacioque circumſcribas, ſed potius ſi ſincerè & candidè cum illo agas, aut juſtitiam erga illum exerceas.

Vicinum huic officio ex charitate mananti illud eſt, quod præcipit Apoſtolus Rom. 12, ut *gaudeamus cum gaudentibus, & fleamus cum flentibus*: ubi flere eſt dolere aut lugere; opponitur enim gaudio: ſumitur ergo effectus pro cauſa. Differt hoc officium à ſuperiori, quod iſthic agebatur de gaudio aut dolore ex factorum alienorum honeſtate aut turpitudine orto; hîc vero de eo gaudio & dolore, quem ex alienis commodis aut incommodis, ſeu rebus ſecundis aut adverſis capimus.

Cap. VIII.

De Manſuetudine & Longanimitate.

Virtutes ex charitate manantes, quæ prohibent ne alteri male facias, Manſuetudinem & Longanimitatem eſſe diximus: quarum illius hæc quædam perfectio eſt, & quod illa ſimpliciter præſtat, id hæc præſtat diu. Eſt enim Manſuetudo virtus in ira moderanda verſans. Moderatur autem iram, quatenus prohibet, primum ne iraſcaris, quando non oportet: deinde ne vehementius iraſcaris, quam oportet: tertio ne diutius, quam oportet. Nam licet ad hanc virtutem id quoque referri poſſit, ne celerius iraſcaris, quam oportet; tamen quia hoc loco longanimitatem, cujus id officium eſt proprium, à manſuetudine diſtinguimus, ideo ei hoc eſt reſervandum. Alias, cum manſuetudinis ſimpliciter fit mentio, nec longanimitas ab ea diſtinguitur, aut ei nominatim opponitur, hoc officium, atque adeò longanimitas ſub ea comprehenditur. Quare tum ſecundo loco hoc, quod nunc ſejungimus, officium lenitatis erit ponendum, ut univerſa fiant numero quatuor.

Ut igitur officia commemorata explicemus, ſub primo id comprehenſum eſſe volumus, primo, ne iraſcaris tum, cum nulla eſt juſta cauſa iræ; v. g. ſi quis te admoneat, & facta tua juſtè reprehendat; imo etiam cum injuſtè, ſi is, qui id facit, verum ignoret, & amore tui impulſus id faciat: ſecundò, ne iraſcaris ei cui non oportet, ut parentibus, aut aliis benefactoribus, aut magiſtratibus: tertio, ne iraſcaris eo tempore, aut loco, ubi minimè convenit, v. g. in Eccleſia aut cum res ſacræ tractantur.

Secundum officium id poſtulat, ne ira ad vindictæ decretum, præſertim quando res nobis eſt cum iis, in quos legitimum imperium non habemus, unquam veniat, multo minus ad effectum: aut ita animum occupet, ut rationem plane excutiat aut opprimat, quod fit in θυμῷ ſeu excandeſcentia, de qua poſtea. Huc pertinet illud Apoſtoli 1 Corinth. 13: *Charitas non irritatur*, Græcè παροξύνεται. hoc eſt non vehementer iraſcitur, & velut exacuitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Tertium ex officiis dictis poſtulat, ut ſis placabilis, & vel per te ipſum iram deponas, vel etiam idque multo magis rogatus: quò pertinent illa Apoſtoli ad Epheſ. 4. 26: *Ne ſol occidat ſuper irritatione veſtra.* Et illa Domini Jeſu Matth. 18. 21, 22: ubi monet, ut fratri in nos peccanti, & factum dolenti delictum condonemus, idque etiam ſepties per diem, aut ſimpliciter ſeptuagies ſepties: quanquam hoc potius ad longanimitatem pertinet, quatenus nempe id toties facere jubemur. Eſſet quidem hîc diſſerendi locus de pœna legitima, quæ ſub vindictâ latius accepta continetur; verum de ea non pauca diximus in Ethicis. Quanquam illud non uſquequaque expedivimus, An membrum etiam aliquod mutilare, aut capitis ſupplicium de maleficis ſumere liceat: ſed illud quod hactenus in Eccleſiis noſtris receptum eſt, poſuimus, & ne nunc quidem in profundum hoc ingredi placet.

Quod ad longanimitatem attinet: quid illa ſit, ex dictis facile conſtare poteſt. Eſt enim virtus ea, quæ iram diu cohibet, ſeu, quæ facit, ut ſæpè offenſus vindictæ cupiditatem tamen animo non concipias; quæ quam perfecta eſſe debeat ex verbis Domini Jeſu paulo ante commemoratis, de injuriis fratri condonandis, ſatis liquet. Illud autem hîc obſervandum eſt, quod etiam ad manſuetudinem pertinet, offenſarum nomen latè hîc eſſe extendendum, ita ut omne id intelligatur, quod animum noſtrum irritare, & ægrè nobis facere queat; quales ſunt non tantum injuriæ in nos aut noſtros privatim admiſſæ, verum etiam quæ admittuntur, vel in eam ſocietatem, cujus nos membra ſumus, Eccleſiæ v. g. aut reipub. vel denique in alios, quos lædi nobis moleſtum eſt. Quin nec dogmata, aut ſententiæ, quas in aliis non libenter toleramus, hinc excludendæ ſunt: nam in his omnibus longanimitas cernitur. In noſtris injuriis atque offenſis quomodo cernatur, ſatis liquet. In iis, quæ proprie ad communionem illam pertinent, cujus nos membra ſumus, ne de repub. nunc quicquam dicamus, ſed de Eccleſia tantum; intelligendum, eam vel ab extraneis offendi poſſe, vel ab eis, qui in ſinum ejus ſunt recepti. Ac in alios quidem, qui extra Eccleſiam ſunt, longanimitate ſemper eſt utendum ea, quam in hoſtes exerceri vult Chriſtus, ita ut vindictam & ultionem veram non concupiſcamus, multo minus de iis ſumamus, ſive verbis, ſive factis: verbis quidem, ſi convitia v. g. pro convitiis reponamus; factis autem, ſi alia aliqua ratione noceamus, quanquam interea nec manſuetudini nec longanimitati quicquam obſtat, curare, ne vel Eccleſia, vel quiſpiam privatorum, aut tu ipſe injuriis hominum improborum ſis obnoxius.

Quod ad eos attinet qui in Eccleſia vivunt; illi duplici ratione eam poſſunt offendere, vel ſi falſa in eam, & pernicioſa dogmata invehant, aut ſaltem apertè foveant, vel ſi malefactis eam dedecorent, & famam ejus macula aliqua aſpergant, aliiſque ponant offendiculum. Dogmata illa rurſus vel ſalutem omnino adimunt iis, qui ea ſequuntur, vi Novi fœderis inſpecta, vel per ſe non adimunt. Si prioris generis dogmata, qui ſit in Eccleſia, foveat: adverſus eum ita utendum eſt longanimitate, ne ſtatim ab Eccleſiæ corpore reſcindatur, ſed moneatur & ſumma cum lenitate ab errore ſuo revocetur, ac tam diu feratur, donec pertinacia & animi improbitas in eo appareat, adeoque ſatis conſtare queat, eum non judicii imbecillitate lapſum, aut incogitantia abreptum eſſe, ſed per malitiam à recto veritatis tramite deflectere. Si poſterioris generis ſit dogma aliquod: id, niſi pertinacia aliqua in iſtiuſmodi homine appareat, ac turbulentum ingenium quandamque ſeditionem per hujuſmodi dogmatis defenſionem moliens, ferendus ille eſt in Eccleſia, & longanimitate utendum ſingulari; ſiquidem is fidem in Jeſum Chriſtum habere poteſt, etiamſi in eo errore hæreat: cæteroqui fieri poteſt, ut propter hujuſmodi quoque dogma aliquis ab Eccleſiæ conſortio arceatur, quanquam non tam dogma ipſum in cauſa eſt, quam turbulenta hominis iſtius facta. Sed hoc ad tractationem de pace ſeu pacis ſtudio propriè ſpectat. Quod ad eos attinet qui malefactis Eccleſiam offendunt, & ſocietatem communem lædunt; adverſus eos longanimitate eatenus utendum eſt, ut ſi ex imbecillitate quadam humana peccent; quo tum imprudentiam, tum repentinos quoſdam affectus, & irritamenta validiora, tum inveteratam quandam conſuetudinem, præſertim quæ ante agnitam veritatem alicui inoleverat, referimus: ne ab Eccleſiæ corpore ſejungantur, ſed quamdiu ſanabiles ſunt, & improbitas animique malitia in iis non apparet, tanquam imbecilli ferantur, ut monet Apoſtolus. Quod ſi improbitas appareat, & contumacia, aut etiam inſigne aliquod ſcandalum inde ſit oriturum; tum demum ab Eccleſiæ corpore ſejungi poterunt; quanquam aliter cum improbitas eſt, aliter, cum abſque ea ſcandalum inſigne naſcitur. Ad utramque hanc virtutem, hoc eſt, longanimitatem ac manſuetudinem, pertinet & tolerantia malorum, ſcil. hominum, hoc eſt, ut quis etiamſi multa à malis hominibus perpetiatur mala, & aut calumniis appetatur, aut ignominia afficiatur, aut contemnatur, de lenitate tamen animi nil remittat, nec quicquam dicat aut faciat, quod vindictam aliquam ſpiret. Eum qui hac virtute ſit præditus Apoſtolus vocat ἀνεξίκακον, 2 Tim. 2. 24. Nam quod Apoc. 2. 2, laudatur Angelus Eccleſiæ Epheſinæ, quod non poſſit portare ſeu tolerare malos: id non ita intelligendum eſt, ut facile quivis animadvertet; quaſi is adeò animo fuerit impotens, ut non poſſet concoquere injurias à malis hominibus ſibi illatas; imo potius paulo poſt id ipſi non obſcurè tribuitur, cum ſtatim ℣. 3 ſubjungitur, *Et portaſti,* intellige, homines iſtos malos, & injurias quibus ab iis fuiſti affectus: ſed quod eos in Eccleſia ferre non potuerit impune graſſari, & gregem Domini improbitate ſua inficere. Hic enim zelus Epiſcopum Eccleſiæ imprimis decet, ut lenitate quidem etiam contra peſſimos homines utatur; non patiatur tamen ullo modo, ut eorum ſcelera in Eccleſia locum habeant; ſed vel ex ipſis omnia exſtirpentur, vel ipſi ex Eccleſia ejiciantur; quò, ſi ipſimet ſanari nequeant, Eccleſia ſaltem perſtet integra atque incorrupta. Hactenus de medio.

Sequitur, ut jam de extremis aliquid dicamus. Extremum illud, quod modum ſuperat, iracundia eſt, quæ quid ſit, ex hactenus dictis ſatis liquet. Quanquam longanimitati nominatim opponitur id vitium, quod uno nomine vix licet efferre; dici autem poteſt celeritas in iraſcendo. Hoc vitio laborant ii imprimis, quos Apoſtolus 2 Tim. 3. 3 vocat ἀνημέρους, hoc eſt, immites, & quaſi feros, qui quavis etiam re leviſſima offenduntur, ſuntque in convictu intolerabiles, ob mores ita efferatos & immanes, qui nil niſi minas ſpirant, verbera intentant, aut etiam infligunt, ad arma proſiliunt, turbas ac clamores cient, itaque prope ad ſummum hujus vitii faſtigium perveniunt: cum quo neceſſe eſt etiam conjunctam eſſe inhumanitatem quandam barbaram, quin etiam injuſtitiam, ob varias injurias, quas aliis inferunt; à pace etiam & concordia longè abſunt. Actus iracundiæ duplex eſt: alius Internus, alius Externus. Ille ira dicitur, Græcè ὀργὴ aut θυμὸς, quod poſterius vocabulum excandeſcentia à quibuſdam redditur: hic vero eſt vindicta. Quod ad priorem attinet, animadvertendum eſt Iram ſolere poni quidem non ſemel pro iracundiæ effectu, qui non poteſt eſſe non malus: non tamen ſemper ita ſumi, adeoque duplicem eſſe hujus vocis ſignificationem in ſacris literis: interdum enim ſimpliciter ſumitur pro affectu ad vindictam nos ſtimulante, nulla habita ratione ejus, quòd affectus is nimius ſit, & quocunque modo ab eo quod decet recedat. Hoc enim modo dicitur de ipſo Domino Jeſu Marci 3. 5, quod circumſpexerit ſuos adverſarios *cum ira, ſimul tamen dolens, quod occaluiſſet cor eorum.* Et ad Epheſ. 4. 26 ait Paulus, *Iraſcimini & non peccate*: ubi imperativus prior permittentis eſt, non proprie imperantis, ut poſterior; quaſi dicat, ſi contingat vobis iraſci ne tamen peccetis, hoc eſt, vindictam vel verè expetatis vel etiam ſumatis: additque, *Sol ne occidat ſuper irritatione* veſtra,

ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ubi Græcè eſt παροργισμός. Ex quibus itidem conſtat, iram quandam eſſe à peccato ſejunctam. Eodem referendus eſt locus Jacobi 1. 19: ubi monet, ut *tardi ſimus ad iram.* Nam ſi de illa ira loquitur, quæ natura ſua mala eſt; non debuiſſet dicere nos tardos eſſe debere ad iram, ſed nos prorſus iraſci non debere: illud enim cum dicit, tacite conceditur, poſſe quempiam recte tandem iraſci. Neque eſt, quod quis dicat, Jacobum ſtatim ſubjungere, dicti rationem reddentem, *ira enim viri*, hoc eſt, hominis, *juſtitiam Dei non operatur*; hoc eſt, id non facit, quod apud Deum juſtum eſt, ſeu jure divino conſtitutum. Verba enim hæc Jacobi indefinitè elata, non ſunt prorſus univerſaliter, & ſine omni exceptione capienda, ſed generatim tantum, ſeu ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ vera ſunt. Recte tamen argumentatur Jacobus, tardos nos eſſe debere ad iram, quia vix quiſpiam ira impulſus quicquam agat boni. Eſt enim illud fugiendum, ac tarde ad id accedendum, quod à peccato ſejungi vix poteſt. Verumtamen quia ira ſua natura eſt affectus maleficus, ſeu ad nocendum impellit, & raro modum ſervat; ideo ira ſimpliciter poſita in vitio ſolet poni, & eum affectum ſignificare, qui modum aliqua in parte ſupergreditur: quo pacto ſumitur ad Epheſ. 4. 31: ubi θυμὸς & ὀργὴ conjunguntur, de quorum diſtictione paulò pòſt dicemus: & Galat. 5. 20; ubi tantum eſt vox θυμοί. Solet autem hæc ira à Theologis plærumque definiri, vindictæ cupiditas; quæ abſolutè in vitio apud ipſos ponitur, cum tamen omnis ira, etiam illa, quæ ſua natura licita eſt, cupiditas vindictæ eſſe videatur. Eſt enim ira, ut Ariſtoteles eam definit, ὄρεξις ἀντιλυπήσεως, hoc eſt, cupiditas reponendi doloris, quem viciſſim ſentiat is qui læſit; quæ ἀντιλύπησις vindicta eſt. Sed difficultas hæc ita tolli poterit, ſi dicamus, cupiditatem vindictæ aliam eſſe ſolius appetitus actum, nondum aſſentiente ratione, ac voluntate decretum ea de re ferente; aliam verò eſſe talem, quam voluntas approbet, & decreto aliquo ſuo confirmet. Prior illa in omni ira locum habet, eſtque illi eſſentialis. Altera ab ea poteſt abeſſe; imo etiamſi de ea vindicta ſit ſermo, quæ à legitima pœna diſtinguitur, omnino abeſſe debet: & hujuſmodi vindictæ cupiditas, atque adeò ira, ſemper vitioſa eſt, & præceptis Chriſti adverſa, eamque intelligunt ſacræ literæ, dum iram inter opera carnis numerant, aut illam penitus à nobis volunt abeſſe: quò pertinent loca Pauli à nobis allegata, & ille Domini Jeſu, qui extat Matth. cap. 5. 22. Nam licet ibi addita ſit in vulgatis codicibus vocula εἰκῆ temere; tamen eam non neceſſario eſſe additam ab eo, cui ſententia Domini Jeſu viſa eſt durior, viri nonnulli docti cenſent. Ut res rectius intelligatur, illud adhuc eſt addendum, nonnunquam ὀργὴν & θυμὸν à ſe invicem diſtingui; id quod fit loco ſupra citato Epheſ. 4. 31: ubi tres ejuſdem generis affectus conjunguntur, amarulentia, excandeſcentia, Græcè θυμὸς, & ira; de quorum primo dictum eſt ſupra. Quod ad θυμὸν ſeu excandeſcentiam attinet, ea nihil aliud eſſe videtur, quam ira vehementior, quæ ita animum occupat, ut conſilio nullus ſit locus: qua de imprimis videtur illud vulgatum accipiendum, *Ira furor brevis eſt.* Ira vero ab excandeſcentia diſtincta, ſtrictius ſumitur pro ea vindictæ cupiditate, quæ conſilium quidem adhuc admittit, verum ita, ut ad vindictam illud convertat, mente affectui arma ſuppeditante; cum in excandeſcentia mens plane ſopita ſit, ira ſola imperium exercente. In ira autem hac, de qua loquimur, mens adhuc quidem aliquo modo viget, ſed ſervit tamen affectui illi, & ejus eſt conſiliaria; unde fit ut excandeſcentia quidem ſit terribilior, hæc verò deterior & majori cum improbitate conjuncta. Amarulentia autem (id quod in hunc uſque locum diſtulimus) ita ab utroque hoc affectu diſtinguenda videtur, ut dicatur eſſe quippiam inveteratum, & minori cum animi commotione conjunctum, cùm excandeſcentia & ira ſtrictè ſumtæ, repentinæ ſint, & per ſe non uſque adeò durent, niſi forte in amarulentiam degenerent, & majorem quandam commotionem poſtulent; quanquam excandeſcentia majorem, quam ira; unde eam etiam diu durare in hominibus impoſſibile eſt. Quod ſi quis tamen πικρίαν vel amarulentiam eo loco velit ſumere pro moroſitate, quam videtur Apoſtolus hoc vocabulo complexus ad Col. 3. 19: cum eo non contendemus; quanquam nihilominus de animi quodam vitio, quod odium quoddam & animi ab altero averſionem in ſe continet, accipiendus erit. Unde loco dicto ad Coloſſ. 3. charitati non obſcurè opponitur. Loco autem ad Epheſios opponitur τῇ χρηστότητι, quæ ſuavitatem quandam morum & humanitatem, de qua poſtea dicemus, ſignificat, vel ſaltem ambitu ſuo comprehendit.

Hactenus de actu interno iracundiæ diximus. Externus dicitur vindicta ſeu ultio, de qua dicta ſat multa ſunt in Ethicis: addi tamen poſſunt, quæ Socinus diſputavit in Commentario ad Matth. 5. 38 & ſeqq. Itaque hîc fuſiore explicatione ſuperſedemus. Ibidem etiam de remediis iracundiæ præcepimus: quin etiam de altero extremo manſuetudini oppoſito, quod adeo rarum eſt, ut vulgo nomen non invenerit: dici autem Græcis ἀοργησία ſolet. Quare hæc inde petantur.

Cap. IX.

De Gaudio, cujus meminit Paulus ad Gal. 5. v. 22.

Veniendum nunc eſt ad eas virtutes ex charitate manantes, quæ boni aliquid præſtant alteri; inter quas primo loco collocabimus eas, quæ honeſtam aliis voluptatem præbent. Earum primam fecimus Gaudium, de quo Paulus ad Gal. 5. 22. Nam licet gaudium, dum pro virtute Chriſtiana, vel ſaltem pro actu aliquo nobis à Chriſto præſcripto, ſumitur, poſſit etiam ſumi de gaudio illo, quod percipimus ex ſpe immortalis vitæ, de quo agemus infra, ubi de virtutibus ad nos propriè pertinentibus dicemus: tamen in iſto Pauli loco, quem commemoramus, per gaudium intelligi vel actum vel virtutem aliquam, quæ ad proximum per ſe referatur, ſeries virtutum ab Apoſtolo commemoratarum facit probabile. Nam & charitati proxime eam ſubjungit, & ei iterum ſubjicit aliquot virtutes, quæ ad proximum omnes referuntur; ut nequaquam ſit veriſimile, gaudium illis interjectum alio referri, quam ad proximum. Cum vero gaudium pro actione aut virtute ad proximum ſpectante ſumptum, intelligi poſſit vel de gaudio, quod ex alienis bonis percipimus, quod primo loco inter effectus charitatis explicuimus cap. 5: vel de ejuſmodi virtute, qua quis aliis Chriſtianis gaudium præbere ſolet, idque agit, ut voluptatem ex illius actionibus ii ſemper capiant: neſcio quo pacto magis in eam partem inclinem, ut de poſteriori potius loqui Apoſtolum credam, quam de priori. Nam magis videtur conſentaneum, hanc poſteriorem gaudii nomine poſito ſimpliciter inſigniri poſſe, quam illam; cum videamus iis in locis, ubi de gaudio illo ſermo eſt, quod ex alienis bonis percipimus, aliquid ſemper adjici, ſeu cauſam explicari, unde illud gaudium oriatur. Adde quod gaudium hoc, quod nos intelligimus, magis ſit in noſtra poteſtate, & prope perpetuum eſſe queat; illud alterum autem ex certis tantum occaſionibus, quæ raro etiam poſſunt occurrere, pendeat. Potuit autem jure hujuſmodi virtus, licet ipſa propriè gaudium non ſit, gaudium tamen appellari per Metonymiam effecti. Ac licet ea non ſemper actu ipſo, ſeu quod ad eventum attinet, gaudium excitat; ea tamen illius vis & potentia eſt idque conſilium, ut gaudium hoc excitet, nec in animo bene conſtituto, ſine hoc ſuo fruſtratur: quod adhuc melius apparebit, cum naturam illius explicabimus. Videtur autem eadem ſignificatio extare Rom. 14. 17: de quo loco paulo poſt nonnihil dicemus.

Hujus autem virtutis hoc eſt officium, ut in omnibut actionibus, quas ad notitiam proximi perventuras videat, illi ſe accommodet, & ei ad ipſius ædificationem, quantum per Dei præcepta licet, ſervire ſtudeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Itaque ejus eſt, non tantum id, quod per ſe ſuaque natura honeſtum eſt, aut fieri omnino debet, facere, & id, quod turpe, vitare: verum etiam id, quod alteri tale videtur, licet ſua natura ſit indifferens, ſeu ἀδιάφορον. Atque hoc Paulus Rom. 15. 2, vocat *placere proximo ad bonum, ad ædificationem*; quemadmodum contra, eum, qui neglecto eo, quod proximo probetur, ſibi indulget, & id, quod ſibi maximè arrideat, facit, *ſibimet ipſi placere* aſſerit, ibid. ℣. 1. placere autem alteri eſt quandam illi voluptatem aut gaudium afferre. Eodem modo loquitur 1 Corinth. 10. ℣. ultimo, in eadem materia verſans. Nam cum monuiſſet Corinthios, ut ſine offendiculo ſint & Judæis & Græcis, & Eccleſiæ Dei: addit, *quemadmodum & ego omnia* ſeu *per omnia placeo omnibus, non quærens meam utilitatem, ſed illam, quæ eſt multorum, ut ſerventur.* Atque huc pertinet etiam illud, quod Paulus ait in deſcriptione charitatis 1 Cor. 13: *eam non quærere, quæ ſunt ſua.* Nam etſi id latius poſſit extendi, ita ut ſignificet charitatem alienam potius utilitatem, quam ſuam ſpectare, (quod tamen non prorſus ſimpliciter eſt accipiendum:) tamen verba illa cap. 10, paulo ante adducta, ubi ait Apoſtolus, ſe non quærere ſuam utilitatem; & illa ejuſdem capitis ℣. 24, ubi iiſdem verbis utitur, quibus cap. 13: *Nemo ſuum quærat, ſed id, quod eſt alterius unuſquiſque*, ſatis oſtendunt, id ad rerum adiaphorarum uſum eſſe reſtringendum, de quibus in cap. 10. loquitur, quemadmodum unicuique locum inſpicienti patet. Quare ſenſus erit, eum, qui charitate præditus eſt, cum de re adiaphora agitur, non quærere aut facere id quod ipſi alias magis probaretur, vel quod jucundius ſit, vel quod ſimul etiam utilius, ſed id, quod alteri probetur, & ipſius ædificationi inſerviat. Itaque cum Apoſtolus dixit, ſe non quærere ſuum commodum, ſed multorum, ut ſerventur; commodi vocem licet ſemel poſitam non eodem tamen modo accipit; ſed reſpectu diverſorum diverſo, ſeu non ejuſdem generis commodum utrobique intellexit. Nam cum de ſuo commodo loquitur, commodum carnale intelligit, eoque nomine etiam jucundum complectitur, quale bonum eſt idolothytorum, & aliorum quorundam ciborum, quos quiſpiam vetitos arbitrari poſſet, uſus: cum vero commodum aliorum nominat, ſpirituale, & ad ſalutem ſpectans intelligit, ſiquidem expreſſe addit, *ut ſerventur.* Eadem ergo differentia in ſuperioribus verbis ℣. 24 animadvertenda eſt. Nam alias unuſquiſque debet æquè ſuam, atque aliorum ſalutem quærere; ſed carnali alicui commodo aut voluptati, commodum aliorum ſpirituale longe debet præferre. Cum iiſdem verbis conferendus eſt ille locus Phil. 2. 4: ubi ait, *ne ſua quiſque ſpectetis, ſed etiam ea quæ ſunt aliorum unuſquiſque*; quæ verba docent, non ſimpliciter prohibere Apoſtolum, ſua quenque quærere, ſed id vel ſolum vel potiſſimum præcipere, ne quis ſua tantum quærat, & ea tantum agat, quæ ſibi probentur; verum ut ſimul habeat accuratam aliorum rationem, & ſuam utilitatem cum aliorum commodo conciliet, eique attemperet. Id enim ſignificat particula *etiam* in poſteriori membro expreſſa, cum dicit, *ſed etiam, quæ ſunt aliorum*; quaſi in priori membro ſubaudiretur particula, *tantum*, hoc modo, *non ſua tantum ſpectet unuſquiſque.* Itaque eodem ſenſu, vel ſaltem ſimili, erunt accipienda illa, quæ cap. 10 ad Corinthios extant; quanquam quia paulo aliter ibi loquitur, ita poterunt ea verba accipi, ac ſi dixiſſet: ſi fieri nequeat, ut vos commodo aut voluptate quamvis alias conceſſa fruamini, & alii ædificentur; veſtro potius commodo vos abdicate, quam ut alienam ædificationem negligatis; ſeu, non veſtrum commodum quærite, ſed aliorum ædificationem.

Huic gaudio, ut quivis animadvertit, directè opponitur triſtitia, ſeu vitium ejuſmodi, quo quis alterum contriſtat: ſive quod ea revera agat, quæ præceptis divinis adverſantur, quæque ab aliis animadverſa dolorem illis afferunt, & ſcandalum aliquod præbent, eorumque animos à religione & pietate avertunt, vel ſaltem efficiunt ut minus alacriter in ea pergant; ſive etiam quod ea agat quæ utut per ſe licita ſint, illicita tamen videntur alteri; ac proinde eum non minus contriſtant, quam ſi ea per ſe turpia eſſent ac cum divinis præceptis pugnarent. Et de hujuſmodi triſtitia loquitur Paulus, cum ait Rom. 14. 15: *Si verò propter cibum frater tuus triſtatur, non amplius ſecundum charitatem ambulas*: quanquam (ne quid reticeam) illud apud me dubium eſt, utrum Paulus de iſtiuſmodi triſtitia hîc loquatur, quam frater infirmus ex alieno facto, quod ipſe præceptis divinis non putet eſſe conſentaneum, concipiat, an vero de ea, quam concipit ex ſuo, ad quod alieno exemplo, hoc eſt, exemplo fratris firmioris, & majorem rerum ad religionem pertinentium notitiam habentis, fuerat inductus. Nam cum frater infirmus dubitans, utrum ſibi liceat cibo aliquo uti, videt eum qui robuſtior eſt, & majorem iſtiuſmodi rerum cognitionem habet, eo cibo uti; ipſe quoque inducitur, ut idem faciat, hæſitante nihilominus conſcientia. Unde fit, ut ea veluti percutiatur & contriſtetur; quemadmodum idem Paulus docet 1 Corint. 8. 10 & ſeqq. atque imprimis ℣. 12: ubi is, qui alterum exemplo ſuo inducit, ut hæſitante aut repugnante conſcientia aliquid faciat, dicitur percutere infirmam fratrum conſcientiam. Eſt autem valde veriſimile, idem velle Paulum dicto loco ad Romanos, ubi triſtitiæ nomen habetur. Nam quemadmodum ad Corinth. ait, eos qui uſu cibi alicujus per ſe liciti fratrem infirmum ad idem impellunt, hoc pacto percutere illorum conſcientiam; ita etiam hîc dicere potuit, fratres infirmos triſtari propter cibum, nempe à fratre firmiori ſumptum; non quod hæc fuerit propria atque immediata cauſa, ſed quod prima; quam ideo potius commemoravit, quàm proximam, quia id pertinebat ad oſtendendum, & ante oculos ponendum peccatum ejus, qui libertate Chriſtiana ad aliorum offenſionem abuteretur. Atque id ſuadere videntur ſequentia, cum addit, *ne cibo tuo eum perdas, pro quo Chriſtus eſt mortuus*; quibus reſpondent illa dicto loco ad Corinth. *& peribit frater infirmus tua cognitione, propter quem Chriſtus eſt mortuus.* Id vero eatenus dixit Paulus, quatenus quis ſuo exemplo alium inducit, ut idem faciat, ſed non eadem conſcientia. Quare non eſt admodum veriſimile, Apoſtolum in loco ad Roman. de ea triſtitia loqui, quæ ex alieno tantum facto, quod reprehenſionem mereri videatur, in fratris infirmi animo exoriatur. Quod ſi tamen de hujuſmodi triſtitia ſermo eſt, non quævis tamen hujus generis erit intelligenda, ſed illa qua fit, ut frater offenſus minus jam amet Chriſtianam religionem, in qua ea videat admitti ab illis, qui majorem illorum notitiam habeant, quæ ipſi videantur à divinis præceptis abhorrere. Quod ſi hanc ſententiam ſequaris; conſentaneum eſt ℣. 17 gaudium intelligi huic triſtitiæ adverſum: q. d. Apoſtolus, viam ad regnum cœlorum non eſſe, cibo aut potu per Euangelii libertatem alias licito uti, ſed potius juſtitiam & æquitatem, qua quis utatur erga fratres, & pacis ſtudium, & gaudium, quod quis in aliorum animis excitare cupiat, ſpiritu ſancto impulſus, cujus unius opera hæc virtus producitur, cum ſit prorſus eximia & divina. Quanquam non negarim, alium quoque horum verborum ſenſum eſſe poſſe; de quo non eſt hîc diſſerendi locus.

Alterum extremum huic gaudio oppoſitum eſt, nimium aliis placendi ſtudium, quo quis etiam contra Dei voluntatem gratificatur aliis, in quo peccavit Petrus à Paulo reprehenſus, ut legimus ad Galat. 2. 11, 12. Oſtenditur enim ibi expreſſe, quod id fecerit Petrus metuens eos, qui ex circumciſione: quanquam dum his gratificari cupiit, alios eoſque longè plures, inter quos verſabatur, nempe Chriſtianos Antiochenos, quorum major procul dubio pars ex Ethnicis conſtabat, offendit; ita ut hîc duo illa virtutis extrema inter ſe concurrerint, quanquam diverſo reſpectu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

CAP. X.

De Comitate ſeu χρηστότητι.

ALteram virtutem ex Charitate naſcentem, quæ honeſtam aliorum voluptatem ſpectet, diximus eſſe Comitatem ſeu humanitatem, quam Apoſtolus χρηστότητα vocat, Galat. 5. 22. Epheſ. 4. 32. & 1 Cor. 13, in deſcriptione charitatis, ℣. 4: ubi utitur verbo χρηστεύεται; quod alii reddunt *benigna eſt:* qui &, ubi χρηστότης extat, benignitatis nomen ponere ſolent. Etſi autem vox χρηστότητος, ſi originem ejus conſideres, eam virtutem videatur denotare, quæ utilitatem alienam curet: tamen ſi uſum ſpectes, ſuavitatem potius quandam & jucunditatem, quam quis præbeat aliis, denotat, quod deprehendimus etiam in voce χρηστὸς, unde hæc deducitur. Ejus rei exemplum habes 1 Pet. 2. 3: ubi eſt, *ſiquidem guſtaſtis, quod χρηστὸς eſt Dominus:* ubi vox guſtandi ſatis indicat, de ſuavitate quadam ac jucunditate potius, quam de alio genere bonorum ſermonem eſſe; quanquam ſuavitas illa utilitatem ſummam in ſe complectitur, aut ex ſe progignit. Simile exemplum etiam habes Matth. XI. ℣. 30: ubi ait Dominus Jeſus, *jugum meum ſuave eſt,* ſeu (ut alii reddunt) *commodum,* hoc eſt non durum ſeu moleſtum, aut tale quod vehementer quempiam urgeat ac premat, ut alias juga fere ſolent; ita ut nihilo minus dolori aut moleſtiæ cuipiam opponatur. Quanquam illud quoque fatendum eſt, vocem χρηστότητος nonnunquam latius extendi, & benignitatem propriè ſic dictam ſignificare, adeoque manſuetudinem quoque & clementiam ac beneficentiam in ſe complecti. Hoc pacto de Deo non ſemel uſurpatur χρηστότης, ut Rom. 2. 4, ubi τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ appellatur, quod antea tribus verbis expreſſerat eodem verſu, nempe χρηστότητος, ἀνοχῆς & μακροθυμίας, hoc eſt, benignitatis, tolerantiæ & longanimitatis; & nihil ſignificat aliud, quam divinam in differendis peccatorum pœnis clementiam ac longanimitatem. Sic Epheſ. 2. 7, χρηστότητα ſeu benignitatem Dei vocat, quod Deus homines peccatis variis immerſos, ad meliorem vitæ ſtatum revocavit, & eos una cum Chriſto vivificavit, & certam reſurrectionis ac ſupremæ felicitatis ſpem fecit, & jus quoddam ad eam conceſſit. Similem ſignificationem deprehendes Tit. 3. 4: ubi cum ea φιλανθρωπίαν conjungit: & Luc. 6. ℣. 35: ubi cum clementia conjunctam benignitatem complectitur, cum Dom. Jeſus ait quod Deus ſit χρηστὸς, hoc eſt, benignus in ingratos ac malos; unde poſtea miſericordiæ vocem, quæ beneficentiam ac clementiam in ſe complecti ſolet, pro ea reponit, cum ait, *Sitis ergo miſericordes, quemadmodum & Pater veſter miſericors eſt.* Atque in hujuſmodi ſignificatione nil prohibet quo minus accipiatur vox χρηστοὶ, in loco ſupra allegato ad Epheſ. 4. 32; præſertim cum ibi dehortatus eſſet Apoſtolus Epheſios ab affectibus, verbis ac factis cum manſuetudine ac lenitate pugnantibus. Et ſane lenitas comitati ita connexa eſt, ut ſine illa conſiſtere nequaquam poſſit. Nemo enim, qui iracundus eſt, idem comis aut humanus eſt, ſeu utriuſque rei habitu eſt præditus: ira enim exaſperat hominem, eumque moroſum reddit. Verum in loco ad Gal. 5, tam latè vox χρηστότητος extendi non poteſt: cum ibi expreſſe cùm à manſuetudine & longanimitate, tum ab ἀγαθωσύνῃ ſeu beneficentia diſtinguatur. Quod etiam ex parte dici poteſt de loco 1 Corinth. 13: ubi hic effectus charitatis, qui numero eſt ſecundus, diſtinguitur cum à longanimitate, qui primus eſt ibi charitatis effectus, tum ab eo, qui ad lenitatem & manſuetudinem pertinet, eſtque numero octavus, & his verbis ab Apoſtolo elatus, *charitas non irritatur.* Quanquam cum nullam Apoſtolus inter charitatis effecta mentionem fecerit beneficentiæ, arbitrari quiſpiam poſſet, beneficentiam eo nomine ab Apoſtolo comprehendi; quod licet concedi facile poſſit, non tamen ſatis eſt probabile, cum Apoſtolus in verbis ℣. 3 beneficentiam aut beneficentiæ effecta promemodum ſejungat, ſaltem eatenus, quatenus indicat ea ſine vera charitate poſſe conſiſtere. Unde non eſt probabile, Apoſtolum ſtatim inter charitatis effecta beneficentiam collocaſſe, præſertim cum cætera charitatis effecta, quæ ab ipſo enumerantur, ſi conſtantia ſint, ut quidem ponit Apoſtolus, nonniſi ex charitate naſci videantur. Adde, quod ea videatur Apoſtolus enumerare charitatis effecta, quæ omnibus Chriſtianis eſſe queant communia, qualis non eſt beneficentia; atque ea præcipuè, quæ ad pacem & concordiam in Eccleſia ſervandam pertinent, ac in convictu & converſatione cum aliis imprimis cernuntur; ne de eo nunc quicquam dicamus, quod longanimitati comitas & humanitas elegantius ſubjungitur, quàm beneficentia: Unde etiam doctiores interpretes ita vocem χρηστεύεται reddiderunt, *Comis eſt.*

Eſt autem virtutis hujus proprium, in actionibus aut colloquiis, quæ cum altero tibi intercedunt, ſuavem & jucundum ei te præbere. Ita virtus hæc ea quæ in nobis exterius apparent, & ad alterum vel offendendum vel etiam voluptate perfundendum & tibi etiam quodammodo conciliandum pertinent, moderatur & grata illi efficit. Quare ſi quis humanitatis laudem aſſequi velit, eum neceſſe eſt eſſe facilem aditu, ſermone ac vultu, abſque gravitatis tamen violatione, blandum, ita ut ea omnia amorem & benevolentiam erga alterum ſpirent, nec ullum ipſius contemptum præ ſe ferant. Ea utendum eſt imprimis erga inferiores, quos dignitas tua abſterrere à congreſſu & ſermone tuo poſſet: deinde erga afflictos, ut ſolatium illis præſtes. Tertio imprimis etiam ea eſt utendum in caſtigationibus & reprehenſionibus, ne veritas, quæ alias aſpera eſt, ſermone duriore reddatur aſperior, & animus aliorum exaſperetur potius, quam ſanetur. Utendum eſt etiam ea in beneficiis conferendis, in eos præſertim, qui beneficium petere aut accipere erubeſcunt; qua de re præcepimus in Ethicis. Huc pertinet etiam illud pietatis officium, quod Paulus præſcripſit Phil. 4. 8: ubi monet, ut etiam ea cogitemus & faciamus, *quæcunque ſunt amabilia,* ſeu ad amicitiam accommodata: pertinet enim huc imprimis ſuavitas quædam ſermonum ac morum, qua animos aliorum nobis conciliamus, ac devincimus; quanquam etiam beneficentiam liceat hîc includere & promptitudinem ad honorem exhibendum alicui: quorum tamen poſterius ad humanitatem quoque pertinet.

De vitiis huic virtuti oppoſitis, hoc eſt, moroſitate & adulatione ſatis dictum eſt in Ethicis. Illud tantum hîc addi poteſt, quod ad loca nonnulla ſacrarum literarum intelligenda pertinet; quo pacto lites & contentiones Græce ἔρις & ἐριθεῖαι inter ſe diſtinguantur. Nam licet contentio & rixæ etiam ad diſcordiam, quæ paci opponitur, referri queant; tamen eædem magis ad inhumanitatis aut moroſitatis vitium, comitati oppoſitum, pertinent: diſtinguuntur autem ea inter ſe, tum in loco ad Gal. 5. 20, in enumeratione operum carnis; tum 2 Cor. 12. 20. Quanquam vero non ſatis apparet, quodnam ſit inter has voces diſcrimen; tamen dici poteſt per litem quæ Græcè ἔρις, ſimplex jurgium aut litem ſignificari: jurgium autem ſermo eſt aut colloquium ab iratis hominibus profectum, & vindictam quandam ſpirans. Itaque quanquam convitia propriè dicta à lite poſſint abeſſe; tamen & his fere interpolari ſolet, & minis & ſugillationibus, inſultationibus, ſarcaſmis, aliiſque verbis contemptum alterius arguentibus. ἐριθεία autem ſignificare poteſt ſtudium quoddam contendendi, & alterum irritandi atque ad jurgium provocandi: quod probabile facit locus Jac. c. 3. 14: ubi ait, *Si vero zelum amarum habetis, & contentionem* (Græce ἐριθείαν) *in corde veſtro.* Nam ipſum jurgium vel non dicitur, vel ſaltem impropriè admodum, haberi in corde; ſed contentionis ſtudium rectè poteſt dici haberi ac foveri in corde, non minus quam zelus ille amarus, de quo in eadem verborum complexione agitur. Poteſt autem fieri, ut quis litigandi habitum habeat, propterea quod oblata occaſione à jurgio ſe non contineat, nec cedere alteri velit; ſed interea contentione ultro non delectetur, nec quenquam ad eam provocet: itaque ἐριθεία deterior eſt, quam ἔρις. Quod ſi

cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cui hoc diſcrimen minus probetur (quanquam cauſa ſatis juſta non apparet, cur repudietur) dicere poſſis litem eſſe jurgium quodcunque, quod ſemel cæptum, mox iterum ceſſet, ſimul ac ira deferbuerit: ἐριθεία autem ſit concertatio ſeu contentio in longum protracta, quæ ſemel cæpta ſubinde repetatur, neutra parte alteri cedere volente, ſed quod ſemel defendendum ſuſcepit, ſubinde urgente. Itaque ἔρις prælii inſtar erit, ſeu pugnæ unius; ἐριθεία autem belli, quod multis conſtat præliis ac pugnis ſubinde interruptis. Ad hujuſmodi lites ſeu ἔριδας pertinent illæ μάχαι ſeu pugnæ, de quibus loquitur Apoſtolus 2 Tim. 2. 23, 24. quanquam iis opponit manſuetudinem, uſus vocabulo ἤπιος, quod non tantum animi lenitatem, ſed ex eadem etiam naſcentem verborum lenitatem ac comitatem complecti poteſt. De qua voce vide etiam 1 Theſſal. 2. ẏ. 7. Ad contraria humanitatis referri poteſt etiam illud, quod Apoſtolus exprimit voce ἀσχημονεῖν 1 Cor. 13. 5, ubi illud à charitate abeſſe docet. Significat enim ἀσχημονεῖν indecore ſe gerere: quod quanquam per ſe latius patet, tamen quia id charitati ſatis aperte opponitur, videtur geſtum indicare ejuſmodi, qui alterius vel contemptum vel odium iramque aliquam adverſus ipſum arguit. Solent enim homines iracundi, moroſi, pertinaces, quando cum aliis rem habent, vultu etiam & geſtu corporis indecore ſe gerere; quæ res alios facillime offendere poteſt. Quanquam non deſunt, qui aliter verba iſta interpretantur, inter quos Eraſmus, qui arbitratur ἀσχημονεῖν hoc loco active ſumendum eſſe, & ſignificare, indecorum aliquid judicare; quaſi dixiſſet Paulus, charitas cum de proximi commodis agitur, nil quanquam alias vile & contemptibile, indecorum aut ſe indignum judicat, nullius eam rei pudet, ſed ad viliſſima quæque officia ſeſe demittit; quo pacto Chriſtus pedes lavit diſcipulorum. Quare hoc officium per ſe ad humilitatem ſeu modeſtiam pertinebit, per accidens ad charitatem aut beneficentiam. Poteſt etiam huic virtuti opponi id, quod verbo περπερεύεσθαι ab Apoſtolo exprimitur ibidem 1 Cor. 13. 4. Etſi enim de eo verbo non eadem omnium ſit ſententia; tamen omnium optime videntur illi ſentire, qui περπερεύεσθαι eſſe arbitrantur petulanter ſe gerere, hoc eſt per petulantiam ac levitatem alios aliquando offendere: quod vitium juvenum imprimis eſt, præſertim opulentorum ac nobilium, qui omnia ſibi in quoſvis licere arbitrantur, & licentioſe omnia agunt, nihil interim cogitantes, num alii ea re offendantur nec ne. Poſſis hoc vitium etiam referre ad levitatem, quæ gravitati opponitur, de qua infra ſuo loco. Alii jactationem ſeu ἀλαζονείαν eo verbo exprimi putant; quod vitium non niſi per accidens charitati adverſatur.

Cap. XI.

De Beneficentia.

SEquitur ea virtus ex Charitate profecta, quæ commoda aliorum curat, quæ quidem propriè dicitur εὐποιΐα, hoc eſt, beneficentia: unde etiam facere bonum pro benefacere alicui, ſumitur ad Gal. 6. 9, 10, quia vox boni in hujuſmodi locutionibus de eo, quod alteri utile eſt, & commodum ei affert, ſumitur. Quanquam alias vox ἀγαθοποιΐας, quæ vi ſua id ſignificat, quod εὐποιΐα, apud Petrum cap. 4. ẏ. ult. omnis generis virtutem, aut ipſa facta honeſta ſignificat, cum vult ut illi qui patiuntur ſecundum Dei voluntatem, animas ſuas commendent Deo *in beneficentia*, ſeu cum beneficentia, hoc eſt, benefacientes, non vero mali aliquid perpetrantes, ob quod puniantur: quod facile intelligitur ex collatione ejus loci cum cap. 3. ejuſdem Epiſtol. ẏ. 17: ubi ait idem Petrus, *melius enim benefacientes* (Græce ἀγαθοποιοῦντας) *ſi vult voluntas Dei pati, quam malefacientes*. Quanquam etiam intelligi poteſt Petrum monere eos, qui ut Chriſtiani patiuntur, ut eo ipſo etiam tempore, cum patiuntur, ita ſe gerant ut par eſt, atque imprimis ut hoſtibus etiam ſuis ac perſequutoribus eam præſtent charitatem, quam Chriſtus præſcripſit. Sed hæc obiter. Vocem ἀγαθοῦ ſeu boni de eo ſæpe uſurpari, quod alteri bonum eſt, monuimus, ni fallor, ſupra cum de voce mali ſeu malitiæ ageremus, initio tractationis hujus de officiis ad proximum ſpectantibus. Eadem virtus in loco ad Gal. 5. 22, in catalogo fructum Spiritus, appellatur ἀγαθωσύνη. Nam ſi quis cæteras virtutes, quæ ibi enumerantur, removeat, videbit nullam aliam relinqui, quæ nomine ἀγαθωσύνης poſſit intelligi, quam beneficentiam. Eadem intelligi poteſt ad Eph. 5. 9: ubi etiam fructus Spiritus enumerantur, & vox ἀγαθωσύνης extat. Atque ita viri nonnulli docti ſentiunt: quod collatio loci ad Galat. cum utrobique Spiritus fructus explicentur, reddit probabile. Id tantum dubitationem cuipiam movere poſſet, quod ibi vix videatur fuiſſe occaſio beneficentiam commemorandi, cum vitia quibus bonitatem iſtam, juſtitiam & veritatem opponit, alterius ſint generis, niſi forte avaritiam inter iſta commemoratam huc pertinere putes. Itaque ſi nolis ſpecialem aliquam vocem ibi intelligere, dicere poſſes Apoſtolum latius extendiſſe hanc vocem, & tribus vocibus rem eandem ſeu pietatem univerſam expreſſiſſe, verum diverſimode conſideratam; quaſi dixiſſet, fructus enim ſpiritus in eo conſiſtit ut facias omne id, quod bonum eſt, atque honeſtum, quod juſtum ſeu juri divino conſentaneum, quod denique verum eſt atque ſincerum, ab omni fraude ſeu malitiæ admiſtione ſejunctum; ubi tres quodammodo proprietates ac qualitates ſanctitatis exprimuntur, nempe, quod in ſeipſa ſit bona, atque honeſta, deinde quod divino juri conſentanea, denique quod ſincera atque pura. In loco 2 ad Theſſalon. 1. ẏ. 11, ubi eadem vox ἀγαθωσύνης extat, dubium eſt, utrum de bonitate Dei, an verò de noſtra intelligatur. Sed illud eſt veriſimilius; quod ſi admittas, ἀγαθωσύνη ſumetur pro divina benificentia, & εὐδοκία ἀγαθωσύνης erit beneplacitum ex divina in nos beneficentia profectum, ſeu voluntas ipſius benefica; quæ ſignificatio convenit cum ea, de qua hoc loco agimus, quanquam ad homines eam referimus.

Quæ autem ſint beneficentiæ officia, in Ethicis noſtris ſatis fuſè explicuimus; quo loco etiam commemoravimus hoſpitalitatem, quæ Græcis eſt φιλοξενία, ad eam referendam. Eodem pertinent opera, quæ vulgo etiam miſericordiæ appellantur, ut & revera ſunt, de quibus Chriſtus Matth. 25. 35. & ſeqq. ubi primo etiam loco hoſpitum in ædes receptio commemoratur. Huc ſpectat etiam id, quod Jacobus commemorat in deſcriptione effectorum religionis, ſeu (ut ita loquar) religioſitatis, cap. 1. 27. ubi ait, *Religio pura & impolluta apud Deum & Patrem hæc eſt*, hoc eſt, hic illius eſt effectus, ſeu hunc effectum producit, *viſitare viduas & orphanos in afflictione ipſorum*; ubi inviſere per Synecdochen quandam Metonymicam ſignificat, curam orphanorum & viduarum afflictarum habere; quemadmodum etiam idem verbum accipitur cum de viſitatione ægrorum Dominus Jeſus loquitur dicto loco Matth. 25. Nam inter alia, quæ afflictis, atque imprimis ægris, qui adire nos non poſſunt, aut viduis deſertis orphaniſque debemus, unum eſt etiam, eos viſitare, & hoc etiam vulgo à viris bonis iis præſtari ſolet. Sed quia cum aliquem viſitamus, illum ſolaturi vel adjuturi adimus, & ipſius calamitate viſa vel audita excitati ad eum ſublevandum impellimur; ideo viſitatio pro iis etiam, quæ illam veriſimiliter conſequuntur aut conſequi debent, ſumitur; niſi forte malis, vocabulum Græcum ἐπισκέπτεσθαι ſimpliciter poſitum eſſe, pro curam alicujus gerere. Nam & apud Hebræos ita vox viſitandi ſumitur, atque inde etiam Græca ἐπισκοπῆς pro functione aut cura alicui demandata à ſacris ſcriptoribus ſumi ſolet; idque propterea, quia quod curamus & quidem diligenter, id ſæpè ἐπισκέπτεσθαι id eſt viſere & luſtrare ſolemus, ne ſi quid forte detrimenti capiat; & dies viſitationis ſumitur pro tempore, quo Deus benefacit alicui,

quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quanquam & contrarium interdum ſignificat, & viſitare eſt etiam punire. Huc etiam pertinet illud monitum Autoris Epiſt. ad Hebr. 13. 3: *Mementote vinctorum, tanquam una vincti, eorum qui male habent*, hoc eſt, qui ægrotant, vel alio aliquo afflictionis genere premuntur, *tanquam & ipſi exiſtentes in corpore*, hoc eſt, vel perinde atque ipſimet in eodem corpore cum illis afflictis affligeremini, quemadmodum antea dixerat, *tanquam una vincti*, vel tanquam ii, qui cum corpore ſitis præditi, aut carne circumdati, iiſdem afflictionibus ſitis obnoxii, quarum memores alios etiam negligere non debetis. Memoria autem illa magis in affectu ſita eſt, quam in cogitatione, quanquam etiam in hac: ita enim vulgo dicere ſolemus, ſis mei memor, cum rogare volumus, ut quis nobis aliquid beneficii præſtet; quo pacto latro ille in cruce rogavit Dominum Jeſum; *Memineris mei cum veneris in regno tuo*, Lucæ 23. 42. Poſſis autem effectum iſtius memoriæ ad tria imprimis capita revocare, ad preces, ad ſolatium, & denique ad adjumentum; quo nomine & conſilium comprehendimus. De contrariis beneficentiæ oppoſitis vitiis itidem in Ethicis ſatis dictum eſt; quanquam ex contrario res ſatis intelligitur.

Hîc jam etiam locus eſſet aliquid dicendi de gratitudine, quæ beneficentiæ valdè vicina eſt, & illius veluti particula quædam, unde illam in Ethicis tractationi beneficentiæ inſeruimus; verum quia eo loco ſatis de ea dictum eſt, nihil nunc hic addimus, eo tantum excepto, quod hæc virtus ex juſtitia & beneficentia quodam modo ſit mixta, & eo reſpectu ultimo demum loco nobis fuerit collocanda, hoc eſt, poſt tractationem earum virtutum, quæ ad charitatem ſimpliciter pertinent, quaſque ſibi juſtitia per ſe non vindicat. Ideo autem diximus, virtutem hanc ex juſtitia, beneficentia, & charitate, cujus partem quandam veluti decerpit, mixtam eſſe, quia is qui beneficium accepit, alteri, à quo id proficiſcitur, aliquo modo obſtringitur, atque obligatur, & ſic jure quodam ad reddendum, ſi facultas ferat, & multo magis, ſi benefactoris res ita exigant, adigitur. Quapropter eatenus, qui gratum ſe præſtat ac beneficii memorem, jus ſuum reddit benefactori. Verum quia hoc jus non eſt ſimpliciter ita dictum, ſed per quandam analogiam ac ſimilitudinem; nec quiſquam in jus vocare poteſt eum, in quem beneficium contulit, quod id non reddiderit, unde judicia in hujuſmodi cauſis non exercentur, (quanquam & nonnunquam beneficiis conditiones ſoleant adjungi, quibus non præſtitis ea revocari queunt, & actiones in foro de iis inſtitui:) ideò is, qui beneficium reddit, de ſuo dare eatenus intelligitur, & in eum, qui antea benefecerat, beneficium viciſſim conferre; qua de re non eſt opus nunc plura diſſerere.

Cap. XII.

De Pace, ſeu Concordiæ ſtudio.

SEquitur ultima virtus ex charitate prodiens, quæ partim mala aliis inferre prohibet, partim etiam boni aliquid illis præſtare jubet, quatenus utrumque ad vitæ conjunctionem ſpectat; eſtque pacis ſeu concordiæ ſtudium, quod tamen ab objecto, vel (ſi mavis) fine, pax in ſacris literis nonnunquam appellatur, ut Gal. 5. 22 videre eſt: & ad Col. 3. 15: ubi vocatur *pax Dei*, hoc eſt, pax à Deo præſcripta, eique gratiſſima. Quanquam vero in dictis locis ea intelligitur pax, vel pacis ſtudium, quæ inter Chriſtianos vel ſolum, vel potiſſimum vigere debeat; tamen ſua natura virtus hæc latius patet, quemadmodum & ipſa concordia. Itaque ut de hac virtute aliquid explicatius dicamus, primo omnium quid, & quotuplex pax ſit, dicemus: deinde quanam in re ſtudium illud pacis ac concordiæ conſiſtat.

Primo igitur pax aut concordia nihil aliud eſt, quam quædam animorum & vitæ conjunctio, qua fiat ut alius alii nulla in re ſit moleſtus, ſed potius ejus commodis aliquo modo faveat. Hæc vero pax duplex eſt: altera civilis, & ad communem hanc vitam ſpectans: altera Chriſtianorum propria, & ea in parte ſanctior. Quare illam cum omnibus hominibus, quantum in ſe eſt, colere debent Chriſtiani; hanc cum illis tantum, qui ejuſdem religionis Chriſtianæ ſunt participes. Nam quod ad illam attinet, præcipit divinus Autor Epiſt. ad Heb. cap. 12. 14, ut *pacem proſequamur cum omnibus*, hoc eſt, eam ſingulari ſtudio colamus, & fugientem etiam perſequamur. Et Paulus Rom. 12. 18, cum ait: *Si poſſibile, quantum in vobis, cum omnibus hominibus pacem colite*. Dicit, *ſi poſſible*, propterea quod non ſemper in noſtra eſt manu, ut pacem actu ipſo cum aliis colamus, cum ad eam non unius, ſed utriuſque partis ſeu mutuus conſenſus requiratur. Verumtamen quia ſemper ex parte noſtra pacem colere poſſumus, & debemus, addit Paulus *quantum in vobis*. q. d. Etiamſi tandem ob alterius partis iniquitatem & turbulentum ingenium concordia actu conſiſtere nequeat; tamen nihilominus quantum in vobis eſt, pacem cum omnibus hominibus, non tantum fidelibus, ſed etiam infidelibus; non tantum ſuperioribus, ſed etiam inferioribus aut paribus colite. Quomodo autem ea colenda ſit, tum quiſque per ſe facile novit, cum ipſe rerum uſus id unumquemque doceat; tum ex definitione pacis explicata ſatis patet. Poteſt tamen paucis ita expediri: primo, ut ab omni injuria alterius abſtineas. Deinde ut alterius commoda tueri & augere pro virili coneris. Tertio ut communia etiam onera libenter feras. Quartò ut ſermonibus amicis & omnis generis humanitate aliorum animos conciliare aut retinere velis. Denique ut injurias facile condones, à vindicta ſis alienus, eaque patienter feras, quæ communis vita afferre ſolet, incommoda, jurgiorum ac litium cauſas, quantum in te eſt, præcidas ac vites. Hæc qui faciunt, illi εἰρηνοποιοὶ ſeu pacifici à Chriſto dicuntur. Atque hæc officia etiam ad alias virtutes jam antea à nobis enumeratas ſpectant, & ex iis ſcaturiunt; verum ea pacis ſtudium colligit, & ſibi quodammodo reddit propria.

Quod ad alterum pacis genus attinet, quod Chriſtianis hominibus eſt proprium, atque ad Eccleſiam ſolam pertinet: id non eſt prorſus ab eo, quod hactenus explicuimus, diverſum, ſed illud potius in ſe complectitur; verum ei aliquid addit, atque ad res ſacras magis reſtringit. Nam omnia illa, quæ Chriſtiani homines cuivis præſtare debent, cum abſque iſtis pax haudquaquam conſiſtere poſſit, ea vel æquè vel multo etiam magis ſibi invicem præſtare debent. Eſt ergo hæc pax conjunctio animorum ac vitæ iis intercedens, qui ſalutarem Domini Jeſu doctrinam profitentur, quæ complectitur quandam ſocietatem in omnibus iis, quæ ad religionis gloriæque divinæ negotium ſpectant. Hoc ut rectius intelligatur, primum conſiderandum eſt, cum quibuſnam hæc pax ſit colenda: deinde quo pacto. Ad primum quod attinet, diximus inter eos homines debere eam intercedere, qui ſalutarem Domini Jeſu doctrinam profitentur, quos quidem Johannes, oſtenſurus quem tanquam fratrem amare debeamus, iis verbis deſcribit: *Omnis, qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt*, 1 Joh. 5: 1. ubi verbum credendi, ſi Johannis ſcopum ſpectemus, ita accipiendum eſt, ac ſi, dum quis ſe credere profitetur, ſeu tum verbis, tum factis externis id oſtendit, eum, pro Dei filio, & ſic pro fratre noſtro, nos, qui ex eodem patre nos genitos gaudemus, habere debeamus. Nam quemadmodum is, qui vere credit, Jeſum eſſe Chriſtum, vere etiam ex Deo natus eſt: ita etiam qui ſe talem factis externis probat, pro tali etiam à nobis habendus eſt, nec conſcientiam ipſius ſcrutari amplius debemus, ſed occultos animi receſſus Deo ac Chriſto cordium ſcrutatori relinquere, qui occulta tenebrarum aliquando in lucem producturus eſt, & conſilia cordis patefacturus, ut ait Apoſtolus 1 Cor. 4. 3, 4. Et verbis quidem quomodo quis profiteri debeat Jeſum eſſe Chriſtum, de eo videatur Socini commentarius in illum, de quo agimus, Johannis locum. Unde etiam colligi poteſt, quomodo quis factis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

factis id ipſum ſe credere profiteri debeat: tum enim id fit, cum quis vitam ſuam ad normam præceptorum Chriſti, ſeu Regis ſui cœleſtis componere ſtudet. Nam qui non facit ea, quæ Chriſtus præcipit, is falſo eum Dominum ſuum appellat, Luc. 6. 46, ac proinde etiam Chriſtum. Quia vero quiſpiam poteſt eſſe infirmus, partim quod attinet ad cognitionem doctrinæ Chriſti, atque adeò etiam ratione profeſſionis, partim etiam ratione exſequutionis eorum, quæ Chriſtus præcepit; ideo cum utroque hominum genere pax illa fraterna ſeu Chriſtiana colenda eſt, idque tam diu, quam diu infirmitatem veram eſſe cernimus, non vero contumaciam aut animi malitiam. Itaque ſi videamus, quempiam non poſſe aliquid capere, quod ad religionem Chriſtianam pertineat, aut in errore aliquo hærere, qui fidem in Chriſtum ſalutiferam, veramque pietatem neceſſario non evertat, ſive ob judicii imbecillitatem, ſive quod inveteratus error tam altas in ipſius animo radices egerit; eum, ut Apoſtolus loquitur Rom. 14, tanquam infirmum in fide debemus aſſumere, ſeu eum, tanquam Chriſtianum, complecti, & nobis adjungere. Quin etiam is non ſtatim ab hac ſocietate fraterna removendus eſt, qui in ejuſmodi errorem inciderit, qui fidem in Chriſtum veram aut pietatem evertat, ac proinde ſalutem tollat; ſed monendus eſt potius, & danda opera, ut à peſtifero errore revocetur, donec appareat, eum non judicii imbecillitate, ſed malitia errorem tueri. Quamquam cùm imbecillitas culpa nunquam prorſus vacet, eſt tum in his, tum in cæteris fide imbecillibus tolerandis, ratio habenda ædificationis, ne forte, dum unum membrum in Eccleſia retinere conamur, multo plura pereant, aut totum Eccleſiæ corpus diſſipetur, vel ingens apud extraneos ſcandalum oriatur. Eodem modo agendum eſt cùm iis, qui vitæ ratione infirmi ſunt, propterea quod vel crebrius labantur, vel gravius; de quibus loquitur Paulus Gal. 6. 1 & ſeqq. De utroque infirmorum genere accipi poſſunt illa Apoſtoli 1 Theſſ. 5. 14: *Suſtentate infirmos*, hoc eſt, tolerate. Illud adhuc addi poteſt iis, quæ diximus de infirmis tum in fide, tum in vita tolerandis; cum iis quoque pacem coli poſſe, qui non intelligant, & ſic nec faciant aliquid eorum, quæ ad præcepta Chriſti pertinent, verùm non ita expreſſe atque aperte in ſacris literis continentur, atque ad perfectionem pietatis Chriſtianæ imprimis ſpectant, non vero ex eo ſunt numero, quæ vel fundamenta Chriſtianæ religionis ac veræ pietatis convellunt, vel neglectam pietatem nimis apertè violant. Sed de his accuratior differendi locus non eſt nunc, nec noſtri inſtitui.

Hactenus de iis, cum quibus pax hæc vel ſocietas aut fraternitas ſit colenda. Quanquam nonnihil etiam dictum eſt, quod pertineat ad rationem, qua pax illa ſit colenda, ad quam explicandam nunc accedemus. Primum ergo (ne ea nunc repetamus, quæ ſuperius de pace generatim ſumpta diximus) ad eam requiritur, ut ii, inter quos fraternitas illa coli debet, ſeſe mutuo pro Chriſti membris ſeu fidelibus ac Dei filiis, atque adeò pro fratribus ſuis agnoſcant & profiteantur, alii alios non damnent, & à ſalute in Chriſto excludant. Deinde ut unam quandam Remp. Chriſtianam, quam Eccleſiam vocamus, conſtituere velint, atque adeò reipſa etiam conſtituant, & ea, quæ ad illius conſervationem pertinent, diligenter curent. Id verò fiet, ſi libenter in nomine Chriſti inter ſe congregentur, & ea conjunctim tractent, quæ ad Religionem, ad divinam gloriam, ad ſuam aliorumque ſalutem ſpectant. Quænam autem illa ſint, dicemus Deo volente ibi, ubi de iis Chriſtianorum officiis agemus, quæ illis conjunctim ſunt præſtanda, ſeu quæ ad Eccleſiam univerſam propriè pertinent. Pertinent huc etiam communes labores ac ſumtus, qui gloriæ divinæ cauſa ſuſcipiuntur. Ut autem concordia hæc conſiſtere poſſit, iis imprimis opus eſt virtutibus quas enumerat Paulus Epheſ. 4. 2 & ſeqq. Ubi ad pacis ſtudium hortatur, & illa charitatis effecta, quæ enumerat idem Apoſtolus 1 Corinth. 13; quorum non exiguam partem hactenus explicuimus, nonnulla adhuc explicaturi Deo dante. Hactenus de Medio.

Conſequens eſt, ut de Extremis aliquid dicamus. Sunt autem, ut alibi, duo; quorum illud, quod in defectu peccat, eſt Diſcordia, hoc eſt, animorum ac vitæ disjunctio; quanquam diſcordia actus vitii potius eſt, quam ipſum vitium ſeu habitus, quem ſtudium diſcordiæ poſſes vocare. Ejus ſpecies ſunt inimicitiæ, quando præſertim mutuis conſtant odiis, bella, & ſi quæ ſunt ſimilia. Poſſunt etiam lites & contentiones huc referri, niſi eas jam ſibi vindicaſſet inhumanitas: quanquam quemadmodum de officiis ipſius virtutis à nobis explicatæ diximus, ea proficiſci ex aliis virtutibus, nempe Manſuetudine, longanimitate & humanitate; ita etiam de actibus vitii contrariis dici poteſt. Huc poſſunt etiam referri duo illa vitia, quæ enumerat Paulus Rom. 1. 31, dum perſtringit ἀσυνθέτους, hoc eſt, fœdifragos, & ἀσπόνδους, hoc eſt, implacabiles, ſeu tales, qui reconciliari nequeunt; quorum poſterius recenſet etiam 2 Tim. 3. 3. Nam etſi prius etiam ad perfidiam pertinet, ſicut pacta non ſervare eſt fidem frangere; tamen quia fœdus frangere, eſt pacis vinculum rumpere, ideo pacis quoque ſtudio jure opponitur. Poſterius pertinet quidem etiam ad manſuetudinis contrarium: ſed quia is, qui implacabilis eſt, imprimis à concordia & pace abhorret, ideo huc quoque referri poteſt. Qua vero in re utrumque conſiſtat, unicuique per ſe patet. Huc pertinent etiam διχοστασίαι, de quibus loquitur Paulus Gal. 5. 20. Quas appellat etiam σχίσματα, 1 Cor. 1. 10. & cap XI. 18. Sunt autem διχοστασίαι ſeu diſſidia, & σχίσματα ſeu ſectæ, diſcordiæ inter eos, qui inter ſe concordes vivere, & mutuo amoris vinculo colligari deberent, & diſcordiæ quidem ejuſmodi, ut alii ab aliis quodammodo diſcedant, atque ita cœtus unus in plures quodam modo ſecetur. Et quanquam voces iſtæ per ſe latius pateant, & non tantum de diſſidiis in Eccleſia ortis propriè dicantur, verum etiam de iis, qui in quacunque communitate exiſtant; tamen vox poſterior, hoc eſt, σχίσματος ſeu ſectæ, de Eccleſiaſticis diſſidiis fere propriè ſolet uſurpari. Quare περὶ σχίσματος ſeu de ſecta, atque adeò etiam περὶ διχοστασίας ad Eccleſiam reſtricta aliquid ut dicamus; nihil σχίσμα eſt aliud, quam cum vel unus, vel plures ab Eccleſia diſcedunt, à qua diſcedere minime deberent, retinentes interea ipſi ſalutarem, quæ in Eccleſia adhuc extat, doctrinam. Nam ſi quis à ſalutari doctrina ipſemet diſcedat, dum Eccleſiam deſerit, ſeu ab aliis Eccleſiæ membris ſeipſum ſejungit; crimen iſtud hæreſeos nomen meretur; de quo paulo poſt. Quare σχίσμα eſt, cum alii ab aliis in eadem Eccleſia membris diſcedunt, & eorum fraternitati renunciant, ob diſſenſionem in iis dogmatibus, quæ ſive teneantur, ſive etiam non agnoſcantur, fidem in Dominum Jeſum ſalvificam, & cum vera pietate conjunctam non tollunt: præſertim cum nulla apparet manifeſta animi malitia ſeu contumacia in iſtis, qui dogmata illa vel fovent vel repudiant, eaque in re errare videntur. Et talia hodie ſunt σχίσματα inter plæraſque omnes Eccleſias, quæ à Papatu receſſerunt; quanquam id imputari potiſſimùm debet iis, qui eorum fuerunt autores, præſertim ſi cognoſcere non difficulter potuerunt, controverſias inter ſeſe & alios de quibuſdam religionis capitibus vigentes, non verſari in rebus ad ſalutem prorſus neceſſariis. Nam ſi id agnoſcere difficulter potuerunt, & non carnali aliqua de cauſa ab aliis diſceſſerunt, vel alios à ſe excluſerunt, aut jam ſejunctos in eadem diſſenſione retinuerunt; διχοστασία quidem, ſeu diſſidium quod ad effectum attinet, factum eſt, idque adhuc viget: verumtamen non arbitrarer eos, qui tales fuerint, & in hac diſſenſione adhuc permaneant, hujus criminis reos eſſe peragendos, ac dicendum, eos in opere aliquo carnis hærere. Quod ſi carnali aliqua de cauſa id quiſpiam vel fecit vel facit, nec, quantum in ſe eſt, curat, ut corpus in tot membra laceratum coaleſcat, is proculdubio hujus criminis reus erit. Σχίσμα etiam eſt, cum ob diſſenſionem circa facta aliqua aut negotia, quæ in cœtu agitantur, vel etiam propter

pter peccata quorundam, quæ tanquam in infirmis toleranda eſſent, ab Eccleſia ſit diſceſſio. Quo eos quoque referendos eſſe arbitramur, qui ideo ab Eccleſia aliqua diſcedunt & ſeſe ſejungunt, quod videant in Eccleſia ea tolerari, quæ tolerari haudquaquam deberent; præſertim ſi vitia illa paucorum ſunt, & non latè in Eccleſia ſerpunt. Nam etſi ab iis ipſis ſeſe ſejungere, qui vitiis illis laborant, (de quibus præcipit Paulus, ne cum iis commercium habeamus) σχίσματος aut diſſidii nomine haudquaquam ſit appellandum, cum id ab Apoſtolo expreſſis verbis ſit præceptum; non caret tamen hoc crimine, ſi quis à tota Eccleſia propterea diſcedat, quod unus atque alter, à quorum commercio ſibi omnes cavere deberent, in Eccleſia toleretur. Pluribus à paucioribus ſeſe ſejungere magis licet, quàm paucioribus à longe pluribus. Itaque ne quidem ſi plærique in Eccleſia, qui ſalutarem doctrinam alias teneant, aliquibus laborent vitiis, prorſus ab Eccleſia eſt diſcedendum, ſi modo ea nos alias ferat: ſed potius danda eſt opera, ut vitia illa corrigantur. Quod ſi etiam à ſalutari doctrina diſceſſerit cœtus aliquis, nec ſint aliæ puriores Eccleſiæ jam conſtitutæ, non eſt etiam ſtatim ab eo cœtu diſcedendum, niſi jam certo conſtet, tibi, ſi veritatem profitearis, & eum cœtum ab errore revocare coneris, locum haudquaquam in eo futurum, aut etiam vitæ periculum tibi metuendum eſſe. Cæteroqui danda eſt opera, ut prius ab errore alios in eadem Eccleſia revocare poſſis; ita tamen ne veritatem unquam prodas, & contra eam quicquam vel loquaris vel facias. Atque ut ipſi Chriſtiani primævi, Apoſtoli non ſtatim ſeſe ſejunxerunt à Judæorum Synagoga, licet ſuos interim cœtus frequentarint, & Eccleſiam peculiarem habuerint; ita nec nos ad diſcidium properare debemus, ſed paulatim potius diſſuere noſtram cum illis conjunctionem, quam ſubito diſrumpere. Etſi autem σχίσμα & διχοστασία ſemper ſit minimum inter duas partes, non tamen ſemper utraque pars ejus criminis eſt rea, ſed ea, cujus culpa revera fit diceſſio, ſeu per quam ſtat, quo minus concordia Eccleſiaſtica vel retineatur vel redintegretur. Quare nonnunquam utrique, qui à ſe invicem diſcedunt, æquè ſunt in culpa, propterea quod in utriſque animus ſit diſcors, & diſſidii cupidus: interdum altera tantum pars, ſive ea ab aliis diſcedat, cum diſcedere non deberet, ſive alios à ſe expellat, & ab Eccleſiæ ſocietate removeat, quæ quidem pars non poteſt eſſe niſi potior aut numeroſior. Neque vero illi ſunt protinus accuſandi σχίσματος, qui aliquid tale fecerunt, unde alii σχίσματος occaſionem arripuerunt, ſi modo res ejuſmodi fuit, ut altera pars ab aliis jure diſcedere non debuerit, & ipſi animo fuerunt ad concordiam propenſo. Animadvertendum autem eſt, fieri nonnunquam poſſe, ut aliquo modo una maneat Eccleſia, & nihilominus ſint in ea σχίσματα, ſeu ut ii, qui à ſe mutuo diſſident, unam quodammodo inter ſe conſtituant Eccleſiam: quia etiamſi unus aliqua ex parte ſit cœtus, membra tamen illius ita inter ſe diſcordant, ut alii alios vel pro fratribus non agnoſcant, vel fraternè cum iis non agant, & propter diſſenſionem veluti factiones diverſas conſtituant: quo pacto etiam in una repub. interdum ſunt factiones, quæ æmulationem inter ſeſe alunt, & quarum neutra alteri vult cedere. Talia fuerunt olim σχίσματα in Corinthiaca Eccleſia, de quibus loquitur Paulus paulo ante citatis locis 1 ad Corinth. 1. 12: ubi alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Chriſti ſe eſſe dictitabat, alios, qui ab aliis miniſtris eſſent edocti, præ ſe quodam modo contemnens, aut ita cum illis agens, tanquam tot eſſent diverſæ religiones, quot excellentes fuiſſent doctores: & non obſcure apparet ex cap. XI, ex hujuſmodi contentionibus id ortum fuiſſe, ut in Cœnæ Dominicæ celebratione non ſatis inter ſe convenirent, nec una ritum hunc ſacratiſſimum celebrarent. Ubi ergo factiones ſunt in Eccleſia, ibi etiam σχίσματα ſunt: factiones enim illæ demum dicuntur, cum plures ad eandem communionem pertinentes inter ſe coëunt ac conſpirant, adverſus ejuſdem communionis membra, cum quibus unanimiter vivere deberent.

Diſſidiis his aut ſectis ſeu factionibus affines ſunt ἀκαταστασίαι ſeu ſeditiones ac tumultus, qui in Eccleſia vel etiam in aliis communionibus excitantur, quas commemorat Paulus 2 Cor. 12. 20; quin etiam 1 Epiſt. cap. 14. 33: ubi ἀκαταστασία paci opponitur, eſtque tum, cum contentio aliqua oritur in Eccleſia ac tumultus, & alii aliis cedere non volunt; quod ſatis apparet ex iis, quæ dicto loco 1 Cor. 14 præceſſerunt. Vult enim Apoſtolus, ut Prophetæ vicem in dicendo ſervent aliiſque tradant, & alii loquantur alii judicent, atque ita alii aliorum ſeſe judiciis ſubjiciant, ut ita confuſio ac tumultus non oriatur in cœtu pluribus ſimul loquentibus, &, dum quiſque auditorum aures ad ſe convertere laborat, contentio quædam conſequatur, nec, ſi diſſenſus aliquis in ſententiis oriatur, aliis aliud judicantibus, quiſquam pertinaciter ſuam defendere velit. Et hujuſmodi quidem ἀκαταστασίαι, hoc eſt, ſeditiones aut tumultus, διχοστασίας ſeu diſſidia vel pariunt, vel ex iis conſequuntur: quemadmodum in Republ. interdum accidit, quæ factionibus laborat, ut ad tumultum ac ſeditionem deveniatur. Quare ἀκαταστασία inſtar alicujus pugnæ eſt, ac contentionis tumultuariæ; διχοστασία autem inſtar diſcordiæ Civilis, quæ exiſtere poteſt tum etiam cum tumultus revera non eſt. Ad has ſeditiones poſſunt etiam referri verborum pugnæ, de quibus ſuperius nonnihil diximus, cum de humanitate ageremus.

Tandem huc pertinet etiam hæreſis, quæ ſchiſmate pejor eſt. Eſt autem hæreſeos nomen ambiguum. Nam interdum ſumitur pro diſſenſione ab aliis, ſalutarem doctrinam retinentibus, in re ejuſmodi, quæ ad conſtituendam fidem ſalvificam neceſſario pertineat, ſeu (quod perinde eſt) error, qui ſalutem vi Novi fœderis unicuique adimat, quo fiat, ut quis ab aliis, qui ſalutarem Jeſu Chriſti doctrinam tenent, diſſentiat: interdum vero ſumitur pro diſſidio, vel ſeparatione à vera Eccleſia, ex hujuſmodi peſtifero errore orta. Priori modo ſumitur illa vox 2 Pet. 2. 1: poſteriori probabilius eſt eam ſumi Galat. 5. 20: ubi hæreſes diſſidiis ſtatim ſubjiciuntur; quanquam haud negaverim, poſſe ipſa etiam peſtifera dogmata, ſeu diſſenſionem, quæ ob hujuſmodi dogmata, ab eo qui illa foveat excitetur, eo nomine ibi intelligi. Quanquam enim hæreſes ibi pro ſpecie quadam diſcordiæ, quæ in voluntatum diſſenſione per ſe conſiſtat potius, quam in diſcrepantia ſententiarum & opinionum, proculdubio ponatur; tamen is, qui dogma aliquod peſtiferum in Eccleſiam invehit, & ſic ab aliis, qui ſalutarem Chriſti doctrinam tenent, ea in parte diſcedit, jure hujuſmodi diſcordiæ, quæ in voluntate conſiſtit, accuſari poteſt; propterea quod etiamſi ipſemet ab aliis non diſcedat, tamen ſi errorem conceptum conſtanter tueatur, eumque deſerere nolit, eos, qui rectè ſentiunt, adigit, ut eum à ſuo conſortio ſejungant, atque ut Paulus ſcribit ad Tit. 3. 10, cum poſt unam aut alteram admonitionem repudient ac devitent. Verumtamen multo magis criminis hujus reus eſt, qui ita ab Eccleſia recte ſentiente in re ad ſalutem neceſſaria diſſentit, ut ipſemet ſimul alios damnet, & ab iis diſcedat, alioſque ab Eccleſiæ ſocietate avellere atque ad ſe pertrahere conetur. Quanquam etiam illi hujus criminis ſunt rei, qui aliorum errorem hac in parte ſequuntur, & ſic vel actu ipſo ab Eccleſia ſeſe ſejungunt, vel, ut ſejungantur, cauſam præbent ſufficientem. Quare illis primum crimen hoc hæreſeos impingendum eſt, qui ipſimet ſunt peſtiferorum errorum autores, quos Hæreſiarchas ſolent appellare, præſertim ſi id agant, ut quamplurimos ſibi ſectatores colligant, & peculiares Eccleſias conſtituant. & de his vel ſolum, vel imprimis loquuntur verba Pauli ad Tit. modo adducta. Deinde iis, qui horum errorum atque impietatem ſequuntur. At inter utroſque ii pejores ſunt, qui peſtilentes errores amplexi diſcordias ſimul ſpirant, quam qui alias à concordia non abhorrent: quanquam in hujuſmodi animos, tales errores ſeu hæreſes non facile cadunt, niſi forte in iis fuerint nati, aut meliores ſententias amplectendi occaſiones non habuerint, aut denique in rebus ad religionem pertinentibus deſides ſint, ac ſupinè negligentes. Etſi autem non pauci arbitrati ſunt, Paulum

in loco ſupra adducto 1 Corint. XI. 18, 19, pro eodem ſumere σχίσματα & hæreſes, cum dixit: *Audio σχίσματα & ſectas in vobis exiſtere, & partem aliquam credo: oportet enim & αἱρέσεις inter vos eſſe*; animadverterunt tamen alii, haudquaquam ita ſe rem habere, ſed potius Paulum ab imparibus argumentari hoc pacto; Haud difficulter credo inter vos eſſe σχίσματα, ſiquidem etiam hæreſes (quod longè majus eſt) inter vos exiſtere oportet. Itaque non ſimpliciter dixit, *oportet enim inter vos αἱρέσεις eſſe*; quæ verba nonnihil aliorum ſententiæ faverent: ſed *oportet enim & αἱρέσεις in vobis eſſe*, id eſt, non tantum σχίσματα, ſed & αἱρέσεις, quæ illis ſunt adhuc pejores. Quanquam enim ex dictis ſatis conſtare poteſt, quantum interſit inter σχίσματα & αἵρεσιν; tamen diſcrimen ita breviter explicari poteſt, quòd σχίσμα ſit diſſidium abſque legitima cauſa, αἵρεσις vero illegitima potius cauſa diſſidii: hoc eſt, Hæreſis ita comparata eſt, ut ſi qui eam fovet ab Eccleſia ultro non diſcedat, Eccleſia ab ipſo debeat diſcedere, ſeu ipſum potius à ſua ſocietate arcere: at ſchiſmatico locus eſſet in eccleſia, modo ipſe ſe non ſegregaret. In ſchiſmate enim nunquam eſt diſſenſus in rebus ad ſalutem neceſſario pertinentibus, in αἱρέσει ſemper eſt.

Antequam ad alterum extremum accedamus, reſtat adhuc peculiare aliquod vitii genus, quod cum ſtudio pacis & concordiæ pugnat, licet certorum hominum proprium, hoc eſt, conjugum. Eſt autem illud duplex: alterum paulo laxius, & ad ſummum nondum progreſſum, eſtque diſceſſus unius conjugis ab altero, ſeu deſertio, qua fit, ut una non vivant; quam ſeparationem tori vulgo appellant, quam non permittit Apoſtolus, niſi cum alter conjugum infidelis eſt, & cum altero habitare non vult. 1 Corinth. 7. 15. Alterum ſtrictius eſt, & in hoc genere perfectius, eſtque verum divortium, quo alter alteri ita remittit nuncium, aut ita ſe ab eo ſejungere curat, ut jam vinculum matrimonii prorſus eſſe diſſolutum arbitrentur, aut ad alias nuptias ſibi tranſire licitum putent: id quod Dominus Jeſus non permittit, niſi marito, cum uxorem adulterii convictam tenet; ut habetur Matth. 5. 32. cap. 19. 4. & ſeqq. uſque ad finem ℣. 9. De hac utraque re videatur Socinus in Commentario ad dictum locum Matth. 5. Hoc autem peccatum ideo huc referendum putavimus, quia primo vinculum pacis ac conjunctionis matrimonialis dirimit, & ſic concordiæ ſtudio proprie adverſatur. Quod ſi nuptiæ poſt divortium aut deſertionem conjugis acceſſerint aliæ: adulterium quidem ab ea parte committitur, quæ ad nuptias illas tranſit, quod peccatum pudicitiæ adverſatur; verum id divortio ac deſertioni præcedenti non eſſentiale eſt, ſed accidentale.

Hactenus de altero extremo, ſtudio concordiæ oppoſito, quod in defectu peccat. Reſtat, ut de altero extremo, quod in exceſſu, nonnihil dicamus: id vero (ut de effectis potius illius loquamur, quam de habitu interno) eſt arctior quædam vitæ conjunctio, ſeu ſocietas cum illis, quorum commercium aut ſocietas, præſertim arctior, nobis eſt fugienda. Talis eſt imprimis ſocietas arctior cum infidelibus, quæ quidem non ſit neceſſaria; quod propterea addo, quia ſi quis vel ob conſanguinitatem, vel propter peculiarem aliquam obligationem, qualis eſt inter dominum & ſervum; præſertim mancipium, quod non eſt ſui juris, ſed in domini eſt poteſtate, vel ob neceſſaria vitæ negotia, familiarius utatur homine extraneo ſeu infideli, qui alias ejus conſortium fugiturus eſſet, is non eſt protinus hujus peccati arguendus: ſed is demum, qui ultra quam neceſſarium eſt, conſuetudinem & familiaritatem cum hujuſmodi hominibus colit, aut etiam ambit; præſertim tum, cum ſuis ipſi voluptatibus indulgent, & ea committunt, quæ ſunt divinæ voluntati adverſa. Iis enim cum quis intereſt, aut facile corrumpi, & in ſocietatem peccatorum pertrahi poteſt, vel ſaltem vultu, aut verbis iis cogetur aſſentiri, ne gratiam aliorum perdat. De hujuſmodi ſocietate loquitur Paulus 2 Corinth. 6, ubi prolixis verbis docet, non debere nos ἑτεροζυγεῖν, ſeu alienum trahere cum infidelibus jugum; alienum, inquam, jugum ab eo, quod trahere deberemus cum fidelibus ac piis. Cum his enim quam arctiſſime jungi debemus, non ſecus atque junguntur jumenta, quæ idem jugum trahunt. Cæteroqui quod attinet ad neceſſaria commercia, quæ communis vita poſtulat, permittit Apoſtolus in ſuperiori Epiſt. cap. 5, ut miſceantur fideles cum infidelibus, & hujus mundi peccatoribus, ſeu extra Eccleſiam exiſtentibus; additque rationem, quia alias nobis foret è mundo exeundum. Quare cum illis edere, bibere, & familiariter verſari, vitæ rationibus ita poſtulantibus, homini Chriſtiano licet. Quod ſi fiat, ut aliquid illi peccent, nobis inter ipſos verſantibus, memores eſſe debemus moniti Apoſtolici Epheſ. 5. 11: *ne participes fiamus operum infructuoſorum tenebrarum; ſed potius illa arguamus*: quod tamen præceptum per ſe aliò pertinet. Huc deinde pertinet commercium & familiaritas, quam quis colit cum hominibus inordinate ambulantibus, ac in vitio aliquo hærentibus, præſertim poſtquam Eccleſia ab eorum ſocietate abſtinendum eſſe judicavit: quo tamen præcepto non tenentur ii, qui peculiari aliquo vinculo ac nexu hujuſmodi hominibus ſunt devincti, nec poſſunt ſalvo officio ab iis ſe ſubtrahere: quales ſunt conjuges, liberi, ſervi atque ancillæ, præſertim quam diu heris ſunt obligati, aut officii, quod antea ſuſceperant, ratione inſer ſe juncti. Poſſunt etiam huc ii referri, quos neceſſitas aliqua aut negotiorum ſocietas inter ſe conjunxit: neceſſitas enim aliqua poteſt quempiam ab hujus præcepti nexu eximere, non vero quælibet (licet alias ſatis honeſta) cauſa quæ ſuadeat, ut cum aliquo commercium habeas. Quod ſi fiat, ut aliqua in re opus habeas hujus hominis opera, ita ut illum adire neceſſe ſit: prudentia eſt adhibenda, & cavendum quam maxime, ne in familiaritatem res abeat, & quantum ejus fieri poteſt cavendum, ne ultra, quam neceſſe èſt, familiari colloquio utaris, & communibus cibis abſtinendum: quin etiam ſi videas, alios hoc pacto offenſum iri, occurrere debes ſcandalo, ac te purgare, & facti neceſſitatem oſtendere. Neque vero aſſentiri poſſum iis, qui arbitrantur licere cum iis commercium habere, & conſuetudinem colere, qui ab Eccleſia penitus ſint remoti, atque ab ejus communione excluſi; cum interim ſtatuant, non licere verſari cum iis, qui inordinate ambulent, licet interim pro fratribus habeantur, quia ſpes adhuc ſit aliqua fore, ut reſipiſcant, aut mores ſuos emendent. Nam verba Apoſtoli 1 Corinth. 5, circa finem, ad omnes eos pertinent, quicunque fratres audiunt, hoc eſt, ejuſdem in Chriſto religionis una nobiſcum participes eſſe creduntur, & nihilominus in quocunque peccato hærent. Quod ſi illi etiam veritatem deſerant, & non amplius fratres noſtri ob profeſſionem eſſe dicantur aut cenſeantur, præceptum quidem Apoſtolicum ad eos revera non ſpectat; ſed alia videtur eſſe cauſa, ob quam indignum eſt, cum iſtiuſmodi hominibus familiaritatem colere. Eſt enim hæc ſumma impietas etiam ab ipſa veritate diſcedere. Atque hi hæretici jure vocari poſſunt; quos vitare jubet Apoſtolus.

Quæri hîc poſſet, an liceat uni alicui fratri, alium quempiam ejuſdem Eccleſiæ hominem, qui ſe offenderit, & privatim publiceque ſecundum Chriſti præceptum monitus reſipiſcere nolit, pro fratre non agnoſcere; reliquis interea membris liceat? Id quia prolixiorem diſputationem requireret, & non paucis difficultatibus res eſt implicata, hoc loco non attingimus, præſertim quia etiamſi exacta hujus rei cognitio non ſit futura inutilis, non tamen eſt neceſſaria.

Ex utroque autem extremo virtuti, de qua hactenus egimus, oppoſito, conflatæ ſunt factiones ſeu conſpirationes quorundam inter ſeſe adverſus alia ejuſdem ſocietatis membra, cum quibus concordiam colere, & unitatem ſervare quandam deberent: quanquam eæ ſchiſmatis aut διχοστασίας nomine in ſacris literis videntur comprehendi. Nam quatenus alii ab aliis ſeſe ſejungunt, & conjunctionis ac ſocietatis vinculum rumpunt; eatenus σχίσματος & διχοστασίας rei ſunt homines factioſi, & eatenus de priori extremo participant: quatenus vero ipſi inter ſe in re mala conſentiunt, ea-

tenus

eatenus ad alterum extremum referri poſſunt conſpirationes & conjurationes, quæ nonniſi in malam partem ſolent ſumi, pro ſocietatibus initis in re mala vel ad quippiam mali perpetrandum; qualis fuit illa conſpiratio adverſus Paulum, de qua Act. 23.

Cap. XIII.

De Virtutibus atque Officiis quæ ad nos ipſos propriè pertinent, in genere.

HActenus duas ſanctitatis partes abſolvimus, hoc eſt, illam, quæ ad Deum & proximum ſpectat: tertia ſequitur, quæ ad nos ipſos proprie refertur. Ea autem verſatur vel in bonis vel in malis noſtris, ſive jam adſint aut adfuerint, ſive futura demum ſint. Sunt autem ea bona, atque adeò etiam mala ipſis oppoſita duplicis generis: vel enim Spiritualia ſunt ac cœleſtia; vel corporalia (ut vocant) ac terrena, ſeu ad terrenam hanc vitam pertinentia. Quod ad priora attinet, Primo agendum eſt de iis virtutibus, aut pietatis officiis, quæ circa bona verſantur; tum de iis, quæ circa mala. Circa bona verſatur eorum deſiderium, & ex iis natum gaudium. Circa mala verſatur metus, aut dolor: metus cum impendent, dolor cum adſunt. Etſi enim hæc vòcabula ſint affectuum; tamen vel pro virtutibus, vel pro virtutum actionibus in ſacris literis ſumi ſolent, vel ob defectum vocabulorum, vel quod ita ferat communis conſuetudo.

Cap. XIV.

De Deſiderio bonorum Spiritualium ſeu Cœleſtium.

DEſiderium Spiritualium bonorum in tot genera dividi poteſt, quot ſunt ipſorum ſpiritualium genera. Eorum autem alia ad noſtrum officium propriè pertinent, alia ad noſtram felicitatem. Utrumque fortaſſis complexus eſt Chriſtus Matth. 5. 6, cum beatos prædicat eos, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, hoc eſt, vehementer deſiderant juſtitiam, quemadmodum eſurientes cibum, ſitientes potum. Nam juſtitiæ nomine poteſt intelligi tum ipſa pietas, tum pietatis præmium, quod eſt immortalitas; quo pacto ſumitur Galat. 5. 5. & 2 Tim. 4. 8. & 2 Pet. 3. 13. Sed apertius de utrorumque deſiderio & ſtudio loquitur idem Dominus Jeſus Matth. 6. 33. quanquam nos hoc loco magis de eo bonorum deſiderio loquimur, quæ ad felicitatem noſtram propriè ſpectant. Inter ea autem primum obtinet locum proprie, beata immortalitas nobis promiſſa, & certiſſimis documentis confirmata, quæ cum in adventu demum Chriſti nobis ſit exhibenda, ideo hunc etiam ardentiſſime deſiderare debemus. Qua de cauſa pii ita deſcribuntur à Paulo 2 Tim. 4. 8, quod diligant apparitionem Chriſti; & Rom. 8. 19 dicitur creatura (nempe nova) veluti exerto collo aut capite revelationem filiorum Dei expectare; quanquam hîc de deſiderio ipſius boni, quod in adventu Domini Jeſu nobis dandum, ſermo eſt. Unde etiam hæc duo conjunguntur à Paulo ad Tit. 2. 13: dum docet nos expectare beatam illam ſpem, hoc eſt, beatitudinem, cujus ſpes nobis eſt facta, ſeu bonum illud, quod ſperare juſſi ſumus, quodque nos vere beatos efficiat, & apparitionem gloriæ illius magni Dei & ſervatoris noſtri Jeſu; illam quidem primo ac per ſe, hanc autem propter illam. Cætera bona, quæ in felicitatis parte collocare poſſumus, illius ſunt veluti arrhæ, quo nomine Spiritum ſanctum appellat Paulus, Epheſ. 1. ℣. 14. & 2 Corinth. 1. 22: & nobis in anteceſſum illius futuræ hæreditatis dantur. Cum Spiritu autem ſancto commemorari poſſunt omnia dona ſingularia atque eximia, quibus Deus homines ſub Novo fœdere donat. Deſiderium autem bonorum iſtorum tantum eſſe debet, ut longe ſuperet deſiderium terrenorum bonorum; hoc eſt tanto vehementius ſiciantur, quanto meliora & præſtantiora eſſe intelliguntur, vel intelligi à nobis poſſunt. Nam ut tantum ſit deſiderium, quanta ipſa ſunt in ſeſe, id verò impoſſibile eſt; cum ipſa ſint infinita, nos autem nec infinitum concipere poſſimus animo, atque adeò nec infinitum eorum deſiderium fovere. Sufficit ut deſiderium intellectum & cognitionem eorum æquet. Ideò, ut paulo ante vidimus, Dominus Jeſus voluit, nos *primum quærere regnum Dei & juſtitiam ejus*, hoc eſt, potiſſimum ſeu imprimis, maximoque cum ſtudio; quanquam vox quærendi non tantum ipſum voluntatis deſiderium ac cupiditatem, ſed etiam acquirendi ac parandi laborem complecti poteſt. Huc pertinent illa Apoſtoli ad Coloſſ. 3. ab initio, ubi vult, ut *ea quæ ſupra ſunt quæramus, ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei*; ut (inquam) *ea quæ ſupra ſunt, ſapiamus*, hoc eſt ſpiremus; ita enim vox φρονεῖν apud Apoſtolum non ſemel ſumitur. Deſiderium hoc futurorum bonorum, ſpes proprie dici meretur, cum vox hæc de affectu ſumitur: verum quia ſpes interdum certam quandam perſuaſionem de bono aliquo futuro ſignificat, ideo, ut ambiguitatem evitaremus, deſiderii nomine uti maluimus: & de ſpe ſupra egimus, in tractatione de virtutibus intellectus, ubi tamen nonnihil attigimus eorum, quæ huc proprie pertinent.

Huic virtuti quid in exceſſu opponatur excogitari vix poteſt, vel ſaltem ita rari ſunt, qui modum aliqua in parte excedant (nam ſimpliciter, nemo poteſt) ut non extare cenſeri queant. Is poſſet cenſeri eo modo peccare, qui nimium intentus illis bonis, omnia terrena prorſus negligeret, & in ſuam vitam valetudinemque admodum eſſet injurius: ſed hoc miſſum nunc facimus.

Quod ad defectum attinet, duo poſſunt virtuti huic opponi, alterum directè, alterum indirectè. Directè contemptus atque neglectus bonorum ſpiritualium. Quo pacto invitati ad nuptias in parabola Matthæi 22. 5, dicuntur rem hanc neglexiſſe aut non curaſſe, & ad Heb. 2. 3 de neglectu ſalutis ſermo eſt: quò pertinent etiam prophani illi, de quibus in eadem Epiſt. 12. 16 agitur, qui inſtar Eſavi vendunt jus primogenituræ ſeu hæreditatem ſuam cœleſtem. Quanquam enim nemo eſt qui ſi intelligat, quantum ſit bonum immortalitas, eam poſſit contemnere ac ſpernere; fieri tamen poſſet, ut quis ideo eam non tanti faciat, quanti facienda eſſet, quod ob ſupinam quandam negligentiam rem tantam non expendat, & pretium tanti boni non æſtimet, quod imprimis fit, ſi animus terrenorum bonorum cupiditate ſit obſeſſus aut occupatus, ita ut cognitio futurorum bonorum locum ibi invenire nequeat. Contemptus etiam illius boni cerni poteſt in negligendis mediis ad eam felicitatem ducentibus, qualis eſt Chriſtiana religio, aut pietas ex ejus præſcripto colenda; de quo contemptu videtur loqui Divinus autor ad Hebr. locis paulo ante allegatis, præſertim priori. Quin etiam id, quod ex parabola Chriſti attulimus, huc referri poteſt, præſertim cum ibi ſermo ſit primo de bonis, quæ Deus in Eccleſia diſpenſat, & perfruenda veluti apponit, conſequenter tamen etiam de bonis futuræ vitæ, quorum-ſpes certa imprimis eſt illud, quo nos Deus in hac vita reficit, animoſque noſtros paſcit.

Indirectè opponitur huic virtuti, deſiderium rerum terrenarum, de quo inferius erit nobis dicendum, quod indicat ipſe Apoſtolus citato ſuperius loco ad Coloſſ. 3, initio; ubi poſtquam dixiſſet, nos ea, quæ ſupra ſunt, quærere & ſapere debere; addit, non ea quæ ſunt ſuper terram. Cui aliquo modo reſpondet locus ille Phil. 3. 19: ubi de Pſeudo-Apoſtolis loquens ait, *eorum Deum eſſe ventrem*, hoc eſt, ventri ſuo ac voluptatibus ipſos penitus ſervire, & *gloriam in ipſorum pudore*, hoc eſt, id, de quo maximè gloriantur, eſſe res pudendas, ſeu voluptates turpes, ad quarum mentionem etiam ſuffundi rubore deberent, eoſque terrena ſapere ſeu ſpirare. Unde per oppoſitionem addit, *noſtrum autem* πολίτευμα ſeu propriæ civitatis jus atque uſus *in cœlis exiſtit*, ſeu nos cœlorum municipes ſumus, atque ita etiam nos gerimus, ut cœlorum incolas & velut adſcriptitios cives decet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cap. XV.

De Gaudio ex bonis Spiritualibus manante.

QUemadmodum circa futura bona deſiderium verſatur; ita circa præſentia Gaudium & lætitia. Etſi autem non omnia bona ſpiritualia reipſa ſint præſentia, imo id, quod omnium maximum eſt, nempe beata immortalitas, adhuc abſit; tamen alia quædam bona ſpiritualia jam reipſa adſunt, iiſque verè perfruimur: ipſam vero immortalitatem fides, quæ eſt rerum ſperandarum ὑπόστασις ac veluti ſubſtantia, & ἔλεγχος ſeu demonſtratio rerum quæ non videntur, nobis veluti præſentem facit, & ante oculos ponit; præſertim cum ea firmis atque evidentibus argumentis nitatur. Unde etiam ex immortalitatis bono, ſpe percepto, gaudium naſci poteſt. De hoc gaudio loquitur Paulus 1 Theſſ. 5. 16: ubi monet, ut *ſemper gaudeamus*, quod aliquo modo reſtringit ad Phil. 4. 4: ubi vult, ut *ſemper gaudeamus in Domino*: ubi voces *in Domino* tum gaudii illius modum, & certum veluti genus, tum cauſam exprimunt. Significat enim, gaudium hoc non debere eſſe mundanum, ſeu carnale, ſed Chriſtianum, quale religioni Domini Jeſu ſit conveniens, quodque ex ea naſcatur. Cauſam apertius exprimit idem Apoſtolus in Epiſt. ad Rom. 12. 12: ubi monet ut *ſpe gaudeamus*, hoc eſt, ob ſpem: & Dominus Jeſus Luc. 10. 20; ubi ait, *gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis*, hoc eſt, quod Deus cœleſtem vobis hæreditatem certo deſtinavit, vos ita charos habet, atque ita veſtri memor erit, atque ſi nomina veſtra in pugillaribus haberet conſcripta. Quod autem in duobus locis præcipit Apoſtolus, ut ſemper gaudeamus, id ita intelligendum eſt, quemadmodum vitæ hujus noſtræ permittit ratio. Fieri enim non poteſt, quin dolor aliquis interveniat, & gaudium hoc noſtrum turbet. Et licet dolor ſit alius generis; tamen dolor omnis, qui ad animum pertingit, ac lachrymas etiam ac ſuſpiria provocat, gaudio omni, licet ex diverſi generis bono mananti, adverſatur, idque it extinctum aut expulſum. Intelligendum igitur eſt, gaudium illud non quidem actu ſemper in nobis exiſtere debere, ſed nunc quidem actu, cum rei natura permittit, nunc vero veluti in potentia, ut cum Philoſophis loquamur, ſed ita, ut omnem tandem dolorem ſuperet, & triſtitiam vel penitus expellat, vel vehementer mitiget. Quare ſemper quidem in nobis eſſe debet gaudium illud; verum non eodem modo. Etſi autem gaudium noſtrum imprimis manet ex immortalitate, ſpe firma concepta, ſeu mavis, ipſa immortalitatis ſpe; manat tamen etiam ex iis bonis, quæ ad immortalitatem ſpectant, ad eamve nos perducunt. Ea vero ſunt ipſa Chriſtiana religio, & quæ cum illa conjuncta ſunt cœleſtia munera, tum vitæ pietas, atque inde orta conſcientiæ tranquillitas: quin etiam ipſæ afflictiones, quas juſtitiæ cauſa perpetimur, cum ſciamus illas nobis parere immenſum æternæ gloriæ pondus. Hinc legimus Theſſalonicenſes *recepiſſe ſermonem* (Euangelii nempe) *in afflictione multa cum gaudio Spiritus ſancti*, 1 Epiſt. 1. 6: hoc eſt, cum gaudio, quod non niſi ex Spiritu ſancto, ſeu afflatu quodam divino, non vero ex carnis ſenſu aut impetu naſcitur, quo pacto etiam ſumitur conſolatio Spiritus ſancti, Actor. 9. 31. & eodem modo à pleriſque accipitur Rom. 14. 17. Nec immerito; licet alio quoque gaudium iſtud accipi queat ſenſu, ut ſupra diximus. De gaudio quod ex afflictionibus ob nomen Chriſti ſuſceptis capere debeamus, vide Matth. 5. 12. Jac. 1. ℣. 2. & 1 Pet. 4. 13. adde Act. 5. 41. Ad hoc gaudium pertinet etiam illius effectus, qui eſt gloriatio, quæ tamen debet eſſe in Domino: 1 Corinth. 1. ℣. ult. hoc eſt, ita ut Domino ſeu Deo omnia tribuamus cum gratiarum actione. Oritur autem imprimis ex ſpe; unde etiam jubemur retinere uſque ad finem firmam gloriationem ſpei, hoc eſt, gloriationem de ſpe vel ex ſpe natam, ad Heb. 3. 6. quod Paulus ita effert, Rom. 5. 2, *& gloriamur in ſpe gloriæ Dei*, hoc eſt, quòd habeamus ſpem gloriæ divinæ adipiſcendæ: propter ſpem autem gloriamur etiam in afflictionibus; quod ſtatim ſubjicit Apoſtolus, inquiens, *non ſolum autem* (in ſpe gloriæ Dei gloriamur,) *ſed etiam gloriamur in afflictionibus*, hoc eſt, etiam ideo gloriamur, quod affligamur juſtitiæ cauſa. Cujus rei exemplum habemus in ipſo illuſtre 2 Cor. 11. ℣. 23 & ſeqq. & 12. ℣. 9, 10. Omnis autem propemodum gloriatio noſtra in Deo: Roman. 5. 11. hoc eſt, gloriatio de eo, quod Deus ipſe ſit noſter, noſque ad ſe converſos in gratiam penitus receperit.

Quod ad oppoſita huic virtuti vitia attinet, etſi fingi aliquo modo poteſt id, quod in exceſſu peccet; tamen id revera nuſpiam videtur reperiri. Quod attinet ad illud quod in defectu peccat, id potes comprehendere nomine triſtitiæ nimiæ, quam res adverſæ excitant, quæ ubi animum occupat, gaudium illud immortalis vitæ natum extinguit. Quò poteſt etiam referri illa triſtitia, quam capimus ex morte hominum Chriſtianorum nobis charorum; à qua nos avocat Paulus 1 Theſſal. 4. 13. ubi ait, *ne triſtemini, quemadmodum & cæteri, qui ſpem non habent*.

Cap. XVI.

De Metu ſeu Timore.

VEnimus nunc ad eas Virtutes, quæ circa mala occupantur, quæ ſi futura ſint, circa illa verſatur timor, ſi præſentia, dolor aut luctus. Timor autem, de quo hîc agimus, eſt affectus ille, qui ex conſideratione divinarum pœnarum, quas incurrere facile poſſis, oritur, & ad pietatis ſtudium te excitat. Eſt autem quodammodo duplex. Nam vel oritur ex peccatis jam admiſſis, quæ ne Deus vindicet verendum eſt: vel ex iis, quæ admittere poſſes, atque ita iram divinam provocare. Ille ad reſipiſcentiam homines exſtimulat, atque, ut Deum lacrymis ac precibus aliiſque pietatis operibus places, efficit: hic vero ut tanto diligentius à peccato tibi caveas, ac cum timore ac tremore ſalutem tuam opereris. Sed de utroque hoc timore dicta jam ſunt non pauca, partim ibi, cum pietatis univerſæ proprietates explicavimus, partim cum de Dei timore ageremus. Itaque inde petantur, quæ huc pertinent.

Huic Timori opponitur Securitas, qualis fuit in diebus Noë ante diluvium, & qualis etiam eſt futura ante adventum Domini Jeſu, quemadmodum Dominus Jeſus docet Luc. 17. ℣. 26 & ſeqq. & 1 Theſſal. cap. 5. 3. adde etiam 2 Pet. 3. 4 & ſeqq. & ſecuritas quidem opponitur Timori tanquam defectus. Exceſſus eſt nimius quidam timor, qui ex ignorantia benigniſſimorum promiſſorum Dei oritur, qualis in iis eſt, qui de gratia divina, cum deliquerunt, deſperant; niſi forte deſperatio illa pœna potius ſit divina, quàm hominis vitium. Sed de deſperatione dictum eſt ibi, ubi de Spe. Cum Timore potuiſſemus conjungere etiam verecundiam & pudorem, cum etiam hic metus quidam ſit: verumtamen quia verecundia & ad alios reſpicit, idque per ſe, ideo eam ad ſequentia relegabimus, ubi agemus de iis virtutibus, quæ partim ad nos, partim ad alios ſpectant.

Cap. XVII.

De Dolore ſeu Luctu.

EX præſentibus malis dolorem ſeu luctum oriri diximus, per quem hoc loco intelligimus eam triſtitiam, quæ oritur ex conſideratione peccatorum à nobis admiſſorum, quibus iram divinam promeriti ſumus, de qua triſtitia loquitur Paulus manifeſte 2 Corinth. 7. ℣. 8. & ſeqq. De eodem etiam jure accipiuntur verba Domini Jeſu, Matth. 5. 4. quanquam etiam aliter accipi queunt; qua de re videatur Socinus ad locum dictum. Videtur autem dolor ille primò ac potiſſimum oriri ex conſideratione iræ divinæ & pœnarum imminentium, quas peccatis noſtris

ſumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſumus promeriti; ex ipſis autem peccatis fere conſequenter tantum, ſaltem in pleriſque hominibus. Nam plerique non tam ob ipſorum factorum ſuorum turpitudinem triſtantur, quam quod hoc pacto iram divinam ſibi accerſiverint, exitiumque ſempiternum illis immineat. Verumtamen quia Deus naturaliter nobis inſevit amorem quendam honeſti, tanquam præſtantiſſimi ac pulcherrimi boni, quem magis adhuc excitat cognitio divinæ voluntatis, illius præſertim quæ in Euangelio patefacta eſt; ideo fieri non poteſt, quin in animis non prorſus depravatis ex ejus amiſſione quidam dolor oriatur, & ideo quoque lugeant homines, quia adeò turpiter ſe geſſerint; qua de re diximus nonnihil ibi, ubi de conſcientia egimus. Hæc enim cum facta noſtra improbat, dolorem animi excitat. Unde tot apud Ethnicos etiam ſcriptores de tormentis conſcientiæ teſtimonia: quanquam huic dolori metus pœnæ arctiſſime adhæret. Etſi vero antea diximus, metum circa pœnas divinas adhuc imminentes verſari: nihil tamen prohibet, quominus etiam triſtitia & luctus circa eaſdem verſetur, quatenus eas metus veluti præſentes ponit, & animus eas præſentit, quemadmodum antea quoque vidimus, gaudium verſari circa bona futura, quatenus ea ſpes veluti præſentia ante oculos ponit. Non eodem autem modo luctus hic animos hominum occupare debet, quo gaudium illud, de quo antea diximus: quemadmodum nec metus paulo ante explicatus, eo modo, quo ſpes & deſiderium futuræ felicitatis, præſertim cum gaudium iſtud extinguat aliquo modo luctum iſtum. Conveniens eſt divinæ voluntati in Euangelio nobis abunde revelatæ, ut plus gaudii percipiamus ex ſpe remiſſionis peccatorum nobis oblatæ, & ſanguine Chriſti ſancitæ, atque ex ſpe ſupremæ illius felicitatis itidem nobis per Chriſtum promulgatæ, atque in ipſo oſtenſæ, quam ex præteritis noſtris peccatis doloris ac luctus. Neque etiam æquali ſemper menſura luctus hic in hominibus Chriſtianis durare debet, ſed major eſſe debet tum, cum recens eſt peccatorum admiſſorum memoria, ac crudum adhuc conſcientiæ vulnus, nec adhuc pietas ſubſecuta cicatricem illi veluti induxit, & præteritorum peccatorum memoriam aliquo modo obruit; progreſſu vero temporis, cum pietate proficimus, vix videtur hoc requiri à Deo, aut rei natura, conſideratis præſertim divinis de remiſſione peccatorum promiſſionibus, ferre, ut tam acer ſit animi dolor, quam fuit ab initio. Itaque dolor hic ibi imprimis locum habet, ubi tranſitus eſt à vitio ad virtutem; qua de cauſa dicto loco 2 Cor. 7. ait Apoſtolus, *Triſtitiam, quæ eſt ſecundum Deum, reſipiſcentiam efficere non pœnitendam.* Etſi autem dolor hic inde potiſſimum poteſt oriri, quod quis aliquo modo in peccato quopiam hæſerit; tamen decet hominem Chriſtianum etiam ſingularia facta, quibus Deum gravius offendit, peculiari quadam ratione dolere, ſive ante veritatis cognitionem, ſive poſt eam admiſſa: immo non tantum cum eorum recordatur, animo dolere & triſtari debet, verum etiam id ipſum agere, ne eorum memoriam deponat, & quo graviora fuerint tanto magis. Quin etiam quoties ſe lapſum eſſe agnoſcit, toties dolorem ſuum debet repetere, nec unquam delictum ſuum, quantulumcunque etiam videatur, parvi facere. Verumtamen eatenus dolor hic perſeverare in homine Chriſtiano debet, quatenus nunquam ſine dolore aliquo & animi morſu, recolere debet priſtinæ impietatiis ac malefactorum memoriam, indeque excitari ad veniam à Deo precandam, & ad vitam tanto majore cum pietate traducendam.

Huic Virtuti in defectu opponitur illa animi durities, quam Apoſtolus in gentibus ab veritate alienis extitiſſe ait Epheſ. 4. 18, 19. ubi illis primo tribuit *πώρωσιν* ſeu obdurationem quandam cordis, quaſi dicat, illorum cor callum obduxiſſe, ita ut jam ad ſenſum peccatorum obſtupuerint, & metum omnem exuerint: deinde addit eos dedoluiſſe, hoc eſt, jam dedidiciſſe ob malefacta dolere, conſcientia prorſus ſopita; quæ res ſummam animi improbitatem & mentis depravationem arguit. Unde ait Apoſtolus, eos tradidiſſe ſeipſos laſciviæ ad operationem omnis impietatis, in avaritia, ſeu avidiſſime. Verum hi, de quibus Apoſtolus loquitur, ad ſummum hujus vitii perveniunt. Sunt alii, qui infra illos ſubſiſtunt, qui non omnem conſcientiæ dolorem exuerunt, ſed tamen in peccato aliquo hærent, & ex eo voluptatem capiunt; quanquam nonnunquam eos conſcientia arguat, & aliquantulum remordeat; quem tamen dolorem illi, quantum in ſe eſt, extinguere, aut quavis ratione placare conantur, nec eò patiuntur progredi, ut eos à peccato tandem abducat: aut ſæpius quidem dolent, & quidem graviter, poſtquam in peccatum aliquod inciderunt, ac luctum ſuum lacrymis etiam teſtantur, ſed id faciunt non ſatis conſtanter; unde dolor hic ad veram reſipiſcentiam non progreditur. Alii denique peccata ſua levius expendentes, non, ut dignum eſt, ea deplorant, ſed prope inſuper habent, abuſi divina bonitate ac miſericordia; quo in numero ſunt ii, qui ſe non dijudicant: unde etiam à Domino caſtigari ſæpenumero ſolent. Hæc de eo vitio, quod in defectu peccat.

In exceſſu peccat triſtitia illa, qua fiat, ut quis abſorbeatur, quemadmodum loquitur Paulus 2 Cor. 2. 7; hoc eſt, deſperet prorſus, ac omne pietatis officium aut ſtudium tandem abjiciat.

Antequam aliò tranſeamus, illud adhuc monendum eſt, quemadmodum cum de noſtris ſive bonis ſive malis agitur, hi, quos hactenus explicuimus, affectus, vel ſi mavis virtutes oriuntur; ita etiam ſimiles oriri in alienis. Sed cum eæ ad proximum pertineant, nos ſuperius eas ſumus perſequuti. Nam inter charitatis effecta habuimus ſpem, habuimus etiam deſiderium bonorum, quin etiam dolorem ex alienis malis; poſſes eadem ratione metum quoque addere malorum. Quod ſi quis illas virtutes cum his conjungere velit, & conjunctim explicare; poterit ea, quæ ibi dicta ſunt, excerpere & huc transferre.

Cap. XVIII.

Diſtributio Virtutum circa bona aut mala terrena verſantium. Explicatio Magnanimitatis & Æquanimitatis.

EGimus hactenus de Virtutibus iis, quæ in bonis aut malis ſpiritualibus occupatæ ſunt: ſequitur, ut ad eas accedamus, quæ propriè verſantur circa bona, aut mala terrena. Sunt autem virtutes illæ duplices: quædam enim in utriſque, hoc eſt, tum in bonis, tum in malis cernuntur: quædam vero in alterutro tantum genere, hoc eſt, vel in bonis tantum per ſe, vel in malis. In utriſque verſantur Magnanimitas & Æquanimitas; quæ duæ virtutes licet arctiſſime inter ſe ſint conjunctæ, ita tamen inter ſe diſtinguuntur, ut illa quodam modo cauſa ſit, hæc effectus. Illius enim eſt humana contemnere, & pro nihilo putare, quanquam cum recta ratione & judicio: unde fit, ut æqualitatem ſerves in utraque fortuna, & nec efferaris ſecunda, nec dejiciaris adverſa. Deinde magnanimitas etiam in futuris atque prope inſtantibus ſive bonis ſive malis cernitur, non minus quam in præſentibus, imo in illis prope magis; æquanimitas vero prope magis in præſentibus cernitur, vel potius in his ſolis. Præterea magnanimitas etiam cernitur in rebus arduis aggrediendis & negotiis difficilibus ſuſcipiendis atque expediendis: id quod æquanimitatis non eſt. Unde apparet, magnanimitatem paulo latius etiam patere, quam patet æquanimitas.

Ut ergo de Magnanimitate aliquid dicamus explicatius; ea nihil aliud eſt quam virtus, ea, quæ in rebus humanis ardua ſunt, ſuperans, & terrena omnia cum judicio contemnens. Itaque primo ac per ſe in magnis bonis cernitur, itemque in malis, & maxime quidem in bonis externis, hoc eſt, honore ac divitiis, eorumque contrariis, tum etiam in doloribus. Quibus adjungi poſſunt ea, quæ nonniſi magno cum labore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſive animi ſive corporis geruntur; labor autem dolorem habet conjunctum. Porro omnium harum rerum ſpem quoque ac metum magnanimitas regit. Præcepta hujus virtutis explicuimus in Ethicis, quemadmodum & oppoſita.

Quod ad Æquanimitatem attinet, ea nihil eſt aliud quam virtus in utraque fortuna conſtantiam ſervans. Conſtantiam autem ſervaveris, ſi (ut ante diximus) nec animo efferaris rebus ſecundis, nec concidas adverſis. Itaque hæc virtus partim modeſtiam quandam in ſe complectitur, de qua ſuo loco; partim patientiam quandam, ſeu eam magnanimitatis partem, quæ in rebus adverſis tolerandis cernitur, eaque videtur intelligenda eſſe Philip. 4. 5: ubi τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν eſt: quod licet alii aliter vertant, tamen omnium optime accipitur pro hac, quam nunc explicuimus, æquanimitate, ſeu animo æquo. Poteſt autem vel Univerſa hæc virtus eo nomine comprehendi, vel illa ejus pars, quam patientiam eſſe diximus. Nam de rerum adverſarum tolerantia, & in iis excipiendis conſtantia loquitur Apoſtolus; quæ niſi adſit, illud animi gaudium, ad quod in ſuperioribus verbis hortatus fuerat Apoſtolus Philippenſes, ſervari nequaquam poteſt. Huc referri poteſt etiam αὐτάρκεια illa, de qua Apoſtolus loquitur eodem cap. ℣. 11. & ſeqq. ubi ait: *Didici, in quibus ſum iis contentus eſſe: Novi & humiliari*, hoc eſt, egeſtatem pati, *& abundare, in omni, & in omnibus inſtitutus ſum*, (alii, initiatus ſum) *& ſaturari, & eſurire, & abundare, & deficere*; q. d. utramque fortunam novi rectè & moderatè ferre, id quod æquanimitatis eſt.

Huic virtuti in exceſſu quidem opponitur animi quædam inſolentia in rebus ex animi ſententia fluentibus; Cui conjuncta eſt etiam luxuria quædam, cum animus fortunam ſuam capere non poteſt. In defectu autem ei opponitur nimia quædam animi dejectio ex rebus adverſis orta, quæ pars eſt quædam puſillanimitatis, & malorum ſeu calamitatum impatientia, qualis eſt in iis, qui egeſtatem ferre non poſſunt. Quò poſſunt referri homines, qui dicuntur μεμψίμοιροι, hoc eſt, qui de ſua ſorte conqueruntur ſemper; quanquam iidem etiam τῇ αὐταρκείᾳ, de qua inferius agendum erit, adverſantur. Hujuſmodi autem hominum, nempe μεμψιμοίρων mentionem facit Judas. ℣. 16. Cum quo vitio conjunctum ſolet eſſe alterum illorum quos γογγυστὰς ibidem nominat, hoc eſt, tales, qui de aliis conqueruntur, tanquam qui ſibi non ſatis faciant, & ſua deſideria non expleant; de quo vitio ſuperius diximus.

CAP. XIX.

Diſtributio earum Virtutum, quæ aut circa bona terrena tantum, aut circa mala verſantur.

QUod ad Virtutes attinet, quæ circa bona tantum terrena verſantur; in genere quidem nulla eſt virtus, quæ circa ſola ea occupetur: poſſes tamen virtutem, quæ huc ſpectat, contemptum appellare bonorum terrenorum, quæ magnanimitatis pars quædam eſt. Contemnenda autem ſunt bona iſta, quatenus non ſunt ad vitam hanc commodè traducendam neceſſaria; de quo 1 Joh. 2. 15. Huic contemptui opponitur amor hujus mundi, & eorum, quæ ſunt in mundo, ubi per hunc mundum intelligitur vel vita ipſa, tum, cum de gloria divina, noſtraque aut aliorum hominum ſalute agitur; vel idem quod poſtea exprimitur illis verbis, *quæ ſunt in mundo*; ita ut intelligantur ea, quæ vitam hanc noſtram terrenam veluti ornant ac condiunt: vel denique ſeculum hoc corruptibile & aliquando periturum, atque adeò vita etiam noſtra temporaria ac terrena in hoc mundo traducenda; & ſic diſtinguitur ab his quæ ſunt in hoc mundo, ſeu bonis quæ in hoc ſeculo homini contingunt, & vitam hanc pleriſque hominibus gratam acceptamque reddunt, hoc eſt, honoribus, divitiis ac voluptatibus. Et vita quidem ipſa quomodo ametur, ſeu (ut clarius loquamur) nimium ametur (nam ſimpliciter ea non poteſt non amari) id explicatur in cap. de fortitudine ac patientia Chriſtiana. Ibi enim docetur, quando vita ſit in diſcrimen adducenda, aut profundenda. Vitam vero tum ſervare velle, cum ea perdenda eſt, eſt eam nimium amare, vel (ut Johannes loquitur) amare ſimpliciter. Cætera vero terrena bona tum nimium amantur, cum ultra neceſſitatem appetuntur, hoc eſt, vel quæruntur vel retinentur; qua de re in ſpeciali virtutum circa bona hæc occupatarum explicatione. Ad quam ut accedamus propius, cum bona illa terrena (ne de ipſa vita nunc quicquam dicamus, circa quam fortitudinem ac patientiam verſari indicavimus) ſint triplicia, voluptates corporis, commoda, & honores; Circa voluptates quidem corporis verſatur temperantia, quo nomine nos caſtitatem etiam includimus, quæ eadem continentia in ſacris literis quoque dicitur: Circa commoda vero verſatur αὐτάρκεια, ſeu animus ſua ſorte contentus: Circa honores denique modeſtia. Quod ad mala attinet, circa futura adhuc imminentia verſatur fortitudo; circa præſentia vero patientia ſeu tolerantia, cum qua jure conjungere potes conſtantiam ut inferius explicabimus.

CAP. XX.

De Temperantia ſeu continentia.

DE nomine Temperantiæ, quod Græcis eſt σωφροσύνη, diximus nonnulla ſupra in diſtributione Sanctitatis. Eſt autem ejus duplex, quod ad noſtrum inſtitutum attinet, ſignificatio, altera laxior, altera ſtrictior. Strictior eſt, cum ſobrietatem ſolam ſignificat, & hoc poſteriori modo crebrius eam in ſacris literis accipi crediderim, atque inter alia 1 Tim. 2. 15: ubi ab ἁγιασμῷ ſeu ſanctificatione, per quam caſtitas rectè intelligitur, diſtinguitur. Quanquam fieri poteſt, ut omnem moderationem, etiam in veſtitu, quæ luxui opponitur, in ſe complectatur. Adde huic locum alterum in eadem Epiſtola cap. 3. 2. Quanquam alii prudentiam eo loco volunt ſignificari. Quin etiam huc referri poteſt locus Pet. 1. Epiſt. 4. ℣. 7. ubi σωφρονήσατε, omnium rectiſſime interpreteris, *Sobrii eſtote*; videtur enim eadem eſſe monitio Apoſtoli cum illa Domini Jeſu, quæ extat Luc. 21. 34, 36. Laxior eſt, cum caſtitatem quoque in ſe complectitur; quo pacto Ariſtoteles eam vocem accipit; de quo ſignificatu diximus eo, quem memoravimus, loco.

Temperantia autem laxius ſumta dicitur etiam ab Apoſtolo continentia, ad Gal. 5. 22. Quemadmodum doctiores interpretes animadverterunt. Cui loco adde illud Actor. 24. 25. Nam etſi Philoſophi inter Temperantiam & Continentiam tale diſcrimen conſtituant, ut Temperantia ſit habitus perfectus, ac conſummatus, continentia imperfectus ſeu διάθεσις: Sacræ literæ tamen hoc diſcrimen non obſervant, quæ nomina habituum perfectorum etiam habitibus imperfectis ſeu diſpoſitionibus concedunt, aut voces, quæ diſpoſitiones ſignificant, ad habitus etiam tranſferunt. Hujus autem virtutis naturam ſatis explicuimus in Ethicis, quo nunc lectorem remittimus; quo loco etiam diximus quædam de jejunio, quod ſobrietatis quædam eſt particula aut perfectio: de quo tamen plura videri poſſunt, quæ ibi non attigimus, apud Socinum ad cap. 6. Matth. Quædam tantum nobis hîc ſunt adjicienda, quæ ad ſacras literas rectius intelligendas pertinent.

Primum quod attinet ad contrarium temperantiæ generalius dictæ, illud duplici nomine poteſt efferri, nempe ἀσωτίας & ἀκρασίας, luxuriæ & incontinentiæ. Prior vox reperitur apud Paulum Epheſ. 5. 18; ubi tamen effectum potius ipſius incontinentiæ, vel potius ebrietatis exprimit, quam ipſum vitii habitum, cum ait: *Ne inebriemini vino, in quo eſt luxus*, ſeu vita quædam diſſoluta, ab omni honeſtate & ratione aliena. Quam eandem intelligit Petrus 1 Epiſt. 4. 4. Cum nominat luxuriæ profuſionem, hoc eſt, profuſam quandam luxuriam, & diſſolutam vitam. Vox altera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ἀκρασίας ſeu incontinentiæ reperitur apud Paulum 1 Corinth. 7. 5: ubi ſumitur de incontinentia circa voluptates eas, in quibus caſtitas cernitur, & vox ἀκρατῶν ſeu incontinentium apud eundem Apoſtolum 2 Tim. 3. 3: ubi ἀκρατεῖς in cenſu hominum vitioſorum atque improborum ponuntur. In priori loco qui eſt ad Corinth. dubium eſt utrum ἀκρασία verum animi vitium ſignificet, quod alias intemperantiam dicimus, an vero imperfectionem quandam ſeu imbecillitatem, qua quis à licitis in matrimonio voluptatibus abſtinere nequit. Hac enim de re Apoſtolo eſt ſermo propriè. Quo pacto poſtea de hominibus cælibem vitam agentibus, aut viduis inquit ℣. 9: *Si vero non continent ſe*, Græcè εἰ οὐκ ἐγκρατεύονται, hoc eſt, ſi tantum virium non habent, ut ab illis voluptatibus penitus abſtinere poſſint, ſine tentatione cupiditatum, ſeu (quod idem eſt) ne cupiditatum ſtimulis agitentur, matrimonium ineant. *Non continere ſe*, non ſignificat verum animi vitium ſeu libidinem ipſam, ſed imbecillitatem animi in deſpiciendis voluptatibus illis, de quibus loquitur Apoſtolus, & ob quam ineptus ſit aliquis ad vitam in perpetuo cœlibatu caſtè traducendam. Alias incontinentiæ ſignificationes explicuimus in Ethicis.

Deinde, ut jam aliquid de Temperantiæ ſpeciebus, earumve oppoſitis dicamus, præter ea, quæ in Ethicis explicata ſunt; Sobrietati in defectu opponitur etiam ciborum delectus, ſeu abſtinentia à quibuſdam ciborum generibus, ſive perpetuo ſive certis quibuſdam temporibus, idque conſcientiæ cauſa; ut excludamus illum ciborum delectum, qui adhibetur valetudinis cauſa: addimus extra rationem ſcandali; quia offendiculi cauſa à certo cibo, vel perpetuo, vel ad certum tempus abſtinere, non tantum non reprehendendum eſt, verum etiam maxime laudabile, imo omnino neceſſarium. Qua de re videatur Paulus toto cap. 14. Rom. & 1 Corinth. 8. ubi etiam ſic concludit: *Si cibus offendit fratrem meum, non comedam carnes in æternum, ne fratrem meum offendam.* Non improbamus autem hoc loco etiam illum ciborum delectum, quem quis ideo adhibet, quia videatur aliorum ciborum uſu, præſertim frequentiori, magis luxuriare corpus, & cupiditates ejus irritari, quam aliorum: itaque ab illis magis cavendum eſſe intelligit, id quod inter Temperantiæ præcepta poſuimus. Sed hæc res nulli certo aut ſtato tempori alligata eſt, & in diverſis hominibus ſæpè variat. Interdictum autem eſſe delectum ciborum ſatis apertè perſpicitur 1 Timoth. 4. 3. quo loco etiam velut in tranſitu notari velimus, quo pacto capiendus ſit hominibus Chriſtianis cibus, nempe cum gratiarum actione & precatione. Id enim colligitur ex ℣. 3. & 5. Prius etiam ſatis aperte perſpicitur ex cap. 14. Rom: ℣. 6. Hoc enim modo ſanctificatur cibus, & homini comedenti redditur purus & licitus, qui alias illicitus quodammodo eſt. Cum enim ſit divinum donum, non licet eum cuiquam uſurpare, niſi eum precibus à Deo velut impetraverit, & gratiarum actione donum hoc celebraverit. Et quia ſæpius gratiarum actionis in hac re fit mentio, colligi poteſt, eam hîc vel imprimis eſſe neceſſariam; itaque vox ἐντεύξεως, ſeu interceſſionis, precationiſque, qua utitur Apoſtolus dicto ad Timotheum loco, gratiarum actionem omnino in ſe includit, ut alibi de precatione docuimus.

Tertio, quod attinet ad vitia Sobrietati oppoſita, quæ in eo quod nimium eſt peccant, in ſacris literis commemoratur Crapula, Comeſſatio, vinolentia, potationes. Crapulæ fit mentio Luc. 21. 34. ubi tamen dubium eſt, quid vox illa ab ebrietate, quæ ſubjungitur, diverſum ſignificet. In ſacris literis alterius loci non memini, ubi ea vox extet, ex qua deprehendere liceat, quo ſenſu eam ſacræ literæ accipiant. Vernaculæ verſiones eam pro gula accipiunt, vel potius voracitate, hoc eſt, eo vitio quod in cibo modum ſuperat, ſive ratione quantitatis, ſive ratione qualitatis; qua de re in Ethicis dictum eſt; quo vitio qui laborat, is Græcis dicitur φάγος ſeu Edo. Quod vitium iniquiſſimè objectum eſt Chriſto, ut legimus Matth. XI. 19. Sed cum hujus ſignificationis exemplum alibi (quod meminerim) non extet: præſtat ut uſitata profanis ſcriptoribus ſignificatione per crapulam hîc intelligamus ejuſmodi ebrietatis exceſſum, ut caput inde poſtridie doleat. Derivant enim Grammatici κραιπάλην, παρὰ τὸ κάρα πάλλειν, id eſt, quod caput quatiat. Vocabulum Ebrietatis non ſemel reperitur in ſacris literis, & ſignificat quemvis in potu exceſſum, præſertim ſi rationem turbet aliquo modo. Nam (ut Grammatici docent) nomen Græcum μέθη deducitur à μετὰ τὸ θύειν poſt ſacrificium, quia poſt ſacrificia veteres largius ſe invitare ſolebant; unde potus ille ad hilaritatem progreſſus μέθη dicebatur. Ejus ſpecies quædam ſunt οἰνοφλυγία vinolentia, quæ vox occurrit apud Petrum 1. cap. 4. 3. Eſtque illud vitium, cum quis in vino, aut in aliis etiam potulentorum fortium & inebriandi vim habentium generibus modum excedit, iiſve delectatur. Quod vitium explicat Paulus, dum Epiſcopum non vult eſſe πάροινον, quaſi dicas, vino aſſidentem, 1 Tim. c. 3. ℣. 3. Et Diaconos non vult vino multo eſſe deditos, ibid. ℣. 8. Et ſeniores fœminas non vult vino multo mancipatas eſſe, ad Tit. 2. 3. Cui vitio qui ſunt implicati, illi οἰνοπόται dicuntur, hoc eſt, vini potores; quod vitium itidem impie objectum eſt Chriſto ab adverſariis, ut legere eſt dicto paulo ante loco Matth. XI. ℣. 19. Vox potationis diſtincta ab οἰνοφλυγία occurrit apud Petrum dicto ſuperius loco 1 Epiſt. 4. 3: ubi apparet per potationem intelligi eum in potu exceſſum, qui etſi ad ebrietatem non progrediatur, tamen non neceſſitati, aut valetudinis commodo, ſed voluptati tantum ſervit. Nam illud potationis genus, quod ebrietatem inducit, complexus eſt, Apoſtolus voce οἰνοφλυγίας. Quia enim inter ea potuum genera, quæ ebrietatem conciliant, excellit vinum, ideo vinolentia tanquam ſpecies pro toto genere ponitur. Reliqua potationum genera ad voluptatem ſpectantia, quæ ebrietatem verè non inducunt, vel ſaltem non admodum notabilem, qualis eſt illorum, quos adbibiſſe pluſculum, aut ſe invitaſſe paulo largius, aut ad hilaritatem bibiſſe dicimus, complexus eſt Petrus voce πότων ſeu potationum. Reſtat vox Comeſſationis, quæ extat Rom. 13. 13. Gal. 5. 21. & 1 Pet. 4. 3. ſignificat autem convivium luxurioſum ſeu etiam laſcivum. Sed probabile eſt, in locis dictis, ubi cum ebrietate conjungitur quidem, ſed nihilominus tamen ab eadem diſtinguitur, exceſſum ea ſignificari in cibo; ut ita duo vitia ſobrietati oppoſita exprimantur. Quanquam nihilominus credibile eſt, intelligi imprimis eum in cibo luxum, qualis eſſe ſolet in conviviis. Quod ſi velis addere etiam reliqua proterviæ & laſciviæ genera, quæ in conviviis luxurioſis regnant, nihil vel à voce vel ab Apoſtolorum mente dixeris alienum; poſſuntque etiam choreæ, quas laſcivia generat, hoc nomine comprehendi.

Quarto, ut jam ad alteram temperantiæ ſive partem ſive ſpeciem accedamus, quæ Caſtitas eſt; ea proprium in ſacris literis nomen non eſt adepta, ſed ἁγνεία appellari ſolet: 1 Tim. 4. 12. & cap. 5. 2. hoc eſt, puritas: interdum etiam ἁγιασμός, hoc eſt, ſanctificatio; cujus rei exemplum habes 1 Theſſal. 4. 4, & 7: ubi impuritati ſeu libidini opponitur. Quo loco etiam eodem ſignificatu potitur vox τιμῆς ſeu honoris, quæ pro pudore quodam modo videtur eſſe poſita. Nam impudicæ libidini atque inverecundiæ opponitur. Hujus oppoſita varia ſunt & in ſacris literis hinc inde exprimuntur: ſed eorum alia ſunt interna, alia externa: ſeu alia affectus ſunt, alia actiones ſeu in actionibus cernuntur. Interna oppoſita ſunt cupiditates ſimpliciter poſitæ: 1 Pet. 4. 3. Paſſio cupiditatum: 1 Theſſal. 4. 5. Huc pertinet etiam cupiditas illa uxoris alienæ ex aſpectu nata, de qua loquitur Chriſtus Matth. 5. 28; de qua videatur ibidem Socinus. Quænam autem ſit cupiditas hujus generis dictum eſt in Ethicis. Quod ad externa attinet ſcelera, ſeu peccata Caſtitati oppoſita, aut pudicitiæ, ea interdum comprehenduntur nomine ἀκαθαρσίας ſeu impuritatis, ut dicto loco 1 Theſſal. 4. 7. & ad Epheſ. 4. 19. & 5. 3. Quanquam id verbum, ut mox videbimus, etiam ſpecialius accipitur. Interdum

etiam ea complectuntur ſacræ literæ nomine ἀσελγείας ſeu laſciviæ, aut protervię: Rom. 13. 13. Quo loco eadem ſignificatione ponuntur κοῖται, hoc eſt, cubilia per metonymiam ſubjecti. Adde etiam Gal. 5. 19. Epheſ. 4. 19. & 1 Pet. 4. 3. Quod ad Specialia hujus generis peccata attinet in ſacris literis commemorata, eo vel contra naturam, aut (ut Apoſtolus loquitur) præter naturam ſunt; vel naturæ limites non prorſus excedunt, licet turpia & flagitioſa ſint. Illa commemorat Apoſtolus Rom. 1. 27. & 1 Tim. 1. 10, in voce ἀρσενοκοίτας; & Deus olim atrociſſime ea punivit in Sodomitis, unde etiam ſcelus hoc vulgo adeptum eſt nomen. Atque huc referunt etiam nonnulli πάθος, cujus fit mentio Coloſſ. 3. 5: quod doctiores quidam interpretes mollitiam verterunt; qua de re videatur Beza.

Quod ad cætera attinet, ea vel matrimonii leges violant, vel non violant. Quæ violant, duplicis ſunt generis. Aliud enim perpetuo pro vitio fuit habitum, ac malè audiit: aliud olim quodammodo permiſſum fuit Iſraëlitico populo, & hodie quibuſdam gentibus eſt uſitatum. Illud adulterium dicitur; quod ſub lege tum demum admitti cenſebatur, cum maritata cum quocunque conſueſceret, non verò ſi maritus cum ſoluta: ſed hodie, ubi maritus eatenus uxori eſt æquatus, ut non liceat uni niſi unam ducere, nec maritus ipſe, ſed uxor poteſtatem corporis ipſius habeat, adulterium jure cenſetur, cum is cum quacunque, præter uxorem legitimam, congreditur. Hoc vero eſt διγαμία, aut πολυγαμία, hoc eſt, cum quis plures unâ uxores habet, legitimo forte, ſi leges civiles in quibuſdam locis, ubi religio Chriſtiana non viget, ſpectes, matrimonio ſibi junctas. Quo nomine complectimur etiam illas, quæ concubinæ in ſacris literis appellantur; quæ ab uxoribus eo erant diſtinctæ, quod abſque ſolennibus ſponſalibus & ſtipulatione viris jungerentur: quales & Abrahamo olim fuiſſe, & Davidi, & Salomoni ex ſacris literis notum eſt. Verum hujuſmodi inſtitutum Chriſtiana religio ſuſtulit, & pro incontinentia ac libidine habendum eſt, ſi quis plures uxores una habeat; quod ſane hodie graviſſime ſolet civili jure in Rebuſpublicis Chriſtianis vindicari. Rationes autem, quæ διγαμίαν & πολυγαμίαν illicitam eſſe Chriſtianis hominibus docent, videantur apud Socinum ad Matt. cap. 5. 31, 32. pag. 108.

Quod ad cætera attinet, quæ matrimonii leges non violant, ea vel in ſolutis tantum locum habent, vel in quibuſvis: illud eſt ſcortatio, quod tamen nomen in ſacris literis late extenditur interdum, & adulterium etiam in ſe comprehendit, ut apparet ex loco Matt. 5. ℣. 32. & cap. 19. 9. imo etiam alia libidinum genera, ut Roman. 1. 29. 1 Timoth. 1. 19. Hæc vero efferri ſolent voce ἀκαθαρσίας ſeu impuritatis, aut ἀσελγείας, hoc eſt, laſciviæ ſive proterviæ ſpecialius ſumtæ. De voce ἀκαθαρσίας vide Gal. 5. 19. & Col. 3. 5. Quanquam fieri poteſt ut Apoſtolus alia libidinum genera, quæ præter adulterium & ſcortationem reperiuntur hoc nomine incluſerit; qualis eſt voluptas juvenum ſingulorum tantum, & illa, quæ expreſſe olim fuit à Deo prohibita Lev. 18. 19. Quod ſane inter graviſſima ſcelera & inceſtuoſas libidines collocat, & inſignitè commemorat Ezech. 18. 6. Et ne quis putet id ceremoniale tantum fuiſſe, animadvertendum eſt illud, quod dicitur Levit. 18. 24, gentes quæ antea terram Palæſtinam incoluerunt, iſtis ſceleribus ſe polluiſſe; ideo Deum eas ante Iſraëlitarum conſpectum expuliſſe. Unde apparet, id cum ipſa natura pugnare. Addantur huic etiam cæteræ inceſtuoſæ libidines, quarum catalogus dicto capite 18 Levit. habetur. Quanquam earum nonnullæ contra naturam ſunt, & ſic iis annumerandæ, quas primo loco collocavimus. Additur autem ultimo loco ad Galat. 5. 19 ἀσελγία, per quam veriſimile eſt non ipſam voluptatem veneream, quæ propriè ita appellatur, intelligi, ſed (ut nonnulli viri docti voluerunt) laſciviam, quæ cernitur in aſpectu, tactu, aliiſque rebus ſimilibus, quæ impudicitiam & libidinem antecedere vel comitari etiam ſolent, & ex impura animi cupiditate naſcuntur, poſſuntque etiam in matrimonio habere locum; qua de re itidem dictum eſt nonnihil in Ethicis. Poſſes huc etiam laſcivas choreas, & impudicitiam quandam redolentes referre.

Cap. XXI.

De Αὐταρκείᾳ ſeu Animo ſua ſorte contento.

Circa commoda terrena diximus verſari αὐτάρκειαν cujus vis duplex eſt: altera, ea, quæ ad æquanimitatem propriè ſpectat, ut in ejus explicatione diximus. Significat enim talem animi affectionem, qua fit, ut etiam in egeſtate conſtitutus, æquo animo fortunam hanc tuam toleres, ac patienter inopiam feras; de qua loquitur Paulus ad Phil. 4. 11. Altera eſt, quæ huc propriè ſpectat, & avaritiæ opponitur, ac priori admodum eſt vicina, unde libenter inter ſe conjungi ſolent: prior ſane ſine poſteriori conſiſtere nullo pacto poteſt. Eſt enim hæc poſterior ejuſmodi virtus, qua fiat, ut acquieſcas iis rebus, quæ ad vitam tuam tuorumque commode tranſigendam in præſens tempus ſunt neceſſaria. Præſens autem tempus, non unum aut alterum diem appellamus, imo nec menſem; ſed totum illud ſpacium complectimur, quod ita vicinum eſt tempori inſtanti, ut niſi nunc incipias ea curare, quæ toto illo tempore ſunt neceſſaria, id (quantum humanis conſiliis provideri poteſt) commode tranſigere nequeas. Cui tempori opponitur à Domino Jeſu craſtinus dies Matth. 6. ult. hoc eſt, tempus futurum; de quo in explicatione iſtius loci non pauca diximus, quæ inde petantur. Hinc Auctor divinus Epiſtolæ ad Hebr. cap. 13. ℣. 5. monet, ut *ſimus contenti præſentibus*, hoc eſt iis, quæ præſenti tempori aut neceſſitati ſufficiunt; hanc animi affectionem amori pecuniæ opponens, ſeu avaritiæ, à qua in præcedentibus dehortatus eſt nos, ita inquiens: *ſine avaritia ſint mores*, ſeu mavis genus vitæ. Quæ oppoſitio niſi eſſet, arbitrari quis non immerito poſſet, hoc loco commendari ab autore illam αὐτάρκειαν quam priori loco explicuimus, & æquanimitatis partem eſſe diximus. Per ſe enim verba hunc videntur pati, vel propemodum requirere ſenſum, ut, quicquid nobis in præſens obvenerit, illo contenti ſimus; ita nimirum, ut etiamſi aliquid deſideraremus amplius, non tamen ideo angamur animo, ſed potius ita nos geramus, ac ſi illa nobis penitus ſufficerent. Quod propterea monemus, quia cum virtute hac non pugnat, deſiderare aliquid amplius in egeſtate, & aliquo modo cupere rem lautiorem, modo fortunam præſentem patienter feras, & ita propemodum te geras, ac ſi nil deeſſet. Verumtamen, ut diximus, propter oppoſitionem illam inter ea divini autoris verba, & præcedentia, item propter ſequentia, quibus iſtius admonitionis redditur ratio, veriſimilius eſt, de ea αὐταρκείᾳ ſermonem eſſe, cujus explicatio hujus loci eſt plane propria, quæque cupiditatem rei quærendæ atque amplificandæ reprimit. Sequitur enim apud autorem, *Ipſe enim*, ſcilicet Deus, *dicit, non te deſeram, neque te derelinquam*: quæ verba non admodum ſunt accommodata ad priorem iſtam αὐτάρκειαν ſeu æquanimitatem, ad poſteriorem autem accommodatiſſima. Occurrit enim divinus Auctor tacitis animi cogitationibus ac ſolicitudini in futurum. Nam cum quis jubetur contentus eſſe præſentibus, ſtatim ſuboritur hæc cogitatio. At unde in futurum vivam? niſi tempeſtive mihi proſpiciam, egeſtate extrema opprimar, & fame emori cum meis cogar, aut alia incommoda mihi erunt ſubeunda. Adverſus hujuſmodi curas ſolatur nos Auctor, cum inquit, Deum ei rei proſpecturum, utpote qui promiſerit, ſe nos non deſerturum. Quod ſi quis arbitretur, verba hæc poſteriora potiſſimum referenda eſſe ad initium ℣. 5, ubi nos ab amore pecuniæ avocat divinus Auctor, & iſtud vitæ genus deligere jubet, quod ejus vitii ſit expers, verba autem intermedia arbitretur explicare modum, quo poſſimus efficere, ut ab avaritia abhorreamus, qui ſit, ut contenti ſimus ſorte, quæ nobis obtingat, quod qui facit, is in avaritiam non incidat; cum eo nos haudquaquam pugnabimus. De hac

vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vero *αὐταρκεία*, quæ avaritiæ propriè opponitur, loquitur Paulus aperte 1 Timoth. 6. 6: ubi ait *magnum quæſtum eſſe pietatem*, hoc eſt, religionem Chriſtianam, aut ejus tractandæ ſtudium, *cum αὐταρκεία* ſeu animo ſua ſorte contento: rationem ſtatim ſubjungit, *quia nil intulerimus in mundum, manifeſtum eſſe, quod nihil inde efferre queamus*; & poſtea ſtatim ſubjungens, & aliquo modo definiens, quam paucis debeamus eſſe contenti, addit, *habentes alimenta & tegumenta, illis contenti erimus*, hoc eſt, contenti eſſe debemus. Ubi tamen omnia, quæ ejuſdem ſunt generis, qualis v. g. eſt habitatio, comprehendenda ſunt.

Sunt autem duo hujus virtutis officia; alterum, ut ea tantum appetamus, quæ ad vitam non incommodè ac ſine moleſtia ac dedecore traducendam ſunt neceſſaria: alterum, ut ea in præſens tantum quæramus, aut deſideremus, non in futurum, ut antea explicuimus. Quanquam autem prius officium aliquo modo opponitur luxui, poſterius proprie avaritiæ: prius tamen eatenus etiam avaritiæ opponitur, quatenus quis ſuperflua cupiens aut quærens, iis non utitur; unde in futurum ea reponere neceſſe eſt, id quod avaritiæ eſt proprium. Quam longè autem vitæ commoditas aut neceſſitas extendi queat, explicatum eſt à nobis in Ethicis; unde colligere licet, quantum & quærere nobis & retinere liceat, & contra, quid non liceat, ſeu quid avaritiæ ſit proprium. Etſi vero certa pecuniæ ſumma definiri haudquaquam poſſit, qua uniuſcujuſque facultates poſſint circumſcribi, & ultra quam abſque avaritiæ crimine progredi non liceat, ob multiplicem ac propè infinitam circumſtantiarum, hoc eſt, perſonarum, conditionum, temporum, varietatem; tamen generales quædam poſſunt tradi regulæ, quas qui obſervaverit, is non facile in avaritiæ crimen incidet. Prima eſt illa, quæ ex dictis colligi poteſt, ut animum ad quamvis fortunam aptemus, & id agamus, ut egeſtatem etiam patienter tolerare queamus. Deinde, ut id curemus, quo animus religioni ſemper vacet aut vacare queat: nec enim in una ſede morantur religio & avaritia. Curæ enim iſtæ terrenæ a cœleſtibus avocant animum, ac deprimunt, nec religioni vacare permittunt. *Ubi enim*, ut ait Dominus Jeſus Matthæi 6. 21, *theſaurus noſter, ibi & cor noſtrum.* Si ergo in terris, in terris quoque erit animus noſter; ſi in cœlis, ibidem. Unde etiam monet Dominus Jeſus, *ne gravetur cor noſtrum*, ut *crapula & ebrietate*, ita etiam *curis mundanis*, Græcè *βιωτικαῖς*, hoc eſt, & ad hanc vitam & ad victum pertinentibus: ſatis indicans, premi animum & à cœleſtibus ac precum ſtudio avocari avaritiâ, ſeu cogitationibus rebus augendis intentis; has enim Chriſtus intelligit. Vide etiam Matth. 13. 22. & Luc. 8. 14. Quibus in locis avaritiâ ſermonem divinum hominum animis inſitum ſuffocari oſtenditur, ne fructum ferat. Tertio cum hoc conjunctum eſt, ut Deo vere confidas atque in eum ſpem tuam colloces, certum habens, eum te nunquam deſerturum, ſi modo tu primo omnium maximoque ſtudio regnum Dei, ejuſque juſtitiam quæras. Laboribus interim honeſtis in tantum incumbas, in quantum ſtudium hoc regnum & juſtitiam divinam quærendi permittit. Quo pertinent non pauca, quæ à Domino Jeſu dicuntur circa finem cap. 6 Matthæi, ubi ab iſta diffidentia de divina providentia nos abducit. Vide ℣. 25, 26, 28 & ſeqq. Conferantur etiam cum iſtis ea, quæ leguntur apud Lucam cap. 12. 17. uſque ad 32 finem; unde ὀλιγοπίστους, hoc eſt, exiguæ fidei homines eos appellat Chriſtus, qui de victu nimis ſunt ſoliciti: Matth. 6. 30. Luc. 12. 28. Quarto penitus infigatur animo charitas erga proximum, atque miſericordia erga egenos, & animus ad dandum promptus, adde etiam gloriæ divinæ ſtudio fervidus, ut nulli rei velit ejus cauſa parcere, adhibita tamen prudentia, qua modum facultatum ſuarum metiatur, & neceſſitatem cum neceſſitate diligenter comparet, & ſumptum ea ratione temperet ac moderetur. Illud nobis perſuaſiſſimum eſt, quod pectus charitas occupaverit erga Deum & proximum, id ab avaritia nunquam obſeſſum iri: alteram alteri cedere neceſſum eſt. Obſervandum autem hîc illud eſt, uſu venire poſſe, ut prædia etiam ſeu bona, quæ vocant immobilia divendere ſit neceſſe, ut egenis benefacias, aut gloriæ divinæ ſervias, eos v. g. alendo qui Chriſti negotium agunt, & veritati promovendæ unicè incumbunt; qua de re nonnihil in magnificentiæ explicatione dictum eſt in Ethicis. Quod ſi quis prædiorum ſuorum retinendorum cauſa iſta negligat, is avaritiæ crimen evitare non poteſt. Etſi enim proprie avari vix dicantur, qui res ad vitam ſuſtentandam, aut commodè traducendam neceſſarias, nimis anxie quærunt, ac de iis ita ſunt ſoliciti, ut vel de divina providentia dubitent, vel ſimul etiam religionis ſtudium deponant, iſtarum curæ intenti; tamen ii quoque cum hac virtute, de qua agimus pugnare cenſendi ſunt, & de illis quoque loquitur Chriſtus dictis locis Matth. 6. & Luc. 12: dum à ſolicitudine de victu & amictu homines avocat, & eam inutilem & ſupervacaneam eſſe docet. Nam etſi inopiæ metus ingruat, vel ipſa etiam inopia; nihilominus tamen religionis prima debet eſſe cura, & primum (ut diximus) quærendum regnum Dei, & juſtitia ejus, & cogitandum, Deum nos non deſerturum, ſi officium præſtiterimus, laboribus tamen (ut jam innuimus) neceſſariis aut honeſtis haud neglectis. Quod ſi quis hac ratione inopiam aut famem effugere non poterit (quanquam id, niſi Deus alicujus fidem explorare velit, & veritatis forte cauſa fame illum tentare, quod fieri poſſe docet Paulus Rom. 8. 35. 1 Cor. 4. 11. 2 Cor. XI. 27: nunquam eveniet:) multo certe minus proficiet, ſi ſpem de Dei providentia & ſtudium religionis abjiciens, ſua tantum ſolicitudine iſta efficere velit. Quod ſi aliquid profecerit, id in ipſius detrimentum potius, quam emolumentum cedet.

De nominibus, quibus hoc vitium in ſacris literis exprimitur, vix quicquam eſt opus dicere: potiſſima ſunt *φιλαργυρία*, hoc eſt, argenti amor, cujus nominis ratio ſatis conſtat. Deinde *πλεονεξία*, quod de hoc vitio uſurpatur Luc. 12. 15: ubi etiam ejus ratio quædam redditur. Eſt enim *πλεονεξία* plura habendi cupiditas, plura, inquam, quam vita hæc requirit. Unde Dominus Jeſus cum juſſiſſet cavere à *πλεονεξία*, addit: *quia non in eo, quod ſuperſit alicui, vita ipſius eſt ex facultatibus ipſius*, hoc eſt, facultates ad vitam uniuſcujuſque ſuſtentandam non ideò proſunt, quod aliquid illis ſuperſit. Eo enim ipſo, quod ſuperſit, non eſt neceſſarium ad vitam ſuſtentandam. Quibus verbis ſatis indicat Dominus Jeſus, plura quærere, quam ad vitam ſuſtentandam, & commodè traducendam ſunt neceſſaria, avari eſſe. quod etiam voluit Paulus, cum *velle diteſcere*, pro, avarum eſſe ponit. Dives enim is demum eſt, qui multa habet, quibus ei non ſit opus. Quanquam illud quoque obſervandum eſt, eum demum, qui diteſcere velit, eſſe avarum, qui, ut Dominus dicto apud Lucam loco ℣. 21 loquitur, *theſauros colligit ſibi*, hoc eſt, ut ſibi eos ſervet, *& non in Deum diteſcit*, hoc eſt, non eum in finem opes juſta aliqua ratione colligit, ut eas Deo veluti conſecret, in uſus pauperum, aut etiam gloriæ divinæ eas erogans. Eadem vox τῆς πλεονεξίας aut τοῦ πλεονεκτεῖν hac avaritiæ ſignificatione occurrit ad Epheſ. 5. 3, 5. Coloſſ. 3. 5. quibus in locis avaritia idololatria, & avarus idololatra dicitur, propterea quod in divitiis ſpem ſuam collocet, & veluti præſentem ſibi fingat in arca Deum; quemadmodum idololatra animum ſuum à Deo inviſibili ad ſimulachrum aliquod mortuum avocat, & in eo ſpem ſuam collocat, idque adorat. Hoc autem propterea monemus, quòd non deſint, qui monent vocabulum πλεονεξίας non ſimplicem deſignare avaritiam, ſed velint potius deſignare injuſtitiam illam, qua fiat ut quis alterum defraudet, & plus v. g. in venditione aut emptione accipiat, quam revera deberet; quæ ſignificatio voci alias convenit, & ab ipſo Ariſtotele uſurpatur in Ethicis, ubi πλεονεξίαν injuſtitiam particularem vocat. Eoque modo viri nonnulli docti volunt eam vocem accipi apud Paulum Rom. 1. 29. quanquam nihil vetat,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quo minus pro immodico tantum habendi ſtudio, quod Ethnicis quoque inviſum fuit, vel potius male apud ipſos audiit, capiatur. Iſtud obiter notari velim, vocem πλεονεξίας pro aviditate quavis accipi à viris doctis Epheſ. 4. 19. & πλεονεκτεῖν 1 Theſſal. 4. 6 poſitum pro injuriam facere in re matrimoniali. Qua tamen de re uniuſcujuſque liberum ſit judicium. Nominatur tertio avaritia à Johanne 1 Epiſt. 2. 16, *cupiditas oculorum*, cujus rei ratio videatur apud Socin. Quanquam ibi per cupiditatem oculorum poteſt intelligi Metonymicè cupiditatis hujus objectum, quatenus tamen præter neceſſitatem amatur; quemadmodum per cupiditatem carnis intelligi poſſunt voluptates corporis, per ſuperbiam vitæ, ea circa quæ faſtus verſatur. Videtur enim Johannes ibi explicare illa bona vulgaria ac terrena, quæ antea complexus fuerat nomine eorum, quæ ſunt in mundo. Interea tamen intelligitur, avaritiam iſtam revera eſſe cupiditatem oculorum. Quod ad actus attinet hujus vitii, qui ſunt curæ ad vitam hanc pertinentes, ſeu ſollicitudo circa hæc terrena verſans, & voluntas ſeu cupiditas diteſcendi, de illis jam antea diximus.

Cap. XXII.

De Fortitudine, patientia & conſtantia.

MIſſa nunc ea Virtute, quæ circa honores verſatur, & ejus tractatione in ſequentia rejecta, de fortitudine, patientia & conſtantia hîc nonnihil dicemus. Fortitudo & Conſtantia quomodo tum conveniant, tum inter ſe diſtinguantur, & paulo ſuperius, & in Ethicis explicuimus. Fortitudinis autem mentio fit imprimis 1 Cor. 16. 13: ubi monet Apoſtolus, ut *Viriliter nos geramus, & corroboremur*. Verbum enim ἀνδρίζεσθαι, cujus conjugatum eſt ἀνδρεία ſeu fortitudo, hanc virtutem aperte exprimit. Eadem præcipitur alibi, cum *confortari* jubemur, aut *omni potentia corroborari*, Epheſ. 6. 10. Col. 1. 11. Eadem fortitudo interdum generali nomine virtutis videtur ſignificari; quod apud prophanos quidem autores fit ſæpe: at in ſacris literis unum imprimis exemplum occurrit, 2 Pet. 1. 5. videtur enim ibi ſpecialem potius virtutem, quam virtutem in univerſum ſignificare Apoſtolus eo nomine voluiſſe. Et rectè quidem fortitudinem fidei ſubjunxit, ut ſignificaret, eum, qui doctrinam Chriſti amplexus eſſet, conſtantiam addere debere, & animum ad omnia pericula, quæ ejus cauſa cuiquam poſſent incumbere, obfirmare. Ad eandem hortatur Chriſtus Matth. 10. cum jubet, *Ne timeamus ab illis, qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt*. Quæ ſint hujus virtutis præcepta, explicuimus in Ethicis: ubi etiam de patientia nonnihil diximus, quæ quidem virtus ὑπομονὴ omnium creberrime in ſacris literis appellatur, eaque cernitur imprimis in afflictionibus juſtitiæ cauſa ſuſtinendis; ſed cernitur nihilominus etiam in omnibus reliquis malis, quæ quocunque modo alicui incumbunt, ſive naturalem ob cauſam, ſive ob cauſam aliquam fortuitam aut caſum, ſive ob hominum improbitatem, ſive denique ob divinam caſtigationem, ac pœnam.

Etſi autem hæc virtus primò ad nos ipſos referatur, aliquo tamen modo etiam ſeſe ad Deum atque ad proximum protendit, & ad eum reſpicit. Itaque breviter illius officia perſequemur, habita ratione diſcriminis, quod in afflictionibus illis apparet, in quibus patientia cernitur. Primum ergo in quavis afflictione hominis patientis eſt, ita adverſus dolorem aut calamitatem obfirmare animum, ne quid te indignum, ne quid muliebriter ac effæminate facias, ſed conſtantiam quandam atque animi magnitudinem in ipſis illis malis, quantum fert rei natura præſtes: id quod patientiæ plane eſt proprium, eique primò competit. Secundo (quod in primo jam quodam modo cernitur,) quandoquidem calamitates omnes, Deo vel ita volente, vel ſaltem permittente nobis incumbunt, cavendum eſt, ne ob malorum impatientiam Deo obmurmures, aut inique ab eo tecum agi queraris, ſed potius exemplo Jobi dicas; *Si bona ſuſcepimus ex manu Domini, mala cur non ſuſtineamus?* Et, *Dominus dedit, & Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*. Tertio ſi contingat calamitas, & illa ab hominibus tibi inferatur, ne vindictam ullam ſpires, hoc eſt, nec animo eam expetas, nec verbis aut factis ſumas. Quod præceptum per ſe quidem lenitatis eſt, ac manſuetudinis; ſed tamen patientiæ etiam convenit, cujus vel pars quædam, vel comes neceſſaria eſt lenitas. Unde etiam Petrus Chriſti patientiam nobis imitandam proponens, manſuetùdinem ejus nobis revera commendat 1 Pet. 2. 20. & ſeqq. imprimis ℣. 23. Atque huc pertinet illud præceptum Domini Jeſu, quod extat apud Matth. 5. 39. & ſeqq. ubi adeò nos vult à vindicta alienos, injuriarumque patientes, ut malimus alterum tantum pati damnum, quam priorem injuriam illatam ulciſci. Quarto denique, ſi contingat, ut juſtitiæ cauſa affligaris, hoc eſt, vel ob veritatem, vel ob pietatem, & id per mala, quæ tibi inferuntur, quæratur, ut alterutram deſeras, id patientiæ eſt officium, ut extrema potius omnia perferas, & duriſſimam ſuſtineas mortem, quam vel alterutram ejures, vel aliqua in parte deſeras aut prodas: quod patientiæ officium imprimis inculcatur in ſacris literis Novi fœderis, & fere ſemper intelligitur, ubi de patientia Chriſtiana agitur. Hujus patientiæ perfectionem exprimit Apoſtolus egregiis verbis Coloſſ. 1. 11. ubi vult nos *corroborari ad omnem patientiam & longanimitatem cum gaudio*: ubi per omnem patientiam poteſt patientia conſummata & abſoluta intelligi, quæ per ſequentia explicetur; vel omnis patientia ſignificabit quorumvis malorum tolerantiam, non unius tantum aut alterius, ſeu non leviorum tantum, ſed etiam graviſſimorum quorumque: per longanimitatem autem intelligitur conſtantia illius tolerantiæ: additur tandem gaudium, quod faſtigium huic virtuti ſuperimponit. Nam id demum patientiſſimi eſt hominis etiam cum gaudio iſta perferre: quanquam gaudium hoc peculiarem alias virtutem conſtituit. Itaque hæc ſunt, quæ ad abſolutam hujus virtutis perfectionem pertinent, primò ut quævis mala etiam graviſſima perferas: ſecundò ut diu & conſtanter, hoc eſt, ad mortem uſque, extremumque ſpiritum: ac denique ut cum animi gaudio ac tolerantia. Quatenus autem gaudium illud locum hîc habeat, aut omnino habere debeat, ſuperius dictum eſt. De hac virtute multa hinc inde in ſacris literis dicuntur, ſed ea omnia perſequi, majoris eſſet operæ, quam utilitatis, præſertim cum pleraque intellectu ſint facilia.

Addimus denique hoc loco Conſtantiam, hoc eſt, perſeverantiam in rebus bonis, quæ tum revera cernitur, cum in perſeverando labor aliquis eſt, aut difficultas. Nam ſi illa abſit, nulla illius laus eſſe videtur. Sed vix unquam perſeverantia in re bona difficultate aut labore aliquo caret. Difficultas autem & labor moleſtiam omnino quandam habet conjunctam: ideoque conſtantia hæc patientiæ pars quædam eſt, aut contra conſtantiæ patientia. Nam patientiam appellamus eam conſtantiam, quæ in manifeſtis doloribus & afflictionibus cernitur: ubi moleſtiæ aut dolores minus ſunt notabiles atque acerbi, ibi patientiam vix habere locum cenſemus. Conſtantiam tamen ei homini tribuimus, qui neglecta moleſtia, quæ in re aliqua cernatur, à recto conſilio, animique propoſito abſterreri ſe non patitur. Huc pertinet imprimis conſtantia in veritate, quam Apoſtolus inter alia commendat 1 ad Cor. 15. ita ſcribens ſub finem, *ſtabiles eſtote, immobiles*: tum etiam conſtantia in pietate, &, quæ illius veluti compendium eſt, charitate; quò pertinent illa Apoſtoli Epheſ. 3. 18, ut *in charitate radicati & fundati ſimus*. Et hæc quidem duo ſunt generalia conſtantiæ Chriſtianæ objecta: ſed particularia ſunt plura, v. g. perſeverantia in precibus, de qua ſuo loco dictum, conſtantia in ſacrarum literarum ſtudiis, in obeundis muneris ſui functionibus, & ſi quæ ſunt ſimilia. Atque hæc Conſtantiæ pars, diligentia (ut notum eſt) appellatur: quæ quidem non ſemel in ſa-

cris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cris literis commendatur. Ad hanc iterum vigilantia, magna ſaltem ex parte, referri debet; quanquam ex prudentiæ natura aliquid ſibi decerpat: itaque merito dici poteſt, eam ex diligentia & prudentia velut conflatam. Eſt enim vigilantia virtus in periculis proſpiciendis & evitandis occupata, ſeu (quod perinde eſt) diligentia in eo, quod diximus, verſans. Quia vero hîc non de quavis vigilantia agimus, ſed de ea, quæ inter Chriſtianas virtutes collocari merito debet; ideo vigilantiam hîc accipimus pro ea virtute, quæ in proſpiciendis atque evitandis animæ periculis, ſeu ſalutis diſcrimine cernitur. Hanc non ſemel commendat nobis Chriſtus, cum vigilare nos jubet, maxime ob incertam adventus ſui horam, ne nos ea forſan imparatos opprimat, & exitio ſempiterno involvat. Hæc imprimis eſt neceſſaria Epiſcopo, ſeu curatori atque inſpectori eccleſiæ, qui non tantum pro ſua, ſed & pro aliena ſalute debet excubare, & pericula etiam gregi imminentia providere, iiſque tempeſtive occurrere. Qua de re dicemus, Deo dante, infra, ubi de Epiſcoporum ac Seniorum Eccleſiæ officiis diſſeremus. Plura de conſtantia ac diligentia, quoniam ea per univerſam ſanctitatem diffuſa eſt, nos ſupra diximus, cum de proprietatibus ſanctitatis verba faceremus.

Reſtat ut nonnihil de Extremis dicamus. Quod ad fortitudinis extrema attinet, de illis dictum eſt in Ethicis. Et de audacia quidem notum eſt illud Eccleſiaſt. 3. 27: *qui amat periculum, in illo peribit*. Unde ſi quis effugere queat periculum ſalvo officio, etiam tum, cum de veritate agitur, fugere debet. Qua de cauſa Dominus Jeſus præcipit diſcipulis, ut ſi in una urbe perſequutionem paterentur, fugerent in aliam: Matth. 10. 23. & ipſe Dominus Jeſus interdum declinaſſe periculum legitur, imprimis apud Johannem: & Paulus itidem vitaſſe inſidias Judæorum, præſertim Damaſci ſibi ſtructas; ut omittam alia. Dico autem, ſi ſalvo officio id fieri poſſit. Nam ſi verendum eſſet, ne tua fuga aliorum animi ita conturbarentur, ut verendum eſſet, ne à veritate deficerent, periculum potius adeundum eſt, quam fugiendum; quod imprimis obſervandum eſt Eccleſiarum paſtoribus ac miniſtris. Interdum enim paſtoribus ſtruuntur inſidiæ, quæ ovibus tum non ſunt metuendæ, neque damnum aliquod inſigne ex eorum abſentia manare ad eas poteſt: quo tempore paſtores ſibi fuga conſulere poſſunt ac debent. Quod ſi vero oves vel imprimis, vel cum paſtoribus una petantur, & ipſæ ſeſe ſine paſtore tueri non poſſint, nec tamen omnes ſibi queant fuga conſulere, atque ita periculum evitare, aut aliquam forſan ob cauſam nolint; paſtoribus ſubſiſtendum eſt, & expectandum periculum, præſertim ſi ſpes ſit, fore, ut illorum præſentia conſtantiaque Eccleſiæ plurimum proſit.

Quod ad alterum extremum attinet, nempe timiditatem, illud commemoratur inſignitè Apoc. 21. 8, in vocabulo δειλοῖς, quod ignavos ſignificat aut timidos; quo nomine ii ſunt intelligendi, qui timore hominum aut cruciatuum perculſi, veritatem aut pietatem deſerunt. Nam trepidare aliquo modo in periculo non protinus hujus ignaviæ eſt argumentum, cum videamus, etiam Dominum Jeſum, inſtante mortis tempore, antequam caperetur, conſternatum eſſe, & vehementer trepidaſſe, adeò ut etiam Angelus è cœlo appareret, & ipſum confirmaret. Itaque non metus ſimpliciter in periculis ignavia illa eſt, quæ dicto illo Apocalyptico damnatur, ſed potius animi inconſtantia, ac improbitas, quæ eo uſque metum progredi ſinat, ut à veritate ac pietate nos abducat. Quod ſi quis mortem, trepidans licet, adiret, veritatis cauſa, eamque, non ſine horrore ac metu, Chriſti cauſa perferret; is fortitudinis laude haudquaquam eſſet privandus Chriſtianæ, præſertim ſi metus ille naturalis cujuſdam eſſet imbecillitatis & timiditatis ingenitæ, quæ conſilio ac ſtudio corrigi quidem, ſed penitus tolli nequeat. Id tamen perfectioni hujus virtutis aliquid detrahit, ſi quis cum virilius ſe gerere poſſet, animum tamen adverſus metum penitus non obfirmat, & mollius paulo atque effœminatius ſe gerit, quam virum hominemque ſpe immortalitatis ſaltum deceret. Certe nec Paulus, qui tamen, ſi quiſpiam, inter homines Chriſtianos Deique ſervos fortitudinis laudem meruit, metu caruit, cum ſcribit 2 Corinth. 7. 5. de ſeſe; *extrinſecus pugnæ, intrinſecus timores*. Quare etiam cum Dominus Jeſus Matth. 10. 20. aut Petrus Apoſtolus 1 Pet. 3. 14, prohibet metuere homines, qui corpus tantum queant occidere; non metum, qui ex conſideratione periculi oritur, prohibet, ſed illius exceſſum, qui ut malum effugias Deum offendere ac violare pietatem jubet. Atque huc pertinent illi, de quibus loquitur Scriptura, qui *ſeſe ſubducunt*, hoc eſt, periculum ita ſubterfugiunt, ut veritatem interea prodant, vel eam aperte abnegando, vel ſaltem reticendo & ſilentio ipſo prodendo.

Quod ad patientiæ extrema attinet, illud quidem, quod modum ſuperat, vix reperitur; niſi forte cum quis præter neceſſitatem aliquid mali patitur, &, cum ſalva conſcientia injurias aliorum poſſet effugere, aut legitima aliqua ratione ſalvoque lenitatis ac charitatis Chriſtianæ ſpiritu, eam à ſe depellere, id tamen non facit: qua tamen in parte nemo peccabit, niſi qui terrore ſupervacuo aut ſuperſtitione aliqua ſit devinctus; quemadmodum olim ii, qui die Sabbati non putabant ſibi impetum hoſtilem reprimere, & armis à ſe depellere licere: qua de re legimus in libro Maccabæorum. Tales aliqua ex parte ſunt ii, qui ne terrendi quidem hoſtis cauſſa arma ſumere & vim in ſpeciem ſaltem intentare audent, aut magiſtratum adire verentur, ut vim à ſe depellat, etiamſi id ſine vera vindicta fieri queat; ob verba Chriſti Matth. 5. 39. & ſeqq. non ſatis intellecta.

Alterum vitium huic contrarium eſt Impatientia ac mollities: quo laborant illi, qui vel in doloribus nimis effœminate ſe gerunt, animoque franguntur, vel etiam Deo audent obloqui, eumque incuſare, vel in vindictam erumpunt, cum quid ab aliis patiuntur, aut ſaltem adverſus eos ingemiſcunt, ut Jacobus loquitur cap. 5. 9; vel denique, ut ab afflictionibus liberentur, veritatem deſerunt atque abnegant, vel alias quippiam contra pietatem officiumque hominis Chriſtiani committunt. Et hujuſmodi quidem exempla ſemper fuerunt, hodieque ſunt plurima. Et de cauſſa quidem, ob quam fiat, ut quis veritatem deſerat, non pauca hinc inde leguntur in ſacris literis Novi fœderis, poſſuntque ea huc aliquo modo referri, quæ de abnegatione veritatis ob perſecutiones dicta alibi ſunt. Ad hanc impatientiam pertinet illud ex Epiſt. ad Hebr. 12. 3. & ſeqq. ubi monet, ne illi, ad quos ſcribit, *animis deficientes fatiſcant*, aitque *eos nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſſe, adverſus peccatum pugnantes*. Et poſtea ex cap. 3. Proverb. citat verba de caſtigatione, ubi monet Salomon, *ne quis à Domino caſtigatus deficiat*, hoc eſt, animum deſpondeat, & ſpem in Deum pietatiſque ſtudium abjiciat. Loquitur enim divinus Auctor de afflictionibus, quas partim veritatis cauſa ſuſtinebant Hebræi iſti, partim etiam ob delicta ſua; quæ proinde illis partim cedere debebant ad vitæ emendationem, partim ad fidei ac conſtantiæ explorationem: in utriſque autem patientia homini Chriſtiano opus eſſe, divini autoris verba demonſtrant.

Quod ad conſtantiæ extrema attinet, id quod peccat in eo quod nimium eſt, dicitur pertinacia aut contumacia; ejuſmodique eſt animi vitium, quo quis ne à malo quidem propoſito vult diſcedere. Quale eſt in adverſariis divinæ veritatis; qui convicti licet, ab errore tamen diſcedere, ac veritatem amplecti nolunt, & priſtinæ religionis ita ſunt tenaces, ut ad meliorem tranſire abnuant. Hoc quia intellectu eſt facile, ideo illi non immorabimur. Alterum vitium, quod in eo peccat quod parum eſt, eſt inconſtantia & deſultoria levitas. Eſtque vitium ejuſmodi, quo quis abſque legitima cauſa propoſitum mutat, atque à recto etiam conſilio & propoſito diſcedit. Diximus autem, ſine legitima cauſa; quia mutare conſilium, cum juſta eſt mutationis cauſa, non modo non eſt hominis in-

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conſtantis, ſed etiam maxime conſtantis. Nam conſtantis hominis eſt, ſemper id, quod rectum eſt ac ſalutare, ſequi: quod ſi ergo fiat, ut illud aſſequi nequeat ea ratione, qua antea inſtituerat, cum omnino decet, ut, qua illud aſſequatur, eam ineat viam. Conſtantia enim in fine maxime debet cerni: in mediis admitti poteſt varietas, circumſtantiis rerum mutatis; varietas tamen ejuſmodi, ut ab honeſto ne latum quidem unguem diſcedas. Nam in honeſto ſequendo conſtantiſſimi eſſe debemus. Quod ſi quis, etiamſi videat conſilium ſuum minus ſalutare eſſe, & ad finem, quem quærebat, non accommodatum, illud tamen mutare cum meliore nolit: is ratione quidem conſilii hujus pertinax erit cenſendus, ſed ſi finem reſpicias, aliquo modo inconſtans. Itaque illi inconſulto eos arguunt inconſtantiæ, qui religionem deteriorem cum meliore commutant, & ad eam ſubinde tranſeunt, quam meliorem prioremque eſſe judicant; ipſi potius contumaces, qui veteribus ſibi ſemper inhærendum putant, quicquid ſacrarum literarum auctoritas & ſana ratio contra ſuadeat. Illud tamen, ut inconſtantiæ notam effugias, curandum eſt, ut, quanto quæque res eſt gravior, tanto diligentius eam expendas, & ſine gravi cauſa nil mutes. Ubi res nimis eſt manifeſta, celerrime facienda eſt mutatio; quemadmodum olim fecerunt illi, qui ad unam v. g. Apoſtoli concionem religionem priſtinam mutarunt, & Chriſtianam ſunt amplexi: ſed ubi res eſt obſcurior, diutius deliberandum eſt, conſcientiæque judicio timore Dei imbuto ſtandum eſt.

Quod ad diligentiæ attinet extrema: illud quidem quod in defectu peccat, negligentia ſeu ignavia ac deſidia eſt, quæ in rebus divinis reprehenditur, imprimis Heb. 5. 11. vide etiam cap. 12. ℣. 12: ubi jubet divinus Auctor, *remiſſas manus & genua ſoluta ſurrigere*; remiſſæ autem manus & genua ſoluta hominis ſunt inertis, deſidis, & animum deſpondentis, atque illius, qui curam atque ſtudium alicujus rei jam abjecit. Nam de tali negligentia auctori ſermo eſt, quemadmodum & cap. 6, quæ fidei ac ſpei conſtantiæ opponatur, ſeu ex abjectione fidei ac ſpei oriatur; quemadmodum locum inſpicienti patebit. Habet autem imprimis locum tum, cum ob fidem ac pietatem perſequutiones ingruunt, quæ multorum ſtudium retardant, & conſtantiam concutiunt quemadmodum Hebræis illis acciderat.

Quod ad illud extremum attinet, quod in eo peccat, quod nimium eſt, illud quidem in rebus iis, quæ ad ſalutem pertinent vix reperias, niſi forte cum contrario aliquo mixtum. Quod propterea dicimus, quia vitia alia virtuti huic oppoſita, quemadmodum in non paucis deprehendimus, duplicia ſunt, alia ſimplicia, ut negligentia ſimpliciter ita dicta, & nimia quædam laborum ac virium contentio: alia vero mixta. Hujus autem generis duo imprimis reperias: Unum eſt, cum quis curam ac diligentiam adhibet in rebus vel noxiis, quod omnium eſt peſſimum, vel parum utilibus, aut ad ſe nihil pertinentibus; quam poſſis præpoſteram vocare diligentiam, quò pertinet curioſitas, quæ diligentia eſt in rebus ad ſe non multum pertinentibus, vel non neceſſariis, & πολυπραγμοσύνη, qua quis alienis ſeſe negotiis ingerit; quanquam in eo etiam injuſtitia verſatur, quemadmodum (niſi fallor) docuimus in explicatione juſtitiæ, ubi mentionem etiam fecimus τῶν ἀλλοτριεπισκόπων, alienarum rerum inſpectorum; à quo vitio dehortatur Petrus 1 Epiſt. cap. 4. ℣. 15. Etſi autem hoc vitium in eo, quod nimium eſt, peccare ſimpliciter cenſeri queat; nihilominus tamen nos mixtum illud diximus; quia is, qui aliena, aut parum neceſſaria, vel etiam noxia agit, interea res ſuas negligit, ac neceſſaria utiliaque omittit. Alterum hujus generis vitium eſt, cum quis multa quidem agit, ſed nullum illorum conſtanter, verum deſultoria levitate, nunc hoc, nunc illud arripit. Et ſane id nihil aliud eſt, quam operoſe nihil agere. Mora enim, & conſtantia in re quavis honeſta atque utili, ea demum diligentia eſt.

Quod denique attinet ad vigilantiam, illi (ne de eo extremo quicquam dicamus, quod in exceſſu peccat; cum id vix reperiri queat, ac ne facile quidem cogitari) in defectu opponitur ſomnolentia ac ſecuritas; à qua nos avocat imprimis Apoſtolus 1 Theſſal. 5. 3. & ſeqq. Quin etiam Dominus Jeſus de adventu ſuo loquens, quam noxia illa ſit futura ſatis oſtendit parabola decem virginum, Matth. 25. Videatur etiam capite præcedenti, à ℣. 37 uſque ad finem capitis.

Cap. XXIII.

De iis Virtutibus atque officiis, quæ partim ad nos ipſos, partim ad alios referuntur.

Reſtat quarta Sanctitatis pars, quæ eas complectitur virtutes, quæ partim ad nos ipſos ſpectant, partim ad alios. Etſi autem nonnullæ ex illis virtutibus, quas proximo capite perſequuti ſumus, etiam hîc locum habere videantur potuiſſe, ſi nonnulla illarum officia & veluti ſurculos ſpectes, qui alios quoque homines, aut ipſum Deum reſpiciunt; tamen quia primo aut potiſſimum ad nos ipſos ſpectant, ideo eas ab his ſejunximus. Poſſunt autem ad hoc genus referri iſtæ, Modeſtia, Verecundia, Gravitas, Candor, ac Veracitas, ac denique Taciturnitas; quæ ita diſtingui inter ſe poſſunt, ut priores tres dicantur verſari circa honorem ac dignitatem, ejuſque contrarium, quamquam diverſo (ut mox explicabimus) modo; poſteriores vero duæ in ſignificandis ac patefaciendis, aut etiam tegendis iis, quæ in animo latent abdita. Et priores quidem illæ in factis, modeſtia etiam in affectibus regendis cernitur: poſteriores vero magis in ſermonibus. Dico magis; quia & priores iſtæ in ſermone aliqua ratione cernuntur, & poſteriores in factis, ſed illæ magis in his, hæ magis in illis. Quod ad tres priores attinet, eæ ita inter ſe diſtinguuntur, ut modeſtia ſit occupata in honoris cupiditate moderanda minuendaque; verecundia in evitanda infamia, aut ſiniſtra de nobis aliorum opinione; gravitas denique in tuenda comparandaque dignitate conveniente.

Cap. XXIV.

De Modeſtia.

Modeſtia, Græcis ταπεινοφροσύνη dicitur, quæ vulgo Latinè redditur humilitas, quæ vox apud Latinos Auctores in vitio ponitur, & denotat illud hujus virtutis, qua de agimus, extremum, quod ſuperbiæ ex adverſo opponitur, & in defectu quodam modo peccat. Poſſes eam reddere animi demiſſionem, quanquam ne hoc quidem fortaſſis apud prophanos auctores in laude ponitur. Eſt autem Modeſtia virtus honoris cupiditatem refrænans, & moderatum de nobis ſeu de noſtra dignitate ſenſum in nobis gignens. Etſi enim ταπεινοφροσύνη videatur nonnunquam ſumi pro ipſo moderato de nobis noſtraque dignitate ſenſu, qui in intellectu revera eſt, (unde ea videri poſſet intellectus ſeu mentis eſſe virtus:) tamen cum nemo non videat Modeſtiam eſſe virtutem moralem, adeoque in voluntate & appetitu reſidere, neceſſe eſt, ut ea non ſit revera ille ipſe moderatus ſenſus qui in mente ac ratione reſidet, ſed illius quædam cauſa: (habet enim voluntas atque appetitus etiam in intellectum nonnihil virium, ita ut, quod volumus, facile nobis perſuadeamus, quod nolumus, contra difficulter:) aut ut ſenſus moderatus ejuſve contrarium non plane proprie ſumatur; ſed is dicatur moderatè de ſe ſentire, qui honorem moderatè appetat; immoderatè, qui immoderatè. Eſt enim hoc nec ſacris literis, nec vulgo inuſitatum, ut actiones quædam voluntatis deſcribantur vocibus, quæ actionem quandam intellectus ſignificant: quemadmodum cum interdum nos idem ſentire pronunciant ſacræ literæ, cum volunt ſignificare nos animo concordi eſſe ac paci unice ſtudere. Atque ut ad hanc virtutem propius accedamus,

jubet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

jubet Apoſtolus, ut per modeſtiam *alii alios ſuperiores ſe ducant*: ad Philippenſes 2. 3: hoc eſt, ita ſe gerant, alii erga alios, ut inferiores erga ſuperiores ſolent: qua de re inferius.

Ut igitur ad inſtitutum redeamus, id præſtat Modeſtia, primum, ut moderatè de nobis ſentiamus: deinde, ut in honore appetendo moderate nos geramus, imo eum aliis libenter concedamus, aut deferamus. Moderate autem de ſe ſentit, qui nec ſibi arrogat ea bona, quæ non habet, nec majora, quam quæ habet, quemadmodum monet Apoſtolus Rom. 12. 3: nec denique majori ſe honore dignum judicat ob ea, quæ poſſidet bona, quam revera dignus ſit. Perſuaſionem autem hanc eatenus modeſtiæ tribuimus, quatenus ea à voluntate oritur, & ex moderata honoris cupiditate pendet.

Hoc veluti fundamento conſtituto, in quo virtus hæc primo reſidet; duo naſcuntur ſurculi & veluti partes hujus virtutis: quarum altera ad Deum, altera ad homines ſpectat. Nam & coram Deo nos demittere dabemus, & humilimè de nobis ſentire; & hominibus etiam convenientem honorem exhibere ac deferre. Coram Deo ut demiſſe te geras, id requiritur, ut eum, quem ipſi debes, honorem exhibeas, &, ſi quid eſt laudis & honoris, quod ad ipſum aliunde redire debet, id tibi nec arroges, nec ad te transferas. Utrumque præſtabis, ſi conſideres ſupremum Dei in omnia atque in te imperium, ob quod ſummo honore ab omnibus eſt afficiendus, & in omnibus ei parendum: ſi item conſideres te, quantus quantus es, ab ipſo pendere, quicquid habes boni, id ad ipſo totum manaſſe. Nam qui hoc utrumque conſiderat, is primum ita ſe Deo ſubjiciet, ut ei in omnibus parere velit; quo pacto Domini Jeſu demiſſio commendatur Phil. 2: quod Deo obediverit ad mortem uſque crucis; & Jacobus cap. 4. 7, à ſuperbia nos avocans, monet, ut *ſubjiciamur Deo*. Cujus officii particulam quandam infra videbimus, ubi de demiſſione coram hominibus agemus. Deinde qui ea, quæ diximus, conſiderat, is quicquid habet boni, Deo referet acceptum, eique gratias pro tanta munificentia aget, & ſicubi ob aliquas dotes, quas à Deo accepit, laudetur ac honoretur, laudem illam Deo dandam profitebitur, & ad divinum honorem dotes illas ſuas penitus convertet; tantum abeſt, ut gloriam ſuam ipſemet ambiat. Sic Dominus Jeſus, qui hujus virtutis exemplum, in ſeipſo aliquoties propoſuit, profeſſus eſt, ſe gloriam ſuam non quærere: Johan. 8. 50. & cap. 7. 18. & Paulus 1 Theſſ. 2. 6.

Quod attinet ad eam Modeſtiæ partem, quæ ad homines ſeſe porrigit, ad illam primo pertinet, ne quenquam præ te contemnas, licet minoribus præditum donis, multo vero minus eum, qui vel par ſit tibi, vel etiam ſuperior, ſed contra potius cuilibet convenientem exhibeas honorem, eaque in re cum aliis certes. Et huc referri poteſt illud Apoſtoli Rom. 12. 10. Ubi monet, ut honore alii alios præeamus vel præveniamus. Quanquam honor ille jure accipi poteſt de officiis, quæ alter alteri præſtare debet, quæ ideo honoris nomine appellari poſſunt, quia officiis iſtiuſmodi oſtendimus, quanti alios faciamus, ſuntque inſtar ſervitiorum ac miniſteriorum, quo qui præſtat alteri, is eum propemodum ſuperiorem videtur agnoſcere aut conſtituere. Atque huc jure etiam referri poſſunt verba iſta Apoſtoli ſuperius commemorata ex Epiſt. ad Phil. 2. 3: ubi jubemur alii alios ſuperiores ducere, non ſententia mentis, ſed actione atque officiis. Neque enim modeſtia requirit, ut is, qui donis ſpiritualibus aut terrenis alteri longe excellit, revera putet alterum iis ſibi anteire: (id enim ſæpè ſtultiſſimum eſſet, imo impoſſibile cenſendum eſt, cum res nimis eſt manifeſta, & nonnunquam valde eſſet noxium, ſiquidem inde non ſemel fieret, ut longe rudiori munus aliquod in Eccleſia demandaretur potius, quam potiori atque aptiori, imo neuter id ſuſcipere vellet, modeſtia utrinque obſtante:) non, inquam, iſtud requirit modeſtia, ſed ut quantumvis magnis & excellentibus donis ornatus, ita tamen te demittas, ut ubi uſus exigit, etiam infimo & minimo, inter Chriſtianos præſertim, quippe Chriſti fratres, miniſtres, & cum eo omni officiorum genere certes. Quare hoc alterum ſit hujus modeſtiæ partis ad proximum ſpectantis officium, nempe, ut, etiamſi ſis maximus, tamen ad viliſſima etiam miniſteria infimis in Eccleſia præſtanda te demittas, exemplo Chriſti, qui, cum Dominus eſſet ac magiſter, tamen ſervis ac diſcipulis ſuis pedes lavit, ur legimus Johan. 13. idque imitari nos voluit. Videatur ℣. 13. & ſeqq. Hoc officium expreſſit Dominus Jeſus Matth. 20. 26, ubi ait: *Si quis velit inter vos magnus eſſe, ſit veſter miniſter, &, qui voluerit inter vos eſſe primus, ſit veſter ſervus.* Hujus ſpeciei perfectio in eo conſiſtit, ut aliorum ſaluti etiam animam velis impendere; quod etſi partim ad charitatem, partim ad patientiam Chriſtianam pertineat, tamen etiam ad modeſtiam ſeu humilitatem (ut vocant) refertur à Domino Jeſu eodem Matthæi loco, ubi præceptum iſtud ſuum de quærendo per ſummam modeſtiam primatu, atque inter omnes eminentia, declaraturus, exemplum ea de re ſuum affert, ita inquiens, *quemadmodum filius hominis non venit, ut ipſi ſerviretur, ſed ut ſerviret, & daret animam ſuam redemptionis precium pro multis.* Tertium præceptum ad hanc modeſtiam ſpectans eſt, ut ſi donis aliquibus præditus ſis eximiis, v. g. ſingulari rerum divinarum cognitione, ea nequaquam oſtentes, & vel gloriam propterea ab aliis aucuperis, vel iis cum aliorum ſcandalo utaris: verum infirmioribus te accommodes. Quò reſpexit imprimis etiam Paulus Phil. 2. 4. & ſequent. Quartum conſtitui poteſt illud, quod commemorat Paulus Rom. 12. 16: ubi jubet, ut humilibus obſecundemus, hoc eſt, ne humilia faſtidiamus, atque alta ambitioſe ſectemur, vel (quod eodem prope recidit) ut nos inferioris conditionis hominibus accommodemus, & ad illos nos demittamus, humaniter cum illis agendo, eoſque ſuperciliose non repellendo, nec ea ſpernendo, quæ ab illis erga nos proficiſcuntur. Itaque ædibus v. g. aut hoſpitio à pauperiore fratre exceptus, viliorem etiam menſam ſpernere non debes aut faſtidire, ſed potius ita cum eo agere, ut, quicquid ille benevolentiæ tibi præſtet, id tibi gratum eſſe ſignifices. Quod ſi etiam interdum tua auctoritate aliquid ei honoris conciliare poſſis, id ne defugias. Quapropter humanitas ac comitas, præſertim erga inferiores, modeſtiæ individua comes eſt. Quinto in cultu corporis & reliquo apparatu fugiendus eſt omnis luxus, & ſplendor nimius. Nam hic elationem quandam animi redolet, nonnunquam etiam excitat, præſertim in animis juvenilibus & levibus, quos quivis ventus attollit. Atque huc referri poſſunt illa Apoſtolorum monita de veſtitu muliebri frugali ac moderato: 1 Timoth. 2. 9, & 1 Pet. 3. 3. Qua de re quoque nobis nonnihil alibi erit dicendum, nimirum in officiis mulierum ſive fæminarum Chriſtianarum.

Præter hæc officia ſunt etiam alia, utrique modeſtiæ parti quodammodo communia: quorum primum eſt, ut rectè monenti obtemperes, & reprehenſionem, præſertim ab amico ſalutis tuæ cupido profectam, admittas, nec animo præfracto repudies: ſemper autem credere debes ab animo optimo reprehenſionem proficiſci, niſi evidenter contrarium appareat; alias enim charitas optima quæque de altero ſentire jubet. Hoc præceptum tradit Apoſtolus Epheſ. 5. 21, ubi ait: *Subjicientes vos alii aliis in timore Dei.* Et Pet. 1. Epiſt. 5. 5: ubi cum monuiſſet, ut alii aliis nos ſubjiciamus, addit; *modeſtia eſtote intus ornati*; ut oſtendat, hanc ſubjectionem, qua fiat, ut alii aliorum monitis obtemperemus, ex vera modeſtia animique demiſſione naſci. Diximus autem, hoc præceptum pertinere ad utramque modeſtiæ partem. Nam etſi videamur coram homine nos demittere, cum nos illi, ut Apoſtoli loquuntur, ſubmittimus, eique monenti paremus; quia tamen id facimus, Dei metu ac reverentia impulſi, quemadmodum Paulus dicto loco ad Epheſ. aſſerit, ideo hæc noſtra demiſſio ad Deum ipſum reſpicit, & non tam homini nos ſubjicimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quam Deo per ipſum nos monenti, & præcipienti, ut ipſi pareamus; cum is non ſua cauſa moneat, nec id præcipiat, quod ad ſuam utilitatem pertineat, ſed Dei negotium hac in parte agat, idque urgeat, quod Deus ſermone ſuo præcepit. Unde Petrus poſt verba modo adducta, cum demiſſionem animi nobis commendaſſet, ex ſingulari fructu, qui inde naſcatur, contra etiam damnum ex ſuperbia proficiſcens commemoraſſet, addit, *humiliamini igitur ſub potenti manu Dei*; non obſcurè indicans, illam ſubjectionem, quam alii aliis præſtare debemus, de qua antea fuerat locutus, eſſe partem quandam ſubjectionis & demiſſionis, qua Deo ipſi nos ſubmittamus.

Alterum officium huic ſimile eſt, ut imprimis iis pareamus, qui vel autoritatem quandam, vel etiam imperium aut dominium in nos habent. Autoritatem habent illi, qui muneris, quod ſuſtinent, aut ætatis ratione, aut ob ingentia in nos collata beneficia, quodam veluti jure nos monere, &, ſicubi peccemus, reprehendere, ac verbis caſtigare poſſunt ac debent: quales ſunt Eccleſiæ ſeniores & Epiſcopi. De quibus eſt illud ejuſdem Petri monitum eodem cap. 5. 1 Epiſt. ℣. 5: ubi monet juniores (nempe in Eccleſia) ut ſubjecti ſint ſenioribus. Juniores autem & ſeniores non ætate revera, ſed muneris potiſſimum ratione, &, quæ cum illis debet conjungi, cognitione rerum divinarum, prudentia ac pietate diſtinguit. Itaque juniores ſunt auditores vulgares, qui munus publicum in Eccleſia non gerunt: ſeniores vero illi, qui Eccleſiam regunt, aut illi præſunt. Poteſtatem rurſus aut imperium habent parentes in liberos, &, qui parentum vice funguntur, ut tutores, & ex parte aliqua præceptores; tum magiſtratus in ſubditos, heri ſeu domini in ſervos ſeu mancipia. His omnibus quicquid debetur obſequii aut miniſterii, (debentur autem diverſis diverſa) id totum promptè & alacriter præſtandum eſt, nec auctoritas illorum unquam ſpernenda. Quid autem in ſpecie cuivis ſit præſtandum, id, quatenus ad noſtrum inſtitutum pertinebit, explicabimus, Deo volente, in ſpecialibus certorum hominum officiis. Simile autem præceptum jam attigimus antea, de ea modeſtiæ aut demiſſionis parte agentes, quæ Deum ſpectat. Illi enim primo ac potiſſimum obſequium ab omnibus debetur, idque illi præſtare modeſtiæ eſt, ſeu humilitatis, quam vocant. Atque in his duobus præceptis, continetur εὐπείθεια illa, ſeu obſequendi ſtudium quod ſupra alicubi attigimus, de loco Jac. 3. cap. ℣. 17, ubi habetur vocabulum εὐπειθὴς, hoc eſt, obſequens, agentes: quanquam aliam quoque hujus vocis ſignificationem ibi explicuimus. Hæc de Medio.

Ad extrema quod attinet; illud quidem, quod in defectu peccat, ita rarum eſt, ut explicationem vix deſideret, nec facile ſit verendum, ne quis in illud incurrat: eſtque nimia quædam animi demiſſio, quam etiam puſillanimitatem, licet hæc magnanimitati opponatur, aut ſervile obſequium appellare poſſis. Ideo autem adeò rarum eſt hoc vitium, quia omnes natura excellere atque eminere volumus, & laudis ac gloriæ ſumus cupidi. Quod ſi tamen vitium hoc alicubi extat; in hominibus meticuloſis aut ſervilis ingenii id reperietur. Quare ii, qui meticuloſiores ſunt à natura facti, aut ad pudorem alias juſto proniores, cavere debent, ne interdum à medio longius recedant, & dum ſeſe nimium demittunt, auctoritatem, quam tueri jure deberent, proſtituant ac prodant. Sed hoc extremo valere nunc juſſo, ad alterum, ad quod prope omnes ſunt admodum proni, accedamus, id vero eſt, Superbia animique elatio, hoc eſt, vitium in honoris cupiditate modum ſuperans. Modum autem ſuperare hac in parte intelligimus etiam illum, qui plus ſibi arrogat bonorum, quæ honore ac gloria aliqua digna ſunt, vel ſaltem digna ab ipſo cenſentur: id quod, ut paulo poſt patebit φιλαυτίας imprimis eſt. Idem vitium κενοδοξία appellatur, hoc eſt, inanis gloriæ cupiditas, Phil. 2. 3: unde κενόδοξοι Gal. 5. 26. Quanquam ſi ſubtilius res conſideretur, poſſis diſcrimen aliquod inter φιλαυτίαν & κενοδοξίαν conſtituere, quod illa, ut diximus, etiam cernatur in eo, quod quis ſibi arroget eas dotes ſive bona, quibus caret, hæc verò in gloria tantum aut honore qui dotes aut bona illa conſequi debere videatur, ambiendo. Itaque duæ propemodum ſuperbiæ partes conſtitui poſſunt: quarum altera conſiſtit in arrogandis ſibi bonis iis, quibus careat quiſpiam: altera in ipſo honore nimio ſibi ſumendo; quam poſteriorem κενοδοξίαν eſſe diximus. Quia vero vitium hoc vulgo etiam ſatis notum eſt, itaque de eo nobis minus dicendum eſt, aut ſi quid dicendum eſt, id in partium ipſius explicatione dicetur. Poteſt autem ſuperbia etiam in alia, & quidem minora, quam paulo ante à nobis facta ſunt, membra diſtribui. Alia enim ejus pars potiſſimum in animo cernitur, alia in ſermonibus, alia denique in cæteris factis rebuſve externis.

Prima ejus pars dicitur φιλαυτία, hoc eſt, amor ſui, eſtque ejuſmodi vitium, quo quis plus ſibi arrogat vel dotium vel dignitatis, quam ipſi revera convenit; qua de re non pauca dicta ſunt in Ethicis. Ab hoc vitio abducit Paulus eos imprimis, qui aliquo in Eccleſia funguntur munere, & donum aliquod à Domino Jeſu ſunt adepti, ad munus iſtud obeundum pertinens, ne aliquid amplius ſibi arrogare velint, & cum in inferiori forte gradu fuerint conſtituti à Chriſto, ampliorem ſibi aſſumere, & eam provinciam invadere, ad quam uberiore Spiritus dono ſit opus. Vide Rom. 12. 6. & ſeqq. & confer cum ℣. 3. & duobus ſequentibus. Hujus vitii ſit mentio 2 Tim. 3. 2. quanquam nihil prohibet, quo minus ibidem φιλαυτία paulo aliter accipiatur. Sumi enim poteſt eo in loco pro eo ſui amore, quo quis ſuis commodis unicè ſtudet, & primas ſibi partes ea in re ſumit: qua de re itidem dictum eſt in ea Ethices parte, ubi de Amicitia. Idem vitium intelligitur, cum inflatorum fit mentio: quod fit dicto loco 2 Tim. 3. 4 quam ob cauſam non abs re fuerit, ut vox φιλαύτων ℣. 2, poſteriori modo ſumatur, ita ut quicquid priori φιλαυτίας ſignificatione continetur, id totum comprehendi videatur nomine inflatorum: niſi quis hac poſteriore voce inſignem aliquem φιλαυτίας gradum velit eſſe ſignificatum. Sunt enim nonnulli φίλαυτοι, qui multa quidem ſibi arrogant, non tamen nimium tument opinione ſui; id quod propriè eſt inflatorum. Fit ejuſdem rei etiam mentio 1 Cor. 8. 1. ubi dicitur, ſcientiam inflare, hoc eſt, ſuperbos & fratrum rudiorum contemptores reddere, nempe ſi charitas abſit. Charitas enim, ut habetur in eadem Epiſtola cap. 13. 4, *non inflatur*, hoc eſt, non patitur, ut homo ſuperbiat, alioſque præ ſe contemnat. Quare inflatum eſſe, non tantum reſpicit eum ipſum, in quo vitium illud eſt, ſed & alios: is enim, qui inflatus eſt, non tantum ſe magni æſtimat, ſed & alios præ ſe ſpernit. Huc etiam pertinet αὐθάδεια, hoc eſt, id animi vitium, quo fit ut alicui ſua conſilia judiciaque vehementer placeant; unde etiam ea pertinacius defendit, nec facile de ſententia diſcedit. Hinc factum eſt, ut nonnulli interpretes in loco ad Tit. 1. ℣. 7, ubi requiritur, ne Epiſcopus ſit αὐθάδης, hoc nomen reddiderint, ſibi pertinaciter placentem, cum vetus interpres ſuperbum vertat: ab aliis redditur inſolentia. Quare dicere poſſis, hoc vitium primo quidem ad ſuperbiam pertinere, & ejus quandam partem in ſe complecti; ſed deinde etiam pertinaciam ex ſuperbia illa ortam ambitu ſuo comprehendere. Quod enim cui præter rationem placet, id etiam non niſi cum quadam pertinacia defendit: id quod tamen poſito priori neceſſe non eſt. Quanquam non eſt prætereundum, αὐθάδειαν poſſe etiam ſumi pro moroſitate quadam & aſperitate morum, orta ex quadam ſuperbia: quia enim cuipiam cæteri præ ſe ipſo diſplicent, ut quidam interpres notavit, inde fit, ut illis difficiliorem & moroſiorem ſeſe exhibeat. Sive autem hoc, ſive illo modo ſumas: apparet ſane, de ſuperbiæ natura hoc vitium aliquid participare; quod Græca vox ſatis indicat: ſignificat enim eum, qui ſibi placet. Huc pertinet etiam illud, *ſapientem eſſe*, vel, prudentem *apud ſumetipſum*: Rom. XI. 25. & cap. 12. 16. Et priori

quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quidem loco nihil videtur ſignificari aliud, quam arrogantem eſſe; in poſteriore autem loco nonnulli volunt id paulo ſtrictius ſumi, ut ſignificet, opinione ſapientiæ tumere vel turgere. Quanquam nihil eſſe videtur, quod prohibeat, quo minus laxius accipiatur pro quavis arrogantia, ut in priori loco. Quod ſi cui prior quorundam ſententia placeat; ſimilis erit ille locus iſti, qui eſt in Proverb. 3. 7: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Eodem ſpectat *altum ſapere*; quæ phraſis itidem occurrit in dictis duobus cap. XI. 20. & 12. 16. ſignificat autem efferri animo, aut elatè de ſe ſentire.

Altera ſuperbiæ pars, quæ in verbis cernitur, eſt jactantia, quæ Græcis dicitur ἀλαζονεία: Cujus vitii mentio fit Rom. 1. 30. & 2 Timoth. 3. 2. & Jac. 4. 16. quanquam enim vox ἀλαζονείας addito verbo *vitæ* apud Johannem 1 Epiſt. cap. 2. 16, pro ſuperbia in univerſum, vel potius pro ſuperbiæ univerſæ objecto, nempe vana gloria & honore mundano; ſumatur; unde etiam *ſuperbia vitæ* ab interpretibus redditur; tamen proprie ſpeciem, aut partem aliquam ſuperbiæ denotare ſolet, eam nempe, quæ in verbis cernitur, & definiri poteſt hujuſmodi vitium, quo quis verbis ſibi plus arrogat, quam deberet, aut etiam illud quod habet, abſque neceſſitate verbis prædicat, ſuamque gloriam quærit, maximè ſi id fiat cum aliorum contemptu. Quanquam etiamſi aliorum contemptus abſit, hoc ipſum tamen ſuperbi eſt hominis, laudes ſuas prædicare, etiam veras, ubi nulla urget neceſſitas: quod qui facit, is gloriam, quæ Deo debetur, ſibi vindicat & ad ſe pertrahere conatur. Quicquid enim eſt in nobis boni, id ad Dei unius gloriam & honorem, ſalute noſtra contenti, referre debemus. Dixi autem, id eſſe hominis jactabundi, ea prædicare, quæ ad laudem ſuam pertinent, cum nulla ejus rei neceſſitas eſt: quia ſi neceſſe ſit aliquid tale dicere, & virtutes etiam noſtras & facta præclara commemorare, præſertim ſi quis id faciat modeſtè, nec ſine veniæ impetratione, id arrogantiæ imputari non debet. Itaque ſi quis forte accuſetur alicujus delicti, & arguatur aliquid non feciſſe, quod facere tamen debuerit; famam hanc ſuam, explicatione quadam factorum ſuorum ad defenſionem pertinentium, redimere, non tantum poteſt, ſed etiam debet. Idem etiam fieri poteſt, ſi quis vereatur, ne auctoritatem ſuam apud quoſdam perdat, quam tamen ut retineat, multorum interſit. Quò pertinent ea imprimis, quæ Paulus de ſe ſcribit in poſteriori ad Corinth. atque imprimis cap. XI. Quia enim multum intererat ſalutis Corinthiorum, ejus auctoritatem apud illos ſartam tectam eſſe, quæ malevolorum obtrectationibus convelli cœperat: ideo Paulus multa in ſuam laudem dicit; quanquam id nonniſi neceſſitate quadam excuſatur. Ideo Paulus ibi, ubi in ſuas laudes maxime evehitur, nempe cap. XI. & 12, ad finem ſubjicit, *factus ſum inſipiens, dum glorior: vos me coëgiſtis*: & initio hujus ſermonis veniam quodammodo precatur, & factum hoc ſuum inſipientiæ nomine notat; non quod revera tum inſipienter id ab ipſo fuerit factum, quod ſe laudaret: (cur enim alias eo non abſtinuiſſet?) ſed quia id per ſe conſideratum, non habita ratione circumſtantiarum, aut neceſſitatis Apoſtolo tunc impoſitæ, inſipienter factum dici deberet: vel quia ita adverſarii de hoc ipſius facto eſſent judicaturi. Excuſari etiam tum poteſt gloriatio aliqua, ſeu prædicatio virtutum ſuarum, & præclarorum factorum, cum quis, ut aliis exemplum præbeat, quod æmulentur, eoſque ad virtutem incitet, tale quippiam de ſe narrat. quanquam, ut antea monuimus, ſemper cavendum eſt, ne vel ultra verum progrediatur oratio, vel aliquid gloriæ nobiſmet ipſis ex ea prædicatione decerpamus; ſemperque, cum in hoc argumento verſatur oratio noſtra, modeſtiæ ſigna appareant, ne vel invidia ac livor quod carpat habeat. Animadvertendum autem eſt, illud quoque arrogantiæ nomine à Jacobo notari, cum quis id ſe facturum ſimpliciter aſſerit, quod tamen non ſimpliciter in ipſius poteſtate ſitum eſt, ſed ex Dei voluntate ac arbitrio pendet; quale hoc eſt, quod quis dicit, ſe iturum in hanc aut illam urbem, & ibi conſumturum annum unum & negotiaturum, ac lucrum inde reportaturum, cum tamen adeò incerta ſit vita noſtra, & in Dei voluntate ſitum ſit, utrum in craſtinum ſimus victuri nec ne. Quare modeſtiæ quædam pars eſt, addere, ſi Dominus voluerit, ſi vixerimus, faciemus hoc, aut illud: Jacob. 4. ℣. 15. Quanquam enim non ad omnia, etiam nullius momenti res, aut mox admodum ſequuturas, niſi valdè arduas iſtiuſmodi conditionem addere debemus: tamen in rebus arduis, aut longius diſtantibus, vehementer decet id addere, ſi non ſemper ſaltem creberrimè, & nihil in futurum audacter pronunciare. Quod ſi expreſſe id non addamus, (quod nonnunquam apud Apoſtolos quoque videmus, ut 1 Corinth. 16. 5, & 8.) id tamen ſubaudire tum debemus, quod Apoſtolum dicto loco facere, ſatis conſtare poteſt ex ℣. 7, ubi ait, *ſpero autem, me per tempus aliquod permanſurum apud vos, ſi Dominus permiſerit.*

Vertia ſuperbiæ pars ὑπερηφάνεια. Quanquam enim vox illa interdum ſuperbiam ſimpliciter ſignificet; tamen propriè ſignificat vitium ejus hominis, qui in rebus externis ſub oculos cadentibus, animi elationem oſtendit. Eſt enim ὑπερήφανος is, qui ſupra alios apparet, ſeu conſpiciendum ſe præbet. Itaque vitium hoc cernitur in vultu ac ſupercilio, in luxu item veſtium & ſplendore, ac apparatu omnis generis magnifico, & ad popularem auram captandam, atque ad oſtentationem comparato, quique adeò non neceſſitati alicui ſerviat, ſed pompæ. Quod propterea addo, quia ſi quis ex officii ratione ad retinendam auctoritatem, muneri quod ſuſtinet adminiſtrando neceſſariam, ſplendorem aliquem in apparatu externo adhibeat, is non prorſus eſt hujus vitii accuſandus. Nam partim ex neceſſitate, partim ex fine ſplendor ille cenſendus eſt, & vel ſuperbiæ fructus, vel gravitatis atque auctoritatis convenientis inſtrumentum eſt cenſendus. Laxior hujus vocis ſignificatio extat in Cantico Mariæ Luc. 1. 51: ubi additur, *mente* vel, *cogitatione cordis ſui*; & 1 Pet. 5. 5, ubi vox ea ſimpliciter ponitur. Sed ſtrictior ſignificatio extat ad Roman. 1. ℣. 30, ubi ab ἀλαζονεία ſeu jactantia diſtinguitur, & dicto ſuperius loco 2 Tim. 3. 2; ubi non tantum à jactantia, verum etjam à φιλαυτία & à tumore animi, ſeu animo inflato diſtinguitur. Itaque in loco quidem ad Roman. poteſt etiam animi elationem in ſe comprehendere, præſertim cum ante jactantiam ponatur, tanquam illius quædam cauſa; ſed in loco ad Tim. vix aliter poſſe accipi videtur, quam pro ſuperbia in rebus ſub aſpectum cadentibus apparente.

Cap. XXV.

De Verecundia ſeu Pudore.

Modeſtiæ admodum vicina eſt verecundia, ita quidem ut altera ab altera ſejungi vix poſſit; quanquam differentia inter illas ſupra fuit indicata. Ea vero dici etiam ſolet pudor, quanquam hoc vocabulum magis actus eſt interni, ſeu affectus, quam habitus ſeu virtutis. Verecundia autem habitus ſeu virtutis nomen eſt. Eſt autem Verecundia virtus ejuſmodi, quæ cavet, ne quid indecori in te deprehendatur ab aliis. Indecorum autem non illud tantum appellamus, quod in vita ac moribus turpe ac inhoneſtum eſt, verum etjam quicquid vel in ipſo corpore, vel in factis, aſpectum minus honeſtum habet, & aliorum de te opinionem quocunque modo minuere poſſit. Itaque prima verecundiæ pars eſt, ita corpus contegere, ne quid eorum appareat, quæ natura tegi voluit, atque ea etiam, quæcunque ad libidinem ſpectatores excitare poſſent. Deinde ea quoque facta, ſive naturalia, ſive voluntaria, quæ per ſe quidem honeſta ſunt, aſpectu autem fœda, ab oculis aliiſve ſenſibus removere: quin etiam, quantum ejus fieri poteſt, eorum indicia; qua in re

pars quædam civilitatis morum conſiſtit. Tertio, ſermonibus non libenter uſurpare, vel ſaltem, ubi neceſſe eſt, tectè, aut per quædam verborum involucra, aut cum præfatione honoris efferre ea, quæ vel natura vel conſuetudo non ſatis honeſtè dici judicavit; maxime ſi verendum ſit, ne quis ſermonibus iſtiuſmodi vel corrumpatur vel offendatur. Unde illud apud quoſdam uſurpari ſolet, parcendum eſſe piis auribus; atque imprimis tum, cum de iis voluptatibus eſt ſermo, quæ honeſtè nunquam nominari poſſunt, etiamſi tandem aliquo modo ſint licitæ. Quarto, vitare ea facta, quæ cum honeſtate morum, aut decoro ullo pacto cenſentur pugnare, habita ratione cujuſque gentis, aut loci, ſua natura non vitioſa. Denique vitare in verbis, vultu aliiſque actionibus audaciam, aut illius ſigna, contemptum quendam alienorum judiciorum arguentia. Verecundia enim, ut nomen ipſum indicat, alios, aliorumque judicia metuit ac veretur, eoſque vel minimis in rebus offendere cavet. Itaque in iis verecundia debet eſſe conſpectior, quibus magis convenit aliorum judicia revereri, eoſque metuere, ut eſt ſexus fœmineus, atque imprimis Virgines; quin etiam pueri & adoleſcentes. Nam etſi quibuſdam in rebus omnes peræquè verecundiæ legibus adſtringuntur, in quibuſdam tamen alia aliorum eſt ratio, & aliis propter dignitatem, aut indignitatem, aliis propter ætatem, aliis propter ſexum plus licet. Hinc mulieribus imprimis præcipitur 1 Tim. 2. ℣. 9, *ut ſeipſas ornent cum pudore*, hoc eſt, ut ſeſe quam diligentiſſimè velent, nec ullam corporis partem ſpectantium oculis ita ſubjiciant, ut cupiditatem aliquam improbam in illorum animis excitent: contra quod præceptum tum, cum iſta ſcriberet Apoſtolus, in quibuſdam locis graviſſimè peccabatur, in quibuſdam etiam hodie. Monuimus autem alibi, ubi de Sanctitatis univerſæ proprietatibus quibuſdam egimus, pudorem quendam nobis in ſacris literis præſcribi, qui ad Deum reſpiciat, idque ab autore Epiſt. ad Hebr. circa finem cap. 12: qui quidem pudor ei, quem explicuimus, vicinus eſt, aut aliquo modo analogus, non tamen prorſus idem. Quanam autem in re potiſſimum conſiſtat ibi explicuimus. Hæc de medio.

Extrema duo ſunt: Illud quidem, quod in defectu peccat, Impudentia dicitur, eaque ſolet impudicitiam etiam comitari, quæ inde nomen accepit, quod pudore vacet. Si enim uſpiam pudore opus eſt, in iis certe voluptatibus opus eſt, in quibus pudicitia cernitur, ac rebus omnibus eò ſpectantibus. Quanquam, ut ſatis jam indicavimus, in aliis rebus quamplurimis locum habet tum verecundia, tum inverecundia ſeu impudentia. Quanam autem in re impudentia cernatur, & quodnam illius ſit ingenium, ſatis conſtare poteſt ex iis, quæ de verecundia ipſa diximus. Quæ enim verecundia præſtat, ea negligit ac violat impudentia. Huc etiam poteſt referri procacitas; quanquam ea, quæ vulgo ita appellari ſolet, cum impudentia conjuncta eſſe ſolet, cerniturque in iis ſive apertè, ſive tacitè petendis, quæ petere indecorum eſt. Cernitur etiam impudentia ſæpe in aliis rebus petendis, quas non eſt æquum ab aliis poſtulare, vel in iis audacius, quam par eſt, petendis. Audacia enim in petendo omnis, niſi inter fidos admodum intimoſque amicos, impudentiam redolet.

Alterum extremum, quod in eo peccat, quod nimium eſt, vitioſus dicitur pudor, de quo libellum integrum conſcripſit Plutarchus; cerniturque in eo, cum quis pudore prohibitus, ne illa quidem facit, aut dicit, quæ facere aut dicere deberet, aut cum interdum id negare cuipiam non audet, quod negare deberet, veritus, ne ob id ipſum impudentior videatur, aut cùm ſingulari cum detrimento aut noxa ea tegit, quæ detegere, præſertim hominibus fidis, qui opem ferre poſſent, deberet: quod nonnunquam fit in morbis tum animi, tum corporis, aut aliis malis; quæ ſi retegamus, veremur, ne de exiſtimatione apud alios nonnihil perdamus, vel id retegamus, quod celare ſit honeſtius. Ac ne de aliis vitioſi hujus pudoris exemplis aliquid dicamus, iſtud huc pertinet, quum quis nimia animi imbecillitate aut frontis teneritate abſterretur, quo minus v. g. docendi munus in Eccleſia ſuſcipiat, aut aliquid, quod ad ædificationem pertineat, in Eccleſia aut alibi proferat, vel cum teſtimonium veritati præbere poſſit in aliquo negotio & cauſa, & errorem aliis eximere, id tamen non faciat, veritus fortaſſe, ne in ſermone alicubi impingat & minus cautè loquatur, aut quibuſdam videatur audaculus. Eodem modo peccant illi, qui cum poſſent quempiam juvare apud alium, pudore quodam prohibentur, ne illum accedant aut alloquantur, cum id facere poſſent, & deberent. Eſt autem vitioſus pudor vicinus meticuloſitati, ſeu timiditati, cum ea libenter conjungitur: verum eo differt, quod timiditas cernitur in damnis aut doloribus futuris; vitioſus autem pudor in detrimento quodam exiſtimationis, & ſiniſtro aliorum de nobis judicio evitando.

Cap. XXVI.

De Gravitate.

GRavitas eſt Virtus, in rebus externis conſtantiam quandam decoram ſervans, quæ quidem ad auctoritatem comparandam, aut retinendam neceſſaria eſt. De ea quia non pauca dicta ſunt in Ethicis noſtris, ideò nunc illa prætermittimus. Eſt autem gravitas imprimis illis neceſſaria, qui aliorum mores ac vitam regere debent: ad eam enim rem auctoritate eſt opus, quæ (ut jam indicavimus) abſque gravitate conſiſtere nequit. Ad hanc gravitatem pertinet illud Apoſtoli Phil. 4. 8, ubi eſt in Græco ὅσα σεμνὰ, hoc eſt, quæcunque ſunt veneranda, ut nonnulli interpretes reddiderunt: potuiſſet etiam verti, quæ gravitati ſunt conſentanea, aut gravem virum dicent, niſi ambitus verborum deberet vitari. Nam etiam ii interpretes, qui σεμνὰ reddunt *veneranda*, ita hanc vocem explicant; id eſt, *ejuſmodi, ut nos ſancta quadam gravitate exornent*. Huc etiam pertinet illud, quod inter requiſita Epiſcopi commemorat Apoſtolus 1 Tim. 3, ut ſit κόσμιος ſeu ornatus, aut (ut alii reddunt) compoſitus, hoc eſt, honeſta quadam morum gravitate, & decenti actionum aliarumque rerum conſtantia ornatus. Quanquam ſimul etiam requiritur, ut quædam adſit humanitas ac modeſtia, quæ gravitatem illam temperet, omniſque abſit ferocia, ad id conſtituendum, quod voce hac κόσμιος exprimit Apoſtolus. Verum gravitas imprimis eo nomine comprehenditur, quæ, ſi vera eſt, à ferocia omni longiſſime abeſt, ac humanitate modeſtiaque eſt temperata. Pertinet huc etiam illud, quod in eadem Epiſt. dixerat Paulus Apoſtolus, cap. 2. 9. ut fœminæ Chriſtianæ uterentur in publico, præſertim ſacris conventibus, habitu κοσμίῳ: quod proprie redditum eſt à vetere interprete, *ornato*: ſed ſi ſenſum ſpectes, reddi potius debebat, *gravi*, vel ſaltem, *decenti* ac convenienti, qui animum compoſitum arguat, non levi ac meretricio.

Huic Virtuti opponitur in defectu levitas, non illa quidem, de qua ſupra egimus, cum de conſtantia ageremus, quæ in deſerendo animi propoſito cernitur; ſed illa, quæ in rebus externis, in quibus etiam gravitas locum habet. Rectè autem gravitati opponitur levitas, quia gravitas etiam quædam conſtantia eſt, licet non ea quæ καθ' ἐξοχὴν ita appellari ſolet. Etſi vero non pauca ſint levitatis genera atque exempla, quæ tum in ſermonibus, tum in factis quibuſdam ac geſtibus, vultu, ac habitu denique ipſo cernitur; hîc tamen illud in primis commemorari meretur, cui in aliis vitiis locum non dedimus, cum quibus tamen plærumque aliquid habet commune; ſaltationes nempe, ac choreæ. Illæ enim, ut alia abſint, levitatem quandam redolent, quod niſi fallor in Ethicis etiam oſtendimus. Sed præterea ſatationes ejuſmodi, libidinis vel comites ſunt, vel pediſequæ, vel anteambulones.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Nam partim ex ea oriri ſolent, partim eam vel excitare vel alere; ut taceam illas ex ebrietate plærumque oriri. Quam in rem inſignis eſt M. T. Ciceronis locus in oratione pro Muræna, qui dignus eſt, ut hîc adſcribatur: *Nemo*, inquit, *ferè ſaltat ſòbrius, niſi forte inſaniat, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto. Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum delitiarum comes eſt extrema ſaltatio.* Addit, neceſſe id eſſe omnium vitiorum poſtremum, & neceſſe eſſe antecedere turpe convivium, aut amorem aut comeſſàtionem, aut libidinem, aut ſumtum, hoc eſt, luxum: inſpiciatur ipſe locus. Quod ſi quis hîc objiciat tripudia & ſaltationes apud Hebræos in divini nominis honorem: Primò, nemo non videt, quantopere hæ ſaltationes ab illis, quas hîc reprehendimus, differant, tum ratione cauſæ impulſivæ, quæ ſolent eſſe beneficia à Deo in nos collata, & amor, ac reverentia divini nominis, tum ratione finis, qui eſt honor divini nominis, aut etiam teſtatio gaudii noſtri, quod vel ex divinis muneribus in nos alioſve collatis, vel ex ipſa divina gloria capiamus; cum noſtri ævi choreis nihil minus, quam hoc, ſit propoſitum. Deinde cum in cultu illo, qui ſub fœdere vetere vigebat, multa fuerint conſtituta, aut etiam à Deo permiſſa, ab aliis verò introducta, quæ ad pueritiam iſtius populi erant accommodata, (qualia v. g. etiam Muſica illa inſtrumenta, Tympana, Tubæ, Cymbala, & ſi quæ ſunt ſimilia:) mirum nil eſt, hoc ipſum tum temporis pro decoro habitum fuiſſe apud iſtum populum, tripudiis honorem Deo exhibere. Certè hodie non immerito rideretur, qui in conventu aliquo ſacro, ad laudem divini numinis juberet tympana pulſari; & ſi quid tale fit uſpiam, id certe infantiam adhuc populi Chriſtiani arguit, aut ab illis, qui militiæ vel aulæ potius aſſueverunt, quam Eccleſiæ Chriſti, in illam introducitur. Nunc populus Chriſtianus, qui pueritiam jam exuiſſe perhibetur, iſtud genus Deum colendi, & honore aliquo afficiendi merito repudiavit, nec uſpiam id (quod ſciam) in uſu eſt; quod ſatis arguit, rem hanc cum gravitate Chriſtiana non ſatis convenire. Quanto ergo minus convenient cum iſta gravitate choreæ, quæ nonniſi ex carnalibus cauſis oriuntur, & carni egregiè ſubſerviunt?

Quod ad alterum extremum attinet, quod in exceſſu peccat; illud nimiæ ſeveritatis aut auſteritatis nomine explicari poteſt. Severitatem hîc intelligimus, non eam, quæ in pœnis exigendis ſpectatur, ſed quæ in vultu v. g. apparet: quanquam hoc vitium vix poteſt diſtingui vel ab inhumanitate, vel à ſuperbia. Nam in alterutrum incidit is, qui modum hac in re ſuperat. Itaque vitium illud quodam modo ex utroque compoſitum eſt.

Cap. XXVII.

De Candore & Veracitate.

SEquitur nunc alterum genus earum Virtutum, quæ partim ad nos, partim ad alios ſpectant; eæ nempe, quæ vel in aperiendis, vel tegendis animi ſenſibus conſpiciuntur. Quæ in aperiendis animi ſenſibus cernuntur, duæ ſunt, quanquam ſibi (ut ſcholæ loquuntur) ſubordinatæ, Candor & Veracitas: quarum illa generis obtinet locum, hæc ſpeciei. Candor enim in omnibus iis cernitur externis rebus, quibus animi ſenſa (quo numero etiam affectus ac voluntates intelligimus) exprimuntur, ac ſignificantur. Veracitas autem proprie in ſermonibus, ſive voce ſive ſcripto elatis ac comprehenſis, conſpicitur. Vel, ſi ita mavis, candor etiam in voluntate & affectibus noſtris erga alios aperiendis conſpicitur: Veracitas autem in enunciationum qualiumcunque veritate aut falſitate: illa quidem ſervanda, hac vero evitanda: quibuſcunque tandem modis verum aut falſum ſignificetur, ſive voce ſive ſcripto, ſive motibus aut geſtibus. Candor igitur, qui idem ingenuitas dicitur ac ſinceritas, vel etiam ſimplicitas, quemadmodum videre eſt 2 Cor. 1. 12, eſt Virtus in iis aperiendis verſans, quæ in animo latent. Cum autem virtutem dicimus, eo ipſo ſignificamus, candorem mediocritatem quandam eſſe, ſeu moderationem quandam ea in re adhiberi ac prudentiam, ne promiſcue quævis, aut quovis loco, aut tempore, vel quibuſvis aperiantur; ſed iis, quibus eſt opus, & quando, aut quantum eſt opus. Quanquam interea candidus plærumque aperit potius, quam tegit animi ſenſa, cogitata ac voluntates ſtudiaque, pro occaſione ſibi eam ad rem data. Nam ubi nulla eſt occaſio, omnia effutire, id vero ſtulti eſt hominis; ac garruli: qua de re in explicatione Taciturnitatis.

Ad Candoris officia ut veniamus, primum eſt, cavere ſimulationem, nec plus præ ſe ferre virtutis aut pietatis, vel etiam in alterum affectus ac benevolentiæ, quam intus lateat, præſertim gloriolæ ac famæ aucupandæ cauſa; multo vero minus id præferre verbis, vultu aut geſtibus, cujus contrarium in animo lateat. Secundo, errores ac lapſus, ſive in ſententiis, ſive in factis, ſibi commonſtratos agnoſcere, & id, quod verum eſt, quantum neceſſe fuerit, profiteri. Quare candoris atque ingenuitatis eſt, ſi quis argumentis convictus premi ſe ſentiat, verum fateri, non verò, ne victus videatur, aut judicio graviter lapſus, præſertim ſi ſe hactenus veritati oppoſuerit, eidem reluctari, vel ſaltem ſimulare, falſa ſibi videri ea, quæ ab adverſario fuerint allata. Candoris autem eſt, peccata ſua agnoſcere, &, ubi ædificatio poſtulat, profiteri. Tertiò, oſtendere ubi opus eſt, aliorum facta aut dicta ſibi non placere, eaque liberè, modeſtè tamen ac prudenter reprehendere, atque, ut corrigantur, monere, non vero connivere ad ea, quæ reprehendere poſſes, ac deberes. Quarto; ſi quid in aliis laude dignum videas, id ipſum quoque agnoſcere, ac verbis, cum opus eſt, vel quacunque ratione expedit, profiteri, nec meritum aliis præconium denegare; quod ne fiat, invidia ſæpe, æmulatio, malignitas aut odium impedit. Denique veritatis officia huc quoque ſpectant. Nam mentiri ac contra animi ſententiam dicere ac loqui, id tam contrarium candori eſt, quam quod maxime.

Ad Extrema quod attinet, illud quidem, quod in exceſſu peccat, nomen vix reperit: poſſis tamen appellare nimiam ingenuitatem aut ſimplicitatem; Cerniturque tum, cum quis animi ſenſa tunc aperit, cum nihil eſt opus, imo etiam fortaſſe tum illi ipſi, qui aperit, tum aliis noxium. Conſiderandæ enim ſunt cauſæ, quæ ad rem, quæ in animo lateat, detegendam impellant: conſiderandus etiam finis & effectus, hoc eſt utilitas aut damnum, quod ipſum varium eſſe poteſt. Quanquam non quodvis damnum, præſertim tuum, impedire te debet, quo minus id, quod ſentis, etiam in apertum producas, imo ſæpe etiam cum ſummo rerum noſtrarum ac vitæ denique detrimento id profitendum eſt, quod ſentis, ut cum de veritate divina & pietate ac honeſtate agitur, & in eum locum res deducta eſt, ut vel animi cogitata ſint exprimenda, vel pietas ac virtus lædenda: qua de re nonnihil diximus ibi, ubi de confeſſione divini nominis tractavimus. Alias ædificationis ſæpè eſt habenda ratio, nec omnia illa in medium proferenda, quæ vel noſti, vel quorum tibi es conſcius, cum id ſæpe aliis nocere queat plurimum, & ſcandalum aliquod præbere. Quanquam in aliis rebus, ubi nulla eſt neceſſitas efferendi, id quod ſentis, tibi ipſi tuæque famæ aliiſque commodis conſulere, ſalvo candore, potes quidem reticendo. Satis eſt enim ſæpè, ſi nihil dicas quod verum non ſit; etiamſi non omne id dicas quod verum eſt.

Sed ad alterum extremum veniendum eſt, quod in defectu peccat: id nulla voce, quæ quidem mihi apud probatos auctores lecta ſit, penitus exprimitur. Nam ſi inſinceritatem dixeris, rem quidem expreſſeris, ſed, ut arbitror, non ſatis Latine. Conſiſtit autem hoc vitium in ſimulatione ac diſſimulatione; quarum illa eſt, cum quis id fingit aut præ ſe fert quod non eſt, ſeu quod animo non cogitat: hæc vero, cum fingit id non eſſe quod eſt, ſeu ſpecie externa conatur aliis

perſua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perſuadere, id ſe neſcire, cogitare aut agere, quod ſcit, cogitat, aut agit. Quanquam vero non omnis ſimulatio aut diſſimulatio protinus cum candore pugnat, majorem tamen cum vitio contrario, ſi generatim rem conſideres, affinitatem habet, quam cum virtute ea, qua de agimus: ſiquidem candor in animi ſenſibus aperiendis cernitur, ſimulatio ac diſſimulatio in tegendis. Nec ſane poteſt vitium hoc, quod nunc explicamus, aliter quam iſtis modis exerceri. Neque vero abſurdum cenſeri debet, quod nunc diximus, non omnem ſimulationem aut diſſimulationem in vitio ponendam, cum vel de ipſo Domino Jeſu legamus Lucæ 24. 28, ipſum cum appropinquaſſet vico Emaunti, ſimulaſſe ſe ulterius iturum; contra, Apoſtolus, cum vult, ut quis fidem habeat apud ſeipſum coram Deo, ad Romanos 14. 22: quid aliud vult, quam ut ad tempus aliquod iſta, de qua agitur, fides (ea nempe, qua quis credit, ſibi licitum eſſe, aliquid facere aut uſurpare) diſſimuletur? Quò pertinent etiam alia, quæ de abſtinentia ab idolothytis ſcripſit in 1 Corinth. 10. 28. Quin & illa, quæ de ſeipſo ſcribit eadem Epiſt. cap. 9. 20 & 21. Nam cum quis in gratiam hominis infirmi, abſtinet ab iis, à quibus ille conſcientiæ cauſa abſtinendum putat, nulla proteſtatione præmiſſa, ſeu ſuppreſſa animi ſui ſententia de libertate iis rebus fruendi, is ad tempus ſaltem diſſimulat aliquid, immo etiam ex parte ſimulat. Ita enim præ ſe fert, ac ſi ejuſdem cum altero ſit ſententiæ. Verumtamen hæc ſimulatio aut diſſimulatio non in quibuſvis rebus licita eſt; qua de re videantur ea, quæ de confeſſione egimus; ex quibus conſtare poteſt, quantum in ſententiis ad religionem pertinentibus hîc liceat, vel etiam non liceat. Illud hîc generatim dici poteſt, ubicunque ſimulatio aut diſſimulatio per ſe nihil habet, quod Dei gloriam lædat, aut in alterum ſit injurium, aut noſtræ laudi vel commodo nimium aurigetur, eam ad breve tempus, cum res ita fert, adhiberi poſſe; ſæpe enim ad gubernationem rerum, & ad conſilia perficienda, opus eſt quædam diſſimulare: nonnunquam etiam ſeveritas quædam ſimulari poteſt in liberos, aut alios, qui nobis ſubſunt, ad eos imperio continendos: quod tantum abeſt, ut reprehenſionem mereatur, ut potius laude ſæpe ſit dignum, tanquam ad diſciplinam ſervandam vehementer utile. Ad incommodum etiam atque damnum noſtrum evitandum aliquando tale quippiam adhiberi poteſt: ut ſi quis alicubi ubi licet, ſclopeto v. g. terreat eum, qui vulnera intentat, aut res aliquas nobis it ereptum. David ſane apud Regem Palæſtinæ furere quoque ſe ſimulavit, ut periculum imminens evitaret.

Eſt autem tam ſimulatio, quam diſſimulatio duplex: alia enim in fraudem aliorum adhibetur, qua in re dolus cernitur, de quò dictum eſt in explicatione injuſtitiæ: alia tantum ad falſam nobis pietatis, virtutis ac benevolentiæ erga alios, aut alterius cujuſpiam rei bonæ opinionem conciliandam. Itaque altera aliis damnum adfert: altera in errorem tantum eos inducit. Unde illa etiam longè odioſior eſt, ac peſtilentior. Hæc proprio quodam nomine ὑπόκρισις ſolet appellari, quæ duplex quodammodo in ſacris literis conſtituitur, altera, qua quis religionem, pietatem ac virtutem ſimulat, & ejus opinionem externa ſpecie ſibi conciliat, qualis erat illa imprimis ὑπόκρισις, quam Phariſæis & Scribis toties objecit Chriſtus, & de qua Paulus loquitur 1 Timoth. 4. 2. quæ depingitur à Domino Jeſu Matth. 7. 15: ubi de falſis prophetis ait, eos venire *indumento ovium amictos*: quam intelligit Paulus 2 Tim. 3. 5. Cum ait hominis ibi notatos *habere formam pietatis, ſed ejus virtutem abnegaſſe*. Pertinet huc etiam ὑπόκρισις illa, quam à fide abeſſe debere aut in quibuſdam abfuiſſe docet Apoſtolus 1 Tim. 1. 5. 2 Tim. 1. 5. Poteſt huc etiam referri illa ſimulatio, qua quis utitur in rebus quidem licitis, ſed non legitime, neque ex eorum, quibus conſulendum eſt, uſu: qua de cauſa etiam Paulus Apoſtolus Petro, Barnabæ, & aliis Judæis, qui nimium indulſerant Judæis à Jacobo venientibus, cum offendiculo fratrum ex gentibus ad Chriſtum converſorum, inter quos vivebant, ὑπόκρισιν tribuit, ad Galat. 2. ℣. 13. Altera eſt, qua quis charitatem erga alios præ ſe fert, cujus tamen animus eſt expers, & ita aliud lingua promptum, aliud pectore clauſum habet. Atque hæc intelligunt Apoſtoli Petrus & Paulus, cum charitatem ſimpliciter, aut fraternam charitatem volunt eſſe ἀνυπόκριτον ſeu abſque ſimulatione. Rom. 12. 9. 1 Pet. 1. 22, quas hypocriſes ſeu ſimulationes vult deponi à fidelibus idem Petrus 1 epiſt. cap. 2. 1. Ad hoc genus ſimulationis ſeu ὑποκρίσεως pertinet, cum quis quempiam laudat, & magni ſe facere ſimulat, cum aliter tamen ſentiat.

Ad veracitatem quod attinet, &, quæ ſub ea aliquatenus continetur, fidem, de ea diximus non pauca in Ethicis; quanquam de fide ſuperius quoque fuſe actum eſt in explicatione juſtitiæ. Itaque de hac virtute nihil dicemus. Quod ad extrema attinet, illud quidem, quod in exceſſu peccat, nomen aliquod peculiare non reperit. Intelligi autem poteſt ex ſuo genere, hoc eſt, eo vitio, quod tanquam nimium candori opponitur. Itaque quæ ibi diximus, ad hanc materiam ſive objectum, in quo veracitas cernitur, nempe ſermones, quatenus verum enunciant, transferantur. Ad alterum extremum quod attinet, quod eſt mentiendi libido, cujus actus mendacium, de eo quoque in Ethicis dictum eſt; nonnulla tamen hîc addenda ſunt, quæ ad rem noſtram non parum faciunt. Diſtinguenda enim ſunt mendacii genera. Vulgo autem notum eſt, alia mendacia certis in caſibus licita cenſeri, quæ etiam mendacia honeſta ſeu officioſa ſolent appellari, de quibus in Ethicis: alia vitioſa prorſus, quæ quidem in quatuor præcipue genera diſtingui poſſunt. Primum eſt illud, quod cum aliqua Dei aut veritatis ab ipſo profectæ contumelia conjunctum eſt: quale eſt v. g. in perjuriis & in doctrina eorum, qui contra conſcientiam falſa de religione dogmata tradunt, de quibus loquitur Apoſtolus 2 Cor. 4. 2. Secundum eſt illud, quod in fraudem aut damnum alterius apparatum eſt. Tertium illud, quod ad laudem noſtram aliquam ſpectat; quod habita ratione finis illius, nempe gloriæ, ad jactantiam ſpectat, de qua ſupra in ſuperbiæ tractatione. Denique illud, quod ad nullius quidem pertinet revera injuriam, nec ad dicentis laudem, ſed ex levitate quadam proficiſcitur aut ſcurrilitate; quo fit, ut in errorem ſaltem velis alterum inducere, vel riſum tantum excutere. Cujus poſterioris finis reſpectu id ad εὐτραπελίαν à Paulo reprehenſam referri poteſt, quam nos ad humanitatis ſeu comitatis extrema referimus; qua de re in Ethicis.

Cap. XXVIII.

De Taciturnitate.

DE hac Virtute actum eſt in Ethicis. Extremum ejus, quod vulgo notius eſt, reprehenditur à Paulo 1 Tim. 5. 13: ubi docet hoc vitium familiare eſſe viduis otio abundantibus. Poſſet etiam ad hoc vitium referri id, quod Paulus fæminis interdicit, ne in Eccleſia loquantur: quanquam in eo ſimul audacia quædam & arrogantia cernitur. Unde Paulus inter ſe opponit, loqui in Eccleſia, &, ſubditum eſſe: 1 Cor. 14. 34. videatur etiam 1 Tim. 2. 11, 12. Sed hac de re in ſpeciali Uxorum officio erit dicendi locus.

Cap. XXIX.

De ſpecialibus quibuſdam officiis ad perfectionem pietatis Chriſtianæ, aut decorum pertinentibus.

HActenus de iis diximus Chriſtiani hominis officiis, ſeu ſanctitatis partibus, quæ genere ipſo ad ſalutem ſunt neceſſariæ: dico genere ipſo, quia cum illas diſtinctius explicaremus, quædam attulimus, quæ per ſe hujus generis non ſunt, ſed ad eum cenſum pertinent, de quo nobis nunc erit agendum. Sunt enim quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quædam per ſe valde laudabilia, & homine Chriſtiano digniſſima, quæ tamen per ſe ac ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria non ſunt, adeoque inter ea, quæ ἀδιάφορα ſeu libera prorſus cenſentur, & ea, quæ ad ſalutem ſimpliciter ſunt neceſſaria, medium occupant locum. Nam quemadmodum inter ea ipſa, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſunt quidam veluti gradus, eodemque modo inter eorum contraria: ita antequam ab iis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, eorumque contrariis, ad ἀδιάφορα perveniatur, gradus adhuc quidam ſunt rerum iſtarum, quæ nunc à nobis tractabuntur, cum earum contrariis. Etſi enim Deus pro ſuo jure potuiſſet à nobis omnino ac diſtrictè exigere ſub comminatione æterni interitus, quicquid à nobis præſtari poteſt laudabiliter atque honeſtè; ſumma tamen ipſius æquitas, & in genus humanum amor & beneficentia, quam voluit latiſſimè patere, & omni generi hominum eſſe communem, non permiſit, ut tam arctis nos adſtringeret legibus, voluitque eſſe quædam, in quibus metu æterni interitus ſublato, libere ſe exerceret hominum pietas, & ad perfectionem majorem ſubinde contenderet. Quanquam ea, de quibus dicturi ſumus, ita ſunt comparata, ut etiamſi per ſe ſeu abſolutè conſiderata, non ſint ad ſalutem neceſſaria, præſertim cuivis homini, contingere tamen poſſit ob rationem circumſtantiarum, ut illa neceſſaria fiant, idque tum, cum niſi illa præſtentur, eorumque vitentur contraria, peccetur adverſus ea, quæ ad ſalutem prorſus ſunt neceſſaria; quemadmodum paulo poſt in ipſis exemplis patebit. Solent hæc opera à Pontificiis dici opera ſupererogationis, vocabulo tum inepto, tum ſuperſtitioſo atque adeò periculoſo cuidam abuſui favente, cum creduntur ea poſſe communicari aliis ad eorum in pietate defectum ſarciendum; præterquam quod multa hîc inferciantur, quæ nil ſunt niſi ſuperſtitiones, & ſimulachra quædam inania pietatis. Quæ cauſa fuit inter alias, cur paſſim totum hoc genus bonorum operum repudietur; cum tamen erroribus circa hanc rem verſantibus ſublatis, res ipſa haudquaquam ſit repudianda. Quanquam vero in quolibet virtutum genere tale quid poſſit conſtitui, quod huc pertineat, cum in qualibet virtute ſit aliquid eximium ac perfectum, ad quod tamen non omnes perveniunt, qui ex æquitate ſacrarum literarum Novi fœderis ſanctè ac pie vixiſſe cenſendi ſunt: tamen nos per ſingula non ibimus, ſed inſigniora tantum quædam, quæ in ſacris literis commemorantur, recenſebimus, ex quibus de aliis quoque judicium fieri poteſt.

Primum autem iſtorum eſt, quod quis omiſſa aliarum rerum ad hanc vitam pertinentium cura, aliàs licita homini Chriſtiano, munus in Eccleſia aliquod ſuſcipit, Epiſcopi, aut Doctoris, aut Diaconi, vitamque ſuam vel ſaltem maximam ejus partem gloriæ divinæ humanæque ſalutis curæ, aliiſve Eccleſiæ miniſteriis addicit. Unde Paulus ait 1 Tim. 3. 1, *Si quis Epiſcopatum appetat, eum bonum opus*, ſeu, egregium munus *appetere*; & Petrus iis, qui hoc munus ita, ut par eſt, geſſerint, inſignitè immarceſcibilem gloriæ coronam promittit: 1 Pet. 5. 4. Diaconorum etiam munus rectè adminiſtratum laudans Apoſtolus dicto loco 1 Tim. 3. 13, ait eos qui benè miniſtraverint, gradum ſibi ipſis bonum acquirere, & magnam libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu: quod, (ut interpretes nonnulli doctiores volunt) de libertate coram Deo, ſeu fiducia in ipſum, (eſt enim in Græco παῤῥησία, quæ pro fiducia quadam animi non raro ſumitur, aut etiam pro libertate ad aliquid faciendum) accipi poteſt. Videt autem quivis ex ipſa munerum horum natura, quam egregiè cum pietate Chriſtiana conſentiant, & virtutes nonnullas attingant, quæ inter cæteras ſunt præcipuæ. Partim enim ſpectant ad amorem gloriæ divinæ, cui iſta ratione ſervitur: partim ad charitatem erga proximum, cujus partim æternæ ſaluti muneribus iſtis conſulitur, partim aliis neceſſitatibus ſubſervitur. Unde etiam fieri poteſt, ut, ſi ſumma ſit neceſſitas, Miniſtros aut Diaconos aliquos conſtituendi, ſit autem quiſpiam aptus, qui poſſit hujuſmodi muneri vacare, is omnino ſit peccaturus, ſi munus hoc abnuat & ſuſcipere nolit. Vel enim in gloriam divinam erit injurius, vel in hominum ſalutem aut cætera emolumenta, quæ charitas illis præſtare jubet. Itaque eo tempore non minus erit neceſſarium Epiſcopi, aut Doctoris, Paſtoriſve Eccleſiæ, aut Diaconi munus ſuſcipere, quàm aliquid aliud præſtare, quod præcepta Chriſti jubent, quibus parere omnes ſub pollicitatione vitæ æternæ, aut comminatione contraria tenentur. Quanquam id non dico, protinus damnatum eum iri, qui forte tum, cum opus eſſet, tale quippiam ex imbecillitate quadam animi, viriumque ſuarum diffidentia, facere recuſaret; ſed tum demum, ſi quis animadverſa tantæ rei neceſſitate, nulla juſta cauſſa prohibitus, ob carnales forte reſpectus, munus id pertinaciter abnuat. Unde fiat, ut gloria divina detrimentum non exiguum capiat, aliique homines, qui ſervari ipſius opera poterant, pereant, aut iis ſaltem non ſubveniatur, quibus ſubveniendum omnino fuerat. Quanquam hoc quoque jure dixerim, etiamſi quis carnis reſpectu non ducatur, ſi tamen de viribus ſuis convictus, eas agnoſcere, & ad ſervitium divinum applicare nolit; facile fieri poſſe, ut hujuſmodi homo à Deo caſtigetur, & ſupplicio aliquo temporario afficiatur: quemadmodum de iis ſcribit Paulus, qui ſeipſos non dijudicant. Quod autem de iis dicimus, qui munera hæc in ſe recipere abnuunt, id vel æquè, vel etiam multo magis de iis dicendum eſt, qui cum ea ſuſcepiſſent, poſtmodum carnalem aliquam ob cauſam ea abjiciunt: qualis fuit Demas, qui Paulum reliquerat, cui, ut apparet, aliquando ſervitio fuerat, & una cum ipſo Euangelio promovendo incubuerat, ut colligitur ex Epiſt. ad Philem. ℣. 24. ubi eum cooperarium ſuum vocat, & ex Coloſſ. 4. 14. idque fecerat adamato hoc ſeculo, ut ſcribit Apoſtolus 2 Tim. 4. 10. quod non crediderim de illo accipiendum amore hujus mundi, de quo Johannes alias loquitur, 1 Epiſt. 2. 15. quo omnibus piis prorſus interdicitur, & quo qui tenetur, is patrem non diligere perhibetur; ſed de ejuſmodi amore, qui cæteroqui Chriſtianis hominibus non eſt prorſus illicitus, quo fit, ut quis vitam ſuam potiſſimum in cura rei familiaris, negotiationibus, opificiis Mechanicis exigat, cura ſacrorum, & labore promovendi regnum Chriſti aliis relicto: id quod in iis vehementer eſt vituperandum, qui ſeſe ſervitio divino peculiari ratione conſecraverant, & vitam ſuam rebus ſacris penitus addixerant. De tali cura hujus mundi loquitur Paulus 1 Cor. 7. 33, ubi ait, *qui uxorem duxerit, eum curare ſolicitè ea, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*; opponens illud curæ eorum, quæ ſunt Domini, ut quis placeat Domino: quod de uxoribus poſtea repetit ℣. 34. Idem intelligi videtur ab Apoſtolo Phil. 2. 21. ubi ait, omnes, excepto Timotheo, ea, quæ ſunt ſua, quærere, non quæ ſunt Chriſti Jeſu, hoc eſt, ſuis rebus intentos, negligere ea, quæ ad religionem Chriſti promovendam, & gloriam ejus latius proferendam ſpectarent: quod in ipſorum reprehenſionem dictum eſſe nemo non agnoſcit. Itaque cuilibet homini Chriſtiano danda eſt opera, ut pro viribus ſibi à Deo conceſſis laboret, nec quicquam eorum recuſet, quæ vel ad gloriam divinam pertineant, vel ad Eccleſiæ ædificationem atque emolumentum, cum ideo Deus varia hominibus conceſſerit dona, ut ex illis tum ipſe laudem ac gloriam conſequatur, quemadmodum docet Petrus 1 Epiſtol. 4. 11. tum Eccleſia emolumentum, ut Paulus innuit 1 Corinth. 12. 27: qui conferendus eſt cum reliquo verborum contextu, & ad Epheſ. 4. 11, 12, 16. & ad Col. 2. 19. Unde etiam diverſa talenta dicuntur diſtributa à Domino Jeſu ſervis ſuis, Matth. 25. 14 & ſeqq. ut quis pro facultate ſua lucrum afferat, quemadmodum explicatum eſt ibi, ubi de gradibus pietatis egimus. Cogitare debent omnes, ab eo cui plus datum eſt, plus etiam requiſitum iri. Quapropter ſi quis poſſit eo modo, qui omnium eſt præſtantiſſimus, Deo ſervire, ac hominibus prodeſſe, id defugere nequaquam debet, maximè ſi urgentes adſint cauſæ, ut antea eſt explicatum. Quod ſi non poſſis ad ſummum faſtigium pervenire, tamen ad illud ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quam proximè accedas dare debes operam; ut ita, ſi prima aſſequi non poſſis, in ſecundis, aut tertiis conſiſtas. Poſſunt enim etiam ii, qui publica in Eccleſia munera non ſuſcipiunt, multis tamen modis gloriæ divinæ prodeſſe, ſi vires ſuas intendere velint, & laborem ſuum ſociare cum eorum opera, qui munera publica in Eccleſia ſuſtinent, & ſe totos ſacris ſtudiis addixerunt.

Alterum hujus generis officiorum exemplum occurrit in Paulo, qui illud ſibi laudi ducit, quod gratis prædicaſſet Corinthiis Euangelium: quin etiam aliis in locis, ubi labore manuum victum ſibi quæſierat; qua de re non pauca loquitur 1 Corinth. 9: ubi inter alia ait ỳ. 18, *hanc ſibi eſſe mercedem*, hoc eſt, hanc eſſe mercedis cauſam, atque inde eam proventuram, *quod Euangelium annuncians, illud gratuitum conſtituat*, hoc eſt, pro quo nullus fiat ſumtus ab illis, quibus illud annunciat; eamque rem tanti facit, ut ỳ. 15 dicat, *melius ſibi eſſe mori, quam ut gloriationem hanc ipſius quiſpiam inanem aut irritam reddat*. Cujus rei cauſa patet tum ex ỳ. 12 & ſeqq. ubi ait *ſe omnia perferre*, nempe inopiam, famem, ſitim, manuumque laborem, *ne quid remoretur Euangelium Chriſti*: tum ex cap. XI poſt. Epiſt. ỳ. 12 & ſeqq. ubi ait ſe id facere, *ut præcidat occaſionem iis qui eam quærunt, ut perinde atque ipſe gloriari queant*. Voluit enim Paulus oſtendere, ſe ſincero ſtudio, non quæſtus ac lucri ſui cauſa Corinthiis, in opulentiſſimo emporio viventibus, Euangelium annunciaſſe, contra quam Pſeudo-Apoſtoli faciebant, qui libenter, ſi Paulus ſtipendium à Corinthiis accepiſſet, hanc arrepturi occaſionem fuiſſent, ut ſe cum Paulo comparare poſſent, & ſuam avaritiam excuſare, vel etiam Paulum accuſare, tanquam eum, qui commodi ſui cauſa Corinthiis Euangelium annunciaſſet. Rem autem hanc non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam, ſeu ejuſmodi, quæ abſque peccato prætermitti non poſſet, oſtendunt ea, quæ ſuperius cap. 9 ejuſdem Epiſtolæ dixerat Paulus, ubi ſatis oſtendit, cæteros Apoſtolos, atque adeò ipſum Petrum ab Eccleſiis fuiſſe ſuſtentatum, & quidem cum ſecum duceret uxorem Chriſtianam, ſe tantum ac Barnabam manuum labore vitam ſuſtentaſſe. Adde etiam, Dominum Jeſum præcepiſſe, ut, qui Euangelium annunciant, ex Euangelio vivant, ut alias rationes omittam, quibus Paulus fuſe ſatis oſtendit, ſibi quoque fuiſſe licitum, eadem libertate uti. Itaque quicquid hac in parte fecit Apoſtolus, id egregium quidem erat, & laude valde dignum; non tamen prorſus neceſſarium. Vide de eadem Apoſtoli continentia & laborum tolerantia 1 Theſſ. 2. 9. 2 Theſſal. 3. 8, 9: ubi aliam quoque ejus rei cauſam, nempe quod exemplum aliis præbere voluerit, quod imitarentur, affert.

Tertium hujus generis exemplum, præbet nobis factum primorum poſt Chriſti aſcenſionem Chriſtianorum Hieroſolymis degentium, de quibus legimus Actor. 2. 44, 45, *quod habuerint omnia communia*, hoc eſt, facultates ſuas omnes, & quod poſſeſſiones, aut prædia ſua vendiderint, & diſtribuerint ea omnibus, prout quiſque opus haberet. Cui loco adjunge cap. 4. ỳ. 34 & ſeqq. id quod ex abundantia charitatis quadam aliorum in alios proficiſcebatur. Nam etſi neceſſarium erat, ut alii aliorum inopiæ ſubvenirent, tamen ut id facerent tam largiter atque effuſe, cum inſigni rerum ſuarum detrimento, id non erat prorſus neceſſarium: quemadmodum conſtat partim ex ratione manifeſta, & uſu aliorum veterum Chriſtianorum, qui vel ex ſacris literis patet, partim ex verbis Petri ad Ananiam cap. 5. 4, ubi ait: *Nonne manens* (ſcilicet prædium) *tibi manebat*, hoc eſt, nonne cum id adhuc poſſideres, id plane tuum erat, & in tuo arbitrio poſitum, utrum illud retinere vel alienare velles; *& venditum in tua poteſtate erat*, hoc eſt etiam cum vendidiſſes, pretium erat in tua poteſtate, licebatque id ad nos vel deferre, vel non deferre?' Credibile autem eſt, eam quoque ob cauſam à nonnullis vendita eſſe prædia, quia non pauci ex peregrinis, qui in Chriſtum crediderant, quemadmodum ex cap. 2 conſtat, ibi verſarentur, & cum ad feſtum tantum veniſſent, domum paulo poſt redituri, ob manſionis moram egerent inſigni aliorum ſubſidio. Neque enim, ut facile eſt intelligere, paſſi ſunt illi, qui in Chriſtum recens crediderant, ab uberibus (ut ita dicam) Apoſtolicis ſeſe ſtatim abſtrahi, immo non obſcurè indicatur eo, quem citavimus loco, cap. 2, eos permanſiſſe Hieroſolymis una cum cæteris; quare ne penuria eos rerum premeret, atque à tam ſanctis ſtudiis piorumque communione arceret, eis ſuccurrendum erat à locupletioribus, etiam cum imminutione prædiorum aliarumque facultatum, & communione eorum, quæ quiſquam poſſideret; præſertim cum gaudium illud ex tam pretioſo religionis Chriſtianæ, & ſummi boni in ea comprehenſi theſauro præter ſpem reperto, conceptum, & affectus in ejuſdem religionis conſortes magnitudo, non permitteret, ut de re familiari non urgente neceſſitate majore cogitarent. Quatenus autem alias neceſſarium ſit, ut divites bona ſua cum aliis communicent, & facultates etiam ſuas ſecundum Chriſti præceptum Luc. 12. 33 vendant, ut eleemoſynam inde dent, de eo in liberalitatis explicatione dicendi locus eſt. Nos aliquid ea de re diximus in explicatione verborum Chriſti Matth. 19. 21: ubi juveni cuidam præcipit Chriſtus, ut vendat facultates ſuas, & det pauperibus: quod factum huc etiam referri poſſet, niſi id ex peculiari Chriſti præcepto factum fuiſſet neceſſarium; qua de re videantur ea, quæ ad eum locum commentati ſumus.

Quartum præbet exemplum nobis perpetuus ac caſtus cælibatus, vel ſaltem poſt extinctum conjugem à matrimonio abſtinentia, cum adhuc ætas ad conjugium eſt idonea: quam rem commendat Chriſtus, Matthæi cap. 19. 12, in illis verbis, ubi inter alia ait, *eſſe quoſdam Eunuchos, qui ſeipſos caſtrarint propter regnum cœlorum*; ubi nihilominus tamen addit, *qui poteſt capere, capiat*; quibus verbis factum hoc per ſe laudabile, & tamen non ſimpliciter eſſe neceſſarium oſtendit, cum id arbitrio hominum permittat, innuens non omnibus id eſſe conceſſum, ſeu non omnes ad eam continentiam habere vires. Idem factum laudat multis Apoſtolus Paulus 1 Cor. 7, & id tum decorum, tum vehementer utile pronunciat, nec tamen cuipiam omnino imponit. Videatur ỳ. 7, 8, 9, 26 & ſeqq. 37, 38, 40. Ex ỳ. autem 32 & ſeqq. duas potiſſimum cauſas colligere poſſumus, eaſque ſpirituales, ſeu ad religionem aliquo modo pertinentes, ob quas cælibatus, ſi quis nempe vires habeat ad eum ſervandum, neque amore uratur, per ſe conjugio ſit præferendus. Prima eſt, quòd *cælebs curet ea, quæ ſunt Domini, quomodo placeat Domino*, hoc eſt, ad id opportunitatem habeat: (neque enim de actu ipſo eſt ſermo, cum fieri poſſit, ut is, qui in cælibatu vivit, & quidem caſtè, ea tamen, quæ Domini ſunt, non curet:) *ille vero, qui uxorem duxit, curet ea quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*: quod tamen non ita eſt accipiendum, quaſi is, qui in matrimonio vivit, nullo pacto poſſit ea curare, quæ ſunt Domini, & in iis tantummodo occupetur, quæ ad vitam hanc temporariam pertinent, (ſiquidem alias Chriſtianus eſſe deſineret, & ſic matrimonium nullo modo eſſet ineundum, contra apertiſſima Apoſtoli in eodem cap. verba non ſemel repetita: præterea Epiſcopus nullus, qui peculiari ratione ea debet curare, quæ ſunt Chriſti, in matrimonio vivere poſſet, contra ejuſdem verba Apoſtoli manifeſta, de quibus alibi agendi erit locus:) non, inquam, id dicere vult Apoſtolus, ſed quod ea ſit ratio matrimonii, ut majorem quandam curam rerum terrenarum poſtulet, & vix aliter fieri poſſit, quin is, qui in eo vivit, negotiis variis diſtineatur, nec ita continuo ea poſſit tractare, quæ ad religionem Chriſtianam gloriamque divinam ſpectant. Quanquam interea nonnunquam fieri poteſt, ut quis vim hic ſibi faciat, rei familiaris cura aliis relicta, aut ita ſit à copiis inſtructus, vel ab aliis ſublevetur, ut hujuſmodi occupationibus non diſtineatur, ſed omnem operam in rebus ſacris cultuque divino conſumat. Ita autem intelligenda eſſe iſta verba, ſatis apparet ex ỳ. 35, ubi rationes illas quæ cælibatum matrimonio præferendum docent, breviter repetens ait,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cum non tantum pertinere ad decorum, verum etiam ad id, *ut quis apte adhæreſcat Domino abſque ulla diſtractione*, hoc eſt, in rebus ad Chriſtum ejuſque religionem pertinentibus ſit aſſiduus, nec ab iis avocetur. Alteram rationem Apoſtolus indicavit imprimis ℣. 34, cum rationem modo explicatam de ea, quæ in matrimonio vivit, repetens, & virginem ei præferens, ait *innuptam curare ea, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta, & animo*, ſeu ſpiritu, *& corpore*. Nam ſanctitas illa ſingularem quandam puritatem, non modo animi, verum etiam corporis complectitur: cui opponitur, non quidem impuritas illa, quæ inter peccata collocatur ab Apoſtolo, ſed tamen defectus aliquis puritatis conſummatæ atque ad ſummum perductæ. Negari enim non poteſt, quin voluptates matrimoniales, quanquam licitæ, habeant aliquid cum perfectiſſima puritate non ſatis conſentiens, & ſint imbecillitatis cujuſdam argumenta; quod multis modis oſtendi poſſet, ſi id unicuique non facile pateret. Et hoc etiam videtur Apoſtolus ſeqq. ℣. 35. appellare decorum, ad quod faciat cælibatus. Quare, ut breviter rem concludamus, per ſe quidem cælibatus præferendus eſt matrimonio, ſed ob neceſſitatem & imbecillitatem humanam matrimonium cælibatui; quemadmodum Apoſtolus apertiſſimè docet. Nec eſt, quod quidam objiciant, cælibatum eſſe contra naturam; longè autem ineptius illud, quod ajunt, ſi omnes in cælibatu viverent, interiturum genus humanum. Nam quod ad prius attinet, contra naturam eſſe duplici ratione dicitur; vel quod naturam prorſus deſtruit, & vim illi facit cum detrimento conjunctam, vel quod repugnat deſideriis quibuſdam naturalibus, idque ejus partis, quæ eſt vilior atque indignior, & quibus ſi indulgeas, non prorſus ſatis fit deſideriis partis præſtantioris, hoc eſt, animi ſeu mentis. Prioris generis facta vitanda omnino ſunt; poſterioris non item: immo ſæpe valdè laudabile eſt naturæ reſiſtere, ut iræ ac vindictæ cupiditati, ad quam non minus proni ſumus, quam ad iſtas voluptates. Quod ad poſterius attinet, qui id objiciunt, metuere videntur, ne cœlum ruat: neque enim credibile eſt, fore ut omnes homines cælibatum amplectantur: & nos, cum cælibatum conjugio præferimus, loquimur de cælibatu paucorum, ſi habeatur ratio totius generis humani, ſeu, poſito eo quod alii ſint qui genus humanum propagent. Nam in Adamo v. g. cælibatum non probaremus, imo ne in Abrahamo quidem, aut alio quopiam, qui ipſi ſit ſimilis. Deinde liceret nobis reſpondere id, quod neſcio quis Patrum reſpondiſſe aliquando dicitur, cum idem ipſi objiceretur: Utinam, ajebat, tam pulchro fine mundus clauderetur; neque enim ex alio, quam ex religionis ſtudio, conſpiratio orbis in caſtum cælibatum proficiſci poſſet.

Quinto loco collocare poſſumus jejunia, præſertim crebrius repetita, idque religionis cauſa, aut alicujus rei bonæ perficiendæ: ſed de his nos egimus, ubi de temperantia; vel potius ad Socinum de his agentem lectorem remiſimus. Plura exempla conſtitui poſſent, ſed nos his contenti nunc erimus. Contraria his etiam afferenda eſſent, hoc eſt, res ejuſmodi, quæ per ſe ac ſimpliciter opera carnis eſſe non videntur, indecoræ tamen ſunt, & à pietatis Chriſtianæ perfectione abhorrent. Verum quia prolixior ſuper iis diſputatio foret inſtituenda, res alibi à noſtris eſt definita: ideo illis nunc ſuperſedebimus.

Cap. XXX.

De rerum Adiaphorarum ſeu Mediarum uſu.

Reſtat, ut de rerum mediarum uſu nonnihil dicamus: quod ut fiat, primo omnium conſiderandum eſt, quænam ſint res adiaphoræ ſeu mediæ ac liberæ. Sunt autem res ἀδιάφοροι eæ, quæ per ſe nec honeſtæ ſunt nec turpes, nec decoræ nec indecoræ; dicimus per ſe, quia ob rationem circumſtantiarum, vel ob modum, quo uſurpantur, honeſtæ aut inhoneſtæ, decoræ aut indecoræ fiunt. Sic edere, bibere, per ſe indifferens eſt, ſed non quovis modo: nimium edere aut bibere turpe eſt; cum modo, ſuoque tempore ac loco, honeſtum, vel ſaltem non inhoneſtum. Ut autem conſtare de rebus ſingulis poſſit, num ſint adiaphoræ nec ne, cum non cuivis res ubique ſit clara, præſertim illis, qui judicio ſunt imbecilliori, aut ſuperſtitione aliqua tenentur, vel etiam religioni minus ſunt dediti; diligenter conſideranda ſunt Chriſti præcepta, eorumque natura ex analogia religionis accuratè eſt expendenda. Nam quæcunque mihi vel mandata ſunt, vel prohibita, ea (ut ex deſcriptione anteà nobis tradita liquet) in numero rerum indifferentium nequaquam ſunt collocanda; quemadmodum nec illa quæ iis ſunt ſimilia aut paria, ut Apoſtolus ſatis monuit Galat. 5. 21. Quin etiamſi non ſint prorſus paria, modo ad ea prope accedant, & convenientiam cum illis notabilem habeant, quod attinet ad decori vel indecori rationem, illa quoque ex mediarum ſeu indifferentium rerum cenſu ſunt eximenda. Quod ſi tamen quiſpiam adhuc hæreat aut dubitet, ob ignorantiam mandatorum Chriſti, aut imbecillitatem judicii; conſequens eſt, ut, ſi actionem ſuſpendere non poſſit, (id enim faciendum eſt, cum res patitur;) in eam partem inclinet, quæ tutior eſt: tutior autem generatim loquendo ea eſt, quæ carni magis eſt adverſa. Nam cum religio Chriſtiana & pietas in ea præſcripta carni maxime adverſetur, ſpiritui autem ſit apprime conſentanea: facile intelligitur id pietati magis etiam eſſe conſentaneum, ſaltem generatim, quod carni magis adverſatur, ſpiritui autem eſt gratius. Sic v. g. ſi dubitetur, utrum liceat cibo aliquo uti necne: abſtinendum eſt potius, quàm edendum. Nam non edere periculo haud dubiè caret, & carni magis adverſatur; comedere verò periculo non caret, ac carni gratum eſt. Idem in cæteris eſt obſervandum, ut in veſtitu, in defenſione noſtri, in commodis noſtris quærendis, aliiſque rebus ſimilibus. Nam dubitante conſcientia aliquid per ſe licitum facere, cum peccato tamen conjunctum eſt; qua de re non pauca diximus ibi, ubi de conſcientia egimus. Quare ea memoria repetantur.

Sed ut ad id, quod nobis hîc agendum eſt, propius accedamus; id hîc inquirendum eſt, quid ſit faciendum, cum jam inventum ac conſtitutum eſt, aliquid per doctrinam Chriſti facere, aut omittere licere; dico facere aut omittere, quia utrumque interdum licet, & hæc quidem revera dicuntur indifferentia. Primum ac potiſſimum, quod hîc obſervandum eſt, illud in ſacris literis commemoratur, ut ædificationi conſulatur; quod tum fit, quum evitatur ſcandalum. Scandalum autem duplici ratione oriri poteſt ex libertatis tuæ uſu; primùm ſi alter ob tuum factum incipiat pejus ſentire de religione Chriſtiana, tanquam quæ nimiam concedat hominibus Chriſtianis licentiam, & carni fibulas laxet. Atque hac in re habenda eſt ratio tum fidelium, tum infidelium, quemadmodum docet Paulus 1 Cor. 10. 32: quod ibidem ſuo exemplo ſtatim illuſtrat; quod idem fecerat cap. 9. 19. Ubi iterum animadvertendum eſt, ſi contingat, ut ſcandalum oriri queat, ſive utaris tua libertate, ſive non utaris, (quo tempore non poteſt ſcandalum prorſus evitari) dandam eſſe operam, ut evitetur ſcandalum id, quod majus eſt: qua in re prudentia eſt opus, & diligens habenda eſt ratio perſonarum, cum quibus eſt negotium, ſeu quæ offendi poſſunt; in quibus ſpectanda eſt infirmitatis magnitudo, multitudo earum aut paucitas, magnitudo item damni, quod ex hujus aut illius partis offenſione eſſet oriturum. Unde videmus, Paulum noluiſſe circumcidi Titum Hieroſolymis, licet id offenſione apud Judæos non careret, quia ex altera parte longè major oriri poterat offenſio apud gentes extraneas, ſi Titus Pauli ſocius, cum ageretur de libertate eorum, qui in Chriſtum ex gentibus credidiſſent, ſeu de immunitate à legalibus ceremoniis, fuiſſet circumciſus. Id enim plane in eam partem accepturi fuiſſent, vel omnes vel plærique, quaſi judicatum fuiſſet Hieroſolymis, etiam extraneos ad Chriſtum accedentes circumcidi debere, & ceremonias legales obſervare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſervare, ac Paulum ab aliis victum in hanc ſententiam conceſſiſſe. Et ſane illi falſi fratres, qui ut id fieret urgebant, id paſſim prædicaturi & jactaturi fuiſſent. Hæc vero res poterat inſigniter turbare gentes, & multorum fidem labefactare, aut eas à fide Chriſti abſterrere, ne onus illud ſubire cogerentur. Apud Judæos autem, licèt offenſos hoc Pauli facto ipſorum ſententiæ contrario, tantum periculum non erat metuendum; ut taceam longè plures fuiſſe extranearum gentium homines ad Chriſtum converſos, quam Judæorum, adeò ut major horum, quam illorum habenda eſſet ratio. Eadem cauſa movit Apoſtolum, ut Petrum qui, Antiochiæ cum eſſet, Judæis à Jacobo venientibus ſeſe accommodaverat, non ſine exiguo extraneorum hominum, quorum proculdubio ibi plures erant, ſcandalo, reprehenderet. Deinde ſi fiat, ut infirmior tuo exemplo adductus, idem, quod tu faciat, ſed non eadem fide ac conſcientia: qua de re diximus ſupra in charitatis explicatione. Secundum, quod hîc obſervandum eſt, licet ſuperiori etiam comprehendi queat, eſt, ut paci ac corcordiæ ſtudeatur, nec intempeſtivo libertatis noſtræ uſu, anſa detur aliis, libertatem hanc damnandi, indeque rixæ ac diſſidia oriantur, & in factiones fortaſſe ſcindatur Eccleſia: unde Paulus Rom. 14. 19, duo illa conjungit, *pacem & ædificationem*, eaque tanquam ſcopos quoſdam proponit, ad quos collimandum ſit in rerum indifferentium uſu. Ita enim ait ℣. 19, *quapropter ea, quæ pacis ſunt, perſequamur, & ea, quæ ſunt ædificationis mutuæ.* Tertium addi poteſt, ne nimium addicti ſimus libertati noſtræ, & ei nos veluti mancipemus: unde Apoſtolus 1 ad Corinth. Epiſt. 6. 12, cum dixiſſet: *Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt*, intellige ad aliorum ædificationem, ſeu interdum quædam ſunt noxia: addit, *omnia mihi licent, ſed non ego redigar ſub poteſtatem ullius rei*, hoc eſt, non tamen utar re ulla, ut ea me carere poſſe non arbitrer, atque ita illi me penitus ſubjiciam. Quanquam verò hoc præceptum tum imprimis valet, cum ædificationis aut pacis res agitur, quemadmodum hactenus explicuimus; latius tamen extendi poteſt, imo etiam debet. Nam qui ſtudere debet, ut tum ſibi à libertatis ſuæ uſu temperet, cum ædificatio aliorum aut pax illud exigit, & ſic neceſſitas aliqua ex præceptis divinis manans id poſtulat; is interdum, ubi non eſt aliàs neceſſe, ſibi temperare debet, ut id tum facilius poſſit, cum opus eſt. Nam ſi uſpiam, hîc certe locum habet illud Chryſoſtomi, ni fallor: Qui omnia facit, quæ licent, mox ea faciet, quæ non licent: quod nos ita ad rem noſtram propius adhibere poſſumus, ut dicamus, eum, qui ſemper re aliqua utitur, cum licet, mox etiam uſurum, cum non licet. Poteſt addi & quartum præceptum, cavendum eſſe diligenter, ne rerum licitarum uſus ducat nos ad illicita; ut, quamvis per ſe liceat cibo aliquo uti, qui ad cupiditates carnis excitandas vim aliquam habeat, ab eo tamen abſtineamus potius, quam ut in laqueum iſtum incidamus. Sic etiam ſi arma geſtare per ſe vetitum non ſit, tamen ſi quis vereatur, ne illis abutatur, ab iis abſtinere potius debet. Licitum eſt interdum paulo ſplendidiori uti veſtitu; ſed ſi verendum ſit, ne vel tu, vel ii qui ſunt in tua poteſtate, inde ſuperbiant, & alios præ ſe contemnant, eo non eſt utendum. Idem faciendum eſt illis, qui verentur, ne colloquiis aut commerciis cum hominibus extraneis & mundo deditis corrumpantur: ii enim materiam & occaſionem peccandi ſubducere ſibi debent, à rebus per ſe licitis abſtinendo: quanquam hoc inter generalia parandæ virtutis præcepta alibi à nobis poſitum eſt.

Cap. XXXI.

De totius Eccleſiæ Officio.

HActenus explicuimus ea officia, quæ à ſingulis Chriſtianis ſunt præſtanda: nunc nonnihil adjiciendum eſt de iis, quæ ab omnibus ſimul junctis ſunt facienda, hoc eſt, quæ in Eccleſia ſeu fidelium cœtu ac congregatione ſunt exſequenda. Eccleſiam autem intelligo non univerſalem tantum, imo hanc vix, niſi forte pro univerſali Eccleſia habere velis conventum ex omnium Eccleſiarum particularium membris quibuſdam, Doctoribus, verbi gratia, ac ſenioribus, collectam; ſed etiam, idque imprimis, quamvis particularem Eccleſiam. Particularis autem Eccleſia eſt congregatio hominum, qui eundem in locum convenire religionis cauſa ſæpius ſolent. Etſi autem officiis huc pertinentibus id ipſum etiam accenſeri queat, ut ii, qui convenire religionis cauſa ſæpius poſſunt, id etiam libenter faciant, & quanto propius ſunt conjuncti, quantoque commodius id præſtare queant, tanto etiam frequentius, habita nempe ratione propinquitatis aut diſtantiæ locorum, aliarumque commoditatum ſeu opportunitatum: tamen hic aditus veluti ac gradus eſt ad ea officia, quæ nobis hîc explicanda ſumſimus: & poteſt etiam referri ad effectus concordiæ Chriſtianæ, de quibus ſupra ſuo loco egimus.

Ut igitur ad ea jam accedamus propius, omnia illa officia vel ad gloriam divinam, vel ad humanam ſalutem, vel denique ad neceſſitates quorundam Eccleſiæ membrorum, aliaque his ſimilia curanda ſpectant. Quod ad priora duo attinet, illa vel ſeorſim quodammodo fiunt, vel (quod ſæpius accidit) conjunctim. Seorſim; cum gratiæ aguntur Deo publicè pro beneficiis vel in nos, vel in alios collatis, & laudes Deo dicuntur. Hujus rei pars inſignis eſt Euchariſtiæ ritus, quemadmodum ibi explicuimus, ubi de pietate in Deum, ejuſque partibus egimus: quare illa inde petantur. Gratias eſſe Deo agendas publicè, tum ex aliis multis apparet ſcripturæ ſacræ locis perpetuaque Eccleſiæ conſuetudine, etiam illius, quæ ante Chriſtum fuit, quod quidem ad laudes Deo dicendas attinet: tum etiam ex manifeſta ratione, cùm gloria publice Deo à multis reddita, fit illuſtrior: (ad gloriam autem Dei omnia, quæ in Eccleſiam Deus contulit, cedere debent, ut non ſemel oſtendit Apoſtolus Eph. 1.) tum denique ex eo, quod Paulus ad Timotheum ſcribens, & ea imprimis præcipiens, quæ publicè in Eccleſia fieri debent, monet cap. 2 Epiſt. prioris, ut fiant etiam gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui ſunt in imperio. Quod ad Cœnam Domini attinet, illam celebrari publicè debere, non modo ex prima Chriſti inſtitutione colligi poteſt, ſed etiam ſatis apertè perſpici ex iis, quæ ſcribit Paulus 1 Cor. XI. à ℣. 20 facto initio: docetque ipſa hujus ritus ratio. Nam cum inter alia ſacra hæc ceremonia debeat eſſe ſymbolum mutuæ noſtræ conjunctionis in Chriſto, non à ſingulis ſeorſim, ſed ab omnibus, quotquot commodè ſimul convenire poſſunt, celebranda eſt. Unde etiam factum, ut jam antiquitus nomen Synaxeos, hoc eſt, congregationis ſeu conventus invenerit.

Quod ad illa attinet, quæ ad Dei gloriam partim, partim etiam ad noſtram ſalutem & emolumentum pertinent, inter ea primum locum obtinent preces ad Deum fuſæ pro omnibus hominibus, atque imprimis pro regibus, & cæteris magiſtratibus; quæ quidem cum gratiarum actione ferè conjungi ſolent. Atque hac de re loquitur idem, quem paulo ante citavimus, locus Apoſtoli 1 Tim. 2. ab initio. Secundò, huc pertinet explicatio & auditio verbi divini, rerumque ſacrarum; quod præter rationem ipſam perpetuus uſus Eccleſiæ confirmat: cujus indicia non pauca habentur tum in Actis, tum in Epiſtolis Apoſtolorum. Tertiò huc referri poſſunt conſilia de gloria divina humanaque ſalute curanda promovendaque, atque imprimis etiam munerum atque officiorum ad eam rem pertinentium diſtributio, ſeu electio hominum qui muneribus iſtis legitimè, ac cum fructu fungantur, hoc eſt, conſtitutio Seniorum ſeu Epiſcoporum, in quorum numero Doctores: addi etiam poſſunt Diaconi, quanquam aliorſum munus eorum etiam ſpectet. Quo autem ordine fieri debeat electio, aut à quibus, nulla certa ac perpetua eſt in Sacris literis præſcripta regula: illud certum eſt, ſeu certo canone comprehenſum, qua-

les

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

les eligi debeant; qua de re dicendum erit in ſpecialibus certorum hominum officiis. Ex eo autem æſtimari aliquo modo poteſt, quinam nominare aut eligere debeant, & quo pacto. Iis enim proculdubio electio competit, qui quam optimè judicare poſſunt, quales eſſe miniſtri aut ſeniores debeant, & præterea qui gnari ſint, an illi, qui ad munus Eccleſiaſticum adſpirant, aut adhibendi videntur, tales ſint, quales id munus requirit. Veriſimile autem eſt eos eſſe tales, qui tum rerum ſacrarum ſunt peritiſſimi, tum prudentia ſingulari præditi: quales convenit eſſe tum Doctores, tum reliquos ſeniores, qui Eccleſiam regunt; quanquam & alii eſſe poſſint, qui perinde rectè ad eam rem adhibeantur. Quod ſi fortè Magiſtratus ſibi jus hîc aliquod peculiare vindicet, quia de publico religionis ſtatu conſtituere ipſius interſit, id quia cum mandato divino haudquaquam pugnat, & nonnunquam etiam valdè utile eſt, hanc ei facultatem ereptum ire nemo debet: conſilium autem dare debent ii, qui Eccleſiæ curam gerunt. Neque aliis legibus adſtrictus hîc eſt magiſtratus, quam iis, quæ docent, quales eligi debeant. Hoc tamen obſervandum eſt, ut munera iſta mandentur non ſine totius Eccleſiæ conſenſu, ſaltem eatenus, ut nemo ſit, qui juſtam poſſit afferre cauſam, quæ electionem perſonæ alicujus ad munus Eccleſiaſticum impediat. Itaque quiſquis tandem ſit, qui eligat, aut nominet eos, quibus officia Eccleſiaſtica ſint demandanda; ſemper permitti debet omnibus in Eccleſia, ut, ſi juſtam poſſint afferre cauſam, quæ electioni obſtet, eam, ſine contumelia tamen illius, qui eligitur, ſuoque loco ac tempore, afferat. Cauſa autem erit, ſi crimen aliquod ei non tantum objicere, ſed & probare queat, quod eum merito ab hoc munere avocare debeat. Quod ipſum non obſcure invenitur in eo canone, quo præſcribitur, quales eligi debeant, nempe inculpati: quod ſciri vix poteſt, niſi inquiſitio fiat, & libertas detur omnibus afferendi id, quod ea de re compertum habeant. Unde in quibuſdam Eccleſiis, quæ ſunt frequentiores, nomina eorum, qui ſunt ad munus deſtinati, publice prius edi ac proponi populo ſolent, ac tempus certum præfigi, intra quod crimen, ſi quod ſit, proferri & probari debeat. Et ſane quæ electio in Eccleſia jam conſtituta, talem libertatem non relinquit, illa jure reprehendi & vitioſa cenſeri poteſt. Quartò referri huc poteſt diſciplina morum, ſeu cenſura Eccleſiaſtica, atque animadverſio in eos, qui ſcandala faciunt; quæ res licet imprimis pertineat ad hominum ſalutem, ſpectat tamen etiam ad divinam gloriam, cum nomen Dei blaſphemari ſoleat ob eorum delicta, ac veritas divina male audire, cum ejus profeſſores improbe vivunt, quemadmodum ſacræ literæ ſatis aperte docent. Hæc vero diſciplina, de qua agimus, partim in mutuis exhortationibus ad officium faciendum conſiſtit, partim verò in reprehenſione delinquentium, vel etiam, ſi corrigi ſe non patiantur verbis, ac metus aliquis ſit, ne exiguum fermenti totam maſſam corrumpat, aut ſcandalum inde forte extraneis naſcatur, eorundem excluſione à conſuetudine ac commercio fidelium, ſeu incorruptorum Eccleſiæ membrorum: qua de re diximus nonnihil ſuprà, ubi de concordiæ ſtudio egimus. Ut autem quis publice reprehendi & objurgari, ac multo magis à conſortio Eccleſiæ arceri queat, requiritur etiam inquiſitio in delictum, & teſtium auditio; quæ res aditus quidam eſt ad diſciplinam illam exercendam. Hujuſmodi autem diſciplinam pertinere ad Eccleſiam, ſatis apparet ex toto cap. 5. prior. ad Corinth. quinam autem modus in diſciplina illa exercenda ſit adhibendus, & quinam tum publice reprehendendi, tum etiam à conſortio piorum excludendi ſint, de eo canones nonnulli congruentes ſacræ ſcripturæ propoſiti ſunt in concluſionibus Synodorum quarundam. Non commemoramus hoc loco ea, quæ extra ordinem nonnunquam conſtituuntur, aut conſtitui etiam interdum convenit, qualia ſunt jejunia publica, aut ſimiles actus ſolennes, vel ad gloriam Dei, vel ad ædificationem hominum ſpectantes. Ultimi denique generis officia ſunt, ut ſumtus communiter fiant, ubi opus eſt, vel in paſtores ac miniſtros alendos, vel in alia, quæ promotionem divinam ſpectant, qualis eſt librorum de rebus ſacris ſcriptorum editio, itinera ad veritatem pietatemque promovendam ſuſcepta, ædium ſacrarum vel extructio vel reſtauratio, vel denique eleemoſynæ in pauperes atque egenos, ſive in eadem Eccleſia, ſive in aliis degentes: qualis fuit olim contributio Eccleſiarum inter gentes extraneas, pro pauperibus Chriſtianis in Judæa, tempore famis: de qua in Epiſt. ad Rom. 15. 25. 1 Cor. 16. 2 Cor. 8. 9, ad Gal. 2. 10. De eo, quod Paſtorum alendòrum cauſa ſit faciendum, alibi erit dicendi locus, ubi de officio auditorum in Eccleſia dicemus. Quod attinet ad ſumtus, qui cæteroqui gloriam civinam ſpectant, eos eſſe neceſſarios quivis videt, cum ratio id per ſe dictet. Ad eleemoſynas quod attinet, de iis non pauca in ſacris literis extant, & nominatim etiam de viduis pauperibus alendis, 1 Timoth. 5: ubi oſtenditur ad Eccleſiam hanc curam pertinere, cum deſunt ii, ad quos privatim ea res pertineret. Atque hæc de Virtutibus atque officiis ad omnes Chriſtianos generatim pertinentibus dicta ſufficiant.

LIBER QUINTUS,

In quo

Explicantur officia certorum hominum propria.

CAPUT I.

Aditus ad Officiorum ſpecialium explicationem, eorumque diſtributio generalis.

ETiamſi ſatis hactenus videamur dixiſſe de officiis hominum Chriſtianorum, cujuſcunque illi ſint ordinis, ſtatus, ac conditionis; tamen reſtant adhuc explicanda ea, quæ certorum hominum ſunt propria, munere, ſtatu, ac conditione vitæ, aliiſque rebus inter ſe diſtinctorum, quæ licèt ex generalibus hactenus à nobis explicatis aliquomodo fluant, & ab homine prudente, cognito ipſo munere aut ſtatu ac conditione ſua, ex iis deduci poſſint, cum ea nihil eſſe videantur aliud, quam præcepta generalia ad certum vitæ genus ac conditionem accommodata: quia tamen non omnes eo pollent ingenio, ut ex iſto cumulo eligere per ſe poſſint, quæ ſibi maxime conveniunt, nec omnes per ſe muneris ſui rationem, niſi edoceantur, penitus perſpicere poſſunt, ideo ut in ſacris literis factum videmus, præter generalia iſta præcepta etiam hæc ſpecialia ſunt explicanda. Qua tamen in re ita progrediemur, ut ſi quid occurret, quod ex generali virtutum explicatione ſatis intelligi poſſit, id indicemus tantum, atque ad ſuperiora lectorem remittamus; ſi quid autem erit peculiare, ex natura muneris aut ſtatus proprie fluens, id paulo diligentius, prout res poſtulaverit, explicemus.

Ut autem res tota rectiore ordine à nobis explanetur, diviſio generalis eorum officiorum eſt præmittenda, quæ quidem pendet ex diverſitate ipſarum perſonarum, quibus officia hæc ſunt præſcribenda. Etſi autem hîc non agamus niſi de officiis eorum, qui in

Eccleſia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Eccleſia degunt, ſeu hominum Chriſtianorum; tamen homines iſti, qui Chriſtianæ religioni ſunt addicti, duplici ratione conſiderari poſſunt, vel reſpectu Eccleſiæ, vel abſque iſto reſpectu; hoc eſt, vel quatenus ſunt membra Eccleſiæ, & aliquid agunt, quod ad illam propriè ſpectet; vel quatenus perſonam ſuſtinent, quæ aliis quoque extra Eccleſiam queat eſſe communis. Illius generis ſunt, eſſe Epiſcopum, aut Doctorem, eſſe Diaconum, aut denique auditorem tantum, quem idiotam, aut hominem privatum in Eccleſia appellare poſſumus. Hujus vero generis ſunt, eſſe cælibem, eſſe conjugem, eſſe Magiſtratum, ſubditum, Dominum, ſervum, & ſi quæ ſunt ſimilia. Nos de priori genere prius agemus: de poſteriori ſecundo loco.

Cap. II.

Diſtributio membrorum Eccleſiæ.

II, qui ſunt in Eccleſia, qua tales, duplicis ſunt generis: vel enim publicum aliquod munus ſuſtinent, vel non ſuſtinent, qui privati appellari poſſunt, ſeu (quod idem Græcis ſonat) ἰδιῶται; quo vocabulo utitur Apoſtolus 1 Corinth. 14. 16 & 24: vulgares in Eccleſia auditores ſignificans, quos vulgus jam Chriſtianorum à multis ſeculis Laicos appellare conſuevit, quaſi dicas eos, qui ſunt de populo. Petrus eoſdem Juniores videtur appellare, 1 Epiſt. cap. 5. 5. Iiſdem Seniores opponens; qua de re nonnihil dicemus paulò pòſt.

Quod ad eos attinet, qui publicum in Eccleſia munus ſuſtinent, (de iis loquor, qui perpetuo in Eccleſia durare debent) ii duplicis ſunt generis: vel enim regunt & gubernant Eccleſiam, eique præſunt: vel non gubernant, ſed tantum ejus uſibus variis miniſtrant. Illi Epiſcopi, ſeniores, & paſtores nuncupantur, ſub quibus comprehenduntur etiam doctores: hi vero ſpeciali nomine Diaconi; de qua voce ſuo loco agetur, ubi ratio addetur, cur ad hoc peculiariter accommodatum ſit Diaconorum ſeu miniſtrorum nomen, cum id videatur eſſe generale, & nonnunquam omnibus, qui Eccleſiaſticum munus ſuſtinent aliquod, atque adeò etiam Apoſtolis in ſacris literis tribuatur. Diaconos autem cum nominamus, ſimul etiam fæminas complectimur, quæ olim Eccleſiæ miniſterio ſeſe addixerant, quas Diaconiſſas appellare ſolent. Neque vero eſt, quod quis miretur, nos Diaconos à numero Seniorum excludere, & eoſdem Presbyteros & Epiſcopos ſtatuere. Nam ex Epiſtola ad Tit. 1, ſatis apertè conſtat, eundem eſſe Presbyterum & Epiſcopum, hoc eſt, ſeniorem & inſpectorem Eccleſiæ. Nam ỷ. 5 dicit Paulus, ſe reliquiſſe Titum in Creta, *ut per urbes ſingulas conſtituat Presbyteros*, ſive Seniores; ac poſtea Canonem ſeu regulam præſcribit, ſecundum quam eligi debeant, ỷ. 6. additque rationem hujus rei ỷ. 7: *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibelem eſſe*, apertè docens, presbyterum ſeu ſeniorem omnem, eſſe Epiſcopum; alias enim ratio Apoſtolica foret inſufficiens. Conſtat etiam id ſatis ex collatione hujus loci cum illo, qui exſtat 1 ad Tim. 3, ab initio, ubi de electione Epiſcoporum agitur. Jam vero ex eodem loco ſatis conſtat, alium eſſe Diaconum, alium Epiſcopum: apertè enim diſtinguuntur ab Epiſcopis Diaconi, ỷ. 8. ſeqq. Vide etiam Act. 20: ubi confer ỷ. 17, cum 28. Præterea ex loco Pet. 1. Epiſt. cap. 5 initio, idem ſatis conſtat. Nam ad Seniores ibi ſcribens, ỷ. 2 illis imperat, *ut paſcant eum, qui apud ipſos ſit, gregem Dei*, ἐπισκοποῦντες, hoc eſt, inſpicientes vel curam ejus gerentes, *non coacti, ſed ſponte*. Ut taceam Rom. 12. ỷ. 7, 8 Diaconos ab illis diſtingui, qui præſunt, quales ſunt Seniores; quemadmodum & ab iis, qui docent aut hortantur. Quare probabile eſt, Petrum, cum cap. illo 5 mentionem tantum facit Seniorum & Juniorum, Diaconos in Juniorum ordinem redegiſſe: quanquam ii conſtitui poſſunt veluti intermedii inter Seniores & Juniores, ſeu inter Paſtores Eccleſiarum, & vulgares auditores. Nam qui eliguntur Diaconi, illi gradum quendam ſibi ſtruunt ad Epiſcopatum, & auctoritatem ſibi conciliant, libertatemque admonendi alios, eoſque, cum opus eſt, reprehendendi & objurgandi: qua parte terminos Epiſcopatus veluti ingrediuntur; qua de re dicetur infra, in explicatione officiorum Diaconis obſervandorum.

Jam quod attinet ad Seniores ſeu Epiſcopos, etiamſi eorum uniuſcujuſque ſit, ſalutarem Chriſti doctrinam, cum opus eſt, aliis proponere, eandemque defendere, ut in explicatione ipſorum officiorum dicemus: nihilominus tamen tale inter illos diſcrimen poteſt conſtitui, ut alii ſint, qui regant Eccleſiam tantum, publicè vero docendi munere, & myſteria Chriſtianæ religionis explicandi non fungantur; licet interdum pro re nata, aliis ea inculcare & contra adverſarios propugnare debeant ac ſoleant. Colligitur id ex priori Epiſt. ad Tim. cap. 5. 17, ubi ait: *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in ſermone & doctrina*. Ubi ſatis apertè indicatur, inter Presbyteros & eos qui benè præſunt atque officio ſuo rectè funguntur, alios eſſe, qui non laborant in verbo & doctrina, hoc eſt, qui publicè atque ordinariè munere hoc verbum Dei annunciandi, & populum Chriſtianum docendi non funguntur. Deinde idem ex eo colligi poteſt, quod Paulus Rom. 12, ubi dona varia Spiritus ſancti commemorat, ad ea munera ſpectantia, quæ perpetuo in Eccleſia locum habent, diſtinguit eos, qui docent, & qui adhortantur, ab illis, qui præſunt, ſicut apparet ex collatione ỷ. 7, & 8. Quemadmodum etiam 1 Corinth. 12 diſtinguuntur Doctores à gubernatoribus, ſeu iis, qui donum regendi & gubernandi in Eccleſia ſuſtinent. Jam verò illi, qui præſunt, proculdubio Seniores ſunt ſeu Presbyteri, non juniores ſeu vulgares auditores: neque etiam (ut vel ex eodem loco conſtat) Diaconi: unde factum eſt, ut nonnulli ex doctioribus ſacrarum literarum interpretibus, in enumeratione functionum Eccleſiaſticarum à Chriſto exaltato in homines collatarum, quæ extant ad Epheſ. 4. 11, Paſtores & doctores pro diverſorum hominum muneribus acceperint, licet ſub eodem articulo ab eodem efferantur Apoſtolo. Quanquam id ideo factum crediderim ab Apoſtolo, quod hæc munera arctiſſime inter ſe connectantur, & tum olim, tom hodie iidem fere & Paſtores ſint & doctores: certe ii, qui doctores ſunt, hodie etiam Paſtores eſſe ſolent, etiamſi non contra. Paſtores enim cenſendi ſunt omnes ii, qui Eccleſiam cum auctoritate ſecundum præceptum divinum regunt ac gubernant: paſcere enim pro regere in ſacris literis uſurpatur, atque imprimis cum regimen iſtud curam ſingularem ejus, qui regitur, complectitur, atque ad ejus emolumentum ſpectat; quale hoc eſt, de quo loquimur.

Quod attinet rurſus ad eos qui docent, illi in duo genera diſtribuuntur ab Apoſtolo dicto loco Rom 12. alios enim conſtituit doctores, ſtricte ſumto nomine, hoc eſt, eos, qui Chriſtianæ religionis myſteria ac ſententiam explicant, qui Theoreticis Philoſophis comparari queunt, quales ſunt ii, qui de Deo, ejuſque attributis, quorum cognitio ad ſalutem aliquod afferat adjumentum, de Chriſto item, de Spiritu Sancto, de Reſurrectione mortuorum ejuſque ratione ac modo, de juſtificatione, aliiſque ſimilibus rebus diſſerunt, & quid de iis ſentiendum ſit explicant. Alios vero conſtituit adhortatores, qui Practicis Philoſophis ſeu doctrinam Ethicam explicantibus comparari queunt, ita ut auditores commoveant, & ad ea, quæ facienda eſſe monſtraverunt, incitent; quod diſcrimen ibi, ubi major eſt eorum numerus, qui ad docendum ſunt apti, obſervare convenit, cum res ipſa ſatis doceat, alios ad exhortandum aptiores eſſe, alios ad docendum. Sed ut in parva civitate uni ſæpe plura officia demandantur ob defectum, ita etiam in parva Eccleſia. Quin & in nomeroſiore Eccleſia hæc ita miſcenda ſunt & temperanda, ut & is, qui docendi munere fungitur, adhortationes aſpergat, præſertim quando ad populum Chriſtianum habetur oratio, & non in Schola inter doctores

diſpu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

diſputatur, cum omnis ad populum concio abſque præceptionibus & adhortationibus frigeat; & contra is, qui adhortatur, interdum etiam attingat aliquid myſteriorum, cum ne præcepta quidem Chriſtianæ religionis commodè proponi, aut ita nervoſe, quemadmodum oportet, adſtrui & auditoribus inculcari queant, niſi ſimul doceas, & aliquid myſteriorum attingas. His ita conſtitutis primum explicabimus officia Seniorum in univerſum, ſive doctores ſimul ſint, ſive minus: deinde ſigillatim addemus ea, quæ doctoribus, ſub quo nomine nunc eos quoque complectimur, qui adhortantur, magis ſunt propria: Tertio Diaconorum officia pertractabimus: Denique paucis ſubjiciemus ea, quæ in uxoribus tum Epiſcoporum, tum Diaconorum requiruntur.

CAPUT. III.

De officio Seniorum, ſeu Epiſcoporum ac Paſtorum.

UT Seniorum ſeu Epiſcoporum officia tanto rectius explicemus, primo videbimus, quales ii eſſe debeant, qui ad munera iſta eligendi atque admovendi ſunt: Secundo quomodo in illo ipſo negotio aut officio adminiſtrando gerere ſe debeant. Qualeſnam eligendi Seniores & Epiſcopi ſint, id luculenter expreſſit Paulus 1 Tim. 3. & ad Tit. 1: quæ loca nobis ſunt conſideranda atque inter ſe conferenda, cum inde canon quidam, & certa regula poſſit elici, ad quam Epiſcoporum Paſtorumque electio ſit conformanda. Redit autem generatim res tota eò, ut ii eligantur, qui vitæ ſint inculpatæ, iiſque virtutibus ſint præditi, quibus ad regendam Eccleſiam ſit opus, & ut apti ſint ad docendum, eo, quo ſuperius explicatum eſt, modo, qui omnibus Senioribus eſt communis. Quare alterum eorum, quod hîc requiritur, ad mores refertur: alterum ad doctrinam. Id, quod ad mores, in duobus conſiſtit, primum ut iis careat vitiis, quæ tam ſanctum munus dehoneſtare, & fructum illius impedire poſſint: deinde ut iis ſit præditus virtutibus, quibus ad munus hoc cum laude gerendum eſt opus. Quanquam nonnihil etiam additur, quod ad ſtatum ac conditionem ejus pertineat, & per ſe nec ad vitium, nec ad virtutem refertur. Nos igitur primo loco explicabimus, quibus vitiis, vel, ſi ita appellare libet, defectibus carere debeat Epiſcopus: deinde quibus virtutibus debeat eſſe præditus.

Quod ad prius attinet, primo generale eſt quod dicitur dicto loco 1 Tim. 3. 2. & Tit. 1. 6 & 7, *Epiſcopum debere eſſe irreprehenſibilem*, hoc eſt, cui nullum vitium merito objici, nullum crimen, quod muneris illius fructum impedire queat, impingi poſſit. Itaque non tantum habitus vitioſi, de quibus aliquid conſtet, excluduntur, & ad eo removentur, qui ad hoc munus admitti debet: verum etiam facta ſingularia, quæ famam ipſius in tam ſancto munere conſtituti lædere queant, & prohibere, quo minus is cum fructu alios adhortari, caſtigare ac reprehendere, aut etiam docere queat; breviter, quæ impediunt, quominus queat ædificare, ut vulgo loqui ſolemus. Itaque hîc habenda eſt ratio etiam præteritorum factorum, quæ etiamſi ſint ſemel tantum admiſſa, notam famæ hominis ejuſmodi inurunt, ut elui ea non facile queat, ut ſi quis in furto aliquando fuerit deprehenſus, aut ob aliud aliquod crimen, quod à magiſtratu puniri ſolet, infamiamque affert, damnatus ſit, præſertim ſi tale quippiam admiſerit agnita jam veritate. Æſtimanda enim hæc ſunt, non tantum rei ipſius ponderibus, verum etiam ex opinione hominum, & communi ſermone, & judicio; unde fieri queat, ut is qui aliquando ebrioſus fuerit, hoc eſt, habitu ejus vitii fuerit præditus, ſi vitium illud penitus exuerit, & hanc maculam apud alios emendatione eluerit, facilius poſſit ad miniſterium, in his præſertim regionibus, admitti, quam is qui aliquando furtum commiſerit, etiamſi forte non ita grande, idque ſemel tantum; propterea quod id vulgo valdè ſit infame, illud vero non ita. Quare diligenter hîc ſunt judicia hominum exploranda, & quid bonæ famæ ſit, ſpectandum. Quanquam vero ſecundo loco poſſemus id collocare, quod apud Apoſtolum quoque ſtatim ſubjungitur, ut ſit unius uxoris vir, id quod tacitam cujuſdam vitii, hoc eſt, plurium uxorum conſuetudinis aut concubitus excluſionem continet; tamen quia id per ſe affirmativum eſt, poteſt infra à nobis poni, ubi de continentia agendum erit, quæ inter virtutes in Epiſcopo requiſitas numeratur. Secundo igitur loco conſideranda ſunt ſpecialia vitia, quæ ab Epiſcopo abeſſe debere nominatim Apoſtolus docet, quorum primum in loco ad Timoth. ℣. 3 eſt, *ne ſit vino multo deditus*, ſeu vinolentus; quod idem recenſetur ad Tit ℣. 7. de quo vide in vitiis ſobrietati oppoſitis. Ideo autem nominatim ab hoc vitio alienum eſſe decet Epiſcopum, quia cum vigilantia, qua debet eſſe præditus, & aſſidua Eccleſiæ cura, omnino pugnat, & omnem autoritatem detrahit, multorumque aliorum cauſa eſt vitiorum & origo. Secundum inter ſpecialia vitia, quæ ab Epiſcopo abeſſe debent, conſtituere poſſumus illud, quod Apoſtolus commemorat Tit. 1. 7; ne ſit αὐθάδης hoc eſt, ne ſibi placeat, aut ne ſit pertinax in iis, quæ ipſemet invenit, aut probavit: de quo vitio diximus ſupra in explicatione ſuperbiæ. Vitium autem hoc imprimis abeſſe debet ab Epiſcopo Eccleſiæ Chriſti, cum modeſtiæ, quæ Chriſtiano homini eſt propria, is debeat eſſe exemplum: deinde quia ſuperbia inviſum reddit: ac denique quia conſilia ſalubria vitium hoc repudiat, hominemque ad Eccleſiam Dei regendam, & cum ejus emolumento gubernandam prorſus ineptum reddit. Tertio abeſſe debet ab Epiſcopo *iracundia*, Tit. 1. 7: cujus rei ratio unicuique patet. Ira enim omni prudentiæ, & ſic etiam regimini, quod abſque prudentia rectè exerceri nequit, inimica eſt, & alios non ſanat, ſed vulnerat; non allicit ſed abſterret. At illud cujuſvis eſt officium Epiſcopi. Huic poſſunt adjungi alia duo, quæ ab Apoſtolo commemorantur, & ab Epiſcopo eligendo removentur, iracundiæ effecta: quorum alterum eſt, *ne ſit percuſſor*, hoc eſt, ne ad verbera ſit pronus, & pugnis etiam certet, quod quantopere dedeceat Epiſcopum, nemo non videt: alterum, *ut ſit alienus à pugnis*, Tim. ℣. 3. pugnæ autem iſtæ intelligi poſſunt de litibus ac jurgiis, variiſque contentionibus, à quibus homo manſuetus ac pacis ſtudioſus, qualem eſſe decet Epiſcopum, abeſſe debet longiſſimè. Quarto debet *eſſe alienus ab avaritia*, ſeu pecuniæ non amans, Tim. ℣. 3. cum quo conjungi debet id, quod ibidem legitur, quemadmodum etiam apud Tit. ℣. 7. *ne ſit turpis lucri cupidus*, vel ne turpem quæſtum faciat; qua de re fuit actum in avaritiæ explicatione. Eſt autem etiam hic turpis quæſtus, & quidem imprimis, ſi quis res ſacras habeat vænales, & ideo, ut rem faciat, munus Epiſcopi gerat, aut ad illud adſpiret; qua de re poſtea aliquid dicendum erit, ubi explicabitur, quomodo in officio ſe gerere debeat Epiſcopus. Denique ad ſtatum ipſius illud pertinet, non ad vitioſitatem, *ne ſit recens Eccleſiæ inſertus*, Tim. ℣. 6: cujus rei rationem ibidem explicat Apoſtolus, nempe ne tam repentino in Eccleſia honore inſoleſcat, atque ita in judicium diaboli incidat. Hactenus de priori.

Quod ad poſterius attinet, hoc eſt ad virtutes, quibus debeat eſſe præditus is qui ad Epiſcopatum adſpirat vel vocatur, primum jure locum obtinebit, quanquam non primo loco ab Apoſtolo collocata, *Pietas*, ut pote quæ ad Deum per ſe ſpectat, quam Apoſtolus comprehendit nomine ὅσιος Tit. ℣. 8: quæ vox ſanctum quidem per ſe & ſimpliciter ſignificare poteſt ac ſolet; ſed hic, ubi inter ſpeciales virtutes collocatur, eum ſignificat, qui verè eſt religioſus, ac Dei ſe reverentem eſſe univerſa vita factiſque probat. Unde videmus ἀνοσίοις pro irreligioſis ac prophanis hominibus collocari 1 Tim. 1. 9. De hac virtute vide ea, quæ in pietatis explicatione diximus, hoc eſt, ejus virtutis, quæ ad Deum primo ac per ſe refertur. Hac virtute imprimis eſſe opus Epiſcopo ita clarum eſt, ut verbis non ſit opus. Secunda Virtus eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ut ſit *juſtus*, hoc eſt, ut jus ſuum unicuique reddat, Tit. ℣. 8. Tertio cum hac conjungi poteſt ἐπιείκεια ſeu æquitas, Timoth. ℣. 3. Quæ in moderatione quadam juris conſiſtit, & de benignitate multum participat, in eamque inclinat; qua de re in ejus explicatione dictum. Atque huc etiam poteſt referri locus Jacobi 3. 17, ubi ſapientia deſuper veniens dicitur eſſe ἐπιεικὴς quem locum (niſi fallor) ibidem attigimus. Huc autem imprimis pertinet: quia de ea ſapientia ſermo eſt, quæ in Magiſtris ac doctoribus aliorum reperiri maxime debet: atque hæc eſt ſecunda inter eas, quæ ad proximum ſpectant. Quarto requiritur, ut ſit φιλάγαθος, hoc eſt, bonorum amans, ſeu virorum bonorum ſtudioſus; qua de re in charitatis explicatione. Hæc inter eas quæ ad proximum tertia. Quinto ut ſit *hoſpitalis*: de qua vide in explicatione benignitatis. Hactenus eæ virtutes, quæ ad proximum. Sexta virtus, earum autem prima, quæ ad nos ipſos referuntur, eſt *Sobrietas*: Timoth. ℣. 2. In voce σώφρονα, quemadmodum etiam Titi ℣. 8. Quanquam enim alii vocem hanc reddunt Prudentem: uſui tamen communi, & ſeriei, qua in recenſendis virtutibus in Epiſtola ad Titum utitur Apoſtolus convenientius eſt, ut pro ſobrietate potius eam accipiamus. Conſiſtit autem imprimis in moderatione cibi ac potus. Nam ſtrictius hîc videtur accipienda eſſe hæc vox, quam ut caſtitatem in ſeſe includat. Septima virtus, & hujus generis ſecunda, eſt *Continentia*, Tit. ℣. 8. Quæ hoc loco caſtitatem vel ſolùm vel potiſſimum ſignificat; quemadmodum etiam interpretes nonnulli animadverterunt. Ad hanc referimus etiam illud, quod in utroque loco commemorat Apoſtolus, Tim. ℣. 2. Tit. verò ℣. 6, *ut Epiſcopus ſit unius uxoris vir*; quod idem infra de Diaconis repetitur: nam omnino ad caſtitatem aut continentiam hoc ſpectat. Quanquam autem id ab aliis aliter accipitur; tamen id vel ponitur ad excludendam tantum pluralitatem uxorum, ſcil. διγαμίαν aut πολυγαμίαν, ita nihilominus ut inter διγάμους & πολυγάμους numerentur, non modo qui plures uxores ſimul haberent, verum etiam is qui repudiata temerè uxore aliam duxiſſet; id quod apud Ethnicos olim fuit valde familiare, nec in initiis Eccleſiæ ſtatim corrigi potuit, imo nec in iis, quos in hoc ſtatu doctrina Chriſti deprehenderat, mutari debeat. (Videatur ea de re Beza ad hunc locum; quin etiam Joſeph. Scaliger.) vel, inquam, iſto, quem explicuimus, modo verba illa ſunt explicanda, vel ita, ut ſignificent ſingularem quandam caſtitatem Epiſcopi, ne quam aliam ſpectet præter ſuam ipſius uxorem, eique uni penitus in re matrimoniali ſit addictus. Hic enim peculiari quadam ratione dici poterit unius uxoris vir, quemadmodum contra plurium, qui alias præter unam uxorem adamat, etiamſi plures uxores haudquaquam habeat. Nam etiamſi hoc debeat eſſe commune omnibus Chriſtianis: potuit nihilominus præſcribi Epiſcopo, quemadmodum & cæteræ virtutes, quas hactenus vidimus, ut & immunitas à vitiis itidem ſuperius explicatis, propterea, quod hac re vel imprimis opus ſit Epiſcopo. Vix opus eſt monere id, quod unicuivis facile patet, non præcipere hîc Apoſtolum, ut Epiſcopus uxorem omnino habeat, ſed id tantum vetare, ne, ſi habeat, habeat una plures. Octava virtus eſt, quæ partim ad nos, partim ad alios ſpectat, *Gravitas*, quam ad Timoth. exprimit voce κοσμίως; quam eandem in Diaconis quoque requirit ℣. 8: ubi voce σεμνοὺς eam exprimit. De hac vide ſupra. Nona virtus eſt *Vigilantia*, de qua ſuo loco actum eſt. Cum hac conjungi poteſt illud, quod hujus virtutis effectum quoddam eſt, *ut propriæ domui bene præſit, & liberos habeat in ſubjectione*, hoc eſt, ſibi obedientes, cum omni gravitate, hoc eſt, honeſte viventes: quod his verbis explicatur apud Titum, *ut habeat liberos fideles*, hoc eſt, qui una cum ipſo doctrinam Chriſtianam amplectantur ac profiteantur, *non in accuſatione luxuriæ*, hoc eſt, qui non accuſentur luxuriæ, ſeu diſſolutæ vitæ, ſeu quibus crimen hoc impingi nequeat. Et hac in re imprimis conſiſtit illa gravitas ſeu honeſtas, quam in iis ad Tim. requiſierat. Addit denique, *ne ſint immorigeri*; quod itidem dixerat ad Timotheum. Et hæ quidem ſunt Virtutes, quæ requiruntur in eo, cui Epiſcopatus demandandus eſt: quibus adjici poteſt id, quod iſtarum virtutum eſt veluti quædam umbra & conſectarium, *ut habeat bonum teſtimonium, etiam ab extraneis*; hoc eſt, iis, qui extra Eccleſiam Chriſti vivunt, Tim. ℣. 7: cujus rei rationem ipſe Apoſtolus ibidem explicat, nempe *ne in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli*, vel calumniatoris, hoc eſt, illius qui anſam traducendi & calumniandi Chriſtianos libenter captat. Et hæc ſunt, quæ ratione vitæ ac morum in eo ſunt ſpectanda, cui Paſtoris munus demandatur.

Quod ad doctrinam attinet, requiritur, ut ſit διδακτικὸς: quæ vox non tantum aptitudinem ad docendum, verum etiam propenſionem quandam ſignificare poteſt; ita ut notet eum, qui & aptus ſit ad docendum, & libenter etiam doceat. Quanquam ad aptitudinem magis reſpicitur, quemadmodum interpretes quoque ſuis in verſionibus indicarunt, & docet illud quod legimus ad Tit. cap. 1. Ubi id pluribus verbis explicatur, quod una voce ad Tim: erat expreſſum. Ita enim ibi loquitur ℣. 9: *qui tenax ſit illius, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis ſermonis*, hoc eſt, qui firmiter adhæreſcat ſermoni Euangelico fide digniſſimo, & qui ad docendum ædificandumque vehementer facit, *ut poſſit admonere in doctrina ſana*, ſeu, per doctrinam ſanam, *& contradicentes convincere*; quibus verbis facultas magis ſignificatur docendi, quam voluntas. Quanta autem hæc facultas eſſe debeat, ex ſubjectis hoc loco finibus ſatis apparet, de quibus nobis poſtea erit dicendum, ubi docebimus, quomodo Epiſcopi in officio gerere ſe debeant: ad quam rem nunc accedimus.

Poſſunt autem generatim tria illorum conſtitui officia, prout in Epiſtolis Pauli ac Petri imprimis legimus. Primum eſt, ut exemplo ſuo ad omne pietatis genus aliis præluceant. Alterum, ut alios etiam verbis regant, atque ad officium faciendum diligentiſſime excitent, & ſic diſciplinam Chriſti in Eccleſia, tueantur. Tertium, ut cum opus eſt, alios etiam erudiant ac doceant. Poſſet & quartum addi, ut pro ovibus ſibi concreditis quam diligentiſſime orent, &, ſi opus ſit, etiam animam ſuam ponant, hoc eſt, cum vitæ diſcrimine ſaluti ipſorum conſulant. Quod ad primum attinet, id præcipit Petrus 1 Epiſt. c. 5. 3: ubi ait ad Presbyteros, *Typi* ſeu exemplaria *fiatis gregis*: & Paulus ad Tim. 1. cap. 4. 12: ubi ſpeciales etiam quaſdam virtutes exprimit aut factorum genera, in quibus exemplo ſuo aliis præire debeant. Quod etiam ex parte facit Tit. 2. 7. Nam in priori loco ita ait: *Nemo juventutem tuam contemnat*; hoc eſt, ne ita te geras, ut quis te ob juventutem contemnere jure queat: *ſed typus* vel exemplum *fias fidelibus in ſermone, in converſatione*, hoc eſt, cæteris vitæ actionibus, *in charitate*, nempe erga proximum, *in ſpiritu*, hoc eſt, fervore ac zelo quodam ſpirituali, tum erga gloriam divinam, tum erga hominum ſalutem, *in fide*, hoc eſt, conſtanti aſſenſu doctrinæ Chriſti præbito, *in puritate*, ſeu caſtitate. In poſteriori verò ita; *per omnia te ipſum præbe typum* ſeu exemplar *bonorum operum, in doctrina incorruptionem*, hoc eſt, ita ut ſinceram incorruptamque doctrinam alios doceas, vel, ita ut una cum doctrina vitæ integritatem præſtes, *gravitatem, ſermonem ſanum*, hoc eſt, non vitioſum aut corruptum, ſed ad ædificationem aliorum comparatum, *irreprehenſibilem.* Alias quoque virtutes, de quibus ſupra dictum eſt, commendat Timotheo, tanquam homini Dei, hoc eſt, ei viro, qui ſe totum Deo conſecravit, & qui nihil aliud agat, ac tractet, quam quod ad Deum ejuſque gloriam pertinet: 1 Timoth. 6. 11.

Quanquam vero ex iis, quæ hactenus diximus, conſtare poteſt, quomodo ſe Paſtores in convictu & converſatione cum aliis gerere debeant; tamen non abs re eſt illud paucis explicare. Primo ergo cavendum eſt ei, ne ſe vulgaribus auditoribus, apud quos

autori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

autoritate illi ſingulari opus eſt, nimis reddat familiarem, eoque in contemtum veniat, atque ita verba ipſius minus habeant apud ipſos ponderis, ſive admoneat, ſive reprehendat. Recte enim vulgo dicitur: Nimiam familiaritatem contemptum parere, præſertim cum vix fieri queat, ut ita ſe uſquequaque caute in familiari congreſſu aut colloquio aliove conſeſſu gerat Eccleſiæ Paſtor, quin aliquid ei excidat, quod reprehendi à quopiam ſive jure ſive injuria queat. Adde, quòd in ejuſmodi conſeſſibus ſæpe res tractentur ad religionem nil pertinentes, ſeu (ut loquuntur) prophanæ, quibus vel plane ſeſe inſerere paſtorem non decet, vel valdè parcè ac moderatè hæc ei ſunt attingenda, ne prophanum aliquid ſapere videatur. Itaque imprimis ei fugienda ſunt convivia, & non, niſi cum aliqua ratione neceſſe eſt, ad ea accedendum: fugiendi etiam ei ſunt conſeſſus, ubi de Republ. aliiſve ſimilibus rebus agitur. In publicum etiam non adeò crebro prodire debet, cum id ei ſit agendum, ut res ſacras tum diligentiſſime tractet, tum diligentiſſime aliis omnibus tractare videatur, & ſic ſanctiſſimi hominis opinionem non fallacem ſibi conciliet. Sed deinde ſi neceſſe ſit, eum intereſſe conviviis, aut alias ſive cum auditoribus, ſive cum extraneis verſari; magna illi linguæ habenda eſt ratio, atque imprimis vitandi ſunt joci ac ſermones profani, ad quos ſæpe magna eſt occaſio iis, quibus ingenium eſt, quibus interdum prope facilius eſſet, carbonem candentem ore continere, quam jocum aliquem eruditum, maxime cum loci feſtivitas, & hominum ipſorum hilaritas invitat. Cavendum etiam eſt Paſtori ne cibo aut potu largius ſe invitet, ſed operam det, ut omnibus potius ſobrietatis ac continentiæ exemplum præbeat. Adde etiam caſtitatis ſingularis, eoque oculos animumque contineat ſervetque illibatum, ne de eo forte dicatur id, quod eſt apud Petrum 2 Epiſt. 2. 13: ubi ait de falſis doctoribus, quod pro voluptate ducant quotidianas delicias, ſintque maculæ ac labes, qui in ſuis deceptionibus ſeu per fraudes ſuas, quibus alios ſeducunt, dilicientur, una cum iis convivantes, habeantque oculos plenos adulterii, & neſcientes à peccato deſiſtere: quod ita effertur apud Judam ℣. 12: *Hi ſunt in charitatibus veſtris*, hoc eſt, in conviviis ex charitate in pauperes conſtitutis, *maculæ, una convivantes, ſine metu ſeipſos paſcentes*. Tertio, operam debet dare, ut præſentia ſua alios in officio contineat, à ſermonibus profanis ad ſacros revocet, & ſubinde veluti aculeos quoſdam illis infigat, quibus eos ad pietatem ac religionem èxcitet, ut vel ex hujuſmodi congreſſibus appareat, quid ille perpetuo tractet, quæque ſint ejus ſtudia, quis in Deum aut religionem animus. Quarto, ſi quid animadvertat in auditoribus reprehenſione dignum, id vel ſtatim reprehendat, ſi ſit opus, & res ipſa id ferat, vel ita notet, ut alio tempore id commodius corrigat. Opus autem eſt ſtatim reprehendere, ſi alioqui futurum ſit, ut amplius peccetur; & aliud ex alio trahatur malum, vel ſcandalum, niſi moneas, ſit ſecuturum, atque offenſio aliorum, vel verearis ne monendi occaſio impoſterum tibi deſit; cui rei prudentia moderabitur. Nam nonnunquam levius aliquid tranſmittendum eſt, aut in commodius tempus differendum, ne plus ex reprehenſione concitetur mali, quam ex ſilentio eſſet conſecuturum. Verum hoc officium ad ſequens potius genus referendum eſt, ad quod nunc accedimus.

Quod ergo ad ſecundum Paſtorum officium attinet, quod eſſe diximus aliorum vitam regere, & ordinem rectum diſciplinamque in Eccleſia conſervare; hîc iterum quædam generalia præcepta ſunt obſervanda: deinde ſubjungenda ſpecialia ad gubernationem hanc pertinentia. Et generalia quidem poſſunt etiam ad tertium officium, quod infra tractabitur, extendi. Eorum vero primum eſt, quo conſilio, quoque animo hoc officium ſuſcipere atque adminiſtrare debeat. Id autem exprimit Petrus 1 Epiſt. cap. 5. 3: dum ait: *Curam Eccleſiæ gerentes, non turpiter affectantes lucrum, ſed propenſo animo.* Vult ergo Apoſtolus, ne quis lucri & quæſtus gratia munus hoc ſuſcipiat, & ſic in illorum ſit numero, qui putent pietatem ſeu religionem ejuſque negotium eſſe quæſtum, hoc eſt, rationem faciendi quæſtus, & eo ſpectare, ut pecuniam corradas, de quibus loquitur Apoſtolus 1 Tim. 6. ℣. 5. Ubi ab avaritia vehementer dehortatur Timotheum. Et ſane hæc eſt certiſſima peſtis Epiſcopatus avaritia, quam radicem omnium malorum appellat Apoſtolus, & quæ multos à pietate ac veritate tranſverſos egit. Qua de cauſa hæc eſt inter cætera falſorum doctorum nota etiam tradita à Petro & Juda, quod ſint futuri avari. Non prohibet Apoſtolus, quominus ex Epiſcopatu & cura Eccleſiæ vivas, ſeu victum commodum habeas. Hoc enim legibus Chriſti eſt conveniens, ipſeque Apoſtolus de Presbyteris loquens, ait, eſſe duplici honore dignos, ſi bene præſint, addita ratione, quia non debeat obturari os bovi trituranti, & dignus ſit operarius ſua mercede, 1 Tim. 5. ℣. 17, 18: honorem illum collocans in majori eorum cura, ac ſuppeditatione rerum illis neceſſariarum, ac omnis generis officiis, quibus oſtendant iis, qui illis præſunt, quanti illos ipſorumque labores faciant. Non igitur hoc vetat Dominus Jeſus, ſed illud, ne hunc revera ſcopum & veluti finem primarium tibi præfigas, ut hac ratione vitam tantum toleres, multo verò minus, ut divitias colligas. Itaque iſta προθυμία ſeu promptitudo animi, quam S. Petrus cupiditati turpis lucri opponit, ejuſmodi animi conſilium ac propoſitum ſignificat, quo quis non ſui ipſius, ſeu commodi alicujus terreni gratia, aliorum curam ſuſcipit, ſed aliorum revera cauſa, ut ſalutem eorum, gloriamque divinam promoveat, idque revera animo ſpectet, quod externis factis præ ſe fert: quanquam ſimul alacritatem in munere illo obeundo, de quo ſtatim dicemus, complectitur. Itaque rectiſſime ille faciet, & non parum dignitatis & autoritatis huic muneri apud auditores addet, qui, cum poſſit, ſuo ſumtu ſerviat Eccleſiæ; qua de re vide quid ſupra dixerimus in enumeratione eorum, quæ ad quandam ſanctitatis perfectionem ſpectant, ubi Pauli imprimis exemplum adduximus.

Secundum præceptum eſt, quo ſtudio & alacritate uti debeant in muneris iſtius functione, quanta cum diligentia in hoc negotio verſari; qua de re ita præcipit Apoſtolus Rom. 12. 8, ubi ait: *Qui præeſt, in diligentia*, id eſt, cum diligentia præſit, ſummoque ſtudio alios regat. Quam ad rem primo requiritur animus alacer & promptus, de quo Petrus ita loquitur, 1 Epiſt. cap. 5. 2: *Paſcite, qui inter vos eſt, gregem Dei, curam ejus gerentes non coacte, ſed ſponte*, hoc eſt, non animo invito & ab hoc munere abhorrente, qualis eſt eorum, qui auctoritate tantum aliorum, & quodam veluti metu, ne ab illis graviter reprehendantur, hoc officio funguntur, ſed animo ad rem propenſo; ita ut etiamſi nemo extet, qui eum huc quodammodo adigat, nihilominus muneris ſui partes libenter obeat. Huc poſſunt referri ea, quæ de Eccleſiarum Senioribus ſcribit Sanctus Auctor Epiſt. ad Heb. 23. 17: eos vigilare pro ovibus fidelium, tanquam ii, qui rationem ſint redditurі. Vigilantia enim iſta Paſtoris ſummam diligentiam complectitur, ne quid de rebus ei commiſſis pereat, aut detrimentum capiat, præſertim ſi ſciat rationem ſibi de iis eſſe reddendam. Secundo ad hanc rem requiritur, ut omnia impedimenta, quantum in ſe eſt, amoveat, quæ illum à muneris functione avocare ac diſtinere queant. Quod videtur vel imprimis ſignificaſſe Paulus, cum ad Timotheum ſcribens, poſtquam illum monuiſſet, ut mala perferat, tanquam bonus miles Jeſu Chriſti, addit 2 Epiſt. 2. 4: *Nemo militiam ſequens implicatur vitæ* (communis) *negotiis, ut ei qui exercitum conſcripſit, placeat*: quod licet poſſit ad omnes Chriſtianos, cujuſcunque ordinis ac conditionis, accommodari; tamen imprimis ad miniſtros & Epiſcopos ac Paſtores Eccleſiarum ſpectat, idque ea ratione, ne civilibus negotiis, aut rei familiaris cura implicentur; unde fiat, ut vacare ſuo muneri nequeant. Itaque qui huic ara-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tro manum admoverit, is retrorſum ſpectare non debet, ſed viles curas aliis relinquere, atque id unicè agere, quod præ manibus habet, atque ad regnum Dei ſpectat. Loquimur autem de eo, quod in noſtra eſt poteſtate. Neceſſitas enim legem non habet. Quanquam ita rurſus ſtatuendum eſt, Epiſcopum Eccleſiæ imprimis eſſe debere ſua ſorte contentum, atque ad naturam vivere, quæ paucis indiget, & cum Apoſtolo diſcere *rebus præſentibus acquieſcere, & tum humiliari, tum abundare, tum ſaturari, tum eſurire, tum deficere*: Phil. 4. 12. Hoc animo qui eſt, is haud facile implicabitur vitæ hujus negotiis, quibus à ſanctiſſimo ſuo munere avocetur. Tertio, ad hanc diligentiam requiritur, ut vigilet, ſemperque intentus ſit gregi, videat, quid rerum gerat, num quid periculi ei immineat, num peſtis aliqua aut contagio vitiorum, aut falſæ corruptæque doctrinæ ſit metuenda. Qua de cauſa Paulus monet Seniores Epheſinos Act. 20. 20: *Attendite vobis ipſis, & toti gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*, commemoratque poſtea imminentia pericula à ſeductoribus. Atque iterum ℣. 31, *Quapropter vigilate, memores, quòd per triennium non ceſſaverim cum lachrymis erudire nnumquemque*, vel admonere. Et 2 Cor. 4. 5: *Tu autem vigila in omnibus, labora, fac opus Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.*

Tertium præceptum eſt, ne imperium ſibi arroget aut dominium in Eccleſiam; quod Petrus imprimis inculcat dicto ſuperius loco ℣. 3: cum ait; *Neque dominantes cleris*, ſeu ſortibus, hoc eſt, Eccleſiis, quæ ſunt inſtar hæreditatis Dei ac Chriſti. Nam quia hæreditates ſorte olim ſolebant diſtribui, ideo ſors pro hæreditate ſumi ſolet. Itaque in voce hac eſt veluti ratio quædam, cur dominari Presbyteri fidelibus non debeant: quia fideles ſunt peculium Domini, & non res ipſorum Seniorum propriæ, ſeu mancipia quædam; ideò non pro libitu cum iis agere Senioribus licet, ſed ex Dei Chriſtique præſcripto. Habent quidem Seniores auctoritatem quandam in alios; ſed non imperium, dominium, aut poteſtatem propriè dictam. Dominatus autem ille, de quo Petrus loquitur, duobus potiſſimum modis exercetur: Primo ſi quis audeat pro arbitrio ſuo quidvis imperare Eccleſiæ, aut aliquibus, qui ſunt in Eccleſia, & ſic conſcientiæ illorum jugum imponat à Deo non impoſitum: nam hoc non competit, niſi illi, qui dominus eſt illorum verus ac proprius, quibus præcipit. Alter modus eſt, cum quis imperioſe agit cum iis, quibus præeſt, & nimis rigide ac duriter eos tractat, eoſque pro arbitrio objurgare aut etiam conviciari illis audet.

Hactenus generalia vidimus præcepta ad regendam Eccleſiam ſpectantia; ſequuntur aliquanto ſpecialiora, hoc eſt, ea, quæ ſpecialia Paſtorum officia ad regendam Eccleſiam pertinentia in ſe complectuntur. Ea vero ad quatuor hæc genera reduci poſſunt: Primo enim curandum eſt Paſtori, ut ſalutaris doctrina in Eccleſia retineatur: Secundo, ut mores etiam omnium doctrinæ ſint conſentanei: Tertio, ut miniſteria Eccleſiæ neceſſaria conſtituantur, eaque dignis hominibus, atque ad eam rem aptis demandentur, & ut ii rebus neceſſariis inſtruantur: quin etiam ut omnia in Eccleſia ac publicis conventibus ordine ac decore fiant. Denique illud quoque addi poteſt, ut ſi qui ſint puſillanimes ac ſolatii in Eccleſia indigentes, eos erigat Epiſcopus.

Quod ad primum attinet, eò referri poſſunt illa, quæ ſcripta ſunt 1 Tim. 1. 3 & ſeqq. cap. 4. 7. cap. 6. 3 & ſeqq. 2 Tim. 2. 16, 23. Tit. 1. ℣. 14. cap. 3. 9, 10. Omnia autem eò redeunt, ut curent Paſtores, ii præſertim, qui autoritate præ cæteris valent, ut doctrinæ omnes, quæ in Eccleſia proponuntur, pertineant ad ædificationem illam, quæ eſt in fide, faciantque ad ingenerandam hominibus charitatem ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata. Doctrinæ vero ab his diverſæ, ſive fabulæ inutiles, ſive ſententiæ pernicioſæ, ne populo Chriſtiano proponantur, eaſque etiam populus Chriſtianus non audiat: quæſtiones inutiles, ac λογομαχίαι, ex quibus contentiones oriri ſolent, ne ſerantur aut excitentur: hæreſes imprimis ut coërceantur, & ex Eccleſia exſtirpentur, &, ſi quæ forte oriatur, ut ei maturè occurratur; Hæretici vero homines poſt unam atque alteram admonitionem vitentur.

Quod attinet ad ſecundum, id in duas iterum partes dividi poteſt; partim enim ante factum, partim etiam poſt factum aliorum hac in parte laborandum eſt Epiſcopo, ut mores omnium doctrinæ Chriſti ſint conſentanei. Ante factum locum habet adhortatio, eaque vel in genere facta, ſeu ad omnes, qui ſunt in Eccleſia, vel ſaltem ad certum hominum in Eccleſia exiſtentium genus directa, vel in ſpecie ad ſingulos, aut ſaltem ad omnes in ſingulari aliquo negotio, aut certo tempore. Quanquam de priori tum imprimis erit dicendum, ubi de doctoribus, ſeu iis, qui laborant in ſermone, præcepta trademus. Quod ad poſteriorem adhortandi modum attinet, qui huc magis ſpectat, diligenter videndum eſt, an qui ſint in Eccleſia in officio faciendo paulo fortaſſe ſegniores, aut adhuc infirmi, & an quippiam aliquanto magis arduum cuipiam ſit ſuſcipiendum, à quo facile poſſet abſterreri: tunc enim imprimis hortandi ſunt homines, & calcaria ipſis addenda. Quanquam etiam ſponte ſua currentibus ea interdum admovere non tantum nil obeſt, ſed etiam prodeſt plurimum. Hoc officium inter alia commendatur Timotheo 2 Tim. 4. ℣. 2. quin etiam aliis Eccleſiæ Epiſcopis demandatum intelligitur ex Epiſt. ad Tit. 1. 9. Deinde in adhortatione ipſa adhibenda eſt gravitas: itaque ea & verborum & actionis quadam cum ſeveritate eſt inculcanda, ut appareat, te rem ſeriam agere, ne forte ob id ipſum admonitio contemnatur, quia perfunctorie aut minus graviter eam proponas: id quod voluit Apoſtolus, ad Tit. 2. 15: ubi cum præſcripſiſſet, hominum Chriſtianorum officia, partim ſpecialia, partim etiam generalia, ſubjecit, *Hæc loquere, & adhortare, & argue cum omni imperio*, hoc eſt, ſevere hæc inculca, & facienda præcipe, additque: *Nemo te contemnat*, hoc eſt, ita te hac in parte gere, ne quis admonitiones tuas contemnere audeat. Tertio, danda eſt opera, ut orationem & illius, cum quo agis, & tuæ perſonæ accommodes; id quod ex parte præcipit Apoſtolus Timotheo 1 Epiſt. 5. initio, ubi ait: *Seniorem* (intellige eum, qui natu eſt grandior) *ne increpes, ſed adhortare tanquam Patrem, juniores tanquam fratres, ſeniores fæminas tanquam Matres, juniores tanquam ſorores in omni caſtitate*, hoc eſt, ne ullum libidinis aut improbæ cupiditatis ſignum aut indicium præbeas, eamve in animo tuo excitari patiaris, quando cum junioribus fæminis ſermo tibi eſt; ſed & ſermo, & geſtus, & vultus omnis, totiuſque corporis habitus atque imprimis animus ſit ad caſtitatem ac pudorem compoſitus. Quanquam hæc præcepta, præſertim quod attinet ad priora, ſint accommodata ad perſonam Timothei, qui adhuc juvenis erat. Quod ſi Epiſcopus ipſe ſit ſenior, cum ſenioribus tanquam cum fratribus agere debet, cum junioribus tanquam Pater, eodemque modo reliquas perſonarum conditiones, quarum eſt habenda ratio, obſervare debet, ita ut ſingulis convenientem honorem exhibeat. Aliter enim magiſtratum ſuum adhortari debet; aliter quemvis alium de plebe. Quanquam enim plebejum hominem nunquam contemtim tractare debet, & προσωποληψίαν illam admittere, de qua Jacobus cap. 2: tamen majori reverentia utendum eſt, quando cum Magiſtratu eſt negotium, quam tum, cum res eſt cum alio quovis, licet quod ad officium ipſum attinet, tam adhortandus eſt magiſtratus, quam quivis alius. Quatenus enim æquales ſunt inter ſe omnes, iiſdemque legibus ſubjecti, eatenus æqualiter tractandi ſunt: quatenus diverſa eſt eorum ratio, etiam ex ipſius Dei voluntate, eatenus diverſimode.

Hæc de eo, quid faciendum ſit ante aliorum factum: nunc videndum eſt, quid poſt factum. Hoc vero iterum duplicis eſt generis. Vel enim bene ſeſe geſſerunt ii, quorum vitam regit Epiſcopus: vel rumor eſt,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aut indicium aliquod, eos male ſeſe geſſiſſe. Circa prius, vix eſt quod faciat Epiſcopus, præter id, quod jam vidimus, nempe ut ad ſimilia facta, aut etiam majora ac præclariora eoſdem adhortetur; quam ad rem laudes nonnunquam aliquæ, verum prudenter ac moderate admodum adhibitæ nonnihil faciunt: quo pacto videmus etiam Apoſtolos nonnulla Eccleſiarum aut perſonarum aliquarum facta laudare. Dixi autem moderate ac prudenter id eſſe faciendum; quia alii immoderatis laudibus, alii quibuſvis intumeſcunt, & cum ſe ſat bonos ſibi eſſe perſuadeant, ad altiorem pietatis gradum non contendunt. Nemo enim eo adſpirat, quo ſe jam perveniſſe arbitratur. Itaque hoc Paſtori cavendum eſt, &, ſi quid ejuſmodi prævideat, laudes vel penitus omittendæ, vel (quod ſemper videtur eſſe faciendum) cum adhortationibus miſcendæ, monendumque ad altiora adhuc eſſe contendendum, & priſtina facta, quantumvis præclara, nil prodeſſe, niſi cætera quoque illis reſpondeant: quo pacto videmus agere Apoſtolum cum Theſſalonicenſibus, quos non uno loco vehementer laudat; 1 Theſſ. 1. 6. & 2. 13, 19. & 4. 10. Quod ſi autem vel rumor vel indicium ſit, eſſe aliquos, qui officio ſuo non fuerint functi; vel res eſt in confeſſo & aperta, vel dubia poteſt videri, ita ut inquiſitione aliqua ſit opus. Si dubia videri queat, inquiſitio eſt facienda, & cognitio ac judicium quoddam inſtituendum, in quo vel teſtibus, vel aliis argumentis convincendus eſt is, qui peccaſſe arguitur, ſi rem ipſe diffiteatur. Quo loco obſervandum eſt, tum adverſus quos & quando accuſatio ſit admittenda, tum quomodo inquiſitio aut judicium inſtituendum. Quod ad prius attinet, id notandum eſt, quod Apoſtolus monuit 1 Tim. 5. 19: ne contra ſeniorem admittatur accuſatio, niſi adſint duo aut tres teſtes, qui rem confirment; quod præceptum diligenter conſiderandum eſt, ne in alterutram partem hîc peccetur, & vel nimium parcatur Senioribus, vel etiam id eis adimatur, quod illis eſt tribuendum. Eſt autem in eo imprimis difficultas, quod cum ex aliis ſacrarum literarum locis conſtet, ne adverſus vulgarem quidem fratrem ſeu auditorem unius valere teſtimonium, ſed neceſſe eſſe, ut minimum duo ſint, qui adverſus eum teſtimonium dicant, vel nihil hîc peculiare tribuatur Senioribus (quod tamen omnino velle videtur Apoſtolus) vel ſi aliquid peculiare, ac cæteris, qui ſunt in Eccleſia, haudquaquam commune, iis tribuitur, id nihil aliud eſſe poſſit, quam ne audiendos illos quidem eſſe, qui aliquid adverſus ſeniorem adferunt ad quempiam, quod duorum teſtimonio confirmari nequeat, nec eo nomine etiam privatim conveniendum aut admonendum eſſe illum ſeniorem, ut ut tandem fidem ei rei non adhibeas. Verum huc devenire nil eſt neceſſe. Nihilominus enim diſcrimen inter Seniores alioſque auditores hoc conſtitui poteſt, quod non ſit permittendum, ut quiſpiam Seniorem ſeu Paſtorem vel in Eccleſia, vel coram aliorum ſeniorum conſeſſu accuſet, & in Eccleſiaſtico judicio cum eo diſceptet, niſi duo aut tres adſint teſtes: adverſus alium autem ſaltem admitti poteſt accuſatio, non quidem eatenus, ut illi fides habeatur, etiamſi non adſint duo teſtes, (hoc enim aliis Scripturæ Sacræ dictis adverſatur) ſed hactenus, ut ſi res videatur eſſe tanti, vel coram univerſa Eccleſia, vel coram conſeſſu Seniorum liceat cum illo agere, eumque accuſare, & videre, utrum forte aliquibus indiciis aut confeſſione adverſæ partis veritas poſſit explorari, & ei ſatis fieri, qui accuſavit; id quod adverſus Seniorem non licet, ad autoritatem illorum, in qua multum eſt ad regendam Eccleſiam momenti ſitum, tuendam, & famam eorum ſartam tectam conſervandam. Nam de re aliqua, præſertim non levi accuſatum, ab aliis viris cordatis auditum eſſe, integritatem hujuſmodi hominis in dubium vocare poteſt, quæ tanta in ſeniore eſſe debebat, ut fama etiam de eo aliquid mentiri metuere debuiſſe videatur. At vero prohibere, ne quis privatim moneat ſeniorem de re aliqua, quam ab uno quopiam audierit, quæque fortaſſe inter plures jam ſit ſparſa, id nihil aliud eſſet, quam prohibere, ne famæ aut ſaluti ipſius conſulatur. Nam ſi quid veri ſubſit, vehementer prodeſt ipſum moneri, ut ſeſe emendet, & à peccato impoſterum abſtineat; id quod non tantum ad ſalutem ipſius, ſed etiam ad gloriam divinam ab omni labe vindicandum plurimum facit. Si vero ea, quæ ad quempiam delata ſunt, falſa fictaque ſunt omnino, utile eſt audire ipſius confeſſionem, quo ipſum à calumniis vindicare, & famam ejus tutari poſſis. Interea tamen ea eſt utendum hac in parte prudentia, ne facile quippiam credas, aut ſuſpicionem ex levi rumore, aut unius hominis teſtimonio de Seniore, cujus ſingularis debet eſſe pietas, in animo tuo patiaris enaſci: itaque te geras, ut calumniatores ſentiant non facile te ipſis præbere aures, nec dicta ſua fidem apud te repertura; quin etiam monendi ſunt ii, qui aliquid deferunt, ne vel ipſi quicquam adverſum innocentem confingant, vel aliis quippiam mali aſſerentibus temerè fidem adhibeant. Altius nempe ſedere debet in animis noſtris opinio de Senioris alicujus virtute, præſertim ſatis jam diuque ſpectata, quam ut levi aliqua rumoris aura labefactari ac convelli queat.

Hactenus de priori; ſequitur poſterius, ubi videndum eſt, quid agendum ſit, cum ad judicium ipſum aut cognitionem cauſæ perventum fuerit: res autem ex judiciorum æquorum conſuetudine facile patet. Audienda nempe eſt accuſatio, ejuſque teſtimonia aut argumenta, quibus nititur, tum quid altera pars, quæ accuſatur, reſpondeat; quæ quidem aut fatebitur factum, & vel id defendet tanquam rectè factum, vel peccaſſe ſe fatebitur, aut factum negabit, & argumenta in contrarium allata vel teſtimonia diluere conabitur. Quanquam adverſus duos oculatos teſtes nulla valet excuſatio, niſi forte apertum poſſit proferri argumentum, quo falſi convincantur teſtes, vel doceatur, illos in errorem inductos & deceptos re aliqua fuiſſe; qua de cauſſa tunc oculati teſtes vix dici merentur. Cæteroqui ubi fides teſtium non eſt ſuſpecta, & non eſt veriſimile, teſtes fuiſſe deceptos, ſed aperte rem comperiſſe credibile eſt; nihil eſt, quod quis ullo colore vim teſtimonii hujus conetur effugere, nec eſt, cur ii qui cauſæ cognitioni præſunt, rei verbis quippiam moveantur. Ubi autem hujuſmodi teſtimonia deſunt, ibi argumenta expendenda ſunt, & ſuo pondere examinanda, dandaque opera, ut eorum vi convictus is, qui accuſatur, verum fateatur. Quanquam ſi argumenta ſint (quatenus quidem res humanæ ferunt) neceſſaria, nihil moveri debent judices, etiamſi alter conſtanter rem perneget: quod ſi probabilia tantum, conſtans ejus, qui accuſatur, negatio, præſertim ſi illius fama alias ſit illibata, ſaltem ea in parte qua accuſatur, efficere poteſt ne penitus adverſus ipſum feratur ſententia, & omnino concludatur eum jure fuiſſe accuſatum. Eſt autem in tota hac re, ſeu judicio habendo, ac ferenda ſententia, triplex imprimis ſcopulus vitandus, quem Paulus Timotheo diligenter vitandum eſſe monſtrat, 1 Epiſt. 5. 21, 22. Primus eſt præjudicium; alter favor alterius partis ſeu προσωποληψία: tertius temeritas ſeu celeritas in judicando. Sunt autem evitandi hi ſcopuli, non in his tantum, de quibus nunc proprie agimus, judiciis, ubi de delicto tantum alterius agitur, ejuſque ſpectatur emendatio; Verum etiam in iis, in quibus aliæ inter fratres dirimuntur controverſiæ, de quibus loquitur Paulus 1 Corinth. 6. 5: quæ nunc per Seniores, nunc per alios fratres rerum hujuſmodi peritos exercentur. Nam ſi quis præjudicatam opinionem ad cognitionem cauſæ afferat, non ea æquitate ad alterius partis dicta rationeſque attendet: & ſane cum ſtrenua ſit in deteriorem partem ſuſpicio, ut vetus habet dictum, relinquenda eſt ſemper alteri parti auris altera, cum altera data ſit alteri. Deinde ut in omnibus judiciis, quemadmodum ſuo loco docuimus, ita etiam imprimis in Eccleſiaſticis, quæ ſanctiſſima atque æquiſſima eſſe omnium debent, perſonarum acceptio vitanda eſt. Denique

fugienda eſt celeritas : nam ut vetus habet dictum, ad pœnitendum properat, cito qui judicat. Ideo Apoſtolus priora duo, quæ ſæpè ſolent eſſe conjuncta, his verbis prohibuit, dum dicto loco ait : *obteſtor coram Deo & Domino Jeſu Chriſto, & electis Angelis, ut hæc* (inter ea vero eſt etiam modus admittendi accuſationes adverſus Seniores, & peccantium reprehenſio) *cuſtodias ſine præjudicio, nil faciens ſecundum inclinationem*, in alteram nempe partem. Tertium vero in alio negotiorum genere oſtendit Apoſtolus, dum ita ſtatim ſubjicit; *manus cito nemini impone, neque communices cum alienis peccatis*; cujus rei rationem videtur exprimere ℣. 24: (nam verſus 23 velut in parentheſi legendus eſt:) cum ait, *quorundam hominum peccata antea manifeſta ſunt, præcedentia in judicium, quoſdam vero etiam conſequuntur : ſimiliter etiam bona opera antea manifeſta ſunt*, (intellige nonnullorum hominum, vel nonnulla) *&, quæ aliter ſeſe habent, occultari non poſſunt*. Quo loco id videtur monere Apoſtolus ne Timotheus, cujus erat Eccleſiam Epheſi collectam conſtituere, & ordinare eos, qui eam regerent, cito quempiam ad Epiſcopi munus admitteret, & impoſitione manuum munus hoc ei demandaret publicè, idque ſolenni hac ceremonia confirmaret & ſanciret; ſed prius de moribus hominis, qui eligendus ſit, diligenter inquireret; ne forte ſi indignum ad id munus eligeret, culpæ alienæ poſtea fieret particeps. Nam etſi quorundam hominum peccata, quæ impedire queunt ne quis ad tam ſanctum munus admittatur, ſtatim pateant, antequam cognitio de illis inſtituatur, & inquiratur utrum illi hoc munere ſint digni nec ne : tamen non omnia ſunt hujuſmodi, ſed tum demum apparent, & in lucem producuntur, cum inquiſitio inſtituitur. Eodem modo etiam de virtutibus ſentiendum eſt. Quod autem in hac re monet Apoſtolus, id rectè ad omnia judiciorum genera, in quibus de re quapiam dubia quæſtio inſtituenda eſt, extenditur.

Huc uſque expendimus, quid faciendum ſit, cum delictum, quod defertur, adhuc eſt dubium : at quando res in confeſſo eſt, aut per legitimum judicium rei deprehenſa eſt veritas, reſtat cenſura & caſtigatio Eccleſiaſtica, quæ vel verbis peragitur, vel facto. Verbis quæ fit, ea reprehenſio eſt, & objurgatio; quam utramque conjungit Apoſtolus 2 Timoth. 4. 2, ubi monet, ut arguat Timotheus, hoc eſt, peccatorum alios convincat, eaque ipſa reprehendat & objurget : quod reprehenſionis genus eſt ſeverius, & aliquanto aſperius, & adverſus eos eſt uſurpandum, qui vel peccata ſua convicti agnoſcere nolunt, eaque defendunt, aut valde extenuant, vel alioqui contumacius ſe gerunt, atque ab iis deſiſtere nolunt. Nam qui ea ſtatim agnoſcunt, ſeipſos accuſant ac damnant, culpam deprecantur, aliiſque modis dolorem ſuum teſtantur, in eos verbis ſævire crudelitatis cujuſdam eſſe videtur; niſi forte delictum nimis ſit grave, & ſevera animadverſione dignum. Ubi tamen ſemper videndum eſt, ne ad deſperationem quandam deducantur, qui deliquerunt, ſed conſolatione erigantur. qua de re monet Apoſtolus 2 Corinth. 2. 6 & ſeqq. Atque hac in re diligenter ſunt diſcernenda hominum ingenia : alii enim, qui generoſioris ſunt animi, mollius tractari volunt, facilique reguntur fræno; alii vero, qui animò ſunt magis ſervili, calcaribus indigent, & nonniſi aſperitate quadam reprehenſionis & ſeveritate ad officium adiguntur. Epiſcopus autem eſt inſtar Medici, cujus officium eſt, ac voluntas ſemper eſſe debet, quocunque remedio ægrum ſanare, nec ſemper ea adhibere medicamenta, quæ per ſe ipſa ſunt omnium optima, ſed quæ cujuſque ingenio ac naturæ ſunt accommodatiſſima; ſalva interea lege charitatis ac manſuetudinis, quæ in Epiſcopo debet eſſe ſumma. Prudentiam talem præcipit Tito Apoſtolus, ubi cum dixiſſet Cretenſes, inter quos Titus verſabatur, ex gentilis ſui teſtimonio, ſemper eſſe mendaces, malas beſtias, ventres pigros, addit : *quam ob cauſam argue eos ſevere*. Verumtamen ſeveritas hæc, quemadmodum jam monuimus, primum charitate ac bonitate temperanda eſt, quemadmodum monuit Apoſtolus ad Gal. 6, initio : deinde admiſcenda ſemper eſt doctrina, quemadmodum idem Apoſtolus monuit dicto ſuperius loco 2 Tim. 4. 2: ubi ait, *argue, reprehende, exhortare cum omni longanimitate & doctrina*. Quæ poſtrema verba non tantum ad id, quod proxime præcedit, nempe ad exhortationem, verum etiam ad ſuperiora, hoc eſt, ad redargutionem, ſeu reprehenſionem & objurgationem, ſunt referenda, quemadmodum imprimis vox longanimitatis indicat, quæ id poſtulat, ne contumacia aliorum delictorumque frequentia, de animi lenitate dejiciaris, & ſtudium tuum patiaris frangi ac labefactari, ſed rem cæptam conſtanter & cum ſingulari manſuetudine urgeas; adhibita doctrina, hoc eſt, ut non tantum fervore utaris in reprehenſione, objurgationibus aut admonitione, ſed rationes ſemper, præſertim ubi ullo modo res id poſtulat, dictorum tuorum afferas, & jure à te reprehendi oſtendas quod reprehendis, aut moneri quod mones. Nam doctrina quidem ſine fervore minus eſt efficax, ac friget apud auditores : fervor autem ſine doctrina & ratione, primo quidem impetu valere videtur, ſed minus habet impoſterum efficaciæ, cum aculeos altius in animos defigere nequeat, ubi rationum acumen ac pondus deeſt. At ubi utrumque conſpirat, adhibeturque moderatio ea, quam diximus, neceſſe eſt deploratum eum eſſe, qui non moveatur. Eſt autem præterea conſiderandum illud, coram quibus ii, qui peccaſſe deprehenſi ſunt, ſint reprehendendi aut objurgandi : alii enim privatim, alii coram pluribus, alii denique coram omnibus ſunt reprehendendi. Privatim ab Epiſcopo ſunt reprehendendi ii, quorum peccata adhuc ſunt occulta, aut ſine dedecore ac infamia, vel alio aliquo periculo, ad plures deferri vix poſſent, aut qui ſemel forte tantum, vel ſaltem non admodum ſæpe peccaſſe deprehenſi ſunt, aut adhuc ſunt infirmiores, qui ſi ſeverius cum iis ageres, aut pudorem coram pluribus iis incuteres, à veritate fortaſſe abſterrerentur, animumque deſponderent, aut graviter irritarentur. Sanare enim (ut jam ſæpe diximus) vult Epiſcopus morbum, non exaſperare : itaque omnibus fit omnia, modo omnes poſſit transformare in Chriſto. Coram pluribus vero reprehendendi ſunt ii, quorum delictum pluribus innotuit, & qui ſi abſque arbitris reprehenderentur, videri quibuſdam poſſes, iis nimium parcere, aut qui ſæpius moniti privatim, perrexerunt tamen in peccando, aut privatim jam moniti delictum agnoſcere & reſipiſcere noluerunt; denique qui autoritate plurium forte magis moverentur, quam ſermonibus unius. Denique coram omnibus arguendi atque reprehendendi ſunt tum ii, quorum delicta omnibus publicè conſtant, tum qui à paucioribus moniti reſipiſcere noluerunt. Nam per gradus hac in parte eundum eſt, quemadmodum Chriſtus docet faciendum tum, cum frater à fratre læſus eſt, ut habetur Matth. 18. Quin coram omnibus arguendi ſunt Seniores, qui duorum aut trium teſtimonio convicti peccaſſe ſunt deprehenſi, ut tantò magis cæteri metuant; qua de re Apoſtolus 1 Tim. 5. 19: ubi cum dixiſſet, *contra Seniorem accuſationem ne recipe, præter quam in duobus aut tribus teſtibus*; addit, *peccantes*, hoc eſt, eos, quos peccaſſe hoc pacto deprehenderis, *coram omnibus argue, ut etiam cæteri metum habeant*. Conſulendum enim eſt his in rebus, partim iis qui deliquerunt, partim aliis, iis imprimis, qui ſunt in Eccleſia, ac per eos gloriæ divinæ : illis quidem, ut ſanentur, his verò, ne peccantium exemplo, præſertim magnorum in Eccleſia virorum, corrumpantur, & ut ſcandala ex Chriſtiano cœtu tollantur, nomenque Domini ac Dei ſermo ne blaſphemetur. Hæc autem omnia regere debet charitas & prudentia. Charitas id ſpectat, ut velis aliis quam maxime prodeſſe : Prudentia, ut poſſis, aut qua ratione optime poſſis. Itaque diligenti trutina penſitandum eſt, utrum alieno pudori conſulendum magis eſt, an verò alienæ ædificationi?

Hacte-

Hactenus de animadverſione, quæ verbis peragitur: ſequitur ea, quæ factis. Ea conſiſtit in excluſione peccantium à conſortio ac commercio aliorum; (qua de re dictum eſt à nobis nonnihil ibi, ubi de concordia ſeu pacis ſtudio egimus:) qua in re tamen cerni poſſunt gradus pro modo delictorum, & ratione ædificationis, utilitatiſque publicæ adhibendi. Ea vero res non quidem eſt penitus in poteſtate Paſtorum ſeu Epiſcoporum, ſed Eccleſiæ totius potius; veruntamen in ea Paſtores reliquis præire debent, & autores eſſe ad id faciendum, quod facere convenit. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod delecti ab Eccleſia Seniores poſſint illius nomine judicia decernere, aliquidque ſtatuere in quoſdam, quod ab Eccleſia ratum habeatur, nec reſcindi debeat, niſi forte is, qui ſeniorum cenſura notatur, ad totius Eccleſiæ judicium provocet, ſeque injuria affectum putet. Nam ſi Seniores ipſi poſſint nonnunquam integram Eccleſiam conſtituere, & judicio ac pietate præ cæteris excellant; nemo eſt ita durus, qui dubitet, illos eo quo dictum eſt modo, Eccleſiæ nomine judicare poſſe, idque nonnunquam in negotiis quibuſdam, quæ celare quam publice agere conſultius eſt, faciendum videtur. Eſt autem ad hæc omnia valde neceſſaria patientia, ut norit Paſtor ferre moroſitates auditorum, qui ab ipſo reprehenduntur aut monentur; quin etiam, ut norit patienter ferre injurias ab hominibus malis ac contumacibus ſibi illatas: quod inſignitè monet Apoſtolus 2 Tim. 2.24, ubi ait: *Servum autem Domini non oportet pugnare, ſed manſuetum* ſeu placidum *eſſe erga omnes, aptum* (ſeu mavis, propenſum) *ad docendum, malorum* (ſcil. hominum) *tolerantem, cum lenitate erudientem eos, qui ſeſe opponunt.* Neque enim dubium, quin ut veritas odium ſolet parere, is, qui aliorum vitia tanquam ulcera quædam tangit, eaque exſcindere laborat, in eorum offenſionem facile ſit incurſurus, & crabrones (quod ajunt) irritaturus. Quare neceſſe eſt, ut ad eorum odia, convitia, calumnias, aliaque injuriarum genera patienter ſuſtinenda ſeſe præparet. Et ſane ſi ipſe Epiſcopus irritari ſe patiatur, & verbis fortaſſe durioribus aut minacibus excipiat eum, quem ad frugem revocare debebat, aut convitia pro convitiis regerat, tantum abeſt, ut quicquam ſit profecturus, ut potius morbum alterius ſit exaſperaturus hoc pacto, ſibique viam ſit ad illius correctionem impoſterum præcluſurus, effecturuſque, ut illius admonitiones, non tanquam à divino Spiritu, aut recto judicio, ſed tanquam ab affectu immodico profectæ accipiantur.

Hactenus de ſecundo Epiſcopi officio egimus ad regendam Eccleſiam pertinente. Sequitur tertium, quod duplex iterum ſupra eſſe indicavimus. Altera enim illius pars eò pertinet, ut curet Eccleſiæ Paſtor, quo Seniores & Diaconi, vel etiam, ubi id uſus recepit, Diaconiſſæ conſtituantur, ac rebus neceſſariis inſtruantur, & ut Senioribus conveniens honor exhibeatur: qua de re non pauca in Epiſtolis ad Timotheum & Titum leguntur. Altera pars eò ſpectat, ut curet omnia ea, quæ in Eccleſia fiunt, ordine ac decenter peragi; hoc eſt, doceatur, quando oportet, & quantum neceſſe eſt, precès habeantur, aliaque peragantur, quæ ſupra enumeravimus, cum de iis præcepimus officiis, quæ ad univerſam Eccleſiam ſpectant. Nam, ut Paulus docet 1 Corinth. 14. ỷ. ult. *Omnia in Eccleſia debent fieri decore & ſecundum ordinem*, evitandaque confuſio, quam averſatur Deus: ibid. ỷ. 33: id autem curare nemini magis incumbit, quam ei, qui Eccleſiam regit ac moderatur, hoc eſt, Paſtori ac Epiſcopo.

Quartum officium conſtituimus, conſolari puſillanimes; quod licet omnibus Chriſtianis ſit commune, ut apparet ex 1 Theſſ. 5. 14: tamen eos imprimis decet, qui aliis præſunt, & ſapientia prudentiaque præ cæteris eminent. Puſillanimes autem ii, de quibus loquitur Apoſtolus, duplicis conſtitui poſſunt generis, pro duplicis puſillanimitatis iſtius cauſis: alii enim animum deſpondent ob peccata à ſe admiſſa; alii ob afflictiones, præſertim graviores, ſive juſtitiæ cauſa, ſive alia ratione incumbentes. Utriſque convenientia fomenta ſunt adhibenda: illis ne deſperent; his ne veritatem abjiciant, aut alioqui impatientia ſua Deum offendant.

Hactenus duplex officiorum genus ad Epiſcopatum pertinentium ſatis ſumus exſequuti. De Tertio acturi cap. ſequenti. Quarti partem priorem, quæ in precibus pro Eccleſia fundendis conſiſtit, fuſius explicare nil attinet: iſtud tamen moneri poteſt, diligenter videndum eſſe Paſtori, qua re vel univerſæ Eccleſiæ, vel certis ejus membris ſit opus, eaque perſpecta, tum univerſis, tum ſingulis id eſſe à Deo flagitandum, quo tantopere indigeant. Quod attinet ad poſteriorem illius officii partem, quam in eo collocavimus, quod animam etiam ſuam impendere debeat Eccleſiæ Paſtor pro ovibus ſibi concreditis, id fuſiore explicatione itidem opus non habet, cognitis iis, quæ partim de charitate, partim de fortitudine Chriſtiana ſuperius diximus; quæ utraque id exigit, ut ſi alterius ſalus periclitetur, ei etiam cum vitæ diſcrimine ſuccurras. Id tantum hîc animadvertere licet, an ſemper, cum Eccleſiæ periculum aliquod imminet, Paſtori ita ſit ſubſiſtendum, ut ab Eccleſia non diſcedat. Nam fugere timiditatis eſſe videtur, & ejus, qui mercenarii inſtar lupum venientem videns fugiat; ſemper vero ſubſiſtere, temeritatis. Quare ita videtur controverſia hæc dirimenda, ut ſtatuamus tum haud eſſe Paſtori ab Eccleſia diſcedendum, etiam mortis periculo propoſito, ſi videat periclitaturam ſalutem vel totius Eccleſiæ, vel aliquorum ejus membrorum; cui rei ipſe, ſi adſit, medicinam aliquam poſſit adhibere, & aliquorum ſaltem animas, periculo conſtantiaque ſua redimere. At ſi id metuendum non ſit, & ii, qui Eccleſiæ imminent, paſtorum revera vitæ primo inſidiantur, vel nullo vel exiguo ſaltem in præſens auditorum periculo: poteſt Eccleſiæ Paſtor ſalvo officio, imo etiam debet vitare periculum fuga, cum poſſit aliquando ad Eccleſiam redire, aut alius aliquando in illius locum ſubſtitui, aut ipſe alibi divinæ gloriæ plus prodeſſe. Et ſane vel ipſorum Apoſtolorum exemplo edoceri poſſumus, eos imminenti periculo fuga ſe ſubduxiſſe, & ab Eccleſia, quam collegerant, diſceſſiſſe: quin etiam id facere ab ipſo Chriſto eſſe juſſos. Exempla habes Pauli Act. 9. 23. & ſeqq. & Petri cap. 12. 17. Præceptum autem Chriſti extat Matth. 10. 23: ne de Chriſto nunc quicquam dicamus, qui imminentibus ſæpè periculis ſeſe ſubduxit, ut ex Euangeliſtis patet.

CAP. IV.

De officio Doctorum: ubi ſimul de precibus in Eccleſia concipiendis.

DOctorum vox, ut vel ex cap. 2 liquere poteſt, ambigua eſt: nunc enim ſignificat eos homines, qui munus ſuſtinent quacunque in re, ſive ad ſcientiam, ſive ad mores pertinente, alios erudiendi, ita ut etiam ii hoc nomine comprehendantur, qui alias hortatores ab Apoſtolo appellantur, & à doctoribus diſtinguuntur. Altera ſignificatio ſtrictior eſt, qua fit, ut Doctores ab hortatoribus diſtinguantur eo pacto, quo dicto cap. 2 eſt explicatum. Quanquam in voce doctrinæ aut docendi adhuc tertia ſignificatio deprehendi poteſt, eaque omnium ſtrictiſſima, cum ſumitur pro explicatione veritatis circa rem aliquam, ſeu myſterium partemve Chriſtianæ religionis, non ad mores, ſed ad intellectum pertinentem, diſtincta à refutatione errorum: quomodo ſumitur hoc nomen 2 Timoth. 3. ỷ. 16: ut infra videbimus. Quare prima vocis ſignificatio latiſſima eſt: altera ſtricta ac minus latè patens: tertia ſtrictiſſima. Loquimur autem (ut cuivis apparet) de doctrina ſana, & ad religionem pertinente, non etiam de prophana. Hoc loco doctores in prima ſignificatione potiſſimum ſumimus; quorum officium cum explicabimus, & partes illius muneris perſequemur, ſimul etiam docebimus, quod ſit officium eorum doctorum, qui ab hortatoribus diſtinguuntur. Quia vero ita uſu eſt receptum, idque non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſine ratione, ut iidem, qui in Eccleſia docent, & verbo præeunt, præeant etiam Eccleſiæ in precibus: ideo de hoc etiam Doctorum munere, quod tamen quibuſvis Senioribus poteſt eſſe commune, nonnihil addemus, & ſic duo doctorum munera conſtituemus: alterum id, unde doctorum nomen ſunt ſortiti, ſeu docendi: alterum, precandi. Atque hæc duo videntur conjungere Apoſtoli, Act, 6: ubi rationem reddentes, cur non poſſint, neque adeò etiam debeant inſervire menſis, & neceſſitates curare fidelium ad hanc vitam pertinentes, ℣. 4 ita loquuntur, *nos autem in precibus, & miniſterio ſermonis perdurabimus*, licet ſuperius ℣. 2, tantum ſermonis divini, cui vacare ipſorum ſit muneris, meminiſſent. Admodum enim veriſimile eſt, per preces eo in loco non privatas precationes, licet pro Eccleſiæ ſalute conceptas, intelligi, ſed publicas, in quibus Apoſtoli procul omni dubio præibant Eccleſiæ, quæque cum verbi divini prædicatione conjungi & ſolebant, & debebant; licet interea haud negemus, poſſe id etiam de alio precum genere, hoc eſt, de ſupplicationibus privatis pro Eccleſiæ ſalute, & divinæ gloriæ promotione conceptis intelligi: quo pacto eæ non magis ad doctorum, quam ad univerſum Seniorum officium pertinebunt: quanquam & omnibus alias Chriſtianis debeant eſſe communes. Sed jam tempus eſt, ut de priori tractationis capite agamus, & docendi munus explicemus.

Sunt autem nobis tria de toto hoc negotio explicanda: Primo, quid ſit docendum ei, qui hoc munere fungitur, quæque ſint illius doctrinæ partes, vel ſi mavis certi veluti ſcopi, ad quos orationem ſuam referre debeat. Secundo, quomodo ſe ad functionem muneris ſui, ſeu ad docendum præparare debeat. Tertio denique, quomodo ea, quæ generatim novit eſſe docenda auditoribus, ſeu iis, quos erudiendos ſuſcepit, applicare debeat, quaque ratione aut diligentia hac in parte ſit illi utendum.

Quod ad primum attinet, generatim quidem quid proponendum ſit Eccleſiæ Doctori diximus ſuperiori Capite, ubi explicuimus quo pacto curandum ſit Eccleſiæ Paſtori, ut doctrina ſana in Eccleſia retineatur. Oſtendimus enim, quænam ſit illa doctrina ſana; ea nempe, quæ viam æternæ ſalutis explicat, atque ad fidem ac pietatem, cujus maxima pars eſt charitas, hominibus inferendam eſt efficax. Hujuſmodi autem doctrina nunc in duas, nunc in plures partes diſtinguitur: & in duas quidem duplici iterum ratione, primò in doctrinam, & adhortationem; de qua diſtinctione diximus ſupra, & illam quidem ad cognitionem, hanc ad mores, ſeu, ut alii loquuntur, illam ad fidem, hanc ad vitam; illam ad intellectum, hanc ad voluntatem reformandam ſpectare aſſeruimus. Deinde diſtinguitur in exhortationem, quæ fit per doctrinam ſanam, & in redargutionem eorum, qui contradicunt: Ita enim Paulus ad Titum 1. ℣. 9, de requiſitis Epiſcoporum diſſerens, ait, *eum debere tenacem eſſe fidelis illius ſermonis, qui ſit ſecundum doctrinam*, nempe Evangelicam, *ut poſſit & adhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere*: ubi vox *adhortandi* non tantum videtur ſignificare id, quod alias ſolet, nempe ad virtutes Chriſtianas excitare quempiam, aut, quæ ſint officii uniuſcujuſque partes, præſcribere; ſed ſumi pro erudire quempiam, & inculcare ei, ſive id, quod ſciendum ac credendum, ſive id, quod faciendum eſt: & tum convincere contradicentes erit, quoſvis, qui errorem aliquem defendunt, & veritatem divinam oppugnant, redarguere, eiſque errorem demonſtrare. Quanquam alias poſſet verbum *adhortandi* ſtrictius & ſic magis proprie ſumi, atque ita per *contradicentes* intelligerentur ii, qui cum officium ſuum facere nolint, variis ſeſe modis defendunt, & monitoribus ſuis reſiſtunt. Sed prius illud ſequentibus magis conſentaneum eſt. Verumtamen alibi Apoſtolus in quatuor partes diſtinguit ea, quæ doctor Eccleſiæ proponere iis debet, cum quibus illi res eſt, ut colligitur ex loco 2 Tim. 3. 16. Ubi fines illos, ad quos utilis ſit doctrina, enumerat, quorum primum conſtituit doctrinam, alterum redargutionem, tertium correctionem, quartum diſciplinam illam, quæ in juſtitia: ubi doctrinam eo modo ſumtam, ut in priori ex bipartitis illis diviſionibus accepta fuit, in duo membra diſtribuit, nempe in doctrinam ſtrictiſſime ſumtam, quæ veritatem explicat abſque errorum refutatione, & in redargutionem ſeu refutationem errorum: Deinde adhortationem iterum in duo membra; nempe in correctionem, quæ malefacta reprehendit, & diſciplinam, ſeu inſtitutionem in juſtitia. Quæ ad virtutes Chriſtianas, omniſque generis pietatem hortatur. Quod ſi velis ad poſteriorem ex bipartitis illis diviſionibus hanc quadripartitam accommodare, tum adhortatio per ſanam doctrinam hæc duo complectetur, doctrinam & diciplinam eam, quæ in juſtitia: redargutio vero, redargutionem ſtrictius ſumptam, ſeu refutationem errorum non ad mores, ſed ad intellectum per ſe pertinentium, & correctionem, quæ in reprehenſione emendationeque peccatorum conſiſtit. Addi autem poterat his quatuor quintum membrum, nempe conſolatio, cujus meminit Paulus de fructu ſcripturæ ſacræ diſſerens Rom. 15. 4. Sed fortaſſis Apoſtolus dicto loco ad Timotheum conſolationem ad doctrinam, vel ad diſciplinam, quæ in juſtitia, retulit, vel partim ad hanc, partim ad illam. Hi ergo ſunt veluti generales quidam loci, aut, ſi mavis, ſcopi, ad quos omnia ſua dicta referre debet Eccleſiæ doctor.

His ita conſtitutis, videndum jam eſt alterum ex capitibus ſupra conſtitutis, hoc eſt, quomodo Eccleſiæ doctor ad muneris functionem ſeſe præparare debeat. Sunt autem duo ab Apoſtolo tradita præcepta, atque adeo duo media ad hanc rem facientia præſcripta, quorum alterum ex altero fere pendet. Primum eſt, quod extat 2 Timoth. 1. 13, ubi ait ὑποτύπωσιν *ſeu formam habe ſanorum ſermonum, quos à me didiciſti*, hoc eſt, animo complectere, & firmiter retine corpus quoddam doctrinæ, quam à me explicari audiviſti, omnibus ſuis partibus conſtantem, ſeu mavis delineationem quandam iſtius doctrinæ; ſenſus enim idem eſt. Secundum, ex illis præceptis, aut mediis eſt lectio aſſidua ſcripturæ ſacræ, quæ tum temporis ex libris Veteris Teſtamenti vel ſolis, vel propè ſolis conſtabat: de qua præcipit Apoſtolus 1 Timoth. 4. 13. & ſequentibus ubi ait, *donec venio, attende lectioni*. Et dicto ſuperius loco 2 Timoth. 3. 15, & ſequentibus, inſignem ejus lectionis fructum oſtendit, quem jam ex parte vidimus, qui quia eſt omnibus notus, ideo ejus verba non adducimus: qui quidem fructus hodie multo eſt inſignior extantibus tot Novi Fœderis præſtantiſſimis ſcriptis, in quibus Chriſti & Apoſtolorum doctrina exponitur, & variarum rerum ad religionem pertinentium illuſtria proponuntur exempla. Itaque olim lectio illa poterat augere, & aliqua ex parte illuſtrare cognitionem rerum divinarum, quas ab Apoſtolis, aliiſque divinis viris didiciſſes: hodie vero ipſam Chriſti & Apoſtolorum doctrinam exinde petere licet, imo certo & infallibiliter aliunde peti nequit. Quare antea innuimus, prius illud medium ex hoc poſteriori pendere, hoc eſt, Syſtema doctrinæ Euangelicæ, & Apoſtolicæ, ex lectione ſacrarum literarum peti poſſe. Quanquam non tantum nudæ illæ partes, ac (ut ita dicam) oſſa ac nervi doctrinæ Euangelicæ inde capiuntur; verum etiam carnes & reliqua, quæ ad corpus illud pertinent, & doctorem aptum reddunt ad omnes muneris ſui partes tanto rectius peragendas; ac non tantum ad ſimpliciter ſaluti æternæ neceſſaria, verum etiam ad utilia explicanda; ac præterea non tantum ad ea nudè proponenda, verum etiam variis modis illuſtranda, & aliis facilius inſtillanda inſtruunt. Quare lectioni huic ſacrarum literarum, earumque diligenti meditationi invigilandum eſt Eccleſiæ doctori, & ſacer codex manibus diurnis nocturniſque verſandus, adhibita aſſidua ardentique precatione, animoque ab affectibus & cupiditatibus defæcato, & nil aliud, quam Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gloriam ac ſuam aliorumque ſalutem anhelante ac quærente, ita ut quicquid ſacræ literæ doceant, quicquid præcipiant, id amplecti & opere exſequi, aliiſque diligenter inculcare ſit paratus. Non commemoro autem hîc linguarum artiumque neceſſaria adminicula, ſine quibus infeliciter in ſacrarum literarum ſtudiis verſabitur is, qui non tantum id agit, ut, quæ ſibi ſunt ad ſalutem neceſſaria, inde diſcat; ſed etiam ut tum hæc, tum alia ad ſalutem utilia inde percepta aliis proponat & explicet. Nam & ad eruendam ex ſacris literis veritatem non tantum neceſſariam, ſed etiam uſquequaque utilem ad ſalutem, varia requiruntur adminicula: varia etiam ad eandem commode, planè, & dextrè proponendam, & explicandam; quibus de rebus videri poteſt Epiſtola Socini ad And. Woydovium.

Sequitur, ut ad tertium tractationis noſtræ membrum accedamus, & videamus, quomodo Eccleſiæ doctor hoc ipſo ſuo munere fungi, &, quæ didicit, ad uſum aliorum referre, eoſque inſtruere debeat: ubi primum generalia quædam ſunt tradenda præcepta, deinde ſpecialiora. Et generalia quidem partim ad res ipſas proponendas, partim ad proponendi modum pertinent. Quod ad res ipſas attinet, hîc primum requiritur, ut fideliter doceat, nec quicquam eorum omittat, quæ aliis prodeſſe poſſunt, nil reticeat, aut mutilet, nil de ſuo adjiciat: quicquid autem ad lites potius excitandas, quam ad fidem pietatemque hominibus ingenerandam ſpectat, id diligentiſſimè vitet. Atque hac in re exemplo ſuo aliis præivit Apoſtolus, qui Act. 20 ait, ſe nil ſubterfugiſſe eorum, quæ conducerent, quo minus annunciaret Epheſiis, & doceret eos publicè ac privatim: *Non enim ſubterfugi*, (inquit ỷ. 27) *quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei*: qua de re leguntur etiam nonnulla in 2 Corinth. 4. 1, 2. Sed imprimis etiam huc pertinent ea, quæ ſcripſit 1 Corinth. 4. 2. Ubi ſeſe alioſque ſui ſimiles *diſpenſatores Myſteriorum Dei* vocat, additque, illud *requiri in œconomis, ut fidelis quiſpiam reperiatur*. Fidelitas autem id imprimis poſtulat, ne quid rerum neceſſariarum ulla de cauſa ſuffureris, aut metu aliquo vel impatientia ab officio te avocari patiaris. Referri etiam huc poſſunt illa 1 Pet. 4. 11: de quibus infra agemus. Deinde requiritur, ut diligenter expendat, quid cuique tempori, perſonæ, & loco maximè conveniat, & non ſemper ea, quæ per ſe maximè ſunt neceſſaria aut præclara, proponat, ſed interdum ea potius, quæ perſonis magis ſunt neceſſaria, aut temporibus magis conveniunt. Itaque ſi videat, certum eſſe aliquod doctrinæ Caput, in quo minus ſint inſtructi auditores, illud potiſſimum inculcet: ſi videat errorem in Eccleſia gliſcere, aut metuendum eſſe ne eo inficiatur Eccleſia, ei mature eſt occurrendum, & animi adverſus eum præmuniendi, aut ab eo liberandi qui jam fuerant ſeducti, præſertim ſi ſit valdè noxius. Illud tamen generatim notari poteſt, ſæpius ea ac diligentius inculcanda eſſe, quæ ad mores pertinent, quam quæ ad cognitionem: quia hæc, præſertim quatenus neceſſe eſt, facilius capiuntur, illa difficilius fiunt, pluſque eſt in actione ſitum, quam in cognitione, imo in actione per ſe omnia, in cognitione eatenus, quatenus ad actionem eſt neceſſaria. Itaque etiamſi nonnunquam myſterium aliquod religionis Chriſtianæ explicandum ſumas; tamen miſcendæ ſunt admonitiones crebræ, & ita res tractanda, ut non tantum mens auditoris formetur, verum etiam affectus cieatur; quod niſi fiat frigere videtur concio ad populum, (nam diſputationum aut lectionum ſacrarum, quæ inter doctos habentur, alia eſt ratio) & minus afferre fructus. Præterea ſæpius explicanda eſt veritas, quàm refutandi errores, & adverſus alios diſputandum. Tertio præterea habenda eſt ratio captus & ingenii auditorum: alii lacte ſunt enutriendi, tanquam infantes in Chriſto Jeſu, atque in religione Chriſtiana adhuc pueri: aliis ſolidior cibus præbendus, utpote jam adultis, & in doctrina Chriſti provectioribus. Hoc eſt, prima doctrinæ Chriſti elementa, quæ etiam à rudibus facile capi poſſunt, proponenda ſunt iis, qui vel per ingenium, vel per temporis, quod in Eccleſia contriverunt, brevitatem, vel per ætatem nondum ſunt rerum difficiliorum capaces: abſtruſiora vero myſteria iis ſunt proponenda, qui ingenio plus valent, atque in doctrina Chriſti jam ſunt exercitatiores. Itaque ab imperfectioribus ad perfectiora, à primis rudimentis ad ſolidiorem & exquiſitiorem doctrinam paulatim ſunt manudcendi auditores. Quam prudentiam, quemadmodum vulgo obſervant in Scholis, & jam dudum docuerunt viri ſapientes; ita haudquaquam neglexerunt primi Eccleſiæ Chriſti doctores. Qua de re vide, quid Paulus ſcripſerit 1 Cor. 3. ab initio, uſque ad ỷ 3. & Auctor Epiſt. ad Heb. 5. 11. uſque ad finem capitis, & initio cap. 6: ex quo tamen loco illud imprimis diſcitur, non eſſe ferendum, ut auditores ſemper in tyrociniis Chriſtianæ religionis hæreant, ſed eos extimulandos, ut ad altiora progredi velint. Ad hæc præcepta referri poſſunt illa Pauli verba 2 Tim. 2. 15: Ubi monet Timotheum, ut *rectè ſecet ſermonem veritatis*; in quibus verbis vel alluditur ad morem patrumfamilias, qui liberis aut etiam famulis ſecant ac diſtribuunt panem, & cuilibet convenientem portionem aſſignant, & tantum, quantum opus eſt, præbent; quaſi eodem modo agere debeat Eccleſiæ doctor, qui myſteriorum divinorum eſt diſpenſator, ut familiæ Chriſti convenientem cibum præbeat, & ea ſingulis proponat, quæ iis maximè videat eſſe neceſſaria atque utilia: vel reſpicitur ad ritum ſecandi hoſtias Deo offerendas Sacerdotibus demandatum, quorum erat ita partes victimarum invicem à ſe dirimere, ne quid mutilarent, aut juſto minus facerent, nil depravarent aut corrumperent. Eodem enim modo doctori Eccleſiæ eſt faciendum, ut ſermonem veritatis prudenter ac ſolerter tractet, & velut in membra quædam ſectum explicet, populoque proponat, nil mutilet, nil adjiciat, ubi non oportet, nil depravet, aut diſtorqueat, neque etiam ita agat, ut in cortice tantum externo occupatus medullam negligat.

Quod verò attinet ad docendi modum, in eo duo potiſſimum ſunt conſideranda, verba & actio; quo etiam affectum, qui orationem animat, refero. Quod ad verba attinet, ea debent eſſe plana ac perſpicua, & ad captum auditoris accommodata: omnis affectatio, & imoderatus ac nimium exquiſitus verborum ornatus fugiendus eſt; non quod inculta debeat eſſe oratio, & barbaries quædam ac ſermonis ruditas affectanda, ſed quod danda ſit opera, ut omnia nativa eſſe videantur, & veluti ſub manu nata, non vero longe ante conquiſita, aut nimis picturata. Itaque figuræ etiam variæ adhiberi poſſunt, quemadmodum in ſcriptis Apoſtolorum videmus; ſed quæ à communi ratione nil, aut parum admodum diſcedant, quaſque fervor potius Spiritus ſuggerat, quam Rhetorum præcepta. Fugienda etiam redundantia, & effuſa verborum copia, ne multitudine iſta res obſcuretur, & auditoris animus obruatur, idque imprimis tum, ubi rei alicujus natura explicatur, aut ſententia aliqua proponitur, aut rationes & argumenta exponuntur, quæ quam pauciſſimis fieri poteſt verbis, iiſque claris ac perſpicuis ſunt efferenda, ut & apprehendere animo, & judicare, ac denique memoria retinere ea facilius poſſit auditor, &, ſi res poſtea uberius explicetur, habeat veluti capita quædam, ad quæ dicta omnia referat. Interdum tamen amplificationes & illuſtrationes adhiberi poſſunt variæ pro ratione neceſſitatis, quæ ex difficultate rei & captu auditorum æſtimanda eſt. Itaque certus modus hîc præſcribi non poteſt; ſed doctoris prudentiæ eſt relinquendus. Ubi exhortandi ſunt auditores, paulo plus licet dicenti, ob motum animi, qui in exhortationibus aut reprehenſionibus concipi ſolet à dicente, & imprimi debet animo auditoris: impetus enim ille & fervor, flumen quoddam orationi ſuppeditat. Quanquam cavendum, ne verborum tantum ſit flumen, mentis vero gutta; ſed potius rerum pondera verborum multitudinem exæquent. Eſſet hîc locus aliquid dicendi de eo, cur Apoſtolus eloquentiam humanam

manam

manam ſibi non putaverit in rebus divinis adhibendam: qua de re vide 1 Cor. 1. 17, 18. & cap. 2. 4. ſed alio properamus. Explicuimus tamen aliquando rem, agentes de illis ejuſdem Epiſtolæ verbis cap. 4. 20: *non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute.*

Quod ad animi motum, ſeu affectum dicentis attinet, primo omnium Doctori curandum eſt, ut cum ſingulari religione, ac reverentia divini numinis ad dicendum accedat, profanas omnes curas ex animo ejiciat, non gloriam ſuam quærat, non affectibus ſuis indulgeat, idque forte agat ut quempiam à quo forte offenſus ſit, puniat & exagitet, quem tum impunius notare licet, ut hodie in quibuſdam Eccleſiis crebro videmus fieri: ſed divinam gloriam, & eorum, ad quos ſermonem habet, ſuamque ipſius ſalutem unicè quærat, cogitetque ſe non prophanum aliquod negotium tractare, nec in theatrum prodiiſſe ad auditores oblectandos, & tempus fallendum, ſed Dei ſe negotium coram Eccleſia in Dei conſpectu agere, eoque ſollicitè caveat, ne fortè alicubi impingat, & aliquid minus cautè proloquatur. Quò referri poteſt illud 1 Pet. 4. 11. ubi ait, *ſi quis loquitur,* hoc eſt, Eccleſiam docet, aut verbum Dei prædicat, *ut ſermones Dei,* ſcil. loquatur, hoc eſt, ea religione, eaque etiam fide, & diligentia, qua ipſius Dei oracula ſunt promulganda. Nam non tantum de religione iſta animi, & reverentia numinis, qua in divino verbo annunciando eſt utendum, ſed etiam de ſingulari fide ac diligentia, quæ in ea re ſit adhibenda, loquitur Apoſtolus, ita ut hoc præceptum jure à nobis potuerit commemorari ſupra, ubi de docentis fide & diligentia egimus. Monet enim ibi Apoſtolus eos, qui donum aliquod divinum acceperunt; ut id velint in aliorum uſum conferre, tanquam boni diſpenſatores multiplicis Dei gratiæ, hoc eſt, ne talenta iſta ſua defodiant, ſed ſummo ſtudio in communem uſum expromant, tanquam rem non ſuam, ſed ſuæ fidei eum in finem concreditam ut eam aliis veluti diſtribuant ac diſpertiantur: quod poſtea ſpeciatim explicans, ait primo de doctoribus, eos debere loqui, *ut oracula Dei,* quæ celanda non ſint, ſed hominibus fideliter annuncianda; ſecus atque alias fit in iis, quæ ab ipſis hominibus præclare ſunt inventa, quæ ab autoribus ſuis celari ac ſilentio premi ſolent, ut aliquid præ aliis ſcire videantur. Sed præterea cum duæ ſint doctrinæ Chriſtianæ partes, quemadmodum vidimus ſupra, quarum altera res credendas, altera faciendas tradit; (quanquam priores ad poſteriores in Theologia, quæ practica ſcientia eſt, non contemplativa, referuntur;) in prioribus proponendis ita ſe gerere debet is qui docet, ut appareat eum penitus de iis eſſe certum ac perſuaſum, præſertim ſi res ſit ad ſalutem neceſſaria, aut alioqui ex ſacris literis liquido pateat, quare ita rem narrare debet, ut videatur non audita, ſed viſa referre. In poſterioribus verò proponendis uti debet fervore nato ex deſiderio & amore earum rerum, quas aliis commendat, aut odio earum, à quibus eos abſterret. Quam enim affectionem & motum auditoris animo vult imprimere doctor, eum in ſeipſo prius exhibere debet, & quibus poteſt modis oſtendere, ut non minus exemplo, etiam cum docet, quam verbis eum affectum & animi impetum aliis inſerat. Jure enim poteſt hîc uſurpari illud, quod alia in re dictum eſt à Poëta:

Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani vultus; ſi vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi.

Verum hi animi motus non hiſtrionice fingendi ſunt, aut externis tantum geſtibus exprimendi à doctore, ac ſi in Comædia res ageretur, ſed in animo illius jam antea reſidentes, partim precibus ac votis orationi præmiſſis, partim meditatione rerum ſacrarum, partim ipſa dictione & orationis impetu concitandi ſunt, qui ubi dicentem penitus occuparint, ſponte ſua ſe prodent apertis indiciis, nec conatum alium requirunt, quo illos auditoribus repræſentes. Atque hinc jam etiam patere poteſt, qui geſtus, quæve actio dicentis eſſe debeat, ea nempe, quæ motum animi ſequatur, adeoque nativa ſit, ac cum verbis dicentis ſemper egregie conſentiat; ita ut auditor in geſtu ipſo, aut vultu dicentis, ac vocis ſono, id ſibi videre videatur, quod in verbis audit. Quanquam hæc non omnibus perinde ſunt conceſſa; alii enim, qui timidiores ac modeſtiores à natura ſunt facti, actione minus valent, metu aut pudore tum animi affectum, tum linguam, ac veluti manum conſtringente, iique conatu majori indigent: alii vero, qui aliis audaciores ſunt, ac naturæ fervidioris, nonnunquam in actione luxuriant, ita ut etiam reprimere ſe quodammodo debeant, & ſtudio corrigere id, quod emendatione habet opus, ac vocem etiam moderari, ne clamoſiores videantur, aut contentionis quandam ſpeciem præ ſe ferant. Et hactenus etiam arti aliquid relictum eſt. Servanda ergo inter dicendum erit gravitas in vultu, ac toto corporis geſtu, qui virilis eſſe debet, & talis, qui eſt hominis maxime ſeria cogitantis & dicentis. Quare quicquid levitatem quandam redolet, quicquid molle & effæminatum eſt, quicquid ludicrum aut ridiculum, id quam longiſſime à ſacris concionibus arcendum. Vitandum tamen etiam ſupercilium, & ſuperbiæ vel audaciæ vel impudentiæ ſpecies: decet enim gravitas, ſed modeſtiâ temperata.

Et hæc quidem ita generatim de docendi munere: nunc pauca quædam addemus, quæ ad diverſa auditorum genera pertinent. Alii enim, hoc eſt ii cum quibus doctori Eccleſiæ res eſt, vel veritatem amant, eamque profitentur, vel ab ea ſunt adhuc alieni, eamque oppugnant.

Quod ad priores attinet, eorum alii ejuſmodi ſunt, ut apti eſſe queant ad alios iterum docendos, alii verò inepti. Prioribus plenius & exquiſitius ſunt tradenda ea omnia, quæ ad univerſam religionem Chriſtianam pertinent, ſuntque inſtruendi ad docendi munus: neque enim in præſens tantum, ſed & in futurum, nec ſuæ tantum, ſed & aliis Eccleſiis proſpicere debet doctor aut paſtor. Atque hac de re monet Apoſtolus 2 Tim. 2. 2, ubi ait: *quæ audiviſti à me per* (id eſt, inter) *multos teſtes, ea propone fidelibus hominibus,* (hoc eſt, qui digni ſunt, quibus fides adhibeatur,) *qui idonei ſunt, ut alios quoque doceant;* quibus autem modis ii ſint erudiendi, prolixum eſſet docere. His poſſunt ea etiam committi, præſertim ubi confirmatiori fuerint judicio, & ſpectatæ pietatis, de quibus Paulus ait: *Si fidem habes, penes teipſum habe coram Deo,* quæque ſunt difficiliora, & captum aliorum ſuperant: qualia eſſe in Epiſtolis Pauli ait Petrus nonnulla, quæ homines indocti, ſeu in Chriſtiana religione rudes, & non benè confirmati, contorquent ad ſuam ipſorum perniciem. Nam alioqui nil eſt in Chriſtiana religione, quod ad perniciem valeat, cum omnia tendant ad ſalutem, adeoque per ſe omnibus poſſint eſſe utilia: ſed videri tamen nonnulla poſſunt prima fronte abſurdiora, aut à pietate abhorrentia, ſi recedant ab iis, quæ vulgo omnes credunt; (quemadmodum olim Judæis inviſa fuit doctrina de Chriſtiana à legalibus ceremoniis libertate:) verum ea nihilominus doctori, aut paſtori Eccleſiæ ſcienda ſunt, ne fortè (ut error fœcundus eſt) ex unius ignoratione in aliorum ignorationem cadat, aut, dum incerta inculcat, apud rerum intelligentes autoritatem perdat, & reliqua etiam ſua dicta in erroris ſuſpicionem vocet, aut nonnunquam vehementius inculcet, quæ minus ſunt urgenda, præteritis potioribus, aut denique in regenda Eccleſia, (quæ cura Paſtoris eſt) per imprudentiam peccet, in eum forte rigidius animadvertens, cum quo mitius erat agendum. Sed hæc ſpecialius explicare, non eſt hujus loci. Poteſt tamen exempli gratia huc referri illud, quod ſupra diximus de diſcrimine verorum peccatorum, ſeu operum carnis, ab iis quæ non decent. Quod ad vulgares auditores attinet, quomodo illi erudiendi ſint, ex ſuperioribus ſatis conſtare poteſt; quanquam prudentiæ ubique relictus eſt locus, quæ ex circumſtantiis rerum æſtimet, quid cuique ſit utile, aut neceſſarium, quidve illi præcipue ſit inculcandum. Quod attinet ad adverſarios, quivis facile videre poteſt, adverſus eos utendum eſſe ea doctri-

næ par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ñæ parte, quæ in redargutione ſeu refutatione errorum conſiſtit; quanquam ſemper admiſcenda eſt doctrina, & veritas etiam explicanda; quod niſi fiat, infructuoſior eſt diſputatio. Vitandi autem ſunt imprimis homines vel apertè improbi, quos ſues aut porcos nominat Chriſtus, qui margaritas illas pedibus conculcabunt, omniaque ludibrio habebunt, aut etiam adverſus eos, qui illos ab ignorantia vindicare ſatagunt, inſurgent, quos per Canes intellexiſſe videtur. Vitandi præterea ſunt homines contentioſi ac pertinaces, ne ad rixas & jurgia veniatur, & ipſemet ab illis contentiones diſcas: quod monet Apoſtolus variis in locis, inter cætera 1 Tim. 6. 4, 5. & 2 Tim. 2. 23. & ſeqq. Tit. 3. 9. Quin etiam illi fugiendi, qui perverſo quodam & hæretico ſunt ingenio; quanquam non prius tamen vitandi ſunt, quam ſedulo ſerioque admoneantur. Utendum autem eſt ſingulari quadam patientia, manſuetudine ac longanimitate adverſus adverſarios, quemadmodum Apoſtolus docet loco paulo ante dicto, 2 Tim. 2. 24, 25: ne vel tu pertinacia, aut convitiis, aut contumeliis irritatus id facias, aut dicas, quod minime decet, & cauſa cadas, ut ſolent irritati pugiles facilius feriri, vel à te irritetur adverſarius, & offenſus à te ipſam veritatem averſetur, & minus patientes tibi præbeat aures. Sed & imprimis vitanda ſunt convitia, irriſiones, inſultationes, licet veriſſimam ſententiam defendas. Nam cum per ſe grave eſt homini, errorem ſuum in apertum produci, ſeque non poſſe defendere ſententiam, quam fortaſſe diu defenderit, aut à pueris didicerit atque adamarit: tum vero adhuc gravius eſt, ſi ullum contumeliæ genus accedat. Sed hac de re ulterius præcipit Acontius, qui conſulendus, de Strateg. Satanæ libr. prioribus, ubi docet, quomodo errores ſint ex animis hominum exſtirpandi, quîque tractandi ſint adverſarii. Interim lenitati ac manſuetudini ſtudendum eſt, etiam in rudioribus & hebetioris ingenii hominibus inſtituendis, præſertim iis qui ingenio valent. Verum enim eſt illud, quod ait Cicero: *Quo quiſque eſt ingenioſior & ſolertior, tanto docet iracundius & laborioſius: quod enim ipſe celeriter arripuit, id cum tarde percipere quem videt, diſcruciatur.* Certè ipſum Dominum Jeſum patientia uſum eſſe in erudiendis diſcipulis ſuis, eorumque ruditate ferenda, negligentia præſertim ipſorum accedente, ſatis conſtat ex quibuſdam illius dictis, quæ reperiuntur apud Euangeliſtas, atque imprimis apud Marcum cap. 7. 18. cap. 8. 17, 18. Hactenus de doctrina.

Quod ad preces attinet publicas, in quibus præire Eccleſiæ Doctor aut Paſtor aliis debet, de illis vix eſt, quod hic præcipiamus, cum alio loco de precibus ſatis ſit dictum; quibus obſervatis facile erit, rectum in illis ſervare modum. Debet autem imprimis ea in precibus commemorare, quæ maximè ſunt communia, & publice ad divinam gloriam, humanique generis ſalutem & Eccleſiarum omnium, atque illius imprimis, cui præeſt, incrementum & felicitatem, ac publicam tranquillitatem pertinentia: quod magna ex parte colligitur ex 1 Tim. 2. initio, ubi de publicis precibus ſermonem eſſe, alibi monuimus. Itaque commemorandi ſunt etiam Reges, & ii, qui ſunt in imperio, ut ibi monet Apoſtolus. Quod ſi aliquid interdum accidat peculiare, quod vel ad certam Eccleſiam, vel ad certas perſonas, eorumque præſertim, qui ſunt in Eccleſia, aut in quibus alias publicè multum eſt ſitum, pertineat, & ſingularem Dei opem poſtulet, id nominatim etiam commemorari poteſt, vel etiam debet. Adhibendus eſt autem fervor, ut cæteri ejus exemplo etiam efferveſcant, & non tantum ejus verba, ſed & animi impetum ſequantur. Verba adhibenda plana, & omnibus perſpicua, cum omnes ea ſequi debeant; nil intermiſcendum, quod aliquem facile offendere queat, aut alicui videri dubium, curandumque ut preces revera ſint preces, nec facile quippiam admiſceatur alieni, etiamſi vel ad myſterium Chriſtianæ religionis explicandum faciat. Interdum tamen rationes, quibus Deum movere velimus, ut id præſtet, quod petimus, addi poſſunt. Vitanda eſt prolixitas, & eo uſque tantum producendæ preces, quouſque non tantum in eo, qui verbis præit, ſed etiam in cæteris, ardor animi & intentio durare queat. Interdum tamen utendum eſt hominum devotione, jam ex auditione verbi divini fortaſſe concitata: cætera prudentiæ uniuſcujuſque ſunt relinquenda, aut ex conſuetudine cujuſque Eccleſiæ addiſcenda.

CAP. V.

De Diaconis.

DIaconum Græcis idem eſſe, quod Latinis eſt Miniſter, notum eſt: ſed id nomen ad Eccleſiam κατ' ἐξοχὴν accommodatum, duplicem habet ſignificationem, alteram laxiorem, qua fit ut ii quoque, qui docent ac præſunt, Diaconi Eccleſiæ, vel etiam Diaconi Dei aut Chriſti acpellentur; cujus rei exempla non ſemel occurrunt apud Paulum. Qanquam vox hæc concreta de Doctoribus Eccleſiæ nunquam abſolutè (quantum quidem fert memoria) uſurpatur, ſed ſemper cum adjectione aliqua: verum vox abſtracta διακονίας ſæpe abſolutè ad eos refertur, atque adeo ad Apoſtolos quoque extenditur; ut Actor. 1. 17, 25. & cap. 12. 35. & cap. 20. 24. Rom. 11. 13. & alibi ſæpe. Sed ſtrictius ſumitur pro iis, qui Eccleſiæ inſerviunt in rebus temporariis, ſeu ad hanc vitam pertinentibus, quibus Miniſtrorum nomen magis proprie competit: qua de cauſſa & Apoſtolis interdum, cum in hujuſmodi rebus Eccleſiæ inſervierunt, aut etiam aliis fidelibus, cum charitatis aut humanitatis officia aliis exhibuerunt aut exhibent, διακονία ſeu miniſterium tribuitur. Vide Actor. 6: ubi prima Diaconorum, de quibus hîc agimus, refertur inſtitutio: Rom. 15. 25. & 31. & 1 Cor. 16. 15. Heb. 6. 10. Quare quemadmodum Epiſcopi Eccleſiæ curam gerunt in iis, quæ ad ſalutem ipſius pertinent ſeu ad ſpiritum pertinent: ita Diaconi illi ſunt, qui Eccleſiæ curam gerunt in rebus temporalibus, & quæ ad vitam hanc ac corpus aliquomodo pertinent. Quanquam, (ut poſtea videbimus) iidem etiam obire poſſunt, & fortaſſe etiam debent, quædam munera quæ cum Paſtorum aut Epiſcoporum functione aliquid habent commune.

Quamvis vero nobis imprimis ſit propoſitum, explicare ea officia, quæ ad functionem eorum proprie pertinent; tamen quemadmodum, cum de Epiſcopis ageremus, diximus aliquid de eorum electione, ita etiam hîc faciemus; ac primum de electione Diaconorum, deinde de electorum officio tractabimus. In electione autem duo ſunt conſideranda. Primum quinam ſint eligendi, deinde quomodo, quave cautione. Prius explicuit Apoſtolus 1 Tim. 3. 8. & ſeqq. ubi docet tum qua debeant eſſe præditi virtute, tum à quibus vitiis imprimis debeant eſſe immunes. Quod ad virtutes attinet, primo in illis requirit σεμνότητα; id quod vitæ honeſtatem & morum integritatem ſub hominum oculos cadentem, à qua viri boni vulgo nominantur, hoc loco ſignificare videtur: quamquam alias ſpeciatim pro gravitate ſumi poſſit. Verum magis illud placet, tum quod non ſit veriſimile, Apoſtolum hanc ſolam virtutem ab ipſo initio expreſſiſſe, non additis ſtatim aliis, tum quod poſtea eandem σεμνότητα in Diaconorum & Epiſcoporum uxoribus requirat, ꝟ. 11. ubi rectius vocem σεμνάς reddideris *honeſtas*, quàm *graves*. Deinde requirit Apoſtolus, ut habeant myſterium fidei in pura conſcientia, hoc eſt, ut cum cognitione penitiori doctrinæ Jeſu Chriſti conjunctam habeant veram vitæ ſanctitatem, quæ bonam conſcientiam parit, quæque non tantum requirit illam vitæ honeſtatem, de qua paulo ante egimus, ſed etiam alias multas virtutes Chriſtianas, quas vulgus in viris bonis & honeſtis non ita requirit. Quare hoc loco duo conjunguntur, nempe paulo accuratior, quam in Chriſtianorum vulgo requiritur, rerum ſacrarum peritia: deinde ea, quam diximus, vitæ ſanctitas. Tertio loco poſſis id pro virtute quadam accipere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pere, quod virtutis cujuſdam, nempe vigilantiæ ac prudentiæ, effectus eſt, quod ab Apoſtolo commemoratur ℣. 12. ubi vult, ut benè præſint ſuis familiis, ac liberis. Quod ad vitia attinet, à quibus debeant eſſe immunes: primo generale quippiam eſt, quod velit Apoſtolus eſſe eos *irreprehenſibiles*, vel à crimine immunes, ℣. 10; hoc eſt, ne aliquod facinus illis objici poſſit, quod famam eorum lædere & munus tam ſanctum dehoneſtare queat. Deinde quædam exprimuntur ab Apoſtolo ſpecialia, quæ ſupra quoque recenſuit, cum ageretur de Epiſcopis, eo ſolo excepto, quod nolit eos eſſe bilingues, quod ſupra non fuerat commemoratum. Vult enim, eos non eſſe vino multo deditos, non turpis lucri cupidos, ℣. 8. ac denique unius uxoris viros, ſcil. tantum, non plurium; de quibus ſupra egimus. Quid autem ſibi velit ℣. 8, cum primo loco inter vitia, quibus vacare debeant, id collocat, *ne ſint bilingues*: non eſt difficile colligere. Vult enim eos non eſſe in ſermone inconſtantes, qui nunc hoc, nunc illud de eadem re dicant. Cur autem in ſolis Diaconis hoc requirat, non itidem in Paſtoribus; non æque facile eſt divinare. Cauſæ nunc occurrunt duæ: altera eſt, quòd de Epiſcopo, cujus inter cætera officium eſt, veritatem aliis tradere nimis ſit manifeſtum, eum ab hoc vitio alienum eſſe debere: neque enim facile ejus verba, cum de ſacris loquitur, fidem invenient, qui alias in ſermonibus eſſe ſolet inconſtans. Deinde quia cum Diaconorum ſit, aliorum inopiæ ſuccurrere, & ſic etiam opem illis ab Eccleſia polliceri: facile fieri poteſt, ut, niſi alias in ſermone ſint conſtantes, nunc hoc, nunc illud dicant, nunc polliceantur aliquid, nunc revocent promiſſum; id quod haudquaquam fieri debet. Hactenus de eo, quales eligi debeant Diaconi.

Sequitur, ut videamus, quo pacto, quave cautione ſint eligendi. Id autem explicuit Apoſtolus ℣. 10. ubi ait: *atque hi* (Diaconi) *probentur prius, poſtea miniſtrent, ſi irreprehenſibiles ſint*. Probatio autem illa, quemadmodum poſteriora verba indicant, videtur ſpectare, tum ad univerſam vitam, morumque integritatem, tum vero imprimis ad ipſorum fidem, qua in hoc munere imprimis ſit opus. Requiritur autem, (ut res ipſa oſtendit) hæc probatio tum, cum alias nondum perſpecta eſt alicujus fides aut integritas. Nam ſi jam ſatis pateat, quid probatione illa eſt opus? Probatio vero illa in eo conſiſtit, ut diu mores & actiones alicujus inſpicias, in eaſque diligenter inquiras, ut ita ſcias quomodo ſe gerat: neque abſurde dixeris, hanc probationem in ipſa inquiſitione & exploratione conſiſtere, quæ & ipſa non requirit longum aliquod tempus, ſed tantum inveſtigationem judiciorum, & teſtimonium illorum hominum, qui aliquem jam diu norunt. Cauſam autem explicat Apoſtolus, cur tanta morum integritate viri, tantaque cum cura ad hoc munus ſint eligendi: *quia* (inquit) *qui bene miniſtraverint, gradum ſibi ipſis bonum acquirunt, & multam loquendi libertatem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, in fide*: hoc eſt, altius aſſurgunt, & ſublimiorem honoris ac dignitatis in Eccleſia gradum adipiſcuntur, ita ut illis liberius liceat loqui, & admonere alios de rebus ad doctrinam Chriſti, ejuſque ſanctiſſimam religionem pertinentibus. Qui autem tales ſunt, eos tum cognitione myſteriorum divinorum, tum ſingulari vitæ ſanctitate præditos eſſe oportet, ut ex eorum dignitate atque autoritate fructum capiat Eccleſia, eorumque ſermones verè ſint ſalutares. Hactenus de electione Diaconorum.

Quod ad eorum officium attinet, duo nobis ſunt conſideranda; primum, quid facere debeant; deinde quomodo. In priori capite primum conſiderabimus ea, quæ propria ſunt Diaconorum; deinde ea, quæ aliquomodo cum ſenioribus, aut Epiſcopis iis ſunt communia. Quod ad priora attinet, ea paucis complexus eſt Apoſtolus Rom. 12. 8: ubi duo eorum conſtituit genera: alios enim conſtituit, qui diſtribuant, alios qui miſereantur. Quanquam enim interdum iidem poſſunt utroque fungi munere, & tum diſtribuere, tum miſereri, quemadmodum fieri ſolet in parvis Eccleſiis: tamen poſſunt etiam diſtinctis perſonis munera hæc demandari, ita ut alii ſint, qui diſtribuant, alii verò, qui miſereantur. Nam de officiis ejuſmodi in verbis Apoſtoli ſermonem eſſe, quæ non omnibus Chriſtianis ſunt communia, ex ipſo contextu atque ordine verborum ſatis patet. Nam uſque ad finem hujus verſus 8, certarum in Eccleſia perſonarum officia traduntur. Diſtribuere autem apud Apoſtolum ſignificat, pecunias publicas, aut ab Eccleſia in certos uſus collatas, largiri iis, quibus ſunt deſtinatæ, aut in eos uſus expendere, in quos ſunt impendendæ. Atque hæc opera paulo eſt honeſtior, ac minus ferè moleſta, quàm altera, quæ voce miſerendi effertur. Miſereri enim hîc videtur ſignificare, pauperum aut ægrotorum aut exulum aliorumque hoſpitum curam gerere, non tantum pecuniam illis dando, quo ſibi res neceſſarias parent; verum etiam laborem & operam inſumendo, partim in parandis rebus neceſſariis, partim etiam aliis in rebus ægrotis inſerviendo; quod poſterius ad Diaconiſſas (de quibus poſtea) imprimis pertinuiſſe videtur. Habemus ergo hîc duo generalia Diaconorum officia, diſtribuere nempe, & miſereri; ſed quorum prius aliud iterum ſecum trahit, vel tanquam neceſſarium antecedens requirit, nempe collectionem & conſervationem pecuniarum ad uſus Eccleſiæ pertinentium. Eſt ergo Diaconorum primum monere, vel totam Eccleſiam, vel ſeniores, quibus rebus indigeat vel tota Eccleſia, vel illius pars aliqua, vel ſaltem quod cæteroquin ad gloriam divinam, pauperumque uſus requiratur, adeoque monere, ut pecunia colligatur, vel ab omnibus proportionatè, hoc eſt, pro ratione facultatum, & aliarum circumſtantiarum, vel à certis perſonis: Deinde ut eandem diligenter aſſervent, & in eos uſus, in quos data eſt erogent. Erogatur autem pecunia, partim in ſtipendia atque alimoniam Paſtorum Doctorumque Eccleſiæ, aut eorum, qui huic muneri ſeſe parant, & interim victui parando dare operam nequeunt, vel in libros ſacros emendos aut typis exprimendos, aut itinera veritatis promovendæ aut ſalutis alienæ curandæ cauſa ſuſcepta: addi poſſunt etiam Scholæ, & præceptorum ſalaria, denique pauperes, atque inter eos viduæ atque ægroti, ſive ſint domeſtici fidei, ſive alieni: (nam ad hos quoque liberalitas Eccleſiæ ſeſe poteſt, atque interdum debet extendere:) quin etiam hoſpites ſeu peregrinos advenientes, atque imprimis exules. Accedunt hujuſmodi perſonis, ac rebus, ædificia publica, qualia ſunt Templa, ubi conventus ſacri inſtituuntur, Scholarum ædificia, domus eorum, qui ſacris operantur, & ſi quæ ſunt ſimilia. Quod ad alterum generale officium attinet, quid in eo comprehendatur, plenius à nobis explicabitur tum, cum de Diaconiſſis agetur, quanquam eadem à Diaconis quoque præſtari queunt.

Atque hoc loco, antequam ad alia Diaconorum officia veluti ſecundaria, & iis cum ſenioribus aliquomodo communia accedamus, prius alterum illud, quod ſuperius propoſuimus, explicabimus; nempe quomodo his officiis fungi debeant Diaconi. Id autem generatim explicuit Petrus 1 Epiſt. 4. 11, dum ait: *Si quis miniſtrat* (Græcè eſt διακονεῖ) *tanquam ex viribus, quas ſuppeditat Deus*, ſcil. miniſtret, hoc eſt, ex totis viribus ſuis huic officio incumbat, & omnes intendat nervos. Quanquam Paulus dicto ſuperius loco Rom. 12, id quod Petrus toti Diaconorum generi accommodat, ad unum illorum genus, eos nempe, qui miſericordiam Eccleſiæ nomine erga alios exercere debent, refert, propterea quod in iſtis imprimis requiratur diligentia, in illis vero, qui pecunias publicas diſtribuunt, ſimplicitas ac fides. Ita enim ait Apoſtolus: *qui diſtribuit, in ſimplicitate*, ſcil. diſtribuat, hoc eſt, ſincere ac fideliter, non fraudulenter, ſeu ita, ne quid de publica pecunia ſibi decerpat, aut in uſum ſuum conferat, ſed in eum plane, in quem Eccleſia eam deſtinavit. Quanquam in hoc ſimplicitatis nomine illud quoque poteſt comprehendi, ne forte apud Diaconum, in cujus manu eſt publica pecunia, valeat

gratia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gratia & favor, vel contra etiam odium, qui affectus eum tranſverſum abripiant, efficiantque ne ex Eccleſiæ ſententia pecuniam illius eroget. Eum verò, qui miſeretur, Apoſtolus id vult præſtare cum diligentia, ſeu diligenter ac alacriter: nam in hujuſmodi ſervitio, quod multas moleſtias ac labores ſecum trahat, ſtudium, diligentiam, & promptitudinem requirit, quæ excludit omnem moroſitatem & duritiem erga eos, quorum eſt ſuſcipienda cura: adde etiam cunctationem ac moram in ferenda ope. Immo vero is, qui nomine Eccleſiæ miſericordiæ opera debet aliis præſtare, expectare non debet, donec rogetur, ſed ipſe potius in neceſſitates aliorum inquirere, & ſtudioſe animadvertere, quid cuique ſit opus, & eorum, qui rogare ipſi non audent, pudori ac verecundiæ ſuccurrere. Nam ſi in privatis beneficiis id requiritur, certe æquè aut multo magis in publicis totius Eccleſiæ, ſeu iis, quæ publico nomine alicui exhibentur, id obtinere debet.

His ita breviter explicatis, tranſeundum eſt ad alterum officiorum genus, quod Diaconis ſolet injungi, præſertim (ut ſupra monuimus) ibi, ubi plura officia etiam ab eodem geri queunt, hoc eſt, in parva Eccleſia. Nam, ut Ariſtoteles monet, in parva Republ. vel Civitate ſæpe eidem plura demandantur munera, quemadmodum in pauperum ædibus uſurpantur ὀβελισκολύχνια: idem accidit in parvis Eccleſiis, ubi & minor eſſe ſolet eorum hominum copia, qui munera publica rectè obire queant, & minus in muneribus ſingulis obeundis oneris ac laboris, ita ut ab uno nonnunquam non incommodè plura ſuſtineri queant. Quare ut ad rem redeamus, Diaconis quoque Eccleſiæ ſolent nonnunquam ea imponi munera, quæ iis non ſunt prorſus propria, ſed per ſe ad Paſtores Eccleſiæ ſeu ſeniores ſpectant, habent tamen aliquid cum Diaconorum munere conjunctum. Accedit autem hæc quoque ratio, cur id fiat, quia Diaconi ſæpe ad altiorem in Eccleſia gradum, hoc eſt, ad munus ſeniorum aſpirant, vel paulatim, etiamſi ipſi id non ambiant, eo provehuntur, autoritatem illis conciliante tum muneris dignitate, tum fide ac integritate, quam in munere ſuo præſtant; quemadmodum ſupra vidimus in illis Apoſtoli verbis, 1 Timoth. 3. 13. Inter illa vero munera hoc primo collocari poteſt, ut alios ad beneficentiam pro rè nata exhortentur, quandoquidem illorum eſt pecunias colligere. Deinde ſi incidant controverſiæ inter fratres de rebus ad hanc vitam pertinentibus, ut inter alios ab Eccleſia eam in rem conſtitutos, ſedeant judices atque arbitri. Tertio ut quandoquidem eorum eſt, beneficentiam Eccleſiæ aliquo pacto moderari, provideant, ne oneribus haud neceſſariis gravetur Eccleſia. Quo pertinet imprimis illud, ut videant, num omnes, qui ſunt in Eccleſia, honeſtis laboribus vacent, & victum ſibi quærant, an vero quiſpiam ſit otioſus, qui alienis tantum beneficiis inhiet. Huic conjunctum eſt quartum, ut videant, num victus quærendi ratio ſit ſatis illis honeſta, à turpitudine, ab injuſtitia, & avaritia ſejuncta. Itaque videre debent, quod vitæ genus unuſquiſque ſequatur, quomodo in commerciis ſeſe gerat. Quinto cum hoc aliquomodo conjunctum eſt, ut quia id, quod diximus, requirit penitiorem quandam inſpectionem rerum, quæ domi ab unoquoque geruntur, videant etiam, quomodo unuſquiſque familiam regat, quomodo adverſus uxorem, liberos, ſervos, ac ancillas, atque viciſſim hi erga illum ſe gerant; ut ita ſi quid deprehendant pietati aut morum honeſtati non ſatis conſentaneum, vel ipſi id emendent, vel ſi non ſufficiant, ad alios ſeniores ac Paſtores deferant: id quod in cæteris quoque delictorum generibus fieri convenit. Itaque Diaconi poſſunt eſſe inſtar oculorum, & aurium Epiſcopis & ſenioribus. Sexto imprimis curare debent ut honeſte vivant, qui ab Eccleſia aluntur, &, ſi quid poſſunt nihilominus operari, ne otioſe vitam tranſigant, ſed quacunque tandem in re, vel aliis, vel ſaltem ſibi invicem, præſertim in morbis, operam præſtent. Septimo viduarum & pupillorum patrocinium vel ipſimet, ſi ad eam rem ſint apti, ſuſcipere, cum lis aliqua ipſis movetur, in foro civili debent, vel curare ne Patronus illis deſit, præſertim ſi videant, eos tutoribus & amicis, qui patrocinium eorum ſuſcipere velint, deſtitui. Octavo illud quoque mandari poteſt, ut connubia honeſta inter juvenes & puellas, viduos & viduas, concilient, atque inſtituant, præſertim ſi videant, periculum eſſe, ne quis in cupiditates aut libidines in cœlibatu incidat, aut conſilium ſibi ipſi dare neſciat. Itaque dare etiam debent conſilium iis, præſertim juvenibus, aut viduis juvenculis, quarum pudicitia in lubrico eſt, ut matrimonium honeſtum ineant, & parentibus etiam, ut honeſtis hominibus elocent filias. Non commemoro minora, quæ Diaconis imponi ſolent; quale eſt illud, ut ad menſam Domini, ſeu in Euchariſtiæ celebratione miniſtrent, panem ac vinum curent, atque apponant, ut obſervent quinam ad menſam Domini aſſideant, qui vero minus: quis aliunde ad Eccleſiam advenerit, quis contra alio ab ea migrarit, atque adeo ut numerum habeant certum omnium Eccleſiæ alicujus membrorum.

Cap. VI.

De Diaconiſſis.

IN Veteri Eccleſia præter Diaconos erant etiam Diaconiſſæ, hoc eſt, fæminæ ejuſmodi, quæ ſanctis ſeu hominibus Chriſtianis, Eccleſiæ nomine in rebus ad hanc vitam pertinentibus inſervirent; quarum ordo ſeu munus in Eccleſia hodie exolevit. Deligebantur autem ad hoc munus viduæ ætate provectæ, de quarum tum electione, tum officio hoc loco nonnihil dicemus. Nam etiamſi ordo hic in Eccleſia hodie deſierit, reſtaurari tamen poteſt, & in Eccleſiis præſertim frequentioribus curandum eſſet, ut id fieret, ac præterea quamdiu fæminarum illarum ordo non eſt, earum munus ad Diaconos redit eos, quos Apoſtolus ait miſereri, ſeu miſericordiæ officia Eccleſiæ nomine Chriſtianis præſtare, maxime afflictis, ſaltem eatenus, ut ſi ipſi omnia illa miniſteria non exſequantur per ſe ipſos, exſequantur tamen ea per alios. Nam non debet una cum perſonis perire munus in Eccleſia adeò neceſſarium, & pietati Chriſtianæ maxime conſentaneum. Quod ergo ad electionem attinet, in ea ſpectabantur perſonæ ſtatus, ætas, ac mores ſeu vita ante acta. Status, ut eſſet vidua; hæc enim ſola hujuſmodi muneri vacare poterat, cura rei familiaris non diſtricta. Ætas, ne eſſet minor natu annis LX: idque propterea, quia adoleſcentiores, ut ait Apoſtolus 1 Timoth. 5. 11, *poſtquam laſcivierunt adverſus Chriſtum, nubere volunt, habentes crimen, quod primam fidem* (qua ſe nimirum Chriſto obſtrinxerant) *irritam fecerint, quodque præterea otioſæ diſcant circumire per domos, & non tantum otioſæ, ſed etiam nugaces, garriant, quæ non oportet.* Alebantur enim hujuſmodi viduæ ab ipſa Eccleſia; unde in otium prolapſæ facile poterant laſcivire, & quia in Eccleſia forte maritos non reperirent, etiam à veritate deſciſcere, & infidelibus nubere; quemadmodum jam tum contigiſſe, ſatis oſtendit Apoſtolus eodem loco, ℣. 15. Quanquam & alia ejus rei ratio poterat afferri, nempe quia, (ut poſtea videbimus) earum munus erat hoſpitibus, pauperibus, atque ægrotis inſervire, ne vel ipſæ vel quiſpiam alius propter ipſas in ſuſpicionem impudicitiæ, aut ipſum etiam flagitium, incidere poſſet. Quanquam haud ſcio, an decretum hoc Apoſtoli, ac determinatio annorum relaxationem aliquam patiatur, quæ Eccleſiæ ac imprimis ſeniorum prudentiæ ſit permiſſa. Nam cæteroqui multæ viduæ, quæ LX habeant annos, ad miniſteria hujuſmodi, quibus Diaconiſſæ ſunt deſtinatæ, ob virium imbecillitatem viderentur eſſe ineptæ. Quod ad mores attinet, eæ ita deſcribuntur ab Apoſtolo dicto loco ℣. 9. & 10: *ut fuerit unius mariti uxor*, hoc eſt, quæ à viro extra cauſam à Chriſto indicatam repudiata, alteri non nupſerit; quemadmodum non pauci volunt interpretes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

inter quos videatur Beza ; vel, ut aliis placet, quæ viro ſuo contenta, nulli alteri conſenſerit, atque adeò caſtè ſemper vixerit. Addit Apoſtolus, *ut in operibus bonis teſtimonium habeat*, hoc eſt, ut idonei ſint teſtes, qui confirment, eam egregiè ſe antehac geſſiſſe, & pietatem vitæ eſſe ſectatam; *ſi*, (inquit ulterius) *liberos educavit*, hoc eſt, ipſa ſtudium ac laborem in iis educandis alendiſque inſumſit, non vero eos expoſuit, vel ipſa voluptatem tantum in matrimonio quærens, aliis liberorum ſuorum educandorum curam reliquit; *ſi fuit hoſpitalis*, hoc eſt, hoſpitibus ac peregrinis omnia humanitatis officia exhibuit, atque imprimis exules domo recepit ; *ſi pedes Sanctorum lavit*, hoc eſt, etiam viliſſima aliis Chriſtianis officia, obſequia ac miniſteria præſtitit, inter quæ lotio pedum poſtremum fere eſt, & in iſtis regionibus erga peregrè advenientes conſuetum ; *ſi afflictis ſubvenit*; hoc eſt, res etiam neceſſarias ſubminiſtravit; *ſi omne opus bonum aſſiduè eſt ſectata.* Id quod ſecundo & ultimo loco commemoratur, generale eſt; quod primo loco, ad caſtitatem pertinet, reliqua ad beneficentiam ac liberalitatem. Decebat autem hujuſmodi viduam eligi, quæ miniſterio publico, ſeu Eccleſiæ nomine fungeretur, tum ut muneri huic tanto major eſſet dignitas, tum ut minus eſſent ſuſpectæ, & infamiam facile evitarent, tum ut ob aſſuetudinem harum virtutum, atque imprimis beneficentiæ atque hoſpitalitatis, tanto alacriores eſſent ad muneris hujus ſui partes implendas, ſeu ad aliis inſerviendum ac miniſteria varia præſtanda; tum etiam, quia hæ ſunt omnium digniſſimæ quæ publico Eccleſiæ ſumtu, ut hîc fiebat, ſuſtententur. Adde etiam hoc, quod probabile ſit, hujuſmodi fæminas occaſionem, & veluti jus quoddam habuiſſe, alias fæminas Chriſtianas, præſertim juniores, monendi & corrigendi; iis præſertim in rebus, quæ mulierum magis ſunt propriæ. Quare ſingularem in illis morum integritatem, quemadmodum in Paſtoribus & Diaconis, requirit Apoſtolus, ne fortaſſe, quod in aliis reprehenderent, ejus ipſæ reæ eſſent. Hæc de electione.

Quod ad earum officium attinet, id illis vel cum aliis viduis eſt commune, vel proprium, ac ratione ſui muneris illis conveniens adeoque peculiare. De priori, agemus tum, ubi de viduis. Quod ad poſterius attinet, quanquam in ſacris literis nihil de eo expreſſe ſcriptum legamus, facile tamen eſt intelligere, quodnam illarum ſit officium, ſeu munus. Credibile enim eſt, eas primo quidem ac præcipuè eum in finem fuiſſe conſtitutas, ut tum ægrotis, tum hoſpitibus miniſtrarent, & ea omnia peragerent, quæ fæminæ circa eos agere honeſte queunt. Et ea quidem, quæ circa ægrotos peragenda ſunt, ſpectant tum ad refectionem corporis, ac dolorum levamentum, tum ad corporis mundiciem ; quæ res plena eſt laborum ac moleſtiæ, ſæpè etiam vigiliarum. Et ſane in rebus multis fæminæ majorem ægrotis poſſunt præſtare operam, quam viri, ut in cibis, lotionibus, aliiſque rebus ſimilibus. Credibile autem eſt, iſtis ægrotis eas præcipuè inſerviiſſe, qui ab aliis deſtituti, ab Eccleſia curam expoſcerent, adeoque per Diaconiſſas Eccleſiam illis miniſtrare ſolitam. Quod ad peregrinos ſeu hoſpites aliunde ad Eccleſiam venientes, præſertim exules & exteros attinet, iis proculdubio cibos comparabant, apparabantque, & alia etiam curabant; quæ ad corporis refectionem & mundiciem ſpectant, atque inter alia etiam pedes eorum lavabant, propterea quod iſtis in locis ſandaliis tantum uterentur, atque ita iter facerent ; unde fiebat, ut pedes ſordidarent, & crebra lotione opus haberent. Probabile etiam eſt, eas fæminarum in Eccleſia, præſertim pauperiorum, curam geſſiſſe, & iis variis in rebus, ubi earum opera deſiderabatur, adfuiſſe, atque (ut ſupra monuimus) etiam mores aliarum ſororum aut fæminarum Chriſtianarum corrigere ſolitas : id quod aliis omnium fæminarum natu grandiorum (ut infra videbimus) eſt officium, ſed præcipuè tamen earum, quæ hujuſmodi munere fungerentur, & tum ætate, tum integritate morum alias anteirent. Talis Diaconiſſa fuit Phœbe, quam commendat Apoſtolus ad Roman. 16. ỳ. 1, 2 : ubi eam & Diaconam Eccleſiæ ejus, quæ erat Cenchreis vocat, & προστάτιν multorum, atque etiam Pauli. προστάτης vero in genere quidem præfectum ſignificat, vel etiam patronum ac defenſorum ; ſed ſpeciatim πρόξενον, hoc eſt, eum qui in civitate aliqua, vel etiam ab Eccleſia deligebatur, ut hoſpites & peregrinos in domum atque adeò fidem ſuam reciperet; quemadmodum interpretes nonnulli hoc loco notant. Significat ergo Apoſtolus, miniſtram Eccleſiæ Cenchreenſis hoſpitamque fuiſſe eorum, qui ad Eccleſiam illam veniſſent, peregrinorum, & ejus nomine eos excepiſſe, vel etiam ejus loco. Fieri enim poteſt, ut ſuo eos ſumptu exciperet, atque aleret, & totius Eccleſiæ onus reciperet. Atque in hujuſmodi fæminis, quæ ſuo ſumptu Eccleſiæ miniſtrarent, vix arbitror fuiſſe requiſitum, ut L X haberent annos; ſed potuiſſe hoc officium quibuſvis piis matronis tribui.

Cap. VII.

De Paſtorum & Diaconorum uxoribus.

ANtequam ad Auditorum in Eccleſia officium deſcribendum deſcendamus, aliquid adhuc monendum de uxoribus tum Epiſcoporum ſeu Paſtorum Eccleſiæ, tum Diaconorum, cum ipſe quoque Apoſtolus in deſcriptione verſans eorum, qui ad hujuſmodi munera deligendi ſint, atque imprimis Diaconorum, aliquid de ipſorum uxoribus addiderit. Etenim ita loquitur, 1 Timoth. 3. 11: *Uxores ſimiliter honeſtas*, ſcil. eſſe oportet, *non calumniatrices, ſobrias, fidas in omnibus.* Primum quod in illis requirit, generale eſt, nempe ut honeſtis moribus ſint, & vitæ integræ bonæque famæ: deinde ne alios libenter calumnientur, ac carpant; quod vitium fæminis admodum eſt vulgare, quæ nihil faciunt libentius, niſi Dei timore regantur, quam ut, de alienis vitiis præſertim quando ſecum ſunt loquantur, & aliorum famæ detrectent, ut & aliis accidit garrulitati deditis, vitio alioquin mulieribus familiari, prout indicavit Apoſtolus de viduis junioribus loquens cap. 5 hujus Epiſt. ut ſupra vidimus. Vult præterea, eas eſſe ſobrias, quia fæminæ etiam ſæpe, præſertim ſeniores, ſolent potui pluſculum indulgere: unde Apoſtolus ad Tit. 2. ỳ. 3, monendas dicit eſſe fæminas ætate provectiores, ne multo vino ſint mancipatæ; quo loco id præmiſerat, quod hîc requirit in uxoribus Paſtorum, Epiſcoporum & Diaconorum, ne ſint calumniatrices. Denique vult eas eſſe fidas in omnibus, ne fortaſſis eo laborent vitio, ut maritos ſuos defraudent, eis clam aliquid ſubtrahant; id quod in Diaconorum, de quibus adhuc loquitur Apoſtolus, uxoribus imprimis cavendum eſt, ne forte de publicis Eccleſiæ pecuniis aliquid ſubtrahant. Neque vero quiſquam mirari debet, nos id, quod Apoſtolus de Diaconorum uxoribus ſatis aperte dicit, etiam ad Epiſcoporum uxores referre. Conſentiunt enim in eo doctiores interpretes, quos adhuc vidimus, Apoſtolum de utrorumque uxoribus agere ; licet poſtea Apoſtolus occaſione hinc arrepta, aliquid de Diaconis adhuc adjiciat, quod antea de Epiſcopis pronunciatum, de Diaconis agens nondum repetierat, nempe eos debere eſſe unius uxoris viros, & liberis familiiſque ſuis bene præeſſe. Et ſane res id omnino exigit. Neque enim ullo pacto verſimile eſt, Apoſtolum, cum dixiſſet Epiſcopum unius uxoris debere eſſe virum, oblitum eſſe dicere, quales uxores eæ eſſe debeant, cum id de Diaconorum uxoribus explicandum ſibi ſumpſerit : cum non minus referat, quibus moribus præditæ ſint Epiſcoporum uxores, quam quibus ſint Diaconorum, imo etiam aliqua ex parte amplius. Quare ſtatuendum eſt Apoſtolum cum jam ſeparatim de ipſis Epiſcopis & diaconis, & eorum qualitatibus in electione ſpectandis diſſeruiſſet, poſtea de utrorumque uxoribus conjunctim

voluiſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

voluiſſe agere, cum ſeparatim id exſequi nihil eſſet neceſſe. Itaque id, quod de iis dicit, cenſeri debet, adjectum eſſe ad finem ſermonis de Diaconis habiti. Nam quod de Diaconis adjicitur, id occaſione mentionis uxorum adjectum eſt, ut diximus, ab Apoſtolo, cum alias præmitti potuiſſet. Etiamſi verò hæc, quæ Apoſtolus attulit, adjunctis præſertim generalibus virtutum officiis, quibus, ut cæteri Chriſtiani homines, ita etiam Paſtorum ac Diaconorum uxores obſtringuntur, ſufficere queant ad explicandum illarum officium: tamen id adhuc dici videtur poſſe, uxores Paſtorum & Diaconorum iis virtutibus, quibus fæminas Chriſtianas ornatas eſſe decet, cæteris anteire, & exemplo prælucere debere, nempe caſtitate, modeſtia, ex qua obſequium erga maritum, ac linguæ continentia; quibus de rebus & aliis nonnullis agemus infra, ubi de fœminarum tum in genere omnium, tum in ſpecie juvencularum, & natu grandiorum, itemque in matrimonio viventium officiis differemus.

Cap. VIII.

De officio Auditorum.

POſtquam explicuimus officia eorum, qui publico in Eccleſia munere funguntur, videndum eſt etiam, quæ ſint eorum partes, qui in Eccleſia pro privatis haberi debent, & auditorum & juniorum nomine appellari ſolent. Eorum autem officium univerſum comprehendi poteſt Honoris nomine, quem Senioribus ac Doctoribus, & cæteris, qui publico in Eccleſia munere funguntur, ſed illis tamen imprimis debent; ſi nomen iſtud tam latè extendas, quam latè id nonnunquam extendunt ſacræ literæ, atque inter alia tum cum honorare jubent parentes. Complectitur autem ille honor tria imprimis, primo venerationem quandam, quæ ex amore & honore proprie ſic dicto conflata eſt; deinde obſequium: tertio varia charitatis officia, atque imprimis ſuppeditationem victus.

Nam quod ad primum attinet, hoc eſt, amorem & venerationem, vix dubitari poteſt, ab homine Chriſtiano, eum deberi illis, qui Deo ac Chriſto ſingulari ratione inſerviunt, eique penitus ſunt conſecrati, ſed imprimis illis, qui curam gerunt animarum eorum, qui ſunt in Eccleſia, atque ad ſalutem æternam illis veluti duces quidam ſunt, præſertim ſi officio ſuo ſtrenuè fungantur. Unde Apoſtolus 1 Theſſ. 5. 12 eos rogat, ut agnoſcant eos, qui inter ipſos laborant, & præſunt iis in Domino, hoc eſt, in rebus ad religionem pertinentibus, & eos admonent, ut quam maxime charos ducant propter ipſorum opus ſeu functionem. Hæc autem veneratio atque affectus in ſeniores prohibere debet, ne de illis facile aliquid mali ſuſpicentur, multo minus ut illorum dicta factaque libenter carpant ac traducant, & ad eos accuſandos properent.

Quod attinet ad ſecundum, hoc eſt, obſequium ſeu obedientiam, quam juniores debeant ſenioribus, apertè de ea loquitur Petrus 1 Epiſt. cap. 5. 5, ubi cum ſeniorum in Eccleſia officium præſcripſiſſet, quæ viciſſim juniorum ſint partes explicans ait: *Similiter juniores ſubjicite vos ſenioribus*. Et D. Autor in Epiſt. ad Heb. 13. 17 ait: *obedite ducibus veſtris, & obſecundate*, addita ratione, *ipſi enim* (inquit) *vigilant pro animabus veſtris, utpote rationem reddituri*, Deo nempe, pro animabus ſuæ fidei concreditis, *ut cum gaudio id faciant*, hoc eſt, vigilent lubenter pro animabus veſtris, *& non gementes; id enim eſt vobis inutile*, id eſt, noxium & damnoſum. Quanquam hoc obſequium ita limitandum eſt, ut eatenus in rebus divinis obſequantur juniores ſenioribus, & auditores doctoribus, quatenus illi ea præcipiunt, quæ doctrinæ Chriſti ſunt conſentanea, hoc eſt, vel in ea ſunt aperte præcepta, vel ex ea elici queunt; quo nomine ea quoque cenſeri poſſunt, quæ ad bonum ordinem & decorum in Eccleſia conſervandum ſpectare certa ratione oſtendi poteſt, & à prudente haud difficulter circumſtantiis rerum inſpectis dijudicari. Volunt enim ſacræ literæ omnia fieri in Eccleſia decenter, rectoque ordine. Itaque omnis contumacia à junioribus abeſſe debet, adeoque etiam obmurmurationes, contentiones adverſus ſeniores, ac ex adverſo modeſtia animo penitus eſt infigenda, ex qua obſequium illud manat, quemadmodum Petrus loco paulo ante commemorato docet. Itaque ſi quid auditoribus diſpliceat, & non rectè dictum aut ſtatutum à ſenioribus videatur, ea modeſtia in diſſentiendo uti debent, qua liberi tum, cum à parentibus aliqua in re diſſentiunt, & ſibi non ſatis rectè quippiam injunctum credunt: non (inquam) contemptim de Seniorum ſententiis loqui, & hoc pacto eorum autoritatem dignitatemque convellere debent, non ſermonibus illorum dicta factave aliqua, etiamſi tandem reprehenſione digna eſſent, differre atque in vulgus ſpargere; ſed ipſos potius humaniter monere debent. Quod ſi fiat, inter ſervile obſequium, & præfractam animi contumaciam, atque immodeſtiam medio conſiſtent loco, nec nimis mancipati atque addicti ſuis ſenioribus, nec illorum autoritatem ſpernentes. Eſt enim extremum utrumque vitandum; quorum altero fiat, ut in omnibus auditores ſuis doctoribus aut Epiſcopis cæco impetu obſequantur, altero, ut Epiſcopi dominatum in Eccleſiam ſibi arrogent, & conſcientiis hominum pro arbitrio imperent: cum tamen illi ſervi tantum ſint Chriſti, & quod Dominus hic non imperavit, id ipſi Eccleſiæ imperare nequeant, nec Eccleſia teneatur recipere, præſertim ſi ſit Domini dictis, aut rationi rectæ contrarium. Hæc enim primo omnium ſunt vitanda, à quocunque tandem doceantur aut præcipiantur. Deinde etiam ea, quæ licet doctrinæ Chriſti apertè non repugnent, ab ejus tamen ingenio & natura abludunt: qualia ſunt tot de Ceremoniis ac ritibus præcepta, quæ à ſpirituali religione facilimè hominem abducunt, & ad varias ſuperſtitiones, ac ipſam denique idololatriam maximam præbent occaſionem, quemadmodum hodie nimis, proh dolor! videmus.

Quod ad tertium attinet quod ſenioribus deberi diximus, hoc eſt, omnia charitatis officia, atque imprimis alimentum: id itidem per ſe videtur manifeſtum, & non uno in loco ab Apoſtolo præcipitur, atque inter alia 1 ad Tim. 5. 17, ubi ait; *qui bene præſunt ſeniores duplici honore digni judicentur, maxime ii, qui laborant in ſermone & doctrina*. Ubi per honorem id imprimis ſignificari, ut alimenta, ſeu res ad hanc vitam ſuſtentandam neceſſariæ duplo majori copia, quam viduis, quas hactenus ab Eccleſia alendas eſſe præceperat, vel ſimpliciter copioſè atque affatim ab auditoribus præbeantur Senioribus Eccleſiæ, ſatis oſtendunt verba ſequentia, in quibus dicti rationem reddit, ita inquiens, *Dicit enim Scriptura, Bovi trituranti os non obligabis; &, dignus eſt operarius mercede ſua*. Ubi notandum eſt Apoſtolum velle, ut inter alios ſeniores eorum imprimis habeatur ratio, qui docendi munere ſedulo funguntur, & Eccleſiam ſalutari doctrina imbuunt, cum ut eo commodius labori huic, & lectioni meditationique ad eum neceſſariæ incumbere queant, tum vero etiam, quia inter ſeniores hi excellunt, ut tum ex hoc, tum ex aliis S. ſcripturæ locis intelligi poteſt, atque inter alios ex illo, ubi ordine recenſentur varia munera, quodque pro dignitatis ſuæ gradu. Hinc idem Apoſtolus ſpeciatim monet Gal. 6, ut is qui eruditur in ſermone, nempe Chriſti, communicet erudienti ſeu inſtituenti in omnibus bonis, ſeu de omnibus bonis ei partem aliquam largiatur: de omnibus (inquam) bonis ad vitam commode atque honeſtè tranſigendam neceſſariis; quod fit vel ea ratione, ut quis de ſingulis bonorum generibus partem aliquam decerpat eamque doctori ſuo præbeat, vel id largiatur, quo ea omnia haud difficulter comparari queant, nempe pecuniam. Quanquam ſi accidat, ut rem aliquam neceſſariam parare nequeat, auditori incumbit, rem ipſam, qua doctor eget, ſi modo poſſit, ipſi ſuppeditare: nummus enim tam diu rei vicem ſuſtinet, quamdiu res ipſa eo poteſt parari. Hac eadem

de re prolixè differit Paulus 1 Cor. 9. à ℣. 7. uſque ad finem 14, ubi rationes varias affert, quibus probat, nil eſſe æquius, quam ut Eccleſia doctores ſuos alat, ſi modo ipſi poteſtate hac ſua uti velint. Atque inter alia notabilia ſunt ea Apoſtoli verba, cum ait ℣. 11, *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum ne eſt, ſi nos veſtra carnalia metamus?* ubi oſtendit, quicquid his in rebus præſtent auditores ſuis doctoribus, id pro re exigua habendum eſſe reſpectu ejus operæ, quam doctores illis præſtent, & cum illa vix comparandum; cum contra plærique arbitrentur, ſe magnum aliquid hîc præſtare, & pro eleemoſyna quadam id reputent, quod doctoribus ſuis perſolvunt, & gravatè id præſtare ſoleant, ſibique deberi gratias magnas putent, cum nemo majori jure obſtringatur ad perſolvendam cuipiam vel mercedem vel debitum, quam auditores ad honeſtum doctoribus ſuis ſalarium. Neque fruſtra Apoſtolus dicto ad Gal. loco admonitioni iſti ſtatim ſubjicit: *ne erretis: Deus non illuditur; quod enim ſeminaverit homo, hoc & metet: qui enim ſeminaverit in carnem ſuam,* (in carnem autem ſuam ſeminat is, qui carnalibus rebus ſumtus impendit, oblitus rerum ſpiritualium) *ex carne metet corruptionem: qui ſeminat in Spiritum* (id quod facit is, qui inter cætera, quæ præſtat, pietatis opera, ſumptus in res ſpirituales, atque adeò doctores ſuos facit) *ex Spiritu metet vitam æternam.*

Huic charitatis officio, de quo tam copioſè differit Apoſtolus, poſſunt etiam alia adjungi, quæ à ſuis diſcipulis alicubi vel requirit Apoſtolus, vel ſibi exhibita eſſe docet, nempe ut auditores orent diligenter pro ſuis doctoribus, quò labores ipſorum proferant fructum ad Dei laudem hominumque ſalutem. Et ſane non ſemel Apoſtolus eorum, ad quos ſcribit, precibus labores ſuos ad gloriam divinam ſpectantes, interdum etiam vitam ſuam commendat: Rom. 15. 30. & ſeqq. 2 Corinth. 1. 11. Epheſ. 6. 19. Phil. 1. 19. Col. 4. 3, & autor Epiſt. ad Heb. 13. 18. Deinde ut, ſi opus ſit, promptè pericula ſuſcipiant, ut vitæ illorum ad divinam gloriam & humanam ſalutem neceſſariæ conſulant, atque adeo animas ſuas pro illis ponant: id quod Apoſtolus ſibi præſtitum à quibuſdam teſtatur Rom. 16. 4. Addi etiam hoc poteſt, ut illis ad labores ad gloriam divinam ſpectantes ſint adjumento, &, ſi quid boni ab illis fuerit propoſitum, id communi conſenſu urgeant, & perficere ſtudeant: ſæpè enim Paſtorum conſilia, ſi ab auditorum præſertim præcipuis deſtituantur, in irritum cadunt, ac fructu ſuo carent.

Quod de Senioribus, ac doctoribus hactenus diximus, id etiam ad Diaconos ſuo modo pertinet, eo nempe gradu, quo illorum munus cum munere ſeniorum convenit, aut ab eodem diſtinguitur. Paulus certè ad Philippenſes ſcribens de Epaphrodito, quem illi miſerant, ut certam pecuniæ ſummam ad Apoſtolum referret Romam, (qua in re Diaconi munere fungebatur) ita eum Philippenſibus commendat, cap. 2. 29: *Excipite igitur ipſum in Domino cum omni gaudio, & tales in pretio habete.* Idem non obſcurè indicavit loco ſuperius explicato 1 Timoth. 3, cum dicit, *eos qui bene miniſtraverint, gradum ſibi bonum* vel honeſtum *acquirere, & loquendi libertatem in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Quod ad Diaconiſſas attinet, eas honorari debere, & publico Eccleſiæ ſumtu ali, ſatis oſtendit Paulus de iis differens in eadem Epiſt. cap. 5. Quod ſi vel hæ, vel illi aliquid moneant, doctrinæ Chriſti conſentaneum, iis obſequium eſſe præſtandum, res ipſa ſatis monet, cum omnes ſibi invicem, atque adeo imprimis iis, obtemperare debeant, qui inter cæteros pietate, & officii dignitate in Eccleſia eminent. De charitatis officiis, quæ illis debeantur, cum ipſi ea aliis præſtant, nihil eſt quod à nobis dicatur: amorem enim omnium meretur, qui omnibus aliis inſervit, & de iis benè mereri ſtudet. Et hæc de officio hominum Chriſtianorum, quatenus ut Eccleſiæ membra conſiderantur.

Cap. IX.

De diſcrimine hominum Chriſtianorum extra Eccleſiam conſideratorum, eorumque officiis, & primo quidem de Sexus diſcrimine.

SEquitur nunc, ut videamus, quænam ſint diſcrimina, quæque officia hominum Chriſtianorum extra Eccleſiam conſideratorum. Dicimus conſideratorum, non vero exiſtentium: quia non de iis nobis ſermo eſt, qui in Eccleſia non ſunt, ſed de iis, qui cum ſint in Eccleſia, nihilominus tamen extra Eccleſiam conſiderari, atque ita certa illis officia præſcribi queunt, quæ illis peculiariter conveniunt. Quanquam quod ad ea quoque pertinet, quæ ſuperius de certarum perſonarum officiis diximus, non omnia ea quæ in ſacris literis certo hominum generi accommodantur, illis ſunt plane propria peculiariaque, ſed ideo tantum illis accommodantur, & inſignitè tribuuntur, quia illis præcipuè conveniant, & certa de cauſa maximè ſint neceſſaria; quemadmodum inter alia videre eſt in iis prope omnibus, quæ in Epiſcopis, Diaconis, & utrorumque uxoribus Apoſtolus requiſivit. Jam vero, ut ad perſonarum diſcrimina veniamus, non ſunt nobis omnia plane perſequenda, (id enim infiniti eſſet laboris, ac fructus haberet minus:) ſed illa tantum, quæ patent latiſſimè, ſeu admodum ſunt generalia, & diverſitatem quandam officiorum ſecum trahunt. Hujuſmodi autem diſcrimina petuntur partim à ſexu, partim ab ætate, (quæ duo ſunt maximè naturalia:) partim à vitæ ſtatu ac conditione, ſeu mavis à conjunctione vitæ aut disjunctione, quarum illa inter eos cernitur, inter quos imperium verſatur & parendi neceſſitas. Quod ad primum diſcrimen attinet, alii ſunt mares, alii fœminæ: quod ad alterum, alii juniores, alii ſeniores; quod diſcrimen in utroque ſexu reperitur. Itaque nos hoc loco primum de officio virilis ſexus in univerſum, & eodem modo de ſexu fæmineo agemus: ſequenti capite, quæ hujus aut illius ætatis ſint officia docebimus.

Quod ergo ad virilem ſexum attinet, cum ei ſit à natura major inditus quidam animus. quam muliebri, ſaltem generatim loquendo, ei imprimis convenit fortitudo Chriſtiana in ſubeundis periculis, & tolerantiæ laboribus, iis præſertim, qui magnanimitatem quandam poſtulant, & publice exercentur. Sed deinde moderatione iræ & manſuetudine viris imprimis eſt opus: in magnis enim animis & ad imperandum aptis, quales ſunt viris reſpectu fæminarum, affectus iræ facile ſolet erumpere. Atque ad hoc poſterius aliquo modo reſpiciens Apoſtolus 1 Tim. 2, viris præcipit, ut orent in omni loco, attollentes ſanctas manus, ſeu ab omni opere malo immunes, *abſque ira, & diſceptatione*, ſeu contentione. Quia enim viri imperant, & magis ſibi licere putant iraſci; ideo plus ſibi ſæpe hac in re indulgent, & affectui habenas laxant, & interdum æſtuante ac fervente adhuc à contentione animo ad precandum accedunt: cum tamen animo maximè compoſito ac imprimis à vindictæ cupiditate libero ſit ad preces accedendum, atque ita hæc Deo victima offerenda, quemadmodum ex cap. 5 & 6. Matthæi conſtat. Cætera quæ ad hujus loci explicationem pertinent, non eſt nobis animus nunc perſequi. Deinde quia Deus voluit hunc ſexum in humano genere primas tenere, & non tantum animantibus cæteris, verum etiam ipſis fæminis imperare; (id quod in conjugio revera fit, ad quod natura ipſa homines exſtimulat) ideo hujus etiam ſuæ dignitatis indicium aliquod externum exhibere debent in Eccleſia, & Dei, cujus imaginem peculiari ratione geſtant, ſpeciem aliquam præferre. Illud autem eſt, ut cum in Eccleſia prophetant, ſeu docent, aut etiam orant, quin etiam cum prophetantes aut orantes alios mente veluti ſequuntur, aperto ſint capite, non velato aut tecto: qua de re ſatis fuſe differit Apoſtolus 1 Cor. XI. initio facto à ℣. 3. Quanquam enim Apoſtolus

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de Maritis & uxoribus ſolis videatur loqui; res tamen ipſa monet, id, quod de iis dicit, ad univerſum ſexum virilem aut fæmineum pertinere, atque adeo huc verba Apoſtoli velut conſequenter trahenda eſſe. De marito autem & uxore ideo primum ac potiſſimum loquitur, quia in iis res omnium eſt manifeſtiſſima, & tum revera apparet, in alia quidem parte imperium, in alia vero parendi neceſſitas; unde diſcrimen illud aperiendi vel operiendi caput oritur. Ad reliquos autem viros aut fæminas, hoc eſt, juvenes aut puellas, itemque viduos aut viduas, ideo hæc accommodantur; quia in hanc conditionem ſunt nati, & eo à natura generatim facti, ut in conjugio vivant, & illi quidem imperent, hæ verò ſubſint: vel priſtini ſtatus conditionem adhuc aliquomodo retinent. Quod quidem licet animaduertere in loco paulo ſuperius à nobis adducto ex 1 Tim. 2: ubi de viris & fæminis loquens, potiſſimum eos intelligit, qui in conjugio vivunt, licet vel omnia vel pleraque ad cæteros quoque ejuſdem ſexus homines ſint trahenda. Eſſet quidem locus dicendi hîc de illis, quæ Paulus de ritu iſto capita aperiendi diſſerit, & verba ejus penitius forent conſideranda: verum ea res prolixiorem diſputationem requireret, eamque perſequi potius foret commentarium ſcribere, quam officia præceptaque explicare. Illud tamen prætermittendum non eſt, præceptum hoc Apoſtoli, quod aliqua ex parte ceremoniale eſt, licet à natura quodam modo originem trahat, quemadmodum ipſe oſtendit ℣. 14, 15; admittere interpretationem κατ' ἐπιείκειαν, & non ſemper ita rigidè ſumendum eſſe, præſertim in regionibus frigidioribus. Quod de Sabbato aliquando dixit Chriſtus, illud propter hominom eſſe, non hominem propter Sabbatum, (oſtendere volens, cum Sabbatum ſeu quies illa hominis valetudini nocet, id ipſius ſaluti cedere debere, ſeu omnia illa facere licere, quæ ad valetudinem hominis tuendam ſunt neceſſaria:) id etiam de hoc præcepto jure dici debet, ac poteſt. Nam ideo id latum eſt, ut dignitatem ſuam vir, auctoritatemque retineat, vel potius oſtendat, & capitis ſui honorem non imminuat. At ſi plus noceat aperto eſſe capite, præſertim diu, quam dignitatis & imperii ſui indicium non exhibere; ſatius eſt illi, quam huic conſulere, & ſuperſtitioſum foret, nimis ſtricte id obſervare, præſertim cum nonnunquam una hora ſibi quiſpiam poſſet eripere facultatem per longum admodum tempus Deo ſerviendi, & gloriam ipſius humanamque ſalutem curandi, intempeſtiva & valetudini admodum noxia capitis apertione. Quid autem ineptius eſſet, quàm hujus ritus & ceremoniæ cauſſa id negligere, quod omnium præcipuum eſt, & efficere, ne id, quod libenter facis, diu facere poſſis? Quare ubi valetudinis ratio id exigit, is, qui docet, imo etiam qui orat, tegere caput poteſt: & cenſendum eſt, præceptum Apoſtoli tum non ſtringere, qui hujus circumſtantiæ rationem non habuit, ſed hominum ipſorum potius prudentiæ ac judicio id permiſit. Quanquam cum preces minus diu durent, quam reliqui ſermones, & plerique facile offendantur ſi quis tecto capite oret, putentque id in Dei contemtum quendam redundare; vel non eſt in precibus caput tegendum, vel tale tantum tegumenti genus adhibendum, quod vulgo vix pro tegumento habeatur, & ſic homines minus offendat, valetudini nihilominus proſit. Ædificationi enim præſertim multorum magis etiam quam valetudini conſulendum eſt: id enim non amplius ceremoniale eſt, ſed ad charitatis officia pertinet. Verum hoc prudentiæ ac pietati cujuſque judicandum relinquitur. Quare (ut rem tandem concludamus) ita poſſis præceptum Apoſtoli explicare, acſi dixiſſet: ſi valetudinis ratio alias permittit, & nulla eſt ſatis gravis cauſſa, quæ contrarium ſuadeat, & auctoritatis & dignitatis ad breve tempus demonſtrationi præponderet, caput eſſe prophetantibus aut orantibus aperiendum.

Quod ad fæmineum ſexum attinet, in illo ſingularis quidam pudor & modeſtia requiritur: in pudore autem illo & pudicitiam inde dictam complectimur, quæ licet viris etiam ſit neceſſaria, à fæmina tamen vel imprimis requiritur, & omnia etiam vel minima libidinis alicujus indicia deformia in illa judicantur; ita ut etiam aſpectu violetur. Quanquam idem quoque in viris accidit, ſi eo modo aſpiciant uxorem alienam, quo Chriſtus id fieri prohibet Matth. 5. 28. Sed major adhuc à fæminis requiritur cautio ac verecundia. Quod ad modeſtiam attinet, quæ verecundiæ ac pudori admodum eſt vicina, & cum eo ita copulata, ut ab eo ſejungi vix queat; ea quoque à fæmina imprimis requiritur, quod ad parendum nata ſit. Utramque hanc virtutem expreſſit Apoſtolus 2 Timoth. 2: idque partim ℣. 9: ubi de veſtitu fæminarum loquens, in eo requirit pudorem & modeſtiam; (ita enim vocem Græcam σωφροσύνης rectè hîc vertendam putarunt doctiores interpretes:) partim vero ℣. 15: ubi in fæminis præter fidem & charitatem requirit ſanctimoniam, hoc eſt caſtitatem, (quomodo hæc vox accipitur 1 Theſſ. 4. 4, ubi ſcortationi opponitur; itemque ℣. 7, ubi impuritati, hoc eſt libidini;) & modeſtiam quæ luxui opponitur. Hujus modeſtiæ inter alios triplex eſt effectus, qui ab Apoſtolo nominatim fæminis præſcribitur. Primus dicto jam ſuperius loco 1 Tim. 2. ℣. 9, & 10 explicatur: ubi ait Apoſtolus: *Similiter etiam mulieres volo in habitu honeſto*, ſeu gravi, *cum pudore & modeſtia* ſeu moderatione *ſe ipſas ornare, non in plicaturis, aut auro, aut margaritis, aut pretioſo veſtitu, ſed (quod decet mulieres promittentes* vel ſpondentes *pietatem) per opera bona.* Requirit in illis Apoſtolus veſtitum κόσμιον, hoc eſt, gravitate quadam decorum, qui honeſtas matronas deceat: idque explicans ait, eas debere ſeſe ita ornare, ut & pudor in corporis cultu appareat, & moderatio: pudor quidem, ne cultus ille ſit meretricius, aut talis, qui aliquas corporis partes tegendas retegat, & alios ad libidinem irriret, vel alias quippiam habeat, quod pudica & verecunda matrona vitaret: moderatio autem, ut omnis abſit luxus & ornatus non neceſſarius; quem ipſe Apoſtolus aliquo modo explicat, dum à fæminis abeſſe vult artificioſam illam capillorum plicaturam, argentum, aurum ac margaritas & lapides precioſos, ac denique materiam etiam ipſam veſtium precioſarum. Poſſis etiam includere colorem nimis ſplendidum, ac varium, qui partim cum pudore, partim cum moderatione illa ſolet pugnare; quemadmodum & forma veſtium. Animadvertendum autem eſt, Apoſtolum, cum hujuſmodi res enumerat, ad id reſpicere, quod ut plurimum ſit vitandum Chriſtianis hominibus, inter quos pauci ſunt admodum potentes ac nobiles, ac ſupra alios nimium eminentes. Quod ſi enim contingat, ut Chriſtiana aliqua fæmina ſupra alias dignitate atque imperio valde emineat, non tam verba, quam mens Apoſtoli atque ſententia ſpectanda eſt: ut etiam in legibus Politicis fieri ſolet, in quibus id, quod generatim fieri debeat, præſcribitur, caſuum ſingularium, aut etiam, quæ rariora ſunt, mentione nulla facta; quæ tamen poſt vel ex analogia quadam cum iis, quæ plærumque fiunt, fierique debent, aut alia aliqua ratione judicantur. Quare fæmina ejuſmodi, v. g. Princeps, pro ſua conditione honeſtè ſeſe debet ornare, ad auctoritatem perſonæ ſuæ convenientem apud alios retinendam, & id, quod aliæ fæminæ ejuſdem conditionis, quæ maxima utuntur moderatione in cultu corporis obſervant, id ipſa quoque ſequi debet, ſupra alias autem haudquaquam ſeſe efferre; immo etiam, quæ vulgo ab ejus ordinis fæminis fiunt, quia plæræque modum non ſervant, parce debet imitari, & ſi quid poſſit ſalvo honore de ſplendore demere, id detrahere debet. Duo enim in veſtitu ſpectantur, Chriſtianis etiam hominibus conceſſa, primum ut muniatur corpus adverſus injurias aëris, & ea tegantur, quæ honeſtas tegere jubet: deinde ut contemptum vites, & contra gravitatem, auctoritatemque, quam ſtatus, munus ac conditio tua poſtulat, retineas. Hinc etiam facile intelligi colligique poteſt, quid reliquis inferioris con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ditionis hominibus ſit ſequendum. Cavendum nempe eſt imprimis, ne ſupra alios ſeſe efferant, & vulgi conſuetudinem ſectentur quidem, à qua qui diſcedit, is ſe præter neceſſitatem ſæpe riſui exponit & contemptui objicit, ſed ſectentur tamen moderatè. Quod ſi in aliquo populo generatim, ac vulgo uſurpetur veſtis genus, aut pannus v.g. pretioſior, (id quod Apoſtolus prohibere videtur;) non tam verba, quam mens Apoſtoli eſt ſpectanda. Nam quod jam vulgo uſurpatur, id etiamſi alibi precioſum ſit ac cenſeatur, ibi tamen, ubi à plæriſque uſurpatur, precioſum non amplius cenſetur: quemadmodum v.g. veſtes ſericeæ in Italiæ urbibus.

Atque hîc etiam locus eſſet diſſerendi de cauſis variis, quæ à luxu ac ſplendore nimio in veſtitu abducere debeant fæminas, ac multo magis viros, quos forma neglecta decet: ſed illæ breviter hæ ſunto. Quod animi modeſtiam extinguant paulatim, & ſpiritus ac ſuperbiam addant, faciantque ut alios, qui viliori veſtitu amicti ſunt, fratres aut ſorores deſpicias, & cum illis minus familiariter vivas, & ne charitatis & humanitatis officia illis præſtes aut ſermones comiter cum illis miſceas, quemadmodum oportet, impediant. Summa, ex ſuperbia & ambitione quadam, vel naſcitur ſplendor ille nimius, vel ipſe eam parit, ejuſque adeò vel filius eſt vel pater. Præterea religionem ac devotionem fere perimit, animo ad cultum corporis intento; liberalitatem in egenos reſtringit, ut ſuppetat quod profundatur: ne quid dicám de iniquitate vel in exigendis iis, quæ nobis debentur, vel in retinendis, quæ aliis. Hinc æris ſæpe alieni magnitudo; unde fidei ſæpe jactura, & inquietudo animi, quæ te rebus optimis, ac religioni vacare non permittunt. Adde ſcandalum, infirmorum maxime, aut pauperum, aliorumque in Eccleſia verſantium: imo etiam extraneorum, qui paulo ſunt modeſtiores & luxum omnem oderunt. Sed de his nunc ſatis. Illud tantum hîc addere libet, idem præceptum præſcribi uxoribus Chriſtianis à Petro 1 Epiſt. 3. ℣. 3, 4. Et alium ornatum, nempe animi, loco illius ſubſtitui, nempe incorruptibile manſueti & quieti ſpiritus; de quo in officiis uxorum Chriſtianarum aliquid dicemus explicatius. Paulus generalius quippiam commemorat, dum vult mulieres ornari operibus bonis, ſeu per opera bona: quaſi dicat, quod ſi nihilominus putetis vobis opus eſſe ornatu, animi ornatum potius quærite, hoc eſt, opera bona atque imprimis manſuetum quietumque animum, qui ſeſe corrumpi, & ab hac tranquillitate deduci non patiatur: hic decet fæminas, quæ ſeſe Deo conſecrarunt, ornatus, hic coram Deo eſt pretioſus.

Addi etiam illud poteſt, alterum quoque extremum eſſe nonnunquam vitandum, hoc eſt, nimias in veſtitu ſordes ac ſquallorem, qualis cernitur in lugubribus ſeu pullis Polonorum veſtibus, in quibus tamen cernere licet ambitioſum luctum quendam, cum eum nimium oſtentant, & ſæpiſſime ſupra verum. Quare ſimulatio ſeſe ſæpiſſime ſub iſta larva occultat; præterquam quod hominem Chriſtianum, qui gravitatem quandam ſemper præ ſe ferre debet, admodum deformat, & prope ſpeciem illi hominis detrahit, ac præterea arguit, ſi modo habitus non mentitur, animum luctu pene fractrum ac dejectum: cum homo Chriſtianus omnia mala moderatiſſime, animoque æquiſſimo ferre debeat, idque tum factis tum verbis, tum vultu & totius corporis habitu ac geſtu, oſtendere. Itaque ſi veſtis illa animum verè exprimit, nimius eſt luctus, Chriſtiano homine indignus: ſi mentitur, ſimulatio eſt & hypocriſis itidem homine Chriſtiano indigna. Hoc tamen addi poteſt, aliquid, ut ſupra de ſplendore veſtium diximus, ita etiam in lugubribus veſtibus, dandum eſſe communi conſuetudini: ſed ita, ut quantum ejus fieri poteſt, ad mediocritatem accedatur. Alioquin enim illi, qui ſerio lugent, carpi poſſent, tanquam minus amaſſent defunctos, quod communis ab illis conſuetudo prætermittatur lugentium: eſt autem famæ honeſtæ habenda ratio.

Secundus ejus modeſtiæ, quæ in fœminis requiritur, effectus eſt, quod in ſilentio diſcere debeant cum omni ſubjectione, & à docendo abſtinere ex dicto ad Tim. loco cap. 2. 11, 12; & 1 Corinth. 14: ubi ad Eccleſiam id pertinere oſtendit, ut non tantum iis, non docere alios, ſed ne loqui quidem, & aliquid ex aliis in publico conventu quærere permittat: ita enim ait: *Fæminæ veſtræ in Eccleſiis taceant; non enim permiſſum eſt illis loqui,* (nempe in congregatione:) *ſed* ſcilicet imperatur *ſubjectas eſſe, quemadmodum lex dicit. Si vero quippiam diſcere volunt, domi ſuos maritos interrogent: turpe enim eſt fæminis in Eccleſia loqui.* Ex utroque autem loco ſatis patet, ſilentium hoc perpetuum ſubjectionis cujuſdam ſignum eſſe, atque adeò recte modeſtiæ muliebris effectum conſtitui: contra vero loqui aut docere velle, ejus eſſe, qui autoritatem quandam ſibi in alios uſurpet, vel ſaltem oſtendat, ſe illis, cum quibus loquitur, præſertim publice, non eſſe ſubjectum, eoſque non tantopere revereri, quantopere inferior ſuperiorem revereri debet.

Tertius effectus, qui itidem, ut ſuperior, ad Eccleſiam pertinet, eſt is, cujus contrarium de viris ſuperius retulimus ex cap. 11. prior. ad Corinth. ubi Apoſtolus docet, fæminas in Eccleſia debere eſſe capite operto, & ſic ſignum poteſtatis, cui ſubſint, præferre. Cujus enim caput apertum eſt, is ſui ſe juris atque arbitrii, non vero alicui ſuperiori ſubeſſe, ſeu in ſuo ſe genere ſupremum ac liberum eſſe oſtendit: cujus vero caput liberum non eſt à tegumento, eum alii cuipiam ſubeſſe arguitur; in capite enim apparet, quæ ſit imperii aut ſubjectionis ratio.

Cap. X.

De diverſarum ætatum officiis: ubi quædam adhuc de viris ac fæminis ſpecialiora.

Monuimus jam ſupra, nos non ſubtiliter, ut aliarum rerum, ita nec differentias ætatum perſequuturos, eaque de cauſa Chriſtianos homines ætatis ratione in ſenes tantum ac juvenes, ſeu ſeniores ac juniores diſtribuemus, ſequuti hac in parte ipſum Paulum, qui hac diſtinctione bis utitur, 1 Tim. 5 initio. & Tit. 2. 2. De quo utroque loco, ſed magis de poſteriori nobis erit dicendum. Hoc autem primum in genere moneri poteſt, eos, qui ætate ſunt pares, ſive ſeniores ſint, ſive juniores, inter ſe agere debere ut fratres ac ſorores, &, ſi cæteroqui dignitate ſint pares, pari veneratione ac mutuò amore ſe proſequi, obſervata ſimul inter diverſos ſexus caſtitate ac pudicitia; quod præceptum partim ſola ratio dictat, partim non obſcure monſtrat prior ex locis Apoſtolicis initio allegatis, ubi Timotheo, quia ipſemet juvenis erat, injungitur, ut juniores viros adhortetur tanquam fratres, juniores fæminas tanquam ſorores, cum omni caſtitate. Deinde quod ad ſeniores in genere attinet, eos imprimis decet gravitas ſingularis, quæ autoritatem illis apud juniores conciliet. Nam cum illi juniores regere debeant, ob prudentiam longo uſu comparatam, hac illis imprimis eſt opus; qua de re, niſi fallor, aliquid in gravitatis explicatione dictum eſt. Cum gravitate autem conjuncta eſſe debet ſingularis affectuum ac ſermonum moderatio, ſine qua gravitatem tueri non licet, omniſque abeſſe debet temeritas, ut juniores eos revereri diſcant, & in omni vita ſequenda honeſtas ac morum integritas, ut juniores, quod imitentur, habeant. Præterea illorum eſt, monere atque inſtruere juniores, &, ut antea diximus, eorum vitam regere.

Juniorum contra eſt imprimis modeſtiam ſervare, & ſeniores revereri ut patres aut matres; id quod Deus olim præcepit in ſua lege, in qua ita inter alia ait Levit. 19. 32: *Coram capite cano conſurge, & honora perſonam* ſeu faciem *ſenis*. Quare & externus illis cultus deferendus eſt, & nil coram illis audendum, quod ipſis diſpliceat, quodque ad ipſorum contemptum pertinere queat, reverenter etiam ſunt compellandi, &

etiamſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

etiamſi tandem reprehenſionem mereantur, non ſunt tamen à junioribus objurgandi, multo minus convitiis afficiendi, aut durioribus verbis increpandi, ſed quemadmodum præcipit Paulus Timotheo, admonendi ſunt viri ſeniores, ut patres, fæminæ ut matres: ubi primo loco prohibet, ne ſeniorem increpet Timotheus, licet eſſet vir tam eximius, & Eccleſiæ ab ipſo Apoſtolo præfectus. Unde apparet, ne officii quidem Eccleſiaſtici dignitatem atque eminentiam, tantum licentiæ tribuere juniori, ut irreverentius ſeniorem alloqui & objurgare, quanquam merentem, poſſit; quanto ergo minus id licebit aliis. Deinde ex hac juniorum modeſtia proficiſci quoque debet obſequium, ita ut meminerint partim imprudentiæ ſuæ, partim imbecillitatis ſeu mavis vehementiæ affectuum, quibus ea ætas eſt obnoxia, adeoque ſenum conſiliis libenter acquieſcant, & moneri ab illis non dedignentur, & reprehendi ſeſe patiantur, quin etiam gratias monentibus agant, & ſenioribus plus, quàm ſibi ipſis, credant. Tertio ex eadem modeſtia id debet naſci, ut ſenioribus libenter miniſtrent, & illorum imbecillitatem opera ſua ſublevent. Omnes nempe ſeniores, qui honeſtè vivunt, illis propemodum parentum inſtar eſſe debent. De vitandis aut comprimendis juvenilibus cupiditatibus, cæteriſque affectibus, qui in junioribus vehementius exæſtuant, aliquid adhuc moneri hîc poſſet, niſi ex generali virtutum tractatione ea peti poſſent. Quanquam de juvenilibus cupiditatibus vitandis, & ſingulari caſtitatis cura juvenibus adhibenda, dicemus etiam nonnihil infra, ubi de innuptis aut cœlibem vitam agentibus tractabimus.

Hactenus, quid ſenioribus in univerſum, itemque quid junioribus utriuſque ſexus ſit faciendum, docuimus: ſequitur jam, quid ſenioribus aut junioribus tum hujus, tum illius ſexus ſeparatim præcipiatur ab Apoſtolo. Quanquam in iis quædam reperiuntur etiam generalia, imo omnia generalia cenſeri debent; ſed hæc ad hanc, aut illam ætatem maximè accommodata, eique imprimis obſervatu neceſſaria. Locus autem ille jam ſuperius à nobis citatus extat Tit. 2. 2. & ſeqq. ubi de ſenibus primum ita loquitur Apoſtolus; *ſenes* (ſcil. doce) *ſobrios eſſe*, vel (quod itidem fert vox Græca) *vigilantes*, *graves* ſeu verendos, *temperantes*, ſeu mavis, prudentes, *ſanos in fide*, hoc eſt, qui ſalutarem incorrumptamque doctrinam rectè teneant, *charitate*, *patientia*. Deinde de fæminis ætate provectis ita ſubjicit, *anus itidem habitu, qui ſanctimoniam decet*, hoc eſt, ut eo utantur habitu aut veſtitu, qui ſanctitatem, gravitatemque quandam præ ſe ferat, *non calumniatrices*, ſeu quæ aliis non libenter obtrectent, *non vino multo mancipatas*, *honeſta docentes*, hoc eſt, quæ junioribus imprimis inculcent virtutis & honeſtatis præcepta, & mores earum corrigant; quod ſtatim explicat dum ait, *ut ſapientes reddant adoleſcentulas* ſeu juvenculas, hoc eſt, ſapientiæ ſeu prudentiæ præcepta illis inſtillent, & ſic ad omnem virtutem erudiant, & officii illas admoneant. Quodnam autem ſit harum officium, ſtatim ſubjungit Apoſtolus, & ſic duo ſimul explicat, nempe tum quid docere debeant ſeniores fæminæ, tum quid facere juniores: quare ab ordine Apoſtolico non diſcedentes, ſtatim juniorum fæminarum ſubjungemus officia. Ea vero ſunt, *ut maritos diligant*, *ut liberos diligant*: quæ duo, ut cuivis patet, non omnium, ſed tantum maritarum ſunt officia; & id quidem, quod de liberorum amore dicitur, non de cœco intelligendum eſt, qui in fæminis ſæpe eſt moderandus, ſed de affectu liberis ſalutari. Quanquam interdum etiam hoc ſunt docendæ juvenculæ, ut liberos amore proſequantur, quia nonnullæ interdum liberos nullo affectu amplectuntur, magis autem de voluptatibus, corporiſque cultu atque ornatu ſolicitæ ſunt, quàm de prole: non raro etiam illud accidit, ut quoſdam ex liberis diligant quidem matres, ſed alios odio quodam propè proſequantur, maximè ſi ſint deformes, aut ſimili aliquo laborent defectu; unde fit, ut illorum curam vix velint ſuſcipere. Deinde id etiam monendæ ſunt, ut in liberis educandis, alendis, & ad honeſtatem inſtituendis curam ponant diligentem: hac enim in re imprimis cerni debet matrum erga liberos affectus. Pergit Apoſtolus, *ut ſint ſobriæ, caſtæ, domi libenter maneant*, eamque veluti cuſtodiant, adeoque non huc illuc circumcurſitent; quod vitium in viduis junioribus nominatim reprehendit Apoſtolus 1 Timoth. 5. 23. Vult præterea eas eſſe bonas, hoc eſt, benignas, ac humanas, non difficiles, cerebroſas, iracundas, ac inhumanas, & ſubjectas ſeu obſequentes ſuis viris; addita ratione, *ne ſermo Dei blaſphemetur*. Denique quod ad juniores ſeu adoleſcentes attinet, de iis ita loquitur Apoſtolus: *Juvenes itidem hortare, ut ſint temperantes*, hoc eſt, ut ſobrii ſint ac caſti, non luxurioſi, non diſſoluti ac diſcincti nepotes. Unde vidimus ſupra in Epiſcopi liberis requiri, ne accuſentur luxuriæ ſeu diſſolutæ vitæ. Et hæc de ſingulis ætatibus.

Cap. XI.

De iis, qui cœlibem vitam agunt, atque imprimis de Viduis.

SEquitur tertium perſonarum diſcrimen ex ſtatu vitæ, ſeu conjunctione cum aliis aut disjunctione petitum, cujus ratione alii cœlibem vitam agunt, alii in matrimonio vivunt. De cœlibibus nunc agemus; de conjugibus capite ſequenti. Quod ad illos attinet, ii iterum duplicis ſunt generis: vel enim nunquam matrimonium inierunt, ſive juvenes ſint, ſive virgines: vel in matrimonio quidem vixerunt, ſed morte conjugis ad cœlibem vitam ſunt relapſi, ſuntque vidui aut viduæ. De his omnibus primo agemus in genere. Deinde aliquid etiam in ſpecie ſubjungemus. In genere hoc illis præcipiendum eſt, ut ſingularem caſtitatis ac pudicitiæ rationem habeant, meminerintque in lubrico ſe loco ſemper verſari, præſertim ſi ea ſint ætate, quæ ad voluptates venereas ſit proclivior. Quod ſi videant ſibi tantum virium non eſſe, ut continere ſe queant, ad matrimonium adſpirent, ſecundum illud Apoſtoli, qui ait, *melius eſſe nubere quam uri*, hoc eſt, ſtimulis cupiditatum urgeri, & fervore quodam libidinis æſtuare; quæ res inquietum hominis animum reddit, atque ad ſerias piaſque meditationes, atque ad licitos honeſtoſque labores, qui præſertim moram cogitationis & conſtantiam requirunt, ineptum. Matrimonium vero inituri id agere debent, ut in Domino id faciant, quemadmodum Apoſtolus viduis præcipit, ſeu convenienter religioni Domini Jeſu: quam ad rem primum requiritur, ut non niſi cum Chriſtianis, ſeu cum fidelibus matrimonium contrahant, ac pios tori conſortes quærant. Quare cum idololatras, tum etiam, qui aliis vitiis laborant, fugere debent. Nam cum quibus commercium habere, & panem comedere doctrina Chriſti prohibet, cum iis eam inire amicitiam, & eo connecti vinculo, quo nullum eſt in univerſa vita majus & arctius, id ſane haudquaquam in Domino ſeu Chriſtianæ religioni convenienter fieri poteſt. Deinde alia quoque ſpectanda ſunt, quæ ad decorum pertinent, aut etiam ad commoditatem quandam vitæ. Itaque licet interdum per conſcientiam quippiam per ſe facere liceat, tamen ſi ſit futurum indecorum & alios offenſurum, aut cæteroqui incommodum, id diligenter eſt vitandum. Cavendum enim eſt, ne vel famæ diſcrimen ſubeas, vel ſaltem aliquid de illius faſtigio decerpas, vel variis vitæ difficultatibus, quæ ſæpe ex matrimoniis temerè initis conſequi ſolent, te in reliquum vitæ tempus implices. Atque inter alia vitanda eſt nimia ætatis imparitas: raro enim vel bene audiunt, vel bene etiam cedunt matrimonia inter juvenes admodum & admodum ſenes contracta. Alia adhuc habebimus infra, ubi de viduis itemque de juvenibus ac puellis in ſpecie agemus. Et hæc quidem agenda ſunt iis, qui continentiæ donum non ſunt conſecuti, vel etiam matrimonium inire volunt. Qui vero vires eas in ſeſe ſentiunt, atque illud donum a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Domino acceperunt, ut à conjugio abſtinere queant, cœlibem potius vitam, niſi quid forte aliud obſtet, eligere debent: qua de re jam actum eſt ſupra, ubi de perfectione quadam virtutum præcepimus. Hoc in loco illud eſt memoria repetendum, quod ſuperius alicubi docuimus, tum illis, qui perpetuum cœlibatum ſibi delegerunt, tum illis, quibus alias aditus ad matrimonium quacunque de cauſa eſt intercluſus, ſaltem ad tempus, ſive ob voluntatem parentum, ſive quod deſit cui nubas, aut quam honeſte ducas, ſive inopia aliave calamitas obſtet, ſingulari utendum eſſe in victu moderatione. Sæpe etiam inedia domandum corpus, laboribus, vigiliis, ſacrarum literarum ſtudiis ac piis meditationibus: interim occaſiones libidinis diligenter vitandas, atque imprimis oculos aureſque diligenter adverſus illecebras muniendos, ne forte ad flagitium aliquod ſolicitentur; præſertim ſi ad voluptates hujuſmodi ſint alias proniores, aut illis jam antea aſſueverint, ut viduis utriuſque ſexus accidit. Magnus certè labor in bellua hac edomanda requiritur, nihilque ſe facilius animis inſinuat, quam voluptas. Præterea cum ii, qui cœlibem agunt vitam, præſertim ſi ſui ſint juris, minus ſoleant eſſe occupati, ac rei familiaris cura non ita diſtineantur; temporis etiam plurimum religionis ac rerum ſacrarum ſtudiis, precibus, aliiſque piis operibus dare debent. Qua de cauſa Apoſtolus ita loquitur de iis, qui extra matrimonium vivunt: quod curent ea, quæ ſunt Domini, quomodo placeant Domino: quia nimirum occaſionem & opportunitatem peculiarem habent ad id faciendum. Non eſt autem veriſimile, hominem Chriſtianum, qui modo ſincerè nomen Chriſti profiteatur, atque ita, quæ ſui ſunt officii, ſerio cogitet, non id perpetuo agere, ut ea, quæ Domini ſunt, curet, & illi penitus ſtudeat placere, ſi modo opportunitatem eam ad rem habeat. Idem poſtea exprimit Apoſtolus ℣. 35, ubi oſtendit, qui ſint cœlibatus uſus, & quorſum eum ſuaſerit; qua de re dictum eſt eo loco, quem paulo ante indicavimus. Hæc de cœlibum officio in genere.

Quod ad juvenes & puellas inuptas attinet in ſpecie; utrorumque officium eſt, in rebus ad matrimonium pertinentibus nil temerè incipere, nec ſuo niti conſilio, ſed ab auctoritate parentum aut tutorum, aut, ſi utrique deſint, aliorum virorum bonorum ac prudentum pendere, in eorumque voluntate libenter acquieſcere: temeritas enim huic ætati familiaris ei vehementer obeſt. Et quod quidem attinet ad juvenes, etiamſi diu differre conjugium, illorum nonnunquam ſit pietati noxium, tamen omnino decet maturitatem quandam annorum expectare, tum ut prudentiam, qua ad regendas uxores, familiam, ac liberos ſubnaſcentes eſt opus, acquirant, tum autoritatem quandam in domo habeant, qua juvenes deſtituuntur. Nam hac quoque ad regendum eſt opus: mariti autem eſt in domo imperare. Adde quod ii, qui ſunt nimium juvenes, cum jam ſuo remigio rem gerunt, ſæpe per imprudentiam rem familiarem diſſipent, & variis ſeſe implicent difficultatibus. Puellas vero imprimis decet, ut parentibus aut tutoribus ſuis admodum ſint hac in parte obnoxiæ, nec ſibi maritos deligant ipſæ, aut ulla procacitatis ſigna præ ſe ferant.

Quod ad viduos ac viduas attinet, qui ſui ſunt arbitrii, iis cogitandum eſt, ne præter decorum aut ætatem ad nuptias ſecundas, aut tertias properent. Jam olim Poëta dixit; *Turpe ſenilis amor*: turpe eſt, inquam, cum de nuptiis cogitare, qui ad mortem ſeſe magis præparare deberet, quique jam ſit effœtus ac decrepitus: quod idem multo magis de anibus dicendum eſt. Imprimis autem turpe eſt, illos juvencularum, has adoleſcentium nuptias appetere. Interim viduos ac viduas juniores, niſi quid obſtet aliud, ſi vires ad perpetuam continentiam deſint ſufficientes, nubere eſt ſatius: id quod nominatim viduis junioribus fæminei ſexus ſuadet Apoſtolus, aut ſuaderi præcipit 1 Tim. 5. 14, ubi ait: *Volo ergo juniores* ſcilicet viduas *nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare, nullam occaſionem dare adverſario ad maledicendum.* Atque hoc loco viduarum officia ex Apoſtolo Paulo fuſius nobis ſunt explicanda, imprimis natu grandiorum, aut earum, quæ impoſterum à matrimonio abſtinere decreverunt, præſertim ſi adhuc accedat, ut à ſuis plane deſtituantur. Sunt autem duæ officii viduarum partes ab Apoſtolo conſtitutæ: altera in faciendis conſiſtit; altera in vitandis. Illud eſt ab Apoſtolo expreſſum ℣. 5, ubi ait: *quæ autem verè vidua eſt, & ſola*, hoc eſt, à ſuis deſtituta, (quod poſterius eſt explicatio prioris: ea enim verè vidua eſt, quæ neminem habet, qui ejus agat curam:) *ea ſpem ſuam collocavit* (id eſt collocat; hoc enim modo non ſemel hujus verbi præteritum uſurpatur in ſacris literis:) *in Deum, & perſeverat in precationibus die ac nocte.* Duas ergo virtutes in hujuſmodi vidua requirit Apoſtolus, quæ eum hominem vehementer decent, qui ab omnibus eſt deſertus, fiduciam in Deum, & aſſiduitatem ſeu perſeverantiam in precibus. Hoc vero, id eſt, quæ nam viduæ ſint vitanda, eodem capite expreſſit Apoſtolus. Videntur autem ad duo imprimis genera referri poſſe, quæ quidem libenter ſolent eſſe conjuncta; ad luxuriam & ad otium otiique conſectaria, garrulitatem & curioſitatem. Nam primum ℣. 6 ait: *quæ vero* ſcilicet vidua, *in deliciis vivit, vivens mortua eſt.* Et infra eas etiam notat viduas, quæ luxuriaverint contra Chriſtum, ac nubere velint. Vitanda enim eſt illis intemperantia omnis aut gula, atque inde natæ aliarum cupiditates voluptatum. Quod ad otium attinet, ejuſque effecta, ea enumerat Apoſtolus ℣. 13, ubi ait: *ſimul vero etiam otioſæ*, præſertim viduæ juvenculæ, *diſcunt circumire domos: non ſolum autem otioſæ, verum etiam garrulæ*, ſeu nugaces, *& curioſæ*, hoc eſt, quæ omnia tum inquirere velint, tum narrare, & nova undecunque excipere, & in aliarum aurem iterum infundere, *loquentes quæ non decent.* Quanquam hæc aliis quoque fæminis omnibus diligenter eſſe vitanda, jam ſupra ex parte monuimus.

CAP. XII.

De officio Conjugum.

HActenus de eorum officio egimus, qui extra matrimonium vivunt; nunc de iis agendum eſt, qui vivunt in conjugio, qui quidem primum conſtituunt earum perſonarum genus, quæ ita inter ſe ſunt conjunctæ, ut alii eorum imperent, alii vero parere debeant; de quibus nobis porro eſt dicendum, præcipiendumque. Conjunctio vero iſta ſeu ſocietas duplex eſt: altera domeſtica, altera Civilis ſeu Politica. Illa triplex eſt: prima eſt conjugum inter ſe: hanc ſequitur ea, quæ eſt inter parentes & liberos: tertia ea, quæ inter Dominos & ſervos; quibus nominibus etiam heras & ancillas complectimur. Politica vero ſeu Civilis ea eſt, quæ inter magiſtratus ac ſubditos verſatur.

Quod ergo ad conjugum officia attinet, ea duplicia ſunt. Quædam ſunt communia utriſque, id eſt, tum marito, tum uxori; quædam propria, & alterutri peculiaria. Omnia autem deduci poſſunt ex comparatione illa, qua Paulus utitur, cum maritum capiti, uxorem carni aut corpori comparat. Quod ad prioris generis officia attinet, inter ea primum obtinet locum arctiſſimus & indiſſolubilis inter conjuges nexus: quia ut ſacræ literæ inquiunt, duo ſunt, aut fiunt in carnem unam. Unde conſequitur hoc, & conſequi etiam debet, ut homo Patre & matre relicta, quæ perſonæ alias nobis ſunt conjunctiſſimæ, adhæreſcat uxori ſuæ, & cum ea ſocietatem ac neceſſitudinem colat eam, qua nulla eſt inter civiles major, quemadmodum & inter naturales nulla eſt major, quam capitis & membrorum, & inter myſticas, quam quæ eſt Chriſti tanquam capitis, & Eccleſiæ tanquam corporis. Indiſſolubilis autem debet eſſe ille nexus duplici ratione: primum ne alter alterum deſerat, ſed uſque ad mortem conjunctionem conjugalem ſervet; ubi divortium & deſertio omnis excluditur, niſi adulterii cauſa, & quidem ab uxore admiſſi, tanquam inferiore.

feriore.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſeriore. Nam mariti, qui ſuperior eſt, in hoc caſu diverſa eſt ratio, ut infra apparebit. Deinde ne alter conjugum alteri cuipiam perſonæ corpus ſuum communicet, ſeu caſtitatem ac fidem conjugi ſervet inviolatam. Hujuſmodi enim eſt nexus inter caput & corpus planè indiſſolutus. Nec caput hujus corporis alii cuipiam corpori annecti, nec corpus hoc alii capiti jungi debet. Hoc naturæ debetur; illud voluntati officioque. Secundum ſecum obtinet charitas, ac benevolentia mutua, ex indiſſolubili & arctiſſimo illo nexu proficiſcens, quæ licet alteri parti quodam modo ſit propria, ut paulo poſt videbimus, utrique tamen in ſacris literis adſcribitur, & omnino adſcribenda eſt. Nam & maritus uxori, & uxor marito charitatem & benevolentiam debet. De marito nullum eſt dubium. De uxore idem legimus ad Tit. 2. 4. ubi Paulus jubet, ut ſeniores fæminæ doceant juniores id quoque inter alia, *ut viros* ſeu maritos *ament*. Simile quippiam in humano corpore apparet. Nam & caput amat & curat totum corpus, & corpus viciſſim capiti ſubſervit idque ſuſtinet, & dolente altero alterum quoque dolet, gaudente gaudet. Ad hanc autem charitatem mutuam hoc primum pertinet, ut ad communionem bonorum, eorumque perfruitionem alter conjugum alterum admittat, quemadmodum iiſdem alimentis tum corpus tum caput fruitur ac nutritur. Deinde illud, ne benevolentiam conjugalem, de qua Paulus 1 Corinth. 7. ỷ. 3, 4, 5, alter alteri deneget, quia neuter conjugum hac in parte ſui eſt prorſus arbitrii, ſed alter in alterius eſt poteſtate. Pertinet præterea huc, ut alter alterius commodis gaudeat, malis etiam adverſis doleat. Tertium denique adjungi poteſt ad generalia conjugum officia, ut quemadmodum unum tantum unius corporis eſt caput, & contra; ita etiam unus ſit tantum unius uxoris maritus, & contra, quemadmodum ab ipſo initio Deus conſtituerat, ut duo eſſent in carnem unam, non plures: ad quam ordinationem Dominus Jeſus ſub Novo fœdere matrimonium reduxit, à qua conſuetudo apud Judæos receſſerat, & quidem interdum longius, cum unus multas haberet uxores, & nonnulli etiam ad millenarium numerum progrederentur; quæ licentia tam vaga ita nunc eſt coërcita, ut hac in parte uxores maritis ſuis ſint æquatæ. Hactenus officia communia.

Quod ad propria attinet, incipiemus primum ab uxoribus, quia & Apoſtolus in officiis conjugum præſcribendis ordine eo utitur: idque propterea, quod is, qui in ſocietate aliqua eſt inferior, & ſub poteſtatem alterius ſubjectus, primo officium ſuum præſtare debeat, tum is, qui eſt in eadem ſocietate ſuperior, & poteſtatem quandam in alteram partem habet: (eſt enim id, quod ſuperior inferiori præſtare debet, aliqua ex parte præmium quoddam officii, quod inferior ipſi præſtitit) quodque eodem pacto Apoſtolus priori loco ſervis officium præſcribat, deinde dominis, itemque liberis primo, tum demum parentibus. Poſſunt autem officia uxorum propria ad unum caput reduci, nempe ad ſubjectionem & obedientiam, quam maritis debent; quemadmodum corpus quoque capiti paret, & quidem in omnibus. Quapropter uxores quoque in omnibus, quanquam certi generis rebus, nempe iis, quæ à Deo non ſunt prohibitæ, maritis parere debent; quemadmodum etiam Eccleſia Chriſto in omnibus ſubjecta eſt, hoc eſt, ad parendum obſtricta: Epheſ. 5. 24. Vel non ſecus atque ipſi Chriſto: ibid. ỷ. 22, 23. Huic ſubjectioni repugnat autoritatem ſibi uſurpare in virum, quod prohibet Apoſtolus, 1 Tim. 2. 12. Eſt autem auctoritatem uſurpare in maritum, non conſulere aliquid, aut ſuadere viro, quod ſit utile, aut precibus eum ad rem quampiam impellere; ſed ſententiam aut decretum de rebus ad communem vitam aut familiam pertinentibus ferre, & marito præcipere, idque urgere, ut ſententiam eam exſequatur. Nam non repugnat ſubjectioni conſilii boni ſuppeditatio, ſuaſio aut preces: ſed partim imperium, partim etiam par cum aliquo poteſtas, quam quis ſibi omnino arroget. Quod ſi ergo fiat, ut alicui contingat uxor, quæ vel ſuperet maritum prudentia, vel facultate rei bene gerendæ, vel ſaltem æquet: ei licet conſulere, ſuadere, monere, rogare; interea tamen decernendi & ſtatuendi arbitrium relinquere marito debet, ut ſi non poſſit perſuadere marito id, quod ipſa velit, aut è re eſſe videat, ipſa potius ſequatur voluntatem ac nutum viri, quam contra hic illius: quemadmodum conſiliarii principum aut Regum, qui ſæpe ipſis Regibus ac principibus ſunt prudentiores, conſilia bona dare, rogare, monere dominos debent, non vero iis præcipere, ſed poteſtatem decernendi iis relinquere; adeo ut licet ipſis quippiam videatur minus recte & utiliter decretum, eorum tamen mandatis, quoad per conſcientiam licet, obſequantur. Eodem pacto œconomi & ſervi fideles, qui nonnunquam rei familiaris adminiſtrandæ aut agriculturæ exercendæ magis ſunt gnari, quam ipſi domini, præſertim juvenes, bene quidem debent conſulere, non tamen unquam imperare heris, & tum demum arbitrio ſuo uti, ubi locus id illis permiſerit. Hoc enim omnino ſuperioris eſt proprium, ut penes ipſum ſit decernendi & præcipiendi poteſtas. Deceret quidem, ut is, qui ſuperior eſt ratione imperii, & prudentiæ imperii quoque ratione eſſet ſuperior, cum prudentia videatur regentium eſſe maxime propria: qua de cauſa etiam viri generatim loquendo prudentiores ſunt fæminis, quia Deus muliebrem ſexum voluit eſſe virili ſubjectum. Quod ſi tamen contra contingat; ſaltem decernendi ac præcipiendi poteſtas auctoritaſque penes ſuperiorem remanere debet, quæ ſimul atque ei adimitur, ſuperior eſſe deſinit. Interea tamen tantum illi debet eſſe rationis ac prudentiæ, ut poſſit recte monentibus & conſulentibus aurem præbere, & judicium de conſiliis alienis facere. Sed dicet aliquis: quid ſi maritus ſic imperet, ut res familiaris inſigne ſemper detrimentum capiat, & ad magnas calamitates tandem toti familiæ ſit deveniendum? Diſtinguendum hìc videtur: nam vel maritus habet tantum conſilii, ut, ſi vellet, poſſet non incommode familiam regere: vel ea aptitudine prorſus eſt deſtitutus. Si prius, parendum eſt nihilominus in omnibus uxori, quia alioquin autoritatem ac poteſtatem ſupremam marito ademeret, quod non licet, & minime tum cùm ſua plane voluntate matrimonium contraxit; unde ſuam ipſa culpam luere debet. Quod ſi tamen poſſit huic malo prudentia aliqua occurrere, amicorum conſilia atque opem implorando atque adhibendo, id conari non poteſt tantum, ſed etiam debet. Si poſterius: neceſſe erit talem hominem communi ſenſu plane eſſe deſtitutum; quod ſi fiat, fortaſſe regere domum poterit uxor, cum maritus ad poteſtatem iſtam, quæ maritorum eſt, exercendam prorſus ſit ineptus: quo pacto illos, qui Melancholia, vel inſania laborant, uxores regunt, quemadmodum & liberi nonnunquam parentes. Sed hoc valdè rarum eſt. Hoc adhuc addi poteſt, uxorem prudentem marito licet imprudentiori auctoritatem apud alios conciliare debere, & licet ipſa aliquid ſuaſerit, & conſuluerit, tamen id ita exſequi, ac ſi ab ipſo marito primum fuiſſet profectum. Et in ſuaſionibus quidem privatis poteſt magis inſtare, quanquam modeſtè: coram aliis autem auctoritati mariti ſemper conſulere debet.

Ad hanc porro ſubjectionem pertinet primo Timor, qui ſubjectionis, hoc eſt, obedientiæ reipſa præſtitæ cauſa quædam eſt, de quo loquitur Apoſtolus Epheſ. 5. ỷſ. ult. nempe quia maritus punire etiam poteſt inobedientem & immorigeram. Omnis enim timor malum aliquod aut pœnam ſpectat, & omnis poteſtas præcipiendi (ſuo inquam nomine non alieno) poteſtatem etiam habet, aliquam ſaltem, puniendi. Nam ſi hæc facultas abſit, non differet præceptio à ſuaſione, & tam poterit inferior ſuperiori præcipere, quam hic illi. Debet tamen timor hic amore, ut ſupra vidimus, temperari; ex quarum duarum rerum conjunctione oritur reverentia talis, qualis eſt in divinis, Eccleſiæ erga Chriſtum, hominum erga Deum: in

humanis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

humanis, liberorum erga parentes : non vero talis, qualis eſt mancipiorum ob plagas tantum ac ſeveritatem heros ſuos metuentium. Nam metus ſuperioris, imperium ſuum lenitate ac charitate temperantis, ipſo quoque amore temperari, & quo plus in illo charitatis eſt, tanto etiam plus in inferiore eſſe debet. Charitas enim à charitate, & benevolentia mutua à beneficiis, quæ vel ſentiuntur vel ſperantur, ut metus ex pœnis, quæ itidem vel ſentiuntur vel ſub certa ſaltem conditione expectantur, oritur. Deinde pertinet ad hanc ſubjectionem ſilentium, cum Apoſtolus 1 Tim. 2. 11, cum ſubjectione id conjungat: Et 1 Cor. 14. 34, opponat inter ſeſe, loqui in congregationibus, & ſubjectam eſſe. Poteſt autem duplex conſtitui ſilentium illud; alterum eſt, de quo utrobique loquitur Apoſtolus, ne mulieres velint docere in publicis conventibus, propterea quod is, qui docet, cum autoritate quadam loquatur, & aliis Dei nomine quodammodo præcipiat; id quod ſubjectioni adverſatur. Unde etiam vult Apoſtolus 1 Corinth. XI, ut mulieres tum temporis habeant caput tectum, & ſic ſignum illius poteſtatis præferant, quam mares ſupra ipſas in genere habent. Alterum ſilentii genus eſt, quod uxores maritis debent, ne maritis aliquid præcipientibus obmurmurent aut obloquantur, aut alias cum illis rixentur, & ne eos liberius objurgare, & verbis caſtigare audeant; quod ſubjectioni valdè repugnat. Atque huc pertinet vox illa ἡσυχίας qua Apoſtolus ad Timoth. utitur, quæ rixis ac turbis adverſa fronte repugnat. Unde Petrus etiam vult, ut uxores ſint ornatæ *incorruptibilitate manſueti ac quieti ſpiritus*, hoc eſt, ut iram norint moderari, vel potius longè ab ea abeſſe, & tranquillitati ac paci ſingulari nomine ſtudeant, atque ab omnibus turbis ſibi diligentiſſimè caveant, eaque in re conſtanter perſeverent, nec ullo pacto inde ſe deduci patiantur. Quare ſi quid eſt etiam ſilentio ſimile, nempe modeſtia in ſermonibus, & vitæ actionibus, omniaque quæ ad pacem & quietem pertinent, ea ad ſubjectionem hanc ſpectant; contra, quæ ad irritandos maritos facere poſſunt, cavenda ſunt. Denique externa quoque ſubjectionis profeſſio huc referri poteſt, qualis fuit illa Saræ, quæ maritum appellavit dominum, & ſi quæ ſunt ſimilia. Addi poteſt officio uxorum & hoc, quod licet generale ſit, aliquo tamen modo uxorum eſt proprium, ut nimirum caſtitatem & puritatem corporis ſingulari ratione ſervènt. Nam etſi hoc in maritis quoque ac viris omnibus requiratur, ut ſint caſti, in fæmineo tamen ſexu magis id deſideratur: qua de cauſa licuit olim marito plures habere uxores, ſed uni uxori, plures maritos nullo pacto. Ita enim fert ejus conditio, qui inferior eſt. Nam multitudo imperantium mala fere eſt, non ſervientium. Idem poteſt pluribus imperare, ſed pluribus non poteſt ſervire, ut Dominus Jeſus teſtatur. Quanquam nunc Dominus Jeſus poteſtatem iſtam maritorum limitavit, & conjungii conditionem ad primam originem & conſtitutionem reduxit: licet interim reliquiæ iſtius poteſtatis atque auctoritatis eatenus ſuperſint, quod maritus uxorem ob adulterium jure repudiare poſſit, uxor maritum non item. Hæc de uxorum officio.

Quod ad maritos attinet, illorum erga uxores officia ad unum caput redigi poſſunt, nempe ad Amorem & charitatem, qua eas debent complecti; qui tantus eſſe debet, quantus ille eſt, quo ſeipſum aut corpus ſuum diligit unuſquiſque: Epheſ. 5. 28, 29, 33. Videtur quidem hoc officium eſſe generale, ſeu uxoribus etiam commune, ut ſupra quoque diximus: ſed maritis tamen peculiari quadam ratione tanquam proprium accommodatur, partim propterea, quod id iis magis ſit neceſſarium, partim quod in eos etiam magis ex parte aliqua cadere poteſt. Magis neceſſarium propterea; quia cum propter poteſtatem, quam in uxores habent, multa illis liceant, atque præterea natura ipſa viros plerumque fecerit & animo & corpore robuſtiores, plurimum uxoribus nocere poſſunt, ſi poteſtate illa, aut viribus abuterentur. Id autem ne faciant, charitas tanta, quanta ab illis requiritur, prohibere debet, & amplitudinem poteſtatis, quæ in uxores illis eſt conceſſa, limitare, & certis cancellis circumdare. Magis autem in illos dilectio illa cadere poteſt, quod metus aut timor mulieribus præceptus eam non impediat, nec ita difficile ſit eum amare, quem metuere ac revereri non cogaris, præſertim tibi obtemperantem. Nam licet timor non omnem excludat dilectionem, nihilominus tamen eam paululum minuit ac temperat. Sic (quanquam alia etiam hujus rei eſt cauſa) magis amant parentes liberos, quàm hi illos, quod hi parentes revereri cogantur, ac metuere, non contra. Atque, ut ſapientes docent, magis amant benefactores beneficiarios, quam contra hi illos: quod hi illis ſint obſtricti, eoque revereri quoque illos cogantur. Oritur autem hæc charitas atque dilectio ex tanta mariti cum uxore conjunctione, quanta eſt inter caput & corpus, quemadmodum ſupra diximus. Ex hoc amore oritur primum, ut maritus uxorem curet, ut ſeipſum, ejus ſaluti, incolumitati, proſperitati ita ſtudeat, ut ſuæ, ejuſque honeſtæ lætitiæ ſerviat atque gaudio, & ſic imperium quoque ſuum, quod in uxorem habet, ita moderetur ac temperet, ne uxori, quantum ejus fieri poteſt, ſit moleſtus, nec tanquam dominus ancillæ imperet, ſed tanquam ſociæ paulum ſe inferiori, & imperii etiam communis quodam modo participi. Eſt enim, ut Ariſtoteles docet, mariti & uxoris in familiam imperium, & in omnes res dominium Ariſtocraticum, ubi plures imperant. Itaque uxor quidem amplitudinem & ſublimitatem imperii, quod maritus in ſe habet, ſemper cogitare debet: maritus vero charitatis, quæ ab ipſo exigitur, meminiſſe. Illa ad omnia mariti mandata, licet alioqui duriſſima, præſtanda debet eſſe parata; hic quam leniſſime imperare, eodem modo, quo caput cum membris aut corpore agit. Caput enim corpori proſpicit, illi conſulit, ejus incolumitati ſtudet, & illius dolorem ſuum eſſe arbitratur: qua de re Epheſ. 5. 29. Ubi etiam in præcedentibus Chriſti exemplum Eccleſiam diligentis, & propterea in mortem ſeipſum tradentis maritis imitandum proponitur; quemadmodum contra Eccleſiæ exemplum, quæ Chriſto in omnibus eſt ſubjecta, uxoribus proponitur imitandum.

Charitati huic opponitur acerbitas illa, vel amarulentia, à qua Paulus maritos dehortatur Coloſſ. 3. 19. Quæ acerbitas conſiſtit in verbis aſperis, minacibus, attrocibus, ab humanitate abhorrentibus, in vultu auſtero, moroſo, torvo, & odium iramve ſpirante, in factis denique ab ira & odio profectis. Non prohibetur autem ab Apoſtolo, nec charitati maritali in uxores adverſatur, moderata admodum, prudens, & ad emendationem ſalutemque uxorum comparata caſtigatio, ſive verbis ea perficiatur, quæ omnium eſt leniſſima, & maximè licita, ſive factis aliquibus: ad quod caſtigationis genus tarde admodum & lente, & non niſi ſummo cum conſilio accedendum eſt, nec id leves ob cauſas, ſed ob graviſſimas demum ſuſcipiendum. Non prohiberi autem à charitate maritiali hujuſmodi caſtigationis genus, quo uxores ad frugem reduci poſſint, partim ex ſuperioribus conſtat, ubi de timore egimus: partim ex eo, quo cum ſacris literis utimur, corporis humani exemplo liquet. Nam etiamſi corpus noſtrum maximopere diligamus, nec quicquam durius in illud ſtatuere ſuſtineamus: tamen ubi neceſſitas poſtulat, ne forte partes ſinceræ trahantur, & morbus aliquis fiat inſanabilis, non tantum alia acerbiora & mordaciora adhibemus remedia, ſed etiam urimus & ſecamus: idque non odio corporis, ſed ejus amore, & incolumitatis ejus ſtudio facimus. Similiter noſtro in negotio res ſe habet. Ad hanc curam pertinet etiam illud Petri, 1 Epiſt. 3. 7, ubi vult *ut viri cohabitent cum uxoribus, ſecundum ſcientiam*, hoc eſt, prudenter, & cum quadam dexteritate ac ſolertia, ut norint quid ferre poſſint uxores, quid non; quid utile ſit illis, quid noxium; quid deſiderent aut illis ſit neceſſarium, quid non ſit. Unde

addit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

addit, *ut mulieri tanquam infirmiori vaſi tribuant honorem*; honorem ſumens pro cura, & ſubſidiis officiiſque, quibus demereri debent mariti uxores, & ſic oſtendere, quanti illas faciant: quo pacto etiam ſumitur verbum honoris Matth. 15.4, 5. & 1 Tim. 5. 3. quæ confer cum ℣. 17. quem itidem confer cum ſeqq. item 1 Cor. 12. 23. Vult autem iſtum honorem tribui muliebri ſexui tanquam vaſi infirmiori, quia infirmioribus plus officii eſt exhibendum, plus auxilii, cum ea re magis indigeant. Et cum fæminæ interdum pudore prohibeantur, quo minus, quid velint, aut quid illis ſit neceſſarium, indicent, ideo Apoſtolus vult ut mariti cum illis ſecundum ſcientiam cohabitent, & diligenter illud explorent, atque ipſi animadvertant quid illis ſit neceſſarium; & ſic, prout neceſſitas requirit, illis indulgere & dextre eas curare ac tractare norint. Ex his autem apparet, cum maritorum ſit uxores ſuas regere, & quidem cum ſcientia, eos operam dare debere, ut prudentiam veram acquirant; quæ eorum qui regunt maximè eſt propria, præſertim cum caput etiam ideo regat corpus, quod id ſolum conſilio ſit præditum, corpus vero à capite conſilium petat; licet caput ex corporis conſtitutione, neceſſitate aut uſibus conſilia ſua ſæpè moderetur. Verumtamen cum vera prudentia ſine virtute conſiſtere nequeat, eaque efficiat, ut cum bene conſulere noris, bene etiam velis: virtus etiam ac pietas adjungenda eſt ei ſingularis: quod ſi fiat, maritus uxori bene præcipiet, & uxor, ſi officii ſui ſit memor, bene parebit. Ubi autem hoc fiet utrumque, utriuſque proſperitati & ſaluti optimè conſuletur. Meminiſſe debet ergo uxor, caput ſuum eſſe maritum, maritus vero caput ſuum eſſe Chriſtum, quemadmodum Chriſti eſt Deus. Et quemadmodum Chriſti imperium Dei voluntati uſquequaque eſt conſentaneum, ita imperium mariti in uxorem voluntati Chriſti; cui ſi uxor ſua officia attemperarit, Chriſti quoque ac Dei imperio parebit.

CAP. XIII.

De officio parentum erga liberos, & liberorum erga parentes: ubi ſimul etiam de avorum & nepotum partibus.

SAcræ literæ de officio eorum agentes, inter quos imperium & parendi neceſſitas verſatur, ab inferioribus libenter ordiri ſolent, & prius agere de officio uxorem; liberorum, ſervorum, quam de officio maritorum, parentum ac dominorum, ut videre eſt in Epiſtola ad Epheſ. 5. & 6. ad Col. 3. & 4. & 1 Pet. 3. Nempe quia decet eum, qui in parendi eſt conditione, officio ſuo alterum prævenire, eumque demereri. Verumtamen nil prohibet, quo minus etiam à ſuperiorum officio initium ducamus, præſertim cum de parentibus agitur ac liberis; ſiquidem prius eſt officium parentum circa liberos, quam liberorum erga parentes. Quanquam vero Paulus brevius parentum explicuit officium circa liberos, id imprimis monens, quod maxime iis eſt neceſſarium; tamen nos paulo plenius id ſumus perſequuturi; quanquam nihilominus metas eas nobis ponemus, ne id quod œconomicæ diſciplinæ eſt proprium, ingrediamur, ſed ad mores ac virtutes præcepta noſtra accommodemus. Debent ergo parentes liberis (ut uno verbo rem complectamur) educationem honeſtam: educationis autem nomine complectimur tum enutritionem, tum rectam ac honeſtam inſtitutionem. Enutritionem collocamus in alimentis, ac cultu corporis: quorum utrumque pro ætatis ac conditionis ratione, debet eſſe frugi, liberali tamen homine aut puero dignum. Itaque & luxus hac in re vitandus eſt, & ſordes, quæ ingenia nonnunquam erecta deprimunt, & alacritatem iis ad honeſta ſtudia capeſſanda demunt.

Quod ad rectam inſtitutionem attinet, de ea diximus in Ethicis noſtris: quare ea inde petantur. Hîc ea tantum addemus, quæ in ſacris literis hac de re habentur, in quibus partim id explicatur, quemadmodum etiam in aliarum perſonarum officiis, quid vitare debeant parentes, partim etiam quid ſequi. Prius his verbis explicatur ab Apoſtolo: *Vos patres* ſeu parentes (patres videlicet pro parentibus ſumit, à potiori accepta denominatione, vel patres ideo expreſſe alloquitur, quia his inprimis hac monitione eſt opus, iiſque maxime incumbit liberorum vitam univerſam gubernare) *ne irritare* ſeu ad iram provocate *liberos veſtros*: quod idem præcipit ad Coloſſ. 3. 21: addita cauſa, *ne animum deſpondeant*. Irritant autem parentes ſuos liberos, cum vel honeſta atque æqua illis denegant, vel nimis ſevere eos tractant, ſummâ, cum duriter nimis cum iis agunt. Illud fit, cum vel victum, vel cultum eis negant commodum ac honeſtum, præſertim cum ætas illorum liberaliorem poſtulat, atque inter cætera etiam cum eos domi detinent, cum alibi honeſte ac majori cum fructu verſari poſſent, aut ad aliquod vitæ genus, ab illorum ingenio abhorrens, aut illiberalius quam deceret eos damnant, aut ad matrimonium jam maturis ſubſidia ad eam rem denegant. Hoc vero, cum vel immerentes cædunt ac verberant, quod temulentis ac iracundis hominibus, præſertim è plebe, non ſemel accidit, aut ultra meritum ſupplicium illis irrogant, aut denique nihil propemodum ignoſcunt, atque auſterum ſemper illis vultum oſtendunt. His vero fere modis ſolet fieri, ut animum deſpondeant liberi, ac ſæpe excuſſa parentum reverentia, fugiant, aut ad malas artes ſeſe conferant, ac ad præcipitia conſilia deſcendant. Quanquam rurſus nimia vitanda eſt parentibus indulgentia, dandaque opera, ut auctoritatem ſemper obtineant, & partim amore, partim metu quodam liberos in officio contineant. Ex his enim duabus rebus, inter ſe bene temperatis, oritur veneratio illa, quam liberi debent parentibus. Atque hîc inprimis monendæ ſunt matres, ne ſua indulgentia liberos corrumpant, ut vulgo fieri videmus, nec quod patres, quemadmodum dicere ſolemus, una manu ædificant, id ipſæ altera deſtruant. Præceptum quidem eſt matribus, ut liberos diligant, quemadmodum ſupra vidimus: verum affectus ille cœcus eſſe non debet, ſed recta ratione temperatus. Quod ſi qua in re velint indulgere liberis, privatim, ne id liberi animadvertant, patrum ſeveritatem atque iram mitigare debent. Hactenus de priori.

Quod ad poſterius attinet, nempe quid faciendum ſit parentibus, id his verbis complectitur Paulus, *ſed enutrite eos* ſcil. liberos veſtros *in diſciplina & inſtitutione Domini*, hoc eſt, ita educate liberos, ut eos inſtituatis, atque ad officium faciendum exhortemini, eo modo, qui Domino placet; ejuſque religioni eſt conſentaneus: quibus verbis totum id complexus eſt, quod nos ſupra à parentibus diximus requiri, nempe enutritionem & inſtitutionem. Et hanc quidem poſteriorem vult eſſe Domini Jeſu voluntati ac ejus religioni conſentaneam: quam ad rem requiritur, ut parentes liberos ſuos erudiant in ipſa religione Chriſtiana, eoſque penitus Domino Jeſu conſecrent, idque ſedulo agant, ut religionem hanc perdocti, eam tum perpetuo profiteantur, tum vita exprimant. Simile præceptum olim datum fuit Iſraëlitis, quibus mandavit Deus, ut legem Moſis quam diligentiſſime explicarent, & aſſidue inculcarent ſuis liberis: atque inter alia inſignis eſt locus Deut. 6. ℣. 6, 7, ubi ait Deus, *Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens.* Adde huic alium locum cap. 4 ejuſdem libri, ℣. 9, ubi non tantum de filiis, verum etiam de nepotibus docendis præceptum extat: *docebis*, inquit, *ea filios ac nepotes tuos.* Et cap. XI. v. 19. ubi ita Moſes: *Docete filios veſtros, ut illa* (nempe hæc verba, aut præcepta) *meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atque ſederis.* Quin etiam Deus facta quædam ſua memorabilia, & inſignia beneficia in populum collata, jubet nar-

rare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rare filiis, præſertim ſi pertineant ad obſervationem mandatorum Dei. Vide Exodi 13. 14, & ſeqq. Hujuſmodi autem præceptum in Novo fœdere expreſſe quidem non eſt propoſitum, ſed iſtis tantum apud Apoſtolum verbis generaliter conceptis comprehenſum; partim quod ex generali hoc præcepto, intellectis præſertim iis, quæ ſub vetere fœdere de re ſimili præcepiſſet Deus, colligi id facile poſſet; partim quod ratio ipſa ſana hoc unicuique dictet, & charitas erga liberos, inſtituta veritatis cœleſtis cognitione, ad id unumquemque impellat. Nam cum nullum habeamus theſaurum pretioſiorem veritate cœleſti, quæ nobis ad cœlum viam aperit, certe cum naturalis in liberos amor unumquemque impellat, ut optima quæque liberis ſuis parare ac relinquere velit, fieri non poteſt, quin optimam hanc hæreditatem ac pulcherrimum theſaurum liberis tuis velis relinquere, ſi modo tu vere atque ex animo religionem Chriſtianam profitearis. Certe qui non agit id perpetuo, ut liberos ſuos veritatis cognitione imbuat, & pietate excolat: is alterutrum horum oſtendit, aut ſe liberos ſuos non amare, & charitatem naturalem erga illos ejuraſſe; aut religionem Chriſtianam ſeſe parvi pendere, & pluris facere res terrenas, quam cœleſtes, cum illas ſuis liberis parare ac relinquere ſatagat, has non item, vel negligenter ſaltem id agat. Hoc ergo primum eſt, quod Apoſtolus in iſtis verbis à parentibus poſtulat. Deinde illud quoque requirit ut id faciant ea ratione quæ Chriſti inſtitutis conveniat, hoc eſt, ea animi moderatione, & lenitatis ac ſeveritatis ejuſmodi temperamento, quod Chriſtianum hominem deceat: quemadmodum inprimis de lenitate videtur loqui Apoſtolus. Opponit enim hæc verba irritationi liberorum: liberos autem duritie ac ſeveritate parentum nimia irritari ſupra docuimus. Quare lenibus potius verbis, quam aſperis, blandis potius quam minacibus, & præmiis potius quam plagis ac minis, adigere debent parentes liberos ad officium faciendum, & Chriſtianam religionem ac pietatem amplectendam: id enim poſtulat, tum naturalis charitas; tum fructus uberior; tum denique ipſa rei, quam docere volumus, ratio ac natura. Nam quod ad fructum attinet, facilius in animum influunt blanda, quam aſpera, & plus fere movent promiſſa, quam minæ, præmia quam pœnæ, maluntque homines duci quam trahi ac rapi. Deinde quod ad rem ipſam attinet, ad religionem ac pietatem invitus nemo cogi poteſt, & ſi animus ab ea ſit averſus, nulla eſt religio. Quare danda eſt opera, ut à teneris amare religionem liberi incipiant, & cum voluptate quadam ea diſcere, quæ ad ſalutem ſpectant: quod fiet ſi lenius tractentur, & blandimenta adhibeantur ſæpius quam verbera & minæ. Interea tamen ex altera parte ſeveritas quædam adhibenda eſt, & caſtigandi, ſi opus eſt, liberi: atque inprimis uniuſcujuſque diligenter explorandum eſt ingenium, & qui tractabiliores ſunt, atque regi faciliores, illi mitius tractandi, quam qui ingenio ſunt contumaciori, & ferula exſcindenda eſt licentia. Nam alias ne diſciplina quidem foret, quam tamen Apoſtolus requirit. Atque hac de re non ſemel præcipiunt ſacræ literæ: imprimis Salomon in Proverb. cap. 22. ℣. 15, ubi ait: *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.* Et cap. 23. ℣. 13 & 14: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu percuties eum virga, & animam ejus de inferno liberabis*: quo loco, ut & alibi in ſacris literis, caſtigatio ipſa, quæ ferula peragitur, diſciplinæ nomine ſimpliciter elato intelligitur. Quanquam in hac ipſa ſeveritate, ut ſupra diximus, adhibenda eſt moderatio, ut nec ſemper caſtiges merentem, præſertim ſi eum facti pœniteat, & culpam deprecetur, nec ultra meritum punias, immo infra illud plerumque ſubſiſtas.

Hoc autem loco non eſt prætereundum illud, quouſque liceat progredi parentibus, in liberis ad religionem, quam ipſi ex animo amplectuntur, & veriſſimam eſſe credunt adigendis, & quouſque illis plagæ ob neglectum forte divinum cultum, ob conciones non frequentatas, ob neglectas lectiones ſacras intentari queant. Animadvertendum igitur eſt in liberos, quamdiu apti non ſunt, ut de religione ipſimet judicare queant, præſertim ita ut rationes eas comprehendere poſſint, & examinare, ob quas à patrum religione ipſis ſit diſcedendum; à parentum arbitrio etiam hac in parte pendere, poſſeque eos non minus ad religionem à parentibus adigi ferula, quam ad alia liberorum officia facienda. Quanquam hîc diligenter conſiderandum ipſis parentibus, ut veram religionem ipſi teneant, rationem alioqui reddituri Deo ſuæ vel negligentiæ vel impietatis, quod non tantum ipſi falſam religionem fuerint ſecuti, ſed etiam ad eandem liberos ſuos adduxerint. Verumtamen ſi jam ea ſint ætate liberi, ut poſſint etiam de religione judicare, non amplius vi aut plagis ſunt ad religionem adigendi, ſed tantum demonſtrationibus, perſuaſionibus, exemplis, omniaque quærenda ac tentanda media, quibus ad eandem religionem, quam parentes ſequuntur, alliciantur. Nec fruſtra addidimus exempla. quia multum poteſt in illis parentum exemplum ac in religione fervor, & ſpectata morum integritas. Hoc tantum adhuc addi poteſt, cum parentes veram religionem amplectuntur, duabus tantum de cauſis fieri poſſe, ut liberi ab ea diſcedant, vel quia falſis aliquibus rebus perſuaſi ſint, eam religionem veram non eſſe, ac aliam ea meliorem, vel quia peccandi licentiam quærant, & commoda fortaſſis aliqua, aut voluptates, aut honores ſectentur, quorum compotes fieri non poſſint, ſi parentum religionem ſequantur. Si prius illis obſtet, erudiendi ſunt liberi, & melius inſtituendi, vel à parentibus ipſis, vel parentum juſſu ac ſtudio ab aliis. Si poſterius, poteſt parens auctoritate ſua uti in coërcendo eo affectu ac peccato, quod filium à religione abducat, præſertim ſi externis aliquibus factis ſeſe prodat. Sed ſi hoc poſterius non appareat, ac liberi conſcientiam tantum ſuam prætendant, nec rationibus ac perſuaſionibus quicquam profici queat, à minis, multo autem magis à verberibus, aliiſque durioribus remediis abſtinendum eſt. Hoc enim eſſet conſcientiæ dominari, & divinum invadere imperium, cui ſoli conſcientia ſubjecta eſt; præterquam quod nihil aliud iſtis rebus proficitur, & ne profici quidem poteſt, quam ut aliud liberi loquantur, quam quod ſentiunt, & ſic contra conſcientiam agant, & Deum graviſſime offendant. Quicquid enim non ex fide eſt, peccatum eſt, ac multo magis id, quod contra fidem: eſtque hoc nil aliud, quam veritatem abnegare, quantum quidem ad ipſorum conſcientiam attinet. Hæc de Parentibus. Quod ad Avos attinet, & majores, quibus jungi poſſunt alii parentibus vicini, ut Patrui, Avunculi, & quæ in fæminino ſexu illis reſpondent, ii patriam poteſtatem habent, & parentes quidem in iſtis omnibus juvare pro virili debent, poſt mortem autem illorum eam curam ad ſe recipere: quod idem dictum quoque volumus de tutoribus, qui in parentum locum plane ſuccedunt: quo in numero ſolent etiam eſſe fratres natu grandiores. Adjungendi his præceptores, qui ratione inſtitutionis, vel univerſa, vel certa in parte parentum vicem ſuſtinent: quacunque autem parte quiſque parentum locum ſuſtinet, ea etiam parentis officium facere debet.

Tranſeundum jam eſt ad officium liberorum erga parentes; de quo in Ethicis noſtris dictum eſt. Comprehenditur autem illud in ſacris literis partim honoris nomine, partim obedientiæ, quemadmodum apparere poteſt ex Epiſt. ad Epheſ. 6. ℣. 23: ubi etiam præceptum de honorandis parentibus ex Decalogo adducitur. Fons autem hujus ſive honoris, ſive obſequii eſſe debet veneratio parentum, ex amore quodam & timore mixta, eique conjuncta modeſtia ſingularis, atque animi humilitas. His enim rebus imprimis opus eſt liberis; hæ facient, ut & gratos ſeſe præſtent parentibus, & ut iiſdem in omnibus obſequantur, iiſque cultum atque honorem etiam externum exhibeant. Plurimum obeſt arrogantia, & perſuaſio de

inge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ingenio & prudentia ſua, quæ facit ut liberi parentibus ſæpe non obſequantur: ſed de his, ut diximus, in Ethicis. Illud hoc loco commemorari poteſt, quod in ſacris literis expreſſum eſt, Deum voluiſſe morte plecti eum, qui percuſſerit alterum ex parentibus, vel ei maledixerit: vide Exod. 21. 15, 17. Levit. 20. 9. Quod poſt repetitur Matth. 15. 4: quin etiam hoc jus datum fuiſſe parentibus, ut filium contumacem ac prodigum poſſent curare per Magiſtratum capitis ſupplicio afficiendum. Deinde & illud commemorandum eſt, Dominum Jeſum loco dicto Matth. 15, indicaſſe, ſatius eſſe parentis inopiæ ſubvenire, quam ſacrificium aliquod aut donum Deo dicare. Mavult enim Deus miſericordiam, quam ſacrificium. Atqui hîc non tantum miſericordia erga parentes exercetur, verum etiam debitum quoddam illis redditur, & ſic alienum eſt, quicquid parentum inopia à nobis poſtulat. Aliena autem Deo offerri nequeunt. Atque de hac re præceptum etiam extat 1 Tim. 5: ad viduas tamen ibi reſtrictum, non tantum liberos, verum etiam nepotes alioſque poſteros obſtringens, ubi ait, *Si quæ vidua liberos aut nepotes* ſeu prognatos *habet, diſcant* ſcil. liberi aut nepotes illi, *primum in propriam domum pietatem colere*, hoc eſt, in ſuum ſanguinem, atque inprimis in majores charitatem exercere, *& vices reddere progenitoribus*, hoc eſt, tum parentibus, tum aliis majoribus, ut avis & proavis, etiam aliis perſonis cum his conjunctis; & addit Apoſtolus, *Hoc enim eſt bonum & acceptum coram Deo.* Et infra ℣. 8. *Si quis vero ſuis, & maxime domeſticis non proſpicit*, (hoc autem non facit is, qui parentem v.g. viduam, aut aviam, itemque avum aut reliquos conſanguineos in egeſtate conſtitutos deſerit) *fidem abnegavit, & eſt infideli deterior*: oſtendit enim ſe Chriſtianam religionem penitus ignorare, cujus inter alia inſigne eſt præceptum de charitate exercenda. Charitas autem imprimis debetur ſanguini noſtro, & parentibus ac majoribus præcipue. Et cum id etiam infideles, natura duce, facere ſoleant, certe infideli hac in parte eſt deterior, qui naturam ipſam evertit. Atque hinc (ut id obiter notemus) officia quoque conſanguineorum, quæ ſibi mutuo debent, colligi poſſunt. Alii enim aliis ſingularem debent charitatem, & in variis neceſſitatibus auxilium atque opem; idque tanto magis, quanto arctius eſt inter eos vinculum: arctiſſimum autem eſt, ſi à parentibus diſcedas, inter fratres ſororeſque. Hi vero, qui ætate ſunt inferiores, majoribus natu, præſertim mutuò, etiam honorem debent. Ex his etiam colligi poteſt, quantum tutoribus aut præceptoribus debeatur: nam quemadmodum is, qui in parentis locum ſuccedit, officium parentis facere debet; ita etiam ii, qui in liberorum locum ſuccedunt debent facere officia liberorum pro meritis uniuſcujuſque.

Cap. XIV.

De officio Dominorum & Servorum.

DOminorum officium uno verbo comprehendi poteſt, nempe æquitate, qua in ſervos uti debent, hoc eſt, ea juſtitia, quæ rigori opponitur, & cum lenitate quadam eſt conjuncta, quemadmodum poſtea ex Paulo docebimus. Æquitas autem hæc cerni debet partim in præcipiendo, partim in exigendo ſervorum officio, & mercede pro meritis reddenda: quo nomine etiam nunc pœnas pro delictis comprehendimus. Nam primum ea debent præcipere domini, quæ æqua ſunt ac juſta, hoc eſt, non tantum honeſtati per ſe conſentanea, verum etiam cujuſque viribus, ætati, ingenio apta, non vero jugum intolerabile illis imponere. Deinde etiamſi ſervi illi non ſint conducti ad certum tempus, ſed mancipia; cogitare tamen debent, illis pro fideli labore ipſo æquitatis ac humanitatis jure mercedem deberi, ac præmium aliquod: id quod Paulus ſignificavit Epheſ. 6. 9, cum inquit; *Et vos facite eadem erga illos*, hoc eſt, ea ſervis viciſſim præſtate, quæ tam fideli ſervorum operæ, quam hactenus illis præſcripſi, conveniunt, eaque ſunt digna. Et ad Col. 4. initio, ubi ait: *Domini, quod æquum ac juſtum eſt, ſervis præſtate.* Debetur autem ſervis victus ac cultus, eorum conditioni conſentaneus, & quo quiſque eorum eſt fuitque fidelior, & in officio faciendo diligentior, tanto ei etiam plus tribuendum eſt; atque inter alia, in morbis atque ſenectute eorum eſt habenda cura. Eſt enim indigniſſimum, cujus in ſecunda valetudine aut florente ætate fideli uſus ſis opera, eum ægrotum aut ſenio confectum deſerere, & hominem cum equo eodem habere loco, qui quamdiu eſt ad laborem utilis, curatur, ubi inutilis factus eſt negligitur: quanquam domini humaniores ne equum quidem ita tractent. Certe inter Ethnicos hoc vitio datum fuit nonnullis, quod ſervos vetulos venum exponerent, eoſque non potius alerent. Danda eſt ergo remiſſio à laboribus ſervis emeritis, quin etiam libertas conferenda, quod Ethnici ſæpiſſimè fecerunt. Deinde in exigendis laboribus, atque in pœnis ſive conſtituendis ſive irrogandis, æquitas illa, quam diximus, apparere debet, & vitanda ſeveritas illa ac minacitas, quam Paulus intelligit dum ad Epheſ. 6. 9, ita ſcribit, poſt verba paulo ante citata; *remittentes minas*, hoc eſt, minacem ſeveritatem, *ſcientes quod veſtrum ipſorum Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud ipſum.* Debent ergo his etiam aliquid ignoſcere, præſertim ſi quid per imprudentiam aut humanam imbecillitatem fuerit peccatum, aut minus crebro fuerit delictum iteratum. Interim tamen ſeveritate eſt utendum, ad comprimendam ſervorum contumaciam, qui ſæpe ob lenitatem dominorum deteriores fiunt. Debent enim domini etiam morum ſervorum ſuorum habere rationem, & curare, ut univerſa familia ſit moribus, quantum ejus fieri poteſt, incorruptis, tum ob ſervos ipſos, tum ne contagio latius ſerpat, atque imprimis, ne liberi, ut fieri ſolet, ab iis corrumpantur. Solent enim libenter ſervi nequam, herilium filiorum luxuriæ ac libidinibus inſervire, &, ut eorum gratiam eblandiantur, illis aſſentari. Quin etiam id agere debet Paterfamilias, ut ſervos ſuos ad Chriſtianæ religionis notitiam, veramque pietatem perducat, & vel eam ob cauſam mitius cum iis agere, ut eorum animos ſibi religionique conciliet; & aliquid iis dare otii, ut à laboribus nonnunquam reſpirantes, animum aliquantum attollere, & de religione rebuſque cœleſtibus cogitare queant. Qui enim tam dura premuntur ſervitute, ut iis (quemadmodum ille ait) vix tantum ſit temporis, ut caput ſcalpant, ii religioni vacare vix, ac ne vix quidem poſſunt. Quod ſi ſervi mancipia non ſint, ſed miniſtri, qui ſe ſponte ſua ad certum tempus cuipiam addixerint, erga illos multo magis hac quam diximus, æquitate eſt utendum, & proximi illi cenſendi ſunt liberis. Quod ad mercenarios attinet, qui ad breve tempus id ſunt, quod ſervi perpetuo, & certum pacti pretium operam ſuam nobis locarunt; cum illis ita agendum eſt, ut & æquum illorum laboribus ponas pretium, & quemadmodum Deus in lege præcepit, mercedem eorum non detineas, ſed ſtatim reddas, niſi forte ipſi in eam rem conſenſerint: qua de re leges Levit. 19. 13, ubi ait Deus: *non morabitur opus mercenarii tui* (hoc eſt merces pro opere) *apud te uſque mane.* Et Deuter. 24, ubi ait ℣. 14 & 15: *non opprimes mercenarium afflictum & egenum de fratribus tuis, ſive de peregrino tuo qui tecum moratur in terra tua, in portis tuis; ſed eadem die reddes illi mercedem laboris ſui, ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam; ne clamet coram te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Quod ſi autem non eſt differenda perſolutio mercedis, multo minus ea eſt defraudandus mercenarius: qua de re vide Malach. 3. 5. Siracid. 34. 26, & Jacobum 5. 4, ubi ait ad divites: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, à vobis intercepta*, ſeu per injuriam adempta, *clamat, & clamores eorum, qui meſſuerunt, in aures Domini Zebaoth introierunt.* Hactenus de Dominis.

Servorum officium ſacræ literæ fere comprehendere ſolent obedientiæ nomine, quam dominis ſuis debeant:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

beant: alicubi tamen etiam honoris voce laxius extenſa: quo ipſo tamen ſignificatur, honorem quoque dominis deberi à ſervis, quemadmodum ratio ipſa dictat; quanquam ejus honoris pars præcipua eſſe debeat obſequium promptum ac fidele. Verumtamen ut paulo diſtinctius officia hæc explicemus, potiſſimum quidem eſſe dicimus, ut dominis ſuis in omnibus obtemperent, ac fidelem præſtent operam; ſed hanc obedientiam quædam vel antecedunt, vel comitantur, quæ partim animum ad obedientiam hanc præparant, partim obſequii hujus ſunt ſigna. Primo ergo ſervi Dominis ſuis honorem, ut diximus, ac cultum exhibere débent; id quod Paulus præcipit 1 Timoth. 6 initio, ubi ait: *Quotquot ſunt ſub jugo ſervi, ſuos heros omni honore dignos ducant*, &c. additque cautionem hîc egregiam de iis, qui ſerviunt dominis fidelibus, ſeu Chriſtianis ne forte eos ob ſuam cum illis conjunctionem ſeu fraternitatem ratione religionis contemnant, eoſque minus venerentur, & ſic negligentius illis ſerviant, pæſertim ſi videant eorum animi lenitatem & manſuetudinem erga ſeſe, quam illis Chriſtiana religio pepererit. Ita enim ait, *Qui vero fideles habent heros*, ſeu dominos, *ne deſpiciant* ſcil. eos, *quia fratres ſint*, nempe ipſorum etiam ſervorum: *ſed magis illis inſerviant, ideo quod fideles ſint & dilecti, qui beneficentiæ illius ſint participes*. Et ſane hac admonitione miniſtris vehementer eſt opus, qui facilitatem ſuorum dominorum, & fraternam conjunctionem in negligentiæ occaſionem vertunt, nec ita eos colunt, ut deceret. Deinde quod ad obſequium attinet ac obedientiam, quam dominis debent, quod jam alterum ipſorum officium conſtituimus, tria ſunt imprimis notanda: primum, quibus in rebus obſequium dominis debeant, deinde qualibus dominis, & denique quo modo. Primum expreſſit Apoſtolus ad Coloſſ. 3. 22, ubi ait: *Vos ſervi obedite in omnibus ſecundum carnem dominis*, in omnibus nempe, quæ pietati non repugnant, ſeu voluntati divinæ ſunt conſentanea; ita nimirum ut etiamſi tandem aliquid nonniſi impie imperetur, tamen ſi ſine peccato id fieri queat, id fieri debeat à ſervis, niſi forte precibus aut rationibus certis dominos ſuos flectere queant, & à ſe injuriam deprecari: id enim ſervo licere, ratio unicuique dictat. Quod ad alterum attinet, de eo præcipit Petrus 1 Epiſt. cap. 2. 18. ubi ait: *Vos ſervi ſubjecti eſtote in omni timore heris*, ſeu dominis, *non tantum bonis & æquis, ſed etiam pravis*, hoc eſt, ſævis, duris, atque aſperis. Bonos vocat eos, qui ſunt benigni ac faciles, ac propè hîc idem eſt eſſe bonum & æquum. Itaque cuivis domino, cui es obſtrictus, parendum eſt: qua de re paulo poſt adhuc nonnihil. Quod ad tertium attinet, hoc eſt, quomodo ſit obſequium præſtandum, hîc duo iterum imprimis requiruntur, primum ut ad obſequium ſint prompti, & ſtudeant placere, operamque ſuam probare dominis, non vero iis obmurmurent ac contradicant; qui ſervorum, præſertim audaciorum, mos eſt: qua de re ita præcipit Paulus Tit. 2. 9, ubi ait, *ſervos* ſcil. præcipe *obedire ſuis dominis, in omnibus* (illis) *placere, non contradicere*, vel reſponſare. Deinde requiritur in illis ſingularis fides, ad quam pertinet illud Apoſtoli Tit. 2. 10: ubi vult ſervos *omnem bonam fidem* ſeu fidelitatem *oſtendere*: quanquam id de certa fidelitatis parte imprimis dictum videtur, de qua poſt dicemus. Deinde illud, quod Paulus ad Epheſ. & Coloſſ. inculcat, ut *cum ſimplicitate cordis obediant dominis ſuis ſervi, tanquam ipſi Chriſto*, hoc eſt, ſincere & *ex animo*, quemadmodum ad Coloſſ. loquitur, *tanquam Domino, & non hominibus*. Atque huc primum ſpectat illud, quod utrobique commemorat Apoſtolus, *ne ad oculum inſerviant ſuis dominis, tanquam hominibus placere ſtudentes*, hoc eſt, non tum tantum laborem & obſequium præſtent dominis, cum ipſi adſunt præſentes, ſed etiam abſentibus, cogitantes ſe Chriſto eam operam præſtare, cujus oculus omnia perſpicit. Illud quoque huc ſpectat, ut cum timore & tremore, hoc eſt, anxie, ſolicitè, ſummaque cum diligentia labores ſibi demandatos exſequantur, verentes ſummopere, ne forte dominos ſuos offendant, & ſtudium ſuum minus illis probent: quod Paulus illis exprimit verbis Epheſ. 6, cum vult *ſervos obedire dominis in timore & tremore*. Et Petrus dicto ſuperius loco, cum jubet *ut ſervi ſint ſubjecti dominis in omni timore*. Et jure certe, quia tum dominorum ipſorum, tum Dei ac Chriſti pœnas metuere coguntur. Denique hoc quoque ad fidem illam ſervorum pertinet, quod nominatim expreſſit Paulus ad Titum, cum *fidem* à ſervis poſtulat, *ne qua in re defraudent ſuos dominos*, ſeu ne quid intervertant: id quod ſervis admodum eſt familiare, ſuadente partim egeſtate, partim occaſione, cum res dominorum illis concredi ſoleant, vel ſaltem ad eas illis ſæpe pateat aditus. Tertium ſervorum officium, quanquam aliis Chriſtianis commune, illis tamen imprimis neceſſarium, eſt illud quod Petrus præcipit, ut non tantum injuriarum à dominis ſibi ſuis illatarum ſint patientiſſimi; verum etiam ad illam tolerantiam afferant innocentiam; qua de re ita loquitur Apoſtolus c. 2. 19, 20. *Hoc enim eſt gratia*, (id eſt hoc Deo gratum eſt, & acceptum, vel hoc beneficium eſt divinum) *ſi propter conſcientiam Dei*, (hoc eſt, propter conſcientiam, quæ Deum revereatur, eumque metuat) *ſuſtinet quiſpiam moleſtias patiens injuſtè. Quæ enim laus ſi peccantes & colaphis cæſi ſuſtinebitis? ſed ſi bene facientes, & patientes ſuſtinebitis, hæc eſt gratia apud Deum*. Atque hoc imprimis præcepto opus eſt ſervis illis, qui dominos habent infideles, quorum iniquæ voluntati ac libidini cum parere ſervi abnuunt, varias illorum injurias coguntur experiri. Tangit autem hîc Apoſtolus non obſcure ſervorum vitium, qui nocentes malunt pati, quam innocentes, & licet interim prævideant, ſe cæſum iri, nihilominus tamen audent facinus aliquod perpetrare, ac poſtea laudi ſibi ducunt, quod Spartana, ut ajunt, nobilitate plagas concoquant, & verbera ac flagella abſque doloris indicio ſufferant. Quare eos monet, ut innocentia ſeſe munire velint, &, ſi nihilominus cædantur, tum demum patientiam ac tolerantiam oſtendant. Denique hoc quoque præceptum ſervis dari poteſt, ut, ſi libertatem conſequi poſſint, ad eam aſpirent, quandoquidem, ut ſupra jam monuimus, ſervitus etiam ad cultum divinum ac religionem magno eſt impedimento. Vix enim fieri poteſt, ut ſacris operetur, præſertim crebrius, & conventus ſacros frequentet, qui à dominis ſuis perpetuis laboribus diſtinetur: præter quam quod amor, quo unuſquiſque ſe naturaliter proſequitur, id ſuadeat, ut liber eſſe malis quam ſervus, niſi forte adeò æqua ſit ſervitus, ut libertati ſit præferenda, ei præſertim, quæ ſuo arbitrio vivere neſcit. Atque hoc præceptum, ſeu mavis conſilium, ipſe quoque Apoſtolus præbuit ſervis 1 Corinth. 7: ubi cum dixiſſet: *ſervus vocatus es, ne ſit tibi curæ*, hoc eſt, ne ideo angaris, quaſi ea conditio Chriſtianis prorſus ſit indigna, aut ſaluti noxia: addit, *Quod ſi vero potes etiam liber fieri, magis* (eo) *utere*: poteſtque huc etiam accommodari ratio illa, qua utitur Apoſtolus paulo poſt, ℣. 23, ubi ait, *pretio empti eſtis*, (nempe à Deo & Chriſto) *ne fiatis ſervi hominum*. Nam etſi hoc de ſervitute conſcientiæ videatur accipiendum, quaſi dicat Apoſtolus, quia Chriſti ſervi eſtis, magno pretio ab ipſo empti, nolite conſcientias veſtras mancipare ulli homini; tamen nil prohibet, quo minus etiam de ſervitute corporali, & proprie ſic dicta, capiatur, quam Chriſtianus, quoad ejus fieri poteſt, vitare debet, propterea, quod à cultu divino & ſervitiis Chriſto peculiariter præſtandis, vehementer abducat ac diſtineat. At eum, qui à Deo & Chriſto magno pretio emptus eſt, id unum agere decet, ut ejus cultui ac ſervitio ſemper vacet, eique rei temporis plurimum impendat. Ex his colligi etiam poteſt, partim quid miniſtris, qui mancipia non ſunt, facere conveniat, partim quid mercenariis: quatenus enim utrique ſervorum conditionem ſubeunt, eatenus etiam eorum officia debent præſtare; poſſunt autem ad miniſtros accommodari omnia pro cujuſque con-

ditione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ditione ac ſtatu. De mercenariis etiam hoc addi poteſt, ut pretium operæ ſuæ juſtum expoſcant, & fideliter labores ſuſceptos exſequantur. Colligi etiam ex his poteſt, quodnam ſit officium tum dominorum erga agricolas, quales imprimis ſunt in hoc regno: tum horum viciſſim erga illos. Ii enim mancipia potius ſunt ſuorum dominorum, licet familias & domos ſeparatim habeant, quam ſubditi ſeu cives, qui Magiſtratui ſubſunt: quanquam cum his etiam aliquid habent commune, alii plus, alii minus, prout illis vel plus vel minus eſt libertatis. Quare quatenus ſervi ſunt ac mancipia, ex illis, quæ de ſervis diximus, officium diſcere debent: quatenus cum civibus aliquid habent commune, ex iis quæ ſequenti capite de ſubditis ſumus dicturi: eodemque modo domini partim ex iis, quæ de heris jam diximus, partim ex officio Magiſtratuum à nobis ſtatim explicando, quid ſuarum ſit partium, animadvertere debent.

Cap. XV.

De officio Magiſtratuum & Subditorum.

Officium magiſtratuum eſt, bonum publicum ſeu Reipublicæ tranquillitatem ac proſperitatem curare, ita ut homines ſub illorum imperio tum pie Deum colere, tum cæteroqui honeſte vivere queant: id quod ſatis ſignificavit Paulus 1 Timoth. 2. 2. ubi cum juſſiſſet, & precationes & gratiarum actiones fieri pro Regibus, & omnibus, qui cum imperio ſunt, cauſſam, ſive cur pro iis orare vel gratias agere debeamus, ſive etiam, cur ii hanc dignitatem ſuſtineant, & magiſtratuum officio fungantur, hanc addit, *ut tranquillam & quietam vitam tranſigamus, in omni pietate & honeſtate*. Eſt ergo illorum, ut diximus, primo tranquillitatem pacemque tueri publicam omnium, immo & ſingulorum. Tranquillitas vero hæc eò ſpectare, atque à magiſtratu eò etiam dirigi debet, ut homines pietatem colant, & cæteroqui etiam honeſte ac decenter vitam tranſigant: quod poſterius de civili quadam honeſtate eſt intelligendum. Ad hoc autem requiritur, ut bonos quidem defendant, eoſque laude, honore, ac præmiis afficiant, contra vero malos plectant ac coërceant. Id quod expreſſit Apoſtolus Rom. 13. ubi dixit ℣. 3: *Qui imperant non ſunt metus bonorum operum, ſed malorum*, hoc eſt, non eo fine ſunt conſtituti ut terreant eos ſupplicii metu, qui recte agunt, ſed eos, qui male: & addit, *Cupis vero magiſtratum non metuere? bonum fac, & habebis laudem ex eo. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum: ſi vero malum feceris, time. Non enim fruſtra gerit gladium; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram*, hoc eſt, ad pœnam infligendam ei, qui malum fecerit. Et paulo poſt, *Miniſtri enim Dei ſunt*, nempe magiſtratus, *in hoc ipſum incumbentes*, ſeu hoc ipſum unice agentes. Quanquam non de eo, quid reipſa revera fiat, ſed quid officium magiſtratuum omnino poſtulet, loquitur Apoſtolus. Idem expreſſit Petrus, cum loquitur de præſidibus à Rege miſſis, quibus ſit parendum, 1 Epiſt. 2. 14: ait autem, *eos mitti ad vindictam maleficorum, laudem autem eorum, qui recte agunt*: ubi laudis nomine defenſio bonorum, & præmia, quæ ſolent magiſtratus boni civibus bonis impertiri, complectitur Apoſtolus. Quapropter magiſtratui incumbit, tum ut ea præcipiat, quæ ad tranquillitatem civium, eoſque ab omni injuria defendendos pertinent, tum etiam ut diligenter in id incumbat, ut ea effectui dentur, idque partim per ſe, partim per alios miniſtros, quorum ipſi magna habenda eſt cura. Quia vero illi eò dirigenda eſt adminiſtratio imperii, ut pietas imprimis colatur; ejus eſt dare operam, ut ii in Republ. habeant locum, qui eam doctrinam, quæ eſt ſecundum pietatem, recte tenent ac docent, eoſque fovere, ſuſtentare, & adverſus vim defendere debet; quin etiam curare, ut ubique docendi locum habeant, & templa ea, quæ Reipub. ſunt ac in ipſius revera ſunt manu, obtineant. Verum tamen interea nulli homini, nulliuſve conſcientiæ vim afferre debet, nec quenquam ad religionem ullam, quæ libere ſuſcipi debet, (ut rationes alias hîc omittam, quæ ab aliis ſunt explicatæ) adigere, neque unquam prohibere quo minus populus, ſaltem privatim, ex animi ſui ſententia Deum colat: id tamen interea cavens, ne in privatis & clandeſtinis conventibus aliquid rerum novarum moliatur populus, & Rempublicam mutare & evertere tentet. Qua de cauſa etiam, ſi non pauci è populo diverſam ab ipſo religionem ſequantur, & fortaſſis etiam ii, qui aliquid in republica moliri poſſent, ſatius eſt, illis publica loca concedere, in quibus animi religionem explere queant, quam ut, negata illis hac facultate, occaſio detur clam deterius quippiam machinandi; præſertim cum indignationem excitare ſoleat interdictio illa conventuum ſacrorum; & qui premuntur, etiamſi nonnunquam deterior ſit cauſa, favorem aliorum demereri. Prudentiæ ergo & æquitatis ea res eſt. Porro in id, ut diximus, incumbendum eſt principi maximè, ut homines curet diligentiſſime doctrina ſalutari inſtitui; proinde colloquia ac diſputationes publicas ad errores convincendos inſtituat, & diſciplinis liberalibus curet inſtitui, qui veritatem dextrè defendere, eamque in republica ſpargere ac propagare queant; ipſe imprimis religionem amet, ac pietatis & virtutis exemplo ad eam capeſſendam aliis præeat. Nam etiam hîc illud valet:

Regis ad exemplum totus componitur orbis. Idololatriæ autem magiſtratus imprimis occurrere debet, &, quantum ejus fieri poteſt, efficere, ne ſimulachra religioſe colantur, cum ipſa humana ratio dictet, indignum eſſe, vivam Dei imaginem ſimulachrum inanime, colere, quod nullam cum Deo ſimilitudinem habet, imo nec cum Chriſto, quatenus nunc immortalis exiſtit. Quatenus ergo id cavere poteſt magiſtratus, ſalva interim conſcientiarum libertate, id curare omnino debet. Porro magiſtratui ad ea, quæ ſupra explicuimus, officia recte exſequenda, præter pietatem ac religionem in Deum, cui omnia ſervire debent, opus eſt duabus imprimis virtutibus, juſtitia & manſuetudine. Juſtitia enim maximum imperii firmamentum eſt, & quo plus poteſt magiſtratus, tanto etiam magis nocet, niſi juſtitiam colat. Imprimis autem eam exercere debet in oneribus, ſeu tributis, quæ civibus imponit moderandis: deinde in judiciis exercendis, in quibus imprimis fugienda eſt προσωποληψία, de qua alibi dictum: denique in decretis ac ſententiis exſequendis, pœniſque infligendis, in quibus locum habet etiam manſuetudo, quæ amorem magiſtratui præcipue conciliat. Sunt & aliæ virtutes, quæ, ut quemvis Chriſtianum, ita imprimis magiſtratum decent, nempe liberalitas, quæ in magnis facultatibus major eſſe poteſt ac debet, ita tamen ne de publico nimis ſit liberalis, aut alioqui fiat prodigus: præterea magnanimitas ac fortitudo in periculis: modeſtia, ne ſuperbiat & honoribus efferatur: temperantia, ne luxui ſe dedat, & voluptatibus diffluat: gravitas, ut auctoritatem retineat: humanitas, ut civium animos ſibi devinciat: Vigilantia ac diligentia in exequendis muneris ſui partibus, cui adjuncta eſſe debet prudentia, quæ imperantium maxime eſt propria.

Quod ad ſubditorum officium attinet, illud, ut cæterorum omnium, qui alterius poteſtati ſubjecti ſunt, præcipuum eſt officium, ut magiſtratibus ſuis pareant, atque in omnibus, quæ divinæ voluntati non repugnant, obtemperent. Qua de re prolixè præcipit Paulus dicto ſuperius loco Rom. 13. ubi etiam cauſas affert, cur magiſtratui ſit obtemperandum, & ad Titum 3. 1: ubi ait, *Mone illos*, puta auditores, *ut ſeſe ſubjiciant principatibus ac poteſtatibus, ut obtemperent, ut ad omne opus bonum* (intellige, quod à magiſtratu injungitur, aut ad bonum publicum ſpectat) *ſint parati*. Chriſtiani enim homines primi inter eos eſſe debent, qui quod magiſtratus juſſerit, exſequantur, nec ulli obſequendi ſtudio cedere. Idem præcipitur & 1 Pet. 2. 13. Eſt autem magiſtratibus obtemperan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perandum, non tantum in iis, quæ natura fieri jubet, & legibus naturalibus comprehenduntur; Verum etiam in iis omnibus, quæ ad honeſtam Reipublicæ utilitatem, ordinemque rectum conſervandum pertinent, & legibus poſitivis circumſcribuntur, pendentque ab hominum arbitrio. Quia vero præcipue magiſtratuum imperium dirigitur ad tranquillitatem publicam, & ſecuritatem ſingulorum in Republica viventium; ideo Chriſtiani homines ab omni injuria abſtinere debent. Unde Paulus dicto ad Titum loco, poſt verba paulo ante adducta ſtatim ſubjungit, *ne cujus famam lædant*, ſcil. Chriſtiani, *ut ſint à pugnis alieni, æqui, omnem exhibentes lenitatem erga quoſvis homines.* Hinc obedientiæ magiſtratui debitæ repugnat omnis adverſus eum contumacia, ſeditiones, ac tumultus, præſertim adverſus ipſum excitati, & multo magis arma adverſus ipſum ſumta. Quod ſi quid iniqui magiſtratus imperet, vel jure ſe debent defendere ſubditi, ſi hac defenſione poſſunt quicquam proficere, vel precibus à ſe injuriam amoliri, vel muneribus magiſtratum ſibi conciliare, vel fuga ſibi conſulere, ſi injuria valde ſit gravis, vel denique eam patienter ferre. Quanquam in tota hac re diligenter eſt videndum, penes quem ſit ſumma rerum poteſtas, an penes unum, an penes plures, an omnes, & quatenus, diligenterque cavendum, ne quod fortaſſe omnibus competit, id pars minor ſibi ſumat. Sed hac de re fuſius diſputare Politicorum potius eſt. Cavendum eſt & ſubditis, ne libertatem Chriſtianam licentiæ velint prætexere, & ob eam magiſtratuum imperia contemnere: à quo nos dehortatur Petrus 1 Epiſt. 2. 16: ubi in officio ſubditorum erga magiſtratus adhuc immorans ait, *ut liberi, & non, ut velamen habentes malitiæ, libertatem, ſed ut ſervi Dei:* quaſi dicat, liberi quidem eſtis, verum non ita, ut à jugo legum ſitis exempti, atque adeo à magiſtratuum imperiis quibus vos Deus ſubjecit; ſed ſervi eſtis Dei, atque adeo propter Deum etiam magiſtratus. Secundum ſubditorum erga magiſtratum officium, quod prioris veluti cauſa eſt, & ad illud quodammodo reduci poteſt, eſt, ut metuant ſuos magiſtratus, eoſque vereantur offendere, & mandata eorum tranſgredi, utpote qui puniendi poteſtatem à Deo acceperint. Atque hoc ſignificavit Paulus, dum in hac materia verſans dixit; *& cui metum* debent Chriſtiani, *ei metum* eſſe præſtandum: Rom. 13. 7. Quanquam enim ſuperius conſilium hominibus Chriſtianis dedit, quo poſſint magiſtratus non timere, id tamen huic rei minime repugnat. Eum enim ibi metum intelligit Apoſtolus, qui proprius eſt ſontium, hoc eſt eorum, qui pœnam ſunt commeriti, adeoque eam ſibi imminere ſentiunt. At alius eſt etiam innocentium metus ac timor, quem inferiores debent ſuperioribus; quo fit, ut vereantur illos offendere, & ſic in eorum pœnas incurrere. Hic ergo metus inde oritur, quod magiſtratus te, ſi id merearis, punire queat: iſte vero inde, quod quia merearis ſit puniturus. Hic maleficorum tantum eſt, atque adeo à Chriſtianis hominibus abeſſe debet: ille debet eſſe omnium. Tertium officium ſubditorum, quod itidem cum primo nonnunquam computatur, aut illud in ſe complectitur, eſt, ut honorent ſuos magiſtratus, & eos maximè, qui ſummum habent imperium: quod indicavit Paulus dicto ad Romanos loco; ubi poſt verba modo citata ſubjungit, *Cui honorem* ſcil. debetis, *honorem* ſcil. præſtate. Et Petrus, cum dixiſſet primum, omnes eſſe honorandos, poſtea ſpeciatim ſubjungit, *Regem* (quo nomine Cæſarem penes quem ſupremum tunc fuit imperium, intellexit) *honorate*: quanquam honor ille civilis eſſe debet, non divinus. Huic repugnat id, quod Deus aliquando in lege ſua prohibuit, nempe ne quis Principi populi aut magiſtratui malediceret, ut legitur Exod. 22. 28. quod & citat Paulus Act. 23. 5. Atque hoc inter graviſſima flagitia objicitur falſis doctoribus 2 Pet. 2. 10; quod *dignitates*, ſeu magiſtratus *non horreant convitiis inceſſere*: non horreant, inquit, ſeu non contremiſcant, ut ſonat vox Græca; quod de graviſſimis ſceleribus & deteſtandis flagitiis demum uſurpare ſolemus. Et apud Judam, ỳ. 8. de iiſdem dicitur, quod *dominationem ſpernant, dignitates* autem *blaſphement* ſeu convitiis lacerent. Et ſane parce admodum, & valde modeſte, & verbis quam fieri poteſt leniſſimis de magiſtratuum vitiis eſt loquendum, ne eorum auctoritas, in qua plurimum eſt ſitum, pereat, & vis imperii diſſolvatur. Quartum denique ſubditorum officium eſt, ut tributa quoque ac cenſus pendant magiſtratibus, quibus illi utantur partim ad defenſionem Reip. ac tutelam ſingulorum civium, partim ad præmia adminiſtris imperii, aut civibus bonis perſolvenda, partim denique ad dignitatem ſuam tuendam. Cum enim illi publico bono ſerviant, æquum etiam eſt, ut publicis bonis tanquam Reip. capita ac præcipua membra, perfruantur. Unde Paulus dicto ſæpius loco Rom. 13. 6 ait, *propterea etiam tributa penditis*, vel pendite; *miniſtri enim Dei ſunt, in id ipſum*, hoc eſt, in publicum bonum, defenſionique bonorum *incumbentes. Reddite ergo omnibus debita; ei, cui tributum* ſcil. debetis, *tributum, cui vectigal, vectigal.*

Cap. XVI.

De officio Divitum & Pauperum.

QUia latiſſime patet diſcrimen illud, quod eſt inter pauperes & divites, & peculiaria utrique hominum generi in ſacris literis præſcribuntur officia, ideo operæprecium eſt, hæc quoque reliquis adjicere. Omnium autem fuſiſſime divitum officium perſequutus eſt Paulus 1 Tim. 6. 17. & ſeqq. ubi quædam vitia illis præcipue vitanda eſſe docet, quaſdam autem virtutes ſequendas. Vult autem ab illis vitari ſuperbiam, cum ait: *Divitibus in hoc ſeculo præcipe, ne altum ſapiant.* Solent enim divitiæ vel imprimis ſpiritus addere hominibus. Cui vitio ex adverſo opponi poteſt illud, quod Jacobus præcipit cap. 1. 10; *ut glorietur dives in humilitate ſua*, hoc eſt, quod Deus eum humiliaverit, & pauperibus æquaverit, eique criſtas illas, quas divites erigunt, per Euangelium detraxerit; addita ratione, quia alias, niſi id factum fuiſſet, tanquam flos herbæ fuiſſet prætériturus; quod in ſequentibus pluribus explicat. Secundum vitium, à quo eos vult eſſe immunes Apoſtolus, eſt, ne ſpem ponant in divitiarum incertitudine, ſeu in divitiis ita incertis, fluxis ac caducis; id quod facile etiam accidit divitibus, cum divitiis omnia videantur parari poſſe, ſeu (ut ille ait) omnia pulchris inſint divitiis, atque adeo ipſa vita iis credatur niti; quæ res plures ſæpe decepit. Itaque contrariam ei vitio virtutem commendat Paulus, dum ait: *ſed* ſcilicet ſpem ponant *in Deo vivente*, hoc eſt, vitæ fonte & autore, *qui præbet nobis abunde omnia ad perfruendum.* Huic adjungit alteram virtutem, nempe beneficentiam ac liberalitatem; quam quidem pluribus inculcat verbis, utpote quæ divitibus maxime debeat eſſe propria; cum ait eos debere *benefacere, diteſcere in bonis operibus*; quaſi dicat, non eos id agere debere, ut ſubinde aliquid ad pecuniæ cumulum accedat, ſed potius, ut ad bonorum operum cumulum ſemper aliquid adjiciant. Monet amplius, ut faciles ſint ad largiendum, ad communicandum proni. Huc pertinet illud Chriſti monitum Luc. 12. 33: *Vendite poſſeſſiones veſtras, & date Eleemoſynam*: qua de re nobis alibi dictum. Huic virtuti opponitur avaritia, ad quam divites maxime ſunt propenſi, cum fere fiat, ut creſcat amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit: atque huic vitio adjuncta tenacitas, atque in pauperes durities & immiſericordia; de qua Johannes ita ait 1 Epiſt. 3. 17: *Qui habuerit victum hujus mundi, & viderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit viſcera ſua ab ipſo; quomodo charitas Dei manet in ipſo? filioli mei ne diligamus ſermone neque lingua, ſed opere & veritate.* Vide etiam Jacobum cap. 2. 15, 16. Quare tertium hoc eſt vitium, quod vitare imprimis debent divites. Cui adjungi

poteſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

poteſt quartum, nempe luxuria; quæ una cum immiſericordia in pauperes depingitur nobis in divite illo, de quo extat Chriſti parabola Luc. 16; qui cum quotidie ſplendide & opipare viveret, in Lazarum extrema fame ac ulceribus afflictum, ne micas quidem de menſa ſua cadentes, aut reliquias curavit conferri.

Pauperum contra eſt, egeſtatem patienter ferre, in Deo ſpem ſuam collocare, honeſto labore, ut Apoſtolus præcipit, victum ſibi quærere, nec ſolicitudine victus angi, neque committere, ut ad malas artes inopia adigantur, ne ſint queruli, ne, quod à divitibus vulgo vilipendantur, ideo animum deſpondeant, ſeque miſerrimos eſſe mortalium putent, immo potius, ut ait Jacobus de fratribus humilibus ſeu pauperibus, cap. 1. ℣. 9, glorientur in ſua exaltatione, ſiquidem (ut idem ait cap. 2. 5.) *Deus elegit pauperes, divites in fide*, (hoc eſt ut divites ſint per fidem) *& hæredes regni, quod promiſit diligentibus ipſum.*

Faxit Deus, ut omnes fide diteſcamus, & bonorum operum, atque inde illibatæ conſcientiæ opus, ſpeique theſauros colligamus, & aliquando regni illius Cœleſtis compotes fiamus, ex benignitate ac clementia Dei Patris noſtri, per Jeſum Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum: cui cum ipſo ſit laus, honor, & gloria in ſempiterna ſecula. Amen.

ORATIO PRIMA.

De honeſtatis natura & fonte.

DIgna Philoſopho vox, & ex ipſius veritatis adytis profecta videtur, Auditores Præſtantiſſimi, quam è Platone refert M. Tullius, Offic. lib. 1. Formam honeſti, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaturam ſui, vel, ut alibi loquitur, ſapientiæ. Nam ſi corporis forma & pulchritudo, in amorem ſui rapere ſolet alios, & nonnunquam vehemens ſui deſiderium in eorum animis excitat; quid de præſtantiſſima illa ac plane divina honeſtatis ac virtutis ſpecie dicemus, quæ prope id omne quicquid in animo, nobiliore noſtri parte, pulchrum, quicquid in actionibus decorum eſt, complectitur? Fierine poteſt, ut ſi ſub oculorum caderet arbitrium, quiſquam eſſet adeo ferus, qui pulcherrima illius ſpecie non caperetur? qui magno ad eam conatu non putaret ſibi enitendum? qui ſapientiam virtutis ſive ducem ſive comitem, amplectendam ſibi non arbitraretur? Id certe non hominis, qui ab ipſa natura eſt ad honeſtatem & ſapientiam factus, ſed ſtipitis eſſet aut pecudis. Quare cum de argumento, de quo in hoc conſeſſu verba facerem cogitarem, nullum occurrit vobis, qui virtutem & ſapientiam ſummo colitis ſtudio, & ab ea viciſſim amamini, dignius; nullum huic pubi, quæ ad utriuſque ſtudium informanda eſt, utilius, quam ſi honeſtatis formam, non pro ipſius quidem dignitate, depingerem; (ad hoc enim divino quodam artificio, & colorum genere opus eſt:) ſed rudi penicillo delinearem, ejuſque imaginem cum corporis oculis cerni non poſſit, animis veſtris exhiberem contemplandam; non quidem ut vos nunc primum ejus formam agnoſceretis, qui eam & animo jamdudum eſtis complexi, & factis expreſſiſtis, adeo ut ipſi, pro vivis quibuſdam virtutis ſimulachris, proponi poſſitis; ſed ut, quam tantopere amatis, honeſtatem, nunc denuo fixis animi oculis, & intenta mentis acie contuentes, jucundiſſima rei diviniſſimæ ac pulcherrimæ contemplatione vos ipſos oblectaretis: huic autem pubi, cujus animus rudis eſt ac mollis, & ad quamvis formam recipiendam habilis, ipſius honeſtatis imago quædam imprimeretur, quæ cum ipſa ætate indureſceret, nec virtutis eos immemores eſſe pateretur; quin etiam ut, ſi fieri poſſet, aliquem ex vobis excitarem Apellem, qui honeſtatis faciem ſuis depingeret coloribus, ejuſque pulchritudinem eleganti genere orationis exprimeret. Solent enim nonnunquam magni artifices, non ſua ſponte, ſed aliorum erroribus & imperitia, ad edenda ſuæ artis ſpecimina incitari; præſertim ſi rem ſua induſtria & labore dignam exiſtiment, eamque non ita ut par erat ab aliis tractari animadvertant. Nihil autem viro ſapiente, nihil virtutis ſtudioſo dignius, quam de virtute diſſerere, in eamque omnes dicendi colores conſumere. Quod ſi fuero conſecutus, laboris me præmium ſatis amplum reportaſſe putabo.

De honeſtate igitur dicturi, primum in quo ejus vis ac natura conſiſtat; deinde unde tam diverſa honeſtorum genera proficiſcantur, oſtendere conabimur.

Antequam autem ad rem ipſam accedamus, illud monendum videtur vocem *Honeſtatis* non uno modo à bonis autoribus accipi, nec nos de omnibus iis, quibus id nomen tribui ſolet, agere conſtituiſſe: ſed de eo tantum honeſto, quod proprio velut jure nominis hujus poſſeſſionem ſibi vendicat, & inter cætera quæ hoc nomine inſigniuntur, eminet. Id autem eſt, quod in virtute morum, & ex ea pendentibus actionibus cernitur. Hæc enim ſua natura ſunt honeſta, in quibus negligendis omnis vitæ turpitudo conſiſtit; cætera, quæ honeſta ſolemus appellare, precario veluti jure, & ejus, quod modo diximus, honeſti beneficio, tam ſplendidum nomen ſortiuntur. Alia namque honeſta dicimus, quod virtuti admodum ſint vicina, & ad eam non exiguum adferant adjumentum. Sic artes ingenuas ſolemus honeſtas appellare, non quod viri honeſti nomen ſuſtinere non poſſit, qui eas negligit; ſed quod honeſtum virum admodum deceant, cum virtute amice conjurent, eam adjuvent, augeant, ei robur & ornamentum addant. Ratione non prorſus abſimili educationem appellamus honeſtam, quod honeſtos mores formet, & ad virtutis cultum animos teneros præparet. Alia rurſum honeſta dicimus, quod virtutis, quam in hoc rerum genere ordinem ducere aſſeruimus, ſigna ſint & effecta. Sic honeſtam appellamus famam, honeſtum nomen, & quicquid ex aliorum de virtute noſtra opinione proficiſcitur, honeſtum dicimus. Unde hoc factum eſt, ut Lacteus ille ſcriptor, in divinarum Inſtitutionũ libris, Lib. 3. c. 1. honeſtatem definierit, honorem perpetuum ad aliquem ſecundo populi rumore delatum. Alia denique nuncupamus honeſta, quod ab honeſtate non abhorreant, & cum virtute jungi poſſint. Sic artes, licet alias viles ac ſordidas, honeſtas tamen appellamus; quod ab honeſto viro non ſint alienæ: quin ipſum etiam lucrum bonis artibus & labore, non flagitioſe quæſitum, honeſtum vocamus: quod rerum genus ordinem claudit, & poſtremum inter honeſta locum obtinet, & nominis hujus ſplendorem ægre tuetur. Quo enim quidque virtuti conjunctius eſt, tanto potiore jure honeſti nomen ſibi aſſumit, & tanto cæteris eſt illuſtrius; quo longius abeſt, tanto minus juris ad tanti nominis majeſtatem habet: non ſecus atque inter regum ac principum amicos & comites, is eſt honoratior, qui eſt illis conjunctior. Rex enim majeſtate ſua cæteris dignitatem conciliat. Sic virtus inter honeſta regnum quoddam obtinet, & quo quidque ad amicitiam ſuam admittit propius, tanto reddit honeſtius, & dignitatem quam ſuo merito obtinet, aliis non eadem menſura impertit. Nos hunc honeſtatis veræ comitatum nihil morati, Reginam ipſam adeamus, & quodnam ejus ſit ingenium, quis decor penitus inſpiciamus.

Honeſtatis naturam Flaminius nobilis Philoſophus, & ſeculi ſui decus, hoc pacto deſcripſit, non male quidem, ſed non perſpicue. Honeſtas, inquit, veritas eſt, quam ſequatur & admittat appetitus. Quod hauſiſſe videtur ex ipſo philoſophorum principe, qui principia τῆς εὐπραξίας, ſeu actionis honeſtæ fontes duos conſtituit, Rationem & Appetitum: quæ duo ubi ita inter ſe conſpirant, ut ratio præat & lucem præferat, appetitus rationem ſequatur, oriri

ait εὐπραξίαν, quæ cum in animo, tum in actionibus, obſequio corporis perfectis cernitur. Rationis autem eſt, veritatem inveſtigare ac monſtrare. Hanc partim affirmando, partim negando concipit. His duo reſpondent in Appetitu, cupiditas quidem affirmationi, negationi verò fuga. Quare ſi id, quod ratio affirmat, appetitus cupiat, quod illa negat, hic fugiat; naſcitur id quod appellamus honeſtum; quod in animo, & quæ in eo latent cogitationibus ac conſiliis potiſſimum eſt ſitum, tum externo ſe prodit opere: actionum vero, præſertim earum quæ in animo latent, beneficio, habitus etiam ipſi honeſti dicuntur. Hinc eſt, quod Ariſtoteles, virtutis definitioni προαίρεσιν inſeruit, quæ nihil eſt aliud, quam appetitio quædam ejus rei, quam ratio antegreſſa deliberatione concluſit; nempe quod honeſti decor, qui in virtute relucet, in conſenſu appetitus cum ratione maxime conſiſtat, ita tamen ut ratio id quod verum aut rectum eſt monſtret, quod mediocritatis voce complexus eſt Ariſtoteles. Nam ſi ratio pravis opinionibus imbuta ſecum trahat appetitum, tum verò non honeſtas, ſed turpitudo naſcitur. Hoc in loco non eſt prætereundum, quod Ariſtoteles, & cum eo Flaminius, voluntatem cum ratione computet, ideoque nullam ejus expreſſe faciat mentionem, licet voluntatem noſtram, ad honeſtas actiones, uterque ſtatuat neceſſariam. Eſt enim Ariſtotelis ſententia, voluntatem cum ratione tam arcta devinctam eſſe colligatione, ut ab ea nonniſi ſubtili mentis acie diſcerni queat, & quicquid mens ſuadeat, in id ſtatim feratur voluntas: quemadmodum è diverſo appetitum cum ſenſibus, individuo nexu putat conjunctum, adeo ut quod ſenſibus allubeſcit, in id ſtatim propendeat appetitus; quanquam rationis imperio ejus impetus coërceri ac ſiſti poſſit. Quam ſententiam ſi quis nolit admittere, malitque voluntatem inter rationem & appetitum conſtituere mediam, & quendam veluti arbitrum, qui lite inter hunc & illum exorta, eam decidat, ac ſententiam nunc pro ratione, nunc pro appetitu ferat, eamque curet exſequendam, & corporis membra ad rem perficiendam incitet atque impellat, ei per nos licet in Flaminiana honeſtatis definitione, vel cum appetitu voluntatem conjungere, vel illam in hujus locum reponere; adeo ut honeſtas ſit verum quod ſequatur & admittat voluntas: hoc enim ubi fit, appetitus quoque rationis imperio vel parere, vel cedere cogitur. Verum enim vero dicet aliquis, quid per veritatem illam, quam ſequi debeat appetitus, ſeu mavis voluntas, intelligis? Neque enim honeſtas ea quam quærimus, in illa conſiſtit veritate, quam conſenſum ſeu adæquationem intellectus noſtri cum re ipſa definiunt Philoſophi, quam in diſputationibus ſolemus quærere; cum etiam ii qui hanc habent optimè cognitam & exploratam, eamque conſtantiſſime retinent, flagitioſiſſime nonnunquam vivant. Veritas igitur ea quam ſi ſequatur appetitus, honeſtas oritur, in jubendo & vetando cernitur, & quid ſequendum, quid fugiendum ſit monſtrat. Quemadmodum autem iſtius veritatis, quæ ad ſolam cognitionem pertinet, regula & menſura quædam eſt natura illius rei quam mente intuemur, & cujus imaginem quandam animo concipimus; ita hujus veritatis quæ de rebus ſequendis aut fugiendis præcipit, regula eſt naturæ noſtræ dignitas, qua brutis excellimus, & finis vitæ noſtræ, cujus cauſa à Deo parente noſtro ſumus producti, quam ipſa naturæ noſtræ excellentia, & impetus ille ſeu inclinatio, qua rem quamque ob bonum ſuum tacite ducit natura, monſtrat. Itaque quicquid in affectibus, conſiliis, actionibus, conſentit cum naturæ noſtræ dignitate, & vitæ noſtræ fine, id honeſtum eſt: quod diſſentit, turpe.

Cum vero factum aliquod duplici ratione poſſit cum hominis dignitate & fine conſpirare, vel ita, ut ipſum factum per ſe conſideratum ſeu facti genus cum dignitate & fine iſto conſentiat, vel ut modus etiam iſtius facti cum eo conſpiret; hinc duplex oritur honeſti notio: aliud genere tantum ipſo ſeu per ſe honeſtum eſt; aliud non tantum genere honeſtum eſt, ſed etiam honeſte fit. Philoſophi breviter diſtinguunt; dum iſtud honeſtum factum, hoc honeſte factum appellant. Hoc perfectius eſt, & iſtud in ſe continet. Nihil enim honeſte fieri poteſt, quod non per ſe ſit honeſtum, vel ſaltem non inhoneſtum & turpe. Illud contra, hoc non ſemper complectitur: nec enim id quod per ſe honeſtum eſt, ſemper honeſte fit, ſeu ea ratione qua decet, & honeſtas poſtulat; ſed ſæpe turpiter & flagitioſe. Largiri pecuniam egeno, honeſtum eſt genere, & cum natura noſtra conſentit: poteſt tamen fieri non recte, ſi modum non obſerves decentem; vel enim largiris, minus quam oportet, vel invitus, vel cum contumelia ejus cui largiris, vel das de alieno, vel gloriolæ captandæ cauſa id facis, vel ut eum cui das ad res flagitioſas habeas obnoxium. Sic innocentem judicio abſolvere, per ſe honeſtum eſt: ſed ſi id facias contra tuam voluntatem, aut quæſtus tui cauſa, facis id inhoneſte: polluis enim honeſti pulchritudinem, dum modum decentem non obſervas: & licet factum ipſum per ſe ſit honeſtum & laudabile, tu tamen honeſtatis laudem inde reportas nullam, imo reprehenſionem, nonnunquam pœnam mereris. Ut igitur honeſti natura perficiatur, neceſſe eſt, non tantum ipſum factum per ſe cum natura & excellentia noſtra conſpirare; ſed & modum facti. Modus autem in obſervatione circumſtantiarum, quæ in ſingulis actionibus occurrunt, & ejus vim ac meritum variant, conſiſtit. Quod ut rectius intelligatur, paulo altius res eſt repetenda. Honeſtas (ut Seneca docet, & nos antea innuimus) eſt quædam in animo & actionibus inde prodeuntibus pulchritudo. Unde Græcis τὸ καλὸν & pulchrum & honeſtum eſt. Pulchritudo vero inprimis ſita eſt in variarum rerum eleganti inter ſe ordine, conſenſu & harmonia. Ordine enim in unaquaque re nihil pulchrius, nihil admirabilius, nihil ſapiente dignius, quem homo revera ſolus intelligit, bruta non aſſequuntur. Sic pulchritudo corporis, non tam coloris bonitate, & juſta membrorum omnium magnitudine, quam omnium quæ in toto corpore cernuntur, ordine, conſenſu, & proportione conſiſtit. Sic ſuavitas concentus muſici, maximè in conſenſu & proportione diverſarum rerum quæ harmonia dicitur, ſita eſt. Eodem modo pulchritudo animi, quæ honeſtas eſt, in convenienti quodam affectuum, conſiliorum, actionum omnium ordine, conſenſu, & harmonia cernitur, cujus ratio ex naturæ noſtræ dignitate ac fine ſumitur. Quocirca ubi mens ad hanc cynoſuram, quæ ſuprema honeſti lex eſt, reſpexerit, & ex ea conſiliorum ſuorum rationes moderata fuerit, obſervatis omnibus, quæ circa factum occurrunt, circumſtantiis, affectus porro rationis imperium audierint, actiones denique corporis miniſterio perfectæ, cum hoc animi propoſito, ipſaque adeo natura conſenſerint, oritur pulcherrimus & ſuaviſſimus concentus honeſtatis: ſi quid diſcrepet, & harmoniam hanc turbet, oritur turpitudo.

Eadem hæc alia quoque ratione licet inveſtigare. Honeſti natura in decoro conſiſtit, quod Græci τὸ πρέπον vocant; decoro, inquam, illo quod in univerſis moribus ac virtutum actionibus cernitur. Duplex enim decori genus, quod quidem ad virtutem, moreſque noſtros pertinet, conſtituit Cicero, alterum per omnem virtutem diffuſum, alterum quod modeſtiæ & temperantiæ proprium eſt. Quod verò Cicero decorum iſtud late patens, ab honeſto ſubtili quadam ratione diſtinxit, id nihil moramur, neque iſtud diſtinctionis acumen obſervavit ſubtiliſſimus philoſophorum Ariſtoteles. Quanquam & ipſe Cicero fatetur, differentiam hanc unius ab altero, adeo eſſe ſubtilem, ut facilius intelligi quam explanari poſſit. Quicquid enim (inquit) eſt, quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas. Adeo ambigue atque adeo obſcure diſcrimen iſtud explicuit optimus dicendi magiſter, ut dubitari poſſit an id rectius intellexerit, quam explanarit, aut an ullum prorſus diſcrimen præter vocum diverſitatem viderit: non audet aperte affirmare, decorum tum demum oriri, cum antegreſſa eſt honeſtas; ſed tum demum apparere, ut ſub vocis ambigui-

tate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tate lateat. Ariſtoteles verò non modo nuſpiam, quod ſciamus, τὸ πρέπον ſeu decorum illud, quod huc pertinet, ab honeſto diſcrevit, ſed etiam alicubi confudit. Explicans enim aliqua ratione naturam actionum virtuti morali conſentanearum, lib. Ethic. 10, Juſtitiæ (inquit) & fortitudinis & aliarum virtutum actiones exercemus inter nos in contractibus, neceſſitatibus, & negotiis omnis generis; in affectibus item cuique conveniens decorum attribuentes & obſervantes.

Quapropter omiſſo tam ſubtili, ſi modo ullum eſt, honeſti & decori diſcrimine, videamus, quod illius decori ſit ingenium: eo enim pacto ipſius quoque honeſti naturam deprehendemus. Id vero hoc modo definiri ſolere affirmat Cicero; Quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo in quo natura eum à reliquis animantibus diſcrevit: idque colligit ex eo decoro quod Poëtæ ſequuntur. Poëtas decorum ſervare tum dicimus, cum id quod quaque perſona dignum eſt, & fit & dicitur. Sic decorum obſervat Comicus, dum ſervum callidum ac vafrum: lenonem impudentem, perjurum, ſordidum: juvenem hilarem, incautum futuri, voluptatibus ſuis indulgentem: ſenem ſeverum, gravem, juventutis acrem reprehenſorem, nonnunquam moroſum, querulum, parcum fingit: quia hæc illorum perſonis apte conveniunt, eorumque mores eleganter exprimunt. De quo decoro extant Horatii in arte poëtica præcepta. Quare decorum etiam illud, in quo honeſti vim collocamus, illud erit, quod nobis ipſis noſtræque naturæ aptum eſt; non quidem in eo in quo brutorum ſumus ſimiles, ſed in eo quod illis anteſtamus, & ad beatas mentes propius accedimus. Nam ex rebus adeo diverſis, ac tam longe inter ſe diſſitis homo conflatus eſt, ut, quemadmodum quidam ait, ſi corpus illi detrahas, ſpiritus aliquis ac propemodum angelus eſſe videatur; ſi animum ac mentem, pecus. Quanquam nos à decoro illo corpus & affectus cum ſenſibus corporis implicatos, non prorſus ſecernimus, cum in eorum obſequio quod rationi præſtant, honeſtatem antea collocaverimus. Sed hoc volumus, in affectuum noſtrorum moderatione, ad eam naturæ noſtræ partem, eamque dignitatem qua cæteris animantibus antecellimus, oculum eſſe intendendum. Atque hoc eſt, quod una cum Stoicis, multis in locis affirmat Cicero, virtutem colere, nihil eſſe aliud quam naturam ſequi ducem; nihil magis eſſe ſecundum naturam quam ſit honeſtas; nihil magis contra naturam quam turpitudo; naturæ rationem eſſe legem quandam, quam omnes ſequi debeant. Qua de re fuſe diſputat libro illo qui de legibus eſt reliquus; ubi, inter cætera quæ huc pertinent, non dubitat aſſerere, virtutem nil eſſe aliud, quam in ſe perfectam & ad ſummum perductam naturam. Eandem ſententiam ſecutus Romanus ſapiens, Stoæ columen, omnia vitia, ait, contra naturam pugnare, omnia debitium ordinem deſerere. Id nempe ſummi hi viri ſibi voluerunt, naturam in eo ſequi, in quo à belluis diſſidet, eſſe virtutem colere, & hunc eſſe humanæ felicitatis apicem. Quod Lactantius, lib. 3. cap. 8, non ſatis dextre acceptum, immerito exagitat. Conſecuturum enim ait, ut belluarum more nobis ſit vivendum; quo nihil eſt à Stoicorum doctrina alienius. Nec mirum eſt, quod Stoicorum placitum doctiſſimos viros, etiam inter Chriſtianos, repererit defenſores, atque inter alios Hieronymum Oſorium eloquentiſſimum hominem, in libris de Chriſtiana nobilitate. Viderunt enim Stoicos naturæ noſtræ nomine intelligere quod hominis eſt proprium, & quod eum à belluis diſpeſcit.

Eandem Ariſtotelis eſſe ſententiam, ex virtutis quam nobis tradit definitione clarum eſt. Virtutem enim ait habitum eſſe, cum conſilio conjunctum, in mediocritate ea ſitum quæ ad nos, quam recta ratio præſcripſerit, & ut vir prudens definierit. Quid enim aliud eſt mediocritas ad nos relata, quam ea cujus regula & norma ſumus nos ipſi, & ea quæ vel in nobis, vel circa nos exiſtunt? Nam cum Philoſophus in mediocritate quæ eſt inter nimium & parum interjecta, virtutem collocatam eſſe docere vellet, mediocritatem conſtituit duplicem, alteram rei ipſius, alteram ad nos relatam. Medium ipſius rei vocat, quod æqualiter ab utroque extremorum diſtet, quodque unum & idem ſit omnibus, nec pro perſonarum, temporum, locorum ratione varium. Medium verò ad nos relatum, id appellat, quod nec ſuperet modum convenientem, nec infra illum ſubſiſtat; hoc eſt, ut ex aliis ipſius dictis colligimus, quod in diligenti omnium circumſtantiarum, quibus actionum momenta ponderantur, obſervatione, & pulchro quodam ordine, & conſenſu ſitum eſt. Hujus generis mediocritatem non modo virtutes, verum etiam artes quædam, eæ præſertim quæ Stochaſticæ dicuntur, quæque majorem deſiderant prudentiam, ob rei quam tractant varietatem & inconſtantiam, conſectantur; quanquam in aliis rebus, quam in quibus opera virtutis inſudat. Medicus non eadem omnibus pharmaca, licet eodem morbi genere conflictantibus, propinat, ſed ipſius rei medium quærit. Neque enim ſi duas medicamenti alicujus drachmas ægroto exhibere parum ſit, decem nimium, protinus ſex præſcribet; id quod rei ipſius eſt medium à binario & denario æqualiter diſtans: (fieri namque poteſt ut ſex quoque drachmæ modum ſuperent, aut citra eundem conſiſtant;) ſed pro ratione morbi, conſtitutionis, ac temperamenti corporis, virium, victus, aliarumque rerum, quæ in medicina vim aliquam habent, pharmaca miſcet ac temperat, & tum id quod nimium eſt, tum id quod parum eſt, fugit: idem in diæta præſcribenda facit. Norunt enim medicorum filii, id quod huic remedium eſt, alteri nonnunquam venenum eſſe; & quæ huic commoda victus ratio, eam alteri noxiam & pernicioſam. Eandem rationem gymnaſta in exercitatione corporis, eandem aliptes in victu athletarum præſcribendo ſequitur: nec eandem tyroni, eandem Miloni alicui, qui integrum bovem, quem pugno percuſſum occiderat, comediſſe dicitur, victus rationem proponit; ſed eam pro viribus & corporis vaſtitate definit. Quod medicus in morbi cura, in exercitatione corporis gymnaſta, in athletarum victu aliptes; id philoſophus & qui eum ſequitur vir bonus, obſervat in vita; omniaque ſua conſilia, dicta, facta ad dignitatem naturæ ſuæ, & ad vitæ ſuæ finem attemperat: ad hanc lancem, appenſis omnium actionum attributis, cogitationes ſuas librat, & medium quærit, quod ſi repererit & in factis ipſis fuerit ſecutus, omne tulit honeſti punctum.

Verum cum ea quæ de univerſo aliquo genere dicuntur, obſcuriora eſſe ſoleant, ideo ad partes honeſti, quod latiſſime patet, ſubjectas accedamus, & in iis naturam illius pulchri, quod quærimus, contemplemur; ne nobis objici illud poſſit quod Ariſtoteles frequenter in ore habet, τοῦτο μὲν ἀληθὲς ἀλλ' οὐ σαφές, hoc quidem verum eſt ſed non clarum; in quod tamen ipſe propemodum videtur impegiſſe hac ipſa in re, ſi Hieronymo Oſorio credimus. Nam cum in ſummi boni deſcriptione, virtutis, in virtutis autem definitione, rectæ rationis ac prudentiæ feciſſet mentionem, ejuſque explicationem alio diſtuliſſet; cum de recta ratione ac prudentia ait, ad virtutem & vitæ noſtræ finem nos remittit, & circulo facto eodem nos revocat unde abduxerat. Sed, hoc miſſo, videamus unde tanta ſit honeſtorum diverſitas, quæ partes potius, quàm genera honeſtatis, ut viris in Peripateticorum ſchola maximis placet, dici merentur. Eſt enim honeſtas una, licet ex diverſis veluti partibus conſletur, quemadmodum corporis totius pulchritudo (hoc enim exemplo utendum nobis eſt ſæpius) una eſt, licet ex diverſarum partium formis inter ſe apte conſentientibus reſultet: vel ſi quis malit doctiſſimum Ariſtotelis interpretem Alexandrum Aphrodiſæum ſequi, honeſtum centro circuli ſimile eſt, quod cum reipſa ſit unum, tamen pro varietate linearum, in diverſas partes ex eo productarum, quodammodo fit varium & multiplex, & nunc hujus nunc illius lineæ terminus appellatur. Nam eadem prope ratione, honeſtum, cum

natura ſua ſit unum, pro varietate affectuum & actionum quas moderatur, varium eſt & multiplex. Unde illa virtutum perfectarum à philoſophis decantata connexio. Nam ſi virtus perfecta, & omnibus numeris abſoluta, nulla eſt ſine honeſtate; honeſtas omnes virtutes, animo ſaltem, ſi actionum ipſarum occaſiones & inſtrumenta deſint, comprehenſas requirit: apparet, ubi una virtus perfecta eſt, ibi reliquas etiam, ea qua dictum eſt ratione, reperiri. Unde fit, ut vir bonus pietate, juſtitia, temperantia carere non poſſit, cum earum exercendarum facultas nemini deſit, nec inſtrumentorum aut bonorum externorum tantus, ad eas exercendas, requiratur apparatus, ut non cuivis ea ſint obvia; contra quam in aliis nonnullis virtutibus, ut in munificentia, contingit, quas animo tum colere, cum facultas deeſt, ſuffecerit.

Partes vero honeſti, ex iis quæ ante à nobis conſtituta ſunt, deducere non eſt difficile. Honeſti legem diximus naturæ noſtræ, qua diſtinguimur à belluis, dignitatem, & qui ex hac pendet, vitæ noſtræ finem. Quo enim quæque res nobiliorem eſt adepta naturam, tanto finem quoque præſtantiorem, veluti ſcopum ad quem collimet, habet præfixum. Finis autem rei cujuſque in operatione ac munere illius proprio cernitur. Nihil enim otioſum Deus ſapientiſſimus produxit, ſed actionis alicujus gratia. Actio vero cujuſque rei propria ex ea parte cenſenda eſt, quæ in re quaque præſtantiſſima eſt. Quare cum homo ex duabus rebus conſtet, quarum altera divina & immortalis eſt, altera terreſtris & caduca; altera conſilio & prudentia prædita; altera iis deſtituta; altera regere & imperare, altera parere nata eſt: hinc patet prioris actionem propriam ac præſtantiſſimam, hominis ipſius munus eſſe proprium, & ultimum, qui quidem ad ipſum redeat, vitæ finem. Mentis autem, quæ divinior pars hominis eſt, propria muneris functio eſt cognitio & contemplatio. Contemplatio vero ea eſt præſtantiſſima, quæ eſt rei omnium diviniſſimæ: hæc Deus eſt. Hujus ergo contemplatio ultimus hominis finis eſt & felicitas. Verum præterea, actionis ipſius conſtantia & diuturnitas requiritur. Felicitas enim perfecta eſſe debet, & omni carere dolore ac moleſtia. Quicquid autem conſtantia caret, id imperfectum eſt; nec moleſtia caret, quod cum ſummopere cupieris amiſſurum te putes. Infinita enim boni cupiditas eſt, quæ mentem noſtram de futuro ſemper reddit anxiam & ſolicitam; ideo animus noſter nonniſi in æternitate acquieſcit. Nihil enim diuturnum eſt, in quo aliquid extremum eſt, quod ubi advenerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit. Itaque ubi cognitio Dei perfectiſſima ſimul & conſtantiſſima eſt, ibi demum eſt beatitudo. Hujus tam divini boni umbra tantum & imago quædam in hac nobis contingit vita: in illo vero ſeculo, illiſque beatis ſedibus in quas Chriſtus nos olim transferet, ipſius rei veluti corpus exhibebitur. Ibi enim Deum uti eſt contemplabimur, majeſtatis illius propriores effecti ſpectatores, & eo induti corpore, quod divinitatis præſentiam, & felicitatis ſupremæ conſtantiam ferat, nec à Dei conſpectu & beatitatis noſtræ perfruitione nos avocet aut abducat. In hac mortalitate beatitatis hujus, ut diximus, imaginem, diuturna & ſtabili, quæ quidem in homines cadat, Dei contemplatione conſequimur. Sed cum cognitionem Dei prope omnem ſibi vendicet divinitus revelata ſapientia, quæ ad religionem tota ſpectat, vix ulla eſt, vel ſaltem perexigua Dei cognitio, quæ ad actionem non referatur. Philoſophia tenuem quandam eorum quæ ad Dei naturam pertinent, nec ad actionem ſpectant, notitiam nobis præbet, quo trahi poſſunt pauci admodum ſacrarum literarum loci, adeo ut potius in ſpe certa & guſtu quodam futuræ felicitatis reponenda ſit hujus ſeculi beatitudo. Verum licet perfecta Dei cognitio cum æternitate conjuncta, ſummum ſit hominis bonum, ultra quod deſiderium ſuum non tranſmittit, & ultimus qui ad ipſum redeat finis, tendit tamen ſua natura aliò, & Deum Opt. Max. ejuſque gloriam reſpicit. Nam cum homo, quantus quantus eſt, à Deo ſit profectus, nec quicquam habeat quod ipſi non referat acceptum; quicquid præterea ſpectat id ab ipſius expectet benignitate; decet ſane ut omnia ad eum, à quo profecta ſunt, ea qua poſſunt ratione redeant, & quod ipſorum fuit principium & origo, idem ultimus etiam finis ſit: id quod tum demum fit, ſi quicquid à nobis proficiſci poteſt cultus, quicquid reverentiæ, honoris, obſequii, quicquid amoris, ſpei & fiduciæ, id in ipſius gloriam redundet univerſum. Atque hic hominis finis ita cum priore connexus eſt, ut neuter abſque altero, ex divino præſertim decreto, conſiſtere poſſit. His duobus adjunctus eſt etiam tertius, qui ex iſtis quodammodo manat, quem multis natura demonſtrat indiciis; ſed qui perfecte nobis innotuit, immortalitate omnibus revelata. Nam cum natura ipſa rationis & orationis vinculo, & tacita quadam animorum inclinatione homines cum hominibus colligaverit, & indigentia cogente ad auxilia ſibi mutuo ferenda devinxerit, unum quodammodo ex omnibus hominibus corpus effecit: ſingulos verò homines tanquam ejuſdem corporis membra, compage quadam apta inter ſe diſpoſuit, variis inter ea muneribus diſtributis, ut humanæ vitæ ſocietas conſervari, & commodis multiplicibus augeri poſſit. Unde homo animal civile non ſemel à philoſopho nuncupatur: & vel bellua vel Deus judicatur qui ab hominum communione abhorreat; quod vel omnino feris ſit moribus, & infra hominis naturam abjectus; vel ſi nullius ope indigeat, ſupra hominis conditionem ad divinitatem propemodum fuerit evectus. Quod ſi vero ſinguli homines, membra ſunt corporis hujus univerſi, certe ſingulorum hoc erit munus, & quidam veluti finis à natura iis propoſitus, ut ſocietatem hanc quibus poſſunt modis juvent, ornent, augeant. Partes enim ſingulæ, totius corporis cauſa comparatæ ſunt, earumque incolumitas, ad totius incolumitatem referri, & nonnunquam, ſi aliter fieri non poſſit, ei cedere debet. Eſt ergo finis hominis quodammodo triplex: partim enim ejus vita ad bonum ipſius proprium, partim ad Dei gloriam, partim ad aliorum incolumitatem & ſalutem refertur. Quanquam finis medius qui Deum reſpicit, inter cæteros eminet & eos ſub ſe complectitur. Omnia enim in Deum tendunt, & in illo tandem conquieſcunt.

Ex triplici hoc fine, triplex quoque honeſti genus exſurgit, arctiſſimo inter ſe nexu devinctum, non ſecus atque illi ipſi hominis fines, ex quibus tanquam ex fontibus, hæc honeſti genera deducuntur. Primum locum obtinet id quod Deum reſpicit, & pietatis aut religionis nomine ſolet intelligi. Deo autem parenti optimo, tum quia nos ad hanc vitam produxit, & omnia ad eam tuendam adjumenta perpetuo ſubminiſtrat; tum quia ad immortalitatis ſpem nos denuo genuit, amor, reverentia, animus beneficiorum memor, & inde manantes gratiæ, laudes, præconia debentur. Quia Dominus & univerſi monarcha, timor, obſequium, & animi ſumma demiſſio; quanquam hæc etiam parenti debentur: quia veraciſſimus, promiſſorum tenaciſſimus, æqui obſervantiſſimus, beneficiorum fons inexhauſtus, fiducia & preces aſſiduæ, quibus nos totos ex ipſius benignitate pendere teſtemur: quia denique ſapientiſſimus, cujus oculus animi adyta penetrat, mente ac ſpiritu hæc ipſi potiſſimum ſunt præſtanda, quam linguæ ac totius corporis officium ſequi debet. Quod ſi Deus pro ineffabili ſua ſapientia, gloriæ ſuæ amplificandæ cauſa, aliquem in divino imperio ſibi conjungat, eum omnium verorum bonorum & ipſius æternæ beatitatis conſtituat Dominum & largitorem, præſertim ſi id amore noſtri impulſus, ſpei ac fiduciæ noſtræ firmandæ cauſa faciat, (quod Chriſto contigiſſe divinis edocti ſumus teſtimoniis) eum colere & divino honoris genere proſequi, in eo ſupremi numinis majeſtatem revereri, in eo ſpem collocare, ad ejus nutum vitam componere nos debere, omnino res ipſa docet. Quin & alias, quo

quis

quis eſt Deo conjunctior, tanto majori dignus eſt amore & reverentia. Honorem vero eum, quem Deo debemus, aliis ſive cum Deo, quod ad imperium divinum attinet, non conjunctis, ſive ab eo prorſus alienis, ſive denique rebus inanimis, ac nobis ipſis (quos ad imaginem ſui formavit cæleſte numen & terreſtres quoſdam deos conſtituit, cæteriſque rebus imperare voluit) viliorıbus deferre, cum hoc honeſti genere pugnat, & in Deum injurium eſt, noſque de dignitate noſtra, qua violata, divini numinis, quam repræſentamus, majeſtas violatur, deturbat. Quod ſi ergo ratio affectum pietati repugnantem, aut ab ea nos avocantem in obſequium redigat, unam honeſtatis partem abſolvit, eamque principem quam reliquæ facile ſequuntur. Quî enim fieri poteſt, ut Deo, quemadmodum dignum eſt, obſequaris, quin cæteras etiam honeſtatis partes colas? eas enim Deus humano generi præſcripſit, & omnibus qui ad immortalitatem adſpirant ſervandas tradidit. Sed quia nos ipſius honeſti naturam inquirimus, & leges quas nobis fixit Deus, non eſſe dogmata ſeu placita, quæ ipſius tantum voluntate nitantur, qualia fuerunt in Moſaicis inſtitutis innumera: ſed quæ ipſa natura & ratione firmari conamur oſtendere, videndum eſt unde duo cætera honeſti genera fluant.

Alterum igitur honeſti genus eſt, quod ad alios homines ſpectat; ſiquidem, ut Stoicis etiam placuit, omnia alia hominum gratia, homines vero ipſi alii aliorum cauſa producti ſunt. Hoc genus honeſti, juſtitiæ nomine tum ſacræ literæ non ſemel, tum alii quidam ſcriptores complectuntur univerſum, tam latè vocabulo extenſo, ut beneficentiam & charitatem divinis literis tantopere commendatam, comprehendat. Ea vero poſtulat, ut non tantum neminem lædas, nec quicquam illi commodi tui cauſa detrahas, id quod Cicero non minus contra naturam eſſe docet, quam ſit mors, paupertas, dolor; verum etiam omnibus modis, tum univerſos, ſi modo ulla ratione poſſis, tum eos qui tibi ſint conjunctiores, juves, nec tantum ea quæ civili jure conſtituta ſunt, ſed etiam quæ beneficentiæ lex præcipit, iis tribuas & largiaris. Quemadmodum enim in corpore quædam membra reliquis omnibus proſunt, quædam nonnullis ferè tantum; ſingula vero cum proximis habent peculiarem quandam cognationem & συμπάθειαν, & alterum alteri vim quandam tribuit, & ſic omnia in totius incolumitatem conſpirant, atque operam aliquam vel præſtantiorem, vel viliorem toti corpori præſtant: ita omnia humani generis membra, quæque pro viribus ac facultatibus, vitæ communi conſulere, &, ſi poſſint, omnibus; ſi non poſſint, quibuſdam, præſertim conjunctioribus, dignioribus & utilioribus membris ſervire, atque vel ea ratione commoda communia debent curare, obſervatis temporum articulis, & aliarum rerum, ex quibus actiones noſtras moderari debemus, momentis. Nam, ut monet Cicero, bonos nos hac in parte decet eſſe ratiocinatores officiorum, ut quid cuique ſit tribuendum, & quo tempore, norimus. Digniores & humano generi utiliores ſunt viri divini, magiſtratus, viri ſapientes ac prudentes, viri excellenti virtute præditi. Conjunctionum gradus varii ſunt. Conjunctio hominum univerſorum inter ſe patet latiſſime, proprior eſt unius gentis, anguſtior civium unius Reipublicæ, ut alios gradus omittam cognatorum, aut affinitate junctorum, arctior fratrum & ſororum, parentum & liberorum, mariti & uxoris nexus; arctiſſima eſt etiam amicorum, quos virtus & integritas conciliat, neceſſitudo. Quod vero Cicero ait ſocietatem cum Republica eſſe maximam, & omnes omnium charitates patriam unam eſſe complexam, id in illos quadrat, qui ſuam in terris patriam agnoſcunt, qua Chriſtiani, qui cœli ſunt cives & incolæ, propemodum carent. Quod ſi tamen ullam hîc habemus patriam aut Rempublicam, ea piorum ſocietas & Chriſtianorum communio cenſenda eſt, quæ novum quoddam hominum corpus conſtituit, immortali natum ſemine, quod uno regitur ſpiritu, ejuſdem hæreditatis ſpe alitur, eadem prope lingua loquitur, unum Deum, unum patrem, unum regem agnoſcit, cujus corporis membra omnia, quorum alia nobiliora, alia ignobiliora, ita inter ſe compacta, ut alterum alterius miniſterio indigeat & adjuvetur. Hic igitur novum quoddam juſtitiæ ac charitatis genus oritur, quod huic reipublicæ, & propriæ naturæ debemus, pro qua quis mortem dubitet opetere ſi ei ſit profuturus, ut Ciceronis de propria loquentis utar verbis? imo quis bonus dubitet, vel pro uno iſtius reipublicæ cive, ſi ei ſit profuturus, mori, ejuſque interitum ſuo periculo redimere? Atque hoc juſtitiæ genus immortalitate publicata, & omnibus hominibus aditu ad eam patefacto, tam late extenditur, ut etiam pro iis qui à Republica Chriſtiana ſunt alieni, ad eam tamen adjungi poſſunt, vitæ diſcrimen ſit adeundum, ut illorum æternæ felicitati conſulatur, ipſius Chriſti ducis noſtri exemplo, qui pro inimicis, hominibuſque adhuc impiis, ſanguinem fudit. Quid enim honeſtius? quid fini vitæ noſtræ accommodatius, quam ſi aliis, multis præſertim, æternam felicitatem, Deo vero gloriam inſignem paraturus, non temere tamen, ſed recto conſilio uſus, vitam tuam in diſcrimen voces, & mortem, ſi res ita ferat, oppetas; cum ea ratione felicitatem tuam non modo non perdas, ſed etiam hac ipſa via ad eam tranſeas, & gloriæ coronam ab agonotheta noſtro propoſitam conſequaris? Ignavum tum eſt rediturae parcere vitæ. Minus quidem eſt & præſtitu facilius, honeſti genus, ad juſtitiam hanc, antea non cognitam, pertinens; ſed iis qui ſpe immortalitatis firma non fulciuntur, ſatis grave, hoſtibus ignoſcere, eoſdem amare, officiis variis proſequi, omnia iis bona precari, vota pro iis concipere; qua tamen re, nihil eſt homine, qui novit quantum Deo, quantum aliis, quibus ad cœlum patet aditus, debeat, quanta ſit hodie hominum cum hominibus conjunctio, dignius, nihil præclarius, nihil honeſtius.

Reliquum eſt tertium honeſti genus, quod ex eo ducitur vitæ noſtræ fine, qui ad nos ipſos redit, & inter ea bona, quibus ipſi perfruimur ſummum obtinet locum. Nam ſi ſummum hominis bonum in æterna Dei Opt. Max. contemplatione conſiſtit, cujus in hoc ſeculo quædam nobis contingit imago, quæ partim in Dei cognitione, cui reliquarum rerum, ipſius ſapientiam, bonitatem, ac potentiam nobis exhibentium, ſubſervit ſcientia, partim idque maxime in futuræ felicitatis, & æternitatis guſtu, qui divini ſpiritus vi in hominibus excitatur, ſita eſt, præſertim ſi ad hæc omnia diuturnitas accedat; certe quicquid ad Dei cognitionem ac contemplationem, quicquid ad immortalitatis deſiderium ac ſpem in nobis excitandam, alendam, & augendam pertinet, id honeſtum erit; ſi quid iis quæ diximus repugnet, eave impediat, inhoneſtum, ſi modo id amoliri ſit in noſtra poteſtate ſitum. Atque huc omnium affectuum corporis, ſumma quædam moderatio & tranquillitas, rerum terrenarum & caducarum cupiditas valde caſtigata requiritur. Nam animi luxuriantis impetus ac perturbationes, rerum externarum ſitis, mentem turbant, nebulas & caliginem ei offundunt, eam à Dei contemplatione, ac cogitatione immortalis vitæ avocant, deſiderium illius paulatim extinguunt, & animum ad cœleſtia ſeſe erigentem, mole ſua deprimunt ac terræ affigunt. Huc imprimis pertinet σωφροσύνη ſeu temperantia, cujus proprium eſt, ut ipſum nomen indicat, σώζειν τὴν φρένα, & mentis incolumitatem tueri; quo nomine ſacrarum etiam literarum monumenta, totum hoc honeſti genus interdum complectuntur. Temperantia vero proprie ſic dicta, tum ſobrietatem, tum caſtitatem ambitu ſuo continet, & voluptates belluinas, quæ hominem de ſua dignitate deturbant, & brutorum ſimilem efficiunt, vel etiam infra pecudes abjiciunt, reprimit ac coërcet. Ad hoc honeſti genus referri poteſt πραότης, quæ iræ validiſſimum, ut Heraclitus affirmat, affectum moderatur, & furorem hunc à mente avertit. Huc referri poteſt αὐτάρκεια, ani-

mus ſua ſorte contentus, quæ cupiditatem habendi, & cœcum divitiarum amorem reprimit. Huc ταπεινοφροσύνη, moderatus de ſe ſenſus, & animi quædam demiſſio, à ſervili tamen humilitate ſejuncta: quæ pectus opinionis fermento tumidum premit, ambitionem & honorum cupiditatem domat. Huc magnanimitas, quæ has omnes virtutes propemodum in ſe complectitur. Hæc enim in rerum humanarum deſpicientia verſatur, & tum læta tum triſtia æquo fert animo, injurias & dolores contemnit, omnia caduca infra ſe poſita credit, nec ſuam virtutem illis ſubmittere dignatur. Cum hac virtute vera illa & Chriſtiana fortitudo, periculorum, calamitatum, mortis denique pro ſuprema felicitate, pro divina gloria, pro aliorum ſalute perferenda, patientia ſemper eſt conjuncta. Hac qui caret nunquam mentem liberam, nunquam ad cœleſtia erectam, nunquam immortalitatis ſpe gaudentem ſervabit, nec ad eam alacri pectore & erecto pede per tam arduum iter contendet. Hæc honeſti pars ita cum cæteris duabus eſt conjuncta, ut neque hæc ab illis, neque illæ ab hac ſejungi poſſint. Qui enim animum habet à cupiditatum & affectuum tumultu liberum, is demum divino cultui & religioni vacare, is obſequi Deo, is ipſius gloriæ totum ſe conſecrare, & vitam etiam impendere volet & poterit. Neque enim in terris hærere volet is, qui nihil eorum ob quæ alii aliis injurias inferre ſolent, magni facit, qui affectus eos, ex quibus erumpunt injuriæ, iram, odium, cupiditatem, edomuit; is aliis omnia libenter impendet, qui omnia ſpei ſuæ longe poſtponit, nec quicquam periturum pertinaciter retinet, aut ambitioſe quærit; animam denique ponet non invitus, immortalitatis deſiderio ductus, & voluptatis cœleſtis dulcedine tanquam auctoramento illectus. Qui vero hanc honeſti partem negligit, nequaquam cæteris operam impendet. Nam quicquid vel à pietate, vel à juſtitia nos avocat, id totum iis vitiis imputandum eſt, quæ huic honeſtatis generi opponuntur. Hæc ſunt quæ hominis animum, immoderatis, belluinis, & impuris affectibus inquinant ac polluunt: ex his ea pullulant ſcelera quæ hominem contaminant. Hæc ſunt illa honeſtatis genera, ex quibus tanta virtutum & officiorum varietas naſcitur: ex his omnia vitæ genera ſunt æſtimanda, eaque demum probanda quæ cum his conſentiunt & aliqua ratione conſpirant: ea vero penitus improbanda ſunt, quæ ab iis diſcedunt & abhorrent. Honeſtatem autem hanc perfecit & ad ſummum perduxit Chriſtiana religio, & immortalitas toti hominum generi revelata, vita inquam illa quæ in Chriſto, Dei ſermone, atque, ut ita loquar, ore fuit poſita. Hæc eſt illa lux hominum, quæ omnes ignorantiæ tenebras à mentibus noſtris depulit, & cœleſtem vivendi rationem commonſtravit; hæc propemodum ipſa, omnia virtutum genera, etſi tam accurate à divinis viris non eſſent deſcripta, nos edoceret: hæc ab omni vitiorum labe, hæc à terrenis curis, hæc à corporis voluptatibus avocaret. Sordent enim ei terrena, ſordent mortalia, cui cœleſtia, cui immortalia ſapiunt, propria voluptas alienam expellit. Indignum eſt ubi animus bonum ſibi cognatum ac proprium, quo ipſius expletur deſiderium, adeptus eſt, corporis bona ſectari & ejus deſideriis obſequi: indignum eſt glandibus ſuum more veſci, ubi non panis, ſed ambroſia Dei munere obtigit.

Verum maximam hujus laboris partem, qui veſtigandis generibus & totius vitæ officiis impendendus fuerat, ſuſtulit Deus Opt. Max. cum per viros eos quos ſuo donarat ſpiritu, & univerſi mundi doctores conſtituerat, tam diligenter, tam plane, atque accurate (quantum quidem ipſius rei varietas & inconſtantia, quæ in actionibus humanis cernitur, permiſit, aut etiam neceſſitas poſtulavit) omnia virtutis officia præſcripſit, & literarum monumentis conſignata ſequuturis etiam ſeculis tradi voluit; omniaque in Chriſto vivo ſanctitatis exemplari, contemplanda & imitanda propoſuit. Quare non eſt omnibus neceſſe, ut ipſi demum inſpecta naturæ noſtræ dignitate, aut fœlicitatis nobis propoſitæ præſtantia, honeſtatis partes veſtigent, & ſingula virtutis officia colligant; ſed ſatis eſt, ut ſacris paginis, ſingulari cura, magno ſalutis deſiderio & ſincero virtutis amore pervolutis, divina præcepta cognoſcant, & tanquam unicam vitæ normam ſequantur. Deus enim ipſe pro ſumma ſua ſapientia, præcepta nobis tradita, ad honeſti regulam exacte conformavit, adeo ut quiſquis ea ſequitur, in eo ipſo conſilia & facta ſua, ad excellentiam naturæ, ac finem vitæ accommodet atque attemperet.

Quocirca nihil reſtat aliud, quam ut immortalitatis præmio ducti, divinam voluntatem in ſacris literis patefactam eo, quo par eſt, ſtudio indagemus, legem Domini (ut propheta loquitur) dies ac noctes meditemur, eam cognitam, tanquam omnium cogitationum, dictorum, factorum canonem ſequamur, ad vitam etiam Servatoris noſtri oculum perpetuo intendamus, & ex eo quid ſequendum, quid fugiendum ſit, petamus, & ad hanc pietatis obruſſam mores noſtros diligenter exigamus, ac caſtigemus, de affectibus ſubinde aliquid recidamus, atque in Spiritum prope toti, &, ut ita loquar, in Deum & Chriſtum transformemur; temperantia, juſtitia, pietate, omnium malorum veritatis & virtutis cauſa ſufferendorum patientia, quæ cæterarum virtutum cuſtos eſt, tanquam gradibus quibuſdam, Chriſto nobis auxiliares manus porrigente, ſpe bona ſubnixi & conſcientia recta fulti, ad cœlum nos erigamus, idque unice agamus ut nulla vitii labe contaminati, in Dei ſanctiſſimi prodeamus conſpectum, eoque æternum perfruamur.

ORATIO SECUNDA.

Cur nec Moſes nec Philoſophi perfectam virtutem præſcribere & conſtanter urgere potuerint. Et, Cur quædam ad virtutis perfectionem ſpectantia non ita præſcripſerit Deus per Chriſtum, ut ea non aſſequi cum certa pernicie ſit conjunctum.

NEminem veſtrûm eſſe arbitror, Auditores Præſtantiſſimi, qui neſciat, quot & quanti errores in ſacroſanctam Theologiam, ab iis, qui in Philoſophia per non pauca ſecula principatum ſibi aſſeruerunt, fuerint invecti; unde factum ut non defuerint homines alias non imperiti, meliores tamen fere quam doctiores, qui Philoſophiam ipſam in hujus criminis ſocietatem vocare, & tanquam fallaciarum architectricem accuſare ſunt auſi, eamque homini Chriſtiano penitus fugiendam pronunciarunt: qua invidia ipſi inter pios fuiſſet conflagrandum, niſi alii animadvertiſſent, non ipſius Philoſophiæ, ſed philoſophantium id accidere culpa, qui cum genuinam ac ſolidam rerum ſcientiam aſſequi non poſſent, ſpinoſarum quæſtionum infinita quadam ſerie, & inani diſputationum ſubtilitate, ſpeciem & colorem quendam ſapientiæ ſunt ementiti, & cum iidem in Theologia regnare viderentur, & ejus explicandæ facultatem ſibi fere ſolis uſurparent, ea quæ in Philoſophia infeliciter excogitarant & exercuerant, in Theologiam majore cum periculo & pernicie tranſtulerunt. Quo acceſſit linguarum, in quibus & divina & humanæ ſapientia prope omnis continebatur, imperitia. Alii ante ipſos, atque imprimis ii, qui è Platonis ſchola prodierant, Chriſtiani, variarum opinionum quas ex magiſtris ſuis hauſerant æſtu abrepti, verborum ac phraſium quas alio atque alio ſenſu nonnunquam ſacri ſcriptores & philoſophi uſurpant, inducti ſimilitudine, ſacrarum literarum ſententias accommodarunt Philoſophorum placitis, non vero decreta horum ad normam divinæ ſapientiæ examinarunt, &, ſi quid forte diſcreparet, correxerunt & emendarunt. Ita enim fieri ſolet, ut quod prius inſedit animo, hæreat firmius, nec ſe facile flecti patiatur, ſed alia potius inflectat. Quod ipſum animadvertentes ii, quos diximus, viri boni, ad Theologiam recte percipiendam ac tradendam

dendam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dendam plus impedimenti quam adjumenti cenſuerunt afferre Philoſophiam. Verumenimvero, vel ea quæ humana ratio per tot annorum millia plurimis edocta experimentis, maxima cura & labore invenit & tradidit, ſunt vaniſſima, in iiſque addiſcendis oculatior alias orbis pars omnibus pene ſeculis inſaniit, vel neceſſe eſt Philoſophiæ cum ſacra Theologia optime convenire, & ad eam commodius percipiendam & explicandam plurimum conferre. Convenire quidem oportet, quia verum vero ſemper conſentit. Quod ſi diſſentiret, vel veritatem à re ipſa, vel rem ipſam à ſe ipſa diſcrepare oporteret. Quorum utrumque non tantum abſurdum eſt, ſed etiam impoſſibile. Conſentiet ergo Philoſophia ex naturæ receſſibus eruta cum Theologia, hoc eſt cum ipſa veritate. Non conſentiet autem tantummodo, verumetiam eandem adjuvabit. Nam ne Logicam quidem nunc artem commemorem, quam Philoſophiæ nomine laxius ſumpto complectuntur alii, quam ad verum eruendum, & cum judicio ac dexteritate quadam tradendum & explicandum magnam vim habere nemo ignorat, niſi artis quoque ipſius ignarus; ut & Theoreticam ſeu contemplativam philoſophiam præteream, quæ rerum omnium, quatenus humano ingenio licet, inveſtigat naturas, affectiones explicat, cauſas rimatur, cujus uſus eſt non exiguus in Theologiæ diſputationibus. Practica certe diſciplina, quæ de moribus hominum differit, virtutum ac vitiorum naturam evolvit, honeſti præſcribit officia, affectuum moderandorum & humanæ vitæ gubernandæ rationem edocet, Theologo futuro non poteſt non eſſe perquam utilis. Nam & ipſa Theologia practica eſt, & ad actionem virtutis & ad ſanctitatem vitæ, veramque pietatem refertur univerſa. Huc omnia ſpectant quæ in ea continentur ad cognitionem ſua natura pertinentia. Quare ii mihi ſemper operæ pretium feciſſe viſi ſunt, qui ſobrium diſciplinarum iſtarum uſum cum Theologia conjunxerunt, & ſi quid apud philoſophos reperiſſent boni, id in Theologiæ ſubſidium & ornamentum quoddam (quanquam ea, robore ſuo nixa etiam per ſe dignitatem ſuam tueri poteſt) convertere ſunt conati. Omnia enim quæ in cæteris diſciplinis continentur, ei facultati, quæ ad ſupremam felicitatem iter monſtrat, ancillari ac ſubſervire dignum eſt.

Horum veſtigia ſequutus, conatus ſum alio tempore illius honeſti quod nobis ubique ſacræ inculcant paginæ, naturam, originem, variaque genera, partim ex Theologiæ fontibus, partim ex Philoſophiæ rivulis indagare atque deducere, ut ea in re juventuti, ad alia ſimili ratione perveſtiganda, viam monſtrarem, & iter facilius oſtenderem. Ab hoc inſtituto ne nunc quidem diſcedere libuit, cum reſtarent quædam ad honeſtatem, de qua dixeramus, ſpectantia. Dicendum enim eſt partim de cauſis ob quas nec à Moſe, nec à Philoſophis perfecta illa honeſtas ſeu pietas præſcribi, & conſtanter urgeri potuerit; partim etiam, cur nonnulla quæ ad ſanctitatis vel perfectionem vel ornamentum quoddam pertinere videntur, non ita præceperit Deus, etiam per Chriſtum, ut ea non aſſequi cum certa pernicie ſit conjunctum. Qua in re quia novi nihil polliceor, rogandi mihi eſtis Auditores Præſtantiſſimi, ne pigeat vetera mecum hîc recognoſcere; quod vos facturos, ſingularis veſtra humanitas, vobis etiam tacentibus, mihi pollicetur.

Ut igitur ad priorem orationis noſtræ partem accedamus. Perfectionem ſanctitatis ideo populo Hebræo præſcribere, & ad illam ſequendam eundem acrioribus incitare Moſes ſtimulis Dei nomine non potuit, quod felicitatem ac mercedem, ob quas pietas colenda eſſet, terrenæ Reipublicæ otio & eorum tantum bonorum affluentia terminaret, quæ ad corporis paſtum ſpectant, quorumque uſus hujus vitæ circumſcribitur cancellis, ita requirente iſtius populi infantia: quin etiam illam Rempublicam in qua pietatis ſuæ fructum gens Iſraëlitica deberet capere, armis & parare & tueri juberet. Unde ſi totam præceptorum Moſaicorum rationem ad iſta tempora accommodatam conſideres, animadvertes eam iſti pietatis præmio apprime fuiſſe conſentaneam. Continebat enim lex per Moſem lata quædam religionis in Deum rudimenta & veluti progymnaſmata, atque, ut Paulino utar verbo, mundi elementa, quibus rudis adhuc, & virili pietati divinoque cultui nondum aſſuetus populus, paulatim ad majora deduceretur, divinum numen ſuſpicere, ejuſque majeſtati obſequi diſceret. Non eum præſcripſerat Deus ſui cultum qui à terrenis curis, à voluptatum atque opum amore hominum mentes prorſus abduceret: non animum exegerat ad cœleſtia ſemper erectum, precibus aſſidue vacantem: non ſanctos ut ille ait, mentis receſſus, & pectus perpetua numinis reverentia plenum, licet animi cultu ſe impenſe delectari non obſcure ſignificaret; ſed ea ſibi offerri legibus latis mandarat, quæ mercedis conſtitutæ ferret ratio, & exinde nata populi ſuppeditaret abundantia, pecudum fibras & farris copiam, quæ, ut Poëta ait, de magna dare lance poſſet, etiam Meſſalæ lippa propago. Quod ſi à divino cultu diſcedas & cæteras Moſaicæ legis partes expendas, comperies eas ad conſervandam Reipublicæ tranquillitatem, & ſingulorum ejus membrorum quietem ac ſecuritatem, ſine qua nullius boni eſt jucunda poſſeſſio, tuendam fuiſſe comparatas. Id enim agunt unice ut ab injuriis abſtineant, ut omnes firma inter ſe concordia colligati felicitate ſua perfruantur, alter alterius commodis non obſtet, ſed ea potius augere ac promovere ſtudeat. Voluptates autem corporis, licet à virtutis perfectione alienas, & hominis præſtantia parum dignas, non prohibent, niſi vel ab humanitate prorſus abhorrentes, vel cum divini cultus neglectu aut aliorum injuria conjunctas; quod in omni Republica, præſertim à Deo conſtituta, omnino erat cavendum. Quod ſi Deus perfectam animi religionem & pietatem ſuis numeris abſolutam, quam per Chriſtum nobis præſcripſit, ab Iſraëlitico populo exigere voluiſſet, omnem prope terrenorum bonorum fructum illis ademiſſet, & id eripuiſſet, cujus cauſa eos ſibi volebat parere. Quî enim animum ad Deum ſemper elevare, preces ad eum aſſiduas fundere poteſt, qui felicitatem ſuam in terris repoſitam habet? Ejus enim animus terræ affigitur, qui quicquid habet expetendum illic purat collocatum. Ubi theſaurus noſter, ibi cor noſtrum eſſe teſtatur ipſa veritas. Non poteſt autem ad Deum ſeſe erigere animus, quin ſe ſimul à terris abſtrahat atque ad cœlum elevet. Deinde, quî temperantiam & eximiam quandam animi ac corporis puritatem ſectari poterat, qui virtutis ſuæ mercedem in bonorum corpori ſervientium perfruitione collocabat? Quorſum enim ultra neceſſitatem promittebatur caducorum bonorum abundantia, ſi ad voluptatem iis non licebat uti? Si dicas copiam iſtam ad liberalitatem exercendam fuiſſe datam, jam ergo ea non virtutis merces, ſed inſtrumentum erit, & vel nullum revera pietatis conſtitutum cenſebitur præmium, vel id terrenis bonis majus fuerit, quale tum nullum promiſit Deus, præſertim aperte. Quærere enim licebit, quodnam illius ipſius liberalitatis, virtutis certe præcipuæ, fuerit præmium? Præterea qua ratione avaritiæ penitus valedicere poteſt, qui in opibus omniumque bonorum affluentia laborum ſuorum fructum ponit? quo pacto perfectam animi lenitatem tueri, benignitatem in omnes exercere, ſummam illam malorum patientiam colere, qui ferro parare ac defendere terram, in qua pietatis ſuæ fructum percipere debeat, jubetur? Huic hoſtes non tantum odiſſe, ſed & cædere ac trucidare commodi ſui cauſa, huic vindictam repetere licebit, ut tanto ſecurior ſit partorum bonorum poſſeſſio; ut alia taceam à perfecta virtute abhorrentia, quæ poſito illo pietatis fine ac mercede, quam Deus olim populo ſuo conſtituit, conſequuntur.

Quid, quod eo ipſo de virtutis dignitate non parum delibari videtur, dum ea propter bona corpori ſervientia coli jubetur? Is ne regem venerari, an potius infra ſervos detrudere cenſendus eſt, qui non ſervos

propter

propter regem, ſed regem propter ſervos colere ac venerari ſe profiteatur? Quiſquis ergo virtutem quæ inter hominis bona fere principatum ac regnum obtinet, propter bona tam vilia, quæ ipſi virtuti natura ſua parere debent, ſectatur, an non eam de ſolio ſuo deturbat, & coronam ei detractam ipſius imponit mancipiis? Finis enim mediis ad eum deſtinatis ſemper cenſetur potior.

Quod ad Philoſophos attinet, cum ii partim verum Deum prorſus ignorarent, partim exiguam quandam illius notitiam haberent, eorumque alii mundum ab eo conditum negarent, & omnem illius providentiam tollerent, quo in numero Ariſtoteles Peripateticorum princeps eſt reponendus; alii qui paulo plus Deo tribuebant, ignorarent tamen quanta illius eſſet circa res ſingulas cura & providentia, quantum ab eo vel ſperandum vel flagitandum, homini præcepta ad Deum colendum ſpectantia, vel nulla, vel mutila tradidere. At vero ſi cætera ſpectes virtutis officia, quæ non ad religionem cultumque divinum, ſed ad vitam communem regendam, affectus coërcendos, ac cupiditates refrænandas pertinent, perfectiora etiam quam Moſes, & conſtantiora honeſti præcepta tradidere Philoſophi, tum Stoici, tum Peripatetici. Cum enim excellentiam naturæ noſtræ, quæ in mentis ſublimitate conſiſtit, in tota vita reſpiciendam ac tuendam putarent, virtutem vel propter ſe ipſam, vel propter alia animi bona docuerunt expetendam; eam autem ad corporis aut fortunæ (quæ vocant) bona referre, quod ratio Moſaicæ legis ferebat, indignum judicaverunt. Quare nec dignitatem ac majeſtatem virtutis, eam viliſſimis bonis deſtinando ac ſubveniendo, violarunt. Sed inſignia virtutum præcepta ad animi tranquillitatem, ad affectuum moderationem, ad actionum honeſtatem pertinentia, nobis reliquerunt. Viderunt enim dignitatem hominis violari, ordinem partium animæ à natura conſtitutum turbari, actionum conſtantiam, & quod in iis cernitur honeſtum ac decorum haudquaquam ſervari, ſi appetitus rationem, cui ſervire debebat, victam in obſequium trahat, & ſibi parere cogat. Viderunt mentem ſuo muneri vacare, ſapientiæ dare operam, & ſuam obtinere felicitatem non poſſe, affectibus improbe laſcivientibus. Itaque eos omnino reprimendos ac coërcendos cenſuerunt. Præterea cum ſe non ſibi ſolis, ſed aliis etiam natos crederent, & omnes homines arctiſſima cognatione ac neceſſitudine inter ſe devinctos putarent, pulcherrima juſtitiæ ac beneficentiæ præcepta tradiderunt; cumque animi magnitudinem & tranquillitatem rebus cæteris longe crederent anteponendam, quicquid vulgus mirari, quicquid ſollicite quærere, quicquid anxie fieri ſolet, ſpernendum docuerunt; honores ambire, auram popularem captare, divitias amare humilis & abjecti eſſe animi; invidia marceſcere, ſtultum & improbum; ira & odio efferri, à tranquillitate & ſerenitate animi, quæ imprimis ſit homini optanda, cenſuerunt alienum; injurias ac contumelias contemnendas potius quam vindicandas, (qua tamen in re non omnium eadem prorſus fuit ſententia:) ſtatuerunt; nonnulli ut prodeſſent plurimis vitam in diſcrimen adducere non ſunt veriti, & aliis ut idem facerent, autores extitere. Et hæc quidem Stoici ſplendidius ac magnificentius diſſerebant, quod virtutem & ſapientiam ſolam in bonis habendam contenderent. Verum cum nudam virtutem hominibus proponerent, duri ac rigidi nimis videbantur, & plures reperiebant admiratores quam imitatores; plures etiam qui de his ſubtiliter diſputarent, quam factis eadem exprimerent. Peripatetici vero cum de officiis præcepta, communi hominum vitæ magis accommodarent, præter virtutem aliquem etiam honoribus, opibus, ac quibuſdam etiam voluptatibus relinquerent in bonis locum, aliquam beatitatis humanæ partem in corporis & fortunæ bonis collocare viderentur, Reipublicæ tranquillitatem ac felicitatem ſummo ſtudio curandam docerent, leniores cenſebantur, & homines in Republica verſantes & ex vulgo quoque honeſtiores in ſuas partes facilius trahebant. Verumtamen cum hunc ſibi propoſuiſſent vitæ finem, qui externorum bonorum non exiguam deſideraret copiam, & Reipubl. ſalute magnam partem contineretur, multa permittebant iis qui virtute cuperent excellere, perfectæ virtuti minime conſentanea, in appetendis honoribus, magnificentia quadam populari oſtentanda, vindicandis injuriis, gerendis bellis; quæ omnia finis propoſiti ratio poſtulabat. Atque hæc patent ex Ariſtotelica magnificentiæ, magnanimitatis, fortitudinis, & aliarum nonnullarum virtutum deſcriptione. Cum his connumerandus videtur Cicero, licet in non paucis Stoicis addictior. Sed cum hi omnes pro viris bonis, atque imprimis pro patria mortem oppetere honeſtum cenſerent, certe nil niſi quandam gloriæ immortalitatem, quæ ſane vaniſſima eſt, ſomniarunt, & virtutis perfectæ præmium eſſe voluerunt; quod ipſorum dictis haud eſt conſentaneum, qui perſuadere tam duram virtutem cuique ſunt auſi. Quis enim vitam hanc, & præſentem qua fruitur felicitatem relinquat, niſi ſpe melioris? At omnis illorum ſpes morte terminabatur; vel ſi quam animarum poſt mortem felicitatem ſuſpicarentur, & neſcio quos campos Elyſios ſomniarent, tamen nec ſibi nec aliis certam ejus rei ſpem facere poterant. At immortalitate patefacta, & aditu ad eam toti hominum generi aperto, omnia officii genera patuerunt, omnium firma conſtitit ratio, ibi ſumma Dei & hominum conjunctio, ibi hominum inter ipſos neceſſitudo enituit, vel potius tum demum vere conſtituta eſt; ibi propoſito tanto pietatis præmio, nihil tam durum tamque arduum eſſe in virtute patuit, quod præſtari ab homine aut non poſſit, aut non debeat. Hanc natura ad virtutis complementum deſiderabat, hanc ad ejus amorem omnium hominum animis inſerendum, ad omnes ejus difficultates ſuperandas deeſſe quodammodo conquerebatur, cum quædam (ut diximus) præciperet virtutum officia, quæ ſine vitæ melioris ſpe ſuſcipere, hominis videretur ſibi irati & imprudentis. Quò reſpiciens Paulus ait, reſurrectionis atque adeo immortalitatis ſpe ſubverſa, nullam fore ſatis gravem cauſam, cur ſe tot periculis objiceret, imo, inquit, edamus & bibamus, cras enim moriemur. Quod tamen non ita putarim accipiendum, quaſi adempta reſurrectionis ſpe, omnino ita vivere deceat, ac ventri tantum ſervire conveniat; ſed quod non modo generatim omnes id ſint facturi, verum etiam venia ſint aliqua futuri digni, qui majoris felicitatis ſpe ſublata, genio indulſerint & cuticulam bene curarint; præſertim cum tam acres ſint ad voluptatem corporis perſequendam nobis inſiti ſtimuli, tot objiciantur incitamenta, ad quæ ſuperanda vix ea ſufficiunt adjumenta quæ nobis Philoſophia, ſeu ratio, ſpe immortalitatis non ſuffulta, ſuppeditat; & vel ſingulari naturæ bonitate præditum, vel magna ſaltem parentum aut amicorum cura, à teneris ad omnem virtutem informatum, diſciplinis honeſtis ad ejus decus capeſſendum incitatum, multo atque improbo labore ſubactum, aut diviniore quodam ſpiritu afflatum oportuit, qui voluptatem ſine melioris vitæ ſpe contemnere, affectus domare, cupiditates in gyrum rationis ducere potuit. Eos autem non omnino defuiſſe, non modo Philoſophi, atque inprimis Socrates, ſed etiam alii virtute clariſſimi viri ſunt documento. Quin ne ipſum quidem Paulum vel antea, cum Judaicæ religioni adhuc addictus certam firmamque reſurrectionis ſpem nondum concepiſſet, & quanta pios manerent gaudia adhuc ignoraret, voluptatibus ſe tradidiſſe & genio indulſiſſe putarim, vel ſi ei cœleſtis veritatis lux non affulſiſſet, niſi forte id ipſius culpa contigiſſet, eum futurum crediderim, qui poſthabita honeſti cura, tanquam Epicuri de grege porcus, in voluptatum ſe volutaret cœno. Verum (ut jam diximus) pauci admodum, &, ut cum Poëta loquar, diis geniti id potuiſſent aſſequi, ut virtutem tam aſperam, tam arduam ſine dote quærerent, & perfectam temperantiam ſpretis corporis voluptatibus, perfectam magnanimitatem ac fortitudinem contemptis ob honeſtatem periculis ac

dolori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

doloribus, idque amicorum & bonorum virorum cauſa ſequerentur. Atqui has virtutes Philoſophi, natura docente, præſcripſerunt, commendarunt, urſerunt, nonnulli etiam ſumma cum laude & admiratione omnium ſunt aſſecuti.

Quare, ut quod pauci præſtiterunt, aſſequi poſſent omnes, nec in ſeſe adeo cogerentur eſſe injurii, & cum naturali amore ſui, cum corporis & vitæ conſervandæ deſiderio tanta animi contentione pugnare, qui tam ſeveras ſequerentur virtutes, (nam mentis impetus ad eas aliqua ratione fertur, quanquam lentius, niſi aliunde illius curſus incitetur, & impedimenta quædam amoveantur) quin etiam ut virtus ipſa ad ſuum perduceretur faſtigium, immortalitatis præmium toti hominum generi publicari oportuit: hujus enim ſpe tanquam auctoramento illecti, & virtutem omnes, & virtus perfectionem ſuam conſequi potuit. Neque vero abſurdum cenſeri debet, aut à virtutis dignitate ac perfectione alienum, Chriſtianos homines tantæ mercedis ſpe honeſtatem ſequi, quam Philoſophi propter ſe putarint expetendam, & ſui pretium eſſe dixerint. Nam ſi penitus Philoſophorum ſententiam inſpicias, deprehendes, ne ipſos quidem virtutem ita ſui pretium eſſe voluiſſe, ut non alterius alicujus boni cauſa expetendam faterentur. Stoici ſane qui hac in parte rigidiſſimi videntur fuiſſe, animi tranquillitatem & rectæ conſcientiæ gaudium, quod virtutis fructus eſt, ei videntur prætuliſſe, & mercedem ejus poſuiſſe: ne de eo nunc quicquam dicam, quod non pauci qui gloriam verbis magnifice ſpreverunt, eandem avidiſſime deſiderarunt, & virtutibus quæſitum ivere. Pertinet enim huc id quod ait Cicero, trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur. Ipſi illi Philoſophi etiam in illis libellis quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, & in eo ipſo in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe, & nominari volunt. Et iterum: Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ, qua quidem detracta, quid eſt, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos laboribus exerceamus? Certe ſi nihil animus præſentiret in poſterum, &, ſi quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, iiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliiſque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret, & quæ ſequuntur. Quod ad Peripateticos attinet, ne illi quidem abnuerunt quominus virtus alio referretur, imo id ipſum etiam urſerunt. Triplex enim bonorum genus conſtituit Ariſtoteles: unum eorum, quæ aliorum tantum cauſa expetantur, quæ ſunt omnium poſtrema, cum cauſam cur expetantur, non tam in ſeipſis habeant, quam ab iis mutuentur quorum cauſa deſiderantur; quo pertinent pecuniæ & omnia in univerſum inſtrumenta atque utilia. Alterum genus facit eorum, quæ propter ſe tantum expetuntur, eaque ſunt omnium perfectiſſima, in quibus felicitas revera conſiſtit. Tertium genus eorum, quæ veluti medium ſcindunt iter, & partim ſui, partim aliorum cauſa ſunt expetenda: habent enim & in ſeipſis rationem boni, quæ ipſorum deſiderium in animis hominum poteſt excitare, & per ea nihilominus ad majora licet adſpirare: huc refertur ab Ariſtotele virtus, voluptates quædam & honores. Dices, virtutis quidem habitum ab Ariſtotele in eorum bonorum cenſu collocari, quæ tum ſui tum aliorum gratia ſint expetenda, at non actionem exercitationemque virtutis longo tempore continuatam, cum in hac felicitatem, quæ ſummum eſt bonum, & ultimus vitæ finis, ſitam eſſe velit; ultimus autem vitæ finis aliò referri non poſſit, ſed ſui tantum cauſa deſideretur. Verum obſervandum hîc fuerit, duplicem ab Ariſtotele felicitatem ſtatui, alteram in contemplatione, alteram in exercitatione virtutis moralis poſitam, quarum illam Theoreticam, hanc Practicam appellamus, & utramque quidem, ex ejus ſententia, ſummum quodam eſſe bonum & ultimum vitæ finem, ſed non utramque ſimpliciter aut eodem modo. Nam contemplativam quidem vitam ſeu exercitationem ſapientiæ, quæ mentis agitatione abſolvitur, inter bona quæ homini contingunt, ſimpliciter vult eſſe ſummum atque ultimum: Practicam vero non ſimpliciter bonorum omnium ſummum & ultimum vitæ finem eſſe ſtatuit, ſed vitæ civilis, eorumque bonorum quæ huic inſerviunt. Nam duplicem quodammodo in uno homine hominem Ariſtoteles agnoſcit, alterum ſeparatum, hoc eſt mentem atque intellectum, quem natura ſua corpori non permiſtum, imò etiam ab eo ſejunctum, contemplari poſſe credit; quem nonnunquam hominis appellatione inſignit, quod ejus ſit pars præſtantiſſima, quæ cum hominem vere conſtituat & à brutis ſecernat, nonnunquam divinum quiddam eſſe dicit & ejus vitam humana præſtantiorem ait; alterum vero hominem vocat conjunctum ſeu compoſitum, cujus operatio non à mente ſola, ſed à mente & appetitu corporis conjunctim abſolvatur, & cum affectibus ſit complicata; hujus vitam ſimpliciter humanam appellat, quæ eadem civilis quoque eſt. Utrique homini ſuam aſſignat Ariſtoteles felicitatem, & bonum in ſuo genere ultimum. Verum quemadmodum corpus, & quæ in eo reſident ejuſque miniſterio exercentur animæ facultates, mentis cauſa ſunt comparatæ, (habent enim partes omnes ordinem inter ſe, & una cæterarum finis eſt, eaque omnium præſtantiſſima, mente vero nihil eſt præſtantius) ita etiam earum bonum ac felicitas ad unius mentis felicitatem refertur. Itaque ſtatuit Ariſtoteles rationem rectam & prudentiam, quæ virtutum moralium oculus eſt, eas conſilio ſuo inſtruit ac moderatur, ideo appetitum regere, & affectibus modum ponere, (qua in re moralis virtutis exercitatio potiſſimum ſita eſt) ut mens ſapientiæ incumbere, & contemplationi vacare poſſit, quod cupiditatibus tumultuantibus fieri nequit; quin etiam prudentiam, quæ Rempublicam gubernat & ſummæ rerum in civitate præeſt, non ipſi ſapientiæ, ſed potius ſapientiæ cauſa imperare ait, & virtutum principes partim civiles, partim bellicas, huc tandem ſpectare contendit. Quietem enim quærunt illæ virtutes & tranquillitatem civilem, in qua ſapientiæ ſtudiis locus eſſe poſſit. In quiete enim, non inerte illa & homine indigna, felicitas potius ſita eſt, quam in labore: laboramus enim ideo ut quieſcamus. Civilis autem vita laborioſa eſt, contemplativa quieta & otio ſimilis, imo ſi corpus ſpectes vere otioſa; ſi animum, cum conſtantia quadam in perpetua mentis agitatione verſantem, homine digniſſima & perpetua, quoad corpus permittit, voluptate affluens, uno verbo negotioſum & jucundum otium. Explicuit id Ariſtoteles Ethic. 10. ubi ait, Sola ſapientiæ exercitatio propter ſeipſam videtur expeti: nihil enim ex ea paratur præter ipſam contemplationem, cum è diverſo ex practica vita ſemper aliquid præter ipſam actionem comparemus, ſive plus illud ſit, ſive minus. Adde, inquit, quod beatitudo videatur in quiete atque otio conſiſtere. Laboramus enim ut quieſcamus, & bella gerimus ut pace fruamur. Practicæ porro virtutes in civilibus aut bellicis negotiis occupantur; actiones autem in hoc rerum genere occupatæ irrequietæ ſunt: bellicæ quidem omnino, & nemo expetit bellum, ipſius belli cauſa, niſi prorſus ſanguinarius, qui ex amicis hoſtes faceret ut pugnæ ac cædes fierent. Quin & Politica vita irrequieta eſt, & præter ſeipſam parat opes & honores, aut felicitatem ſibi ipſi & civibus; quæ diverſa eſt à civili, quamque nos quærimus. Plura in hanc ſententiam ibidem addit, ut cuivis appareat virtutis moralis exercitationem ad alium finem ab Ariſtotele referri: quod niſi faceret, nec ſibi nec veritati conſentiret. Honeſtas enim actionis in obſervatione circumſtantiarum, ipſo docente, conſiſtit; inter eas autem finem inprimis ponit. Quod ſi finem habent ſingulæ, an non etiam univerſæ? Adde quod unius rei ex naturæ inſtituto non poſſunt plures eſſe fines ultimi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſed unus tantum. Nam ut ait in Politicis ipſe Philoſophus, Nihil natura facit tale, quale fabri ærarii, gladium Delphicum ob inopiam: (erat enim hic gladius & ad mactandum & ad feriendum hoſtem comparatus:) ſed unum ad unum. Sic enim optime inſtrumentum unumquodque perficitur, ſi non multis operibus, ſed uni deſerviat. Idem natura in homine, operum ſuorum perfectiſſimo, ſequuta eſt, & unum ei finem, ad quem contendat in univerſa vita, præfixit: quod ſi plures eſſe videantur fines, cæteros omnes uni ſubſervire neceſſe eſt. Itaque cum duplex potiſſimum hominis finis eſſe videatur, virtutis moralis exercitatio, & contemplatio: quarum hæc mentis eſt propria, illa in appetitu, quatenus à ratione regitur, reſidet, vel hanc illi, vel illam huic inſervire oportet. Id vero quod mentis proprium eſt non decet ſervire illi, quod in appetitu ſedem fixit, ſed potius hoc illi. Conſtitutum igitur ſit ex Ariſtotelis ſententia, virtutem ejuſque exercitationem aliò referri, ſeu alterius gratia expeti, licet etiam propter ſe poſſit expeti: qua de re nunc non eſt fuſius dicendi locus.

Quod ſi vero Philoſophorum alii virtutem propter animi tranquillitatem putarunt ſequendam, & quidem ii, qui virtutem ipſam ad felicitatem dixerunt ſufficere; an indignum fuerit, ſi Chriſtiani eandem non tantum propter conſcientiæ gaudium, quod vitæ hujus ſpaciis clauditur; ſed multo etiam magis ob æternam mentis tranquillitatem, ob perennem cœleſtis vitæ voluptatem putent expetendam? Si Philoſophorum princeps eam ſapientiæ & contemplationis cauſa, quam & imperfecte & brevi tempore mortalibus contingere neceſſe eſt, credidit ſectandam; an contra dignitatem virtutis eſt eam æterno ſupremi numinis conſpectui, & beatiſſimæ divinæ majeſtatis contemplationi deſtinare? Iſtud tamen ad virtutem, vel ſi mavis virtutis amorem ac ſtudium penitus abſolvendum pertinere videtur, primum, ut etiamſi tantum pietati tuæ præmium non eſſet propoſitum, eas tamen virtutes ſectari velles, quas Philoſophi natura duce coluerunt, aut colendas præceperunt, licet aſperas, licet cum corporis cupiditatibus & naturali ejus conſervandi deſiderio vehementer pugnantes, adeo ut mortem etiam honeſti cauſa oppetere non detrectares. Decet enim Chriſtianos, poſtquam mercede tanta ſunt ad virtutem pertracti, adeo pietati aſſueſcere, & tantum ejus amorem progreſſu temporis concipere, ut ſepoſita quodammodo præmii tam divini ſpe, nihilominus ejus amor in illorum animis hærere poſſit. Paganis enim eos cedere indecorum eſſet, præſertim cum majus etiam quàm natura Philoſophis dedit, ex Dei cognitione habeant ad virtutem adjumentum. Divini enim numinis majeſtatem, ſupremum in omnia imperium, virtutem ac potentiam infinitam, ſapientiam admiratione majorem, paternam circa humanum genus curam, ineffabilem in omnes bonitatem, ex qua nos omniaque noſtra ſunt profecta, norunt, qua notitia caruerunt Philoſophi. Ea vero omnia nos adigere videntur, ut ſecluſo etiam futuræ vitæ præmio, Dei ſervitio totos nos addicamus, nihil ejus cauſa facere detrectemus, quicquid etiam noſtri amor diverſum ſuadeat. An nos qui quanti quanti ſumus Dei ſumus, ab ipſo & ipſius cauſa producti, ejus nos eſſe mancipia non agnoſcemus? ei cultum & obſequium negabimus? quicquamne erit tam arduum, quod ejus cauſa facere abnuamus? Si alii hominum impulſi amore, pro iis vitæ diſcrimen adire & præſentiſſima ſuſcipere mortis pericula non dubitarunt, an nos viliſſimi homunciones Dei cauſa id facere dubitabimus quod homo hominis cauſa fecit? non tantum ipſius amori tribuemus, quantum alii amicorum ſuorum charitati? Sed nec hîc conſiſtendum eſt homini Chriſtiano, verum etiam eò aſpirandum ac contendendum, ut tanto divinæ gloriæ ſtudio flagret, tanto ſalutis humani generis deſiderio ardeat, ut ſuæ etiam ſalutis jactura, ſi id fieri poſſet, eam redimere exoptet; eaque in re pietatem & ſublimem illam Pauli virtutem & animi magnitudinem imitetur, qui optaſſet ſe ipſum à Chriſto anathema fieri, atque infeliciter ab eo alienari, pro ſuis fratribus Iſraëlitis. Cogitabat enim ejus gentis converſionem ad Chriſtum, quam ſalus eorundem æterna eſſet conſequutura, ad inſignem etiam Dei gloriam pertinere: ſuam vero unius ſalutem, ſi in contentionem veniret, cum tot millium vel myriadum potius ſempiterna felicitate & cum tanto divini nominis honore ac gloria, cum ea nequaquam comparandam, ſed eam potius ſui unius jactura & interitu, ſi id fieri poſſet, redimendam. Aliquid huic affine fecit Moſes, qui cum Deum peccatis populi offenſum & ejus internecioni jam imminentem ad miſericordiam flectere vellet; aut peccatum hoc (inquit) condona, aut me de libro quem ſcripſiſti dele: id nempe divinum virum dicere jubebat ardens in Dei gloriam, quæ ex populi internecione magnum paſſura eſſet detrimentum, ut antea commemorat, zelus. Sed pietatis quidem Moſis fuit hoc optare, æquitatis autem divinæ id non admittere. Quid enim reſpondit Moſi Deus? qui in me peccaverit (inquit) eum ipſum de libro meo delebo. Quod multo etiam magis Paulo reſponſum cenſeri debet, cum Paulus de æterno interitu (quanquam aliis aliter viſum eſt) loquatur: Moſes, ut videtur, de interitu temporario & jactura felicitatis terrenæ ſibi ſuæque poſteritati à Deo aſſignatæ: unde factum hoc Paulino, non quidem par, ſed affine tantum ac ſimile diximus.

Verum ut de eo, quod ſecundo loco nobis dicendum propoſuimus nonnihil diſſeramus; etiamſi Deus ad hunc apicem pietatem noſtram deduci cupiat atque deſideret, merito tamen dubites, an id omnino exigat, & ſi qui culmen hoc religionis in ipſum, charitatis in homines, & magnanimitatis non attigerit, ei præmium immortalitatis velit negare, vel alias indignetur atque iraſcatur, præſertim gravius, cum eximia quædam pietas & in divinam gloriam ardor in eo poſſit inveniri qui huc nondum ſit progreſſus; imo certum eſſe videtur Dei ſummam æquitatem ac immenſam benignitatem id haudquaquam permittere. Quis dominus eſt paulo æquior & humanior, qui ſervum mercede conductum habens, & præmii ſpe ſibi ſervire juſſum, omnino ab eo exigat, ut ea ſpe ſemota ſibi nihilominus ſervire, aut etiam mercedem honori ſuo velit impendere; licet nonnunquam dignus ſit dominus, cui non modo mercedem ſed & vitam ſuam ſervus impendat. Verum id facere velle, ſi res exigat, ſervum quidem decet; id ab eo omnino poſtulare, & inter ſervitii conditiones ponere, æquum non eſt, & mercedis rationem prope totam evertit. Quodnam enim ſervitii præmium eſt, ſi illud etiam domino ſit impendendum, eaque ſervitii lex ſit? qua ratione ſub mercedis ſpe tibi parere debeo, ſi hoc ipſum etiam imperas, ut ſemota hac ſpe tibi nihilominus parere velim? Quare ſi Deus hanc etiam legem fixiſſet mortalibus, & ea demum conditione præmium immortalitatis propoſuiſſet, rationem hanc qua homines ad pietatem pertrahere voluit, invertiſſet, & beneficium ſuum quodammodo revocaſſet. Quò etiam illud pertinet quod hoc pacto multi veræ virtutis ac pietatis cultores, propter id ipſum, quia virtutem ſine dote quærere non poſſent, ſed immortalitatis tantum ſpe ducti Deo parerent, pietatis ſuæ præmio exciderent, & pauciſſimi iique vel ſapientiſſimi, vel ſaltem excelſo admodum præditi animo, & rigidiſſimi virtutis cuſtodes eam beatitatem aſſequerentur. At Deus Opt. Max. cum immenſas benignitatis ſuæ opes in genus humanum per Chriſtum vellet effundere, hujus beneficentiæ fructum non anguſtis circumſcribi limitibus, ſed quam latiſſime patere voluit, & omnibus eſſe communem, qui hoc auctoramento ad frugem ſeſe revocari & ad pietatem perduci paterentur. Eadem cauſa fuit, cur Deus tam rigidum ſibi parendi & mandata ſua exequendi modum, quem ſub lege propoſuerat, temperare voluerit, nec tam duram nobis conditionem ferre, ut ſi vel ſemel à recta pietatis orbita deflecteremus, aut alicu-

bi forte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

bi forte impingeremus & paululum reſiſteremus, protinus nobis eſſet ſalutis ſpes abjicienda; ſed in eo ſtatuerit acquieſcere, ſi poſtquam veritatem cœleſtem agnovimus, excuſſo peccatorum jugo, & edomitis cupiditatibus, virtuti nos totos mancipemus, & ita moderemur vitæ noſtræ curſum, ut ad ſummam quidem pietatis perfectionem ſerio contendamus, aſſequamur autem omnino id quod ei eſt proximum, hoc eſt, omnium virtutum habitus, qui ex vitæ conſuetudine & factorum tenore quodam, præſertim ubi peccandi occaſiones ſeſe objiciunt, æſtimantur, ut ut nonnunquam interveniat aliquod quod pietatis curſum paululum turbet aut moretur, nec tamen abrumpat. Licet enim huc, illud oratoris transferre, Prima ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis tertiiſve conſiſtere; quanquam id hoc loco non tam honeſtum eſt quam neceſſarium. Non in poſtremis conſiſtere, ſed in iis, quæ primis ſunt proxima honeſtum eſſe dicit; non tamen cuivis, ſed prima ſequenti. Nam & negligentiæ & deſperationi eſt occurrendum, ne vel ideo quia in ſecundis tertiiſve conſiſtere honeſtum videatur; prima ſequi negligas: (quanquam raro accidit ut qui prima non ſequitur in ſecundis etiam aut tertiis conſiſtat; ſed ii plerumque inter ultimos hærent:) vel quia prima non poſſis aſſequi, ne in ſecundis quidem aut tertiis conſiſtere coneris, idque vel inhoneſtum, vel cum certa ſalutis pernicie putes conjunctum. Eadem ratio eſſe videtur cur Deus alia quædam, quæ ad ſummum ſive ultimum ſingularum virtutum complementum & ſplendorem pertinere videntur, ſuntque homine Chriſtiano ac divino digniſſima, non ita exigat ut ea non aſſequi ſaluti ſit prorſus peſtiferum. Eſt in quavis virtute quiddam eximium, quod aſſequi pleriſque difficile, conari pulchrum & honeſtum, & adſpirantem non aſſequi, venia quadam dignum eſt. Eſt in religione ardor quidam igneus, qualis in Paulo apparuit, qui animum noctes dieſque divinæ gloriæ ſtudio ac deſiderio reddit anxium, qui ad laudes Deo dicendas, ad preces aſſidue fundendas, pectus infixis veluti ſtimulis concitat: cui adjungendum eſt perpetuum ſacra tractandi ſtudium, de rebus divinis aſſidue cogitandi, audiendi, colloquendi amor ac conſuetudo, perpetuus alios in divinis myſteriis erudiendi, errantes in viam revocandi, delinquentes officii admonendi, ſegniores hortandi, mœſtos erigendi ac conſolandi, dubios ac vacillantes confirmandi labor ac cura. Eſt in charitate fervor, in beneficentia hilaritas ac promptitudo ſumma, in magnanimitate & rerum humanarum contemptu ſplendor. Eſt in fortitudine ac patientia quiddam ſublime, eſt in lenitate ac manſuetudine, itemque in æquitate quæ de jure ſuo cedit libentius, injuriam facilius obliviſcitur, irritatur minus aut lentius, à litibus magis abhorret. Eſt & temperantia quædam perfectior quæ à licitis etiam non raro abſtinet voluptatibus, & ſuum defraudat genium, ut corpus facilius edomet & ſpiritui ſubjiciat, ut ad beatarum mentium vitam in dies accedat propius, ut precum devotioni, meditationi rerum divinarum, aut aliis quæ cum pietate conjuncta ſunt, ſive ſtudiis, ſive negotiis magis vacare queat; aut etiam, ut tanto plura ſuppetant quæ largiaris egenis. Eſt caſtitas quædam eximia, quam perpetuam appellamus virginitatem, quam & ſervavit & commendavit Paulus. Idem de gravitate, modeſtia, humanitate, aliiſque ſi quæ ſuperſunt virtutibus, eſt dicendum.

Verum cum vel ob naturarum vel ingeniorum, vel ob educationis aut anteactæ vitæ pravitatem, quibus adde vivendi genus ac conditionem, hæc omnia conſequi, pleriſque, ne dicam omnibus, ſit difficillimum, noluit divina benignitas ea ſeveriſſime ac rigidiſſime urgendo, virtutis iter alias arduum ac ſalebroſum nimis exaſperare, & prope reddere inacceſſum; noluit hominibus nec improbis nec deploratis laqueum quendam injicere, & eos felicitatis deſperatione à pietate ac religione abſterrere, atque ad inferos detrudere. Ne tamen hac in parte ſanctitatis ſtudium in hominibus Chriſtianis, in quibus omne honeſtatis decus conſpici, & virtutem ad ſummum perduci faſtigium voluit Deus, frigeret, & flore ſuo ſpoliaretur pietas, eaque officia quæ homine ſunt digniſſima, prorſus negligerentur; non modo hinc inde in divinis literis varia interſperſit monita, quibus noſtram exacueret induſtriam; ſed etiam Chriſtum, tanquam perfectum omnis ſanctitatis exemplar, nobis propoſuit, non contuendum tantum, ſed & vita exprimendum; cui addenda eſt Apoſtolorum vita ex iſto velut archetypo expreſſa. Ad hanc nos perpetuo reſpicere, ad hanc omnes actiones componere, huic nos ſubinde ſimiliores reddi voluit Deus, ut ita pietas noſtra materiam haberet in qua ſe perpetuo exerceret, in qua immortalitatis deſiderium vires ſuas exereret, ut ſemper eſſet in quo proficeremus, quo contenderemus. Hoc ergo ſupereſt, ut ſpe immortalitatis ad pietatem traducti, non languori, non otio nos tradamus, nec primis pietatis initiis & veluti rudimentis contenti altum dormiamus, ſed potius ad altiora atque adeo ad ipſum pietatis culmen aſpiremus, Servatoris ac ducis noſtri & ſanctiſſimorum ejus legatorum veſtigia premamus, & per arduum virtutis callem ad cœlum, divina benignitate ſubnixi, enitamur.

ORATIO TERTIA.

De amore ſui.

Quod Nicias pictor quondam excellentiſſimus pronunciavit, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, Artis pingendi non exiguam partem in eo eſſe ſitam, ut argumentum eligatur pingi dignum, & quod ſpectantium oculos idoneum ſit tenere, id ad dicendi facultatem jure poteſt transferri. Sive enim ii qui ad dicendum accedunt, ingenii atque eloquentiæ viribus pollent, indignum ſane eſt eos pulcherrimæ artis pigmenta atque colores in materia vili & exigua conſumere; ſive ingenii imbecillitate ac balbutie linguæ damnati, deſperant ex ſeſe orationis ſplendorem, optime fecerint ſi argumentum elegerint, quod à mediocri etiam oratore tractatum poſſit niteſcere, ut hac ratione vel rerum ubere copia ſterilitatem ingenii ſublevent, vel tenuitatem artificii argumenti gravitate excuſent. Quod poſterius mihi omnino fuit obſervandum, qui cum viribus meis diffiderem, id mihi delegi argumentum, quod non tam quæreret orationis nitorem, quam orationi daret: non deſideraret dicentis copiam, ſed dicenti afferret; dignum denique eſſet quod vobis, vel ſaltem quando vobis in hoc genere nihil non viſum ac ſpectatum ſatis eſt, huic pubi proponeretur ſpectandum, ut ſi idoneum non foret animos veſtros detinere ob jucunditatem, juvenes tamen iſtos aptum eſſet docere propter utilitatem. Dicere enim conſtitui de *Amore ſui*, quem Græci rotundius φιλαυτίαν appellant, ejuſque præcipuis tum cauſis, tum differentiis, præſertim quod ad rationem honeſtatis ac turpitudinis attinet: ex quibus patebit an vir bonus ſeipſum quoque amare poſſit aut debeat, & quouſque in hac ſui charitate poſſit debeatve progredi. Quo in argumento dum verſor, quanquam vos pro ea quæ in vobis eſt humanitate, benigne me audituros nihil dubito, tamen quia digniſſimi eſtis, qui, quod ſponte præſtatis rogemini, ut id facere velitis oro atque contendo.

Antequam autem ad rem ipſam accedam, hoc mihi præmonendum eſt, me φιλαυτίας, ſeu amoris ſui nomen latius extendere, quam vulgo ſoleat, atque à bonis utriuſque linguæ autoribus, ipſiſque adeo ſacris ſcriptoribus uſurpetur. Vulgo enim φιλαυτία in vitio poni ſolet, & à ſuperbia atque arrogantia vix diſcernitur. Nos autem una cum Philoſophorum principe originem & vim verbi ſequuti, laxius id nomen accipiemus, & ad quemvis ſui amorem, quem interdum honeſtum eſſe demonſtrabimus, transferemus.

Ut igitur ad illud quod primo loco propoſueram accedam, & cauſas amoris illius, quo nos ipſos com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

complecti ſolemus, inveſtigem, non abs re erit rem altius repetere, & omnis in univerſum amoris aperire fontem, ex quo amor etiam noſtri ſeu φιλαυτία deducitur ac derivatur. Amoris autem omnis cauſa eſt cognitio, vel etiam opinio boni in re quapiam deprehenſi, ſive illud bonum ſit genuinum, verum ac ſolidum, ſive ſpecie aliqua fucata nobis imponat, bonique naturam fallaciter imitetur, atque mentiatur. Boni enim hæc eſt vis, hoc ingenium, ut tum ſui ipſius deſiderium, tum illius etiam rei in qua vel re ipſa deprehenditur, vel eſſe creditur, amorem excitet, niſi forte vel nimis ſit leve atque exiguum, vel pulchritudinem ejus mala cum ipſo conjuncta obſcurent, labemque ipſi inſignem aſpergant. Tum enim ipſum quidem bonum amorem aliquem ſui conciliat, cum id natura ſua ſit amabile, & ad alliciendos ſenſus animoſve noſtros aptum; rei verò illi, quæ bona malis vel compenſat vel ſuperat, amorem conciliare, nonniſi apud imprudentes, aut rerum ignaros poteſt. Cum verò bonorum alia aliis ſint majora atque inter cætera emineant, quædam minora atque infra reliqua poſita, hinc fit ut ea quæ majora atque conſpectiora ſunt, aut eſſe creduntur, niſi, ut jam dixi, vitiis virtutes compenſent atque obſcurent, majorem etiam atque ardentiorem ſui amorem excitent. Inter bona autem maxime eminet id quod honeſtum pulchrumque eſt, & ſuavi aliquo motu ſive ad ſenſus noſtros, ſive ad mentem animumque allabitur, quod cum natura boni ita eſt implicatum ac confuſum, ut nihil boni nomen ſibi vindicet, quin voluptatem aliquam afferat ei, qui illud adipiſcitur & bonum eſſe credit. Hinc omnis honeſta actio, omnis liberalis contemplatio quæ mentis agitatione abſolvitur, jucunda eſt; hinc omnis honor, omne emolumentum, ei à quo percipitur voluptatem affert. Voluptati ſubnecto honorem, bonorum externorum (ſi Ariſtoteli credimus) maximum, licet honor nonnullas etiam voluptates longe ſuperet; ſed genere toto videtur à ſuavitate ſuperari, cum tantum fere bonum cenſeatur honor, quantas animis affert voluptates; qua de re nunc non eſt dicendi locus. Infimum in bonis locum occupat utilitas, quæ ex ſe tam ſplendidum nomen non meretur, ſed ab aliis bonorum generibus quodammodo mutuatur. Quia enim vel virtuti, vel honori, vel voluptati inſervit, boni quidpiam in ſe habere videtur. Quare cum hi ſint bonorum veluti gradus, dubium non eſt quin id, quod majus bonum eſt, ad majorem ſui amorem excitandum natura ſua ſit aptum, quod minus minorem; ſi modo ſuis ponderibus examinentur, nec minora majoribus, opinionis errore fingantur præſtare. Vis enim maxima ad amorem excitandum in cognitione aut opinione ſita eſt, tantumque unumquodque bonum in nobis ſibimet conciliandis & ad amorem ſui pertrahendis valet, quantum illud à nobis creditur. Cum autem voluptas (ut dictum eſt) inter bona pateat latiſſime, perque cætera bonorum genera ſit diffuſa, nec corpus tantum hominis ſenſuſque externos, ſed & animum demulceat; homini denique cum univerſo animantium genere ſit communis, cum bruta honeſti nullam, utilitatis exiguam habeant cognitionem, ad jucunditatem autem magno ferantur impetu; hinc fit ut amoris conciliatrix ſit voluptas.

Quare cum ad fontem amoris univerſi perveniſſe videamur, ad φιλαυτίαν ſeu amorem noſtri ea quæ conſtituta ſunt transferamus, & quid noſmet ipſos nobis conciliet, & φιλαυτίαν in nobis excitet, quodque ejus ſit ingenium conſideremus. Nec vero difficilis eſt hujus rei explicatio. Nam ſi boni cognitio aut opinio amorem conciliat ei in quo bonum illud conſpicitur, aut eſſe creditur, certe ſi homo in ſe quicquam boni eſſe deprehenderit, ſeipſum amabit, & quanto majus id bonum eſſe exiſtimaverit, tanto majore ſui amore inflammabitur. Et cum proprium ſit amoris, ut ſalvum eſſe velit id quod adamavit, eique ſi re aliqua læta atque jucunda poſſit perfrui bene cupiat, atque ea exoptet bona quæ ei apta eſſe credit; quis non videt cum etiam qui ſeipſum amat, ita erga ſe eſſe animatum, ut ſe ſalvum atque incolumem eſſe velit, & ea ſibi exoptet bona, quæ ſibi putet convenire? Habet enim omnis amor ſui, imo omnis in univerſum amor, tum præſentis alicujus boni cognitionem opinionemque aliquam, tum acquirendi votum ac deſiderium. His ita conſtitutis, ad differentias hujus amoris, quo noſmet ipſos complectimur, deſcendamus, & ſingularum ortum naturamque rimemur.

Principio conſiderandum eſt, bona illa quæ nos nobiſmetipſis conciliant, partim à natura diſtribui hominum generi, partim adſcititia eſſe & acquiſita. Et licet in omnibus his divina dominetur benignitas, ſi modo vera ſunt bona, & non adulterina; quædam tamen adventitiorum bonorum peculiariter atque inſignite Dei gratiæ imputantur, in quibus exigua hominum opera cernitur: quædam à parentibus, amicis, atque omnibus omnino hominibus in nos proficiſci cenſentur: quædam denique induſtriæ noſtræ adſcribi ſolent. Nam fortunæ & caſui locum hîc relinquere vix audeo. Quod ſi ergo natura eorum bonorum, quæ ipſa nobis largita eſt, cognitionem ac veluti guſtum aliquem nobis præbeat, illum amorem noſtri, qui exinde oritur, prorſus naturalem eſſe oportet & neceſſarium: ſi quæ vero bona ſint à natura nobis inſita, quorum cognitionem nonniſi temporis aliquo tractu acquirimus, ex iis natus amor noſtri partim naturalis erit, partim adſcititius, potiſſimum tamen naturæ erit adſcribendus, ſi bonum iſtud à natura in nos collatum, fuerit adeo eximium ut latere nos vix poſſit, ſuaque pulchritudine, quam celare haud queat, vehemens ſui deſiderium excitet: ſi denique ea bona fuerint adventitia, nec à natura duxerint originem, ex iis quoque natus amor noſtri eſt adventitius.

Atque ut ad primum hujus amoris genus redeam, inter bona quæ natura nobis largitur, & quorum nobis ſenſum guſtumque aliquem præbet, eſt inprimis vita ipſa, & integritas quædam ſenſuum, earumque corporis partium quæ ad vitæ conſervationem pertinent, & quarum in ipſa etiam infantia eſt aliqua muneris functio. Vita namque ipſa per ſe jucunda eſt, ſuique ſenſum ab ipſis incunabulis ſecum affert. Eſt enim vita (ſi Ariſtoteli credimus) actio ſeu operatio quædam. Omnis vero actio à facultate à qua manat, & re ſubjecta, bene affecta, perfecta & non impedita, comitem habet voluptatem, quæ ab illo cui præter vitam ſenſus quoque contigit non poteſt non percipi. Unde Ariſtoteles in 9. Moral. ait, ſentire ſe vivere, ex eorum eſt numero quæ per ſe ſunt jucunda. Vita enim naturâ bonum eſt, ſentire vero quod bonum aliquod tibi adſit, jucundum eſt. Hæc ergo cauſa eſt, cur omnia animantia natura ſeipſa ament, ſui conſervationem & incolumitatem quærant, bonaque ea quæ ad ſalutem corporis pertinere ſentiunt, parare conentur; à morte vero atque interitu penitus abhorreant atque refugiant. Qua de re prolixe diſputat Cicero, cum alibi tum imprimis lib. 5. de Finibus. Et homines quidem, quibus hic amor ſui cum reliquis animantibus eſt communis, ne in exquiſitiſſimis quidem cruciatibus vitæ cupiditatem dimittunt, præſertim ſi ſpes aliqua affulgeat, fore ut ab iſtis doloribus aliquando liberentur. Quanquam ne hoc quidem requirebat olim Mœcenas, cujus verſus extant apud Senecam in Epiſtolis; quibus nec deformitatem, nec debilitatem, nec denique acutam crucem recuſat, dummodo inter hæc mala ſpiritus prorogetur. Ejus verba ſunt:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxâ:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hanc mihi, vel acutâ
Si ſedeam cruce, ſuſtine.

Quanquam autem non immerito Romano ſapienti ſtultum hoc videtur votum, in quo id quod in vita miſerrimum eſt, tantum non optatur ac tanquam vita petitur ſupplicii mora: atque haud ſcio, an ſi facilem

cilem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

cilem Mœcenas habuiſſet Deum, votum ſuum fuiſſet damnaturus. Nam ſi Ariſtoteli, ipſique rationi, & ſenſui noſtro credimus, vitæ deſiderium ejuſque retinendæ cupiditatem tamdiu ſervamus, quamdiu tormenta & cruciatus metuſve imminentium malorum, eam voluptatem, quam vita ipſa ejuſque propagandæ ſpes affert, non exſuperant nimium, eamque penitus extrudunt, aut extinguunt. Tunc enim vitæ quoque prorogandæ ſtudium ac cupiditatem deponere ſolent homines, quod cum in aliis apparet, tum in iis, qui ob impatientiam cruciatuum, ſive corporis, ſive animi ac conſcientiæ, metumve malorum impendentium violentas ſibi manus afferunt, & differri mortem maximum ſupplicium arbitrantur. Verumtamen ex hoc Mœcenatis voto, licet modum ſuperet, quanta vitæ ipſius ſit ſuavitas æſtimare licet, quæ ſæpe acerrimos dolores vincit, & ſui retinendi cauſa ſuſtinere jubet.

Quod vero ad integritatem ſenſuum, earumque corporis partium attinet, quarum in pueris etiam eſt aliqua muneris functio, quia illa partim cum vitæ ipſius incolumitate conjuncta eſt, quam naturâ jucundam eſſe docuimus, partim quia ipſa per ſe voluptates haud exiguas præbet: (guſtu enim & tactu iiſque partibus, quarum miniſterio ſenſus hi munus ſuum abſolvunt, plurimum utuntur pueri: voluptatum autem quæ guſtu tactuque percipiuntur, ſenſus eſt acerrimus:) ideo hanc quam dixi ſenſuum & corporis integritatem, non poſſunt non amare tacito ſenſu homines, ſeque adeo ipſos quibus hoc bonum ſentiunt obtigiſſe; qui amor eos adigit, ut ea bona, quæ ſibi videntur apta, qualia ſunt quæ corpus alunt, augentque, & voluptate ſenſus perfundunt, quærant. Voluptas enim naturæ corporis amica eſt, dolor adverſus: illa conſervat, hic corrumpit. Atque hic amor, de quo hactenus loquuti ſumus, prorſus eſt naturalis, & cum ipſa ætate, niſi grande aliquod interveniat malum, & prorſus intolerabile, augetur. Hunc ſui amorem videtur definiviſſe Seneca, dum eum vocat, permanendi conſervandique in ſe inſitam voluntatem, & aſpernationem diſſolutionis, quia multa videatur nobis eripere bona, & nos ex hac cui aſſuevimus rerum copia educere. De quo φιλαυτίας genere ideo nobis agendum fuit fuſius, quia exinde alia multa φιλαυτίας diſcrimina, tanquam rivuli quidam deduci ſolent, ab eoque vel excitari vel augeri.

Quod vero ad ea bona attinet, quæ licet natura nobis increverint non tamen niſi ætate accedente à nobis ipſis agnoſcuntur, ea partim corpus, partim animum nobilitant & exornant. Corporis ſunt robur eximium & pancraticum, roborique affinis celeritas corporis, deinde formæ elegantia, dignitas aut venuſtas, quæ quia ſenſui patent cognoſcere eſt facile. Solent autem amorem ſui in illis potiſſimum excitare, qui animo minus valent, ejuſque bona fere ignorant, omnemque cogitationem ad corporis curam referunt; quanquam robur athleticum illos etiam attollere ſoleat, qui res bellicas tractant: fiducia enim virium nonnunquam inſoleſcunt, alioſque præ ſe contemnunt.

Inter animi vero bona, ipſam imprimis mentem, quæ nonniſi à ſeipſa deprehenditur ac intelligitur, & excitata ex illo ſomno quo à primis incunabulis opprimitur, non ſeipſam modo ſuaque bona; ſed etiam corporis & fortunæ, ut vocant, ſive externa, penitius contemplatur atque æſtimat, doctrina præſertim, ſtudio atque exercitatione accedente. Quia vero mens pars noſtri eſt divinior, cœlitus hauſta ac delibata, ideo recte cognita mirabilem ſui noſtrique quibus divina ſorte obtigit, amorem excitat. Cognoſcit autem quiſque mentem ſuam tanto melius, quanto eſt ſapientior. Ad animi bona à natura accepta referendum eſt ingenium, atque ad virtutem facta indoles, quod utrumque Græci εὐφυΐας voce complectuntur. Sed indolem ad honeſti ſtudium excitatam nunc mitto, de qua alias dictum eſt fuſius. Ingenium vero, quod vulgari uſu, hoc nomen ſibi fere ſoli vindicavit (licet alias etiam illam quam modo attigimus indolem ad virtutem excitatam notare poſſit, cum ſit ingenita) id ſi perfectum ſit, primum memoriam requirit, tum promptam atque ad ea quæ ipſi traduntur accipienda facilem, tum etiam firmam, & eorum quæ accepit tenacem, præterea acumen, quod & ἀγχίνοιαν Græcis dictam, ſeu inveniendi promptitudinem & de inventis judicandi dexteritatem & δεινότητα complectitur: quæ omnia ad amorem ſui conciliandum idonea ſunt, in iis præſertim qui ſeſe ad ſtudia aut ad res magnas, conſilio gerendas, contulerunt.

Quod ad bona adventitia attinet, ea partim in nobiſmet ipſis ſita ſunt, & vel ad animum potiſſimum referuntur, vel corpus perficiunt; partim extra nos ſunt ſita, & fortunæ bona vulgo appellantur. Et in iis omnibus, vel divina benignitas ſola cernitur, vel aliqua etiam hominum accedit opera atque induſtria. Et animi quidem bona, quæ à ſola Dei liberalitate ac potentia proficiſcuntur, fuere olim dona illa admiranda, quæ rex & Dominus noſter cœleſtis Chriſtus, cum ſolium ſuum primum occupaſſet in hominum genus effudit, & ſi quæ alia his ſimilia aut affinia ante id tempus diſtribuit Deus, vel etiamnum hodie diſpenſat: quanquam hoc tempore, divina ſapientia ita poſtulante, iſtius generis dona ſint rariora. Hæc vero eos, quibus obtigerunt, amore ſui potuiſſe inflammare experientia ipſa docuit, ſacræque paginæ, quæ iis quibus tanta obvenerunt munera, præſertim ſi Apoſtoli non eſſent, modeſtiæ leges præſcribunt, & ne ſibi ipſis nimium placeant adhortantur.

Iſta vero animi bona, quæ Dei quidem ope, ſed magno etiam hominum labore atque induſtria parantur, ſunt præter alia leviora, quæ nunc libens prætereo, virtus & ſapientia. Virtutis autem & honeſtatis forma & veluti facies, magnum in illis qui eam mentis oculo cernunt, ſui concitat amorem, in omnibus excitatura ſi corporis oculis cerneretur. Nam ſi forma corporis fluxa ad amorem ſui nos pellicit, ac trahit, quid de virtute dicemus, quæ quicquid in animo præſtantiſſima noſtri parte, quicquid decorum eſt complectitur, quæ non caduca, ſed æterna habetur? Quare in quocunque ea conſpicitur, imo in quocunque cernitur ejus ſignificatio quædam, & quoddam ſimulachrum, is ab hominibus non prorſus deploratis amari ſolet. Quod ſi ergo vir quiſpiam eſſet tanta virtute præditus, ut nullius ſibi nævi, nullius unquam lapſus eſſet conſcius, ſed in ſe reflexa mentis acie, totum ſe perfectæ virtutis ſpecie videret decorum, non poſſet non ſeipſum vehementer, & tamen honeſte ac ſine aliorum contemptu amare, præſertim ſi ſuis illam tantam tamque eximiam virtutem paraſſet viribus. Nunc vero duo imprimis obſtant quominus ſe pii viri ac boni, quos ſacræ etiam literæ hoc nomine dignantur, adamare admodum poſſint: (ſolet enim, ut diximus antea, cum omnis amor, tum etiam amor noſtri, quibuſdam de cauſis reprimi, etiamſi boni adſit ſenſus vel opinio:) Primum eſt, quod multorum ſibi lapſuum & interdum etiam ſcelerum, ante veram Dei cognitionem admiſſorum, ſint conſcii: qui nævi decoram virtutis faciem maculant, & quia viri boni actionum ſuarum ſunt cenſores rigidiſſimi, oculos & diligentiam eorum minime effigiunt, ſed animo perpetuo obverſantes vim φιλαυτίας frangunt, idque tanto magis quod ſuas virtutes cum immenſo immortalitatis præmio contendunt, ſuamque vitam ad divinorum mandatorum normam & ad ſanctiſſimam Chriſti vitam exigunt. Tunc enim lapſus iſti longe videntur graviores atque indigniores; virtutes vero, ipſa comparatione fere evaneſcunt, & longe apparent minores. Alterum eſt, quod φιλαυτίαν à bonis viris fere arcet, quod virtutem ſuam non ſuis viribus, ſed Dei benignitati imputandam vident. Is enim primordia, is incrementa, is robur atque conſtantiam pietatis eſt largitus, licet non exiguus ipſorum hominum labor acceſſerit. Itaque non tam ipſos, qui tantum bonum ſunt adepti, quam tam præſtans munus, munerisque autorem Deum amant ac venerantur. Veruntamen non putarim prorſus negandum, virum quoque bo-

bonum ac virtute præſtantem, ſeipſum virtutis nomine amare, ſed moderate, ſed parce, ſed ita ut honeſtas ipſa deſiderat. Non ille ignorat lapſus ſuos; ſed nec virtutes ſuas & recte facta ignorat. Qui enim recta conſcientia niti, qui ſpem immortalitatis firmam poſſet concipere, qui conſulto ac prudenter omnia aggredi, ſi ea quæ ſuſcipit, vel antea ſuſcepit recte à ſe fieri factave eſſe neſciret? Quid enim eſt aliud recta illa conſcientia quam tantopere ſacræ commendant literæ, quam memoria aut recordatio quædam recte à ſe factorum, vel potius de recte à ſe factis judicium quoddam eorumque approbatio? Quid gaudium conſcientiæ quam voluptas ex vitæ integritate & recte factorum memoria hauſta? Immortalitatem vero, qui certo ſibi polliceri vir pius ac prudens poſſit, niſi ſe pium ſanctumque eſſe noſſet? cum bene norit ſine ſanctitate neminem viſurum eſſe Deum, nemini ad cœlum patere aditum? Quod ſi vir bonus omnia capto conſilio agit, omnes actiones ſuas præmeditate ſuſcipit, eas diligentiſſime ad divinorum mandatorum obruſſam exigit, quî ignorare poteſt ſe honeſte ſancteque vivere? niſi forte, quod fieri nullo poteſt pacto, vir bonus, quid rectum, quid honeſtum ſit ignoret. Non igitur fugient virum bonum prorſus ſuæ virtutes, quanquam nec nævi fugient; non ignorabit is præmium virtuti ſuæ propoſitum infinitis eam partibus ſuperare. Quare non merita virtutum ſuarum ponderabit, aut putabit, ſed Dei clementiæ tanti boni ſpem adſcribet; non ignorabit Deum ſuarum quoque virtutum autorem; laborem itaque ſuum extenuabit. Verumtamen ſi vir honeſtus animo id habet infixum, amandum eſſe eum quem virtus amet, quem Deus optimus maximus amore ſuo complectatur, (complectitur autem pios omnes:) quem immortalitas maneat; imo ſi etiam eum ſolet amare vir bonus, in quo eſt ſignificatio aliqua virtutis, aut indoles ad honeſtum facta, vel ſeipſum virtute eſſe præditum & immortalitatis hæredem eſſe ignorabit, quod fieri non poſſe oſtendimus, vel à ſe quoque aliquem amorem, quem apud alios omnes meretur, modeſte exigit. Idque videtur dicere voluiſſe Cicero in Lælio: Omnino eſt amans ſui virtus, optime enim ſeipſam novit, quamque amabilis ſit intelligit. Quouſque vero vir bonus in amore ſui poſſit debeatve progredi, poſtea oſtendemus.

Sed ad ſapientiam, poſtquam de virtute ſatis videmur dixiſſe, tranſeamus, quæ divinarum humanarumque rerum ſcientiam continet; & divinarum quidem rerum nomine res ſacras ad pietatem religionemque pertinentes, intelligo. Quis autem adeo communis vitæ eſt ignarus, quis in ſacris literis adeo hoſpes, ut ignoret, homines eximia rerum divinarum cognitione donatos, ad φιλαυτίαν impelli facile poſſe? cum eximius atque divinus ille Chriſti legatus pronunciet ſcientiam inflare, eamque à charitate ſejungi poſſe oſtendat; ſcientia autem à charitate ſejuncta nonne arrogantiam ſuique amorem nimium pariet? Humanarum autem rerum ſcientia hoc loco omnem eruditionem liberali animo dignam, quæ mentis atque induſtriæ noſtræ viribus, quanquam non ſine divina ope excitatur ac nititur, ipſamque etiam prudentiam intelligo. Quam facile autem eruditio amorem ſui, eumque (ſi veram ſolidamque prudentiam excipias) vitioſum ac nimium pariat, videmus quotidie: atque utinam non tam ſæpe videremus. Cum enim eruditio à virtute ſejungi poſſit, ſine virtute autem mediocritatem ſervare & affectus regere nequeas, fit ut eruditio in amore ſui modum ſuperet; ut enim infra modum ſubſiſtat, ab ea impetrare vix poſſis, cum eruditio latere haud queat mentem intelligendo occupatam; nec contemni ab eo qui eam in vita maxime putat expetendam. Et quamvis hæc ſcabies omnì eruditioni affricari ſoleat, ſolet tamen quarundam artium magis eſſe propria. De Poëtis multi teſtantur autores, atque inprimis Ariſtoteles, qui non uno in loco aſſerit, poëtas carmina ſua tanquam filiolas amplecti ſuas, nihilque illis putare ingenioſius, eaque æternum victura eſſe, libenter credere: quemadmodum ille qui cymbalum mundi dici meruit, omnibus, quos carminibus ſuis inſeruiſſet, immortalitatem pollicebatur. Nam cum quivis opera ſua impenſius amat, tum ea ſolent eſſe chariora quæ ingenii noſtri imaginem referunt, in quibus noſmet ipſos tanquam in genuina mentis noſtræ prole agnoſcimus, qualia ſunt inprimis Poëtarum verſus, in quibus ex doctorum ſententia, non tam ars quam naturæ quidam genius dominatur, unde ingenio noſtro ſunt cognatiores. Quis autem genuinum mentis ſuæ fœtum non exoſculetur? Quod ſi labor adhuc ea extuderit pertinax, ipſa cura lenocinatur operi, idque autori commendat. Cum vero ex operibus ſuis, de ſe ipſis ingenioque ſuo judicent Poëtæ, ſe ipſos quoque amant, & tanto quidem magis, quanto ſua ipſis carmina videntur ingenioſiora. Sed & eloquentiam, omneſque eas artes ac ſcientias quæ popularem plauſum merentur, φιλαυτία libenter comitatur. Nam cum omnis fere ſcientia, ſui quadam opinione laborare ſolet, tum ea potiſſimum quæ multorum judiciis comprobatur, quam populus aſſentatorum maximus ac pernicioſiſſimus, aura quadam famæ attollit, quam honor, potentia, opes ſequuntur, quæ omnia eloquentiæ, prudentiæ civili, cognitioni juris, in magnis præſertim Rebuſpublicis, ſolent eſſe propria.

Sed ad externa bona progredior, quæ Deo quidem accepta ſunt referenda omnia, in nos tamen vel à parentibus derivantur, vel noſtro parantur labore, vel ex aliorum in nos benevolentia proficiſcuntur. Inter ea eminent generis nobilitas, magiſtratus, honores, opes, potentia, amicorum aut clientum copia, ſucceſſus proſperi, ſive in bello ſive in toga: quæ tum ipſa per ſe facile ambitionis tumore pectus implent, tum eam potiſſimum ob cauſam, quod ea bona plerumque comitatur honor, quodque ii qui harum rerum copia affluunt vulgo felices ac beati habentur, quia veram felicitatem plerique è vulgo ignorant. Quo autem quodque bonum eſt honoratius quo plurium teſtimoniis extollitur, tanto ad amorem ſui excitandum eſt aptius. Itaque interdum viris potentibus ac nobilibus evenit, ut illis cum Philippo Macedone, aliiſque nonnullis triumphantibus, monitore opus ſit, qui illis ſuggerat ut meminerint ſe eſſe homines: aut fortuna cum eodem rege oranda, ut pro tot beneficiis quibus illos cumulavit, infortunio aliquo quo animos demittant afficiat: aut cum Alexandro vulnere opus ſit, ut ex ſanguine cognoſcant ſe Deos non eſſe.

Verum nimis fortaſſe prolixi fuimus in percenſendis φιλαυτίας cauſis: ex quibus cum ſponte ſua multa pullulent ejus amoris, quo ſe quiſque complectitur, diſcrimina, videndum reſtat quantum hæc φιλαυτίας genera inter ſe differant, quænam honeſta & viro bono digna, quæ turpia & fugienda videantur; aperiendæque cauſæ, quæ amorem ſui vel honeſtum vel turpem efficiant. Ut itaque diſcrimen honeſtæ & inhoneſtæ φιλαυτίας pateat, memoria repetendum eſt id quod ab initio dictum eſt, amorem ſui inde oriri, quod quis ſibi perſuaſerit, eſſe quippiam in ſe boni, quod amore dignum ſit; deinde & illud in mentem revocandum, amoris hoc eſſe proprium, ut rem amatam ſalvam eſſe velit, & ſi quæ ipſi conveniant bona exoptet. Ex quibus patet, ſi quis vel in bonis ſuis agnoſcendis fallatur, vel non ita ſe velit eſſe ſalvum, ut oportet; vel non ea ſibi exoptet bona, quæ ipſi ſunt apta; vel etiam duobus omnibuſve his modis ſimul erret, eum amore ſui laborare vitioſo: qui vero nec in cognoſcendis atque æſtimandis ſuis dotibus, nec in eligendis atque expetendis bonis aberret, nec in ſalutis ſuæ deſiderio à recto abludat, ejus amorem quo ſeipſum complectatur, reprehenſione dignum non eſſe; quin imo quandoque vehementer laudandum, ac non tantum ipſi, ſed toti humano generi apprime utilem. Et in cognitione quidem bonorum quæ quis ſibi putat adeſſe, falli quis poteſt, ſi vel ea ſibi arroget quibus prorſus caret, vel ea quæ adſunt, vero majora eſſe credat, majoribuſve præmiis aut honoribus digna. In deſiderio incolumitatis & electione bonorum, (quæ duo fere viden-

videntur concurrere) errare quis poteſt, ſi tum cum in contentionem venit, utrum animus an corpus ſalvum ſit, honeſtane an flagitioſa, æterna an caduca & fluxa ſint eligenda, corporis incolumitatem animæ ſaluti; turpia, ſed cum aliqua voluptate aut emolumento conjuncta honeſtis, mortalia immortalibus præferat. Qui errores in amore noſtri, qui prorſus eſt naturalis, aut non cernuntur aut vituperationem non merentur, niſi naturam ipſam operum Dei adminiſtram velimus accuſare, quæ eum nobis inſeverit. Amor tamen iſte noſtri, à natura ingeneratus, fomes quidam eſt φιλαυτίας illius, quæ cum ætate demum accedit & creſcit, eorumque errorum, qui hanc φιλαυτίαν pariunt. Cur enim in noſtris bonis maliſve agnoſcendis & æſtimandis, tam ſæpe hallucinemur, cauſa non eſt poſtrema, amor noſtri naturalis, qui nebulas quaſdam aut glaucoma noſtris oculis objicit, ne noſtra ſive bona ſive mala pervideamus. Omnis enim amans in re amata cæcutit, ut ait Plutarchus, nec immerito amor ſui cœcus ab Horatio appellatur. Accedunt porro ad φιλαυτίαν hanc excitandam aliorum de nobis teſtimonia, laudes, honores, ſive à recto judicio, ſive ab errore aliquo, ſive denique ab aſſentandi ſtudio profecti, qui quantam vim habeant ad animos opinione ſui implendos, nemo ignorat. Verum non tanta eſt vis vel naturalis illius amoris, vel ab aliis profectæ laudis, ut in errorem invitos adigat, & noſtro nos metiri modulo & pede prorſus non permittat; alioqui jam cum venia errarent illi, qui nimio ſui amore laborant, & immerito omnium odia ſuſtinerent. Nam omnia iſta quæ enumeravimus non inflant opinione ſui animum niſi ſocordem, & ſui cognoſcendi incurioſum ac negligentem; ut excuſari minime poſſint ii qui ſuperba iſta φιλαυτίᾳ infeſtantur, præſertim ſi minor ſit cauſa cur plus æquo ſibi tribuant.

Sed videamus quibus in rebus hæc vitioſa φιλαυτία potiſſimum regnet. Cum igitur natura quiſque ſe velit eſſe beatiſſimum, & ad ſummam felicitatem adſpiret, licet pauci ad eam recta graſſentur via, feliciſſimus autem ille ſit qui ob bonorum quæ in ipſo ſunt excellentiam, præſtet omnibus; hinc factum ut homo quoque natura cæteris velit eminere. Et cum ea quæ vehementer optamus, libenter etiam credere ſoleamus, ſi notabilis cauſa appareat, cur ea nobis aſſumere poſſimus, haud difficulter nos adduci patimur, ut ea nobis adeſſe perſuadeamus quæ tantopere expetimus, præſertim ſi oculis ea arbitrari non liceat, nec ſenſus ipſe opinionem noſtram de nobis refellat. Quis vero dubitat, inter ea bona, ob quæ homines felices cæteriſque præſtare cenſeantur, & quæ non prorſus ſub oculos, ſenſuſque cadunt arbitrium, eſſe inprimis virtutem & ſapientiam? Nam & vulgus viros virtute præſtantes colit ac veneratur, niſi forte ipſorum quippiam interſit ne colantur ac ſuſpiciantur, aut ab aliis in eorum odium incitentur. Sunt enim hæc bona admodum divina, & ſpecie pulcherrima, & prorſus admiranda, quæ ut antea quoque dictum, decoro ſuo omnium non prorſus deploratorum animos in ſui amorem convertunt ac rapiunt. Recte Seneca: In omnium animos lumen ſuum virtus immittit: etiam ii qui non ſequuntur eam vident. Quapropter qui multis licet erroribus implicati, audaci lætaque facundia apud imperitos, ſapientiam æmulari volunt, non paucis interim vitiis ſcatentes, ſolerti factorum externorum imitatione viros bonos mentiri poſſunt, ſi popularis aura adſpiret, iiſque ſapientiæ ac virtutis laudem tribuat, facile vel ſibi ipſis imponunt, vel imponi ſibi patiuntur, ut tam eximia bona ſibi credant adeſſe. Inter virtutes autem, illas libentius ſibi arrogare ſolent, quæ vel ſplendore ſuo omnium admirationem concitant, vel ob inſignem quæ in alios redundat utilitatem, magnum omnium amorem conciliant; quo in numero eſt juſtitia, liberalitas, quæ amorem; magnitudo animi, fortitudo bellica, magnificentia, quæ admirationem facillime pariunt. Idem de ſapientia cenſendum eſt. Nam cum rerum ſacrarum ſcientiam plerique tanquam divinam & humano generi utiliſſimam amare & venerari ſoleant, ideo plurimi eam ſibi arrogant. Hanc ſequuntur, juris cognitio, eloquentia, aliæque nonnullæ facultates, quæ cum inſigne mortalium generi adferant emolumentum, eaſque honor ſequatur, libenter à φιλαύτοις aſſumuntur. Ut autem quis majora ſibi vero arroget bona, eaſdem ob cauſas contingit, deſiderium inquam felicitatis, & quæ illud comitatur cupiditatem principatus. Verum id neque in ſolidam virtutem, neque in veram perfectamque ſapientiam cadit. Neque enim arrogantia hæc cum virtute, neque tam turpis error cum vera ſapientia conciliari poteſt. Sed iis qui aliquos jam ad virtutem fecerunt gradus, & viros bonos iis in rebus quæ facilius eſt æmulari imitantur, & imprimiis iis qui bellicam affectant gloriam, hic morbus eſt familiaris. Idem hominibus ſemidoctis, & multarum quidem rerum cognitione, ſed leviter tantum tinctis, non imbutis, accidit. Hi enim cum externam tantum rerum faciem, fugiente velut oculo, percurrant, nec in omnes ſcientiarum partes aciem intendant, eaſque ſubtili & curioſa indagatione non rimentur, eas non tantum ignorant; ſed id ipſum quoque quod ignorent agnoſcere non poſſunt. Qui vero omnes in partes animum verſant, & quanta ſcientiarum ſit varietas, quam immenſa rerum copia, quam varia & multiplex earum feries, ſuam plerumque ignorantiam agnoſcunt atque etiam fatentur, & ea quæ ſciunt, minimam eorum quæ neſciunt partem eſſe pronunciant. Error hic iis etiam communis eſt, qui ob formam corporis nimium ſibi placent, & inſtar Narciſſi iſtius Poëtarum, impenſe ſe ſe amant. Cui philautiæ, muliercularum & hominum effœminatorum ac mollicie à ſexu atque animo virili degenerantium, aut etiam amantium genus eſt maxime obnoxium. Quid enim de aliis dicam, cum ne Virgilianus quidem Corydon formoſo Alexi hæc dubitarit occinere?

Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare; non ego Daphnim
Judice te metuam, ſi nunquam fallit imago.

In meritis autem ſuis æſtimandis labi quis poteſt, tum ob eam cauſam quod (ut antea dictum eſt) ea ſibi arroget quibus deſtituitur, aut quæ habet juſto majora credat: tum etiam quod meritorum rationes non recte ſubducat, nec verum rebus pretium ponat. Id quod iis accidit qui ob ſolam generis nobilitatem, imagines & titulos præclaraque facta majorum ſuorum, opes, clientelas, omnibus aliis ſe putant anteponendos, & cæteros, licet virtute & ſapientia præſtent majori, præ ſe contemnunt, adeoque præmia ea quæ virtuti ac ſapientiæ debentur, aliis præripiunt, ſibi aſſumunt. Præmia autem virtutis & ſapientiæ, quæ quidem ab hominibus in alios poſſunt proficiſci, ſunt tum alia bona externa, tum inprimis honores quos Deo & viris excellentibus aut principatum obtinentibus deferre ſolemus; cum ſint eminentiæ aut principatus cujuſdam, aut, ut Ariſtoteles loquitur, virtutis ſeu facultatis beneficæ, à qua in alios vel profecta eſt vel proficiſci poteſt utilitas, ſigna atque argumenta; quin etiam, niſi fortaſſe ſint fucati, indicia amoris erga eum qui colitur, qui amor eo potiſſimum nomine, nobis ſolet eſſe gratiſſimus, quod hac ratione hominum animos poſſidere videmur; qua poſſeſſione nihil eſt præclarius, nihil illuſtrius. Quare cum φιλαυτίᾳ hac faſtus, ac ſuperbia, ac nimia bonorum cupiditas conjuncta eſt. Alia quoque ratione peccatur in meritis ſuis æſtimandis, ſi quis ob ea quæ aliorum beneficio, & præcipue divino, conſequutus eſt bona, eaſve res quas aliena & inprimis cœleſti ope atque auxilio geſſit atque perfecit, pluſculum ſibi arroget, aliis ſeipſum anteponat, ſeſe jactet, honores ab aliis vel admodum expetat, vel putidius exigat, vel non delatos, ægrius quam decebat, ferat; ita ut non ad divinam, aut aliorum quorum auſpiciis hæc geſſit, ſed ad ſuam gloriam, dona factave ſua referat. Cui recte iſtud Pauli, à faſtu & ambitione eos qui in divina veritate propaganda laboraverant, aut laboraſſe ſibi videbantur, donave aliqua inſignia divinitus acceperant, dehortantis, objece-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ris, *Quid habes quod non acceperis? quod ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non accepiſſes?* Quare imitandus potius eſt idem Domini Jeſu legatus, qui cum quodam in loco plus omnibus ſe laboraſſe aſſeruiſſet, ne id ſibi adſcribere & ad ſuam laudem referre videretur, ſubjungit; *Verum non ego ſed gratia Dei quæ mihi aderat.* Hujus divini viri tum monito, tum exemplo, liceat ſubjungere Taciti, prophani quidem ſcriptoris, ſed prudentiſſimi, verba, quibus haud diſſimile, licet in re diſſimili, Agricolæ ſui exemplum proponit, quem ejus in Britannia dux, ob felicitatem ſucceſſuum, ſæpe copiarum parti præficiebat. Nec Agricola (inquit) unquam in ſuam famam geſtis exultavit, ad autorem & ducem ut miniſter fortunam referebat. Ita virtute in obſequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam non extra gloriam erat. Sed etiam ſi tandem labori tuo, tuæque induſtriæ, ſapientiæ, viribus denique plurimum eſſet tribuendum, non tamen eo ambitionis progredi deceret, ut eum quem tibi deberi putas honorem, vel inſolentius exigeres, aut non delatum ægrè ferres. Hoc enim ejus eſt qui præter virtutem honorem quoque magni facit. Vir autem ſolida præditus virtute, magnique animi, omnia humana præter virtutem de excelſo pectoris ſui faſtigio deſpicit ac contemnit.

Ut autem quis corporis incolumitatem ſaluti animæ, bona externa honeſtati præferat, ex ignoratione ſui naturæque ſuæ inprimis accidit, & error hic eſt longe pernicioſiſſimus. Nam cum duabus omnino rebus hominis natura abſolvatur, animo & corpore, & animus quidem ſit divinus & cœlitus hauſtus, corpus vero terrenum: ille conſilio & prudentia, quæ imperantium eſt propria, inſtructus; hoc vero robore ac viribus ad expedienda mentis juſſa valeat, eaque ſit facultate præditum, ut ea quæ à mente dictantur, accipere poſſit, id quod ſervientium eſt; quis dubitabit quin princeps hominis pars ſit animus, & propemodum naturam hominum ſolus abſolvat? id quod Plato diſerte affirmare non dubitavit, cujus ſententiam licet ſubtilius examinatam non admittat Ariſtoteles, in morali tamen doctrina fere ſequitur, & cum utroque conſentiens Cicero in libro de Republica. Mens cujuſque (ait) is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Ex quo intelligitur, eum demum vere ſe amare qui mentem atque animum ſuum maxime amat, qui ea bona, quæ ipſius naturæ apta, quæ ipſi grata & jucunda ſunt, conſectatur, & magna virium contentione quærit. Quare cum ferme diverſa ſint animi & corporis bona, & ſæpe inter ſe pugnantia, nemo eſt qui ſe ipſum vere amat, qui ſi utrique ſimul ſervire non poſſit, non multo malit animo quàm corpori, parti imperanti quàm ad ſerviendum natæ obſequi: ſi utriuſque ſalutem & incolumitatem tueri non poſſit, non malit eam ſui partem eſſe incolumem, quæ divina eſt, qua ſalva ac beata, ipſe ſalvus ac beatus dici poſſit, quam eam cujus cupiditas ſi expleatur, homo ipſe dici poſſit miſerrimus. Earum autem partium divinior, tum veri ac honeſti amore maxime tenetur, tum quia immortalis eſt & cœlitus delibata, ubi aliquam veræ immortalitatis cognitionem habet, ad ſuam originem ſemper adſpirat, & niſi corpore impediretur, cum cœlo & cum æternitate protinus conjungeretur. Corpus vero ſuæ quoque originis memor mole ſua ad terram vergit, nil niſi humile ſpirat; in hac vita, quia ad immortalitatem ineptum eſt, omnes ſuas ſpes terminat, neque ultra mortem cupiditates ſuas tranſmittit, ac proinde divinæ particulam auræ ſuo pondere aggravat, & humo affigit, ſibi intentam cæleſtia jubet omittere. Hinc pugna illa animi & corporis eique annexæ cupiditatis. Hic qui ſeipſum ignorat, & vel mentis ſuæ præſtantiam, vel eorum bonorum quæ mens deſiderat pulchritudinem & divinitatem ignorat, is corpori cedit atque obtemperat, mentem quæ ad imperandum erat facta, cupiditatibus corporis, quæ parere debebant, inſervire, & rationes commodorum, voluptatum, ac honorum libidinem explendi excogitare jubet. Qui amor ſtultus eſt atque improbus, dum omiſſa cura præſtantiſſimorum bonorum ſectatur viliſſima, neglecta meliore ſui parte, amat deteriorem, poſthabita immortali fovet mortalem. Et quia cupiditas felicitatis infinita eſt, nec in ea appetenda modus aut terminus aliquis figi poteſt, idcirco is qui in corporis bonis felicitatem collocat, cum de externis bonis corpori amicis agitur, ſemper potiorem ſibi partem vindicabit: &, ſi animo ſit paulo elatiore, ampliores ſibi honores cupiet decerni: ſi ſervili, voluptatibus ſe totum tradet: ſi anguſto ac timido, pecuniæ quandam infinitam expetet copiam, aliiſque vel eripiet, vel invidebit hæc bona, neque ſe à quoquam in hoc miſerrimo beatitatis genere ſuperari volet. Hæc eſt teterrima illa ac peſtilentiſſima φιλαυτία, quam Plato omnium malorum radicem eſſe docuit, quæ una cum aliis quibuſdam vitioſis amoris ſui generibus, philantiæ nomen obtinuit vulgi conſuetudine, quod aliud philautiæ genus nec novit, nec ſequitur, cum mentis bona fere ignoret. Qua de re multa elegantiſſime, ut ſolet, ſcripſit Ariſtoteles, lib. 9. Ethic.

Quæritur etiam, an quis debeat ſeipſum præ cæteris amare, an alium potius. Solent namque reprehendi qui ſui ſunt amatores, & probri atque contumeliæ cauſa ferè φιλαύτους appellamus, videturque improbus quidem ad ſuam utilitatem referre omnia, & eò ſane magis quo eſt ipſe deterior: (ex quo fit, ut in tales hujuſmodi quædam vulgo dici ſoleant, Nihil iſte niſi ſuum commodum curat.) A vulgo autem hanc φιλαυτίας notionem boni autores & ſacræ etiam literæ acceperunt. Solent enim ſcriptores prudentiores uſum verborum vulgo relinquere, ſententiarum libertatem ſibi reſervare: loqui cum multis, ſentire cum paucis ſapientibus, aut, ſi divini ſint, cum Deo: ea autem quæ ſentiunt ita conſueverunt eloqui, ſi opus ſit, ut plebei quoque intelligant, adeoque vulgarem vocum uſum haud temere mutant. Qui igitur in vitio ac probro habent φιλαυτίαν, illi nominant ſui amantes, qui ubique ſibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ, & honoris attribuunt partem. Quid ita? quia vulgus iſta, ut præcipua hominis bona appetit, in iiſque præcipuum ſtudium ponit, ideoque de iis dimicare homines vehementer inter ſe ſolent. Nam qui his præ cæteris abundare volunt, illi ſcil. cupiditatibus ſuis indulgent, adeoque in univerſum affectibus, brutæque animæ parti. Hujuſmodi porro, quia eſt vulgus & multitudo hominum multo maxima, factum eſt ſcilicet ut ab hac vitioſa vulgi affectione φιλαυτίας occupata ſit appellatio. Et recte ſane qui hoc modo ſunt φίλαυτοι vituperantur. Quod autem plus bonorum dictorum ſibi quam aliis tribuentes vulgo φίλαυτοι nominantur, non eſt obſcurum; ſiquidem nemo eum qui præ cæteris honeſtis rebus gaudeat, temperateque agere velit, aliiſque animi bonis ſeſe exornare, ſui amantem dixerit, ſicut neque vituperaverit illum unquam.

Et quoniam de vitioſo ſui amore ſatis diximus, de honeſto quoque & laudabili, qui ſolus hoc nomen, quod ei vulgus eripuit, meretur, quædam dicenda reſtant. De naturali ſui conſervandi ſtudio, quod vel honeſtum eſt, vel ſaltem minime reprehendendum, cum nonniſi ex eventu malum & pernicioſum eſſe poſſit, ſatis jam ſupra diſputavimus. Reliqua ſunt duo φιλαυτίας genera, quorum alterum ab honeſtate non abhorret, alterum honeſtas & natura ipſa poſtulat. Prius eſt, ſi quis cognitis dotibus & bonis ſuis, quæ ipſi divino beneficio contigerunt, iis gaudeat ſibi, de hac felicitate ſibi gratuletur, eam ſibi cupiat eſſe propriam ac perpetuam. Verumtamen, ut jam ante indicavimus, in dotibus ſuis æſtimandis, & virtutum ſuarum ſive meritis, ſive pretio ponendo, parcus admodum debet eſſe vir bonus ac ſapiens, neque tam cogitare quid habeat, quam unde habeat, aut etiam quid nondum habeat: nec tam in quæſitis (niſi forte ad utilitatem, voluptates, honoreſque tantum pertineant) acquieſcere, quam in majoribus parandis occupari. Ideo autem viro bono & ſapienti, quædam virtutum ac dotium ſuarum, quanquam moderata æſtimatio relinqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

linquitur, ut rectæ conſcientiæ gaudio perfrui & ſpe bona plenus eſſe poſſit, nec animo nimium frangatur ac dejiciatur, & à rebus præclaris ſuſcipiendis, virium ac dotium ſuarum ignoratione, quæ non raro publice etiam nocet, abſterreatur. Fortunæ autem bonorum copiam vir prudens non tanti facit, ut ſe propterea honore dignum putet, omniaque leviora eſſe ducet, quam ut ipſi ſpiritus facere debeant. Qua de re vide Ariſtot. lib. 4. Ethic. cap. 3. de Magnanimitate. In acquirendis vero animi bonis, (quod alterum eſt idque pulcherrimum atque diviniſſimum honeſtæ φιλαυτίας genus) in felicitate mentis, in ejus ſalute vel tuenda, vel comparanda, immodicus erit vir bonus, ſi modo hic quicquam poteſt eſſe immodicum; incredibili virtutis ſtudio, veri cognoſcendi ardore, amore immortalitatis flagrabit: corporis, quod prorſus negligere nec natura nec ſapientia permittit, eouſque habebit curam, eumque in finem illius quæret ſanitatem atque incolumitatem, ut menti parere & ad honeſtas actiones exercendas ſufficere poſſit, neque à meditatione ac commentatione rerum divinarum, à religione precum, cæteriſque pietatis officiis animum avocet. Quod ſi metuat ne forte luxuriet corpus, & violentia ſua animum tranſverſum abripiat, nebulas menti obfundat quo minus verum atque honeſtum poſſit videre, virtutis ſtudium impediat, ejus cupiditati frænum injiciet vir pius ac ſanctus, victum illi ſubducet, neque unquam permittet ut rationi dominetur; oggeret ei illud Senecæ, Major ſum, ad majora natus quam ut ſerviam corpori. Itaque mens corpore tanquam mancipio ſuo utetur, cui victum & cultum prudentes Domini eum tribuunt, ut laboribus quidem poſſit ſufficere, copia tamen non luxuriet, ne imperantis juſſa tandem ſpernat. Nam nec nimis laxe habendum eſt mancipium, ne efferatur & inſoleſcat, nec nimis duriter, ne concidat. Quod ſi etiam accidat ut cruciatibus objiciendum ſit corpus, ne honeſtum deſeratur, aut etiam mors oppetenda, ut mentis deſiderio, quæ inſatiabili honeſti ſtudio ac cupiditate tenetur, ſatiſfiat, & ejus incolumitati ac felicitati perenni conſulatur, omnia corporis tormenta, leviora putabit vir ſapiens & vere ſui amans, quam ut de honeſto vel latum quidem unguem diſcedat, & vitam potius ipſam quam virtutem deſeret. Hoc enim eſt ſeſe amare, amare id quod in ſe eſt præſtantiſſimum, hoc velle eſſe ſalvum, hujus deſiderio ſatiſfacere. Ubi de bonis externis agetur, minorem ſibi partem idem φίλαυτος eliget, majorem amicis, aliiſque quibus honeſtas ſuadet, relinquet, vitam denique pro amicis profundere non dubitabit. Verumtamen utut his in bonis levioribus plus concedat aliis, de bonis tamen majoribus, quæ ſola hoc nomine digna ſunt, plus ſibi ſemper ſumet, & licet corpus (ut Chriſti diſciplina jubet) vitamque ſuam odio habeat, animum tamen ſuum, ſeu mentem atque adeo ſeipſum, hac quidem in parte, plùs quam alios amabit. Quam in ſententiam præclare Ariſtoteles lib. 9. Ethic. cujus verba operæ pretium eſt cognoſcere, & ab homine gentili profecta eſſe mirari: Is (inquit) magis ſe ipſum amare videtur, qui ſemper id quod honeſtum eſt ſibi vendicat, atque inter omnes maxime ex virtute cupit vivere. Iſtiuſmodi enim vir ea quæ bonorum ſunt maxima atque pulcherrima ſibi ſumit, & præſtantiſſimæ ſui parti obſequitur, eique in omnibus obtemperat. Quemadmodum autem civitas, & omnis alia ſocietas, id maxime eſſe videtur, quod in ipſa eſt præſtantiſſimum, ita & homo. Quare is maxime eſt ſui amans, qui id quod in ſe præſtantiſſimum eſt amat eique gratificatur. Et poſtquam docuiſſet Ariſtoteles ejuſmodi φίλαυτον tantum differre ab eo qui vituperatur, quantum actio ex rationis præſcripto acta, ab ea quæ ex affectibus traducitur, quantum amor honeſti à cupiditate ejus, quod utilitatis ſpecie fallit, & virum bonum ſeipſum amare debere, ſubjungit: Eos itaque qui honeſtis actionibus præ cæteris incumbunt, omnes laudant. Si vero omnes inter ſe de honeſto certarent omneſque nervos intenderent, ut quam honeſtiſſima agerent; & publice omnibus neceſſaria, & privatim ſingulis ſuppeterent bonorum maxima. Hujuſmodi enim eſt virtus. Quocirca bonus vir debet eſſe ſui amans. Nam honeſta agendo ſibi & aliis proderit. Et paulo inferius ait: Virum bonum licet ſui amantem, nihilominus cauſa amicorum patriæque multa facere, mortem denique pro ipſis oppetere. Nam & pecunias (inquit) & honores ſpernet, eaque bona de quibus digladiari vulgo ſolent, dummodo id quod honeſtum eſt ſibi vindicet. Brevi enim tempore vehementer gaudere mavult, quam longo miſere, & vivere unum annum honeſte, quam multos ſine præclaris facinoribus; unum denique factum præclarum multis pravis anteponit. Hoc autem iis fortaſſe evenit, qui pro aliis mori non renuunt; ſibi enim inſigne aliquod facinus deligunt, etiam qui amicis pecuniam largientes, ſibi honeſtatem parant, minus præbent illis, ſibi majus ſumunt. Et hæc quidem naturæ lumine vidit Philoſophus. Quid nos cœleſti lumine colluſtrati, & immortalitatis ſpe donati, dicere vel potius facere debemus? Magna eſt vis honeſti, ingens ex eo manat voluptas, & vel ſola ad omnes corporis cruciatus, ſi firmiter inſederit, ſpernendos ſuffectura, adverſus omnem fortunæ impetum valida & immota. Nam vel unus dies, ut ait Cicero, ex virtutis præceptis actus, toti immortalitati eſt anteponendus; ſed ſi æternitas deſit, ſi deſideretur felicitatis perennitas, non expletur animi noſtri deſiderium, & ingeneratum noſtri conſervandi ſtudium atque amor. Nullum enim fingi poteſt tempus, quo homo & eſſe ſe, & felicem eſſe non exoptet, cum boni cupiditas ſit infinita. Quare ſi accidat ut dum honeſtati pares, & in ea parte mentis deſiderio, quod ad virtutem magno impetu fertur, obſequeris ac ſatisfacis, pereundum tibi ſit & vita deſerenda, fieri non poteſt quin animus magnus, & felicitatis ſuæ amans, ejuſque ſtudio anxius, cum dolore honeſto illo facinore defungatur. Videt enim ſe eo ipſo, dum virtutis præceptis paret, & morti ſe offert honeſtatis cauſa, quam tantopere amat, ejus in poſterum exercendæ anſam ſibi præcidere, & beatitatis ſuæ, quam in virtute & ex ea fluente animi voluptate collocabat, filum abrumpere; videt quantum boni relinquat, quid ſequatur & complectatur non videt. Unde Ariſtoteles virum fortem tanto majori cum dolore mortem etiam honeſtam arbitratur oppetiturum, quanto virtute præſtantior, quanto beatior fuerit, quia vita ſit omnium digniſſimus, maximiſque bonis ſeſe ſciens prudens privet; obiturum tamen mortem ſi ſit opus, quia honeſtum ſit oppetere, fugere turpe, aliaque his addit ſimilia.

Quapropter Deus Opt. Max. qui tam vehementem ſui amorem, tam ardens tum virtutis, tum æternitatis deſiderium mentibus noſtris inſevit, utrumque bonum in ſanctiſſima ac perfectiſſima Chriſti religione conjunxit, & individuo quodam nexu inter ſe colligavit, ita ut nec immortalitatem ſummamque felicitatem ſine virtute & ſanctitate perfecta, (quanta quidem in hominum imbecillitatem cadit) quiſquam poſſit adipiſci, nec virtutem perfectam colere qui immortalitatem non ſit adepturus. Ita ut jam nemo vel ob virtutem felicitatis atque æternitatis curam omittere aut abrumpere, vel ob vitæ ac beatitudinis retinendæ deſiderium virtutem deſerere cogatur. Diviniſſima ergo Chriſti religio amorem noſtri & mentis deſiderium ſatiat, imo etiam ſuperat. Quantumcunque enim in immortalitate cogites ac concipias boni, ſemper id quod ſupereſt infinitum eſt. Quicquid infra æternitatem eſt, ſuperare mens cogitatione & voto poteſt, ultra æternitatem curas votaque tranſmittere non poteſt, imo infinitis partibus cogitationum noſtrarum ac ſpei modum æternitas ſupergreditur. Quare qui Chriſtianam religionem amplectitur, etiam cum voluptate ac gaudio, ſi requirat devini numinis honor, ſi aliorum æterna felicitas, (cujus cauſa mortalitatem ſpernere lucrum eſt) mortis pericula adire poteſt, ipſique etiam morti inſultare; quia mors

hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hæc tranſitus quidam ad vitam eſt; vitam non abrumpit, ſed vere continuat. Quia enim mens & cogitatio terminum hujus vitæ cum immortalitatis initio connectit, nec quæ eveniunt ſentit, quicquid intercedit ſpatii pro nihilo eſt. Ut jure dici poſſit, mortis diem eſſe alterius vitæ natalem. Vide quam præſtans, quam divina, quam perfecta ſit Chriſti religio, quæ tum omnia pietatis officia præſcribit, tum ut omnia alacriter (id quod in virtute eſt maximum, & id quod omnem illius laudem complectitur) præſtes, efficit. Mortem pro aliis oppetere etiam Pagani judicarunt honeſtum, libenter oppetere (id quod honeſtiſſimum eſt) ſoli poſſunt Chriſtiani. Quid relinquant vix vident illi: quid ſequantur habent. Nullum ex amiſſis bonis animi dolorem, ex ſequuturis immenſum capiunt gaudium, ſi modo ſpem ſuam (id quod Chriſtianos decet) firmiter ſint complexi. O utinam talis tamque honeſtus ſui amor omnium hominum animis inſeri poſſet! quam bene cum humano genere ageretur? Ariſtoteles cum de ſui amore, quem ille noverat, agit, iſtam φιλαυτίαν quam viri boni ſequuntur, non tantum laude digniſſimam eſſe ait, quia is demum vere ſe amet, qui id quod honeſtiſſimum eſt, ſeſe inter mortales maxime cupiat agere; ſed etiam generi humano utiliſſimam. Quid enim virtute mortalium ſeculo eſt utilius? Quare, ſi omnes (inquit) certarent de honeſtate, ac ſi omnes vere amarent ſeipſos, & publice omnes & privatim ſinguli feliciſſime viverent, omnibuſque omnia abunde ſuppeterent bona. Hoc nonne multo magis de hac præclariſſima φιλαυτίᾳ, quam Chriſtiana religio poſtulat, affirmare poſſumus? Si enim certatim omnes ad virtutem, addo veram ac ſolidam ſapientiam, ſi omnes ad immortalitatem contenderent, tum ſibi ipſi quiſque æternitatem pararet, & alios ſecum non duceret, ſed raperet ad eandem. Quid vero id eſſet aliud, quam, ut alicubi ſcriptura loquitur, ex mortuis reſurrectio? quid aliud, quam univerſi mundi ſalus ac felicitas? Non hic foret metuendum, ne quis ſui amore ductus, immortalitatem invideret alteri: ſic enim ſibi ipſi eandem invideret, ſibi perniciem moliretur, quod ab hoc amore ſui abeſt longiſſime; neque verendum ne quiſpiam ob φιλαυτίαν de commodis alterius quicquam detraheret, honorem præripere ſtuderet, aut mortem pro ipſo (quanquam quis eſſet, qui vitæ alterius periculum ſtrueret, niſi forte non ex mortalium eſſet numero?) adire detrectaret; imo de eo omnes inter ſe certarent, uter pro altero animam ponere deberet, alter alterius commoda augeret, ſeipſum fraudaret, alterius emolumentis ſerviret, honore alterum præveniret. Hoc honeſtas ſuadet, hoc ad immortalitatem properantibus neceſſarium eſt, hoc agunt ii qui ſe mentemque ſuam amant.

Quare vos quoque, mei juvenes, honeſtam hanc amplectimini φιλαυτίαν, qua nil præclarius, nil honeſtius, nil ad felicitatem adipiſcendam aptius ac validius, nil Deo gratius, nil hominum generi utilius. Sapientiam ametis, eamque veram ac ſolidam, quæ divinarum rerum imprimis cognitione continetur. Virtutem ſectemini, immortalitatem quæratis, neglecto corpore animum ſalvum eſſe velitis. Iſtam vero φιλαυτίαν quæ nimia ſuifiducia ac opinione laborat, dotes ſuas circumſpicit & miratur, quæ pro bonis ſolidis & æternis fluxa eligit, non mentis ſed corporis obſequitur deſiderio, fugite, & nunc quidem fugite. Nulla capitalior adoleſcentiæ peſtis eſt, nulla major ad ſapientiam, nulla ad virtutem, nulla ad felicitatem validior remora. Ubi hoc malignum ſidus afflat imbecilliorem ætatem, omnem ſpem meſſis in herba extinguit. Multi, ait ille, ad ſapientiam perveniſſent, niſi ſe jam perveniſſe credidiſſent. Quis enim ad ſapientiæ faſtigium contendat, qui in ejus apice jam ſe putat collocatum? Quis porro amabit honeſtatem, quis immortalitatis ſtudio erit anxius, qui neglecto animo, ad corporis voluptates omnem curam retulerit? Quare de dotibus, ſi quæ vobis obtigerunt, modeſte ſentite, Deo à cujus bonitate omnia in vos profecta ſunt, animos veſtros ſubmittite, ad illius laudem omnia referte, corpore poſthabito menti conſulite, in veris animi bonis parandis nullum vobis modum ponite, nullam metam figite. Sic ad ſummam felicitatem regia virtutis via graſſabimini. Id ſi vobis perſuaſiſſe me ſenſero, hoc quoque in aliqua felicitatis meæ parte collocabo.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

TRACTATUS

De

SPIRITU SANCTO

qui fidelibus datur:

Authore

JOHANNE CRELLIO FRANCO.

IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

J. C. F.

TRACTATUS
De
SPIRITU SANCTO

Prolegomena,

De nomine Spiritus Sancti.

Duæ generales hujus operis partes.

DE *Spiritu Sancto* acturi, nonnihil de nomine, tum de re ipſa dicemus.

Et nomen quidem ex duabus eſt conflatum vocibus, quarum una de ea re, de qua hîc agere inſtituimus, uſurpata, metaphoricè ſumitur. Vox enim *Spiritus*, quemadmodum etiam ab aliis ante nos explicatum eſt, propriè ſignificat flatum quendam ab animalis ore emiſſum; atque inde ventum quemvis, non minus in Græca atque Hebræa lingua quàm in Latina. Nam πνεῦμα eſt à πνέω quod ſignificat ſpiro, à quo verbo Spiritus, Hebræum *ruah* à verbo *ravah* quod ſignificat reſpiravit. Et exempla quidem propriæ illius, quam diximus, ſignificationis, non ſunt in Sacris Literis infrequentia, præſertim in ſcriptis Vet. Fœderis, ſive Hebraicum textum, ſive Græcum, ejuſdemque interpretationes ſpectes. Hinc igitur propter ſimilitudinem tranſlata eſt hæc vox ad eam Dei virtutem quæ Spiritus Sanctus appellatur, aut etiam Spiritus Dei, vel Spiritus ſimpliciter. Quo pacto etiam Latini, id quod Sacræ Literæ Spiritum Dei appellant, divinum afflatum nominant, & eos homines, v. gr. Poëtas, qui ſpiritu quodam divino agitari videntur, Dei numine, vel Dei ſpiritu afflari dicunt. Eſſe autem ſimilitudinem non exiguam inter Spiritum propriè ſic dictum, & inter eum de quo nos agere inſtituimus, Chriſtus ipſe indicavit, de quo legimus apud Joannem cap. 20. ℣.22, quòd *afflaverit* ἐνεφύσησε ſuos diſcipulos, additis his verbis, *Accipite Spiritum Sanctum.* Quo afflatu voluit aliqua ratione adumbrare rem ipſam quam verbo expreſſit, nempe ipſum divinum afflatum quo aſpiraturus erat, & aliqua ratione etiam tum, ut nobis quidem credibile eſt, aſpiravit diſcipulos, quibus diviniſſimi illius doni, quod uberius poſtea in eos effuſurus erat, primitias quaſdam & veluti guſtum quemdam tum videtur dediſſe; qua de re non eſt fuſius nunc diſſerendi locus. Iſtud quidem videtur ſatis apertè indicaſſe Chriſtus, Spiritum Sanctum ejuſque à Deo, Chriſtoque emanationem ſive emiſſionem, afflatui ac ſpiraculo eſſe ſimilem. Nec alienum ab eo quod aſſerimus illud etiam eſt, quòd cum ingens Spiritus Sancti copia in Chriſti diſcipulos primum effunderetur, inſtar venti cujuſdam cum ſonitu irruerit, ut in Actis Apoſt. cap. 2 legimus. Similitudinis autem ratio in eo potiſſimum videtur conſiſtere, quod quemadmodum halitu ſeu aflatu aut vento facile quiſpiam affici, & qualitate aliqua inde manante imbui poteſt, eóque ſimul aliqua ratione commovetur & agitatur, ita etiam virtute divina homines afficiuntur, & qualitatibus quibuſdam à Deo proficiſcentibus imbuuntur, atque aliqua ratione commoventur & agitantur. Quo accedit quòd flatus ventuſque ſit res tenuiſſima ac ſubtiliſſima, eamque ob cauſam penetrabilis admodum, & ad ſeſe in intima quæque inſinuandum apta, ac ſimul etiam occulta, oculiſque non ſubjecta. Similiter etiam efficacia illa divina, occultâ quadam ratione imis hominum ſenſibus ſeſe inſinuat, & intima quæque penetrat. Quamquam non deſint qui eam quoque ſimilitudinis rationem conſtituant, quæ videtur apud illos eſſe potiſſima, nempe quòd Spiritus Sanctus ipſis videatur eſſe ſubſtantia quædam ſubtiliſſima, halitui oris humani analoga, ſeu ita ſimilis, ut quemadmodum ille à nobis emanat, ita Spiritus ille à Deo; & quemadmodum nos adhalare quippiam alteri poſſumus quod corpus ipſius afficiat, ita Deum Spiritu illo ſuo, quem ex ſeſe veluti emittat, afflare hominibus ea quæ animos ac mentes ipſorum afficiant. Quam ſententiam in medio nunc relinquimus, aliquid fortaſſe quod huc pertinere queat dicturi infra, quando de re ipſa diſſeremus.

Quod ad alteram vocem attinet, ex qua nomen iſtud conflatum eſt, & differentiam hujus Spiritus ab aliis Spiritibus indicat, ea ab effectu potiſſimum ei eſt indita; nempe quòd *Spiritus* ille qui *Sanctus* appellatur, ejuſmodi ſit Dei vis & efficacia, qua homines ſanctificantur, hoc eſt à profanis & vulgaribus ſegregati, excellenti aliqua ac divina quadam qualitate imbuuntur, & in divinos uſus conſecrantur. Diſtinguitur autem hoc pacto Spiritus ille, non tantum ab immundo impuroque Spiritu, hoc eſt ab ipſo Dæmone vel ejus afflatu aut efficacia, ut fit Mar. 3. ℣.29, 30. Cui loco poteſt addi alter, 1 Cor. 12. ℣. 3, licet non ita apertè ibi ſit oppoſitio diverſorum Spirituum, ut in priori: verum etiam ab alia quadam Dei virtute & efficacia, quæ ad tam præſtantem in homine effectum pariendum comparata non eſt, adeoque hominem ipſum non ſanctificat, ſed vel effectum in eo parit, cùm id factis ſuis fuerit meritus, ipſi noxium & perniciosum, qui *Spiritus Dei malus* in ſacris literis dicitur; vel bonum quidem atque utilem, ſed tamen non ita præſtantem, ut hominem propterea conſecret.

Et *Spiritus* quidem *Dei malus* commemoratur in hiſtoria Saulis, 1 Sam. 16. ℣. 15, & 23, & cap. 18. ℣. 10, & cap. 19. ℣. 9. Qui Spiritus nihil aliud videtur fuiſſe quàm vis quædam divina, quæ mentem Saulis turbavit, eumque in furorem quendam egit, ejuſque animum excruciavit. Quamquam non deſunt qui arbitrantur Spiritum hunc non virtutem quandam ab ipſo Deo manantem, ſeu divinum quendam aflatum fuiſſe, ſed dæmonem quendam aut dæmoniacum afflatum, qui nihilominus Dei vel à Deo aut à Domino fuiſſe dicatur, quòd Deo non modo permittente, verum etiam ob peccata Saulis ita volente ac curante, immiſſus ei fuerit. Quo pacto in hiſtoria Achabi legimus 2 Paralip. 18. 22, dixiſſe Micheam Prophetam, *Ecce Dominus dedit Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*; Cùm tamen ex ſuperioribus conſtet, Spiritum hunc unum ex malis Angelis fuiſſe. Quæ ſententia eò eſt probabilior, quòd Spiritus ille malus qui Saulem exagitavit, licèt à Domino eſſe dicatur, nihilominus tamen Spiritui Domini ſimpliciter opponatur eo loco, ubi primum commemoratur, nempe 1 Sam. 16. ℣. 14, 15. Nam ita ibi legimus; *Spiritus autem Domini receſſit à Saule, & exagitabat eum Spiritus nequam* ſeu malus *à Domino*; Ubi præter oppoſitionem illam, quam diximus, diverſus etiam loquendi modus, ſuadere cuipiam poſſit, ut credat non eodem modo, hunc & illum Spiritum appellari, nec

eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eodem pacto à Deo profectum eſſe. Nam etiam malus Angelus, ejuſve afflatus, Deo volente alicui immiſſus, Spiritus malus à Deo propriè dici poſſe videtur: Sed non æque propriè, vel ſaltem non æquè accommodatè ad communem loquendi conſuetudinem, Dei Spiritus, quemadmodum ipſe divinus afflatus appellatur. Quapropter ſuſpicari licet, voluiſſe Sacram Scripturam eo in loco hunc Spiritum malum à Deo profectum, ab ipſo divino afflatu, ſeu ab ea vi, quæ ab ipſâ Dei perſona proficiſcatur, & ab ea veluti emanet, diſtinguere.

Sed quicquid de hoc ſit, illud ſatis apertum eſt malo Dei Spiritui opponi in S. Literis *bonum Dei Spiritum*, ut videre eſt Pſal. 143. ℣. 10. Nehem. Cap. 9. ℣. 20. Is verò eſt qui bonum atque utilem, iis quibus contingit, parit effectum. Cùm verò effectus illi boni varii eſſe queant, & præſtantia ac dignitate longè à ſe diſtantes, inde fit quòd non quivis afflatus, ſeu Spiritus Dei bonus, Sancti nomen expreſſe in Sacris Literis ſortiatur; licèt eo nomine appellari cæteroquin non immerito queat, habita præſertim ratione originis unde manet, nempe ipſius Dei, qui ut ipſe ſanctus eſt, ita quicquid ab eo revera manat, ac proficiſcitur, ſanctum eſſe neceſſe eſt. Bonus Dei Spiritus fuit, quo Deus aliquando replevit Bezeleel filium Uriel, cui virtute ſua inſpiraverat atque indiderat ſcientiam eorum omnium fabricandorum, quæ ad tabernaculum ipſius pertinerent, quemadmodum legimus Exod. 31. 3. & 35. 31. Cum quibus locis conferendus eſt ille qui extat eodem libro Cap. 28. 3. ubi dicitur Deus repleviſſe & hunc & alios Spiritu prudentiæ ſeu ſapientiæ, ut facerent veſtes Aaroni.

Verùm licet effectus hic fuerit inſignis & admirabilis, ac ſupra naturæ curſum ac ordinem; nihilominus tamen afflatus quo nonnulli ſingulari quadam fortitudine ac animi robore fuerunt inſtructi, vel aliis quibuſdam animi dotibus ac facultatibus ad ea gerenda neceſſariis, ad quæ divinitus erant vocati; (quemadmodum legimus de Othoniele, Jud. 3. 10. de Gedeone, ejuſdem libri cap. 6. 4. de Jephtha cap. XI. 29. de Samſone, Cap. 13. 25. & Cap. 14. 6. 19. quibus locis ſatis apparet quæ fuerit vis illius Spiritus; Et denique de illo Spiritu quo Saul & David, cùm ungerentur, fuerunt donati, qui illis animum quendam regium, hoc eſt, fortem & magnum, ac prudentiam inſpiravit tanto muneri convenientem.) Hic inquam, Spiritus Domini, aut Dei Spiritus quidem appellatur, ſed Spiritus Sanctus nuſpiam. Nam ſi quis objiciat Davidem cùm Propheta fuerit, Spiritu ſancto præditum etiam fuiſſe, & in Sacris Literis id de ipſo perhiberi; animadvertendum eſt, alium fuiſſe hunc Propheticum ſeu Prophetiæ Spiritum, alium verò regium illum qui Sauli quoque antea contigerat, in eoque perſtitit eò uſque donec illo rejecto, David eſſet unctus. In eoque Spiritu, nempe Prophetico, Samuëlis quodammodo ſucceſſor & hæres fuit David, non Saulis. Quod ſi quis urgeat, uno eodemque afflatu & hoc & illo Spiritu præditum fuiſſe Davidem, imò eundem reipſa fuiſſe Spiritum, effectu tantùm diverſo; is nihilominus, credo, fatebitur, effectus illos ita diſtingui poſſe, ut unus abſque altero conſiſtere potuerit; cumque alter altero longè eſſet ſublimior, non propter humiliorem, ſed propter ſublimiorem effectum, Spiritum vocatum eſſe Sanctum; cùm de Davide ut Propheta legamus eum per Spiritum S. fuiſſe locutum, aut Spiritum S. per ipſum, vel per os ipſius; de aliis verò ejuſdem actionibus, quæ ipſi cum aliis populi Iſraëlitici judicibus atque regibus Dei Spiritu præditis communes fuerunt, non item, negamus eas à Spiritu ſancto profectas; quemadmodum nec illi ipſi qui ſpiritu præditi fuerunt, Spiritum ſanctum habuiſſe dicuntur.

Animadvertendum autem eſt, etſi Spiritus hic de quo agimus, ad differentiam aliorum adflatuum divinorum ſæpe expreſſe dicatur Sanctus, non ſemper tamen id fieri, ſed interdum vel ſimplici ſpiritus nomine appellari, vel Spiritus Dei aut Chriſti, vel adjuncta effectus voce quem in homine producat, ab aliis divinis afflatibus diſtingui. Et *Spiritus* quidem ſimplici nomine ſat crebrò in S. L. appellatur; ſed inprimis iis in locis in quibus jam ante Spiritus S. aut Spiritus Dei mentio facta eſt. Quod in ſac. lit. novi fœderis ſolet indicari articulo nomini Spiritus præpoſito, qui tum eſt ἀναφορικὸς. Vide inter alia Matth. 4. 1. & 12. 31. cum quo confer locum Mar. 3. 29. Et cap. 22. 43. cum quo confer locum Mar. 12. 36. quamquam in loco Matthæi articulus non eſt additus, cùm ibi nulla ſit ad ſuperiora relatio. His adde Mar. 1. 10. 12. Luc. 2. 27. quem confer cum verſiculo præcedente. Joan. 1. 32. 33. ubi tamen articulus voci πνεύματι adjunctus, eſt διαφορικὸς ſeu διακριτικὸς non ἀναφορικὸς. Sed nihil eſt opus plura congerere, quæ ſacras Literas evolventi ſponte ſua non ſemel occurrent.

Spiritus autem *Dei* crebrò admodum appellatur, quanquam non ſemper ipſum nomen Dei apponitur, ſed aliud, quod eandem tamen perſonam deſignat. Vide Matth. 3. 16. & 10. 20. ubi eſt, Spiritus Patris veſtri. Et Cap. 12. 18. & Luc. 4. 18. ubi eſt, Spiritus Domini ſeu Jehovæ; nam ex Eſaia locus citatur. Act. 2. 17. 18. & 5. 9. Rom. 15. 19. 1 Cor. 3. 16. & alibi.

Spiritus autem *Chriſti* imprimis appellatur Gal. 4: 6. Ubi mentio fit Spiritus Filii Dei. & 1. Pet. 1. 11. Quanquam diverſa eſt ejus appellationis ratio in utroque loco, ut mox videbimus. Antequam enim id explicemus cæterarum appellationum breviter reddenda eſt ratio. *Spiritus* ergo interdum ſimpliciter dicitur, nomine generis ad ſpeciem tranſlato, propter ſpeciei iſtius excellentiam. Itaque tunc nomen Spiritus κατ' ἐξοχὴν, ut loquuntur, accipitur. Qui idem tropus etiam tunc locum habere poteſt, cùm Spiritus Dei nomine Spiritus Sanctus intelligitur: Sed tum demum id fieri intelligendum eſt, cùm hac appellatione Spiritum ſanctum, hoc eſt certam hanc Spiritus Dei ſpeciem intelligi volumus, non contenti Spiritum Dei ſimpliciter, ut à nobis dicitur, ita eum intelligi. Hoc enim ſi fiat, nullus erit tropus. Cur autem ſpiritus Dei appelletur, unuſquiſque per ſe facilè intelligit. Ideò enim hoc pacto appellatur, quia à Deo tanquam à primo fonte manat, atque ab eo ut S. L. loquuntur, egreditur. Chriſti autem, vel (quod idem eſt) filii Dei Spiritus diverſam ob cauſam, quod paulò ante indicavimus, appellatur. Nam in loco ad Galat. 4: 6. ideò potiſſimum hoc pacto appellatur, quod primò ipſi Dei filio, tanquam primogenito inter multos fratres, fuerit donatus; ut ita conſtet Deum eos quos ſimili Spiritu donaverit, ſimiliter ſuos eſſe filios (quanquam Chriſto, qui Spiritu eo abſque menſura donatus eſt, longè inferiores) teſtari. Diximus autem hanc potiſſimum ob cauſam eò loci Spiritum illum, Chriſti Spiritum dici, quia alia adhuc addi poteſt; nempe quia ab ipſo quoque Chriſto in homines fuerit effuſus, ſeu per ipſum à Deo. Nam ut ipſe apud Joannem profitetur, miſit eum Spiritum S. à Patre diſcipulis ſuis; vel, ut Petrus in Actis loquitur, cap. 2: 33. dextera Dei exaltatus, accepta promiſſione Spiritus ſancti à Patre, effudit illud quod tum videbatur & audiebatur. Et hanc quidem ob cauſam non minus quàm ob ſuperiorem appellari videtur Spiritus Chriſti, Roman. 8: ℣. 9. Quamquam ibi vox Spiritus paulò aliter quàm in loco ad Galatas videtur poſſe accipi: qua de re alibi nobis dicendum erit.

Verùm in loco & 1 Pet. 1: 11. ſuperius à nobis allegato, Spiritus ille qui in Prophetis olim fuit, quique ſanctus & fuit, & in S. L. appellatur, & quidem ab ipſo Petro, 2 Epiſt. 1. ℣. ultimo, Chriſti Spiritus ideò appellatur, quia præcipuè, atque adeo totus quodammodo ad Chriſtum ſpectaret, eaque promeret myſteria, quæ ad ipſum pertinerent, & ſic ipſi & doctrinæ ipſius viam ſterneret. Quod propemodum ipſe Petrus explicat, cùm ſubjungit; *Antea teſtans eas quæ in Chriſtum venturæ eſſent paſſiones, & quæ has ſequuturæ eſſent glorias.*

Simili quadam ratione Joannes dicit, 1. Epiſt. 4: 3. Spiritum illum qui non confiteatur Jeſum eſſe

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſtum, qui in carne venit, eſſe illum Antichriſti, ſcil. Spiritum, quem Spiritum audiverint quod veniat, & jam tunc ſit in mundo. Nam poſteriora hæc verba de Spiritu omnino loqui, Græca verba ſatis indicant, non vero de ipſo Antichriſto; cum articulus quo utitur Joannes, neutrius ſit generis, quemadmodum & vox πνεῦμα, Antichriſti autem maſculini. Jam vero cum ibi Apoſtolus de uno quodam inſigni Antichriſto loquatur, apparet illum loqui de magno Antichriſto, qui Joannis tempore nondum extiterat: & tamen iſtis verbis aſſerit Spiritum Antichriſti jam eſſe in mundo; nempe quia falſi quidam Prophetæ ſimili quodam afflatu jam tum ducebantur ei, qui in Antichriſto appariturus eſſet, & ei viam quodammodo doctrina ſua peſtifera videbantur ſternere, & cum eo egregiè conſpirare.

Ideò autem aſſeruimus Spiritum illum Propheticum, quo Prophetæ aliquando fuerunt donati ante Chriſtum, totum quodammodo ad Chriſtum ſpectaſſe; quia etſi multa in eis extant quæ ad legem Moſis pertinent, & multa etiam vaticinia quæ ante Chriſtum impleri debuerunt; tamen quod ad vaticinia præſertim pertinet, in iis longè magis divinus ille Spiritus qui ea dictabat, ad Chriſtum reſpexit, quàm ad illa quæ ante Chriſtum fieri deberent; cùm longè præſtantior, longeque divinior ſit myſticus verborum Propheticorum ſenſus, qui ad Chriſtum ſpectat, quàm literalis qui ad legis tempora; adeò quidem ut in ſacris literis novi fœderis verba quædam Prophetica eò pertinere negentur, quæ ſi literalem ſenſum reſpicias revera pertinent; propterea quòd præcipuus tunc verborum Propheticorum ſenſus, & eorum ut ita dicam nucleus, non cortex quæritur, & à divinis viris attenditur. Idque fit ab ipſo etiam Petro, Act. 2. 25, &c. ubi verba Davidis Pſal. 16 ſcripta, quæ primo ſenſu ad ipſum etiam Davidem pertinent, non de Davide ſed de Chriſto intelligenda eſſe aſſerit. Quod idem intelligi poteſt de illis quæ dicuntur paulò pòſt, ℣. 33, &c. uſque ad ℣. 38. Qua de re ſi quis plura cupiat videre poteſt lib. de Servatore, parte 2. cap. 10. Non refutamus autem hoc loco eorum ſententiam, qui ideò Spiritum Prophetis ſub Veteri fœdere datum, Chriſti Spiritum vocari contendunt, quia ab ipſo Chriſto fuerit datus. Id enim nulla eget refutatione apud eos, qui Chriſtum cùm nondum extitiſſet, & ne tunc quidem poſtquam extitit, ſtatim poteſtatem Spiritus S. hominibus dandi habuiſſe, ſed poſt aſcenſionem demum in cœlis accepiſſe ex ſacris literis didicerunt.

De Spiritu Revelationis & Confirmationis.

Antequam à voce ad rem ipſam penitus tranſeamus, videndum nobis adhuc eſt, annon ambiguitas aliqua huic voci ſubſit; ut ita porrò eam ſignificationem eligamus quæ ad noſtrum inſtitutum propriè pertineat. Ac primò quidem aliorum ea de re ſententiam examinabimus, qua diſcuſſa facilius nobis erit ſtatuere, quid de ea re nobis ſit faciendum. Recepta eſt inter complures diſtinctio Spiritus ſancti, in *Spiritum Revelationis & Confirmationis.* Spiritum autem revelationis dicunt eſſe Euangelium: Spiritum confirmationis illud ajunt eſſe donum, de quo nos acturi ſumus, quod poſt acceptam ex animo veritatem hominibus vel olim fuit datum, vel hodie etiam datur; quanquam id Spiritus S. donum quod perpetuum eſt, dari non ſoleat niſi verè piis, ſeu hominibus qui præceptis Chriſti reipſa obtemperent. In qua ſententia modò explicata meritò aliquid deſideres. Nam primò membra iſtius diſtinctionis non videntur eſſe oppoſita, nec rectè à ſe mutuo diſtincta, propterea quod confirmationis quoque Spiritus, præſertim qui olim Apoſtolis, cæteriſque divinis viris fuerit datus, vel maximè fuerit Spiritus revelationis, & in eo præcipuà ejus vis conſtiterit, quemadmodum res ipſa oſtendit, & inter alia ea quæ dicuntur ab ipſo Chriſto in eo ſermone quem paulò ante mortem ad diſcipulos habuit, Joan. 14. & duobus ſeqq. Capitibus. Ubi inter alia vide Cap. 14. 26. & 16. 13, &c. Et ea quæ leguntur 1 Cor. 12. 8, 10. & Cap. 14. ferè toto. Confer cum Epheſ. 1. 17. ubi expreſſa fit mentio Spiritus ſapientiæ & revelationis: & de alio Spiritu quàm de Euangelio ſermo eſt, quem ut fidelibus largiatur Deus, Apoſtolus orat. Ut facile appareat non ſatis rectè Euangelium ab altero Spiritu Dei diſtingui, quod Euangelium ſit Spiritus Revelationis, ille verò alter Spiritus confirmationis; cùm videamus Spiritum ab Euangelio diſtinctum Spiritum revelationis dici, de Euangelio autem id nuſpiam legatur. Quod ſi quis ita iſtam diſtinctionem accipiendam eſſe dicat, ut intelligatur Euangelium eſſe Spiritum ejuſmodi qui revelet tantùm, illum autem alterum non revelare tantum, ſed confirmare etiam, tolerabilior quidem aliquantò fuerit iſta diſtinctio, ſed non uſquequaque tamen vera & accurata; non modò quòd id non facile ab unoquoque percipitur, cùm aliud verba præ ſe ferant; ſed etiam quia Euangelium quoque aliqua ratione confirmat, & rationes & argumenta ſuorum dictorum, ſi non ſigillatim omnium, ſaltem eorum affert quibus univerſa religio innititur, & unde cætera aliquo modo pendent. Ut taceam multarum particularium ſententiarum rationes in ipſo contineri; & hæc ipſa revelationis quædam pars eſt. Quare ſi ullo modo ſuſtineri hæc diſtinctio debet, intelligendum ideò peculiariter Spiritum Revelationis dici, quia per id primò atque ordinariè hominibus divina voluntas revelatur; Spiritum autem illum alterum, ideo confirmationis dici potius quàm revelationis, quia non primò hominibus, præſertim generatim, divinam voluntatem revelet, ſed jam aliqua ratione revelatam in ipſorum animis ſtabiliat, etiamſi longè exactiorem ejus cognitionem, præſertim in iis qui aliis docendis à Deo ſunt præfecti, efficiat.

An Spiritus S. aliquando in S. Literis Euangelium ſignificet.

Sed deinde illud expendendum eſt, quod in hac diſtinctione tacitè pro conceſſo ſumitur, & ab iis qui eam tradidere aſſeritur, nempe Spiritum S. in Sacris Literis nonnunquam ipſum Euangelium ſeu doctrinam Euangelii, animis præſertim hominum conceptam, ſignificare. Nos quamvis haud negemus, Euangelium, aut etiam vim quandam ab eo manantem, qua hominum animi afficiantur, & veluti afflentur, Spiritum, aut etiam Spiritum Dei vel Chriſti dici, quemadmodum alibi à nobis explicabitur; quamvis etiam non negemus, cum Euangelium ſanctum ſit, & Spiritus appelletur, illud conjunctim etiam Spiritum ſanctum appellari poſſe; non tamen arbitramur id ex Sacrarum literarum uſu fieri, cùm nullum hactenus videamus locum quo ea ſignificatio ſtabiliatur. Quòd ſi quis dicat, cùm nos concedamus Euangelium ita appellari poſſe, parum referre utrum in S. L. ita appelletur; id à nobis admitti poſſet, ſi hæc ſignificatio ad quædam S. literarum loca, in quibus vel expreſſa Spiritus S. fit mentio, vel de eo omnino eſt ſermo, non traheretur. Unde fit ut noſtrâ quidem ſententiâ, eorum locorum ſenſus non rectè percipiatur, & in alienam trahatur ſententiam; unde poſtea, ut error fœcundus eſt, alii quidam errores, quamvis leviores, homini tamen Theologo diligenter vitandi, facile ſubnaſci poſſent. Et præterea quando cum adverſariis res eſt, facile fieri poteſt, ut cum videant vim fieri alicubi Sacris Literis, veriſſimam alioqui ſententiam quam de Spiritu Sancto defendimus, ſuſpectam reddamus, & occaſionem illis præbeamus dicta noſtra apud alios traducendi. Quare in id quod aſſeritur, nobis eſt hoc loco inquirendum.

Expenduntur Scripturæ loca in quibus id aſſeri putatur.

Solent autem duo præcipuè Scripturę loca, in quibus expreſſè Spiritus S. fit mentio, ad iſtam ſignificationem, quam nos non agnoſcimus, comprobandam afferri; quorum prior extat Rom. 5: ℣. 5. alter verò, 1 Cor. 12: ℣. 3. Quibus addi poteſt tertius, qui ad illud idem confirmandum ferè ſolet afferri, qui extat in eadem Epiſtola, Cap. 2: ℣. 10. Ubi non eſt quidem vox Sancti nomini Spiritus addita, ſed tantum Spiritus Dei commemoratur, aut Spiritus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ex Deo, ut ỷ. 12. Sed nihilominus de Spiritu ſancto loqui videtur Apoſtolus.

Primus locus Rom 5. 5, ità habet, *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Sed cur hîc Euangelium Spiritus ſancti nomine ſit intelligendum, cauſam videmus nullam. Neque enim vel hæc ipſa quæ citavimus verba, vel ipſe loci ſcopus hoc poſtulat. An non enim de Spiritu confirmationis, (quem ipſi ita appellant) & jure quidem id intelligi poteſt, & multò quidem magis quàm de Euangelio? quandoquidem Spiritus ille non uno loco dicitur *arrhabo*, nempe, ut alicubi additur, hæreditatis noſtræ, eoque dicimur obſignari in diem redemptionis noſtræ. Vide 2 Cor. 1: 21. & 5: 5. Epheſ. 1: 14. & 4: 30. An non enim Spiritu illo effuſo in corda hominum, & ſic arrhâ cœleſtis illius hæreditatis illis datâ, & ſigillo quodam illis impreſſo, quo ad futuram redemptionem obſignentur, ſenſus charitatis divinæ in ipſorum animis effunditur, ita ut eam guſtare propemodum ſibi videantur? Certè hic eſt ille Spiritus filii Dei, quem ut appareret nos etiam eſſe ipſius, nempe Dei filios, miſit in corda noſtra, qui clamet, hoc eſt faciat ut nos clamemus, nempe ad ipſum Deum, Abba, Pater; quemadmodum idem Paulus ait Galat. 4: 6. Qui autem Spiritus teſtatur noſtro Spiritui nos eſſe Dei filios, & ſic facit ut animo, ut ita dicam, filiali, ad Deum tanquam Patrem clamemus, nonne ſimul diffundit in animis ſeu cordibus noſtris, divinam erga nos charitatem, hoc eſt, ut antea diximus, illius ſenſum? Certè maximè. Et ſane hoc Spiritus illius teſtimonium, ad id quod intendebat Apoſtolus, eſt accommodatiſſimum. Oſtendere enim volebat ſpem, quam nimirum concipiamus ex noſtri ipſorum exploratione, quæ per afflictiones fiat, non pudefacere. Sic enim nos non fruſtrari, ſeu mavis, fruſtratum iri, ſed omnino hoc obtenturos, quod à Deo ſperamus; idque propterea quòd nos Deus tantopere amet; quem amorem veluti in animis noſtris diffuſum, eo ipſo quòd Spiritus ſanctus in eoſdem effuſus fuerit, ſentiamus. Certè non Euangelii, quod ipſemet Paulus tunc explicabat, teſtimonium hîc erat afferendum, ſed aliud præter Euangelium. Nullum autem accommodatius teſtimonio eo, quod de futura noſtra hæreditate, quam à Deo ſperamus, nos maximè certos reddit, ejuſque eſt arrha, & certum quoddam paterni planè erga nos Dei amoris pignus. Adde quod ipſa vox *effundendi*, licèt non ad ipſum Spiritum ſanctum, ſed ad Dei chariratem hoc loco expreſſe referatur, non obſcurè tamen indicet, eum ipſum Spiritum, per quem ea ſit effuſa, in noſtris cordibus effuſum eſſe; immò propterea effuſam dici in cordibus noſtris, quia hic ſit in iis effuſus. Jam verò de Spiritu potius confirmationis, ſeu afflatu quodam divino, dici ſolet in S. L. eum effundi, quàm de Euangelio, de quo id nuſpiam legitur. At de Spiritu ſancto expreſſe habes inter alia Act. 2. in verbis Joëlis à Petro citatis ỷ. 17, 18. & in ipſius Petri verbis ỷ. 33. Ne de voce *dandi* hîc quicquam dicamus, quæ non de doctrina alicui inſtillata, ſed de alio aliquo doni genere, ſermonem eſſe indicat. Et debuiſſet ſanè aliunde potius ſignificatio hæc Spiritus ſancti confirmari, quàm ut ea pro conceſſo ſumpta, ad hunc locum accommodaretur.

Sed dices ſequentia arguere non de illo confirmationis Spiritu, ſed de Euangelio potius ſermonem eſſe; quandoquidem Paulus dictum ſuum vel declaraturus vel confirmaturus, ſubjungat, *Adhuc enim Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt.* Quæ ratio non eſt accommodata ad docendum, quo modo charitas Dei per Spiritum illum confirmationis, fuerit in cordibus hominum effuſa, ſed potius ad oſtendendum, quo modo per Euangelium, quod mortis Chriſti vim nobis explicet, & ex ea ſummum Dei erga nos amorem demonſtret, id fuerit effectum. Sed in hac ratiocinatione pro conceſſo ſumitur, Paulum integram quæ præceſſerat enunciationem vel declarare vel confirmare in ỷ. 6 velle, hoc eſt oſtendere quo modo charitas Dei per Spiritum ſanctum fuerit in cordibus noſtris diffuſa; cum potiùs res ipſa moneat, eum tantum principalem iſtius enunciationis partem, qua ratiocinatio ipſius revera nititur, declarare voluiſſe, hoc eſt Dei erga nos charitatem, eamque ſummam. Neque enim in ſequentibus ullam Euangelii, per quod ea charitas in animis noſtris diffuſa ſit, facit mentionem; ſed ſimpliciter oſtendit Deum inſigniter nos amaſſe, eoque apertiſſima ratione, ex morte Chriſti petita, confirmato, inde porrò oſtendit noſtram ſalutem in tuto eſſe, eamque nos aliquando certiſſime conſecuturos; id quod illi demonſtrandum erat, quemadmodum ſuprà vidimus.

Inſtabis iterum; ſi hæc de Spiritu Sancto ſententia noſtra hoc loco admittatur, non ſatis rectè facturum fuiſſe Apoſtolum, qui poſt Spiritus ſancti de divino erga nos amore teſtimonium, quòd in animis noſtris ſentiamus, quodque eſſe videtur longè efficaciſſimum, attulerit externum, ut ita dicam, ejuſdem charitatis documentum, ex morte Domini noſtri petitum, quod minus videatur eſſe efficax: Vel ſi nihilominus duobus his argumentis Dei erga nos charitatem demonſtrare voluerit, aliter eum loqui debuiſſe, nempe ut oſtenderet, aliud ſe charitatis iſtius teſtimonium indiciumque proferre; dicendum enim illi fuiſſet, *præterea* vel *amplius*, aut quid ſimile, non verò *enim*; quæ particula tunc poni ſolet, ubi nondum præceſſit ratio ejus quod proximè fuerat dictum, & ad quod comprobandum primò affertur. Reſpondemus Apoſtolum non duas rationes à ſe penitus diſtinctas, quibus ingens Dei erga nos charitas comprobetur, afferre voluiſſe; ſed tantùm duas res commemorare, quæ ſimul veluti junctæ iſtam erga nos charitatem apertiſſimè demonſtrarent; licèt interim ſatis apertè indicet, majorem per ſe vim ad magnitudinem divinæ erga homines charitatis probandam ineſſe in poſteriore, hoc eſt, in morte Chriſti, quàm in priore, hoc eſt, in Spiritus ſancti dono. Hinc enim factum eſt, ut charitatem illam Dei declaraturus, certoque argumento comprobaturus, ita eam ex morte Chriſti colligat, ac ſi nullum ejuſdem peculiare argumentum ex Spiritus ſancti dono, cujus mentionem jam fecerat, petiiſſet. Quod ut rectius intelligatur, animadvertendum eſt quomodo Spiritus ſanctus & Chriſti mors, in oſtendenda Dei erga nos charitate, inter ſe differant, quidvè etiam utrumvis habeat ea in re præcipuum ac magis proprium. Id verò eſt quod mors Chriſti magis oſtendit magnitudinem divini amoris erga eos, quorum cauſa Chriſtum mori voluit: Spiritus ſanctus autem magis oſtendit, ad quid tantus Dei amor pertineat, ſeu quinam illi ſint quorum cauſa Chriſtum mori voluerit, & quorum ſaluti hac ratione conſuluerit, quod poſterius non ita præſtat mors Chriſti, cùm niſi acceſſiſſet quid aliud, ex ea conſtare non poſſet, quorumnam cauſa ea eſſet ſuſcepta; aut ſi de Judaïcæ gentis hominibus id aliqua ratione conſtare potuiſſet, de gentibus extraneis id difficulter admodum potuiſſet colligi. Contrà autem prius illud Spiritui ſancto, generatim loquendo, minus tribui poſſe quàm morti Chriſti, ex iis conſtare poterit, quæ de effectis illius ſuo loco, Deo dante, differemus. Interim id vel inde animadvertere quivis poteſt, quòd non modò hoc, verum etiam aliis Novi fœderis locis, in quibus ſummus Dei erga homines amor demonſtratur, mortis Chriſti potiſſimùm, nonnunquam etiam ſolius, fit mentio. Vide Joan. 3: ỷ. 16. Rom. 8: 32. 1 Joan. 4: 9, 10. Quod confer cum loco cap. 3: 16. Quare cùm Apoſtolus demonſtrare vellet tantum Dei erga nos eſſe amorem, ut fieri nequeat, quin ſi tales ſimus quales eſſe debemus, ſalutem nobis æternam ſit daturus, rectè mortem Chriſti in ejus rei argumentum adduxit, ut ex ea una videatur rem tantam colligere. Verumtamen, ne quis eorum de quibus loquitur dubitare poſſet, ad ſe quoque tantum Dei amorem pertinere, cùm id ex ſola Chriſti morte non ita apertè conſtare poſſet; ideò antequam ad eam

eam progrederetur, & ſic amoris divini magnitudinem comprobaret, Spiritus ſancti qui in animis noſtris amoris illius ſenſum diffundat, & ſic nos ad illam, quanta quanta illa ſit, charitatem pertinere doceat, mentionem facere voluit. Unde liquet non fuiſſe neceſſe, ut Apoſtolus ita loqueretur, ac ſi duas planè diverſas ejuſdem prorſus rei rationes afferret, interque ſe connecteret.

Tranſeundum nobis nunc eſt ad alium locum, in quo Spiritus ſanctus pro Euangelio accipi videtur, nempe ad verba Pauli, 1 Cor. 12. 3, ubi dicit Apoſtolus, *Nemo poteſt dicere Dominum eſſe Jeſum, niſi in Spiritu Sancto.* Neque enim quidpiam aliud hîc cogitari poſſe videtur, quod Spiritus ſancti nomine intelligatur, quam Euangelium. Nam ſi dicas ibi intelligi Spiritum confirmationis, ſive illum qui miraculoſus dicitur atque viſibilis, ſive illum qui inviſibilis; de neutro locum hunc accipi poſſe reſpondebitur, proptera quòd non omnis qui dicit Jeſum eſſe Dominum, & quidem ex animo, protinus eum Spiritum habeat: quandoquidem qui Chriſti nomen ex animo profitentur, eum ex animo Dominum vocant, nec tamen omnes Spiritu illo confirmationis ſunt præditi. De miraculoſo ſatis conſtat. De illo qui à miraculoſo diſtinguitur & inviſibilis dicitur, inde probatur, quia hic non omnibus datur qui Chriſti nomen, ſincero licèt corde & animo, profitentur, & ſic eum Dominum vocant; ſed illis demum qui eidem etiam ex animo obtemperant, idque ut non pauci ſentiunt, non quovis tempore, ſed tum vel ſolum, vel præcipuè atque ordinariè, cùm ſingulari illis auxilio ad fidei & pietatis conſtantiam opus eſt. Quare cùm Paulus aſſerat neminem poſſe vocare Jeſum Dominum niſi in Spiritu ſancto, non hujuſmodi Spiritus erit intelligendus; ſed ille cujus omnes qui Chriſti nomen verè & ex animo profitentur ſunt participes. Is verò nullus poſſit eſſe alius præter Euangelium, quod ut ſupra faſſi ſumus, Spiritus in Sacris Literis appellatur; præſertim cùm manifeſtè cernamus omnes Chriſtianos, vi Euangelii, quod mentes ipſorum inſederit, impulſos Chriſtum appellare Dominum, idque pro Symbolo ac teſſera ſua habere: illos verò qui Euangelicam doctrinam non receperint, id ipſum minimè profiteri, nec profiteri ex animo ulla ratione poſſe. Quare ſi per Spiritum S. Euangelium intelligatur, rectè dici poterit, neminem Jeſum poſſe dicere Dominum, nempe ex animo, niſi in Spiritu ſancto, ſeu per Spiritum ſanctum. Nos verò nihilominus haudquaquam arbitramur, nomine Spiritus ſancti Euangelium hoc loco intelligi debere; quod facilè apparebit, ubi ratiocinationem hanc, qua contrarium ſententiæ noſtræ probatur, diſſolverimus. Etſi verò in ea plura pro conceſſis ſumantur, quæ nos non uſquequaque probamus, nos tamen non omnia hoc loco examinabimus, ſed quibuſdam in ſuum locum rejectis, ipſum tantùm nervum hujus argumentationis incidemus. Is verò eſt, quòd latius verba Apoſtoli extenduntur, quàm materia ſubjecta & circumſtantiæ loci ferunt; dum ita accipiuntur ac ſi Apoſtolus dicere vellet, neminem ullo pacto poſſe ſincerè atque ex animo Jeſum appellare Dominum, niſi Spiritu ſancto ſit præditus; cùm Paulus non niſi de iis revera loquatur, qui afflatu aliquo ducti, & impulſu ſupernaturali incitati id pronuncient. Paulus enim, ut prima hujus capitis verba docent, de Spiritualibus, hoc eſt Spiritus ſancti, qui eo tempore dabatur, donis, diſſerere inſtituit; & cùm Corinthiis priſtinum ipſorum ſtatum fœdamque idololatriam in memoriam revocaſſet, unde æſtimare poſſent ex mera Dei benignitate tam præſtantia ſibi dona contigiſſe, veluti regulam quandam illis proponit primum, qua diſtinguere verum à falſo, ſeu Dei Spiritum à Spiritu Diabolico, qui divinitatis nomen ſæpe mentiretur, poſſent. Cujus modi regulam Joannes quoque tradit, 1 Epiſt. cap. 4 initio, ubi cùm dixiſſet, *Dilecti non omni Spiritui credite*, hoc eſt non omni illi qui afflatu quoquam loquitur, *ſed probate Spiritus num ex Deo ſint, quandoquidem multi falſi Prophetæ exierunt in mundum*, ſtatim ſubjungit; *In hoc agnoſcite Spiritum Dei; Omnis Spiritus qui confitetur Jeſum eſſe Chriſtum, qui in carne venit, ex Deo eſt; & omnis Spiritus qui non confitetur Jeſum eſſe Chriſtum, qui in carne venit, ex Deo non eſt.* Idem autem revera eſt Jeſum appellare Dominum, & Jeſum confiteri Chriſtum. Quare idem paulò aliis verbis dixit Paulus quod Joannes, & ſimilem quandam inſtituit oppoſitionem, ex qua facile perſpici poteſt, non de iis hominibus Paulum loqui, qui ſimpliciter animi ſui ſenſa proferunt, ſed qui afflatu quodam præter naturæ curſum aguntur. Ita enim inquit; *Nemo in Spiritu Dei loquens*, hoc eſt, Nemo qui loquitur Spiritu Dei revera incitatus, eoque actus & impulſus, *dicit Anathema Jeſum.* Unde quæ ſubjunguntur verba ita ſunt intelligenda quaſi dixiſſet, & nemo qui afflatu aliquo ſeu Spiritu incitatus loquitur, dicere poteſt Jeſum eſſe Chriſtum ſeu Dominum, niſi agatur ſeu impellatur Sancto ſeu ipſius Dei Spiritu. Is enim Spiritus ſeu afflatus qui non eſt ex Deo, hoc minimè dictat, ſed potius contrarium, quemadmodum Joannes oſtendit. Neque verò eſt quòd quis dicat, cùm Paulus iſtiuſmodi dicti ſui limitationem non expreſſerit, eam non eſſe adhibendam. Nam ei ſimiliter objicere poſſemus, non dixiſſe Paulum, eum qui ex animo dicat Jeſum eſſe Dominum, ideoque cùm hujuſmodi limitationem expreſſe non addat, eam non eſſe admittendam; quod illi tamen omnino volunt cum quibus hoc loco diſputamus. Noſtra ſanè reſtrictio ex materia ſubjecta & loci circumſtantiis petitur, cum altera illa nec ſit expreſſa, nec revera eruatur, nec neceſſaria ſit. Sed ut res melius pateat, & per Spiritum ſanctum eo loco non Euangelium, ſed alium quendam divinum afflatum, intelligendum eſſe conſtet, inſpiciantur tantùm ſequentia, in quibus Paulus ejuſdem Spiritus diverſa in diverſis Chriſtianis effecta eſſe aſſerit, quæ paulo inferius ſat fuſè recenſet. Nam cùm dixiſſet neminem poſſe dicere Dominum Jeſum niſi in Spiritu ſancto, addit, *Diſcrimina autem donorum ſunt, ſed idem Spiritus*, nempe qui ea omnia operatur & dividit ſigillatim unicuique quemadmodum vult, ut infra dicetur, ỳ. 11, ubi haud quaquam credibile eſt Apoſtolum, cùm per Spiritum S. Euangelium intellexiſſet, poſtea protinus ad diverſa Spiritus S. effecta tranſeuntem, in longè alia ſignificatione Spiritus nomen uſurpaſſe. Illud potius ſcopo Apoſtolico conſentaneum fuit, ut cum verum Dei afflatum à falſo aut Diabolico diſtinxiſſet, & quid omnes qui Spiritu Sancto agantur commune inter ſe haberent oſtendiſſet, poſtea quomodo iidem ratione effectuum iſtius Spiritus inter ſe diſcriminentur, exponeret; quaſi dicat, in eo quidem omnes conveniunt, qui Spiritu Dei acti loquuntur, ut Chriſtum fateantur eſſe Dominum; iſque effectus Spiritus ſancti omnibus eſt communis, qui eum habent; Sed ſunt rurſus alia quædam iſtius Spiritus effecta ac dona, non omnibus quibus datur communia, ſed in diverſis diverſa, licèt ea idem Dei Spiritus operetur. Hanc connexionem quis non videt eſſe elegantiſſimam, & Apoſtoli ſcopo convenientiſſimam? Illa verò longè diverſa eſt, ac minime probabilis, ſi dicas neminem ex animo dicere poſſe Jeſum eſſe Chriſtum, niſi ſit particeps Spiritus ſancti, hoc eſt Euangelicæ doctrinæ, ſed nihilominus eſſe diverſa dona in illis, quæ tamen in iis operetur idem Dei Spiritus, hoc eſt ſublimior ille Dei afflatus. Hæc cohærentia quàm longè abſit ab elegantia prioris, cuivis cogitandum relinquimus. Nullam ergo videmus cauſam, cur ibi per Spiritum ſanctum Euangelium intelligendum eſſe credamus, imò cauſam videmus, cur id minimè credamus, & ſtatuamus potius per Spiritum S. illum divinum intelligi afflatum, cujus varia eaque admiranda effecta in illo capite recenſentur, & de quibus ſe acturum eſſe Apoſtolus in primis capitis verbis indicaverat.

Reſtat tertius locus ſuperius à nobis indicatus, in quo ipſum quidem Spiritus ſancti nomen non extat, ſed tantùm Spiritus Dei, tamen cum de Spiritu illo videatur inibi eſſe ſermo, qui Sanctus in Sacris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Literis dicitur, prioribus duobus fuit à nobis adjunctus. Is verò extat 1 Cor. 2. 10, ubi poſtquam Apoſtolus verſu præcedente dixiſſet, Deum ea quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec ſuper cor hominis aſcenderunt, præparaſſe iis qui ipſum diligant, addit, *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum ſuum.* Eo autem loco per Spiritum Dei Euangelium debere intelligi, probari ſolet collatione horum verborum cum illis ejuſdem Apoſtoli, 2 Tim. 1. 10, ubi dicitur quòd Chriſtus illuminaverit vitam & incoruptionem per Euangelium. Ubi tamen mirari lubet, eoſdem illos qui per Spiritum Dei eo in loco Euangelium intelligunt, in ſequenti verſiculo, ubi Paulus id, quod de Spiritu illo ante aſſeruerat, comprobat, omnino contendunt & urgent, Spiritum Dei in ipſo Deo naturaliter reſidere, quemadmodum Spiritus hominis in homine, quod de Euangelio nullo modo dici poteſt. Manifeſtè autem ex contextu verborum Apoſtoli apparet, eum de eodem Spiritu loqui ℣. 11, de quo ℣. 10, locutus erat; alias enim nulla foret illius probatio. Nam cùm dixiſſet Deum ſibi ſuique ſimilibus, res ab humanis ſenſibus atque ingenio longè remotas per Spiritum ſuum revelaſſe, ne quis miraretur tantas vires divino Spiritui tribui, ſubjungit, *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Ubi quis non videt de Spiritu eodem eſſe ſermonem, de quo antea fuerat locutus? Rurſus ut hoc ipſum comprobaret ſubjicit; *Quis enim novit hominum quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? Sic etiam ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei.* Quis non videt Spiritum Dei iterum ſumi eodem modo, quo paulò ante? Jam verò diximus eos de quorum ſententia hîc diſputamus, Spiritum in ipſo Deo naturaliter reſidentem hîc intelligere. Sed quæ erit connexio? Ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus naturaliter in ipſo reſidens; Ergo Euangelium ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei: ac porrò rectè à me aſſertum eſt, Deum per Spiritum ſuum revelaſſe res captum humani ingenii longiſſimè ſuperantes. Facilè igitur conſtare poteſt, vel ex eorum ſententia cum quibus hîc diſputamus, eo loco per Spiritum Dei intelligi non debere Euangelium, præſertim primario; qua de re poſtea plura, ubi ſententiam de hoc loco noſtram explicabimus, & quantum ad rem noſtram pertinebit, comprobare conabimur.

Quod antequam fiat, reſpondendum nobis eſt ad rationem à nobis allatam, qua probari poſſe videatur per Spiritum Dei eo in loco Euangelium intelligi. In eo autem nullam videmus conſecutionis rationem; Deus revelavit nobis res abſtruſiſſimas, nempe felicitatem ſempiternam & viam quæ ad eam ducat, per Spiritum ſuum; Chriſtus illuminavit res eaſdem per Euangelium; Ergo Euangelium eſt Spiritus Dei. Qui Logicæ præcepta didicerunt, vitium argumentationis facile deprehendunt. Etenim plus eſt in concluſione quàm fuit in præmiſſis. Nam ut concedamus cæteroquin ſatis rectè eſſe conſtitutam, nihil tamen aliud ex iſtis præmiſſis colligi poteſt, quàm res quaſdam, quæ per Euangelium ſunt revelatæ, revelatas etiam eſſe per Spiritum ſanctum. Id autem inde accidit, quod major & minor terminus non integri ponantur in concluſione, adeoque cum verborum numerum ſpectes, minus ſit in concluſione quàm in præmiſſis, plus tamen ſit ſi rem ipſam cernas. Neque enim major terminus fuit Spiritus ſanctus, minor verò Euangelium; ſed major quidem, res humanum ingenium ſuperantes revelatas eſſe Paulo aliiſque ſimilibus, per Spiritum ſanctum; Minor verò, res eaſdam illuminatas eſſe per Euangelium. Sed in exemplis etiam rudiores vitium argumenti facilè cernent. Et ne ab hac ipſa re de qua agimus diſcedamus longius, ita agamus; Chriſtus Apoſtolis ſuis per Euangelium revelavit ea quæ à Patre ſuo audivit; Chriſtus iiſdem diſcipulis ſuis, per Spiritum S. quem cœlitus iis miſit, revelavit ea quæ à Patre ſuo audivit; ergo Spiritus S. quem Chriſtus cœlitus iis miſit, eſt ipſum Euangelium. Præmiſſas nemo non videt eſſe veriſſimas, & vel ex ultimo Chriſti ſermone quem ad diſcipulos ante mortem habuit, quique deſcriptus eſt Joan. 14. 15, & 16 capp. earum veritas conſtat. At concluſio falſa eſt. Formam ergo argumenti vitioſam eſſe neceſſe eſt. Quin etiam plura alia valde abſurda inde colligere poſſumus; ut ſi dicas, Deus revelavit immortalitatem per Euangelium; Deus revelavit eandem per Chriſtum, Ergo Chriſtus eſt Euangelium. Aut ſi mavis hòc modò; Chriſtus illuminavit immortalitatem per Euangelium; Chriſtus eandem per Apoſtolos illuminavit, ergo Apoſtoli ſunt Euangelium. Alia ſexcenta his ſimilia facile fingi poſſunt. Nec ſanè alia ratione crebrius peccant adverſarii noſtri, dum oſtendere volunt ex collationibus diverſorum locorum, Chriſtum aut Spiritum S. eſſe Deum, eumque ſummum, quia id quod alicubi Deo tribuatur, id etiam tribuatur Chriſto aut Spiritui S. Etiamſi enim interdum paulò aliter formentur argumenta, prima tamen falſitatis ratio ac velut nervus idem eſt. Nemo autem neſcit, duabus diverſis rebus idem tribui poſſe, & quidem reſpectu ejuſdem temporis, earundemque perſonarum, ſi eæ res ſibi ſint ſubordinatæ, & ad idem opus perficiendum concurrant; quemadmodum ſanè, ut id ad negotium hoc noſtrum transferamus, ſubordinata ſunt ſibi invicem Spiritus S. & Euangelium, quod ex Spiritu S. manavit, illud primis ejus præconibus dictante. Quare nihil mirum eſt ſi revelatio vitæ æternæ, nunc Spiritui S. nunc Euangelio tribuatur, neque interim tamen diſtinctio inter hoc & illum tollatur. Sed præterea non exigui hoc loco momenti illud eſt, quòd Paulus in loco ad Corinth. non ſimpliciter dicat ea quæ oculus non vidit, Deum per Spiritum ſuum revelaſſe, ſed expreſſe addit, *Nobis*; qua voce non omnes in univerſum Chriſtianos intelligit, ſed ipſos Euangelii præcones, ſaltem primum, quemadmodum tum ſuperiora omnia ab ipſo capitis initio indicant, tum ea quæ poſtea ſequuntur ℣. 13. Idque ii ipſi ſatis agnoverunt, cum quibus hoc loco agimus; qui propterea ℣. 9 initio, ſtatim poſt particulam *Sed*, ſubaudiunt verbum *prædicamus*. Ex quo etiam facile intelligitur, ibi de perfectiore & ſublimiore quadam rerum abditiſſimarum revelatione, quâ primis Euangelii præconibus fuit opus, ſermonem eſſe, quæque non ex ſola Euangelii prædicatione auribus uſurpata peti potuit, ſed multò magis ex diviniore illo afflatu, ſeu Spiritu illo veritatis, quem Chriſtus Apoſtolis ſuis olim promiſit, qui ipſos ducturus eſſet in omnem veritatem, omniaque illis in memoriam revocaturus quæ ex ipſo antea audiviſſent, ea inſuper illos docens quæ tum temporis ferre non poterant. At verò cùm idem Paulus ait, Chriſtum illuminaſſe vitam & incorruptibilitatem per Euangelium, non intelligit eam revelationem, quæ nominatim contigerit Euangelii præconibus, ſed eam quæ contigit omnibus. Indefinitè enim loquitur, adeoque nec de exactiore immortalitatis cognitione, quam animis certorum hominum infuderit, ſed tantum de eo loquitur, quòd vitam & immortalitatem antea abditam, & apud Deum, ut Joannes loquitur, exiſtentem in lucem protulerit, & ad hominum notitiam, quantum in ipſo fuit, produxerit. Neque verò eo loco Euangelii nomine per quod vitam immortalem in lucem potulerit, ipſius Chriſti, quam in terris vivens abſolvit prædicatio tantummodò intelligitur, ſed etiam ea omnino eſt comprehendenda, quæ Apoſtolorum opera interveniente facta eſt. Per hanc verò non ipſi Apoſtoli, interque eos Paulus, qui ſe unà cum aliis in loco ad Corinthios conjungit, ad plenam illam rerum abditiſſimarum, quas alii prædicarunt, cognitionem pervenerunt, ſed alii de iis fuerunt inſtituti. Quapropter cernere jam licet, duorum locorum iſtorum inter ſe collationem haudquaquam cogere, ut in priori teſtimonio Spiritum Dei pro Euangelio accipiamus.

Quibus ita explicatis, reſtat ut veram ejus loci ſignificationem, quantum quidem ad noſtrum inſtitutum pertinet, exponamus, & difficultatem quandam expediamus quæ nobis hîc objicitur. Diximus

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

autem antea noſtrâ ſententiâ per Spiritum Dei hîc intelligi Dei afflatum, quo repleti primi Euangelicæ doctrinæ præcones, Chriſtianæ religionis myſteria planè didicerunt, atque alios inde docuerunt. Rem ex ipſo contextu manifeſtam eſſe probavimus. Sed obſtare nobis videtur id quod aliis ſupra objecimus, nempe quòd hîc de eo Spiritu Dei ſit ſermo, qui non aliter in Deo ipſo reſideat quàm ſpiritus hominis in homine, quique adeo nihil ſit aliud, quàm ipſe Dei intellectus, qui à Deo haudquaquam emanare, & creaturæ alicui communicari poſſe videtur, ſiquidem quippiam eſt Deo prorſus eſſentiale, & extra Deum conſiſtere nulla ratione poteſt, aut ab ipſo in terras demitti, quod tamen de divino illo afflatu dicendum eſt. At verò de Dei intellectu Spiritus Dei nomen hîc intelligendum eſſe, videtur ſignificare comparatio Apoſtolica quæ extat ỳ. XI. ubi Spiritum Dei comparat cum Spiritu hominis qui in ipſo eſt. Sic enim ait; *Quis enim novit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei.* Ubi per Spiritum hominis mentem atque intellectum ipſius, qui in ipſo eſt naturaliter, & pars ejus eſſentialis exiſtit, intelligi nemo non videt. Cum eo autem Spiritu, non rectè videtur conferri id quod extra Deum conſiſtit, atque à Deo ſeparari certa ratione poteſt, qualem eſſe diximus afflatum divinum, de quo nos Apoſtolum loqui arbitramur. Quo accedit quòd ſi Spiritus nomine quippiam aliud velis intelligere, quàm ipſam Dei, ut vocant, mentem aut intellectum, non rectè de eo dici videretur, neminem ſcire ea quæ ſunt Dei, præter ipſius Spiritum: Certè non eo modo quo de hominis Spiritu dicitur, præter ipſum ea neminem ſcire quæ ſunt hominis, intellige primò. Nam Spiritus hominis propriè ſcit ac intelligit ea quæ ſunt hominis, ſeu ejus cogitata atque conſilia quæ ſecum agitat; immò mens hominis propria eſt eorum conſiliorum cauſa, & quoddam veluti ſubjectum. Præterea nemo planè hominum ſcit ea cogitata, niſi ipſe ille Spiritus, qui ea primùm agitat, niſi tum cùm à Spiritu illo, ut ita loquar, alteri communicantur, & ſic Spiritus ille ſeſe in alios quodammodo diffundit. Atqui afflatus divinus, quem nos hîc intelligendum arbitramur, cùm nec perſona ſit, nec aliquid perſonæ eſſentiale, quod cogitationes in ſeſe formare queat, ſcire propriè dici non poteſt, ſed ideò tantùm ſcire dicitur, quia facit ut homines ſciant ea quæ ſunt Dei, quemadmodum paulò ante dictum eſt, eum omnia ſcrutari, etiam profunda Dei, quia faciat ut homines eo præditi ea ſcrutentur. Deinde præter illum afflatum primò ea quæ ſunt Dei, ſcit ipſe Dei intellectus, in ipſo naturaliter reſidens. Quare non videtur dici poſſe, ea quæ ſunt Dei neminem noſſe niſi hunc divinum afflatum.

Sed nihilominus non arbitramur ab ea quam antea expoſuimus ſententia diſcedendum; nec tanta comparationis Apoſtolicæ vis eſt, ut illam convellat. Quod ut tantò rectius appareat, videamus ea argumenta quæ ex ipſis Apoſtoli verbis depromi poſſunt, quibus probatur non poſſe hoc loco intelligi ipſum Dei intellectum, qui in ipſo eſſentialiter exiſtit; quorum primum eſt, quòd Apoſtolus expreſſe dicat ỳ. 12, ſe unà cum aliis Spiritum illum accepiſſe. At quomodo accipere potuit ipſam eſſentialem Dei mentem & intellectum? Ipſam certè Dei eſſentiam hoc pacto in ſeſe una cum aliis habuiſſet Apoſtolus, quod quàm abſurdum ſit nemo non videt. Deinde quod ibidem de illo Spiritu dicat, quod ex Deo ſit ac proficiſcatur, nempe tanquam ex fonte ſuo. At quomodo Dei intellectus ſeu mens Dei eſſentialis, à Deo eſſe ſeu proficiſci ac manare poteſt? Adde quod ſuprà de eo Spiritu dixerit Apoſtolus eum omnia ſcrutari, etiam profunda Dei; quæ verba ſatis indicant, non intelligi hîc eum Dei Spiritum, qui in ſeipſo continet primò, ea quæ ſunt Dei, etiam profundiſſima, quandoquidem de eo Spiritu dicere non convenit, eum ſcrutari illa Dei profunda. Ea enim ſcrutari quiſpiam dicitur, quæ in alia aliqua re latent abdita. Neque eſt quòd dicas, non propriè de Spiritu illo dici quòd ſcrutetur, ſed metonymicè; quia nimirum efficiat, ut is in quo exiſtit ſcrutetur omnia, & vi illius perveſtiget myſteria Dei etiam abditiſſima. Nam ſi Spiritus ille eſſet ipſe Dei intellectus, is certè homini communicatus non efficeret, ut ille ſcrutaretur Dei myſteria, ſed illorum cognitionem ſimpliciter ei infunderet; ſiquidem in ſeſe haberet id in quo myſteria illa primò reſiderent. Ut taceam non ita aptam ac concinnam fore illam metonymiam, ſi ipſa Dei mens per Spiritum hunc intelligeretur, in qua, ut diximus, profunda illa Dei latent, & quod illud ipſum eſt in quo ſcrutanda ac perveſtiganda ſunt illa myſteria, à quopiam alio. Quis enim v. gr. diceret, Spiritum S. mentem Pauli ſcrutari, profunda Pauli, ſeu conſilia in ipſius mente abdita, etſi tandem is mente ſua efficere aliqua ratione poſſet, ut alius quiſpiam ejus profunda ſcrutaretur?

Quid ergo, inquies, iſta comparatione fiet, quam antea vidimus ab Apoſtolo inſtitutam inter Dei & hominum Spiritum? Reſp. id quod omnibus vulgò notum eſt, comparationes nimis non eſſe premendas, ſed ſufficere ut in eo quod intenditur, res inter ſe collatæ ſimiles exiſtant, etſi cæteroquin multùm inter ſe diſſimiles ſint. Hinc illud vulgare, *Omne ſimile eſt diſſimile.* Ac ne longè hinc abeamus, Apoſtolus ſtatim poſt comparationem illam, verſu ſequente non obſcurè inter ſe confert Spiritum hujus mundi, & Spiritum illum qui ex Deo eſt, de quo hoc loco agimus, cùm tamen longè ſit diverſa ratio utriuſque, non in eo tantùm in quo Spiritus illos ſibi invicem opponit Apoſtolus, quòd nimirum alter ea quæ ſunt Dei dictet, alter ea quæ ſunt mundi; verùm etiam in ipſa ſignificatione vocis Spiritus. Certè ſi per Spiritum qui ex Deo eſt, ibi velis intelligere ipſam eſſentialem De mentem, quæ erit comparatio inter illum & Spiritum mundi? per hunc enim ipſa mundi mens & intellectus eſſentialis nullo pacto intelligi poteſt. Quænam enim illa eſt, aut quo pacto accipi ab hominibus, vel non accipi dici poteſt? quod tamen de hoc Spiritu dici poſſe verba Pauli ſat clare docent. Afflatus ſane divinus intelligitur, & quidem talis qui mentem ac conſilium alterius quodammodo communicet atque indat alteri; ille quidem Dei, hic verò mundi. Sed afflatus uterque diverſi eſt generis, & diverſa ratione aut à Deo aut à mundo manat; qua de re non eſt neceſſe nunc plus dicere. Illud ſatis eſt oſtendiſſe res, etiam non parum à ſe invicem naturæ ratione diſcrepantes, comparari inter ſe poſſe, idque in eo ipſo loco de quo nunc controvertitur, & in hac ipſa etiam re de qua eſt quæſtio. Quid ergo mirum eſt, ſi in præcedente quoque verſiculo, Spiritus Dei fuerit comparatus ad Spiritum, hoc eſt mentem atque intellectum hominis, qui in ipſo eſſentialiter reſidet, etiamſi per Dei Spiritum non intelligatur mens atque intellectus in ipſo Deo naturaliter reſidens? Neque de nihilo eſt, cùm Apoſtolus in προτάσει ſeu propoſitione hujus primi membri comparationis iſtius expreſſe dixiſſet, qui ſcil. Spiritus, in ipſo eſt, hoc eſt in ipſo homine cujus Spiritus eſſe dicitur; in ἀποδόσει tamen ſeu membro poſteriori, iſta verba omiſerit, ut nihil aliud dixerit quàm, *ita etiam quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Noluit nempe dicere hunc Spiritum in ipſo Deo eſſe, quia nimirum non loquebatur de Spiritu in Deo ipſo naturaliter reſidente, ſed ab ipſo manante, & reſidente poſtmodum in eo homine cui communicatur. Unde ſequenti verſiculo, ut vidimus, vocat eum Spiritum qui ſit ex Deo, non verò in Deo. Etiamſi autem id quod ex Deo proficiſcatur, videatur prius extitiſſe in ipſo Deo, non eſt tamen neceſſe, ut illud in ipſo Deo actu fuerit. Nam cæteroquin omnia dicuntur eſſe ex Deo; tum alibi, tum hac ipſa Epiſtola, Cap. 8: 6. & 2 ad eoſdem Corinth. 5: 18. Nemo tamen adeò ineptus eſt, ut ſtatuat omnia quæ à Deo profecta ſunt, actu fuiſſe in Deo, ſed virtute ac potentia in Deo latuiſſe, eorumve cauſam efficientem Deum fuiſſe. Quanquam non diffitemur, habere hac in parte Spiritum ſanctum aliquid ſingulare,

præ cæteris rebus quæ ex Deo eſſe dicuntur ; qua de re inferius dicendi erit locus.

Ut igitur ad inſtitutum redeamus, ſatis apparet noluiſſe Paulum eò uſque hanc ſuam comparationem extendi, ut intelligatur, quemadmodum Spiritus hominis in ipſo homine naturaliter reſideat, & ejus eſſentiam conſtituat, ita etiam Spiritum Dei de quo agit, in ipſo Deo naturaliter reſidere, & quippiam eſſe ad eſſentiam ipſius pertinens; Sed id tantùm voluiſſe, Spiritum Dei id aliquomodo præſtare in rebus divinis, quod præſtet Spiritus hominis, in ipſo naturaliter reſidens, in rebus humanis. Nimirum ut quemadmodum præter illum nemo ſcit quæ ſunt hominis, ita etiam nemo præter hunc quæ ſunt Dei; hoc eſt, Nemo niſi hoc Spiritu præditus, ſeu nemo niſi vi hujus Spiritus, ea quæ ſunt Dei intelligit, nimirum primò: hoc enim revera Apoſtolo erat demonſtrandum. Huc autem nihil planè, ut ſupra monuimus, pertinet quòd ea quæ ſunt Dei, nemo intelligat, niſi Spiritus naturaliter in ipſo reſidens, ſeu ipſa Dei mens atque intelligentia. Quæ enim hoc loco de Spiritu illo dicuntur, reſpectu hominum dicuntur, quibus ille Spiritus ineſt, & quibus intelligentiam rerum divinarum largitur. Unde nec vox ſciendi eodem modo utrobique apud Paulum accipitur. Nam in priori membro propriè ſumitur, cum dicitur neminem ſcire ea quæ ſunt hominis; at in poſteriori, ubi ſcientia tribuitur Spiritui divino, impropriè accipitur; nempe quia vis ſciendi in Spiritu illo ineſt, ſeu (ut Scholaſtici loquuntur) ſcientia in illo eſt eminenter, adeò ut efficiat ut homo is cui datus eſt à Deo, ſciat. Uſus tamen eſt Apoſtolus utrobique eadem voce, ad majorem comparationis elegantiam; quemadmodum etiam alibi S. Literæ, in comparationibus præſertim, iiſdem vocibus nunc propriè nunc impropriè utuntur. Interim tamen haud diffitemur Paulum in hac comparatione alluſiſſe ad Spiritum in ipſo Deo reſidentem, ſeu ad mentem, ſeu intellectum ipſius eſſentialem; & ideò Spiritum Dei cum Spiritu ſeu intellectu hominis contuliſſe, quia ille quoque Dei mens non immeritò appellari queat; non quidem ideò quod Deus ipſe per illum intelligat, & in eo conſilia ſua agitet, quemadmodum homo conſilia ſua in mente ſua volvit; ſed quia Dei, ut ita loquar, mens, ſcientia ac voluntas illi Spiritui quodammodo impreſſa, per eum homini revelatur ac veluti communicatur; adeò ut quemadmodum homo ſuo Spiritu ſua conſilia intelligit, ita Spiritu divino divina, & ipſam Dei mentem habere rectè dicatur. Id quod non parum confirmatur per ea quæ ℣. ultimo cap. hujus dicuntur. Ibi enim ita ait Apoſtolus, *Quis novit mentem Domini, qui inſtruat eum? Nos autem mentem Chriſti habemus.* Ubi non injuria doctiſſimi quidam interpretes per mentem Chriſti, intelligunt Chriſti Spiritum, qui mentem, ſententiam ac voluntatem Chriſti, Apoſtolo & aliis ipſi ſimilibus aperuerit. Quæ ſententia ſuperioribus verbis, ad quorum confirmationem hic verſiculus adhibetur, apprimè eſt conſentanea. Quod ſi tamen nolis omnino per mentem Chriſti Spiritum Chriſti intelligi, nihilominus id ex connexione iſtorum verborum cum præcedentibus ſatis patet, ideò Paulum dicere ſe mentem Chriſti habere, quia Spiritu Dei, qui idem etiam Chriſti eſt, præditus unà cum aliis eſſet. Quare ſatis convenienter Paulus Spiritum illum Dei, per quem fit ut mentem ſeu ſententiam Dei teneamus, atque etiam Chriſti, comparare potuit cum Spiritu hominis, in quo ſententia ejus & conſilium primò continetur. Quod ſi quis omnino contendat, ita quidem ſe rem habere, quemadmodum nos diximus, & afflatum divinum cum Spiritu noſtro in hoc Apoſtoli loco propriè conferri, interea tamen veluti conſequenter comparari inter ſeſe etiam effecta tum divini tum humani Spiritus ea, per quæ fiat ut aliis quoque communicetur notitia conſiliorum divinorum aut humanorum, nimirum Euangelium quod à Spiritu divino proficiſcatur, & ſermonem vulgarem quo alius alteri animi ſui ſenſa aperit, & conſilia patefacit, & effectà hæc duo cauſarum ſuarum nomine comprehendi, hoc eſt Euangelium quidem Spiritus Dei nomine, Sermonem autem humanum ac vulgarem voce Spiritus humani; Si quis, inquam, id omnino contendat, nos non admodum cum illo pugnabimus: quanquam ut ita ſtatuatur nihil eſt quod cogat.

Satis videmur oſtendiſſe Euangelium nuſpiam in Sacris Literis Spiritum Sanctum expreſſe dici, aut eo nomine intelligi; nunc illud adhuc conſiderandum reſtat, antequam noſtram de ambiguitate vocabuli hujus ſententiam penitus aperiamus; Annon tamen ipſa Dei mens aut voluntas, quæ in ipſo reſidet, Spiritus S. in Sacris Literis alicubi dicatur. Nam id non videtur negandum, id quod in Deo excellens per analogiam quandam reſpondet Spiritui noſtro, Spiritum S. in Sacris Literis appellari; Eſtque admodum probabile ita accipi Spiritum Dei Geneſ. 6. 3. Ubi ita legitur in Hebræo; *Et dixit Dominus, non judicabit*, vel diſceptabit, *Spiritus meus cum homine in æternum.* Ubi Spiritus Dei pro animo Dei videtur ſumi, ùt ſenſus ſit is quem in Bibliis magnis Roberti Stephani videre eſt; non contendet Spiritus meus de homine in æternum: quaſi dicat, non poteſt animus meus diutius ferre inobedientiam ac pervicaciam & nequitiam hominis quin illum puniam; ſed tandem decernam quid ſim facturus de eo. Nam quod poſtea ſequitur, *eò quod etiam caro ſit*, id videtur ſignificare quod ibidem ſcriptum eſt; q. d. nonmodò propter hanc iniquitatem, verùm etiam quia caro eſt. Id quod nobis ita accipiendum videtur, ac ſi dictum eſſet, Cùm homines propter malitiam digniſſimi ſint qui puniantur, propter naturæ etiam ſuæ vilitatem, etiam indigni ſunt quibus parcatur, & de quibus ego apud animum diſceptem ac deliberem, puniam-ne illos pro merito, an ſecus. Nihil amplius eſt quòd ſententiam meam ea de re ſuſpendere debeam; ſatis hactenus apud animum ea de re deliberavi ac diſceptavi, ſed nunc tandem definiam quid de iis facere velim. Haud quidem neſcimus alios aliter hæc verba interpretari, & vulgatam tum Latinam tum Græcam interpretationem longè aliam poſtulare ſententiam, quæ loco verbi *Judicabit*, vel *Diſceptabit*, habet *Permanebit*. Sed nos id ſecuti ſumus quod & Hebraicis verbis ſimul & ſcopo loci maximè viſum eſt conſentaneum.

Eſt etiam alter locus apud Eſaiam Cap. 40: 13. Ubi Spiritus Dei videtur ſumi pro mente atque intelligentia, vel ſi ita loqui mavis, pro animo Dei. Dicitur enim ibi, *Quis adjuvit*, vel (ut eſt in Hebræo) inſtruxit *Spiritum Domini? Et quis vir conſilii ejus, judicabitque illi?* Quaſi dicat, quis Dei mentem conſilio inſtruxit, & rationem oſtendit earum rerum perficiendarum, de quibus paulò ante locutus eſt? Ubi Græci interpretes pro Spiritu habent mentem, quemadmodum & Paulus qui illos ſecutus bis ita citat hæc verba, *Quis novit mentem Domini?* Rom. XI: 34. & 1 Cor. 2. 16. Verùm illud adhuc dubitari poteſt, utrum ille Spiritus, licèt Sanctus revera ſit, & ſummo jure ita appellari poſſit, expreſſè tamen alicubi in Sacris Literis Spiritus S. nomine appelletur. Nam ſi quis dicat, vel propter id ipſum minimè dubitari debere, utrum ita appelletur, quia ita eum appellari meritiſſimò poſſe, faſſi ſumus; Eum non parum falli, vel ex iis quæ de Euangelio huc uſque diximus, conſtare poteſt. Nec ſanè ejuſmodi cauſa eſt cur Spiritus ille Dei Sanctus expreſſe appelletur, etiamſi Sanctus revera ſit, quæ eſt tum cùm de afflatu diviniore, qui Spiritus Sanctus expreſſè dicitur, ſermo eſt. Diximus enim propterea hunc Sanctum ſæpe appellari, ut non tantum ab impuris falſiſque afflatibus, verùm etiam ab illis qui divini quidem ſunt, ſed alium tamen effectum in hominibus pariunt, diſtinguatur; quæ cauſa non eſt, cùm de ipſa Dei mente ac intelligentia, vel de ejus voluntate ſermo eſt.

Sed eſt tamen apud Eſaiam locus Cap. 63: 10. Ubi ſuſpicari quiſpiam poſſet, per Spiritum Domini Sanctum, animum ipſius intelligi. Ita enim ibi ſecundùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Pagninum legimus ; *Ipſi autem* (ſcil. Iſraëlitæ) *rebelles fuerunt , & iraſci fecerunt Spiritum Sanctum ejus. Ideò converſus eſt eis in inimicum.* Ubi videre poſſit nihil aliud dicere velle Eſaiam, quàm eos irritaſſe animum divinum, & ad indignationem ac vindictam provocaſſe. Neque verò nos arbitramur ſententiam illam vel abſurdam eſſe, vel à loco alienam; ſed tamen nihil arbitramur obſtare, quo minus per Spiritum Sanctum ille intelligatur Spiritus, quem ſequenti ſtatim verſiculo Deus dicitur poſuiſſe in medio illius populi Iſraëlitici ſeu Moſis. Ita enim legimus; *Et recordatus eſt dierum ſæculi* (id eſt priſcorum) *Moſis & populi ſui. Ubi eſt qui aſcendere eos fecit de mari cum paſtore gregis ſui? Ubi eſt qui poſuit in medio ejus* (vel gregis ſui, vel paſtoris gregis ſui) *Spiritum Sanctum ſuum?* Quæ ſententia non tantùm ideò fit mihi veriſimilior, quòd in his ipſis verbis quæ ſtatim ſequuntur, viſus eſt ſeipſum explicaſſe Eſaias, & quid per Spiritum Sanctum antea intexellerit, non obſcurè indicaſſe; cùm nequaquam veriſimile ſit in alia atque alia ſignificatione eaſdem voces in tam conjunctis verbis uſurpatas: verùm etiam propterea, quòd verbum Hebraicum quod Pagninus reddidit *iraſci fecerunt*, reddi poteſt, idque rectius fortaſſe, *dolore affecerunt*, quemadmodum à quibuſdam interpretibus factum eſt. Nec abhorret ab ea verſione vulgata, quæ reddidit *Afflixerunt*. Paulus autem in Epiſt. ad Epheſ. 4. 30, Cùm monet *ne contriſtemus Spiritum Sanctum Dei*, ad hunc ipſum locum videtur digitum intendiſſe & ad eum alluſiſſe. Ibi verò non de animo ipſius Dei, ſed de divino afflatu quo obſignati fuerint fideles ad diem redemptionis, verba fieri locus ipſe indicat. Poſſumus ergo jure apud Eſaiam uſurpare vocabulum λυπεῖν, ſeu contriſtandi aut moleſtia afficiendi, pro eo quod Pagninus reddidit, *iraſci fecerunt*, & locum illum intelligere de eo Spiritu quo fuerint præditi viri divini, qui à Deo populo Iſraëlitico erant dati, & pro ducibus, rectoribus aut ductoribus quibuſdam conſtituti. Contriſtatur autem ille Spiritus tunc, cùm illa fiunt ipſo veluti ſpectante vel audiente quæ ipſi ſunt adverſa, & coram ipſo deſignari haudquaquam deberent, & quibus quodammodo offenſus, tandem fugetur atque expellatur; qua de re poterit aliquid dici explicatius infrà commodiori loco, ubi de verbis ad Epheſ. 4. paulò ante citatis agemus.

Poſtquam ergo eas rejecimus ſententias quæ veritati minus videbantur conſentaneæ, tempus eſt ut eam ſententiam explicemus, de ambiguitate vocabuli, quæ & nobis & quibuſdam aliis magis probatur. Receptum jam eſt apud omnes, niſi vehementer fallimur, Theologos, Spiritus Sancti vocabulum dupliciter accipi; Nunc pro cauſa donorum effectorumque admirandorum, in hominibus qui eo afflantur, exiſtentium; nunc pro ipſis illis effectis; ſed primam ſignificationem eſſe propriam, prout quidem proprietas locum habere poteſt, alteram autem metonymicam. Quam diſtinctionem nos quoque recipimus, licet in ejus explicatione, atque in primis in explicatione primi illius membri ab illis diſſentiamus. Sed quia prioris illius ſignificationis, quæ apud omnes in confeſſo eſt, explicatio, ad rei ipſius explicationem pertinet, ad quam paulò poſt acceſſuri ſumus, ideò in eum uſque locum ſententia noſtra dilata, tantùm poſterioris ſignificationis exempla quædam afferemus, & ſimul aliquid addemus quod ad quorundam Scripturæ locorum intelligentiam pertinet, in quibus quid per Spiritum Sanctum intelligatur, non ſatis vulgò fuit animadverſum.

Quod ut rectius à nobis fiat, intelligendum eſt duplices eſſe Spiritus Sancti in homine effectus. Vel enim ſunt qualitates quædam ſtabiles ac fixæ, quæ in hominibus qui eo afflantur durant & perpetuò durare poſſunt, qualis eſt v. gr. ſcientia rerum divinarum, qualis fuit in Apoſtolis, Prophetis aliiſque eximiis & inſignibus hominibus, & ſi quæ ſunt huic ſimilia. Alii ſunt actus quidam & motus ab eo Spiritu manantes, & motus quidem inſignes atque admirabiles, quos in animis eorum quos occupat Spiritus Sanctus excitat.

Quod ad priores effectus attinet, etiamſi nonnulli Sacrarum literarum loci in quibus Spiritus S. fit mentio, de iis accipi queant, hactenus tamen animadvertere nullum potui, qui eam ſignificationem omnino poſtularet. Crediderim tamen ibi eam ſignificationem inprimis eſſe admittendam, cùm Spirituum & quidem bonorum, qui hominibus donentur aut donati fuerint donarique poſſint, fit mentio. Ut cum 1 Cor. 14. 12, dicitur, *Quandoquidem æmulatores eſtis Spirituum*, hoc eſt ambitis Spiritualia dona; quemadmodum præter rem ipſam indicare poteſt collatio hujus loci, cum ℣. ultimo Cap. 12, ejuſdem Epiſt. ubi eſt, *Æmulamini autem* χαρίσματα ſeu *dona meliora*. Et hujus ipſius capitis initio, ubi eſt, *Æmulamini ſpiritualia*, ſcil. dona. Ex quibus patet facile, idem eſſe æmulari Spiritus, ſeu Spirituum eſſe ſtudioſum, eoſque diligenter quærere, & æmulari ſpiritualia dona, ſeu ea ſtudioſe conſectari. Eodem pertinere videtur locus ejuſdem 1 Cor. 14. ℣. 33, ubi dicitur, *Spiritus Prophetarum phrophetis ſubjici*. Quanquam ibi per Spiritus Prophetarum, intelligi poſſunt vel ipſi afflatus qui quippiam præter naturæ curſum dictent, aut dictare videantur; vel etiam illa ipſa quæ dictantur, ſeu doctrina à Prophetico afflatu manans. Ideò enim Paulus iſta dicit, ut oſtendat rationem ejus quod antea præceperat ℣. 29. *Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri dijudicent*. Quia enim quiſpiam dicere poterat, nihil opus eſſe ejuſmodi dijudicatione, quandoquidem unuſquiſque Prophetæ afflatus qui aliquid dictet divinus ſit, & par afflatui alterius prophetæ, adeò ut judicio aliorum prophetarum ſubjici non debeat, nec requiri utrum id verum ſit, quod Spiritus ille Propheticus dictaverit, nec ne, ſed abſque ullo examine ſtatim recipi: Reſpondet Apoſtolus non eſſe afflatus illos, vel dona Prophetarum ex afflatu manantia, inter ſeſe prorſus paria, ſed alios, idem licèt donum, majore, alios minore menſura à Deo accepiſſe, & plures etiam idem donum habentes plura videre atque animadvertere poſſe, quàm unus aliquis Propheta videat. Quare Spiritus Prophetarum ſingulorum, ſeu ipſos Prophetas iſtis Spiritibus ſeu donis præditos, aliorum prophetarum judicio rectè ſubjici. Animadvertendum enim eſt, non quemvis Prophetarum Spiritum, ipſas Prophetias ac verba quæ illi enunciarent penitus dictaſſe, ſed ita mentem nonnunquam informaſſe, ut ii proprio quodam mentis diſcurſu adhibito, quædam facile colligere & pronunciare poſſent. Qua tamen in re, cùm ipſorum etiam ſtudium atque intelligentiam accedere oporteret, lapſui atque errori poterat eſſe locus, adeò ut jure ipſorum doctrina, ex afflatu licèt divino ea qua diximus ratione manans, aliorum Prophetarum ſubjiceretur judicio. Quanquam non deſunt qui Spiritus illos Prophetarum non putent accipiendos de divinis tantùm afflatibus, qui prophetis cœlitus inſpirentur, ſed de afflatibus promiſcue, ſive veris ſive falſis; propterea quòd falſi quidam afflatus nonnunquam Prophetis imponant, aut pro Prophetis ſeſe venditent qui veri Prophetæ non ſint. Sed hac de re unius cujuſque ſit judicium.

Ad hoc locorum genus referre libet nonnulla S. literarum teſtimonia, in quibus Spiritus S. nomen cum adjectione aliqua ponitur; ut Epheſ. 1. 17. ubi Paulus rogat ut Deus Epheſiis, quos jam obſignaverat Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, *det Spiritum ſapientiæ & revelationis in cognitione ipſius*; quod nihil aliud videtur ſignificare, quàm ut det illis ſapientiam & revelationem, quò eum plerique agnoſcant. Id enim in loco parallelo Epiſt. ad Coloſſ. Cap. 1: 9, ita effert, rogare ſe *ut impleantur cognitione voluntatis ejus* (nempe Dei) *in omni ſapientia & cognitione ſpirituali*. Sic Eſa. 28: 6, *Spiritus judicii* videtur eſſe ipſum judicium ex Spiritus afflatu quodam divino proficiſcens; unde cum illo conjungitur poſtea *fortitudo*, non Spiritus fortitudinis. Eodem modo *Spiritus prudentiæ*, Exod. 28: 3, videtur ſumi pro ipſa illa ſapientia & prudentia, intelligentia ſeu ſcientia in omni opere pertinente ad ſtructuram tabernaculi; ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

videtur explicari Cap. 31. 3.6. & Cap. 35. 31. ſimili ratione poſſunt etiam alia ſimilia ſumi, Eſai. XI. 2. 3. Quanquam fatendum eſt poſſe Spiritum iſtiuſmodi in locis, propriè ſumi, & id quod ei ſubjungitur, inſtar effectus ipſius haberi. Sed ſunt tamen alii loquendi modi ſimiles, in quibus mentio fit de Spiritu rei alicujus, per quem nihil aliud intelligitur quàm illa ipſa res animum hominis afficiens, eumque regens & ad quippiam inclinans. Unde colligitur idem etiam in aliis locis, ubi de divinis effectis ſermo eſt, admitti jure poſſe. Sic videmus apud Jobum, Cap. 20. 3, *Spiritum intelligentiæ* ſumi pro ipſa intelligentia. Sic *Spiritus lenitatis* apud Paulum ſumitur pro lenitate hominis animum implente, afficiente ac commovente, 1 Cor. 4. ℣. ultimo, ubi eſt, *Cum virga veniam ad vos, an cum charitate ac Spiritu lenitatis?* niſi malis Spiritum lenitatis accipere pro animo leni ac manſueto. In rebus etiam malis idem loquendi modus uſurpatur, ut cùm memoratur *Spiritus vertiginis*, Eſa. 19. 4. pro ipſa vertigine. *Spiritus ſoporis*, pro ipſo ſopore, Eſa. 29. 10. pro quo Paulus habet, *Spiritum compunctionis*, Rom. XI. ℣. 8. *Spiritum fornicationis*, pro fornicatione ac libidine, Oſe. 5.4. Verùm in omnibus illis locis, quæ hactenus citavimus, nullum eſt in quo ipſum Spiritus ſancti nomen expreſſe habeatur, licèt de Spiritu S. ſermonem eſſe, deque illius effectis alicui dubium non ſit. Ne illud nunc repetam, quod etiam antea dictum eſt, ſaltem in pleriſque iſtorum teſtimoniorum nomen Spiritus proprie accipi poſſe, nec ulla ex iis magis poſtulare, ut Spiritus nomen pro ejus effectis accipiatur, quàm ea in quibus non de Spiritu, ſed de Spiritibus ſermo eſt.

Verùm quod ad alterum genus effectuum attinet, quod ſuprà conſtituimus, nempe ad motus quoſdam in animo vehementes atque admirandos, quos afflatus divinus in hominibus concitat, eos arbitramur non uno loco Spiritus ſanctis nomen ſortiri: & non tantùm hos qui ex dono illo cœleſti, ac omnes naturæ limites longè excedente, proveniunt; verùm etiam eos qui ſunt illis ſimiles. Atque huc referri primum poſſunt ii loci, in quibus dicitur eos homines qui jam antea Spiritu S. donati fuerint, eove repleti, certis tamen temporum articulis eo repletos aut plenos fuiſſe. Sic legimus de Petro coram proceribus Judaicis conſiſtente, Act. 4. 8. eum tum Spiritu ſancto repletum allocutum eſſe proceres iſtos. Et de Stephano inferius Cap. 7. 55. ipſum cùm eſſet plenus Spiritu S. reſpexiſſe in cœlum, ac vidiſſe gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. De quo tamen ſupra Cap. 6. ℣. 3. & 5. legimus, eum plenum fuiſſe Spiritu S. Et de Paulo cap. 13. 9. cùm alloqueretur Elymam, & eum verbis aſperis pro merito increparet, ac pœnam ei divinam denunciaret, atque adeò infligeret; quem jam antea Spiritu S. repletum fuiſſe, Cap. 9. 12. legimus. Adjungi his poteſt locus Cap. 13. paulò ante citati, ℣. ultimo. Ubi cùm narraſſet Lucas Paulum & Barnabam ejectos fuiſſe Antiochia Piſidiæ, addit diſcipulos fuiſſe repletos gaudio & Spiritu S. Quibus in locis homines illi divini Spiritu S. pleni aut repleti fuiſſe dicuntur, quia animus ipſorum totus commoveretur atque ageretur à divino Spiritu, & effectus quidam ab eo Spiritu manans, totum illorum pectus occuparat, ita ut nihil humani tum vel agerent vel ſpectarent, ſed toti à divino Spiritu agerentur. Effectus autem ille erat vel animi ardor, qui cum cæteris quæ adjungemus conjungi ſemper poterat, vel gaudium ac lætitia in mentibus diffuſa, aut ſimul etiam mentis quædam perſpicacia, ad ea pervidenda ad quæ mentis humanæ acies pertingere non poteſt. Ut in Stephano, in quo ii omnes affectus ſimul fuerunt conjuncti, quemadmodum locus ipſe inſpectus unumquemque facile docet. Nam quod de ardore diximus, id facile apparet ex loco Act. 13. 9. ubi Paulus Elymam increpans pœnam comminatur. Quo etiam referri poteſt id quod de Petro ex cap. 4. attulimus: ubi cum ardore alacritatem quandam animi, confidentiam ſeu decentem παῤῥησίαν conjungi videmus. De gaudio illud quoque accipi poteſt, quod ex Cap. 13. ℣. 52 citavimus. Neque enim obſtat quod ibi vox gaudii jam præceſſerit. Ita enim poſſunt hæc verba accipi ac ſi dictum eſſet; Diſcipuli replebantur gaudio è Spiritu Sancto manante; ut ita vox poſterior pertineat ad explicationem prioris, &, cauſa pro effectu poſita, ita explicaretur quale aut undenam hoc gaudium eſſet, & appareret non agi de gaudio carnali & humano, ex rebus carnalibus ac vulgaribus proficiſcente. Videtur nempe id his verbis dici à Luca, quod ſupra dixerat Cap. 9. 31. Eccleſias per univerſam Judæam & Galilæam & Samariam conſolatione ſeu gaudio Spiritus ſanctus fuiſſe auctas vel impletas. Quare in locis illis Spiritus ſanctus pro effecto illius uſurpatur, vel ſaltem tropus eſt in univerſa phraſi, ut nempe tunc dicantur homines repleti Spiritu ſancto, cùm ejus efficacia, ſeu mavis effectu quodam implentur, id quod eodem recidit. Neque verò abhorret ab hac ſignificatione id quod alibi legimus quoſdam eſſe repletos Spiritu ſancto, quos antea repletos eſſe aut plenos fuiſſe non conſtat; vel ſi qui tamen fuerunt ejus doni aliqua ratione participes, non eadem tamen menſura Spiritus donatos fuiſſe liquet; ita ut illis tum, cùm Spiritu ſancto dicuntur fuiſſe repleti, aliquid vel multum etiam admodum ad priſtinum χάρισμα acceſſerit; quales loci ſunt, Luc. 1. 41. 67. Act. 2. 4. & 9. 12. Nam ii omnes de quibus iis in locis ſermo eſt, tum cum Spiritu ſancto dicuntur fuiſſe repleti, fuerunt extra ſe quodammodo rapti, & motus quidam atque effectus miraculoſi in iis extiterunt, à Spiritu illo manantes, nec minus propter eos, quàm propter ipſum qui in illos fuit illapſus, dicuntur fuiſſe Spiritu ſancto repleti. Quod idem intelligi poteſt Luc. 4. 1, 2. ubi dicitur Jeſum Spiritu ſancto plenum reverſum à Jordane, & ductum eſſe in Spiritu, hoc eſt, à Spiritu impulſum, in deſertum.

His autem Scripturarum locis à nobis antea enumeratis, in quibus Spiritus ſanctus pro motibus ac effectibus Spiritus S. admirandis ſumatur, accenſeri jure poſſunt iſta. 2. Cor. 6: 6. Et Jud. ℣. 20. Nam quod ad priorem locum attinet, Paulus ibi recenſet virtutes quibus munus ſuum Apoſtolicum ornet ac commendet, atque in earum medio collocat Spiritum ſanctum. Dixit enim *in caſtitate, in cognitione*, id eſt (ut nobis quidem videtur) in prudentia, in longanimitate, in benignitate. Ubi mirari jure poſſes Spiritum S. collocatum eſſe inter iſtas virtutes, niſi intelligatur Paulum id velle dicere, ſe etiam ornaſſe munus ſuum motibus atque effectibus Spiritus ſancti, qui ſe manifeſtè in ſe exeruerit, & quidem ita ut ſimul ipſius virtus ac pietas ea in re eluxerit. Hujuſmodi enim effectus hîc intelligere eſt neceſſe; quia alioqui eadem maneret difficultas, & jure adhuc quæreretur, cur Spiritus ſanctus virtutum choro fuerit inſertus. Id autem ut rectè intelligatur, animadvertendum eſt Spiritum S. licèt in viris divinis, ut Apoſtolis, ac nominatim in Paulo habitaret, non tamen ſemper ſeſe, præſertim manifeſtè, exeruiſſe; ut cum agerent vulgaria, planè ad Spiritum nihil pertinentia, & ad quæ ſingularem Spiritus Sancti operam accedere nihil eſſet neceſſe: Sed tum cùm ea agerent, vel ſecum vel cum aliis, quæ ad religionem ſpectant, & prout animi ipſorum eſſent ad eam rem præparati, ita ſe Spiritus S. vim ac efficaciam in illis exeruiſſe. Poterat enim ignis ille cœleſtis nunc veluti ſepultus latere, nunc ut Paulus ad Timotheum ſcribit, *ſuſcitari*, & veluti flatu quodam ita ſuccendi, ut flamma inde veluti erumperet, & animum illius, in quo extaret, penitus corriperet atque inflammaret. Cùm enim Spiritus reperit quoſdam animi motus ſibi ſuoque ingenio conſentaneos, ſtatim cum animo conſpirat, & impetum addit, ac motus illos animi evehit ſupra communem naturæ modum, atque adeò longè altius quam per ſeſe exſurgere potuiſſent. Itaque iſti effectus Spiritus, ſimul pietatem iſtius hominis in quo exiſtunt virtutemque demonſtrant, & quandam ejus divinitatem. Sed hac de re nobis agen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

agendum erit infrà, ubi de effectis Spiritus ſancti agemus. Ubi etiam ſpecialius explicari poteſt quoſnam effectus Spiritus S. potiſſimùm intellexiſſe videatur Apoſtolus. Interim videri poſſunt ea quæ aliquando in totum hunc locum commentati ſumus.

Quod ad locum Judæ ỳ. 20 attinet, ubi monentur fideles, ut *orent in Spiritu Sancto*, nihil aliud videtur ſignificari, quàm ut orent fervidè, motu quodam Spiritus Sancti in eorum animis exiſtente; ita ut tum nihil carnale cogitantes, toti in Deum ferantur, & nil niſi religionem ac pietatem ſpirent. Quod Paulus quoque innuit, cùm monet Epheſios, cap. 6. 18, ut *orent in Spiritu*. Et cùm cap. 5. 18, ad eoſdem ſcribens monet, ut *impleantur Spiritu*, ſeu in Spiritu, hoc eſt religioſas, ſpirituales ac pias preces tota mente concipiant, devotionemque mentis comparent, unde etiam ſequantur ſermones ac cantiones ſpirituales, & quidem ut in re contraria quam ibi commemorat, illi qui vino opplentur, atque ita turbulentis quibuſdam motibus & affectibus concitantur, reſolvuntur in cantiones carnales ac mundanas. Etſi enim iſtius modi fervor & animi religio ac devotio, non tantùm proficiſcatur ab afflatu illo divino, qui Spiritus ſanctus in Sacris Literis appellari ſolet, ſed etiam vi Spiritus Euangelici, accedente opera ac pietate ipſorum hominum, per eum religioni incumbentium, & iſtis Judæ ac Pauli admonitionibus, illi quoque ſatiſfacere cenſendi ſint, qui Spiritu illo divino, qui olim credentibus dabatur, non ſint præditi; præſertim cùm hoc quoque Spiritus ſancti donum precibus in Spiritu ſancto factis ſit exorandum; facit tamen nihilominus Judas expreſſam Spiritus ſancti mentionem, ad fideles tum temporis generatim omnes ſcribens, partim quia donum illud Spiritus S. eo adhuc tempore durabat, ita ut illi ad quos ſcribebat, ejus vi ad preces uti poſſent; partim quia motus atque impetus animorum, qui in cæteris quoque Chriſtianis, dum orant, exiſtere vi Spiritus Euangelici poſſunt, ſimiles ſunt atque eſſe debent, motibus illis ac devotioni quæ cerni debebat in illis, qui dono illo ſingulari eſſent præditi. Et ſane utrumque fervorem, qui ſpiritualis plane eſſet, & nulla ratione carnalis ac mundanus, & eos in quibus exiſteret ſanctos atque divinos homines eſſe argueret, complecti verbis ſuis Judas voluit.

Nos in ſequenti tractatione priori modo Spiritus ſancti nomen accipiemus, hoc eſt pro cauſa iſtorum effectuum, non pro ipſis effectibus. De quibus cùm agemus, alias etiam quaſdam Spiritus ſancti metaphoricas appellationes videbimus.

Sed jam tempus eſt, ut à voce ad rem ipſam transeamus, quanquam cùm de illa ageremus hanc quoque aliquatenus neceſſe fuit attingere.

De hac autem acturi, ſequentia capita, quantùm materiæ ipſius difficultas, & ingenii noſtri imbecillitas feret, explicare conabimur.

Primò, Quid ſit Spiritus ſanctus.

Secundò, Num aut quatenus Spiritus ſanctus dividi queat.

Tertio, Agemus de attributis quibuſdam ſeu adjunctis Spiritus ſancti.

Quartò, De effectis Spiritus ſancti.

Quintò, De ſubjectis Spiritus ſancti, ſeu quibus detur, & quæ ſit propria ejus in homine ſedes.

Sextò, De modo quo Spiritus ſancti donum ejuſve augmentum obtineri queat; itemque de ratione qua vel penitus vel ex parte amittatur.

CAPUT PRIMA.

Quid ſit Spiritus Sanctus.

QUandoquidem jam antea profeſſi ſumus, & argumenti hujus difficultatem, quæ in hoc capite potiſſimùm cernitur, & ingenii noſtri imbecillitatem; non eſt quod quiſpiam hîc expectet accuratam & plenam ejus rei explicationem. Cùm enim omnis noſtra cognitio incipiat à ſenſu, Spiritus autem ſanctus ipſe per ſe in ſenſus noſtros non incurrat, ſed ex effectis deprehendatur, quid mirum eſt nos eſſentiam ejus accuratè ac plenè explicare non poſſe, cùm multas infinitarum rerum ſenſibilium & quotidie in oculos incurrentium, proprietates ac eſſentiam ignoremus? Et ut propriore exemplo utamur, Spiritum illum quo vivimus ſemper in nobis geſtemus, nec tamen accuratè quid ſit dicere poſſimus? Verumtamen quemadmodum aliarum quarundam rerum, quæ ſenſus noſtros penitus fugiunt, eſſentiam inquirere, & quidnam eæ ſint aliqua ratione explicare, non tantùm non temerarium cenſetur, ſed etiam utile ac nonnunquam neceſſarium; (quis enim v. gr. unquam dubitavit, quin aliqua ſaltem ratione cognoſcere ſit neceſſarium, quid ſit Deus, quæve ejus ſit natura, quem tamen ipſum nemo hominum ullo percepit ſenſu?) Non eſt quiſpiam accuſandus temeritatis, qui ſobriè ac modeſtè in naturam Spiritus ſancti inquirit, & quantum ex S. L. quæ toties de illo differunt, adhibito quodam negotio, ea de re aſſequi poteſt, aliis etiam conſiderandum proponit, & ea quæ certa tantùm ratione comprobari poſſunt, conſtanter aſſeverat, probabilia leviter approbat, dubia atque incerta in medio relinquit. Quare nos nil ſuſpicionem audaciæ veriti, ignorantiam autem in re tam ſublimi etiam profeſſi, ad rem ipſam accedamus.

Primùm autem omittemus hîc quæſtionem hodie tantopere vexatam, Utrùm Spiritus ſanctus ſit perſona, & quidem divina, hoc eſt talis quæ ſit ipſe Deus ſummus, ſubſtantiam habens aliunde nullo modo pendentem. Satis enim hactenus id à noſtris eſt oſtenſum, Spiritum S. hujuſmodi perſonam haudquaquam eſſe; eſtque vel id ipſum magno argumento, quòd Dei Spiritus appellatur, quemadmodum & Chriſti, & ab illo egredi ac proficiſci, ab utroque etiam mitti darique dicitur, quorum nihil in Deum altiſſimum, qui à nullo alio prorſus dependet, nec in cujuſpiam eſt poteſtate, cadit.

An Spiritus S. ſit ſubſtantia.

Quare hoc omiſſo illud inquiramus, An Spiritus ſanctus nihilominus ſubſtantia quædam ſit, quæ ſeparatim ſubſiſtere queat, an verò mera tantùm qualitas à Deo profecta, & ad res admirandas perficiendum apta. Subſtantiam quandam eſſe, & quidem talem quæ ſeparatim ab aliis ſubſiſtere poſſit, inde non immeritò videtur colligi poſſe, quòd non modò deſcenſus è cœlo, & ſic motus localis, qui nonniſi ſubſtantiæ alicui, & quidem quantitatem habenti, convenire poteſt, ut Philoſophi docent, ei tribuitur, ſed etiam expreſſe legimus quòd *in forma corporea* viſibiliter ſuper Chriſtum per aërem deſcenderit, Luc. 3. 22. At formam quandam ac ſpeciem aliquam viſibilem induere, non eſt qualitatis meræ, ſed ſubſtantiæ alicujus per ſe ſubſiſtentis; quandoquidem accidens, ut Philoſophi docent, aliud accidens ſuſtinere non poteſt, præſertim propriè; quemadmodum fieret ſi qualitas formâ quadam viſibili veſtiretur. Neque verò eſt quòd dicas, deſcenſum è cœlo, cujus priori loco fecimus mentionem, metaphoricè accipi poſſe; eo nimirum pacto, quo dicitur *omnem donationem bonam & omne donum perfectum deſuper eſſe, deſcendens à patre luminum*, quia pater ille luminum omnia iſta dona in nobis efficiat, eaque nobis largiatur, non ſecus ac ſi de cœlo ea demitteret. Nam deſcenſum hunc fuiſſe motum aliquem localem propriè dictum ipſa hiſtoria Euangelica ſatis arguit, cùm expreſſe dicatur Joannem, aut etiam Chriſtum, *vidiſſe illum Spiritum deſcendentem*, & quidem *inſtar columbæ*. Ad poſterius autem illuſtrandum, iſtud quoque referri poteſt quod Act. 2 legimus, *apparuiſſe illis*, nempe Apoſtolis, & cæteris Chriſti fidelibus, nempe qui tunc unà fuerunt, *linguas diſpertitas tanquam ignis*, hoc eſt quaſi igneas, aut quales eſſe ſolent flammæ ſurſum aſcendentes, quæ linguæ ignis apellantur Eſa. 5. 24. Videtur enim ſub illa ſpecie Spiritus ſanctus latuiſſe, de quo ſtatim, quanquam nomine ejus ſuppreſſo. Ibidem additur, *Et ſedit ſuper unumquemque ipſorum*; ut ita externa ſpecie natura &

vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vis illius quodammodo repræſentaretur & oculis ſubjiceretur, quæ eſt veluti ignea, ut alibi explicabitur; & ſignificaretur jam impleri promiſſionem divinam quam Joannes annunciaverat, & Chriſtus poſtmodum repetierat, in qua aſſeritur Chriſtum diſcipulos ſuos *baptizaturum Spiritu S. & igne*, hoc eſt Spiritu S. qui eſt ignis, ſeu vim habet ſimilem virtuti & efficaciæ ignis. Hanc autem formam aſſumere Spiritus ſanctus non potuit, ſi ſubſtantia aliqua per ſe ſubſiſtens non fuit.

An ex formæ corporeæ aſſumptione rectè colligatur Spiritum S. eſſe perſonam.

Quod ſi quis arbitretur, ſi ex hac formæ aſſumptione rectè colligi queat Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiam quandam per ſe ſubſiſtentem, rectè eſſe collecturos noſtros adverſarios, eum eſſe perſonam quandam; is nimirum vehementer fallitur. Nam nec Spiritus S. uſpiam formam perſonæ alicujus induit, nec ſi induiſſet protinus ſequeretur eum perſonam eſſe. Nam ut de poſteriore prius dicamus, res etiam inanimatæ formari ad inſtar perſonæ poſſunt. Et quemadmodum non ſequitur eſſe hominem, quod formam hominis repræſentat, ita etiam non ſequitur id eſſe perſonam, quod perſonam repræſentat. Quod verò ad prius attinet, nuſpiam legimus Spiritum ſanctum in corporea alia forma apparuiſſe, quàm tum cùm in Chriſtum & cùm in Apoſtolos deſcendit. Jam verò cùm in Chriſtum deſcendit, etiamſi liberales ſimus & largiamur adverſariis quicquid dari poteſt, quid aliud ibi dici videtur, quàm quòd in forma columbæ deſcenderit? Atqui columba perſona non eſt, cùm perſona omnis intellectu ſit prædita. Satis manifeſtum eſt rem quoque inanimiatam ad inſtar columbæ formari poſſe, ita ut & membra & colorem columbæ ad vivum referat. At nec illud dicitur quod adverſarii noſtri arbitrantur; ſed tantùm, Spiritum S. ſpecie corporea tanquam columbam deſcendiſſe; id quod ad modum deſcenſus ſolius referri poteſt. Quanquam nobis res ita videtur explicanda, ut forma illa corporea ſtatuatur ita ſimilis fuiſſe columbæ deſuper volanti, ſeu ex aëre deſcendenti, non quidem quaſi colorem quoque columbæ fuiſſet æmulata, aut ſingulæ partes corporeæ illius formæ, expreſſiſſent ſingulas partes & lineamenta columbæ; ſed quo pacto v. gr. meteora quæ ignita ſunt, variarum rerum, atque adeò nonnunquam animalium formas, licèt non adeò diſtinctas repræſentant, & de loco quoque in locum moveri cernuntur. Veriſimile meritò eſt, igneam potius ac lucidam fuiſſe formam illam, non modò quia eadem formâ in Apoſtolos deſcendit Spiritus ſanctus; (eodem enim Spiritu, licèt ſine menſura donatus fuit Chriſtus quo Apoſtoli;) ſed etiam quia figura columbæ alatæ, nihil habet admirandi, nihil cæleſtis, nihil divini, nec Spiritus ſancti naturam ante oculos ponit, & efficaciter animis hominum imprimit. Ignis autem quippiam cœleſte eſt, & naturam ac vim, ut antea diximus & alio loco explicabimus, Spiritus S. ante oculos ponit, facileque docere poteſt, cùm quippiam ignis inſtar ſupra Dominum Jeſum deſcenderet, nihil hîc accidiſſe vulgare, quale fortaſſe videri potuiſſet, ſi id quod columbam ad vivum repræſentaret, ſupra ipſum deſcendiſſet, cùm non immeritò dubitari poſſet, utrum in eo aliquid divinitatis fuiſſet. Quare eo pacto, quo corpus igneum columbæ deſcendenti ſimile eſſe poteſt, eo pacto formam illam corpoream, in qua Spiritus S. deſcendit, columbam deſuper volantem expreſſiſſe arbitramur; ita nimirum ut & magnitudo ac partium proportio, quæ figura proprie dicitur, non abhorreret à columbæ magnitudine ac figura, & columbam expanſis alis volantem, & ſe per aëra demittentem, æmularetur. Ex quibus id liquet Spiritum S. nullius perſonæ imaginem tunc geſſiſſe, aut formam aſſumpliſſe. Cùm verò ſub ſpecie linguarum diviſarum ac flammarum quarundam Apoſtolis apparuit, nullius perſonæ ſpeciem induiſſe manifeſtum eſt. Itaque ſi ex forma quam aſſumpſit Spiritus S. colligi poteſt utrum perſona ſit nec ne, nos valide concludemus illum perſonam non eſſe, quandoquidem figuram ſuſtinuit earum tantùm rerum quæ perſonæ non ſunt. Et ſanè hoc argumentum noſtrum plus habet probabilitatis quàm ipſorum. Cur enim aliâs ſi apparere voluit, non hominis imaginem, ſub qua Deus ipſe in viſionibus, tum apud Danïëlem, tum in Apocalypſi apparuiſſe legitur, & ſub qua Angeli, ſive Dei perſonam aliquo modo ſuſtinuerint, ſive ſuam, apparuiſſe dicuntur, aſſumpſit, quæ perſonæ eſt conſentanea? Ut taceam illos qui Spiritum ſanctum perſonam eſſe credunt, ipſumque adeo Deum ſummum, hoc argumento uti non poſſe, quòd Deus ſummus ex cœlo non deſcendat, ac proinde perſonam ipſius ſub ea figura revera latuiſſe ſtatui nequeat. Præterea cùm Spiritus S. ſub pluribus linguis, cùm in Apoſtolos deſcenderet, apparuerit, potuerintque illi locis à ſe eſſe diſjuncti, neceſſe eſt ſtatuere, vel plures eſſe Spiritus Sanctos, vel figuram iſtam ad ipſius perſonam probandam nullum planè robur afferre. Quod ſi ut hæc abſurda effugiant, dicere velint de Spiritus ſancti donis ibi ſermonem eſſe, & illa pluralitate linguarum fuiſſe repræſentata, jam ex illis ipſis quæremus, quo pacto illa ſub forma corporea apparuerint, cùm ea nequaquam aſſerant ſubſtantias quaſdam eſſe per ſe ſubſiſtentes, adeò ut unà nobiſcum difficultatis hujus ſolutionem quærere debeant; quam tamen illi non facile, niſi nobiſcum tandem de Spiritu S. ſentiant, invenient. Augere hanc difficultatem hoc quoque poteſt; quòd in S. L. legamus Deum de Spiritu Moſis ſeparaſſe & dediſſe aliis, & quidem 70 viris, Num. XI. 17, 25, qualis ſeparatio ac diviſio, non videtur ulla ratione cadere poſſe in rem quæ nullas partes habeat, quæ à ſe invicem ſeparari, & de uno ſubjecto in aliud tranſire queant; id quod nonniſi ſubſtantiarum corporearum eſt.

Spiritum S. non eſſe ſubſtantiam, ſed qualitatem.

Quid ergo? Num ſtatuemus Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiam quandam corpoream? At corpoream eſſe nemo hactenus agnovit. Subſtantiam autem eſſe, ne id quidem rationes permittere videntur. Nam cùm ſatis apertè in S. L. appelletur virtus altiſſimi, vel virtus qua ex alto induantur homines; virtus autem propriè loquendo qualitas quædam ſit, Spiritum S. etiam qualitatem eſſe conſentaneum eſt. Niſi dicere velis, virtutis nomen impropriè ſumi: quod tamen, ſi rationes illæ ſolvi poterunt quas antea attulimus, admittendum eſſe non apparet, cùm ſine gravi cauſa à verborum proprietate diſcedendum non ſit. Adde quòd Spiritus S. opponatur afflatui Diabolico & mundano, eique ex adverſo reſpondeat. Hic autem cùm ſubſtantia quædam non ſit, ne illum quidem eſſe credendum eſt.

Quomodo ergo hæc inter ſe conciliabimus? Reſpondemus Spiritum ſanctum quidem per ſe, & (ut in ſcholis loquuntur) abſtractè ſumptum, qualitatem revera eſſe, non ſubſtantiam, eam tamen qualitatem in materia quadam quæ per ſe ſubſiſtat recipi poſſe, & ei ita imprimi, ut per eam deferatur eò, quò à Deo deſtinetur, & homini communicetur: non quòd aliter fieri nequeat, ſed quod ita tamen fieri queat, ac nonnunquam cùm ipſa res poſtulare videtur, ſoleat. Nihil enim prohibet quo minus ſpiritualis vis ſeu qualitas materiæ alicui, præſertim ſubtili ac cœleſti, & ejus naturæ valdè congruæ, imprimatur. Simile quid videre eſt in ſpiritibus animalibus, per quos omnium ſenſuum operationes perficiuntur, & totum corpus à ſpiritu vivificatur. Et ne in naturalibus tantùm hæreamus, fructus quoque arboris ſcientiæ boni & mali, vim ſanè cœleſtem & valdè admirabilem in ſe continuit, & in primis noſtris parentibus comeſtus exeruit, apertis illorum oculis, ut cernerent quid malum, quid bonum, quid decorum, quid indecorum, & nuditatem ſuam indecoram eſſe animadverterent. Ne de fructu arboris vitæ, quæ itidem admirabilem quandam in ſe virtutem continuit, nunc quicquam dicamus. Vis etiam illa quæ in

ſemi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſeminibus latet, ſpiritualis eſt, & tamen materiæ alicui adhæret; ſimiliterque virtutes corporum cœleſtium; &, ut ad ſenſum tranſeamus, lux quæ ad ſpiritualia videtur proximè accedere. Jam verò quemadmodum inter alia odor & color nunc pro ſola qualitate ſumitur, nunc pro ipſis rebus odoriferis, aut colore aliquo tingentibus, & qualitates iſtas in ſe habentibus; ita etiam de cœleſti luce, & de Spiritu ſancto, inquam, ſtatuendum eſt, illud per ſe quidem qualitatem eſſe, ſed ejus nomine deſignari illud ipſum quoque ſubjectum, ſeu materiam, quæ qualitatem iſtam divinam in ſe habet, & per quam in hominis pectus, quando ita vult Deus, ea defertur. Poſteriori ergo modo in concreto ſumitur, priori in abſtracto, qui modus eſt proprius, ille alter metonymicus. Et iſto modo Spiritum ſanctum ſubſtantiam quandam eſſe, eamque corpoream, (hoc eſt, talem quæ quantitatem & extenſionem quandam habeat, ut Philoſophi corporis nomen ſumunt, licèt aliàs ſpiritualis ſit, cùm ſpirituale quoque corpus ſit) non eſt negandum. Eoque pacto defendi poſſunt ea de quibus ſupra egimus, motus nempe localis Spiritus ſancti, & figura ſeu ſpecies corporea quam ſuſtinuerit, itemque diviſio in partes; de qua tamen poſtea accuratius agemus, viſuri utrum ea proprie an figuratè ſit accipienda. At ſi abſtractè & planè propriè ſumatur divinus Spiritus, nihil eorom competere ei affirmamus.

Poſtquam jam indagavimus genus Spiritus ſancti remotum, & ut vulgò vocatur, ſummum, dum eum qualitatem quandam eſſe oſtendimus; de genere propiore non multum nobis laboris reſtat, cùm id ipſæmet Sacræ literæ nobis ſuppeditent, & nos ex eo genus ſummum collegerimus; quandoquidem jam non ſemel diximus, Spiritum ſanctum, *virtutem*, Græcè δύναμιν, hoc eſt, potentiam ac vim ad aliquid efficiendum aptam, & eſſe & in S. L. appellari. Loca ubi ita appellatur jam paulò ante indicavimus, Luc. Cap. 1. & ultimo. Eodem pertinet quod dixit Petrus, 1 Epiſt. 3. 18. *Chriſtum mortificatum quidem carne, vivificatum autem Spiritu.* Paulus, 2 Cor. 13. 4. ait, *Eum crucifixum eſſe ex infirmitate, ſed vivere ex potentia Dei.* Cum quibus conſentit illud quod Spiritus ſanctus *digitus Dei* appellatur, Luc. XI. 20. Quod enim ibi dicit Chriſtus, ſe in digito Dei ejicere dæmonia, id apud Matthæum dicit ſe in Spiritu Dei ejicere dæmonia: ubi Spiritum S. intelligi ex ℣. 32 Cap. 12, cum hoc collato, ſatis patet; præſertim ſi conferantur ea quæ apud Marcum Cap. 3 leguntur. Digitum autem Dei ſumi pro virtute atque efficacia divina, qua aliquid operatur, vix eſt qui per ſe non agnoſcat. Quia enim homines digitis plurima ſolent efficere atque operari, ideò ea virtus qua Deus præſtantiſſima quæque operatur, Dei digitus appellatur. Huc etiam pertinet quod Spiritus Dei opponitur robori ac potentiæ humanæ, apud Zachar. 4. 6.

Quomodo Spiritus S. qui in Deo reſidet, in homines effundi poſſit.

Sed ulterius progredientibus non parva objicitur difficultas. Nam cùm Spiritus S. non quævis virtus ſit, ſed virtus altiſſimi Dei, ut expreſſe apud Lucam Cap. 1 appellatur, quemadmodum & digitum Dei appellari modò vidimus; Dei autem virtus ſeu δύναμις, hoc eſt, potentia, naturaliter in ipſo reſideat, nec in aliud ſubjectum tranſire aut tranſfundi poſſit, niſi ipſam Dei ſubſtantiam cui inhæret, vel quæ eadem cum ipſa vulgò eſſe creditur, ſimul tranſfundi dicamus; Conſequens eſſe Spiritum S. in Deo naturaliter reſidere, nec effundi in homines, iiſque communicari revera poſſe; quod poſterius aperta fronte S. L. repugnat, eamque ob cauſam nos quoque prius iſtud ſupra negavimus. Quid ergo? Num duplicem eſſe Dei virtutem ſtatuemus, quarum altera in Deo reſideat, altera extra Deum conſiſtere queat? Atqui Spiritum S. qui in homines effundatur ex Deo progredi aut procedere aſſerunt S. L. unde colligi poſſe videtur eum antea in ipſo Deo fuiſſe. Quam ob cauſam etiam in eo Deus habitare dicitur in quo Spiritus ſanctis habitat. Reſpondemus virtutem Dei, quemadmodum & in aliarum rerum virtutibus ſeu viribus accidit, dupliciter ſumi, vel pro qualitate quadam ipſi penitus inhærente, ſeu in ipſo naturaliter reſidente, vel pro vi quadam ab iſta qualitate, quæ in ipſo reſidet, manante, & naturam ejus ut ita dicam referente, quæ inter ipſam & inter effectum in certo aliquo ſubjecto producendum veluti media eſt. Exemplis ſimilibus res intelligetur. In ſpiritu noſtro, qui anima à Philoſophis appellatur, virtus quædam eſt vivifica, quæ ipſi proprie inhæret, nec ab eo ſejungi poteſt. Verùm ab eo manat vis quædam alia quæ per ſpiritus animales in totum corpus diffunditur, & membra omnia proximè animat. In corporibus cœleſtibus vis quædam eſt lucida, à qua lumen manat, ejus virtutis naturæ planè conſentaneum, per quod res proximè illuſtrantur. Sic in aſtris qualitates quædam ſunt, à quibus virtutes quædam, quas influentias vocant, manant. Quemadmodum etiam in calore qui ipſius ignis ſubſtantiæ inhæret, calor ſimilis in aërem circumfuſum, aliaque corpora illi admota, dimanat. Eandem virtutis diſtinctionem in reliquis omnibus rebus, quæ virtutes ſeu potentias naturales, ut in ſcholis loquuntur, activas habent, deprehendere licet. Jam verò Spiritus S. ſeu afflatus ille divinus, de quo agimus, cùm hominibus inſpiretur, & in eos effundi dicatur, non prioris ſed poſterioris generis virtus eſt, ut res ipſamet ſatis indicat, & nihilominus recte ex vel à Deo egredi ſeu procedere dicitur. Nam de omnibus iſtius modi virtutibus, quas cum Spiritu S. ſimilitudinem quandam habere diximus, ſimili utimur metaphora, ut dicamus eas ex rebus illis à quibus proficiſcuntur, effluere, emanare, prodire. Nam licèt ipſæmet propriè loquendo, in ſubjectis iſtis non extiterint; earum tamen fons & cauſa propria proximaque in iſtis ſubjectis exſtat. Videmus ſanè, ea quoque dici ex aliqua re egredi, quæ licèt actu in ea non extiterint, inde tamen originem trahunt. Hoc enim pacto Mar. 7: 21, 23, dicitur ab intus (ἔσωθεν) ex corde hominum egredi ſeu procedere (Græcè ἐκπορεύεσθαι, qua voce utitur Chriſtus, cùm ait Spiritum ſanctum à Patre procedere) non tantùm malæ cogitationes, verùm etiam adulteria, ſcortationes, cædes, furta, atque adeò omnia ſcelera, quæ tamen actu ipſo in corde non exiſtunt. Quod idem de contrariis virtutibus, virtutumque actionibus intelligendum eſt. Rectè etiam eo, quod diximus, admiſſo, Deus in eo habitare dicitur, in quo Spiritus ipſius habitat; cùm in eo habeat divinæ veluti particulam naturæ, ſeu virtutem quandam à virtute naturaliter in ipſo reſidente profectam, naturæ ipſius, ut ita dicam, æmulam & apprimè conſentaneam.

Qualis virtus Dei ſit Spiritus ſanctus.

Vidimus ergo hactenus cujuſmodi virtus ſit Spiritus S. nempe ejuſmodi quæ non in ipſo Deo, cujus virtus dicitur, naturaliter reſideat, ſed ab ea promanet ſeu procedat, & mirabilium operum proxima ſit effectrix. Quod ut aliquantò dilucidius fiat, ita nobis videtur res eſſe explicanda. Primò omnibus notum eſt, eſſe in Deo virtutem quandam omnipotentem, ſeu omnia quæ contradictionem nullo modo involvunt efficere valentem. Ea ad nullum effectum producendum per ſe ipſam determinata eſt, quemadmodum vires rerum naturalium; ſed determinatur à Dei voluntate, ita ut nunc hunc, nunc illum effectum, nunc in hoc, nunc in illo ſubjecto, aut etiam in eodem ſubjecto diverſum producat, prout divina voluntas ſtatuerit, eamque exercere voluerit. Quemadmodum ergo à corpore lucido lumen manat, eaque illuſtrat quæ illuſtrari ſunt apta, & à calore ignis calor, quia iſtarum qualitatum natura ita fert; ita à Dei virtute in ipſo naturaliter reſidente, & ad certos effectus in homine producendos per divinam voluntatem determinata, proficiſcitur vis quædam inter ipſam & effectus illos veluti intermedia, quæ Spiritus, & quidem ſanctus, ſi hominem ſanctificet, dicitur.

Diximus autem ſuprà eam vel ſine medio in res illas ferri, atque in his ſe exercere, in quibus effectus iſti exiſtere debent, ita nimirum ut recipiatur interea in

aliqua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aliqua materia ſeu ſubjecto, per quod transferatur in eum uſque locum, in quo vim ſuam exercere debet, vel etiam per ejuſmodi medium hominibus communicari & in eos tranſfundi. Poteſt enim Deus ſine ullo medio in animos hominum infundere ſcientiam rerum cœleſtium, aliaque ſimilia; quod cum facit, Spiritu ſuo eos afflare dicitur. Conſtat quoque res naturales ſimilem vim habere; ſiquidem videmus magnetem ferrum movere per tabulam aut aliud aliquod corpus interjectum, quod tamen ab eodem minimè afficitur. Sic colores & figuræ rerum viſibilium afficiunt viſum, & ſpeciem ſui oculis imprimunt, cùm in intermedio corpore perſpicuo nihil tale appareat. Ut alia quædam omittam, quæ Ariſtoteles de ſomniorum cauſis diſputans tradit; quæ licèt veriſſima eſſe videantur, vulgo tamen non ita facilè probari poſſent. Influentiæ etiam aſtrorum corpora terreſtria afficiunt, iiſque communicantur, abſque corporea aliqua materia interveniente. Quod ſi in aëre eas recipi dicas quodammodo, ſtatuendum tamen eſt, non actu ibi eſſe, quemadmodum de ſpeciebus viſibilibus diximus, nec ſucceſſivè per illum deſcendere, quod fieret ſi alicui materiæ prius reipſa inhærerent, quàm corpora ea afficerent, in quibus vim ſuam exerere debent.

Hoc modo legimus apud Lucam, cap. 6: 19. *virtutem* ſeu efficaciam *à Chriſto egreſſam eſſe, & ſanaſſe omnes*. Et Marc. 5: 30. quòd ex ipſo *virtus egreſſa eſſet*, qua nimirum à fluxu ſanguinis ſanata erat quædam fœmina. Quod non videtur ita intelligendum, quaſi quippiam ſubſtantiale extra ipſum egreſſum fuiſſet, ſeu egreſſu locali & contactu quodam propriè ſic dicto homines ægrotos ſanaſſet; ſed tantùm quòd virtus in Chriſto habitans ſeſe extra ipſum exeruerit, & omnes qui ipſum contingerent, quoſque ſanare vellet, à morbis liberarit; cùm interea vis ſeu efficacia à virtute Chriſti interiore manans, non exciperetur à materia aliqua, & ad homines ſanandos deferretur. Ait autem Marcus loco dicto, Chriſtum in ſe ipſo cognoviſſe virtutem ex ſeſe egreſſam, quia Spiritus in ipſo habitans, & cum Spiritu ipſius conjunctus (in corda enim Spirius ſanctus mittitur, ut ait Apoſtolus, ad Galat. 4: 6.) vim ſuam exerere non potuit, & ſeſe veluti commovere, quin Chriſtus id in ſe ipſo ſentiret ſpirituque ſuo cognoſceret. Non eſt autem mirandum, ex efficacia divina quæ in Chriſto habitavit, quæque à virtute divina promanavit, iterum aliam virtutem atque efficaciam quodammodo manaſſe. Nihil enim prohibet quominus ab eo calore, quem calor ignis in alio ſubjecto excitaverat, iterum vis aliqua in alia corpora dimanet, & in iis ſeſe exerat, & quidem tantò major, quantò major eſt ille ipſe calor, qui ab igne proximè fuerat profectus. Quod idem etiam in aliis exemplis cernere licet. Jam verò Chriſto tanta fuit conceſſa Spiritus divini copia, ut ex ea admirandi effectus proficiſci, & in aliis hominibus perfici poſſent.

De altero autem modo quo Spiritus ſanctus hominibus communicetur, non per medium aliquod ſeu materiam, in qua virtus divina illa cælitus deferatur ad homines, jam egimus ſuperiùs hoc ipſo capite, ubi exemplis rem illuſtravimus. Ex quibus apparet Deum ideo medio ejuſmodi eſſe uſum, quia rem ipſam oculis quoque ſubjicere voluit, ac proinde Spiritum ſanctum corporea quadam ſpecie veſtitum, quam nonniſi in natura quadam exiſtere poſſe ſupra docuimus, demiſit. Credibile etiam nobis eſt, id quod ex iis etiam exemplis aliqua ratione colligitur, ideo id Deum feciſſe, quia perfectiori quadam ratione voluerit eos Spiritu ſuo donare, quibus eum iſto pacto eſt largitus, quàm aliis. Nam in aliis pleriſque Deus tantùm qualitates quaſdam admirandas, & naturæ modum ſupergreſſas, efficere afflatu ſuo divino voluit: quam ad rem non fuit neceſſe ut Spiritus S. iſtarum qualitatum effector perpetuò in iis reſideret, ſed ſatis fuit eo vel ſemel afflari homines, ut qualitates, iſtæ hominibus imprimerentur, quibus illi poſtea pro arbitrio uti poſſent, vel ſæpius afflatum illum divinum repeti. Sed in Chriſto atque Apoſtolis, quanquam magis in illo, voluit etiam Deus reſidere vim quandam, quæ non modò in illis ipſis quibus inerat, varios diverſo tempore ederet effectus, verùm etiam non rarò in aliis. Quod ſi quis putet de Apoſtolis id dici non debere, in quibus vis hujuſmodi perpetuò non reſederit, nos quidem cum eo non admodum contendemus, cùm fieri potuiſſe videamus, ut non prorſus perpetuò in illis reſederit, quæ illis primò rerum divinarum ſcientiam, aliaque ſimilia dona, quæ in illis perpetua exiſtimari debent, fuit largita. Quanquam rurſus probabile eſt, eam etiam ab initio ad tempus non breve in illis duraſſe, & poſtea quoque, cùm opus eſſet, idem illis contigiſſe.

Quomodo Spiritus ſanctus ſit deſcribendus.

Ex his ſatis jam conſtat, qualis ſit Dei virtus Spiritus S. ſeu quo pacto virtus Dei appelletur. Verum quia ea quæ hactenus diximus, communia ſunt cuivis divino afflatui ſeu Spiritui, atque imprimis bono; oſtenſum autem eſt à nobis ſuperius, non omnem Dei Spiritum, quamvis bonum, ſanctum dici; ideò memoria repetendum eſt, quod jam tum occupavimus dicere, cùm de voce ageremus, quænam ſit differentia, qua Spiritus ſanctus diſtinguatur ab aliis Dei afflatibus, licèt bonis. Eam verò hanc eſſe oſtendimus; quòd is demum Spiritus Dei dicatur ſanctus, qui hominem Deo conſecret, & non tantum bonum quendam effectum in eo pariat, ſed etiam hominem, ut ita dicam, ſupra hominem elevet, & in eo tale quippiam pariat, quod hominis viribus perfici nulla ratione queat, uſibuſque divinis revera ſerviat, quales ſunt ii maximè, qui terram carnemque quàm minimum ſapiunt. Quare ejuſmodi poſſumus Spiritus ſancti conſtituere deſcriptionem, quòd ſit *Virtus Dei à Deo in homines manans, eoſque conſecrans*. Seu mavis, *Effectus in illis pariens humanis viribus majores, eoſque divinis uſibus aptos reddens*. Quod ſi ultimam hanc particulam detraxeris, habebis definitionem quandam Spiritus ſancti generatim ſic dicti. Si quid eſt quod huic definitioni poſſit objici, id alibi quantum opus erit à nobis refutabitur; ac nominatim illud quod plures videantur hoc pacto Dei Spiritus conſtitui, cùm tamen unus in S. Literis eſſe dicatur: qua de re ſequenti ſtatim capite videbimus.

CAPUT SECUNDUM.

Num aut quatenus Spiritus Sanctus dividi queat.

CUm duplex ſit diviſio, altera univerſalis in ſua particularia, hoc eſt vel generis in ſuas ſpecies, vel ſpeciei in individua; altera totius in partes; videndum nunc eſt, an una vel utraque harum diviſionum, aut quatenus in Spiritum S. cadant. Et priorem quidem diviſionem, quæ eſt univerſalis in particularia, locum hîc non habere, inde quiſpiam collegerit, quòd Spiritus ſanctus videatur eſſe numero unus, ſeu unicum individuum; cujus proprium eſt ut nequeat in plura ejuſdem nominis diſtingui, niſi forte eædem ſint partes, & (ut vocantur) ſimilares; in quas ſi diſtributio fiat, ea non primi ſed ſecundi generis diviſio erit. Spiritum autem ſanctum unum quoddam eſſe individuum, inde conſtare videtur, quod 1 Cor. 12. 4 ita legimus; *Diviſiones donorum ſunt, idem autem Spiritus; & diviſiones miniſteriorum ſunt, unus & idem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, ſed idem Deus, qui illa operatur omnia in omnibus*. Et infrà ℣. 11. poſtquam Apoſtolus varia Spiritus ſancti effecta enumeraſſet, ait; *Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens unicuique privatim, quemadmodum vult*. Et rurſus ℣. 13. ut probet nos omnes unum corpus conſtituere, ait; *Nos omnes in uno Spiritu in unum corpus baptizatos eſſe, & omnes in unum Spiritum potatos*. Quæ verba omnia indicare videntur Spiritum S. unum tantùm eſſe numero, cum ea in parte cum Chriſto qui ſit unus Dominus, & cum Deo ſummo qui etiam unus ſit, conferatur: at Chriſtus unus eſt Dominus, ſimiliter & Deus ſummus.

Quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quomodo ſit unus.

Ut igitur quid hac de re ſtatuendum videatur explicemus, duplici ratione Spiritum conſiderari poſſe dicimus, vel collectim, vel diſtributim; ſeu, ut rem clarius explicemus, vel omnes divinos afflatus tanquam totum aliquod conſiderari poſſe, quemadmodum plures aquæ ſimul junctæ & veluti collectæ, vel ſingulos ſeorſim. Si priori modo conſideretur, ſpectandus eſt Spiritus S. tanquam unum quoddam individuum, quemadmodum etiam Oceanus & quodvis aliud mare vel flumen, unum quoddam eſt individuum, licèt plures, ut ita dicam, aquas in ſeſe contineat, quæ tamen omnes una aqua dici queunt. Quo pacto etiam v. gr. dicitur Iſraëlitas, olim in deſerto eundem potum ſpiritualem bibiſſe, aquam nimirum ex petra fluentem; quo exemplo tantò libentius utimur, quòd Spiritus ſanctus in S. L. aquæ nomine non ſemel efferatur; unde & ablui & eo homines potari baptizarique dicuntur. Eſtque inter alia nobilis locus apud Johannem Cap. 7: 38. Vide & Ezech. 36. 25. Eſai. 44. 3. & 55. 1. & hunc ipſum de quo potiſſimùm agimus locum, 1 Corinth. 12. ℣. 13. ubi eo baptizari & potari dicuntur Chriſtiani. Eſt nempe Spiritus S. divinæ virtutis quidam effluxus, quanquam non continuus, eadem ſemper copia ac ratione promanans; quandoquidem non naturalis, ſed voluntarius ac divino arbitrio penitus ſubjectus. Cùm enim & ab eodem fonte manet, & res ſit quædam generalis, non mirum eſt quòd unus idemque eſſe dicatur, & cum Deo ac Chriſto ratione unitatis conferatur; licèt interim inſtar rivi aut fluminis diverſas habeat partes, quibus ſinguli potentur, baptizenturque. Neque enim adeò premenda eſt Spiritus S. illa cum Deo & Chriſto comparatio, ut inde colligatur, unum prorſus eundemque afflatum, ſeu eandem fluminis iſtius cœleſtis partem ſingulis contingere. Nam ſimilitar etiam cum Deo & Chriſto ratione unitatis confertur fides & baptiſmus, Eph. 4: 4, 5. cùm tamen non una & eadem numero fides omnibus Chriſtianis competat, ſed eadem ſpecie ac natura ac circa eadem objecta verſans. Similiter & baptiſmus ſpecie unus; quod etiam de ſpe in qua vocati ſumus, dici poteſt, quæ eodem loco una eſſe dicitur. Quare ad unitatem Spiritus ſancti, cujus ratione cum Deo & Chriſto confertur, ſufficit unitas illa quam diximus, hoc eſt & ſpeciei, ſeu mavis generis & originis, ſeu fontis qui numero unus eſt. Hoc autem modo conſideratur Spiritus ſanctus iis ferè in locis, in quibus ſpectatur tanquam effector rerum ſeu donorum variorum in diverſis hominibus, ſive eodem ſive diverſo tempore exiſtentibus.

Quomodo ſint plures, & quidem ſpecie diverſi.

At ſi Spiritum ſanctum poſteriori modo conſideres, ita nimirum ut hoc nomen ſignificet quemvis afflatum ſingularem, & ut ita dicam hauſtum de cœleſti flumine, jam quivis videre poteſt plura eſſe ejus individua; ita ut Spiritus ſanctus ſit genus vel ſpecies quædam, individua ſub ſe continens. Plura ejus eſſe individua nemo, qui modo rationem conſulere velit, negare poteſt. Sed id poteſt dubitari, utrum Spiritus ſanctus hoc modo ſumptus, unus ſit genere tantùm, an verò etiam ſpecie, ut in ſcholis loquuntur, infima ſeu ſpecialiſſima. Accuratè rem æſtimantibus, prius potius ſtatuendum videtur. Nam omnibus quidem illis afflatibus commune eſt, eſſe divinam virtutem ſeu efficaciam. Verùm cùm potentiæ eæ ſpecie inter ſe differant, quæ natura ſua ad diverſos effectus producendos ſunt deſtinatæ, non omnis autem divinus afflatus eidem effectui producendo natura ſua deſtinatus ſit, ſed alius ad hunc, alius ad illum, apparet ſpecie unum ab altero diſcrepare; quanquam multi etiam qui ad eundem effectum efficiendum pertinent, ſpecie etiam inter ſe conveniunt. Quo pacto contingeret ſi ex eadem ſcaturigine manaret aqua, cujus aquæ una, ut ita loquar, vena vel particula, ad hunc vel illum morbum ſanandum faceret, alia verò ad alium: quanquam tum ſubjectum ipſum, nempe aqua, ſpecie eſſet una, virtutes tamen ſeu potentiæ illæ in aqua exiſtentes, ſpecie inter ſe differrent. Interim tamen quia ex eodem fonte manat, major eſt inter utramque conjunctio atque unio, quàm inter alia, quæ non modò unius ſunt generis, verùm etiam ſpeciei. Unius enim tantùm individui diverſas partes repræſentant, quemadmodum antea explicatum & oſtenſum eſt.

Diviſio Spiritus S. in partes.

Hactenus de priore diviſionis genere actum eſt, hoc eſt de diſtributione univerſalis in particularia, & quatenus ea Spiritui ſancto poſſit accommodari eſt diſputatum. Sequitur ut de altero quoque agamus, hoc eſt de diſtributione totius in partes, de qua nonnihil jam dicere cœpimus. Ea duplex in S. L. commemoratur, altera Spiritus Sancti ſimpliciter, altera certo alicui homini dati. Prioris ſit mentio Hebr. 2. 4, ubi commemorantur μερισμοὶ hoc eſt partitiones ſeu diviſiones Spiritus ſancti. Vox autem Græca, uti notum eſt illis qui primis labiis linguam hanc guſtarunt, propriè diviſionem in partes denotat, ſeu, ut ipſi jam reddidimus, partitionem. Neque verò eſt quod quiſpiam arbitretur, activè hoc nomen ad Spiritum ſanctum referri, non paſſivè, hoc eſt Spiritum ſanctum iſtic dici diſtribuiſſe, non verò diſtributum eſſe. Nam alioqui debuiſſet mentio fieri rei diſtributæ, cùm nimis nudè nimiſque inuſitatè dictum foret, Deum teſtimonium dediſſe prædicationi Euangelii diſtributionibus quas feciſſet Spiritus ſanctus. Statim enim lector deſideraret mentionem ejus rei, quam Spiritus ille diſtribuerit, cùm præſertim nulla ejus in præcedentibus facta fuerit mentio. At tunc plena eſt oratio, & ad id efficiendum quod voluit auctor nimium efficax, ſi videatur Spiritum ſanctum fuiſſe diſtributum. Ut taceam hoc loco Deum, qui à Spiritu S. diſtinguitur, tanquam agentem revera conſiderari; ut verba ipſa ſatis indicant. Conſtitutum igitur eſto hîc Spiritum S. diſtributum dici. Memorat autem divinus auctor non diſtributionem, ſed diſtributiones tanquam plures; propterea quòd diverſis temporibus iſtiusmodi partitio ſeu diſtributio fuerit repetita, reſpectu diverſorum hominum, quibus Spiritus S. fuit donatus, quemadmodum tum Acta Apoſtolica, tum Epiſtolæ teſtantur. Diſtributio hæc in eo conſiſtit, quòd ex illo divini Spiritus flumine, prope ſinguli Chriſtianorum hominum hauſerint tantum quantum ſatis fuit; ita ut non tantùm ſinguli ſingulis afflatibus complerentur, verùm etiam diverſis fere donis ſeu facultatibus ad Eccleſiæ ædificationem utilibus inſtruerentur: etſi idem donum ſortirentur inæquali menſura, quemadmodum conſtare poteſt ex 1 Cor. 12. à ℣. 4, uſque ad finem. Ubi cur Spiritui S. diſtributio activè tribuatur, itidem ℣. 4 declaratur. Confer cum eo loco cap. 4. ad Epheſ. ℣. 7, & 11. Oſtenſum autem jam eſt ſuperius quomodo ſinguli afflatus divini, qui ſingulis credentibus contingant, tanquam partes quædam conſiderari poſſint unius Spiritus ſancti, ut nihil ſit opus hîc repetere. Illud præterea hoc loco, antequam ad alterum partitionis genus tranſeamus, conſiderandum videtur, licèt etiam cap. ſequenti, ubi de adjunctis Spiritus ſancti agemus, locum habere queat, quo pacto Spiritus, vel non ex menſura dari videatur ſeu dicatur, vel certâ menſurâ credentibus dari, ſi non aſſeratur, ſaltem indicetur. Menſura enim earum demum rerum eſt, quæ partes habent ſecundùm quas dividi queant, & nunc copioſius, nunc minori copia dari. Itaque ibi rectè ejus ratio explicatur, ubi de partitione agitur. Jam verò prius illud, nempe *Deum non ex menſura dare Spiritum*, legitur Joan. 3. 34, quæ verba duplici ratione accipi queunt. Primùm ita ut ſubaudiatur vox *Ipſi*, vel aliqua ſimilis quæ Chriſtum ſolum denotet, adeoque ad ipſum ſolum dictum hoc reſtringat. Quo quidem pacto plerique omnes hæc verba accipiunt; ut ſenſus ſit, Deum Chriſto, non ut cæteris hominibus, licet cæteroqui legatis ſuis, ſibique charis, portionem aliquam tantùm Spiritus ſui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

veluti admenſum eſſe, ita ut tantùm aliqua Spiritus S. chariſmata ſeu dona in ipſo extarent, & non omnium divinorum myſteriorum, ſed aliquorum tantùm, conſcius hoc pacto evaderet; Sed omnem Spiritus S. vim, omnem donorum ipſius copiam in ipſum largiſſimè effudiſſe; ita ut nulla eſſet Spiritus ſancti, ut ita loquar, portio, nulla vis aut donum, quod in ipſo non extaret. Qui ſenſus ſi admittatur, menſura hîc intelligetur ratione donorum, quæ Spiritus S. in homine efficere poteſt aut ſolet, ita ut qui omnia habet non ex menſura, (hæc enim dona veluti partes quædam divini Spiritus, vel divinæ virtutis conſiderari queunt) ſeu mavis Spiritus S. ratione donorum iſtorum, vel majori vel minori copia dari cenſendus eſt. Unde videmus non tantùm ita dividi poſſe divinum Spiritum, ut ſinguli afflatus, qui nimirum diverſis hominibus contingunt, tanquam partes quædam unius Spiritus divini conſiderentur, quemadmodum ſuperius explicavimus; verùm etiam ut diverſæ facultates illius Spiritus ad diverſos effectus in hominibus pariendos accommodatæ, pro quibuſdam illius partibus habeantur.

Sed eſt adhuc alius iſtorum Joannis verborum, de quibus hactenus egimus, ſenſus, & haud ſcio an magis genuinus, nempe ut oratio ſit generalis, quemadmodum & verba ipſa præ ſe ferunt. Nam nec nomen Chriſti, aut quippiam aliud quod idem valeat, ibi extat, ut neceſſe ſit intelligere Deum Chriſto nominatim non ex menſura dediſſe Spiritum. Neque ibi eſt verbum præteriti temporis *Dedit*, ſed *Dat*, quod continuationem quandam actionis ſignificat, ſeu non de eo quod jam antea præterierit, ſed quid fieri ſoleat, ſermonem eſſe indicans. At Deus tunc, cum Joannes iſta loqueretur, non dabat, ſed jam dederat Chriſto Spiritum, non ex menſura. Quare verbo præteriti, non autem præſentis temporis, utendum illi fuiſſet, ſi de Chriſto ſolo loqui voluiſſet. Neque verò eſt ut dicas, primùm Ellipſin eſſe pronominis relativi, quod Chriſtum deſignet, deinde Enallagen temporis, præſentis pro præterito. Nam id quidem tum admittendum eſſet, ſi ratio aliqua hujus rei ſat gravis adferretur, quæ ita faciendum eſſe doceret, quæ hìc nulla apparet. Nam ſi dicas, niſi Ellipſis iſta atque Enallage admittatur, eaque ratio generalis ſtatuatur, ſecuturum Deum non tantùm Chriſto, verùm etiam aliis, non ad menſuram dare Spiritum ſuum, hoc eſt immenſam illam copiam concedere; id quod & noſtræ ipſorum ſententiæ & Paulo adverſetur, aſſerenti *unicuique noſtrum datam eſſe gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti*; quod de Spiritu ſancto ejuſque donis intelligendum eſſe nemo non videt: Reſpondemus, etiamſi verba hæc ad Chriſtum non reſtringantur, non ſecuturum tamen cuilibet, cui Spiritus ſanctus à Deo detur, immenſam illius copiam dari. Ita enim poterunt ea verba accipi, ac ſi dictum eſſet, Non enim ſolet Deus ex certa aliqua menſura dare Spiritum, ita nimirum ut qua menſura uni dedit, eadem etiam det alteri, ſed menſura ac copia diverſa, prout ipſimet placet. Qui quidem ſenſus optimè & cum ſuperioribus, & cum antecedentibus & cum ſequentibus cohæret. Occupare enim videtur in iis Joannes objectionem quandam, quæ contra ſuperiora ipſius verba moveri poterat. Etenim in ſuperioribus Joannes ſe ipſum cum Chriſto conferens, oſtenderat ſe quidem ex terra loqui, Chriſtum autem qui è cælis venit, ſuper omnes eſſe, eaque loqui quæ viderit, nempe in cælis. Et in proximè quidem præcedentibus peculiari quadam ratione eum à Deo miſſum eſſe ſignificat, ac verba Dei loqui, non ſecus ac ſi ipſemet verba Dei non loqueretur, ſed quod ratione non ita perfecta, ut Chriſtus, ſed longè diſſimili. Hîc poterat aliquis objicere; quid? annon tibi Deus dedit Spiritum ſuum, qui tibi dictet quæ loquaris, adeò ut jure de te ipſo dici poſſit, non ſecus atque de Chriſto, te verba Dei loqui? Nonne par Dei Spiritus eſt in omnibus? Reſpondet Joannes, verum quidem eſt etiam mihi datum eſſe à Deo Spiritum, ſed non eadem qua Chriſto menſura, verùm longè minori copia. Neque enim Deus ſolet eadem menſura admetiri omnibus ſuis ſervis Spiritum, ſed alii plus alii minus largitur; adeò quidem ut alius præ alio tantum habeat, ut cæteri vix cum ipſo, ac ne vix quidem comparari poſſint. Jam verò Chriſtus, quem mihi hoc loco tantopere præfero, non qualiſcunque ſervus eſt, ſed dilectiſſimus ipſius Filius, cui proinde Pater, ex ſua erga ipſum charitate, omnia commiſit, omniaque dedit quæcunque ad hominum ſalutem ulla ratione pertinent, ut proinde dubitari haudquaquam poſſit, illum divini Spiritus copiâ longè me ſuperare, ita ut ego præ illo non cenſendus ſim verba Dei loqui. Ex qua verborum iſtorum explicatione patet, quomodo etiam cum ſequentibus verba cohæreant.

Jam verò Spiritum Sanctum certâ quadam menſurà dari fidelibus, ex eo loco colligi poteſt, quem paulò ſuperius adduximus è cap. 4 Epiſt. ad Epheſ. ỷ. 7, ubi ait Apoſtolus; *Unicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Ubi per gratiam intelliguntur gratiæ effecta ſeu dona, quæ Chriſtus poſtquam in cœlum aſcendit hominibus dedit, ut legitur verſu ſequenti. Quanquam enim per dona iſta, non tantùm Spiritus S. ipſe intelligi poteſt, verùm etiam illius effectus ad varia munera in Eccleſia obeunda neceſſarii, nihil tamen prohibet quo minus id quoque ad Spiritum S. ratione iſtorum effectuum transferamus; quemodum vel ex ſuperioris loci explicatione conſtare poteſt. Cenſetur enim tum eadem menſura pluribus dari Spiritus ſanctus, cùm non modo eadem dona, ſed etiam inter ſe prorſus æqualia, ſeu in eodem perfectionis gradu, conceduntur; diverſa autem menſura, cùm aliis plura, aliis pauciora contingunt, vel ſaltem aliis alia, his præſtantiora, his minus præſtantia; ac denique licèt eadem, aliis tamen perfectiora, aliis autem imperfectiora. Quænam autem aliis præſtent cap. 4. Deo volente, videbimus.

De diviſione Spiritus S. certo alicui homini.

Reliquum nunc eſt ut de Spiritus S. diviſione loquamur certo alicui homini conceſſi. De hac verò legimus Numer. XI. 17, 25. Nam priori verſiculo Deus ita alloquitur Moſem; *Separabo* vel auferam *de Spiritu qui ſuper te eſt, & ponam in eis*, nempe LXX ſenioribus Iſraëlitis. Poſteriori autem res ita facta narratur, *Et ſeparavit*, nempe Dominus, *de Spiritu qui erat in eo*, nempe Moſe, *poſuitque in LXX viris ſenioribus; & factum eſt ut requieſcente in eis Spiritu prophetarent.* Cujus rei explicatio difficultate non caret. Nam ſi verba ſpectes, dicitur aliquid demptum detractumque Moſi eſſe ejuſque Spiritui, & aliis datum; cùm tamen non ſit veriſimile Moſi revera aliquid deceſſiſſe, & Dominum ita fuiſſe parcum, ut cùm aliis quoque viris LXX Spiritum ſuum largiri vellet, eum nonniſi Moſe aliqua ratione ſpoliato, iis impertiretur. Adde quòd iſta detractio, & de homine in homines alios tranſlatio, nonniſi rei corporeæ, quæ hujuſmodi diviſionem & tranſlationem pati queat, conveniat. Quanquam autem nos ſuperiori capite, huic poſteriori difficultati viſi ſumus conſuluiſſe, cùm oſtenderemus Spiritum S. nonnunquam certæ alicui materiæ imprimi, quæ & dividi, & de loco in locum transferri, unà cum efficacia ſibi impreſſa queat, ſi quidem nulla ejus pars virtutis hujus ſit expers; tamen niſi dicere velis, tantam fuiſſe datam Moſi Spiritus ſancti copiam, ut etſi LXX viris inde decerperetur quod iis ſufficeret, nihilominus tamen Moſi abundè ſupereſſet, adeò ut nihil videretur deceſſiſſe, prior difficultas manebit. Cui ut medeamur, duplex ratio iniri poteſt, quarum alteram & Rabbini & Chriſtiani ſequuntur, quæque nobis quoque nec inelegans, nec à verbis Scripturæ videtur aliena; nempe perinde fuiſſe ablatum de Spiritu Moſis & datum ſenioribus, ac ſi plures candelæ de una candela, ſeu plures ignes de uno igne fuiſſent accenſi. Quare quemadmodum igni illi, de quo alius accenditur, nihil decedit, ita etiam nihil deceſſiſſe videtur Moſi, cùm aliis de Spiritu ipſius lumen veluti fuit accenſum. Dices non quadrare ſimilitudinem, propterea

quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quòd cum ignis de igne accenditur, ignis multiplicatur, & nova quædam flamma, quæ ante non fuerat, excitatur. Quod ſi interdum fiat, ut de altero igne videatur decerpi flamma, cùm interea tamen nihil videatur de magnitudine illius flammæ, unde decedit, deceſſiſſe, neceſſe erit (ſi viſus tum non fallit) ſubitò in decedentis flammæ locum, aliam ex eadem materia ſubitò fuiſſe elicitam, ac in ejus locum ſubſtitutam. At verò nemo facile dixerit, Spiritum ſanctum, cùm non ſit qualitas, quæ ex potentia materiæ, ut philoſophi loquuntur, educatur, multiplicari, aut ſi quid de eo decerptum fuerit, in ejus locum ſtatim ejuſdem generis virtutem ſubnaſci. Reſpondemus ſimilitudinem hanc, ut in cæteris quoque accidit, non per omnia quadrare; neque hîc intelligendum eſſe illum Spiritum qui in Moſe fuit, alium ſibi ſimilem, licèt inæquali menſura, in illis LXX viris excitaſſe ac produxiſſe, quemadmodum ignis ignem prôducit; ſed Spiritum illum divinum, qui in Moſe fuit, quique in ipſo donum Prophetiæ itemque ſapientiæ ac prudentiæ in dijudicandis cauſis ac controverſiis civilibus excitavit, Deo ita volente, in cæteris quoque ſenioribus ſimilia dona ſeu effecta produxiſſe, licèt non eadem menſura qua in Moſe: Sed quemadmodum Moſes ſupra illos omnes futurus erat, & onus omnium maximum ſuſtenturus, cæteris partem aliquam tantum oneris iſtius in ſe recipientibus, ita etiam donis iſtis, quæ diximus, cæteros longè & ſuperabat & porrò ſuperaturus erat. Oſtendimus autem capite ſuperiori, non eſſe abſurdum dicere Spiritum ſanctum, in certo quodam homine exiſtentem, præſertim ſi magna illius ſit copia, in aliis quoque, Deo vel etiam eo ipſo in quo exiſtit ita volente, vim ſuam exerere, & admirandos effectus producere, patereque exemplo eorum qui virtutem habent patrandorum miraculorum ac ſanationum, vi illius Spiritus quo ſunt præditi; quod etiam in qualitatibus quibuſdam naturalibus apparere eodem loco docuimus. Itaque ne eò quidem nobis hîc confugiendum eſt, quò tamen cæteroqui confugere jure quiſpiam poſſet; quemadmodum Spiritus ſanctus cùm in certa quadam materia ſuſceptus in Apoſtolos effunderetur, in ſingulis vim ſuam ita exeruit, ut de loco in locum tranſferretur; ita Spiritum quoque Moſi datum potuiſſe materiæ cuidam inhærere, quæ ſeparari à Moſe, ſi Deus ita vellet, poſſet, & ſic tranſlata ad breve tempus in LXX ſeniores, poſtquam vim ſuam in illis exeruiſſet, reſtitutam. Nihil, inquam, opus huc confugere, ſiquidem adeò efficax eſt Dei Spiritus, ut in uno exiſtens, ſi Deus ita velit, in multis aliis vim ſuam exerere queat. Quare propemodum lumen de lumine Moſis fuit accenſum ſenioribus iſtis, cùm particula quædam ejuſdem Spiritus vi atque ope in illis fuit excitata, & cum iis communicata. Nec immeritò dici potuit ablatum fuiſſe de Moſis Spiritu & iis datum, non quidem quod Moſi quippiam decederet, ſed quòd è Moſis Spiritu quippiam illis accederet. Eſt enim intelligenda in voce ſeparationis aut ablationis metaphora à rebus corporeis ad incorpoream ducta. Quia enim res corporeæ aliunde accipi, & alteri cuipiam communicari non poſſunt, vel non ſolent, niſi priori quippiam auferatur; ideo cùm è Spiritu Moſis manaret donum aliquod in aliquos ſeniores, quod reſpectu ejus quod in Moſe erat, partis cujuſdam rationem habere videbatur, ideò de Spiritu qui in Moſe fuit ablatum vel ſeparatum fuiſſe dicitur, quod ſenioribus daretur. Intelligendum enim eſt, effectus illos Spiritus, qui in ipſo Spiritu continentur eminenter, ſeu in eo tanquam cauſa ſua proxima latent, veluti partes quaſdam iſtius Spiritus cenſeri, quemadmodum paulò ſuperius docuimus, cùm de menſura Spiritus ſancti diverſa egimus. Et hæc de prima ratione qua difficultati ſuperius propoſitæ mederi queamus, dicta ſufficiant.

Altera ratio hæc eſſe poſſet, ut diceretur, vel non aſſerere Deum ſe de ea ipſa, ut ita loquar, Spiritus parte, quæ in Moſe, vel ſuper Moſe fuit, accepturum, ſed ſimpliciter de Spiritu qui ſuper Moſe fuerit, quique in eo donum Prophetiæ & prudentiam gubernandi & cauſas dijudicandi pepererit; non quòd totus ſeu ſecundùm omnes partes in eo eſſet, ſed quòd non exigua ejus copia ipſi adhuc ſoli inter reliquos Iraëlitas eſſet conceſſa, in Deo autem adhuc infinita ejus copia, eo quo ſuperiori capite explicuimus, modo ſupereſſet; de qua nonnihil impartiri unicuique ex LXX illis ſenioribus vellet, ita ut ei non quidem pares, ſed aliqua tantùm ratione ſimiles eſſent. Vel metaphoricè hæc eſſe explicanda, ſenſu interim eodem manente; quaſi dictum eſſet, Similem quendam Spiritum, & ſimilia dona largiar illis ſenioribus, quanquam non paria tuis, perindeque agam, atque ſi de Spiritu qui in te eſt, quippiam decerpens, darem iſtis ſenioribus. Sed de his uniuſcujuſque eſto judicium. Prior tamen ratio cùm ad verba videatur accedere propius, & per ſe nil contineat abſurditatis vel impoſſibilitatis, magis videtur probanda.

Sed tempus eſt jam ut alium adhuc videamus locum, in quo partitionis cujuſdam fit mentio ejus Spiritus qui certo alicui homini fuerit datus. Is verò extat 4 Reg. 2: 9. ubi tamen in vulgata interprætatione Latina & Græca aliter legitur, aliter in Hebræo. Nam in Græca & Latina verſione legitur, Eliſæum ita precatum fuiſſe Eliam, *Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*; quod ſignificare videtur, Eliſæum voluiſſe, ut duplò plus ſibi contingeret Spiritus, quàm Eliæ, quemadmodum ſanè verba iſta vulgò accipiuntur. At in Hebræo ita legitur, *Sit quæſo os duorum in Spiritu tuo ad me*; id eſt mihi contingat os duorum ad me in Spiritu tuo. Per *os* autem *duorum*, interpretes quidam intelligunt menſuram duorum aut portionem, quemadmodum habetur in Bibliis magnis Roberti Stephani, ubi ita annotatum habes ad verba Pagnini; Menſura duorum Spiritus tui ſuper me portio. Inquit auctor, Duorum Spiritus in me *B* pro *Min* (hoc eſt *in Spiritu tuo*, quemadmodum eſt in Hebræo, ſumitur pro *de Spiritu tuo*) hoc eſt, da ut duæ partes tui Spiritus diviſi in tres partes (id eſt gratiæ quam Deus tibi contulit) ſint in me. Noluit petere tantam ſibi fieri gratiam, quanta magiſtro, quaſi dicat, Noli me efficere tantum quantum es, ſed ſolùm da mihi duas partes tui Spiritus. Eandem phraſin habes Deut. 21. 17. Hæc ille. In eo loco ita legitur, Primogenitum filium diverſæ (ſcil. mulieris) agnoſcet ut det ei os duorum in omnibus quæ reperientur ipſi, hoc eſt in omnibus quæ habuerit: ubi os duorum ſignificat partem duplicem. Vult enim Deus ut diſtributis bonis omnibus in plures partes æquales, reliquis quidem filiis ſingulis una tantùm pars obtingat; primogenito verò, licèt ex uxore minus chara nato, duæ partes obveniant, & hæc ſit illius præ reliquis prærogativa. Non ſignificatur ergo eum duplo plus habiturum quàm pater (id enim impoſſibile eſt, ſiquidem id ex diſtributione bonorum patris, ſeu ex hæreditate paterna fieri debeat) ſed duplo plus quàm reliqui filii in quos paterna bona fuerint diſtributa. Quare cùm eadem planè phraſi utatur Eliſæus in petendo Eliæ Spiritu, facile intelligi poteſt, eum non petiiſſe duplo plus quam Elias habuerit, ſed duas illius Spiritus partes.

Sed quæri hoc loco poteſt non immeritò, Cur *os duorum* accipiatur pro portione duorum. Videtur autem inde hæc ratio fluxiſſe, quòd ſolerent patres familias liberis ſuis, atque adeò reliquis etiam ſuis domeſticis, diſtribuere cibos in ſingulos dies, & portionem quæ uniuſcujuſque ori ſufficeret, ſingulis aſſignare. Itaque *Os* ſumi poteſt pro portione ac demenſo quod ori cujuſpiam ſufficiat aut deſtinatum ſit; quæ locutio eſt metonymica. Verum dum extenditur & refertur ad res alias præter cibum, concurrit cum metonymia, etiam ſynecdoche ſpecie pro genere, vel metaphora ſynecdochica, & quidem ſi portionem cibi pro quavis portione ſumi dicas. Metaphora verò, ſi propter ſimilitudinem id quod de cibo aliqua ratione propriè dicitur ad res alias tranſferatur.

Deinde cùm duæ illæ quas attulimus verſiones con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

trarias videantur efficere ſententias, videndum quid pro utraque in medium poſſit adferri, ut ita appareat utra alteri ſit præferenda, vel ſi utrinque firmiores pugnent rationes, quàm ut penitus diſſolvi queant, ratio ineatur utramque inter ſe conciliandi.

Pro verſione igitur veteris interpretis, adverſus recentiorem ejuſque ſententiam, duo videntur pugnare. Primum eſt quod Elias illi reſpondet, *Rem difficilem poſtulaſti*. At non videtur res ita fuiſſe difficilis, ut duæ tantùm partes darentur Spiritus Eliæ Eliſæo, qui in prophetico munere ipſi ſucceſſurus erat; ſed hoc demum videtur eſſe difficile, impetrare duplum ejus Spiritus. Alterum eſt quòd non appareat, in quot partes Spiritus iſte Eliæ dividi debuerit, nec ex petitione illa, ſi ad eum modum accipiatur, quo antea explicuimus, id conſtare potuerit. Nam quòd in tres tantùm partes dividi debuerit, id abſque ratione videtur pro conceſſo ſumi. Quemadmodum enim ſi primogenito, ut antea vidimus, dandæ fuerunt duæ partes patrimonii, non ſequitur protinus in tres tantùm partes patrimonium iſtud dividi debuiſſe. (Si quis enim 20 aut 30 haberet filios, tot erant conſtituendæ partes, una ſuperaddita, quæ præ reliquis fratribus primogenito cederet.) Sic non ſequitur, quia portionem duorum, hoc eſt duas partes Spiritus Eliæ petiit Eliſæus, etiam Spiritum Eliæ in tres tantùm partes fuiſſe dividendum, & non potius in longè plures, quæ v. gr. reliquis prophetarum filiis, & Eliæ veluti diſcipulis, quorum in ea hiſtoria fit mentio, obvenirent. Quare ſalva iſtorum verborum ſententia, fieri poterat ut exigua quædam Spiritus iſtius particula Eliſæo daretur. Id quod ſuperioris rationis vim magis adhuc auget; quandoquidem ſic nihil difficile vel arduum omnino petiiſſet Eliſæus.

Pro ſententia autem illa quam ex Bibliis magnis Roberti Stephani attulimus, adverſus ſententiam vulgatæ verſionis, primò pugnat vis phraſeos, de qua egimus. Deinde illud quod nimis ſuperbum atque arrogans fuiſſet hoc poſtulatum. Quid enim id fuiſſet aliud, quàm petere ut duplò major fieret Elia, quem ipſe infrà *Patrem ſuum, currum Iſraëlis & equites* nominat, quemque ut Dominum fuit reveritus. Adde tertiò, quod non ſoleamus ab aliis plus petere, & quidem duplò plus, quàm illi ipſi habeant. Neque ſanè ulla fuiſſet Eliſæo probabilis cauſa ſperandi, ſe duplo plus Spiritus per Eliam conſecuturum, quàm Elias habuiſſet. At verò dubium non eſt, quin cùm poſtulatum illud ſuum Eliæ proponeret, ſpem haberet non exiguam aſſequendi id quod peteret. Quartò, quemadmodum audax & ſuperbum videretur fuiſſe ejuſmodi poſtulatum, ita etiam ejus promiſſio, licèt ſub conditione facta. Accedit quinto loco, quòd inter Prophetas omnes qui ſub Veteri Teſt. vixerunt, Spiritus divini copia videtur eminuiſſe Elias, & quidem ad Joannem Baptiſtam, qui major eſſe debuit omnibus Prophetis veteris fœderis, collatus, quemadmodum dicitur, *eum præceſſurum* vel venturum *ante Dominum in Spiritu & virtute Eliæ*, Luc. 1: 17. At ſi duplum fuiſſet datum ejus Spiritus Eliſæo, ipſe reliquos omnes longè multumque ſuperaſſet, & dicendum potius videretur Joannem in Spiritu Eliſæi venturum; niſi dicere velis eum dimidiam tantum partem habuiſſe ejus Spiritus quem habuit Eliſæus; vel, licèt tantùm haberet quantùm Eliſæus, potius tamen dicendum fuiſſe, eum in Spiritu Eliæ veniſſe, quàm in Spiritu Eliſæi, & cum inferiori potius quàm cum pari ipſum fuiſſe comparandum. Sextò poſſunt addi verba eorum qui filii Prophetarum ea in hiſtoria dicuntur, qui cùm viderent Eliſæum ab Elia redeuntem, nihil aliud dixerunt quàm, *requievit Spiritus Eliæ ſuper Eliſæum*; animadvertentes nimirum partim ex effectis quæ cernebant, partim ex vi Spiritus qui in ipſis erat, quantus evaſiſſet Eliſæus. At credibile eſt illos majus quippiam dicturos fuiſſe, ſi duplum Spiritus Eliæ ipſi obveniſſet. Aliam adhuc probabilem conjecturam videbimus poſtea, cùm ſententiam ea de re noſtram explicabimus.

Quid ergo nos ad iſta dicemus? Si duæ iſtæ interpretationes inter ſe conciliari nequeant, qua de re poſtea videbimus; pro poſteriori decernendum putamus. Ita enim & rem magnam petiiſſe Eliſæum deprehendetur, & modeſtiæ tamen limites non egreſſus fuiſſe, ſed egiſſe inſtar filii, & quidem præ reliquis unicè dilecti; quales ſolent, & olim ſolebant eſſe primogeniti, quibus (ut ſuprà vidimus) bis tantum ſolebat de paternis bonis dari, quantum aliis filiorum ſingulis, præſertim cùm primogeniti maximè videantur in patrum locum ſubire. Eadem ergo ratione Eliſæus, cùm inſtar filii eſſet Eliæ ab ipſo Deo deſignatus, qui ipſi in munere Prophetico ſuccederet, adeoque inſtar filii ipſius eſſet primogeniti, cûm videret patrem ſuum, ut quidem ipſe appellat, à ſe mox ablatum iri, facta ſibi petendi facultate, non bona corporalia ſibi relinqui voluit, ſed quod in eo erat maximè eximium, quoque ſibi vidit opus fore ad munus ſuum in poſterum rectè adminiſtrandum, nempe Spiritum ipſius; ut quemadmodum in paternum erat ſucceſſurus locum atque onus, ita etiam ſuccederet in facultates & bona, ut ita loquar, ad onus iſtud ſuſtinendum neceſſaria. Verùm ne arrogans nimis videretur, non petit totum illum Spiritum ſibi dari, ſed accommodatè ad perſonam ſuam & Eliæ, hoc eſt (ut diximus) filii primogeniti, & patri maximè chari, duas portiones iſtius Spiritus ſibi dari petit; q. d. non id peto ut tantùm omnino Spiritus mihi contingat quantum tibi, quod nimis foret temerarium atque arrogans petere; ſed id tantum volo ut mihi, tanquam filio primogenito, tantum de eo detur quantum aliis duobus filiis ſufficere non immeritò poſſet, ut ita tibi, etſi non par, tamen proximus evadam. Ponit autem in hoc ſuo ſermone Eliſæus, tantam eſſe Spiritus divini in Elia copiam, ut pluribus etiam ſufficere queat, ſi inter eos diſtribuatur. Hoc ſi intelligatur, non eſt neceſſe ut ſtatuatur Eliſæum tacitè indicaſſe Spiritum Eliæ in tres tantum partes dividendum fuiſſe, ſed ſimpliciter tantùm in plures, quarum tamen unaquæque ſingulis ſufficere poſſet. Id enim magis propriè ſignificatur vocabulo *oris* quod in Hebræo eſt; ſiquidem id diximus primo ea phraſi videri ſignificatum, quod ori unius hominis paſcendo atque alendo ſufficiat. Quare ſive in tres ſive in plures hujuſmodi partes, velis diſtribui potuiſſe Eliæ Spiritum (quanquam credibile eſt in multas non potuiſſe diſtribui, cùm menſura Spiritus reſponderet muneri illius, vel ſaltem non adeò multum id ſuperaret) eodem res redit. Quod ſi nihilominus ponendum hic eſſet, certum aliquem eſſe partium numerum, non eſt abſurdum ſtatuere id quod (ut ſupra diximus) in Bibliis magnis Roberti Stephani annotatum legitur, nempe voluiſſe Eliſæum in tres partes Spiritum Eliæ dividi. Satis enim conſtat Eliſæum voluiſſe tantum ſibi de Spiritu Eliæ dari, ut quàm proximè ad ipſum in hac parte accederet, & non longè ab ea abeſſet Spiritus menſura, qua Elias eſſet impletus. Hoc autem non expreſſiſſet, ſi tacitè ſuppoſuiſſet in plures quàm in tres partes Spiritum illum dividi oportere, ſibi autem duas exinde impertiendas. Quo enim in plures diſtributio facta cenſeatur, tantò longius ab ea Spiritus copia abfuturus fuiſſet, quæ in Elia cerneretur. Itaque ſi, ut diximus, certus partium numerus ſtatuendus ſit, & nihilominus intelligendum Eliſæum non multò minus petiiſſe, quàm in ipſum Eliam eſſet collatum, dum portionem duorum poſtulavit, conjici facilè poteſt illum omnino in tres partes voluiſſe dividi Spiritum illum, non ſecus atque ſi inter duos tantum eſſet diſtribuendus, ita quidem ut duæ partes ſibi, tertia alii cuipiam obtingere deberet.

Atque hac ratione ſatiſfactum videtur ſecundæ objectioni, quæ primam etiam aliqua ratione fulciebat. Ad quam ipſam non difficulter reſponderi poteſt, rem non fuiſſe exiguam, ſed arduam admodum ac difficilem, quam Eliſæus petiit, ſi ad eum modum quo dictum eſt, petitio ejus explicetur; ſi conſideretur id, quod antea dictum eſt, ſatis intelligi poſſe, non exiguam fuiſſe Spiritus divini in Elia copiam, ſed aliqua ratione majorem ea, quæ tunc Prophetarum filiis contingeret. Ut taceam ne tum quidem ſingulari Spiritu deſtitutum fuiſſe Eliſæum, quemadmodum ex hiſtoria non

obſcure

obſcure patet. Poſſunt autem verba Eliſæi ita accipi, ut intelligatur præter illum Spiritum quo jam antea eſſet præditus, portionem duorum de Spiritu Eliæ petiiſſe, adeò ut juncto eo quod adhuc ſibi dari poſtulabat, Spiritu, par Eliæ cenſeri poſſet.

His ita explicatis non difficile videtur, interpretationem vulgatæ editionis cum Hebræo textu, & ſententia quæ ex eo elicitur, conciliare. Ita enim intelligi verba illa poſſunt, ut Eliſæus cenſeatur petiiſſe duplicem Eliæ Spiritum, non reſpectu menſuræ ejus quæ in Elia eſſet, ſed reſpectu alterius alicujus, vel aliorum quibus idem Spiritus, ſeu aliqua illius pars, dari deberet. Sed hac de re judicent alii.

Supereſt ut videamus quomodo intelligenda ſit partitio iſtius Spiritus; num ita, ut cenſeatur de illo ipſo Spiritu qui in Elia fuit, duas portiones detractas fuiſſe, & ex Elia in Eliſæum tranſlatas, quo pacto plurimum Eliæ ipſi deceſſiſſet: Num verò ita, ut non quidem ille idem numero Spiritus, ſeu quædam illius partes, quæ in ipſo Elia fuerint, ſtatuantur Eliſæo fuiſſe datæ; ſed aliæ quædam illis planè ſimiles; ita ut perinde propemodum fuerit, atque ſi ab ipſo Elia ſumptæ, & alteri, nempe Eliſæo, datæ fuiſſent. Neque enim id ſpectabat Eliſæus in ſermone ſuo, ut Eliæ ipſi quicquam hoc pacto decederet. Poterat autem accedere aliunde, nempe ab ipſo illius Spiritus fonte, qui Deus eſt, & apud quem illius Spiritus infinita atque inexhauſta eſt copia. Quare cùm ſuo deſiderio abſque ullo Eliæ detrimento ſatiſfieri poſſet, charitatis Eliſæi in Eliam fuit, non id poſtulare ut cum detrimento Spiritus in ipſo Elia ſibi quicquam accreſceret, ſed ut ſine ea. Quare ſtatuendum eſt eum non petiiſſe, ut illius ipſius prorſus Spiritus partes quædam ſibi darentur, qui in Elia fuiſſet, nec niſi illi ademptus dari alteri poſſet; ſed ut tantum ſibi daretur Spiritus ſimilis, quantum duabus Eliaci Spiritus partibus æquale eſſet; quæ partes ex efficaciæ magnitudine, ac gradu ſeu effectis, quæ Spiritus ille ex ſe producat, vel producere valeat, æſtimandæ ſunt, ut ſuperius hoc capite explicuimus. Neque ſententiæ huc uſque explicatæ obſtant ipſa Eliſæi verba, qui nominatim de Eliæ Spiritu loquitur, cùm ait, *Sit obſecro os duorum in Spiritu tuo ad me*. Vel, ut habet vulgata, *Sit obſecro Spiritus tuus duplex ſuper me*. Spiritus enim alicujus dici poteſt is qui illi plane eſt ſimilis, ejuſdemque rationis, licet alius ſit numero. Sic de ipſo Joanne Baptiſta, ne ab hac materia diſcedamus, legimus *Eum venturum fuiſſe in Spiritu & virtute Eliæ*. Non quod ex ipſo in Joannem eſſet transferenda illa virtus, præſertim ſi quis ſtatuere velit, duas Eliæ Spiritus partes fuiſſe jam in Eliſæum tranſlatas; ſed quod ſimili Spiritu ac virtute venire deberet. Sic dicuntur fideles habere eundem Spiritum, 2 Cor. 4. 13. quia ſimilem habent. Et in eadem Epiſt. cap. 12. ℣. 18. dicuntur Paulus & Titus *eodem Spiritu ambulaſſe iiſdemque veſtigiis*, hoc eſt ſimilem in utroque fuiſſe animum & facta. In poſteriore autem Epiſt. ad Timot. Cap. 1. 5. ita loquitur Paulus, *Recordationem ſumens ejus quæ in te eſt non ſimulatæ fidei, quæ inhabitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice; perſuaſus autem ſum quod & in te*. Non quod eadem fides numero in iſtis tribus fuiſſet, ſed quòd ſimilis; licèt ita loquatur, atque ſi una eademque numero fides in tribus iſtis perſonis vel hominibus fuiſſet. Itaque non eſt mirum Eliſæum cùm ſimilem Spiritum peteret, ita fuiſſe locutum, atque ſi illum eundem petiiſſet, qui in Elia extabat, eo tamen excepto quòd non totum, ſed duas tantùm illius partes, poſtulabat. Sed hæc hactenus.

CAPUT TERTIUM.

De adjunctis Spiritus Sancti.

Quænam nomine adjunctorum hîc comprehendantur.

ADjunctorum nomine omnia hoc loco complectimur quæ rei, qua de agitur, vel inſunt, vel adſunt. Inſunt, inquam, tanquam ſubjecto, nec eſſentiam ejus ingrediuntur: adſunt autem quæ extrinſecus adjunguntur vel adveniunt. Primùm ergo de illis agemus quæ Spiritui ſancto inſunt, ſive perpetuò, ſive aliquando tantùm; tum de iis quæ extrinſecus ipſi adveniunt ſeu adjunguntur. Ad illa quod attinet, eum in illis explicandis ſervabimus ordinem, ut ab iis incipiamus quæ patent latiſſimè: inde progrediemur ad illa quæ anguſtioribus terminis continentur. Latiſſimè autem inter alia patent ea, quæ attributa entis ſeu modos ejuſdem vocant philoſophi, qualis eſt exiſtentia, itemque identitas ac diverſitas. De quorum attributorum poſteriore, nempe de identitate & diverſitate Spiritus ſancti, quia eſt actum ſuperiori capite, propterea quòd non niſi eo explicato de Spiritus ſancti diviſione agi poterat, ideo de eo nunc tractare ſuperſedebimus, contenti ad ſuperiora animos revocaſſe.

De Spiritus Sancti exiſtentia.

De exiſtentia verò nunc agendum erit. Nam ſi quis dicat de exiſtentia prius fuiſſe agendum quàm de eſſentia; reſpondemus non omnem quæſtionem de exiſtentia pertinere ad quæſtionem illam, *An ſit*, quæ præcedere debeat quæſtionem, *Quid ſit*; ſed illam tantùm qua quæritur, *An*, ut in Scholis loquuntur, *detur res aliqua*; hoc eſt vel exiſtat aut extiterit aliquando; vel etiam, cùm de practicis agitur, *An exiſtere poſſit*; ut ita conſtet id de quo agitur non eſſe merum figmentum. At ſunt præterea aliæ de exiſtentia quæſtiones, quæ poſt explicationem eſſentiæ rei poſſunt explicari; nempe, Utrum res perpetuò exiſtat, an verò minus; &, Utrum ſemper actu, an verò aliquando potentia tantùm: Vel etiam quomodo intelligenda ſint dicta aliqua de exiſtentia alicujus rei prolata. Jam verò priori illa quæſtione propoſita, nempe, An detur Spiritus ſanctus, hîc nobis opus non fuit, quibus certiſſimè conſtat Spiritum S. dari, nec eſſe cerebri humani figmentum.

Spiritus ſanctus non ſemper extitit actu vel extat neceſſario.

Sed reſtant poſterioris generis quæſtiones, quæ, intellectâ Spiritus ſancti naturâ, ſolvi haud difficulter queunt. Nam cùm jam oſtenſum ſit Spiritum S. eſſe afflatum quendam divinum, ſeu virtutem à Deo in homines manantem, eoſque ſanctificantem, facile eſt videre Spiritum ſanctum non ſemper actu ipſo extitiſſe vel extare, præſertim neceſſariò, potentia verò ſemper extitiſſe atque extare. Nam præterquam quod Deus ſemper ac neceſſariò extra ſeſe quippiam agit, (agit autem extra ſe cùm quempiam virtute ſua afflat, & eam extra ſeſe mittit:) nec homines ſemper extiterunt, etiam illud ſatis liquet, non ſemper homines virtute hujuſmodi ſanctificari, præſertim cùm impietate ſua id merentur, ut tam præſtanti dono careant. Interim tamen potentiâ ſemper eſt Spiritus ſanctus, & veluti in ſuo fonte, hoc eſt in ipſa Dei virtute omnipotente latet, in actum proditurus & ab eo proceſſurus, quandocunque Deus voluerit.

Ex quibus magnam jam partem intelligi poſſunt illa Joannis verba, quæ extant Cap. 7. ℣. 39. ubi ait, *Nondum erat Spiritus S. quia Jeſus nondum erat glorificatus*. & illa diſcipulorum Joannis Baptiſtæ, quos Paulus Epheſi reperit; qui ab eo interrogati, num Spiritum S. accepiſſent, poſtquam credidiſſent; *At neque utrum Spiritus ſanctus ſit, audivimus*, reſponderunt. Act. 19: 2.

Nam quod ad Joannem attinet, dubitare nemo poteſt ipſum probè ſciviſſe, præſertim cùm iſta ſcriberet, & olim extitiſſe Spiritum S. in prophetis, & tunc quoque temporis cùm Chriſtus in terris viveret, eundem dari potuiſſe, imò in Chriſto ipſo copioſiſſimè fuiſſe. Quod verò ad diſcipulos illos attinet, ii cùm procul dubio Judæi fuerint, (his enim tantùm Joannes prædicabat Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum) ignorare nequaquam potuerunt Spiritum S. aliquando extitiſſe, & ſic non figmentum aliquod eſſe, ſed rem veriſſimam: cùm in S. Literis Veteris Teſt. non ſolùm ejus fiat mentio, ſed de Prophetis conſtaret etiam vulgo eos Spiritu divino fuiſſe afflatos; Ut taceam quod ex Joanne Baptiſta aliquid de eo audire potuerunt. Quare Joannis quidem verba ita ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

accipienda, ac ſi dixiſſet Spiritum Sanctum tum temporis non quidem omnino non extitiſſe, (extitit enim, ut diximus, in Chriſto manifeſtiſſimè,) ſed non extitiſſe paſſim, quemadmodum poſtea contigit, cùm eſſet Chriſtus glorificatus. Non extat enim actu upiritus ſanctus cùm non datur, cùm in eo ipſo exiſtentia Spiritus divini conſiſtat, quòd à Deo emanet in homines atque adeò illis detur. Prorſus autem non dari, & ſic non exiſtere dici jure potuit, quia paſſim non daretur, atque adeò nec paſſim exiſteret. Id enim quod paſſim fit vel non fit, ſimpliciter vel fieri vel non fieri dici ſolet. Similiter intelligendum eſt de verbis iſtorum Joannis Baptiſtæ diſcipulorum, nempe illos ne audiviſſe quidem Spiritum S. tum temporis dari.

Spiritum ſanctum non eſſe ſubſtantiam.

Ex his autem, ut id obiter notemus, facilè intelligi poteſt Spiritum ſanctum non eſſe ſubſtantiam quandam quæ per ſe ipſam alicubi ſubſiſtat, præſertim neceſſariò ac perpetuò, aliàs enim iſtiuſmodi loquendi ratio, nempe quòd certo quodam tempore ſit vel nondum ſit, de eo uſurpari non poſſet. Quis enim v. gr. de Deo Patre, aut de filio ipſius Jeſu Chriſto, aut de Angelo aliquo dixerit, eum nondum eſſe? Sed quia Spiritus ſanctus tum demum actu eſt, cùm hominibus datur, ſeu mavis, à Deo ut hominibus detur procedit atque emanat, inquè ipſis hominibus exiſtit, id quod non ſemper fit nec paſſim, ideò jure nunc eſſe, nunc non eſſe dicitur.

Datio & acceptio Spiritus Sancti.

Sequitur nunc ut illa videamus Spiritus ſancti adjuncta, quæ non omnibus omnino entibus ſunt communia, ſed quibuſdam tantùm. Inter quæ omnino latiſſimè patere videtur *Datio* & *acceptio* paſſivè ad Spiritum ſanctum relata. Loquimur autem ſemper de iis adjunctis quæ Spiritui ſancto in S. Literis alicubi attributa leguntur. Ideò autem dicimus latiſſimè patere inter ea quæ ſequuntur, quòd datio & acceptio, tam ad res incorporeas quàm ad res corporeas uſitatè referri, & in S. L. & in communi uſu ſolet, licèt aliàs corporearum proprium eſſe videatur. Sic inter multa alia videmus, 1 Cor. 12: 7, & ſeqq. dici χαρίσματα illa ſeu Spiritus ſancti effecta, quæ omnia ſunt incorporea, hominibus dari. Quo pacto autem dantur, eodem modo accipiuntur; cùm dari & accipi relata ſint. Unde non uno loco in S. L. dicimur accipere ea quæ petimus à Deo, quorum tamen maxima pars ex rebus incorporeis conſtat, ut infinita alia prætermittamus exempla. Spiritum autem ſanctum in S. Literis dici & dari & accipi, notius eſt quàm ut probari debeat. Datio verò ea in eo conſiſtit, quòd à Deo in homines proficiſcatur, ut in iis vim ſuam exerat, iis utilitatem atque emolumentum ſingulare afferat. Quod cùm fit, hoc eſt cùm in illis primùm exeritur, eoque afficiuntur homines, tum accipi ab illis dicitur. Non adeo autem multum differt datio Spiritus ſancti ab ejus *proceſſione*, quæ illi plane eſt eſſentialis, eique tantùm aliquid ſuperaddit. Una enim atque eadem eſt actio, proceſſio Spiritus ſancti & datio. Sed proceſſio tamen ipſa per ſe non poſtulat, neque id in ſe includit, ut quod procedit, perſonæ alicui tanquam donum aliquod contingat, & in eam conferatur, quò in uſus ipſius cedat: cùm proceſſio Spiritus ſancti nihil aliud ſit quàm exertio potentiæ ac virtutis divinæ, quæ per ſe latius patet quàm datio. Datio autem, proceſſionis illius finem ac terminum quodammodo includit, oſtenditque eam virtutem ideò exeri, ut in perſonæ cujuſpiam uſum convertatur. Eſt igitur hoc neceſſarium quoddam proceſſionis vel adjunctum; vel ſi datio ſit omnino perfecta, ac terminum ſuum attingat, conſequens.

Donatio Spiritus ſancti.

Sub datione autem continetur *donatio*. Eſt enim ejuſmodi datio quæ provenit ex dantis gratia & benignitate, non ex accipientis jure aut merito. Hæc donatio eatenus in S. Literis Spiritui ſancto tribuitur, intelligi debet paſſivè, quemadmodum & datio, cùm donum Spiritus ſancti commemoratur, ut Act. 2: 38. Neque enim donum Spiritus ſancti dicitur ideò, quod à Spiritu ſancti donetur, ſed donum, quod ſit Spiritus S. quomodo dicere ſolemus donum ſapientiæ, pro ipſa ſapientia, quæ eſt donum; & corona vitæ, pro corona, quæ eſt vita. Donum autem omne datur. Adde quod Paulus ait Epheſ. 4. 7, 8, *Cuilibet noſtrûm data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Propheta dicit; *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, & dedit dona* (quanquam in Græco eſt δόματα hoc eſt donationes ſeu data) *hominibus.* Quibus verbis tum ipſe Spiritus S. tum quæ inde proveniunt effecta, ut variorum munerum facultates, intelligi poſſunt ac debent. Ut taceam effecta Spiritus ſancti ſolere χαρίσματα appellari, quæ vox id quod gratuitò datum eſt, ſeu donum propriè ſignificat. Non eſſent autem illa dona, niſi & Spiritus S. unde illa ſtatim proveniunt, donum eſſet. Ut taceam etiam omnia, quæ à Deo impetrantur ac nobis obveniunt, dona etiam eſſe & appellari, Joan. 1. 17. Sed in re manifeſta non eſt opus plura dicere.

Spiritus S. non eſt ille Deus altiſſimus.

Illud tantùm hinc obiter notari volumus, ex hoc Spiritus S. attributo manifeſtè apparere, eum non eſſe Deum illum altiſſimum. Hic enim dari à nemine poteſt, cùm omne quod datur donaturque ſit in poteſtate donantis, & eo inferius. Deus autem altiſſimus in nullius eſt poteſtate, nullo eſt inferior. Deus ille altiſſimus à nemine poteſt accipi & aliqua ratione poſſideri: id quod in Spiritum S. cadere jam oſtendimus.

Motus Spiritus S.

Tertio loco nobis conſideranda veniunt *Motus* & *quies* Spiritui S. in S. L. attributa: & motus quidem à cœlis in terram ſeu *deſcenſus*, de quo legimus Matth. Cap. 3. in hiſtoria baptiſmatis Chriſti. Huc pertinent etiam illa in quibus Spiritus ſanctus *cecidiſſe* ſuper fideles dicitur; quemadmodum legimus Act. 10. 44. & XI. 15. quibus locis adde Cap. 8: 16. Et illa ubi Spiritus ſanctus *de cœlis miſſus* dicitur, 1 Pet. 1: 12. aut *miſſus à Patre*, Joan. 14: 26. Et denique iſta ubi *venire* dicitur, Joan. 15: 26. & 16. 13. Hæc, inquam, omnia quendam motum localem denotant, & quidem è ſuperiori loco in inferiorem, ſcil. deſcenſum. Quanquam ultimum hoc, videl. *veniendi* verbum, deſcenſum per ſe non ſignificat, cùm etiam ex æquo loco venire quiſpiam poſſit; tamen ex re ipſa & ex locorum circumſtantiis ſatis apparet, adventum intelligi à Deo & Chriſto in cœlis degente, ad homines in terris verſantes. Verùm hoc eſt inter loca illa diſcriminis, quòd non omnia de motu locali ac deſcenſu propriè dicto agant. Nam excepto primo loco, ſeu hiſtoria baptiſmatis Chriſti, in cæteris non eſt neceſſe propriè omnino accipere illa verba, quæ deſcenſum Spiritus ſancti aut adventum ad homines ſignificant; imò ex parte neceſſe eſt ea impropriè capere; quemadmodum mox explicabitur. Nam cùm dicitur Spiritum ſanctum *cecidiſſe* ſuper aliquos, id tam latè poteſt extendi, ut illapſus ille propriè & impropriè intelligi queat; cùm ad propoſitum nil referat, utrum vero quodam motu ſeu latione ceciderit ſuper homines Spiritus ſanctus, quemadmodum quidem in Apoſtolis, de quibus id dicitur Actor. XI, factum videtur, an vero figurato. Quod ad id, hac quidem in parte, & de reliquis locis à nobis adductis, in quibus miſſio vel adventus Spiritui ſancto tribuitur, ſtatuendum eſt. Quomodo autem Spiritui ſancto verus ſeu propriè ſic dictus motus ac deſcenſus competere queat, explicatum eſt ſuperius Cap. 1. Impropriè autem eatenus de Spiritu ſancto dici poteſt, quod ſuper aliquem cadat, aut aliquid ſimile, quòd deſcenſum illius è cœlis ſignificet, quatenus origo ejus cœleſtis eſt, cùm ex ipſo Deo, tanquam cauſa ac fonte ſuo, ea qua ſupra explicatum eſt ratione proficiſcatur. Unde cùm hominibus contingit, & ſeſe in illis primûm exerit, veluti ex ſupernis, aut de cœlis, ſuper illos videtur cadere, aut inde deſcendere, indeve mitti ac venire. Quanquam quod ad *cadendi* verbum attinet, videmus id

iis quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

iis quoque rebus tribui, quorum origo cœleſtis non eſt, modò res eæ aliunde proveniant, & homines veluti occupent. Nam tunc aliunde advenire, & in eos veluti irruere videntur. Sic dicitur *cadere ſuper homines timor*, Luc. 5. 12. & Act. 19. 17. Solere autem iis quoque rebus quæ de cælo in locum propriè moveri nequeunt, atque adeò è cælo minimè deſcendunt, nihilominus tamen attribui deſcenſum è locis ſupernis, miſſionem item & adventum, ex aliis ſacrarum literarum locis intelligitur. Nam ad deſcenſum quod attinet, notus eſt ille Jacobi locus, Cap. 1. 17. ubi aſſerit, *Omnem dationem bonam, & omne donum perfectum, ſuperne eſſe, deſcendens à Patre luminum.* Et infrà Cap. 3. loquitur de *ſapientia* quæ *deſuper veniat.* Quod ad miſſionem attinet, videmus eam tribui eloquio divino, ſeu ipſius decreto ac juſſui; ſimiliter etiam curſum, Pſal. 147. 15, 18. Nam priori verſu ita loquitur David, *Qui emittit* vel mittit *eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus.* Poſteriori, *Emittit verbum ſuum & liquefaciet ea.* Idem aliqua ratione habes Eſa. 55. 10, 11. ubi ita loquitur Propheta, *Quemadmodum deſcendit imber & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram & perfundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Eodem modo dicitur Deus *mittere auxilium de ſancto*, Pſal. 20. 3. *Mittere miſericordiam ſuam & veritatem ſuam*, nempe de cælo, Pſal. 57. 4. 5. Similiter & venire res eæ dicuntur, quæ de loco in locum non moventur, ut *miſerendi tempus venire*, Pſal. 102. 14. & *res venturæ*, pro futuris, Joan. 16. 13. Gal. 3. 23, 25. quanquam id ex iis quoque intelligi poteſt quæ de voce mittendi diximus; nam quod mittitur, id etiam venire dici poteſt. Sed in re manifeſta non eſt multùm laborandum.

Eſt autem obſervandum, cùm Spiritus S. vel venire vel mitti dicitur, præſertim in locis ex Joanne citatis, id per Proſopopœiam quandam fieri; cujus exempla habes etiam in locis non paucis, à nobis modò citatis, maximè in illis ubi de Dei verbo ſeu decreto ac juſſu agitur, cui & miſſio & curſus celerrimus tribuitur, de eoque dicitur quòd non revertatur vacuum ad Deum. Conſideratur nempe inſtar legati cujuſdam divini, quemadmodum etiam Spiritus ſeu venti & ignis flammans, Pſal. 104. 4. ſi literali ſenſu ea verba accipiantur. Similiter & Spiritus S. in illo potiſſimum ſermone quem Joannes deſcripſit Cap. 14. 15. & 16. conſideratur ut quidam Dei ac Chriſti legatus, qui diſcipulos ipſius conſolaturus, velut in ipſius locum ſubmittendus ſit. Quia enim magiſtrum hunc ſuum à ſe mox divulſum iri vehementer dolebant Apoſtoli, ideò eos Chriſtus ea potiſſimum ratione ſolatur, quòd ſi ab illis ad Patrem abeat, Spiritum S. ſuo loco illis ſit daturus, qui abunde ſuppleat, id quod per corporalem ipſius abſentiam deeſſe illis videatur. Quare quia Spiritum S. ſecum comparat, ideò illi eleganter perſonam velut imponit, & de eo tanquam de conſolatore & legato loquitur, eumque & miſſum iri & venturum affirmat. Et hæc quidem de motu locali qui Spiritui S. in S. L. ſeu propriè ſeu impropriè tribuitur.

Quies Spiritus ſancti.

Quod ad *quietem* attinet, ea quoque in S. L. Spiritui S. attribuitur. Sic dicitur requieviſſe in vel ſuper 70 viris, Spiritus nempe ablatus de Spiritu Moſis, Num. XI. 25, 26. Et Spiritus Eliæ ſuper Eliſæo, 4 Reg. 2. 15. Spiritus Domini ſuper Chriſto, Eſa. XI. 2. Spiritus Dei ſuper Chriſtianis qui opprobria patiuntur in nomine Chriſti, 1 Petr. 4. 14. Videtur autem duplici ratione vox illa requieſcendi de Spiritu S. accipi: vel enim ſignificat ipſum requieſcendi actum, atque (ut ita dicam) primum in hominem quem occupat adventum, ſed quem permanſio quædam ejuſdem quaſi ſequatur: vel ſimpliciter permanſionem in homine ſignificat, quæ expreſſis etiam verbis Spiritui S. tribuitur, Joan. 1. 32, 33. Ubi Spiritus S. qui ſuper Chriſtum deſcenderat è cœlo, manſiſſe ſuper ipſo dicitur. Id denotatur cùm Spiritus dicitur eſſe ſuper aliquo; ut Luc. 2. 25. de Simeone legimus. Ideò autem ſuper aliquo eſſe vel manere vel requieſcere dicitur, licet in ipſo ſit, quia in ipſum vim ſuam exerat, & eum aliqua ratione occupet ac regat.

Quarto loco conſideranda nobis ſunt ea Spiritus S. adjuncta, quæ voluntatem & affectum quendam Spiritui S. tribuere videntur: quæ quidem duo ſunt; alterum eſt quòd dicatur *velle*; alterum quòd *contriſtari.* Quorum illud de ipſo dicitur 1 Cor. 12. 11. hoc verò ad Epheſ. 4. 30. Et ut ſupra alicubi monuimus, cùm de voce ageremus, Eſa. 63. 10. ſi Hebræum textum conſulas. Nam licet hæ videantur eſſe actiones quædam Spiritus ſancti, præſertim prior, hoc eſt ipſum velle, adeoque inter effecta ipſius numerandæ; nihilominus tamen quia actiones ſunt, ut vocant, immanentes, quarum eadem eſt cauſa efficiens proxima & ſubjectum, ideo etiam inter adjuncta numerari queunt

Voluntas Spiritus Sancti. 1 *Cor.* 12. 11.

Jam quod ad prius attinet, illud propriè accipi non poſſe ſatis conſtat, ex iis quæ de natura ipſius Spiritus S. ſuperius ſunt explicata. Voluntas enim non niſi perſonarum eſt propria, qualis non eſt afflatus divinus, ſeu virtus à Dei potentia in homines manans. Adde quòd cùm Spiritus S. donum ſit Dei & Chriſti, qui pro ſuo arbitrio & illum ipſum Spiritum S. & ea quæ exinde manant effecta ac dona diſpenſat, prout finis quem ſibi propoſuit requirit; de Deo quidem ac Chriſto propriè dici poteſt, illum diſtribuere dona iſta prout vult; de Spiritu S. autem qui ad alienum arbitrium diſtribuitur ac diſpenſatur, non item. Unde videmus non modò alibi id quod hoc loco Spiritui S. tribuitur, Deo ipſi qui Spiritum S. diſtribuit, adſcribi, nempe in Epiſt. ad Hebr. Cap. 2. 4. Ubi diſtributio Spiritus Sancti dicitur facta eſſe *ſecundùm Dei voluntatem.* Verum etiam in eodem loco paulò ſuperius ℣. 6 dicitur, *Et diſtributiones operationum ſunt; ſed idem eſt Deus qui operatur illa omnia in omnibus* Ubi videmus id adſcribi eo loco Deo, quod inferius Spiritui Sancto adſcribitur. Quid enim aliud eſt Deum iſta omnia operari in omnibus, licèt diverſa admodum ſint, quàm omnia operari & dividere prout unicuique vult? Ex quorum lococum collatione facilè poteſt apparere, id quod Deo propriè tribuitur, Spiritui S. impropriè attribui.

Spiritus S. dupliciter conſideratur; vel quatenus eſt Dei, vel quatenus hominis.

Quod ut tantò rectius intelligatur, animadvertendum eſt duplici ratione conſiderari Spiritum S. vel quatenus aliquid eſt Dei, & in ipſo ea ratione quam ſuperius explicuimus reſidet, aut ab eo proficiſcitur, vel quatenus in homine reſidet, & ſic ex divina benignitate eſt aliquid hominis. Utrovis horum modorum Spiritum S. conſideres, per Proſopopœiam ex metonymia ortam illi quædam attribuuntur. Ita enim ea quæ ſubjecto, hoc eſt Deo vel homini, tribuuntur propriè, ea Spiritui S. adſcribuntur figuratè, ſeu metonymicè, quanquam diverſa ratione. Nam quando ea quæ Dei ſunt propriè, tribuuntur Spiritui S. metonymia quædam eſt, vel adjuncti vel effectus; quia id quod ſubjecto propriè convenit, tribuitur adjuncto vel effectui. Quando verò id quod homini propriè convenit, de Spiritu S. prædicatur, metonymia eſt cauſæ efficientis illa quam Metalepſin vocant, cùm nimirum ipſi cauſæ tribuitur id quod ea in ſubjecto ſuo efficit. Cujus generis ſunt illa, cùm Spiritus S. dicitur *interpellare pro ſanctis*, idque gemitibus inenarrabilibus, aut cùm dicitur *ſcrutari omnia etiam profunda Dei*; quibus de rebus agitur Cap. ſeq. ubi de effectis Spiritus ſancti explicabitur.

Prioris autem generis eſt illa loquendi ratio, de qua dicere cœpimus, nempe cùm dicitur Spiritus S. diſtribuere *prout unicuique vult.* Quia enim Deus ac Chriſtus Spiritum ſuum hominibus largiens, unicuique tribuit prout vult, hoc eſt, & quod vult, & quantum ſeu qua menſura vult, eaque Dei voluntas ipſi Spiritui S. ſeu virtuti à Deo mananti velut impreſſa eſt, ita ut per ipſum dona illa variè pro Dei arbitrio diſtribuantur; ideò ipſe Spiritus ſanctus pro voluntate ſua di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtribuere dici poteſt. Non eſt autem inuſitatum in S. Literis voluntatem tribui iis quoque rebus quæ perſonæ non ſunt. Nam præterquam quod Spiritui, hoc eſt vento, adſcribitur quod *ſpiret ubi vult*, quod ſignificare videtur eum libere nunc hîc nunc illic nemine prohibente flare; de impetu etiam atque impulſu ejus qui navem dirigit, dicitur quòd *velit*, Jac. 3. 4. ubi ait: *Ecce & naves, cùm tantæ ſint, & ab aſperis ventis impellantur, circumaguntur à minimo gubernaculo, quocunque impetus dirigentis voluerit.* Non abſimile eſt illud quod legimus Act. 4. 28. *manum* ipſius *Dei & conſilium definiſſe* antea ut hæc aut illa fiant. Nam *definire* nihil aliud eſt quàm apud ſe decernere, ac animo ita velle; quod ſanè manui Dei, hoc eſt ipſius potentiæ aut poteſtati propriè tribui non poteſt, ſed Deo pro poteſtate ſua agenti. Neque verò eſt quod quis dicat, diverſam eſſe hujus loci & illius de quo agimus rationem, cùm in illo manus & conſilium Dei non conſiderentur tanquam res quædam à Deo ſeparatæ, ſed tanquam illi inhærentes: unde jure illis tribui potuerint ea metonymicè, quæ propriè tribuenda ſunt Deo; quod idem de impetu dirigentis navem reſpectu ipſius hominis dici poteſt: at in noſtro loco Spiritum ſanctum manifeſte diſtingui à Deo, & inſtar perſonæ ab eo ſeparatæ conſiderari. Quæ objectio, ſi quicquam haberet roboris, valeret etiam contra id quod paulò ſuperius ex Apoſtolo attulimus, afferente Spiritum Dei pro ſanctis interpellare, & quidem tum cum ipſi neſciunt quid quove pacto orare debeant. Ubi ſane Spiritus ſanctus inſtar perſonæ cujuſdam, ab iis hominibus pro quibus orare dicitur, diſtinctè conſideratur, & nihilominus tamen id quod ipſis hominibus tribui debet, adſcribitur Spiritui ſancto. Quapropter reſpondemus etiam iis rebus, quæ & naturâ ſuâ à Deo ſunt diſtinctæ, & inſtar perſonarum quarundam ab eo ſeparatarum conſiderantur, tribui nonnunquam ea, quæ Deo tribuenda ſunt propriè. Certè mirabilior adhuc, quàm is eſt de quo diſputamus, loquendi modus extat apud Paulum, Gal. 3. 8. ubi ait, *Cùm autem prævideret*, vel prævidiſſet *Scriptura, quòd ex fide juſtificet gentes Deus, antea promiſit Abrahamo, quòd benedicentur in te omnes gentes.* Nam certe non Scriptura iſtud promiſit Abrahamo, cùm tum temporis ne extaret quidem, ſed Deus qui in Scriptura, quæ poſtmodum demum extitit, ita loquens introducitur. Adde quòd Scriptura hoc in loco, iſtud Dei conſilium prævidiſſe dicitur, & propterea quia prævideret, iſtud antea Abrahamo promiſiſſe, cùm tamen nimis manifeſtum ſit eam nihil hîc prævidere poſſe, nedum ut id prævideritꝫ cùm nondum extaret. Ut taceam hîc neminem revera poſſe oſtendi, cui iſta prævidio propriè competere queat, adeò ut ſi nihilominus eam, uti neceſſe eſt accommodare ipſi Deo velimus, neceſſe ſit vocem mutare in aliam cognatam. Neque enim quiſpiam ſua ipſius coſilia aut decreta, ſeu mavis ea quæ decrevit, prævidere dicitur, ſed antea apud ſe hæc aut illa decreviſſe. Verum quia Scriptura eo in loco per Proſopopœiam conſideratur, tanquam perſona quædam à Deo diſtincta, ideo de ea dicitur, quod iſta prævideri, tanquam nimirum divinorum conſiliorum conſcia; non vero ipſa id dicitur decreviſſe. Cujuſmodi etiam loquendi modi de Sapientia uſurpantur Prov. 8. Cur non ergo multo magis id quod Deo propriiſſimè convenit, poſſit tribui Spiritui S. per quem etiam id teſtatur & exequitur Deus, nempe quod diſtribuat dona cæleſtia prout vult? Et hæc de priori.

Contriſtatio Spiritus Sancti.

Quod ad poſterius attinet, hoc eſt ad *contriſtationem* quæ Spiritui S. paſſive tribuitur, nemo non videt, illam propriè ei haudquaquam competere; Sed vel per metaphoram quandam, vel per metonymiam adjuncti pro ſubjecto, ut ſuprà conſtituimus. Quanquam nos metaphoram potius quàm metonymiam hîc eſſe cenſemus, præſertim in loco ad Epheſios. Metaphoræ autem ſeu ſimilitudinis ratio in eo conſiſtere exiſtimanda eſt, quod quemadmodum is qui aliquem contriſtat, vel dolore ac moleſtia afficit, facit quippiam adverſum ei quem contriſtat, & intentioni illius contrarium; ita ii qui contriſtare dicuntur Spiritum S. perpetrant ea quæ illi ſunt adverſa, & à quibus Spiritus S. natura ſua, ut ita dicam, abhorret. Spiritus enim ſanctus peccatis adverſatur, & nunquam non ad ſanctitatem ac pietatem ducit atque impellit. Quare cùm ii qui Spiritum S. habent, vel inter quos Spiritus S. extat, peccant & ea committunt quæ Spiritui S. prorſus ſunt indigna, & ab ejus natura ac ingenio penitus aliena, rectè eum contriſtare dicuntur. Adde, quod quemadmodum is qui à quopiam contriſtatur ac moleſtia afficitur, ei jam minus favere incipit, & opem ſuam ſubtrahere, ac tandem etiam penitus diſcedere cogitat; ita etiam Spiritus ſanctus hujuſmodi injuriis affectus, minus vim ſuam in iis exerit à quibus læditur, & paulatim illis ſubtrahitur, ac tandem penitus ab iis aufertur. Qua de re capite ultimo plura.

[Eſt nempe Spiritus ſanctus inſtar hoſpitis cujuſdam, qui quam honorificentiſſimè à nobis haberi ac tractari meretur, diſceſſurus ſi aliter fiat Eph. 4. 30. Hoc ergo in loco iſto ad Epheſ. docere vult Paulus; Ne permittatis, ut aliquid Spiritu ſancto faciatis indignum, & ei veluti adverſum, quo fiat ut paulatim tam præſtans donum vobis ſubtrahatur, & tandem penitus auferatur: cùm tamen Dei conſilium in eo dando fuerit, ut in vobis perduraret, uſque ad illum diem quo penitus liberabimini ab iſtis malis, quibus nunc ſubjecti eſtis, hoc eſt uſque ad adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeu, ut planius dicam, uſque ad mortem, cum qua adventus Chriſti veluti conjunctus cenſeri debet, exempto intermedio tempore, cujus nulla hîc eſt habenda ratio, cùm in ſalutis noſtræ negotio nullum habeat momentum, & habita ratione ſenſus noſtri nullum ſit. Neque enim, quod fortaſſe quiſpiam hîc objecerit, cùm Paulus ait, Epheſios Spiritu illo Sancto eſſe obſignatos in diem redemptionis, ita eſt hoc intelligendum, ac ſi omnino neceſſe eſſet, Spiritum S. in iis ad id uſque tempus perdurare; ſed tantum quod, ut jam diximus, Dei conſilium fuerit, ut in iis tamdiu perduraret; ſed non ſine tacitâ aliquâ conditione, quâ ab iis non præſtitâ, merito auferri poſſit. Neque enim eſt dubium quin Deus ablaturus fuerit ab eo Spiritum ſanctum, ſi quis v. gr. veritatem Euangelii abnegaſſet. Quod idem de aliis quoque peccatis, præſertim gravioribus, ſæpiuſque repetitis, merito ſtatui poſſe, res ipſa indicat. Ratio enim ipſa docet, dona Dei, inter quæ eminet Spiritus S. ab ingratis atque indignis auferre ſolere. David ſanè etiam, ut legimus Pſal. 51. ſupplex Deum orat, ne Spiritum ſanctum à ſe auferat. Non eſt quidem omnino neceſſe, ut Deus propter quælibet peccata, dona Spiritus ſancti auferat ab homine, præſertim penitus. Sed tamen conſentaneum eſt, eum ita facere ſolere, obſervatis quibuſdam veluti gradibus; ita ut non quidem ſubitò, ſed pedetentim tamen, gratiam hanc ſuam ei ſubtrahat; & quemadmodum peccata hominis capiunt incrementum, ita divina gratia decrementum. Quod ſi fortè peccata non ita ſint gravia, ut propterea penitus velit ab homine auferre Spiritum ſuum, ſeu eam ipſam facultatem, quam afflatu ſuo divino homini ingeneraverat, credibile tamen eſt actum iſtius facultatis in homine ob peccata ejuſmodi impediri ſolere. Et ejuſmodi quidem peccata ſunt, vel ſaltem poſſunt eſſe ea, de quibus Apoſtolus in illo ad Epheſ. loco agit; nempe ſermones putridi, atque ad ædificationem aliorum minimè facientes, ſed eam potius impedientes aliqua ratione. Inſigne autem damnum eſt, uſu tam præſtantis doni privari.]

Vidimus hactenus quo pacto per metaphoram poſſit explicari illa Spiritus S. contriſtatio: indicandum nunc eſt paucis, quomodo per metonymiam adjuncti pro ſubjecto, & quomodo etiam cauſæ efficientis, poſſit explicari. Id autem hac ratione contingit, quòd peccatis hominum ii ſoleant contriſtari qui eo Spiritu ſunt præditi, quique facta iſta hominum intuentur, & quibus ea tantò magis diſplicent, quantò plus eſt in illis divini Spiritus. Magis enim agnoſcunt homines peccatorum turpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

turpitudinem atque indignitatem cùm Spiritu S. ſunt pleni, quam cùm eo carent, ideoque gravius ferunt ea committi. Qui verò homines Spiritu divino præditos contriſtat, is in Deum ipſum eſt vehementer injurius: ipſum enim Deum moleſtia afficere cenſendus eſt. Et hoc quidem pacto poſſis etiam locum Eſaiæ ſuperius à nobis citatum explicare; quamquam prior quam explicuimus ratio eidem accommodari poteſt; non quidem quaſi illi ipſi qui dicuntur Spiritum contriſtaſſe, Spiritum divinum in ſeſe habuerint, ſed inter ſe, hoc eſt in Prophetis, viriſque diviniſſimis, inter ipſos verſantibus: qui Spiritus paulatim ceſſavit, cùm id populi Judaici flagitia mererentur. Poteſt hoc idem aliqua ratione accommodari ad locum Epiſt. ad Epheſ. Etſi enim credibile eſt pleroſque habuiſſe Spiritum illum, de quo loquitur Apoſtolus, tamen non eſt neceſſe ut omnes habuerint, immò credibile eſt, non omnes prorſus cum in ſe ſe habuiſſe. Monet nihilominus Apoſtolus omnes, ne Spiritum S. contriſtent, propterea quòd cùm omnes illi unum veluti corpus conſtituerent, & Spiritus ille Sanctus, in totius illius corporis uſum atque ædificationem his atque illis eſſet datus, fieri facilè poterat, ut ſi in pluribus Eccleſiæ illius membris verſaretur morum corruptio, & ſermones putridi paſſim in illis audirentur, auferretur paulatim ab Eccleſia illa Spiritus ſanctus, in illius utilitatem datus; aut vis illius, quam aliàs exerere ſoleret, aut porrò exerturus eſſet, impediretur. Sed hac de re nonnihil adhuc dici poterit cap. ultimo hujus tractationis, ubi explicabitur quo pacto Spiritus ſanctus amittatur.

Baptizare in nomen Spiritus Sancti Matth. 28. 19.

Hactenus ea potiſſimùm vidimus Spiritus ſancti adjuncta, quæ illi aliqua ratione inhærent; ſequitur ut ea conſideremus quæ ei extrinſecus adjunguntur, ſeu circa illum verſantur. Inter quæ primo loco collocabimus id quod inter cætera videtur præcipuum; quòd homines *in ejus nomen baptizari* debeant, ita præcipiente Chriſto, Matth. 28. 19. Quo loco Spiritus ſanctus perſonis divinis adjunctus inſtar perſonæ etiam cujuſdam, per figuram S. Literis uſitatiſſimam, conſideratur. Et vox *nominis*, quæ ſemel poſita, duabus illis perſonis uſitatè tribuitur, etiam ad illum refertur, cui aliàs, cum ſeparatim de eo ſermo eſt, nunquam tribuitur. Quod ipſum magno eſt indicio, Spiritum S. verè ac propriè perſonam non eſſe, nec vocem nominis eodem modo illi tribui, quo Patri & filio tribuitur. Aliàs enim nulla foret cauſa, cur quemadmodum nomem Dei & Chriſti ſæpiſſimè commemoratum legimus, nomen Spiritus Sancti, cùm ſolus exprimitur, vel ſemel commemoratum non legeretur. Sed jam hoc miſſo, quemadmodum & cæteris, quæ hoc loco diſputari ſolent, id tantum explicandum reſtat quid ſit, *Baptizari in nomen Spiritus Sancti*, ſeu (quod eodem recidit) in ipſum Spiritum S. Notum enim eſt ex collatione locorum Sacrarum Literarum, idem eſſe baptizari in nomen alicujus, & baptizari in eum ipſum cujus id nomen eſt; v. gr. baptizari in Chriſtum & in nomen Chriſti. Id autem hoc loco demonſtrare non eſt neceſſe, ibi de Baptiſmo aquæ præcipue non agi; quod vel ex eo rudiſſimi quique animadvertere poſſunt, quòd nec in Actis Apoſtolorum, ubi de aquæ Baptiſmo agitur, quemquam legamus baptizatum in nomine Patris, vel Spiritus Sancti, ſed tantum in nomine Chriſti, aut in ipſum Chriſtum. Tropum ergo aliquem in nomine *baptiſmi* eſſe apparet. Duplex verò in hac voce potiſſimum tropus in S. L. cerni poteſt, nempe metaphora & ſynecdoche ſpeciei, quæ tamen etiam per metonymiam poteſt explicari. Metaphora quidem, cum vel pro ablutione ſordium animæ ſumitur, ut apud Petrum, 1 Epiſt. Cap. 3: 21. Vel pro Spiritus Sancti quo homo imbuitur effuſione, ut fit in verbis Joannis Baptiſtæ, Matth. 3: 11. Quæ alibi quoque repetuntur. & 1 Cor. 12: 13. Vel denique pro afflictionibus, quibus quiſpiam veluti immergatur atque obruatur, ut Matth. 20: 22. Synecdoche verò ſpeciei pro genere, ſeu mavis metonymia, cùm ſumitur pro initiatione & quadam veluti conſecratione; quæ in eo conſiſtit, quòd quiſpiam ſeſe vel perſonæ cuipiam adjungat, addicat, eique ſe adhæſurum eſſe, & veluti ducem quendam ſecuturum profiteatur, vel rem doctrinamque aliquam amplectatur, amplective ſe profiteatur. Quia enim Baptiſmus aquæ ſub Joanne Baptiſta, ac porrò etiam ſub Chriſto, modus quidam fuit, ſeu mavis ſignum extitit initiationis iſtiuſmodi, & receptionis ſeu profeſſionis novæ cujuſdam doctrinæ, ideò pro ea ipſa initiatione vel profeſſione uſurpari cæpit. Species enim pro genere per ſynecdochen, ſigna verò pro rebus ſignatis, per metonymiam uſurpari vulgò notiſſimum eſt. Hujus autem ſignificationis exemplum manifeſtiſſimum habemus, 1. Cor. 10: 2. Ubi ait Apoſtolus, *Patres omnes fuiſſe in Moſem baptizatos in nube & mari.* Quia enim per ea quæ in nube fieri conſpiciebant, nube (inquam) ea quæ interdiu & noctu diverſa ſpecie eos ducebat aut comitabatur, itemque per ea quæ in mari Erythræo facta viderant, inducti fuerunt, ut jam Moſi ſe penitus addicerent, eumque Ducem ſibi à Deo datum ſequi vellent, idque tum animo decernerent, tum verbis profiterentur. Nec dubium eſt quin Apoſtolus tum reſpexerit ad illa verba quæ ſcripta ſunt Exod. 14. 31. Quod poſtquam tranſiiſſent Iſraëlitæ mare Erythræum, & Ægyptios aquis obrutos conſpexiſſent, timuerunt Dominum, & crediderunt in Deum & Moſem ſervum ejus; quemadmodum in Hebræo legitur; nempe quia tum potiſſimum & omnium manifeſtiſſima ratione deprehenderint, Moſem ſibi à Deo ducem datum, & Dominum ſibi per eum revera adeſſe. Atque certum eſt, Iſraëlitas tunc propriè loquendo minimè baptizatos fuiſſe, ſed Apoſtolum ideò quia Baptiſmus, tum cùm hæc ſcriberet, ſignum initiationis eſſet, verbum *Baptizandi* pro initiandi voce uſurpaſſe. Idem Apoſtolus Actorum 19: 3. Cùm ex diſcipulis quos Epheſi repererat, quærere vellet cuinam doctrinæ nomen dediſſent, & cujuſnam magiſtri facti eſſent diſcipuli in religione, quærit, *In quid ergo baptizati eſtis?* Nam etſi iſti per Baptiſmum proprie dictum initiati fuerant doctrinæ Joannis, eamque ſolemni hoc ritu profeſſi, non id tamen revera erat quod quærebat Apoſtolus; ſed tantummodo, cuinam magiſtro aut doctrinæ nomen dediſſent. Arbitramur idem etiam in loco Matthæi habere locum, idque præcipere Chriſtum Apoſtolis, ut Euangelium univerſis quarumvis gentium hominibus prædicando, eò illos perducere allaborarent, ut diſcipuli fiant, tales nimirum qui nomen ſuum dent, ſeſeque conſecrent Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, eoſque ſcil. autores ac duces in religione ſequi profiteantur; Deum quidem Patrem, tanquam eorum quæ ad religionem pertinent auctorem; Chriſtum verò tanquam unicum illum Dominum ac cauſam mediam, per quem omnia in religione adminiſtrentur; Spiritum verò ſanctum tanquam eàm Dei virtutem, per quam univerſa Chriſti religio fuit patefacta & confirmata, & qui poſt Chriſtum in cælos ſublatum, tanquam quidam Paracletus, ut eum ipſe Chriſtus appellat, in ipſius locum ſubiit, & veluti legationis vices obiit, ac diſcipulos in omnem veritatem deduxit, & ea quæ etiam nondum ferre poterant penitus edocuit, Apoſtolos quidem primum, cæteros autem fideles per Apoſtolos potiſſimùm atque alios Prophetas. Quia ergo Spiritus ſanctus velut tertius quidam religionis Chriſtianæ auctor, atque inter homines promulgator, tanquam Deo & Chriſto ſubordinatus conſideratur, ideò rectè in ipſius nomen quoque diſcipuli baptizari, & ei nomen dare debere dicuntur. Quod tamen quia figuratè, ut diximus, pronunciatur, ideò alibi, ubi apertius loquitur Scriptura, in nomen Spiritus S. nuſquam quiſpiam baptizatus dicitur, licèt res ipſa ſatis ſit alibi expreſſa. Voluit nempe Chriſtus indicare non tantùm ſe ipſum eſſe audiendum, eaque in religione recipienda, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ipſe in terris verſans docuiſſet, verùm etiam quæ alii Spiritus S. afflatu poſt eum docturi eſſent. Sed quia eorum ſinguli tales non eſſent futuri, ut in ipſorum nomen quiſpiam baptizari meritò diceretur, ideò Spiritum ſanctum in omnibus illis loquentem, & divinam quandam perſonam referentem, commemoravit, & in ejus nomen diſcipulos ſuos baptizari voluit.

Spiritus Sancti glorificatio & blaſphemia.

Secundo loco inter hujus generis adjuncta ponenda nobis videtur *glorificatio* & ei contraria *blaſphemia*, quæ Spiritui S. ab hominibus contingit; quæ utraque ei tribui videtur, 1 Petr. 4. 14. ubi ita ait Apoſtolus; *Si opprobria patimini in nomine Chriſti, beati eſtis; quia ille gloriæ & ille Dei Spiritus ſuper vos quieſcit, ſecundùm quidem ipſos blaſphematur, ſecundùm vos autem glorificatur.* Etſi enim hæc poſteriora verba ad Chriſtum primo loco nominatum referri poſſunt, qui ſecundum eos qui fideles in ipſius nomine, ſeu propter ipſum, probris afficiunt, blaſphemetur, ſed ſecundum ipſos fideles glorificetur; nihil tamen prohibet quo minus ad ipſum Spiritum ſanctum referantur, quemadmodum quidem verba præ ſe ferunt; quandoquidem inter nomen Chriſti, & hæc de quibus agimus verba, integra intercedit ſententia. Et Chriſti quidem nomen ſubjecti locum non tenet in ſuperioribus verbis, ſed ad illius deſcriptionem tantum pertinet; Spiritus verò ſancti nomen in præcedentibus ſubjecti locum omnino tenet. Itaque licèt altera ſententia, quæ verba hæc ad Chriſtum refert, cæteroqui ſcopo Apoſtoli & verbis primis admodum ſit conſentanea; nihilominus tamen cùm huic verborum nexus magis faveat, & per ſe nihil contineat abſurdi, non eſt ea à nobis penitus repudianda. Quare ita ea verba nunc accipiamus, ac ſi apertè ſcriptum eſſet, Spiritum Dei ſecundùm hos quidem blaſphemari, ſecundùm illos autem glorificari. Quod ſi quis dicat Spiritui S. propterea hæc accommodari non poſſe, quòd glorificari & blaſphemari non niſi perſonis conveniat, is vehementer fallitur: quandoquidem *verbum* aut ſermo Dei *glorificari* dicitur, Act. 13. 48. & 2 Theſſ. 3. 1. Et apud eundem Petrum, eadem Epiſt. cap. 1. 8. *gaudium* fidelium dicitur *glorificatum.* Contra *ſermo Dei* dicitur *blaſphemari*, Tit. 2. ỷ. 5. Et *via veritatis*, 2 Petr. 2. 2. Et *tabernaculum Dei*, Apocal. 13. 6. Et de *blaſphemia* quidem *Spiritus S.* ſeu in Spiritum S. alibi quoque apertiſſimè ſcriptum legimus, nempe Matth. 12. Marc. 3. & Luc. 12. de glorificatione autem nihil apertè ſcriptum uſpiam memini. Quanquam ex contrario facilè apparet eam quoque in illum cadere poſſe. Quicquid enim blaſphemari poteſt, glorificari quoque poteſt. Glorificatur autem Spiritus S. ſecundùm fideles, ut Petrus loquitur, cùm ii ita ſe gerunt quemadmodum Spiritu S. qui ſuper illos requieſcit dignum eſt; ut ita appareat eos non Diabolico afflatu, non turbulento aut carnali quodam impetu duci ac regi, ſed ſancto, puro, cæleſti ac divino. Quo modo autem blaſphemetur, non eſt difficile explicare. Cùm enim Spiritus Dei Sanctus, impurus ac Diabolicus eſſe dicitur, blaſphematur: blaſphemare enim convitiari eſt, ſeu contumelioſis atque indignis verbis aliquem impetere. Sic Phariſæi & Scribæ blaſphemaſſe Spiritum S. dicuntur, quia de Chriſto dixerunt, *quòd Spiritum impurum habeat*, ut apertè ſcriptum eſt apud Marc. cap. 3. 30. qui cum ſuperioribus eſt conferendus: Seu quod dixerunt Chriſtum, qui per ſpiritum Dei ejiciebat Dæmonia, *Beelzebulem habere*, & *in principe dæmoniorum ejicere dæmonia*, ut ſuperius eodem in loco, ỷ. 22. ſcriptum eſt. Cætera quæ de hoc peccatorum genere dici poſſent, videantur in Socini commentario in 1 Epiſt. Joannis, cap. 5. ỷ. 16.

Eodem autem referri poteſt, immò debet, id quod legitur Hebr. 10. ỷ. 29. de iis qui à veritate Euangelica deſciſcunt, quod *Spiritum gratiæ contumelia afficiant.* Id quod licet verbis apertis fieri queat, nempe ſi quis Spiritum eum impurum aut Diabolicum appellet, tum cum ab Euangelica veritate deſciſcit; poteſt tamen facto quoque fieri, hoc eſt, ab ipſa veritate Euangelica defectione. Nam quicunque à veritate Euangelica deſciſcit, is Spiritum divinum, ex ſumma Dei gratia ac benignitate in homines, ejus veritatis confirmandæ cauſa, effuſum, magnâ afficit contumeliâ; quaſi nimirum Spiritus mendax ſit, qui falſam doctrinam confirmaverit, vel etiam inſpirarit hominibus. Quod ſi etiam ille ipſe homo Spiritu illo fuerit antea præditus, majore eum adhuc afficit ignominia, cùm & ejus teſtimonio, quod in ſe expertus eſt, fidem abrogat, & illud ipſum tam præſtans donum vilipendit ac proculcat.

Spiritum S. fallere & tentare.

Tertio loco conſiderandum id eſt, quod Spiritus S. dicatur *tentari*, aut quiſpiam *eum mentiri*, ſeu mavis *fallere*. Quod utrumque legimus, Act. 5. 3, 9. Atque ut de poſteriori prius dicamus, magis nobis eorum placet ſententia, qui verbum ψεύσασθαι, quo utitur Apoſtolus, reddunt *fallere*, quàm qui *mentiri*. Nam mentiri Spiritum S. quemadmodum Eraſmus quoque explicuit, nihil videtur ſignificare aliud, quàm ſimulare Spiritum S. & ejus ſpeciem quandam præ ſe ferre. Sed primùm, uſus hic verbi mentiendi, & rariſſimus, & vix apud ullum auctorem, niſi apud Poëtas, uſitatus eſt; nec veriſimile adeò Poëticè locutum eſſe Petrum. Deinde pro conceſſo ſumitur, tanquam Spiritum S. aut donum Spiritus S. ſimulare voluerit hac ratione Ananias; quod haudquaquam apparet veriſimile, cùm nihil neceſſe ſit eum qui revera id facit, quod Ananias ſe facere ſimulavit, omnino Spiritus S. impulſu facere. Præterea verba quæ ſtatim ſubjungit Apoſtolus, in quibus ratio priorum redditur, non admodum iſti ſententiæ congruunt. Nam poſtquam dixiſſet, *cur implevit Satanas cor tuum*, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα ἅγιον, hoc eſt (ut videtur aliis ſonare) mentiri te S. S; ſubjicit, *Et intervertere de pretio prædii.* Debuiſſet enim potius tale aliquid dici, Et ita te gerere ac ſi omnia nobis attuliſſes. Quanquam ne hoc quidem, ut videmus, ad crimen iſtud probandum ſuffeciſſet. Denique illud obſtat iſti interpretationi, quòd Petrus id Ananiæ & uxoris ejus peccatum exprimens, ait eos *tentaſſe Spiritum Domini.* At longè aliud eſt tentare Spiritum Domini, nempe in Apoſtolis habitantem, & ſimulare ſe habere Spiritum ſanctum. Quare alteram interpretationem, quam ſupra attulimus, iſti meritò præferimus, ac ſtatuimus id velle dicere Petrum, Ananiam fefelliſſe aut decepiſſe Spiritum S. hoc eſt, quemadmodum alii quoque explicant, fallere fuiſſe conatum, ſeu quantum in ſe fuerit fefelliſſe ac decepiſſe. Hac interpretatione, quæ rei ipſi manifeſtè conſentit, admiſſa, apparet eleganter ſubjungi iſta verba, *Et intervertere de pretio prædii?* In eo enim fallere conatus fuerat, cum uxore, Spiritum S. quòd integrum pretium ſe afferre præ ſe tulerat, & tamen partem aliquam interverterat; quemadmodum ex ỷ. 9, cum præcedentibus collato ſatis apparet: & rectè etiam iſtis verbis, *fallere Spiritum S.* reſpondere, *tentare Spiritum Domini.* Tentare enim Spiritum Domini is cenſendus eſt, qui ita ſe gerit, ac ſi explorare vellet Spiritus iſtius vim, & (ut ita dicam) ſcientiam experturus, nempe utrum fallaciam ſit deprehenſurus, nec ne. Jam verò Ananias & uxor ejus ita ſe geſſerunt, quandoquidem licèt ſcirent Apoſtolos, cum quibus illis erat negotium, Spiritu S. pleniſſimos eſſe, & ejus vi tum ſapientiam quandam admirabilem, & abditam etiam videndi vim, tum ſtupendorum operum edendorum facultatem adeptos eſſe, nihilominus tamen mendacium hoc illis obtrudere, & fallacia quadam illos circumvenire voluerint; quaſi nimirum incertum eſſet illos Spiritus divini vi, hanc fraudem animadverſuros eſſe. Etſi verò ſtatuendum videatur, Ananiam omnino ſperaſſe, fraudem hanc illos latituram; tentare autem quempiam is propriè dicatur, qui adhuc dubius ſit, utrum is quem tentat, aliquid præſtare poſſit nec ne, nec ita ut de contrario non ſit penitus perſuaſus; nihilominus tamen in S.L. ea loquendi conſuetudo obtinuit, ut is dicatur, *Deum* v.gr. *tentare*, qui cùm multa habeat documenta alicujus rei, ut potentiæ aut ſeveritatis aut

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

providentiæ divinæ, nihilominus tamen tale quippiam facit, unde appareat, ipſum ea de re adhuc dubitare, ac planè incertum eſſe, imò de contrario potius eſſe perſuaſum; ita ut facto iſto ſuo videatur experimentum certum ejus rei quærere, etſi is interim ea de re non cogitet. Qua de re videantur ea quæ diximus in Ethicis, lib. 3. cap. 3, de tentatione Dei. Quare cùm Ananias multa haberet ejus rei documenta, quòd Spiritus divinus in Apoſtolis habitans, vel (ut magis propriè loquamur) Apoſtoli, Spiritus iſtius divini vi, fraudem hanc animadvertere poſſent, atque adeò animadverſuri eſſent; nihilominus tamen, dum fraude hac circumvenire illos tentavit, ita ſe geſſit, atque ſi experimentum iſtud ſapientiæ, ac ſcientiæ, ſeu mavis ſciendi facultatis, capere vellet. Eatenus ergo Ananias una cum uxore Spiritum S. & fallere voluiſſe & tentaſſe cenſendus eſt, quatenus Apoſtolos, quos Spiritu S. plenos eſſe ſcivit, fallere conatus eſt, & experiri quodammodo voluit, num tantum illi Spiritus Sancti ope ac virtute præſtare poſſent, ut technam hanc animadverterent. Maluit autem Petrus Spiritum Domini nominare, quàm ſeſe, ut ita gravitas hujus peccati tantò apertius cerneretur, & animadverteretur hoc peccatum non ad injuriam hominum revera, ſed ad Dei ipſius, cujus hic eſt Spiritus, pertinere. Quod etiam paulò poſt ſatis expreſſit, dum dixit, *Non fefelliſti,* ſeu *non es mentitus hominibus, ſed Deo.* q. d. Non debes arbitrari hanc tuam fraudem ad noſtram tantùm, qui homines ſumus, injuriam pertinere, quia nos decipere volueris; ſed ad Dei ipſius injuriam vel contumeliam, quandoquidem Spiritum ipſius decipere voluiſti, ſeu nos, non humana tantùm intelligentia præditos, ſed divino Spiritu plenos, & ſic divina quadam ſapientia donatos, quemadmodum tu multis experimentis deprehendiſti, aut deprehendere debuiſti. Quanquam dum manifeſtam divini Spiritus vim in Apoſtolis reſidentem in dubium vocavit Ananias, & illos technis ac fraudibus circumveniri poſſe credidit, eatenus quoque in Deum ipſum fuit injurius. Sed hæc veluti obiter. Ex quibus omnibus patet, qua ratione Spiritus ſanctus tentari queat, aut quiſpiam conari ut ipſum fallat. Et de adjunctis quidem Spiritus ſancti hactenus.

CAPUT QUARTUM.

De effectis Spiritus Sancti.

SEquitur ut de effectis Spiritus ſancti agamus. Per ea verò potiſſimùm intelligimus, tum qualitates, tum actiones admirandas, quas præter naturæ curſum Spiritus ſanctus in hominibus producit. Quanquam & ipſa Spiritus S. operatio, & (ut ita loquar) virium exertio, quæ partim qualitates, partim actiones illas producit, ad effecta ejus pertinet, de qua paucula quædam præmittemus, antequam ad præcipua illa Spiritus ſancti effecta conſideranda accedamus. Non inutile enim eſt diſpicere quibus verbis ea in Sacris literis efferatur.

Inter illa verò primùm occurrit ipſum *Operandi* verbum, 1 Cor. 12. 11, de quo nihil eſt opus amplius dicere, cùm ejus vis ſatis ſit manifeſta; niſi fortè illud monendum ſit, quod tamen per ſe facile quivis cernit, etiam rebus quæ perſonæ non ſunt operationes tribui. Eſt enim hoc commune omnibus qualitatibus, quas potentias ſeu facultates activas appellant. Vide inter alia Matth. 14. 2. Gal. 5. 6. Eph. 3. 20. Col. 1. 29.

Secundò occurrit vox *diſtribuendi* in eodem 1 ad Cor. loco, ubi dicitur idem *Spiritus diſtribuere* privatim ſeu ſingulatim *unicuique ſicut vult*; idque propterea quia non in omnibus quibus contingit hominibus eadem effecta parit, ſed in aliis alia; vel ſi eadem, diverſa ferè menſurâ, aliis plus, aliis minus, prout ipſi, id eſt Deo à quo emanat, viſum eſt. Qua de re diximus ſuprà nonnihil, de adjunctis Spiritus S. agentes, cùm explicaremus quo modo voluntas ei tribuatur. Eſt autem hîc (ut ibidem monuimus) proſopopœia cum metonymia conjuncta, ſeu ex ea orta. Deus enim, ut jam docuimus, per Spiritum ſuum propriè loquendo ea dona diſtribuit atque diſpenſat. Quæ ſanè figura in ſimili etiam loquendi genere inuſitata non eſt. Nam & juſtitia dicitur tribuere unicuique quod ſuum eſt; & certa eſt ejus ſpecies, quæ à diſtribuendo diſtributiva appellatur. Et rectè dicere potes, liberalitatem ac magnificentiam pecuniam erogare; & cuilibet, prout ei viſum eſt, diſtribuere.

Tertiò *Dandi* verbum occurrit, Act. 2. 4 ubi dicitur Apoſtolos *cœpiſſe loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eis eloqui.* Cujus verbi non multò eſt alia ratio, quàm proximè præcedentis. Senſus enim eſt, ea lingua quemvis fuiſſe locutum, cujus facultatem Spiritus ille, vel Deus per illum Spiritum, unicuique largiebatur, ſeu prout verba Spiritus S. quodammodo formabat, & prout linguam cujuſque regebat. Dicuntur autem & res aliæ quippiam dare, ut ſapientia, & fides per Chriſtum, quæ dicitur dediſſe claudo illi integritatem, Actor. cap. 3. ℣. 16.

Quartò occurrit verbum *Movendi*, vel *agendi*, ſeu *impellendi*, 2 Petr. 1. 22, ubi dicuntur *Sancti Dei homines locuti, à Spiritu S. acti*, vel commoti, Græce φερόμενοι. In quo verbo metaphora eſſe videtur ſumpta à vento, à quo etiam Spiritus vox deſumpta eſt. Nam à vento etiam res commoveri, ferri atque impelli dicuntur. Unde & ventus ferens pro vento ſecundo ſumitur. Quia ergo Prophetæ, de quibus ibi Petrus loquitur, non ſponte ſua, aut prout ipſis videbatur, loquebantur, ſed prout Spiritus ſanctus eos movebat, à quo toti tunc regebantur, ideò illos à Spiritu ſancto actos atque impulſos ait.

Quinto occurrit verbum *Induendi*, 2 Paralip. 24. 20. Induere autem ſimpliciter pro aliquem corripere, & audaciam vel animum illi indere ponitur. Is enim homo cui iſtud contingit, nova quadam qualitate imbuitur, & ſic veluti novo quodam amictu induitur. Eadem phraſis occurrit, 1 Paral. 12. 18, quanquam iſtic non videtur eſſe neceſſe, ut de Spiritu divino ſermo ſit. Dicitur enim ibi Spiritum induiſſe principem ſuper triginta, ut reſponderet Davidi; quod ita explicatur à viris doctis, Spiritum audaciæ ac fortitudinis ibi intelligi, quaſi dicat, Audaciâ ac fortitudine ductus reſpondit.

Denique ea operatio Spiritus ſancti ita deſcribi in S. L. ſolet, ut dicatur *eſſe* ſeu *fieri ſuper aliquem*: quod vetus interpres reddere ſolet, *irruere* in aliquem. Vide inter alia Numer. 24. 2. Judic. 3. 11, & 11. 29. Significatur enim Spiritum S. hominem veluti invadere, occupare ac corripere, cùm in eo vim ſuam exerit, ita ut homo non in ſua poteſtate tum eſſe videatur, ſed totus à Spiritu S. teneri ac regi.

Et hæc quidem huc uſque nobis obſervare licuit de verbis, quibus operatio Spiritus ſancti in S. L. efferatur. Quanquam facilè fieri poteſt, ut plura alia vel verba vel phraſes eadem de re uſurpentur. Veniendum eſt ad operationis hujus effecta, quæ vel in iis ipſis, quibus Spiritus S. datur, parit, vel per eos etiam in aliis. Quod ad priora attinet, inter ea omnium latiſſimè patet id unde divina illa efficacia nomen aliqua ex parte invenit, nempe *Sanctificatio.* Ob hanc enim diximus, Spiritum illum divinum ſanctum appellari. Tribuitur autem hic effectus Spiritui S. Rom. 15. 16, ubi *oblatio gentium*, hoc eſt Gentes per Euangelii prædicationem ad Deum per Paulum adductæ, & ei veluti oblatæ, ſanctificata dicitur in Spiritu, ſeu per Spiritum Sanctum. Qua verò in re ſanctificatio illa à Spiritu S. manans, generatim conſiſtat, de eo dictum eſt ibi, ubi de voce egimus. Quæ verò ſit ſpecialior iſtius ſanctificationis ratio, id in cæterorum Spiritus ſancti effectorum conſideratione, ad quam nunc progredimur, apparebit.

Quod ergo ad cætera effecta attinet, in iis maximè habebimus rationem, temporum Novi fœderis; licet interim non ſimus neglecturi ea quæ ſub Veteri fœdere etiam locum habuerunt; cum nullum ſit effectorum Spiritus S. genus, quod ſub veteri fœdere extitit, quod non etiam extiterit ſub novo. Contra autem longè majora & perfectiora, quin etiam plura, extiterint ſub

novo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

novo quàm ſub veteri. Quia verò methodi ratio poſtulat, ut à generalibus ad ſpecialiora progrediamur, ideò ea primùm recenſebimus effecta, quæ in omnibus quibus ſub novo fœdere Spiritus S. datus fuit, apparuerunt, aut etiamnum pro menſura illius doni apparent. Deinde ea perſequemur quæ certis tantùm perſonis fuerunt propria.

Quod ad prioris generis effecta attinet, eorum ferè alia ex aliis pendent: ſed inter ea primo loco collocari meretur, *ſenſus* quidam *divini* erga eum cui Spiritus ſanctus datur, *amoris*, & amoris quidem planè paterni. De quo effectu Paulus loquitur ad Roman. 5. 5 ubi ait, *Charitatem Dei effuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Ubi charitatem Dei pro ſenſu charitatis divinæ poſuit, ut alibi jam docuimus. Quare hoc vult dicere, Spiritu S. in cordibus noſtris effuſo, nos ſentire in cordibus ſeu animis noſtris, quos efficacia illa divina primò afficit, ſingularem ac planè paternum erga nos Dei amorem. Etenim cùm cuipiam Spiritus S. datur, ſtatim animum ipſius afficit, & ut Samuël aliquando Sauli dixit, alium virum, aliumve hominem efficit, imò ſupra humanam ſortem ac conditionem elevat, & ut ſe elevatum eſſe ſentiat, efficit. Neque enim ita Spiritus ſanctus hominibus datur, ut eum ſibi datum eſſe neſciant, & quale ſibi donum inſit ignorent, ita ut neceſſe ſit ipſis id ab alio indicari: ſed ipſe Spiritus ſui cognitionem ac ſenſum ſecum affert, & animo ejus cui contingit, imprimit. Quod quidem facile eſt deprehendere in iſtis effectis Spiritus ſancti, quæ Paulus 1 Cor. 12 recenſet; niſi fortè putes donum ſanationum, aut ſtupendorum quorundam miraculorum edendorum, quia non in ipſo cui dabatur, ſed in aliis, ſive rebus, ſive hominibus, efficaciam ſuam producebat, potuiſſe ignorari ab eo cui dabatur. Sed id minimè admittendum eſt. Ideò enim Deus dabat, ut id exereret, & eo pacto fidem aliorum confirmaret. Quo pacto autem id facere potuiſſet, niſi id ſe habere ſcire potuiſſet? Abſurdum autem eſt ſtatuere opus ipſi fuiſſe indice aliquo, id eſt alio aliquo homine divino, qui id ipſum indicaret. Quare in univerſum ſtatuendum eſt, Spiritum S. quoties alicui datus eſt, ipſo ſtatim impulſu, atque (ut ita dicam) illapſu in animos eorum, quibus datus fuit, ita eos commoviſſe, ut ſeſe divina virtute imbutos, & ſupra hominum ſortem elevatos eſſe ſentirent. Jam verò id ipſum ſtatim ſingularem Dei erga ejuſmodi homines charitatem ac favorem indicat; ſed multò magis, ſi ſcil. conſideres, quam ob cauſam tam divinum donum eis contigerit. Jam verò donum illud ab ipſo initio, non niſi iis dabatur qui Euangelium reciperent, nec alia revera de cauſa, quam quia id recepiſſent; ut ita iis conſtaret, omnia quæ in eo continentur, eſſe certiſſima. Jam verò Euangelium teſtatur de ingenti ac planè paterno Dei erga homines animo, cujus fructus ad eos revera ſolos ſpectat qui Euangelium receperint, & ſe ad pietatem in eo præſcriptam compoſuerint. Quare ſimul ac quiſpiam Spiritus S. dono fuit à Deo auctus, non potuit non ſentire in animo ſuo divinum erga ſe amorem ac charitatem, in Euangelio ſibi oblatam, & præſtanti munere conteſtatam.

Ad hunc Spiritus S. effectum referenda ſunt tum illa loca, in quibus is *adoptionis Spiritus* dicitur, eique tribuitur, quòd *per eum clamemus* ad Deum, *Abba Pater*, quodque *teſtetur nos eſſe Dei filios*; tum ea etiam in quibus *arrhabo hæreditatis noſtræ*, vel *arrhabo* ſimpliter dicitur, & nos *obſignari* aut *confirmari*, aut *teſtimonium nobis à Deo* aſſeritur *dari*, aut denique ex eo nobis conſtare dicitur *Deum in nobis*, aut *nos in Deo manere*. Et prioris quidem generis loci inſignes extant Rom. 8. 15, 16. Et Galat. 4. 6, de quibus quia in Commentariis ſatis dictum eſt, ideò eorum explicationem hîc prætermittemus.

Poſterioris autem generis loci hi ſunt, 2 Corinth. cap. 1. ℣. 21, 22, ubi ait Apoſtolus, *Qui verò unà confirmat nos vobiſcum, in Chriſtum, Deus eſt; qui etiam obſignavit nos, & dedit nobis arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Et cap. 5. 5. *Qui verò præparavit nos in id ipſum* (ſcil. ut iſto cæleſti domicilio aliquando induamur) *Deus*, ſcil. eſt; *qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.* Et ad Epheſ. 1. 13, 14, ubi idem Apoſtolus ait, *In quo*, ſeu per quem, nempe Chriſtum, *etiam poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis.* Et cap. 4. 30. *Ne contriſtetis Spiritum Sanctum Dei, in quo obſignati eſtis in diem redemptionis.* Adde his verba Petri, Act. 15. 8, ubi de gentibus, nempe Cornelio & ejus amicis ac familiaribus ait, *Deum qui corda novit, teſtatum eſſe iis, dantem iis Spiritum S. quemadmodum & ipſis Apoſtolis olim dederat.* Et illa Joannis, 1 Epiſt. 3. ℣. ultimo, *In hoc agnoſcimus, quòd manet*, ſcil. Deus, *in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.* Quibus ſimilia etiam extant cap. 4. 13. *In hoc cognoſcimus quòd in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quòd ex Spiritu ſuo dedit nobis.* Hæc enim omnia loca, id vel ſolum vel potiſſimum docent, eos qui Spiritu S. donantur, ea ratione planè certos reddi, de divino & planè paterno erga ſe amore, & de immortalitate ſibi à Deo, ſi modò ipſi paruerint, danda. Quæ res ut melius pateat, phraſes aut verba illa conſiderabimus, quibus hic Spiritus ſancti effectus in locis citatis exprimitur.

Et in eorum quidem primo, occurrit primùm vox *Confirmandi*, quæ ipſa per ſe ſatis clara eſt; quanquam tota phraſis, *Confirmari in Chriſtum*, 2 Cor. 1. 21, non perinde clara ſit. Senſus tamen hic eſſe videtur, quaſi diceret Apoſtolus, Deum eſſe qui ſeſe unà cum Corinthiis confirmet, per Spiritum (nempe ſuum) ut in Chriſtum conſtanter credant, ei conſtanter adhæreant, ita ut *in Chriſtum*, ſit reſpectu Chriſti, & finem ſeu ſcopum denotet, ad quem confirmatio illa referatur. Etiamſi autem hæc confirmatio ad univerſam Chriſti doctrinam referatur, ſeu mavis ad fidem, qua univerſa illa doctrina apprehenditur, nihilominus tamen potiſſimùm promiſſionum in ea comprehenſarum habetur ratio, ut partim ex præcedentibus patet, partim ex ſeqq.

Deinde occurrit in eodem loco verbum *Obſignandi* (nam vox *ungendi*, quæ interjicitur, hunc de quo agimus effectum non exprimit, ſed ſimpliciter tantùm Spiritus S. donationem, & quandam per eam factam conſecrationem) quod etiam extat in duobus ad Epheſ. locis à nobis allegatis. Et vis quidem phraſis ab omnibus ſatis fuit animadverſa; ſiquidem nemo non intelligit, id ſibi velle Paulum, Deum nos Spiritu S. dato confirmare in ſpe immortalitatis, & de ea nos certos ac ſecuros reddere. Sed tamen ratio metaphoræ quæ huic verbo ſubeſt, non ſatis videtur fuiſſe animadverſa. Etenim ab omnibus vulgò creditur, Apoſtolum metaphoram duxiſſe à ſigillis, quibus diplomata ac privilegia confirmari ſolent, & ſic indicare voluiſſe Deum, Spiritu S. iis qui Euangelium receperant, ita doctrinam illam, & in ea comprehenſam immortalis vitæ promiſſionem, confirmaſſe, ac ſi ſigillo quodam, ſine quo diplomata vel nullam, vel minorem vim habere ſolent, eam communiviſſet. Sed huic ſententiæ id videtur obſtare, quòd nuſpiam dicatur vel Euangelium, vel promiſſionem divinam, Spiritu Sancto fuiſſe obſignatam, ſed ſemper nos ipſos, ſeu homines illos, quibus Spiritus S. datus fuerit, fuiſſe obſignatos. Jam verò nemo dixerit eum, cui diploma obſignatum traditur, ſeu in cujus gratiam id obſignatur, ipſum obſignari. Quare aliunde ducta videtur eſſe metaphora; nempe ab illis ſignis, quibus notantur & veluti muniuntur res quæ ad alicujus peculium pertinent, præſertim valdè charæ ac pretioſæ, quas à nemine tangi aut violari cupimus. Qui mos & hodie eſt uſitatus, & olim adhuc longè fuit uſitatior, præſertim apud magnates aut alios viros divites, quorum ſigillis quæ communita ſunt, ea ab injuria ſunt tutiora. Atque ad hunc morem alludit divinus Spiritus in Apocal. 7. 3, &c. ubi ſervi Dei dicuntur obſignati fuiſſe in frontibus ſuis, antequam reliquæ Dei plagæ in homines effunderentur; nempe ut à cæteris diſcernerentur, atque ab omni periculo immunes eſſent atque inviola-

viola-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

violabiles. Quare id videtur dicere velle Paulus, Deum eos quos Spiritu S. donet, hac veluti nota iis impreſſa teſtari illos eſſe ſuos, ac ſibi peculiariter ſacros charoſque, ſe eos omnino velle inviolabiles, ita ut iis haudquaquam, modò officium fecerint, metuendum ſit, ne pereant forte, inter tot mala, in quibus eos verſari neceſſe eſt, antequam ex iis penitus eripiantur, & in feliciſſimo illo vitæ ſempiternæ ſtatu collocentur. Et huic quidem ſententiæ non parum favent verba utriuſque loci ex Epiſt. ad Epheſ. allegati, maximè prioris. Nam cùm in eo dictum eſſet Epheſios eſſe obſignatos Spiritu S. qui ſit arrhabo hæreditatis noſtræ, adduntur illa verba, *In* vel *ad redemptionem acquiſitionis*. Nam primum vox περιποιήσεως hoc eſt acquiſitionis aut peculii, qua homines Chriſtiani hoc loco deſignantur, quia nimirum, ſunt populus à Deo ac Chriſto acquiſitus, ac magno pretio comparatus, longè majorem habet conjunctionem cum iſta obſignatione rerum ad peculium ſeu proprietatem alicujus pertinentium, quàm cum obſignatione & confirmatione diplomatum. Deinde & vox *Redemtionis* non diſconvenit, cujus & in cap. 4 fit mentio; quæ ſignificat nos, licèt à Deo ſimus acquiſiti, & magno pretio emti, nondum tamen penitus ex manibus hoſtium noſtrorum ereptos, ſed inter illorum manus adhuc veluti verſari; interim tamen Deum ſummum illum Monarcham ac Principem, cujus nomen omnes metuere neceſſe eſt, nos Spiritu S. tanquam ſigno impreſſo notaſſe, ita ut nec hoſtes noſtri nos attingere queant, nec nos metuere debeamus ne forte intra hoſtium noſtrorum manus ſtrangulemur: & eam ob cauſam etiam Deum ad redemptionem iſtam, hoc eſt, ut Cap. 4 explicatur, uſque ad diem ſeu ad tempus redemtioni iſti deſtinatum, illam in nobis notam extare velle. Tempus autem illud eſt adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quæ cum eo veluti connectitur mors uniuſcujuſque, ad quam qui ab hoſtibus ſuis inviolatus manet, ei interitus nullus amplius eſt metuendus. Quod ſi quis tamen omnino contendat, metaphoram ductam eſſe ab obſignatione diplomatum ac privilegiorum, ſtatuendum erit, ideò Apoſtolum dicere nos eſſe obſignatos, quia promiſſio divina, doctrinaque Euangelica, cordibus noſtris ſit inſcripta, eamque Spiritu S. nobis dato in iis obſignari, quod cùm fit, nos ipſi obſignemur. Sed nos à priori ſententia, quæ minus habet anfractus, recedendum non putamus.

Tertiò occurrit in illis locis vox *Arrhabonis*, qua Spiritus Sanctus inſignitur. Nam etſi arrhabo à Spiritu diſtingui videatur, propterea quòd in duobus ad Cor. locis, Apoſtolus non ipſum Spiritum dicat arrhabonem, ſed arrhabonem Spiritus commemoret; tamen perinde eſt, ac ſi ipſum Spiritum arrhabonem appellaſſet; quod apertè comprobat locus ex Cap. 1 ad Epheſ. citatus, ubi Paulus expreſſe Spiritum arrhabonem hæreditatis noſtræ vocat. Quare in iis ad Corinth. locis genitivus *Spiritus*, voci *arrhabonis* adjunctus, eſt genitivus ſpeciei; qualis loquendi ratio alibi ſæpe occurrit, & ſupra alicubi à nobis eſt notata, cùm de phraſi illa egimus, Donum Spiritus Sancti. Itaque perinde eſt ac ſi dixiſſet Apoſtolus, Deus nobis dedit arrhabonem qui eſt Spiritus. Reſtringitur enim & explicatur vox generalis per ſpecialem, *Spiritum*. Jam verò cùm arrhabo hæreditatis noſtræ appelletur, facile eſt intelligere, ideò Spiritum Sanctum hoc pacto appellari, quia nos de hæreditate nobis deſtinata, hoc eſt de ſempiternæ vitæ poſſeſſione, certos reddat, ita quidem ut quendam ejus veluti guſtum jam præbeat. Eſt enim arrha propriè loquendo pars pretii aut mercedis alicui promiſſæ, in anteceſſum data, quæ interea dum res ipſa promiſſa exhibeatur, eum cui datur certum reddat fore ut reliquum etiam mercedis aut pretii, ſi ipſe quoque id præſtiterit quod ſtipulatus eſt, accipiat. Solet quidem vox *Pignoris* ejus loco vulgò uſurpari, idque in hac materia concedi facile poteſt, cùm idem tamen ſenſus emergat; Sed cæteroqui non parum inter pignus & arrham intereſt. Pignus enim à cordatis hominibns illud demum accipi ſolet, quod rei promiſſæ pretio non modò planè par ſit, ſed (ſi modò fieri poſſit) non parum ſuperet. At arrha tantùm pars pretii aut mercedis pactæ eſt, vel parti tantùm æquivalet. Deinde pignus tum dari ſolet, cum res jam ſimpliciter debetur, non verò ſub conditione demum, quæ ab altero cui arrha datur ſit præſtanda. Et ob utramque hanc cauſam, longè accommodatior eſt rei huic, de qua agimus, ſignificandæ, arrhabonis quam pignoris nomen. Nam quod ad priorem attinet, non eſt par Spiritus S. hæreditati noſtræ, ſed particulæ tantum illius reſpondet; talis tamen eſt ut is qui hunc arrhabonem acceperit, dubitare nequeat ſibi datum iri hæreditatem cœleſtem ab eo, qui in hujus promiſſi ſui fidem, tam præſtans tamque excellens donum, ſibi velut in anteceſſum dederit. Deinde quod ad poſteriorem attinet, Spiritus S. ante laborem potius noſtrum, ſeu ante præſtitam conditionem, ſine qua hæreditatem cœleſtem adire non poſſumus, & mercedem ſempiternæ vitæ conſequi, & olim frequentiſſimè dabatur, & hodie quoque hominibus contingit. Videmus enim hominibus datum fuiſſe Spiritum S. ſimul ac Euangelicæ doctrinæ fidem adhibuiſſent, præſertim ſi adeſſent Apoſtoli, quorum precibus manuumque impoſitione interveniente Spiritus ſanctus dabatur. Et ſanè in ipſo quoque loco ad Epheſ. 1, non obſcurum ejus rei argumentum extat; quandoquidem Apoſtolus non ſimpliciter dicit eos Spiritu S. fuiſſe obſignatos, & arrhabone illo donatos, ſed ejuſmodi verba præmittit, quæ indicent id ob aſſenſum Euangelio adhibitum, & quidem mox, iis contigiſſe; dum ait; *in quo*, ſcil. Chriſto, *& vos cùm audiviſſetis ſermonem veritatis Euangelii ſalutis veſtræ, in quo etiam cùm credidiſſetis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Quod etiam Paulus ad Galat. ſcribens ſignificat, cum ait eos *ex auditione fidei*, ſeu doctrinæ de fide, quam fuiſſent amplexi, *Spiritum accepiſſe.* Et ſanè ita fieri decuit. Arrha enim, ut vidimus, non ideò datur quia alter jam omnia præſtiterit quæ facere debet, quæque ſe facturum recepit (tunc enim non arrha amplius opus eſſet, ſed ipſa potius mercede aut pretio operæ vel rei integræ) ſed potius ut de mercede aut pretio ſibi exhibendo certus, id quod in ſe recepit præſtet; quandoquidem ſciat ſe ubi id præſtiterit, præmio ac mercede, quam fuit ſtipulatus, minimè fruſtratum iri.

Neque verò huic ſententiæ illud obſtat quod Actor. 5 legimus, verſ. 32, *Deum dediſſe Spiritum Sanctum iis qui ipſi obtemperarent*, ſeu dicto audientes eſſent. Etenim non de plena & perfecta obtemperatione iſtic ſermo eſt, quæ univerſam in ſe pietatem vitæ complectatur, ſed de inchoata tantùm, quæ conſiſtit in receptione veritatis à Deo revelatæ, & animi quadam inductione, qua fiat ut ad ejus normam componere te velis. Nam & eo ipſo, Deo quiſpiam, πειθαρχεῖ ſeu obtemperat, cùm voci divinæ ita ſe ſubmittit, ut eam recipiat, eique aſſentiatur. Unde tantopere Chriſtus commendat Apoſtolos, de quibus in illo Actorum loco præcipuè ſermo eſt, quòd ſermonem ipſius receperint; Joan. 17: 8, &c. Eamque potiſſimùm ob cauſam tribuere videtur illis, quòd Dei ſermonem ſervaverint. Et ſanè cùm iſto Actorum loco omnino ſermo ſit de Spiritu Sancto quem miraculoſum vocare ſolent vel viſibilem (ſiquidem de illo loquitur qui tum temporis unâ cum Apoſtolis teſtabatur de Chriſti reſurrectione & exaltatione) facile eſt intelligere, non obedientiam perfectam ibi intelligi, nec ſi intelligeretur, eam poni tanquam conditionem ad Spiritum illum adipiſcendum neceſſariam; ſiquidem apud omnes in confeſſo eſt, Spiritum illum miraculoſum vel viſibilem, promiſcuè dari ſolitum fuiſſe iis qui Euangelium ſincero animo eſſent amplexi, & Chriſti religionem profeſſi, non expectatâ reliquâ vitæ pietate, ad quam, ut diximus, hac illi arrha demum incitabantur. Fuit ergo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

atque adhuc eſt, obedientia quidem ad donum Spiritus Sancti obtinendum neceſſaria, ſed non perfecta, verùm ea tantùm quam ſuperius explicavimus; ad perfectam autem obedientiam Spiritum ſanctum incitamento olim fuiſſe, hodieque eſſe.

Ex quibus apparet tantùm abeſſe, ut propter *arrhabonis* vocem neceſſe ſit ſtatuere, in illis locis ubi illa extet, de ejuſmodi Spiritus dono ſermonem eſſe, quod non niſi iis detur qui jam per aliquod tempus ex præſcripto Chriſti piè vixerint, eamque ob cauſam in ſtatu ſalutis prorſus verſentur, ut contrarium potius hinc colligi debeat. Unde porrò & illud intelligitur, nullam eſſe cauſam, cur eo nomine donum Spiritus ſancti, quod viſibile ſeu miraculoſum dicitur, comprehendi non debeat, & occultum tantum aliquod Spiritus ſancti donum, quod non niſi verè piis detur, & eos jam vi Novi fœderis, ſi in eo ſtatu permanſerint, ſalutem omnino adepturos confirmet, intelligendum ſit; præſertim cùm præter alia ſuperius de loco Epheſ. 1 dicta, illud quoque arguat Apoſtolum de viſibili Spiritus ſancti dono loqui, quòd de dono illo tanquam de re manifeſta loquatur, de Epheſiis generatim aſſerens, illos arrhabonem iſtum fuiſſe conſecutos, poſtquam Euangelio credidiſſent. Jam verò nec de iis ita generatim aſſerere poterat, eos Deo, prout Euangelio præſcriptum eſt, paruiſſe; nec ſi potuiſſet, propterea affirmare potuiſſet iis occultum aliquod aut inviſibile donum Spiritus ſancti fuiſſe datum; cùm de eo nominatim dando, nulla extet in S. L. promiſſio. Et mirari facile unuſquiſque potuiſſet, id commemorare Apoſtolum, de quo non niſi Deo aut Chriſto certò conſtaret. At de dono illo Spiritus ſancti viſibili, Paulo optimè conſtare poterat, eam potiſſimùm ob cauſam, quod ipſo manus illis imponente, donum id accepiſſent. Quod partim ex Act. 19. 6 conſtat, partim ex eo quòd triennium apud illos exegerit, ut Cap. 20. 31 legimus; quo tempore dubium non eſt, per ejus miniſterium, magnam doni ejus copiam Epheſiis contigiſſe. Adde quod ex Cap. 4 ſatis apparet, cujuſmodi homines illi fuerint, qui eo Spiritu fuerunt obſignati; nempe tales quos neceſſe habuit hortari, *ne ambularent amplius ut reliquæ gentes; ut depoſito veteri homine induerent novum; depoſito mendacio loquerentur veritatem; ita iraſcerentur ne peccarent; ſi quis furaretur, ne amplius id faceret; ut omnis amarulentia & excandeſcentia, & ira & clamor & blaſphemia ab illis tolleretur, cum omni malitia*; quæ certè non cadunt in eos de quorum pietate, vel explorata habetur cognitio, vel probabile ponitur eos verè pios eſſe. Ut taceam, ſi ea quæ de occulto illo Spiritus ſancti dono perhibentur, vera eſſent, ineptè moniturum fuiſſe Apoſtolum, *ne ſermo aliquis putridus ex ore Epheſiorum egrederetur*, eam ipſam ob cauſam, *ne contriſtarent Spiritum S. quo eſſent obſignati in diem redemptionis*; quandoquidem donum illud ſuâ naturâ oratione omni ac præcepto efficacius, prohibet ne ſermo putridus ex ore ejus hominis egrederetur qui eo Spiritu ſit præditus.

Sed dicet aliquis, Spiritum illum qui arrhabo hæreditatis noſtræ dici mereatur, aut quo obſignatus quiſpiam dici queat, talem eſſe debere, ut teſtetur eum ipſum nominatim qui ipſum accipiat, vitæ æternæ hæredem eſſe; illud verò non præſtare Spiritum illum viſibilem & miraculoſum, quandoquidem iis etiam contingat qui Chriſto non pareant, atque in peccatis perſeverent: quare non hunc, ſed alium quendam Spiritum eo nomine debere intelligi. Reſpondeo, Eum Spiritum qui hæreditatis noſtræ arrhabo dicitur, aut quo quiſpiam obſignatur ad vitam ſempiternam, talem quidem eſſe ut teſtetur eum cui datur in ſalutis via verſari, & quidem etiam nominatim, ſed non abſolutè ac ſine conditione impoſterum implenda; quemadmodum & vocem arrhabonis indicare jam antea diximus. Jam verò id Spiritus ille miraculoſus præſtabat quoque, ut ex iis quæ ſupra jam diximus conſtat. Et ſane omnes quotquot Spiritum illum accipiebant, in via atque adeò in ſtatu ſalutis verſabantur, licèt niſi in ea via ulterius progrederentur, eo ipſo ſalute exciderent. Iis enim, ut itidem jam explicuimus, tantùm Spiritus ille Sanctus dabatur, qui Euangelium fuiſſent amplexi, quique adeò jam animum ad doctrinæ illius ductum ſequendum applicuiſſent, etiamſi nondum iſtud animi ſui decretum omni ex parte fuiſſent executi. At verò quicunque doctrinam Chriſti animo ſincero amplectuntur, ii jam à Deo juſtificari inceperunt, & jam electi dicuntur, nempe ad vitam æternam; licèt eorum electio nondum ſit ex ipſorum parte prorſus firma; ſed firma demum, ut Petrus ait, ſit facienda per bona opera. Hujus ergo electionis ac juſtificationis ſignum ac teſtimonium erat miraculoſus ille Spiritus, præſertim cùm dabatur. Quod ſi fieret ut is qui eum accepiſſet, piè poſtmodum non viveret, ſimilis evadebat ei homini, qui arrha ab aliquo accepta, id non præſtat quod in ſe receperat, & quo præſtito demum certam rei promiſſæ ſpem & ejus repetendæ jus plenum conſecuturus erat. Quemadmodum enim ab eo, qui id non præſtat cujus rei gratiâ arrham acceperat, arrha repeti ſolet, ſi modo id fieri queat, præſertim ſi jam tempus illud præterierit, intra quod exequi id debuit quod in ſe receperat; ita etiam omnino conſentaneum eſt Deum olim feciſſe, ut donum tam præſtans ab iis qui eo ſe indignos præſtiterant, nec id executi fuerant, cujus cauſa Spiritu S. fuiſſent donati, tandem auferret; maximè ſi tempus quod reſipiſcentiæ illorum præfixiſſet eſſet elapſum. Et quamvis tandem Deus non feciſſet, nhilominus tamen arrha iſta, jam vim ſuam perdidiſſet, quam antea habuerat ad ſpem vitæ ſempiternæ in illis obſignandum. Nam etiamſi tandem arrha ab eo, qui quod ſtipulatus fuerat juſto tempore non præſtitit, detineatur, aut ab eo qui dederat non repetatur, nihilominus tamen injuſtum illum poſſeſſorem, de promiſſo ſibi facto obtinendo, certum amplius non reddit, nec ullum ei jus ad id repetendum largitur, promiſſoremve obligat; ſiquidem non niſi ſub certa conditione, certo tempore præſtanda eum obligabat: ita nec donum illud Spiritus Sancti, hominem iſtiuſmodi qualem deſcripſimus amplius in ſpe immortalis vitæ confirmat, aut Deum ad felicitatem hanc illi dandam obligat; etiamſi is arrham ſuam ab eo non repetat, ſed ei cui dederat, ut injuſto poſſeſſori relinquat. Sed conſentaneum eſt tamen, plerumque ſaltem aliter accidiſſe; qua de re nonnihil infrà, ubi de ratione qua Spiritus Sanctus amittatur, dicemus.

Objici poſſet adhuc iis quæ ſuprà diximus illud, quòd arrhabo pars quædam ſit mercedis aut rei promiſſæ; Spiritus autem ille Sanctus qui miraculoſus dicitur, pars hæreditatis noſtræ futuræ haudquaquam eſſe videatur; quare non illum Spiritum, ſed alium quempiam, qui futurorum gaudiorum guſtum in animis noſtris excitet, per arrhabonem quo obſignentur fideles intelligendum eſſe; hunc enim pro felicitatis illius parte quadam haberi poſſe. Reſpondemus primùm, nec arrham ſemper propriè loquendo partem eſſe rei promiſſæ, ſed ſatis eſſe ut parti rei promiſſæ reſpondeat, eique ſit æqualis. Nam ſi verbi gr. pecunia ſit promiſſa, poteſt interea pro arrha dari res aliqua quæ pecuniæ iſtius partem quodammodo repræſentet. Quod ſi id in arrhabone propriè ſic dicto accidere poteſt, quantò magis in illo, quem metaphorice ſic dici omnes agnoſcunt? Et ſanè eſt id extra ſcopum ad quem reſpexit Apoſtolus, cum hac metaphora, & quæ in ea latet ſimilitudine, eſt uſus. Is enim revera tum Pauli ſcopus ea in re fuit, ut oſtenderet Spiritum S. ejuſmodi eſſe donum, in anteceſſum nobis à Deo datum, quod nobis certò ſpondeat fore, ut ſi ejus mandatis pareamus, & eam viam quam inſtiterimus perſequamur, hæreditatem ſeu felicitatem nobis promiſſam omnino aſſequamur. Id verò Spiritus S. ſatis præſtat, etſi tandem propriè loquendo, pars iſtius hæreditatis non ſit; modò

tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tam præſtans ſit donum, ut cum parte aliqua iſtius felicitatis comparari poſſit, & certos nos reddat, fore ut felicitatem illam promiſſam obtineamus. Sed deinde non eſt illud prorſus concedendum, Spiritum illum S. habita ratione effectus ſui, non poſſe dici partem quandam felicitatis noſtræ futuræ, ea ratione qua Spiritus ille qui viſibilis dicitur, pro ejus parte haberi queat. Ideò enim id de Spiritu illo affirmari poteſt, quia futurorum gaudiorum guſtum quendam animis noſtris præbeat. Atqui & Spiritus ille miraculoſus id aliqua ratione præſtabat, præſertim tum cùm primùm in animos fidelium illaberetur, aut etiam poſtea vim ſuam in iis magis exereret. Nam & per ſe voluptatem quandam cœleſtem attuliſſe videtur, & cùm hominem ſupra vulgarem ſortem eveheret, & tantæ dignitatis ac cum Deo conjunctionis ſenſum ſtatim ſecum afferret, fieri non poteſt quin incredibili quadam lætitia, tum animum ejus perfuderit. Ut alia quædam taceam de quibus in ſeqq. agetur. Antequam enim ad eum ejus Spiritus effectum explicandum progrediamur, prius pauca quædam nobis dicenda ſunt de aliis S. Scripturæ teſtimoniis, quæ ſuprà partim ex Joanne, partim ex Actis citavimus, ad comprobandum iſtum Spiritus ſancti effectum, de quo huc uſque egimus, qui eſt ſpei noſtræ ſingularis confirmatio.

In iis autem quæ ex Joanne citavimus locis aſſeritur, 1 *Johan.* 3. *v. ult. & cap.* 3. *v.* 13, *Ex eo nos cognoſcere, Deum in nobis, & nos in Deo manere, quòd ex Spiritu ſuo nobis dederit.* Notum autem eſt *manere in aliquo* ſignificare arctiſſimam cum aliquo conjunctionem. Jam verò ſatis antea docuimus, Spiritum illum ſanctum etiam eum qui miraculoſus dicitur, apertiſſimè docere arctiſſimam eſſe inter illos quibus ille datur, & inter Deum conjunctionem; cùm divinæ, ut ita loquar, auræ particulam quandam accipiant, & ea ratione cognoſcant ſe eſſe Dei filios, Deum eſſe ſuum Patrem; quâ nulla poteſt eſſe major inter Deum & homines mortales conjunctio; quanquam iſta conjunctio nondum ex omni parte abſoluta ſtatim eſt & completa. Completur autem, impleta conditione quam Deus nobis propoſuit, ſi filii ejus perfectè evadere, & paterni illius amoris fructum pleniſſimè percipere, ſeu vitæ æternæ hæreditatem adire velimus. Itaque rectè Joannes moniturus fideles, ut mandata Dei obſervent, atque imprimis ut alii alios diligant, illis hunc proponit fructum, quòd hoc pacto futurum ſit ut Deus in ipſis maneat, ſeu, ut cap. 4. addit, *perfectè eos diligat.* Et ut id certum eſſe probet, hanc affert rationem; quia *Deus de Spiritu ſuo nobis dederit; unde cognoſcamus Deum in nobis manere, & nos in Deo.* Nempe quia in his poſterioribus verbis, de permanſione ſeu de conjunctione inter nos & Deum non prorſus abſoluta loquitur, ſed de conditionata; in prioribus autem de completa. Rectè autem ſequitur, ſi Deus teſtatus eſt ſe in nobis manere, & nos in illo, eâ conditione ſi ipſi pareamus, prout in ea doctrina nobis præſcriptum eſt, cujus in animis noſtris penitus confirmandæ cauſa Spiritus S. nobis datus eſt, fore ut ſi reipſa ei pareamus ac quodammodo eam impleamus, Deus reipſa ac planè in nobis maneat, & nos in illo, noſtraque cum ipſo conjunctio ad ſummum perveniat. Hæc interpretandi ratio niſi admittatur, non rectè Joannes præmittit, tum demum Deum in nobis futurum, ſi mandata ipſius obſervaverimus, & alii alios dilexerimus; ſiquidem jam ante id tempus ea extitiſſet inter fideles, quos ad id faciendum hortabatur, & Deum conjunctio, propterea quod Spiritum illum S. jam accepiſſent, ex quo cognoſcere poterant, ſe in Deo eſſe, & Deum in ipſis. Manifeſtè enim oſtendit eos Spiritum S. jam accepiſſe; quod ex aliis ejus dictis ſatis intelligitur, præſertim ex verſ. 27. cap. 2. At ſi ea, quam nos adhibuimus, diſtinctio, inter conjunctionem, quæ pietatem antecedat, & eam quæ ſequatur, adhibeatur, omnis tollitur difficultas. Ex quo illud etiam intelligitur nullam eſſe cauſam, cur arbitremur Joannem nullo pacto locutum eſſe de Spiritu ſancti viſibili ac miraculoſo, qui fidelibus dabatur, ſed de alio inviſibili qui piis tantùm detur, & teſtetur eum hominem cui contingit, omnino jam talem eſſe, qualem eſſe neceſſe ſit, ſi hæreditatem ſempiternæ vitæ adire velit. Imò cauſa jam apparet, cur de ejuſmodi Spiritu nominatim ſermo non ſit. Neque verò, ut hoc etiam notemus, antequam hinc abeamus, dicit Joannes, eum ipſum Spiritum id nobis dictare, Deum in nobis eſſe, & nos in illo; licèt id rectè dici poſſe non diffiteamur; ſed tantùm *nos inde cognoſcere Deum in nobis eſſe, & nos in Deo, quòd is de Spiritu ſuo nobis dederit.* Quod verum eſſe poſſet, etiamſi is Spiritus per ſe ſuaque vi, id ipſum animis noſtris non dictaret; modò nos ex donatione iſtius Spiritus rectè concludere poſſimus. Et videtur ſanè non eò reſpexiſſe Joannes, quod Spiritus ſanctus interna quadam ſua vi, hujus rei notitiam animis noſtris inſerat, ſed ad id tantùm quòd ita ſit donum hoc comparatum, ut ex eo rem quam aſſerit firmiter concludere queamus.

Reliquum eſt ut nonnihil adhuc dicamus de loco Actor. 15. 8. ubi, ut vidimus, Petrus ait, *Deum perhibuiſſe gentibus teſtimonium, dans illis Spiritum S. quemadmodum & Apoſtolis* aliiſve Chriſti diſcipulis *aliquando dediſſet.* Quanquam non eſt expreſſum, cujus rei teſtimonium gentibus dederit Deus, ſeu quid tam præſtanti dono illis collato declarare voluerit; nihilominus tamen conſentaneum eſt id velle dicere Petrum, quod & viri docti aſſeruerunt, Deum iſtis hominibus teſtimonium dediſſe & fidei ipſorum, & ſui erga eos favoris; quod poſterius ad eum Spiritus Sancti effectum, de quo adhuc loquimur, pertinet. Prius tamen illud, haud eſſe hinc ſequeſtrandum, ex eo colligi non obſcurè poteſt, quòd non ſimpliciter dicit Deum illis teſtimonium perhibuiſſe; ſed addita voce Καρδιογνώστης, hoc eſt ejus qui corda novit; animadvertens nimirum eos in cordibus ſeu animis ſuis Euangelicæ doctrinæ fidem adhibuiſſe, eamque apud ſe probaſſe, ut id omnibus teſtatum faceret, & ſimul ſuum erga eos amorem ſingulari ratione declararet, Spiritum S. in eos effudit. Quando autem vel ubi id factum fuerit, ſatis ex cap. 10. & 11. eorundem Actorum notum eſt. Non eſt autem credibile, etiam poſterius hinc eſſe ſequeſtrandum, cùm dubium non ſit Deum id potiſſimùm voluiſſe, dono illo manifeſtè iis dato, teſtari, ſibi eos non minus quàm fideles ex Judæis gratos charoſque eſſe; quod ſanè Apoſtolus nec ſupra cap. XI verſ. 17 reticuit, nec hoc loco reticere debuit, cùm id vel maximè ad inſtitutum ejus pertineret. Neque enim illi tam probandum erat gentes æquè ac Judæos in Chriſtum credidiſſe, quàm Deum eos, eodem quo Judæos fideles loco habuiſſe, & ſuum erga eos favorem declaraſſe. Quam ob cauſam & Apoſtolos ſtatim ſubjungit; *Et nihil diſcrevit inter nos & ipſos;* quaſi dicat, Et ea in re illos nobis æquavit, nec minori quàm nos beneficio affecit. Sed de his ſatis ſuperque.

Spiritus Sanctus gaudium parit.

Sequitur jam ut ad ſecundum effectum Spiritus ſancti generalem, ſeu omnibus illis quibus ſub novo fœdere præſertim datus fuit communem, tranſeamus. Is verò eſt *Gaudium*; quod primi illius effectus, partim cauſa, partim effectus cenſeri poteſt, ut paulò pòſt declarabitur. Prius enim nobis recenſenda ſunt quædam Scripturæ teſtimonia, quibus hic effectus Spiritui S. adſcribitur. Fit autem id, in non paucis Scripturæ S. locis; in quorum aliquibus apertè commemoratur *gaudium in Spiritu S.* vel *gaudium Spiritus Sancti*, hoc eſt gaudium à Spiritu S. manans; ut ad Rom. 14. 17. & 1 Theſſ. 1. 6. quò etiam pertinet ille Actorum locus cap. 13. ℣. ult. ubi dicitur, *Diſcipuli autem implebantur gaudio & Spiritu S.* Eſt enim ibi figura ἓν διὰ δυοῖν, perinde enim eſt ac ſi dixiſſet Lucas; Diſcipuli autem implebantur gaudio à Spiritu Sancto manante, ſeu, per Spiritum S. gaudio replebantur. Eodem pertinent & illa, ubi *conſolatio Spiritus Sancti* commemoratur, ut Act. 9. 31. aut ipſe Spiritus ſanctus *Paracletus* appellatur, ut fit in ſermone Chriſti qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

extat Joannis 14, 15 & 16 capp. Eodem pertinet quòd *oleum lætitiæ*, quo Chriſtus fuit unctus præ conſortibus ſuis, dici videatur ſenſu myſtico, Pſal. 45. ℣. 9. Et ad Hebr. 1. ℣. 9. Quin & illud aliquo modo huc ſpectat, quòd *aquæ* vel *aquæ vivæ* nomine inſignitur apud Joannem cap. 7. 39. fortè etiam cap. 4. ℣. 10, 14. in ſermone Chriſti cum fœmina Samaritana; quanquam veriſimile eſt aquæ vivæ nomen ibi aliquantò latius extendi, ita ut etiam doctrinam Chriſti, ſeu potius vim quandam ab ea manantem in ſe comprehendat.

Ut ergo effectus hujus rationem intelligamus, animadvertendum eſt duplici potiſſimùm modo gaudium hoc à Spiritu S. manaſſe, aut adhuc manare. Primùm enim Spiritus S. ille per ſe ac primò videtur voluptatem quandam ſecum attuliſſe, & eam intimis hominis ſenſibus inſtillaſſe atque inſeruiſſe, ità ut ejus ſenſus omnem mentis ratiocinationem anteverteret, nec ex eo demum proficiſceretur, quòd quis ex tanto dono ſe in maxima apud Deum gratia eſſe colligeret; ſed potius ex eo inter alia, quod tantam tamque divinam ac cœleſtem voluptatem ſentiret, colligeret ſe in ea apud Deum gratia eſſe. Quemadmodum enim res externæ ſenſus noſtros voluptate perfundere ſolent, nulla mentis ratiocinatione interveniente, ita & Spiritus S. ſenſus noſtros internos ſeu animos noſtros voluptate afficiendi vim habere cenſendus eſt. Nam ſi omnis ſenſuum ſive externorum ſive internorum actio perfecta, ut Philoſophus docet, voluptatem ſecum affert; qui fieri poteſt, ut ſimul ac animus noſter afflatu illo divino afficitur ac commovetur, ſeque efficacia iſta ſentit imbui, voluptatem eamque diviniſſimam non percipiat? Omnia enim quæ ad perfectionem hujuſmodi actionis ſeu perceptionis pertinent, adſunt; nempe primùm animus bene affectus, præſertim cùm ipſius Spiritus ſancti vi ad altiorem quendam gradum elevetur. Deinde res percepta, animo percipienti maximè congruens, eique vehementer grata, & ſenſus ejus non obſcurus, nec citò evaneſcens. Quare omnino neceſſe eſt, tum cùm Spiritus ſanctus mentibus noſtris veluti illabitur, quamdiu vim illam ſuam exerit, & ab animis noſtris plenè ac perfectè ſentitur, etiam voluptatem mirificam in iis excitare, & quidem tantò majorem, quantò ipſe iis præſtat rebus, quæ aliàs voluptate quadam animos ſenſuſve noſtros perfundere ſolent. Quò accedit, quod ſuo loco jam docuimus, Spiritum S. id omne efficere poſſe, quod Deus per illum efficere velit. Jam verò nihil eſt magis conſentaneum, quàm Deum eos quibus id donum largitur, ut ſeſe eorum Patrem eſſe teſtetur, ac ſui amoris guſtum iis præbeat, ſingulari lætitia afficere & gaudio cœleſti animos eorum complere hoc pacto velle. Idque eventus etiam ipſe ſatis in primordiis Euangelii docuit. Apparet enim eos qui Spiritu S. donabantur, ſtatim in divinas laudes ora reſolviſſe, impellente eos animi, quò divinitus afficiebantur, gaudio ac lætitia. An verò iſtud gaudium perpetuum fuerit aut æquabile, de eo poſtmodum dicemus. Nunc enim nobis explicandus eſt alter modus quo Spiritus S. gaudium in animis eorum quibus dabatur excitavit. Is verò modus pendet ex eo Spiritus ſancti effectu, de quo antea ſumus locuti, nempe ex ſenſu divini ac planè paterni erga homines amoris, & quæ inde proficiſcebatur ſpe cœleſtis illius patrimonii, à Deo ipſis certò deſtinati. Tanti enim boni quo nihil majus cogitari poteſt ſpem, & ſpem quidem exploratiſſimam ac certiſſimam, non poteſt non ſummum conſequi gaudium. Unde etiam S. L. ſæpe nos gaudere jubent, nec aliam revera ob cauſam nobis præcipiunt ut in Domino ſemper gaudeamus, quàm quia ſempiternæ fœlicitatis ſpem, per Dominum ejuſque ſacroſanctam religionem adepti ſumus. Et ſanè hanc gaudii in nobis excitandi rationem ipſe Apoſtolus nobis quodammodo explicuit, dum ita ad Rom. 15. 13 ſcripſit; *Deus autem ſpei*, hoc eſt qui immortalis vitæ auctor eſt, *impleat vos omni gaudio & pace in credendo, ita ut abundetis vos in ſpe, in virtute*, ſeu per virtutem *Spiritus ſancti*. Virtute enim Spiritus ſancti vult in illis excitari ſpem, ac fidem eorum confirmari; unde manaturum ſit gaudium & pax, hoc eſt animi ſingularis tranquillitas, vel (ſi ita placet) pacis etiam inter ipſos fideles ſtudium Huic autem modo, quo Spiritus S. gaudium in animis hominum excitabat, addendus eſt ille, qui pendet ex conſideratione ipſius illius doni, & effectorum inde manantium. Quis enim non delectetur mirificè aut ſapientia illa cœleſti, & profundiſſimarum rerum cognitione, aut rerum futurarum notitia, aut rerum admirandarum patratione, ſanatione morborum, linguatum dono, aliiſve ſimilibus effectis quæ Spiritus S. producebat; præſertim cùm cernerent fideles, eam rem ad doctrinæ etiam Chriſti, quam omnibus commendatiſſimam eſſe cupiebant, confirmationem, atque adeò tum ad Dei ac Chriſti ſingularem gloriam, tum ad aliorum quoque hominum ſalutem pertinere?

Spiritus Sanctus paracletus.

Ex his facile jam intelligi poteſt cur Spiritus S. *Paracletus* fuerit à Chriſto appellatus. Nam tum propter iſta omnia effecta ad gaudium in diſcipulorum animis excitandum pertinentia, ita fuit appellatus; tum verò imprimis, quantùm quidem apparet, propterea quòd Apoſtolos eſſet plena rerum cœleſtium, atque ad ſalutem humanam ſpectantium, notitiâ inſtructurus, & in ea penitus confirmaturus; atque adeò id quod Chriſtus antea inter illos verſans præſtitiſſet, multò adhuc pleniùs atque efficacius in iis præſtiturus. Inde enim occaſionem Chriſtus arripuit Spiritum S. paracletum ſeu conſolatorem appellandi, quòd diſcipulos ob ipſius abitum, quem ipſis denunciabat, & ad quem ſeſe jam jamque accingebat, vehementer contriſtari, & ſingulari conſolatione egere animadvertebat, & cùm ipſemet illis ad eum uſque diem ingenti gaudio ac ſolatio fuiſſet, quod ſibi mox ereptum iri tantopere dolebant, ideò Spiritum S. ſecum quodammodo comparans, & in locum ſuum ſubmittendum eſſe ſignificare volens, ait ſe rogaturum Patrem qui alium illis Paracletum ſit daturus, quique non ad breve, ut ipſe, tempus cum illis ſit permanſurus, ſed in æternum, ſeu quamdiu illi victuri eſſent, nec unquam ab illis diſceſſurus.

Illud præterea addendum eſt quod ad vocem *conſolationis*, quæ à Spiritu S. proficiſcatur pertinet, in illo Act. 9. 31 loco, in quo dicitur diſcipulos fuiſſe conſolatione Spiritus ſancti auctos, non tantùm id gaudium intelligi poſſe, quo unuſquiſque privatim à Spiritu S. quo erat præditus replebatur, verùm etiam de eo quod alii ex aliorum donis mutuò percipiebant; præſertim cùm hîc de Eccleſiis integris ſermo ſit, & Deus ideo Spiritu S. repleat fideles diverſa menſura, diverſiſque modis, ut quiſque tanquam corporis Eccleſiaſtici membrum, ad omnium etiam reliquorum membrorum utilitatem & conſolationem eam Dei gratiam ſibi datam expromat.

Spiritus Sanctus oleum lætitiæ.

Jam ut reliquos etiam modos loquendi breviter percurramus, quibus hunc Spiritus ſancti effectum in S. L. explicari ſuprà vidimus, duo adhuc nobis reſtant, ex parte ſaltem metaphorica. Prior eſt quod Spiritus S. *oleum lætitiæ* appellatur: ubi non quidem effectus ipſe, ſed ejus cauſa, nempe Spiritus ipſe effectum illum gignens, per ſimilitudinem deſcribitur, dum oleo lætitiæ hominem lætificanti & exhilaranti comparatur. Alludi autem videtur primùm ad oleum iſtud quo hoſpites convivas perfundere ſolebant, ut ita eos tantò magis recrearent, præſertim ſi eſſet odoriferum & balſamo permiſtum; quemadmodum in regionibus orientalibus fieri ſolebat. Ad quem morem alludit David, Pſal. 23. Quanquam & alias oleum, lætitiæ vel ſignum vel cauſa cenſebatur. Unde & Eſaias cap. 61. commemorat oleum gaudii; ubi eadem planè ſunt verba quæ in Pſalmo. Deinde alluſio eſt ſimul ad oleum illud quo reges inungebantur, & ad munus tam auguſtum conſecrabantur. Quare ſi literalem ſenſum verborum Pſalmi, ubi ea phra-

ſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſis extat, ſpectes, id vult dicere Pſalmiſta, Salomonem Chriſti typum alloquens, Deus te, ô Rex, tanquam gratiſſimum quendam hoſpitem ſeu convivam ſuum, uberius oleo exhilaranti perfudit, & ea ratione ſuum erga te favorem teſtatus eſt, cùm te omnibus fratribus, aliiſve principibus ita prætulit, ut te regem ungi curaverit. At ſi ad Chriſtum id referas, procul dubio ſignificat Spiritum illum ſanctiſſimum, quo Chriſtus ex reſurrectione Dei filius ſeu rex populi divini fuit conſtitutus, ſuoque muneri veluti conſecratus. Etenim Deus Chriſtum præ omnibus aliis filiis ſuis, tanquam primogenitum, longè uberius, immò immenſa quadam copia ejus implevit. Unde quantum ad ipſum redundet gaudium difficile dictu eſt, cum ne concipi quidem ſatis animo poſſit. Quod ſi quis ſit qui non arbitretur Spiritum ſanctum nominatim oleo iſto lætitiæ intelligi, ſed allegoriam eſſe in tota phraſi, eaque id tantùm ſignificari, Deum dilexiſſe Chriſtum præ omnibus aliis conſortibus ſeu fratribus, & eum uberioribus gratiæ ſuæ donis impleviſſe, inſtar hoſpitis qui aliquem ex convivis inſignitè exhilarare cupiens, ejus caput oleo largius perfundat; cum eo nos non multùm pugnabimus, cum arbitremur hunc quoque ſenſum rei ſatis accommodatum eſſe. Sed prior tamen ſententia ab omnibus vulgo videtur recepta, & cùm per ſe ſit elegans, ac phraſi apprimè conſentanea, non facile ab ea eſt diſcedendum; præſertim cùm alias Spiritu ſancto ungi dicantur homines, atque adeo ipſe Chriſtus eo unctus aliquando fuiſſe dicatur, Actor. 10. 38. Cum quo loco conferendus eſt ille, Eſai. 61. 1. qui citatur Luc. 4. 18. Unde *unctio* pro ipſo Spiritus ſancti dono ponitur à Joanne, 1. Epiſt. cap. 2. verſ. 20, 27.

Spiritus Sanctus aqua vivens.

Reſtat ut de iis dicamus locis in quibus Spiritus ſanctus *aquæ viventis* nomine appellatur. Aquæ autem ideo comparatur, quia potui cuidam ſimilis eſt; & quemadmodum aqua ſitim corporis noſtri reſtringuit, & ſic partim vires corporis reficit, vitamque hominis unà cum cibo conſervat, partim etiam voluptatem non exiguam ſitienti affert, eo ipſo quòd ſitim reſtinguit; Ita etiam Spiritus S. ſitim noſtram ſpiritualem, ſeu deſiderium felicitatis, quodammodo implet, dum ejus guſtum quendam ac ſpem certam homini præbet, eaque ratione vires illi ad ſpiritualem vitam colendam ac tuendam largitur, & vitam hominis in æternum conſervat, quatenus ut is hoc pacto in æternum vivat efficit. Unde Chriſtus ait Joan. 4. 14, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo illi, non ſitiet in æternum;* (hoc eſt, non laborabit amplius hoc defectu, ut aliunde refectione virium opus habeat, & alterius felicitatis, præter eam cujus guſtum jam habeat, deſiderio langueſcat:) *ſed aqua quam ego dabo ipſi, fiet in ipſo fons aquæ ſalientis in vitam æternam:* hoc eſt non conſumetur ut aqua hęc terrena ſemel hauſta, ſed perpetuò in ipſo durabit, & perpetuò vires hominis refocillabit ac reficiet; ita quidem ut vitam æternam homini illi conciliet, non ſecus atque ſi in fontem aliquem verſa eſſet, ex quo aqua perpetuò ebulliat, hominemque ita reficiat ut æternum vivat. * Quanquam enim nonnulli paulò aliter verba hæc explicant, res tamen eodem recidit. Dum verò hoc ipſum præſtat Spiritus ſanctus eo ipſo ſingulari voluptate ac gaudio nos afficit. Etiamſi autem multa ſint potus genera, quæ ſitim extinguant & vires hominis reficiant, præter aquam, nihilominus tamen aquæ potius comparatur Spiritus S. quàm alii alicui potus generi, licet potiori, partim quia aquæ potus eſt maximè naturalis; partim etiam quia perpura eſt ac maximè liquida; partim denique quia ejus maxima copia eſt, eaque perpetuò ex ſcaturiginibus ebullit. Cujus rei etiam in locis ex Joanne citatis aliquam rationem haberi patet. Ex tertio autem quod vidimus illud quoque pendet, quòd omnibus hic potus eſt obvius, omnibus gratis datur, quemadmodum etiam Spiritus ſanctus. Unde & ad aquam vitæ omnes qui velint gratis accipiendam invitantur, Apoc. 22. 17. Quod autem non ſimpliciter aqua dicitur, ſed aqua vivens, in eo vel metalepſis quædam eſt, ut ſignificet aquam vivificantem, quemadmodum & panis vivens apud eundem Joannem cap. 6. 10. eo pacto appellatur. Confer inter ſe verſ. 33, 48. & tres ſeqq. Vel metaphora eſt in ea voce, ſimilis ei qua etiam aqua viva dicitur, quæ à ſcaturigine manat, & vim ſuam vigoremque nativum, ut ita dicam, adhuc retinet, adeoque æſtuantes ac ſitientes maxime refocillat; quæ opponitur aquæ pluviæ ſtagnanti aut in ciſternis reconditæ, aliiſque ſimilibus quæ frigus iſtud ſuum ac vigorem naturalem perdiderunt, nec ita bibentem recreant, ut ea quæ è ſcaturigine modò ebullierat, fontique ſuo eſt adhuc vicina, & ex eo modò hauſta: quomodo aqua viva, ſumitur Gen. 26. 19. Quò alludens Deus apud Jeremiam, cap. 2. 13, inquit, *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas,* &c. Jam verò hujuſmodi aquæ ſimilis ſanè eſt Spiritus S. quandoquidem vigorem habet maximum, & ad refocillandos hominum animos eſt accommodatiſſimus. Quia verò effectus Spiritus Sancti, hujuſmodi loquendi ratione ſignificatus, ex parte tantùm huc pertinet, ſiquidem hic de gaudio tantùm agimus, ideò ejus ratio in ſequentis effectus explicatione à nobis penitiùs conſiderabitur, cùm nimirum dicemus quòd Spiritus S. pietatem in hominibus producat.

Utrum gaudium à Spiritu S. manans ſit perpetuum.

Nunc illud adhuc conſiderandum reſtat, quod in hujus effectus in quo nunc verſamur explicatione nos dicturos ſuperius promiſimus; nempe utrum hoc gaudium à Spiritu S. manans, in hominibus in quibus Spiritus S. habitat ſit perpetuum nec ne, & quando potiſſimùm in iis ſeſe exerat. Quia vero diximus gaudium illud eſſe duplex; id enim partim præcedere operationem intellectus, ex præſtantia hujus doni ſpem concipientis vitæ æternæ, partim ſubſequi; dicimus non utriuſque eandem eſſe rationem, & prius illud non ita videri durabile ac conſtans, quemadmodum hoc poſterius. Illud enim prius tum demum efficit Spiritus S. cùm in animis hominum vim ſuam inſitam planè exerit, eoſque commovet, atque (ut ita loquar) percellit, ut eum non poſſint non ſentire. Id verò non perpetuò facit Spiritus ille Sanctus, quemadmodum quilibet per ſe æſtimare poteſt. Unde, ut jam alibi monuimus, homines illi qui Spiritu S. ſunt prædití, certis tantùm temporibus dicuntur repleti fuiſſe Spiritu S. Imprimis autem tum exerebat vim ſuam Spiritus S. cùm primùm animis hominum illaberetur, ut ita donum tam præſtans ſeſe accipere probè ſcirent, & quale id ſit penitus intelligerent. Unde, ut itidem jam vidimus, ad laudes Deo dicendas confeſtim rapi ſolebant, cùm Spiritu illo S. perfunderentur. Ut autem poſtmodum ſe in iis exereret, multùm ſitum erat in ipſorum pietate, devotione, ardore ac precibus; qua de re in ultimo hujus tractationis noſtræ capite dicemus. Et ſanè ita omnino fieri decuit. Nam ſi gaudium iſtud quod homines percipiebant, tunc cum donum illud primùm acciperent, in illis perpetuò manſiſſet, vix ac ne vix quidem peccare unquam potuiſſent, & ſine ulla prorſus difficultate, cum voluptate atque alacritate, omnia pietatis officia abſolviſſent, & rerum terrenarum pene obliti, toti in religioſis ſtudiis fuiſſent. Quare ſine pulvere & ſudore, quod dicitur, brabeum illud divinum & gloriæ ſempiternæ coronam fuiſſent conſecuti. Quo pacto Deus id, quod tum hoc, tum aliis ſuis donis maximè quærebat, ſuſtuliſſet. Id enim volebat, ut hoc pietatis auctoramento, & hæreditatis noſtræ arrha invitati, magno labore, ſtudio ac conatu ad ſupernæ gloriæ faſtigium anhelaremus, haberemuſque campum exerendæ pietatis ac virtutis. Is autem nullus eſt, ubi difficilius eſt peccare quam rectè facere, & longè ſuavius virtutem colere quàm negligere; ubi nihil nos ad peccandum invitare poteſt; quod fieret ſi gaudium iſtud ac voluptas prorſus eſſet perennis, quemadmodum in ſequentis effectus explicatione apparebit.

* Joh. Maldonatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Alterum verò illud gaudium, quod ex conſideratione tam præſtantis doni & finis, in quem illud datum eſt, proficiſcitur, licet non poſſit eſſe prorſus perpetuum, quemadmodum nec illa ipſa conſideratio, & mentis noſtræ intentio, ex qua proficiſcatur, tamen durabilius eſſe poterat ac conſtantius. Idque ita fieri planè convenit. Quia enim hæc ipſa mentis noſtræ intentio, & diligens conſideratio ejus (quam diximus) rei, ſtudium ac conatum noſtrum requirit, poſtulatque hominem non ſomnolentum, non terrenis curis immerſum, ſed excitatum & ſalutis ſuæ amantem & ſatagentem, ideò virtutis ſtudium non modo non tollit, ſed omnino poſtulat. Præterea illud gaudium non adeò videtur eſſe naturâ ſuâ efficax, atque id quod animum hominis ita occupat, & ab omnibus rebus terrenis abducit, ut omnia terrena penitus ei ſordeſcant, & non poſſit aliarum rerum cura à piis iſtis meditationibus abſtrahi. Ideo etiam in exercitatione piorum operum, ad quam meditatio illa & gaudium manans nos impellit, virtuti plurimùm relictum eſt loci, quia & difficultati locus eſt. Non enim eſt ipſa mentis noſtræ agitatio ac intentio tantarum virium, ut omnem actionum difficultatem tollat, & acerbitatem ita leniat, quin carnem noſtram vehementer afficiat ac mordeat. Quanquam omnino credibile eſt, cum ejuſmodi gaudio, quod ex conſideratione felicitatis ſempiternæ manaret, libenter jungi ſolitum illud alterum, quod Spiritus S. vi propria excitare ſolebat, in iis præſertim hominibus, quibus ejuſmodi Spiritus ſancti donum contigiſſet, cujus effectus proprius in iis ipſis, quibus datum fuerat, apparebat; quale fuit donum Prophetiæ & linguarum, atque alia his ſimilia. Non paulo diverſa videtur hac in parte fuiſſe ratio illius doni, cujus effectus apparebat potiſſimùm extra eum, cui donum iſtud inerat; quale fuit donum edendorum miraculorum ac ſanationum. Nam prorſus eſt conſentaneum, vim prioris illius doni piis meditationibus veluti excitatam fuiſſe, cùm alioqui quodammodo eſſet ſopita. Qua de re plura dicemus in ultimo tractationis capite. Quare cùm in hominis animo excitata eſſet ſingularis lætitia, ex ſpe immortalis vitæ & pia tantæ felicitatis conſideratione manans, conſentaneum eſt gaudium etiam illud divinius, quod Spiritus ſanctus virtutem ſuam exerens, pro more ſolito ex ſe pareret, cum ea fuiſſe conjunctum. Quemadmodum enim res quædam vim habent corpus noſtrum calefaciendi, nec tamen vim illam in corpus noſtrum revera exerunt, niſi calore corporis, cui admoventur aut ingeruntur, ea excitetur, & calor in illis quodammodo latens eliciatur; quod cùm fit, calorem corporis noſtri mirum in modum augent, & nonnulla in igneum propemodum convertunt; Sic ignea illa & divina Spiritus vis, in animum noſtrum ſe non exerit, niſi ipſius animi ardore quodam veluti pelliciatur. Quod ſi fiat, tum ardor animi noſtri, & cum eo conjunctum gaudium, in ſublimiorem gradum attollitur, & (ut ita dicam) ex humano in divinum migrat. Sed de his plus ſatis.

Spiritus ſanctus vitæ pietatem parit.

Ex iis quos huc uſque explicuimus Spiritus ſancti effectis naſcitur tertius, nempe *vitæ pietas*, ſeu mavis, ad eam ſingularis propenſio, atque ad eandem colendam alacritas. Etenim quanta vis ſit ſpei firmæ immortalis vitæ ad pietatem nobis ingenerandam, tum per ſe quiſque intelligere poteſt, tùm ex non paucis S. Literarum locis manifeſtum eſt. Nam ut ea prætereamus loca, quæ propemodum ſunt innumera, in quibus vel apertè vel tacitè Spiritus divinus nos ad pietatem vitæ incitat, ſempiternæ felicitatis nobis mercede propoſita, unum illud nobis Joannis teſtimonium erit inſtar omnium, qui aſſerit eum *qui hanc ſpem in Deum habeat*, quòd aliquando Deum ſit viſurus uti eſt, eique extiturus ſimilis, *purificare ſeipſum ſicut ipſe*, nempe Deus, *purus eſt*. 1 Epiſt. 3. Jam verò ſatis oſtenſum eſt, non imbecillam aliquam aut invalidam vitæ immortalis ſpem hominum animis per Spiritum ſanctum inſeri, ſed certiſſimam ac firmiſſimam. Unde jam facile eſt colligere, quantum divinus Spiritus habeat roboris ad veram ſanctimoniam comparandam, aut amorem illius animis noſtris ingenerandum. Deinde quod ad alterum Spiritus ſancti effectum à nobis explicatum attinet, nempe gaudium, id præſertim quod intellectus noſtri operationem antecedere, quodque planè divinum eſſe diximus, quantum illud ad eandem rem habeat ponderis, difficile dictu eſt. Etenim gaudium iſtud animum hominis ad cœleſtia prorſus rapit, atque facit ut jam illi terrena ſordeſcant, & ſi quæ ab iis manare poſſit voluptas, vix etiam ſentiatur. Jam autem cui terrena ſordent, qui voluptate carnis, aliiſque hujuſmodi rebus non capitur, ei cauſa cur peccet nulla eſt. Nam cùm peccatum per ſe menti noſtræ fœdum ac turpe videatur, nonniſi terrenarum rerum, quibus condiatur, ſuavitate ſeſe nobis conciliat, & in animos noſtros irrepit. Quod ſi cui ea ipſa ſuavitas ſordeat, quid ni multò magis ipſum peccatum, non modò fœdum, ſed etiam prorſus abominabile ac horrendum eſſe videatur? Neque verò refert quod gaudium iſtud, de quo potiſſimùm loquimur, non perpetuò in animis hominum duret; ſatis enim eſt voluptatem iſtam ſæpius ab ipſis percipi, licèt tandem non exiguum temporis intervallum intercedat. Quin etiam vel ſemel guſtaſſe, ſufficere homini poſſet. Fieri enim non poteſt quin tanta voluptas memoriam ſui lætiſſimam poſt ſe relinquat, eamque mentibus firmiſſimè imprimat; quæ ſi pià meditatione veluti refricetur, (ut ita dicam) menti ſubinde repræſentetur, eam admirabilem virtutis ac pietatis amorem excitare neceſſe eſt. Quemadmodum enim ſuffecit Chriſto vel ſemel in cœlum fuiſſe aſſumptum, ut gloriam cœleſtem oculis uſurparet; & Paulo quoque ſemel in tam beatas ſedes fuiſſe raptum, nec neceſſe fuit id ſæpius repeti; ita poteſt ſufficere homini, à cæteris pietatis adjunctis, quæ omnibus ſunt communia, non imparato, vel ſemel cœleſtia guſtaſſe gaudia, & per Spiritum velut in cœlum fuiſſe raptum; præſertim ſi fiat ut is qui tanti doni factus eſt particeps, ardorem quo ad pietatem ſemel fuit cœleſti illo gaudio inflammatus, ita foveat, ut veluti materiâ illi perpetuò ſubminiſtratâ, eum nunquam extingui patiatur, ſed ſemper ſcintillas ejus retineat, quas diligenti felicitatis æternæ conſideratione, tanquam flatu quodam, ita excitet, ut in flammam ſubinde erumpat. Sed præterea jam ſatis monuimus, hac ipſa ratione gaudium iſtud miraculoſum repeti ac guſtari ſubinde poſſe ab iis, qui tam præſtans Spiritus ſancti donum ſemel acceperunt, nec negligentia ſua extingui ſunt paſſi. Adde his duobus modis, quibus Spiritus S. nos pietatis ſtudio inflammat, etiam tertium, licèt cum prioribus duobus conjunctum, & in his aliquo modo jam comprehenſum; nempe quod Spiritus S. ſenſum divini erga homines amoris, eorum animis ingenerat; hoc verò non modò eatenus, quatenus ſpem ſempiternæ felicitatis hominibus ingenerat, verùm etiam per ſe, nulla habita ratione iſtius effectus, nempe ſpei boni ſempiterni, quam ex ſe gignat, nos ad Deum viciſſim amandum ac diligendum vehementer impellit. Charitas autem noſtra erga Deum, in obſervatione mandatorum ipſius cernitur, quemadmodum Joannes apertè teſtatur 1 Epiſt. c. 5. 3. Id etiam de ſenſu amoris quo nos Chriſtus proſequatur, & de noſtra in ipſum charitate ſtatuendum eſt. Et hi quidem ſunt modi generales, quibus Spiritus ſanctus in iis, quibus ſub Novo fœdere datus fuit, pietatem excitare conſuevit.

Modi ſpeciales quibus Spiritus S. pietatem excitat.

Sunt & quidam ſpeciales, hoc eſt ejuſmodi, qui vel certis quibuſdam Spiritus ſancti donis fuerunt proprii, vel ad certas quaſdam pietatis partes magis accommodati. De poſterioribus agemus poſtmodum, ubi videbimus quænam virtutes nominatim, atque adeò præcipuè, à Spiritu ſancto excitari vel adjuvari in Sacris literis dicantur. Quod ad priores attinet, inter eos eminet ille, quod Spiritus ſanctus quoſdam ſingu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſingulari rerum myſteriorumque divinorum notitia imbuebat. Jam verò doctrinæ Euangelicæ, quæ doctrina ſecundùm pietatem dicitur, cognitio, plurimùm ad pietatem vitæ, ſi quis ea rectè utatur, prodeſt, & quantò ea eſt exactior, tantò plus ad eam habet virium; quanquam nonnunquam magna hominum culpa, in contrarium vertitur. Sed hæc de modis quibus Spiritus ſanctus pietatem in hominibus excitet, dicta ſufficiant.

Loci Sacrarum Literarum ubi Spiritui ſancto tribuitur quod pietatem gignat.

Illud adhuc antequam ulterius progrediamur, paucis conſiderandum eſt, in quibuſnam S. Literarum locis hic effectus Spiritui ſancto tribuatur; id quod ab initio fuiſſet quærendum, niſi apud omnes in confeſſo eſſet Spiritui ſancto hunc effectum convenire. Tribuitur ergo hîc effectus Spiritui ſancto inter alia ibi, ubi ei adſcribitur *Renovatio*, nempe animi noſtri, quæ eadem eſt cum lavacro regenerationis, ſeu mavis cum ipſa regeneratione. Id autem fit ad Tit: 3. ℣. 5. ubi Paulus ait, *Deum nos ſervaſſe per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti*, (hoc eſt per renovationem à Spiritu ſancto manantem) *quem effuderit ſuper nos opulenter per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Nam etiamſi tandem renovationem iſtam accipere velis pro ipſa animi mutatione in melius, nihilominus tamen, cùm ea pietatem ex ſeſe pariat, & eam totam tanquam finem ſuum proprium dirigat, eo ipſo pietatis cauſam Spiritum ſanctum conſtitueris. Taceo nunc illa loca in quibus de ambulatione ſecundùm Spiritum, de actu ductuve Spiritus, de Spiritus fructibus agitur; in quibus licèt vis ab Euangelio animis noſtris probè concepto fluens, & ad pietatem nos impellens, Spiritus nomine intelligatur, non tamen inde prorſus ſequeſtrandus eſt ille Spiritus ſanctus de quo nos agimus, qui cum illa vi ſe conjungere conſuevit, eamque excitare, augere, atque firmare. Pertinet quoque huc ille Pauli locus, 1 Corinth. 6. 11, ubi cùm oſtendiſſet Corinthios quoſdam variis ante & quidem gravibus peccatis ac ſceleribus fuiſſe contaminatos, addit, *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu, & in Spiritu* (hoc eſt per Spiritum) *Dei noſtri.* Ubi duo Spiritus ſancti effecta videntur commemorari inter ſe conjuncta, nempe liberatio à priſcis ſceleribus, & ab eorum reatu ac pœna abſolutio: quarum illam eatenus Spiritui S. Paulus attribuit, quatenus indicat Spiritum ſanctum cum Chriſtiana religione ejuſque vi conjunctum, Corinthiis vires dediſſe ad peccatorum iſtorum jugum excutiendum, & ad id faciendum impuliſſe; hanc verò eatenus, quatenus Spiritu ſancto illis dato, Deus declaravit ſe illos in gratiam recipere, & filiorum loco habere, iiſque cœleſtem hæreditatem dare velle; quemadmodum ex iis quæ ſupra diximus colligi poteſt. Eo ipſo verò Deus ſeſe jure, quod ad peccata eorum vindicanda habebat, abdicaſſe cenſendus eſt; quanquam ſub conditione, nempe ſi in poſterum officium conſtanter facerent. Neque enim poteſt Deus quemquam ita, ut de Corinthiis diximus, in gratiam recipere, quin jure illo, ſaltem ſub iſtiuſmodi conditione cedat; cùm ſe mutuò evertant, velle pœnas ſcelerum, præſertim æternas, ab aliquo exigere, & eundem filii loco habere, ac cæleſti hæreditate donare.

Referri huc etiam poſſunt loca in quibus viri divini precantur, ut Deus fideles juvet ut piè vivant, vel in religionis ſtudio confirmentur. Nam vel in iſtis locis expreſſa fit mentio Spiritus divini, de quo loquimur, vel ut per eum Deus id potiſſimum efficiat intelligitur. Et ne de iis nunc agamus, in quibus id tantùm intelligitur, pertinent huc illa Pauli verba, ad Epheſ. 3. 16. ubi precatur Paulus, *ut Deus iis largiatur pro divitiis gloriæ ſuæ, quo potenter roborentur per Spiritum ipſius*, nempe Dei, *quod ad interiorem hominem*, ita nimirum (quemadmodum ſtatim explicat) *ut habitet Chriſtus per fidem in cordibus ipſorum*; hoc eſt ut illi in cordibus ſuis Chriſti doctrinæ conſtanter credant, *in charitate radicati ac fundati*, hoc eſt ita ut ſimul quoque in charitate, quæ virtutum Chriſtianarum quoddam veluti complementum eſt, conſtanter perſiſtant, & ab ejus cultu atque exercitio ſe avelli non patiantur. Omittimus hîc quod in præcedentis effectus explicatione diximus, Spiritum S. aquam vivam dici, quòd ſpiritualem noſtram vitam conſervet, vireſque noſtras reficiat, & ſic ad vitæ ſanctimoniam colendam aptos nos reddat.

Unum adhuc locum operæ pretium eſt addere, ubi ſermo eſt de Spiritu quo Chriſtus à Deo fuit donatus, qui tamen ab eo tanquam capite, in reliqua etiam ejus membra dimanat, cùm in fidelium corda Spiritus filii Dei miſſus fuiſſe dicatur. Is verò Eſa. XI: 2, 3. extat; ubi inter alia dicitur, *requieturum ſuper eo Spiritum timoris Domini*, vel (ut vulgata habet) Spiritum pietatis, ſenſu rectè expreſſo, hoc eſt Spiritu eo qui timorem Domini, quo pietas omnis continetur, in ipſo efficiat; quemadmodum etiam eodem in loco is ſpiritus dicitur Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, quia nimirum ſapientiam & intelligentiam efficiat, itemque Spiritus conſilii ac fortitudinis, quòd conſilium ac fortitudinem ſuggerat. De quibus effectis in ſequentibus, quanquam ſparſim, dicetur.

Sed res univerſa erit clarior, ſi conſideraverimus quænam pietatis partes, quæque virtutes, nominatim Spiritui ſancto in Sacris literis tribuantur: ad quod explicandum nunc accedemus.

Spiritus S. devotionem precum excitat.

Primùm ergo devotionem precum in hominibus Spiritus ſanctus excitat; unde & *Spiritus precum* appellatur, Zachar. 12: 10. Ubi Deus promittit *ſe effuſurum ſuper domum Davidis, & ſuper Hieruſalem* (per quos myſticè Chriſti fideles intelliguntur) *Spiritum gratiæ & precum.* Ubi Spiritus quidem gratiæ ideò dicitur, quia ex gratia divina promanat; precum autem, quòd ad preces excitet; quemadmodum ſupra vidimus eum dici Spiritum timoris Domini, Spiritum ſapientiæ, conſilii, fortitudinis, quia iſtos effectus in eo cui datur producit. Quanquam non eſt hoc loco reticendum, eſſe nonnullos qui vocem Hebræam, quæ reddita eſt *precum* nomine, quæ ejus ſignificatio alibi non ſemel reperitur, vertant *Miſerationum*; quo pacto idem ſignificaret cum voce gratiæ, & de cauſa efficiente intelligeretur; quæ ſignificatio reperitur etiam Jerem. 31. 9. Sed etiamſi tandem in illo Zachariæ loco, is quem volumus Spiritus S. effectus non commemoraretur, nihilominus tamen ſatis abundè conſtaret, eum illi jure adſcribi. Id quod facilè ex eo intelligetur, quòd quæ ad preces ritè ac devotè Deo offerendas requiruntur, ea prope omnia nominatim Spiritui Sancto in Sacris literis tribuuntur.

Ad quas requiritur fiducia in Deum.

Primum enim, ut id omittamus quod generale eſt, & ad precum quidem effectum eſt neceſſarium, ſed non ipſarum precum veluti adjunctum quoddam, nempe quòd ii qui Deum rite precari velint, pii eſſe debeant, qua de re jam dictum eſt; ad preces ritè concipiendas, atque ad Deum fundendas, requiritur fiducia in Deum, uti ex Marc. XI. 22, 23, 24. & Jacob. 1. 6. conſtat. Hanc verò fiduciam, in hominibus excitat Spiritus S. cùm efficiat ut ad Deum, tanquam filii ad patrem, clamemus. Unde ſuprà vidimus de ipſo Spiritu dici, quod clamet, Abba, Pater. Quod certè ingentis eſt erga Deum fiduciæ. Quo autem pacto hic effectus à Spiritu ſancto proficiſcatur, ibidem explicatum eſt.

Ut ea oremus quæ ſunt voluntati Dei conſentanea.

Deinde requiritur ad preces ritè fundendas, ut ea oremus quæ ſunt voluntati Dei conſentanea, ut ex Joanne colligitur, 1 Epiſt. 5: 14. Hoc verò ipſum Spiritus ſanctus docet, eo præſertim tempore cùm nos magnitudine afflictionum & periculorum, quæ Chriſti cauſa ſuſtineamus, turbati, neſcimus ipſi quid aut quomodo petamus. Nam ut Paulus de tota hac re diſſerit, ad Roman. 8: 26, 27, *Spiritus ſuccurrit infirmitatibus noſtris*, hoc eſt nobis afflictionum pondere preſſis, & ſub eo fatiſcentibus, fert opem. Etenim ſubjicit, *quid oremus quemadmodum oportet neſcimus*, id eſt non ſatis, non ita ut oportet, tunc diſpicere aut con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſiderare poſſumus, quidnam à Deo oremus. *Sed ipſe Spiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus*; hoc eſt, Spiritus divinus in animis noſtris excitat gemitus ac ſuſpiria, ſeu vota tam ardentia, ut lingua ea effari nequeamus. Neque tamen quia lingua ea exprimere non poſſumus, ideò ea Deus non audit, aut non ſucipit, ſed cùm ſcrutetur corda, ea intelligit, & cùm ſuæ voluntati conſentanea eſſe videat, ea exaudit. Quod iſtis verbis exprimit Paulus, cùm ait, *Qui verò ſcrutatur corda novit quis ſit ſenſus Spiritus*, hoc eſt quid Spiritus ſibi velit, quid deſideret, cupiat, *quòd ſecundùm Deum*, hoc eſt convenienter divinæ voluntati, *interpellet pro Sanctis*. Quod ſi autem ſecundum Dei voluntatem conformata ſunt illa animi noſtri vota, à Spiritu Dei excitata, eaque pro ſanctis ſuſcipiuntur, hoc eſt à ſanctis hominibus divini Spiritus impulſu in ipſorum bonum ſuſcipiuntur, non poſſunt fructu ſuo carere; cùm Deus omnia quæ pii, ſecundùm ejus voluntatem ab ipſo precati fuerint, iis ſe daturum promiſerit. Etſi verò in illo Pauli loco ſermo eſſe videatur de Spiritu Euangelico, ſeu efficacia ex Euangelii cognitione animis noſtris infixa manante, quæ etiam in afflictionibus, cùm mens piorum turbata eſt, in cordibus pios gemitus ac ſuſpiria excitat, quæ etſi verbis exprimi tunc nequeant, Deo tamen ſunt grata, & ab eo exaudiantur: nihilominus tamen, ut ſupra jam de eodem Spiritu agentes diximus, etiam illud peculiare Spiritus ſancti donum ab eo Spiritu minimè ſejungendum eſt, ſed potius cum eo conjungendum; præſertim cùm nihil ſit magis conſentaneum quàm Deum, afflictionum potiſſimum tempore, hoc illis auxilium ſubmittere, & divino hoc robore ſuo illos fulcire, erigere, ſolari, & in perſecutione invictos reddere. Hunc autem, quem hactenus expoſuimus, effectum, non una ratione in nobis gignere Spiritus ſanctus poteſt. Primum enim per ſeipſum dictare & menti noſtræ inſtillare poteſt, quidnam ſit Dei voluntati conſentaneum, cùm ſit Spiritus ſcientiæ & intelligentiæ, & profunda etiam Dei rimetur. Deinde quia Euangelium animis noſtris penitus infigit, & ad ea quæ illi conſentanea ſunt animos noſtros inclinat ac rapit, atque id efficit ut deſideria cordium noſtrorum, quamvis mens turbata ſit, nihilominus tamen Dei voluntati ſint conſentanea, nec quicquam aliud niſi quod ipſi gratum ſit, ſpectent.

Et ardor.

Tertiò preces noſtras imprimis commendat ardor, & ingens quoddam rerum quas petimus deſiderium, cum quadam alacritate animi conjunctum; quod devotionis etiam nomine ſolemus intelligere; præſertim ſi ſingularis etiam accedat animi demiſſio. Quem ardorem quantum in nobis eſt excitare debemus, tum ante preces, tum in ipſis etiam precibus: quod dum facimus, precatio (ut Jacobus loquitur cap. 5: 16.) eſt ἐνεργουμένη, hoc eſt efficax, ſeu mavis, laborioſe, atque, ut ita dicam, operoſe facta. Jam verò iſtum animi ardorem ac devotionem à Spiritu Dei excitari, adeò è Sacris literis manifeſtum eſt, ut id ipſum ſignificaturæ Sacræ literæ jubeant nos in Spiritu, aut in Spiritu ſanctu orare. Ita enim loquitur Paulus ad Epheſ. 6: 18. *Per omnem precationem & ſupplicationem orantes in omni tempore in Spiritu*; hoc eſt devotè, religioſe, ardenter. Et Judas cùm monuiſſet ut ſanctiſſimæ fidei noſtræ ſuperædificemus nos ipſos, addit, *in Spiritu S. orantes*; de quo loco nonnihil, cùm de Spiritus Sancti ſignificatione ageremus, diximus. Etſi autem, ut iſtic monuimus, hic effectus etiam ex Spiritu Euangelico proficiſci & poſſit & ſoleat; tamen idem de ſingulari illo Spiritu, de quo nos diſſerimus, ſtatuendum eſt; quemadmodum etiam paulò ſuperiùs in re ſimili monuimus, de loco Rom. 8. 26, 27. agentes, in quo is quoque effectus commemoratur qui huc pertinet. Nam dum Spiritui tribuuntur gemitus, & quidem ineffabiles, eo ipſo quoque ardorem ac devotionem ab illo excitari indicatur, quemadmodum ex ejus loci paraphraſi conſtare poteſt. Eadem autem magna ex parte ratio eſt gratiarum actionis, quæ precum nomine non ſemel in S. L. comprehenditur; itemque aliarum divini nominis laudationum. Quam ob cauſam Apoſtolus ad Epheſ. 5. 18, 19, ad divini nominis celebrationem nos excitans, vult ut *impleamur Spiritu*, hoc eſt devotione ac religione quadam, quæ à Spiritu divino manat; *loquentes nobis ipſis*, ſeu nobis invicem, *Pſalmis & hymnis & cantationibus ſpiritualibus, canentes & pſallentes in corde noſtro, Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.*

Qui etiam locum habet in omnibus pietatis officiis.

Cæterùm ardor hic quem in precibus ad Deum fundendis Spiritus S. excitat poteſt, etiam extra preces reperiri. Habet enim locum in omnibus, in quibus charitas noſtra, vel in Deum, vel in proximum ſpectatur, & ubi ſingularis aliquis conatus eſt à nobis adhibendus. Cùm enim ardor ille, ſit vehemens quoddam rei alicujus deſiderium, præſertim ſi adſit quædam animi alacritas ad aliquid perficiendum, manifeſtum eſt eum in nobis tum incendi debere, cùm gloria divina, aliorum ſalus, præſertim ſempiterna, quin etiam cum noſtra ipſorum cœleſtis felicitas agitur. Unde etiam generatim præcipitur fidelibus, ut ferveant Spiritu, id eſt ut animo ſint ardenti ac fervido in obeundis rebus, ſive ad gloriam divinam, ſive aliorum commoda pertinentibus. Et de Apollo legimus Act. 18. 25, eum, *cùm ferveret Spiritu, locutum eſſe & docuiſſe accuratè, ea quæ ad Dominum.* Hujuſmodi autem fervorem, & quidem ſingularem ac planè divinum, excitat Spiritus S. etiam extra preces, ut diximus. Unde videmus etiam Apoſtolos hujuſmodi fervore, & alacritate quadam inuſitata, Spititus Sancti vi, repletos nonnunquam fuiſſe, quando cum adverſariis res illis fuit. Ut cum Act. 4 legimus Petrum, cum Senatui Judaico rationem exponeret miraculi in homine claudo ſanando editi, *repletum fuiſſe Spiritu S.* Id quod & alacritatem quandam animi, atque audaciam, & ardorem quendam, quo eum Spiritus S. repleverit, ſignificare videtur; niſi ita malis explicare ut ſenſus ſit, Petrum tum temporis penitus fuiſſe occupatum à Spiritu S. ita ut non ipſe ſeſe ſuamque linguam ac verba regeret, ſed totus à Spiritu S. regeretur, is animum ei inſpiraret, & verba ſuggereret. Sic infra etiam legimus, Act. 7. 55, *Stephanum fuiſſe repletum Spiritu S.* quod itidem ſignificat eum penitus fuiſſe occupatum à Spiritu S. & veluti extra ſe raptum. Unde & cœlos vidit apertos, & Chriſtum ſtantem ad dextram Dei; unde & gaudium diviniſſimum & alacritas & fervor in ipſius animo fuit excitatus. Sic & cap. 4. 31, fideles omnes poſt preces ad Deum fuſas *Spiritu Sancto repletos fuiſſe* legimus; quia divina virtute illorum mentes occupante, gaudio, alacritate, fervore, animique fortitudine fuerunt repleti. Infra autem cap. 13. 9. Ubi etiam Paulus dicitur *repletus* fuiſſe *Spiritu Sancto* & Elymæ mago grave ſupplicium ſeveris verbis denunciaſſe; apparet Spiritum S. fervorem quendam in ipſius animo accendiſſe; non quidem quòd hoc ſolum ſignificetur iſta Spiritus Sancti repletione, ſed quod hoc quoque inter alia. Nam & hoc Spiritus S. in eo efficiebat, ut certum huic homini ſupplicium comminaretur, idque & quale futurum eſſet, & ad tempus tantùm duraturum, ipſius Dei nomine pronunciaret. Significatur ergo iſta phraſi, quòd divina virtus Pauli mentem ac linguam tum rexerit, & quicquid fecit aut dixit, id non propriè ab ipſius voluntate, ſed à divino impulſu, ac ipſius afflatu fuiſſe profectum. Quid autem illud fuerit ex re ipſa intelligendum eſt. Ad hunc autem ardorem quem Spiritus ſanctus in ſe excitaret, præcipuè reſpexiſſe videtur Apoſtolus, 2 Corinth. 6. 6. Ubi virtutes enumerans, quibus ſeſe ut Dei ſervum omnibus commendaret, commemorat etiam Spiritum ſanctum; & quia eum collocat in medio earum virtutum quæ ad proximum ſpectant, conſentaneum eſt eum præcipuè ſignificare voluiſſe, eum animi fervorem à Spiritu S. excitatum, quo uteretur in charitate erga alios exercenda; maximè cùm de ſalute ipſorum

aliqua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aliqua ratione ageretur. Quanquam etiamſi ad hunc fervorem nominatim atque adeò præcipuè iſtic videatur reſpexiſſe, non excludendus eſt tamen ullo pacto ille zelus ac fervor divinus qui in ipſo, vel in precibus fundendis, vel in gratiis Deo ac Chriſto agendis, vel laudibus ipſius aliqua alia ratione celebrandis, vel denique in veritate defendenda, in exhortationibus ad pietatem, aliiſque pietatis partibus obeundis cerneretur.

Cur Spiritus Sanctus ignis vocetur.

Atque ob hunc effectum vel imprimis Spiritus ſanctus ignis nomine à Joanne Baptiſta nominatus, cùm dixit, *ſe quidem aqua baptizare; eum autem qui ſe ſit ſecuturus, baptizaturum Spiritu ſancto & igne*, hoc eſt Spiritu ſancto qui ſit ignis. Quod ut ſignificaretur, etiam inſtar linguarum ignis Apoſtolis, tum cùm primùm in eos effunderetur, viſus eſt. Triplici enim de cauſa ignis nomen Spiritui ſancto tribui videtur. Primùm quòd ſingulari ardore fidelium pectora inflammet, atque ad omnem pietatem excitet. Deinde quòd eoſdem ab omni impuritate repurget; ſiquidem & ignis vim quandam purgandi habet. Et denique quia eorundem animos illuminet; cùm & ignis ſplendore ſuo luceat & tenebricoſa illuſtret. Verùm inter has cauſas prima & ultima, & inter has duas prima maxime videtur ejus appellationis propria.

Jam verò ſi quæratur quo pacto Spiritus ſanctus ardorem hujuſmodi in animis hominum incendat, primum dici poteſt, eum quemadmodum alia quædam effecta miraculoſa, primò & immediatè produci, cum ſit ejuſmodi virtus quæ quicquid Deus vult apta ſit efficere. Nihilominus tamen poteſt dici, eum ardorem nonnunquam oriri ex gaudio quod Spiritus ſanctus in homine efficiat; præſertim ſi ardoris nomine intelligas etiam quandam alacritatem ſeu promptitudinem ac vehementem conatum aliquid efficiendi. Quemadmodum autem ſupra monuimus de gaudio, id ſtudio hominis ac pia meditatione excitari poſſe, ita etiam de ardore ſtatuendum eſt, ut ibidem dicere occupavimus. Cùm enim is qui Spiritum divinum habet, animum ſuum accendit divino amore erga proximum, ſuæ aut alienæ felicitatis deſiderio, facilè fieri poteſt ut Spiritus ſanctus in eo habitans, ſuam quoque vim adjungat, & ardorem inuſitatum ac naturæ modum ſupergredientem in ejuſmodi hominis animo excitet; adeò ut hic etiam ardor virtuti & pietati hominis aliqua ex parte meritò adſcribatur. Qua de cauſa, ut paulò ſuperius monuimus, Paulus Spiritum ſanctum collocat inter virtutes, quibus is ſeſe ut ſervum Dei commendavit. Nec fruſtrà, de officio noſtro loquens Judas, ut ibidem jam vidimus, præcipit ut in *Spiritu ſancto oremus*; quod fruſtra faceret, niſi id in noſtra poteſtate, poſt acceptum Spiritus ſancti donum eſſet, & conatus hic noſter nihil prodeſſet; ne cætera dicta nunc repetamus, quibus in Spiritu orare, aut Spiritu nos ipſos implere jubemur. Et hæc de ſecunda pietatis parte, ad quam Spiritus ſanctus ſingulari ſit adjumento, dicta ſufficiant.

Spiritus ſanctus auctor potentiæ ſeu fortitudinis.

Reliquæ ergo tres imprimis ſunt virtutes, quas expreſſe Spiritui ſancto in S. literis adſcribi videmus, nempe *fortitudo, charitas & prudentia*: quarum tertia non tam pietatis nobis præſcriptæ pars eſt, quàm adjumentum, & virtutum cæterarum oculus. Etſi enim nulla ſit virtus ad quam Spiritus ſanctus hominem non excitet aut juvet, nihilominus tamen non omnes expreſſis verbis ei adſcribuntur. Eas verò complectitur iis verbis Apoſtolus, quæ extant 2 Tim. 1. 7 ubi ait; *Non dedit nobis Dominus Spiritum timiditatis, ſed potentiæ & charitatis & prudentiæ*. Prima ergo ex his tribus pietatis partibus, quæ Spiritui ſancto attribuuntur, *Potentiæ* nomine denotatur; quæ cùm timiditati opponatur, nihil aliud quàm fortitudinem ſeu animum intrepidum, atque in omnibus periculis juſtitiæ cauſa adeundis imperterritum denotat. Quæ ſignificatio non eſt inuſitata in Græca Veter. Teſt. verſione, ubi loco Hebraicæ vocis *coach* quæ virtutem, robur, fortitudinem ac ſtrenuitatem ſignificat, ſæpe ponitur vox δυνάμεως. Ideò autem in iſto loco Spiritus ſancti effectum hunc commemorat Apoſtolus, quia Timotheum hortatur ad exercendum illud donum Dei quod in ipſo erat per impoſitionem manuum ipſius; intellige donum Prophetiæ ſeu docendi, & religionis Chriſtianæ myſteria aliis explicandi, quod ei tanquam Euangeliſtæ inerat. Hoc enim eſt quod ait; *In memoriam tibi revoco*, vel te adhortor, *ut exſuſcites donum Dei quod eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Sed quia Timotheus regerere poterat, At vides, mi Paule, quæ me pericula circumſtent, quidque mihi ſit expectandum, ſi donum illud ad uſum revocare perrexero, & docendi munus conſtanter urſero; Reſpondet Paulus, *Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, ſed potentiæ*, ſeu fortitudinis ac roboris, *& charitatis & prudentiæ*; quaſi dicat: Neque verò ab ea re debes abſterreri metu periculorum quæ te, ſi in munere tuo conſtanter perrexeris, exceptura ſint; ſed animum ſumere debes invictum, & te adverſus illa munire, præſertim divino illo Spiritu à Deo inſtructus atque armatus. Neque enim Deus nobis dedit ejuſmodi Spiritum qui timidos nos atque ignavos reddat, & pericula fugere jubeat, ſed potius qui nobis robur animi inſpiret, & ad pericula intrepido pectore adeunda impellat. Unde etiam verſu ſeqq. ſubjungit; *Ne ergo erubeſcas teſtimonium Domini noſtri*, hoc eſt prædicationem de Chriſto, ſeu Euangelii prædicationem, *neque me vinctum ipſius; ſed patere mala cum Euangelio, ſecundùm potentiam* ſeu virtutem *Dei*; id eſt, quemadmodum Euangelium quodammodo mala patitur, cùm omnes adverſus illud inſurgant, illud inſectentur & extinctum cupiant; tu cum illo unà veluti patere, eademque mala tolera, Dei virtute ac robore armatus, eique confiſus.

Charitatem autem, ut de hac etiam ſtatim dicamus, ideò adjungit fortitudini, quia hæc vel imprimis excitare debebat Timotheum, ut muneris ſui partes conſtanter obiret, & talentum in ſe divinitus collatum fœnori exponeret; quia nimirum hac ratione ſaluti ſempiternæ plurimorum hominum eſſet conſulturus. Nulla eſt autem præclarior charitatis exercendæ ratio, quam ſi hominum, præſertim multorum, æternæ felicitati, etiam cum periculo & ipſius vitæ diſcrimine ſervias. Quare ſi Spiritus ſanctus ad charitatem homines excitat, meritò etiam ejus rei mentionem hîc facit Apoſtolus.

Adjunxit tandem Apoſtolus σωφρονισμὸν ſeu *prudentiam*, quæ mentis eſt virtus, ut (quantum conjicere poſſumus) tacitæ iterum objectioni occurreret. Poterat enim regerere Timotheus; Quid ergo? viſne Paule ut me temere in pericula præcipitem, & inconſulta quadam charitate me vitamque meam perdam? Reſpondet Apoſtolus, Eundem Spiritum etiam prudentiam ipſi ſuggeſturum, ut ſciat quomodo ſe gerere debeat, quomodo pericula non neceſſaria effugere, ut ita cum ſimplicitate columbina, ſerpentinam conjungat prudentiam; ubi charitas erga aliorum potiſſimum ſalutem requiret ut vitæ etiam non parcat, id faciat; ſin minus, ut dextrè diſcrimina iſta declinet atque evitet. Hæc ſi conjunxerit, ſatis ipſum adverſus pericula munitum fore; nec quicquam fore cauſæ cur docendi munus ulla ex parte defugiat.

Antequam autem videamus quomodo Spiritus ſanctus has virtutes excitet, illud adhuc monere libet, earum primam & ultimam, hoc eſt fortitudinem & prudentiam Spiritui ſancto etiam attribui, Eſai. XI. de quo loco nonnihil ſupra diximus. Dicitur enim ibi *Spiritis conſilii & fortitudinis*; ubi conſilii nomine prudentia intelligitur. Jam verò has virtutes, tum per ſe ac primò excitare poteſt Spiritus ſanctus cùm ita Deus vult; quanquam non ſine ipſius etiam hominis ſtudio ac conatu; ſiquidem ad ipſius hominis officium id pertinet, & alioqui ne virtutes quidem dici merentur. Tum verò priores illæ ex eo quoque naſcuntur virtutes, quòd Spiritus ſanctus ſpem immortalis vitæ in animis hominum excitet, & illius guſtum quendam

præbeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

præbeat. Hæc enim res, cùm ad univerſam pietatem in nobis gignendam maximam vim habeat, tum verò imprimis ad charitatem & fortitudinem, quæ virtutes inter cæteras aliqua ratione eminent.

Effecta ſpecialia Spiritus Sancti.

Huc uſque de iis Spiritus ſancti effectis locuti ſumus, quæ communia fuerunt iis omnibus, quibus tam præſtans donum ſub Novo fœdere contigit, quæque ad privatam ipſorum utilitatem primò ac per ſe ſpectarunt. Veniendum nunc eſt ad ſpecialiora ejuſdem effecta, ſeu non omnibus, quibus divinus Spiritus contigit, communia; quæ quidem ferè ſunt ejuſmodi, ut ad alienam ſalutem vel utilitatem propè non minus, quàm ad propriam ſeu privatam ejus qui divinum hoc donum accepit, nonnulla etiam magis ad illam quàm ad hanc comparata eſſe viderentur; quare etiam magis quàm priora fuere conſpicua. Quam ob cauſam Apoſtolus de iis diſſerens, ea nomine manifeſtationis Spiritus complectitur, 1 Cor. 12. 7. cum ait, *Cuilibet autem data eſt manifeſtatio Spiritus, ad utilitatem,* nempe publicam; q. d. Cuilibet datur aliquod donum, quo ſe in ipſo exerat ac patefaciat Spiritus. Etſi autem omnibus iſtis effectis illud commune eſt, quod iis Chriſti doctrina mirum in modum fuit confirmata; nihilominus tamen cum hæc confirmatio iſtorum effectorum quidam ſit effectus, ideò eam ultimo demum loco pertractabimus, explicaturi prius ſpecialia illa Spiritus ſancti effecta, ex quibus confirmatio illa, licèt latè admodum patens, & omnibus illis communis, pendet.

Ut ergo ad iſtorum effectorum explicationem accedamus, nihil videtur requiri aliud, quàm ut verba Pauli, quæ 1 Cor. 12. 7. & ſeqq. habentur, diligenter examinemus. In illis enim ea prolixè Apoſtolus recenſet, ut vix credibile ſit eorum ullum ab eo fuiſſe prætermiſſum. Quod ſi quid tamen fuit, id eodem jure à nobis prætermitti poteſt. Apparet enim id minoris fuiſſe, ſi cum cæteris comparetur, momenti; alioqui enim Apoſtolus id nequaquam tacuiſſet.

Sermo ſapientia & ſermo cognitionis.

Inter ea verò dona ſeu effecta Spiritus ſancti, primo loco collocatur *ſermo ſapientiæ*; ſecundo loco *ſermo cognitionis*; quæ duo ſimul nobis explicanda erunt; partim quia ejuſdem ſunt generis; partim quia ſpecialis ac propria utriuſque natura explicari vix poteſt, niſi oſtendatur quomodo alterum ab altero differat, & ſic de utroque ſermo ſimul inſtituatur.

Ut ergo quid utroque hoc dono complexus fuerit Apoſtolus intelligamus, ante omnia inveſtigandum eſt, cur non ſapientiam & cognitionem, ſed ſermonem ſapientiæ & cognitionis poſuerit, & inter Spiritus ſancti dona atque effecta numerarit. Poſſet enim quiſpiam arbitrari Apoſtolum ipſam ſapientiam & cognitionem commemorare, & ceteris ejuſdem Spiritus donis aliquo modo apponere debuiſſe. Quæ cauſa etiam fuiſſe videtur, cur nonnulli ſermonem ſapientiæ aut cognitionis, pro ipſa ſapientia aut cognitione poſitum ab Apoſtolo fuiſſe cenſuerint, per quendam Hebraiſmum; ſiquidem Hebræis ſermo non ſemel pro re dicitur. Sed primùm, Sermo alicujus rei quæ illi apponitur, non videtur poni pro illa ipſa re, ſed pro rei ipſius ratione ſive negotio. Deinde quicquid de illo ſit, nulla eſt hîc cauſa à proprietate verborum recedendi; imò cauſa eſt cur eam ſequamur. Etenim cùm Apoſtolus hoc loco de manifeſtatione Spiritus loquatur, ſeu de ejuſmodi Spiritus effectis, quibus ſeſe in apertum profert, & ſeſe veluti conſpiciendum præbet, ideò Apoſtolus exempla ejus rei ſtatim ſubjiciens, non ipſam ſapientiam aut cognitionem, quæ per ſe inconſpicua eſt, & in animo hominis latet, commemoravit, ſed ſermonem ſapientiæ & cognitionis, quandoquidem ſermone vel ſolo, vel ſaltem potiſſimum, ſeſe in apertum profert, & ut ab aliis quoque agnoſcatur efficit. Quare plus dixit Apoſtolus, cùm ſermonem ſapientiæ & cognitionis commemoravit, quàm ſi ſimpliciter ſapientiam & cognitionem dixiſſet. Etenim prius illud dicendo, indicavit Spiritum ſanctum duo in hominibus efficere, primò ſapientiam aut cognitionem, deinde etiam ſermonem quo poſſit ſapientiæ illius & cognitionis opes veluti explicare, & quæ Spiritus intus ſibi patefaceret, in aliorum etiam uſum proferre.

Deinde exponendum nobis eſt, & quidem potiſſimum, quid *ſapientiæ*, quid item *cognitionis* nomine intelligatur. Res ſanè explicatu non ita facilis eſt, tum propter vicinitatem vocum, tum propter diverſitatem ſententiarum, quas apud interpretes de iis verbis eſt videre. Etenim voces σοφίας & γνώσεως, quibus Apoſtolus hic utitur, in Sacris Literis non ſemel commutantur, quemadmodum in Ethicis oſtendimus lib. 1. cap. 2. Etſi verò major interpretum quos vidimus numerus eò inclinet, ut arbitrentur Sapientiam magis ſpectare ad praxim, Cognitionem magis ad theoriam, ſeu myſteriorum Chriſtianæ religionis notitiam; ita ut ſermo ſapientiæ in hortando, corripiendo, & conſolando conſiſtat, ſermo autem cognitionis in explicandis religionis Chriſtianæ articulis, ut vocantur, circa quos fides magis propriè verſatur; tamen niſi alia quadam ratione res explicetur, non uſquequaque nobis ea ſententia probari poteſt. Etenim cùm Apoſtolus ſermonem ſapientiæ prius commemoret, quàm ſermonem cognitionis, non eſt dubium quin ſignificare voluerit prius illud donum hoc poſteriori eſſe præſtantius; præſertim cum id in ipſo enumerationis initio faciat, ubi non eſt credibile Apoſtolum qualecunque tandem Spiritus donum collocare voluiſſe, ſed id quod inter cætera ordinem ducit. Etſi verò dicere quis poſſit, ſermonem illum qui in exhortando, reprehendendo, & conſolando cernatur, meritò præferri illi qui ad theoriam & mentis ipſius illuſtrationem pertinet, ſeu res credendas tantùm explicat; propterea quòd ille per ſe videatur ad ſalutem pertinere, hic nonniſi propter illum, ſiquidem ea quæ per ſe ac proximè ad ſalutem requiruntur in actione quadam videantur cerni; non eſt tamen id uſquequaque concedendum. Unde Apoſtolus ipſe ad Roman. 12. verſ. 2 docentem prius commemorat quam exhortantem; duas (ut doctiſſimi quoque interpretes cenſuerunt) Prophetiæ latius ſumptæ ſpecies exprimens; nempe qua is qui docet non modo fundamenta tradit & velut principia, quibus exhortationes & conſolationes ſuperſtruantur; verùm etiam quia ejus eſt univerſam Chriſtianæ religionis naturam, & totum illius, ut ita dicam, corpus ejuſque omnes partes explicare, atque adeò etiam Chriſti præcepta ac promiſſa, ex quibus adhortationes, reprehenſiones ac conſolationes deducuntur, generatim tradere atque enodare. Hoc verò qui facit, meritò illi qui tantùm adhortatur, ſi cætera ſint paria, præferri poteſt. Quare ſi ſermo ſapientiæ ille eſſet, qui in adhortando tantum, reprehendendo & conſolando cernitur, ſermo autem cognitionis in docendo, uti Apoſtolus hanc vocem in dicto ad Romanos loco ſumit; non ſermo ſapientiæ ſermoni cognitionis, ſed contrà hic illi præferendus eſſet. Quod ſi ergo ex objecto, ut plerique faciunt, petenda eſt ſapientiæ & cognitionis diſtinctio, ita eæ inter ſe videntur diſtinguendæ, ut *ſapientia* complectatur totius religionis Chriſtianæ exactiorem quandam cognitionem, atque adeò etiam rerum ad praxim pertinentium, quin etiam facultatem ea ad perſonas reſque ſingulares applicandi; *cognitio* verò illa ſit tantùm pars ſapientiæ illius, vel (ut rectius dicamus) partem tantùm quandam rerum iſtarum, quas ſapientia complectitur univerſas, exactius cognoſcens & ſubtilius rimans, ac tandem ſermone explicans, ita ut circa ea magis quæ ad theoriam ſpectare dici queunt, quàm ad practica religionis Chriſtianæ dogmata referatur. Et licèt fieri queat ut is qui cognitionem iſtam habet, aliquam fortè myſteriorum divinorum partem exactius teneat, quàm is qui ſapientia eſt præditus, non tamen illi ideò præferendus eſt, ſed hic potius illi. Et hæc quidem prima eſt ratio explicandi duo iſta Spiri-

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tus ſancti effecta, quæ primo ſunt loco ab Apoſtolo noſtro collocata.

Verum enimvero alia quoque in mentem nobis venit ſententia, quam aliorum judicio libenter ſubjicimus. Eſt autem hæc, quòd *ſapientia* videatur ejuſmodi rerum divinarum ſcientiam à Spiritu ſancto homini infuſam denotare, quæ ſine inquiſitione ac meditatione omnia animo complectatur ad religionem Chriſtianam ſpectantia; qualis fuit ſapientia Apoſtolorum, & præcipuorum quorundam Prophetarum, quos illis proximos, tum infrà hoc capite, tum alibi facit Apoſtolus. Hoc enim verè ſapientis eſt, omnia veluti de plano ſcire, neque opus amplius habere inquiſitione aliqua ad eorum notitiam comparandum. Vox autem *cognitionis* ejuſmodi qualitatem ſeu facultatem, menti hominis à Spiritu ſancto infuſam denotare videtur, qua quis ſubtiliter res etiam obſcuras inveſtigare, & velut e tenebris eruere, aliudque ex alio colligendo deducere queat. Nam hæc quoque vocis Hebrææ *Deah* quæ intelligentia, vel ſcientia aut cognitio verti ſolet, propria videtur eſſe ſignificatio. Unde ab Hebræorum magiſtris pro arte ſeu facultate ratiocinandi ſumitur. Hujuſmodi autem facultatem aut ſcientiam quæ per eam acquiritur, ſapientiâ (prout à nobis explicata eſt) inferiorem eſſe, facile unuſquiſque cernit. Favet autem huic interpretationi illud quod infrà cap. 14. ℣. 6. γνῶσις ſeu cognitio diſtinguitur à revelatione, dum inquit Apoſtolus, *Nunc autem fratres ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar, aut in revelatione,* (hoc eſt per revelationem) *aut in cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina?* ubi revelatio quæ primo loco collocatur, aliqua ſaltem ratione videtur præferri cognitioni, & ejuſmodi rei antea ignotæ patefactionem ſignificare, quâ fieret ut res ipſa ſtatim mentis oculis perſpiceretur, veluti è tenebris eruta, aut velo detracto retecta cerneretur, non verò meditatione demum hominis interveniente indagaretur; id quod cognitionis eſſe videtur. Sed de hoc loco nobis erit iterum agendum inferius, ubi de Prophetia.

His autem ita explicatis, illud reſtare videtur, ut ſi quid adhuc in ſpecie de duobus illis Spiritus ſancti effectis, huc uſque à nobis explicatis, alicubi ſcriptum reperiatur, id expediamus; præſertim ſi id ad propriam eorum naturam clarius perſpiciendam, aliquid afferat momenti. Verùm antequam illud faciamus, illud prius videndum eſt, cur Apoſtolus, & nos ipſum ſecuti, hæc inter ſpecialia Spiritus ſancti effecta collocemus. Apoſtolus enim apertè dicit; *alii quidem per Spiritum dari ſermonem ſapientiæ, alii vero ſermonem cognitionis,* & porrò etiam alia aliis data ſubnectit. Atqui nonnulla ſacrarum literarum loca ſuadere videntur, eorum alterum ſaltem fuiſſe commune omnibus, quibus Spiritus ſanctus fuerit datus. Inter quæ ſunt illa Joannis, 1 Epiſt. cap. 2. ℣. 20. *Et vos,* inquit, *unctionem habetis à ſancto,* hoc eſt, à Deo & Chriſto, *& noſtis omnia.* Quod prolixius adhuc repetit verſ. 27. *Et vos,* inquit, *unctionem quam accepiſtis ab ipſo, in vobis manet; & non opus habetis ut quiſpiam doceat vos. Sed quemadmodum ipſa unctio docet vos de omnibus, & verax eſt, & non eſt mendacium, & quemadmodum docuit vos, manete in ipſo.* Etenim ſi ita quiſpiam argumentraretur: Si illi ad quos ſcribit Joannes, ita generatim vi unctionis, quàm à Deo per Chriſtum acceperant, per quam Spiritus ſanctus videtur intelligi, omnia noverunt, nempe ad religionem Chriſtianam pertinentia, vel ſaltem ad ſalutem æternam neceſſària, certè vel ſapientiæ, vel cognitionis, de qua egimus, dono omnes inſtructos fuiſſe conſequitur. Addi huic poſſet locus ipſius Pauli, in hac ipſa, cujus portiunculam nunc examinavimus epiſt. 1 Cor. 2. 15. ubi *ſpirituali homini*, miram quandam rerum divinarum, & ab intelligentia humana aliàs remotarum, notitiam tribuit. Spiritualis autem hominis nomine quemvis Chriſtianum complecti videtur. Verùm iſti tantam vim non habent, ut propterea ab apertis Apoſtoli verbis, manifeſtaque rei veritate diſcedamus, cùm loca adducta cum ſententia noſtra, quam Apoſtoli ipſius eſſe vidimus, egregiè conciliari queant. Quod ut tantò rectius intelligatur, animadvertendum eſt dona illa de quibus agimus, primò ac per ſe certorum hominum fuiſſe propria, nempe ut jam ſupra monuimus, Apoſtolorum, Prophetarum; adde etiam Euangeliſtarum ac Doctorum, ut poſtea clarius docebitur; verumtamen ea ſeſe poſtea in omnes quodammodo diffudiſſe, qui doctrinam Chriſti ex divinorum iſtorum hominum ore haurirent; ita ut in illis quidem fontes eſſent, in his verò rivuli quidam iſtius doni inde ducerentur. Quare κτητὰ (ut ita dicam) dona iſta erant virorum in Eccleſia præcipuorum, χρηστὰ autem communia omnium. Impletum enim fuit id quod Chriſtus dixit, de iis imprimis qui tum temporis in ipſum crederent, aut mox credituri eſſent, Joann. 7. ℣. 38, *fore ut è ventre ipſorum fluerent flumina* ſeu rivi *aquæ viventis.* Id quod de Spiritu ſancto eum pronunciaſſe Joannes ſtatim ſubjicit. Hoc autem potiſſimum in Apoſtolis, & cæteris Eccleſiæ columnis, qui ipſis proximi erant, maximè fuit impletum. Quanquam enim iſta Chriſti verba, etiam ad alia Spiritus ſancti effecta referri poſſint, quæ ex divina illa virtute, in fidelibus habitante, eſſent ſubinde manatura, non ſecus ac ſi hauſtâ vitali aqua, è ventre ſuo, ſeu mavis per Hebraiſmum, è medio ſui, ſeu è ſuis viſceribus, ſimilem aquam perpetuò emitterent, & perennes rivi inde fluerent; tamen id imprimis de illis Spiritus ſancti effectis intelligendum videtur, quæ ab aliis quodammodo hauriri poſſent ac ſolerent, & eos ſimili quadam qualitate imbuere, qualis in iis eſſet unde effecta illa fluebant. Talis autem vel maximè eſt ſermo ſapientiæ ac cognitionis; hic enim alios quoque ſapientia atque intelligentia rerum divinarum imbuere poteſt. Quare qui illum ex Apoſtolorum aliorumque virorum divinorum ore hauriebant, ea ratione divini Spiritus, in doctoribus illis ſuis habitantis, quodammodo reddebantur participes, non ſecus ac ſi aqua illa vitalis, quæ eſt Spiritus ſanctus ex divinis illis viris in auditores dimanaret. Quare vel ob hanc ipſam cauſam Chriſtiani ab Apoſtolis, aliiſque divinis viris in Euangelica diſciplina inſtituti, unctionem habere à Deo ac Chriſto, ſeu Spiritu ſancto donati atque imbuti dici potuerunt. Et hoc eſt quod Joannes in loco ſuperius à nobis notato *Unctionis* nomine complectitur. Quanquam negandum non eſt, extitiſſe inter illos non paucos, qui ipſi per ſe tam præſtanti Spiritus dono eſſent imbuti, hoc eſt dono cognitionis aut aliquo ſimili. Verùm Joannes ad id reſpicit, quod omnibus ad quos ſcribit erat commune. Quare cum dicit eos *ſcire omnia,* non eſt latius vox illa univerſalis extendenda, quàm ut res ad ſalutem neceſſarias, aut neceſſariis proximas, complectatur. Quod ad verba Pauli attinet hac noſtra Epiſt. cap. 2 ſcripta, de iis nos in prima hujus tractationis noſtræ parte ſatis egimus; ubi oſtendimus de Apoſtolis aliiſque præcipuis Euangelii præconibus ibi ſermonem eſſe, cùm dicitur, *Deum ea quæ oculus non vidit,* &c. *nobis revelaſſe per Spiritum ſuum,* & cætera quæ in eundem ſenſum ſubjiciuntur. Quod ſi tamen aliquid ſimile cæteris quoque fidelibus in ſeqq. tribuitur, id eatenus illis convenire intelligendum eſt, quatenus per Euangelii prædicationem Spiritus divini in Apoſtolis habitantis quodammodo fiunt participes; cujus rei itidem facta jam eſt dicto loco à nobis mentio. Rectè ergo à nobis aſſertum eſt, Sapientiæ & intelligentiæ donum eſſe per ſe ſpeciale, nec omnibus qui Spiritu ſancto ſub Novo fœdere donati ſunt commune.

Ut autem quibuſnam illud proprium fuerit tanto rectius intelligamus, illud primum conſiderandum eſt, utrum fieri potuerit, ut utrumque donum in eundem hominem caderet. Nos arbitramur nihil prohibere, quo minus in eundem utrumque caderet, præſertim ſi priori modo ex iis quos antea explicavimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

vimus, dona illa inter ſe diſtinguantur. Quis enim neget potuiſſe unum eundemque virum divinum, & totum religionis Chriſtianæ corpus animo complecti, & ea facultate inſtrui, ut poſſet ea ad uſum revocare, atque ut ita dicam, ad praxin reducere; Simul etiam ea facultate donari ut abdita Chriſtianæ religionis myſteria ſubtilius rimaretur, & porro etiam oratione explicaret? Dubium ſanè mihi nihil eſt, in Apoſtolis utramque facultatem fuiſſe. Neque enim cùm Apoſtolus ait, *Alii per Spiritum datum eſſe ſermonem cognitionis*, intelligi vult nunquam illa concurrere poſſe, ſed ea etiam disjuncta reperiri. Aliàs enim ſtatuendum eſſet, vel neutrum horum donorum fuiſſe in Apoſtolis, vel in illis non fuiſſe fidem eam de qua porrò loquitur, & donationes ſanationum, facultates miraculorum, & ſimilia quæ paulò poſt enumerat; cùm de illis quoque dicat alii hæc alii alia data eſſe; cùm tamen certum ſit omnia illa in Apoſtolis fuiſſe; partim quòd ea Apoſtolus ſibi apertè tribuat, partim quòd ex certis illorum effectis aut indiciis facilè colligi queat.

Adde quod de Chriſto apertè ſcriptum eſt apud Eſai. cap. XI. verſ. 2, *ſuper eum requieturum Spiritum ſapientiæ & intellectus*, ſeu intelligentiæ, *itemque Spiritum ſcientiæ*. Ubi vel per intelligentiam, vel per ſcientiam, cùm à ſapientia diſtinguatur, ejus de quo hic agitur generis γνῶσις ſeu cognitio intelligenda omnino videtur; propius autem vero eſt, ut intelligentiæ nomine ſignificetur. Quod ut tantò rectius intelligatur, animadvertendum eſt quatuor in eo vocabula reperiri, quibus exprimantur dona Spiritus ſancti Chriſto conceſſa, quæ ad mentis atque intellectus perfectionem propriè pertinent, nempe *Sapientiam*, *Intellectum* ſeu Intelligentiam, *Conſilium* & *Scientiam*. Non eſt autem quod quis arbitretur vel hæc omnia idem ſignificare, vel ſaltem quædam ex illis. Nam quod ad prius attinet, illud non unam ob cauſam haudquaquam concedendum eſt. Primùm, quia non videretur divinus Spiritus tot verba eſſe facturus, idque Spiritus nomine ſæpius repetito, ſi unam & eandem rem denotare voluiſſet. Deinde non ita eas voces adjunxiſſet, & aliorum quorundam donorum commemoratione à ſe invicem divulſiſſet. Nam ſcientiam à reliquis disjunxit interjecta fortitudinis mentione, & dum conſilium cum fortitudine conjunxit, eo ipſo ſatis etiam à reliquis diſpeſcuit. Denique vox conſilii, ſcientiam rerum divinarum non ſignificat, eam nimirum quæ theorica quodammodo eſt, ſed vel idem eſt quod prudentia, vel ejus quædam pars. Jam verò non eſt credibile hanc ſolam fuiſſe à Propheta commemoratam, in tanta verborum copia ejuſmodi qualitates propriè ſignificantium quæ ad mentis perfectionem ſpectant. Quid cauſæ eſt cur non etiam voluerit ſapientiam Chriſti cœleſtem & myſteriorum divinorum cognitionem, quæ ſapientiæ, ſcientiæ ac intelligentiæ nomine efferri ſolet, cùm ab eodem Spiritu manaret, & id propoſitum fuerit Prophetæ, Chriſtum à donis Spiritus ſancti quam maximè commendare, & quanta eorum copia inſtruendus olim fuerit, explicare? Satis ergo apparet, non omnia illa vocabula idem ſignificare. Porrò autem nec id quod poſteriori loco dictum fuit, vero eſt conſentaneum. Nam ſi illud admittendum eſſet, id in primo tantum orationis Prophetæ membro locum haberet, ubi nimirum uno colo commemoratur Spiritus ſapientiæ & intellectus ſeu intelligentiæ. Nam de reliquis qui diverſis colis ſeu membris commemorantur, & cum rebus alterius generis, nempe ad mores pertinentibus, connectuntur, id non eſt credibile; ſed id ipſum ſatis indicat etiam in primo membro res diverſas ſignificari. Neque enim credibile eſt Prophetam, cùm in ſequentibus duobus membris, binis vocabulis res quoque binas, interque ſe diverſas exprimeret, primo membro unam tantum rem duobus vocabulis ſignificare voluiſſe. Quare concludendum videtur, quatuor iſta quæ diximus vocabula, quatuor diſtinctas res ſignificare.

Eas verò ita inter ſe diſtinguendas arbitramur, ut priores duas per ſe magis, ut ita dicam, theoreticas, duas verò poſteriores practicas magis eſſe ſtatuamus. Quam ob cauſam etiam duæ poſteriores cum practicis, ſeu virtutibus conjunguntur, Conſilium quidem cum fortitudine, ſcientia autem cum timore Domini ſeu pietate in univerſum. Jam verò quod attinet ad ſapientiam & intelligentiam, eæ ita videntur inter ſe diſtinguendæ, ut Sapientia ſignificet ejuſmodi myſteriorum divinorum notitiam, qua Chriſtus divini Spiritus vi eſſet imbutus, ut nulla interveniente inveſtigatione, nulla inquiſitione aut ratiocinatione, ea animo comprehenderet & veluti in numerato haberet. Intelligentia verò ejuſmodi ſignificet facultatem, qua Chriſtus ſine ullo erroris vel minimi periculo poſſet alia ex aliis deducere, ac colligendo concludere; quæ res imprimis apparuit in diſceptationibus cum adverſariis. Neque verò eſt quod quis putet, eum qui ſine indagatione, & ratiocinatione aliqua res divinas animo comprehenſas teneat, nulla amplius ratiocinatione cùm de rebus divinis diſſerit, egere. Etenim fieri poteſt, ut quis ſcientiam vel artem qualemcunque ita mente complexus ſit, ut ad eam percipiendam jam amplius indagatione non indigeat, & interim tamen res illas, quæ ad illam ſcientiam pertinent, ratiocinando amplificet, & alia ex aliis iterum colligat, præſertim tum cum aliorum ſententiam refutat, res diverſas ad eandem ſcientiam pertinentes inter ſe confert, univerſalia particularibus accommodat. Nam ad id ut quis ſcientiam aut artem aliquam planè tenere dici queat, ſatis eſt ut illa omnia theoremata, quæ ad illius corpus pertinent, probè perceperit, animoque infixa teneat, quæ quidem numero ſunt definita, cùm nihilominus infinitæ poſtmodum oriri queant de rebus ad eam artem pertinentibus quæſtiones, quas ratiocinando expedire neceſſe eſt; quas nunquam omnes ita comprehendere quiſpiam poterit, quin plures ſuperſint, atque ab aliis moveri poſſint. *Sapientia* ergo totum corpus Theologiæ ſeu rerum divinarum complectitur; *intelligentia* verò facultatem ſingulas illas partes dilatandi, & ad diverſas materias aut quæſtiones, prout uſus exigit, accommodandi, atque ex principiis illis Theologicis varias concluſiones, ſine ullo, ut diximus, erroris periculo colligendi. Itaque ſapientia fundamenta ac principia complectitur intelligentiæ; Intelligentia illis poſtea varia ſuperſtruit. Quæ cauſa etiam videtur cur Propheta ſapientiam primo loco collocarit, quemadmodum etiam Apoſtolus inter dona Spiritus Sancti primo loco poſuit ſermonem ſapientiæ, eique poſtea ſubjunxit ſermonem cognitionis ſeu intelligentiæ. Neque verò arbitrandum eſt Chriſto Spiritum Sanctum ab ipſo ſtatim initio cùm ei daretur, atque adeò ſapientia per eum cæleſti impleretur, ſingula argumenta ſingulaſque concluſiones, quas variis nempe ſermonibus poſtea collegit, ac ſermone explicavit, dictaſſe, ita ut eas jam tum animo veluti cerneret. Sed res ipſa ſatis indicat, Spiritum divinum eum primum cognitione divina imbuiſſe rerum divinarum; deinde ita mentem atque intellectum ipſius confirmaſſe, ut de re quavis ex illis principiis ſine lapſus diſcrimine diſſerere poſſet. Quod idem de Apoſtolis ſtatuendum eſt, qui Chriſto tota hac in re fuerunt ſimiles, eique proximi, utpote totius orbis magiſtri, & ipſius in docendo vicarii nobis ab ipſo dati.

Jam ut de reliquis duabus vocibus quæ in iſto Eſaiæ loco extant, atque ad mentis perfectionem pertinent, aliquid adhuc dicamus, nempe de *conſilio* & *ſcientia*; ita inter ſe diſtinguendæ videntur ut vox *ſcientiæ* latius extendatur, & complectatur ejuſmodi animi facultatem, qua Chriſtus omnes vitæ ſuæ actiones ad voluntatem divinam, atque ad ipſius pietatis ac honeſtatis normam conformare ac componere poſſet. Unde ei adjungitur timor Domini, ſeu (ut vulgata habet) Pietas; ut appareat hanc ſcientiam tam latè patere, quàm late pateat Chriſti pietas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tas, ſeu eam circa eas omnes res verſari, in quibus Chriſti pietas ſeu ſanctitas verſatur. Jam enim antea oſtendimus hanc ſcientiam eſſe practicam, non verò ſpeculativam. *Conſilium* verò anguſtius patet. Significat enim eam prudentiæ partem, quæ in deliberando cernitur, & tum maximè habet locum, ubi res aliqua valde ambigua aut etiam periculoſa occurrit. Unde hoc loco non immeritò cum fortitudine conjungitur, quæ in periculis apparet. Nam in his partim conſilio eſt opus, ut quantum in te eſt periculum evites, partim animi fortitudine ac robore, ut quod vitare non potes aut debes intrepido animo ſubeas. Itaque hoc conſilium ad ipſius etiam Chriſti facta referri poteſt. Quanquam ii qui ſibi ipſis rectè conſulere norunt, fere etiam aliis rectè conſulere poſſunt; præſertim ſi non in certis tantùm rebus ſibi rectè queant conſulere, verùm in omnibus. Itaque id quoque conſilii nomine hoc loco comprehendere poteris, quod ſupra cap. 9. verſ. 6. apud eundem Prophetam de Chriſto dicitur, eum inter alia appellatum iri *Conſiliarum*, hoc eſt qui ſalutare conſilium omnibus præbere norit. Cui ſtatim ſubjungitur quòd ſit etiam appellandus *Deus fortis* ſeu heros; quod poſterius fortitudinem ipſius indicat, quam illo etiam proximi capitis loco cum conſilio conjungi vidimus. Significabitur ergo Chriſtum & conſilio & animi robore ſatis inſtructum fore ad omnia pericula vel ſubeunda vel propulſanda, & non ad ſe ipſum tantum, verùm etiam ad univerſum populum ſuum defendendum. Sed hæc quæ de conſilio & ſcientia hoc loco diximus veluti obiter dicta ſunto. Nam de ſapientia & intelligentia nobis tantum inſtitutus erat ſermo, quas ut inter ſe rectè diſcerneremus, etiam de conſilio & ſcientia, quæ in eodem Eſaiæ loco commemorantur, nonnihil diſſerere neceſſe habuimus. Quanquam ea etiam per ſe prodeſſe poſſunt ad ſpecialia potiſſimum Spiritus ſancti effecta tanto rectius intelligenda.

Ex iis verò quæ de Sapientia & Intelligentia diximus, facilè intelligi poteſt utramque Apoſtolis donatam fuiſſe. Et priorem quidem, nempe Sapientiam, Apoſtolorum per ſe fuiſſe propriam, & ab illis porrò ſermone in alios derivatam: Cognitionem autem fuiſſe communem etiam Euangeliſtis ac Doctoribus Eccleſiarum. Et quidem quod ad Apoſtolos attinet, de eorum Sapientia quam illis Spiritus ſanctus largiebatur, præter alia loquuntur illa Chriſti apud Joannem verba, cap. 14. verſ. 26. *Paracletus autem ille Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & in memoriam vobis revocabit omnia quæ dixi vobis.* Et illa cap. 16. ℣. 13. *Adhuc multa habeo dicere vobis, ſed non poteſtis portare nunc. Quando autem venerit ille, nempe Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Eorum autem intelligentia patet facile ex variis ipſorum ratiocinationibus, in hiſtoriis ac diſputationibus, quæ vel in Actis Apoſtolicis, vel in Epiſtolis eorum extant. Ad utramque autem aliquomodo referri poteſt id quod iis promittit Chriſtus, Luc. 21. verſ. 15. Cùm enim monuiſſet ut ſi deducerentur ad reges ac præſides propter nomen ipſius, ne præmeditarentur defenſionem ſui; *Ego enim*, addit, *dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neque reſiſtere omnes veſtri adverſarii.* Id autem effecturum Spiritum ſanctum quem illis Chriſtus eſſet daturus, ſatis apparet tum ex re ipſa, tum ex ejuſdem Chriſti verbis, quæ habentur ſupra apud eundem ſcriptorem, cap. 12. ℣. 11. ubi cùm ſimiliter monuiſſet ne eo tempore ſolliciti eſſent quomodo aut quid dicturi eſſent pro ſui defenſione, addit, *Spiritus enim ſanctus docebit vos in ea ipſa hora, quæ oporteat dicere.* Quæ res apparuit etiam, tum in Petro, ut legimus Actor. 4. ℣. 8. &c. & cap. 5. ℣. 29. &c. tum etiam in Stephano, licèt is Apoſtolus non eſſet, ut Actor. 6. & 7. apparet. Ubi inter alia legimus, cùm diſputaret cum quibuſdam ex Synagoga Libertinorum & Alexandrinorum, itemque eorum qui ex Cilicia & Aſia, quod *non potuerunt reſiſtere ſapientiæ & Spiritui quo loquebatur.* Apparuit nempe tum in Apoſtolis, tum in Stephano, aliiſque divinis viris, cum ſingularis quædam rerum divinarum cognitio, tum facultas etiam dextrè ratiocinandi & adverſarios conſtringendi, eorumque ſophiſmata diluendi. Ita ut illud nomen Sapientiæ, quod in locis quibuſdam uſurpari videmus, etiam intelligentiam, vel ſaltem ejus quandam particulam, in ſe complectatur. Nam notitia quidem rerum divinarum, & (ut ita loquar) totius corporis doctrinæ Euangelicæ, Apoſtolis contigit ab ipſo ſtatim initio; ſed tamen ut eandem poſtea ad varias etiam controverſias applicare, utque ſe dextrè defendere noſſent, id eis per eundem Spiritum ſanctum ſubinde dabatur. Et licet fortaſſe alicui ex illis, qui Apoſtoli non erant, donum Sapientiæ abſolutè ac ſimpliciter non contigiſſet, ejus tamen veluti partes quædam, prout uſus exigebat, per Spiritum ſanctum eis impertiebantur.

Ex his jam intelligi poſſunt haud difficulter alii apud Apoſtolum noſtrum in eadem Epiſtola loci, in quibus de γνώσει, ſeu cognitione atque intelligentia ſermo eſt; inter quos eminet ille cap. 13. verſ. 2. ubi ait, *Etſi ſcirem myſteria omnia, & omnem cognitionem*; ubi procul dubio alterum ad alterius explicationem pertinet. Ejuſdem cognitionis mentionem facit poſtea ℣. 8. Et ut ſupra jam monuimus, cap. 14. ℣. 6. de quibus tamen iterum agendum erit, ubi de Prophetia ſermonem inſtituemus.

Fidei donum. I *Cor.* 12. *verſ.* 9.

Sed jam tempus eſt, ut ad alia Spiritus Sancti effecta, cap. 12 prioris ad Corinth. enumerata, accedamus. Sequitur autem apud Apoſtolum *fidei donum.* Ita enim ait, *Alii autem fides*, ſcil. datur, *in eodem Spiritu*, hoc eſt per eundem Spiritum. Hoc autem loco omnes quod ſciam interpretes in eo conſentiunt, ut de fide quam miraculoſam appellant, ſeu qua interveniente miracula edantur, loqui cenſeant Apoſtolum. Eſt enim ex ipſo loco ſatis manifeſtum, non de ea fide ſermonem eſſe, quæ omnibus Chriſti fidelibus eſt communis, & cuique ad ſalutem obtinendam eſt neceſſaria; cùm Apoſtolus dicat, *Alii*, nempe ex iis quibus Spiritus ſanctus contigit, *datam eſſe fidem*; indicans alii hoc donum contigiſſe, alii verò aliud, ut totus locus apertè demonſtrat. Adde quod fides illa quæ omnibus eſt communis, atque ad ſalutem neceſſaria, Spiritus ſancti dona, inter quæ fides hæc collocatur, antecedere poſſit, & ex parte etiam omnino debeat, quemadmodum ſuprà jam aliqua ratione indicavimus, cum de Arrhæ voce diſputaremus. Sumitur autem interdum vox *fidei* pro dono Spiritus ſancti miraculoſo, ut Rom. 12. ℣. 3. & 6. Sed ibi tamen latius accipitur quam hoc loco. Complectitur enim omnia Spiritus ſancti dona, quæ hoc ad Corinth. loco enumerantur, atque adeò etiam illa quæ à fide hoc in loco apertè diſtinguntur. Ea enim omnia fidei nomine ita appellantur, quia fidei ſunt effecta quædam, ſeu ob fidem Euangelicæ doctrinæ adhibitam, hominibus dantur. Quare fides quæ hoc ad Corinth. loco commemoratur, ſpecies quædam eſt illius fidei, de qua in illo ad Romanos ſermo eſt.

Quid autem fides hæc ſit de qua ad Corinth. loquitur Apoſtolus, jam aliquomodo explicavimus, dum diximus eſſe fidem illam per quam miracula edantur. Id quod facile intelligitur ex illis ejuſdem Apoſtoli verbis quæ habentur infra cap. 13. verſ. 2, ubi ait, *Et, ſi habeam omnem fidem, ita ut montes transferam*, &c. In quibus verbis oſtendit, cujuſmodi ſit fidei iſtius effectus, nempe miracula inſignia edere, inter quæ maximè ſtupendum foret, ſi quis montem de loco in locum transferret. Unde Apoſtolus non fidei ſimpliciter, ſed omni fidei, hoc eſt perfectæ & cui nulla ejus fidei, ut ita dicam, pars aut ſpecies deſit, id tribuit. Valde autem veriſimile eſt Apoſtolum alluſiſſe ad illa ipſius Chriſti verba quæ habentur apud Matth. cap. 17. ubi Chriſtus ait, *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ut granum ſinapi, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil erit vobis impoſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſibile. Quibus ſimilia habentur apud Marcum cap. 11. 23. ubi alia occaſione iiſdem diſcipulis dixit Chriſtus, *Habete fidem Dei. Amen dico vobis quod qui dixerit monti huic, Tolle te & conjice te in mare, & non dubitaverit in corde ſuo, ſed crediderit quod quæ dicit fiunt,* hoc eſt fient vel futura ſunt, *erit ipſi quod dixerit.*

Verum ut hæc omnia rectius intelligantur, tria nobis ſunt explicanda. Primùm, An hoc donum propriè fides dicatur, nec-ne? Deinde, cur id Apoſtolus diſtinxerit à dono edendarum virtutum ſeu potentiarum, atque à dono ſanationum, ut ex ſeqq. apparet; quia cum dixiſſet, *Alii autem fides in eodem Spiritu,* ſtatim addit; *Alii donationes ſanationum in eodem Spiritu; alii autem operationes potentiarum.* Tertiò, Cur Apoſtolus omnem fidem ad id requiri, loco ſuperius dicto indicet, quod dicit Chriſtus obtineri poſſe ab eo qui habeat fidem inſtar grani ſinapi, hoc eſt fidem vel minimam. Eſt enim granum ſinapi, unum ex minimis ſeminibus, ut ipſe Chriſtus docet, Matth. 13. ℣. 32. ubi ait, *id eſſe minus omnibus ſeminibus.*

Quod ad primam quæſtionem attinet, ideò dubitari poteſt utrum hoc donum fides propriè loquendo dici mereatur nec-ne? quia ſi propriè fides diceretur, procul dubio nulla ea eſſet alia, quàm ea de qua Chriſtus in duobus apud Euangelicæ hiſtoriæ Scriptores locis, & inprimis apud Marcum loquitur, ut audivimus; nempe ut nihil quis dubitet in corde ſuo, ſed credat quòd quæ dicit futura ſint, atque adeò ut ſi montem v. gr. velit tranſferre, credat ſi id fieri juſſerit, omnino futurum. Atqui fides hæc non videtur donum Spiritus ſancti, præſertim ejuſmodi de quo hic ſermo eſt; ſiquidem hæc fides ad ipſius hominis officium omnino videtur pertinere. Unde iſto apud Marcum loco monet Dominus Jeſus Diſcipulos ſuos, ut ejuſmodi fidem habeant. Dicit enim eos non potuiſſe ejicere dæmonem ex puero ad ſe adducto, propter ſuam incredulitatem; idque confirmaturus ſtatim ſubjicit illa verba quæ ſupra citavimus, quibus docet, ſi fidem haberent inſtar grani ſinapi, eos etiam montes tranſferre poſſe. Jam verò in contrarium etiam rationes non leves pugnant. Nam ut taceam ipſam vocis proprietatem, à qua facile non eſt diſcedendum; collatio loci cap. 13. verſ. 2. prioris ad Corinth. cum verbis Chriſti apud Matthæum & Marcum, omnino indicare videtur de eadem fide ſermonem eſſe, vel ſaltem fidei nomine fidem propriè dictam includi. Deinde cum hic fidem illam intelligi conſtet, per quam miracula eduntur, ſi non eſt fides propriè dicta eo nomine accipienda, ſignificabitur poteſtas ſeu facultas edendorum miraculorum. Nihil enim aliud excogitari poteſt præter fidem propriè dictam, per quam quiſpiam miracula edere poſſit. Jam verò primùm durum eſt eam facultatem aut poteſtatem fidei nomine indigetare; præſertim peculiari ratione, hoc eſt non ita communi, qua omnia dona Spiritus ſancti fidem conſequentia, fidei appellatione ſignificantur. Deinde ea facultas, vel in mero tantùm jure conſiſtet, ita nimirum ut alicui Deus hanc dederit, ut ita dicam, licentiam ac ἐξουσίαν ut quandocunque ille voluerit aliquod miraculum edere, id extiturum & ad ipſius nutum ſit futurum; vel ut vires ſignificentur & robur homini ipſi Spiritus ſancti vi inditum, quo poſſit illa omnia miracula quæ velit edere. At neutrum hîc ſignificari videtur. Non prius; quia illud jus à Spiritu S. non manat, & ad id ſatis eſſet alicui tantùm annunciari, quòd Deus tam benevolas ipſi aures ſit præbiturus, ut ubi quippiam ipſe fieri juſſerit, Deus vim ſuam exerat ad id perficiendum. Quin ne denunciatione quidem ejuſmodi opus eſſet, ſed ſatit eſſet, omnia ubi ipſe voluerit exiſtere, & rerum naturam quodammodo ejus voluntati parere. Poſterius etiam intelligi nequaquam videtur, propterea quòd tantas in ſe vires habere, ut etiam montes tuo robore, pro voluntatis arbitrio tranſferre poſſis, id foret Deum quendam eſſe. Sanè id nonniſi Chriſto proprium fuiſſe ſtatuendum eſt, qui in forma Dei extitit, & ex quo legimus virtutem egredi ſolitam qua omnes ſanabantur. Quanquam interim non negamus fieri potuiſſe, ut ad tempus aliquod ſimilis efficacia ſuper Apoſtolos requieſceret; ſed quæ non videtur in ipſis fuiſſe perpetua, ſed precibus ac ſuſpiriis ſubinde obtinenda, aut peculiari quodam Dei ac Chriſti favore, prout neceſſe videretur, in ipſos conferenda. Alias ſatis erat ad ipſorum preces aut vota, Deum Chriſtumque virtutem ſuam exerere, & miracula quæ illi facerent edere. Unde etiam interdum videmus eos preces reipſa concepiſſe, ut de Petro conſtat, cùm Tabitham reſuſcitare vellet; vel ejuſmodi verbis uſos, quæ vel votum comprehenderent, vel ſaltem indicarent ipſum Chriſtum ea miracula revera edere, ut apparet ex Actor. 3. verſ. 6, & 9. verſ. 34. Id Quod ipſe Dominus Jeſus indicavit apud Marcum. Nam poſt verba ſuperius citata de fide, qua Apoſtoli etiam montes tranſferre poſſint, addit ſtatim, *Propterea dico vobis, Omnia quæ orantes petitis, credite quòd accipiatis,* hoc eſt accepturi ſitis, *& erit vobis*; Non obſcurè ſignificans eos per preces res tantas debere obtinere. Et ſanè ipſa fidei, quæ ad hujuſmodi miracula edenda requiritur, ratio non videtur permittere, ut quis eam virtutem ac potentiam in ſe habeat, præſertim pepetuam, ſed ut eam ſubinde à Deo exoret, atque ut à Deo exeratur impetret. Quæ enim eſt fides, credere te id præſtare poſſe, ad quod præſtandum vires in te ſufficientiſſimas habeas ſemper, præſertim ſi non poſſis non ſentire, te eas habere, ut hîc profiteri neceſſe eſt?

Hanc difficultatem ut expediamus, ſtatuendum arbitramur, non eſſe à proprietate vocis recedendum, propter rationes modo explicatas. Neque enim ratio illa quæ in contrarium pugnat, tantarum eſt virium ut ab hac ſententia nos jure depellere debeat. Verùm ut ei ſatiſfiat, animadvertendum eſt fidem hanc eſſe quidem donum Spiritus ſancti, at non ejuſmodi ut ad eam excitandam hominis voluntas & mentis devotio non requiratur, quæ cauſa eſt cur ad fidem ejuſmodi Deo habendam Chriſtus diſcipulos adhortetur. Ut enim quiſpiam hanc fidem habeat duo requiruntur: Primùm ut cuipiam certa quadam ratione conſtare queat, Deum ei hanc poteſtatem dare, ut ubi voluerit miracula edat, atque ita certus eſſe poſſit, ubi quid fieri juſſerit, Deum id ratum habiturum, & potentia ſua immenſa effecturum. Deinde ut ad rem ipſam accedens, & miraculum aliquod edere volens, omnem animo dubitationem ſubmoveat, & in ſpecie ac nominatim id quod fieri velit, omnino extiturum eſſe credat. Prius autem illud homini conſtare poterat vel ex ſermone divini alicujus viri; quemadmodum Apoſtolis in terris adhuc viventibus ea de re conſtare poterat ex ipſius Domini Jeſu ſermonibus, tum illis quos vidimus, tùm aliis, ac imprimis ex iis quæ leguntur Matth. 10. 8. Vel ex Spiritus S. dictamine, qui in hominis mentem illapſus, eum de tanto Dei erga ſe favore certum redderet, & ſic efficeret ut intelligeret, miracula ſe divina virtute interveniente edere poſſe. Hac autem ratione hominibus illis fides quodammodo inſerebatur, & quidem ea quæ requiritur ad miracula edenda, quæ eſt ut quis credat ea extitura quæ dixit, licèt naturæ curſum ſuperantia. Verumtamen quia non eſt credibile, iſtam Spiritus ſancti efficaciam perpetuò in eo homine duraſſe, & ſe actu ipſo exeruiſſe, propterea neceſſe fuit, ut ſi quis vellet miraculum aliquod edere, illud donum, ut ita loquar, in ſeſe exſuſcitaret, & ſic firmam illam perſuaſionem, quæ ad iſtiuſmodi miracula edenda requiritur, in animo ſuo excitaret. Qua in re voluntas ipſius hominis propria ejuſque ſtudium aliquod cernebatur. Perinde enim erat, ac ſi quis promiſſum aliquod à Deo conſecutus de poteſtate edendi miracula, animum ſuum ſubinde excitaret ad promiſſioni illi firmiter credendum, & eam ad rem præſentem applicandum; ita ut nihil dubitaret rem quam fieri vellet, quamvis ardua admodum eſſet, tamen ſe jubente, auctoritate ſua extituram. Eſt au-

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tem haud paulò difficilius hoc aut illud in ſpecie omnino futurum credere cùm ad rem ipſam ventum eſt, quàm in genere credere ea futura eſſe quæ velis, cùm nondum ad rem eſt ventum; ut non mirum ſit Chriſtum monuiſſe Apoſtolos, ut fidem ejuſmodi haberent. Quò accedit, quòd (ut jam vidimus) Apoſtolos neceſſe erat hanc fidem haurire tantùm ex Chriſti verbis, ejuſque promiſſo, & nonnullis, ut hoc etiam addamus, experimentis quæ in rebus minoribus ceperant; non verò ex interno quodam Spiritus ſancti dictamine, quod haud paulò minorem vim habet quàm promiſſum verbis conceptum, aut quippiam ſimile, quod externa quadam ratione homini rem tam admirabilem perſuadeat. At fides illa de qua Apoſtolus loquitur, ex interno quodam dictamine Spiritus ſancti proficiſcitur. Itaque etiam illud reſpondere poſſumus ad rationem antea allatam, qua probari poſſe videbatur fidem hanc non eſſe propriè accipiendam, diverſam eſſe hujus fidei de qua Apoſtolus loquitur, & illius de qua Chriſtus, vim; non quidem ratione eſſentiæ ac naturæ, ſed ratione cauſæ ac originis. Natura enim atque eſſentia utriuſque in eo conſiſtit, ut non dubites, ſed credas id futurum eſſe, quod volueris aut dixeris. Cauſa autem illius fidei, de qua Chriſtus apud Matthæum & Marcum loquitur, eo adhuc tempore in ipſius Chriſti verbis ac promiſſis potiſſimum conſiſtebat; hæc verò de qua Apoſtolus, ex interno Spiritus ſancti dictamine proficiſcebatur. Itaque non mirum eſt Chriſtum ad illam hortatum eſſe Apoſtolos, tanquam ad officii ſui partem, hanc verò inter Spiritus ſancti dona collocari, adeò ut non foret neceſſe eam inter officii noſtri partes numerare. Verùm malumus nos ita hanc fidem partiri, ut illius quidem originem ac principium ad Spiritum S. referamus; illius autem (ut ita dicam) progreſſum & actum conſummatum, etiam ad hominis ſtudium & voluntariam ipſius actionem. Eſtque credibile ad fidem illam, quam homines hac poteſtate donati in ſe ipſis exſuſcitabant, cùm ad miracula patranda ſe accingerent, impetum quendam divini Spiritus acceſſiſſe, & ſic ſcintillas illas fidei, quas ab ipſo ſtatim initio per Spiritum S. acceperant, veluti in flammam quandam erupiſſe, ita ut in eo fidei actu quippiam humani, partim etiam divini appareret. Et talis quidem fides apparuit in Paulo, cum Elymæ cæcitatem denunciaret, ubi Spiritu Sancto repletus dicitur. Et hæc de prima quæſtione ſufficiant.

Quod ad alteram attinet ita ſtatuimus, hoc fidei donum ita diſtingui à duobus ſequentibus, ut totum à ſuis partibus, vel ut genus à ſuis ſpeciebus, ita ut perinde ſit ac ſi dixiſſet Apoſtolus; Alii autem datur fides, nempe edendorum miraculorum, & alii quidem virtus vel donum ſanationis, alii autem donum aliarum virtutum, ſeu ſtupendorum operum patrandorum. Patet id ex eo primùm, quia fieri non poteſt ut is qui vel morbos ſanat, vel alia ſtupenda opera patrat, id fide interveniente non faciat; ſiquidem id in ipſis Apoſtolis omnino requiri vidimus. Itaque non poſſunt dona ſanationum, vel operationes virtutum, ita à fide diſtingui, ut ſub ea aliqua ratione non contineantur. Niſi quis dicere velit fidem iſtam ita eſſe comparatam, ut qui eam haberet, non virtute in ſe habitante, ſed virtute tantùm aliena atque externa, miracula ederet; Eum verò qui haberet dona ſanationum, aut operationes virtutum, vires illas ſive efficaciam in ſe ipſo habere. Verùm id poſterius propter rationes ſuperius allatas non eſt admittendum. Et, ſi ita ſe res haberet, major fuiſſet is qui facultatem haberet ſanandi, aut alia ſtupenda opera edendi, quàm is qui fidem haberet. Majus enim eſt habere talem virtutem in ſe ipſo habitantem, quàm tantùm poteſtatem eam ſubinde ab alio impetrandi. Atqui ipſo collocationis ordine ſatis indicavit Apoſtolus eum qui fidem habeat, majorem eſſe illo qui habeat aut ſanationis donum, aut facultatem edendorum miraculorum, vel ſaltem hos illo majores non eſſe. Ut taceam, in loco jam non ſemel commemorato, cap. 13. ℣. 2, tranſlationem montis, quod eſt unum ex miraculis maximè ſtupendis, cum ipſa fide conjungi. Adde quod ſi in quoquam virtus illa ſanandi aut edendi miracula habitaſſet, in Apoſtolis certe habitaſſet. Atqui eos per fidem ſtupenda miracula edidiſſe jam vidimus. Quare non ita debent hæc disjungi, ut alterum in altero aliqua ratione non contineatur. Non continetur autem fides ſub alterutro iſtorum tantùm, ſed potius utrumque iſtorum in fide. Deinde idem ex eo quoque liquet, quod Apoſtolus infra verſ. 28, homines illos qui donis hujuſmodi Spiritus ſancti eſſent prædití recenſens, & quendam inter illos ordinem conſtituens, nullam facit mentionem eorum qui fide eſſent præditi, ſed tantum commemorat potentias & ſanationum dona; nempe quia in his duabus rebus, tanquam ſpeciebus aut partibus, fides illa tota contineatur. Quanquam fortè fides ibi potentiarum nomine comprehenditur, ut poſtea dicemus. Ita enim inquit; *Et alios quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores;* (ad quos ordines pertinent dona ſapientiæ, intelligentiæ & Prophetiæ) *poſtea potentias* ſeu virtutes, *poſtea dona ſanationum;* ubi vides fidei mentionem eſſe omiſſam. Idem fit ſeqq. verſ. 29, 30. Diximus autem fidem vel totum eſſe vel genus iſtorum donorum quæ ſubjiciuntur duorum, hoc eſt facultatis ſanandi, & alia edendi ſtupenda opera, quia non eadem eſt ratio generis & totius ſeu integri. Nam ſi conſideretur fides illa tanquam genus, tum ad eam conſtituendam ſufficiet alterutra ſpecies iſtorum quæ ſubjiciuntur donorum; & tum perinde erunt accipienda verba Apoſtoli, ac ſi dixiſſet; Et alii quidem, nempe diverſo ab iis quos antea enumeravi, datur fides edendi miracula; ita nimirum ut alii quidem detur fides ejuſmodi, ut poſſit ægrotos ſanare; alii verò ejuſmodi ut poſſit edere alia ſtupenda opera. Si verò fides illa conſideretur ut totum, tum utrumque donum quod ſubjicitur, ad illam conſtituendam pertinebit. Licèt iterum in illis quæ ſubjiciuntur donis, particularis quædam, ut ita dicam, fides comprehendatur. Itaque perinde erunt verba Apoſtoli accipienda, ac ſi dixiſſet; Et alii datur fides quævis miracula cujuſcunque ſint generis edendi, (quam omnem fidem cap. ſeqq. vocat;) alii verò datur tantùm facultas ſanandi; alii rurſus alia ſtupenda opera edendi. Et hæc de ſecunda quæſtione.

Quod ad tertiam attinet, ita arbitramur concilianda eſſe Pauli & Chriſti verba, ut Chriſtum dicamus reſpicere ad quantitatem, ut ita dicam, fidei, ſeu illius gradum reſpectu certitudinis & firmitatis; Paulum autem non certitudinis ac firmitatis habere rationem, ſed potius latitudinis atque amplitudinis ejus poteſtatis, ad quam fides illa refertur: ut Paulo omnis fides ſit ea, qua quis à divino Spiritu edoctus atque impulſus, jure credat ſe quævis miracula ſtupendaque opera patrare, atque adeò etiam montes tranſferre poſſe; quod miraculum unum eſt ex maximis. Chriſtus autem fidem conſiderat eatenus, quatenus dubitationi atque incredulitati opponitur, & oſtendit diſcipulis ſuffecturam vel minimam, habita nimirum ratione certitudinis ac perſuaſionis animo conceptæ, ad patranda miracula ſtupenda. Itaque fieri poterat, ut quis fidem haberet inſtar grani ſinapi, & nihilominus tamen haberet omnem fidem, hoc eſt fidem qualiacunque miracula edendi, quam Paulus intelligit. Quia nimirum fides illa quæ ratione certitudinis ac firmitatis ſuæ, quæ in perſuaſione cernitur, inſtar grani eſt ſinapi, poteſt ad omnia miracula extendi, & præſupponere poteſtatem facultatemque quidvis patrandi, ut quidem in Apoſtolis contingebat, quos tanta poteſtate Chriſtus donaverat. At in alio poterat fides etiam longe major quàm eſt granum ſinapi, tantam vim non habere, ſed tantùm facultatem quædam minora miracula edendi.

Donationes ſanationum, & operationes virtutum. 1 *Cor.* 12. *verſ.* 9, 10.

His ita explicatis, facilè erit nobis intelligere duo illa quæ ſubjiciuntur dona, quæ fidei hactenus explicatæ vel ſpecies, vel partes eſſe diximus, nempe *donationes ſanationum*, & *operationes virtutum*, ſeu potentiarum; de quibus ita loquitur Apoſtolus, *Alii autem donationes ſanationum*, ſcil. datæ ſunt, vel dantur *in eodem Spiritu*, hoc eſt per eundem Spiritum; *Alii verò operationes potentiarum*, ſeu ut quidam reddunt, facultates edendarum virtutum. Quo loco nobis explicanda ſunt, primùm quædam ad utriuſque doni comparationem ac diſtinctionem ſpectantia: deinde alia nonnulla quæ alteri tantum iſtorum donorum ſunt propria.

Prioris generis quæſtiones duæ ſunt; Prima eſt, Cur Apoſtolus donationes ſanationum ab operibus potentiarum diſtinxerit, cùm illæ in his contineri videantur tanquam ſpecies in ſuo genere? δυνάμεις enim ſeu potentiæ ſignificant opera admiranda, ad quæ perficienda ſingularis Dei potentia atque efficacia requiritur. Jam verò etiam ad ſanandos ægros potentia ſingularis requiritur. Unde etiam dicitur *potentiam Domini fuiſſe ad ſanandos ægrotos*, Luc. 5. verſ. 17. Et *virtutem* ſeu potentiam *ex illo egreſſam*, qua homines fuerint ſanati, apud eundem Lucam, cap. 6. ℣. 19. & 8. 46. Itaque multis in locis vox δυνάμεις etiam ſanationes in ſe complectitur, ut Matth. XI. ℣. 20, 21, 23. Et Marc. 6. ℣ 2, 5, ubi dicitur, *Et non poterat ibi* (ſcil. in patria ſua) *potentiam ullam facere, niſi quod paucis infirmis manus impoſuit, eoſque ſanavit.* Ubi cùm dicatur, *Niſi quod hos ſanavit*, ſignificatur etiam hanc virtutem feciſſe, quanquam non adeò inſignem. Secunda quæſtio eſt, Cur Apoſtolus hoc loco operationes potentiarum poſt-poſuerit donationibus ſanationum, cùm infrà ℣. 28 & ſeqq. ubi apparet illum accuratam habere ordinis rationem, potentias præponat donationibus ſanationum.

Quod ad priorem quæſtionem attinet, ideò id fieri arbitramur, quia vox potentiarum, hoc verſiculo 10. ſtrictius ſumatur quàm in aliis quibuſdam, quos ſupra citavimus, locis fiat. Sæpe enim fieri conſuevit, ut nomina generalia pro ſpecialibus uſurpentur, præſertim tunc cum ſpecies non habet certum aliquod nomen, quo ab aliis ejuſdem generis ſpeciebus diſtinguatur. Itaque ſi duæ v. gr. unius generis ſunt ſpecies, & altera nomen certum habeat, eo expreſſo, altera poſtea ſpecies generis nomen retinere ſolet, ſive illa ſit præſtantior ſpecies, ſive minus præſtans. Qua de re diximus ad ℣. 24. c. 15 hujus Epiſt. cùm nomen ἐξουσίας declararemus. Jam ergò cùm altera ſpecies habeat certum nomen, nempe operationes ſanationum, reliqua autem admirandorum operum genera, uno certo nomine comprehendi nequeant, ideò generali nomine comprehendantur. Adde quòd fieri poſſit ut vox *potentiarum*, illam complectatur miraculorum ſpeciem, ad quam major quædam potentia ac virtus videatur requiri, quàm ad morbum aliquem tollendum ac ſanandum; qualis eſt reſuſcitatio mortuorum, dæmonum ex homine aliquo ejectio, & venti ac maris uno verbo coërcitio: adde etiam integritatem viſus iis datam qui cæci ab utero matris nati fuerint, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Nam & hæc à dono ſanationum diſtingui poſſunt, cùm cæcitas ejuſmodi morbus non ſit. Etenim morbi ſolent tamen aliqua arte humana, certiſque remediis ſanari, licèt nec ſemper, nec niſi longo temporis tractu, ipſaque natura potiſſimùm opitulante, cujus miniſter tantùm eſt Medicus. Iſta verò quæ diximus nulla arte humana, nullo conſilio præſtari poſſunt, iiſque natura vel non ſubſervit, vel etiam maximè adverſatur. Quare hîc major divina potentia verè elucet. Sed hoc melius apparebit ubi ſecundam quæſtionem explicuerimus, ad quam nunc accedimus.

Duo autem potiſſimùm ſunt quæ mihi nunc in mentem veniunt; Primùm eſt, Apoſtolum hîc propterea donationes ſanationum præpoſuiſſe, quia hæc miraculorum ſpecies & nomen certum habebat, & cæteris erat vulgarior ac magis uſitata; partim quidem quia hominibus ea eſt opus, partim etiam quia ea miracula quæ naturæ curſui nimium viderentur repugnare, & nimis magnam vim hominibus ob ſui evidentiam facere, ut Euangelio crederent, non ita crebro pro ſua ſapientia Deus apparere voluit. Unde infinitos ægrotos Chriſtum & Apoſtolos ſanaſſe legimus, ſimiliter etiam à Dæmone liberatos, quæ res cum ſanatione majorem affinitatem habet: paucos autem à mortuis reſuſcitatos, non ita ſæpe panes multiplicatos, ventos etiam ac mare verbo coërcitos. Quare Apoſtolus illam ſpeciem quæ nomen certum habuit, priori loco hic collocare potuit, ut poſtea intelligeretur potentiarum nomen, quod per ſe generale eſſet, ſtrictius eſſe accipiendum, & certam tantùm ſui generis ſpeciem comprehendere. Quod ſi præpoſitum fuiſſet, arbitrari quiſpiam potuiſſet id æque latè patere, atque ipſa fides. Quare ſi hoc admittatur, dignitatis ratio aliquo modo ceſſit ipſi quam explicuimus rationi. Ne illud nunc dicam, quod etſi facultas ſanandi per ſe videatur inferior facultate ſtupenda illa opera patrandi, nihilominus tamen quia frequentius exerceretur, eo ipſo defectum ſuum quodammodo penſabat, & ſic cum facultate potentiarum certare quodammodo poſſe videbatur. Infra autem Apoſtolus rei ipſius naturam magis videtur ſpectaſſe, & quodvis donum ex ſeipſo cenſuiſſe: unde potentias præpoſuit, præſertim cùm jam ſatis ex loco verſ. 9 & 10 conſtaret, quid potentiarum nomine intelligeretur.

Alterum quod nobis in mentem venit eſt, quod fieri poſſit ut Apoſtolus infrà, ubi nullam fidei facit mentionem, potentiarum nomen latius extendat, prout quidem natura ſua poteſt, & ſic totum id complectatur quod fidei nomine comprehenditur, cùm id ſumitur pro Toto, quod in ſe complectitur tum donum ſanandi, tum facultatem alia etiam miracula edendi; præſertim quia conſentaneum eſt eos, qui potentias illas ſeu virtutes divina vi exercebant, verè etiam habuiſſe donum ſanationis; cùm non modò major, imò aliqua ratione minor potentia ad ſanationem, quàm ad reliqua ſtupenda opera requireretur. Hoc autem verſiculi 10 loco ſtrictiùs ea vox accipi poteſt; ita ut excludatur ſanationis donum. Niſi velis ita verba Apoſtoli accipere (id quod tertiæ reſponſionis loco eſſe poteſt) ac ſi dixiſſet, Et alii quidem data ſunt dona ſanationum, alii verò etiam operationis potentiarum.

Illud adhuc addendum, vel potius ex ſuperioribus repetendum videtur, nos etiamſi dicamus, virtutem ſeu vires miracula hæc edendi, non habitaſſe in illis ipſis hominibus, præſertim perpetuò, quibus hæc dona adſcribuntur, ſed in illis propriè fuiſſe fidem à Spiritu S. ita ut diximus excitatam, qua opus erat ad miracula edenda, nihilominus tamen haud negare, vel per Spiritum S. miracula iſta patrari ſolita, vel etiam illis hominibus à Deo ac Chriſto ad certum tempus communicari potuiſſe, aut etiam communicatam fuiſſe. Nam quod ad prius attinet, etiamſi Spiritus S. ſit efficacia divina ab omnipotente ejus virtute manans, nihil prohibet per eum homines etiam ſanari, aut alia miracula edi, ſiquidem per efficaciam divinam quicquid Deus vult effici poteſt. Quod verò ad poſterius attinet, ne hoc quidem vel natura ſua impoſſibile eſt, homini mortali talem virtutem communicari, cùm Chriſto adhuc mortali communicatam videamus; vel aliàs abſurdum, eam ad aliquod tempus alicui ex fidelibus impertiri. Verumtamen cùm nuſpiam legamus, ex ipſis divinis viris talem virtutem eſſe egreſſam, quemadmodum de Chriſto legimus, non eſt id temere aſſerendum. Illud quidem legimus, eos fuiſſe ſanatos quos vel umbra Petri attingeret, vel quibus ſudaria à Pauli corpore detracta apponerentur; ſed non eſt tamen neceſſe eam virtutem ex Petro aut Paulo egreſſam, ſed circa illos aut circa quippiam ipſorum fuiſſe exertam, aut

tunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tunc cùm aliquid ipſorum ægrotos attigiſſet, in iis fuiſſe. Neque credendum eſt virtutem iſtiuſmodi fuiſſe delatam in ipſo ſudario, ſed hoc fuiſſe veluti ſymbolum quoddam, quo adhibito & certis hominibus applicato, divina potentia exereretur ad ipſos ſanandos. Cùm Deus voluit ut Moſes baculo vel ſublato, vel re aliqua illo percuſſa, miracula ederet, quis crederet in baculo tantum latuiſſe potentiæ? Certe baculus ille omnipotens fuiſſet, & pro Deo adorandus. Sed hoc ſymbolum quoddam fuit, quo interveniente Deus omnipotens virtutem ſuam exerebat, & miracula illa perficiebat. Quis putet tum cùm Eliſæus ſervo ſuo præciperet, ut baculum puero mortuo imponeret, nempe ut ita reſuſcitaretur, eum crediſſe virtutem mortuos reſuſcitandi in baculo fuiſſe? Sed hoc ſymbolo interveniente voluit efficere, ut Deus ſua cauſa, cujus baculus ille eſſet, puerum illum reſuſcitaret, & ſic appareret Deum Prophetæ ſui cauſa, atque adeò per eum, hoc miraculum ediſſe. Itaque etiam illùd quod cum umbra Petri aliquem tetigiſſet, aut linteum aliquod de corpore Pauli detractum, is ſanaretur, ideo fiebat ut hoc pacto ipſis Apoſtolis auctoritas conciliaretur, & appareret propter eos, atque adeò per eos hæc miracula fieri, ut ita verè Dei ſervi ac legati eſſe crederentur. Similiter de oſſibus Eliſæi ſtatuendum eſt, quorum contactu quidam è mortuis fuit ſuſcitatus. Voluit enim Deus etiam poſt mortem Prophetam hunc commendare populo, ut dictorum ejus memores eſſent, eaque ſtudioſe obſervarent. Ex his etiam de aliis, ſi quæ occurrunt in ſacris literis ſimilia, ut de æneo ſerpente, cujus conſpectu Iſraëlitæ ſanabantur, judicium facilè fieri poteſt.

Donum ſanationum.

Jam ut ad illa accedamus quæ alterutri donorum iſtorum ſunt propria, illud primùm de dono ſanationum addi poteſt, fuiſſe id tum temporis in Eccleſia admodum uſitatum, ita quidem ut ſi non ſinguli ex ſenioribus Eccleſiæ, ſaltem totum cujuſque Eccleſiæ Presbyterium eodem eſſet inſtructum. Unde videmus Jacobum cap. 5. verſ. 14, 15, generatim omnibus qui ægrotent præcipere, ut vocent Seniores Eccleſiæ, iique orent ſuper eo, ungentes eum oleo in nomine Domini; promittitque ægroto ſanitatem, ſi preces illæ ſenum cum fide conjunctæ fuerint. De ritu ungendi oleo habetur etiam apud Marcum 6. ℣. 13, ubi idem Apoſtolos à Chriſto dimiſſos factitaſſe legimus. Fuit ea unctio ſymbolum externum, quo ſignificabatur & adumbrabatur illa unctio divina, qua Deus aut Chriſtus ægrum uncturus eſſet, ſeu (uti magis propriè loquamur) oleum iſtud ſignificabat ac repræſentabat virtutem divinam, qua Deus ac Chriſtus ægrum perfuſurus & ſanitatem ei reſtiturus eſſet.

Deinde quod ad *donum* illud *potentiarum* attinet, ad illud jure referri poteſt poteſtas illa quam Paulus datam ſibi aſſerit ad vindicandum in contumaces, qua tamen ſe non libenter uti ipſemet profitetur. De ea aliquot locis legitur in poſteriori ad Corinth. Epiſt. Nam inter alia cap. 10. ℣. 6, ita de ſua poteſtate loquitur, *Et in parato*, inquit, *habentes, vindicare omnem inobedientiam, ubi impleta fuerit veſtra obedientia, etiamſi aliquid amplius gloriarer de poteſtate noſtra, quam dederit Dominus nobis ad ædificationem & non ad ſubverſionem veſtri, non pudeſiam.* Profitetur autem ſe poſtea talem fore præſentem opere, qualis nunc ſit ſermone per Epiſtolas, nec vana ſe jactare, ut illos tantùm perterrefaciat. Superius autem rogaverat, ne cogatur cum illis præſens uti ea fiducia, hoc eſt ea poteſtate, qua fidebat, quia nimirum malebat cum Spiritu manſuetudinis ad illos venire, quàm cum virga, ut loquitur in priori ad Corinth. Epiſt. cap. 4. ℣. ult. Capite etiam ultimo ejuſdem Epiſtolæ ℣. 2, *Se illis prædixiſſe, & nunc etiam abſentem ſcribere iis qui antea peccaverint, & cæteris omnibus, ſe ubi venerit iterum non parſurum; quandoquidem illi quærant experimentum Chriſti in ipſo loquentis*, id eſt documentum ejus rei apertum & miraculoſum, quod Chriſtus per ipſum loquatur. Et ℣. 7, *Opto autem coram Deo, ne faciam vobis mali quicquam.* Et ℣. 10. *Propterea hæc abſens ſcribo, ne præſens ſeveritate utar, ſecundùm poteſtatem quam dedit mihi Dominus ad ædificationem, & non ad ſubverſionem.* Apparet autem parcè loqui pro ſua modeſtia & in Corinthios charitate. Quanquam non ſemel etiam alibi hanc puniendi poteſtatem à longinquo, tanquam virgam quandam, Corinthiis oſtendit & veluti minatur. Nam & illud quod de virga ex 1 ad Corinth. Epiſt. citavimus, huc pertinet; & illud quod in 2 Epiſt. legitur, cap. 1. ℣. 23, ubi *jurat, ſe ideò non veniſſe Corinthum ut illis parceret.* Apparet enim Apoſtolum poteſtatem habuiſſe pœnam contumacibus, divina virtute interveniente, infligendi. Ad quam rectè pertinet iſta *Satanæ traditio*, de qua legimus 1 Corinth. 5. 5. & 1 Tim. 1. 20. Hanc enim ita fuiſſe comparatam, ut is qui Satanæ tradebatur, & illius velut poteſtati permittebatur, ut quo ad corpus affligeretur, prout à Deo, vel à Chriſto, vel etiam ab ipſo Apoſtolo definitum eſſet, ſatis ex ipſis locis conſtat. Nam in loco 1 ad Cor. additur id fieri ad ὄλεθρον, hoc eſt *in perditionem carnis, ut Spiritus ſervetur in diem Domini*, hoc eſt in diem Domini Jeſu. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quòd Paulus voluerit ut iſtum hominem Satanas protinus occideret. Res enim iſta potius ad ipſius ſalutem ſpectare debebat; cùm addat Apoſtolus, *ut Spiritus ſervetur in diem Domini.* Quid autem iſta pœna homini profuiſſet, ſi miſer ſtatim extinctus fuiſſet? Sed potius ut carnem affligeret, & paulatim ad interitum ſeu mortem deduceret, & interea tamen ei aliquod reſipiſcendi, & Deum ac Chriſtum deprecandi, tempus relinqueret. Poteſt enim Satanæ, licèt hominis interitui inhianti, terminus aliquis figi, ad quem uſque in homine ſuæ poteſtati permiſſo, affligendo progredi debeat: quemadmodum videmus olim Deum Satanæ primùm permiſiſſe omnia Jobi, ſed ita ne corpus ipſius tangeret; deinde & corpus, modò vitam ei non eriperet. Jam quod ad locum 1 Timoth. attinet, cùm Paulus dicat, *ideò ſe Satanæ tradidiſſe Hymenæum & Alexandrum, qui repulſa bona conſcientia fidei etiam naufragium fecerint; ut diſcerent non blaſphemare*; ſatis apparet eum non penitus, hoc eſt animas etiam iſtorum hominum Satanæ tradidiſſe, cùm ea traditione id quæreret, ut à blaſphemando deſiſtere diſcerent, eoſque corrigi, non perdi cuperet. Quare corpora ipſorum apparet eum aliquomodo permiſiſſe Satanæ poteſtati, ut ita ab eo afflicti & excruciati, à blaſphemanda ſalutari Chriſti doctrina abſtinerent, & porrò ſanarentur. Quemadmodum autem iſtiuſmodi pœnas infligere Paulus poterat, ita dubitandum non eſt illum poteſtatem quoque habuiſſe illas tollendi, imò multò magis hanc habuiſſe, quantò ad benignitatem pronior eſt Chriſti Spiritus. Itaque credendum eſt, ſi quis tempeſtivè reſipuiſſet, ejuſmodi ſupplicium paſſus, eum intervenientibus Apoſtoli precibus potuiſſe ab eodem liberari & ſanari; ſiquidem poteſtas data fuit Apoſtolis in malos quoque Spiritus, item facultas ſanandi, & eam ipſam de qua nunc diſſerimus potentiam ac virtutem edendi. Unde plerique credere videntur, etiam inceſtuoſo illi, de quo ſermo eſt in 1 Corinth. 5, pœnam illam fuiſſe condonatam; & ad eum pertinere creduntur ea quæ leguntur in 2 ad eoſdem Epiſt. cap. 2. ℣. 5. &c. Credibile autem eſt hanc poteſtatem paucis cum Apoſtolo fuiſſe communem, & fortaſſe vix ulli præter alios quoque Apoſtolos. Nam aliàs conveniens Deo ac Chriſto eſt, poteſtatem potius benefaciendi hominibus largiri, quàm aliis malefaciendi, & miraculis potius ſalutaribus, ac beneficia in ſe complectentibus, ſalutarem Euangelii doctrinam hominibus commendare, quam ejuſmodi miraculis quæ homini nocerent. Nam excæcare v. gr. aut ſurditate vel alio mali aut morbi genere infeſtare etiam Satan poteſt, & ejus vi etiam illius ſervi, nempe magi aut venefici; ſed viſum cæcis, auditum ſurdis, greſſum claudis, ſanitatem ægris, & quidem ſubitò reſtituere, id demum divinæ virtutis & benignitatis eſt. Unde etiam legimus Chriſtum infinitos homines ſanaſſe, eoſque à Dæmoniis, morbis, aliiſque afflictionum generibus liberaſſe;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſed vix ullum ejuſmodi miraculum legitur, quod aliqua ratione hominibus noceret. Illud unum fortaſſis adferri poſſet de porcis, in quos dæmonia ingreſſa eos in mare præcipitarunt. Sed illud non tam Chriſti factum cenſeri debet, quam ſimplex, ut res ipſa loquitur, permiſſio. Neque id ſponte ſua fieri juſſit, ſed rogantibus permiſit, cùm procul dubio digniſſimi ea re eſſent ad quos damnum redibat. Et plus ea res poterat afferre commodi, ſi ea occaſione uti voluiſſent; imò omnis incommodi ratio ceſſaviſſet, ſi eam rem in commodum ſuum vertere noviſſent. Miracula ergo Chriſti prope omnia fuerunt hominibus ſalutaria, & propè omnia fuerunt beneficia. Unde in Actis ait Petrus *Chriſtum tranſiiſſe*, per totam nempe Judæam & Galilæam, *benefacientem* & *ſanantem omnes à Diabolo oppreſſos*. Deinde eam quoque ob cauſam hanc poteſtatem paucis communem eſſe æquum erat, ne in abuſum facilè verteretur, eſſetque interdum iræ, vel ſaltem intempeſtivæ ſeveritatis inſtrumentum. Non omnibus erat tanta ſapientia, quanta Paulo & aliis Apoſtolis, ut ſcirent in quos, aut quo tempore, aut quam graviter vindicandum; non omnibus eadem lenitas ac longanimitas. Unde videmus quàm ægrè potuerit Paulus adduci, ut ea uteretur ſeveritate qua poterat. Quare nulla utuntur ratione qui putant hanc potentiam Paſtoribus Eccleſiarum tunc fuiſſe communem, imò contra rationem ita ſtatuunt. Nec neceſſe habuiſſet Paulus, cùm iſtam potentiam ſibi vendicare vellet, tam ſollicitè occurrere arrogantiæ ſuſpicioni, ſi ea res etiam Corinthiorum ſenioribus fuiſſet communis, & aliàs paſſim in Eccleſia uſitata. Et licet in 1 ad Cor. 5. velit accedere Eccleſiæ conſenſum ad inceſtuoſum illum Satanæ tradendum, non tamen Eccleſiæ illi, ſed ſibi tantùm, decretum illud Satanæ hominem tradendi tribuit, ipſumque adeò ejus rei effectum ſibi virtutique Domini Jeſu Chriſti tantùm adſcribit. Quemadmodum etiam Hymenæum & Alexandrum non à Timotheo Satanæ tradi præcipit, ſed ipſe ſe tradidiſſe ait. Quare cum ipſis Apoſtolis, aliiſque ipſorum ſimilibus viris divinis, hanc poteſtatem expiraſſe cenſendum eſt; tantùm abeſt ut ea ad ordinariam poteſtatem, quæ hodieque duret, pertineat.

Sequitur quartum Spiritus ſancti donum ſeu effectum miraculoſum, (jam enim diximus facultatem ſanandi, aut alia ſtupenda opera patrandi, cum fide conjungendam eſſe 1 Cor. 12. 10) quod eſt *Prophetia*; de qua ita loquitur Apoſtolus, *Alii Prophetia*, ſcil. data eſt, *per eundem Spiritum*. Prophetiæ donum dupliciter potiſſimum accipitur, latius & ſtrictius. Latiùs cùm omnibus illis tribuitur quibus non per hominem aliquem, ſed alia quadam divina ratione quippiam revelatur, ut id aliis patefaciat atque annunciet. Dicitur enim Propheta tanquam prolocutor, qui nimirum aliquid à Deo acceptum profatur, & ſic Dei vel etiam Chriſti, qui nunc cum Deo computandus eſt, veluti os eſt. Duo ergo ad Prophetam, laxius ſumpto vocabulo, conſtituendum pertinent: Primò revelatio divina, eaque non vulgaris, ſed ſingularis, atque adeo extraordinaria: Deinde mandatum atque adeo officium id aliis communicandi: Cùm enim alterum abeſt, Prophetæ nomen non penitus quiſpiam meretur. Itaque cùm legimus nonnullis divinitus quæpiam revelata, non ut aliis ea patefacerent, cujus rei paulò poſt exempla proferentur, ii Prophetæ propterea non ſunt appellandi, quia deeſt poſterius requiſitum ad Prophetæ conſtitutionem neceſſarium.

Quod verò ad prius requiſitum attinet, de quo nobis hic potiſſimum agendum eſt, eo diſtinguitur Propheta ab eo qui cognitionem ſeu intelligentiam tantùm habet, de quo paulò ante dictum eſt. Unde infra cap. 14, Paulus cognitionem à revelatione apertè diſtinguit ℣. 6. Nempe quia revelatio certæ alicujus rei notitiam homini ſtatim affert, ita ut non cogatur eam aliqua ratiocinatione indagare. At cognitio, ut ſuprà diximus, ratiocinatione & agitatione mentis acquiritur. Breviter, Notitia quæ per revelationem habetur, ab ipſo Spiritu immediatè proficiſcitur, ea verò quæ cognitionis nomine appellatur, non immediatè ſed mediatè, nimirum interveniente meditatione hominis. In illa per ſe nemo falli poterat; in hac verò, niſi donum illud in quopiam valdè excellens eſſet, aut ſingularis accederet animi attentio, falli & errare quiſpiam poterat. Dices; At eodem loco etiam Prophetia à revelatione diſtinguitur: dicitur enim, *Quid vobis proderit, niſi vobis locutus fuero, vel in revelatione, vel in cognitione, vel in Prophetia, vel in doctrina?* Sed animadverterunt viri quidam docti, etiamſi quatuor voces ponantur, duo tamen revera tantùm eſſe rerum genera, quia nimirum eandem rem bis explicet Apoſtolus; q. d. Niſi vobis locutus fuero, vel in revelatione, vel in cognitione; hoc eſt, vel in Prophetia, quæ à revelatione proficiſcitur; vel in doctrina, quæ à cognitione. Probatur id collatione hujus loci cum ℣. 26, ejuſdem cap. ubi ait Apoſtolus; *Quando convenitis, quilibet veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, revelationem habet, interpretationem habet*. Ubi videmus manifeſtè Prophetiam & cognitionem omitti, licèt ſuperius expreſſè fuerit commemorata; nimirum quia Prophetia in revelatione continetur, cognitio in doctrina, utpote cùm hæc ab illis pendeat. Unde facilè patet cur Apoſtolus etiam cap. 13. 2, & 8, prophetiam à cognitione diſtinxerit; quanquam & aliam infra habemus differentiam. Jam verò revelatio, quam primum Prophetiæ requiſitum eſſe diximus, vel per Angelum aliquem fit, vel per Spiritum S. alicui inditum. Et per Angelum quidem ita, ut vel cum homine vigilante, ac ſenſibus omnibus externis utente, colloquatur, ſive is Dei perſonam ſuſtineat, ſive etiam ſuam, hoc eſt nuncii perſonam præ ſe ferat, & ſe à mittente verbis apertè diſtinguat: vel per viſionem aliquam mentalem, ut ita loquar, quæ vel homini contingat, vigilanti quidem, ſed tamen extra ſe rapto, & externis ſenſibus non utenti; quemadmodum Joanni videmus contigiſſe, & aliis Prophetis, qui tum dicuntur *fuiſſe in Spiritu*: vel per quietem, ſeu in ſomnis, quemadmodum Joſepho v. gr. contigit; quanquam ei vix quicquam eſt mandatum quod aliis annunciaret, ſed quod ipſe cum uxore facere deberet: unde nec Propheta appellandus; quemadmodum nec Samſonis parentes, quibus Angelus vigilantibus ac ſentientibus apparuit.

Animadvertendum autem eſt contingere poſſe, ut alicui quippiam reveletur per Spiritum S. & nihilominus tamen Angeli opera interveniat, quem Deus aut Chriſtus adhibeat ad Spiritum S. homini illi impertiendum, aut ad Spiritum illum homini jam datum aliqua ratione excitandum, & ut certam aliquam rem ejus animo imprimat, dirigendum. Unde jure cenſeri poteſt viſiones quæ in Apocalypſi leguntur, Joanni & per Angelum, ut expreſſè ſcribitur, & per Spiritum S. ſimul exhibitas & menti ejus impreſſas fuiſſe. Quod autem de viſionibus dicimus, id etiam de ſomniis divinitus immiſſis intelligendum eſt, quæ non minus quàm illæ à Spiritu S. proficiſci ſolent. Unde apud Joëlem cap. 2. 20, tum viſiones, tum ſomnia ejuſmodi commemorantur inter effecta Spiritus ſancti, quem Deus ſuper omnem carnem ſe effuſurum promittit, ut habetur etiam Act. 2. 17, ubi locus ille Joëlis citatur. Ita enim ait Deus; *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt*. Verùm non hi ſoli ſunt revelationis divinæ modi, quæ Prophetis per Spiritum S. contingit. Poteſt enim per Spiritum S. homini etiam vigilanti, & extra ſe minimè rapto, ſed ſenſibus etiam externis probè utenti, aliquid intus dictari & revelari, quod aliis poſtea patefaciat. Imo ipſe Spiritus poteſt hominis linguam ita occupare, ut & verba omnia illi ſuggerat, & ad loquendum eum impellat. Quanquam interea credibile eſt, hominem dum illi rei intentus eſt, & totus Spiritu S. regitur, minus ad alia intentum eſſe, ita ut quodammodo dici poſſit, eum extra ſe eſſe raptum. Quare nonnulli modi

pate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

patefactionis divinæ, quæ Prophetis contingat, ſunt communes Spiritui S. cum Angelis; vel quia ſimul & per Angelum aliquem & per Spiritum S. fiat revelatio, vel quia tam per hunc, quàm per illum fieri queat. Nonnulli autem modi ſunt Angelo aut Spiritui S. peculiares. Revelatio quæ per Spiritum S. fit, ſemper eſt interna, & immediatè animum hominis afficit atque informat, non verò per externos ſenſus, nempe viſum aut auditum; licèt interdum fieri queat, ut quis ſibi videatur aliquid videre aut audire, quod tamen non oculis corporis vel auribus, videt auditque, ſed animo, ſeu mavis facultate imaginativa, quæ phantaſia à Philoſophis dicitur. At revelatio quæ per Angelos contingit, poteſt eſſe externa; qualis fuit cùm Moſem allocutus eſt Angelus; quem Moſes etiam corporis auribus audivit loquentem. Unde dicitur ore ad os cum eo loquutus, ut habetur Num. 12, ubi ait Deus ad Aaron & Mariam; *Si quis inter vos fuerit Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar illi. At non talis ſervus meus Moſes, qui in omni domo mea fidiſſimus eſt. Ore enim ad os loquar ei, & palàm & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Qua de re etiam ita legimus Exod. 33. 11: *Loquebatur Deus ad Moſem facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum.* Jam verò inter modos illos revelationis internæ, ille eſt Spiritui S. maximè proprius, qui homini contingit vigilanti, & ſenſibus etiam externis rectè utenti. Reliqui duo, nempe ut vel per ſomnium quippiam cuipiam reveletur, vel vigilanti quidem, ſed penitus extra ſe rapto, cujuſmodi homo dormienti admodum ſimilis eſt, hi (inquam) Angelis quam Spiritui S. magis ſunt communes.

Jam verò revelatio quæ divinitus homini contingit, vel perfectior eſſe poteſt, vel minus perfecta. Perfectio autem illa ſpectatur, vel in rerum ipſarum multitudine ac magnitudine, vel in claritate ac perſpicuitate iſtius revelationis. Unde ut ipſius revelationis, ita Prophetarum quibus ea contigit, varii oriuntur gradus, de quibus nonnihil dicetur infrà. Hoc loco nobis illud explicandum erit, quod ad ſignificationem vocis diſtinguendam, de qua agere cœpimus, pertinet. Diximus antea, interdum vocem eam laxius ſumi, nempe tum cùm cuivis tribuitur, cui divinitus quippiam, atque adeò miraculoſa & extraordinaria quapiam ratione, revelatur quod aliis annunciare debeat. Hoc enim modo & Chriſtus & Apoſtoli Prophetæ fuerunt; quemadmodum quidem de Chriſto expreſſe legimus. Actor. 3. 22, ex Moſe. Quibus verbis adde illa Matth. 13. 57. & 21. 11. Luc. 7. 16. & 13. 33. & 24. 19. Apoſtolis etiam hoc nomen jure accommodari poſſe, & ipſa res loquitur, & non obſcurè indicatur Matth. 10: 41. & 23. 34. Ut taceam illos per Spiritum ſanctum futura prædixiſſe, id quod Prophetarum fuit proprium: qua de re vide Joan. 16. 13. Actor. 20. 29, 30. & 2 Theſſ. 2. 3. &c. 1 Tim. 4. 1. &c. Quanquam hic locus non de ſolo Paulo, ſed etiam de aliis Prophetis intelligi poteſt. Adde & 2 Tim. 3. 1. &c. 2 Petr. 2. prope totum. & cap. 3 initium.

Atqui nihilominus videmus ab Apoſtolo noſtro ſæpe diſtingui Prophetas, Prophetas inquam Novi fœderis, ab Apoſtolis. Videmus id apertè in hoc ipſo in quo verſamur, 1 Cor. cap. 12. ℣. 28, 29. ubi primo loco collocat Apoſtolos, ſecundo Prophetas: quemadmodum etiam cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. ℣, 11. quin etiam in eadem Epiſt. cap. 2. 20. & cap. 3. 5. ſimiliter prophetas ab Apoſtolis diſtinguit, licèt eos in eadem re conjungat. Vide etiam Apoc. 18. 20. & hæc eſt cauſa cur Apoſtolus Prophetis etiam leges præſcribat, tum ad Rom. cap. 12. verſ. 6. tum & 1 Cor. 14. non uno loco. Quare in hujuſmodi locis nomen Prophetarum ſtrictius accipi eſt neceſſe. Quod ſi differentiam quæ inter Apoſtolos & Prophetas illos fuit, deprehenderimus, ſimul etiam intelligemus, quomodo ſpecialis hæc acceptio à generali diſtinguatur.

Diſtinctio inter Apoſtolos & Prophetas.

Diſtinctio autem inter Apoſtolos & Prophetas hæc videtur fuiſſe, quòd Apoſtolis ab ipſo ſtatim initio, ſimul ac fuerunt Spiritu S. donati, & muneri ſuo Apoſtolico initiati ac penitus conſecrati, univerſa Chriſti religio ſimul fuit patefacta, ita ut ad plenam ejus cognitionem nihil amplius in iis deſideraretur, licèt ſimul etiam datus fuerit illis Spiritus intelligentiæ, ut earum rerum divinarum ſcientiam ad varias controverſias, variaque negotia ſine errore accommodare poſſent, quemadmodum jam explicatum eſt ſuperius. Et ne ullo ſubſidio deſtituerentur, nihilominus illis contingebant peculiares quædam revelationes, vel ad illos ipſos confirmandos, vel ad extraordinaria quædam negotia, aut certas perſonas ſpectantes. Unde etiam reſponſa quædam divinitùs ſuggerebantur, præſertim tum cùm ſingulari aliqua prudentia eſſet opus; quemadmodum ſuprà vidimus Chriſtum promiſiſſe Apoſtolis, *ſe illis per Spiritum ſuum ejuſmodi ſapientiam & os daturum, cui non poſſint reſiſtere omnes ipſorum adverſarii;* eo nimirum tempore, ubi deducti fuerunt ad magiſtratus, judicumque conſeſſus, ut ita omni ex parte appareret eos divinos eſſe viros, idque cederet hominibus in teſtimonium, quemadmodum Chriſtus oſtendit. Jam verò Prophetis, qui ab Apoſtolis diſtinguuntur, non dabatur divinitus, præſertim ſtatim, univerſæ religionis notitia, ita ut non haberent neceſſe eam aliunde diſcere: Sed neceſſe erat ejus ſummam ab Apoſtolis tanquam viris Dei & Chriſti legatis accipere, cum interea illis particulares (ut ita dicam) contingerent revelationes, quibus vel particularis aliqua in religione Chriſtiana ſententia patefieret, & per illos poſtea aliis, vel aliud quippiam ſpeciale revelabatur, quod aut ad totam Chriſti Eccleſiam, loco aut tempore certo definitam, aut ad certam aliquam perſonam pertinebat, ſive illa res in præſens, ſive in futurum ſpectaret. Itaque & varia Chriſtianæ religionis myſteria illi explicabant, & variis de rebus, aut Eccleſiam, aut certas quaſdam perſonas monebant; quanquam fortaſſis non omnes omnia præſtabant, ſed nonnulli quidem omnia, nonnulli quædam tantùm; hoc eſt, aut res tantùm divinas atque ad cognitionem religionis pertinentes explicabant, aut alias quaſdam res obſcuras quas ſcire utile eſſet indicabant, aut futura tantùm prædicebant. Breviter, Prophetæ ſtrictius ſumpti eo ab Apoſtolis diſtinguuntur, quòd hi ſapientia à nobis explicata eſſent præditi, quæ univerſalis eſt, & totius religionis Chriſtianæ notitiam complectitur certiſſimam & evidentiſſimam. Prophetis autem vel particulæ tantùm quædam iſtius ſapientiæ diverſis temporibus impertiebantur, vel res quædam patefiebant ſapientiæ tantùm illi ſervientes. Itaque ſapientia & Prophetia hoc habent commune, quod utraque per revelationem obtineatur, & immediatè nulla interveniente meditatione, à Spiritu S. proficiſcatur. Differunt autem inter ſe, quòd Prophetia ſapientiæ vel pars tantùm eſt vel miniſtra. Quod ut intelligatur, videamus jam Prophetiæ partes ſeu munera.

Prophetia munera.

Et quidem quod attinet ad explicationem rerum ad Chriſtianam religionem pertinentium, eam Prophetis competiiſſe non uno in loco docemur. Etenim ad Rom. 12, cùm Paulus dicit, *Habentes autem dona ſecundum gratiam quæ data eſt nobis differentia, ſive Prophetiam, ſecundum proportionem fidei,* ſcil. prophetamus, vel is qui donum prophetiæ habet, prophetet pro menſura doni illius quod accepit, uti ex collatione hujus verſiculi cum tertio conſtat. Ubi in eo conſentiunt interpretes, prophetiam pro eo dono eſſe accipiendam, quod in explicatione rerum divinarum cernatur. Qua de cauſa viri quidam docti ſtatuunt, verba illa quæ verſiculo ſequenti ſubjiciuntur; *ſive docens in doctrina* verſetur, *ſive adhortans in adhortatione,* eſſe explicationem doni iſtius prophetiæ, per partes ſeu mavis per ſpecies, & ſignificare Apoſtolum velle, alium ejuſmodi prophetandi donum accepiſſe, ut myſteria Chriſtianæ religionis, ſeu res credendas potiſſimum explicet; alium qui res ad mores hominum pertinentes, ſeu res faciendas præcipuè inculcare, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

homines ad eas ſervandas incitare novit; qua de re dictum eſt aliquid in Ethicis, ubi de Doctoribus Eccleſiæ agitur. Quicquid ſit, id ipſum ſatis videtur indicare, prophetiam iſtam verſari in docendo, & aliquid quod ad religionem Chriſtianam pertineat explicando, ut pro menſura doni ſui id faciat Propheta. Deinde idem ex eo patet, quod Apoſtolus infra cap. 14. verſ. 3 ait, *Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem*, hoc eſt quæ homines promoveant in veritatis ſeu pietatis ſtudio, *exhortationem & conſolationem*. Spectat huc & illud quod dicit infra verſ. 29 ſeq. *Prophetæ duo aut tres loquantur, & alii* (ſcil. prophetæ) *dijudicent. Si verò alii reveletur ſedenti, primus* (id eſt prior) *taceat: Poteſtis enim ſigillatim omnes Prophetare, ut omnes diſcant, & omnes admoneantur*, vel conſolationem accipiant. Unde apparet eos doctrinas tradidiſſe in Eccleſia, aut conſolationem & exhortationes; præſertim quia non eſt credibile, Deum perpetuò res aliquas ſpeciales aut futuras revelaſſe Prophetis, ita quidem ut ſemper duo aut tres loquerentur, imò etiam, ut Apoſtolus indicat, ſingulatim omnes prophetarent. At de explicatione rerum ad religionem pertinentium, id nemini mirum videri debet. Id apparet etiam ex eo, quod Paulus ad Epheſ. ſcribens ait, *Eos eſſe ſuperædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Superædificati autem erant ratione ſuæ fidei, utpote quæ doctrina & auctoritate, tum Apoſtolorum, tum Prophetarum nitebatur. Quanquam fieri poteſt ut eò potiſſimùm hoc loco reſpexerit Apoſtolus, quòd non minus per Prophetas quàm per Apoſtolos, id revelatum eſſet hominibus, gentes etiam ad Chriſti communionem pertinere; qua re vel imprimis erat opus ad fulciendam Epheſiorum fidem, & ad illos in Dei populo, quod eſt Eccleſia, collocandos. Ut ita ſentiam, moveor partim occaſione dicti hujus Apoſtolici, quæ ex antecedentibus ſatis patet, in quibus multa de eo diſſerit, quòd gentes etiam, ac porrò Epheſii quoque, ad Chriſti communionem admiſſi fuerint; partim collatione hujus loci cum eo qui extat cap. ſeq. verſ. 5. ubi de eadem re diſſerere pergens ita ait: *Quod* (ſcil. myſterium Chriſti) *cæteris generationibus non fuit manifeſtatum filiis hominum, quemadmodum nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu; eſſe gentes cohæredes & concorpores & conſortes promiſſionis ejus in Chriſto per Euangelium.* Hæc autem res aliqua ratione pertinere cenſenda eſt ad generalia doctrinæ Chriſti capita, quanquam non omnibus prorſus ad ſalutem neceſſaria; (non enim ab aliis tantùm fidelibus, ſed etiam ab Apoſtolis poſt acceptum jam Spiritum S. ſine ullo ſalutis ipſorum periculo, ad tempus aliquod ignorabatur:) partim ad res Spirituales referenda eſt, quæ ad certos homines, certave negotia pertineret; de quibus paulò poſt agemus explicatiùs.

Interim duo animadvertenda ſunt, quæ ad doctrinam ſpectant, quam Prophetæ in Eccleſia proponere ſolebant. Primum eſt, quod etſi interdum generalia quædam monita viderentur proponere, ita tamen eorum mens & lingua à Spiritu S. regeretur, ut ad auditores eorum oratio maximè eſſet accommodata, & ad auditores, vel omnes, vel plures, vel certè eos quorum maximè tunc videretur habenda eſſe ratio, ita ut auditor arbitrari poſſet, animi ſui ſenſa Prophetis illis eſſe perſpecta, cùm videret ſe, internoſque animi ſui ſenſus revera peti ac tangi; nempe quia Deus qui omnium hominum animos factaque novit, vel revera patefaciebat quales ii eſſent qui ipſorum dictis attenderent, vel ſaltem ea dicta monitaque ſuggerebat quæ ipſorum moribus eſſent aptiſſima, perindeque eſſet ac ſi eos intus & in cute noſſent, quamvis forte alienos atque ignotos. Hinc enim ait Apoſtolus cap. 14. verſ. 24, 25, *Si omnes prophetetis, ingrediatur autem aliquis infidelis, aut idiota* ſeu indoctus ac rudis, *arguitur ab omnibus*, hoc eſt quales illius mores ſint ab omnibus oſtenditur, ita ut ille de ſe ſuiſque moribus ſermonem haberi, ſuaque facta argui ac reprehendi animadvertat; *ita* (pergit Apoſtolus) *occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, apertè confitens quòd Deus revera in vobis ſit*, nempe quia cernat ſe, licet vobis ignotum, notum tamen eſſe, Deo vobis occulta animi patefaciente. Alterum quod animadvertendum eſſe diximus, eſt quod Apoſtolus ait, *duobus aut tribus Prophetis loquentibus cæteros dijudicare debere, & Prophetarum Spiritus Prophetis eſſe ſubjectos.* Ex quo apparet donum hoc non in omnibus planè par fuiſſe, & potuiſſe nonnunquam verba Prophetæ alicujus, ex eo genere de quo ibi ſermo eſt, non uſquequaque veritati eſſe conſentanea; non quidem quòd Spiritus in illo exiſtens aliquid falſi dictaret, (abſit enim ut id cogitemus, & tantam injuriam Sancto Dei Spiritui faciamus:) Sed quòd non ita clarè rem aperiret Prophetæ; Unde is de ea diſſerere volens, poterat aliquid dicere veritati non uſque adeò conſentaneum, ita ut jure illius ſententia aliorum judicio & examini ſubjiceretur, utque adeò ipſe ille Spiritus ſeu afflatus, tanquam minùs perfectus, perfectiori & ſublimiori afflatui, veluti ſubjectus eſſet; qua de re aliquid occupavimus dicere ibi ubi ambiguitatem vocis Spiritus explicuimus; quare de eo plura nunc non addimus.

Jam ut ad alia quoque Prophetarum munera accedamus, apparet eos divinitus edoctos, alia etiam multa Eccleſiæ, aut certis quibuſdam perſonis in Eccleſia patefeciſſe, quæ ipſa ſcire multùm intererat, ſive illa ad ſalutem ipſorum, ſive ad alienam ſpectarent, ſive denique ad ipſorum conditionem ac ſtatum ſecundùm carnem. Neque verò ea tantùm patefacere ſolebant, quæ ad eos ſpectabant, qui jam tum vivebant; ſed etiam quæ ad ſequentia ſpectarent tempora. Inter ea autem quæ ad Eccleſiam, atque ad ſalutem plurimorum pertinebant, illud vel præcipuè numerandum eſt, quòd per eos deſignarentur ii, qui vel ad Euangelium certis hominibus prædicandum ablegandi, vel certis etiam Eccleſiis præficiendi eſſent. Nam & Paulum & Barnabam, Spiritus ſancti per Prophetas loquentis voce ac juſſu, ad Euangelium gentibus prædicandum ablegatos fuiſſe, indicatur Actor. 13. initio. Etenim cùm ibi legamus Spiritum ſanctum dixiſſe, *Separate mihi Barnabam & Paulum, in opus ad quod eos vocavi*, eo ipſo ſignificatur homines aliquos divino afflatu iſtud dixiſſe. Quotieſcunque enim Spiritus ſanctus aliquid dixiſſe legitur, id nunquam aliter intelligitur, quàm quod quiſpiam Prophetarum aut divinorum virorum Spiritus ſancti impulſu id locutus fuerit, vel quod ipſi Prophetæ interius id quodammodo dictaverit ac patefecerit; cùm (ut ſuo loco oſtenſum eſt) Spiritus ſanctus nihil ſit aliud quàm afflatus divinus homini communicatus. Et hoc pacto legimus in eodem libro, cap. 20 ℣. 23. Paulum ita ad Seniores Epheſinos dicere, *quòd Spiritus ſanctus per ſingulas civitates teſtetur dicens, quòd ipſum* (nempe Paulum) *vincula & afflictiones maneant*, nempe per Prophetas, quibus id Spiritus ſanctus revelabat. Cujus rei exemplum habes infrà cap. 21. 4. ubi dicitur *quoſdam diſcipulos dixiſſe Paulo per Spiritum, ne aſcenderet Hieroſolymam*, hoc eſt Spiritu ſancto revelante atque incitante ipſi ſignificaſſe, eum in grave periculum Hieroſolymis incurſurum. Unde ipſi poſtea ſuadebant non eſſe ei aſcendendum Hieroſolymam. Neque enim id ipſum Spiritus ſanctus revelabat, non eſſe Paulo aſcendendum Hieroſolymam; aliàs Paulus iſta audiens, & procul dubio non minus quàm Lucas intelligens, iſtos Prophetas aut diſcipulos Spiritu ſancto impellente loqui, malè egiſſet, qui contra apertum Spiritus ſancti teſtimonium Hieroſolymam aſcendiſſet; ſed intelligendum eſt, ut diximus, hunc ipſum Spiritum ſanctum revelaſſe ipſis diſcipulis, quod ſuprà cap. 20 legimus, *Spiritum ſanctum per ſingulas civitates teſtatum fuiſſe, vincula & afflictiones manere Paulum.* unde diſcipuli illi, Pauli amore impulſi, cùm vellent eum afflictiones iſtas effugere, collegerint non debere illum Hieroſolymam aſcendere, ut etiam infrà videmus fieri per ſimilem prædictionem verſ. 11. & 12. ubi id ipſum quoque obiter notari volumus, jure potuiſſe Prophetarum etiam dicta, judicio aliorum Propheta-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

rum divinorumve virorum ſubjici; quia nimirum Prophetæ ejuſmodi aliquid interdum quod ſibi revelatum non erat, colligebant ex eo quod ſibi revelatum erat, in quo errare poterant; licèt aliàs quatenus id ipſum tantùm nude proferebant, quod Spiritus ſanctus illis revelaverat, falli nulla ratione poſſent, & ſic nullius alterius judicio ea in parte ſubeſſe. Sed ut ad rem redeamus, apertum habemus exemplum ejus de quo agimus loquendi modi, & ſinificationis quam quærimus. Dicitur enim ibi *quòd Agabus Propheta, cùm accepiſſet cingulum Pauli, & ligaſſet tum manus, tum pedes ſuos, dixerit; Hæc dicit Spiritus ſanctus hominem cujus eſt hoc cingulum, ita ligabunt Hieroſolymis.* Ubi non ſignificatur vocem aliquam fuiſſe alicubi auditam in aëre, quæ hoc dixerit; ſed Agabo, cùm Propheta eſſet, id interius fuiſſe revelatum, & hæc ipſius verba, non ſua cenſeri debere, ſed Dei aut Chriſti, qui divino ſuo afflatu atque impulſu ea ipſi ſuggeſſerit, & ad ea pronuncianda adegerit. Quare idem de verbis cap. 13 ſtatuimus, præſertim cum nullam videamus cauſam, cur ſi vox aliqua in aëre fuiſſet audita, verba quæ ibi recenſentur Spiritui Sancto deberent tribui; cùm præſertim verba iſta Dei aut Chriſti nomine, omnino fuiſſent concepta, & Angelus procul dubio aliquis ea pronunciaſſet, ſi in aëre fuiſſet vox audita. Adde quod non aliam ob cauſam paulò ante dictum fuiſſe videatur, *Fuiſſe etiam Prophetas tum temporis Antiochiæ, & cùm illi cum cæteris doctoribus miniſtraſſent Domino, iſta dixiſſe Spiritum ſanctum*; quàm ut intelligeretur, non mirum videri debere Spiritui ſancto hanc vocem tribui, & divinitus Paulum & Barnabam ad gentes ire juſſum; quia eo tempore etiam Prophetæ iſtic fuerint, qui ſolerent divino afflatu oracula edere, & arcana Dei conſilia Eccleſiæ patefacere. Eſt autem valdè credibile uno & eodem tempore duos aut tres, qui præter Paulum & Barnabam ibi nominantur, afflatu divino ſimul correptos fuiſſe, idemque ſimul pronunciaſſe, ut ita ex eorum conſenſu, præſertim ſubitò enato, appareret omnino divinum eſſe hoc conſilium ac mandatum, præſertim cùm ex virorum iſtorum pietate ac ſanctitate jam ſatis explorata ac perſpecta, ſatis omnibus conſtaret, nihil hîc ficti ſubeſſe, nec ex compoſito rem agi. Multum enim in eo ſitum erat, ut omnibus palàm fieret gentium vocationem divino juſſu ac voluntate inſtitutam eſſe, cùm ſatis conſtet ex multis ſacrarum literarum locis, quantopere ea res ab initio Judæos etiam fideles offenderit. Et hinc ſuprà jam vidimus ex Epiſt. ad Epheſ. Paulum quoque id urgere, non Apoſtolis tantùm, ſed etiam Prophetis, hoc myſterium patefactum eſſe.

Atque ut alia recenſeamus, quæ per Spiritum ſanctum fidelibus per Prophetas revelari ſolerent, ad certas perſonas certaſve Eccleſias ſpectantia, apparet tum temporis Eccleſiarum Paſtores & Epiſcopos, Prophetarum vocibus, ubi illi in promptu eſſent, deſignari ſolitos. Atque huc pertinent illa Pauli verba, quæ habet ad Eccleſiæ Epheſinæ ſeniores, Actor. 20. verſ. 28, ubi ait, *Attendite ergo vobiſmet ipſis, & toti gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, ut paſcatis Eccleſiam Dei*, ſeu ut Syrus legit, Chriſti, *quam acquiſivit proprio ſanguine.* Non enim id alia ratione videtur factum fuiſſe, quàm quòd Prophetæ divino afflatu impulſi, certas ad eam rem perſonas deſignarint, cum per ſuffragia Epiſcopi ſeu Paſtores conſtituerentur. Huc pertinet & illud 1 Timoth. 4. ℣. 14 ubi Paulus ad Timotheum ita ſcribit, *Ne negligas id quod in te eſt donum, quod tibi datum eſt per prophetiam, cum impoſitione manuum Preſbyterii.* Significat enim docendi munus, ſeu munus Euangeliſtis proprium, quod ipſi fuerit voce Prophetarum impoſitum, accedente conſenſu univerſi ſeniorum collegii, quem impoſitione manuum fuerint teſtati; cum quo munere conjungendum etiam eſt donum ad hoc munus obeundum neceſſarium, donum (inquam) Spiritus ſancti, quod per impoſitionem manuum ipſius Apoſtoli, qui ſenioribus illis procul dubio ea in re præivit, adeptus fuit Timotheus; qua de re legitur in 2 ad Timoth. Epiſt. cap. 16.

Non commemoramus nunc alia rerum genera, per Prophetas revelari ſolita. Ea enim pro negotiorum ac perſonarum varietate variant, atque adeò infinita eſſe poterant; præſertim cùm jam aliud agentes, eorum quædam recenſuerimus. Oſtendimus enim ſuprà Apoſtolos, qui itidem Prophetiæ donum habuerunt, non pauca prædixiſſe ad futurum Eccleſiæ ſtatum pertinentia, maximè autem tum de corruptione doctrinæ, tum morum, per Antichriſtum, ejuſque prodromos invehenda, cùm in eo multum eſſet ſitum; partim ut ſibi tanto diligentius caverent fideles, in quorum tempora res iſtæ earumve initia incidere deberent, ne & ipſi ſeducerentur, partim ne ab iſtiuſmodi corruptione fides ipſorum labefactaretur, & propter id ipſum dubitare inciperent, utrum religio Chriſtiana vere divina eſſet, quæ tam citò corrumperetur. Oſtendimus etiam antea prædictam fuiſſe variis in locis Pauli captivitatem, quæ ipſi Hieroſolymis accidit, & quidem præſenti Paulo ſæpius denunciata; ut nimirum conſtaret eum cauſæ bonitati confiſum intrepido animo ac ſponte periculum id adiiſſe, nempe ut ita veritatem Euangelii inter gentes prædicatam, tantò magis confirmaret. His autem ſimilia multa fuiſſe à Prophetis prædicta, quis eſt qui dubitare poſſit? Sic etiam legimus ab Agabo prædictam fuiſſe famem ſecuturam, ut ita tempeſtivè fidelium neceſſitati ſuccurri poſſet. Qua de re vide Actor. XI. verſ. 27 & ſeqq.

Prophetarum gradus.

Jam ut de Prophetarum gradibus atque adeò generibus diverſis nonnihil dicamus, triplici potiſſimum ratione ii inter ſe diſtingui poterunt; vel rerum illis revelatarum præſtantia, vel revelationis ipſius claritate atque perſpicuitate, vel denique revelationum frequentia. Nam quod ad primum attinet, præſtantiores illi proculdubio erunt cenſendi, quibus patefierent myſteria Chriſtianæ religionis, vel ſaltem ea quæ ad æternam fidelium ſalutem imprimis pertinerent, quàm quibus ea tantùm patefierent, quæ ad terrenam hanc fidelium ſalutem ac incolumitatem ſpectarent. Illorum enim revelationes, ſapientiæ (quam ab initio donorum Spiritus Sancti collocavit Apoſtolus) partem aliquam vel majorem vel minorem complectebantur; revelationes autem poſterioris generis miniſtræ tantùm erant, & ſpiritualibus rebus ſubſerviebant. Quod ad perſpicuitatem vel obſcuritatem attinet revelationum, quantum in ea differentia ſit ſitum, tum res ipſa unumquemque docet, tum locus ille Numer. 12, à nobis nuper citatus, ubi differentia inter Moſem & Prophetas conſtituitur. Quod ad frequentiam ſeu paucitatem revelationum attinet, itidem res eſt manifeſta; nec dubitari poteſt aliis Prophetis ſæpius Deum quippiam patefeciſſe, aliis minus crebrò; quòd vel exemplo Prophetarum Veteris fœderis conſtare unicuique poteſt.

Quæſtiones duæ. Prima, de ordine in quo Paulus hic collocat Prophetiam.

Antequam autem hanc tractationem de Prophetia concludamus, duæ adhuc quæſtiones nobis explicandæ ſunt. Prima, eaque præcipua eſt, Cur Apoſtolus dona hæc Spiritus Sancti primo loco recenſens, prophetiam collocavit non modo poſt cognitionem, verùm etiam poſt fidem, ejuſque fidei velut partes & ſpecies, nempe donum ſanationis & aliorum miraculorum edendorum; cùm tamen infrà eodem cap. verſ. 28, quemadmodum & in Epiſtola ad Epheſ. cap. 4. verſ. 11, Prophetas ſtatim poſt Apoſtolos collocet, & ſecundos ab iis faciat; unde eos cap. 2 unà cum iis etiam fundamentum Eccleſiæ conſtituit. Itaque eos præponit tum Euangeliſtis, Paſtoribus & Doctoribus, qui dono cognitionis potiſſimum videntur fuiſſe inſtructi, tum etiam iis qui virtutes ſive potentias exererent, aut ægros divina virtute ſanarent, infrà hoc cap. ut dictum eſt. Reſponderi poteſt, vel Apoſtolum initio quidem hujus enumerationis quæ inſti-

tuitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tuitur cap. 12 prior. ad Corinth. verſ. 8 & ſeqq. ordinem præſtantiæ ac dignitatis ſecutum eſſe, ſed poſtea non adeò accuratè obſervaſſe; ut tum imprimis accidit, cum nihil quicquam intereſſe putamus, ut ordinem accuratè obſervemus; infrà verò Apoſtolum, ubi voluit certum inter iſta dona ordinem conſtituere, accuratius ea recenſuiſſe. Vel ſtatuendum eſt eum primo loco, nimirum verſ. 10, Prophetiam aliquantò latius extendiſſe, quàm infrà ubi Prophetas nominavit. Etenim Prophetiæ nomen etiam actum aliquem denotare poteſt; Prophetæ autem vox muneris aut conſuetudinis ſignificationem habet; ita ut Prophetæ ibi non dicantur, quibus aliquando revelatio aliqua contigerit, aut contingat, ſed quibus ordinariè revelationes contingere ſolerent, ut populus Chriſtianus ad illos tanquam ad communia quædam oracula ſacroſque myſtas accedere ſemper poſſet, & divinarum rerum cognitionem ex illorum ore hauriret. Et credibile ſanè eſt, non illos iſtic intelligi, quibus ſolerent nonnunquam pandi ea quæ ad terrenum hujus aut illius Chriſtiani ſtatum ac conditionem pertinerent; ſed quibus ea revelari ſolerent quæ ad Eccleſiæ ædificationem, admonitionem, conſolationem, ut ſuprà jam vidimus, ſpectarent; ita ut inter Eccleſiæ Doctores meritò primum poſt Apoſtolos locum obtinerent. Hujuſmodi enim homines meritò præferebantur iis, qui Spiritu cognitionis atque intelligentiæ tantùm eſſent inſtructi. Nam etſi facultas cognitionis atque intelligentiæ latiùs pateret, & ad quævis doctrinæ Chriſtianæ myſteria extenderetur, prophetia tamen per ſe haud paulò erat certior, ut ſupra jam oſtendimus. Quod autem Prophetiæ deerat quatenus (ut oſtenſum eſt) particularis erat, ſeu nonniſi per partes myſteriorum divinorum notitiam ex revelatione divina acciperet, id compenſabatur frequentia revelationum, quæ faciebat ut per partes tandem propè univerſa Chriſtianæ religionis myſteria, ſine omni erroris periculo ex divina revelatione haurire prophetæ poſſent. Et ſanè nec cognitio talis erat, ut ſtatim quis omnia myſteria noſſet, ſed ut cognoſcere per partes, ubi ad ſingula animum applicuiſſet, poſſet. Quare ejus ope nunc hoc, nunc illud myſterium, indagare quiſpiam poterat. Quod autem hic particulatim præſtabat meditatio, id ibi certius revelatio. Ut taceam Prophetas quoque, partim ex iis quæ ipſiſmet revelarentur, partim ex iis quæ ab Apoſtolis aliiſque viris divinis audirent, multa ſtudio ac meditatione diligenti aſſequi potuiſſe, & ea quoque indagare, quæ ſibi nominatim patefacta per Spiritum non eſſent. At verò ſi Prophetia latè ſumatur, non eſt toto ſuo genere præſtantior vel cognitionis dono, vel dono edendorum miraculorum, vel ſanationum. Nam (ut diximus) donum cognitionis generale quodammodo eſt, & circa univerſa Chriſtianæ religionis myſteria occupatur. At prophetia particularis eſt; & nonnunquam circa res longè humiliores quàm ſunt myſteria religionis Chriſtianæ verſatur. Longè etiam majus eſt miraculum aliquod edere, & ægrotum (verbi gratia) ſanare, dæmonium ejicere, mortuum excitare, quàm aliquid tantùm in futurum prædicere, præſertim tale quid quod ad ſalutem hominum non multum pertineat, & ad unum forte aut alterum tantùm hominem ſpectet. Quare utrobique recto ordine uſus eſt Apoſtolus, & dum Prophetiam poſtpoſuit quibuſdam aliis donis, & dum Prophetas rurſus aliis præpoſuit, qui aliis donis eſſent præditi. Quare etiam hæc ſecunda quæſtionem iſtam diſſolvendi ratio, quæ utrobique recto ordine Apoſtolum uſum fuiſſe oſtendit, nobis magis probatur.

Altera de fæmina prophetante.

Secunda quæſtio eſt, de loco capit. 11. hujus ejuſdem ad Corinth. Epiſt. verſ. 5. ubi ait Apoſtolus; *Omnis fæmina orans aut prophetans capite operto, pudefacit caput ſuum.* Ubi ſermo eſt de eo quod in publico Eccleſiæ conventu fiat. Quæritur ergo quid iſtic nomine prophetandi intelligatur? Non pauci ſanè ſunt qui *prophetare*, ibi nihil eſſe putant aliud quàm Prophetiam audire; ſed id valdè durum eſt, nec ullum ejus ſignificationis locum producere illi poſſunt. Tantum hac ratione utuntur, quod Paulus non permittat ut mulier in Eccleſia loquatur, infrà cap. 14. verſ. 34. & 1 Tim. 2. verſ. 12. Sed ratio hæc non evincit prophetare ſignificare prophetantem vel docentem audire; cùm poſſit ſalvo illo Apoſtoli præcepto aliquid aliud in publico conventu Ecceleſiæ mulier facere, quod prophetandi verbo exprimi queat, præter auditionem alterius alicujus prophetantis. Eſt autem non ſpernenda illorum ſententia, qui id accipiunt de ſacris cantionibus ex prophetico afflatu profectis, quas unà cum aliis decantare in Eccleſia fœminæ etiam poterant. Nam ſic etiam dicitur 1 Paral. 25. 1. *Separavit David & Principes exercitus, miniſterium filiorum Aſaph & Heman & Jeduthun, qui prophetabant in citharis*, h. e. ut viri docti explicant, Prophetias canebant ad citharas. Et ſanè infrà etiam Paulus cap. 14, inter alia quæ fideles in ſacrum conventum afferrent ex Spiritus Sancti afflatu profecta, commemorat etiam *Pſalmos*, verſ. 26. & id ei de quo agimus loco ſatis convenit; quandoquidem Prophetia conjungitur cum oratione. Solent autem hi duo Deum celebrandi modi omnibus Chriſti fidelibus communes inſignitè commendari, ut fit apud Jacob. cap. 5. verſ. 13. ubi ait; *Affligitur quiſpiam inter vos? Oret. Læto animo quiſpiam eſt? Pſallat*; h. e. canendo Deo gratias agat, ejuſque nomen celebret. Quare poterat hoc loco Paulus duos illos modos, quibus & ipſæ fæminæ, unà cum aliis præeuntibus Dei nomen celebrarent, conjungere, & docere non convenire ut tum temporis eæ capita aperiant. Quid quod fieri poterat, ut ipſæ quoque fœminæ unà cum aliis canentes divino quodam afflatu commoverentur, ut ſic ipſæmet rectè Prophetare dici poſſent, non verò ideò tantùm quod alienas Prophetias cantarent. Sic legimus quoque de Saule cum inter Prophetas pſallentes incidiſſet, ipſum quoque prophetaſſe, ſeu afflatu eodem correptum unà cum illis cantaſſe. Deinde dici fortaſſe poteſt Apoſtolum, cùm vetat mulierem in Eccleſia loqui, illud intelligere non de eo tempore, cùm ea divino afflatu, & quidem in ipſa Eccleſia, commovetur, ſed tantùm de alio, cùm aliàs videretur ipſum Dei Spiritum velle prohibere; præſertim cùm conſtet, fœminis etiam hoc donum fuiſſe commune, ut legimus Actor. 21. & credibile ſit eis iſta quoque revelari ſolita quæ ad plures, atque adeò totam Eccleſiam pertinerent. Quod ſi quis objiciat locum illum cap. 14, ubi poſtquam de Prophetis eſſet locutus, mox ſubjiciat, *mulieres veſtræ in Eccleſia taceant; non enim permiſſum eſt eis loqui*, &c. ubi videri poſſit etiam Prophetiſſas complecti: Reſponderi poteſt id intelligendum eſſe de mulieribus vulgaribus, ſeu nullo afflatu divino impulſis, præſertim quia Apoſtolus paulò pòſt dicat; *Si quid verò diſcere velint, domi ſuos viros interrogent*; quod in fœminas, cùm divino afflatu corripiuntur, non cadit. Et ſi ad has quoque reſpexiſſet, potius hanc objectionem occupare debuiſſe videtur, & oſtendere quid faciendum ſit illis fœminis, quæ diſcere aliquid velint. Hinc colligi poteſt eum Prophetiſſas excepiſſe, & eas in generali iſto dicto non reſpexiſſe. Sed quiſque hac in parte ſuo judicio frui poteſt.

Donum diſcretionis ſpirituum. 1 *Cor.* 12. 10.

Sequitur jam quintum ex miraculoſis Spiritus ſancti effectis, quod complectitur Apoſtolus illis verbis; *Alii verò diſcretiones Spirituum datæ ſunt per eundem Spiritum.* Ubi in eo conſentiunt interpretes, intelligi facultatem diſcernendi afflatus verè divinos, ab iis qui divinorum ſpeciem mentiuntur: hoc eſt, vel à diabolicis afflatibus, vel ab iis quos homines ſibi confingunt, aut aliàs naturales quidam ſunt impetus. Vocem enim Spiritus afflatum denotare jam monuimus; ac porrò Spiritus in plurali numero, afflatus diverſos ſignificant. Jam verò ſatis apparet, vel ex ipſis Apoſtolorum dictis, non omnes afflatus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quos pro divinis homines venditaverunt, verè divinos fuiſſe. Unde jam alibi vidimus Joannem monere fideles, *ne cuilibet Spiritui credant, ſed probent Spiritus num ex Deo ſint, quia multi falſi Prophetæ egreſſi ſint in mundum.* Quam rationem etiam ſuprà, hoc ipſo cap. 12. Epiſt. 1. ad Cor. verſ. 3, eſſe docuimus. Nimirum ut cognoſcatur utrum ii qui afflatu aliquo ducuntur, ejus vi profiteantur, eum qui in carne venit eſſe Chriſtum ſeu Dominum, nec ne. Eandem ob cauſam etiam Chriſtus Matth. 7 monet, *ut nobis caveamus à falſis Prophetis, eoſque ex fructibus ipſorum ſive operibus cognoſcamus.* Dices; Quid ergo opus fuit hoc dono diſcretionis Spirituum; ſi omnibus fidelibus propoſita fuit ratio Spiritus diſcernendi? aut quid hac in parte ii, qui hoc dono fuerunt præditi, habuerunt præ aliis Chriſti fidelibus, qui vel iſto quem Chriſtus, vel iſto quem Paulus & Joannes explicuerunt modo, Spiritus probarent? Reſpondeo conſentaneum primùm eſſe, eos qui dono hoc eſſent præditi, non ex ſola eorum qui divinum Spiritum jactarent, vel confeſſione vel vitæ ratione, ſed ex ipſius Spiritus ſancti patefactione cognoſcere, & aliis indicare potuiſſe, quinam afflatu verè divino ducerentur, & qui minus; vel ſaltem eos ejuſmodi judicii acrimonia, prudentia ac ſagacitate fuiſſe donatos, ut ex aliis quoque indiciis, quàm vel ex operibus, vel ex confeſſione aperta, poſſent afflatus verè divinos à falſis diſcernere. Deinde ad id, ut quiſpiam ea ratione probet Spiritus, quàm Paulus & Joannes docent, requiritur ut cuipiam conſtet eum qui loquitur, afflatus alicujus ſupernaturalis vi impelli, ad aliquid de Chriſti dignitate proferendum. Atqui fieri poterat, ut impoſtor aliquis afflatu ſupernaturali non duceretur, ſed ita artificioſe eum fingeret & mentiretur, ut ſimplicioribus aut minus cautis imponeret, & proinde poſſit tum temporis Jeſum vocare Dominum & Chriſtum, ut ita pro divino Propheta admiſſus, poſtea tantò facilius errores ſuos ſpargeret, & fidem apud alios inveniret. Ad id autem, ut quis ea ratione falſum Prophetam probet, qua Chriſtus monet, aliquo temporis tractu opus, & interdum longiori conſuetudine, donec lupus ſub ovino vellere latens ſeſe prodat, qui ſub pietatis ſpecie antea latebat. Denique poterat aliquis etiam ex fidelibus aliquantò ſimplicioribus, aut aliis ſui opinione turgentibus, ſibi ipſi primùm imponere, & arbitrari divinitus ſibi quippiam inſpirari, quod proprius animus ipſius ei ſuggeſſiſſet; idque ab aliis etiam imperitioribus credi poterat, cùm præſertim contrà Chriſti dignitatem nihil eum dicere animadverteret. Et ſanè etiam hodie interdum homines minimè mali reperiuntur, qui ſibi divinitus quippiam patefieri opinantur, & porrò figmenta ſua pro Prophetiis venditant, & apud non paucos fidem inveniunt. Sed horum errorem facile erat deprehendere iis qui facultate Spiritus diſcernendi erant præditi. In hujuſmodi autem cauſa, utraque ratio probandi Spiritum, tum à Chriſto, tum à Paulo & Joanne oſtenſa ceſſat; quia hujuſmodi homines falſorum prophetarum nomine non comprehenduntur, utpote qui ſtudio alios ſeducendi non ducantur, & (niſi quid aliud accedat) minus ſolent eſſe noxii. Statui item poteſt ad hanc facultatem etiam pertinuiſſe judicare, utrum is qui afflatu verè divino ſoleret agi, omnia quæ diceret ex afflatu divino doceret, nécne; cùm ſuprà viderimus, potuiſſe nonnunquam Prophetas aliquid dicere, non quod id ſibi totum revelatum eſſet, ſed quod id ex iis quæ patefacta ipſis eſſent, colligi poſſe videretur; quanquam de hoc poſtremo, uniuſcujuſque judicium eſto. Non repetit autem Apoſtolus infrà hoc donum, verſ. 28 & ſeqq. eam ut videtur ob cauſam, quia id Prophetiæ admodum erat vicinum, & ejus veluti particula, ita ut ei annumerari non incommode poſſit.

Opitulationes & gubernationes.

Pergendum jam eſt ad reliqua Spiritus ſancti effecta. Sequitur autem verſ. 10, *donum linguarum peregrinarum.* Verùm infrà v. 28, antequam donum iſtud linguarum commemoret Apoſtolus, prius facit mentionem *opitulationum & gubernationum*; licèt iſtud utrumque iterum omittat verſiculo ſequente. Unde etiam dubitari poſſet, utrum hæc ſint dona & effecta Spiritus ſancti miraculoſa, an verò munera tantùm & officia Eccleſiaſtica, ad dignitatem hominis qui ea ſuſtinet non parum facientia, cùm videamus iſto loco munera etiam commemorari. Nam ſtatim primo loco commemorantur Apoſtoli, quod ſanè officii nomen eſt; unde ſuperius in enumeratione donorum Spiritus ſancti, nulla Apoſtolatus mentio. Similiter tertio loco commemorantur Doctores, quòd etiam officii potiſſimùm nomen eſt; unde nec ſupra inter effecta Spiritus ſancti peculiaria, ejus facta mentio. Verùm enimvero cùm Apoſtolus iſto etiam loco dona Spiritus ſancti prope omnia, quæ ſuperius commemoravit, recenſeat, & pro ipſorum diverſitate membra Eccleſiæ diſtinguat, & certum interea ordinem conſtituat; arbitramur donum quoque aliquod Spiritus ſancti, nomine opitulationum & gubernationum includi, licèt eæ voces munus ſeu officium quoque denotent; quemadmodum & vox Apoſtolorum & Doctorum. Etenim cùm ad quodvis munus rectè obeundum, facultas quædam requiratur ad functiones iſtius muneris neceſſaria; quem Deus ac Chriſtus Apoſtolum v. gr. conſtituebat, ei non tantum officium atque onus imponebat aliquod, & ad rem certam obeundam obligabat; verum etiam facultatem ac vires ei ad id munus rectè obeundum neceſſarias ſuppeditabat. Itaque Apoſtolatum poſſis etiam inter dona Spiritus ſancti referre, ratione habita facultatis ad id munus ſpectantis. Et hoc quidem modo vel imprimis conſideratur Apoſtolatus, quemadmodum & Prophetia & διδασκαλία ſeu doctrina hoc loco; ſicut etiam fit in Epiſt. ad Epheſ. cap. 4, ubi de diverſis Spiritus ſancti donis ſermo eſt. Vide verſ. 7, & ſeqq. Et ſanè jam ſupra vidimus Apoſtolum, quamvis non fecerit mentionem Apoſtolatus, commemoraſſe tamen ſermonem ſapientiæ, & ſermonem cognitionis; quorum illum Apoſtolorum proprium fuiſſe docuimus, hunc Doctorum; Prophetiæ autem etiam expreſſam factam fuiſſe mentionem. Similiter ſtatuendum eſt de *Opitulatione* & *Gubernatione*, noſtro ad Corinthios loco commemorata; etſi doni ad utramque neceſſarii peculiarem mentionem non fecerit, ſed ex re ipſa cogitandum reliquerit. Magis quidem illa videntur denotare munus ſeu officium opitulandi & gubernandi. Sed hoc loco complectuntur in ſe facultates illas à Deo donatas, atque à Spiritu S. profectas, ad munera illa obeunda neceſſarias; ſeu mavis Opitulatio & gubernatio hoc loco imprimis conſiderantur ratione facultatis & virium quas Spiritus ſanctus hominibus ſubminiſtrabat, ad munera iſta obeunda pertinentium. Quia verò facultates ac vires illæ ad hæc munera obeunda neceſſariæ, ex ipſorum illorum officiorum ratione ac natura, ut diximus, æſtimanda ſunt; primò omnium hîc eſſet inquirendum, quænam ſint illa munera quæ vocibus iſtis denotentur. Sed quia ea de re fuſius actum eſt in Ethicis Chriſtianis lib. V, ubi diſtinximus Eccleſiaſtica munera, & genera illorum explicuimus, ideò eò remittimus lectorem, & illud tantùm breviter inde repetemus, *Opitulationum* nomen videri denotare munus Diaconorum, qui variis Eccleſiæ ejuſque membrorum neceſſitatibus ſubſerviant, & in rebus ad corpus ſpectantibus eis opem ferant; *Gubernationum* autem, vel eorum donotare munus, qui unà cum Eccleſiæ Doctoribus atque Epiſcopis Eccleſiam regant, ſive in Eccleſia regenda & conſilio gubernanda, illis opem ferant eoſque adjuvent, & varias inter fideles controverſias componant, quibus omnibus ſoli Paſtores ſufficere vix ac ne vix quidem poſſunt; aut (ut nonnullis placet) eorum officium qui vel viduarum collegiis, vel Xenodochiis, vel Noſodochiis præſunt, ita ut certum quoddam Diaconorum genus conſtituant: quanquam prior ſententia nobis magis probatur. Jam verò ad utrumque munus dexteritas & prudentia

quædam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quædam requiritur, ut omnia rectè adminiſtrentur, maximè ſi conſilium aliis ſit ſuggerendum, res ac controverſiæ dijudicandæ & componendæ, aliqui monendi, aliqui reprehendendi. Hanc ergo dexteritatem non eſt dubium quin Spiritus S. certis in Eccleſia hominibus impertierit, ad ea munera vel ex Eccleſiæ conſenſu jam delectis, vel porrò deligendis. Non quidem fortaſſis ita ut hominibus admodum imperitis ac planè ineptis ſubitò maximam largiretur prudentiam, & rerum gerendarum facultatem, ſed ut quam in quibuſdam reperit, vel à natura profectam, vel doctrina, uſu, ac experientia comparatam, eam perficeret ac compleret. Et huc referenda videntur verba Petri, 1 Epiſt. 4. verſ. 10. ubi ait, *Quilibet quemadmodum accepit donum in voſmet ipſos*, (hoc eſt in vos mutuò) *illud miniſtrantes*, ſcil. ſitis, hoc eſt miniſtrate, *tanquam boni diſpenſatores variæ gratiæ Dei.* Et poſteà duo iſtorum donorum genera conſtituit, dum dicit; *Si quis loquitur, tanquam oracula Dei*, ſcil. loquatur; munus Prophetarum, Euangeliſtarum & Doctorum deſignans: *Si quis* (inquit porrò) *miniſtrat, tanquam ex viribus quas ſubminiſtrat Deus;* hoc eſt, ſi quis aliud quodpiam in Eccleſia miniſterium obeat, ut ſi quis vel neceſſitatibus Eccleſiæ ſerviat, vel in gubernando Paſtores & Epiſcopos juvet, id faciat pro viribus ſibi à Deo datis, non minor ſit illius diligentia quàm facultas ipſi à Deo conceſſa; ut ita, quemadmodum ſubjicit Apoſtolus, *in omnibus glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.* De iiſdem donis ac muneribus ad Romanos ſermo eſt, cap. 12. verſ. 8. ubi ſpecies διακονίας ſeu miniſterii paulò laxius ſumpti, & tamen à docendi munere diſtincti, conſtituuntur tres, dum ait Apoſtolus; *Qui diſtribuit, in ſimplicitate*, ſcil. id faciat; *qui præeſt, in diligentia; qui miſeretur, in hilaritate* ſeu alacritate. Sed hæc omnia in Ethicis ſat fuſe ſunt explicata.

Donum linguarum.

Reſtant adhuc duo miraculoſa Spiritus ſancti effecta inter ſe naturæ quadam conjunctione devincta, nempe genera linguarum, & linguarum interpretatio. Ita enim inquit Paulus 1 Cor. 12. 10. *Alii autem genera linguarum*, ſcil. data ſunt, *per Spiritum; alii verò interpretatio linguarum.* Quid per iſta dona intelligatur cuivis patet. Satis enim conſtat, per prius intelligi facultatem peregrinis & antehac ſibi ignotis linguis loquendi; poſterius autem eſſe facultatem ea quæ vel ab alio, vel à te ipſo, lingua peregrina dicta eſſent, ſermone patrio, vel quopiam alio tibi & auditoribus noto, explicandi. Quanquam quod ad prius attinet, nempe facultatem peregrino ſermone loquendi, intelligendum eſt non nuda tantùm verba fuiſſe ſuggeſta homini à Spiritu S. ſeu notitiam ac facultatem ſermonis peregrini, & antea ipſi incogniti, datam, ſed ſimul etiam res præclariſſimas, quæ verbis illis exprimerentur, fuiſſe homini inſpiratas. Unde quotieſcunque legimus homines linguis variis locutos, ſimul etiam legimus eos vel *magnalia Dei* enarraſſe, hoc eſt laudes divini nominis celebraſſe, & vel facta ipſius præclariſſima, vel proprietates quæ in eo elucent admirabiles, verbis expreſſiſſe, ut apparet ex Actor. 2. verſ. 11. & 10. ℣. 46. vel eos *Prophetaſſe*, ut ſcribitur Actor. 19. verſ. 6. vel quod eodem recidit, *myſteria locutos*, ut infrà dicitur cap. 14. verſ. 2. ubi ait, *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo; nemo enim audit*, (hoc eſt intelligit; per Hebraiſmum.) *Spiritu autem loquitur myſteria.* Unde paulò poſt dicitur, quod is ſeipſum ædificet. Infrà etiam dicetur, quòd ejuſmodi homines Spiritu ſoleant orare, verſ. 14. & benedicere ſeu gratias agere, nimirum Deo, verſ. 16, & 17. Unde Apoſtolus affirmat majorem quidem eſſe Prophetam eo qui linguis loquitur; ſed addit, *Niſi interpretetur, ut Eccleſia ædificationem capiat.* Ex quo apparet ea quæ Prophetis aliàs ſolerent revelari, etiam illis fuiſſe revelata ſeu ſuggeſta, qui linguis peregrinis loquerentur; quanquam ita, ut Spiritus non rem ipſam nudam menti ipſorum offerret, quam ipſi deinde pro arbitrio ſuo verbis quibus vellent, vel ſaltem ſermone ſibi & aliis noto exp imerent, (hoc enim Prophetarnm erat proprium) ſed ut certis quibuſdam verbis, & quidem peregrinis, conceptam & velut involutam illis inſinuaret, & linguam ad illa verba pronuncianda impelleret.

Satis autem apparet alios donum habuiſſe plurium, alios verò pauciorum, aut unius tantùm linguæ. Paulus infrà affirmat cap. 14, *ſe gratias agere Deo ſuo, quòd omnibus illis magis loquatur linguis*, nempe peregrinis. Ubi ſatis apparet, illum hoc velle dicere, ſe Spiritus vi atque afflatu pluribus linguis loqui poſſe quam omnes Corinthii. Nam expreſſe linguas, non linguam commemorat, de linguis peregrinis loquens & à Spiritu ſancto profectis. Nec conſentaneum eſt eum velle dicere, ſe non quidem plures linguas ſcire quàm illi omnes, ſed tamen longè diſertius & longè eloquentius loqui poſſe. Id enim in Apoſtolo neceſſarium non erat; & quodammodo repugnat iis quæ ipſe in hac Epiſtola diſputat ſuprà, cap. 2. quòd *non fuerit miſſus, ut in ſapientia ſermonis Euangelium prædicaret*, ſeu eloquentia & facundia, quæ in verborum ac phraſium elegantia cernitur, uteretur. Quare ſtatuendum eſt id eum voluiſſe dicere quod explicuimus, nimirum ſe facultatem habuiſſe ſibi à Deo donatam pluribus linguis quàm Corinthii omnes loquendi. Idque etiam ipſius muneris ratio poſtulabat: erat enim ipſe omnium gentium extranearum Apoſtolus. Quare etiam conſentaneum erat, ut à Chriſto facultate inſtrueretur quavis lingua ubi opus eſſet loquendi; quanquam aliàs plerumque Græca lingua ſibi familiari ac nota uteretur, utpote quæ tum temporis inter gentes, præſertim cultiores, ita erat toto orbe recepta, ut hodie Latina. Imò olim latius videtur patuiſſe Græca, quàm hodie Latina. Latina enim ferè hodie in Europa tantùm viget; at Græca olim etiam Aſiam peragrabat; qua de re vide inter alia locum Ciceronis in Orat. pro Archia.

Utrum qui donum iſtud acceperat, eo quotieſcunque vellet uti poſſet.

Oritur autem hoc loco quæſtio de hujus doni ratione explicatu non adeò facilis; Utrum ita Spiritus ſanctus linguæ alicujus peregrinæ ac ignotæ notitiam ac facultatem cuipiam inſeruerit, ut ea quovis tempore, quacunque in re, pro arbitrio uti poſſet, non ſecus ac vernaculo ſermone, vel quovis alio quem ſtudio & exercitatione didiciſſet; An verò tum demum is, qui dono linguarum præditus erat, potuerit peregrina lingua loqui, cùm ſingulari quodam afflatu divino duceretur; qui afflatus vel pro ipſius tantùm Dei ac Chriſti arbitrio ipſum invaderet, vel precibus ac religione animi excitaretur in eo qui donum illud jam antea accepiſſet. Prius illud pluribus videtur probari, poſterius Eraſmo. Cujus ſententiæ hac in parte nos ſubſcribendum putamus potius quàm ſententiæ vulgari. Quanquam etiam Eraſmus alia quædam habet de hoc linguarum dono, quæ nobis probari non poſſunt; ut quod Apoſtoli in feſto Pentecoſtes patria lingua fuerint locuti, ſed auditorum quiſque ſua ipſius lingua, hoc eſt non Hebræa aut Syriaca, ſed ea quæ ipſi auditori eſſet vernacula loqui arbitratus fuerit. Quam ſententiam hîc multis refutare opus non eſt, cùm contrarium videatur ſatis eſſe manifeſtum, & ratio qua Eraſmus utitur admodum ſit infirma. Ad illud igitur redimus quod cæperamus; & licèt nihil dubitemus facillimum fuiſſe Deo, inſerere alicui notitiam & facultatem linguæ peregrinæ, ut ea pro arbitrio ſemper & ubique uti poſſet; non ſecus atque olim Adamo & Evæ certæ ſtatim linguæ notitiam ac facultatem inſeruit, & illis qui in turri Babylonica extruenda occupati erant; ſitque illi non minus proclive linguam linguæ ſuperaddere, quàm ei qui nullam teneat, aliquam inſpirare, aut ignotam cum nota commutare: Nihilominus tamen non una eſt ratio, quæ ſuadeat hoc donum non fuiſſe ita perpetuum, ut ſine afflatu peculiari quiſpiam ignota lingua loqueretur.

Prima ratio hæc eſt, quòd Paulus de iis qui linguis loquerentur ſimpliciter aſſerit, *eos ſpiritu loqui myſteria.* Et infrà, *Si quis lingua orat, ejus Spiritum orare*

dicit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dicit. Et paulò poſt id repetit, quin etiam verſ. 17 eum qui lingua peregrina gratias agat, bene gratias agere, nimirum Deo. Ex quibus duplex ducitur argumentum: *Primo*, quòd iti qui lingua loquuntur, generatim omnes dicantur Spiritu loqui, Spiritu orare, aut gratias agere vel benedicere. Spiritus autem in ejuſmodi loquendi modo, nonniſi de afflatu divino intelligitur & ſumitur. *Alterum* eſt, quod ejuſmodi dictis intelligatur eos, qui lingua loquerentur, nihil locutos vulgare, ſed myſteria tantùm, ad quæ aliquomodo etiam laudes Dei, & quicquid ad religionem ſpectat, referuntur. Unde etiam in Actis, quoties legitur aliquos lingua peregrina ex Spiritus ſancti dono locutos, videmus eos Dei nomen celebraſſe aut Prophetaſſe. Adde quod Paulus omnino ponat, eos qui lingua peregrina Deo gratias agant, bene gratias agere. Atqui niſi peculiari quodam afflatu ſemper ducerentur, qui lingua peregrina loquebantur, neutrum illud ita generatim rectè ab Apoſtolo poni potuiſſet. Certè non magis id potuiſſet ab eo pro conceſſo ſumi, quàm ſi id confirmaſſet de iis qui patrio ſermone uterentur; quandoquidem illa facultas linguæ peregrinæ, non minus jam illorum arbitrio fuiſſet ſubjecta, quàm vernacula aut quævis alia, quam ſtudio didiciſſent. Quemadmodum igitur is qui ſermone ſibi alias noto pro arbitrio utitur, poteſt non minus vulgaria loqui quàm myſteria, nec minus malè quàm bene, ita etiam illi potuiſſent qui lingua peregrina, licèt à Spiritu S. ſibi aliquando inſerta, uterentur.

Tertia ratio ex eo ſumi poteſt, quòd Paulus eos qui linguis loquuntur cum Prophetis comparandos arbitretur, ſi ea quæ peregrina lingua dicerent, interpretari etiam noſſent, dum ait; *Major enim eſt is qui prophetat, quàm is qui loquitur linguis, niſi ſi interpretetur, ut Eccleſia ædificationem capiat.* At id ſtatui non poſſet, ſi quis lingua peregrina ſibi jam ſemel à Spiritu S. inſerta, etiam ſine peculiari afflatu potuiſſet uti. Unde enim illa rerum divinarum cognitio, cujus ratione Prophetiæ æquiparari poſſet is qui lingua loqueretur? Nam non alia ratione hunc illi æquiparari poſſe putat, quàm quòd res æque præſtantes loqueretur lingua peregrina, ac Propheta ſermone patrio, vel auditoribus vulgò noto. Unde tantùm interpretationem vult accedere, ut is qui lingua utatur, Prophetæ æquaretur. Quemadmodum autem Propheta nonniſi ex peculiari afflatu res divinas promere poterat, ita apparet nec eum potuiſſe qui linguâ loqueretur.

Ex eodem enaſcitur & *quartum argumentum*. Nam cùm ex iis quæ huc uſque vidimus ſatis appareat, iis qui lingua loquerentur, divinitus myſteria patefieri ſolita fuiſſe; ſi ii ſermonem peregrinum non minus quàm patrium familiarem habuiſſent, quid opus fuiſſet, ut donum interpretandi adderetur, aut precibus à Deo impetrandum eſſet? Nam vel volumus iis res quas lingua peregrina efferrent, nudas fuiſſe revelatas, ita ut certæ illis voces ex peregrina lingua petitæ ſimul non infererentur, quibus eas efferrent; vel volumus res ſemper illis verbis fuiſſe innexas. Si prius; quomodo illi non æquè patrio ſermone res eas potuiſſent efferre quàm peregrino, cùm uterque iis æquè eſſet notus & æquè in ipſorum poteſtate? Certè hac in re Prophetæ illi fuiſſent, & linguarum donum Prophetiæ ſemper aliquid ſuperaddidiſſet. Si verò poſterius volumus; quid opus erat verba peregrina homini ſuggerere, & iis res quas homo proferre deberet veluti occultare ac involvere, cùm peregrini ſermonis facultatem jam antea haberet? Non modò ſanè præter neceſſitatem verba iſta peregrina fuiſſent ſuggeſta homini, verùm etiam id pertinuiſſet ad minuendum beneficii hujus gradum. Longè enim ſatius fuiſſet rem nudam hominis animo indere, ut eam poſtea pro arbitrio efferre, & ad aliorum utilitatem explicare poſſet. At contra ſe res habet, ſi homini facultas ſermonis peregrini nondum ineſſet, ſed ipſe ſermo ignoranti inſpiraretur, ut in eo miraculum quoddam cerneretur: Et ne tamen eſſet ſine mente ſonus, & vana tantum funderentur verba, ſimul adderetur res ſermone miraculoſo, atque à divino Spiritu profecto, digna.

Hæc autem nos admonent *quintæ rationis*, qua ſententia noſtra fulciri poteſt; hujus nempe, quod ſi donum iſtud linguarum perpetuum fuiſſet, & non ſecus ac ſermo patrius vel uſu comparatus, in hominis arbitrio ac poteſtate poſitum, nimis fuiſſet profanatum cœleſte hoc donum. Nulla enim fuiſſet cauſa, cur ubi uſus aliqua ratione exigeret, non etiam ad res profanas ac vulgares ſermonem peregrinum, quem à Spiritu ſancto didicerant, transferent, & in quibuſvis negotiis lingua illa peregrina, cum ejuſdem linguæ gnaris uterentur. At indignum erat ſacratiſſimum donum ad res profanas tranſferre. Huic autem rei commodius occurri non poterat, quàm ſi tum demum lingua peregrina ex dono cœlitus inſpirato uti poſſent, cùm afflatu ſingulari ducerentur, & ſimul res illis inſpirarentur ſermone miraculoſo dignæ. Eo enim pacto vilipendi à cordatis haudquaquam potuit.

Alia adhuc ratio patebit, ubi examinaverimus verba Pauli ſatis alioqui difficilia, & varietate interpretationum obſcuriora adhuc reddita, quæ occaſione doni hujus protulit cap. 14 hujus Epiſt. verſ. 14. Ea verò ſunt; *Si orem lingua, Spiritus orat, mens autem mea infructuoſa eſt.* Facile quidem eſt intelligere quid ſit Spiritum tum temporis orare. Id enim nihil aliud ſignificat quàm hominem afflatu divino impulſum ac correptum orare; quomodo in Epiſt. ad Galat. cap. 4. verſ. 6 dicitur *Spiritus in corda noſtra miſſus clamare Abba Pater*, hoc eſt efficere ut clamemus ad Deum, Abba Pater: quod ita ad Rom. 8. ℣. 15 extulit Apoſtolus, quòd in ipſo, hoc eſt per ipſum, ſeu Spiritus vi atque impulſu, clamemus Abba Pater. Quemadmodum & infrà eodem capite dicitur, *Spiritum interpellare pro nobis ſuſpiriis ineffabilibus, & intercedere pro Sanctis*; quia nimirum pios aut Sanctos ad Deum ardentiſſimè orandum impellit; qua de re alibi dictum. Significat ergo Paulus, ejus qui lingua nimirum peregrina, orat, precationem proximè, non ab ipſius mente & cognitione proficiſci, quam is in ſeſe excitet; quo pacto illi orant qui nullo peculiari afflatu ducuntur, ſed totum proficiſci ex inſpiratione divina, Spiritumque ei & verba quæ concipiat, & res ipſas ſuggerere. Sed de illo quod ſequitur non conſtat inter interpretes cùm ait, *Mens autem mea infructuoſa eſt.* Illorum ſententiam facile eſt refellere, qui ſtatuunt ita hæc verba eſſe accipienda, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, Mens autem mea nullum inde fructum percipit, quòd nimirum ipſamet mea verba non intelligat. Falſum enim illud eſſe, id ſatis indicat quod ſuprà ſcripſit Apoſtolus; *Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat; qui verò prophetat, Eccleſiam ædificat.* Quomodo edim ſeipſum ædificare poteſt, cujus mens nullum ex re, qua de agitur, fructum capit? Nam ſi dicas eo ipſo ædificari, quòd fundat verba miraculoſa ratione, quæ non intelligat, certè hac ratione etiam Eccleſiam ædificabit, quæ verborum etiam ſonum, ſed non intellectum audit. Deinde ſatis apparet, de re ibi ſermonem eſſe, quæ à loquente percipitur. Præterea in ſequentibus ſatis oſtendit Apoſtolus, alios tantùm non intellexiſſe ſermonem illum peregrinum, cùm ait verſ. 16; *Si benedixeris Spiritu, qui implet locum idiotæ*, hoc eſt hominis rudioris, *quomodo dicet Amen ſuper tua gratiarum actione, quandoquidem quid dicas neſcit? Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur.* Cur non dicit, Ne tu quidem potes dicere Amen, quia nec ipſe ſcis quid dicas? Cur etiam ait, *Alter non ædificatur*? nonne ideò quia ſermonem non intelligebat? Eadem ergo fuiſſet loquendi ratio, ſi ſermonem ſuum non intellexiſſet. Sed non eſt opus pluribus. Reſtat ergo ut intelligamus, Apoſtolum hoc velle dicere, Ex mente loquentis fructum ad alios non redundare. Et id propriè quidem ſignificat vox ἄκαρπος, h. e. infructuoſus. Id enim infructuoſum, quod utilitatem ex ſe non parit, quod fructum non profert; non verò quod fructum non percipit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Verùm nondum confecta res eſt. Inquirendum enim adhuc reſtat, cur menti tantùm hominis tribuatur; quòd infructuoſa ſit, & cur non etiam Spiritui? Nam ſi id infructuoſum dicitur quod utilitatem non profert, cur non etiam Spiritus infructuoſus dicitur? ſiquidem hoc loco fructus hic omnino videtur ſpectandus ratione aliorum, non verò reſpectu ipſius loquentis. Hæc difficultas ut expediatur, inquirendum eſt quid *mentis* nomine intelligendum ſit. Sententia doctiſſimorum interpretum, præſertim recentiorum, hæc eſt, mentem hoc loco ſumi pro ſententia verborum, quæ ideo dicatur infructuoſa, quia ab aliis non percipiatur, ac proinde fructum illis nullum afferat. Verùm hæc ſententia, licèt cæteris quæ apud interpretes reperiuntur, videatur præferenda, difficultate tamen non caret. Nam primùm vis & elegantia perit iſtorum Apoſtoli de quibus agimus verborum. Opponit enim iſtic hæc duo, Spiritu orare, & mentem eſſe infructuoſam, quemadmodum indicat particula δὲ adverſativa, qua poſteriora cum prioribus connectuntur. Ita enim loquitur Apoſtolus; *Spiritus meus orat, mens autem mea infructuoſa eſt.* Quæ oppoſitio ſatis indicat Spiritum quidem non eſſe infructuoſum, ſed mentem eſſe, & contrà, mentem non orare, ſed Spiritum; aliàs nullus oppoſitioni locus hic eſſet. Jam vero ſi mens ibi ſignificaret ſententiam verbis comprehenſam, non minus certè Spiritus quàm mens infructuoſus dici deberet. Infructuoſum enim hîc eſſe, ipſi concedunt cum quibus nobis res eſt, quod audientibus fructum non affert. Jam verò non magis fructum affert audientibus Spiritus, cujus impulſu quiſpiam lingua peregrina loquitur, quàm ſententia: cum hîc is tantum intelligendus ſit fructus, qui ex ſententia ab auditoribus percepta manat. Itaque vel ob id ipſum, quòd ſententia verborum infructuoſa ſit, ſtatuendum eſſet, ipſum quoque Spiritum infructuoſum eſſe. Deinde is qui Spiritu orabat, non verbis ſolùm ſed & ſententia orabat, ut docuimus; aliàs ne oratio quidem jure dici potuiſſet. Cur ergo opponuntur iſta inter ſe, orare & infructuoſum eſſe, & illud Spiritui tantùm, hoc menti tribuitur? Sed excipiunt quidam & dicunt, mentem hoc loco non pro ſententia verborum ſimpliciter ſumi, ſed pro ſententia quæ ab iis intelligatur, vel intelligi ſaltem poſſit. Atqui primùm non eſt is loquendi uſus, ut mens dicentis ſumatur non ſimpliciter pro ſententia, quàm is verbis ſuis complecti voluerit, ſed ea demum addita conditione, ut ea intelligatur, vel intelligi poſſit ab auditoribus. Nam cùm dico, hæc eſt mens mea, mentis vocem pro ſententia ſumens, nil aliud volo dicere, quàm hæc eſt ſententia mea, aut verborum meorum, ſive ea ex verbis meis intelligi potuerit ab aliis, ſive minus. Itaque ſi Paulus eam tantùm verborum ſententiam mentis nomine denotare voluiſſet, quæ ex ipſis verbis ab auditoribus intelligeretur, aliquid apponere debuiſſet, non verò ſimpliciter mentis, aut mentis ſuæ mentionem facere. Deinde cùm Paulus dicit, *Mens mea infructuoſa eſt*, indicat tum temporis ſententiam ſuam adeſſe, ſed fructum non proferre. Atqui ſi mens ſumeretur pro ſententia verborum quæ ab auditoribus intelligi ſtatim poſſet, ea certè tum non adfuiſſet, &, ſi adfuiſſet, infructuoſa eſſe non potuiſſet. Ideò enim infructuoſa ſtatuitur mens dicentis, quia verba ejus ab aliis non intelligantur, ſeu intelligi niſi tempore adhibito nequeant. Quare contradictio quædam iſtis Apoſtoli verbis involveretur, ſi eo quo nonnulli volunt modo accipienda eſſent. Denique ſive ſententiam intelligas quæ ab aliis percipi ex verbis poſſit, ſive eam quæ non poſſit, dura admodum cenſenda eſſet illa locutio, quæ extat v. 19, *In Eccleſia volo*, ſeu malo, *quinque ſermones*, ſeu mavis verba, *per mentem meam loqui, ut & alios erudiam, quàm decem millia ſermonum*, ſeu verborum, *in lingua*. Nam per mentem ſuam, eſſet per ſententiam ſuam orare; quæ loquendi ratio quàm longe à communi loquendi conſuetudine abeat, per ſe quiſque facile cernit.

Quid ergo, inquies, nobis de iſtis Apoſtoli verbis ſtatuendum erit? Nobis ſimplicior placet ſententia, nempe ut *mens* accipiatur propriè, hoc eſt pro facultate ea, qua & res & verba cognoſcimus, & cujus arbitrio verba formamus, & ſenſa animi exprimimus. Hanc ideò tum cùm quis lingua orat, infructuoſam dicere potuit Apoſtolus, non quòd tum temporis planè ſit ſopita, & nullum prorſus in dicendo orandoque uſum præſtet, id quod fieri non potuiſſe jam vidimus; ſed quòd ea tum temporis ſibi, ſuæque poteſtati & arbitrio non ſit relicta, adeoque verba non formet, nec linguam ita regat, quemadmodum aliàs regere poſſet aut vellet, ut ſenſa ſua cum aliis communicaret; ſed quod quicquid tum concipit, quicquid inde ad linguam manat, id totum Spiritui, ſeu afflatui divino ſit imputandum. Hunc enim tum temporis totam hanc mentem occupare, & veluti inſidere eam, & divina rerum ſpecie implere, & verba illi imprimere, ac porrò etiam linguæ inſinuare, quæ ab homine proferantur. Ita enim & vulgo loqui ſolemus, & ſacræ literæ loqui amant, ut ei rei quæ non eſt principalis actionis cujuſdam cauſa, & non ſuopte motu, ſed impulſu tantùm alieno quippiam efficit, actio illa quodammodo adimatur, & ei rei quæ principaliter & ſuo impulſu agit, & reliquas cauſas impellit, adſcribatur. Cujus loquendi modi exemplum aliquod habetur ad Rom. 7. verſ. 17, & 20. Ubi homo ille cujus perſonam ſuſtinet Paulus dicit, *ſe ea quæ faceret non facere, ſed peccatum in ipſo habitans*; quia non ſua prorſus voluntate, ſed à peccato veluti impulſus, ac contra animi ſententiam abreptus, ea faciat; licèt certum ſit voluntarium iſtuc animum accedere. Non planè abſimilis eſt & ille loquendi modus qui extat hac eadem Epiſt. ad Corinth. cap. 15. verſ. 10, ubi Paulus ea quæ laboraverit, *non ſe, ſed gratiam Dei ac Chriſti, quæ ſibi adfuerit, præſtitiſſe* ait: nempe quòd non ipſe, ſed gratia Dei, principalis eorum cauſa fuerit. Neque enim hîc habetur ratio voluntarii & involuntarii, ſed tantùm ejus quòd gratia Dei principalis cauſa fuerit, Paulus autem minus principalis ſive inſtrumentaria. At in noſtro loco utrumque concurrit. Etenim mens hominis quæ ex Spiritus afflatu lingua peregrina loquitur, nec principalis eſt ſermonis illius cauſa, nec uſquequaque eſt voluntaria ejus operatio, quæ ad eundem effectum concurrit. Itaque Spiritui ſive afflatui divino hæc actio adſcribitur, & menti aliquomodo adimitur. Quo pacto in re ſimili loquitur ipſe Chriſtus Matth. 10. verſ. 20, ad Apoſtolos ſermonem habens; *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis.* Et tamen dubium non eſt, quin illi ipſi locuti fuerint; quòd præter rem ipſam, præcedentia indicant verba, ubi ait, *Dabitur vobis in illa ipſa hora, quod loquamini.* Sed quia non ex ſuo ingenio deprompturi erant ea quæ loquerentur, ſed Spiritus S. id illis erat ſuggeſturus, eoſque ita recturus, ut non ſui eſſe viderentur, ſed tantùm Spiritus Sancti organa; ideò ait non ipſos, ſed Spiritum Patris ipſorum in ipſis locuturum. Similis eſt illa loquendi ratio qua utitur Apoſtolus noſter ad Roman. 8. verſ. 26, ubi ait, *nos in afflictionibus*, nimirum conſtitutos, *quid oremus, quemadmodum oportet neſcire; ſed ipſum Spiritum interpellare pro nobis ſuſpiriis ineffabilibus.* Quare, ut ad locum noſtrum redeamus, id ſibi vult Apoſtolus, ſi quis peregrina lingua oret, preces eas ab afflatu tantum divino revera proficiſci, mentem vero hominis, licet eum flatum recipiat, & ſic ipſa fructum inde referat, nihil tamen de ſuo adjicere, & ſic nullum ex ſe fructum promere, præſertim talem qui ad alios redundare poſſit. Etenim nec res, nec verba tum temporis excogitat aut format ipſa, ſed Spiritus S. atque adeò ipſe Deus & Chriſtus per Spiritum ſuum, & res menti offert & verba format. Nullæ ergo mentis hic propriæ ac peculiares ſunt partes, nil quod de ſuo quodammodo adjiciat. Unde etiam conſequitur vix quicquam hic ipſius hominis pietati ac religioni adſcribendum eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

eſſe, quandoquidem is propemodum ducatur, ut nervis alienis mobile lignum. Quod ſi velit ut aliquid ſibi quoque jure adſcribi queat, mente quoque eum orare jubet Paulus, dum ita ſcribit; *Quid ergo eſt? Orabo Spiritu, orabo autem & mente*; hoc eſt, ſi contingat ut Spiritus afflatu atque impulſu peregrino ſermone preces concipiam, afflatu illo poſtea ceſſante, mentis meæ facultate eadem in re uti debeo, & ea quæ Spiritus antea ſuggeſſerat, & menti meæ impreſſerat, pro ingenii mei modo denuò proferre, & verbis mihi notis explicare; hoc enim pacto etiam ad alios redundabit fructus.

Ex his jam intelligi etiam poteſt quid infrà ſit *per mentem loqui*. Eſt enim nil aliud quàm in loquendo uti generali intelligentia, ac ratione, notitiaque verborum ei impreſſorum. Unde opponuntur iſta, loqui per mentem, & loqui in lingua, ſcil. peregrina.

Ex his autem omnibus facilè apparet id quod ſuprà defendimus, eos qui lingua peregrina, divini Spiritus ope loquerentur; nonniſi tunc locutos ejuſmodi lingua, cùm Spiritus Sancti vi corriperentur, & ab eo toti agerentur; ac porrò non ita potuiſſe ea lingua uti, quemadmodum alia ſibi familiari; aliàs enim lingua peregrina quam è Spiritu Sancto hauſerant loquentes, ſimul etiam per mentem ſeu mente fuiſſent locuti, non minus quam Apoſtolus v.g. locutus fuit, cùm extra peculiares illos divinoſque raptus, myſteria è Spiritu S. jam olim hauſta aliis explicuit. Etſi enim res à Spiritu acceperat, eas tamen pro arbitratu ſuo explicabat, eaque in re mentis ſuæ facultate liberè utebatur. Unde & hoc ipſo capite v. 18, 19, ſatis indicat ſe cum in Eccleſia doceret, per mentem ſuam, ſeu mente ſua loqui fuiſſe ſolitum; licet omnia ejus dicta cæteroqui Spiritui S. rectè adſcribantur, utpote à quo ſermonem tum ſapientiæ, tum cognitionis, ut ſuprà vidimus, acceperat. Intelligi jam poteſt, cur de iis tantùm qui lingua peregrina loquerentur, dicatur quod mente non loquantur, cur non etiam de Prophetis, quorum in hoc capite fit mentio. Nam Prophetis res ipſæ primò & per ſe ſuggerebantur, verba autem, utpote jam antea ipſis nota, & mentibus ipſorum impreſſa, propriè loquendo non indebantur à Spiritu. Itaque etiam mens ipſorum aliquid de ſuo videbatur adjicere, & notitiam ſaltem ſermonis ac verborum conferre, præſertim tunc cum afflatus divinus velut conquieviſſet, & rerum divinarum ſpecie menti impreſſa, eum ſibi reliquiſſet; ita ut Propheta poſtea pro arbitrio, quibus vellet verbis rem explicaret. Quanquam non negamus, interdum verba quædam nominatim, licèt alias nota, iis quodammodo fuiſſe indita, quibus myſteria divina proferrent, præſertim ſi revelatio, quæ illis contigerat, verbis quibuſdam conceptis, quæ ſibi audire viderentur, fuiſſet comprehenſa. At ſi alio modo facta fuiſſet revelatio, & rerum tantum ſpecies menti impreſſa divinitus, Prophetæ ſuis poſtea verbis eam expreſſerunt. Atque hinc videmus cur tanta ſit ſtyli tum in Propheticis tum in Apoſtolicis ſcriptis diverſitas. Quantò ſit ſublimior, quantò cultior Eſaiæ ſtylus, quam Amoſi, nemo qui Hebræa aliquantum intelligit, ignorat. Nempe quia Eſaias è regia ſtirpe oriundus, & elegantius ab ineunte ætate loqui didicit; Amoſus verò è paſtore Propheta factus eſt. Nec Spiritus S. eorum mutavit linguam, ſed ea quam in iis reperit uſus eſt, & ſapientia eam cœleſti rerumque admirabilium notitia perfudit. Sic magna eſt etiam ſtyli elegantia in Pſalmis, & in aliis quidem major, in aliis minor; ne numerorum etiam rationem nunc commemorem, quæ ipſis Pſalmorum auctoribus referri debet accepta. Sic nemo non deprehendit diverſitatem ſermonis in Paulo, Petro, & Joanne. Nempe divinus Spiritus ſuo quemque ingenio & facultati dicendi hac in parte reliquit, contentus res ipſas illis ſuggeſſiſſe, & ita impreſſiſſe ut errare in iis, quibuſcunque cæteroquin uterentur verbis, non poſſent. Itaque ſi quid interdum in verbis Apoſtolicis reperiatur obſcurum, quod alius quiſpiam clarius fortaſſe extuliſſet, ſi quid fortè hiulcum & minus concinnum, adde etiam (ut non pauci ſentiunt) ſolœcum, vel ſaltem admodum inuſitatum; id ipſis Apoſtolis quatenus tale eſt, non Spiritui S. adſcribendum eſt; quemadmodum alii quoque viri docti ante nos docuerunt. Uſi enim ſunt Apoſtoli plerumque eo ſermone quem à vulgo, cum quo verſabantur, vel ſaltem ab iis qui non multò melius quàm vulgus loquebantur, didicerant; excepto ſi ex afflatu Spiritus divini lingua peregrina loquerentur, aut aliquid illis verbis conceptis, quod eodem modo aliis explicare deberent, referretur aut ſuggereretur. Et hæc de dono linguarum dicta ſufficiant.

Donum interpretationis linguarum. 1 *Cor.* 12. 10.

Supereſt ultimum ſpecialium Spiritus Sancti effectorum, nempe *interpretatio linguarum*, ſeu facultas in aliam linguam, auditoribus forte notam, tranſferendi ea quæ peregrina atque ignota lingua, fuerunt vel ab aliis, vel ab ipſomet interprete dicta. Quod quidem donum interdum conjungi ſolebat cum dono linguarum, ſed non ſemper. Unde Paulus infra cap. 14. verſ. 13 monet, ut qui lingua loquitur, oret ut interpretetur, hoc eſt ut conſequatur à Deo facultatem eadem quæ peregrina lingua protulerat, vernacula aut aliàs vulgò nota interpretandi. Et infrà verſ. 27 ait, *Sive lingua quis loquitur, per binos aut plurimum ternos, idque per vices*, ſcil. fiat, *& unus interpretetur. Si verò non adſit interpres, taceat in Eccleſia*, (nempe is qui lingua peregrina loquendi facultatem habet) *ſibi autem loquatur & Deo*; hoc eſt tacitè ſecum loquatur ad ſuam ædificationem & Dei laudem, ea quæ præſente interprete publicè fuiſſet dicturus. Ex quibus verbis, ut alia prætereeam, ſatis apparet non omnibus, quibus donum linguarum conceſſum fuerat, adfuiſſe etiam interpretandi facultatem; non quidem quòd nullo planè modo potuerit vernacula lingua ea, quæ peregrina atque aliis ignota dixerat, eloqui; ſed quòd non quiſque ea facultate præditus fuerit, ut poſſet expeditè, idque clare ac perſpicuè, vernacula lingua efferre, quæ peregrina protulerat. Nam aliàs quicunque verba aliqua intelligit, & rem iis comprehenſam animo concipit, poteſt etiam qualicunque ratione patrio ſermone eadem explicare. Omnes autem qui lingua peregrina utebantur ſua verba intellexiſſe, & ſic rem animo concepiſſe, ſatis jam antea oſtendimus. Unde ſequitur eos etiam potuiſſe eadem aliis qualicunque ratione explicare. Verumtamen facilè fieri poteſt, ut quiſpiam verba alicujus linguæ intelligat, & utcunque ſententiam vernaculo ſermone exprimere queat, hæſitet tamen ſæpius, & non ſatis expeditè, non ſatis clarè, dicta interpretetur, quia non occurrant phraſes & verba, quibus vim phraſium ac verborum peregrinæ linguæ commodè explicet. Habet enim quælibet lingua ſuos idiotiſmos, quibus ad amuſſim nihil in aliena lingua reſpondet. Unde videmus viros doctos, quamvis linguas peregrinas egregiè calleant, & rem ipſam alieno ſermone expreſſam probè intelligant, ſæpe tamen vehementer laborare in dictis alienis, imò etiam interdum in ſuis, commodè interpretandis, & in alium ſermonem vertendis; Et cùm nonnunquam circumlocutiones quærant, non tamen ſibi uſquequaque ſatiſfacere, nec emphaſim verborum ac phraſium uſquequaque dicendo exprimere. Quare non mirum eſt ſi ii qui afflatu tantùm divino correpti, peregrina lingua myſteria divina proferrent, non protinus eadem poſſent interpretari, & ſic neceſſe haberent Deum orare, ut interpretandi quoque facultatem adderet, & interea alio cogerentur interprete uti. Et de ſpiritualibus Spiritus Sancti effectis, quæ à Spiritu divino manabant primo, hactenus.

Reſtat adhuc generalis quidam Spiritus Sancti effectus, quem ad hunc uſque locum ideò reſervavimus, quia ex ſpecialibus his Spiritus Sancti effectis ſeu donis viſibilibus maximè pendebat, & tantò quidem ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

gis, quanto eorum quodque eſt illuſtrius atque admirabilius. Eſt autem ille effectus, quòd Spiritus ſanctus teſtimonium perhibuerit Chriſto, ejuſque ſanctiſſimæ veritati, omnibuſque manifeſtè oſtenderit Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium, atque adeò doctrinam ejus divinam eſſe ac prorſus cœleſtem, omnibuſque amplectendam, & ſi quæ ſunt alia quæ hinc pendent. Hunc effectum deſignat Joannes, 1 Epiſt. cap. 5. 6, 8. ubi oſtenſurus fidem noſtram, qua credimus Jeſum eſſe filium Dei, firmiſſimis niti fundamentis, tres producit ejus rei teſtes, *Spiritum, aquam & ſanguinem*; & quidem ita ut Spiritui principem inter eos tribuat locum, deque eo nominatim dicat *eum eſſe veritatem*; quaſi dicat eum eſſe veraciſſimum, ita ut eum ipſam veritatem dicere queas: non quidem quòd non æquè reliqui duo teſtes eam aſſerant, ſiquidem tres illi teſtes unum eſſe dicuntur, hoc eſt inter ſe penitus conſpirare, & unum idemque affirmare, ſed quod teſtimonium Spiritus ſit omnium certiſſimum, ac veritatis manifeſtiſſimæ; reliquorum duorum teſtium veritas non eſt adeò manifeſta ac perſpicua, & à pertinacibus facilius in dubium vocari poteſt, neque ita ſtringit ac ferit animos, ut Spiritus teſtimonium. Unde & divinus auctor Epiſt. ad Hebræos, cum oſtendere vellet, quomodo inter eos ad quos ſcribit, veritas Euangelica confirmata fuerit, Spiritus tantùm teſtimonium affert cap. 2. 3, 4, ubi ait, *Salutem quæ prædicari cæpit per Dominum*, hoc eſt Chriſtum, *ab iis qui audiverant ad nos*, in nos, ſeu per nos, *fuiſſe confirmatam, atteſtante Deo & ſignis & prodigiis & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam voluntatem.* Nam non tantum Spiritus ſancti diſtributio & impertitio, quæ fidelibus contigit, huc pertinet, ſed etiam miracula illa & prodigia, ſtupendaque opera, quæ potentiarum nomine intelliguntur, huc referri poſſunt, tanquam virtutis & efficaciæ divinæ effecta. Hinc etiam Paulus 1 Timoth. 3. verſ. 16 cum dixiſſet *Deum*, vel (ut alia legunt exemplaria) myſterium pietatis *manifeſtatum fuiſſe in carne*, ſeu per carnem, hoc eſt homines infirmos & fragiles, variis calamitatibus, ac morti denique atrociſſimæ obnoxios & ſubjectos; addit tamen *fuiſſe juſtificatum in Spiritu*, hoc eſt pro fideli, veracique agnitum, ob tantam vim copiamque Spiritus divini, quæ in ea prædicatione ſeſe exeruerat; ita ut licèt myſterium religionis Chriſtianæ, in quo Dei notitia comprehenditur, propter infirmitatem eorum qui promulgabant contemni ac repudiari facilè poſſet, nihilominus tamen Spiritus per admiranda quæ ab eo manabant opera, ei fidem atque auctoritatem conciliaret, & ſic efficeret ut ejus veritas agnoſceretur. Hinc etiam tam graviter accuſantur ii qui veritatem Euangelicam deſerunt, ac imprimis ii qui opera à Spiritu divino manantia Dæmoni audent adſcribere, propterea quòd nimis manifeſtum ſit ea à divina virtute proficiſci. Et de deſertoribus quidem Chriſtianæ religionis imprimis loquitur divinus auctor ad Hebr. cap. 10 ubi ait, *eos Spiritum gratiæ contumelia afficere.* De iis autem qui ipſum etiam Spiritum aut opera ab eo profecta contumelioſis verbis audent directè impetere, loquitur Chriſtus apud Matthæum, cap. 12. 8. & in locis parallelis apud Marcum & Lucam, cùm certiſſimam & graviſſimam denunciat pœnam iis qui Spiritum ſanctum blaſphemaverint. Qua de re dictum eſt jam à nobis ſuprà cap. 3, ubi etiam locus ad Hebr. cap. 10, fuit explicatus.

De eodem autem Spiritus ſancti effectu loquitur Chriſtus Joan. 15. verſ. 27. cùm inquit; *Quando autem venerit ille Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille teſtabitur de me.* Loquitur autem de teſtimonio quod per Apoſtolos ſit editurus; quia de Spiritu eatenus loquitur, quatenus eum Apoſtolis ſit miſſurus. Satis autem conſtat Spiritum ſanctum Apoſtolis miſſum, non ſeorſim ab Apoſtolis teſtatum fuiſſe de Chriſto, ſed in Apoſtolis & per Apoſtolos, ut eventus ipſe abundè docuit. Neque verò obſtat, quod Chriſtus diſtinguat ipſorum Apoſtolorum teſtimonium, ab hoc Spiritus ſancti teſtimonio, dum ita porrò ait; *Sed & vos*, vel, quinetiam vos *teſtabimini, quia ab initio mecum eſtis.* Nam aliud præterea futurum erat teſtimonium quod ipſi Apoſtoli, tanquam ſpectatores operum Chriſti, qui ab ipſo ejus muneris idque Prophetici initio cum ipſo verſati fuerant, & omnia ipſius dicta auribus hauſerant, omnia ejus facta oculis contemplati fuerant, (ut Joannes loquitur) *manibus ſuis palpaverant*, de ipſo eſſent perhibituri. Hoc enim quia à Spiritu ſancto non principaliter, ſed ab ipſorum ſenſibus & propria experientia pendebat; ideo à teſtimonio Spiritus ſancti diſtinguitur. Id autem quod à Spiritu ſancto propriè profecturum erat, quodque Apoſtoli Chriſto perhibere, niſi Spiritu ſancto repleti fuiſſent, non potuiſſent, id demum Spiritui ſancto adſcribitur. Hoc autem duplex potiſſimum erat, partim enim verbis, partim operibus conſtabat. Verbis quidem, quatenus Spiritus ſanctus eos repleturus erat divina quadam ſapientia, iiſque daturus, ut homines de veritate Chriſtianæ religionis edocere, ac validiſſimis rationibus convincere poſſent, ac myſteria in ea comprehenſa explicare clariſſimè: factis autem, quatenus alia quoque admirabilia Spiritus divini effecta in ipſis erant apparitura, quibus Chriſtianam religionem confirmarent, & Jeſum eſſe illum Chriſtum Dei filium, per quem hæc dona acceperant, omnibus manifeſtum facerent. Quænam autem illa ſint effecta ex præcedentibus ſatis clarum eſt. Nullum enim ſpecialium & viſibilium Spiritus Sancti effectorum, quæ Paulus 1 Cor. 12. enumeravit & nos explicuimus, Apoſtolis defuit. Quanquam prima duo, nempe ſermo ſapientiæ, & ſermo cognitionis, ad illud teſtimonii genus quod verbis conſtat magis pertinent, reliqua magis ad id quod opere.

Ad hunc autem Spiritus Sancti effectum, nempe ad teſtimonium de Chriſto, ejuſque ſanctiſſima doctrina, illud quoque non incommodè referri poteſt, quod Chriſtus apud eundem Euangeliſtam cap. 16. 8 & ſeqq. commemorat, ubi ait *Spiritum Sanctum ubi venerit convicturum mundum de peccato & de juſtitia & de judicio.* Quod poſtea ita explicat dum ſubjicit; *De peccato quidem, quòd non credunt in me. De juſtitia autem, quod ad Patrem meum vado, & non amplius videtis*, hoc eſt videbitis, *me. De judicio autem, quod princeps hujus mundi judicatus eſt.* Etenim dum tam apertum de Chriſto, deque ejus divinitate, deque religionis ab ipſo traditæ veritate teſtimonium perhibuit Spiritus Sanctus eo ipſo convicit mundum, hoc eſt ei apertiſſimè oſtendit peccatum id eſſe, & quidem graviſſimum, quòd in Chriſtum non credant. Oſtendit etiam ſimul juſtum id eſſe, & nequaquam ab æquitate divina abhorrere, quod è mundi conſpectu ſublatus, in cœlum ipſos præceſſerit, ſeque amplius nemini hominum, atque adeò ne diſcipulis quidem ſuis, conſpiciendum præbuerit, præbeatque. Poterant enim credere homines infideles, præſertim Judæi ad quos reſpicit, omnino conveniſſe ut Chriſtus gloriam ac majeſtatem ſuam ipſis oſtenderet, interque eos verſaretur, ut ita occaſionem haberent ipſum pro rege ac domino agnoſcendi, & ſic felicitatem per ipſum conſequendi, cùm ipſis nominatim eſſet à Deo promiſſus ac deſtinatus. Sed cùm Spiritus Sanctus tam apertum, tamque evidens de Chriſti majeſtate atque imperio, deque doctrina ab ipſo tradita perhiberet teſtimonium, apparuit nihil fuiſſe opus, ut Chriſtus in terris amplius inter homines verſaretur, iiſque majeſtatem ſuam oſtenderet, cùm ex Spiritus Sancti de Chriſto teſtimonio ſatis ſuperque haberent cauſæ infidelitatem ſuam deponendi, atque in ipſum credendi; ita quidem ut prorſus indigni eſſent quibus evidentius aliquod documentum Chriſti potentiæ ac veritatis doctrinæ ipſius proponeretur, ſi illo Spiritus Sancti teſtimonio contenti eſſe nollent, & nec verbis Apoſtolorum, nec operibus admirandis, à Spiritu S. profectis, ad fidem Chriſto habendam adduci ſe paterentur. Denique oſtendit Spiritus Sanctus mundo, judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

judicium ipſi imminere, & propemodum jam incipere; quandoquidem ejus Princeps, nempe Satanas, jam judicari & damnari inceperit. Id enim ipſum, quod ut ſuprà cap. 12 Chriſtus loquitur, *ejectus eſt foras*, & veluti e regno regiaque ſua deturbatus exulare coactus eſt, magna ſupplicii quod ipſi infligitur pars eſt, & magnos ei affert cruciatus. Antea enim toto paſſim regnabat orbe, & homines dira ſervitute premebat, atque ab iis pro Deo colebatur, ipſe in idolis reſponſa dabat; unde quæ gentes ſacrificarent, ea dæmoniis ſacrificare Paulus aſſerit. Quæ præda & opima ſpolia ei veluti erepta, maximum ei dolorem incuſſerunt, præſertim cùm ipſe una cum exercitus ſui ducibus, tanquam captivus veluti in triumpho à Chriſto duceretur, & omnium ignominiæ toto paſſim orbe per Apoſtolos exponeretur; qua de re vide Epheſ. 4. ✝. 8, & Coloſſ. 2. 15: ut taceam eum cùm plurimes hinc inde homines obſidere divino permiſſu conſueviſſet, poſtea ex iis divina virtute hinc inde pulſum, & in poſterum etiam aditu ad homines Chriſto addictos prohibitum fuiſſe: Quæ res itidem cruciatum malis Spiritibus eorumque Principi attulit, & ignominiæ notam non exiguam inuſſit. Vide Matt. 8. 29, & 12. ✝. 29, 42, &c. Satanæ ergo ſupplicium ab eo jam tempore incæpit, cùm Chriſtus ſalutarem veritatis lucem intulit, & homines ex Satanæ poteſtate eripere incepit; ſed imprimis tunc, cum legatos ſuos per univerſum terrarum orbem emiſit, eoſque tanta inſtruxit virtute, ut arcem Satanæ invadere, eumque undique pellere poſſent, & omnibus eum opibus, quas per tot ſæcula collegerat, quaſque ſecurè poſſederat, exuere. Jam verò ſi caput hujus mundi judicari ac ſupplicium luere jam cœpit, idem ejus corpori, nempe mundo, expectandum eſt.

His explicatis, illud adhuc requirendum reſtat, quinam iſtorum Spiritus ſancti effectuum, aut quatenus hodie locum habeant; verùm quia id expediri nequit, niſi prius oſtendatur quibus hominibus Spiritus Sanctus ſit promiſſus, & quatenus ea promiſſio ad hæc ſecula referatur, id quod ſequenti capite à nobis fiet, ideò ad eum locum quæſtionis illius explicationem reſervabimus, & ad id quod ſequenti capite tractandum eſſe diximus ſtatim tranſibimus.

CAPUT QUINTUM.

Quibuſnam Spiritus Sanctus detur, quæque ſit propria ejus in homine ſedes.

DIximus ſub initium ſecundæ hujus operis noſtri partis, nobis quinto loco agendum eſſe de ſubjectis Spiritus ſancti, ſeu afflatus divini. Cùm autem conſtet eum à Deo in homines manare, iiſque communicari, duo ſunt hoc loco explicanda; tum quibuſnam hominibus detur, tum quanam in parte hominis ſedem habeat propriam, ſeu quam partem hominis primò ac per ſe afficiat, cùm utraque de re in Sacris literis dicatur.

Et prius quidem non aliunde diſcere poſſumus quam ex promiſſionibus divinis, itemque ex eorum exemplis, quibus Spiritum ſanctum datum fuiſſe legimus; quibus adjungendæ ſunt etiam aliæ rationes è Sacris literis ductæ, ex quibus conſtare poſſit, quibuſnam hominibus dari à Deo & Chriſto Spiritus ſanctus ſoleat.

Quod ad priorem quæſtionem attinet, ea iterum duabus conſtat partibus. Cùm enim indagandum proponitur, quibuſnam hominibus Spiritus S. detur, vel de qualitate quæritur ac conditione ſtatuque hominum quibus Spiritus S. dari ſoleat, vel de tempore ac ſæculo in quo illi vivant. Quare prius illud expediemus, qualibus aut cujuſmodi hominibus à Deo & Chriſto ordinariè detur. Deinde ad quæ tempora tam præſtans donum pertineat, an etiam & quatenus ad noſtra.

Spiritus S. datur in Chriſtum credentibus.

Quod ad prius attinet, ſatis ex S. Literis Novi fœderis conſtat, iis demum hominibus Spiritum S. à Deo Chriſtoque promiſſum, iiſque etiam dari qui in Jeſum Chriſtum crediderint; præſertim ſi jam apertè fuerint nomen ejus profeſſi: & ſeſe ad obſequium ei præſtandum compoſuerint, ejuſque mandata pro viribus exequi laboraverint. Et prima quidem conditio, nempe fides Chriſti doctrinæ adhibita, ſeu aſſenſus ei adhibitus, omnino eſt ad tam præſtans donum obtinendum neceſſarius. Etſi enim Deo licet fidem hominis, imò etiam rationis uſum antevertere, & aliquem Spiritu S. replere antequam credat, ut de Chriſto & Joanne legimus; tamen eorum quæ prorſus ſunt ſingularia & extraordinaria nullam habemus rationem, qui de eo quod ordinariè fiat loquimur, & ex vi promiſſionum divinarum, communique conſuetudine, qua Deum in dono hoc hominibus impertiendo uſum fuiſſe legimus, æſtimamus cujuſmodi hominibus Spiritus ſanctus detur.

Patet autem id quod diximus, partim ex eo quod Dominus Jeſus apud Joan. cap. 7. verſ. 38 ait; quodque Joannes verſu ſeq. ad Chriſti verba explicanda adjicit; *Qui credit in me*, inquit Chriſtus, *quemadmodum dicit Scriptura, flumina ex ejus ventre fluent aquæ viventis*. Subjicit Joannes, *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in ipſum.* Quibus adde ea quæ infra cap. 14. verſ. 17 ait, cùm inquit, *Mundum*, id eſt homines infideles, *non poſſe accipere Spiritum veritatis; nempe quia non videat eum, neque cognoſcat eum;* hoc eſt, etiamſi is in ipſo, nimirum Chriſto, tum temporis eluceat, tum ex ſermonibus, tum ex operibus ipſius divinis, tamen eum videre & agnoſcere nolit. *Vos autem*, inquit, *cognoſcitis eum; quia apud vos manet;* hoc eſt, inter vos, in medio veſtri veluti habitat; *Et in vobis erit*, hoc eſt, In vobis etiam ipſis non multò poſt habitabit. Partim etiam id conſtat ex omnibus exemplis eorum, quibus Spiritum S. ſub Novo fœdere datum à Chriſto legimus. Quam ob cauſam etiam Paulus, ex Spiritus ſancti communione fidelium unitatem probat, & eos omnes unum Eccleſiæ corpus conſtituere; quod facere non poſſet, ſi etiam infidelibus eſſet communis.

Proximè autem ad hunc aſſenſum & fidem in corde latentem, accedit oris confeſſio, ſeu nominis Chriſti profeſſio; quam quidem Deus aliquando dono hoc præſtanti antevertit, ut in iis factum videmus, quos Petrus in Cornelii ædibus ad Chriſtum convertit; tamen id ipſum quoque extraordinarium cenſeri debet, cùm peculiari de cauſa factum fuerit. Cùm enim tum temporis gentes à Judæis impuræ adhuc haberentur, & nondum conſtaret, ne Apoſtolis quidem, eas ad fidei ac ſalutis ſocietatem adſciſcendas eſſe, voluit Deus illuſtre ejus rei documentum extare, & Spiritu S. in eos effuſo oſtendere, ſe fide ipſorum corda expurgaſſe, eoſque non amplius pro impuris, ſed pro puris habendos eſſe; ne dubitarent ii, qui ex circumciſione erant fideles, eos ad ſocietatem & communionem ſuam admittere. Unde etiam videmus Petrum eo animadverſo dixiſſe, *nihil jam obſtare quo minus baptizentur*, & hoc ritu in numerum diſcipulorum Chriſti, atque adeò in Eccleſiæ ſocietatem cooptentur. Aliàs videmus profeſſionem nominis Jeſu Chriſti, & quidem ſolemnem, quæ externo baptiſmi ritu conteſtata fiat, in iis requiri qui Spiritus ſancti donum accipere velint. Hinc etiam Petrus Actor. 2, quærentibus quid facere debeant ita reſpondit; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Ubi, ut jam indicavimus, baptiſmus in nomine, ſeu ſuper nomen Jeſu Chriſti, profeſſionem apertam ac ſolemnem nominis ipſius complectitur. Unde etiam alibi in Actis Apoſtolicis, iis exceptis, qui cum Cornelio aliquando à Petro edocti crediderant, legimus eos demum fuiſſe Spiritu ſancto donatos, qui prius baptiſmum recepiſſent, & ſic Chriſti nomen profeſſi fuiſſent. Et ſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

nè quemadmodum Joannes neminem baptizavit aqua, niſi qui doctrinam ejus amplexus, ejus ſe diſcipulum aliqua ratione profiteretur; ita conſentaneum erat Chriſtum Spiritu ſuo ordinariè nonniſi eos baptizare, qui doctrinam ejus amplexi, ipſius ſe diſcipulos profiterentur; ſi quidem Baptiſmus Spiritus, qui Chriſti eſt proprius, in locum baptiſmi aquæ, qui Joanni fuerat demandatus, quodammodo ſucceſſit, ut Joannis ipſius verba quæ ab Euangelii Scriptoribus commemorantur, indicant. Et hæc quidem conditio ex priori fluit, & in ea quodammodo comprehenditur, cùm firma animi fides confeſſionem oris pariat, & ſine illa pro nulla cenſeatur.

Idem de tertia quam commemoravimus ſtatuendum eſt, hoc eſt de eo ut qui animum ad Deo & Chriſto parendum applicet, & quantum temporis, & quantum virium ipſius ratio patitur, ejus voluntati obtemperet. Nam & ad hanc rem fides in Chriſtum homines adigit, & niſi ea ad fidem accedat, ipſa fides per ſe mortua eſt, hoc eſt apud Deum irrita & inefficax. Atque hinc videmus Petrum in Actis, loco paulo ſuperius citato, nempe cap. 2. verſ. 38, ab iis qui tam præſtans donum habere velint, requirere etiam ut pœnitentiam agant, & porrò ut baptizentur in nomine Chriſti: quæ pœnitentia eo loco ſignificat ejuſmodi animi mutationem, ut anteactæ vitæ ſcelera & peccata deteſtatus, mores emendare, ac ſecundùm Dei voluntatem in poſterum componere velis ac decernas. Quæ ſignificatio pœnitentiæ in Sacris Literis & frequens eſt & magis propria. Itaque per ſe nondum ipſum effectum, hoc eſt vitam ac mores ad divinæ voluntatis normam exactos in ſe complectitur, ſed eos tanquam fructus, temporis progreſſu ex ſe parit. Et hoc quidem animo ad pietatem compoſito, Deus olim contentus ferè fuit, ad Spiritus ſui donum hominibus impertiendum; nec expectavit, præſertim ſemper, donec longiori aliquo temporis tractu, animus hic ſe ſe exereret, & factis internæ huic pietati fidem faceret, ſiquidem ſæpe factum apparet, ut ſtatim poſt baptiſmum, homines divino Spiritu perfunderentur. Illud autem indignum fuiſſet, tam divinum donum iis impertiri, qui animum gererent, doctrina etiam Chriſti ſanctiſſima jam recepta, vitiorum amore adhuc inquinatum, nec priſtinæ vitæ ſcelera adhuc deteſtantem. Quod ſi homines liquorem paulò pretioſiorem in vaſa impura ac ſordida non effundunt, num putamus Deum diviniſſimum Spiritus ſui, ut ita dicam, liquorem infuſurum in pectus vitiis ac ſceleribus inquinatum? Illud & bonitati & ſapientiæ illius erat conſentaneum, ut in iſtis religionis Chriſtianæ incunabulis, fidem animis hominum modò inſitam rore hoc cœleſti ſtatim perfunderet, & ne in prima forte herba extingueretur efficeret; ſimul etiam amorem pietatis eo pacto excitatum firmaret, & vires ei adderet; ut ita tum ii ipſi qui primi glaciem eis fregiſſent, & ſuo aliis exemplo iter ad Chriſto fidem adhibendam aperuiſſent, ſtatim fructum ejus rei ſentirent, ut tantò magis excitarentur, & ad omnem malorum patientiam corroborarentur; & alii hoc auctoramento illecti, & tam illuſtri veritatis documento excitati, tantò alacrius ad eandem doctrinam amplectendam accurrerent. Verumtamen cùm Deus tam præſtans donum in longius tempus diſtulit, nec primum fidei ac pietatis initium ſubſequi ſtatim voluit, illud etiam requiſivit, ut quis non animum tantum ad pietatis ſtudium adjungeret, ſed factis etiam ſuis hunc animum ſuum pro virili exprimeret, ac mandatis Chriſti obtemperaret. Atque hac de cauſa Chriſtus apud Joannem cap. 14. verſ. 21, de Spiritu divino ejuſque effectis, de quibus ibi potiſſimum ſermonem inſtituit, loquens, id ab eis requirit, qui tam præſtantis doni velint eſſe participes, *ut ipſum diligant*, hoc eſt mandata ejus obſervent. *Sic enim fore* ait, *ut iis ſeipſum manifeſtet, utque una cum Patre ſuo ad ipſos veniat, & apud ipſos manſionem faciat*; id quod ipſum per Spiritum Sanctum imprimis præſtare omnes fatentur. Et huc quidem poſſunt aliquomodo extendi illa verba Actor. 5. verſ. 32, quæ ſuprà jam alicubi examinavimus; ubi ait Petrus, *Deum dediſſe Spiritum Sanctum ſibi obtemperantibus.* Quanquam enim, ut ibi oſtendimus, ad hanc obtemperationem ſufficiat doctrinam Chriſti fuiſſe amplexum, & animum ad ei parendum applicuiſſe; nihilominus tamen ſi tantum alicui temporis fuerit conceſſum, ut poſſit etiam animum hunc ſuum factis teſtari, & opere ipſo Deo obtemperare, non ſufficit animo tantùm Deo obtemperaſſe, aut fidem tantùm doctrinæ Chriſti adhibuiſſe, ſed etiam requiritur ut reipſa pro virium modulo Dei mandata exequatur, aliàs de eo nequaquam dicetur eum Deo obtemperaſſe. Id quod iis, quæ ſupra de hoc loco diximus, additum volumus.

Et hæc quidem de qualitatibus quæ in iis ſpectantur, quibus Spiritus S. eſt in Novo fœdere promiſſus, quibuſque à Deo ordinariè datur, dicta ſufficiant. Etſi enim tum res ipſa apertè indicet, tum Chriſtus Luc. XI. verſ. 13, apertiſſimè oſtendat preces eſſe adhibendas, ut divinum hoc donum à Deo obtineamus, & petentibus id à Deo datum iri confirmet; tamen ejus rei conſideratio, magis ad media quibus Spiritus S. obtineatur ab hominibus, de quibus ſeq. cap. agemus, quàm ad hunc locum pertinet. Non fuit tamen id penitus à nobis prætermittendum, quia aliquid proderit ad indagandum, ad quod ſæculum promiſſio Spiritus ſancti à Deo facta, & ordinaria ejus donatio referenda ſit; num ad certum, an verò ad omnia ſit extendenda. Quod antequam ſpecialius expediamus, quædam adhuc explicanda ſunt, quæ pertinent ad qualitatem, ſeu mavis ad conditionem ac ſtatum eorum quibus Spiritus S. ordinariè à Deo impertiatur.

Sunt autem duo potiſſimum, quorum alterum quibuſvis Chriſtianis commune eſt, vel eſſe poteſt; alterum quorundam magis eſt proprium. Prius eſt, quod in Spiritu S. hominibus concedendo, infirmitatis humanæ magna habeatur à Deo Chriſtoque ratio. Poteſt enim jure huc accommodari, id quod Chriſtus aliquando Paulo reſpondit, quòd *ipſius virtus*, ſeu potentia & efficacia, *in infirmitate perficiatur*; quod idem de Deo ſtatuendum eſt. Amat nempe Deus vim & potentiam ſuam in hominum imbecillitate imprimis exerere: id enim & ſapientiæ ejus & bonitati maximè eſt conſentaneum, & ad gloriam ipſius valet plurimum. Etenim qui imbecilliores ſunt, virtute ac robore alieno magis indigent. Conſentaneum autem eſt ſapientiæ ac bonitati divinæ, illis magis occurrere, in iiſque vim ſuam exerere, qui ea re indigent; quod cùm fit, magis etiam apparet, ea quæ ab hominibus tum fiunt, non ipſorum ſed Dei virtute perfici. Itaque omnis laus non ad homines, ſed ad Deum redit. Quo reſpiciens Paulus ait, *ſeſe* alioſque ſui ſimiles *habere theſaurum cognitionis divinæ in teſtaceis vaſis, ut eminentia virtutis Dei ſit, & non ex nobis*; hoc eſt ut appareat, non noſtra nos virtute, inter tot inſultus atque hoſtiles impetus, varioſque adverſæ fortunæ caſus conſiſtere poſſe, & theſaurum hunc ubique terrarum circumferre illibatum, ſed totum id divinæ potentiæ ac virtuti imputandum eſſe. Atque hinc eſt quod idem Apoſtolus in Epiſt. ad Roman. 8. verſ. 26 ait, *Spiritum*, nempe divinum, *opitulari*, vel ſuccurrere, *infirmitatibus noſtris*. Quanquam autem ad afflictiones, quas Chriſtiani juſtitiæ cauſa perpetiuntur, propriè reſpicit Apoſtolus, utpote ad quas ſuſtinendas minimè omnium valemus, ſitque id onus longè graviſſimum; tamen ratio manifeſtè oſtendit, idem latius extendi poſſe. Si enim in afflictionibus imbecillitatis habetur ratio, cùm eas ſuſtinere ad ſalutem ſit prorſus neceſſarium, conſentaneum eſt profecto, ut ſi ad aliquid arduum perficiendum robur deſit, ita ut oneri facilè poſſemus ſuccumbere, niſi Deus opem ferat, idem Dei Spiritus imbecillitati noſtræ ſuccurrat, eamque ſublevet, & tantò quidem magis, quantò quæque res eſt magis

ardua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ardua & neceſſaria. Eſt enim hic rationum paritas attendenda, ſed analogica, atque in proportione quadam conſiſtens. Et de priori quidem hactenus.

Poſterius illud eſt, quod ex Sacris literis apparet, Deum illos à quibus plurium ſalus quodammodo pendet, qui aliis ſalutari veritate inſtruendis eorumve moribus regendis præſunt, Spiritu ſuo præ cæteris repleviſſe, & illius donis largius perfudiſſe. Unde videmus, tum in 12. cap. 1 ad Corinth. tum in cap: 4, ad Epheſ. ubi de Spiritus ſancti donis in Eccleſiam ejuſque membra per Chriſtum effuſis ſermo eſt, primo loco commemorari Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Euangeliſtas, poſt hos Paſtores & Doctores commemorari. Et hic quidem dicto ad Epheſ. loco conquieſcit Apoſtolus; in illo autem ad Corinth. alios etiam commemorat, quos tamen apparet divini Spiritus donis fuiſſe prioribus illis inferiores. Res ſanè ipſa ita poſtulat, & ſapientia divina, quæ omnes ipſius actiones gubernat. Quemadmodum enim in corpore humano accidit, (quo exemplo non ſemel hac in re utitur Apoſtolus) ut quò membrum quodque habeat nobiliorem ſibi finem propoſitum, majoremque functionem, tantò etiam præſtantior ei data ſit facultas, tantoque majores vires, ita etiam in Eccleſiæ corpore contingit. Quò enim quodque membrum præſtantiorem habet functionem, & quò plus ad incolumitatem corporis confert, tantò etiam majores ſunt illi inditæ vires, tantò præſtantior facultas; quæ quidem per Spiritum divinum, à capite (nempe Chriſto) in membra derivatur. Et ſane videtur interdum Deus, dum uni alicui membro donum quoddam Spiritus divini largitur, omnibus quodammodo membris illud impertiri; nempe quia ita membrum illud cum reliquis eſt connexum, ut vim ſuam etiam in reliqua diffundat, atque quod unius eſt κτήσει ſeu poſſeſſione, id omnium fit χρήσει ſeu uſu. Sic non omnia corporis membra vident, etiamſi omnia quodammodo luce indigeant, ſed ſatis eſt oculum eam facultatem habere, qui dum lucidus eſt, totum corpus, ut Chriſtus loquitur, lucidum eſt; ita ut omnia membra, etiam pedes longiſſimè ab oculis diſſiti, cernere videantur, dum oculi cernunt; quod idem de aliis quoque ſtatuendum eſt. Itaque interdum, ut omnes divinæ veritatis cognitione imbuantur, aut etiam ut ardore quodam incendantur, ſatis eſt unum aliquem, v. gr. doctorem, aut duos treſve ſingulari rerum divinarum notitiâ, Spiritus divini virtute inſtrui, & igne quodam cœleſti accendi, à quibus deinde alii inſtruantur, atque ad omnem pietatem inflammentur. Quod ſi tamen fiat ut membra Eccleſiæ tempeſtate aliqua à ſe invicem divellantur, aut aliàs unà eſſe non poſſint, conſentaneum eſt ne ea à ſe invicem dirempta emoriantur, in ſingulis vitalem illum, ut ita loquar, Spiritum foveri, ut in ſe illud habeant, quod ab aliis petere prohibentur. Et de priori primæ quæſtionis parte, hoc eſt de qualitate ac conditione hominum, quibus Spiritus ſanctus ordinariè detur, hactenus dictum eſto.

Accedendum nunc eſt ad alteram prioris quæſtionis partem, & inveſtigandum ad quænam tempora tam præſtans donum pertineat; num id fuerit Eccleſiæ illius primævæ proprium; an verò ad omnes omnium temporum ac ſæculorum Chriſtianos ſpectet, adeoque etiam nobis cum primis illis Chriſtianis ſit aut eſſe poſſit commune. Nos ea de re ita cenſemus, eſſe tam præſtans donum nobis quoque commune cum primæva Eccleſia, atque adeò ad omnium temporum ac ſæculorum Chriſtianos, uſque ad ipſum finem ſpectare, ſed non prorſus æqualiter, verùm proportionatè, ut ex dicendis manifeſtum fiet. Ut enim rem ita ſe habere intelligatur, primùm docebimus donum hoc Eccleſiæ omnium ſeculorum eſſe commune; deinde non æqualiter, ſeu non ex omni parte commune eſſe.

Quod ad prius attinet, duplici ratione id oſtendi poteſt; partim ex promiſſis generalibus de Spiritu S. fidelibus dando in Sacris Scripturis extantibus; partim ex promiſſionum iſtarum cauſis ac rationibus quibus nituntur. Nam primùm Chriſtus Luc. 11, ratione tali quæ æquè in hæc noſtra, atque in prima illa Eccleſiæ Chriſti tempora quadrat, demonſtrat Deum Spiritum ſuum daturum petentibus ipſum. Videantur illa quæ ibi leguntur à verſ 5, uſque ad finem 13. Certè cùm Chriſtus ibi nullam aliam afferat cauſam, cur Deus Spiritum S. hominibus ſit daturus, præter aſſiduitatem precum, præſertim ab iis hominibus fuſarum, qui propter fidem in ipſum, & pietatis ſtudium, filii ipſius cenſeri queant, apparet iſtud promiſſum, quo argumentationem ſuam concludit Chriſtus, ad noſtra ſæcula per ſe, ſeu habita ratione rei ipſius promiſſæ, non verò modi aut quantitatis, non minus ad noſtra, quàm ad prima illa ſæcula pertinere; cum ejuſmodi homines, ad quos promiſſio illa ſpectat, & modus quo donum illud à Deo obtineri dicitur, æquè in hæc noſtra, atque in illa ſæcula cadat. Deinde ſimpliciter atque indiſtinctè Chriſtus apud Joannem cap. 7. 37 ait; *Qui credit in me, quemadmodum dicit Scriptura, flumina ex ejus ventre fluent aquæ viventis.* Id quod Chriſtum de Spiritu illo dixiſſe, quem accepturi eſſent credentes in ipſum, Joannes in ſequenti verſiculo teſtatur. Si ergo Chriſtus credentibus in ſe donum hoc promittit, idque fidei quoddam præmium conſtituit, apparet donum illud per ſe, non habita ratione quantitatis, ut diximus, his quoque ſæculis eſſe commune. Accedit locus apud eundem Scriptorem cap. 14. ubi Chriſtus *iis qui ipſum dilexerint*, hoc eſt *mandata ipſius obſervaverint*, promittit *ſe illis manifeſtaturum* ſeipſum; vel ut paulò poſt ℣. 23 loquitur, *ſe unà cum Patre ad eum venturum, & manſionem apud ipſum facturum*; id quod per Spiritum S. præcipuè ſaltem fieri, tum res ipſa indicat, tum ſermonis illius Chriſti ſcopus ac contextus, in quo de promiſſione Spiritus S. revera agitur, & ita eſſe omnes fatentur. Quare cùm in hæc quoque tempora, dilectio Chriſti, & mandatorum ipſius obſervatio cadat, cadereque omnino debeat, apparet Spiritum S. qui præmii loco Chriſtum diligentibus promiſſus eſt, in hæc quoque tempora cadere, ſeu, ut expreſſius loquamur, hodiernis quoque Chriſtianis Spiritum illum S. promiſſum eſſe. Taceo comparationem illam inter Baptiſmum Spiritus & Baptiſmum aquæ, quam Joannes Baptiſta, ut eſt apud Euangeliſtas, inſtituit, ex qua facilè colligi poteſt, quemadmodum Joannes aquâ ſuos diſcipulos omnes ad ſe venientes, & baptizari ab eo cupientes, tingebat, ita Chriſtum omnes ſuos diſcipulos baptizari ab eo cupientes, & tam præſtans donum vel bonum aſſiduis precibus ab eo flagitantes, Spiritu ſuo tingere atque imbuere. Addi his locis poteſt ille qui eſt apud Eſaiam cap. 59. 21. qui myſtico ſenſu procul dubio ad Eccleſiam pertinet, ubi ait, *Hoc fœdus meum cum eis* (nempe Jacobæis ſeu Iſraëlitis) *dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, à modò & uſque in ſempiternum.* Etiamſi enim de ipſo eventu, ea Dei verba intelligenda non ſint, quaſi nimirum Deus effecturus ſit, ut omnino Spiritus ille in Iſraëlitarum iſtorum ſemine ac poſteritate perduret, & verba ipſius ab ore eorum nunquam recedant, nihilominus tamen id ſignificant ea verba, Deum id curaturum, & quantum in ſe eſt effecturum, ut id fiat. Id quod nobis ſatis eſt, ad oſtendendum Dei Spiritum ad noſtra quoque ſecula, & quæ porrò ad finem uſque mundi fluent, ſpectare; cùm non id agamus, ut oſtendamus Spiritum S. in quoquam nunc omnino extare, licèt ita prorſus ſentiamus; ſed ut demonſtremus Spiritum ſanctum locum nunc habere poſſe, & donum tam præſtans hodiernis quoque Chriſtianis, ſi ita ſe ut decet geſſerint, & eâ quâ convenit ratione id à Deo impetrare conati fuerint, à Deo promiſſum eſſe, ita ut obtinere illud ab ipſo ſemper queant.

Sed jam ad rationes veniamus, quibus probari poteſt etiam ad hæc noſtra ſecula Spiritus Sancti do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

num ſpectare. Nam primùm niſi id concedatur, omnes omnium poſt primævam illam Eccleſiam ſeculorum Chriſtiani, erroris ac imprudentiæ non exiguæ erunt accuſandi; quippe quibus, tum in publicis, tum in privatis precibus uſitatum atque ſolenne fuit ac eſt, Spiritum ſanctum à Deo petere. Cur enim omnes, idque perpetuo, à Deo petant, quod vel prorſus dari non ſoleat, vel rariſſimè, aut pauciſſimis tantùm contingat? Quis hodie id ferat, ut Eccleſia, aut etiam ſinguli privatim orarent, ut miraculoſis illis quæ aliquando in eccleſia viguerunt donis, v. gr. dono ſtupenda opera patrandi, dono linguarum, & ſi quæ ſunt his ſimilia, planè inſtruantur, cùm videamus Deum id nunc facere nolle? Quod ſi eadem eſſet ratio Spiritus ſancti, abſolutè ac per ſe ſumpti, vel ſaltem non admodum diſſimilis, ejuſdem erroris ac imprudentiæ, vel ſaltem non abſimilis, univerſus orbis Chriſtianus, omneſque homines pii, quotquot hactenus vixerunt, vel vivunt, accuſandi eſſent. Præterea non eſſent ea à Deo petenda, præſertim ordinariè, quæ nonniſi vi quadam divina mentibus noſtris inſtillata peragi poſſunt, aut ſolent; quale eſt v. gr. illud, ut cùm ad meditationem rerum divinarum, verbique divini lectionem aut explicationem accedimus, nobis Deus intelligentiam det verbi ſui, & myſteria in eo recondita nobis pandat, aut per nos etiam aliis, ut nos fervore quodam incendat, ut nos ſpirituali gaudio compleat, ut cùm periculorum metu trepidamus animos noſtros erigat ac corroboret, efficiatque ut ad illum ſuſpirare atque effundere preces poſſimus; &, ne alia nunc commemorem, ut affectus quoſdam carnis noſtræ indomitos, ac ſpiritui noſtro palmam facientes dubiam, extinguat; præſertim tum cùm omnia quæ externis noſtris ſenſibus objiciuntur, cum affectibus illis adverſus Spiritum noſtrum conſpirant. Dum enim iſta petimus, non hoc revera petimus, ut ipſum divinum verbum, quod jam habemus & novimus, porrò habeamus, & ſic ejus adminiculo, viribus quibus jam naturaliter inſtructi ſumus, utamur; neque etiam id potiſſimùm oramus, ut Deus externis quibuſdam rebus, vel beneficiis, vel damnis ac moleſtiis, quæ nonnunquam beneficii loco ſunt, ad virtutem incitet, aut nos in rebus ſpiritualibus quacunque ratione juvet; ſed id potius oramus, ſaltem præcipue, ut Deus immediatè mentem ac cor noſtrum regat, ut nobis intelligentiam inſpiret, pietatis amorem, & cætera quæ recenſuimus, inſtillet. Ea verò efficacia qua id præſtatur, Spiritus ſanctus eſt. Quis verò adeò abſurdus eſt, ut has preces hominum piorum ac Deum timentium fruſtraneè & ſtultè ad Deum perpetuò fundi, & divinas aures præterlabi dicat?

Certè hoc pacto, vel non eſſet nobis utendum precatione Dominica, vel non niſi exigua in parte, atque (ut ita dicam) jejuno tantùm ſenſu à nobis uſurpanda. Nam præterquam quod, ut Deus efficiat, quo nomen ipſius ſanctificetur, Spiritu ipſius divino opus eſt, quo vel eorum omnium generatim, à quibus nomen ipſius ſanctificandum eſt, animus ad id faciendum moveatur, vel ſaltem aliquorum, à quibus deinde cæteri, ad nomen divinum celebrandum impellantur; præter hoc, inquam, ad duas quæ ſequuntur petitiones à Deo obtinendas, præſertim ſi prior rectè intelligatur, omnino neceſſe eſt efficaciam divinam, atque adeò Spiritum S. accedere; nempe ad id ut regnum Dei, quod ipſius Chriſti quoque eſt, veniat, atque homines eum venerentur, eique ſe totos conſecrent; præſertim cùm hodie miracula, quæ exterius hominem movere poſſent, ceſſent. Ad id verò ut divinam voluntatem, nos homines adeò fragiles, adeò ad peccatum proni, qui tot illecebris ad flagitia incitamur, ita faciamus, quemadmodum faciunt Angeli cæleſtes, quis non videt efficacia ac virtute quadam divina opus eſſe? Et ſanè dubium nemini eſt, Chriſtum in hac oratione Spiritus Sancti donum complexum eſſe, licèt non omnes in eo conſentiant in qua petitione donum illud contineatur, cùm alii in quarta petitione, alii alibi id comprehendi cenſeant; arbitrantes per plures veluti petitiones hujus doni efflagitationem diffuſam eſſe, maximè autem in prioribus tribus, atque in ultima: quia nimirum Spiritus S. medium eſt ad ea perficienda aptiſſimum, ita ut principem inter ea locum teneat, quæ Deus ad illa efficienda in nobis ſolet adhibere. Sed quicquid ſit, illud (ut diximus) dubium non eſt, quin petitio Spiritus ſancti in precatione Dominica contineatur. Cujus rei argumentum ab aliis quoque affertur, quod Chriſtus apud Lucam cap. XI, cùm precationem illam diſcipulos ſuos docuiſſet, eos poſtea ad ardens ac aſſiduum precandi ſtudium inflammaturus, inſignem illis fructum ex ea re pollicetur, cujus quidem ſummam his verbis complectitur, quod *Spiritum ſanctum Deus ſit daturus petentibus*, ut cuilibet locum illum perlegenti, conſtat. Quid autem ineptius fuiſſet, quàm hunc ſolum precum fructum commemorare, ſi ejus in precatione paulò ante commemorata, qua diſcipuli ordinariè deberent uti, nulla plane facta fuiſſet mentio; ſed aliarum prorſus rerum? Cur non potius dixiſſet Chriſtus, eos qui in aſſiduo precum ſtudio verſarentur, iſta obtenturos, quæ ſuperius petenda dixiſſet? At ſi Spiritus Sancti, ut nos quidem cenſemus, petitio per plures iſtius precationis particulas ſeu petitiones, præſertim præcipuas, diffuſa eſt, imò ad ea omnia generatim obtinenda, quæ illic continentur, ad ſpiritum ac ſalutem noſtram pertinentia, plurimum facit, ſapienter ſane hujus unius fructus mentionem facit, quo reliqui omnes, qui à nobis maximè ſunt expetendi, continentur quodammodo. Spiritu enim Sancto, ut jam antea indicavimus, imprimis fit ut Dei nomen ab hominibus ſanctificetur, ut in ipſorum animis Deus ac Chriſtus regnet, ut ejus voluntatem non ſecus ac Angeli cœleſtes exequantur, ac porrò etiam ut remiſſionem peccatorum obtineant, ut denique adjumentum in afflictionibus per Satanam excitatis, ne illis ſuccumbant, & ab hoſte hoc ſuo ita irretiantur, ne ex ejus caſſibus manibuſque evadere poſſint. Jam verò quis eſt qui precatione Dominica omnium temporum Chriſtianis ordinariè non eſſe utendum, vel nonniſi exigua quadam ex parte eam ad illos pertinere dicere poſſit?

Addi præterea poteſt illa ratio quæ ex fine petita eſt: Si enim præcipuus finis, ob quem Spiritus S. hominibus olim fuerit datus, & cauſa cur in eum finem dabatur hodieque locum habet, certè divina ſapientia poſtulat, ut idem etiam medium, nempe Spiritus ſancti donum, locum habeat. Finem autem illum præcipuum, & cauſam ob quam in eum finem Spiritus Sanctus hominibus daretur, hodie quoque locum habere, facilè intelligitur ex effectis Spiritus ſancti præcipuis, ad eos ſpectantibus qui veritatem divinam jam recepiſſent, quorum cauſa, generatim loquendo, Spiritus S. præcipuè dabatur, licèt quædam Spiritus ſancti effecta, etiam propter alios, nempe infideles, ut ad fidem pertraherentur, & nonnulla fortaſſis præcipue carentur. Unde aliqua inter nos & primos illos Chriſtianos oritur diverſitas, de qua poſtea explicatius dicetur. Illud certum eſt hodie quoque nos indigere mentis illuſtratione, etiam poſtquam verbum divinum audivimus ac recepimus, non minus quàm illi qui olim doctrinam Chriſti jam receperant, & nihilominus Spiritu ſapientiæ ac revelationis indigebant, oculiſque mentis illuſtratis, ut penitius religionis Chriſtianæ cognoſcerent myſteria. Certum etiam eſt nos indigere fidei ac ſpei noſtræ confirmatione, prudentia in actionibus, præſertim dubiis ac difficilibus, in edomandis affectibus, fortitudine in periculis, robore ac patientia in afflictionibus, gaudio in variis calamitatibus ac doloribus, ardore in precibus: quarum rerum in fidelibus efficiendarum cauſa, Deus piis olim Spiritum ſuum largiebatur. Quod ſi aliqua in his rebus inter nos & illos primævos Chriſtianos cernitur differentia, ea efficere quidem poteſt ut diverſimodè nobis atque illis detur Spiritus ſanctus, ſed non ut illi totum illud donum occuparint, nihil autem nobis illius ſit reliquum.

Deni-

Denique ſi Deus ſub Veteri Fœdere quod carnale erat, & nulla generalis de Spiritu Sancto Iſraëlitis dando extitit promiſſio, nihilominus tamen adeò liberalis fuit, ut omnibus propemodum ſeculis, aliquibus ſaltem, & ſæpe quidem ſat multis, donum hoc conceſſerit, quidni in nos Chriſtianos homines, ſimilem exerceat benignitatem, qui ſub eo vivimus fœdere, quod ſpirituale eſt, atque adeò Spiritus appellatur, & in quo, ut ſupra vidimus, non uno loco fidelibus generatim Spiritus ſanctus promittitur?

Sed adverſus pleraſque rationes hactenus à nobis allatas, ne iis quidem exceptis quas ex generalibus Spiritus S. promiſſionibus duximus, objicere quiſpiam poſſet, Spiritus S. donum miraculoſum quidpiam eſſe, quemadmodum ex illis effectis apparet, quæ ſcil. Paulus in loco à nobis ſuperius excuſſo, nempe in 1 Cor. 12, recenſuerit. Jam verò miracula atque adeo etiam miraculoſa dona, primævæ illius Eccleſiæ fuiſſe propria. Pertinuerunt enim ad religionis Eccleſiæque Chriſtianæ fundamenta jacienda, doctrinamque ſalutarem ita confirmandam, ut omnes omnium ſæculorum homines haberent cui fidem ſuam ſuperſtruerent; quod cùm jam olim ſatis fuerit præſtitum, conſequens fuit ut miracula, ac porrò etiam dona huc ſpectantia ceſſarint. Satis enim nobis eſſe debet quòd principia religionis Chriſtianæ, quibus reliqua haud difficulter ſuperſtrui poſſunt, ita ſunt inter tot orbis nationes recepta, ut de iis, utpote cum lacte materno hauſtis, vix quiſquam dubitare, multò autem minus contradicere audeat. His ita conſtitutis poſſet aliquis arbitrari, promiſſiones illas Chriſti, de Spiritu S. credentibus aut mandata Dei obſervantibus dando, licèt alioqui generales, ad primordia tantùm religionis aut Eccleſiæ Chriſtianæ pertinere, ad noſtra autem tempora nequaquam: præſertim cùm ſimile promiſſum videatur extare de ipſis miraculis edendis, quod non minus generale ſit, quàm illæ Spiritus S. promiſſiones. Ita enim apud Joannem cap. 14. 12, legimus, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & is faciet, & majora his faciet, quia ego ad Patrem meum vado, & quicquid petieritis in nomine meo id faciam.* Cum quibus conſentiunt illa quæ leguntur Marc. ult. 17. *Signa autem credentes hæc ſequentur; In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent*, & quæ ſequuntur. At quis eſt qui eadem ad hæc noſtra tempora trahere auſit? & ratio ſanè ejus rei eſt manifeſta. Fine enim ſublato, tolluntur media. Finis autem miraculorum erat novam atque inauditam doctrinam, vel ſaltem nondum ſatis confirmatam, ita ſtabilire ut nemo haberet amplius de ea dubitandi juſtam cauſam, qui finis hodie locum non habet, doctrina Chriſti ſatis jam olim confirmata. Ex quo conſequi videtur, rationem quoque illam noſtram, quam ex fine duximus, non eſſe firmam; quandoquidem finis, ob quem Spiritus S. daretur præcipuè, nunc ſublatus cenſeri debeat, ſeu mavis, ita jam olim fuerit obtentus, ut nullis amplius ad eam rem mediis ſit opus. Jam verò etiam in promiſſis ſpectandum eſt, quem in finem promittantur. Quodſi finis eorum locum jam amplius non habet, ipſam quoque promiſſionum vim ceſſare conſentaneum eſt. Multò autem magis per ea quæ dicta ſunt, tolli videtur ultima ratio, quam ex Vet. Teſt. exemplo duximus. Dona enim Spiritus ſancti quæ tunc dabantur, miraculoſa erant. Quare ſi illa ratio haberet quicquam momenti, ſtatuendum foret etiam miracula hodie, & quidem multò magis eſſe quàm ſub Vetere Teſtamento. At nos hodie miracula ſublata eſſe ultro fatemur, & nobis etiam tacentibus, res ipſa loquitur. Hinc etiam colligi videtur, preces illas quæ de Spiritu Sancto obtinendo funduntur ad Deum, generatim loquendo, inefficaces eſſe.

Sed nihil eſt cur hac objectione, à ſententia & rationibus & teſtimoniis ſacris confirmata, & ab omnibus denique recepta, deducamur, præſertim cum ea haud difficulter ſolvi poſſit. Ea enim tum demum vim haberet ad ſententiam noſtram convellendam, ſi vel nos ſtatueremus eodem prorſus modo hominibus Spiritum S. dari, quo olim, omniaque ejus effecta locum his temporibus habere, quæ in primitiva Eccleſia apparuerunt, vel Spiritus ſancti nonniſi evidentia illa, quæ in primæva Eccleſia olim cernebantur, ſtupendaque effecta eſſent; quorum neutrum concedendum eſt. Prius illud à nobis non ſtatui jam antea profeſſi ſumus, qui quidem volumus Spiritum ſanctum hodie quidem credentibus dari, non verò eo modo dari quo olim, aut cum omnibus quæ olim proferebat effectis. Poſterius autem falſum eſſe, quæ ſuperiori capite de effectis Spiritus ſancti, præſertim generalibus, diximus, & paulò ante hoc ipſo capite repetivimus, partim res ipſa ſatis oſtendit. Cum enim conſtet Spiritum ſanctum divinam virtutem eſſe, qua homines à Deo conſecrentur, quid prohibet quominus Spiritus S. hominibus ita detur, ut id nemo alius animadvertat, itaque vim ſuam in animis hominum exerat, ut ejus effectus in omnium oculos non incurrat, ita nimirum ut olim incurrebant ea quæ miraculis accenſeri omnino debent; quæque nos hodie ceſſare ultro fatemur? Imò quis animo eſt adeo à veritate averſo, ut putet Deum aſſiduis piorum precibus compellatum, iis etiam cum maximè eo dono egent, id illis donum denegaturum? Certè id Deum facturum omnino, ex illa Chriſti ratione quam apud Lucam cap. XI extare ſupra vidimus, conſequitur. Quod verò Paulus 1 Corinth. 12 nonniſi illos Spiritus ſancti effectus recenſuit, qui miraculis accenſeri prorſus debent, & non tantum ab iis in quibus extabant, ſentiebantur, verum etiam ab aliis liquidiſſimè cernebantur, cauſa non eſt quòd alia nulla Spiritus Sancti effecta eaque occulta extarent; ſed quia de effectis illis Spiritus Sancti loquitur, quibus ſeſe Spiritus, ut ipſius verba verſ. 7 poſtea docent, manifeſtaret, & veluti conſpiciendum in fidelibus præberet, ita ut alii quoque eum deprehendere in iis poſſent. Et cauſa etiam erat non exigua, cur hæc potius quàm alia commemoraverit, nempe quia hæc non omnibus, quibus Spiritus Sanctus inerat, erant communia, qualia ſunt, quæ ſunt occultiora. Unde fiebat ut alii ab aliis ratione donorum differrent, atque adeò etiam ſuperarentur. Et contingebat ut nonnulli, qui aliis antecellere ſe donorum iſtorum præſtantia viderent, ſuperbire inciperent, & magnificè de ſe ſentirent ac loquerentur, alioſque inferiores præ ſe contemnerent, præſertim quia etiam omnibus aliis rem cernebant manifeſtam. Hinc porrò & diffidia inter Eccleſiaſtici corporis membra oriebantur, vel certè metuenda erant. Quibus malis ut occurreret Apoſtolus, omnia iſta dona ab eodem Spiritu fluere oſtendit, qui pro arbitrio ea diſpenſet, & tantum abeſſe, ut propterea alii alios contemnere, aut ab aliis diffidere debeant, ut potius cenſere debeant ſe, cum eodem Spiritu regantur, unius corporis membra eſſe; quanquam diverſis viribus ac facultatibus, ut in corpore quoque humano contingit, inſtructa, & alios aliorum utilitati, omnes autem totius corporis integritati atque incremento, pro viribus ſibi datis, ſtudere debere. Interim nos ſupra ſatis docuimus, apertiſſimis Sacrarum literarum teſtimoniis in medium adductis, alios eſſe, & quidem non paucos, nec exiguos Spiritus Sancti effectus, imo generatim loquendo, ad ſalutem magis neceſſarios, quam ſunt illi quos Paulus dicto loco recenſuit: utpote qui per ſe ad ſalutem ſunt neceſſarii, cum illi miraculoſi, omnibuſque manifeſti, nonniſi propter illos neceſſarios, utiles cenſeri debeant; & illi quidem in omnibus fidelibus locùm habere debeant, hi vero non in omnibus, ne primorum quidem illorum temporum, nedum ut hodie locum habeant, & per multa jam ſæcula, quæ à primis Eccleſiæ temporibus fluxerunt, inter fideles reperta fuerint.

Ex his jam intelligitur firmum etiam manere argumentum noſtrum, quo Spiritum S. hodieque dari ſolere probavimus, à fine ductum; Siquidem oſtendimus,

mus, nos illius eſſe ſententiæ, alios ejuſdem eſſe fines, præter illum qui primis tantum temporibus locum habuit, & ob quem miracula extiterunt; imò eos fines qui etiam hodie locum habent, eſſe præcipuos, & quorum cauſa ille, qui primorum illorum temporum proprius eſt, fuit quæſitus. Sunt autem illi quos paulò ante repetivimus, rerum divinarum cognitio, præſertim plenior, fidei ac ſpei noſtræ confirmatio, ad pietatis ſtudium inflammatio, inſtructio in rebus dubiis, ſeu prudentia in actionibus Chriſtiano homini neceſſaria, corroboratio animi in periculis, gaudium in afflictionibus, in precibus ardor, & ſi quæ ſunt his ſimilia. Quare cùm fines præcipui hujus doni extent, illud ipſum donum per ſe hodie extare intelligitur. Intelligitur etiam promiſſiones illas ad hæc quoque tempora pertinere, quibus nobis Chriſtus tam præſtantia dona pollicetur, & diverſam eſſe earum rationem ab illa ejuſdem Chriſti promiſſione, qua miracula fideles ſuos edituros aſſerit; ſiquidem proprius ac proximus hujus promiſſionis finis, jam olim ceſſavit.

Neque verò malè argumentati ſumus, dum ex eo quod ſub Vetere fœdere Spiritus ſanctus multis dabatur, collegimus multò magis hodie dari credentibus, cùm ſub ſpirituali fœdere vivamus, illi ſub carnali; hîc promiſſio generalis ea de re extet, ibi nulla. Nam primùm non conſtat donum illud Spiritus ſancti quod piis daretur, nonniſi miraculoſum fuiſſe & omnibus manifeſtum; imo non exiguæ ſunt cauſæ cur credamus, piis quibuſdam viris occultum quendam afflatum divinum fuiſſe inſpiratum, quo adjuvarentur, partim in verbis legis melius intelligendis, & rebus occultioribus, quæ ſub verborum involucris latebant, aliquo uſque ſaltem eruendis; qua de re non pauca loquuntur Pſalmorum loca, ut inter alia cernere licet Pſalm 119. tum etiam in ejuſdem legis præceptis obſervandis; quod itidem pios viros à Deo precatos fuiſſe, ex Pſalmis ſatis conſtat. Vide inter alia Pſal. 143. verſ. 10, 11. Taceo quod ii qui legis divinæ cauſa graviſſimas perſecutiones morteſque duriſſimas pertulerunt, auxilio quo divinitus confirmarentur indiguerunt, maximè ut aliquam poſt mortem futuri præmii ſpem guſtumque perciperent, utut nondum ſatis intelligerent, quale illud futurum eſſet, nec apertum ac generale ea de re promiſſum in lege, imò ne in Prophetis quidem haberent. Cujuſmodi quidem ſpem in iis fuiſſe, qui Macchabæorum tempore graviſſima quæque ſub Antiocho, præſertim legis cauſa, perpeſſi ſunt, cum ex Macchabæorum libris conſtat, tum ex iis quæ ſub finem cap. XI Epiſt. ad Hebræos leguntur, (qui locus ad eorum hiſtoriam omnino reſpicere videtur) intelligi poteſt. Deinde etiamſi omnia illa Spiritus ſancti dona miraculoſa fuiſſent, nihilominus tamen rectè argumentati fuiſſemus. Etenim ſi Deus illis indulſit, idque per omnia prope ſecula, admiranda illa Spiritus ſancti dona, licet ſub carnali, ut diximus, fœdere viverent; quidni nobis Deus ſub ſpirituali fœdere viventibus, occulta illa Spiritus ſancti dona largiretur, cùm nobis ea hodie æquè ſint neceſſaria, ne dicam magis, quàm miraculoſa illa olim Iſraëlitis, cùm ea ideo tum extarent, ut in carnali fœdere perdurarent, & de divina erga ſe providentia, quæ ad terrenam hanc vitam pertinebat, & quam ex aliis effectis ſatis perſpicuè cernere poterant, certi redderentur? At nos eum in finem illis indigemus, ut felicitatis futuræ, atque à ſenſibus noſtris planè remotæ, ad quam ea via perveniendum eſt, quæ naturæ curſu inſpecto, exitum videtur habere nullum, ſpem certam atque in omnibus cruciatibus invictam concipiamus, eamque pietatem colamus quæ vires naturaliter nobis inſitas non parum ſuperat, & ſic tandem ad ſempiternam ſalutem noſtram pervenire poſſimus.

Satis, ut videmur, oſtendimus Spiritus ſancti donum etiam ad hæc noſtra tempora pertinere: reſtat ut alterum etiam quod ſuperius propoſuimus explicemus, nempe non eodem modo, quo olim, Spiritum ſanctum locum nunc habere, aut fidelibus dari: cujus rei fundamenta jam ſunt à nobis jacta, adeò ut non admodum multa ad rem penitus evolvendam reſtent. Cùm enim oſtenderimus finem ob quem fuit Spiritus ſanctus à Deo per Chriſtum promiſſus, hodie non planè eundem eſſe, qui olim fuit, ita ut miraculis hodie non amplius ſit opus, ſed iis tantum adjumentis, quibus fideles omnes generatim indigent, tum ad intelligentiam rerum ſibi neceſſariarum ad ſalutem, vel ſaltem valde utilium, tum ad prudentiam in actionibus, fervorem in religionis exercitationibus, pietatem in moribus, conſtantiam denique in afflictionibus, & ſi quæ ſunt his ſimilia: quibus accenſeri poſſunt ea quibus opus eſt illis, qui publico in Eccleſia officio, quod hodieque locum habet, funguntur; quorum opera in commune fidelium cedit bonum.

Diſcrimen duplex inter nos & primævos Chriſtianos.

Hinc non difficulter colligi poteſt, quodnam ſit diſcrimen inter nos & primævos illos Chriſtianos, ratione iſtius doni. Etſi autem diſcrimen illud totum eo revocari poſſit, quod olim Spiritus ſancti effuſio ejuſque effecta miraculoſa fuerint, hodie non amplius ſint; ſi nimirum miraculum pro ejuſmodi opere divino ſumas, quod non modo naturæ curſum ſuperet, ſed etiam in ſenſus ita incurrat, ut non poſſit non agnoſci, virtutem aliquam ſupernaturalem ad illud efficiendum acceſſiſſe, nihilominus tamen, ut diſtinctius hac de re loquamur, in duo capita diſcrimen illud poteſt diſtingui.

Primum eſt, quod effecta illa Spiritus ſancti, quæ non potuerunt non miraculum aliquod in ſe continere, hodie locum non habeant; qualia ſunt pleraque à Paulo loco ſuperius examinato, 1 Corinth. 12, enumerata; pleraque inquam, quia ex illis nonnulla, ut ſtatim dicemus, etiam hodie locum habere videntur, ſed alio modo, de quo in poſteriori diſcrimine dicendum erit. Nam aliàs ſapientiâ inſtrui, hoc eſt etiam ſine alterius inſtitutione univerſæ religionis myſteria animo comprehendere, ac probe tenere, facultatem habere ſtupenda opera edendi, ægros ſanandi, res futuras, aut alioqui humano ingenio impervias videre, & aliis annunciare, linguâ quam nunquam didiceris loqui, eamque aliis interpretari, hæc, inquam, effecta non poſſunt eſſe non miraculoſa. Itaque hodie locum amplius non habent, niſi fortaſſis, quod tamen rariſſimè accidit, aliquam Prophetiæ particulam cum quibuſdam communicari velis, & donum quodpiam eloquentiæ, quod videatur cum dono linguarum peregrinarum aliqua ratione comparari poſſe. Sed minus aliquomodo miraculi in ſe videtur habere donum cognitionis ſive intelligentiæ, itemque prudentia illa atque facultas, quam infrà eodem capite, opitulationum & gubernationum nomine comprehendi ſuo loco docuimus. Etenim cognitionis donum ejuſmodi eſſe diximus, ut ad ejus fructum ac effectum percipiendum, meditatatione ac ratiocinatione opus eſſet, nec raptum aut evidentem quendam afflatum ſubinde requiſiviſſe, cum ad effectum perveniendum eſſet, ideoque minus videbatur eſſe miraculoſum, ſeu in miraculo minus apparebat miraculum, ſpecie fere externa miraculi dempta. Id etiam de prudentia illa quæ ad gubernandum & opitulandum requiritur, cenſendum eſt; idque cùm ob hanc cauſam, quam diximus, magis hodie hæc dona locum habeant, quàm olim; tum ob hanc quoque rationem, quòd illa quoque officia Eccleſiaſtica, hodie non minus quàm olim habent locum, ad quorum adminiſtrationem ea maxime proprie ſpectant. Spectant autem, ut oſtendimus, partim ad Doctores & Paſtores Eccleſiarum, partim ad Diaconos. Hi autem omnes, & quidem ſoli, locum habent inter cæteros, quibus olim in Eccleſia ſacrum aliquod munus delegatum fuiſſe ex Paulo accepimus. Nam cæteroqui Apoſtoli, Prophetæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

phetæ, Euangeliſtæ ceſſarunt. Jam verò donum intelligentiæ, ſeu ſcientiæ, valdè neceſſarium eſt, vel ſaltem admodum utile Doctoribus Eccleſiæ, ad myſteria religionis Chriſtianæ rectè percipienda, & aliis explicanda. Donum verò prudentiæ, quod *gubernationis* nomine comprehenditur, paſtoribus aut rectoribus Eccleſiæ, qui mores fidelium regunt ac gubernant, neceſſarium eſt; illud quod *Opitulationum* voce continetur, diaconis. Quare dubitandum non videtur, hæc dona hodie obtineri & poſſe & ſolere ab iis, qui his officiis in Eccleſia funguntur, & ut rectè fungantur omnibus viribus enituntur, Deique ac Domini Jeſu Chriſti opem diligenter & aſſiduè implorant, quamvis alii alios, quemadmodum etiam olim fiebat, non parum ea in parte ſuperent. Præter hæc ſunt & alia Spiritus Sancti effecta, omnibus fidelibus communia, eaque occulta, vel ſaltem talia, ut non ab omnibus animadvertantur, & à ſupernaturali quadam vi proficiſci deprehendantur, quæ Spiritus S. in hominibus Chriſtianis etiam hodie producit; quorum jam aliquoties in ſuperioribus hoc ipſo capite mentio facta eſt, ita ut ea repetere nihil ſit neceſſe.

Alterum diſcrimen, quod inter nos & primævos illos Chriſtianos, ratione doni tam præſtantis cernitur, conſiſtit in donationis modo. Nam ut illud taceamus quod non viſibili aliqua ratione, ſeu externo quodam ſymbolo adhibito, Spiritus S. hodie detur, quemadmodum in prima Spiritus Sancti effuſione, de qua Actor. 2 legitur, factum videmus; ſiquidem ne primis quidem illis temporibus, idem vel perpetuò vel plerumque contigiſſe, ex iiſdem Actis Apoſtolicis colligitur: Ut, inquam, hoc taceamus, illud potiſſimum inter noſtra & prima illa tempora hac in parte intereſſe videtur, quòd olim ſubito quiſpiam dono hoc cœleſti compleretur, ut effectus ejus rei plenus ſtatim exiſteret, aut exiſtere poſſet; unde non potuit non miraculum ea in parte apparere, ob ſubitam illam hominis mutationem, & qualitatis cujuſdam ſeu facultatis novæ acquiſitionem. At hodie non ita confertim, ut ſic loquar, illud Spiritus Sancti donum dari videtur, ſed particulatim potius, & per diverſos temporum articulos; ita ut iſta ſimul collecta menſuram illius doni in homine compleant, quod olim hominibus ſimul dabatur, quatenus quidem idem ad effecta nobiſcum communia propriè referebatur: quanquam non eſt negandum, etiam olim fidelibus, ei quod nobis evenire dicimus, ſimile quippiam eveniſſe.

Atque ut tota res melius intelligatur, animadvertendum eſt Spiritum S. olim hominibus, vel qualitatem quandam ſtabilem impreſſiſſe; vel ſaltem ita in hominibus illis duraſſe, ut quoties illi vellent, ac quo decebat modo curarent, ut vim in illis ſuam exereret, id etiam obtinerent, adeò ut perinde eſſet, ac ſi qualitas quædam illorum animis fuiſſet impreſſa. At hodie Spiritus ille divinus, non tam videtur qualitates aliquas novas per ſeipſum hominibus imprimere, aut ita in illis habitare, ut qualitati perpetuæ ipſis inhærenti, perpetuò reſpondeat; ſed tantum ſubinde animos fidelium, cùm quo docet modo id donum à Deo impetrare curant, commovere, & vel rerum divinarum intelligentia juvare, vel ad pietatem ejuſque partem aliquam excitare. Itaque donum iſtud divinum, motibus quibuſdam & afflatibus ſæpius, ſi modo homo ſeſe prout dignum eſt gerat, repetitis conſtare videtur. Etiamſi autem motus illi per ſe non ita diu durent (licèt hominis devotione ac religione animo ſemel concepti diutius foveri ac veluti continuari poſſint) nihilominus tamen, & ſingulorum iſtorum motuum effectus diu durare poſſunt, &, ſi illi ipſi motus crebro iterentur, vicem perpetuæ qualitatis ſeu facultatis implent. Atque ut exemplis rem declaremus, ſi quis mentem ſuam in rem aliquam divinam intendat, ut eam penitius percipiat, & Deum ut auxilium ſibi ferat diligenter imploret, ſique præterea eveniat ut aliorum quoque interſit eum rem illam intelligere, ac verum penitus cernere; Deus Spiritu ſuo ſæpe intentionem illam mentis in rei ipſius intelligentiam intendit ac dirigit, & facit ut id cernat, & interdum ſubito quidem, quod mens ſibi ſola relicta cernere non potuiſſet. Hoc autem cum ſæpius, idque variis in rebus ad religionem pertinentibus, contingit, cognitionis ſeu intelligentiæ illius loco eſt, quæ in 1 Corinth. 12 commemoratur, & quam hodie quoque in Doctoribus locum imprimis habere diximus. Idem de prudentia; itemque de conſiliis quibus Deus homines Chriſtianos, eos præſertim qui aliorum vitam gubernant, inſtruit, judicandum eſt. Sic cum quiſpiam mentem ſuam ad religionem excitat, & quantum in ſe eſt inflammat, fit ut ſi alioquin Deo charus eſt, ſæpius ardor ipſius altius aſcendat, quam ſibi relictus aſcendere potuiſſet. Quemadmodum enim cum exhalationes è terra in altum eveniuntur, cum ſint ipſæ calidæ, & ut inflammentur aptæ, à Sole aliiſque aſtris incenduntur, ut ignes quidam cœleſtes eſſe videantur; ita cum animus noſter calorem quendam ſpirat, eumque ſurſum mittit, is cœleſtem quendam ignem concipit, atque ex humano divinus evadit. Etſi autem hic ardor diu durare vix ac ne vix quidem poteſt, cum vix natura noſtra illum admodum diu ferre poſſit, & valdè multa exterius nobis objiciantur quæ illum reſtinguant, nec materiam, ut ita dicam, ſubminiſtrare illi diu patiantur; nihilominus tamen & veſtigium aliquod ſui relinquit, & cum ſæpius refovetur, qualitatis cujuſdam conſtanter inhærentis, quæ ſubinde ſit excitanda, inſtar eſt.

Ex his facilè intelligitur quid de cæteris Spiritus Sancti effectis intelligendum ſit; illo tamen animadverſo, quod hìc de communi & ordinaria quadam ratione Spiritum S. fidelibus dandi loquamur. Nam alias nihil prohibet quominus beneficentia Jeſu Chriſti magis adhuc exuberet, ita ut à miraculo res abeſſe vix videatur. Et ſane ſi miraculum id appelles, quicquid præter naturæ curſum divina virtute peragitur, etiamſi in hominum ſenſum non ita manifeſtè incurrat, & à pleriſque, qui rem non ſatis rectè æſtimare norunt, prorſus naturaliter fieri credatur, ne hodie quidem miracula deſunt. Sane quoties Deum oramus, ut aliquid efficiat quod naturali curſu minimè eventurum ſperamus, toties ut miraculum aliquod edat, eundem rogamus. Verum ita res hujuſmodi moderari conſuevit Deus, ut nonniſi illis qui oculos mentis habent illuſtratos, & Dei, ut ita loquar, veſtigia diligenter legunt ac notant, miraculum appareat; idque propterea quod effectus iſtarum divinarum actionum ſenſibus manifeſtus, nonniſi mediis aliquibus naturalibus adhibitis, producatur. Deus autem media iſta vel ſuppeditat ſæpe inſperatò, vel dirigit ac diſponit, vel denique vim illis indit ad effectum producendum neceſſariam, qua ſi caruiſſent, eum non fuiſſent productura.

Illud adhuc, antequam hinc abeamus, addendum eſt, donum hoc magis in piorum hominum conventu, religionis cauſa inſtituto, quàm alibi locum habere; cum & ipſe Chriſtus peculiariter promiſerit ſe in medio illorum futurum, qui in nomine ipſius fuerint congregati. Eo igitur potiſſimum tempore hunc gratiæ ſuæ rorem ſpargit, & ſitientes ſuorum fidelium animos hoc pacto refocillat, & cum idem quoque ignis ſit, eodem animos religionis ac pietatis ſtudio ſuccendit. Sæpe autem fieri videtur, ut ejus potiſſimum, ex cujus ore ac vultu cæteri pendent, animum accendat, ut is poſtea igne hoc ſuo alios quoque inflammet; cum videamus quantum poſſit unius hominis, ardore inflammata atque imprimis divinitus accenſa, oratio. Sic legimus olim aliquot hominum millia, Petri divino Spiritu loquentis oratione commota, ſeu ùt Lucas loquitur, corde compuncta fuiſſe. Quare non ſemper Dominus Jeſus in ſingulorum fidelium animos immediate, ut ita dicam, Spiritum ſuum mittit; ſed interdum u-

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

num aliquem, vel etiam duos treſve, ita aquâ iſtâ vivâ potat atque implet, ut ex illorum viſceribus ad alios dimanet, omneſque ita refocillentur. Quod imprimis ſtatuendum eſt de intelligentiæ dono, quo Eccleſiam ſuam replet Chriſtus. Neque enim neceſſe ut ſingulis detur, ſed ſæpe ſatis eſt uni aut alteri dari, à quo cæteri deinde inſtitui poſſint, ut nihil illis ſit opus peculiari hac in parte dono, præſertim cum fideles ſimul vivunt, & alii aliis ſalutarem veritatis notitiam communicare atque ad veritatem inſtruere facile poſſunt. Non eſt quidem ita reſtrictus Servator noſter, ut neceſſitati tantum conſulat, & nonniſi tantum donorum fidelibus ſuis largiatur, quantum ſalus illorum omnino poſtulat; ſed multum etiam piorum hominum, ipſum ardenter & aſſidue precantium, dat gaudio ac lætitiæ, ac præter neceſſitatem etiam adipiſcendæ ſalutis facultati conſulit. Unde non tantùm Doctoribus & Paſtoribus, verùm etiam aliis Spiritum ſuum largitur, etiam tum cùm non eſt adeò magna neceſſitas. Verumtamen generatim loquendo, per unum omnes, per paucos plures illum inſtruere, ſapientiæ ipſius atque adeo ipſi experientiæ conſentaneum eſt. Sed cum membra Eccleſiæ, ut ſuprà quoque alicubi diximus, à ſe invicem externa violentia divelluntur, aut ob locorum intercapedinem conjungi non poſſunt, vel cum ea eſt ipſorum conditio, ut non vulgari, quod ab homine proficiſci poſſit, auxilio illis ſit opus, ut in maximis perſecutionibus & exquiſitis cruciatibus evenit; tum omnino benignitati Domini Jeſu Chriſti capitis noſtri conſentaneum eſt, ut ſingula membra, vel à ſe quodam modo divulſa, vel aliqua ratione ægra, vitali ſuo Spiritu, ne emoriantur immediatè compleat, & præſenti ope ſua foveat. Certè cum eo ventum eſt, ut ob periculorum magnitudinem ita animus turbetur, ut neſciamus quid quove pacto convenienter oremus, aut cruciatuum acerbitas omnia ſolatia quæ exterius adhibentur quodammodo repellit; nil eſt dubitandum benigniſſimum noſtrum Dominum, ac miſericordiſſimum Pontificem, infirmitati noſtræ ita ſuccurrere velle ac ſolere, ut Spiritus ipſius pro nobis interpellet, & ſuſpiria ineffabilia, divinæ voluntati prorſus conſentanea in animis noſtris excitet, & gaudio ac voluptate cœleſti mentes noſtras refocillet, ne dolorum magnitudine vincantur, atque eam nobis donet pacem, quæ omnem intelligentiam ſuperat, & corda cogitataque noſtra in Chriſto Jeſu ſervat, hoc eſt efficit ne quid à religione Chriſtiana alienum vel cupiamus, vel cogitemus.

Quæ ſit propria Spiritus ſancti in homini ſedes.

Sed jam tandem altera pars primæ quæſtionis, quam hoc capite expediendam nobis ſumpſimus, explicanda eſt. Ea vero eſt, quamnam hominis partem Spiritus ſanctus occupet, ubinam in homine ſedem figat. Id autem tanto paucioribus poterimus expedire, quanto res eſt tum per ſe, tum ex Sacris literis clarior. Atque ut de Sacris Literis primum agamus, Paulus ſanè expreſſe teſtatur ad Galat. 4. 6, *Deum miſiſſe Spiritum filii ſui in corda noſtra.* Cui ſententiæ vehementer etiam favent, ejuſdem Apoſtoli verba ad Rom. 5. verſ. 5. præſertim ſi ea animadvertantur, quæ in prima totius hujus operis parte, nimirum cum de voce egimus, de iſtis Apoſtoli verbis diſſeruimus. Cum autem dicitur Spiritus ſanctus in corda noſtra miſſus eſſe, illo animos menteſque noſtras primo & per ſe imbui, & iſtic tam præſtans donum vim ſuam primo exerere ſignificatur, ita ut cor pro animo ac mente accipere merito poſſis. Quanquam ſi vera eſt Ariſtotelis & eorum qui ipſum ſequuntur ſententia, de ſede animi ſeu Spiritus humani, ut ſane nobis quoque vera eſſe videtur, ſi modo recte intelligatur, non eſt dubitandum, quin in ipſo corde proprie ſic dicto, primo ac per ſe habitet ille Spiritus ſanctus, licet porro etiam alias hominis partes, in quibus aut per quas diverſæ animæ qualitates exercentur, afficiat. Itaque & Spiritus illas dirigit, quibus ſeuſuum internorum, & phantaſiæ, memoriæ, adde etiam intelligentiæ ac judicii humani actiones perficiuntur. Denique & linguam; v. gr. eorum imbuit, quibus & linguarum donum eſt conceſſum; quanquam id eatenus revera facit, quatenus mentem illorum & phantaſiam, ut vocant, ſeu imaginandi facultatem penitus occupat; & certarum ei vocum, quemadmodum Prophetis rerum potiſſimum, ſpecies ita imprimit, ut lingua poſtea ſponte ſua ſequatur mentem, & illa quæ animus concepit voce exprimat. Quod ad rem ipſam attinet, facile perſpici poteſt ex effectis Spiritus ſancti ſuperiori capite à nobis explicatis, eum animum mentemque noſtram primo imbuere, & in corde, ubi deſiderium reſidet, ipſummet etiam reſidere.

Ex his autem facilè intelligi poteſt, quomodo Apoſtolus dicat, 1 Cor. 6. 19, *Corpus noſtrum eſſe templum Spiritus ſancti, qui in nobis ſit.* Neque enim ſignificat Apoſtolus, Spiritum ſanctum per totum corpus noſtrum diffuſum eſſe, ſed in corpore noſtro tanquam habitaculo quodam reſidere; quod veriſſimum eſt, etiamſi non in quavis parte propriè ac per ſe reſideat, ut quidem in quibuſdam eum reſidere, vel cogitare abſurdum eſt; ſed ſatis eſt eum in corde habitare, tanquam in propria ſua ſede, unde porro ad alias quaſdam corporis partes, quas regit, vim ſuam tranſmittit, quemadmodum & ſpiritus noſter vitalis in corde proprie reſidet, tanquam in regia ſua, unde ad omnia corporis membra vim ſuam diffundit, ea animat, vegetat & gubernat. Vocat autem Apoſtolus, corpus noſtrum non ſimpliciter habitaculum, ſed *templum* Spiritus Sancti, quia Spiritus S. Numinis divini veluti eſt loco, & Deus per Spiritum ſuum omnium perfectiſſima ratione in hominibus habitat; templum autem ædificium eſt in quo Numen habitat. Unde Apoſtolus eadem Epiſt. cap. 3. verſ. 16, cum dixiſſet, *An neſcitis quod templum Dei eſtis*, id explicaturus ſimul ac confirmaturus addit, *Et Spiritus Dei habitat in vobis*: quaſi dicat, ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis. In quo autem Spiritus Dei habitat, Deus ipſe habitat; ſiquidem Deus eſſentia ac perſona ſua in cœlo habitat, in terris vero nonniſi virtute ac providentiâ ſuâ, & in hominibus quidem Spiritu ſuo habitat. Itaque ubi hic eſt, ibi Numen adeſſe cenſendum eſt. Locus autem ſeu habitaculum Numinis, ut diximus, templum eſt. Et de his hactenus.

CAPUT SEXTUM.

De modo quo Spiritus Sancti donum, ejuſve augmentum obtineri queat; itemque de ratione, qua vel penitus, vel ex parte amittatur.

EX iis quæ ſuperiore capite potiſſimum diſputata ſunt, facile intelligi poteſt, qua ratione Spiritus Sanctus à Deo obtineri, ac porro etiam conſtanter retineri, imo etiam augeri queat; & contra etiam qua ratione amitti aut minui poſſit. Cum enim de eo ageremus, quibuſnam hominibus Spiritus Sanctus detur, pleraque eorum attingere fuit neceſſe, quæ pertinent ad explicandum modum quo Spiritus S. obtineatur; præſertim cum in promiſſionibus, quibus explicatur in quod hominum genus Deus tam præſtans donum conferat, earum rerum omnium fiat mentio. Vidimus autem Spiritum Sanctum promiſſum eſſe hominibus in Chriſtum credentibus, & mandata ejus obſervantibus, denique Deum ardenter rogantibus, & hoc ipſum donum nominatim ab ipſo flagitantibus. Quibus in rebus univerſa continetur ratio donum hoc à Deo obtinendi, & augmentum ejus impetrandi. Fide enim in Chriſtum ad eam rem opus eſt, & fide quidem per pietatem efficaci, ac precibus ardenter atque aſſiduè ad Deum, ut cœleſte hoc donum nobis impertiatur, fuſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Fides & vitæ pietas requiruntur ad obtinendum Spiritum Sanctum.

Et de *fide* quidem *in Chriſtum* ſtrictè ac propriè ſumpta, atque à pietate vitæ diſtincta, nihil eſt opus amplius dicere. Quod ad *pietatem vitæ* attinet, etiamſi ſuperius alicubi indicaverimus, Deum hoc ſuo beneficio nonnunquam eam antevertere ſolitum; nihilominus tamen oſtenſum eſt, primò animum pietatis ſtudio incenſum, ad id obtinendum fuiſſe requiſitum; deinde ipſam quoque operum pietatem, ſi tantum temporis interceſſerit ſpatium, inter receptionem fidei & Spiritus Sancti donationem; quamvis fortè ea pietas aliqua in parte fuerit manca. Id ergo ad hæc noſtra tempora referendum eſt, & ſtatuendum nemini Deum tam præſtans donum impertiri, niſi animum ad pietatem applicuerit. Quod enim imperfecta ſit adhuc hominis pietas, id quidem incremento doni illius obſtare multum poteſt, ſed non ita ut donum illud penitus obtineri non poſſit; quandoquidem eum præcipuè in finem Spiritus Sanctus nobis datur, hodie præſertim, ut pietatis defectus ſarciatur, noſque in ea majores progreſſus faciamus. Illud adhuc addendum eſt hoc loco, charitate imprimis opus eſſe ei homini, quia à Deo velit impetrare iſtiuſmodi donum, quod ad alienam utilitatem, non minus quam propriam ejus qui poſſidet, pertinere poſſit, quale eſt donum intelligentiæ ac prudentiæ. Unde Apoſtolus 1. Cor. 12, ſub ipſum finem, poſtquam dixiſſet, *Æmulamini*, vel ambite, *dona* (nempe Spiritus Sancti) *meliora* ſeu potiora, addit; *Et adhuc ſecundum excellentiam*, ſeu abundantiam, *viam vobis oſtendo.* Quam quidem viam ſequente ſtatim capite oſtendens, de charitate erga fratres copioſe diſſerit; ſignificans ad id ut quis dona Spiritus Sancti, & quidem potiora obtineat, charitate imprimis opus eſſe. Quia enim ad rectum ac ſalutarem donorum iſtorum uſum, charitas eſt inprimis neceſſaria, ad eam quoque Deus in donis illis conferendis reſpicere conſuevit. Adde etiam quod ea homini quodammodo oſtendit quænam dona potiſſimum à Deo petere debeat, nempe non ea quæ ad oſtentationem magis faciant, ſed potiſſimum quæ ad Eccleſiæ utilitatem maximè pertinent. Quo ipſo Corinthios non obſcure monet, ut Prophetiam potius quam linguarum dona expetant; aut ſi hoc habeant, aut habere cupiant, petant etiam ut interpretandi facultatem habeant; quia aliàs Eccleſiam dono illo ædificare non poſſint; charitas autem jubeat, ut non ſibi tantum, ſed & aliis conſulere velint, nec gloriæ ſuæ velificare, ſed alienæ potius utilitati, 1. Cor. 14. 1, & deinceps per totum fere caput; ſed imprimis verſ. 5, 12 & 13. Idem ergo & nobis obſervandum eſt, ſi donum aliquod præ cæteris eximium, cupimus à Deo obtinere.

Quod ad *preces* áttinet, nihil nunc eſt addendum aliud; ſed illud tantum repetendum quod modo commemoravimus, nempe Paulum ipſum monere dicto loco, 1. Cor. 14. 13. Ut ſi quis donum aliquod priori quod jam habeat ſuperaddi cupiat, oret nempe Deum, ut ſibi donum illud largiri velit, exemplo nobis propoſito eorum qui linguis loquantur. Ait enim, *Qui lingua loquitur, oret ut interpretetur.* Quod idem ad alia dona extendendum eſſe; nemo non videt. Quod ſi autem preces uniuſcujuſque multum valent ad Spiritus Sancti donum ejuſve incrementum impetrandum, non eſt dubium quin majores ſint habituræ vires preces multorum conjunctæ, ſeu aliorum quoque pro quopiam interceſſiones. Quibus adjungenda ſunt & alia quæ ad gratiam divinam impetrandam magnum habere robur ex Sacris Literis novimus, ut ſunt *Jejunia* & *Eleemoſynæ*. Quia vero ſuperiori capite diximus, Chriſtum in diſcipulorum ſuorum *conventu*, vel imprimis hanc divinam virtutem ſuis inſpirare, ideo eos qui tam præſtantis doni deſiderio flagrant, ſacros cætus quam libentiſſime frequentare, & pio ac religioſo animo illis intereſſe, ac Deum Chriſtumque ſuppliciter venerari oportet, ſi modo ulla ipſis eſt conventus illos piorum adeundi occaſio.

Quæ huc uſque diximus, pertinent non tantum ad donum hoc ejuſque augmentum impetrandam, verum etiam ad illud tuendum & conſervandum. Interim ad donum illud tum conſervandum tum augendum, iſtud quoque pertinet, ut quis donum hoc crebris, ut ita dicam, exercitationibus in ſe veluti exuſcitet, hoc eſt ut illo quam frequentiſſime uti velit, atque adeo utatur. Quo pertinent illa Apoſtoli verba ad Timotheum ſcripta, 2. Epiſt. 1. v. 6. ubi eum admonet ut *exſuſcitet donum Dei quod in ipſo ſit per impoſitionem manuum ſuarum.* Ubi proculdubio intelligit donum cognitionis aut etiam Prophetiæ, muneri docendi, quod Euangeliſtarum proprium erat, additum. Exſuſcitare autem illud jubet, quia id donum inſtar ſcintillæ cujuſdam erat in ipſo latentis, & veluti ſub cinere ſepultæ. Quemadmodum autem ut in flammam ſcintilla erumpat, flatu ſuſcitanda eſt; ita ſi quis velit ut Spiritus S. in ipſo habitans vim ſuam exerat, neceſſe eſt ut exercitationem adhibeat, & ſtudio ac conatu, adhibita ſimul animi devotione, ac precum ardore, vim illam latentem eliciat, & in actum crebrò deducat. Aliàs, ut ſcintilla tandem, ſi non exſuſcitetur & foveatur, extingui ſolet; ita etiam Spiritus, niſi crebrò exſuſcitetur & foveatur, extinguitur. Quanquam autem hoc Apoſtoli monitum ad illos propriè videtur pertinere, quibus ita Spiritus S. datur, ut in illis perpetuo reſideat, aut ſaltem qualitatem quandam illic ſtabilem imprimat; recte tamen ad eos etiam accommodatur, qui motum atque afflatum illum divinum ſemel atque iterum ſenſerunt, etiamſi vis iſta divina in ipſis ſedem non fixerit, ita ut in ipſis duraret. Etenim quorum pectora Chriſtus ejuſque Spiritus ſemel inviſit, eadem etiam ſæpius reviſere ſolet, ſi nihil ipſius adventui atque ingreſſui intus obſtet; imò ſi ſuum adventum vehementer deſiderari videat, & animum tanquam hoſpitium parari atque exornari cernat. Quare ſi quis eodem dono perfrui ſæpius velit, atque ita beneficium ſemel cœptum dari, tueri, animum ſubinde parare atque exſuſcitare ad excipiendam divini Spiritus vim debet; id quod eſt inſtar exſuſcitationis illius, de qua Paulus dicto loco commemorat. Adde quod afflatus ille divinus, cujus animum ſemel occupat, in eo veſtigium aut monumentum aliquod ſui ponat aut relinquat, quod vel hominis ſtudio illibatum conſervari, vel neglectu ac contemptu deleri poteſt. Si quis ergo dono cognitionis aliquomodo ſit præditus, ſubinde res ſacras meditari ac rimari debet, & ubi occaſio ſe obtulerit, ad aliorum emolumentum quæ didicit proferre, ut præſentem Chriſti favorem, ac mentis veluti raptum, ſeu mavis directionem, quæ per divinum Spiritum fit, ſæpius experiatur. Si cujus pectus in precibus divino ardore ſuccenſum aliquando fuit, is ſæpius precari & animum ſuum ad devotionem ac religionem componere debet, ut flamma illa cœleſtis in pectus ejus illapſa, materiam quam ſuccendat inveniat. Similiter agendum eſt ei cujus animus gaudio ac voluptate cœleſti fuit aliquando perfuſus, vel intra divini ſermonis auditionem, vel alias pias meditationes. Etenim ad eadem ſtudia, eaſdemque exercitationes ſacras redeundum eſt, ut ejuſdem lætitiæ guſtum ſentiat. Nonnulla adhuc de tuendo Spiritus Sancti hoc dono adjicientur paulò poſt, cùm de extinctione Spiritus agemus, ex loco 1. Theſ. 5. 19.

Qua ratione Spiritus Sanctus amittatur.

Reliquum nunc eſt, ut de ratione agamus qua Spiritus S. *amitti* vel penitus, vel ex parte queat, ut tantò diligentius nobis caveamus, ne donum tam præſtans adepti, illud iterum perdamus. Sumitur autem illud tanquam inter omnes confeſſum, poſſe Spiritum S. quem quis conſecutus fuerit, iterum amitti. Id enim & res ipſa indicat, & S. literarum teſtimonia docent. Nam quod ad rem ipſam attinet, quis non videt donum quod dari potuit, poſſe etiam auferri ab ingrato & indigno? Quod ad S. literarum teſtimonia attinet, omnibus notum eſt Davidem rogare Deum, Pſal. 51. 13, *ne Spiritum ſuum Sanctum à ſe auferat*; per quem Spiritum, afflatus ille Propheticus intelligi videtur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

quo David fuerat à Deo ornatus. Quanquam & Spiritu prudentiæ & fortitudinis, quod ad regium munus rectè exercendum admodum erat utile, & quodammodo neceſſarium, fuerat inſtructus. Exemplum etiam ablati divini Spiritus, Spiritus inquam regii, hoc eſt prudentiæ ac fortitudinis ſeu magnanimitatis, qui ſimul fuit Spiritus lætitiæ, habemus in Saule Davidis anteceſſore. Dicitur enim *receſſiſſe ab illo Spiritus Dei, & Spiritus malus à Domino ipſum exagitaſſe*; 1 Sam. 16. 19, &c. De aliis teſtimoniis mox videbimus, cum explicabimus rationem qua fieri poſſit, ut Spiritus Sanctus amittatur.

Rationem autem illam, partim ex iſtis exemplis & teſtimoniis è S. Scriptura modò adductis; partim ex iſtis quæ de ratione Spiritum divinum adipiſcendi ac conſervandi diximus; partim denique ex aliis Scripturæ locis diſcere poſſumus. Nam quod ad exempla illa attinet: David ob peccatum ſuum verebatur, ne Spiritus Sancti munere à Deo privaretur, ideoque Deo ne id faceret ſupplicabat. Sauli autem ob impietatem & inobedientiam, qua Deum offenderat, Spiritus divinus fuit ademtus. Oſtendimus autem nos antea, fide in Chriſtum cum pietate conjuncta, & precibus ardentibus ac ſtudiis Spiritum Sanctum obtineri, atque augeri, iiſdem mediis atque rationibus etiam conſervari, præſertim ſi accedat exercitatio, ſeu uſus hujus doni divini conſtans atque aſſiduus. Ex quibus jam facile intelligi poteſt, cum contraria contrariorum ſint conſequentia atque effecta, iiſdem rebus neglectis, vel penitus, vel ex parte, Spiritus ſancti donum amitti, præſertim eorum donorum habita ratione, quæ ad proprium illius hominis bonum, qui Spiritu divino fuit præditus, ſpectant; non verò æquè, vel etiam magis ad alienum v. g. totius Eccleſiæ, aut eorum qui ad Eccleſiam aggregandi ſunt, bonum referuntur. Et quidem haud dubium nobis eſt, infidelitatem ſeu apoſtaſiam à Chriſtiana religione, donum hoc ſub Novo fœdere penitus tollere; peccata verò in quæ quis incidat, & quorum conſuetudine teneatur, cum interea religionem Chriſtianam veram eſſe credat ac profiteatur, non quidem ſtatim aut penitus donum hoc extinguere perpetuo arbitramur; magnam tamen vim omnino habere, ob rationes jam commemoratas, ſtatuimus, ad donum illud ordinariè, his præſertim temporibus, vel penitus auferendum, vel ſaltem ex parte, idque eorum potiſſimum effectuum ratione habita, quæ (ut diximus) ad proprium hominis Spiritu S. præditi bonum revera ſpectat. Non diffitemur quidem, magis obſtare peccata in quibus quis hæreat, vitæque impietatem, ne quis Spiritum Sanctum obtineat à Deo, quàm ne ſemel acceptum retineat, cum non facile Deus adimere dona ſua hominibus ſoleat, & convenientius ſit alicui negare beneficium, quàm ſemel datum revocare; interim tamen dubium non eſt, quin creſcente impietate & ingrati animi crimine, conveniat etiam donum, præſertim adeò ſanctum adeoque præſtans, revocare ac tollere, adeoque etiam ordinariè à Deo, hoc præſertim tempore, tolli conſueverit, ea qua explicatum eſt ratione.

Objectiones ex Scriptura in contrarium.

Quæ omnia ut tanto rectius intelligantur, libet ea excutere, quæ contra noſtram de Spiritus Sancti amiſſione ſententiam, ex S. Literis objici poſſunt. Ea vero ſi diligenter examinentur, ſententiam noſtram ita explicatam, non tantum non convellent, ſed ex parte etiam aliqua ratione confirmabunt. Dicere autem quiſpiam poſſet, ex Sacris literis conſtare, homines quoſdam etiam impios Spiritu S. fuiſſe præditos, & quidem eo ipſo tempore cum peſſima conſilia animo agitarent, & exequi conarentur; eoſque donum illud non amiſiſſe, vel poſtquam amiſerint, recepiſſe. Nam primùm legimus Saulem, cùm Davidem generum ſuum perſequeretur, eumque ad necem quæreret, incidiſſe in turbam Prophetarum, & cùm eum invaſiſſet Spir. Domini, ipſum etiam cum illis prophetaſſe; quod etiam ipſius lictoribus vel emiſſariis ad Davidem comprehendendum emiſſis accidiſſe eodem loco ſcriptum reperimus. Locus eſt 1 Sam. 19. 20. uſque ad finem cap. Similiter de Cajapha legimus, eum tunc cùm maximè impium atque nefarium, cum cæteris collegis, de Chriſto interimendo conſilium iniret, prophetaſſe; quia nimirum eo anno ſummi Sacerdotis munere fungeretur; Joan. XI. 51. Idem colligi poſſe videtur ex eo quod Chriſtus ipſe ait, Matth. 7. 22, 23; multos fore qui in illa die ipſi dicent, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & multas potentias fecimus? ſe verò illis confeſſurum, quòd nunquam eos noverit; itaque recederent ab ipſo qui fecerint iniquitatem.* Satis autem apparet Dominum Jeſum velle dicere, eos haudquaquam in eo mentituros, quòd iſta omnia fecerint; ac proinde Spiritum S. quo prophetarint, quo fidem habuerint miracula varia edendi, habuiſſe, & nihilominus impie vixiſſe; unde futurum ſit ut tam præſtantia divini Spiritus munera, illis ad ſempiternam ſalutem in judicio ultimo nequaquam proſint. Neque verò credibile eſt, omnes illos ejuſmodi fuiſſe, qui ſimul ac impiè vivere cœperint, Spiritum amiſerint; alioqui vidiſſent ſibi ſtatim reſponderi poſſe; Atqui ſenſiſtis illa Spiritus mei dona vobis protinus ob impietatem veſtram fuiſſe erepta, nec vos ea ad extremum uſque ſpiritum conſervaſſe.

Reſpondemus autem exempla ac teſtimonia illa nequaquam obſtare, quo minus generatim loquendo ſtatui poſſit ac debeat, Spiritum ſanctum ab homine ob impietatem auferri; præſertim eorum Spiritus ſancti effectorum habita ratione, quæ ad proprium ſeu privatum illius hominis bonum pertinent, qui eo fuerat præditus. Nam primum non ſequitur, quia Deus à quibuſdam, quamvis non paucis, Spiritus ſui donum ob impietatem non abſtulerit, præſertim penitus aut certorum effectuum habita ratione; ideò non ſolere Deum Spiritum ſuum ab hominibus ob impietatem auferre, iſtorum præſertim effectuum habita ratione, qui ſalutis noſtræ rationem propius attingunt; qualis eſt ardor in precibus, gaudium in afflictionibus, robur ac conſtantia tum in univerſa pietate, tum etiam in periculis ac perſecutionibus veritatis cauſa immiſſis. Quivis enim cernit, hæc nonniſi in homines pios cadere, vel ſaltem in eos qui animos ad pietatem penitus applicuerunt, in eoque toti ſunt ut Deo ſeſe approbent. Jam verò eos quos Spiritus divini vim ſenſiſſe, quamvis impii eſſent, legimus, prophetandi aut miracula edendi virtute vel adhuc inſtructos vel penitus privatos non fuiſſe cernimus. Etſi autem illorum plerique, non potuerint non aliquam inde voluptatem, vel gaudium percipere; id tamen cùm ad promiſſiones divinas, præſertim de immortali vita, non accommodaretur, ſeu cum ſpe ſempiternæ felicitatis non conjungeretur, non illud fuit quod Chriſtianorum & verorum Dei filiorum eſt proprium, & iſto longè minus cenſendum eſt. Nec ſane Deum id ſpectaſſe credendum eſt, ut homines illos impios gaudio aliquo perfunderet, ſed partim, ut peſſima illorum conſilia impediret, partim ut aliquid ad veritatis ſuæ confirmationem, illorum opera interveniente præſtaret.

Deinde quod ad Saulis exemplum attinet, apertiſſima ſunt S. literarum verba, ex quibus conſtat Dei Spiritum ab ipſo ablatum, & malum Spiritum, quo in furorem ageretur, illi immiſſum fuiſſe. Itaque etiamſi poſtea eum ſemel divinus Spiritus vel invitum corripuit, & cum aliis prophetis prophetare, vel Dei laudes cantare coëgit, id non obſtat quominus ſimpliciter dicatur Spiritum divinum, qui in eo antea habitarat, ab eo ablatum fuiſſe, etiamſi ad breve admodum tempus, non in ipſius ſed in alienum bonum, ipſum invaſit. Nos autem non negamus fieri poſſe, ut in alienum bonum nonnunquam divinus Spiritus, etiam in malo homine, vim ſuam exerat; ſed ut in eo habitet, vel etiam frequenter eum afflet, præſertim verò in proprium ipſius bonum, id verò eſt quod pernegamus.

Unde etiam patet quid ad Cajaphæ exemplum ſit reſpondendum. Nam & ſemel tantùm eum propheta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

taſſe legimus, & quidem ita ut verba ipſe ſua non intelligeret; quod quidem pertinet ad eum ſenſum qui verè propheticus cenſeri debebat; nec quicquam conſtat Spiritum S. in eo habitaſſe; & afflatus denique qui ipſi contigit, non ipſius bonum, ſed alterius potius bonum ſpectabat; ut nimirum etiam tanti hoſtis teſtimonio conſtaret, quantam populo Iſraëlitico allatura eſſet mors Chriſti utilitatem. Quod ſi quis dicat ex Joannis verbis conſtare, prophetiæ donum ipſi, quamdiu quidem Pontificatu fungeretur fuiſſe perpetuum, quia hanc cauſam attulerit Joannes, cur Cajaphas prophetarit, *quia eo anno fuerit Pontifex*; qua ratione indicare videtur prophetandi donum, ſummis Sacerdotibus proprium perpetuumque fuiſſe: Reſpondemus, id quod concluditur, ex Joannis verbis evinci non poſſe. Id quidem ex iis colligitur ſolitos fuiſſe ſummos Pontifices prophetare, & afflatu quodam diviniore ſæpe rapi, ſed non in illis Spiritum divinum perpetuo habitaſſe, aut quoſvis Pontifices crebrò admodum prophetare ſolitos. Nihil enim aliud dicere velle videtur Joannes, quam non eſſe mirandum vocem hujuſmodi ei excidiſſe, quæ vaticinium quodpiam in ſe contineret, cum is, quamvis alioqui impius, Pontificatu eo anno fungeretur; Pontificibus autem Deum hujuſmodi donum impertiri ſolitum, ſeu eos ob commune populi Iſraëlitici bonum Spiritu ſuo afflaſſe.

Deinde animadvertendum eſt (id quod etiam ad Saulis, ejuſdemque emiſſariorum exemplum referri debet) afflatum illum Propheticum ſub V. Fœdere, præſertim eum qui divino beneficio tum evenire ſolebat multis, quamvis originis ratione divinus fuerit, tamen habita ratione effectorum, non adeò ſublimen fuiſſe, & ſi ſenſum earum rerum literalem & tum temporis apertum atque notum ſpectes, aliquid terrenum atque humanum ſpiraſſe; ideoque non eſſe mirandum, eum hominibus mundanis ac terrena ſpirantibus, adeoque nonnunquam etiam impiis contigiſſe; cùm illi ipſi inde non adeo magnum fructum perciperent, & interdum propè dixerim nullum. At alia ſolet eſſe ratio Spiritus Prophetici ſub Novo fœdere, ejus præſertim qui vel circa myſteria religionis Chriſtianæ explicanda verſatur, vel ad ſpiritualem vitæ rationem, & cœleſte animi gaudium refertur. Quare hic non æquè atque ille ſub Veteri fœdere hominibus impiis communis eſt.

Quod verò ad eos attinet de quibus Chriſtus Matth. 7. 22, 23 loquitur, primùm omnia illa effecta Spiritus divini quæ ibi commemorantur, alienum potius bonum, quàm iſtorum hominum proprium ſpectabant. Deinde duo poſteriora, nimirum ejectio dæmoniorum & potentiarum patratio, non videntur requiſiviſſe ut Spiritus S. in illis perpetuò habitaret: ſufficiebat enim eos ſemel virtute divini Spiritus fidem illam fuiſſe adeptos, de qua ſuperius ex loco 1 Corinth. 12 egimus, illiſque certò conſtitiſſe ſe in Chriſti nomine poſſe miracula patrare. Quare poterant fiducia iſta ſemel concepta, poſtea miracula illa patrare, etiamſi divinus Spiritus eam in illis fidem non ſubinde exſuſcitaret, nec eorum animos ſingulari ratione afflaret. Ut taceam in primordio Euangelii, cum Deus ubique vellet doctrinæ hujus ſuæ documenta evidentia extare, nil prohibuiſſe quominus nonnulli, etiamſi Spiritu S. repleti non eſſent, nec ex interno ejus motu didiciſſent, ſibi donum miracula patrandi eſſe datum; nihilominus tamen conſpecto multorum diſcipulorum exemplo, qui in nomine Jeſu paſſim magna ederent miracula, eandem conciperent fiduciam, & ſe in eodem Chriſti nomine eadem opera patrare poſſe nihil dubitarent, ac porrò etiam patrarent; Chriſto non illos revera commendare volente, ſed ſui potius nominis ac gloriæ rationem habente. Si enim illi nomine ejus cum certa fiducia implorato, miracula illa non edidiſſent, fieri facile potuiſſet ut de potentia Domini Jeſu ea in parte dubitaretur. Non eſt ſanè credibile, eum v. gr. de quo apud Marc. cap. 9, legimus, Spiritu S. fuiſſe repletum, etiamſi miracula in Chriſti nomine ederet, cùm interea Chriſtum non affectaretur, cum ne de Apoſtolis quidem ante Chriſti reſurrectionem, id affirmare tuto poſſimus, eo quod tam claris verbis teſtetur Joannes *Spiritum S.* in fideles *nondum fuiſſe* effuſum, *quia Chriſtus nondum fuerit glorificatus*. Potuit enim Deus ac Chriſtus nomine ſuo implorato, virtute ac efficacia ſua varia miracula edere, etiamſi eos ad quorum preces, ſeu quorum voto interveniente id faceret, Spiritu ſuo non impleret. Quod ad Prophetiam attinet, quæ in eodem Matthæi loco commemoratur, illa quidem, ſi id nomen propriè ſumatur, internum quendam afflatum requirit; Sed primum poteſt etiam ſub Novo fœdere quoddam eſſe prophetandi donum, quod ratione objecti atque effectus, nil adeò ſublime, cœleſte ac divinum ſapiat, quemadmodum ex iis conſtare poteſt quæ de Prophetia cap. 4 explicuimus. Poterat enim aliquis vaticinari de rebus ad hanc terrenam vitam pertinentibus, iis præſertim quæ ad Eccleſiam, aut quempiam ex Eccleſia ſpectarent, quæque ſcire alicujus intererat. Deinde nihil conſtat donum iſtud, cùm homines illi impiè vivere inciperent, in illis perinde ut antea viguiſſe, & non potius langueſcere paulatim cœpiſſe. Imò hoc factum fuiſſe planè eſt credibile, etſi id Dominus Jeſus eo loco non commemoret; quia id non agebat ut oſtenderet dona iſtiuſmodi ab impiis ablatum iri, ſed quamvis ea habuerint, tamen in regnum cœlorum eos intromiſſum non iri. Quod idem reſponderi etiam poteſt de facultate ejiciendi dæmonia, & alia ſtupenda opera edendi.

Ad extremum illud quoque animadvertendum eſt, in Euangelii primordio, ubi Deus tam largus eſſe voluit, & tanta copia Spiritum ſuum in homines effundere, ut veritatem ſuam cœleſtem inter eos firmaret, facta fuiſſe multa quæ pro extraordinariis habenda ſunt, ſi ſpectes totum id tempus quo Novum fœdus viguit, & vigere in poſterum debet. Itaque quòd non ſtatim Deus ab hominibus, præſertim omnibus, tum temporis Spiritum ſuum abſtulit, ac nominatim ab iis qui animum reſipiſcendi, atque ad meliorem frugem redeundi non depoſuiſſent, quamvis ex Chriſti præſcripto vitam non componerent, id non eſt tam latè extendendum, ut arbitremur Deum ne nunc quidem ab hominibus ob impietatem Spiritum ſuum auferre; præſertim ſi de officio ſuo non cogitent, nec ut à peccatis ceſſent laborent. Nam ſi qui in aliqua pietatis parte deficiunt, cum tamen interim contemptum divinæ majeſtatis non ſpirent, ſed potius Deum metuant, & ſupplicia ejus exhoreſcant, de reſipiſcentia ac vitæ emendatio cogitent, eos ne nos quidem arbitramur Spiritu Sancto, quem ſemel acceperint, privari, præſertim penitus; ſed arbitramur potius fieri poſſe, ut fere ad finem uſque vitæ, eos hæc divina benignitas proſequatur, ut ſubinde aliquem tanti doni guſtum percipiant, maximè ſi res ad aliorum quoque emolumentum pertineat, ut in dono cognitionis & prudentiæ, quæ Doctorum ac Paſtorum imprimis eſt, contingit. Interim tamen non eſt etiam dubitandum, ab his quoque Spiritum Sanctum penitus auferri poſſe, & non raro etiam ſolere, niſi magnam ſibi vim fecerint, & peccati jugo excuſſo penitus ſe pietati dederint.

Cum his autem quæ huc uſque diximus de Spiritus Sancti ablatione, vel in totum, vel ex parte, conſentit illud quod Paulus ad Epheſ. cap. 4. ℣. 30, monet, ne ſermonibus v. gr. putridis, ſeu vanis atque corruptis, aliiſve rebus ſimilibus, *contriſtemus* ſeu offendamus *Spiritum S. quo ſimus obſignati*. Quo ſignificat eum à nobis, verbis factiſve indecoris offenſum, vel de diſceſſu cogitare, cùm adeò irreverenter à nobis habeatur; vel ſaltem vim ſuam ita in nobis non exerere; hoc eſt Deum ac Chriſtum qui per Spiritum ſuum inter nos, atque adeò in nobis habitat, hujuſmodi dictis aut factis noſtris offenſum, paulatim iſtud munus ſuum ſubducere, donec tandem illud penitus auferat. Neque verò obſtat quod additur, illo Spiritu fideles eſſe obſignatos *in diem redemptionis*, hoc eſt uſque ad Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſti adventum, cum quo mors noſtra, ut aliàs explicari ſolet, veluti computanda eſt; ſiquidem in adventu Chriſti à ſervitute corruptionis, atque adeò à morte liberabimur. Non enim loquitur Paulus de ipſo eventu, ſed de Dei conſilio atque voluntate, hoc eſt, non id ſignificare vult, Deum ſuos fideles ita obſignaſſe Spiritu Sancto, ut quicquid illi tandem fecerint, ſive pii ſive impii fuerint, donum hoc nunquam perdant; ſed hoc Dei conſilium eſſe, ut illi uſque ad finem vitæ tam præſtanti munere fruantur, modò ita ſe geſſerint quemadmodum eo eſt dignum. Aliàs Apoſtolus vim argumenti ſui imminuiſſet, ſi indicare voluiſſet eos hoc dono nunquam privari poſſe; cùm tamen eam augere & intendere potius voluerit, & cogitandum illis relinquere, quanto dono ſe ſint privaturi ſermonum vanitate, quo non tantùm ad tempus, ſed uſque ad finem vitæ perfrui potuiſſent, atque adeò omnino fuiſſent perfruituri, ſi eo ſe dignos uſquequaque præſtitiſſent. Quare ſibi diligenter caveant, ne notam hanc ſibi divinitus impreſſam, in ſe deleant, qua ſint à Deo communiti atque notati, ne ab ullo ſuorum hoſtium violari, & ne morte quidem ita lædi poſſint, ut interitum illis afferat; & quâ in illis ſalvâ, poſſint certam futuræ liberationis ac ſalutis ſpem concipere. Sed de hoc loco ſuprà plura diximus cap. 3. cum de adjunctis Spiritus Sancti ageremus. Ex hoc autem loco illud potiſſimum obſervandum eſt, non gravibus tantum ſceleribus, ſed & levioribus peccatis, qualia ſunt ſermones ſcurriles, joci, aliaque ſimilia, vel expelli à nobis divinum Spiritum poſſe, vel ejus vim minui, atque non parum impediri.

Illud tandem obſervandum eſt, non tantùm eum ipſum hominem, qui dono aliquo Spiritus divini eſt præditus, ſua culpa id amittere poſſe; ſed etiamſi donum illud non minus, vel etiam magis, ad alienum quàm ad privatum ipſius bonum pertineat, alienâ culpâ, hoc eſt eorum ad quorum utilitatem id potiſſimum comparatum eſt, id ſaltem ex parte perdere poſſe. Nam ſi v.g. Deus ad Eccleſiæ cujuſpiam ædificationem, cuipiam donum Prophetiæ aut cognitionis, aliudve ſimile dederit, non daturus ſi hominis illius privatam habere voluiſſet rationem; quid mirum eſt Deum, ſi Eccleſia ſe eo beneficio prorſus indignam reddiderit, id donum ab homine iſto auferre? Poteſt quidem Deus donum hujuſmodi ab Eccleſia aliqua ita auferre, ut hominem illum qui eo eſt præditus alio transferat; vel quia homines alius cujuſpiam loci digniores videantur, qui fructum tam præſtantis doni percipiant; vel quia homo ille in quem tam præſtans donum collatum fuerat, ita ſe huc uſque geſſerit, ut dignus ſit qui eo porro quoque fruatur; nec conveniens ſit divinæ benignitati, illum ob alienam culpam eo beneficio privare. Nihilominus tamen, ſi vel nulli alii ſint homines qui iſto dono perfrui videantur, aut aliàs nulla ſit cauſa cur homo ille dono iſto potiri amplius debeat, poteſt Deus id quod in alienum bonum dederat, ob alienam etiam culpam auferre. Culpa autem aliena, vel in eo conſiſtere poteſt quòd homines illi, id donum ſpernant, eoque uti dedignentur, ſeu quocunque tandem modo ejus effectum impediant, idque veluti retundant: vel quòd etſi illud per ſe non ſpernant, cæteroquin ſint indigni, qui tanto bono gaudeant.

Ad utrumque modum, ſed magis ad priorem, pertinent illa Apoſtoli verba, 1 Theſſal. 5. verſ. 19. &c. ubi ait, *Spiritum ne extinguite, Prophetias ne contemnite, Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Nam cum dicit, *Spiritum ne extinguite*, fideles ſeu Eccleſiam generatim alloquitur. Neque id ab iis poſtulat, ut ſibi quiſque caveat, ne Spiritum divinum quo ſit præditus, in ſe extinguat, ſed ne eum extinguat in aliis, v. gr. in Prophetis & Doctoribus ſuis. Unde rem clarius explicaturus ſubjungit; *Prophetias nolite contemnere*; ſed potius *omnia probate, & quod bonum eſt tenete.* Animadvertendum enim eſt id quod ſuprà cap. 4. à nobis explicatum eſt, *multos* tum temporis *falſos Prophetas*, ut Joannes loquitur, *in mundum fuiſſe egreſſos*, qui divinum quendam afflatum mentirentur; cum interim vel Diabolico ſpiritu ducerentur, vel raptum quendam tantum ſimularent, à quibus multi decipiebantur. Quam ob cauſam Apoſtolus infrà cap. 2. Epiſt. 2. monet Theſſalonicenſes, *ne cito patiantur ſe à ſententia dimoveri, neve turbentur, ſive per Spiritum, ſive per ſermonem*, &c. hoc eſt, etſi quis tanquam ex afflatu & inſpiratione divina, quippiam diverſum ab eo dictaret, quod ex Apoſtolo didiciſſent. Hoc ergo cum animadvertiſſent Theſſalonicenſes, credibile eſt eos, ut ab hujuſmodi fraudibus tutiores eſſent, Prophetias ſeu vaticinationes ex aliquo afflatu proficiſcentes, planè prohibuiſſe, vel audire dedignatos fuiſſe, tanquam ſub quavis herba lateret anguis; vel ſaltem multos vaticinari prohibitos ab iis, qui vero divinoque afflatu ducerentur, quia non ſtatim apparebat, præſertim omnibus, veros eos Prophetas eſſe. Quare eos monet Apoſtolus, ne id faciant, ne hac ratione tam præſtans donum in iis extinguant; hoc eſt efficiant ut ii homines ſeſe in prophetando minimè exerceant, & vel illud ipſum donum, vel ſaltem uſum neglectu perdant; quod perinde eſt ac ſi lumen in tenebris vellent extinguere. Quare ſuadet, ſi quis iis prophetet, non protinus ſpernant; ſed ſi quis tamen dolus ſubeſſe videatur, dicta ſtatim ad Lydium doctrinæ ſuæ, hoc eſt Apoſtolicæ, lapidem examinent, & ad certiſſima clariſſimaque religionis Chriſtianæ principia revocent, & ſi illis conſentanea deprehenderint, illa probent atque retineant, ſi verò diſſentanea, ea repudient; hoc enim pacto fore, ut nec tam præſtantis doni fructu ſeſe privent, nec in Deum ejuſque Spiritum, & homines eo præditos ſint injurii, nec tamen fraudibus aliorum circumveniantur. Hanc ergo illis mediam viam, planeque regiam eſſe inſiſtendam. Atque hac de cauſa tum Paulus, 1 Cor. 12. (ut alibi, cum de voce ageremus, vidimus) tum Joannes 1 Epiſt. 4. rationem oſtendit probandi Spiritus. De altera ratione qua Eccleſia in cauſa eſſe poſſit, ut cuipiam donum auferatur, quod publicæ ipſius, hoc eſt Eccleſiæ utilitati fuerat deſtinatum, nihil eſt neceſſe amplius dicere, cum res ſatis à nobis videatur explicata.

CONCLUSIO.

Et hæc quidem ſunt quæ de Spiritu Sancto impræſentiarum dicere habuimus. Illud reſtat ut aſſiduis precibus tam præſtans donum à benigniſſimo Patre noſtro, per Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, impetremus, idque conſtanti religione ac pietate in nobis foveamus, & uſque in redemptionis diem illibatum conſervemus; ut is qui reſuſcitavit Chriſtum ex mortuis, vivificet aliquando mortalia corpora noſtra, propter inhabitantem in nobis Spiritum ſuum.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, ſit cum nobis omnibus. AMEN.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

J. C. F.

VINDICIÆ PRO RELIGIONIS LIBERTATE.

IN hoc ſcripto, ut minuatur controverſia, Catholicorum & hæreticorum nomen illis tribuitur, quibus in Eccleſiâ Romanâ tribui conſuevit, ſed ſine tamen cauſſæ ipſius præjudicio. Nam cum illi, qui à Romanâ Eccleſiâ diſſentiunt, poſtulant, ut pax illis civilis ſarta tecta ſit, vel docendum eſt, eos hæreticos non eſſe; vel etiamſi eſſent, pacem tamen cum illis colendam eſſe. Prior controverſia finiri non poteſt, niſi altera pars rationibus alterius victa in ejus veluti caſtra tranſeat. Quare ejus exitum hic expectare longum foret. Sed poſterior controverſia expediri haud difficulter poteſt, &, priori etiam ſtante, decidi debet, eamque ſolam hoc ſcriptum tractandam ſibi ſumit. Ponit ergo ſcripti auctor, tales eſſe eos, qui à Romanâ Eccleſiâ diſſentiunt, quales ab eâ habentur; non aſſerit autem magis, quam credit.

CAPUT I.

Debere Catholicos iis, quos pro hæreticis habent, promiſſam religionis libertatem etiam tum concedere, cum eos ſine ſuo detrimento poſſent opprimere.

CAtholicam religionem permittere, ut libertas religionis hæreticis concedatur, & illorum ſecuritati etiam in poſterum ſine ulla limitatione temporis caveatur, quando illi ſine detrimento Eccleſiæ tolli non poſſunt, & ſcripta doctorum, & praxis ipſa docet. Hinc ſequitur eandem religionem permittere omnino debere, ut poſtquam hæreticis religionis libertas jam fuit promiſſa, ea non eripiatur tunc, cum illi ſine detrimento Eccleſiæ tolli, aut opprimi poſſunt. Etenim cum Catholici cavent hæreticis, ſe eos non oppreſſuros, nec turbaturos religionis cauſſa; iis fidem dant, ſe eos tunc inprimis, cum commode poterunt, nullo damno affecturos. Nam cur promitterent, ſe id non facturos, quod facere aut non poſſint, aut non ſine ſummo ſuo detrimento poſſint? Cum ergo fides poſtulet, ut fiat quod dictum eſt; neceſſe eſt, ut Catholici, ſi perfidiæ crimen effugere velint; etiam tunc ferant hæreticos, cum eos opprimere ſine ſuo incommodo poſſent: & porro, ſi conſcientia illis permittit, ut hæreticis de libertate religionis in poſterum ſine ulla limitatione temporis, aut expreſſe etiam in perpetuum caveant; permittet etiam conſcientia, imo requiret, ut hæreticis libertatem iſtam perpetuo ſartam tectam præſtent, etiamſi eos opprimere commode poſſent.

Quod ut adhuc planius fiat, conſideranda eſt pactorum atque cautionum omnium natura. Cum quis paciſcitur cum altero, & ei cavet, promittit, ſe facturum id, quod alias poſſet ſine ſuo detrimento, imo forte etiam cum ſuo commodo omittere, ejuſve contrarium facere: & qui ſibi caveri vult, poſtulat ab altero, ut id ſibi præſtet, quod alias poſſet non facere, & cujus intermiſſio ipſi poſſet magis fortaſſe expedire, aut placere. Pacta enim ideo ſunt inventa, ut ſecuri de noſtris commodis eſſe poſſimus, etiam tum, cum alteram partem nulla vis externa, aut detrimentum poteſt adigere, ut vel à maleficio abſtineat, vel beneficium nobis aut officium præſtet. Fides enim coactionis loco eſſe debet. Quare dum Catholici hæreticis de libertate in poſterum cavent, & hi ſibi caveri volunt, id illi cavent, iſti autem caveri ſibi poſtulant, fore, ut ſecuri ſint à Catholicis tunc, cum iis commodum eſſet tollere aut opprimere hæreticos. Quod ſi hoc conſcientia Catholicis non permittit; non permittet etiam talia, qualia diximus, pacta unquam inire cum hæreticis, nedum juramenti religione confirmare. Unde porro ſequetur, graviſſime peccaſſe omnes Catholicos, quicunque talia cum hæreticis pacta unquam conſtituerunt; & non modo Doctores reliquos Catholicos erraſſe, qui pacta hujuſmodi, cum neceſſitas urſit, approbarunt; ſed & ipſum caput Catholicæ Eccleſiæ Romanum Pontificem, qui ſcripta illa non damnat, in quibus talia pacta probantur, ab ipſis Jeſuitis edita. Præterea inde conſequeretur, neceſſitatem imponi hæreticis, ſi ſe tutos eſſe velint, omnino cogitandi ac conandi, ut funditus, ubi poſſint, tollant Catholicos, licet ii ad tempus quieſcere velint: quia ſciant Catholicos, ubi commodam occaſionem nacti fuerint ipſos opprimendi aut tollendi, ea non tantum ſalva conſcientia uti poſſe, ſed etiam ſalva conſcientia non poſſe non uti, & vi religionis ſuæ omnino cogi eos opprimere, quicquid tandem promiſerint. Quia nimirum promiſſa illa, utut juramentis confirmata, irrita fiant atque illicita tunc, cum hæretici ſine detrimento Eccleſiæ tolli poſſunt. Itaque niſi hæreticis omnino conſtitutum ſit, vitam ac fortunas ſuas prodere, non deberent illi parcere Catholicis, ſi eos opprimere poſſint: quin etiam modo aliqua in armis ſpes ſit, ea corripere deberent, nec, expectare, donec temporis tractu ac mutatione aliqua facta, Catholicis numero ac viribus plane impares evadant; ſed ſtatim eos invadere, & dubiam potius fortunam ſequi, quam certum ab iis exitium exſpectare. Quod ſi hæc abſurda ipſis ſunt Catholicis, & in iis regnis, provinciis, rebuſpub. ubi viribus ſunt inferiores hæreticis, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo, doctoribus ac paſtoribus ſuis aſſentientibus, pacta talia conſtituunt; neceſſe etiam omnino eſt, ut permittat conſcientia ea pacta ſervare tum, cum Catholicis expediret ea non ſervare. Et ſane ſi Catholici, ut incommodum ac detrimentum Eccleſiæ ſuæ effugiant, pacta ejuſmodi aliquando conſtituunt: debent etiam poſtea cedere commodo, quod ex oppreſſione hæreticorum ſperare poſſunt. Æquum enim eſt, ut qui commodum antea ſenſit ex pactis, poſtea etiam ferat aliquod incommodum, quod pacta poſſint adferre. Quamquam hic nullum revera eſt incommodum, ut in ſequenti propoſitione uberius docebitur. Illud adhuc addendum eſt, legem naturæ eſſe, ut *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Et contra, etiam DEI ac Chriſti legem eſſe Matth. VII. 12, *Quod volueritis, ut faciant vobis homines, id ut faciatis aliis.* Quis autem vellet Catholicorum, ſi hæretici in ſuis ditionibus libertatem illis neceſſitate aliqua coacti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

conceſſiſſent, ut poſtea, neceſſitate illa ſublata, vim iis inferrent ac libertatem eriperent? Nonne hanc perfidiam & merito quidem vocarent? Cur ergo aliis id ipſi vel faciant, vel faciendum cenſeant?

Non arbitror quidem homines moderatos inter Catholicos id dicturos, quod mox ſubjiciemus: apparet tamen ita nonnullos odio in hæreticos abripi, ut videantur ſtatuere, nullam plane cum hæreticis nec fidem, nec jusjurandum Catholicis eſſe: & quod Cicero Lib. 3. offic. de prædonibus ait: Fraudem non eſſe, ſi quis pactum pro capite precium illis non attulerit, ne ſi juratus quidem id fecerit; idem in hæreticos convenire: & ſi Catholicus juraverit hæreticis, poſſe eum uſurpare illud Euripidis; *Juravi lingua, mentem injuratam gero.* Hæreticum enim non minus, quam prædonem eſſe communem omnium hoſtem, cum quo nulla conſtare cuiquam bono poſſit ſocietas, ac porro nec fides, nec juramentum. Imo deteriorem eſſe hæreticum prædone, quod hic corpora tantum occidat, ille animas. Hoc ſi ita eſt, hæreticis probe fuerit obſervandum, ne ullis Catholicorum promiſſis, pactis, fœderibus, juramentis unquam credant; ſed meras fallacias, meras technas eſſe ſtatuant ad eos eludendos ac circumveniendos inventas. Sed deinde quam indignum eſt, homine præſertim Chriſtiano, affirmare, poſſe quempiam jurare lingua, mentem autem injuratam gerere: hoc eſt verbis jurare, id ſe facturum, quod facere non tantum non cogitet, ſed etiam factu impium eſſe ſtatuat? Quid jam ſanctum, quid inviolabile, quid ſincerum erit, ſi etiam juramenti religione licebit ludere? Et erit quiſquam Chriſtianorum hominum, qui aſſerere dubitet, ſanctum illud ac tremendum Dei nomen in vanum licere ſumere, & eo mendacium remque plane impiam confirmare? Verum quidem eſt, ſi quis juramento adhibito quippiam promiſerit, quod factu ſit impium, juramentum id reſcindi debere: ſed non minus verum eſt, juramento nunquam confirmandum eſſe id, quod factu ſit impium: & graviſſime dolendum, ſi quis etiam per errorem rem impiam juramento ſanxerit: tantum abeſt ut cuipiam liceat ſcienti ac prudenti hujuſmodi jusjurandum præſtare. Nam ne ſimplici quidem promiſſo quiſquam ſe ad rem impiam deſignandam obligare debet, tantum abeſt, ut jurejurando impium promiſſum confirmare liceat. Certe homo ille, qui ſciens id fecerit, & perjurus eſt, & duplicis impietatis reus: primo quod rem impiam ſciens promiſerit; deinde quod impium promiſſum re ſanctiſſima confirmare veritus non fuerit, & venerando Dei nomine ad fraudem abuti. Neceſſitas eum hic nulla excuſare poteſt. Nam vel millies homo Chriſtianus mori deberet, quam ad juramentum tam impium deſcendere. Nefaria eſt ergo vox Euripidis, & ex Ethnicorum impietate profecta, *Lingua juravi, mentem injuratam gero*: nec minus illa Ciceronis ſententia, non eſſe ferendum latroni capitis pretium, ſi juratus promiſeris. Vel non jurandum eſt, ſi id præſtare non cogites, præſtitiſſe inhoneſtum putes, nedum prorſus impium; vel ſi recte te jurare putes poſſe, ubi juraveris, id omnino ſervandum erit. Neque enim patitur Deus ſibi illudi, & impune illi eſſe, qui nomine ipſius abuſus fuerit. Et vide quæſo, quam longe ab Euripidis ac Ciceronis mente abſit ipſius Dei ac hominum piorum ſententia atque judicium. Mandaverat olim Deus Iſraëlitis, Num. 33. 52. Deut. 7. 2, 3. ut omnes incolas terræ Chananææ diſperderent, & ad internecionem uſque delerent, nec ullum cum illis inirent pactum, neve illorum miſererentur; idque propter impiam eorum populorum idololatriam, aliaque ſcelera & flagitia graviſſima Joſ. 9. Gabaonitæ, qui erant inter terræ illius indigenas, profecti ad Joſuam & populum reliquum, ſimularunt, ſe non habitare in illa terra, ſed è longinquo venire, & hac fraude obtinuerunt, ut Joſua cæterique principes nomine totius populi fœdus cum illis ferirent, idque juramento ſancirent. Hic quid dicturi fuiſſent illi, qui fœdera, pacta, juramenta hæreticis ſervanda non putant, licet nulla hæreticorum fraus intervenerit, ſed omnia aperte, ac Sole, vel potius Deo vidente facta fuerint? Nonne exclamaſſent, pactum hoc eſſe impium expreſſo Dei mandato adverſum; fraude præterea obtentum; idcirco vanum, irritum & omnino reſcindendum. Juraſſe Joſuam & principes populi, ſed veluti ſub certa conditione, nempe ſi vera eſſent, quæ Gabaonitæ dixiſſent, hoc eſt ſi non eſſent inter incolas terræ Chananææ. Id cum falſum ſit, non teneri populum juramenti religione. At longe aliud cenſuit Joſua, ſenſere principes, & iis docentibus populus, ac ipſe denique Deus ſentire ſe docuit. Nam triduo poſt fraudem reſciverunt Iſraëlitæ, & tamen illis pepercerunt. Cumque univerſum vulgus murmuraret contra principes, reſponderunt eis; Joſ. 9. 19. *Juravimus eis in in nomine Domini DEI Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere.* Quin & Deus ipſe hoc juramentum habuit ratum, nec temporis longinquitate irritum id fieri paſſus eſt. Nam cum aliquot ſeculis poſt Saul eorum quoſdam occidiſſet, 2 Sam. 21, Deus immiſit toti populo Iſraëlitico famem Davidis tempore, nec potuit hoc Saulis facinus expiari, niſi ſuſpenſis ſeptem illius filiis ac nepotibus. Quod ſi Deus voluit, Iſraëlitas ſervare fœdus ac juramentum Gabaonitis adverſus apertum ipſius interdictum præſtitum, & fraude præterea obtentum; Cur non ſervanda ſunt fœdera & juramenta hæreticis, nulla eorum fraude obtenta; cum de iis vel puniendis vel occidendis nullum, nedum tam clarum, quale Iſraëlitæ de Chananæis delendis acceperunt, Dei mandatum habeant, qua de re in ſequentibus plura dicentur. Illud autem iniquiſſimum eſt, eos, qui ſe hæreticos eſſe ignorant, non futuri ſi ſcirent; ſed firmiſſime credunt, ſe veras, pias ac Dei verbo plane conſentaneas de religione ſententias ſequi, nec ulli hominum injuriam faciunt, aut facere cogitant; latronibus ac prædonibus vel æquari vel etiam iis deteriores cenſeri, & in eorum haberi numero, cum quibus nulla ſocietas, nulla fides eſſe poſſit. Nam latrones aliena ſe invadere ſciunt, & contra legem naturæ, pectoribus hominum inſculptam peccant, ſeque male facere non ignorant, &, quod hic maximam vim habet, pacem ac tranquillitatem aliorum turbant, violant, tollunt. Itaque cum in civilia jura peccent, jure etiam civilibus pœnis coërcentur, & tanquam pacis communis violatores à magiſtratu, qui pacis ac ſecuritatis illius cuſtos eſt à Deo conſtitutus, ſupplicio afficiuntur. At hæretici, qui cum aliis pacem colunt, & in poſterum quoque colere volunt ac cupiunt, nec ſe peccare ſciunt, nec in civilia jura quicquam committunt. Quod ſi ratio illa attendenda eſſet, quod animas hominum occidant, id quod ſe facere plane ignorant, imo non facere perſuaſum habent; ea etiam in infideles quadraret, ut Judæos, quos tamen in ditionibus ſuis ferunt Catholici; & in Mahometanos, quos in Polonia alicubi tolerant. Quod ſi dicas, infideles illos non ſpargere ſuum venenum in alios, quod faciunt hæretici: ut taceam, etiam infideles, ſi poſſint, libenter Chriſtianos in ſuas partes pertracturos, & quo minus id fiat, per ipſos non ſtare, ſed vel ob conſtantiam Chriſtianorum, vel ob Judæorum & Mahometanorum in his regionibus vilitatem ac contemtum, ſuos tamen liberos eodem veneno imbuunt. Quis ferat in ſua ditione Judæum, aut alium quemvis infidelem, qui liberos ſuos occideret? At ferunt eoſdem Catholici, dum illi animas liberorum ſuorum occidunt. Apparet ergo non eodem modo tractandos eſſe eos, nedum gravius puniendos, qui animas, ut illi de hæreticis cenſent, ignorantes occidunt, quam qui corpora. Si ratio hæc vim haberet aliquam, occidendæ eſſent omnes meretrices. Quid enim? An illæ non occidunt aliorum animas, dum ad ſcortationem eos alliciunt? 1 Cor. 6. 9. Gal. 5. 19. An non Divus Paulus affirmat, ſcortatores regnum Dei non poſſeſſuros: & Johannes Apoc. XXI. 8. XXII. 15, partem ſcortatorum

fore

fore in illo ſtagno ardente ſulphure & igne? Et tamen principes Catholici ac reſpub. in Italia, Hiſpania & alibi tot meretricum millia in ſuis ditionibus ferunt, & tributum ab illis accipiunt: & ne Roma quidem pellit Pontifex, cum tamen eæ contra honeſtatem quoque civilem peccent, & pudoris ac verecundiæ leges, omnium animis, ſed inprimis ſexui fœmineo à natura inſculptas, tranſiliant. Cur ergo hæretici, qui nec naturæ, nec honeſtatis civilis leges violant, & non tam facile ad errores ſuos alliciunt animos aliorum, quam meretrices ad amorem ſui; pejus tractentur propterea, quod animas hominum occidant? Cur pro talibus habeantur, cum quibus nulla poſſit eſſe ſocietas, nullum jus, nulla amicitia? ſi quidem honeſte cæteroquin vivant, injuriam faciant nemini, imo de omnibus bene mereri ſtudeant, & pacem cum univerſis, quantum in ſe eſt, colant. Nam ut veluti in ſummam rem totam conferamus: *Quicunque ſocietatem civilem pro virili cum aliis colunt, nec pacem, ac tranquillitatem aliorum turbant, illi à ſocietate civili excludi nullo jure poſſunt, nec pax illis ullo modo deneganda eſt.* Quare cum in horum omnium genere ſint hæretici, nec à ſocietate civili arcendi ſunt, nec pax illis ac tranquillitas neganda.

CAPUT II.

Poſſe Catholicos ſalva conſcientia libertatem religionis hæreticis concedere, & de ſecuritate illis cavere.

VErentur multi, præſertim cum neceſſitas eos non urget, religionis libertatem concedere hæreticis, & de ſecuritate illis cavere: quia id eſſet hæreſim approbare, & jus illis dare errores peſtiferos ſpargendi. Et iidem tamen ſine ſcrupulo conſcientiæ Judæis, ut diximus, & alicubi etiam Mahometanis, libertatem religionis permittunt, & de ſecuritate cavent. Num forte hoc pacto approbant Judæorum aut Mahometanorum errores, & eorum in Chriſtum blaſphemias? Aliud eſt approbare; aliud vi non prohibere. Neque vero eſt, quod dicas: alios eſſe infideles, quo in numero ſint Judæi & Mahometani, alios hæreticos. Id enim diſcrimen hoc loco nullum habet momentum, ubi tantum quæritur, utrum libertate hæreticis conceſſa, errores illorum approbentur, nec ne? Hac enim in re eadem eſt infidelium & hæreticorum ratio. De jure autem quod dicunt, quod hæreticis detur, libertate illis conceſſa, ſi intelligunt jus ejuſmodi, quo approbetur hæreſis & honeſta cenſeatur; tale jus nec dare hæreticis poſſunt Catholici, nec ab iis hæretici petunt; ſed jus tantum indemnitatis & impunitatis civilis, quod dare etiam is poteſt, qui hæreſin non tantum non approbat, ſed valde etiam improbat & averſatur. Sic indemnitas ac impunitas civilis datur hominibus ebrioſis & avaris. Quis enim eos hoc nomine punit? Licet utrique & graviter peccent ipſi & exemplo noceant, & ex utroque vitio multa in alios & ſæpe in rempubl. mala redundare poſſint. Quis vero diceret, te illorum vitia approbare, & jus illis dare, quod dare non poſſis, ea peccata committendi, ſi bona fide promitteres, te nolle eos, ſi ab aliorum injuria abſtineant, punire? Multi nobiles graviter in ſubditos peccant, & id tamen illis civiliter impune eſt: & libertas eorum violaretur, ſi tu eos punire propterea velles. Et ſane in omni dominio præſertim abſoluto id evenit, ut quod Dominus peccavit in eum, in quem jus abſolutum habet, id ei civiliter ſit inultum. Nil autem religionis libertas hæreticis conceſſa requirit aliud, quam ne vi ulla eos prohibeas, quo minus religioni ſuæ vacent, eam exerceant, profiteantur, defendant, & ſine violentia propagare ſtudeant; neve damno eos ullo propterea afficias: ſed Deo rem totam committas, ut ipſe eos, cum viſum fuerit, puniat; relinquas etiam Eccleſiæ Catholicæ, ut eos armis ſpiritualibus, quibus polleat, ſive miracula ſint, ſive rationes & argumenta, quam validiſſime poſſit, oppugnet, quin etiam, ſi ita placeat, cenſuris mere Eccleſiaſticis notet; mere, inquam, Eccleſiaſticis, non civilibus, ne ſimul in eorum corpora, fortunas aut famam graſſetur. Chriſtiani ab initio, cum inter Judæos aut Ethnicos viverent, nullis profecto malis civilibuſve pœnis eos affecerunt, nec afficere ſunt conati. Quod autem reipſa fecerunt, id etiam promittere fide ac juramento interpoſito potuerunt. Nec tamen quiſquam dixerit, eos Judæorum aut paganorum errores improbos ac blaſphemos vel approbaſſe, vel jus illos ſpargendi ac propagandi tale dediſſe, quod dare ſalva conſcientia nemo Chriſtianus poſſit. Quod ſi dicas, non potuiſſe ejus temporis Chriſtianos aliter facere, quia infidelibus potentia fuerint impares; aliter facturos, ſi ſuperiores fuiſſent: quid aliud dices, quam primævos illos Chriſtianos fuiſſe ſerpentium inſtar in ſinu infidelium, qui tam diu illis non nocuerint, quam diu non potuerint, nocituri, eoſque oppreſſuri ſimulac commode poſſent. Hoc pacto fictam ipſorum erga infideles charitatem, pacis ſtudium, patientiam facies, quæ in ſævitiam adverſus eos & bellum, ubi vires Chriſtianis ſuæ placere incepiſſent, mox fuerit abitura. Graviſſimam hoc pacto habuiſſent infideles cauſam de Chriſtianorum internecione cogitandi: utpote à quibus certiſſimum illis exitium eſſet expectandum, quicquid ii manſuetudinem ac patientiam ad tempus præ ſe ferrent. Hæc cum ſint valde abſurda, atque adeo impia dictu, & in pietatem ſanctorum Chriſti profeſſorum ac martyrum injuria; neceſſe eſt ſtatuere, Chriſtianos primævos omnino toleraturos fuiſſe infideles, etiamſi illos opprimere poſſent; ac porro non eſſe hoc, approbare errores, ut ut impios ac peſtiferos, ſi eos in aliis, quos vi opprimere poſſes, toleres eatenus, ut civilibus pœnis ac damnis non perſequaris. Sequitur etiam, licere Chriſtianis jus hujuſmodi indemnitatis ac impunitatis concedere iis, qui errores impios fovent ac defendunt. Nam ſi licet tibi indemnitatem atque impunitatem illam reipſa præſtare iis, qui impios ac peſtilentes errores fovent, licebit etiam tibi jus hujus rei illis dare, hoc eſt bona fide ſpondere, te illos quantum in te eſt, indemnes præſtiturum, & nulla eos pœna aut detrimento hæreſeos cauſſa affecturum, aut ut afficiantur, curaturum: ſed contra potius impediturum, ne ab iis, qui in tua ſunt poteſtate, & quibus leges præſcribere potes, damno aliquo afficiantur. Quod enim tu jure, hoc eſt recte ac ſine peccato facere potes, ad id faciendum te potes etiam obſtringere, & alteri de eo cavere.

Sed objiciunt nonnulli illud Pauli 2 Cor. VI. 14. & ſeq. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Sed hic ſermo non eſt de pace aut conjunctione civili, qualis eſt inter ejuſdem reipub. membra iiſdem legibus utentia. Quandoquidem hujuſmodi pacem & ipſe Sanctus Paulus & Chriſtiani omnes tunc temporis coluerunt cum infidelibus tum Judæis tum Ethnicis, inter quos vivebant. Quin idem ille Apoſtolus alibi juſſit Rom. XII. 18. Hebr. XII. 14, ut Chriſtiani *cum omnibus hominibus, quantum in ſe eſt, pacem colerent*: & expreſſe ſcripſit ad eoſdem Corinthios 1 Epiſt. V. 9. *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini* (hoc eſt ne converſemini cum) *fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi* (hoc eſt infidelibus) *aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe.* &c. Permittit ibi aperte, ut fideles cum hominibus infidelibus atque idololatris commiſceantur ſeu converſentur, cum illis negotia tractent, cibum etiam capiant, ut ex ſequentibus apparet. Et nunc an non cum Judæis civiliter pax colitur? An non jura illis de ſecuritate cavent? An non fœdera cum Mahometanis aliaque pacta conſtituunt Chriſtiani principes ac reſpub. & ipſum adeo Poloniæ

regnum? Non ergo Divi Pauli verba de civili ſocietate atque amicitia, pactiſve aliis ſimilibus loquuntur; ſed de alia arctiori interiorique conjunctione, à qua abſtinere poſſunt illi, qui civiliter amici ſunt, & pacem inter ſe ſummo ſtudio colunt, ac mutua ſibi invicem humanitatis officia quavis occaſione præſtant. Chriſtiani certe hæc officia omnibus debent, quanquam maxime domeſticis fidei, eodem Paulo docente Galat. VI. 10, qui eos cum infidelibus jugum ducere non vult.

Afferunt alii aliud Matth. XVIII. 17: *Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus, atque publicanis.* Sed hic locus, id quod volunt, haudquaquam probat. Vult enim Chriſtus ita nos agere cum eo, qui Eccleſiam non audierit, quemadmodum Judæi vulgo conſueverant agere cum Ethnicis ac publicanis. Atqui Ethnicos ac publicanos non expellebant è republica aut civitate Judæi; eos non perſequebantur, nulla afficiebant civili pæna & incommodo: ſed tantum cum illis familiariter verſari non ſolebant, & ad eorum menſas accedere, invitati licet, renuebant. Interea commercia cum illis habebant, & negotia tum publica tum privata tractabant, & ſi in ædes ſuas venirent, eos non expellebant, & ne à menſa quidem ſua, ſi cibum una capere vellent, arcebant. Quod ſi de excluſione à civili ſocietate locutus fuiſſet Chriſtus, quomodo Apoſtoli cæterique Chriſtiani, qui primis illis temporibus vix ipſi locum in civitatibus habebant, potuiſſent hoc Chriſti mandatum exequi, & eos, qui Eccleſiam non audirent, ex urbibus, provinciis, regnis expellere? Deinde non eſt hic ſermo de hæreticis & infidelibus, ſed de fidelibus tantum, qui in fratrem peccaverint, & tum privatim tum ab Eccleſia publice moniti ac reprehenſi, culpam nolint agnoſcere. Alia eſt ratio eorum, qui ad Eccleſiam non pertinent, quo in numero ſunt hæretici, præſertim ii, qui ex hæreticis ipſi ſunt nati.

Objiciunt aliqui & illud Divi Johannis: 2 Joh. 10, 11, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite eum recipere in donum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Sed primum aliud eſt in ædes ſuas non recipere, & ave alicui non dicere; aliud eum regno aut civitate excludere, in corpus ac fortunam ejus graſſari. Illud poterant eo tempore facere fideles; hoc non poterant: ac proinde non hoc, ſed illud tantum præcipit Johannes verſ. 7. Deinde ſermo illic tantum eſt de ſeductoribus, quos Antichriſtos appellat, qui non confitebantur Jeſum eſſe Chriſtum, qui in carne venit: ut ex antecedentibus verbis apparet, & ex non paucis primæ epiſtolæ locis intelligitur. Tales autem hæretici, qui illud negent, hodie non extant; in Polonia ſaltem nulli ſunt; tantum abeſt ut hæretici hodierni in ſeductorum illorum cenſum relegandi ſint, qui contra manifeſtam veritatem, animique ſui conſcientiam in tam peſtilentem errorem alios inducere conentur. Denique tunc demum prohibet Johannes hoſpitio eos excipere, aut ave illis dicere, cum docendi cauſa, vel ſaltem religionis negotium acturi ad nos veniunt; non cum negotia civilia aut privata alia tractant, & tanquam ejuſdem reipub. membra nobiſcum verſari cupiunt.

Plerique & illud urgent, quod Deus olim falſos Prophetas, itemque eos, qui ad falſorum Deorum cultum deficiebant, occidi juſſerit. Sed primum aliud eſt hæreticum eſſe; aliud falſum Prophetam, aut ad falſorum Deorum cultum deficere. Qui hæretici hodie audiunt, non alium quam verùm illum Deum, cœli & terræ creatorem, & Jeſum Chriſtum ſervatorem ſuum colunt; ſed duntaxat de ipſo, deve rebus ſacris, atque ad cultum verum Dei & Jeſu Chriſti pertinentibus, diverſas à Catholicis ſententias tuentur. Itaque ad falſorum Deorum cultum haudquaquam defecerunt, tantum abeſt ut falſis Prophetis ſint annumerandi, qui tam impii facinoris aliis ſint auctores. Hi enim demum pro falſis Prophetis erant habendi, qui perſuadere aliis conarentur, ſe numinis alicujus inſtinctu loqui, ſuaque dicta pro oraculis eſſe habenda: id quod hæretici hodie nequaquam faciunt. De iis autem, qui legem cæteroqui ſervandam ſtatuebant, ſed alia aliqua hæreſi erant imbuti, legem illam divinam non eſſe intelligendam, id ſatis poteſt docere, quod olim inter Judæos legis amore ac ſtudio admodum flagrantes, hæretici tamen ferrentur. Etenim & ipſius Chriſti tempore & multo etiam ante ipſum, Sadducæi erant, qui angelos & ſpiritus eſſe negabant, & reſurrectionem mortuorum oppugnabant, &, ut doctores Catholici tradunt, omnes præter Moſen Prophetas repudiabant: cumque graviſſime errare à majori tum populi tum Seniorum parte crederentur; tamen nec è civitate pellebantur, nec à magiſtratu aliiſve civilibus muneribus excludebantur; imo ne à templo quidem aut Synagogis arcebantur. Cur ergo hæretici hodie ob legem de falſis Prophetis aut falſorum deorum cultoribus latam occidendi cenſeantur? Accedit, quod qui olim populum à vero Deo ad falſorum deorum cultum abducebant, aut ipſi ſponte ſuâ deficiebant, non poterant non ſcire id adverſus legem Dei expreſſam ſe facere. Quandoquidem adeo aperta eâ de re lex fuerat lata, ut nemo poſſet ejus ſententiam ignorare. At qui hodie ſunt hæretici, ii neſciunt ſe adverſus Dei legem cæteraque oracula quicquam agere aut credere; & ſi ſcirent, ſententias de religione ſuas abjicerent. Longe ergo gravior fuit falſorum illorum Prophetarum, itemque apoſtatarum culpa, quam hodie hæreticorum; ac proinde non protinus, qua pœna Deus illos affici juſſit, hi ſunt afficiendi. Adde & illud, quod tum tempóris prophetiæ prope perpetuo in populo Iſraëlitico vigebant, per quas de Deo ejuſque voluntate aperta ſubinde edebantur teſtimonia, ut nemo niſi oculos claudere & ad meridianam lucem cæcutire vellet, ignorare poſſet, quid de Deo deque ejus cultu ſentire deberet. Hodie autem prophetiæ ceſſarunt: unde & facilior eſt in errorem de cultu Dei vero lapſus. Denique norunt omnes, leges Moſis civiles, inter quas ſunt & illæ, quæ occidere prophetam falſum, aut apoſtatam ad idololatriam prolapſum juſſerunt, Chriſtianos non obſtringere. Has ſane leges, de quibus nunc agimus, nos non obligare, inde facile colligi poteſt; quod in toto novo Teſtamento nec quicquam tale præcipitur, nec uſpiam leviter ſaltem innuitur, vel apoſtatas vel hæreticos eſſe à Chriſtianis affligendos, atque ad ſupplicium trahendos. *Hæreticum hominem ex præſcripto Apoſtoli vitare didici, non igni tradere*; recte alicubi ſcripſit Hieronymus. Ita enim Tito Epiſt. III. 10. præcipit Paulus Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt unam atque alteram admonitionem devita.* Et hæreticum quidem illum intelligit, qui ſua ipſius ſententia damnatus eſt, utpote qui apertiſſimæ veritati à ſe agnitæ reluctatur, ut ex ſequentibus ejus verbis intelligitur. Quomodo ergo Chriſtianis præciperetur, ut illos ſupplicio afficiant, qui fallacibus argumentis, quæ illis tamen invincta eſſe videntur, in hæreſin inciderunt, & ſimplici mentis ignorantia laborant, aut etiam ex hæreticis parentibus orti errorem cum lacte materno ſuxerunt? Sed tantum abeſt ut Chriſtiani juſſi ſint alios religionis cauſſa vexare, ut contra potius paſſim prædicatur fore, ut Chriſtiani ab aliis religionis cauſſa vexentur & ad necem trahantur. Deus olim Judæos in terram Chananæam ita introduxerat, ut falſorum deorum cultoribus occiſis, eorum regionem occuparent, promittens illis, ſi legi ſuæ paruerint, pacem, opes, victoriam de hoſtibus, ac proinde tantas quoque vires & adjumenta, ut opprimere apoſtatas forte enatos haud difficulter poſſent. At longe aliam Chriſtianorum fore conditionem, à Chriſto & ejus Apoſtolis audimus, Matth. X. 16. qui & ipſi ovium inſtar fuerunt in medio luporum, & graviſſime vexati mortem cruentam veritatis cauſſa ſuſtinuerunt; & nos quoque ſimiles eſſe pronunciarunt ovibus mactationi deſtinatis, Rom. VIII. 36. & omnes qui in Chriſto Jeſu pie vivere volunt, perſecutionem paſſuros affirmarunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

runt 2 Tim. 3. 12. Chriſtiana enim religio ita eſt comparata, ut pauci eam viri potentes ac nobilitate illuſtres amplectantur, quemadmodum Divus Paulus docet 1 Cor. 1. 26, 27. ſed infirma & ignobilia mundi, & contemptibilia & ea quæ non ſunt, elegit Deus. Quomodo ergo præciperet Deus Chriſtianis, ut apoſtatas ipſi interficerent, hoc eſt eos, qui à religione Chriſtiana ad Judaicam aut Ethnicam deficerent, & ab ignobilibus ad nobiles, ad infirmis ad potentes eorumve ſacra tranſirent? Quod ſi illis præceptum non eſt, ut eos interficiant, qui à Religione Chriſtiana prorſus deficiunt, multo minus hæreticos, qui Chriſti tamen majeſtatem ac religionem agnoſcunt, licet eam non ſatis intelligant.

Plerique & illud objiciunt, libertate hæreticis conceſſa hæreſes incrementa ſumpturas. Imo vero majora ſument incrementa, ſi vi tollere coneris, præſertim ſi animi hominum ſint alias ad religionem, probitatem ac virtutem compoſiti. Docuit hoc ipſa horum ſeculorum experientia. In Gallia, Belgio, Anglia tunc ſumſit incrementa maxima religio Euangelica, cum perſecutio adverſus eam fuit excitata. Docet idem ratio. Etenim qui vi religionem alienam opprimere conantur, eo ipſo cauſſam ſuam, ſuamve religionem ſuſpectam reddunt; ac porro fidem religioni ſuæ derogant; illi autem, quam vi oppreſſum eunt, conciliant. Nam dum ad violenta conſilia deſcendunt, oſtendere videntur, ſe bonitati cauſſæ diffidere, & victoriam, ſi argumentis certaretur, deſperare. Itaque rationibus deſtitutos ad vim ſeſe convertere: & quia ſpiritualia arma, quibus animi hominum ſubigantur, deſint, ad carnalia proſilire. Quo accedit, quod ſibi quidem crudelitatis opinionem ac famam, ac porro quoque odium aliorum conflant: illi contra, qui religionis cauſſa vexantur, affectus ac benevolentiam hominum ſibi facile adjungunt. Quo autem affectus ac favor hominum, eodem & fides fere inclinat. Non commemorabo nunc illud, quod etiam adverſus ſontes cum atrocitas pœnæ ante oculos verſatur, miſericordia vulgi non raro commovetur: pleriſque non tam facinus, quod oculis vel nunquam uſurparunt, vel non amplius uſurpant; quam ſupplicii acerbitatem, quæ oculis eſt ſubjecta, ſpectantibus, & altius in animum admittentibus.

Quid vero cenſebimus fieri, ſi innocentes illi judicentur, qui atrocia perferunt ſupplicia, ſi eorum vita ac mores probentur, ſi in illis nil niſi mentis error accuſetur? Quid ſi illud quoque accedat, ut in eorum, qui illos vexant, moribus populus aliquam notet labem, quam in iis quos premunt, non cernat? Illud certum eſt, eos qui religionis cauſa patiuntur utut erroneæ, oſtendere, omnia ſe Deo, pietati, conſcientiæ ſalutique ſuæ poſtponere: id quod non niſi optimorum ac virtutis ſtudioſiſſimorum eſt hominum, ac Dᴇɪ valde metuentium. Fieri ergo non poteſt, quin & ſibi favorem, & religioni, quam tam ſtrenue propugnant, fidem atque auctoritatem concilient. Eſt enim hic virtutis genius, ut fidem ſibi facile comparet, atque inprimis in rebus ad religionem ſpectantibus. Primum quod, ut diximus, virtutem favor hominum, favorem fides dictorum ſequatur: deinde quod alioquin etiam virtus ſincera ſit ac candida, fucum, fraudes, ac mendacia oderit. Quis autem non magis illi credat, ejuſque dictis adſtipuletur, cui plus eſſe candoris cernat? Præterea nequaquam credibile eſt, Deum, qui virtutem ac pietatem tantopere amat, tantiſque dignatur præmiis, hominibus melioribus veræ religionis notitiam negare, deterioribus impertiri. Denique major virtus melioris etiam fidei affectus eſſe non immerito creditur. Quare, ut diximus, illi, qui acerbiſſima quæque religionis cauſſa patiendo, evidentiſſima virtutis ſuæ dant documenta; haud difficulter populum virtutis amantem in ſuas partes flectunt ac trahunt: illi contra, qui in eos ſæviunt, populi animos à ſe alienant, ac ſuæ religioni fidem detrahunt, quæ illos ad tantam in homines innocentes ſævitiam armet. Ut taceam, eos ipſos, qui religionis cauſſa premuntur, quanto probiores ſunt, tanto magis in ſententia ſua confirmari, & in religionis ſuæ amorem tanto vehementius exardeſcere, quod eam argumentorum robore invictam ab ipſis adverſariis judicari putent.

Ex his facile intelligitur, quid illis ſit reſpondendum, qui ajunt, hæreticos Eccleſiæ ac religionis Catholicæ hoſtes eſſe: quare ab Eccleſiæ pomœriis arcendos, & religionem adverſus eos defendendam eſſe: eos eſſe lupos rapaces; itaque à grege abigendos: venenum illos propinare Dᴇɪ filiis, eoque animas illorum perimere, id circo non ferendum, ut in eorum medio verſentur, & imprudentibus Chriſti infantibus, quorum magnus ſemper ſit numerus, venenum illud pro ſalutari animæ potu venditent aut obtrudant. Eſto enim; ſint illi hoſtes Eccleſiæ ac religionis Catholicæ; ſed cum non gladiis, non armis corporalibus illam invadant, aut invadere cogitent, ſpirituale tantum cum ea bellum gerunt. Quare ſimiliter non carnalibus armis ſed ſpiritualibus ſunt profligandi, & vel ab Eccleſiæ pomœriis arcendi, vel in ejus obſequium redigendi; illis, inquam, armis, quibus Apoſtoli olim veritatis hoſtes proſtraverunt, errorum munimenta expugnarunt, & orbem Chriſto ſubjecerunt. Ita enim ait Paulus: 2. Cor. 10. 3 ſeqq. *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Quod ſi carnalibus hæreticos armis arcere ab Eccleſia velis, non extingues hoſtes ſed accendes; non minues eorum numerum, ſed augebis; & etiamſi tandem hoc pacto eos penitus delere poſſes, religionem tamen non defendes, ſed pollues ac vitiabis. Recte olim Lactantius Lib. 3. cap. 20. Gentibus reſpondit exiſtimantibus, vi defendenda eſſe ſuſcepta publice ſacra: *Defendenda, inquit, religio eſt, non occidendo, ſed moriendo: non ſævitia, ſed patientia.* Et paulo poſt: *Si ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, ſed polluetur atque violabitur. Nihil eſt enim tam voluntarium, quam religio*: & quæ ſequuntur. Religio ſane Chriſtiana non in eo magis cernitur, quod veritatem urgeat, quam quod charitatem, pacem, manſuetudinem, humanitatem, benignitatem, patientiam inculcet. His virtutibus ſuos aſſeclas vult vincere hoſtes, non ab iis vinci. Non ita veritatem de reb. divinis propugnat, ut etiam humanæ ac civilis ſocietatis vincula propterea velit ab iis rumpi, qui eam propagant ac defendunt: ſed potiùs ut ea fortiùs adſtringantur, & charitatis erga omnes homines lex ſanciatur, & jura pacis colantur. Itaque vel maximè violatur Chriſtiana religio, ſi eam vi, ſi malo, ſi ſuppliciis propugnare ac defendere velis. Idem ſibi reſponſum habeant, qui hæreticos lupos rapaces eſſe urgent, & à grege pellendos aſſerunt. Pellantur ſanè paſtorum Eccleſiæ pedo; at non ligneo aut ferreo; ſed ſpirituali & Eccleſiaſtici muneris proprio. Non unguibus laniant hæretici oves, non dentibus mordent: ſed rationibus ex Catholicorum ſententiâ fallacibus gregi nocere ſtudent. Hæ ergò retundantur rationibus validioribus: & oves, ut ſibi ab illis caveant, moneantur, ut fecit Chriſtus & poſt Chriſtum Apoſtoli: ſic ſatis adverſus eorum vim grex Chriſti munietur, niſi dicere velis, nec à Chriſto ſummo ovium paſtore, nec ab Apoſtolis fideliſſimis earundem cuſtodibus ſatis adverſus luporum vim atque incurſionem oves fuiſſe munitas: ſiquidem nec vim adhibuerunt ipſi, nec ut ab aliis adhiberetur præceperunt. Quin imò ſi vim externam abhibeas, non eximes fidelium animis ſcrupulos ab hæreticis fortè injectos, ſed pondus illis addes: non, ut non lupi fiant, ſed ne ſe eſſe profiteantur, & in grege interim ovinis contecti pellibus impunè verſentur. At ſi rationibus tantum agas, & cenſuris Eccleſiaſticis, pelles è grege lupos: ſi qui enim fuerint improbiores, quibus errores nihilominus placuerint, nullo ſupplicii metu prohibente in apertum prodibunt, & ex ovili

Eccle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Eccleſiaſticâ virgulâ notati, excludentur, nec ulli, quàm ſibi ipſis ſuæque contumaciæ, interitum ſuum acceptum referre poterunt. Sanguis ipſorum, ut ſcriptura ſacra loquitur, ſupra ipſorum caput erit. Paſtoribus eorum pernicies imputari non poterit, ſiquidem eos monuerunt, adverſus errores muniverunt, & eos, quantum in ſe fuit, in ſalutis tramite retinere ſunt conati. Quare, ut eſt apud Prophetam Ezech. 39. 9, *impii illi in iniquitate ſuâ morientur: ſed paſtores animam ſuam liberarunt*. Interim illum habebit Eccleſia fructum, ob quem ipſe quoque Deus permittit, ut hæreſes nonnunquam inter fideles oriantur: quemadmodum Apoſtolus docet 1 Cor. XI. 19, *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in illis*. Qui fructus non conſequitur, ſi vi coercentur hæretici. Nam hoc pacto improbi etiam metu repreſſi fidelium ſpeciem præ ſe ferent, non minus quàm probi, ita ut diſcrimen inter illos non appareat: imò hæreticus, qui adverſus religionem armatam inſurgere, & cum periculo fortunarum aut ipſius vitæ diſcrimine hæreſin profiteri ac defendere auſus fuerit, majus virtutis ſpecimen dabit, quàm qui vel hæreſin oppugnet vi armatus, vel ſaltem vi armatam religionem defendat. Neque enim apparere tum poteſt, utrum ob cauſæ bonitatem in ſententiâ verâ perſiſtat, eamve propugnet; an potentiæ ſuæ ſtabiliendæ gratiâ, an potentiæ alienæ metu. Is contra qui audet religioni armatæ ſeſe opponere, ab eâve diſcedere, & pericula omnia religionis ſuæ cauſa contemnere, oſtendit, ut ſuperius jam diximus, Deo, pietati, conſcientiæ, ac ſaluti ſempiternæ omnia ſe poſtponere.

Satis jam illud etiam intelligitur, poſſe fidelium & infantium Chriſti animos, ſuorum paſtorum, præſertim quorum tot ſint non chiliades tantùm, ſed & myriades; curâ & diligentiâ ita præmuniri, ne venenum, quod illis hæretici propinent, noceat, etiamſi vis nulla adhibeatur. Neque verò exiſtimandum eſt, adeo ſpecioſas eſſe hæreticorum rationes, ut à veritate ſalutari ſimpliciores rudioreſque veritatis ſtudioſos ac ſalutis ſuæ cupidos avellant, etiamſi rationibus illis veritas dextre explicata & validis argumentis munita opponatur. Etenim ita veritas, maximè cœleſtis ac ſalutaris, eſt comparata, ut in animum ad virtutem compoſitum facilius deſcendat, ſi dextrè proponatur, & rationibus præterea ſolidis firmetur, quàm mendacium & error. Habet illa lucem ſuam, & fulgorem quendam admirabilem, quo animos eorum, qui oculos ſponte ſuâ non claudunt, perſtringit; nec ſubtilibus magis ingeniis, quàm ſimplicibus, ſanâ tamen mente præditis, allubeſcit. *Confiteor tibi* (inquit Chriſtus Matth. XI. 25.) *Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Et B. Paulus 1 Cor. 1. 27. *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes*. Itaque nulla dum apparet cauſſa, cur in vi aut armis remedium adverſus hæreſeos venenum poſitum exiſtimare debeamus: quin potius alio alexipharmaco adverſus errorum virus opus eſſe patet.

Illud fortaſſe quiſpiam adhuc ad magiſtratuum conſcientiam vulnerandam pertinere crediderit, quod, permiſſa hæreticis religionis libertate, reſpublicæ in partes ſcindi, diſcordiæ, tumultibus ac ſeditionibus inteſtinis feneſtra patefieri videatur. Religionis enim conſenſu colligari atque devinciri inter ſe populi animos; diſſenſu diſtrahi ac divelli: nec fieri poſſe, quin illi, qui religionis ſtudio flagrant, adverſus eos aliquando conſurgant, quos impiam ac peſtilentem ſpargere doctrinam perſuaſiſſimum habeant. Neque verò conſcientiam aut magiſtratuum, aut paſtorum Catholicorum ferre, ut zelum ac ſtudium religionis Catholicæ in populo extinguant, quem excitare potiùs ac fovere debeant. Itaque non poſſe eòs populum odio hæreticorum flagrantem ita reprimere, ut in hæreticos aliquando non erumpat. Interim tamen magiſtratui imcumbere, ut pacem publicam ſartam tectam conſervet, ut tumultibus occurrat, ut iis anſam omnem præcidat. Aliter ſi faciat, conſcientiam illum ſuam lædere, nec muneri divinitùs ſibi mandato ſatisfacere. Quare cum populum religionis ſtudio ferventem aut non poſſit, aut non debeat reprimere, quo minus in hæreticos inſurgat, unam reſtare pacis ſanciendæ rationem, ut hæreticis pulſis, una in unâ regione religio eaque Catholica conſtituatur feraturque. Specioſe hæc dicta videri cuipiam poſſent, ſed quæ, ſi animum attendas, magnam partem ipſa refellet experientia. Tantum enim abeſt, ut hæc ſit ratio & quidem unica, tumultus ac ſeditiones è rep. tollendi, ut nulla ſit ad eos excitandos aptior atque accommodatior. Et mirum eſt homines cordatos experientiâ, quæ ſtultorum etiam magiſtra perhibetur, id nondum didiciſſe, vel diſcere potius noluiſſe. Si vetera exempla non ſufficiant, ſpecta ſaltem recentia, & ipſis propemodum oculis ſubjecta. Specta Galliam ſanguine civili ſæpius redundantem bellis ob religionem motis, quæ componi nunquam potuerunt, niſi religionis libertate hæreticis permiſſa: ſpecta Belgium & tot annorum bellum tot tantiſque cladibus non Catholicorum minùs, quàm hæreticorum funeſtum ſimul ac nobile: ſpecta Germaniam, vel buſtum potius Germaniæ in hunc uſque diem crudeliſſimi belli incendio flagrantis. Cæcum putabo illum, qui non videat, hæreticis vi oppugnatis tumultus ac bella concitari, non ſopiri aut præverti; ferreum autem credam, qui tam tragicis exemplis non moveatur. Optandum quidem foret, unam tantum in unâ regione religionem, eamque veram eſſe. Neque enim dubium eſt, hoc modo animos hominum uniri magis, ac mutuâ benevolentiâ pevinciri poſſe. Sed illud tamen negamus, religionum diverſitate ita omninò diſtrahi populi animos, ut civilis concordia, & mutua civium benevolentia conſtare in illo diſſenſu non poſſit. Quin imò ſi affectibus ſuis paululum imperare velint illi, qui rerum in populo aut regno aliquo potiuntur, ut hæreticos imbecilliores tolerent, illorum ſibi animos magis devincient. Quod enim jure faciunt, id hæretici imbecilliores beneficii loco habebunt, & eorum manſuetudini, benignitati, benevolentiæ imputabunt. Quare qui negant, poſſe pacem in Repub. conſtare, ſi diverſæ ſint in eâ religiones, illis negandum quoque eſt, poſſe à potentiori reipub. parte tolerari imbecilliorem, quæ diverſis utatur ſacris. Quod qui aſſerent, excuſabunt Ethnicos, qui Chriſtianos olim imbecilliores ferre noluerunt, quia ne potuerunt quidem. Idem de Antiocho & aliis regibus dicendum fuerit, qui Judæos olim, in quos imperium habebant, religionis cauſſa graviter afflixerunt. Sed cur id fieri poſſe negatur, quod toties factum eſſe conſtat, & hodie quoque ſub ipſo Turcâ fieri cernimus, qui Chriſtianos hinc inde ſacris ſuis uti permittit? Cur tam multi laborant, & libellis editis alii, alii ſermone ſuadere magiſtratui conantur, ne tolerent hæreticos imbeciliores? At cur verentur ne id fiat, quod fieri non poſſit? Sed fortaſſe illi, qui id fieri non poſſe exiſtimant, ex ſuo ingenio metiuntur alios, & vel præfervido ac præpoſtero ducuntur zelo, vel impotentiâ animi ac virium ſuarum fiduciâ ita efferuntur, ut infirmiores ferre ſe non poſſe exiſtiment, quos potentiores, credo, ferrent. Poteſt ergò, ut diximus, pax civilis etiam in ſententiarum de rebus ſacris diſcrepantiâ conſtare. Notum eſt illud, ac vulgi quoque ſermonibus tritum:

Diſſentire bonis etiam de rebus iiſdem.
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Quò & illud non minus vulgare pertinet: Amicus perſonæ, inimicus cauſſæ. Neque id in rebus ſacris minus, quàm civilibus locum habet. Quin imò ſi rei natura ſpectetur, diſſenſio de rebus civilibus civili concordiæ ac paci magis eſt inimica, quam ſententiarum de re pietatis diſſenſio, quæ, ſi affectibus ſuis moderari homines velint, præſertim potentiores, rei pub. vinculum relinquit ſalvum: quandoquidem ad rempub. etiam per ſe non pertinet. Sic olim Imperatores Romani Chriſtianam religionem amplexi quietum habuere imperium, etiamſi paganos, qui reſtiterant, ferrent: multò autem magis Imperatores Ethnici, qui Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtianos tulerunt, pacatum habuêre imperium. Certè per Chriſtianos haudquaquam ſtetit, quo minus pax reipub. conſtaret, licet religionem ſuam audacter atque ingenuè profiterentur, & à paganâ impietate, quæ publicè tunc vigebat, vehementer abhorrerent, & vel millies mori ſe malle teſtarentur, quàm eam approbare atque amplecti. Imperatores etiam nonnulli Chriſtiani hæreticos tulerunt, ut Pelagianos, idque Romæ, quiete reipub. minimè turbatâ. Sic & Germania in diverſitate religionum quieta diu perſtitit, & perſtitiſſet ad hunc uſque diem, niſi vel calida nimium, vel ambitioſa quorundam conſilia tandem prævaluiſſent. Idem de Belgio ſtatuendum eſſe facile intelligent rerum non ignari. Quòd verò dictitant nonnulli, zelum illum religionis Catholicæ, qui populum nonnunquam ita accendit, ut hæreticorum templa, oratoria, ædes invadat, diripiat, demoliatur, extinguendum non videri, ſed etiam fovendum: næ illi & rerum ignaros, & non modò Chriſti, verum etiam civilium legum parum ſeſe memores oſtendunt. Hiccine enim eſt fervor Chriſtianis hominibus dignus, aliena per vim invadere, vaſtare templa aliena per tumultum, per ſeditionem, ſine magiſtratus juſſu, nullo præcedente legitimo judicio; & ſuo arbitrio alios cædere, aut etiam occidere? Zelo ergo caruit Chriſtus, caruere Apoſtoli, caruere, quotquot ab initio vixere, Chriſtiani, qui talia nec fecerunt unquam, nec cogitarunt. Paſſi quidem ſunt hujuſmodi innumera; ſed aliis nunquam intulerunt. Non zelus ille eſt religionis, ſed plebis furor, prædæ ſæpe ſpe excitatus: niſi fortè illum dicas zelum, quem ſine ſcientia eſſe dicit Paulus, Rom. 10. 2, & ut D. Jacobus Cap. 3. 14, 16. loquitur, amarus; hic enim ut ipſe docet, tumultus excitat, & omne opus pravum. Aliud eſt ingenium zeli cum ſapientiâ ac ſcientiâ conjuncti. Sapientia enim illa zelum ad ſeditiones tumultuſque progredi non patitur, ſed pacis eſt ac quietis ſtudioſiſſima. Unde idem Apoſtolus verſ. 17 ait: *Quæ deſurſum eſt, ſapientia, pacifica eſt, modeſta, ſuadibilis (ſeu facilè aliis obſequens) plena miſericordiâ & fructibus bonis.* Quare tantùm abeſt, ut zelus ille in tumultus, rapinas, incendia, verbera, cædes exiens, ſit fovendus Chriſtiani populi paſtoribus, ut omnibus potiùs modis reprimendus, & intra modeſtiæ, manſuetudinis, humanitatis cancellos cogendus ſit: ne qui pacis præcones eſſe debent, tubæ ſeditionum & publici incendii flabella fiant. Tantùm etiam abeſt, ut magiſtratus hanc populi licentiam fovere debeat, ut omnibus potius modis debeat coërcere, ſi & religioni, quæ talia flagitia abominatur, & reipub. tranquillitati conſulere, ac porrò officio divinitùs ſibi demandato, ſuæque conſcientiæ velit ſatiſfacere. Nam nihil eſt reipub. pernicioſius, quàm tumultuantis populi libidini cujuſquam etiam nocentis libertatem, famam, fortunas aut vitam permittere. Itaque etiamſi tandem hæretici vi coërcendi eſſent, non tamen id per tumultum plebis, ac ſeditionem; ſed certâ ac legitimâ juris viâ per magiſtratum eſſet faciendum. Magiſtratus ſapientes, ac boni principes ſemper cavent, ne ſontes, populi permittantur licentiæ, quæ nec modum ſcit legitimum tenere in ſupplicio, nec malis ac nocentibus magis, quàm bonis ac innoxiis infeſta eſt, & nunquam ibi conſiſtit, unde cœpit, ſed latius ſubinde ſerpit. Quòd ſi ergò hæretici plebis fervori aut furori non ſunt permittendi, etiamſi tandem ad ſupplicium trahendi eſſent; quantò minus id concedendum eſt, ſi pœnis civilibus non ſint afficiendi.

Illud adhuc, antequam hinc abeamus, addere placet; eos, qui hæreticos ideò tolerandos non cenſent, quia ob diverſitatem religionis pacem reipublicæ turbent, eâ uti ratione, quam infideles aut hæretici in ſuis rebuſpublicis in Catholicos retorquere facilimè poſſunt. Certè ſimili ratione uſus eſt olim Amanus, ut Judæos è regno Perſarum extirpandos oſtenderet, crimen illis læſæ majeſtatis ſimul impingens; quod regis juſſa contemnerent: quæ calumnia non aliunde orta fuit, quàm quod Judæi regum placitis circa res ſacras obſequi nullo pacto vellent: cui calumniæ ſemper ſunt obnoxii, qui diverſam ſequuntur religionem ab eâ, quam ſummus magiſtratus probat & vi defendit. Ita enim in literis, quas Amanus ille regis nomine vulgavit, ſcribitur Eſth. 13. 4, *Indicavit mihi (Aman) in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium gentium conſuetudinem faciens, regum juſſa contemneret, & univerſarum concordiam nationum ſuâ diſſenſione violaret. Quòd cum didiciſſemus, videntes unam gentem rebellem adverſus omne hominum genus diverſis uti legibus, noſtriſque juſſionibus contraire, & turbare ſubjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam: juſſimus, ut quoſcunque Aman, qui omnibus provinciis præpoſitus eſt, & ſecundus à rege, & quem patris loco colimus, monſtraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis.* Neque hîc refert, quod fideles ſint hi, illi infideles; hi Catholici, illi hæretici. Nam ſi religionis diverſitas pacem reipub. perturbat, non minus turbabit Catholica, hæreticidium præſertim probans, in repub. hæretica, quàm religio hæretica in repub. Catholicâ. Imò hæretica, quæ omnem hæreticorum cædem aut perſecutionem improbet, longè minus id faciet, quàm Catholica. Ac præterea, quiſque ſe putat optimè de religione ſentire ac credere: & Catholicus non minus hæretico eſt hæreticus, quàm hæreticus Catholico. Itaque hæreticus magiſtratus aliter facere non poterit, ſi vera eſt illa ratio, quam nos refellimus, quàm ut tuendæ pacis cauſſa Catholicos omnino pellendos ſtatuat. Hoc ſi Catholicis diſpliceat, ne placeat etiam ipſis, hæreticos imbecilliores è rebuſpublicis ſuis pellere.

CAPUT III.

Catholicos Libertatem Religionis hæreticis concedere, & de ſecuritate illis cavere debere.

DOcuimus præcedenti capite, nil aliud religionis libertatem, quam hæretici poſtulant, requirere, quàm ne ipſis noceatur, néve ullâ pœnâ ob hæreſin afficiantur: uno verbo, ut pax civiliter cum illis colatur. Jam verò pacem cum illis colere debere Catholicos, inde primum probatur, quia id ſalvâ conſcientiâ facere poſſunt, ut huc uſque eſt oſtenſum. Si verò pacem cum illis ſalvâ conſcientiâ colere poſſunt Catholici, etiam debent. Ita enim ait D. Paulus Rom. 12. ℣. 18, *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt* (ſeu quantum in vobis eſt) *cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et Hebr. 12. 14, *Pacem ſequimini cum omnibus.* Quanquam & aliàs natura ratioque communis docet: quemvis pacem debere colere cum omnibus, cum quibus poſſit, præſertim valde cupientibus ac flagitantibus. Quod ſi Ethnici quoque cenſuerunt, pacem ſæpe etiam iniquis conditionibus redimendam eſſe, quantò magis Chriſtiani homines æquam pacem ab aliis ultro oblatam debent accipere, aut petentibus concedere? Matth. 5. 9, *Beati pacifici*, ait ſalvator, *quoniam filii Dei vocabuntur.*

Secundo, ſi libertatem pacémve hæreticis negarent Catholici, eoſque pœnâ ob religionem, quam à Catholicâ diverſam profitentur, afficiendos cenſerent; adeoque afficerent; eos ad ſuam religionem, quantum in ſe eſſet, cogerent. Non debet autem quiſquam ad religionem Chriſtianam cogi, ſeu vi externa compelli. Primum, quia religionis, præſertim ſpiritualis ac perfectæ, qualis eſt Chriſtiana, ingenium ac natura coactioni repugnat. Rectè ait Lactantius Libr. 5. cap. 20, *Religio cogi non poteſt.* Et iterum: *Nihil eſt tam voluntarium quàm religio: in quâ ſi animus ſacrificantis averſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt.* Unde & Tertullianus Ad Scap: *Non eſt religionis cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi.* Deinde quia hac ratione multi adiguntur, ut religionem ſimulent. Nam vis illa efficere non poteſt, ut quis aliter ſentiat quàm ſentit. Sententia animo externâ vi nec imprimi poteſt, nec extorqueri. Id tantùm vis

poteſt

poteſt efficere, ut aliter quiſpiam loquatur quàm ſentit, & religionem, quam animo improbet, verbis probet. Atqui & Deo hujuſmodi ſimulatio atque hypocriſis eſt execrabilis, & hominibus eſſe debet: eſtque Eccleſiæ noxia, tum ipſis hypocritis. Eccleſiæ, quia hypocritæ illi ſunt clandeſtini hoſtes, quos Eccleſia velut ſerpentes in ſinu fovet. Eccleſiam enim, à quâ ſe iniquiſſimè premi credunt, non poſſunt non odiſſe, & ejus perniciem optare, &, ſi poſſint, machinari. Ipſis hypocritis noxia eſt, quia ſempiternum illis exitium affert. De ſervo illo malo dicit Salvator Matt. 24. 50, *quòd Dominus ponet ejus partem cum hypocritis: ibi erit ploratus & ſtridor dentium.* Et hæc quidem pœna eos maneret, etiamſi exiſtimarent, ſimulationem hanc ac diſſimulationem licitam eſſe, ſed quicunque ſunt inter eos aliquantò candidiores ac probiores, hoc facto conſcientiam ſuam graviſſimè lædunt, ac porrò in Deum quoque graviſſimè peccant: ſiquidem religionem illam profitentur, quam animo averſantur, & ea ſequuntur ſacra quæ damnant, & Deo adverſa eſſe credunt. At graviſſimè peccat, qui conſcientiam ſuam violat. Si is qui dubitante conſcientiâ rem aliàs licitam facit, peccat, ac propterea damnatur, ut D. Paulus docet Rom. 14. ỳ. 23; multò gravius is peccat, & majori jure damnatur, qui planè contra conſcientiam animique ſui judicium quippiam facit. Hinc Theologi dicunt (verba ſunt clariſſimi cujuſdam inter Catholicos doctoris*) conſcientiam licet erroneam ſemper ligare, ut nunquam contra eam agere liceat: ſed eam deponere per prudens rationis aut viri ſapientis conſilium; vel ſi id non poſſit, ſequi eam oporteat, ſi videlicet reſolutio & res ipſa differri non poſſit. Quapropter qui cogunt alios, ut ſuâ religione deſertâ Catholicam contra conſcientiam amplectantur, cogunt eos, quantum in ſe eſt, graviſſimè peccare. Quî verò graviter is peccare cenſendus non eſt, qui graviter peccare alios cogit?

Sed objiciat hîc aliquis id, de quo præcedenti quoque capite actum eſt, juſſiſſe nihilominus *Deum* ſub lege morte plectere eos, qui alienos falſoſque deos colerent. Quare ea ſaltem in parte *Deum* voluiſſe homines ad veram religionem cogi, nec rationem ejus rei habuiſſe, quod religio libera eſſe debeat, quodque hoc pacto multi ad ſimulationem adigantur, aut contra conſcientiam aliquid facere cogantur. Poſſemus hîc reſpondere, *Deo* ipſi, qui ut rerum aliarum omnium, ita & conſcientiarum noſtrarum Dominus eſt, & à cujus arbitrio ac voluntate religionis ratio pendet, licere à communi rerum orbita diſcedere, & multa conſtituere, quæ nobis conſtituere aut facere non liceat: ſed hac reſponſione nunc non utemur. Illud primum dicimus, quod doctores etiam Catholici, tum veteres, tum recentiores animadverterunt, & quivis, qui animum vult attendere, facilè cernet, religionem Judaicam fuiſſe carnalem, & in externis inprimis rebus ſitam, non ſpiritualem ac perfectam, qualem eſſe religionem Chriſtianam diximus. Quare non mirum eſt, *Deum* ad carnalem religionem carnalibus etiam pœnis aliqua ex parte adigere homines voluiſſe, & genium religionis, qui eſt, ut ſit voluntaria, non uſquequaque in ea eluxiſſe. At longè alia eſt ratio religionis ſpiritualis ac perfectæ, quæ animum hominis inprimis poſtulat. Quocirca eam *Deus* non externa vi, non civilium pœnarum, ſed æternarum metu ſanciri, ac multo magis præmiorum diviniſſimorum amore animis hominum imprimi atque infigi voluit. Deinde obſervandum & illud eſt, ita fuiſſe religionem Judaicam & ab initio conſtitutam, & poſtea conſervatam atque adminiſtratam, ut non injuriâ dici poſſit, conſcientiis Judæorum non magis vim fuiſſe illatam, cum ab alienorum deorum cultu ac legis contemptu pœnis propoſitis fuerunt deterriti, quam ſi regni alicujus incolæ pœnis propoſitis abſterreantur, ne cuiquam præter regem ſuum honorem regi convenientem exhibeant, néve leges à legitima poteſtate conſtitutas, & nihil inhoneſti imperantes contemnant ac violent. Etenim *Deus* ab ipſo initio in monte Sinai manifeſtè apparens, in totius populi conſpectu ita ſe ſolum eſſe *Deum* oſtendit, & legem illis promulgavit, ut dubitare nemini liceret, & hunc unum eſſe ipſorum *Deum*, & porrò ſolum divino honore colendum, & legem Moſis ab ipſo eſſe profectam. Unde totus populus, nullo prorſus repugnante, ſuper lege illa fœdus cum *Deo* per Moſen pepigit. Deinde conſtitutâ jam lege, & promiſit Deus, ſe populo Iſraëlitico ſubinde Prophetas ex ipſius medio excitaturum, per quos eum Judæi conſulere poſſent, & ejus ſententiam de rebus non modò ad religionem, ſed etiam ad rempub. imò & domeſticam ſpectantibus exquirere; & re ipſâ quoque id præſtitit, ac multò magis præſtiturus fuiſſet, ſi populus in obſervatione legis perſtitiſſet. Præter alias prophetias ordinaria erat à Deo conſtituta ratio ipſum conſulendi per Ephod ſacerdotis ſeu Urim & Thumim, ut ſacræ literæ appellant: quin & per ſortem ipſius ſententiam exquirentibus res arcanas patefaciebat, & quid faciendum eſſet, monſtrabat. Et quoties populus conſilium Dei ſequebatur, feliciter illis omnia cedebant: ita ut eventus ipſe doceret, oracula illa fuiſſe divinitùs profecta. Itaque perinde quodammodo erat, ac ſi Deus rex quidam Iſraëlitici populi etiam in rebus civilibus ac terrenis eſſet, in tabernaculo tanquam regiâ quadam habitans, & ſuper arcâ reſidens, indeque per ſacerdotes, velut intimæ admiſſionis miniſtros, aut Prophetas alios de ſua voluntate populum edocens. Reſponſa is dabat de bello ſuſcipiendo, eoque adminiſtrando, de ducibus eligendis, aliiſque rebus ſimilibus: miracula ſat frequenter edebat, ut ſe in ejus populi medio habitare doceret. Quare perinde erat, ac ſi rex aliquis inter regiam ſeſe ſuam continens, nec vulgo ſeſe conſpiciendum præbens, tantum per proceres adiretur, per eos reſponſa cæteris daret, & edicta proponeret, & rempub. ſuo arbitrio adminiſtraret: ac porro ſibi uni regium honorem exhiberi ab omnibus vellet, ſuaſque leges nihil inhoneſti, ut diximus, præcipientes, pœna propoſita à ſubditis ſuis omnibus obſervari vellet. Qua ratione nullam revera vim conſcientiis facere, aut ad ſimulationem homines adducere, ſed ſubditorum tantum ſuorum contumaciam reprimere cenſendus eſſet. At longè alia eſt religionis ratio, poſtquam DEUS ſeſe non in terris, ſed in cœlis quæri voluit, & tam aperta ſuæ inter homines præſentiæ ſigna ſuſtulit; nec religionem à ſe conſtitutam tam conſpicua ratione fovet ac conſervat, Prophetas non excitat, oracula non edit amplius; ſed omnia occultius, ad fidem hominum tanto magis exercendam, agit ac moderatur. Hîc enim in errorem facilior eſt lapſus; & conſcientiæ vis fit, ſi pœnis propoſitis quempiam ab eo velis deducere, & ad veritatem tam claris documentis non demonſtratam adigere. Unde porro & illud conſequitur, ad ſimulationem DEO inviſam eos compelli, qui argumentis & rationibus non convicti, ad religionem, utut veram, amplectendam vi compelluntur. Qua quidem in re ita hucuſque fuit erratum ab illis, qui hæreticos vi opprimendos cenſuerunt, ut mediam quandam inter legalem ſeveritatem & Chriſtianam manſuetudinem ingreſſi viam, nec illius, nec hujus finem aſſequerentur. Etenim DEUS olim apoſtatis, ac falſorum deorum cultoribus, ſuæque legis contemptoribus parci noluit, ſed eos ſine miſericordia occidi juſſit. Non enim hoc ſupplicium remedium voluit eſſe erroris, ſed vindictam ſceleris & contumaciæ inexpiabilis. Qui vero hæreticos vi coërcendos exiſtimant, quia liquido cernunt, plurimos ſaltem eorum non contumacia peccare, ſed errore abripi, illis parcendum eſſe cenſent; ſed ea lege, ut errorem revocent: licet interim facilè videre queant, errorem eos nunquam fuiſſe revocaturos, niſi ſupplicii terrore eo fuiſſent adacti, ac proinde eos ſimulare potius religionem Catholicam, quam ſequi. Itaque non tollunt eos, qui malè de DEO rebuſque ſacris ſentiunt, ſed tantum, ne id præ ſe ferant, coërcent, quod lex nequaquam voluit.

Dum

* Cornel. Cornelii à Lapide Jeſuitæ in d. l. Rom. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Dum vero illos puniunt, aut è medio etiam tollunt, quibus religio eſt errorem ejurare; nec manſuetudinis Chriſtianæ faciunt officium, nec ejus finem aſſequuntur, qui eſt, ut errantes in viam revocentur, ac ſanentur; atque ut uno verbo omnia dicam, deteriores hoc pacto tolerant, meliores tollunt. Meliores enim ſunt ac probiores, qui cum erroris non ſint convicti, eum ejurare nolunt, ne conſcientiam lædant, ac Deum offendant; quàm qui contra conſcientiam ſententiam licet erroneam, quam veram eſſe judicant, ac Dei verbo conſentaneam, verbis damnant.

His ita oſtenſis, alias adhuc rationes addemus, quibus doceamus, debere Catholicos pacem cum hæreticis colere, nec eos vi opprimere. Non commemoro autem nunc ſeditiones, bella, ac tumultus, qui ex negata religionis libertate exoriri facilè poſſent, præſertim in populo libertati adſueto, & omnis jugi ac ſervitutis impatienti, nedum ejus, qua nulla eſt gravior, nempe qua conſcientiæ premuntur. Rem exemplis apertiſſimis ſuperiòri capite oſtendimus, quæ nobis etiam non monentibus cernere quivis poteſt. Neque vero neceſſe eſt ipſos hæreticos tumultus excitare; facilè hæreticis etiam oppreſſis, ſcintilla diſcordiæ Catholicos ipſos corripere poſſet, partim ob ſanguinis vincula, & amicitiæ ac neceſſitudinis jura, quibus ſunt hæreticis devincti; partim, quia exempla in hæreticos edita latius mox ſerperent. Non enim exempla ibi conſiſtere ſolent, unde cœperunt: & tanto quidem minus illa, de quibus agimus, ſi lucrum ex hæreticorum oppreſſione ad alios redundaret. Num fortè putabimus, ſpecioſum aliquem prætextum non reperturos eos homines, qui bonis alienis inhiant, ut vel hæreticos, vel hæreticorum fautores & aſſeclas faciant eos, quorum opes concupiverint; præſertim ſi alias quoque injuriæ videantur opportuniores? Quid vero de dominatu Cleri in ordinem politicum dicam? Res facilè poteſt ex eorum temporum hiſtoria æſtimari, quæ hæreſium ortum anteceſſerunt. Quam facilè vox aliqua liberior in ordinem Eccleſiaſticum jacta, in hæreſeos crimen trahi poſſet; & quod in religioſorum mores aut facta dictum fuerat, in ipſius religionis contumeliam trahi? præſertim cum ex eodem ordine habiturus eſſes & accuſatores & judices. Nonne vel hæc ipſa res novis motibus cauſſam præbere poſſet? Sed hæc alii viderint. Illud memoriâ hic repeti volumus, quod ſuperiori capite docuimus, libertate religionis hæreticis erepta, non tantum non extingui hæreſes, ſed etiam, quanto probiores ſunt populi alicujus animi, tanto magis augeri. Addimus nunc illud, in plurimis Atheiſmum naſci, omni hæreſi deteriorem. In iis enim, in quibus tanta probitas, tantaque conſcientiæ vis non eſt, quanta eſſe deberet, cum religionis cauſſa vexantur, conſcientia opprimitur, & ſic hypocriſis ac ſimulatio religionis, ad quam adiguntur, oritur, vel etiam penitus extinguitur vis conſcientiæ, & ſic Atheiſmus ac profanitas, nihil revera ſacrum habens, naſcitur. At in quibus major eſt animi probitas, & conſcientiæ reſpectus, divinique numinis metus, in illis religionis ſuæ amor perſecutione, veluti oleo aſperſo, exardeſcit, & vicina quæque incendio, ut ita dicam, aperto corripit, ac ſubinde latius ſerpit flamma, ob cauſas ſuperiori capite expoſitas. Qua de re multa inter alios ſcripſit Thuanus homo Catholicus in Præfatione, quam hiſtoriis ſuis præfixit. Quod ſi dicas, vigere alicubi Hiſpanicam inquiſitionem, nec tamen hæreſes ibi latius ſerpere; illud te cogitare etiam velim, annon Atheiſmus hæreſis loco ſerpat? Certè ea de re non pauci etiam ex Catholicis conqueruntur, qui regionum illarum ſunt gnari. Quanquam præterea in ipſa Hiſpania ac Luſitania ante paucos annos multa eorum millia ſunt reperta, qui Illuminatorum nomen vel ſibi ſumſerunt, vel à populo ſunt ſortiti, fueruntque pro hæreticis habiti. Quid vero cenſes, multos clam in animo fovere? Experientia ipſa ſatis docet, non potuiſſe in Hiſpania ac Luſitania religionem Judaicam, aut Saracenicam ex hominum animis inquiſitione introducta per aliquot ſecula evelli.

Verum enim vero etiamſi tam gravia, quæ recenſuimus, incommoda abeſſent, alia tamen forent, quæ diſſuadere deberent Catholicis, ne ſuppliciis afficiendos putarent hæreticos. Etenim vel id ipſum movere eos deberet, quod ſuperiori capite docuimus, Eccleſiæ ac religionis incolumitatem haudquaquam requirere, ut vi in hæreticos graſſentur, id quod ipſi quoque Catholici ſatis confirmant, dum urgent Eccleſiam ſuper petram ita eſſe fundatam, ut nulla nec vi nec fraude ſubverti poſſit, quod Chriſtus ſignificaverit, cum dixerit: portas inferorum adverſus eam non prævalituras. Neque vero conſentaneum eſt, hanc Eccleſiæ firmitatem & inconcuſſam conſtantiam eo niti, quod ea armis ac potentia civili ſit prævalitura ſuis adverſariis: ſiquidem tum, cum tam divinum ædificium ab imis fundamentis ad ſummum faſtigium fuit perductum, contrarium potius apparuit. Aliud hujus ſoliditatis firmamentum monſtrant ipſi Catholici, ſpiritum illum veritatis, qui Eccleſiæ perpetuo adſit, eam fulciat, & ab omni ruina tutam præſtet. Num vero putabimus ſpiritum illum veritatis, qui divinum Eccleſiæ opificium olim renitente Sathana, & obluctante terrarum orbe conſtruxit, ac per inermes eo magnitudinis provexit, & adverſus armatum errorem atque impietatem defendit, hodie ita factum eſſe imbecillum, ut ſine armis opus ſuum tueri amplius non poſſit: & quam potentiam antea fregit, ea nunc ad religionis aut Eccleſiæ defenſionem indigeat, ſine illius ope collapſuræ? Quod ſi autem Eccleſiæ ac religionis Catholicæ incolumitas non poſtulat, ut vi opprimantur hæretici, cur eos vi opprimendos cenſent Catholici? Quis enim ſine neceſſitate, vi, ſuppliciis atque armis utendum exiſtimet, præſertim Chriſtianus? Eſt enim manſuetudinis parcere, ubi parcere poſſis; præſertim ubi tot hominum millia forent ad ſupplicium rapienda, tot animæ perdendæ. Præterea flectere Catholicos ad mitiora conſilia deberet ſummæ utilitatis ſpes, quæ ex eo ſit proventura, ſi hæreticos tolerent. Etenim ex hac tolerantia magnam ſibi humanitatis, æquitatis, manſuetudinis, ac moderationis laudem conciliarent, & eorum ſibi animos adjungerent, quibus conciliatis, facile eſt etiam veritatem argumentis validis nixam illis perſuadere. Adde, quod dum ita feruntur hæretici, ſeſe recolligendi ac reſipiſcendi habent ſpacium, & errores, qui prima fronte ſpecioſi videbantur, fuco paulatim detecto, minus placere incipiunt, ac tandem exoleſcunt: veritas autem ipſa mora valeſcit, & cum mendacio quodammodo colliſa, ſua vi illud frangit, ac ſplendor illius hoc attritu magis eluceſcit. Quare cum hinc quidem nulla ſit neceſſitas hæreticos vexandi, & ſuppliciorum acerbitate irritandi, hinc autem ſpes ſit ex lenitate uberrimi fructus ad ſalutem tot millium, imo myriadum ſempiternam ſpectantis; quis Chriſtianorum hominum tam ferocis, tamque crudelis erit animi, ut ſævitia erga eos potius quam patientia ac manſuetudine utendum cenſeat?

Movere etiam Catholicos deberent exempla ipſius DEI, cujus nos filios eſſe profitemur; & Chriſti totius mundi Servatoris, qui erga errantes ſumma ſolet uti lenitate ac manſuetudine. DEUS olim in lege ſua, licet alioqui ſevera, pronunciavit, vide Num. 15. 25. dimiſſum iri univerſæ plebi filiorum Iſraël, & advenis, qui peregrinentur inter eos, ſi quid per ignorantiam commiſerint, & quidem propter id ipſum, quia per ignorantiam ſeu errorem, non per ſuperbiam aliquid commiſerint. De Chriſto autem, qui in mundum ideo venit, ut peccatores ſervaret, quid dicemus? De ſeipſo ſcribit Paulus, 1 Tim. 1. 12, 13. quod *Jeſus Chriſtus Dominus noſter ipſum poſuerit in miniſterio, qui prius fuerit blaſphemus &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam, inquit, *Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ecce tantorum peccatorum, blaſphemiæ, perſecutionum, contumeliarum, quibus ſanctos affecerat, veniam eſt conſecutus, quia ignorans ea commiſerit in incredulitate, idque eo adhuc tempore, quo & recens erat ingentium ac numero infinitorum Chriſti miraculorum memoria; cum ante oculos quotidie verſarentur admiranda Apoſtolorum facta; cum illi ipſi fideles, quos Paulus inſano furore perſequebatur, Spiritu ſancto pleni, & multi ſaltem ipſorum miraculis clari atque inſignes eſſent. Neque vero in Paulo conſtitit hæc Jeſu Chriſti benignitas. Oſtendit enim in ſequentibus loci illius ad Timotheum verbis ipſe Apoſtolus, voluiſſe Chriſtum Jeſum in ipſo omnis patientiæ ſuæ exemplum proponere, ut & alii inde caperent fiduciam tantæ Servatoris noſtri erga ſe clementiæ. Si Chriſtus in tanta veritatis ſuæ luce tulit & blaſphemum, & perſecutorem, & contumelioſum, & tanta eum eſt proſecutus gratia, ut ſanctiſſimam illi Apoſtolici muneris functionem committeret, quia quicquid fecit, ignorans fecerit in incredulitate: cur ſervi Jeſu Chriſti eos tolerare detrectant, qui hoc tempore, quo nemo dicere auſit, tanto miraculorum ſplendore Chriſtianam religionem circumfulgere, errent quidem, & ex ignorantia fortè etiam blaſphement, interim tamen neminem perſequantur, neminem contumelia afficiant, neminem religionis cauſſa turbent? Atque ut adhuc exemplo Chriſti manifeſtius appareat, non eſſe nobis hæreticos vi coërcendos, atque ad ſupplicium trahendos; videamus quomodo ipſemet adverſus apoſtatas ſeſe geſſerit. Lex, ut ſupra jam indicavimus, apoſtatam abſque miſericordia ultimo affici ſupplicio voluit. *Ne parcat illi,* inquit Moſes, Deut. 13. 8, *oculus tuus, ut miſerearis & occultes eum, ſed ſtatim interficies: ſit primum manus tua ſuper eum.* Hic qui hæreticos putant ſupplicio afficiendos, nonne dicent, ad eos multo magis id pertinere, qui à Chriſto deficiunt, & cum diſcipuli ejus fuerint, jam porro in eorum numero eſſe nolint? Certe ſi hæretici interficiendi ſunt, qui Chriſti tamen nomen profitentur & venerantur, & ob ejus honorem mortem quoque truculentiſſimam ſunt parati perferre, licet doctrinam ejus non rectè intelligant: multò magis illi hoc ſupplicio digni erunt, qui doctrinam ejus penitus abjiciunt, & fidem in ipſum collocatam ita deſerunt, ut ejus nomen amplius profiteri, & inter ejus diſcipulos verſari nolint. Nunquid verò Chriſtus ita faciendum eſſe exemplo ſuo docuit, & non potius contrarium demonſtravit? Legimus apud Johannem cap. 6. ℣. 66: poſtquam Chriſtus multa de carne ſua edenda, & ſanguine ſuo bibendo diſſeruiſſet, multos ipſius diſcipulos, hoc ejus ſermone offenſos, abiiſſe retro, & jam non cum illo ambulaſſe. Ad hæc, quid Chriſtus? Num illos ad ſupplicium rapuit, aut rapiendos cenſuit? Haudquaquam: quin imò ita duodecim illos diſcipulos ſeu Apoſtolos fuit allocutus, *Nunquid & vos vultis abire?* quaſi & illis facultatem abeundi, ſi vellent, daret. Dices, non habuiſſe Chriſtum aut magiſtratum, aut populum ſibi obſequentem, qui eos ad ſupplicium raperet. At habebat divinam illam in ſe habitantem virtutem ac potentiam, qua potuiſſet illos abſque vi externa interimere. Et id minus fuiſſet reprehenſioni obnoxium: quia ſupplicium ipſis divina virtute irrogatum, pro pœna ab ipſo Deo inflicta fuiſſet habendum, atque adeo juſtiſſimum agnoſcendum. Adde, quod hac ratione tantò majori metu fuiſſent perculſi diſcipuli cæteri, ne auderent à Chriſto & ſacroſancta ejus religione deficere. Certe ſi Catholici ii, qui hæreticos perſequendos atque interimendos exiſtimant, eos ſuo anathemate poſſent, veluti fulmine miraculoſe immiſſo, interimere, id haudquaquam facere omitterent: eſſetque non Catholicis tantum, ſed ipſis etiam hæreticis aliqua ratione id optandum, ut id facere Catholici poſſent: quia inde manifeſtè convincerentur, religionem Catholicam eſſe veram, ac divinitùs profectam; ac proinde eam ſine mora amplecterentur, nec paterentur in ſeſe tam ſeverum, tamque efficax fulmen ſtringi; & nemo jam Catholicorum ad hæreſin prolaberetur. Cur ergo Chriſtus, qui tantam poteſtatem habebat, id non fecit? Nonne ideo, quia à ſpiritu ſuo mitiſſimo, atque à religione, quam promulgabat, Deique conſilio, cujus exequendi cauſſa in mundum fuerat miſſus, alieniſſimum eſſe judicavit. Non venerat ille, ut alibi de ſe dixit, animas hominum perdere, ſed ſervare. Cur ergo idem non faciunt ejus ſervi ac diſcipuli, quibus ille ſeſe imitandum propoſuit, qui ſpiritus illius ſunt, vel eſſe debent participes, qui ſacratiſſimam ejus religionem profitentur; In memoriam illis redire debebat, quod diſcipulis ſuis aliquando reſpondit ipſemet Servator, cum hoſpitio non eſſet à Samaritanis exceptus. Cum enim illi interrogarent, Luc. XI. 45: *Vis, dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos, quemadmodum & Elias fecit? Chriſtus converſus increpavit illos, dicens: Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Eadem nempe manſuetudine diſcipulos ſuos uti voluit, qua ipſe uteretur.

A quo loco antequam abeamus, expendere vellemus homines Catholicos, quid ſummi aliquando inter Eccleſiæ Catholicæ doctores viri hac de re cenſuerint, quaque manſuetudine utendum exiſtimarint in hæreticos, quos peſtiferis ac blaſphemis erroribus crediderunt infectos. De Manichæis ita ſcribit Auguſtinus: *Illi ſæviant in vos, qui neſciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quantis gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo ita errore decepti ſunt, quali vos decepto vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos, ſicut meipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta ſapientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem.* De Arrianis vero Salvianus Eccleſiæ Maſſilienſis Epiſcopus: * *Hæretici ſunt, ſed non ſcientes: denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt. Nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, & hoc nos illis. Nos illos injuriam divinæ generationi facere certi ſumus, quod minorem Patre Filium dicunt: illi nos injurioſos Patri exiſtimant, quod æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honos Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis, quod credunt. Inofficioſi ſunt: ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impii ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem. Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant charitatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſint, nemo poteſt ſcire, niſi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etſi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis errare.*

Hæc cum ita ſe habeant, nemo non videt, in hæreticorum cauſſa Catholicis ſequendum eſſe illud Gamalielis conſilium, quo ſeniores Judæorum aliquando dehortatus eſt, ne vim Apoſtolis inferendam cenſerent, qua de re in Actis legimus. Ita enim ſuos collegas allocutus fuiſſe legitur Actor. 5. ℣. 38. *Diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos, quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſolvetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere, ne fortè & Deo repugnare videamini.* Sequendum & illud partisfamilias conſilium vetantis zizania evellere, ne fortè ſimul & triticum evellant, ſed ad meſſem uſque creſcere ſinant.

* De gubernatione Dei, lib. 5.

ſinant. Ne triticum poteſtatem ſibi ſumat evellendi per vim zizania. Nam & zizania, quæ ſe exiſtimant triticum eſſe, triticum evellendi poteſtatem ſibi ſument, & cum in mundo vitiorum potius, quam virtutis ac pietatis feraci agro, uberius proveniant zizania, quam triticum, zizania potius hac poteſtate fruentur quam triticum. Quod ſi ſint, qui ob multitudinem, ac multorum ſeculorum tractu firmatam potentiam, qua ſuperent ſuos in religione adverſarios, ſibi metuendum non exiſtiment, ne à zizaniis vi evellantur; illi vel ob id ipſum ſuſpecti ſibi ipſis fieri debent, ac vereri, ne fortè in zizaniorum ſint numero: quia in tam ſterili virtutum agro per tot ſecula tanta ubertate efflorefcant; & ne fortè à recta ſalutis orbita aberrarint, quam pauci inveniunt. Ita enim ait Servator Matt. 7. 13, 14: *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui intrant per eam: quia anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt, qui inveniant eam.* Quanquam præterea cogitandæ ſunt incertæ rerum humanarum vices. Quis non videt ſumma ſæpe deorſum volvi, & ima paulatim ad ſumma eluctari, frangi valida, & longo ſeculorum tractu firmata, infirma robur acquirere. Nec mirum: cum & ea quorum magnitudinem ac robur nunc miramur, aliquando parva & imbecillia fuerint, & ab exiguis profecta initiis ad hanc magnitudinem ſint progreſſa. Quare nemo eorum, qui vi evellenda zizania putat, perpetuum ſibi de iis triumphum polliceri poteſt; ſed verendum cuivis eſt, ne quod in ea juris ſtatuerit, eo ut ipſe aliquando utatur. Itaque nil eſt conſultius, quam ex patrisfamilias conſilio ultimam expectare meſſem, ubi & ſine ullo erroris periculo, & abſque tritici detrimento, patrisfamilias juſſu ſegregata à tritico zizania in ignem conjicientur; ubi nec tritico zizaniorum nomen imponi, nec zizania tritici ſibi aut nomen vendicare, aut ejus ſpecie meſſores fallere poterunt. Sic nullam habebunt zizania ex tritici factis anſam, triticum vi evellendi; quam ſi nihilominus adhibuerint, tum demum triticum vi concuſſum grana ſua latius ſparget, & longè uberius proveniet eliſis paulatim zizaniis, donec tandem meſſis finem illis penitus adferat. Sed dicet Catholicorum aliquis: Eſto, colendam nobis eſſe pacem cum hæreticis: num opus eſt, ut de pace illis quoque caveamus? Et, coluimus huc uſque cum illis pacem, & porro colere parati ſumus, ſed jus aut privilegium, quo illis de libertate caveatur, extare nolumus. Illis id non eſt neceſſarium, cum abſque eo pace fruantur, atque in poſterum fruituri ſint; nobis non ſatis honorificum. Quid enim? An fidei virtutique noſtræ, an amicitiæ, an ſanguinis vinculo non fidant? Id fortaſſe poſſet locum habere aliquem, niſi & minas Catholicorum, nec paucorum, nec poſtremorum audirent hæretici, & proteſtationes viderent ſecuritati ſuæ noxias, & conatus quorundam cernerent ad ſeſe evertendos, aut libertatem ſuam circumſcribendam, atque in anguſtum cogendam directos: ſi præterea exempla illos aliarum regionum & vetera & recentia, atque adeo hujus ipſius temporis evidens ac multiplex experientia non cogeret ſimilia extimeſcere: ſi denique injuriam nullam religionis cauſſâ fuiſſent perpeſſi; ſi non vidiſſent in hoc ipſo regno templa ſua, incenſa alia, alia diruta, privatorum quoque ædes direptas, nonnullos cæſos, vulneratos, violatoſque. Quare nec pace uſquequaque fruuntur hæretici, neque ſe fruituros certo ſibi polliceri, niſi ipſis caveant Catholici, poſſunt. Certe vel ob id ipſum negari jure poteſt, pace eos frui, quia jus hujus rei ipſis negatur. Pax enim vera non eſt, à qua ſecuritas abeſt. Securitas autem nulla eſt, quam diu jus aut pactum, quo hæreticis caveatur, negant Catholici, atque interim non pauci multa vel faciunt, vel minantur tranquillitati ipſorum plane adverſa. Unde intelligitur, nec rem ſupervacuam requirere hæreticos, dum libertatem ſuam publico ſcito ſanciri & plenius confirmari volunt, conſtitutis in pacis violatores pœnis, & æquo utrique parti foro atque judicio. Neque rem Catholicis minus honorificam illi poſtulant, ſed honeſtam, ac cum ſingulari ipſorum tum æquitatis, moderationis atque humanitatis, cum prudentiæ laude conjunctam. Nam quid in eo minus honorificum, ſi te id facturum promiſſo publico, ac lege in tabulas relata obſtringas, quod facere non tantum honeſtè poſſis, ſed & debeas. In harum autem rerum numero eſſe id, de quo hic agimus, ſatis jam eſt oſtenſum. Quod ſi etiam ſupervacuus eſſet hæreticorum metus, annon humanitatis tamen eſſet, vano quidem, ſed tamen magno tot millium metui occurrere, & anſam ejus præcidere, & ea quidem in re, quæ tibi, ſi pacem cum illis colere velis, nec debeat eſſe moleſta, nec labore, nec precio ullo conſtet? Cur precibus illorum non dant Catholici, quod gratis dare poſſunt? Hoc pacto ſuſpicionibus ac diffidentiæ, magnis amicitiæ ac reipub. peſtibus, locum præcludent, & hæreticos omnes tum ſibi ipſis obligabunt, tum patriæ, in qua ſe tuto ac ſecurè vivere poſſe videant, & quam non novercam, quæ expellere ipſos velit, ſed matrem eſſe ſentiant: hoc pacto eoſdem etiam obſtringent, ut ſi fortè ipſorum alicubi potentia creſcat, Catholicis viciſſim caveant, & eorum ſecuritati conſulant, cui nullo jure tenebuntur proſpicere, ſi ipſorum ſecuritati cavere nolint Catholici. Nam qui alteri pacis fiduciam facere detrectat, & ſibi jus reſervat, eum, cum opportunum erit, opprimendi, idem illi jus viciſſim relinquit: & inter quos jura pacis non ſunt, jura belli relinquuntur, utrique parti communia. Sed nulla ſalus bello: pacem te (ô Deus) poſcimus omnes.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Problemata N. cum ſolutionibus

J. C.

1\. DEus omnipotens non omnia futura ſcit.

℞. Falſum. Deus enim omnia futura ſcit. Futura Græcè ἐσόμενα, non dicuntur niſi illa, quæ certò futura ſunt, ut quæ certas habeant exiſtentiæ ſuæ cauſſas. Futura contingentia, non magis futura ſimpliciter dicuntur, quam homo mortuus, homo, aut virgo vitiata, virgo. Quanquam Deus etiam futura contingentia ſcit, quà ſunt talia, vel quà contingentia & poſſibilia, ſed non determinatè & abſolutè ut futura. Neque enim determinantur, antequam fiant, vel ſaltem certam exiſtentiæ cauſſam adipiſcantur, & ſic contingentia aliquomodo eſſe deſinant.

2\. Animæ nunc nec in cœlum, nec ad inferos eunt, ſed in manus Dei.

℞. Et hoc falſum. Animas ſeu Spiritus piorum cur in cœlum poſt mortem tranferri non credamus? Cur animas impiorum non in infernum? Neque enim protinus, quod in cælo eſt, gaudio cœleſti perfruitur, niſi conſtet, illud actu vivere ac ſentire. Infernus vero ſtatus eſt mortuorum, & inſtar loci in S.S. literis depingitur, & nominatim interdum impiis aſſignatur, quia à Deo æternum perdendi, hinc ſecunda mors. Nec vero animæ quævis, ſed juſtorum tantum in Dei manu eſſe dicuntur Sap. 3. 1, id eſt ab eo cuſtodiri, curari, foveri.

3\. Animas malorum poſt judicium Deus annihilabit, imò poſſibile eſt, quod & nunc idem facit.

℞. Animas impiorum Deum poſt Judicium annihilaturum, nec ſcriptura aſſerit, nec ratio evincit ulla, multò autem minus, quod idem nunc faciat.

4\. Tantum boni reſurgent ad judicium, mali autem mortui non reſurgent. In ſtagnum ignis mortui mali non ibunt, ſed projicientur, vivi autem mali ibunt.

℞. Non boni tantum, ſed & mali reſurgent ad judicium. Apoc. 20. 12, 13, 14. Iidem mali in ſtagnum illud ignis ſulphurei ibunt in id projecti. Neque enim pugnant iſta, ire in ignem illum, & in illum projici, cum de iiſdem impiis utrumque dicatur, ut apparet ex collatione locorum, Matt. 13. 50, &c. & 25. 41, 46.

5\. Æternæ pœnæ non ſunt, quia Deus crudelitatis argueretur.

℞. Credimus impiorum pœnam fore æternam ex verbis Matt. 25. 46. 2 Theſſ. 1. 9. Apoc. 20. 10.

6\. Etiam in cælo dantur dies artificiales.

℞. Falſum. Dies artificiales in cælo nulli, ſive diem artificialem cum nonnullis facias illum quo ſol eſt ſupra horizontem, quique nocte terminatur, ſive ſpatium temporis cæli totius circum volutione, ſeu viginti quatuor horis definitum. Nam nec ſol ibi erit, nec nox Apoc. 21. 23, & 25, nec ulla cælorum converſio, Jacob. 1.

7\. Deus iraſcitur recipiendo in ſe affectum iræ tanquam paſſionem aliquam, quâ ante caruit.

℞. Deum hominibus nunc iraſci, nunc non iraſci, ſed eos diligere cum S.S. Literis credimus, modum non definimus. Longe tamen ab affectibus ac paſſionibus humanis abeſſe cenſemus, ac talem qui Dei naturæ, in quam nulla cadit perturbatio, ſit conveniens.

8\. Dubium eſt an præteriti Chriſtiani Martyres Catholici fuere, credibile eſt Racovienſes fuiſſe profeſſos.

℞. Martyres illos veros vereque Chriſtianos, Catholicos quidem fuiſſe credimus, ſed non ex eorum numero, qui id nomen hodie ſibi ſolis vindicant. Tales eos omnes fuiſſe credimus, ut in Fidei, quæ vocant fundamentis, nobiſcum conſenſerint, id eſt in omnibus ſine quibus fides in Deo & Chriſto collocari & mandatis ejus obediri nequit, utut non pauci, poſterioris præſertim ævi, in aliis dogmatibus à nobis diſſenſerint.

9\. Paulus non fuit Philoſophus, & ideo Philoſophiæ ſtudium inane.

℞. Si Philoſophum eum dicas, qui Philoſophica ex profeſſo tractat, certe neminem arbitror eſſe, qui Paulum Philoſophum dicat fuiſſe. Facilè concedi poteſt, eum Philoſophiæ non penitus fuiſſe ignarum, forte & libros quoſdam Philoſophorum legiſſe, uti Poëtas nonnullos illi non ignotos videmus. Cæteroqui eum ad pedes Gamalielis in legis ſtudiis enutritum legimus. Act. 22. 3. Philoſophiæ, quæ vere hoc nomen meretur ſtudium inane eſſe, non credimus, ſed utile, & Theologo etiam ad multa neceſſarium.

10\. Non ſunt plures cæli, quam tres, & in tertio Chriſtus habitat.

℞. Si ex S.S. Literarum conſuetudine loquamur, quæ aliter quam Mathemaci cælum ſpectant, tres tantum cæli ſtatuendi videntur 1 Aër, unde volucres cæli Pſ. 8. Matt. 6. Gen. 1. 7, 8. Deinde cælum, in quo aſtra ſunt, & quicquid eſt ſupra elementa quod in orbem volvitur. Denique ſedes Dei, Chriſti, & Angelorum, in qua nos aliquando habitaturi ſumus. Hoc autem non prohibet, quo minus cælum medium in plures orbes, &, ſi ita nominare placet cælos dividas.

11\. Nemo propter hæreſim à populo Chriſtiano abigendus, ſed ſibi in pace relinquendus. Similiter omnes reliquæ hæreſes in quiete ſervandæ.

℞. Propter hæreſin arcendos quidem homines à ſocietate ac communione Eccleſiæ, vitandoſque legimus, ſed nuſpiam Regno aut Repub. exigendos. Hæreticum hominem poſt unam alteramque admonitionem vita, inquit Paulus, Tit. 3. 10. Interim ejuſdem Apoſtoli ratum manet; ſi fieri poteſt, quantum in vobis cum omnibus hominibus pacem colite. Rom. 12, & illud ad Heb. ſectamini pacem cum omnibus.

12\. Pater ut pater, poteſt eſſe ſine filio.

℞. Falſum. Pater ut pater nunquam poteſt eſſe ſine filio, ſed omnis tamen Pater, fuit aliquando ſine filio.

13\. Non matrimonium Sacramenti nomine appellatur ab Apoſtolo, quod eſt ſignum unionis inviſibilis inter Chriſtum & Eccleſiam, ſed ipſa unio Chriſti cum Eccleſia.

℞. Veriſſimum. Ipſe Paulus id docet, dum addit: Ego verò dico in Chriſtum & Eccleſiam (ita enim eſt in Græco.) Quod teſte Cornelio Cornelii Jeſuita, Syrus interpres ita vertit, loquor autem de Chriſto & Eccleſia. De voce Sacramenti non diſputo, quia Græcè eſt myſterium, id eſt, res ſeu ſententia arcana.

14\. Uxorem propter ſe Chriſtus dimittere non ſuadet, alioqui ſibi contradiceret.

℞. Si dimittere uxorem, ſumas pro divortium cum ea facere, ita, ut vinculum matrimonii ſolvas, & eam pro uxore amplius non habeas, veriſſimum eſt quod dicitur: vide Matt. 5. & cap. 19. Alioqui ſuadet Chriſtus propter ſe dimittere uxorem, vel quia ob religionem ejus quam vir complectitur uxor cum eo habitare nolit, vel quia vir ejus religionis cauſſa aliorum injuria ab uxore divellatur, ita ut cum ea vivere, niſi veritatem aut pietatem prodat, non poſſit, vel denique quia gloria Chriſti exigat, ut is, uxore ſponte relicta, ea præſertim conſentiente, negotium Chriſti alibi tractet, ut olim fecerunt Apoſtoli, vid. Matt. 19. 27. 29.

15\. Deus nunquam bonos punit propter malos, etiam in tempore, & dum punit malos, ſemper per meliores punit.

℞. Bonos, ſi & ipſi aliquid commiſerint punit ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

caſtigat Deus, occaſione malorum inter quos habitant, cum hos ſuppliciis ſuis perſequitur, quanquam ſæpius malis parcit propter bonos, utut multo pauciores. Falſum autem eſt, Deum ſemper punire malos per meliores, imò ſæpius, per æque malos aut etiam pejores.

16. Morientes ſive in lecto, ſive in furca ſi ſceleſtè vixerunt, etiamſi fortè in agonia contriti, conſolatione penitus ſunt privandi.

℞. Illi de quibus ſermo eſt, non ſunt penitus conſolatione privandi, ſed illis dicendum, quod inter alia Petrus Simoni Mago: Act. 8.22. Roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio (malitia) cordis tui. Solandi ita ſunt morituri ne vivi cauſſam habeant in ſceleribus perſeverandi.

17. Paulus magis diligebat Chriſtum, quam mater Chriſti, & Paulus charior Chriſto, quam ipſa Mater.

℞. Non facilè nobis ſumimus judicium de ſanctis, & maxime de eorum affectibus, ubi ipſe divinus ſpiritus nobis non præit. Certè ſi quicquam aliud comparatio inter eos difficilis eſt. Teneamus potius illud Pauli: quod iis ſcripſit, qui judicium ſibi de ipſo, & aliis Chriſti ſervis ſumebant, eoſque inter ſe contendebant, nolite ante tempus judicare quoad uſque veniet Dominus. Qui & illuſtrabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo 1 Cor. 4. 5. Credibile tamen eſt, affectu & ardore charitatis matrem Chriſti nihil ceſſiſſe Paulo. Effectu num ceſſerit æſtimetur ex iis quæ de matre Domini & Paulo in SS. Literis leguntur.

Reſponſio ad tres Johannis Stoinii quæſtiones, Johannis Crellii.

PRima quæſtio, An fides non poſſit eſſe vera, & magna ex parte viva, etiamſi non penitus omnes peccatorum habitus mortificet.

Si ſimplicem verborum iſtorum ſententiam ſpectes, affirmatè reſponderi poteſt. Sed cum mentem tuam penitius inſpicio, aliam ſubeſſe quæſtioni huic ſententiam cenſeo, ad quàm affirmatè reſpondere præſertim ſimpliciter, non licet. Id enim mihi velle videris; An non hæc quoque fides pro viva ſit habenda, ita nimirum, ut ex vi N. Fœderis juſtificationem ac ſalutem omnino pariat, quæ cum uno alterove peccati habitu conſiſtere queat, eumve non ſuſtulerit. Ad hujuſmodi quæſtionem negativè reſpondendum eſſe, jam antea noſtri ſatis docuerunt; præſertim ex locis 1 Cor. 6. Gal. 5, quibus & alia complura poſſunt ac di, quæ partim iis æternum exitium minantur, qui vel in uno peccati habitu perſeveraverint, vel ſimpliciter exſecutionem divinæ voluntatis, ſanctitatemq; divinæ ſimilem, ad ſalutem aut juſtificationem requiri demonſtrant; partim certas virtutes ad ſalutem aut juſtificationem neceſſarias oſtendunt, ex quibus quid de cæteris ſit judicandum facile eſt æſtimare. Iis enumerandis ideo ſuperſedeo, quod non modo tibi, ſed etiam cuivis in SS. Literis vel mediocriter verſato ſint ſatis nota.

Interim tamen diſcrimen quoddam peccatorum conſtituendum videtur, ut intelligatur, quis nam vero peccati habitu laboret, qui ſalutem omnino ex vi Novi Fæderis adimat, aut contra non laboret. Deinde & illud expendendum, annon quidam ea ſint fide ac virtute præditi,, ut ex vi Fæderis non omnino quidem ſint juſtificandi, & æterna ſalute donandi, non tamen omnino etiam ſint damnandi, & ex immutabili fæderis lege à ſalute prorſus excludendi, ſed eo ſint loco poſiti ut pro arbitrio judicis vel ſervari, vel damnari queant. Quod enim ad prius attinet; peccata alia ſunt ſuâ naturâ admodum gravia, ac fæda, vel ſaltem iis vicina, quæ is, qui ſpem vitæ æternæ per pietatem obtinendæ habet, Deique timore eſt præditus, vel nunquam in ſe admittit, vel vix unquam, idque non niſi aut ingentibus carnis ſtimulis exagitatus, aut incogitantia imprudentiave aliqua lapſus: alia ſunt ejuſmodi, quæ adeo fæda non ſunt, in eaque pronior eſt lapſus; qualis eſt *ira, cupiditas voluptatum illicitarum* quæ ad actum non progreditur; ſimiliter *ambitio*, & *modum ſupergrediens honoris ac famæ cupido.* In hoc poſteriori peccati genere ſi quis ita verſetur, ut cum affectu exoriente non luctetur, ſed habenis ei laxatis ſecure indulgeat, ei homini ſpem ſalutis ex fædere nullam eſſe puto. Sed ſi quas cum affectu iſtiuſmodi ita luctetur, ut ſubinde tamen in eo reprimendo verſetur, ac porrò duo iſta conſequatur: primum ut ſæpe eum extinguat, & ex animo ejiciat; deinde, ut cum non ejicit penitus, tamen aliquatenus infringat, & porro etiam effectum ejus aliquatenus impediat; ei ego ſpem ſalutis non ademerim, ſi præſertim aliis quibuſdam virtutibus, atque imprimis charitate in proximum ac beneficentia, excellat, ad peccatum autem illud, in quod prolabitur, majores quoſdam vel à natura, vel vetere conſuetudine inſitos habeat ſtimulos, vel cæteroqui majoribus irritamentis provocetur ſique in uno tantum peccati genere, non in pluribus ejuſmodi habeat διάθεσιν, qua ab habitu non longè abſit. Verum (ut de poſteriori quoque nonnihil dicam) ſi quis vel pluribus ejuſmodi diatheſibus ſeu diſpoſitionibus laboret, vel aliis virtutibus inſignibus non compenſet (ut ita dicam) ea quæ ipſi inſunt vitioſa, non auſim ei ſalutem polliceri non auſim tamen ita adimere, ut ne judice quidem Chriſto, ſalvis iis legibus ex quibus judicium de hominibus cæteroqui facturus eſt, eum juſtificare ac ſalute donare liceat: nempe, quia Novi Fœderis leges nec poſtulare videntur, ut ei ſalus decernatur, nec tamen etiam contra, ſalutem ei omnino adimere. Judex autem ille æquiſſimus ac ſapientiſſimus, pro ratione variarum circumſtantiarum ſententiam feret juſtiſſimam; & denique pro arbitrio etiam ſuo liberrimaque poteſtate etiam ibi, ubi cauſſæ cæteræ deficient, decretum faciet, qui proinde precibus ardentibus nobis eſt conciliandus. Ut autem ita de prioribus & poſterioribus cenſeam, partim illud me inducit, quod alioqui tanta Dei benignitas, quantam SS. Literæ N. Fœderis nobis prædicant, nimis videretur reſtringi ac minui, quia non modo paucis, ſed omnino pauciſſimis, etiam ex illis, qui ſalutarem veritatem profitentur, & in Eccleſia vivunt ſpes ſalutis ex Novo Fœdere affulgeret, partim, quia video Paulum, dum Theſſalonicenſes ſuper iis qui obdormierunt, ſolatur, & ſolari ſeſe mutuò jubet, ita loqui, ut appareat, poſſe nos ſpem bonam de Chriſtianis, quorum vitæ integritatem cæteroqui probaverimus, concipere. At ſi vi Novi Fœderis ſalute excludendi eſſent ii, de quibus ſum proximè loquutus, ii autem de quibus prius, vi quoque fœderis eam non eſſent adepturi, quotus quiſque eſſet, de cujus ſalute ſpem concipere aliquam (non dicam bonam ac quodammodo certam) poſſemus, quemadmodum tu ipſe indicas. Nam ſi quis dicere velit, ad extraordinariam gratiam, quæ fœderis vim infringat, eſſe confugiendum, id nihil eſt. Revera enim ordinariè, atque ut plurimum ad hujuſmodi gratiam confugiendum eſſet, rariſſimè ad ea quæ fœderi eſt incluſa, ejuſve rationi conſentanea. Et hæc potius eſſet extraordinaria ratio, quæ fœderi eſt incluſa, illa ordinaria, quæ prorſus extra fœdus eſt, idque infringit. Et ſatis apparet, Paulum de ejuſmodi ſpe ſalutis, quam de aliis concipere debeamus, loquutum eſſe, quæ ex N. Fœdere fluat, eive ſit conſentanea. Interea nihilominus hæc ſententia ſtrenuè adverſus carnem luctari omnino jubet: verum tamen ſi res ex voto non ſucceſſerit, hoc eſt, ſi tantum non profecerimus, quantum vellemus, deſperare prohibet, & arma projicere ac terga dare vetat.

Dices fortaſſe, ex SS. Literis apparere, tantam eſſe vim ſpiritus Chriſti, qui omnibus doctrinam ipſius ſincero animo amplexis inſit, ut carnem & affectus omnes crucifigat, atque ita edomet, ut ſi modo eum,

quem

quem debemus conatum adhibeamus, omnes peccatorum graviorum, leviorum habitus, nec habitus tantum perfectos, ſed & diſpoſitiones illas habitibus vicinas perimat. Quare, ſi ab his nondum ſimus liberi, apparere, nondum nos, vel Spiritum illum Chriſti conſequutos eſſe, vel eum conatum adhibuiſſe, quem adhibere debuiſſemus. Et hoc quidem poſterius facile conceſſerim. Imò omnino cenſeo, quicquid hac in parte defectus eſt, id ex defectu conatus noſtri proficiſci. Nihil enim in re pietatis illi eſt præſtitu impoſſibile, qui cum Chriſti Spiritu ſit præditus, vim ſibi, quam poteſt, maximam maximæve proximam facit. Sed illud nondum perſpicio, eum, in quo iſtiuſmodi vitiorum diatheſes extant, ab eo adhuc conatu abeſſe, quo qui careat, is novi Fæderis vi ſit à ſalute omnino arcendus. Nam & in conatu illo, qui ad pietatem ac ſalutem requiritur, gradus ſunt aliqui non omnes ad ſalutem prorſus neceſſarii. Sed fieri tamen poteſt, ut qui conatus ac contentionis animi gradus, non eſt ad ſalutem prorſus neceſſarius, ſit tamen neceſſarius ad verum ac plenum ſalutis conſequendæ jus ex vi fæderis obtinendum, ac porrò ad certam ac firmam illius ſpem animo concipiendam (de ſpe loquor illa quæ pietatis conſequens eſſe ſolet, non antecedens, & ex bona conſcientia fluit) qua de re poſtmodum nonnihil dicam. Illud enim adhuc adjiciendum videtur, Sacras Literas cum de vi Spiritus Chriſti, auxiliique divini, quod hominibus ad pietatem colendam conceditur, loquuntur, ſolere præſupponere in nobis tantum conatum quantus merito eſſe deberet, quantumque in nobis tantam Dei benignitatem, ſpirituſque Chriſti vim excitare conſentaneum videtur, non habita interim (meo quidem judicio) ratione ejus, quod veluti per accidens evenit, nempe ob inſigniorem aliquem naturæ ad certum peccati genus inclinationem, aut ſi quid eſt ei ſimile. Præſertim, quia etiam hujuſmodi impedimenta eo uſque frangere tamen poteſt divini Spiritus vis, &, conatu noſtro, utut non ſummo, atque omnium intenſiſſimo, accedente, reipſa frangit, ut verum peccati habitum non pariant, & quicquid cuipiam aſpergant labis id reliquis virtutibus quodammodo tegatur atque obruatur. Itaque cum de pietate Chriſtianorum loquuntur, eam ferè deſcribunt, ut nonniſi de perfecta loqui videantur, ſed interea tamen alibi non pauca dicunt, quæ doceant, cætera eorum verba aliquatenus κατ' ἐπιείκειαν eſſe accipienda, ita nimirum, ut & imperfectior pietas ſub iis comprehenſa cenſeatur. Quemadmodum inter alia non obſcure apparet ex loco Pauli Gal. 5. & 6, ſi poſteriorem cap. 5, partem cum initio ſexti conferas. Similia etiam ex Chriſti dictis colligere licet Matt. 5. 22, uſque ad 26.

11. Ex his autem intelligi jam magna ex parte poteſt, id de quo ſententiam meam non ſemel requiſiviſti, nempe, qui fiat, quod nonnunquam viros noſtro judicio inſigniter pios quodammodo trepidare & de ſua ſalute, dum ſua facta ad normam mandatorum Chriſti exigunt, hæſitare, aut valde etiam dubitare videamus. Cum tamen S. L. ſignificent, eum, qui ex Chriſti præceptis vivat conſcientiam habere iræ ac ſuppliciorum divinorum ſecuram; & in fiducia illa bonæ conſcientiæ ſalutis conſequendæ rationem collocent. Unde colligi videtur eum, in quo iſta fiducia conſcientiæ non ſit, ſalute excluſum iri. Etenim quatuor mihi hîc videntur conſideranda. Primum eſt, quod S. L. de eo loquantur quod per ſe fit, fierique ſolet, non de eo, quod per accidens, hoc eſt de eo loquuntur quid pietas in homine efficiat, qui bene novit, qui nam ex vi Novi F. ſalvus ſit futurus, qui minus, & terminos, ut ita loquar, ſalutis aut damnationis in S. L. præfixos, ſatis habeat perſpectos. Fieri autem poteſt partin ex ignorantia, aut judicii quadam imbecillitate, partim ex quadam puſillanimitate, quæ judicium aliàs ſat firmum labefactet aliquantulum, ut quis putet, ſe ad eum pietatis gradum nondum perveniſſe, in quo quiſquis conſiſtit, ſalutis æternæ ex fædere futurus eſt particeps, licèt revera pervenerit. Hoc autem cum evenit, veluti per accidens impeditur vis pietatis, quo minus eum, quem poterat ac debebat effectum penitus pariat. Secundum eſt, quod ut de pietate diximus, & de conſcientiæ lætitia ac ſpe ſalutis inde manatne dicendum videtur, eam ita deſcribi ſolere, ut verba perfecto tantum ejus gradui convenire videantur, licèt per ἐπιείκειαν etiam ad imperfectiorém, ſed tamen à perfecto non adeo longè diſcedentem, extendi debeant. Ratio ex iis, quæ de pietate dicta ſunt facilè à te perſpici poteſt. Tertium eſt, quod nonniſi eatenus fiduciæ conſcientiæ adſtringitur ſalus, quatenus partim ad ſalutem requiri docetur, ne quem cor ipſius damnet, partim indicatur, eum, qui fiduciam illam ſpemque bonam ex conſcientia recta naſcentem habet, ſervatum iri. Verum, inde non ſequitur eum, qui, non quidem ſeſe revera damnet, ſeu ex vi Novi F. omnino damnandum judicet, ſed adhuc hæſitet, hoc eſt qui examinatis ſuis factis adhuc dubitet, utrum vi fæderis novi conſecuturus ſit ſalutem, damnatum iri, ſeu, ex ejuſmodi dubitatione non rectè colligitur, eum, non habere illam pietatem, quæ eſt ad ſalutem omnino neceſſaria. Quartum eſt, quod facile fieri poteſt ut ii, qui cæteris pietate eminere videntur, vel ut rectius dicam, revera etiam eminent, ſi illorum virtutes cum aliorum piorum hominum virtute ſimpliciter comparentur, tamen in illorum numero ſint reponendi, quibus ſalus ex Novi F. vi non omnino debeatur, vel vix debeatur: utut iis, quos illi cæteroquin non parum ſuperant, ex fædere debeatur juſtificatio ac ſalus ſempiterna: nempe, quia licet eos ſimpliciter pietate ſuperent, non tamen ſuperent proportionatè, hoc eſt habita ratione donorum divinorum, variorumque ad pietatem adminiculornm, itemque conditionis ac muneris, quod majorem ab illis pietatem exigebat, quam à cæteris. Itaque non mirum eſt, eos ſæpe magis de ſalute dubitare qui cæteros virtute ſuperant, quam eos, qui ſuperantur: imò hos interdum nequaquam dubitare, illos dubitare. Licèt enim id nonnunquam ignorantiæ illorum poſſit adſcribi, qui cum aliis virtute cedant, ſalutem tamen ſibi audacius pollicentur: ſæpe tamen ſpes illa ex vero provenit, nempe, quia ſuorum donorum menſuram, ut ita dicam, virtute impleverint, idque illorum conſcientia, benignitatis divinæ in Novo F. promiſſæ gnara, cernit. Arbitror tamen & illis qui in extremo pietatis ad ſalutem omnino neceſſariæ gradu hærent, habere lætiora non raro conſcientiæ interſtitia, & liquidiori ſæpe gaudio perfrui; nempe, cum aut illam cupiditatem, quæ eos tantopere infeſtat vincunt, aut alia virtutum opera exercent, atque imprimis ea, quæ charitatem in proximum non exiguam requirunt, quæque præmium apud Deum habere repoſitum omnes norunt. Atque hujuſmodi conſcientiæ gaudium, aut ſpes ſalutis pro illo virtutis ac pietatis gradu ſufficere iis meritò debet. Sed tamen cuique allaborandum eſt, & ſtudium oſtendendum ad plenam ſpei corroborationem, ſeu πληροφορίαν, ut ait D. Autor ad Heb. 6. 11.

Hæc nunc habui, quæ ad quæſtionem primam à te propoſitam reſponderem: quæ ſi judicio tuo probabuntur, habebo de quo gaudeam, quod ſi minus probaveris, id ipſum quoque mihi ſignifices, & chartam hanc conſcindas, niſi illa delere malis, quæ minus probaveris, & hoc quidem poſterius omnino te facere cupio, niſi prius malis.

II. Quæſtio. Si anima aut forma fidei eſt obedientia, quænam fidei ſignificatio materiæ vices ſuſtinet.

℞. Fides illa, quæ aſſenſus eſt doctrinæ Chriſti adhibitus, aut etiam inde nata fiducia quædam ac ſpes immortalis vitæ, ſub conditione obedientiæ à Deo per Chriſtum obtinendæ. Nam & hæc, niſi vitæ pietas accedat, corpus eſt ſine ſpiritu.

III. Cur Deus non requirens perfecta opera, requirit perfectam fidem, aut ſi non exigit abſolute perfectam fidem; cur Apoſtolus imperfectam fidem opponit perfectis operibus? Nam etſi videri poteſt quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

id eleganter procedat, Juſtificamur non operibus perfectis, ſed fide imperfecta; Sed rurſus oppoſitionis ratio elegantius forſan conſtaret, ſi diceretur opera quidem non eſt neceſſe ut ſint abſolutè perfecta; ſed fides neceſſe eſt ut ſit perfecta. Sed ſi eſſet fides perfecta, eſſet & obedientia talis qualis fuit in Domino Jeſu.

Videris mihi ipſe his ultimis verbis ad quæſtionem reſpondiſſe. Ideo enim Deus non requirit ad juſtificationem fidem penitus perfectam quia ſimul perfectam obedientiam requirere videretur, quandoquidem illa ſine hac conſtare vel prorſus non poteſt, vel vix poteſt; & vel planè non eſſet, vel non multò facilius per hujuſmodi fidem conſequi juſtificationem, quam per opera perfecta. Quare cum dicitur, Deum ad juſtificationem non requirere opera perfecta, ſed fidem, idque ideo, ut oſtendatur longè faciliorem nobis Deum juſtificationis conſequendæ rationem propoſuiſſe; eo ipſo ſignificatur fidem hanc imperfectionem aliquam admittere. Verum non eſt, mea quidem ſententia, ſtatuendum, ita debere hanc, quæ apud Paulum occurrit, oppoſitionem explicari, acſi diceretur, Deum non requirere opera perfecta ſed fidem imperfectam. Non eſt, inquam, opus in poſteriori membro ſubaudire vocem imperfectam, ſimpliciter enim intelligendum eſt, Deum fidem requirere, ſive perfecta illa ſit ſive aliqua ratione imperfecta. Itaque generaliter fides ibi ſumenda eſt, ſine reſtrictione ad hanc illamve ſpeciem aut differentiam, modò cæteroqui bonorum operum fructibus ſit fæcunda.

Excerpta ex Literis Joh. Crellii ad Joh. Stoinium.

VOcem ἱλασμοῦ 1 Joh. 2. verſ. 2. verti *propitiationem* non negaverim; licet propter uſum ejus vocis apud LXX Interpretes, alioſque ſcriptores ſacros malim *expiationem* vertere: rectè autem animadvertiſti Chriſtum eatenus dici poſſe *propitiationem, quatenus efficit, ne Deus nos puniat, &c, ut S. S. Literæ loqui ſolent, nobis iraſcatur, cum iraſcendi ſeu puniendi cauſſas alioqui juſtiſſimas habeat.* Qua de re non uno loco ſcriptum reperies cap. 7. Antigrotii. Modus, quo id Chriſtus efficiat, is omnino eſt, quem tu explicas. Verum eſt, rem eodem recidere, ſive propitiationem, ſive expiationem vertas, retenta ea vocis propitiandi ſignificatione, in qua uterque conſentimus. Arbitror autem nihil in eo abſurdi eſſe, imò id omnino conſentaneum eſſe *Chriſtum ea ratione dici propitiationem, qua interpellare dicitur.* Crediderim etiam, poſſe, adverſariis aliqua ratione dari, Chriſtum ἱλάσκειν ſeu ἱλάσκεσθαι τὸν θεὸν, licet id nuſpiam ſcriptum ſit: *conſequitur id ex eo, quod de propitiando diximus.*

In comm. ad Hebr. iis in verbis quæ citas, rectè ſcriptum eſt, *Græca conſuetudine.* Nam verbum iſtud ἱλάσκεσθαι ex Græca conſuetudine huc tranſlatum eſt; quia Græci, ut & cæteri Ethnici, credebant Deos ἱλάσκεσθαι ſeu propitiari ac placari ſacrificiis: eamque ab cauſſam verbo illo de ſacrificiis loquentes, utebantur: verum ſignificatio ejus verbi, & conſtructionis ratio, eſt ex Hæbræorum conſuetudine. Induit enim ſignificationem verbi *Cipper* quæ cognata eſt propriæ ſignificationi verbi ἱλάσκεσθαι quemadmodum in Antigrot. docui; unde ſimul conſtructionis ratio, ibi præſertim cum ad peccata paſſivè refertur, mutatur. Cauſſam, cur ἱλασμος apud Joh. expiatio potius, reddi debeat, quam propitiatio ſeu placatio, paulò ante attigi. Quanquam cap. 4. alia eſt adhuc ratio, quam in Antigrot. explicatam videbis. Ad ſacrificia autem alludi, licet neceſſarium non ſit ſtatuere, conſentaneum tamen eſt, tum quod in ea materia creberrimus ſit ejus vocis uſus, tum quod, *cum de Chriſto deque remiſſione peccatorum, per eum nobis parta loquuntur S. Literæ, libentiſſimè ad umbras illas legales alludant*, tum quod loco cap. 2 (nam de cap. 4 vix ulla videtur relinqui dubitatio) ea alluſio eleganter conveniat, & quodammodo rem ipſam probet, ac veriſimilem nobis faciat, nos remiſſionem peccatorum per eum conſecuturos, quia nimirum ſacrificium ſit expiatorium, non pro noſtris tantum, ſed totius mundi peccatis. Niſi malis eum potius cum ſacerdote expiante hic conferri, quam cum victima expiatoria, qua de re nolim contendere, præcedentibus ſane id congruit. Licet crediderim elegantius ſacrificium ἱλασμον, dici, quam ſacerdotem; quanquam utraque ſignificatio eſt metonymica, quia effectus pro cauſſa ponitur, aut de cauſſa effertur ſeu prædicatur.

Ex literis Anno 1627, de verbis Ap. 1. 13, & ſeqq.

DIxi aliquando non videri mihi neceſſarium ut omnia peculiarem ac ſpecialem, ut ita dicam ſignificationem habeant, ſed quemadmodum in parabolis quædam ſunt emblemata ad complendam rem, unde ſimilitudo ducitur ſpectantia, ita etiam in hujuſmodi imaginibus, quædam certam poſſe habere ſignificationem, quædam tantum ad complendam totam figuram aut imaginem pertinere, & inter hæc in figura illa Apoc. 1, numerari poſſe capillos, eorumve colorem. Quanquam, ut tum quoque dicere memini, non arbitror eam omni prorſus ſignificatione carere, ſed, uti antea innui, peculiari ac ſpeciali. Nam cæteroqui pertinet ille candor ad puritatem ac gloriam naturæ ipſius Chriſti, quam tota ferè ejus ſpecies ibi deſcripta oculis ſubjicit, oſtendendam. Eſt enim candor res pura ac ſplendida: quaſi ſignificaret Spiritus Sanctus, nihil eſſe in Chriſto prorſus, quod purum, ſplendidum ac glorioſum non ſit. *Capilli enim qui pro veris corporis humani partibus non cenſentur, id quod in Chriſto minimum cenſeri queat, ſignificare poſſunt.* Quod ſi tamen peculiarem habere velis ſignificationem; crediderim ſignificare ſapientiam, atque, ut ita dicam prudentiam, quæ cano capiti ſolet eſſe quodammodo propria. Etſi enim alius ſit candor capillorum, alia canities; tamen, ut apud Dan. cap. 7, in imagine ipſius Dei, canitiei reſpondet, ejuſve loco eſt. Canities, quia non ſatis eſt ſplendida, imagini adeo glorioſæ ac ſplendidæ non rectè conveniret: quare candor color lucidiſſimus, ejus loco ponitur.

Ex litteris d. 26 Septemb. Anno 1630.

1. HYpocriſis eſt quando aliquis quidpiam boni externè præ ſe fert, quamvis hoc in eo non ſit. Dolus autem eſt quando quis aliquid mali contra aliquem cogitans id non oſtendit, ſed occultat. Interdum concurrit utrumque, interdum autem unum iſtorum ab altero ſeparatur.

2. Zelus ille qui eſt opus carnis ſeu æmulatio, eſt contentio de eminentia, cum ſtudio quodam alterum deprimendi conjuncta. Invidia autem eſt dolor ex alieno bono. Hæc ſimpliciter dolet quòd alicui alteri aliquid boni fiat, in quocunque tandem bonorum genere. Ille verò prior zelus ſeu æmulatio, non ſimpliciter id dolet, ſed tantùm eatenus, quando alicui videtur quòd propterea alter eminentiam ejus quam valde deſiderat, adimit, & palmam ei vel præripit vel dubiam facit. Alioqui non dolet id quòd alicui alteri bene fiat. Eſt iſte quidam ambitionis effectus. Invidia autem odii, cum puſillanimitate quadam conjuncti.

3. In illo Luc. 10, locò, non tam demonſtrat Chriſtus legisperito hominem quemvis eſſe ipſius proximum; quam id innuit, & ex illa parabola colligendum relinquit: illud potius aperte dicit, cum quovis homine, cujuſcunque tandem ſit nationis, ita agendum, ut proximum decet cum proximo agere: quod ſi rem ſpectes, perinde eſt ac ſi dixiſſet, quemvis hominem eſſe proximum, ac porrò ita diligendum, ut ſeipſum quiſque diligit.

4. Blaſphemia omnis in Patrem & filium remittitur, quæ non ſit conjuncta cum blaſphemia in Spiritum ſanctum, vel ſaltem parem improbitatem atque impietatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

pietatem non arguat. Nam blaſphemia Spiritus ideo non remittitur, quia quiſpiam id, quod diviniſſimum eſſe manifeſte videat, contumelia audeat afficere. Qua in re ſingularis hominis improbitas cernitur. Quodſi blaſphemia aliqua ſit, in qua par improbitas, aut etiam major cernatur, etiam illa ſermone illo Chriſti comprehenſa cenſeri debet. Quanquam fortaſſe, dici poteſt, Chriſtum ad illa tantum blaſphemiæ genera reſpexiſſe, quæ etiam in illis locum haud difficulter habere poſſent, qui aliquam Dei veri notitiam haberent, & pietatem cæteroqui non penitùs ejuraſſent. Inter ea autem blaſphemiæ genera vix ullum eſſe videtur, quod blaſphemiæ Spiritus par ſit cenſendum, & æquè grave, ac porro æquali pœna dignam. Namſi quis cæteroqui Deo ipſi ſciens prudens maledicere auderet, id quod gravius eſſe videtur, is pro atheo, aut inſano habendus eſſet: taliaque hominum monſtra rariora ſunt, & fortaſſe nunquam peccati ſui veniam conſequuntur. Sed ad hos non videtur reſpexiſſe Chriſtus; ita, ut ex illius verbis collligi non queat, illis etiam blaſphemias hujuſmodi remiſſum iri.

5. Diſtractionem ſeu curam Marthæ videtur Dominus tantùm comparatè vituperare, reſpectu ejus quod Maria ſibi elegerat, & quod Martha per illam curam, ultro id eſt abſque propria & urgente neceſſitate, neglexerat. Apparet non adeò magnam fuiſſe neceſſitatem ut illa eſſet ita diſtracta, & ut non poſſet aliter ei quod facto opus erat ſatiſfacere, atque etiam ſimul cum Maria audire Dominum Jeſum. Procul dubio voluit nimis gratificari & operam navare illis hoſpitibus, neglecto eo propter quod Dominus Jeſus potiſſimùm ad eam diverterat. Ego ita exiſtimo, ſi illa hoc tantùm egiſſet quod ipſa neceſſitas requirebat, & id curaſſet, ut illo negotio quàm citiſſimè expedito, aſſediſſet etiam, & Dominum audiviſſet; & vel ipſi Mariæ dixiſſet, inſerviamus nunc ambæ, & expediamus hæc omnia ut poſtea ambæ poſſimus audire Dominum; aut ipſi Domino Jeſu dixiſſet, Domine & ego libenter vellem te audire cum ſorore ſimul, ſi modò nunc illa me adjuvaret paululum, ut poſtea ambæ ſimul ſine diſtractione audire te poſſimus; exiſtimo inquam, quòd Dominus Jeſus id non reprehendiſſet: præſertim ſi opus erat, ut illius miniſterii ergò & ipſa & ſoror ipſius paululum fuiſſet commorata. Idem fieret, ſi nunc Miniſter verbi Dei, cum aliis fratribus in alicujus domum diverteret ejus rei gratiâ, ut verbum Dei prædicaret, & ſoror quæpiam exiſtens mater familias, ut ipſos egregie convivio exciperet & [illegible] tractaret, tantùm circa culinam moraretur, ita ut & verbum Dei non poſſet audire, & vellet adhuc aliquem alium ab eo audiendo abſtrahere, quum poſſet cibos prout res requirit apparare, abſque tali ſolicitudine: etiamſi non adeo eleganter, & cum tanta copia. Satius eſt ut in eo ſit quidam defectus, quàm ut non deberet audire verbum Dei. Præſertim quum habeat hoſpites ſimiles Domino Jeſu, qui malunt verbo Dei ſaturare patrem familias aut matrem familias, quam ipſi cibis ſaturari. Si propter alios hoſpites, aut alio tempore ita eſſet ſolicita ſeu diſtracta, non negligens interim aliquid melius, exiſtimo quòd id poſſet fieri abſque peccato, quod tunc temporis faciebat Martha, & quod in ipſa Dominus Jeſus reprehendebat.

Ex aliis litteris.

QUod attinet ad illam quæſtionem, ad oppoſitionem locorum ſeu terminorum, ad quos corpus & Spiritus ferantur, ſatis eſt, oppoſita eſſe utriuſque principii, & locis aliquomodo diſtincta; illius principium inferius, nempe terra, hujus ſuperius, nempe Deus. Non nego aliam eſſe Spiritus, aliam corporis rationem: ſed dubito, utrum diverſitas illa vi loci illius apud Eccleſiaſtem 12.7, colligi poſſit. Ex reipſa magis id diſcrimen, quam ex verbis illius colligitur. Arbitror autem (ut rem ipſam breviter attingam, quanquam fortaſſe etiam antea id feci) ad id ut Spiritus ad Deum redire motu quodam locali dici queat, *ſatis eſſe, eum reverti ad Spiritum hunc, quem Deus univerſo huic infudit, & anima mundi à Philoſophis appellatur*; in eo autem ut diſtinctè ſubſiſtat, & ſpecies rerum illibatas conſervet, per ſe nihil eſt neceſſe. Imò niſi is à Deo cuſtodiretur, periret illius à reliquo mundi hujus Spiritu diſtinctio, & imagines illæ ac ſpecies rerum delerentur. Quam ob cauſſam neceſſe eſt, ut Dei ac Chriſti manibus commendetur, & ſic uſque ad reſurrectionem cuſtodiatur.

Ex litteris A. 1631. d. 24 Julii.

ILlud dictum apud Matth. 23. 9, exiſtimo eſſe ſpeciatim contra illos qui reſpectu rerum ad religionem pertinentium, non ex certa tantùm occaſione, interdum aliquem patrem ſuum nominant, ſed titulum iſtum quaſi proprium alicui tribuunt; ſicut hodie ſacrificis & monachis: aut ſaltem ita eum illi adſcribunt, ut affectus iſte ex quo hoc promanat, certet cum affectu, & honor cum honore illo qui Deo ſicut Patri debetur; ita ut per id ipſum Deo adimatur nonnihil amoris aut honoris, & transferatur in hominem mortalem. Poteſt id etiam ad eos pertinere qui reſpectu amoris ſibi exhibiti atque beneficiorum, aliquem patrem ſuum appellant, cum detrimento quodam amoris & honoris Deo debiti: quando iſta hominibus ita adſcribunt, ut in illis tantum defigant ſuas cogitationes, & non conſiderant, quòd iſta omnia à Deo per iſtos proficiſcantur: aut ſaltem plus hominibus adſcribentes ea in parte, quàm eis conveniat.

De Jobo exiſtimo quòd patientia ejus fuerit inſignis, ſed tamen non perfecta: non tantùm habito reſpectu noſtri, qui quum ſimus Chriſtiani, habemus promiſſionem vitæ futuræ, ſed etiam reſpectu illius temporis. Quapropter etiam Deus illum reprehendit & redarguit, & ille ipſe agnoſcit delictum ſuum. Verumtamen in eo quòd diei nativitatis ſuæ maledixit, ſeu de eo conqueſtus eſt, vix fuit peccatum aliquod; ſi ſpectemus id quod ille non habuit promiſſum de vita altera meliore, & de talis afflictionis compenſatione. Nam nunc ſi quis conqueratur de die nativitatis ſuæ, quum ſciat ſibi paratam eſſe vitam æternam perinde eſſet atque ſi contemneret vitam illam & compenſationem. Eſt tanti nunc non modò naſci, ſed etiam omnia in hoc mundo adverſa perpeti, ut vivas æternùm, & præmium cum afflictione tua non comparandum recipias. Unde Paulus Apoſtolus ſcripſit Rom. 8. ℣. 18, exiſtimo enim quòd non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. In eo Jobus peccavit, quòd auſus ſit juſtitiam Dei ea in parte in dubium vocare. Sed Deus hoc ipſi non tantopere pro peccato reputavit, quia & magni erant ipſius dolores, & amici ejus præſertim verò priores, non bene defendebant iſtum Dei cum ipſo agendi modum atque rationem, volentes omnino illi perſuadere quod ille peccatis ſuis afflictiones iſtas ut pœnas fuerit commeritus, quòd occulte fuerit impius, etiamſi pietatem præſeferret. Quibus ipſorum dictis ille nequaquam potuit aſſentiri: quum ſentiret ſe talia non commeruiſſe. Et quoniam habuit iſtud principium cum illis commune, quòd juſtitia requirat, ut bonis in hac vita bene ſit, hinc incidit in ejuſmodi ſermones, qui juſtitiæ Dei aliquantum detrahunt, irritatus ab amicis, qui in iſta afflictione debebant eum potius conſolari, & non eo adducere ut contra propriam conſcientiam agnoſceret ſeipſum eſſe hominem impium, qui hactenus ut hypocrita ſimulatam pietatem præſeferret: præſertim quum ita conſtantem non interruptam pietatem in eo cernerent, ut non eſſet ab ipſis divexandus. S. Jacobus potuit nominatim ſolatii fidelium cauſa patientiam iſtam ob oculos proponere, ut oſtenderet, quòd patientia quanquam non omni ex parte perfecta habeat mercedem atque compenſationem apud Deum: quoniam valde miſericors eſt Dominus & miſerator. Et tamen abſque dubio non voluit, ut Chriſtiani Jobi modum agendi in omnibus imitarentur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tur; quaſi in ſpecie omnia nobis licerent quæ ipſi licuiſſe videntur: ſed eatenus potiſſimùm iſtud nobis exemplum exhibuit, ut dum afflictiones nobis ſunt perpetiendæ, non ſinamus tamen propter illas improbari nobis & in contemtum adduci pietatem atque religioſam erga divinum numen reverentiam, & damna atque adverſa nobis illata, ſimili ei qua Jobus ea ſuſcepit patientiâ ſuſcipiamus. Proportionatè iſta ſunt capienda, habitâ ratione ſtatus noſtri, & illius, qui æſtimandus eſt ex promiſſionibus divinis, & ex cognitione divinæ voluntatis quæ illi aut nobis contigit.

De Jobi amicis dici poteſt quòd habuerint in ſe aliquod donum Spiritus divini; ſed tamen non ita ut illis omnia quæ dicerent Spiritus divinus ſuggereret, & quaſi ex ingenio ſuo aliqua non addiderint, & non erraverint. Verùm ita ſicut ii, qui quum donum ſcientiæ haberent, aut etiam prophetiæ, aliquàndo ex prophetia ſibi inſpirata potiùs aliquid aliud colligentes, quàm ipſam ſolam Spiritus divini ſuggeſtionem exprimentes loquebantur. De quo videantur quæ dicta ſunt in tractatu de Spiritu ſancto.

Ex litteris A. 1629, d. 2. Julii.

VEriſimile mihi eſt, utramque columnam ratione materiæ fuiſſe eandem, ratione formæ externæ, quam in luce vel opacitate colloco, diverſam. Quanquam fieri poteſt, ut etiam ratione extenſionis, figuræque mathematicæ aliquantum diſcreparet. Quandoquidem locus Pſ. 105. 39, ſignificare videtur, nubem, quæ columna nubis vocari ſolet, fuiſſe aliquomodo expanſam inſtar tegumenti, ut nimirum ab æſtu ſolis populum defenderet. Quod fieri potuit, ſi tam ampla lataque fuit, ut radios ſolis à populo arceret. Saltem pars illius quædam, ut baſis ipſius, potuit aliquanto latius extendi, ut à populi aſpectu ſolem prohiberet, quæ res ad lucem præbendam non adeo fuit neceſſaria. Sed de hoc poſteriori non multum contendam. Quod autem hinc illuſtris, illinc ſplendida fuerit; id non arbitror fuiſſe perpetuum, ſed illius temporis proprium, cum Ægyptii populo imminerent, iiſque admodum eſſent propinqui. 2. Facile fieri potuit, ut non ita diſtincta eſſet Moſis & Aaronis dubitatio ſeu diffidentia de Deo, ut re alterutra, nempe vel potentia vel voluntate Dei tanquam certâ poſitâ, de altera tantum dubitarent. Mihi quidem credibile eſt in eo illorum conſiſtere incredulitatem, ſeu de Deo diffidentiam, atque ὀλιγοπιστίαν quod non perinde ſe coram populo, contra Deum murmurante, geſſerint loquutique fuerint, quemadmodum eos facere oportebat, qui præſentiſſimam Dei opem toties experti fuerant, & tot tamque manifeſta potentiæ, benignitatis providentiæque divinæ tum circa ſeipſos, tum circa populum documenta habebant, ipſiſque oculis uſurpabant. Fortius illi debebant populo murmuranti reſiſtere, & divini nominis honorem vindicare, ejuſque potentiam ac providentiam validius aſſerere, imò vero ſtatim ad miraculum ſimile illi, quod jam ante per eos fuerat divina ope patratum in conſpectu multitudinis edendum progredi, non vero dimiſſo populo tanquam ex parte dubii atque anxii & conſilii inopes, ad tabernaculum confugere. Conſideretur locus, qui in hoc argumento præcipuus eſt Num. 20. Ut igitur ad id redeam, quod antea cœperam dicere; non eſt neceſſe, ut credamus, illos tum temporis de divina aut potentia aut voluntate diſtinctè cogitaſſe, & de alterutra ſeparatim, vel etiam de utraque nominatim dubitaſſe. Sed ſatis eſt, illos utrumque non ita, ut oportebat, ad mentem revocaſſe, nec tantam illos ex utriuſque documentis fidem concepiſſe, quantam in illis eſſe oportebat, quantamque ſi habuiſſent, facilè Deum coram populo ſanctificare potuiſſent, id quod illos non feciſſe Deus illis objicit. Similis diffidentia deprehenditur in diſcipulis in navi periclitantibus, itemque in Petro mari inambulante, quibus Chriſtus ὀλιγοπιστίαν objicit; ut alia exempla taceam. *Excutiunt enim nobis interdum res externæ cogitationes de Deo ejuſque providentia, & terrorem nobis injiciunt, quem non incuterent, ſi ex iis, quæ vidimus aut habemus, divinæ providentia argumentis, fidem concepiſſemus tantam, quantam debebamus.*

Ex litteris A. 1618. d. 10 Junii.

QUod ſcripſiſti de uſu *nominis* ex Socino, id ut adſcribatur ad Diſputationem cum Carmelita, non videtur mihi eſſe operæ pretium. Nam exiſtimo ſatis eſſe de eo ſcriptum. Id autem quod Dn. Socinus de locis illis ſcripſit, non eſt valde clarum. Si de Spiritu ſancto aliquid ibi diceretur, tum arbitrarer hoc adſcribi debere. Quanquam hoc mihi videtur mirum, quòd Dn. Socinus fateatur *nomen gloriæ ejus* idem eſſe ac ſi dictum eſſet *nomen glorioſum ejus*, & tamen velit oſtendere nomen rei alicujus poni pro ipſa re. Nam ſi ita eſt, tunc *nomen gloriæ ejus*, quantum ego videre poſſum, non debet ſignificare *nomen glorioſum ejus*, ſed ipſam gloriam ejus. Videntur autem mihi hæc eſſe diverſa. Nam illa loquutio indicat, nomen eſſe quaſi ſubjectum gloriæ, gloriam autem ejus adjunctum: & quod in priori phraſi de ipſo nomine potiſſimùm ſit ſermo, in hac verò de gloria. Velis hoc conſiderare. Non autumo Dn. Socinum *nomen* accipere pro fama ſeu celebritate. Nam hoc pacto poſſet forſitan dici quòd gloria & *nomen glorioſum* ferè idem ſint. Sed verba iſta, meo judicio, hunc ſenſum non admittunt.

Ex litteris 1621. d. 18 Octob.

* DEfectum aut imbecillitatem ejus qui petit, vel aliquid ſimile, quod in Deum non cadit. v. g. cum Rex, qui ipſemet habet copias, quibus hoſtem poſſit repellere, ab alio petit, id facit, vel quia hoc pacto facilius hoſtem profligaturus eſt, quam ſi ſuas tantummodo copias illi opponeret, atque adeo, quia ſic minus eſt metuendum ne vincatur; aut quia veretur, ne hac ratione copiæ ſuæ minuantur atque atterantur, aut quia mavult alienos potius perire quam ſuos, aut quia adverſus alium hoſtem, cui alioquin non eſſet ſuffecturus, ſuas copias reſervat. Quod ſi nullum metueret incommodum aut damnum, aut nullum majus ſperaret ex auxiliaribus copiis commodum, quod per ſe ipſum eadem facilitate præſtare non poſſit, alienas copias haudquaquam deſideraret; imo multas ob cauſſas haudquaquam admitteret. Sic ſi quis cum pecuniam ipſemet habeat, nihilominus ab alio petit, id ideo facit, ne minuantur ſuæ facultates. At in Deum nihil tale cadit. In noſtro negotio, ubi opus fuerit, hoc urgendum, quod gloriſſimum futurum fuiſſet Chriſto ipſumet præſtare ea, quæ à Patre petiit, ſi divinam naturam habuiſſet, & ſic plenam id, quod deſideravit, præſtandi facultatem. Deus autem id quod glorioſiſſimum ſibi eſt, maxime quærit. Cum omnia propter gloriam ſuam faciat. Glorioſiſſimum autem id fuiſſe patet; quia Patri glorioſiſſimum fuiſſe videmus ea præſtitiſſe, quæ Chriſtus rogavit: v. g. quod Chriſtum reſuſcitarit, quodque ei gloriam iſtam dederit, quam Joh. 17 rogat. Adjungendum etiam ſemper, quod eadem facilitate, eodemque fructu ac commodo divina natura præſtare ea potuerit, imò etiam ex ſententia adverſariorum præſtiterit humanæ, quæ Chriſtus rogavit.

Michaël Gittichius J. C. Sal.

IStum eundem eſſe numero, qui fuerat olim cum in terris degeret, ut S. S. Literæ teſtantur, & noſtræ ſalutis ratio (ut ipſe animadvertis) requirit. Nam & ei Chriſto, qui paſſus fuerat datum eſſe nomen ſupra omne nomen S. S. Litera aſſerunt, & ſi alius ille eſſet numero, quam fuiſſet olim, nulla nobis in illo eſſe poſſet conſolatio, cum is alius eſſet ab illo, qui nos ad mortem uſque adamaverat; Præterea fruſtra eſſent omnes noſtri conatus de pietate. Si enim ille glorificatus alius eſt, nos quoque non eoſdem, qui jam

* Deeſt Initium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

jam ſumus eſſe olim oporteret. Quæ ergo utilitas, ut ego jam laborem & patiar ob Euaugelium ſi alius quiſpiam accepturus eſt? Quia tamen hæc res nonnullas habet difficultates ad fontem identitatis numeriæ recurrendum eſt, ex eoque quomodo iſtæ omnes diluantur hauriendum. Identitas numerica pendet à principiis individuum conſtituentibus; hæc autem duo ſunt materia & Forma. Videndum igitur, an neceſſarium utrumque ſit, ut aliquid vel aliquis homo idem numero & non alius ſit, quam fuerat olim.. Reclamat res ipſa de materia: carnis enim noſtræ, quam habuimus in infantia ne mica quidem unica amplius ſupereſt, nos tamen iidem ſumus in ætate virili qui in infantia fueramus. Nihil autem ſupereſſe in nobis ejus carnis, quam in infantia habuenimus, facilè animadvertet, qui conſiderabit, nutritionem noſtrorum corporum, noſtri corporis eſſe perpetuam reſarcionem, ut ita dicam, dum id per alimenta aſſumpta reparatur, quod per ſudores, puſtulas, ulcera, frictiones & id genus alia perit. Cum autem corpus illud, quod in infantia habuimus, fuerit finitum, & novum ſemper in locum veteris ex alimentis ſuccedat, non poteſt ejus eſſe in infinitum diminutio, ſed ut pereat & perierit tandem aliquando ad extremam micam neceſſe eſt. Hinc autem ita ulterius progredi licet: ſi ad identitatem numericam alicujus rei, modo forma eadem numero ſit, non requiritur identitas numerica materiæ, ne ſpeciei quoque & generis identitatem in materia requiri, modo apta ſit ad conjunctionem cum forma, & ad operationes, quæ eam in materia poſitam, ſequi debent. Nulla enim eſt ratio, cur tali materia ſpecie & genere diverſa ad formam allata res diverſa numero eſſe debeat, cum diverſa non ſit allata diverſa numero materia. Hujus autem rei videre licet, nonnullis in rebus veſtigia, in nonnullis aquis, in quas ligna conjecta in lapides tranſeunt, qualis etiam fons mihi Francofurti ad oderam monſtrabatur. Si in tales aquas injeceris globum aut cochlear, proceſſu temporis nihil omnino ligni in eo ſupererit, lapideum erit totum; idem tamen numero erit globus & idem cochlear, poſtquam factum eſt lapideum, quod fuerat ante cum eſſet ligneum: quia eadem ipſius forma manente, neque quicquam mutata, materia omnino immutata, nunquam fuerit non cochlear, quod fieri neceſſe eſt in iis, quæ amiſſa identitate numerica, ſpecifica tantum aut generica identitate eadem ſunt. Ergo cum idem factum in D. Jeſu, & in fidelibus fiet, licèt diverſo modo, ſolumque corpus ipſius ſit mutatum, & ipſius Spiritus ſpirituali & cæleſti corpori divina benignitate ſit incluſus, unus idemque numero D. Jeſus cenſendus eſt jam, qui fuit ante 1600 annos. Sed inquies, cui non competit genus, ei neque ſpecies, neque individuum competit. Chriſtus autem jam animal rationale dici non poteſt. ℞. Iſtam definitionem non eſſe ſimpliciter hominis, ſed hominis terreni, extra quem nullum novit hominem Philoſophia, hominis, in quo id quod maximè homo eſt, & per quod homo eſt id, quod eſt, alligatum ſit ad talem materiam, ad quam ſenſitivum & nutritivum eſſentialia à rationali revocantur. Omnes enim inferiores animæ ratione intelligentis ad materiam relegantur; & ſunt præparatio tantum quædam in materia, ut corpus ſit aptum domicilium animæ intelligentis. Talis autem homo jam Chriſtus non eſt, neque enim amplius talem S. S. Literæ agnoſcunt, imo etiam terreno opponunt, ut videre eſt 1 Cor. 15. 47, cum ait Apoſtolus. Primus homo ex terra terrenus, ſecundus homo ipſe Dominus è cælo id eſt cæleſtis. Ita enim ſupplenda verba eſſe Apoſtoli, antitheſis ipſa oſtendit. Ais præterea, corruptibile & incorruptibile, ut docemur Metaph. 2, toto genere differunt; quî ergo Chriſtus idem erit numero, qui cum olim dum in terris fuerat eſſet corruptibilis, jam verò eſt incorruptibilis, ideoque toto genere à ſe diverſus. Si quantus quantus fuerat Chriſtus corruptibilis fuiſſet, validiſſima eſſet ratio ad oſtendendum illum non eſſe eundem numero qui fuerat olim. Sed quia iſta corruptibilitas fuit ſecundum corpus tantum, incorrupto manente ipſius Spiritu & forma, per quam unum quodque eſt id, quod eſt; corpus etiam Chriſti jam ſolum non tantum numero, ſed etiam toto genere à priori diverſum eſt. Hoc autem non efficit, quin tamen Chriſtus idem ſit numero. Dices adhuc: ſi ita eſt, & ſolus intellectus in Chriſto remanſit, An jam Chriſtus majori jure homo dicendus, quam Angelus quiſpiam? Hæc autem eſt ſecunda tua quæſtio, vel potius altera pars ſecundæ. Ex ſuperioribus enim patet, quia homo & cæleſtis & terrenus, & uterque ſimpliciter *homo* dici poteſt, etiam Chriſtum ſimpliciter hominem dici poſſe, quæ fuerat prima pars quæſtionis ſecundæ. Reſpondeo, quoniam homo dicitur is, ad cujus primam originem humus requirebatur, ad Angelorum vero primam originem nihil tale requiſitum fuit, ne quæri quidem poſſe, an Chriſtus magis homo vocari poſſit, quam Angelus quiſpiam. Ubi enim non habet locum id, quod eſt ſimpliciter, ibi neque magis & minus. Ais præterea, quomodo per hanc ſententiam non incidamus in abſurdum dogma Platonis, qui aſſerebat materiam ad eſſentiam non pertinere, & animam hominis ſi ingrediatur corpus equi effecturam ut ſit homo. Nihil ad nos abſurditates Platonis. Quod enim ad primum attinet, non ſtatuimus ad Chriſtum conſtituendum eundem numero, nullam omnino materia requiri. Solus enim Deus eſt tale ens omnis materiæ exvers, nulluſque fuerat Chriſtus è vivis ſublatus, etiamſi ejus Spiritus ſupereſſet (non exceptus aliqua materiâ, ſed hoc tamen aſſerimus hanc & ejus generis materiam, cum qua olim Chriſti Spiritus copulatus fuerat, ad Chriſtum eundem numero conſtituendum (quod & de omnibus piis glorificandis ſtatuendum) non eſſe neceſſarium. In alteram quoque ut incidamus non eſt quod formidemus. Non enim ſufficit ad aliquem conſtituendum quocunque modo materiam eſſe diſpoſitam. Sed opus eſt, ut poſſit reſpondere formæ, & ad operationes, quæ formam illam ſequi debeant apta eſſe: tale autem non eſt equinum corpus ad animam humanam, & propterea etiam non unquam hæc cum illo jungi, & hominem conſtituere poteſt &c. Novogrodo 1613, d. 16 Novembris.

Joh. Crellius Michaëli Gittichio S. P.

SOlo immorari iis, quæ à te ex S. S. Literis, & ipſius ſalutis noſtræ ratione deducuntur ad oſtendendum Chriſtum hodie eundem eſſe numero, qui fuit olim, dum hic mortalis degeret, noſque ſimiliter eoſdem fore numero, qui nunc ſumus, ea enim facilè mihi ſatiſſaciunt. Illa conſiderare libet, quæ ex Philoſophia affers ad demonſtrandum vel declarandum nihil prohibere, quo minus idem ſit numero, cujus materia ſit diverſa. Quo loco notandum venit, quo ſenſu materiæ vox in hac quæſtione ſit accipienda, quoque ſenſu à te fuerint accepta: ſic enim facile patebit, an ea quæ diſſeris difficultatem quæſtionis exhauriant. Materiæ voce, quod quidem ad hanc quæſtionem attinet, duplici potiſſimum modo accipienda eſſe videtur. 1. Pro materia prima, qua credimus eſſe corpus, quâ corpus. 2. Pro materia ſecunda, quæ non corpus nudum ſignificat, ſed certis qualitatibus & diſpoſitionibus informatum, vel potius illas ipſas diſpoſitiones, quæ ad actum & diſpoſitionem ſpeciei ultimam faciunt, & ad operationes ſpeciei concurrunt, unde etiam ad eſſentiam ejus pertinent. Quando igitur quæro, an homines ii, qui olim reſurrecturi ſunt immortales, ſint iidem numero qui nunc ſunt, vel aliquando fuerunt, ſiquidem diverſam habent materiam, de materia utravis ratione accepta loquor; utrumvis enim accipias, idem numero eſſe non poſſe id, cujus diverſa ſit materia probo. Nam quod ad materiam primam attinet, cum Ariſtoteles ipſe alicubi idem numero definierit, quod *unam habeat materiam*, certe idem numero eſſe non poteſt, quod materiam primam habet diverſam, ſeu diverſam ejus partem. Nam de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

de hac non vero de ſecunda Ariſtotelem loqui inde patet, quod materiæ ſecundæ ratione omnia individua ejuſdem generis licèt numero à ſe invicem diſtincta conveniant, vel ſaltem materia ſecunda identitatis numericæ ſeu individuationis, ut loquuntur principium non ſit (licet, ut mox dicam ad idem numero conſtituendum requiratur.) ſed materia prima. Ariſtoteles vero dum unum numero definivit, procul dubio per id definivit, quod iſtius identitatis ſeu unitatis, numericæ verum & proprium eſt principium. Quod ad materiam ſecundam attinet, adhuc multo magis, idem affirmari de bere videtur, nimirum, quod ea diverſa individuum etiam diverſum eſſe neceſſe ſit. Cum enim ea ad ſpeciei eſſentiam pertineat, ideoque etiam ad eſſentiam individui (ſiquidem nihil poteſt eſſe eſſentiale ſpeciei, quin etiam eſſentiale ſit individuis ſub ea ſpecie contentis) quomodo idem numero eſſe poteſt, cujus materia hæc ſecunda non eſt eadem? Jam vero in reſurrectione ii, qui immortalia corpora ſunt habituri, nec materiam primam habebunt eandem, ſive eandem ejus portionem, cum fieri poſſit, ut ea pars materiæ primæ, quæ jam hujus individui formam ſuſtinebat, per varias mutationes fuerit facta pars alterius individui, vel etiam in plura individua humana, quæ itidem reſurgent omnia; vel tota vel majori ſaltem ex parte fuerit diſperſa; nec materiam ſecundam, quæ genus dicitur Phyſicum; cum non amplius corpora organica Phyſica, qualibus nunc ſunt præditi ſint habituri. Quomodo ergo iidem erunt numero? Sed inquis, carnis noſtræ, quam habuimus in infantia ne mica quidem unica amplius in nobis ſupereſt, nos tamen ſumus iidem in ætate virili, qui fueramus in infantia. Non urgeo hîc illud, quod tu tamen conſtanter videris aſſerere, ne micam quidem unicam ejus carnis amplius in nobis ſupereſſe, quam habuimus in infantia, cum id nulla ratione conſtare poſſe videatur; illud dico ne hoc quidem conſtare, quod magna pars materiæ illius, quam in infantia habuimus non reſtet, nam etiamſi, ut ais perpetuò aliquid deperdamus per ſudores, puſtulas, frictiones, ulcera, & id genus alia, quod poſtea alimentis reſarciatur, tamen non conſtet, per ſudores & reliqua his ſimilia, quibus corpus noſtrum paulatim carpitur, illas ipſas partes, quas in infantia habebamus, ita abſumi, ut magna illarum portio non reſtet, præſertim ſi ſpectes membra aut viſcera corporis humani potiſſima v. g. Cor aliave, quæ vix ulla iſtarum affectionum, quas recenſuiſti, videntur admodum poſſe depaſci, itemque partes ſolidiores & duriores. In potiſſimis autem membris, & præſertim in corde vitæ fonte, & animæ ſede, ſi materiæ identitas ſervetur, ſufficit, etiamſi quædam alia magna ex parte abſumantur. Quid enim prohibet, quo minus eæ potiſſimum particulæ, quæ per alimentum accedunt & ſeſe in reliquarum eſſentiam quodammodo inſinuare ſtudent, quotidie etiam deperdantur. Sed dato etiam hoc, quod omnes particulæ materiæ jam perierint, longè tamen aliud eſt uno eodemque tempore omnem perire materiam, totamque aliam in ejus locum ſubſtitui, aliud vero ſucceſſivè certo quodam tractu per minutas particulas paulatim in deperditarum locum ſubſtitui. Nam ne ipſe quidem ita individuorum materiam unam eſſe debere arbitror, ut omnes etiam minimæ particulæ illius ſemper maneant eædem, ſed ut ſemper, licet aliquid pereat, major tamen illius portio maneat eadem, quæ poſtea ad ſui complementum adſciſcat alias particulas in deperditarum locum, ita, ut ejuſmodi ſucceſſione minutiorum partium unitas illius conſervetur. Atque in hanc ſententiam iſtam diſtinctionem ejuſdem numero ſupra ex Ariſtotele allatam accipio. Argo navis, v. c. jam vetuſta eadem erat numero, etiamſi ob refectionem & reſtaurationem crebram paulatim omnes veteres periiſſent tabulæ, aliæque in earum locum ſubſtitutæ eſſent. Quidſi verò omnes ſimul ac ſemel tabulæ fuiſſent remotæ, aliæque planè licet priori forma compactæ ſubſtitutæ, nonne diceres aliam numero hanc eſſe navim, non eandem cum priori licet illi ſimilem? Nec injuria. Eſt enim ut in rebus ab arte profectis, ita etiam in ſubſtantiis quædam *forma totius* (quæ à Scholaſticis ita dicitur, & formæ partis opponitur) quæ quamdiu eadem manet, tamdiu idem dicitur eſſe totum: ut vero illa maneat eadem, non requiritur, ut omnes particulæ materiales ſemper maneant, nihilque omnino de iis depereat, ſed tantum, ut partium iſtarum plurimæ ſemper maneant, licet non plane certæ, & aliæ novæ in deperditarum locum identidem ſubſtituantur, atque ita ſe inſinuent applicentque formæ totius, ut eam nihilominus ſervent integram. At vero ſi ſimul ac ſemel tollas vel omnes partes materiæ, vel potiſſimas & plurimas, jam formam illam totius ſuſtuleris, utpote quæ majori parte materiæ innitebatur, etſi aliam materiam ſubſtituas, jam novam formam totius, atque aliud numero totum effeceris. Sed præterea etiamſi hæc inſtantia firmiſſima eſſet, valeret tamen tantummodo in materia prima, non vero etiam in materia ſecunda. Cum enim hæc eſſentiam rei conſtituat, illa vero non item; hinc videre licet, longè plus momenti habere ad eſſentialem diverſitatem, adeoque etiam numericam efficiendam, ſi materia ſecunda mutetur, quam ſi prima. Quare non videtur ſatis firmum id, quod ſubjungis: ſi ad identitatem numericam alicujus rei modo forma eadem numero ſit, non requiritur, identitas materiæ, ne ſpeciei quidem & generis identitatem in materia requiri, modo apta ſit ad conjunctionem cum forma, & operationes, quæ eam in materia poſitam ſequi debeant, &c. Differentia enim jam dicta eſt, quod nimirum materia prima eſſentiam non ingrediatur, genus vero & ſpecies ingrediantur. Unde ſi per formam intelligis λόγον τῦ εἶναι, ſeu omne id quod eſſentiam conſtituit, ut ſæpe à Philoſophis formæ vocabulum accipitur, non video quomodo ſpecie & genere diverſo, eadem poſſit eſſe forma. Si vero per formam intelligas ultimum actum uniuſcujuſque rei, qui generi opponitur, nego ſalvam poſſe eſſe rei identitatem pereunte genere, etiamſi forma modo dicta maneat eadem, quandoquidem, ut jam dictum, non hæc ſola, ſed conjuncta cum genere eſſentiam complet. Eadem vero ratione idem individuum eſſe non poteſt pereunte ſpecie; cum ea pereunte differentias etiam ſpeciei illius proprias hoc eſt eas, quæ ſimul junctæ cum ſpecie reciprocantur, abeſſe oporteat (quodſi enim adeſſent, ſpecie interim pereunte quomodo cum ea reciprocarentur) his autem pereuntibus, quomodo forma eſt eadem? cum ipſæ differentiæ actus ultimi rationem habeant, vel ſaltem neceſſario eam includant, ſecum trahant, per quem actum res omnis maxime eſt id, quod eſt. Et ſanè Ariſtoteles aperte huic tuæ aſſertioni repugnat, dum 5 Metaph. cap. 12 ait: Semper poſteriora (unitatis genera) ſequuntur priora, ut puta quæcunque numero, etiam ſpecie unum, quæcunque vero ſpecie, non omnia numero, ſed genere unum ſunt. Quod ad exempla attinet, quibus pronunciatum tuum illuſtrare niteris, ea itidem ob dictam cauſam non videntur vim habere aliquam ad id quòd vis probandum. Nam quod ad globum, aut cochlear quæ vi aquæ ex ligneis in lapidem mutantur, attinet, ibi materia ea tantum mutatur, quæ eſſentiam cochlearis aut globi, qua videlicet hanc artificialem formam cochlearis, aut globi habent, non ingreditur, neque enim ligni aut lapidis mentionem in cochlearis aut globi definitione feceris. Nam etſi in accidentium definitione (quanquam id etiam de propriis tantum affirmare ſolent) ſubjecti ſeu materiæ, quam vocant, *in qua*, videtur facienda mentio, tamen nonniſi ſubjecti & materiæ propriæ facienda eſt, quâ mutatâ omnino mutari etiam neceſſe eſt accidens iſtud. In his vero exemplis, ſubjectum illud mutatum non eſſe patet; neque enim globus aut cochlear ligno, quà lignum ineſt, ſed corpori v. g. craſſo, duro, ac ſolido: hoc tamen manſit in hac mutatione ligni in lapidem licet ſubſtantiali. Noſti enim in tranſmutatione ſub-

ſtantiali

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

ſtantiali non opus eſſe, ut omnia mutentur, quæ ſunt in materia, ut demonſtrat alicubi Cæſalpinus. Ad argumentum vero meum (quod erat tale: Cui non competit idem genus, ei neque eadem ſpecies, neque individuum competit. Chriſto autem hodie non competit idem genus, cum non ſit amplius animal. Ergo; reſpondes, iſtam definitionem, Homo eſt animal rationale, non eſſe ſimpliciter hominis, ſed hominis terreni, extra quem nullum novit Philoſophia: hominis enim, in quo id, quod maximè homo eſt, & per quod homo eſt id quod eſt, alligatum eſt ad talem materiam, ad quam ſenſitivum & nutritivum eſſentialia animali, revocantur. Talis autem homo inquis, jam Chriſtus non eſt, nec eum amplius talem hominem S. S. Literæ agnoſcunt, imò terreno homini opponunt, ut videre eſt 1 Cor. 15. 47. Verum non parva eſſe videtur in hac reſponſione difficultas. Nam ille homo terrenus, vel eſt unum per ſe, ita videlicet, ut vox terrenus non ſit aliquod accidens hominis, ſed differentia quædam eſſentialis, quæ conjuncta homini generaliter accepto, conſtituat novam aliquam ſpeciem homine abſolutè ſumpto inferiorem, quam uno vocabulo efferre non liceat, vel eſt unum per accidens, ita, ut homo quidem ſimpliciter acceptus ſubjectum ſeu ſubſtantiam ſignificet, terrenus verò accidens illius, adeoque terrenus homo non magis unum quippiam ſit, quam homo albus. Si prius; jam homo ſimpliciter acceptus, non erit ſpecies infima ſeu ſpecialiſſima, ut loquuntur, ſed genus aliquod, complectens ſub ſe ſpecies duas, nimirum hominem terrenum & cœleſtem: cum tamen homo hactenus ab omnibus pro ſpecie infima ſit agnitus. Sed hoc minus. Illud fortaſſe majus. Si homo eſt genus, cujus differentia eſſentialis ſit terrenus reſtringens hominem generaliter dictum ad certam ſpeciem, tum neceſſe eſt, ut terrenum eſſe, quiddam ſit perfectius & forma quædam vel differentia præſtantior quam eſt forma, vel differentia hominis, quâ homo; cum ſemper formæ vel differentiæ ſpecificæ perfectiores ſint generibus, & hæc propter illas in materia ſint, tanquam diſpoſitiones materiales ad formam & perfectionem ultimam, quam tribuunt ſpecificæ differentiæ. At vero forma hominis, qua homo, eſt ratio. Quis autem perfectius aut præſtantius quidpiam eſſe dicat eſſe terrenum, quam ratione præditum? Deinde operationes propriæ, quas natura cuilibet ſpeciei præfixit, tanquam finem ipſius, ſunt eæ, quæ ſpeciei competunt ratione eſſentialium differentiarum: at quis dicat hominis etiam terreni & Phyſici propriam operationem eſſe eam, quæ ei competit, quâ terrenus eſt, & non potius eam, quæ ei competit, quâ rationalis? Præterea, ſi homo genus eſt aliquod commune homini terreno & cæleſti, neceſſe eſt, ut habeat aliquod genus proximum, ſub quo etiam hanc ejus ſpeciem contineri neceſſe eſt. At verò homo terrenus ſub genere animalis eſt, cæleſtis ſub aliquo alio; adeoque non conveniunt in uno aliquo genere hominis ſimpliciter accepti proximo. Tandem manebit difficultas ab initio propoſita. Si enim Chriſtus omneſque alii fideles in hoc quidem ſeculo continentur ſub homine terreno, tanquam vera ſeu eſſentiali ſua ſpecie, olim vero ubi reſurrexerint ſub ea non continebuntur, ſed ſub homine cæleſti qui alia eſt, eaque diverſi generis ſpecies, quomodo iidem erunt numero? cum identitas numerica identitatem ſpeciei neceſſariò includat, ut antea dictum. Et hæc de priori. Jam vero ſi poſterius amplectaris, & dicas, terrenum tantum eſſe accidens hominis ſimpliciter accepti, tum fateri cogeris, illam definitionem, quæ definiat hominem non ſimpliciter, ſed hominem terrenum, accidens etiam aliquod complecti, quod accidens hoc quidem in loco nullum poteſt eſſe aliud, quam id quod pro genere eſt poſitum, nempe animal, nam tu ipſe doces naturam animalis, ad materiam, quam tu accidentariam hîc videris ſtatuere, tantum pertinere, idque pronunciati tui vi ſtatuere cogeris. Nam cum præter hanc vocem in hac definitione nulla ſit alia, quam vox rationalis, quæ non competit homini quâ terrenus eſt (competit enim etiam homini cæleſti) neceſſe eſt, ut animalis vocem homini quâ terrenus eſt competere, adeoque homini eſſentialem non eſſe dicas. At quis dicere audeat animal eſſe accidens hominis? accidens enim eſt id, quod abeſſe poteſt ſine rei corruptione; quod ſanè de animali dici non poteſt. Deinde quodnam erit genus eſſentiale hominis, ſi hoc non eſt? Attamen neceſſe eſt unamquamque ſpeciem infimam habere genus aliquod proximum. Tale vero præter animal homini relinquitur nullum. Præterea cum tu ipſe concedas, animal eſſe diſpoſitionem in materia pro forma ultima, quomodo poteſt eſſe accidens? Diſpoſitiones enim illas ad eſſentiam pertinere ex Ariſtotele noſti. Tandem cum tu ipſe aſſeras Philoſophiam hominis non alium ſcire hominem quam terrenum, ſeu qui ſit animal rationale; ſi non ſit animal aliquid homini eſſentiale, Philoſophia hominis, quæ eſt pars ſcientiæ Phyſicæ, non poterit totam hominis ſubſtantiam cognoſcere, eamve definitione exprimere, ſiquidem genus eſſentiale ignorat. At cujuſvis ſcientiæ eſt definire ſuum ſubjectum, quod Cæſalpinus alicubi docet, iis potiſſimum Ariſtotelis locis, 6 Metaph. cap. 2. 12. Metaph. cap. 11. de anima 16. In quibus docet quomodo Phyſico ſit definiendum & Mathematico. Unde ſequitur etiam non poſſe Philoſophiam hominis ullas affectiones proprias de homine docere, demonſtratione potiſſima, ſiquidem ea eſſentialem ſubjecti definitionem pro medio requirat. Sed hæc fortaſſe fuſius quam debebant dicta à me ſunt. Ad ſecundam meam dubitationem, quæ erat, cum corruptibile & incorruptibile toto genere differant 10 Metaph. cap. 10, non poſſe Chriſtum, qui jam incorruptibilis eſt, eſſe eundem, qui olim fuerat cum eſſet corruptibilis, ita reſpondes. Si quantus quantus fuerat Chriſtus corruptibilis fuiſſet, validiſſima eſſet ratio ad oſtendendum illum non eſſe eundem numero, qui fuerat olim; ſed quia iſta corruptibilitas fuit ſecundum corpus tantum, manente ipſius Spiritu & forma, per quam unumquodque eſt id, quod eſt, incorruptâ; Corpus etiam Chriſti jam ſolum non tantum numero, ſed etiam toto genere à priori diverſum eſt. Hoc autem non efficit, quin tamen Chriſtus idem ſit numero. Sed reſponſio hæc per ea, quæ paulò ante dixi convelli videtur. Nam ſi Chriſtus ex corruptibili ita factus eſt incorruptibilis, ut genus ſuum idque eſſentiale perderet, etiamſi alia quædam retinuerit eadem, jam eandem eſſentiam non habebit, nec idem erit numero. Genus autem eſſentiale non accidentale mutari debere, ſi quid ex corruptibili fiat incorruptibile, docet ex loco citato Ariſtoteles, & ex eo Sonnerus noſter piæ memoriæ: cum hæ affectiones in ipſo eſſe rei cujuſque fundentur & radicentur. Cætera huc pertinentia ſupra ſunt dicta. Ad ſecundam meam quæſtionem, quæ erat, An Chriſtus hodie majori jure dici poſſit homo, quam Angelus aliquis, cum in eo ſolus intellectus remanſerit de natura hominis, qui intellectus in Angelo etiam eſt? Reſpondes, quia homo dicitur is, ad cujus primam originem humus requirebatur, ad Angelorum vero primam originem nihil tale requiſitum fuit, ne quæri quidem poſſe, an Chriſtus magis homo vocari poſſit, quam Angelus quiſpiam. Ubi enim non habet locum id quod ſimpliciter, ibi neque magis. Verum hæc reſponſio non videtur id tangere, de quo ego maximè quærebam. Non enim quærebam, an Chriſto, vox hominis, ſi reſpiceremus ejus originem, & id quod olim fuerat, poſſet etiam hodie certo quodam loquendi modo tribui; quia nimirum talis olim fuerat, quo loquendi genere dicitur in S. Scriptura publicanos & meretrices ingreſſuros Dei Regnum; ſed quæſieram, an Chriſtus, ſi reſpiceremus ejus etiam naturam, quam ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

die habet, magis poſſit dici homo, quam Angelus aliquis? Nam ſi in Chriſto nihil aliud de priſtina illa, quam interris habuit natura eſt reliquum, quam intellectus, qui in Angelis etiam eſt, corpus vero toto genere eſt diverſum, ut omnia materialia tranſmutata; quid magis commune habebit Chriſtus cum homine, ſi eſſentiam ſpectes, quam Angelus aliquis? At vero abſurdum videtur Chriſtum ſi conſideretur, qualis nunc eſt, non magis hominem dici poſſe, quam Angelum quempiam, nec alia potiori ratione hac voce poſſe inſigniri, quam, quia naturam quam olim è terra acceperat, hoc eſt ea omnia ob quæ homo dici merebatur, depoſuerit; peribit jam iſta conſolatio noſtra, quam inter cætera in ſervatore noſtro extare voluit Deus, quod is, in cujus manu ſalus noſtra eſt poſita, homo ſit verus, materiæ ſuæ ratione. Ad ultimam denique meam dubitationem quæ erat, nos hac ratione incurſuros in abſurdum Platonis dogma, qui aſſerebat materiam ad eſſentiam non pertinere, & animam hominis ſi ingrediatur corpus equi, effecturam ut ſit homo; Reſpondes, quod attinet ad primum Platonis abſurdum, nihil id ad nos. Non enim ſtatuimus ad Chriſtum conſtituendum eundem numero, nullam omnino materiam requiri. Solus enim Deus eſt tale ens omnis materiæ expers, nullusque fuerat Chriſtus è vivis ſublatus, etiamſi ejus Spiritus ſupereſſet. Sed hoc tantum aſſerimus, hanc & ejus generis materiam cum qua olim Chriſti Spiritus copulatus fuerat, ad Chriſtum eundem numero conſtituendum (quod etiam de omnibus piis glorificandis ſtatuendum) non eſſe neceſſariam. At neceſſarium videtur, ut ſtatuas, vel nullam omnino materiam ad Chriſtum conſtituendum requiri, vel Chriſtum hodie eandem planè habere materiam, quam habebat olim. Namſi ad Chriſtum eundem numero conſtituendum requiritur materia aliqua, certè ea ipſa materia, quam olim habebat, requirebatur, ad eum eundem eundem numero conſtituendum: quodſi requirebatur olim; ergo etiam hodie, cum fieri non poſſit, ut id, quod hodie rei cuipiam eſt eſſentiale, (tale autem eſt omnino id, quod requiritur ad aliquem eundem numero conſtituendum) alio tempore eſſentiale non ſit rei eidem numero. Ut enim definitum ita etiam eſſentia omnis abſtrahit ab hoc & nunc, eſtque æterna. Quodſi verò ita, ut tu vis, nunc non requiritur, ne olim quidem requirebatur, adeoque ſolus Spiritus Chriſtum conſtituebat, adeoque etiam quemvis alium hominem. Ergo cum quocunque corpore jungatur Spiritus humanus hominem conſtituet. Racoviæ 19 Octobris, 1614.

J. C.

TRACTATULUS

In quo

Docetur omnibus Pietatem eſſe colendam.

*

NAm ſive ipſam perſe Pietatem ſpectes, quid ea pulcrius? ſive fructum ipſius, quid ea utilius? ſive exempla eorum, qui nobis omnino ſequendi ſunt, quæ res majores gravioreſque habet autores? ſive denique ejus ſpectes contraria quid illis fædius & damnoſius?

Nam primum virtus atque honeſtas animi quædam pulcritudo eſt; ſiquidem nihil eſt aliud, quàm decorum quoddam tum in cogitationibus atque affectibus, tum denique in actionibus externis elucens. Quodſi forma corporis oculos hos corporeos capit, & ad ſe trahit, quid de animi pulcritudine, quæ omnis corporis formam longiſſime ſuperat, dicemus? Certe, ſi virtus, ut quidam ſapientum olim dixit, oculis his cerneretur, admirabilem ſui amorem in omnium animis excitaret. Quodſi plerique homines aliquam formæ etiam corporis dant operam, ut hominibus placeant, & eorum oculos, ſi non convertant ad ſe, ſaltem à ſe non avertant; Quidni nos eam quæremus formam, quâ Deo altiſſimo, quâ Chriſto ſervatori noſtro, quâ Sanctis Angelis, quâ bonis omnibus placeamus, & eorum oculos in nos convertamus? Quodſi quis ſit, qui tantam virtutis pulcritudinem animo concipere non poſſit, ejus intueatur in hominibus piis imaginem.

Quid enim quæſo, viro bono amabilius? quem, niſi vitiorum amore penitus excæcatum, ad ſe non rapiat? Is enim omnibus benefacere, nocere nemini ſtudet. Si modeſtiam ipſius ſpectes, omnibus facilè cedit, honorem cuivis exhibet, alioſque ea in re prævertit, & major licet coram inferioribus ſe demittit. Si manſuetudinem, nemini iraſcitur, neminem maledictis appetit, in vindictam non aſſurgit. Si humanitatem, omnibus jucundus eſt, ſi liberalitatem, in omnes beneficus. Si ſpectes qualis ſit in Deum, eum ſumma religione colit. Si qualis ſit in ſe, nulla ſcelerum labe vita ipſius contaminata eſt. Poteſtne fieri, ut aliquod ſit in vita ſuavius ſpectaculum, quam hujuſmodi virum intueri? Num magis poſſit capere oculos pulcræ alicujus tabellæ contemplatio, quam imago virtutis in hujuſmodi viri vita nobis propoſita, mentis noſtræ oculos in ejus contemplationem defixos?

Sed dices: Hoc quidem pacto virtus voluptatem ſpectantibus adfert, ſed quem fructum, quam voluptatem, ei ipſi qui pietatem colit, parit? Aliis ergo pietas expetenda erit, non ei qui colit? Non reſpondebimus nunc id, quod ſapientiſſimis tamen viris placuit: Bona quædam eſſe, quæ etiamſi nullum alium adferrent fructum, per ſeipſa tamen expetenda eſſe, atque in horum numero virtutem vel imprimis ponendam eſſe cenſuerunt. Illud potius repetimus, quod ab initio diximus, nihil virtute ac pietate cogitari poſſe fructuoſius, nihil colenti ſuavius atque jucundius. Nam & ex ſeipſa inſignes parit fructus, ob quos meritò à ſapientibus dictum fuit, virtutem ſui eſſe pretium: & ſummum infinitumque ei à Deo Opt. Max. conſtitutum eſt præmium. Nam quod ad fructus, quos ex ſeipſa profert virtus, attinet, Quæ voluptas cum ea animi lætitia comparari poteſt, quæ ex recta animi conſcientia naſcitur? Quemadmodum enim nullum crudelius tormentum inveniri poteſt, eo cruciatu, quem mala ac ſcelerum furiis agitata conſcientia parit: ita nulla voluptas eam ſuperare poteſt, quam mens recti conſcia & nulla ſcelerum labe contaminata gignit. Nihil ea formidat mali, in periculis non trepidat, non æſtuat. Si fractus, ut Ethnicorum quidam dixit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

dixit, illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Hic murus eſt aheneus, nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Sed hac de re pluribus poſtea dicemus, ubi de præmio pietati divinitus conſtituto tractabimus. Ad id vero unde profecti ſumus, jam redeamus. Non poteſt recta conſcientia aliunde, niſi ex rectè factis naſci. Eſt enim recta conſcientia, quædam factorum noſtrorum approbatio, præſertim ea, quæ facta ipſa ſubſequitur. Quomodo autem animus facta hominis approbare poteſt, niſi recta fuerint, præſertim, poſtquam affectuum, qui eam fortè tranſverſam egerant, vis ceſſat, & nulla amplius nebula, quominus verum cernat, ipſi obſtet. Etenim ita animus noſter à natura comparatus eſt, ut per ſe verum rectum, honeſtumque agnitum amet, & in id ſuopte impetu feratur, utpote, quod, ut diximus, animi pulcritudinem conſtituit. Quare contra à vitiis à ſceleribus, quæ omnium conſenſu turpia & cenſentur & dicuntur, abhorret. Etiamſi autem affectus corporis ei nonnunquam glaucoma objiciat, & ſuavitas, quæ in peccatis cernitur, flagitia illi ad tempus conciliet, nihilominus tamen poſtquam ſuavitas illa, quæ prope momento citius evaneſcit, ceſſavit, & cupiditas exſatiata recedit, animus ſibi relictus liquidò iterum cernit, & ad factorum ſuorum turpitudinem penitus cohorreſcit. Contra autem ſi quid rectè fecerit, illud approbat, atque eam, quam ante memoravimus lætitiam inde capit. Rectè itaque de bona conſcienria id dixeris quod eſt apud Salomonem, Proverb. 15. ℣. 10: ſecura mens eſt inſtar jugis convivii: præſertim cum ſecura mens eſſe non poſſit, niſi quæ recti ſibi ſit conſcia. Adde his illud, quod ipſa animi tranquillitas, quæ in affectuum moderatione conſiſtit, non poteſt non homini eſſe jucundiſſima. Ut enim cœli ſerenitas aeriſque tranquillitas externos hominis ſenſus recreat, atque oblectat: ita non minus animum interna illa tranquillitas atque ſerenitas. Ubi vitiis eſt locus, ubi affectus non ſunt domiti, ubi ira efferveſcit, ubi odium acerbitatis ſuæ virus diffundit, ubi cupiditas veluti infixis ſtimulis hominem exagitat, quæ poteſt eſſe tranquillitas, & porrò quæ vera vitæ ſuavitas? ut contra ſi affectus hi domiti ac manſuefacti rationis frænum admiſerint, omnia pacata, omnia tranquilla ſunt. Et hi quidem fructus domi naſcuntur apud eum, in quo virtus pedem fixerit. Qui tantò majoris ſunt æſtimandi, quod hominem nunquam deſerunt, & ut reliqua omnia quæ extra hominem ſunt poſita, fortuna abſtulerit, hoc nulla vis, nulla fortunæ violentia, nullus caſus eripere poſſeſſori ſuo poteſt. Omnia quæcunque circa hominem ſunt, ipſumque hominis corpus, fortunæ injuriis atque inclementiæ, ſunt expoſita; ſolus animus, ſi deeſſe ſibi nolit, ejus tela poteſt effugere, & ea, quæ in ipſo & naſcuntur & reſident, bona tueri. Itaque una cum virtute animi tranquillitas, & ex virtute nata recta conſcientia, & ex recta conſcientia profecta voluptas cum homine vel per incendium effugere poteſt, cum eo peregrinari, cum eo exulare non metuit, hæc eum uſque ad rogum comitatur, & in ipſis ignibus ſolatur. Quis ergo virtutem tantorum bonorum matrem, non complectatur, non amet, non colat, & quidem ſupra omnia, quæcunque ab hominibus vocantur bona, ut pote, ut diximus, fluxa, atque caduca & ſub fortunæ ictu ſemper poſita. Tanto autem major eſt hic virtutis & rectæ conſcientiæ fructus; quòd eum ſpes certiſſima firmiſſimaque immortalis vitæ in hominibus Chriſtianis ſemper comitetur. Nam, ut jam ad præmia pietatis à Deò nobis propoſita pergamus, quis eſt, qui neſciat pietatem ad omnia eſſe utilem, utpote, quæ habeat promiſſionem & hujus & futuræ vitæ, 1 Timoth. 4. ℣. 8. Atque ut à futuræ vitæ præmio incipiamus, quis ignorat pie viventibus vitæ immortalis, & quidem in cœlis perpetuò degendæ, ſpem à Deo factam eſſe? 1 Theſſ. 2. ℣. 12. Quis neſcit vocatos nos eſſe ſub pietatis conditione ad ipſius Dei regnum?

Quem latet Deum omnis gratiæ vocaſſe nos ad æternam ſuam gloriam? 1 Pet. 5. 10. Quem fugit eos, qui vicerint & uſque ad finem opera Chriſti ſervaverint, aliquando in Regio ipſius throno conſeſſuros omnibus ipſorum hoſtibus deletis? Apocal. 2. 26, & cap. 3. 21. Quis non novit hæredes nos fore Dei, cujus filios nos pietatis & juſtitiæ ſtudium effecit, Chriſti autem cohæredes? Rom. 8. Quis cognitum non habet, nos divinæ naturæ fore participes & ſimiles Deo, quem uti eſt, viſuri ſumus? Quis neſcit hæc vilia atque abjecta corpora noſtra aliquando conformia fore glorioſo Chriſti corpori? nos qui nunc corruptibiles ſimus, ac quotidie ad mortem tendimus, fore incortuptibiles, qui imbecilles & fragiles, in omne ævum firmos validoſque fore; nos, qui animali corpore, quo brutis ſumus ſimiles, circumdamur, olim Angelis fore ſimiles, atque, ut Chriſtus loquitur, pares, Spirituali cinctos corpore. Nos qui terra ſumus ac pulvis cæleſti olim corpore indutum iri, & cæleſtis illius Adami, hoc eſt Domini Jeſu Chriſti imaginem geſturos. Quas vero voluptates apud eum putabimus repoſitas eſſe in cœlis? Quid poteſt eſſe jucundius Dei illius ſummi conſpectù? quo Angeli ipſi ſuos perpetuò paſcunt oculos? Quid jucundius conſpectu Chriſti, Angelorumque beatorum, omniumque qui unquam vixerunt, aut victuri erunt, Sanctorum hominum? Sed quid de conſpectu ſolo dico? Quid jucundius erit horum omnium conſortio, æternum perpetuum, cum ipſo Deo, Chriſto, Angelis ac omnibus electis vivere? paſci manna illo abſcondito, paſci fructu arboris vitæ in medio Paradiſi Dei plantatæ, haurire perpetuo ac bibere ex flumine aquam vitæ manantem ex throno Dei & Agni: ut recte dixeris cum Davide: Pſ. 16, Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextra tua uſque in ſecula. Neque jam erit metuendum, ut aliqua mutatio in tantum bonum cadat. Eſt enim hæreditas illa noſtra & incorruptibilis, & talis, quæ pollui nequeat, & nunquam flacceſcens, cum nec ipſa interire, nec labes dolorum, aut ignominia ipſi aſpergi, nec temporis longinquitate minui aut ſeneſcere poſſit. Quibuſnam vero tanta bona tanta gaudia ſunt parata? Certè omnibus piis, & in ſanctitatis opere ſeſe exercentibus, ac innocentiæ vitæ perpetuò ſtudentibus, Roman. 2. ℣. 7. Iis enim qui in bono opere perſeverantes, gloriam & honorem, & incorruptibilitatêm quærunt, dabit Deus vitam æternam, his, inquam contingent gloria, & honor, & pax ſempiternaque felicitas. Neque verò eſt, quod de tanti boni veritate dubites: Undique enim communita eſt ſpes noſtra, firmumque ſtat illud ab ipſo jactum fundamentum, nempe de reſurrectione & vita ſempiterna decretum, 2 Tim. 2. 19, cum habeat illud ſigillum à Deo impreſſum, quod Deus norit, amet, diligat, eos qui ipſius ſunt, utut à morte videantur abſorpti. Exemplum reſuſcitationis ac felicitatis noſtræ in duce & capite noſtro Chriſto habemus, in illo veluti reſuſcitati & in cœlis collocati ſumus, præſertim cum in manibus ipſius ſalus noſtra ſit repoſita, quem non pudet, nos fratres ſuos appellare, & qui ſalutis noſtræ cauſſa id quod habuit chariſſimum, animam nempe ſanguinemque ſuum aliquando profudit atque impendit. Quid ergo eſt quod de hoc pietatis præmio ulla animos noſtros ſubeat dubitatio, præſertim cum ſumma inde, tum ad Chriſtum, tum ad Deum ſit reditura ex tanto beneficio gloria. Non eſt, quod verearis, ne quis tantum bonum, dum aſſequeris, intercipiat atque intervertat. In cœlis enim hic theſaurus nobis eſt repoſitus, quò fures penetrare nequeunt, ubi nihil ejuſmodi, quod theſaurum hunc noſtrum, vel eripere, vel minuere queat. Non eſt etiam

quod verearis ne tu ipſe, utut pietatem colas, pereas, & ſic ad tantam felicitatem non pervenias. Etenim Dei ipſius potentia, quæ ſanè invicta eſt, cuſtodimur ad ſalutem illam, 1 Pet. 1. 5, quæ ut reveletur, parata eſt, modo nos in fide conſtanter perſeveremus. Utut enim nobis mortis atque inferni clauſtra erunt ſubeunda, ejus tamen portæ nos minime poterunt retinere, Ap. 1. ỳ. 18, cum claves mortis atque inferni Chriſtus habeat, qui cum aperiet, nemo claudet, quemadmodum etiam ubi clauſerit, nemo aperiet. Tantum ergo bonum & tam certum cum piè viventibus propoſitum ſit, quis ejus ſuavitate, non patietur ſeſe ad pietatem atque virtutem pertrahi? Quid enim in hominibus non efficit ſpes præmiorum? quo non adigit pleroſqne mortalium ſpes lucri & quidem fallax lucri non adeo magni? quot homines vitam iis impendunt rebus, quæ homini vitæ cauſſâ ſunt appetendæ, quæ momento citius pereunt? ſpecta milites, ſpecta mercatores. Et nos præmio eo propoſito, quod complecti humana mens nequit, quod oculus non vidit, quod auris non audivit, quod in cor hominis non aſcendit, quod nunquam intercidere poterit, quod certiſſimo documento eſt comprobatum, tantillum laborem, qui pietatis ſtudio eſt impendendus, detrectabimus, & tam breve reliquum vitæ tempus Deo conſecrare abnuemus! imo num etiam labor ille videri debet, & non potius animi requies, pietatem perpetuo colere. Hujus ergo tanti boni ſpes, & ſpes, ut oſtendimus, quæ minimè pudefaciat, cum pietatem Chriſtianam perpetuo comitetur, quis dubitare poteſt de gaudio illo, quod ex recta conſcientia manare ſupra diximus. Hæc autem res tunc imprimis vim ſuam exerit, cum ſupplicia divina hominibus imminent, ſed maximè tum ſeſe exeret, cum veniet decretorius ille dies, cum ſigna ſeſe oſtendent, advenientis ſupremi judicis, Luc. 21. 24, cum cæteri mortales, quos ſcelerum urgebit conſcientia, præ anxietate ac futurarum rerum metu contabeſcent, atque emorientur. Tunc enim ii, quos recta eriget conſcientia, capita ſua attollent, ſervatorem ſuum è cœlis expectantes, quem etiam ſummo cum gaudio excipient, & ad eum ſublati cum illo in palatia cæleſtia ingredientur, cum illo ſempiternum victuri. O ſi perpetuo ante oculos noſtros poſitus eſſet dies ille, ſi nunquam memoria noſtra excideret ſupremum illud judicium, nunquam nobis peccatum allubeſceret! ſi perpetuò in animis noſtris hæſerit, Chriſti jugum, quam leve quam ſuave onus nobis impoſitum, quam facilia Dei mandata! Sed præter hoc futuræ vitæ præmium, quod ſanctis propoſitum eſſe videmus, ſunt etiam alia, quæ in hac ipſa vita nobis obveniunt. Etenim quicquid à Deo petierimus, id ſe nobis daturum promiſit, modo cor noſtrum nos non accuſet; quod fiet, ſi mandata ejus ſervaverimus, &, ſi quod ipſi placet, fecerimus. Quis autem hic non ſummam divinorum beneficiorum abundantiam, immenſas atque inexhauſtas opes cernit. Quid enim eſt, quod à Deo Chriſtiani homines non poſtulent. (De iis loquor rebus, quæ voluntati divinæ ſunt conſentaneæ.) Et ut quædam hîc tantummodo recenſeam. Quid in hac tota vita optabilius eſſe poteſt illo divino Spiritus Sancti dono? Per hunc enim amoris divini ſenſus in corda noſtra effunditur, hic nos filios Dei eſſe teſtatur, hic efficit, ut ad Deum clamemus, Abba Pater. Hæc eſt illa unctio, quæ docet omnia, hæc ignorantes inſtruit, in dubiis conſilium ſuppeditat, in periculis & prudentiam & animi fortitudinem inſpirat, hic in piis ardentem ad pietatem colendam fervorem accendit, in afflictionibus patientiam fulcit, atque in mediis cruciatibus cæleſtem voluptatem pectoribus humanis inſtillat: hæc ea eſt pax, quæ omnem mentem ſuperat, & mentes, & corda noſtra ſeu pectora in Chriſto Jeſu cuſtodit, hunc cæleſtem imbrem deſuper infundit in piorum pectora cæleſtis ille pater. Etenim qui Chriſtum diligunt, hoc eſt mandata ejus obſervant, iis ipſe Chriſtus promiſit, & ſuum & Patris amorem, ad eos ſe una cum Patre dixit venturum, & apud eos ſedem veluti locaturum, quod quidem per Spiritum ſuum imprimis præſtat. Cur ergo Chriſtum non diligamus? Cur id non agamus, ut ejus voluntati in omnibus nos attemperemus? An tam vile erit apud nos tam divinum donum, ut ejus cauſſâ non omnia, quæ præcepta ſunt nobis, libentiſſimè exſequamur. Sed præterea quantum hunc pietatis fructum eſſe exiſtimabimus, quod cæteris quoque in rebus ſemper Deum propitium experiuntur, ejuſque cura ac providentia ſemper foventur. Etenim Pſaltes ait: Pſ. 34 & 33, Oculi Domini ſuper juſtos, uti & aures ejus in preces eorum. Horum, inquam, neceſſitatibus omnibus Deus proſpicit, hos in periculis nunquam deſerit, hos defendit ac protegit, ut jure poſſis dicere: Timete Dominum omnes Sancti ejus, quia non eſt inopia timentibus eum. Divites egue, runt & eſurierunt, timentes autem Dominum non minuentur omni bono. Nec eſt quod dicas: veteris hæc fœderis fuerunt propria. Major quidem copia illis fuit promiſſa, quibuscum antiquum Fœdus fuit pactum, ſed promiſit & nobis Chriſtus omnia vitæ neceſſaria, modo primo omnium Regnum juſtitiamque Dei quæſiverimus, Matt. 6. 33. Quod vero ad pericula altinet, veriſſimum id eſſe experimur, quod ait idem David eodem loco: Clamant juſti & Dominus exaudit eos, ex omnibus tribulationibus eorum liberat eos. Prope adeſt Dominus iis, qui afflicto ſunt corde, & humiles Spiritu ſalvat. Multæ tribulationes juſtorum, ſed de omnibus his liberat eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur. Interimit impium malitia, ac odio habentes juſtum deſolabuntur. Redimit Dominus animas juſtorum, ſed non devaſtabuntur, qui ſperant in eo. Nam in eodem Pſalmo ſuperius legimus: Caſtra metatur Angelus Domini circum timentes eum, & eos eruit. Guſtate modo & videte, quam bonus ſit Jehova. Beatus vir, qui ſperat in eo, hoc eſt, qui ſpe in eo defixa ejus mandata obſervat, ejuſque favorem recte factis ambit. Vide & Pſ. 121. En compendiariam ad vitæ felicitatem viam, quid alia erronea ad proſperitatem quæris itinera? En recta ad hanc rectam ſemita! Pietas nempe eſt, cui etiam hujus vitæ bona ſunt promiſſa, 1 Tim. 4. 8. Quanquam enim non penitus ſunt expertes calamitatum homines pii, ii præſertim, qui piè in Chriſto vivere volunt, nihilominus tamen vel ex iis malis eos eripit Deus, vel ſaltem ſupra vires illos tentari non permittit, ut pote fidelis, vel ſaltem eas piis hominibus inſpirat vires, ut facile ferre omnia mala queant, 2 Tim. 3. 12. 1 Cor. 10. 13. 2 Cor. 4. 8, 9. In omnibus premimur, at non conculcamur, hæſitamus, ſed ad deſperationem non adigimur, perſecutionem patimur, at in ea non deſerimur, dejicimur, at non perimus. Adde quod Deus hujuſmodi afflictiones in maximum hominum piorum bonum convertat, & melius cum illis agatur quam ſi nunquam quicquam mali fuerint experti. Omnia enim ut Paulus ait, diligentibus Deum (diligunt autem Deum, qui mandata ipſius obſervant) in bonum cooperantur, omnia etiam cæteroquin mala conſpirant in ipſorum felicitatem; adeò, ut merito glorientur, quemadmodum Paulus ait, in afilictionibus, cum ſciant, afflictiones parere patientiam, patientiam, ſui explorationem, ſui explorationem ſpem, ſpem autem non confundere, quandoquidem tantopere nos Deus amet, ut chariſſimum ſuum filium pro nobis morti acerbiſſimæ objecerit, quem quidem amorem ſentimus in animis noſtris Spiritu divino diffuſum. Ad ſalutem ergo tandem pios deducit afflictio, ut meritò gaudere & exſultare debeamus, & cum Paulo dicere, licet externus noſter homo corrumpatur, internus tamen, hoc eſt, animus, & ſpes immortalis vitæ, renovetur quotidie Momentanea enim levitas afflictio-

afflictionis noſtræ ſupra modum excellentem æternum pondus gloriæ nobis parit. Quid ergo quod hujuſmodi afflictiones refugiamus, cum piis etiam tunc, cum peſſimè videntur haberi, malè eſſe nequeat. Cur porro pietatem non colamus, quæ mala etiam, quæ maximè mortales metuunt, in bonum convertit noſtrum? Piorum hominum ea eſt felicitas, ut omnia, quemadmodum Paulus loquitur, ipſorum ſint, omnia ipſorum felicitati vel cedere, vel etiam velificari cogantur; ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia, inquam noſtra ſunt; modo nos Chriſti verè ſimus, hoc eſt ex ejus præſcripto mores compoſuerimus. Inter ea pietatis præmia, quæ in hanc vitam cadunt, ſi Spiritus Sanctus donum excipias, maximum maximeque expetendum inſigne illud eſt, quod, ut ante de divina circa pios, providentia loquentes diximus, Angeli circa pios caſtra metantur, eoſque cuſtodiunt; quorum quidem tutela non corpora tantum noſtra ſed animos etiam noſtros adverſus Satanæ fraudes, inſidias atque incurſus defendere poteſt. Hi enim cum Spiritus ſint, & præterea robur habeant divinum, non tantum adverſus hominum impiorum potentiam ac crudelitatem; ſed etiam adverſus malignos illos Spiritus tueri nos poſſunt, atque adeò ſolent. Qua quidem in re quanta cernatur piorum hominum tum apud Deum dignitas, tum felicitas, dici vix poteſt. Quantæ enim dignitatis eſſe putabimus ſtipari ac cuſtodiri à ſpiribus immortalibus ac ſanctiſſimis, ac tot retro ſeculis apud Deum viventibus, quos ſuo conſpectu Deus dignatur, quanta felicitas eſt ab iis veluti portari ac in manibus ipſorum geſtari, ita ut ne pedem quidem ad lapidem offendas vel impingas, id quod Deus ſui timentibus apud Davidem pollicetur, apud quem tum aliis multis in locis, tum in primis etiam Pſ. 121, multa de divina circa pios cura, ac providentia ſingulari leguntur, quæ quidem Deus per hos fideliſſimos miniſtros potiſſimum obire ſolet. Taceo quoque hoc loco, ipſum quoque Dei ac Chriſti in nos affectum, & charitatem, unde omnia hæc, quæ modo enumeravimus, bona profluunt, dignum eſſe, ob quem vitæ pietatem colamus. Quodſi enim homines hominum cauſſa multa faciunt, ut eorum erga ſe favorem ſibi etiam ſæpe inutilem concilient; quidni omnia, ut Dei ac Chriſti favorem, vel comparemus, vel illibatum nobis conſervemus, facere nos decet, præſertim cum ad omnia eum nobis eſſe utilem videamus. Cæteris pietatis fructibus à nobis hactenus enumeratis, etiam ille addi poteſt, quem partim ex ſeipſa, partim Dei benignitate interveniente pietas parit, nempe, quod hominum animos ſaltem eorum, qui non ſunt à virtute penitus averſi, aut erroribus peſtiferis infecti, mirifice conciliat ac nobis adjungit. Nam partim ob pulchritudinem ſuam ac ſuavitatem animos hominum ad ſe trahit, partim etiam Deus ob pietatem, gratiam homini apud alios conciliat ita, ut inimicos etiam ſæpe vincat, & eorum odium adverſus nos mitiget. Nam quod ad prius attinet, ita inter alia loquitur Petrus, 1 Pet. 3. 13: Quis eſt, qui vobis nociturus ſit, ſi boni ſectatores fueritis? Quanquam enim in ſeqq. ſtatim, Petrus indicat fieri poſſe, ut homines male feriati etiam ob juſtitiam nos perſequantur, quodſi fiat nos beatos fore pronunciat Petrus, nihilominus tamen iſtis quæ attulimus verbis ſatis indicat, magnam vim habere virtutem, eam præſertim, de qua ibi loquitur, quâ fit, ut malum pro malo minimè reddamus, ſed potius beneficium pro maleficio, ad hominum animos nobis adjungendos, vel ſaltem ab injuria nobis inferenda abſtrahendos. Et conſentaneum eſt eam vim ſuam exerere in plerorumque animis. Quod ad poſterius attinet ita loquitur inter alia Salomon, Proverb. 16. ℣. 17: Cum placuerint viæ hominis Domino, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. (cum eo ſcilicet) Quodſi multa facimus, quibus hominum favorem nobis conciliemus, cur non pietatem colimus, quâ ſcilicet & Dei & hominum amorem comparemus, & inimicos quoque in gratiam reducamus.

Et hæc, quæ diximus, ſatis ſuperque eſſe poſſunt ad pietatis amorem ac ſtudium nobis inſerendum: Sed ſuperſunt alia, quæ eam nobis inſigniter commendant. Si enim quicquam aliud, Pietas certè maximis autoribus ſeſe defendit. Autorem illa habet ſummum illum Deum, qui ipſa lux eſt & in quo nullæ ſunt tenebræ, Joh. 1. ℣. 7, cujus proinde exemplum imitari jubemur, tum demum conſortium cum eo habituri, ſi in luce ambulaverimus, uti ille eſt in luce. Unde etiam illa Petri ex Moſe petita, 1 Pet. 1. ℣. 16: Sancti eſtote, ſicut & ipſe Sanctus ſum. Autorem deinde habet ſecundum Deum proximum Chriſtum Dominum ac ſervatorem noſtrum, qui, ut ipſe Deus, ille Sanctus in Apocalypſi cap. 3. 7, appellatur, qui peccatum non novit, in cujus ore dolus nullus inventus, qui præcepta Patris ſui ſervavit, & quæ ipſi placuerunt fecit ſemper, 2 Cor. 5. 21. 1 Pet. 2. 22. Joh. 15. 10. Joh. 8. 29. Fuerunt & Apoſtoli ipſius, quos itidem habemus poſt Deum & Chriſtum ſanctitatis autores. Nam & illi Chriſtum ſunt imitati, & ut nos quoque ipſos imitemur, nobis præcipiunt: hos porro innumera Electorum Dei ipſiuſque filiorum ſecuta eſt multitudo. Cur autem horum exemplum non ſequemur, cur Deum Patrem noſtrum, cur Chriſtum Dominum cujus fratres dici & cohæredes evadere cupimus? Cur non & Apoſtolos, quorum nos diſcipulos profitemur, cur non cum illis pietatis vinculo copulari deſideremus? Cur malimus, (ut jam è re contraria pietatis dignitatem æſtimemus) Diabolum omnis mali autorem, qui impietate ſua de cœlo detrudi, & in has tenebras, tanquam in carcerem conjici, ut ad magnum illum judicii diem aſſervetur meruit. Cur illum, inquam, mitari malimus? Cur malimus ſequi homines profanos atque impios, qui Diaboli ſe imperio ſubjiciunt, cum eodem æternum perituri? Quodſi vitiorum turpitudinem nondum ſat cernis, inſpice eorum vitam, quibus nullum flugitium turpe videtur: quodſi vel ad primum eorum conſpectum atque ad mentionem quorundam facinorum ab illis deſignatorum non cohorreſcis, ſtipitem te eſſe oportet. Nam quis non deteſtetur homines, exleges, refractarios, impios, peccatis deditos, ſceleratos ac profanos, Patricidas & matricidas, homicidas, ſcortatores, maſculorum concubitores, plagiarios, mendaces, perjuros, quis non illos deteſtetur, quos in Epiſtola ad Rom. tum ad Timoth. Paulus recenſet. Quodſi quem impium nondum abſterret à ſceleribus ipſa turpitudo, abſterrere ſaltem debent damna & magnitudine, & numero prope infinita, eaque in evitabilia, quæ impietatem conſequuntur. Nam primum ſceleratum nunquam deſeret malæ conſcientiæ tormentum, quo nullum majus, ut de invidia quidam dixit, vel Siculi Tyranni invenire potuerunt. Hæ ſunt enim furiæ illæ, quæ dies noctesque ſceleratorum mentes exagitant. Conſcientia enim accuſatoris, & teſtis, & judicis, & tortoris denique partibus fungitur, tanto autem acerbiores de hominibus pœnas exigit, quod animum ipſius non corpus lancinat, quodque perpetuò adeſt, & nec abjici, nec ſopiri, nec placari, ni placato numine, poteſt. Placare autem numen ſine pietate nequaquam fas eſt. Adde quod conſcientiæ malæ vim augent minæ à Deo hominibus impiis propoſitæ, quibus vel invita credere cogitur conſcientia, & ſupplicia, quæ meruit, metuere. Itaque etiam ad levis folii ſtrepitum cohorreſcere cogetur animus malè ſibi conſcius, & imminentibus periculis malè ſibi ominari, & ſi mala ingraveſcant deſperare. Quid ergo futurum putamus ubi aliquando ſigna apparebunt diei illius terribilis, quo ſecundum opera ſua mercedem quoque reportabit, annon tum fiet, ut præ metu atque anxietate, quemadmodum ſupra diximus, alii quidem emoriantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

alii autem mortem quærant, & non inveniant; & montibus dicunt, ut ſeſe obruant, & à facie irati ſibi judicis protegant. Quid autem animi etiam illis eſſe credimus cum mors illis imminet, & fata illa inexorabilia inſtant, quæ illis tum ſpes ſolatii? Certe ſi quæ ante fuit voluptas, ea jam tota pro nihilo eſt, quia nulla amplius eſt futura, imò quia æternum illum ignem ſibi vident eſſe repoſitum. Quid verò de illo igni, illo qui extingui nunquam poterit, de igni, inquam, illo ait: parato Diabolo & Angelis ejus dicemus? hæc illorum pars erit, nempe in lacu illo igni ſulphureo ardente, in quem cum jubebuntur ire, quos tum gemitus, quos ejulatus futuros credimus? Illic enim ut Chriſtus non ſemel ait, fletus erit & ſtridor dentium. Quanta erit illa indignatio & ira, quanta afflictio & anguſtia, quæ incumbet omni animæ operantis malum, cujuſcunque tandem ſit generis? Quid ergo illis erit animi, quis luctus; cum, ut Chriſtus ait, Videbunt Abrahamum & Iſaacum & Jacobum & omnes Prophetas in Regno Dei; quin etiam multos ab occidente & oriente, & Aquilone & auſtro, Luc. 13.28,29, qui in eodem Regno Dei acquieſcent, ſe vero foras ejectos in extremas illas tenebras. Tunc nimirum ipſi ſecum, ut eſt in lib. Sapien. cap. 3, pœnitudine affecti dicent, ac preſſi ſpiritus angore ingemiſcent: Hi ſunt, quos nos quondum ludibrio habuimus proverbioque contumelioſo. Nos ſtulti vitam eorum exiſtimabamus inſaniam, atque exitum eorum ignominioſum, quomodo cum filiis Dei annumerati ſunt, & inter ſanctos ſortem adepti. Deviavimus utique à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol juſtitiæ non eſt ortus nobis &c. uſque ad ℣.16. Sed hæc tum fruſtra ingeminabunt, nimis ſera erit hæc pœnitentia. Hic hic dum tempus eſt, dum adhuc hodie vocatur, dum vocem Dei loquentis audimus, animus eſt ad reſipiſcendum flectendus, & vita in melius mutanda & ita cum pietate expectemus adventum diei Dei perquem cæli ardentes ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent.

Sed præterea in hac quoque vita, varia ſunt impietatis mala atque ſupplicia. Nam ab impiorum precibus aures avertit Deus, neque enim peccatores audit, & etiamſi tandem oratione inſtent, nihil tamen, niſi ab impietate receſſerint, à Deo impetrabunt. Vid. Eſ. cap. 1 & 58. Quin ne alios quidem pro ipſis deprecantes audire vult Deus: unde illa apud Jeremiam cap. 15: ſi ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Ejice illos à facie mea, & egrediantur, & quæ ſequuntur. Et illa apud eundem cap. 7. 16. Noli orare pro populo hoc, ne aſſumas pro illis clamorem, & ne depreceris me, quia non exaudiam te. Et cap. 14. 11, Noli orare pro pulo iſto in bonum, cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & ſi obtulerint holocautomata, & victimus, non ſuſcipiam ea. Quemadmodum igitur oculi Domini ſunt ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: ita vultus Domini, vultus, inquam, iratus ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum; non eſt, quod illi ſperent ſe liberatum iri ex afflictione & periculo, Proverb. 24. 16. Septies quidem cadit juſtus, ſed iterum ſurgit, impii autem in malum corruunt. Quodſi exempla ſuppliciorum divinorum, quæ in impios effudit, deſideras, ea numero infinita, & hæc noſtra & vetera præbent ſecula. Non commemoro nunc Angelorum ruinam. Primum mundum adſpice, ob impietatem aquis ſubmerſum. Sodomam & Gomorram vicinaſque urbes cæleſti igne hauſtas, quæ quidem exemplum æterni ſupplicii impiis ante oculos conſtituunt. Quid de Ægyptiis, quid de Iſraëlitis ipſis ex Ægypto eductis dicam, quos quidem ob peccata & quiete ſibi deſtinata irrevocabili Dei voluntate excluſos, & variis hinc inde ſuppliciorum generibus deletos, atque in deſerto proſtratos S. S. Literæ teſtantur, quoties idem ille populus jam in poſſeſſionem terræ Chananeæ miſſus, vel gravi ſervitute fuit ob impietatem preſſus, vel ab hoſtibus cæſus ac profligatus, vel fame, terræ vaſtatione aliiſque malis vehementer attritus fuit! Quid captivitatem illius populli Babylonicam, & antehac Aſſyriacam, quâ decem tribus ſedibus ſuis fuerunt pulſæ, commemorem? unum illud ſupplicium, quô tota gens ad internecionem propè deleta fuit, quam graviter Deus impietati iraſcatur, ſatis docet. Et hodie unde tot bella, ſeditiones, tumultus, unde fames, ac lues, quâ infinita hominum millia abſorbentur, nonne inde quod impietatem hominum Deus juſta vindicta perſequitur? Et ne putes corpus tantum divinis ſuppliciis peti, petunt illa animum. Nam & veritatem ſuam ingratis eripit Deus, eoſdemque indurat, & reprobæ tradit menti, atque adeo ipſius Satanæ permittit libidini. Quid autem inde, niſi certiſſimum conſequitur exitium? Præſcindit nempe Deus à fructifera vite ſurculos & ramos inutiles, eoſque projicit, ut exareſcant, & porrò nulli alii rei utiles in ignem conjicit, ſeu, ut alia ſimilitudine explicat eandem rem Chriſtus, Cum ſal ſaporem ſuum amiſerit, ut nulli alii rei utilis, foras projicitur, & ab omnibus conculcatur. Ejuſmodi autem indurationem, quâ homines contumaces plectit Deus, præter alia ſupplicia, etiam graviſſima conſequuntur ſcelera, in quæ cupiditas hominum laxata jam ſine metu ruit. Quibus homines nefarii ſeipſos dedecore afficiunt, & de ſeipſis quodammodo pœnas impietatis exigunt. Qua de re eſt ad Rom. 1. Quæ vero corpus potiſſimum petunt pænæ, quam variæ ſunt, quamque multiplices? Nam & varii morbi, cruciatus intolerabiles, mortes acerbiſſimæ ac præmaturæ, fortunarum omnium everſio, & ſumma rerum anguſtia, fuga, ignominiæ varia genera peccatoribus imminent. Uno verbo, quicquid charum eſt, quicquid jucundum, homini id eripere ob peccata ſolet Deus: nec enim ipſum tantum, qui peccavit, ſed eos etiam qui ipſi ſunt chariſſimi, ut ſunt uxor, liberi, nepotes, ſi præſertim exempla majorum ſequuntur, eadem involvit ruina, & in iis hominem ſceleratum vel vivum, vel mortuum punit, mortuum ignominia ipſa, vel quod nomen ipſius deleatur. O quam profunda eſt ſuppliciorum divinorum abyſſus! in quam ne quiſpiam immergatur, nulla alia ratione, quam pietate enitendum eſt. Non commemoro nunc ea incommoda, quæ ipſa ſibi impietas, etiamſi divina abeſſet vindicta, acceſſit. Nam odium hominum provocat, injuria, contumelia, crudelitate, avaritia, & ſuum ipſius corpus graviſſima contumelia afficit, libido quorundam etiam vires frangit, uti & luxuries, crapula, aliæque vitæ peſtes, eadem luxuries & bona exhaurit, & cum non poſſit non eſſe multis modis temeraria impietas, fieri non poteſt, quin infinitis ſeſe modis implicet. Sed quis enumerare omnia vitiorum incommoda poſſet? Quare id unum reſtat, ut abnegata impietate & mundanis concupiſcentiis, temperanter, juſte, ac pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam illam ſpem, & revelationem gloriæ magni Dei & Domini Jeſu Chriſti.

Sed dices fortaſſe. Quid opus eſt tam dura lege vivere. Benignus ac miſericors eſt Deus, tardus ad iram, non adeo ſeverè nobiſcum aget, ut hujuſmodi pietatem à nobis omnino exigat. Reſpondeo miſericors quidem ac benignus eſt Deus, ſed ſuper timentes ipſum. Ita enim David ait in Pſalmo, in quo totus eſt in miſericordia Dei amplificanda, Pſ. 103: Secundum altitudinem cæli à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Et iterum; Quomodo miſeretur Pater filiorum, ſic miſertus eſt Dominus timentium ſe. Et rurſus, miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum, & juſtitia id eſt benignitas ejus in filios filiorum his qui ſervant Teſtamentum ſeu fædus ejus, & memores ſunt mandatorum ejus ad facienda ea. Hinc & Paulus, ut alia infinita tum veteris tum Novi Teſtamenti loca prætercam, poſtquam dixiſſet, in

Chriſto

Chriſto Jeſu nihil valere, præter novam creaturam hoc eſt animi ac morum mutationem in melius, ſubjicit: Et qui hac regula incedent (hoc eſt qui vitam ſuam ad normam novæ creaturæ compoſuerint, pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei, quaſi dicat hi demum felicitate ex miſericordia Dei manante fruuntur, utpote, qui ſunt verus Dei Iſraël, ſeu verus Dei populus. Miſericors ergo eſt Deus; ſed ſimul etiam juſtus & rectus, ſed ſimul tamen ſapiens. Atqui nec rectitudo, nec ſapientia ejus permittit, ut eis peccata remittat, ut eos tanquam filios complectatur, qui in ſceleribus perſeverant, qui inimicitias cum ipſo gerunt. Inimicitia autem eſt carnis cupiditas ac deſiderium teſte Paulo, Rom. 8, quia legi divinæ non ſubjicitur, nec ſubjici poteſt. Inimicitia erga Deum in opinionibus malis conſiſtit, Col. 1. Inimicitia erga Deum, eſt amicitia cum hoc mundo, Jac. 4. Quodſi Deus illos etiam profiliis haberet, eoſque ad hæreditatem cæleſtis vitæ, bonorumque ſempiternorum admitteret, quid hoc eſſet aliud, quam porcum, ut cum Petro quodammodo loquar, in cœno ſeſe volutantem, non modo in palatium ſummi Regis introducere, ſed in ipſo etiam ſinu Regio collocare. Quorſum ergo, inquies, illa Dei benignitas? Reſp. quorſum vero tu cenſes? Num, ut tibi ſecurius liceret peccare? Toto erras cælo ô homo! Dicam ergo tibi quorſum benignitas Dei pertineat. Horſum, inquam, ut tu pie vivas. Ita enim Paulus: Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus. Quid? fortaſſe, ut doceret, nobis jam licere peccatis graviter indormiſcere? Nequaquam: Sed erudiens nos, ut abnegata impietate, nondum ſatis, ſed & mundanis cupiditatibus, ſobriè, pie juſte viveremus in hoc ſeculo.

Sed huccine tantum gratia Dei prodeſt, ut pie vivamus, nonne S. L. teſtantur, huc etiam pertinere, ut peccata nobis condonentur? Rectè ſanè; ſed nec peccatorum remiſſio cuiquam ſervit alii, quam pœnitenti, & ad Deum ſeſe convertenti. Audi Prophetam de hac Dei benignitate loquentem: *ſi impius egerit pœnitentiam.* Ezech. 18.

At inquies, quanto major eſt hominum iniquitas, tanto majorem eſſe Dei gratiam ex S. L. didicimus. Audi ad hoc reſpondentem Paulum, qui cum cap. 5 ad Rom. ſub finem, *ubi autem abundavit delictum*, dixiſſet, poſtea initio cap. 6, ita ait: Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo. Utrumque ergo verum eſt, Et ſuper abundare gratiam divinam ubi abundavit delictum, & nihilominus tamen nobis non licere amplius in peccato vivere. Illud enim de præteritis peccatis in ignorantia divinæ voluntatis commiſſis potiſſimum intelligendum eſt, hoc autem de eo, quomodo poſt acceptam veritatis notitiam nobis ſit vivendum. Nonne abundè ſat eſt gratiæ divinæ, quod præterita peccata omnia, ut ut graviſſima, utut innumera, ſempiterna oblivione obruere velit, nec lapſus illos numerare, qui curſui pietatis noſtræ nobis invitis interveniunt. Ulterius ſi progrediatur Deus, jam non clementia uti, ſed peccatis patrocinari, ſed ſceleribus favere, quæ ſemper velit, dicendus eſſet. Habet Dei miſericordia, utut ſit maxima, certos quoſdam limites, quos ſi humana impietas tranſgrediatur, jam iræ atque indignationis fines ingreditur. Itaque tantum abeſt, ut gratia Dei nos ad peccatum invitet, ut potius nos & animet vireſque nobis ſuppeditet ad pietatem colendam, & ad eam ſequendam omnino obſtringat. Animat nos vireſque nobis ſuggerit; quia præmium pietati infinitum conſtituit, & tam facilem ad eam conſequendam nobis oſtendit viam. Siquidem cum tanta indulgentia pietas à nobis exigitur, quantam jam explicuimus, & ſimul auxilium divini Spiritus nobis ſuppeditat. Obligat autem omnes, quia nemini fructum ſalutarem promittit, niſi relictis peccatis ſanctitati vitæ ſe totum conſecret.

At inquies: illud legis eſt, pietatem atque obſervationem divinorum mandatorum exigere, non gratiæ, cujus tantummodo eſt indulgere. Audi Paulum ita loquentem. Ne regnet peccatum in corpore noſtro. Peccatum enim vobis non dominabitur, quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. An neſcitis, &c.

Audio iterum. Quorſum ergo mors Chriſti, nonne ille pro nobis mortuus eſt. ℞. Mortuus eſt ſanè pro nobis Chriſtus, ſed in eum finem, ut non nobis ipſis viveremus; ſed illi, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, ut nos eximeret ex hoc ſeculo malo, ut nos ſanctificaret, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & pararet ſibi populum peculiarem, ut mortui peccato juſtitiæ viveremus.

Atqui ſanguis Chriſti nos repurgat ab omni peccato. Audio: ſed ſi in luce (Johanne dicente) ambulaverimus.

Sed redemit nos & pretium ſolvit. Rectè; ſed redemit à vana converſatione à Patribus tradita, Redemit nos ab omni iniquitate, & ſibi populum peculiarem acquiſivit, &c. Ita nos, inquam, redemit ex ſervitute peccati, & mortis, ut interim nos emeret Deo. Non eſtis veſtri, inquit Paulus. Precio enim empti eſtis. Glorificate igitur Deum in corpore veſtro, & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei. Ita nimirum nos redemit atque adeo emit Chriſtus, ut & ipſius & Dei ſervi ac mancipia fieremus. Qui nihil aliud vellemus, nihil aliud faceremus, quam quod vult Dominus, & gloriæ ipſius omnibus in rebus inſerviremus. Quanti quanti ſumus, Dei ſumus, non modo creationis, ſed etiam redemptionis jure. Quare quicquid eſt in nobis, id totum Deo conſecrare debemus, & in ejus, ut Deo ita dicam, uſus convertere. Sacrilegium eſt res conſecratas ad res profanas impuraſve convertere.

Atqui, Fides inquies, hominem juſtificat, non opera, toties idinculcat Paulus, quid ergo tu opera urges? Fateor fidem hominem juſtificare non opera, ſed fidem non mortuam, verùm vivam. Quænam autem viva eſt? Ea quę bonorum operum fructibus animata eſt. Audi Jacobum ea de re loquentem: quin audi ipſum Paulum, qui ad Gal. 5, ita loquitur in Chriſto Jeſu, &c. ſed Fides per charitatem efficax. En vivam habes Fidem! Vide etiam quid alibi ea de re dicat: Confer loc. 1 Cor. 7, & Gal. 6. Vide quid de charitate dicat 1 Cor. 13 ab initio. Quare cum Paulus dixit: Fidem non opera nos juſtificare, non oblitus eſt interim ejus, quod ipſe dixit: Deum in die illa judicii unicuique redditurum ſecundum opera ipſius. Non oblitus ejus, quod dixit: ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini: non oblitus eſt ejus, quod ſupra ex eodem recenſuimus: Pietas eſt ad omnia utilis, &c.

Atqui opera aperte à fide removet? Removet quidem, ſed ea, quæ juſtificationem mereantur, quæ qui haberet, ei non imputaretur merces ex gratia, ſed ex debito; talia nempe opera, qualia lex requirit, unde ea opera legis appellare ſolet. Qualia autem lex requirebat? Audi legis vocem: maledictus omnis, &c. Hæc opera nec nos urgemus, nec Jacobus, quem ſequuti opera cum fide in juſtificatione conjungimus, urget; ſed ea quibus Chriſti fides contenta eſt, quæ id poſtulat, ut non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum vivamus, hoc eſt poſtquam Spiritus Chriſti participes facti ſumus, eum in omnibus ſequi conemur, etiamſi non ſemper, ſaltem plerumque reipſa ſequamur, nec conſuetudine mala implicati, nec ullo gravi ſcelere polluti. Fides enim imbecillitati non malitiæ relinquit locum, & gratia Dei imbecillitati affert ſolatium, non malitiæ. Quodſi ſcire vis, quid ſit efficacia vivæ fidei; Audi Johan. ita loquentem: Omne quod genitum eſt ex Deo vincit mundum. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Hanc tu Deo fidem præſta, & viceris, ne Deo cadaver fidei pro fide obtrudas. Cadaver autem fidei eſt bonis operibus caſſa animi perſuaſio. Memineris illorum divini Authoris, qui cum dixiſſet, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, Iterum dixit, ſine ſanctimonia neminem eſſe viſurum Deum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sed cor, inquies, Deus reſpicit, recto animi propoſito contentus erit, ùtut effectus non ſequatur. Novit Deus imbecillitatem noſtram. Reſpicit quidem Deus cor noſtrum, ſed reſpicit etiam facta, & ex factis etiam cor æſtimat. Nonne audis toties repetitam divini ſpiritus vocem: Deum unicuique redditurum ſecundùm ipſius opera. Non audis Jacobum, qui cum monuiſſet, ut non auditores tantum divini ſermonis, ſed & factores ſimus, ita inter alia poſtmodum addit: Qui inſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, hic cum non auditor obliviosus factus fuerit, beatus in facto ſeu Operatione ſua erit. Vides in facto ſeu operatione ipſa beatitatis adipiſcendæ rationem collocari, non in ſolo animi propoſito, & ocioſo ignavoque animi conſilio. Non audis Johannem, imò ipſum Chriſtum qui non tantum pœnitentiam illam, quæ animi mutationem in melius, rectumque propoſitum in ſe comprehendit, ab hominibus poſtulantem, ſi ſupplicia divina effugere velint, ſed & fructus pœnitentia dignos: omnem enim arborem, inquiunt, quæ non fecerit fructus bonos, exciſum & in ignem conjectum iri. Quid tu ergo animum ſine recte factis jactas? Quod ſi velis tantum Deo parere, interius tamen non pareas, cogitandum tibi erit, Deum eiam velle vitę æternæ præmium tibi dare, ſed reipſa tamen non daturum. Tu animum habes Deo ſerviendi, animum habet Deus te remunerandi. Tu Deo reipſa non pares, Deus te reipſa non remuneratur. Quis eſt herorum, qui ſervo mercedem perſolvat eo tantum nomine, quod voluerit ſervire, nec tamen ſervierit, præſertim cum poſſet. An Deo audebis tantam affingere imprudentiam, quam homini non audes. At, inquies, Et homines voluntatem pro facto ſolent reputare: unde in magnis rebus voluiſſe ſatis eſſe dixerunt. Sed quæro ex te, ſi voluiſſe ſat eſt; cur non eo etiam contentus es, quod Deus vitam æternam tibi velit dare, quid poſtulas, ut & det reipſa? Atque ut à Deo ad homines quorum exemplo uteris deſcendamus, Num tu in eo conquieſcis, cum vel ab amico beneficium petis, quod eum dare poſſe ſcias, ut ille velit, aut ſe daturum promittat, nec tamen præſtet, aut à ſervo poſtulas officium, ut ille itidem velit, nec tamen præſtet. Nonne vides tum demum velle ſatis eſſe præſertim in re bona, cum res iſta præſtari nequit, & conatus tantus adhibetur, ut is, qui velle ſe dicit quantum in ſe eſt omnia faciat? alias quis ſe non putaret irrideri, ſi quis diceret amico, ut voluntatem pro facto accipiat, interea nihil præſtet, cum tamen poſſet. Nonne diceres, quid tu mihi voluntatem jactas, & pro facto obtrudis, cum ego factum non voluntatem poſtulem, & rem in tua facultate poſitam eſſe videam? Hæc cum tu homo in homine tibi pari reprehendas, cur ita homuncio miſerrime audes agere cum Deo, cur audes illi illudere? num illudi ſibi Deus patitur? Haudquaquam. Sed quicquid ſeminaverit homo &c. metemus non defatigati. Largiamur igitur Deum nonnunquam voluntatem pro facto accipere; ſed voluntatem non otioſam; verùm cum ſummo conjunctam conatu. Specta rem in Abrahami exemplo. Hic filium ſuum in altari obtuliſſe dicitur, nec tamen obtulerat, animus ergo videtur pro facto acceptus. Sed quid? num otioſum tantum animi conſilium? num obtuliſſe ideò dicitur, quia cum Deus illum in montem tridui iter diſtantem abire juſſiſſet, & ibi offerre filium, ille domi ocioſus reſedit, Deum animi propoſito contentum fore ratus? Minimè. Sed vide quid fecerit? Filium illum unicum, uniceque dilectum, quem ſenex ex ſterili & effæta uxore ſingulari Dei virtute genuerat, aſſumpſit, ligna paravit, quibus chariſſimum pignus imponeret, & flammis exureret. Non conquievit etiam hic illius animus. Iter eſt ingreſſus, & tertio demum die montem ſibi præfixum attigit. Spatium erat redeundi, ſed redire noluit, quin ne tum quidem à cœpto revocari ſe paſſus eſt, cum impoſitis filio lignis, ipſe cultrum ignemque accepiſſet, & filius facti ſui ignarus, ex Patrę quæſiviſſet, ubinam eſſet victima, cum ligna & ignis adeſſent? quid tum animi credimus fuiſſe Patri, ipſumet filium victimam fore credentem, & ut eſſet, efficere volenti. Et tamen in propoſito perſtitit, perrexit in montem, & extruxit aram, ligna impoſuit, filium conſtrinxit, cultrum arripuit, jam jam filii jugulum petiturus. Cohibitus eſt ab Angelo. Hîc tu mihi jacta voluntatem tuam bonam, & rectum animi propoſitum, hic tu mihi illud cum Abrahami confer animo. Tu qui Deo te ipſum conſecrare atque offerre debes, id tamen non facis, qui cum poſſis Deum venerari precibus, & laudibus ejus nomen aſſiduè celebrare, id tamen facere negligis, qui cum poſſis benefacere egeno, beneficium ei negas, qui cum poſſis ab injuriis aut vindicta, & ebrietate omnique luxu abſtinere, id tamen non facis. Putaſne ignavum illud animi tui conſilium eandem tibi pariturum mercedem, quam peperit Abrahamo haudquaquam otioſum, ſed cum factis conjunctum, atque ad ſummam planè perductum? ibi quod effectus ab fuit, Dei conſilium fuit; hîc quod effectus abeſt, non Dei, ſed tuum conſilium, ſed tua culpa eſt.

Sed inquies, nolo ego meritis meis confidere, malo me dicere ſervum eſſe inutilem? Ita me Chriſtus facere juſſit? Rectè ſanè. Sed quo pacto præcepit Chriſtus, ut nos ſervos eſſe inutiles dicamus? an tum cum nihil fecerimus, cum ocioſi ſervi fuerimus? Haudquaquam. Sed, ſi omnia feceritis, quæ vobis præcepta fuerint. Audi quid ſervis ocioſis dicturus ſit, qui talentum ſibi concreditum abſconderint: malè ſerve, piger, &c. Et tandem dicat: Inutilem ſervum ejicite. Quid autem contra dicturus ſit iis, qui fructus bonorum operum attulerint, audi loquentem Dominum ibid. Mat. 25. 1, & 23. 2. Modeſtiæ, inquies, eſt, & humilitatis ſe talem fateri, atque ad omne opus bonum inutilem. At quæ modeſtia eſt, cum nihil feceris, fateri te nihil feciſſe. Illud demum modeſtia eſt, cum omnia feceris, fateri, nil tibi propterea deberi, teque ea feciſſe, quæ omnino debueras facere, officium te, non beneficium præſtitiſſe; iſtud autem non modeſtorum, ſed malorum hominum eſt, atque à Deo reprobatorum, ad omne bonum opus eſſe inutilem. Certe id non de ſe Paulus, ſed de hominibus peſſimis pronunciat Tit. 1. ℣. ult. & à Deo reprobatis eique abominabilibus. Non eſt autem quod verearis, ne meritum hîc aliquod introducamus aut meritis te confidere doceamus. Quæ enim proportio inter exigui temporis laborem ac pietatem, & inter infinitum præmium? Quodſi ne tum quidem ſempiternam vitam meremur, ſi per univerſam vitam, ne ſemel quidem peccaremus. Eſt enim univerſa vita noſtra reſpectu vitæ ſempiternæ, puncti inſtar cum hoc univerſo comparati, & ſi quid cogitari poteſt puncto minus. Quid ergo nunc dicemus? Num quicquam meremur, cum infinities peccaverimus, cum fuerimus toties divina ſupplicia meriti, & etiamnum non ſemel labamur? Adde quod vel ſine præmio omnia Deo debeamus: ejus enim natura ſervi ac mancipia ſumus, cum quanti quanti ſumus, ipſius ſimus ipſo creationis jure, ut ſupra diximus. Quare nil eſt, quod meritis tuis imputes, ſed omnia gratiæ, cum hoc ipſum etiam, quod rectè agis, gratiæ divinæ debeas. Omnia enim nobis ille donavit, quæ ad vitam ac pietatem pertinent; ſed ita tamen, ut nos quoque diligentiam omnem adferentes adjungamus fidei noſtræ virtutem, &c. 2 Pet. 1. Tu ergo operum meritum per nos tollas licet, ſed vide ne ſimul ipſa tollas opera: ita omnia tribue Deo, ut labori noſtro locum relinquas, uti Petrum feciſſe videmus loco citato.

Audio iterum, in cælo nos perfectos fore, in terris pietatem locum non habere, initia pietatis quidem hîc ſufficere, & ut nonnulli loqui amant, hic inchoatam ſufficere obedientiam. Sed Paulum audi, qui non in futurum ſeculum noſtram differt pietatem; ſed vult ut ſobriè, juſte, ac pie vivamus in hoc ſeculo, in hoc, inquam, ſeculo adeo malo adeo perverſo, ubi tot pietatis impedimenta, tot peccatorum irritamenta: & addit: Expectantes ſpem illam beatam, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Hîc, hîc nobis laborandum eſt, hic ſerendum, atque adeò etiam arandum eſt, in futura vero vita metendum. Hic operi, illic mercedi locus eſt deſtinatus. Fatemur quidem olim quoque nos fore Sanctos, & hoc multo ſanctiores, quam nunc ſumus, atque adeo omni ex parte perfectos; verumtamen jam ſupra audivimus, ſine ſanctitate neminem viſurum Deum, & nos in pietatibus & ſanctitatibus expectare debere adventum diei Dei. Habet etiam hic locum & omnino habere debet perfectio, quâ non quidem æquales, ſed ſimiles tamen Deo eſſe debemus. Ita enim Chriſtus: Eſtote perfecti, inquit, quemadmodum & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, idque imprimis ea in re, quæ eſt omnium duriſſima, nempe, ut inimicos noſtros diligamus, quod ni præſtiterimus, mercedem nos non habituros apud Deum, nec pro filiis ipſius habitum iri Chriſtus aſſerit. Vide quid Paulus optet Theſſalonicenſibus, 1 Theſſ. 5. 23: optavit autem procul dubio non fruſtra. *Ipſe autem Deus pacis Sanctificet vos omnino perfectos, &c.* & addit: Fidelis ille qui vocat vos, qui etiam faciet. Vides Deum effecturum, ut fideles ſint omnino perfecti, & inculpati in adventu Domini Jeſu ſerventur. Ex quo apparet, quam injurii in Deum ſint illi, qui impoſſibile eſſe pronunciant, ut Dei mandata obſervemus & ſic ſanctè ac pie vivamus. Qui quidem bis in Deum peccant. Primum dum id non præſtant, quod præcipit. Deinde, quod injuſtitiæ eum accuſant, qui id quod præſtari à nobis nequeat, nobis impoſuerit, & adhuc æternum ſupplicium mandata ſua non obſervantibus conſtituerit. Quem tu tyrannum mihi poſſis non dicam oſtendere, ſed animo fingere, qui tormentis aliquem ſubjiciat propterea, quod non volet, aut cum aliquem quadrupedem conſtrinxerit, ut movere ſe nequeat, eum igni exurendum mandet, propterea, quod non currat, & tamen Deum omnis juſtitiæ fontem atque autorem, Deum, qui ipſa eſt benignitas, ipſa charitas, tantæ accuſabimus non injuſtitiæ tantum ſed etiam immanitatis, ut hominem in æternum illum ignem conjicere velit, propterea, quod id non fecerit, quod facere non potuerit.

Sed inquies: Caro & ſanguis ſumus, qui ergo poſſimus mandatis Dei ſatiſfacere, nimis fragiles, nimis imbecilles ſunt vires noſtræ. Fateor quidem, ſi viribus noſtris tanta res conficienda foret, humeros noſtros huic oneri pares non fore. Sed annon ex Paulo audiſti, Deum illum, qui nos vocet ad Regnum cæleſte, & ad gloriam ſuam, cum fidelis ſit, effecturum? hic eſt, qui operatur in nobis, ut velle ita etiam perficere, idque pro ſua illa benignitate ac beneplacito. Non quidem ita, ut ſine nobis id faciat, ſed ut nos, non modo ſine ipſo, ſed ipſo autore, impulſore & adjutore, & ſponte velimus, & ſtudio adhibito perficiamus, atque ut Paulus eodem in loco quo iſta dicuntur ait: Cum timore ac tremore ſalutem noſtram perficiamus. Quid? an forte dubitas Deum nobis auxilium ferre nolle. Quid? annon apertiſſimè, totieſque iterata habemus Dei promiſſa, quibus ſe nos in omnibus, quæ modo ſecundum ipſius voluntatem ſint, exauditurum obſtrinxit. Quid autem magis ſecundum Dei voluntatem eſſe poteſt, quam, ut nos ipſius voluntatem faciamus, & id quod ipſe præcipit, præſtemus. Qui ergo in mentem venire cuipiam poteſt dubitare, Deum id nobis petentibus denegare, & id conantibus, vires ad perficiendum ſubminiſtrare nolle. Et interim etiam, quod jam nobis ſubminiſtravit, quæ ad eam rem pertineant. Nonne audis Petrum dicentem: Divinam potentiam nobis omnia donaſſe, quæ ad vitam & pietatem pertineant, per cognitionem &c. Quodſi cognitio Jeſu Chriſti ad ſupremam gloriam nos vocantis in nobis locum haberet, ſi fides ac ſpes animis noſtris penitus eſſet infixa, facile eſſet nobis omnia mundi inquinamenta ut Petrus loquitur evitare. En quid D. Joannes dicat: Qui habet hanc ſpem in Deo, nempe quod ipſum ſit viſurus ſicuti eſt, & ei ſimilis futurus, is purificat ſeipſum, ſicut Deus purus eſt. Vide etiam 2 Cor. 7. 1. & 2 Pet. 1. 3.

At, inquies, magnam vim habet mundus, & ille qui eſt in mundo Satanas, quis hominibus omnibus reſiſtere ac contra niti poſſet? quis Satanam devincet? Non eſt, quod metuas hoſtes, omnia poſſibilia credenti. Audi Johannem, qui de mundo ita ait: omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum. Et hæc eſt victoria, quæ vicit mundum fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum? qui credit Jeſum eſſe Chriſtum. Qui ergo fidei robore communitus eſt, is mundum, & quicquid in eo cernitur, quæ à pietate vel abſterrendi, vel blande avocandi vim habent, vincit ac ſuperat, nec ullo ſe modo à pietate abſtrahi patitur; præſertim cum fidei ſeſe adjungat Dei potentia, qua ad ſalutem, ut Petrus loquitur cuſtodimur. Major eſt ille, qui in nobis eſt, inquit alibi Johannes quam qui in mundo. Eſt enim in nobis Deus & Chriſtus ejuſque ſpiritus, qui longe validior eſt Satanæ ſpiritu, quo mundus hic impius gubernatur. Quare quemadmodum Chriſtus aliquando ſuos de afflictionibus imminentibus admonitos, ſuo etiam ipſius exemplo ſolatur, & bono animo eſſe jubet, ita & nos bono fortique animo eſſe debemus. *Confidite,* inquit, *ego vici mundum*: q. d. oppugnabit quidem vos mundus variis malis, ſed ne trepidetis, nec de victoria deſperetis. En me ducem veſtrum ſpectate. Ego nunc etiam à mundo graviſſimè oppugnor, ſed victorem me ſtatim videbitis, quia non tantum omnia iſta fortiter ſuſtinebo, ſed poſtea etiam tanquam victor triumphabo. Unde jam apparet, non eſſe quod Diaboli vires ita formidemus, ut tergum ei obvertamus, & projectis armis in fugam nos conjiciamus, ſed potius, ut collectis viribus armis divinitus inſtructi, tanto fortius cum eo pugnemus. Sunt nobis vires à Deo datæ, ſunt arma nobis ſuppeditata, quibus hunc hoſtem profligemus. Audi quid Johannes juvenibus dicat 1 Epiſt. cap. 2. Fortes eſtis, & verbum Domini in vobis habitat, & viciſtis illum malignum i.e. Hinc illud animi robur, quo malum illum ſuperare poſſitis, ſi Dei verbum in nobis habitet, ſi divinis promiſſis fidem ex animo adhibeamus ejuſque mandata perpetuò meditemur. Quod ad arma attinet, quibus ad hoſtem hunc profligandum opus eſt, ea vide apud Paulum deſcripta Epheſ. 6. & 1 Theſſ. 5. Hæc arma ſi corripiamus, ſi vigilantiam adhibeamus, & auxilium à Deo aſſiduis precibus petamus, victoria in noſtra eſt manu, etiam fugam turpem dabit hoſtis, tantum abeſt, ut nos lædat. Ita enim Jacobus: reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis. Et Johannes: Qui natus eſt ex Deo, cuſtodit ſeipſum, & malignus ille eum non tangit. Non tangit, inquit, tantum abeſt, ut lædat, ut vulneret, ut perimat.

At, inquies, viget in nobis caro, vigent affectus. Viget quidem, ſed non in iis, qui Chriſti ſunt, quique ſpiritum ipſius habent in ſeſe manentem. Ait enim Paulus: ſi qui ſunt Chriſti carnem crucifixerunt Gal. 5. & alibi, ſi Chriſtus in vobis &c Rom. 8. Vetus homo noſter cum Chriſto crucifixus, ut aboleatur corpus peccati Col. 2. ubi enim ſpiritus Chriſti hominem occupavit, ubi mors Chriſti vim ſuam exerit, ibi carnis cupiditas perfici nequit; ſed ea potius ſpiritui tum cedere, tum obſequi cogitur.

Objicies: Ergo vos ſancti eſtis, veſtra ſanctitate cœlum conſcendetis. Quinam ſimus Deo relinquimus judicandum: Dei ac Chriſti judicium eſt, nec de eo quouſque progreſſi ſimus quicquam dicimus; ſed quid & nos & omnes Chriſtiani præſtare tum poſſint, tum debeant; nec de ſanctitate noſtra ullo pacto gloriamur, Deum potius ut nobis peccata noſtra condonet, aſſiduè precamur. Id tantum de nobis aſſerimus, velle nos & conari, ut ſancte & inculpate vivamus, & ut Deus ea in re auxilium nobis ferat, eundem orare.

At dices: ſi nonniſi ſancti intromittentur in cœlum vacuum erit cœlum & incolis deſtitutum: Iſto te metu libera, ô homo! ſecurum te eſſe jubeo. Habebit Deus, ſine impiis, qui cœleſte palatium impleant, habebit plenas ædes convivis veſte nuptiali indutis,

etiamſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

etiamſi eos ejecerit, qui veſtem ejuſmodi non attulerint. Erit, qui tuum locum occupet, ſed magno tuo malo, niſi reſipiſcas. Habuit Deus ab antiquis ſeculis eos, qui cæleſte domicilium cum ipſo inhabitarent, nempe myriades illas Angelorum infinitas, & habiturus eſt millia millium hominum piorum, de quibus divinus ſpiritus in Apoc. vaticinatur. Tantum autem ab eſt, ut Deus propterea ne vacuum ſit cœlum, velit in illud intromittere impios, ut etiam magnam primorum cœli incolarum partem, hoc eſt magnam Angelorum multitudinem, propter impietatem è cœlo expulerit. Deus ergo ſpiritus illos præſtantiſſimos, immortales, potentes, ſapientes, cœlo ejecit, & te qui pulvis es, in cœlum attollet, licèt ſpiritus illos malos factis æmuleris, eorumque ductum ſequaris? Longè aliter Chriſtus pronunciat: is enim aliquando dicturus eſt: Ite in ignem æternum paratum Diabolo & Angelis ejus.

Atqui inquies, & divinæ Literæ, & ipſa docet experientia, neminem eſſe, qui non peccet. Fatemur ita rem ſe habere, ſed ita, ut nihilominus illud verum maneat, quod Johannes ſcripſit: Omnis qui in Chriſto manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit ipſum nec cognovit ipſum. Et iterum, omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt peccare, &c. Nemo igitur eſt, qui non peccet, non quod ſemper peccet, aut in peccato aliquo, poſtquam Chriſtum complexus eſt, poſtquam ex Deo natus eſt, hæreat; ſed quod vel ante id tempus peccaverit, vel etiamnum labatur. Et ad prius quidem illud pertinet, quod ſupra apud Johannem legitur, 1 Epiſt. 1. 9, ſi dixerimus &c. ipſe enim id explicat: ſi dixerimus, quod non peccarimus.

Sed inquies: Eſto, ut id aliquomodo fieri poſſit, ut non peccemus, durum tamen id eſt, & difficile. Fatemur quidem, id eſſe durum & difficile, ſed nihilominus, ut & illud ratum maneat, quod Johannes dixit: mandata ipſius gravia non eſſe Et quod ipſe Chriſtus dixit: onus ipſius eſſe leve, & jugum ſuave. Matth. x 1. Durum quidem ac difficile mandata Dei obſervare, & à peccatis abſtinere, ſi carnem noſtram ſpectes, & vires, quas à natura habemus, conſideres. Et hinc eſt, quod jubemur, contendere, ut ingrediamur per anguſtam portam: ſed ſi conſideremus noſtram ex Deo ejuſque ſpiritu regenerationem, ſuave eſt Chriſti jugum, onus ipſius leve eſt, mandataque Dei gravia non ſunt. Docet id ipſe Johannes, cum poſt illa ſua verba quibus Dei charitatem, in eo conſiſtentem oſtendit, ut mandata ipſius obſervemus, eaque gravia eſſe negavit hanc rationem ſubjungit: Quia quicquid natum eſt ex Deo vincit mundum: q. d. quia ſi quis per Dei ſpiritum ſpemque immortalis vitæ animo conceptam, regeneratus fuerit, ei non eſt difficile omnia quæ in mundo ſunt pietatis impedimenta perrumpere, atque adeo mandata Dei obſervare, omnis enim mandatorum Dei difficultas in eo conſiſtit, ut mundum vincamus: quare quod nobis propria noſtra generatio negavit, id nobis largitur regeneratio, illa nos ad pietatem ineptos, adeoque fragiles reddit, hæc aptos ac robuſtos.

Audio iterum alios: Alia veſtri, qui rebus ſacris incumbitis eſt ratio, alia noſtri, qui inter homines hujus mundi ſemper verſamur, & tanquam in mari variis fluctibus jactamur. Hoc qui dicunt, illi id dicere videntur: Facilius eſſe eam pietatem præſtare, quæ in Eccleſiæ Paſtoribus requiritur, quam quæ in vulgari auditore, quod ſi verum eſt, cur tanta eorum, qui id vitæ genus ſequi velint, paucitas? Neque animadvertunt illi, qui ſe in mundo verſari dicunt, ne nos quidem extra mundum eſſe, & perpetuo cum iis eſſe luctandum, qui in Eccleſiam mundum ex mundo aſſiduo ſecum adferunt, & nobis luctandum eſt cum carne, & luctandum magis, quam cuiquam alii, cum iis, qui mundo adhærent, ei patrocinantur, eum amant, quique carni ſuæ ſe mancipant: ad id, non tantum cum noſtris, ſed cum alienis quoque affectibus atq; peccatis pugnare oportet, idque æquali cum periculo; ſiquidem non minus pœnas daturi ſimus, ſi alienis, quam ſi noſtris affectibus ſuccumbamus. Eſto tandem, difficilius illis ſit, quam nobis pie vivere, interea cogitandum illis erit, non aliam eſſe viam ad cœlum nobis, aliam illis præſcriptam, unum omnes habemus ducem, ejus unius omnes ſequi debemus veſtigia. Quare ſi cœlum ingredi velis, neceſſe eſt, ut una nobiſcum Chriſtum ſequaris, & pietatem colas. Deinde cogitandum etiam illis eſt, quanto difficilius ſit cuique piè vivere, tantò majus etiam apud Deum illi repoſitùm eſſe præmium, tantoque plus auxilii à Deo ei eſſe ſperandum, ſi ipſum ardenter precatus fuerit; modo quis ſibi ipſi difficultatis illius cauſſa non fuerit. Sed plerique difficultatis cauſſas ſibi nectunt, & non recidere, ſed paulatim diſſolvere conantur; quod dum faciunt ſubinde ſeſe magis implicant, nolunt hi quippe mundum deſerere, amant illa retia, & nodos illos, quibus impediti tenentur. Quodſi Alexandri gladio uti hic vellent, nodos illos facile diſſecarent; [fataque ſua beata implerent.]

Inſtabis forte. Non eſſe neceſſe, ut omnia adeo ſtrictè obſerventur, dandum aliquid etiam communi conſuetudini, dandum amicis. Sed cur non potius Deo & Chriſto omnia danda? Quodſi communem ſequi voles conſuetudinem, haud dubie, ab arcta illa ſalutis ſemita, ad latum illum ſempiterni interitus iter deflectes, per hoc enim multi ſunt, ut Chriſtus ait, qui ambulant, illam autem pauci inveniunt, nedum, ut illam ſequantur, nedum, ut illi conſtanter inſiſtant. Quare qui interitum vult effugere, plurium vitet exemplum. Quam ob cauſſam Paulus monet, ne huic ſeculo conformemur. Non debent homines Chriſtiani brutis eſſe ſimiles, quæ pecorum antecedentium gregem ſequuntur, ut eant, non qua eundum eſt, ſed qua itur, ſed potius ire debent, qua eundum eſt, non qua itur. Illa inquam via nobis tenenda eſt, qua Chriſtus ad cœlum penetravit, hujus unius exemplum totius mundi exemplo præponendum eſt, niſi nihil intereſſe velis, ſive ad cœlum ſive ad infernum tendas. Illo enim Chriſtus, hac mundus ducit.

Quid vero tu amicos occinis? Nam vel Chriſto ipſique Deo ii ſunt amici, vel non ſunt: ſi amici, à Deo & Chriſto te, ab arcta illa ſalutis via abducere non conabuntur: etiamſi per imprudentiam forte aliquando vellent, quia tum non divina, ſed humana ſapiunt, non magis ſunt ſequendi, quam Chriſtus olim ſequutus eſt Petrum à cruce eum dehortantem, quia non divina, ſed humana ſaperet. Quodſi inimici ſunt Dei, num tantum tu putas Deum, ut cum illis conſpires, ut in ipſorum gratiam ipſum offendas? nonne hoc ipſo perduellis atque hoſtis Dei evaderes? Audivimus jam ſupra amicitiam mundi inimicitiam eſſe erga Deum num tu fortè majoris æſtimas hominum, quam Dei, amicitiam, num magis eorum favorem, qui & mortales ſunt, & fragiles, & nec poſſunt ſemper juvare cum volunt, nec ſemper volunt cum poſſunt, quam illius amorem, qui & immortalis eſt, & ſemper poteſt cum vult, & vult etiam juvare, qui amore ipſius dignos ſe præbuerint. Non ergo voluntati hominum, ſed Dei voluntati nobis vivendum eſt, quemadmodum Petrus nos monet, 1 Pet. 4: Pretio empti eſtis, inquit Paulus, ne fiatis ſervi hominum: ſervit autem maximè hominibus, qui conſcientiam ſuam illis mancipat.

Inſtabis iterum: niſi hominum cupiditati interdum obſequar, & ab omnibus contemnar, & convitiis etiam ac maledictis proſcindar. Sed nihil iſta moranda ſunt. Imo beati erimus, ſi homines nobis maledixerint, Luc. 6. 10. Nihil curanda ſunt illa hominum convitia, ob quæ ipſi reddituri ſunt rationem ei, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos; qua de re loquitur Petrus, 1 Pet. 4. *In quo peregrinantur*, &c. Non eſt ſervus major Domino. Si Patrem familias Beelzebulem vocaverunt, quanto magis ipſius domeſticos? Cogitandum nobis eſt, id quod Paulus dixit: ſi velimus hominibus placere, nos Chriſti ſervos non fore. Qui hominibus placet, Deo diſplicet. Itaque convitia

& male-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

& maledicta ab hominibus, qui ipſimet Deo diſpliceant profecta, tantum abeſſe, ut nos turbare debeant, ut potius in argumentum trahi debeant, divini erga nos favoris. Indicant enim nos illis eſſe vitâ diſſimiles. Neque enim tantum parati eſſe debemus, ut convitia juſtitiæ cauſſâ feramus, ſed etiam, ut acerbiſſima omnia ejuſdem cauſſa ſubeamus, 1 Pet. 2. 19, &c.

Dices, quid eſt, quod tantopere in me deſideres? Quid mali deſigno? Certè nec homicida ſum, ne aduiter, nec perjurus. Nullum certè ſcelus, nullum flagitium deſigno. Hoc vero eſt, mi homo, non Chriſtianum eſſe, ſed virum, qualem etiam inter infideles reperire licet, bonum. Altius aſſurgit Chriſtiana pietas, vid. Matt. 5. 20. Non gravia tantum ſcelera, ſed etiam levia peccata prohibet Chriſtus. Eaque ita inter ſe miſcet Paulus, opera carnis enumerans, ut de omnibus promiſcuè pronunciet, eum qui talia faciat, regnum Dei non poſſeſſurum: non idololatriam tantum aut veneficia; ſed etiam rixas, invidiam, compotationes, comeſſationes commemorat. Meminiſſe oportet id quod Chriſtus ait apud Matt. 5. 19, de præceptis legis. Sunt quidem imparia inter ſe delicta; ſed in eo tamen paria, quod illorum unumquodque ad interitum ſufficiat:- Contra autem omnibus virtutibus ad ſalutem ſempiternam ſit opus. Meminiſſe oportet illud Jac 2. 10, 11. Itaque nihil parvum, nihil contemnendum. Adde quod peccatum unumquodque cum alio quopiam affinitatem habet, ut facilis ſit ab uno in alia lapſus. Inſidioſum eſt peccatum, initiis eſt obſtandum, facile per gradus quoſdam à leviori delicto ad graviſſima deduci potes. Magnum eſt ad peccatum incitamentum, ſemel continentiæ repagula perfregiſſe. Quare ſi graviter peccare nolis, ne leviter quidem peccandum eſt. Dicet quiſpiam: Juvenis adhuc ſum, nondum mundo ſum uſus. Ergo te pœnitet felicitatis tuæ? O ter quaterque beatus, qui eundem nunquam guſtavit! Vid. Joh. 2, & Jac. 1. ỳ. ult.

Sed forte putas ſatis adhuc reſtiturum temporis ut pie vivas, reſipiſcere te poſtea poſſe? Sed cur tu in longum pietatem differs, qui neſcis, quid cras futurum eſt? Qualis enim eſt vita noſtra? Jac. 4. Senem impoſſibile eſt diu vivere; juvenem poſſibile eſt cito mori, nullum ætatis diſcrimen mors habet. Sed pone etiam te diutiſſimè victurum: quid ſi ita te irretiat peccatum, ejuſque autor Diabolus mille artium architectus, ut explicare te non amplius poſſis? non metuis divinum ſupplicium, qui veritatem ſuam tibi eripere queat, qui te reprobo tradere ſenſui, qui te indurare poſſit? An oblitus es illius divini moniti: Hodie ſi vocem illius audieritis, &c. Non meminiſti Deum eos, qui tempus gratiæ neglexerint, & animos adverſus vocem ejus obturaverint, juramento interpoſito, à gratia ſua excludere conſtituiſſe? Heb. 3 & 4. Velis id tu, cum Deus vult, ne poſtea velis, cum Deus nolit. Memineris ne ſis profanus, ut Eſau, ne tibi id contingat, quod illi. Pœnitentiæ enim locum non invenit, etiamſi cum lacrymis quæreret. Fruſtra occluſis foribus aliquando pulſares, Luc. 13. Id autem inprimis cogitent juvenes, quod quidam veterum dixit: Maledictus eſt, qui florem juventutis conſecrat Diabolo: ſeces autem ſenectutis Deo.

Excipies: Deum etiam illis mercedem perſolvere qui undecima hora in vineam iverint, ac una tantum diei hora laboraverint. Fatemur: ſed hæc Dei indulgentia illis ſervit, qui interrogati à Patrefamilias, cur totum diem ſteterint ocioſi, reſpondere cum iſtis poſſint: quia nemo nos conduxit. Num cogitas Patrem familias, ſi eoſdem illos prima diei hora offendiſſet, eoſque in vineam mercede promiſſa ire juſſiſſet, mercede illos hora undecima poſtea conducere, & mercedem non minorem, quam totam diem laborantibus perſolvere dignaturum fuiſſe, ſi illi prima hora invitati ire noluiſſent, & ne tertia quidem, & ſexta, vel ſaltem nona: ſed ita dixiſſent: Stabimus ad horam undecimam ocioſi, poſtea ibimus. Et hora exacta, idem cum reliquis pretium nobis exolves: quid putas Patrem familias dicturum, aut acturum fuiſſe? nonne ſummam hominum impudentiam fuiſſet admiratus, eoſque indignos, quibus vel obulum daret, judicaſſet? Quid? num tu mercedem ſervo perſolvis in integrum annum conducto, qui unum alterumque diem, ſub ipſum anni finem ſervire inceperit? Et tu ſegniſſime ſervorum, cum te Deus ab ipſo ætatis initio ad laborem vocet, ſempiternæ vitæ mercedem, una cum diligentiſſimis ipſius operariis tibi promittis, etiamſi ad extrema vitæ ſpacia ei ſervire differas. Ita tu cum Deo agere audes, quemadmodum homo cum homine non audet. Neque vero te divina benignitas ſecurum reddat. Lente quidem procedit divina vindicta, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Dixit id Ethnicus; & tu id homo Chriſtianus non expendes? Audi Paul. Rom. 2. 4, & ſeqq. diſſerentem. Denique ut finem faciam: ſi dura tibi videtur illa Chriſti vox quâ hominem ſanatum à ſe olim dimiſit: Abi & ne pecces amplius; Cogita longe duriorem fore illam ejuſdem vocem; Non novi te, abi à me, qui operaris iniquitatem. Abi maledicte in ignem æternum. Voluptates futuræ vitæ, voluptatibus temporariis, honores honoribus, divitias divitiis oppone. Dixi.

Diſcurſus J. C. de Felicitate.

DIcturi de ſumma vitæ ſempiternæ præſtantia, id in ipſo ſtatim limine præfari cogimur, quod partim quidem ſummam illam boni hujus excellentiam arguit, partim nos apud æquos judices excuſare meritò debet, ſi infra ipſius dignitatem longiſſimè conſtiterit oratio noſtra; tantam nempe ejus felicitatis amplitudinem, tantam ſublimitatem, ut humano ingenio capi nequeat, nedum oratione comprehendi atque efferri: ſed quicquid nos de ea ſcire atque dicere poſſumus, minimam partem eſſe eorum, quæ ſcire ac dicere, non poſſumus: idque partim propterea, quia à ſenſibus noſtris bonum hoc eſt remotiſſimum, atque adeò etiam cogitatu difficillimum; ſiquidem omnis intellectus noſter à ſenſibus primùm proficiſcitur, partim verò, quod id prorſus ſit infinitum nulloque temporis ſpatio circumſcriptum.

Etenim ad prius quod attinet, pertinent huc illa Apoſtoli 1 Cor. 2. 9. ubi inquit ſe prædicare ea quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus ſeſe diligentibus.

Poſterius vero cum per ſe manifeſtum eſt, tum apertiſſimè demonſtrat, id bonum penitus comprehendi ingenio non poſſe. Infinitum enim nec re nec cogitatione percurri poteſt; cum nullus poſſit ejus intelligi finis, cujus nullus eſt finis. Quantum enim de infinito ipſâ etiam cogitatione, quæ vaſtiſſima eſt, comprehenderis, tantum infinities adhuc de eo ſupereſt, quod animo non es amplexus.

Verum tamen cum Deus ille benigniſſimus hoc pietati noſtræ conſtituerit præmium, ejuſque cupiditate ac deſiderio nos ad omnem virtutem, incendere voluerit: Ignoti vero, ut vulgo dicitur, nulla ſit cupido; neceſſe eſt rationem extare, qua ad aliquam ſaltem boni hujus cognitionem pervenire poſſimus, & de ſumma ipſius præſtantia tantum percipere, quantum ad nos ardenti pietatis ſtudio inflammandos & in arduo ac ſalebroſo virtutis itinere retinendos ſufficit.

Ratio autem ea eſt, ut cum videre oculis felicitatem illam non poſſimus, audiamus ſaltem ab eo, qui oculis ſuis vidit, hoc eſt, ab ipſo Jeſu Chriſto, qui vitam & incorruptibilitatem in lucem protulit per Euangelium, ut teſtatur Apoſtolus. Is vero non audita tantum retulit, ſed quæ vidit, ea teſtatus eſt, ut tum ipſe de ſe, tum de ipſo teſtatur Joh. Baptiſta, Joh. 3 13. Joh. 6. 62. Is enim, ut ipſemet de ſe teſtatur, in cœlum aſcenderat, quæ beata hujus vitæ ſedes eſt, indeque deſcenderat, eum in finem, ut mundo daret vitam. Hunc, inquam, verba vitæ æternæ habentem audiamus: audiamus & illos, qui id quod audiverant, quod viderant oculis ſuis, quod contemplati fuerant, 1 Joh. 1. quodque manibus ſuis contrectaverant de verbo vitæ, vitæ, inquam, æternæ, quæ antea apud Patrem veluti recondita latuerat, poſtmodum vero revelata eſt, nobis quoque annunciaverunt, ut gaudium inde perciperemus pleniſſimum; hi vero ſunt ipſius Jeſu Chriſti legati, qui verba vitæ ex ore Chriſti manantia hauſerunt auribus, & de ejus, qui veritate & gratia plenus erat, plenitudine acceperunt, ſpiritus etiam illius facti participes, cujus immenſa copia Chriſto primum donata fuit, tum deinde per eundem aliis, eâ menſurâ, quâ quemque donare Chriſtus voluit. Eph. 4. Cujus ſpiritus ea eſt vis, ut omnia ſcrutetur, et am profunda Dei, ad ipſamque adeo immortalis vitæ cognitionem perveniat; quam ob cauſſam Apoſtolus quoque ait, ſibi ſuique ſimilibus, Deum ea, quæ oculus non viderit, nec auris audiverit, nec in mentem hominis venerint, revelaſſe per ſpiritum ſuum. Quare cum ex ipſorum, ut ſcriptura loquitur, ventre effluxerint aquæ vivæ flumina manantia, nempe ex uberrimo ſpiritus S. fonte, nos quoque pleno hauriamus ore, ut ita ejuſdem ſpiritus S. aliqua ratione ſiamus participes, itaque reſtinquamus ſitim noſtram, ut in æternum non ſitiamus, ſed ex aqua hac vitali, quam biberimus, fiat in nobis fons

aquæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aquæ ſalientis in vitam æternam; qui quidem fons tantò erit uberior, tantoque ad ſitim animæ noſtræ reſtinguendam efficacior, ſi Deus animos noſtros cælitus imbuat illo ſuo ſpiritu, unde in ipſos Apoſtolos tantarum rerum promanavit cognitio, per eumque fiat, ut vires potentiaſque futuri ſeculi guſtemus, quod, ut fiat ſupplices illum veneramur.

Ut igitur ad rem accedamus. Primum æternæ vitæ præſtantiam, quatenus fas eſt, ex ipſius naturâ æſtimabimus, ſecundò ex adjunctis, tertiò ex ſimilibus, denique ex contrariis: ita tamen, ut aditum nobis ad rem hanc explicandam muniamus, diſſerentes primum de aditu ad ipſam ſempiternam vitam, hoc eſt de reſurrectione mortuorum & tranſmutatione viventium, ipſoque adventu Domini Jeſu, & judicio extremo, unde alterius ſeculi ducitur initium: Nam harum quoque rerum conſideratio multum pertinet ad præſtantiam atque amplitudinem ſempiternæ vitæ oſtendendam.

Ut igitur mittamus ſigna admiranda, quæ ſive in cœlis, ſive in terris, ſive in mari anteceſſura ſunt, auguſtiſſimum Domini Jeſu Chriſti adventum, de ipſo hoc adventu, atque illuſtri apparitione Jeſu Chriſti dicamus: cui cum hic præcipuus ſit propoſitus finis, ut ſempiternâ vitâ ſuos donet, facilè intelligi poteſt, quanta ſit hujus vitæ amplitudo, quantus ſplendor, cum in ipſo apparatu tanta ſit magnificentia, tanta majeſtas. Primum enim veniet ex ipſis cœlis, tanquam Regia ſede, ſervator noſter Chriſtus, Rex Regum & Dominus Dominantium, glorioſo ac immortali indutus corpore, ipſius Dei perſonam & majeſtatem ſuſtinens ita, ut ipſe Deus venire, ac per eum nos judicare cenſendus ſit: quemadmodum ſanè SS. Literæ nonnunquam loquuntur. Hinc ipſe Chriſtus ait Matth. 16. 27: Futurum eſſe, ut Filius hominis veniat cum gloria Patris ſui, & Paulus affirmat, apparituram tum temporis gloriam magni Dei & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, futurumque aſſerit ut omne genu Deo tunc ſe flectat, & omnis lingua ipſi confiteatur, quatenus nempe ante Chriſti tribunal ſtantes, genua flectent Chriſto ſupremo judici à Deo conſtituto, & in ſummam ſublimitatem à Deo evecto, & linguis ſuis eum Dominum ſuum confitebuntur. Act. 17. Rom. 14. 10 & ſeqq. confer cum loco Philip. 2. 9, 10, 11.

Quemadmodum autem gloriæ ratione Dei majeſtatem referet, ita etiam ſimul potentiam. Unde ipſemet ait Matth. 24. 30, venturum Filium hominis cum potentia, & gloria multa, hoc eſt magna ſeu maxima.

Utraque autem, hoc eſt, tum potentia, tum gloria, non tantum in ipſius perſona elucebit, verum etiam in iis, qui illi aſſiſtent, quod ad gloriam attinet, ac potentiæ ipſius ſigna, etiam in cæteris, quæ circa ipſum apparebunt, aut ab illo proficiſcentur rebus. Et enim veniet cum Chriſto univerſus Angelorum exercitus: ſiquidem, ut ipſe ait Matth. 25. 31. veniet Filius hominis cum gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, ſeſſuruſque eſt in throno gloriæ ſuæ, id quod prædixerat jam olim Enoch, ut ex Juda diſcimus, hunc in modum verba ipſius referente: Ecce veniet Dominus cum ſanctis millibus ſuis ut ferat judicium, & quæ ſequuntur. Quantum autem in illo exercitu ſit roboris, quantum potentiæ, æſtimari facile poteſt: ſiquidem S. S. Literæ V. F. ad potentiam Dei deſcribendam hoc ſæpiſſime utuntur elogio, ut eum Dominum exercituum appellent, exercituum nimirum Angelicorum, cujus loco Græci Interpretes & S. S. Literæ N. F. Deum appellare ſolent παντοκράτορα, hoc eſt omnipotentem. Nec fruſtra Paulus de hoc Chriſti adventu loquens ait 2 Theſſ. 1. Chriſtum patefactum iri de cœlo, cum Angelis potentiæ ſuæ, hoc eſt cum Angelis ſuis potentibus. Etſi enim nonnulli Angelorum peculiariter dicuntur potentiæ, ſeu virtutes, propter eximium ac præcellens, quod in ipſis eſt robur, ſinguli tamen potentes ſunt. Quod ſi de ſingulis ita ſtatuendum eſt, quid judicandum erit de univerſis, idem de gloria eſt ſentiendum. Nam ſi ſinguli glorioſi ſunt, & vel unus Angelus ſeſe hominibus exhibens, & aliquam ſplendoris ſui partem proferens, illorum oculos perſtrinxit & in ſtuporem quendam vertit, quid cenſendum eſt de omnibus ſimul junctis? quam ergo illuſtris, quam auguſta, quam ſplendida corona ſpirituum cœleſtium ac immortalium ſeſe Chriſto Domino ac capiti ſuo circumfundet, quantopere animos hominum percellet tam magnifica rerum iſtarum facies? Magnificentiorem autem ac terribiliorem hunc Regis divini & cæleſtis exercitus adventum faciet, tuba illa Dei, hoc eſt, divina prorſus ac Deo digna, non humana, quæ veluti claſſicum canet, & divinum Regem Regalemque exercitum adeſſe ſignificabit, & ut omnes ad Regis adventum excitentur, & veluti concurſu facto, oculos in eum convertant, hortabitur, quæ quidem tuba nihil aliud eſſe videtur, quam vox illa grandis Archangeli, de qua Paulus adventum Chriſti nobis deſcribens, loquitur, qui ante Chriſtum ipſiuſq; exercitum ſonum dabit ubique terrarum exaudiendum; quem quidem ſequetur illud celeuſma, atque admiranda univerſi exercitus Angelici acclamatio, & tanquam irruentis exercitus, omniaque adverſa fragore quodam proſternentis vociferatio, quæ impiis quidem erit maxime terrifica & tremenda, ſed piis lætifica ac jucunda.

Adde, quod Chriſtus in nubibus, vel ſuper nubibus veniet, quibus ſeſe in inferiorem aerem demittentibus, ipſum propemodum cœlum ſeſe demittere videbitur: quanquam enim nubes illæ majeſtatem ac gloriam Chriſti, quam humana acies ferre nulla ratione poſſet, aliquomodo obteget, ne plena luce ac fulgore ſuo coruſcet, nihilominus tamen etiam majeſtatem illius aliqua ratione reddet illuſtriorem, & Chriſtum non tanquam hominem, ſed tanquam Deum venire ad judicium, oſtendet, cum S. S. Literæ de Deo quoque ita libenter loquantur, eum venire in nubibus, aut nube ſe contegere, eaque ratione aliquando Angelus perſonam Dei ſuſtinens, & eam repræſentans, in montem Sinai ad legem ferendam deſcenderit.

Quod ſi conſideraveris admiranda illa potentiæ Chriſti effecta, quæ vel tanquam prodromos adventus ſui præmittet, vel quæ ipſius adventum ſtatim aut comitabuntur aut ſubſequentur, facilè etiam ſumma ipſius gloria apparebit. Hic eſt rei tantæ de qua acturi ſumus, apparatus.

Ubi vero Chriſtus ad eum, ad quem deſcendere dignabitur locum pervenerit, veluti Rex in thronô ſuo conſidens, Angelos tanquam miniſtros ſuos per univerſum terrarum orbem dimittet, & ex quatuor ventis, ſeu orbis terræ cardinibus ab una terratum extremitate uſque ad alteram, hoc eſt ex omnibus terrarum partibus electos ſuos colligere jubebit.

Interim Dominus Jeſus potentiâ ſuâ pios ex mortuis ſuſcitabit, eoſque incorruptibiles: neque enim, ut Paulus ait, nos vivi, qui reliqui erimus in adventu Domini, præveniemus eos, qui obdormierunt, ſed illi, qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primum. 1 Cor. xv. 52. Reſurgent autem ut idem ait, incorruptibiles, mortui tamen non prius hi ad ipſum Chriſtum, quam ii, qui vivi reperientur, omnino pervenient. Nam cum dixiſſet Paulus, mortuos reſurrecturos primum, addit: *Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubibus in occurſum Domini in aerem.* Ait nos ſimul cum illis, qui a mortuis reſurrexerint, raptum iri, ſignificans etiam illos qui mortui fuerint in terra, ſeu infima aeris parte, ubi nos futuri ſimus, primùm extituros, vitamque recepturos. Et quemadmodum non debeamus eos ad Dominum prævertere, ſed expectare donec ipſi vitam receperint, ita illos quoque nos ad eundem Dominum antevertere non debere, ſed nos cum illis rapi debere, nempe ab Angelis, qui nos adhuc terrena hac corporis mole gravatos in ſublime ſint laturi, ut ita comitemur eos, qui incorruptibili præditi corpore à mortuis reſurrexerint, & ſimul ad Dominum perveniamus. Neque enim indicat Apoſtolus, etiam illos, qui reſurrexerint, raptum iri, nempe ab Angelis, cum ait, nos unà cum illis raptum iri: neque enim ii, qui erunt Iſangeli, hoc eſt, Angelis pares, & natura ſimili præditi, Spirituales ac potentes, ut infra videbimus, hac Angelorum ope atque opera indigebunt; ſed perinde accipienda ſunt illius verba, acſi dixiſſet, illos quidem qui reſurrexerint, ituros rectà ad Dominum, idque ſuâ ſponte ſuiſque viribus, nos vero qui in ſublime ferri ſponte noſtra, atque ad Dominum evolare non poſſimus, raptum iri in ſublime, ut ita illos comitemur, & ſimul ad Dominum perveniamus. Quia vero ii, qui vivi reperientur in adventu Domini, immutari debent, hoc ipſo tempore dum e terra ſublati ferentur in aerem, & ad Dominum ibunt, eos mutatum iri conſentaneum eſt. Ait enim Paulus: *Ecce myſterium vobis dico, non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes mutabimur, in momento & jactu oculi, in ultima tuba, (canet enim tuba) & mortui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem;* quo tamen loco verba illa cum dicitur, omnes mutabimur in momento & jactu oculi, idque etiam ad eos, qui ex mortuis ſunt reſuſcitandi, extenditur, non ita intelligendum eſt, quaſi omnes ſimul & mortui & vivi, uno eodemque momento immutari debeant, ſed quod ſinguli fideles ſive vivi, ſive mortui, in momento ſeu jactu oculi mutari debeant; nempe uniuſcujuſque mutatio puncto temporis peragetur, ne quis fortaſſis arbitretur, cum dolore aliquo id futurum eſſe, præſertim, quod attinet ad vivos, quorum mortalitas eſt abſorbenda à vita, ut idem Apoſtolns alibi loquitur. Qua de re mox plura. Interim illud, quod de tempore iſtius rei diximus, perſequendum eſt. Intelligi autem hactenus potuit, non prius vivos immortales futuros, quam mortui reſurrexerint immortales; quin etiam illud patet non in ipſis terris, cum jam mortui reſurrexerint immortales fore: quandoquidem adhuc neceſſe ſit ut ab Angelis colligantur ex omnibus terrarum oris, & ad Dominum rapiantur, quæ vox motum non naturalem, ſed violentum, hoc eſt, ab externa cauſſa, præter aut contra naturæ ordinem proficiſcentem ſignificat:

Reſtat ergo tempus illud, quo jam a terra ſublati, per aerem ferentur, atque ad Dominum ſubinde propius accedent, quod procul dubio erit admodum breve. eoque tempore plus quam veriſimile eſt eos immutatum iri, ut ita jam immortali corpore præditi, quemadmodum & cæteri omnes, Dominum ac Servatorem ſuum, glorioſo ſpiritualique corpore præditum ſimul intueantur, nec alii alios in beata hac viſione præcurrant, vel ſaltem eos ad primum Domini conſpectum atque obtutum omnes vilia hæc corpora commutaturos. Voluit enim Deus ſummam quandam omnium piorum hac in parte eſſe æqualitatem, nec permittere, ut alios ad ſupremam felicitatem præcurrerent. Quò pertinent non tantum loca ex 1 Corinth. 15, & 1 Theſſ. 4, paulò ante adducta, verum etiam teſtimonium D. Auctoris Epiſtolæ ad Hebr. quod extat cap. 11, ad finem ipſum, ubi cum enumeraſſet longo ordine eos qui ſub Vet. Fœd. fidem ſuam in Deum conteſtati ſunt, quorum non pauci, quos ultimo loco reſervavit, graviſſimos ſuſtinuerunt cruciatus ac diras denique mortes, addit; atque hi omnes teſtimonio per fidem ornati, non obtinuerunt promiſſionem, hoc eſt, id quod nobis promiſſum eſt, immortalem nempe vitam. *Quoniam*, inquit, *Deus de nobis melius quiddam providerat, ne abſque nobis conſummarentur*, hoc eſt immortales ac beati fierent, quæ ſumma eſt perfectio. Dicit Deum ea in parte aliquid melius de nobis providiſſe, dum eos abſque nobis immortales reddere noluit, quia, ſi id factum fuiſſet, nos haud paulò deteriori, conditione eſſemus: quia cùm eadem ſit laborum noſtrorum ratio, iidem vitæ noſtræ curſus, nihilominus tamen tot ſeculorum felicitate, quibus illi nos præverterint, caruiſſemus; cum poſſet hic egregia inſtitui æqualitas, iis qui nos anteverterunt ætate, tam diu in morte, quæ, ut omnium rerum, ita etiam temporis ſenſum adimit, relictis aut detentis, donec nos quoque cum illis conjungeremur. Hoc etiam ad id, quod dicere ceperamus, transferri jure poteſt. Dignum quidem fuit divina æquitate, ne nos, qui mortis dolores non ſenſiſſemus, non prius redderemur immortales, & ad Dominum Jeſum perveniremus, quam ii, qui per acerbiſſimos dolores vitam profuderant, nobis cæteroquin pietate pares, nonnulli etiam haud paulò ſuperiores; præſertim cum mortem ipſius Chriſti cauſâ ſuſtinuiſſent: ſed contra potius decuit, ut immortales prius, quam nos evaderent, qua ipſa in re jam immenſum quoddam conſiſtit gaudium: ſed rurſus etiam decuit, ne nos ad Domini ac Servatoris noſtri chariſſimi conſpectum beatiſſimum antevertenent, ſed, cum id fieri commodiſſimé poſſet, ſimul omnes ad ipſum videndum, & concurrere & raptos eſſe; nec ſanè aliam ob cauſſam vult Deus, ut unà cum iis, qui ex mortuis reſurrexerint, rapiamur in aerem in occurſum Domini, quam, ut ſimul cum illo eodemque tempore beato ipſius conſpectu potiamur. Quare vel in illo ipſo raptu atque acceſſu ad Dominum, vel in primo ſtatim conſpectu ii, qui vivi fuerint reperti, immutabuntur. Et hactenus quidem de tempore tum reſurrectionis mortuorum, tum immutationis viventium loquuti ſumus, de quo diſſerere, verbo Dei aperte præeunte facilius fuit: ſed de ipſius reſurrectionis ac mutationis modo, de quo aliquid dicendum eſt, diſſerere, majoris eſt operæ. Nos qui per ſpeculum hæc, & quidem eminus intuemur, & veluti per ænigmata cognoſcimus, aliquid tanquam infantes, de ea re, quam cognoſcere, virilis ac perfectæ erit ætatis atque ingenii, eloqui Angelicæ linguæ, aliquid nunc, ut de cæteris etiam balbutiemus, præeunte tamen nobis eo magiſtro, qui pueritiam noſtram erudit, & ut aliquid loqui poſſimus de re tam abſtruſa, efficit.

Cætera author non abſolvit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus locorum Sacræ Scripturæ, qui in hoc libro de Satisfactione CHRISTI, vel integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur.

Geneſeos

Caput	verſic.	pag.
2	17	36, 90, 91.
4	10	88.
6	12, 13	28.
8	21	ib.
9	4	209.
	5	28.
	25	106, 107.
17	9, 10, 13	16.
19	15	34.
22	3	216.

Exodi

20	5	106
	7	201
24	8	19
31	16	16
34	7	106.

Levitici

5	4	201, 202
10	17	21
16	16	208
	21, 22	21, 28
17	11	203, 209
18	5	6
26	39	111.

Numerorum

14	33	20

Deuteronomii

21	9	203
27	26	92, 93, 201
28	63	83.

Joſuæ

7	24	107

2 Samuel.

12	13, 14	123
		126
21	1	107
	8, 14	ib. & 111
24	15, 17	107.

1 Regum

1	21	31
11	13	144
14	10	107
	16	9
15	30	9, 10
21	29	113, 124, 126.

2 Regum

8	19	144
9	7 & ſeqq.	113, 114
20	6	144.

2 Paral.

29	24	22

Pſal.

39	12	9, 10
73	14	29.

Proverb.

13	8	176
16	4	61
	6	170
21	18	177

Sapientiæ

Caput	verſic.	pag.
1	23 & ſeqq.	37
2	22, 23	ib.

Eſaiæ

9	6	34
43	3	177
53	4	41
	5	7, 29
	6	26, 27
	7	27, 28
	10, 11	1, 2, 19, 25, 26.
	11	24, & ſeqq. 188
59	2	165

Jeremiæ

22	13	10

Threni

5	7	26, 106.

Ezechielis

18	3	109, 110
	20	108
	23, 32	82, 83
33	11	ib.
36	20 & ſeqq.	170

Mich.

5	2	159, 160.

Matth.

1	19	44, 45
7	1, 2	72
9	2	52
	6	ibid.
10	8	10
11	12	14
16	19	49
17	27	191
18	18	49
	24 & ſeqq.	80, 136, 137 & ſeqq.
	35	137 & ſeqq.
21	31	164
26	38	1, 13, 16, 17
	39	11, 12.

Lucæ

1	74	23
2	14	31
12	21	159, 160
14	26	107
16	9, 12	136, 137
18	13	149
22	20	17
23	31	41.

Johan.

1	29	205, 206, 210
3	14, 15	58
	16	57
	36	95
5	14	23, 24
6	51	178
	56	96
	57	145
10	16	197
11	50	190, 196
	52	197
12	46	58
13	38	196
20	23	49

Actorum

Caput	verſic.	pag.
5	31	226
10	43	145
14	16	45
17	30	ibid.
20	28	12
28	4	44

Rom.

1	18	147
	32	44
2	5	42, 43
3	24	139, 180
	25	148, 151, 152
	25, 26	41
	27, 28	47, 48
	31	98
4	5	164
	13	47, 227
	25	5, 58, 59
5	1	165 & ſeqq.
	8	140
	9	12, 48
	10	2, 147, 153, 154
	11	155, & ſeqq.
	12	37
	13, 14	92
	17, 18	129
	19	145
6	5	41
	6, 7	24
	8	41
	10	7, 8
	23	36, 37
8	1, 2	93, 215
	3	6
	4	14, 215
	20	23
	23	ib. & 181
	32	5
	34	228
9	13	107
10	5	14
	10	58
12	1	223
	19	88
15	8	6

1 Corinth.

1	13	195 & ſeq.
	18	12
	23	ib.
	30	181
2	2	12
	8	187, ſeq.
6	20	23, 61, 180, 183
7	2	5
	23	183, 184
10	16	41
11	7	36
	25	16, 17
	27	188, 189
14	2, 28	159, 160
15	2, 3	219, & ſeq.
	3	6
	17, 18	221, 222
	21, 22	37, 38, 129, 130
	56	93

2 Corinth.

2	15	160
5	13	ib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Caput	*verſic.*	*pag.*
5	14, 15	10, 11, 194
	18	157, 158
	19	48, 57, 58, 158, 159 166
	20	7, 48, 158, 159 & ſeq.
	21	31, 32, 158
6	9	29
9	9	44
11	7	10
12	10	7
	15	178

Galat.

1	4	6
2	21	9, 10
3	12	95
	13	3, 14, 16, 23 & ſeq. 93. 99, 177, 178.
	14	3
5	2, 3, 4	93
	18	98

Epheſ.

1	7	50
	10	161, 162
2	1	163
	3	99. 165
	13	3, 12, 16, 17
	15	127
3	19	163
4	ult.	49, 138 & ſeq.
5	2	198, 222 & ſeq.
	26	167.

Philipp.

2	13	6
	18	43

Coloſſ.

1	14	50
	20	3, 12, 17, 121, 122 & ſeq.
	21, 22	12, 154. 163 & ſeq.
	24	195 & ſeq.
2	13	49, 138 & ſeq.
	14	3, 127
3	13	94, 138 & ſeq.

1 Theſſ.

1	10	47, 147
2	16	95

2 Theſſ.

1	6	42, 44

Caput	*verſic.*	*pag.*

1 Timoth.

1	9	98
	15	164
3	5	185 & ſeq.
	6	128, 129, 176, 177, & ſeq. 193, 223
	6, 7	195

2 Timoth.

2	10	195

Titum

2	14	167, 178
3	5	167

Hebr.

1	3	219, 225
2	2	44
	9	127
	14	48
	17, 18.	12, 14, 15, 149 & ſeq. 199 & ſeq. 216, 217.
3	1	228
4	15, 16	201 & ſeq. vid. etiam loca ad cap. 2. ℣. 17, 18 notata.
5	à 1 uſq. ad 10.	14, 15
	5	226, 229
	9	226
6	8	32
	10	44
7	11, 19	215
	22	119
	25	227
	26	*ibid.*
	27	208, 225
8	7, & ſeq.	210
	13	97
9	9	205, 212
	12	12, 224 & ſeq.
	13	207, 218
	14	188, 205, 212, 220 & ſeq.
	15 & ſeq.	1 & ſeq. 13 & ſeq. 131, 169, & ſeq. 185 & ſeq.
	21, 22, 23	207, 208, 218
	22	12, 211
	26 & ſeq.	22, 131 & ſeq. 214, 222, 224, 225.
	28	22, & ſeq.
10	4	211 & ſeq.
	5	226 & ſeq.
	10	208, 211

Caput	*verſic.*	*pag.*
10	12, 13	199, 227
	20	15, 16
	22, 23	212
	26	6
	28	201
	29	219 & ſeq. 222.
11	6	46
	17	224
12	2	228
	24	1 & ſeq. 13 & ſeq. 19, 200.

Jacobi

2	10	201
4	12	66 & ſeq.

1 Petri

1	2	12
	18	177 & ſeq.
	18, 19	168 & ſeq. 206
	20	131
2	21	194
	23	88
	24	19 & ſeq. 22 & ſeq. 27
3	13	122
4	1, 2	8
	17, 18	30, 31.

2 Petri

3	13	53

1 Johan.

1	7	23, 59
	9	213 & ſeq.
2	1, 2	89, 147
	12	145 & ſeq.
3	16	194 ſeq. 196
4	10	147, 151, 152

Judæ

	15	7

Apocalypſis

1	5	212 & ſeq.
5	6, 9	206, 222
6	10	88
7	14	168, 206
12	10	88
13	8	130
16	5	43, 44, 85
	15	220
18	4	34
	5, 6	88
19	8	168
	11	44.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Rerum præcipuarum quæ in Libro de Satisfactione Christi tractantur.

A.

ABailardi an eadem de fine mortis Chriſti ſententia, quæ Socini 142
Abrahamus quomodo obtulerit filium 224
Acceptilationis vox ad remiſſionem peccatorum à Socino non tranſfertur 135
Achabus mitigationem tantum pœnæ obtinuit 113, 123, 124, 127
Achabi poſteri loco ipſius non puniti 291
Achanis liberi an innocentes aut an puniti 108
Actio Chriſti an aut quomodo Deo ſatisfecerit 143 & ſeq. 145
Actus Dei triplex in negotio noſtro 89 & ſeq.
Adamo nominato interdum Eva etiam intelligitur 92. an talis ante lapſum ſapientia & juſtitia, qualem vulgo credunt 91. ante lapſum natura mortalis 37, 38. cur tam gravis pœna ob unum illud delictum propoſita 91. Adami delictum quomodo nobis mortis cauſſa fuerit 13, 37, 92. ex Adamo mors naturalis etiam citra delictum ipſius in nos tranſire potuit 37. Adami noxæ effectus poſt Chriſtum ex Dei conſilio ceſſare debuit 129. cum Chriſto comparatio *ib.*
Adeps & ſanguis potiſſimum ad oblationem adhibebantur ſub Lege 203
Advocatus quomodo dicatur Chriſtus 89, 147, 148
Afflictio & pœna quid differant 109. affligere alterum quas ob cauſſas liceat 105, 106. innocentem cui & quando liceat vid. Innocens. Afflictio pœnæ rationem habens cenſetur licita ex delicto aliquo 102, 105, 106, 114. quæ pœnæ rationem alias habet, poteſt etiam citra eam ſuſcipi aut imponi 36. Chriſti morum qua talium, Dei adverſus impios ſeveritatem arguunt 30
'Αγνίζειν de repurgatione ab ipſis peccatis 167
Agnus Paſchalis an victima expiatoria 206. ſub Lege an ſolerent pro peccato offerri, *ib.* Agnus cum dicitur Chriſtus ad ſacrificia generatim alluditur 205 & ſeq. cur pro victima in genere ponatur *ibid.* & ſeq.
Alludi poteſt etiam ad id, quod rei, de qua ſermo, typus non eſt *ibid.* Alluſiones variæ, ob quas mortis Chriſti tam frequens in Sacris Literis mentio 17, 18
'Ανὰ in compoſitione interdum idem quod χωρὶς 21
'Αναφέρειν pro auferre *ibid.* 'Αναφέρειν & ἀνάγειν, inter ſe permutantur *ibid.*
Angeli etiam ſunt ad imaginem Dei conditi 36
'Αντὶ an ſemper commutationem ſignificet 190 ſeq. adhibetur ad ſignificandam commutationem inter rem emendam & pretium 190 & ſeq. 193. quam commutationem in redemtione noſtra ſignificet 190, 193
'Αντίλυτρον quam vim habeat 177 & ſeq.
'Αντίψυχοι qui 177
Aoriſti participiorum præteritis juncti vim interdum præſentium habent 224 & ſeq.
'Απολύτρωσις proprie quid 171. ἀπολυτρῶν & Redimere quatenus differant 172. ἀπολυτρῶν pro expiare, vid. Redemtio.
Apoſtolorum mortes ad viam ſalutis demonſtrandam non ſufficiunt 121. vide etiam 18, 19
Apparitio coram Deo quæ ſacerdotum propria 228
Apud Deum ea quoque fieri dicuntur, quæ proprie circa homines verſantur 200, 201
'Αφθαρσία quid proprie 38
'Αφθαρσία pro immunitate à morte vere miſera *ibid.*
Arbore ſcientiæ boni & mali an omnibus in perpetuum fuerit interdictum 90
Ariſtoteles cenſuiſſe videtur, læſo deberi pœnam 77, 78
Aſpergere pro expiare 213
Aſperſio cineris juvencæ typus expiationis per Chriſtum factæ 207
'Αθανασία vid. ἀφθαρσία.
Auferre peccata pro à peccando avocare 211, 212

B.

BAjulare peccata pro ea auferre 24, 25. pro occaſione peccati affligi 25, 26
Βαστάζειν pro aſportare 24
Beneficium & miniſterium quid differant 144
Benignitas Dei in proprietas in ipſo naturaliter reſidens 121. quid ſit, cur tam crebro in Sacris Literis commemoretur 121 in remittendis peccatis ſatisfactionem excludit 136, 137
Bonitatis Dei duplex ſignificatio 121

C.

C*Aphar* vel *Kipper* quid ſignificet 217. cur ad expiationem traductum *ibid.* cur placandi ſignificationem habeat *ib.* ad peccata relatum non ſignificat ſatisfactionem *ibid.* redimendi ſignificationem non habet, ſed nomen inde ductum *ibid.* nunc cum præpoſitione nunc ſine ea nomen regit eodem ſenſu 150
Caro pro re humana ac terrena 112, 113
Caſtigatio pro afflictione caſtigationi ſimili 29 & ſeqq. ultimum pœnæ genus 76. quatenus ultioni opponatur *ibid.* in Caſtigatione ira & amor miſcentur *ibid.*
Καθαρίζειν pro repurgare ab ipſis peccatis 167
Καθαρισμὸς an primo circa Deum verſetur 181
Chanaan quomodo exſecrationi ob patris factum ſubjectus 106, 107
χαρίζεσθαι ad peccata relatum ſatisfactionem excludit 8 , 138 & ſeq.
Charitas Dei & Chriſti quomodo ex morte Chriſti pateat, 2, 16, 17, 54, 156, 183, 184. morte Chriſti oſtenſa, ipſius erga nos iram excludit 156, 158, 165, 16 . erga nos ante converſionem & poſt eam quæ differentia 166. Dei & Chriſti erga nos argumenta cur creberrime inculcanda 183 Dei longe major à nobis aſſeritur quam ab iis qui ſatisfactionis dogma urgent 143
Chata vel *Chitte* cum de ſacrificiis uſurpatur, ſignificat expurgare 217. de peccatorum expiatione raro uſurpatur *ib.*
Chriſtum eſſe & *Dei filium* in perfectiſſima ſignificatione idem 229. Chriſtus natura fuit obligatus ad legem Dei ſervandam 143. Chriſti doctrina non ipſius fuit, ſed Patris 135. quid lotione pedum docere voluerit 80, 81. cur teſtis fidelis dicatur 212. cur melioris fœderis ſponſor dictus 119. Deo ſe pro nobis vadem non ſtitit *ibid.* proprie dicitur Deus, 229 & 230. quatenus Deus Deorum dici queat 230, 231. non eſt Deus ille altiſſimus 218, 219, 229, 230 & ſeq. quam poteſtatem habuerit in corpus ſuum 21 , 219. ante mortem habuit poteſtatem temporales pœnas reipſa auferendi 52. per mortem adeptus eſt poteſtatem æternas pœnas reipſa tollendi 51, 52. cur poſt reſurrectionem dicatur factus ſervator 226. quomodo poſt exaltationem ſalutem perficiat 25. cur poteſtatem nos ſervandi Deus ei dederit 15. quibus ſervandis proprie ſit deſtinatus 129. quatenus dici poſſit eos etiam redemiſſe, qui ante ipſum in Deum crediderunt 45, 127. Chriſti obedientia quomodo nobis juſtitiam pepererit 144. Chriſtus quomodo nos à peccatorum pœnis liberet 133. quo jure affligi à Deo potuerit 60, 102. cur imminente paſſione adeo angi eum voluerit Deus 11, 12. Chriſti mortis finis, & in ſalute noſtra vis vid. Mors Chriſti. In mortem traditio duplici ratione nobis imitanda proponitur *ibid.* beneficium in morte nobis præſtitum à nobis non minuitur 142. Chriſtus quomodo dici queat ab orbe condito mactatus 151. quomodo peccata noſtra in crucem aſportarit 21, 23. cum agnus dicitur, ad ſacrificia generatim alluditur 205. & ſeq. cum agnus dicitur, quatenus cum ſacrificiis comparetur *ib.* & ſeq. Chriſto, cum agnus dicitur, liberatio ab ipſis etiam peccatis tribuitur 209. Chriſtus quomodo *pro nobis* mortuus 188. per totum cap. 9. quatenus nobiſcum ratione mortis commutatus 189 & ſeq. 193. non fuit vice noſtra mortuus 189 & ſeq. Chriſti ſatisfactio, vid. ſatisfactio. Chriſto non fuerunt peccata noſtra imputata 30. Chriſtus proprie non fuit punitus, 4, 102. vid. etiam Pœna. Si punitus fuiſſet, noſtro loco fuiſſet punitus 100. improprie punitus dici poteſt 4. Chriſti dignitas pœnis, quas luiſſe creditur, infinitum valorem non largitur 186. & ſeq. Chriſtus proprie non fuit Deo exſecrabilis 33. An proprie fuerit meritus gloriam, quam per mortem eſt adeptus 143, 144. quomodo iram Dei à nobis avertat 147 & ſeq. quomodo ἱλαστήριον dicatur. vid. Propitiatorium. Quomodo ἱλασμὸς dicatur, vid. Propitiatio. Iram Dei morte non placavit 147 & ſeq. per totum fere cap. 7. nuſpiam dicitur obtuliſſe aut offerre Deo ſanguinem 220. an fuerit ſtipulatus peccatorum noſtrorum remiſſionem, ſi mortem ſubiret 219, 220

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Chriſti interdum duo tantum munera expreſſe conſtituuntur 186. Chriſtus quomodo Advocatus dicatur; vid. Advocatus. hodie Deo proprie non ſupplicat 89, 166. Chriſto cur Sacerdotis nomen attributum, vid. Sacerdos.
Chriſtus cur *apud Deum* ſacerdotio fungi dicatur vid. *ibid.* ante aſcenſionem ſummus Sacerdos vere ac perfecte non fuit 229. morte ad ſacerdotium fuit præparatus 226. Chriſti munus regium & ſacerdotale quomodo tum connexa inter ſe, tum diſtincta 228 & ſeq. Chriſtus partim inſtar Sacerdotis, partim inſtar Dei peccata expiat 203, 218. Chriſti ſacrificium vid. ſacrificium. Chriſtus ipſe virtute divinitus accepta hoſtes ſuos ſibi ſubjiciet 200. Chriſti cum Adamo comparatio quouſque extentenda 129, 130
Clementia ex Senecæ ſententia quid 64. an Rectorum, qua talium, propria *ibid.* & ſeq. divina, vid. miſericordia. quatenus ſub liberalitate comprehendi queat 85 & ſeq. 140, 141
Coactio nòn competit rectoribus primo 64
Cœleſte tabernaculum quomodo ſacrificio Chriſti expiatum 208
Cœna Domini; vid. Euchariſtia.
Commentarienſis an loco rei familiæ culpa elapſi puniri juſſus 176
Comminatio Adamo propoſita an generalis 91 & ſeq.
Commoda ejus eſſe debent, cujus fuerunt incommoda, unde illa orta 76, 77
Communia ei adſcribuntur, cui inſigniori ratione conveniunt 102
Commutatio eſſe poteſt, ubi nulla vera compenſatio *ibid.*
Comparationum lex 80, 81, 136, 173
Comparationes & oppoſitiones multas pariunt figuras 32, 33
Conditiones ſub quibus remiſſio nobis promiſſa eſt, cum ſatiſfactione plena non conſiſtunt 134, 135 & ſeq.
Condonatio peccatorum ſatisfactionem excludit; vid. χαρίζεσθαι.
Confirmationum, quibus ſe Deus ad præſtanda promiſſa obligat, quæ vis 50 & ſeq.
Conjunctio inter puniendum, & eum, ob cujus delictum punitur, qualis eſſe debeat 112 & ſeq.
Conjunctionem talem inter Chriſtum & peccatores omnes non fuiſſe *ibid.*
Converſatio de ipſa vivendi ratione ſumitur 168
Converſio noſtra crebrius & apertius morti Chriſti tribuitur, quam vitæ glorioſæ 151

D.

Dare pro dare in mortem 5, 178. *Dari & accipi* quatenus de factis dici queat 172, 175. *Dare aliquid pro aliquo* an pretium proprie dictum evincat 178. ad alterum à debito liberandum, an ſit ſatisfacere 192 & ſeq.
Dativi verbis ſubjuncti ſæpe finem *cui* ſignificant 159, 160
Davidis cauſſa quomodo Deus poſteris ipſius peperciſſe dicatur 145, 146. Davidi quatenus pœna homicidii & adulterii remiſſa 123, 127, 128. Davidis loco non punitus filius 123, & ſeq. 126, 127
Debere aliquid, & *debere aliquid facere* quomodo differant 86
Debitor obligatione ſtatim liberatur, cum alius ejus loco ſolvit debitum 100
Decimatio legionum Romanarum an æqua 117, 118
Delegatio quid 34
Delictum à Peccato in Lege nunc diſtinguitur, nunc ſub eo comprehenditur 207
Derogatio quid 94
Dei nomen in Sacris Literis imperium ac potentiam eximiam ſignificat 230. ſua natura commune, κατ' ἐξοχὴν Deo ſummo tribuitur *ibid.* proprie de Chriſto dicitur *ibid.* Dii dicuntur Angeli & Magiſtratus *ibid.* Dei imperium natura ſua ipſius cauſſa primo comparatum eſt 61. Dei regimen & abſolutum in nos dominium ratione tantum differunt 60 Dei poteſtas in legibus ſanciendis & abrogandis qualis ſit, & unde oriatur *ibid.* Deo naturaliter obedientia à nobis debetur 60 & ſeq. Deus quo pacto peccatis noſtris injuria quadam afficiatur 60, 77. injurias, quibus afficimur, condonandi jus habet 61. Dei quæ in toto negotio noſtro partes 60 & ſeq. Deus in remittendis peccatis noſtris ſpectandus eſt ut pars offenſa libera 60 & ſeq. 65 & ſeq. Deum hic ſpectandum eſſe ut Principem quomodo Socinus dixerit 68. & ſeq. 69. Deus in emtione & redemtione noſtra non ſuſtinet perſonam venditoris aut captivum detinentis, ſed emtoris aut redemtoris 172. & ſeq. & cur *ibid.* & 185, 192. qua pars offenſa eſt pœnæ creditor 61 & ſeq. 80 & ſeq. qua pars offenſa jus habet pœnam reipſa infligendi 71, 72. Dei cum creditore debitum remittente comparatio, ipſum quoque pœnæ creditorem eſſe docet 80, 137, 221. Dei cum creditore debitum remittente comparatio ſatisfactionem refellit 136 & ſeq Deus ſi ſatisfactionem requiſiviſſet, ſuum recipere voluiſſet 142. ſui ipſius cauſa peccantes punire jure poteſt 81, 82, 83. & ſeq. quomodo ex pœnis gloriam ſibi paret 85. ob gloriam ſuam vel remittit vel mitigat pœnas *ibid.* & ſeq. quatenus non delectetur morte impii 82, 83. peccatorum extreme contumacium perditione delectari dicitur *ibid.* in peccatorum remiſſione quomodo nobis imitandus 138, 140. Dei charitas longe major à nobis aſſeritur, quam ab iis qui ſatisfactionis dogma urgent 142. Deus quomodo nobis morte Chriſti devinctus dici queat 19, 168, 169. Chriſto, ſi mortem ſubeat, poteſtatem nos ſervandi promiſit 19, 20. quo cur non niſi per Chriſtum nos ſervare decreverit 15. quo jure Chriſtum in mortem tradiderit 61, 102, 103. abſque ulla crudelitate Chriſtum pro nobis morti objecit 143. cum Chriſtum in mortem pro nobis tradidit, nobis iratus non fuit 147 & ſeq. 164 & ſeq. vadem non poſtulat 119. neminem vere alterius loco punit 108. Improbos liberos ob parentum peccata non punit gravius, quam ipſimet merebantur 11. ſub Lege perſonarum dignitatem in pœnis non reſpexit 187, 189. Deo cur ſubjectio hoſtium Chriſti adſcribatur 200 224
Διὰ pro *cum*, 89
Diabolus quomodo accuſator dicatur 48
Diabolus quomodo per mortem Chriſti abolitus 44, 45
Δικαίωμα pro jure à Deo poſito 44
Δίκη jus fas ſignificat *ibid.*
Δίκη pro ultione ſeu Nemeſi
Dignitas perſonæ an & quatenus pœnæ æſtimationem augeat 186 & ſeq.
Diſpenſatio ſeu relaxatio legis quid 94
Diſpenſatori de alieno largienti quomodo debeamus eſſe ſimiles 136
Dominum aut Deum eſſe non niſi perſonarum eſt qua talium 186
Δωρεὰν pro abſque cauſa 7 & ſeq.
Δωρεὰν interdum eventum notat 9
Duplex eorundem verborum in eodem loco ſenſus 411. Vid. etiam 32, 33

E.

Effectus communis interdum uni cauſſæ inſignite tribuitur 59
Effectus interdum cauſſæ per accidens potius adſcribitur, quam ei quæ eſt per ſe 13, 182
Emendatio vitæ conditio eſt ad remiſſionem peccatorum neceſſaria 23, 53
Ἔντευξις Chriſti pro nobis quid ſit, vid. Interceſſio. 102
Epiſtolæ ad Epheſ. & Coloſſ. parallelæ 194
Et pro *quia* vel *enim* 27
Et Hebræum interdum dativi nota 122
Euangelium cur ad pietatem excitandam Lege efficacius 215, improbis ſcandalo eſt 56. Euangelii effectus præcipuus poſt inſitam fidem in nobis exiſtit 215. in Euangelio contumacibus mortis æternæ pœna eſt conſtituta 95
Euchariſtia cur ad mortis, non ad reſurrectionis Chriſti commemorationem inſtituta 16 & ſeq. N. fœderis Symbolum *ibid.* noſtræ etiam in Chriſto communionis Symbolum *ibid.*
Exemplum diverſum poſt inductionem demum poſtulandum 169. patientiæ Chriſti quomodo ad remiſſionem nobis parandam pertineat 53 & ſeq.
Ἐξιλάσκεσθαι vid. ἱλάσκεσθαι. 118
Exilio innocens pro nocente injuſte punitur
Expiare quid ſignificet 135 & ſeqq. 149, 203, 209. Expiare pro expiationis quæ potiſſima ſignificatio 221. Expiare pro expiatum declarare 219. pro Expiando ſpargere 217. Deus dicitur 149, 160, 215, 221. Expiandi actio primo competit Deo, conſequenter Sacerdoti & victimis 218, 221 expiare victimæ vix dicuntur, ſed iis quippiam expiari 218. expiatio non ſolet tribui mactationi victimæ, ſed inprimis ſparſioni ſanguinis coram Deo 215. Chriſto proprie competit 216. in expiando Chriſtus partim Deo partim Sacerdoti ſimilis 202, 218. expiatio aliter ſanguini Chriſti aliter Deo tribuitur 213. quomodo ſacrificio Chriſti tribuatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

tur 199 & ſeq. 219 & ſeq. magis competit iis, quæ mortem ſunt conſequuta, quam morti ſoli 218, 221 & ſeq. 225 & ſeq. in cœlis à Chriſto peragi ſimpliciter dici poteſt 221, & ſeq. 225 & ſeq. quo pacto 229. & ſeq. quomodo in cruce facta dici poſſit 220 & ſeq. cur morti Chriſti apertius tribuatur, quam iis, quæ illam ſunt conſequuta 218. Chriſti quatenus poſt inſitam demum fidem in nobis effectum habeat 216. expiationis neglectus ſub Lege graviter puniebatur 202

Exſecratio Legis quid 14, 32. pro eo, quod exſecrationis pœna alias eſſe ſolet 32, 107. Exſecrari Deus innocentem non poteſt 107

F.

FActa Deo grata hoſtiæ dicuntur 223

Ferre peccatum pro auferre 20, 23, 24 & ſeq.

Ferre peccatum pro afflictionem peccati occaſione ſuſtinere 20

Fides cui ſalus adſcribitur, non uno modo ſumitur 174. quam ſalus proxime conſequitur, quænam 2,3,14,23.216 Salvifica qualem divinorum mandatorum obedientiam in ſe comprehendat 14. 47. cur operibus Legis opponatur 14. nunc à confeſſione diſtinguitur, nunc eam in ſe complectitur 59. ſalvifica non eſt credere Chriſtum eſſe mortuum ad Deum placandum 47. eorum, qui ante Chriſtum juſtificati fuerunt, & nominatim Abrahami quænam 46. & ſeq. fidei Chriſtianorum, & eorum qui ante Chriſtum vixerunt, differentia 47. vid. etiam 215. cur juſtificationem Paulus tam crebro tribuat 14. fidem prædicare non eſt ſacerdotum, præſertim Leviticorum 215

Fidejuſſores pro reo mulctam ſolventes proprie non puniuntur, ſed ipſe reus 115

Figurate dicta ſæpe longe præſtant iis, quæ iis, quæ proprie 177, 178, 228

Filii Dei quomodo ii dici queant, qui nondum in Chriſtum credunt 194

Fœdus novum quomodo antiquo perfectius 210, 214. ratione promiſſorum quomodo ab eo differat 14 & ſeq. Fœderis Novi remiſſio peccatorum maxime propria *ibid.* Novo cur inſcriptio Legis Divinæ in cordibus noſtris tribuatur 210. Fœdus Novum cur Chriſti ſanguine ſancitum eſſe dicatur 13 & ſeq. Fœdera olim pecude cæſa ſanciebantur *ibid.*

G.

GEneratio arguit individuorum corruptionem 35

Grotii inſignis in hoc negotio error, & cæterorum veluti fons 62, 80, 137

H.

HIphil conjugatio apud Hebr. non ſemper duplicem actionem ſignificat 27

Hircus emiſſarius non fuit punitus 28, 29

Hirci emiſſarii figura ad Chriſtum accommodata 21

Homicidium cur inter contractus poſuerit Ariſtoteles 77

Homo quomodo ad incorruptibilitatem creatus 38

Homines quatenus injuria affici, & jus in pœna habere queant, 63, 65

Homini an aut quatenus jus aliquod reſpectu Dei competere queat 63

I.

IEroboami familia ob Patris ſcelera punita, non fuit innocens 108

Ἱλάσκεσθαι pro expiare 149. & ſeq. 176. cur de expiatione uſurpetur 149. pro propitium ſe exhibere, aut remittere, 149 & ſeq. nunc cum præpoſitione nomen regit, nunc ſine ea, eodem ſenſu, 150. & ſeq. Ἱλασμὸς quomodo dicatur Chriſtus 147 & ſeqq. Ἱλαστήριον pro operculo Arcæ Fœderis 149. quomodo Chriſtus dicatur. vide Propitiatorium.

Imago Dei in homine qua in re potiſſimum conſiſtat 35, 36

Imago Dei cur viro peculiariter tribuatur, cum fœminæ etiam competat 36

Impius quiſnam in Sacris Literis dicatur 38

Improbi animi hominibus doctrina & mors Chriſti ſcandalo eſt 56

Impunitas num ſemper licentiæ feneſtram aperiat 122

Imputare peccata ambiguum 166

Imputatio alieni delicti in quo conſiſtat 104. confer cum 112

Infantes non puniuntur 103, 124. 126, 127

Infirmitatibus Pontificum Leviticorum quid in Chriſto reſpondeat 200

Injuriæ ratio qua in re conſiſtat 73 & ſeq. gravitas unde æſtimanda 74. non ſervis, ſed Domino per eos fieri cenſentur 61, 63. quibus afficimur, Deus condonare pro arbitrio poteſt 61. omnium ultimo in Deum redundant *ibid* noſtras quomodo Deo committere debeamus 88. quæ cernitur in pœna innocentis, quod fundamentum 100, 103, 111 injuriam veterem ferendo interdum vitas novam 122. injuriæ cur ægre condonari ſoleant 140

Innocens duobus modis dicitur 105, 106. Innocens affligi certas ob cauſſas ſine injuria poteſt 101, 103, 104, 105. Innocentibus quas afflictones imponat Deus 104, 105. Innocens jure puniri nunquam poteſt 101. per totum fere caput 4. Innocentis afflictione poteſt puniri ipſe nocens 100, 104, 123, 124, 127. Innocenti imputare alienum delictum cur injuſtum 104, 114. Innocentibus cur aliena peccata imputari interdum ſoleant 104.

Inſtantia. Vid. exemplum diverſum.

Interceſſio quænam ſacerdotum propria, 227, 228. Chriſti jam exaltati improprie ita dicitur 89, 141, 167, 227. quid ſit *ibid.* interceſſionis vox cur Chriſto accommodetur 89, 151

Joſephi de ſtatu primorum hominum ante lapſum ſententia 39

Ira quid 61. Iræ cauſſa propria quæ 75. Ira læſis primo competit 62. quæ natura ſua juſta 62, 68. divina quid 62. ab humana quomodo differat 62. non fuit mortis Chriſti cauſſa 4, 5, 122. & charitas morte Chriſti nobis oſtenſa, ſe mutuo tollunt. Vid. charitas. eam quomodo à nobis avertat Chriſtus 146, 147. ipſos peccatores ad pœnam vocat 122

Judex in ſua cauſſa an quiſpiam eſſe queat 63, 64, 68. idoneus in ſua cauſſa cur nemo cenſeatur 112, 113

Judicare & Juſtificare an Rectorum proprium 64 & ſeq. 68, 89

Judicare & Juſtificare competit Deo ut parti offenſæ liberæ 64. conf: cum præcedentibus.

Judicium pro afflictione, quæ pœne ſimilis 30

Juriſdictio quatenus Rectorum propria 89, 90

Juriſdictio, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non eſt Rectorum propria *ibid.*

Jus & libertas arctè inter ſe connexa 64, 72. Jus dominii & crediti nunc laxius, nunc anguſtius ſumitur 85. an per ſe expetibile 82. Jus quod Deus ad pœnam repetendam habet, eſt jus crediti, & dominii laxius ſumti 81. Jus ſuum conſequi poteſt quiſpiam per magiſtratum, etiamſi id ipſe non poſtulet 88

Juſtitia pro æquitate quæ rigori opponitur 44. pro fidelitate 39, 41, 147. pro beneficentia 44. pro eo, quod alias juſtitiæ præmium eſt 31, 32, 53. Juſtitiæ, quæ eadem rectitudo, quod officium 84

Juſtitia Dei pro juſtificatione à Deo profecta 41. morte Chriſti demonſtrata, quænam ſit 39 & ſeq. Rectoris quatenus requirat, ut leges poſitivas à ſe latas ſervet 125. Juſtitiæ quænam in puniendo partes 40, 42. 43, 76. Juſtitia quando à rectoribus poſtulet, ut puniant 84, 85. Deum non impellit ad reſipiſcentium etiam peccata punienda 42, & ſeq. 124. Deum impellit ad contumaces puniendos 42, & ſeq 84. & ſeq. Juſtitiæ ſeu rectitudini interdum adverſatur, de jure ſuo cedere 127 & ſeq. Juſtitia ſalva Chriſtus loco noſtro puniri non potuit 40

L.

LÆſionis ratio qua in re conſiſtat. Vid. Injuria.

Læſio quomodo iis actibus vitioſis abhæreat, qui ſua natura ad eum tantum ſpectant, qui eos committit 9 & ſeq.

Læſi quinam proprie cenſeantur 61. 63, 67. Læſus is etiam cenſetur, in quem facinus tantum eſt tentatum 73. Læſorum varia genera 63. Læſo cuilibet abeſt aliquid per alterum 73 & ſeq. & quidnam 74. cuivis debetur compenſatio 73 & ſeq. Læſis naturaliter pœna debetur 62, 67, 68, 72 & ſeq. accuſatorum partes in Sacris Literis tribuuntur 89

Legiſlator & Judex quomodo in abſolvendo & damnando tum conveniant, tum diſcrepent 67

Lex aliqua quando manere dicatur 94. cur Gratiæ opponatur 46. Legis magis proprium damnare quam Euangelii 98. Lex perfectam obedientiam poſtulavit 14

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Legis totius cur fiat reus, qui unum præceptum violare audet, 201, 202. in pietate hominibus inſerenda imbecillitas unde 215. Lex myſtice vitam immortalem perfecte obtemperantibus promittebat 13, 14. Moſaica literaliter ſumta an tantum inſtrumentum Politiæ Judaicæ 201. Moralis Moſaica & Lex naturæ inter ſe ſimiles 93. Moſaica & maledictionis comminatio, in ea comprehenſa ad ſolos Judæos proprie pertinuit 92, 93. ad Gentes quomodo accommodari queat *ibid.* & ſeq. Legis comminatio ſub Novo Fœdere non relaxata tantum 94 & ſeq. ſub Novo Fœdere abrogata 93, 97. morte Chriſti non ſtabilita, ſed antiquata 99, 100. Lex quatenus hodie durare videatur, & omnes mortis æternæ reos peragat 93, 97 & ſeq. Legi quomodo impii adhuc cenſeantur obnoxii 97, 98

Liberalitatis & beneficentiæ vox promiſcue uſurpatur 140

Liberalitatis vox Sacris Literis inuſitata 141. Liberalitatis duplex ſignificatio 85. Liberalitas cur magis proprie circa impenſas verſetur *ibid.* Liberalitas latius ſumta etiam in pœnis condonandis cernitur *ibid.* & ſeqq 140, 141. Liberalitatis & manſuetudinis in pœnis omittendis diſcrimen 86

Liberationis ab obligatione quinam modus ad remiſſionem peccatorum noſtrorum pertineat 135

Liberos innocentes ob parentum peccata Deus non punit 103, 104, 105, 106. Liberi mali ob parentum peccata puniuntur 106. & ſeq. Liberi mali ob parentum peccata non puniuntur gravius quam ipſi merebantur 111. Liberis malis Deus interdum propter pios parentes parcit 106. in Liberis Deus parentes ſæpe punit 103, 106

Libertas & jus arcte inter ſe connexa 63, 72. Libertas naturalis legibus reſtringi ſolet 71. Libertas in remittendis pœnis abſque aliena conceſſione dominium arguit 90

Locutiones à Scriptura alienæ, quibus ſatisfactionis dogma ſolet explicari 146

Λύτρον proprie quid 171. & ſeq. 174 & ſeq. *Λύτρον* & *λυτρῶσαι* cur ad liberationem à captivitate proprie pertineat *ibid*

Λύτρον interdum improprie ſumitur pro eo, quod liberationem parit 176 & ſeq. *Λύτρον* etiam id dici poteſt, quod ad liberandum neminem proprie movet 175. *Λύτρου* improprie dicti effectus primum verſari poteſt circa captivum, 179. & ſeq. *Λύτρον* cur Chriſtus impendiſſe dicatur 174, 177, 179. *Λυτρῶσαι* pro liberare ſimpliciter 170, 171

Luſtrare an idem, quod *λυτροῦν* 175, 176. luſtrare an ſignificet liberare per pœnam ſuccedaneam 176. luſtrare an idem quod placare *ibid.* luſtrationis modi quidam inter Ethnicos uſitati *ibid.*

M.

MActatio victimæ non eſt ipſa oblatio 224, 227. victimarum, ſacerdotum non prorſus fuit propria 224

Magiſtratus non læſus pœnam non niſi læſi nomine jure poteſt exigere 87 & ſeq. ſontem poteſt punire etiam inſcio eo, cui pœna debetur 86. vid. etiam Rectores.

Manere dicitur etiam id, quod in poſterum durat, nulla habita ratione temporis antecedentis 86

Manſuetudinis & liberalitatis in pœnis omittendis diſcrimen *ibid.*

Mediatoris vox Sacrarum Literarum fere propria 186. quid in S.Lit. ſignificet 185. cujuſvis non eſt redimere *ibid.* quatenus redimere queat *ib.* inter Deum & homines officium non eſt, hominum vice apud Deum fungi 186. an ſit reconciliare *ibid.*

Mereri quid ſit 101, 102. Meriti in præmiis & pœnis diverſa ratio 42, 102. Mereri præmium apud Deum proprie nemo poteſt 42 & ſeq. pœnam alterius, & ad eam impellere differunt 101, 102. an peccato ſuo quiſpiam poſſit, aut quatenus, vide peccata.

Metus pœnæ minus ad pietatem movet quam ſpes præmii 122

Miniſterium à beneficio quid differat 144

Miraculis Chriſti cur remiſſio peccatorum aut reſurrectio noſtra non adſcribatur 51. Miraculorum Chriſti quæ vis ad nos redimendos 174

Miſericordia Dei cur tam crebro in S.Lit. commemoretur 121 an proprietas in Deo naturaliter reſidens 121. quid ſit *ibid.* Miſericordiam divinam ut experiamur, quid in nobis requiratur *ibid.*

Mortis diverſæ ſignificationes 35. & ſeq. Mors pro afflictionibus gravibus, aut vita miſera 35, 36. naturalis quæ 35. mortem an ſubituri fuiſſent homines, ſi non peccaſſent *ib.* mors hominis non ſemper pœnæ rationem habet 33 & ſeq. vere piorum, pœna ipſorum non eſt, *ibid.* cur piis etiam contingat 34. temporaria nonnulli puniuntur à Deo, qui ſervabuntur, *ibid.* quomodo occaſione peccati alieni citra pœnæ rationem poſſit alicui evenire *ibid.* & ſeq. quomodo ex Adami delicto in nos manarit 34. æterna in redemtionis noſtræ metaphora non conſideratur ut debitum 192.

Mortis Chriſti nomine interdum comprehenduntur omnia, quæ ſalutis noſtræ cauſſa ab ipſo vel in ipſo facta ſunt 10, 11. interdum ea inprimis, quæ mortem fuerunt conſequuta 57, 59. Mors à Chriſto noſtra cauſſa primo fuit ſuſcepta 17. Chriſti quam neceſſaria nobis fuerit 120. an eorum cauſa ſuſcepta, qui ante ipſum vixerunt 46, 128. & ſeq. cur ſola expreſſe dicatur ſuſcepta propter peccata 59, 60. vid. etiam 16. & confer cum præcedentibus. Mortis Chriſti cauſſa *legitima* ſeu *juridica* nulla præter Dei ac Chriſti voluntatem 9, 127. cur tam crebro in ſalutis negotio commemoretur 11 & ſeq. 17. finis, & in ſalute nobis parienda vis 1 & ſeq. 19, 39, 56 & ſeq. 120, 131, 141, 142. vis quomodo perpetua 175. vis ſalutifera eſt manifeſta 184. vis ſalutifera ſine reſurrectione non apparuiſſet 56, 59, 182 & ſeq. 221. & ea quæ ſunt conſequuta, ſibi mutuo robur largiuntur 56. Morti Chriſti cur reſurrectionis mentionem libenter adjiciant Apoſtoli *ibid.* Morte Chriſti ſancitum eſt Fœdus Novum, ejuſque promiſſa 1 & ſeq. 13 & ſeq. 18 & ſeq. Univerſa ejus doctrina confirmata eſt 2, 51, 54, 56. Mors Chriſti etiam per ſe doctrinam ipſius & ſalutem in ea promiſſam confirmat *ibid.* & 179, 181 & ſeq. quantum in confirmando Fœdere N. ſalutiſque via Martyrum morti præſtet 17, 18, 120, 194. remiſſionem peccatorum inprimis demonſtrat 2, 13, 14, 15. Morte Chriſti interveniente ſalutis via eſt initiata, 2, 15, 16, 18, 180. juſtitia Dei demonſtrata 4, 39. Mors Chriſti quomodo tum ipſius, tum Dei erga nos charitatem oſtenderit, vide Charitas. Morti Chriſti cur remiſſio peccatorum tam crebro tribuatur 12 & ſeq. 14, 15, 51, 55. Mors Chriſti cum remiſſione peculiarem habet conjunctionem 13. etiam propinqua ejus cauſſa eſt 55, 179, 181 & ſeq. Mortis Chriſti ad pariendam nobis remiſſionem vis 1 & ſeq. 13 & ſeq. 56 & ſeq. quænam vis ejus hac in re maxima 54. Mors Chriſti jus quoddam nobis dedit ad remiſſionem 3, 19, 50

Morte Chriſti Deus ad promiſſa ſua præſtanda nobis quodammodo devinctus eſt *ibid.* & ſeq. Mors Chriſti quatenus dici queat moviſſe Deum ad nos à pœna liberandos 169, 171. vid. etiam 19. & 7., 197. quomodo expiatio tribuatur 221. quorum peccatorum expiandorum cauſſa proprie fuerit ſuſcepta 13. Morti Chriſti ea tribuuntur, quæ Novi Fœderis propria 98 & ſeq. Morte Chriſti abrogatum eſt fœdus antiquum 3. Mors Chriſti non fuit ſuſcepta ad ſtabiliendam auctoritatem Legis Moſaicæ maledictionem peccantibus comminantis 198, 199, 133. Morte Chriſti Judæi ab exſecratione Legis liberati 3, 16, 98, 99. quomodo abrogatæ leges ceremoniales 3, 160. & ſeq. quomodo Gentes cum Judæis conciliatæ *ib.* reconciliata inter ſe cœleſtia & terreſtria 3, 161. adducimur ad fidem & pietatem 3, 23, 55 & ſeq. 121, 134, 194. Mors Chriſti an objectum ejus fidei, quam ſalus proxime conſequitur 216. quoſnam à fide abſterreat 56. difficillimarum virtutum exemplum nobis exhibet 3, 18. Morte interveniente Chriſtus factus eſt miſericors Pontifex 2, 3, 14, 15. conditio fuit ad poteſtatem nos ſervandi obtinendam neceſſaria 3, 14, 51, 168, 218, 221. Sacrificium voluntarium perfectum 198, 229 & ſeq. non eſt oblatio expiatoria perfecta, de qua in Epiſtola ad Hebr. ſed ad eam præparatio *ibid.* quatenus ſacrificium expiatorium dici queat 198. quomodo redemtionis pretium, vide Redemtionis pretium. cur cum morte teſtatoris conferatur 15, 50. an pars Fœderis Novi dicatur 220. Mortis Chriſti finis non fuit retributio eorum, quæ homines merebantur 22. Mors Chriſti pœna proprie dicta non fuit 4. vid. cap. 4. 5, 6. quatenus pœnæ ſimilis 4, 29 & ſeq. quomodo [illegible] dici queat 29. & ſeq. 118. odium Dei adverſus peccatum, & ſeveritatem ejus citra pœnæ rationem oſtendit 30, 99

Moſes cur *λυτρωτὴς* dicatur 173. Moſis cum Chriſto ratione redemtionis comparatio *ibid.* & ſeq.

Movere Deum ad liberandum à pœna, & ei ſatisfacere longe diverſa 168, 174

Mulcta, vid. pœna pecuniaria. 218

Mundare pro mundum declarare 227

Mundus pro mundo futuro

Niggas

ELENCHUS RERUM.

N.

Niggas pro Opprimere 27
Nomen pro virtute, poteſtate, dignitate 145
Novatio quid 133
Novum fœdus, vid. Fœdus.

O.

OBlationis vox ambigua 223. oblationis nomen quid proprie ſignificet 227. oblatio ſub lege non cenſebatur in mactatione peragi 224, 228. oblatio & θυσία quatenus eadem, & quatenus diverſa 223. oblatio quibus rebus abſolveretur ſub lege 228. oblatio ſacerdotum erat propria 224. oblatio Chriſti expiatoria perfecta in cruce non fuit peracta 56, 199. oblatio Chriſti expiatoria perfecta in cœlis peracta 198, 200, 204, 222, 227. & ſeq. oblatio Chriſti cur ſemel facta dicatur 227 & ſeq. oblatio Chriſti quatenus perpetuo duret 227
Obrogatio quid 94 & ſeq. latius patet quam relaxatio *ibid.*
Obſidum conſenſus an olim in pœna ſpectatus 116
Odium Dei adverſus peccatum citra pœnæ rationem ex morte Chriſti patuit 30, 99, 122. *Odiſſe* dicitur Deus eos, quos minus diligit, aut ita tractat, ac ſi odiſſet 107
Offenſa pars, vid. Læſus.
Omnes aut *omnes homines*, pro omnibus hominibus certorum temporum 128
Opera Legis quid Paulo ſignificent 47, 134, 164
Oportet quam vim habeat 132
Origenes redemtionis noſtræ pretium Diabolo vult eſſe perſolutum 141

P.

Πάρεσις remiſſionem ſignificare poteſt 45
Pars offenſa, vid. Læſus.
Participia præterita juncta verbis præteritis vim interdum habent præſentium 225. & ſeq. Participium ὄντες interdum in præteritum reſpicit 154
Paſchalis victima promiſcue poterat eſſe agnus vel hædus 206. quorſum primo fuerit inſtituta *ibid.* an fuerit expiatoria, *ibid.* & 208
Paulus pro Gentibus patiens propius quam alii Apoſtoli ad Chriſtum acceſſit 196. *Pax* pro bono & felicitate 29. Pax inter nos & Deum fidem noſtram conſequens, quænam 165
Peccatorem puniri par eſſe, quo ſenſu verum 90. *Peccatum* à *Delicto* nunc diſtinguitur in Lege, nunc id ſub ſe comprehendit 206. pro afflictione pœnæ ſimili *ibid.* *Peccatum* & *Peccator*, pro eo, qui peccati occaſione affligitur, aut inſtar peccatoris tractatur 31 & ſeqq. cur vocetur victima pro peccato 31. hominis eſt, non manus 113. à peccatis quomodo nos retrahat Deus 121. Peccata non ſemper Deum actu iratum nobis reddunt 166. *Peccatum ferre*, aut *portare*, vid. Ferre, & Bajulare. Peccata nocumentum ipſum proprie merentur, non formam pœnæ, ei adhærentem 102. eum ipſum ad pœnam obligant, qui ea commiſit 126, 135. alieni nemo niſi ſuo delicto fit particeps 104. & quomodo 102. aliena innocenti aut juſtificato non imputantur à Deo 34. aliena quomodo cuipiam imputentur 104, 112, 114. propria aliter quam aliena divinarum pœnarum ſunt cauſſæ 111. aliena poſſunt impellere ad alium puniendum 101. & ſeq. 103. an & quatenus pœnam cujuſpiam mereri queant 137. & ſeq. noſtra fuerunt cauſſa impulſiva mortis Chriſti 5, 7, 8, & ſeq. 16, 59, 60. quædam vi Veteris Fœderis expiari non poterant 131, 132. quomodo & cur ante Chriſtum Deus tranſmiſerit 45. Peccatis non omnibus mortis violentæ pœna in Lege fuit conſtituta 201 & ſeq. Peccata elato brachio commiſſa morte peccatoris ſub lege erant luenda *ibid.*
Pelagii & Cœleſtii de mortis neceſſitate error 39
Per pro *cum* vid. Διά.
Perduellium liberi innocentes an jure puniantur 118
Piare quid proprie ſignificet, vid. Expiare.
Piandi vox cur de pœnis etiam uſurpetur 208
Pietas ad remiſſionem peccatorum neceſſaria 23, 53. propria plus apud Deum valet ad impunitatem, quam aliena impietas ad pœnam 106
Placatiſſimus eſſe poteſt, qui tamen non amet ardentiſſime 165. Placatiſſimus quo pacto dici potuerit Deus ante Chriſti mortem 164. & ſeq. Placari quis poteſt abſque ſatiſfactione 184., 185
Poculum Euchariſticum cur dicatur Teſtamentum 16
Pœna quid 4, 77. quid eam proprie conſtituat 102, 104, 112, 114. omnis eſt compenſatio laxe ſumta 73. & afflictio quid differant 105. & vindicta an & quomodo differant 75. non æqualiter de ſuis ſpeciebus dicitur 75 & ſeq. quatenus in beſtias cadat 28. propria cauſſa læſio 93 & ſeq. 77 & ſeq 83. juſta quæ 106. non poteſt infligi alio jure, quam eo, quod ex delicto oritur *ibid.* & ſeq. 105, 114. cur infligi nequeat jure dominii, quod quis ante delictum habuerit in puniendum 105. natura non poſtulat, ut is, qui punitur, eam ſit meritus 104. forma obſtat, quominus innocens jure puniri queat 109 & ſeq. 112
Pœna ob aliena peccata cuipiam infligi & quatenus jure queat 103 & ſeq. Pœnæ poteſt quis eſſe obnoxius, etiamſi ea Lege non ſit conſtituta 90, 95. quæ norma 74, 78. quantitas à natura definita 78 & ſeq. Pœnarum inæqualitas in eodem delicto unde 78. Pœnæ modus ſive qualitas pro arbitrio definitur 78, 79. Pœna alicui debetur 76, 81 & ſeq. debetur naturaliter parti offenſæ, vid. Læſus.
Pœna debetur Deo ut parti offenſæ 61 & ſeqq. Pœna quomodo læſo perſolvi queat 74. Pœna non protinus perſolvitur iis, apud quos ſed quorum nomine exigitur 87. Pœnæ fines quinam 68, 75, 81 & ſeq. Pœna non omnis utilitatis communis cauſa eſt 62, 72, 80 & ſeq. Pœna qua talis, utilitatem ejus, qui punitur, non ſpectat 76, 105. Pœnæ non proponitur à puniente præmium 105. Pœnas Deo ſui ipſius cauſſa licet exigere 81, 82. Pœnæ quinam fines ad Deum ſpectantes 45 & ſeq. Pœna nonnunquam compenſari cenſetur damnum ſtricte ſumtum 74, 79. Pœnæ debitum cur in hæredem non tranſeat 79. Pœnam à ſonte exigere juſtitia per ſe ac ſimpliciter non cogit, 42. Pœnæ cur in optimis Rebuſpubl. non conſtituantur quibuſvis peccatis, licet gravibus 77. Pœnæ æſtimationem an & quatenus perſonæ dignitas augeat 186 & ſeq. Pœnam corporalem cur alterius loco vere ſolvere nemo queat 113 & ſeq. 135. Pœnam corporalem Deus ab altero alterius loco nec exigit, nec exigi permittit 108 & ſeq. 123 & ſeq. Pœna corporali alterum alterius loco afficere lege aut conſuetudine non eſt receptum 113 & ſeq. Pœnam capitalem pro altero ſubire quando licitum 117. Pœnam pecuniariam cur quis alterius loco ſolvere poſſit 115, 135 Pœnam pecuniariam ſolvere poteſt is, qui ipſemet non punitur 115. Pœnæ alienæ quomodo quis fiat particeps 101, 102, 103 Pœnæ Chriſto infligendæ nullæ fuerunt legitimæ cauſſæ 121 & ſeq. Pœnæ peccatorum noſtrorum Chriſto non ſunt inflictæ 4, 40, 58 & ſeq. vid. cap. 4, 5, 6 fere integra.
Pœnæ, quas Chriſtus ſuſtinuiſſe creditur, non fuerunt meritis noſtris æquales 186. Pœnarum divinarum ante Chriſtum exempla manifeſtiſſima 45, 46. Pœnas æternas cur Deus olim quibuſdam non remiſerit, quibus temporarias 127. Pœnæ æternæ nemini niſi per Chriſtum actu ipſo remittuntur *ibid.* Pœnæ metu à peccando minus avocantur homines, quam ſpe præmii 122. Pœnalia benignius interpretanda 91
Pœnitentia, vid. Emendatio vitæ.
Pœnitentiam primo prædicarunt Chriſtus & Apoſtoli 159
Poſteri mali ob parentum peccata puniuntur 106 & ſeq. vid. Liberi.
Poteſtatis Chriſti ſupremæ vis in confirmandis Novi Fœderis promiſſionibus 3. Poteſtatem in corpus ſuum qualem habuerit Chriſtus, 118, 119. in corpus noſtrum qualem habeamus *ibid.*
Præcognoſcere pro ante approbare aut conſtituere 130
Præmio cur præter meritum quempiam afficere liceat, pœna non liceat 114
Præmium quomodo bene meriti liberis ſolvatur *ibid.*
Præſcientia Dei an eandem prorſus in ipſo vim habeat, quam rei exiſtentia 133
Præſtantiora ſæpe ſunt ea, quæ figuratè quam quæ propriè aliquo nomine appellantur 200
Pretium proprie dictum quid 173. pro impendio ſimpliciter in rem aliquam facto 176. pro nobis impenſum figurate ita dicitur 178, 180. vid. etiam Redemtionis pretium, aut λύτρον.
Pretioſum interdum opponitur corruptibili 178
Princeps injurias ſuas libere poteſt condonare 65
Principes quatenus injurias ſubditorum remittere queant 69
Privatim læſi cur non ſemper Rectorem poſſint obligare ad puniendum 72

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Pro, cum reſpondet Græco ὑπὲρ, an cauſam impulſivam aliquando ſignificet 7 in fine & ſeq.
Pro nobis mortuum eſſe Chriſtum, quid ſit 189. per totum cap. 9. inprimis pag. 195 & ſeq.
Pro altero mori quis poteſt, qui tamen pro eo non ſatisfaciat 193 & ſeq.
Pro aliis animas ponere nos quoque debemus *ibid.*
Pro aliis mori, quatenus Chriſto proprium aut cum aliis commune 195 & ſeq
Pro Gentibus cur paſſus dicatur Paulus *ibid.*
Pro altero animam ponere, an neceſſario commutationem ſignificet 196
Promiſſis Dei libertas ipſius aliquo modo reſtringitur 104
Pro peccatis cauſſam finalem notat 6 & ſeq.
Propitiatio quomodo dicatur Chriſtus 46, 47 & ſeq
Propitiatorium cur dicatur Chriſtus 133, 148 & ſeq. 151 & ſeq.
Proprietatum Dei effecta naturalia circa objectum ſuum neceſſaria 121, 125
Proprium in Sacris Literis ſæpe idem quod *ſuum* 187. Propria ſignificatio in dubio an ſemper ſequenda 172. cur in dubio ſequenda *ibid*
Propter pro *per* 145
Propter nomen alicujus quid in Sacris Literis ſignificet 145, 146
Propter peccata ſimpliciter ſignificat peccatorum cauſſa 8 & ſeq. 102. poteſt etiam finem notare 5, 6.
Punire cui primo competat 69, 71. quatenus Rectoribus competat 63. poſſunt Rectores etiam qua læſi 67 & ſeq. 81 & ſeq. puniendi jus quatenus ademtum privatis 71. cur à privatis ad rectores tranſlatum 69 & ſeq. punire rem ſuam qua talem nemo poteſt 105. puniri ob peccata & plene pro iis ſatisfacere differunt 4, 9. punire peccata noſtra quatenus Deo ἀδιάφορον 124. Puniri ob alterius delictum, & puniri loco alterius differunt 108, 114. Puniri quis poteſt eodem actu tum ob ſua tum ob aliena peccata, 103, 106, 111, 124.

R.

Ratihabitio mandati vim habere ſolet 87
Rationi adverſa ſtatuuntur interdum etiam à doctis aut alioqui prudentibus 117, 118
Reconciliandi verbum duplicem quodammodo ſignificationem habet 154, 163
Reconciliari alicui, & eundem in gratiam recipere differunt 159. alteri is dici ſolet, qui animo fuerat offenſo 153. nos dicimur Deo, non Deus nobis *ibid.* & ſeq. Reconciliatio noſtra cum Deo in converſione noſtra ad ipſum conſiſtit 57, & ſeq. 154, 163. Reconciliationis vox emphaſin habet, qua caret vox converſionis 155. Reconciliatio quo ſenſu dici queat converſione prior 154. an aut quatenus duplex 57, 157, 158. hominum cum Deo, cum Angelis, aut inter ſe, cur morti Chriſti tam libenter adſcribatur 17, 98, 155. an ſoli morti Chriſti tribuatur 57. Reconciliatoris non eſt plene pro altero ſatisfacere 166. Reconciliatio etiam per Apoſtolos facta eſt 57, 157, 158. Judæorum & Gentium inter ſe quomodo per mortem Chriſti facta, vid. Mors Chriſti.
Rectorum diverſitas, & poteſtas inæqualis 72. Rector quatenus ad Leges poſitivas à ſe latas ſervandas obſtringatur 125. Rectoribus quatenus conveniat pœnas infligere, vid. Punire. Rectores cujuſvis læſi cauſſam poſſunt ſuſcipere 63, 69, 87. Rectoribus jus aliquod in pœna acquiritur ſubditorum injuriis 80. cur interdum liceat remittere de pœna invita parte læſa 72, 80
Redemtionis vox in Sacris Literis longe frequentius improprie ſumitur quam proprie 172. pro expiatione 170. redemtionis noſtræ per Chriſtum triplex ſignificatio 179. redemiſſe quatenus nos Chriſtus inprimis dicatur 174. redemtio exponitur peccatorum remiſſio 173. noſtra & pretium illius improprie dicuntur 135, 172 & ſeq. 185. quatenus improprie 180. Redemtionis voce cur de liberatione noſtra libenter utantur Sacræ Literæ 182 & ſeq. Redemtio tranſgreſſionum pro liberatione à tranſgreſſionibus abſque vera ſatisfactione 130, 169 & ſeq. per mortem Chriſti facta ſatisfactionis dogma non demonſtrat 168 & ſeq. per totum fere cap 8. cur tam crebro morti Chriſti tribuatur 18, 99. noſtra an alii etiam rei præter mortem Chriſti tribuatur 181. Redemtionis pretium cur Chriſtus in mortem datus dicatur 173, 176, 177, 179. cur Chriſtus potius aut anima ipſius quam mors in Sacris Lit. dicatur 175. pretium ſi propriè ita diceretur, Deo fuiſſet perſolvendum 135. non fuit Deo perſolutum *ibid.* & 172. & ſeq.
Redemti è cujus manibus cenſeamur, 172, 180, 185, 192.
Redemtionis dies cur vocetur dies ultimus 173. Redimere aliquem & æs alienum pro eo diſſolvere differunt 185
Regimen heri & dominium ipſius in ſervos ratione tantum diſtincta 61
Regium Chriſti munus & ſacerdotium arctiſſime inter ſe connexa 228. & ſeq. à ſacerdotali quomodo diſtinctum 229
Rege peccante quando ſubditi puniantur 103
Relativum interdum non refertur ad antecedens proximum 145
Relaxatio legis quid 94
Relaxare legem quatenus imperii proprium 125
Religio an funditus periiſſet, niſi Deus mortis æternæ pœnam credentibus remittere decreviſſet 99
Remiſſio quid 133 & ſeq. cum quavis vera ſolutione pugnat reſpectu earundem debiti partium 133. & ſeq. 188. vid. etiam 135. Remiſſio peccatorum quid 48. quot modis dicatur *ibid.* & ſeq. an & cujus juriſdictionis actus 89. perfecta Novi Fœderis maxime propria 13 & ſeq. etiam iis, quæ mortem Chriſti conſequuta ſunt, tribuitur, idque magis quam morti ſoli 13, 48, 49, 57, 59, 181. cur tam crebro morti Chriſti adſcribatur 12 & ſeq. 51. 55, 57. cur morti potius Chriſti, quam Novo Fœderi adſcribatur 50, 51. quomodo ex morte Chriſti proficiſcatur 48, 181, 182. an aut quatenus Chriſtus à Deo impetraſſe dici queat 47, 173, 193, 205. Remiſſio Deo & nobis partim eodem, partim diverſo modo convenit 71. Remittere peccata ad diverſos relatum eodem loco diverſimode ſumitur 209.
Remittere peccata quomodo Chriſto mediatori, Apoſtolis, & Eccleſiæ competat 49, 139. is dicitur, qui ſe jure, quod ad pœnam habet, cedere teſtatur 49
Res interdum appellantur tales, quales antea fuerunt, non quales nunc ſunt 164. magis tribuitur ei, de quo improprie quam de quo proprie dicitur 178
Reſipiſcentibus Deus ſemper remiſit peccata abſque ſatiſfactione 127
Reſpubl. lædi poteſt etiam tum, cum civis in extraneum alibi graviter delinquit 69. quando in abſolutione nocentis aliquid injuſti committat 125
Reſtitutionis laxius ſumtæ debitum non ſemper in hæredem tranſit 79
Reſurrectionis duplex ſignificatio 41. reſurrectio Chriſti pro toto ipſius ſtatu glorioſo 58. ea fides ac ſalus noſtra inprimis nititur 13. Reſurrectionis Chriſti vis in ipſius doctrina & promiſſionibus confirmandis 2, 11, 13. apte fit mentio reſurrectionis & ubi de reſurrectione noſtra ſermo 13. reſurrectionis & mortis Chriſti finis communis 58. reſurrectio Chriſti vim ſatisfaciendi, quam mors habuiſſe creditur, minuiſſet 182. an objectum ejus fidei quam ſalus proxime conſequitur 174
Romanorum inſtituta quædam iniqua 117

S.

Saba! pro auferre 24 & ſeq.
Sacerdos proprie dictus poteſtatem remittendi peccata non habet 229. Sacerdotis etiam improprie dicti eſt offerre 230. Sacerdos ſummus in publicis ſacrificiis pro ſe ſeparatim offerre non tenebatur niſi in anniverſario 208. Sacerdos tantum ſummus ſub lege typus fuit Chriſti, cæteri Chriſtianorum 207. Sacerdotii Chriſti & Aaronici differentia 131. Sacerdos ſummus quando Chriſtus perfecte evaſerit, vid. Chriſtus Sacerdotis nomen figurate Chriſto tribuitur 229. cur tribuatur 151, 199, 229. Chriſtum à Deo altiſſimo diſtinguit 229, 231
Sacerdotium Chriſti longe præſtat ſacerdotiis proprie dictis 229. & Regnum arctiſſime inter ſe cohærent 228. & ſeq. quomodo diſtinguantur 229. Sacerdotii Chriſti effectus an primo circa Deum verſetur, vid. Sacrificium Chriſti.
à Sacrificiis ad Fœdera tranſire ſolet Auctor ad Hebr. 215
Sacrificiis expiatoriis quatenus Deus ad remittendum motus dici queat 199, 203 Sacrificiis ſub lege non omnia peccata expiabantur 127, 201, 205, 211. Sacrificia legalia non abſtrahebant à peccatis 205, 212. cur iterarentur 212, 247. an aliquo modo remiſſionem declararent 211
Sacrificia quædam expiatoria ſub Lege fuerunt publica & ſtata præter anniverſarium 207. Sacrificia expiatoria publica & ſtata tantum fuerunt typi Sacrificii Chriſti 204 & ſeq. 207
Sacri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Sacrificium Legis anniverſarium præcipuus fuit ſacrificii Chriſti typus 203. Sacrificia legalia expiatoria non ſtata typi fuerunt ſacrificiorum noſtrorum ſpiritualium ad remiſſionem peccatorum conſequendam pertinentium *ibid.* cur ſacrificio Chriſti cedere debuerint, 212, 214. Sacrificium Chriſti quatenus præſtet legalibus in expiandis peccatis 208, 209, 211 & ſeq. quatenus Leviticis ſimile 209 & ſeq. expiatorium perfectum in cœlo peractum 198, 204. vid. etiam Oblatio Chriſti.

Sacrificii Chriſti vis ad peccata noſtra expianda pertinens quænam 198 & ſeq. 210 & ſeq. expiatorium non eſt nuda tantum conditio remiſſionis peccatorum, ſed vera cauſſa efficiens 204, 214. quomodo requiſitum remiſſionis dici queat 214. non eatenus tantum pœnas tollit, quatenus fidem & reſipiſcentiam in nobis gignit 198, 214 & ſeq. quomodo remiſſionem peccatorum antecedat 209, 214, 215, 216. Sacrificio Chriſti pœna peccatorum omnium, quæ vi Novis Fœderis remittuntur tollitur 198, & ſeq. 212 & ſeq. Sacrificii Chriſti effectus circa quæ peccata primo & potiſſimum verſetur 198. Sacrificio Chriſti an moveatur Deus ad remittendum 199, & ſeq. 214 Sacrificium Chriſti quomodo pro hominibus fiat apud Deum 198 & ſeq.

Sacrificii Chriſti effectus proprie verſatur circa homines 200.

Sacrificium Chriſti etiam declarat peccatorum remiſſionem nobis decretam 198, 200, 212 & ſeq. Sacrificio Chriſti etiam à peccatis abſtrahimur 168, 198, 210 & ſeq. ad Sacrificium Chriſti quomodo pertineat fidem & pietatem nobis ingenerare, & remiſſionem peccatorum declarare 210. Sacrificium Chriſti fidem nobis inſitam etiam fovet 216

Sacrificii Chriſti vis quomodo ad omnia ſecula peringere dici queat 131, 132. ad eos vere ſpectat, qui poſt illud extiterunt 132. Sacrificium Chriſti cur non iteretur 212, 227. de Sacrificio Chriſti an & quatenus ex Ethnicorum ſacrificiis ſtatui aliquid poſſit 153, 209. Sacrificia noſtra ſpiritualia non expiant peccata niſi interveniente vi ſacrificii Chriſti 207

Sanctificatio pro ſeparatione â profano vulgo per agnitionem veritatis 219. Sanctificatio tribuitur ſanguini Chriſti, quatenus is Novus Fœdus confirmat *ibid.*

Sanctio expreſſa, quæ omnes prorſus peccantes morti æternæ ſubjiceret, an extiterit ante Chriſtum 91. Sanctio Legalis, quæ maledictionem peccantibus minabatur, ſub Novo Fœdere abrogata, vid. Legis Moſaicæ ſanctio. Sanctio Novi Fœderis quam vim in ſalutis negotio habeat 2, 13. cur morti Chriſti libentius tribuatur 13 & ſeq.

Sanctorum nomen cur omnibus Chriſtianis tribuatur 219

Sanctuarium vetus cenſebatur pollui Iſraëlitarum peccatis 208

Sanctuario expiato expiabantur Iſraëlitarum peccata *ibid.*

Sanctuarii cœleſtis expiatio noſtrorum peccatorum expiatio eſt *ibid*

Sanguis & adeps ad oblationem potiſſimum adhibebantur ſub Lege 203. Sanguis cur dicatur anima 209. Sanguis victimarum an detur vice animæ humanæ 203, 209. Sanguis Chriſti cur Novi Fœderis ſanguis dicatur 1 & ſeq. 13, 16, 119 & ſeq.

Satiſdatores pro reo pecuniam ſolventes non puniuntur, ſed reus 115

Satisfacere quid apud bonos auctores 135, 133, 135. *NB.* hi numeri bis ſunt expreſſi. Et ſimpliciter puniri differunt 4, 8, 126. Satisfactio pro ſolutione eſt 135, 133. Satisfactionis pro pœnis æternis an major exigendi cauſa, quam pro temporariis 127. Satisfactio Chriſti quænam admittenda 144, 162. Satisfactio per pœnarum ſolutionem non eſt à Chriſto pro nobis præſtita 4, 46. vid. imprimis cap. 3. 182, 183, 186. Satisfactionis nomen quomodo acceperit Socinus 4, 100, 135. Satisfactionis dogma quibus argumentis & quo ordine Socinus oppugnarit 100 & ſeq. Satisfactio activa & paſſiva Chriſti ſe mutuo tollunt 143, 144

Satisfactionis dogma beneficentiam divinam convellit 136 & ſeq. 157. crudelitatem Deo tribuit 143. ex Satisfactione pro nobis præſtita non evincitur nobis ſancte vivendum 23 & ſeq. 168. Satisfactio, quam Chriſtus præſtitiſſe creditur, ipſo facto nos liberaſſet 134 & ſeq. 135 & ſeq. 168.

Satisfactio Chriſti interceſſionem ipſius pro peccatore excludit 136. Satisfactione Chriſti Deum à mundi initio ad pœnas æternas motum fuiſſe, nuſpiam docetur 128 & ſeq. Satisfactionis dogma an perpetuo in Eccleſia viguerit 141

Saulis filii ob Patris factum ſuſpenſi num innocentes 107, 111

Sententia Grotii de Satisfactione Chriſti quatenus admittenda aut repudianda 4.

Sententiæ noſtræ de Chriſti Deitate utilitas 231. Sententiæ aliorum de Chriſti Deitate abſurditas *ibid.*

Servis ipſis non cenſetur fieri injuria, ſed domino per ipſos 61

Servi quatenus libertatis ac juris participes 61, 63. Servis ac dominis quale jus ac quatenus intercedat 60

Severitatis quod munus 123

Severitas Dei ante Chriſtum manifeſte conſpecta 45 & ſeq.

Similitudinum lex, vid. Comparatio.

Socinus ab Eccleſia Chriſti injuria excluditur 198

Solutione non idem dari, ſed tantundem, quatenus affirmet Seneca 144

Solutio quænam ipſo facto liberet 133, 134. Solutio recuſabilis poſtquam admiſſa eſt, ipſo facto debitorem liberat 135

Solutio à Chriſto facta pro peccatis ante ipſum remiſſis novationem ac delegationem argueret 133

Spes immortalis vitæ ad pietatem maxime incendit 3, 102

Spiritui Sancto adoratio nuſpiam in Sacris Literis tribuitur 231

Subjectum ejuſdem affectionis quodammodo duplex eſſe poteſt 67, 68. Subjecto interdum tribuitur, quod adjuncto proprie convenit 223

Subrogatio proprie dicta quid 198, 227. Subrogatus pro nobis Chriſtus proprie dici non debet 189 & ſeq. per totum cap. 9. 203. Subrogatio Chriſti pro nobis ſatisfactionem plenam non evinceret 198

Superſtitio errorum plena 209

T.

TEgendi verba apud Hebr. nunc cum præpoſitione, nunc ſine ea nomen regunt, eodem ſenſu 150

Tradere ſæpe elliptice ponitur 196

Tranſferre pro auferre 123

Tranſmiſſio peccatorum, vid. Peccata.

Θυσίας vox ambigua 223. Θυσία & προσφορὰ quomodo eadem & quomodo diverſa *ibid.* & ſeq.

Θυσία proprie ſumta totam ſacrificii rationem non complectitur *ibid.*

V.

VAdem Deus non requirit 119

Vades an reorum loco capite plecti conſueverint 116, 119

Verba effectum ipſum proprie ſignificantia, interdum declarationem rei notant 212. Verba effectum ipſum proprie ſignificantia, interdum efficaciam tantum notant 154, 194

Vice alicujus pati, quid proprie 191

Via ſalutis in N. Fœdere præſcripta qualis 15, 16, 17, 120

Via ſalutis quo modo per mortem Chriſti initiata 15, 16, 120

Victima pro peccato, cur Peccatum appellata 32. victimæ ipſe expiare dici non ſolent, ſed iis aliquid expiari 218. victimæ unde vim expiandi habuerint, & cur requiſitæ 127, 203. victimis cur expiandi vim tribuerint 176, 177. victimis ſub Lege non omnia peccata expiabantur, vid. Sacrificia. victimæ legales à peccatis non abſtrahebant vid. Sacrificia. non puniebantur 20. & ſeq. 28, 204.

Victimæ non ſatisfaciebant pro peccatis 28, 128, 204

Victimarum mors non ſubrogabatur morti peccatoris ſub Lege 202 & ſeq. victimæ Chriſti emundatio etiam ab ipſis peccatis tribuitur, vid. Sacrificium Chriſti.

Vindictæ ratio quæ 104. Vindicta & pœna an & quomodo differant 75

Virtutes diverſæ circa idem objectum occupantur 85

Vita in Lege promiſſa quænam 14

Ultio ſæpius de certo pœnæ genere ſolet ſumi 75, 76

Ultio an ſua natura injuſta 81

Voces eædem eodem loco, etiam ſemel tantum poſitæ, diverſas ſignificationes recipiunt 32, 33, 41. voces Græcæ Sacrificiorum apud Gentes propriæ, quatenus ad ſacrificium Chriſti accommodentur 209, 210. Voces ejus terminationis, cujus ἱλαστήριον, ſæpe locum actionis denotant 152

Utilitatis ſpecie multa in Rep. peccantur 117

Y.

Ὑπὲρ an aliquando cauſſam impulſivam notat 6 & ſeq. quo pacto finem ſemper denotare à Socino dictum 6, 7 & ſeq. pro ὑπὲρ de 7. commutationem interdum denotat 7, 193. cum de morte Chriſti pro nobis ſuſcepta ſermo eſt, quid ſignificet 190, 193 & ſeq

Z.

ZAleuci factum cur reprehenſione dignum 117. Zaleuci oculus an proprie dictum redemtionis pretium 175.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

INDEX CAPITUM HUJUS LIBRI.

De Deo & ejus attributis.

Cap. I. Aditus ad tractationem de Deo *pag.* 3.
II. Deum eſſe ex univerſa rerum natura demonſtratur 3
III. Ex mundi hujus opificio Deum eſſe demonſtratur 5
IV. Pergitur in opifice hujus mundi demonſtrando, ut Deum eſſe intelligatur. 10
V. Deum eſſe oſtenditur ex rebus homini propriis 18
VI. Deum eſſe ex iis oſtenditur rebus, quæ præter naturam ſunt aut fiunt 21
VII. De nominibus Dei 24
VIII. De nomine *El.* 25
IX. De nomine *Eloah.* *ibid.*
X. De nomine *Adon* & *Adonai.* 26
XI. De nomine tetragrammato, vulgo JEHOVA: quædam etiam de nomine *Jah.* 27
XII. De nomine *Schaddai.* 31
XIII. De nomine Θεός. *ibid.*
XIV. De nomine κύριος & δεσπότης. 35
XV. Deſcriptio quædam Dei traditur 37
XVI. Attributorum divinorum diſtinctio 38
XVII. De unitate Dei 38
XVIII. De Æternitate Dei 41
XIX. De Vita Dei 45
XX. De Intellectu Dei 46
XXI. De Voluntate Dei 47
XXII. De Potentia Dei 49
XXIII. De Poteſtate Dei 34
XXIV. De Sapientia Dei 64
XXV. De Sanctitate Dei 75
XXVI. De Beatitudine Dei 89
XXVII. De Magnitudine, Immenſitate, & Omnipræſentia Dei 90
XXVIII. De Benignitate ac Clementia Dei, & huic oppoſita Severitate 93
XXIX. De illis, quæ Affectuum inſtar Deo inſunt 38
XXX. De Amore, Gratia, & Miſericordia Dei; eorumque contrariis, Odio & Ira 99
XXXI. De Deſiderio, Spe, ab Lætitia, eorumque contrariis, Deo in Sacra Scriptura tributis 104
XXXII. De Decretis Dei. 108

Elenchus Locorum Sacræ Scripturæ, qui in Libro de Deo ejuſque Attributis, vel integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur.

Geneſeos

Caput	*verſic.*	*pag.*
2	17	111
6	6, 7	70
14	19	25
	22	25
15	9 & d.	85, 86
	16	111
17	8	42
18	13 & d.	20
	14	49
	19	71
	21	70
	23 & d.	87
20	3 & d.	84
21	33	41
22	1	66, 83
	12	70
	14	30
	18	83
24	3, 7	26
	27	87
	49	*ibid.*
33	20	30
48	4	41
49	26	41

Exodi

Caput	*verſic.*	*pag.*
1	19	83
2	7 & d.	*ibid.*
3	2	28
	13 & d.	77
	14	30
9	2 & d.	28
	3	31
7	1	25
15	11	*ibid.*
17	15	30
20	3 & d.	26, 40
	5	103, 104
	5, 6	96
20	6	82
21	6	25
22	8, 9	*ibid.*
	27	93
	78	25
23	20, 21	28
32	10, 14	88
34	6	93
	6, 7	96.

Levitici

Caput	*verſic.*	*pag.*
6	20	42
10	1 & d.	97
11	44, 45	75
19	2	*ibid.*
20	3, 25	*ibid.*
21	8	*ibid.*
25	34, 46	42.

Numerorum

Caput	*verſic.*	*pag.*
10	35, 36	29
	22	91
	30	78
25	11	100
28	3, 10, 15	42.

Deuteronomii

Caput	*verſic.*	*pag.*
4	24	56, 100
5	7	26
	9	103
	9, 10	96
	29	105
6	4, 5	40
	11	103
7	10	96
	21	91
33	16, 20	71.

Judic.

Caput	*verſic.*	*pag.*
6	24	30.

3 Regum

Caput	*verſic.*	*pag.*
8	17	91, 92.

4 Regum.

Caput	*verſic.*	*pag.*
5	16	92.

1 Paralip.

Caput	*verſic.*	*pag.*
16	34	93.

2 Paral.

Caput	*verſic.*	*pag.*
6	41	29.

Job

Caput	*verſic.*	*pag.*
11	7, 8, 9	91.

Pſal.

Caput	*verſic.*	*pag.*
4	1	25
5	7	100
11	5	*ibid.*
18	20	99.
	26 & d.	86
19	10	87
22	9	99
	32	76
24	7, 8	29
30	6	104
33	6	53
	15	65
36	7	94
40	7	100
71	22	75
78	40	105
78	56	*ibid.*
86	15	93
95	11	116
105	8	57
107	20	112
115	3	52
139	1 & d.	66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Locorum Sacræ Scripturæ.

Caput	verſic.	pag.
139	7 & d.	91
145	3 & d.	ibid.
147	15, 18	112.

Proverb.

Caput	verſic.	pag.
8	22 & d.	72
15	11	74
16	4	57.

Eccleſiaſt.

Caput	verſic.	pag.
11	3	27.

Eſaiæ

Caput	verſic.	pag.
5	2, 4, 7	105
	19, 24	75
7	14	31
8	53	30
9	6	25
14	26, 27	108
19	17	ibid.
27	21	95
48	12	41
55	11	53, 106, 109
62	5	105, 106
65	19	ibid.
66	1	92

Jeremiæ

Caput	verſic.	pag.
1	5	111
	4	107
12	1	76
18	8, 10	107
23	5, 6	30
	20	109
	23, 24	65
26	3, 13, 19	107
33	15, 16	30.

Ezechiel.

Caput	verſic.	pag.
5	13	105
	23, 32	ibid.
33	11	ibid.

Nahum

Caput	verſic.	pag.
1	2 & d.	96.

Zachar.

Caput	verſic.	pag.
8	6	50.

Malach.

Caput	verſic.	pag.
1	4	104
3	1	29

Matthæi

Caput	verſic.	pag.
5	4, 6, 18	92
7	23	66
11	21 & d.	72
18	17	34
25	12	66
26	39	50
27	43	99.

Johannis

Caput	verſic.	pag.
1	1	35
4	24	37
6	29	45
10	28	102
	33, 34	33, 34

Actorum

Caput	verſic.	pag.
17	27, 28	92.

Roman.

Caput	verſic.	pag.
1	24, 26, 28	78
	32	77
2	9, 10	82
4	1	101
	13	61
	21	50
5	13	61
9	3	48
	11	79
	12 & d.	ibid.
	20	59 & ſeq.
	21	ibid.
11	22	95
	29	88, 107
15	8	87
	15	102

1 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
1	21	65, 74
	22, 23	74
4	17	71
8	5	32
12	5, 6	36
15	28	59

2 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
4	10	45

Galat.

Caput	verſic.	pag.
1	15, 16	111

Epheſ.

Caput	verſic.	pag.
2	15	66, 108
	8, 9, 10	114
4	5, 6	36, 41

Coloſſ.

Caput	verſic.	pag.
2	14	66, 108.

1 Timoth.

Caput	verſic.	pag.
1	11	89
	12, 13	111
2	4, 5	105
6	15	58, 89

Philemon.

Caput	verſic.	pag.
	21	71

Hebr.

Caput	verſic.	pag.
2	18	50
4	12, 13	112
6	9, 10	81
	17, 19	51
11	6	2, 100
12	ult.	96
13	2	28.

Jacob.

Caput	verſic.	pag.
1	13	77
4	12	60

1 Petr.

Caput	verſic.	pag.
1	15, 16	75
2	9	76
3	10	105
5	20	ibid.
	10	102

2 Petr.

Caput	verſic.	pag.
3	9	105

1 Johan.

Caput	verſic.	pag.
1	3, 6, 7	75, 79
	9	80
3	3	7
	20	65
4	8	75, 100

2 Johan.

Caput	verſic.	pag.
	3	102

Judæ

Caput	verſic.	pag.
	4	36

Apocal.

Caput	verſic.	pag.
3	1	71
	14	100
4	8	75
5	3	114
20	12, 17, 19	74

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Rerum Præcipuarum, quæ in Libro de Deo & ejus Attributis tractantur.

A.

Abnegatio Petri non prorſus abſolute à Deo decreta 78, 79. ejuſdem cauſæ *ibid.*
Abrahamos mactatio Iſaaci ei quomodo mandata 83
Accidens quid 115. nititur eo quod per ſe eſt 10. an Deo tribui poſſit 115. an compoſitionem inferat *ibid.*
Actio, quænam à Deo removendæ 77. divinarum rectitudo unde pendeat 76. quotuplices illæ ſint 45
Activa verba paſſionem interdum revera ſignificant 17
Adeſſe rebus quomodo dicatur Deus, quibus item hominibus & quomodo 91
Adon in plurali ſignificationem ſæpe ſingularem habet 26, 27. quomodo ad Deum ſignificandum adhibeatur cum in ſingulari, tum in plurali *ibid.*
Adonai quomodo interpretes reddant *ibid.* quid proprie ſignificet *ib.* cur affixa non patiatur, nec alia nomina regat *ib.* quale nomen ſit *ibid.* quomodo Deo tribuatur *ibid.* quando Angelis *ibid.* non uſurpatur cum homo hominem alloquitur *ibid.* aliter ſcribitur de hominibus uſurpatum *ibid.*
Æquitas Dei quid 81. quanta ſit *ibid.* ejus partes, & effectus *ibid.* æquitatem ſententiæ divinæ non ſatis capientibus quid faciendum 89
Ætheris liquidi, quale cœlum eſſe nonnulli ſtatuunt, quis uſus 7, 8
Ab Æterno non ſunt, quæ à libera Dei voluntate pendent 43
Æternitas quid 41. definitio ejuſdem Boëthiana examinatur 44. ejus diſtinctio 41
Æterni vox *non ſemper infinitam* durationem ſignificat 41. ad ſubjectam materiam ſæpe reſtringenda *ibid.* æternitas quænam perfectiſſima 41. attributis Dei quo cum diſcrimine tribuatur 44. æternitas Dei probatur 41. ſeq. ejuſdem ratio *ibid.* tota in puncto non conſiſtit 44. ejus partes quomodo in S. Literis exprimantur 41. quomodo ea, quæ à parte ante 43. quatenus potiſſimum conſideranda *ibid.* quæ à parte poſt, cur ſæpius ac plenius in S. Literis expreſſa 45. Cur utramque credere ſit neceſſe 43, 45. æternitas angelorum ac piorum hominum qualis 41. ab æterno homines atque animalia non extitiſſe, contra Peripateticos demonſtratur 11
Affectus quid 99. quotuplices *ibid.* unde oriantur *ibid.* quomodo Deo tribuantur 37. iis analogum quid in Deo ſtatuere cur neceſſe 106. divinorum natura ex humanis aliquo modo æſtimari poteſt 99. quid ſint 98, 99. nonnulli prorſus neceſſarii *ibid.* eorum diſcrimen ab humanis 99. quomodo inter ſe differant 99. eorum diſtinctio reſpectu objectorum 103. nonnulli rarius Deo aperte tribuuntur 106. affectuum & decretorum divinorum ſimilitudo, & differentia 98, 99. decretis tolli poteſt *ibid.*
Afflictio latius patet quam pœna, & jus illius, quam hujus 80
Ἀγαθὸν & τὸ ἀγαθὸν ut differant 34
Agentia libera diutius in agendo verſantia moleſtiam ſentire, in univerſum verum non eſt 17. agens voluntarium non eſt, quod non habeat jus aliquod agendi, vel non agendi 55
Altiſſimus pro *Deo* 25
Amare quid 99
Amor alios quoſdam affectus complectitur 99. quoſnam affectus ex ſe pariat *ibid.* quivis amor gratia non eſt 101. meritis etiam conciliari poteſt *ibid.* vis ejus & natura 99, 100. nominatim ejus, qui eſt erga perſonas 100. amor ſummus pluribus non ſubordinatis tribui nequit 41
Amor Dei cur tam crebro in Sacris Literis commemoretur 97. qualem amorem creberrime deſignet 99, 100. primo ac præcipue in ipſum fertur 99. amoris Dei erga ſeipſum effecta *ibid.* amor Dei quo diſcrimine in res ac perſonas feratur 100. quibus nominibus amor Dei erga res extra ipſum poſitas in Sacris Literis exprimatur *ibid.* Amoris Dei erga homines & Angelos diverſitas 101. Amor Dei erga impios qualis 100. amoris Dei varietas reſpectu graduum 401. varietatis iſtius cauſæ *ib.* quinam liberæ voluntatis ejus effectus 100. ejus oppoſitum 103. Amor recti Deo naturalis 104. odio pravi in eo par eſt *ibid.* Amor Dei Zeli nomine deſignatus quis 104. Amor Dei de religione tractantibus quinam imprimis conſiderandus 99
Angeli à Deo quando creati 43. tum mali, tum boni, exiſtentiæ Dei argumentum 21 & ſeq. quomodo Dei perſonam aſſumſerint 28. Elohim cur dicantur 25. gradus eorum 63. hominibus quatenus amore apud Deum antiſtent 101. mali omnes non ſunt 21. nomen eorum ſimpliciter poſitum de malis Angelis vix uſurpatur 21. in promulgandis, ſanciendis atque adminiſtrandis legibus 63. Angelus is, qui legem olim promulgavit, Chriſtus non fuit 29
Animæ vegetativæ vis quæ & cur brutis data 58
Animalia ab æterno exiſtere non potuerunt 11 & ſeq. eorum utilitas reſpectu hominum 8, 9. quænam ex putredine fiant 11
Arbitrii natura 16, 22. in libertate conſiſtit 47. ſervum ſine contradictione non dicitur *ibid.*
Arbitrium Dei quam late extendendum 56
Arcæ fœderis Jehovæ nomen an tributum 29. ſurgere, aſcendere, ingredi quomodo dicatur *ibid.*
Ariſtotelis ſententia de rerum à primo ente dependentia refellitur 10, 11. Deo is adimit libertatem atque arbitrium 39, 48. quomodo idem probet unitatem Dei 39. teſtimonium ejus de neceſſitate religionis in repub. 20
Ars in quibus cernatur 65. Artes infinities inventas & rurſus oblivioni traditas eſſe, Peripateticorum commentum 11
Articuli vis atque uſus diverſus 34. & d. nominibus propriis cur ſæpe non addatur *ibid.* & 36. voci natura ſua generali præpoſitus quam vim habeat 34. qualem participiis *ibid.* vis articuli quando infringatur 35. quot modis reſtringat 34. voci Θεὸς præpoſitus quam vim habeat *ibid.* eidem voci cum adjectione poſitæ interdum præfigitur, ubi ſummum illum Deum ſignificat *ibid.* quando voci κυρίῳ additus aut detractus Deum aut Chriſtum deſignet 36. interdum pro adverbio vocandi ὦ ponitur 35
Aſcendere in memoriam ante Deum quid 66
Aſperſio ſanguinis quale ſignum 88
Aſtra adorare quam ſtultum 23. à Deo prohibitum 32. ab Ethnicis & Iſraëlitis aliquando culta *ibid.* eorum finis & utilitas 7, 14. humana omnia eorum vi non gubernantur 23
Athei ipſi ſententiam de exiſtentia Dei utilem cenſent 107
Atheiſmi cauſæ 19. effecta 20
Attributa Dei quæ 1. eorum diſtinctio 38, 51, 52. naturalia quomodo diſcernantur à ſe invicem 38. his nihil in Deo contrarium 104

B.

Baalim plurale de una perſona 26
Beatitudo quid ſit 89, 90. in ſolam naturam intelligentem cadit *ibid.*
Beatitudo Dei unde probetur *ibid.* neceſſaria eſt 48 unde pendeat 64. qua in re conſiſtat 90. quænam eidem obſtare videantur, reipſa autem non obſtent 90, 107. doctrinæ de ea uſus 90
Beneficentia vera quænam 93. cur libenter exercenda 65. in malis commeritis avertendis occupata ut appelletur 94, 95
Beneficentia Dei vid. Benignitas.
Beneficii quæ ſint capacia 100. beneficium ſemper eſt, quod ex gratia provenit, non ſemper quod ex amore 101. beneficium alicui collaturus non ſemper neceſſe habet ad cauſam aliquam extra ſe reſpicere 82. quænam illi maxime reſpicienda *ibid.*
Beneficiorum divinorum multitudo 94. à minoribus ad majora quando Deus progrediatur *ibid.* majoribus affecti, ſi peccent, cur gravius puniantur 97. minoribus affecti interdum illis opponuntur, quibus miſericordia exhibetur 102
Benignitas Dei quale ejus attributum 93. quibus nominibus appelletur in Sacris Literis *ibid.* cur charitatis, gratiæ, miſericordiæ, nomina ſortiatur 98. quam late extendatur 94. Deo ſimpliciter naturalis non eſt *ibidem.* major eſt ſub N. quam ſub Veteri Fœdere 94. ejus effecta, pro diverſitate objectorum ac temporum, gradibus diſtincta *ibid.* in homines quæ ſit 93 & ſeq. quo nomine ſpeciatim deſignetur *ibid.* etiam in malos exercetur *ibid.*
reſpectu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

reſpectu ejuſdem hominis diverſo tempore diverſa *ibid.* major erga pios quam impios *ibid.* major item erga eos qui majori ſtudio pietatem colunt *ibid.* ejus æternitas *ib.* nominatim reſpectu piorum *ibid.* cur tam crebra ejus in Sacris Literis mentio 97. cognitio ejus quas utilitates adferat *ibid.* & ſeq. ea nobis imitanda 98. ad licentiam peccandi non trahenda *ibid.*

Bonorum divinorum quanta copia 60. alia gratiæ, alia naturæ dicuntur 101

Bono publico maxime conſentaneum reſipiſcentibus patere ſpem veniæ 62

Bonum cognitum per ſe ſtatim amatur 47. 100. minus præ majori cur interdum eligat voluntas 48. quod ab altero nimium ſuperari intelligitur, voluntas non eligit *ibid.*

Bonis cur male in hac vita eſſe videatur 24

Bonitatis Dei nomine quid Sacræ Literæ denotent 693. quotuplex ſit 76

Bruta cur non tam imbecilla, ut homo in lucem prodeant 9

C.

C*Æſalpini* error de generatione hominis ex putredine 11. de rerum à primo ente dependentia *ibid.*

Caſtigationes divinæ ab amore proficiſcuntur 97. ſæpe plus clementiæ, quam ſeveritatis habent *ibid.*

Caſus quid 10. ſemper cœcus eſt *ibid.* in quibus locum habeat 14. caſu nihil niſi à cauſa aliqua efficiente fit 10

Cauſa eadem eodem modo ſe habens idem per ſe efficit 13. impulſivæ ſæpe ſunt tantum cauſæ per accidens 16. cauſa per accidens ſemper nititur aliqua per ſe 13. per ſe agentium non datur progreſſus in infinitum 5, 11

Ceremoniæ quatenus olim Deo placuerint 38. per quem abolendæ *ibid.*

Chaunun Hebræis quid ſignificet 102

Χρηϛότης pro manſuetudine 95

Chriſtus Adonai non appellatur 27. ab Adonai diſtinguitur *ibid.* Angelus ſimpliciter nuſpiam dicitur, nec Angelus Dei 29. δεσπότης nuſpiam appellatur, ſed ab eo diſtinguitur 36

Clementia quid 95. Clementiæ *Dei* cur tam crebra in Sacris Literis mentio 97. cur charitatis, gratiæ, miſericordiæ nomina ſortiatur 98. ejus partes quædam 95. effectus *ib.*

Cogitationes Dei vel cordis ejus quid 109

Cognitio Dei ad religionem neceſſaria 1

Comminari hominibus etiam non plane improbis quomodo poſſit Deus ea, quæ ſine peccato ab iis fieri nequeunt 111

Comminationes generatim omnes ſua natura ſunt relaxabiles 62. quando in abſolutas migrent 112

Conditionem annexam habentia interdum abſolute proferuntur 111. conditio ſimpliciter prolatà perſeverantiam ſæpe includit 110. quot modis præſtita dici poſſit 113, 114. præſtita cauſa fit decreti abſoluti impulſiva 113

Conſcientiæ vis in utramque partem 19. divinitatis argumentum eſt *ibid.* unumquemque reum facere poteſt 61. in uſu rerum licitarum cur hærere non debeat 64

Conſenſus Gentium perpetuus de exiſtentia Dei 18. ejuſdem cauſæ *ibid.* vi aut fraude effici nequit 19

Conſilium quid ſit 109. proæreſeos antecedens eſt *ibid.* in quibus rebus locum habeat *ibid.* quid requirat 8. conſilium pro decretis divinis 109

Conſilia divina ſpernenda non ſunt, etiamſi rationem eorum non capiamus 74. ſæpe occulta ſunt 74

Conſtans quando in propoſito perſiſtere debeat 88

Conſtantia Dei quid 88. quibus in rebus cernatur *ibid.* in decretis, vel cum conditione, vel ſine ea factis, quid poſtulet *ibid.* non minuitur, ſi Deus pœnam, quam minatus eſt, condonet 61

Contemplatio actione per ſe videtur præſtantior 50. in Deo quam præſtans & perfecta *ibid.*

Contingentia quo fundamento nitatur 49. ea ſublata Deus cauſa peccati ſtatuitur 68. contingentia tantum reſpectu cauſarum ſecundarum dari falſo aſſeritur *ibid.* cum rerum omnium determinata ab æterno veritate conſiſtere nequeunt *ibid.*

Contradictionem implicare quæ dicantur 51. ea ſimpliciter impoſſibilia *ibid.* contradictoria ſimul vera eſſe Philoſophi quidam aſſeruerunt 19

Contumaces interdum Deus non ſtatim punit, ſed indurat 96

Corporum diſcrimen 7, 46, 47. eorum vis ad alia nonniſi interveniente corpore deferri poteſt 7

Corporis humani membra quomodo & cur Deo in Sacris Literis tribuantur 37. corpore peccatis inquinato animus polluitur *ibid.* corporis inter cœlum & terram interjecti & qualitatum ejus utilitas 7

Creatio qua in re à Scriptura collocetur 5. an natura ejus exigat, ut quicquid creatur, ex nihilo creetur *ibid.* 10. creatio mundi probatur *ibid.* & ſeq. cur tam ſæpe in Scriptura commemoretur 49. quam neceſſaria ſit creditu 54. potentiæ divinæ documentum eſt *ibid.*

Creaturæ quot modis utatur Deus 5. intellectu præditis quando delectetur Deus *ibid.* iis præter jus ab ipſo nihil imponitur 80. an & quodnam illarum jus reſpectu Dei *ibid.* ſponte improbas Deus deſerere ſuiſque libidinibus tradere poteſt 79. credere in Chriſtum aliquando crucifixum, cur mundo ſit ſtultitia 75

Culpa in quo ſita 78. ſine libertate voluntatis nulla eſt 69 & ſeq. nulla foret in iis, qui ab omni æternitate ad peccandum determinati fuiſſent *ibid.*

Cultus divinus quinam 40. is, qui ſoli Deo præſtandus eſt, cum cultu Chriſti non pugnat 41

D.

D*Æmones* argumento ſunt, Deum eſſe 21. eoſdem cur toleret Deus, & pios ab iis affligi permittat 24. olim ſub idolorum nominibus colendos ſe hominibus obtruſerunt 71. futurorum prædictio cur illis negetur *ibid.* de iis interdum conjectura aliquid aſſequuntur *ibid.* cur fingant ſibi quædam formidanda, quæ tamen nullam adverſus eos vim habeant 22. cur gratificari hominibus non ſemper poſſint 23

Decernendi actus quis ſit 109. decernere aliquid cur liceat aut non liceat 78

Decretum quid 109

Decreta *Dei* quid ſint 98. quibus nominibus appellentur in Scriptura 109. quam late pateant in univerſa religione 116. non omnia, neque æque clare in Sacris Literis ſunt deſcripta 114, 115. ſed tamen quantum ad ſalutem ſufficit 115. in quibus locum habeant 98, 112. ea ab omni æternitate facta ſtatuere neceſſe non eſt 43. quæ ante conditum mundum facta ſunt præſtantiam aliquam rerum de quibus ſunt facta deſignant 112. decreta Dei unde pendeant 43, 47, 116. quorum affectuum nomina ſortiantur 98. iis omnia definita non ſunt 52. ipſa Dei eſſentia non ſunt 115 & ſeq. omnia reipſa idem non ſunt *ibid.* quatenus attributis Dei accenſeri poſſint 108. omnes ipſius actiones aliqua ratione antecedunt 116. firmiora ſunt, quam ſimplices quidam affectus 98. eorum genera 109. & ſeq. quænam neceſſario ad exitum perducantur, & contra 98. eorum neceſſitas qua re nitatur 43. eorum effectus non à Dei, ſed creaturarum parte ceſſat 111. eorum perfectio quæ 112. quomodo appelletur in Sacris Literis *ibid.* eadem vel abſoluta ſunt, vel conditionata 110. decretum abſolutum de ſingulorum hominum ſalute aut exitio ante ipſorum pietatem aut impietatem factum non eſt 112. decreti abſoluti vis nullo affectu tolli poteſt 98. ea ſemper ad exitum perducuntur 111. quando talia eſſe cenſenda ſint 62. ea, quæ promiſſis aut minis continentur, etiamſi conditio non exprimatur, non protinus ſunt abſoluta 110. conditionatorum exempla *ibid.* diſtinctio eorum in antecedentia & conſequentia 113. ubi locum habeat *ibid.* quomodo ex eadem cauſa pendeant *ibid.* *Antecedens* quid, & quotuplex *ibid.* quodnam eorum abſolutum eſſe poſſit *ibid.* *Conſequens* quid *ibid.* quomodo ex antecedente fluat. *ibid.* ſemper aliqua ratione abſolutum eſt *ibid.* *Conditionata* cur non ſemper neceſſario ad exitum perducantur 110, 111. quando in abſoluta migrent 111. eorundem circa promiſſiones & minas diſcrimen reſpectu effectus 112. diſtinctio decretorum divinorum ex diverſitate actuum voluntatis divinæ 110. ex objectis *ibid.* ex modo decernendi *ibid.* 112. alia ſunt generalia, alia ſpecialia, 112. eorundem diſcrimen *ibid.* connexio *ibid.* & ſeq. eorundem diſtinctio ex circumſtantiis temporis 113 & ſeq. Diſtinctio in occulta & revelata *ibid.* in iiſdem etiam decretis cernitur *ibid.* quædam ipſis angelis occulta ſunt, aut fuerunt 114. cur quædam hominibus à Deo non revelentur 114, 115. quorundam cognitio ipſius Dei conſiliis obſtaret 115. quænam hominibus pateſiant *ibid.* revelata cum occultis nunquam pugnant *ibid.* decreta de Chriſto per aliquem ex domeſticis prodendo, & à Judæis occidendo, qualia fuerint 78. de actionibus malis in futurum quomodo poſſit aliquid decerni 70. decreta Dei, de malis hominibus ad executionem conſiliorum ſuorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

hibendis, qualia *ibid.* de ſingulis credentibus quale ſit 112, 114. de rebus ad ſalutem ſpectantibus qualia fuerint 59. quibus aliquid fieri Deus permittit quo referenda 110. cur decreta ſua interdum mutet Deus 52, 59. decreta de præmiis an aut quatenus abrogari à Deo poſſint 61. de iisdem ſubjectis diverſo tempore facta ſibi invicem ſæpe adverſantur 113, 115 & ſeq. decretorum nomen pro Dei mandatis 108. quibus præceptis proprie conveniat 109

Definire pro decernere 108

Deſiderium etiam in præteritum reſpicit 105. rei quoque incertæ eſt *ibid.* à ſpe quomodo differat *ibid.*

Deſiderium *Dei* qualis affectus *ibid.* ſimplicis teſtimonia *ibid.* & ſeq

Δεσπότου nomen cur & quomodo Deo tribuatur 62

DEI nomen quid ſignificet 39, 54 ſua natura proprium non eſt, ſed appellativum 1. 35. quomodo à Latinis uſurpetur *ibid.* ſubjecti loco poſitum quem denotet 34. prædicati loco poſitum interdum articulum habet *ib.* quem denotet *ibid.* ſummum illum Deum quomodo denotet 33, 55. ſimpliciter abſoluteque poſitum etiam aliis præter ſummum illum Deum tribuitur *ibid.* quomodo Angelis & magiſtratui competat 33. etiam ad illegitima & malefica imperia interdum extenditur 32. Deus quale genus 33. Deus abſconditorum cognitor eſt, qui omnia novit antequam fiant 73. quatenus neceſſario 48. cur appelletur *altiſſimus* 55. cur ſolus bonus dicatur 46. cur Chriſti caput & Deus appelletur 26, 58. quo jure eidem omnia ſubjecerit 57. omnia ei ſubjiciendo nihil à ſe alienavit 56. conſpiciendum hominibus ſe cur non præbeat 24. cur creaverit mundum 15, & ſeq. 82. Dæmones cur cohibeat, ne impiis ſemper gratificentur 22. Deum eſſe demonſtratur. Vide *exiſtentia Dei.* efficere res dicendo & jubendo ut dicatur 53. efficere poteſt quicquid vult, etiam ſine mediis aptaque materia *ibid.* eſſentia ejus numero una eſt 39. Vide *Unitas Dei.* cur faciat interdum, quæ videantur adverſari ipſius conſilio 86. cur quod alias nollet, & contra 108. forma ejus ab homine concipi nequit 37. ab eodem obedientiam jure citra ullam veram mercedem exigere poſſet 79. *Jehova* cur appelletur, vide *Jehova.* legatus alterius eſſe nequit 29. nunc perfectiorem leges exequendi modum requirere, nunc imperfectiori contentus eſſe poteſt 60. novit futura 66, 67. cum perverſis quomodo perverſe agere dicatur 86. eum pingentes, aut ſculpentes quam graviter peccent 37. ad pœnæ dilationem, mitigationem, averſionem quibus rebus interdum commotus fuerit 62. præcipere hominibus quid jure poſſit 63. an præceperit aliquid hominibus, quod fieri noluerit 83. an ei omnia tum præterita, tum futura ſint præſentia 43, 44, 69, 70, 80, 83. publici boni cauſa punire non omnino tenetur 62. cur appelletur *qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt* 43. cur dicatur ſanctus: vide *Sanctitas Dei.* Scire omnia quo ſenſu dicatur 67. quomodo vocet tum ea quæ ſunt, tum quæ non ſunt 53. quomodo unus. Vide *Unitas Dei.*

Deos alienos habere coram Deo quid 40. Deos plures quinam ſtatuant *ibid*

Dii multi quo ſenſu à Paulo dicantur 32

Dignitas aliena an quempiam ad benefaciendum obſtringat 82. quamnam Deus in benefaciendo attendat *ibid*

Dolor quomodo Deo alicubi in Sacris Literis tribuatur 18, 102, 106

Domini vox diverſimode uſurpatur 32, quomodo de Deo & Chriſto 35, 36. Dominus abſolute poſitus à Deo ſimpliciter ſic dicto cur ſæpe, & quomodo diſtinguatur 36. abſque articulo poſitum apud quoſdam Novi Fœderis Scriptores Deum plærumque deſignat, cum articulo Chriſtum, *ibid.* de Chriſto uſurpatum non reſpondet Hebrææ voci Jehova vel Adonai *ibid.* Dominus exercituum cur appelletur Deus 53. item Dominus Dominorum 56. Dominus cœli & terræ *ibid.*

Dominus injurias ſervis illatas, ipſis etiam invitis, condonare poteſt 62

Dominium Dei quomodo æternum 57. amplitudo ejus non ceſſavit, poſtquam Chriſto omnia ſubjecit Deus 56. eidem nihil derogat, quod populum ſuum vendidiſſe, redemiſſe, noſque ei emti eſſe dicimur 57

Δυνάςου vox quid ſignificet 58. cur tribuatur regibus & principibus 50

E.

EL quid natura ſua ſignificet 25, 32. quomodo à LXX Interpretibus reddatur 25

Elim quomodo à LXX interdum reddatur 25

Eloah quid proprie ſignificet 25, 26

Elohim quale nomen 25, 26, 32. quid natura ſua ſignificet 25. interdum idem ſignificat, quod *El*, *ibid.* ſignificatione ſingulare eſt, quando de una perſona vel re dicitur *ibid.* ſæpiſſime ſolum Deum ſignificat *ibid.* interdum Chriſtum *ibid.* unicum Angelum, hominem, *ibid.* idolum *ibid.* quomodo cum verbis & adjectivis conſtruatur 26. quo ſenſu de Deo uſurpetur 26, 32

Emmanuelis nomen quid ſignificet, & cur Chriſto tribuatur 30, 31

Emti Deo quomodo dicamur 57

Eſſentiæ *divinæ* inveſtigatio difficillima 37

Et pro *ergo* 40

Exacerbatio quo ſenſu Deo tribuatur 106

Excandeſcentia Dei quid deſignet 100. quomodo eidem tribuenda 103

Excelſus pro *altiſſimo* 55

Exiſtentia Dei primum eſt religionis fundamentum 2. primo omnium docenda *ibid.* ex iis demonſtrari poteſt, quæ de auctoritate Sacrarum Literarum dicuntur 2. demonſtratur ex univerſa rerum natura 2 & ſeq. ex mundi opificio 5 & ſeq. ex rebus homini propriis 18 & ſeq. ex iis, quæ præter naturam ſunt aut fiunt 21

Extitiſſe ante conditum mundum, & ab omni æternitate, differunt 44

εὐδοκεῖν & *εὐδοκία* de Deo uſurpata quid ſignificent 99

F.

FAcere quæ liceat 55. qui per alium facit, per ſeipſum feciſſe videtur 76, 77

Facta quotuplicem ſignificandi vim habere poſſint 85. quæ ex inſtituto ſignificant, certiorem ſignificationem habere ſolent, quam verba ſimplicia 86. facta quædam impiorum, cæteroquin à ſe præcepta, cur oderit Deus 103. facta quædam cur ſacrificia Deo accepta dicantur 106. ea, quæ ſine peccato perfici nequeunt, qua ratione decernere poſſit Deus 77. facta ejuſdem quatenus ei pœnitenda veniant 107

Fidelitas qua in re occupetur 81. quid ſit 80. divinæ quodnam munus *ibid.*

Filii Dei appellatio per ſe minus auguſta eſt, quam appellatio Dei 33

Ex *finitis* licet maximis, ſi numero finita ſint, non niſi finitum fit 11

Fœderum verba quomodo intelligenda 84. ſingularem ſinceritatem poſtulant *ibid.* fœdus ſanctiſſimum pactorum genus eſt *ibid.* cum quibus non percutiatur 80

Fortuna vel cum caſu idem eſt, vel ſub eo continetur 10. cur cœca dicatur *ibid.*

Fraus quid ſit 82. quomodo ab hypocriſi diſtinguatur *ibid.* ſæpe cum ea jungitur *ibid.*

Furor Dei quid deſignet, & quomodo eidem tribuendus 103

Futura unde entitatis ſuæ rationem habeant 67. quomodo à Græcis diſtinguantur *ibid.* & ſeq futura ab omni æternitate in ſeipſis determinata eſſe non potuerunt 69. quorum determinata ſit veritas 67, 68. quomodo futura prævideantur & prædicantur 70, 71. futura quomodo ſub ſcientiam Dei cadant 67, 71. eorum prænotione Deus ab idololatris vult diſtingui 67. futurorum contingentium quæ ſit ratio *ibid.* cur aliquo modo indifferentia *ibid.* cur ſere in alterutram partem magis inclinent *ibid.* quomodo à Deo cognoſcantur *ibid.* eadem determinate futura ſub nullam ſcientiam cadunt 68 & ſeq. abſurda contrariæ ſententiæ *ibid.*

G.

GAudium Dei quale ſit & unde 105

Genii conſtanter à Platonicis aſſerti 27. Genius Socratis figmentum non fuit *ibid.*

Homo

Elenchus Rerum Præcipuarum.

Homo homines ab æterno non extiterunt 11. ibi interdum eſſe dicitur, quo ſpiritu tantum reſpicit 92. nihil in eo naturale eſt quod Deus oderit 104. cur ad peccandum pronus 21

I.

I*Ah* quid ſignificet 29. ejus origo *ibid.* cum tetragrammato idem, *ibid.*

Jehovæ nomen quomodo recte pronuncietur 25, 27. cur Hebræi ab ejus pronunciatione abſtinuerint 27. quæ nomina in ejus locum legendo ſubſtituerint *ibid.* cur appelletur tetragrammatum 25. quam originem habeat 27. in propria ſignificatione uſurpari deſiit 28. quomodo nominis ingenium æmuletur 27. Deo proprium eſt 28. quando vim habeat nominis Elohim aut Adonim *ibid.* quando aliis etiam rebus tribuatur *ibid.* ubi & cur angelis *ibid.* & ſeq. Chriſto præſertim ſimpliciter nuſpiam tribuitur 29. cum aliis vocibus junctum in unum nomen quodammodo coaleſcit, & creaturis tribuitur 30 & ſeq.

Imbecillitatis infantum utilitas 9. quomodo eidem proſpectum *ibid.*

Immenſitas Dei quotuplex 90, 91. unde reſultet 90

Immortalitas quid 46. quale ſit attributum Dei 38. Angelorum immortalitas unde pendeat 46. ejus fundamenta, *ibid.* eandem mereri nullo modo poſſumus 64. divinæ prorſus par ea non eſt quam expectamus 46

Imperium *Dei* quale ſit 58, 59 & ſeq.

Impoſſibilia quomodo cognoſcantur 67. eadem voluntas non eligit 48. interdum ea denotant, quæ valde ſunt difficilia 69

Impoſſibilitatis ratio in quo ſita 67

Impropriis vocibus & locutionibus uti quando liceat 98

Inconſtans quid & cur facere ſoleat 88

Inconſtantia in Deum non cadit 88. inconſtantia non eſt, id, quod ſub conditione decreveris, ea non extante, non exequi 62

Incorruptibilitas quale Dei attributum 38

In Deum quomodo omnia 57

Indurare quos poſſit Deus 53. quos ſoleat 78, 84, 95. quomodo 78. ii jam puniuntur, etiamſi ad gravius ſupplicium reſerventur 97

Induratio qualis pœna 78. homini malitiam non ingenerat *ibid.* nec ſemper ineluctabilis eſt 78

Infantes in parentum pœnam affligere ac necare Deo licet 62 & quidem vel cum illis, vel ſine illis, *ibid.* cur id fiat 63

Initio quod caruit, etiam fine neceſſario caret 33

Innocens quotuplex 63. eundem afflictioni ſubjicere quo jure Deus poſſit 80. quinam ad eam rem à Deo impendantur 62 & ſeq. innocens jure puniri nequit 80. etiam paucorum innocentium cauſa Deus nocentibus multis parcere paratus eſt 63. iiſdem peccata aliena imputare & propterea punire injuſtum eſt 66

Inſtinctus naturalis finis alicujus gratia eſt 5

Inſtrumenta quædam, quæ brutis natura dedit, cur hominibus negata 9

Intellectus pro ſcientia aut ſapientia à Latino interprete ſæpe ponitur 46

Ira quid 103

Ira Dei quid 103. ira Dei *pro* pœna ejus *ibid.* quæ eam cohibeant *ibid.* non eſt ipſa Dei eſſentia, nec naturalis in eo qualitas 104

Judices ſub aliena poteſtate ac lege certa conſtituti cum Deo in jure condonandi peccata conferri non debent 45

Jus quas ſignificationes habeat 55. jus adoptionis per Chriſtum quatenus conditionem noſtram ſupra ſervilem efferat 79. jus creaturæ reſpectu Creatoris an & quale detur *ibid.* jus cum honeſtate æque late patens unde æſtimandum, & quam late extendendum 76, 77. jus omne libertatem aliquam in eo, qui illud habet, requirit 79. pro diverſitate ſocietatis æquale vel inæquale *ibid.*

Jus *Dei* in creaturas non exit ſimpliciter in infinitum 80

Juſtitia *Dei* pro benignitate ejus 93 ſeq. proprie dicta quid ſit 76. ejus abuſus 89. eadem nulla Dei actio vacare poteſt *ibid.* ad quaſnam actiones ejus vi impellatur *ibid.* & ſeq. ejus conſideratio quem uſum habeat *ibid.* ejus vi non impellitur Deus ad quodvis delictum, ſive in ipſo nocente, ſive in alio puniendum *ibid.* miſericordiæ ejus in ſcripturis non opponitur *ibid.* ei quædam miſericordiæ effecta adſcribuntur *ibid.* effectus ejuſdem in extremo judicio potiſſimum eluceſcent 81

Juſtus pro benefico 76. pro fideli *ibid.*

Juſti eſſe, ſicut Chriſtus eſt, quatenus poſſimus 56

Juſtum quot modis accipiatur 55. ſtricte ſumtum quid, *ibid.*

L.

L*Audibus* ſuis quatenus delectetur Deus 88

Libertas *Chriſti* in regnando imperio divino nihil derogat 59. quanta ſit *ibid.*

Liberum arbitrium qua in re maxime cernatur 47

Locus etiam Deo tribuitur in Sacris literis 92

Longanimitate an ſemper utatur Deus 95

Lunæ utilitates 7

M.

M*Agicarum artium* effecta quænam 22. quid de earum veritate aut falſitate ſentiendum, *ibid.* & ſeq. cur eas nonnulli fruſtra tentarint *ibid.* dæmones eſſe probant *ibid.*

Martyria primorum Chriſtianorum fidem de Deo & religione ſtabilierunt 18

Membra hominum aliorumque animantium quomodo Deo tribuantur 37

Metus quomodo Deo in Sacris Literis tribuatur 107

Mirabile pro *difficili* 50

Mundi æternitas refutatur 10 & ſeq.

Mutabilitas quænam à Deo abſit. *Vid. Inconſtantia.*

N.

Naturam quinam Deum ipſum faciant 4, 5. nihil fruſtra facit 5. quotuplex ſit 5. quid univerſalis *ibid.* eadem de rebus in finem ſuum dirigendis non deliberat *ibid.* nec particularis in rebus naturalibus *ibid.* ea excutit, quæ præter aut contra eam rebus inſunt 18

Naturalia omnia finis gratia agunt 5. cujus conſilio ad finem dirigantur *ibid.* eadem alicujus rectoris conſilio gubernari neceſſe eſt 2

Naturaliter agentia neceſſario agunt 15

Neceſſario agentia utrumque contrariorum efficere nequeunt 15. neceſſario fieri omnia, quam abſurdum ſit dicere 69

Nomen Dei quo ſenſu ſanctum dicatur 75

O.

O*Blivio* Deo quomodo tribuatur 66

Oblviſci pro negligere *ibid.*

Odium Dei quid 103. odium malorum hominum piorum amori in Deo par non eſt 104

Vox *omnes* vel *omnia* ſimpliciter poſita ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt 51

Omnipotentia Dei ad abſurda dogmata tuenda non abutendum 54

Omnipræſentia cur Deo tribuatur 91. ea, quæ vulgo ſtatuitur, ex Scriptura demonſtrari nequit 92. multis abſurdis & contradictionibus involuta videtur *ibid.* & ſeq. omnipræſentia Dei ſpem noſtram ſuſtentat *ibid.* ipſius metum ingenerat *ibid.*

Omniſcientia Dei cur penitus animo infigenda 73, 74. quæ nobis præſtet ſolatia 74. quantum ejus meditatio ad ſtudium pietatis faciat *ibid.* eadem non negatur, ſi negetur, futura contingentia determinate ſciri poſſe 67, 68

Oracula dæmones eſſe demonſtrant 22

P.

P*Ermittere* quid ſit 110. decretum de re aliqua permittenda, ad quod decretorum genus pertineat *ibid.*

Perſona quid 39

Pharao quomodo à Deo populum dimittere juſſus 83. quomodo à Deo induratus fuerit *ibid.*

Poſſe, pro voluntatis propenſione indeque nata agendi conſuetudine 50

Prædictiones *futurorum* obſcuræ ſinceritati divinæ non repugnant 84. prædictiones prodigioſæ motuum magnorum, exiſtentiæ divinæ argumenta 23. earundem cauſæ *ibid.*

Præſcientia Dei proprie dicta, male à quibuſdam Patribus negata 69. præſcientia futurorum contingentium in Deo qualis 67 & ſeq.

Præteritum pro *præſenti* per Hebraiſmum 50

Primus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Primus ac noviſſimus cur Deus appellatus 42
Propagatio in piorum poſteris quomodo à Deo reſpiciatur 82
Proprietatibus Dei naturalibus nihil contrarium in Deum cadere, aut in operibus ejus cerni poteſt 93. Vide *Attributa Dei.*
Proſopolepſia quid 81. in Deum non cadit *ibid.*
Providentiæ Dei argumenta in rebus humanis cur multi non deprehendant 24
Purus pro *ſancto* 75

R.

R*Ationis* hominis uſus à rebus fidei removendus non eſt 75
Recordari alicujus rei quomodo dicatur Deus 66
Regis nomen Deo tributum quid deſignet 54
Regionum polis ſubjectarum uſus 6,7
Religio *vera* quid 1. quaſi argumentorum genere nitatur 24. cur certa ratione niti debeat *ibid.* circa quem primo ac per ſe occupetur 1
Remiſſio peccatorum quid 95. beneficium ejus quanti æſtimandum 64. qualis clementiæ divinæ effectus 95. quinam & qua conditione eam conſequantur *ibid.*

S.

S*Acra* quanta religione tractanda 97. pœna eorum qui Sacra tractant, cur gravior, ſi peccent *ibid.*
Sacrificia quædam quomodo æterna dicantur 42
Sadducæi cur reſurrectionem mortuorum negarint 54
Sancti vox cur ter apud Eſaiam & in Apocalypſi de Deo repetatur 75
Sanctitas Dei quid ſit 75, 76. quouſque extendatur 75. cujus facultatis in eo ſit perfectio *ibid.* nobis imitanda eſt, *ibid.* 89
Sapientia Dei quid ſignificet 65. quibus argumentis probetur *ibid.*
Satanas Deo uſum aliquem præſtare cogitur 58. ejus opera indurari ſolent homines 78
Schaddai quomodo in Sacris Literis uſurpetur 25. quæ ejus origo & genuina ſignificatio 31. quomodo reddatur ab interpretibus Græcis & Latinis *ibid.* cur Deo tribuatur *ibid.* & ſeq. quale nomen ſit *ibid.* ubi adjectivi ingenium apud Moſen retineat *ibid.*
Scibilia quæ ſint 67. omnia ſub ſcientiam Dei cadunt *ibid.*
Scientia Dei quænam & cur creberrime in Scriptura commemoretur 65. quatenus ibidem potiſſimum inculcetur 72. diſtinctio ejus in naturalem, liberam, & mediam *ibid.* ejus modus ad ſalutem ſcitu neceſſarius non eſt *ibid.* quodnam ejus objectum 65. quomodo in Sacris Literis deſcribatur *ibid.* & ſeq.
Senſus humanus de intellectu Dei teſtatur 46. ejus utilitas 8
Sermo Dei quale interdum Dei decretum ſignificet 112
Severus nuſpiam expreſſe dicitur Deus 95. quis id nomen vere mereatur *ibid.*
Sexus diſtinctio in homine quem uſum habeat 9
Signorum quibus aliis quidpiam ſignificatur diſcrimen 85
Sinceritas quid ſit 82. diſcrimen rerum, circa quas verſatur 84 quibus in rebus aperte agi poſtulet *ibid.* ea ſalva quædam occultari aut non plene ſignificari poſſunt *ibid.* ea non ſemper jubet facere id, quod ad animi ſententiam alteri ſignificandum eſt aptius *ibid.*
Sinceritas Dei circa quæ verſetur 46, 82. quomodo ſe oſtendat in fœderibus & jurejurando 84
Sol qua ratione opificem univerſi demonſtret 7. ejus, motuumque ipſius utilitas 6
Spes quid 105. quomodo à deſiderio differat *ibid.* quomodo Deo tribuatur *ibid.*
Spiritus Dei qualem virtutem ejus in homines manantem denotet 53. Spiritus Dei bonus quis *ibid.* quomodo alias appelletur *ibid.* malus quis dicatur *ibid.* ſpiritus extant, quibus cum hominibus aliquid ſit commercii 21 & ſeq.
Subjectum eſſe alteri plus eſt, quam eſſe ſubordinatum 59
Subſtantias duas primas in univerſo ſtatuere quatenus abſurdum 12
Superſtitiones quædam cur fuerint diuturnæ 21. ſuperſtitio crudelis eſſe ſolet & multis modis impia 20

T.

T*Empus* etiam ante mundum conditum fuit 17. ſine mutatione eſſe poteſt *ibid.* quid ſit *ibid.*
Terribilis cur dicatur Deus 90
Triſtitia quomodo Deo tribuatur 48

V.

V*Aticinia* de Chriſto à Judæis occidendo qualia fuerint 74, 75
Velle pro deſiderare 105
Venenatorum animalium & herbarum utilitas 9
Venire Deus quomodo dicatur 91
Verbum pro re 50. verbum Dei pro ejus mandato 112. verba *in Domino* de quonam Paulus intelligat 30. verba prædictionis formam habentia interdum cohortationis aut dehortationis potius vim habent 71
Veri aliquid, in erroribus ſemper ſequutus eſt univerſus orbis 21
Veritas pro fide ſeu fidelitate 87. pro veracitate *ibid.* quid ſit *ibid.*
Veritas Dei quot modis accipiatur in Sacris Literis 87. benignitatem ejus interdum in ſe comprehendit *ibid.* quo ſenſu maxime celebretur in Sacris Literis *ibid.*
Unitas Dei quibus argumentis probetur 39. eam credere quem uſum habeat 40
Voluntaria etiam contraria agere poſſunt 15
Voluntas Dei quo ſenſu in Sacris Literis ſumatur 47. quibus argumentis probetur *ibid.* actus ejus immanentes quinam & quotuplices ſint 101. bonitas ejus naturalis qua in re cernatur 76. pro Dei decretis ſæpe ponitur 109. quænam ejus decreta ſignificet *ibid.* ea Deo detracta quæ abſurda conſequantur 48. ejus diſtinctio in antecedentem & conſequentem 113. eadem diſtinctio & affectibus competit *ibid.* quorſum pertineat *ibid.* quid conſequens *ibid.* diſtinctio ejuſdem in revelatam & occultam quam late extendenda 87. ejuſdem libertas quibus in rebus cernatur 48. ea Deo ademta quæ abſurda ſequantur *ibid.*
Vulgus ſæpe ſincerius quam Philoſophi de rebus judicat 19

Z.

Z*Elus* cum ira, furore, indignatione in eodem contextu ſæpe commutatur 103. ea voce crebrius ira atque indignatio, quam amor Dei exprimitur 101.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

INDEX CAPITUM,

Libri utriuſque de Uno Deo Patre.

LIBER I.

SECTIO PRIMA.

In qua directe probatur, Patrem Jeſu Chriſti ſolum eſſe Deum illum ſummum; & primum quidem ex illis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quæ de Patre expreſſe loquuntur p. 3

Cap. I. Argumentum I. *ex verbis Chriſti* Joh. 17. 3. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te (Pater) ſolum verum Deum &c. *ibid.*

II. *Argumentum II. ex verbis Pauli* 1 Cor. 8. 6. Nobis unus [*eſt*] Deus, Pater, ex quo omnia *&c.* 7

III. *Argumentum III. ex loco Pauli* Eph. 4. 6. Unus [eſt] Deus & Pater omnium 11

IV. *Argumentum IV. ex verbis Chriſti* Matth. 24. 36. De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater, & Marc. 13. 32. De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater 11

Sequuntur argumenta ex iis locis ducta, in quibus Patris quidem nomen non extat, de eo tamen revera ſermo eſt.

V. *Argumentum V. ex verbis Pauli* 1 Cor. 12. 4, 5, 6. Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus *&c.* *ibid.*

VI. *Argumentum VI. ex verbis* 1 Timoth. 2. 5. Unus (eſt) Deus: unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, *quibus accedunt illa* Rom. 3. 30. Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide *&c.* 13

VII. *Argumentum VII. ex iis locis ductum, in quibus nomine* ſolius Dei, *aut* ſolius ſapientis Dei, *aut* ſolius heri Dei, *ſolus Jeſu Chriſti Pater deſignatur* 15

VIII. *Argumentum VIII. ex viſionibus, apud Danielem, & in Apocalypſi Johannis extantibus ductum* 17

IX. *Breviter indicantur plura argumenta, quibus oſtenditur, ſolum Patrem Jeſu Chriſti eſſe Deum ſupremum* 18

SECTIO SECUNDA.

In qua oſtenditur, Chriſtum non eſſe Deum illum ſupremum, ut intelligatur, ſolum Patrem Deum illum ſummum eſſe.

Cap. I. *Argumentum I. inde ductum, quod Chriſtus à Deo creberrime diſtinguatur* *ibid.*

II. *Argumentum* II. *ex nomine* Filii Dei *ductum* 20

III. *Argumentis, quæ in ſequentibus afferenda ſunt, diſtributis.* IIIum *proponitur ex verbis Chriſti,* Joh. 5. 19. Non poteſt Filius facere quidquam *&c.* 21

IV. *Argumentum IV. ex illis apud Johannem locis petitum, in quibus negatur, Chriſtum doctrinæ ſuæ primum eſſe auctorem* 25

V. *Argumentum V. ex iis apud Johannem locis petitum, in quibus Chriſtum à ſeipſo veniſſe negatur* 26

VI. *Argumentum VI. ex illis apud Johannem locis petitum, in quibus negat Chriſtus, ſe veniſſe ut voluntatem ſuam faceret* 27

VII. *Argumentum VII. quod Chriſtus ſuam gloriam non quæſierit* *ibid.*

VIII. *Argumentum VIII. ex verbis Chriſti* Joh. 12. 44. Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me *ibid.*

IX. *Argumentum IX. quod Chriſtus aliquando diem ultimi judicii ignoraverit* 28

X. *Argumentum* X. *ex verbis Chriſti* Matth. 20. 23. Sedere ad dexteram & ſiniſtram non eſt meum dare, &c. 29

XI. *Argumentum XI. ex verbis Chriſti* Matth. 19. 17. Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi unus Deus 30

XII. *Argumentum XII. ex verbis Chriſti ad Patrem:* Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu 31

XIII. *Argumentum XIII. ex verbis* Hebr. 5. 5. Chriſtus ſemetipſum non clarificavit *&c.* *ibid.*

XIV. *Argumentum XIV. ex verbis Chriſti* Joh. 14. 28. Pater major me eſt 32

XV. *Argumentum XV. ex eo ductum, quod Filius à Patre in mundum ſit miſſus* 33

XVI. *Argumentum XVI. inde ductum, quod Chriſtus mandata à Deo acceperit, eaque ſervarit* 34

XVII. *Argumentum XVII. ex eo ductum, quod Chriſtus preces ad Patrem fuderit* 35

XVIII. *Argumentum XVIII. ex eo ductum, quod omnia Chriſto à Patre ſint data* 36

Appendix hujus argumenti, in qua docetur, divinitatem Chriſto à Patre donatam eſſe 40

XIX. *Argumentum XIX. quod Chriſtus & opera & verba ſua Patri adſcribat: quodque non prima, ſed ſecunda ſit rerum ad ſalutem ſpectantium cauſa* 41

XX. *Argumentum XX. ex verbis Chriſti* Joh. 8. 16. Judicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me Pater 44

XXI. *Argumentum XXI. ex verbis Chriſti* Joh. 8. 14. Verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quo vado *ibid.*

XXII. *Argumentum XXII. ex verbis Chriſti* Joh. 8. 29. Non reliquit me ſolum Pater: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper *ibid.*

XXIII. *Argumentum XXIII.* Quod Pater appellatur Deus Chriſti 45

XXIV. *Argumentum* XXIV. *ex verbis* 1 Cor. 11. 3. Caput Chriſti Deus. 46

XXV. *Argumentum* XXV. *ex verbis* 1 Cor. 3. ult. Chriſtus [eſt] Dei *ibid.*

XXVI. *Argumentum* XXVI. *ex verbis* 1 *Cor.* 15. 24, 28. *quod Filius traditurus ſit regnum Deo & Patri, eique ſubjectus ſit futurus* 47

XXVII. *Argumentum* XXVII. *quod Chriſtus ſit Dei & hominum Mediator* 48

XXVIII. *Argumentum* XXVIII. *quod Chriſtus Sacerdos ſit* 49

XXIX. *Argumentum* XXIX. *quod Chriſtus à Patre fuerit reſuſcitatus* *ibid.*

XXX. *Argumentum* XXX. *quod Chriſtus imago Dei inviſibilis dicitur* 51

XXXI. *Argumentum* XXXI. *ex cauſſis illis præcipue ductum, ob quas Chriſtus Dei Filius in Sacris Literis dicitur* 52

XXXII. *Argumentum* XXXII. *quod de incarnatione Dei ſummi taceant Sacræ Literæ* 59

XXXIII. *Argumentum* XXXIII. *quod Chriſto Spiritus Sanctus datus fuerit* 60

XXXIV. *Argumentum* XXXIV. *quod Chriſtus à Diabolo tentatus fuerit* 61

XXXV. *Argumentum* XXXV. *quod Chriſtus primogenitus ſit omnis creaturæ* 62

XXXVI. *Argumentum* XXXVI. *quod Chriſtus ſit æqualis Deo ibid.*

SECTIO TERTIA.

In qua oſtenditur, Spiritum Sanctum Deum ſummum non eſſe, ut pateat, ſolum Patrem Deum ſummum eſſe.

Cap. I. *Argumentum I. quod Spiritus Sanctus nuſpiam aperte Deus in Sacris Literis appelletur* 63

II. *Argumentum II. quod nuſpiam in Sacris Literis præcipiatur, ut Spiritum Sanctum adoremus, aut invocemus, & ne exemplum quidem ejus rei extet* 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

III. *Argumentum III. quod Spiritus Sancti mentio plurimis in locis omiſſa fuerit, nequaquam omittenda, ſi is Deus ille ſummus eſſet* 67

IV. *Argumentum* IV. *ex Matth.* 11. 27. Nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius 70

V. *Argumentum* V. *quod Spiritus Sanctus à Deo ſæpiſſime diſtinguatur* ibid.

VI. *Argumentum* VI. *quod Spiritus Sanctus ſit Dei virtus* 71

VII. *Argumentum* VII. *quod Chriſtus Spiritus Sancti Filius foret, ſi is Deus ſummus eſſet* 74

VIII. *Argumentum* VIII. *quod Spiritus Sanctus hominibus à Deo donetur* ibid.

Appendix argumenti præcedentis, in qua urgentur loca, in quibus Spiritus Sanctus arrhabo appellatur, eoque homines dicuntur obſignari, itemque eo perfundi, baptizari, potionari 79

IX. *Argumentum* IX. *ex iis locis ductum, quæ partitionem quandam Spiritus Sancti arguunt* 80

X. *Argumentum* X. *quod Spiritum Sanctum extinguere vetamur, quodque Spiritum Sanctum aliquando non fuiſſe, & an eſſet, à diſcipulis quibuſdam ignoratum fuiſſe, legimus* 81

XI. *Argumentum* XI. *ex* Joh. 15. 26. *ubi Spiritus Sanctus a Patre procedere dicitur* 82

XII. *Argumentum* XII. *quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittatur* 83

XIII. *Argumentum* XIII. *ex verbis* Joh. 16. 13 Non loquetur (*Spiritus ille veritatis*) à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur, &c. *ibid.*

XIV. *Argumenta tria ex* 1 Cor. 2. 10. *& d.* Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei, *& quæ ſequuntur* 85

XV. *Argumentum* XVII. *quod Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum aliquando deſcenderit* 86

XVI. Concluſio *libri primi, in qua oſtenditur, adverſariorum de Trinitate ſententiam ipſo Sacrarum Literarum ſilentio refutari; nec quicquam prohibere, quominus ea argumentis à ratione petitis refutetur* 87

LIBER II.

SECTIO PRIMA.

In qua de tribus, quæ vulgo ſtatuuntur, ſupremæ Deitatis perſonis generatim agitur.

Cap. I. *Argumentum* I. *quo oſtenditur, vulgare de Trinitate dogma ſeipſum evertere: quia ſimul unus & tres Dii forent* 89

II. *Argumentum* II. *quia quælibet perſona divina trina in perſonis foret* 90

III. *Argumentum* III. *quia perſonæ divinæ realiter eædem & diverſæ forent* 91

V. Argumentum IV. *quia ſimul una & tres ſupremæ deitatis ſubſtantiæ forent* 91

VI. Argumentum VI. *quod perſonæ divinæ ſimul forent communicabiles & incommunicabiles* 94

VII. Argumentum VII. *ex analogia cum rebus creatis ductum: ubi oſtenditur, niſi una Dei perſona ſtatuatur, infinitas eſſe ſtatuendas* 94

SECTIO SECUNDA.

In qua de ſecunda, quæ ſtatuitur, ſupremæ Deitatis perſona diſſeritur.

Cap. I. Argumentum I. *quo refellitur dogma de æterna Filii Dei ex eſſentia Patris generatione: quia Filius foret ſui ipſius Filius* 95

II. Argumentum I. *quia infiniti forent Filii, uti & Spiritus Sancti* 96

III. Argumentum III. *quia Filius Dei ab æterno & fuiſſet, & non fuiſſet* ibid.

IV. Argumentum IV. *quia Filius Dei adhuc generaretur, & in omnem æternitatem generandus eſſet* 98

V. Argumentum I. *quo dogma de incarnatione Filii Dei refellitur: quia Pater etiam & Spiritus Sanctus fuiſſet incarnatus* ibid.

VI. Argumentum II. *quia ſecunda divinitatis perſona deſiiſſet eſſe perſona* 99

VII. Argumentum III. *quia Deus ſummus & homo diſparata ſunt* 100

VIII. Argumentum IV. *quia duæ in Chriſto forent perſonæ* 101

SECTIO TERTIA.

In qua de tertia, quæ vulgo ſtatuitur, ſupremæ Deitatis perſona diſſeritur, & Spiritum Sanctum Dei Filium fore oſtenditur, ſi ſententia de eo vulgaris vera eſſet.

CONCLUSIO OPERIS,

In qua uſus hujus de uno Deo Patre diſputationis explicatur 106.

Elenchus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Locorum Sacræ Scripturæ, qui in Libro de uno Deo patre vel integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur.

Deuteronomii

Caput	verſic.	pag.
21	17	8
32	12	63, 65 & ſeq.

2 Samuel.

Caput	verſic.	pag.
23	2, 3	63 & ſeq.

4 Regum

Caput	verſic.	pag.
2	9	80

Pſal.

Caput	verſic.	pag.
2	6	56 & ſeq.
	7	*ibid.* & 98 ſeq.
17	6	44 & ſeq.
118	21	36

Eſaiæ

Caput	verſic.	pag.
6	9 & ſeq.	63, 66
9	6	78
63	10	64
	14	63, 65

Jeremiæ

Caput	verſic.	pag.
17	5	27

Daniel

Caput	verſic.	pag.
7	9 & d.	17

Matthæi

Caput	verſic.	pag.
1	20	80
3	16	86
11	27	70
12	4	21
16	16	59
19	17	30
20	23	28, 29
23	8, 9, 10	31
24	36	12, 28
26	39	31
28	18	39
	19	88, 89

Marc.

Caput	verſic.	pag.
1	10	86
13	32	12, 28

Lucæ

Caput	verſic.	pag.
1	17	72
	32	39
	35	52, 71
3	22	86
11	20	72
12	8	70
22	42	31
24	49	71

Johannis

Caput	verſic.	pag.
1	1	40
	13	51
	32, 33	86
2	20, 21	50, 51
3	34	81
4	34	63, 64
5	13	68
	17 & d.	24
	19	21
	20 & d.	*ibid.*
	24	38
	44	15, 16
6	59	36
	69	6
7	16	25
	37	80
	39	43, 81
8	14	44
	16	42, 43
	16 & d.	68
	19	6
	29	44, 45
	55	6
10	18	34, 50, 51
	25	41
	29	32
	34 & d.	21, 53
12	44	24, 27
14	7	6
	10	26
	16, 17	76
	26	83
	28	32
15	4	21
	10	45
	26	82, 83
16	3	6
	7	83
	13	*ibid.*
	28	44
	32	*ibid.*
17	1	38
	2	37
	3	1, 67
	4	37
	5	38
	22, 24	*ibid.*
	25	6, 45
20	22	75
	31	6

Actorum

Caput	verſic.	pag.
1	2	60
2	3	87
	18, 19	80
	24 & d.	50
	30	23
	33	72
	36	38, 40
	38	72
5	3, 4	63
	31	42
10	38	72
	45	*ibid.*
11	17	74
13	32, 33	55
15	21	78, 79
19	3	82
28	25, 26	63, 66

Roman.

Caput	verſic.	pag.
1	3	23
	4	55, 58
	16	73
3	30	13, 15
4	1	23
5	5	76
6	4, 6, 8	79
7	17	24
8	2, 3, 4	108
	3	33
	15	76
	23	81
	26	66
8	27	85
	32	78, 79
9	3	23
	5	*ibid.*
10	9	50
11	ult.	19, 74
15	6	11
16	27	4, 15

1 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
1	18	73
	24	*ibid.*
	30	41
2	4, 5	72
	10 & d.	85
	12	83
3	22	46
6	19, 20	63, 65, 66
7	17	21
8	6	7, 68, 77, 78, 80.
9	6	6
10	18	22
11	3	46
12	1 & d.	12, 13
	4, 5, 6	12, 63, 64
	13	79
15	10	25
	24	11, 37, 47
	28	47

2 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
1	3	11
	22	47, 72, 79
3	15	78
4	4	51
5	5	72, 79
	16	22
11	31	12
13	4	50
	ult.	66

Galat.

Caput	verſic.	pag.
1	4	11
2	19	21
4	4	33
	6	66
	23, 29	22

Epheſ.

Caput	verſic.	pag.
1	3	2
	13	79, 80
	14	79
	17	6
3	7	72
	17	79
4	4	11
	5	*ibid.*
	9	*ibid.*
	20, 21	79
	30	*ibid.*
5	5	69
	20	11

Philipp.

Caput	verſic.	pag.
2	6 & d.	63
	9 & d.	38, 39, 40
4	20	11

Coloſſ.

Caput	verſic.	pag.
1	3	11
	15	51, 63
	16	42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Caput	verſic.	pag.
2	2	11
	3	28
3	17	11
	22	22

1 Theſſ.

4	2	42
	8	64
5	19	81

2 Theſſ.

3	12	42

1 Timoth.

1	1	69
	17	4
2	5	13
6	15, 16	4, 6

2 Timoth.

1	7	75
2	11, 12	79

Titum

Caput	verſic.	pag.
2	13	69

Hebr.

1	1	42
	3	51
	4, 5	59
	7	50
2	4	80
3	8, 9	63, 66
5	5	51
12	23	68

1 Petri

1	3	11

2 Petri

1	4	59

1 Johan.

2	3, 4	6
	13, 14	ibid.
3	1	ibid.

Caput	verſic.	pag.
4	7	ibid.
	13	79
5	7	67, 68, 88
	20	6.

Judæ

	1	78
	4	16, 68
	25	4

Apocalypſis

1	1	37
	4	66
	5	68
3	14	62, 69
	21	39
4	paſſim	17
5	paſſim	ibid.
	13	68
9	4	21
11	15	68
12	10	ibid.
21	25	21.

Index Rerum Præcipuarum, quæ in Libro de uno Deo patre continentur.

A.

Actio non convenit ſubſiſtentiæ, ſed rei ſubſiſtenti 92, 93
Actu duo aut plura, per ſe unum eſſe nequeunt 92
Actu diſtincta quæ 105
Æquale ab eo, cui æquale eſt, ſemper aliam habet eſſentiam 62
Æterna non ſunt, quæ à libera Dei voluntate pendent 23. æterna ſimpliciter neceſſaria ſunt *ibid.*
Animæ hominum à corporibus ſeparatæ, cur perſonæ non ſint 101. quomodo intelligentes dicantur *ibid.*
Aoriſtus Participiorum verbis præteriti temporis adjunctus, ſæpe vim præſentis habet 57
Apoſtoli de Chriſti præſtantia loquentes, quid maxime ſublime commemorent 6. reſurrectionis Chriſti teſtes conſtituti fuerunt 57
Arianorum de Chriſto dogma 86
Arrhabo quid 79
Articuli vis in appoſitionibus 6. ejuſdem pluribus nominibus præfixi unitas quid denotet 16, 69

C.

Caput alicujus eſſe quid 46
Charitas Dei erga nos qua in re maxime oſtenſa 59, 60
Chriſtum eſſe quid 39
Chriſtum & Filium Dei eſſe ſæpe idem ſunt in Sacris Literis 23.
De *Chriſto* affirmantur & negantur multa in Sacris Literis quæ, ſi Deus ſummus eſſet, de eo affirmari vel negari non poſſent 21. caput Chriſti præter Patrem nemo 46. Chriſtus qualis cauſa ſalutis 9, 41. quando Chriſtus factus fuerit 39. in cœlis fuit ante muneris ſui exordium 58. creatio qualis ei tribuatur 18. credendum in eum, ut in Dei filium 27. omnia ei à Patre data ſunt 36 & ſeq. & quidem ex gratia 37. non per æternam generationem 38. an ut mediatori datum regnum 39. an ſecundum humanam naturam *ibid.* quomodo ipſe nobis datus 78, 79. à Deitate vera quatenus non excludatur 4. Deus eatenus dicitur, quatenus Dei filius 20. Deum ſe eſſe nuſquam aperte dixit aut docuit 30. Deus factus ſine abſurditate dici poteſt 40. qui eum Deum ſummum eſſe negant, idem de Spiritu Sancto negare coguntur 62. an ſynecdochice dicatur Deus vel homo 100, 101. an per prædicationem inuſitatam 94, 101. idem ſeipſum à Deo ſummo diſtinxit 7. quomodo à Deo diſtinguatur 19 & ſeq. Divinitatem ex Patris dono habet 40 & ſeq. dominium ejus quale 9. doctrinæ ſuæ primus author non eſt 26. exemplum eſt ſanctitatis & felicitatis, idque propius quam exemplum Dei 108. Filius Dei cur appelletur 55 & ſequentibus. cur præcipue 32. cur ſæpius Filius Dei quam Deus 20. honoris divini finis intermedius eſt 9. honor ejus maximus quis 107. idem illi per ſententiam non detrahitur *ibidem.* ſed per ſententiam adverſariorum *ibidem.* humana ejus natura an perſona 101. & ſequent. an homo 101. an abſtractum 102. an proprie agat *ibid.* an per ſe ſubſiſtat *ibid.* Chriſtus imago Dei cur dicatur 51. & ſeq. imperandi & jus & exercitium à Patre accepit 39 & ſeq. & quidem ut præmium obedientiæ *ibid.* imperium duplex illi fruſtra adſcribitur 108. invocari poteſt, & ſæpe debet 90. mandata à Patre accepit, eaque ſervavit 34. mediator cur appelletur 45. an totius Trinitatis mediator ſit 61. an ſuipſius *ibid.* an reſpectu humanæ naturæ tantum, an reſpectu utriuſque 14 & ſeq. quatenus pro nobis mortuus fuerit 59. officia ei omnia ut homini conveniunt 102 & ſeq. Pater ſimpliciter nuſpiam dicitur 10. Opera ſua omnia Patri adſcribit 41. Patrem oravit non ex modeſtia ſolum, ſed & ob neceſſitatem 35. à Patre eſt etiam qua Deus 20 & ſeq. pendere ſeipſum à ſummo Deo totum oſtendit 7. per eum quomodo omnia 9, 42. perſona ejus ſecundum humanam naturam aliquid agere an recte dicatur 14. potentiam omnia faciendi an per æternam generationem a Patre acceperit 21. reſuſcitatus à quo fuerit & an à ſeipſo 49. an totum quid ſit ex humana & divina natura conſtans 69. non venit à ſeipſo 26. nec ut voluntatem ſuam faceret *ibid.* unctus non fuit à Spiritu Sancto; ſed à Deo, Spiritu Sancto 68
Chriſtus pro religione ab ipſo tradita 79
Chriſtianos à Turcis & Judæis quid diſtinguat 41
Clarificatio Patris à Chriſto profecta, & Chriſti à Patre, quantum differant 37
Cognitio, in qua religio conſiſtit, qualis ſit 7. cognitio Dei in cognitione Chriſti ſæpe includitur, & viciſſim 68. cognitionem totius alicujus enunciati quomodo efferant Apoſtoli 7
Communicatio ſubſtantiæ cum altero quælibet generatio eſt 105
Comparationes rerum cum perſonis facile pariunt Proſopopœias 84
Contradictionis vis in rerum diſtinctione 105
Contradictionem tacitam involventia de eodem ſubjecto ſimpliciter non dicuntur, utut ſecundum diverſas partes ei inſint 101

Creatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Creatio prima ſoli Patri in Sacris Literis & Symbolo Apoſtolico tribuitur 18, 77
Cre tus d ffi lia creberrime in Sacris Literis exponuntur 59
Cultus divinus cur alicui debeatur 41
Cum ipſo, pro *perinde ut ipſe* 79

D.

Dari denuo nequit, & quidem quod pleno jure jam poſſitur 39, 41
Dativus perſonæ ſæpe finem *cui* denotat 79
Deſcriptiones perſonarum in Sacris Literis otioſæ non ſunt 7, 8
Deorum multitudo quæ abſurda pariat 106
Deum alicujus eſſe quid 45, 46, 47. *Dei* & *Filii Dei* appellatio quid differant 21. *Dei* nomen natura ſua commune eſt 4. nomen eſt perſonæ 20, 90. quem κατ' ἐξοχὴν denotet, 10, 19, 20. ſubjective poſitum quem deſignet 51 ſua natura excellentius quid nomine *domini* denotat 10. pro Patre innumeris in locis ſumitur 18. Deus numero unus non poteſt de pluribus diſtinctis perſonis directe prædicari 8. Deus ſummus quis habendus 9. ab alio nullatenus eſt 20, 21. nec arbitrii alieni, præſertim neceſſario 78. arrhæ loco dari nequit 79. à ſeipſo omnia facere poteſt 21. Deum cum aliquo eſſe quid 43. Deus hypoſtaticè & eſſentialiter ſumtus idem 90. donari nemini poteſt 76. exemplum eſt ſanctitatis & felicitatis 108. mandata à nemine accipere poteſt 34. nec mitti 33, 34. ei neceſſario inſunt, quæ naturaliter ineſſe poſſunt 94, 96
Deus & *Pater* per conjunctionem copulata idem ſubjectum denotant 10. cur Deus *Pater* dicatur, vel ſimpliciter, vel *Pater noſter* ibid. per eum quomodo omnia 9, 42. poteſtas ejus quouſque extendatur 39. ſenectus ei proprie tribui non poteſt 41. ei ſoli propria quomodo non negentur iis, qui ab eo pendent 4 quomodo regnum alicui tradat 47. quomodo nos ſanctificet, & à nobis ſanctificetur 54. unum eum eſſe cur neceſſe ſit 9
Differentia omnis contradictionem in ſe tacite includit 105
Diſparatorum quæ ratio 100
Diſtingui ſimpliciter à ſe invicem quæ ſoleant 14
Diſtinctio rationis eminens 105
Dogma contradictionem implicans verum eſſe non poteſt 89
Dominus ab alio factus, ſi Deus eſt, etiam Deus ab alio factus eſt 40. Domini nomen pro Jehova & Adonai ſumtum, tanquam proprium Patris creberrime in Sacris Literis ponitur 18. quo diſcrimine de Deo & Chriſto uſurpetur 9, 10 quomodo Chriſto κατ' ἐξοχὴν tribuatur *ibid.*
Duos habere Deos quomodo Sacris Literis repugnet; aut non repugnet 41

E.

Eadem uni tertio, inter ſe ſunt eadem 91
Eminenter diſtingui Scholaſticis quid 105
Eſſentia divina an communicabilis 91
Ex ſæpe cauſam efficientem denotat 80
Excipi quænam ſoleant 71, 87

F.

Fidei noſtræ de Jeſu Chriſto ſumma 52, 58
Fidei in Spiritum Sanctum nullum in Sacris Literis vel præceptum vel exemplum extat 66. quomodo id intelligendum, quod de ea in Symbolo Apoſtolico habetur *ibid.*
Fidelium unitatem unde & quomodo colligat Paulus 12
Filii vox abſolute de Chriſto uſurpata ad quem referatur 47 id nomen eidem eſſentiale non eſt 58. Filius Dei ſummus Deus eſſe nequit 8, 20. ſententia contraria honorem Patris imminuit 107. cum gloria Chriſti conjuncta non eſt *ibid.* imo eandem imminuit 108. Deo gloriam in adminiſtratione ſalutis noſtræ per Chriſtum conſiſtentem eripit 108. nobis autem fructum quem Deus ea in re ſpectavit 107. Filius Dei prima Spiritus Sancti origo non eſt 18. Filius hominis dicitur, & viciſſim Filius hominis Filius Dei 101
Figuræ inuſitatæ quando uſurpentur 80
Forma unius rei non niſi una 93, 94
Formaliter idem eſſe quid 105
Futura apud Hebræos crebro ſumuntur pro præſentibus 45

G.

Generatio omnis proprie dicta eſt mutatio ex non ente in ens 97. generatio per emanationem quorum & qualis ſit *ibid.* generatio ſuper-naturalis ex eſſentia Dei nulla eſt *ibid.* dogma de generatione filii Dei ex eſſentia Patris refellitur 21, 38, 95, 98. ejuſdemque modus per intellectionem 95. item per emanationem 97 & ſeq. cum proceſſione Spiritus Sancti, quæ vulgo ſtatuitur, eadem eſſet 104
Generatum generanti quatenus ſimile eſſe neceſſe ſit 105
Gloria Dei omnium actionum ejus, eorumque, qui ipſi ſerviunt, ſcopus ultimus 27
Græcorum de proceſſione Spiritus Sancti ſententia 18

H.

Hilarii de Spiritu Sancto ſententia 67
Hodie de Deo uſurpatum quale tempus denotet 98
Homo qui eſt, perſona eſt 101

I.

Imago nulla ejuſdem numero eſſentiæ eſt cum eo, cujus eſt imago 51, 52
Imperandi jus Chriſto datum quid contineat 39
In apud Hebræos ſæpe redundat 80
Incarnationem Dei ſummi tacent Sacræ Literæ 59 & ſeq. ea ad ſalutem noſtram opus non fuit 59, 60. ejus abſurditas 110
Incommunicabilitas an in ſuppoſiti definitione exprimenda 92
Invocationis Spiritus Sancti nullum in Sacris Literis vel præceptum, vel exemplum 66 & ſeqq. an priſcis ſeculis uſitata fuerit 67
Johannis inſcribendo Euangelio ſcopus 21. idem plurima adverſus vulgarem de Deitate Chriſti ſententiam argumenta ſuppeditat 21
Judæi ſolum Patrem pro Deo habuerunt 16

L.

Legato quæ conveniant 84. fides illi adhibita ultimo terminatur in legante 28

M.

Miracula Chriſti manifeſtiſſima fuerunt conjunctionis ejus cum Patre documenta 45. ad ea Chriſtus ſæpe provocavit *ibid.*
Mitti Deo ſummo non competit 7. mitti in mundum quid 54. mitti in mundum poteſt, qui in cælo nunquam fuit 53
Modeſtia in Deum non cadit 35
Moſes pro lege ab eo tradita 7
Myſterium nullum cum ratione pugnat 88

N.

Naturarum in Chriſto diſtinctio vulgaris examinatur 22 ſeq. ſententiam vulgarem de Chriſto evertit 25. efficere non poteſt, ut de ſubjecto ſimpliciter negetur id, quod de eo ob alteram naturam ſimpliciter aſſerendum eſt 14. aut ab eo diſtinguatur ſimpliciter, quod de illo ſimpliciter prædicandum eſt 14
Niſi pro *ſed*, vel *ſed ſi* 21

O.

Officia non niſi perſonarum ſunt 13
Omnium vox ad ſubjectam materiam reſtringi ſolet 10
Operum Chriſti finis 41, 42
Oppoſita tacitam contradictionem includunt 105
Ὅλη an effectum in N. Teſt. ſignificet 57
Ὀρίζει quid in N. Teſtamento ſignificet 57

S.

Partes ejuſdem rei de ſe invicem prædicari non ſolent 101. partes ſubſtantiarum ab aliis disjunctæ ſuppoſita fiunt *ibid.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Pater omnis ſive proprie, ſive improprie dictus, ſi ſit intelligens, perſona eſt 10. Patris nomen nuſpiam in Sacris Literis Trinitatem deſignat 10, 11 an ob creationem primam tantum Deus dicatur Pater *ibid.* Pater Chriſti, Deus ipſius dicitur 45 & ſeq. & Deus Patriarcharum 19. Filio excellentior eſt *ibid.* & diverſam ab eo ſubſtantiam habet *ibid.* per eum colitur 16. prærogativa ejus præ Filio & Spiritu Sancto multiplex 18. ſolus à ſeipſo eſt *ibid.*
Perſona quid 19, 20. an modus ſubſiſtendi, ſeu ſubſiſtentia 20, 92. definitio ejus, quod ſit ſubſtantia prima intelligens, an concretæ tantum perſonæ competat 113. an ſit laxior *ibidem* perſona divina quid 26. an ſubſtantia 92. à natura divina non differt 14, 20, 106. Infinitæ & finitæ analogia 94, 95. nulla eodem tempore pluribus ita dari poteſt, ut in ſingulis reipſa habitet 78. ea nemo obſignatur 79
Peti ab alio non ſolent, quæ is ipſe, qui petit, præſtare & vult, & facili negotio poteſt 35
Poteſtati divinæ divinus debetur cultus 41
Prædeſtinationis actus ſoli Patri in Scriptura tribuitur 37
Præſentia apud Latinos ſæpe frequentationem actionis ſignificant 45
Præterita apud Hebræos crebro pro præſentibus uſurpantur *ibid.*
Primitiæ alicujus rei quæ 81
Primogenitus ſemper ex eorum eſt numero, quorum, præter parentes, eſt primogenitus 62
Prophetarum ſtylus 82

R.

R*Atio* in divinis rebus non repudianda 88
Ratione distincta quæ dicat Ariſtoteles 106
Realiter eadem & *diſtincta* quæ 91
Redemtio quomodo Filio adſcribatur 77
Relata non poſſunt eidem eodem reſpectu, parte, ac tempore ineſſe 95
Repeti res eadem a Sacris Scriptoribus quando ſoleat 11
Res perſonis, etiam divinis, ſæpe adjunguntur in Sacris Literis 69. res etiam eæ, quæ ſubſtantiæ non ſunt, de cœlo deſcendere, & externa ſpecie adumbrari poſſunt 87
Reſuſcitatio Chriſti ex mortuis, filiationis ejus inter alias ratio eſt 50. interdum univerſam ejus gloriam complectitur 57

S.

S*Acerdos* Deus ſummus eſſe non poteſt 49
Sacerdotium Chriſti regiam ejus poteſtatem in ſe complectitur *ibid.*
Salvatoris vox Patri etiam tribuitur 69
Sanctificare in Sacris Literis quid ſignificet 54
Sanctificatio an Spiritui Sancto peculiari quadam ratione tribuatur in Sacris Literis 60. an crebrius quam Patri & Filio 77. etiam rebus, quæ perſonæ non ſunt in Sacris Literis tribuitur *ibid.*
De *Satisfactione* Chriſti dogma vulgare quæ abſurda pariat 110
Scholaſticorum de attributorum divinorum diſcrimine ſententia, ejuſdemque examen 105. item de perſonarum Trinitatis ab eſſentia diſtinctione 106 & ſeq.
Scrutari conſilia ſua an aut quomodo quis dicatur 85
Secundum carnem cui opponatur in Sacris Literis 22
Senſibus fidem qui detrahunt, fidei fundamenta ſubvertunt 110
Seſſio ad dextram Dei quam vim habeat 39
Similis ſui eſſe quo ſenſu quis dicatur 52
Solius vox quam vim habeat 3, 6, 15, 16. alia ſubjecta à communione prædicati excludens; ſubjecto adjicitur 5. cum ad plura ſubjecta refertur, ubi ponatur in oratione 6
Species prædicatur de toto individuo qua totum 101
Spiritus nomen ſubjecti loco poſitum nullibi divinam eſſentiam deſignat 23. nec tres perſonas unius divinæ eſſentiæ 11. quomodo de Patre, & de Chriſto prædicetur *ibid.* ſæpe, tum ſimpliciter, tum cum adjectione poſitum, Spiritum Sanctum deſignat *ibid.*
Spiritus Sanctus cur ſic appelletur 75, 76. ei adſcribuntur illa omnia, quæ ex divino afflatu proficiſcuntur 72. quomodo allocutus quempiam dicatur 66. cognitio ejus in cognitione Patris & Filii quomodo contineatur 67. de cultu ejus Sacræ Literæ tacent 66 & ſeq. Deo & Chriſto ſæpe non adjungitur 67 & ſeq. etiam ubi Angeli commemorantur aut aliæ res Sacræ 52. Deus ſummus non eſt 7, 63. idem ſententia contraria honorem Patris imminuit 107. idem nuſpiam Deus in Sacris Literis dicitur 18, 63. ſæpe ab eo diſtinguitur 71. deſcenſus ejus ſuper Chriſtum qualis 87 donari hominibus ne metonymice quidem diceretur, ſi Deus ſummus eſſet 78. an ipſe detur, an vero ejus duntaxat effectus 75. ab effectu ſuo quomodo diſtinguatur 73 effuſio ejus quomodo Chriſto tribuatur 43, 48. miſſio ejus quid 84. partitionem is admittit 80. qualem 81. an perſona ſit 78. nuſpiam in perſonæ forma apparuiſſe dicitur 87. Patris nomine nuſpiam comprehenditur 10. Pater Chriſti foret, ſi perſona eſſet 74. proceſſio ejus qualis 82, 105 & ſeq. an ea, quæ vulgo ſtatuitur, à generatione Filii Dei ex eſſentia Patris quicquam differat 104 & ſeq. quomodo à Filio procedat 18. revelationis divinæ qualis ſit cauſa 85. ſignificatio ejus olim vulgo nota quæ fuerit 75. qualis ſit Dei virtus 71
Subjectum idem ſæpe diverſis nominibus per conjunctionem copulatis deſcribitur 11. Subjectis multiplicatis multiplicantur etiam illa, quæ de ſingulis diſtincte dicuntur 90
Subſiſtentia per ſe vim agendi nullam habet 14. nihil operatur 25. quot modis ſumatur ab adverſariis 94. unius una eſt 93
Subſiſtere per ſe quot modis dicatur 103
Subſtantiæ vox an de Deo uſurpari queat 92
Suppoſitum quid *ibid.* cur ſic appellatum *ibid.* quodnam ſit perſona 101

T.

T*Emplum* etiam ejus eſſe poteſt, qui non ſit ſummus Deus 64
Tentari à Diabolo, ſummi Dei non eſt 61
De *Toto* ſimpliciter negari nequit, quod de eo ſimpliciter dici poteſt ac debet 17, 23
Trinitatis dogma vulgare argumentis à ratione petitis refutare licet 88. tres Deos ſummos introducit 11, 89, 106 & ſeq. diſtinctionem munerum & actionum in perſonis non fert 78. ſeipſum evertit 89. Patris honorem minuit 107. à rudibus capi nequit 88. in Sacris Literis non continetur *ibid.* Sabellianiſmus reipſa eſt 99. alienos à Chriſtiana religione ab ea amplectenda arcet 111. cur id dogma diligenter examinandum *ibid.*

V.

V*Biquitatis* corporis Chriſti dogma quam abſurdum 109
Venire à ſeipſo quid 16
Virtus & *Spiritus* frequenter copulantur in Sacris Literis 72
Vita æterna an in eo conſiſtat, ut cognoſcamus Patrem & Chriſtum eſſe ſolum verum Deum 6
Unione duarum naturarum in Chriſto opus non fuit 104
Vocari pro *eſſe* 53

Index

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Index Locorum Scripturæ, quæ in Ethica Chriſtiana explicantur.

Caput	verſic.	pag.
Exodus		
23	21	322
32	1, 4, 8	331, 332
Deuteronomium		
6	5	317
29	2	242
1 Samuelis		
16	19	322
2 Samuelis		
12	14	318
1 Regum		
12	28	331
2 Regum		
5	18, 19	333
18	4	327
Pſalmi		
14	2	277
95	6	323
116	5	312
99	13, 17	349, 357
132	7	322
Proverbia		
25	9, 10	240
Eſaiæ		
47	12, 12	312, 313
Jeremiæ		
10	11	306
Eccleſiaſticus		
6	6 & ſeq.	239
Matthæus		
4	7	315
5	10, 20, 44	367
	39 & ſeq.	365, 394, 395
6	3 & ſeq.	362, 363
7	6	240, 337, 338
11	25	267, 336
	30	295, 381
	36	285, 286
12	13	266
15	24	230, 289
16	10	368
18	27, 28	289
19	18	366
22	1, 2 & ſeq.	296, 403
25	26	348 & ſeq.
26		
Marcus		
7	22	243, 366
14	22	348 & ſeq.
Lucas		
1	33	322
	74	298, 324
6	11	242
	36	374
10	27	284
	33 & ſeq.	374, 375
	36	364
12	15	393
21	36	361, 362
22	17, 19, 23	348
Johannes		
3	5	271
	6	*ibid.*
	19, 20, 21.	235, 268
4	23, 24	300
6	37, 44 & ſeq.	267
8	44 & ſeq.	266
11	52	*ibid.*
15	23, 24	317, 318
Actor.		
1	26	314
2	44, 45	404
5	9	316
13	48	267
15	10	316
20	21	269
24	15	248
Roman.		
1	12	305
	18, 29	367
	21	242, 268, 309
	29	365, 367, 374, 376, 394
5	10	269 & ſeq. 318
6	2, 8, 11	275
	6	*ibid.*
7	4	276, 294
8	9	280
	15	219
	26, 28	347
9	5	348
10	5, 6 & ſeq.	246
	9	243, 245, 301, 336
12	1	281, 293
	2	270, 290, 354
	8	420
	10	372
	18	383
13	3, 6, 7	435, 436
	11	274
	12	271
	14	274
	15, 17	380
14	22, 23	241, 243, 338, 354, 403
	23	249, 256, 258, 260
15	9	348
16	17, 19	238
1 Corinth.		
1	19	236, 242
	26	267
2	6, 7	231, 267
3	21	307
4	2	370, 417
5	7, 8	278
6	20	292
	21, 22, 23	434
7	fere per totum	404, 405
	8, 9, 35, 39	427, 428
8	7	254
	10, 12	*ibid.*
10	9	316
	12	298
	13	370
	14, 18, 22	334
	16, 17	348 & ſeq.
	22	320
11	3 & ſeq.	425
	7	332
	18, 19	384
	28, 31	291, 354 & ſeq.
	29	353
13	4	281, 398
	5	373, 376, 377
	6	277, 377
	7	376
14	33, 39	385, 415
15	29	310, 311
	34	274
2 Corinth.		
2	20	275
4	6	232, 233
5	14	275, 276
	20	270
6	6	237
7	1	273, 288, 298, 301
11 & 12		281, 282
11	2	281, 282
12	16	241, 371
Galat.		
2	19	275
	20	276, 289
3	1, 3	242, 330
4	8	306, 323
5	20	312, 325, 379, 384, 385
	22	370, 371, 378, 381 & ſeq 383, 391
	24	275
	25	289
6	1	280, 384, 414
	4	291, 355
Epheſ.		
2	5, 6	216
	22	277
4	18, 19	289, 389, 391
	22, 23, 24	228, 273
	23	270, 271
	31	351, 366, 374, 379
5	16	240
	17, 18, 19, 20.	332, 346, 390
	27	279
	33	430
6	1 uſque ad 10.	431 & ſeq.
	18	360 & ſeq.
	24	277
Philipp.		
1	10	278, 280, 291, 295
	21	289
2	4	380, 398
	12	297, 298
3	3	272, 300
	12	292, 297
	18	293
	19	379
4	4	380
	8	230, 390, 400
Coloſſ.		
1	9	231 & ſeq.
	11	299, 394
	20, 21, 22	269, 270
2	9	233
	11	272, 300
3	6	275
	8	366
	9, 10	273, 274

Caput

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Locorum Sacræ Scripturæ.

Caput	versic.	pag.
3	16, 17	346
	19	37?, 430
4	1	433

1 Theſſ.

Caput	versic.	pag.
4	3, 4	276
5	17	361
	24	370

1 Timoth.

Caput	versic.	pag.
1	13	252, 351
2	1, 2	345, 346, 362, 419
	8	278, 425
	9, 10	397, 400, 425
	11, 12	402, 430
	12	426, 429
3	per totum	409 & ſeq. uſque ad 423
	2, 8	280, 391, 400, 408
4	2	255, 403
5	4, 8	277, 304, 373, 433
	5, 6, 13, 14	428
	9 & ſeq	441, 442
	17, 18	408, 411, 423
	18	348
	19	413, 414
6	6	393
	17	436

2 Timoth.

Caput	versic.	pag.
3	12	289, 367
	16	415, 416
	17	242
4	2	412, 414
	7	293, 297
	10	403

Titum

Caput	versic.	pag.
1	à ℣ſ. 5. uſque ad finem.	409 uſque ad 423
	15	278

Caput	versic.	pag.
2	2 & ſeq.	426, 427
	7	410
	10	370
	12	274, 302 & ſeq. 364
	8, 14	294

Hebr.

Caput	versic.	pag.
1	13	234, 274
6	1, 2	234, 417
	18, 19	248
10	22, 23	255, 273, 301
11	1, 6	243, 244
	5	292
12	3 & ſeq.	395
	16	321, 387
	28	291, 298, 305, 324
13	3	383
	5	392
	15	281, 348

Jacobi

Caput	versic.	pag.
1	6 & ſeq.	246, 247
	16 & ſeq.	360
	18	271
	1	379
	2	273
	26, 27	305
	27	382
2	1	369, 370, 412
	5	267, 437
	10	303
	14 & ſeq.	245, 246
3	14	374
	15	233, 237, 280
	17	235, 368, 36?, 376 398, 410
4	4	282, 283, 318
	15	399
5	12	344
	15, 16	360

1 Petri

Caput	versic.	pag.
1	17	292, 293, 297
	23	271
2	1, 2	366, 371, 403
	9	281
	11	274, 292
3	7	237, 431
	15	336
	16	367
	21	225, 272
4	11	403, 417 418, 420
	13, 14, 16.	259, 34?, 380, 388
5	3	410, 411
	5	397, 399, 423

2 Petri

Caput	versic.	pag.
1	5, 10	230, 297, 393
	6, 7	237. 304
	10	292
3	14	280

1 Johan.

Caput	versic.	pag.
1	7	278, 279
2	15	274, 318, 390, 403
	16	394, 399
3	4	277
	6	234, 235, 272, 292
4	4	295
5	3	278, 294, 317
	14	246, 295, 357, 358
	16	286, 351

Apocalypſis

Caput	versic.	pag.
2	2, 3	378
3	16	299
7	9	279, 303
	14	273
14	4	281, 282, 289
19	8, 14	278
	10	237, 322, 326, & ſeq.
21	8	312, 395
22	9	322, 323, 337, & ſeq.

Elenchus Rerum Præcipuarum quæ in hiſce Ethicorum Libris & tractatibus de novo additis continentur.

A

A*rguis* & Moſis dubitatio qualis fuerit 538

Abhorrere à malo, & tenacem eſſe boni, quid ſignificet 288

A*bimelechum* cur Deus ob peccatum ignorantia patratum punire cœperit 258

De A*blutione* corporis aqua pura, & aſperſione cordium à conſcientia mala 273

De A*bnegatione* impietatis, & mundanarum concupiſcentium 274

De A*bolitione* corporis peccati 275

De fide A*brahami* 244

A*brogatio* legis quid 195

De A*bundantia* bonorum operum 289

A*ccedere* ad Deum quid 275

Adverſus quos & quando *accuſatio* admittenda, nominatim contra Seniorem 413

De A*ctionibus* hominum ad mores ſpectantium à pag. 165. uſque ad 168

A*ctio* & opus differunt 149

A*ctiones* corporis dicuntur mala opera & cur 287

Contemplationem præſtare *actioni* probatur 5 rationibus

A*ctionem* non eſſe finem vitæ ultimum: Certas tamen ob cauſas contemplatione omiſſa *actioni* eſſe incumbendum 214, 215.

Quænam ſint res ἀδιάφοροι 405 & ſeqq.

Quid ἀδιαφορίας & ἀφθαρσίας vocibus interdum intelligatur in Scripturis 277

Quid ſit ἀδικία ibid.

A*doleſcentes*, Vide *Juniores*.

A*dorare* quid ſit. Et A*dorationem* eſſe duplicem, Civilem & Religioſam 321

De *Adoratione* Chriſti. Et quod Chriſtus etiam in terris *Adorationis* particeps fuerit 322

De *Adoratione* Angelorum, & quod eam poſt Chriſtum exaltatum renuerint 322, 323

Diſtinctio inter *Adorationem* & ſervitium 324

Adulterium Matrimonii leges violat, ei opponitur & caſtitati 392, 429

De *adulterio* ſpirituali 282

Æ*dificationi* conſulendum in rebus licitis, & ſcandalum vitandum 406, 407

De Æ*qualitate* 189

Diſcrimen inter Æ*quanimitatem* & Magnanimitatem. Æ*quanimitas* quid 38?, 390

De Æ*quitate* 368 & ſeqq.

Æ*quitas*, & *æquum* bonum differunt à jure, ſuntque legum moderatio & correctio quædam 194, 195

Dominorum officium in Æ*quitatis* obſervatione 433

Deus *æquus* judex, repetit ab uno quoque ſecundum ea quæ ipſi dederit 213, 214

Æ*mulatio* quid 160

Æqui-

Elenchus Rerum Præcipuarum.

Æquivocationibus uti non licet in juramentis 203
De *æquivocatione* in rebus religionis. Vide *ambiguitas.*
Ætatum imparitas in connubio vitanda 428
De affectibus 159 & ſeq.
Affectum eſſe in appetitu, quid ſit, eum non eſſe virtutis genus; & cur quidam *affectus* virtutum aut vitiorum nomine cenſeantur 155
An *affectus* & res jucundæ cogendi vim habeant: negatur 167, 168
Affectus quid 275
Affectuum impetus ſunt temperantia coërcendi, ad Dei contemplationem excitandam, alendam & augendam 441
Afflictus. Vide *Calamitoſus.*
Ἀγαθοποιΐα, & ἀγαθωσύνη quid, & quæ ſint earum officia 382 & ſeq.
Quid ſit ἀγαθοποιεῖν 288
Ἁγιωσύνη & ἁγιότης quid denotent in Sacris, uti & ἁγιασμὸς 276
Quid voce αἰσθήσεως in Sacris Literis intelligatur 232
Quid per αἰσχρολογίαν intelligat Apoſtolus Epheſ. 5. 4. 285
Ἀκαθαρσία Caſtitati opponitur 301, 392
Quid per opera tenebrarum ἄκαρπα intelligatur Epheſ. 5. 11. 286
Ἀκαταστασίαι opponuntur Paci, ex quibus diſſidia naſcuntur, & ad quas verborum pugnæ referri poſſunt 385
Alacritas in Pietate quid 294
De *alacritate* in Pietate quæ pars eſt diligentiæ Chriſtianæ, & qua in re ea conſiſtat 299
De ἀλαζονεία ſuperbiæ parte 399
Voce *Albi* quid ſignificetur in Sacris 279
Dealbare veſtimenta ſua in ſanguine agni cur dicantur pii 237
Ἀλυπία non datur ſeu indolentia ex parte tum doloris tum voluptatum 218
De zelo *amaro* quo Jacobus III. 4. & de *amarulentia* charitati oppoſita 374. nec non manſuetudini contraria, & quomodo ab ira & excandeſcentia differat 379
Liceatne verborum *ambiguitate* confeſſionis apertæ neceſſitatem evitare, de perſonis ad quas quis ſermonem *ambiguum* habet 339, 340
Ambitio modeſtiæ opponitur, quamquam hæc vox affectum ipſum magis quam habitum exprimit 179
Quid ſit *ambulare* ſecundum mandata Patris 292, 293
Ambulare & vivere ſpiritu differunt 289
De *amentia* quatenus charitati opponitur 377
Veræ *amicitiæ* propria 4. 229
Quomodo *amicitia* & *amor* differant à benevolentia imperfecta, & concordia ſtricte ſumpta 154, 219
Amicitiæ neceſſitas, privatim & publice. Privatim 1. in ſecunda & adverſa fortuna 2. in infantia, pueritia, adoleſcentia, virili ætate, & in ſenectute. Publice, quod civitatum & domorum ſit vinculum. *Amicitia* à natura ortum habet 218, 219, 220
De prudentia in *amicis* deligendis, & inimicis vitandis 239, 240
Quid ſit & quomodo oriatur *amor* 159, 160
Amoris omnis cauſa eſt cognitio vel opinio boni in re quapiam deprehenſi 448
Amoris divini ſubjectum ſeu inſtrumenta 284
An *amor* in Deum ſit virtus in mediocritate conſiſtens 164
Amor proximi finis eſt hominis, nec non de *amore* erga Patriam 440, 441
Amor mutuus inter conjuges, qua in re amor conſiſtat 429
Ad *amorem* omnia maritorum officia erga uxores ſuas reduci poſſunt. Et quid ex illo oriatur: Cui adverſatur amarulentia & non moderata ac prudens caſtigatio 397
De *amore* mundi, & ejus contemptu 390
Quo ſenſu Demas præſens hoc ſeculum *amaverit* 403
Amor cœcus cur a Poëtis fingatur 450, 451
Amor. Vide *Charitas.*
De *amore ſui* quem Græci rotundius φιλαυτίαν appellant, à p. 447 ad 454
An vir bonus *ſeipſum* maxime *amare debeat*, nec ne? Quis laudabilis *ſui amor*? Et an etiam *amicitia* quædam eſſe poſſit unicuique *ſecum*? Veram *amicitiam* erga *ſe* exercet vir bonus & qua in re ea conſiſtat? *Amicitia* unius cujuſque *ſecum* eſt norma veræ *amicitiæ.* Extreme improbi nec ſibi ipſis, nec aliis ſunt *amici* 226, 229
Quid voces ἄμωμος, ἀμώμητος & ἀμεμπτος ſignificent in Sacris 280
Αναισθησία ſeu ſtupor circa voluptates neceſſarias opponitur temperantiæ in defectu 175
Analogia ſeu proportio quid, eſt duplex, continua vel diſcreta & utriuſque exempla 189
Analogia officii Deo & proximo præſtandi 304, 305
Quid ſit Paulo 1 Cor. 11. 27, 29. ἀναξίως de pane Euchariſtico edere 352
Quid ſit Sacris Scriptoribus ἀνδρίζεσθαι 394
Quid voces ἀνέγκλητος & ἀνεπίληπτος ſignificent in Sacris 280
Quinam illi quos Paulus 2 Tim. 3. 3. ἀνημέρους vocat 378
De *Angelorum* adoratione, & quod eam poſt Chriſtum exaltatum renuerint 322, 323
De *Angelorum* adoratione Idololatriæ latius ſumptæ ſpecie 327
Cur *Angeli* cultum ab hominibus ſibi delatum hodie non admittant *ibid.*
Angeli fuerunt adorati ante & ſub lege Moſaica, non vero ſub Euangelio 328
Cur Joannes *Angelum* adorare voluerit, præſertim cum jam fuiſſet ſemel ab Angelo prohibitus *ibid.*
An *Angelis* reverentia & honor aliquis debeatur *ibid.*
De Pietate erga *Angelos* 302
Cur *Anguſtæ* viæ & portæ vocibus vita pia deſignetur in Sacris 279
De *anima* ratione prædita 151, 155
Quid ſignificet apud Sacros Scriptores tota *anima* Deum diligere 317
De conſervatione Spiritus, *Animæ* & corporis inculpate in adventu Chriſti, ex loco 1 Theſſ. v. 23. 284
An & quatenus *anima* ponenda pro extraneo 372
Animalis & carnalis quid, & quomodo differant 280
Quid voce *animi* in definitione virtutis Chriſtianæ intelligatur 231
Animi bona ſunt vel à natura inſita vel acquiſita, quæque ea ſint, ea ad beatitudinem ſunt neceſſaria 153, 449 & ſeq.
Animi perturbationes ſunt temperantiâ, aliiſque virtutibus coërcendæ, ad Dei contemplationem excitandam, alendam, & augendam 441
Animi demiſſio, nonnunquam etiam corporis requiritur in precibus 362
Animi abjectio nimia modeſtiæ opponitur, non ita modeſtiæ adverſatur quam ſuperbia 179
Animum deſpondere non debent pauperes 437
Ἀνόητοι qui vocentur in Sacris Literis 243
Quid ſit ἀνομία 277
Vocem ἀνομίαν potius habitum quam actionem peccati ſignificare 287
Ἀνόσιοι qui vocentur in Sacris 307
Ἀοργησία ſeu iræ vacuitas opponitur manſuetudini, non tam huic virtuti adverſatur quam iracundia 269
Quid proprie ἀπείθεια ſit 247
Ἀπειροκαλία, ſeu inſolentia in ſumptibus, magnificentiæ opponitur 202
Aperire & tangere piorum cor dicitur Deus 268
Quid proprie ἀπιστία ſit 247
Quinam Ἀφιλάγαθοι 273
Ἀφροσύνη prudentiæ Chriſtianæ opponitur, unde ἄφρονες, qui prudentia deſtituuntur 241, 242, 243
Quid nomine ἀφροσύνης intelligatur Marc. 7. 31. 377
Quid ἀφθαρσίας & ἀδιαφθορίας vocibus interdum intelligatur in Scripturis 277
Particula ἀπὸ cauſam efficientem impulſivam non ſemel ſignificat in Sacris 305
De Ἀποστασία, & quid ſit 341
Apoſtoli cur ἀκρίβειαν & ſubtilitatem Philoſophicam in docendo & ſcribendo non fuerunt ſectati 302
Appetitus rationis aliquo modo eſt particeps 151, 155
Appetitum non eſſe proprie virtutis moralis ſubjectum, prout voluit Ariſtoteles, ſed voluntatem 251
Quid ſit *apprehendere* vitam æternam 292
Appropinquare Deo vel accedere ad Deum quid ſignificet in Sacris 274
Quid voces ἀπρόσκοπος & ἄπταιστος in ſacris denotent 280
Arbitrium liberum in homine eſſe ad virtutem aut vitium 261 & ſeq.
Cur Deus *Arcam* in Sacrario præſentiæ ſuæ ſymbolum eſſe voluerit 330
Verbum ἀργὸν quid ſignificet apud Matth. 12. 36. 286
Argumenta duplicia ſunt, quorum alia vocantur ab Ariſtotele πρὸς πρᾶγμα, alia πρὸς ἄνθρωπον 311
De *Ariolis*, divinatoribus &c. 312
Ariſtoteles providentiam divinam non agnoſcit 307

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Arithmetica proportio quid 162
Membra noſtra dicuntur *arma* juſtitiæ & injuſtitiæ 274
Ἀρπαγμὸς quid 268
De *Aruſpicibus*, auguribus &c. 312
De *arte*, & quæ circa illam ſunt conſideranda 211
Quo ſenſu *artes* liberales, & ſordidæ etiam, honeſtæ dicantur 437
Ἀσέλγεια Caſtitati opponitur 391, 392
Ἄσοφοι qui vocentur in Sacris Literis 242
De *aſperſione* cordium à conſcientia mala, & ablutione corporis aqua pura 273
Ἄσπιλος quis dicatur in Sacris 279
De Ἀστοργίᾳ 373
Quas vires *aſtra* in homines habeant 313
De *Aſtrologis* judiciariis ibid.
Aſtutia quid, prudentiæ opponitur 213, 241
Ἀσυνεσία, Prudentiæ ſtudio opponitur, & in quo conſiſtat 242
Quoſnam Paulus Roman. 1. 31. ἀσυνέτους vocat 377
Ἀσχημονεῖν quid Paulo 1 Cor. 13. 5. 382
Ἀσωτία temperantiæ opponitur 391
Athei quinam in Sacris dicantur, eſſe duplices 307 & ſeq.
Non *attingi* à maligno quid ſit 293
Ἀτυχήματα quid 166
Audacia quid 160
Audacia quid, fortitudini opponitur, ejuſque cum ignavia comparatio 182
Et quando fugere liceat 395
Auditorum ſuorum rationem habeat Eccleſiæ doctor oportet 417, 418
Auditorum officium erga eos qui publico in Eccleſia munere funguntur 423 & ſeq.
De *auguribus*, & Aruſpicibus &c. 312
De *avaritia* & profuſione 282, 283, 392 & ſeq
Αὐθάδεια quid, modeſtiæ opponitur 398
De ἀυτάρκεια 392, 441 & ſeq.

B.

De *Baptiſmo* lavacro regenerationis 272, 273
De *Baptiſatis* pro mortuis ex loco 1 Cor. 15. 29. 311
Βαττολογία abeſſe debet à precibus 362, 363
Βέβηλοι qui vocantur in Sacris 30
Præcepta de *bello* ac fortitudine *bellica* 182
De *Beatitudine* 149 & ſeq.
Comparatio *Beatitudinis* Theoreticæ & Practicæ 297 & ſeq
An *Beatus* amicis opus habeat 226
Benedictio poculi apud Paulum 1 Cor. 10. 16. quid ſit. Qualis gratiarum actio apud Paulum nomine *benedictionis* intelligatur. Cur poculo non pani denominationem *benedictionis* addiderit. An *benedictio* qua Chriſtus uſus & quam Paulus memorat ejuſdem ſint generis 3 8, 348 & ſeq.
De *Beneficentia*, quæ Græcis ἀγαθοποιΐα & ἀγαθωσύνη, & quæ ſint ejus officia 382 & ſeq.
Beneficentiæ & Liberalitatis collatio 196
In *Beneficentia* quæ nam ſpectanda 201
Beneficentia Dei, cauſa honoris divini 321
Beneficii mortis Chriſti excellentia, & quid in *beneficio* ſpectari ſoleat 352
De *Beneficentia* quæ eſt unum ex officiis ſanctitatis erga proximum 365 & ſeq.
An *benemerito* potius, quam bono viro ſit ſuccurrendum ſi utrique nequeas? Et cur *benemeriti* vehementius amare ſoleant eos quibus *benefecerunt*, quam contra hi illos? 310 311
Benevolentia ſeu favor quid? numeratur inter affectus virtutis amicos 160
Benevolentia quid: ea eſt vel perfecta vel imperfecta. Et quomodo imperfecta *benevolentia* differat ab amicitia & amore 228
Benignitas quid 183, 184
Benignitas requiritur in exactione laborum, & pœnarum à ſervis 433
Bilingues eſſe non debent Diaconi, & cur 419
Βλασφημία quid 351
Voce βλασφημίας ſignificantur interdum convitia in Sacris 368
De *blaſphemia* in Spiritum Sanctum 340, 536, 537
Bona jucunda, honorata, & utilia 161. de *bonis* quæ vel in nobis ſita ſunt vel extra nos 153, 154
De *bonis* ſpiritualibus 387 & ſeq. de *bonis* externis quæ in nos vel à parentibus derivantur, vel noſtro parantur labore, vel ex aliorum in nos benevolentia proficiſcuntur 448 & ſeq. de *bonis* fortunæ & commodis 188
In *bonos* tantum cadit concordia. Et quam amicitiam vir *bonus* erga ſe ipſum exerceat 228, 229
Bona. Vide *facultates*.
Mens dividitur in βουλευτικὴν & ἐπιστημονικὴν ſeu λογιστικὴν 211
Prudentia civilis eſt vel βουλευτικὴ ſeu conſultatrix, vel δικαστικὴ quæ judicum eſt propria 213
An *Bruta* virtutis aut vitii ſint capacia 251
De *Byſſino* ſpirituali, quo Sanctitas univerſa Chriſtiana ſignificatur 279

C.

Calamitoſum juvare, eſt unum è miſericordiæ officiis 375
Calliditas. Vide *aſtutia*.
Calvini Schola errat in rebus ſecundum quid neceſſariis 334
Calumnia quomodo à convitiis differat 368
Candor, ſinceritas & ſimplicitas filiæ ſunt veracitatis. Harum virtutum officia quæ 202 & ſeq.
De *Candore*: quid ſit 401 & ſeq.
De *Candore* in rebus religionis & quis ejus fructus 339
Cantus laudibus & gratiarum actionibus maxime convenit. *Cantus* ſimplex ſine inſtrumentis muſicis Chriſtianæ ſimplicitati convenientior 346
Aperto *capite* prophetare ac orare viri debent, quod tamen interpretationem recipit: fœminæ vero tecto *capite* 424 & ſeq.
De apertione *capitis* inter orandum, concionandum aut auſcultandum ex 1 Cor. 11. 4. 311
Carnis opera dicuntur mala opera & cur 287
De Sapientia *Carnis*, oppoſita ſapientiæ Chriſtianæ 237
Cur Idololatria proprie dicta *carnis* opus vocetur in ſacris. Et quomodo Idololatria late ſumpta *carni* faveat 333
Seminare in Spiritum & in *carnem* ſuam, ex loco ad Galat. 6. 8. 294
Quid ſit in *carne* pati & crucifigere *carnem* cum concupiſcentiis, quodque *caro* dupliciter ſumatur 275
Carnalis quis duplici ratione dicitur 271
Carnalis & animalis quid, & quomodo differant 280
De *Caſtigatione* Eccleſiaſtica 414 & ſeq.
Caſtigatio immoderata & imprudens adverſatur amori conjugali 431
Caſtitas quid 114 & ſeq. 392 & ſeq.
Qua cura *caſtitas* in cælibatu conſervanda ſit 428
Cur Deus ſpirituali cultui Chriſtianorum *Ceremoniam* Cœnæ Dominicæ, uti & Decalogo, *Ceremoniam* de celebrando Sabbato interſerere voluerit 300
De *Ceremoniis* honori divino oppoſitis 357
Certamen bonum *certare*, *certamen* bonum fidei *certare* & decurrere propoſitum ſibi *certamen* quid ſit 293 & c.
De *Certitudine* promiſſorum divinorum 264
Χαλεποὶ ſeu difficiles qui, inter iracundos recenſentur 185
De *Characteribus* magicis ad expellendum morbos &c. 213
De *Charitate* in Deum 317
Quantam Dei *Charitatem* Scriptura à nobis requirat ibid.
Charitatis nomine Sanctitatis pars quæ ad proximum ſpectat interdum effertur in Sacris 365
Unde *Charitas* Dei in nobis oriatur. Et Charitatem Dei conjunctionem noſtri cum eo deſiderare 318
Charitas erga alios, moderationem in iis quæ ad nos requirit 364
Charitatis erga proximum extrema in exceſſu & defectu 365
De *Charitate*, & quid ſit proprie 37 & ſeq.
Officiorum ex *Charitate* manantium diviſio 375 & ſeq.
Cur ex *Charitate* Dei & proximi lex tota & Prophetæ pendere dicantur, cum officia pietatis multa ad nos ipſos & cupiditatum noſtrarum moderationem ſpectent 302
Charitas erga proximum & patriam; vide *Amor*. 313
De *Chiromantia* 288, 401
Choreæ profanæ viros graves non decent 267, 380
Χρηστότης ſeu benignitas quid 274
Χρηστότης ſive bonitas ſumitur interdum pro univerſa ſanctitate Chriſtiana ibid.
Chriſtus ſumitur interdum pro religione Chriſtiana
Chriſtus in cœlum aſſumptus, an idem numero dici poſſit qui in terris fuerat 530 & ſeq.
De cognitione *Chriſti*, & quod idem valeat in Sacris quod cognitio Dei 233
Quid ſit non videre neque cognoſcere *Chriſtum* 234

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Rerum Præcipuarum.

De honore & pietate *Chriſto* debita 440, 441
De *Chriſti* adoratione & quod ejus in terris particeps fuerit 322
Per *Chriſtum* licet jurare 342
An omnes qui negant *Chriſtum*, Spiritum Sanctum blaſphement 340
An illi *Chriſtianorum* nomen mereantur qui *Chriſti* divinum in omnia atque imprimis Eccleſiam imperium non agnoſcunt 332
Quid ad definitionem virtutis vox *Chriſtiana* faciat 230
Chriſtiana Religio pietatis voce aliquando in Sacris denotatur & cur 304
Chriſtiana religione rigidum ſui cultum quem ſub Lege poſuerat cur temperare voluerit Deus 447
Chriſtianam religionem, præmio immortalitatis propoſito perfectam virtutem præſcribere & conſtanter urgere, quod nec Moſes nec Philoſophi facere potuerunt. Et cur Deus, etſi per *Chriſtum* perfectam virtutem præſcripſerit, eam tamen non rigidiſſime exigat 445 ad 448
Deus in *Chriſtiana* religione virtutis & ſui amorem conjunxit 453
In *cibis* quantitas & qualitas, locus & tempus ſpectanda, & præcepta generalia ac ſpecialia de utriſque 173, 174
De *ciborum* delectu & quomodo ſumendi; opponitur in defectu ſobrietati 391
De *circumciſione* ſpirituali cordis, & cur ea intelligatur in ſacris peccatorum depoſitio 272
Circumſtantiæ in actionibus obſervandæ ut honeſtæ fiant, & quænam illæ ſint 163. & à culpa vacent 166
Jus *civile* quodnam dicatur Ariſtoteli 193
Amicitia dividitur in *Civilem* & Domeſticam, & utraque eſt parium vel imparium 221 & ſeq.
Civile animal cur homo à Philoſopho dicatur 440
Præcepta circa *civilitatem* morum obſervanda 206
Clementiæ definitio. Præcepta *Clementiæ* IV. 184. uſque ad 187
In *cleros* dominationem ſibi arrogare non debet Epiſcopus, & quid per *cleros* apud Petrum 1 Epheſ. 5. 3. intelligendum ſit 412
Cælibatus verus eſt caſtitatis perfectio, & per ſe ac ſua natura præſtantior eſt conjugio 174
Cælibatus perpetuus aut diuturnus, laudabilis eſt, non ſimpliciter neceſſarius. Quatenus *cælibatus* matrimonio præferendus. An *cælibatus* ſit contra naturam. An ob Cœlibatum metuendus hominum interitus 404, 405
De iis qui *cælibem* vitam agunt eorumque officio 427 & ſeq.
Cur Deus ritum *Cœnæ* Dominicæ, ſpirituali Chriſtianorum cultui annecti voluerit 300
De *Cœna* Domini & rebus ad eam pertinentibus 251 & ſeq.
Cogitationes factorum rationem habent apud Deum 302 bonæ & malæ quando pro operibus bonis aut malis à Deo habentur 282, 283
Charitas non *cogitat* malum, quomodo intelligendum 373
Cognitionis principia quæ 213
In *cognitione* rerum ſalutarium progredi ſemper poſſunt & debent Chriſtiani 232
De *cognitione* Chriſtiana, vide *ſcientia*.
De *Comitate* 381 & ſeq.
Comitas, vide *Humanitas*.
Omnia ſua habere *communia* ut Chriſtiani Hieroſolymitani, laudabile eſt, & eorum ratio peculiaris 404
De nimia *complacentia* oppoſita gaudio Chriſtiano 380
De *Concordia* 228, 229
Concordia, vide *Pax*.
De mundanarum *concupiſcentiarum* abnegatione 274, 275
Confeſſio delictorum, errorumque quando neceſſaria 203
De *Confeſſione* nominis tum Dei tum Chriſti, & quid ea ſit. De *confeſſionis* neceſſitate, & quando ſit neceſſaria. Quæſtiones ſex de *confeſſione* 335 & ſeq.
De *Confidentia*, quatenus Fiduciæ opponitur 247
Confidentia numeratur inter affectus natura malos 260
Quid ſit *confirmare* Vocationem & Electionem ſuam. Item *confirmare* promiſſiones patrum 292
Conformari huic ſeculo, item *conformari* morti Chriſti, quid ſit 290, 291
Conjugum officia 428 & ſeq
De *conjugum* diſſidio duplici, deſertione nimirum & divortio 386, 387
Amicitia *conjugum* qualis, & unde ſtabilior reddi ſoleat 222
Conjugium, vide Matrimonium.
Conſanguineorum officia 433
De *conſcientia*, quodque ſit conſiliorum & actionum noſtrarum norma 253 & ſeq.
Cur, quæ dubitante *conſcientia* fiunt pro peccatis habenda, juxta locum ad Rom. 14. 23. 260
Conſcientia Idoli & Dei quid 334
Quid ſit habere bonam *conſcientiam* 292
Quid ſit recta *conſcientia*, & *conſcientiæ* gaudium 450
Magiſtratui *conſcientiis* vim inferre non licet 435
Quomodo incontinens contra *conſcientiam* peccare poſſit 29[illegible]
Ad rectum pravumque factum requiritur *conſilium*, & qua in re illud conſiſtat 252
Conſilium quando mutare liceat 395
Conſilium fidele dare, quod accipienti utile eſt, danti non moleſtum, beneficentiæ pars eſt 283
Conſilium, vide προαίρεσις.
De *conſtantia* in pietate, quæ eſt pars diligentiæ Chriſtianæ 294, 299
De *conſtantia* ſive in eadem re petenda, ſive in diverſis, & quid ſit indeſinenter orare, nec non de *conſtantia* in producendis precibus 362
De *conſuetudine* in bonis aut malis operibus 287
Vocabula quibus *conſuetudo* bene maleve agendi ſignificatur 268
De *conſuetudine* virtutis & quomodo ab habitu differat 252
Cur de *conſultatione* ſit agendum in doctrina virtutis 246
De *conſultatione*, & quænam ſit ejus materia, vel quæ ſub *conſultationem* cadunt 169
Vis maxima prudentiæ eſt recte *conſultare*, & in quo conſiſtat rectitudo *conſilii* 213
Contemplationem præſtare actioni probatur quinque rationibus 215
Contemplatio perfecta rei omnium diviniſſimæ hominis finis eſt ultimus & felicitas 440, 441
De *contemptu* bonorum ſpiritualium 387
De *contemptu* mundi & bonorum terrenorum, ac de ejus contrario amore 390
Contenti eſſe debemus præſentibus 392
De *continentia* & quid ſit 208 & ſeq.
Contingentia ſunt duplicia, vel enim plane ſunt incerta, nec ſub hominis arbitrium cadunt, ut quæ à caſu & fortuna; vel ſub hominis ſunt poteſtate. Et hæc iterum ſunt duplicia, aut enim ſunt πρακτὰ, aut ποιητὰ 211
Contractus ſunt vel voluntarii vel inviti 189
De *contumeliis* verbis vel factis, honori divino oppoſitis 325
De *contumelia*, laudibus divinis oppoſita 350 & ſeq.
De prudentia in *converſatione* 239
De *converſione*, & ejus oppoſito, averſione, vel cordis receſſione à Deo 269
Converſio, vide *pænitentia*, & *reſipiſcentia*.
In familiari *convictu* requiritur candor, taciturnitas, comitas & morum ſuavitas 323
Cur amici amicorum *convictum* tantopere expetant? Et cur *convictus* ad morum ſimilitudinem tantam vim habeat? 227
In *convictu* familiaritatem nimiam vitet Epiſcopus oportet, & cur 411
Quid ſignificet apud ſacros authores toto *corde* Deum diligere 317
Corporis actiones dicuntur mala opera & cur 287
Corporis actiones ſunt virtutis objecta, ſed non omnes 161
Corporis bona ſunt vel naturalia vel adſcitia 448 & ſeq.
Corpus & mens voluptatis tantum ſunt capaces 216
Corporis voluptates, pro numero ſenſuum dividuntur 216, 217
In *corporis* voluptate beatitudinem non conſiſtere 150
Corporis voluptates ſunt temperantiæ objectum, eæque ſunt duplices, vel homini propriæ, vel ei cum belluis communes 172
Corporis geſtus, quo honor Deo exhibetur triplex, inclinatio capitis, genuflexio, & adoratio ſeu proſtratio totius corporis 323
Corporis demiſſio requiritur interdum in precibus 362
De Glorificatione Dei in *corpore* & ſpiritu 292, 301
Quid ſit præbere *corpus* ſuum hoſtiam viventem, ſanctam, & acceptam Deo, ex loco Rom. 12. 1. 293
De conſervatione Spiritus, animæ, & *corporis* inculpate in adventu Chriſti, ex loco 1 Theſſ. 5. 23. 284
De *corporis* mortificatione ſpiritu 275
De Abolitione *corporis* peccati ibid.
Corrigere verbis & factis, vide *Reprehendere*. *Caſtigare*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Crapula ſobrietati opponitur & unde ea vox 391
De nova *creatura* 271
Quid ſit regula *creaturæ* novæ ambulare 292
Cur cum *credant* Dæmones, pii tamen non ſint 244
Credere. Vide *Fides.*
De *credulitate* quæ fidei opponitur 248
Juramenta per *crucem* Chriſti quatenus licita 242
Quid ſit ambulare ut inimicum *crucis* Chriſti 293
De *crucifixione* mundi & mundo, veteris hominis, & carnis cum concupiſcentiis 275
Crudelitas quid 375
Cur univerſus Dei *cultus* nomine fidei vocetur in Sacris Literis 246, 247
Cultus noſter dicitur in ſacris rationalis & cur 2;6
Cultus vide *Servitium.*
Cultus corporis, vide *Veſtes.*
Cum ſumitur interdum pro *coram* 292
Cupiditates propter objecta ſua vel honeſtæ ſunt, vel turpes, vel ἀδιάφοροι ſeu neutræ 299
Cupiditates honoris, libertatis, victoriæ, potentiæ, & commodorum his inſervientium raro cernuntur in brutis, quod oriantur ex mixtura appetitus cum ratione quæ nulla in brutis 159, 160
Cupiditas oculorum vocatur avaritia à Joanne & cur 394
Cupiditates caſtitati opponuntur 391
Quomodo incontinens à *cupiditate* ſuperetur. Et *cupiditates* voluptatum deteriores eſſe ira 209, 210
Quæ *cura* in acquirendis & conſervandis pecuniis ſit licita 197 & ſeq.
Curioſitas peccat adverſus diligentiam Chriſtianam 396
Quid ſit *currere*, *decurrere* propoſitum ſibi certamen, & *curſum* conſummare 293

D.

D*Æmonum* invocatio directa vel indirecta eſt mala 363
Explicatio primi *Decalogi* præcepti 305
Explicatio ſecundi *Decalogi* præcepti 329 & ſeq.
Cur *Decalogo*, qui maxima ex parte moralia præcepta continet, Ceremoniam de celebrando Sabbato Deus interſerere voluerit 301, 302
Declinare quid ſit juxta ſtylum Sacrarum Literarum 293
Decreta Dei ſunt mutabilitatis nota 358
Decorum pulchrum, & honeſtum idem eſſe & variare pro circumſtantiarum ratione, ac conſiſtere in ordine & harmonia rerum diverſarum 162, 163
Honeſti natura in *decoro* conſiſtit, & an *decorum* ab honeſto differat. Quid ſit *decorum* 439
De *decoro* in rebus externis obſervando, pro diverſitate naturæ, ſexus, ætatis, & vitæ genere 208
De officiis quibuſdam ad *decorum* Chriſtianum pertinentibus, non tamen prorſus neceſſariis 402 & ſeq.
Δέησις ἐνεργουμένη quæ Jacobo 5. 16. 360
De *defenſione* ſeu confeſſione Chriſtiana 316
Δεινότης quid, ad prudentiam requiritur 212
Δεισιδαιμονία, timori Dei opponitur 321
De *Delatione* 371
Delatores in Candorem ac veracitatem peccant 203
Quo ſenſu *Demas* præſens hoc ſeculum amaverit 403
Deponere peccatum quid 273
Derogatio legis quid 195
De *Deſiderio* bonorum ſpiritualium ſeu cœleſtium & ejus contrariis 387
Deſperatio quid; quomodo à Cicerone definiatur, numeratur inter affectus natura malos 160, 168
Devotionem eſſe partem ſeu proprietatem pietatis erga Deum: qua in re *Devotio* illa conſiſtat, & quæ ſint oppoſita 305
Cur *Deorum Deus* vocetur creator cœli & terræ 306
De *Deorum* pluralitate ac idololatria Gentilium, Judæorum & Pontificiorum 307 & ſeq.
Deus eſt cauſa prima ſed remota beatitudinis 154
Quid ſint *Dii alieni* 306
De cognitione *Dei*, & quod idem valeat in Scriptis Novi Fœderis quod cognitio Chriſti 233
Cum *Deo*, & digne *Deo* ambulare, quid ſit 293
Analogia officii *Deo* & proximo præſtandi 304
Ex *Diabolo* eſſe quid ſignificet in Sacris 266
Reſiſtere *Diabolo*, & non attingi à maligno, quid ſit 293
De *Diaconis*, eorumque officio &c. à pag. 419 ad 421
De *Diaconiſſis*. Quænam olim fuerint 422 & ſeq.
Quid ſit Paulo 1 Cor. 11. 29. διακρίνειν corpus Domini 354
Et διακρίνειν ſeipſum 354 & ſeq.
Quid per τὰ διαφέροντα, de quibus ad Philip. 1. 10. loquitur Paulus, intelligere debeamus 291
Dicacitas quid. Urbanitati opponitur 205
Difficultas virtutis unde oriatur 161
Actionum mixtarum *difficultas* 167
Diffidentia fiduciæ oppoſita eſt duplex, vel plena, vel imperfecta quæ & ὀλιγοπιστία dicitur 166
Quid ſit δικαιοῦσθαι 288
Δικαίωμα & δικαιώματα quid ſignificent in Sacris 287
De *dilectione* Chriſtiana & ejus officiis, & contrariis 371 & ſeq.
Non *diligere* & odiſſe Joannes pro eodem habet & cur 373
De *Diligentia* Chriſtiana 297
Diſciplina morum, ad officia Eccleſiæ totius pertinet 407
Diſcipulorum erga Præceptores officia 225, 433
De *diſcordia* quæ Paci opponitur, cujus ſpecies ſunt inimicitiæ, bella, &c. 384
Diſcordia quid 160
Quatenus laudes ſuas *diſſimulare* & reticere liceat 203
De *Divinatoribus* & *divinatione* per characteres, Taliſmanos, aſtra, ſomnia, ſortes &c. 312 & ſeq.
Divitum officium 436
Diviti obſervanda cum pecunias pauperibus largitur 199
Quomodo circa *divitias* ſe gerat magnanimus 177
In *Divitiis* beatitudinem non conſiſtere 150
Divitiæ, vide *pecunia.*
De *divortio*, matrimonio & paci conjugali contrario 386, 429
De diverſitate *Donorum* ex parabola Talentorum & Minarum 296
De *Doctorum* officio & de *Doctrina* 419 & ſeq.
Quinam *docendi* ſunt & erudiendi 240
Modeſtia non permittit fœminas *docere* in Eccleſia 426
Doctoribus honor debetur ab auditoribus, & quid hic honor ſub ſe complectatur 423 & ſeq.
Doctrina, politica præſertim, ad prudentiam requiritur 212
Quid vox δοκεῖ, ſeu *videtur* in Sacris interdum ſignificet 298
Δοκιμάζειν, & δοκιμασία, quid ſignificent in ſacris 278, 291
Quid ſit Paulo 1 Cor. 11. 28. δοκιμάζειν ἑαυτὸν 354
De *Dolore* & voluptate 159, 161
Dolorem & voluptatem maximas vires habere ad mores fingendos, vel ad vitium flectendos 215
An medius ſtatus inter voluptatem & *dolorem* detur, qui ἀλυπία Græcis, indolentia Latinis dicitur 218
Δολοπλόκον cur Poëtæ Venerem vocarunt 213
Dolus eſt duplex vel in verbis vel in factis 371
Perfidiæ proles 203
Vox *Domini* cum articulo apud Lucam, de Chriſto Jeſu intelligitur 319
Dominorum officium 433, 434
Domeſticum jus, vide *Oeconomicum.*
Diſtinctio nugatoria & vana inter Δουλείαν & Λατρείαν 323, 320
De *Dubitatione* ſeu hæſitatione quæ fidei defectus eſt 247 & ſeq.
Cur Deus circa virtutis præmium *dubitationi* locum reliquerit 263
Quod improbi non recte de immortalitatis promiſſo *dubitent*, & quod probi recte ex eo ſpem immotam concipiant, quamvis *dubitationi* locum reliquerit Deus, & unde hoc fiat 264 & ſeq.
Dubitatio quid & quotuplex 266
Cur, quæ *dubitante* conſcientia fiunt pro peccatis habenda juxta locum ad Rom. 14. 23. 260
Quid faciendum ubi quis *dubitat* utrum res aliqua ſit licita vel non 405
Durities opponitur Dolori & luctui ob admiſſa peccata, & habet ſuos gradus 389

E.

DE totius *Eccleſiæ* officio 406 & ſeq.
De Offenſione *Eccleſiæ*, ab extraneis, vel domeſticis, tum ratione dogmatum tum ratione malefactorum, & quomodo Chriſtianus ea in re ſe gerere debeat 378
Bonam *Educationem* virtutis ac probitatis eſſe adjumentum 267
Quo ſenſu *Educatio* honeſta dicatur 437
Educare tenentur Parentes liberos ſuos, hoc eſt enutrire, & inſtituere 331 & ſeq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Educatio Liberorum in Diaconiſſis olim requirebatur 422
Particula εἰς pro ἐν ſumitur, εἰς poteſt verti *quoad* ſive *quod attinet ad* 274
Quid ſit *Electionem* & vocationem ſuam firmam reddere 292
Electio mediorum ad finem ad prudentiam pertinet 212
Electio. Vide προαίρεσις
Quid per *elementa* mundi intelligatur in Sacris 275
Elevatio non prohibere reliquiarum adorationem 327
ἐν ſumitur pro *per* 274
Ἐνέργεια, ποίησις & πρᾶξις quomodo differant 151
Ἐνεργουμένη δέησις quæ Jacobi 5. 16. 360
Quodnam ſit diſcrimen inter ἐντεύξεις, δεήσεις & προσευχάς 362
Voce Ἐπηρεάζω exprimuntur facta ex injuſtitia manantia & præcipue Calumnia 367
Ἐπιείκεια quid, & diverſæ ſignificationes, munera, & oppoſita 368 & ſeq
Quid Paulus per τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν intelligat Phil. 4. 5. 390
Ἐπιείκεια. Vide *æquitas.*
Quid ἐπιθυμεῖν, & πεπληροφορῆσθαι. 275
Ἐπιορκεῖν quid 345
Iidem *Epiſcopi* & Presbyteri 408
De Officio *Epiſcoporum* 409 & ſeq.
De *Epiſcoporum* uxoribus & quid in illis requiratur 422
Epiſcopus. Vide *Doctor.*
Ἐπισκέπτεσθαι quid ſignificet in Sacris 388, 389
Ἔρις & ἐριθεία, χρηστότης oppoſita, quomodo inter ſe differunt 381, 382
Eſſe ex Deo, ex veritate, ex Mundo, ex Contentione, & ex Diabolo, quid ſignificet in Sacris 266, 267. Et quid ſit *eſſe* ſeu manere in Deo & Chriſto 291, 292
Ethica quid 143
Ethicam non eſſe exigui uſus in Theologia quæ maxime practica eſt 443
Evangelium multa pietatis officia, quod ad nos & cupiditatum noſtrarum moderationem attinet, præcipit, quæ Lex Moſis omiſit 302
Sub *Evangelio* eſt timor filialis, ſub Lege ſervilis 319
Quatenus liceat per *Evangelia* jurare 342
Εὐβουλία quid & qua in re conſiſtat 212
De cultu panis *Euchariſtici* qui Idololatriæ latius ſumptæ ſpecies eſt 325, 326
Euchariſtia. Vide *Cœna.*
Euclianes qui dicantur 280
Εὐγνωμοσύνη eſt prudentiæ affectio 213
De *Evigilatione* & ſomno ſpirituali 274
Εὐλάβεια quid ſignificet, & hac voce denotari pietatem noſtram in Deum 302
Εὐλογητὸς & εὐλογημένος quomodo differant 348
Εὐπείθεια quid, ſuperioribus debita 398
Quid intelligat Jacobus cum de ſapientia cœleſti dicit, eam eſſe εὐπειθῆ 376
Εὐποιΐα quid, & ejus officia 382 & ſeq.
De duplici ſignificatione verbi εὐσεβεῖν 277
Εὐστοχία quid, ad prudentiam requiritur 295
Εὐτραπελία an inter virtutes numeranda, prohibetur Eph. 5. 4. 215
Excandeſcentia quid, numeratur inter affectus malos, & quomodo ab ira differat 160, 379
Excommunicatio pro modo delictorum, & ratione ædificationis publicæ ab Epiſcopo peragenda 415
An commercium habere liceat cum *excommunicatis* 386
Execrationes Chriſtianis illicitæ 363
Exempla bona domeſtica virtutis ac probitatis eſſe adjumenta 267
Exercitatio ad prudentiam requiritur, & duo largitur Experientiam & virtutem moralem 156 & ſeq.
Exhortatio. Vide *Hortatio.*
Experientia prudentiæ mater longo tempore comparatur 212
Experimenta ſucceſſuum virtutis ac probitatis eſſe adjumenta 183
Extranei quomodo diligendi, ſunt vel amici, inimici, vel medii 372
Extrema virtutis maximè vitanda, quæ à virtute longius diſcedunt, vel in quæ propenſiores ſumus 156

F.

F*Acere* pro operari bonum vel malum 228
Pietas in *factis* conſiſtit 301, 303
Factiones ſeu Conſpirationes opponuntur Paci 386
Facultas eſt in appetitu, quid ea ſit, eam non eſſe virtutis genus 155
Facultatum aliæ ſunt principes ſeu architectonicæ, aliæ vero ſunt adminiſtræ ſeu famulæ 142
De re *falſa* jam, aut poſt futura, jurandum non eſt 343
Quo ſenſu *Fama*, honeſta dicatur 437
Injuriæ quæ *Famam* petunt ſunt Contumelia, Contemptus, Calumnia, Obtrectatio, Falſum teſtimonium, & Convitia 386
Fama aliena Maledicentia læditur 203
Honeſtæ *Famæ* curam habere debet qui ad virtutem contendit 158
Fames & ſitis maxima ciborum condimenta, & cur 216
Familiaritatem bonorum virtutis ac probitatis eſſe adjumentum 265
Familiaritas. Vide *Societas.*
Favor ſeu benevolentia quid 168
Felicitas. Vide *Beatitudo.*
De *Felicitate* 551, 552
Feritas quid ſit 208
Fervor in Pietate eſt pars diligentiæ Chriſtianæ. Qua in re conſiſtat, & quæ ejus oppoſita 216
De *Fervore* in precibus 360
De *Fidelitate*, ejus definitio: & oppoſita 370
De *Fide* & variis ejus ſignificationibus proprietatibus gradibus &c. 243 & ſeq.
De *fide* ſeu *fiducia* in Deum & *Chriſtum* 314 & ſeq.
Quid ſit *fidei* obedire 288
Quid ſit in *fide* vivere filii Dei 289
Quid ſit in *fide* petere, & quatenus ea requiratur in precibus 360
Fides qua in re conſiſtat. Ejus officia circa promiſſa & juramentum 202
Fideles an in ſtatu immortalitatis iidem numero dici poſſint qui in terris fuerant 539 & ſeq.
Fiducia quid 160
Differentia inter *fiduciam* & ſpem 167
De *fiducia* in Deum & Chriſtum 163
De *fiducia* generali in Deum & Chriſtum 245
De *fiducia* reſtricta ſeu particulari in Deum & Chriſtum 246
De *fiduciæ* extremis ſeu oppoſitis Diffidentia & Confidentia 248
De *fiduciæ* extremo quod in exceſſu peccat, cum quis ibi divinam benignitatem ſperat ubi ſperare minime debebat 315
Quodnam ſit deterius, nimium Deo *confidere* an parum *ibid.*
Filii Dei, & *filii* mali iſtius vel Belial qui dicantur in Sacris Scripturis 266
Finis & Bonum inter ſe convertuntur. Dari *finem* in rebus humanis. Gradus eſſe *finium*. Et in *finibus* dari ultimum & præſtantiſſimum 149
Finis actionum hominis Chriſtiani 237
Finis vitæ noſtræ duplex eſt, partim enim ad nos ipſos, partim ad alios Deum nimirum & homines refertur, unde duo honeſti genera oriuntur 244
Finis vitæ humanæ 297
Quomodo Philoſophus duplicem vitæ *finem* ultimum conſtituerit, unum qui in Contemplatione, alterum qui in Actione conſiſtat 445
Triplex hominis *finis* eſt 440
Ad *finem* obtinendum de mediis eſt agendum 170
Flaminius nobilis Philoſophus quomodo honeſtatem definiverit 437
Cur Cœna Dominica *fædus* novum vocetur 352
Fœminæ majorem ægrotis præſtare poſſunt operam quam viri 422
Fœminarum officia 425
Fœminæ juniores. Vide *Juniores.*
De *fœnore & fœneratoribus* 200
Formam ſanorum verborum habere debet Eccleſiæ doctor 416
Ex *forma* corporis æſtimatur animus 153
Formido quid 160
De *fortitudine* 179 & ſeq.
De *fortitudine* quæ generali virtutis nomine ſignificatur. Ejuſque extremis, audacia & quando fugere liceat; & Timiditate, & quando trepidare in periculo liceat 393 & ſeq.
Fortitudo in periculis viros decet 424. requiritur in Magiſtratu 435
Fortitudinis laude non privandus qui ad mortis conſpectum exhorreſcit, modo eam ſuſtineat, nec qui ea metuit quæ omnes metuunt ut fulmina &c. 181

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Fortuna inter cauſas felicitatis non eſt numeranda 154
Circa *fortunam* tam ſecundam quam adverſam quomodo ſe gerat magnanimus 176 & ſeq.
Amicitiæ neceſſitas in utraque *fortuna* 218
Utrum in ſecundis, an vero id adverſis rebus magis ſit opus amicis? Et quomodo in utraque *fortuna* tum in accerſendis tum iu adeundis amicis gerere nos debeamus 226, 227
Amicitiæ *Fraternæ* cauſæ quatuor 222
Fratres in Chriſto quomodo diligendi 372
Pro *fratribus* vitam impendere tenemur 181
Fraus eſt duplex, vel in verbis vel in factis, quid 368
De *Frigidis* in Pietate 299
Fructus boni, *fructus* ſpiritus, & *fructus* juſtitiæ dicuntur bona opera, & cur 287
Fructum ferre Deo, & in omni opere bono *fructum* ferre quid ſit 294
An omnis *fuga* repugnet fortitudini Chriſtianæ, & quando *fugere* liceat 394
An & quando Paſtores *fuga* ſibi conſulere poſſint 415
Si *furioſus* hominem occiderit, homicidii non tenetur, juxta legem Corneliam de ſicariis 166
Furtum quid Juris conſultis & Theologis 368
De *futuris* quatenus jurare liceat 343
Futura contingentia quatenus Deo cognita 533

G.

G*Arrulitas* quid 204
Quomodo oriatur *gaudium*, & quid ſit, nec non ad *gaudium* pertinere malevolentiam 160
Quid ſit Paulo 1 Cor. 13. non *gaudere* ſuper injuſtitia, ſed *congaudere* veritati, & Roman. 12. *gaudere* cum *gaudentibus* 377
De *Gaudio* Chriſtiano cujus meminit Paulus Gal. 5. 22. quo honeſtam voluptatem aliis præbemus 379 & ſeq.
De *Gaudio* circa bona præſentia ſpiritualia 388
De *Generatione* ex Deo & quid ea ſignificetur in ſacris 272
Gens ſancta dicuntur pii Chriſtiani & cur 280
Gentium jus, quod Jurisconſultis dicatur 275
Geometrica proportio quid, eam ſectantur artes ſed in primis conjecturales 162
Qualis debeat eſſe *Geſtus* Paſtoris 418
Quæ ad *Gloriam* divinam pertinent, peti debent à numine 359
Quid ſit *Glorificare* Deum ſpiritu & corpore ſuo 293
De *Gloriatione* Chriſtiana vilipendio religionis oppoſita 336
Quid ſit *Gloriationem* habere in ſemet ipſo & non in alio, ex loco ad Gal. 6. 4. 291
Quid Γνώσεως, vel ἐπιγνώσεως vocibus in Sacris Literis intelligatur 231
Sumitur interdum Γνῶσις pro Prudentia. Vide *Scientia*.
Γογγυσταὶ qui 376
Gradus ſuos habent Pietas & impietas 294 & ſeq.
De *Gradibus* pietatis, partim ex hominis ſtudio, partim ex adjumentis & occaſionibus, partim ex tempore pendentibus 196, 197
De *Gratiarum actione* & quæ circa eam conſideranda ſunt 345 & ſeq.
De nimia *gratificatione*, oppoſita gaudio Chriſtiano 380
Gratitudo quid, & quomodo oriatur 159
De *Gratitudine* 199, 200
De *Gratitudine*, & quod ſit virtus mixta ex juſtitia, beneficentia & charitate 383
De *Gravitate* 207
De *Gravitate*: quid ſit, & quibus imprimis neceſſaria 400, 401
Graves perſonas vel ob ætatem, vel muneris functionem loci non decent 205
De *Gravitate* cum magnis viris certat Magnanimus, in geſtibus & voce 177, 178
Guſtus voluptates non tam ad materiam temperantiæ pertinent quam tactus, & cur 173

H.

QUid ſit *Habitare*, ſeu eſſe vel manere in Deo & Chriſto 291
Vocis *Habitus* acceptio duplex 155, 156
De *habitu* in bonis maliſve operibus, & quis illum habitum habere dicendus ſit 287
Habitus Virtutis qua in re conſiſtat; & à Conſuetudine differat 252
Quid voce *Habitus* in definitione virtutis Chriſtianæ intelligatur 241
In *Habitu* virtutis beatitudinem non conſiſtere 150
Differentia inter actiones quæ virtutis *habitum* antecedunt & conſequuntur 159
Hæreſis opponitur Paci Chriſtianæ, & ſumitur vel pro diſſenſione à doctrina ſalutari, vel pro diſſidio ab Eccleſia 385
Hæreticos nulla pœna civili afficiendos eſſe 521 & ſeq.
In *Harmonia* rerum diverſarum honeſtum, decorum ac pulchrum conſiſtere 162
Heroica virtus quid ſit 207, 208
Heroicæ virtutis eſt quod in quavis virtute eximium eſt aſſequi 447
Herile jus quod 194
Herus. Vide *Dominus*.
Homicida quis Joanni 1 Epiſt 3. 15. 376
In uno *homine* duplicem quodammodo *hominem* agnoſcit Ariſtoteles 445
De *homine* novo & veteri 273
Homo animal civile cur à Philoſopho dicatur 440
Homonyma, & Synonyma quæ Ariſtoteli dicantur 187
De *Honeſto*, decoro ac pulchro 163, 164
De *Honeſtatis* varia acceptione, & de honeſtatis natura &c. 437 & ſeq.
Honor Dei eſt duplex, internus & externus utriuſque *honoris* tres ſunt partes 1. Adoratio. 2. Servitium. Et 3. Prædicatio divini numinis 321, 334
Vitia *Honori* divino oppoſita 324
Honores ad civilem felicitatem neceſſarii, qui à parentibus in nos hæreditario quodam jure tranſeunt, ut Nobilitas: vel noſtra opera parantur, ut honeſta fama, gloria, magiſtratus 153
Honores ſunt materia magnanimitatis. Rationibus 4. probatur *honorem* eſſe bonorum externorum maximum. Præcepta 13 magnanimo circa honores obſervanda 167 & ſeq.
In *honore* beatitudinem non conſiſtere 150
Honore alii alios prævenire debemus, ne in modeſtiam peccemus 397
Honor amicis conveniens deferri debet 221. debetur ab Auditoribus præpoſitis: *honor* tria ſub ſe complectitur. 1. Amorem ac venerationem. 2. Obſequium ſed limitatum tamen. Et 3. Alimentum 423. debetur ſenioribus, unde 1. Obſequium. 2. Et miniſterii promptitudo 426, 427
Honorem uxoribus ſuis debent mariti 430. debent liberi ſuis parentibus, & quid hac voce comprehendatur 432 Servi debent heris ſuis, præcipue Chriſtianis 434
Honorare tenentur ſubditi ſuos magiſtratus; quidque *honori* illi repugnet 436
Beatitudo eſt bonum *honorabile*, & laudabile 153
Hoſpitalitas beneficentiæ officium 382
De *hoſtiis* ſpiritualibus Chriſtianorum 281
Quid ſit præbere corpus ſuum *hoſtiam* viventem, ſanctam & acceptam Deo, ex loco Roman. 12. 1. 293
Humanitas, vide Comitas.
Humana præcepta cultui divino oppoſita 324
Hypocriſis quid 535

I.

I*Actantia* eſt ſuperbiæ proles 179. modeſtiæ extremum 399
Jactantia quæ Græcis ἀλαζονεία, candori opponitur 204
Beatitudinem in contemplatione *Ideæ* bonorum non conſiſtere 150
De Gentilium, Hebræorum & Pontificiorum *idololatria* 307
De *Idololatria* honori divini numinis oppoſita 325
Cauſſæ cur *Idololatriæ* nomen ad omnem falſorum Deorum cultum extendatur *ibid.*
De ſpeciebus *Idololatriæ* latius ſumptæ, quæ hodie in Chriſtiano orbe vigent 325 & ſeq.
De *Idololatria* ſtricte ſumpta 329 & ſeq.
Cur *Idololatria* proprie dicta opus carnis appelletur in ſacris. 332
Et quomodo *Idololatria* late ſumpta carni faveat
Idolothytorum comeſtio idololatriæ vicinum aliquid habet 334
Idolum, vide *Imago*.
Ignavia fortitudini opponitur, ejuſque cum audacia comparatio 182
De auro *igni* explorato, quo non fucata ſanctitas denotatur in ſacris 279

Circa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Rerum Præcipuarum.

Circa *Ignominiam* quomodo magnanimus ſe gerat 177
Ignorantia ſcientiæ opponitur, & eſt duplex, negationis, vel pravæ diſpoſitionis 214
Ignorantia ſcientiæ Chriſtianæ opponitur, eſtque duplex, ſimplicis nimirum negationis, vel pravæ diſpoſitionis; affectata vel non affectata 235
Ignorantia eſt duplex, juris & facti, & quod veniam utraque admittat 252
De invite factis per *ignorantiam* 166 & ſeq.
Cur Abimelechi *Ignorantiam* Deus punire cœperit 258
Ex *ignorantia* blaſphemia in Deum quandoque oritur 351
Imaginibus uſi ſunt omnes falſorum Deorum cultores 325
De *Imaginum* confectione & conſecratione idololatrica 329
Cur Deus nulla ſe *Imagine* effingi voluerit 329, 330
Nec Iſraelitæ idololatræ, nec Ethnici crediderunt *Imagines* eſſe ipſoſmet Deos 331
Qualem incorporationem Deorum in *Imaginibus* Ethnici crediderint, quodque ſimile quid Pontificii de ſuis *Imaginibus* credant 331, 332
Cur Iſraelitæ, Moſe in monte morante, ad *Imagines* ſibi fabricandas Aaronem ſollicitarint ibid.
Juramenta per *Imagines* illicita 342
Imaginibus idololatricis pluſculum delectari, idololatriæ vicinum aliquid habet 333
Imaginibus vim aliquam tribuere, idololatriæ vicinum aliquid habet 334
De *Imbecillitate*, quodque oriatur 1. ex vehementia affectus in nobis. 2. Et ex rei ipſius difficultate, vel per ſe vel habita ratione conſtantiæ, & quod virium *imbecillitas* veniam peccato conciliat 253
Imbecillitas una eſt ſæpe ex cauſis iracundiæ 186
De *Imitatione*: Quid ſit alterum *imitari* 289, 290
Immaculati dicuntur Pii & cur 279
Immiſericordia quid 201, 375
Immortalitatis ſpes, virtutis calcar, quo Lex Moſaica, & Philoſophia Gentilis caruit; Religionemque Chriſtianam hoc præmio propoſito id facere quod nec Moſes nec Philoſophi potuerunt, perfectam ſcilicet virtutem præſcribere & conſtanter urgere 444 & ſeq.
Impatientia varia eſt & patientiæ opponitur 395
Imperium in Cleros ſeu Eccleſiam ſibi arrogare non debet Epiſcopus 412
De *Impietatis* gradibus 296
De *Impietate* erga Deum, quid ea ſit 306 & ſeq.
Impii ad ſupplicia reſurgent 533
Deductione ad *Impoſſibile* colliguntur principia ſcientiarum 213
Improbitatis & probitatis cauſa proxima efficiens eſt voluntas hominis libera 261 & ſeq.
Quibus modis Scriptura *Improbitatem* & *probitatem* exprimere ſoleat 265 & ſeq.
De *Improbitate* 267 & ſeq.
Improbus quomodo vitium amet, & probus virtutem 262
Cur *improbi* de virtutis præmio dubitent, probi vero de eo ſint certi 265, 266
Improbi quomodo appellentur in ſcripturis & cur 266
Improbi nec ſibi ipſis nec aliis ſunt amici 29
De *Imprudentia*, quæ inſipientia & ſtultitia vocatur in ſacris literis 242
Imprudentia prudentiæ opponitur, vel ut privatio, vel ut contrarium 213
De *Imprudentia* in Confeſſionibus fidei edendis 341
In pro *per* aliquando ponitur in ſacris 288
De *Incantationibus* magicis ad expellendum morbos & alia mirabilia patranda 312
De rebus *incertis* reſpectu vel noſtri vel rei ipſius, jurandum non eſt 344
Inclinatio quid ſit 156
Inconſtantia conſtantiæ oppoſita, & quando liceat mutare conſilium 396
Incontinentia, *Continentiæ* opponitur. Quid ſit Apoſtolo 1 Cor. 7.9. non *continere* ſe 390, 391. vide *Continentia*.
Incredulitas quæ fidei opponitur 247, 248
Quid ſit Paulo 1 Theſſ. 5.17. *indeſinenter* orare. 361
Quid ſit *indigentia* 191
Indigentia eſt materia liberalitatis 198
Indigentiæ Parentum ſuorum ſubvenire tenentur liberi 432
Indignatio ſeu nemeſis quid 160
Indigna nobis aut Deo petenda non ſunt 358
Quid ſit Paulo 1 Cor. 11.27, 29. *indigne* de pane Euchariſtico edere 353
Indolentiam non dari ex parte tum doloris tum voluptatum 218
Bona *indoles* & ingenium quæ duo εὐφυΐας voci Græci complectuntur, ad animi bona naturalia referuntur 419
Indoles generoſa quid 156
Deum multa *indulgere* hominibus quæ non approbat, imo quæ prohibet 333
Nimium liberis ſuis *indulgere* non debent parentes 431
Quid ſit *induere* novum hominem & exuere veterem 373
De probitate *inefficaci* & efficaci 257
Inertia, artis oppoſitum, quid 211
Si *infans* hominem occiderit, homicidii non tenetur juxta Legem Corneliam de ſicariis 166
Inferiorum officia priuſquam ſuperiorum in Sacris Literis tradi ſolent, & cur 431
De officiis *Inferiorum* erga ſuperiores & vice verſa 224
Cum *infirmis* quatenus pax colenda 384
Infructuoſa tenebrarum opera vocantur mala opera & cur 287
De *Ingratitudine*, laudibus divinus oppoſita 350
Inimicitia quid, & quomodo differat ab odio, ira & diſcordia 168
De *Inimicitia* in Deum & Chriſtum 318
De *Inimicitia* inter nos & Deum & reconciliatione per Chriſtum 269
Quid ſit ambulare ut *inimicum* crucis Chriſti 293
An amicorum *inimicis*, nos quoque *inimici* eſſe debeamus? 225
Inimicitia. Vide *Odium*.
Injuriæ. Quæ inferuntur corpori. Quæ famam petunt. Quæ denique facultates proximi impetunt 367
An volenti poſſit fieri *injuria*. Quid injuria ſit. An quiſquam ſibi poſſit facere *injuriam*. Qui ſe ipſos interimunt ſibi *injuriam* non facere, ſed reipublicæ. An qui plus tribuit, an vero is qui plus accipit faciat *injuriam*. Utrum ſit deterius *injuriam* facere an vero pati 175 & ſeq.
Quomodo manſuetus ferat & repellat *injurias* ſibi ab inferiore, ſuperiore, aut pari illatas 184, 185
Quam fortiter *injurias* ſibi illatas tulerint Chriſtus, Stephanus, Apoſtolique alii, nec non Lycurgus, Socrates, Philippus, Antigonus, & Cato 186, 187
Vox *injuſti*, pro falſo & imperfecto interdum ſumitur in Sacris 275
Quid ſit *injuſtitia* 187 & ſeq.
Quid ſit Paulo 1 Cor. 13. non gaudere ſuper *injuſtitia*, ſed congaudere Veritati 377
De *Innocentia* Chriſtiana & variis vocis acceptionibus 276
Inobedientia adverſus unum legis præceptum, quam gravis 303
Inoffenſus quis 280
Inopia. Vide *Indigentia* & *Paupertas*.
Inſtitutio ad virtutem à teneris inchoanda eſt, rectæ *inſtitutionis* ratio, & quibus ejus cura incumbat 158
Inſtituere liberos ſuos tenentur parentes 431
Intellectus objecta 293, 294
Intellectum non ſemper ſequitur voluntas: Actio *intellectus* duplex ſtatui poteſt, altera præcedit voluntatis actum, altera ſequitur 168
Intelligentia quid 213
Quid ſignificet apud Sacros Scriptores, tota *intelligentia* Deum amare 317
Intelligentes & ſapientes dicuntur improbi, & cur 267
Intemperantia, virtutis ſectatori fugienda, præſertim ſi juvenis ſit 157
Intemperantiæ & ignaviæ, nec non *temperantiæ* & fortitudinis comparatio 182, 183
Invidentia quid 160
De *Invidia* Beneficentiæ extremo 201
Et Charitatis oppoſito 374
De *Invite* & ſponte factis 165 & ſeq.
De *Invocatione* Dei 356, 357
Species *invocationis* 362, 363
Inter voluntarium & *involuntarium* eſt actio media ſeu mixta, quæ ex ignorantia vel imbecillitate proficiſcitur 171
Inutiles eſſe vel fieri ad omne opus bonum, quid ſit 294
Joci an Chriſtianis liciti 203
Jobi patientia an fuerit perfecta 537. ejus amici quatenus Spiritu Dei fuerint præditi 538
Ira & προαίρεσις idem non ſunt 171
Ira quid, unde oriatur 160, 183
Ira eſt actus internus; duplici modo ſumitur 378, 379
Iracundia opponitur manſuetudini. Ea ſe quinque modis oſtendit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

oſtendit. Quatuor ſunt *Iracundorum* genera. *Iracundiæ* cauſæ ſunt duplices. *Iracundiæ* remedia decem 185, 186
De *Iracundia* 378
Iracundia non tam turpis eſt quam voluptatum cupiditas 210
Iracundi ſunt ſuperbi & cur 179
Iracundus eſſe non debet Epiſcopus, & cur 409
Ironia quid, Candori opponitur 204
Irreprehenſibilis eſſe debet Epiſcopus, & qua in re hoc conſiſtat 409. Et Diaconi, & cur 420
De *Irreverentia* erga Deum & Chriſtum 925
Irriſio Dei Timori divino opponitur 320
De *Judicio* Dei in fideles & incredulos, ex loco 1 Petr. 4. 16. 347
In omni *Judicio* triplex ſcopulus vitandus eſt. 1. Præjudicium 2. Favor partis, & 3. Præcipitantia. 413
Juniores utriuſque ſexus decet modeſtia & reverentia ſeniorum 426, 427, 428
Juramentum quid 428
In *Juramento* ſermonis ambiguitas vitanda eſt 339, 344
Jus eſt vel naturale vel poſitivum, & de officio viri *juſti* circa leges 188
De *Jure* & de varia iſtius vocis acceptione 193 & ſeq
Juris ignorantia quid 65
Juſtitiæ vox interdum ſumitur per Synecdochen partis pro toto, pro univerſa Sanctitate Chriſtiana 195
Juſtitiæ erga proximum extrema in exceſſu & defectu 365 & ſeq.
De *Juſtitia* 187 & ſeq. 366
De *Juſtitia* particulari 188, 189
Quid ſit *Juſtum*, *Juſtum* factum, & *juſte* factum 193
Quæſtiones quinque ad *Juſtitiæ* & *injuſtitiæ* naturam pertinentes 195 & ſeq.
Cur *Juſtitia* ex Lege dura, at illa Fidei facilior 247
Vox *Juſtitiæ Dei*, quid ſignificet interdum in Sacris 28
Juſtitiæ nomen beneficentiam apud Hebræos interdum deſignat 364
Quænam illa ſit *Juſtitia* de qua Paulus ad Titum 2. 12. loquitur 302
Juſtitiæ fructus vocantur in ſacris bona opera & cur 287
Vox *juſti*, pro vero & perfecto interdum ſumitur in ſacris 274
Juſtus eſt magnanimus 178
Juſtitia requiritur in magiſtratu 435
Et in Epiſcopo 410
Juvare calamitoſum eſt unum è miſericordiæ officiis 407
Juvenes ſuperantur à ſenibus prudentia, at *juvenes* ſuperant in Mathematicis & cur 212
Juvenes cur profuſioni magis dediti quam Senes 200
Juvenes cur amicitias ex voluptate potius quam ex utilitate metiantur, Senes contra 217

K.

Κακία quid 365 & ſeq.
Κακοήθεια quid & quomodo Charitati adverſetur 376
Quid ſit *κακοποιεῖν* 288
Diſcrimen, inter *κενοδοξίαν & φιλαυτίαν* 398
Requirit Apoſtolus ut Epiſcopus ſit *κόσμιος*, & fœminæ utantur veſtitu *κοσμίῳ*, & quid illud ſit 400
Voces *κτίσεως* & *καινισμάτων* eodem ſenſu ſumi in ſacris, nimirum pro regeneratione noſtra 271

L.

Labor eſt pars diligentiæ Chriſtianæ, & qua in re conſiſtat 298
Laici qui & *ἰδιῶται* Paulo & Juniores Joanni 408
Diſtinctio nugatoria inter *Λατρείαν & Δουλείαν* 324, 331
De gratia *Latronis* in cruce à Chriſto facta 251
De *lavacro* regenerationis 269
Lavatio pedum Sanctorum requirebatur olim in Diaconiſſis 422
Quatenus *laudes* ſuas quis diſſimulare aut ſe ipſum *laudare* poſſit ita ut in Candorem non peccet 203
Quando ſe *laudare* liceat & virtutes ſuas commemorare 399
Nec ſe *laudat*, nec aliis ſe *laudandi* anſam præbet modeſtus, nec alios debita *laude* fraudat 178, 179
Quomodo humanus ſe gerat in aliorum recte factis *laudandis* 204
Lenitas quid 183
Lenitudo quid 187
Levitas Conſtantiæ opponitur, & quando liceat mutare conſilium 359
Levitas peccat in gravitatem, cujus ſpecies choreæ profanæ 208, 401
De rebus *levioribus* jurandum non eſt, & quod res *levis* gravior fieri poſſit ob circumſtantias 343
Legibus inhoneſtis obtemperare juſtum non eſt. *Leges* ſunt duplices 188
Lex quid 193
Æquitas eſt *legum* ſcriptarum moderatio, & cur *leges* correctione indigeant 194, 195
Lex cur litera dicatur 288
Per opera *Legis* quid intelligatur in Scripturis *ibid.*
Lex Moſis multa pietatis officia quæ ad moderationem affectuum noſtrorum pertinent omiſit, quæ Euangelium præcipit 301
Sub *Lege* fuit timor ſervilis, ſub Euangelio filialis 319
Cur *Lex* Moſaica, & Scholæ Philoſophorum, perfectam virtutem præſcribere & conſtanter urgere non potuerint, Religio vero Chriſtiana id faciat à pag. 442. uſque ad 447
De naturali amicitia Parentum erga *Liberos*, & cur *Liberi* non tam ament Parentes, quam ab iis amantur 222
Liberorum erga Parentes officia 224
Liberorum officia erga parentes 432
Liberi. Vide *Familia*.
Liberalitatis & beneficentiæ collatio. *Liberalitatis* objectum 150 & ſeq.
Fundamentum *libertatis* in ratione & intellectu conſiſtere 262
Virtutis & Vitii & rationem in *libertate* conſiſtere 251
In uſu *libertatis* paci ſtudendum eſt, & videndum ne nimium ſimus *libertati* noſtræ addicti 406
Liberi homines quinam dicantur 193
Liberales artes quæ 211
De *liberatione* à peccato ut ſerviamus Deo 274
Inter omnia voluptatum genera *Libidines* hominem maxime inquinant 276
De rebus *licitis & illicitis*. Vide *adiaphora*.
Lingua frænanda. Vide *Taciturnitas* & *Veracitas*.
A *litibus* abhorret liberalis 198
Lex cur *litera* dicatur 288
Logicam non eſſe exigui uſus in Theologicis 443
Longanimitas quid 183. Et quomodo ſe gerat in offenſis tum privatis tum publicis, tum civilibus tum Eccleſiaſticis; nec non in tolerantia malorum hominum 378 & ſeq.
Quo ſenſu *Lucrum* honeſtum dicatur 417
De *Luctu* ex conſideratione peccatorum admiſſorum, unde primo oriatur. *Luctus* circa futuras quoque pœnas. *Luctus* non eo modo nos occupare debet, quo gaudium, nec æquali ſemper menſura. *Luctus* non tantum ob habitum peccati, ſed etiam ob ſingularia facta 388, 89
In *Luce* & ut filium *Lucis* ambulare, quid 292
Lucere Lucem alicujus coram hominibus quid ſit 293, 294

M.

De *maculis* ſpiritualibus 279
Magiſtratus officium 435
Magnanimitas Chriſtiana quid 175, 442
Diſcrimen inter *Magnanimitatem*, & Æquanimitatem. *Magnanimitas* quid 390
Magnificentia quid, & quomodo à liberalitate differat. *Magnificentiæ* objectum 201, 202
De *Maledicentia* 203
Malevolentia quid 160, 201
Mali an ſemper puniantur per meliores 534
Malignitas quid 203, 376
Quæ peccata per *malitiam* admiſſa 252
Malum eſt duplex, honeſtum & inhoneſtum 180
Charitas non cogitat *malum*, quomodo intelligendum 373
Quid ſit ſecundum *mandata* Patris ambulare 292
Mandata Dei an ſervare poſſimus 548
Quid ſit *Manere* ſeu eſſe & habitare in Deo & Chriſto 291
Quid ſit *Manſuetudo* 183 & ſeq.
De *Manſuetudine* quid ſit, & quæ ejus officia 377 & ſeq.
De *Mariæ* Virginis cultu, Idololatriæ latius ſumptæ ſpecie 326
De officio *Maritorum* erga uxores. Vide *Conjuges*.
Martha cur à Domino objurgata fuerit 537
Martyrium Vide *mors*, & *fortitudo* Chriſtiana.
Quatenus Cœlibatus *Matrimonio* præferendus 405

Matri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Elenchus Rerum Præcipuarum.

Matrimonium contrahere debent qui continentiæ dono præditi non ſunt; ſed in Domino, ſeu convenienter religioni Chriſtianæ 427 & ſeq.
In *matrimonio* voluptatum conceſſarum uſus debet eſſe parciſſimus & verecundiſſimus 174, 175
Mechanicæ artes quæ 211
Quomodo virtus in *mediocritate* conſiſtat, & quid vocet Philoſophus *medium* rei & *medium* quod ad nos 439
Quid ſit *Mediocritas* 161 & ſeq.
In *mediis* ad finem conſequendum tria conſideranda ſunt 170
Melancholici voluptatibus indigent, in intemperantiam facile incidunt 218
Quid ſit præbere *membra* ſua arma juſtitiæ vel injuſtitiæ 274
De *membrorum* mortificatione 275
Meminiſſe vinctorum quid ſignificet in Sacris 383
Civile *mendacium* quatenus licitum 202
De *mendacio officioſo* 339
Virtutis *mentis* definitio, & diviſio in ſcientiam & prudentiam, fidem & ſpem 231
Mens. Vide *intellectus*
Cur virtuti præmium ac *mercedem* poſuerit Deus 446 & ſeq.
Mercedem laborum reddere tenentur Domini ſervis ſuis, ſive ſub jugo, ſive liberi ſtatus, ſive mercenarii illi ſint 433
Μετάνοια, quid ſignificet in Sacris 268, 269
Metaphyſica quid 214
Metus quid 160. De *Metu*, quid ſit 388
De *Metu*, timore, tremore & pudore Chriſtiano Vigilantiæ adjunctis 297
Metuere debent ſubditi ſuos magiſtratus & qua in re *metus* ille conſiſtat 436
Metus. Vide *timor.*
Militare bonam *militiam* quid ſit 293
De parabola *Minarum*, ex loco Luc. 19. 296 & ſeq.
Miſeria quid 154
Miſericordia quid 160
De *Miſericordia*, quæ interdum pro Charitate ſumitur, & quomodo ab ea differat. *Miſericordiæ* definitio, & officia 374 & ſeq.
Diaconorum officium eſt *miſereri*, & qua in re conſiſtat 420
De *Miſſa* idololatriæ latius ſumptæ ſpecie 325, 326
Actiones *mixtæ* ex ſpontaneo & invito 106, 107
Modeſtia quid, & quomodo à Magnimitate differat 178 & ſeq.
De *Modeſtia*, quid ea ſit, & quænam ejus ſint officia 396 & ſeq.
Modeſtia fœminas decet 425 & ſeq.
Mollities quid, & qui *molles* dicendi 210, 395
De virtute *morali* 250 & ſeq.
De *Moralibus virtutibus* in ſpecie 300 & ſeq.
Moralis virtus. Vide *virtus.*
Moroſitas quid 203
Quodnam ſit pulcherrimum genus *mortis* Politicis, quod Chriſtianis 180 & ſeq.
De peccato ad *mortem* ex loco 1 Joh. 5. 16. & quomodo à *mortali* differat 286
Peccata alia ſunt *Mortalia*, alia Venialia, & quænam illa ſint 285 & ſeq.
De *Mortificatione* actionum corporis, & membrorum noſtrorum ſuper terra 275
De *Mortuorum* cultu Idololatriæ latius ſumptæ ſpecie 292
Mortuum eſſe cum Chriſto, & peccato, viventem autem Deo quid 275
Quæ ad *Mores*, quam quæ ad cognitionem pertinent magis ſunt Doctori Eccleſiæ inculcanda 463
De *Moſis* voto qui quæſivit è libro vitæ à Deo deleri pro Iſraëlitis 446
Moſis & Aaronis dubitatio qualis 538
Moſes. Vide *Lex Moſaica.*
Primos *motus* ac impetus cogitationis, non haberi à Deo pro peccatis, & quid per *motus* illos primos intelligendum ſit 283
Motus animi quales eſſe debeant in Eccleſiæ doctore 418
De Sapientia *Mundi*, oppoſita Chriſtianæ 236
Mundi ſapientes & intelligentes improbi, & cur 267
De Crucifixione *mundi* & *mundo* 275
Quid per *mundi* elementa intelligatur in ſacris *ibid.*
De *mundi* contemptu & amore 390
Quo ſenſu Demas *mundum* amaverit 403
De *mundatione* ſpirituali manuum, cordis, animæ, & conſcientiæ 273
Mundus. Vide *purus.*
Murmuratio adverſus Deum 320
Muſica inſtrumenta in Sacris Chriſtianæ ſimplicitati non conveniunt 346

N.

Quid vox *natura* in ſacris ſignificet 306
Pro *naturæ* diverſitate decorum obſervandum eſt 208
Virtutem non ineſſe nobis *natura* 156
Naturæ inſtinctus virtutis ac probitatis eſt adjumentum, efficitque ut improbi ſint inexcuſabiles 262
Quid ſit Stoicis virtutem nihil aliud eſſe quam *Naturam* ſequi; immeritoque illam definitionem à Lactantio exagitari Inſtit. lib. 3. cap. 8. 439
A *natura* ſæpius proficiſcitur virtus heroica 207
Peccata contra *naturam* Caſtitati oppoſita 392
Jus *Naturale* quodnam Ariſtoteli dicatur; jus *naturale* & poſitivum 193
Neceſſaria ad ſalutem ſunt duplicia, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid 336. Vide *Salus.*
Nemeſis ſeu indignatio quid 160
Particula *Neque* quæ idem eſt quod *& non*, ita aliquando poſteriora cum prioribus ut & particula *&* copulat, ut rem etiam explicet retenta interim negatione 234
Νόμισμα à νόμῳ deductum, quod lege non natura conſtet 191
De *Norma* conſcientiæ conſiliorum & actionum noſtrarum 253
Conſcientia reſpectu *norma* eſt vel verax & recta, vel erronea & prava, vel denique media ſeu dubia quam Paulus infirmam vocat 254
De *nova* Creatura 270
De *novo* homine, quod induendus ſit 273
De *nuditate* ſpirituali, ac veſtimentis ad eam tegendam 278, 279
Nummus ab hominibus inventus. Duplex *nummi* uſus 192
De *nuptiis* ſpiritualibus Eccleſiæ Chriſtianæ cum Chriſto 283

O.

Quid vox *Obedientiæ* ſignificet 248
Obedientiæ vox pro Sanctitate Chriſtiana ſumitur 246
Cur *Obedientia* Deo per Chriſtum præſtanda fidei nomine vocetur 246
Quid ſit *obedire* Deo, Chriſto, Euangelio, Fidei &c. 288
Quæ *obedientia* parentibus debeatur 224, 225
De *obedientia* ſuperioribus debita, ut modeſtiæ laudem conſequamur 398
Obedientiam debent uxores maritis ſuis, & quid ei repugnet 429
Obſequium debent ſervi heris ſuis 433, 434
Obſequium debent ſubditi magiſtratibus ſuis; & qua in re illud conſiſtat, quidque ei repugnet 435, 436
Odium quid 183
Quid ſit & quomodo oriatur *Odium* 159
Odium quomodo differat ab ira, inimicitia & diſcordia 160
De *Odio* Dei, Charitatis oppoſito, quod interdum latius accipitur in ſacris pro mandatis Dei non parere, interdum ſtrictius pro odio religionis 318
Odium hominum erga Deum & Chriſtum differre *ibid.*
De *Odio* Charitati oppoſito, & quod Joannes non diligere & odiſſe pro eodem habeat, & cur 373
Oeconomicæ prudentiæ officium quod 213
Jus *Oeconomicum* eſt inter pares 193
De *offenſione* fratrum infirmorum 380
Quomodo ſe gerere debeat Chriſtianus in *offenſis* condonandis, tum ſibi, tum ſuis, tum Reipublicæ, tum Eccleſiæ, cujus membrum eſt, illatis ab extraneis vel domeſticis, tum ratione dogmatum, tum ratione malefactorum 378
De Ὀλιγοπιστία, quæ fiduciæ opponitur 248
Opes. Vide *pecunia.*
Opinionis objectum quod 211
Opinio quid 214
Quomodo Chriſtianus ſe gerere debeat adverſus eos qui diverſæ ſunt *opinionis* in dogmate aliquo religionis 378
De *Opprobriis* verbis vel factis, honori divino oppoſitis 325
Opera bona ſecundum magis & minus dicuntur. *Opera mala* quid? 282 & ſeq.
Opera bona alia ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, alia non ſimpliciter 286
Opera bona malave, vel ſingula vel plura inter ſe concatenata conſiderantur *ibid.*
Operibus bonis præeſſe, quid ſit 294
De *Operibus* ſupererogationis Pontificiorum 40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Orare. Vide *Precari.*
Ordine nihil mirabilius, ſapientique gratius, & in *ordine* quodam conveniente honeſtum, decorum ac pulchrum conſiſtere 438
Otium vitium frequens juvencularum viduarum, cujus conſectaria ſunt garrulitas & curioſitas 428
Otium & ſomnum fugere debet qui virtutem ſectatur 157
Omnes virtutis actiones ad *Otium* referuntur, & quid *otio* illo intelligatur 215

P.

P*Arci* qui dicantur 200
Parentum patriæque amor, pietatis voce in ſacris aliquando denotatur 304
De naturali amicitia *Parentum* erga Liberos. Et cur *parentes* magis ament liberos quam liberi *parentes* 222
De officiis *parentum* erga liberos 431
De *παῤῥησίᾳ* quæ fidei eſt perfectio 246
De *παῤῥησίᾳ* in profitenda religione Chriſtiana 336
Paſtor. Vide *Doctor*, & *Epiſcopus.*
Patris appellatio non tantum amoris & beneficentiæ ſed etiam poteſtatis eſt nomen 321
An *Pater* quavis in re ſit præferendus aliis, & ei potius parendum, quam cuipiam alii 225
Πάθος quid, Caſtitati opponitur 392
Quid ſit *Pati* in carne 275
De *patientia* 394 & ſeq.
Patientia Jobi an fuerit perfecta 537
Patientia. Vide *Fortitudo.*
De charitate erga *Patriam*, & quid Chriſtianis *Patria* ſit 441
Patrem appellare aliquem, cur vetitum ſit, & quatenus 537
Patrium jus quod 194
Pauperum officium 436
Paupertas. Vide *Indigentia.*
De *Pacis* ſtudio, & quid *pacis* nomine in ſacris intelligatur 383 & ſeq.
Pacem publicam tueri debet magiſtratus, & quid ad hoc requiratur 413
Definitio *peccati*, ſeu vitii moralis 249. De generatione & progreſſu *peccati* ex loco Jacobi 1. 14. 15. 285. *Peccata* alia ſunt Mortalia alia Venialia *ibid* & ſeq. *Peccata* ſunt duplicia, Omiſſionis, vel Commiſſionis 188 & 285. Quæ *peccata* per malitiam admiſſa 252. *Peccata* ignorantiæ & imbecillitatis veniam admittere *ibid.* De *peccato* ad mortem & non ad mortem, ex loco 1 Joh. 5. 16. & quomodo illud à mortali, hoc à veniali differat 286. *Peccati* habitum is habere dicitur, non qui idem peccatum ſæpius iterat, ſed qui varia etiam peccata plurimum patrat 287.
Quo ſenſu Jacobus dicat II. 10, Eum qui in unam Legem *peccat*, omnium aliarum reum eſſe 303. In *peccato* aliquo perſeverans, an & quatenus ſalviſica fide poſſit eſſe præditus 534. Quo pacto incontinens contra animi ſententiam *peccare* poſſit 209, 210. *Peccatum* auferre quid ſit juxta ſtylum Scripturæ 285. Quid ſit *peccato* mortuum eſſe, viventem Deo 275. *Peccatum.* Vide *Delicta*, & *opera mala.*
Pecunia mediocris eſt liberalitatis objectum 196 & ſeq.
Pecuniæ. Vide *divitiæ.*
Pœna eorum qui parentes *percuſſerint* 433
Perfectio operationis in duobus conſiſtit 216
De *perfectione* Chriſtiana quæ proprietas eſt Sanctitatis ſecunda 299
De officiis ad *perfectionem* pietatis pertinentibus. Vide *Decorum.*
Ad *perfectionem* omnibus aſpirandum eſt, & ſupremum hunc ſanctitatis gradum dari 295
Duplex eſt pietatis *perfectio*, intenſiva una, extenſiva altera, & utriuſque exempla 297
Cur etſi Deus per Chriſtum *perfectam* virtutem præſcripſerit, eam tamen non rigidiſſime exigat 446 & ſeq.
Quomodo virtus Chriſtiana ad hominis *perfectionem* ſpectet 231
Quid vocibus *perfectiſſimæ* virtutis, & vitæ *perfectæ*, in definitione beatitudinis intelligatur 151, 152
Quid vox *perficiendi* ſignificet in ſacris 288
Perfidia ſub ſe complectitur Dolum malum, perjurium, & verborum ambiguitates 203
De *perfidia* ejuſque effectibus Dolo & Proditione 371
In *periculis* quomodo ſe gerat magnanimus 178
Περισσεία malitiæ quid ſignificet apud Jacob. 1. 21. 273
Περπερεύεται quid Paulo 1 Corinth. 13. 4. 382
De *Petulantia*, comitati oppoſita *ibid.*
Φιλαυτία quid 398. Vide *Amor ſui.*
Philoſophiæ cum Theologia conſenſus & diſſenſus. 442
Philoſophiæ ſtudium quatenus Chriſtiano utile 533
Philoſophicam ἀκρίβειαν & ſubtilitatem Apoſtoli, qua docendo, qua ſcribendo, cur non fuerint ſectati 302
Cur *Philoſophi* perfectam virtutem præſcribere, & conſtanter urgere non potuerint, Chriſtiana religio id faciat, & *Philoſophos* tum Stoicos, tum Peripateticos perfectiora quam Moſes honeſti moralis præcepta tradidiſſe 444 & ſeq.
Φρονεῖν, φρόνημα, φρόνησις, & φρόνιμος in Sacris Literis quid ſignificent 232, 236. Vide *Scientia.* 313
De *Phyſiognomia.* 329
Quatenus *Picturis* uti liceat
Cur *Pietas* Chriſtiana fidei nomine vocetur in Sacris Literis 246
Parem *pietatem* Deum ab omnibus hominibus ſub gratiæ fœdere non requirere, ſed tantam quantam fides efficere queat 247
Pietatis proprietates 297 & ſeq. 542 & ſeq.
Pietas & Sanctitas Chriſtiana certamini, pugnæ & luctæ comparatur 298
Pietas varie diſtinguitur 211 & ſeq.
Pietatis vox varie ſumitur in ſacris: vel generaliter pro Sanctitate, & pro Religione Chriſtiana: vel ſpecialiter pro virtute divinum numen rite colendi, & pro amore in conſanguineos, in patriam, aut alios quibus ſumus obſtricti 304
Pietas erga Deum ultimus hominis eſt finis, & qua in re *Pietas* illa conſiſtat 440
De adjumentis ad *Pietatem* & fidem 245
De gradibus *Pietatis* & impietatis 294 & ſeq.
Pii cur aliquando de ſalute ſua dubitent 535. an iidem numero dici poſſint poſtquam immortales facti erunt, qui in terris fuerant 559 & ſeq.
Πικρία quid 374, 379
Quid ſit *Placere* Deo aut Chriſto, item *placere* hominibus & *placere* ſibi 291
Quid ſit *placere* proximo & ſibimet ipſi *placere* 380
Nimium *placendi* ſtudium Humanitati opponitur; & qui hoc vitio laborant ἄρεσκοι Græcis dicuntur 204, 205
Sibi *Placens* eſſe non debet Epiſcopus, & cur 409
Πλεονεξία quid 393
De πληροφορίᾳ, quæ fidei eſt perfectio 246
Poculi benedictio apud Paulum 1 Cor. 10. 16 quid ſit 348
De *pænitentia* ſeu reſipiſcentia quæ Græce μετάνοια & μεταμέλεια dicitur, & de ejus partibus 268, 269
Pænitentia. Vide *reſipiſcentia.*
Ποίησις, πρᾶξις & ἐνέργεια quomodo differant 151
Πολιτεύεσθαι, eſt vel munus civile obire, vel officium boni civis facere: & quid ſit πολιτεύεσθαι digne Euangelio, & in omni bona conſcientia Deo 293
Politica prudentia eſt duplex 212
Jus *Politicum* ſeu civile quodnam dicatur, dividitur in naturale & in poſitivum 193
Πολυγαμία inter Chriſtianos prohibita 429
Πορνεία quid 365 & ſeq.
Pontificios non aperte, re tamen & facto plures Deos introducere 307 & ſeq.
De *porta* anguſta, qua ratio vivendi Chriſtiani hominis ſignificatur 179
Poſitivum jus quodnam dicatur 193, 208
Poteſtas pro velamine quod *poteſtatis* ſignum eſt 1 Cor. 11. ℣ſ. 10. 328
Comparatio felicitatis *Practicæ* & Theoreticæ 214
Πρᾳότης ſeu lenitas quid 442
Quo ſenſu Chriſti *præcepta* gravia non eſſe dicantur, ſed jugum ejus ſuave & onus leve 294, 295
Explicatio *præcepti* ſecundi decalogi 295 & ſeq.
Quænam ſint illa hominum *præcepta* quæ Deus improbat ac reſpuit 310
Præcepta. Vide *mandatum.*
Quid *præceptoribus* ſuis debeant diſcipuli 225
Præceptorum officium erga diſcipulos 432
Præeſſe bonis operibus quid ſit 294
Tria in tractatu de *precatione* excutiuntur. I. Quænam ſint petenda & pro quibus. II. Qualis is eſſe debeat qui orat. III. Qualis eſſe debeat *precatio* 356 & ſeq.
Doctoris munus eſt in *precibus* præire, & quomodo eæ debeant eſſe comparatæ 416, 419
Probus quomodo virtutem amet & improbus vitium 262
Cur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Cur Deus Virtuti *præmium* adjecerit, & cur hoc *præmium* in hac vita eſſe nequeat 263
Cur Deus circa *præmium* virtutis dubitationi locum reliquerit *ibid.*
Quod virtutis meritum *præmio* non imminuatur 263
Quid vox *probare* in Scripturis ſignificet 291
Probationem, de qua loquitur Paulus 1 Cor. 11. 28, 31. duobus modis intelligi poſſe 354 & ſeq.
Utrum is qui ſe *probatum* non invenerit, nihilominus ad menſam Domini accedere debeat nec ne 355, 356
Procacitas quid, pudori opponitur 400
Procurare bona quid ſit 288
Prodigalitas. Vide *profuſio.*
Duo ſunt *prodigorum* genera 200
De *proditione* ejuſque effectibus, deſertione, delatione, & traditione 371
Profeſſio nominis Chriſtiani. Vide *Confeſſio.*
Profuſio & Avaritia Liberalitatis extrema, & quæ in exceſſu, quæ in defectu peccet. Duo ſunt *Prodigorum* genera 200
De certitudine *promiſſorum* divinorum 266 & ſeq.
Quid ſit confirmare *promiſſiones* patrum, ex loco ad Rom. 15. 8. 292
Quænam ſint Novi Fœderis *promiſſa*, & quod poſſimus petere non *promiſſa*, at non certo ſperare 358
De fide in *promiſſis* ſervanda. Quibus in rebus ſtare *promiſſis* non debeamus nec poſſimus 202
Quinam ſint illi προπετεῖς, de quibus 2 Tim. 3. 5. 377
Cur Spiritus *Prophetiæ*, Teſtimonium Jeſu vocetur in Apocalypſi 327
Proportio eſt duplex, altera ad rem ipſam, altera ad nos relata, 162
De Προσωποληψίᾳ æquitatis extremo quid ſit, ex loco Jac. 2. 1. & quomodo charitati opponatur 369, 370
Προθυμία Petro quid 411
De officiis ad *proximum* ſpectantibus. Et quo ſenſu *proximi* nomen ſumatur in Sacris Literis, & Theologos 363 & ſeq.
Prudentiæ Chriſtianæ officium 237. Quodnam ſit diſcrimen inter *prudentiam* & ſcienciam *ibid.* *prudentia* quid 211 & ſeq. *prudentiæ* & ſapientiæ collatio, & quæ principatum obtineat 214. *prudentiæ* præceptum ut pericula ſaluti noſtræ imminentia diligenter circumſpiciamus, & quantum ejus fieri poteſt declinemus 138. De *prudentia* in converſatione, & de ea præcepta varia 239 & ſeq.
Πταίω apud Jacob. 2. 10. quid ſignificet 303
Ψυχὴ & ψυχικὸς quid ſignificet in Sacris 284
Pudor fœminas decet 425 & ſeq.
Pudor, ejus partes & extrema. Vide *Verecundia.*
Pugnæ comparatur pietas Chriſtiana & cur 298
Pulchritudo. Vide *Forma.*
Pupillorum officium erga tutores 433
De *purgatione & purificatione* ſpirituali Manuum, Cordis, animæ, & Conſcientiæ 273
Quomodo *puris* omnia *pura* & pollutis polluta 278
Liberi in parentibus fidelibus quomodo *puri* 278
De *Pythonibus*, ariolis, &c. 312

Q.

QUid ſit *Quærere* Deum 291
Quid ſit non *Quærere* quæ ſua ſunt, ſed quæ proximi 380
Quæſtus. Vide *Lucrum.*

R.

R*Aptio* quid 368
Ratio quid 189. *Ratio* conſtituitur ab Ariſtotele principium προαιρέσεως 170. De *ratione* & voluntate brutorum 251
Rebellio adverſus Deum Timori divino opponitur 320
De *Receſſione* à malo 274
De *Reconciliatione* cum Deo, quæ eſt duplex, Imperfectior una perfectior altera 269
Reconciliatio primo nos, ſecundario Deum reſpicit 270
De *Regeneratione* ſpirituali, cui opponitur vita carnalis & animalis 271
Regeneratio ex quo ſemine fiat *ibid.*
De prudentia Chriſtiana in quovis *Regimine* 239
Quid ſit *Regula* novæ Creaturæ ambulare 292
Religio erga Deum, ultimus eſt hominis finis, & qua in re ea conſiſtat 440
Cur *Religio* Chriſtiana fidei nomine vocetur in Sacris 246
Quid *Religionis* voce intelligatur apud Jacobum 1. 26, 27. Et quod pietas in Deum *religio* dicatur in ſacris 305
De *Reliquiarum* veneratione Idololatriæ latius ſumptæ ſpecie 327
Præcepta clementiæ ad *remiſſionem* pœnarum pertinentia 184
De *renovatione* Spiritus Sancti, nec non mentis & ſpiritus mentis 270
In *reprehenſione* diſcernenda ſunt accurate hominum ingenia, & ſeveritas charitate & doctrina temperanda eſt; videndumque eſt num delictum privatim vel publice admiſſum ſit 414
Reprobus ſenſus quid 259
Reprobum eſſe ad omne opus bonum, quid ſit 294
De *Reſipiſcentia*, ejus partibus, & extremo 269
Reſipiſcentia. Vide *pænitentia.*
Reſiſtere Diabolo, quid ſit 294
Reſpublicæ ſunt aut rectæ aut pravæ. Utræque rurſus ſunt triplices. Rectæ ſunt regnum, ariſtocratia, timocratia: Pravæ ſunt tyrannis, oligarchia, popularis ſtatus. Et comparatio earum inter ſe. Imago harum *reipublicæ* formarum eſt in domo. Et quomodo amicitiæ in his *Rerumpublicarum* formis locum habeant inter pares & impares 221, 222
De *Reſurrectione* ex morte ſpirituali 276
Quomodo hæc Pauli verba accipienda ſint, ſi non ſit *reſurrectio* edamus & bibamus 444
Rogatio legis quid 195

S.

CUr Deus celebrationem *Sabbathi*, Decalogo, maxima ex parte morali, interſerere voluerit 300
De violatione *Sabbathi* diſcipulis Chriſti objecta 311
Cur uni virtuti *ſalus* aliquando adſcribitur, uti Matth. cap 5. 303
De rebus ad *ſalutem* neceſſariis 232
De *Sanctitate* ejuſque fundamento animi probitate 261 & ſeq. ejus definitio 276
De *Sanctitatis* proprietatibus, diligentia, Perfectione & Spiritualitate 298 & ſeq.
Sanctum eſſe in omni converſatione, ſectari *Sanctitatem*, quid ſignificet in Sacris 288
Reformatos non eſſe injurios erga *Sanctos* defunctos, cum dicunt eos pro falſis diis haberi 309
Cur *Sanguini* Chriſti dealbatio veſtimentorum piorum tribuatur in Sacris 273
Sapientia deſuper quæ 233
De *Sapientia* Mundi, oppoſita Sapientiæ Chriſtianæ 236
Sapientia quid 214
De *ſapientiæ* ſtudio 242
Sapientes & intelligentes dicuntur improbi, & cur 267
Quid per *Scabellum* pedum Dei in ſacris intelligatur, ac de ejus adoratione 322
Scandalum vitandum in rebus licitis 405, 406
De *Schiſmate* Pacis Chriſtianæ extremo; quid ſit 384. & quod diſcrimen inter hæreſin & ſchiſma 385
Scientiæ vox tribus modis ſumitur 214
De *Scientia* Chriſtiana; quibus vocibus in Scripturis efferatur; ejus definitio; Objectum 232 & ſeq.
Quomodo *Scientia* in incontinente à cupiditate obnubiletur, & cupiditate deferveſcente redeat 209, 210
Quid per *ſeculum* interdum intelligatur in ſcripturis 290, 293
De Parabola *Seminantis*, & *Seminis* boni, ex loco Matt. 13. vſ. 23. 296
Quid Apoſtolus Phil. 4. 8. per ὅσα σεμνὰ intelligat 400. Et quænam illa decora 403 & ſeq.
Senes cur avaritiæ magis dediti quam Juvenes 200
Senum officia 426, 427
Senſuum voluptates ſunt duplices 173
Senſuum voluptates, ſenſuum ratione dividuntur 216, 217
Servorum officium 434 & ſeq.
De Timore *Servili* & legali 320
De *ſervitute* ſub peccato, & liberatione ab ea ut *ſerviamus* Deo 274
Servire Deo 323
Diſtinctio inter *Servitium* & Adorationem 324
De *Servitio* ſtricte accepto quatenus honoris divini eſt pars 334
Servitium. Vide *Miniſterium.*
Severitas nimia peccat in exceſſu adverſus gravitatem 401 vide *Gravitas.*
De *Sexu* virili & muliebri, atque utriuſque officiis 424 & ſeq.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

De *Simulatione* circa res religionis, & quo uſque procedere deceat 338
Non omnis *ſimulatio* aut *diſſimulatio* in vitio eſt 401, 402
Sinceritas eſt veracitatis filia. Ejus officia quæ 202
Sobrietas & caſtitas ſunt duæ temperantiæ ſpecies. *Sobrietas* quid 173
De *Sobrietate* 390, 391
Solonis ſententia reprehenditur, quæ ſtatuit neminem in hac vita dici poſſe beatum 152
Sordidi qui dicantur 200
De *ſortibus* quibus uſi ſunt Apoſtoli Act. 1. in electione Matthiæ. Et an & quatenus *ſortibus* uti liceat 313
Quid ſit Paulo ad Titum 2. 12. σωφρόνως vivere 302
Σωφροσύνη quid 425 & ſeq.
Quomodo oriatur *ſpes*, & quid ſit 160
An omnes qui negant Chriſtum *Spiritum Sanctum* blaſphement 340
Vis *Spiritus Sancti* eſt duplex 250
De *Spiritu Sancto*, quatenus eſt cauſa efficiens virtutis moralis *ibid.*
De Conſervatione *Spiritus*, animæ & corporis inculpate in adventu Chriſti, ex loco 1 Theſſ. 5. 23. 284
Quid ſit vivere & ambulare *Spiritu*, & qua in re hæc inter ſe differant 289
Quid ſit ſecundum *Spiritum* aut *Spiritu* ambulare. Deum *Spiritu* & corpore ſuo glorificare 292
Seminare in *Spiritum* & in carnem ſuam, ex loco ad Gal. 6. 8. 294
De Glorificatione Dei in *Spiritu & corpore* 301
Spiritus piorum an in cælo ſint 537
Scientia Chriſtiana cur *Spiritualis* dicatur 234
De *Sponſaliis* ſpiritualibus piorum, qui virgines vocantur cum Chriſto 282
Cur de *Sponte* & invitè factis in doctrina virtutis ſit agendum 165, 166
Quid intelligat Apoſtolus cum dicit Charitatem omnia στέγειν 376
Quid vox *Stare* in ſacris ſignificet 298
Stultitia laudabilis, quænam ea ſit; præcipitur in Sacris 236
Stupor circa voluptates neceſſarias opponitur temperantiæ in defectu 175
Subditorum officia erga magiſtratus ſuos 435, 436
Subjectionem debent uxores maritis ſuis, & quid huic *ſubjectioni* repugnet 429
Superbia opponitur modeſtiæ. Quid ea ſit 179
Superbia Modeſtiæ opponitur in exceſſu 398 & ſeq.
Superſtitionis vox dupliciter ſumitur, vel pro inepto ac vano Dei cultu, vel pro nimio ac vano numinis metu 309

T.

Taciturnitas quid. Ejus officia 204, 402
De parabola *Talentorum* ex loco Matth. 25. 15. *& ſequent.*
Talio Pythagorica quid 190, 191
Temperantia quid, ejus objectum eſt voluptas & dolor ex carentia voluptatis 208, 209
Temperantiæ ſignificatio duplex, altera laxior cum pro continentia etiam ſumitur, & quod diſcrimen inter utramque ſit 390 & ſeq.
Pii Chriſtiani vocantur *Templum* Dei 281
De *Tentatione* Dei, fidei oppoſita. Quid ſit Deum & Chriſtum tentare 315 & ſeq.
Timor Domini vel Dei, ſumitur interdum metonymice & ſynecdochice pro univerſa Sanctitate Chriſtiana 278
De *Timore* Chriſtiano, Vigilantiæ adjuncto 297, 298
Quid ſit in *Timore* ambulare 292
Quid ſit ſine *Timore* Deo ſervire, ex loco Lucæ 1. 74. 298
Tolerantia quid 208, 209
Quomodo mali homines *tolerandi* & non *tolerandi* 378
De *Traditione* & quatenus à Proditione differat 371
Quid ſit *Tranſgredi* 235
De *Tremore* Vigilantiæ Chriſtianæ adjuncto 297
Quatenus *Trepidare* in periculo liceat 395
Non tantum pro lætis ſed & pro *triſtibus* gratiæ ſunt agendæ Deo, quod ea in bonum nobis coöperentur 347 & ſeq.
Triſtitia quid, & unde oriatur 160

V.

De *Vanitate* ſeu ſuperſtitione 310
Vectigalia. Vide *Tributa.*
Quid *Veneficii* voce ſæpenumero in ſacris intelligatur 311
Peccata ignorantiæ & imbecillitatis *veniam* admittere 252, 253
Peccata alia ſunt *Venialia*, alia Mortalia, & quænam illa ſint 285 & ſeq.
De peccato quod non eſt ad mortem, ex loco 1 Joh. 5. 16. & quomodo à *Veniali* differat 204
Δολοπλόκον cur Poëtæ *Venerem* vocarint 210
Veracitas quid. Quatenus ad promiſſa juramentaque refertur fidem in ſe complectitur: quatenus in ſermonibus noſtris ſive bonis ſive malis verſatur circa Candorem, Sinceritatem, & Simplicitatem 202, 203
De *Veracitate*, & ejus extremis Nimia ingenuitate, & mendacio, licito & vitioſo, idque quadrupliciter 402, 403
De *Verecundia* ſeu pudore. Quid ſit, quæ ejus partes 399, 400
Quæ ſit illa *veritas*, ex qua ſi eam ſequatur appetitus, honeſtas oritur 438
Quid ſit Paulo 1 Cor. 13. congaudere *Veritati*, & non gaudere ſuper injuſtitia 377
De adoratione in Spiritu & *veritate*, quæ veritas opponitur umbris & ceremoniis 300
Quid ſit in *veritate* ambulare 292
De *Veſtimentis* ſpiritualibus, quibus ſanctitas Chriſtiana denotatur 279
Veſte conveniente & pudica uti debent fœminæ Chriſtianæ, & quantum illuſtribus fœminis ſupra cæteras permittatur 425, 426
De *Via* anguſta, qua ratio vivendi Chriſtianorum ſignificatur 279
Quid vox *videtur* ſeu δοκεῖ in Scripturis interdum ſignificet 298
Viduorum & viduarum junctim qui ad matrimonium aſpirant officium 428
De *vigilantia* ſeu Cautione Chriſtiana, cui metus & pudor adjunctus eſt, cuique opponitur ſecuritas 297, 298
De *vigilantia* Chriſtiana, quæ Conſtantiæ pars eſt 394 & ſeq.
Vilitas quid 179
Quid ſit *vincere* 288
Vindicta quid 183
Virilis ſexus officia 424, 425
Pii homines dicuntur *virgines* & cur 281
Quid ſignificet apud Sacros authores totis *viribus* Deum amare 317
In *virtutis habitu* beatitudinem conſiſtere 150
Virtutis vox tribus potiſſimum modis accipitur 155. humanæ definitio, ac diviſio in *virtutem* intellectus & morum. *Virtutis* moralis, & vitii definitio; cauſæ efficientes: objectum primarium & ſecundarium 155 & ſeq.
Virtutem in mediocritate conſiſtere tribus argumentis probatur 161 & ſeq.
Virtutum moralium diviſio in tria genera 171, 172
Virtutis genus eſt habitus, non vero facultas aut affectus: Cur quidam affectus *virtutum* aut vitiorum nomine cenſeantur, 155, 156
Et *virtutem* non ineſſe nobis natura 208
Virtutes imperfectæ quid ſint 211
Virtus intellectus quid 219 & ſeq.
De amicitia per ſe quæ ex *virtute* oritur 230, 231
Virtutis Chriſtianæ definitio, definitioniſque explicatio 250
Definitio *virtutis* moralis 250, 251
Præcepta *virtutis* moralis comparandæ cauſa 251
Virtutis moralis ſubjectum non eſſe proprie Appetitum, ut voluit Ariſtoteles, ſed Voluntatem *ibid.*
Virtutis & vitii rationem in libertate conſiſtere *ibid.*
An bruta *virtutis* & vitii ſint capacia
Virtutis genus eſt habitus, & qua in re conſiſtat, & quomodo differat à conſuetudine 251, 252
Ad *virtutis* & vitii rationem requiritur Conſilium, & qua in re illud conſiſtat *ibid.*
Ratio *virtutis* & vitii debet peti ex diſtinctione factorum, quæ triplicia ſunt, voluntaria, involuntaria, aut media ſeu mixta 252
Virtus quomodo ametur à probo, & cur per ſe expetatur 262
Cur Deus *virtuti* præmium adjecerit, & *virtutis* præmium cur in hac vita eſſe nequeat 262
Cur Deus circa *virtutis* præmium dubitationi locum reliquerit 263

Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Quantum perfectioni *virtutis* accedat poſita ſpe præmii 283
Virtus cur difficilior vitio 283
De *virtutibus moralibus* in ſpecie 300 & ſeq.
Virtutes ita inter ſe ſunt connexæ, ut earum diverſæ ſpecies aliquando inter ſe concurrant, & officia aliqua ad plura genera referantur; hinc uni *virtuti* ſalus aliquando adſcribitur, uti Matth. 5. 303
Virtutes morum & ex ea pendentes actiones honeſti nomen ſibi proprio jure vendicant. Quo ſenſu *virtus* definiatur à Stoicis nihil aliud eſſe quam naturam ſequi, Et quomodo *virtus* in mediocritate conſiſtat 437, 438
Unde *virtutum* connexio 438
Virtutis moralis præcepta perfectiora tradidere Philoſophi tum Stoici, tum Peripatetici, quam Moſes 444
Virtutem non ita ſui pretium eſſe voluerunt Stoici, ut non tranquillitatis & rectæ conſcientiæ gaudio eam expetendam faterentur 445
Virtutem quo pacto alio referri urſerint Peripatetici, cum Philoſophus virtutis non quidem habitum ſed actionem longo tempore continuatam ultimum vitæ finem eſſe velit 445
Eſt in quavis *virtute* quiddam eximium, quod aſſequi pleriſque difficile, conari pulchrum & honeſtum, & adſpirantem non aſſequi venia quadam dignum eſt 447
Cur nec Moſes nec Philoſophi perfectam *virtutem* præſcribere & conſtanter urgere potuerint, Religio vero Chriſtiana id faciat; Et cur Deus etſi per Chriſtum perfectam *virtutem* præſcripſerit, eam tamen non rigidiſſime exigat 442 & ſeq
Virtus magnum ſui amorem in illis qui eam mentis oculo cernunt excitat 459, 460
Cur multi ſibi *virtutem* arrogent, qui ea minime ſunt præditi 451
Virtutis & ſui amorem Deus in Chriſtiana religione conjunxit 453
Virtus Heroica quid. Vide *Heroica* virtus.
Viſitare viduas & orphanos quid ſignificet in ſacris 382
Vita Dei quid ſit apud Paulum Epheſ. 4. 18. 289
Vita pro victu interdum ſumitur in ſacris 375
An quiſquam in hac *vita* beatus dici poſſit? 152
Vitæ brevitas & incertus ejus exitus, eſt adjumentum ad virtutem 251
Quid *vita*, quam jucunda & homini grata 448
Vitæ noſtræ finis eſt duplex, partim enim ad nos ipſos, partim ad alios, Deum nimirum & homines refertur, unde duo honeſti genera oriuntur 163
Vitæ civilis finis ultimus quis 214, 215
Quid ſit *vitam æternam* apprehendere 192. Vide *Immortalitas.*
Vitii definitio 155
Cur quidam affectus *vitiorum* nomine cenſeantur 156
Ad ea *vitia* ſumus proniores quæ majorem afferunt voluptatem, & cur 157
Vitia nulla, quamvis parva, contemnenda 158
Vitia intellectus quid 211
Vitii definitio 231
Definitio *vitii* moralis 250
Vitii & virtutis rationem in libertate conſiſtere 251
An Bruta *vitii* & virtutis ſint capacia *ibid.* Ad *vitii* & virtutis rationem Conſilium requiritur, & qua in re illud conſiſtat 252
Vitii ac virtutis ratio peti debet ex diſtinctione factorum *ibid.*
Quomodo *vitium* ametur ab improbo 262
Vitium facile, virtus vero difficilis & cur 283
De gradibus *vitioſitatis* 296
Quid ſit *viventem* eſſe Deo, mortuum peccato 275
Non amplius nobis *vivere* ſed Chriſto, quid ſit *ibid.*
Quid ſit *vivere* Deo, Chriſto, *vivere* Chriſtum in aliquo, in fide *vivere* filii Dei, ſibi non *vivere* & *vivere* Spiritu 289
Quid ſit *Vocationem* & Electionem ſuam firmam reddere 292
Quid ſit ambulare digne *vocatione* ſua 292
Diſcrimen inter *voluntarium* & Spontaneum 168, 169
An *volenti* poſſit fieri injuria 195
Quid vocibus *voluntatis Dei* in Novo Fœdere intelligatur 232
De virtute *voluntatis* ſeu morum 250
Voluntatem eſſe proprie virtutis moralis ſubjectum, non appetitum, prout voluit Ariſtoteles 251
Quid ſit *voluntas* *ibid.*
De *voluntate* & ratione brutorum *ibid.*
Quid *voluntarium* & involuntarium dicatur 252
Inter *voluntarium* & involuntarium eſt actio media ſeu mixta, quæ ex ignorantia vel imbecillitate proficiſcitur *ibid.*
Voluntatem eſſe liberam 261 & ſeq. & id etiam quod deterius & minus bonum eligere poſſe 262
In *voluptate* corporis beatitudinem non conſiſtere 150
Quid ſit Ariſtoteli *voluptas*, & beatitudinem eſſe bonum *voluptatis* plenum 152
Voluptas eſt primarium temperantiæ objectum. *Voluptates* ſunt duplices, aliæ animi, aliæ corporis, & circa has non vero illas verſatur temperantia 172
Voluptatum conceſſarum uſus in matrimonio debet eſſe parciſſimus ac verecundiſſimus 174
Voluptates conſtitui poſſunt triplices 208, 209
Quomodo incontinens à *voluptate* ſuperetur, & cupiditatem *voluptatum* deteriorem eſſe iracundia 209, 210
Cur de *voluptate* agatur in Ethicis. *Voluptas* quid 216 & ſeq.
De *voto* Pauli qui optavit à Chriſto anathema fieri pro fratribus & Moſis qui e libro vitæ deleri quæſivit pro Iſraelitis 446
Voces quædam in ſacris intendunt ſignificationem, ita ut plus intelligendum ſit quam dicatur 2 6
Voces & *verba* pro ratione ſubjectæ materiæ accipienda eſſe 280
Ὑπόκρισις duplex eſt, altera qua quis pietatem ſimulat, altera qua charitatem erga alium præ ſe fert 403
Ὑπομονὴ ejuſque officia & extrema 343 & ſeq.
Urbanitas quid 207, 208
De *Uſura*, quid ſit, & quam pernicioſa, non tantum debitori ſed etiam aliis 200
Uxorem an & quatenus dimittere liceat 533
De officio *Uxorum* erga maritos. Vide *Conjuges*

Z.

Z*Elotypia* quid. 160
Zelus, charitati opponitur, & quis ſit ille *zelus* amarus de quo Jacob. 3. 14. 373

Elenchus Rerum Præcipuarum, quæ in Tractatu de Spiritu Sancto continentur.

A.

DE *Acceptione* Spiritus Sancti & quid ſit 474
De *ægrorum* unctione per Seniores Eccleſiæ 497
Amor Dei. Vide *Charitatem.*
De *amiſſione* Spiritus Sancti, *amitti*, poſſe, & qua ratione: ſolutio exemplorum è Scriptura petitorum in contrarium 517
Angelorum opera ſæpius uſum fuiſſe Deum ut ſe hominibus revelaret, omnes illos quibus Deus ſe revelavit per *Angelos* aut alio modo, non ſtatim fuiſſe Prophetas 498
Animus Dei. Vide *Mens.*
De Spiritu *Anti-Chriſti* de quo Joannes teſtatur 1 Joan. 4. 3. quod fuerit in mundo antequam eſſet Anti-Chriſtus 456, 457
Apoſtaſiam donum Spiritus Sancti ſub Novo Fœdere penitus extinguere 518
De Sapientia qua præditi fuerunt *Apoſtoli* 493
Apoſtolos Prophetas fuiſſe & recte appellari; Apoſtolum tamen Paulum diſtinxiſſe inter *Apoſtolos* & Prophetas, quod *Apoſtoli* univerſa Chriſti religione ſimul & ſemel fuerint imbuti, ita ut ad plenam ejus cognitionem nihil amplius in iis deſideraretur; Prophetis vero particulares tantum contigerint revelationes de hoc aut illo negotio aut capite religionis, non vero de univerſa religione, ita ut neceſſe haberent eam aliunde diſcere 499
Aquæ nomine non ſemel effertur Spiritus Sanctus in Sacris, & cur 469
Aqua vivens vocatur Spiritus Dei Sanctus: quæ ratio ſit ſimilitudinis inter aquam & Spiritum Sanctum, & quid epitheto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

viventis aut vivæ denotetur 485
De fluminibus *aquæ* viventis ex loco Joan. 7. 38. 491
De qualitatibus impreſſis *arboribus* paradiſi 466
Ardor in precibus requiritur ut Deo gratæ ſint, hunc in nobis excitare dicitur Spiritus Sanctus 488
Spiritus Sanctus aliquando *arrhabo* vocatur, & *arrha* hæreditatis noſtræ & cur 458
De *arrha* & *arrhabone* Spiritus Sancti ex locis 2 Cor. 1. 22. & v. 5. Eph. 1. 14. Quid per illas voces denotetur 481 & ſeq.

B.

DE *Baculo* Elizæi, & quam vim habuerit ad ſuſcitandum mortuum 497
De *baptiſmi* & fidei unitate ex 4 cap ℣. 4, 5. ad Epheſios 469
De præcepto *Baptizandi* Apoſtolis dato in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti Matth. 28. 19. quid per *Baptiſmum* hoc in loco intelligatur, nec non de variis acceptionibus hujus vocis; quid ſibi velit Paulus cum 1 Cor. 10. 2. dicit Patres omnes fuiſſe in Moſem *baptizatos* in nube & mari. Et cum quærit Actor. 19. 3. à diſcipulis, in quid *baptizati* eſſent 477
Comparationem inter *Baptiſmum* aquæ Joannis, & ignis Chriſti, oſtendere Chriſtum diſcipulos ſuos omnes *baptizari* cupientes Spiritu ſuo imbuturum 511
De *blaſphemia* & glorificatione Spiritus Sancti, ex 1 Petr. 4. ℣ſ. 14 quo ſenſu *blaſphemari* dici poſſit ſi perſona non ſit: quod ſermo Dei, via veritatis, tabernaculum &c. *blaſphemari* dicantur quamvis perſonæ non ſint. Quomodo *blaſphemetur* Spiritus Sanctus, nec non de Contumelia in eundem Spiritum ex loco ad Hebr. 10. 29. 478
De *Bono* Dei Spiritu ex Pſal. 143. 10. Neh. 9. 20. quo replevit Deus Bezeleel Exod. 31. 3. xxxv. 31. Et Judices Regeſque populi ſui; Et qua in re differat à Spiritu Sancto 456

C.

QUid intelligatur in Sacris cum dicitur Spiritum Sanctum in aliquem *Cecidiſſe*, de timore idem dici Actor. 19. 17. Luc. 5. 12. 474
An ex eo quod Joan. 11. 51. de *Cajapha* dicitur quod de Chriſto prophetaverit, colligi poſſit Dei Spiritum in improbis manere, qui locus exponitur 518
Sæpius in Scripturis rei, quæ non eſt *cauſa* principalis, actio adimitur, ut *cauſæ* principali adſcribatur, cujus rei exempla quædam afferuntur 506
De effuſione *Charitatis* Dei in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis Rom. 5. 5. 458
De ſenſu *Charitatis* Dei effuſæ in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum ex loco ad Rom. 5. 5. 480
De Spiritu *Charitatis*, ex 2 Tim. 1. 7. 489
De Spiritu *Chriſti*, ex loco ad Gal. 4. 6. & quomodo fuerit in Prophetis, ex loco 1 Petr. 1. 11. 456
De virtute è *Chriſto* egreſſa, qua morbos ſanavit 468
Chriſtum fuiſſe Prophetam 499
De Spiritu Sapientiæ & intellectus, itemque conſilii & ſcientiæ qui ſuper *Chriſtum* quieturus dicitur Eſa. 11. 2. 492
Spiritum Sanctum ſui *cognitionem* ac ſenſum ſecum afferre; ad illam referri confirmationem, obſignationem, & arrhabonem Spiritus Sancti nec non *cognitionem* quod Deus in nobis ſit, & teſtimonium Gentibus perhibitum 480, 481
De *Cognitione* quæ inter dona Spiritus numeratur, vide *Sapientiam*, ubi prolixe de ea agitur, ex loco 1 Cor. 12. 8. 490 & ſeq.
Cognitione tantum præditi fuere Prophetæ, Apoſtoli vero inſuper Sapientia 499
Deum magis in *conventibus* religionis gratia inſtitutis ex Chriſti promiſſo Matt. 18. 20. quam alibi Spiritum ſuum communicare, & cur 515, 516
De forma corporea & viſibili *Columbæ* & linguarum ſub qua apparuit Spiritus Sanctus, an ex ea aſſumptione formæ corporeæ rectè colligatur Spiritum Sanctum non tantum eſſe ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, ſed etiam eſſe perſonam 465
De Spiritu *Compunctionis*, lenitatis &c. 464
Confeſſio oris requiritur ut quis Spiritu Sancto donetur 509, 510
De diſtinctione inter Spiritum Revelationis & *Confirmationis*, membra ejus non eſſe oppoſita juxta loquendi uſum Scripturæ, certo tamen ſenſu admitti poſſe 457
De *Confirmatione* Spiritus Sancti in Chriſtum, ex loco 2 Cor. cap. 1. 21. 480
De Spiritu *Conſilii* qui ſuper Chriſtum quieturus dicitur Eſa. cap. 11. 2. 492
Cur Chriſtus Joh. 14. &c. Spiritum Sanctum Paracletum ſeu *Conſolatorem* vocaverit: Et de Spiritu *Conſolationis* ex loco Actor. 3. 31. 484
De *contemptu* Prophetiarum ex loco 1 Theſſ. 5. 19. 520
De *Contriſtatione* Spiritus Sancti ex loco ad Epheſ. 4. 30. qui elucidatur 476
De *Contriſtatione* Spiritus Sancti ex cap. 4. 30. ad Epheſios. Obſignatione Spiritus ad diem redemptionis non denotari eventum, ſed conſilium Dei; non gravibus tantum ſceleribus, ſed & levioribus peccatis expelli à nobis S. Spiritum poſſe 519, 520
De *contumelia* in Spir. gratiæ ex loco ad Hebr. 10. 29. 478
Quomodo *Corpus* noſtrum 1 Cor. 6. 19. templum Spiritus Sancti dicatur, qui in nobis ſit 516
Credere vide *Fides*.

D.

D*Avidem* hæredem fuiſſe boni & regii Spiritus Saulis & Sancti ſeu Prophetici Spiritus Samuelis 456
Quid ſignificare velit Joannes cum dicit 1 Epiſt. 3. 24. & iv. ℣ſ. 13. nos cognoſcere *Deum* in nobis, & nos in *Deo* manere, quod ex Spiritu ſuo nobis dederit 483
Diabolus, vide *Satanas*.
Spiritus Sanctus *digitus Dei* vocatur Luc. 11. 20. & cur 467
De *Diſcretionibus* Spirituum, cur illas diſcretiones ponat Apoſtolus 1 Cor. 12. 10. inter dona Spiritus, cum Chriſtus dicat Matth. 7. ex fructibus ipſorum falſos Prophetas cognoſci poſſe 502, 503
Spiritui Sancto tribuitur in Scripturis, quod *diſtribuat* 479
Prophetarum munus fuiſſe res ad Chriſtianam Religionem partinentes *docere* 459
Dona ſunt duplicia, ſtabilia vel tranſeuntia, de *donis* ſtabilibus ex 1 Cor. 14. de *donis* tranſeuntibus ex locis Actor. 4. 8. vii. 55. xiii. 9 &c. 465
De *Datione* & acceptione Spiritus Sancti, & quomodo hæc ei tribuantur cum ſit incorporeus. Qua in re *datio* illa conſiſtat? qua in re differat à proceſſione? & ſub *datione donationem* gratuitam contineri, unde *dona* Spiritus Sancti χαρίσματα vocantur, unde probatur Spiritum Sanctum non eſſe illum Deum altiſſimum 474
Spiritui Sancto tribuitur in Scripturis, quod *Det*, de Sapientia & fide dicitur etiam quod *dent* 479

E.

E*Ccleſiarum* paſtoribus Spiritum Sanctum præcipue communicari in ſalutem totius *Eccleſiæ* 511
De *Effuſione* charitatis Dei in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis Rom 5. 5. Et de confirmatione illius *charitatis* per mortem Chriſti 450
Quomodo Spiritus Sanctus qui in Deo eſt in homines *effundi* poſſit? diſtinctione & ſimilibus res hæc illuſtratur. Modus *effuſionis* Spiritus qualis ſit? & hoc exemplis etiam illuſtratur 467 & ſeq.
De duplici Spiritu *Eliæ*, quem Elizæus ab eo poſtulavit & accepit, ubi locus 2 Reg. 2. 9. prolixe expenditur 471
De baculo & oſſibus *Elizæi*, & quam vim habuerint ad ſuſcitandum mortuos 497
Euangelium nullibi in Sacris Literis Spiritum Sanctum appellari, quamvis Sanctum ſit & Spiritus appelletur 457 & ſeq.
Quid ſit pati cum *Euangelio* 489
Ea dici in Sacris ex aliqua re *exire*, quæ licet actu in ea non extiterint, inde tamen originem trahunt 467
Spiritum Sanctum non ſemper *extitiſſe* actu, vel *extare* neceſſario, exponuntur loca Joan. 7. 39. & Act. 19. 2. 473, 474
De *extinctione* Spiritus Sancti ex 1 Theſſ. 5. 19 &c. 520

F.

F*Ervor*, vide *Ardor*.
De *Fidei* & baptiſmi unitate ex 6 cap. ℣ſ. 4, 5. ad Epheſios. Et de *fide* quæ habitavit in Loide, Eunice & Timotheo 2 Tim. 1. 5. 473
Simulatque primi Chriſtiani Euangelicæ doctrinæ *fidem* adhiberent, præſertim ſi adeſſent Apoſtoli, Spiritum Sanctum accipie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

accipiebant, qui arrhabo hæreditatis & redemptionis vocatur 481
Fide opus eſſe ut quis Spiritum S. accipiat, quod variis è locis Scripturæ probatur 509
De dono *Fidei*, quæ inter ſpeciales Spiritus Sancti effectus ab Apoſtolo numerantur 1 Cor. 12 9. 493 & ſeq
Fiducia in Deum requiritur in precibus, quam Spiritus Sanctus in nobis gignere dicitur 487
Spiritus vocem proprie *Flatum* ab animalis ore emiſſum ſignificare, propter ſimilitudinem ad Dei virtutem tranſlatam eſſe: Et qua in re ſimilitudinis hujus ratio conſiſtat 455
De *fæmina* Prophetante ex loco 1 ad Cor. 11. 5. quid per *fæminam* talem intelligat Apoſtolus, an ejuſmodi fœminæ prohibeat Paulus 14. cap. ejuſdem Epiſtolæ in Eccleſia loqui 502
De Spiritu *Fornicationis*, ſoporis, vertiginis &c. 464
De Spiritu potentiæ ſeu *Fortitudinis*, qui opponitur Spiritui timiditatis, ex 2 Tim. 1. 7. 489

G.

DE *Gaudio* Spiritus Sancti. Utrum gaudium è Spiritu S. manans ſit perpetuum 483, 484
De teſtimonio quod Deus *Gentibus* perhibuiſſe dicitur Act. cap. 15. 8. dans illis Spiritum Sanctum, quemadmodum aliis Chriſti diſcipulis 483
De *Glorificatione* & blaſphemia Spiritus Sancti ex 1 Petr. 4. 14. quo ſenſu hæc ei tribui poſſint ſi perſona non ſit 478
Græcam linguam olim latius patuiſſe, quam hodie Latina 505
Cur Paulus *Gratiæ* Dei tribuat, quæ ipſe fecit 506
De dono *Gubernationum* ex 1 ad Cor. 12. 28 503

I.

QUomodo nemo poſſit dicere *Jeſum* eſſe Dominum niſi in Spiritu Sancto 1 Cor. 12. 3. Et de Spiritu qui confitetur *Jeſum* eſſe Chriſtum 1 Joan. 4. 459
Spiritus Sanctus inſtar *ignis*, exſuſcitatur, fovetur, aut extingui ſolet 512
Cur Spiritus Sanctus *ignis* vocetur à Joanne Baptiſta Mat. 3. 11. triplici de cauſa nomen *ignis* ei tribui 489
An quia de Saule & Cajapha legitur quod prophetaverint, & de *impiis* dicat Chriſtus Matth. 7. 22, 23. quod dæmonia ejecerint, concludi poſſit Deum Spiritum Sanctum ab hominibus propter *impietatem* non auferre, & cur circa Euangelii primordia Deus permiſerit *impiis* Chriſtianis virtutes edere 518, 519
Tribuitur Spiritui Sancto in Scripturis quod *induat* 479
Infirmitatis hominum magnam Deum habere rationem in Spiritu ſuo hominibus largiendo 510, 511
De Spiritu *intellectus* qui ſuper Chriſtum quieturus dicitur Eſai. 11. 2. 492
De dono *interpretationis* linguarum 507
De *interceſſione* Spiritus pro nobis 505
Quo Spiritu Domini *Judices* Regeſque populi Iſraelitici repleti fuerint, & qua in re differat à Spiritu Sancto 456
De Spiritu *Judicii*, Prudentiæ &c. 463, 464
De *Judicio* Principis hujus mundi ex loco Joh. 16. 8. 508, 509
Quo ſenſu Chriſtus dicat, quod Spiritus Sanctus ſit mundum de *Juſtitia* convicturus Joh. 16. 8. quod ad Patrem eat. 508

L.

SPiritus Sanctus Oleum *lætitiæ* vocatur in Sacris & cur 484, 485
Latinam linguam tam latè hodie non patere quam olim Græca viguit 504
Legato comparatur Spiritus Sanctus qui dicitur miſſus è cœlis, à Patre, & mittendus à Chriſto ſui loco 475
De Spiritu *lenitatis*, compunctionis &c. 464
De forma corporea & viſibili columbæ & *linguarum* ignis ſub qua apparuit Spiritus Sanctus 465
De dono *Linguarum* ex loco 1 ad Cor. 12. 10. quo non tantum nuda facultas intelligitur peregrino ſermone loquendi, ſed etiam magnalia Dei eodem Spiritu inſpirata, verbis illis peregrinis, exprimendi 404 & ſeq.

M.

DE *Manſione* in Deo ex verbis Joannis 1 Epiſt. 3. 24. & IV. 13. 483
De *Manu* & conſilio Dei dicitur Act. 4. 28. quod definiverint hæc aut illa fieri 476
De *mendacio* in Spiritum Sanctum ex loco Actor. 5. 3, 9. 478
An Dei *Mens* quæ in ipſo reſidet Spiritus Sanctus in Sacris Literis dicatur 462, 463
De *Mente* infructuoſa cum quis lingua & Spiritu orat, vide *Lingua*.
Quo ſenſu in Sacris dicatur Spiritum Sanctum non ex *Menſura*, vel certa *Menſura* credentibus dari 470, 471
Quantum ſpes *Mercedis* ad pietatem ingenerandum poſſit, ex loco Joannis 1 Epiſt. 3. cap. 486, 487
Quomodo Spiritus *miraculorum* arrhabo hæreditatis vel redemptionis noſtræ dici poſſit 482
Miracula, vide donationes *Sanitatum*, ubi prolixe de dono miraculorum agitur. Omnia fere Chriſti *miracula* benefacta fuiſſe 498
Dona Spiritus Sancti *Miraculoſa*, non omnibus omnium ſæculorum Chriſtianis promiſſa eſſe 513 & ſeq.
An ex *miraculis* impiorum opera patratis Matth. 7. 22, 23. colligi poſſit, Dei Spiritum non auferri propter impietatem, qui locus examinatur 518
De *Miſſione* Spiritus S. ex cœlis, vel à Patre. *Miſſionem* tribui rebus quæ perſonæ non ſunt, & quo ſenſu motus deſcendendi, veniendi, & cadendi ei in ſacris tribuatur 474
Quomodo *Mors* Chriſti & Spiritus Sanctus teſtentur de magnitudine divini amoris erga nos 458
De Spiritu *Moſis* quem Deus ab eo abſtulit, ut eum poneret in LXX Senioribus Numer. 11. 17, 25. 470, 471
De revelatione *Moſi* facta ore ad os & facie ad faciem 499
De *motu* & quiete Spiritus Sancti & quo pacto hæc ei tribuantur ſi perſona non ſit 475
Tribuitur Spiritui Sancto in Scripturis quod *moveat* 479
De convictione *Mundi* per Spiritum Sanctum ex loco Joan. 16. 8. 508

N.

VOx *Nominis*, nunquam Spiritui S. tribuitur cum ſolus exprimitur, ſed cum conjungitur cum Patre & Filio, & quid ſit in *nomen* Patris, Filii, & Spiritus Sancti Baptizari ex loco Matth. 28. 19. 477

O.

OBedientia requiritur ad obtinendum Spiritum Sanctum 509.
De *Obſignatione* Spiritus Sancti, ex locis 2 Cor. 1. 21. Epheſ. 1. v/ſ. 13. & IV. 30. Qua in re ratio metaphoræ conſiſtat Euangelium & promiſſiones non dicuntur *obſignatæ*, ſed homines, & cur 480
Obſignatione Spiritus S. in diem redemptionis, Epheſ. 4. 30. non denotari eventum; ſed voluntatem & conſilium *Dei* 519, 520
Oleum lætitiæ vocatur Spiritus S. in Scripturis, unde hæc forma loquendi deſumpta ſit 484
De dono *Opitulationum* ex 1 ad Cor. 12. 28. 503
De *Oratione* in Spiritu ex loco Judæ verſ. 20. & ad Epheſ. 6. 18. 465
Oris confeſſio requiritur ut quis Spiritu Sancto donetur 509
Os duorum pro portione duorum ſumitur aliquando in Sacris, ut Deut. 21. 17 & 2 Reg. 2. 9. Et cur. 471
De *Oſſibus* Elizæi, & quam vim habuerint ad ſuſcitandum mortuos 497

P.

CUr Chriſtus Spiritum Sanctum Joh. XIV. XV. & XVI: *Paracletum* vocaverit, & de conſolatione Spiritus S. Actor. cap. 9. 31. 484
De *Partitionibus* Spiritus Sancti ex loco ad Hebr. 2. 4. 469
Paſtoribus, Doctoribus, Apoſtolis, &c. præcipue communicatum fuiſſe, & etiamnum communicari Spiritum S. quod ab illis plurium ſalus pendeat. 511
Quid ſit *pati* cum Euangelio. 489
Cur *peccato* tribuat Paulus Rom. 7. 17, 20, quæ homo contra Legem Dei facit. 506

Peccata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Peccata eorum qui Chriſtianam religionem profitentur Spiritum Sanctum vel in totum vel ex parte extinguere. 518

Spiritum Sanctum non eſſe *Perſonam*, & ex formæ corporeæ aſſumptione hoc recte colligi non poſſe. 465, 466

Inde non probari Spiritum S. *perſonam* eſſe quod voluntas ei tribuatur in Sacris, cum voluntas vento & rebus aliis quæ *perſonæ* non ſunt tribuatur. 476

Glorificationem & blaſphemiam Spiritui S. tribui poſſe, quamvis *perſona* non ſit, cum hæc duo multis rebus quæ *perſonæ* non ſunt tribuantur in Sacris, ut verbo & ſermoni Dei, viæ veritatis &c.

Spiritum Sanctum vitæ *Pietatem* parere, ſpe firma immortalis vitæ, & ſenſu divini ac paterni Dei erga nos amoris. Modi ſpeciales quibus Spiritus S. *pietatem* excitat. 486 & ſeq.

Pietatem ex fide proficiſcentem requiri ad obtinendum, conſervandum & augendum Spiritum Sanctum 517

Vocem *pignoris* aliud quid denotare quam arrhabonem, cujus loco tamen vulgo uſurpatur in locis 2 Cor. 1. 22. & v. 5. Epheſ. 1. 14. 481

Quomodo qui *pleni* ſunt Spiritus Sancti, Spiritu Sancto rurſus *repleri* dicantur in Sacris, ut de Apoſtolis in Actis 4. 8. VII. 55. XIII. 9. de Chriſto Luc. 4. 1. De monitione Pauli ad Epheſ. 5. 18. ut *impleantur* Spiritu 464, 465

Pœnitentia opus eſſe, ut quis Spiritum Sanctum accipiat, & quid voce *pœnitentiæ* intelligatur in Sacris 510

An ex loco Joannis 11. 51. probetur Prophetiæ donum ſummis *pontificibus* ſub Veteri Fœdere proprium perpetuumque fuiſſe 519

Spiritum Sanctum eſſe *potentiam* Dei, & qualis ſit illa *potentia* à Chriſto egreſſa qua morbos ſanavit 467, 468

Potentia. Vide *Fortitudo*, & *Sanationes*.

Prævisio Scripturæ Sacræ tribuitur Gal. 3. 8. 476

De *precibus* in Spiritu Sancto ex verſ. 20. Judæ & cap. 6. 18. ad Epheſ. 465

De Spiritu *precum* ex loco Zach. 12. 10. Quæ ad *preces* ritè ac devotè Deo offerendas requiruntur, ea prope omnia Spiritui Sancto tribui 487, 488

Spiritum Sanctum peti in *precatione* Dominica, quod ex verbis Chriſti Luc. 11. probatur 512

Preces requiri ad obtinendum, conſervandum & augendum Spiritum Sanctum 517

Quid ſit *precari* lingua, ita ut Spiritus oret, mens vero infructuoſa ſit. Vide *Lingua*.

De *probatione* Prophetiarum ex loco 1 Theſſ. 5. 19. 520

Ea dici in Sacris ex aliqua re *procedere*, quæ licet actu in ea non extiterint, inde tamen originem trahunt 467

Proceſſionem Spiritus Sancti non multum differre à datione ejuſdem Spiritus 474

Quantum ſpes *præmii* ad pietatem ingenerandam conducat ex verbis Joannis 1 Epiſt. cap. 3. 486

De Spiritu Chriſti qui fuit in *Prophetis*, ex 1 Petri 1. 11. 457

De Spiritu *Prophetarum* ex 1 Cor. 4. De *Prophetiæ* dono ex loco 1 Cor. 12. 10. *Prophetiæ* vocem dupliciter accipi in Sacris, latius & ſtrictius 498 & ſeq.

An ex eo quod de Saule 1 Sam. 19, 20. & de Cajapha Joan. 11. 51. legatur, quod *prophetaverint*, colligi poſſit Deum Spiritum Sanctum ab improbis non auferre. De Spiritu *prudentiæ* judicii &c. 464

De Spiritu *prudentiæ* ex loco 2 Tim. 1. 7. 489

Q.

SPiritum Sanctum non eſſe ſubſtantiam corpoream, ſed *qualitatem*, & *qualitatem* illam imprimi poſſe materiæ alicui ſubtili & cœleſti; de *qualitatibus* impreſſis arboribus ſcientiæ boni & mali, vitæ, & ſeminibus omnibus 466, 467

Quo ſenſu in Sacris de Spiritu Sancto dicatur quod *quieverit* ſuper homines, vel ſuper Chriſtum 475

R.

DE Spiritu *revelationis*, cognitionis Sapientiæ &c. 464

Revelatio divina, vide *Prophetia*.

S.

DE dono *Sanationum*, ex loco 1 Cor. 12. 9. ubi mentio fit donationum, & operationum Virtutum 496 & ſeq.

Spiritus Dei *Sanctus* dicitur, quod ſit Dei efficacia qua homines *Sanctificantur* 456

Spiritui Sancto tribuitur quod *Sanctificet*, unde & nomen *Sancti* accepit 479

De Spiritu *Sapientiæ* & revelationis, nec non judicii & prudentiæ, ut & de Spiritu lenitatis & compunctionis, vertiginis, ſoporis, fornicationis &c. de quibus mentio fit in Sacris 464

De ſermone *Sapientiæ* & cognitionis, quæ virtutes mentis numerantur à Paulo 1 Cor. 12. 8. inter dona Spiritus Sancti 498 & ſeq.

De traditione *Satanæ* ex locis 1 Cor. 5. 5. 1 Tim. 1. 20. 497, 498

De judicio *Satanæ* ex loco Joan. 16. 8. 494

Quo Spiritu Domini repletus fuerit *Saul* cum ungeretur 456

Exemplo *Saulis* probatur, Deum Spiritum ſuum Sanctum ab hominibus auferre propter eorum peccata, ex loco 1 Sam. 16. 19. &c. An ex eo quod 1 Sam. 19. 20. &c. narratur *Saulem* prophetaſſe, evincatur Deum ab improbis Spiritum Sanctum non auferre 518

De *Scientia* infuſa duplici Apoſtolorum, & Eccleſiæ doctorum 491

De Spiritu *Scientiæ* qui ſuper Chriſtum quieturus dicitur Eſa. XI. 2. 429

Scripturæ Sacræ prævisio tribuitur Gal. 3. 8. 476

Senſus divini amoris eſt unus ex generalibus effectis Spiritus Sancti 480

De Spiritu Moſis, quem Deus ab eo abſtulit, ut eum poneret in *Septuaginta* ſenioribus Num. 11. 17, 25. 470

Cur Apoſtolus 1 Cor. 12. 8. *Sermonem* Sapientiæ & cognitioni tribuat 490

De *Serpente* æneo, & quam vim habuerit ad ſanandum Iſraëlitas 497

De *Sigillo* Spiritus Sancti quo fideles obſignati dicuntur in Sacris, qua in re ratio hujus metaphoricæ locutionis conſiſtat 480

De *Spiritu* Dei malo 455

De *Spiritu* mendacii quem Deus dicitur dediſſe 2 Chron. 16. 22. in ore Prophetarum Achabi 455

De Spiritu *Soporis*, vertiginis &c. 464

Deus cur *Spei* Deus vocetur Rom. 15. 13. & ex *Spe* gaudium & pacem manare. Quantum *Spes* præmii apud homines poſſit ex loco 1 Joan. 3. 486

Unde *Styli* diverſitas in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum 507

An ex formæ corporeæ aſſumptione recte colligi poſſit Spiritum Sanctum eſſe *Subſtantiam* per ſe *Subſiſtentem*. Non eſſe *Subſtantiam* corpoream ſed qualitatem 465

Ex eo quod Spiritus Sanctus non ſemper actu extiterit, nec neceſſario extet, probari non eſſe *Subſtantiam* quandam quæ per ſe ipſam alicubi ſubſiſtat, præſertim neceſſario ac perpetuo 474

De *Sudariis* Pauli & quæ virtus in iis fuerit ad ſanandum ægrotos 496

De *Suſcitatione* doni Spiritus Sancti ex loco 2 Tim. 1. 6. 517, 518

T.

QUomodo corpus noſtrum 1 Cor. 6. 19. *Templum* Spiritus Sancti, qui in nobis eſt, eſſe dicatur 516

De *Tentatione* Spiritus Sancti ex loco Actor. 5. 3, 9. 478

De *Teſtimonio* quod Deus gentibus perhibuiſſe dicitur Act. 15. 8. dans illis Spiritum Sanctum, quemadmodum aliis Chriſti diſcipulis 483, 508

Triſtitia affici Spiritum Sanctum non propter graviora ſcelera tantum, ſed & leviora peccata, ex loco ad Epheſ. 4. 30. 519, 520

V.

QUo ſenſu in Sacris de Spiritu Sancto dicatur quod *veniat*, vox veniendi ſæpius tribuitur in Sacris rebus quæ perſonæ non ſunt, & quæ proprie *venire* non poſſunt 475

De Spiritu *Vertiginis* & ſoporis &c. 464

De poteſtate *Vindicandi* in contumaces quam ſibi Paulus ſæpius in Epiſtolis ſuis tribuit; nec non de traditione Satanæ, & liberatione ex ejus vinculis, & paucis hanc poteſtatem fuiſſe communicatam, forte Apoſtolis ſolis 497

Spiritum Sanctum eſſe *virtutem* Dei 468

Qualis ſit illa *virtus*, & quomodo communicetur hominibus.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

De *virtute* è Chriſto egreſſa qua ſanavit morbos 468
De operationibus *virtutum*, vide *Sanationes*, ubi prolixe de hoc dono agitur ex loco 1 Cor. 12, 9.
De *Umbra* Petri, & quam vim habuerit ad ſanandum ægrotos 496, 497
Unctio pro ipſo Spiritus Sancti dono, qui Spiritus oleum lætitiæ aliquando vocatur, & cur 484, 485
De *Unctione* de qua Joannes 1 Epiſt. 2. 20, & 27. 491
De *Unctione* ægrorum per Seniores Eccleſiæ 497
Spiritum Sanctum eſſe *Unum*, & quomodo ſit *Unus*; quæ ſit *Unitas* fidei & baptiſmi de qua ad Epheſ. 4. 4, 5. 468, 469
Voluntas quomodo Spiritui Sancto tribuatur 1 Corint. 12. 11. 475
Voluntati Dei conſentanea orare debemus ſi exaudiri velimus, quod efficere in nobis Spiritus Sanctus dicitur Rom. 8 26, 27. 487, 488
De *Voluptate* è dono Spiritus Sancti manante. Vide *gaudium*.

Argumentum totius de Spiritu Sancto Tractatus.

PRolegomena de nomine *Spiritus Sancti*. Hanc vocem propriè ſignificare flatum quendam ab animalis ore emiſſum, atque inde ventum quem vis, non minus in Græca atque Hebræa lingua quam in Latina; Et propter ſimilitudinem tranſlatam eſſe ad Dei virtutem, ut ex facto Chriſti, Joan. 20. 22. & effuſione *Spiritus Sancti* inſtar venti Actor. 11. apparet. Qua in re ſimilitudinis hujus ratio conſiſtat pag. 455. Quid voce *Sancti* addita *Spiritui* denotetur. Hoc epitheto diſtingui Spiritum Dei, quo homines ſanctificat, non tantum ab impuro *Spiritu*, hoc eſt ab ipſo Dæmone vel ejus afflatu; verum etiam ab alia Dei efficacia in perniciem vel bonum hominis, quæ *Spiritus Dei malus* vel *bonus* dicitur *ibid. b.* De *Spiritu Dei malo* ex locis 1 Sam. 16 16, 23. XVIII. 10. & XIX. 9. item 2 Paralip. 18. 22. De *Spiritu Dei bono* ex Pſalmo 143. 10. Nehem. 9. 20. Exod. 30. 3. XXXV. 31. Et qua in re hic bonus *Spiritus*, à *Spiritu Sancto* differat *ibid.* & ſeq. *Spiritus Sanctus*, non ſemper vocatur Sanctus, ſed aliquando *Spiritus* ſimpliciter, aliquando *Spiritus Dei*, & interdum *Spiritus Chriſti*. Examen locorum Galat. 4. 6. 1 Petri 1. 11. & 1 Joh. 4. 3. ubi agitur de *Spiritu Chriſti*, & de *Spiritu Anti-Chriſti* 456. *a.* De *Spiritu revelationis* & *confirmationis*, hujus diſtinctionis membra juxta ſtylum Scripturæ non eſſe oppoſita, certo quodam ſenſu admitti poſſe 457. *a.* *Spiritum Sanctum* nullibi in Sacris Literis Euangelium ſignificare, quamvis Sanctum ſit, & Spiritus appelletur, & conjunctim etiam Spiritus Sanctus appellari poſſit. Expenduntur Scripturæ loca in quibus id aſſeri putatur, Rom. 5. 5. 1 Cor. 11. 10. XII. 3. & quid per *Spiritum Sanctum* aut per *Spiritum Dei* illis in locis intelligatur *ibid. b.* & ſeq. An Dei mens quæ in eo reſidet, *Spiritus Sanctus* in Sacris Literis dicatur. Examen locorum ubi id aſſeri videtur Gen. 6. 3. Eſa 40. 13. & LXIII. 10. p 462 *b.* & ſeq. *Spiritus Sancti* vocem dupliciter accipi, vel pro cauſa donorum in hominibus, vel pro illis ipſis donis, & effectibus. Effectus *Spiritus Sancti* in homine eſſe duplices, ſtabiles & tranſeuntes. De effectibus ſtabilibus ex 1 Cor. 14. Epheſ. 1. 17. Coloſſ. 1. 9 &c. De effectibus tranſeuntibus ex locis Act. 4. 8. VII. 55. XIII. 9. 2 Cor. 6. 6. Epheſ. 5. 18. VI. 18. Jud ℣. 20. Et in hoc Tractatu *Spiritus Sancti* nomen accipi pro cauſa iſtorum effectuum non pro ipſis effectibus. Diviſio tractatus de *Spiritu Sancto* in ſex capita 463 *a* & ſeq.

Caput I. Quid ſit *Spiritus Sanctus*. Argumenti hujus difficultas. Præterita quæſtione an *Spiritus Sanctus* ſit perſona, diſquiritur an *Spiritus Sanctus* ſit ſubſtantia quæ ſeparatim ſubſiſtere queat, an verò mera tantum qualitas à Deo profecta, ubi exponuntur loca Luc. 3. 22. & Actor. 2. 3. de deſcenſu *Spiritus Sancti* inſtar columbæ ſuper Chriſtum & inſtar linguarum diſpertitarum tanquam ignis ſuper Apoſtolos. Ex formæ corporeæ aſſumptione non recte colligi *Spiritum Sanctum* eſſe perſonam 465 *a* & ſeq. *Spiritum Sanctum* non eſſe ſubſtantiam corpoream, ſed qualitatem, ſeu ſpiritualem vim quæ materiæ ſubtili ac cœleſti imprimi potuit, quod ſimilibus illuſtratur. *Spiritum Sanctum* non eſſe qualitatem quamcunque, ſed Virtutem & potentiam Dei, uti Sacræ Scripturæ eum vocant 466 *b.* Quomodo *Spiritus Sanctus* qui in Deo reſidet in homines effundi poſſit. Virtutem Dei dupliciter ſumi, vel pro qualitate ipſi inhærente, vel pro vi quadam ab iſta qualitate manante, quod exemplis illuſtratur: Et poſteriori modo, non vero priori *Spiritum Sanctum* in homines effundi 467. *a.* Qualis virtus Dei ſit *Spiritus Sanctus*, & quomodo in homines influat ad ſupernaturales effectus producendos, quod ſimilibus illuſtratur. De virtute ſeu efficacia à Chriſto egreſſa qua morbos ſanavit Luc. 6, 19. Marc. 5. 30. Quomodo *Spiritus Sanctus* ſit deſcribendus *ibid. b.*

Caput II. Num aut quatenus *Spiritus Sanctus* dividi queat. *Spiritum Sanctum* eſſe unum; Et quomodo ſit unus; res hæc illuſtratur exemplis deſumptis ab Oceano, fluminibus & aquis. Quomodo ſint plures *Sancti Spiritus*, Et quidem ſpecie diverſi, quod item ſimili ex aqua deſumpto illuſtratur 468 *b.* De diviſione *Spiritus Sancti* in partes; vel ſimpliciter, ex locis illis Scripturæ ubi mentio fit partitionum *Spiritus Sancti*, Et ubi dicitur Deum dare *Spiritum*, cum menſura vel non ex menſura: vel reſpectu certorum quorundam hominum, exempli gratia, LXX Seniorum quibus Deus dedit partem *Spiritus*; vel Elizæi, qui duplicem *Spiritum* Eliæ petiit & accepit 469 *b.* & ſeq.

Caput III. De adjunctis *Spiritus Sancti*. Adjunctorum nomine ea comprehenduntur, quæ ei tanquam ſubjecto inſunt; vel ei adſunt, & intrinſecus adjunguntur. Quod ad attributa attinet quæ Spiritui Sancto inſunt, primum eſt Exiſtentia, de quo nunc non quæritur an ſit, aut exiſtere poſſit; ſed num ſemper extiterit actu, vel neceſſario extet, quod negatur; qua occaſione exponuntur loca Joan. 7. 39. & Actor. 19. 2. Unde probatur *Spiritum Sanctum* non eſſe ſubſtantiam 473. *a.* Secundum *Spiritus Sancti* attributum eſt, Datio & acceptio, & quomodo poſſit dari & accipi *Spiritus Sanctus* cum ſit incorporeus. Quid differat Proceſſio à datione *Spiritus Sancti*. Sub datione Donationem gratuitam contineri, unde dona *Spiritus Sancti* χαρίσματα appellantur in Sacris. Ex quo attributo probatur *Spiritum Sanctum* non eſſe illum Deum altiſſimum 473 *a.* Tertium attributum eſt Motus & Quies *Spiritus Sancti*, ubi expenduntur varia loca, 1. Ubi dicitur miſſus de cœlis, deſcendiſſe, veniſſe &c. & quo ſenſu hæc ei tribui poſſint ſi non ſit perſona. 2. Ubi dicitur quieviſſe ſuper homines & ſuper Chriſtum, & quo ſenſu hoc ei tribuatur *ibid. b.* Quartum attributum, eſt Voluntas & Contriſtatio, quæ *Spiritui S.* in Sacris per modum affectuum tribuuntur. Quomodo ei tribuatur voluntas ſi perſona non ſit. *Spiritum Sanctum* dupliciter conſiderari, vel quatenus eſt Dei vel quatenus eſt hominis, & quomodo ei tribuatur voluntas quatenus eſt Dei Spiritus, ex loco 1 Cor. 12. 11. Et voluntatem atque alia attributa perſonæ rebus inanimatis, & quæ perſonæ non ſunt, ſæpius tribui in Sacris. Quomodo etiam contriſtatio ei tribuatur ſi perſona non ſit, ubi locus ad Epheſ. 4. 30. diligenter explicatur 475 *b.* De adjunctis *Spiritus S.* quæ ei extrinſecus adveniunt, inter quæ primo loco legitur Matth. 28. 19. quod in ejus nomen baptizari debeant homines. Quomodo hoc ei tribui poſſit ſi perſona non ſit. Quid nominis voce ſignificetur in Sacris; cum *Spiritus Sanctus* ſolus exprimitur, nunquam ei nomen tribuitur & cur; quid voce baptiſmi in loco citato intelligatur, ubi de variis acceptionibus hujus vocis; Et cur voluerit Chriſtus ut ejus Apoſtoli non ſolum in nomen Patris & Filii, ſed etiam in nomen *Spiritus Sancti* gentes baptizarent 475. *b.* & ſeq. Secundo loco inter adjuncta ſecundi generis ponuntur *Spiritus Sancti* glorificatio & blaſphemia, ex loco Petri 1 Epiſt. 4. 14. qui exponitur: hæc ei tribui poſſe quamvis perſona non ſit, ex variis Scripturæ locis probatur, quæ eadem rebus aliis quæ perſonæ non ſunt ſæpius tribuunt 478 *a.* Tertio loco conſideratur quod de *Spiritu Sancto* dicatur, quod homines ei mentiantur, eum tentent aut fallant, ex loco Act. 5. 3, 9. qui locus exponitur *ibid. b.*

Caput IV. de effectis *Spiritus Sancti*. Quibus verbis effectuum illorum exertio in Sacris Literis efferatur. 1. Nomine operationis. 2. Diſtributionis. 3. Dationis. 4. Motionis ſeu impulſionis. 5. Item induendi. 6. & eſſe ſeu fieri ſuper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

aliquem, vel irruere in aliquem 479. *a.* Inter operationes *Spiritus Sancti* effecta latiſſimè patet ſanctificatio, unde nomen ſancti accepit. Effecta *Spiritus Sancti* dividuntur in Generalia & particularia. Inter generalia recenſetur 1. Senſus divini amoris ex loco ad Rom. 5. 5. oſtenditurque *Spiritum Sanctum* ſui cognitionem ac ſenſum ſecum afferre. Ad illum ſenſum refertur 1. Confirmatio *Spiritus Sancti* in Chriſtum 2 Cor. 1. 21. 2. Obſignatio *Spiritus Sancti.* 2 Corinth. 1. 21. Epheſ. 1. 13. & IV. 3. Arrhabo *Spiritus Sancti.* 2 Cor. 1. 22. & v. 5. & Epheſ. 1. 14. quid ea voce ſignificetur, & quibus arrhabo detur. 4. Cognitio quod Deus in nobis & nos in Deo maneamus 1 Joh. 3. 24. & IV. 13. 5. Teſtimonii perhibitio Gentibus Actor. 15. 8. *ibid. b.* & ſeq. II. Effectus ſecundus generalis *Spiritus Sancti* eſt, quod Gaudium pariat Rom. 14. ℣ſ. 17. 1 Theſſ. 1. 6. Actor. 13. 52. Duplici potiſſimum modo gaudium hoc à *Spiritu* S. manaſſe, aut adhuc manare. 1. per ſe. 2. ex ſenſu divini ac plane paterni Dei erga homines amoris, ſpe cœleſtis illius patrimonii. Propter illud gaudium vocatur *Spiritus* S. 1. Paracletus ſeu conſolator Joan. 14. ℣ſ. 16 &c. Et conſolationis Spiritus fit mentio Actor. 9. 31. 2. Vocatur Oleum lætitiæ Pſal. 45. 9. Hebr. 1. 9. Et 3. Aqua vivens Joan. 7. 39. & forte Joh. 4. 10, 14: Utrum gaudium à *Spiritu* S. manans ſit perpetuum 483 *b.* & ſequent. III. Effectus tertius generalis *Spiritus* S. eſt Pietas; & quomodo vitæ pietatem pariat. Modi ſpeciales quibus *Spiritus* S. pietatem excitat. Loci ſacrarum literarum ubi *Spiritui* S. tribuitur quod pietatem gignat 486 *a.* & ſeq. De pietatis partibus & virtutibus quæ *Spiritui* S. tribuuntur in ſacris. Devotionem precum excitat, unde & *Spiritus precum* appellatur, Zach. 12. 10. Et quæ ad preces ritè ac devotè Deo offerendas requiruntur ea propè omnia *Spiritui Sancto* tribuuntur in ſacris. 1. Fiduciam in Deum excitat quæ requiritur in oratione. 2. Facit ut ea oremus quæ ſunt voluntati Dei conſentanea, abſque quo Deus preces noſtras non exaudit. 3. Et Ardorem gignit, qui preces noſtras imprimis commendat, & qui etiam locum habet in omnibus pietatis officiis. Ob hunc effectum *Spiritum Sanctum* ignis nomine à Joanne Baptiſta nominari Matth. 3. 11. Et ob alias qualitates quas *Spiritus* S. cum igne communes habet, ut repurgare, & illuminare. Quomodo *Spiritus Sanctus* hunc ardorem in animis hominum incendat 487 *b.* & ſeq. Virtutes quas *Spiritui Sancto* expreſſe adſcribi videmus in Sacris, ſunt tres imprimis, nempe 1. Fortitudo 2. Charitas. 3. Prudentia. De quibus ſingulis aliquid dicitur ex loco 2 Tim. 1. 7. & quomodo *Spiritus* S. has virtutes excitet 489 *b.* De effectis ſpecialibus *Spiritus Sancti* ex cap. 12. primæ Epiſtolæ ad Corinthios quæ ſingula ordine expenduntur. I. Inter ea collocatur primo loco ſermo Sapientiæ. II. Et ſecundo loco ſermo cognitionis v. 8. quæ duo effecta ſimul explicantur; & 1. inquiritur cur Apoſtolus Sapientiæ & cognitioni ſermonem tribuerit? Exponitur quid Sapientiæ, quid item cognitionis nomine intelligatur, & oſtendit primum author cur expoſitioni vulgari eorum qui per ſapientiam res ad praxin, & per cognitionem res ad theoriam pertinentes intelligunt, acquieſcere non poſſit: Deinde explicat ſecundum ſuam mentem propriam, ſapientiam de ſcientia infuſa, ſine inquiſitione, & cognitionem de qualitate ſeu facultate infuſa ad res obſcuras inveſtigandum, & velut è tenebris aliud ex alio colligendo eruendum deducendumque. Cui opinioni favere oſtendit locum 1 Cor. 14. 6. 3. Cur hæc duo inter ſpecialia *Spiritus Sancti* effecta collocentur, cum ex 1 Joh. 11. 20, 27. & 1 Cor. 11. 15. videantur communia fuiſſe omnibus quibus *Spiritus* S. fuerit datus; Et quod χρήσει omnium, κτήσει vero præcipuorum virorum in Eccleſia tantum fuerint, ex loco Joan. 6. 38. 4. Inquiritur utrum fieri potuerit ut utrumque donum in eundem hominem caderet, Quod aſſeritur reſpectu præcipue Apoſtolorum, & Chriſti ex loco Eſai. cap. 11. 2. qui exponitur: Sapientiam & Intellectum, Conſilium & ſcientiam, unum idemque non ſignificare apud Prophetam; Ita has voces diſtingui poſſe, ut priores duas theoreticas, poſteriores practicas magis eſſe ſtatuamus, de quibus ſingulis aliquid dicitur. 5. Sapientiam Apoſtolorum per ſe fuiſſe propriam; cognitionem autem fuiſſe communem etiam Euangeliſtis ac Doctoribus Eccleſiarum, quod ex variis Scripturæ locis demonſtratur 490 *a.* & ſeq. III. Tertius ſpecialis *Spiritus Sancti* effectus numeratur Fidei donum v. 9. 1. Interpretes omnes in eo conſentire Apoſtolum de fide miraculoſa, ſeu miracula edendi loqui, Paulum ſumere vocem fidei Rom. 12. 3, 6. pro dono *Spiritus* S. miraculoſo, ſed latiori in ſignificatioue quam in hoc loco ad Corinth. 2. Effectus fidei iſtius miraculoſæ deſcribi ab Apoſtolo 1 Cor. 13. 2. & Chriſto Matth. 17. 20. & Marc. 11. 23. Et ex hac occaſione & collatione verborum diſcipuli & Magiſtri tria explicantur. 1. Utrum hoc donum proprie fides dicatur nec ne? Quod aſſeritur, non obſtantibus difficultatibus in contrarium; ad hanc fidem duo requiri. 2. Cur Apoſtolus hoc donum fidei diſtinxerit à ſequentibus donis edendarum virtutum & ſanationum. 3. Cur Paulus omnem fidem ad id requiri dicat, quod Chriſtus indicet ab eo fieri poſſe qui habeat fidem inſtar grani ſinapi, hoc eſt vel minimam fidem 493 *b.* IV. & V. ſpecialis effectus, ſunt dona quæ fidei miraculorum vel ſpecies vel partes ſunt, Uti donationes Sanationum ℣ſ. 9. & operationes virtutum ℣ſ. 10. De quibus duo explicantur, primum quædam ad utriuſque doni comparationem & diſtinctionem ſpectantia, nimirum 1. Cur Apoſtolus donationes Sanationum ab operibus potentiarum diſtinxerit, cum illæ in his tanquam ſpecies in ſuo genere contineri videantur? 2. Cur Paulus operationes potentiarum poſtpoſuerit, cum infra verſ. 28. & ſeq. potentias præponat donationibus ſanationum? Non eſſe temere aſſerendum ex divinis viris virtutem eſſe egreſſam, quemadmodum de Chriſto legimus; qua occaſione agitur de oſſibus Elizæi, de umbra Petri, & ſudariis Pauli. Secundo explicantur quæ alterutri iſtorum donorum ſunt propria, & 1. Donum Sanationum fuiſſe admodum uſitatum in Eccleſia, ubi de unctione ægrorum per Seniores Eccleſiæ Jac. 5. 14, 15. & Marc. 6. 13. Et 2. de dono Potentiarum, ad quod referri poteſt poteſtas ad vindicandum in contumaces, quam ſibi ſæpius tribuit Paulus, & in ſpecie Satanæ traditio, de qua 1 Cor. cap. 5. 5. & 1 Tim. 1. 20. Et per conſequens liberatio ex Satanæ vinculis, ſi traditus reſipuerit; Paucis hanc poteſtatem fuiſſe communicatam, forte Apoſtolis ſolis 497 *a.* & ſeq. VI. Sextus particularis *Spiritus Sancti* effectus eſt Prophetiæ donum verſ. 10. Prophetiæ donum dupliciter accipi in Sacris, latius & ſtrictius. Qui latiori acceptione Prophetæ, dicantur, duo ad Prophetam talem conſtituendum requiri. Pimo revelationem divinam extraordinariam, Secundo mandatum eam aliis communicandi. Revelationem diſtinguere Prophetam ab eo qui Cognitionem tantum habet; & Mandatum aliis annunciandi diſtinguere Prophetam ab iis quibus Deus vel vigilantibus vel in ſomnis, vel per Angelum, vel per *Spiritum* locutus eſt, ſed nihil mandavit quod aliis patefacerent. De variis revelationis ſpeciebus per *Spiritum*, & de revelatione Moſi facta ore ad os vel facie ad faciem. Revelatio eſt duplex, perfectior vel minus perfecta, unde Prophetarum, quibus Revelatio contigit, varii ordines. Prophetæ ſtrictiori acceptione diſtinguuntur ab Apoſtolis. Diſtinctionem illam in eo conſtitiſſe, quod Apoſtoli univerſa Chriſti religione fuerint imbuti, ita ut ad plenam ejus cognitionem nihil amplius in iis deſideraretur; Prophetis vero particulares contigerint revelationes de hoc aut illo capite religionis aut negotio ad Eccleſiam pertinente, non vero de univerſa religione, ita ut haberent neceſſe eam aliunde diſcere. Prophetarum munera fuiſſe, 1. Res ad Chriſtianam religionem pertinentes explicare; ubi duo animadvertuntur: primum quod etſi interdum generalia monita propoſuerint, ita eorum lingua à *Spiritu* S. regeretur, ut ad auditores eorum oratio maxime eſſet accommodata; Secundo Prophetas alios de Prophetis loquentibus dijudicare debuiſſe & cur. 2. Munus ſecundum erat, multa alia Eccleſiæ, aut certis perſonis in Eccleſia patefacere de quibus divinitus edocti erant, quæ ipſa ſcire multum intererat, ſive illa ad ſalutem ipſorum, ſive ad alienam ſpectarent, ſive denique ad ipſorum ſtatum ſecundum carnem. Cum de *Spiritu* S. legitur quod dixerit, illud de Prophetis intelligendum eſſe, per quos locutus fuerit. Exempla varia earum rerum quæ per *Spiritum* S. fidelibus revelari ſolerent. Prophetas decipi potuiſſe in explicatione ſuarum Prophetiarum, & nonnunquam fuiſſe deceptos, unde jure Prophetarum dicta, judicio aliorum Prophetarum ſubjiciebantur. De Prophetarum gradibus. Quæſtio una de ordine in quo Paulus hic collocet Prophetiam, cum alias Prophetas ſtatim poſt Apoſtolos collocet, & una cum Apoſtolis fundamentum Eccleſiæ eſſe dicat. Quæſtio altera de fœmina prophetante ex 1 Cor. 11. 5. voce prophetandi non intelligi prophetias audire, ſed potius ſacras cantiones ex afflatu prophetico profectas in Eccleſia canere. An Prophetiſſis licuerit in Eccleſia loqui? 499 *b.* & ſeq. VII. Sequitur verſ. 10. Epiſt. 1 ad Cor. 12. donum diſcretionis *Spirituum.* Quid illa diſcretione intelligatur. Joannem monere fideles ut *Spiritus* probent, & Chriſtum Matth. 7. docere ex fructibus cognoſci poſſe; Unde quæſtio oritur, quid dono diſcretionis opus fuerit; aut quid præ aliis habuerint qui eo dono præditi fuerunt? 502 *b.* VIII. De dono Opitulationum & Gubernationum, de quibus fit mentio verſ. 28. Cur Paulus hæc dona verſ. 10. non commemoret. Magis illa de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

denotare munus opitulandi & gubernandi; ſed hoc loco complecti in ſe facultates à *Spiritu* S. profectas, ad munera illa obeunda neceſſarias. Opitulationum nomine denotari munus Diaconorum, & Gubernationum nomine, Doctorum & Epiſcoporum officia in Eccleſia regenda 403. *a*. 9. Inter particulares *Spiritus Sancti* effectus numeratur verſ. 10. donum Linguarum: Quo non tantum nuda facultas intelligitur peregrino ſermone loquendi, ſed etiam magnalia Dei eodem *Spiritu* inſpirata, verbis illis peregrinis exprimendi. Donum hoc non fuiſſe idem in omnibus, ſed alios donum habuiſſe plurium, alios vero pauciorum, aut unius tantum linguæ. Utrum qui donum iſtud acceperat, eo quotieſcunque vellet uti poſſet: quod varias ob rationes negatur. 1. Quia donum illud peculiari afflatui *Spiritus* tribuitur. 2. Quia de iis qui hoc dono præditi fuerunt tantum dicitur quod locuti fuerint myſteria. 2. quod Paulus æquet linguis loquentem, ſi interpretetur, prophetanti, quod fieri non potuit niſi reſpectu rerum quas talis loquebatur peregrino ſermone. 4. quia donum interpretandi non ſemper aderat cum dono linguarum, quod concipi non poteſt, ſi linguis pro libitu uti potuerint. 5. ſi donum illud perpetuum fuiſſet, & in hominis poteſtate poſitum, nimis fuiſſet profanatum. 6. Idem probatur ex loco 1 Cor. 14. 14. Si orem lingua, Spiritus orat, mens autem mea infructuoſa eſt: qui prolixe excutitur, Ubi oſtenditur mentem infructuoſam non dici, quod is qui lingua oraret ſeipſum non intelligeret, cum Paulus contrarium aſſerat, quod qui loquatur lingua ſeipſum ædificet: Nec mentem infructuoſam vocari reſpectu aliorum, quod mentem talis orationis non caperent, cum potius *Spiritui* hoc tribuendum foret, & Apoſtolum tamen Spiritum opponere menti, ita ut ille oret, hæc infructuoſa ſit. Sed mentem infructuoſam dici potuiſſe, quod tum temporis non ita linguam formet ac regat, quemadmodum alias, ut ſenſa ſua cum aliis communicaret, ſed quod quicquid tum concipit, quicquid inde ad linguam manat, id totum afflatui divino, ſeu Spiritui ſit imputandum; quemadmodum alias in Scripturis rei, quæ non eſt principalis cauſa, actio adimitur, ut cauſæ principali adſcribatur. Unde conſequi videtur, quod qui linguarum dono præditi fuerunt, iis pro arbitrio non potuerint uti quemadmodum alia lingua ſibi familiari. Cur de iis tantum qui linguis locuti fuerunt, non vero de Prophetis, dicatur quod mente locuti non fuerint. Prophetas verbis ſuis mentem revelationis divinæ expoſuiſſe, unde tanta ſtyli diverſitas in eorum ſcriptis 404 *a*. 10. Ultimum ſpecialium *Spiritus Sancti* effectorum eſt interpretatio linguarum v. 10. hoc donum interdum conjungi ſolebat cum dono linguarum, ſed non ſemper. An illi qui linguis loquebantur nullo pacto potuerint interpretes eſſe divinorum myſteriorum quæ lingua peregrina afflatu Spiritus protuliſſent, abſque hoc dono interpretationis; quod non abſolutè negatur 507 *b*. XI. De generali effectu *Spiritus Sancti*, ex ſpecialibus his effectis pendente, nempe Teſtimonio *Spiritus S.* de Chriſto, ex 1 Joh. 5. yſ. 6, 8. qui locus accuratè expenditur: & ex loco Joh. 15. 27. qui etiam exponitur: nec non ex verbis Chriſti Joh. 16. 8. & ſeq. quæ explicantur *ibid.*

Caput V. Quibuſnam *Spiritus Sanctus* detur, quæque ſit propria ejus in homine ſedes. 1. Dari in Chriſtum credentibus. 2. Et ipſum ore confitentibus. 3. Seque ad ei parendum ex animo applicantibus per pœnitentiam. 4. Nec non *Spiritum S.* precibus efflagitantibus, de quibus ſequenti capite. 5. Deum in *Spirituo ſuo Sancto* hominibus largiendo infirmitatis eorum magnam habere rationem. 6. Et eo præcipue donare illos à quibus plurium ſalus pendet 508 & ſeq. *Spiritus Sancti* donum ad omnium temporum Chriſtianos ſpectare, verum proportionatè, quod variis rationibus probatur. 1. Ex promiſſis generalibus Luc. 11. 5 &c. Joh. 7. 37. & XIV. 23. Matth. 3. yſ. 11. Eſa. 59. 21. 2. Si hoc donum ſe ad omnia tempora non extendat, erroris ac imprudentiæ erunt accuſandi omnes omnium ſeculorum Chriſtiani poſt primævam Eccleſiam, quibus ſolemne fuit *Spiritum S.* à Deo petere. 3. Non eſſent petenda quæ non niſi vi *Spiritus Sancti* divina mentibus noſtris inſtillata peragi ſolent, ut mentis illuſtratio, gaudii completio, animi erectio ac robur &c. 4. Non eſſet nobis utendum precatione Dominica, cum *Spiritus Sanctus* in ea à Deo Patre petatur. 5. Idem etiam probatur ex fine; Si enim præcipuus finis ob quem *Spiritus Sanctus* olim fuerit datus & cauſa cur in eum finem dabatur hodieque locum habet, nempe ad mentis illuſtrationem, fidei ac ſpei confirmationem, prudentiam in rebus arduis, fortitudinem in periculis &c. Certè divina providentia requirit ut idem etiam medium, *Spiritus S.* nempe donum etiam num locum habeat. 6. Si Deus adeo fuit liberalis ut abſque promiſſo *Spiritum ſuum* ſub fœdere carnali Iſraëlitis dederit, multo magis exercebit ſimilem benignitatem ſub fœdere ſpirituali erga Chriſtianos 509 *a*. Objectio generalis adverſus omnes præcedentes rationes, *Spiritus* S donum miraculoſum quidpiam fuiſſe, pertinuiſſe ad religionis Chriſtianæ fundamenta jacienda, quæ cum ſatis firma ſint, conſequens fuiſſe ut miracula & dona huc ſpectantia ceſſarent. Promiſſiones generales de *Spiritu* S. reſtringi debere ad primordia Eccleſiæ Chriſtianæ, uti & illæ Joan. 14. 12. Marc. 16. 17. Fine ſublato tolli media, & ſi argumentatio ex Veteri Teſtamento petita bona ſit, miracula etiam crebriora nunc eſſe debere quam olim. Omnibus illis objectionibus ſatisfit cum confirmatione præcedentium rationum, Oſtenditurque inſuper non eodem modo quo olim fidelibus nunc dari *Spiritum Sanctum*. Diſcrimen duplex eſſe inter nos & primævos Chriſtianos. 1. Quod effecta illa *Spiritus Sancti* quæ non potuerunt non miraculum aliquod in ſe continere hodie locum non habeant, ſed dona illa tantum quæ minus miraculi in ſe habere videntur. 2. Quod dona illa *Spiritus* hodie non ita confertim, ſed particulatim potius, & per diverſos temporum articulos dentur. Hæc diſcrimina non talia eſſe, ut aliter nunc *Spiritus* S. nunquam effundi poſſit aut effundatur; ſed hic ſermonem eſſe de iis quæ ut plurimum & ordinarie nunc contingunt 511 *a*. & ſeq. Donum *Spiritus Sancti*, magis in piorum hominum conventu quam alibi locum habere, ex peculiari Chriſti promiſſo Matth. 18. 20. Dominum Jeſum in ſingulorum fidelium animos non immediate ſemper *Spiritum* ſuum mittere, ſed unum alterumve aqua viva potare, ut ex illorum viſceribus ad alios dimanet 516 *a*. Cor noſtrum propriam *Spiritus Sancti* ſedem eſſe, ex loco Galat. 4. 6. per cor mentem ac animum merito accipi poſſe. Quomodo corpus noſtrum 1 Cor. 6. 19. Templum *Spiritus Sancti*, qui in nobis eſt, eſſe dicatur *ibid. b.*

Caput VI. De modo quo *Spiritus Sancti* donum ejuſve augmentum obtineri queat; itemque de ratione qua vel penitus vel ex parte amittatur. 1. Fidem in Chriſtum & Vitæ Pietatem requiri ad obtinendum *Spiritum Sanctum*. 2. Preces, Quæ etiam ad eum conſervandum & augendum requiruntur. De exſuſcitatione doni Dei 2 Tim. 1. 6. quod in Timotheo erat per impoſitionem manuum Apoſtoli Pauli 516 *b*. *Spiritum Sanctum* amitti poſſe; quod probatur ex oratione Davidis Pſal. 51. 13. & exemplo Saulis 1 Sam. 16. 19. &c. Qua ratione *Spiritus Sanctus* amittatur. 1. Apoſtaſia. 2. peccatis expelli. Objectiones ex Scriptura in contrarium, ex Saule qui Prophetaſſe dicitur 1 Sam. 19. 20. ex Cajapha de quo idem legitur Joh. 11. 51. impiis illis de quibus loquitur Chriſtus Matth. 7. 22, 23. qui dicent, nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & multas potentias fecimus? Quibus reſpondetur generatim de talibus *Spiritus Sancti* effectis hic Sermones eſſe, quæ ad privatum illius hominis bonum pertinent qui eo fuerat praditus, ut de ardore in precibus, gaudio in afflictionibus, robore in pietate & adverſis, quæ nonniſi in pia pectora cadunt; non vero de virtute prophetandi aut miracula edendi, quæ in aliorum bonum contingere poſſunt, & in homine impio locum habere. Deinde ad exempla Saulis, Cajaphæ & aliorum improborum ſpeciatim reſpondetur, *Spiritum Sanctum* in illis non habitaſſe, ſed in illis vim ſuam aliquando in alienum bonum exeruiſſe, cum illi ipſi qui *Spiritu* agerentur non adeo magnum inde perciperent, & interdum prope nullum. Et cur in Euangelii primordio Deus non ſtatim *Spiritum* ſuum miraculoſum ab impiis abſtulerit, abſtuliſſe tamen primum ex parte tandem in totum, cum impietate perſeverarent 517 *b*. & ſeq. De Contriſtatione *Spiritus Sancti*, quo obſignati dicuntur Epheſii cap 4. verſ. 30. in diem redemptionis; hæc ultima verba non ſignificare eventum, ſed voluntatem & conſilium Dei. Non tantum ſceleribus ſed & levioribus peccatis *Spiritum* contriſtari, ejus vim imminui & à nobis expelli poſſe. Non tantum culpa illius qui eo præditus eſt auferri, ſed interdum etiam aliena culpa, ſi in aliorum bonum & gratiam eo donatus fuerit 519 *b*. De extinctione *Spiritus*, & contemptu Prophetiarum ex 1 ad Theſſ. 5. 19. Eo innuere in loco Apoſtolum Theſſalonicenſes omnes Prophetias non debere rejicere, quod multi falſo *Spiritum* Prophetiæ jactarent, ſed *Spiritus* probare, & veros Prophetas audire, ne Deus *Spiritum* Prophetiæ ab illis retraheret 517 *b*. & ſeq.

Index

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Index Locorum Scripturæ, qui in hoc Tractatu de Spiritu Sancto explicantur.

Geneſis.

Caput	verſic.	pag.
6	3	462

Exodus

Caput	verſic.	pag.
28	3	463

Numeri

Caput	verſic.	pag.
11	17, 25	466, 470, & ſ. 475

Deuteronomium

Caput	verſic.	pag.
21	17	472

1 Samuelis

Caput	verſic.	pag.
16	16, 19, 23	435, 436
19	9, 20	435

2 Regum

Caput	verſic.	pag.
2	9, 15	471 & ſeq.

1 Paralipomenon

Caput	verſic.	pag.
12	18	479
25	1	502

2 Paralipomenon

Caput	verſic.	pag.
18	22	435
24	20	479

Jobus

Caput	verſic.	pag.
20	3	464

Pſalmi

Caput	verſic.	pag.
16	8	457
45	9	484, 485
52	13	517, 518
* 143	10	436

Eſaiæ

Caput	verſic.	pag.
5	24	465, 466
11	2, 3	487, 489, 492 & ſeq
28	6	463
40	13	*ibid.*
59	21	511
63	10	462, 463

Zacharias

Caput	verſic.	pag.
12	10	487

Matthæus

Caput	verſic.	pag.
* 3	11	489
7	22, 23	519
10	20	506
13	32	495
17	20	493 & ſeq.
20	22	477
28	19	*ibid.*

Marcus

Caput	verſic.	pag.
3	22, 30	478
5	30	468
6	2, 5.	496
	13	497
7	21, 23	467
11	23	494

Lucas

Caput	verſic.	pag.
1	17	473
	14 & 67	465
3	22	*ibid.*
4	1, 2	*ibid.*
6	19	468
11	2, 3, 4, 5 &c.	511
	20	467
12	11	493
21	15	*ibid.*

Johannes

Caput	verſic.	pag.
3	34	469, 470
4	14	485
7	37	511
	38, 39	473, 474, 485, 491
11	51	518
14	17, 21	510
	21, 22. 23	511
	26	493
	27	508
16	8	509
	13	493
20	22	455

Actor.

Caput	verſic.	pag.
2	2	455
	3	465, 466
	4	479
	25 &c.	457
	38	475, 509, 510
4	8, 31	488
	28	476
5	3, 9	478
	32	481, 510
7	55	488
9	12	465
	31	484
13	2	500
	9, 52	464, 483 & ſeq. 488
15	1	483
* 19	2, 3	473, 474, 477
20	23	500
	21	501
21	4, 11, 12	500

Roman.

Caput	verſic.	pag.
* 5.	5	458, 480 & ſeq.
7	17, 20	506
8	26, 27	487, 505. 510
11	8	464
12	3, 6	493
	7, 8	499
14	17	483 & ſeq.
15	13	484
	16	479

1 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
2	10, 11, 12, 13 & 16.	460 & ſeq.
	15	491
3	16	516
4	21	464, 497
5	5	497
6	11	487
6	19	516
* 10	2	477
11	5	502
12	3, 11	459
	4, 11 & 13	468 & ſeq.
	7, 8	490
	9	493
	9, 10	498
	11	476
	28	503
	31	463, 417
13	2	493 & ſeq.
14	1, 29, 32	463
	5	505
	6	491, 498
	14	505 & ſeq.
	15	506
	16	505
	18	504
	24, 25	500
	27, 28	507

Caput	verſic.	pag.
	29	500
	34	502
15	10	506

2 Corinth.

Caput	verſic.	pag.
* 1	21, 22	480 & ſeq.
4	7	510
* 5	5	481
6	6	465, 488
10	6	497
12	9	510
	18	473

Galat.

Caput	verſic.	pag.
3	8	476
4	6	456, 458, 505, 516

Epheſ.

Caput	verſic.	pag.
1	13, 14	480 & ſeq.
	17	463
2	20	500
3	16	487
4	7, 8	407
	30	407, 410, 519, 520
5	18	465
6	18	*ibid.*

1 Theſſ.

Caput	verſic.	pag.
1	19	520

2 Theſſ.

Caput	verſic.	pag.
2	2	520

1 Timoth.

Caput	verſic.	pag.
1	6	517
	20	497
3	16	508

2 Timot.

Caput	verſic.	pag.
1	5	473
	6	464, 517
	7	489

Titum

Caput	verſic.	pag.
3	5	487

Hebr.

Caput	verſic.	pag.
1	9	484, 485
2	4	469, 475
* 10	29	478

Jacobi

Caput	verſic.	pag.
5	13	502

1 Petri

Caput	verſic.	pag.
1	11	456
3	21	477
4	10	504
*	14	478

2 Petri

Caput	verſic.	pag.
2	22	479

1 Johan.

Caput	verſic.	pag.
2	20, 27	491
3	3	486
	24	483
4	1	503
	3	456, 457
	13	483
	6, 8	508

Judæ

Caput	verſic.	pag.
	vſ. 20	465

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
108 A 6 [1]